More

HENRICI MORI
Cantabrigienſis
OPERA OMNIA,

Tum quæ Latinè, tum quæ Anglicè ſcripta ſunt;

NUNC VERO

LATINITATE DONATA

Inſtigatu & Impenſis

Generoſiſſimi Juvenis

JOHANNIS COCKSHUTI

NOBILIS ANGLI.

SIRACID. C. 24.

Videtis me non mihi ſoli laborâſſe, ſed omnibus qui exquirunt ſapientiam.

HINC LUCEM ET POCULA SACRA
ALMA MATER CANTABRIGIA

LONDINI,
Typis impreſſa *J. Macock*, Sumptibus autem *J. Martyn* ſub ſigno Campanæ,
& *Gualt. Kettilby* ſub ſigno Capitis Epiſcopi in cœmeterio D. *Pauli*, 1679.

Scriptorum H. M.

UNIVERSORUM in VOLUMINE PHILOSOPHICO & THEOLOGICO CONTENTORUM SYLLABUS.

P*Ræfatio generaliſſima*, in qua nonnulla obiter de Vita Authoris habentur, de Scriptorum verò occaſionibus ac ſtylo, generalíque univerſorum ſcopo ſatìs fusè agitur. Vol. Philoſop. Tom. 1.

Enchiridium Ethicum præcipua *Moralis Philoſophiæ* Rudimenta complectens, *&c.* Scholiis ſubinde illuſtratum.

Enchiridium Metaphyſicum, ſive, De *Rebus Incorporeis* ſuccincta & luculenta Diſſertatio, *&c.* Scholiis multò jam auctior facta : Ubi inter cætera Objectionibus reſpondetur Viri Clar. *J. C. Sturmii*, Math. & Phyſ. P. P. *Altdorffini*.

Philoſophematum eruditi Authoris *Difficilium Nugarum* de *Principiis Motuum Naturalium*, ſive de *Eſſentiis mediis* & de modo *Rarefactionis* & *Condenſationis*, Examinatio; cum Reſponſione ad ejuſdem Objectiones Quæſtionéſve circa *Principium Hylarchicum* ſive *Spiritum Naturæ*; quæ eſt prior *Enchiridii Metaphyſici* Appendix.

Adnotamenta in duas ingenioſas Diſſertationes, alteram *Tentamen de Gravitatione* & *Non-gravitatione* corporum *Fluidorum*, alteram *Obſervationes* circa *Experimentum Torricellianum*, quæ eſt *Enchiridii Metaphyſici* Appendix poſterior.

Ad clariſſimum & eruditiſſimum virum *Chriſtianum Knorrium*, de uſu decem *Sephirotharum*, &c. *Epiſtola*.

Trium Tabularum Cabbaliſticarum decem *Sephirothas* ſive Numerationes exhibentium, (*viz.*) Tabulæ *Judaicæ vulgaris*, Tabulæ *Knorrianæ* vel *Lorianæ* in ſublimioris Cabbalæ Clavem *Zoariſticam* deſtinatæ, & Tabulæ *Sephirotharum Græcanicæ* ſive *Pythagoricæ* ab *H. M.* reſtitutæ, *Deſcriptio & Expoſitio.*

Quæſtiones & *Conſiderationes* paucæ brevéſque in *Tractatum primum Libri Druſchim*, quibus acceſſit, ad Cl. & eruditiſſimum virum *Chriſtianum Knorrium* de rebus in *Amica* ſua *Reſponſione* ad dictas Quæſtiones, *&c.* contentis, *ulterior Diſquiſitio.*

Viſionis Ezechielis ſive *Mercavæ Expoſitio* ex Principiis Philoſophiæ *Pythagoricæ* præcipuíſque Theoſophiæ *Judaicæ* Reliquiis concinnata, mirâque, cum locis quibuſdam S. Scripturæ hactenus obſcuris, luculentâque congruitate, conſolidata.

Catechiſmus

6111
.651
.1679 q
v.1

44815

Catechiſmus Cabbaliſticus ſive *Mercavæus*, quo in Divinis Myſteriis *Mercavæ Ezechielis* explicandis & memoriâ retinendis, decem *Sephirotharum* uſus egregiè illuſtratur.

Fundamenta Philoſophiæ ſive *Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ*, quæ omnem Creationem propriè dictam negat, Eſſentiámq; ſupponit Divinam quaſi *Corporeo-ſpiritualem*, Mundúmq; *Materialem* aliquo modo *Spiritum*; cum brevi ac luculenta prædictorum Fundamentorum *Confutatione*.

Philoſophiæ Teutonicæ Cenſura ſive Epiſtola ad Amicum quæ Reſponſum complectitur ad Quæſtiones quinque de Philoſopho *Teutonico J. B.* illiúſque Philoſophia.

Ad V. C. Epiſtola altera, quæ brevem *Tractatûs Theologico-politici Confutationem* complectitur, paucáq; ſub finem annexa habet de libri *Franciſci Cuperi* ſcopo, cui Titulus eſt, *Arcana Atheiſmi revelata*.

Demonſtrationis duarum Propoſitionum, viz. (*Ad ſubſtantiam quatenus ſubſtantia eſt, neceſſariam Exiſtentiam pertinere*, &, *Unicam in mundo ſubſtantiam eſſe*) quæ præcipuæ apud *Spinozium* Atheiſmi ſunt Columnæ, *brevis ſolidáq; Confutatio*.

Divinorum Dialogorum tres priores qui de *Attributis Dei* tractant ejúſque *Providentia* in genere.

Rerum ac verborum locorúmq; Scripturæ in hoc primo Tomo Voluminis Philoſophici occurrentium *Index*.

Vol. Philoſop. *Tom.* 2. *Collectio Philoſophica* in qua continentur,

Præfatio generalis.

Antidotum adverſùs Atheiſmum.

Appendix ad dictum *Antidotum.*

Enthuſiaſmus Triumphatus, ſive de Natura, Cauſis, Generibus & Curatione *Enthuſiaſmi*, brevis Diſſertatio.

Immortalitas Animæ.

Conjectura Cabbaliſtica, ſive Mentis *Moſaicæ* in tribus primis capitibus Geneſeos, ſecundùm triplicem Cabbalam, *Literalem*, *Philoſophicam* & *Divino-moralem* Interpretatio; cum ſingularum *Cabbalarum* Defenſione.

Ad *Defenſionem* Cabbalæ Philoſophicæ *Appendix*, Scholiis multùm aucta, ubi inter alia, *Examini* reſpondetur Cl. viri *S. Andreæ* S.S. Theologiæ Doctoris & Philoſophiæ Profeſſoris *Herbornenſis*.

Divinorum Dialogorum duo poſteriores qui de *Regno Dei* tractant & de *ſpeciali* illius *Providentia* per *Chriſtum* ſuper *Eccleſiam* à principio ad finem ſeculorum.

Rerum ac verborum locorúmque Scripturæ in hoc altero Voluminis Philoſophici Tomo contentorum *Index*.

Volum Theologic. *Præfatio ad Lectorem.*

Viſionum Apocalypticarum Ratio Synchroniſtica.

Magni Myſterii Pietatis Explanatio, ſive Vera ac fidelis Repræſentatio Æterni Evangelii Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, Dei Filii unigeniti, Hominúmque Principis ac Angelorum.

Myſterii Iniquitatis Pars prior, ſive, Diligens juſtáque Delineatio veræ *Ideæ Antichriſtianiſmi*, in *Realibus* genuiníſque illius *membris*.

Myſterii Iniquitatis Pars poſterior, ſive, *Synopſis Prophetica* compendioſum continens Proſpectum in illa ſacræ Scripturæ Vaticinia quibus *Regnum Antichriſti* inſigníſve lapſus ſeu Degeneratio Eccleſiæ, in eis rebus omnibus

bus quæ in *Idea Antichriſtianiſmi* comprehenduntur, præfiguratur vel prædicitur.

Expoſitio Prophetica ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias *Aſiaticas.*

De *veris Rationibus* ſive Fundamentis *Certitudinis Fidei* in rebus Religionis brevis *Diſſertatio.*

Antidotus adverſus *Idololatriam*, ſive Diſſertatio brevis, multa complectens Theoremata ad dignoſcendum quid ſit haberíve debeat Idololatria apud Chriſtianos, apprimè utilia, cum Applicatione ad doctrinam *Concilii Tridentini.*

Antidoti Appendix, in qua vera & adæquata Notio ſeu *Definitio Idololatriæ* communiter ſic dictæ proponitur, Exempla plurima iſtiuſmodi Idololatriæ in *Romana* Eccleſia per propoſitam Definitionem examinantur, Conſuetudines quædam in Eccleſia *Anglicana* vindicantur, ſeriæque aliquot Monitiones de Idololatria *Spirituali* demum annectuntur.

Divinorum *Hymnorum Heptachordon.*

Carmina quædam in Scriptis Philoſophicis *Anglicè* occurrentia & *Latinè* hîc per Authorem reddita.

Rerum ac Verborum, locorúmque Scripturæ in hoc *Volumine Theologico* explicatorum *Index locupletiſſimus.*

Præcipuorum Membrorum *Antichriſtianiſmi Deſcriptionum ſimul & Prædictionum* eiſdem reſpondentium, *Index particularis.*

Ad LECTOREM de Erratis in hoc Volumine Philoſophico.

AD Errata quod attinet ſive Typographica ſive in ipſis MSS. eam rem totam Preli Correctoris, quippe Viri docti gnavique, fidei ac diligentiæ concredidi. Quæ verò mihi impreſſa jam Exemplaria feſtinantiùs perlegenti occurrebant, eorum correctiones calci ſingulorum Tomorum hujus Voluminis Philoſophici ſubjeci, quemadmodum & Voluminis Theologici Errata calci illius Voluminis, poſt Indices putà, ſubjecta ſunt. Quodſi Lector quis oculatior alia præterea Errata, quæ tamen pauciſſima fore ſpero, detexerit, orandus eſt, ut pro ſua humanitate ipſe corrigat, & condonet.


D. Loggan fecit

IOHANNES COCKSHUTT GENEROSUS.

PRÆFATIO
Generaliſsima.

I.
Quo ſenſu intelligendum ſit [Opera omnia], in Titulo utriq; volumini communi.

Quarum rerum in Præfatione Volumini Theologico præfixa mentionem fecimus; eaſdem nunc in hac Præfatione Generaliſſima, aliáſque præterea nonnullas quas eis oportet ſuperaddi, proſequemur. Quod ut exquiſitiùs ordinatiúſque faciamus, ab ipſo Titulo utrumque Volumen complectente nobis ſumendum eſt exordium.

Nequid igitur, amice Lector, circa communis Tituli ſenſum erres, [Opera omnia] non ſic intellectum volo ac ſi nulla ſcriptorum meorum omiſſa eſſent, ſed ea tantùm omnia hîc contineri quæ aut Latinè primitùs ſcripta ſunt aut in Latinum verſa. Veruntamen nè nimis multa deſiderari ſuſpiceris, omiſſa ſunt tantummodo *Poemata Philoſophica* patrio ſermone edita; *Altercationes* quædam jocoſæ ac feſtivæ cum *Eugenio Philalethe*; & *Reſponſum ad Oppugnatorem quendam Anonymum Antidoti adversùs Idololatriam*, eâdem linguâ utraque, quâ Poemata, ſcripta. Et Poemata quidem omittenda cenſui, quòd tùm tralatu difficillima forent, tum ad uſum inter magis elaboratos ejuſdem Argumenti Tractatus minùs neceſſaria. *Jocoſas* autem illas *Altercationes*, quanquam ad ſcopum ſatis ſerium tendebant, illud tamen ſcribendi genus poſtea tam parùm mihi placuit, ut nè in *Collectionem* quidem *Philoſophicam Anglicanam* inſerendas cenſerem, nedum Latinè vertendas, quò locum in volumine Philoſophico ſibi poſſent vendicare. Et *Reſponſum* denique iſtud ad *Oppugnatorem Anonymum* quod attinet; manca res profectò quibuſdam videri potuiſſet Reſponſum Latinè redditum & Volumini Theologico inſertum, niſi maximam ſaltem partem libri Objectoris pariter inſeruiſſem: Ad quod faciendum, cùm nec ſat otii nec ſatis plenum jus mihi habere viderer, datâ operâ omiſi. Qui verò ipſum *Antidotum* cum annexa *Appendice* ſepoſito omni præjudicio attentè diligentérque perlegerit, nihil, uti ſpero, quod ad illud argumentum pertineat, deſiderabit. Quæ omiſi igitur, cùm nec multa ſint, & magni, ut non molis, itâ nec momenti, Latina hæc Operum noſtrorum Editio, ſatis, ſine illis, videri debet perfecta.

II.
Scriptorum ſuorum latinè vertendorum quæ Autori data fuerit occaſio, & cur & ſuam Operibus ſuis, & D. Johannis Cockſhuti *effigiem Præfationi generaliſſimæ præfigendam curaverit.*

Cæterùm de hoc minùs laboro. Res verò quæ pleniùs accuratiúſq; mihi enarrandæ ſunt, quáſq; in Voluminis Theologici Præfatione pollicitus ſum enarraturum, hæ duæ ſunt præcipuè, occaſio ſcilicet Opera mea Latinè edendi, ipſáque Styli ratio. Quarum prior vel ex ipſo Titulo innoteſcit utrique Volumini communi. *Inſtigatu & Impenſis generoſiſſimi Juvenis* Johannis Cockſhuti *nobilis Angli.* Non quòd is uſquam me præſens præſentem ad hoc Inſtitutum inſtigaverit, (neque enim unquam, quod memini, præſtantiſſimum Juvenem vidi, quanquam ille me ſæpiùs forſan, hîc Cantabrigiæ cùm eſſet, videre potuerit) ſed quòd Legatum ſatis amplum trecentarum ſcilicet Librarum tribus meis Voluminibus, *Myſterio* nempe *Pietatis*, *Modeſtæ Inquiſitioni in Myſterium Iniquitatis*, & *Collectioni Philoſophicæ* in ſermonem Latinum vertendis inſumendarum reliquerit; Et viginti præterea libras Effigiei pingendæ ſculpendæque quæ libris Latinè verſis præfigeretur. Qua de re per Epiſtolam in Amici manu relictam peregrè proficiſcens me monuit, obnixè orans ut ſederem pictoriq; darem facultatem ducendi Effigiem. In eis autem literis tantam ergà me benevolentiam, & quod potiſſimum eſt, tantum erga Deum verámq; virtutem amorem atque ſtudium expreſſit, ut æternam quandam amicitiam cum eo, ignoto licèt & jam defuncto, nunquámq; extinguendam, ex eo tempore contraxerim.

Hic igitur dilectiſſimus Juvenis quonam modo mihi inſtigator ſuaſórq; fuerit ad hanc moleſtiam tædiúmq; in propriis Scriptis Latinè vertendis devorandum, hinc ſatìs intelligis. Cúmque is adeò ſolicitus eſſet de Authoris Effigie Scriptis præfigenda, æquum profectò putabam ut ego viciſſim perinde eſſem ſolicitus de illius Effigie Præfationi præponenda, tanquam potentiſſimi Suaſoris & Authoris Latinæ verſionis omnium meorum Scriptorum Anglicè editorum. Quorum quantus quantus futurus ſit fructus Orbi literato, totus munificentiæ præſtantiſſimi Juvenis eſt acceptus referendus. Nam tametſi is in ſuo Teſtamento trium illorum duntaxat voluminum ſuprà dictorum mentionem facit, occaſionem tamen dedit (quippe quòd quò conſummatius Opus eſſet eò gratius ipſi fore exiſtimarem) omnia mea Scripta Anglicana quæ commodè poſſem, aut quæ operæ pretium eſſet vertere, in Latinum vertendi ſermonem. Committere igitur non potui ut cujus in publicum beneficentia effuſior eſſet & dilatatior, illius memoria contractiori apparatu poſteritati commendaretur; ſed ut externæ etiam perſonæ character perinde atque internarum virtutum Idea Immortalitati conſecraretur, par omnino eſſe putavi.

III.
D. Johannis Cockſhuti *Character Moralis.*

Priorem ſatìs graphicè expreſſit peritiſſimus ſculptor; poſteriorem veraciter, licèt breviter, refert Monumentum ab Amicis ejus poſitum in Eccleſia Sanderſtedienſi in *Surria*, quod ſic inſcriptum eſt:

Optimorum Parentum proles perquàm optima
Johannes Cockſhut Johannis & Elizabethæ *filius*
Supra Capita Parentum ſub hoc Marmore poſitus jacet,
Quod non Ambitio ſed parietis vicinitas fecit.
Quin & ſummum Familiæ ultimúmq; ſic Ramulum decuit,
Qui ſolâ ferè ætate ſuo erat inferior Patre.
Sublimi Ingenio Juvenis, probitate antiquâ,
Dando, ſublevando Cæſarum æmulus atque Principum.
Devotiſſimus Chriſti cultor, Amicus integerrimus,
E Templo interiori *non Cauſidicus, ſed* Philoſophus ſacer,
Qui & Scriptis Anglicanis Henrici Mori
Latinitate donandis Legato haud mediocri cavit.
Tali animo imbutus dum in Galliam
Valetudinis ergò peregrè proficiſcitur,
Ex Aſthmate animam efflans Graveſendiæ *moritur,*
Oppido & infœlicis & fœlicis ominis.
Mater Sepulchri Mors inceptum iter heic obruit,
Sed & Animam ſimul eruit è Corporis Sepulchro:
Abrupto igitur Itinere utraque reducuntur domum,
Corpus ad Terreſtrium Parentum Corpora,
Ad beatos Genios Anima & Cœleſtem Patrem.

Martii 9. A.D. 1669. Ætatis 30.

Hermannus Atwood Amicus fidelis,
Guilielmus Wycherley Executor,
Johannes Walkeden Hæres
Hoc Marmor cum lachrymis appoſuerunt.

Et ſub hoc quidem Marmore defuncti Amici Corpus continetur, ſed anguſtior Inſcriptio eſt quàm quæ omnes ſpeciatim Animæ complectatur virtutes. Nec certè opus erat, adeò particulatim enumeråſſe, cùm ſub univerſalioribus iſtis indiclis comprehendantur. Egregium tamen illud præterire non poſſum, quòd ſummâ ſemper charitate homines bonos amplecti ſoleret, paríque nauſeâ & ſtomachatione averſari malos, hoc eſt, homines injuſtos & Hypocritas, quippe cui nec liberior illa in nobilibus Adoleſcentulis vivendi ratio internum ſenſum ità unquam contemeraverit, quin ſtatum iſtum quem deſcribit Poeta viri boni, ſemper retinuiſſe meritò videatur.

Compoſitum jus fáſque animo ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo *pectus Honeſto.*

Et in ſanctis quidem illis Mentis receſſibus nullus dubito quin ſanctum quoddam germen ſacérve ſurculus, Divinæ Providentiæ manu illic inſitus, juvenilis ætatis ardoribus & tempeſtatibus agitatus licèt ſubinde, Affectuúmque æſtibus inundatus, ſteterit tamen firmiter atque, ut in iſtis circumſtantiis, effloruerit, & per merita Domini noſtri Jeſu Chriſti certum ipſi permanſerit Pignus ſeu Arrha beatæ poſt obitum Immortalitatis. Quò minùs mirari debeamus quòd imminentis Mortis vultum aliis adeò terribilem, tam firmo intrepidóque animo ſuſtinuerit, non aliter affectus atque ſi ex lutea aliqua caſula in ſplendidiorem illi migrandum eſſet commodiorémque domum. En ſinceræ Chriſtianitatis, veræ ac genuinæ Philoſophiæ ſtudio concomitatæ præclarum Fructum & Effectum!

IV. *Cur Author ipſe Scriptorum ſuorum Latinè vertendorum provinciam ſuſceperit, quódque nullius propriæ utilitatis causâ id fecerit.*

Tali ingenio, tali animo erat qui legatum illud amplum ſuprà memoratum ei reliquit qui tria illa mea ſuprà dicta Volumina Anglicana in Latinum verterit. Quòd autem ipſe illam Provinciam in me ſuſceperim, communi omnium Amicorum ſuaſu hortatúque factum eſt, ex nulla autem omnino ratione habita propriæ utilitatis. Ego enim ſimul atque ipſe decreviſſem Verſionem aggredi, Nummos iſtos omnes ſtatim apud meipſum (quod conſilium meum multis Amicorum communicabam) publicis uſibus deſtinavi, fundandis ſcilicet tribus ad trium pauperum Scholarium alimoniam Diſcipulatibus, qui aut *Cockſhuti* ſolius aut noſtrûm utriuſque nominibus eſſent appellandi. Sperabam enim fore ut Bibliopolæ propriis omninò ſumptibus Verſionem imprimendam curarent. Verùm ut breviter dicam quod res eſt, partim propter incertam temporum conditionem, partim quòd plerique Tractatuum Anglicè paſſim heîc extarent, & eorum plurimi plus ſemel jam eſſent impreſſi, belliſque omnia extra Angliam perſtreperent ac ferverent, neutrum volumen Latinum niſi ſolutis centenis libris imprimendum ſuſcipere voluerunt. Commodè igitur hîc cecidit quòd ipſe Verſiones perficiendas ſuſceperim. Nam ſiquis alius feciſſet, pecunia quæ Bibliopolis ſolvenda eſſet, defuiſſet, aquáque hîc planè fuiſſet hæſura. Et cùm ex ſententia Juriſperitorum nihil Tranſlatori antè debebatur quàm tota Tranſlatio finita eſſet, quòd duo noſtra Volumina Latina tam maturè in lucem prodierint, viri humaniſſimi D. *Walkedeni* bonitati debemus, qui in Volumina ſingula imprimenda centenas libras ante opus finitum Bibliopolis ſolvit, fecítque planè quod præclaræ Ingenuitatis Urbanitatíſque Cognati ſui perinde atque Fortunarum condecuit Hæredem. Ducentæ Libræ ſic ut diximus inſumptæ ſunt huic Operi, tertiáſque centenas poſtquam accepero, partim eidem, (ut omittam me tertiarum harum centenarum librarum in hanc rem portionem haud exiguam jam expendiſſe) partim aliis uſibus publicis, quicquid ſuperfuerit, inſumendas decrevi. Certum eſt nè drachmam quidem me propriis digitis, quanquam Tranſlatori totam Summam Defuncti Teſtamentum aſſignat, adhærere permiſſurum, quippe qui piis uſibus, prout ſuprà memoravi, totos nummos initio deſtinaveram. Atque hæc quidem de Scriptorum meorum Anglicanorum Latinè vertendi, duorúmque horum meorum, *Philoſophici* ſcilicet & *Theologici*, Voluminum Latinorum edendi occaſione dicta ſunto.

V. *Quæ ſit ſtyli legitimi vera norma ac menſura, & quouſquè Author ſuum ad iſtam normam conformaverit.*

Stylum verò quod attinet, ut de eo ſcitè ac dilucidè rationem reddam, quæ ſit primaria ac principalis ſtyli boni & probati Menſura atque Norma, inquirendum priùs eſt quàm eò deveniendum. Et certè heîc rem acu mihi tetigiſſe videtur *Eraſmus* in ſuo *Ciceroniano*, ubi *Orationem* ait eſſe *Animi ſpeculum*, capútque hujus facultatis eſſe, ut in Arte pictoria, rem ut eſt, oculis repræſentare. Unde neceſſariò ſequitur illud maximè nitidum politúmque ſcribendi genus eſſe quod Animi Scriptoris imaginem, hoc eſt, ejus Indolem, ſenſus & conceptus pleniſſimè, vividiſſimè fideliſſiméque ad Lectoris oculos reflectit. Quod quidem fit non tam per vocularum amœnitates venuſtatéſque verborum quàm per eorundem ad ſignificandum aptitudinem ac proprietatem, quò ſenſus rerum atque pondera Lectoris mentem fortiùs preſſiúſque penetrent. Qualis vivida profundéque penetrans Oratio tum demum fit cùm in corde intimáque mente naſcitur non in labiis natat, quemadmodum ſummo quidem cum judicio monet Poeta *Horatius*:

Scribendi, rectè ſapere eſt & principium & fons,
Verbáque proviſam rem non invita ſequentur.

Senſus igitur conceptúſque Animi prima illa eſt Norma ac Menſura juxta quam omnis legitimi ſtyli formanda eſt ratio; illéque ſtylus optimus ac præſtantiſſimus qui perfectiſſimus fideliſſimúſque Mentis eſt Interpres, quippe quum de *Eſſentia* ſermonis ſit ut Mentis ſenſus repræſentet. Adeò ut quiſquis nimio in ſermonibus munditiarum ſtudio incorruptámque ſervandi Latinæ linguæ integritatem, ſenſus conceptúſque Animi minuat aut obſcuret, illius profectò manca, deformis, imperfectáque neceſſe ſit, evadat oratio. Quod quidem non poteſt non contingere apud eos omnes quibus niſi antiqua nulla Latinitas placet. Quæ veſana profectò quædam moroſitas eſt immaníſque vecordia. Perinde enim eſt ac ſi interdicerent quicquam Latinè ſcribi niſi quod jam ſcriptum ſit ab Antiquis, omniáque vellent nova Inventa novóſve Animi partus ſupprimi, nec propterea in lucem edi quòd vetuſtæ non ſuppetant quibus induantur Tunicæ, contrà ac idem acerrimo judicio Poeta ſtatuit.

————*Si forte neceſſe eſt*
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabitúrque licentia ſumpta pudenter.

Ad res igitur novas, nováſve Notiones exprimendas nova etiam vocabula adinvenire licet, aut ab aliis jam, quanquam recentiùs, inventis uti; id quod illud ipſum eſt apud eundem Poetam,

Signatum præſente notâ producere nomen.

Quod certè ſi in Poeticis Amœnitatibus fas ſit & conſentaneum, multò magìs profectò id licitum erit in ſeverioribus Philoſophiæ ſtudiis atque Theologiæ, ubi non tam vocularum munditiæ ac ſuavitates conſiderantur quàm rerum pondera ac dignitates.

Præterea quemadmodum horridulæ ſqualiditatis fuiſſet ſi *Marci Ciceronis* temporibus voces quiſpiam *Faunorum* & *Aboriginum* ſæculo uſurpatas adhibuiſſet, vel (ut ineptum adoleſcentem caſcè nimis & vetuſtè loquentem haud illepidè reprehendit *Favorinus* apud *A. Gellium*) perinde quaſi cum *Evandri* matre loqueretur, ſermone abhinc multis jam annis deſito homines communiter affari ſolitus eſſet; ità profectò deridiculæ foret vanitatis noſtris temporibus, ità caſtum purúmque linguæ Latinæ uſum affectare, ut nulla admitteremus vocabula niſi quæ *Ciceronis* ferè ætate viguiſſent, ac ſi apud *Ciceronem* & Senatum Populúmque Romanum perorandum eſſet, non apud noſtræ ætatis homines verba facienda. Qualis hic furor? quæ dementia eſt? ad aures hominum multis jam ſeculis defunctorum orationem attemperare, viventium autem adhuc ac præſentium utilitates negligere. Exanguem, enervem, exilem, aridúmque ſtylum eum eſſe oportet cui demenda ſunt omnia vocabula loquendíque formulæ niſi quæ apud *Ciceronem* alióſque id genus Authores antiquos reperiantur. Inſtitutúmque profectò haud abſimile foret atque illud matrum earum quas apud *Terentium* irridet *Chærea*, de ſuis filiabus, quas illæ ſtudent

Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient.
Siqua eſt habitior paulò, pugilem eſſe aiunt, deducunt cibum,
Tametſi bona eſt natura, reddunt curaturâ junceas.

Ità ſanè iſti Latini ſermonis exactores rigidiuſculi, in argumentis præſertim magni alicujus momenti, nimiâ antiquæ Latinitatis affectatione & rejectione modernæ, ſtylum reddunt effœtum, debilem ac vietum, ſtramineum, jejunum & planè junceum, talémque cui nullum robur ſpiritúſve inſit. Sed politum interim, inquies, & elegantem. Ità quidem, ut planè Puparum iſtarum alabaſtrinarum ceruſſatarúmve in Abaco focario poſitarum, nitorem lævorémque referant. Stylus ille ſolus bonus eſt per quem Animus Spiritúſque Autoris tranſlucet, non qui in externa tantùm cute nitet.

Hæc autem eò non dico, quò quiſquam ſub prætextu robur nervóſque ſtylo ſuo addendi, horridè incultéque dicendi licentiam ſibi ſumeret; ſed nè Animi ſenſus vocum ſignificantiorum penuriâ ac defectu obſcurentur ſupprimantúrve. Satis elegans erit oratio etiam novis ſubinde inſertis vocabulis aut modernis, modò ſecundùm legitimam procudantur Analogiam, ſive è Latinis fiant ſive aliunde, & juxta probatorum Authorum exempla & autoritates.

> ——*Si lingua* Catonis *&* Enni
> *Sermonem patrium ditaverit & nova rerum*
> *Nomina protulerit, ego cur acquirere pauca*
> *Si poſſum invidear?*

Et certè omnino jus fáſque eſt ut ſic faciamus, modò ſuprà dictas leges obſervemus, & tam ſcitè affabréq; vocabula tornemus ut novitas non dura ſit nec illepida, nec aures quoquo modo offendat atque radat: Siquidem id ubiq; firmum ratúmq; habendum, *Voluptati aurium morigerari debet Oratio:* nempe ſi quis nec ſurdâ aut jacenti aure ſit, nec delicatâ nimis aut faſtidioſâ. Illic enim demum locum habere debet illud Critici Dictum, *Aurem tuam interroga quod illa ſenſerit, id profectò erit rectiſſimum.*

Quæ ſit igitur boni legitimiq; ſtyli norma ac menſura ſatis jam dictum eſt, ad quam quidem, quantum licuit, noſtrum conformavi. Quid autem aſſecutus ſim in hoc genere, quantúmve deciderim Archetypo, penès candidum Lectorem judicium eſto. Ad eloquentiam equidem nitorémq; Orationis aliqualem, fateor, aſpiravi, at minimè moroſam & anxiam, ſed facilem atq; ſimplicem, & firmam ac robuſtam potiùs quàm elegantem, nec minùs tamen vividam quàm nervoſam, talémq; per quam ſignificantiſſimorum verborum vi & impetu pulſum quaſi Animi poſſis ſpiritúmq; ſalientem perſentiſcere. Quod ſpero me in Tralationibus perinde omnibus atque in ipſis Scriptis meis Latinè primitùs editis ſatìs conſtanter aſſecutum, nec ignaviorem Interpretem me præbuiſſe, quàm Scriptorem.

VI.

Partes hujus Præfationis quæ ſint reliquæ.

Atque hæc de duabus præcipuis Præfationis generaliſſimæ partibus. Quæ ſuperſunt non multa ſunt, nec magni quare memorentur, momenti. Sunt autem aut Tractatuum in utroque volumine Ordo & Diſpoſitio; aut Defectus qui obſervari poſſint, & Redundantiæ; aut deniq; Modus, quo in Scholiis eos qui noſtra impugnaverint, exceperim. Quibus ſubnectenda quædam quæ ſpeciatim de Tractatibus utriuſlibet voluminis notari debeant.

VII.

De Vita Autoris Granthamiæ apud Parentes & poſtea in Schola Ætonenſi tranſacta, pauca prælibata.

Priuſquam verò ad librorum ordinem quo in utroq; volumine reperiuntur deſcendam, haud abs re fore puto quo ordine à me ſcripti ſint & quo tempore, & quibus deniq; occaſionibus & incitamentis ad ſcribendos ſingulos impulſus eſſem, breviter indicare. Quæ quò clariùs intelligantur, paulò altiùs res repetenda eſt, & pauca de eis quæ in prima etiam noſtra adoleſcentia ſi non pueritia acciderunt, prælibanda; quò pleniùs conſtet quæ ſcripſi nulla eſſe aſcititia mutuatitiáve quæ educationi librorúmq; lectioni debeantur dogmata, ſed ſenſa Animi propria ex intimis meis viſceribus hauſta ac deprompta, nec omnem Animam humanam abraſam eſſe Tabulam, ſed innatos habere ſenſus ac notiones boni & mali, turpis ac honeſti, veri ac falſi, eaſdémq; vividas vegetáſque.

Qua de re eò factus ſum certior quòd Animi mei ſenſa non modò educationi non debeantur, ſed eidem planè ſint contraria; quippe qui ſub & parentibus & præceptore *Calviniſtis*, ſed piis admodum atque probis, educatus etam uſq; ad decimum quartum ferè Ætatis Annum. Ex quo ſtatim Parentum juſſu à Patruo ſic perſuaſorum ad Scholam *Ætonenſem* conceſſi; non ad nova Religionis inſtituta præceptáve accipienda, ſed ad linguæ peritiam perficiendam Græcæ ac Latinæ. Ego verò nec illîc nec alibi uſquam durum illud de Fato dogma imbibere potui. Quin & memini me ſuper iſtis verbis *Epicteti*, Ἄγε μὲ ὦ Ζεῦ καὶ σὺ ἡ πεπρωμένη, fortiter pro mea ætate (apud fratrem meum natu maximum qui tunc forte fortunâ Patruum illuc comitatus erat) acritérq; contra Fatum ac Prædeſtinationem *Calviniſticam* vulgò appellatam, diſputâſſe, Patruúmq; poſtquam rem reſciverit graviter me objurgâſſe, virgæq; ac verberum minas ob præmaturum meum hiſce de rebus philoſophandi ſtudium addidiſſe. Quid, quòd tam altè animo inſedit hujus dogmatis abhorrentia, támq; firma & inconcuſſa de Divina Juſtitia ac Bonitate perſuaſio, ut die quodam in Agro Collegii *Ætonenſis* ubi pueri ludere ſolebant corporáq; exercere, de hiſce rebus ipſe mecum cogitans, *Calvini*que opinionem memoriâ recolens, ſic certè, ſeriò judicatóq; apud meipſum ſtatuerim: Si ego utiq; unus ex eis ſum qui prædeſtinatus ſim ad Infernum, ubi omnia Diris atq; Blaſphemiis conſtrepunt, me tamen cicuratè ſubmiſſéq; erga Deum geſturum; & ſi quid unum ſit præ cæteris ei magis gratum & acceptum, ad id ipſum præſtandum me ſincero animo totíſq; viribus incubiturum: certò perſuaſus, ſi ſic me adhibuero, illum haud diu me illìc retenturum. Quæ quidem Meditatio ità firmiter animo infixa eſt, ipſéq; locus ubi ſteti, ac ſi res herì modò aut nudiuſtertiùs eſſet tranſacta.

Et quod ad Dei Exiſtentiam attinet, quanquam in dicto Agro lentè obſtipóque capite, pro meo more, incedens, lapillulóſque ſummo pedis digito ſubinde propellens, verſus iſtos *Claudiani* Muſico quodam ac Melancholico murmure aliquando mecum repetere ſolebam vel potiùs muſſitare,

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector & incerto fluerent mortalia caſu:

Integer tamen ille vegetúſq; Divini Numinis ſenſus quem ipſa Natura Animo meo inſeminaverat, facilè omnibus hujuſmodi levibus ac Poeticis dubitationibus ſilentium imperavit. Immò vel in ipſa prima Pueritia internus Divinæ Præſentiæ ſenſus ità in mea mente viguit, ut nullum Dictum, Factum, aut Cogitatum eum latere poſſe exiſtimaverim, nec ab aliis me natu majoribus aliter potui perſuaderi. Quod tamen cùm nulla doctrina diſtinctáve Ratio aut Philoſophia eâ ætate me docuerat ſed ſenſus in me urgebat tantùm internus, notitiam profectò hanc mihi innatam eſſe planè conſtare cenſeo contra ſurdos ſordidóſque hujus ſeculi Philoſophaſtros. Et ſi verſuti hi homunciones reſponderint hunc ſenſum me ex traduce hauſiſſe quippe ex valdè piis parentibus natum; Rogo quî factum, ut *Calviniſmum* ſimul non hauſerim. Nam & Pater & Avus, addo etiam Matrem, *Calvini* fuerunt Sectatores ferventiſſimi. Sed iſta miſſa faciam, cùm Homines athei hæc perinde accipere nequeant, ut ego ea ſentiens loquor.

VIII.
Quænam Cantabrigiæ fuerit ſtudiorum ejus ratio & ſucceſſus uſque ad primum ſuſceptum gradum Academicum.

Pergo igitur in Hiſtoriola. Hiſce principiis imbutus firmâ ſcilicet ſtabiliq; perſuaſione de Exiſtentia Dei & illibata illius Juſtitia perfectâq; Bonitate, quòd Deus Optimus perinde eſſet atque Maximus, (quemnam enim alium quiſquam niſi homo ſuperſtitioſus aut vecors Deum admitteret?) juſſu Patrui cujus curæ Pater me commiſerat, poſt exactum *Ætonæ* triennium circitèr, *Cantabrigiam* proficiſcor, Tutelæ commendatus viri pii pariter atque docti, & qua de re haud parùm ſolicitus fueram, minimè *Calviniſtici*, Tutoris verò peritiſſimi & vigilantiſſimi, qui ſtatim à prima ſalutatione inceptóq; colloquio interrogavit me an diſcrimen haberem honeſtorum & turpium; Ad quod paulò ſuppreſſiùs quidem reſpondens dixi, Spero me habere; cùm interim ipſe mihi eſſem conſcius ſapidiſſimum vegetiſſimúmq; earum rerum ſenſum me in intimo animo experiri. Ingens nihilominùs interim & ferè intemperatum, pectus meum inceſſit ſciendi deſiderium, ſcientiæ præſertim naturalis, imprimíſq; Primæ quam *Ariſtoteles* vocat, quæq; altiſſimas rerum cauſas ſcrutari perhibebatur, *Philoſophiæ*, ſive *Sapientiæ*.

Quò, quum prudens piúſq; Tutor tam acri ac vehementi incitatione obſervâſſet animum meum inflammari atque ferri, rogavit me quodam tempore cur adeò præter modum ſtudiis intentus eſſem, hoc eſt, in quem finem id facerem; (ſuſpicatus utique, ni fallor, ſubeſſe tantùm inanis quoddam gloriæ aucupium, ut multi indè apud æquales meos celebratíq; evaderem nominis Philoſophus) Reſpondi verò breviter, ídque ex animo, UT SCIREM. Sed quid eſt, inquit, mi adoleſcens, quòd res tam avidè ſcire cupias? Ego verò continuò, Tam avidè, inquam, ſcire cupio, UT SCIREM. Summa enim tunc mihi voluptas ac fœlicitas videbatur rerum Naturalium Divinarúmque ſcientia.

Sic igitur perſuaſus & jus fáſque ratus eſſe, totum me in Philoſophiæ ſtudium ingurgito, miram mihi pollicitus ex iſto Inſtituto fœlicitatem. *Ariſtotelem* igitur, *Cardanum*, *Julium Scaligerum* alióſque celeberrimi nominis Philoſophos diligenter evolvo. Ubi profectò tametſi in quædam ſubinde incidi ſatis argutè & aliquando ſolidè dicta, pleraque tamen aut tam falſa mihi videbantur aut incerta, aut trivialia deniq; & obvia, ut planè operam me luſiſſe in iſtiuſmodi ſcriptoribus legendis apud me reputarem. Nec poſt longam, anquiſitam, ſolicitámq; celebratiſſimæ illius Quæſtionis, (nè nullum unum irriti noſtri laboris exemplum me protuliſſe quiſpiam conqueratur) apud *Thomiſtas* & *Scotiſtas* de *Principio Individuationis* ventilationem, quanquam apud omnes in confeſſo foret, me Hominem eſſe Individuum, ullis certis tamen indiciis, quis ipſe eſſem, colligere aut deprehendere potui, demptis ſcilicet certis quibuſdam circumſtantiis (quarum ego nulla una ſum nec omnes ſimul) attributíſq; cum reliquo humano genere communibus. Adeò ut ſuſpicari inceperim me non unum aliquod eſſe Individuum diſtinctum & completum, (id quod meritò emunctioris judicii quiſpiam irrideat,) ſed membrum ingentis cujuſdam vel immenſi potiùs Individui intelligentis, (ut pollex membrum eſt hominis) cui ſoli datum ſit, quis ipſe ſim plenè intelligere, ut mihi quid ſit meus pollex, cùm pollex ſeipſum minimè intelligat. Et ut verbo dicam, Totum ferè illud quadriennium quod hujuſmodi ſtudiis impenderam, quantùm ad eas res de quibus præcipuè certior fieri voluiſſem, (de exiſtentia enim Dei officiíſque Moralibus nunquam dubitavi) in merum quodammodo exiit Scepticiſmum. Quod fecit, ut pro meo more, (ſolebam enim præſentem animi ſtatum, ſenſúmve æſtuantiorem penetrantiorémque in Commentarios aut carmine aut ſolutâ oratione, ídque Anglicè, Græcè vel Latinè breviter referre) fecit, inquam, ut Octaſtichum iſtud quod *'Απορία* inſcribitur, & in calce ſecundi Tomi Voluminis Philoſophici reperitur, in perpetuam rei memoriam componerem, *viz.*

'Ουκ ἔγνων πόθεν εἰμὶ ὁ δύσμορος, οὐδὲ τίς εἰμι, &c.

Atque hæc quidem antè mihi contigerunt quàm ullum gradum Academicum ſuſceperam.

IX.
Priorum ſtudiorum fruſtratio quàm fœlicem habuerit exitum.

Poſt ſuſceptum verò gradum ut innumera omittam, neque enim hîc propriæ vitæ deſcriptionem meditor, (quanquam id nonnulli ante me iſque præclari quidem viri fecerunt, ***Cardanúſque*** tam præciſam de Libris propriis rationem reddidit ut nè eos certè omiſerit quos felis urina corruperat) ſed brevem tantùm Introductionem ad occaſionem primi mei libri ſcribendi meliùs intelligendam; commodè profectò cecidit quòd tantam ſtudiorum fruſtrationem paſſus eſſem. Fecit enim ut ſeriò demum mecum cogitare inciperem, an ſcientia rerum, illa revera eſſet ſumma hominum fœlicitas, an aliud quodpiam majus ac divinius. Et certè ſi eſſet, an tam, acri intentóque Autores legendi, aut res contemplandi ſtudio, quàm purgatione animi ab omnibus omnino vitiis, eſſet acquirenda; præſertim cùm Scriptores jam ***Platonicos***, ***Marſilium Ficinum***, ***Plotinum*** ipſum, ***Mercurium Triſmegiſtum*** Myſticóſque adeò Theologos, manu verſare incepiſſem. Apud quos de ***Purificatione*** Animæ, de Via ***Purgativa Illuminativæ*** prævia frequens fiebat mentio; quaſi is ad ſummam anhelare debeat puritatem, cujus quidem Menti, expectandum, ut Lumina præferat Deus.

X.
De neceſſario conflictu in Regenitis, & quid ſit in Nova Nativitate ipſum quaſi Punctum ſaliens *& ſine quo nemo ſcire poteſt ſe eſſe renatum.*

Inter omnia autem hujus generis Scripta, nullum me profectò ità penetravit quemadmodum fecit aureus ille libellus, quo & ***Lutherus*** etiam mirum in modum captus dicitur, ***Theologia*** ſcilicet ***Germanica***. Quanquam varia in eo mihi etiam tunc ſubinde occurrere videbantur profundæ cujuſdam Melancholiæ indicia, nec leves etiam lapſus in Philoſophia. Id verò quod tantopere inculcat, nempe ut voluntatem propriam penitus exuamus extinguamúſque, quò nobis ipſis mortui ſoli Deo vivamus illiúſque inſtinctu plenóve permiſſu omnia agamus, Rationi meæ intimæque conſcientiæ ità quaſi connatum erat & conſentaneum, ut nulla de re clariùs certiúſque convinci potuerim. Quem tamen ſenſum (nè quis pigrum illud ignavúmque Dictum hîc adhibeat, *Quales legimus tales evadimus*) non tunc primùm animæ meæ inſevit liber ille verè aureus, verùm è ſomno quaſi excitavit everberavítque, quod momento ſanè & quaſi ictu oculi fecit. Poſtquam verò magni hujus planéque Divini officii evigilâſſet in me conſcientia atque ſenſus, Deum immortalem! quæ luctæ qui conflictus inter Divinum hoc Principium Naturámque Animalem contigere! Cùm enim firmiſſimè perſuaſus eſſem non ſolùm de Dei exiſtentia ſummáque illius potentia ac bonitate, miniméque fucata voluntate ut ſimus perfecti ſicut Pater noſter cœleſtis perfectus eſt; nulla jam relicta erat tergiverſandi opportunitas, ſed ad certamen continuò deſcendendum, omnibúſque incumbendum nervis ut voluntas propria quâ nos noſtráque ſapimus tam in rebus Animi quàm Corporis, oppugnetur, deſtruatur, annihiletur, ut Divina voluntas cum nova Nativitate in nobis repullulaſcat. Et ſi liberè mihi heîc liceat effari quod ſentio, ante hunc Conflictum inter Divinam voluntatem atque Voluntatem Amorémve proprium, nulla certa nobis apparere poſſunt ipſius novæ Nativitatis veſtigia. Hic verò Conflictus eſt ipſiſſimum quaſi Punctum ſaliens novæ Vitæ ac Nativitatis inchoatæ; reliqua Religionis officia aut Moralitatis ex proprio Amore profecta quantumlibet ſplendida fuerint, ad ſummum Præparationes ſunt duntaxat, aut Theologici cujuſdam ***Hobbianiſmi*** exercitationes minùs fœtulentæ.

Nihil autem æquè horret Homo Animalis atque hunc Conflictum; merámque ſtultitiam reputat aut dementiam, quicquam non ſui causâ aggredi, aut quod ſuâ ratione ſuíſve viribus non perficiatur. Ac proinde vetus interim Homo dum Naturam ſuam variis modis verſat & ad Ritus Religionis externos dogmatáque multifaria regit, atque huc illuc ſe torquet flectitque, merus adhuc ſerpens eſt, merus homo vetus, ut Stercus in quaſcunque figuras aut poſituras varietur, etiamnum manet Stercus. Solum

Divinum ſemen illud eſt quod acceptum eſt Deo, ſolúmque invictum veræ Religionis Principium. Cujus quidem Principii cœleſtis ac ſinceri per Divinam gratiam in me Revelatio ſtatim effecit ut reliqua præ eo ſtudia mea omnia evileſcerent & ſordeſcerent, intemperatáque illa rerum ſciendarum cupiditas atque ſitis penitus ferè extingueretur, quippe quum de nulla re jam perinde ſolicitus eſſem atque de pleniore unione cum Divino hoc cœleſtíque Principio intimáque vitæ æternæ ſcaturigine, ferventiſſimis ſubinde ad Deum precibus ſuſpirans ut à tenebroſis hiſce ſordidíſque propriæ voluntatis vinculis me dignaretur in integrum liberare.

Verùm ut apertè fatear quod res eſt, poſtquam inordinatum illud rerum ſciendarum ſtudium refrixerat, dúmque ad ſolam hanc Animi ſimplicitatem puritatémque anhelabam, major profectò mihi indies, quàm expectare potui, etiam earum rerum quarum ſciendi maxima me olim cupido inceſſerat, illuxit certitudo; ità ut intra paucos annos in lætiſſimum lucidiſſimúmque Animæ ſtatum emerſerim & planè ineffabilem: Quanquam ut potui, pro meo more Octaſticho altero, quod priori & re & nomine κατ᾽ ἀντιστοιχίαν opponitur, (dicitúrque ut illud 'Απορία ità hoc 'Ευπορία) exprimere conatus ſum. Quod ad calcem itidem ſecundi **Tomi** Voluminis Philoſophici reperiendum eſt, ut quod ſic incipit:

'Εκ θεόθεν γέγονα προθορὼν, θεοῦ ἄμβροτος ἀκτὶς, &c.

XI. *Quo ordine & ex quibus occaſionibus ſcripti ſint aut editi Autoris libri omnes; ut Pſychozoia.*

Cæterùm, ut ſcopum tandem attingamus, hoc brevi Epigrammate non contentus potiſſimas meas ſpeculationes & experientias in quas prædicto Inſtituto inhærens incidi, juſto quaſi Poemate *Pſychozoia* dicto poſtea ſub initium Anni Dom. MDCXL. complexus ſum; cœleſti, credo, aliquo mentis inſtinctu eò incitatus, cùm ipſe nullo alio conſilio fecerim quàm ut privatum penès me eſſet propriarum Animæ ſenſationum experientiarúmque monumentum. Quod ut magìs celatum eſſet, præterquam quòd rudi ſtylo & impexo, licèt aliàs ſatìs vivido, ſcriptum erat, tam multis præterea nominibus propriis ex Fonte Græco & Hebraico derivatis & tam frequentibus linguæ Anglicanæ Archaiſmis obſcuratum eſt, ut vix quiſquam, qui in ipſum incidiſſet, quid ſibi vellet Poeta, intellecturus eſſet, & tamen nè in ullius manus incideret ſæpiùs de eo cremando mecum cogitavi. In ſcriniis igitur utcunque privatis ſic jacebat ad tempus ſuppreſſum.

Pſychathanaſia.

Poſt *Pſychozoiam* Poema alterum *Pſychathanaſiam* dictum compoſui, eò invitatus, quòd Argumentum eis temporibus opportunum fore putabam, quibus propter motus Scoticos, Hibernicos, Anglicóſque omnia bellis Civilibus hominúmque cædibus fervere inceperant & horrere; ut eo pacto eorum temporum aliquo modo lenire poſſem ærumnas ac miſerias, contra quas nullum eſt certâ Animæ Immortalitatis perſuaſione præſentius Remedium. Huic autem Poemati duo alia Poematia, alterum majus, alterum minus; illud contra Animæ Somnum poſt Mortem quæ *Antipſychopannychia*, hoc contra eorum opinionem qui unicam in Univerſo Animam eſſe exiſtimant quæ *Antimonopſychia* appellatur, ſimul adjunxi. Ut, cùm tam plenè conſtaret nos diſtinctas particularéſque Animas habere immortales & quæ poſt mortem vigeant atque ſentiant, quiſque, ſuum qui animum ab omni piaculo ſartum tectúmque conſervaverit, intrepidè fortitérque mortem ipſe oppetat, minúſque graviter & moleſtè ferat neces Amicorum.

Antipſychopannychia.
Antimonopſychia.

Pſychodia Platonica.

Poſtquam verò hæc tria Poemata poſtrema ſcripſeram & cum Amicis quibuſdam iiſq; viris doctis & piis forte fortunâ communicaveram uti & ipſam ſimul *Pſychozoiam*, illorum ſuaſu in publicum tandem Anno MDCXLII. ſub uno communi *Pſychodiæ Platonicæ* Titulo, edidi univerſa.

Atque hæ quidem ſtudiorum meorum omnium fuerant quaſi Primitiæ. De quibus forſan haud abs re erit notare, quanquam de eis argumentis quæ ibi tractantur tam preſsè exactéque nondum cogitaveram, per puram tamen quandam Æthereámque Animi ſenſibilitatem, ut erat tunc Mentis corporíſque temperies, me eaſdem res Divino quaſi tactu attigiſſe & tantùm non contrectâſſe vel ſi malles palpâſſe, quas poſtea clariori Rationis viſu vel intuitu magìs diſtinctè articulatéque datum eſt contemplari aliíſque demonſtrare, poſtquam ſcilicet ad magìs anxium ſolicitúmq; Rationis uſum animum applicuiſſem. Cujus quidem beneficio, cùm Philoſophiam Mechanicam curioſè diligentérq; examinâſſem, revolutus ſum tandem in primos rerum ſenſus, clariúſque quàm antehac unquam deprehendi, Mundi Phænomena ſine *Spiritu Naturæ* conſiſtere non poſſe. Quem in *Pſychozoia*, *Phyſin*, id eſt, Φύσιν, voco. Sed & ſubtiliori denique huic Rationis uſui debetur quòd *Holenmerianiſmum*, *Actiniſmúm*que ſive dogma de Subſtantiarum omnium eradiatione, quorum utriuſque reperiuntur in dictis Poematis non obſcura veſtigia, tantopere nunc abhorreo.

Anno MDCXLVI. in lucem prodiit noſter *Democritus Platoniſſans*, Poema ſcilicet de *Mundorum Infinitate*, cui alia duo annexa ſunt Poematia, alterum *Cupidinis Conflictus*, *Philoſophi Devotio* alterum, appellata. *Democritus* autem *Platoniſſans* hac occaſione ſcriptus eſt: In *Pſychathanaſia*, lib. 3. cant. 4. illîc ex immenſa Dei Bonitate, quippe Operum ſuorum ac Providentiæ menſura, probatur Animæ Immortalitas. Inter multas autem alias contra hoc Argumentum Objectiones iſta etiam urgetur, quòd Mundus nec infinitus extenſione, nec duratione æternus à parte antè, ut loquuntur Scholaſtici, ſit. Ad quod illîc reſpondetur, rei naturæ repugnare ut ulla extenſio ſit infinita, rationibus etiam additis ità prorſus eſſe. Poſtea vero mutatâ ſententiâ furore neſcio quo Poetico incitatus ſuprà dictum Poema ſcripſi, eâ potiſſimùm innixus ratione quòd liquidò conſtaret extenſionem ſpacii dari infinitam, nec majores abſurditates pluréſve contingere poſſe in Materia infinita, infinitâq; Mundi duratione, quàm in infinita Extenſione ſpacii. Neque enim in nova iſta argumenta, quæ poſtea mihi rem penitiùs introſpicienti occurrerunt quæq; in *Enchiridio Metaphyſico* notavi, eo tempore incideram. Quæ profectò mihi talia videntur quæ rem prorſus demonſtrent & vel invitum repellant ad eos rerum ſenſus quos conceperam quando *Pſychodiam Platonicam* ſcripſi. Tantúmq; abeſt ut quicquam abſoni aut incommodi ſequatur, ut major ſit in hac opinione elegantia & concinnitas quàm in altera, propterea quòd tam manifeſtò appareat adeò infinita Deum inter & Creaturam, etiam ex natura rei, tum *Amplitudinis* tum *Durationis* differentia, ex qua *eſſentialis ſanctitas* Divinæ Majeſtatis ſupereminénſq; conditio clariùs ſplendidiúſq; eluceſcit.

Democritus *Platoniſſans. Cupidinis conflictus. Philoſophi Devotio.*

Anno M DCXLVII. rurſus impreſſa eſt *Pſychodia Platonica* editióq; facta emendatior paulò atque auctior. Nam præterquam quòd ſexaginta ampliùs Enneaſticha in Cant. 2. *Pſychozoiæ* inſerta ſunt, *Pſychathanaſiæ* præterea annexus eſt *Democritus Platoniſſans* & *Antipſychopannychiæ* Poema de *Animæ Præexiſtentia* tanquam Appendices earum conſentaneæ, ut taceam alia Poematia iſti Editioni ſuperaddita. Quæ omnia prodierunt ſub uno communi Titulo *Poematum Philoſophicorum*.

Poemata Philoſophica quæ dicta.

Anno MDCL. in lucem prodierunt *Obſervationes* in *Eugenii Philalethis Anthropoſophiam Theomagicam* & *Animam Magicam abſconditam*, per *Alazonomaſtigem Philalethen*. Et

Alazonomaſtix in Eugenium Philalethen.

Anno MDCLI. *Eugenii Philalethis* per eundem *Alazonomaſtigem Flagellatio* altera, quæ erat ad *Eugenii* Reſponſum Replicatio. Opuſcula ſanè ludicro-ſeria & quæ nunquam ſcripſiſſem niſi næniis nugiſq; eorum temporum *Enthuſiaſticis* dicam an *Phantaſticis* eò provocatus. Morbus enim ille non ſolùm in Theologiam tunc inceſſiverat, ſed & Philoſophiam, illam puræ defæcatæq; Rationis regionem, inficere cœperat ac contagium propagare. Ad malum igitur illud averruncandum in tumidum hunc Juvenem Theomagicum exempla edere par eſſe putavi.

Alazonomaſtigis Replicatio ad Eugenium.

Anno MDCLII. edita eſt *Antidotus adverſus Atheiſmum*, quam excellentiſſimæ illi Heroinæ Dominæ *Vicecomitiſſæ de Conway* honoris ergô dedicavi. Huic autem Tractatui ſcribendo occaſionem dedit cum ingenioſis quibuſdam viris & perquam humanis (ſic enim ipſe eos expertus ſum) liberior quædam *Londini* confabulatio. Ex qua cùm intellexiſſem eſſe homines qui nullum credant exiſtere Deum, rei immanitate ac novitate commotus (meis enim præcordiis ſemper vividus inſedit altéque fixus Divinæ Exiſtentiæ ſenſus ac perſuaſio) operæ pretium putavi, claris diſtinctiſq; rationibus tanti momenti veritatem aliis quoad poſſem demonſtrare, morbidæque eorum Incredulitati ſic mederi. Quem Tractatum iccirco *Antidotum* appellavi. Et certè res ex liberis meis apud meipſum meditationibus, etiam ſecundùm Methodum hanc *Rationalem* ità mihi præter ſpem claruerat, ut non dubitarem quin futurum eſſet cuivis homini rationis compoti præſentiſſimum Remedium. Quod ſanè fecit ut re hîc tam fœliciter ſuccedente Tractatum ſtatim meditarer de *Providentia Divina*. Heic autem verum eſſe expertus ſum, mirum in modum, quod monet Sapiens, *A Jehovah viri ſunt greſſus, Homo verò quî intelliget viam ſuam?* Quanquam enim propoſitum omnino laudabile mihi videbatur ſatiſque ſub ictu meo poſitum, ità tamen in eo aggrediendo irretitus ſum talémque ſenſi obſiſtentiam ac ſi clathri ferrei per præcordia trajecti eſſent, quod fecit ut deſiſterem. Impedimentum autem ab ulla animi præter ſolitum hebetudine non fuiſſe profectum indè mihi conſtabat, quòd ſtatim atque alio divertiſſem, méque oblatâ occaſione ad rimandum eruendúmque ſenſum trium primorum capitum Geneſeos Philoſophicum applicuiſſem, per iſtud opus continuò, licèt multò difficilius, mirâ tamen facilitate ac ſi novæ alæ mihi additæ eſſent pervolavi, pauxillóq; tempore perfeci.

Antidotus adverſus Atheiſmum.

Prov. 20. 24.

Anno igitur MDCLIII. edita eſt *Conjectura Cabbaliſtica*, ſive Tentamen Conjecturale interpretandi mentem *Moſis* in tribus primis Geneſeos capitibus ſecundum

Conjectura Cabbaliſtica.

Triplicem Cabbalam, *Literalem*, *Philoſophicam* & *Myſticam* ſive *Divino-Moralem.* Hoc autem opus aggreſſus ſum ſuaſu & inſtinctu excellentiſſimæ Heroinæ ſuprà nominatæ. Cùm enim pauca quædam ſummatim & in genere de ſenſu illorum capitum ipſi per literas impertiviſſem, eis minimè contenta plenam à me perpetuámque trium illorum capitum expoſitionem efflagitavit. Cui & ipſe ultrò Defenſionem ſingularum Cabbalarum addidi & hoc ipſo anno edendam curavi.

Antidoti editio altera cum Appendice.

Anno autem MDCLV. *Antidoti adversùs Atheiſmum* nova facta eſt editio emendatior & auctior. Cui etiam acceſſit *Appendix* Reſponſionem complectens ad objectiones aliquot, contra loca quædam *Antidoti* factas.

Enthuſiaſmus Triumphatus Obſervationibus & Replicationi præfixus.

Anno MDCLVI. in lucem prodiit *Enthuſiaſmus Triumphatus*, ſive Tractatus de Natura, Cauſis, Generibus & Curatione Enthuſiaſmi per *Philophilum Parrheſiaſten Alazonomaſtigis* Obſervationibus & Replicationi præfixus. Quibus annexa eſt etiam Epiſtola ad Amicum privatum, ubi loca quædam in *Replicatione* ſua vindicantur multáque ad *Enthuſiaſmum* pertinentia edocentur illuſtrantúrque. Acceſſit autem huic Editioni *Obſervationum* & *Replicationis* eximium hoc commodum quòd utraque in Sectiones diviſa erant, plenáque & diſtincta argumenta ſingulis ſectionibus præfixa, quibus factum eſt ut multò faciliùs, quò *Alazonomaſtigis* tenderent ſive *Obſervationes* ſive *Reſponſiones*, intelligeretur, & in *Replicatione* præſertim *ſeria à ludicris* ſepararentur quò debitis interſpiramentis poſſent legi.

Immortalitas Animæ.

Anno MDCLIX. publicatus eſt Tractatus qui inſcribitur, *Animæ Immortalitas quatenus ex Naturæ Rationiſque lumine eſt demonſtrabilis.* Argumentum quidem quod ante annos ferè ſeptendecim tractaveram in ſecunda tertiáq; ac quarta *Pſychodiæ Platonicæ* partibus. Nunc verò in manus denuo reſumendum cenſui eò invitatus partim quòd quæ *Carteſius* hac de re ſcripſerat expectationem meam planè feſellerunt, quippe qui tenuiter admodum & frigidè, nè dicam Sophiſticè hoc argumentum proſecutus eſt, quod & alibi conqueror; partim quòd me multò inſtructiorem ad hoc opus jam putavi quàm quum Poemata iſta ſcripſi; Reiq; dignitatem ſummámque utilitatem Tractationem requirere magìs preſſam ſolidámque, & quæ ad Mathematicam tum Methodum tum certitudinem propiùs accederet. Speróque me in hoc Tractatu illud quod tam obnixè rogavi *Carteſium* ut faceret, ut Materiam ſcilicet omnis cogitationis expertem eſſe demonſtraret, apertè præſtitiſſe.

Magni Myſterii Pietatis Explanatio.

Anno MDCLX. edita eſt *Magni Myſterii Pietatis Explanatio.* Opus quod ex gravi morbo decumbens vovi Deo ſi convaleſcerem. Quanquam enim mortem tunc haud multùm extimeſcebam terreniq; hujus Tabernaculi ſolutionem, quippe qui minimè deſperabam quin hoc exuto, multò melius eſſet induendum Domicilium cœleſtíque naturæ magìs cognatum; ipséq; mihi conſcius eram nullâ re tantopere me oblectari ſolere quàm amabili vitâ Chriſti prout in ſanctis Evangeliis deſcribitur & à piis quibuſdam porrò Autoribus ſatìs vividè illuſtratur: ſubdubitans tamen an ipſam perſonam Chriſti, illum utiq; qui Hieroſolymis crucifixus eſt factúſq; pro univerſo Mundo Piaculum; an illius, inquam, perſonam ſatìs religioſè coluiſſem Officiáq; illius Perſonalia ſanctè ſatìs expreſſéque apud meipſum alióſq; recognoviſſem, ut hanc Obſervantiæ meæ lacunam, ſi qua eſſet, explerem, deſtinavi vovíq; me Religionis Chriſtianæ veritatem, quatenus ad Perſonam etiam Chriſti refertur (qui mihi tunc repræſentabatur tanquam Caput Eccleſiæ Politicum æquè viſibile ſanè & diſtinctum, ac quivis in Orbe terrarum Princeps ſive Rex) evidentiâ quantâ poſſem maximâ contra Fanaticos quoſcunq; & Infideles demonſtraturum, omnibúſq; palàm facturum, eundem illum Jeſum qui Hieroſolymis paſſus eſt inter duos latrones, Dei filium eſſe unigenitum, Principémque Hominum & Angelorum.

Collectio Philoſophica.

Anno MDCLXII. publicata eſt *Collectio Philoſophica Antidotum adversùs Atheiſmum* cum ſua *Appendice*, *Enthuſiaſmum Triumphatum*, *Epiſtolas ad Carteſium*, *Immortalitatem Animæ & Conjecturam Cabbaliſticam complectens.* Addita autem tunc primùm eſt Epiſtolis ad *Carteſium* Epiſtola ad V. C. & *Defenſioni Cabbalæ Philoſophicæ*, ſatìs ampla *Appendix*, totiq; Collectioni præfixa bene longa nec minùs utilis *Præfatio.*

Modeſta Inquiſitio in Myſterium Iniquitatis.

Anno MDCLXIV. in lucem prodiit *Modeſta Inquiſitio in Myſterium Iniquitatis*, duabus conſtans partibus *Ideâ Antichriſtianiſmi* & *Synopſi Propheticâ.* Ad quod Opus ſcribendum, Eccleſiæ Anglicanæ partim à Fanaticis ſed à Pontificiis potiſſimùm impendens periculum me inſtigavit. Ad calcem autem hujus Operis addita eſt *Apologia* quæ generaliorem Modi Scopiq; Scriptorum meorum rationem complectebatur variorúmq; locorum in *Magno Pietatis Myſterio* occurrentium Explicationem.

Epiſtolæ primæ ad V. C. editio altera.

Anno hoc etiam MDCLXIV. nova ſeorſim facta eſt editio *Epiſtolæ ad V. C.* Quam quidem Epiſtolam ſcripſi ut & honori *Carteſii* conſulerem (ſtrenuè enim illic omnem ab eo Atheiſmi ſuſpicionem amolior) & Juventutis Academicæ pariter incolumitati & ſaluti proſpicerem, eximendo ſcilicet venenum illud quod occultatur in illo *Carteſii* Inſtituto, Omnia ſolvendi Naturæ Phænomena in Rationes merè Mechanicas. Quod fieri non poſſe, in iſta Epiſtola ſubindicavi, idémque alibi demonſtravi pleniùs & apertiús. Sed præ nimis ſuperſtitioſa ac ſervili tam celebris Philoſophi admiratione meam hanc fidelitatem liberámque ſcribendi rationem iniquo animo tulerunt illius Sectatores. Qua de re etiam conqueſtus ſum in ſecunda Præfatione *Enchiridii Ethici*, quò minùs opus ſit quicquam hîc ſuperaddere.

Dialogi Divini ſcripti.

Anno M DC LXVI. ſcripti ſunt quinque *Dialogi Divini* per *Franciſcum Eviſtorem Palæopolitanum*, Diſquiſitiones varias & Inſtructiones continentes de *Attributis* & *Providentia Dei.* Atque equidem hîc demum intellexi cur anno M DCLII. quum id operis aggrederer, tam palpabilem perſenſerim Obſiſtentiam. Nondum enim tunc aderat iſtud faciendi maturitas.

Enchiridium Ethicum.

Anno M DC LXVII. editum eſt *Enchiridium Ethicum.* Cujus ſcribendi quæ fuerit occaſio, ipſa Præfatio ſatìs copioſè declarat, ità ut minimè operæ pretium ſit hîc quicquam addere.

Dialogi Divini publicati.

Anno M DC LXVIII. ſuprà dicti *Dialogi Divini* publicati ſunt, duo quidem poſteriores primùm, quorum Titulus erat, *De Regno Dei* & de ſpeciali illius Providentia per Chriſtum ſuper Eccleſiam à principio uſque ad finem ſeculorum: (Quibus adjecta eſt, *De veris Rationibus ſive Fundamentis certitudinis Fidei in rebus Religionis brevis Diſſertatio:*) Mox verò eodem Anno tres priores, qui de *Attributis Dei* tractant *ejúſque Providentia in genere.*

Expoſitio Prophetica ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias Aſiaticas, cum Antidoto adversùs Idololatriam.

Anno M DC LXIX. *Expoſitio Prophetica* edita eſt *ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias Aſiaticas* unà cum *Antidoto adversùs Idololatriam*, ſive Diſſertatione brevi multa complectente Thoremata ad dignoſcendum quid ſit haberíve debeat Idololatria apud Chriſtianos apprimè utilia, cum Applicatione ad Doctrinam Concilii *Tridentini. Expoſitionem* ſcripſi rogatu Amici cujuſdam è rure qui & ipſe de Intervallis temporum Eccleſiæ quæ per ſeptem Eccleſias *Aſiaticas* ſignificantur ſuo modo me ſubmonuit, ſed ità ut poſtquam rem penitiùs introſpexiſſem, pleraque omnia alteranda cenſuerim. *Antidotum* verò ſcripſi partim ut dictam *Expoſitionem* eò confirmatiorem redderem, partim ut noſtrates adversùs improbam Pontificiorum in pervertendis hominibus ſedulitatem fortiùs præmunirem.

Enchiridii Ethici editio altera.

Anno hoc M DC LXIX. nova etiam *Enchiridii Ethici* facta eſt Impreſſio. In qua Editione quid præſtitum ſit nova addita Præfatio plenè te docebit. Huic autem Editioni annexa eſt nova *Epiſtola ad* V. C. editio prioribus multò correctior.

Philoſophiæ Teutonicæ cenſura.

Anno M DC LXX. ſi rectè memini, ſcripta eſt *Philoſophiæ Teutonicæ Cenſura*, ſive Epiſtola privata ad Amicum quæ Reſponſum complectitur ad Quæſtiones quinque de Philoſopho *Teutonico*, *Jacobo Behmen*, illiúſque Philoſophia. Occaſio ſcribendi in ipſo limine Epiſtolæ Lectori ſe obfert, ità ut nihil neceſſe ſit hìc notare.

Enchiridium Metaphyſicum.

Anno M DC LXXI. *Enchiridium Metaphyſicum* publicatum eſt; Pars ſcilicet illius prima, quæ de Exiſtentia & Natura rerum Incorporearum agit in genere. De cujus Libri ſcribendi Scopo ac Propoſito cùm ſatìs fuſè in illius Præfatione dixerim, ſat ſit iſtud heic monuiſſe.

Scriptorum Theologicorum & Philoſophicorum Tranſlatio.

Ab Anno M DC LXXII. ad Annum M DC LXXV. in Scriptis meis *Theologicis* Latinè reddendis occupatiſſimus fui; Ab eo verò Anno ad Annum M DC LXXVIII. in Scriptis *Philoſophicis* in eundem Sermonem vertendis & Scholiis præterea nonnunquam ſat prolixis ſcribendis quæ paſſim inſeruntur Volumini Philoſophico. Nec tamen ſic occupatus fui quin ſi data eſſet bona aliqua Occaſio, ſtylum ſtatim etiam aliis in rebus exercendum cenſuerim.

Scripta Cabbaliſtica; ut Tabularum 3. Cab. Expoſitio.

Quæſtiones & Conſiderationes in librum Druſchim.

Viſionis Ezechielis Expoſitio.

Catechiſmus Cabbaliſticus.

Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ confutatio.

Intra Annum igitur M DC LXXII. & Annum M DC LXXVIII. ſcripta eſt, 1. *Trium Tabularum Cabbaliſticarum Deſcriptio & Expoſitio*, aut ſaltem in Latinum verſa. 2. *Quæſtiones & Conſiderationes* paucæ brevéſque in *Tractatum primum Libri Druſchim.* 3. Et ad Cl. & eruditiſſimum virum *Chriſtianum Knorrium* de rebus in *Amica* ſua *Reſponſione* ad dictas Quæſtiones contentis *Ulterior Diſquiſitio.* 4. *Viſionis* porrò *Ezechielis* ſive *Mercavæ Expoſitio* ex Principiis Philoſophiæ *Pythagoricæ* præcipuíſque Theoſophiæ *Judaicæ* Reliquiis concinnata. 5. Item *Catechiſmus Cabbaliſticus* ſive *Mercavæus* quo in Divinis Myſteriis *Mercavæ Ezechielis* explicandis & memoriâ retinendis decem *Sephirotharum* uſus egregiè illuſtratur. 6. Et *Fundamenta* denique *Philoſophiæ* ſive *Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ*, cum brevi eorundem *Fundamentorum Confutatione.* Quorum omnium præterquam poſtremi ſcribendorum mihi occaſionem dedit vir egregiè doctus & in ſtudiis Cabbaliſticis exercitatiſſimus *Chriſtianus Knorrius* per Literas ſuas & MSS. Cabbaliſtica ad me miſſa eò me illectans & inſtigans. Neque id, ut credo, ſine Providentia, cùm hinc mihi data ſic opportunitas Myſteria Judaica genuina pleniùs intelligendi & ſpuriorum ſimul detegendi Cabbaliſtarum errores. Poſtremum autem ſcriptum eſt per occaſionem Inſomnii quod in Scholiis ad *Cabbalam Aeto-pædo-meliſſæam* enarro. Illud verò & reliqua ſuprà memorata, ante finitum Annum M DC LXXV. ſcripſi. Præter hæc autem porrò à me ſcripta ſunt alia nonnulla prout ſe dedit occaſio.

Ad Impugnatorem Antidoti Replicatio.

Anno enim M DC LXXII. edita eſt ad *Reſponſum Anonymi* cujuſdam Pontificii ad *Antidotum* meam *adversùs Idololatriam, brevis Replicatio.*

Antidoti Appendix.

Anno M DC LXXIII. publicata eſt ſuprà dicti *Antidoti adversùs Idololatriam Appendix,* in qua vera & adæquata Notio ſive Definitio Idololatriæ proponitur, exemplàque plurima iſtiuſmodi Idololatriæ in Romana Eccleſia per eandem Definitionem examinantur, *&c.*

Viſionum Apoc. Ratio Synchroniſtica.

Anno M DC LXXIV. ſcripta eſt *Viſionnm Apocalypticarum Ratio Synchroniſtica* cum luculenta Demonſtratione neceſſariæ & inevitabilis Intelligibilitatis Viſionum Apocalypticarum Diſſertationis calci adjecta.

Volumen Theologicum Latinum.

Anno M DC LXXV. *Volumen Theologicum Latinum* cum prædicta *Viſionum Apocalypticarum Ratione Synchroniſtica* editum eſt, cui dicta Ratio Synchroniſtica eſt præfixa. In quem omnino finem anno proximo à me ſcripta eſt, ut ſic lucem præferat toti volumini Theologico.

Adnotamenta in duas ingenioſas Diſſertationes.

Anno M DC LXXVI. edita ſunt *Adnotamenta in duas ingenioſas Diſſertationes, alteram Tentamen de Gravitatione & Non-Gravitatione Corporum Fluidorum, alteram Difficiles Nugas ſive Obſervationes circa experimentum Torricellianum.* Occurrebant enim in illis duabus Diſſertationibus quædam quæ Demonſtrationes aliquas in *Enchiridio Metaphyſico* impugnare videbantur aut vellicare.

Epiſtola altera ad V. C.

Anno M DC LXXVII. ſcripta eſt *Epiſtola altera ad* V. C. quæ brevem *Tractatûs Theologico-politici confutationem* complectitur. Hujus autem Epiſtolæ ſcribendæ quæ fuerit occaſio in ipſo Epiſtolæ initio indicatur.

Suprà memorata ſcripta Cabbaliſtica Sultzbaci *impreſſa.*

Anno hoc etiam M DC LXXVII. ſuprà memorata Scripta mea *Cabbaliſtica* impreſſa ſunt *Sultzbaci* in *Germania* cum *Apparatu ad Soar*, tanquam aliqua illius pars. Quàm autem correctè ſanè neſcio, quippe qui, *Ragleiæ* dum eram & videndi ſolutas aliquas ſchedas nondum perfectæ Impreſſionis mihi data erat copia, grave profectò obſervavi Erratum Typographicum in *Epiſtola mea ad* C. K. *de uſu decem Sephirotharum*, ſub finem ſcilicet Epiſtolæ, *p.*60. *l.*2. Ubi quum certò ſciam me ſcripſiſſe [tria illa in Divino Numine] Corrector tamen preli, quiſquis fuerit, illorum verborum loco ſubſtituit [tria illa in Divinis Numina.] Qua de re etiam conqueſtus ſum in Scholiis iſti Epiſtolæ ſubnexis. Neque enim mihi dabatur opportunitas ſcribendi ad Cl. virum *C. K.* ut eum monerem de *lapſu* illo Typographico. Neque enim ſuſpicari licet quenquam datâ operâ locum illum corrupiſſe, cùm & alia errata bene multa notaverim in iſtis meis Scriptis admiſſa à Typographo, ut p. 21. l. 20. *AHuvi* pro *Attuvi*, p. 26. l. 4. *decet* pro *debet*, pag. 64. l. 31. *pingui* pro *pingues*, p. 181. l. 33. *Vriel* pro *Vzziel*, p. 222. l. 26. *Vita* pro *Vite*, p. 275. l. 10. *præterito* pro *prætrito*, & viginti alia quæ nihil neceſſe eſt enumerare. De inſigni autem illo errato coactus ſum hoc loco & in Scholiis mentionem facere, nequa fraus fiat Veritati.

Philoſophematum eruditi Autoris examinatio.

Anno M DC LXXVIII. ſcripta eſt *Philoſophematum eruditi Autoris Difficilium Nugarum de Principiis motuum Naturalium ſive de Eſſentiis mediis & de modo Rarefactionis & Condenſationis Examinatio, cum Reſponſione ad ejuſdem Objectiones Quæſtionéſve circa Principium Hylarchicum ſive Spiritum Naturæ.* Hujus Scripti occaſio adeò in propatulo eſt ut nihil attineat quicquam de eâ monere. Hoc enim Scriptum peperit eruditi Autoris ad *Adnotamenta* mea, *Replicatio* anno proximè antecedenti edita.

Duarum Atheiſmi Spinoziani *columnarum ſubverſio.*

Anno denique hoc M DC LXXVIII. ſcripta eſt *Demonſtrationum duarum Propoſitionum,* [*viz.* Ad Subſtantiam quatenus eſt ſubſtantia neceſſariam exiſtentiam pertinere, & Unicam in Mundo Subſtantiam eſſe,] *quæ præcipuæ apud* Spinozium *Atheiſmi ſunt Columnæ, brevis ſolidâque Confutatio.* Quæ tanquam Appendix Scholiis in Epiſtolam alteram ad *V. C.* annexa eſt. Ad hanc verò ſcribendam inſtigavit me in *Spinozii* fœtida Opera Poſthuma recens edita (ubi exutâ omni larvâ craſſum Atheiſmum, more, ſi placet, Geometrico demonſtratum profitetur) juſta pariter ac vehemens indignatio.

Atque hæc quidem de Temporum ordine quibus Librorum meorum ſinguli ſcripti ſint aut editi & quibus datis Occaſionibus. Qui in Latinum verſi ſint vel potiùs qui non & quamobrem, ac proinde in hac duorum noſtrorum voluminum Latinorum editione omiſſi, ſuprà notatum eſt nec opus eſt repetere. Pergo igitur ad rationem reddendam ordinis eorum qui non ſunt omiſſi, tum in Volumine Philoſophico tum Theologico, additurus obiter de ſingulis quicquid è re fore putaverim obſervare.

XII. *Duorum Voluminis Philoſophici Tomorum ordinis ratio, & cur* Enchiridium Ethicum *reliquis ſcriptis Philoſophicis univerſis ſit præfixum.*

Primùm autem de duorum Voluminis Philoſophici Tomorum ipſorum ordine aliquid breviter eſt præmittendum. Quanquam igitur Libri poſteriori Tomo contenti priùs ſcripti ſint omnes præter poſtremum, quàm ulli qui in priori Tomo continentur; ordo tamen Naturæ requirebat ut iſti Tomum poſteriorem, hi priorem conſtituerent. ***Enchiridium*** enim ***Metaphyſicum*** cùm de rebus Incorporeis in genere tractet, prius eſt naturâ quàm Antidotum adversùs Atheiſmum, quod tamen primum locum obtinet in Tomo poſteriori. Hæc igitur aperta eſt ipſorum Tomorum ordinis ratio. Univerſis verò Scriptis Philoſophicis ***Enchiridium Ethicum*** præfixi ut æternum ſit noſtræ ſententiæ Monumentum, fruſtrà ſcilicet veræ Philoſophiæ ac ſolidæ & in qua humani generis intereſt verſari, operam impendi, niſi mores priùs corrigantur, Animáq; à vitiis omnibus expurgetur & purificetur. Impuro enim fas non eſt quod purum eſt attingere, quemadmodum monet ***Plato***, nec unquam in Animo repullulat εὐμαθησία illa ***Pythagorica*** ſine ea quam nos in ***Enchiridio*** noſtro ***Ethico*** deſcripſimus Morali Prudentiâ & Temperantiâ Philoſophicâ. Quæ ambæ niſi adhibeantur, omnis quidem ***veræ*** Philoſophiæ quæve alicujus magni ſit momenti, ſtudium, in irritum ſuſcipitur. Perinde enim eſt ac ſi lippus quiſpiam longinqua difficiliáve Objecta intueri ſatageret nullo priùs adhibito oculis adminiculo aut medelâ, quemadmodum fuſiùs moneo ***Enchirid. Ethic.*** *lib.* 3. *cap.* 9. *ſect.* 6, 7, 8.

Præterea quàm neceſſaria ſit Diſciplina Moralis ad veræ Philoſophiæ ſtudium, ex eis innoteſcere poteſt quæ in Scholiis occurrunt ad ***Enchir. Ethic.*** *lib.* 1. *cap.* 4. Ubi prima Radix ſive Fons omnis genuinæ Moralitatis ſtatuitur ***ſincerus Dei Amor.*** Hic igitur ſenſus excitari & augeri debet per præcepta & meditationes Morales. Qui certò excitabitur ſi ***Temperantiæ Philoſophicæ*** Leges inviolatè ſanctéq; obſerventur. Quas proinde ſi quis obſervet Divinóq; Mens ejus Amore incitetur & inflammetur, mirabile dictu quanta cum voluptate quantóque cum ſucceſſu in rebus Philoſophicis etiam maximè arduis verſabitur, quippe qui in eam Arcem reverà jam aſcenderit

> ***Deſpicere unde queat alios paſſimque videre***
> ***Errare***, &c.

dum ipſe interim tam amplum proſpectum nactus clarè diſcernit, ubi eundum ſit, & tum in rebus agundis tum contemplandis quid perplexum ſit & invium, & quid liberum fœlicémq; habiturum exitum, planè perſpicit. Cùm illi è contrà qui humi repunt pronóq; in res terrenas & abjectas feruntur appetitu nec niſi quæ cominus ſunt cernunt, rerum quidem notitiam aut perpuſillam aſſequuntur, aut omnino nullam; & quæ alii ſatis certò ſciunt, præ craſſa ſua cæcitate anguſtóve proſpectu, impudenter clamitant quantovis hominis ingenio non poſſe comprehendi. Nec certè ob defectum ſinceri Amoris Dei ullorum magnorum aut præclarorum Philoſophiæ Arcanorum cognitionem vel cupere poſſunt, corporis ſoli obſequio indulgentiæq; intenti aut inanium gloriolarum aucupio; quas ex frivolis quibuſlibet & inutilibus ſpeculationibus nec ad Dei gloriam nec ad Hominum emolumentum quicquam facientibus ſi forte apud Philoſophorum vulgus aſſequuntur, ſtolidâ quâdam faſtuoſitate ſtatim turgent reliquóſq; præ ſe mortales facilè contemnunt univerſos, quippe qui nihil ſapiunt præter ſuam aut Rem, aut Nomen, aut corporis ſcabiem & voluptatem.

Qui ſic ſunt, licèt argutari aliquo modo poſſint variáſq; Experimentorum quiſquilias ſermocinationibus ſuis accumulare, revera tamen philoſophari in rebus ullius momenti neſciunt, utpote quibus omnis ***ſincerus Dei Amor*** eſt extinctus. Quid enim hiſce lutulentis ***Hyles*** mancipiis cum Deo? cum Divina Providentia? cum immenſa illius Bonitate ejúſque effectis in Univerſo, qui nè diſcrimen quidem tenent honeſtorum & turpium? Quid cum Animæ Immortalitate? illiúſve aut ***Præexiſtentia*** aut ***Poſtexiſtentia?*** quandoquidem fæces animorum ipſorum atque ſordes mentem adeò occæcârunt ut illius acies ad harum rerum rationes pertingere non poſſit, &, ſi poſſet eò penetrare, ad tam infenſam lucem exhorreſceret. Malunt enim hi ***Materiæ Tenebriones*** Deum non eſſe quàm eſſe, Animámq; humanam mortalem eſſe quàm immortalem, ſceleratæ ſuæ conditionis ſibi ipſis conſcii. Unde & clariſſimas harum rerum demonſtrationes offucias præſtigiáſq; eſſe ſomniare malunt quàm in agnitionem veritatis expergiſci. Cùm è contrà ***ſincerus Dei Amor*** apud eos in quibus viget, eximium profectò Ingenii humani incitabulum ſit atque cos, mirúmq; in modum in rationibus Philoſophicis circa Dei Naturæq; Arcana & inveniendis & intelligendis mentem acuit &

expergefacit, talíque cum luce conjungit ut ineffabili voluptate & certitudine in hujuſmodi contemplationibus verſetur. Quæ enim major ei, qui Divino Amore percitus eſt, voluptas eſſe poteſt, quàm veſtigia illius, quem Anima ejus diligit, in Naturæ operibus obſervare diligenter, ſuavitérq; ſubinde deoſculari? Qui verò ſic philoſophantur ut rationibus ſuis Mechanicis Divinam Sapientiam ab operibus Naturæ excludant, ſtolidi tantummodo & immodici æſtimatores Ingenii proprii & admiratores evadunt, dum reverà à viris interim prudentibus rerúmque gnaris inſanire planè cum ſuis rationibus deprehenduntur & delirare, próq; fama quam tantopere ſitiunt, in ſummam infamiam & ignominiam apud peritos rerum Judices meritiſſimè incidunt.

Denique vera Philoſophia non ſolùm *Filia* exiſtimanda eſt *diſciplinæ Moralis* ſed perpetua quaſi ejuſdem *Alumna* ſine qua nec ſuſtentari nec ſubſiſtere poteſt; ſine *Prudentia* utique *Morali Philoſophicâ*que *Temperantia.* Nam præterquam quòd in genere nihil æquè labefacere ac imminuere hominum mentes ſolet quàm Ebrietas & Ingluvies Voluptatíſq; ſcabies & dulcedo, equidem ſine dicta Prudentia Temperantiáque neceſſariò etiam extinguitur purus ille & *ſincerus Dei Amor.* Quo certè extincto horrendæ rurſus animum obruunt Tenebræ, nec eis quidem Theorematis de quibus plenè quis olim perſuaſus fuerit, cùm ſpiritus defæcati erant, innocuæq; Juventutis cœleſti quaſi aurâ vegetati, fidem jam adhibere poteſt, ſed obſcura apparebunt, ſublato illo Divino Lumine, & incerta, ſi non falſa, atque ſic miſera Anima aut in ſordidum ſtupidúmq; Atheiſmum aut oſcillantem temulentúmq; ſcepticiſmum, O infœlix ſpectaculum! in conſpectu hominum turpiter prolabetur. In ſola alta mente & placida, in animo liquido & tranquillo & à terrenis fæcibus purgato corporíſq; tumultibus vacuo, tanquam in propria ſua Arce, habitat vera Sapientia veráve Philoſophia. Ad quam cùm diſciplina Moralis primus maximéq; neceſſarius aditus ſit ac veſtibulum, quemadmodum probavi, equidem *Enchiridum Ethicum* quod eam diſciplinam complectitur, reliquis meis Scriptis Philoſophicis meritò præfigendum cenſui.

XIII.

Reliquorum Scriptorum Philoſophicorum priori Tomo contentorum ordo.

Annexa eſt autem huic *Enchiridio Ethico* Epiſtola prima ad V. C. tanquam ad ſecundi libri caput *de Pietate* Appendix non incommoda, quemadmodum moneo in Præfatione ad Lectorem de ſecunda dicti *Enchiridii* Editione.

Quòd verò *Enchiridium Metaphyſicum* locum proximum obtinet, id quidem fit ſecundùm accuratiſſimum Naturæ ordinem, quippe cujus Argumentum planè univerſalius eſt ſive generalius quàm Argumenta reliquorum librorum in primo hoc Tomo ſubſequentium.

Adnotamenta verò in *Tentamen de Gravitatione & Non-Gravitatione Corporum Fluidorum* & in *Obſervationes circa Experimentum Torricellianum*, Enchiridium Metaphyſicum ſequuntur tanquam neceſſaria illius appendix, utpote in qua rationes noſtras potiſſimas quibus rerum incorporearum exiſtentiam in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtramus, contra Objectiones Adverſarii defendimus, novâſq; depromimus quæ eódem quò illæ quæ in dicto *Enchiridio* occurrunt, ſpectant, eaſdémque confirmant. *Philoſophematum* verò eruditi Authoris *Difficilium Nugarum* de *Principiis motuum Naturalium*, &c. *Examinatio* hiſce ipſis *Adnotamentis* præfigitur *Scholiorum* gratiâ quæ *Adnotamentis* adjiciuntur quò majus ſcribendi facere poſſem compendium, Lectorémq; ad hanc *Examinationem* brevitatis causâ remittere, quemadmodum in ipſa *Examinatione* moneo.

Jam verò *Scripta Cabbaliſtica* quæ proximè ſequuntur cùm ſatìs homogenea ſint nec tam generalis tamen naturæ quàm *Enchiridium Metaphyſicum* quod de rebus incorporeis tantùm *in genere* tractat, hæc verò de Deo Diviníſq; Emanationibus déque Animarum Angelorúmve variis Ordinibus ſive Conditionibus, omnino Methodi Ratio poſtulabat ut hæc Scripta *Enchiridium Metaphyſicum* cum ſuis *Appendicibus* ſubſequerentur.

Cæterùm cùm *Cabbala Aeto-pædo-meliſſæa* Scriptorum horum *Cabbaliſticorum* ſit ultimum, *Philoſophiæ Teutonicæ Cenſuram* huic ſtatim ſubjunxi, quippe quam eidem, ob dogmata J. B. in *Aurora* ſua ſive *Rubedine Matutina*, de corporeitate Divini Numinis illiúſq; Diviſibilitate (quo errore illîc planè irretitur) admodum exiſtimavi cognatam. Quemadmodum verò *Cabbalæ* iſtius *Aeto-pædo-meliſſææ Fundamenta* confutavi, ità *Jacobum Behmen* ex fœdo illo errore tandem emerſiſſe & veritatem aſſecutum eſſe manifeſtò oſtendi.

Proximum autem locum optimo jure occupat *Epiſtola altera* ad V. C. cum Scholiis; quibus annexa eſt *Demonſtrationis duarum Propoſitionum, quæ præcipuæ apud Spinozium Atheiſmi ſunt Columnæ, brevis ſolidâque Confutatio.* Cùm enim principalis ſcopus tum *Tractatûs Theologico-politici Spinozii* tum *Operum* ſuorum *Poſthumorum* ſit per vafras argutáſq; Cavillationes & ementitas Demonſtrationes ordine, ſi placet, Geometrico poſitas probare nullum omnino exiſtere Deum in rerum Natura, præter ipſam Materiam αὐτόζωον, atque ſic fœdiſſimum Atheiſmum introducere; hæc certè mea ſcripta proximè antecedentibus admodum homogenea ſunt; cúmq; ejuſdem ſunt naturæ & ad eundem planè ſcopum ad quem altera illa collineant, ad Defenſionem ſcilicet veri illius dogmatis de Exiſtentia Dei *Incorporei* & *ab omni Materia diſtincti*, nulla ἀμεθοδεία eſt, præſertim cùm illa hiſce priùs ſcripta ſunt, locum his poſteriorem ſed prioribus proximum aſſignâſſe.

Denique *Divinorum Dialogorum* tres priores qui de *Attributis Dei* tractant ejúſque *Providentia*, cùm manifeſtum ſit eos ad magis ſpeciales ſpeculationes deſcendere quàm quò antecedentium ſcriptorum ſcopus tetenderit, rectè omnium ſcriptorum hoc priori Tomo contentorum agmen claudunt.

XIV. *Scriptorum poſteriori Voluminis Philoſophici Tomo contentorum ordo.*

Jam verò quantùm ad ſcriptorum ordinem poſteriori Tomo contentorum multò breviùs hîc res expedietur. Cùm enim Deus prior ſit naturâ quam quicquam aliud, quippe à quo omnia ſunt profecta, manifeſtum eſt *Antidotum adversùs Atheiſmum* primum locum habere debere. Cui proximè adhæret naturaliter illius *Appendix*.

Poſt *Antidoti* autem *Appendicem* continuò ſequitur *Enthuſiaſmus Triumphatus*, quandoquidem *Enthuſiaſmus* eſt Animi Morbus è regione *Atheiſmo* oppoſitus. Unde meritò utriq; ad eandem diſciplinam videri poſſunt pertinere.

De *Epiſtolis ad Carteſium* ejúſq; Reſponſis cùm de rebus variis ſint, non eſt quòd nimis ſoliciti ſimus. Eundem igitur locum tenere permiſimus quem obtinuerunt in *Collectionis Philoſophicæ* Editione Anglicana.

Tractatus autem de *Animæ Immortalitate* ritè ſequitur ea quæ ſcripſimus de Deo, cujus exiſtentia demonſtrata maximum profectò momentum facit ad Demonſtrationem Immortalitatis Animæ.

Cabbala verò ſuperadditur *Moſaica* tanquam Divinum, ſi rectè nos Textum interpretati ſumus, de veritate rerum in utroq; Tractatu traditarum Teſtimonium.

Et tandem Coronidis loco adjiciuntur *Divinorum Dialogorum* poſtremi duo qui de *Regno Dei* tractant & de ſpeciali illius Providentia per Chriſtum ſuper Eccleſiam à principio uſque ad finem ſeculorum, tanquam ſigillum Divinæ Exiſtentiæ Immortalitatíſq; humanarum Animarum, omnium firmiſſimum aut ſaltem ad pias mentes accommodatiſſimum. Atq; hæc quidem de ordine Scriptorum in volumine *Philoſophico* contentorum.

XV. *Ordo Scriptorum Volumine Theologico contentorum.*

Quæ in volumine *Theologico* continentur, faciliori negotio cùm pauciora ſint, abſolventur. In primo igitur loco ponitur *Viſionum Apocalypticarum Ratio Synchroniſtica*. Quum enimvero ea in ſe contineat ſine quibus multa loca non ſolùm in *Myſterio Iniquitatis* ſed etiam in *Magno Pietatis Myſterio* aliiſq; Tractatibus facilè intelligi nequeunt, eam reliquis meis omnibus Scriptis Theologicis præfigendam omnino curavi.

Proximè verò ab ea collocandam cenſui *Magni Myſterii Pietatis Explanationem*, quippe quum *Pietatis* Myſterium Myſterio *Iniquitatis* naturâ ſit prius, quandoquidem hoc ab illo tanquam à vera Regula immanis quædam eſt deviatio; nec cognoſci poteſt *Myſterium Iniquitatis* quale ſit, niſi cum *Myſterio Pietatis* collatum.

Cæterùm cùm *Myſterium Iniquitatis* duabus conſtet partibus, *Ideâ* ſcilicet *Antichriſtianiſmi* & *Synopſi Propheticâ*, poſt *Synopſin Propheticam* ſequitur tanquam Argumentum ipſi valde cognatum *Expoſitio Prophetica ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias Aſiaticas*. Nam ex iſta etiam Expoſitione porrò conſtat perinde atque ex *Synopſi Prophetica*, Ideam illam *Antichriſtianiſmi* non meram eſſe res alicujus futuræ *Ideam*, ſed jam in rerum natura exiſtere & in Romana præſertim Eccleſia reperiri, in illiúſq; fœdiſſimis erroribus & conſuetudinibus, in barbaris illius Homicidiis, craſſis Idololatriis & Impoſturis Prophetias omnes *Danielis* & *Apocalypſeos* de Eccleſiæ Apoſtaſia planè impleri.

Quam luculentam veritatem cùm duplici præcipuè prætextu obſcurare ſatagunt Pontificii ipſorúmq; Amici, falsíve aliqui, inter Proteſtantes, ac infidi Fratres, *Infallibilitate* ſcilicet *Papæ* aut *Eccleſiæ*, & *Incredibilitate* quòd *illa* unquam lapſura eſſet in *Idololatriam*, quippe quæ ſic deſitura eſſet eſſe Eccleſia; ad hunc fucum detegendum detergendúmque duæ iſtæ ſtatim ſubjiciuntur Diſſertationes, prior de *Veris Rationibus ſive Fundamentis Certitudinis Fidei in rebus Religionis*, quâ illa fictitia Romanæ Eccleſiæ *Infallibilitas* penitus ſubvertitur: poſterior, *Antidotus adversùs Idololatriam*; Diſſertatio ſcilicet quâ certò dignoſcitur quid ſit haberíve debeat *Idololatria* apud Chriſtianos cum *Applicatione* ad Doctrinam *Concilii Tridentini*. Cui adjungitur *Antidoti Appendix* in qua vera & adæquata *Notio* ſeu *Definitio Idololatriæ* communiter ſic dictæ proponitur, exempláq; plurima iſtiuſmodi Idololatriæ in

Romana Eccleſia per propoſitam Definitionem examinantur. Ex hiſce autem tribus Tractatulis cuilibet luce clariùs conſtare poteſt, cui modò craſſa educationis præjudicia aut falſus rerum Mundanarum ſplendor mentis aciem non occæcaverit, ***Infallibilitatem*** illam quam crepant Pontificii eorúmq; Amici nullam eſſe, quamplurimíſq; Eccleſiam ***Romanam*** eiſq; fœdiſſimis ***Idololatriæ*** modis conſpurcari ac ſqualere. Atque hic quidem Scriptorum Theologico Volumine contentorum Ordo eſt & Cohæſio.

XVI.
De Hymnis & Carminibus calci utriuſq; Voluminis adjectis.

De ***Hymnis*** verò & ***Carminibus*** ei volumini adjectis operæ pretium minimè cenſui quicquam hîc notare, ut certè mentionem omiſi eorum carminum quæ Volumini Philoſophico adjecta ſunt, utpote quæ perpauca ſint, eáque omnia præter illud ad Clariſſimum Medicum ***Guilielmum Harvæum*** de ***Circulatione ſanguinis*** & ***Neceſſitatem Triumphatam***, privata tantùm monumenta talium Animæ Impreſſionum quæ modo maximè vivido etiam tum, cùm admodum juvenis eſſem, in rebus ſummi momenti me affeciſſent. Solebam enim, ut ſuprà monui, præſentem Animæ ſenſum atque ſtatum nunc Anglicè, nunc Latinè, nonnunquam etiam Græcè, ſolutâ oratione aut carmine, aliquando breviùs nonnunquam etiam fuſiùs deſcribere. Cujus conſuetudinis eâ ætate, hæc ſunt quædam ſpecimina. Quæ ob nullam eorum elegantiam publici juris facio, ſed propter utilitatem quam fortaſſean apud nonnullos ſerios ac pios lectores poſſint habere. Atq; hæc breviter de Scriptorum utriuſq; voluminis ***Diſpoſitione*** atq; ***Ordine*** dicta ſunto.

XVII.
De defectibus qui videantur in utrovis Volumine, & redundantiis.

Nunc verò quantùm ad ***Defectus*** & ***Redundantias***. Deſunt quidem ***Enchiridio Metaphyſico*** partes duæ, ſed quomodo defectus iſte compenſatus ſit, in Scholiis ad ultimum ***Enchiridii*** Caput, declaravi. Et in Scriptis ***Cabbaliſticis*** deſiderari forſan videantur ***Tractatus primus Libri Druſchim*** ſuper quo ***Quæſtiones*** noſtræ & ***Conſiderationes*** fiunt; & ***Chriſtiani Knorrii*** ad dictas Quæſtiones & Conſiderationes ***Amica Reſponſio.*** Veruntamen præterquam quòd propria mea Volumina Scriptis alienis effarcire minùs conſentaneum putavi, ità nec omnino neceſſarium: tum quòd ſic ſtylum ſermonémque attemperavi, ut attentiùs legenti ſatis planè ubique pateat, ſumma rei, è libro ***Druſchim*** & ***Amica Reſponſione***, quæ ſit de qua quæro, aut quam ventilo, aut ad quam denique reſpondeo; tum præcipuè quòd Tractatus ille primus Libri ***Druſchim*** & ***Chriſtiani Knorrii amica Reſponſio*** jam venales proſtant in ***Apparatu ad Soar***, operâ quidem ipſius ***Chriſtiani Knorrii*** viri eruditiſſimi & in ſtudiis ***Cabbaliſticis*** verſatiſſimi, ***Sultzbaci*** publicato.

Redundantias autem quod attinet, eæ profectò æquiori animo ferri debent ſi conſideraveris occaſiones quibus contigêre. Non hîc intelligo uberem illam nimiúmque luxuriantem Naturalium Experimentorum quæ in ***Enchiridio*** occurrunt ***Metaphyſico*** ſegetem, qua de re in illius egi Præfatione, ſed eorundem Argumentorum in diverſis Tractatibus Repetitionem. Nam è ***Collectione Philoſophica*** Anglicè ſcripta in ***Enchiridium Metaphyſicum*** non pauca tranſcripſeram Latinè. Habétq; nonnulla ***Animæ Immortalitas*** cum ***Antidodo adversùs Atheiſmum*** communia. Et quæ de Synchroniſmis in ***Synopſi Prophetica*** inchoata ſunt; pleno Tractatulo, in ***Viſionum Apocalypticarum Ratione Synchroniſtica*** abſolvuntur. Eaſdem autem res denuo tractandi novæ dabantur occaſiones, ídque non ſine fructu & accuratiore rei enucleatione & confirmatione, aut uſu commodiori: qualem habet ***Viſionum Apocalypticarum Ratio ſynchroniſtica*** Volumini Theologico præfixa. Et neſcio certè cur nos pudeat hujuſmodi Repetitionum, quæ evidentiæ uſûſque gradibus differant, cùm & Prophetis olim eadem Eventa repetitis viſionum ſimulachris ſed aliis præ aliis clarioribus præfigurata ſunt & inculcata; ipſéque ***Ariſtoteles*** de una re Ethica tres diverſos Tractatus ſcripſerit, unum ad ***Nicomachum***, ad ***Eudemum*** alterum, & tertium ***Magna Moralia*** dictum: ut taceam modernos quoſdam Philoſophos quorum Scripta fœdiſſimis repetitionibus Impietatem inculcant. Quidni igitur & nobis liceat pari induſtriâ urgere & inculcare quæ ad veram Sapientiam ſpectant & Pietatem? *Eadem ſcribere*, inquit Apoſtolus, ***mihi quidem non grave eſt, vobis verò tutum.***

XVIII.
De modo quo Author in Scholiis eos exceperit qui ſua impugnaverint, & cur J. Webſterum *paulò ſeveriùs præter ſuum morem, tractaverit.*

De modo autem quo in Scholiis eos exceperim qui noſtra impugnaverint; eſt ſanè feſtivus licèt aliquando & jocoſus, perpetuò tamen benignus. Nec certè ſeveri offenſíque animi larvam contra quenquam indui præterquam unum ***Webſterum.*** Quem non ſic tractâſſe præter decorum profectò futurum fuiſſet, & omninò præteriiſſe pigrum quid & ignavum. Quis enim ferre potuit hominem Fatuum virorum optimorum doctiſſimorúmque memoriæ tanto cum ſupercilio ac faſtu inſultantem & tanta præterea cum inſcitia & imperitia? Quis ſummis Philoſophis ſummíſq; Legiſlatoribus, *Moſe* ipſo non excepto, craſſæ ignorantiæ Notam, etiam eis in rebus de quibus ſtatuunt, turpiter impudentérque inurentem? Quis Theologum ſi placet, & in ſacris, ut gloriatur, à Reverendo Epiſcopo, D^{re} *M.* Ordinibus olim inſtitutum, ad Caſtra quaſi Atheorum

XXII. De Adnotamentis *in Tentamen de Gravitatione & Non-Gravitatione*, &c. *quódque incomparabilis Vir D.* Matthæus Haileſius *Author fuerit Tractatuum in quos facta ſunt Adnotamenta, cum pleniori excellentiſſimi viri charactere.*

De dictis verò *Adnotamentis* & de *Examinatione* ipſis præfixa id obſervari poteſt quod nuſquam alibi in *his* Scriptis meis occurrit, quòd cum ignoto atque Anonymo Adverſario illic conflictor, ac ſi lucta quædam eſſet & certamen in tenebris. Et ſic certè erat cùm *Adnotamenta* ſcripſi, quod quidem fecit ut majori (& qualis in Scholaſticis Diſputationibus ſemper ferè uſurpari ſolet) libertate uſus ſim quàm aliter fuiſſem uſurus ſi cognoviſſem quali cum Adverſario diſputarem. Quod intelligendum eſt de eis potiſſimùm quæ occurrunt in ipſo limine *Adnotamentorum*, ubi rudi modo & Scholaſtico excellentiſſimum virum (nunc enim apud omnes in confeſſo eſt D. *Matthæum Haileſium* Equitem Auratum & Capitalem Juſtitiarium de Banco Regis illorum Tractatuum in quos noſtra facta ſunt *Adnotamenta* fuiſſe Autorem) Repugnantiæ Contradictioniſve poſtulo. Quod is ſanè in Reſponſo ſuo nec temerè quidem tanquam ab Ingenio nimis quàm fervido & ferocul o profectum perſtringit. Sed verè dicere poſſum quod olim *Paulus* de Pontifice maximo, neſciebam magnum illum fuiſſe *Haileſium*, qui tot annos pro Tribunali Regio Judex ſederat tantóque cum honore & dignitate & tam illibatâ Integritate in Aula *Weſtmonaſterienſi* cauſas determinaverat. Magnum, inquam, illum *Haileſium*, cujus eximias ampliſſimáſque Ingenii dotes cùm Juriſprudentiæ ſtudium rerúmque Forenſium accurata cognitio totas occupare aut exhaurire nequirent, quoties à Fori ſtrepitu vacabat, non ſtatim rebus Mundanis, ut ferè fit, vitæve corporeæ voluptatibus ſe immerſit, ſed nobilioribus oblectamentis è Philoſophia aut Theologia petitis mentem ſuam ſublimem ſolitus eſt recreare. Et inter reliqua ſua ſtudia Philoſophica *Hydroſtaticis* certè experimentis non mediocriter viſus eſt oblectari. Quod fecit ut à *ponderandis cauſis forenſibus* in Aula *Weſtmonaſterienſi*, facili & quaſi naturali tranſitione ad corpora fluida *ponderanda* ad eorundémque aliorum aliis præponderantium *cauſas naturales* perſcrutandas animum ſæpe adjiceret.

Cujus ingenioſæ Recreationis laudabiliſque Conſuetudinis fructus fuerunt duo illi Tractatus in quos noſtra fecimus *Adnotamenta*. Quòd autem eos publici juris fecerit, eò potiſſimùm pellectum ſentio quòd putabat ſe (nec immeritò quidem) portentoſam illam, de partium Atmoſphæræ aliarum in alias gravitantium pondere, Opinionem, certiſſimis experimentis manifeſtò confutâſſe. Quod quidem fecit non ſolùm ſummo cum judicio & acumine ſed cum condigno inſuper ſtomacho juſtáque indignatione ut Philoſophum Heroem decuit, in tam enorme abſurdúmque commentum, in contumeliam Divinæ Providentiæ ipſiúſque Philoſophiæ ignominiam natum. Tale quidem Judicii ſui & Acuminis in duobus iſtis Tractatulis ſpecimen edidit. In ampliori verò illo volumine quod *Originatio humani generis* inſcribitur, ità ſe geſſit, ut ad cauſas in Aula *Weſtmonaſterienſi* (quo in genere ab omnibus bonis Princeps planè habitus eſt) dijudicandas meritò videatur non magìs aptus natus, quàm ad maxima Philoſophiæ Arcana excutienda & rimanda.

Cæterùm in nulla re reliquis Mortalibus palmam præripere mihi perinde videtur atque in Religione. Et certè quemlibet credo qui *Meditationes* illius *Divinas & Morales* perlegerit, idem mecum facilè ſenſurum. Quantùm enim ad me cùm liber ille mihi in manus forte fortunâ, aliis de cauſis, poſitus eſſet, poſtea ſeriò perlegens, tantâ profectò voluptate affectus ſum, ut lacrymæ ſubinde inter legendum, ubertim per genas delaberentur præ gaudio, quòd in tam genuinum incidiſſem ſincerúmque hominis Chriſtiani characterem. Nam cùm alii aut Fanatico quodam furore correpti extra oleas tranſiliunt & ſub prætextu Chriſti interni externum oblivioni penitus tradunt, alii in ſegnibus quibuſdam & emortuis circa Chriſtum Ritibus & opinionibus ſubſiſtunt nec ad internum Chriſti Spiritum ab eo promiſſum unquam anhelant, hic quidem ſolus præ aliis veram ſapuiſſe Chriſtianitatem & cum religioſiſſimo (quod Natalitia Carmina in honorem ejus quotannis ab ipſo facta teſtantur) *perſonæ* Chriſti Servatoris cultu, vivam quandam viſus eſt & ſpirantem Pietatem ſummo cum ſtudio conjunxiſſe.

Equidem antequam dictum librum legiſſem hanc ferè Ideam viri præſtantiſſimi animo conceperam, fuiſſe ſcilicet hominem apprimè probum juſtúmque & præter eximiam Juris peritiam, rerum etiam Philoſophicarum ſcrutatorem haud incurioſum & erga Regem porrò fidelem, nec ab aura populari multùm quidem abhorrentem, hoc eſt, virtutibus quas Politicas vocant Platonici, ſingulari modo excultum & ornatum. Verùm perlecto illo libro, ingens quiddam hiſce omnibus virtutibus ac ornamentis acceſſiſſe vidi; firmam ſcilicet & inconcuſſam in Chriſto fidem ac Vitæ futuræ, eandémque bonis operibus omnimodíſque Chriſtianis officiis intemeratáque morum integritate, ferventiſſimo in Chriſtum amore, ſerio, pióque & conſtanti Vitæ inſtituto & tam effuſâ amplâque in omnes Chriſtianos benevolentiâ & charitate demonſtratam,

ſtratam, ut rei novitate, ut nunc ſunt tempora, perculſus, & admiratione excellentiſſimi viri etiamnum abreptus abſtinere me non poſſem quin ad gentes exteras, quantum in me eſt, illius famam, nominiſque celebritatem calamo tranſmitterem, quippe quem egregium hominis exemplum putavi, qui in mediis rebus Mundanis verſari poſſet, nec à Mundi tamen ſordibus contaminari.

XXIII. *De* Divinis Dialogis *& cur In duas partes diſtracti ſint & à ſe invicem ſeparati.*

De *Dialogis Divinis* id notari poteſt, quòd, cùm ſimul ſcripti ſunt, in duas tamen partes ſint diſtracti, tréſque priores in fine prioris Tomi, duo poſteriores in poſterioris Tomi fine poſiti. Sed meminiſſe oportet, quanquam ſimul ſcripti ſunt & uno communi Titulo inſigniti, quòd nè Anglicè tamen publicati ſunt uno tempore ſed diverſis, duo poſteriores primùm cum ſpeciali Titulo *De Regno Dei*; deinde tres priores. Adeò ut hæc divulſio Dialogorum nunc primùm non ſit facta. Quòd autem in eodum Tomo hujus Voluminis Philoſophici non ſint poſiti, ex eo fit, quòd Tomorum indè conſultum ſit æqualitati, ídque ut æquali eodémque tempore excuderentur apud Typographos. Equidem fateor Dialogos de *Regno Dei* tales eſſe qui Volumini Theologico meliùs conveniſſent, atque illìc ſanè collocandos curâſſem ſi prævidiſſem fore ut Volumen Philoſophicum in tantam molem excreſceret. Sed & ſatìs commodè etiam huic Volumini Philoſophico adjunguntur cùm Divinorum Dialogorum ſatìs Philoſophicorum pars ſint, eximiúmque tractent Divinæ Providentiæ exemplum & argumentum, nec à Philoſophia abhorreat Divinam Providentiam à rebus cujuſcunq; Gentis ſive *Judæorum* ſive *Chriſtianorum* demonſtrare.

XXIV. *De* Immortalitate Animæ, *& quis utiq; ſit qui illum Tractatum in Latinum verterit.*

Denique hoc peculiare habet *Immortalitas Animæ*, quòd cùm reliqui mei Tractatus omnes Anglicè primitùs ſcripti, à *meipſo* itidem in Latinum verſi ſunt, hic ſolus ab Amico quodam meo Latinè ſit redditus, à *Thoma* ſcilicet *Standiſio* Collegii noſtri ſocio, viro ſanè apprimè docto ac literato, cujúſque multifariæ eruditionis cumulo hoc etiam acceſſit, quòd linguæ Latinæ non ſolùm peritiſſimus ſit ſed & Notionum noſtrarum Philoſophicarum callentiſſimus. Et certè animi mei ſenſa ubique verè integréque expreſſit ídque ſtylo maſculo & eleganti, fidúmque ſe per omnia præſtitit venuſtúmque Interpretem. Hoc autem opus ante aliquammultos annos ſuâ ſponte inceperat duóſque minimùm trientes illius abſolverat. Sed neſcio quo fato aut providentiâ res poſtea refrixerat, nec in manus denuò reſumpſiſſet, niſi coactu quaſi & efflagitatu meo. Commodè autem contigiſſe exiſtimo quòd deſtiterat. Cùm enim ſic nullum ex meis Scriptis Latinè extaret, meritò cenſeri poteſt majus calcar egregii juvenis *Johannis Cockshuti* Inſtituto addidiſſe, cùm nihil jam eſſet quod quicquam de præclari ſui, ut is ſanè opinatus eſt, Incepti integritate decerperet atque gloriæ.

XXV. *De omnium Scriptorum Autoris ſcopo univerſali, triplici illâ apud* Siracidem *quæſtione contento,* Quid eſt Homo, *&c.*

Cæterùm de rebus magìs particularibus in utroque Volumine ſatìs jam egimus, adjiciemus pauca de univerſali omnium meorum Scriptorum utroque Volumine contentorum ſcopo, & tunc concludemus. Univerſalis igitur ſcopus Scriptorum noſtrorum omnium iſtis Voluminibus contentorum brevi illâ ſententiâ apud *Siracidem* comprehenditur: Τί ἄνθρωπος, καὶ τίς ἡ χρῆσις αὐτοῦ; τί τὸ ἀγαθὸν αὐτοῦ καὶ τί τὸ κακὸν αὐτοῦ; *Quid homo, & quis ejus uſus? quod bonum quódve malum ipſius?* Vix quicquam in univerſis meis ſcriptis reperitur quod ad hunc ſcopum non referatur. Et certè omnem illam Philoſophiam quæ ad hunc finem non tendit, ego tanquam ματαιοσοφίαν quandam potiùs conſidero quàm ſolidam ſapientiam. Scientiam quæ inflat, ut loquitur Apoſtolus, hominémque interiorem ſic paſcit ut inani potiùs ſaginâ verum robur mentiatur, quàm reverà ad maximè neceſſaria vitæ officia inſtructus ſit, & in earum rerum quas potiſſimùm ſcire illius intereſt, certitudine confirmatus. Quales omnino eæ ſunt quæ in brevi illa *Siracidis* ſententia triplicem proponente Quæſtionem, comprehenduntur.

XXVI. *Prima Quæſtio quæ contineat.*

Quarum prima τί ἄνθρωπος; Quid Homo? quæſtio quidem eſt quæ ſummas de humana natura maximíque momenti diſquiſitiones attingit, quibus mens humana occupari poteſt. Heìc enim neceſſariò inquirendum eſt, qualis ſit Hominis ſubſtantia, totáne corporea an ex parte ſpiritualis ſive incorporea, an ſcilicet illa pars Hominis quæ Anima dicitur, ſpiritus ſit ſeu ſubſtantia ſpiritualis, an modus tantùm corporis, tenuiórve aliqua corporis pars. Et ſi Anima ſit ſubſtantia à corpore diſtincta, an realiter diſtincta ſit poſſitq; ſeparatim à corpore ſubſiſtere, an verò ſit inſtar Formarum ſubſtantialum *Ariſtotelicarum* quæ è potentia Materiæ educuntur & ab eadem dependent. Et ſi ſubſiſtere poſſit ſine corpore, an præextiterit ante corpus, an verò à Deo creetur ad cujuſque corporis humani generationem, & an poſſit in ſtatu ſeparato ſine hoc terreſtri corpore operari. Et denique quò faciliùs Anima ſpiritualis credatur, an detur ullus Spiritus propriè ſic dictus ſeu ſubſtantia incorporea: qua de re magnopere profectò dubitat præſentis hujus ſeculi ſtupiditas.

Alterius

XXVII. *Quæ contineat ſecunda.*

Alterius Quæſtionis τίς ἡ χρῆσις αὐτοῦ; hic germanus videtur eſſe ſenſus, nempe, Cui rei inſerviat Homo, ad quídve ſit natus? Ad quam quæſtionem nemo rectiùs reſpondere poteſt quàm ſapientiſſimus ille Rex *Salomon*: Deum time & mandata ejus cuſtodi, כי זה כל־האדם nam hoc totum eſt hominis, ſive naturam ejus quatenùs homo, reſpicias, (Religio enim non pertinet ad bruta) ſive facultates & officia. Omnia enim aliquo modo referri debent ad Deum, illiúſque voluntas omnium noſtrarum actionum menſura conſtitui. Nemo autem omnes ſuas actiones referre poteſt ad Deum niſi cognoverit eum exiſtere. Hæc altera igitur quæſtio Divinam exiſtentiam ſupponit illiúſque Providentiam tanquam Fundamenta humanæ vitæ neceſſaria, de quibus nos certò perſuaſos eſſe oportet. Et certè cùm nec Deum eſſe facilè concipere poſſimus niſi in rerum Natura dentur ſubſtantiæ incorporeæ, omnia illa experimenta ac ratiocinationes quæ ad certam rerum incorporearum Exiſtentiæ notitiam nos deducunt, ſpeculationes habendæ ſunt ad optimum humanæ Vitæ finem apprimè utiles.

XXVIII. *Quæ denique tertia.*

Tertia denique Quæſtio, τί τὸ ἀγαθὸν αὐτοῦ ϗ τί τὸ κακὸν αὐτοῦ; manifeſtò inſtituitur de humani generis vera Beatitudine & Fœlicitate, nempe qua in re illa conſiſtat; quæque ſit maxima hominis Infœlicitas & Miſeria. Veram autem Hominis Beatitudinem in vera Dei notitia Diviníque favoris fruitione conſiſtere, apud omnes qui hiſce in rebus quicquam ſapiunt, in confeſſo eſt. Cúmque Favor Divinus non aliter quàm recto Dei cultu obtinendus ſit, ad humanam Beatitudinem, planè conſtat, veræ Religionis cognitionem requiri. Atque ſic videmus quomodo ſummum Hominis Bonum non niſi per veram Religionem ſit adipiſcendum. Unde etiam patet quàm ingens malum ſit atque calamitas falſa Religio, & quanta nobis incumbat neceſſitas exquirendi veram. Hæc ferè ſunt quæ illa *Siracidis* ſententia in ſe complectitur, atque ad hæc pauca capita, quæ in noſtris duobus Voluminibus comprehenduntur, referri poſſunt univerſa.

XXIX. *Qui Tractatus ad primam quæſtionem referantur.*

Ad primam enim Quæſtionem referri poſſunt Tractatus de Animæ Immortalitate præcipuè, Cabbala mea Philoſophica cum illius Defenſione, & Expoſitio Viſionis *Ezechielis*. Ad eámque partem quæ ſupponitur in prima Quæſtione & reliquis duabus eſt communis, rerum ſcilicet Incorporearum Exiſtentia, refertur inprimis *Enchiridium Metaphyſicum* cum illius duabus *Appendicibus*, *Philoſophematum Examinatione*, *&c.* & *Adnotamentis*, &c. Quibus addas Fundamentorum *Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ* Confutationem & *Philoſophiæ Teutonicæ Cenſuram*. Et præcipuas Epiſtolas ad *Renatum Carteſium*, nec non Epiſtolam primam ad V. C.

XXX. *Qui ad ſecundam.*

Ad ſecundam verò Quæſtionem referre potes *Antidotum adverſùs Atheiſmum* cum ſua *Appendice*. Tres priores *Dialogos Divinos*. Ad V. C. Epiſtolam alteram ſive *Tractatûs Theologico-politici Confutationem*, & duarum Atheiſmi *Spinoziani* Columnarum ſubverſionem. Quibus adjicias ſcripta *Cabbaliſtica* ad *Chriſtianum Knorrium*. Hæc enim omnia ad Divinæ Eſſentiæ Exiſtentiæque aut demonſtrationem aut illuſtrationem, utì & illius Providentiæ, pertinent.

XXXI. *Qui denique ad tertiam.*

Ad tertiam autem Quæſtionem ſpectant *Enchiridium Ethicum*, *Divinorum Dialogorum duo poſteriores*, Magníque potiſſimùm *Myſterii Pietatis Explanatio*, & de veris *Rationibus ſive Fundamentis certitudinis Fidei* in rebus Religionis brevis Diſſertatio. Ad poſteriorem verò partem tertiæ Quæſtionis, *Enthuſiaſmus Triumphatus*, Modeſta Inquiſitio in *Myſterium Iniquitatis* quæ *Ideam Antichriſtianiſmi* & *Synopſin Propheticam* complectitur, *Expoſitio* prophetica *ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias Aſiaticas*, cum *Antidoto* adverſùs *Idololatriam* illiúſque *Appendice*. Nam ſi ſumma noſtra Fœlicitas, ſummúmque Bonum conſiſtat in cognitione veræ Religionis, maxima profectò Infœlicitas erit atque Infortunium, captivum teneri in falſa. Quamobrem veram Religionem tum *Naturalem*, quæ Dei Exiſtentiam quæque illius Providentiam ac Moralem Beatitudinem, Immortalémque Animæ poſt hanc vitam, ſtatum docet, tum *Revelatam* per Chriſtum ſaltem ejúſque Apoſtolos, declarâſſe & optimis quibuſque argumentis demonſtrâſſe & confirmâſſe, verámque Chriſtianitatem ſummam eſſe ſapientiam maximámque perfectionem ac fœlicitatem cujus humana natura capax ſit, ſedulò indigitâſſe non contentus, Magno Chriſtianæ *Pietatis Myſterio* adjunxi præterea *Myſterium Iniquitatis*, quod *Ideam Antichriſtianiſmi* Lectori exhibet Religioni Chriſtianæ prorſus contrarii, quódque in *Synopſi Prophetica* non meram eſſe Ideam demonſtrat, ſed craſſum iſtum Antichriſtianiſmum in Eccleſia præſertim Romana, ut de Græca taceam, jam diu extitiſſe, quippe multifariis Idololatriis, intolerandis Impoſturis & Superſtitionibus, barbaríſque innumerorum Hominum innocentium cædibus & lanienis coinquinata & conſpurcata. Sed *Pater ignoſce eis, neſciunt enim quid faciunt*, nec dicti illius ſatìs memores ſunt Filii tui Jeſu, *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Qui igitur Ovili ſe ingerit ut animam vitámve ovibus eripiat, quis ille poteſt eſſe niſi aut Lupus aut Fur, juxta alterum illud Servatoris Dictum, *Fur non venit niſi ut furetur, mactet & perdat.* Non contentus, inquam, eram, veram Chriſtianam Religionem delineare, ſed deſcribendam porrò cenſui Eccleſiæ Chriſtianæ degenerationem & Apoſtaſiam in fœdiſſimum Antichriſtianiſmum. Quod quidem feci nòn ſolùm in *Myſterio Iniquitatis*, ſed etiam in duobus poſterioribus Dialogis, De *Regno Dei.* Ubi Regnum Chriſti & Antichriſti, propriis, quod aiunt, coloribus plenè accuratéque depictum eſt, demonſtratúmque apud Eccleſias ſolummodò Reformatas, aliáſve eiſdem, ſi quæ ſunt, ſimiles, Regnum Chriſti propriè ſic dictum nunc inveniri, reliquas Eccleſias, præſertim Romanam, ſuâ occupâſſe Tyrannide Antichriſtum.

Johan. 10.

XXXII. *Ex Epiſtola ad Eccleſiam* Sardenſem *Authoris Monitum ad Eccleſias Reformatas de ſuo ſtatu ac periculo ni reſipiſcant.*

Nec ſanè (quæ mea eſt erga omnes Chriſtianos fidelitas) diſſimulare potui quin *Regnum Chriſti* in Eccleſiis Reformatis nondum tale ſit, de quo magnopere poſſimus gloriari, præſertim poſt ſuam etiam à primis Reformatoribus degenerationem. Qua de re in quinto Dialogo occurrunt nonnulla. Nuſquam verò ità datâ operâ Eccleſiarum Reformatarum imperfectum ſtatum deſcribo ut in Interpretatione Epiſtolæ ad Eccleſiam Sardenſem. Ubi, quemadmodum & alibi, liberè eos moneo de immani calamitate capitibus eorum impendente (idémque heìc Monitum iterum iterúmque inculcatum volo) ni reſipiſcant & ad bonam redeant frugem. Fieri enim non poteſt quin ferocitatem Iræ Divinæ in nos concitet intoleranda noſtra impudénſque Ingratitudo, qui cùm Chriſtus à Captivitate illa verè Ægyptiaca vel Babylonica turpiſſimâ ſcilicet Romani Pontificis ſervitute nos liberaverit ut ſinceri Dei Chriſtíque ſervi eſſemus, non ſolùm ingens hoc beneficium tanti quanti debemus non æſtimamus, ſed & malam hanc inſuper illis rependimus gratiam, quòd non eis quidem ſed propriis noſtris cupiditatibus omnino ſerviamus, quaſi à jugo Romani Pontificis liberati fuiſſemus, ut eò magis devota Mancipia fieremus Carnis, Mundi ac Diaboli. Nam in ea profectò tempora ætas hæc noſtra incidit ut Reformatis etiam in Eccleſiis, magna ex parte, præter Luxuriam, Avaritiam, Ambitionem, Ebrietatem, turpémque Libidinem, Infidelitas præterea & Atheiſmus, O funeſtum ſpectaculum! mentes hominum occupaverit. Et per hanc portam ſi uſpiam, ingeret ſe rurſus Tyrannis Pontificia & Idololatria, ut Sterquilinium ſic ſuperaccumuletur Sterquilinio. Hoc ni eſſet, impoſſibile foret ut Pontificiæ ſordes & ſuperſtitiones Eccleſias Reformatas unquam denuò inundarent. Meritò igitur monetur Eccleſia *Sardenſis* [*Apoc.* cap. 3.] hoc eſt, Eccleſiæ Reformatæ, ut meminiſſe vellent, *quomodo acceperint & audierint & ut verba* Chriſti *ſervent* & *pœnitentiam agant*; additis etiam minis, ſi non fecerint, *Divinam* nempe *Vindictam eos ex inopinato, oppreſſuram ut Fur, & inſcientes adorituram.*

XXXIII. *Quàm Mathematicâ planè certitudine conſtet ſeptem Eccleſias Aſiaticas eſſe Typum Propheticum,* Sardenſiq; *Eccleſiâ Reformatas Eccleſias repræſentari.*

Nam per Eccleſiam *Sardenſem* Eccleſias Reformatas intelligi ex toto Expoſitionis noſtræ ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias ſcriptarum tenore, certitudine planè Mathematicâ conſtare poteſt cuilibet, cui nullum, aut animi ſtupiditas, aut profana levitas, Eruditio manca, aut Judicium puſillum, Mundanáve denique præjudicia poſuerint obſtaculum. Tam certi enim eſſe poſſumus per ſeptem illas Eccleſias Aſiaticas ſeptem ſtatus Eccleſiæ Chriſti ſuccedentibus ſeptem intervallis diſtinctos à principio Eccleſiæ ad finem Mundi pertingentes, adumbrari, quàm Animalis cujuſvis Corporis fabricam Divinæ Providentiæ eſſe ſpecimen. Etenim ſi in contemplatione Anatomica diſſecti Corporis Animalis, dum obſervamus quomodo omnes partes in unum finem conſpirent, (in functiones utique Vitæ tali Animali commodas congruáſque) Providentiam ea in re concludere poſſumus: equidem dum notamus, univerſam harum omnium Epiſtolarum ad dictas Eccleſias ſcriptarum Conformationem atque Ordinem, nè propriorum quidem Nominum Notationibus exceptis, omnia inquam, illìc (ut omnis caro Animalis in muſculos formatur ad idoneos debitóſque motus cujuſque Animalis) ad aptam tendere Repræſentationem ſtatûs Eccleſiæ in ſeptem Intervalla ab initio ad finem diſtinctæ; hoc profectò æquè certum indicium eſt hanc talem Divinam Prædictionem ſive Prophetiam eſſe, atque talem Animalis Structuram Anatomiâ detectam tale eſſe Divinæ Providentiæ effectum in illo Animale.

XXXIV. *Evidentiam hujus Prophetiæ non aliter eludi quàm Providentiæ veſtigia ab Atheis in ſtructura corporis Animalium. Author verò cùm certus ſit*

Quemadmodum verò Athei obdurati, ſive ſtupidi iſti, ſive magìs callidi ac verſuti, omnes iſtos fines quos ſapientiſſimi Philoſophi & Anatomici in ſtructura membrorum corporis Animalium obſervant, iſti, inquam, tanquam inania Imaginationis eorum figmenta derident, nec ullo pacto admittere volunt, nè ſimul cogantur, à quo tam malè ſibi metuunt, Deum admittere Divinámque Providentiam; ità ſanè iſtuc haud ità mirum, ſi Ingenia craſſiuſcula, aut profana & levicula aut quæ minùs è re ſua prævideant veram agnoſci noſtram ſeptem Epiſtolarum Expoſitionem, quantumlibet aliàs ſolida ſit, quantumlibet concinna, ſi veriſſimas meas, inquam, maximéque conſentaneas

Symbo-

de illius ſenſu, Reformatas Eccleſias iterum hortatur ad maturam Reſipiſcentiam.

Symbolorum Interpretationes tanquam Imaginationes meas proprias vilipendere reperiantur & pro inſomniis ducere. Sed ſentiant alii, ut volent, quibus ad ſenſum rerum optimarum planè occalluerit cor; ego ſeptem has Epiſtolas talem Divinam Prædictionem eſſe æquè certus ſum atque Animalis fabricam opus eſſe Divinæ, in Natura, Providentiæ. Atque equidem ſic perſuaſus Eccleſiáſque Reformatas ſignificari per Eccleſiam *Sardianam*, ſpeculum hoc rurſus earum oculis obverto, obnixéque rogo ut maculas ſuas ſordéſque in eo contemplentur & abſtergant, ſinceráque pœnitentiâ ingruentem Dei Iram à ſe avertant, atque quantum poſſunt, mores vitámque ad Eccleſiæ *Philadelphianæ* ſpeculum exemplúmve componant, ut ad veram in Chriſto fidem anhelemus, promiſſúmque Spiritum à potenti noſtro Advocato & Interceſſore apud Patrem, per vehementem eſuritionem ſitímque veræ Juſtitiæ affatim hauriamus, & ſic tandem adoleſcamus in plenam menſuram ſtaturæ Chriſti; ut rixas & diſſidia circa res nihili abjiciamus factionéſque fugiamus & Schiſmata, & in id unicè incumbamus ut per conſtantem mortificationem propriæ voluntatis verámque Regenerationem homo noſter internus magìs magíſque indies renovetur in vivam Imaginem Dei. Nam ex hâc radice repullulabit omnis decora & honeſta converſatio, omnis hinc germinabit Humilitas & Modeſtia, omnis Juſtitia ac Veracitas, omnis Temperantia, Sobrietas, Continentia atque Caſtitas, promptáque omnis atque alacris Magiſtratui in rebus omnibus licitis Obedientia & incorrupta erga Principem Fidelitas, ſincera denique aliorum erga alios Dilectio fraterna, nec otioſa aut ignava erga univerſum genus humanum Charitas.

XXXV. *Statum* Sardenſem *gradum tantùm eſſe ad ſtatum* Philadelphianum, *nec illîc ſubſiſtendum eſſe ſed altiùs aſcendendum nè de hoc etiam gradu deturbemur.*

Ad hunc ſtatum *Philadelphianum* aſpirare debet *Sardenſis* Eccleſia, ſi velit eſſe ad omnes ictus tuta. Qui ſic vicerit, naturámque ſuam indefeſſâ mortificatione in vivam Dei Imaginem renovaverit, apertè pollicitus eſt Chriſtus ſe nomen ejus coram Patre ſuo profeſſurum & coram Angelis ejus, ità ut omnia illi per Miniſtros ſuæ Providentiæ proſperè ſint ſucceſſura; & in maximo illo temporum motu, in maxima converſione rerum & perturbatione quæ ventura eſt in orbem univerſum ad explorandos Incolas Terræ, liberaturum. Status enim hic *Sardenſis* à Divina Providentia tanquam aditus quidam atque gradus tantùm ad ſtatum *Philadelphianum* præſtitutus eſt, in quo non eſt ſubſiſtendum ſed aſcendendum porrò, niſi de hoc etiam velimus deturbari. Tranſubſtantiationem non credis, Iſtoccine adeò mirum, cùm nè Paganus quivis crediturus ſit, non magìs quàm Circulum eſſe Quadratum? Idolorum & Imaginum cultum exhorres, Annon idem facit Turca? Impoſturas Pontificias odiſti, nec tamen interim deſinis tibi ipſi imponere per vanas opiniones quæ omne ſincerum efficáxque Pietatis ſtudium ſufflaminant. Juſtificationem ex propriorum operum merito non quæris, & rectè ſanè id facis; ſed vide nè ſimul obliviſcaris grave illud Monitum Apoſtoli, *Filioli, nemo vos ſeducat, qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut ille juſtus eſt*, nempe Chriſtus ipſe qui juſtus non erat per putatitiam Juſtitiam ſed per veram. Purgatorium derides, cùm tamen ſic vivis ac ſi nec Cœlum credas nec Infernum; Adeò rebus Mundanis totus intentus es, novámque Nativitatem, ſine qua nemo Deum videbit, negligis. Cædes denique nefandas Religionis ergô perpetratas, & pluſquam Barbaras Romanæ Eccleſiæ Crudelitates execraris. Et quis, obſecro, niſi qui omnem humanitatem exuerit, non ex animo execratur? Idem etiam fecit Poeta ille Atheus *Lucretius Carus*,

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.

Niſi majores hiſce profectus fecerimus, utut Romanæ Eccleſiæ ſtatus admodum deteſtandus meritò cenſeri poſſit, noſtra interim, (hoc eſt, Reformatarum Eccleſiarum) conditio jure videri poteſt haud magnopere laudanda: præſertim cùm à primorum Reformatorum ſinceritate ac fide tantum degeneraverimus.

XXXVI. *Quæ una res ſit in qua conſiſtit Reformatarum Eccleſiarum Incolumitas & in hac vita & in æternum.*

Omnino igitur Eccleſiæ Reformatæ ſi tutæ eſſe volunt & ingraveſcentem contra eas Dei iram placare, deſinere debent Divinum, quantum in ſe, conſilium, in eximendo eorum cervicibus jugo Pontificio, fruſtrari, ac meminiſſe ſe ab iſta ſervitute redemptos eſſe non ut propriis cupiditatibus & libidinibus, ſed ut Deo vivo ſerviant puro animo atque corde omnibúſque vitiis, promiſſi Spiritûs ſubſidiis, expurgato. Qui perfectus ille eſt & exoptabilis ſtatus Eccleſiæ *Philadelphianæ*, ad quem totis viribus Eccleſia *Sardenſis* debet adniti ſi ſalva eſſe velit atque incolumis. Quanto enim nos nequiores ſumus minúſque fideles Chriſto Redemptori, tanto majus jus habere videbitur *Antichriſtus* ad priſtinam ſuam in nos recuperandam Tyrannidem. Adeò ut una planè res ſit quæ fœlices nos effectura ſit in hoc ſeculo & quæ in æternum, quæ pacem & ſecuritatem rebus humanis hîc allatura, quæque certò Animam præparatura ad beatam Immortalitatem. Atque hic ſedulus eſt & indefeſſus ad veram perfectámque Juſtitiam ac Sanctitatem per promiſſum à Chriſto Spiritum in cordibus noſtris operantem adniſus & anhelatio, perpetuáque quaſi ſuſpiratio ad Deum ut arctiùs indies pleniúſque cum illius voluntate atque ſpiritu uniamur illique ſoli vivamus. En ſummum illud Animæ Bonum & in hac præſenti vita & in æternum! nè adhuc videamur ignorare, *quid Homo ſit & cui rei inſerviat, quod ſit Bonum ejus quódve ipſius malum.* Quem ſcopum profiteor omnium meorum ſcriptorum. Qui curioſitates affectat inutiles, quærat alibi; quales fructus noſter hic Hortulus ferat, ſatìs, credo, indicavi.

XXXVII. *Quales ſint ii quorum ſuffragia Author nec expectat nec optat.*

Atque hæc quidem de meipſo aliiſque déque ſcriptorum meorum ſcopo, liberâ linguâ liberóque corde fabulatus ſum. Quæ omnia ſpero à bonis viris & intelligentibus candidè acceptum iri & benignè, nihil ſolicitus quomodo ab elatis quibuſdam & inflatis Ingeniis excipiantur, qui maximam partem ſuæ ſapientiæ reputant, quæ Dei ſunt illiúſque Spiritûs nequaquam ſapere, immò illius operationes illuminationéſq; in mentibus humanis ſenſúmque illum rerum optimarum internum pro ſuperſtitionis ludibriis habere, Prophetiarúmq; Divinarum intelligendi ſtudium irridere tanquam amabilem quandam ſpeciem inſaniæ. Interim naturalis ſuæ Rationis fiduciâ innixi grandè quidem incedunt & magnificè, omniáque Diviniora adminicula alto ſupercilio deſpiciunt, præſertim cùm audiverint ſine morum correctione veteríſque Hominis mortificatione ea obtineri non poſſe. Etenim in malevolam Animam non introibit Sapientia nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, ſed è contrà per ſingulas Ætates in Animas ſanctas ſe transfert & Amicos Dei conſtituit & Prophetas.

XXXVIII. *Quî fit ut talia Ingenia à fide promiſſi Spiritûs tantopere abhorreant.*

Et certè ſi per ſingulas Ætates hoc fecerit, ſub Chriſtianiſmo id maximè omnium expectandum, poſtquam Chriſtus ad dextram Patris aſcenderit ut potenti ſuâ Interceſſione dona illuminationis ac ſanctificationis per omnia Eccleſiæ ſuæ ſecula, uberiori quidem modo, in verè credentes effunderet. Hæc certè Chriſtianæ Fidei potiſſima & utiliſſima pars eſt. Sed Irriſoribus & Infidelibus ſpecioſo Chriſti nomine infucatis jam plena ſunt omnia. Nec præparant ſe ad cœleſtes illapſus Divini Spiritûs per correctionem levitatis ac vanitatis morum ſuorum quia promiſſo non credunt; nec credunt quidem promiſſo nè obligentur ad hanc morum emendationem vitámque ſeveriorem: ſed malunt mellitis leviculæ ſuæ converſationis ineptiis diffluere, ſuavéſque alii aliorum oris rictus & dicteria admirari, quàm in proprias deſcendere conſcientias omnémque rem pollutam illinc amoliri ut idoneum fiant Templum Spiritûs ſancti. Quinimò & hoc ipſum maximè omnium exhorrent, quia malè ſibi metuunt ab iſtiuſmodi domeſtica Majeſtate, Divinóque Monitore qui eos ab omnibus illicitis corporis indulgentiis & obſequiis perpetuò deterreret, & de omni faſtu animi, de omni Hypocriſi & ſui-quæſitione ſeveriter moneret.

XXXIX. *Quomodo naturalem ſuam Rationem de qua tantopere gloriantur, corrumpant, & in ſtatum Animi inſenſatum tandem degenerent.*

Naturalem verò Rationem quam ſuam eſſe fingunt, pro ſuo jure ac prout lubet tractare ſibi integrum eſſe putant, & ad tegendas fœdas ſuas Hypocriſes & libidines aut excuſandas, flectere ut volunt ac torquere, & ſic rebus ſuis attemperare quemadmodum cum irregenita ſua conditione carníſque libertate maximè conſiſtat. Solent, inquam, Hypocritæ & inſinceri virtutis Sectatores dum rem arduam experiuntur vel ad naturalis ſuæ Conſcientiæ Regulas vitam formare & inſtituere, conſcientiam ſtatim ad vitæ ſuæ vitia ac libidines formare ac flectere, tandémque ſecum ſtatuere ſibi omnino licere quicquid magnopere lubet: Et nè vel minimus locus relinquatur ullis animi contractiunculis vellicationibúſque Conſcientiæ, omnes actiones humanas neceſſarias fingere, & poſtremò, proh nefandam impudentiam & vecordiam! omne diſcrimen honeſtorum & turpium è rerum Natura exterminare.

XL. *Ingenia hujuſmodi quare Rationales Fatui habendi, Rationémque ſine Divino quodam ſenſu in rebus maximi momenti planè vacillare, taliúmq; proinde hominum ſuffragia omnino eſſe contemnenda.*

Hic ſtatus eſt horum excelſorum ſuâ quidem opinione & præ cæteris mortalibus eminentium Ingeniorum. Quantùm verò ad me, ſi liberè liceat effari quod ſentio, equidem immodicos hos ſui æſtimatores ego omnino tanquam tot ***rationales Fatuos*** conſidero. ***Rationales*** quidem, quia Rationem tantopere crepant; ***Fatuos*** verò, quippe quos certò ſcio illius ſanum legitimúmque uſum nondum aſſecutos, cùm & Ratio ipſa Diviniori illo Principio deſtituta in dijudicationibus magni alicujus momenti, res fatua planè ſit & inſipida, res ſtupida, hebes & obtuſa, & quæ ad rerum veritatem nequaquam poſſit penetrare. Senſus, ſenſus eſt, Divinus, inquam, ſenſus, ex quo omnis vera firmáque ratiocinatio de rebus arduis ſummíque momenti promanat. Quo quidem qui deſtituuntur propter corruptos mores veterémque hominem in eis adhuc vigentem, liberæque interim Philoſophiæ dant operam & Theologiæ, minimè mirandum eſt ſi in ***Hobbios*** abeunt & ***Spinozios.*** Qui ratiocinantur quidem & acutiſſimi apud quoſdam audiunt Philoſophi, ſed ratiocinationes ſuas ex putido & cœnoſo Animalis Carnaliſve ſenſûs fonte dum hauriunt, fœda profectò & monſtroſa indè depromunt commenta ac deliria. Equidem ſi hæc noſtra hujuſmodi monſtrorum ſectatoribus placerent, omnino ſic ſtatuerem mihi ipſi ea diſplicere debere. Tantum abeſt ut de hujuſmodi lutulentorum hominum ſolicitus ſim ſuffragiis.

XLI. *Quæ Authoris ſpes ſit de reliquis.* Quantùm verò ad reliquos omnes ſive Pontificios ſive alios quoſcunque qui in plenum nondum fecerint fidei naufragium bonæque conſcientiæ, non opto ſolùm ſed & ſpero aliqua ex Scriptis meis quæ ad naturalem Theologiam pertinent & Moralitatem, eis grata fore & accepta & ad majores profectus faciendos utilia; Præſertim ſi ſincero ſtudio, ad ***moralem*** illam, quam nos in ***Enchiridio Ethico*** deſcripſimus, aſpirent ***Prudentiam***, quæ omnia Paſſionum omniúmque aliarum corporearum Impreſſionum decimo tertio capite libri primi memoratarum momenta ex Judicii trutina ejicit, ſolíſq; puræ Rationis ponderibus rem examinandam penſitat: ſed maximè omnium ſi morali huic Prudentiæ veram ac genuinam Pietatem Chriſtianam adjungant & à Patre Luminum omníſque doni perfecti largitore promiſſum Chriſti Spiritum obtineant. Nihil enim τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ profunda Antichriſti myſteria tam certò ac manifeſtò detegit, quàm in ***nova Nativitate*** exorta Lux, ***Divinæque Vitæ*** Suavitas ac Dulcedo.

ENCHI-

ENCHIRIDION
ETHICUM,

PRÆCIPUA
MORALIS PHILOSOPHIÆ
RUDIMENTA
COMPLECTENS,
Illuſtrata utplurimum VETERUM MONUMENTIS,
& ad PROBITATEM VITÆ per-
petuò accommodata.

Per *HENRICUM MORUM*
CANTABRIGIENSEM.

Editio tertia: Cui acceſſit Autoris Epiſtola ad V. C.

CICERO Tuſc. Quæſt.
O vitæ Philoſophia dux! O Virtutum indagatrix, expultrixq; vitiorum! Unus dies bene & ex præceptis tuis actus peccanti Immortalitati eſt anteponendus.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
MDCLXXIX.

HENRICI MORI CANTABRIGIENSIS SCRIPTORUM PHILOSOPHICORUM

Tomus prior;

QUI PRÆTER
ENCHIRIDIUM ETHICUM
ET
ENCHIRIDIUM METAPHYSICUM
Cum duabus illius
APPENDICIBUS,
Multa alia Scripta partim ad antiquam PHILOSOPHIAM
JUDAICAM ſive CABBALISTICAM, partim ad
Demonſtrationem ac Defenſionem EXISTENTIÆ
DEI, & illius PROVIDENTIÆ
pertinentia complectitur.

Quorum omnium plenum CATALOGUM verſa pagina
tibi indicabit.

Ariſtot. Ethic. lib. 10.

> Ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία ὅτι θεωρητική τις ἐστιν ἐνέργεια καὶ ἐντεῦθεν ἂν φανείη, ὅτι τοὺς θεοὺς μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι· οὐδὲ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεταί τις, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
MDCLXXIX.

SCRIPTORUM
Hoc priori Tomo
CONTENTORUM
CATALOGUS.

ENchiridium Ethicum *præcipua Moralis Philoſophiæ Rudimenta complectens*, &c.

Enchiridium Metaphyſicum *ſive de rebus Incorporeis ſuccincta & luculenta diſſertatio*, &c.

Philoſophematum *eruditi Autoris* Difficilium Nugarum, *de* Principiis motuum Naturalium *ſive de* Eſſentiis Mediis *& de modo* Rarefactionis *&* Condenſationis *Examinatio*; *cum reſponſione ad ejuſdem Objectiones Quæſtionéſve circa principium* Hylarchicum *ſive* Spiritum Naturæ; *quæ eſt prior* Enchiridii Metaphyſici Appendix.

Adnotamenta *in duas ingenioſas Diſſertationes*, *alteram* Tentamen *de* Gravitatione *&* Non-gravitatione *corporum* Fluidorum, *alteram Obſervationes circa Experimentum* Torricellianum, *quæ eſt* Enchiridii Metaphyſici Appendix *poſterior*.

Ad Clariſſimum & Eruditiſſimum Virum Chriſtianum Knorrium *de uſu decem* Sephirotharum, *&c. Epiſtola*.

Trium Tabularum Cabbaliſticarum *decem* Sephirothas *ſive* Numerationes *exhibentium*, (viz.) *Tabulæ* Judaicæ vulgaris, *Tabulæ* Knorrianæ *vel* Lorianæ *in ſublimioris Cabbalæ Clavem* Zoariſticam *deſtinatæ*, *& Tabulæ* Sephirotharum Græcanicæ *ſive* Pythagoricæ *ab H. M. reſtitutæ*, *Deſcriptio & Expoſitio*.

Quæſtiones & Conſiderationes paucæ breveſq;, *in Tractatum primum Libri* Druſchim, *quibus acceſſit ad Cl. & eruditiſſimum virum* Chriſtianum Knorrium *de rebus in* Amica *ſua* Reſponſione *ad dictas* Quæſtiones, *&c. contentis ulterior* Diſquiſitio.

Viſionis Ezechielis *ſive* Mercavæ *Expoſitio ex Principiis Philoſophiæ* Pythagoricæ *præcipuiſq; Theoſophiæ* Judaicæ *Reliquiis concinnata, miráq; cum locis quibuſdam S. Scripturæ hactenus obſcuris luculentâq; congruitate, conſolidata*.

Catechiſmus Cabbaliſticus *ſive* Mercavæus *quo in Divinis Myſteriis* Mercavæ Ezechielis *explicandis & memoriâ retinendis, decem* Sephirotharum *uſus egregiè illuſtratur*.

Fundamenta Philoſophiæ *ſive* Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ, *quæ omnem Creationem propriè dictam negat, eſſentiámq; ſupponit Divinam quaſi* Corporeo-ſpiritualem, *mundúmq; Materialem aliquo modo Spiritum, cum brevi ac luculenta prædictorum* Fundamentorum *Confutatione*.

Philoſophiæ Teutonicæ Cenſura *ſive Epiſtola ad Amicum quæ Reſponſum complectitur ad Quæſtiones quinque de Philoſopho* Teutonico *J. B. illiúſque Philoſophia*.

Ad V. C. Epiſtola altera quæ brevem Tractatûs Theologico-politici Confutationem *complectitur, paucáq; ſub finem annexa habet de libri* Franciſci Cuperi *ſcopo, cui Titulus eſt,* Arcana Atheiſmi revelata.

Divinorum Dialogorum *tres priores qui de* Attributis Dei *tractant ejúſq;* Providentia *in genere*.

ENCHI-

HENRICI MORI
Cantabrigienſis
OPERA PHILOSOPHICA,
TUM QUÆ
LATINE,
TUM QUÆ
ANGLICE
Primitùs SCRIPTA ſunt,
Nunc verò partim à SEIPSO, partim ab AMICO
Notionum ſuarum Philoſophicarum
PERINDE ATQUE
LATINÆ LINGUÆ
CALLENTISSIMO,
In LATINUM verſa.
ACCESSERUNT
SCHOLIA,
Quibus loca quamplurima aut Illuſtrantur, aut Emendantur,
aut Confirmantur deniq; & ab Objectionibus quibuſcunq; ullius quidem momenti vindicantur,
ab AUTHORE paſſim adjecta.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, ſub
Inſignibus Campanæ, & Capitis Epiſcopi in Cœmeterio D. *Pauli*,
MDCLXXIX.

4m

7

HONORATISSIMO DOMINO,
Domino Heneagio Finch
BARONI DAVENTRIÆ,
Summo ANGLIÆ CANCELLARIO
Et Regiæ Majeſtati à CONSILIIS Secretioribus.

CUR Enchiridion Ethicum *reliquis meis* Scriptis Philoſophicis *præfixerim, in* Præfatione *breviter indicavi : Cur tuum Nomen, Honoratiſſime Domine, huic ipſi* Enchiridio *præfigam, tot concurrunt cauſæ ut nimis prolixus ſanè forem ſi omnes vellem enumerare. Ingratus profectò eſſem, cùm tuæ erga me Benevolentiæ tam conſpicua dediſti Teſtimonia, niſi ego viciſſim aliquas, quantum in me eſt, reciprocandi vices meditarer. Memoriæ penitus infixum eſt nullo tempore obliterandum, quòd mihi haud ita pridem nihil cogitanti,* Eccleſiaſticam *quandam* Dignitatem *ultrò conferre tam benignè dignatus ſis; & cùm vitæ meæ propoſitum ita comparatum eſſet ut meis rebus minùs eam quadrare mox deprehendiſſem, quòd amico meo, viro pio & docto, & de Eccleſia bene merito, reiq; porrò familiaris anguſtiâ oppreſſo, eandem meo rogatu, quæ eſt tua ad bonis benefaciendum propenſitas, conferre non recuſaveris : adeò ut* duplici *tunc abs te donatum beneficio meritò me poſſem exiſtimare.*

Acceſſit huc non illepida quædam concinnitas, cùm hoc meum volumen Philoſophicum *tam multis præclaris Nominibus tanquam tot* Stellis *ornandum eſſet, quorum pleraq; ex tua Familia ſunt aut cum eâ, Affinitate conjunctiſſima, ut tuum Nomen inter reliqua non fulgeat ſolùm, ſed ut res tulit, tanquam* Sydus *omnium auſpicatiſſimum in ipſa fronte voluminis præfulgeat.*

Et quòd opuſculum hoc meum Ethicum, præ reliquis meis quidem ſcriptis maximè Ciceronianum, *tibi peculiariter dedicandum cenſuerim, ſic ſanè facere omnino par erat & conſentaneum. Etenim cùm tam multas non ſolùm voces ſed ſententias integras ſuffuratus è* Cicerone, *vel ut molliùs loquar, mutuatus eſſem; honeſtiſſimam equidem* Juſtitiæ *cujuſdam Speciem præ ſe ferre pu-*

tabam, quandoquidem Romanus *ille* Cicero *ipſe in vivis non eſt, (niſi fortè in te, Honoratiſſime Domine, vivat denuò atque ſpiret) ſi* Anglicano *noſtro* Ciceroni, *hoc eſt, Viro & Sapientiâ & Eloquentiâ apud nos omnium celebratiſſimo, redderem quod abſtuli ac reſtituerem.*

Sed ut Ciceronem *omittam ſtylúmq;* Enchiridii, *Donum hoc quàm apprimè tibi aptum gratúmq; videri debeat, res ipſa loquitur. Quippe quod nihil aliud ſit quàm ſolidiſſimæ Probitatis Pietatíſq; compendioſa licèt vera tamen viváq; Deſcriptio, & ad tui ipſius quaſi Animi formam ducta ac depicta. Adeò ut cùm Corporis tui Imaginem, ut ſolent Magnates, in ſplendida tua Aula,* Kenſingtoniæ, *ſuſpenſam, quam non ſine magna voluptate illìc aliquoties contemplatus ſum, quippe pulchram quidem manúque peritâ depictam, habere non dedigneris; potiori profectò jure pulcherrimæ tuæ Animæ Picturam hoc* Enchiridio *delineatam, in privatum Muſeum admittere debes, & quoties modeſtia tua & occupationes publicæ permittant, uſurpare oculis & tanquam verum virtutum tuarum* Panegyricum *perlegere. Quanquam fateor, ea in re ab Archetypo decidit quòd ad Politicas tuas virtutes non extenditur. Quarum tam multa ac præclara indies Documenta das, in honorifico illo* Cancellariatûs *tui munere fungendo, cui te præpoſuit* Optimus & Clementiſſimus Princeps, *ut omnibus teſtatum compertúmq; reddas,* virum bonum ac prudentem non poſſe non eſſe Magiſtratum optimum.

Accedit igitur reliquis magis peculiaribus *rationibus poſtrema hæc eademq; mihi cum aliis* communis *Ratio, Quòd omnium bonorum officium meritò videri poſſit, primam quamq; occaſionem ſibi arripere Honorem gratulandi viris bonis, ad publica munera accitis, qui tantâ ut tu, cum dignitate ac integritate ſuas Provincias adminiſtrant, qui tantâ ut tu, id eſt, ſummâ, cum animi moderatione, comitate & affabilitate inter ſummos honores, cum omnis generis hominibus converſaris, quod honorum fortunarúmq; tuarum diuturnitatis omen eſſe auſpicatiſſimum & cenſeo & opto. Deúmq; Optimum Maximum precor, ut in ſuum* Principíſq; *noſtri* Clementiſſimi *Honorem, in emolumentum Eccleſiæ cui ſemper te ſtrenuum præbuiſti Patronum, & in communem Reipublicæ ſalutem, tua conſilia perpetuò proſperet, diúq; te ſervet incolumem. Sic ex animo vovet*

Servus tuus humillimus,

E Muſeo, Cantabrigiæ,
3. Calend. Martias,
An. Dom. 1678.

HEN. MORUS.

AD
LECTOREM.

NON eſt quòd diu te morer, amice Lector, præfandi cauſâ; quanquam iterum te prorſus inſalutatum præterire non debeo, niſi etiam tum cùm de Moribus ſcribo, ipſe malè moratus videri velim. Quod igitur in pleriſque meis ſcriptis feci, ut intelligat utique Lector quæ Occaſio, quis Scopus, quæque tandem Ratio ſcribendorum ſingulorum fuerit, idem in præſenti hoc Opuſculo breviter faciendum putavi.

Quàm invito & reluctanti animo hoc quicquid eſt operis aggreſſus ſum, ipſi nôrunt qui me ad illud aggrediendum tantâ contentione ſtimulârunt. Multa enim obſtabant quò minùs vel vehementiſſimis ſæpiúſque iteratis illorum efflagitationibus me paſſus ſim vinci. Unum, Quòd is ſum qui non multum tribuere ſolebam hujuſmodi aridis & ſtrigoſis Moralis Philoſophiæ Syſtematis, quæ meris Definitionum & Diviſionum σκιομαχίαις contra ſolidum Vitium ac Turpitudinem præliari pertendunt. Vitium enim Virtute ſolâ debellandum putabam; Virtutem autem veram vivámque doceri non poſſe, ſed per Fidem in Deum ex Deo vivo vivíſque illius Oraculis eſſe hauriendam. Divinum enim quendam ſenſum ſubeſſe oportere; quem qui habet & fovet, nec eum ſciens volénſque violat aut vulnerat, quid in quaque re honeſtum ſit vel turpe quaſi ſuâ ſponte tandem facilè dijudicaturum: Qui verò hoc ſenſu deſtituitur, quantumvìs inſtructiſſimus ſit omnimodis Virtutum Diſtributionibus & Definitionibus, eum nunquam tamen ad veram Virtutem perventurum, neque, cùm nondum ſeipſum exuerit, noſciturum quid ſit vera Virtus, nec fortaſſe crediturum quòd quicquam omnino ſit præter inane nomen. Quo monſtrorum genere (proh dolor!) hâc ætate omnia ferè loca opplentur.

Alterum erat, Quòd amœniſſimis quibuſdam ſtudiis tempus animúmque recèns addixeram, à quibus me tam derepente avelli admodum ægrè ferebam; præſertim cùm poſt labefactatas & arefactas vires ex nuperis quibuſdam laboribus, iíſque paulò ſolito ferventioribus, harum novarum ſpeculationum leni roſcidâque aurâ mirificè me recreari perſentiſcerem & permulceri.

Poſtremum, Quòd ſupervacaneam fore putabam hanc operam, cùm Vir quidam, prout ipſi nôrunt, præſtantiſſimus doctiſſimúſque abſolutiſſimum *Opus Ethicum* de primaria illa Quæſtione circa *immutabiles Boni Malique rationes* jam meditaretur; quod brevi in lucem proditurum me ſperare dicebam. Hæc ego adversùs ipſos urgebam ſtrenuè.

Illi verò contrà maximi fore momenti reſpondebant, ut nunc ſunt tempora, ſi quis iſtiuſmodi *Rudimenta Ethica* concinnaret tam luculento ordine diſpoſita & deducta, ut omnium Præceptorum ratio cuivis facilè pateſceret: Hoc enim eſſe præſentis ſeculi ingenium, ut Cauſas rerum omnium repoſcant, Mentémque humanam ad nihil obligari contendant præterquam Rectam Rationem. Hujuſmodi Opus tam affabre confectum magnopere oblectaturum probos, Divinóſque illos animi ſenſus, quibus fortè deſunt, feliciter ingeneraturum.

Amœniora illa porrò ſtudia quod attinet, deponi ea poſſe ad tempus, & poſtmodum reſumi: nec privatæ cujuſvis voluptati utilitatem publicam poſthaberi debere.

Quantum denique ad præſtantiſſimi illius Viri Lucubrationes; quamvìs ſat ſcirent accuratiſſimas eas fore & ampliſſimas, incertum tamen eſſe, propter multifaria illius negotia, quando finiendæ, quando mandandæ ſint Typis: Sed & uno ferè illo Argumento paulò ſuprà nominato circumſcribi. Se verò *Syſtema Ethicum* deſiderare; nec tamen juſtum Volumen, ſed *Enchiridium* potiùs, Librum parvum, portatilem, & Tyronibus erudiendis non inidoneum.

Ad hunc ferè ſenſum multa ultro citróque diſſeruimus. Quibus tamen tunc temporis me nullatenus victum perſenſi nec vulneratum; optimóque jure factum iri putabam, ſi nullo prætextu ab eis ſtudiis revocari me paterer ex quibus tantam voluptatem percipiebam, viréſque animi juxtà ac corporis eis indulgendo tam mirificè recreari ſentiebam & refici. Nec credibile tunc exiſtimabam me ullis machinis hoc poſſe dimoveri loco. Cùm tamen die poſtero (En humanorum conſiliorum incertitudinem!) multò manè poſt ſomnum in lecto jacens, harúmque rerum memoriam apud meipſum recolens, idem ego, qui pridie externa illa jacula tam fortiter repuli, internis conſcientiæ aculeis confoſſus ſtatim ſuccumbo. Hoc enim inter alia acriter animum momordit atque uſſit meum; Quòd niſi nunc, cùm tanto voluptatis impetu aliò rapior, me ad opus hoc (in quo ſpes ſaltem aliqua publici commodi effulget) continuò accingerem, certus eſſe non poſſem quin ad omnes illos quos hactenus in ſcribendo exantlavi labores *Jucundi* potiùs ratio quàm *Honeſti* me perpetuò inſtigâſſet, nec tam veræ Virtutis fructus eſſent quàm ſcripturientis cujuſdam Cacoethis effectus. Adeò ut illud ipſum quod me antè revocabat maximè, nunc violentiſſimè omnium impelleret ad præſens hoc opus ſuſcipiendum. Quóque ingratius videbatur, eò obſtinatiùs aggreſſus ſum, ut planiùs mihi ipſi de propria mea ſinceritate conſtaret.

Verùm enimvero, ut ingenuè fatear quod res eſt, poſtquam ſemel totius operis ambitum animo meo delineaveram, (quod breviſſimo feci ſpatio,) partémque illius abſolveram, adeò mihi arridere atque adblandiri incipiebat Inſtitutum, ut, quanquam quædam accidebant in medio curſu quæ aliàs me violenter retrahere potuiſſent, non poſſem tamen tunc deſiſtere ab Incepto, nec à calamo manum abſtinere, donec inchoatum Opus finiviſſem. Et, ut nihil diſſimulem, hoc etiam currenti calcar addidit, quòd putabam minimè dedecere hominem qui primis & potiſſimis Naturalis cujuſdam Theologiæ fundamentis jaciendis operam tam gnaviter impenderam, demonſtrando utique *Deum exſiſtere, Animámque humanam eſſe immortalem,* etiam tertiam hanc partem de *Vita* atque *Moribus* hiſce jactis Fundamentis ſuperſtruere. Hæc fuit Occaſio.

Scopus autem, non Scribentis, (is enim eſt quem dixi, propriæ ſcilicet conſcientiæ penſum ut abſolvam,) ſed ipſius Scripti, idem eſt qui debet eſſe omnium Scriptorum Ethicorum, Humanæ nimirum Vitæ emendatio. In eo enim errore plerique verſari videntur, ut Syſtemata Ethica ad inutiles tantummodo Quæſtiunculas ventilandas conſtitui debere arbitrentur, *Moralémque diſciplinam* (quod ait *Cicero*) *Oſtentationem Scientiæ, non Legem Vitæ, putent.* Cùm tamen verus ac genuinus Scopus Moralis Philoſophiæ ſit, ut ex illius Præceptorum lectione & meditatione Animus humanus amore Virtutis inflammetur, ut ad Virtutem perpetuò anhelet, ut Virtutem denique aſſequatur, cúmque ipſa Virtute veram ac ſolidam Felicitatem.

Ex hoc fonte igitur, quod ultimo loco occurrit, petenda eſt tota hujus Scripti ratio. Per *rationem* enim non intelligo Methodum ſive *Syntheticam*, ſive *Analyticam*, ſed totius Operis Formam atque Ingenium; quod ità comparatum ſpero, ut feliciùs & certiùs dictum ſcopum attingat quàm pleraque alia hujus generis Scripta. Quanquam quod ad illam propriè dictam Methodum attinet, nullatenus eam neglexi, tametſi tam ſeveriter & reſtrictè ea in re me habendum non putavi. Semper tamen, quoad memini, quod clarius eſt præcedit, quódque obſcurius ſequitur. Quod unum omnium ferè Methodorum ſummam in ſe complectitur.

Quòd autem non omnia corraſi & congeſſi quæ ad *Syſtematis Ethici* integritatem videri poterant pertinere, in eo Prudentiæ indultum eſt, cùm hâc compendiariâ ratione me citiùs finem aſſecuturum ſperarem, quàm ſi hiſce efficaciſſimis maximéque neceſſariis documentis etiam ea quæ minùs ſunt efficacia accumulâſſem. Itaque ea ferè ſelegi quæ aliquem calorem in ſe habent atque ſtimulum ad Virtutem. Quem certè illa habent maximè quæ ex intimo vivóque animi noſtri ſenſu & experientia depromimus, non quæ ad alienorum Scriptorum exemplum excudimus externâ quadam arte atque imitatione. Qualia perpauca hìc occurrunt præterquam *Carteſiana* illa de Paſſionibus, * quas ex profeſſo ad mentem *Carteſii* perpetuò ferè definio pariter & diſtribuo. Cæterùm ea Ethicæ pars purè ſpeculativa eſt, ità ut nihil hinc damni ſummo noſtro ſcopo poſſit accidere.

* Lib. 1. cap. 6.

Quanquam verò hìc proprios animi mei ſenſus intimáſque Emanationes quàm maximè deſcribere ſtatuebam; nè quid tamen ipſis vel ornamenti vel autoritatis deeſſet, non ſolùm verba, ſed & ſententias Veterum, in locupletius rei teſtimonium, frequentiſſimè adhibui; ut indè planiùs conſtaret, in hac ſcribendi libertate me extra cancellos non tranſiliiſſe, nec tam innovâſſe quicquam in Morali Philoſophia, quàm *puram illam atque antiquam quaſi poſtliminiò revocâſſe.*

Siquis verò fortè me cumulatiùs hoc feciſſe & copioſiùs contendat quàm opus erat, equidem non multùm renitor. Fateor enim me omnem prenſitâſſe occaſionem exponendi ante oculos Chriſtiani Orbis ſanctum illum Virtutis ſenſum, qui etiam Ethnicorum animis tam altè inſedit, quémque per divinas illas voces atque ſententias quas literis mandârunt tam luculentè teſtati ſunt, ut meritò nos Chriſtianos pudeat, è nobis tam paucos eſſe qui aut tam juſtè vivere deprehendimur, aut tam ſapidè loqui; quinimò euſque cæcutiiſſe, ut Virtutis tum rem tum nomen, quaſi datâ operâ, proculcemus & aſpernemur tanquam vile quiddam & profanum, Barbariſque Gentibus relinquendum. In quo tamen non tam Nationibus exteris inſultamus, quàm craſſam noſtram oſtentamus ignorantiam.

Eſt enim vera Virtus Divinæ quædam Naturæ participatio. Unde & præcipua Chriſtianæ Religionis pars eſt jure merito exiſtimanda. Quanquam enim *nominibus* differunt tria illa quæ toties in ſermone hominum occurrunt, *Virtus*, *Gratia*, & *Divina* (quæ dicitur) *Vita*; ſiquis tamen in ea penitiùs introſpexerit, re prorſus reperiet idem. Vocari verò hanc Animi perfectionem *Dei vitam*, quatenus *viva* illius in nobis imago eſt, non levis & ſuperficiaria Virtutis notio & imaginatio, ſed ſolidus potiùs pervicáxque rerum pulcherrimarum ſenſus & amplexus: *Gratiam* autem, quatenus gratuitum Dei donum eſt: *Virtutem* denique, ut quæ vis quædam Animi eſt quâ Paſſionibus corporeis ità dominamur, ut in re quaque conſtanter proſequamur quod abſolutè optimum eſt, quemadmodum eam in ſubſequenti Tractatu definivimus. Quod ſanè monuiſſe operæ pretium cenſebam, ut fœdo ac pernicioſo quorundam errori hîc occurrerem, qui, exſulante *Probitate*, *Divinam* tamen *Vitam* domi ſe putant poſſe retinere, & ſub prætextu *Gratiæ Virtutem* ejiciunt foras.

Datum è Muſeo, pridie
K. *Maii*, Anno Salutis
MDCLXVII.

H. M.

DE

DE
SECUNDA EDITIONE
AD
LECTOREM PRÆFATIO.

1. *Ne plus fortè me rearis, amice Lector, in hac Secunda Editione præſtitiſſe quàm revera præſtiti, quid à me in ea præſtitum ſit paucis tibi enarrandum cenſui.*

2. *Primò igitur, nullis novis ſententiis rerúmve notitiis novam hanc* Enchiridii *noſtri Editionem ornavi vel locupletavi, quanquam Libri primi Capita numero plura hæc tibi exhibet quàm prior illa Editio. Quartum enim Caput in duo, ſeptimum in quinque diſtribui; ut crebrior daretur legentibus interſpirandi & meditandi opportunitas; & ex diſtinctis Titulis ſive Argumentis, quæ ſingulis Capitibus præfixi, aliquantò facilior diſtinctiórque oriretur rerum præceptarum intelligentia.*

3. *Secundò, Græcè quæ occurrunt omnia Latinè reddidi; non quidem tam aridè & jejunè, vel, quod alii mallent appellare, tam accuratè, ut verbum verbo perpetuò reſpondeat, ſed laxè magìs quoad voces, & Paraphraſticè aliquando; verùm quoad ſenſum fideliter ſemper ſatiſque reſtrictè & circumſcripté. Hanc enim interpretandi rationem Inſtituto noſtro accommodatiorem fore putavimus, ut qui ex Grammaticorum Criticorúmve minutiis nullam gloriam aucupamur, ſed ubique ſic loqui ſtudemus, ut per ſermones noſtros in animis hominum, quantum poſſumus, amorem Veritatis Virtutiſque accendamus. Porrò, ipſos Textus Græcos, nequid eorum oculos offendat qui Græcè neſciunt, ex* Enchiridio *tollendos ferè perpetuò curavimus, & ad illius calcem rejiciendos, Interpretamentis ſolummodo contenti.*

4. *Tertiò denique, Tametſi nihil novi in hac Secunda Editione ipſi Tractatui ingeſſimus,* Epiſtolam *tamen noſtram* ad V. C. *illi ſuperadjiciendam ſtatuimus, tanquam ad Secundi Libri Caput* de Pietate *non incommodam Appendicem. Ità enim comparata eſt hæc noſtra* Epiſtola, *ut non ſolùm idonea ſit ad faciliorem* Carteſianæ *Philoſophiæ intelligentiam* Introductio, *ſed ad id omne quod in ea nocere poſſit incautis, Pietatémve lædere, ſatìs tuta Præmunitio &* Præcluſio.

Duæ autem potiſſimùm ſunt Concluſiones in iſta Philoſophia à quibus maximum Pietati impendet periculum. Quarum una eſt, Quòd illa ipſa Materia ex qua Mundus conſiſtit non poteſt non exſiſtere quoquoverſùm indefinitè extenſa : *quippe quòd indefinita illa Extenſio, quam nos animis noſtris expungere nullo pacto poſſumus quin exſiſtat, neceſſariò juxta mentem* Carteſii *ſit corporea. Quam Opinionem, quanquam in hac præſenti leviter tantùm perſtrinximus, in prima tamen noſtra ſecundáque Epiſtola ad* Carteſium *fuſè ſolidéque refutavimus.*

5. *Et certè vel ex uno hoc argumento quod jam occurrit à Terræ motu deſumpto cuivis conſtare poterit, cui ingenium nec tardum eſt nec magnis præjudiciis obſeſſum, hanc exſiſtendi neceſſitatem non quidem extenſæ Mundi materiæ, ſed alteri alicui immateriali Extenſioni, competere. Nullarum enim Speculationum in univerſa Philoſophia (nè ipſâ quidem Matheſi exceptâ) animo ſcientiâque magìs ſum compos quàm hujus unius quam nunc eo propoſitum. Corpus Telluris annuo ſuo circuitu Ellipticum quendam annulum certis ſemidiametris à Sole undique diſtantem deſcribere, in confeſſo eſt apud omnes melioris notæ Philoſophos. Jam verò cùm nulla Figura niſi in aliqua Extenſione deſcribi poſſit, nec in externa Mundi materia, Vortice putà quo defertur Terra, hæc deſcriptio fiat, (neque enim tranſit per partes Vorticis, ſed cum ipſo Vortice certâ à Sole diſtantiâ circumvehitur;) planè ſequitur eſſe Extenſum quoddam interius intra quod jacet totus Vortex, in quo circuitus hic Ellipticus per corpus Terræ deſcribitur, Extenſúmque hoc interius immobile eſſe, totúmque in eo Vorticem moveri. Atque hoc denique illud eſſe Extenſum cui ſoli illa exſiſtendi neceſſitas competit, ut quod ſive mens ſive imaginatio noſtra nullis machinis è rerum Univerſitate exturbare novit vel exterminare, ſed quòcunque pervolvitur animus, incidit vel invitus in hanc immobilem Extenſionem.*

6. *Unde porrò ſequitur, ſi* Carteſium *audire velimus, qui toties nobis inculcat illud Dictum,* Nihili nullam eſſe affectionem, *quòd immobilis hæc atque neceſſaria Extenſio ſit etiam Eſſentia quædam ſive Subſtantia. Quæ cùm corporea eſſe non poſſit, ut quæ Corpus ſive Materiam ubique penetrat, relinquitur ut ſit Incorporea ſive Spiritus, vel, ſi malles, Immenſi cujuſpiam Spiritûs amplitudo.* * *Cùm verò neceſſitas exſiſtendi nulli rei præterquam Deo ſoli competere poteſt, oportet immenſam hanc Amplitudinem, quam deprehendimus neceſſariò exſiſtere, non aliam eſſe quàm ipſam Divinam in qua vivimus, movemur & ſubſiſtimus.*

7. *Quæ ſi ità ſint, rectâ quadam Methodo planéque demonſtrativâ pervenimus tum ad* Ariſtotelis Motorem primum immobilem, *quem ille appellat τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον, tum ad* Anaxagoræ *νοῦν ἀμιγῆ, hoc eſt,* Mentem impermixtam. *Nam hinc clarè conſtat primam omnium motuum Phyſicorum originem eſſe immobilem, Numénque Divinum non ſolùm quatenus Mens eſt, Materiæ eſſe impermixtum, ſed etiam quatenus Vis quædam movens univerſam Mundi materiam. Immenſum enim hoc Extenſum immobile non circumtorquetur cum innumeris iſtis circumactæ Materiæ Vorticibus; nec ità coaleſcit Deus cum Mundano corpore,* (* *quemadmodum fit in particularibus Animalibus,*) *ut ipſe ſimul aliquò cum illius motu abripiatur; ſed illi tantùm aſſiſtit, &* * *ſublimiori quadam magiſque ſuſpenſâ Magiâ Materiæ particulis debitos motus formáſque imprimit.*

8. *Atque hæc ità ſanè ſint per me licet, qui ità à natura comparatus ſum ut nihil revera eſſe concipere poſſim quod omni caret Amplitudine. Neque equidem eorum hominum ſubtilitatem quicquam moror, qui, ex eo quòd Subſtantia definiatur* Ens per ſe ſubſiſtens, *concludere volunt, Aliquas dari poſſe Subſtantias quæ nec ipſæ extenſæ ſive amplæ ſunt, nec ad aliud quodvis extenſum ullam habere poſſunt relationem vel habitudinem, nempe, quòd in definitione Subſtantiæ nulla iſtiuſmodi rerum ſit mentio. Hæc enim ipſorum confidentia planè oritur è rerum Dialecticarum Metaphyſicarúmve imperitia. Quòd ſi quis eò ſuam curam intendere velit & cogitationem, ut rationes illas univerſaliſſimas omnibus rebus competentes, quas Dialectica vel Metaphyſica tractat, penitiùs intelligat, inveniet tandem omni omnino Enti quatenus Ens eſt aliqualem competere amplitudinem; nec id magis mirum videri debere, quàm quòd materia rebus omnibus competat. Quod certè niſi eſſet, Cauſa illa quæ* Materia *dicitur à Dialecticis tractari non poſſet.*

9. *Ut rem igitur comprehendam brevi. Quemadmodum omne id quod fit, è quatuor Cauſis oriri intelligitur,* Efficiente, Materiâ, Formâ, *&* Fine; Efficiens *verò &* Finis externo *duntaxat* reſpectu *rem attingunt,* Materia *&* Forma *ipſam* Eſſentiam *rei conſtituunt: ità id quod conſtituitur, ut ratione Efficientis* Effectum *dicitur, ratione* Finis Deſtinatum, *ſic ratione* Materiæ *&* Formæ, *quæ totam* Eſſentiam *continent,* Eſſentiatum *rectè, etſi haud ità politè, dici poteſt, vel* Eſſentiam habens, *quod id ipſum eſt quod* Ens. *Unde* Ens *quatenus Ens* Materiam *aliquam in ſe complectitur. Quæ, obſecro, quidnam eſſe poteſt niſi Amplitudo generaliſſimo modo ſumpta, cùm nihil præter eam hâc ratione mentibus noſtris poteſt obverſari?* Materia *igitur* Logica *vel* Metaphyſica amplitudinem *aliquam generalem cogitationibus noſtris obvertit:* Forma *verò* diſtinctionem *ſive differentiam hujus Amplitudinis infert, idque innuit quo amplitudo ab amplitudine intimè diſcriminatur. Atque hæc ſunt duo illa* Entis *quatenus Ens eſt* Principia incomplexa; *non* Eſſentia *&* Exſiſtentia, *ut quidam imperitè arbitrantur.*

10. *Neque me illud movet quod quidam hîc proni ſunt oggerere; Exinde utique conſequi, nihil omnino eſſe in rerum Natura quod in partes revera diſcerpi non poſſit. Satis enim ſcio totum id ex puro puto præjudicio eſſe profectum, quòd toties in quotidiana vita res extenſas diffringi viderimus & diſſecari. Merum verò* Vacuum *imaginari* Expanſionem *illam in qua volvuntur Vortices ætherei, ex eo naſcitur, quòd ſoliditatem eſſentiæ cujuſque ex ea vi æſtimare ſolemus quâ afficere poteſt noſtros ſenſus externos. Alioqui vel ex ſententia* Carteſii *immobilis illa Amplitudo in qua omnia neceſſe eſt moveri ſtatim deprehenderetur Eſſentia quædam realis, quam tamen diſcerpi poſſe omnibus animorum humanorum facultatibus planè repugnat. Unde manifeſtum eſt quòd* Indiſcerpibilitas *&* Amplitudo *in uno eodémque ſubjecto optimè poſſunt conſiſtere.*

11. *Verùm id fieri poſſe in rebus creatis ſi quis confidentiùs negaverit, is homo profectò reus læſæ Divinæ Omnipotentiæ jure merito cenſebitur, ut qui ea omnia Divinæ poteſtati non tribuit quæ nullam involvit contradictionem ipſi tribuiſſe. Quid enim?* * *Annon poteſt Deus ad ſui ipſius ſimilitudinem ſubſtantiam unam per ſe perfectéve ſimplicem creare? Ea verò ſubſtantia quæ eſt per ſe una, & non per aliud,*

ut revera ſimplex eſt, nec ex ullis partibus Phyſicè diſtinctis compoſita & coagmentata, ità in nullas diſcerpi à quoquam poteſt, nec Phyſicè dividi.

Neque ego quicquam eorum voces moror qui hîc clamitant eas ſaltem à Deo poſſe divelli, quódque id niſi concedamus, læſæ Divinæ Omnipotentiæ noſmetipſi ſumus iterum agendi rei. Nam ſi quid per ſe & immediatè unum creaverit Deus, annihilare quidem poteſt, repugnat tamen idem eum poſſe diſſecare; propterea quòd ex eo ſolo quòd eſt, unum *eſt,* per ſe, *non* per aliud quicquam *quo Eſſentiæ amplitudo conglutinetur & quaſi compages fiat multarum rerum, non una res atque ſimplex; eodémque modo ac neceſſitate partes cohærent quo Proprietates eſſentiales cum Subjecto, quæ cum eo extingui quidem poſſunt, nec tamen realiter ab ipſo diſtingui vel ſeparari. Cujus nulla ratio reddi poteſt, niſi quòd per ſe & immediatè Subjectum ſit tale ex illa ipſa Idea juxta quam illud creavit Deus.*

12. *Quamobrem cùm Amplitudo ſive Extenſio æquè latè patet ac ipſa rei cujuſvis Eſſentia, non continuò ſequetur, ſi vel invitis nobis ante Mentis oculos ſemper oberret Idea quædam indefinitæ undique Extenſionis tanquam neceſſariò exſiſtentis, quam nullo modo animo noſtro excutere poſſumus nec deponere, quòd hæc corporeæ alicujus Materiæ ſit Idea, quódque illi proinde exſiſtendi neceſſitas competat; ſed potiùs Ideam eſſe Omnipræſentiæ Divinæ obſcuriori quodam modo repræſentatæ, cui* ſcimus *neceſſitatem exſiſtendi competere. Ex eo verò quòd quid extenſum ſit, inferre ſtatim quòd etiam moveri poſſit, quòd diſcerpi in partes, quòd nullum aliud extenſum poſſit penetrare, & in univerſum pertendere quòd in unaquaque Idea aliquod primum Attributum ſit eſſentiale à quo cætera omnia neceſſariò poſſint deduci; lepidum ſanè quiddam eſt & ingenioſum, ſed in quo nulla ſolida eſt rationis cohærentia vel ſequela. Videntúrque mihi qui ſic philoſophantur, ex eo quòd primos Logicæ fontes ignoraverint, in tam immundas lacunas incidiſſe, vel, quod pejus eſt, Fines; Vſúſque rerum è ſpeculationibus Philoſophicis etiam datâ operâ excluſiſſe.*

13. *Nos verò, qui ſcimus omnia à Deo Optimo Maximo creata eſſe, ignorare non poſſumus, cùm à tam benigno ac ſapienti Principio proficiſcantur,* * *Rationes Ideáſque rerum omnium à* Fine, *à quo &* Bonæ *appellantur, omnino eſſe petendas. Eſt enim, quod obiter monendum cenſui, res quælibet, à* tota collecta diſtinctáque *à cæteris eſſentia* Una, *à* Forma *verò præcipuè* Vera, *& à* Fine *denique* Bona, *nominata: Quæ præclara ſive* Metaphyſicæ *ſive* Dialecticæ *Theoremata planè innuunt, Attributa rerum inſeparabilia non ab uno aliquo principali in ipſis eſſentialique Attributo aridâ quadam ac Mathematicâ certitudine & neceſſitate derivari, tanquam ſi ipſo poſito reliqua neceſſariò ſequerentur virtute illius ſolius Attributi, atque ità hic fons eſſet ille eſſentialis à quo reliqua omnia Attributa immediatè fluerent; ſed Eſſentiam ipſam à Deo ſic creatam fontem eſſe immediatum omnium ſuorum eſſentialium & inſeparabilium Attributorum, quorum ratio nulla diſtincta peti poteſt ab* ipſa Eſſentia, *ſed à* Fine ſolo *Divinâ mente concepto, quò collineant omnia illa Attributa quæ inveniuntur inſeparabiliter ineſſe alicui Subjecto.*

Neque enim unum quicquam eſt præter hunc Finem, *quo res* Bona *ſit, à quo rationes Attributorum ipſius deduci poſſunt, vel ad quod queunt ultimò reduci ab ipſóve menſurari. Quod itaque Principium τὴν ἄνω ἀρχὴν appellat alicubi* Ariſtoteles: *& rectè ſanè, cùm & ipſum florem Divinitatis, quod* Platonici *τἀγαθὸν nuncupant, tam manifeſtò videatur attingere, redolere, ſpirare. Sed in hac prima Concluſione excurſum eſt ultrà quàm inſtitui.*

14. *Altera illa* Carteſii *quæ Pietatem videtur minùs ſapere Opinio hæc eſt,* Omnia ſcilicet Mundi Phænomena, nè Plantis quidem Organicíſque Animalium corporibus exceptis, oriri poſſe ex Principiis merè Mechanicis, nimirum ex Motu ſolummodo locali ac Materia; neceſſariáſque eorum omnium cauſas ac rationes ab iſtis fontibus poſſe deduci. *Quam maleſanam ſententiam multis certè in locis in hac ipſa Epiſtola itidem perſtrinximus. Verùm unicâ tantùm Inſtantiâ (de Striatarum ſcilicet formatione & motu) eam aggreſſi hîc ſumus operoſiùs refutare. Nec mirari debes quòd in re tanti momenti uno contentus eſſem argumento, cùm tam multa ſuppeterent. Nam in aliis meis Scriptis tam claris & perſpicuis Demonſtrationibus rem confeci, ut ſuperfluum fore putarem in hac iterum Epiſtola eidem ſtudio inſudare. Eas autem intelligo Demonſtrationes quas adhibui in* Libris adverſùs Atheos, *&* De Animæ Immortalitate: *Qualis eſt illa quam deſumpſi ab inſigni illo Experimento magni Antliæ Pneumaticæ Suctori appenſi ponderis, ab eóque, ob extruſum aerem quaſi ſpontè aſcendente, ſurſum ſubvecti; Alteráque à Deſcenſu Gravium petita. Quibus denique addas aſcenſum Laminæ ligneæ rotundæ fundo Situlæ, aquâ impletæ,*

pletæ, ferè æqualis & ſolutæ. Quæ Phænomena omnia cùm ſimpliciſſima ſint, tantum tamen abeſt ut eorum ratio aliqua purè Mechanica reddi poſſit, ut communibus Mechanicæ Legibus planiſſimè repugnent: quemadmodum apertè in prædictis illis Tractatibus de duobus prioribus, de ultimo alibi, demonſtravimus.

15. *Cùm igitur in Phænomenis tam ſimplicibus, tam undique nudis, tàmque facilè animo noſtro comprehenſibilibus perſpectéque perviis, adeò miſerè hallucinetur hæc nimiùm nunc dierum decantata* Philoſophia Mechanica; *quàm furioſa, obſecro, ſpes eſt, & inſana pollicitatio, omnium eorum quæ in Mundo apparent, etiam quæ maximo & intricatiſſimo conſtant artificio, cauſas purè Mechanicas quenquam poſſe excogitare? Quod mihi non abſimile videtur illius impudentiæ & temeritati, qui, cùm duorum ſcamnorum naviculam in portu evertiſſet, gloriabatur tamen ſe in* Euxino Ponto Argonautarum *navem poſſe gubernare. Quemadmodum ſcitè juxtà ac ſolidè ſua in cauſa ratiocinatur apud* Ciceronem L. Craſſus.

16. *Quod verò ad me attinet, in ea ſum ſententia, quòd non ſolùm intricatiſſima illa Phænomena ex Principiis* purè *Mechanicis explicari non poſſunt, ſed quòd nulla. Quanquam ex immodico quodam amore ac ſtudio erga* Carteſium *in hac Epiſtola aureas aliquot catenas nexu purè Mechanico cohærentes ipſi conceſſerim. Nunc verò (quod tamen nullâ animi levitate aut inconſtantiâ feci, ſed rationum pondere eò preſſus,) mutavi ſententiam, donúmque revocavi. Neque enim quiſquam eſt, opinor, qui animum habet nullo præoccupatum præjudicio, qui non mallet Principium ubique unum & homogeneum agnoſcere, quàm aliis atque aliis in locis diverſum totóque genere diſſonum. Ac proinde cùm certus eſſem quædam Phænomena ex Diviniori principio originem traxiſſe quàm quod purè Mechanicum eſt, eò id animum inclinavit ut crederem ex eodem itidem fonte cætera omnia profluxiſſe. Deinde, συμφυσις illa, ſive* Phyſicarum Monadum *in quaſlibet particulas Coaleſcentia, videtur ſanè res quæ omni modo Mechanico prorſus ſit inexplicabilis. Poſtremò, ſi vel prima Mundi Rudimenta ex iſtiuſmodi tornationibus facta ſint & raſuris quales fingit* Carteſius, *tanta profectò reperiretur Elementi ſubtiliſſimi copia;* * *ut etiam ſupra Saturni Orbitam regurgitaret. Atque haſce rationes obiter hoc modo ſubindicâſſe ſatis ſit, cùm hic non ſit illis immorandi locus, ſed eas tantummodo breviter notandi.*

17. *Cæterùm cùm eo ſim animo ut nulla Phænomena per univerſum Mundum purè Mechanica admittere poſſim, neceſſariò conſequitur ut* Cauſarum Finalium *indagationes in* Naturalem *etiam* Philoſophiam *introducendas eſſe perlubenter ſtatuam. Quod quidem facere hominem Philoſophum ità condecere putabam, ut, quòd è ſua eas ſuſtulerit* Carteſius, *honeſtæ cuidam aſtutiæ imputare maluerim quàm ulli ipſius ignorantiæ tam ſolidæ veritatis. In quo ſiquid ſim lapſus, id certè humanitati meæ potiùs tribuendum eſt quàm ulli ad officioſè mentiendum vitioſæ proclivitati. Quod verò meipſum ſpectat, equidem cenſeo* Finalis cauſæ *perveſtigationem* jucundiſſimam *eſſe* Naturalis Philoſophiæ *partem; addo &* utiliſſimam, *tum ad alias res, tum præcipuè ad Pietatem verámque Religionem, quâ nihil præſtabilius, nihil ſuavius aut dulcius, nihil denique perfectius à Deo immortali hominibus datum eſt.*

18. *Quamobrem ſiquis eſſet, ſive cæco aliquo Fato pulſus, ſive propriâ commotus arrogantiâ, qui jactaret ſe poſſe omnia Mundi Phænomena ex cauſis purè Mechanicis deducere, hoc eſt, illuſtriſſima omnia ſolidiſſimáque Divinæ Exſiſtentiæ argumenta quaſi uno ictu Naturæ rerum præcidere, cùm tamen nè ſimpliciſſimi cujuſlibet Phænomeni cauſas quiſquam purè Mechanicas revera poſſit proferre; annon homo hic perquam ridiculum ſe præberet omnibus Spectaculum? Annon ſubſannandum (dicam, an atrociùs inſultandum?) ſe diis hominibúſque propinaret? Hic utique eſt ille Mundorum Mechanicus conditor, qui tamen nè lapidis quidem cujuſlibet deſcenſum è rationibus purè Mechanicis explicare novit. Hic ille Naviculæ duorum ſcamnorum in portu everſor, qui tamen dignum ſe ſomniat qui præficiatur* Argonavi. *Hic eſt ſtupendus iſte Sciolus, qui Mundorum condendorum ſcientiam ſibi mavult arrogare, quàm ut quis è Mundi conditi Phænomenis ſolidam Dei ſcientiam hauriat.*

19. *Nos verò interim, dum hæc canitur cantilena, quid nos faciemus, qui ſumus hujus tanti Artificis tam miſelli, tam humiles, tam ſubmiſſi, tam timidi, tam ſtupidi denique támque undique ſuperſtitioſi admiratores? quibus religio eſt non piè credere omnia Mechanicè fieri poſſe ex eo ſolo quòd hic ità fieri poſſe dixerit; cùm tamen hæc fides parem ferè vim ad impietatem habet ac ſi revera ità poſſint fieri: qui malumus eſſe ſerviles alieni ingenii admiratores quàm religioſi laudatores*

tores imperſcrutabilis Sapientiæ Dei quæ ex ipſius operibus effulget: Quid nos, inquam, faciemus? Imò verò quid ego, qui non multùm abſimilem Architectum, magnum illum Carteſium *intelligo, tantis támque immenſis (tum in hac Epiſtola tum ubique Scriptorum meorum) laudibus cumulavi?*

20. *Méne verò quid ego faciam rogas? Equidem dicam. Niſi ad exitum jam perducenda eſſet hæc noſtra Præfatio, longum de novo viri tam ingenioſi hîc pertexerem Encomium. Nec continere me poſſum, quanquam in has conjectus anguſtias, quin breviter profitear quàm elegans ille mihi Scriptor videtur, quàm concinnus, quàm acutus, & (quod rei caput eſt) quàm perſpicuus & diſtinctus, uſque adeò ut hanc diſtinctè de rebus corporeis cogitandi vim ab eo nactus ſatis maturè præviderem hâc viâ rem ſuccedere non poſſe, ſed hunc eximium meum cogitandi Magiſtrum in eo ipſo maximè falli quod ille tamen mihi videbatur deperire maximè; hoc eſt, Non diu erat cùm clarè deprehenderem, contrà ac ille ſtatuit,* è Cauſis purè Mechanicis omnia Phænomena non poſſe deduci.

21. *Ad quod profectò ſubſultabat mihi animus præ gaudio, cùm ex ea Philoſophia,* Mechanicam *intelligo, quæ Religioni omnium truculentiſſimè ſemper mihi viſa eſt minitari, de eis rebus quæ ad Religionem ſpectant multò factus eſſem confirmatior. Quódque tam immenſis laudibus Philoſophiam* Carteſianam *extuli, eo conſilio feci, ut alii id ipſum, quod ego expertus ſum, ipſi mecum poſſent experiri, eiſdémque armis (ab hoc utique armario deſumptis) omnium* Mechanicorum Atheorum *confidentiam contundere & comprimere. Audactérque pronuncio, neminem eſſe qui illam Philoſophiam plenè perfectéque intelligit, quin clarè perſpiciat,* omnia Univerſi Phænomena in rationes purè Mechanicas reſolvi non poſſe.

22. *Quòd verò* nulla poſſunt, *id tardiùs ipſe conſecutus ſum, ob nimium meum erga* Carteſium *ſtudium atque amorem; omnéſque hortor qui ſeriò philoſophari velint, ut, abjectâ omni perſonarum admiratione partiúmque ſtudio, totis nervis contendant ad illam quam nos tam fideliter in hoc* Enchiridio *deſcripſimus* Prudentiam moralem; *ut puro ſic animo ſimus ac defæcato, omnibúſque præjudiciis ſoluto, ut recollecto denique in Divinam mentem & ſubducto, cùmque ea (prout monebant* Pythagorei) *perquam arctè counito eique penitus ſubjecto, ut comprehendamur quaſi ab ipſa, ſtabilique virium influxu ab ipſa ſemper dirigamur. Paralytica enim & veluti luxata eſt omnis humana Ratio quam Divino ſuo flatu non informat ac gubernat Deus: Aliquidque ſanctius & Divinius ipſâ Ratione adeſſe oportet, facémque illi præferre, niſi eam velimus perpetuò nos induere in iſtiuſmodi angiportus & labyrinthos, è quibus aut turpiter aliquando pedem referre cogamur, aut æternis erroribus defatigari.*

23. *Intelligis tandem, amice Lector, quàm opportunè & utiliter hanc noſtram ad V. C. Epiſtolam huic* Morali Enchiridio *adjecimus, quàmque inconſultum fuiſſet non arripuiſſe hanc occaſionem explicandi propoſitum meum in ea ſcribenda, paritérque enarrandi correctiora animi mei ſenſa eiſdem de rebus de quibus in ea ſcripſi. Quòd utique, quanquam etiamnum magni facio* Carteſium, *ejúſque ingenium laudo, quòd in immediatas rerum cauſas corporeas tam veriſimiles inciderit, quódque Syſtema illud Mundi antiquum &* Pythagoricum *Philoſophiæ ſuæ tam eleganter intexuerit, eóque nomine ipſi* Ariſtoteli *eum antepono: tamen in eo, quòd* Cauſas Finales *exſulare velit è* Naturali Philoſophia, *eundem* huic *viciſſim antepono* Ariſtotelem, * *ut qui* Fines *rerum in Naturæ Phænomenis toties urget premítque. Quòd verò tam acriter contendit* Carteſius *omnia Mundi Phænomena ex ſolis cauſis Mechanicis explicari poſſe, id totum explodo, ut quod Pietatem minùs ſapere videtur, ſolidæque, ſat ſcio, adverſatur Veritati.*

SCHOLIA

SCHOLIA

In Præfat. II. SECT. VI.

Cum verò neceſſitas exiſtendi nulli rei præterquam Deo, &c. Hoc inviolabili nexu connectuntur ***Immenſa*** hæc ***Amplitudo*** & ***Divina Eſſentia***, nempe quòd neceſſitas exiſtendi ***Enti abſolutè perfecto*** ᾗ αὐτὸ, quatenus tali, ſive ſecundùm ſpecificam ſuam differentiam competit. Quod autem rei cuiquam, quatenus tali, competit, nulli alii rei præterquam ipſi, hoc eſt, tali rei, poteſt competere. Quamobrem ***immenſa*** illa ***Amplitudo***, ſi quid reale ſit, cùm immediatè ac neceſſariò exiſtere intelligatur, neceſſe eſt eam aliquo modo ad ***Divinam Eſſentiam*** referri.

Sect. 7. ***Quemadmodum ſit in particularibus Animalibus.*** Quod ſic intellectum nolo, quaſi Deus cum Mundo ſumptus, ingens quoddam eſſet Animal, quanquam præter ***Platonicos*** nonnullos & ***Marcum Antoninum***, ipſe ***Ariſtoteles*** etiam in Metaphy- *Lib.* 11. *cap.* 7.
ſicis Deum Animal quoddam facit. Φαμὲν δὲ τὸν Θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον, ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ Θεῷ. τοῦτο γὰρ ὁ Θεός. Animal verò fingere ſine Anima & corpore paulo abſurdius videtur. Videndum igitur an non ipſum ***Cœlum*** Dei corpus faciat, in libris de cœlo, iſtis verbis, Ἕκαστόν ἐστιν, ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου. *Lib.* 2. *cap.* 3.
Θεοῦ δὲ ἐνέργεια ἀθανασία, τοῦτο δέ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος, ὥστε ἀνάγκη τῷ Θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. Ἐπεὶ δὲ ὁ οὐρανὸς τοιοῦτος (σῶμα γάρ τι θεῖον) διὰ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα, ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί. Ex libro vero ***de Mundo***, hoc intelligendum eſt de ſupremo Cœlo, virtutem verò Dei in Orbes inferiores, ipſámque adeò terram derivari, Deum verò ipſum ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω χώρας ἱδρῦσθαι. Ego verò Deum nec Animal faciendum exiſtimo, nec in ſummum Cœlum relegandum, ut ibi ſedeat καθαρὸς ἐν καθαρῷ χώρῳ· ſed ***Sanctitatem*** hanc Divini Numinis, & ***Celſitudinem*** in eo potiùs conſiſtere; quòd ſine cauſis ***mediis*** & ***ſecundis***, mundanam Materiam non moveat, ſed mediante ***Spiritu***, qui dicitur, ***Naturæ :*** quemadmodum fusè probavimus in ***Enchiridio Metaphyſico*** & alibi.

Sublimiori quâdam magiſque ſuſpensâ Magiâ, &c. Per ***Magiam*** intelligo, vim quandam vitæ, motúmve vitalem, quatenus opponitur motui ***Mechanico*** & ***corporeo***, ut quando corpus corpore truditur vel impellitur. Hujuſmodi autem motus ***vitalis*** ſive ***Magicus*** eſt à ***Spiritu Naturæ*** in mundanam Materiam, unde minimè mirum à ***Plotino*** τὸν μέγαν γόητα appellari. Hanc verò Magiam eſſe magìs craſſam & immenſam quâ ***Spiritus Naturæ*** patitur perinde atque agit in Mundi Materiam, quanquam nec ità ſe unit cum materia, dum eam movet, quin ſeipſam ab ea liberet ſimul : atq; iſtac ratione ad ***Anaxagoræ*** νοῷ ἀμιγῆ propiùs accedat, ut quod illius quaſi Tranſcriptum eſt, Mundi leges ***vitaliter*** quidem quamvìs non ***intellectualiter*** continens. Impermixtus igitur materiæ, nec ipſe loco motus, per vim vitalem localiter movet materiam, & prout res tulerit, & unit ſe cum materia & ſe liberat ſimul. Οὕτω γὰρ μόνως ἂν κινοίη ἀκίνητος ὢν, καὶ κρατοίη ἀμιγὴς ὤν. Quod ***Anaxagoras*** de Mente Divina profert, cujus Ectypum Umbráve duntaxat eſt ***Spiritus Naturæ***, quatenus leges Univerſi, ***vitali*** quodam modo ſive ***Plaſtico*** complectitur. Sublimior verò illa magíſque ſuſpenſa ***Magia*** ad puram Divinitatem ſpectat, cujus Flos ſummitáſve apud ***Platonicos*** appellatur τἀγαθὸν, quod eſt τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ***Metaphyſicum***, ut Spiritus Naturæ, ***Phyſicum***. Quemadmodum & ipſe ***Ariſtoteles*** videtur innuere in ***Metaphyſicis***. Ἔστι τοίνυν *Lib.* 11. *cap.* 7.
τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ ἀΐδιον, καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια οὖσα. κινεῖ δὲ ὧδε. Τὸ ὀρεκτὸν καὶ νοητὸν κινεῖ οὐ κινούμενον· τούτων δὲ τὰ πρῶτα τὰ αὐτά. Et paulò pòſt ; Ἀρχὴ τῆς ὀρέξεως ἡ νόησις. Νοῦς δὲ ὑπὸ τοῦ νοητοῦ κινεῖται. Νοητὸν δὲ ἡ ἑτέρα συστοιχία καθ᾽ αὑτήν· καὶ ταύτης ἡ οὐσία πρώτη, καὶ ταύτης ἡ ἁπλῶς καὶ κατ᾽ ἐνέργειαν. Ἔστι δὲ τὸ ἓν καὶ τὸ ἁπλοῦν οὐ τὸ αὐτό· τὸ μὲν γὰρ ἓν μέτρον σημαίνει, τὸ δὲ ἁπλοῦν πῶς ἔχον αὐτό. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν, ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ, καί ἐστιν ἄριστον ἀεὶ ἢ ἀνάλογον, τὸ πρῶτον. Quid autem hoc eſſe poteſt, niſi obſcurior ſubindicatio illius quod ***Platonici*** τὸ ἓν, & τἀγαθὸν appellitant, ***ſupremam*** Divini Numinis ***Bonitatem***. Quem στρατηγὸν, ſummúmve exercitûs ducem ***cap.*** 10. indigitat, ubi & ***Anaxagoras*** introducitur, τἀγαθὸν primum Motorem ſtatuens. Ἀναξαγόρας δὲ ὡς κινοῦν, τὸ ἀγαθὸν, ἀρχήν. Ὁ γὰρ νοῦς κινεῖ, ἀλλὰ κινεῖ ἕνεκά τινος, ὥστε ἕτερον. Eſt igitur τἀγαθὸν, ſecundùm ***Ariſtotelem***, ſive τὸ ἓν, primus Motor, abſolutè ; ſive principale τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ut quod Divinum movet Intellectum, ſummus exercitûs dux ; non ſolummodo τὸ ἁπλοῦν, quanquam ſic eſt, utpote qui omnium ſit ſimpliciſſimus in ſeipſo, ſed & τὸ ἓν, quippe quod τὸ μέτρον ſit, Menſura omnia menſurans & ad quam omnia ſunt ordinanda. Πρὸς γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται. Sunt ipſa verba ***Ariſtotelis***,

qui hiſce in locis præclarum ſe *Platonis* diſcipulum geſſit. Intereà loci quàm ſublimis ac ſuſpenſa ſit hæc Divina Magia, ſatìs ex dictis liquet.

Sect. 11. *An non poteſt Deus ad ſui ipſius ſimilitudinem*, &c. Hujus argumenti vis nullâ arte eludi poteſt, quippe cùm Deus Ens ſit unum per ſe perfectéque ſimplex, nec ſuæ ideæ inſcius, non magis repugnat Omnipotentiæ illius ut Creaturam faciat ad ſimilitudinem *Simplicitatis* ſuæ ſimplicem, quàm ad *Sapientiæ* ſuæ ac *Juſtitiæ*, ſapientem ac juſtam. Nos verò dum ad Ideam Dei non recurrimus, ſed ad craſſas noſtras Imaginationes ac corporeas, de hiſce rebus diffidimus.

Sect. 13. *Rationes Ideáſque rerum omnium à Fine, à quo & Bonæ appellantur*, &c. Nemo ſignificantiùs hoc effari poteſt quàm ipſe fecit *Ariſtoteles*, ſuccinctiùs quidem, *lib. 1. de Generat. Animal. cap. 1.* Ὅ,τι γὰρ λόγος, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ὡς τέλος, ταὐτόν. pleniùs verò *lib. 2. cap. 1.* Βελτίων δὲ καὶ θειοτέρα τὴν φύσιν ἐστὶν ἡ αἰτία ἡ κινοῦσα πρῶτον, ᾗ ὁ λόγος ὑπάρχει καὶ τὸ εἶδος τῆς ὕλης. Quod primùm autem movet eſt finis ſcopúſq; totius ἀποτελέσματος in principio aliquo Intellectuali conceptus eóque Divino: Quemadmodum optimè intelligitur ex antecedentibus in eodem capite. Ὡς δὲ διὰ τὸ βέλτιον καὶ τὴν αἰτίαν τὴν ἕνεκά τινος ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ παντὸς ἔχει τὴν ἀρχήν. Et paulò pòſt, τὸ δὲ καλὸν καὶ τὸ θεῖον, αἴτιον ἀεὶ κατὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν, τοῦ βελτίονος ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις. Quod pulchrè convenit cum eo quod occurrit ſub finem capitis, Ἡ γὰρ τέχνη, ἀρχὴ καὶ τὸ εἶδος τοῦ γινομένου, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ, ἡ δὲ τῆς φύσεως κίνησις ἐν αὐτῷ, ἀφ' ἑτέρας οὖσα φύσεως τῆς ἐχούσης τὸ εἶδος ἐνεργείᾳ. Quod commodiſſimè intelligendum eſt de *Natura Divina*, quæ Ideas rerum omnium naturalium habet actu intellectuali, *Spiritus* verò *Naturæ* potentiâ tantùm vitali; ſed excitabili prout Materia præparata fuerit. Hæc eſt antiqua illa *Platonica* & *Ariſtotelica* circa rerum Naturalium generationes Philoſophatio, præ qua Mechanicorum Philoſophorum commenta moderna, ut quæ nihil præter ſtupidum putidúmq; Atheiſmum redolere videntur, apud me planè ſordent.

Sect. 16. *Ut etiam ſupra Saturni orbitam regurgitaret.* Immò verò multo ſuperiùs. Nam cùm triangularia globulorum Interſtitia ſpatium aliquanto minus, quàm dimidium ejus quod globuli, occupant, ſequetur quòd Sol quartam ferè Vorticis partem occupaturus ſit, illiúſque ſemidiameter, ſemidiametro vorticis aliquanto futurus major, ut videre eſt in *Enchiridio Metaphyſico*, cap. 16.

Sect. 23. *Ut qui fines rerum in Naturæ Phænomenis toties urget premitque*, &c. Quod expreſſiſſimè facit, De *Partibus Animal. lib. 1. cap. 1.* Μᾶλλον δ' ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τὸ καλὸν ἐν τοῖς τῆς φύσεως ἔργοις ἢ ἐν τοῖς τῆς τέχνης. Et prope finem capitis ex eo ipſo *Naturam* definit, quòd ob aliquem agat ſcopum. Πανταχοῦ δὲ λέγομεν τόδε τοῦδε ἕνεκα ὅπου ἂν φαίνηται τέλος τι, πρὸς ὃ ἡ κίνησις περαίνει, μηδενὸς ἐμποδίζοντος· ὥστε εἶναι φανερὸν, ὅτι ἐστί τι τοιοῦτον, ὃ δὴ καὶ καλοῦμεν φύσιν. Et paulò pòſt, Ὥσπερ γὰρ, ἐπεὶ δεῖ σχίζειν τῷ πελέκει, ἀνάγκη σκληρὸν εἶναι· εἰ δὲ σκληρὸν χαλκοῦν ἢ σιδηροῦν, οὕτως καὶ ἐπειδὴ τὸ σῶμα ὄργανον (ἕνεκά τινος γὰρ ἕκαστον τῶν μορίων, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὅλον) ἀνάγκη ἄρα τοιόνδε εἶναι· καὶ ἐκ τοιῶνδε, εἰ ἐκεῖνο ἔσται. Quibus planè agnoſcit Naturam ſic agere ac ſi arte ageret ac conſilio: valdéque triumphat, quòd *Empedoclem* in ſuam ſententiam attrahi poſſe putet. Ἀναγκάζεται γὰρ, inquit, τὴν οὐσίαν καὶ τὴν φύσιν φάναι τὸν λόγον· nempe quòd os nec duo nec tria ex elementis, nec omnia quidem, ἀλλὰ λόγον τῆς μίξεως αὐτῶν definiat. Denique in libro de *Animalium Inceſſu*, hoc tanquam præcipuum ponit ſuæ perſcrutationis principium. Ὅτι ἡ φύσις οὐδὲν ποιεῖ μάτην· ἀλλ' ἀεὶ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων τῇ οὐσίᾳ περὶ ἕκαστον γένος ζώου, τὸ ἄριστον. Διόπερ εἰ βέλτιον ὡδὶ, οὕτως ἔχει καὶ κατὰ φύσιν. Hæ ſunt præclaræ illæ ac Divinæ *Ariſtotelis* voces quibus teſtatum reliquit, Naturæ Phænomena non fortuitis ac tumultuariis particularum Materiæ occurſibus ortum ſuum acceptum referre, quemadmodum *Epicurei* olim ſomniârunt, moderníque quidam Philoſophi *Mechanici* etiamnum ſomniant, ſed eorum Originem ab altiori Diviniorique quodam Principio eſſe petendam; nec temerè hoc ab *Ariſtotele* ſtatui, contra hos *Mechanicos* & *Epicureos* fusè ac ſolidè, utì ſpero, in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravi.

ENCHI-

ENCHIRIDION ETHICUM.

CAP. I.

Quid Ethica.

ETHICA *eſt Ars bene beatéque vivendi.*

1. Per *Artem* intelligo Methodicam comprehenſionem Præceptorum homogeneorum : ac proinde cùm *Ars* quam hîc tractamus *Ethica* ſit, oportet omnia Præcepta eſſe verè Ethica, ad ejúſque finem aſſequendum rectè conducere; alioqui non eſſent *homogenea.* Unde nulla Præcepta hîc exſpectanda ſunt quæ inutili diſputationi, ſed ea ſola quæ vitæ rectè inſtituendæ inſerviunt.

Dico, *bene beatéque vivendi*; Quoniam *bene* quis vivere poteſt, quamvìs non adeò uſque *beatè.* Quos humanæ vitæ ſtatus rectè *Pythagorici* etiam diſtinxerunt. Aliud enim eſt, juxta illorum doctrinam, *ſecundùm naturam perfectum eſſe*, aliud, *ſecundùm vitam.*

2. *Naturâ* autem *perfecti ſunt* qui Virtute præditi ſunt. *Eſt enim Virtus*, prout illi definiunt, *uniuſcujuſque naturæ ſummitas & perfectio.* Hos autem vocant μόνους ἀγαθούς, i. e. *duntaxat bonos*, non beatos. *Vitâ verò perfecti ſunt, qui non ſolùm boni, ſed beati etiam exſiſtunt.* Definiunt enim *Beatitudinem* Perfectionem vitæ humanæ; Vitam autem humanam, σύστημα τῶν πράξεων, *Actionum humanarum comprehenſionem* vel *congeriem :* Quarum ſucceſſus cùm à Fortuna dependeat, nemo poteſt eſſe vitâ perfectus ſine bonis Fortunæ. *Perficiunt enim actiones Virtus & Fortuna ſimul : Virtus quidem quoad uſum, bona verò Fortuna quoad ſucceſſum*, ut rectè & ſolidè concludit *Hippodamus Thurius.*

3. Cui conſonat etiam ſententia *Archytæ* definientis *Felicitatem* χρῆσιν ἀρετᾶς ἐν εὐτυχίᾳ, *Virtutis uſum cum proſpera Fortuna. Euthyphemus* denique rem egregiè triplici hâc ſimilitudine illuſtrat : *Quemadmodum vincit Imperator virtute & fortunâ, Gubernator feliciter navigat arte & vento ſecundo, Oculus rectè cernit* ὀξυδορκίᾳ *(viſûs acumine) & luce; ità Vita humana optima eſt & per virtutem ipſam & per bonam fortunam.* Quibus omnibus accedit etiam *Ariſtotelis* autoritas, qui *Externa bona* ad perfectam Beatitudinem requirit : Quæ, tametſi abſolutè in noſtra poteſtate non ſunt, tamen, cùm quæ in *Ethica* traduntur (ut ſuo loco patebit) ad ea acquirenda non mediocrem vim habeant, rectè ad *Ethicam* aliquo modo pertinere cenſentur. Etenim quantumvìs fine ſuo aliquando & *Nauta* & *Medicus* excidant, nemo tamen negabit quin *Artes* ſint & *Medica* & *Nautica.*

CAP. II.

De Partibus Ethicæ, déque Beatitudine.

1. Ethicæ Partes duæ ſunt, *Beatitudinis Cognitio*, & *Acquiſitio. Cognitio* continet doctrinam de natura Beatitudinis, earúmque rerum quas illius natura aliquo ſaltem modo attingit vel complectitur. Unde in hac prima Parte præcipuè agendum erit de *Virtutibus* & *Paſſionibus*, poſtremóque de *Bonis externis* nonnihil addendum.

2. * *Beatitudo eſt voluptas* * *quam animus percipit ex ſenſu Virtutis rectéque (& ad Virtutis normam) factorum conſcientia.* Itaque

Ad perfectam Beatitudinem conducit *Bonorum*, quæ vocantur, *externorum* aliqua ſaltem mediocritas.

Beatitudinem hîc definio per *Voluptctem* potiùs quàm per ἐνέργειαν ſive *Operationem*, quia ex communi omnium ſententia *Beatitudo* cenſetur *maximum optimúmq;* *Bonorum humanorum.* Id autem non poteſt eſſe *optimum maximúmque* quod alterius ſit gratiâ; *Operatio* autem eſt *Voluptatis* gratiâ, unde & ipſa *operatio* (utì notat *Ariſtoteles*) accenditur & augetur, nempe, quòd tanta & tam grata voluptas exſpectatur ex ipſa operatione, tanquam illius qualiſcunq; effectus.

Ethic. Eudem. lib. 1. cap. 7.

3. Præterea, ut propiùs ad rem accedamus, *Voluptas* hæc, per quam *Beatitudinem* definio, conſideratur tanquam flos, ſummitas & perfectio ipſius operationis ſecundùm Virtutem, quæ præſtantiſſima eſt vita. In omni enim vitali functione Voluptas perficit operationem, quemadmodum teſtatur Philoſophus, tanquam internum aliquod illius complementum. *Voluptas verò perficit actiones, ipſámque adeò vitam quam cupiunt*, &c.

Ethic. Nicom. lib. 10. cap. 4.

Tertiò, Cùm omnibus animalibus ſua propria ſit voluptas, quæ planè deprehenditur ſumma eſſe ipſorum Beatitudo; pari ratione fatendum erit Beatitudinem humanam in humana conſiſtere voluptate: Ea autem eſt quæ ex Virtute percipitur.

Quartò, Omnes ferè mortales, tam Philoſophi quàm Idiotæ, *Beatitudinem* in *Voluptate* ponunt, prout ipſe notavit *Ariſtoteles: Felicitatem verò omnes arbitrantur voluptatem eſſe, & cum voluptate vivere, aut ſaltem non ſine voluptate.* Et in *Eudemiis*; *Qui revera beatus eſt jucundiſſimè vivit, neque ſine cauſa hoc homines arbitrantur.* *Beatitudinem* denique in *Rhetoricis* definit *Vitam cum ſecuritate jucundiſſimam.* Immo ipſi Theologi cœleſtem Felicitatem per non-interruptum gaudium & lætitiam depingunt.

Magn. Moral. lib. 2. cap. 7.
Eudem. lib. 7. cap. 15.
Rhetor. lib. 1. cap. 5.

4. Quintò, Ex ipſa definitione *Voluptatis* liquet eo ex genere eſſe *Beatitudinem.* *Eſt enim voluptas ex ſtatu præternaturali ad propriam naturam uniuſcujuſq; reſtitutio.* Plenus autem Virtutis ſenſus ac poſſeſſio eſt converſio ſive reſtitutio hominis ab eo quod eſt contra ad id quod eſt ſecundùm ſuam propriam naturam. Omne enim Vitium, quamvìs ſit brutis (juxta *Triſmegiſti* ſententiam) naturale & congenitum, eſt tamen revera contra naturam humanam. *Rationali enim animali* (quemadmodum ait *Marcus* Imperator) *eadem actio eſt quæ eſt ſecundùm naturam, & quæ ſecundùm rationem.* Rationi verò omnis repugnat Vitioſitas. Quòd autem è contrà Virtus ſit naturalis & congenita humanæ naturæ, ex eo conſtat, tum quòd Anima humana rationalis ſit, (quod jam innui) tum etiam quòd Juſtitia ſeu perfecta Virtus, juxta ſapientiam θεοπαράδοτον ſive *divinitùs traditam*, ſit immortalis, peccatúmque mortem in mundum introduxerit. Nam quòd ſtatus Juſtitiæ futurus erat æternus, planè arguit eum maximè eſſe naturalem, ac proinde reſtitutionem in illum ſtatum propriam noſtram intimámque eſſe voluptatem.

Magn. Moral. lib. 2. cap. 7.
τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 7. cap. 11.

5. Poſtremò, Appetitus animæ ſeu deſiderium non fertur in objectum quatenus cognoſcibile, ſed quatenus bonum, ſeu gratum & congruum, aut ſaltem quatenus confert ad id quod maximè gratum eſt & congruum, hoc eſt, maximè jucundum, & quod ſummo gaudio & voluptate animum implet. Unde ſuprema Felicitas non ſimpliciter ponenda eſt in Intellectu, ſed * propria illius ſedes ἐν τῷ ἀγαθοειδεῖ τῆς ψυχῆς, *in facultate animæ Boniformi*, eſt ſtatuenda; nempe, in ea facultate quâ ſapimus id quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, eóque unicè gaudemus. Quæ quidem facultas valde affinis illi parti Voluntatis eſt quæ fertur ad id quod abſolutè eſt optimum, quando utique inextinguibili ſiti & affectu rapitur ad tam gratum objectum, illúdque obtinens ineffabili gaudio ac voluptate perfunditur.

6. Qui igitur agit ſecundùm hanc facultatem, agit κατὰ τὸ κράτιστον vel κατὰ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν, *ſecundùm præſtantiſſimum* vel *ſecundùm Diviniſſimum eorum quæ in nobis ſunt*; quod neceſſarium eſſe ad Beatitudinem innuit ipſe *Ariſtoteles. Nunc verò ſive hoc mens ſit,* (inquit ille) *ſive aliud aliquid, quod ſecundùm Naturam videtur imperare & præeſſe, ac notitiam habere eorum quæ pulchra & Divina ſunt, ſive ipſum etiam Divinum exſiſtens, ſive eorum quæ in nobis ſunt Diviniſſimum, hujus certè operatio ſecundùm propriam virtutem perfecta illa cenſenda eſt Beatitudo.* Ubi videtur Philoſophus ambigere *Intellectus* ſit, an alia aliqua facultas, (quæ tamen ſenſum habeat τῶν καλῶν καὶ θείων, *pulchrorum & Divinorum,*) in cujus propria operatione vera Beatitudo conſiſtat. Ille verò poſtea deflectit ad *Intellectum*, ſummámque felicitatem ponit in Contemplatione intellectuali. Quæ tamen Felicitas *moralis* eſſe non poteſt, cùm non pertineat ad omnes homines, ſed Philoſophos duntaxat, Phyſicos, Mathematicos, Metaphyſicóſve.

Ethic. Nicom. lib. 10. cap. 7.

7. Ponenda igitur eſt Beatitudo in *Boniformi facultate*; tum quòd illa Facultas ſumma ſit & diviniſſima, eundémque ferè ordinem teneat in Anima quem *Platonicorum* τἀγαθὸν [Bonum] in Divino Numine; tum etiam quòd cultus illius facilè apud

omnes homines inſtitui poſſit & perfici. Non eſt enim ſupra captum vulgi ſincero amore Deum proximúmque proſequi: Quæ quidem Summa eſt hujus Felicitatis, (adjectâ Prudentiâ vitæque puritate,) eáque proprius *Boniformis facultatis* fructus: Quem nè fortè quis contemnat, audacter dicam & liberè, nullam majorem felicitatem *Divino hoc amore* nobis obvenire poſſe nec in hac vita nec in futura. * Sed de his alibi opportunior dabitur dicendi locus.

8. *Quam animus percipit ex ſenſu virtutis.* Eſt enim aliqua voluptas honeſta, quam & *Ariſtoteles* vocat *puram & liberalem voluptatem*, eóſque ſalsè deridet qui contrà ſentiunt. *Qui verò nullam* (inquit ille) *admittunt voluptatem eſſe honeſtam, ſimiles illis ſunt qui, ignorantes quid ſit Nectar, deos vinum bibere opinantur, utpote quo nihil ipſi nôrunt jucundius.*

Nicom. lib. 10. cap. 6.
Magn. Moral. lib. 2. cap. 7.

9. Dico autem Voluptatem hanc *ex ſenſu Virtutis* oriri, nè quis fortè fructum Virtutis æſtimaret ex imaginaria illa Virtutis cognitione, quæ per nudas Definitiones acquiritur. Quod perinde eſt ac ſi quis naturam Ignis æſtimare vellet ex igni in pariete picto, qui ad abigendum hybernum frigus nullam omnino vim habet. Omne vitale bonum (ut ità loquar) vitâ ſenſúque percipitur & judicatur. Eſtque revera Virtus vita quædam intima, non externa aliqua figura, nec externis oculis conſpicienda. *Si hoc unquam fuiſti, etiam ipſum vidiſti*, præclarum eſt *Plotini* monitum: Si ipſe transformatus ſis in hanc Virtutis vitam, tum demum internis ſenſibus illius pulchritudinem voluptatémque percipies, mirabiléſque ſui amores in te excitabit, & ineffabili gaudio animam tuam perfundet. Verùm uſque donec ipſe hunc ſtatum aſſequutus fueris, experrectâ demum *Boniformi animæ facultate*, neceſſum erit ut aliis expertis credas. Neque uſpiam opportuniùs occurrit celebre illud *Ariſtotelis* dictum quàm hoc ipſo in loco, *Oportet diſcentem credere.* Alioqui, ſi ex proprio ſenſu Virtutis voluptatem æſtimaveris, verendum erit nè tam languidè eam ſis proſecuturus, ut nunquam obtinueris; ſed, Divinæ Nemeſi relictus, æterno ſupplicio præſentem ſis expiaturus incredulitatem.

10. *Itaque ad perfectam Beatitudinem*, &c. Rectè ex definitione *Beatitudinis* deducitur hoc Conſectarium: Quippe quòd, cùm *Beatitudo* conſiſtat in *Voluptate* ex Virtutis ſenſu profecta rectéque factorum conſcientia, nemo poteſt frui hâc Beatitudine, ſi intenſiſſimus aliquis dolor aliò animum avocet, præſentémque voluptatis ſenſum extinguat. Unde prorſus requiritur ut dolorifici ſaltem morbi abſint à corpore, & ut victus ſuppetat neceſſarius. Rerum enim neceſſariarum indigentia vel penuria, utì etiam captivitas, duráve quævis ſervitus, perfectionem Beatitudinis, diſtrahendo curis animum, contemerabit, nec ſinet tam illuſtres Virtutis fructus edere.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi——

11. Eſt igitur opus τῆς ἐκτὸς εὐημερίας, *externâ ſerenitate* ſive *proſperitate*, quod ait *Ariſtoteles*, cùm homines ſimus, corporíſque neceſſitatibus obſtricti; integráque Felicitas ex duobus illis conſiſtit quæ *Pythagorici* vocant ἔπαινον ϗ μακαρισμὸν, *Laudem & macariſmum: Laudem quidem quæ eſt ex Virtute; Macariſmum verò qui ex bona Fortuna.* Quod abunde ſuprà monuimus ex eiſdem *Pythagoreis*. Cui cantilenæ rurſus clarè ſuccinit *Ariſtoteles* in Magnis Moralibus, *Abſque bonis externis beatum eſſe eſt impoſſibile.*

Magn. Moral. lib. 2. cap. 8.
Moral. Nicom. lib. 10. cap. 9.
Magn. Moral. lib. 2. cap. 8.

12. *Mediocritatem* tamen duntaxat requiri idem Philoſophus aſſerit ex ſententia *Solonis*; *Mediocria enim poſſidentibus licet agere quæ oportet.* Quod verò ad *exceſſum Fortunæ* attinet, obeſt magìs Virtuti quàm prodeſt, & adinſtar vini lucíſque nimiæ (inquit *Archytas*) etiam bonos inebriat & occæcat. Unde *Ariſtoteles* in *Eudemiis Anaxagoræ Clazomenii* reſponſum interpretans, non Magnum aut Divitem beatiſſimum aſſerit, *ſed qui vitam indolentem & immaculatam degit, Divinam aliquam participans contemplationem.* Sed de his plus ſatìs.

Moral. Eudem. lib. 1. cap. 4.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. II.

BEatitudo eſt voluptas, *&c. Immeritò quidam cum hoc loco cavillantur quaſi propiùs accederem ad ſententiam* Epicuri, *qui voluptatem ſummum Bonum eſſe poſuit, quemadmodum notavit* * A. Gellius: *Sed idem ſtatim addit*, Eam tamen

Noct. Attic. lib. 9. cap. 5.

ità definit, σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα, *unde planè apparet eum intellexiſſe voluptatem corpoream. Qua de, proculdubio, & dictum illud* Antiſthenis Socratici *intelligendum eſt,* μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. *Hanc enim voluptatem ille è contrà ſummum malum ſtatuit.* Zeno *verò indifferens cenſuit.* Plato *autem, inquit* Gellius, *ante hos omnes* ità variè ac multiformiter diſſeruit, ut cunctæ iſtæ ſententiæ ſuprà poſitæ videantur ex ſermonum ejus fontibus profluxiſſe. Nam proinde unaquâque utitur ut & ipſius voluptatis natura fert, quæ eſt multiplex, *&c. Ex quibus manifeſtum eſt* Platonem *rectè in ſua genera voluptatem diſtinxiſſe, nec omnem ad corpus retuliſſe, ſed Divinam quandam voluptatis ſpeciem non obſcurè indigitâſſe, qualis eſt hæc beatitudo quam deſcribimus. Cujus ut & ipſius virtutis gravitatem majeſtatémve, voluptatem nominando, minimè lædimus aut minuimus, cùm res ſatis ſeria ac ſevera ſit omnis vera voluptas, nec illud ſolidum ſit gaudium, quod in diductos oris rictus effuſóſq; riſus laxatur, canoróſq; in cachinnos ſolvitur, ſed quod per totam vitam omnéſq; actiones ſtabili quâdam animi ſerenitate lætâque ac profundâ tranquillitate indeſinenter perfunditur & extenditur.* Ἀνὴρ ἀγαθὸς πᾶσαν ἡμέραν ἑορτάζει, *dictum eſt Philoſophi apud* Plutarchum. *A quo non multùm abludit illud* Salomonis, Tota vita inſipientium miſera, bona verò mens, *vel bona conſcientia*, quaſi convivium continuum. *Et inter fructus Spiritûs ſancti pax & gaudium numerantur. Animo igitur admodum tetrico & acerbo eſſe oportet qui nobis vitio verterit, quòd* Beatitudinem *per* voluptatem *definiamus, cùm eam innuamus voluptatem, quæ ex ſenſu virtutis percipitur.*

Voluptas quam animus percipit ex ſenſu virtutis rectéque factorum conſcientia. *Virtutis ſenſum rectè factorum conſcientiæ præſtruo, quoniam ſine virtutis ſenſu iſta rectè factorum conſcientia voluptáſque res magìs umbratilis eſſet & extranea, nec ex genuino fonte orta, ſed extrinſecis quibuſdam rationibus innixa, unde nec ſincera voluptas eſſet veréque* Divina, *ſed alienis coloribus ſordibúſque tincta & coinquinata.*

Ὃν γυμνὸς ἐκ ἂν τέρποι, ὃ τέρπει Θεός.

Sect. 5. Propria illius ſedes ἐν τῷ ἀγαθοειδεῖ τῆς ψυχῆς, in facultate Animæ boniformi, *&c. Sunt qui & rem & nomen* τοῦ ἀγαθοειδοῦς τῆς ψυχῆς *Facultatis Animæ* boniformis, *monſtri inſtar putant. Ego verò auſim dicere, quantùm ad nomen nihil ſignificantiùs magíſque cum Analogia dici poſſe, quantùm verò ad rem nihil verius. Eſſe utique in anima iſtiuſmodi* δύναμιν, *hoc eſt, potentiam ſive facultatem quæ* Boniformis *rectè appellari poſſit, cujúſque ſenſatio menſura ſit omnis veræ ac ſinceræ virtutis, quippe quum nulla vera virtus ſit quæ ab hoc* Divino *fonte non ſit derivata, nempe ab* abſolutiſſima & liberrima nihílque ſibi ipſi (quatenus ſibi ipſi) quærente Animi Benignitate. *Hic eſt intimus ille virtutis ſenſus in quo vera ac ſolida Beatitudo conſiſtit; cúmq; ſenſus ſit, neceſſe eſt ut ſit vita, & cùm vita, ut ii mortui ſint qui eum non perſentiſcunt. Eſt autem* vita *quaſi* ſpecifica *verè* Regenitorum, *nec ulla vera* Regeneratio *eſt ſine* mortificatione, (*unde optimè intelligendum eſt illud* Platonis, *quòd Philoſophia ſit* μελέτη θανάτου) *plenâq; propriæ voluntatis annihilatione. Quo quiſq; ad hunc ſtatum propiùs accedit, tanto hujus principii* ſenſibilitas *in eo evadit evigilatior. Quanto verò quiſque rebus Mundanis addictior, tanto magìs hebeſcit, dormit, penitúſve extinguitur* cœleſtis *hæc divinâq; ſenſatio.*

Non Venus aut vinum ſublimia pectora fregit,
    Officiúmve fori militiæve labor;
Nec levis ambitio perfuſáque gloria fuco,
    Magnarúmve fames ſollicitavit opum:
Credibile eſt illos pariter vitiiſque jociſque
    Altiùs humanis exeruiſſe caput.

Sic nempe deſcribuntur à Poeta qui cœleſtem illam Aſtronomiæ ſcientiam primi invenerunt. Quod tamen longè verius eſt de iis, qui ad cœleſtem *illum* ſenſum divinámque experientiam, *qua de nos hîc loquimur, perveniunt. Intereà loci quando ſolida hæc experientia irridetur ab inexpertis, eodem loco habetur ab expertis illa deriſio, quo riſus rictúſve mortuorum.*

Sect. 7. Sed de his alibi opportunior dabitur dicendi locus. *Vid. lib.* 2. *cap.* 9. *& lib.* 3. *cap.* 8. *ſect.* 8.

CAP.

CAP. III.

De Virtute in genere, déque Recta Ratione.

1. ***Virtus eſt Intellectualis vis animæ, quâ Impreſſionibus animalibus ſive Paſſionibus corporeis ità dominatur, ut in ſingulis actionibus illud facilè proſequatur * quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt.***

Malui definire Virtutem ***vim*** quandam quàm ***habitum.*** Primò, quòd ipſum ***Virtutis*** nomen idem innuit; voces enim videntur militares & Virtus & ἀρετή· eſt enim ἀρετὴ ab Ἄρης, & ***Virtus*** propriè Fortitudinem ſignificat. Deinde, quia ***habitus*** non eſt de eſſentia Virtutis; quoniam ſi quis natus eſſet cum hac ***intellectuali vi*** quam deſcribo, proculdubio Virtute eſſet præditus, tametſi ex crebris actibus non eſſet profecta. Cauſæ enim externæ non ſunt de eſſentia rei, ſed ſolummodo internæ. Poſtremò, quòd hæc Virtutis notio animum fortiùs percellit & excitat ad amorem & exercitium Virtutis, innuítque Virtutem promptum eſſe quendam & expeditum vigorem, quo facilè & irreſiſtibiliter animus fertur ad ea quæ ſunt honeſta & pulchra perpetranda. Facit igitur ad excutiendum illum languorem vel torporem quem quidam fortaſſe ſibi indulgere poſſint, cùm tamen ex aliquammultis honeſtis actibus ſe Virtute revera præditos ſomnient.

2. ***Vim*** autem ***Intellectualem*** appello, tum quòd in ***intellectuali*** animæ parte ſita eſt, * non in ***animali,*** ut vis illa movendi membra; tum etiam quòd ex intellectuali ſive rationali aliquo Principio ſemper excitatur.

Per ***Impreſſiones*** verò animales intelligo omne id quod à corpore cum aliquo affectu vel impetu ità obfertur animæ, ut periculum ſit, ni ſibi caveat, nè in aliquem errorem vel peccatum ducatur. Unde & obreptantes Imaginationes, & quæcunque animam fortiùs feriunt Phantaſmata, ad hunc cenſum reducenda cenſeo. Per ***Actiones*** autem indigito quaſcunque animæ Motiones ex deliberatione profectas, (ſive ſint ***Elicitæ,*** ſive ***Imperatæ,*** ut diſtinguunt Scholæ) id eſt, omnes Actiones propriè dictas ***Humanas:*** Quarum generi rectè accenſetur cujuſvis dogmatis Philoſophici, ſive Phyſicum ſit ſive Metaphyſicum, amplexatio vel repudiatio. Eadémque ratio eſt de reliquis.

3. Porrò, ***Facilè*** dico ***animam proſequi,*** ad pleniorem explicationem ***vis*** hujus ***Intellectualis:*** Nam niſi hoc fieret, Virtus non eſſet, ſed potiùs diſpoſitio quædam ad Virtutem. ***Ratio enim non niſi vi iram cohibens & cupiditatem, Continentiam facit & Tolerantiam; ipſa verò vi rurſus è via exturbata à Paſſionibus ratione carentibus, Incontinentiam & Mollitiem. Hujuſmodi verò animæ diſpoſitiones ſemiperfectæ Virtutes ſunt, & Vitia itidem ſemiperfecta,*** inquit ***Theages*** Pythagoreus.

Ex eo denique quòd dico animam proſequi id ***quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt,*** effulget notabilis illa diſtinctio Boni, in id quod ***ſimpliciter bonum*** vel ***ſimpliciter melius*** eſt, & in id quod ***alicui perſonæ,*** vel ***alicui particulari alicujus perſonæ affectui, bonum vel melius,*** hoc eſt, gratum vel gratius, eſt. Id autem ***abſolutè bonum vel melius eſt*** quod τῷ ἀγαθοειδεῖ τῆς ψυχῆς, quod ***Boniformi animæ facultati*** (quæ planè divina eſt) gratum vel gratius eſt.

4. Quam ſanè facultatem mihi videtur indigitare ipſe ***Ariſtoteles*** in Ethicis ad ***Nicomachum,*** ubi aſſerit, ***Optimum, quodcunque id demum ſit, non apparere niſi viro bono.*** Deprehendi, ait, quod in unaquaque re optimum eſt, (hoc eſt, revera & ſimpliciter optimum) ab hominibus non quatenus intelligentes ſunt, ſed quatenus boni. *Moral. Nicom. lib. 6. cap. 13.* Unde rectiùs feciſſet ſi hanc facultatem ὄμμα ψυχῆς, ***animæ oculum,*** appellâſſet, quàm naturalem illam ***Solertiam*** quam δεινότητα appellat, quæque facilè deflectitur in πανουργίαν, i. e. ***Verſutiam.*** Hujus autem diviniſſimæ facultatis ſenſum vel ſententiam cùm nemo de ſe percipere vel intelligere poſſit niſi qui ſit adeptus, neceſſe eſt recurrere ad medium aliquod principium, tanquam ad ***Mercurium*** quendam, communémque hominum & Deorum Interpretem, quam vulgò appellamus ***Rectam Rationem.***

Illud itaque eſt ***abſolutè & ſimpliciter optimum*** quod in datis circumſtantiis ***Rectæ Rationi*** maximè conſonum eſt.

5. Eſt enim ***Ratio Recta*** in homine Exſcriptum quoddam ſive Apographon æternæ illius Rationis Legiſve in mente Divina conſcriptæ. Quæ tamen per Naturam non aliter nobis innoteſcit quàm quatenus, è Recta hac Ratione mentibus noſtris communicata, * vel potiùs inſita & congenita, effulget atque reflectitur. In quantum autem effulget, in tantum obligat conſcientiam * non ſecùs ac Lex quædam Divina cordi-

bus noſtris inſcripta. Juxta quem ſenſum τὸ δέον illud *Pythagoreorum* rectè videtur poſſe exponi, ut & eorum *Virtutis* definitio, quâ ipſam definiunt Ἕξιν τινὰ τοῦ δέοντος, *Habitum quendam illius quod fieri oportet.* Neque enim ſolùm ſignificat τὸ δέον *id quod medium & æquale eſt, & quod nullâ vel additione vel ſubductione indiget, ut quod jam eſt id quod oportet eſſe*; ſed etiam quod *obligat* & devincit, itâ ut quis omnimodè teneatur agere ſecundùm hanc Legem; prout præclarè hac in re etiam ſtatuit *Epictetus*, *Quod optimum apparet, Lex tibi ſit inviolabilis.*

De Mundo, cap. 6.

6. Summa enim Virtutis in hoc conſiſtit, ut conſtanter proſequamur illud quod Rectæ Rationi viſum eſt optimum. Quippe quòd illud ipſum abſolutè & ſimpliciter optimum eſt, cùm & Divinæ Rationi ſit etiam conſonum, quæ non ex impotenti aliquo affectu partiúmve ſtudio hoc vel illud imperat, ſed, tanquam communis omnium *Parens*, iſtiuſmodi Leges dictat quæ ſuâ naturâ ad univerſi generis humani Beatitudinem conducunt. Unde apud *Ariſtotelem* Deus etiam appellatur Νόμος ἀΐδιος ἐξ ἰσοκλινὴς, *æterna Lex quoquò verſùm æqualiter inclinans*: & tam apud *Stoicos* quàm *Pythagoreos*, *Deum ſequi*, & *Naturam ſequi*, idem planè ſonat ac Rectam ſequi Rationem, quæ propriam noſtram naturam conſtituit, hominéſque à brutis diſtinguit.

Lib. 2. cap. 10.

Magn. Moral. lib. 2. cap. 8.

7. Verùm enimvero, quod ſæpe ſæpiùs faſſus eſt *Ariſtoteles*, quanquam facile ſit ad hunc modum ſtatuere id optimum eſſe quod Rectæ Rationi eſt conſonum; tamen quid ſit, vel quis modus ſit hujus Rectæ Rationis, rectè definire omnium videtur difficillimum. Nam in *Magnis Moralibus* interroganti quid & ubi ſit hæc Recta Ratio, res huc tandem devenit; *Niſi apud temetipſum habes hujuſmodi rerum ſenſum, nihil efficitur.* Reſponſum eſt Medici quærenti quonam modo febricitantis pallor deprehendatur. Sed Philoſophus ſtatim ſubinfert, *Similiter ſe res habet in Paſſionibus dijudicandis: * Oportet enim ex ſenſu quaſi quodam conjecturam capere.* Tandem igitur judicium reſolvitur in *Senſum aliquem internum*; quem ego certè appellarem *Boniformem animæ facultatem*: quamvìs fatendum ſit quòd qui hoc modo afficitur, exinde videatur ὅμοιόν τι πάσχειν τοῖς ἐνθουσιάζουσι, (quemadmodum alibi notat *Ariſtoteles* de eis qui naturali quodam impetu & ſine ratione feruntur in Bonum,) *ſimiliter* utique *affici atque illi qui divino Numine afflantur.* Et certè hoc principium, quod ἀγαθοειδὲς *Boniforme* appello, omnium in nobis diviniſſimum eſt, ſed minimè omnium fanaticum.

Moral. Eudem. lib. 5. cap. 13.

8. In alio loco *Rectam Rationem* ad hunc modum definit, *Rectam* nimirum *eam eſſe Rationem quæ eſt ſecundùm Prudentiam.* Cùm autem ipſa *Prudentia* nihil aliud ſit quàm *Solertia* ſive Sagacitas illa naturalis (quam ille δεινότητα appellat, & tanquam *animæ oculum* conſiderat,) exculta & purgata, iterum Reſponſum reſolvitur in Senſum quendam ſive Facultatem internam divinatoriam, non in certa & diſtincta Principia juxta quæ judicandum eſt quid in quaque re ſit optimum.

Moral. Eudem. lib. 7. cap. 15.

9. Sed diſtinctiſſimè & apertiſſimè hac de re philoſophatur in ultimo *Eudemiorum*, ubi eadem proponitur quæſtio, cui in hunc modum reſpondet: *Jam verò oportet, ut aliàs, ad Principis nutum vitam inſtituere, & ad iſtiuſmodi habitum aſpirare cujus ideam actu tibi repræſentat Princeps* (ſive τὸ ἡγεμονικὸν) *jubétque in ſingulis imitari*; hoc eſt, integram & intemeratam ſervare conſcientiam. *Conſiſtit enim humana natura ex duabus partibus; quarum altera imperare, altera ſubjici debet. Unde pars ſubjecta, ex communi* omnium Civitatum jure, *obſequi tenetur parti imperatrici. Quod quidem imperium duplex eſt. Aliter enim medicina, aliter ſanitas imperat. Hujus autem gratiâ illa eſt. Ità ſe res habet in Contemplatione. Primo in loco decreta edit ſummus Imperator Deus. Sed illud cujus gratiâ eſt ipſa Prudentia, quam hoc modo mentibus hominum ingenerat. Quæ ipſa etiam decernit quid in rebus humanis optimum ſit. Deus enim nullius rei indiget. Quæ igitur electio & poſſeſſio naturalium bonorum maximè facit ad adjungendum contemplatione animum Deo, hæc eſt optima, atque hæc menſura pulcherrima quâ in ſingulis deliberationibus utamur. Quæ verò vel ob defectum vel exceſſum minimè permittit nos Deum contemplari & colere, hæc omnium peſſima eſt.* Quo certè Reſponſo nullum Oraculum videtur verius ac Divinius.

Lib. 10. cap. 8.

10. Cui tamen conſonum eſt quod ſcribit in Ethicis ad *Nicomachum*: *Diis immortalibus univerſa quidem vita beata eſt; Hominibus verò, in quantum hujuſmodi operationis imago quædam eſt vel ſimilitudo.* Meminiſſe autem eum oportebat Divinam illam vitam non in ſola Sapientia, ſed quàm maximè in Amore, Benignitate & Beneficentia conſiſtere: qui ſunt fructus Divinioris illius particulæ Animæ quam *Boniformem* vocamus, quâque potiſſimùm Deo Optimo Maximo aſſimilamur.

† Var. Hiſtor. lib. 12. cap. 59.

11. Rectè utrumque conjunxit *Pythagoras* apud † *Ælianum*; *Duo hæc dona à Diis pulcherrima hominibus data eſſe, verum utique dicere, benéque facere: videri*

verò utrumque ipſis Deorum immortalium operibus ſimile : id eſt, Divinæ vitæ ſummam conſiſtere in *Veritate* & *Beneficentia*. Si quis igitur *Ariſtotelis Pythagoræ*que & aliorum præſtantiſſimorum Philoſophorum judicio ſtare velit, agnoſcet menſuram *Rectæ Rationis* eſſe, imitari, quantum poſſumus, Divinam Sapientiam & Bonitatem. Ad quem ſenſum rectè etiam exponi puto illud *Theagis Pythagorei*, *Principium enim & cauſa & menſura humanæ felicitatis eſt Divinarum præſtantiſſimarúmque rerum cognitio.*

SCHOLIA

In CAP. III. SECT. I.

QUod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt. *Virtutis eſſe id quod abſolutè & ſimpliciter bonum eſt proſequi, pauci ſunt, opinor, qui negaverint. Ad optimum verò nos ſemper teneri dictum aliquanto durius quibuſdam videtur, contrâque ac ipſe* Paulus *videtur definiviſſe*, 2 Cor. cap. 7. verſ. 38. Itaque qui dat nuptum bene facit, qui verò non dat nuptum meliùs facit. *Quòd ſi teneremur ſemper id facere quod optimum eſt, qui dat nuptum non bene faceret, quippe qui officium neglexerit, quo tenetur id ſemper facere quod eſt optimum. Hic eſt nodus difficultatis, qui facilè ſic ſolvitur, nempe ſi reſpiciamus ad* v. 35. Τῦτο δὲ πρὸς τὸ συμφέρον λέγω, *ubi planè innuit ſe externa quædam commoda & incommoda in calculum retuliſſe, quibus ſepoſitis ſolâque Moralitate Actionis conſideratâ, & qui nuptum dat & qui non dat nuptum æquè bene feciſſe facilè intelligentur, rectéque dici uterq; optimè feciſſe. Optimè enim intelligendum eſt* Ethicè *aut* Phyſicè, *potéſtque quis quantùm ad rationes* Ethicas, (*quæ pro facultatibus aliiſque circumſtantiis Agentis expenduntur*) *optimè facere, quamvis alius quis, quantùm ad rationes* Phyſicas *abſolutámque actionis naturam meliùs feciſſe rectè poſſit judicari. Ut qui multo largiorem dat eleemoſynam, quippe amplioribus fortunis inſtructus, cùm tamen prior ille pro ſuis facultatibus, dediſſet largiſſimam. Eſtque par ratio in re Cœlibatûs, Qui nequit per naturam ſuam à fœminis abſtinere, optimè facit ſi uxorem ducat; & tamen meliùs ille facit qui non ducit, id eſt, convenientiùs & tutiùs, nempe ſi per naturam ſic poteſt. Et ſummatim, ſimplex hæc & abſoluta* Optimitas, *ſi fas ſit ità loqui, non ità abſoluta intelligenda eſt, ac ſi omni reſpectu careret ad vires circumſtantiáſque in quibus ſitus ſit Agens, ſed menſuram ſuam habet ab eiſdem, ità ſcilicet ut ab omni morali turpitudine ubique abſtineamus, in rebus verò quæ nullam realem habent turpitudinem, ſic nos geramus prout ferunt circumſtantiæ, & è re noſtra fore maximè, perſpicimus.*

Sect. 2. Non in animali, ut vis illa movendi membra, *&c. Nimirum non ſic in* Animali *ut vis illa movendi membra, quippe quæ ipſi naturaliter ineſt. An verò Divinior illa vis in ipſam etiam* Plaſticam *ex reſuſcitatione* σώματος αὐγοειδῦς *aliquò modo propagari non poſſit, curioſior eſt quæſtio quàm ut hîc moveri oporteat.*

Sect. 5. Vel potiùs inſita & congenita. *Quod quidem ni eſſet, ego profectò non ſatis intelligo, quomodo reverà quis convinci poſſit de ulla turpitudine aut pulchritudine Morali, ſed omnes illîc notiones ac ſenſationes per vim quaſi quandam extrinſecùs eſſent impreſſæ, nec virtutes magis naturales eſſent Animæ, quàm fœdiſſima vitia, omniáque menſurarentur externis commodis nobis cum brutis Animantibus communibus, nec altiùs iſtis rationibus aſſurgeret ipſum ſplendidum Virtutis nomen.*

Non ſecùs ac Lex quædam Divina cordibus noſtris inſcripta, *i. e. Animabus noſtris eſſentialiter intexta. Quæ proculdubio radicaliter ſemper ipſi ineſt, quamvis, ut ſculptura in æneis tabulis, ſitu & ſordibus ad tempus obſcurari poſſit & obtegi. Anima verò ſemel purificata legem ſibi inſculptam facilè agnoſcit, nec ſuam tamen aut à ſe fictam, ſed* Divinam *planè & à Deo ſibi inditam. Quò collineat vetus illud dictum;*

Πᾶσιν βροτοῖσιν ἡ συνείδησις θεός.

Unde magnam ipſi deberi perpetuò reverentiam manifeſtiſſimum eſt, nè lædendo conſcientiam læſæ Divinæ Majeſtatis rei videamur.

Sect. 7. Oportet enim ex ſenſu quaſi quodam, *&c. Nihil profectò verius aut ſolidius dici poteſt, nec quod magis in comperto eſt apud omnes bonos. Unde hoc quàm maximè ſibi incumbere deprehendunt, ut nihil faciant quo* ſenſibilitatem *hanc* Animi *lædant aut obtundant, nullo utique tumultuario vivendi genere, effrænive cuivis paſſioni indulgendo, ſolutæve levitati; ſed ut* ſubtriſtem *ſemper ac* benignum Animum *gerentes, Diviniſſimum hoc ac delicatiſſimum Principium tanquam pupillam oculi, quàm diligentiſſimè poſſunt, tegant ac defendant.*

CAP. IV.

Noemata quædam ſive Principia Intellectualia, in quæ omnis ferè Ratio moralis reſolvitur.

1. CÆterùm cùm ſint quorum animis exolevit omnis ſenſus Dei rerúmq; Divinarum, quíque nullum certum principatum in Facultatibus agnoſcunt, ſed ei Paſſioni obediendum eſſe contendunt quæ imperium ſibi fortè fortunâ inter cæteras arripuerit, illiúſque deſideria implenda, atque in hoc ſummam humanæ Felicitatis poſitam eſſe ſtatuunt: hoſce certè homines (modò homines ſint, non turpiſſima pecora) aliâ adoriendum eſt viâ; menſuráque Rectæ Rationis proponenda, quæ non à diviniſſima illa Animæ parte petitur quam *Boniformem* appellamus, ſed ex Intellectuali propriè dicta. *Eſt enim eorum terminorum intellectus quorum non eſt ratio.*

Moral. Eudem. lib. 5. cap. 8.

2. Depromam igitur ex hac penu Principia quædam immediatè vera nulliúſque indiga probationis, ſed in quæ omnis ferè Ratio moralis (quemadmodum Demonſtrationes Mathematicæ in *communes ſuas ſententias*) perſpicuè faciléque reſolvitur. Quæ cùm fructus ſint illius Facultatis quæ propriè Νοῦς appellatur, minimè abſonum fore putavi ſi *Noemata* nuncuparem *Moralia*. Cujuſmodi ſunt quæ ſequuntur, quæque, nè quis ab illis ſibi malè metuat, fidem do nullam ſapere ſeveritatem vel auſteritatem, ſed planè mellea eſſe admodúmq; ſuavia & dulcia, utpote quæ nullum bonum proponunt niſi quod gratum jucundúmq; eſt percipienti.

Noema I.

* *Bonum eſt quod vitæ alicui perceptivæ, vitæve hujus gradui, gratum, jucundum & congruum eſt, & cum conſervatione percipientis conjunctum.*

Noema II.

Quod verò vitæ alicui perceptivæ, vitæve hujus gradui, ingratum, injucundum & incongruum eſt, Malum eſt; atque ſi cum deſtructione percipientis tandem conjunctum, omnium peſſimum.

Exempli gratiâ, Si quid aures vel oculos non modò offenderet, ſed etiam ſurditatem & cæcitatem ſuperinduceret, hoc peſſimum eſſet. Eſſet autem ſuppar malum, quamvìs viſus indè ſolummodo debilitaretur, vel hebeſceret auditus. Eadémque ratio eſt de reliquis Facultatibus.

Noema III.

E ſpeciebus vel gradibus vitarum perceptivarum quæ reperiuntur in rerum univerſitate, aliæ aliis ſunt præſtantiores & excellentiores.

Noema IV.

Unum Bonum poteſt eſſe altero præſtantius naturâ, duratione, vel utriſque.

Hoc per ſe clarum eſt. Illuſtrari tamen poteſt ab hoc incommodo, quòd aliter una vita non eſſet præſtantior alterâ, nec una felicitas alterâ major. Unde æquè felices eſſent Deus, Angelus, Homo, Equus, & viliſſimus quivis Vermiculus. Quod nemo, niſi planè inſaniat, ullo modo admittere poteſt. De Duratione nè minima quidem ſuboriri poteſt dubitatio aut difficultas.

Noema V.

Quod eſt bonum, eligendum eſt; malum verò fugiendum: Præſtantius autem bonum eligendum præ eo quod minùs præſtat; minúſque malum tolerandum nè majus ſubeamus.

Noema

Noema VI.

In eo quod ipſi nondum experti ſumus credendum eſt eis qui profitentur ſe expertos, modò vitam degant profeſſioni conformem, nullâque fraus ſuboleat, mundanique commodi aucupium.

Noema VII.

Abſentia boni quod ſe habet ut octo eligibilior eſt quàm præſentia mali quod itidem ſe habet ut octo, quoad pondus & durationem; & adhuc tantò eligibilior, quantò malum excedit bonum pondere & duratione.

Noema VIII.

Quod certò futurum eſt rationem habere debet præſentis, utpote quod aliquando revera nos præſens præſentes occupabit. Eſtque ſuppar Ratio de eo quod valde probabiliter eſt futurum.

Noema IX.

Minùs præſtantia Bona menſurantur à præſtantioribus quoad pondus & durationem.

Noema X.

Præſens Bonum omittendum vel minuendum eſt ex probabili exſpectatione boni futuri infinitis vicibus præſtantioris præſenti quoad pondus & durationem; ideóque multò magìs ex exſpectatione certa.

Noema XI.

Præſens Malum eſt tolerandum, ut evitemus malum probabiliter futurum infinitis vicibus majus præſenti quoad pondus & durationem: Quod adhuc conſtantiùs faciendum eſt cùm certò ſit futurum.

Noema XII.

Mens affectuum præjudicio libera rectiùs judicat, quàm cùm paſſionibus ulliſve corporeis impreſſionibus irretitur vel perturbatur.

Quemadmodum enim Cœlum nubilum turbidúmq; æquor lumen non tranſmittunt; ità animus perturbatus obnubilatúſq; Paſſionibus vel clariſſimam rationem vix admittit. Hâc ſimilitudine egregriè rem illuſtrat *Boethius* in illo Carmine,

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen, &c.

Eſt verò prolixius quàm ut huc tranſcribi debeat.

3. Atque hæc ferè ſunt *Noemata* quæ faciunt ad ingenerandum animæ *Prudentiam*, *Temperantiam* & *Fortitudinem*, quæ ſpectant ad officium *erga noſmetipſos*. Quæ ſequuntur ſpectant ad officium *erga alios*, Homines putà atque Deum, Virtutémque, ac proinde ſunt Fundamenta Sinceritatis, Juſtitiæ, Gratitudinis, Miſericordiæ & Pietatis. *Pietatem* enim numero inter morales Virtutes, cùm Deus cognoſcibilis ſit ex lumine Naturæ.

Noema XIII.

Summum abſolutiſſimúmque Bonum affectu ſummo, media mediocri, minimáque minimo, proſequi debemus; nec ſummum ſummóve cognata Bona mediis minimiſve, ſed media minimáque ſummo, ſubordinare.

Noema XIV.

Quod tibi bonum præſtari velles in datis circumſtantiis, idem debes ipſe alteri præſtare in eiſdem circumſtantiis, quoad fieri poteſt citra tertii alicujus injuriam.

Noema XV.

Quod malum tibi fieri nolles, à faciendo illud alteri ipſe debes abſtinere, quoad fieri poteſt abſque tertii alicujus injuria.

Noema

Noema XVI.

Bono bonum compenſandum eſt, non malo.

Noema XVII.

Bonum eſt homini ut habeat unde bene beatéque vivat.

Noema XVIII.

Si bonum eſt ut uni homini ſuppetat unde bene beatéque vivat, ex certa Analogia planéque Mathematica ſequitur, quòd duplo melius eſt ut duobus hominibus ſuppetat, triplo, ut tribus, millecuplo ut mille, & ſic deinceps.

Noema XIX.

Melius eſt unum hominem non voluptuosè vivere, quàm alterum calamitosè ac miseré.

* Noema XX.

Bonum eſt parere Magiſtratui in rebus adiaphoris, etiam citra omnem ſupplicii formidinem.

Noema XXI.

Melius eſt Deo parere quàm hominibus propriiſque noſtris cupiditatibus.

Noema XXII.

Bonum juſtúmque eſt ut ſuum cuique tribuatur, illiúſque uſus & poſſeſſio ipſi ſine moleſtatione permittatur.

Noema XXIII.

Manifeſtum tamen eſt, quòd ità quis ſe gerere poſſit, ut quod acquiſitione vel donatione ſuum eſt, de jure deſinat eſſe ſuum.

4. Hæc horúmque ſimilia *Effata* rectè nuncupaveris *Noemata Moralia*, ut quæ per ſe tam clara ſunt & manifeſta, ſiquis ſepoſito omni præjudicio ipſa ſecum velit conſiderare, ut nullis rationum ambagibus longioribúſve argumentorum deductionibus indigeant, ſed primo aſpectu de ſe vera eſſe deprehenduntur. Habemus igitur jam in numerato quod reſpondeamus quærenti quid ſit *Recta Ratio :* Illa enim eſt quæ certis & neceſſariis ſequelis tandem reſolvitur in aliquod Intellectuale Principium immediatè verum. * Quòd ſi porrò quærat exemplum ejuſmodi Principiorum in Moralibus, præſtò ſunt quæ modò recenſuimus.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. II.

NOem. 1. Bonum eſt quod vitæ alicui perceptivæ, *&c. Rectè nos Bonum cum relatione ad vitam aliquam perceptivam definiviſſe, hinc conſtat, quòd, ſi nulla eſſet in rerum natura perceptio, fruſtrà eſſet tota rerum Univerſitas omnique fine deſtituta. Perceptio igitur facit quòd aliquid bonum ſit; ingratum verò quodlibet perceptum naturâ duce averſamur. Itaque oppidò quàm manifeſtum eſt, id propriè bonum dicendum eſſe quod* vitæ *alicui* perceptivæ *gratum ac congruum eſt. Quæ verò ex ſe talia non ſunt, ſed aliquo modò faciunt ad conſequendum quod ex ſe gratum ac congruum eſt, non tam* bona *dicenda ſunt, quàm* utilia *vel* conducibilia; *nec ſub ſpecie boni venire poſſunt, niſi quatenus tinguntur vel deaurantur ſpe ac utilitate quam præ ſe ferant, ad procurandum quod ex ſe gratum & congruum eſt percipienti.*

Sect. 3. *Noem.* 20. Bonum eſt parere magiſtratibus in rebus adiaphoris, *&c. Sunt quibus hoc axioma, tantum abeſt ut* Noematicè *verum videatur, ut è contrà concludant apertè falſum. Quos igitur ſuſpicor ità me intelligere ac ſi parendum magiſtratui aſſererem in rebus adiaphoris etiam ubi res non quidem adiaphoræ, ſed vitioſæ ac illicitæ videntur ei à quo obedientia exigitur. Sed longè aberrant à ſcopo*

Noematis *qui ſic intelligunt. Hoc enim perinde eſt ac ſi aſſererem, Bonum eſſe homini ut ſciens volénſque peccet contra conſcientiam ſuam, quam ego rem omnium peſſimam ſemper exiſtimavi, & quæ via ſit compendioſiſſima ad callum conſcientiæ obducendum, quo animæ ſtatu nullus funeſtior eſt aut deplorabilior. In rebus quidem dubiis & incertis judicio ſtandum eſt Magiſtratûs; in rebus verò apertè malis ac illicitis, aut quæ ſic poſt ſeriam debitámque examinationem tibi certò videntur, hîc locum habet illud Apoſtoli*, Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus. *In rebus verò quæ & in ſe adiaphoræ ſunt, & ſic ab eo habentur à quo expectatur obedientia, hîc certè magiſtratui morem non gerere, ingenium ſapit monſtroſum ac perverſum, & ab humana ſocietate prorſus alienum.*

Sect. 4. Quòd ſi porrò quærat exemplum ejuſmodi Principiorum, *&c. Principia hîc varia poſuimus eáque clara & ferè* Noematicè *vera. Verùm hîc quidam unum aliquod Principium deſiderant, in quod tota tandem reſolvi poſſit* Moralitas. *Qua quidem in re haud abſimiliter facere videntur, atque ſi quis perlectis communibus Notionibus Geometricis apud* Euclidem, *per quas ſolas quanquam multas variáſque, Demonſtrationes Geometricæ ſatis certò & infallibiliter perficiuntur, hiſce non contentus unam aliquam Notionem expeteret in quam & iſtæ & univerſa demum Geometria reſolvi poſſit. Votum ſanè, quod plus curioſitatis in ſe habet quàm utilitatis, ſi quo pacto poſſet expleri. Tentatum tamen à quibuſdam eſt in Moralibus, dum alii primum hoc ac ſimpliciſſimum omnium Principium* Socialitatem *indigitant, alii* Boni publici ſtudium, *utrique interim ſupponentes, nullam ad humanam naturam pertinere perfectionem ac fœlicitatem, niſi quæ ex communione aut ſocietate coaleſcit; quaſi eadem planè res eſſet* Ethica & Politica, *contra autoritatem non ſolùm antiquorum Philoſophorum, ſed & contra ipſam Naturæ vocem. Utramq; fateor ad humanam naturam referri, ut Etymologia & Syntaxis ad Grammaticam:* Ethicam *verò ac* Politicam *eandem facere, perinde eſt ac ſi Etymologiam velis cum Syntaxi confundere. Mihi verò hanc rem magis accuratè & anquiſitè penſitanti, ità ſe habere videtur, ac ſi ſuppoſito, quòd perfecta corporis ſanitas, hominis fœlicitas eſſet, ſtatim quis reſiliret ad* Socialitatem Sanitatíſve publicæ *ſtudium, ad ædificanda Noſocomia & ad præficiendos ipſis Medicos & Chirurgos, & id genus alia, cùm manifeſtum tamen ſit huc nondum perventum eſſe, ſed eſſe integram quandam artem de Sanitate corporis, quam* Medicinam *appellant, iſtis omnibus priorem naturâ, & ab eiſdem diſtinctam. Talem ego contendo* Ethicam *eſſe; & ut* Medicina *corpoream ſingulorum privatorúmve hominum ſanitatem, ità hanc animi ſanitatem, ſive veram ſingulorum* Beatitudinem *tractare. Quemadmodum enim eſt, ſine relatione ad alios homines, recta quædam benéque attemperata corporis conſtitutio, quæ ſanitas dicitur; ità eſt recta quædam ac Divina planè Animi temperies internáve vita, quæ meritò ſingulorum hominum (etiam ſine reſpectu ad communem aliorum utilitatem) vera Beatitudo eſt dicenda. Quo in ſtatu tanquam tot Dii ſolitarii, Deive potiùs filii (ut Deus antè Mundum conditum Deus reverà erat, internâque ſuâ vitâ perfectiſſimus & beatiſſimus) etiam ante coitionem in Civitatem ſunt exiſtimandi, ſuâ etiam vitâ internâ ad imaginem Dei formatâ & in ipſis excitatâ perfecti, &, ex perpetuo hujus Divinæ vitæ ſenſu, ſuprà quàm dici poteſt, beati. Tali ferè modo quo Deus ante creationem Mundi ejúſque Gubernationem, beatus nihilominus, (propter internam ſuam vitam & ineffabiles ejuſdem perfectiones, quarum tota hæc rerum creatio & adminiſtratio, evanidæ tantùm umbræ ſunt obſcuráque quædam veſtigia) erat cenſendus. Et certè omnes externæ actiones, quas vir probus ac perfectus edere poteſt, ſi cum viva illa veræ virtutis pulchritudine conferantur à qua profluxerint, umbræ tantùm exanimes exiſtimandæ ſunt & perquam tenuia viliáque illius veſtigia. Adeò ut ſumma humanæ fœlicitatis in interno* Divinæ vitæ *ſenſu ſita videatur, unde omnes bonæ actiones externæ prout data fuerit occaſio, tam certò profluxuræ ſunt, quàm certum eſt Divinam Providentiam Mundi adminiſtrationi nunquam eſſe defuturam.*

Intereà loci, hæc interna Animæ vita ac voluptas quam ex virtutis ſenſu percipit, eſt Beatitudo illa quæ eſt proprium Ethicæ *objectum, ut Voces ſingulæ ſunt illius partis Grammaticæ quæ dicitur Etymologia. Eſtque hoc verum illud ſingulorum hominum Bonum ſeu Perfectio,* Ethicáque *Methodum docet qua unuſquiſque,* ὁ θέλων τε ϗ δυνάμενος, *ut alicubi loquitur* Plotinus, *ad hoc bonum ſeu perfectionem pervenire poſſit, etiam injuſſu ullius alterius. Et ſi unus tantùm in Mundo homo eſſet, hæc vita verum illius eſſet Bonum, idémque, cùm infinitæ ferè hominum multitudines ſint, Bonum eſt ſingulorum. Et quotcunque in unam* Politiam *civitatémve coaluerint, quâ ſe prætendant* Bonum publicum *promovere, ſi ullus verus ſenſus ac ſolidus* *ſubſit profeſſioni, palàm eſt eos profiteri, ſe talem rerum abhibituros eſſe adminiſtrationem, quæ efficaciſſima ſit ad hanc* Divinam vitam *univerſis civium animis ingenerandam vel excitandam. Nam ſic, quod* Bonum ſingulorum *eſſe conſtabat, cùm & ad univerſos pertinere & communi rerum adminiſtratione intendi intelligatur, rectè* Bonum publicum *appellari poteſt. Eâque ſcientia quæ docet, quæ ſit optima ratio conjungendi mutuas multorum operas ad* hoc *Bonum publicum certò aſſequendum, vera illa* Politica *eſt, veréque ac propriè ſic dicta, nec cum* Ethica *confundenda magìs quàm* Syntaxis *cum* Etymologia.

Indè verò apud quoſdam factum ſuſpicor ut omnem humanam Perfectionem ac Beatitudinem externis actionibus ac utilitatibus metiantur, quòd pro internis Moralitatis principiis habent notiones *tantùm quaſdam aridas* ordinatáſve imaginationes, *de interna illa* Divinæ vitæ *plenitudine ineffabilique voluptate ex guſtu ſenſúve illius percepta nihil ſomniantes; ſuaviſſimum verò fructum dictarum Notionum, cùm aliàs nihil valerent, omnem illam naturalem voluptatem reputantes quâ homo merè naturalis gaudere poteſt, qui ſeipſum ſapit, ſéq; ipſum quærit in omnibus, Bonúmque publicum ſuæ naturalis voluptatis gratiâ inſtitutum, ut ea certiùs ſibi ſarta tecta conſervetur, autumat; quod cùm factum iri fœliciùs ſperet mutuâ multorum operâ quàm ſui ſolius, omnes humanæ ſocietatis leges quæ iſtuc faciunt, facilè agnoſcet æquas bonáſque, Bonúmque hoc naturale illarum eſſe menſuram. Interim manifeſtò apparet ſi rectè ac Methodicè procedere volumus, exordiendum eſſe à ſimplicioribus, nec antè tranſvolandum ad* commune Bonum, *quàm quid reverà cujuſque hominis* ſingularis Bonum *ſit ſatis intellexerimus, multóque minùs ad ponendum primam legem Naturalem,* Socialitatem colère ac ſervare, *antequàm intellectum ſit in quam rem ſocientur homines.* Nihil enim boni eſt in ſocialitate niſi ſocialitas ſit in Bono. *Ex quibus efficitur, nec* Boni publici ſtudium, *nec* Socialitatem *primum eſſe poſſe naturâ ac ſimpliciſſimum veræ ſolidæque* Moralitatis *Principium.*

Nos verò nè videamur aliena tantùm vellicare, dum nihil de proprio in eorum locum ſubſtituere valemus, tentemus demùm an aliquod tale Principium primum adinvenire poſſimus, ad quod omnis Moralitas *rectè reduci poſſit, noſtráque adeò Noemata Moralia aliquo ſaltem modo referri eóve contineri: Quo & ipſum apud homines haud* Inſenſatos, *pro primo principalíque Noemate Morali poſſit haberi. Eſt autem hoc ipſum,* Verus ſincerúſque Amor Dei. *Hæc eſt prima, ſimpliciſſima, maximéque Fundamentalis Lex omnis veræ Moralitatis, & in quam omnis vera Moralitas reſolvitur, modò rectè intelligamus quid ſit* Deum verè ſinceréque amare. *Neque enim ſatìs eſt Deum amare, ut Equus Dominum qui fœnum & avenas ei miniſtrat, qui amor in ſui-amorem planè reſolvitur; ſed Deum verè ſinceréque amare, eſt eum, propter amabiliſſimam illam vitam vivámve pulchritudinem, quæ in abſolutiſſima, liberrima nihilque ſibi, ut ſibi, quærente benignitate maximè conſiſtit, amare ac diligere, idque ex ſimilitudine ejuſdem vitæ animis noſtris, per vim hujus vitæ Dei ejúſque ſpiritûs, ingenitâ. Quâ vitæ ſimilitudine cum Deo unimur, pervenientes hoc pacto, ut loquuntur* Pythagorei, *ad* θεοκρασίαν τινὰ ϗ τὴν σὺν νῷ κοινωνίαν, ϗ τὴν τῆς θείας ψυχῆς. Quam & ζωὴν S. *Johannes* videtur appellare, *Johan.* 1. v. 5. *ut &* τὸν νοῦν, τὸν λόγον. Amare, *inquam,* Deum *hoc ſenſu, fons eſt & menſura omnis veræ* Moralitatis, *tum illius quæ ad Deum, tum ejus quæ ad proximum ſpectat, adeóque ad noſmetipſos. Quando enim ad noſmetipſos,* [Sect. 3.] *referimus* Prudentiam, Temperantiam *&* Fortitudinem, *cúmque nihil mentem occæcat magìs quàm ſui-amor, paſſionéſq; indè ortæ, nimia verò* corporis cura *& obſervantia pars illius ſit,* mortiſque, *hujus gratiâ, minùs honeſta* prætimeſcentia, *quæ* Temperantiæ *&* Fortitudini *contrariantur; manifeſtum eſt, ab iſtis omnibus, (per Divinam illam vitam, quæ in amore Dei continetur) nempe, à mentis cæcitate ſive* Imprudentia, Intemperantia, *&* Ignavia *nos omninò liberari. Nam ipſâ morte fortior eſt hic* Divinus Amor; *nec poteſt ille non aſpernari omnes corporis voluptates, qui deliciarum Divini Amoris ſemel factus ſit particeps. Quantùm verò ad illam Moralitatem, quæ ad* Deum *ſpectat vel* proximum, *cujuſmodi ſunt, quæ ibidem recenſentur,* Pietas, Sinceritas, Juſtitia, Gratitudo, Miſericordia; *manifeſtum eſt, optimum Dei cultum eſſe, per Divinum hunc amorem illi aſſimilari, totúmque ei deditum eſſe; nec quicquam eſſe poſſe magìs illibatæ* ſinceritatis *aut propenſius ad* Miſericordiam, *quàm qui tali vitâ imbutus ſit, quæ ſit* perfectiſſima ac abſolutiſſima benignitas, nihil ſibi quærens; *nec poſſibile eſſe cùm adeò quis benignus ſit nihilq; ſibi quærat, ut ſit* injuſtus, *nedum, quæ injuſtitiæ pars peſſima eſt,* ingratus. *Et ut ſummatim dicam, cùm* verus *ille ac* ſincerus Dei Amor *nihil aliud ferè ſit quàm viva* illius Amoris Imago quo Deus ſeipſum ut ſummum & abſolutiſſimum bonum Creaturáſque omnes pro ſuo modulo hujus boni participes complectitur; impoſſibile eſt, quin ab hoc exemplo Divini Amoris noſter verus ac ſincerus Dei Amor amorem proximi perinde ac noſtri pariat. Tam manifeſtum eſt omnem veram Moralitatem unâ hac lege quem verum ac ſincerum Dei Amorem appellamus, contineri.

Et certè ſi Sanctionem hujus legis ſpectemus, (cùm & Legem appellare viſum ſit) pœnámve annexam illius tranſgreſſioni, quæ profectò eſt graviſſima (cùm enim ſincerus hic Dei amor reverà vita ſit æterna in animis noſtris inchoata, palàm eſt, qui hâc vitâ deſtituitur in æternam incidere mortem, & in omnia mala fata ac miſerias quæ eam comitantur) haud ità difficile erit, etiam Noemata noſtra Moralia, perinde ac ſuprà dictas Moralitatis partes, ad hanc Divini Amoris Legem aut illius Sanctionem aliquo ſaltem modo referre. Nam ad Legem ipſam referri poſſunt Noemata 1, 2, 3, 4, 5, 6, 9, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22. Ad Sanctionem legis, Noemata 7, 8, 10, 11, 23. Cùm enim verum ſummúmque Bonum, quale Objectum præcipuum eſt Divini Amoris, intelligendum eſſet ex grata illius cum Divina quadam vita congruitate, ut faciliùs id admitti poſſit, Noema primum, Bonum in genere iſtac ratione definit, Secundum verò, Malum ex ratione contraria. Is verò qui ad ſummum illum & excellentiſſimum vitæ gradum, Divinum utique Amorem, pervenit, certò ſcit è vitarum ſpeciebus gradibúſve, aliis alios eſſe præſtantiores, & Amorem hunc Divinum omnium præſtantiſſimum, idémque de Bono quod pro vitarum gradu vel ſpecie variatur, quemadmodum Noema tertium & quartum definiunt. Eſtque par ratio de electione præſtantioris boni Noemate quinto contentâ. Cùm verò excellentiſſima hæc vita, quem Amorem Divinum appellamus, in ſenſu ac experientia conſiſtat, opportunè occurrit Noema ſextum, quod monet credendum eſſe eam fœlicitatem expertis, nec ſincerorum hominum conſilium rejiciendum propter fraudem Hypocritarum. Nonum verò monet omnia Bona ab hoc ſummo Bono, excellentiſſimâve vita menſurari oportere, nempe in tantum admitti, in quantum cum iſto ſummo conſiſtant eive ſubſerviant. Duodecimum verò innuit mentem paſſionibus corporeis liberam rectiſſimè judicare, qui genuinus fructus eſt vitæ illius ſummæ, de qua agimus, nempe quæ liberrima eſt nihilque ſibi quærens ac Deo gaudens benignitas, quæ & illius puritatem à tumultibus corporeis arguit. Quâ quidem ratione ad præmium ſpectare poteſt ſinceri hujus Dei Amoris, atque ſic ad Sanctionem potiùs referri. Veritas autem Noematis decimi tertii ex ſenſu hujus Divinæ vitæ, quàm diſtinctiſſimè vivaciſſiméque percipitur. Ut & æquitas Noematis decimi quarti & decimi quinti, quibus addas quatuor proximè ſequentia Noemata, quorum æquitatem impoſſibile eſt ut quis, qui hanc Dei vitam (qui Νόμος ἰσοκλινὴς apud Ariſtotelem appellatur) aſſecutus ſit, primo intuitu non intimè percipiat. Et qui Deum amat, Magiſtratui etiam Dei Imagini proculdubio in omnibus licitis morem geret, non autem in illicitis, ob hunc ipſum Amorem ac Reverentiam Dei, apud ipſum ipsâ morte fortiorem, quæ argumenta ſunt Noematis viceſimi & viceſimi primi. Noema verò viceſimum ſecundum in hac lege Divini Amoris eminenter contineri manifeſtiſſimum eſt. Ecquis enim eſt, qui, cùm ſua per Divinum illum Amorem in ipſo vigentem, perlubenter cum aliis, ubi opus fuerit, communicaturus ſit, negabit unquam juſtum eſſe ut quiſque bona ſua propria pacificè poſſideat? Atque hæc ferè Noemata ſunt quæ ad ipſam legem Divini Amoris referri poſſe aliquo ſaltem modo mihi videntur.

Ad ſanctionem verò Legis hæc pauca. Septimum ſic: Ut intelligatur ſcilicet meliùs Gravitas ſupplicii, illiúſque incutiatur formido, monemur abſentiam Boni tranſitorii tolerabiliorem eſſe præſentiâ mali pari pondere & duratione, ut indè æſtimetur quàm intolerabilis conditio ſit, ubi præſentia mali abſentiam boni immenſis ferè intervallis, quoad pondus & durationem, ſuperat; ut ſic Mortales ab illicitis cupiditatibus abſterreantur. Et nè longinqua, quam fingunt, mali futuritas ſecuros faciat, addimus Noema octavum, Quod certò futurum eſt, rationem habere debet præſentis, &c. Cui rationi manifeſtò innituntur Noemata decimum & undecimum, quæ apertè ad Sanctionem Legis, ex adjecto præmio aut pœna, referuntur, præſertim in vita futura. Ad pœnam verò etiam in hac vita irrogandam ſpectat viceſimum tertium. Et certè ex hac ipſa lege Divini Amoris conſtat meritò poſſe irrogari. Cùm enim hæc Lex, vita quædam ſit Animæ inſita, quæ ſit liberrima abſolutiſſimáque Benignitas nihil ſibi, quà ſibi, quærens, ſi quis re quapiam aliter uti nolit quàm in malum aliorum, niſi Lex Divini Amoris eum hac re privandum ſtatueret, ſibi ipſi repugnaret, ac ſi reverà non eſſet liberrima illa ac abſolutiſſima Benignitas ſed teneretur ſtudio partium, & iniquam unius cujuſpiam voluntatem com-

muni utilitati præferret; quod perinde ſi non magis abſonum eſt, quàm ſi præferret ſuam. Par profectò utrobique apparet cum hac Divini Amoris Lege Repugnantia. Tam facilè in hanc noſtram primam maximéque fundamentalem Legem Divini Amoris *ultimum hoc Noema reſolvitur, ut & univerſa noſtra Noemata aut ad hanc* Legem *aut ad illius* Sanctionem *aliquo modo referri poſſe abundè innuimus. Et ſi reductio ubique adeò perfecta non ſit, agnoſcetur tamen, ſpero, ſcopi dictorum Noematum haud inutilis illuſtratio. Interim nemo mirari debet, quòd hanc primam maximéque* fundamentalem legem *inter* Noemata *mea* Moralia *non recenſuerim, cùm ſub initium Capitis profitear me talia duntaxat enumeraturum, quæ non quidem à* Boniformi *Animæ parte petenda ſint, ſed ex* Intellectuali *propriè ſic dictâ. Et certè* Intellectualia *tantùm ſunt eis qui* Intellectu *nihil Divinius experti ſunt, experti tamen nôrunt ea ad* Divinius *aliquod Principium referre. Sed quod hìc omiſeram, ſubindicabam locis ſatìs opportunis, nempe* lib. 2. cap. 9. *&* lib. 3. cap. 8. *nè tam ſolida Divináque veritas intercideret.*

CAP. V.

Quòd datur aliquid ſimpliciter & ſuâ naturâ Bonum, quibúſque id demum facultatibus deprehendatur & percipiatur.

1. ATque hinc tandem liquet quòd ſit aliquid ſimpliciter & abſolutè Bonum quod proſequendum eſt in ſingulis actionibus humanis: Cujus natura, eſſentia & veritas penès *Rectæ Rationis* judicium eſt, ſapor autem & dulcedo ἐν τῷ ἀγαθοειδεῖ *in Boniformi animæ facultate* percipitur. Quódque omne Bonum morale propriè dictum eſt *Intellectuale* & *Divinum: Intellectuale*, quatenus ejus eſſentia veritáſque ab Intellectu definitur & agnoſcitur; *Divinum*, quatenus ejus dulcedo in divina illa facultate (quâ adhæremus Deo, ſimpliciſſimo illi & abſolutiſſimo Bono, & qui ſemper vult id quod abſolutè & ſimpliciter bonum eſt) ſumma cum voluptate & affectu guſtatur. Divina igitur hæc ſapere ſumma hominis ſapientia eſt, ſummáque Felicitas. Ipsâ enim animæ noſtræ ſummitate & flore conjungimur cum illo quod abſolutè optimum eſt, juxta antiquum illud Oraculum,

Objectum quoddam eſt quod mentis flore prehendas.

2. Quod verò attinet ad eos qui temere aut ex compoſito dictorum *Noematum* veritatem negaverint; rogato illos quam tandem Facultatem conſulunt, dum tam abſurda Reſponſa depromunt. Deprehendes enim ſemper conſulere *Appetitum animalem*; quódque illi jucundiſſimum eſt, optimum eſſe definire. Quæ certè vox pecudis eſt, non hominis. Hæc autem *Temperantiam* ſpectant.

3. Porrò quod ad *Juſtitiam* attinet, eodem ferè modo definiunt. Nempe, quod abſolutè & ſimpliciter Bonum eſt (quale illud eſt quod ſuâ naturâ juſtum eſt) nullo modo intelligo. Illud ſolùm bonum eſſe intelligo quod *mihi ipſi* bonum eſt, de proximo nihil ſolicitus. Interroga igitur porrò; Fatebitur apertè illud *ipſi* gratum bonúmque eſſe quod *animali Appetitui* gratum eſt; non animadvertens interim quàm ſubdolè humanam diſſimulat ſpeciem, ſolámque præ ſe fert belluinam: imò verò potiùs, quàm ex confeſſo ſeipſum appellat belluam, non hominem. Cùm tamen potiori jure id *noſmetipſos* eſſe exiſtimare debeamus quod in nobis optimum eſt, aut quod certè medium locum tenet. Eſt autem illud Intellectus, Rectáque Ratio.

4. Nam ut in numeris ultima unitas ſpeciem conſtituit, ità in rebus poſtrema perfectiſſimáque differentia eſſentialis facit rem eſſe quod eſt, & ab aliis diſtinguit. Qui igitur id ſolum bonum eſſe contendit quod *ſibi* gratum eſt, innuens quod *ſuo animali* gratum eſt *Appetitui*, planè brutum ſe prædicat. Quòd ſi innuat quod Intellectus rectáque Ratio probat, Facultatíque boniformi gratum eſt, id certè τῷ ἀληθεῖ ἀνθρώπῳ, quemadmodum appellat *Plotinus*, id *vero Homini* (quem *hominem Intellectualem* rectè appellare poteris) gratum eſt, ab ipſóque probatum.

5. Ea eſt autem omnis vitæ Intellectualis natura atque indoles, ut, quemadmodum non quærit quid alicui hominum numero, quamvìs immenſo, multò minùs quid cuivis ſingulari homini, *verum* videri poſſit, ſed quid abſolutè & ſimpliciter verum eſt; ità nec quærit nec amplectitur id quod uni alicui homini vel quamplurimis *bonum* videatur, ſed quod abſolutè & ſimpliciter eſt bonum, & quod in datis circumſtantiis (quantumvìs reclamante animali Appetitu) ſemper eſt eligendum ab omni Intellectuali creatura: Ità ut hujuſmodi quævis electio (uti in Arithmetica ſpecioſa ſingularis aliqua operatio)

peratio) in generale abeat Theorema, tanquam conſtans quædam & æterna Idea illius quod agendum eſt in datis circumſtantiis; quod æquè tenemur amplecti, (appetitui animali ingratum ſit quàm velis maximè,) ac veritatem illam agnoſcere quæ contrariari videtur externo ſenſui.

6. Quamobrem ut Intellectûs vitium eſt, cùm Senſui aut Imaginationi ità indulget aut obtemperat, ut quod realiter verum eſt minùs aſſequatur; ità proculdubio vitium eſt Voluntatis, ſi quis Appetitu animali abreptus aut occæcatus, non amplectatur id quod ſimpliciter & abſolutè bonum eſt. Nam quòd in præſens adeò gratum non ſit Voluntati, id ſuâ ſit culpâ vel defectu, quòd nondum expergefecerit ſupremam illam diviniſſimámque Facultatem quâ illud quod abſolutè optimum eſt maximè ſapimus, ſummóque cum affectu & voluptate eo afficimur & oblectamur; adeóque illud adamamus & ſuſpicimus, ut vel mille mortibus caput objicere malimus quàm noſmetipſos ſinere tantâ dulcedine privari, aut tam amabilem vitæ florem divinique ſenſûs integritatem turpi quavis aut inhoneſtâ actione offendere, lædere, aut violare.

7. Quemadmodum igitur eſt aliquid ſuâ naturâ & immutabiliter *verum*, ità eſt aliquid ſimpliciter & ſuâ naturâ *bonum*: útque illius quod ſuâ naturâ verum eſt veritas Intellectu percipitur; ità illius quod ſimpliciter bonum eſt grata ſuavitas & jucunditas *Boniformi* percipitur *facultate*. Qui verò quidvis, utcunque gratum eſt, perinde bonum eſſe contendunt, eámque eſſe humanarum actionum menſuram, planè inſanire mihi videntur, ex eo quòd Sapientes, Stultos & Maniacos eadem in conditione collocant; niſi quòd fortè Stultos & Maniacos Sapientibus præferant, ut qui ipſis conſtantiùs & obſtinatiùs, omni aliâ ratione abjectâ & ſepoſitâ, id quod ſibi gratum eſt, quantumlibet turpe ſit & ridiculum, & quantocunque cum periculo conjunctum, in ſingulis actionibus proſequantur.

8. Atque eſto certè quòd cautiùs quidam hac in re loquantur, ſuúmque velint Sapientem, utcunque aliter inſaniat, ſuiipſius conſervationi ſemper proſpicere; negari tamen non poteſt quin hâc ratione invulnerabilem aliquam dementiam vel ſtoliditatem ſapientiſſimæ Immortalitati æquiparent.

Præterea, Simplex ſuiipſius conſervatio non eſt optabilis, cùm tantâ miſeriâ aut turpitudine onerari poſſit, ut quemvis hominem niſi ſtupidiſſimum vitæ prorſus tæderet.

Poſtremò, Si præſens ſuiipſius Conſervatio bona eſt & optabilis, ſequitur quòd quæ diuturnior eſt ac productior eſt melior, productiſſima autem omnium optima. Et ſi hujuſmodi Conſervatio unius hominis bona eſt, quòd duorum duplo melior ſit, trium triplo, & ſic deinceps; ità ut juxta lumen Naturæ ſequatur, quòd unaquæque Creatura Intellectualis teneatur curare & promovere Conſervationem ſui proximíque tam præſentem quàm futuram, quantum in ſe eſt, quantúmque fieri poteſt citra tertii alicujus injuriam. Quod quidem non minimam *Juſtitiæ* partem implet, ut & *Temperantiæ* omníſque omnino Virtutis.

CAP. VI.

De Paſſionibus in genere, déque earum utilitate.

1. QUid ſit *Virtus* in genere definivimus. Antequam deſcendamus ad ſpecies, non abs re erit aliquid de *Paſſionibus* prælibare circa quas verſantur, earúmque naturam, uſum & incommodum breviter explicare, itáque mentem præparare ad pleniorem perfectiorémque *Virtutum* notitiam.

2. Per *Paſſiones* autem intelligo non ſolùm eas quæ vulgò in Morali tractantur Philoſophia, ſed quamlibet Impreſſionem corpoream quæ apta nata eſt ad pervertendum Animæ judicium, mentémve occæcandam, quo minùs quid in re quaque optimum eſt diſcernat. In hoc igitur numero pono omne phantaſma ſenſúmve internum falſum quantumvìs pervicax, quod obreptare vel adhæreſcere animo poſſit ex vi educationis, conſuetudinis, vel alicujus ἰδιοσυγκρασίας, eúmque in errorem abducere. Nam ad hæc etiam extendere ſe Virtutem oportet, ipſíſque ità dominari, ut mens nunquam vacillet in judicio, nec avertatur à proſequendo id quod ſimpliciter optimum eſt.

Primò autem agemus de Paſſionibus propriè dictis, quales ſunt *Amor*, *Odium*, *Ira*, & id genus reliquæ. De quibus omnibus contra *Stoicos* ſtatuendum eſt, quòd ſunt ſuâ naturâ bonæ, quódque Divinæ Providentiæ ſcopus non minùs deprehenditur in ipſarum uſu quàm in ſtructura organorum corporis cujuſvis Animalis.

3. Sed & in genere earum utilitas quadantenus edoceri poteſt aptéque illuſtrari.

muni utilitati præferret; quod perinde ſi non magis abſonum eſt, quàm ſi præferret ſuam. Par profectò utrobique apparet cum hac Divini Amoris Lege Repugnantia. Tam facilè in hanc noſtram primam maximéque fundamentalem Legem Divini Amoris *ultimum hoc Noema reſolvitur, ut & univerſa noſtra Noemata aut ad hanc* Legem *aut ad illius* Sanctionem *aliquo modo referri poſſe abundè innuimus. Et ſi reductio ubique adeò perfecta non ſit, agnoſcetur tamen, ſpero, ſcopi dictorum Noematum haud inutilis illuſtratio. Interim nemo mirari debet, quòd hanc primam maximéque* fundamentalem legem *inter* Noemata *mea* Moralia *non recenſuerim, cùm ſub initium Capitis profitear me talia duntaxat enumeraturum, quæ non quidem à* Boniformi *Animæ parte petenda ſint, ſed ex* Intellectuali *propriè ſic dictâ. Et certè* Intellectualia *tantùm ſunt eis qui* Intellectu *nihil Divinius experti ſunt, experti tamen nôrunt ea ad* Divinius *aliquod Principium referre. Sed quod hîc omiſeram, ſubindicabam locis ſatìs opportunis, nempe* lib. 2. cap. 9. *&* lib. 3. cap. 8. *nè tam ſolida Divináque veritas intercideret.*

CAP. V.

Quòd datur aliquid ſimpliciter & ſuâ naturâ Bonum, quibúſque id demum facultatibus deprehendatur & percipiatur.

1. ATque hinc tandem liquet quòd ſit aliquid ſimpliciter & abſolutè Bonum quod proſequendum eſt in ſingulis actionibus humanis: Cujus natura, eſſentia & veritas penès *Rectæ Rationis* judicium eſt, ſapor autem & dulcedo *ἐν τῷ ἀγαθοειδεῖ in Boniformi animæ facultate* percipitur. Quódque omne Bonum morale propriè dictum eſt *Intellectuale* & *Divinum: Intellectuale*, quatenus ejus eſſentia veritáſque ab Intellectu definitur & agnoſcitur; *Divinum*, quatenus ejus dulcedo in divina illa facultate (quâ adhæremus Deo, ſimpliciſſimo illi & abſolutiſſimo Bono, & qui ſemper vult id quod abſolutè & ſimpliciter bonum eſt) ſumma cum voluptate & affectu guſtatur. Divina igitur hæc ſapere ſumma hominis ſapientia eſt, ſummáque Felicitas. Ipſâ enim animæ noſtræ ſummitate & flore conjungimur cùm illo quod abſolutè optimum eſt, juxta antiquum illud Oraculum,

Objectum quoddam eſt quod mentis flore prehendas.

2. Quod verò attinet ad eos qui temere aut ex compoſito dictorum *Noematum* veritatem negaverint; rogato illos quam tandem Facultatem conſulunt, dum tam abſurda Reſponſa depromunt. Deprehendes enim ſemper conſulere *Appetitum animalem*; quódque illi jucundiſſimum eſt, optimum eſſe definire. Quæ certè vox pecudis eſt, non hominis. Hæc autem *Temperantiam* ſpectant.

3. Porrò quod ad *Juſtitiam* attinet, eodem ferè modo definiunt. Nempe, quod abſolutè & ſimpliciter Bonum eſt (quale illud eſt quod ſuâ naturâ juſtum eſt) nullo modo intelligo. Illud ſolùm bonum eſſe intelligo quod *mihi ipſi* bonum eſt, de proximo nihil ſolicitus. Interroga igitur porrò; Fatebitur apertè illud *ipſi* gratum bonúmque eſſe quod *animali Appetitui* gratum eſt; non animadvertens interim quàm ſubdolè humanam diſſimulat ſpeciem, ſolámque præ ſe fert belluinam: imò verò potiùs, quàm ex confeſſo ſeipſum appellat belluam, non hominem. Cùm tamen potiori jure id *noſmetipſos* eſſe exiſtimare debeamus quod in nobis optimum eſt, aut quod certè medium locum tenet. Eſt autem illud Intellectus, Rectáque Ratio.

4. Nam ut in numeris ultima unitas ſpeciem conſtituit, ità in rebus poſtrema perfectiſſimáque differentia eſſentialis facit rem eſſe quod eſt, & ab aliis diſtinguit. Qui igitur id ſolum bonum eſſe contendit quod *ſibi* gratum eſt, innuens quod *ſuo animali* gratum eſt *Appetitui*, planè brutum ſe prædicat. Quòd ſi innuat quod Intellectus rectáque Ratio probat, Facultatíque boniformi gratum eſt, id certè *τῷ ἀληθεῖ ἀνθρώπῳ*, quemadmodum appellat *Plotinus*, id *vero Homini* (quem *hominem Intellectualem* rectè appellare poteris) gratum eſt, ab ipſóque probatum.

5. Ea eſt autem omnis vitæ Intellectualis natura atque indoles, ut, quemadmodum non quærit quid alicui hominum numero, quamvìs immenſo, multò minùs quid cuivis ſingulari homini, *verum* videri poſſit, ſed quid abſolutè & ſimpliciter verum eſt; ità nec quærit nec amplectitur id quod uni alicui homini vel quampluri mis *bonum* videatur, ſed quod abſolutè & ſimpliciter eſt bonum, & quod in datis circumſtantiis (quantumvìs reclamante animali Appetitu) ſemper eſt eligendum ab omni Intellectuali creatura: Ità ut hujuſmodi quævis electio (uti in Arithmetica ſpecioſa ſingularis aliqua operatio)

peratio) in generale abeat Theorema, tanquam conſtans quædam & æterna Idea illius quod agendum eſt in datis circumſtantiis; quod æque tenemur amplecti, (appetitui animali ingratum ſit quàm velis maximè,) ac veritatem illam agnoſcere quæ contrariari videtur externo ſenſui.

6. Quamobrem ut Intellectûs vitium eſt, cùm Senſui aut Imaginationi ità indulget aut obtemperat, ut quod realiter verum eſt minùs aſſequatur; ità proculdubiò vitium eſt Voluntatis, ſi quis Appetitu animali abreptus aut occæcatus, non amplectatur id quod ſimpliciter & abſolutè bonum eſt. Nam quòd in præſens adeò gratum non ſit Voluntati, id ſuâ ſit culpâ vel defectu, quòd nondum expergefecerit ſupremam illam diviniſſimámque Facultatem quâ illud quod abſolutè optimum eſt maximè ſapimus, ſummóque cum affectu & voluptate eo afficimur & oblectamur; adeóque illud adamamus & ſuſpicimus, ut vel mille mortibus caput objicere malimus quàm noſmetipſos ſinere tantâ dulcedine privari, aut tam amabilem vitæ florem divinique ſensûs integritatem turpi quavis aut inhoneſtâ actione offendere, lædere, aut violare.

7. Quemadmodum igitur eſt aliquid ſuâ naturâ & immutabiliter *verum*, ità eſt aliquid ſimpliciter & ſuâ naturâ *bonum*: útque illius quod ſuâ naturâ verum eſt veritas Intellectu percipitur; ità illius quod ſimpliciter bonum eſt grata ſuavitas & jucunditas *Boniformi* percipitur *facultate*. Qui verò quidvis, utcunque gratum eſt, perinde bonum eſſe contendunt, eámque eſſe humanarum actionum menſuram, planè inſanire mihi videntur, ex eo quòd Sapientes, Stultos & Maniacos eadem in conditione collocant; niſi quòd fortè Stultos & Maniacos Sapientibus præferant, ut qui ipſis conſtantiùs & obſtinatiùs, omni aliâ ratione abjectâ & ſepoſitâ, id quod ſibi gratum eſt, quantumlibèt turpe ſit & ridiculum, & quantocunque cum periculo conjunctum, in ſingulis actionibus proſequantur.

8. Atque eſto certè quòd cautiùs quidam hac in re loquantur, ſuúmque velint Sapientem, utcunque aliter inſaniat, ſuiipſius conſervationi ſemper proſpicere; negari tamen non poteſt quin hâc ratione invulnerabilem aliquam dementiam vel ſtoliditatem ſapientiſſimæ Immortalitati æquiparent.

Præterea, Simplex ſuiipſius conſervatio non eſt optabilis, cùm tantâ miſeriâ aut turpitudine onerari poſſit, ut quemvis hominem niſi ſtupidiſſimum vitæ prorſus tæderet.

Poſtremò, Si præſens ſuiipſius Conſervatio bona eſt & optabilis, ſequitur quòd quæ diuturnior eſt ac productior eſt melior, productiſſima autem omnium optima. Et ſi hujuſmodi Conſervatio unius hominis bona eſt, quòd duorum duplo melior ſit; trium triplo, & ſic deinceps; ità ut juxta lumen Naturæ ſequatur, quòd unaquæque Creatura Intellectualis teneatur curare & promovere Conſervationem ſui proximíque tam præſentem quàm futuram, quantum in ſe eſt, quantúmque fieri poteſt citra tertii alicujus injuriam. Quod quidem non minimam *Juſtitiæ* partem implet, ut & *Temperantiæ* omníſque omnino Virtutis.

CAP. VI.

De Paſſionibus in genere, déque earum utilitate.

1. QUid ſit *Virtus* in genere definivimus. Antequam deſcendamus ad ſpecies, non abs re erit aliquid de *Paſſionibus* prælibare circa quas verſantur, earúmque naturam, uſum & incommodum breviter explicare, itáque mentem præparare ad pleniorem perfectiorémque *Virtutum* notitiam.

2. Per *Paſſiones* autem intelligo non ſolùm eas quæ vulgò in Morali tractantur Philoſophia, ſed quamlibet Impreſſionem corpoream quæ apta nata eſt ad pervertendum Animæ judicium, mentémve occæcandam, quo minùs quid in re quaque optimum eſt diſcernat. In hoc igitur numero pono omne phantaſma ſenſúmve internum falſum quantumvìs pervicax, quod obreptare vel adhæreſcere animo poſſit ex vi educationis, conſuetudinis, vel alicujus ἰδιοσυγκρασίας, eúmque in errorem abducere. Nam ad hæc etiam extendere ſe Virtutem oportet, ipsíſque ità dominari, ut mens nunquam vacillet in judicio, nec avertatur à proſequendo id quod ſimpliciter optimum eſt.

Primò autem agemus de Paſſionibus propriè dictis, quales ſunt *Amor*, *Odium*, *Ira*, & id genus reliquæ. De quibus omnibus contra *Stoicos* ſtatuendum eſt, quòd ſunt ſuâ naturâ bonæ, quódque Divinæ Providentiæ ſcopus non minùs deprehenditur in ipſarum uſu quàm in ſtructura organorum corporis cujuſvis Animalis.

3. Sed & in genere earum utilitas quadantenus edoceri poteſt aptéque illuſtrari.

Cùm enim Paſſiones conjunctæ ſint cum vehementiori ſpirituum agitatione, videntur quidem id præſtare in homine, quem *minorem Mundum* quidam amant appellare, quod Venti præſtant in majori. Quemadmodum enim illi aërem expurgant, ità & hæ ſanguinem ventilant, nec ſinunt eum ſtagnare & putreſcere.

4. Porrò, varia Animæ Theatra ſuperinducunt, valdéque diverſas phantaſmatum Scenas ipſi obferunt, quæ judicium quidem tentant & vellicant, ſed majori ſimul experientiæ ſupellectile inſtruunt, & mirabilem illam nobis exhibent voluptatem, quòd in omnibus hiſce tempeſtatibus, variiſque & validis incurſantium phantaſmatum præſtigiis & inſulturis, deprehendimus quòd ſit aliquid in nobis Divinum, quam *Mentem* nuncupamus, quæ eundem ſenſum judiciúmque per omnes haſce commotionum vices conſtanter retinet, nec in conſenſum ſe abripi ſinit vel importuniſſimis Paſſionum tentationibus, ſed ei quod ſimpliciter optimum eſt indeſinenter adhæret.

Ethic. Nicom. lib. 1. cap. 13.

5. Præterea, Ex hoc conflictu & victoria detegitur quoddam Imperium ſive Regnum in Anima, quódque Intellectualis pars habet quod inſtituat & erudiat, ut Venator canem, vel ut Pater filium: Quemadmodum innuit *Ariſtoteles*, duas partes in Anima ſtatuens quæ quodammodo Rationem habere dicantur; *una quidem propriè & in ſeipſa, altera tanquam quiddam ſuo obtemperans patri.* Intelligit autem eam partem Animæ quæ ad concupiſcendum & appetendum omnino impellit. *Pars enim Vegetativa nullo modo Rationis eſt particeps: Concupiſcibilis verò pars Animæ & in univerſum appetitiva quodammodo particeps eſt, quatenus ſcilicet Rationis dicto eſt audiens, ipſiúſque imperio ſubjicitur.* Dubitare tamen meritò quis poteſt, cum pace tanti Philoſophi, an ipſa *pars* Animæ *Plaſtica*, quam *Vegetativam* hìc appellat, non exiſtimanda ſit aliquo etiam modo obedire Rationi. Nam omnes illi naturales appetitus atque impetus non tam *Perceptivæ* partis quàm *Plaſticæ* fructus ſunt & effectus.

6. Fons & Origo ipſorum in *Plaſtica* eſt, cujus præcipua ſedes eſt *Cor*; perceptio tamen ipſorum eſt in parte *Perceptiva*, cujus domicilium eſt *Cerebrum*. Cùm verò pars utraque eſſentialiter, vitaliter & indiſcerpibiliter una ſit, nihil mirum eſt quòd pars Perceptiva tentetur, vellicetur, & aliquando abripiatur à Paſſionibus: quæ de ſe quidem cæci ſunt tantummodo Naturæ inſtinctus, qui fortè in ipſis Plantis reperiuntur, ut & Juventa & Senectus; ſed percipiuntur in Animalibus, ut in avium nidificatione & incubatione; in Hominibus verò non ſolùm percipiuntur, ſed diſtinctè & reflexivè à Mente intelliguntur tanquam ab alio aliquo profecti, ſive illud ſit pars *Plaſtica* Animæ ſola, ſive quatenus conjuncta ſit cum univerſali illo plaſtico Principio quod *Spiritus Naturæ* à nobis dicitur, & fortean ab ipſo *Ariſtotele* indigitatur in illo toties repetito axiomate, *Natura nihil agit fruſtrà.*

7. Eſt enim Principium efformativum omnium Plantarum, corporúmque omnium Animalium, quibus inſevit excitátque iſtiuſmodi inſtinctus qui tendunt ad ſalutem uniuſcujuſque individui Plaſmatis, ſed maximè omnium eos qui faciunt ad conſervationem Speciei: Quales ſunt coeundi appetitus; affectúſque erga fœtus quem Græci στοργὴν vocant. Cujus vis mira deprehenditur in cane fœta viva diſſecta. Nam ſi coram ipſa filium lædis, latrat, vociferatur; ſin illum ori illius admoves, proprii doloris oblita ſilet, atque magnâ pietate lambit. Quod mirandum ſpectaculum ſæpius ſe in publicis Theatris oſtendiſſe ſcribit optimus ille Anatomicus *Realdus Columbus*.

De re Anatomica lib. 14.

8. Omnes igitur animales Impetus & Inſtinctus ad Regionem Naturæ pertinent, ſúntque quaſi quædam imperfectiores umbræ ac veſtigia Sapientiæ & Bonitatis Divinæ, quæ in hac obſcura Regione ſublucеſcunt. Atque hoc eſt illud Principium cum quo ex participatione purioris ac Divinioris luminis colluctamur quoties limites excedit hujus ſupernæ legis. Nempe, *Intellectualis* pars animæ contendit cum *Plaſtica*, quæ *ſpiritum Naturæ* habet acerrimum Inſtigatorem & Fautorem, præſertim in quibuſdam affectibus; ſed ex altera parte vis quædam Divinior inſtat, urgétque fortiter reſiſtendum eſſe omnibus Naturæ incantamentis & illecebris, & illius quod honeſtum eſt & ſimpliciter optimum rationem ſemper eſſe habendam.

9. Animæ verò præſentiam primò exiguis illis *Conarii* cancellis circumſcribere, & deinde animatam hanc glandulam fingere (ad inſtar homunculi cujuſdam cum penula & bacillo contra ventum nitentis) ex una parte ab anima inhabitante, ex altera à ſpirituum impetu flatúve impelli, atque in hoc conſiſtere luctam illam & conflictum inter partem inferiorem animæ & ſuperiorem, ſive inter *carnem* & *ſpiritum*, prout loquuntur Theologi; Commentum certè perquam lepidum eſt, ſed, quod ſat ſcio, nihil in ſe habet ſolidæ veritatis. Verùm ea de re non eſt hìc dicendi locus.

10. Palàm eſt igitur, Regnum quoddam in nobis eſſe ſive Principatum, Animúmq; noſtrum rem eſſe non adeò ſolitariam, ſed ſatis numeroſo ſtipatam ſatellitio, nec in pro-

prias ſolùm Paſſiones imperium habere, ſed in ipſum *Naturæ ſpiritum*, cujus incantamenta & illecebras, diviniori quadam magiâ fretus, comprimere poteſt vel extinguere.

11. Ex quibus inſuper ſequitur quòd per Paſſiones fit quòd vita ſenſúſque in nobis plenior ſit, multóque ſubindè excitatior: Sunt enim Affectus Animi quaſi alæ vel quadrigæ, quemadmodum olim in *Phædro* ſuo notavit *Plato*.

12. Neque illud prætereundum eſt quod ingenioſè innuit *Carteſius*, quòd Paſſiones videntur certiſſimus & ſolidiſſimus animæ noſtræ theſaurus. Cùm enim in aliis pleriſque perceptionibus decipi poſſimus, nec certi eſſe an id revera ſit quod repræſentant, nullus locus eſt deceptioni (inquit ille) quoad Paſſiones; quia tam propinquæ & intimæ animæ noſtræ ſunt, ut ei impoſſibile ſit illas ſentire, quin revera ſint quamdiu eas ſentit. Unde mirifica illa pax animi & tranquillitas, permanénſq; ac nunquam pœnitenda dulcedo & voluptas, quæ ex ſenſu Virtutis percipitur, non ſolùm ſupra omnes illas voluptates quæ aptæ natæ ſunt pœnitentiam & amaritudinem animæ poſtea ſuperinducere, ſed etiam ſupra omnes opiniones & ſpeculationes Philoſophicas, æſtimanda eſt; cùm ob alias cauſas, tum maximè quòd de eis ut plurimùm dubitare quis poſſit; de hac verò, cùm Paſſio ſit, non Opinio, nulla ſubeſſe poſſit dubitatio.

13. Poſtremò, Præter uſum illum omnium ferè Paſſionum communem, quòd objecti imaginem firmiùs animæ imprimunt, ipſique quaſi inurunt, eſt certè alius minimè contemnendus, quòd ex Paſſionibus poſſumus apud noſmetipſos æſtimare quanto pretio habeamus ea quæ pulchra ſunt & honeſta, quámque verè ac vitaliter anima noſtra cum ipſis conjungatur. Eſt enim intimus maximéque immediatus vitæ fructus, affectus; ſine quo tametſi ſuperficiariâ quadam & imaginariâ approbatione res optimas ornare poſſimus, non poſſumus tamen ſine illo per modum vitæ ſenſúſque animam noſtram cum ipſis conjungere, nec conjunctam eſſe certò judicare, niſi æquali ἀντιπαθείᾳ à rebus turpibus & inhoneſtis abhorreamus, ſive hæc in nobiſmetipſis occurrunt, ſive in aliis. Ea enim eſt Virtutis ratio, ut amet quæ optima ſunt, & à peſſimis abhorreat; non quòd quis altera in ſe reperiat, altera in aliis, ſed ſimpliciter quatenus ſunt talia. Eſtque perfectiſſimus vitæ ſtatus bonum amare, malum autem horrore aut indignatione excipere, ubicunque emicuerint. Hoc enim arguit inferiorem animæ partem in conſenſum rapi à ſuperiori, totúmque hominem igneis quaſi affectuum quadrigis, *Eliæ* inſtar, uſque ad Cœlum Deúmque ſubvehi.

14. Quòd ſiquis, ſub prætextu neſcio cujus affectatæ animi tranquillitatis, prudentiæ, paciſve ſtudii, tolerare poſſet ſine omni animi commotione quod turpiter commiſſum eſt contra communia humani generis jura & æternas Virtutis leges, cùm tamen privatâ quavis injuriâ in ſeipſum immiſsâ ſatis uri & commoveri ſoleat; inſigne certè hoc eſſet ſpecimen Hypocriſios, quæ non tam ridenda eſſet, quàm ab omnibus mortalibus exſecranda.

15. Sunt igitur Paſſiones bonæ, maximáque vitæ humanæ complementa, modò hæ duæ leges obſerventur. Prima, ut Affectus ferantur ad Objectum debitum, quæ Ὀρθοπάθεια (ſive *rectus paſſionum impetus*) dici poteſt: Contra quam qui peccant, immaniſſimè omnium peccant. Quales ſunt invidi, & qui ſævitiâ & crudelitate ſe oblectant, & id genus reliqui homines.

Secunda lex eſt, ut Affectus ſit commenſuratus Objecto & Fini, hoc eſt, ut (juxta Noema decimum tertium) ſummo affectu optima maximáque, mediocri mediocria, minimóque minima, proſequamur; ſed ut nuſquam in tantum commoveamur, ut Affectûs violentia lumen Rationis intercipiat aut minuat, quo minùs finem aſſequamur ad quem collineat Natura in ſingulis Affectibus quos animabus noſtris indidit: Quam proinde legem Μετριοπάθειαν (ſive *moderatum paſſionum impetum*) appellare poteris.

16. Qui verò obtentu exterminandæ diſcordiæ ex anima, & finiendi illam luctam & conflictum quo aut Paſſiones cum Ratione, aut inter ſe invicem, præliantur, omnes Affectus tolli volunt, perinde mihi facere videntur ac ſiquis, nè fiat ulla diſſonantia in Lyra, omnes illius chordas diſcindi velit; & nè ulla corpus invadat intemperies morbida, humores omnes pharmacis exturbari. Quemadmodum rectè & eleganter jam olim monuit etiam *Theages Pythagoreus*; nempe, *Quòd in eximendis animæ paſſionibus, voluptate utique & dolore, Virtus non contingit, ſed in hiſce ritè contemperandis*. Et deinde duplicem illam ſimilitudinem copioſiùs adhibet ab humoribus corporis rectè commiſcendis, chordíſque Muſicis ſcitè coaptandis contemperandíſque, deſumptam, quam nihil neceſſe eſt repetere, cùm jam ſatis expreſſerimus.

17. Quis autem modus vel menſura ſit ad quam componi & temperari Affectus debeant, duæ ſuprà dictæ leges ſatis edocent, ὀρθοπάθειαν & μετριοπάθειαν complexæ. Ad quarum alteram referenda eſt præclara illa *Ciceronis* ſententia: Ergò is quiſquis eſt qui *Quæſt. Tuſculan. lib. 4.*

moderatione & conſtantiâ quietus animo eſt, ſibíque ipſe placatus, ut neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, nec ſitienter quid appetens ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat, is eſt ſapiens quem quærimus; is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum, videri poteſt. Quem verò ambitione aut libidine inflammatum & furentem videmus, omnia rabidè appetentem cum inexplebili cupiditate, quóque affluentiùs opes aut voluptates undique hauriat, eò graviùs ardentiúſque ſitientem; næ ille homo eſt quem nemo ſapiens dubitaverit exiſtimare omnium mortalium infeliciſſimum.

CAP. VII.

De Paſſionibus, in ſpecie, propriè dictis.

1. PAſſionum ſpecies cùm nemo, quod ſciam, accuratiùs enumeraverit quam inſignis ille Philoſophus *Carteſius*, nec definiverit diſtinctiùs, in hujus ferè veſtigiis hac in re ſemper inſiſtam, niſi magna aliqua cauſa impediverit. Cæterùm non abs re erit primò pleniorem *Paſſionis* definitionem proferre, ſubſequentibúſque ſpeciebus præfigere.

2. Eſt igitur *Paſſio vehemens animæ Senſatio quæ ſpeciatim ad ipſam animam refertur, & cum extraordinario ſpirituum motu conjungitur. Senſatio* rectè *Paſſio* dicitur, quoniam in Paſſione anima ſentit ſe pati; & *vehemens*, quia vehementer: *ad ipſam animam* autem *ſpeciatim referri* hæc ſenſatio, ut diſtinguatur ab aliis ſenſationibus; quarum aliæ referuntur ad objecta externa, putà, Odores, Sonos, Colores; aliæ ad corpus noſtrum, ut Fames, Sitis, Dolor. Conjungi denique hanc ſenſationem dico *cum ſpirituum motu*, potiùs quàm ab ipſo produci; quoniam illud ſemper contingit, hoc non ſemper, imò forſan rariùs, ſi excipias illum motum qui oritur ex potu & cibo, atque aëris mutatione. In externis enim objectis à quibus Senſus vel Imaginatio percellitur Anima movet ſpiritus, non ſpiritus Animam.

De Paſſion. Anim. part. 2. Artic. 69.

3. Omnes Animæ Paſſiones ad ſex principalia ac primitiva genera revocat *Carteſius*; *Admirationem, Amorem, Odium, Cupiditatem; Lætitiam, Mærorem.* Quarum ordo & diſtinctio hâc ratione deprehenditur. Nam quum primùm aliquod novum objectum, circumſtantiâve aliquâ novâ modificatum, nobis occurrit, Animadverſivam facultatem ſiſtit & detinet, & in extraordinariam quandam attentionem rapit, quæ ipſa hæc *Admiratio* eſt: Quæ, cùm contingere poſſit antequam cognoſcamus utrùm objectum gratum futurum ſit an ingratum, Paſſio meritò omnium prima habenda eſt.

4. Poſtea verò, ſi anima conſiderat objectum ſub ratione grati vel ingrati, quod idem ferè ſonat quod boni vel mali, unum *Amorem*, alterum *Odium* excitat. Bonum autem hoc atque malum ſi conſiderantur ut futura, *Cupiditatem* in nobis accendunt; illud, uniendi cum illo ſive illud poſſidendi, hoc, evitandi ipſum aut à nobis amoliendi. Primum Scholæ *Deſiderium* vocant, alterum *Fugam*; & certè non malè. Denique, ſi ut præſentia conſiderantur, Bonum *Lætitiam*, Malum *Mærorem* gignit.

5. Verùm, tametſi ſatìs rectè mihi videtur *Carteſius* calculum ſubduxiſſe in hac Paſſionum enumeratione, non video tamen quin pari jure ad breviorem numerum reduci poſſint, nempe, ad tres illas primas, *Admirationem, Amorem,* & *Odium.* Quid enim eſt *Deſiderium*, niſi Amor porrectus versùs bonum futurum? Quid *Fuga*, niſi Odium ſe avertens ab imminenti malo, vel ſe muniens contra ipſum? Quid denique *Lætitia*, niſi Amor exſultans præſentiâ boni adamati? Quid *Mæror* ſive *Triſtitia*, niſi Odium præſenti malo oppreſſum & implicatum? Manifeſtum enim eſt, omnibus hiſce circumſtantiis ſemper ſubeſſe & in fundo quaſi latere *Amorem* & *Odium.*

6. Unde porrò elucet, quòd Scholaſtica illa Paſſionum reductio ad duo illa capita, *Iraſcibile* ſcilicet & *Concupiſcibile*, modò rectè interpretemur, non tam ſeveriter ſit explodenda, præſertim cùm optimorum antiquiſſimorúmque Philoſophorum autoritate munita ſit & cohoneſtata. Intelligo autem hîc eas Paſſiones ſolas quæ propriè in *Corde* ſedem habent, non quæ in ſolo *Cerebro*, qualem unicam illam agnoſcit *Carteſius*, *Admirationem.* Cæteræ mihi ſatìs rectè videntur reduci poſſe ad Pythagoreorum ἐπιθυμίαν ϗ θυμὸν· quæ planè reſpondent Scholaſticorum *Concupiſcibili* & *Iraſcibili*, quæque non inſcitè reddi poſſunt *Concupiſcentia* & *Excandeſcentia.* Quarum poſterior eſt ille animæ affectus quo excandeſcit contra quamlibet ſpeciem mali vel ingrati;

grati: quam ſi abſque reſpectu ad tempus conſiderat, eſt *ſimplex Odium*; ſi imminet malum, *Fuga*, ſive Cupiditas amoliendi vel quolibet modo evitandi illud; ſi præſens ſit, *Mœror*, *Triſtitia* vel *Ægritudo animi*, quæ nihil aliud eſt niſi hæc Excandeſcentia malo præſenti implicata & illigata, miſereque illo vexata.

7. Eademque ratio eſt de *Concupiſcentia*, quæ, ſi cum aliqua ſpecie boni vel grati amicè conjungitur, ſepoſito omni temporis reſpectu, *Amor ſimplex* eſt; ſi conſideratur bonum ut futurum, *Cupiditas* eſt, ſive propriè dicta *Concupiſcentia*, ſi ut præſens, *Lætitia* ſive *Gaudium*. Nec tamen deſinit eſſe *Concupiſcentia*, quoniam, niſi ſuperveniat faſtidium, Amor hic cupit continuationem ſui ſtatûs, ac proinde ſemper ſubeſt aliqualis Concupiſcentia.

8. Poſſunt igitur tantùm duæ eſſe Paſſiones principales & primitivæ quæ propriè in *Corde* ſedem habent, ſive eas *Amorem* & *Odium* cum *Carteſio*, ſive *Concupiſcibile* & *Iraſcibile* cum Scholis, ſive ἐπιθυμίαν ϗ θυμὸν cum *Pythagoreis*, appellare libet. * Quod certè notatu non eſt prorſus indignum, ut mox ex uſu illius clariùs patebit.

Paſſionum prima Claſſis.

9. Intereà loci, ad pleniorem Paſſionum intelligentiam, eodem ordine ac diſtinctione quâ propoſuit *Carteſius*, ſex ſuprà nominata genera definiam, ſingulíſque ſuas proprias ſpecies ſubnectam. Prima eſt *Admiratio*, quæ eſt *Paſſio animæ novitate alicujus Objecti perculſæ, in eoque contemplando attentiſſimè occupatæ. Admiratio* duplex eſt, *Exiſtimatio* & *Deſpectus*. *Exiſtimatio* eſt Admiratio magnitudinis vel valoris alicujus Objecti: *Deſpectus* verò Admiratio parvitatis vel vilitatis Objecti. Hinc facilè intelligitur quid ſit Exiſtimatio ſui & ſui Deſpectus, nempe quando quis cùm affectu inhæret contemplationi propriæ dignitatis vel vilitatis. Eademque ratio eſt de Deſpectu & Exiſtimatione aliorum; quarum prior *Dedignatio*, poſterior *Veneratio* dicitur.

Eſt autem *Veneratio* Exiſtimatio alicujus liberi Agentis, quod nobis bene vel malè facere poſſe opinamur, cum voluntate noſmetipſos illi ſubjiciendi conjuncta. *Dedignatio* verò eſt Deſpectus liberi Agentis, quod, cùm capax ſit bene vel malè faciendi, adeò tamen infra nos eſſe judicamus, ut nobis neutrum facere poſſit.

Secunda Claſſis Paſſionum.

10. Secunda claſſis eſt *Amor* & *Odium*. *Amor* eſt *Paſſio animæ quâ excitatur ad ſe voluntate jungendam cum Objectis quæ ipſi videntur grata. Voluntate* autem hîc *ſe adjungere* non eſt idem quod *cupere*, id enim ad *Cupiditatem* ſpectat; ſed cum affectu quodam agnoſcere rem eſſe gratam bonámve. *Odium* eſt *Paſſio animæ quâ incitatur ad ſeparandum ſe voluntate ab Objectis quæ ipſi videntur ingrata vel noxia.* Amans cùm Objectum minoris æſtimat ſeipſo, ſimplex Propenſio vel *Benevolentia* dicitur; cùm æquè ac ſe æſtimat, *Amicitia*; cùm majoris facit, *Devotio*. *Amor* qui fertur in res bonas ſimpliciter, *Amor*; qui in res pulchras, *Complacentia* dicitur. Item *Odium* quod refertur ad mala ſimpliciter, *Odium*; quod ad deformia, *Horror* aut *Averſio*. Nec omitti hîc debet nobilis illa *Amoris* ſpecies quæ ϛοργὴ appellatur; aut illa *Odii*, quæ *Antipathia*.

Paſſionum tertia Claſſis.

11. Tertia Claſſis *Cupiditas* eſt cum ſua propagine. *Cupiditas* eſt *Paſſio animæ quâ in bonum fertur quatenus futurum.* Itaque cùm abſentia mali æquè ac præſentia boni bona ſit, in utramvis ferri poteſt *Cupiditas* quatenus ſunt futuræ. Si quis autem Cupiditatem circa poſterius Objectum *Deſiderium*, circa prius *Fugam*, mallet appellari, nihil renuo. Inter Cupiditates hîc excellunt illæ quæ naſcuntur vel ex horrore vel ex complacentia, ut facilè intelligitur ex antedictis. Nihil enim ità accendit Deſiderium ut *Pulchritudo*, nihil adeò accelerat Fugam ac horrenda quævis *Deformitas*: Omnium autem rerum maximè horrenda vulgò exiſtimatur *Mors*.

12. Ad Cupiditatem reducuntur, primò, *Spes*, *Metus*, *Zelotypia*, *Securitas*, & *Deſperatio*: Deinde, *Animi fluctuatio*, *Animoſitas*, *Audacia*, *Æmulatio*, *Puſillanimitas*, & *Conſternatio*. Priores illæ ſpecies in hoc conveniunt, quòd earum Objectum offert ſe ſub ratione *Facilis* vel *Difficilis*, nec tamen includit ullam à nobiſmetipſis eventi dependentiam. Poſteriores in eo conveniunt, quòd Objectum offertur ut pendens à nobis, cum difficultate vel in electione mediorum, unde provenit *Animi fluctuatio*, vel in executione, quò cæteræ illæ ſpectant.

13. *Spes* eſt *Paſſio animæ quâ diſponitur ad credendum id eventurum eſſe quod cupit*: *Metus* verò, *quâ diſponitur ad credendum non eventurum eſſe quod cupit. Spes* omnem metum excludens dicitur *Securitas*, vel *Fiducia*; *Metus* verò omnem ſpem, *Deſperatio*. *Zelotypia* eſt Metus perdendi bonum quod magni æſtimamus à minimis ſuſpicandi cauſis ortus.

14. *Animi fluctuatio* eſt Metus errandi in electione mediorum ad aliquem deſtinatum finem. *Animoſitas* eſt Paſſio quæ diſponit animum ad agendum viriliter in executione rerum ad quas accingitur. Quæ ſi in rebus cernitur quas aliquod magnum peri-

culum comitatur, dicitur ***Audacia*** : ſi verò ex conſideratione ſucceſsûs aliorum excitatur, ***Æmulatio.***

Animoſitati autem opponitur ***Puſillanimitas***, ut ***Conſternatio Audaciæ.*** Eſt verò ***Puſillanimitas*** languida quædam & frigida Animæ Paſſio, quæ eam impedit nè feratur ad ea peragenda quæ alioqui facere poſſet. ***Conſternatio*** autem eſt Puſillanimitas cum perturbatione & ſtupore conjuncta, quæ animæ aufert facultatem reſiſtendi malo imminenti.

Quarta Claſſis Paſſionum.

15. Quarta claſſis eſt ***Gaudium*** & ***Triſtitia***, quæ reſpiciunt bonum malúmve præſens. Paſſiones quæ ad hanc claſſem reducuntur, diſcriminantur hiſce præcipuè circumſtantiis. Primò, ſimplici reſpectu ad noſmetipſos vel ad alios. Bonum enim præſens prout noſmetipſos ſpectat parit ***Gaudium***, Malum ***Triſtitiam*** : Si malum alteri qui eo dignus eſt accidit, ***Irriſionem*** parit; ſi indigno, ***Commiſerationem***; ſi verò bonum indigno obvenit, ***Invidiam***; bonum autem contingens alteri quod in noſtram etiam utilitatem aliquo modo redundet, ***Congratulationem.***

16. Porrò, conſiderantur Bonum & Malum, ſive ad nos ſive ad alios ſpectant, primò, ratione cauſæ. ***Bonum*** enim à nobiſmetipſis factum parit ***Satisfactionem*** ſive Animi Acquieſcentiam, ***Malum*** Pœnitentiam, ***Dubium*** Conſcientiæ morſum. Sed Bonum ab aliis præſtitum parit ***Favorem***, quamvis id nobis non ſit factum : ſin verò nobis, ***Gratitudinem.*** Ut Malum ab aliis patratum, ſi in noſmetipſos non committitur, ſolùm ***Indignationem***; ſed ſi noſmetipſos tangat, ***Iram.***

Rurſus, reſpectu opinionis aliorum. Bonum quod habemus excitat in nobis ***Gloriam***, Malum ***Pudorem.***

Denique, reſpectu temporis. Bonum Diuturnum ***Satietatem*** parit ſive ***Faſtidium***, ut Mali duratio minuit ***Triſtitiam.*** Ex bono autem præterito naſcitur ***Deſiderium*** propriè dictum, & ex malo præterito ***Hilaritas.***

17. ***Gaudium*** eſt ***jucunda animæ commotio, ſive Paſſio, in qua conſiſtit Fruitio boni quod ipſa concipit ut ſuum. Triſtitia*** eſt ***ingrata Animæ Paſſio, in qua conſiſtit Incommoditas mali vel defectûs quem ipſa concipit ut ſuum. Irriſio*** eſt Lætitia orta ex deprehenſione levis alicujus mali in perſona quæ eo digna putatur. Si ſit ex majoribus cauſis & cum apertiori contumeliæ inferendæ ſtudio conjuncta, rectiùs appellatur ***Inſultatio. Invidia*** eſt Triſtitia orta ex conſideratione boni indigno alicui contingentis. ***Commiſeratio*** eſt Triſtitia orta ex conſideratione alicujus mali quod ei qui indignus eſt accidit. ***Congratulatio*** eſt Lætitia orta ex bono alicui obveniente, quod tamen accidiſſe noſtrâ aliquo modo intereſſe putamus. ***Satisfactio*** ſive ***Acquieſcentia in ſeipſo*** eſt Lætitia omnium jucundiſſima, ex opinione alicujus facti quod quis recenter fecit profecta. ***Pœnitentia*** eſt Triſtitia omnium amariſſima, ex conſcientia mali alicujus perpetrati orta. ***Morſus conſcientiæ*** eſt Triſtitia orta ex dubitatione an quod fecimus bonum ſit nécne. Eſt autem effectus temeritatis, quando adorimur aliquod opus antequam omnis depoſita ſit Hæſitatio vel Animi fluctuatio.

18. ***Favor*** eſt læta quædam Benevolentia erga eos quorum rectè factis oblectamur. ***Gratitudo*** eſt læta quædam Cupiditas benefaciendi illis qui nobiſmetipſis benefecerunt. ***Indignatio*** eſt Triſtitia accenſa contra illos qui aliquid mali fecerunt. ***Ira*** eſt Indignatio contra eos qui aliquid mali nobis ipſis intulerunt, cujus & ulciſcendi cupiditate tenemur. ***Gloria*** eſt Lætitia orta ex opinione aut ſpe laudis apud alios obtinendæ. ***Pudor*** eſt Triſtitia ex opinione aut metu vituperii. ***Faſtidium*** eſt Triſtitia ex eadem cauſa orta ex qua antè Lætitia emanavit. ***Deſiderium*** propriè dictum eſt Triſtitia ex bono amiſſo nunquam recuperando. ***Hilaritas*** eſt Lætitia ex recordatione mali præteriti.

19. Atque hæc ferè eſt Paſſionum enumeratio apud ***Carteſium***, (tam Primitivarum, quàm à Primitivis ortarum, vel ex ipſis complicatarum,) cum ipſarum definitionibus ad ſenſum ſaltem eximii Philoſophi, quàm proximè potui, accommodatis. Ipſam verò complicationem Paſſionum à primis derivatarum, brevitatis ergô, in præſens omiſi, mox opportuniùs ſubindicaturus.

Quod verò ad ***Cauſas Paſſionum naturales*** attinet abſtruſiores magíſque reconditas, quæ referuntur ad ***Conarium***, ad Cerebrum, ad certos quoſdam motus Sanguinis & Spirituum, ad orificia Cordis nunc ſtrictiora, nunc latiora, ad nervos Inteſtinorum & Stomachi, Lienis & Jecoris, ipſiúſq; deniq; Cordis; has omnes prudens ſciénſque prætereo, tum ob alias rationes, tum maximè quòd ad ***Naturalem Philoſophiam*** potiùs quàm ad ***Moralem*** pertinere exiſtimo. ***Effectus*** tamen, ***Uſus Finéſque Paſſionum*** tantum abeſt ut exiſtimem ad ***Ethicam*** non ſpectare; ut è contrà potiùs arbitrer ſelectiorem illius partem earum rerum Notitiam haberi debere.

SCHOLIA

In Cap. VII. Sect. VIII.

Quod certè notatu non eſt prorſus indignum, ut mox ex uſu illius clariùs patebit. *Vſus hic apertè conſpicitur initio* Cap. 1. Lib. 2. *ubi Virtutes tres primitivæ* Prudentia, Sinceritas, Patientia; *cum tribus primitivis Paſſionibus* Admiratione, Concupiſcentia & Excandeſcentia, *comparantur.*

CAP. VIII.

Paſſionum Vſus & Interpretatio; *primòque* Admirationis *cum ſua Claſſe, & reliquarum quinque primitivarum Paſſionum.*

1. Quod igitur *Fines Vſúſque* Paſſionum attinet, non abs re erit aliquantò fuſiùs eos proſequi, Naturæque vocem in omnibus quàm fideliſſimè potero interpretari. Non parùm enim habiturum eſt momenti ad rectè Paſſiones moderandas & utendas, (quæ certè Virtutis maxima pars eſt,) ſi intellexerimus ad quem finem Natura, Naturæve Parens Deus, ſingulas deſtinaverit, quantíque opera ſua ipſe æſtimet, aut ab aliis æſtimari velit. Neque enim à nobis ipſis ſunt hi affectus, nec à liberis noſtris cogitationibus aut commentationibus profecti, nec alio aliquo modo aſſumpti vel acquiſiti, cùm omnem actionem cogitationémque noſtram anticipent, à Parente Naturæ Deo ſimul cum vita noſtra nobis inditi, ut voluptas edendi & bibendi; quam proculdubio Natura omnibus animalibus inſevit, ad vitæ ſuæ conſervationem, & ad corporis ſanitatem, jucundúmque Facultatum vitæ exercitium. Unde clarè ſequitur nihil temere occidendum eſſe & ſine cauſa; nec ità voluptati edendi potandíve indulgendum, ut perdamus finem illius voluptatis, & morbum mortémve nobis conciliemus.

2. Atque hoc id ipſum eſt, quod innuunt Pythagorei, τὸ ἄπειρον περαίνειν, *interminatum terminare.* Nam τὸ ἄπειρον, ſive *interminatum*, illi in Paſſionibus ponunt; in Virtute & Ratione τὸ πέρας, ſive *Terminum.* Natura verò largiori manu nobis hujuſmodi affectus indidit, ut habeat Ratio quod amputet, terminet & circumſcribat; nec facilè Anima ad proprias voluptates (id eſt, Intellectuales) proſequendas tam integrè convertatur, ut animalem vitam prorſus negligat. Unde videmus ſerium eſſe quoddam & pervicax Naturæ propoſitum atque conſilium, ut Statio hæc animalis à mentibus humanis non omnino deſeratur. Sed hæc obiter de Affectibus qui ad corpus ſpectant. Ad Paſſiones propriè dictas recurramus, earúmque *Fines* & *Vſus* eo ferè quo propoſuimus ordine perpendamus.

3. Primò igitur, de *Admiratione* manifeſtum eſt, quòd inſerviat ad fortiùs imprimendum memoriæ rerum novarum obſervationes, ut hâc ſupellectile anima ſatis inſtructa perveniat ad cognitionem utiliſſimarum veritatum. Unde ſiquis teneatur cupidine contemplandi res novas eo ſolùm fine ut admiretur, planè perdit finem hujus Paſſionis, & in merum abit Mirionem. Quòd autem Natura nobis indidit affectus *Exiſtimationis* & *Deſpectûs*, innuit non omnia perinde in eodem pretio à nobis eſſe habenda. Quòd ſi ſit deterius & melius, eſt certè illud quod optimum eſt, & ad quod nos oportet, Naturâ duce, aſpirare.

4. *Suiipſius Exiſtimatio* Paſſio mixta eſt ex *Admiratione*, *Lætitia*, & *Amore propriæ conditionis*. *Sui* verò *ipſius Deſpectus* ex *Admiratione*, *Triſtitia*, & *Amore proprio* cum *Odio defectuum ſuorum conjuncto*. Utraque Paſſio innuit Omnem hominem aut eſſe aut debere eſſe aliquid, eóque loco haberi ut ſit ſupra omnem injuriam & contemptum. Nam cùm tam facilè adducimur credere noſmetipſos eſſe aliquid, cùm tamen non ità multùm ab aliis differamus; certè æquum eſt ut alios etiam homines aliquid eſſe exiſtimemus, & humaniter & officioſè tractemus. Humanitas igitur morúmque civilitas æquè ac diligentia atque induſtria ad aſſequendas res optimas hiſce Paſſionibus à Natura indigitantur.

5. Quod verò ad eam ſpectat *Suiipſius Exiſtimationis* ſpeciem quam *Generoſitatem Carteſius* appellat, quâ quis ſe æſtimat ex ſincero uſu liberi ſui arbitrii, putátque ſe non debere contemni cùm Virtutem ſequatur quàm perfectiſſimè poteſt, nec careat voluntate ſuſcipiendi & exſequendi quicquid recta Ratio præſcripſerit; hujus certè Paſſionis uſus, quam nobis indidit Natura, maximè omnium inſignis eſt, cùm tantum

calcar ſit ad ſummam aſſequendam felicitatem. Maxima enim refectio & corroboratio animi eſt contra omnes hominum contemptus aſperáſque fortunas Sinceritatis ſuæ conſcientia.

6. *Veneratio* Paſſio complicata eſt ex *Admiratione* & *Timore*. Utilitas refertur ad Politicas Societates & Religiones; nec obſcurè indicat obediendum eſſe Magiſtratui, * Deúmque eſſe ac Divinam Providentiam.

Dedignatio componitur ex *Admiratione* & *Securitate* vel *Audacia*. Hæc Paſſio non omnino inutilis eſt ad pacem animi & tranquillitatem, dum non ſinit ſe vel minis vel pollicitationibus hominum impotentium ad Virtutem veritatémque deſerendam moveri. Hujuſmodi fuit in *Socrate* contemptus erga *Anytum* & *Melitum*, cùm ſecurus eſſet quòd, tametſi eum occidere poſſent, non poſſent tamen lædere. Atque hæc breviter de *Admiratione*.

7. Quod ad ſequentes quinque Paſſiones primitivas attinet, *Amorem*, *Odium*, *Gaudium*, *Triſtitiam* & *Cupiditatem*; Uſus earum manifeſtiſſimus eſt, binæque priores in quintam ſemper deſinunt. Nam quicquid grati accidit excitat Gaudium ſive Voluptatem; Voluptas quæ ſentitur conciliat Amorem illius quod eam excitat; Amor denique Cupiditatem augendi, continuandi, aut repetendi aliquando hanc voluptatem. Ità ſi quid ingrati accidit, Triſtitiam ſive Dolorem parit; Dolor Odium cauſæ hujus doloris; Odium verò Cupiditatem amovendi ſe ab hac cauſa. Atque in his ſolis ferè conſiſtit ſalus & conſervatio omnium Animalium. Et, quod notatu dignum eſt, illæ Paſſiones quæ maximè omnium ſunt ingratæ non minùs hoc officium præſtant quàm quæ gratiſſimæ, *Triſtitiam* intelligo & *Odium*; propterea quòd Vita hæc malorum præſentiâ æquè ac defectu bonorum perditur.

8. Imò verò Natura videtur majori cum ſolicitudine amoliendis malis proſpexiſſe quàm voluptati fruendæ: ut videre eſt in efficaciſſima illa eloquentia quâ pleraque Animalia inſtruxit ad movendam commiſerationem opémque impetrandam quando triſtitiâ & dolore opprimuntur. Qualis eſt ille querulus flebiliſque Vocis tonus, Oculus vultúſque mœſtus & dejectus, Ejulatus, Gemitus, Lacrymæ, Suſpiria, & id genus reliqua, quæ certè vim maximam habent ad permovendum miſeratione animum, quò promptiùs opem feramus, aut maturiùs abſtineamus ab incepta injuria.

9. Neque omnino deeſt Natura in ea parte quæ ad Voluptatem conciliandam pertinet. Actio enim oculorum vultûſque quando lætamur multò gratior eſt aſpicienti multóque jucundior. Quod Lætitiæ effectum tanquam illecebras quaſdam ad morum urbanitatem mutuúmque placendi ſtudium Natura deſtinavit; quemadmodum priora illa Doloris effecta ad retrahendum nos ab omni injuria immerentibus inferenda, & ad exſtimulandum nos ad opem maturè ferendam miſeris & calamitoſis. Quòd verò Lætitiæ extremæ effectum ſit aliquando *Lipothymia*, neſcio an non Natura indè nobis ſubinſinuare velit, quòd Anima noſtra majoris ſit capax voluptatis & felicitatis quàm ferre poteſt præſens hujus terreſtris corporis ſtatus.

Quod igitur ad *Amorem* & *Odium*, *Dolorem* & *Lætitiam* attinet, Interpretatio eorum hæc eſt; ut quod bonum eſt nobiſmetipſis aliiſque, quantum poſſumus, conciliemus atque procuremus; neminem verò lædamus, ſed è contrà malum tum à nobiſmetipſis tum ab aliis quàm diligentiſſimè & officioſiſſimè amoliamur.

10. Omnis autem Diligentia animatur à *Cupiditate*, quæ Paſſionum excitatiſſima eſt; utpote quæ, cùm cor agitet violentiùs quovis alio affectu, plures ſpiritus cerebro ſuppeditat, qui redundantes in membra corporis agilius ipſum efficiunt & vegetius, animámque gratæ cuidam activitati & alacritati aſſuefacit, quæ aliàs defectu objecti quod eam exſuſcitet flacceſcere poſſet & torpere. Nam, (quemadmodum rectè alicubi monet *Verulamius*,) *Vita humana ſine propoſito vaga eſt & languida*.

Sed ſi feliciter & cum ſucceſſu *Cupiditatem* ferri velimus, cavendum eſt nè in ea derivetur objecta quæ non ſunt in noſtra poteſtate; nec vehementiori impetu feratur in ea quæ ſunt, quàm corpus hoc caducum & mortale patiatur.

Nam ea quæ in noſtra poteſtate ſunt abſolvi cupere feſtinantiùs quàm vires ferunt, conſimile eſſet atque ſi rurſus irretiremur iis rebus quæ ſimpliciter in poteſtate noſtra non ſunt. Unde maleſana hæc Cupiditas non tam alacritatem pareret quàm anxietatem & cruciatum.

Denique, cùm tam clarè pateat qui ſit Cupiditatis finis, nempe, ut vires accendat ad executionem Inſtituti, deponenda omnino eſt hæc Paſſio, niſi cùm in procinctu ſtamus ad exequendum ea quæ agenda decrevimus. Alioqui inutilis hic ardor, (præſertim in tenuiori corporis conſtitutione) inflammando ſpiritus, vires exhauriet, corpus areſaciet, ſanitatique illius maximopere officiet.

SCHOLIA

In Cap. VIII. Sect. VI.

DEúmque eſſe ac Divinam Providentiam. *Quod intellectum nolo ſimpliciter & in genere, quaſi omnis Veneratio, hoc eſt, omnis Admiratio & Timor, Dei Exiſtentiam argueret. Neque enim illud Poetæ*

Primus in orbe Deos fecit timor——

ità intelligendum eſt ac ſi quivis timor ſic feciſſet, ſed conſcia quædam ſuſpicio inviſibilis cujuſdam Poteſtatis, à qua malè nobis metuamus quoties internum conſcientiæ lumen lædimus aut violamus. Et certè ſi vel ſolus occultæ cujuſdam vindictæ timor ad Divinam agnoſcendam exiſtentiam tantum valeat, quid non faciet immenſæ illius Potentiæ, Sapientiæ ac Bonitatis, quæ in Nauræ Phænomenis elucent, adjuncta Admiratio?

Ζεῦ φίλε θαυμάζω σε——

CAP. IX.

Uſus & Interpretatio Paſſionum quas ſecunda Claſſis complectitur, Amoris *ſcilicet &* Odii.

1. INter *Amoris* ſpecies præcipuè conſiderandæ ſunt *Devotio*, *Complacentia*, & *στοργή*. Inter ſpecies *Odii*, *Horror*, & *Antipathia*. Per *Devotionem* erudimur tanquam per vivam Naturæ vocem ad credendum aliquid eſſe quod nobiſmetipſis charius & antiquius habere debeamus, & pro quo capita noſtra devovere non dubitemus. Hujus igitur Paſſionis uſus ad Politicam potiſſimùm ſpectat & Religionem, quæ ſine Virtute nulla eſt. Debentur igitur hujus Affectûs officia Principi, Patriæ & Religioni, hoc eſt, Deo veræque Virtuti. Unde palàm eſt eos errare contra lumen Naturæ qui docent ſummam Sapientiam in eo poſitam eſſe, ut quis ſe vitámque ſuam cæteris rebus omnibus ubique præponat.

2. Ex *Complacentia* & *Horrore* monemur res quaſdam eſſe pulchras, alias deformes, contra ſordidam iſtam quorundam opinionem qui hoc rerum diſcrimen explodunt, * &, ut plurimùm, cum illo, Vitii Virtutiſque; quæ ferè nihil aliud eſt quàm Symmetria Paſſionum quoad gradus & objecta, ut externa corporis Pulchritudo Symmetria partium cum decoro quodam gratóque earum geſtu & actione conjuncta. Quod id ipſum ferè eſt quod etiam in *Quæſtionibus Tuſculanis* notavit *Cicero*. Et ut Corporis *Lib.* 4. eſt quædam apta figura membrorum cum coloris quadam ſuavitate, eáque dicitur Pulchritudo: ſic in Animo opinionum judiciorúmque æquabilitas & conſtantia cum firmitate quadam & ſtabilitate, Virtutem ſubſequens aut Virtutem ipſam continens, Pulchritudo vocatur. Naturalis igitur hæc Complacentia atque Horror deducere nos debent ad amorem Virtutis & Vitii averſationem; quarum altera rerum omnium pulcherrima eſt, altera maximè deformis.

3. Uſus verò peculiaris illius Complacentiæ quæ vulgò *Amor* dicitur manifeſtò refertur ad propagationem liberorum. Quæ Paſſio, ſi ſit omnium importuniſſima, oſtendit Naturæ ſolicitudinem de continuanda humana ſpecie. Quod ſanè facit tanto aſtu & induſtriâ, ac ſi mallet Præſtigiatrix videri atque Incantatrix quàm homines ad opus tam neceſſarium non efficaciter rapere. Sed cùm finis hujus ardoris tam conſpicuus ſit, monemur ad quam menſuram ſit moderandus.

4. Quemadmodum verò Amor liberos gignendos reſpicit, ità *στοργὴ* genitos. Quæ ſi ſit major in parentibus erga liberos quàm viciſſim, planè innuit hujuſmodi Paſſiones pro uſu ipſarum magìs minúſve à Natura Creaturis inſeri. Major enim utilitas eſt affectûs parentum erga liberos (ut qui multò præſtant conſilio & viribus) quàm affectûs liberorum erga parentes; multóque rariùs accidit ut hi ipſorum ope indigeant quàm ut illi horum. Atque hinc menſuram ſumere debemus attemperandæ huic Paſſioni, nè nimiâ indulgentiâ viventes lædamus, mortuóſve affectu nimio inutiliter proſequamur.

5. Denique, *Antipathia*, quæ *Odii* quædam ſpecies eſt, ſed ex cauſis nata magìs abditis,

ditis, hunc uſum habet, ut, quaſi dato ſigno, nobis ab eo caveamus inter quem & noſmetipſos hunc Naturæ diſſenſum percipiamus intercedere, præſertim niſi ſit vir bonus; qualis ſi ſit, ſuſpicandum eſt nè ipſe ſis malus. Unde obfirmato animo amicitiam cum ipſo colas, ſi poſſis; nihil enim periclitabitur præter improbitatem tuam.

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. II.

Et ut plurimùm, cum illo, vitii virtutiſque, *&c. hoc eſt, Diſcrimen vitii virtutiſque pariter atque pulchritudinis ac deformitatis explodunt. Quæ opinio meritò ſordida exiſtimanda eſt, & quæ animum abjectum ac jacentem arguat, omniáque guſtu ac tactu menſurantem, quaſi mera eſſent* μελαίνης ἔντερα γαίης *nec viliſſimo Lumbrico plus ſuperent. Sic profectò ſunt qui nullam agnoſcunt pulchritudinem in juſta partium ſymmetria, harmoniâve ſonorum.*

CAP. X.

Paſſionum tertiæ Claſſis, quas Cupiditas *ducit, Uſus & Interpretatio.*

1. Cupiditatis ſpecies primæ ſunt *Spes*, *Metus*, *Zelotypia*, *Securitas*, & *Deſperatio*; alteræ, *Animi fluctuatio*, *Animoſitas*, *Audacia*, *Æmulatio*, *Puſillanimitas*, & *Conſternatio*.

2. *Spes* ex Lætitia & Cupiditate componitur, *Metus* ex Cupiditate & aliquali Triſtitia. Eſt enim Imaginatio debilis quidam ſenſus, ut ait *Ariſtoteles*; Senſus verò præſentium, ut etiam Triſtitia & Lætitia. Eventus autem animo præſentes ſunt, quamvìs non ſint re ipsâ, ac proinde & præſentes & abſentes ſunt, poſſúntque eſſe objecta tam *Lætitiæ* vel *Triſtitiæ* quàm *Cupiditatis*. Uſus *Spei* eſt, ut prolectemur ad agendum; *Metûs*, ut cautè & diligenter agamus.

3. Eſt autem uſus quidam ſpecialis & præcipuus hujus Paſſionis qui refertur ad res Politicas. Cùm enim maxima pars hominum impii ſint, vix ulla Civitas ſtare poſſet, ſi pœnarum formidine in officio non continerentur.

4. *Zelotypia* componitur ex Cupiditate, Triſtitia & Exiſtimatione. Ejus proprius uſus cernitur in curandis & tutandis rebus maximi momenti. Unde eam adhibere rebus minoris pretii inhoneſtum eſſet & ridiculum.

5. Ex quibus Paſſionibus *Securitas* componitur & *Deſperatio*, planè liquet ex antedictis: cùm *Securitas* nihil aliud ſit quàm Spes omni metu libera; *Deſperatio* nihil niſi Metus omni ſpe deſtitutus. Prioris uſus eſt contra nimiam vel ſuperfluam curam & diligentiam. Poſterior inſervit avellendo animo ab Inſtituto non ſucceſſuro, ut ad ea quæ meliùs ſuccedere poſſint convertatur.

6. *Fluctuatio animi* componitur ex Cupiditate & Triſtitia. Uſus illius eſt, ut in electione rerum non erremus. Vexatio autem illa quæ eam comitatur à Natura Indicatio eſt quòd una res alteri multò præſtat, quódque maturè omnem diligentiam adhibere debemus ad diſpiciendum quid ſit optimum, & quæ maximè ad illud aſſequendum aut retinendum accommodata; atque adeò vitam noſtram ex deliberatis quibuſdam deſtinatiſque Principiis & Judiciis inſtituere, à quibus certo & confirmato animo apud noſmetipſos decrevimus non eſſe recedendum.

7. *Animoſitas* & *Audacia*, utræque componuntur ex Cupiditate, Lætitia & Triſtitia; ſed ità ut Lætitia Triſtitiam multùm ſuperet: cùm Triſtitia ſit ex objecto periculo, quod tamen præ excellentia finis aggrediendi periculi ferè contemnitur; Lætitia ex certitudine finis aſſequendi. Hujus affectûs uſus præcipuus eſt in liberando Patriam aut Principem ab hoſtibus, & in teſtimonio perhibendo Veritati quantumvìs cum extremo vitæ noſtræ periculo, ut aut immortalem gloriam, aut æternam vitam, conſequamur.

8. *Æmulatio* componitur ex Cupiditate, Lætitia & Exiſtimatione. Uſus cernitur in præclaris Virtutum exemplis ad quæ imitanda hoc affectu nos ſtimulat Natura. *Puſillanimitas* componi videtur ex his omnibus, Cupiditate, Spe, Metu & Exiſtimatione, ſed gradu valde remiſſo. Hujus præcipuus uſus eſt circa objecta non magni ſanè pretii, quamvìs à quibuſdam fortè haud parvi æſtimentur. *Conſternatio* componitur ex

immenſa Admiratione, Cupiditate & Triſtitia. Videtur autem eſſe quædam à Natura Exprobratio & Monitio, quàm turpiter eâ animi præſentiâ careamus quâ ſemper cinctos & armatos nos eſſe oportet contra omnes inopinatos Fortunæ incurſus. Idémque ferè illius uſus eſt & ſignificatio quæ ***Animi fluctuationis***, ut bene ſubductis rationibus in numerato habeamus quid agendum ſit in unoquoque caſu, quídque patiendum, & quo utrumque demum modo.

9. Porrò, ſubinſinuare videtur horrendum aliquod & ſtupendum in Natura periculum latere, quod maximè proprium hujus Paſſionis ſit objectum, ad quod tamen parati ſemper eſſe debemus, (ſive hoc ſit uniuſcujuſque Mors particularis, ſive Univerſi Solutio, de qua non ſolùm fabulati ſunt Poëtæ, ſed & Sapientes ſeriò philoſophati,) ut,

> *Si fractus illabatur Orbis,*
> *Impavidos ferient ruinæ.*

Hoc enim videtur Sinceritatis & Innocentiæ ab ipſa Natura promiſſum præmium. Atque hæc de Paſſionibus tertiæ Claſſis.

CAP. XI.

Interpretatio & Uſus Paſſionum quartæ Claſſis, quam conſtituunt Gaudium & Triſtitia.

1. Quartæ Claſſis Paſſiones ſunt, Primò, ***Irriſio***, ***Commiſeratio***, ***Invidia***, ***Congratulatio*** : Deinde, ***Satisfactio***, ***Pœnitentia***, ***Morſus Conſcientiæ***; item ***Favor***, ***Gratitudo***, ***Indignatio***, ***Ira*** : Tertiò, ***Gloria*** & ***Pudor*** : Poſtremò, ***Faſtidium***, ***Deſiderium***, & ***Hilaritas***.

2. ***Irriſionis*** utilitas præcipuè refertur ad leviuſculas humanæ vitæ ſordes ac deformitates everrendas & detergendas. Ex hoc fonte emanavit ***Poeſis Satyrica***; quemadmodum ex Amoris effectis & Audaciæ ***Epica*** originem duxit & ***Tragœdia***. Neque enim ***Satyrica*** tam ipſa Vitia quàm circumſtantias ipſorum maximè ridiculas inſectatur.

Irriſio componitur ex Lætitia & Odio; & ſi malum ex inopinato accidit, comitatur ***Cachinnus***. Eſt autem Objectum ***Riſûs***, quemadmodum ***Ariſtoteles*** (ſi rectè memini) alicubi monet, κακὸν μὴ φθαρτικὸν, ***malum minimè exitiale***. Unde non dubito quin ſuboriri poſſit ubi nullum omnino ſubeſt odium. Poteſt enim ſolummodo eſſe Congratulatio quædam & Hilaritas quòd malum non magnum erat, quamvìs inopinatum, & quòd tam expeditè & dexterè erat ſuperatum.

3. Objectum igitur illius in hiſce locis bonum eſt : Et quodammodo etiam ubi malum non ſuperatur, hoc eſt, ubi res non redintegratur, ſi jactura ejus non magni ſit momenti. ***Parvum enim malum rationem habet boni.*** Unde videtur ***Riſus*** quaſi vox Naturæ ſibiipſi plaudentis quòd, cùm ſit propenſio quædam effrænis lubricæque Materiæ ad magna multifariáque Infortunia, ità tamen à Conſilio Divino proſpectum ſit, ut in valde leves & tolerabiles Offenſiunculas abeant. Quod certè meritò Lætitiam excitet.

Quòd ſi quis oblectare ſe poteſt Fatuorum aut Mamacorum ſpectaculis & deliriis, indicium eſt ipſum non ſatìs magni æſtimare Mentis ſanitatem. Quod ſi faceret, contriſtaretur magìs ex horum conſpectu quàm laceri cujuſvis cadaveris miſeréque dilaniati.

4. ***Commiſeratio*** miſcetur ex Amore & Triſtitia. Ejus uſus manifeſtò refertur ad miſeros ſuccurrendos & ad Juſtitiam tuendam, nè quis inſons extremo plectatur ſupplicio, cùm tam immane facinus ipſa Naturæ viſcera lancinaret, gemitúſque & ſuſpiria ex omnium mortalium præcordiis eliceret. ***Invidia*** componitur ex Triſtitia & Odio. Ejus utilitas præcipuè refertur ad munera honoréſque rectè diſtribuendos. Neque enim hæc Paſſio vitium illud eſt quod meritò omnes explodunt, ſed optimus à Deo datus affectus. Quem & ipſe plùs ſemel notavit ***Ariſtoteles*** Nemeſin appellari, ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως, ***à juſta cuique diſtributione***; officiúmque boni viri eſſe contendit, in ***Rhetoricis***, condolere iis qui immeritò infelices ſunt, eorúmque miſereri; iis verò qui immeritò felices ſunt indignari, ſive invidere. ***Injuſtum enim eſt***, inquit ille, *Lib. 2. cap. 9.* ***quod præter meritum ſit : unde Diis ipſis hanc indignationem attribuimus.*** Quæ tamen eadem Paſſio eſt atque hæc ***Invidia*** quam ſuprà definivimus.

Ex hiſce Paſſionibus igitur ***Commiſerationis*** & ***Invidiæ*** monemur tanquam ipſius Naturæ voce aliquid eſſe juſtum, & injuſtum, vel æquum, & iniquum; atque hoc fugiendum eſſe, illud verò amplectendum.

5. ***Congratulatio*** componitur ex Amore & Lætitia, poteſtque eſſe ſtimulus ad communem Beneficentiam. Nam qui hâc virtute præcellit, debetur illi proſperitatis ſuæ communis omnium Congratulatio.

Satisfactio ſive *Acquieſcentia in ſeipſa*, quemadmodum etiam *Pœnitentia* & *Conſcientiæ morſus*, manifeſtò omnes faciunt ad ſervandam bonam Conſcientiam. Indicant porrò planiſſimè diſcrimen Benefactorum & Malefactorum, liberóque nos præditos eſſe Arbitrio. Eſt enim hæc *Acquieſcentia* ſive *Satisfactio* nihil niſi plauſus quidam & exſultatio animæ ex rectè facti conſcientia. Qui certè affectus valde ſtolidus eſſet, ſi non eſſent quæ rectè fiunt, quæque ſecús. Quanquam fatendum eſt pleroſque homines fœdiſſimè aliquando hallucinari circa Objectum hujus Paſſionis, ſibíque tum maximè applaudere tanquam re bene geſtâ, cùm atrociſſima Flagitia commiſerunt.

De Paſſion. Anim. part. 3. Artic. 190. 6. Cujus dementiæ nullum eſt inſignius ſpecimen, quàm quod ipſe *Carteſius* nobis ante oculos ponit de Hypocritis quibuſdam & Superſtitioſis, qui, eò quòd ſæpe frequentent templa, multas recitent preces, capillos tonſos habeant, à cibis abſtineant, eleemoſynas largiantur, ſe planè perfectos putant, omnéque quod ipſis ſua Paſſio ſuggerit bonum zelum eſſe; etſi quandoque ſuggerat maxima crimina quæ in homines cadere poſſint, ut prodere urbes, trucidare Principes, exterminare integros populos, ob id ſolùm quòd ſuas opiniones non ſequantur.

7. Quod verò *Pœnitentiam* attinet, ſi omnia fierent *neceſſariò*, perinde ridiculus eſſet omnis ex malefacti conſcientia dolor, ac ſi Ruſticum pœniteret quòd non natus ſit Nobilis, aut fœminam quòd non nata ſit mas. Eadémque ratio eſt de *Morſu Conſcientiæ*, qui planè innuit, ſi in electione erremus, quòd id culpâ noſtrâ ſit, quódque poteramus meliorem feciſſe electionem. *Favor* etiam & *Indignatio* idem ferè ſignificant. Ex hoc enim illæ oriuntur Paſſiones, quòd quædam rectè ab hominibus fieri arbitremur, quædam contrá.

8. *Gratitndo* verò videtur pars quædam naturalis Juſtitiæ commutativæ; ut *Commiſeratio*, *Invidia*, *Favor*, *Indignatio*, Juſtitiæ diſtributivæ partes quaſi quædam naturales videri poſſunt. Ipſa verò *Ira* præter cæteras. Eſt enim Vindicta Juſtitiæ punitivæ pars conſpicua, quam ἐν τῷ ἀντιπεπονθότι *in retaliatione* potiſſimùm collocârunt *Pythagorei*, teſte *Ariſtotele*.

Ad Fortitudinem etiam *Ira* facit perinde atque *Audacia* & *Animoſitas*; quemadmodum innuit non inelegans illa *Theagis* ſententia: *Ira enim & Cupiditas ad principem Animæ partem ita ordinantur, ut altera illius quaſi ſatelles ſit corporiſque cuſtos, altera œconomus & curator neceſſariorum. Cupiditatem* Opſonatori, *Iracundiam* Militi comparat. Eſt autem *Ira* Paſſio compoſita ex Odio, Cupiditate & Amore ſuiipſius, directè *Gratitudini* oppoſita, ut *Indignatio Favori*. Sed hiſce aliis tribus Affectibus longè vehementior eſt, quia Cupiditas repellendi res noxias & ſeſe ulciſcendi eſt omnium urgentiſſimum, ut rectè monet *Carteſius*.

9. Neque eò magìs abhorrendum eſt ab hac Paſſione quòd miſcetur cum Odio: Eſt enim totius θυμοειδοῦς ſive *Iraſcibilis* (quod Scholæ vocant) familia valde utilis & neceſſaria, cùm noſtra magìs interſit amoliri mala quàm gaudere bonis non neceſſariis. Qui igitur ſe totum ad *Concupiſcibilis* motus componit, prætexendo neſcio quam ſpeciem pacis & dulcedinis, caveat nè evadat Pietatis Boníque publici proditor. Nam ſi *Iraſcibile* quis in integrum deponit, vafer eſt, aut mollis, aut uterque, & qui nunquam eſſe poterit δορυφόρος ἱκανὸς καὶ πιστὸς σωματοφύλαξ τῆς ἀρετῆς, (quemadmodum loquitur *Theages*) h. e.

Virtutis verus cuſtos rigidúſque ſatelles.

10. Eſt etiam *Gloriæ* & *Pudoris* uſus excellentiſſimus. Prior enim ad omnia præclara perpetranda ſtimulat; poſterior à rebus turpibus avocat & deterret, adeò ut ſit quaſi Arx quædam Virtutis atque Vallum. *Gloria* ex Lætitia, Amore ſuiipſius & Exiſtimatione componitur: *Pudor* ex Triſtitia, Amore ſuiipſius & aliquali Deſpectu. Unde *Pudor* nec in peſſimos nec in optimos cadit. Nam qui ſibi conſcius eſt ſe libero ſuo arbitrio conſtanter uti ad ea quæ optima ſunt, novit ſe non debere contemni, ac proinde omni contemptu ſuperior ipſummet contemnit contemptum; quæ magna pars eſt *Generoſitatis*: in improbis verò ſummum Improbitatis faſtigium; Impunitas enim *Tuſcul. Quæſt. lib. 4.* peccatorum data videtur eis qui & ignominiam & infamiam ferunt ſine dolore.

11. Eſt igitur harum Paſſionum, *Pudoris* nempe atque *Gloriæ*, ſatìs facilis Interpretatio. Utræque enim indicant communi hominum judicio potiùs ſtandum eſſe quàm proprio. Quod multum facit non modò ad Morum venuſtatem, ſed ad Obedientiam Politicam. Nam ex hoc inſtinctu Naturæ docemur quòd nemo privatus debet quicquam contra Leges committere; quoniam *Lex eſt totius populi, de rebus, ſententiæ*

vel opinionis teſtimonium, indicans quomodo agenda ſint ſingula, definiente *Ariſtotele*. Rhet. lib. 1. c. 1. *Pudor* autem ille naturalis ſive *Verecundia* quæ eſt circa voluptates corporis nos monet, eas non ſatis eſſe dignas hominis præſtantiâ, ac proinde contemni & rejici oportere; quod ſcitè alicubi innuit *Cicero*.

12. Quòd verò etiamnum in nobis obtinent inſtinctus illi *Pudoris* ac *Gloriæ*, cùm tamen ubique terrarum quaſi maximum quendam Turpitudinis Magiſtrum ac Fautorem populum habeamus, atque omnem undique ad vitia conſentientem multitudinem; ſubindicare videtur quòd humanum genus in præſtantiori aliquando poſitum fuerit ſtatu & conditione.

Cæterùm ut res nunc ſunt, ſummopere cavendum eſt nè præ pudore aut popularis gloriæ aucupio id quod reverâ honeſtum eſt deſeramus; qui pernicioſiſſimus eſſet harum Paſſionum abuſus. Nullum igitur Theatrum Virtuti Conſcientiâ majus habendum eſt, quæ dum tibi ob tua rectè facta plaudit, reliquorum mortalium ſibilos & obloquia omninò contemnere Heroicum eſt. Illi pudore ſuffundi debent qui malè faciunt, non qui ob bene facta malè audiunt aut iniqua patiuntur. Eſt enim vera Virtus, ut & ipſa Philoſophia, paucis, quod ait *Cicero*, contenta judicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eique ipſi & ſuſpecta & inviſa. Tuſcul. Quæſt. lib. 2. Contemnamus igitur omnes ineptias, prout ille monet, totámque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine, & omnium rerum humanarum contemptione & deſpicientia, conculcatiſque vanis falsíſq; hominum opinionibus, in omni demum Virtute veritatéq; ponamus. Tuſcul. Quæſt. lib. 4.

13. Denique, quantùm ad *Faſtidium, Hilaritatem* & *Deſiderium* : *Faſtidii* utilitas refertur ad Temperantiam. Ea enim ferè ſunt quæ faſtidire ſolemus, quorum uſui aliquando plùs juſto indulſimus. Monemur portò, ex eò quòd omnium rerum corporearum uſus diuturnior faſtidium parit, animum ad res intellectuales convertere, maximéque omnium ad Deum.

Hilaritatis uſus præcipuè ad Tolerantiam ſpectat. Debemus enim eò lubentiùs quæ ingrata ſunt ſuſtinere, quoniam majori tandem compenſabuntur lætitiâ. Quo genere argumenti videtur uſus eſſe *Æneas* ad ſuos Comites,

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

14. *Deſiderium* componitur ex Triſtitia, Amore, Deſperatione & Cupiditate. Uſus illius eſt ad acuendam diligentiam in conſervando bono quod poſſidemus, cùm illius jacturam tantus comitaturus ſit cruciatus. Vis hujus affectûs præcipuè cernitur in obitu amicorum, aliorúmve hominum pulchritudine corporis animíque dotibus præcellentium, & de humano genere ex præclarè geſtis optimè meritorum.

Quis deſiderio ſit pudor aut modus
Tam chari capitis? præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.

Horat. lib. 1. Od. 24.

15. Hæc Paſſio igitur prima docuit mœſtos mortales Pompam funebrem inſtruere, flebilibúſque Threnodiis dulcem illam & decoram animi amaritudinem majorem in modum accendere; Memoriam mortuorum elogiis & monumentis æternitati conſecrare; tandémque (quod tamen omni funere magis dolendum eſt) eò inſaniæ erumpere, ut templa & aras defunctis exſtruere non dubitârint, &, tanquam ſi Dii ſtatim facti eſſent, poſtquam homines eſſe deſiverant, invocare ipſos, votáque nuncupare, adeóque humanam vitam turpiſſimâ Superſtitione & Idololatriâ conſpurcare. Qui omnium peſſimus eſt hujus Paſſionis abuſus.

CAP. XII.

Quòd propriè dictæ Paſſiones omnes in ſe bonæ ſunt, quódque ex ipſarum Interpretatione conſtat aliquid eſſe ſuâ naturâ bonum & malum; & quæ tandem ſit illa natura ſive eſſentia Boni Malique.

1. CÆterùm quòd in ſe tum hæ tum reliquæ propriè dictæ Paſſiones omnes bonæ ſunt, ſi non eis abutamur, ex prædictis clarè conſtat, Affectúſque eſſe (quemadmodum monet *Theages*) παρόρμασιν τινα καὶ ἐνθυσιασμὸν τᾶς κατὰ φύσιν ἀρετᾶς, *Impetum quendam & Enthuſiaſmum illius virtutis quæ à ſola Natura eſt*, abſque electione

&

Magh. Moral. lib. 2. cap. 8.

& deliberatione noſtra. Enthuſiaſmi enim eſt *impetu ferri abſque ratione ad agendum aliquid*, ut ſuprà notavi ex *Ariſtotele*. Itaque cùm omnem deliberationem & electionem noſtram Affectus hi antevertant, à Deo planè ſunt & à Natura; ac proinde omne illud quod illi bonum æquúmque eſſe indicant eſt revera bonum æquúmque, & quod amplectendum eſt & præſtandum à nobis tam erga noſmetipſos quàm erga alios, quouſque fieri poteſt citra tertii alicujus injuriam.

2. Eſt enim hæc lex Naturæ in Animali Regione regnans confuſum quaſi quoddam murmur & ſuſurrus Divinioris cujuſdam legis, cujus vox multò articulatior eſt in Regione Intellectuali. In inferiori autem hac Regione ille cauſæ ſtatus ſæpenumero occurrit qui à Juriſperitis vocatur *Caſus omiſſus*. Unde crebras oportet fieri Provocationes ad Rationis Tribunal de tempore, de menſura, déque aliis Actionum Circumſtantiis. Ea enim eſt Rationis natura, ut & *diſtinctiùs* & *ſeparatiùs* dijudicet quàm lumen Animale ſive Lex Paſſionum. *Diſtinctiùs*, ut quæ facultas eſt quæ examinare poteſt naturas rerum earúmque circumſtantias, cùm Paſſio ſit cæcus tantummodo & indefinitus Impetus ad rem ſine omni naturæ rei notitia: *Separatiùs* & *abſtractiùs*, ut quæ non quærit quid bonum vel gratum ſit huic vel illi perſonæ, ſed quid ſimpliciter bonum meliúſve ſit & gratum gratiúſve eſſe oporteat in datis circumſtantiis.

3. Hæc enim eſt indoles omnis Intellectualis facultatis, prout ſuprà monui, non quid huic vel illi, ſed quid ſimpliciter verum bonúmve ſit, percipere & definire. Unde palàm eſt, quicquid Intellectuale veréque Morale eſt, eſſe Divinum quiddam Deóque affine, quem ſcitè admodum appellat *Ariſtoteles* Νόμον ἰσοκλινῆ, *Legem quoquoverſum æqualiter inclinantem*.

4. Quàm autem Divinum illud eſſet & Intellectuale Documentum, *Licitum eſſe quicquid Paſſio ſuadet*, quamvìs alicujus ratio pertenderet id abſtractè & in genere definiri poſſe tanquam præcipuum humanarum Actionum Fundamentum, nemo non videt. Quis enim niſi turpe aliquod Paſſionum mancipium tam inſanam ſententiam proferret? Unde palàm eſt, non ex Ratione, ſed Affectu, depromi. Nunquam enim committet recta Ratio ut tale Fundamentum humanarum actionum ponat, quo nihil efficacius eſt non ſolùm ad perturbandas, ſed ad evertendas res humanas penitúſque delendas.

5. Nam ex hoc Principio ſtatim ſequetur, quòd quis rectè & licitè non ſolùm domum, ſed totam urbem ubi habitat, noctu clàm faces ædificiis ſubmittens, incendiis poſſet vaſtare, puteos publicos venenis inficere, uxorem & liberos trucidare, vel oculos ipſis effodere, & manus naréſque amputare, ſine omni cauſa, niſi quòd hoc volupe eſt, præſentíque ſic litatur Paſſioni. Quod Fundamentum cùm omnium ſit falſiſſimum, & à Natura humana maximè alienum, continuò ſequitur, proprium cujuſque Affectum non eſſe menſuram boni vel mali, ſed Affectus ipſos ab alio aliquo Principio limitari debere.

6. Proximum autem Principium quo limitentur Paſſiones, & quod in datis circumſtantiis quid bonum ſit vel malum novit definire, *Ratio* eſt. Quod verò rectæ Rationi bonum vel malum videtur, id revera ſuâque naturâ bonum eſt vel malum. Eſt enim hæc à mente noſtra rectè concepta Ratio ipſius rei formalis ratio, ſive natura vel eſſentia ſibi repræſentata: quemadmodum Trianguli natura vel eſſentia illa eſt quam recta Ratio ſibi repræſentat.

7. Unde clarè conſtat eſſe certas quaſdam fixáſque Boni & Mali Notiones vel Ideas, quemadmodum ſunt Figurarum in Mathematicis, quas Affectus non magis definit quàm Senſus Figuras; ſed utraſque Ratio & Intellectus circumſcribunt; has ex certo ductu & complexu linearum, illas ex debito & indebito circumſtantiarum concurſu, ex quo variæ ſpecies & denominationes boni & mali oriuntur. Unde demum patet, quod dixi, Principium illud quo bonum malúmque Morale dijudicatur Intellectuale eſſe, & quodammodo Divinum.

8. Quod cùm ſit, non poteſt non deprehendere Divinum aliquid etiam in lege Animali (quæ à Natura Naturæque Parente Deo profecta eſt) latitare, ipſiúſque Indicationes nos ſemper ſequi debere, niſi quid melius, omni affectu & præjudicio ſepoſito, dijudicetur. Quo uno dato, (quod tamen nemo niſi mente captus negare poteſt,) infinita ſeges indè ſuccreſcet Inſtantiarum earum rerum quæ ſuâ naturâ juſtæ vel injuſtæ, honeſtæ vel turpes, dicendæ ſunt, ut cuivis percurrenti præcipuas Paſſionum Indicationes quas ſuprà notavimus planè conſtabit. Nam proculdubio ea naturâ juſta ſunt vel injuſta, honeſta vel turpia, quæ vox Dei in Natura ità eſſe declaravit. Quod Poriſma in humana vita inæſtimabilem uſum habet ad contundendam eorum audaciam qui tam perfrictâ fronte contendunt omnia perinde, ſi lubet, licere.

9. Verùm interea videmus tantum abeſſe ut Affectus animi exterminandi ſint, ut potiùs (quod & ſuprà innui) * eodem ferè loco ſint habendi quo ipſa corporis organa,

cùm æquè diſtinctos uſus ac illa habeant, cúmque non ſolùm ſint virtutum materia, ſed ex illis effulgeat non prorſus evanidum ipſarum Virtutum Simulacrum vel Imago. Ipſæ igitur Paſſiones nos ad Virtutem ducent tanquàm δᾳδοῦχοι quædam ſive λαμπαδηφόροι, *tanquam faces lampadáſve nobis præferentes*, ſi rectè eas nôrimus interpretari. Nec facilè poſſumus ſine illis eò ferri, quantumvìs à Ratione provocati, non magìs quàm ambulare ſine pedibus, vel abſque alis volare.

Unde diſpicere quis poteſt quàm non temere id dictum ſit à *Theage*, *Quòd Virtus oritur ex Paſſionibus, & cum ipſis rurſus conſiſtit & conſervatur.* Maxima enim pars Virtutis in μετριοπαθείᾳ poſita eſt, *ità ut nec ſine Paſſione quiſpiam ſit, nec Paſſionibus nimiùm emotus. Impaſſibilitas enim tollit omnem illum animæ impetum & Enthuſiaſmum erga illud quod pulchrum eſt; nimia verò animi emotio perturbationem ſuperinducit rationiſque defectum*; ut idem monet Philoſophus.

10. Concludamus igitur tandem cum *Archyta Pythagoreo*, *Itaque contendendum eſt ut ad moderatum Paſſionum uſum habitúmque perveniamus, adeò ut indolentiam æquo ſtudio vitemus ac nimiam animi emotionem, nec majora quàm noſtra fert natura faſtuosè profiteamur.* Quæ certè ſunt multò æquiora atque humaniora quàm quæ reperias apud *Stoicos* & quoſdam *Platonicos*. Cæterùm ſemper meminiſſe oportet μετριοπάθειαν hanc ad quam aſpirare debemus in eo potiſſimùm conſiſtere, quòd non ampliùs affectibus indulgeamus quàm in quantum inſerviant illi fini ad quem à Naturâ deſtinantur. Atque hæc de *Paſſionibus* propriè dictis.

SCHOLIA

In CAP. XII. SECT. IX.

EOdem ferè loco ſint habendi quo ipſa corporis organa, *&c. Vel ut pleniùs dicam, quo ipſum corpus in tot organa diſtinctum. Nam plenitudo vitæ ac ſubſtantia quaſi, eſt ipſa Animæ* Plaſtica *maximè propria omnium paſſionum ſedes, ſubjectúmque firmiſſimum & ampliſſimum* τῆς παλιγγενεσίας *ſive* Regenerationis, *idque ad quod potiſſimùm ſpectat* Luciformis corporis *reſuſcitatio, ut loquuntur* Pythagorei.

CAP. XIII.

De reliquis Paſſionibus, ſive Impreſſionibus corporeis.

1. QUod reliquas *Impreſſiones corporeas* attinet, earum genera ad has duas ferè Claſſes referri poſſunt; nempe, vel ad *Senſationem*, *Imaginationem*, Ἰδιοσυγκρασίαν, ſive *Peculiarem corporis temperiem*, & *Conſuetudinem*; vel ad *Educationem*, Ἰδιοπάθειαν, ſive *Affectum proprium*, & *Proſopolepſiam.* Primæ claſſis Impreſſiones in eo conveniunt, quòd conſiderantur citra omnem affectum propriè dictum. Secundæ, quòd eas affectus aliquis propriè dictus concomitatur. Per *Senſationem* hìc intelligo non ipſum ſentiendi actum, quæ eſt propria vocabuli ſignificatio, ſed labem illam pravámque quam illa imprimit animæ propenſionem ad errorem. Et ſic ferè de cæteris.

2. Eſt igitur *Senſatio Impreſſio corporea quâ propendet Anima ad cogitandum res tales eſſe in ſua propria natura quales externo ſenſui apparent.* Ut ſi quis, ex eò quòd aliquid ſuo Guſtui gratum animadverterit, ſtatim concluderet illam ſuavitatem vel dulcorem ipſi rei ineſſe quam guſtat, ac proinde omnibus tam brutorum quàm hominum guſtibus illud æquè gratum fore.

Eadémque fallacia animæ videtur obtrudi in Viſu, dum cogitat lucem vel colores quos percipit eſſe revera in rebus ipſis quas videt; cùm tamen perinde falſum eſt ac ſi cogitaret dolorem illum quem ſentire poſſit in pedibus, dum per loca aſpera ambulat, eſſe in ipſis lapidibus, vel eum quem ſentit ex tactu ſubjecti calidi eſſe in ſubjecto illo calido quod tangit. Calor autem non magìs in ſubjecto eſt quàm dolor, cùm utraque creentur ex particularum agitatione : quæ ſi moderatior ſit, calorem percipimus ſine dolore; ſi ad ſenſus noſtros immoderatior, neceſſe eſt dolorem percipere ſimul cum calore. Calor igitur & dolor tantùm gradu differunt, ac proinde ſunt in eodem ſubjecto, id eſt, in nobiſmetipſis. Et ſic de reliquis externorum ſenſuum Objectis.

3. *Imaginatio* eſt *Impreſſio corporea, quâ propendet Anima ad credendum ea aut eſſe aut fore, quæ tamen nec ſunt nec futura ſunt unquam.* Ut *Senſatio* animam, ni

ſibi cavet, facilè in errorem ducit circa naturas rerum; ità *Imaginatio* circa earum exſiſtentias, ſive præſentes ſive futuras. Nam quemadmodum vigor Senſûs nos ſecuros reddit de reali alicujus rei præſentia & exſiſtentia; ità Imaginationis vehementia, quæ ipſum Senſum quodammodo æquare poſſit, aut ſaltem imitari, facilè falſam animæ obtrudit ſecuritatem rem aliquam veram eſſe vel fore, ex eo ſolo quòd ità eſſe vehementiùs imaginatur. Sed quomodo hæc obreptantia phantaſmata variaque vigilantium inſomnia detegi poſſint & evitari, fuſiùs edocuimus in Libro de *Enthuſiaſmo*, quò remittendus eſt Lector.

Sect. 51, 52, 53, &c.

4. Ἰδιοσυγκρασία eſt *Impreſſio corporea ex toto ferè corporis temperamento naturalique conſtitutione orta, quâ perceptio animæ impeditur vel pervertitur in quibuſdam rebus contemplandis.* Hujuſce labis corporeæ multa produci poſſint exempla. Nos uno & altero contenti erimus. Hinc igitur eſt quòd quoſdam videmus ſatis habiles, ſi non inſignes, Mathematicos, qui tamen valde ſcævum & ineptum habent ingenium ad res Theologicas vel Metaphyſicas; quíque dum naturam *Corporis* tam integrè & perfectè ſe intelligere gloriantur, profitentur interim quid *Spiritûs* notio vel ſignificatio ſibi velit ſe prorſus ignorare, nec ullo modo poſſe percipere: cùm tamen alii tam immoderato impetu ferantur ad imaginandum præſentiam *Spirituum* in omnibus mundi locis, ut vix credant tonare vel pluere poſſe ſine ipſorum miniſterio; imò iſtiuſmodi aliquando *Spirituum* Ideas ſibi fingunt tam operoſas & inexplicabiles, ut cujuſvis alterius mentem valde ſudare & æſtuare oporteat, ſi velit apud ſe eoſdem conceptus expedire.

5. Hæc autem ineptitudo cogitandi ac pravitas, quantum ego exiſtimare poſſum, oriri videtur ex ipſa corporis temperie: quæ in uno homine ſpiritus reddit magìs viſcoſos, craſſos & tenaces; in altero inæqualiter & indomitè agitatos & volatiles. Quòd ſi quis (quemadmodum Chymici vulgò jactant de Arcano quodam faciendi volatile fixum, & fixum volatile, quo ſibi montes planè aureos pollicentur,) ſpiritus ſuos ad ſatis perfectam ſubtilitatem & volatilitatem reducere poſſit, & cùm vellet denuo immobili quodam obtutu, ſine omni vibratione vel fluctuatione, in Ideam quamlibet vel Objectum quod contemplari velit defigere; haberet ſanè illam Facultatem, quâ nulla majorem vim habet ad acquirendam accuratiſſimam rerum omnium Notitiam.

6. *Conſuetudo* eſt *Impreſſio corporea quâ valde inclinatur anima ad judicandas res veras eſſe bonáſve & decoras ex eo ſolo quòd conſueverit ità exiſtimare, juxtáque hanc opinionem agere, cùm aliàs nulla ſubeſſet ità exiſtimandi & agendi ratio.* Hujus depravationis inſtantia maximè illuſtris reperitur in Anthropophagis, qui ſine omni horrore humanâ veſcuntur carne. Sed hæc depravationis vis in ſingulis ferè rebus ſe prodit, Conſuetudine in alteram abeunte Naturam, ut *Cicero* rectè ex *Ariſtotele* notat. Unde inveteratæ Opiniones communium Notionum locum habent apud pleroſque homines, & Mores aſſueti, quantumvìs peſſimi, rationem Legis cujuſdam naturalis. Quamobrem maturè cavendum eſt nè rebus malis falsíſve nos aſſuefaciamus, nec immiſceamus nos eorum ſocietati qui malis moribus pravíſve opinionibus ſunt imbuti. *Senſus enim bonarum rerum ex converſatione & familiaritate cum hominibus improbis paulatim deteritur & abluitur.*

7. *Educatio* eſt *Conſuetudo cum notabili aliquo affectu conjuncta.* Solent enim qui juvenes inſtituunt ingenerare ipſis amorem & exiſtimationem earum rerum quibus animos eorum imbuere velint, quaſi maximè ipſorum intereſſet ſic erudiri. Unde non ſolùm propenſi ſunt ad credendum eas res veras bonáſque eſſe, ſed magno ſe ſtudio ardoréque animi ipſas tueri debere, valdéque ſibi metuere, ſiquis eos tentet ab aſſuetis cogitationibus avellere. Atque hoc pacto quamplurimi homines fœdis erroribus exſecrandíſque impietatibus ex mala educatione contractis inſeneſcunt & immoriuntur. Ità ut multò præſtitiſſet eos ſoli Naturæ Deóque relictos fuiſſe, quàm in tam miſeros incidiſſe magiſtros, quorum imperitiâ aut perfidiâ primi virtutis veritatíſque igniculi in alumnorum animis extinguuntur.

Tuſcul. Quæſt. lib. 3.

Qua de re etiam altâ voce olim conqueſtus eſt *Cicero*: *Sunt enim*, inquit ille, *ingeniis noſtris ſemina innata Virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam Natura perduceret.* Nunc autem ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuò pravitate & ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cùm verò parentibus redditi, id eſt, magiſtris traditi ſumus, tum ità variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ Natura ipſa cedat.

8. Ut *Educatio* ad *Conſuetudinem* refertur, ità *Idiopathia* ad ἰδιοσυγκρασίαν. Utræque enim à Natura ſunt. Eſtque *Idiopathia* iſtiuſmodi *Impreſſio corporea quâ quis ſpeciali quodam modo & extraordinario certis quibuſdam rebus percellitur & afficitur,*

ficitur, ità ut ſummam ferè humanæ felicitatis & perfectionis in eis poſitam eſſe exiſtimet, omnéſque mortales qui illis carent miſeros eſſe, aut ſaltem turpiter mancos. Ità fieri poteſt ut *Ars Oratoria*, *Muſica*, *Militia*, *Politica*, *Poeſis*, *Philoſophia naturalis*, *Geometria*, *Linguarum peritia*, aliarúmve rerum conſimilium una aliqua ità alicujus animum abripiat & poſſideat, ut reliquarum cultores præ ſeipſo planè deſpicatui habeat. Quod tamen valde ineptum & inſulſum hominis demonſtrat ingenium. Quaſi verò alii eis ſtudiis ad quæ rapiuntur non poſſint æquè oblectari ac ipſe ſuis, parémque voluptatem & felicitatem indè haurire.

9. Omnia igitur laudare & comprobare debemus in quibuſlibet hominibus quæ honeſtum aliquem uſum habent aut voluptatem; & quod ad nos ipſos attinet, ſummopere cavere nè quo maximè percellimur, ab ipſo tandem vulneremur, aut in miſeram quandam abducamur captivitatem, tandémque in noſtras *Idiopathias*, tanquam in arctos quoſdam carceres, compingamur, earúmque vi à ſenſu rerum optimarum maximéque neceſſariarum in integrum alienemur. Nemo enim revera beatus eſſe poteſt, niſi illud nactus ſit quo omnes fiunt beati; quod ad *Idiopathias* non ſpectat, niſi quis ità fortè natus ſit, ut ipſius *Idiopathia* ſpeciatim ad Virtutem ferat: quæ captivitas omni libertate longè dulcior eſſet, longéque amabilior.

10. Sunt etiam Ætatum Idiopathiæ, aliáque Idiopathiarum Objecta multa præter vitæ ſtudia, in quibus homines ſuam ἐμπάθειαν *animique impotentiam* produnt: ſed infinitum eſſet omnia percurrere.

11. *Proſopolepſia* eſt *Impreſſio corporea quâ abripitur animus ad amorem vel odium, ad exiſtimationem vel deſpectum rei vel perſonæ, ex leviculis quibuſdam externiſque circumſtantiis.* Non eſt igitur hæc *Proſopolepſia* illa perſonarum acceptatio quæ oritur ex aliquo antecedenti affectu, amore putà vel odio, vel aliâ aliquâ Paſſione conſimili; cùm iſtiuſmodi affectus conſequantur hanc Impreſſionem, non antecedant. Nec taxatur hìc veterum Sapientum, & nominatim *Pythagoreorum*, *Phyſiognomia*, quâ de oris vultûſque ingenio, ut memorat *Gellius*, déque totius corporis filo atque habitu, mores naturáſque hominum ſciſcitabantur. Eſt enim illa ars non omnino contemnenda, cùm tam certas habeat conjecturas, ut valde difficile eſſet cuiquam mores indolémque ſuam occultare coram ſagaci corporis Inſpectore. *Noct. Attic. lib. 1. cap. 9.*

Præſens verò animæ labes eſt, cùm præceps fertur ſine ulla deliberatione ad amorem vel deſpectum alicujus rei vel perſonæ ex ſuperficiariis quibuſdam circumſtantiis nihil boni vel mali moralis indicantibus, nihil perfectionis vel imperfectionis naturalis. Unde ſæpenumero fit, ut ex ſolis rerum perſonarúmq; nominibus inclinetur affectus erga unas magìs quàm erga alteras, ex meróque vocis tono res vel perſona de qua quis loquitur æſtimetur vel vileſcat. Tam lubrica res eſt anima humana, támque mobilis & impreſſibilis.

12. Minuta, dicet aliquis, ſunt hæc. Fateor. Sed ſunto quantum vis minuta, non parùm tamen habent momenti ad rectè omnia dijudicanda; quod viri boni prudentiſque officium eſſe exiſtimo.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Virtutum Primitivarum numero.

1. HActenus de *Virtute in genere*, déque *Paſſionibus*, reliquíſque *Impreſſionibus corporeis*. Sequuntur *Virtutes in ſpecie*. Quarum aliæ, ſicut & ipſæ *Paſſiones*, ſunt *Primitivæ*, aliæ *Derivativæ*. Virtutes *Primitivæ* ſunt tres; *Prudentia*, *Sinceritas*, & *Patientia*. Quæ quodammodo reſpondent & ſuccedunt tribus *Primitivis Paſſionibus*, ut earum vel perfectiones vel correctiones; *Prudentia Admirationi*, *Sinceritas Concupiſcentiæ*, *Patientia* deniq; *Excandeſcentiæ*.

In quam Virtutum Triadem ut conſtet nos non fortuitò incidiſſe, ſed Naturam potiùs rectámque Rationem eas nobis præmonſtrâſſe, non abs re fore putavi in lucem proferre quæ hac de re apud veteres Scriptores occurrunt. Nam ſæpiùs hunc ſive Virtutum ſive Officiorum numerum ſummarium indigitare videntur, quamvìs eiſdem prorſus nominibus non inſigniant. Sed dum re conveniunt, ſatìs indicant primam hanc Virtutum tripartitionem valde eſſe naturalem.

2. *Metopus Pythagoreus* tres eſſe Virtutes ex tribus Animæ partibus innuit; quarum primam τὸ λογιϛικὸν *Rationale*, alteram τὸ θυμοειδὲς *Iraſcibile*, (*quam tanquam defenſivum quid & propugnativum contra ea quæ ex propinquo ſunt deſcribit*,) tertiam τὸ ὀρεκτικὸν ϰ̀ ἐπιθυματικὸν *Appetitivum & concupiſcibile*, appellat. Et in principio illius Fragmenti; *Neceſſe eſt omnem Virtutem tria hæc habere*, *Rationem*, *Vim vel robur*, *& Appetitionem vel electionem*. *Rationem quidem*, *quâ judicat & ſpeculatur*; *Vim verò*, *quâ reſiſtit & vincit*; *Appetitionem denique*, *quâ quid amat & amplectitur*. Quibus tres noſtræ primitivæ Virtutes planiſſimè reſpondent.

3. Eaſdem partes etiam enumerat *Theages*, addens inſuper, *Rationalis quidem partis animæ virtutem eſſe Prudentiam*, *Iraſcibilis verò Fortitudinem*. *Eſt enim habitus contranitendi & ſuſtinendi gravia*. Atque hæc eſt illa ipſa Virtus quam ego appello *Patientiam*. Eſt enim ὑπομονὴ, etiam ex vi nominis, Virtus ἀντερειστικὴ ϰ̀ ὑποστατικὴ τῶν δεινῶν· *Patientia* eſt Virtus quæ *ſuſtinet & bajulat gravia omnia & ingrata*. Pro *Temperantia* autem, quæ eſt Virtus *derivativa* & particularis, *Sinceritatem* pono, ut quæ prima eſt & ſimpliciſſima virtus τῶ ὀρεκτικῶ, hoc eſt, *Appetitivi*, quâ ad illud quod eſt ſimpliciter & abſolutè optimum fertur, ídque illius ſolummodo gratiâ.

4. Huc etiam faciunt quæ alibi planiùs & apertiùs idem *Theages*: *Principia omnis Virtutis ſunt Cognitio*, *Potentia*, *& Appetitio*. *Et Cognitio quidem ea eſt quâ res contemplamur*, *eáſque judicamus*. *Potentia verò eſt quaſi robur quoddam corporis quo in rebus ſubſiſtimus eiſque immoramur*. *Appetitio verò quaſi manus animæ quædam quibus impetum facimus in res*, *eáſque prenſitamus*. Cui Facultatum Tripartitioni accuratiſſimè rurſus reſpondet noſtra hæc Virtutum primitivarum Trias, *Prudentia*, *Sinceritas*, *Patientia*.

5. Quin & idem Virtutum numerus & planiùs & frequentiùs apud *Marcum Antoninum* indigitatur, qui in Meditationibus Philoſophiam in hiſce tribus conſiſtere docet.
Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 2. ſect. 17. Primò, *in conſervando* τὸν ἔνδον δαίμονα, *Deum noſtrum domeſticum*, id eſt, *Animam*, (ψυχὴ enim & δαίμων apud Veteres idem ſonant,) *ab illecebris corporis illæſam atque integram*, *ità ut nec à voluptate nec à dolore vincatur*; quæ vera eſt *Patientia*, Tolerantiam & Continentiam in ſe complectens: Deinde, *nihil agentem temerè*; quod officium *Prudentiæ* eſt: Poſtremò, *neque fucatè & cum Hypocriſi*; quod eſt officium *Sinceritatis*.

* *Sect. 55.* 6. Rurſus libro * ſeptimo: *Primum & principale in hominis conſtitutione eſt amare communionem*. Illud nimirum ſapere quod ad εὐκοινωνησίαν *ad bonam Univerſi adminiſtrationem* attinet; quod (ut ſæpiùs ille indicat) nihil aliud eſt quàm liberè & integrè illa acceptare & affectare, non quæ ſibi, ſed quæ ſimpliciter ſunt optima, & communi Naturæ Rationíſque legi maximè conſona. Hoc enim eſt *ſeipſum præbere ſimpliciter obſequentem Rationi ac Deo*, ut alibi loquitur; quod ſummæ *Sinceritatis* eſt. *Alterum verò*, *corporeis affectibus nunquam cedere*; quod *Patientiæ* eſt. *Tertium denique*, *in nulla re præcipitem ferri & falli*; quod eſt *Prudentiæ*.

7. Sunt & * alia loca quæ huc faciunt. Unicus autem reſtat quem præterire non poſſum, * *lib.* 10. ubi explicat tria illa nomina ἔμφρων, σύμφρων, ὑπέρφρων, quæ idem ferè ſonant quod, *Animo eſſe intento*, *contento*, &, ſi fas ſit ità loqui, *ſuperextento*; quæ mihi planè videntur complecti tres haſce Primas Virtutes, *Prudentiam*, *Sinceritatem*, *Patientiam.* Nam τὸ ἔμφρον, ſive *Animus intentus*, ſignificat, prout ille interpretatur, *moram illam deliberativam accuratámque diſceptationem circa ſingula*; quod *Prudentiæ* eſt. *Animus verò contentus*, *voluntariam acceptationem eorum quæ à communi Natura nobis adjudicantur.* Acceptare autem quicquid nobis injungitur à communi Naturæ lege, juxta mentem ſapientiſſimi Philoſophi, eſt obedire communi Rationi quæ in Deo eſt, ipſéque quodammodo Deus, *qui viva illa Lex eſt quæ univerſa adminiſtrat*, *tribuens cuique quæ ipſi competunt*, utì ille loquitur.

* *Lib.* 8. *ſect.* 26.
* *Sect.* 8.
Marc. Antonin. τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 10. *ſect.* 25.

8. Qui igitur lubens amplectitur, non quæ ſibi ſuíſque affectibus grata, ſed quæ Divinæ Providentiæ viſum eſt ipſi imponere, ſive externo aliquo caſù, ſive per vim propriæ conſcientiæ, quæ, utut honeſta, dura tamen dictat aliquando & animali appetitui valde acerba; hic rectè σύμφρων dicitur, tanquam συμφρονοῦν τῷ πάντα διεξάγοντι νοερῷ, *conſentiens Intellectuali illi poteſtati quæ complectitur omnia*, ut alibi innuit *Antoninus. Mundus enim*, inquit ille, *unus eſt per univerſa*, *& unus per omnia Deus*, *& Eſſentia una & Lex una*, *quæ eſt communis Ratio omnium Intellectualium Animantium*, *& Veritas una*, *ſiquidem perfectio una eſt omnium congenerum eandémq; Rationem participantium Animalium.*

Lib. 8. *ſect.* 52.
Lib. 7. *ſect.* 9.

9. Unam igitur communem Rationem vel Legem per omnes Intellectuales Subſtantias percurrere docet, ipsáſque Creaturas rationales hoc pacto fieri quodammodo ἰσονόμους Θεῷ, *quaſi concives Dei*, niſi ſtationem ſuam deſerant, Legiſque communis vinculum detrectent vel excutiant. Quòd ſi omnia quæ ex Divina Lege immutabilíque Ratione ipſis obveniunt lubentes amplectuntur, neque ea aliter fieri cupiunt atque fiunt, non ſolùm σύμφρονες, *contenti* vel *conſentientes*, ſed θεοφόρητοι, *Deo abrepti*, dicuntur, *ut qui eâdem feruntur quà ipſe Deus*, *& ad eadem quæ ipſe ex ſua ſententia feruntur.* Quæ maxima pars eſt *Sinceritatis.* Hoc enim eſt ſequi quod ſimpliciter optimum eſt, ipſiúſque ſolius gratiâ eò niti eóque anhelare.

Marc. Antonin. τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 12. *ſect.* 23.

10. Poſtremò, *Animus ſuperextentus* ſignificat *ſupereveċtionem illius partis quâ ſapimus ſupra omnem lævem motionem carnis & aſperam*, *ſupra gloriolam mortémque*, *& id genus alia.* Quæ ſatìs ampla deſcriptio eſt officii *Patientiæ.* Hâc enim Virtute omnibus iſtis ſumus ſuperiores, molles corporis motiones & aſperas perinde habemus; nec infamiam mortémve ipſam recuſamus, ſi aliâ lege evitari non poſſunt quàm committendo quod turpe eſt & communi Rationis legi contrarium.

Lib. 10. *ſect.* 8.

* Abunde igitur patet quàm non temerè haſce tres Virtutes, *Prudentiam*, *Sinceritatem* & *Patientiam*, primos omnium Virtutum fontes ſtatuimus. Quod adhuc pleniùs intelligetur, poſtquam ſingularum naturas accuratiùs definivimus.

SCHOLIA

In CAP. I. SECT. X.

Abunde igitur patet quàm non temerè has tres virtutes, *&c. Virtutem primùm in has tres partes generaliſſimas*, Prudentiam, Sinceritatem *&* Patientiam *dividi oportere, tum ex ipſius rei ratione, tum ex veterum autoritate mihi ſatìs conſtare videtur. Sed enimverò cùm apud veteres tam celebris etiam ſit illa virtutum* Cardinalium *Quadripartitio, adeò ut ſanctimonia quædam* Quaternario *inde Numero*, (*quo & Rotæ Animaliáque* Ezechielis *Fluviique Paradiſi gaudent*) *adhærere, & inoleſcere exiſtimetur, nè una Rota huic virtutum* Quadrigæ *deeſſe videatur, poteſt etiam & hîc reſtitui integer* Quaternio, *modò Logicæ illi* ἀκριβείᾳ *minùs indulgere velimus, & ſuppreſſo genere, ſpecies virtutis tertiæ proximas, illius loco adhibere. Sic enim rurſus reſtituetur numerus quatuor virtutum* Cardinalium, *vel quatuor virtutum* Primitivarum, Prudentiæ, Sinceritatis, Continentiæ *&* Tolerantiæ. *Quæ non ineptè reſpondebunt quatuor virtutibus* Cardinalibus *vulgò ſic dictis*, Prudentia *nempe* Prudentiæ, Sinceritas Juſtitiæ, Tolerantia Fortitudini, *&* Continentia Temperantiæ. *Et certè hæ quatuor, propter ampliorem ſingularum notionis complexum, potiori jure* Cardinales *virtutes appellari poſſunt, quàm quæ vulgò ſic dicuntur. Sed non eſt tanti ut hujuſmodi argutiis immoremur.*

CAP. II.

De prima Virtute Primitiva, Prudentia.

1. Eſt igitur *Prudentia animæ Virtus, quâ Paſſionibus propriè dictis omnibúſque omnino Impreſſionibus corporeis ità dominatur, ut per illas non ſtet quò minùs in ſingulis deliberationibus Mens rectè diſpiciat, felicitérque deprehendat quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt.* Demonſtratio hujus Virtutis petenda eſt ex *Noemate* 12.

Itaque *Prudentiam* comitantur σύνεσις, δεινότης, εὐβουλία, γνώμη, εὐστοχία, ἀγχίνοια, αἴσθησις, & τοῦ ὀρθοῦ λόγου ὁρισμός· hoc eſt, *Intelligentia, Solertia, Felix conſilium, Æqua ſententia, Recta conjectatio, Ingenii præſentia, Senſus, rectæque Rationis definitio.*

2. Σύνεσις, id eſt, *Intelligentia*, Prudentiæ comes eſt, quoniam intelligere nihil aliud eſt quàm rectè percipere & judicare de eis quæ alii nos monent. *Prudentia præcipit,* Ariſtot. Eudem. lib. 5. cap. 10. *Intelligentia ſolummodo judicat*, inquit *Ariſtoteles*. *Atque hinc venit nomen Intelligentiæ, ſecundùm quam intelligentes dicuntur, nempe, ex facilitate percipiendi quæ docentur.* Itaque *prudentes* ſunt maximè *intelligentes*, quoniam nullo Paſſionum aliarúmve corporearum Impreſſionum præjudicio aures animi rectè monentibus obſerant vel obturant; ex quo fit, ut veritatem in ſingulis rebus ritè propoſitam facilè aſſequantur & amplectantur.

3. Δεινότης, ſive *Solertia*, perſpicitur in mediis celeriter conſequendis & ad ſcopum Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 13. applicandis, ut docet *Ariſtoteles*. Si verò Scopus malus eſt & turpis, πανουργία, *Verſutia*. Unde apparet eſſe quædam ingenii verſatilitas in *Solertia*, quæ non poteſt deeſſe prudenti, propter ſpirituum ſubtilitatem quæ oritur ex purificatione corporis atque animi ab omni Paſſionum & Impreſſionum craſſiorum immunditie atque fæce.

Cùm verò *Solertia* hæc non deſit, nec εὐβουλία ſive *felix Conſilium* deeſſe poteſt, Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 9. & ad Nicom. lib. 6. cap. 10. quæ, definiente Philoſopho, dicitur *Rectitudo conſilii id quod bonum eſt præcipiens.* In εὐβουλίᾳ ſummatim requiritur ut finis ſit honeſtus, media licita, deliberatio nec præceps nec nimis tarda. Quæ, ex definitione *Prudentiæ*, facilè intelligentur ineſſe viro prudenti. Vir enim prudens, cùm dominus ſit affectuum, ſemper obſervabit illud *Antonini* præceptum, Μὴ ἐνθόρνυσθαι, *Non temerè exſilire*, & ex purificatione ſpirituum nec tardus nec præceps erit, (tenuitas enim eorum ac puritas ad Manſuetudinem conferunt & Patientiam;) multò minùs injuſta molietur, aut juſta modis injuſtis, cùm hæc fieri ſoleant ab his qui affectibus indulgent, eíſque ſeducuntur.

4. Γνώμη autem ſive *Æqua ſententia* maximè eſt affinis Prudentiæ. *Eſt enim ipſius* Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 11. *Æqui recta dijudicatio.* Quis autem tam idoneus eſſe poteſt ad judicandum ex æquo & bono quàm ille qui non ſolùm omnibus affectibus dominatur, ſed & reliquas omnes Impreſſiones corporeas animâ ſuâ abſterſit, omníque inveteratarum conſuetudinum vi atque præjudicio prorſus evaſit ſuperior?

Quod verò ad εὐστοχίαν attinet, hoc eſt, *rectam Conjectationem*, cùm moralis Virtus nihil aliud ſit quàm *habitus quidam rectà collineandi ad debitum illud medium* Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 9. *quod haberi oportet in paſſionibus & actionibus*, quemadmodum docet *Ariſtoteles*; quis rectiùs conjectare poteſt ubi conſiſtat τὸ μέσον vel τὸ δέον quàm vir prudens, qui Paſſionum dominus eſt, cujúſque ſpiritus tam puri ſunt ac defæcati, ut mira indè emergat ſagacitas rerúmque quaſi ſubitanea quædam præſenſatio? Neque enim hîc propriè Eudem. lib. 5. cap. 9. deliberatione utitur. *Abſque enim ratione & ſubitaneum quiddam eſt recta conjectatio.* Eadémque planè ratio eſt de ἀγχινοίᾳ, ſive *Ingenii præſentia*: *Eſt enim quædam recta conjectatio*, inquit *Ariſtoteles*. Paſſiones verò ſordéſque corporis intervallum quoddam faciunt inter mentem & veritatem. Unde qui non ſunt prudentes ἀγχινοίᾳ hâc prorſus deſtituuntur;

5. Quemadmodum etiam *ſenſu illo diſcriminativo*. Nam vim illam στοχαστικὴν eodem Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 9. capite Philoſophus videtur appellare *Senſum*: *Talia autem in ſingularibus & in ſenſu eſt judicium.* Quod de Dolore, Ira, & id genus reliquis enunciat. Quod iterum repetit in *Magnis Moralibus*: *Nam niſi apud teipſum hujuſmodi rerum ſenſum habeas, fruſtrà laboras*: quod & ſuprà notavi. Hanc *Pythagorei* apud *Iamblichum* vocant τὴν εὐαισθησίαν, *bonam ſenſationem.* Iamblichi Protreptic. cap. 2. *Eſt enim*, inquiunt illi, *Intellectûs noſtri practici quædam quaſi bona ſenſatio, per quam fit ut neque in eis quæ patimur fallamur in ſenſu, nec circa ea quæ agimus perperam ratiocinemur.*

Ex ſubjugatione igitur Paſſionum, corporíſque atque animæ purificatione, nova quædam ſuboritur Animi Spiritûſve *Senſibilitas*, ſi ità fas ſit loqui, quæ ſoli competit *Prudenti*,

denti, quâ fretus facilè percipit ubi conſiſtat τὸ μέσον quod dixi, vel τὸ δέον, *medium illud debitum* in ſingulis actionibus: *Imprudens* verò & impurus homo non percipit.

6. Poſtremò, τȣ̃ ὀρθȣ̃ λόγȣ ὁρισμὸς, *rectæ Rationis deſinitio*, non minùs rectè quàm frequenter ab *Ariſtotele prudenti* attribuitur. Ubique enim apud ipſum occurrit de recta Ratione, ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν, *prout vir prudens deſiniverit*. Quæ certè vox non ſurda eſt ſi ad *Prudentem* noſtrum applicatur. Nulla enim omnino recta Ratio eſt, ſi in illâ non inveniatur quam nos deſinivimus Prudentiâ. Unde nihil miror, ſi nec *Pythagorici* nec *Platonici* nec ipſe *Ariſtoteles* multùm ſudaverint in deſinienda *recta Ratione*, cùm univerſi intellexerint eam demum eſſe *rectam Rationem* quæ ità viro purgato & prudenti eſſe videtur. Supponunt enim Mentem humanam, ſi Paſſionum omniúmque corporis inquinamentorum præjudicio ritè purgetur, æquè naturaliter diſcernere quid verum juſtúmque ſit, atque oculus nullo morbo affectus colores diſtinguit. Rectè igitur deſinit *Ariſtoteles* τὸν ὀρθὸν λόγον, τὸν κατὰ τὴν φρόνησιν, *Rationem rectam, eam eſſe quæ eſt ſecundùm prudentiam*, ſi *Prudentiam* eo modo quo nos ſuprà deſcripſeris.

Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 13.

7. Cæterùm duo interim hinc notanda emicant. Primum, quàm profectò ineptè & inſulsè ſe gerunt illi homines qui, cùm ſatis idonei rerum judices eſſe non poſſint, utpote qui moralem hanc *Prudentiam* nondum ſunt aſſecuti, tamen non ſolùm non amplectuntur pro veris juſtíſque quæ omnes omnium ætatum omniúmque gentium Sapientes veréque Prudentes vera juſtáque ſtatuerunt, ſed impudenter contendunt nihil eſſe ſuâ naturâ juſtum vel injuſtum, nihil honeſtum vel turpe. Quod perinde eſt ac ſi quis cæcus omne colorum diſcrimen negaret; cùm oculis prius mederi oporteret, deinde de coloribus judicare.

8. Alterum eſt, * quòd *Prudentia* non ſit aliqua particularis rerum externarum Scientia, ſed ſolummodo Peritia quædam animæ, quâ ità ſibi cavet ab omni inquinamento corporis Paſſionúmque ſive Impreſſionum corporearum, ut judicium ab eis nunquam impediatur vel obfuſcetur. Hoc enim unicum ubique præſtat *Prudentia*. Rerum verò cognitionem aut Senſus, aut Experientia, aut Philoſophia naturalis, aut Ars militaris, aut Juris denique peritia, ſuppeditat. Atque hoc ipſum eſt quod alicubi innuit *Ariſtoteles*, ad *prudentem* ſcilicet non ſpectare *particularia, ſed ea quæ univerſaliori quodam modo ad rectè vitam inſtituendam pertinent*. Ac proinde *Prudentia* eſt tantùm generalis quædam perfectio τȣ̃ λογιστικȣ̃ ſive *rationalis partis animæ*, ut *Sinceritas* τȣ̃ ὀρεκτικȣ̃ ſive *appetitivæ*; prout ſuprà vidimus ex Fragmentis *Pythagoricis*.

Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 5. & ad Nicom. lib. 6. cap. 5.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. VIII.

Quòd prudentia non ſit aliqua particularis rerum externarum ſcientia, &c. *Atque hoc quidem optimè convenit cum ipſa Definitione Prudentiæ, quæ virtus eſt quâ Anima Paſſionibus Impreſſionibúſque corporeis ità dominatur, ut* per illas *non ſtet quò minùs in ſingulis deliberationibus Mens rectè diſpiciat*, &c. *Hoc tantùm præſtat* Prudentia Moralis, *ut per Paſſiones non ſtet quò minùs quod verum juſtúmve ſit videamus*; *rerum verò ipſarum Notitia ab aliis fontibus eſt derivanda. Qui* Prudentiæ *officia hìc deſiderant, quanquam nec obſcurè hoc capite inſinuantur, adeant* cap. 4. lib. 3.

CAP. III.

De reliquis duabus Primitivis Virtutibus, Sinceritate & Patientia.

1. Eſt autem *Sinceritas virtus animæ, quâ Voluntas integrè & ſincerè fertur ad illud quod Mens judicavit eſſe ſimpliciter & abſolutè optimum*. Per *integrè* verò *ſincerêque ferri* intelligo *perfectè* & *adæquatè*. *Perfectè*, hoc eſt, ex tota anima. *Ex toto animo juſtà facere & vera dicere*, inquit *Antoninus*. *Adæquatè*, hoc eſt, ſimpliciter, & ſine omni extrinſeco reſpectu vel ad lucrum vel ad famam. Imò ità affici debet Anima erga illud quod ſimpliciter optimum eſt, ut non deſiſtat illud proſequi quantovis cum damno & ignominiâ. Nam *vi opprimi in bona cauſa eſt melius quàm malè cedere*, ut rectè alicubi ait *Cicero*.

Τὰ εἰς ἑαυτὸν *lib. 2. ſect. 29.*

* Hujus Virtutis ratio reſolvitur in *Noemata* 3, 4, 5, & 13. Illius verò perfectio & pulchritudo à nemine nè fingi quidem poteſt qui non ſit expertus. De hac animæ rectitudine & ſimplicitate aptiſſimè uſurpetur illud *Ariſtotelis*, *Non Heſperus nec Phoſporus ita pulcher & admirabilis.* Hæc eſt enim ſimpliciſſima & diviniſſima lux animæ, omni externâ luce longè pulchrior & amabilior.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 10. ſect. 1.

Lib. 4. ſect. 26.

2. Ad hanc *Simplicitatem animæ* vel *Sinceritatem* refertur illa *Antonini* cum ſeipſo expoſtulatio: *O chara anima, quando una eris & nuda & ſimplex?* Utì etiam illa Præcepta ad ſeipſum & Hortationes; *Noli teipſum turbare limúmque excitare*; *Simplifica teipſum.* Hæc enim *Sinceritas* limpidiſſimus quidam fons eſt & perennis deliciarum vitæ interníque gaudii. Hæc *Simplicitas* Pax æterna & ineffabilis, nullis diſtrahenda curis aut ſuſpicionibus, nullis turbanda animi fluctuationibus. In uno enim nulla eſt diſtractio, ſed perfectus amor altiſſimáque quies. Unde meritò beatos illos

Iamblichi *Protreptic. cap.* 4.

prædicant *Pythagorei* qui hanc Analyticam didicerunt, quâ poſſunt omnia *in unum idémque Principium reſolvere*; quam *Monadem* ipſi palàm profitebantur eſſe Deum; ipſorúmque vitam integrè ad unum illud ordinabant, πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ Θεῷ, *ad ſequendum* vel *obſequendum Deo.*

3. * Sed revera *Deum ſequi* eſt illud quod ſimpliciter optimum, non quod animali appetitui gratiſſimum eſt, conſtanter & ſincerè proſequi. Neque enim quis quatenus Creatura, ſed quatenus divino quodam imbuitur ſpiritu ſenſúve, id quod ſimpliciter optimum eſt ſincerè conſtantérque proſequi poteſt. Illud enim non ad particularem aliquam Creaturam primò pertinet, ſed ad Deum, communem omnium Patrem, legémque Univerſi, quam definit apud *Laertium Zeno*, *Rectam Rationem per omnia pervadentem, eandem etiam in ipſo Jove, ſupremo adminiſtrandi Univerſi Rectore ac Duce.*

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 8. ſect. 54.

4. Quò ſpectat etiam illa *Antonini* Adhortatio; *Non conſpirare diutiùs ſolummodo cum ambienti aere, ſed & cum Intellectuali illa vi quæ univerſa complectitur mente animóque conſentire.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, *in unum cum Deo conſenſum rapi.* * Qui viri verè divini affectus eſt, & quo ſolo quis evadit revera divivinus. † *Qualis enim cujuſque animi affectus eſt, talis eſt homo.* Simplex* verò Intellectio hoc non præſtat, ſed debet eſſe reſuſcitatio quædam *Boniformis facultatis*, in qua latet Divinus hic Senſus atque Sapor in quo conſiſtit ſumma animæ voluptas, ſumma pulchritudo, ſumma perfectio. Hoç enim illud ipſum eſt quo Deum ſpiramus, quo Deo adhæremus, quóque ipſi Deo (quantum capit naturà noſtra) aſſimilamur, qui ſumma Bonitas eſt, ſumma Puritas, ſummáque Simplicitas. Quæ omnia imitatur pro ſuo modulo hæc ipſa de qua agimus *Sinceritas*, quæque eſt Voluntatis ſive ὀρέξεως noſtræ, quam appellant *Pythagorici*, ſumma & abſolutiſſima perfectio; quemadmodum *Patientia* illius Facultatis quam appellant τὰν δύναμιν ϗ τὰν ἀλκὰν τᾶς ψυχᾶς, *vim atque robur animæ.*

† Tuſculan. Quæſt. lib. 5.

5. Eſt autem *Patientia animæ Virtus, quâ, * ex amore illius quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, omnia poteſt ſubire & perferre, etiam quæ quàm maximè Animali Naturæ dura ſunt & ingrata.*

Per *Patientiam* igitur intelligo non nudam aliquam Paſſivitatem ſtupidámve Indolentiam; ſed poſitivum quoddam robur animi & firmitudinem ὑποστατικὰν ϗ ἀντερειστικὰν τῶ δεινῶ, (prout ſuprà notavimus ex *Metopo Pythagorico*,) quâ quis obfirmato animo *ſe ſubdit vel ſubſtituit rebus duriſſimis vel periculoſiſſimis ſuſtinendis*, nunquam cedens, ſed conſtanti & invincibili conatu obnitens contra omnes dolorificas Paſſiones & ſenſationes quæ Voluntatem à ſincera proſecutione illius quod ſimpliciter optimum eſt revocare poſſint vel deflectere. Ac proinde hæc Virtus ſignificantiſſimo vocabulo à Græcis vocatur ὑπομονὴ, cui opponuntur ἔνδοσις ϗ φυγή.

6. *Patientiæ* duæ ſunt partes ſive ſpecies, *Continentia*, & *Tolerantia.* Per has enim intelligo non duas illas *Semivirtutes* quas tam *Pythagorica* quàm *Ariſtotelica* Schola commemorat, ſed *Virtutes perfectas.*

Continentia igitur *illa pars ſive ſpecies Patientiæ* eſt, *quâ Anima facilè & conſtanter, ob amorem illius quod ſimpliciter optimum eſt, omnem dolorem ac moleſtiam perfert * quam ſentire poſſit in abſtinendo ab eis rebus quæ gratiſſimæ ſunt animali vitæ atque jucundiſſimæ.*

Tolerantia autem *illa Patientiæ ſpecies ſive pars* eſt, * *quâ Anima duriſſima quæque & animali vitæ ingratiſſima facilè & conſtanter perferre poteſt, ob amorem itidem illius quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt.*

Ethic. Nicom. lib. 1. cap. 2. & Magn. Moral. lib. 1. cap. 6.

7. * Demonſtratio harum Virtutum petenda eſt ex *Noematis* 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. Uſus verò earum latiſſimè patet, & ad omnes ferè actiones morales ſe diffundit. Itaque *Ariſtoteles* univerſim, *Circa voluptates & dolores omnis Virtus verſatur moralis.*

lis. Nam propter voluptatem quæ turpia ſunt perpetramus, & propter dolorem ab eis quæ honeſta ſunt noſmetipſos ſubducimus. Unde & *Epictetus* totius Moralis Philoſophiæ ſummam in brevi hoc præcepto conſiſtere voluit, Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *Suſtine & abſtine*; alterâ præcepti parte *Tolerantiam*, *Continentiam* alterâ indigitans.

8. Non ſolùm igitur Virtutes ſunt *Continentia* & *Tolerantia*, ſed præcipuæ, maximéque propriæ; quemadmodum vel ipſarum nominibus innui videtur, dum appellantur ἐγκράτεια & καρτερία. Utraque enim appellatio à κράτος eſt, quod *vires* atque *robur* ſignificat: Omnem autem Virtutem *vim* quandam animæ eſſe ſuprà definivimus. Has verò duas ad illam animæ partem maximè referri manifeſtum eſt quam *Pythagorei* vocant τὰν δύναμιν καὶ τὰν ἀλκὰν τᾶς ψυχᾶς, *vim atque robur animæ*; quâ ſiſtere ſe poteſt, vel in motum excitare. Ad hanc igitur facultatem potiſſimùm ſpectant illa præclara *Marci Antonini* præcepta, *Abſterge imaginationem*; *Neuroſpaſti tui motum ſiſte*. (Corporis putà quod movetur per nervos.) Quod officium *Continentiæ* ſive ἐγκρατείας valde eſt genuinum; addo & καρτερίας ſive *Tolerantiæ*.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 7. ſect. 29.

9. Cæterùm de tribus *Primitivis Virtutibus* dictum eſt ſatis. Id tantùm monebimus, eas ità Primas eſſe Matréſque reliquarum, * ut in eis ſolis omnis vis atque eſſentia omnium Virtutum contineri videatur; neque poſſit quiſquam qui hiſce ritè imbutus ſit, in reliquis acquirendis ullam reperire difficultatem. Quod innuendum duxi, nè fruſtrà in multa diſtrahatur animus, cùm perpauca hæc objecta ſufficiant ad eum exercendum, & ad excipiendum omnes illius anhelitus ſinceróſque conatus ad poſſidendam Virtutem verámque cum Virtute Felicitatem.

10. Addo tantummodo, ſine his neminem poſſe ullâ Virtute revera eſſe præditum, ſed omnia eſſe ſimulata & fortuita. Virtus enim omni errore carere debet; quod tamen fieri non poteſt abſque illa quam ſuprà deſcripſimus *Prudentia*. Quòd ſi quis ſine ipſa quicquam rectè fecerit, id profectò non tam Virtuti imputandum eſt quàm Caſui vel Fortunæ.

11. Porrò, nec deeſſe poteſt Virtutibus *Sinceritas* ſive *Simplicitas*, ſine qua illæ non tam Virtutes quàm Virtutum quædam umbræ vel inanima ſimulachra haberi debent. Nam ſiquid ità admiſcetur honeſtè factis, ut ſine illo fine extrinſeco & adventitio incertum ſit an fuiſſent unquam incepta vel perfecta; manifeſtum eſt iſtiuſmodi facinora & nomen & naturam *Virtutis* prorſus perdidiſſe. Hoc enim non eſſet proſequi quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, ſed quod ſibi ipſi utiliſſimum eſt vitæque animali jucundiſſimum. Quod Virtutis officium non eſt, ſed naturæ animalis impetus & aſtutia. Cùm è contrà quod verum, ſimplex ſincerúmque ſit, id naturæ hominis eſt aptiſſimum, hoc eſt, Rationi maximè conſonum, ut rectè nos monet *Marcus Cicero*.

Offic. lib. 1.

12. *Patientia* denique minimè omnium viro probo deeſſe poteſt, cùm ſine illa nulla omnino ſit de reliquis Virtutibus ſecuritas. Nam qui mollis eſt vel ambitioſus, vel ullius affectûs animalis mancipium, nemini fidelis eſſe poteſt, non Principi, non Patriæ, non Religioni, non Amicis, non ſibi ipſi, non ipſi denique Deo; Omnes prodet, omnes omnibus quibuſcunque periculis damniſque exponet, ſi vel minima ſpes ſuffulſerit ſeipſum expediendi ab illis moleſtiis vitæque difficultatibus quas adeò timet atque horret. Quod quidem genus hominum omnium peſſimum eſt & à ſocietate humana omníque vera amicitia & juſtitia alieniſſimum. *Nemo enim* (quod ait *Cicero*) *juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exſilium, qui egeſtatem timet, vel qui ea quæ his ſunt contraria æquitati anteponit.* Tantam vim ad Probitatem habet unica hæc Virtus quam *Patientiam* appellamus.

Offic. lib. 2.

13. Cujus etiam partes indigitare videtur ſummus Orator & Philoſophus, dum ait; Ea quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducere, eáque ratione ſtabili firmâque contemnere, fortis animi magníque ducendum eſt: & ea quæ videantur acerba, ità ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt magnæque conſtantiæ. Prior ſententiæ pars *Continentiæ* ſpeciem quandam ſubindicat, poſterior *Tolerantiam* ſive καρτερίαν. Breviter verò tandem addit, *Non eſſe conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec qui invictum ſe à labore præſtiterit, vinci voluptate.* Quibus iterum verbis duæ illæ Patientiæ partes planiſſimè ſignificantur, *Continentia*, & *Tolerantia*. Atque hæc de tribus *Primitivis* Virtutibus breviter dicta ſunto.

SCHOLIA

In CAP. III. SECT. I.

Sect. 1. HUjus Virtutis ratio reſolvitur in Noemata 3, 4, 5, & 13, *&c.* *Definitionis* Prudentiæ *cum* 12. *Noemate connexio manifeſtior erat quàm ut no-*

tari quicquam opus eſſet. Quomodo verò Sinceritatis *ratio hiſce quatuor Noematis ſit innixa, ſic accipe. Species gradúſve* vitæ perceptivæ *alios aliis præſtantiores eſſe conſtat ex* Noemate *tertio, Bonúmque proinde aliud alio præſtantius eſſe ex quarto, Ex quinto autem præſtantius bonum præ eo quod minùs præſtat eſſe eligendum, Et ex decimo tertio denique, nec ſummum ſummóve cognata Bona mediis minimiſve, ſed media minimáq; ſummo debere ſubordinari. Ex quibus omnibus ſimul ſumptis vera* ſinceritatis *natura emergere intelligitur, rectéque reſpondere* Juſtitiæ *inter quatuor virtutes* Cardinales, *ut quæ univerſaliſſima ſit Animi rectitudo, quæ ſingulis pro ſua dignitate ac pretio, affectum æſtimationémque pendit, atque ſic ſenſu generaliſſimo ſuum cuique tribuit, unde fit ut quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt eligat, idque integrè & ſincerè, hoc eſt, ſine fuco &* Hypocriſi, *omnique admixtura alienarum rationum cum eis ex quibus id quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt intelligatur conſiſtere, ità ut abſq; alienis iſtis rationibus nollet agere, hoc enim eſſet ſummum ſummóve cognata bona mediis minimiſve ſubordinare contrà atque cautum eſt Noemate decimo tertio.*

Sect. 3. Sed reverà Deum ſequi eſt illud quod ſimpliciter, *&c. Atque hoc quàm pulcherrimè cum modò dictis Noematéque decimo tertio convenit.*

Sect. 4. Qui viri verè Divini affectus eſt, *&c. Hîc igitur notandum eſt, Sinceritatem virtutem eſſe quæ* Concupiſcentiæ *Animæ correctio ſit & perfectio, quemadmodum innuimus* cap. 1. *illius ſcilicet partis Animæ quæ à* Pythagoreis τὸ θυμικὸν *appellatur. Quæ quidem Animæ pars cùm prorſus* Divina *facta ſit, tum demum incipit homo eſſe* Divinus, *quod impoſſibile eſt ut fiat niſi in reverà* Regenitis, *& in recuperatione corporis* luciformis, *quod* Divinæ vitæ *quaſi exterius eſt ſemen.*

Sect. 5. Ex amore illius quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, omnia poteſt ſubire, *&c. Nulla verò* Patientia *quæ ex hoc amore non ſit profecta, Patientia vera eſt ac Moralis, ſed ſtupor potiùs animi aut immanitas, miſerâve quædam & neceſſaria in perpetiendis doloribus exercitatio, qualem in Gladiatore quodam deſcribit* Gellius, *qui cùm vulnera ejus à Medicis exſiccabantur, ridere ſolitus fuit. Vid.* A. Gell. Noct. Attic. lib. 12. cap. 5.

Sect. 6. Quam ſentire poſſit in abſtinendo ab eis rebus quæ gratiſſimæ ſunt animali vitæ, *&c. Ex hoc facilè conſtat quàm aptè hæc virtus quam* Continentiam *appellamus,* Temperantiæ *reſpondeat; neque certè ullum diſcrimen eſt, niſi quod* Continentia *hæc latiùs ſe diffundat quàm illa* Temperantia, *utpote quæ ad voluptates Cibi ac Veneris ferè reſtringitur. Quod idem ſtatuendum eſt* de Fortitudine *ac* Tolerantia, *cùm hæc ad plura objecta quàm illa ſe extendat.*

Sect. 7. Demonſtratio harum virtutum petenda eſt ex Noematis 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. *Ad* Continentiam *refertur Noema ſeptimum, nonum & decimum, Ad* Tolerantiam *quinti pars poſtrema, Noemáque undecimum, tam apertè quidem ut nihil opus ſit plura addere. Ad utramque verò ſpectant, Noema ſextum & octavum, tanquam pignora præmii eis obventuri, qui* Tolerantiam Continentiámque *fideliter coluerint.*

Sect. 9. Ut in eis ſolis omnis vis atque eſſentia omnium virtutum, *&c. Nam Virtutem* Cardinalem, *quæ* Prudentia *dicitur, à Prudentia à nobis definita contineri manifeſtiſſimum eſt, cùm ad omnes omninò actiones, (quemadmodum ex* cap. 4. lib. 3. *ſatis apparet) ſe extendat, eiſque regendis præficiatur. Ità* Sinceritas *cùm ſit univerſaliſſima rectitudo* τοῦ θυμικοῦ, *neceſſe eſt ut* Juſtitiam *in ſe, propriè dictam complectatur. Et certè* Fortitudo *pars tantùm* Tolerantiæ *eſt, &* Temperantia *itidem* Continentiæ; *ut &* Tolerantia *&* Continentia *partes* Patientiæ. *Tam clarè conſtat hiſce tribus,* Prudentiâ, Sinceritate, Patientiâ, *omnem vim Moralem contineri.*

CAP. IV.

De prima trium Principalium Virtutum Derivativarum, Juſtitia, *idque in genere.*

1. VIrtutes *Derivativæ Principales* tres itidem ſunt, *Juſtitia, Fortitudo, Temperantia. Juſtitia* à Juriſconſultis non inſcitè definitur *Conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi.* Ad quem ferè ſenſum ipſe *Ariſtoteles* etiam eam definit. Unde manifeſtum eſt latiùs valere hanc *Virtutem*, rectéque ab *Ariſtotele* ἀλλότριον ἀγαθὸν *Bonum alienum* appellari; [illegible] quæ officia erga

Ethic. Nicom. lib. 5. cap. 10.

erga homines complectitur. Pars enim ea continet quæ debentur Deo, cui tamen nullis noſtris officiis prodeſſe poſſumus, nec felicitatem illius ullis injuriis frangere vel diminuere. * Principia *Juſtitiæ* petenda ſunt è *Noematis* 13, 14, &c. uſque ad *Noema* 23.

2. Quod hæc Definitio *Suum* vocat, *Jus* etiam ſæpiſſime à Juriſconſultis appellatur. Eſt autem *Jus* id omne quod ex juſta quadam habitudine & congrua ad aliquem pertinet tanquam ipſi proprium. Habitudo autem hæc oritur ex Fundamento aliquo in perſona cui hoc jus debetur vel attribuitur, ſive illud qualitas ſit, ſive actio, ſive paſſio aliqua latiſſimo ſenſu ſumpta. Nam quòd quis pauper ſit & probus, jus quoddam habet ad eleemoſynas. Si quis honeſtâ induſtriâ aliquid acquiſiverit, id jure poſſidet: Itidem, ſiquid alicui dono datum fuerit. Et ſic in cæteris.

3. Tametſi verò à rebus ipſis oritur omne jus, clarè tamen non intelligitur nec diſcernitur ſine reſpectu ad *Legem* aliquam. *In illis enim Jus eſt in quibus & Lex ponitur*, inquit *Andronicus Rhodius* ex mente *Ariſtotelis*. *Lex enim & Judicium eſt diſcriminatio juſti & injuſti*. *Lex* autem non una eſt, ut neque *Jus*. Eſt enim *Jus* ipſum φυσικὸν vel νομικὸν, *naturale* vel *legale*, & *Lex* ipſa vel φυσικὴ vel θετικὴ, *naturalis* vel *poſitiva*. Ex prima oriuntur Jura ἀμετάβλητα ϗ ἀκίνητα, ut loquitur *Andronicus*; ex altera Jura *mobilia* & *mutabilia*, quæ ubique nec obtinent nec obtinere debent.

Lib. 5. cap. 9.

4. *Naturalem* illam *Legem* verbis ſanè perquam magnificis, ſed veris tamen aptiſque, delineavit *Cicero* primo de Legibus: *Conſtituendi verò Juris ab illa ſumma Lege capiamus exordium, quæ ſeculis omnibus antè nata eſt quàm ſcripta Lex ulla, vel quàm omnino civitas conſtituta.* Quòd autem poſtea Dei immortalis naturâ, ratione, poteſtate, mente, numine naturam omnem divinam regi velit, (qualem animum noſtrum apertè profitetur,) in eo optimæ perfectiſſimæque Legis fontem nobis aperuit.

Quid eſt enim, inquit ille, *non dicam in homine, ſed in omni cœlo atque terra, Ratione divinius? quæ cùm adolevit atque perfecta eſt, nominatur ritè Sapientia. Eſt igitur (quoniam nihil eſt Ratione melius, eàque eſt in homine & in Deo) prima homini cum Deo Rationis ſocietas. Quæ cùm ſit Lex, Lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſumus.* Unde planè innuit ſummam illam ſupremámque Legem Deorum pariter atque hominum communem *rectam* eſſe *Rationem*; unde & homini cum Deo ſimilitudinem eſſe contendit.

5. Et rurſus in Libro ſecundo, hanc *Legem naturalem* deſcribens, Rationem eam ait eſſe à rerum natura profectam; quæ non tum denique incipit Lex eſſe cùm ſcripta eſt, ſed tum cùm orta eſt; ortam autem ſimul eſſe cum mente Divina; ac proinde Legem veram atque principem, aptam ad jubendum & ad vetandum, *Rationem* eſſe *rectam* ſummi Jovis. Quæ ſententia conſimilis eſt illis quas ex *Zenone* ſuprà citavimus *Marcóque Antonino*.

Cap. 3. ſect. 3.
Cap. 1. ſect. 7, 8, 9.

6. Omnes autem pariter indicant ſummam Legem eſſe *rectam Rationem*: Rationem verò rectam, ut quæ divinum quiddam eſt, ex ſe immutabilem eſſe, ſibíque ſemper ſimilem. In ſubjecto autem mutabili, qualis eſt humana natura, non tam mutatur quàm deſtruitur vel extinguitur. Sed in Deo ipſo beatorúmque Spirituum cœtu, quos ille Deos immortales vocat, ſemper incolumis conſervatur.

Quod id ipſum eſt quod mihi innuere videtur optimus ille *Ariſtotelis* Interpres *Andronicus* in ſua Paraphraſi: *Tametſi enim apud homines omnia Jura eſſent mutabilia, apud Deos tamen neceſſe eſt ut ſit Jus immutabile, ac proinde ut Jus ſit aliquod naturale. Imò verò etiam apud homines qui rectè atque ſanè ſe habent eſt Jus immobile, quod Naturale dicitur. Quòd ſi mente morbidis ac perverſis juſtum non apparet, nihil refert. Neque enim qui dicit mel dulce ideo fallitur quia ægrotantibus ità non videtur.*

Lib. 5. cap. 10.

Eſt igitur quædam æterna atque immutabilis Lex Deo hominibúſque quodammodo communis, quæ *Recta Ratio* dicitur, quæque tametſi homines improbos tanquam morbidos & vitioſos fugere poteſt, ſemper tamen innoteſcit hominibus ſanis veréque prudentibus, quemadmodum * ſuprà fuſiùs explicavi; unde nihil neceſſe eſt hìc diutiùs hiſce immorari.

* Cap. 2. ſect. 1, 6, 7.

7. Ex hac autem ſuprema immutabilíque Lege omnia derivantur Jura, etiam illa quæ dicuntur mutabilia, quæ nullam vim haberent niſi virtute hujus ſummæ & æternæ Legis, cujus pars conſpicua eſt rerum contractarum fides.

——*At tu dictis, Albane, maneres.*

Virg. Æneid. lib. 8.

Ex eo igitur quòd quiſque tenetur pactis ſtare, obligatur ad ea Jura quæ talia Naturâ non ſunt, ſed Lege, cùm Lex ipſa pactum ſit, modò nihil ſit pactum contra ſupremam illam & immutabilem Legem: Hujuſmodi enim pacta nullâ authoritate vim Legis habere poſſunt. Quod enim ſuâ naturâ injuſtum eſt, nulla externa conſideratio juſtum efficere poteſt.

De Legibus l. 1.

Qua de re præclarè *Cicero.* Quòd ſi populorum juſſis, ſi Principum decretis, ſi ſententiis Judicum Jura conſtituerentur; jus eſſet latrocinari, jus adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragiis vel ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta potentia eſt ſtultorum ſententiis atque juſſis, ut eorum ſuffragiis rerum natura vertatur, cur non ſanciunt ut quæ mala & pernicioſa ſunt derepente fiant bona & ſalutaria? Quæ quidem tam maleſanæ opinionis condigna eſt reprehenſio & irriſio.

8. Patet interim ex dictis, quòd ex ſuprema illa Lege quæ *Recta Ratio* dicitur, omnis profecta eſt perfecta Juris cognitio; ex Juris autem obſervatione omnis Juſtitia.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. I.

PRincipia Juſtitiæ petenda ſunt è Noematis 13, 14, *&c. uſq;* ad Noema 23. *Quorum decimum tertium & decimum ſextum ad Juſtitiam utriuſque generis referri poſſunt, nempe tam ad* Pietatem *quàm ad* Probitatem. *Viceſimum primum ad* Pietatem, *reliqua ad* Probitatem *ſpectant, niſi viceſimum tertium malles etiam ad* Juſtitiam *in genere referri.*

CAP. V.

De Pietate.

1. J*Uſtitia* has duas partes in ſe complectitur, *Pietatem*, & *Probitatem*. Nam & ipſa Pietas *Juſtitia* quædam eſt, quâ Deo tribuimus quod ſuum eſt, hoc eſt, quod jure illi debetur. Jus autem Dei vulgo *Cultus* illius dicitur, quemadmodum apud *Platonem Euthyphro* illud appellat τιμὴν ϗ γέρας. Quod quidem in eo conſiſtit maximè, ut non ſegniter contendamus eum rectè cognoſcere; ut ritè cognitum toto animo amemus & honoremus; cúmque ab eo toti ſimus ab ejúſque nutu pendeamus, ut nos totos, id eſt, omnes animi corporíſque vires, illi devoveamus & conſecremus, nos noſtráque omnia illius voluntati ſubmittamus, ipſiúſque confidamus Providentiæ; ut illius denique juſſis præceptíſque (ſive externo alicui codici inſcripta ſint, ſive mentibus noſtris inſculpta) adeò adhæreamus, ut omnem infamiam, egeſtatem, cruciatum, mortémque denique ipſam, ſubire malimus, quàm integritatem conſcientiæ noſtræ contra ipſum peccando violare. Hæc ſunt Jura Dei, ex quibus ſiquis detrahere quid velit, neceſſe eſt ut, quantum in ſe eſt, Deum ipſum afficiat injuriâ.

2. Quòd autem in hiſce ipſis præcipuus Dei cultus conſiſtat, ex eo manifeſtum eſt, quòd omnes ferè per *cultum* intelligunt honorem Deo exhibitum. Deum autem maximè honorant qui, cùm præſtantiam Divinæ Naturæ rectè intelligunt, quantáque inter ipſam Mentémque noſtram intercedat affinitas & ſimilitudo, omnibus nervis contendunt ut illa pars animæ noſtræ expoliatur & corroboretur quâ maximè Deo ſimiles ſumus, itáque erga hanc ſanctiſſimam Dei imaginem affecti ſunt, ut vel acerbiſſimam quamvis mortem oppetere malint, quàm eam unquam ſinere vitio quovis vel peccato lædi aut contaminari.

3. Nullum, inquam, hoc majus honoris atque amoris noſtri erga Deum indicium eſſe poteſt, quantíve nos ipſum æſtimemus luculentius τεκμήριον. Quippe quòd dum vel hanc qualemcunq; illius effigiem & ſimilitudinem tanti facimus, ut non dubitemus omnes hujus vitæ voluptates, vitámque adeò ipſam, illius divinioris vitæ ſenſûſque (quæ in Ratione recta verâque Virtute cernuntur) ſanctitati ſuavitatíque poſtponere, clarè demonſtramus Deum ipſum, qui infinitis vicibus hâc ipſius umbrâ & imagine excellentior eſt, affectu infinitis, ſi fieri poteſt, vicibus majori à nobis honorari atque coli. Cùm interim qui Mentis cultum negligunt planè indicant ſe aut Deum non nôſſe, aut Divinam Naturam non quanti debent æſtimare.

4. Quòd autem Virtus divinum quiddam ſit, veráque Dei imago, ex ipſius definitione ſatìs intelligitur; cùm Virtutis ſit ſemper illud proſequi quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, non quod animali vitæ gratiſſimum. Qui quidem rerum ſenſus planè divinus eſt, ſupráq; naturam animalem poſitus.

Quòd autem hujuſmodi ſit Virtus, purgatúſque intellectus, abunde teſtimoniorum eſt apud veteres Philoſophos. Ut apud *Platonem* in *Theæteto*, ubi docet tum demum finem fore miſeriis, quando quis ex hoc mortali ſtatu fugerit ad Deos. *Fuga verò* (inquit ille) *eſt Deo ſimilem effici, quantum fieri poteſt: Similitudo verò, juſtum ſanctúmque fieri cum Prudentia.* Et paulò pòſt; *Deus nullo omnino modo injuſtus eſt, ſed quàm fieri poteſt juſtiſſimus: nihilque illi ſimilius quàm quivis è nobis qui rurſum factus ſit quàm juſtiſſimus.*

5. Rurſus, in Epiſtola octava ad *Dionis* propinquos & familiares, Divinam Naturam hominibus frugi Legem normámque ſtatuit. *Deus hominibus probis ac prudentibus Lex eſt, inſipientibus verò Voluptas.* Ad quem ſenſum iterum loquitur quarto de Legibus: *Rerum omnium menſura nobis Deus ſit maximè, multóque magis quàm homo quilibet:* Minimè verò omnium Animalis homo. Et paulò poſt; *Quicunque probus prudénſque eſt, Deo eſt amicus: eſt enim illi ſimilis. Qui verò probus prudénſque non eſt, diſſimilis eſt, diſſidens & injuſtus.* Quibus omnibus innuit *Plato* divinum quiddam eſſe Virtutem, ipſique Deo conſimilem & cognatam.

6. Ex hoc etiam eſt quòd *Cicero* tam magnificè de animis humanis philoſophatur. Humanus autem animus decerptus ex mente Divina cum alio nullo niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt. Et in primo de Legibus Delphicum illud Oraculum, *Noſce teipſum*, aliquantò fuſiùs interpretans, *Nam qui ſe* (inquit) *ipſe novit, ſtatim aliquid ſentiet ſe habere divinum, ingeniúmque in ſe ſuum ſicut ſimulacrum aliquod Deo dedicatum putabit, tantóque Dei munere ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet.*

Quæſt. Tuſcul. lib. 5.

7. Quibus denique conſona ſunt quæ paſſim apud *Marcum Antoninum* reperiuntur. Ut lib. 12. *Agnoſce tandem quòd aliquid præſtantius & divinius in te habes quàm quæ Paſſiones movent, quámque quæ, ut verbo dicam, ad inſtar Neuroſpaſti membra tua per nervos trahunt agitántque.* Et paulò pòſt, *Mens cujuſque Deus eſt, atque illinc effluxit.* Et rurſus, Lib. * 8. *Quid amplius quæris quàm præſens opus Intellectualis animalis quod communionem amat, eiſdémque gaudet legibus quibus ipſe Deus?*

τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 12. *ſect.* 19.

* *Sect.* 2.

Denique, Libro * quinto, (infinitum enim eſſet omnia congerere,) quid ſit verſari cum Diis immortalibus breviter indicans, *Ille vitam*, inquit, *agit cum Diis, qui ea facit quæ vult Deus ille quem unicuique dedit Jupiter Præſidem ac Ducem. Hic verò uniuſcujuſque eſt Intellectus atque Ratio.* Quem adeò Deo cognatum autumat, ut etiam ipſius ἀπόσπασμα *partem avulſam* appellitet: quanquam id ſanè haud ità philoſophicè ab ipſo dictum ſit.

* *Sect.* 22.

8. Cùm igitur tanta ſit in Virtute mentéque noſtra divinitas, palàm eſt, ſi Virtutem colamus μετ' ἀναφορᾶς πρὸς τὸν θεὸν, *(cum relatione ad Deum,)* tanquam vivam Dei imaginem, quòd ipſum Deum modo optimo & præſtantiſſimo colimus; quódque, cùm alii Ritus variari poſſint nec æterni fuerint, hoc unicum Jus ſit Dei immutabile & æternum. Ità ut ſumma ferè naturalis *Religionis* in eo *Antonini* præcepto conſtituta videatur; *Meminiſſe Dei, quódque ille non amat demulceri adulationibus, ſed Rationalia omnia ſibi ſimilia effici:* vel, quod alibi monet, *In hoc uno oblectari & acquieſcere, in tranſeundo ſcilicet ab una actione quæ bono publico inſervit ad aliam publicam actionem cum recordatione Dei.* Hoc enim eſt Jus Dei maximè *immutabile & immobile*, ut eum ex amore ipſius perfectionis, quantum poſſumus, imitemur.

τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 10.
Lib. 6. *ſect.* 7.

9. Quod tamen alia Jura non excludit, ſive illa fuerint per Divina aliqua oracula patefacta, ſive ſummi Magiſtratûs juſſu ſtabilita. Quales eſſe poſſunt varii Ritus & Ceremoniæ, cæteræque id genus Divini cultûs circumſtantiæ, quæ virtute legis jura etiam fiunt Divina; quæ violare fas non eſt, priuſquam legitimâ autoritate abrogentur, modò nec Divinis oraculis nec ſupremæ Virtutis Legi repugnent.

10. Quid igitur ſit *Pietas* ex dictis ſatìs intelligitur. *Sanctum enim Juſti pars eſt*, definiente *Platone*. Ad quem ferè ſenſum eam etiam definit *Andronicus Rhodius*, *Scientiam fideles nos præbentem & ſervantes Divini Numinis jura.* Unde facilè percipitur quid ſit *Impietas*, & quàm rectè in hos modos diſpeſci poſſit, *Superſtitionem* putà, *Prophanitatem*, *Enthuſiaſmum* ſive *Spiritualitatem*, & *Ritualitatem*.

11. Eſt enim ipſa *Superſtitio* quædam Impietatis ſpecies ſive modus, cùm ea Deo affingat quæ ad illius faciunt contumeliam; quod planè eſt injuriâ Divinum Numen afficere. Eſt igitur *Superſtitio Impietas quâ Deum ità levem aut iracundum quis cogitat, ut rebus nihili placari eum putet, eiſdémve ad iram commoveri.*

Prophanitas autem Impietas eſt quâ quis audacter & impudenter omnia jura Divina violat, tam mobilia quàm immobilia. Qui morbus aliquando euſque adoleſcit ut in perfectum abeat *Atheiſmum*, quo nullus animæ ſtatus eſſe poteſt funeſtior aut deploratior.

12. ***Enthuſiaſmus*** eſt Impietas quâ quis, dum magno ſanè animi ſtudio atque impetu ad internum illum ſpiritualémque Dei cultum fertur, exteriora interim illius jura audacter violat fœdéque conculcat.

Ritualitas autem eſt Impietas quâ quis, dum exteriora illa Dei jura obſervat, Ritibúſque & Ceremoniis non ſine aliquali conſcientia & ſtudio adhæret, in eis tamen quæ ad ſpiritualem illum internúmque Dei cultum ſpectant friget planè ſtupétque, nihilque prorſus ſapit.

13. Hæc ſunt ferè Vitia circa Religionem quæ mihi in præſens occurrunt. Si quis ſe putet per otium alia poſſe excogitare, nihil abnuo. Hæc mihi ſufficiunt, cujus inſtitutum eſt non tam de Vitiis quàm de Virtutibus tractare, cùm ex his illa ſatis facilè intelligi poſſint. *Eſt enim amborum judex Norma*, quemadmodum monet *Ariſtoteles*. *De Anima lib. 1. cap. 5.*

* Præſentis verò Virtutis demonſtratio ſpeciatim reſolvitur in *Noemata* 13, 16, 21; item in *Noemata* 5, 8, 10, &c. Quòd autem Deus exſiſtit, Animáque noſtra immortalis eſt, abunde demonſtravimus in Libris *adverſus Atheiſmum*, déque *Animæ Immortalitate*.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. XIII.

Præſentis verò virtutis demonſtratio ſpeciatim reſolvitur in Noemata 13, 16, 21. Item in Noemata 5, 8, 10, &c. *Apertè reſolvitur Pietas in Noema decimum tertium, quippe quod decernit ſummum abſolutiſſimúmque Bonum affectu ſummo proſequendum eſſe, Decimum ſextum verò Bono Bonum eſſe compenſandum. Cùm igitur Deus ſummus ſit maximúſque omnium Benefactor, debetur planè ei ſummus honor cultúſve, maximáque obedientia, quemadmodum & innuit Noema viceſimum primum. Noemata verò quintum, octavum, decimum & undecimum huc ſpectant, quatenus ingens præmium Pietati promittunt, párque Impietati ſupplicium comminantur.*

CAP. VI.

De Probitate, ſive de Juſtitia propriè dicta.

1.* Altera pars *Juſtitiæ* eſt *Probitas*, quâ hominibus quæ ſua ſunt tribuimus. Illa in tres partes diſtribui poteſt, *Politicam*, *Oeconomicam*, *Ethicam*. *Politica* continet officia Magiſtratûs erga Populum, Populíque rurſus erga Magiſtratum. *Oeconomica* Patrisfamiliâs erga uxorem, liberos famulóſque, atque horum itidem erga Patremfamiliâs. *Ethica* denique Privatorum, aut ſaltem parium, erga ſe invicem. * Quæ ſigillatim proſequi nimis prolixum eſſet.

2. Summatim tantùm dicam, Magiſtratûs eſſe nihil ex libidine contráque rationem committere, ſed omnia agere ex Legis præſcripto rectæque Rationis. Eſt enim Magiſtratus νόμος ἔμψυχος, *Anima quaſi Legis atque Spiritus*, ut in Ethicis alicubi notat *Ariſtoteles*: rurſúſque àb ipſis Legibus debet animari ac dirigi, quemadmodum rectè monet *Cicero*. Videtíſne Magiſtratûs hanc eſſe vim ut præſit, præſcribat recta & utilia & conjuncta cum legibus? ut enim Magiſtratibus Leges, ità populo præſunt Magiſtratus. *Ethic. Nicom. lib. 5.* *De Legibus lib. 3.*

Populi autem officium eſt parere Magiſtratui, ſumptúſque adminiſtrandæ Reipublicæ liberè atque alacriter ſuppeditare; de rebus adiaphoris quæ in jura abiêre non contendere, ſed pacem ubique colere, morémque atque ordinem ſervare.

3. Patrisfamiliâs eſt Familiæ proſpicere, neceſſariáque procurare; uxorem, liberos famulóſq; manſuetè & clementer tractare; omniáque mala & pernicioſa exempla quàm maturè ſupprimere, aut domo exturbare. Familiæ contrà, debitam ipſi obſervantiam præſtare, nec cum illo temere, licèt in re paulò juſtiori, contendere aut altercari; quemadmodum monet *Pittacus*, *Noli concertare cum parentibus, juſta ſint licèt quæ loqueris.* Quod ad Magiſtratum etiam rectè transferri poteſt, & ad omnes omnino qui nobis ſuperiores ſunt ſive ætate ſive Cognationis ordine; quales ſpeciatim ſunt parentum fratres, quos Græca Antiquitas θείους, quemadmodum parentes ipſos θεοὺς, appellabat, quod alicubi notat *Simplicius* in *Epictetum*.

4. Privatorum denique ſive Parium officium eſt, vel potiùs omnium, mutuò ſibi, ubi opus eſt, opitulari, pactis ſtare, omniáque erga ſe invicem bonâ fide peragere, nec ſuum ullubi commodum alieno quærere incommodo.

5. Ad *Politicam* præcipuè ſpectat celebris illa *Juſtitiæ* Diviſio in διανεμητικὸν & διορθωτικὸν, (i. e.) *Diſtributivam* & *Correctivam*. In iſtis intelligitur *Ariſtotelicum* illud, τὸ ἴσον δίκαιον, quódque *Juſtitia* quædam ſit *æqualitas*. Eſt autem æqualitas quam affectat Juſtitia illa quæ in proportione cernitur. Eſt enim *proportio*, ſive ἀναλογία, ἰσότης τῶν λόγων, *Rationum æqualitas*.

6. Analogia autem, ſive Proportio, *Geometrica* eſt, vel *Arithmetica*. *Geometrica proportio* eſt, quando quatuor magnitudines vel numeri ità comparantur, ut intelligatur tertius toties continere quartum, vel ab ipſo contineri, quoties primus ſecundum continet, vel ab eo continetur. Ut in 2. 6 ; : 4. 12. vel in 6. 2 ; : 12. 4. Hæc proportio ad *Juſtitiam Diſtributivam* ſpectat. Nam ut perſona ad perſonam, putà *Ajax* ad *Achillem*, ſic honor ad honorem ſe habere debet. Quæ eſt *proportionis* æqualitas. Quòd ſi merita æqualitatis rationem haberent, etiam præmia non ſolùm *ratione*, ſed *magnitudine*, deberent eſſe æqualia.

7. *Arithmetica proportio* eſt, quando ità comparantur quatuor numeri vel magnitudines, ut idem exceſſus vel defectus ſit binorum priorum unius ad alterum qui unius binorum poſteriorum ad alterum eſt, hoc eſt, ut ſit utrobique exceſsûs vel defectûs æqualitas. Ut in 5, 7, 9, 11. Quæ ſpectat ad *Juſtitiam Correctivam*.

Quanquam, ut ingenuè fatear quod res eſt, non tam facilè deprehenditur in *Correctiva Juſtitia* hujus *Arithmeticæ* proportionis in hujuſmodi quatuor terminorum diſtinctione ſatis expreſſa Imago. Ipſi enim exceſſus vel defectus æquales è numero terminorum non ſunt, quod tamen innuere videtur *Andronicus Rhodius*. Sed ſi quatuor terminos fingere velimus, neceſſe eſſe videtur ut binos priores ſtatuamus tum hunc cui injuria illata eſt, tum eum qui intulit injuriam; verùm hâc ratione, ut intelligatur nondum eſſe ad Judicem factam appellationem, nec contra reum ſententiam latam. Quatenus autem injuriâ affectus Actor poſtea fit, quique affecit eum injuriâ Reus, alteri bini termini emergunt, & poſt latam à Judice ſententiam exceſſus ille qui eſt inter injuriâ affectum atque hunc qui eum injuriâ affecit invertitur; hoc eſt, bonum illud quod unus ab altero injuſtè abſtulit ad alteros binos ſic transfertur, ut quemadmodum ille qui alterum affecit injuriâ hoc bono alterum ſuperabat, ità, poſt latam ſententiam, eodem bono ab illo itidem ſuperetur, id eſt, tanto mulctetur vel minuatur bono quanto alterum ſpoliaverat: Unde neceſſe eſt ut tantò ſuperet Actor Reum, quantò affectum injuriâ is qui affecit eum ſuperaverat, vel ſaltem ut æquentur: quæ planè eſt proportio *Arithmetica*.

Lib. 5. cap. 5.

8. Quò etiam collineare mihi videntur illa *Andronici* verba quibus explicare cupit hanc proportionem: *Eſt enim ut is qui injuriam intulit ad affectum injuriâ, ſic Judex ad eum qui intulit injuriam. Nam quæ fecit adversùs affectum injuriâ is qui injuriam intulit, his æqualia patitur à Judice.* Quæ intelligi debent tam de defectûs quàm exceſsûs æqualitate. Qui has minutias ſectari velit, adeat dictum Paraphraſten, qui fuſiùs & operoſiùs inutili huic ſubtilitati inſudat. Nam quod ad me attinet, in ea ſum ſententia, quòd nihilo pejùs quiſquam *Juſtitiam correctivam* exerciturus eſſet, licèt de *proportione Arithmetica* nihil quicquam à quoquam unquam audiviſſet.

Lib. 5. cap. 5.

9. Ad rem noſtram magìs faceret ſi notaretur illa *Juſtitiam* inter atque *Æquitatem* tam diſtinctio quàm cognatio, quæ utræque ſimul comprehenduntur ab *Andronico* hâc ſententiâ: *Æquum enim & juſtum eſt, & præſtantius etiam quodam juſto. Neque tamen ut diverſi generis à juſto eſt ipſo præſtantius, ſed tanquam pars, alterâ particulâ ſub eodem genere poſitâ.* Poſtea verò, *Æquitatis* naturam pleniùs & diſtinctiùs definiens, *Hæc verò*, inquit, *eſt æquitas ſecundùm quam defectus Legis ſuppletur, errórque corrigitur, & reſtrictio, quam illa præterierat, quia omnia particulatim prævidere non poterat, ſuperadditur.*

Lib. 5. cap. 16.

10. Quam *Æquitatis* definitionem operæ pretium erat notare, cùm aliquid ſuâ naturâ juſtum eſſe tam planè arguit. Nam ſi nihil juſtum eſſet niſi virtute Legis alicujus ſcriptæ, quid, obſecro, opus eſſet hâc Legis emendatione, cùm ipſa Lex qualiſcunque ſit rem quamlibet juſtam efficeret? *Æquitatis* autem eſt ipſam Legem corrigere, *eáque in datis circumſtantiis ſtatuere quæ, ſi illas cognoviſſet, ipſe Legiſlator ſtatuiſſet*, quemadmodum monet *Ariſtoteles*. Quæ tamen ſententia valde ridicula eſſet, ſi natura *Juſti* & *Injuſti* ab arbitrio Legiſlatoris prorſus penderet, non ab ipſa natura rerum & circumſtantiis. Atque hæc de *Juſtitia*.

Ethic. Nicom. lib. 5. cap. 14.

SCHOLIA

In CAP. VI. SECT. I.

ALtera pars Juſtitiæ eſt Probitas, quâ hominibus quæ ſua ſunt tribuimus. *Noemata quæ Probitatem ſpeciatim ſuffulciunt, ſunt 14, 15, 17, 18, 19, 20, 22, 23. quorum viceſimum & viceſimum tertium etiam ad* Politicam *ſe extendere meritò videri poſſunt, reliqua ſimpliciter* Ethica *ſunt nec Magiſtratum neceſſariò ſupponunt. Omnium autem applicatio magìs in expoſito eſt, quàm ut hìc diutiùs hæreamus.*

Quæ ſigillatim proſequi nimis prolixum eſſet. *Nec certè ad* Ethicam *ſpectaret iſtiuſmodi prolixior tractatio, ſed ad* Oeconomicam *&* Politicam.

CAP. VII.

De reliquis duabus Principalibus Virtutibus Derivativis, Fortitudine & Temperantia.

1. F*ortitudo* & *Temperantia* in eo conveniunt, quòd ad noſmetipſos immediatiùs ſpectent; quanquam earum, perinde ac reliquarum omnium Virtutum, utilitas proximo etiam applicari poteſt, in eúmque quodammodo redundare, quam *Univerſalem Juſtitiam* appellant. *Lib. 5. cap. 1.* *Omnibus enim Virtutibus ad proximi commodum uti, hæc eſt juſtitia,* inquit Paraphraſtes *Rhodius*. Sic ab aliena abſtinere uxore *Juſtitiæ* perinde eſt ac *Temperantiæ*, & hoſtem à Patriæ finibus amoliri *Juſtitiæ* & *Fortitudinis*: Id enim officium Patriæ debetur, nec ſine Fortitudine præſtari poteſt.

2. Quid autem *Fortitudo* ſit, ex *viri Fortis* deſcriptione, tum apud *Ciceronem*, *De Offic. lib. 1.* tum apud *Ariſtotelem*, facilè conſtabit. *Fortis enim animi & conſtantis eſt* (inquit *Cicero*) *non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ſed præſentis animi uti conſilio, nec à ratione diſcedere. Illud verò ingenii magni, præcipere cogitatione futura, & aliquantò antè conſtituere quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit cùm quid evenerit maturiùs deliberâſſe. Hæc ſunt opera magni animi & excelſi, & prudentiâ conſilióque fidentis. Temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt. Sed cùm tempus eſt neceſſitáſque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti turpitudinique anteponenda. Nunquam enim periculi fugâ committendum eſt ut imbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud eſt, nè offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius.* Hæc *Cicero*.

Lib. 3. cap. 7. 3. *Andronicus* verò ex mente *Ariſtotelis* unam *Fortis viri* partem definit, quòd intrepidè *maxima* adire audet pericula. *Fortis itaque eſt qui maxima malorum non timet.* Unde iterum & ipſe *Cicero*; *Fortitudinis munera duo maxima ſunt, mortis doloriſque contemptio.* *Andronicus* verò accuratiùs circumſtantias deſcribit, addens Andronic. Rhod. *lib. 3. cap. 8.* porrò oportere eſſe in hujuſmodi conſtitutum periculis *in quibus inflexibili quadam animi vi impetúq; voluntatis uſus eſt, vel ubi mors honorifica eſt. Propriè enim fortis eſt qui præſtantiſſimam mortem lubenter tolerat.*

Et paulò ſuprà *Fortem* deſcribit ex eo quòd ſit *circa pulchram mortem intrepidus.* Mortem verò illam pulchram eſſe quæ Virtutis, non affectûs alicujus, cauſâ oppetitur. *Nam qui inſiliunt & iraſcuntur non propter id quod honeſtum eſt, ſed ſolummodo ex paſſione, fortes revera non ſunt, ſed pugnaces.* Ex quibus omnibus efficitur, *Fortitudinem Virtutem eſſe quâ quis conſtanti animo ſumma vitæ pericula, ipſámque adeò mortem, ſubire poteſt honeſtatis cauſâ, ſive ex amore illius quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt.*

4. *Conſtanti* autem animo dico, non *indolenti*: *Dolere enim & morderi ab acerbis nihil prohibet quo minùs quis fortis ſit. Quantò enim magìs quis gravatur & gravatus ſuſtinet boni cauſâ, tantò magìs propriè hic fortis eſt habendus*, ut rectè *Lib. 3. cap. 9.* & ad mentem *Ariſtotelis* monet Paraphraſtes *Rhodius*. Addo etiam, *honeſtatis cauſâ.* Animus enim paratus ad pericula ſi ſuâ cupiditate, non utilitate communi, impellitur, *Audaciæ* potiùs nomen habeat quàm *Fortitudinis*.

5. Fortis igitur Animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: Quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur; cùm perſuaſum ſit nihil hominem, niſi quod honeſtum decorúmque ſit, aut admirari aut optare aut expetere oportere, nullíque ne-

que homini neque perturbationi animi nec fortunæ ſuccumbere. Altera eſt res, ut cùm ità ſit affectus animo, res inſuper gerat magnas maximéque utiles, ſed & vehementer arduas, plenáſque laborum & periculorum tum vitæ, tum multarum aliarum rerum quæ ad vitam pertinent. Quæ præſtantiſſima ***Ciceronis*** ſententia definitionis noſtræ haud *De Offic. lib.* 1. incommoda paraphraſis eſſe poteſt.

6. Quemadmodum verò ***honeſtatis cauſâ*** vel maxima ſubeunda ſunt pericula, ità ejus ſolius cauſâ prætermittendæ ſunt corporis voluptates; alioqui non tam ***Temperantia*** eſſet, quàm Stupiditas quædam animi vel Moroſitas. Vera enim Virtus nulla eſſe poteſt, quæ pro fine non habet id quod honeſtum eſt ſive ſimpliciter bonum.

Temperantia igitur ità definienda eſt, ut ſit ***Virtus quâ quis Voluptates corporis in eum finem omittit, ut illâ voluptate quæ ex rectè factorum conſcientia proficiſcitur faciliùs conſtantiúſq; fruatur.*** Nam ſolius ſanitatis corporis conſervandæ gratiâ ***Temperantiam*** colere, Virtus ſanè Pecudis eſſe poteſt, Hominis verò nullo modo; quippe quæ non pertingit ad illud quo homines ſumus, ſed ad id ſolum quod nobis cum brutis animalibus commune eſt.

7. Per ***corporis*** autem ***voluptates*** hìc intelligo, non eas quidem leviores purioréſq; quæ ***viſu***, ***auditu***, vel ***olfactu*** hauriuntur; ſed, cum ***Ariſtotele***, craſſiuſculas illas quæ *Ethic. Nicom.* percipiuntur ***guſtu tactû***que, quæque ad ***Venerem*** referuntur, & ad illius fautores & *lib.* 3. *cap.* 13. comites ***Bacchum Cererém***que. Hiſce cancellis plerique omnes claudunt ***Temperantiæ*** objectum: Unde planè conſtat eam particulam duntaxat eſſe illius Primitivæ Virtutis quam ***Continentiam*** appellavimus, quemadmodum ***Fortitudinem Tolerantiæ.***

* Rationes ***Temperantiæ*** & ***Fortitudinis*** petendæ ſunt è ***Noematis*** 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12; utì & ***Probitatis*** è ***Noematis*** 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 22, 23: prout cuivis qui periculum fecerit clarè patebit.

SCHOLIA

In Cap. VII. Sect. VII.

RAtiones Temperantiæ ac Fortitudinis petendæ ſunt à Noematis 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. ***Ad*** Temperantiam ***referenda ſunt Noema ſeptimum, nonum, & decimum***; ***ad*** Fortitudinem, ***Noema quintum, pars nempe illius poſterior, & Noema undecimum; ad utramque Noema ſextum, octavum, & duodecimum; duo priora tanquam pignora magni alicujus præmii viris fortibus ac temperantibus obventuri, quod in ſinceriori ac permanentiori voluptate conſiſtat, quemadmodum ſuprà monui, de Continentia & Tolerantia; tertium tanquam Index præſentis fructûs harum virtutum in liberando animo ab inordinatis Paſſionibus quæ judicium occæcant.***

CAP. VIII.

De Virtutibus Reductitiis.

1. EXplicata eſt natura trium principalium ***Virtutum Derivativarum***, earúmque rationes è ***Noematis*** breviter indicatæ.

Ad has tres Virtutes reliquæ quæ ſuperſunt omnes non incommodè reduci poſſunt, unde ***Virtutes Reductitias*** eas haud immeritò appellare poteris. Rationes verò ſingularum ex eiſdem ferè ***Noematis*** petendæ ſunt quibus Virtutum principalium ad quas reducuntur.

2. Ad ***Juſtitiam*** revocantur ***Liberalitas***, ***Magnificentia***, ***Veracitas***, ***Gratitudo***, ***Candor***, ***Urbanitas***, ***Fidelitas***, ***Verecundia***, ***Humanitas***, quæ φιλανθρωπία dicitur, ***Hoſpitalitas***, quæ φιλοξενία, ipſa denique ***Amicitia***, & id genus reliquæ quæ officia erga alios continent, ut ***Affabilitas***, ***Comitas***, propriéque dicta ***Officioſitas***, quæ ***Humanitatis*** etiam quidam modi ſunt. Nam cùm ad alios ſpectent harum Virtutum omnium effecta, & à Recta Ratione, quæ ad inſtar Legis cujuſdam eſt, dictentur, ***Juſtitiæ*** quaſdam partes eſſe neceſſe eſt.

Ad ***Fortitudinem*** revocantur ***Magnanimitas***, &, quæ huic affines ſunt, ***Generoſitas*** & ***Lenitas***, ***Conſtantia*** etiam & ***Diligentia***; quibus addas, ex ***Andronico***, quas ille appellat εὐψυχίαν, λῆμα, ἀῤῥενότητα, ἀνδραγαθίαν, hoc eſt, ***Vivacitatem***, ***Animi præſentiam***, ***Strenuitatem***, & ***Virilitatem.***

Ad *Temperantiam* denique referuntur *Frugalitas*, *Humilitas*, *Modeſtia*, Ἀυστηρία ſive *Auſteritas*, cæteræque quas huic generi accenſet idem *Andronicus*, ut Εὐτέλεια, Λιτότης, Κοσμιότης, Αὐτάρκεια, i. e. *Victûs facilitas* & *Tenuitas*, *Geſtûs inculpabilitas*, *Animúſque contentus*.

Virtutum hæc ſunt potiſſima *Reductitiarum* nomina quæ occurrunt. Omnia enim corradere inſtituti noſtri non erat, nec corraſa accuratiùs definire; cùm earum natura ſatìs poſſit intelligi ex *Virtutibus Principalibus* vel *Primitivis* ad quas referuntur.

3. Cæterùm non abs re erit ſingulas leviori aliquo modo ϗ ὡς ἐν τύπῳ deſcribere, poſtquam monuimus ſummatim quod ad omnes eas pertinet, præſertim quæ ad *Juſtitiam* referuntur, quòd ſunt partes illius Juſtitiæ quam *Rhodius* ille interpres συγνωμοσύνην vocat, definítque δικαιοσύνην ἑκούσιον *Juſtitiam voluntariam*. Unde cujuſque probitas in hiſce magìs ſpectatur ubi impunè peccare poteſt, quàm in eis ubi ſi peccat peſſimè audit, aut in jus trahitur pœnáſque luit.

Andronic. Rhod. *lib.* 4. *cap.* 1.

4. *Liberalitas* verſatur circa pecuniarum uſum. *Pecuniarum verò uſus nihil aliud eſt quàm earum ſumptus & largitio.* Si quis igitur κατ' ἀναλογίαν τῆς οὐσίας, *pro ratione ſuarum opum*, lubens hilariſque ſumptus facit, ubi, in quæ, & in quem finem oportet, *liberalis* eſt: qui ſine menſura & diſcrimine dat, *prodigus*; qui citra hanc legem & menſuram, *illiberalis*.

5. *Magnificentia* etiam circa ſumptus verſatur, ſed ſolos, eóſque magnos, quod & nomen innuit. Atque ratio etiam hìc habenda eſt tam perſonæ quàm operis & finis. Neque enim quemvis hominem decet magnos ſumptus facere; nec qui facit, niſi in magna opera & ſplendida, præclaróſque in fines, faciat, propriè *magnificus* eſt. Igitur pleraque fiunt εἰς τὸ κοινὸν, ϗ εἰς τὸ θεῖον, *in Publicum*, *inque Divinum numen*, ut monet *Ariſtoteles*.

Ethic. Nicom. lib. 4. *cap.* 5.

6. *Gratitudo* eſt pars Juſtitiæ præſtantiſſima & liberrima, quâ, qui beneficium recepit, promptè & perlubenter quàm primùm poterit, rependit etiam cum fœnore.

7. *Veracitas* eſt Virtus quâ quis ſe talem ἐν λόγῳ ϗ ἐν βίῳ, *verbis factiſque*, exhibet, qualis revera eſt, nihil ſimulans diſſimulánſve. Quorum tamen poſterius tolerabilius eſt & venuſtius, ſi moderatè fiat, ſolóque ſtudio fugiendi τὸ ὀγκηρὸν ϗ τὸ μέγα εἶναι δοκεῖν, hoc eſt, *omnem ſpeciem tumidi & ampulloſi*: Quod ſi fiat immoderatiùs, Arrogantiam ſapit. *Eſt enim & Elatio, & nimiùm affectata Diminutio ſuiipſius, oſtentationis indicium*; ut in *Laconico* veſtitu: quemadmodum notat Philoſophus.

Ethic. Nicom. lib. 4. *cap.* 13.

Cæterùm quamvìs ſatìs elegans ſit illud *Ariſtotelis* bina ſingulis Virtutibus Vitia opponendi ſtudium & affectatio; utilius tamen mihi videtur ſi quis *Veritati* unicum illud Vitium opponeret quo quis alienam induit perſonam ut occultet ſuam, quod ſignificantiſſimo vocabulo *Hypocriſis* dicitur. Quod quidem malum multas in humana vita fruſtrationes parit & moleſtias, quibus ipſe Hypocrita, pariter atque alii quibus imponit, implicari ſolet.

8. *Candoris* eſt, tam dicta quàm facta in hominum congreſſu quæ ferri poſſunt candidè & benignè excipere: quæ ſecùs, honeſtâ quadam & decenti libertate reprobare vel reprehendere. Huic igitur Virtuti opponitur *Moroſitas*, (quæ δυσκολία dicitur apud *Ariſtotelem*,) & *Blanditia*, quæ, ſi lucrum quæritur, dicitur *Adulatio*.

9. *Urbanitas* eſt, cùm vel ipſi honeſtè jocamur, vel alios honeſtè jocantes lubenter patimur. Qui verò nec jocantur ipſi nec alios concinnè jocantes lubenter audiunt, ſed offenduntur, appellantur ab *Ariſtotele* ἄγριοι ϗ σκληροί, *ruſtici & aſperi*. Qui verò præter modum & decorum jocantur, nemini parcentes, *Scurræ*.

Ethic. Nicom. lib. 4. *cap.* 14.

10. *Fidelitas* cernitur in reddendo Depoſitum ſtandóque promiſſis, ubi nos Lex ſcripta vi cogere non poteſt.

11. *Verecundia* eſt conſtans & perpetua decori obſervatio. Videtur igitur quaſi flos *Juſtitiæ*, vel quiddam ipsâ *Juſtitiâ* perfectius & delicatius. *Juſtitiæ* enim eſt non violare homines; *Verecundiæ*, nè offendere quidem. In quo maximè perſpicitur vis decori, inquit *Cicero*. Apud quem *Decorum* etiam optimè definitur, id eſſe quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo in quo natura ejus à reliquis animantibus differat. Quibus monemur nihil committere naturâ noſtrâ indignum, nec ad brutorum mores noſmet unquam demittere.

De Offic. lib. 1.

Verùm præter hoc generale Decorum, ſunt etiam ſpecialia quædam cujuſque ordini & conditioni propria; ut Principi, Sacerdoti, Viro, Fœminæ, Seni, Juveni, Philoſopho, Plebeio, & id genus reliquis. De quibus omnibus ſtatuendum eſt, quòd cuique agendum eſt ſecundùm illum modum qui ipſis ex communi hominum ſententia convenit, nè videatur eorum judicium contemnere & exſpectationem fruſtrari. Negligere verò quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti.

Eſt igitur *Juſtitiæ* pars debitam adverſus homines adhibere reverentiam, nec in ejuſmodi motus geſtúſque vel ſermones nos pati diffluere quibus adſtantium aures vel oculi offendi poſſint.

12. *Humanitas* eſt Virtus quâ erga omnes homines benevolè & officioſè afficimur ex præſtantiæ humanæ naturæ ſenſu communiſque noſtri omnium cognationis.

Hoſpitalitas, ſive φιλοξενία, eſt Virtus quâ benevolè & officioſè afficimur erga peregrinos, non ſolùm quòd homines ſunt, ſed quòd quibus commodis domi fruantur, jam peregrè profecti deſtitui poſſunt.

13. *Comitas* eſt Virtus quâ quis homines ex communi humanitatis ſenſu blandè in congreſſu benignéque alloquitur.

Affabilitas verò, quâ alios ipſum convenientes & alloquentes facilè & benignè excipit.

Officioſitas autem, quâ quis promptus eſt ad minora quævis officiola ſuperioribus, aut ſaltem paribus, præſens præſentibus præſtanda.

Hæ Virtutes omnes rectè accenſentur *Humanitati*: Cui non ſolùm opponitur *Inhumanitas*, ſed illa nimiæ erga quoſlibet humanitatis affectatæ oſtentatio, quâ quis ſingulos quibuſcum verſatur demereri ſtudet, ſibíque devincire tanquam homini ad omnia erga omnes humanitatis officia præſtanda paratiſſimo, erga ipſos verò præter cæteros, cùm tamen nihil ſolidi ſinceríve ſubſit enormi huic obſervantiæ & blandiloquentiæ. Quæ certè *Injuſtitia* pars eſt maximè conſpicua, dum in hunc modum per fictos noſtros & imitatos affectus ſincerum alterius amorem ſuffuramur, quo tamen nemo quiſquam theſaurum poſſidet pretioſiorem. Quod igitur crimen quovis furto vel rapinâ non minùs turpe haberi debet.

14. Denique, *Amicitia vera* ex genere Virtutum eſt; quanquam vulgaris illa quæ cernitur ut plurimùm nihil ſit aliud quàm paucorum conſpiratio contra reliquos vicinos, dum alternis dolis falſíſve judiciis vel teſtimoniis, quibus ſpecioſa Officiorum Amicitiæ nomina obtendunt, mutuis inſerviunt commodis, magno ſæpiſſime cum aliorùm incommodo. Quæ rurſus putidiſſima pars *Injuſtitiæ* eſt, eóque magìs, quantò conjunctior eſt injuria cum Hypocriſi, nec tam læſiſſe vicinum videri volunt, quàm amico profuiſſe. Verâ autem *Amicitiâ* nihil ſanctius eſt, nihil divinius, quæ & ipſa Virtus eſt, (non minùs quàm *Humanitas* vel *Hoſpitalitas*,) ſolóſque inter eos reperitur qui reliquis Virtutibus omnibus ſunt præditi: Eáque officia complectitur quæ non ſolùm hominibus probis debentur, ſed quæ illis præcipuè quos diuturna converſatio claréque proſpecta probitas, fructuúmque illius perceptio frequentior atque uſus, nobis meritò reddidit cæteris mortalibus chariores.

Optimus autem *Amicitiæ* fructus eſt mutua ad Virtutem ſtimulatio. Qualis olim apud *Pythagoreos* cernebatur, quemadmodum commemorat *Iamblichus*. *Hortabantur enim crebrò ſe invicem, ut non divellerent ſe ab illo qui in ipſis erat Deo. Quamobrem ad incorporationem quaſi quandam & unionem cum Deo & communionem cum Intellectu Divinâque Animâ omne ſpectabat eorum amicitiæ ſtudium tam per opera quàm per ſermones.* Quibus ſtatim ſubjicit; *Hoc verò nemo poteſt aliud quicquam invenire melius aut dictum in colloquiis, aut in rationibus vitæ factum. Credo verò quòd & omnia veræ Amicitiæ officia in ſe complectitur.*

Iamblich. de vita Pythag. cap. 33.

Quibus tamen non multùm abſimile eſt illud *Ariſtotelis*, quo monet præcipuum *Amicitiæ* fructum ac voluptatem in eis conſiſtere quæ ad nos pertinent quatenus homines ſumus, hoc eſt, rationis ſermoniſque participes. *Hic enim Convictus apud homines videatur rectè appellari, (ſermonum ſcilicet rationiſq; communicatio,) & non, ut in jumentis, in eodem loco paſci.* Atque hæc breviter de eis Virtutibus quæ ad *Juſtitiam* reducuntur.

Ethic. Nicom. lib. 9. cap. 8.

15. *Magnanimitas* earum prima eſt quæ ad *Fortitudinem* revocantur, vel, ſi malles, ad *Tolerantiam*. *Magnanimitas* verò ſatis intelligitur ex *Magnanimi* charactere qui paulò uberiùs apud *Ariſtotelem* deſcribitur. Summa verò in hiſce ferè conſiſtit: *Quòd ſemper quærit magna agere & magnorum gratiâ, eâque unde magnus acquiritur honor.* Hinc eſt quòd μεγαλοκίνδυνος magìs ſit quàm πυκνοκίνδυνος, *magnis magìs immiſcens ſe periculis quàm crebris*, nec promptus ad agendum, ſed ἀργός τις καὶ μελλητὴς, *piger quis & procraſtinator* Neque enim magna temere ſuſcipienda ſunt, ſed magna cum deliberatione & conſilio. Nec multo rerum humanarum ſtudio tenetur, cùm nihil in his magnum ſit magníve æſtimandum. Præ cæteris verò Honorem æſtimat *tanquam maximum humanorum quæ extrà ſunt bonorum; utpote quem Divino Numini tribuimus.* Supponitur enim *Magnanimus* perfectâ Virtute præditus, unde ſeipſum, ſi quem alium, honore dignum putat ob Virtutem, Diviniſſimum omnium donum.

Ethic. Nicom. lib. 4. cap. 7, 8.

Sed nec Honorem magni æſtimat vulgique opinionem, ſolâ Virtute contentus ſuâ. Unde etiam inſignis evadit Parrheſiaſtes, *Veritatis & officii majorem rationem habens quàm famæ*; ſed & φανερόφιλος καὶ φανερομισὴς, *amicitiam & inimicitiam pectore in aperto gerens*, ut inquit *Ennius*. Quid enim ille latebris quærat aut veritatem detrectet profiteri, qui propriæ Virtutis conſcientiâ fretus, tantíq; boni ſenſu ac voluptate abreptus, omnes res humanas contemnit, vitámq; mavult perdere quàm vel minimam Virtutis partem?

Hæc ſunt ferè *Magnanimi* indicia & notæ apud *Ariſtotelem*. *Magnanimitas* autem rectè ad *Fortitudinem* vel *Tolerantiam* refertur, quoniam magna aggredi non poſſumus ſine labore magno & moleſtia; quíq; honores publicáq; munera declinant, plerumq; id faciunt ut molliùs & otioſiùs vivant.

16. *Lenitas* etiam rectè ad *Fortitudinem Tolerantiám*que revocatur, quòd *Tolerantiæ* pars ſit ferre injurias, magníq; animi eaſdem contemnere. Ex utriſq; verò vel alterutro naſcitur *Lenitas*, quâ injuriis laceſſiti non facilè iraſcimur, multóque faciliùs à vindicta abſtinemus. Hujus virtutis egregium ſpecimen eſt illud ad quod collineat præclarum illud *Marci Antonini* documentum; *Unum hîc vide quàm plurimi æſtimandum, cum veritate & juſtitia benignè verſari inter homines mendaces & injuſtos.* Nihil enim generoſo animo bilem æquè movere poteſt, atque injuſtorum & fraudulentorum hominum mendacia & impoſturæ.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 6. ſect. 47.

17. *Generoſitas* à *Magnanimitate* in hoc differt, quòd videatur virtus communior, nec ad magna ſola facinora magnóſque honores reſtringi, ſed in eo ferme conſiſtere, quòd quis libero ſuo arbitrio utatur quàm optimè poteſt, eóque ſolo ſit contentus, de fortuna vulgíque opinione ſecurus tanquam ad ſe parùm pertinentibus; quanquam interim omnes homines humaniter tractat, déque ipſorum ſui arbitrii uſu optimè præſumit, donec conſtiterit contrarium.

18. *Conſtantia* eſt Virtus quâ nobiſmetipſis ubiq; tam dictis quàm factis conſtamus.

Diligentia eſt Virtus quâ quæ Rectâ Ratione ſuſcepimus, incunctanter & diligenter proſequimur.

Andronic. Rhod. lib. περὶ παθῶν.

Ἐυψυχία, ſive *Vivacitas*, definitur ab *Andronico*, *Firma quædam vividáq; animæ aptitudo ad perficienda ſua opera.*

Ἀῆμα verò, ſive *Animi præſentia*, innuere videtur promptitudinem quandam animæ ad aggrediendum quæ oportet, in eiſque perſiſtendum. Unde parùm videtur differre à *Diligentia*. Ἀῤῥενότης autem, ſive *Strenuitas*, apud ipſum eſt *Habitus ſufficientes nos præſtans in laboribus Virtutis.*

Ἀνδραγαθία deniq;, ſeu *Virilitas*, ab ipſo definitur *Virtus viri quâ ſtudioſè ſe gerit circa publica opera.* Officia verò præcipua illius eſſe ſtatuit, imperterritos nos reddi circa mortem, circáq; pericula audaces, malléq; per Virtutem mori quàm per dedecus vivere. Quæ planè *Fortitudinis* partes ſunt.

19. Solæ ſuperſunt Virtutes quæ ad *Temperantiam*, vel, ſi malles, ad *Continentiam*, referuntur: ut *Frugalitas*, quæ eſt Virtus quâ quis, Temperantiæ ſuiſque rebus conſulens, parciùs ſumptus facit, itâ tamen ut citra illiberalitatem ſit hæc parſimonia. Ex qua definitione palàm eſt *Frugalitatem* rectè ad *Temperantiam* referri, quemadmodum *Liberalitas* ad *Juſtitiam*: Hæc enim ad aliorum, illa ad noſtram ſpectat utilitatem.

20. *Humilitas* eſt Virtus quâ facilè in nobis ſupprimimus vel extinguimus omnem inordinatam cupiditatem Honoris, Potentiæ, ſplendoriſq; Divitiarum, ut melioribus rebus animos noſtros adjungamus. Quod eſt, juxta *Marcum* Imperatorem, *In data qualibet occaſione juſtum, prudentem, Deúmq; ſimpliciter ſequentem, ſeipſum præbere.*

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 12. ſect. 27.

21. Ἀυστηρία, ſive *Auſteritas*, definitur ab *Andronico Rhodio Habitus animæ non ſuſtinens voluptatum ſermonúmve turpium commercium.* Huic affinis eſt *Modeſtia*, ut vulgò ſonat: videtur enim eſſe Virtus animæ quâ vel primas præparationes & præludia ad quamlibet turpitudinem maturè rejicit & averſatur, nè leviſſimam quidem mali ſpeciem ferens.

22. Ἐυτέλεια, ſive *Victûs facilitas*, videtur ſtrictius quiddam eſſe & contractius ipſâ *Frugalitate*; Λιτότης verò, vel *Tenuitas victûs*, ipſâ Ἐυτελείᾳ, quæ definitur apud *Andronicum Habitus quibuſlibet contentus*; Ἐυτέλεια verò, vel *Victûs facilitas*, *Habitus nihil eximii affectans in ſumptibus & apparatibus*; Κοσμιότης autem, i. e. *Geſtûs inculpabilitas*, *Figuræ motûſque corporis decora diſpoſitio vel ordinatio*; quæ igitur pars Modeſtiæ eſt; Ἀυτάρκεια denique, ſive *Animus contentus*, *Habitus animæ quibus oportet contentæ, eáque quæ vitæ conveniunt ex facili definiens.* Quò proinde ſpectabit illud vulgare, *Naturam eſſe paucis contentam.*

Andronic. Rhod. lib. περὶ ἀρετῶν.

23. Atque hæc quàm breviſſimè potui de *Virtutibus Reductitiis*. Neque enim his

immorandum duxi, multò minùs in Vitiis enumerandis, quorum natura ſatìs intelligitur ex doctrina Virtutum quibus contrariantur.

Quanquam autem de ſingulis Vitiis agere non ſtatuimus, quæ tanquam quædam Virtutum extrema cogitantur; tamen operæ pretium fore putavi de *Mediocritate* illa quam *Ariſtoteles* μεσότητα appellat, & in qua Virtutis naturam conſiſtere vulgò contendunt, paulò liberiùs diſceptare. Quod ſubſequenti Capite aggrediemur.

CAP. IX.

De Mediocritate illa in qua Virtus conſiſtit; deque vera hujus Mediocritatis menſura.

1. Quòd Virtus in *Mediocritate* conſiſtit, ſi rectè intelligatur, veritate non caret. Quòd verò quidam Virtutem introducunt ab utroque latere oppoſitis ſtipatam Vitiis, & quaſi Roſam inter duas urticas (quod à noſtratibus proverbialiter dicitur) collocatam, id ſanè perbelli cujuſdam ſpectaculi ſpeciem præ ſe fert, ſed quæ in omnibus Virtutibus locum habere non poteſt.

2. Nam illi *Juſtitiæ* parti quâ quis id ſolum quod ſibi jure debetur aſſumit, πλεονεξία ex altero latere planè opponitur, quod eſt vitium plus ſibi arripiendi quàm juſtum eſt. Quòd ſi quis minus ſibi aſſumit quàm quod illi debetur jure; (quæ μειονεξία dici poteſt,) id certè non videtur vitium eſſe, ſed potiùs ſpecies quædam aut *Generoſitatis*, aut *Modeſtiæ*. Ità in tribuenda mercede, ſiquis minorem reddit quàm quæ ex pacto debetur, *Injuſtitiæ* quædam ſpecies eſt, quæ μειονοδοσία dici poteſt; ut parem reddere, *Juſtitiæ*. Majorem autem reddere, (quam πλεονοδοσίαν appellare poteris;) non altera *Injuſtitiæ* ſpecies eſt, ſed potiùs *Liberalitatis*. Ità in rebus emendis vendundiſque Superpondium illud & Mantiſſa quam quidam ſuperinjicere ſolent ut gratiam ineant cum emptoribus, quamvis pondus menſuramque excedant quæ ſanciuntur lege, hujuſmodi tamen πλεονοδοσία nihil in ſe habet *Injuſtitiæ*.

3. Præterea *Prudentiæ*, quæ certè moralis Virtus eſt, ſola opponitur *Imprudentia*, quæ *Prudentiæ* eſt defectus. Ità *Sinceritati* unica contrariatur *Inſinceritas*, vel latè ſumpta *Hypocriſis*, quæ à *Sinceritatis* perfectione excidit vel deficit. Porrò *Patientiam*, *Continentiam* & *Tolerantiam* ſolæ, ex uno latere, claudunt *Impatientia*, *Incontinentia*, & *Mollities*: Item *Temperantiam Intemperantia*. Quòd enim quidam alteri lateri adjungunt tanquam oppoſitum vitium ἀναισθησίαν *Inſenſibilitatem* quandam, id contra rationem fit; tum quòd hujuſmodi ἀναισθησία vix cadit in humanam naturam, (quemadmodum ex mente *Ariſtotelis* rectè docet illius Paraphraſtes, *Eſt enim ferme extra humanam naturam hujuſmodi Inſenſibilitas*;) tum etiam quòd ſi in eam caderet, non tam Animæ vitium eſſet hæc ἀναισθησία quàm morbus Corporis.

Andronic. Rhod. *lib.* 3. *cap.* 12.

Quòd ſi vis & dominium Animæ euſque augeri poſſet, ut, quoties vellet, cujuſvis doloris & voluptatis corporeæ ſenſum prorſus ſupprimere & extinguere valeret; id certè nullum Animæ vitium eſſet, ſed mira quædam virtus ac perfectio. Abuti autem hâc Animæ perfectione, *Inſinceritatis* eſſet aut *Imprudentiæ*: imò, ſi quis magnopere contendat *intemperatæ* cujuſdam *Temperantiæ* ſpeciem fore, non multùm abnuo.

4. Videtur ſanè *Fortitudo* ſatìs commodè collocari inter *Audaciam* & *Timiditatem*; *Liberalitas* inter *Illiberalitatem* & *Prodigalitatem*; *Veritas* inter *Arrogantiam* & *Diſſimulationem*: neque inficias eo quin ſimile quiddam contingere poſſit in aliis quibuſdam Virtutibus. Interea tamen maximopere eſt notandum, quòd nec ex hiſce ipſis elucet quòd Virtus ſit ſecundùm intimam ſuam eſſentiam μεσότης τις ſive *Mediocritas*, ſed potiùs (quemadmodum eam definivimus) *Vis quædam intellectualis* quæ eſt cauſa illius Mediocritatis quam tenemus tam in actionibus noſtris quàm paſſionibus. In ipſis enim eſt illa Mediocritas. Virtus verò ipſa major juſto eſſe non poteſt.

5. Imò verò non ſolùm κατὰ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ *ſecundùm ſuum bene & optimum* Virtus ἀκρότης eſt ſive *Extremitas*, prout ipſe *Ariſtoteles* agnoſcit, *ſed ſecundùm eſſentiam & definitionem*. Nam ſecundùm ipſam eſſentiam *Mediocritas* eſſe non poteſt, cùm illa (ut modò monui) ſit in objectis circa quæ verſatur, nempe *in actionibus & paſſionibus*. Cùm verò ſecundùm ſuam naturam optimum ſit eorum omnium quæ humano generi competunt, & præſtantiſſima animæ noſtræ vis & perfectio, rectiùs definiri non poteſt quàm ſi quis eam dicat τὴν ἀνθρωπίνης φύσεως ἀκρότητα, *Humanæ naturæ ſummitatem, ſummúmve Bonum*. Nam ad eſſentiam Virtutis hoc attinet, ut hujuſmodi ſit.

Ethic. Nicom. lib. 2. *cap.* 6.

Videtur igitur temere dictum ab *Ariſtotele*, quòd *ſecundùm ſuum bene & optimum* Virtus ſit *Extremitas*, ſed non ſecundùm eſſentiam; cùm illud *Optimum* ſit de ipſa Virtutis eſſentia, utpote quæ naturæ noſtræ ſumma eſt perfectio, quemadmodum paſſim inculcant *Pythagorei*.

Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 9. 6. Tutiùs igitur rectiúſque loquitur, ubi ait Virtutis eſſe τὸ μέσον εὑρίσκειν καὶ αἱρεῖσθαι, *Medium invenire & eligere*, quàm ubi innuit ipſam Virtutem *Medium eſſe vel Mediocritatem*. Perinde enim eſt ac ſi quis diceret ipſum *Meſolabium* eſſe duo illa Media continuè proportionalia quæ ipſius ope inveniuntur; aut *Circinum* eſſe Centrum mediúmve Circuli, quia hoc inſtrumento Centrum invenitur, primóve defigitur.

7. Poſtremò, quando dicunt Virtutem *medium* eſſe, intelligunt duorum huic medio homogeneorum. Ità enim rem illuſtrat *Ariſtoteles* à proportione Arithmetica tam in magnitudinibus quàm in numeris; quanquam illis inveniſſe videtur potiùs τὸ μέσον τοῦ πράγματος quàm τὸ πρὸς ἡμᾶς, *Medium rei* quàm *medium quoad nos*. Sed quòd ὁμογένειαν hanc aliqualiter affectant, ex eo videre eſt, quòd dum Virtutem *medium* quoddam eſſe volunt, ipſam de extremis participare innuunt. Quod planè facit *Andronicus*, lib. 3. cap. 7. ubi dicit Virtutem *Medietatem eſſe duorum Vitiorum, ab hoc quidem deficientem, illud verò ſuperantem*. Ut in *Fortitudine*, quæ *Confidentia* eſt in certo quodam gradu. Quòd ſi *Confidentia* ut tria Virtus eſſet, cùm Virtus ſit quiddam abſolutè bonum, *Confidentia* ut ſex duplò melior eſſet, ac proinde Vitium Virtute melius.

Virtus igitur non eſt ipſum medium, ſed medii inventrix atque electrix. Nec ipſum medium in intenſione vel extenſione ſolummodo cernitur, ſed & aliis circumſtantiis determinatur. Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 6. *Nam quando oportet, & ſuper quibus, & erga quos, & cujus gratiâ, & quomodo oportet, eſt medium illud atque optimum quod eſt in Virtute*, inquit *Ariſtoteles*. Unde ſuperfluum videtur planéq; ſuperſtitioſum hanc metaphoram in ſingulis ſectari.

8. Satis eſt ſi *Rectum* ſit quod quærit & eligit Virtus. Quanquam & hoc *Rectum*, quod Græcè ὀρθὸν dicitur, iterum medium quiddam videtur; ut linea illa quæ erigitur ſuper aliam rectam κατ' ὀρθὰς una pariter eſt & media omnium quæ ab eodem puncto duci poſſunt, & inæqualiter ab ea declinant. Unde illud *Pythagoreorum*, *Uniforme Bonum eſt, Malum verò multiforme*: rectéq; *Andronicus* Rectum hoc, quod & κατόρθωμα vocat, ἁπλοῦν τι καὶ μονοειδὲς, *ſimplex quiddam & uniforme*, indigitat. Magn. Moral. lib. 1. cap. 25. & Nicom. lib. 2. cap. 5.

9. Sed & hoc *Rectum* quod in ſingulis quærit Virtus, τὸ ἴσον *æquale* etiam dicitur; καὶ τὸ δέον, καὶ τὸ ἁρμόζον, *& quod par eſt & congruum*, quod eſt rurſus τὸ ἴσον. Τὰ γὰρ ἁρμόζοντα ἴσα ἐστὶν, *Nam quæ congrua ſunt, ſunt æqualia*, ut ſatis nôrunt Geometræ. Hæc autem omnia iterum *Mediocritatem* innuunt. Nam quod aut minus aut majus eſt altero, non congruit. *Medium* igitur eſſe oportet quod nec majus nec minus eſt, quod appellatur etiam *æquale*. Andronic. Rhod. lib. 5. cap. 5.

Dicatur igitur tandem Virtus in *Mediocritate* conſiſtere, non quòd ipſa ſit medium quoddam, ſed quòd anima noſtra per ipſam id quod medium ſive congruum eſt eligat. Sola enim illa ſententia videtur vera ac ſolida.

10. Maxima verò difficultas videtur, ſtatuere quid illud tandem ſit cui congruere debet hoc ipſum quod ubique quærit Virtus *Rectum* vel *Congruum*. Illud demum *Rectum* eſt, inquit *Ariſtoteles*, quod Rationi rectæ eſt congruum; vel, quod idem eſt, *Id utique revera Medium eſt quod recta Ratio enunciat*, ſic enim ille loquitur. Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 1. Et in ipſa Virtutis definitione, ubi eam in *Mediocritate* conſiſtere dicit, *Mediocritatem* ſeu μεσότητα indigitat ὡρισμένην λόγῳ, *definitam ratione*. Cui ſtatim hanc ſubdit ἐξήγησιν, *& quemadmodum vir prudens determinaverit*: nè quis porrò quærat qualis aut quæ ſit hæc recta Ratio quâ quicquid rectum eſt vel congruum definiatur. Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 6.

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 5. Recta igitur Ratio eſt quæ eſt ſecundùm Prudentiam, quemadmodum ſuprà etiam monui ex *Ariſtotele*: Apud quem tamen ipſa *Prudentia* definitur, *Habitus cum ratione verus exercens ſe circa ea quæ homini bona ſunt vel mala*. Qui ſanè videtur Circulus quidam nugatorius, definire hoc modo rectam Rationem per Prudentiam, & Prudentiam rurſus per rectam Rationem.

11. Sed ſi recurramus ad eam quam nos ſuprà tradidimus *Prudentiæ* definitionem, nulla poteſt eſſe aptior ſolutio. Nam ex illa definitione intelligitur quòd qui revera *Prudens* eſt purgato animo eſt & defæcato, & quòd Veritatis lumen per nullas Paſſionum tenebras aliáve corporis impedimenta ipſi intercipitur. Unde nemo mirari debet quòd illa *Ratio recta* dicatur quæ eſt *ſecundùm Prudentiam*, cùm aut prudens aut nullus eâ imbui poſſit quatenus vitam ſpectat atque mores. Cui itidem ſuffragari videtur Philoſophus in Ethicis ad *Nicomachum* lib. 3. cap. 4. *Vir probus*, inquit ille, *rectè judicat ſingula, & in ſingulis ipſi verum apparet. Nam ſecundùm unumquemq; habitum*

habitum propria ſunt bona & jucunda. Multòque præſtat fortaſſe vir probus veritatem videndo in ſingulis, tanquam ipſe eorum exſiſtens norma ac menſura. Plebeiis verò Error videtur propter voluptatem contingere, utpote quæ, cùm non ſit, apparet tamen illis bonum.

Quò etiam collineare videntur alia quædam quæ apud ipſum reperiuntur. Qualis eſt illa σωφροσύνης Notatio, quam ità appellari dicit quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, *quòd ſartam tectam conſervet prudentiam :* quo innuere videtur *Temperantes* ſolos rectè ſapere in eis quæ ad vitæ probitatem ſpectant. *Neque enim omnem opinionem corrumpit & pervertit voluptas & dolor, (ut quòd triangulum angulos habet duobus rectis æquales;) ſed eas ſolummodo quæ ad vitam ſpectant atque mores.* Ità enim occæcat mentem *voluptatis doloriſque ſenſus*, ut principii videndi facultas ipſis eripiatur qui hujuſmodi paſſionibus tenentur, quemadmodum paulò pòſt adhuc planiùs enunciat; Ἔστι γὰρ ἡ κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς, *Vitium enim illud ipſum principium extinguit quo rectè de rebus judicare valemus.* Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 5.

12. Quæ quidem *Ariſtotelis* ſententia omni laude excipienda eſt, ut quæ multiplicem in ſe continet veritatem, eámque valde utilem. Ex hac enim planè efficitur, Primò, quòd animus noſter vitiis paſſionibúſq; purgatus & vacuus ità comparatus eſt, ut immediatè ſuâque ſponte diſcernere poſſit quid in rebus humanis pulchrum honeſtúmq; ſit & quid ſecús.

Deinde, quòd ſunt quædam ſuâ naturâ honeſta & pulchra. Mira enim illa eſſet animi purgati perſpicacitas ſi ea cerneret quæ non ſunt. Quod tamen accideret, ſi nihil eſſet ſuâ naturâ pulchrum vel honeſtum.

Tertiò denique, quòd magnæ eſſet temeritatis & dementiæ, quamdiu purgandis animis nullam operam navamus, tempus conterere in diſceptationibus an ſit quicquam ſuâ naturâ honeſtum : Nihil autem ſuâ naturâ honeſtum eſſe concludere, dum interim fœdè turpitérque vivimus, impudentiæ prorſus intolerandæ. Experiri enim oportet priùs quàm ſententiam ferre. Sed ſuprà hæc attigimus, ac proinde nihil neceſſe eſt ut eis hîc diutiùs immoremur.

13. Unicum ſupereſt quo præſenti difficultati plenè & perfectè ſatisfaciamus. Nam videmur prudentem noſtrum Inſpirationibus & Enthuſiaſmis totum commiſiſſe, dum ex eo ſolo quòd purgato ſit animo eum ſapere contendimus; quaſi quicquid poſt hanc purgationem ipſi occurrit continuò rectum eſſet ex eo ſolo quòd ipſi occurrit, ipſáque recta Ratio, vel ſecundùm rectam Rationem, haberi deberet, nulláque alia eſſet menſura vel Principium cui congruere debet omne illud quod rectum dici meretur.

Neceſſe igitur eſt ut porrò quæramus *quæ tandem Norma ſit ac Modus hujus rectæ Rationis, & quodnam illud congruum rerum agundarum Principium*, ut loquitur *Andronicus Rhodius*. Nam ſola illa Ratio recta eſt quæ huic Regulæ, Modo, vel Principio congruit : quod primum quoddam eſt ſimpliciſſimúmque Bonum, addo & præſtantiſſimum, normáq; & menſura reliquorum.

14. Cœlum igitur Terrámque teſtor, latúmque ac profundum Mare, nullum in omni Natura Bonum majus reperiri poſſe quàm *Amorem* illum quem nos, ut nullum cum ulla libidinoſa ſpurcitie commercium habere ſatis intelligatur, ſemper appellamus *Intellectualem*. Nihil illo ſanctius aut divinius, nihil ſuavius aut jucundius, nihil quod majorem in modum animam noſtram implet, irradiat, exhilarat, nihil quod nos ad diſpiciendum quid in unaquaque re æquum & decorum ſit oculatiores efficit, vel ad proſequendum quod honeſtum eſt promptiores. Cùm igitur hoc perfectiſſimum ſimpliciſſimúmque bonum ſit, Norma meritò habenda eſt & menſura reliquorum; nullámq; Rationem rectam eſſe poſſe ſtatuendum eſt quæ ex diviniſſimo hoc fonte ac principio non derivatur.

15. Eſt autem hic, quem indigitamus, *Intellectualis Amor* nihil aliud niſi intima quædam vita ac ſenſibilitas in *Boniformi Animæ facultate* excitata, quâ illud quod ſimpliciter optimum eſt ſapit, eo geſtit, eo triumphat, eóque ſolo oblectatur. Unde Deum ſuper omnia amat, atque amplectitur tanquam ſummum perfectiſſimúmque Bonum, tanquam ſummam perfectiſſimámque Rationem & Pulchritudinem, tanquam ſummum perfectiſſimúmque Amorem per quem omnia facta ſunt & ſubſiſtunt; totámque Creationem, prout unumquodque Divinæ perfectionis particeps eſt, colit ac diligit, & pro ratione defectuum vel infortuniorum in quæ incidere poſſunt, miſeretur & ſublevat, quantúmque in ſe eſt in eum felicitatis ſtatum ad quem à Natura Deóque deſtinari videntur reſtituere conatur. Denique, omnes intendit nervos ut bonis bene ſit, malíque quàm efficaciſſimâ fieri poteſt curâ & diſciplinâ boni evadant.

16. Eſt igitur hic ſimpliciſſimus diviniſſimúſque in *Boniformi animæ facultate* ſenſus illa Norma vel Menſura quâ ipſa Ratio examinatur & probatur. Si quid enim illa

ſtatuit contra hunc ſenſum, iniquum eſt & inhoneſtum : ſi quid huic ſenſui conſonum & congruum, id demum licitum eſt & decorum. Adeò ut nihil ſit neceſſe unam aliquam *externam* Ideam Boni ſomniare, alióſve ſomniantes imitari & ſequi, cùm intima hæc vita atque ſenſus ſit pro illa Idea, quæ non externo aliquo animæ obtutu ſuſpicienda eſt, ſed intus in *Boniformi facultate* ſentienda percipiendáque. Quæ cùm una ſit atque ſimplex, ex hac tamen oriuntur omnes virtutum rectéque factorum modi, in eámque certiſſimâ analyſi iterum reſolvuntur. Quemadmodum omnes numeri oriuntur ab unitate, & à ſola unitate omnes menſurantur : ità, inquam, *Amore* hoc *Intellectuali*, tanquam Principio omnium ſimpliciſſimo maximéque uno, omnes *Juſtitiæ*, *Fortitudinis*, * ipſiúſque adeò *Temperantiæ*, modi ſpeciéſque menſurantur. Nihil enim hunc Amorem extinguit magìs quàm voluptatis ſenſus ac libido.

17. Poſtremò, nè quis nobis vitio vertat quaſi lubrico cuidam ac fluctuanti Fundamento pulcherrimam Virtutum fabricam ſuperſtruere velimus, Paſſioni ſcilicet, qualem Amorem hunc eſſe quidam fingere poſſint; intelligant illi boni viri non magìs Paſſionem eſſe hunc Amorem quàm ipſa eſt Intellectio, quâ tamen iſti nihil habent antiquius aut divinius. Omnis enim Intellectio paſſio quædam eſt quatenus eſt perceptio, ut rectè monet *Carteſius*. Quemadmodum autem perceptio hæc quæ in intellectione eſt non eſt à corpore, ſed ab ipſa Anima ſeipſam in hunc actum excitante; ità nec hic Amor à corpore eſt, ſed ab Anima ipſa, vel ab ipſo eam in hanc diviniſſimam ἐνέργειαν rapiente & excitante Deo. Cujus perceptio quamvìs paſſio quodammodo appellari poſſit, nihilo tamen magìs illius excellentiæ derogat ac divinitati, quàm ipſius intellectionis, quæ cùm perceptio ſit pari jure paſſio appellanda eſt.

18. Præterea, non tam Paſſio fortaſſis dicendus eſt hic Amor quàm perfecta quædam animi tranquillitas & ſerenitas, quam nulli motus comitantur niſi benigni beneficíque; adeò ut ipſe nihil aliud videri poſſit quàm firma quædam & conſtans benignitas vel bonitas, quâ nihil poteſt eſſe perfectius aut divinius, aut quod ad Deorum immortalium, id eſt, beatorum Spirituum, vitam ſtatúmq; propiùs accedit. Abſque hac enim non Dii eſſent, ſed mali ſtatim evaderent Dæmones. Unde manifeſtò conſtat hunc Amorem omnium rerum eſſe perfectiſſimam diviniſſimámque, ipſâq; Intellectione præſtantiorem, rectiúſque de hoc intelligenda eſſe verba illa *Ariſtotelis* excelſa ac magnifica quàm de Intellectu ſpeculativo; *Neque verò oportet, juxta iſtos monitores, humana ſapere, cùm homines ſimus, neque mortalia, cùm ſimus mortales*; *ſed, quantum fieri poteſt, Deorum immortalium vitam affectare, & omnia facere quò vivamus ſecundùm illud quod in nobis eſt præſtantiſſimum.* Quibus ſtatim ſubdit *Andronicus Rhodius*, juxta mentem *Ariſtotelis*, *Præſtantiſſimum verò eorum quæ in nobis ſunt eſt Intellectus :* Ego verò, è contrà, *Amor intellectualis.* Sed in hiſce forſan diutiùs quàm par erat immorati ſumus.

Ethic. Nicom. lib. 10. cap. 7.

Lib. 10. cap. 9.

De Virtute igitur déque ejus ſpeciebus, & quomodo ea dicatur in *Mediocritate* conſiſtere, quæque hujus *Mediocritatis* norma ſit & menſura, hæc dicta ſunto. Ad *Externa Bona* tandem progedimur.

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. XVI.

Ipſiúſque adeò Temperantiæ modi ſpeciéſque menſurantur. Nihil enim hunc Amorem extinguit magis, *&c. Hinc optimè intelligere licet vim ſenſúmque Noematis noni*, Minùs præſtantia Bona menſurantur à præſtantioribus, *&c. nempe quoad* pretium *ac* uſum. Pretium *ſcilicet augeri quanto propiùs ad Bonum omnium præſtantiſſimum accedunt*; uſum *verò limitari prout minùs ad ſummum illud Bonum conferre, magiſve illius fruitionem impedire, Divinúmque hunc Amorem extinguere cenſeantur. Rectè enim* verum ſincerúmque Dei amorem *omnis* Moralitatis *Legem primam ac Menſuram ſuprà ſtatuimus.*

CAP. X.

De Bonis Externis.

1. B*Ona Externa* voco non ea ſola quæ extra hominem ſita ſunt, ſed ea omnino omnia quæ extra Virtutem, hoc eſt, ſine quibus Virtutis perfectio conſiſtere poteſt, quantumvìs ornamenta quædam illius eſſe poſſint, aut neceſſaria Beatitudinis complementa. Unde ad tria genera rectè revocantur, reſpectu *Animæ*, *Corporis* & *Suppoſiti*.

Singulorum ſpecies aliquot enumerabimus, quantúmq; vel quàm parùm unaquæq; faciat ad Beatitudinem breviter notabimus.

2. Ad *Animum* referuntur *Ingenii ſubtilitas & dexteritas*, *Memoriæ fidelitas & comprehenſio*; item *Scientia*, *Ars*, & *Sapientia*. Ad *Corpus* verò, *Robur*, *Agilitas*, *Pulchritudo*, *Sanitas*. Ad *Suppoſitum*, *Divitiæ*, *Libertas*, *Nobilitas*, *Principatus*, *Amicitiæ* denique *hominum* atque *Favor*. De quibus omnibus ſummatim dicendum eſt, quòd bona ſunt, magìſque expetenda quàm quæ ipſis ſunt contraria; pleraque tamen eorum tam minuta eſſe bona, ut ipſorum abſentiâ nihil quicquam lædatur Beatitudinis integritas & perfectio, non magìs quàm terræ Rotunditas montium protuberantiâ aut cavitate vallium, quæ, ſi conferantur cum terræ magnitudine, nullius habentur rationis. Sic iſtiuſmodi bonorum præſentia nihil ferè addit, nec detrahit quicquam ipſorum abſentia, Beatitudinis perfectioni; quandoquidem cum Virtutis perfectione comparata nullam ad eam proportionem habere planè deprehenduntur.

3. Quid enim magni addit homini *Subtilitas ingenii*, quando Prudentia adeſt, firmáque animi conſtantia, & humani generis amor, propenſáque omnibus benefaciendi voluntas? Quo genere argumenti animosè & ſolidè ſe conſolatur *Marcus Antoninus*, poſtquam ingenio paulò tardiori ſe præditum animadverterat, *lib.* 7. Ubi aſſerit *Beatam vitam in paucis conſiſtere*; & quamvìs quis non ſit Dialecticus vel Phyſicus, quòd tamen eſſe poſſit *liber*, *verecundus*, *Boni publici amans*, *& obediens Deo*. Deeſſe autem homini quicquam cenſere ad ſolidam Beatitudinem ex eo quòd egregia hæc *ingenii ſubtilitas & dexteritas* non adſit, perinde eſt ac ſi quis progreſſivâ facultate quenquam haud ſatìs inſtructum exiſtimaret, propterea quòd Funambulus nondum evaſerit vel Petauriſta. τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 7. *ſect.* 67.

4. Nec magìs opus eſt viro probo tam fideli omniáque ferè retinenti *Memoriâ*. Nam τὰ καλὰ ϗ θεῖα quæ vocat *Ariſtoteles*, *pulchra illa ac Divina* in quibus Beatitudo conſiſtit, pauca ſunt, (ut modò monebat etiam *Antoninus*,) vel potiùs unum quiddam, quo, veluti oculo colores, omnia honeſtorum & turpium diſcrimina clarè diſcernuntur; adeò ut nuſquam verius ſit illud *Platonis*, *quòd Veritas exiguo continetur ſpatio*. Neque enim ex præceptorum multitudine *memoriæ* inſculptorum, ſed ex intima quadam vita ſimpliciſſimóque ſenſu agere ſolet vir probus perfectáque Virtute præditus. Nam uno illo omnes Officiorum differentias, ut ſimplici lumine omnes Objectorum varietates, facilè diſtinguit. Ex illo enim uno omnis Officiorum varietas oritur, ut colores Iridis ex lumine Solis.

Et quod ad exteriora attinet, & quæ in diviniſſimum hunc ſenſum reſolvi non poſſunt, ſatìs eſt ſiquis hîc illâ ſenili ſolummodo polleat memoriâ, quâ quæ ipſi cordi ſunt rectè meminiſſe valeat, reliquis abſque ullo magno damno memoriâ illius elabentibus.

5. Nec certè *Scientia* multùm requiritur ad Beatitudinem, neque *Ars*, nec *Sapientia*. Quamvìs enim *Scientia* ſit τῶν ἀναγκαίων ϗ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων, *eorum quæ neceſſaria ſunt*, *quæque eodem modo ſemper ſe habent*, definiente *Ariſtotele*; Beatitudo tamen noſtra in iſtis immutabilibus non conſiſtit, ſed in ipſa animi conſtantia, certóque & immutabili propoſito proſequendi in ſingulis noſtris actionibus illud quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt. Ac proinde rectè intra ſecundum Septum à *Cebete* coercentur, nec ad *Domicilium Salutis* admittuntur in miranda illa Tabula, vel Dialectici, vel Arithmetici, vel Geometræ, vel Phyſiologi, nec Aſtrologi denique, nec Poëtæ, nec Oratores, nec Muſici, ſed, tanquam infames inutileſque Fidicines, omnes ſimul excluduntur foras. Andronic. Rhod. *lib.* 6. *cap.* 8.

6. Simplicius quiddam eſt & communius Bonum Beatitudo illa quæ humanæ debetur Naturæ, quàm ut ſolis Philoſophis vel ſolis Opificibus competat. Unde nec *Scientia*, nec *Ars* illa quam *Ariſtoteles* definit ἕξιν μετὰ λόγου ποιητικὴν, *Habitum cum ra-* Ethic. Eudem. *lib.* 5. *cap.* 4.

tione fabricativum, (ac proinde ad Opifices ſpectat,) partes Beatitudinis habendæ ſunt.

7. Multò verò minùs ***Sapientia***, cujus Objecta ſunt ***ſingularia quædam & ſtupenda difficiliáque, ac Dæmonia***, qualia meditati olim dicuntur ***Anaxagoras*** & ***Thales***; quæ ***Ariſtoteles*** apertè expoſitéque vocat ἄχρηστα, id eſt, ***inutilia***, quaſi nihil ad humanam felicitatem facientia. Quo autem ſenſu ***dæmonia*** appellat, intelligere eſt ex illis quæ paulò ſuprà ab ipſo dicta ſunt, ubi definit ***Sapientiam ſcientiam & intelligentiam eorum quæ naturâ maximè excellunt.*** Quæ Concluſio continuò infertur ex proximè antecedentibus : ***Sunt enim alia multò hominibus naturâ Diviniora, ut illuſtriſſima illa maximéque conſpicua ex quibus Mundus conſtituitur.*** Eadem igitur ſunt illa ***dæmonia*** quæ ***excellentiſſima hæc & Diviniora homine***, quæque dicuntur Objecta Sapientiæ. Quorum tamen ſcientia tantum abeſt ut ſit neceſſaria ad Beatitudinem, ut nè utilis quidem habeatur ab ***Ariſtotele.***

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 7.

8. Quanquam verò perfecta Beatitudo, quæ in ſola voluptate illa conſiſtit quæ ex ſenſu Virtutis rectéque factorum conſcientia percipitur, ***Scientiâ***, ***Arte*** & ***Sapientiâ*** carere poteſt; ***Intelligentia*** tamen illa quam ***Andronicus*** definit γνῶσιν τῶν ἀρχῶν, ***Principiorum notitiam***, ipſi poteſt nullo modo deeſſe. Impoſſibile enim eſt ut animus purgatus veràque imbutus prudentiâ adeò hebes ſit ac ſtupidus ut de primis Scientiarum Principiis uſpiam dubitet.

Lib. 6. cap. 7.

9. Quod ad ***Corporis*** bona attinet : ***Robur*** ſanè & ***Agilitas*** Taurorum & Sciurorum felicitas eſt potiùs quàm Hominum. Adde quòd robuſtior corporis habitus ineptior eſt ad Virtutem, rerúmque optimarum ſenſum ſæpenumerò extinguit ſuffocátque. Nec magìs exſpectandum eſt ut omnes qui beati ſunt robuſti ſint atque agiles, quàm ut Curſores ſtatim fiant atque Pugiles.

10. Equidem concinna res eſt ***Pulchritudo***, magnámq; vim habet ad movendos hominum animos, & ad conciliandam benevolentiam, addítq; vel ipſi Virtuti venuſtatem quandam atque gratiam, juxta illud Poëtæ,

Gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus.

Parùm tamen habet momenti ad ſolidam Beatitudinem, videtúrque potiùs alienum bonum quàm noſtrum, & quo, ſine ſpeculi ope, nunquam frui poſſumus; cùm internâ animi noſtri Pulchritudine perpetuo nos oblectare valeamus abſque omni externo adminiculo.

11. Maximum bonorum eſt corporis ***Sanitas***, quæ certè neceſſaria videtur ad perfectam Beatitudinem, aut ſaltem illius pars tanta quæ ab omni immani cruciatu nos incolumes ſervare poſſit, ſpiritúſque ab omni inordinato motu & ſtupore liberare. Quicquid enim operationem animi vel extinguit, vel neceſſariò avocat ad deteriora, ibíque diutùs detinet, ut Beatitudinem noſtram itidem tollat multúmve diminuat neceſſe eſt.

12. Inter ***bona Suppoſiti Libertáſ***ne præſtet an ***Divitiæ***, dubium meritò videri poteſt. Ego tamen ſemper exiſtimavi ***Divitias*** poſtponendas ***Libertati***, præſertim cùm Divitiæ affluentiam quandam innuant, quâ vir probus citra omnem moleſtiam carere poteſt. Unde neceſſe eſt ut ipſi major ſit Libertatis jactura quàm Divitiarum, modò neceſſaria ſuppetant unde vivat; quódque clementiùs laturus ſit ſi ableganda vel amittenda ſint quæ ad beatam vitam ſunt ſuperflua, quàm ſi ad illius nutum eſſet vivendum cui tamen parere ſemper non poſſet ſine aliquo Virtutis detrimento, cùm in hac ſumma ferè humanæ felicitatis conſiſtat.

Nec ***Inopia*** igitur nec ipſa ***Servitus*** admodum metuendæ ſunt, modò coerceantur intra eos limites ut mentem non impediant in Virtutis operationibus, nec intercipiant aut extinguant perceptionem illius voluptatis quam diviniores illi ſenſus animæ & cogitationes ipſi afferunt, quibus ſe Deo totam ſubmittit, tacito interim ac interno perfuſa gaudio ex conſcientia tam amabilis ac decori affectûs erga Divinam Providentiam.

13. Quòd ***Nobilitas*** non ſit neceſſaria ad Beatitudinem, ex ipſa Nobilitatis natura liquet, cùm ſit umbra tantùm Virtutis majorum in poſteros projecta : Quæ certè ſi quid ſit, quantò major, imò vero quàm immenſa, res eſt ipſa Virtus, cujus vel umbra tantam ſpargit gloriam in tot permanentem ſecula, tótque hominum ſucceſſiones & propagines radiis ſuis deaurantem? Ubi igitur ipſa Virtus adeſt, cujus vel leviſſimæ quævis exuviæ tantum valent, quantam αὐτάρκειαν, quàm ex ſe ſolidam felicitatem præſtabit illa præſens poſſeſſori, non magìs indigens nobilitate quàm Sol lunari lumine quod ab ipſo Luna mutuatur?

Parùm igitur ad Beatitudinem facit nuda *Nobilitas*, quam Græci εὐγένειαν vocant. Quòd ſi Virtus etiam majorum in poſteros reipſa derivetur, quæ γενναιότης eſt, parem habet, vel potiùs majorem, vim ad humanam felicitatem quàm Virtus nobilitate deſtituta.

14. Quòd ſi *Nobilitas* non eſt ad beatam vitam neceſſaria, multò minùs ſunt *Imperia* & *Principatus*. Nemò enim dixerit ſolos Principes & Magiſtratus beatos eſſe, cùm tam pauci ſint numero præ reliquis mortalibus, cúmq; tam multis rodantur curis, támq; infinitis ſubindè periculis circumvallentur.

15. Denique, quod *Amicitiam* attinet, Multum ſanè dulcedinis & ſecuritatis humanæ vitæ afferunt *Amicitiæ* hominum atque favor. Quibus quidem Virtus deſtitui non poteſt, præſertim ſi perfecta eam comitetur Simplicitas, morúmque quædam ſuavitas & benignitas. Præterea, omnes probi amici ſunt ſibi invicem, &, Virtutis notâ, tanquam quodam ἀναγνωρίσματι, ſuam affinitatem continuò agnoſcunt & neceſſitudinem; ac proinde quaſi quodam Conſanguinitatis jure devincti facilè ſibi mutuò opitulantur.

Quòd ſi cum ſolis improbis rem habere contingat, Virtutis Patronæ ſunt ipſæ Leges. Nam eódem collineant Jura Politica quò ipſa Philoſophia Moralis, ut rectè monet *Ariſtoteles*. *Idémque bonum quæritur & à ſingulari homine & à Civitate*; quemadmodum ſcitè ſubinfert illius Interpres *Andronicus Rhodius*. Exiguum igitur deerit viro probo vel ad ſolidiſſimam felicitatem, ſi quæ jure ſaltem naturali illi debentur ritè perſolvantur. Nec celebratiſſimum illud exemplum in *Damone* & *Pythia* tam ad *Amicitiam* referendum videtur quàm ad *Juſtitiam* atque *Æquitatem*.

Lib. 1. *cap.* 2.

Virtus igitur, præſertim inter probos vel in Republica bene inſtituta, non majori videtur hominum favore indigere quàm ipſa poteſt propriis viribus ſibi conciliare.

16. Cæterùm, ut nihil diſſimulem, iniquitas ipſis aliquando intexitur Legibus, eis præſertim quæ ad Religiones ſpectant; & ipſius Veritatis ac Virtutis causâ non raró in odia hominum atque offenſiones incidimus; quandoquidem vitioſi animi non minùs Virtutis ac Veritatis læduntur aſpectu, quàm lippientes oculi admotæ lucis: Quemadmodum cum magno ſuo malo expertus eſt olim *Socrates*, & innumeri alii, tum Chriſtiani tum Judæi.

Quo caſu cum pauciſſimis verſari eíſque probatæ integritatis conſultiſſimum eſt. Quòd ſi hujuſmodi fidi ſodales non ſuppetant, in ſolitudinem ſe ſubducere proximum eſt, quâ tamen nemo gaudere poteſt, juxta *Ariſtotelem*, qui non ſit ἢ θηρίον ἢ Θεὸς, *aut Fera aut Deus*. Vir autem probus vel in hoc ſtatu non deſinit eſſe lætus beatúſque, ut qui, tametſi Deus non ſit, Divinum tamen quiddam ſecum circumgeſtat, cujus ſenſu dum fruitur, nihil illi deeſt vel ad ſummam Felicitatem.

Politic. lib. 1. *cap.* 2.

17. Quòd ſi hîc non ſubſiſtant malevoli, ſed eouſque ingruat tempeſtas ut etiam hâc quiete ac ſolitudine per invidiam exturbetur, certè hoc loco non tam amicitiâ opus eſt, quæ eſt inter pares, quàm magnis ac potentibus fautoribus & patronis, qui invidiæ ictus deflectere poſſint, & venenatos illius aculeos obtundere. Quibus ſi deſtituatur, Deo fretus bonâque conſcientiâ ad arma ſe tandem conferat; *Patientiam* intelligo, *Fortitudinem* & *Magnanimitatem*; recolátque ſubindè apud ſeipſum illud *Epicteti*, *Nunc eſt certamen, jámque adſunt Olympia*; citiúſque fortunis omnibus vitâque ipſâ ſpoliari ſe ſinat quàm victoriâ privari.

Enchirid. cap. 75.

18. Cæterùm ſi quis hîc porrò interroget quo tandem ſtatu habendus ſit vir probus, quantúmque ſuâ felicitate excidiſſe videatur, omni amicorum ope Potentúmque patrocinio ad hunc modum deſtitutus; meminiſſe eum oportet hanc quæſtionem non tam opportunè fieri de amicorum inopia, quàm generatim de conflictu cum Infortuniis prorſus *Priamicis*, ſummíſque quæ in hominem cadere ſolent calamitatibus. Qua de re nemo rectiùs deſinire quicquam poteſt quàm ipſe *Ariſtoteles*, interpretante *Rhodio*. *Infortunia verò premunt quidem Beatum & labefactant, multiſque impediunt operationibus; transfulget tamen per hæc omnia Virtutis ſplendor; quandoquidem æquo quis animo magnas fert calamitates non propter indolentiam & ſtupiditatem, ſed quòd generoſus ſit atque magnanimus. Nam ſi Beatitudo ſuam habeat eſſentiam in Virtutis operationibus, ipſæque vitæ viri beati ſint Dominæ, nullus beatus poteſt fieri miſer; nunquam enim committet odioſa & turpia.* Et aliquantò poſt; *Non ſemper res proſperas quæret Beatus juxtáque ſuam voluntatem fluentes, ſed ex præſenti fortuna id faciet quod optimum eſt. Et propter hoc nunquam miſer eſſe poteſt, ſed quod Fortunam ſpectat tantùm non beatus, etiamſi in* Priamicas *incideret miſerias*. Ipſe verò *Ariſtoteles* paulò ſuppreſſiùs & humiliùs; *Haud tamen beatus dici poterit, ſi in* Priamicas *calamitates inciderit*: quamvìs eum nec in iſto ſtatu concedat eſſe miſerum.

Andronic. Rhod. *lib.* 1. *cap.* 17.

Ethic. Nicom. lib. 1. *cap.* 10.

19. Quanquam verò moderatior hæc *Ariſtotelis* ſententia locum habere poteſt in eis calamitatibus quæ fortè fortunâ nobis obvenire videntur; in eis tamen quæ ab hominibus improbis ob amorem Virtutis nobis infliguntur, alia prorſus eſt ratio. Nam ſi quis in maximis ſibi inflictis miſeriis Deum Virtutémque non deſerat, nec ab ipſis deſeratur; tantum abeſt ut ipſe conflictus Beatitudinem minuat, ut eam è contrà augere potiùs exiſtimari poſſit, & ad altiorem gradum evehere, dum Virtutis operationes, in quibus ipſa Beatitudinis eſſentia conſiſtit, majorem in modum accendit atque elevat. Neceſſe eſt enim perquam decoros ac generoſos animi motus planéque divinos tam invictam Tolerantiam comitari. Nec tam ex inani quadam jactantia faſtúve, quàm ex vera ſolidáque animi fortitudine, firmáque rerum experientia ac præſagio certo, cenſendus eſt olim *Socrates* magnanimam illam emiſiſſe vocem; *Si ità* Epict. Enchirid. cap. 79. *Diis immortalibus viſum eſt, ità utique fiat. Me verò* Anytus & Melitus *occidere quidem poſſunt, lædere verò non poſſunt.* Atque hæc breviter de *Bonis Externis.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Libero Arbitrio.

1. HActenus de *Beatitudinis Cognitione*, *Virtutiſque*, quæ Beatitudinis pars præcipua eſt, vel potiùs Summa: Sequitur *Acquiſitio.* Quâ in parte multò compendioſiùs agemus, tum quòd quæ hactenus tradita ſunt non parùm faciant ad Virtutem acquirendam, tum etiam nè Opuſculum hoc noſtrum ultra juſtam *Enchiridii* molem excreſcat. Itaque Meditationum quarundam Capita *Virtutis acquiſitioni* inſervientia recenſebimus potiùs quàm tractabimus.

2. Cæterùm priuſquam illuc deveniamus, neceſſe erit de *Libero Arbitrio* pauca præfari, abſque quo fruſtrà videri poteſt omnis ad Virtutem adhortatio.

Cui quidem argumento affinis eſt celebris illa quæſtio quæ aliquoties ab * *Ariſtotele* proponitur, fuſiúſque apud *Platonem* tractatur in *Menone*, ſcilicet, *An Virtus hominibus obveniat conſuetudine*, *an naturâ*, *an Divino quodam fato*, vel, quod idem ſonat, *bonâ Divinâque quadam fortunâ.* Sunt enim qui ab altera quæſtionis parte valde abhorrent, ut qui autumant multùm derogaturum humanæ naturæ perfectioni, ſi quis Naturâ vel divino quodam Fato bonus eſſet; propterea quòd hoc pacto neceſſariò eſſet bonus, Liberóq; arbitrio privari videretur. * Uberiorem enim laudis ſegetem liberè factis deberi exiſtimant, quàm quæ à nobis neceſſariò perficiuntur. Quod perinde mihi videtur, ac ſiquis Deum minùs adorandum cenſeret quòd non poteſt eſſe malus. Suppono enim eum qui divino quodam Fato vel Naturâ bonus eſt, tam vivido & efficaci ſenſu Honeſti imbutum eſſe, ut æquè impoſſibile ſit ipſum contra hunc ſenſum quicquam committere, ac hominem ſanæ mentis, nec ullis oppreſſum calamitatibus, ſeipſum pugione transfigere.

* Ethic. Nicom. lib. 10. cap. 10. Eudem. lib. 7. cap. 14.

3. Siqui igitur eſſent hujuſmodi homines, omnium eſſent perfectiſſimi verique *Heroes*, & tanquam ex ſtirpe Deorum prognati; quales ille *Homeri* verſiculus indigitat,

——————nec eum eſſe putares
Mortali genitore ſatum, at genus eſſe Deorum.

Ethic. Nicom. lib. 7. cap. 1.

Quem quidem verſum adhibet & *Ariſtoteles* in deſcribendo eam quam ille appellat *Heroicam Virtutem:* Quæ cœlitùs immitti hominibus potiùs videtur quàm humanâ induſtriâ acquiri; quæque *Vis* ſi tota ſimul animo inſita eſſet vel infuſa, *Virtus* tamen eſſet nihilominus propriè dicta, juxta noſtram *Virtutis* definitionem, qui *vim* definivimus, non *habitum*, ut qui *vis* eſt quæ exercitatione & conſuetudine comparatur; quæ circumſtantia ad veram Virtutis naturam nihil prorſus attinet. Modò enim inſit hæc *vis* animabus noſtris, nihil refert utrùm crebris actionibus comparata ſit, an divinitùs nobis inſpirata.

4. Cùm verò hæc conditio ad pauciſſimos pertineat, ſi ad ullos, non multùm præſenti difficultati inſudandum eſt; nec tam quærendum quàm utilis foret quævis ad Virtutem Parænesis hujuſmodi hominibus, qui eò vel naturâ vel Divino quodam fato neceſſariò ferri videntur, quàm definiendùm quàm cæteris mortalibus ſit neceſſaria; qui cùm *libero* ſuo *arbitrio* in utramque partem uti poſſint, optimis quibuſque argumentis excitandi ſunt & urgendi, ut eò ſe inclinent quò officii ſenſus eos vocat rectáque rerum agendarum ratio.

5. Sed & ante omnia ipſis inculcandum eſt, quàm præſtanti penéque Divino gaudeant Privilegio, quòd, cùm cætera animalia ſenſus habeant ad ſolos corporis uſus ac voluptates defixos, illi tamen *libero* ſuo freti *arbitrio* poſſint, ſi velint, omnia malarum cupiditatum vincula paulatim diffringere, & (cum bono Deo) in eam tandem ſe expedire libertatem quæ homines decet ad imaginem Dei creatos, divinæque Rationis participes.

6. Quæ quidem perſuaſio cùm veriſſima ſit, maximámque vim habeat ad pertrahendos homines ad Virtutis ſtudium, & ad ipſorum animos corroborandos contra omnes Vitiorum impetus & inſultus; mala profectò eis debetur gratia qui tam ſedulò navant

operam

Lib. 2. cap. 3.

operam ut opinionem contrariam mentibus hominum ingenerent. Quod quidem ſtrenuè & ſtudioſè facit noſtrâs *Hobbius* in Libello ſuo *de Libertate & Neceſſitate:* Cujus tamen præcipua Argumenta ſolidè mihi videor confutaſſe in Libro *de Animæ Immortalitate*, quò Lectorem remitto.

7. Interea loci maximopere notandum eſſe cenſeo, quòd inter cæteras cauſas quibus contendit voluntatem humanam neceſſariò vel ad fœdiſſima quævis flagitia determinari, etiam hanc ſuam *de Neceſſitate* opinionem connumerandam eſſe agnoſcit. Quæ quidem falſiſſima ſententia ſi tantam vim habet ad Vitium & turpitudinem, neceſſe eſt ut æqualem ſaltem habeat vera illa *de Libero arbitrio* opinio ad Virtutem vitæque probitatem: Adeò ut omnibus modis fovenda ſit tam utilis ad bonos mores efficáxque perſuaſio.

Andronic. Rhod. *lib.* 3. *cap.* 1.

8. Cujus Opinionis veritas ut clariùs innoteſcat, primò quid ſit *Liberum arbitrium* videbimus; deinde, quòd hujuſmodi Principium hominibus inſit, breviter demonſtrabimus. Videtur autem *Liberum arbitrium* idem ferè innuere quod Græcorum αὐτεξούσιον, quod idem eſt quod *in ſeipſo habere poteſtatem agendi & non agendi.* Quod autem in ſeipſo ſit principium agendi, convenit cum illo quod ἑκούσιον ſive *Spontaneum* dicitur, quódque definitur apud *Andronicum*, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι πᾶσα, *Cujus principium totum eſt in Agente.* Sed quod mox in eodem Capite ſubjungit, *Quæ verò quis facit à ſeipſo motus, eorum agendi & non agendi eſt dominus*, non eſt uſque adeò verum.

Poteſt enim quis à ſe ſolo moveri, hoc eſt, ab inſito Virtutis principio, cùm tamen aliter agere non poſſit, nec aliò, propter validum & efficacem Honeſti ſenſum, voluntatem ſuam deflectere. Exempli causâ, Poteſt quidem vir probus per ingenii corporiſque vires hominem innocentem, & fortean de ſe bene meritum, ex inſidiis adoriri & occidere: at per vividum illum Honeſti ſenſum quo animus illius tinctus eſt & incoctus, nullo modo poteſt tam horrendum facinus perpetrare. Quòd igitur hic, quantumvìs multis præmiis & pollicitationibus invitatus, ſiſtit τὴν νευροσπαστίαν, (i. e. *membrorum per nervos attractionem*,) ut loquitur *Marcus Antoninus*; nec ſe ad tam turpe facinus accingit, à ſe ſolo eſt; nec tamen hujus abſtinentiæ ità dominus eſt, ut poſſit non abſtinere.

Concedo ſanè, ſi vellet, poſſe quidem tam fœdum & immane facinus committere; quòd verò non poſſit *velle*, id eſt quod vehementer contendo.

Andronic. Rhod. *lib.* 3. *cap.* 2.

9. Strictius igitur quiddam eſt *Liberum Arbitrium* quàm *Voluntarium* vel *Spontaneum*, dum in ſe etiam complectitur hanc differentiam, nempe *poteſtatem agendi & non agendi.* *Spontaneum* verò ſimpliciter definitur, *Cujus principium in ipſo eſt cognoſcente ſingula circa quæ eſt actio.* Unde tam illud quod *per ignorantiam*, cujus ipſi cauſa non ſumus, quàm quod *per violentiam* coacti facimus, rectè ἀκούσιον ſive *Invitum* dicitur.

Lib. 3. *cap.* 4.

10. *Spontaneum* verò quod ità liberum eſt ut poſſimus aliter velle atque agere, illud propriè eſt *Liberi arbitrii*, quod liberam in nobis præelectionem ſupponit; quam *Andronicus*, ex mente *Ariſtotelis*, definit *Appetitionem deliberativam eorum quæ in poteſtate ſunt noſtra. Ea enim ſunt* (inquit ille) *quæ in deliberationem cadunt, quorum quiſpiam faciendi & non faciendi eſt dominus.* Atque hæc ipſa illa ſunt quæ vocat τὰ ἐφ' ἡμῖν, *quæ in noſtra ſunt poteſtate.*

Quæ poteſtas quando illa quæ turpia ſunt ſpectat, Perfectio quædam eſt; quando verò quæ pulchra & honeſta ſunt, peſſima quædam Imperfectio. Eſt enim ab ipſa Improbitate gradus proximus, poſſe deflectere Voluntatem ad actionem quamlibet turpem. Abſtinere tamen nos potuiſſe à rebus turpibus etiam tum cùm de facto non abſtinuimus, poteſtas eſt quædam perfectiva, magnique profectò momenti eam in nobiſmetipſis agnoſcere. Quam igitur humano generi inſitam eſſe breviſſimis hiſce indiciis facilè detegemus.

11. Neque enim opus eſt alia hîc afferre quàm quæ ſuprà notavimus in Capitibus *de Paſſionum Interpretatione.* Nam quòd ſubindè nos mordet Conſcientia noſtra poſtquam commiſimus aliquid quod ante debitam deliberationem nec ſine aliqua animi fluctuatione ſtatueramus, vel ex hoc ſolo clarè liquet aliquando nos ità agere, ut aliter tamen & voluiſſe & egiſſe potuiſſemus. Quod eſt hoc ipſum quod dicimus *Liberum arbitrium.*

12. Cui conſimilis prorſus eſt ratio de *Pœnitentia.* Nam quæ affectu aliquo abrepti, ſcientes prudentéſque, contra rationem Honeſti commiſimus, eorum poſtea dicimur pœnitere, non dolere tanquam *Infortunia*; qualia tamen eſſent hujuſmodi malefacta, ſi nunquam in noſtra poteſtate fuiſſet ea effugere, ſed divino quodam Fato neceſſariâve Cauſarum ſerie ad ea deſtinati ſemper fuiſſemus, vel irreſiſtibiliter determinati.

nati. *Infortuniorum* verò neminem pœnitet, ſed *Peccatorum*, quòd ſuâ ipſius culpâ, cùm aliter agere potuiſſet, commiſſa ſint. Peccatorum autem pœnitere quæ devitare nunquam in noſtra fuit poteſtate, perinde eſt ac ſi quis ubertim defleret improbitatem ſuam ac malitiam, ſolennémque ageret pœnitentiam, quòd non creatus ſit Angelus, aut natus Princeps; quemadmodum & ſuprà inſinuavimus.

13. Poſtremò, quid eſt quòd alios homines ob ſua facta reprehendimus, aliis ignoſcimus, aliorum denique miſeremur, ſi humanum genus Libero deſtituatur arbitrio, nec in noſtra poteſtate ſitum ſit quæ turpia ſunt fugere, amplecti verò quæ honeſta ſunt & pulchra? Nam ex æquo deberetur omnibus venia vel commiſeratio, ſi quicquid dicuntur peccare homines, neceſſariò id facerent, nec aliter agere potuiſſent. Et quò cujuſque facinus immanius eſſet & deteſtabilius, eò majori commiſeratione veniâque morali dignus videretur. Quæ cùm intimis animi noſtri ſenſibus communibúſque notionibus repugnent, neceſſe eſt agnoſcere quaſdam ſaltem actiones hominum *liberas* eſſe, id eſt, ex tali principio profectas quale nos ſuprà ex *Ariſtotele* deſcripſimus, appellavimúſque *Liberum arbitrium*. Qua de re neminem ſpero dubitaturum, poſtquam duabus præcipuis Objectionibus ſatisfecerimus, quæ maximo cum ſtrepitu contorqueri ſolent à fautoribus adverſæ ſententiæ.

SCHOLIA

In CAP. I. SECT. II.

UBeriorem enim laudis ſegetem liberè factis deberi exiſtimant, *&c. Et inter cæteros quidem ipſe* Carteſius, *Princip. Philoſ. part.* 1. *Artic.* 37. Summa quædam, *inquit ille*, in homine perfectio eſt quòd agat per voluntatem, hoc eſt, liberè; atque ità peculiari quodam modo ſit author ſuarum actionum, & ob ipſas laudem mereatur. Non enim laudantur Automata, quòd motus omnes ad quos inſtituta ſunt, accuratè exhibeant, quia neceſſariò illos ſic exhibent, laudatur autem eorum artifex, *&c. Quæ quidem mihi nimiùm vulgaris ac plebeia videtur Philoſophandi ratio, & à ſevera veritate longè remota & aliena. Tantum enim abeſt ut liberum arbitrium in homine* ſumma *illius ſit* perfectio, *ut certè quoties res bonas ſpectat, peſſima imperfectio meritò videatur. A bonis enim actionibus, quando requiruntur, poſſe quempiam abſtinere, infirmitas quædam animi eſt morbúſque turpiſſimus, certúmque indicium virtutem nondum in voluntate ſatìs altas radices egiſſe.* Status *quidem* liberi arbitrii, *ſtatus Animi* medius *dici poteſt*, ſummus *nequaquam*. Summus *enim Animi ſtatus eſt à ſe neceſſariò ad id quod moraliter* optimum *eſt ſemper determinari.* Infimus, *ad id duntaxat quod eſt* Animali vitæ congruum, *qualis eſt ſtatus brutorum. Qui verò ad* ſummum *illum ſtatum pervenerint, omni laude carere, opinio eſt omnium maximè abſona; quaſi quod perfectius eſt minorem laudem mereatur quàm quod imperfectius; Perfectiòve Automati non lautanda eſſet perinde ac ipſe Artifex. Quid enim eſt Laus niſi perfectionis alicujus rei vel perſonæ prædicatio? Homo igitur modo hoc conſtanti ac immutabili bonus, ut perfectum Automaton, laudandus eſt; Deus verò potiori jure, qui ſic eum conſtituerit, ut peritiſſimus Artifex.* Vide Sect. 10.

CAP. II.

Objectiones duæ præcipuæ contra Liberum Arbitrium proponuntur, & diluuntur.

1. PRima Objectio petitur à Præſcientia Divina, quam omnem Contingentiam, ac proinde Voluntatis humanæ Libertatem, tollere contendunt. Altera à natura Boni etiam apparentis; quòd quoties vel quamdiu quid bonum vel optimum alicui videtur in datis circumſtantiis, neceſſariò voluntatem ejus determinet ad illud amplectendum, quia nulla ſubeſt ratio vel cauſa quæ eum avocet, vel actum ejus ſuſpendat. Cùm enim ità comparata ſit Voluntas humana, ut pro rerum momentis aliò atque aliò deflecti poſſit; impoſſibile videtur ut eò non inclinet quò eam momentum aliquod impellit, cùm in altera lance nihil ſit quod contrà ponderet. Quod ſi ſit, majus tamen quod apparet bonum ſemper præponderabit. Nec ulla ratio reddi poteſt cur quis minori bono moveretur magìs quàm nullo: Nam ſi minus majori in rationis lance præponderat,

ponderat, nihil eſt quo præponderat, nihilóque ratio noſtra & electio movetur; quo tamen nihil poteſt eſſe abſurdius.

Voluntas igitur ſemper propendet ad majus bonum apparens, ac proinde neceſſariò ad unum determinatur. Unde planè efficitur nullum ineſſe nobis Liberum arbitrium, neque nos aliter unquam agere potuiſſe quàm egimus.

2. Cæterùm quod ad primam Objectionem attinet, non eſt difficilis reſponſio. Non poſſumus enim non concipere Divinam Præſcientiam Scientiam quandam eſſe uſquequaque perfectam, nec errare poſſe circa Objectum de quo pronunciat, ſed ſemper pronunciare utì res eſt, de re contingenti quòd ſit contingens, de neceſſaria quod neceſſaria ſit. Unde ea quæ contingentia ſunt, & à libero profecta Principio, ità eſſe etiam Divino ſuffragio comprobantur. Neque enim coercere debemus Divinam *Omniſcientiam* intra anguſtiores limites quàm *Omnipotentia* illius clauditur, quam poſſe quicquid contradictionem non implicat omnes uno ore confitentur.

Ut breviter igitur hanc difficultatem expediamus; Effectorum contingentium vel à libero principio profectorum Præſcientia aut contradictionem implicat, aut non. Si contradictionem implicat, hujuſmodi effecta non ſunt Divinæ Omniſcientiæ Objecta, nec proinde ab ipſa determinantur, rectéve determinari cenſentur. Si non implicat contradictionem, ipſo facto agnoſcimus Præſcientiam Divinam & Liberum arbitrium minimè eſſe ἀσύστατα, ſed utraque ſimul commodè conſiſtere poſſe. * Utrocunque igitur modo, efficitur nullum argumentum ſolidum à Præſcientia Divina deduci poſſe contra humanæ Voluntatis Libertatem.

3. Alterius difficultatis ſenſus totus ferè reſolvitur in proverbialem illum verſiculum,

Ethic. Nicom. lib. 3. *cap.* 5. *Nemo eſt lubens malus, aut beatus invitus*;

vel in dictum illud *Socraticum*, *Omnis improbus ignorat*. Quaſi nihil deeſſet Voluntati humanæ ad Bonum amplectendum præter ipſius cognitionem, itáque illa comparata eſſet, ut Bonum cognitum nullo pacto repudiare poſſet. Quod quidem ſi verum eſſet, non tam eſſet opus hortationibus ad amorem Virtutis quàm ad Sapientiæ ſtudium; nec humani Arbitrii libertas tam quærenda vel ſtatuenda in prælectione quàm in deliberationibus & conſiliis, quæ ità ſemper regi debent, ut nihil concludatur quod præſtantiſſimo omnium Fini repugnet.

4. Quamobrem, cùm tam confuſè animo noſtro obverſetur Idea ſummi Finis, qui *Beatitudo* dicitur, maturè & ante omnia unumquemque inquirere oportet in quibus potiſſimùm hæc Beatitudo conſiſtat, omnéſque animi nervos eò intendere. Quod an ſit in omnium poteſtate poſitum, ardua & difficilis eſt quæſtio.

Videntur enim plerique mortales non diſſimiles hominum ex morbo aliquo decumbentium, qui ſe neſciunt curare, quíque debent ab iis qui ſani ſunt viſitari, rectáque conſilia ab ipſis medeláſque accipere. Ipſi verò à ſeipſis parùm poſſe diſcere videntur, nec, cùm toti occupati ſint & occæcati falſo apparentium bonorum lumine, ad verum illud ultimúmque Bonum oculorum aciem dirigere, aut ullo modo perſpicere qui ſit excellentiſſimus ille ſummúſque humanæ vitæ ſcopus. *Omnes enim appetunt Bonum apparens, neque propriæ imaginationis ſunt domini; ſed qualis quiſque eſt, tale ſibi ſummum effingit Bonum.* *Ethic. Nicom. lib.* 3. *cap.* 5.

5. Hanc Objectionem proponit quidem *Ariſtoteles* Ethic. *lib.* 3. ſed non aliter ſolvit quàm concedendo, aliquando in eorum qui nunc cæcutiunt fuiſſe poteſtate quid verum ſit Bonum perſpicere, & non minùs ſpontè homines malos eſſe quàm bonos: ſed directè Objectioni non ſatisfacit. Quanquam ſanè placere ſibi videtur ornatiùs ſolito & copioſiùs eam proponendo ad hunc modum: *Quòd nemo ſcilicet ſibi cauſa eſt faciendi mala, ſed propter finis ignorantiam iſta agit, ſperans per ea ſibi fore quod Optimum eſt. Finis verò appetitio non cadit in electionem; ſed ità naſci quempiam oportet tanquam viſum habentem, quo rectè judicabit, illúdque quod revera bonum eſt eliget. Et cri hoc à nativitate feliciter contigit, probè ingeniatus eſt, ſive bene à* natura *comparatus. Nam maximum pulcherrimúmque, & quod naſcitur, nec ab alio quopiam accipi addiſcive poteſt, poſſidebit Bonum. Atque bene ac feliciter ſic gigni, perfecta veráque eſt Bonitas ingenii.*

6. Cùm verò εὐφυΐα hæc, ſive *bona ac benigna indoles*, Virtutis ſenſúſq; rerum optimarum capax, omnem induſtriam noſtram antecedit, (utpote quæ Naturæ donum eſt, non humanæ curæ ac diligentiæ præmium,) ſi quis hâc deſtituatur, manifeſtum eſt vera Virtutis officia in illius poteſtate non eſſe, nec eum, niſi *Deus quaſi è Machina ſuperveniens* ipſum ſanatum iverit, vel ſaluberrimis hominum monitis & conſiliis, abſque vi ac verberibus, parere poſſe. An verò aliqui hâc εὐφυΐᾳ omni ex parte deſtituantur, quóve id fiat fato, tam ardua eſt & perplexa quæſtio, ut declinare eam prorſus mallem,

lem, quàm in tam profundum Providentiæ Arcanum meipſum induere atque immergere.

7. Quod ad eos verò attinet quibus ineſt aliquod hujus veri ſummíque Boni præſagium, videtur in eorum poteſtate ſitum eſſe, utrùm velint pleniorem clariorémque illius notitiam ſibi comparare, an paulatim eam ſinere extingui. Quod ſi fecerint, etiam *ſpontè vel peſſimi* eo ſenſu aliquando dici poterunt, quo ægrotus ex intemperantia *ſpontè febricitare. Antequam enim ægrotaret, in illius erat poteſtate ſanitatem cuſtodire. Cùm verò ſemel amiſerit per vitæ incontinentiam, non eſt in illius poteſtate ſanitatem recuperare. Quemadmodum lapidem quiſpiam poteſt in fundum maris projicere; quando autem projecit, non poteſt rurſus reſumere. Nihilominus tamen ſpontè projecit lapidem: In ejus enim erat poteſtate projicere, vel retinere:* quemadmodum rectè nos docet ex *Ariſtotele* peritiſſimus illius Paraphraſtes. *Lib. 3. cap. 6.*

8. Quibus verò extinctus eſt omnis ſenſus honeſtá diſcriminans & turpia, ſoláque apud ipſos viget animalis vita, quâ ſibi ſuíſque commodis quo jure quâve injuriâ ſemper conſulunt, nec niſi unius generis bona, ea utique quæ ad animalem vitam referuntur, ſapere nôrunt; vel, ſi fortè alia ſapiunt, ſibi ſolis tamen ſapiunt, ſéque ipſos quærunt in omnibus; in hiſce concedo Voluntatem ad majus quod apparet bonum ſemper determinari, * nec majori eos gaudere libertate quàm ipſa Bruta, quorum appetitus ad majus bonum neceſſariò defigitur, cùm unicum ipſis inſit agendi Principium, & unius generis Objectum eis obverſetur. In quo ſolo caſu vim habet ſecunda Objectio.

9. Cæterùm cùm hominibus pleriſque omnibus duplex inſit Principium, *Divinum* unum, alterum *Animale*; cúmque *Divini* illius Principii dictamen ſemper ſit illud quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt, quódque vera Virtus ſemper ſibi proponit in ſingulis actionibus & deliberationibus, utpote quod æternæ illi & immutabili Rationis Legi Deo nobíſque communi conſonum eſt, quemadmodum ſuprà clarè nos edocuit *Cicero*; è contrà verò, *Animale* Principium nihil homini ſuggerat niſi quod ſibi ipſi bonum, jucundum vel utile ſit, hoc eſt, propriæ perſonæ gratum acceptúmque, utcunque interim violetur communis illa Lex & univerſa rerum Ratio: ex horum duorum Principiorum oppoſitione & conflictu facilè intelligitur Liberi noſtri arbitrii natura atque conditio.

10. Hoc enim in ſeipſis experiri poſſunt omnes ferè mortales, quòd aliquando etiam tum cùm ſatis clarè perſpiciunt quid abſolutè & ſimpliciter melius eſſet, quídque diviniori illi Legi magìs conſonum, eò tamen voluntatem ſuam non inclinant, nec eas vires, quarum tamen ipſi ſibi conſcii ſunt, exſerunt ad proſequendum tam pulchrum debitúmque Objectum, ſed eò ferri ſe ſinunt quò propria utilitas corporíſve voluptas ipſos avocat. Cùm tamen interea ipſi ſibi ſatìs intimè conſcii ſint, in eorum poteſtate eſſe ſitum στῆσαι τὴν νευροσπαστίαν, externóſque hoſce corporis motus coercere, & abſtinere ſe ab iſtiuſmodi actionibus, ſine quibus hujuſmodi turpis aut voluptatis aut lucri fructus carpi non poteſt.

11. Sed & dum bellas huic ignaviæ cauſas prætexunt, ſpem utique veniæ ob Divinam benignitatem, & opportunitatem in poſterum emendandi ſuos mores; dúmque illud differunt in aliud tempus, quod & ſe poſſe & debere facere in præſens ipſi ſibi ſunt conſcii, ſed malunt experiri illa gaudia quæ in explendis cupiditatibus ſibi præſagiunt; ex iſtis, inquam, omnibus aliter ſe agere poſſe planè agnoſcunt, & humani Arbitrii libertatem palàm profitentur.

12. Ex his igitur manifeſtum eſt, quòd nihil ſit neceſſe ut Voluntas humana ſemper feratur ad majus, hoc eſt, excellentius, Bonum. Poteſt enim pro libero ſuo arbitrio illud deſerere quod abſolutè melius eſt, & adjungere ſe illi quod animali vitæ gratius eſt & jucundius; aut pati ſeipſam eò ferri, dum non exſerit eas vires quarum ipſa ſibi eſt conſcia.

13. Quòd ſi nulla alia nobis ineſſet vita vel lex quàm illa quâ quod nobis ipſis, quà nobis, bonum eſt ſapimus & quærimus, non quod abſolutè & ſimpliciter bonum, (quod divinum quiddam eſt, & æternæ Menti, Univerſi hujus conditrici & conſervatrici, conſonum & cognatum;) ingenuè fateor quòd perdifficilis foret provincia probare ullum in nobis eſſe Liberum arbitrium, aut Voluntatem noſtram ad unum aliquod quod nobis optimum videtur in ſingulis deliberationibus neceſſariò non determinari.

14. Sed ut nihil diſſimulem, tam clarè mihi conſtat Diviniorem illam Legem nobis ineſſe quàm Animalem, rectámque Rationem illam Legem eſſe quâ nihil hominibus à Deo immortali datum eſt aut dari poteſt perfectius aut divinius, quâ monemur & obligamur propria commoda bono publico ſemper poſthabere, nec privatam cujuſq; utilitatem aut voluptatem menſuram facere humanarum actionum. Qui verò ſacroſanctâ hâc Lege jure ſe exſolutum putat, audacter enuncio, nullum animal per totam rerum

univerſitatem iſthoc homine reperiri poſſe turpius, vilius vel abjectius; nec quenquam eſſe qui magìs haberi mereatur humani generis communis peſtis & opprobrium.

15. Atque hæc de ***Libero Arbitrio*** quâ potuimus brevitate ac perſpicuitate. Præcipua ***Hobbii*** Sophiſmata quod attinet, abundè ea refutavimus in Tractatu ***de Animæ immortalitate***, quò Lectorem iterum remitto, & ad Theoremata interim Virtutis acquiſitioni inſervientia propero.

Lib. 2. cap. 3.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. 2.

UTrocunque igitur modo efficitur, nullum argumentum ſolidum à Præſcientia Divina deduci poſſe contra humanæ voluntatis libertatem. *Id quod à Lectore maximopere obſervari volo tanquam ſcopum adæquatum ſolutionis quam propoſitæ difficultati attulimus. Neque enim in animo mihi erat hominum curioſitati inſervire, oſtendendo, quî fieri poſſit ut certa Dei præſcientia cum incerta rerum contingentia conſiſtat, (quam difficilem quidem provinciam Ingeniis relinquo magìs ſubtilibus & importunis) ſed id duntaxat ad quod ingenii mei tenuitas certò penetraverat de Divina Præſcientia in medium proferre. Certiſſimum autem eſt Effectorum contingentium Præſcientiam aut contradictionem implicare aut non, ac perinde certum, ſi implicetur contradictio, ea nullo pacto eſſe poſſe Divinæ* Præſcientiæ *Objecta, non certè magìs quàm impoſſibilia, Divinæ* Omnipotentiæ. *Et è contrà ſi nulla ſubſit contradictio, liberam hominum voluntatem ullo indè modo conſtringi poſſe aut impediri, palàm eſt eſſe impoſſibile. Atque hoc mihi ſufficere videbatur ad ſolvendum hunc nodum ex certitudine veritatis* Disjunctionis *in hoc Dilemmate, cùm de* partibus *utra verior eſſet, nihil attineret eſſe ſolicitum; ſatiſque ſcio quanto cum periculo alii in hoc argumento verſati ſint, & quàm latas aperuerint feneſtras ad omnem nequitiam ac improbitatem. Quod datâ operâ factum haud credo, ſed per imprudentiam, & quòd curioſitati plus indulgerent quàm utilitati Lectorum. Equidem Scholaſtici de immutabili omniſcientia immediatóque Dei concurſu tam perversè ac præpoſterè philoſophati ſunt, ut Fato plus quàm Stoico effrænique Libertiniſmo nimis amplam præbuiſſe anſam meritò cenſeantur. Sed nolo me in hos dumos vepréſque induere.*

Sect. 8. Nec majori eos gaudere libertate quàm ipſa bruta, quorum appetitus ad majus bonum neceſſariò defigitur, *&c. Hoc indè factum aſſero, quòd unicum utriſlibet agendi inſit principium, & unius tantùm generis objectum ipſis obverſetur. Sic utique in eis rem omninò habere hæc paritas planè arguit. Qui verò fingunt ſe præeligendi libertatem, liberúmve arbitrium exercere in rebus ad Moralitatem minimè ſpectantibus, & in quibus nulla habeatur ratio turpis aut honeſti, equidem deceptos credo ex eo quòd* Spontaneitatem *cum* Morali libertate *confundunt. Neque enim ſi quid* ſpontaneum *ſit, continuò ſequitur eſſe* liberum. *Actiones enim ſpontaneæ, quæ liberas imitentur, poſſunt tamen aut à corporis* Mechaniſmo *aut ab Animæ* Plaſtica, *pro re nata neceſſariò proficiſci, quanquam modum inſinuationis in* Perceptivam *ac voluntatem haud ſatìs diſtinctè deprehendamus.*

CAP. III.

Theoremata acquirendis Virtutibus in genere inſervientia.

1. T*Heoremata* Præceptáve quæ Virtutis acquiſitioni inſerviunt *Generalia* ſunt, vel *Specialia*. *Generalia* ad hæc tria Capita reducuntur. Evincendum enim eſt primò, Quòd debemus operam navare Virtuti acquirendæ; deinde, Quòd in noſtra poteſtate eſt Virtutem acquirere; Tertiò, denique, addemus Monita quædam ſive Præcepta, eáque pauca ſanè, ſed quæ efficaciſſima putamus ad Virtutem acquirendam.

2. *Quòd debemus operam dare Virtuti, Vitiáque fugere*, ex propriæ Conſcientiæ ſenſu nobis clarè innoteſcit. Sed etiam ex Rationis lege, quam nobis indidit Deus, manifeſtum eſt nos ad Virtutis officia obligari. Eſt enim ille qui in nobis Intellectus eſt ſive recta Ratio ſuperius quiddam, & cui reliquæ omnes Facultates naturali jure tenentur obtemperare. Virtutis autem Lex rectæque Rationis prorſus eſt eadem. Virtus

enim in ſingulis actionibus nihil quærit niſi quod ſimpliciter optimum eſt, hoc eſt, rectæ Rationi conſonum, ut ſuprà docuimus. Cùm vero hæc ſive Virtutis ſive rectæ Rationis Lex non ſit quiddam poſitivum vel arbitrarium, ſed æternæ & immutabilis naturæ, neceſſe eſt ut ad obtemperandum inſtitutis illius ac præceptis æterno & inextricabili nexu devinciamur.

3. Præterea, Ex communi lege Naturæ omnia tenentur quæ ſua ſunt agere, hoc eſt, quæ propriæ naturæ ſunt conſona. Homines igitur humanam vitam degere oportet, non belluinam: Cùm tamen vita hominis belluina prorſus eſſet, ſi Virtutis fructu careret rectæque Rationis.

Quicquid infra Virtutem in nobis eſt rectámque Rationem, id non eſt nos ipſi, ſed ***bellua quædam*** nobis addita, (τὸ λεοντῶδες ϗ θηριῶδες, ut loquitur ***Plotinus,***) quam nos ſubjugare debemus, veróque homini obſequentem reddere. Nos ſolummodo id ſumus quod in nobis optimum eſt, quóque reliquis animalibus præſtamus. ***Nam is unusquiſque eſt,*** inquit ***Andronicus Rhodius, quod in ipſo principaliſſimum eſt atque optimum; & qui ſecundùm hoc vivit, rectè dicitur ſibi ipſi vivere, ſuámque quàm maximè propriam vitam.*** Valde autem abſurdum eſſe paulò antè ait, ſi quis non ſuam, ſed alicujus alterius, ſibi vitam eligeret: Hoc δεινῶς ἄτοπον, ***immane quiddam atque horrendum,*** eſſe rectè contendit. Hoc tamen faciunt illi qui, rejectâ Virtute, indulgent cupiditatibus. Nam pro ſua vita, hoc eſt, humana, planè ſibi eligunt belluinam.

Lib. 10. cap. 9.

4. Porrò, Si debemus nobiſmetipſis proſpicere noſtríſque commodis, & maturè cavere nè in maxima incidamus incommoda ac infortunia, debemus certè Virtutem colere atque amplecti, ſine qua nec à præſentis vitæ calamitatibus nec ab horrendis illis Inferorum pœnis (quas non ſolùm Religio, ſed & ipſa Philoſophia apud ***Platonem*** alióſque, comminatur) unquam ſecuri eſſe poſſumus.

5. Poſtremò, Tametſi non videremur ex officio teneri ad optimè nobiſmetipſis conſulendum, quia volenti (quod aiunt) non fit injuria; tamen cùm non temere nati ſimus, ſed à Deo Optimo Maximo facti vel creati, debemus proculdubio creationis jure ipſi ſubjici, eáque facere quæ ille nobis præcipit per Divinam Legem.

Eſt autem illa Divina Lex æterna & immutabilis Ratio, quæ cum Recta una ſemper eſt atque eadem, ut Circuli figura vel Trianguli. Hanc nobis indidit Deus, Animæque præfecit ὥσπερ τινὰ ἔνοικον Θεὸν, ***tanquam domeſticum quendam Deum,*** ut loquitur ***Hierocles***; tanquam Vicarium Legiſlatorem & Judicem, ex cujus præſcripto omnia nobis ſunt agenda, cùm ea nihil aliud ſit niſi Divinæ voluntatis Tranſcriptum; cujus Summa eſt, ut foveantur Virtutes, Vitia verò Animabus noſtris omni cum ſtudio exſtirpentur.

6. Quod id ipſum eſt quod etiam teſtatur ***Hierocles: Quòd Deus, Legiſlator ſimul exſiſtens & Judex, bona quidem ſtatuit, mala verò è medio tollenda decernit.*** Et paulò pòſt; ***Solus verò ille Legis ſcopus eſt qui Deum deceret nobiſque eſſet utilis, amputare ſcilicet omne vitium, animámque improbitate ſuâ lapſam omnimodis juſtitiæ caſtigationibus purgare, & in recordationem revocare rectæ Rationis.*** Itaque cùm interna hæc rectæ Rationis lex tam potentem etiam extra nos reſpiciat Judicem & Legiſlatorem, cui etiam Creationis jure ſubjicimur, nobis non licet eſſe miſeris, ſed inviolabili Lege obligamur ad Virtutem verámque Felicitatem aſpirare.

In Commentar. in Aurea Pythag. Carmina.

7. Quòd verò non ſolùm ad Virtutem aſpirare debemus, ſed quòd poſſumus etiam illam aſſequi, ex ſuprà-demonſtratis manifeſtum eſt; nempe ex eo, quòd libero pollemus Arbitrio, propriáque teſtatur Conſcientia, ubi in re qualibet perperàm egimus, nos aliter egiſſe potuiſſe. Quam quidem Facultatem mirum in modum augere poſſemus & corroborare, ſi exercere nos vellemus in abſtinendo à rebus etiam adiaphoris, ſi quando perſentiſcimus eas nobis nimiopere placere; vel cùm nobis ingratæ ſunt, ſi vel eo nomine eas acceptare vellemus, illíſque obfirmato animo nos aſſuefacere.

Videtur enim planè in noſtra poteſtate poſitum eſſe externum hoc ***Neuroſpaſton*** movere ac ſiſtere prout volumus; quanquam in primos illos & interiores motus, quos τὰς πρώτας κατὰ φύσιν ὁρμὰς (***primos naturæ impetus***) veteres Philoſophi appellârunt, tam abſolutum imperium non habemus. Imò verò facilè nobis obrepunt variæ cupiditates & averſationes; ſed penès noſmetipſos eſt vel ſubducere nos ab Objectis quæ nimis placent, vel nos admovere eis quibus minùs oblectamur.

Quod ſi conſtanter fecerimus in rebus indifferentibus, quatenus per ſanitatem corporis licebit morúmque civilitatem, Liberi noſtri Arbitrii vires mirandum, quod dixi, in modum augebimus, & noſmetipſos tandem in perfectam vindicabimus libertatem. Nam niſi morem geramus Cupiditatibus & Averſationibus, langueſcent tandem faciléque Rationi obſequentur.

8. Sed & aliâ ratione evinci poteſt penès noſmetipſos eſſe in viros probos tandem evadere, verâque Virtute præditos. Nam in noſtra planè poteſtate ſitum eſt *ſinceros* eſſe: Quippe quòd per *Sinceritatem* nihil hìc aliud intelligo, niſi conſtans propoſitum ea omnia faciendi quæ ſunt in noſtra poteſtate, ad veram Virtutem acquirendam. Nos autem ea omnia facere non poſſe quæ tamen facere in noſtra poteſtate eſt, enormis quædam eſt repugnantia & contradictio. Itaque manifeſtum eſt, in noſtra poteſtate eſſe nos eſſe *ſinceros*.

9. Quum primùm verò quis ſimplex & ſincerus evaſerit, intelligat ſe ſpeciali quadam Providentiâ cinctum eſſe ac munitum, Deúmque in ſingulis ejus conatibus præſtò eſſe adjutorem & fautorem, ut *Hercules* aurigæ, in fabula, admoventi humeros rotæ. Eſt enim univerſa Natura Deo plena boniſque Geniis, qui idonea quærunt Objecta in quæ *amatorium oculum* defigant, quæque mirifico ſuo miniſterio ſublevent, & (quemadmodum decet fideles illibatæ Simplicitatis Satellites) aſſiduis ſuis officiis animam ſinceram omnibus hujus mundi laqueis & illecebris expediant, extráque ſordes cœnúmque hujus vitæ in purum tandem tutúmque ſtatum tranſlocent: Leves autem & incertos animos prætereant, ut periti Artifices materiam ineptam & fatiſcentem.

Neque enim ſolùm verum eſt illud *Hieroclis* de Subſtantiis, ſed & de Qualitatibus: *Commenſurabilis enim eſt Eſſentiis Univerſi etiam Providentiæ Lex.* Quòd ſi in univerſum accipiendum ſit quod idem paulò antè ſcribit, nempe, *Quòd Juſtitia atque Ordo has rationes res noſtras adminiſtrandi Diis qui nos antecedunt immortalibus ſtatuit, ea utique machinari circa nos quæ noſtram in his terris improbitatem minuant, quæque poſſint ad ipſos nos rurſus revocare; ſoliciti enim ſunt de nobis tanquam de ſuis lapſis conſanguineis:* quantò certiores eſſe poſſumus, quòd ſimplicibus & ſinceris animabus ſpecialiorem in modum opitulantur tum Deus tum immortales Genii? Quæ autem Vitiorum moles tantæ Potentiæ diu reſiſtere poteſt, quin diruatur funditus & in vagum pulverem diſpergatur?

In Aurea Pythag. *Carmina.*

10. Quibus omnibus inſuper addas, etiam interioribus quibuſdam modis nobiſcum agere Deum. Nam ſimulatque didicerimus ſapere quæ Virtutis ſunt, *Divinóque gaudere ſenſu*, nobis intus ſe adjungit vis quædam humanâ major: Et quemadmodum illi qui vitæ animali ſe totos dedunt abſorbentur quaſi à Spiritu Naturæ, & cæco quodam impetu ad furioſa quævis fœdáque facinora ſubindè abripiuntur, & hâc turpi ſervitute captivantur vel inviti, fatalibúſque quaſi quibuſdam catenis detinentur; ità qui ſimplici & ſincero affectu ad Virtutem anhelant attolluntur protinus, ſuffulciuntur & corroborantur, à *Spiritu illo Intellectuali qui omnia complet*, (quod *Marcus Antoninus* vocat τὸ πάντα περιέχον νοερὸν,) cúmque illo arctiſſimis amoris vinculis conjunguntur. Unde facillimo negotio ad omne Virtutis opus feruntur, *tanquam Divino numine afflati & correpti*, ut loquitur *Plato*.

11. Atque hoc illud ipſum eſt quod ſuprà monuimus ex *Antonino*; Non ſolùm utique cum ambiente aëre conſpirare nos debere, ſed ab Intellectuali illa vi quæ omnia complectitur in conſenſum rapi. *Neque enim minùs hæc Intellectualis vis per omnia perfunditur & pervagatur ei qui novit attrahere, quàm iſta Aerea illi qui poteſt reſpirare.* Neque quicquam nobis deeſt quo hanc vim attrahamus, præter ſincerum hunc affectum quo quæ ſunt Virtutis ſapimus. Hoc enim ipſo cum Deo conjungimur, quandoquidem Virtus rerum omnium eſt diviniſſima, nóſque Deo ſimiles efficit, ut rectè etiam monet *Hierocles: Senſus enim Entheus ſufficienter ſtabilitus connectit nos cum Deo: Neceſſe enim eſt ut ſimile feratur ad ſimile.*

τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 8. *ſect.* 54.

In Aurea Pythag. *Carmina.*

Quid igitur eſt quod præſtare non valeamus in Virtutis officiis tam potenti uniti Principio? Aut quomodo de Deo ejúſve Providentia dubitare poſſimus, dum ipſius vitam & ἐνέργειαν tam efficaciter in nobiſmetipſis operantem experimur? Neque enim noſtra illa vita eſt, ſed Dei, dum nobiſmetipſis exuti, hoc eſt, affectibus animalibus, ad id ſolùm quod ſimpliciter bonum eſt, quod ſolius Dei eſt, (qui ex æquo totius Univerſi utilitati conſulit,) conſtanter contendimus & anhelamus.

Non eſt igitur diffidendum quin ad perfectam tandem perveniamus Virtutem tam potenti Principio & Auxilio freti.

12. Sunt autem (quod ultimo loco occurrit) certi quidam modi ac rationes quibus faciliùs ad hunc ſcopum pertingere poſſimus; ut, *Si ſeriò & frequenter de hujus caduci Corporis morte meditari velimus, déque Animæ noſtræ Immortalitate.* Permagnam enim vim habet ad extinguendas omnes cupiditates quæ in hoc mortale corpus terminantur, ſeriò conſiderare, brevi fore quòd corporea hæc atque viſibilis perſonalitas in vagas disjicienda ſit atomos, omniáque illa quæ ad hanc compagem pertinent in æternum relinquenda, ut Divitiæ, Honores, Corporiſque voluptates: Ac proinde, conſultius eſſe maturè nos ablactare à rebus omnibus caducis, & paulatim noſmetipſos diſ-

ſuere & divellere à conſenſu & ſocietate terrenæ hujus carnis; & purioribus divinioribúſque voluptatibus & operationibus, quæ ab illa non pendent, Animam noſtram aſſuefacere. Quæ quidem Summa eſt Philoſophiæ *Platonis*, quam ille propterea olim definivit *Meditationem mortis*.

13. Nec morbus eſt ſic *per ſapientiam mori*, prout perperàm alicubi ſubinſinuat *Plinius*, ſed perfectiſſima Sapientia. Ille enim verè ſapit qui proſpicit in longitudinem, nec præſentes voluptates infinitâ malorum ſerie occupari ſinit & opprimi. Unde omnibus nervis incumbendum eſt Virtuti, quæ ſola, ut ipſa Anima, immortalis eſt, propriúſque illius ornatus & perfectio. Cujus etiam tanta eſt cum ipſa Animæ immortalitate cognatio, ut ſenſus quidam ac præceptio Immortalitatis ſimul cum ipſa Virtute Animæ noſtræ, ut plurimùm, ingeneretur. *Hiſt. Nat. lib. 7. cap. 50.*

14. Secundò, *Cogitandum eſt quàm ineffabilis perfectéque Animam implens in Virtute ſit voluptas.* Nam cùm Animæ lapſus ſit à Virtutis ſtatu in Vitium; neceſſe eſt ut cùm ad Virtutem revocetur, ex hac reſtitutione mirabiles percipiat voluptates; quandoquidem Philoſophi ipſam *Voluptatem* definiunt *reſtitutionem ad ſtatum naturalem*.

Status autem naturaliſſimus illius quod rationis particeps eſt proculdubio eſt Virtus, cùm ea nihil ſit aliud quàm conſtans quædam & perpetua propenſio ac promptitudo ad obſequendum rectæ Rationi.

Quibus addas quod occurrit apud *Ariſtotelem*, hanc voluptatem nobis eſſe propriam, ac proinde optimam & jucundiſſimam. *Quod enim maximè proprium eſt uniuſcujuſque naturæ, hoc præſtantiſſimum eſt unicuique & jucundiſſimum.* Eſt autem homini propria recta Ratio; ac proinde voluptatem illam quæ ex conſtanti hujus obſequio oritur præſtantiſſimam pariter ac jucundiſſimam eſſe neceſſe eſt. Andronic. Rhod. *lib.* 10. *cap.* 9. Ariſtot. *cap.* 7.

15. Neque hoc ſolùm, ſed ſuperaddendum eſt tertio loco, *hanc Virtutis vitam ac voluptatem omnium rerum eſſe diviniſſimam*, ità ut neſciat planè Anima quid ultrà quærat quando huc pervenit, niſi aliquid augurari velit ipsâ Divinitate perfectius aut beatius. Creatura ipſe Deus eſſe non poteſt; quatenus autem poteſt, per Virtutem fit, quæ Dei vita Divináque quædam natura meritò eſt habenda. Neque enim Creatura quatenus animal eſt, ſed quatenus Dei imago eſt, proſequi poteſt id quod ſimpliciter optimum eſt, non quod ſibi ſuóque appetitui gratiſſimum.

Rectiſſimè igitur ſuper hac re pariter atque expoſitiſſimè philoſophatur *Hierocles*, dum vitam voluptatémque quæ ex Virtute eſt Divinam prorſus agnoſcit, concluditque; *Cùm igitur vita quæ eſt ſecundùm Virtutem, Divinam gerens ſimilitudinem, revera Divina ſit, quæ verò in Vitio ſita eſt, Belluina & Athea; * manifeſtum eſt quòd viri probi voluptas lætitiam imitetur Divinam, mentem Deúmque comitans, quódque improbi quæ dicitur voluptas motioni belluinæ ac ſtupidæ ſit ſimilis.* *In Aurea Pythag. Carmina.*

16. Quò ſpectat etiam illud apud eundem quod de *Ratione* ait, quæ *Virtutis* norma eſt: *Rectæ verò Rationi obſequi & Deo idem eſt. Nam Rationale genus propriæ illuminationis ſufficienter Particeps ea vult quæ Lex ſtatuit Divina: Animáque ſecundùm Deum diſpoſita ejuſdem ſententiæ eſt cum Deo, & ad Divinum Numen Luménque ſpectans facit quæ in datis circumſtantiis ipſe faceret Deus.* *In Aurea Pythag. Carmina.*

17. Multa hujuſmodi occurrunt apud Scriptores antiquos, præcipuè verò apud *Marcum Antoninum Marcúmque Ciceronem*, quemadmodum abunde conſtat ex eis quæ ſuprà citavimus. Addam duntaxat breviuſculum illud è primo de Legibus: *Virtus eadem in homine ac Deo eſt.* Quod cùm ità ſit, quæ tandem poteſt eſſe inter eos propior certiórve cognatio? Ad Virtutis verò vitæque Divinæ voluptatem refertur quod alibi habet de præcepta cuique à Deo *Delphico ſuiipſius*, hoc eſt, animæ ſuæ, *cognitione*; ut ipſa ſcilicet mens ſe vitiis exutam cognoſcat, conjunctámque cum Divina mente ſe ſentiat, ex quo inſatiabili gaudio compleatur. *Tuſculan. Quæſt. lib.* 5.

18. Verùm nihil neceſſe eſt veterum ſuffragiis tam cumulatim ornare vel confirmare ſententiam quæ (quod ſæpius inculcavi) ex ipſa natura vel definitione Virtutis ſatìs manifeſta eſt. Nam quod ſimpliciter eſt optimum proſequi, non quod animali naturæ gratiſſimum, Divinum quiddam eſt, ſupráque animalem naturam collocatum. Quamobrem ſecundùm hoc Principium vivere, quod non ſolùm eſt *præſtantiſſimum & Diviniſſimum eorum quæ in nobis ſunt*, ſed re verâ Diviniſſimum quiddam, ac proinde perfectiſſimum quod in naturam noſtram cadere poteſt, ſuprema illa Voluptas meritò cenſeri debet, ſummúmve Bonum ac Finis ultimus in quo animam oportet tanquam in ſumma ſua perfectione ac felicitate acquieſcere.

19. Atq; hæc ſunt quæ accendere animos noſtros debent atq; inflammare ad ſtudium Virtutis. Superſunt paucula quibus noſmetipſos in virtutis ſtudio dirigamus. Quorum primum eſt Μὴ ἐκθορύβου· Μὴ ἀφαρπασθῆναι. Prius *Marci Antonini*, poſterius *Epictetti*;

cteti, monitum eſt. Utraque verò præcipiunt, ***Ad nullum opus temerè & inconſultò exſilire vel rapi nos oportere.***

20. Alterum eſt, ***Nunquam committere quicquam contra propriam Conſcientiam***, ſed eam in minimis juxtà ac maximis integram & intemeratam conſervare, conſtantérque obſervare præſtantiſſimum illud ***Epicteti*** præceptum, ***Quicquid videtur optimum, id Lex eſto tibi inviolabilis.*** Qui enim ſemel didicit majus bonum minori (etiam ſalvâ Conſcientiâ) poſthabere, verendum eſt nè tandem diſcat minus illud quod reliquum eſt bonum pari ratione abjicere, ſéque totum cœno ac ſordibus polluere. Nam pars boni quam priùs abjecerat æquè bonum erat ac reliquum illud quod mox eſt abjecturus. Opera igitur diligenter adhibenda eſt ut ab omni abhorreamus turpitudine. Nam præſens peccatum viam ſternit futuro, ſinguláque noſtra Admiſſa quaſi tot annuli ſunt ferreæ illius vel adamantinæ Catenæ, quâ tandem inextricabili Nequitiæ æterniſq; tenebris innodabimur.

Enchirid. cap. 75.

21. Tertium eſt, ***Ut in ſingulis quæ nobis occurrunt objectis exercitium Virtutis quæramus.*** Quicquid enim fit, rectè fieri poteſt vel perperàm, decorè vel indecorè, juſtè vel injuſtè, cum ratione & modo, vel extra rationem modúmque. Semper igitur invigilandum eſt ac diligenter diſpiciendum, quomodo in unaquaque re id agamus quod maximè deceat.

22. Quartum eſt, ***Ardentiſſimis precibus apud Deum contendere, ut ſufficientes nobis vires infundere dignetur ad Virtutis perfectionem aſſequendam.*** Neminem enim mortalem pudere oportet tam divinum donum ab eo petere & accipere à quo & exſiſtentiam ſuam accepit. Imò verò audacter affirmare poſſim, eum qui ſine ſinceris ad Deum precationibus Virtutem ſectatur nunquam illam poſſe aſſequi, ſed evanidam duntaxat aliquam illius umbram & inane imitamentum. ***Nemo vir magnus ſine aliquo afflatu divino unquam fuit***, inquit ***Cicero.*** Nihil autem verâ vivâque Virtute majus aut excellentius eſt, quam propterea ſine Deo adipiſci prorſus eſt impoſſibile.

De Natura Deorum lib. 2.

23. Neque quiſquam mirari debet quòd ***Preces*** Morali Philoſophiæ adjungo, qui & ***Pietatem*** tanquam genuinam illius partem ipſi ſuprà adjunxi. Sed & Philoſophi ipſi eas olim illi adjunxerunt, ***Epictetus***, ***Plato***, ***Antoninus***, aliíque; præter cæteros verò ***Hierocles*** hiſce ferè verbis: ***Neque enim oportet ſolummodo promptè aggredi quæ pulchra ſunt, tanquam ſi penès nos eſſet ſucceſſus abſque Divino auxilio; neque nudis petitionibus contentos eſſe, nihil ferentes ad acquiſitionem eorum quæ petuntur. Sic enim vel Virtutem atheam, ſi fas ſit ità loqui, reddemus, vel petitionem inefficacem. Quorum primum, Atheum cùm ſit, ipſam Virtutis tollit eſſentiam; alterum verò, quæ eſt ignavia, precum enervat efficaciam.***

In Aurea Pythag. *Carmina.*

Sed forſan & alia quædam ſuperadjicere non abs re erit: ut illud ***Socratis*** apud ***Xenophontem***, ***Conari cum bonis Diis unumquodque opus incipere***; nec non illud ***Ciceronis***, ***A Diis immortalibus nobis agendi capienda ſunt primordia***; etiam ***Platonis*** illud in ***Timæo***, ***Ad quamcunque rem nos accingimus, ſive magnam, ſive parvam, oportet primo in loco invocare Deum***; poſtremóque egregium illud ***Epicteti*** de compeſcendorum affectuum ſtudio, ***Certamen quidem magnum eſt, opúſque planè Divinum. Dei igitur memineris, eum invoca opitulatorem & auxiliatorem, quemadmodum Nautæ*** Dioſcuros ***cùm in tempeſtate navigant. Quæ enim major tempeſtas quàm quæ oritur ex imaginationibus violentis, ipſámque Rationem elidentibus?*** Quo nihil dici poteſt ad rem noſtram accommodatius.

Xenoph. *lib. de Adminiſtratione domeſtica.*
De Legibus lib. 2.
Arrian. *Comment. lib.* 2. *cap.* 18.

Preces igitur fervidæ, quibus Virtutis fontem agnoſcimus, laboribus noſtris ac conatibus per quos ad Virtutem aſpiramus, etiam ex Philoſophorum ſententia ſemper ſunt adjungendæ.

24. ***Preces*** autem illæ hîc non maximè valent quæ exteriori quodam modo atque oratorio prolixiùs effunduntur, ſed breviuſculæ illæ ab intimo animo, meditationum vi ac pondere perculſo, quæ crebrò emittuntur, quáſque ab imis præcordiis profunda comitantur ſuſpiria, & vehementiſſimi erga Deum Virtutémque anhelitus. Hiſce enim laboribus atque angoribus ventilamus & expurgamus ſanguinem ſpiritúſque, & pleniores in eos hauſtus puri ætheris tranſmittimus, quibus ***corpus Luciforme*** (quod & ***tenue ac ſpirituale vehiculum Hierocles*** appellitat) augemus & corroboramus, adeóque tandem cum his Deum ipſum quodammodo in animam noſtram imbibimus & transfundimus.

25. Quintum & ultimum præceptum eſt illud ***Pythagoricum***, quo monemur ***ſingulis noctibus ante ſomnum recolere apud noſmetipſos quæ fecerimus interdiu***; ut quæ rectè facta ſunt, de eis gratias agamus Deo; quæ verò perperàm fecimus, apud conſcientiam noſtram ſeveriter reprehendamus, firmiúſque indies propoſitum animo inſigamus & inuramus omnia agendi juxta perfectiſſimam Virtutis normam.

Mollia nec priùs obducat tua lumina ſomnus,
Exacti quàm ter reputâſti facta diei;
Quid lapſus feci? quid rectè? quid boni omiſi?

Cujus moniti obſervatio permagnam vim habet ad accuratiſſimam morum correctionem, & ad Virtutem omnimodam animis noſtris ingenerandam.

SCHOLIA

In Cap. III. Sect. 15.

Maniſeſtum eſt quòd viri probi voluptas lætitiam imitetur Divinam, mentem Deúmque comitans, *&c. Quæ in hac ſectione tribúſque proximè ſequentibus de Divinitate virtutis voluptatiſque ex ea profectæ, inculcantur, non poſſum me abſtinere quin notem quàm conſentanea ſint primæ illi ſummæque Moralitatis Legi, quæ eſt* verus ſincerúſque Amor Dei, *qui oritur ex conſenſu Animarum noſtrarum cum Divina vita ac natura. Unde conſcii ſimus nos* συμφρονεῖν τῷ περιέχοντι πάντα νοερῷ, *ut loquitur* Antoninus, *ex vivo ſapidóque ſenſu Divini Amoris illiúſque pulchritudinis & influxûs actiones noſtras omnes ordiri & peragere, atque ſic perpetuam quandam cum Deo communionem colere, quæ ſola vera virtutis vita eſt, & ad quam omnes bonæ Animæ tenentur anhelare, nè nubem pro* Junone, *exanimémq; virtutis umbram pro ſolida virtute amplexari videantur. Nulla enim ſolida eſt, ſine hoc Amore Divino, virtus.*

CAP. IV.

Quæ Virtutum Primitivarum acquiſitioni inſerviant.

1. Hactenus iſtiuſmodi documenta tradidimus quæ Virtutum acquiſitioni in genere inſerviunt; quæ certè tam efficacia ſunt, ſi quis eis uti velit, ut ſuperfluum videri poſſit ad ſpecies deſcendere. Ac proinde multò breviùs hîc agemus, & leviter duntaxat tangemus ſingula.

De *tribus* igitur *Virtutibus Primitivis* hoc tantùm moneo, vel potiùs repeto, Nullam omnino Virtutem abſque ipſis acquiri poſſe, nullam exerceri vel conſiſtere. Quod excitare in nobis debet omnem curam ac diligentiam, ut has *Primas* ſaltem *Virtutes* in ſolidum poſſideamus.

2. Quarum prima, *Prudentia*, quomodo acquirenda ſit, vel ex ipſius definitione & explicatione *Lib.* 2. ſatis liquet. Quæ cùm tam latè patet quàm res agundæ & contemplandæ, ad primas obiter referemus illud *Marci Antonini*, lib. 7. *Præſentem imaginationem curioſiùs inſpectare, nequid ſubinfluat minùs rectè perceptum.* Sect. 54. Quod explicatiùs indigitat *lib.* 3. eximio hoc præcepto; *Definitionem quandam & delineationem ſemper facere illius quod ſub imaginationem cadit, ità ut quale ſit ſecundùm eſſentiam, nudum, integrum, intiméque per partes diviſum, diſpicias.* Sect. 11. Quæ proculdubio maxima *Prudentiæ* pars eſt. Ex hoc enim ut plurimùm fruſtrantur & falluntur homines in rebus averſandis amplectendíſve, quòd eas nec nudas integráſque, nec per partes omnes perpendunt, ſed externam tantùm ſpeciem contuentur, partéſve illas quæ primo aſpectu gratæ ſunt vel ingratæ, prætermiſſis reliquis: unde ſtulta admodum & temeraria fit ipſorum in rebus penſitandis computatio, dum, malè ſubductis calculis, Partes apud eos Integrorum vices obtinent, parémque illis valorem.

Oportet igitur, prout *Epictetus* eum monet qui *Olympia* vincere tam impensè cupit, *penſitare priùs quæ antecedunt quæque conſequuntur, & poſtea ad opus ſe accingere*, cap. 35. Quò ſpectat etiam illud quod ſubſequenti capite occurrit; *Primùm, O homo, conſidera qualis res ſit; deinde propriam tui ipſius Naturam perpende, ſi poteris ferre.* Quod niſi fecerimus, fieri vix poteſt quin plerumque nos incepti pœniteat, & perpetuis Fortunæ ludificationibus defatigemur.

Ad hoc *Prudentiæ* genus referri etiam debet præſtantiſſimum illud *Epicharmi* Monitum, *Eſto ſobrius, & memento diffidere: hi enim ipſi ſunt Sapientiæ nervi.* Cui hoc affine eſt quod de noſtro addimus, Non multùm credere Fortunæ aut hominibus, ſed ſoli Deo Virtutíque confidere, qui mutari neſciunt. Homines verò brevi temporis intervallo etiam à ſeipſis diſſident, mutántque voluntates & conſilia.

3. Ad res autem contemplandas ſpectant hæc paucula, quæ Sapientiæ ſtudioſum meminiſſe oportet. Cohibendum ſcilicet eſſe aſſenſum donec rem clarè & diſtinctè intellexeris. Quod conſimile eſt antè-dicto *Antonini* præcepto de rebus agundis.

Qualeſcunque res in ſeipſis ſint, nullum eas in ratiociniis noſtris locum habere debere ultrà quàm Animi facultatibus innoteſcunt.

Nullius rei intimam nudámve eſſentiam cognoſci poſſe, ſed attributa tantùm eſſentialia eſſentialéſve habitudines.

Eſſentialia attributa immediatè competere Subjecto, nec rationem ullam Phyſicam peti debere, darive poſſe, cur inſint.

Ideam cujuſque rei conſiſtere ex attributis quibuſdam eſſentialibus.

Ad perfectam cujuſque rei ſcientiam requiri ideam, ſive notionem, non ſolùm claram & diſtinctam, ſed plenam & adæquatam, quæ omnia attributa inſeparabilia quæ ei competunt complectatur. Poſſumus enim vel de induſtria vel per incuriam ſubjectum concipere ſine aliquibus eorum attributorum quæ re ipsâ ſunt ab ipſo inſeparabilia. Quod mihi feciſſe videtur *Carteſius* in notione *Animæ humanæ*, dum eam ſolâ *cogitatione* definit.

Poſtremò, Animo nondum purgato diffidere, nec Magiſtris ullive Facultati fidem habere præterquam Rationi, Intellectui, (qui communium Notionum penus eſt,) ſolidæq; Experientiæ.

4. *Sinceritatem* erga homines examinabis hâc trutinâ; Si eos eodem modo tractes quo ab eiſdem te tractari velis, memor illius dicti apud *Ciceronem*, Nihil eſſe unum uni tam ſimile, tam par, quàm omnes inter noſmet ſumus. Unde in eiſdem circumſtantiis eodem modo nos invicem tractare oportere manifeſtum eſt.

De Legibus lib. 1.

Erga Deum verò ac Virtutem *Sinceritas* tua patebit, ſi te tuáque omnia ità ipſis poſthabeas, ut animitùs cupias te lubenter poſſe libertatem, fortunas, vitámque ipſam, eorum gratiâ perdere. Quod quidem ſi percipias te ferre poſſe, agnoſcas te ad perfectam etiam perveniſſe *Patientiam* Tam horrendum autem atque enorme crimen eſt noſmetipſos, qui tam viles reculæ ſumus, Deo Virtutíque præponere, ut ea ſola ratio ſufficere videatur ad pertrahendum nos ad hujuſmodi *Sinceritatis* ſtudium.

5. Nec minùs ſtrenuum ſuppetit pro *Patientia* argumentum. Juſtorum enim mortem, quam Virtutis Deíque causâ oppetunt, duplex excipit Immortalitas, Animæ una, altera Gloriæ.

Multum verò ad hanc Virtutem conferet, ſi quæ de viribus liberi Arbitrii augendis præcepimus, etiam hìc obſervemus; nempe, ſi in univerſum ab eis omnibus quæ corporeæ atque animali vitæ nimis grata ſunt datâ operâ abſtineamus, rebúſque aſperis ipſíque ingratis conſtanti firmóque animo res ingeramus, quatenus fieri poteſt per ſanitatem corporis morúmque urbanitatem. Nam ſi in hoc propoſito perſtiterimus, internas vires ſuprà quàm dici poteſt adaugebimus, eámque hilaritatem animi atque magnitudinem in nobiſmetipſis excitabimus, ut tandem deprehenderimus nos ad omnia præclara promptos & paratos evaſiſſe, nec tam amiſiſſe voluptatem quàm mutâſſe, cùm animadverterimus Animam noſtram diſtinctè & ſeparatim à corpore ſuis propriis & domeſticis gaudiis, ex hujuſmodi Virtutis conſcientia perceptis, perfundi totam & impleri.

CAP. V.

De tribus Virtutibus Principalibus Derivativis acquirendis.

1. Quod ad *Virtutes Derivativas* Principales attinet, *Juſtitiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam*; *Juſtitiæ* pars præcipua, quæ *Pietas* dicitur, ingenuis animis facilius ingenerabitur, ſi conſiderent quàm rudis & agreſtis res ſit *Impietas*, quámque barbara & à bonis moribus aliena: Tantum ſcilicet Benefactorem præſentes præſentem non agnoſcere, nec honorificè ſalutare, nec de innumeris illis beneficiis quibus nos quotidie cumulat ipſi ſolennes gratias agere. Quod igitur quemvis bene moratum hominem adversùs homines commiſiſſe puderet, non te pudebit illud committere adversùs Deum?

Hoc unicum igitur animos generoſiores ad *Pietatem* maximopere ſtimulare debet: Cæteros verò mortales, quòd negligendo hujuſmodi erga Deum officia favorem illius atque gratiam perdent, Divinæque Nemeſi ſe reddent obnoxios. Ad univerſos autem ſpectat ut meminerint ità inhærendum eſſe externo Dei cultui; ut internus, qui ipſi omnium gratiſſimus eſt, nullo modo negligatur.

2. Internum autem hunc cultum *Dei imitationem* eſſe * ſuprà inſinuavi. Quam quidem ſententiam mirificè ornant atque illuſtrant *Pythagorica* illa apud *Hieroclem* verè aurea. *Deum optimè coles, ſi mentem tuam Deo ſimilem efficias. Quod enim quis amat, id quantum poteſt imitatur.* Et paulò pòſt; *Oblatorum ſumptuoſitas non eſt Dei honor, niſi Divino cum ſenſu offerantur. Stultorum enim oblationes & ſacrificia ignis ſunt alimentum, ſacráque eorum donaria ſuppeditata ſacrilegis prœda.* Et quod ad *Templa* attinet, breve illud Oraculum effundit, *Purgatâ Animâ non eſt Deo aptior locus in terris.* Cui & ipſum *Pythium* ſuccinere facit illo verſiculo,

* Lib. 2. cap. 5.

Æquè animis ſanctis atque ipſo ego lætor Olympo.

3. Sed nec illud omittemus quod paulò ſuprà fuſiùs & ornatiùs depromit: *Solus ſapiens Sacerdos, ſolus Deo charus, ſolus qui ſcit precari. Solus enim ille novit ritè colere Deum qui Divinam nactus eſt ſcientiam, quique ſeipſum præcipuè offert in ſacrificium, ſuámque Animam in ſtatuam fabricatur Divinam. Mentémque pro Templo præparat ad Divini luminis ſuſceptionem.* Quem verò hîc *Hierocles ſapientem*, *Ariſtoteles prudentem* appellat. Uterque autem re ipsâ idem eſt ac σπουδαῖος, ſive *Virtute præditus.* Vera enim & ad perfectionem perducta Virtus, quæ Dei imago eſt, optimus illius eſt cultus, ſed qui cum legitimis Religionis ritibus nunquam digladiatur.

4. Altera pars *Juſtitiæ*, quæ *Probitas*, & vulgo *Juſtitia* ſed ſtrictiori ſenſu, appellatur, ſummopere ab hominibus piis coli debet, cum & ipſa ſit Pietatis pars non contemnenda, ut quæ Virtutis pars eſt præcipua, quem optimum eſſe Dei cultum * ſuprà demonſtravimus. Sed & ab omnibus ſacroſancta habenda eſt, omniqúe ab eis curâ ac diligentiâ tuenda, quòd tam neceſſarium ſit humanæ ſocietatis vinculum, rerúmque humanarum, atque adeò totius ferè mundi, fulcrum & columna, ſine qua omnia fatiſcerent & ruinas agerent.

* Lib. 2. cap. 5.

Ecquem igitur eò veſaniæ prorumpere unquam deceret, ut contra tam ſacroſanctam Virtutem peccet, quò & ipſa mundi fundamenta ſuffodere, totámque vitam humanam confundere, meritò velle videretur?

5. Ità tamen quenquam juſtum eſſe, ut ſolummodo intra humanarum legum limites ſe contineat, *Calliditatis* eſt potiùs quàm veræ *Juſtitiæ.* Neque enim qui hoc facit tam utilitati publicæ conſulit quàm ſuæ, quæ nulla *Juſtitiæ* pars eſt, (quod bonum eſt alienum,) ſed proprii amoris effectus: Cui, demptis legibus, hæc larvata bellua tam effræni impetu indulgeret, ut qui modò ex lege vir bonus videri poterat, ſtatim ſe proderet nequiſſimum turpiſſimúmque nebulonem. Qui igitur re verâ juſtus eſſe velit, non credat ſe jam eſſe, niſi ità ſe fore etiam remotis legibus certò præceperit.

6. De *Fortitudine* & *Temperantia* hìc repeti poſſint quæ ſuprà attulimus de *Patiéntia.* Haſce *Hierocles* appellat *adamantinas Animæ cuſtodes*, quibus remotis, illa continuò proditur omni turpitudini ac calamitati.

In *Aurea* Pythag. *Carmina.*

Quàm neceſſaria *Fortitudo* ſit, maximè eluceſcit ex præclara illa *Andronici* ſententia: Quædam nempe ità inhoneſta eſſe, ut omnis ſit præciſa agenti excuſatio; *ſed debeat homo totis viribus ea declinare, quamvìs ob idipſum mox trucidandus eſſet graviſſima priùs omnia perpeſſus.*

Lib. 3. *cap.* 1.

Nullum igitur argumentum majus excogitari poteſt quo moveamur ad incumbendum omni ſtudio *Fortitudini* acquirendæ, quàm quòd, ſi hâc Virtute deſtituamur, in aliorum poteſtate ſitum erit per ſummarum injuriarum comminationem ſceleratos nos efficere atque impios. Quâ quidem ſervitute nulla turpior eſſe poteſt aut miſerior, nec quicquam quod ingenuum animum magis aſpero atque ingrato ſenſu pungat & lancinet, quàm ſibi eſſe conſcium, ſi quando magni alicujus mali terror immineat, ſe Virtutis ac Veritatis deſertorem futurum eſſe ac proditorem.

7. Ab *Intemperantia* nos deterrere debet vel ipſum Voluptatis dedecus. Quàm vilis enim res eſt & abjecta, nos, cùm homines ſimus, ex amore Voluptatis animalcula quaſi quædam εὐθήρατα fieri, & tam certò voluptatum illecebris ineſcari quàm hamo piſces; atque hiſce technis captos, cupiditatibus noſtris, ut feræ catenis, eò pertrahi quò impurus quivis & verſutus nebulo nos ſeducere velit? Nam Voluptas, quæ demulcet ſenſum, mentem de ſua ſede & ſtatu dimovet, omnéque illius lumen extinguit, vires denique animi frangit; fidelémque illam cuſtodem, ſine qua nulla Virtus tuta eſſe poteſt, *Fortitudinem* ipſam, adinſtar rabidæ cujuſdam ac viroſæ meretricis, impudenter adoritur miſeréque trucidat. Adeò ut nihil æquè verum ſit ac tritum illud *Ciceronis*, *In Voluptatis regno nullum omnino eſſe poſſe hominibus cum Virtute commercium.*

In *De Senectute.*

8. Imò & ipſius corporis vires labefactat, & horrendos ſuperinducit morbos; ità ut

etiam corporis ſanitatis gratiâ ſedulò danda ſit opera *Temperantiæ* : quanquam hic non ſit legitimus illius modus & menſura, ſed tam animi quàm corporis valetudo. Nam in robuſto & bene-ſaginato corpore animi vires faciliùs extinguuntur.

9. Ità igitur *Temperantiæ* ſtudendum eſt, ut non tam excreſcat terrena corporis moles, quàm peritè probéque conſulatur ſpirituum puritati & copiæ; juxta illud *Zoroaſtris* Oraculum, *Spiritum nè contaminato, nec incraſſato ſuperficiem*; quod idem eſt quod *tenue vehiculum & corpus immateriale* apud *Hieroclem*. Hæc igitur *Temperantiæ* ſumma eſt, *Peritè ſervare organum, & ad uſus Philoſophicos ritè adaptare*; quemadmodum monet ille.

Hierocles *in Aurea* Pythag. *Carmina.*

10. Hæc eſt illa perfecta & philoſophica *Temperantia*, ſi ità curentur corporis moles atque vires, ut optimarum rerum ſenſus ab ipſis interim non extinguatur, nec incraſſeſcat nimis internus Spiritus, quem *Hierocles Spirituale vehiculum* appellat; ex quo cum ipſa Anima *Internus* noſter *homo* confieri apud ipſum videtur. De cujus igitur cultu & purificatione eundem ex *Pythagoricis* oraculis paulò uberiùs diſſerentem operæ pretium erit audire. *Oportet enim*, inquit ille, *cum Virtutis exercitatione & Veritatis recuperatione atque puritatis, curam earum rerum gerere quæ ad corpus attinent Luciforme, quod & tenue Animæ vehiculum Oracula appellitant. Extenditur autem hæc purificatio uſque ad cibos potúſque & ad victum univerſum corporis noſtri mortalis, in quo jacet Luciforme, inſpirans inanimi corpori vitam, ipſiúſque compagem conſervans.* * *Eſt enim corpus immateriale Vita, vitámque ingenerans materialem, per quam mortale noſtrum corpus completur ex irrationali vita & materiali corpore conſiſtens,* * *adeóq; Simulachrum exſiſtens Interni Hominis, qui ex ſubſtantia rationali & immateriali corpore conſtituitur.*

In Aurea Pythag. *Carmina.*

11. Quibus innuit, ità nos Externum hominem, hoc eſt, molem hanc corpoream, curare oportere, ut interim nulla Interno fiat injuria, ſed rationem atque modum Cibi & Potûs, & reliquorum quæ ad mortale hoc corpus pertinent, peti debere ab incolumitate Interioris hominis, ut tenue illud lucidúmque Animæ indumentum non incraſſeſcat nimis nec obſcuretur, ſed purificetur & liberetur ab omni turpi ac ſervili conſenſu cum hac caduca machina. Quemadmodum paulò infrà monet; *Verùm quandoquidem Luciformi noſtro corpori agnatum eſt alterum corpus mortale*, * *purificare illud oportet, & à conſenſu cum hoc altero quantum poſſumus liberare.*

12. Imò verò huc collineare videtur omnis omnino ipſius animæ purgatio & purificatio, omniſque adeò Virtutis ratio, ut Interioris hominis puritas conſervetur ac vigor, prout paulò pòſt aliquantò fuſiùs & copioſiùs nos edocet optimus ille *Pythagoricæ* Sapientiæ Interpres *Hierocles* : *Rationalis verò Animæ purgationes vehiculo etiam luciformi proſpiciunt, nempe ut hoc ipſis alatum penniferúmve factum ſupernum Animæ curſum nullo modo impediat. Optima verò illius pennarum emiſſio* (ſuprà enim Divinum omnem atque humanum animum *concretæ Potentiæ alati currûs atque Aurigæ ex Platone* comparaverat) *eſt, deceſſum à rebus terrenis paulatim meditari, & noſmetipſos aſſuefacere Immaterialitati, omnéſq; ſordes deponere quibus Luciforme corpus coinquinari poſſit ex conjunctione ſua cum corpore materiali. Sic enim reviviſcit quodammodo, viréſque colligit, Divinóque vigore impletur, & Intellectuali denique Animæ perfectioni connectitur.* Tantum illa per Virtutem purificatio poteſt ad reſuſcitandum, recolligendum, & Divino quodam robore implendum, intimum illud & ſubtiliſſimum (quod & ipſum perpetuæ immortalitatis conſors eſt) mentis noſtræ vehiculum.

13. Magna ſanè ſunt hæc atque præclara *Hieroclis* documenta, quibus monemur *Temperantiæ* ſaltem Philoſophicæ quaſi apicem eſſe, *Luciformis curationem puritati animæ congruam præſtare* : Ut interior homo craſſiorum voluptatum ſenſu non contaminetur, nec in conſenſum cum caduci hujus corporis falſis & furibundis gaudiis nimis impotenter & ſerviliter rapiatur; ſed ut cognatum ſuum corpus, ſive Luciforme vehiculum, purum & intemeratum conſervet ab omni terrena immunditie.

14. Quod id ipſum eſt quod tandem adjungit ille à me toties laudatus Interpres, ſuper iſthoc verſiculo Pythagorico,

———Tum ſingula penſa
Aurigam mentem ſtatuens ex parte ſuperna.

Quem ad hunc modum explicat : *Mentem quidem, ut quæ rationalis eſt potentia*; *Aurigam verò, ut quæ corpus apprehendit regitque. Oculus verò amatorius ſuper Aurigam collocatur. Anima enim tametſi una ſit, oculo tamen quaſi quodam circumſpicit per Veritatis campum; & facultate alterâ, manui quidem haud diſſimili,*

* *cognatum ſuum corpus* (quod eſt Luciforme) *cohibet, & ad ſeipſam conſtringit, ut tota ad Deum ſpectet, Divinámque poſſideat ſimilitudinem.* Quâ quidem nulla aptior perfectæ illius & Philoſophicæ ſive *Temperantiæ* ſive *Continentiæ* poteſt eſſe deſcriptio, quæ nullas Corporis voluptates ſinit in interiorem hominem penetrare, Animámque facit quaſi ſtrictis loris cohibere conſenſum ab omni oblectatione quæ diviniora illa gaudia, quæ ex ſenſu Dei Virtutíſque oriuntur, quovis modo lædat vel obſcuret. Qui certè ſummus & perfectiſſimus eſt *Temperantiæ* ſcopus & menſura.

15. A quo quàm longè abſint illi qui nondum ab illicita aut immoderata Venere fœdâve Ebrietate & Ingluvie abſtinent, ipſi apud ſeipſos perpendant; ſerióque eos pudeat, cùm deorum immortalium vitam quodammodo adæquare potuiſſent, in turpiſſima abjectiſſimáque pecora degenerâſſe. An non multò igitur præſtaret vel duriſſimam quamvis vivendi rationem inire, veterémque ferme ἄσκησιν denuo imitari, quàm ex iſtiuſmodi luxu & mollitie Virtutis rerúmque optimarum ſenſum extinguere, fidiſſimámque Virtutum omnium cuſtodem, ipſam tandem *animi Fortitudinem*, perdere? Sed de *Primitivarum* Virtutum pariter ac *Derivativarum* Principalium-acquiſitione hæc breviter dicta ſunto.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 10.

Est enim corpus immateriale Vita, *&c.* Ζωὴ γάρ ἐστι τὸ ἄϋλον σῶμα. *Obiter hìc notatu dignum eſt, qualem hoc in loco ſignificationem habeat vocabulum* Ζωὴ, *neque enim operationem ſignificat, ſed eſſentiam ſive ſubſtantiam, quemadmodum ſit in voce* ψυχή. *Quâ verò ratione* τὸ αὐγοειδὲς σῶμα, τὸ ἄϋλον σῶμα *hìc appelletur, paulò penitiùs eſt inſpiciendum, quidve illud demum ſit cui hæc omnia,* τὸ σῶμα, τὸ αὐγοειδὲς, τὸ ἄϋλον, ἡ ζωὴ, τὸ λεπτὸν ὄχημα, (*quæ omnia in hoc Paragrapho,* Corpori luciformi *attribuuntur*) *rectè judicentur competere, vel quod eódem recidit, quid illud ſit quod apud* Hieroclem σῶμα αὐγοειδὲς *appellatur. Ut verbo igitur abſolvam, Nihil aliud eſſe exiſtimo quàm Animæ* Plaſticam, *æthereo Divinóve vehiculo indutam.* Perceptivam *enim Animæ partem, quantùm ad amplitudinem, nullam ferè habere rationem puto cum* Plaſtica *collatam.* Plaſticam *igitur tum ob extenſionem, tum ob coalitionem cum vehiculo æthereo,* corpus *appellari; ob lucem verò vehiculi ætheream* σῶμα αὐγοειδὲς, *i. e.* corpus Luciforme. *Cùm verò hæc* Plaſtica *Animæ reverà* Spiritus *ſit, ſubſtantiáve immaterialis, ut corpus ob* extenſionem, *ità* ἄϋλον σῶμα, immateriale corpus *propter* ſpiritualitatem *dicitur, & fortean ob ipſam* vehiculi, *cum quo conjuncta eſt,* tenuitatem, *quæ ſpirituum immaterialitatem quodammodo imitari videatur, preſertim cum terrenis craſſitudinibus comparata.* Ζωὴ *verò ſignificantiſſimè dicitur, cùm reverà ſit ipſa Anima, corpus mortale ac terreſtre vitâ Plaſticâ actuans, ipſiúſque compagem conſervans, ut loquitur* Hierocles. *Tenue autem vehiculum dicitur.* Tenue *quidem ob eſſentiæ ſuæ* ſpiritualitatem, *ſubtilitatémque lucidi Ætheris cum quo unitur;* vehiculum *verò, quod mentem ſive partem Animæ* perceptivam, *tanquam Aurigam circunvectat.*

Adeóque ſimulachrum exiſtens Interni Hominis, *&c. Vide igitur an non conſentaneum ſit hinc concludere,* corpus Luciforme *eâdem fere formâ figurâve eſſe, quâ corpus noſtrum terreſtre, quæ certè opinio erat quorundam Patrum antiquorum.*

Sect. 11. Purificare illud oportet & à conſenſu cum hoc altero quantum poſſumus liberare. *Græca ſic habent,* Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τῷ αὐγοειδεῖ ἡμῶν σώματι προσέφυ σῶμα θνητὸν ὂν, καθαρεῦσαι δεῖ καὶ τοῦτο, *i. e. purificare etiam hoc* (*nempe agnatum corpus mortale*) *oportet: tunc verò quod ſequitur,* καὶ τῆς πρὸς αὐτὸ συμπαθείας ἀπαλλαγῆναι *ità exponendum eſt ac ſi ſubintelligeretur* ἡμᾶς, *quaſi integer ſenſus eſſet:* καὶ ἀπαλλαγῆναι ἡμᾶς τῆς πρὸς αὐτὸ συμπαθείας, Purificare etiam hóc oportet, nóſque à conſenſu cum illo liberari. *Senſus verò in utraque verſione idem ferè eſt. Verſióque utraque ſupponit* nos *eſſe propriè* τὸ αὐγοειδὲς σῶμα, *eo ſenſu quo explicavimus. Vide quæ ex* Hierocle *adduximus Sect.* 12.

Sect. 14. Cognatum ſuum corpus cohibet & ad ſeipſam conſtringit, ut tota ad Deum ſpectet Divinámque poſſideat ſimilitudinem. *Corpus mortale* σῶμα προσφυὲς *dicitur; Corpus verò luciforme,* σῶμα συμφυές· *non* agnatum *ſed* cognatum, *utpote quòd nihil aliud ſit quàm Animæ* Plaſtica *cum Æthereo vehiculo in unum coaleſcens, cum quo etiam apud* Platonicos *creata intelligitur, terrenum verò corpus poſtea ob lapſum ipſi adnaſci. Itaque corpus* Luciforme *ſic intellectum cùm reverà pars Animæ ſit, rectè* *dicitur illud cohibere & ad ſeipſam conſtringere, ut* tota *ad Deum ſpectet Divinámque ſimilitudinem poſſideat; nempe ut ipſa etiam* Plaſtica *ſuo modo* Deiformis *evadat, evadendo* Boniformis, *indelebili quodam Benignitatis affectu perquàm intimè tincta & quaſi ſaturata. Hæc enim* Plaſtica, *ut alibi moneo, præcipua veræ Regenerationis eſt ſedes.*

CAP. VI.

De Virtutibus Reductitiis acquirendis; primóque de eis quæ reducuntur ad Juſtitiam.

1. INter *Virtutes Reductitias* præcipuè emicant illæ quæ ad *Juſtitiam* referuntur. Cujuſmodi fuerunt *Liberalitas*, *Magnificentia*, *Veracitas*, *Fidelitas*, *Gratitudo*, *Candor*, *Urbanitas*, *Verecundia*, *Humanitas*, *Hoſpitalitas*, *Amicitia*, *Comitas*, *Affabilitas*, & *Officioſitas*.

Liberalitas autem non eſt negligenda, quòd eâ teſtamur nos non tam anguſti & contracti animi eſſe ut miremur pecunias, nec tam ſtupidi, ut neſciamus earum fines atque uſus.

Magnificentiam commendant ſua opera, quòd Publico proſunt, Mundúmq; ornant & Hiſtoriam.

2. *Veracitas* autem omni ſtudio amplectenda eſt, niſi quis videri velit ambulatorium quoddam *Mendacium* larvatúſve Impoſtor, μορμολυκεῖον aliquod & terriculamentum humani generis, à quo meritò omnes ſibi metuant tanquam ab occulta aliqua ſubtilíve peſte ac veneno, vel à cooperta fovea quâ inſidiæ ſtruuntur incauto viatori; tanquam à muto Spectro, quod tamen vitam humanam variis miſcet turbis & fruſtrationibus, multíſq; eam involvit laboribus & ambagibus quibus honeſta hominum induſtria eluditur & defatigatur.

Hanc *Fraudem* & Calliditatem *Prudentiam* quidam appellari malunt, ſpecioſum titulum Vitiorum peſſimo obtendentes, à quo Virtutum verarum cœtus non minùs abhorret quàm honeſtæ & pudicæ Matronæ à putidiſſimæ meretricis conſortio. Alii ſibi in hoc vitio applaudunt tanquam in ſelectiori quodam ingenii & acuminis ſpecimine: Quaſi verò quiſquam ità natus ſit ſtupidus, ut per mendacia & hypocriſin fallere non poſſit, ſi velit. Qui non poteſt fallere cùm velit, oportet eum profectò eſſe ingenii omnium tardiſſimi; qui autem vult cùm poſſit, viliſſimi abjectiſſimíque; qui verò cùm poſſit non vult, is demum magno animo eſt atque excelſo, verámque ſolus ſpirat *Prudentiam* & *Generoſitatem*, qui & feliciſſimos ut plurimùm rerum ſuarum exitus invenit, dum Hypocritæ & verſipelles homines in ſumma tandem incidunt dedecora & infortunia. Ficta enim omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum poteſt quicquam eſſe diuturnum.

Fidelitas ſummopere colenda eſt, cùm ſine ipſa vix ſtare poſſit humana ſocietas, cúmque tam conſpicua *Juſtitiæ* pars ſit ſervare promiſſa, & depoſitum reddere.

Unde etiam diſpicere poſſumus quantopere obligamur ad colendam *Gratitudinem*; cùm omne officium gratuitum ſit quaſi depoſitum quoddam, quod qui non reddit cùm poſſit, ſummæ videtur reus infidelitatis. Imò verò tam præclara *Juſtitiæ* pars eſt *Gratitudo*, ut qui hanc violare auſit, minimè dubitandum ſit quin, ſi per Leges tutò poſſet, reliquas omnes *Juſtitiæ* partes non incunctanter violaret. Quæ certè ratio quemvis ingenuum animum ità percellere debet, ut à nullo ferè flagitio æquè abhorrendum eſſe cenſeat atque ab hoc turpiſſimo monſtro *Ingratitudinis*.

3. Ad *Candorem* adhibendum in congreſſu noſtro cum hominibus hæc permovere nos debent: Nempe, tum quòd plerique omnes, ſi quid peccent, per ignorantiam peccant; nec tamen ità peccant quin plerumque etiam in his erroribus aliquid veri boníque parturiat eorum animus, cui proinde nos obſtetricare debemus, candidè & benignè excipiendo ſingula, & in eum ſenſum interpretando qui maximè laudabilis eſt, aut ſaltem tolerabilis: tum etiam quòd paci animorúmque agglutinationi, quâ nihil inter homines optabilius eſt, hâc ratione optimè conſulimus.

4. Nec ab *Urbanitate* ità nos alienos eſſe oportet, ut, cùm ipſi jocari neſciamus, alios, quantumvis non invenuſtè jocantes, audire ferréque nolimus. Eſt enim humanæ vitæ condimentum laborúmq; pergrata relaxatio jocandi dexteritas. Quanquam enim ità à Natura generati non ſumus ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur; uti tamen illis licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum cùm gravibus ſeriíſq; rebus ſatisfecerimus.

Ad hunc ſenſum *Cicero* in *Officiis*; qui, cùm duplex jocandi genus ſtatuit, unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum, alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum, de hoc poſteriori genere omnino eſt intelligendus. Cujus tamen ſales ſiquando riſum movent & cachinnos, is qui perſtringitur, modò probus ſit, non tam leviuſculis ſuis vitiis vel defectibus inſultari putare debet, quàm virtutibus applaudi; juxta ea quæ tradidimus *de Paſſionum Interpretatione*. Quòd ſi fortè quis improbus mordaciùs uritur, expurgare debet animo materiam cui Joci aculeus infigitur.

Lib. 1. *cap.* 11. *ſect.* 2, 3.

5. *Verecundia* in ſingulis noſtris actionibus ſervanda eſt, quòd quaſi apex & flos ſit *Juſtitiæ*, ſummáque illius perfectio; quemadmodum ſuprà fuſiùs docuimus, neque opus eſt eadem hîc repetere.

Lib. 2. *cap.* 8. *ſect.* 11.

Humanitas verò præter cæteras Virtutes præcipuè eſt colenda. Omnes enim communi cognationis & æqualitatis quodammodo vinculo continemur; nec cenſendus eſt homo homini multò præſtare, cùm ex æquo univerſi Mortis & Immortalitatis, Paſſionum & Rationis, participes ſumus. Qui igitur alterum deſpicit, contemnit, negligit, minúſve humaniter tractat, Naturæ humanæ jura perdidiſſe videtur & privilegia, palámque contra ſeipſum ſententiam tuliſſe, parùm utique referre, ſi ipſe in eiſdem circumſtantiis eodem tractaretur modo. Cùm enim homo ſit, ſi immunitatem aliquam hîc ſibi præ cæteris reſervari vellet, ſtolida profectò hæc eſſet & ridicula animi elatio & arrogantia.

Nemo igitur, quantumvìs tenui ſit fortunâ, contemni debet aut contumelioſè tractari, modò vir probus ſit, nec propriâ culpâ humanæ Naturæ jura perdiderit. *Introite, etiam hîc dii ſunt*, inquit *Heraclitus*. Quod de pauperrimi cujuſvis pectore, modò probus ſit, veriſſimum eſſe cenſendum eſt: Quem proinde, ex communibus humanæ naturæ privilegiis, tanquam ſanctum quoddam ac divinum Animal, debito amore & obſervantiâ ſemper excipere debemus.

6. *Hoſpitalitati* autem commendandæ multùm inſudare nihil opus eſt, cùm ſit tam manifeſta pars *Humanitatis*: eò verò magis neceſſaria, quò magis ſint Incolarum injuriis expoſiti peregrini, magíſque domeſticis commodis & ſubſidiis deſtituti. Hoſce igitur perquam humaniter tractare debemus, ipſorúmque commodis, ubi opus eſt, diligenter inſervire; non immemores quòd beati Genii etiam nobis in hac Animarum noſtrarum peregrinatione in ſummis difficultatibus & anguſtiis maturè ſuccurrunt, ſedulóque opitulantur.

7. Porrò, quod ad *Amicitias* attinet, petendæ quidem ſunt illæ tanquam communia humanæ vitæ ornamenta & præſidia. Quòd ſi fortè in eos incidas qui valde diligi mereantur, memineris animum adjicere Virtutibus potiùs quàm perſonis, quæ mortales ſunt & mutabiles; neque tam affectûs vehementiâ aut inerti quodam paſſionis dulcore (qui miras in te tragœdias excitare poterunt) *Amicitiæ* partes expleri cenſeas, quàm ſincerâ fide & conſtantiâ atque alacri quadam & officioſâ benignitate erga eos quos amas.

8. Denique *Comitas*, *Affabilitas* & *Officioſitas* colendæ ſunt tanquam benevolentiæ conciliatrices optimæ, mutuæque pacis & amicitiæ conſervatrices. Unde valde inconſultum eſſet ſi quis minores iſtas Virtutes negligeret, cùm favorem hominum, qui maximi tum ad jucunditatem vitæ tum ad ſecuritatem momenti eſt, rebus tam parvis leviculíſque poſſit demereri.

CAP. VII.

De Virtutum acquiſitione quæ ad Fortitudinem reducuntur.

1. Virtutes quæ ad *Fortitudinem* reducuntur ſunt *Magnanimitas*, *Generoſitas*, *Lenitas*, *Conſtantia*, & *Diligentia*; item, *Vivacitas*, *Animi præſentia*, *Strenuitas*, & *Virilitas*.

Magnanimitatem commendat, quòd animum in multa ac minuta non diſtrahat, ſed ad optima maximáque, quæ pauca ſunt, aſpirare faciat; quódque humanæ naturæ præſtantiam rectè æſtimare nôrit, nec eâ abuti velit ad minima quæque ac viliſſima proſequenda. Cùm igitur nihil majus ſit vel excellentius Deo ac Virtute, in hiſce colendis mentem noſtram ac voluntatem corroborat & ſtatuminat, nec ad vulgaria objecta diffluere ſinit & evagari.

Hoc etiam commune habet hæc Virtus cum *Magnificentia*, quòd ipſius præclara facinora Publico præcipuè proſint, Mundíque ſecula ornent & Hiſtoriam.

2. *Generoſitatis* verò utilitas & perfectio ex eo eluceſcit, quòd quis per eam ſolâ Virtutis veræque Beatitudinis conſcientiâ contentus ſit; abſque hominum plauſu & ſuffragiis; quódque nil non ſincerè faciat, aut in gloriolarum inane aucupium; nec Veritatem Virtutémque deſerere velit, quantumvis omnium mortalium odia & contumelias in ſe excitaret.

Quanquam enim aliquid poſſunt ignominiæ metus famæque ac gloriæ cupiditas in Virtute acquirenda; cùm tamen ſemel acquiſita ſit, nihil magìs iſtis opus eſt quàm illâ lignorum ſtructurâ quâ in exſtruendis ædibus utimur, quæ, poſtquàm ædificium exſtructum eſt, diruere ſolemus, & poſtmodum comburere.

3. Maximopere igitur colenda eſt hæc Virtus tanquam reliquarum fideliſſima cuſtos & conſervatrix; præſertim verò ab eis juvenibus quos Natura ad Virtutem propenſiores finxit, qui tamen contumeliarum metu à ſociis in ipſos intorquendarum ad turpes actiones vel inviti ſæpenumerò pertrahuntur. Nôrint itaque illi ſummæ eſſe *Generoſitatis*, Virtutis causâ quaſlibet ſociorum contumelias & dicteria ferre ſimul & contemnere; nec pudoris eſſe, ſed puſillanimitatis, eis morem gerere qui ea ſuadent quæ ipſi inhoneſta illicitáve eſſe ſuſpicantur. *Pythagorám*que potiùs audiant hoc in loco,

———*Summè reverere teipſum,*

quàm tam importunos & impudentes rerum peſſimarum ſuaſores.

4. Quin & *Lenitas* vel eo nomine maximi facienda eſt, quòd inexpugnabilis quaſi quædam Arx ſit contra omnes omnium hominum injurias & opprobria. Quod etiam notavit *Marcus Antoninus* in præclara illa ſententia; *Invincibilis quædam res eſt Manſuetudo*, ſive *Lenitas*, *modò genuina ſit*, *nec cum ſubriſorio quodam rictu conjuncta*, *nec perſonata*. Nullum igitur fortius munimentum eſt ad conſervandam animi noſtri pacem & tranquillitatem quàm hæc *Lenitas* vel *Manſuetudo*; nec ullum illius fulcrum firmius, quàm ſi meminerimus omnes per ignorantiam peccare, ſive dictis nos lædant ſive factis. Quò ſpectant *Stoica* illa & *Socratica*, *Sic ille opinatur*, &c. *Omnis improbus ignorat*.

τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 10. *ſect.* 18.

5. *Conſtantiam* autem tueri debemus, nè fortuitò & ſine ratione agere, nullámque omnino Virtutem habere, videamur.

———*Semper, qui bonus eſt, bonus eſt.*

Qui verò nunc bonus, nunc malus eſt, incertis quibuſdam & corporeis auris hàc atque illàc fortuitò vehi impellíve potiùs exiſtimandus eſt, quàm immutabilibus Virtutis rectæque Rationis principiis regi.

6. *Diligentia* denique colenda eſt, tanquam cæterarum Virtutum ſedula quædam atque alacris famula ac miniſtra; vel potiùs tanquam externarum noſtrarum actionum immediata moderatrix ac domina, quæ corporeæ hujus molis membra, quantumvis torpentia & languida, ciere novit ad debita vitæ officia obeunda.

7. Reliquæ Virtutes quæ ad *Fortitudinem* reducuntur tam arctam habent cum hiſce de quibus jam egimus affinitatem, ut novis argumentis non ſit opus quibus ad eas amplectendas moveamur: Ipſæ enim ſunt vel *Diligentiæ*, vel *Conſtantiæ*, vel *Magnanimitatis* quædam quaſi propagines.

CAP. VIII.

De acquiſitione earum Virtutum quæ reducuntur ad Temperantiam; déque Divini Amoris excitatione.

1. AD *Temperantiam* referuntur *Frugalitas*, *Humilitas*, *Auſteritas*, *Modeſtia*; item, ex *Andronico*, *Facilitas victûs & Tenuitas*, *Geſtûs inculpabilitas*, *Animúſque contentus*. Quarum *Facilitas victûs* ac *Tenuitas*, *Animúſque contentus*, *Frugalitatis* quidam ſunt quaſi modi vel ſpecies; quemadmodum *Geſtûs inculpabilitas Modeſtiæ*.

2. *Frugalitatem* autem id maximè commendat, quòd ſit Sobrietatis aut mater aut comes, & Morborum ac Paupertatis fugatrix. Etiam quòd maturiorem quandam ſibi habet annexam prudentiam atque curam, nè lautiùs & ſplendidiùs vivendo quàm facultates ferant, poſtea nè frugaliter quidem amicos excipere valeamus, aut, quod multò eſt intolerabilius, abſque ipſorum ope nequeamus vivere. Unde veræ *Frugalitati* Generoſitatem etiam quandam honeſtámque animi Magnitudinem ſubeſſe poſſe videmus.

3. Quod etiam videtur in illis cognatis ipſi Virtutibus contingere quæ ab *Andronico Rhodio* recenſentur. Nam qui tenui faciléque parabili victu contentus eſt, arcem poſſidet inexpugnabilem, & quæ cedere neſcit ullis aut hominum aut Fortunæ injuriis, quæque defenſorem ſuum nunquam permittet à quovis mortali in ſervitutem abduci. Ille enim qui minimis indiget Deo proximus eſt, cui ſoli perfecta competit αὐτάρκεια.

4. Porrò, *Auſteritas* ſive *Gravitas*, & *Modeſtia*, cum ſuis cognatis Virtutibus, diligenter colendæ ſunt, tum quòd mores vitámque externam ornant, tum etiam quòd Animum ipſum purum caſtúmque conſervant, primáque Vitiorum tentamenta frangunt & retundunt, & vel leviſſimas quaſvis turpitudinis umbras & ſimulacra ex imaginatione abigunt fugántque.

5. Nulla autem omnino Virtus majori ſtudio proſequenda eſt quàm *Humilitas*: quandoquidem nec ullæ capitaliores peſtes rebus humanis ſe intermiſcent quàm *Ambitio* & *Avaritia*. Hinc Patriæ & Amicorum Proditiones, hinc Trucidationes Principum, hinc Deſertiones Veritatis & Religionis, fœdæque erga Deum ac Virtutem fraudes & tergiverſationes omniáque prorſus Injuſtitiæ genera, oriuntur. Ità ut meritò dubitari poſſit, an tormentorum mortiſque metus majorem vim habeat ad cogendos homines ad impietatem, quàm divitiarum & honorum cupiditas, diráque dominandi libido; plúſve præſidii ſit Virtuti in ipſa *Fortitudine*, an in *Humilitate*, quæ mundanis cupiditatibus auferri nos non ſinit, nec humanarum rerum ſplendore & ſtrepitu, ut pueri picturis & crepundiis, vehementiùs oblectari.

6. Quanquam enim ex titulo hæc Virtus deſpicabilis videri poſſit, eſt tamen ſolidiſſimæ perfectiſſimæque Sapientiæ tam conſpicua filia, ut nec *Lucretius* quidem, vir ſanè aliàs hujuſmodi rerum haud ità gnarus, eam mihi viſus ſit ignoràſſe, ſed & admodum graphicè illam depinxiſſe his verſiculis:

De Rerum Natura lib. 2.

Sed nil dulcius eſt bene quàm munita tenere
Edita doctrinâ Sapientum templa ſerena;
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare atque viam palantes quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præſtante labore
Ad ſummas emergere opes rerúmque potiri.
O miſeras hominum mentes! ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ quantiſque perîclis
Degitur hoc ævi quodcunque eſt! &c.

Qui ſic ſapiunt, ſat ſcio, à vulgari & idiotico hominum genere contemnuntur ferè & irridentur, tanquam aërea quædam Animalcula quæ auras captant & inani veſcuntur æthere, hoc eſt, quæ leviuſculis rerum umbris evanidiſque imaginationibus indulgent, ſenſu verò rerum ſolidâque ſubſtantiâ prorſus privantur.

7. Sed bonos hoſce viros obſecro mihi narrent, qua in re Potentes illi atque Divites Naturæ donis magis ſolidè fruuntur quàm iſti qui, tametſi neceſſaria ad victum ipſis non deſint, tenuiori tamen utuntur fortunâ. Num ſapidiùs & jucundiùs edunt vel bibunt quàm pauperiores illi qui honeſtis laboribus diem terunt, & ſudoribus addunt temperantiam? Num altiùs illis profundiúſve dormiunt, aut firmiori animi corporiſq; utuntur valetudine? Quòd ſi nihil horum fit, an non ipſi Potentes atque Divites æquè imaginationibus indulgent ac qui Virtuti veræque Sapientiæ ſunt dediti? Qui ſi rectè exiſtimantur auras captare & inani veſci æthere, magni ſanè illi viri atque opulenti potiori jure ex ſuperfluis ſuis divitiis & honoribus nihil præter fumos, vapores, pinguioréſque quaſdam fuligines, haurire cenſendi ſunt. Utrùm verò præſtet puriori aëre veſci an craſſo & fuliginoſo, diſcutiendum aliis per otium relinquo.

Si ventri bene, ſi lateri eſt pedibúſque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Horat. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 12.

Quòd ſi corporis functionibus & commoditatibus pares ſunt præpotentes illi, & pauperes, quibus tamen interim ad vitam neceſſaria non deſunt; ſupereſt ut ſolis animi cogitationibus & phantaſmatis differant. Utri verò pulchriores habituri ſint præſtantioréſque animi cogitationes ſive phantaſmata, illíne qui ſuperfluis opibus & honoribus inhiant, an hi qui Virtuti veræq; Sapientiæ totos ſe dedunt, nemini, opinor, difficile eſſe poteſt augurari.

8. Poſtremò, ut in nihilo deficiat hæc noſtra Paræneſis, etiam de *Divino illo Amore atque Intellectuali* ſuperaddimus, quòd omnibus nervis eniti debeamus ad eum adipiſcendum, * tanquam primam & perfectiſſimam omnium Virtutum menſuram atque normam; quam præſentem ſemper nos habere oportet & quaſi ante oculos poſitam, * ut ab hoc Divino exemplari omnium noſtrarum actionum modos rationéſque deducamus.

Hujus autem Diviniſſimæ perfectionis, & quâ nulla major in naturam humanam cadere poteſt, Procreatrices præcipuæ & Conſervatrices ſunt *Humilitas* & *Temperantia*. Voluptates verò corporis Divinum hunc animi ſenſum extinguunt, quemadmodum etiam facit effrænis illa Divitiarum & Honorum cupiditas. Animâ enim contractâ in ſordidos hoſce cæcóſque ardores, libera illa & cœleſtis flamma continuò ſuffocatur. Unde neceſſe eſt hominem obductis hiſce tenebris in varia turpitudinis atque injuſtitiæ genera prolabi.

Si vis igitur *Divinum illum Amorem* adinſtar ignis cujuſdam Veſtalis in Templo Cordis tui perpetuò ſplendere & ardeſcere, * ſedulò tibi danda eſt opera *Temperantiæ* & *Humilitati*.

9. Quòd ſi nondum tibi eluxerit, ardentibus ad Deum precibus cœleſtem hunc ignem in Anima tua accende: memor interim, quòd ſolis verbis votíſque parùm proficies; * quódque, dum ad hanc internam vitam ferventiſſimo voto atque affectu anhelas, externis moribus, quantum poteris, eam debes imitari. Quod ſpero te facturum cum ſucceſſu, ſi pauca hæc monita ritè obſervaveris.

A Voluptatum igitur illecebris diligenter tibi caveto. Nihil per odium vel invidiam contra quenquam patrato. Pauperes pro facultatibus tuis ſublevato & foveto. Iram contra hominum injurias & contumelias ſtrenuè comprimito. Humilis & abjectæ fortunæ homines nè petulanter conculcato; quin & Paupertati probæ aliqualem honorem & obſervantiam deberi cenſeto. Malum bono compenſato, & amarulenta dicta blandis & benignis alloquiis diluito. De inimicis tuis nè tum quidem cùm ſecurè poteris vindictam ſumito: nec tamen ità amicitiam cum quoquam cole, ut Virtutem Veritatémque illius causâ deſeras, publicámve ei poſtponas utilitatem: hoc eſt, Non quod tibi ipſi vel cuivis alteri, quantumvìs amiciſſimo, ex animali ſenſu adlubeſcat, ſed quod propria Conſcientia ſimpliciter & abſolutè optimum judicaverit, ſummâ fide & conſtantiâ proſequere.

10. Atque hæc ſunt quæ dicenda cenſuimus *de Virtutum acquiſitione* tam in ſpecie quàm in genere. Totam jam tandem documentorum ſeriem brevi illâ *Pythagoricâ* hortatiunculâ claudemus: *His operare, hæc meditare, hæc omni ſtudio atque curâ amplectere: Hæc enim pedes tuos in Divinis Virtutis ſemitis ità demum firmabunt, ut nunquam eos ſinant aut vacillare aut labi.* Quæ quidem Virtutis perfectio humanæ Felicitatis pars longè maxima eſt & principaliſſima. Solùm ſupereſt ut de illius tandem partis acquiſitione quæ in *Bonis Externis* conſiſtit breviter agamus.

SCHOLIA

In Cap. VIII. Sect. 8.

TAnquam primam ac perfectiſſimam omnium Virtutum menſuram atque normam, *&c. Hinc igitur rurſus patet, nos in* Noematis Moralibus *hujus primæ maximéque Fundamentalis* Legis *omnis veræ Moralitatis mentionem omiſiſſe, non quidem ex eo quòd neſciremus reverà primam eſſe maximéque Fundamentalem Legem, ſed quòd talis eſſet quæ non niſi* Adeptis Regenitíſve *innoteſceret.* Noemata *verò* Moralia *iſtiuſmodi ſunt quæ omnibus hominibus*, Irregenitis *perinde ac* Regenitis, *niſi in meras pecudes degeneraverint, poſſint innoteſcere.*

Ut ab hoc Divino exemplari omnium noſtrarum actionum modos rationéſque deducamus. *Quod id ipſum eſt quod monet Apoſtolus*, Omnia veſtra fiant in charitate. *Quæ proculdubio aureorum illorum ſeculorum*, Philadelphianæ *Eccleſiæ ſtatu præfiguratorum, ſuprema Lex erit & communis quaſi Teſſera.*

Sedulò tibi danda eſt opera Temperantiæ & Humilitati. Temperantiæ *quidem non ſolùm evitando manifeſta in ingluviem, Ebrietatem & Libidinem, à quibus corpus hoc terrenum læditur, ſed ità curando* externum *hominem ut nulla* interno *fiat injuria, quemadmodum fuſiùs explicavi* cap. 5. ſect. 11. Humilitati *autem, non ſolùm contemnendo Divitias & Honores externos, ſed extinguendo penitus ex animo omnem ſenſum gloriæ & exiſtimationis apud homines, ut omnia agas ex puro amore erga Deum atque proximum.*

Sect. 9. Quódque, dum ad hanc internam vitam ferventiſſimo voto atque affectu anhelas, externis moribus, quantum poteris, eam debes imitari. *Immenſi momenti eſt hoc monitum, præſertim adversùs quoſdam, qui bona maláque opera, niſi quis ad internum hunc vitæ ſtatum pervenerit, perinde habent, nihilque apud Deum acceptum iri contendunt, niſi ab ipſius ſpiritu profectum. Quaſi verò* naturali conſcientiæ *ſuæ partes agendæ non eſſent, nihilque faceret ad aſſequendum excellentiſſimum illum internæ vitæ ſtatum, ſi quis ratione convictus de illius præſtantia, eum externis moribus quantum poteſt imitaretur. Hac imitatione non quidem contentus, ſed quòd, cùm ſincerus ſit, hanc qualemcunque velit Deo oblationem offerre, tanquam certiſſimum, & ſibi pariter atque Deo, ſinceritatis ſuæ teſtimonium. Enixè interim anhelans ad internam illam Divini Amoris perfectionem, perpetuiſque precibus Deum ſollicitans, ut ſanctum illum Spiritum ubertim ei infundat, ut ſic perennem tandem æternæ juſtitiæ fontem in corde ſuo ebullientem perſentiſcat. Omnes autem bonas actiones externas interim negligere donec huc perventum ſit, videtur profectò vaſram quandam Hypocriſin potiùs ſapere, quàm, quæ nullo prætextu unquam intermittenda eſt, Animi ſinceritatem.*

CAP. IX.

De acquiſitione Bonorum Externorum.

1. QUantilla pars *Bonorum Externorum* ad humanam Beatitudinem requiratur, ſatis ſuprà indicavimus. Reſtat jam ut breviter evincamus, ſi vel ex illorum omnium quæ diximus *Bonorum externorum* accumulatione humana Felicitas aliquo modo perfectior videri poſſit & conſummatior, quod *Virtutes morales* non mediocrem vim habeant ad eorundem etiam omnium acquiſitionem.

2. Præcipuas igitur eorum ſpecies recenſebimus denuo, perpetuóque indigitabimus quantam vim habeant ex Virtutibus aliquæ, ſi non omnes, aut ad *illa ipſa Bona* acquirenda, aut ſaltem quæ ipſis *analoga* ſunt, & quæ *præſtantiora* tamen eis rectiùs exiſtimare poteris quàm *ſuccedanea.*

3. Cæterùm quod ad duas primas ipſorum claſſes attinet, *Bona* utique illa *Animæ* atque *Corporis*, manifeſtum eſt permagnam vim habere Virtutem ad ea ipſa *in ſpecie* adipiſcenda, vel ſaltem augenda & conſervanda. Quod primò liquere poteſt de Bonis eis externis quæ *ad Animam* referuntur; qualia ſunt *Ingenii dexteritas & ſubtilitas, Memoriæ fidelitas & comprehenſio*, item *Scientia, Ars*, & *Sapientia.*

Ecquid enim *Ingenium* acuere magìs poteſt ſubtiliúſve reddere quàm Philoſophica illa quam ſuprà deſcripſimus *Temperantia?* Cùm è contrà vel optimum ſubtiliſſimúmque ingenium ex Ebrietate & Ingluvie turpíque voluptate obtuſum torpidúmque evadat.

4. Eadémque prorſus ratio eſt de *Memoria*, cujus vires proculdubio mirum in modum conſervat confirmátque *Sobrietas* & *Temperantia*; Exercitatio autem adauget, quæ fructus eſt *Induſtriæ* & *Diligentiæ:* Cùm interim nihil magìs illam facultatem labefactet quàm Ebrietas, Venúſque immoderata, quàm Somnolentia denique, & Deſidia.

5. *Artes Mechanicas* Virtus quidem non docet Moraliſve Philoſophia; nec ſanè *Scientias Phyſicas Mathematicáſve*: verùm nè parùm contribuere videatur Virtus ad eas omnes ediſcendas, ex prædictis ſatis conſtat eam conferre & *Ingenii ſubtilitatem* & *Memoriam.* Quibus *Diligentiam* addas, &, quâ Mathematica præſertim ſtudia carere non poſſunt, *Manſuetudinem quandam animi & Patientiam.*

6. Summum verò diviniſſimúmq; Moralis Philoſophiæ donum habenda eſt illa quam adeò accuratè ſuprà deſcripſimus *Prudentia*, quæ quidem cùm ad omnes Intellectuales habitus acquirendos permagnam vim habet, tum ad *Sapientiæ* acquiſitionem, omnium ſanè maximam. Cui tamen tanquam individua quædam comes adjuncta ſemper intelligitur illa quam modò dixi *Philoſophica Temperantia.*

Fruſtrà enim ad *rerum Divinarum cognitionem* aſpirat, quæ propriè *Sapientia* dicitur, qui hiſce duabus Virtutibus deſtituitur. *Impuro enim fas non eſt quod purum eſt attingere,* quemadmodum præclarè nos docet in *Phædone Plato.* Qui cùm inibi contendat neminem nondum exuto corpore ad puram ſinceramque Veritatem pervenire poſſe, quid, obſecro, exiſtimandum eſt de eis qui nè viliſſimas quidem corporis ſordes & cupiditates exuerunt, adeóque cæcutiunt, ut nè opus quidem eſſe arbitrentur ad

Veritatem percipiendam ut hiſce corporeis inquinamentis expurgemur; ſola ſufficit induſtria & indomita quædam animi pervicacia. Quâ quidem nulla poteſt eſſe vox veſana magìs magíſve ridicula.

7. Perinde enim eſt ac ſi quis oculorum lippitudine laborans, qui tamen velit etiam res longinquas clarè & diſtinctè perſpicere, nolit tamen oculis medelam adhibere, ſed pertinacem tantummodo ſæpéque repetitam aciei intentionem in objecta quæ adeò geſtit cernere: Quo tamen tantum abeſt ut meliùs videat, ut potiùs neceſſe ſit quòd intempeſtivâ hâc cernendi contentione magìs magíſque indies cæcutiat. Eſt autem hæc oculorum medela, illa nimirum ſuprà dicta *Prudentia* & *Temperantia*.

8. Ecquis enim eſt qui proprio Marte de Deo, de Animæ noſtræ Immortalitate, déque Divina Providentia, ſolidè & conſtanter Philoſophari poteſt, abſque aliquali Animæ à ſuo corpore ſeparatione, hoc eſt, abſque *Platonica* illa mortis meditatione, quâ à corporeis omnibus affectibus reſcindimur quaſi & revellimur, quâque in *amorem illum Divinum*, qui ſolus vera certáque de abditiſſimis rerum Divinarum Myſteriis oracula effundere novit, abripimur toti & abſorbemur? Quantò enim magìs per *Prudentiam* illam *Temperantiámque Philoſophicam* extinguuntur in nobis animales affectus & corporei, tantò magìs in conſenſum cum Intellectuali Mundo, ínque Divini Luminis conſpectum, emergimus.

Sapientia igitur, ſive Diviniſſimorum Arcanorum Scientia, perfectæ Virtutis genuinus fructus meritò eſt habendus.

9. Quod ad ea bona quæ *ad Corpus* referuntur attinet, cujuſmodi ſunt *Robur*, *Agilitas*, *Sanitas*, & *Pulchritudo*; *Robur* ſanè non tam Virtutis donum quàm Naturæ videtur: quanquam ipſius Conſervatio etiam Virtuti ſit accepta referenda. Imò verò non videtur omnino veri diſſimile quin Corpus, quod alioqui infirmius futurum erat, ex *Tolerantiæ* exercitiis multò poſſit fieri robuſtius.

Agilitas verò *corporis* non ſolùm Virtutis alumna eſſe poteſt, ſed etiam genuina filia. *Temperantia* enim & *Diligentia* ſuperfluam corporis molem ut plurimùm diminuunt, ſatíſque magnam ſpirituum copiam progignunt. Unde neceſſariò naſcitur hæc corporis *Agilitas*.

10. Virtutis autem donum maximè omnium conſpicuum eſt *corporis Sanitas*, quæ cùm omnibus ferè Virtutibus, tum præcipuè *Temperantiæ* debetur & *Pietati*, juxta Chaldaicum illud, ſi rectè memini, Oraculum;

Ad Pietatis opus vegetum ſi extenderis ignem
Mentis, & hos fluxos ſanabis corporis artus.

Expurgatus enim Animus etiam corpus quodammodo purificat & emundat, benignâq; ſuâ luce irradiat, viréſque ejus corroborat. Dum verò ipſa Anima vel aceſcit odio, vel invidiâ tabeſcit, vel cæcis quibuſlibet curis marceſcit & cupiditatibus, impoſſibile eſt quin ſimul labefactetur corporis etiam ſanitas atque robur. Quid igitur tandem fiet de eo corpore cujus vires ebrietate quotidianâ & ingluvie obruuntur, aut indomitâ exhauriuntur libidine?

11. Sunt igitur corporis morbi ut plurimùm vitiorum animi effectus. Nam & Majorum peccata ſæpenumerò luunt infelices poſteri, Parentúmque morbi ſimul cum agris titulíſque quaſi hæreditario quodam jure in filios derivantur. Quod quidem onus nullâ efficaciori ratione abjicere à ſe poſſunt & excutere, quàm ſi ſeveriter velint Pietatem & Virtutem colere.

Quemadmodum enim omnibus animi Vitiis Juſtitia antiquior eſt, ità omnibus corporis Morbis illius Sanitas & Valetudo: Prout etiam innuere videtur vetuſtum illud carmen apud *Maximum Tyrium*; *O Dearum antiquiſſima Sanitas, Vtinam tecum habitem Vitæ quod reliquum eſt meæ.* Cujus voti nemo citiùs futurus eſt compos quàm qui ſincerè Pietatem colit & Virtutem.

12. Cùm verò *Sanitatis* corporeæ largitrix Virtus ſit & conſervatrix, neceſſe eſt ut eadem quoque corporeæ *Pulchritudinis* ſit itidem mater pariter atque nutrix: tum quòd Venuſtas corporis ſive Pulchritudo quaſi flos & fructus ipſius Sanitatis ſit, nec tam re quàm mente & cogitatione à corporis valetudine ſecerni poſſit; tum etiam quòd Virtus ſit ipſius Animæ & ſanitas & pulchritudo, quæ dum è ſpirituum motu, qui tum per oculos præcipuè tum per totum vultum tranſlucent, emicare cernitur, non poteſt non mirabilem elegantioribus formarum ſpectatoribus venuſtatis decoríſque ſpeciem exhibere: ut omittam ea quæ ad totius corporis geſtum attinent atque motum; qui non poteſt non eſſe admodum honeſtus & venuſtus, dum à pulchra probâque Anima gubernatur. Quàm amabiles Virtutis indices ſint oculi, obſervavit etiam * *Marcus Anto-*

* Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 10. ſect. 15.

Antoninus : Vir bonus & ſimplex & benignus etiam in oculis hæc præ ſe fert, nec poteſt ſe abſcondere.

13. In iis verò qui à nativa Innocentia vel ab acquiſita Virtute deſciſcunt, & ad Vitium inclinant & turpitudinem, obſervare ſanè poteſt non imperitus ſpectator, ipſorum etiam vultus paulatim immutari : &, tametſi nec figuræ concinnitas deſit, nec vulgari forſan oculo ſatìs gratus color, florem tamen formæ lucémque animadvertere poterit hebeſcere paulatim, & ex ſinceriori luce in igneam quandam impuritatem fæcémve ſpiſſeſcere ; Spirituum etiam motum ſubdolum magis magiſve ſtupidum factum eſſe ; totúmque aſpectum aut fictum & artificioſum, aut durum impudentémque, evaſiſſe. Quæ veræ moralique *vultûs pulchritudini* prorſus ſunt contraria.

14. Qui verò è contrà ſedulam Virtuti dant operam, & ad purgatum Animæ ſtatum ſeriò contendunt, etiam vultus eorum oculóſque verecundiores lucidioréſque paulatim fieri obſervare licet. Quin & in eis ipſis quorum facies ex nimio fortaſſe Virtutis veræque Sapientiæ ſtudio pallor maciéſque totas occupaverint, notare tamen poteris amabilem quandam & venerandam venuſtatem & benignitatem etiam pallori huic & maciei ut plurimùm inſidere. Adeò ut nemini pulchritudo corporis deeſſe poſſit cui pulchra non deeſt Anima, quæ mundos puróſque corporis ſpiritus venuſtè & decorè moderetur.

15. Quantum igitur Virtus ad acquiſitionem *Bonorum animi corporiſque* conferat ex prædictis abundè conſtat. Quantum verò ad ea *Bona* adipiſcenda valeat quæ *ad Suppoſitum* referuntur, (qualia ſunt *Libertas*, *Honores*, *Divitiæ*, *Nobilitas*, *Amicitiæ*, & id genus reliqua,) ex ſubſequentibus patebit. Quæ quidem cùm ea ipſa ſint bona quæ *bona Fortunæ* vulgò dicuntur, non eſt profectò exſpectandum ut tam neceſſario nexu à Virtute dependeant quàm illa bonorum genera quæ præceſſerunt. Quòd verò de ſe apta nata ſit Virtus ad ea aſſequenda, equidem credo haud difficile fore perpetuis rationibus evincere.

16. De *Libertate* enim manifeſtum eſt quòd etiam integræ Gentes eam Virtuti debeant, dum incurſantes hoſtes à patriæ finibus per *Fortitudinem* ſtrenuè amoliuntur, ſine qua impoſſibile eſſet quin in turpem durámque abducerentur ſervitutem. Qui verò in bello capiuntur ſervíque fiunt, haud rarò accidit quòd poſtmodum ob fidem, prudentiam & diligentiam, à Dominis ſuis manumittantur ; quemadmodum paſſim obſervare licet in Comœdiis *Romanis*. Quòd autem in Pace *Juſtitia* Legúmque obſervatio *Libertatem* noſtram conſervat, dum Fures, Latrones, Homicidæ, dum Patriæ Principiſve Proditores conjiciuntur in vincula, móxque capite plectuntur, ità obvium eſt ut nihil neceſſe ſit notare.

17. Quòd ſi fortè vir probus (quod rariùs tamen contingit) etiam Virtutis causâ abducatur in carcerem, omnem tamen *Libertatem* ſuam perdidiſſe nullo modo eſt exiſtimandus. Equidem ſi quò retrudi poſſet ubi à Deo Virtutéque ſecluderetur, ii demum carceres horrendi meritò videri deberent valdéque extimeſcendi : Hujuſmodi autem nulli ſunt præter ſolas improborum animas.

Fruſtrà igitur viro probo carceris ſqualorem, fruſtrà ſolitudinem minitaris : Siquidem ille non poteſt non ſplendidè habitare quem præſentia Divina illuſtrat ſemper & circumfulget ; nec ſolus eſſe, quìcum univerſæ tam liberè verſantur Virtutes bonáque Conſcientia.

18. Præterea, cùm *Libertas* ſit nihil aliud quàm *poteſtas agendi ut velis*, manifeſtum eſt quòd vir probus *liber* ſit etiam in vinculis & carcere ; quandoquidem neceſſe eſt ut ille ſemper agat ut vult, qui non aliter ſecum agi velit ac Divino Fato & Providentiæ viſum eſt, utpote qui animum voluntatémque ſuam Providentiæ Divinæ conformem ſemper habet & conſentientem. *Omne mihi congruit placétque quod tibi gratum eſt & congruum, O Munde*, i. e. O pulchra rerum Univerſitas à ſapientiſſimo Deo condita & gubernata. Quæ divina prorſus vox eſt *Marci Antonini*, veróque Philoſopho digna.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib. 4. cap. 23.*

19. Quantùm verò ad *Honores* ; Ecquis inveniri poteſt ad publica munia obeunda inſtructus magis magiſve idoneus quàm vir probus, quem *Juſtitia*, *Magnanimitas*, *Fides*, *Conſtantia*, *Munificentia*, *Prudentia*, *Fortitudo*, *Vigilantia*, reliquæque id genus Virtutes, tam mirificè muniunt & adornant.

Quin & de facto hujuſmodi ſunt omnes per totum terrarum orbem qui ad publica eliguntur munera ; aut ſaltem ſub hiſce titulis commendantur, coluntur, decantantur. Quòd ſi revera tales aliqui non eſſent, eſſent tamen ad minimum virorum bonorum vicariæ quædam imagines, atque ſtatuæ ipſorum titulis nominibúſque ornatæ, quas dum homines colunt, etiam ipſos viros bonos tanquam inviſibilia quædam Numina exiſtimandi ſunt colere & venerari. Adeò ut nemini certiùs *Honores* debiti deferri videantur

tur quàm viro probo, quem aut ipſum, aut ipſius ſaltem imaginem, omnes ubique terrarum homines colere obſervantur.

20. Sed nè *diteſcat* ſatis vir bonus periculum eſt, cùm fraudes, rapinæ, perfidia, adulationes, amicorum proditiones, & id genus reliqua flagitia, ad opes accumulandas via videantur compendioſiſſima.

Eſt autem illud ſtultiſſimum *diteſcendi* genus, quando pretium millecuplo majus valore rei emundæ ſolvitur. Quod tamen fit, quando quis vel minutiſſimam Virtutis partem Honoribus commutat vel Divitiis. Honeſtiores ſuppetunt diteſcendi rationes etiam è Virtutis penu depromptæ. Cujuſmodi ſunt *Diligentia*, *Fides*, *Frugalitas*, *Temperantia*, & id genus aliæ Virtutes, quæ proculdubio ſatis magnam vim habent ad honeſtam quandam opulentiam rerúmque copiam. *O dii immortales!* (inquit *Cicero*,) *non intelligunt homines quàm magnum vectigal ſit parſimonia.*

21. De *Nobilitatis* acquiſitione nè minima quidem ſuboriri poteſt addubitatio, cùm ipſa Virtus veriſſima ſit Nobilitas, & perfectiſſimus primúſque omnis nobilitatis fons atque origo; quemadmodum ſuprà ea de re aliquantò fuſiùs diſſeruimus.

22. Poſtremò, quod *Amicitias* attinet, quantum ab eis Virtuti debeatur ex eo intelligas, quòd nullæ veræ ſine Virtute Amicitiæ eſſe poſſunt, nec ullus purus & ingenuus Amor, ſed ſolummodo ſordida lucri alicujus vel emolumenti cupiditas, aut inutilis quidam levium & nugantium animorum luſus & laſcivia.

Sola Virtus veras conciliat *Amicitias* & conſervat, quæ cùm ſe extulit, (prout præclarè ea de re diſſerit apud *Ciceronem Lælius*,) lumenque oſtendit ſuum, & idem aſpexit agnovítque in alio, ad id ſe admovet, viciſsímque accipit illud quod in altero eſt, ex quo exardeſcit *Amor* ſive *Amicitia*. Addítque inſuper, *Amare* nihil aliud eſſe niſi eum ipſum diligere quem ames, nullâ indigentiâ, nullâ utilitate quæſitâ. Ad quem ſenſum etiam alibi loquitur *Cicero*, paulóque apertiùs & venuſtiùs; *Amicitiam ſi ad fructum noſtrum referamus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit iſta Amicitia, ſed Mercatura quædam utilitatum ſuarum.*

De Natura Deorum lib. 1.

Unde conſequitur, nullum humanæ vitæ præſidium ipſâ Virtute majus eſſe poſſe, cùm ſola per ſe tantam vim habeat alliciendi homines ad diligendum & ad conciliandam eorum benevolentiam, quam omnia honeſta & opportuna officia comitari neceſſe eſt.

23. Eſt certè è Virtutum choro una *Veritas* quæ Amicitiæ minùs apta videtur, cùm odii potiùs & inimicitiarum parens à pleriſque habeatur. Ubi profectò perridiculum quiddam mihi ſemper viſum eſt accidere in rebus humanis, quòd illius Judicis vocem oderint plerumque homines, ad quam ipſi tamen perpetuò videri volunt provocare.

Cæterùm nulla firma conſtánſque *Amicitia* Veritate carere poteſt, non magìs quàm fide & ſimplicitate, quæ neceſſarium eſt omnis veræ Amicitiæ fundamentum. *Neque enim fidum eſſe poteſt* (inquit *Cicero*) *multiplex ingenium & tortuoſum*; addo occultum tacitúmve: multò minùs adulatorium nimíſque obſequioſum. Moleſta quidem Veritas eſt, ſed Obſequium multò moleſtius, inquit ille, quòd peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinat.

Sed nec moleſta *Veritas* eſt eis qui ſeriò Virtuti dant operam, quos non poteſt non mirificè oblectare omnis prudens Monitio quæ acerbitate caret & contumeliâ, tanquam indubitatum perfectiſſimæ Virtutis ſinceriſſimæque Amicitiæ teſtimonium.

24. Fateor equidem multò diductiùs hiſce de rebus agi poſſe multóque copioſiùs: ſed pauca hæc ſufficiant ad ſignificandum quàm magnum momentum habeat Virtus ad Externa etiam Bona cujuſcunq; generis adipiſcenda, quámque tutum firmúmq; contra omnes humanos caſus in ea poſitum ſit præſidium.

CAP. X.

De Bono illo Externo, Summo Æternóque, ad mentem Philoſophorum.

1. Unicum ſolummodo ſupereſt Bonum externum, quod & æternum eſt. *Cœlum ipſum* non *ſtultitiâ*, quod dicitur, ſed Virtute, *petimus*, beatorúmque geniorum ſocietatem. Qualem deſcribit Oraculi Reſponſum de *Plotini* animæ tranſitu ad feliciſſimum illum ſtatum:

——*Ad cœtum jam venis almum*
Heroum *blandis ſpirantem leniter auris*;

Heîc ubi Amicitia *eſt, ubi molli fronte* Cupido
Lætitiâ replens liquidâ, pariterque repletus
Semper ab Ambroſiis fœcundo è Numine rivis.
Unde ſerena quies caſtorum & dulcis Amorum
Illecebra, ac placidi ſuaviſſima flamina venti.

2. Cui quidem deſcriptioni affine eſt pium illud *Catonis* votum & Profeſſio; *Non me vixiſſe pœnitet,* (inquit ille) *quoniam ità vixi ut non fruſtrà me natum exiſtimem; & ex vita hac diſcedo tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim Natura diverſorium nobis, non habitandi locum dedit. O præclarum diem cùm ad illud Divinum Animorum concilium cœtúmque proficiſcar, & cùm ex hac turba & colluvione diſcedam!*

Cic. de Senectute.

3. Quam opinionem etiam, tanquam de ſuo, repetit alibi *Marcus Cicero. Non enim is ego ſum qui Animum ſimul cum homine interire putem, tantúmque mentis lumen Divinâ Naturâ delibatum poſſe extingui, ſed potiùs certo tempore emenſo ad immortalitatem redire.* Quod ità ab eo dicitur, quaſi præſens hæc noſtra vita mors quædam Animæ eſſet. Quod diſertè affirmat *Scipio Africanus* percontanti *Cornelio* de ſuis defunctis an viverent: *Imò verò* (inquit) *ii vivunt qui ex corporum vinculis tanquam è carcere evolaverunt: Veſtra verò quæ dicitur vita, mors eſt.* Hujuſmodi multa paſſim apud *Ciceronem* occurrunt, ut de *Plotino* nihil dicam & *Platone.*

De Conſolatione.

In Somnio Scipionis.

4. Quæ quidem Immortalitatis ſpes, cùm etiam Paganis illam antiquitùs effulſiſſe atque enotuiſſe videamus, è Morali Philoſophia nullo modo eſt excludenda; utpote quæ malorum eorum omnium externorum quibus innocua Virtus, ſive per arcanum quoddam fatum, ſive per nefariorum hominum invidiam & improbitatem, in hac vita vexari poſſit & affligi, certiſſima ſit juſtiſſimáque compenſatrix. Hâc igitur ſpe ſolâ fretus vir probus atque magnanimus omnia quæ cadere in hominem poſſunt ſubter ſe habet, eáque deſpiciens caſus contemnit humanos, culpâque omni carens, præter Virtutem & immortalitatem nihil cenſet ad ſe pertinere. Quemadmodum alicubi de Virtutis robore præclarè gloriatur *Cicero.*

5. Erat autem hæc animi ſpes atque fiducia olim in *Socrate* valde memorabilis, quâ tam facilè adverſarios ſuos mortémque ipſam contempſit. Qui cùm *Apollinis* oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus, in hoc tamen ſolo ſapere videri voluit quòd, cætera incertus, de Animæ immortalitate nihil dubitârit: neque enim hac de re (ut teſtatur apud *Ciceronem Lælius*) tum hoc, tum illud, ut in pleriſque, ſed idem dicebat ſemper, *Animos hominum eſſe Divinos, iiſque cùm è corpore exiiſſent reditum ad cœlum patere, optimóque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum.*

6. Itaque ſi qua in re quæ ad *Bona* ſpectat *externa* videri poſſit Virtus nobis officere, æquo tamen id animo conſtantique ferendum eſt, cùm adeò ingens nos maneat poſt breve hujus vitæ curriculum compenſatio. Imò verò in lucro potiùs ponere debemus quicquid in externis bonis, Corporis putà & Fortunæ, patimur; quandoquidem, ſi rectè atque ſapienter, & prout res ipſa nos monet, hujuſmodi jacturis uti velimus, quantum Bonis iſtis externis adimitur, internis Animi bonis tantundem additur & amplius.

Cùm vero *Bona* illa *externa*, ſicut Corpus ipſum, mortalia ſint & caduca, *Interna* verò non minùs quàm ipſa Anima immortalia & ſempiterna; equidem ex his multò adhuc confirmatiores eſſe debemus ea lucra potiùs, quæ in corpore vel fortunis patimur, appellanda eſſe quàm damna & infortunia, auctoreſque & locupletiores nos exinde magis fieri quàm mutilatos quavis ratione aut diminutos.

7. Quemadmodum enim perridiculum eſſet, ſiquis ex eo quòd pretium ſolverit centuplo minus viliúſve eâ re quam emit, conquereretur tamen ſe hâc ratione factum pauperiorem, fortunáſque ſuas indè eſſe comminutas: Ità profectò mihi videtur æquè abſonum atque abſurdum ſiquis contra Divinam Providentiam querelas adhiberet ob ea quæ in externis bonis patitur, cùm ex iſtis damnis & injuriis tanta internis animi bonis fieri poſſit acceſſio, quæ maximam ſanè partem humanæ felicitatis conficiunt, quæ non breviſſimo hujus vitæ ſpatio, ſed æternis immortalitatis ſeculis, menſuratur & clauditur. Ità ut ſi quis rectè ſapere velit, non tam abhorrere debeat à rebus aſperis & adverſis, quàm eas tanquam ſapientiſſimi Dei dona, maximáque & efficaciſſima Virtutum perficiendarum inſtrumenta, agnoſcere & amplecti.

Hæc enim animæ vires explorant, omnéque ejus vitium & rubiginem deterunt & abſtergunt; hæc *Prudentiam, Fortitudinem, Sinceritatem* nobis ingenerant, omnémq; omnino Virtutem; aut ſaltem nullam in nobis hactenus ſinceram fuiſſe Virtutem, in opprobrium noſtrum, clariſſimè demonſtrant. Cùm igitur externa illa mala adeò utilia ſint, exiſtimari etiam debent, ut ſalubria omnia medicamenta, tolerabilia.

8. Atque ea certè mala externa quæ Animum noſtrum affligere non poſſunt niſi per propriam ipſius imaginationem, (juxta illud *Epicteti*, *Perturbant homines non res ipſæ, ſed falſæ ipſorum de rebus ſententiæ*,) ſi cui illa intoleranda ſunt, parùm ſe in Virtute profeciſſe agnoſcat. Virtus illa nulla eſt quæ propriis viribus, nullis externis ſuffulta adminiculis, omnes imaginarias paſſiones non valuerit devincere & debellare. Ipſis verò corporis ſenſibus moleſtis & dolorificis obniti, eóſque comprimere vel demulcere, aut efferatiores factos conſtanti tamen animo perferre, id certè ſupra humanæ naturæ vires poſitum eſſe potiori jure exiſtimetur.

Enchirid. cap. 10.

Tuſculan. Quæſt. lib. 5.

Qua igitur de re præclarè, ut de omnibus, *Cicero :* Dolor eſſe videtur acerrimus Virtuti adverſarius ; is ardentes faces intentat ; is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam ſe debilitaturum minatur. Quod tamen tam frequenter præſtare non poſſet, niſi noſmetipſi in culpa eſſemus. Rectè enim inſtituta probéque imbuta natura res quædam invincibilis eſt. Sed nos, quod meritò ille conqueritur, umbris, deliciis, otio, languore, deſidiâ animum infecimus, opinionibus malóque more delinitum mollivimus.

9. Quòd verò ſupra humanæ naturæ vires non ſit vel ſummos dolores ſponte noſtrâ ſuſcipere, ex eo manifeſtum eſt, quòd vel inanis gloriæ cupiditate, vel ex alicujus conſuetudinis vi aut ſuperſtitionis, multi permagnos quidem & intolerandos dolores pertulerunt.

Tuſculan. Quæſt. lib. 2.

Tuſculan. Quæſt. lib. 5.

10. Nihil hîc attinet dicere de pueris *Spartanis*, qui ad aram verberibus accepti ut multus è viſceribus ſanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem, non modò non exclamaverunt unquam, ſed nè ingemuerunt quidem. Nihil de uxoribus *Indorum*, quas cùm plures ſinguli haberent, in certamen judiciúmque venerunt quæ cum defuncto marito viva combureretur. Nihil de *Egyptiis*, qui quamvis carnificinam ſubire maluerunt quàm ibim, aſpidem, felem aut canem violare. Nihil de *Turcis* aut *Americanis*, qui immania ſpontaneæ Tolerantiæ ſpecimina, aut ſuperſtitionis aut oſtentationis causâ, frequentiſſimè ediderunt. Hujuſmodi enim exemplis omnes ſcatent Hiſtoriæ.

11. Quòd ſi natura rudis, inculta, imperita, barbara, veræque Virtutis rerúmq; optimarum ignara, tantâ polleat animi firmitudine & tolerantiâ ; veráne ac genuina Virtus, quæ Divinum quiddam eſt, cúmque Deo ipſo conjuncta, ſplendidâque beatæ Immortalitatis ſpe armata ſemper & præmunita, potéſtne illa tergiverſari, iiſque malis cedere quibus inermes ipſos barbaros ſuccumbere maximopere puduiſſet? Minimè gentium, vera ſinceráque Virtus id non poteſt. Facilè tamen id poſſunt illius molliuſculi quivis & delicatuli proci, qui leviter cum illa deliciari amant & colludere, noménque ſuum ex ipſius familiaritatis opinione ornare utcunque & cohoneſtare : Siquid verò duri aſperíve illius causâ ſubeundum præſentiant, perſonam exuunt perbelli iſti Hiſtriones, ſeque non Virtutis amatores, ſed honorum, opum, corporíſque voluptatum, palàm apertéque oſtendunt.

12. Quamobrem qui ſeriò philoſophari velit, cùm tam manifeſtum ſit ſupra illius vires poſitum non eſſe, (quod infinitis ferè exemplis poſſemus probare, niſi brevitati ſtuderemus,) oportet eum toto animo eniti ut perfectam aſſequatur *Patientiam*, quâ omnes omnino animales voluptates corporíſque dolores ſubter ſe habeat, prorſúſque contemnat, ſolâ Virtute contentus, certiſſimóque illo Virtutis fructu beatâ Immortalitate ; nec audere priùs aut apud ſeipſum fingere, aut profiteri apud alios, ſe ullam habere Virtutem, quàm eam quam ſuprà deſcripſimus *Patientiam* aſſecutus fuerit. Neque enim rectè habere dicimur vel tenere id quod in cujuſlibet poteſtate eſt è manu nobis excutere.

13. At verò inquies, Ain' tu, éſtne ſic ſapere via ad humanam felicitatem expeditiſſima? Magnatem me faciet hæc tua Philoſophia, aut Familiam meam opulentam? An non potiùs hæc tua decantata Virtus bonáque Conſcientia, niſi fortè ubi benigniori degitur ſub climate, rectâ perducet hominem ad Ignem vel Patibulum, quemadmodum infinita teſtantur exempla à primis uſque temporibus repetita, pérque totum terrarum orbem paſſim edita? Ejuſmodi verò Virtutis ratio exponi debet, non quæ aliquibus locis aut temporibus accommodata ſit, ſed quæ omni loco ac tempore quæ bona ſunt nobis conciliet, mala verò aut procul à nobis averruncet, aut ſaltem eis ferendis, ſiquando obveniant, nos ſemper efficiat pares.

Quantum Virtus ad Honores Opéſque & ad alia id genus bona conferat, ſuprà jam innui, nec hîc repeto. Solùm addo, honeſtam paupertatem injuſtis divitiis eſſe præferendam, eáſque divitias eſſe injuſtas quæ vel minimâ Virtutis jacturâ acquiruntur vel retinentur. Relinque tuis Virtutem tuam in hæreditatem, quâ ſi carent, non merentur tuo tanto cum diſpendio diteſcere. Si eam habent, ſuperfluis non indigebunt divitiis.

14. Quod verò Ignem attinet & Patibulum ; Si *Patientiâ* cares, pro certo ſcias te

occultum ſemper aut Principis, ſi res tulerit, aut Patriæ, aut Religionis, aut Amicorum, aut horum omnium, tecum circumgeſtare proditorem. Quòd ſi ***Patientiâ*** ſatis ſis inſtructus, dic feroculis iſtis, dic iſtis hominum larvis, Animam humanam nec flammis abſumi poſſe nec aquis extingui, nec ullis tortorum lanienis diſtrahi in partes nec diſcerpi, nec ipſam Virtutem ab invita Anima divelli; nec Deum ipſum à Virtute Animâque.

15. Præterea, Summæ eſſe & improbitatis & ſtultitiæ, quando Deus hanc vitam noſtram repoſcit, non lubentiſſimè reddere depoſitum tam potenti juſtóque Petitori. Repoſci autem ab eo ſemper, quoties ejuſmodi proponuntur vivendi conditiones quæ conſiſtere non poterunt cum ea obſervantia quam Deo debemus & Virtuti.

16. Poſtremò, In extremis anguſtiis non ſolere Deum deeſſe ſuis, vitámque beatam vix in mediis tormentis interrumpi, modò non remittat ſe Animus, nec eum incepti pœniteat, ſed forti & ſincero affectu in mediis doloribus ad Deum perpetuò anhelet beatámque immortalitatem. Animam enim noſtram ex omnibus hiſce ſive exuſtionibus ſive lanienis ad oras ſuperas, Divinúmque illud Animorum concilium cœtúmque, integram & indelibatam pervolare, ſummiſque gaudiis & tripudiis, tanquam ex diuturniori aliquo bello victricem exilióve reducem, in cœleſtem patriam excipi.

17. Quæ ibi lætitia! qui triumphi! quàm ſuaves beatorum Geniorum Animorúmque congreſſus & complexus! quàm amica colloquia! Quæ congratulationes redeunti à tantis laboribus Animæ, támque dira ob Veritatis Virtutíſque amorem perpeſſæ! Quàm ſolidis plauſibus, quàm canoris acclamationibus Supernæ illæ ſedes reboabunt! vel potiùs quàm ſolidam & ſempiternam felicitatem adipiſcetur victrix Anima in ſupernis illis ſedibus! ubi æternâ juventâ floret impollutus Amor, ſinceráque Amicitia; ubi divini diſcurrunt Splendores, pulcherrimíque bonorum Geniorum obverſantur vultus & aſpectus; ubi purum circumfulget Veritatis lumen, veræque Virtutis candore omnia renident; ubi perpetua rerum pax & tranquillitas, quies inconcuſſa & inexpugnabilis ſecuritas; ubi denique ea eſt voluptas & felicitas quam alibi humanæ animæ nuſquam poſſunt experiri.

18. Dei enim imago quædam Animus eſt, ex ipſo Deo delibata & profecta: Profecta autem à Deo cœlum ipſum appetit, nam in eum locum unde diſceſſit ſemper optat redire. Terra autem ſi cui appetenda, ***Corpori*** ſoli eſt. At verò ***Animis*** æterna cœli ſedes quærenda, eáque propria illorum patria. Siquidem animorum nulla in terris origo inveniri poteſt, ut præclarè ea de re philoſophatur ***Cicero.*** *De Conſolatione.*

19. O vitam verè vitalem, quæ intimos Animæ ſenſus hâc cruſtâ Corporis craſſóq; cortice nudatos jucundiſſimis cœli voluptatibus leniſſimíſq; Divinæ auræ ſpiraculis tam mirificè percellit, perflat & permulcet! O beatiſſimum victricis Virtutis ſtatum omnibus bonis & gaudiis circumfluentem! Sed & beatam illam mortem & carnificinam, quæ fortes & conſtantes animas ad tanta gaudia tantáſque voluptates tranſmittit!

20. Magna ſunt, fateor, quæ hîc loquor & per totum hunc libellum: Majora tamen non ſunt quàm quæ veræ & genuinæ ***Moralis Philoſophiæ*** deſcriptioni competant: Neque enim rectæ Rationis limites captúmve tranſcurrunt, nec inſigniorum Ethnicorum excedunt profeſſiones & teſtimonia.

21. Verùm nequa fraus fiat Religioni, apertè dicam liberéque quod ſentio, nempe, Præclara illa ferè omnia ***de Deo***, ***de Anima***, *dé*que ***Virtute***, quæ in veterum Philoſophorum ſcriptis reperiuntur, vel quæ de præſtantiorum Ethnicorum dictis factíſve memoriæ produntur, aut antiquiſſimæ Eccleſiæ Dei doctrinæ vetuſtæve Cabbalæ, aut ***æterno***, Dei Filio, ***LOGO*** accepta eſſe referenda; qui ab omnibus retro ſeculis ſingulos homines aliquali, quoſdam verò pleniori præter cæteros acriorique, ſenſu honeſtatis imbuit.

* ***Hæc eſt*** enim ***illa lux quæ illuminat omnem hominem venientem in*** hunc ***mundum***, prout Chriſtiana teſtantur oracula. ***Pythagoram*** verò è fontibus Hebraicis ſapientiam ſuam hauſiſſe Scriptores veteres tum ſacri tum prophani ſuis certatim confirmant ſuffragiis. Hujus autem ſapientiæ partem præcipuam, ***de Deo***, ***de Animæ immortalitate***, *dé*que ***Vita ac moribus***, in ***Platonem*** derivatam fuiſſe, mox in ***Stoam Peripatúm***que, poſtea verò in totum ferè terrarum orbem redundâſſe, manifeſtius videtur quàm ut quiſquam de eo poſſit dubitare.

22. Quamobrem ut præclara aliquammultorum Ethnicorum Virtus & Sapientia Divinæ Providentiæ vim & benignitatem penetrantem ad omnia & longè latéque dimanantem non mediocriter illuſtrant, ità ſanè Eccleſiæ gloriam obſcurare non poſſunt; cùm quicquid pulchri apud Ethnicos occurrit, aut Eccleſiæ Dei doctrinæ debeatur, aut ***Divino Logo***, quem Vetus Eccleſia è Tabernaculo elucentem, Nova verò (id eſt, Chriſtiana) in humana ***Meſſiæ*** natura tanquam in ſanctiſſimo quodam Templo glorioſè reſidentem, ſanctè, prout par eſt, religioſéque colit ac veneratur.

SCHOLIA

In CAP. X. SECT. 21.

HÆc eſt *enim* illa Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in *hunc* Mundum. *Sententiam hanc è S.* Johanne *depromptam eo ſenſu adhibeo quo vulgò accipitur, tanquam ſi ad æternum* Logon *nudè ac ſimpliciter ſpectatum pertineret, & ad illius operationes ante Incarnationem perinde atque poſt. Verbáque, fateor, abſolutè conſiderata ad eum ſenſum ſatìs apta ſunt, sicque, ut Phraſis quædam* Scripturalis, *uſurpari poſſunt. Sed enim verò ſolidum ac genuinum ſenſum iſtorum verborum, haud ità pridem cùm primam partem hujus primi Capitis Evangelii* Johannis *penſiculatiùs examinâſſem, longè alium eſſe pro compertiſſimo habui. Neminéq; præeunte, ſponte meâ ſi non diviniori aliquo inſtinctu, in eam ſententiam incidi, ut* ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον ad τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν *referendum prorſus exiſtimarem. Quam poſtea ex* Grotio *intellexi Veterum quorundam opinionem fuiſſe,* Cyrilli *putà &* Auguſtini *atque aliorum, noſtrúmque etiam* Hammondum *eò propendere mox obſervavi. Ac proinde neceſſariò* τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν *intelligendum eſſe de Anima Meſſiæ cum æterno* Logo *noſtráque demum carne unita. Id verò quod me maximè ad hanc cogebat ſententiam, erat, quòd notâſſem veram hanc lucem cum Propheta* Johanne *comparari; unde ſtatim intellexi impoſſibile eſſe,* ut τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν *de æterno Logo* abſtractè *intelligatur, ſed de* lumine concreto, *Prophetáve aliquo eximio, (qualis ipſe eſt* Chriſtus, *ſed eo nomine à* Moſe *prædictus) neceſſariò intelligi oportere. Nihil enim magìs abſurdum eſſe poteſt quàm ut* Johannes *cum æterno* Logo, *non autem cum* Chriſto, *Propheta nempe cum Propheta, homo cum homine, conferatur. Ipſéque Chriſtus Perſona viſibilis, de ſe teſtatur,* Johan. 12. v. 46. Ego Lux in mundum veni. *Et rurſus,* v. 35. *de ſeipſo loquens,* Adhuc parvo tempore Lux vobiſcum eſt, Dum lucem habetis credite in lucem, *&c. Et* cap. 8. v. 12. Ego ſum Lux Mundi. *De Anima verò* Meſſiæ *intelligi ex ſuprà citatis locis & ex capite nono* v. 5. *porrò manifeſtum eſt,* Quamdiu ſum in Mundo, Lux ſum Mundi. *Brevì verò exiturum ſe ex hoc Mundo innuit verſu præcedenti. Unde manifeſtum eſt de Anima* Meſſiæ *non de Æterno* Logo *intelligi. Ex quibus locis ſimul conſideratis abunde patet, quàm naturaliter* τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, *de Chriſto quatenus humanam animam corpúſque includat, intelligatur; ità ut de Homine Prophetâ, quîcum* Johannes *comparari poſſit, accipi debeat, non autem abſtractè de Æterno* Logo, *ut ſæpe apud Autores accipitur, dum verborum phraſin potiùs ſpectant quàm eorum, cum contextu, ſensûs cohærentiam.*

Hunc ego ſenſum eſſe genuinum hujus loci pro perſuaſiſſimo habeo, & ut aliis idem perſuadeam, brevem hanc Analyſin quatuordecim primorum verſuum hujus primi capitis Evangelii Johannis *ipſis ante oculos, quanto poſſum compendio, exponam. Horum igitur quatuordecim verſuum ſcopus præcipuus maximéque generalis, eſt illuſtratio dignitatis Perſonæ* Chriſti *ſive* Meſſiæ. *Dignitas autem illuſtratur primo à* Divinitate *illius; Divinitas ab* unione Animæ *cum* Logo, *à* Creatione Mundi, *& à* Regeneratione Animarum *quotquot in eum crediderint. Secundò, à* collatione *cum* Johanne *Propheta, illiúſque de ipſo, teſtimonio. Tertiò denique ab* ignorantia Mundi, *qui optimum quodque ac Diviniſſimum ſemper rejiciunt, & tenebras pro luce eligunt, aut mediocribus ſaltem citiùs adhærent quàm ſummis maximiſve ad quæ rarò eorum pertingit capacitas; unde factum eſt ut Teſtimonium* Johannis *ipſi* Meſſiæ *uſui eſſet. Ad hæc ferè capita referri poſſunt omnia, quæ hoc Scripturæ Paragrapho continentur, quemadmodum, quàm breviſſimè potero, ſubindicabo.*

Propter unionem igitur Animæ Meſſiæ *cum æterno* Logo, *Divini Numinis* Trinitas *quatuor primis verſibus memoratur, recenſentúrque tres Hypoſtaſes, ſub nominibus* τοῦ θεοῦ, τοῦ λόγου, τῆς ζωῆς, *quæ alibi appellantur* ὁ πατὴρ, ὁ λόγος & τὸ ἅγιον πνεῦμα, 1 Johan. 5. 7. *Ut verò Illuminatio paſſim Spiritui ſancto attribuitur, ità hîc* τῇ ζωῇ, v. 4. καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, Et vita erat Lux illa *eximiorum* hominum; *vel Animarum præ cæteris ſanctarum, non quarumlibet ſed illibatâ ſanctitate præcellentium; articulos enim in* τὸ φῶς *& in* τῶν ἀνθρώπων *hoc in loco eminentiam quandam denotare nullus dubito, ut nec omnes homines Spiritu ſancto illuminari. Mirificè igitur hunc locum illuſtrat quod occurrit libro Sapientiæ,* cap. 7. *ubi deſcribitur* Sapientia *illa quam eandem cum æterno* Logo *antiqui Patres agnoſcunt, de qua inter cætera dicitur,* Ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πνεῦμα νοερὸν, φιλάγαθον, φιλάνθρωπον. *Ut hîc apud* Johannem, Ἐν λόγῳ ζωὴ ἦν, *ità illîc* Ἐν σοφίᾳ πνεῦμα.

μα. *Quæ* Sapientia *per Spiritum ſuum dicitur* ſingulas per ætates in ſanctas animas ſe transferre, & amicos Dei Prophetáſque efficere. Ζωὴ *autem æquè Hypoſtaſis eſſe poteſt atque* πνεῦμα, *nec vitalem tantùm operationem ſignificare, ſed* οὐσίαν ζωτικὴν vel ζωὴν οὐσιώδη *ut loquuntur* Platonici. *Apud quos frequentiſſimè* ψυχὴ ζωὴ *appellatur, nonnunquam* ζωὴ αὐτόζωος. *Et certè ſi Evangeliſta* ψυχὴ *pro* ζωὴ *poſuiſſet, meliori jure jurare potuiſſet* Amelius *Platonicus*, Per Jovem barbarus iſte cum noſtro Platone ſentit, *& ſuſpicari Myſterium ab eo mutuatum. Nunc verò ſaniori judicio vel potiùs inſtinctu infallibili,* ζωὴ *non* ψυχὴ *poſuit, cùm hæc Vita Spiritus ſit* æternus, *qualis nulla Anima eſſe poteſt, cùm nullum Corpus ſit æternum, ad quod Anima propriè refertur, nec Mundus æternus ante quem nulla creata eſt Anima.*

Cæterùm iſta obiter. Hoc maximè notatu dignum cenſeo, quatuor primis verſibus doctrinam Trinitatis *includi, tertiámque Hypoſtaſin poſtquam Evangeliſta à munere illuminandi inſpirandique Prophetas deſcripſiſſet, eum ſtatim, quanquam ſine mentione nominis, ad recordationem eximii illius Prophetæ* Jeſu Nazareni *delapſum eſſe, ſucceſſúmque adventûs illius memoriâ recolere. Quæ certè Tranſitio ſatìs cohærens eſt, nec adeò opus eſt hîc ad inſpiratorum hominum licentiam recurrere, qui* omnia pro impetu, non præmeditato diſpoſitu, *quod ait* Grotius, *commemorare cenſentur. Lux igitur* v. 5. *eſt Anima* Meſſiæ *cum* Logo *quidem unita, & nunc demum incarnata, quem ipſum* Jeſum *eſſe certò novit Evangeliſta, quamvis nominatim non memoret, ſed planiſſimè indigitat, dum* Johanni *præfert, illiúſq; de eò teſtimonium adhibet, quod facit* v. 6, 7, 8. *Manifeſtum autem eſt* Johannem *comparari cum luce* v. 5. *memorata. Quæ igitur nudus* Logos *æternus eſſe non potuit, ſed* Lux concreta, *prout ſuprà explicavi, ſive eximius Propheta. Illa verò Lux* v. 5. *cum qua comparatur* Johannes *eſt eadem Lux quæ occurrit* v. 9. *Quæ affirmatur de Rivali* Johannis, *de ipſo verò negatur. Ac proinde* Jeſus Nazarenus, *non autem nudus Logos* v. 9. *intelligitur. Unde valdè conſentaneum, ſi non omninò neceſſarium eſt* ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, *ad* τὸ φῶς, *non autem ad* πάντα ἄνθρωπον, *referri.*

Hactenus autem Lux hæc eximia Jeſus Nazarenus, *conſideratur tantùm ut inſignis quidam Propheta, major equidem* Moſe *&* Johanne, *utpote qui unius tantùm populi Luminaria erant.* Jeſus *verò* Nazarenus *Lux totius Mundi tum* Gentilium *tum* Judæorum, *quam ob cauſam dicitur* omnem hominem illuminare. *Divinitas autem illius vix indicari videtur ante quinque ultimos verſus. Decimus verò planè eam arguit à Mundi Creatione. Undecimus etiam ex Hypotheſi Judæorum, quorundámque Patrum, (quòd Anima Meſſiæ eſſet cum æterno* Logo *unita, quæ apparebat Patriarchis ſub nomine* Jehovæ *&* Dei Iſraelis, *qui &* ממרא דיי *toties dicitur apud Chaldæum Paraphraſten, quem* Græci *appellarent* λόγον θεοῦ, *) perquam opportunè in Divinitatis illius teſtimonium pertrahi poſſet. Sed utcunque cùm ex decimo conſtet Deum eſſe, Judæóſque Dei populum fuiſſe peculiarem, ſatìs concinnè dicitur incarnatus ad ſuos veniſſe, ſuóſque eum non excepiſſe. Quòd autem* Regeneratio *in nomen ejus credentium,* v. 12 *&* 13. *ipſi attribuitur, id planè rurſus arguit illius* Divinitatem, *cùm* Regeneratio *fiat per operationem* τῆς ζωῆς, *(quæ in* Logo *eſſe dicitur) ſive Spiritûs Sancti. Unde perquam appoſitè additur,* v. 14. Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. *Quod idem valet atque* Καὶ γὰρ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο; *Nè quis miretur Regenerationem Animarum* Jeſu Nazareno *attribui, quippe qui merus homo non erat ſed* Logos incarnatus; *in* Logo *verò* ζωὴν εἶναι *ſive Spiritum, per quem Animæ noſtræ regenerantur, notatum eſt* v. 4. *& per eundem ſingulas per ætates eximios quoſdam homines Amicos Dei fieri ac prophetas.*

Quòd autem quidam ex eo quòd per totum hunc Paragraphum Animæ Meſſiæ *nulla mentio facta ſit, colligere volunt,* Logon *cum ſolo corpore humano ſine anima conjunctum, Chriſtum Dei conſtituiſſe, ſuámque opinionem confirmatum eunt ex illo loco ad* Hebræos, cap. 10. v. 5. (Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον, Quapropter ingrediens, *vel ingreſſurus* in Mundum *(nam* v. 7. *dicit, Ecce venio) filius* dicit *ad patrem,* Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptâſti mihi; *id eſt, tale concinnâſti, in quo mortem pati poſſim & ſacrificium fieri pro peccatis totius humani generis; quo intelligit corpus terrenum ſibi à patre eſſe paratum, ſic enim* כרה *ſignificat:) certè nec ex dicto paragrapho, nec ex hoc loco ad* Hebræos *ullo pacto deduci poteſt tam abſurda concluſio. Immò verò multo tolerabilius eſſet ſupponere cum* Judæis *antiquiſque Patribus Animam* Meſſiæ *præextitiſſe cum æterno* Logo *unitam, (nam utrique Chriſtum præextitiſſe agnoſcunt, & antiquis Patriarchis apparuiſſe, cùm tamen nudus* Logos *Chriſtus eſſe non poſſit; unde* Jehovæ *nomen à primis ſeculis ipſi poſſit competere, ut & nomen* ממרא דיי *qui ipſiſſimus hic* Logos *eſt quo de agit Evangeliſta) quàm Chriſtum ex ſolo corpore humano & Divino* Logo *con-*

ſtare, temerè imaginari. Nam hinc cauſa patet cur omiſſa ſit mentio animæ Meſſiæ apud Johannem, *quòd* ממרא דיי i. e. λόγος *in ſe Animam* Meſſiæ *concludat, ipſáque rurſus omiſſio rem ità ſe habere aliquo modo arguat. Quod adhuc apertiùs facere videtur locus ille ad* Hebræos *: valdéque veriſimile exiſtimo traditionem illam de contractu Patris cum Anima* Meſſiæ, (*quæ occurrit in* Peſikta) *de redimendo populo per mortem ſuam, eidem Scripturæ quam citat Author ad* Hebræos, *innixam eſſe, illáque verba* Pſalm. 40. v. 8. In volumine libri ſcriptum eſt de me, *ad pactum hoc referri. Et certè tum* Grotius *tum* Hammondus מגלת ספר *de inſtrumento contractûs intelligunt, quod valde congruit cum illa Traditione in* Peſikta. *Vide Myſter. Pietatis* lib. 7. cap. 7. ſect. 6. *Quòd autem,* Corpus aptâſti mihi, *de nudo* Logo *corpus humanum aſſumpturo intelligi non poteſt, ſatìs conſtat ex dicto Pſalmo* v. 8. *ubi ſit mentio de* Lege cordi inſcripta, *quod ſanè non niſi admodum duriter ad nudum* Logon *poteſt applicari, quaſi Lex Dei illius cordi inſcribenda eſſet; igitur neceſſe eſt ut intelligatur de Anima* Meſſiæ *cum æterno* Logo *unita. Utrùm verò Septuaginta pro* עצם, אונים *legerint, quod propiùs ad illius ſonum & notarum ſimilitudinem accedit, an, quod innuit* Grotius, נדנה, *quod propriè vaginam, metaphoricè corpus ſignificat, quaſi aptandum eſſet corpus præexiſtenti Animæ Meſſiæ, ut vagina gladio, in medio relinquo.*

Quibus verò minùs placent tam longæ ambages, dicunt, quando Logos *dicitur caro factus, per carnem* συνεκδοχικῶς *intelligi Hominem, hominem verò includere animam. Quantùm verò ad locum ad Hebræos,* באתי veni, *reddi poſſe, quanquam LXX Interpretibus viſum eſt reddere,* ἥκω, venio.

Intereà loci ſatìs manifeſtum eſt, quis ſit ſenſus genuinus noni versûs primi capitis Evangelii Johannis, *nec de nudo* Logo *intelligendum eſſe quemadmodum ipſe, aliique multi hactenus intellexeramus, ſed de* Jeſu Nazareno *veniente in hunc Mundum accipi oportere. Nec omnes homines Divino* Logo *aliter illuminari, quàm quatenus ille dici poſſit notiones boni ac mali, honeſti ac turpis, animabus humanis in ipſa Creatione inſeviſſe; Spiritu autem ſancto, qui hîc* ἡ ζωὴ *dicitur & in* Logo *eſſe perhibetur, eas tantùm animas afflari, quæ ſinceras ſe præſtiterint & lumine naturalis Conſcientiæ rectè ac fideliter uſæ ſint; qua de re vide quæ ſcripſimus* Cap. 3. ſect. 9 & 10. lib. 3. *Enchiridii hujus.*

FINIS.

Scriptorum Græcorum Voces ac Sententiæ, quarum Interpretamenta ſolummodo occurrunt in antecedenti Tractatu, Græcè hic reſtituuntur.

LIB. I.

CAP. I. Sect. 1. Κατ τὰν φύσιν τέλειον εἶναι———
κατ τὸν βίον.

Sect. 2. Ἁ γὰρ ἀρετὰ τᾶς ἑκάστω φύσιος καὶ ἀκρότας καὶ τελειότας ἐντί.

Κατ τὸν βίον δὲ τέλειοι τοὶ μὴ μόνον ἀγαθοὶ ὄντες, ἀλλὰ καὶ εὐδαίμονες.

Συμπεραίνει γὰρ τὰς πράξιας ἀρετὰ καὶ τύχα· τὰ μὲν ἀρετὰ κατ τὰν χρᾶσιν, τὰ δ' εὐτυχία κατ τὰν κατόρθωσιν.

Sect. 3. Καὶ διὰ τὰν ἀρετὰν αὐτὰν, καὶ διὰ τὰν εὐτυχίαν.

CAP. II. *Sect.* 2. Τὸ μέγιστον καὶ ἄριστον ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν.

Sect. 3. Ἡ δὲ ἡδονὴ τελειοῖ τὰς ἐνεργείας, καὶ τὸ ζῆν δὲ οὗ ὀρέγονται, &c.

Τὴν δ' εὐδαιμονίαν οἴονται πάντες ἤτοι ἡδονὴν εἶναι καὶ τὸ ἡδέως ζῆν, ἢ οὐκ ἄνευ γε ἡδονῆς.

Ὁ ἀληθῶς εὐδαίμων ἥδιστα ζῇ, καὶ τοῦτο οὐ μάτην ἄνθρωποι ἀξιοῦσιν.

Τὸν βίον τὸν μετ' ἀσφαλείας ἥδιστον.

Sect. 4. Ἔστι γὰρ ἡδονὴ ἀποκατάστασις ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς φύσιν ἑκάστου τὴν αὐτοῦ.

Τῷ γὰρ λογικῷ ζώῳ ἡ αὐτὴ πρᾶξις κατὰ φύσιν ἐστὶ καὶ κατὰ λόγον.

Sect. 6. Κατὰ τὸ κράτιστον, vel κατὰ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν.

Εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο, εἴτε ἄλλο τι, ὃ δὴ κατὰ φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι, καὶ ἔννοιαν ἔχειν (περὶ καλῶν καὶ θείων, εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ, εἴτε) τῶν ἐν ἡμῖν θειότατον, ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία.

Τῶν καλῶν καὶ θείων.

Sect. 8. Τὴν εἰλικρινῆ καὶ ἐλευθέριον ἡδονήν.

Ἀλλ' οἱ φάσκοντες εἶναι τὴν ἡδονὴν οὐ σπουδαίαν, πεπόνθασιν οἷον οἱ, μὴ εἰδότες τὸ νέκταρ, οἴονται τοὺς θεοὺς οἶνον πίνειν, καὶ οὐκ εἶναι τούτου ἥδιον οὐδέν.

Sect. 9. Εἰ γέγονας τοῦτο, καὶ εἶδες αὐτό.

Δεῖ τὸν μανθάνοντα πιστεύειν.

Sect. 11. Ἔπαινον μὲν τὸν ἐξ ἀρετᾶς, μακαρισμὸν δὲ τὸν ἐξ εὐτυχίας.

Ἄνευ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν οὐκ ἐνδέχεται εὐδαίμονα εἶναι.

Sect. 12. Ἐνδέχεται γὰρ μέτρια κεκτημένους πράττειν ἃ δεῖ.

Ἀλλὰ τὸν ζῶντα ἀλύπως καὶ καθαρῶς πρὸς τὸ δίκαιον, καί τινος θεωρίας κοινωνοῦντα θείας.

CAP. III. *Sect.* 3. Ὁ γὰρ μετὰ βίας ἐπικρατέων λογισμὸς θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας ἐγκράτειαν καὶ καρτερίαν ποιεῖ· μετὰ βίας δὲ πάλιν ἐκβιασθεὶς αὐτὸς ὑπὸ τῶν ἀλόγων, ἀκρασίαν καὶ μαλακίαν· αἱ δὲ τοιαῦται διαθέσεις τᾶς ψυχᾶς ἡμιτελέες μὲν ἀρεταὶ, ἡμιτελέες δὲ κακίαι τυγχάνοντι.

Sect. 4. Τὸ ἄριστον ὅ,τι δήποτε ὂν, εἰ μὴ τῷ ἀγαθῷ μὴ φαίνεσθαι.

Sect. 5. Ἕξιν τινὰ τοῦ δέοντος.

Τὸ μέσον καὶ τὸ ἴσον, τὸ οὐκ ἀφαιρέσιος οὔτε προσθέσιος δεόμενον, ὅτι αὐτό ἐστιν ὃ δεῖ ἦ μέν.

Τὸ βέλτιστον φαινόμενον νόμος ἔστω ἀπαράβατος.

Sect. 6. Νόμος ἀΐδιος καὶ ἰσοκλινής.

Ἕπεσθαι Θεῷ, & τῇ φύσει ἕπεσθαι.

Sect. 7. Εἰ μὴ ἔχεις παρὰ σαυτῷ τῶν γε τοιούτων αἴσθησιν, οὐκ ἔστι.

Ὁμοίως ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν παθῶν τὸ γνωρίζειν· Δεῖ γὰρ αὐτὸν συμβάλλεσθαι πρὸς αἴσθησίν τι.

Τὸ ἀγαθοειδὲς τῆς ψυχῆς.

Sect. 8. Ὁ ὀρθὸς λόγος ὁ κατὰ τὴν φρόνησιν.

Sect. 9. Δεῖ δὴ ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πρὸς τὸ ἄρχον ζῆν καὶ πρὸς τὴν ἕξιν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν τοῦ ἄρχοντος. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἄνθρωπος φύσει συνέστηκεν ἐξ ἄρχοντος καὶ ἀρχομένου, καὶ ἕκαστον δὴ δέοι πρὸς τὴν ἑαυτοῦ ἀρχὴν ζῆν. αὕτη δὲ διττή. ἄλλως γὰρ ἡ ἰατρικὴ καὶ ἄλλως ἡ ὑγίεια· ταύτης δὲ ἕνεκα ἐκείνη· οὕτω δὲ ἔχει κατὰ τὸ θεωρητικόν. Ὁ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ Θεὸς, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις, ἐπιτάττον δὲ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα. διώρισται δ' ἐν ἄλλοις, ἐπεὶ κεῖνός γε οὐδενὸς δεῖται. Ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ Θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὁ ὅρος κάλλιστος. Εἴ τις δὲ ἢ δι' ἔνδειαν ἢ δι' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν Θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη.

Sect. 10. Τοῖς μὲν θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος, τοῖς δ' ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει.

Sect. 11. Ἐκ θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δεδόσθαι κάλλιστα, τό,τε ἀληθεύειν καὶ τὸ εὐεργετεῖν· ἐοικέναι δὲ καὶ τοῖς θεῶν ἔργοις ἑκάτερον.

Ἀρχὰ γὰρ καὶ αἰτία καὶ κανὼν ἐντὶ τᾶς ἀνθρωπίνας εὐδαιμοσύνας ἁ τῶν θείων καὶ τιμιωτάτων ἐπίγνωσις.

CAP. IV. *Sect.* 1. Ὁ μὲν γὰρ νοῦς τῶν ὅρων ὧν οὐκ ἔστι λόγος.

CAP. V. *Sect.* 1. Ἔστι δὲ δή τι νοητὸν ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει.

CAP. VI. *Sect.* 5. Τὸ μὲν κυρίως καὶ ἐν ἑαυτῷ, τὸ δὲ ὥσπερ τοῦ πατρὸς ἀκουστικόν τι.

Τὸ μὲν γὰρ φυτικὸν οὐδαμῶς κοινωνεῖ λόγου· τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν μετέχει πως, ᾗ κατήκοόν ἐστιν αὐτοῦ καὶ πειθαρχικόν.

Sect. 16. Ὅτι οὐκ ἐν τῷ ὑπεξελέσθαι τὰ πάθεα τᾶς ψυχᾶς ἡδονὰν καὶ λύπαν ἁ ἀρετὰ πέπτωκεν, ἀλλ' ἐν τῷ ταῦτα συναρμόζεσθαι.

CAP. XI. *Sect.* 3. Ἐν ἀγαθοῦ γὰρ λόγῳ γίνεται τὸ ἔλαττον κακόν.

Sect. 4. Ἄδικον γὰρ τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν γιγνόμενον· διὸ καὶ τοῖς θεοῖς ἀποδίδομεν νεμεσᾶν.

Sect. 8. Συντέτακται γὰρ ὁ θυμὸς καὶ ἁ ἐπιθυμία ποτὶ τὸ πρᾶτον μέρος τᾶς ψυχᾶς· τὸ μὲν ὥσπερ δορυφόρος τις καὶ σωματοφύλαξ, τὸ δὲ ὡς οἰκονόμος καὶ οἰκουρὸς τῶν ἀναγκαίων.

Sect. 11. Ὁ γὰρ νόμος λόγος ἐστὶν ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα.

CAP. XII. *Sect.* 1. Ἄνευ λόγου ὁρμὴν ἔχειν πρὸς τὸ πράττειν τι.

Sect. 9. Γίνεται γὰρ ἐκ τῶν παθέων ἁ ἀρετὰ, καὶ γενηθεῖσα πάλιν σὺν αὐταῖς συνίσταται.

ὥστε μήτε ἀπαθέα μήτε ἐκπαθέα ἦμεν.

Ἁ μὲν γὰρ ἀπάθεια ἀπαρόρμητον καὶ ἀνενθουσίαστον παρέχεται τὰν ψυχὰν ποτὶ τὸ καλὸν, ἁ δὲ ἐκπάθεια συντεταραγμένην καὶ ἀνεπιλόγιστον.

Sect. 10. Ἀσκητέον ὧν ποτὶ τὰν μετριοπαθίαν ἱέμεν· ὡς τό,τε ἀνάλγητον εἰς ἴσον τῷ ἐκπαθεῖ φεύγωμες, μήτε μέζον φύσιος τᾶς ἁμετέρας φευγώμεθα.

LIB. II.

CAP. I. Οἷον ἀμυντικόν τι καὶ ὑπερμαχητικὸν ποτὶ τὰ πλησίον.

Sect. 2. Ἀνάγκη δ' ἀρετὰν πάσας τρία ταῦτ' ἔχειν, λόγον, καὶ δύναμιν, καὶ προαίρεσιν· λόγον μὲν ᾧ κρίνει καὶ θεωρεῖ, δύναμιν δὲ ᾧ ἀντέχει καὶ κρατεῖ, προαίρεσιν δὲ ᾧ στέργει καὶ ἀγαπᾷ.

Sect. 3. Τῶ μὲν λογικῶ μέρεος τᾶς ψυχᾶς ἀρετὰν εἶναι τὰν φρόνησιν, τῶ δὲ θυμοειδέος τὰν ἀνδρείαν. Ἕξις γάρ ἐντι ἀντερειστικὰ καὶ ὑποστατικὰ τῶν δεινῶν.

Sect. 4. Ἀρχαὶ συμπάσας ἀρετᾶς γνῶσις, δύναμις, προαίρεσις. Καὶ ἔστιν ἁ μὲν γνῶσις ᾇ θεωροῦμεν καὶ κρίνομεν τὰ πράγματα· ἁ δὲ δύναμις οἷον ἀλκά τις τῶ σκάνεος ᾇ ὑφιστάμεθα καὶ ἐμμένομεν τοῖς πράγμασιν· ἁ δὲ προαίρεσις οἷον χεῖρες ψυχᾶς τινες αἷς ὁρμῶμεν καὶ ἀντιλαζόμεθα τῶν πραγμάτων.

Sect. 5. Ἐν τῷ τηρεῖν τὸν ἔνδον δαίμονα ἀνύβριστον καὶ ἀσινῆ, ἡδονῶν καὶ πόνων κρείσσονα.

μηδὲν εἰκῆ ποιοῦντα.

μηδὲ διεψευσμένως καὶ μεθ' ὑποκρίσεως.

Sect. 6. Τὸ προηγούμενον ἐν τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῇ τὸ κοινωνικόν ἐστιν.

ἑαυτὸν παρέχειν ἀφελῶς ἑπόμενον τῷ λόγῳ καὶ τῷ Θεῷ.

Δεύτερον δὲ, τὸ ἀνένδοτον πρὸς τὰς σωματικὰς πείσεις.

Τρίτον δὲ, τὸ ἀπρόπτωτον καὶ ἀνεξαπάτητον.

Sect. 7. τὴν ἐφ' ἕκαστα διαληπτικὴν ἐπίστασιν.

τὴν ἑκούσιον ἀπόδεξιν τῶν ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως ἀπονεμομένων.

Ὁ τὰ πάντα διοικῶν Θεὸς νόμος ἐστὶ νέμων ὅσα ἑκάστῳ ἐπιβάλλει.

Sect. 8. Κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ ἁπάντων, καὶ Θεὸς εἷς διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία, καὶ νόμος εἷς λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων, καὶ ἀλήθεια μία, εἴγε καὶ τελειότης μία τῶν ὁμογενῶν καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου μετεχόντων ζώων.

Sect. 9. ὡς φερόμενοι κατὰ ταὐτὰ Θεῷ, καὶ ἐπὶ ταὐτὰ τῇ γνώμῃ φερόμενοι.

Sect. 10. τὴν ὑπέρτασιν τοῦ φρονοῦντος μορίου ὑπὲρ λείαν καὶ τραχεῖαν κίνησιν τῆς Cαρκὸς, καὶ τὸ δοξάριον, καὶ τὸν θάνατον, καὶ τὰ τοιαῦτα.

CAP. II. *Sect.* 2. Ἡ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστιν, ἡ σύνεσις κριτικὴ μόνον.

Καὶ ἐντεῦθεν ἐλήλυθε τοὔνομα, ἡ σύνεσις καθ' ἣν εὐσύνετοι, ἐκ τοῦ ἐν τῷ μανθάνειν.

Sect. 3. Ἡ ὀρθότης βουλῆς ἡ τοῦ ἀγαθοῦ τακτική.

Μὴ ἐκθόρνυσθαι.

Sect. 4. Ἔστι γὰρ ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς κρίσις ὀρθή.

Ἕξις τις στοχαστικὴ τοῦ μέσου ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ταῖς πράξεσι.

Ἄνευ τε γὰρ λόγου καὶ ταχύ τι ἡ εὐστοχία.

Ἔστι γὰρ εὐστοχία τις.

Sect. 5. Τὰ δὲ τοιαῦτα ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα καὶ ἐν τῇ αἰσθήσει ἡ κρίσις.

Εἰ γὰρ μὴ ἔχεις παρὰ σαυτῷ τὴν γε τοιούτων αἴσθησιν, οὐκ ἔστι.

Ἔστι γὰρ τοῦ ἐν ἡμῖν πρακτικοῦ νοῦ οἱονεί τις συναισθησία, δι' ἣν μὲν ἐν οἷς πάσχομεν οὐ παραισθανόμεθα, δι' ἣν δὲ ἐν οἷς πράττομεν οὐ παραλογιζόμεθα.

Sect. 6. ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.

τὸν ὀρθὸν λόγον, τὸν κατὰ τὴν φρόνησιν.

Sect. 8. Ἀλλὰ τὰ πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον.

CAP. III. *Sect.* 1. Ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ δίκαια ποιεῖν καὶ τἀληθῆ λέγειν.

οὐδὲ ἕσπερος οὐδ' ἠῷος οὕτω καλὸς καὶ θαυμαστός.

Sect. 2. Ὦ φίλη ψυχή, πότε μία ἔσῃ καὶ γυμνὴ καὶ ἁπλῆ;

Σεαυτὸν μὴ τάρασσε, Ἅπλωσον σεαυτόν.

ὑπὸ μίαν καὶ τὰν αὐτὰν ἀρχὰν ἀναλῦσαι.

Πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ Θεῷ.

Sect. 3. Τὸν ὀρθὸν λόγον διὰ πάντων ἐρχόμενον, τὸν αὐτὸν ἐν τῷ Διῒ καθηγεμόνι τῆς τῶν ὄντων διοικήσεως.

Sect. 4. Μηκέτι μόνον συμπνεῖν τῷ περιέχοντι ἀέρι, ἀλλὰ ἤδη καὶ συμφρονεῖν τῷ περιέχοντι πάντα νοερῷ.

τὸ συμφρονεῖν τῷ Θεῷ.

Sect. 7. Περὶ γὰρ ἡδονὰς καὶ λύπας ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετή. Διὰ μὲν γὰρ ἡδονὴν τὰ φαῦλα πράττομεν, διὰ δὲ τὴν λύπην τῶν καλῶν ἀπεχόμεθα.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Sect. 8. Ἐξάλειψον τὴν φαντασίαν, Στῆσον τὴν νευροσπαστίαν.

CAP. IV. *Sect.* 3. Ἐν ἐκείνοις γάρ ἐστι δίκαιον ἐν οἷς καὶ νόμος τίθεται.

Ὁ γὰρ νόμος καὶ ἡ δίκη διάκρισίς ἐστι τοῦ δικαίου καὶ ἀδίκου.

Sect. 6. Εἰ γὰρ καὶ παρ' ἀνθρώποις πάντα ἦν τὰ δίκαια μεταβλητά, παρά γε τοῖς θεοῖς ἀνάγκη δίκαιον εἶναι ἀμετάβλητον, ὥστε εἶναί τι φυσικὸν δίκαιον. Νῦν δὲ καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσίν ἐστι δίκαιον ἀκίνητον ὃ φυσικὸν λέγεται. Εἰ δὲ νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διεστραμμένοις οὐ δοκεῖ δίκαιον, οὐδὲν διαφέρει. Οὐδὲ γὰρ ὁ λέγων τὸ μέλι γλυκὺ εἶναι ψεύδεται, διότι τοῖς νοσοῦσιν οὐ τοιοῦτον δοκεῖ.

CAP. V. *Sect.* 4. Φυγὴ δὲ ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· Ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι μετὰ φρονήσεως.

Θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος. Καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος.

Sect. 5. Θεὸς ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή.

Ὁ δὴ Θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις ἄνθρωπος.

Ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν Θεῷ φίλος, ὅμοιος γάρ· ὁ δὲ μὴ σώφρων, ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος καὶ ἄδικος.

Sect. 7. Αἴσθου ποτὲ ὅτι κρεῖττόν τι καὶ δαιμονιώτερον ἔχεις ἐν σεαυτῷ τῶν τὰ πάθη ποιούντων, καὶ καθάπαξ, τῶν νευροσπαστούντων σε.

Ὁ ἑκάστου νοῦς Θεός, καὶ ἐκεῖθεν ἐρρύηκεν.

Τί πλέον ἐπιζητεῖς ἢ τὸ παρὸν ἔργον ζώου νοεροῦ καὶ κοινωνικοῦ καὶ ἰσονόμου Θεῷ;

Συζῇ δὲ θεοῖς ὁ ποιῶν ὅσα βούλεται ὁ δαίμων ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν. οὗτος δέ ἐστιν ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος.

Sect. 8. Τὸ μεμνῆσθαι Θεοῦ, καὶ ὅτι περ οὐ κολακεύεσθαι οὗτος θέλει, ἀλλὰ ἐξομοιοῦσθαι ἑαυτῷ πάντα τὰ λογικά.

Ἑνὶ τέρπεσθαι καὶ προσαναπαύεσθαι, τῷ ἀπὸ πράξεως κοινωνικῆς μεταβαίνειν ἐπὶ πρᾶξιν κοινωνικὴν σὺν μνήμῃ Θεοῦ.

Sect. 10. Μόριον γὰρ δικαίου τὸ ὅσιον.

Ἐπιστήμην παρεχομένην πιστοὺς καὶ τηροῦντας τὰ πρὸς τὸ θεῖον δίκαια.

Sect. 13. Κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών.

CAP. VI. *Sect.* 3. Μὴ ἔριζε τοῖς γονεῦσι κἂν δίκαια λέγῃς.

Sect. 8. Ἔστι γὰρ ὡς ὁ ἀδικήσας πρὸς τὸν ἠδικημένον οὕτως ὁ δικαστὴς πρὸς τὸν ἀδικήσαντα. Οἷς γὰρ ἐποίησε πρὸς τὸν ἠδικημένον ὁ ἀδικήσας, τὰ ἴσα πάσχει παρὰ τοῦ δικαστοῦ.

Sect. 9. Τὸ γὰρ ἐπιεικὲς καὶ δίκαιόν ἐστι καὶ δικαίου τινὸς βέλτιον· καὶ οὐχ ὡς ἑτερογενὲς τοῦ δικαίου βέλτιόν ἐστιν αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς μέρος ἄλλου μορίου ὁμογενοῦς.

Αὕτη δέ ἐστιν ἡ ἐπιείκεια καθ' ἣν τὸ ἐλλεῖπον ἀναπληροῦται τοῦ νόμου καὶ τὸ ἁμάρτημα ἐπανορθοῦται, καὶ ὁ προσδιορισμός, ὃν ἐκεῖνος παρέλιπε διὰ τὸ πάντα κατὰ μέρος οὐκ εἰδέναι, προστίθεται.

Sect. 10. Ἃ καὶ αὐτὸς ἂν εἶπεν ὁ νομοθέτης εἴγε παρῆν, καὶ εἰ ᾔδει ἐνομοθέτησεν ἄν.

CAP. VII. *Sect.* 1. Τὸ γὰρ χρῆσθαι πάσαις ἀρεταῖς πρὸς τὸ συμφέρον τῶν πέλας, τοῦτο ἔστιν ἡ δικαιοσύνη.

Sect. 3. Ἔστι τοίνυν ἀνδρεῖος ὁ τὰ μέγιστα μὲν τῶν δεινῶν μὴ φοβούμενος.

Ἐν οἷς χρεία τόνου τινὸς καὶ ὁρμῆς, ἢ θάνατος σεμνός ἐστι. Κυρίως γὰρ ἀνδρεῖος ὁ τὸν ἄριστον θάνατον καρτερῶν.

ὁ περὶ καλὸν θάνατον ἀδεής.

Οἱ γὰρ μὴ διὰ τὸ καλὸν ὁρμῶντες καὶ ὀργιζόμενοι, ἀλλὰ διὰ τὸ πάθος, οὐκ ἀνδρεῖοί εἰσιν, ἀλλὰ μάχιμοι.

Sect. 4. Τὸ γὰρ ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι ὑπὸ τῶν λυπηρῶν οὐδὲν κωλύει ἀνδρεῖον εἶναι· ὅσον γὰρ μᾶλλον λυπεῖταί τις καὶ λυπούμενος ὑπομένει διὰ τὸ ἀγαθὸν, τοσοῦτον ἀνδρεῖος ἂν εἴη κυρίως.

CAP. VIII. *Sect.* 4. Ἡ δὲ χρῆσις χρημάτων οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δαπάνη καὶ δόσις.

Sect. 5. εἰς τὸ κοινὸν καὶ εἰς τὸ θεῖον.

Sect. 7. τὸ ὀγκηρὸν καὶ τὸ μέγα εἶναι δοκοῦν.

Καὶ γὰρ καὶ ἡ ὑπερβολὴ καὶ ἡ λίαν ἔλλειψις ἀλαζονικόν.

Sect. 14. Παρήγγελλον γὰρ θαμὰ ἀλλήλοις μὴ διασπᾶν τὸν ἐν ἑαυτοῖς θεόν. οὐκοῦν εἰς θεοκρασίαν τινὰ, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἕνωσιν, καὶ τὴν τοῦ νοῦ κοινωνίαν καὶ τὴν τῆς θείας ψυχῆς ἀπέβλεπεν αὐτοῖς ἡ πᾶσα τῆς φιλίας σπουδὴ δι' ἔργων τε καὶ λόγων.

Τούτου δὲ οὐκ ἂν ἔχοι τις εὑρεῖν ἄλλο βέλτιον, οὔτε ἐν λόγοις λεγόμενον οὔτε ἐν ἐπιτηδεύμασι πραττόμενον. Οἶμαι δὲ ὅτι καὶ πάντα τὰ τῆς φιλίας ἀγαθὰ ἐν αὐτῷ περιέχεται.

Οὕτω γὰρ ἂν δόξειε τὸ συζῆν λέγεσθαι ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων, (τὸ κοινωνεῖν λόγων καὶ διανοίας,) καὶ οὐχ ὥσπερ ἐπὶ τῶν βοσκημάτων, τὸ ἐν τῷ αὐτῷ νέμεσθαι.

Sect. 15. Ὅτι ἀεὶ ζητεῖ πράττειν μεγάλα, καὶ μεγάλων ἕνεκα, καὶ ὅθεν μεγάλη γίνεται τιμή.

ἀργός τις καὶ μελλητής.

μέγιστον τῶν ἀνθρωπίνων καὶ τῶν ἔξωθεν ἀγαθῶν, διότι καὶ τῷ θείῳ ταύτην ἀπονέμομεν.

τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ δέοντος φροντίζων μᾶλλον ἢ τῆς δόξης.

Sect. 16. Ἓν ὧδε πολλοῦ ἄξιον, τὸ μετ' ἀληθείας καὶ δικαιοσύνης εὐμενῆ τοῖς ψεύσταις καὶ ἀδίκοις διαβιοῦν.

Sect. 18. Εὐτονία ψυχῆς πρὸς τὸ ἐπιτελεῖν τὰ ἑαυτῆς ἔργα.

Ἕξις αὐτάρκη παρεχομένη ἐν τοῖς κατ' ἀρετὴν πόνοις.

Ἀνδρὸς ἀρετὴ ἐπιτηδευτικὴ κοινῶν ἔργων.

Sect. 20. Τὸ ἐπὶ τῆς δοθείσης ὕλης ἑαυτὸν δίκαιον, σώφρονα, θεῷ ἑπόμενον ἀφελῶς παρέχειν.

Sect. 21. Ἕξις ψυχῆς μὴ ἀνεχομένη ὁμιλίαν φαύλων ἡδονῶν μηδὲ λόγων.

Sect. 22. Ἕξις ἀρκουμένη τοῖς τυχοῦσιν.

Ἕξις ἀνυπέραρτος ἐν δαπάναις καὶ παρασκευαῖς.

Εὐταξία περὶ σχῆμα καὶ κίνησιν σώματος.

Ἕξις ἀρκουμένη οἷς δεῖ, καὶ τὰ πρὸς τὸ ζῆν καθήκοντα ὁρίζουσα.

CAP. IX. *Sect.* 3. Σχεδὸν γὰρ ἔξω τῆς ἀνθρωπίνης φύσεώς ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναισθησία.

Sect. 5. κατὰ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ.

ἀλλὰ κατὰ τὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον τὸν τί ἦν εἶναι λέγοντα.

ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ἐν ταῖς πράξεσι.

Sect. 6. Τὸ μέσον εὑρίσκειν καὶ αἱρεῖσθαι.

μέσον εἶναι τὴν μεσότητα.

Sect. 7. Τὸ μέσον τοῦ πράγματος. τὸ μέσον τὸ πρὸς ἡμᾶς.

Μεσότητα δύο κακιῶν, τῆς μὲν ἐλλειπούσης, τῆς δὲ ὑπερβαλλούσης.

Τὸ γὰρ ὅτε δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς, καὶ πρὸς οὕς, καὶ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς δεῖ, μέσον τε καὶ ἄριστον ὅπερ ἐστὶ τῆς ἀρετῆς.

Sect. 8. Τὸ ἀγαθὸν μονοειδές, τὸ δὲ κακὸν πολυειδές. ἁπλοῦν τι καὶ μονοειδές.

Sect. 9. Τὸ ἴσον, καὶ τὸ δέον, καὶ τὸ ἁρμόζον.

Τὰ γὰρ ἁρμόζοντα ἴσα ἐστίν.

Sect. 10. Τὸ δὲ μέσον ἐστὶν ὡς ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς λέγει.

Καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε.

Ἕξις μετὰ λόγου ἀληθὴς πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά.

Sect. 11. Ὁ γὰρ σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, καὶ ἐν ἑκάστοις τἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται. καθ' ἑκάστην γὰρ ἕξιν ἴδιά ἐστι καλὰ καὶ ἡδέα. καὶ διαφέρει πλεῖστον ἴσως ὁ σπουδαῖος, τῷ τἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾶν, ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν. τοῖς δὲ πολλοῖς ἡ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι· οὐ γὰρ οὖσα ἀγαθὸν φαίνεται.

Οὐ γὰρ πᾶσαν ὑπόληψιν διαφθείρει οὐδὲ διαστρέφει τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρόν, οἷον ὅτι τὸ τρίγωνον δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχει· ἀλλὰ τὰς περὶ τὸ πρακτόν.

Sect. 13. Τίς ἐστι κανὼν καὶ ὅρος τούτου τοῦ ὀρθοῦ λόγου, καὶ τίς ἡ προσήκουσα τῶν πρακτῶν ἀρχή.

Sect. 18. Χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα, οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν· ἀλλ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ.

Κράτιστον δὲ τῶν ἐν ἡμῖν ὁ νοῦς ἐστιν.

ὁ ἔρως ὁ νοερός.

CAP. X. *Sect.* 3. Ἐν ὀλίγοις κεῖσθαι τὸ εὐδαιμόνως βιῶσαι.

Ἐλεύθερος, καὶ αἰδήμων, καὶ κοινωνικός, καὶ εὐπειθὴς Θεῷ.

Sect. 4. Τὸ ἀληθὲς ἐν βραχεῖ κεῖσθαι.

Sect. 5. Τῶν ἀναγκαίων καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων.

Sect. 6. Ἕξιν μετὰ λόγου ποιητικήν.

Sect. 7. περιττά τινα καὶ θαυμαστὰ καὶ χαλεπὰ καὶ δαιμόνια.

Ἐπιστήμην καὶ νοῦν τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει.

Καὶ γὰρ ἀνθρώπου ἄλλα πολὺ θειότερα τὴν φύσιν, οἷον τὰ φανερώτατά γε ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν.

Sect. 8. Γνῶσιν τῶν ἀρχῶν.

Sect. 15. Καὶ τὸ αὐτὸ ἀγαθὸν ζητεῖται καὶ παρὰ ἑνὸς ἀνθρώπου καὶ παρὰ πόλεως.

Sect. 17. Νῦν ἐστιν ὁ ἀγὼν, καὶ ἤδη πάρεσι τὰ Ὀλύμπια.

Sect. 18. Ἀτυχήματα δὲ θλίβει μὲν καὶ λυμαίνεται τὸν μακάριον, καὶ ἐμποδίζει πολλαῖς ἐνεργείαις, ὅμως δὲ καὶ ἐν τούτοις διαλάμπει τὸ καλὸν, ἐπειδὰν φέρῃ τις εὐκόλως πολλὰς καὶ μεγάλας ἀτυχίας οὐ δι' ἀναλγησίαν καὶ ἀναισθησίαν, ἀλλὰ γεννάδας ὢν καὶ μεγαλόψυχος. Εἰ γὰρ ἐν ταῖς κατ' ἀρετὴν ἐνεργείαις ἡ μακαριότης ἔχει τὸ εἶναι, καὶ αὗται κύριαί εἰσι τῆς τοῦ εὐδαίμονος ζωῆς, οὐδεὶς ἂν γένοιτο τῶν μακαρίων ἄθλιος, οὐδέποτε γὰρ πράξει τὰ μισητὰ καὶ φαῦλα.

Οὐκ εὐπορίαν ἀεὶ ζητήσει ὁ μακάριος, ἀλλ' ἐκ τῆς παρούσης τύχης ἀεὶ τὰ κάλλιστα πράξει. καὶ διὰ τοῦτο ἄθλιος μὲν οὐδέποτε γένοιτ' ἂν, ἀλλὰ μὴν οὐ μακάριος τῆς γε τύχης ἕνεκα, ἐὰν Πριαμικαῖς περιπέσῃ τύχαις.

οὐ μὴν μακάριός γε, ἂν Πριαμικαῖς τύχαις περιπέσῃ.

Sect. 19. Εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ γινέσθω· Ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ.

LIB. III.

CAP. I. Ἔθει, ἢ φύσει, ἢ θείᾳ τινὶ μοίρᾳ.

Sect. 2. θείᾳ τινὶ εὐτυχίᾳ.

Sect. 3. ———— οὐ γὰρ ἐῴκει

Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

Sect. 8. Τὸ ἐν αὐτῷ ἔχον ἐξουσίαν τοῦ πράττειν, καὶ μή.

Ἃ δέ τι ποιεῖ ὑφ' ἑαυτοῦ κινούμενος, κύριός ἐστι τοῦ ποιῆσαι, καὶ μή.

Sect. 9. Τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράττειν, καὶ μή.

Οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθέκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις.

Sect. 10. Ὄρεξιν βουλευτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν.

Βουλευτὰ μὲν γάρ εἰσιν ὧν κύριος ἄνθρωπός ἐστι ποιῆσαι, ἢ μή.

CAP. II. *Sect.* 3. Οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ.

Πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἀγνοεῖ.

Sect. 4. Πάντες μὲν γὰρ ἐφίενται τοῦ φαινομένου ἀγαθοῦ, τῆς δὲ φαντασίας οὐκ εἰσὶ κύριοι· ἀλλ' ὁποῖός ποθ' ἕκαστός ἐστι, τοιοῦτο καὶ τὸ τέλος φαίνεται αὐτῷ.

Sect. 5. Ὅτι μηδεὶς αὐτῷ αἴτιος τοῦ κακὰ ποιεῖν, ἀλλὰ δι' ἄγνοιαν τοῦ τέλους ταῦτα πράττει, διὰ τούτων οἰόμενος αὐτῷ τὸ ἄριστον ἔσεσθαι. Ἡ δὲ τοῦ τέλους ἔφεσις οὐκ αὐθαίρετος, ἀλλὰ φῦναι δεῖ ὥσπερ ὄψιν ἔχοντα, ᾗ κρινεῖ καλῶς, καὶ τὸ κατ' ἀλήθειαν ἀγαθὸν αἱρήσεται. Καὶ ἔστιν εὐφυὴς ᾧ τοῦτο καλῶς πέφυκε. τὸ γὰρ μέγιστον καὶ κάλλιστον, καὶ ὃ παρ' ἑτέρου μὴ οἷόν τε λαβεῖν μηδὲ μαθεῖν, ἀλλ' οἷον ἔφυ, τοιοῦτον ἕξει. Καὶ τὸ εὖ καὶ τὸ καλῶς τοῦτο πεφυκέναι, ἡ τελεία καὶ ἀληθινὴ ἂν εἴη εὐφυΐα.

Sect. 6. Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Sect. 7. Πρὶν μὲν γὰρ νοσῆσαι, ἐπ' αὐτῷ ἦν τὴν ὑγίειαν φυλάττειν· προεμένῳ δὲ διὰ τῆς ἀκρατοῦς διαίτης, οὐκ ἔστιν ἐπ' αὐτῷ τὴν ὑγίειαν ἐπαναγαγεῖν. ὥσπερ λίθον μέν τις δύναται κατὰ πελάγους ἀφεῖναι, ἀφεὶς δὲ οὐ δύναται πάλιν ἐπαναλαβεῖν· ἀλλ' ὅμως ἑκὼν ἔρριψε τὸν λίθον· ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἦν ῥίψαι, καὶ μή.

CAP. III. *Sect.* 3. Καὶ γὰρ αὐτός ἐστιν ἕκαστος τὸ κυριώτατον καὶ ἄριστον τῶν ἐν αὐτῷ· καὶ κατὰ τοῦτο ζῶν ἑαυτῷ ἂν βιῴη καὶ τὸν οἰκεῖον μάλιστα βίον.

Sect. 6. Ὅτι ὁ Θεὸς, νομοθέτης ὢν ἅμα καὶ δικαστὴς, τίθεται μὲν τὰ ἀγαθὰ, ἀναιρεῖ δὲ τὰ κακά.

Σκοπὸς δὲ τοῦ νόμου μόνος ἂν εἴη πρέπων τῷ Θεῷ καὶ ἡμῖν ἐπωφελὴς, τὸ κόψαι τὴν κακίαν, καὶ ἀποκαθαίραι τοῖς παντοδαποῖς τῆς δίκης σωφρονισμοῖς καὶ ἐπιστρέψαι τὴν ὑποπεσοῦσαν τῇ πονηρίᾳ ψυχὴν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ ὀρθοῦ λόγου.

Sect. 9. Ἐρωτικὸν ὄμμα.

Σύμμετρος γὰρ ταῖς οὐσίαις τῶν ὅλων καὶ ὁ τῆς προνοίας θεσμός.

Ὅτι δίκη καὶ τάξις τοῖς πρὸ ἡμῶν ἀθανάτοις τοὺς ὅρους τῆς περὶ ἡμᾶς διοικήσεως νομοθετεῖ, ταῦτα μηχανᾶσθαι περὶ ἡμᾶς ἃ τήν τε ἐνταῦθα κακίαν ἡμῶν ἐλαττοῖ, καὶ πρὸς αὐτοὺς ἐπιστρέφειν ἡμᾶς δύναται. κήδονται γὰρ ἡμῶν ὡς συγγενῶν ἐκπεσόντων.

Sect. 10. Καὶ θεοπρεπεῖ χαίρεσθαι φρονήματι.

Ὥσπερ ἐπίπνοι καὶ κατεχόμενοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ.

Sect. 11. Οὐ γὰρ ἧττον ἡ νοερὰ δύναμις πάντῃ κέχυται καὶ διαπεφοίτηκε τῷ πᾶσαι δυναμένῳ, ἤπερ ἡ ἀερώδης τῷ ἀναπνεῦσαι δυναμένῳ.

Τὸ δὲ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον συνάπτει Θεῷ. Χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον.

Sect. 12. Μελέτην θανάτου.

Sect. 14. Ἀποκατάστασιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν.

Τὸ γὰρ οἰκεῖον τῇ φύσει ἑκάστου, τοῦτο κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐστιν ἑκάστῳ.

Sect. 15. Ἐπεὶ οὖν ὁ κατ᾽ ἀρετὴν βίος τῆς θείας ὁμοιώσεως ἀντεχόμενος τῷ ὄντι θεῖός ἐστιν, ὁ δὲ ἐν κακίᾳ θηριώδης καὶ ἄθεος· δῆλον ὡς ἡ μὲν τοῦ σπουδαίου ἡδονὴ τὴν θείαν εὐφροσύνην μιμεῖται νῷ καὶ Θεῷ συνεπομένη, ἡ δὲ τοῦ φαύλου ἡδονὴ λεγομένη πρὸς τὴν θηριώδη καὶ ἔμπληκτον ὁμοιοῦται κίνησιν.

Sect. 16. Λόγῳ δὲ ὀρθῷ πείθεσθαι καὶ Θεῷ ταὐτόν ἐστι. Τὸ γὰρ λογικὸν γένος ἐμμοιρῆσαν τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ταῦτα βούλεται ἃ ὁ θεῖος ὁρίζει νόμος· καὶ γίνεται σύμψηφος Θεῷ ἡ κατὰ Θεὸν διακειμένη ψυχή, καὶ πρὸς τὸ θεῖον καὶ τὸ λαμπρὸν ἀποβλέπουσα πράττει ἃ ἂν πράττῃ ὁ Θεός.

Sect. 18. Τὸ κράτιστον καὶ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν.

Sect. 20. Πᾶν τὸ βέλτιστον φαινόμενον νόμος ἔστω σοι ἀπαράβατος.

Sect. 23. Οὔτε γὰρ μόνον προθυμεῖσθαι δεῖ τὰ καλά, ὡς ἐφ᾽ ἑαυτοῖς ὄντα κατορθῶσαι καὶ χωρὶς τοῦ Θεοῦ Συνεργίας, οὔτε ψιλῆς τῆς εὐχῆς τοῖς λογισμοῖς ἀρκεῖσθαι, μηδὲν πρὸς τὴν κτῆσιν τῶν αἰτηθέντων προσφέροντας. οὕτω γὰρ ἢ ἄθεον ἀρετήν, εἰ οἷόν τε τοῦτο εἰπεῖν, ἐπιτηδεύσομεν, ἢ ἀνενέργητον εὐχήν. ὧν τὸ μὲν ἄθεον ὂν προαναιρεῖ τῆς ἀρετῆς τὴν οὐσίαν, τὸ δὲ ἀργὸν ἐκλύσει τῆς εὐχῆς τὸ δραστήριον.

Πειρᾶσθαι σὺν τοῖς θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου.

Ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος Θεὸν ἀεί που δεῖ καλεῖν.

Μέγας ὁ ἀγών, θεῖον τὸ ἔργον. τοῦ Θεοῦ μέμνησο, ἐκεῖνον ἐπικαλοῦ βοηθὸν καὶ παραστάτην, ὡς τοὺς Διοσκούρους ἐν χειμῶνι πλέοντες. Ποῖος γὰρ μείζων χειμὼν ἢ ὁ ἐκ φαντασιῶν ἰσχυρῶν καὶ ἐκκρουστικῶν τοῦ λόγου;

Sect. 24. Τὸ λεπτὸν καὶ πνευματικὸν ὄχημα.

Sect. 25. Μηδ᾽ ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι προσδέξασθαι
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
Πῆ παρέβην; τί δ᾽ ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

CAP. IV. *Sect.* 2. Τῇ παρούσῃ φαντασίᾳ ἐμφιλοτεχνεῖν, ἵνα μή τι ἀκατάληπτον παρεισρυῇ.

Το ὅρον ἢ ὑπογραφὴν ἀεὶ ποιεῖσθαι τοῦ ὑποπίπτοντος φανταστοῦ, ὥστε αὐτὸ ὁποῖόν ἐστι κατ᾽ οὐσίαν, γυμνόν, ὅλον, δι᾽ ὅλων διῃρημένως βλέπειν.

Καὶ τὰ καθηγούμενα καὶ τὰ ἀκόλουθα σκοπεῖν, καὶ οὕτως ἅπτεσθαι τοῦ ἔργου.

Ἄνθρωπε, πρῶτον ἐπίσκεψαι ὁποῖόν ἐστι τὸ πρᾶγμα· εἶτα καὶ τὴν σεαυτοῦ φύσιν κατάμαθε, εἰ δύνασαι βαστάσαι.

Νᾶφε, καὶ μέμνασ᾽ ἀπιστεῖν· ταῦτα γὰρ ἄρθρα τᾶν φρενῶν.

CAP. V. *Sect.* 2. Τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς. Ὃ γὰρ ἀγαπᾷ τις, καὶ μιμεῖται ὅσον αὐτῷ οἷόν τε.

Ἡ τῶν προσφερομένων πολυτέλεια τιμὴ εἰς Θεὸν οὐ γίνεται, εἰ μὴ μετὰ τοῦ ἐνθέου φρονήματος προσάγηται. Δῶρα γὰρ καὶ θυηπολίαι ἀφρόνων πυρὸς τροφή, καὶ ἀναθήματα ἱεροσύλοις χορηγία.

Ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς Θεὸς οὐκ ἔχει.

Εὐσεβέσιν δὲ βροτοῖς γάνυμαι τόσον ὅσον Ὀλύμπῳ.

Sect. 3. Μόνος ἱερεὺς ὁ σοφός, μόνος θεοφιλής, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι. Μόνος γὰρ οἶδε τιμᾶν τὸν Θεὸν ὁ τὴν θείαν ἐπιστήμην ἔχων, καὶ ὁ προηγουμένως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν.

Sect. 6. Τὰς ἀδαμαντίνους φύλακας τῆς ψυχῆς.

Ἀλλὰ δεῖ φεύγειν τὴν πρᾶξιν πάσῃ δυνάμει, κἂν δέῃ ἀποθανεῖν πάντα παθόντα τὰ δεινότατα.

Sect. 9. Μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μηδὲ βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον.

Τὸ λεπτὸν ὄχημα, καὶ τὸ ἄϋλον σῶμα.

Τὸ εἰδέναι σώζειν τὸ ὄργανον, καὶ συναρμόζειν πρὸς τὴν φιλόσοφον χρῆσιν.

Sect. 10. Δεῖ γὰρ σὺν τῇ ἀσκήσει τῆς ἀρετῆς καὶ τῇ ἀναλήψει τῆς ἀληθείας καὶ καθαρότητος, ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τῶν περὶ τὸ αὐγοειδὲς ἡμῶν σῶμα, ὃ καὶ ψυχῆς λεπτὸν ὄχημα οἱ χρησμοὶ καλοῦσι. Διατείνει δὲ αὕτη ἡ κάθαρσις ἕως σιτίων καὶ ποτῶν καὶ τῆς ὅλης διαίτης τοῦ θνητοῦ ἡμῶν σώματος, ἐν ᾧ τὸ αὐγοειδὲς ἔγκειται, προσπνέον τῷ ἀψύχῳ σώματι ζωήν, καὶ τὴν ἁρμονίαν αὐτοῦ συνέχον. Ζωὴ γάρ ἐστι τὸ ἄϋλον σῶμα, καὶ ζωῆς ἐνύλου γεννητικόν, δι᾽ ἧς τὸ θνητὸν ἡμῶν σῶμα συμπληροῦται, ἐκ τῆς ἀλόγου ζωῆς καὶ τοῦ ὑλικοῦ σώματος συγκείμενον, εἴδωλον ὂν τοῦ ἀνθρώπου, ὃς ἐκ λογικῆς οὐσίας καὶ σώματος ἀΰλου συνέστηκεν.

Sect. II.

Sect. 11. Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τῷ αὐγοειδεῖ ἡμῶν σώματι προσέφυ σῶμα θνητὸν ὄν, καθαρεῦσαι δεῖ καὶ τοῦτο, καὶ τῆς πρὸς αὐτὸ συμπαθείας ἀπαλλαγῆναι.

Sect. 12. Αἱ γὰρ τῆς λογικῆς ψυχῆς καθάρσεις καὶ τοῦ αὐγοειδοῦς ὀχήματος προμηθοῦνται, ὅπως ἂν αὐταῖς ὑπόπτερον καὶ τοῦτο γενόμενον μὴ ἐμποδὼν ἴσηται πρὸς τὴν ἄνω πορείαν. Πτεροφυΐα δὲ αὐτοῦ ἀρίστη ἡ κατὰ μικρὸν μελέτη τῆς τῶν περιγείων ἀποστάσεως, καὶ ὁ πρὸς τὴν ἀϋλίαν ἐθισμός, καὶ ἡ ἀπόθεσις ὧν ἂν ἐπλήσθη μολυσμῶν ἐκ τῆς πρὸς τὸ ὑλικὸν σῶμα συζεύξεως. Διὰ τοῦτο γὰρ ἀναβιώσκεται τρόπον τινὰ, καὶ συλλέγεται, καὶ θείου πληροῦται τόνου, καὶ τῇ νοερᾷ τελειότητι τῆς ψυχῆς συνάπτεται.

Sect. 13. Τὴν τοῦ αὐγοειδοῦς θεραπείαν τῇ καθαρότητι τῆς ψυχῆς σύμφωνον ἀποδοῦναι.

Sect. 14. ————Καὶ φράζευ ἕκαστα
Ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην.

Γνώμην μὲν, ὅτι λογικὴ δύναμις· Ἡνίοχον δὲ, ὅτι ἐφαπτομένη καὶ ἐπιστᾶσα τοῦ σώματος. Τὸ δὲ ἐρωτικὸν ὄμμα ὑπὲρ ἡνίοχον τέτακται. Εἰ γὰρ καὶ μία ψυχὴ, ἀλλ' ὄμματι μὲν οἷον θεωρεῖ τὸ τῆς ἀληθείας πεδίον· τῇ δὲ ἀναλόγῳ πρὸς χεῖρα δυνάμει τὸ συμφυὲς σῶμα κατέχει, καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέφει, ἵν' ὅλη πρὸς τὸ θεῖον ἴδῃ, καὶ τὴν θείαν ὁμοίωσιν κτήσηται.

CAP. VII. *Sect.* 3.———Πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.

Sect. 4. Τὸ γὰρ εὐμενὲς ἀνίκητον, ἐὰν γνήσιον ᾖ, καὶ μὴ σεσηρὸς μηδὲ ὑπόκρισις.

Ἔδοξεν αὐτῷ. Πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἀγνοεῖ.

Sect. 5.———Ἀεὶ ὡγαθὸς ἐστ' ἀγαθός.

CAP. VIII. *Sect.* 10. Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐκμελέτα, τούτων χρὴ ἐρᾷν σε·
Ταῦτά σε τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.

CAP. IX. *Sect.* 6. Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι οὐκ ἐστὶ θέμις.

Sect. 10.———Ἐκτείνας πυρινὸν νοῦν
Ἔργον ἐπ' εὐσεβίης, ῥευστὸν καὶ σῶμα σαώσεις.

Sect. 11. Ὑγιεία πρεσβίστα μακάρων, Μετά σοι ναίοιμι τὸ λειπόμενον βιοτᾶς.

Sect. 12. Ὁ ἀγαθὸς καὶ ἁπλοῦς καὶ εὐμενὴς ἐν τοῖς ὄμμασιν ἔχει ταῦτα, καὶ οὐ λανθάνει.

Sect. 18. Πᾶν μοι συναρμόζει ὃ σοι εὐάρμοστόν ἐστιν, ὦ κόσμε.

CAP. IX. *Sect.* 1.———Μεθ' ὁμήγυριν ἔρχεαι ἤδη
Δαιμονίην ἐρατοῖσιν ἀναπνείουσαν ἀήταις.
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἔνι δ' ἵμερος ἁβρὸς ἰδέσθαι
Εὐφροσύνης πλείων καθαρῆς, πληρούμενος αἰὲν
Ἀμβροσίων ὀχετῶν θεόθεν· ὅθεν ἐστὶν ἐρώτων
Πείσματα, καὶ γλυκερὴ πνοιὴ, καὶ νήνεμος αἰθήρ.

Sect. 8. Ταράττει τοὺς ἀνθρώπους οὐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα.

EPISTOLA
H. Mori ad V. C.
QUÆ
APOLOGIAM
Complectitur pro
CARTESIO,
Quæque
INTRODUCTIONIS
Loco eſſe poterit ad Univerſam
PHILOSOPHIAM CARTESIANAM.

Πάντα ἐν τῷ παντὶ μηχανικῶς γίγνεσθαι παντελῶς ἀμήχανόν ἐστιν.

Editio quarta, omnium correctiſſima.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
MDCLXXIX.

EPISTOLA
H. Mori ad V. C.

Quæ Apologiam complectitur pro *CARTESIO*, quæque Introductionis loco eſſe poterit ad univerſam *Philoſophiam Carteſianam.*

1. *Non omnia ſe Carteſiana ſine delectu amplecti.*

1. REM magnam à me poſtulas, *V. C.* nempe ut de Philoſophorum Triumviratu hujus ſeculi maximè inſignium ſententiam feram. Quorum quidem de duobus nihil planè ſtatuere poſſum, utpote quos nondum perlegi; nec è re credo fore mea eos unquam perlegere. Miror equidem quòd ex me quæras quid de tertio illo ſentiam, cùm præclaram illam opinionem quam de eo concepi plùs ſemel publicè teſtatus ſim. Sed dum porrò ſciſcitaris, quas potiſſimùm ob cauſas illius Philoſophiam tam avidè ſim amplexus, uberioris Reſponſi argumentum mihi ſuppeditat importunior illa interrogatio. Neque enim quæſtio eſt una atque ſimplex, ſed accuſatiunculæ cujuſdam aculeo præarmata, quaſi Carteſiana omnia ſine delectu admitterem & foverem.

Verùm multò aliter ſe res habet ac ſuſpicaris. Quamvìs enim incomparabilis Philoſophus in Inventis ſuis ac Ratiociniis pleriſque omnibus adeò ſupra humanam ſortem felix ſit ac ingenioſus ut, quod ubique ferè præſtat, id nullubi eum non præſtitiſſe credere cogi videamur; me tamen Natura tam tardo ac hæſitabundo ingenio finxit, ut nullius mortalis authoritas mentis aciem ità potuerit unquam perſtringere, ut hoc faſcino devinctus eis Theorematis fidem haberem quorum veritas ſatis ſolidis argumentis non ſit ſuffulta, multò minùs eis quæ propriis animi ſenſibus ac rationi repugnant. Itaque breviter dicam; Tantum abeſt ut tam avidè Carteſiana omnia cruda cocta perinde devorem, ut liberè apud te profitendum cenſuerim, me in illius Scriptis obſervâſſe nonnulla quæ nullo pacto deglutire poſſum. Quæ operæ pretium fore exiſtimo tibi recenſere, ut poſtquam Carteſium perlegeris, quod brevì te facturum ſcribis, judicium tuum experiri poſſim, an de eiſdem Theorematis juxta mecum ſentias.

2. *Ad tria ferè genera revocari quicquid uſpiam lapſus eſt Carteſius.*

2. Ad tria cauſarum genera revocare poſſumus quicquid uſpiam lapſus eſt Carteſius. Nimirum vel ad ſimplicem nudámve inadvertentiam, qualis in omnes ferè mortales cadere ſolet: Vel ad nimium ſive prudentiæ ſive honeſtæ cujuſdam aſtutiæ ſtudium, cujus haud adeò multi rei ſunt: Vel denique ad enormem quandam Mathematicæ certitudinis ac neceſſitatis in ſingulis ſuis concluſionibus affectationem; quò certè perpauci adhuc aſpirârunt in rebus naturalibus, nemo prorſus eò uſque pervenit, nec fortaſſis unquam eſt perventurus.

3. *Primi generis exempla.*

3. Ad primum genus referri poteſt modus ille quem explicat Refractionis, ***Dioptric.*** ***cap.*** 2. & ratio ſitûs imaginum in Reflexione, ***cap.*** 6. cum paucis aliis, de quibus forſan mox plura dicemus.

4. *Exempla ſecundi.*

4. Secundi generis duo inſignia occurrunt exempla. Primum eſt, explicatio naturæ Motûs, quem dicit ſemper eſſe reciprocum. Quæ quidem notio manifeſtis contradictionibus mihi ſemper viſa eſt involvi. Maluit tamen hoc modo ***obſcurare verbis ſcientiam,*** quàm non videri minus motûs tribuere terræ quàm aut Copernicus tribuit aut Tycho; imò omnem motum illi adimere, ut majorem gratiam Philoſophiæ ſuæ conciliaret, ſibique meliùs caveret ab eis hominibus apud quos inveterata conſuetudo cæcáq; authoritas plus valet quàm luculentiſſima quævis demonſtratio. Manebat enim proculdubio altæ menti infixum durum illud Galilæi fatum, qui tam liberos circuitus terræ tribuendo circa Solem, libertatem ſibi ademit ſuam, greſsúſque proprios intra carceris limites circumſcripſit.

Alterum exemplum eſt de brutis animantibus, quas inanimes Machinas inſenſatáque Automata eſſe fingit. Quod lepidum commentum neceſſe erat comminiſci, nè brutorum animas pariter ac noſtras ex ſua philoſophandi ratione concluderet immortales. Cùm enim firmiter teneret nè viliſſimum quidem cogitandi actum cadere in Materiam qualitercunque modificatam, ſi agnoviſſet ſenſum ineſſe brutis, debuiſſet etiam concedere ſubſtantiam ipſis ineſſe realiter à materia diſtinctam, hoc eſt, animam immortalem. Senſu igitur maluit bruta privare, quàm ſe ſinere inſenſatorum & captioſorum hominum odioſis quæſtiunculis de brutorum ſtatu poſt mortem irretiri & torqueri.

Huic generi accenſeri debet quod obiter profert *Princip. part.* 3. *Art.* 2. de non inveſtigandis finibus earum rerum quas in Naturæ complexu videmus. Quo monito proculdubio ſibi præcavit ab importunis illis ſciſcitationibus quas male-feriati homines urgere poſſent de univerſo genere tam Cometarum quàm Planetarum, utì etiam de Stellis, quas totidem quaſi Soles eſſe ipſe planè agnoſcit. Admodum enim proclive erat porrò interrogare, in quem finem tot Soles creâſſet Deus, quibúſve lucerent. Et, cùm in Planetis omnibus (utpote qui eandem ferè originem, ab incruſtatis ſcilicet ſolibus, eundémque productionis modum, habuerint) ſit terra, mare, aër, magnes, aurifodinæ, *&c.* quærere inſuper, annon etiam tum bruta animalia, tum nobiliores illi incolæ, homines, ſingulis ineſſent. Tranſcurrentes denique Cometas hoſpitiúmque ſibi in aliquo Vortice quærentes, annon credibile ſit novorum ipſos Terrarum orbium eſſe jacta rudimenta. E quibus ſpinoſis quæſtionibus facillimè ſe expedire poſſe ſperabat *Carteſius*, maturè præmonendo tam profundum eſſe Dei conſilium in Naturæ operibus, ut ſummæ ſit temeritatis fines eorum inveſtigare. Novit enim homo naſutiſſimus, potiorem multò eſſe ignorantiæ ſimulationem, quàm intempeſtivæ venditationem ſcientiæ.

5. *Tertii exempla.*

5. Ad tertium genus ſpectat id quod adhibet ad demonſtrandum Rarefactionem & Condenſationem fieri ad modum ſpongiæ: nempe Diſtantiam, ſive Spatium, ac Corpus idem eſſe realiter, nec ullam ullubi fingi poſſe Extenſionem quæ non ſit realis affectio alicujus corporis. Quod fundamentum magnopere *Carteſio* placuit, quoniam certitudine, ſi fieri poteſt, pluſquam Mathematicâ ſuum Rarefactionis & Condenſationis modum confirmat; ac præterea totam doctrinam de immenſis numero ac magnitudine Vorticibus, déque particulis primi elementi in infinitum diviſis, mirificè ſuffulcit. Mihi verò Fundamentum illud non arridet ullo modo. Tum quòd rationes illæ quas pro eo adducit Carteſius non ſatìs validæ ſunt, prout fusè in literis meis probavi; tum quòd innuit materiam aut per ſe independenter exſiſtere, aut ſaltem ab omni æternitate ſimul cum Deo exſtitiſſe, neceſſariò ab ipſo productam eíque coævam. Quorum prius cum vera Dei notione planè ἀσύστατον eſt, poſterius durum ac temerarium. Quamvìs non ſit diffitendum fuiſſe ſemper, atque etiamnum eſſe, qui utramvis opinionem cum Dei Exſiſtentia cultúque religioſo ſeriò conjungunt.

Porrò, ad morbum hunc Mathematicum ſummæque certitudinis pruriginem reducenda eſt & illa Carteſii de concluſionibus ex Mechanica Motûs neceſſitate, per univerſam ſuam Philoſophiam, perpetuò deducendis magnifica Pollicitatio. Neque enim putabat Vir ſagaciſſimus ſe ſatìs ſecurum de certitudine eorum modorum quibus Naturæ Phænomena fieri aſſerit, ſi Divina conſilia (quæ variis modis eadem Phænomena exhibere poſſint) cum Materiæ Motûſque legibus miſcerentur. Sed ingens hic ardor atque ſtudium deducendi ſingula ex certa hac atque inevitabili Materiæ lege, Motûſq; ejuſdem menſurâ in univerſo Mundo ſemper permanentis, generoſum *Carteſii* ingenium ità effaſcinavit, ut non raro præproperè nimis imaginatus ſit ſe id præſtitiſſe, quod tam efflictim ubique præſtare deſiderat. Omiſſis aliis, unum duntaxat, ſed præfulgidum maximíque momenti, producam exemplum, nempe de efformatione particularum ſtriatarum, earundémque motu. Tantum enim abeſt ut neceſſariò fiant eo modo quo ille rem explicat, ut valde improbabile videatur, imò forſan impoſſibile, eas ità efformari, aut formatas ejuſmodi legibus moveri.

Intorſionem enim particularum ſtriatarum ex motu globulorum Vorticis per quem tranſeunt oriri aſſerit, magíſque vel minùs intortas eſſe pro celeritate motûs globulorum circa axem Vorticis circumvolutorum; eas nempe quæ longius, magìs, quæ verò propiùs abſunt ab Axe, minùs intorqueri; quemadmodum conſtat ex * *Artic.* 90, *&* 91. *tertiæ part. Princip. Philoſophiæ.* Sed nulla prorſus videtur Mechanica neceſſitas ut columellæ illæ triangulares communi Vorticis raptu in gyrum vertantur circa proprios axes. Idem enim hìc experiri poſſemus in qualibet materia, præſertim in rotunda pariter ac longa, poſitâque in tubo vel canali aliquo Telluris axi parallelo. Hanc enim nemo ſomniaverit ex raptu terræ in circuitum, circa proprium itidem axem in canali ſuo gyratum iri. Pari igitur, ſi non potiori, ratione intelligamus triangulares illas particulas in columnæ formam productas communi Vorticis motu circumagi, nec tamen interim ſibi ullos proprios gyros acquirere ex hac circumactione. * Nam æquè certum eſt (ídque certitudine prorſus mechanicâ) omnes globulos ab axe Vorticis illâ circumrotationis vi repelli, quàm gravia omnia craſsáque corpora versùs centrum terræ remitti; ità ut omne ſubterfugium hinc præcludi videatur inania reſponſa comminiſcenti.

* Vide Tranſ. Gallic. *Et que ces trois canaux ſont plus ou moins tournez, à proportion de ce qu'elles paſſent par des endroits qui ſont plus ou moins eloignez de cet eſſieu, à cauſe que les parties du ſecond element tournent plus vite en ces endroits plus eloignez qu'aux autres plus proches.*

niſcenti. Quibus addas vel ipſam figuram harum columnarum triangularium magno fore impedimento iſtis propriis ipſarum gyrationibus quas fingit Carteſius. Nam ſimul ac lentor ille materiæ ſatis ſit induratus ad retinendam hanc formam triangularem, anguli columellarum adeò erunt robuſti ob craſſitiem ſuam ut haud facilè ſiverint ſe intorqueri. Recto igitur, ſed celerrimo, curſu pergent triangulares hæ columnulæ per ſpatia illa triangularia ſine ulla ſui intorſione, modò continuâ ſerie ſpatiorum anguli in eiſdem ferè reperiantur lineis.

Quòd ſi anguli horum ſpatiorum triangularium in eiſdem lineis non reperiantur, ſed anguli & latera alternatim ſe mutuò ſecent, (quod ſanè factu facilius videtur, globulis eo ſitu in formam ſtabiliorem magiſque compactam relabentibus;) videamus tandem an hoc modo res feliciùs ſucceſſura ſit, exſiſtátque ulla Mechanica neceſſitas ut dictæ columnulæ in formam cochlearem torqueantur. Supponamus igitur materiam primi Elementi tranſeundo per ſpatium triangulare A B C ſibi acquiſiviſſe figuram triangularem, ipſi verò hoc modo formatæ proximè occurrere alterum ſpatium triangulare D E F, angulis ſuis prioris latera ſecans, ſi eo nempe ſitu committerentur. Profectò longè abeſt ut intorqueantur hæ particulæ eis legibus quibus intorqueri contendit Carteſius. Nam tametſi Materia ſubtiliſſima ſimul ac ſatis lentuerit formam neceſſariò acquirat triangularem tranſeundo, putà per A B C; præ teneritudine tamen conſiſtentiæ ſuæ motûſque celeritate vix credibile eſt quin, dum impingit hæc columnula in DE, EF, FD, latera trianguli DEF, abradat prorſus & deperdat omnem illam materiam quæ continetur angulis a A a, b B b, c C c, fiátque indè non triangularis, ſed ſexangularis, penéque rotunda; unde & contorſionis neceſſitas illa Mechanica planè periret. Et certè ſi daremus productos illos angulos columnulæ triangularis alliſione illâ non abradi, ſed protuberantiâ globulorum, qui ſuccedens triangulare ſpatium claudunt, inverti duntaxat & intorqueri, (quod tamen, ut dixi, ob celeritatem tranſitûs recénſque formatæ particulæ teneritudinem nullo modo eſt probabile,) ſequeretur tamen nihilominus rem admodum eſſe fortuitam quas in partes hæ columnulæ intorqueantur, nempe an ſecundùm ordinem Vorticis G H, an verò contrà. Nam cùm globuli ætherei proximè ſibi adjacentes ſint ejuſdem magnitudinis, triangularia illa ſpatia æqualia erunt æqualitérque ſe interſecabunt, ità ut angulus A, dum impingit in latus F D, in ipſum medium lateris neceſſariò cadat; & ſic de reliquis. Unde nulla ſuppetit ratio quare columnæ illæ triangulares intorqueantur versùs H magìs quàm versùs G, & vice versâ: Ac proinde meritò concludi poſſit, particulas ſtriatas nunc hàc nunc illàc in efformatione ſua torqueri, nec omnes ab eodem polo venientes in eaſdem partes eſſe intortas. Quo quidem pacto everterentur penitùs notiſſimæ illæ Magnetiſmi leges, Mundíque Phænomena mutarentur. Quamobrem neceſſe eſt altiorem aliquam cauſam & diviniorem quàm Materiam Motúmque purè Mechanicum ad hoc opus adſciſcere, ſi tam affabrè, tam conſtanti artificio, ínque tam utiles fines deſtinato, cochlearem in formam columnulæ illæ triangulares ſint torquendæ.



Idémque ſtatuendum eſt de curſu & tendentia ipſarum hoc modo jam intortarum. Nam ad certas partes lege certâ pergere ſupponuntur, quæ tamen Mechanica eſſe non poteſt. Ut quando tranſeunt per Materiam ſubtilem ſideris jam cortice incruſtari incipientis, aut jam ferme incruſtati; niſi hìc vis aliqua directrix Mechanicâ divinior ſtriatarum curſum regat ac moderetur, impoſſibile eſt quin ab axe ſideris latera versùs rejiciantur, alteráque extremitate eò porrectâ corticem feriant lineâ ad axem ſideris non parallelâ, ſed ad angulos ſaltem obliquos eum ſecanti: Incredibile enim eſt alteram extremitatem ſtriatarum particularum alteri ut plurimùm non præponderare magíſve ſolidam eſſe. Hoc ſaltem manifeſtum eſt, cùm hæ ſtriatæ ſimul cum ſidere circumrotentur, neceſſe fore, ob rapidiſſimos materiæ ſubtiliſſimæ gyros, ut ab axe recedant, confertímque versùs eas ſideris partes quæ propiùs abſunt ab Ecliptica retrudantur; unde maxima vis Magnetiſmi versùs Telluris Æquatorem, nulla ferè versùs Polos, reperiretur. Quòd ſi minùs pura jam evaſerit Elementi primi Materia, contractíſque ſordibus aliquantulùm lentuerit, particulæ ſtriatæ tam longo itinere motum ſuum perderent, viam ſibi findendo per hunc Materiæ lentorem craſſiorémque conſiſtentiam.

Sed concedamus rectè hìc omnia intus peragi ac feliciter, videamus quid fiat de his ſtriatis particulis cùm integro impetu exſiluerint foras. Certè mihi credibile non eſt, ſi nullam aliam vim haberent moderatricem præter legem purè mechanicam, eas tam proſpero exitu reditúque curſus ſuos repetere poſſe. Nam ut omittam quàm facile ſit particulas Auſtrales in foramina Borealia & Boreales in Auſtralia impingere, illiſq; impactionibus meatus magneticos (præſertim dum teneri ſunt recénſq; formati) turpiter deformare; id certè mihi videtur ſupra omnem Mechanicæ legem poſitum, quòd factis quaſi agminibus tam conſtanti curſu revertantur à Polo ad Polum, & in liberum ætherem non rectà proficiſcantur ut jacta ſpicula vel ſagittæ. Mechanicis enim legibus magis conſonum eſſet ut viam ſibi perforarent per aerem, (etiamſi eum fingeremus aliquantò craſſiorem,) motúmque ſuum ac vim hiſce conatibus impendendo perderent, quàm ut, datâ quaſi operâ, reditum molirentur, curſúmque ad alterum polum tam longè diſtantem dirigerent. Nam cùm ſemel è partibus Terræ magneticis in aerem ſe projecerint, clauduntur protinus aeris partibus omnimodè conſimilibus, ut quæ proximè ſibi invicem adjacent. Unde manifeſtum eſt, nihil corporei in cauſa eſſe poſſe cur hæ particulæ, homogeneis undique aeris partibus iſthoc modo involutæ, hàc potiùs erumperent quàm illàc, aut quòd reverti mallent quàm rectà viam conficere, vel in ſublime ferri; ſed ſubeſſe altius aliquod Principium & divinius quod errantes revocet, quódq; motus curſúſq; earum in fines certos & deſtinatos ubique moderetur & gubernet.

Poſtremò, ad κυμινοπρισίαν hanc ſive μικρολογίαν Mathematicam referre poteris cautum illud ac ſcrupuloſum Principium, *viz.* Quòd nè tantillo quidem plus minúſve motûs ſit in rerum Univerſitate uno tempore quàm alio. Quod nullis, quod ſciam, rationibus defendi poteſt niſi precariis vel fictis. Cujus generis duæ mihi occurrunt. Prima eſt, nec Genios nec Animas humanas materiam poſſe movere, ſed motus ejus duntaxat versùs hanc vel illam partem determinare; cùm planè gratìs dictum ſit Eſſentiam ullam activam ac operativam, qualis ab omnibus æſtimatur ſubſtantia ſpiritualis, habere vim coërcendi, ſiſtendi ac gubernandi materiam motam, & tamen nè minimam quidem vim unquam habere poſſe eandem ullatenus movendi. Altera eſt, Corpus quod alteri corpori motum imprimit, quantum illi motûs imprimit, tantundem de ſuo ſemper perdere, partémque quam perdit eandem numero in alterum corpus tranſire: quod credo me, ſi vacaret, ex ſpeculatione Potentiarum, quas vocant, Mechanicarum facillimè poſſe refutare. Sed cùm hæc de eodem prorſus, tam numero quàm menſurâ, motu in Mundo ſemper permanente opinio ad quoſdam Carteſii ſequaces magìs quàm ad ipſum pertineat, illis potiùs quam ipſi impingenda eſt hæc temeritatis culpa.

Vides tandem quàm non omnes illas dapes quibus tam lautè amicos ſuos excipit Carteſius promiſcuâ ingluvie devorem.

6. *Cur tantopere ſibi indulgeat lectionem Philoſophiæ Carteſianæ: Prima Ratio.*

6. Poſtquam igitur hanc ſuſpicionem dilui, libenter quæſtioni reſponderem, ſi verba ſenſúmque paulùm mutaveris. Utique ſi mihi non exprobraveris tam avidos Inventorum Carteſianorum arctóſque amplexus, ſed interrogaveris ſolummodo quare profiteor me tanto cum ſtudio & voluptate Philoſophiam evolvere Carteſianam. Habeo enim in promptu multa quæ reſpondere poſſum.

Primò enim, nullus dubito quin omne id quod appellit ad ſenſus noſtros à Mundo ſenſibili (hoc eſt, ab externis Objectis, quæ *Phænomena* vulgò vocantur, quibúſque ſenſus noſtri afficiuntur) nihil omnino ſit aliud quàm motus corporeus aliter atque aliter ex magnitudine, figura, ſitúque partium Materiæ modificatus. Quod manifeſtò patebit omnes ſenſus ipſorúmque objecta percurrenti.

De tactu palàm eſt, qui non afficitur niſi alicujus corporis preſſione, adfrictione, impactione ſive illiſione, & ſimilibus. Porrò, quòd id quod admovetur corpori noſtro videatur molle vel durum, calidum vel frigidum, & id genus reliqua, motui tribuendum eſſe æquè manifeſtum eſt. Saccharum enim, ſaxa & ferrum, attritione confracta & in tenues pulviſculos comminuta, mollia fiunt; Aqua verò, ex motûs privatione partiúmque unione ac quiete in glaciem compacta, dura. Unde conſtat duritiem conſiſtere in firma unione quieſcentium partium, mollitiem in earum disjunctione, modò ſatis tenues ſint, majorémque fore mollitiem ſi motus tenuitati acceſſerit: quod fusè, ſi opus eſſet, demonſtrari poſſet. Eandem etiam eſſe rationem de calido & frigido ex eo liquet, quòd motu ad hunc vel illum gradum adſurgente calor excitatur, & remiſſo illo motûs gradu vel diminuitur vel tollitur: Quemadmodum clarè videmus in aqua bulliente ſuper ignem in vaſe poſita. Quin & ipſius ignis naturam in vehementiſſima particularum agitatione conſiſtere ex eo planè deprehendimus, quòd maximam partem pabuli ſui in flammam, quæ vehementi motu agilíque vibratione ſurſum fertur, abſumit, ipſóſque cineres in minutiſſimas partes disjungit, unde & ipſi molles aliquatenus evadunt. Pari ratione reliquæ qualitates tactiles ex natura motûs explicari poſſent: ſed id juſti voluminis, non unius Epiſtolii, opus eſſet.

Cùm autem de tactu conſtet, quòd nihil id ſit aliud quàm motus corporeus quod ipſum

ſum afficit; ſecuri eſſe poſſumus idem contingere in guſtu, cùm & ipſe ſit tactus quidam, (etiam aſtipulante * Ariſtotele,) illiúſque perceptiones fiant ex Objecti atque Organi contactu corporeo, varientúrque ex variis motûs effectis in objecto. Omnes enim cibi ex aliis atque aliis ignis miniſteriis (cujus naturam in vehementiori particularum agitatione conſiſtere modò probatum eſt) alios atque alios ſapores ſibi adſciſcunt, variiſque modis guſtum afficiunt. Quod æquè verum eſt de Medicamentorum tam ſaporibus quàm viribus. Utraque enim ignis arte (qui, ut ſæpius dixi, nihil aliud eſt quàm motus quidam Materiæ modificatus,) augentur, minuuntur, variantur. Eſt autem & ipſe Sol ignis, cujus itidem calore fructus terræ omnes maturitatis gradus ſubeunt.

* *De Anima*, l. 2. c. 9.

Et quod ad odoratum attinet, quamvìs non videatur hìc eſſe idem ille Organi Objectique contactus, ſenſationem tamen motu corporeo fieri ex eo conſtat, quòd odores vento feruntur ad nares, & ſubindè divertuntur. Unde palàm eſt eos eſſe particulas quaſdam aeri innatantes, & odoratûs organo impingentes. Quod adhuc manifeſtiùs apparet in ſuffumigationibus, ubi agitatione ignis odores majori copiâ excitantur fortiúſque nares feriunt.

Soni etiam ab aere tranſvehuntur, deflectuntur corporum obſtaculis, & ab adverſis ventis impediuntur. Unde planè ſuam produnt naturam, indicántque ſe eſſe certos quoſdam motus per aerem tranſmiſſos. Quod etiam planiùs apparet ex ipſorum generatione. Nunquam enim auditur ſonus niſi ex aliquorum corporum colliſione: Quemadmodum palàm eſt tam in Animalium vocibus, & in pulſandis inflandíſve inſtrumentis Muſicis, quàm in inconditis quibuſlibet ſtrepitibus & fragoribus. Ipſa etiam Echo huic veritati accinit, quæ nihil aliud eſt niſi ſonus à corpore aliquo concavo repercuſſus, ſive reflexus. Quid autem, quæſo, à corpore reflecti poteſt quod ipſummet non ſit corpus? Sonus igitur nihil aliud eſt quàm motus quidam aeris, Echo autem nihil præter motûs hujus reverberationem.

Quemadmodum verò ex Echo deprehendimus ſonum motum eſſe quendam corporeum; ità pari ratione concludere poſſumus id quod ad oculos noſtros appellit ab Objectis viſibilibus nihil eſſe aliud præter hujuſmodi motum diſtinctis quibuſdam legibus modificatum. Nam ſpecies illas viſibiles, quas vocant, à corporibus reflecti apud omnes eſt in confeſſo. Nihil autem à corpore reverberari poſſe niſi corpus, jam monuimus ex ſe ſatìs eſſe manifeſtum. Univerſim igitur verum eſt, Senſationem nihil eſſe aliud niſi motûs corporei perceptionem, * aut ſaltem ſine iſtiuſmodi motu nunquam excitari.

Cujus quidem Theorematis (quod obiter moneo) inſignis eſt utilitas ad eos refutandos qui ſpecificas neſcio quas ſomniant Materiæ differentias, fingúntque certas particularum congeries, omni figuræ, motûs, ſoliditatis ſitûſque vi ſepoſitâ, ex ſola ſpecifica ſua natura immediata & immutabili varia illa Mundi Phænomena ſenſibus noſtris exhibere. Nam planè conſtat ex prædictis, aliiſque id genus quamplurimis quæ adjici poſſint, tum ſpecies hujuſmodi materiales omnes ſubindè mutari, tum ſenſus noſtros non aliter ab ipſis affici quàm per certas figuræ, motûs, magnitudinis ſitûſque leges in ipſis particulis.

Et certè quod ad prius attinet; Nemo qui hujuſmodi ſpecificas differentias in Materia fingit, niſi temerè & abſque omni ratione philoſophari velit, negare poteſt quin quæ, ſenſu judice, maximè diſcrepant, ſpecie etiam eadem oporteat differre. Jam verò, quæ major, obſecro, differentia ſenſibus noſtris unquam occurrit, quàm quæ Stellam inter & opacam hanc Terram, quàm calcamus, intercedit? Quod præclarum eſſet argumentum demonſtrandi * eandem numero materiam ſpecies quàm maximè oppoſitas ſubire, ac proinde Materiam nullubi ſpecie differre, ſi Hypotheſis Carteſiana de mutatione Stellarum in Planetas nuda Hypotheſis non eſſet, ſed agnita veritas. Hoc enim pacto conſtaret, quodlibet corpus terreſtre, quantumvìs durum & craſſum, ex ſubtiliſſima omnium materia (quæ ex ramentis globulorum æthereorum, ubique, utì patet ex uniformi luminis perceptione, homogeneorum, originem duxit) conflatum eſſe, &, ſi arte quidem non poſſit, ſaltem Naturâ & Temporum Fatorúmque ſerie in eaſdem minutias deteri poſſe ac diſſolvi. Cæterùm ut Hypotheſes miſſas faciamus, ſuccedaneam ſanè ac fermè æqualem vim habet ſolida illa macularum Solis obſervatio, quæ proculdubio ex ſubtiliſſimis illis particulis fiunt ipſo æthere tenuioribus. Quin & quæ cominùs conſpiciuntur idem teſtantur, ut craſſorum corporum, putà ſebi, ceræ, ligni in tenues ſplendentéſque flammas tranſmutatio; quemadmodum & graminum herbarúmq; in ſanguinem, carnem, oſſa, pelléſque bovinas vel ovinas converſio. Gramina enim, ſi ſenſus noſtros conſulamus, ab iſtis animalium partibus immane quantum differunt, ac proinde, juxta ſuprà dictum poſtulatum, ſpecificé.

Quòd verò ad alterum illud ſpectat, de particulis Materiæ ſpecie diſtinctis, quaſi ſolâ hâc ſpecificâ virtute Phænomenωn varietatem ſenſibus exhiberent, motu, ſitu, quiete, figurâ, cæteriſque Materiæ modificationibus ſecluſis; abunde mihi refutatum videtur ex prædictis obſervationibus, quibus clarè conſtabat, * Omne id quod ad ſenſus noſtros appellit motum eſſe corporeum aliter atque aliter ex magnitudine, figura & ſimilibus partium Materiæ affectionibus modificatum. Nec opus eſt quicquam huc adjicere, poſtquam animadverteris quàm manifeſta hujus veritatis inſtantia è natura luminis & colorum eluceſcat. Lumen enim oriri ex motu indè patet, quòd, ſi vehemens ſit aut propinquum, calor ſenſibilis ipſum comitetur. Colores autem non eſſe ſpecificas quaſdam qualitates, ſed motum certis legibus modificatum, conſtat ex Iride & Priſmate; quandoquidem nec in roridis illis nubium guttis, nec in ipſo priſmate, utpote diaphanis, ullus inſit color, ſed lumen certis modis refractum reflexúmve in iſtam colorum varietatem degenerat. Quod manifeſtum eſt indicium nec ullos ſpecificos colores corporibus opacis ineſſe, ſed lumen ab eorum ſuperficie aliter atque aliter, pro ſitu exteriorum particularum, reflecti, quo mutato colores protinus mutantur: utì conſtat in ære, ferro, aliiſque metallis, quorum ſuperficies colorem mutant aquis corrodentibus vel ſalinis aeris particulis impetitæ & fodicatæ. Quippe quòd neceſſe ſit, quòd particularum ſitus ſaltem, ſi non figuræ, in ſuperficie æris ferríve hâc inſulturâ atque impetu mutentur, globulíque ætherei aliter ab ære, putà, nitenti, ab æ rugineo aliter, reflectantur.

Quamobrem cùm tam clarè conſtet omnia mundi Phænomena, quatenus ſenſibus noſtris pateſcunt, motu perfici, certè ille mihi veriſſimas Philoſophiæ leges obſervare videtur qui tam accuratè cauſas horum Phænomenωn & tam profundè ſcrutatur, ut præcisè nobis enarret quo ſitu, quâ tenuitate, quibúſque particularum figuris, motus illi omnes qui variè ſenſus noſtros afficiunt modificentur. Hoc autem ſtupendum in modum nobis præſtitit à me nunquam ſatìs laudatus Carteſius.

7. *Ratio ſecunda.*

7. Præterea, nemo quiſquam eſt qui Materiæ Motûſque naturam vel mediocriter intellexerit, qui non planè viderit ex eo ſolo quòd Deus certum Motûs gradum (eundem putà quem in Mundo jam experimur) Materiæ impreſſerit, quòd varia indè Phænomena ſint emerſura. * Fieri enim non poteſt quin ea motûs menſura materiam ità diffringat & in exiles minutias conterat ut, quanquam quædam dura, (id enim ex minori motûs gradu alicubi contingeret,) alia tamen mollia, quædam ſenſui frigida, alia calida, alia planè ignea apparerent. Credóque Deum ex deſtinato * duobus hiſce ſimpliciſſimis rerum Principiis liberos ſuos vagóſque gyros ſemper permiſiſſe, quamdiu intra illos limites continerentur qui æquè commodi rerum Naturæ forent, atque ſi ipſorum impetus diviniori quadam vi ac lege compeſcerentur; ut eò magìs adblandiretur ingenio humano rerum naturalium contemplatio.

Phyſicum enim puto eſſe neminem qui, ſi mentem propoſitúmque ſuum probè noverit, non * agnoſcet ſe cauſas rimari effectrices rerum corporeas, eáſque, ſi fieri poteſt, longiori ſerie deductas, nexúque neceſſario concatenatas. Quales certè nullæ reperirentur, * ſi naturalibus & in ſe neceſſariis motûs corporei legibus Deus, intermediante ſuperiori aliquâ virtute, ubique ſedulò obſiſteret: Nulliuſque cauſæ efficientis inveſtigatio eſſe poſſet niſi immaterialis, nobiſque minimè omnium intelligibilis; * qualis eſt Peripateticorum forma ſubſtantialis, quæ eâdem ferè notione pariter ac nomine per res ſingulas pervagatur, nihilque nobis indicat præter ignorantiam noſtram ac nugacitatem, quos non puderet interroganti de Aqua, Igni & ſimilibus, quid & unde ſint, elatis ſuperciliis reſpondere, Ignem & Aquam Aquam eſſe & Ignem, ex eo quòd formæ quædam ſubſtantiales, quæ Ignem & Aquam conſtituunt, è gremio Materiæ in neſcio quas Materiæ partes prorepſerint, eóque pacto duo illa elementa Mundo exhibuerint. Apage frivolas iſtas ac otioſas nænias, quibus omnis humani ingenii induſtria conſopitur & ſufflaminatur, omniſque ejus ſagacitas & acumen retunditur & inutile redditur! Non tam torpidum naturalis Contemplationis objectum nobis propoſuit Deus: ſed tantum neceſſariis Motûs ac Materiæ legibus prudenter permiſit quantum ad perſcrutandas rerum naturalium cauſas nos excitare, & inventarum voluptate delinire, poſſit. Adeò ut non ſit ubique neceſſe * ad cæcum illud ignaviæ & ignorantiæ aſylum confugere, *internas* ſcilicet *formas ſubſtantiales*. Quis enim qui inter Philoſophos nomen ſuum profitetur rogatus de Lunæ phaſibus, de eclipſibus utriuſque Luminaris, ſi, omiſſis apertis illis ac neceſſariis Matheſeωs ac Naturæ rationibus, reſponderet ea omnia proficiſci ex internis Lunæ Soliſque principiis formiſque eſſentialibus, quæ faciunt ut certis temporibus Sol juxtà ac Luna lumine privetur, Lunâque ſtatis vicibus ſub hac vel illa phaſi videatur, quis, inquam, eſt è Philoſophorum grege qui tam frigidè & jejunè reſpondens non altis cachinnis ab omnibus exciperetur?

Quid autem faceret miſellus hic homuncio, ſi de Planetarum ſtationibus, directionibus & retrogradationibus fieret quæſtio? Neque enim recipere ſe poteſt ad Hypotheſin *Ptolemaicam*, utpote quæ manifeſtiſſimis ſcatet contradictionibus, utì omnes jam nôrunt qui vel primoribus labiis rem Aſtronomicam delibârunt. Succedat igitur *Tychonica*, ubi in libero æthere Planetæ omnes gyros ſuos perficiunt; & rogemus hunc noſtrum quid in cauſa ſit, cur Mars, Jupiter & Saturnus, poſtquam feſtinantiùs perrexerint ſecundùm ordinem Signorum, mox tanquam obtutu tacito defixi derepente ſubſiſtant, poſteàque, quaſi jam in memoriam revocâſſent rem aliquam cujus obliti fuerant, inopinatò recurrant. Proculdubio eâdem ſemper oberraret chordâ, diceretque id fieri ex internis horum Planetarum formis quas ipſis à prima creatione indiderat Deus, omnéſque eorum luſus, progreſſus, regreſſus & ſtationes eis naturales eſſe ex principiis ſuis conſtitutivis, quemadmodum motus deorſum lapidi motúſque ſurſum igni connatus eſt. Præclarum quidem Reſponſum, talíſque Reſponſoris ignaviâ & inſcitiâ nequaquam indignum! Dimiſſo igitur Nugatore hoc nugaciſſimo, experiamur quomodo huic quæſtioni ſatisfieri poſſit ex apertis & confeſſis Materiæ Motûſque legibus, quales Naturæ Artíque Mechanicæ planè communes eſſe meritò ſtatuit Carteſius.

Venerem citra ultráque Solem circuitus ſuos peragere ex ipſius phaſibus conſtat; eadémque ratio eſt de Mercurio. Martem autem, Jovem & Saturnum circa Solem ferri nemo adhuc dubitavit. Hos igitur quinque Planetas circa Solem ire & redire manifeſtum eſt. Quærendum eſt deinceps an moveantur viam ſibi ſecando per materiam ætheris, an motu ipſius ætheris circumvehantur. Primum autem non fieri ex eo liquet, quòd tam celeres Planetarum tranſitus materiæ cœleſtis reſiſtentia impediret, perderéntque pauxillo tempore motum ſuum fluido ipſum ætheri communicando. Reliquum eſt igitur ut circumvehantur ipſius ætheris motu, totáque materia cœleſtis, cui innatant, Vorticis inſtar circa ipſum Solem torqueatur. Inveſtigemus tandem quid de Terra fiat, quæ proculdubio intra limites hujus Vorticis invenitur. Stabítne illa in rapido hoc flumine, an movebitur? Quibus autem uncis, quibus funibus & anchoris, in profundo hoc mari detinebitur? Sed fingamus eam vi aliquâ ſupernaturali & immateriali ſtabilem & defixam. Deus bone! quantas procellas excitabit hoc contra ſanctiſſimas Naturæ leges Admiſſum! Cœleſtis enim Materia rapidiſſimi Torrentis inſtar Telluris faciem tanto inſultu impetúque affligeret, ut animalia, arbores, turres, omniáque prorſus ædificia dirueret, ſecúmque abriperet, imò univerſam terram decorticaret, & ſaltem ad metallicas uſque regiones penitùs diffringeret, abruptáſque partes, ad modum infandi naufragii, ſecum in vaſto hoc ætheris pelago tranſportaret. * Terram igitur oportet permittere, juxta Materiæ Motûſque leges, cum reliquis Planetis æthere quietè innatantibus circa Solem circumduci.

Et nè fortè interim de Luna ſis ſolicitus; cùm certum ſit eam circa Terram perpetuò ſingulis menſibus tanquam aſſiduam illius pediſſequam circumcurrere, nec id fieri poſſe niſi ope Vorticis, quemadmodum jam demonſtratum eſt; neceſſe eſt ut Luna peculiari Vortice circa Tellurem circumferatur. Cujus in medio cùm ſit ipſa Tellus, omnéſque illius poros materia cœleſtis, quæ in hunc particularem Vorticem torquetur, pervadat, fieri non poteſt per leges Naturæ * quin ipſa Tellus hujus Vorticis vi in gyros circa proprium axem rapiatur. Ut ſummatim igitur dicam, Impoſſibile eſt, ſi motûs corporei leges conſulamus, quin Terra diurno illo motu annuóque feratur quibus eam ferri olim docuit Ethnicorum ſapientiſſimus *Pythagoras*, cujúſque doctrinam ante ſeculum unum & alterum *Nicolaus Copernicus* in lucem revocavit.

Vides ex quàm perſpicuis ſimplicibúſque Principiis vel inviti ducimur ad eam Hypotheſin, (ſi modò Hypotheſis illa dicenda ſit quæ reali Naturæ compage neceſſariò continetur,) quâ poſitâ rationes & cauſæ non poſſibiles vel probabiles, ſed neceſſariæ & ineluctabiles, omnium ferè Phænomenων quæ Aſtronomorum ingenia per tam multa ſecula torſerant, manifeſtò deteguntur. Non enim magìs neceſſariò corpus noſtrum in Sole umbram projicit, quàm ex hoc rerum quod demonſtravimus ſyſtemate *Pythagorico* nota illa Planetarum Phænomena omnia, quæ mox ordine breviter recenſebimus, conſequuntur.

Cujuſmodi ſunt, Motus Saturni, Jovis, Martis, Mercurii, Veneris, in Epicyclis ſuis; quâ tamen interim ſupellectile Sol deſtituetur.

Quòd dicti illi quinque Planetæ ſint directi, ſtationarii, & retrogradi in Epicyclis ſuis; cùm tamen Luna in ſuo Epicyclo nec ſtationaria videbitur, nec retrograda.

Quòd circuitus Epicyclorum Saturni, Jovis & Martis eam habeant ad motum Solis rationem, ut ſemper perficiantur eo temporis ſpatio quod elabitur ab una ſingulorum conjunctione cum Sole ad alteram; quódque in ſingulis iſtis conjunctionibus cum Sole reperiantur in Apogeis Epicyclorum, oppoſitionibus verò in eorundem Perigeis.

Præterea, Periodos Epicycli Saturni celeriores fore quàm Jovis, & Jovis quàm Martis; Martis verò Retrogreſſiones majores fore quàm Jovis, Jovíſque quàm Saturni.

Porrò, quòd Venus ac Mercurius nunquam procul diſtent à Sole, centráq; Epicyclorum utriuſq; Soli videantur ἰσόδρομα.

Poſtremò, hiſce omnibus addas Phænomena ex motu Terræ diurno emergentia; Stellas nempe Planetáſq; omnes, quamvìs immenſis ſpatiis & à Terra & à ſe invicem diſtantes, viginti tamen quatuor horarum ſpatio circa terram ineffabili celeritate impetúque contrario retorqueri.

Quorum Phænomenων omnium, necnon aliorum quorundam, ſimplex hæc Pythagoræ Hypotheſis (quam veram eſſe tam certi eſſe poſſumus, quàm quòd folia quæ ab arbore in fluvium decidunt ſecundo, non adverſo, flumine feruntur) tam evidentes & neceſſarias cauſas exhibet, ut nemo niſi planè ſtupidus & delirus de eis poſſit dubitare, niſi Deum datâ operâ Naturæ leges turbare, cùm non opus ſit, fingere vellet. Quod quàm ſit inſulſum figmentum ſatìs ſuprà demonſtravimus.

Tandem perſpicis, V. C. quàm pulchra ſit & apprimè grata humano ingenio hæc philoſophandi ex immutabilibus & neceſſariis Naturæ legibus petita ratio: quo in genere cùm Carteſius cæteros mortales infinitis paraſangis antecelluerit,

Lucret. *de Rerum natura lib.* 3.

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Præſtinxit, ſtellas exortus uti æthereus Sol,

minimè mirari debes ſi aliquantò frequentiorem ſcriptorum ipſius lectionem mihi ſoleo indulgere.

8.
Tertia Ratio.

8. Veruntamen quamvìs admodum certus ſim aliquammulta Naturæ Phænomena ex Mechanicis legibus demonſtrari poſſe; nihil tamen æquè perſuaſum habeo quàm non omnia, imò nè milleſimam quidem eorum partem, eo modo poſſe explicari. Primò enim, ſi ex eo ſolo, quòd Deus ad certum aliquem gradum Materiam agitaverit & in motum civerit, totius Mundi fabrica facta fuerit, plantis brutorúmque corporibus, imò & hominum, non exceptis; creatio Univerſi Benignitati ſolummodo Divinæ ac Omnipotentiæ, excluſâ illius Sapientiâ, eſſet tribuenda. Niſi quis fortè putaret, non minoris eſſe ſapientiæ ex conſilio talem Mundi Materiam creâſſe quæ ex ſolis Mechanicæ legibus neceſſariis in hanc rerum formam pulcherrimam emergeret, quàm aliam aliquam quæ innumeris aberrantium motuum correctionibus & caſtigationibus indigeret.

Deinde, hæ motuum leges adeò ſimplices ſunt, idémque ferè ubique præſtantes, ut incredibile prorſus videatur miram hanc rerum varietatem indè poſſe oriri. Quid enim præſtat motus ullubi niſi quòd rectà pergat, aut ſaltem rectà pergere conetur? quòd pars materiæ ab altera parte reflectatur, aut eam ſecum auferat, partémque ſui motûs ipſi communicet? quòd denique in varias minutias diffringatur magnitudine, figurâ, ſitu diſtinctas? Diffringe igitur, ſi lubet, corpus quodvis durum, & piſtillo in pulverem contunde; mox adhibito microſcopio ſingulos pulviſculos contemplare. Videbis, proculdubio, pulviſculorum figuras à ruderum fragmentis nihilo differentes, niſi quòd minores ſint; nec primi tertiique elementi particulas à pulviſculis hiſce differre, niſi quòd ipſis adhuc multò ſint minores. I nunc & judica quàm bellæ rerum formæ ex cæcis confuſorum horum fragminum concurſibus, alliſionibus & coalitionibus oriantur, quali artificio illa depingant aut papilionum alas aut caudas pavonum. Ut nihil dicam de ſtupendo Divinæ Mentis conſilio in formando internas omnium animalium partes: ubi nihil ineptè admiſſum eſt, ſed ſingula tam accuratâ arte perfecta, ut neceſſe ſit agnoſcere Principium aliquod Materiâ motúve corporeo longè ſanctius ac divinius huic provinciæ invigilare. Quamvìs enim concederemus (quod tamen ego nullo modo concedam) viliora quædam animalcula hoc modo produci poſſe; tamen omnes animalium ſpecies ſic eſſe productas, nulláſque interim à tam cæco & fortuito principio ineptè eſſe formatas, omnino eſt impoſſibile; quemadmodum copioſè demonſtravi in Tractatu adverſùs Atheos.

Quamobrem ex eo, quòd quædam Phænomena exhibere poſſit ſimplex Materiæ motus, omnia hoc pacto præſtari poſſe confidere, abjectiſſima quædam ὑλολατρεία, i. e. ridicula & ſuperſtitioſa quædam Materiæ cæcæ adoratio & cultus, mihi videtur, non legitima philoſophandi ratio. Qua de re cùm ſemper fuerim ſatìs perſuaſus, certè ex lectione Carteſii jam evaſi omnium perſuaſiſſimus. Neque ènim dubito, quantum ingenium humanum præſtare poſſit ex Mechanicis rerum rationibus, incomparabilem hunc Philoſophum præſtitiſſe. Deprehendo tamen eum magnis illis pollicitis de perpetua concluſionum certitudine ex neceſſariis Mechanicæ legibus deducendarum ſæpiuſcule excidiſſe, ídque in reddenda ratione rudiorum generaliorúmque Naturæ Phænomenων: neque enim ultra illos limites adhuc proceſſerat. Quid igitur eum fuiſſe facturum putemus, ſi tentâſſet humani corporis vel alîus alicujus Animalis generationem ex eis ſolis principiis demonſtrare?

Sive vacillet igitur Carteſius, ſive firmiter figat pedem, utrumque ſanè mihi perjucundum eſt Spectaculum. Nam ſi incedit firmiter, ſpeculationem hoc pacto neceſſariam puréque naturalem nactus ſum: Si titubat, id etiam in lucro pono. Hoc enim non parùm facit ad veritatum Metaphyſicarum certitudinem, & ad demonſtrationem Eſſentiæ à Materia prorſus diſtinctæ. Nam ſi iſtiuſmodi in Mundo inveniuntur Phænomena quorum generatio Materiæ leges excedit, neceſſe eſt ut introducamus Principium immateriale & incorporeum, quem vulgò Spiritum appellitant. Ad quam vocem quàm exhorreſcant, tanquam pueri ad ſpectrum, barbati quidam ac grandævi hujus ſeculi Philoſophaſtri, nemo eſt qui ignorat.

9. *Quarta.* Sed nequa fiat injuria mirando Carteſii ingenio, quamvìs omnia per univerſam illius Philoſophiam nexu hoc Mechanico planéque neceſſario non cohæreant, ità ut unam perpetuam ac congenerem catenam exhibere poſſint; fatendum eſt tamen, * non paucas hujuſmodi inveniri catenulas verè aureas affabréque factas; ex quibus omnibus, non nudis quidem Materiæ legibus, ſed diviniori aliquâ vi coarctatis & ligatis, pulchra ſanè ſatíſque firma concluſionum omnium fit concatenatio. Verbi causâ, Quamvìs certi eſſe non poſſimus ex legibus Mechanicis ſtriatas illas particulas ſolâ Vorticis contorſione formari, quemadmodum jam diximus; facilè tamen ſupponere poſſumus, (niſi ὑλομανίᾳ quadam correpti eouſque inſanire velimus, ut audacter affirmemus omnia prorſus Univerſi Phænomena, nè ſtirpibus quidem, necdum animalibus, eâ conditione exemptis, ſolo motu corporeó fieri,) facilè, inquam, poſſumus ſupponere vim aliquam virtuti illi analogam, quâ animales fœtus (ſive matrum in utero, ſive in Telluris communis omnium parentis matrice) tam admirabili artificio efformantur, in cœlo juxtà ac in terra regnare, id eſt, Divinam Providentiam nullis locis aut ſpatiis excludi, ſed ubique præſtò eſſe paratámque ad attenuatæ ſubactæque Materiæ motus ità moderandos, ut nihil ullubi omittatur aut fiat quod non cedat aut in utilitatem aut in ornatum Univerſi: atque ex hac vi * (ſive Animam, cum Carteſio, illam appellare malles, ſive Spiritum) ubique & omnibus ſedulò proſpiciente, effectúſque ſuos præcipuos in ſubtiliſſimis & fluidiſſimis Materiæ partibus exhibente, cochleares illas particulas (ſine quibus Axis terreſtris paralleliſmus, Tempeſtatum cardines, Magnes, Navigatio, Gentium commercia ſtare non poſſint) maturè fuiſſe efformatas.

Evictâ autem earum efformatione, vel ſuppoſitâ, cætera omnia quæ tradit egregius Philoſophus, uſque ad locupletiſſimas illas de virtutibus magneticis demonſtrationes, mirificè inter ſe conſentiunt. Quamvìs nollem vel hîc fidem dare Univerſa Mechanicâ planè neceſſitate ubique concatenari, prout ſuprà monui. Sed è contrà, ut dicam ſummatim, ſuſpicor potiùs in Phænomenis pleriſque omnibus producendis, ubi conſpicitur ſatis magna partium multiformitas conſpirans in inſignem aliquam utilitatem aut pulchritudinem, rudes Materiæ impetus cæcáſque propenſiones & tentamina à divina illa virtute ſemper gubernari ac perfici. * Nam quod ad Halones Iridéſque ſpectat, & id genus reliqua quæ ſuam habent pulchritudinem, à cauſis ſimpliciſſimis fiunt; nec ea partium varietas, quam diximus, ullo modo in eis reperitur. Multò plus meretur admirationis illa quæ vel oculum vel ardentem lampadem referre videtur, Pavonis pluma. Cujus artificium tot diſtinctis filis, tot & tam amœnis coloribus, nunc intermiſſis nunc reſumptis, támque ſcitè attemperatis ad efformandam diverſicolorem illam Ellipſin, conſiſtit; ut tam operoſum effectum bruto Materiæ motui vel caſui, non conſilio, tribuere extremi mihi videatur ſtuporis aut dementiæ.

Eadem igitur rerum ſeries quæ reperitur apud Carteſium tutò agnoſci poteſt, ſed non eadem ubique hujus ſeriei connexio. Neceſſe enim eſt ut ſubindè ſe intermiſceat Divina illa Mundi rerúmque generandarum Gubernatrix Providentia.

10. *Quinta Ratio* 10. Quamvìs autem id à Carteſio non ſit præſtitum quod à nullo mortali præſtari poſſe pro certiſſimo habeo, nempe ut cauſæ rerum omnium naturalium uno tenore congeneríque ſerie à capite ad calcem deducantur, nullâ aliâ interpoſitâ vi præter mechanicam illam prorſúſque corpoream, cujus effectus cognoſcere proculdubio * pura puta illa Naturæ ſcientia habenda eſt: tamen in immenſam Gentis philoſophicæ voluptatem pariter ac commodum hoc ſaltem accuratè perfecit, ut clarè ſcilicet intelligamus immediatas cauſas effectrices, eáſque congeneres ſemper puréque corporeas, omnium ferè rerum ſenſibilium quas tractat. Quæ certè difficilis eſt provincia, & quam nulli præter eum ſuſcepere quos non meritò pœniteret eam unquam ſuſcepiſſe. Perſentiſcis tandem ob quàm multas graveſque cauſas tanti facio Carteſium.

11. Sed

11.
Ratio ultima.

11. Sed ut nihil te celem, una adhuc mihi ſupereſt peculiaris ratio, quæ, quamvìs forſan aliis admodum paradoxa videri poſſit, apud me tamen non parùm gratiæ conciliat Philoſophiæ Carteſianæ. Eſt autem illius cum Moſaica Mundi creatione conformitas. Rem miram, inquies, narras. Sed, mihi crede, valde veriſimilem. Nam, quod nôſti, Pythagoram ſuam ſapientiam à Judæis mutuatum fuiſſe conſtans ſuſtinuit fama. Præterea, exſtiterunt per ſingula ferè ſecula qui operam dabant applicandis nunc his nunc illis Philoſophiæ principiis textui Moſaico. Quo autem ſucceſſu mallem alii judicent quàm ego. Communibus igitur omnium ſuffragiis exſpectandus eſt illic ſenſus aliquis Philoſophicus; addo, Moſe Deóque dignus. Neque enim vilia ac puerilia ſanctiſſimo illo Literæ velamine abſcondiſſe credendum eſt intimum illum Dei ſapientiſſimi Amicum, ſed tam ampla, tam auguſta & tam fulgida, ut meritò verendum eſſet vulgi oculos ea ferre non potuiſſe. Moſem tamen ejúſque poſteros, Prophetas intelligo & Sacerdotes, cum probatiſſimis quibuſque maximéque cordatis tum ſuæ tum aliarum gentium hominibus ea liberè communicâſſe.

Hanc Cabbalam à Judæis acceptam, numeríſque ſingulorum dierum opera adumbrantibus involutam, magni fecit Pythagoras; nec ſivit Arcanum in vulgus emanare, quamvìs fortè de eo diſcipuli ejus ſymbolicis iſtis numeris ſenſum tegentibus vel apud imperitos aliquando garrire non recuſarent. Nucleum igitur ſibi ſervantes, putaminis fragmina ἀμυήτῳ populo projecerunt; quæ alii riſu, ſtomachatione alii, alii ſuſpicaci quadam veneratione exceperunt; indéque quàm plurimas numerorum & appellationes & virtutes verè Pythagoricas literis mandârunt. Quorſum autem iſta omnia? inquies. Breviter tibi dicam. Equidem mihi videor horum corticis fragminum ope nucleum ipſum inveniſſe ac recuperâſſe. Dum enim Moſaicæ creationis ſenſum Philoſophicum ſeriò meditabar, oculis hinc indè, nunc in veriſſima quælibet, quod judicare potui, Philoſophiæ principia, nunc in Textum ipſum conjectis, revera nulla invenire potui quæ tam examuſſim Moſaicæ paginæ congruerent quàm illa Carteſiana.

Tria ejus Elementa, non numero ſolùm ſed & naturis eorum haud obſcurè indigitatis, ibidem contineri deprehendi. Tellurem etiam obſervavi circa Solem circumvolvi, imò verò eam cum reliquis Planetis ejus eſſe naturæ tanquam ſi ipſi olim fuiſſent Soles. Ex materia denique cœleſti Terram, Lunam, cæteráque aſtra univerſa generari. Quæ omnia, pro tenui illa quâ polleo vocum Hebraicarum peritia, in Defenſione *Cabbalæ* meæ *Philoſophicæ* Moſaico Textui ità convenire demonſtravi, ut nemo ſit, modò tam certus eſſet de Philoſophiæ Carteſianæ veritate quàm plures ſe profitentur de Principiis Ariſtotelicis, quin ſtatim agnoſcat me veriſſimum fidiſſimúmque egiſſe Interpretem. Quòd ſi poſtea animadverterit quàm exactè Pythagoricorum illorum numerorum & nominibus & virtutibus res illæ congruant, quas ſingulis diebus adjudicavi, novum certè argumentum, neque id leviſſimum, ad Philoſophiæ Carteſianæ fidem faciendam ſe reperîſſe exſultanter gaudebit, mirabitúrque operoſiſſimum hoc ingenii humani inventum divino calculo tam clarè eſſe comprobatum. Ipſe tamen hujuſmodi demonſtrationibus non audeo nimiùm confidere. *Conjecturam* malui appellari, nihilque prorſus ſtatui; ſed maturis ſapientiſſimorum virorum judiciis rem totam permiſi.

12.
Carteſium injuſtè ab imperito vulgo Atheiſmi inſimulari.

12. Quod ad vagos illos ſuſurros ac rumores ſpectat quos ſpargi aïs de Carteſio, quaſi de Deo non rectè ſentiret, nihil eos moror. Novi enim maximorum ac liberrimorum ingeniorum perpetuum ferè fuiſſe fatum à ſemidocto vulgo Atheiſmi eſſe ſuſpecta. Nec tamen diffiteor in illius ſcriptis paucula reperiri quæ vel ab invidis vel imperitis in eam partem nimis facilè poſſint torqueri: qualia ſunt tria illa præcipué. viz.

13.
Qualia ſint quæ potiſſimùm hujus criminis eum ſuſpectum reddunt.

13. Primum, Implicare contradictionem Spatium vel Extenſionem dari quæ revera non ſit corporea; quo tamen morbido dogmate ipſas etiam Scholas laborare memini me obſervâſſe.

Alterum, Ex Mechanicis motûs Materiæ legibus omnia Naturæ Phænomena eſſe demonſtranda.

Poſtremum, Fines Phænomenωn ab ingenio humano non eſſe indagandos.

Quæ tria tam pravo aſpectu ſubdolóque nictu ſeſe mutuò contuentur, ac ſi Deum ac Providentiam è Mundo exturbare ſeriò conſpirarent. Sed nihil prorſus ab eorum aut conſiliis aut viribus eſt metuendum. Primam enim illam opinionem ipſe ſatis copioſè ac ſolidè refutâſſe mihi videor in Literis meis ad Carteſium. Alterius verò, Tractatûs mei adversùs Atheos pars ſecunda perpetua eſt & inexpugnabilis Confutatio. Sed aliter reſpondi atque inſtitui. Dico igitur eum non ex morbo aliquo Atheiſtico, ſed, prout * ſuprà monui, ſolummodo ex effræni quodam pruritu omnia concludendi certitudine planè Mathematicâ, priores illas duas, ex nimio autem prudentiæ ſtudio, opinionem tertiam tenuiſſe: neque opus eſſe hiſce diutiùs immorari, cùm ex † ſuprà dictis ipſe tibi poſſis pleniſſimum colligere Reſponſum.

* *Sect.* 2. & 5.

† *Sect.* 2. & 3.

14. Quod porrò addis, quoſdam ſubmuſſitare, eum cauſam illam quam ſuſcepit, Exſiſtentiæ Dei Animæq; immortalitatis demonſtrandæ, datâ operâ prodidiſſe, ſuſpicio eſt omnium injuſtiſſima & contumelioſiſſima. Nam quod ad Dei Exſiſtentiam attinet, primum illud argumentum quod adhibet non ſolum omnium optimum eſt quæ ratio humana excogitare poteſt, * ſed revera abſoluta perfectáque demonſtratio, & cui maximè confiſus eſt Carteſius, prout videre eſt alicubi in Reſponſionibus ſuis Metaphyſicis. Unde palàm eſt eum duo illa altera (quæ minùs firmiter concludunt, nec tamen ſuâ probabilitate carent atque acumine) primo huic, nè ſolum in campo ſtare videretur, in pompam potiſſimùm ſuccenturiâſſe.

14. *Quòd Exſiſtentiam Dei demonſtratione perfectiſſimâ probavit.*

15. In demonſtranda autem Animæ immortalitate vix latum quidem pilum aberravit; cúmque tam propè ſcopum attigerit, nullo modo dubitare poſſum quin conſtanter crediderit ſe revera eum attigiſſe. Cui confidentiæ vim inſuper addidit illud ingenii ſui fatum, quo ità addictus erat virtutibus Materiæ Mechanicis contemplandis, ut nihil in ea ſomniare quidem poſſet præter motum localem, ſitum, figuram & ſimilia: unde ſecurus erat cogitationem toto cœlo ab eis differentem alii alicui ſubſtantiæ eſſe tribuendam.

15. *Quòd in demonſtranda Animæ immortalitate tam propè ſcopum attigit, ut certum ſit illum firmiter eam credidiſſe immortalem.*

16. Porrò, piæ ac generoſæ illæ ad Animam ſuam hortationes ac gratulationes paulò ante ejus exitum, quibus eam monebat de ferendo morbo cum patientia, & de exſpectando liberationem ex hoc corporis ergaſtulo cum gaudio, abunde teſtantur eum ſeriò de Animæ immortalitate fuiſſe philoſophatum.

16. *Huic conſonare dicta ejus pia ac generoſa ſupremo inſtanti fato.*

17. Quibus omnibus adjici poteſt, tam de Dei exſiſtentia quàm de conditione Animæ (niſi Illum exſiſtere, Hanc verò ſubſtantiam eſſe crediderit à Materia planè diſtinctam) quàm plurima in illius ſcriptis occurrere, (ubi tamen abſque omni aſtu fucóve eum agere ipſæ circumſtantiæ ſatìs arguunt,) quibus ipſe ſibi pugnare manifeſtò deprehendatur: Cujuſmodi ſunt,

17. *Multa occurrere in ejus Philoſophia quæ Dei exſiſtentiam Animæque immortalitatem neceſſariò inferunt.*

1. Materiam ubique unam eſſe perfectéque homogeneam.
2. Ex eo nos certos eſſe quòd non fallimur ubi clarè ac diſtinctè rem percipimus, quòd non fortuitò nati ſumus, ſed à benigniſſimo Deo creati.
3. Subſtantiam eſſe quæ ſuâ vi exſiſtit, ac proinde Deo ac creaturæ non univocè competere, materiæ tamen mentíque noſtræ competere univocè.
4. Cogitationem ſubſtantiam intelligentem, Extenſionem corpus conſtituere. Et quemadmodum motus localis, ſitus, figura, ſunt modi corporis; ità imaginationem, memoriam, voluntatem, eſſe modos ſubſtantiæ cogitantis.
5. Imaginationem eſſe duplicem, corpoream & incorpoream; illam ope cerebri mentem noſtram exſerere, hanc abſque illius ope.
6. Libero nos pollere arbitrio, in ejúſque uſu legitimo veram conſiſtere generoſitatem.
7. Per imaginem quandam non magnam ſanè, ſed tamen in varias partes extenſam, Conarióque impreſſam, objectorum nos viſibilium perceptionem habere.
8. Menti noſtræ ineſſe quaſdam non à ſenſibus hauſtas, ſed ipſi planè connatas, notiones communes rerúmque ideas.
9. Denique, quòd alio prorſus modo concipimus magnitudines, figuras; alio dolores, colores, & ſimilia.

Quæ omnia partim cum Dei exſiſtentia, partim cum Animæ à corpore diſtinctione reali, tam intimè conjuncta ſunt, ut niſi planè deliraverit Carteſius, impoſſibile ſit quin utramque ex animo tenuerit.

Nam quod ad primum attinet, manifeſtum eſt ex lumine Naturæ, * ſimplicibus ejuſdem ſpeciei ſubſtantiis eaſdem prorſus genere ac gradu proprietates competere. Quemadmodum igitur certi ſumus cuilibet circulo cujuſcunque magnitudinis eandem ubique eſſe rationem diametri ad peripheriam; ità eaſdem eſſe in qualibet Materiæ particula proprietates ſecuri eſſe poſſumus. Quamobrem, ſi Materia immediatè ex ſua natura movetur, continuò ſequetur, Omnem Materiam, ſaltem ſi nullâ vi detinetur, eodem motûs gradu agitari. Unde neceſſe eſſet ut Terra reliquíque Planetæ liqueſcerent in materiam ſubtilitate & fluiditate aeri ſaltem, ſi non ætheri, parem; vel potiùs, ut nunquam in tam craſſam conſiſtentiam coaluiſſent. Palàm eſt igitur Materiam ex ſe quieſcere, quod & apertè mihi profeſſus eſt perſpicaciſſimus Philoſophus in ſuis ad me Literis. Unde impoſſibile eſt quin animitùs agnoſcat omnipotentem aliquem Materiæ motorem Deum: Imò & Animæ noſtræ à corpore realem diſtinctionem, niſi & omnem prorſus Materiam ſentire vellet; quod valde ridiculum eſſet, tantóque Philoſopho indignum.

Deinde, alterum illud principium tanti facit, ut ſeriò agnoſcat ipſum certitudinis illius, quam credit ſe habere de omnibus ſuis naturalium rerum demonſtrationibus, præcipuum eſſe fundamentum; prout videre poteris *Princ. Philoſ. part.* 4. *Art.* 206.

Hæc autem ſi rectè penſitaveris, modúmque ſcribendi diſtinctum & ſobrium quem adhibet (*Part.* 1. *Art.* 51, 52, 53, 54.) debitè obſervaveris, non ſuſpicaberis eum Theorema tertium quartúmque luſu vel joco, ſed bonâ fide, deſcripſiſſe; præſertim ſi inſuper cogitaveris, minimè eſſe probabile eum Metaphyſicæ ſuæ compendium Philoſophiæ principiis præattexere voluiſſe, niſi ſenſiſſet hoc pacto univerſa uno quaſi filo, eóque tenaciſſimo firmiſſimóque, cohæſura.

Quinta concluſio planè Platonica eſt, quæ eſt Philoſophia omnium religioſiſſima. Atque reliquæ quatuor ejuſdem ferè generis ſunt, caréque arguunt aliquid Materiâ longè præſtantius longéque divinius in nobis habitare.

18. *Tredecim loca in Epiſtolis eódem ſpectantia.*

18. Plurima huc poſſim accumulare quæ paſſim in Epiſtolis ejus occurrunt, quorum nonnulla operæ eſſe pretium duco tibi recenſere, ut indè perſpicere poſſis quàm ubiq; ſibi conſtans unúſque ſit Carteſius. Hujuſmodi ſunt,

1. Animam videre, non oculos.

2. Animam ex unione cum corpore quædam bona majora ſibi repræſentare quàm revera ſunt.

3. Liberum noſtrum arbitrium nos Deo quodammodo æquiparare. Ad Reginam Seciæ Epiſt. 1.

4. Quòd minus ſit damni vitam perdere quàm uſum Rationis, quoniam ipſa Philoſophia ſola, etiam ſine Fidei documentis, ſpem nobis ingenerat melioris ſtatûs poſt mortem, facitq; ut Anima noſtra nihil æquè oneroſum fore præſagiat quàm tali corpori alligari quod ſuam prorſus adimat libertatem.

5. Duo eſſe voluptatum genera; unum quod ad Animam ſolam, alterum ad Hominem, *i. e.* ad animam quatenus corpori unitam, ſpectat. Has fluxas eſſe & caducas; illas, quemadmodum ipſa Anima, immortales.

6. Quòd tria potiſſimùm cognitu neceſſaria ſunt ad beatam vitam; Exſiſtentia Dei, Animarum noſtrarum Immortalitas, & Immenſitas Univerſi. Ad *Elizab.* Princ. Epiſt. 6.

7. Animam, quando datâ operâ cogitat de rebus imaginabilibus pariter ac intelligibilibus, novâ ſignare cerebrum impreſſione; eámque reſpectu animæ actionem eſſe, non paſſionem, propriéque hanc dici Imaginationem.

8. Providentiam Dei omnia complecti, tam minima quàm maxima. Ad eandem, Epiſt. 8.

9. Amorem duplicem eſſe, vel Intellectualem, vel Corporeum: hunc propriè paſſionem eſſe, illum Animæ etiam à corpore ſeparatæ competere.

10. Deum eſſe Spiritum, ſive Rem cogitantem infinitæ perfectionis; noſtrámque Animam illius eſſe quaſi ſubobſcuram quandam imaginem. Ad D. *Chanutum*, Epiſt. 35.

11. Hominem Corpore non intelligere. Mentem enim, etſi impediatur à Corpore, ab illo tamen ad intellectionem rerum immaterialium juvari planè non poſſe, ſed tantummodo impediri. Ad *Hen. Regium*, Epiſt. 81.

12. In rebus corporeis omnem actionem & paſſionem in ſolo motu locali conſiſtere; nomina autem illa ad res immateriales extendi poſſe, quando aliquid motui analogum in ipſis conſideratur: atque ità volitionem in mente Actionem dici poſſe, intellectionem verò & viſionem Paſſionem. Ad eundem, Epiſt. 83.

13. Perceptionem Univerſalium ad imaginationem non pertinere, ſed ad intellectum ſolum, qui Ideam ex ſeipſa ſingularem ad multa refert. Ad eundem, Epiſt. 88.

Superſunt multa alia quæ huc faciunt tum in Epiſtolis tum in Tractatu de Affectibus; quæ tamen lubens prætereo, nè ſim infinitus. Addo duntaxat, nullatenus eſſe veriſimile tam purum & defæcatum ingenium, tantâ modeſtiâ, humanitate morúmque integritate ſtipatum, in tam ſordidam foveam fœtidúmque barathrum incidere potuiſſe.

19. *Inſignem ſolummodo Naturæ peritiam eum Atheiſmi reddidiſſe ſuſpectum.*

19. Nihil igitur reſtat, quod ſciam, ob quod Carteſius Atheiſmi ſuſpectus eſſe poſſit, niſi quòd meritò audiat omnium Philoſophorum præcellentiſſimus. Eſt enim faneticum quoddam genus hominum, qui quantò quis ſapientior ſit Naturæque conſultior, tantò eum ſemper autumant ab omni Religione alieniorem: quaſi quantò quis imperitior ſit & ſtolidior, tantò magìs ad Dei cultum foret idoneus.

Gentes olim Judæos ſtatuam quandam aſinino capite colere finxerunt, magnóque ſe hoc pacto ſperabant eos opprobrio afficere. Pari equidem contumeliâ mihi videntur illi Deum ipſum onerare, qui imaginantur à nullis eum ritè coli poſſe niſi Onocephalis. Ignorantiam ſanè rerúmque inſcitiam nihil neceſſe eſt ad cultum divinum adhibere, ſed Innocentiam omni nive ac luce candidiorem.

20. *Ridicula quorundam obtrectatio; qui eum tanquam vertiginoſum mentiſque malè compotem conſiderant.*

20. Cætera quæ ſæpenumero objici ſcribis magìs toleranda ſunt, ſed non minùs ridicula. Mente utique emotum fuiſſe incomparabilem Philoſophum ac vertigine correptum. Alluſiſſe ineptulos illos credo ad doctrinam de Vorticibus. Præclarum qui-

dem jocum, & Carteſii obtrectatoribus dignum! Sed urgent ſeriò, tam inopinata, tam vaga, támque longè petita commenta in Scriptis ejus reperiri, ut in neminem hominem niſi mente captum poſſint ullo modo cadere. Ecquis enim eſt, inquiunt, homo ſobrius & conſideratus qui unquam ſuſcipere auſit rationem condendi Solem, Stellas Planetáſque demonſtrare? quibúſque Materiæ figuris motibúſque lux ſingulíque colores fiant particulatim definire? duram hanc denique opacámque Terram, quam calcamus, lucidam aliquando fuiſſe Stellam apertè ſtatuere? Verùm nihil diffido quin facilè evincere poſſim Democritum non inſanire, ſed populum; nec tam ulli Carteſii dementiæ tribuendum eſſe quòd tam mira Paradoxa invenerit, quàm aliorum ſocordiæ & ſtupori quòd in conſimiles cogitationes non incidiſſent.

21. Nihil enim in hiſce omnibus excogitavit Carteſius niſi quod partim ex obviis quibuſdam experimentis, partim ex novis & accuratis tam præſentis quàm proximorum ſeculorum obſervationibus & concluſionibus, ſagaci animo admodum proclive eſſet cogitare. Varii enim tum Philoſophi tum Aſtronomi, tanquam inferioris ordinis Operarii, rudera jam ſuſtulerant, materiámque præparaverant ſublimi huic ingenio veréque Architectonico.

21.
Inventa ejus maximè paradoxa cum nuperis Philoſophorum obſervationibus arctiſſimè cohærere.

Tycho Planetarum orbes ſolidos è cœlo deturbaverat, totúmque eorum ſpatium in fluidum reduxerat ætherem. Aſtronomi & Philoſophi nobiliores plerique omnes doctrinam veterem de Telluris motu à Copernico renovatam uno ore comprobaverant, ipſámque Terram (quippe quam non ſolùm circa Solem ſe gyrantem, ſed etiam, Lunæ inſtar, Solis lumen, idque in ipſam Lunam, Eclipſibus & Noviluniis reflectentem, deprehenderunt) in Planetarum album communi conſenſu conſcripſerant. Galilæus Solem ſtellam fixam, ſtelláſque fixas tot Soles eſſe ſtatuerat, Jovémque quatuor Satellitibus eum circumcurſantibus, tanquam tot Lunulis, circumſtipatum, Tubo ſuo optico detexerat. Scheinerus immenſo volumine Doctrinam de Solis maculis, earúmque generatione, diſſipatione, motúque circa Solem, Soliſque circa proprium Axem, plenam perfectámque tradiderat. E ſtellis fixis quaſdam nunc majores, nunc minores videri, imò novas prorſus apparere aliquando, mox evaneſcere, multi obſervaverant. Cometas magnitudine terræ pares, vel majores, in Planetarum regione diſcurrere ipſe iterum Tycho aliíque certiſſimis indiciis demonſtraverant. Gilbertus denique non ſolùm virtutes Magnetis ſummâ arte & induſtriâ explicaverat; ſed, quod caput rei eſt, ipſam Terram ingentem quendam eſſe Magnetem argumentis evidentiſſimis confirmaverat.

22. Diſpiciamus, quæſo, jam ſedulò quàm nec vagas nec longè petitas concluſiones hinc deduxerit Carteſius, ſed obvias & cum dictis probatiſſimorum Philoſophorum Obſervationibus arctiſſimè conjunctas. Præcipuum verò Fundamentum ejus Philoſophiæ in eo jactum videbimus, quod Perigeum Martis Phaſéſque Veneris invito Tychoni extorſerant, in cœlorum nempe Fluiditate. Quid enim ſit eſſe fluidum optimè intellexit Carteſius, fierique non poſſe niſi materia, vehementi motu per omnes ejus partes pervadente, eaſque quaquaverſùm agitante & disjungente, in minutiſſimas particulas diffringatur: quarum pars maxima (quicquid in eis exſtat aſſiduis agitationibus & alliſionibus detrito) non poſſunt tempore procedente non rotundæ evadere, nec earum triangularia intervalla non longè minutioribus materiæ particulis, rotundarum formatione abraſis, impleri; nec denique ramenta hæc tam commenſurata eſſe triangularibus rotundarum intervallis, quin eorum major ſit copia quàm quæ ad ſpatia illa implenda ſuffecerit, ità ut ſphæricæ illæ particulæ, quas globulos vocat, * huic ſubtiliſſimæ omnium materiæ laxiùs poſſint innatare.

22.
Quomodo ex Tychonica cœli fluiditate primum ſuum ſecundúmq; Elementum collegerit.

23. Porrò, cùm in confeſſo ſit apud omnes Cœlum non ſolùm eſſe fluidum, ſed Tellurem cum Planetis circa Solem in liquido hoc cœlo circumferri; cúmque legibus Naturæ * repugnet ut aliter vel Tellus vel Planetæ circa Solem ferrentur quàm ipſo motu materiæ cœleſtis devecti; planè conſtabat Carteſio, ingentem hanc cœleſtis Materiæ molem, in qua Planetæ Tellúſque inveniuntur, neceſſariò circa Solem in gyrum rapi. Cujus adhuc ulterius indicium eſſe potuit ipſius Solis circa ſuum axem circumrotatio; quemadmodum & aquarum Vortex feſtucas & folia ſuo margine circumvehentium familiare quoddam illius exemplum levéque documentum.

23.
Quomodo ex Hypotheſi Copernicana detexerit Materiam cœleſtem circa Solem, ad modum Vorticis, circumrotari.
* *Vid. Sect. 7.*

24. Poſtremò, ex hoc raptu Materiæ cœleſtis quem jam fieri deprehendimus circa Solem, ipſum Solem olim fuiſſe generatum, ab obvio illo plumbi fundâ circumacti experimento non potuit non moneri. Oportebat igitur eum concludere, ſolidioribus cœli particulis, globulis nempe æthereis, à centro Vorticis recedentibus, ſubtiliſſimam materiam, quam aliquantulùm redundâſſe diximus, eorum locum occupaviſſe, totúmque illud impleviſſe ſpatium ubi Solem nunc conſpicimus; vel, ſi malles, ſpatium illud ſubtiliſſimâ hac materiâ iſthoc modo repletum nihil aliud eſſe niſi eum ipſum quem contuemur Solem. Cùm verò obſervâſſet tantam affinitatem Soli intercedere cum ſtellis fixis,

24.
Quomodo ex raptu hujus Vorticis Solis Stellarúmque generationem intellexerit.

fixis, ut utrique in ſe lucem habeant, neutri loco dimoveantur, pronum erat facilèque opus, ad exemplum Galilæi, Solem hunc noſtrum inter fixas ſtellas numerare, eundémque productionis modum utriſque pariter attribuere, adeóque univerſam Mundi viſibilis materiam, pro Stellarum numero, in infinitos ferè Vortices diſpeſcere.

25. *Quomodo hinc Luminis ac Colorum intimè natura illi enotuerit.*

* *Vide Sect. 6.*

25. Quibus evictis, continuò illi enotuit intima lucis luminiſque natura Stellis Soliſque communis: in eo utique illam conſiſtere, quòd globuli cœleſtes partim ſuo, partim materiæ ſubtiliſſimæ, motu protruſi, versùs oculos noſtros premerentur. Cujus rei certiſſimus eſſe potuit ex eo, quòd Senſum nihil eſſe aliud niſi * motûs corporei, certis legibus modificati & in organum ab objecto tranſmiſſi, perceptionem ipſi clarè conſtabat, aliiſque omnibus, niſi qui planè ſtupent, facilè poteſt conſtare. Luminis autem naturâ penitus perſpectâ, colores ipſi ſe ultro prodiderunt. Admodum enim illi proclive erat cogitare, ſi motûs per hos globulos tranſmiſſi perceptio ſit Lux, variato motu hoc ipſam perceptionem variatum iri. Variatio autem nulla occurrebat tam facilis atque obvia quàm rationum circularis motûs globulorum ad rectilineum: séque hac in re probè divinâſſe * ex priſmatis experimento ingenioſè concludebat.

26. *Quæ Philoſophorum Obſervationes eum invitaverint ad credendum Terram olim fuiſſe Solem Stellámve fixam.*

26. Et quod ultimum illud ſpectat maximúmque omnium paradoxon, Tellurem ſcilicet hanc, quam pedibus calcamus tractamúſque manibus, Solem aliquando fuiſſe Stellámve fixam; certè non pauca ſunt quæ eum non modò invitaverint, ſed ferè coegerint, ità cogitare. Nam etiamnum eam Planetam eſſe omnes, niſi qui fortè infimi ſubſellii ſint Philoſophi, audacter profitentur. Satellites autem Jovis non obſcurè indigitabant eum ad inſtar Solis, qui tot Planetis jam cingitur, lucido ſolio olim regnaviſſe; quémque fulgentem circumluſerant, fideles comites hunc luce caſſum lapſúmque non deſeruiſſe. Unde non levis eum ſuſpicio occupare poterat, Soles Stelláſve fixas in Planetas procedentibus ſeculis mutari poſſe.

Modum autem quo id poſſit fieri facilè intelligebat è maculis Solis, quæ illius faciem aliquando ità obtexerunt, ut calor ejus maturandis frugibus vix ſuffecerit, pavidíque mortales ſupremum Mundi fatum imminere putaverint. Cujus triſtiſſimi casûs etiam Virgilius meminit in Georgicis;

Cùm caput obſcurâ nitidum ferrugine tinxit,
Impiáque æternam timuerunt ſecula noctem.

Sed & de facto ſtellas ſoléſve aliquando ità obduci & incruſtari maculis ut omni luce priventur, multiplicíque cortice indureſcant, facillimum illi erat augurari ex ſtellis illis novis in Caſſiopea, Cygno, alibíque ex improviſo apparentibus, & evaneſcentibus denuo poſt aliquem temporis lapſum.

Quid autem poſtea hujuſmodi incruſtatis opacíſque globis accidere poſſet, ex natura Vorticum, quam callebat perfectiſſimè, pari facilitate conjiciebat. Probè enim novit, extinctâ ſtellâ languere Vorticem multúmque debilitari, indéque neceſſe eſſe eum ſpoliari & diripi à vicinis Vorticibus ad centrum ejus uſque inundantibus, incruſtatúmque ſidus ab ipſorum fortiſſimo mox abreptum iri: pro ſoliditate autem ſua vel è raptoris manu elapſurum, vel tam propè ad centrum deſcenſurum ut circa Stellam Solémve Vorticis circumcurrere cogatur.

Huic autem conjecturæ fidem faciebant tum Planetæ pro diverſa ſua ſoliditate intervallis diverſis circa Solem circumrotati, præſertim Jupiter, Saturnus, atque Tellus, (quos olim Soles Stelláſve fuiſſe Lunarum ſuarum ſubindicabat ſatellitium,) tum Cometarum diſcurſus in ſummo Solis noſtri Vortice oberrantium. In promptu enim illi erat divinare ex Cometarum mole ac diſtantia, eos eſſe fixas incruſtatas, ſive Planetas itinerantes, certámque ſedem in Vortice aliquo ſibi quærentes, & ad noſtram Planetarum regionem deſcendere tentantes. Quid igitur hîc faceret homo ingenio ſagaci pariter ac libero? quomodo ſe tot adblandientibus & veriſimilibus indiciis pellectum ab aſſenſu cohiberet?

27. *Enumeratio quarundam Magnetis proprietatum, generaliſque ex eis Concluſio; quòd, ſi Terra Magnes ſit, in axe alicujus Vorticis eam olim ſitam eſſe oportuerit.*

27. Nec tamen adhuc ad rei apicem pervenimus. E longinquo tantùm hactenus eum monebant illa Phænomena, fieri poſſe quòd Planetæ omnes olim fuiſſent Soles: Cùm verò Planetam hunc noſtrum (Tellurem intelligo) cominus contemplatus fuerit, eúmque Magnetem, juxta Gilberti doctrinam, revera eſſe deprehenderit, nec tamen eum eſſe poſſe niſi ferreis ferróve durioribus corticibus obvolutum; præcipuam verò Magnetis vim in eo conſiſtere, quòd particulæ quædam inſenſibiles tali figurâ fuerint formatæ, ut quæ per unum Magnetis polum intrant per alterum intrare non poſſint, (quod tum ex mutuo Magnetum repulſu polis eorum cognominibus ad invicem admotis, tum ex Magnetici Vorticis veſtigiis in ferri limatura ſignatis, certò illi liquebat;) dictas porrò particulas tam ſubtiles eſſe, ut lignum, vitrum, aurum, & quodlibet aliud

corpus quantumvìs ſolidum, penetrarent; cúmq; de cœlo etiam illas defluere Polorum Telluris directio ipſi indicârit, maximam verò illarum vim ac copiam circa cœleſtium Vorticum axes reperiri, tum formatarum magnitudo tum formandarum ratio perſuaſerit; formari enim debent ubi materia elementi primi jam lentorem incipit contrahere ob minorem Vorticis motum, (quod proculdubio contingit prope axes Vorticum, maximéque verſus polos,) formatæ verò, ſi quando ab axibus Vorticum multùm divagantur, (cùm majores ſint ac ſegniores reliquis primi elementi particulis,) verſùs Vorticum axes iterum retrudi: Cùm hæc omnia, inquam, tam clarè perſpexerit Carteſius, res mira fuiſſet, niſi non tam pellectus quàm coactus apud ſe agnoviſſet Tellurem olim in axe alicujus Vorticis poſitam fuiſſe, ibique tanquam in loco omnium maximè opportuno magnetiſmum ſuum acquiſiviſſe.

Vide Sect. 5.

28.
Eadem concluſio particulatim tum è Duritie Terræ Magnetica,

28. Sed ut ad reliqua argumentorum capita recurramus: Etiam major adhuc illi ità concludendi incumbebat neceſſitas, quòd univerſam Mundi aſpectabilis materiam, idque ſummo cum judicio, in tot Vortices diſtinxerat, qui duobus tantummodo elementis conſtarent, materiâ ſcilicet ſubtiliſſimâ & globulis. Globulos autem nullo modo coaleſcere poſſe demonſtrabat ipſorum figura & glabrities: Materiam verò ſubtiliſſimam id poſſe facillimè, luculenter oſtendebant illæ toties in Sole obſervatæ maculæ. Hujus autem materiæ tantam copiam, quæ ingentem Telluris molem componeret, præterquam in alicujus Vorticis centro reperiri, ipſi ſingula ad Naturæ leges expendenti videbatur prorſus impoſſibile.

Neque enim hujus argumenti vim eludere poterat, fingendo duriſſimos illos terræ cortices magneticos revera non eſſe obductos cortices, ſed terram interiorem jam eſſe, fuiſſéque ſemper, partem materiæ ex ſe ſolidam & duram, id eſt, nondum in minutas particulas ab univerſo illo motu, qui tentat omnia, diffractam. Quippe huic commento repugnat tum Telluris mora circa Solem, tum ipſe Magnetiſmus. Si enim tam ſolida eſſet, ex hoc Vortice erumperet protinus, & in alterum injecta ab illo continuò evaderet; & ità in æternum à Vortice ad Vorticem erraret, nec intraret ullum, niſi Catonis lege, ut ſtatim exiret. Sed neque Magnes ullo modo eſſe poſſet. Quomodo enim exiles illæ particulæ magneticæ in tam ſolido corpore foramina ſibi excavarent?

29.
Tum è ſubtilitate particularum & foraminulorum magneticorum, illata.

29. Molles igitur aliquando fuiſſe vel interiores Terræ cruſtas clariſſimè illi conſtabat, id eſt, ex minutis quibuſdam particulis coaluiſſe; neque id ſolùm, ſed omnium minutiſſimis. Eam enim particularum magneticarum ſubtilitatem eſſe ab experimentis ante oculos factis intelligebat, ut planè deprehenderet nullum corpus particulis quàm primi elementi majoribus coagmentatum, capax eſſe foraminum tam tenui & delicato artificio efformandorum. Intervalla enim nimis laxa eſſe, particulas autem ipſas nimis duras, nec ſatis fortaſſe latas ut in tortilem illam formam terebrarentur; omnémque materiam craſſiori filo ac texturâ conſiſtentem quàm ſit illa omnium ſubtiliſſima, multò ineptiorem eſſe ad recipiendum minutiſſima hæc, & diſtinctiſſimo tamen artificio excavanda, foraminula, quàm rudem quercum vel fraxinum ad imagines Cæſarum pari ſpatii anguſtiâ quâ in gemmis pretioſiſſimis inſculpi ſolent. Quo pacto iterum magneticos Terræ cortices ex elementi primi materia conſtare manifeſtò ſibi demonſtrabat. Cujus cùm tantam copiam quæ Terræ condendæ ſufficeret extra centra Vorticum invenire non poſſet, neceſſe erat ut primam Telluris materiam in ipſo alicujus Vorticis axe collocaret, ut hoc modo Planeta Terra vel Magnes eſſe poſſet, poſtquam Sol vel Stella eſſe deſiiſſet.

30.
Carteſii indoles modeſta ac ſobria.

30. Si igitur inſaniit Carteſius, ſumma ſanè cum ratione eum inſaniiſſe dicendum eſt. Sed nec eò uſque inſanivit ipſe, nec quiſquam quod ſciam ex ejus ſectatoribus, ut quicquam ampliùs ex tam luculentis indicationibus ſtatueret, quàm quòd ità Natura rerum comparata ſit, ac ſi Terra hæc, cujus incolæ ſumus, olim fuiſſet Sol vel Stella fixa. Vides Carteſii indolem, quàm cauta ac modeſta ſit, quàm undequaque ſolida ac ſobria.

31.
Nimiùm tamen illum indulſiſſe ſuo Genio Mechanico, ſed in immenſum Reipublicæ literariæ commodum.

31. Sed ſi ullubi magnopere culpandus ſit nobiliſſimus Philoſophus, ob illud potiſſimùm eum reprehendendum cenſeo, quòd Mathematico ſuo Genio ac Mechanico in Phænomenis Naturæ explicandis nimium quantum indulſerit. Eam tamen interim agnoſco ſummorum Ingeniorum felicitatem, ut vel vitia eorum & errores aliquam virtutis ſpeciem habeant atque fructum. Et profectò mihi planè incredibile videtur, * niſi ingentem illam ſpem concepiſſet demonſtrandi omnia ferè Mundi Phænomena ex neceſſariis Mechanicæ legibus, eum unquam tot tantáque tentare voluiſſe, aut tentata potuiſſe perficere. Jam verò tam proſperè res ſucceſſit, ut non poſſim non ſuſpicari eum Antiquorum illam ſcientiam quæ ad Naturam ſpectat maxima ex parte reſtauràſſe. Qua in re ſi rectè me conjectâſſe judicaverit perſpicax & pacifica Poſteritas, reliquæ meæ *Cabbalæ* majorem adjungent fidem. Ubi tamen, utì in parte illa altera Phyſica, de-

prehendent paucas me tantummodo ſive concluſiones, ſive principia rerum Metaphyſicarum, indigitâſſe; vaſtas autem & hiantes interjacere lacunas, & è ſcriptis Platonicis potiſſimùm implendas, aut ſaltem ab aliquo quem ingenio pluſquam Platonico ſera Fata Mundo exhibuerint : qui Dei rerúmque aliarum incorporearum naturas penitiùs rimando, quíque ſtatus earundem innumeros prorſum retrorſúmque ſpectando, immenſóſque illarum circuitus metiendo, qui denique tum ex ſummi Numinis attributis, tum ex propriis immaterialium Ordinum facultatibus, omnia penſitando, ſingulos illos griphos nexúſque, quibus nefarii & male-feriati homines devotos Religionis cultores irretire ſolent, tam facili operâ ſolverit, ut nihil in poſterum niſi miſera quædam animi anguſtia, niſi deſpicabilis ſtoliditas, aut impotens quædam & deplorabilis ad omnia flagitia perpetranda proclivitas, & ex perpetratis futuri ſupplicii anxia & diſcrucians formido, obicem mortalibus ponere poſſit, quò minùs præcipua Religionis Fundamenta ſincero & inconcuſſo aſſenſu amplectantur. Quam quidem ſpem non diſſimulâſſe, ſed eis de rebus verba feciſſe quas ipſi fortaſſe nulla ex parte præſtare valemus, agnoſco quidem non adeò glorioſum quibuſdam videri poſſe : nihil tamen interim dubito quin ſit honeſtum, ardorem ſuum ac ſtudium promovendi publicum humani generis commodum obiter monſtrâſſe, & aliquo ſaltem modo ſuccedentibus ſeculis facem prætuliſſe.

32. *Qui nihil ſciri poſſe conqueruntur, non tam opprobrio Philoſophiam afficere, quàm ſuam excuſare ignaviam.*

32. Quod ad eos attinet quos ob Ariſtotelis nugas univerſam Philoſophiam vilipendere ais, quíque nihil earum rerum de quibus ſcribunt Philoſophi ſciri poſſe securè præſumunt, aut, ſi ſcirentur, parùm ad communem vitæ uſum conferre; non habeo quicquam quod illis reponam aptius aut accommodatius, quàm quod olim hujuſmodi farinæ hominibus regeſſit Scaliger, ***Nullam utique majorem ignaris inſcitiam parere ſolere voluptatem, quàm expeditum faſtidioſúmque contemptum.*** Quanquam profectò ea non tam voluptas cenſenda videtur, quàm conſolatio quædam ac lenitio doloris quem capere poſſint ex ſenſu damni proprii rerúmque optimarum jacturæ. Eſt enim à Natura nobis omnibus inditum ſatìs magnum ſciendi deſiderium, nec minimam naturalis conſcientiæ partem complectitur, nos ad pecudum inſtar ſtupidos rerúmque ignaros eſſe non debere; nec tamen ad impoſſibilium vel inutilium ſcientiam teneri. Unde manifeſtum eſt eos qui nihil ſciri poſſe tam ſtridulâ vocè conqueruntur, non tam opprobrio afficere Philoſophiæ ſpeculationes, quàm ſibi honeſtum quærere prætextum, ſeſeque excuſare quòd luxui, avaritiæ aut ambitioni totam ferè vitam impendant.

33. *Aliquid ſciri poſſe in rebus naturalibus Carteſium clarè edocuiſſe.*

33. Aliquid autem in rebus naturalibus ſciri poſſe tam clarè edocuit Carteſius, ut nemo ſit qui de eo dubitet quin de Mathematicis demonſtrationibus eundem neceſſe ſit dubitare. Imò verò, ut liberiùs dicam, excuſsâ hâc injurioſâ modeſtiâ ac ſepoſitâ, ſi intra communes utriuſque Philoſophiæ limites nos contineamus, tantundem ſciviſſe Carteſium ſtatuere oportet in inveſtigandis Naturæ cauſis quantum ignoravit Ariſtoteles. Neque enim judicandum eſt quid in Philoſophia fieri poſſit à ſevero ac ſagaci ingenio, ex eo quod jam præſtitum ſit ab homine arguto ſanè, ſed parùm ſolido, * ut qui nè prima quidem veræ Philoſophiæ principia invenerat.

34. *Qui ea quæ ad mentem excolendam inſerviunt nihil ad vitam* humanam *conferre ſtatuunt, apertè profiteri ſe degere* belluinam.

34. Sed demus, inquient, Carteſium vera illa Principia inveniſſe, cauſáſque effectrices omnium Phænomenωn naturales & immediatas, quas neſcivit argutus ille Græculus, in lucem eruiſſe; quid iſta ad vitæ uſum faciunt? Si per uſum vitæ intelligunt honores, opes, corporíſque voluptates, non multùm eò facere lubens fateor : interim tamen contendo, in vera Philoſophandi ratione reperiri aliquid honoribus multò excelſius, pretioſius opibus, & univerſis denique corporis voluptatibus ſuavius longè longéque jucundius. Qui autem quæ ad mentem ornandam, paſcendam, & divino quodam gaudio exhilarandam, conducunt, ad humanam vitam nihil conferre exiſtimant, næ illi mihi videntur ſe mentem habere penitùs obliti, apertéq; profiteri vitam ſe degere prorſus belluinam.

Vale, *V. C.* & ſi fortè fuſiùs ac liberiùs quàm par erat apud te de his rebus diſſerui, huic nimio tibi obſequendi ſtudio ignoſce, méque, prout ſoles, amare perge.

SCHOLIA

In Epiſtolam ad *V. C.* Sect. 5.

NAm æquè certum eſt (ídque certitudine prorſus Mechanicâ) omnes globulos, &c. *Admiſſâ ſcilicet Mechanicâ Hypotheſi, quódque Mundana corpora impetu iſtiuſmodi* Mechanico *impellantur, non* vitali *ductu tractúve vel potiùs tranſmiſſu tranſgeſtúve, ſi fas ſit ità loqui, à* Spiritu Naturæ *tranſponantur & circumagantur, quam opinionem ego multò probabiliorem exiſtimo.*

Sect. 6. Aut ſaltem ſine iſtiuſmodi motu nunquam excitari. *Motum eſſe aliquem corporeum in omnibus ſenſationibus maniſeſtiſſimum eſt, ſed motus hos corporeos ubique rationibus tantùm Mechanicis non autem* vitalibus *cieri, haud ità veriſimile eſt, ſpeciéſve quas vocant intentionales, quáſque anima ab objectis per oculum recipit, ex preſſuris merè* Mechanicis *conſiſtere.*

Eandem numero materiam ſpecies quàm maximè oppoſitas ſubire, ac proinde materiam nullubi ſpecie differre. *Materiam nempe Mundanam* naturalem, *& in quam agit* Spiritus Naturæ, *nullubi ſpecie differre hinc ſatìs nervosè argui poſſet. An verò alterius generis materia dari non poſſit, Divinior & incorruptibilis alteri interſperſa, hic non eſt diſceptandi locus.*

Omne id quod ad ſenſus noſtros appellit, motum eſſe corporeum aliter atque aliter, &c. *Equidem in ea eram ſententia quando hanc Epiſtolam ſcripſi, nunc verò cùm de exiſtentia* Spiritûs Naturæ *tam certò ſim perſuaſus, mihi veriſimile videtur, cum motu materiæ corporeo affectus quoſdam etiam* Spiritûs Naturæ *conjungi, & ad organa noſtra à remotis objectis tranſmitti. Eſſe utique tales ferè affectiones in ipſo* Spiritu Naturæ, *quales ſunt in* Plaſtica *noſtra, quas* Perceptiva *illinc tranſmiſſas percipit; cujuſmodi ſunt tamen colores, & id genus alia, quæ affectiones ad motum materiæ, quanquam materiæ non inſint, excitari poſſunt in* Naturæ Spiritu *perinde atque noſtro.*

Sect. 7. Fieri enim non poteſt quin ea motûs menſura materiam ità diffringat, &c. *Hæc ut* Carteſianus *tunc ſcripſi, ſupponens partes materiæ, niſi moveantur, neceſſariò cohærere. Cæterùm id gratis dictum à* Carteſio *poſtea deprehendi, nulláſque partes materiæ ſuâ vi ſed altiori quodam principio conſtringi & contineri, quemadmodum ſatìs fusè explico in* Enchiridio Metaphyſico.

Duobus hiſce ſimpliciſſimis rerum principiis liberos ſuos vagóſque gyros permiſiſſe, &c. *Multò mihi nunc veriſimilius videtur, nihil tam vago laxóque modo fieri, ſed omnium Mundanorum corporum motus vitali* Spiritûs Naturæ *lege conſtringi & quaſi præveniri, nullúmque motum eſſe* Mechanicum *niſi, ex accidenti dicam an neceſſariò, propter* ἀντιτυπίαν, *quando corpus corpori alliditur. Materiam verò Mundanam maxima ex parte à* Spiritu Naturæ *cieri & gubernari; at ſic tamen ut nunquam quicquam contra duas iſtas adamantinas Materiæ leges committat,* mobilitatem *ſcilicet &* ἀντιτυπίαν, *quippe quæ Materiæ quàm intimè ſunt eſſentiales.*

Agnoſcet ſe cauſas rimari effectrices rerum corporeas, &c. *Hoc ſanè ferri poteſt, ſi intelligatur de externis quibuſdam Phænomenis, hoc eſt, ab externis cauſis viſibiliter profectis, ut in Eclipſibus luminarium, Inundatione* Nili, *Lunæ Phaſibus, Tempeſtatum Anni viciſſitudinibus, de ſymptomatis morborum & id genus aliis. Sunt autem multa Phænomena, non tam ab externis cauſis corporeis, quàm ab internis incorporeiſque principiis profecta, qualia ſunt corporum Plantarum Animaliúmque organizatio, Elementorum in ſuis locis non-gravitatio, Gravium versùs centrum Terræ deſcenſio, & innumera alia, ubi cauſas effectrices corporeas expectare ſummæ eſſet ignorantiæ.*

Si naturalibus & in ſe neceſſariis motûs corporei legibus Deus, intermediante ſuperiori aliquâ virtute, *(vi putà Spiritûs Naturæ)* ubique ſedulò obſiſteret. *Vix uſquam intelligitur* Spiritus Naturæ *obſiſtere neceſſariis motûs corporei legibus ſed potiùs prævertere; ut exempli gratiâ in circumrotatione Terræ, quâ juxta leges motûs corporei Mechanicas, partes terræ ſolutiles à centro ejus recederent, huic luctæ recedendi à centro* Spiritus Naturæ *non reſiſtit quidem cùm nulla ſit, ſed prævertit, utpote qui non propulſu Mechanico circumrotat terram, ſed vectione vel potiùs tranſmiſſu quodam vitali, eo ferè modo quo pars animæ* Plaſtica *in formatione animalium materiam formandam hàc illàc tranſmittere cenſetur & tranſponere, illius exiſtens particularis* ἐντελέχεια, *vel potiùs* ἐνδελέχεια, *ut* Spiritus Naturæ *communis* ἐνδελέχεια *Univerſi.*

Qualis eſt forma Peripateticorum ſubſtantialis, *&c. Tales profectò formæ ſubſtantiales quales finxerunt in rebus ſingulis corporeis* Peripatetici, *non ſolùm obſcuræ ſunt ſed falſæ ac ridiculæ, intelligo de rebus inanimatis, etiam de iſtiuſmodi animabus quæ è potentia Materiæ erepere cenſeantur. Quòd ſi omnis cauſa efficiens* immaterialis *minùs intelligibilis reputanda eſt, conſultius tamen eſt ad iſtiuſmodi cauſas minùs intelligibiles recurrere, modò de eis conſtet, quàm ad cauſas Mechanicas falſas & fortean impoſſibiles.*

Ad cæcum illud ignaviæ & ignorantiæ aſylum confugere, internas ſcilicet formas ſubſtantiales. *Ubique hoc facere nihil eſt neceſſe. Nam ſuprà conceſſimus eſſe quædam Phænomena ab externis cauſis corporeis profecta, duáſque eſſe quaſi adamantinas ipſius Materiæ leges,* Mobilitatem *ſcilicet &* ἀντιτυπίαν, *quibus ubique obedit ipſe* Naturæ Spiritus. *Nec ſola per ſe ineſt materiæ* Mobilitas *ſed &* Reſiſtentia. *Alioqui æquè facilè moveri poſſet magna moles ac parva. Cùm igitur adeò inſitum ſit Materiæ, ut à Materia penetrari non poſſit, ut omni materiæ in motu, aliquo modo reſiſtat, & à majori materiæ mole in eam mota non poſſit non moveri, hæc quaſi adamantina materiæ privilegia videri debent, taliáque quæ ab ipſa auferri non poſſint, aut quæ incredibile ſit, ab ullo altiori principio unquam violari.*

Terram igitur oportet permittere juxta Materiæ motûſque leges, cum reliquis Planetis, *&c. Nihil enim abſurdius fingi poteſt, quàm ut modò dicta Materiæ privilegia per leges* Spiritûs Naturæ *violarentur, à ſapientiſſimo Deo ſancitas. Qui cùm per leges iſtas conſtituiſſet, ut tanta moles ætherea circa ſolem volveretur, tellúſque in hac mole Ætheris collocaretur, committere quidem non potuit ut tellus ſic ſita, per legem aliquam ſuperiorem in* Naturæ Spiritu *ità fixa eſſet, ut ingentem illum Ætheris fluxum & impetum exciperet, & non potiùs ab ipſo* Spiritu Naturæ *cum reliquo æthere circumferretur. Sic igitur formantur leges* Spiritus Naturæ *à ſapientiſſimo Deo ut ſimul cum Bono Univerſi inſitiſque Materiæ legibus conſpirent.*

Quin ipſa Tellus hujus vorticis vi, *&c. Immò verò potiùs vitali circumactu* Spiritûs Naturæ, *prout ſuprà ſubindicatum eſt.*

Sect. 9. Non paucas hujuſmodi inveniri catenulas verè aureas, *&c. Si per verè aureas intelligas, purè Mechanicas, nè paucas quidem jam credo inveniri ſed omninò nullas. Qua de re vide quæ ſcripſi in ſecunda Præfatione ad* Enchirid. Ethic. Sect. 16. & 22.

Sive Animam cum *Carteſio*, illam appellare malles, *&c. Perlubenter enim huc attrahere volui quæ occurrunt in Fragmento* Carteſii *ad me per* Claudium Clerſelier *tranſmiſſo, ſect.* 5. Vis autem movens, *inquit ille*, poteſt eſſe ipſius Dei conſervantis tantundem tranſlationis in materia, quantum in primo Creationis momento in ea poſuit; vel etiam ſubſtantiæ creatæ, ut mentis noſtræ, vel cujuſvis alterius rei cui vim dederit corpus movendi. Et quidem illa vis in ſubſtantia creata eſt ejus modus, non autem in Deo; Quod quia non ità facilè ab omnibus poteſt intelligi, nolui de iſta re in ſcriptis meis agere, nè viderer favere eorum ſententiæ qui Deum tanquam Animam Mundi materiæ unitam conſiderant. *Eſt equidem* Carteſius, *fateor, in hujuſmodi rebus homo abſtruſus & arcanus, & qui mentem ſuam haud facilè aperiat & exponat. Quantum verò ego ex his verbis conjectare poſſum, hoc innuere videtur, Quamvìs eò propenderet ut putaret creatam aliquam ſubſtantiam eſſe poſſe quæ iſtiuſmodi vi modificetur quâ Mundanam Materiam moveret, quæ proinde Anima Mundi quædam cenſenda eſſet; ſe tamen celâſſe ſuam opinionem nè eorum ſententiæ accedere videretur, qui nullum alium, præter hanc Animam, agnoſcunt Deum. Igitur ſuppreſſo hoc creato principio, quod tamen tacitè apud ſe agnoſcebat, materiam movendi officium ſoli Deo attribuit. Moveri verò à creato principio, quod nos* Principium Hylarchicum *appellamus, in* Enchiridio Metaphyſico *multis argumentis demonſtramus, mentéque carere ac conſilio, ac proinde non eſſe Deum, ſed* Spiritum Mundi plaſticum *à Deo creatum, illiúſque exiſtentiæ luculentiſſimum teſtimonium. Quod Principium optimè ſignificari poteſt iſtis verbis* Carteſii [*vel cujuſvis alterius rei cui vim Deus dederit corpus movendi*] *quaſi Spiritum innueret, mente quidem ſed non vitâ carentem.*

Nam quod ad Halones Iridéſq; ſpectat, *&c. Quin & has, in dicto* Enchiridio, *leges Materiæ motûſque purè Mechanicas tranſcendere haud obſcurè oſtendimus.*

Sect. 10. Pura putà illa Naturæ ſcientia habenda eſt. *Diſpiciendum tamen eſt, an leges* Spiritûs Naturæ *obſervare ac tenere, perinde pura non ſit Naturæ ſcientia. Sunt enim æquè certæ & ſtabiles ac ſi ſimpliciter materiales eſſent, nec dubito quin multæ leges quæ Mechanicæ habentur ex hoc fonte ſint profectæ.*

Sect. 14. Sed reverà abſoluta perfectáque demonſtratio. *Ità profectò in ſe eſt,* *quomodo verò vim illius enervaverit* Carteſius, *vide in Præfat.* Enchiridii Metaphyſ. *Sect.* 4.

Sect. 17. Simplicibus ejuſdem ſpeciei ſubſtantiis, *&c. Hoc materiam reſpicit, ac ſi omnis, ſubſtantia eſſet ſimpliciſſima, uniúſque generis ubique. Qualis certè eſſet, ſi mera, quod contendit* Carteſius, *eſſet extenſio. Hanc verò opinionem ſatis ſuprà refutavi. Cùm igitur ſola extenſio non ſit ipſa natura materiæ, manifeſtum eſt eam poſſe in ſpecies variari. Noſtra verò argumenta in* Enchiridio Metaphyſico *talia ſunt, quibus hæc ſuppoſitio nullam noxam inferat.*

Sect. 22. Huic ſubtiliſſimæ omnium materiæ laxiùs poſſint innatare. *Immò multò laxiùs quàm Phænomenwn veritati conveniat. Quemadmodum abundè demonſtravi* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 16. *Quod tamen nihil impedit quò minùs Ætherei vortices è materia ſubtiliſſima & globulis conſiſtant, ſed à præſtantiori principio ortis, nec à tumultuario partium materiæ alliſu, ſed vi plaſticâ* Spiritûs Naturæ *formatis.*

Sect. 25. Ex priſmatis experimento ingenioſè concludebat. *Experimentum ſatis ingenioſum eſt, ſed Phænomenon, contrà ac ſupponit* Carteſius, *non purè & ex omni parte Mechanicum. Ut videre eſt* Enchirid. Metaphyſ. *Cap.* 19.

Sect. 31. Niſi ingentem illam ſpem concepiſſet demonſtrandi omnia ferè Mundi Phænomena ex neceſſariis Mechanicæ legibus, *&c. Suſpicienda igitur hîc eſt & adoranda Divina Providentia qui magnorum Ingeniorum lapſibus ac intemperie novit ad commune Bonum uti; nec contemnenda ſunt ullo pacto præclarorum virorum ſtudia etiam cum inſigni aliquo errore conjuncta, quanquam ipſi errori maliſque indè profluxuris omni curâ & diligentiâ ſit obſiſtendum.*

Sect. 33. Ut qui nè prima quidem veræ Philoſophiæ principia invenerat. *Per* Principia *hîc intelligas prima maximèque generalia naturalis Philoſophiæ rudimenta, non Principia ſolummodo* Generationis, *qualia ſunt tria illa in Schola* Ariſtotelica *adeò decantata*, Materia, Forma & Privatio. *Quàm miſerè autem hallucinatus ſit* Ariſtoteles *in deſcribenda* Materia, *notatum eſt in* Enchiridio Metaphyſ. *cap.* 9. *quámque nihilo tamen melior ſit ejus deſcriptio apud* Carteſium. *Formámquè, quam* τὴν κατὰ τὸ εἶδος ἀρχὴν *appellitat, &* οὐσίαν ὡς εἶδος, (*ut Materiam* οὐσίαν ὡς ὕλην) *ſubſtantiam tamen corruptibilem facit, non ſolùm in rebus* inanimatis *ſed in* animatis, *humanâ Animâ vix exceptâ. Ab his formis verò originem ducit propriarum cujuſque corporis qualitatum, tales eas in ipſo corpore ſupponens quales apparent ſenſibus noſtris, de ſitu, figura motúque particularum nè ſomnians quidem. Maxima verò illius ignorantia in hoc verſari videtur, quòd verum ſyſtema Mundi neſciret, aut tam puſillo ac perverſo ingenio eſſet, ut, cùm genuina compagis Mundanæ ratio ipſi à* Pythagoreis *exhiberetur, eam non poſſet amplecti. Errores omnes* Ariſtotelis *ſiquis recenſere vellet, uberrimam profectò inveniret diſſerendi ſegetem. Nos paucos tantùm quos in Adverſariis noſtris adnotavimus, breviter decerpemus. Ut prætermittamus igitur abſonum illud de* Univerſalium Realitate *figmentum, ex ignorantia ortum diſtinctionis inter* res *noſtróſque eas* concipiendi modos *quos* notiones ſecundas *ſive* logicas *nunc vulgò appellitant, immanis certè eſt ille error* Metaphyſicus *circa* eſſentiam Dei, *quam ſupremi orbis limitibus claudit, reliquos* orbes *inferioribus* Intelligentiis *aſſignans, tanquam tot veru-verſatricibus caniculis Rotas; ut præteream, ipſorum* ſolidorum orbium *Inventum, ſi cum Planetarum motibus conferantur, perinde impoſſibile eſſe atque illud Intelligentiarum munus eſt ridiculum. Certè aut in* Ariſtotelem *ipſum aut in Interpretes ipſius pleroſque omnes meritò hæc cudenda erat faba. Cæterùm* veri intellectualis Mundi Syſtematis *eruditiſſimus Author hanc doctrinam* Ariſtotelicam *de Intelligentiis Cælorum Motricibus magìs ingenioſè & candidè interpretatur, quòd moveant ſcilicet ſingulæ ſuos orbes ut ipſe primus motor* ὡς ἐρώμενον. *Non quòd ipſæ hæ Mentes, quas vulgo* Intelligentias *vocant, ſint* τὰ ἐρώμενα *præcisè ſumptæ, ſed* Summitates *ipſarum Mentium, quæ* Τἀγαθῷ *in Divina Triade reſpondent. Verba enim* Ariſtotelis *ſic ſe habent, etiam de primo Motore agentis.* Ἀρχὴ γὰρ ἡ νόησις. Νοῦς δὲ ὑπὸ τοῦ νοητοῦ κινεῖται, Νοητὸν δὲ ἡ ἑτέρα συστοιχία καθ' αὑτὴν, καὶ ταύτης ἡ οὐσία πρώτη, καὶ ταύτης ἡ ἁπλῶς καὶ κατ' ἐνέργειαν. Principium enim eſt Intellectio, Intellectus verò ab Intelligibili movetur, Intelligibile verò Ordo alter eſt per ſeipſum, & hujus eſt Subſtantia prima, (*Plotinus* opinor dixiſſet, Prima Hypoſtaſis) ídque ſimpliciter & actu. *Quibus verbis planè indicatur* Τἀγαθὸν *ſive prima Hypoſtaſis in Trinitate* Platonicorum. *Quod porrò confirmatur ex eis quæ proximè ſequuntur, ubi aſſerit in hac* συστοιχίᾳ *eſſe* τὸ δι' αὑτὸ αἱρετὸν, *& verò* τὸ ἄριστον *ſemper eſſe* τὸ πρῶτον, *& denique* τὸ οὗ ἕνεκα *eſſe* ἐν τοῖς ἀκινήτοις. *Unde hanc* συστοιχίαν *rectè concludit* κινεῖν ὡς ἐρώμενον, movere tanquam concupitum, *h. e. tanquam* Bonum, *quod*

Appetitûs objectum eſt. Hoc igitur Νοητὸν *ſive* Intelligibile *movet Intellectum, ſecundam Hypoſtaſin,* κινούμενος δὲ τἆλλα κινεῖ, ψυχὴν *nempe tertiam Triados Hypoſtaſin, & per eam,* τὴν φύσιν *ſive* Spiritum Naturæ.

Sed ipſum Τ'ἀγαθὸν *ſic deſcribit* Ariſtoteles *eodem in loco, Quòd ſit* τὸ κινοῦν ἀκίνητον ἐνεργείᾳ ὄν, καὶ οὐκ ἄλλως ἔχειν οὐδαμῶς ἐνδεχόμενον. *Quòd ſit* movens immobile actu exiſtens, & quòd nequaquam aliter ſe habere poſſit. *Et paulò pòſt,* ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶν ὄν, καὶ ᾗ ἀνάγκη καλῶς. *Quibus neceſſariam illius Exiſtentiam pariter ac Bonitatem indigitat; tandémque concludit:* Ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις. *Ex tali igitur Principio, (tam firmo utique quod* Proclus ὅρμον ἀσφαλῆ τῶν ὄντων ἁπάντων *appellat)* Cœlum dependet & Natura, *per quam ego* Spiritum Naturæ *intelligerem, in quem agit primum hoc ſupremúmque Bonum, per* Νοῦν καὶ ψυχὴν, *per* Intellectum & Animam, *ut & ipſe in Materiam Mundanam vi ſuâ* Plaſticâ.

Eſſe verò eſſentiam Supremum Bonum *ab Intellectu ſive mente diſtinctam, & tamen unum quid cum eo, in ſequentibus narrat.* Ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου. Αὑτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ. Νοητὸς γὰρ γίνεται θιγγάνων καὶ νοῶν, ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν. Τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς. Ἐνεργεῖ δὲ ἔχων· ὥστε ἐκεῖνο μᾶλλον τούτου ὃ δοκεῖ ὁ νοῦς θεῖον ἔχειν. Eſt autem per ſe Optimi per ſe Intellectio. Ipſum verò Intellectus per participationem Intelligibilis, intelligit. Intelligibilis enim fit tangens & intelligens, ità ut Intellectus & Intelligibile unum idémque ſit. Nam facultatem quâ ipſius Intelligibilis eſſentiam ipſam capiat habet Intellectus, capiénſque operatur: adeò ut illud potiùs quàm hoc id Divinum ſit quod Intellectus habere videatur. *Ubi planè* Supremum Bonum *quod* τὸ Νοητὸν *appellat, diſtinctam à Mente ſive Intellectu Eſſentiam ſeu Hypoſtaſin facit, dum Mentem deſcribit, tanquam ſuſceptivam eſſentiæ* τοῦ Νοητοῦ. *Et in iſtis verbis,* Αὑτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς, *Hypoſtaſin planè indigitat, cùm* αὑτὸν *generis ſit maſculini. Vox etiam* θιγγάνων *eòdem planè reſpicit. Unum tamen idémque facit.* ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν. Ego & pater meus unum ſumus, *ſic de ſe ſuóque Patre pronunciat Æternus* Logos.

Et nè tertia deſit Hypoſtaſis, ut Ζωὴ *dicitur* ἐν τῷ λόγῳ *eſſe apud* Johannem, *ità heîc* ἐν τῷ νῷ, καὶ ζωὴ δέ γε ἐνυπάρχει. Ἡ γὰρ νοῦ ἐνέργεια ζωή. Cæterùm vita quoque inexiſtit, τῷ νῷ *ſcilicet.* Mentis enim ſive Intellectûs energia eſt vita. Ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια. Ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν ἐκείνου ζωὴ ἀρίστη καὶ ἀΐδιος· Ille verò energia eſt. Energia verò per ſe illius vita optima eſt & æterna. *Et ſanè energia Patris dicitur Logos, & verò Filii ſive* Λόγου *Energia Spiritus S. apud antiquos Patres; per* ἐνέργειαν *intelligentes* οὐσίαν ζῶσαν καὶ ἐνεργῆ. *Atque hîc apud* Ariſtotelem ζωὴ τοῦ νοῦ, ἡ καθ' αὑτὴν ἐνέργεια *dicitur, non tanquam operatio quæ per ſe ſubſiſtentiam non habet, ſed tanquam* Ἐνέργεια οὐσιώδης καὶ φυσική· *quemadmodum Spiritus S. appellatur apud* Cyrillum. Ἐνέργεια φυσικὴ καὶ ζῶσα τοῦ υἱοῦ.

Omnino igitur tres Hypoſtaſes in uno Numine hîc indigitantur apud Ariſtotelem. *Prima,* τὸ ἄριστον *quod* Platonici *vulgò* Τ'ἀγαθὸν *appellant, & ab* Ariſtotele *heîc etiam* τὸ νοητὸν *appellatur; altera,* ὁ νοῦς, *tertia,* ἡ ζωὴ, *quam* Platonici ψυχὴν *vulgò nuncupant. Et certè* ψυχὴν *eſſe ipſe* Ariſtoteles *etiam innuit ex eo quod ſtatim ſubjungit.* Φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον. *Dicimus verò Deum æternum optimúmque Animal eſſe. Quod ſanè eſſe non poſſet niſi Animam haberet quæ Energiam Plaſticam emittens cœlum * vivificaret quod ab eo movetur, virtute nempe* Plaſticâ. *Atque hæc quidem occurrunt,* Metaphyſ. lib. 12. cap. 7.

* Vide Schol. in Præfat. 2. Sect. 7.

In capite verò proximo, pergit ad inquirendum, cùm non unus tantùm motus ſit Cœli, diurnus nempe, ſed ſingulorum Planetarum ſinguli in partem contrariam, an unica tantùm talis ſubſtantia qualem ſuprà deſcripſit, ponenda ſit, an verò pro motuum pluralitate plures; apertéque concludit, Ἀνάγκη καὶ τούτων ἑκάστην τῶν φορῶν ὑπ' ἀκινήτου τε κινεῖσθαι καθ' αὑτὸ καὶ ἀϊδίου οὐσίας. Neceſſe eſt unumquemque horum motuum ab immobili per ſe & ab æterna ſubſtantia cieri. *Subſtantiáſque has æternas & immobiles pro numeroſitate motuum diſtinctorum multiplicat. Cúmque omnes tales ſint qualis prima omnium deſcripta eſt, planè ſequitur fuiſſe quaſi tot* τριαδάρια, *inferioréſve Trinitates ex* Bono, Mente & Anima *conſiſtentes, ſingularúmque Animas vim Plaſticam emiſiſſe quâ vitaliter cœlum cujuſque moveretur; non autem ut à Caniculis veru-verſatricibus Rotæ.*

Tria autem illa Principia in ſingulis illis ſubſtantiis Ariſtotelem *agnoviſſe confirmant porrò illa verba in antecedente capite.* Νοητὸν δὲ ἡ ἑτέρα συστοιχία καθ' αὑτήν. *Per* συστοιχίαν *ordinem utique ſubindicat Principiorum Boniformium, quæ ſunt ſpeciali ſenſu* τὰ νοητὰ *in ſingulis Intelligentiis. Cui aliquam cognationem habere poteſt verſiculus iſte Magicus,*

Ἔστι δὲ δή τι νοητὸν ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει.

Quod principium Boniforme *in ſingulis eſt* Movens immobile *ſpecialiter ſic dictum, & in quod omnia ultimò reſolvit* Ariſtoteles, *apud quem* τὸ οὗ ἕνεκα ἐστὶν ἐν τοῖς ἀκινήτοις, *utì ſuprà notatum eſt. Egregiè igitur* Platoniſſare *heîc videtur* Ariſtoteles, *licèt ſtylo, ut aliàs ſolet, ſatìs arido, jejuno, prærupto & obſcuro; & quanquam in multiplicando has* Divinas Triadas *turpiter hallucinatus ſit, mundum tamen vitâ Plaſticâ, quam ego* Spiritum Naturæ *vocare ſoleo, animatum eſſe non obſcurè declarat dum Deum appellat Animal hoc in loco, divinúmq; ei corpus attribuit,* De Cœlo, lib. 2. cap. 3. *Sic certè, cum hoc ſcilicet candore, interpretandus eſt* Ariſtoteles, *ſingulis ſuis Intelligentiis vim quandam plaſticam aſcribendo, faciendóque ut ex Anima conſiſtant perinde atque mente, niſi Formas* Aſſiſtentes, *ut loquuntur Scholæ, non* Informantes, *eas eſſe concedere velimus, cœlóſque ab eis moveri, ut à Sciuris caveæ ſuæ cylindraceæ ex filis ferreis confectæ, cum ſuſpenſis campanulis, aut à veru-verſatricibus caniculis Rotæ.*

Auditorem verò Platonis *tam ſedulum nullos alios inferiores* Genios *præter iſtas* Intelligentias, *in univerſis ſuis ſcriptis commemoràſſe, indicium eſt abjecti ingenii & à rerum Divinarum ſcientia nimis alieni. Unde etiam factum eſt ut in libris* de Anima *tam frigidè ac jejunè diſſereret, addam & tam obſcurè, ut Interpretes ipſius Animam mortalem ſtatuerit an immortalem, neſciant, ſed in diverſas ea de re ſententias abierint. Duplicem interim Intellectum finxit,* Agentem *alterum, alterum* Patientem; *hujus eſſe, ſenſibilia phantaſmata recipere, illius pulverulentam eorum materialitatem, ut tradunt illius Interpretes, tanquam alâ anſerinâ vulpinâve caudâ leviter abſtergere, ut ſic alter hic ea poſſit contemplari. Ipſa verba* Ariſtotelis *huc aſcribam, ut planiùs conſtet, quàm confuſa, quàm perplexa & incerta ſit illius ſuper hac re philoſophandi ratio.* De Anima *lib. 3. cap. 5.* Cùm in omni natura duo ſint, hoc quidem ut Materies, illud ut Ars, Ἀνάγκη, *inquit ille,* καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς. Τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα. Καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. *Et mox.* χωρισθεὶς δέ ἐστι μόνον τοῦθ᾽ ὅπερ ἐστὶ, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. Οὐ μνημονεύομεν δὲ ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθὲς, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτὸς, καὶ ἄνευ τούτου οὐδὲν νοεῖ.

Tam obſcurum eſt hoc Ænigma ut quidam per Intellectum Agentem, *ipſum Divinum Intellectum, per* Patientem, *Animam ipſam intellexerint. Quod indè factum credo, quòd hic* Intellectus Agens, *dicatur* ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. *Quo indicatur nihil aliunde accipere, quemadmodum fit in* Intellectu Patiente, *ſed eſſe actu omnia, ac proinde eſſe* Divinum Intellectum; *reliquum igitur neceſſe eſt eſſe* Animam humanam, *nempe* Intellectum patientem, *quem præcedenti capite,* abraſæ tabulæ *comparat, & de quo hîc pronunciat, mortalem eſſe,* ὁ δὲ νοῦς παθητὸς φθαρτός. *Nos verò magìs candidè interpretando Philoſophum videamus ſi meliorem ſenſum poſſimus eruere; notando primùm, eum expreſſè dicere, has differentias eſſe* in Anima, *ac proinde* illius *eſſe* partes *vel* facultates, *deinde noſtræ naturæ ſive eſſentiæ accenſere, cuicuimodi eſt, hunc* Intellectum Agentem, *dicendo* οὐ μνημονεύομεν δὲ, nos *non recordari, quia* Intellectus agens *eſt impaſſibilis, & cùm nihil aliunde unquam recipiat, nihil poſt mortem poteſt retinere.* Intellectus *igitur* agens *etiam juxta* Ariſtotelem, *non eſt Intellectus* Divinus *ſed* noſter, *Animæve noſtræ pars, ſecundùm quam immortales ſumus, quanquam nihil recordamur cùm ſit* impaſſibilis *nec quicquam recipiat ab extrà,* paſſibilis *verò* Intellectus *qui ſolus phantaſmatum capax eſt, pereat in morte, nec percipere quicquam poſſit Anima ſine phantaſmatis, nec recordari. Hic certè maximè tolerabilis eſt ſenſus doctrinæ* Ariſtotelicæ *de Animæ Immortalitate. Quæ tamen nec* Rationi *nec veræ* Religioni *ſatìs congruit; perinde enim eſt ut nos geſſerimus in hac vita, ſi nihil poſt mortem recordamur. Sed nec Rationi convenit ſanæque Philoſophiæ. Manifeſtum enim eſt unam eandémque Animam & activè intelligere & phantaſmata recipere; neque enim recipiuntur in* corpus *ſed in ipſam* animam, *alioqui de eis judicare non poſſet aut ſeipſum circa ea exercere. Pereunte igitur corpore* Intellectus patiens *non perit, nec proinde ipſa memoria, cùm impoſſibile ſit ut vel ipſa* Plaſtica *pereat, quo minùs Anima in ſtatu ſeparato, non ſolùm memoriæ, ſed ſenſûs etiam ſit capax.*

Error circa ſedem ſenſorii communis *levior eſt ſed ſatìs conſpicuus in libro* περὶ νεότητος καὶ γήρως· ἐν καρδίᾳ γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι τῶν πάντων αἰσθητηρίων κοινὸν αἰσθητήριον. *Equidem magni aliquid ac penè Divini cordi ſubeſſe ſuſpicor, ſed* κοινὸν πλαστήριον *in eo ſitum potiùs exiſtimem, quàm* κοινὸν αἰσθητήριον, *centri* Plaſticæ *utique ſedem eſſe, præcipuámque tam* Regenerationis *quàm* Generationis *officinam. De* Speciebus Intentionalibus *è corporeorum Objectorum cortice eradiantibus, & de* ſubſtantialibus formis *è potentia materiæ erepentibus ſuprà monuimus, ut & de* coloribus *tanquam* formaliter *in ſubjectis exiſtentibus, adeò ut nihil opus ſit hîc rurſus attingere.*

Proximus igitur illius error erit circa naturam locúmque Galaxiæ *quem is* γάλα *vocat, nec* ἔμφασιν *facit, ſed* ἔκκρισίν τινα, *vel* σύστασιν, *definitque* τὴν τοῦ μεγίστου διὰ τὴν ἔκκρισιν κύκλου κόμην, *fingitque quaſi* Halonem *quandam in nubecula circa Aſtrum. Locum verò ſupremam aeris Regionem autumat, quam* τὸν ἀέρα τὸν ἄνω *vocat, itèm* ὑπέκκαυμα, *&* τὸ ἔσχατον ἀέρος δύναμιν ἔχον πυρός· *eundem planè locum quem &* διαδρομὴ τῶν ἄστρων, *ſtellarum trajectioni aſſignat, qui proinde* 12 *milliaria Germanica altitudine haud poteſt excedere. Unde fieret, ut perquam exigua pars* Galaxiæ *nobis ſimul appareret, nec ſtellæ eædem ipſi ineſſe, omnibus Terræ Incolis. Quem tamen* locum Cometis *adjudicat, quanquam inde ſequeretur eos ultra horam unam aut alteram vix poſſe conſpici. Tam miſerè hallucinatus eſt* Ariſtoteles *circa naturam locúmque* Galaxiæ & Cometarum. *In conjecturis de cauſa* Iridis ſecundariæ *nihilo fœlicior, quippe quam reflectione primariæ factam ariolatur, cùm neutra tamen ab altera dependeat, quemadmodum ſolidè demonſtravit* Carteſius. *In cauſis etiam* fontium & fluviorum, & ſalſedinis marinæ, maríſq; *ab innumerorum immenſorúmque fluminum influxu* nihilo auctioris facti, *ex eo quòd Aquæ circulationem in Terra perinde ac ſanguinis in humano corpore ignoraverit, turpiter eſt lapſus; quanquam, quod hanc ignorantiam excutere potuiſſet, ſubterranea antiquorum* χάσματα καὶ λίμνας, Platoníſq; *Tartarum in* Phædone, *quem fontem omnium aquarum facit, & cum quo reliquæ Aquæ aliquo modo communitent, apertè commemorat, inter alia hoc etiam addens è* Platone, Πάντα δὲ πάλιν κύκλῳ περιάγοντες εἰς τὴν ἀρχὴν ὅθεν ἤρξατο ῥεῖν.

Meteor. lib. 2. cap. 9. *Porrò admodum confusè & inſcitè philoſophatur de* Terræ-motibus, Ventis ac Tonitruo, *dum ſic pronunciat,* ἡμεῖς δὲ φαμὲν τὴν αὐτὴν εἶναι φύσιν ἐπὶ μὲν τῆς γῆς ἄνεμον, ἐν δὲ τῇ γῇ σεισμὸν, ἐν δὲ τοῖς νέφεσι βροντήν. *Quod perinde eſt ac ſiquis diceret, Flatum ab accenſo pulvere pyrio, ventúmque* Æolipylæ *eundem eſſe. Rectiùs ii de ventis philoſophati ſunt quos oppugnat* Ariſtoteles, *Meteor.* lib. 2. cap. 4. *qui ſcilicet definiverant,* Ὅτι ἡ αὐτὴ ἐστὶν ἥτε τοῦ ἀνέμου φύσις καὶ ἡ τοῦ ὑομένου ὕδατος, *quæ eſt ipſiſſima opinio* Carteſii. *Ventum verò ſubterraneum & externum eundem facere non contentus, eorum inſuper addit Reciprocationem, quam* τὴν ἔσω καὶ ἔξω ῥύσιν *appellat, terræque motus fieri* οἷον μεταῤῥοίας εἴσω γινομένης τοῦ πνεύματος. *Quod commentum, ſi ſpiſſitudinem aeris in cavernis ſubterraneis conſideres, æquè ferè abſonum eſt ac ſi finxiſſet ventos aliquando ſe condere in fundo maris.*

Circa Halones & Parelios, *ut de* Iride *hîc taceam, quantâ obnupta eſſet mens* Ariſtotelis *ignorantiâ, videre eſt* Meteor. lib. 3. cap. 2. *ubi univerſim de eis pronunciat,* Πάντα ἀνάκλασις ταῦτ' ἐστι, *niſi* ἀνάκλασις *Reflexionem etiam comprehendat. Et de Pareliis,* ὅτι γίνονται ἐκ πλαγίας ἀεί. *Qui, fateor, eſt uſitatiſſimus eorum ſitus, unde &* Parelii *dicti ſunt, quaſi* laterones ſolis. *Sed conſpiciuntur & ſupra & infra ſolem & ex adverſo, contrà ac definit* Ariſtoteles; *nec bini ſoli, ſed aliquando ad quaternos quinóſque, ut videre eſt apud* Libertum Fromundum & Carteſium. *Ignorantia autem verarum cauſarum hujus Phænomeni, fecit ut* Ariſtoteles *fidem adhiberet Hiſtoriolæ iſti incredibili de duobus* Pareliis *in* Boſporo, *coortis quidem cum Sole & à matutino tempore ad occaſum uſque durantibus. Hoc autem facilè credidit, quòd Pareliorum cauſam ad æquabilem Aeris ſpiſſitudinem referebat, quam univerſalem tunc in* Boſporo *fuiſſe fingere potuit. Quanquam nec ſic rectè res ſuccedet. Hoc enim pacto, aut plures duobus Parelii futuri fuiſſent, aut potiùs nullus, ſed Solis amplior ſolito diſcus.*

Adhæc, mirè profectò Philoſophatur circa Cataclyſmos *celebratiores*, Terræ ſenectutem per partes, *totiúſque* æternitatem. *Nam ut Annus ſive Periodus ſolis Hyemem ſecum quotannis ducit, ita* περίοδόν τινα μεγάλην μέγαν χειμῶνα καὶ ὑπερβολὴν ὄμβρων *ſecum adducere contendit. Quod quidem* μέγα κόμψευμα *eſt, (ut illius verbo adversùs ipſum hîc utar) & quod ſuperſtitionem Aſtrologicam ſapit. Conſultius fuiſſet ad* Senectutem *terræ* per partes *confugiſſe, dictóſque Cataclyſmos ſeneſcentium partium catarrhos finxiſſe, cùm terram per partes ſic ſeneſcere voluerit, quod tamen ineptè rejicit* εἰς τὸν ἥλιον καὶ τὴν περιφοράν· *unde ſequeretur omnes partes ejuſdem Climatis ſimul conſeneſcere, ſimúlque inundari. Has autem inæqualitates accidere propter æquabilem Solis curſum non eſt profectò conſentaneum. Ex ipſis igitur terræ viſceribus* Platonicóque *Tartaro ignibúſque ſubterraneis horum cauſæ potiùs eruendæ ſunt, quàm à Sole atque Aſtris petendæ. Nec fingenda* partialis Terræ ſenectus *aliis partibus rejuveneſcentibus, ut terra ſic* æterna *eſſe poſſit, ſed æternitas illius penitus explodenda eſt, quæ proculdubiò multo antehac montes vallibus æquâſſet, ipſúmque mare limo cœnóque oppleviſſet.*

Quo-

Quemadmodum verò Terram æternam *finxit, ità* Cœlos *non ſolùm* æternos *ſed* impaſſibiles *omninò &* inalterabiles, *magnis elogiis cœleſte corpus exornans, quippe quod* τὸ πρῶτον στοιχεῖον, τὸ πρῶτον σῶμα, τὸ θεῖον σῶμα, *&* οὐσίαν σώματος θειοτέραν *ſubinde appellitat. Cœleſtia verò corpora impaſſibilia eſſe & inalterabilia, à maculis Solis, à Cometarum tranſcurſibus inter Planetas, Stelliſque fixis apparentibus & mox diſparentibus abundè confutatur.* Solem *verò* Stelláſque, *quod eſt alterum* Ariſtotelis *delirium*, *non* igneas *eſſe ipſum nudi ſensûs judicium ſatìs confutat. Cui addas imaginem Solis in chartam receptam & lebetis fervidi inſtar bullientem. Abſurdiſſimámque demum* Ariſtotelis *rationem cur hujuſmodi calorem à Sole ſentiamus. Poſtquam igitur*, (De Cœlo lib. 2. cap. 7.) *ſtatuerat Aſtra nec ignea eſſe nec in igne ferri, de calore cœleſti ſic philoſophatur.* Ἡ δὲ θερμότης ἀπ' ἄστρων καὶ φῶς γίνεται παρεκτριβομένου τοῦ ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐκείνων φορᾶς. Πέφυκε γὰρ ἡ κίνησις ἐκπυροῦν καὶ ξύλα, καὶ λίθους, καὶ σίδηρον. *Solem verò præ reliquis aſtris majorem ciere calorem propter propinquitatem & celeritatem, Lunam enim tardiùs moveri, Stellas magìs è longinquo, monet*, Meteor. lib. 1. cap. 3. *Cùm tamen perinde ſit, quia Celeritas tantùm concavi Lunæ aerem contingit, unde celeritatis aut propinquitatis aliorum Aſtrorum omnis intercidit ratio, nulláque Aeris* παρέκτριψις *fieri poteſt niſi à ſolo Orbe Lunæ. Et quod peſſimè omnium cedit, nec ab hoc ipſo, contra commentum illius, dicto capite, quo ſublunarem Aerem vult raptu concavi Lunæ ferri, id quod impoſſibile eſt propter illius glabritiem; & certè ſi aſperum altéque dentatum eſſet, an vel ſic ad nos uſque motum tranſmitteret, incertum eſt, particularem verò motum Solis, quo illius præ cætris calor ſentiretur, non perceptum iri certiſſimum. Ego verò eò magìs hìc demirandum* Ariſtotelis *ingenium cenſeo quòd ad tam abſonas & incredibiles argutias ſe recipere vellet, circa calorem Solis, quaſi nec igneus eſſet nec calidus, quod factum ſit etiam contra ſolidam illam ac apertam* Pythagoreorum *ſententiam, quos ipſe noverit Solem appellare*, τὸ ἐν μέσῳ ἱδρυμένον πῦρ, in medio poſitum ignem. *Cæterùm videtur datâ operâ iſtis Philoſophis contradixiſſe, ſed cum æterna ſui nominis infamia.*

Hi ſunt præcipui Ariſtotelis *errores quos fortè notaveram in Adverſariis, quóſque cùm ad manum eſſent huc aſcripſi, nè temerè viderer tam celebrem perſtrinxiſſe Philoſophum*, Carteſiúmque *ipſi tanto intervallo antepoſuiſſe. Verùm enimvero, ut ſepoſito omni partium ſtudio liberè dicam quod ſentio, unus ille* Carteſii *error, pro ingenii illius magnitudine magnus & immanis, quo totum Mundum aſpectabilem, nè corporibus quidem Animalium exceptis, ex particularum Materiæ motu fortuito & tumultuario, quem Mechanicum nunc dierum appellitant, conditum ſtatuit, omnes* Ariſtotelis *errores ſimul ſumptos non ſolùm æquare meritò cenſeri poteſt, ſed longè longéque ſuperare. Errorem autem eſſe multis argumentis iiſque ſolidis in* Enchiridio Metaphyſico *demonſtravimus. Et ſi fortè quid uſpiam deſit, lacunas iſtas Scholiis hìc illìc additis nunc explebimus.*

FINIS.

ENCHIRIDION METAPHYSICUM:

SIVE, DE REBUS INCORPOREIS

Succincta & luculenta Diſſertatio.

PARS PRIMA:

De EXSISTENTIA & NATURA
Rerum Incorporearum in Genere.

In qua quamplurima Mundi Phænomena ad Leges *Carteſii* Mechanicas obiter expenduntur, illiúſq; Philoſophiæ, & aliorum omnino omnium qui Mundana Phænomena in Cauſas purè Mechanicas ſolvi poſſe ſupponunt, Vanitas Falſitáſque detegitur.

Per *H. M.* CANTABRIGIENSEM.

Ariſtot. Metaphyſ.
Φιλεῖν μὲν ἀμφοτέρους, πείθεσθαι δὲ τοῖς ἀκριβεστέροις.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
MDCLXXIX.

AMPLISSIMO SUMMEQUE

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino,

D. GILBERTO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

Totius ANGLIÆ Primati, &c.

Tametſi nonnulla erant, Præſul ſumme Reverende, quæ me à dedicando hoc meum *Enchiridium Metaphyſicum* Tuo Nomini revocare poterant; plura tamen occurrebant quæ me ad hoc Inceptum debebant inſtigare. Inter illa autem quæ ab Incepto revocabant, hoc erat præcipuum, quòd minimè decere putabam puſillum Opus, necdum ſemiperfectum, Viro tanto ac tam conſummato nuncupare, qui omnia ſua ſplendidè magnificéq; habet facítque, quíque tam liberaliter ſumptus fecit εἰς τὸ κοινὸν ϗ εἰς τὸ θεῖον, quemadmodum hominem verè magnificum decet; Theatrúmque *Oxonii* exſtruxit ampliſſimum ornatiſſimúmque, Ipſe interim exſiſtens Prudentiæ, Comitatis, Generoſitatis, aliarúmque conſimilium Virtutum, Theatrum ſpectatiſſimum.

Hoc certè meritò facere poterat ut puderet me tantillam rem ac tam imperfectam, inter tot Tui Nominis Splendores, præclara Facinora ac Virtutes, tanquam ſemi-accenſum cereum in conſpectum Solis proferre. Verùm enimvero poſtquam mecum cogitare cœpiſſem res maximas magnificentiſſimáſque rebus minimis maximéque contemptibilibus repræſentari poſſe; (ut immenſa Lux Solis exigua quavis flammula, quemadmodum & per ignem *Veſtalem* in medio Templi poſitum eam ſignificatam fuiſſe profundioris Sapientiæ conſulti arbitrati ſunt;) ſtatim mihi in mentem veniebat poſſe etiam hoc imperfectum Opuſculum Perfectionum Tuarum haud obſcurum Monumentum ſatis commodè conſtitui. Ut præteream hanc Primam Operis Partem Tractatum etiam abſolutum perfectúmque *de Rerum Incorporearum natura & exſiſtentia in genere* non immeritò forſan exiſtimari poſſe.

Quem ut Tuo Nomini dedicarem, inter alia, hæc profectò non mediocriter me commovebant. Primò, quòd intellexerim Te *Enchiridio* meo *Ethico* tantopere fuiſſe oblectatum. Unde non parum mihi ſpei effulſit *Enchiridium* etiam hoc meum *Metaphyſicum* Tibi non ingratum fore: præſertim cùm *Moralis Philoſophiæ* Stabilitas ac Perfectio *Rerum* præcipuè *Metaphyſicarum* cognitioni ſint acceptæ referendæ.

Verùm & id præter cætera me ad hoc propoſitum ſtimulabat, quod ſperabam non injucundum Tibi futurum Spectaculum, quum videbis quàm appoſitè nos, Deo aſpirante, eximia quædam Experimenta Philoſophicæ illius Societatis *Londinenſis*, quam Sereniſſimus Rex ad æternam Sui Nominis memoriam tam auſpicatò inſtituit, ad res Facultatis noſtræ, Theologicas utique, promovendas in hoc Opere adhibeamus; & quàm clarè ex eorum *Corporeorum Experimentorum* Lumine *Rerum Incorporearum* exſiſtentiam

tiam demonſtremus : Quod certè præcipuum eſt omnis Religionis veræque Theologiæ fulcrum. Ac proinde putabam Te non mediocriter oblectatum iri, poſtquam obſervaveris nos è Clero non fruſtrà vel ſubtiliſſimis *Naturalis Philoſophiæ* Experimentis faciundis in celeberrima hac Societate intereſſe; cùm tam plenam inde hauriamus, aliiſque demonſtrare poſſimus, Certitudinem earum Rerum quæ *ſupra Naturam* poſitæ ſunt, taléſque ad quas tamen quidam, qui non vulgares Philoſophi haberi volunt, ut Veſpertiliones ad diurnam lucem, planè cæcutiunt.

Poſtremò, Semper ex eo tempore quo me Ædibus tuis *Lambethanis* tam humaniter compellâſti, tractâſti, gratiâſque egiſti de opera mea ac ſtudio promovendi Rerum optimarum ſcientiam, apertéque profeſſus es quantopere ipſe etiam *Liberam Philoſophandi rationem* approbes, modò nulla fraus fiat Religioni, Pacíque & Inſtitutis Eccleſiæ; ab eo, inquam, uſque tempore me Tibi maximè devinctum ſemper exiſtimavi; nec pati poteram quin aliquando aliquod meæ erga Te gratitudinis ſpecimen edendum meditarer. Et certè hoc quod jam edidi, cùm tam præſtantem habeat ſcopum, & Sacerdotali noſtro muneri adeò congenerem, non ingratum Tibi fore ſperabo.

Et quantùm ad Paternum tuum Monitum, nequa ratione Libertas philoſophandi Religioni Pacíq; Eccleſiæ quicquam damni inferret, equidem ad illam Divinam tuam vocem ſummopere gaudebam; tum quòd tam ſanctè prudentérq; Religionis incolumitati pacíq; Eccleſiæ proſpiceres, & tam peritè ſimul Libertatem philoſophandi, ſi ritè temperetur, cum bono Eccleſiæ optimè poſſe conſiſtere ſubindicares; tum præcipuè quòd ipſe mihi eſſem conſcius, tantum ſemper abfuiſſe ut ego liberâ meâ philoſophandi ratione Religionem quoquo modo læſerim, ut è contrà pro certo noverim omnium ferè meorum Scriptorum ſcopum hactenus fuiſſe ea defendere ac ſuffulcire quæ ad rem Religionis Pacémq; Eccleſiæ maximè faciunt. Cui provinciæ ornandæ ſummâ qua potui fide ac induſtriâ inſudavi per multos jam annos, nullâ conductus mercede, nec externâ ullâ utilitate pellectus, ſed ex ſincero Veritatis amore, Boníque publici promovendi ſtudio.

Quod tamen fateor me admodum variâ fortunâ feciſſe; aliis magnopere approbantibus quæ ſcripſi, aliis ringentibus, aliis integra convitiorum plauſtra in caput meum depluentibus. Sed enimvero, quantùm ad me, mihi profectò maledictis cum quoquam concertare nec per Chriſtianitatem puto nec per Philoſophiam licere; verùm experrecto ſimul animo & patienti (*per gloriam & dedecus, per convitia & laudes*, ut loquitur Apoſtolus) ad illud quod optimum eſt recto & conſtanti tramite me pergere oportere, fauſtáque omnia etiam maledicis & malevolis non ſimulatâ charitate comprecari, multóq; magìs me gratum præbere candidis ac benignis. Quæ præcipua cauſa eſt, Præſul Ampliſſime, quòd hoc *Metaphyſicum* Opuſculum Tuæ memoriæ dedicavi; ut nempe perpetuum exſtare poſſit monimentum tum Humanitatis erga me Tuæ, tum meæ viciſſim Gratitudinis, utpote qui ſum

Amplitudinis Tuæ humillimus

devinctiſſimúſque Servus,

HENRICUS MORUS.

AD
LECTOREM
PRÆFATIO.

1. P*Auca ſunt quæ pro meo more te monere debeo; amice Lector, antequam* Enchiridii *noſtri* Metaphyſici *Lectionem aggrediaris. Primum eſt, de Propoſito inſtitutóque noſtro ſcribendi de hujuſmodi Materia, in qua tot tantâque Ingenia tam copioſè ſubtilitérque ſtylum ſuum exercuerunt, adeò ut impoſſibile videatur novi quicquam à nobis excuſum iri, quod addi poſſit eorum Lucubrationibus. Alterum, de ipſa Scribendi ratione quâ uſi ſumus in hac prima præſertim Parte noſtri* Enchiridii. *Alienum enim videri poteſt à Scientia Metaphyſica, tam multis ampliſque Phyſicorum Experimentorum deſcriptionibus ubique abundare. Tertium & ultimum eſt, de præmatura Operis edendi properatione, quòd ipſum utiq; ſinam alterâ adhuc tertiâque parte mutilum in publicum prodire.*

2. *Quod igitur ad Primum attinet; Agnoſco lubens, & cum eorum ſanè laude, multos magnóſque aliorum in hac Materia labores, tam Scholaſticorum, quàm Nuperorum quorundam maxima ex parte Scholaſticis oppoſitorum. Sed quod* Scholaſticos *ſpectat, ut ingenuè fatear quod res eſt, Quanquam mirificam quandam ingenii ſubtilitatem, Notionúmque inveniendarum copiam, in Scriptis ſuis oſtendant : tamen cùm maxima pars eorum quæ tradunt aut aliena ſint à Scientia* Metaphyſica, (*ut quæ ad* Logicam *potiùs pertinere à viris ſapientiſſimis rectè judicantur,*) *aut curioſa magis ac ſpinoſa quàm ad potiſſimum Metaphyſicæ finem utilia, nempe ad claram certámque exſiſtentiæ naturæque rerum Incorporearum cognitionem vel ſcientiam; equidem aliquod magnum in eorum Tractatibus adhuc deſiderari putabam, id nempe quod non tam aptum eſt Animum humanum in innumeras Notionum ſubtilitates ſcindere, quàm illius aſſenſum de exſiſtentia naturâque rerum incorporearum commodè & intelligibiliter explicatarum aut extorquere, aut ſaltem ſtabilire & corroborare. Atque hinc factum eſt quòd veterum Metaphyſicorum Scripta nullum arbitrarer fore obſtaculum quò minùs mihi experiri liceret quid ipſe in hoc genere poſſem, & ſedulò tentare an poſſem excogitare quicquam quod ſuprà dicto fini feliciùs inſerviret.*

3. *Quantùm verò ad* Nuperos *illos, qui duorum ſunt generum;* Uni, *qui Scientiam Metaphyſicam ad omnium* Terminorum generalium *definitiones explicationéſque extendunt, eiſdémque munus illius ac officium circumſcribunt;* Alteri, *qui ad* rerum *rurſus* incorporearum *ſolummodo tractationem reſtringunt : Illi* primi *profectò, ſi per* generales Terminos *iſtiuſmodi terminos intelligunt qui in rebus omnino omnibus contemplandis adhibentur,* Dialecticæ *Objectum proculdubio innuunt; ſi verò tales qui in communi vita ac ſermone frequentiùs occurrunt,* Vocabularium *potiùs aliquod notare mihi videntur, quàm legitimam aliquam Artem vel Scientiam indigitare.* Alteros *verò quantùm ad Objecti Metaphyſicæ deſignationem rectè & cum judicio ſenſiſſe arbitror; inter quos præcellentiſſimus habetur* Renatus Carteſius; *credo ob aliorum ejus Scriptorum potiùs quàm ob ipſarum Metaphyſicarum Meditationum præſtantiam : quas certè ego, etiam tum cùm de cæteris illius Scriptis perquam magnificentiſſimè ſentiebam, nullo tamen pacto admirari poteram. Quanquam enim videtur mecum ſupponere res Incorporeas legitimum & adæquatum eſſe Metaphyſicæ Objectum; ejus tamen ipſarum exſiſtentiæ demonſtrationes, naturæve earundem explicationes, nunquam profectò pote-*

ram probare, ſi primum Divinæ Exſiſtentiæ Argumentum exceperis. Quod ſanè multos antè annos quàm in Carteſium *incidi ſatìs ſolidum eſſe apud meipſum agnovi, cùm ſub hac ſpecie animo occurrebat meo*; Si certum ſit utique quicquam omnino exſiſtere, multò magìs Deum, cùm & cauſas ac rationes ſuæ exſiſtentiæ in ſe contineat. *Hæc certè ratio ante multos annos ità apud me valebat, (ut qui ingenio eram à Religione parùm averſo, quanquam à Superſtitione ac illius fraudibus averſiſſimo,) ut de Dei Exſiſtentia nunquam poſſem dubitare. Alioqui in Poematis meis Philoſophicis æquè diligens fuiſſem in excogitando rationes ad probandam Divini Numinis Exſiſtentiam, quàm eram curioſus in Natura ipſius explicanda.*

4. *At verò, ſi liberè fateri liceat quod res eſt, parùm profectò proſpexit* Carteſius *Religionis vel* Naturalis *corroborationi & incolumitati ex iſta quam ille adhibet Methodo in Meditationibus ſuis Metaphyſicis, præſertim ſi cum Philoſophiæ Principiis conferantur.*

Primò enim, non poteſt major plaga vulnúſve infligi partibus Religionis maximè eſſentialibus, quàm Phænomenôn omnium in Cauſas purè Mechanicas (nè corporibus quidem Plantarum Animaliúmve exceptis) poſſibilis Reſolutionis præſumptio. *Nempe quaſi Mundus hic corporeus, modò tantus Materiæ motus impertitus ſupponatur quantus revera in ipſa etiamnum reperitur, poſſit generare ſeipſum. Quæ tamen eſt* Carteſiana *Hypotheſis.*

Vide Princip. Philoſoph. *Part. 2. Artic. 21.*

Deinde, Materiam juxta illius innatam in animo noſtro Ideam non poſſe non exſiſtere, *vel*, Exſiſtentiam ex nudis ipſius Ideæ rationibus, Materiæ neceſſariò competere. *Hoc equidem vulnus mihi videtur nihilo mitius aut tolerabilius priori : utraque verò cognitionis rerum Metaphyſicarum certitudini ac evidentiæ immenſam labem inferre. Hinc enim eſt quòd* Carteſius *cogitur declinare notiſſimam illam tutiſſimámq; viam demonſtrandi Dei Exſiſtentiam à viſibilibus Mundi Phænomenis, atque ſe in ultimum ſuæ mentis receſſum colligere, vel potiùs tanquam in cæcum aliquod ergaſtulum ſine omni foras proſpectu compingere, locum certè ad ſomnum opportuniorem inaniáque inſomnia, quàm ad Metaphyſicas veritates inveniendas ſtabiliendáſve, ſaltem quod exſiſtentiam rerum attinet.*

At verò, inquies, Idea Dei, *ſive* Entis abſolutè perfecti, *quæ ipſi in hac animi abſtractione occurrebat, quâque Dei Exſiſtentiam demonſtrabat, annon felix id erat inſomnium? Ità ſanè : Sed æquè infelix illud quod Materiæ tanquam rei neceſſariò exſiſtentis Ideam repræſentabat; quo Argumenti ab Idea Dei, ſive Entis abſolutè perfecti, ad probandum illius Exſiſtentiam deſumpti, vis omnis penitùs enervatur ac diluitur. Illud enim Ens abſolutè perfectum eſſe non poteſt à quo rerum omnium exſiſtentiæ non dependent. Primo igitur ſuo Argumento pro Dei Exſiſtentia, & cui ſoli vim ullam ſolidam ineſſe deprehendere quiſpiam queat, ipſe* Carteſius *nervos ſuccîdit, erigendo Ideas ſibi invicem repugnantes. Altera verò duo primo huic ſuccenturiata in pompam ſolummodo addita eſſe ego ſemper exiſtimavi : nec ſanè ipſe* Carteſius *in Reſponſionibus ſuis Metaphyſicis illis multùm confidere videtur. Adeò ut nihil ſolidi firmive in univerſis ipſius Meditationibus Metaphyſicis, prout ille rem tractat, inveniatur ad probandam Dei Exſiſtentiam.*

Sed præterea, viam omnibus (præſertim iis qui nihil eſſe poſſe concipere queunt niſi quod aliqualem habet Amplitudinem, in quorum numero me eſſe lubens fateor,) aut credendi aut demonſtrandi rerum incorporearum exſiſtentias, perverſo illo dogmate de mutuo Materiæ ac Extenſionis reciprocatione, *præcluſit. Cui denique addas illud quod huic conſequens eſſe conceditur, nempe,* Spiritus, ſive res incorporeas, quamvìs ſint, nullibi tamen eſſe poſſe : *&, ſi ſint alicubi, non eſſe Spiritus, ſed neceſſe eſſe ut ſint res corporeæ. O duram rerum incorporearum conditionem, (vel potiùs ridiculam & impoſſibilem,) quæ eâ ſolâ lege in rerum univerſitatem à* Carteſio *admittuntur, ut nuſquam in univerſa rerùm Natura exſiſtant!*

5. *Computemus igitur tandem digitis, & quàm multis Metaphyſica nominibus* Carteſio *devincta ſit videamus. Demonſtravit ſanè Exſiſtentiam Dei Argumento ab illius Idea deſumpto, ſed à Scholis mutuato; ſed ſubtili adeò, ut perpauci vel è doctis (ipſam aliis de cauſis concluſionem credentibus) vim illius percipiant; ſed cujus denique nervos ipſe, falſam Materiæ Ideam fabricando, univer-*

ſos incidit. Altera porrò duo Argumenta primo huic ſuccenturiavit; ſed adeò invalida, ut nec ipſe eorum viribus multùm ſit confiſus. Et tamen pro hiſce duobus infirmis Argumentis innumera, vel potiùs omnia, illa firma ac ſolida Argumenta à Mundi Phænomenis petenda, per temerariam illam ſuam Mechanicam Hypotheſin, quâ univerſa in Cauſas purè Mechanicas reſolvi poſſe contendit, uno quaſi ictu naturæ rerum prætruncavit. Motum Materiæ à Deo imprimi aſſeruit, ſed non probavit; cùm tamen tota Epicureorum Schola Atomos à ſe moveri tam audacter conſtanterque affirmet. Materiam qualitercunque modificatam cogitare poſſe negavit: Sed, quod æquè difficile videtur, ſi non multò difficilius, Materiam motam in exquiſitiſſimas illas corporum animalium ſtructuras ſe poſſe concinnare ſatis apertè agnovit; nec ullo ſolido Argumento Materiam ſentire non poſſe uſquam demonſtravit, Animæve à Corpore diſtinctionem realem. Nam quod in Metaphyſicis occurrit ſcopum non attingit, ſed probat duntaxat Rem cogitantem eſſe poſſe vel Materialem vel Immaterialem: ut in conceptu præciſo formali Animalis, quod vel Brutum vel Homo eſſe poteſt. Quàm innumeri autem ſunt tum è literatis tum è plebeiis qui animas Brutorum ſenſu, imaginatione, memoriâ præditas, Halitus tamen quoſdam corporeos eſſe autumant, qui ob ſuam ſubtilitatem dictis vitæ ſenſitivæ funguntur muneribus, quique, addent Epicurei, ſi aliquantò ſubtiliores eſſent ac puriores, Rationis etiam præclara ederent ſpecimina? Atque ſic totus hic Mundus corporeus, partim ex conceſſis Carteſianis *de Animalium ſtructura Mechanica, partim ex vulgatiſſimis plerorumque opinionibus & propenſionibus, confeſtim agnoſceretur potuiſſe generare ſeipſum, nullúmque Deum eſſe præter ipſum Mundum corporeum; Réſque omnes incorporeas non ſolùm nuſquam eſſe, quod modeſtè innuit* Carteſius, *ſed nè eſſe quidem omnino, utpote quarum nullus eſſet uſus, confidenter apertéque concluderetur. Tam diligenter ac ſolicitè ſcilicet Religionis incolumitati ac commodo proſpiciebat* Carteſius *in Meditationibus Metaphyſicis, poſtquam ejus animus Mundis Mechanicè condendis adeò avidè inhiaverat: Et tamen cum his tam paucis, tam tenuibus, tam perperàm inſtructis ac malefidis copiis, anſus eſt hic invictus Heros totum Orbem literatum de Exſiſtentia Dei ad pugnam provocare; victoriam proculdubio coram ſatìs peritis æquiſq; judicibus reportaturus, niſi una aciei pars alteram tam perfidè adorta fuiſſet, Ideáq; Materiæ neceſſariò exſiſtentis Ideæ Entis abſolutè perfecti vim funditus ſubvertiſſet.*

6. *Verùm enimvero, ut res ſe nunc habent, ſi Philoſophiæ* Carteſianæ, *quà Phyſicæ quà Metaphyſicæ, ſtaretur, equidem horreo dicere in quanta proclivitate & quàm periculoſo in Atheiſmum præcipitio mortalium animi conſtituerentur; adeò nullum in illius philoſophandi rationibus occurrit quod eos à prolapſu in hunc veſanum morbum prohibeat ſatìs firmum Retinaculum. At verò inquies nos non ſatìs intelligere vim ac firmitudinem Demonſtrationum* Carteſianarum, *quibus exſiſtentiam Dei Animæque à corpore realem ſeparationem in Metaphyſicis Meditationibus demonſtravit. Firmitudinem profectò earum nè hilum quidem, nedum ſatìs, intelligo; infirmitatem verò fortaſſe plùs ſatis. Nec certè intentiſſimâ quâ uti poſſum acerrimâque animi cogitatione cernere queo, quas ob ſerias rationes aſſertiones tam perpetuò ferè, ſi* veritatem ac falſitatem *ſpectemus, diſcrepantes conſociare voluerit, ac genuina ſuæ Philoſophiæ dogmata agnoſcere. Cujuſmodi ſunt, Deum Ens abſolutè perfectum eſſe; & tamen Materiam ex propria ſua Idea & in ſe conſideratam neceſſariò exſiſtere. Eſſe quidem Deum; ſed Deum nuſquam eſſe, aut in Mundo, aut extra Mundum. Materiam à ſeipſa non moveri, ſed à Deo; Deum tamen nec ulli quidem parti Materiæ nec toti adeſſe, vel unquam adfuiſſe, quò motum Materiæ impertiret. Materiam cogitare non poſſe qualitercùmque modificatam; id verò eouſque verum eſſe, ut omnia Bruta Animalia puræ putæ ſint Machinæ, nec Equo phalerato plus ſensûs inſit quàm ſuis Ephippiis. Mentem Animámve immortalem humano corpori ineſſe vel adeſſe; ſed per operationes ſolummodo, non per eſſentiam. Eſſe quidem Divinam Providentiam; & tamen rerum Fines non eſſe inquirendos. Terram non moveri; ſed ità, ut nullus omnino motus fieri poſſe intelligatur, niſi receſſus motúſve unius corporis ab altero ſit reciprocus. Deum denique tantâ pollere poteſtate arbitriique libertate, ut leges Mundi corporei, ſi velit, mutare poſſit: ſed ità, ut poſſit etiam, ſi velit, naturam Trianguli rectanguli mutare, facereque ut potentia Hypotenuſæ non æqualis, ut nunc eſt, ſed major minórve potentiis Baſis & Catheti ſimul ſumptis evadat.*

7. *Magno equidem agnoſco* Carteſium *fuiſſe ingenio; ſed quidni porrò addam & feſtivo admodum & occulto? Cui ſanè ſi in Metaphyſicis Meditationibus indulſit, in ſcenam prodiens hyemali togâ indutus, & ſimulatâ compoſitâque gravitate ſerios animos in altiſſimarum veritatum exſpectationem rapiens, dum interim illud præcipuè meditabatur, quî poſſet iſtiuſmodi Notiones excudere & in mentes hominum inſinuare de rebus Metaphyſicis quæ maximè convenirent cum magno illius inſtituto de Mundis Mechanicè condendis, quod in ſinu ſuo adeò unicè intiméque fovebat, non tam de demonſtranda Dei Exſiſtentia ſolicitus, quàm ut nè ipſe Atheiſmi ſuſpectus foret ob Mechanicas ſuas Mundorum condendorum rationes; hoc, inquam, ſi fecit, & diſtortas coactáſque Notiones, & ad privatum ſuum Propoſitum longè petitas, & violentè deflexas, pro veris ac naturalibus propoſuit; æternam certè ſic fixit crucem Animis ſeriis, ſed incautis, qui illius acuminis admiratione capti facilè ſibi perſuaſuri ſint, quæcunque ille dictaverit, quàm remotiſſima fuerint à communi ſenſu, ipsive contraria, vera tamen eſſe ac ſolida, &, ſi quid minùs intelligunt, tarditati ſuæ potiùs imputaturi, quàm propoſitarum Notionum vel obſcuritati vel falſitati. Quo quidem futurum eſt ut (niſi facili quadam credulitate ſublevandi ſint, ineptâque levitate opinandi ſe intelligere quæ nondum intelligunt) acri intentâque in Notiones* Carteſianas *cogitatione ſpiritus ſuos citiùs ad inſaniam uſque accenſuri ſint, quàm ullum lumen quo neceſſitatem & cohærentiam dictarum Notionum deprehendant elicituri; omnéſque Animæ facultates luxaturi & in miſeras diſtorturi deformitates, quàm quæ revera falſa ſunt ad ullam certam veritatis normam unquam reducturi, aptéve ad eam conformaturi.*

8. *Atque horum profectò gratiâ potiſſimùm hâc dicendi libertate uſus ſum, nè tam faceti ac ſubtilis Ingenii Feſtivitates ac Joci in ſeriorum Animorum aut carnificinam aut dedecus exeant. Eſt enim, meo judicio, res perquam inhoneſta & indecora, ut, neglectis & vili penſis cæteris, eíſque uſitatiſſimis firmiſſimiſque, cujuſvis rei Argumentis, ea ſolummodo amplecteremur, in eíſque unicè nos efferremus tanquam omnium ſolidiſſimis, quæ tamen non tam præſenti cauſæ apta, quàm privato alicui inſtituto quod clàm fovet accommodata, unus quiſpiam, nec niſi ludens jocánſque, in medium fortè fortunâ protulerit; præſertim in re tam gravi & tam magni momenti quàm eſt Exſiſtentia Dei, Animæque humanæ Immortalitas. Quorum quidem dogmatum profeſſio (dum tam levibus ludicriſque Demonſtrationibus ſuffulcitur, aut in ſe utique infirmis, aut mutuâ ſaltem, prout monuimus, infirmatis repugnantiâ) non poteſt profectò ſic non exponi Atheorum hominum & à Religione alienorum turpiſſimæ ſubriſioni & contemptui. Quæ certè conſideratio excuſare debet apud omnes bonos hanc noſtram παῤῥησίαν in ſententia proferenda de Speculationibus* Carteſii *Metaphyſicis cum Mechanica illius Philoſophia comparatis.*

9. *Intereà loci, ſatìs jam credo manifeſtum eſſe, aliquid occaſionis relictum fuiſſe quæ nos ad præſens hoc noſtrum* Enchiridium Metaphyſicum *ſcribendum invitaret. Quod Primum erat. Quod Alterum verò attinet, de illius Scribendi ratione, frequentiſſimóque Experimentorum Phyſicorum deſcriptionum uſu; Id certè evitari non poterat in hoc ſcribendi genere, in quo Rerum incorporearum exſiſtentia è corporeis Mundi Phænomenis erat perpetuò demonſtranda. Etenim ſine ipſorum Experimentorum aliqualibus ſaltem, ſi non adeò plenis, deſcriptionibus, argumentationum noſtrarum indidem deſumptarum vis tam commodè intelligi non poterat; niſi fortè ab eis qui in hujuſmodi Experimentis verſatiſſimi ſunt, quibus ſola ipſorum mentio forſan ſufficere potuiſſet. Quantùm verò ad Experimentorum multitudinem; Equidem fateor rem paucioribus confici potuiſſe, id eſt, rerum incorporearum exſiſtentiam demonſtrari; cùm vel unicum Experimentum quod clarè percipimus omnes rerum corporearum vires excedere, id efficere aut poſſit aut debeat. Sed cùm ſolitariis Inſtantiis quantúmlibet manifeſtis vix tam plenam mens humana fidem adhibere ſoleat quàm repetitis, non abs re fore putabam ſi plura adjicerem, unâque ſic, quod aiunt, ſagittâ duas aves transfigerem, hoc eſt, & ſolidam rerum incorporearum exſiſtentiam, & incredibilem Philoſophiæ Mechanicæ vanitatem, pariter demonſtrarem. In quo quidem obeundo, ſinguláque anquiſitiùs penitiúſque inſpiciendo, apud ipſum etiam* Carteſium, *Mechanicorum Philoſophorum & præſentium & (ſiquid noſtra valet Divinatio)*

Divinatio) futurorum etiam omnium facilè Principem, tam improbabiles, imò verò impoſſibiles, Mundanorum Phænomenôn ſolutiones Mechanicæ occurrebant, ut animo imperare profectò non poſſem quin apud meipſum ſubindè exclamarem, O Mechanicam Philoſophiam præ omni Superſtitione credulam & fatuam! *Quod certè tam apertè non profiterer, niſi pro perſuaſiſſimo haberem, ipſum Lectorem poſt lectas huſce noſtras Lucubrationes Metaphyſicas plenèque intellectas, juxtà mecum eſſe ſenſurum.*

10. *Quid verò? inquies, Numnam igitur planè actum eſt de Mechanicis Phænomenôn ſolutionibus univerſis? Ità prorſus exiſtimo de puris putis illis quales* Carteſius Hobbi*uſque & conſimiles Philoſophi Mechanici affectant, quas ſolas impugno & explodo, non ſolùm tanquam minùs pias, ſed tanquam ineptiſſimas & ſuprà quàm dici poteſt falſiſſimas. Nec quid damni aut detrimenti hinc capturum ſit genus humanum video, ſi omnes iſtiuſmodi rationes ac opiniones ex toto terrarum orbe exterminarentur, niſi id in damnis ponendum ſit, quòd Hylolatricæ illius Philoſophiæ præſtigiis & incantamentis liberatæ mentes humanæ pauciora ad veram Fidem Pietatémque habituræ eſſent Obſtacula; multóque fierent procliviores ad auſcultandum tempeſtivo Angeli illius Præconio per medium Cæli volantis, & clamantis voce magnâ,* [Timete Deum, & date illi honorem, & adorate eum qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum,] *quàm ad prurientes aures accommodandum garrulo cuilibet Mechanico Philoſophaſtro, qui cœli ac terræ reliquarúmque rerum corporearum Mechanicè condendarum artificium ſe docere poſſe & delineare inſulſiſſimâ confidentiâ profiteatur, cùm nè lapidis quidem ad terram deſcensûs cauſas ullas purè Mechanicas proferre noverit; promptioréſque futuræ eſſent ad agnoſcendum ineffabilem Dei Sapientiam ac Bonitatem è ſtupendis illius operibus elucentem, atque inde ad eum omni amore ac adoratione proſequendum, quàm ad turgeſcendum ſtultiſſimâ aut ſui aut aliorum admiratione ob inanem opinionem Scientiæ, quam, niſi egregiè deſiperent, nullam eſſe facilè comperirent, nedum ejuſmodi ad quam ullorum mortalium unquam poterit pervenire curioſitas.*

11. *Hæc autem omnia ità intelligi velim, ut Experimentalis Philoſophiæ, quam quidam imperitè cum Mechanica confundunt, pretium & exiſtimatio nullatenus minuatur; qualem nempe celeberrima* Regia Societas Londinenſis *profitetur, & in quo genere multa ac præclara edidit Artis induſtriæque ſuæ Specimina, non ſolùm ad communes Vitæ uſus, ſed, quod & præſens hoc* Enchiridion *teſtari poteſt, ad Veritates Philoſophicas maximè ſublimes veréque Metaphyſicas eruendas, apprimè utilia. Quorum quidem utilitas ac aptitudo ad rerum immaterialium exſiſtentiam demonſtrandam, ex pauculis illis quæ in hac Diſſertatione adhibui, adeò mihi comperta eſt & explorata, ut ingentes indè ſpes conceperim, præcipuas Veritates Metaphyſicas ad mirificam quandam claritatem ac certitudinem indè perductum iri; planéque mihi videre videar ea aliquando fore tempora, cùm* nullum in terris apparebit vilius aut abjectius ſpectaculum quàm homo Atheus & rerum incorporearum incredulus. *Tanta ſcilicet cognitionis rerum Phyſicarum vis eſt ad certam Metaphyſicarum intelligentiam: Ut memo miretur tot illarum Experimenta in hoc noſtro* Metaphyſico Enchiridio *occurrere. Quod alterum erat hujus Præfationis membrum.*

12. *Ad Tertium verò & ultimum, de nimis propera hujus Operis, nondum finiti ac perfecti, in publicum editione, hæc pauca breviter reſpondeo. Agnoſco quidem totius Operis quod mihi elucubrandum propoſui hanc Primam duntaxat, quam edidi, eſſe Partem, duáſque adhuc ſupereſſe; alteram de Deo, de Anima Mundi, déque Spiritu Naturæ; alteram de Animabus, præſertim humanis, Geniiſque: ſed hanc Primam mihi imprudenti ſub manus in molem excreviſſe duplò ferè majorem quàm toti Operi deſtinaveram.* Enchiridii *tamen Titulum retinuit, tanquam primi mei inſtituti Notam ac Monumentum, & ut frænos mihi injicere poſſit nè nimiùm in duabus ſubſequentibus Partibus excurram. Edendam verò interim hanc Primam Partem curavi, quòd ſatis ex ſe ampla ſit & perfecta quodammodo de* Rebus incorporeis *in genere* Diſſertatio; *& quòd tam certa ac ſolida Fundamenta cognitionis exſiſtentiæ earum jecerit ac naturæ, ut ſi à reliquis Partibus ſcribendis manum abſtinerem, quemvis tamen ſuopte Mar-*

te ad cætera facilè procedere poſſe haud temere conſiderem.

Deinde, ratio habenda erat virium corporis, per quas ſanè mihi non licebat abſque aliquibus reſpirandi Intervallis ſuſceptum Opus ad umbilicum perducere.

Quibus poſtremò addas, quòd hanc Primam Partem tam præmaturè in publicum protrudendo, opportunitates me indè nacturum ſperarem experiundi hominum judicia de primis hiſce Enchiridii *mei Fundamentis, ut cautiùs exactiùſque ſequentium Partium rationes poſſim inſtituere, & preſſiùs diſtinctiùſque contraſentientium præjudiciis temeréque conceptis opinionibus ire obviàm, animiſque ipſorum, in eis quæ adhuc reſtant* Diſſertationis *Partibus, feliciùs eas eximere. Quæ omnia eò ſumus alacriùs aggreſſuri, quò gratiora Viris doctis ac Deum timentibus quæ hactenus propoſuimus ac probatiora fuiſſe intellexerimus.*

ENCHIRIDIUM METAPHYSICUM.

CAP. I.

Metaphyſica *quid, ejúſque Nominis ac Definitionis Explicatio.*

1. *Definitio* Metaphyſicæ, *ejúſq; Nominis ratio.*

1. METAPHYSICA *eſt Ars rectè contemplandi res Incorporeas quatenus è Lumine Naturæ Facultatibus noſtris innoteſcunt.* Itáque Metaphyſica *Theologia* quaſi quædam Naturalis eſt.

Quod ad Nomen *Metaphyſicæ* attinet, eſt ſanè ſignificantiſſimum; deſumptum verò à Titulo Tractatui cuidam *Ariſtotelico* perperàm & imperitè præfixo: Inſcribitur enim, τὰ μετὰ τὰ φυσικά, cùm tamen rariſſimè ibi occurrant quæ revera *Metaphyſica* ſunt, ſed aut *Logica* plerumque, aut alîus alicujus Artis aut Scientiæ. *Metaphyſica* autem hæc Ars dicitur quam hîc nos tractamus, quòd poſt *Phyſicam* doceri debet, ut quæ eſt nobiliſſimus Naturalis Philoſophiæ fructus, maximéq; genuinus. Nam ex accuratiori Naturæ ſive Mundi corporei cognitione in ſatìs claram Dei cæterarúmque Rerum incorporearum cognitionem emergimus.

2. *Elogia quædam & tituli quibus* Ariſtoteles *Metaphyſicam exornat.*

2. Aptiſſimè igitur hæc Diſciplina *Metaphyſica* dicitur; quanquam & aliis Titulis apud *Ariſtotelem* Elogiiſque, non ſanè ineptis, etiam eo in ſenſu quo nos eam tractamus, exornatur. Nam paſſim dicitur aut σοφία, aut φιλοσοφία, *Sapientia*, vel *Philoſophia*, vel *Philoſophia prima*: Quaſi is demum *Sapiens* ſit habendus, ſolúſque *Philoſophus*, aut *primarius* ſaltem, qui *Metaphyſicâ* probè eſt imbutus. Quandoquidem ille revera philoſophatur qui altiſſimas rerum Cauſas inveſtigat atque invenit, quas *Ariſtoteles* contendit eſſe Objectum *Sapientiæ*.

Altiſſimæ verò illæ *Cauſæ* proculdubio inveniuntur inter res *Incorporeas*, inter quas maximè excellit Deus. Ὁ γὰρ Θεὸς δοκεῖ, inquit ille, τὸ αἴτιον πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις, *Deus enim rerum omnium videtur Cauſa & Principium*; ut taceam de aliis Cauſis univerſalibus incorporeis. Quæ omnes cùm habeant nobiliſſimam efficiendi vim & ſimpliciſſimam, equidem meritò hæc noſtra *Metaphyſica* eiſdem Elogiis quibus *Ariſtoteles* Philoſophiam ſuam primam tam liberaliter accumulavit inſignienda eſt & cohoneſtanda, tanquam omnium Scientiarum αἰτιωτάτη, ἁπλουστάτη, ἀρχοειδεστάτη, ἐπιστημονικωτάτη, addam etiam καθολικωτάτη. Influxus enim harum Cauſarum univerſaliſſimus eſt æquè ac nobiliſſimus, quanquam earum natura atque eſſentia certo genere reſtricta eſt & circumſcripta, nempe incorporeo.

3. *Naturalis Philoſophiæ Finis nobiliſſimus eſt rerum Metaphyſicarum cognitio.*

3. Vides igitur quò legitimum Naturalis Philoſophiæ ſtudium *tendit*, nempe, ut viam nobis ſternat ad cognitionem iſtiuſmodi Principiorum quæ tam alta támque Divina ſunt, ut planè deprehendantur ſupra omnem naturam Corpoream poſita, illiúſq; vires excedere. Quum tamen interim id videtur eſſe præſentis ſeculi aut ingenium aut fatum, ut toti ſint in rebus Corporeis contemplandis, ibíque æternùm hæreant, Materiámque infinitis ferè Experimentis exagitent atque vexent, non ut verum fateatur, ſed ut diſſimulet prorſus ac obmuteſcat. Atque ità profectò talparum inſtar in illius viſceribus cubilia ſibi fodere mihi videntur; non terram quaſi effodere tanquam homines, quò domicilii alicujus magnifici fundamenta jaciant quod in luminoſum ætherem caput efferre poſſit, Soliſque radiis per patulas pellucidáſque ſuas feneſtras impleri. Sed ad Definitionem redeo.

4. *Quo ſenſu Metaphyſica* Ars *dicatur; quo* Scientia *&* Sapientia.

4. *Metaphyſica* hîc *Ars* dicitur, non eo ſenſu quo *Ariſtoteles* Artem accipit, pro *Habitu* utique *fabricativo cum ratione*, ſed communi illo quo omnes ferè eam accipiunt, quatenus ſcilicet ſignificat Doctrinam, ſive *Methodicam comprehenſionem Præceptorum homogeneorum*, cujus Finis eſt εὐπραξία, ſpeculativa an fabricativa nihil refert. Hîc verò ſpeculativa eſt; Eſtque *Habitus rectè contemplandi res Incorporeas.* Qui Habitus non ineptè vel Scientia vel Sapientia dici poteſt. *Scientia*, ut quæ omnium maximè facit πρὸς τὸ στῆσαι καὶ ἠρέμησαι τὴν διάνοιαν, unde nominis ἐπιστήμη ratio apud *Ariſtotelem* petitur. *Sapientia* verò, quòd ſit Cauſarum altiſſimarum abſtruſiſſimarúmq; Indagatrix atq; Inventrix.

5. *Per* res Incorporeas *quid intelligatur, rectámque earum* Contemplationem.

5. Per *res* verò *Incorporeas* intelligo *Spiritus* propriè dictos, ſive Subſtantias in ſe prorſus immateriales, earúmq; Affectiones vel Proprietates. *Recta* autem earum *Contemplatio* eſt, veras & intelligibiles Notiones de ipſis formare, formatáſque eo ordine diſponere, ut una alteri lucem afferat; útque non ſolum clarè & diſtinctè ſingula concipiantur, ſed omnia Theoremata, ſive de Exſiſtentia harum rerum ſive de earundem Natura, ſolida veráque eſſe ſatis intelligantur.

6. *Quòd Metaphyſica ad Lumen Naturæ reſtringitur, ut diſtinguatur à Teologia ſupernaturali.*

6. Poſtremò ſuperaddo, *quatenus è Lumine Naturæ Facultatibus noſtris innoteſcunt*, ut diſtinguatur Metaphyſica (quam & ϑεολογικὴν *Ariſtoteles* appellat) à ſupernaturali illa Theologia quæ hominibus Divinâ aliquâ Revelatione patefacta eſt. Nec ità tamen quin ea quoque quæ in Theologia illa divinitus inſpirata occurrunt, quorum rationes à Facultatibus noſtris perſpici poſſunt, huc poſſint etiam transferri. * Qualia ſunt quædam de Deo déque Divini Numinis Triunitate, de Anima humana Angeliſque, & id genus reliqua. Quæ quatenus Facultatibus noſtris innoteſcunt, ſive ab ipſis primitus inventa, ſive divinitus tradita, ſed ab ipſis tamen demum agnita tanquam humanæ Rationi conſona, omnia profectò Objecta eſſe poſſunt (ſi exſpatiari velimus, nec Enchiridii anguſtiis coerceri,) hujus Metaphyſicæ quam hìc tractamus, & nihilominus Metaphyſica hæc noſtra Theologia quædam Naturalis rectè appellari.

7. *Definitionem Metaphyſicæ ſatìs claram eſſe, ſed ad confirmandam illius veritatem diluenda eſt Objectio.*

7. Atque hæc ad Definitionis intelligentiam ſufficiant. Supereſt ut ad illius veritatem confirmandam uni, ſed præcipuæ, Objectioni de Objecto Metaphyſicæ ſatisfaciamus. Etenim non ſolùm *Ariſtoteles*, ſed univerſa ferè *Metaphyſicorum* Familia, ea tractat in Libris ſuis Metaphyſicis quæ Rerum incorporearum neque Species ſunt nec Proprietates, nec ad eas quatenus incorporeæ ſunt ullo modo referri poſſunt: Et, ut uno verbo dicam, non Res incorporeas, ſed Ens quatenus Ens, adæquatum ſtatuunt Objectum *Metaphyſicæ*.

SCHOLIA

In CAP. I. SECT. 6.

Qualia ſunt quædam de Deo, déque Divini Numinis Triunitate, de Anima humana, Angeliſque, *&c. De* Deo *ejúſque exiſtentia librum integrum ſcripſimus. De* Divini Numinis Triunitate, *ex ſententia præſertim* Platonicorum, *tum alibi, tum in Scholiis ad ultimum hujus non pauca adjecimus.* De Anima *etiam* ejúſq; Immortalitate *totum texuimus Tractatum, ubi nonnulla* de Angelis *ſive* Geniis *occurrunt. Neque enim is ſum qui eorum naturam humani Intellectûs captum prorſus excedere exiſtimem, nec quicquam de* Dæmonibus *ſive* Geniis *nos noſcere poſſe niſi ex eorum ordine eſſemus, quemadmodum cenſet* Cardanus, *ejúſque veſtigiis inſiſtens* Syſtematis Animæ *eruditus impugnator. Immò verò è contrà multa ſunt, quæ, ſuppoſito quòd exiſtant ſintque ſubſtantiæ quædam à Deo diſtinctæ (non* ἀπόῤῥοιαὶ, *operationéſve quædam Dei tranſeuntes ſeu momentaneæ) qua in re omnes ſanioris mentis Philoſophi conſentiunt, (nec difficile quidem eſſet dubitanti rem demonſtrare) multa, inquam, ſunt, quæ niſi datâ operâ contra veritatem oculos occludere velimus, nunciúmve mittere facultatibus, (taléſve ementiri, quales omninò non habemus) non poſſumus non intelligere de Angelis Geniiſve.*

Ut primò, cùm Entia ſint realia, immò ſubſtantiæ, *eos aliquam habere* amplitudinem, *cúmque ſint creati, ſic à Deo Creatore (qui omnia fecit in numero, pondere & menſura) creatos eſſe ut amplitudinem habeant* finitam. *Unde intelligitur ſingulos* alicubi *eſſe ſed non ubique, multiſve in locis ſimul*; *(Locum intellige* Logicum *ſive* Ubi, *non* Phyſicum *ſeu* Ariſtotelicum) *nec* Locum *ſive* Ubi *mutare poſſe ſine motu, motúmque propterea localem eis, quo dixi ſenſu, competere. Hæc quidem menti, omni præjudicio liberæ non ſolùm conſentanea videri debent, ſed & neceſſaria. Deinde cùm intelligant, hinc manifeſtum eſt, quoad unam ſaltem partem, eos eſſe* incorporeos, *ſeu* Spiritus, *ac proinde Entia* una per ſe & non per aliud, *& cum eo,* indiſcerpibiles. *Ex eo porrò quòd intelligunt, ſequitur multas eos habere Notiones ſive Ideas tum Logicas tum Mathematicas* nobiſcum communes. *Ridiculum enim eſt fingere eos Trianguli, Quadrati, Sphæræ, Cylindri & ſimilium alias atque nos habere Ideas. Et in univerſum, omnium Rationum & Idearum nexus certos & neceſſarios quibus propoſitiones conſtituuntur æternæ, quod dicitur, veritatis, quos nos diſtinctè certóque apprehendimus, eos latere non poſſe manifeſtiſſimum eſt. Immediati enim Idearum & Rationum nexus ſive* uno intuitu *deprehendantur ſive* evolutè & ſucceſſivè, *iidem tamen ſunt & immutabiles, nec dubium eſſe poteſt quin ſuperior Intellectus,*

lectus, omnes veras notiones complectatur inferioris. Et ut verbo abſolvam, una recta Ratio *Humano generi cum Ordinibus Angelicis communis eſt, unáque vitæ Lex eſt* Charitas *ſeu* Amor Divinus, *quo nihil profectò majus eſt & perfectius, aut apud Angelos aut apud Homines.*

De his horúmque ſimilibus circa naturam *Angelorum* interiorem *quivis omni exutus præjudicio, facilè certus eſſe poteſt. Quæ verò ad* exteriorem *eorum* naturam *ſpectant, nempe an habeant corpora ſeu vehicula necne, &, ſi habent, rotunda ſint an ovalia, an denique in figuram, putà humanam, articulata; & an propriè videant, audiant & loquantur, qualéſque apud ipſos ſint tranſactiones aut negotiorum, aut voluptatum & oblectamentorum; hæc ſanè horúmque ſimilia major, fateor, obſidet caligo & obſcuritas. Et tamen, ſpero, ſi quis attentè & cum candore mea ſcripta perlegerit, inveniet etiam hæc, methodo plus quàm probabili & Divinis oraculis minime diſſonâ, ſatìs clarè ac apertè explicata, majorémq; utplurimùm affingi hiſce rebus difficultatem, quàm reverà ſit.*

CAP. II.

Ens quatenus Ens non eſt Objectum Metaphyſicæ, *ſed* Logicæ.

1. *Ut* Ens *ſit Objectum Metaphyſicæ, tum rationi nominis Metaphyſicæ,*

1. CÆterùm quàm craſſus hic ſit illorum error qui Ens quatenus Ens Objectum Metaphyſicæ eſſe contendunt ex eo clarè evincemus, tum quòd rationi nominis Metaphyſicæ, tum etiam quòd ipſi naturæ Entis, repugnat. ***Metaphyſica*** enim dicitur, quod docet τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, ***ea quæ diſcenda ſunt poſt rerum Phyſicarum cognitionem***, utpote quorum cognitio ex harum cognitione emergit. Quamobrem ipſa nominis Notatio demonſtrat Ens quatenus Ens non poſſe eſſe Objectum Metaphyſicæ, cùm tam generale ſit ut ordine & Naturæ & Doctrinæ res Phyſicas antecedat. Itaque aut Entis tractatio è Metaphyſica amovenda eſt, aut novum Metaphyſicæ nomen quærendum.

2. *Tum ipſi naturæ Entis repugnat.*

2. Sed & ipſa Entis natura reclamat. Eſt enim è genere Dialectico hæc Notio, cùm Univerſaliſſima ſit, & in Categoria Conſentaneorum collocanda. Quod quidem (quemadmodum & alia quæ ad faciliorem Metaphyſicæ noſtræ intelligentiam utilia fore judico) ut pleniùs intelligatur, aliquantò uberiùs hoc in loco de rebus quibuſdam Dialecticis diſſeremus.

3. *Omnia Univerſalia ſunt λόγοι, Univerſaliſſimi Logici, unde &* Ars Logica *dicta eſt.*

3. Primò igitur, notandum eſt quòd omnia Univerſalia cujuſcunque generis, cujuſmodi ſunt Corpus, Animal, Arbor, Homo, & ſimilia; ſunt quidem, quatenus abſtrahunt à Singularibus, non Res ipſæ, ſed Modi quidam juxta quos Mens Ratióve noſtra res ipſas concipit; quódque illi Modi Græcè ſignificantiſſimo vocabulo λόγοι appellantur. Veruntamen quanquam Notiones illæ generales quæ occurrunt in aliis Artibus λόγοι etiam, prout ſunt, rectè appellari poſſunt, (omnes enim docent abſtractos noſtros de rebus Conceptus, cùm Ars non ſit ſingularium;) illi tamen ſoli ***Logi Dialectici*** habendi ſunt qui ſunt omnium Univerſaliſſimi, & quos adhibere poſſumus in re qualibet contemplanda. * Atque ab his ***Logis*** propriè dictis Ars ***Logica*** ſuum nomen ſortita eſt, circa quos verſatur, ut ***Arithmetica*** circa ***Numeros***, aut circa ***Magnitudinem Geometria***.

4. *In Artibus Logi non ſic tractantur quin ipſæ Res ſingulares quarum ſunt Logi ſimul tractari ſubintelligantur: Quod proinde ſpeciatim fit in communiſſimis Logis Dialecticæ, unde eos verſari conſtat circa Ens quatenus Ens.*

4. Quemadmodum verò nec Corpus, nec Animal, nec Arbor, in genere ſumpta, ità tractari concipiuntur in aliqua Arte, ut ſingularum Arborum quatenus Arbores ſunt, ſingulorúmve Animalium quatenus Animalia, naturæ proprietatéſque non ſubintelligantur doceri & demonſtrari; (nam ſola illa Singularia Res ipſæ ſunt, Genera illa Modi tantùm quos nos adhibemus in Rebus contemplandis:) Ità Modi illi Dialectici quos λόγυς vocamus non ità abſtractè docentur, ut nullo modo doctrinæ eorum res ſingulares reſpiciant vel attingant. Imò verò ad res ſingulas ſpectant, eóque prorſus collineant; ſed non quatenus certâ aliquâ rerum ſpecie contentas, ſed ſub generaliſſima communiſſimáque ratione conſideratas: hoc eſt, ad res ſingulas ſpectant quatenus ***Res***, non quatenus ***Corpus***, ***Arbor***, ***Animal***, ***Homo***, aut aliud quicquam quod diſtincto aliquo rerum genere clauditur. Ac proinde omnes Rationes ſive Notiones Logicæ ſunt communiſſimi Mentis noſtræ Modi, juxta quos conſideramus Ens quatenus Ens, nempe quando rem ipſam vel cum Cauſis ſuis Principiiſve, vel cum alia re, conferimus. Nam ex hac collatione oriuntur illæ communes rerum Relationes mutuíque reſpectus quæ σχέσεις ſive Habitudines Logicæ dicuntur, quæque, quòd mutuò ſe arguunt & illuſtrant, ***Argumenta*** meritò appellantur.

5\.
Quòd Res ipſæ quatenus Res ſubindicantur in omnibus Notionibus Logicis, ex Definitionibus earundem rurſus evincitur; unde & Ens quà Ens Objectum Dialecticæ denuo demonſtratur.

5. Jam verò quòd Res ipſæ quatenus Res in omnibus Notionibus Logicis ſubindicantur & connotantur, manifeſtum eſt iterum ex ipſis Rationum ſive Notionum Logicarum Definitionibus; ut quando definitur Cauſa, *cujus vi res eſt.* Neque enim ipſa Notio Logica quæ Cauſa nominatur eſt id cujus vi res eſt, ſed ſubintelligitur Ens quodlibet cujus vi res aliqua eſt, quòd illud ſcilicet rectè Cauſa dici poſſit. Similiter, cùm Materia definitur, *Cauſa ex qua*, Forma, *per quam, res eſt*, non intelligi poteſt Ratio aliqua Logica, quaſi ex illa vel per illam res aliqua fieret; ſed Ens quodlibet ex quo vel per quod res aliqua fit, id utique intelligitur rectè dici Materia vel Forma : & ſic de reliquis. Unde liquidò conſtat Ens quatenus Ens eſſe Objectum non Metaphyſicæ, ſed Logicæ; omnéſque Rationes ſive Argumenta Logica eorúmque Proprietates eſſe Modos quoſdam generaliſſimos, quorum ſcilicet uſus non certis aliquibus rerum generibus tanquam eis proprius dicatur, ſed qui promiſcuè in re qualibet uſurpari poſſunt & ad ſingula pertinere, non quidem quatenus hujus vel illius ſpeciei Entia ſunt, ſed ſenſu communiſſimo maximéque ſuſpenſo, quatenus ſunt Entia.

6\.
Quòd omnes res quatenus res generaliſſimis hiſce rerum contemplandarum Modis ſubjiciuntur, nè Deo quidem ipſo excepto.

6. Quamobrem cùm omnes Argumentorum Logicorum Syzygiæ, aut è binis ſaltem alterum cuilibet rei conveniat; manifeſtum eſt unumquodque tum demum pleniſſimè intelligi, poſtquam illius examinatio facta eſt juxta univerſas Rationum Logicarum Categorias. Præcipua verò tum *Exſiſtentiæ* tum *Naturæ* rerum notitia ex abſolutè Conſentaneorum Categoria oritur. *Naturæ* quidem ex *Materia* & *Forma*, ex quibus juxta hanc Methodum *Ens* quodlibet quatenus Ens conſiſtere intelligitur; *Exſiſtentiæ* verò ex *Efficiente* & *Fine*, ſine quibus nulla res exſiſtere poſſe præſumitur.

Hæ ſunt generaliſſimæ illæ rerum Cauſæ juxta quas earum omnium Naturas Exſiſtentiáſque examinamus, nè Deo quidem ipſo excepto. Cujus, ſecundùm hanc naturalis Luminis methodum, cùm nullum externum Efficientem Finémve invenire poſſimus, eum ἀυτουργῆ & ἀυτοτελῆ, *ſui ipſius* quodammodo *Efficientem Finém*que, eſſe apertè cogimur profiteri. Quod verò ad ea attinet quæ non ſunt tantæ præſtantiæ ut ſuam in ſe, id eſt, in ſua ratione formali, Efficientiam Finémque contineant, palàm eſt ex hoc generali Lumine Naturæ, ſi externo Efficiente Finéque careant, ea exſiſtere non poſſe.

7\.
Quòd Ens idem eſt quod Eſſentiatum; *quodque optimè natura ejus intelligitur ex primo illo fonte Logico* Cauſarum *&* Effectorum.

7. Verùm non ſolùm hi contemplandi *naturas* Entium Modi communes in omnibus Categoriis occurrunt, ſed ipſum etiam *nomen* Entis ex primo hoc Logico fonte eruitur quaſi in lucem, aptiſſiméque intelligitur. Quemadmodum enim quod fit è *Cauſis* in genere *Cauſatum* dicitur, ſed quatenus ab *Efficiente Effectum*, à *Forma Formatum*, *Materiatum* à *Materia*, & à *Fine* denique *Deſtinatum*; ità ab *Eſſentia* (quæ nihil aliud eſt quàm *Materia* & *Forma* ſimul ſumptæ) *Eſſentiatum* rectè appellari poteſt. Quod idem eſt quod *Ens*, quod eodem modo Eſſentiam reſpicit quo eam reſpicit Eſſentiatum, ſcilicet tanquam ex ea emergens quid, vel conſtitutum. Unde porrò liquet, duo Principia illa Entis interna & incomplexa quatenus Ens eſt eſſe *Materiam* & *Formam* Logicam.

Quæ voces primùm proculdubio ſignificabant certa quædam Entium genera, quemadmodum & Græca illa vocabula ὕλη & εἶδος. Materia enim propriè *Lignum* ſignificat, & ὕλη *Materiam*, (unde Latinum *Sylva*;) & tam Forma quàm εἶδος externam aliquam figuram formámve aſpectabilem. Sed poſtea ad uſum generaliſſimum tranſlata ſunt, adeò ut Materia in hoc Logico ſenſu nihil aliud innuat quàm *Amplitudinem* quandam indeterminatam, Forma verò hujus amplitudinis *differentiam.* Nam & ipſa Forma aliquando apud *Ariſtotelem* διαφορὰ appellatur, quaſi Forma id eſſet in genere quo Amplitudo ab Amplitudine ſpeciatim differat.

8\.
Quòd omne Ens ſive Eſſentiatum aliquatenus amplum eſt, cùm ex Forma & Materia Logica conſiſtat.

8. Ex quibus continuò conſtat uniuſcujuſque rei quatenus Ens eſt Eſſentiam conſiſtere ex *Amplitudine*, & *Differentia* quæ Amplitudinem ab Amplitudine diſcriminat. Nam quòd res quælibet aliquatenus ampla ſit ex eo patet, tum quòd id voci Materiæ valde conſonum ſit, quæ tanquam Principium Entis quatenus Ens eſt conſideratur; tum etiam, quòd nullam aliam Ideam menti noſtræ ea offerre poteſt præter hanc Amplitudinem, nec revera quicquam ab animis noſtris concipi omni Amplitudine deſtitutum; ut quivis experiri poteſt, ſi rem aggredi velit omni præjudicio malóque dolo ſepoſito. Quòd verò res quælibet ab aliis rebus ſit aliquo modo diſcriminata, indè conſtat, quòd alioqui res aliqua ſingularis exſiſtere poſſit quæ nulli certo rerum generi acccenſeatur; quod eſt prorſus impoſſibile. Ac proinde Entis cujuſque quatenus Ens eſt duo illa neceſſariò interna ſunt Principia ex quibus conſiſtit, *Amplitudo* nimirum, & *Differentia* ſive *Forma.*

9\.
Omne Ens eſt Unum, Verum *&* Bonum; *quarum Proprietatum ratio, ut & ipſius Entis, aptiſſimè ex hac prima Conſentaneorum Categoria intelligitur.*

9. Ex quibus omnibus tandem profluit præclarum hoc Conſectarium, Quòd omne *Ens* quatenus Ens eſt *Unum*, *Verum*, *Bonum*, *Quantum*, *Quale*, *Aliquando*, & *Alicubi.* * Nam quod ubique eſt, eſt etiam alicubi, & aliquando quod ſemper. Hæ ſunt

Proprietates Entis quatenus Ens eſt, optiméque ex eiſdem fontibus quibus Ens ipſum intelliguntur. Nam ex Unione debita partium Eſſentiæ & Diſtinctione ab aliis Ens *Unum* dicitur. Eſt enim unumquodque *Unum* quatenus *Indiviſum* à ſe & quoad totum & quoad partes, & *Diviſum* à quolibet alio, juxta ipſorum Metaphyſicorum definitionem. *Verum* autem Ens dicitur reſpectu Formæ legitimæque conditionis Materiæ. Neque enim Galea ex tenui papyro fabricata & concinnata vera galea eſſet, ſed potiùs ludicrum illius imitamentum. *Bonum* denique reſpectu Finis. Neque enim Forma ſola ac Materia debita ſufficiunt, ſiquid accidat rei quod inutilem eam facit ad eum Finem ad quem erat deſtinata. Sic Domus quoad Formam & Materiam vera eſſe poteſt; ſed ob peſtiferum Aerem aut infeſtationem malorum Dæmonum inhabitabilis, ac proinde non bona, cùm ad eum Finem ad quem deſtinatur non ſit utilis, ad commodam utique Habitationem.

10. *Quemadmodum & cur Ens ſit* Quantum, Quale, Alicubi, Aliquando *vel* Aliquandiu.

10. * Præterea, quòd omne Ens ſit *Quantum*, ex illius Materia intelligitur; quòd etiam *Quale*, ex Forma; & quod *Alicubi*, rurſum ex Materia. Nam quòd quidam Ens aliquod nuſquam eſſe poſſe ſomniant, & tamen revera exſiſtere, ex eo eſt, quòd imaginantur quædam Entia omni Materiâ carentia, etiam hâc Logicâ, omníque ad Materiam relatione. Hi verò contra communem omnium mortalium ſententiam philoſophantur, quemadmodum in *Phyſicis* innuit *Ariſtoteles*. Τὰ γὰρ ὄντα πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναί που, *Omnes enim omnia quæ revera ſunt alicubi eſſe arbitrantur.* Ipſque, tum in *Metaphyſicis*, tum in libris *de Cælo*, Deum ipſum, quem tanquam ἀδιαίρετον & ἀμεγέθη deſcribit, in ſuprema tamen Mundi ſphæra, reliquáſque Subſtantias ſeparatas, quæ *Intelligentiæ* vulgò vocantur, in ſubjectis ordine orbibus, collocat. Et in univerſum *Cicero*, *Siquid eſt, nuſquam eſſe non poteſt.* Neque ſanè eſſe poteſt, & tamen nunquam eſſe, hoc eſt, non *aliquando*, vel *aliquandiu*; quorum utrumque moram aliquam includit. Omne enim *Ens*, vel *Eſſentiatum*, *eſt*; Nihil verò poteſt *eſſe* & *non eſſe* ſimul. * *Duratio* igitur pertinet ad Ens quatenus Ens, eadémque eſt quod *Tempus Logicum*; prout *Ubi Locus* eſt *Logicus*. Verùm hiſce non eſt immorandum. Notabo tantùm obiter, ad Quantitatem Logicam etiam cujuſvis Qualitatis *gradus*, qui intra eandem Subjecti amplitudinem coercentur, referri.

11. *Diviſio Entis in* Unum *&* Multa, *& deinde Unius in Unum* per ſe *& Unum* per aliud; *unde Entis ſimplicis natura diſtinctiùs intelligitur.*

11. Nec præterire hìc poſſum utiliſſimam Entis Diſtributionem (nam ad hunc locum pertinet) in *Unum* & *Multa*; & rurſus *Unius* in *Unum per ſe* & *Unum per aliud*. Quod profectò ſi conferatur cum Uno per ſe, *Multa* potiùs cenſendum eſt quàm *Unum*. Eſt autem Unum per ſe cujus eſſentia eſt una per ſe, & non per aliud, hoc eſt, cujus Materia & Forma ſunt unum per ſe abſque ullo alio vinculo, atque etiam Partes utriuſque; ſi modò Partes appellare fas ſit quæ immediatè & per ſe unum ſunt, nec per aliud quicquam connectuntur, ac proinde nullo pacto diſſolvi poſſunt, vel phyſicè dividi.

Eſtque hoc Ens quoad eſſentiam verè ac perfectè *ſimplex*, ut quod ex nullis Partibus phyſicè diviſibilibus coagmentatur. Atque ex hoc demum loco aliqua lux affulgebit ad faciliorem intelligentiam naturæ *Spirituum*, qui ampli quidem ſunt, ut reliqua omnia Entia, nec poſſunt tamen in partes diſcerpi. Solum igitur quod *incorporeum* eſt, Ens *ſimplex* eſt *unúmque per ſe*; reliquum omne *unum per aliud*, ut Animalia omnia quæ ex ſpiritu & corpore conſiſtunt, & omne omnino Corpus; nam hæc non ſine aliquo vinculo cohærent.

12. *Quòd Diviſio Entis in* Subſtantiam *&* Accidens *ad Logicam pertinet; cum præclaro indè deducto Corollario.*

12. Cæterùm quandoquidem in mentionem Diviſionum Entis incidimus, equidem piaculum hìc eſſet ſi præclaram illam *Entis* prætermitteremus Diviſionem in *Subſtantiam* & *Accidens*, cùm rectè illa hoc in loco tractari poſſint tanquam immediatæ illius Species, & eodem planè jure quo Cauſa in ſuas ſpecies diſtribuitur. Nec abs re fore puto ſi utrumque definiamus; *Subſtantiam* utique, *Ens per ſe ſubſiſtens*, *Accidens* verò, *Modum ſubſtantiæ*, utpote quod ſine Subſtantia exſiſtere non poteſt. Unde manifeſtum eſt; *quicquid eſt aut Subſtantiam eſſe aut Subſtantiæ Modum*. Quod uſu ſuo non carebit in rebus Metaphyſicis contemplandis.

Intereà loci obſervatu dignum eſt quàm bellum Sophiſma illi homines committant qui ex Definitione Subſtantiæ, quippe quæ nullam mentionem facit ullius Materiæ vel Amplitudinis, rectè introduci putant Subſtantias quaſdam quæ nullam omnino habent Amplitudinem, quæque nullum ad eam reſpectum habere poſſunt; cùm tamen omnis Subſtantia, ex eo quòd Ens ſit, Materiam quandam vel Amplitudinem in ſe includat. Quibus omnibus hoc tandem aſtruas notatu ſanè perquam digniſſimum, *Quicquid eſt Modus ſive reale Attributum in uno aliquo Subjecto, id ſi alibi reperiatur, manifeſtiſſimum eſſe indicium ibidem etiam ſubeſſe aliquid reale ſubjectum.* Cujus Axiomatis uſus ſuo loco patebit.

13. *Diviſio Entis in* Finitum *&* Infinitum : *ad quorum prius* Situm *&* Figuram *referri.*

13. Nec omittenda eſt hoc loco tertia illa *Entis* Diviſio in *Finitum* & *Infinitum*, quatenus Materiam ſpectat, propterea quòd ad priorem ſpeciem *Situs* refertur & *Figura.* *Actio* verò & *Paſſio* ad *Cauſatum*, non quatenus *Eſſentiati*, ſed *Effecti*, nomine inſignitur. *Effectum* enim vel *Operatio* eſt, vel *Opus.* *Operatio* verò quatenus ab *Efficiente* exſeritur *Actio* dicitur; quatenus in aliquid recipitur, *Paſſio.*

14. *Ex Prædicamentis Ariſtotelicis octo reperiri in Categoria Abſolutè conſentaneorum,* Habitum *in Conſentaneorum modo quodam,* Relata *denique inter Oppoſita.*

14. Quamobrem ſi calculos rectè ſubducamus, in hac prima *Abſolutè conſentaneorum* Categoria non pauciora quàm octo è Prædicamentis *Ariſtotelicis* repoſita inveniemus, *Quantitatem* ſcilicet, *Qualitatem*, *Ubi* & *Quando*, tanquam proprietates *Eſſentiati* ſive Entis quatenus Ens eſt; *Subſtantiam* verò, tanquam proximam illius ſpeciem, * *Situm*, tanquam Entis finiti proprietatem vel modum; *Actionem* denique & *Paſſionem*, tanquam ſpecies quaſdam *Effecti.*

Habitus verò, ſive τὸ ἔχειν, quemadmodum appellat *Ariſtoteles*, ad alteram partem Categoriæ *Conſentaneorum* reducendus eſt. Nam τὸ ἔχον planè *Subjectum* eſt, τὸ ἐχόμενον verò *Adjunctum.* Atque hæc generalis Notio τοῦ ἔχειν verè Logica eſt. Quæ ſi ad arma, veſtimenta, annulos & id genus reliqua reſtringeretur, non ſolùm non Logica, ſed nè liberalis quidem, Notio eſſet, ſed ad infimas quaſdam Artes detruſa. Solùm ſupereſt ut *Relatis* ſuus proprius locus aſſignetur; quod jam fecit *Ramus*, qui in Categoria *Diſſentaneorum* ea collocavit, & inter ſpecies recenſuit *Oppoſitorum.* Ex dictis interim liquet, cùm decem illa Prædicamenta tam clarè deprehendantur *Logica* eſſe, nullum jam reliquum eſſe prætextum cur ad partes *Metaphyſicas*, quaſi obtorto collo, tam violenter pertrahantur.

15. *Quòd accuratiſſima rerum exſiſtentias naturáſque ſciendi methodus è Categoria* Abſolutè conſentaneorum *petenda eſt, adeò ut nullâ novâ inventâ ſit opus.*

15. Sed nimis propere delapſi ſumus ad *Diſſentaneorum* mentionem, cùm etiamnum reſtet in prima parte Categoriæ Conſentaneorum quod ſummopere notandum eſt. Hunc utique fontem eſſe omnis ſcientiæ, valdéque imperitè à quibuſdam deſiderari generalem aliquam methodum res contemplandi, accuratáſque earum formandi Ideas, cùm illa ars ex hoc loco planè petenda ſit. *Idea* enim cujuſque rei ejus *Eſſentiam* repræſentat. *Materia* verò ac *Forma*, quæ hujus loci ſunt, *Eſſentiam* complectuntur, generales generalem, mediæ mediam, ultimæ ſive proximæ ultimam vel proximam. Qui verò rem quamlibet per omnes illos gradus examinat & intuetur, ille demum accuratam illius Ideam formare poterit, quoad poſſibile eſt, perfectámque ejus naturæ acquirere cognitionem : Quemadmodum & Exſiſtentiæ ejus, ſi omnes cauſas Efficientes, Fineſq; à primis uſque ad ultimos, rimari noverit. Hæc, inquam, perfectiſſimæ pleniſſimæque Scientiæ generalis eſſet methodus, quod rem ipſam ſpectat, cujus maximè diſtinctus præciſúſque Conceptus in hac officina eſt fabricandus.

16. *Quòd omnes Modi Rationéſve* diſſentaneæ *æquè ac* conſentaneæ *verſantur circa Ens quatenus Ens.*

16. Reliqua pars Categoriæ *Conſentaneorum*, quæ eſt in *Subjectis* & *Adjunctis*, Eſſentiam rei Exſiſtentiámque ſupponit, utique ut Res Rei Adjunctum ſit vel Subjectum. Ens enim alteri Enti præter eſſentiam accedens, *Adjunctum* ejus dicitur; id verò cui accedit, illius *Subjectum.* Modi verò hi omnes Rationéſve *conſentaneæ* quòd verſantur circa Ens quatenus Ens abunde jam manifeſtum eſt. Quod ſimiliter fit in *diſſentaneis.*

Illa enim Entia *Diverſa* dicuntur quæ ſolâ Definitione, non Subjecto, differunt; quemadmodum Gravitas & Frigiditas reſpectu Ferri. Ut quando quis dicit, Quanquam hoc ferrum grave eſt, non tamen eſt frigidum. Poteſt enim ferrum eſſe & grave & frigidum ſimul. Ea verò Entia quæ & Definitione & Subjecto differunt *Oppoſita* dicuntur; quæ eidem Subjecto ſecundùm idem, ad idem & eodem tempore attribui non poſſunt. In Oppoſitis autem, *Diſparata*, *Relata* & *Adverſa* opponuntur ut *Entia* aliis *Entibus*; *Contradicentia* verò & *Privantia*, ut *Entia ſibi ipſis negatis.* Ens igitur ſubintelligitur ubique tam in *Diſſentaneorum* quàm in *Conſentaneorum* Categoriis.

17. *Eandémq; rationem eſſe de* Comparatis *&* Argumentis ortis.

17. Atque hactenus collatio Entium facta eſt inter ſe ſine interventu alicujus tertii. In ſequenti Categoria reſpectu alicujus tertii comparantur : unde *Comparata* Entia dicuntur, * in *Quantitate*, *Paria*, *Majora* vel *Minora*; in *Qualitate*, *Similia* vel *Diſſimilia.* Cùm verò omnes Argumentorum *Primorum* Categoriæ Entia perpetuò ſubindicent quibus hi Logici Modi vel Rationes applicantur, quod idem fit etiam in Argumentis *ortis*, ex eo manifeſtum eſt quòd *Orta* nihil aliud ſint quàm ipſa *Prima* Symbolis quibuſdam involuta; *Nominalibus* quidem *Conjugata* & *Notatio*, *Notionalibus* verò *Definitio* & *Diſtributio.* Sed faſtidium moveret hæc diutiùs inculcare.

18. *Etiam de* Axiomate, Syllogiſmo *&* Methodo.

18. Nec tamen abſtinere me poſſum quin porrò moneam quòd, quemadmodum è *Collatione* Entium oriuntur Argumentorum Categoriæ *ſigillatim* conſideratorum ut *Primorum* & *Ortorum*, *Simplicium* & *Comparatorum*, *Conſentaneorum* & *Diſſentaneorum*, cum ſuis ſingulorum ſpeciebus; ità è *Diſpoſitione* Entium cum ſe invicem *compoſiti* quidem *Modi* juxta quos ea ſic *diſpoſita* conſideramus ſimiliter oriuntur, qui vo-

cantur *Axioma*, *Syllogiſmus*, & *Methodus*, quíque ſinguli ſuas etiam habent ſpecies. Poſtremóque, quòd non certum aliquod genus Entium, ſed omnia omnino Entia, quatenus Entia, ſic diſponi poſſunt, nempe in Axiomate, Syllogiſmo, & Methodo, eorúmque diſpoſitio certis quibuſdam regulis, quæ ex Argumentorum Categoriis intelligendæ ſunt, rectè judicari.

19. Nam ex eo ipſo quòd Axioma definitur *Diſpoſitio Argumenti cum Argumento, quâ eſſe aliquid vel non eſſe judicatur*, planè innuitur ipſa Entia quæ diſponuntur in Axiomate ſub Logicis iſtis Modis ſive Rationibus, quibus ad ſe mutuò referuntur, conſiderari debere. Neque enim ipſæ Notiones Logicæ in communi uſu vitæ, ſed res ipſæ, ſic diſponuntur. Ut quando dicimus, *Ignis urit*, *Ignis* & *Uſtio* hîc *axiomaticè diſponuntur*, quæ res ipſæ ſunt; eáſque dum tales eſſe conſideramus quibus Argumenta quadrent *conſentanea*, putà Cauſa & Effectus, judicamus Axioma verum eſſe, ex eo quòd pronunciat utì res eſt, componi utique in Axiomate quæ naturâ conſentiunt tanquam Cauſa & Effectum. *Eſſe* enim & *non eſſe* in Axiomate eſt *Componi* & *Dividi*, juxta illud *Ariſtotelis*, Τὸ μὲν γὰρ εἶναί ἐστι συγκεῖσθαι καὶ ἓν εἶναι· τὸ δὲ μὴ εἶναι, τὸ μὴ συγκεῖσθαι, *Etenim Eſſe eſt componi & unum eſſe; Non eſſe verò, plura eſſe & non componi.*

19. *Quódq; de* Axiomate *conſtat ex illius definitione.*

20. Illi duo porrò Modi Axiomatis veri, juxta quos dividitur in *Contingens* & *Neceſſarium*, oriri intelliguntur ex firmo & infirmo conſenſu Argumentorum quæ in Axiomate componuntur. Quædam enim è Conſentaneis infirmo nexu cohærent; ut Cauſæ efficientes non immediatæ nec adæquatæ cum Effectis, Adjuncta pleraque cum Subjectis. Quædam verò firmo; ut Cauſæ efficientes immediatæ cum Effectis; quædam Adjuncta cum Subjectis, veluti Ens cum Loco Logico ſive *Ubi*. Quæ conficiunt Axioma κατὰ παντός.

Καθ' αὑτὸ verò, quando partes ſunt *eſſentiales* inter ſe; ut cùm Forma cum Formato, Genus cum Specie componitur. Quòd ſi partes Axiomatis non ſolùm ſunt *eſſentiales* inter ſe, ſed & *reciprocæ*, καθόλου πρῶτον dicitur; ut quando Definitio diſponitur cum Definito, *&c.* Unde manifeſtum eſt Judicium Axiomatis è natura Argumentorum peti; Contingentiſque *Opinionem* eſſe, Reciproci verò, *primam* & veriſſimam *Scientiam*. Cauſas enim rei maximè immediatas in eo contineri agnoſcimus.

20. Contingentia *&* Neceſſitas *Axiomatum unde oriatur: & ubi Axiomatis Judicium* Opinio, *ubi* veriſſima Scientia, *ſit appellandum.*

21. Denique, ut Firmitudo vel Infirmitas *Compoſitionis* Argumentorum in vero *Axiomate*, addo & *Diviſionis*, (nam quæ & *ratione* & *re* differunt, ſi dividuntur, Axioma etiam faciunt neceſſariò verum,) è natura Argumentorum petenda eſt; ità Firmitudo veritatis *Concluſionis* in *Syllogiſmo* ex firmitudine Diviſionis vel Compoſitionis tertii Argumenti cum partibus Quæſtionis judicanda eſt, quanquam *Conſequentia* ex ſola forma Syllogiſmi. Unde modos generales conſiderandi Entia obſervare poteris ipſa etiam in *Syllogiſmo* diſpoſita concomitari.

Quod manifeſtiùs adhuc patet in *Methodo*, quæ apertè docet Definitionem Diſtributioni præponendam eſſe, Simplicia Compoſitis, Cauſas Effectis, Genera Speciebus; cùm tamen hîc intelligitur non Notiones Logicas, ſed Res ipſas ſecundùm has Notiones, ſic diſponi debere. Nec de certis quibuſdam generibus Entium hæc Lex lata eſt, ſed de univerſis. Unde manifeſtum eſt, Entia quatenus Entia ſub generaliſſimis maximéque ſuſpenſis atque abſtractis rationibus à capite ad calcem in *Dialectica* tractari; * ac proinde Ens quatenus Ens eſt illius proprium eſſe Objectum, non *Metaphyſicæ*.

21. *Quòd cum Logis, ſive generaliſſimis Entium concipiendi modis, ipſa Entia tam in Syllogiſmo quàm Methodo conſociantur, brevis ſubindicatio.*

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. 3.

ATque ab his Logis propriè dictis Ars Logica ſuum nomen, *&c. Ut* Arithmetica ἀπ' ἀριθμῶν *circa quos verſatur nominata eſt, ità &* Logica ἀπὸ λόγων *circa quos ipſa verſatur. Atque hi, fateor, ſunt objectum ipſius* Artis *Logicæ.* Logici *verò interim rectè Objectum, Ens in genere exiſtimatur, (cùm omni generi Entium Logi illi communes conveniant:) Ut Numeri ſunt Objectum* Arithmeticæ *nempe ipſius* artis, *ſed* Arithmetici *res omnes Numerabiles. Quo omninò ſenſu intelligi volo, quando dico Ens in genere, ſive Ens quatenus Ens, eſſe Objectum Logicæ:* Logici *ſcilicet propriè eſſe Objectum, ut Res Numerabiles* Arithmetici. *Ens verò ſive* Eſſentiatum *poſſe eſſe Objectum partiale etiam ipſius* Artis *Logicæ, quatenus eſt unus è communibus Logis, ut videre eſt* Sect. 7. *Et certè cùm dico Ens in genere etiam* Artis *Logicæ Objectum, nihilo magis abſonè dictum eſt, quàm cùm* Ariſtoteles *Rhetoricam, (Dialecticæ utique* ἀντίστροφον*) declarat* οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν, *non verſari circa ullam determinatam rerum ſpeciem. Quod de* Rhetore *tantùm verum eſt non de* Rhetorica *(cujus objectum eſt* Tropus *&* Figura, *ex quibus Elocutio conſtituitur, & Pronunciatio denique quâ elocutio perficitur) ſed de* Dialectico *omnium veriſſimum.*

Sect. 9. Nam quod ubique eſt, eſt etiam alicubi, *&c. Hæc ineluctabilis veritas eſt, nec ei poteſt quiſquam refragari. Quod ad illud verò* Porphyrii *attinet*, Ὁ Θεὸς πανταχοῦ ὅτι οὐδαμοῦ, *aut ænigmaticum eſt aut apertè falſum. Nam* πανταχοῦ *&* οὐδαμοῦ *generalem contradictionem innuunt, cujus pars utraque licèt falſa eſſe poſſit, non poteſt tamen eſſe vera. Quòd ſi tanquam Ænigma agnoſcatur rectéque exponatur, Dictum acutiſſimum eſt pariter atque veriſſimum. Cùm enim Deus primus ſui ac aliarum rerum omnium locus perinde atq; cauſa ſit, neceſſe eſt ut ſit nullibi, quia locus primus atque intimus nuſquam eſſe poteſt, hoc eſt in nullo alio loco, alioqui non eſſet primus atque intimus. Jam verò cùm locus hic primus atque intimus neceſſariò ſit abſolutiſſimo modo infinitus, nec res ulla extra eum poni poſſit, cúmque res quælibet locata & locus ſint ſimul, hoc ipſo, quòd Deus intimus hic locus eſt, ac proinde* nuſquam, *eſt etiam* ubique, *hoc eſt, ubicunque res ulla intelligitur collocata. Quoniam igitur nuſquam eſt ut Locatum, ubique eſt ut Locus, ac proinde etiam alicubi.*

Ex eo verò quòd Deus nuſquam ſit, omnem ſubſtantiam Intellectualem nuſquam eſſe concludere, enormis eſt error. Neque enim Deus, quatenus ſubſtantia Intellectualis, nuſquam eſt, ſed quatenus ſui ipſius rerúmque aliarum omnium primus intimúſque locus, qualis certè eſt eo ipſo quòd ſit Deus. Nihil enim ſic eſſe poteſt præter ipſum. Subſtantiæ verò intellectuales creatæ, nè ſui quidem ipſarum loci ſunt intimi, nedum rerum aliarum, ac proinde illæ nec nuſquam eſſe poſſunt nec ubique. Dictum igitur illud Porphyrii *ſic intellectum ut nos expoſuimus, aliquid habet ſalis atque acuminis. Si verò craſſè & ad literam intelligatur, aperta eſt contradictio. Qualem leges Logicæ nullo pacto ferre poſſunt.*

Sect. 10. Præterea quòd omne Ens ſit quantum, *&c. Et imperitè ſanè hîc quæritur*, formalitérne *quantum ſit an* virtualiter *ſeu* eminenter. *Eâdem enim ratione Ens* quantum *eſt, quâ unum, verum & bonum. Sed ut Bonitas Divina omnem creatam Bonitatem virtualiter ſeu eminenter continet, ità Amplitudo ſeu Quantitas Divina, pro qua* Author Syſtematis Animæ *contendit, omnem aliam in ſe virtualiter ſeu eminenter continet quantitatem; minimè verò formaliter. Et quemadmodum* Syſtematis Animæ *ſolers oppugnator ex ſententia ſummi ſui Doctoris* Thomæ Aquinatis *concludit, duplicem eſſe* Numerum, *unum* propriè dictum & Prædicamentalem *ex diviſione continui ortum, qui excludendus ſit omninò à rebus incorporeis; alterum* Tranſcendentalem & Metaphyſicum, *qui potiùs* multitudo *eſt dicendus, húncque ſolùm in Deo atque Angelis incorporeis poſſe admitti: Ità ego ſimiliter ſtatuo duplicem eſſe* Quantitatem *ſeu* Magnitudinem, *unam* propriè dictam & Prædicamentalem *& in partes reverà diviſibilem, quæ excludenda omnino eſt à rebus incorporeis; alteram* Tranſcendentalem & Metaphyſicam *ſive* Logicam, *quæ potiùs* Amplitudo *eſt dicenda, háncque ſolam in Deo atque Angelis incorporeis poſſe admitti.*

Quòd verò antiquiſſimi Pythagorei *vel* Platonici *Centrum Punctúmve Divinæ Eſſentiæ ſymbolum fecerint, id non eò factum eſt quòd nullam illius* amplitudinem *agnoſcerent, ſed nullam* Diviſibilitatem, *vel ad ſignificandam* τὴν ἀδιαιρετότητα τῆς θείας οὐσίας καὶ τῶν θείων ἐνεργειῶν. *Eo ferè ſenſu, quo* Triſmegiſtus *dicitur Deum deſcribere tanquam* Circulum, cujus Centrum eſt ubique, Circumferentia verò nuſquam. *Totam innuens vim Divinam ſingulis ſuæ præſentiæ punctis ineſſe, infinitóſque illius Eſſentiæ ac virtutis radios ubique quaſi in unum centrum coire, Deúmque illîc æquè efficaciter adeſſe ac ſi illuc totam ſuam præſentiam omninò contraxiſſet, nec uſquam alibi præſens eſſet. Quod certè veriſſimum eſt, nec tamen Divinam Amplitudinem tollit, ſed illius præcellentiam egregiè illuſtrat.*

Duratio igitur pertinet ad Ens quatenus Ens, *&c. Neque enim ego in eorum ſententia ſum qui Durationi ſucceſſionem neceſſariò affixam cenſent, ſed eorum, qui Durationem ipſi aſſignant* Æternitati, *quam tamen ego minimè ſucceſſivam exiſtimo, ſed prout* Boethius *definivit*, Totam ſimul eſſe & perfectam interminabilis vitæ poſſeſſionem, *& ſic quidem, cùm nè minima iſtîc ſit mutatio, ſine ſucceſſione durare ſeu permanere, omnibúſque Temporis Phyſici* momentis *adeſſe, ut Divina Amplitudo omnibus* locis *Phyſicis adeſt.*

Sect. 14. Situm tanquam Entis finiti proprietatem, *&c. Hujúſque ſimilis proprietas eſt Figura, quæ Entis finiti realis omnis, (niſi Monadas Phyſicas fortè excipiendas cenſueris) modus eſt neceſſarius.*

Sect. 17. In Quantitate, Paria, Majora vel Minora, *&c. Hoc etiam indicio eſt Quantitatem non ſolùm corpoream vel Phyſicam eſſe ſed & Logicam; Logica enim Comparatio in Quantitate non reſtringitur ad corpora.*

Sect. 21. Ac proinde Ens quatenus Ens eſt, illius proprium eſſe Objectum, *nempe* Dialectici *non* Metaphyſici. *Vide quæ diximus ad Sect.* 3.

CAP. III.

Quòd Exſiſtentia, Perfectio, Entitas, Conceptus formalis & Conceptus objectivus, Univerſale & Singulare, Simplex & Compoſitum, Idem & Diverſum, in Metaphyſica *non tractanda ſunt, ſed in* Logica.

1. VEruntamen, quoniam quædam prætermiſimus quæ neque ad Res incorporeas propriè ſpectant, nec in Logicis vulgaribus tractari ſolent, operæ pretium fore cenſeo, ut nè minimus ſuperſit ſcrupulus, ea etiam in medium proferre, & oſtendere luculentiùs quomodo illa omnia ad *Dialecticam* pertineant, & quàm aptè ad illos fontes reducantur, quámque facilè & quaſi ſuâ ſponte ex eiſdem intelligantur. Hujuſmodi verò ſunt *Exſiſtentia*, *Perfectio*, *Entitas*, *Conceptus formalis* & *Conceptus objectivus*. Quæ ſanè perpauca ſunt præ *Diviſionibus Entis* eíſque quæ ſub iſtis Diviſionibus collocantur, ut mox videbimus.

1. Quòd Exſiſtentia *rectè reducitur ad doctrinam de Cauſis & Effectis in Dialectica.*

Quod verò ad *Exſiſtentiam* attinet; Cùm per vocem *exſiſtere* ipſi Metaphyſici nihil aliud intelligant quàm rem eſſe extra ſuas cauſas, manifeſtum eſt *Exſiſtentiam* ad doctrinam de *Cauſis* & *Effectis*, quæ ad Dialecticam pertinet, reduci oportere; eámque eſſe Rationem ſive Modum Logicum juxta quem *Eſſentiatum* ſive *Ens* conſideramus quatenus vi Cauſarum ex *eſſendi potentiæ* latebris emerſit in eum ſtatum quo jam *revera eſſe* rectè intelligatur, quod *exſiſtere* vulgò dicitur, eodémque ſenſu *Effectum* appellatur, & ad hunc modum à præſtantiſſimo illo Dialectico *P. Ramo* definitur, *Effectum eſt quod è cauſis exſiſtit.*

2. Quod verò *Perfectum* vel *Perfectionem* ſpectat; Quatenus ſignificat rem non adhuc eſſe in fieri, ſed in facto eſſe, (ut Scholæ loquuntur,) Opificémque quaſi ultimam operi manum addidiſſe, manifeſtum eſt quòd hoc ſenſu *Efficientem* præcipuè reſpiciat: quatenus verò quid denotat omnibus numeris, hoc eſt, omnibus partibus, abſolutum, ad Categoriam *Totius* & *Partium* referri. Juxta quam rationem illud à *Catullo* dictum eſt de *Quintiæ* pulchritudine,

2. Perfectum *etiam vel* Perfectio *eodem referenda eſt, vel ad Categoriam Totius & Partium.*

> *Quintia formoſa eſt multis : mihi candida, longa,*
> *Recta eſt; hæc ego ſic ſingula confiteor.*
> *Totum illud, formoſa, nego,* &c.

Quintiæ pulchritudo non erat perfecta, quoniam aliquot pulchritudinis partes ei deerant. * *Perfectum* igitur eſt cui nulla pars eorum deeſt quæ requiruntur ad naturam ejus eſſentiámve conſtituendam. Eſſentia verò cujuſlibet rei conſtat è Materia & Forma. Quarum integritatem *Perfectio* reſpicere potiſſimùm videtur, ut *Bonitas* Finem. Quanquam *Perfecta* apud *Græcos* à *Fine* etiam denominantur, quemadmodum nos docet *Ariſtoteles* in *Metaphyſicis*, Κατὰ γὰρ τὸ ἔχειν τέλος τέλεια. Quo quidem ſenſu *Bonum* & *Perfectum* idem prorſus ſonat. Verùm utut eſt, palàm profectò eſt maximè immediatam ac præciſam intelligentiam horum terminorum è fontibus Dialecticis petendam eſſe, & ad eoſdem referendam.

3. Quemadmodum etiam *Entitas* eò debet referri, utpote quæ nihil aliud eſt quàm *Entis quantitas*, quam inter communes illius Affectiones ſuprà recenſuimus. *Conceptus* verò *formalis* & *Conceptus objectivus* in Categoria *Subjectorum* & *Adjunctorum* locum ſibi manifeſto jure vendicant. Eſt enim *Conceptus objectivus* nihil aliud niſi Eſſentia rei quatenus fit *Subjectum occupans*, id eſt, Objectum, Intellectûs, qui verſatur circa illius naturam contemplandam. *Conceptus* verò *formalis* eſt ipſiſſima Intellectûs Operatio repræſentans ſibi Ideam Eſſentiæ contemplandæ, circáque eam verſatur tanquam illius *Adjunctum occupatum*, ut Dialectici loquuntur. *Conceptus* verò ille *formalis* (ſive Repræſentatio Idealis) *re præciſus*, dicitur, quatenus concipi ſolet ſine ulla repræſentatione eorum à quibus præciditur; *ratione* verò *præciſus*, quatenus nihil eorum à quibus eſt præciſus in illius ratione includitur. Quamvis id monuiſſe ferè extra ſcopum ſit.

3. *Quòd* Entitas *Eſſentiati Proprietatibus accenſenda eſt,* Conceptus *verò* formalis & Conceptus objectivus *in Categoria Subjectorum & Adjunctorum collocandi.*

Sat erat notâſſe, cùm duo generaliſſimi modi ſint *Subjectorum* & *Adjunctorum*, alter nempe *Receptionis*, (quæ eſt vel *in ſe*, ut Accidentis in Subſtantiam per modum *inhæſionis*, & Locati in Locum per modum *comprehenſionis*; vel *ad* aut *circa ſe*, per modum *adjacentiæ* vel *circumſtantiæ*, quo modo Homo dicitur Subjectum veſtitûs, honoris, divitiarum, & ſimilium,) alter verò *Occupationis*, unde *Subjecta occupantia* & *Adjuncta occupata* dicuntur; quòd utique inter *Subjecta occupantia*, quæ *Objecta* propriè appellantur, ea quæ *Intellectûs* ſunt præcipuè emicant latiſſiméque patent, quódque ad hæc referendi ſunt *Conceptus objectivi*, quemadmodum etiam ad *Adjuncta occupata* Ideales illæ repræſentationes ſive *Conceptus formales*.

4. *Quòd Diviſio Entis in* Univerſale *&* Singulare, *& ſimiliter Subſtantiæ in* Primam *&* Secundam, *valde inſulſæ ſunt Diviſiones; quódque nulla* Univerſalia *Res ſunt vel Subſtantiæ, ſed meræ* Notiones Logicæ.

4. * Jam verò quod ad *Entis diviſiones*, prima quam notabimus erit in *Univerſale* & *Singulare*. Quæ videtur facta ad exemplum *Ariſtotelicæ* illius Diviſionis Subſtantiæ in *Primam* & *Secundam*, quod idem eſt atq; in *Univerſalem* & *Singularem*. Quæ inſulſiſſima profectò Diviſio eſt. *Secunda* enim illa ſive *Univerſalis Subſtantia* non eſt Subſtantia, ſed tantummodo ratio quædam Logica ſive modus concipiendi totam multitudinem ſingularum Subſtantiarum ſub una præciſa ſimilitudine vel Idea in qua omnes conveniunt. Non eſt autem una aliqua realis Subſtantia præter ſingulares iſthoc modo præciſa, ſed tantùm communis Similitudo. Quorum enim eſt *Qualitas*, eorum poteſt eſſe & *Similitudo.* Ὅμοια γὰρ ὧν ἡ ποιότης μία· ἕνα δὲ τρόπον λέγεται ἡ ποιότης διαφορὰ οὐσίας, *Similia ſunt quorum qualitas eſt una; Unóque modo etiam Eſſentiæ differentia qualitas dicitur.* Utraque occurrunt apud *Ariſtotelem* Unde neceſſariò concluditur, ipſarum Subſtantiarum ſine ullo Accidentium interventu eſſe poſſe Similitudinem. Similitudo autem hæc communis in Intellectu repræſentata id ipſum eſt quod appellamus *Univerſale*. *Univerſalia* enim omnia in Intellectu ſunt, *Singularia* in Natura: rectéque ac apertè contra ſeipſum *Ariſtoteles* in *Metaphyſicis* concludit, ὅτι οὐδὲν τῶν καθόλου ὑπαρχόντων οὐσία ἐστὶν, *quòd nullum Univerſalium eſt Subſtantia.* Unde *prima Subſtantia* non ſolùm magìs Subſtantia dicenda eſt quàm *ſecunda*, ſed ſola. Nam *ſecunda*, quæ dicitur Subſtantia quatenus ſignificat præciſam illam Similitudinem quæ omnes Subſtantias quatenus ſunt Subſtantiæ repræſentat, operatio Intellectûs eſt, ac proinde non Subſtantia, ſed Accidens; quatenus verò aliquod unum Objectum ad extrà, nihil eſt. Neque enim unum aliquod Objectum reale eſt præter ſingularia quod repræſentet. Eadémque ratio eſt de diviſione Entis in *Singulare* & *Univerſale*.

5. *Quòd Diviſio Entis in* Univerſale *&* Singulare *ad nullam Artem ſpectare poteſt; ſed quid ſit Univerſale & Singulare quærere & definire, quemadmodum & de* Principio Individuationis, *pertinet ad Logicam.*

5. Quæ diviſio, cùm illegitima ſit, ad nullam Artem pertinere poteſt tanquam genuinum illius Præceptum. Quid verò *Univerſale* ſit ad Dialecticam ſpectat explicare, cùm illius Artis Materia nihil aliud ſit quàm Modi univerſaliſſimi quos adhibet Mens humana in rebus contemplandis. *Singulare* verò etiam ad eam refertur æquè ac *Ens* ſive *Eſſentiatum*. Omne enim *Ens* quatenus Ens *Singulare* eſt, quandoquidem quicquid exiſtit eſt *hîc* & *nunc*; quódque nuſquam aut nunquam eſt, nihil eſt.

Eſt autem unumquodque Ens *ſingulare* immediatè & per ſe, abſque alio aliquo ſuperaddito quo fiat *ſingulare*: quemadmodum omne Corpus terminatum ex ſe figuratum eſt; omnéque Rotundum tangit Planum in puncto, non per aliquam novam proprietatem illi ſuperadditam, ſed ex eo ſolo quòd rotundum eſt. Adeò ut nihil opus ſit ullo *Individuationis Principio* tanquam fibulâ ad detinendam rem nè in *Univerſale* quid evadat, ſed, ex eo quòd eſt, res omnis eſt *ſingularis*. Alioqui, laxatâ hâc Individuationis fibulâ, res quælibet, Bos putà vel Equus, ocyùs quovis Pegaſo in liberum ætherem volaret, imò verò omnia Mundi ſpatia, ſupera, infera, omniáque ſecula, tam futura quàm præterita, uno momento occuparet. Quo nihil dici poteſt vel excogitari ſtultius aut furioſius.

6. Unum, Singulare, Individuum, Species individua, *quomodo inter ſe differant.*

6. Eſt igitur *Singulare* propria Affectio Entis, idémque ferè quod *Unum reale*. Eóque ſolo videntur differre, quòd *Unum* ſpecialiùs repræſentat Ens tanquam indiviſum à ſe, *Singulare* tanquam diviſum ab omnibus aliis. Dicuntur autem res ſingulares *Individua* & *Species individuæ*, quòd ultimo alicui Generi proximè ſubjiciuntur tanquam illius Species, nec ipſæ in Species poſſunt dividi; alioqui & hæc rectè etiam dicerentur *Genera*. Unde clarè elucet hoc diſcrimen inter *Speciem individuam* & *Singulare*, quòd illa pura puta Notio Logica ſit, hoc realis Entis Proprietas vel Affectio. *Individuum* verò nunc *Singulare*, nunc *Speciem individuam*, ſignificat.

7. Subſiſtentia, Suppoſitalitas, Perſonalitas, Hypoſtaſis, Suppoſitum, Perſona, *ad Logicam ſpectant; quódq; omne ſingulare per omnes gradus eſſentiæ ſuæ* Singulare *eſt, nullatenus* Univerſale.

7. Jam verò cùm hæc omnia ad Dialecticam pertineant, *Subſiſtentiam* etiam, *Suppoſitalitatem*, *Perſonalitatem*, *Hypoſtaſin*, *Suppoſitum* & *Perſonam*, de quibus tanto cum apparatu *Metaphyſici* philoſophantur, eódem pertinere manifeſtum eſt. *Singulare* enim vel *Singularitas*, *Individuum* vel *Individualitas*, per illa omnia intelliguntur. *Individuum* verò & *Singulare* attribuuntur omni Enti cujuſcunque generis, ſive Subſtantia ſive Accidens ſit; *Subſiſtentia* omnibus Subſtantiis, ſive completis

ſive incompletis; *Suppoſitum* omnibus Subſtantiis completis, ſive Intellectualibus ſive non; *Perſona* verò de ſolis Intellectualibus dicitur. *Hypoſtaſis* autem in ſenſu concreto idem eſt quod *Suppoſitum*. *Perſonalitas* verò Abſtractum *Perſonæ*, ut *Suppoſitalitas Suppoſiti*. Id interea notatu dignum videtur, quòd quicquid *Singulare* eſt à capite uſque ad calcem eſt *Singulare*; ut in *Socrate*, natura Entis, Subſtantiæ, Corporis, Vitæ, Senſûs, Rationis, tota, inquam, hæc Natura eſt ſingularis, aliiſque omnibus incommunicata: nec eſt ulla res vel perſona in univerſo Mundo præter *Socratem* quæ hanc ipſam Naturam poſſidet, ſed tantummodo ſimilem. Cur verò, cùm Anima *Socratis* ſingularis ſit, Corpúſque ſingulare, *Socrates* tamen *unum* ſingulare evadat, non duo ſingularia, in ſubſequentibus Entis Diviſionibus intelligetur.

8. Quarum proxima ſit in *Simplex* & *Compoſitum*: quam ad Dialecticam pertinere patet ex *diviſione Unius* quam præcedente Capite propoſuimus, utique in *Unum per ſe* & *Unum per aliud*; ubi *Unum per ſe Simplex* etiam appellari notavimus. *Simplici* autem *Compoſitum* opponitur. Cujus iterum multi occurrunt Modi apud *Metaphyſicos*. Sed præcipui ſunt, ex *Partibus quantitativis* ſive *integrantibus*, ex *Genere* & *Differentia*, ex *Materia* & *Forma*, ex *Actu* & *Potentia*, & ex *Natura* (ſive Eſſentia) & *Suppoſito*; qui ex ipſis Titulis planè ſe produnt Logicos eſſe. Nam quod ad *Actum* & *Potentiam* attinet, eadem ferè ſunt quæ *Materia* & *Forma Logica*, requiritúrque in componendo unum ſingulare ex duobus ſingularibus, ut unum ſe habeat ut *Actus*, alterum ut *Potentia*; quæ ſunt ipſiſſimæ *Formæ* ac *Materiæ* appellationes apud *Ariſtotelem*. Prima autem ſpectatur ut determinans quid & perficiens: altera ut perfectibile quiddam & determinabile: ſic verò ut utræque ſint in eadem Categoria. Hiſce legibus duo *Singularia* poſſunt in unum *Singulare* coaleſcere, nec tamen proprias ſuas *Singularitates* deperdere. Quod an fieri poſſit in duobus *Individuis* rationalibus, Theologorum eſt diſquirere. Qualis autem ſit compoſitio ex *Natura* & *Suppoſito*, ex prædictis ſatis apparet.

8. *Diviſio Entis in* Simplex *&* Compoſitum, *& Compoſiti rurſus in Compoſitum ex* Partibus integrantibus, *ex* Genere *&* Differentia, *ex* Materia *&* Forma, *ex* Actu *&* Potentia, *& ex* Natura *&* Suppoſito, *quod hæc omnia ex ipſis titulis produnt ſe eſſe Logica.*

9. Tertia *Diviſio Entis* eſt in *Idem* & *Diverſum*. Cujus Diviſionis membra ad Dialecticam ſpectare quivis non cæcus vel primo aſpectu deprehendere poteſt. *Diverſa* enim è Diſſentaneorum familia ſunt, quemadmodum *Idem* ad Conſentanea refertur, prout apertè notat ille ſummi judicii Dialecticus ad calcem Categoriæ Conſentaneorum Argumentorum. ***Sed Conſentaneorum Categoria ſic eſt, unde quidvis alteri Conſentaneum, vel Idem, vel Unum, dici poſſit. Omnéſque modi Unitatis &, ut ità dicam, Identitatis huc ſunt tanquam ad primos & ſimplices fontes referendi.***

9. *Diviſio Entis in* Idem *&* Diverſum, *quódq; membra idius ad Dialecticam ſpectant, prout notavit* P. Ramus *in Categoria Conſentaneorum.*

Omittam hìc, quàm frigida & abſurda, quámque ab omni ratione aliena ſit hæc Entis diſtributio per nudas Notiones Logicas, cùm Ens certè reale per Affectiones reales dividi oporteret. Id ſolum notabo, quàm copioſè *Metaphyſici*, ſumptâ occaſione à ſecundo membro hujus Diviſionis, de omni genere Diſtinctionum hìc ſoleant agere. Quam ob cauſam & nos eadem de re paulò uberiùs philoſophabimur, proponendo primùm eorum varia Diſtinctionum genera, & reducendo tandem omnia ad duo illa Dialectica, *Diverſa* nempe, & *Oppoſita*.

SCHOLIA

In CAP. III. SECT. 2.

PErfectum igitur eſt cui nulla pars, *&c.* ***Non multùm ab hac*** Perfecti ***definitione abludit*** Totius ***apud*** Ariſtotelem ***definitio.*** Ὅλον λέγεται οὗ μηδὲν ἄπεστι μέρος ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει, Metaphyſ. lib. 4. cap. 26. ***Minimèque proinde mirandum Philoſophum alibi ſtatuiſſe,*** Τὸ ὅλον δὲ καὶ τέλειον ἢ τὸ αὐτὸ πάμπαν ἢ σύνεγγυς τῇ φύσει εἶναι. ***Satiſque acutè addit,*** Τέλειον δὲ οὐδὲν μὴ ἔχον τέλος, τὸ δὲ τέλος πέρας. ***Unde manifeſtum eſt nullum ἄπειρον rectè appellari poſſe*** totum. ***Quod etiam pleniùs intelligitur ex definitione Totius*** κυρίως ***& ex genere adhibita paulò ſuprà,*** Τὸ ὅλον οὗ μηδέν ἐστιν ἔξω· οὗ δέ ἐστιν ἀπουσία ἔξω, οὐ πᾶν, ὅ,τι ἂν ἀπῇ. ***i. e.*** Totum eſt extra quod nihil ſui eſt. Extra quod verò quicquam ſui abſit, illud non eſt totum, quicquid abfuerit. ***Quod certè in genere ſic intellectum idem eſt quod Effatum illud Logicum, Totum nempe & partes ſimul ſumptas inter ſe reciprocari, ſive æquè latè patere. Quòd verò in genere etiam Logici definiunt Totum eſſe quod continet partes, & partem eſſe quæ continetur à Toto, hinc planè liquet; unumquodque ſanè quatenus totum dicitur eatenus dici habere partes, nec Totum ſine partibus magìs concipi poſſe, quàm mons ſine valle aut declivitate. Quod*** Holenmeriani ***velim ſeriò conſiderent, qui*** Deum totum ***ubique eſſe volunt ut ſic careat partibus, & dum totum*** *in unum punctum compingunt, tamen extra ſe eum interim ſperant totum poſſe expatiari. Et cùm* Notio totius *&* partium, *ad nullum certum genus Entium reſtringatur, ſed ad res incorporeas perinde atque corporeas, ad Ens quatenus Ens, ut ſuprà vidimus, pertineat, (ea enim eſt natura notionum Logicarum ut ſint* λόγοι *univerſaliſſimi) ſubterfugia tamen hîc ſibi quærunt, dicendo hæc vera tantùm eſſe in rebus corporeis, in incorporeis verò rem ſecùs ſe habere. Denique imperitiam hîc notare licet eorum qui ſtatim ex eo quòd* Totum *quid dicatur, partes diſcerptiles in eo fingunt. A quibus ineptis argutationibus in media ferè morte non abſtinuit miſellus ille Sophiſta* Cæſar Vaninus, *qui ad vivicomburium adductus ob voces atheas & blaſphemas, & à Sacerdote monitus ut reſipiſceret, & Deum totâ animâ amaret, continuò ſic argutatur.* Si tota ſit anima habet partes, ſi partes habet poteſt diſcerpi, ſi diſcerpi poteſt eſt mortalis: *Satìs ſtolidè profectò ac inſulsè. Sed Va*nin*um iſtum non moror. Equidem viros aliàs impensè doctos & acutos in craſſiſſimos errores & hallucinationes incidere ſæpenumerò obſervavi ex eo ſolo, quòd Logicæ naturam non ſatìs intelligerent.*

Sect. 4. Jam verò quòd ad Entis Diviſiones, *&c. Opportunum hunc locum cenſeo quo moneam nos generaliſſimas Entis Diviſiones ad Logicam reducendas eſſe optimo jure contendere. Nempe ex eo quòd communiſſimorum Logorum pars ſint. Etenim nec alii Logi ob ullam aliam rationem in Dialectica locum inveniunt niſi quòd ſint* communiſſimi, *& inter alios* Ens *ſive* Eſſentiatum. *Cujus igitur communiſſimæ ſive generaliſſimæ Diviſiones ad Logicam referri debent, cùm nullum Ens ſit ad quod alterutrum è membris Diviſionum non pertineat. Hæc autem hîc dico nè quis inclementiùs ferat, quòd & in ſequentibus capitibus eas ferè omnes Entis Diviſiones, quæ apud Metaphyſicos occurrunt, Dialecticorum ſupellectili accenſeo.*

CAP. IV.

De Diſtinctione Reali, Formali, Modali *&* Rationis, *& quò referendæ ſint in Dialectica.*

1. *Diſtinctio* Rationis *quid ſit, ejúſq; Exempla.*

1. DIſtinctionum illa genera quæ occurrunt apud *Metaphyſicos* ſunt utplurimum quatuor, nempe, *Diſtinctio Realis*, *Formalis*, *Modalis*, & *Rationis*. Incipiemus à leviſſima, quæ eſt *Diſtinctio Rationis*. Quæ quidem nihil aliud eſt quàm illa Differentia quam noſtra ratio cogitandi affingit rebus quas contemplamur, cùm tamen nulla phyſica aut realis Differentia intercedit inter Objecta hujus noſtræ Diſtinctionis. Ut in hoc Axiomate, *Socrates eſt Socrates*, *Socrates* in prima parte Axiomatis diſtinguitur à *Socrate* in altera parte ut *Subjectum* à *Prædicato*, vel *Antecedens* à *Conſequente*; cùm tamen ipſi *Socrati* nè minima quidem mutatio acciderit, præterquam quòd mens noſtra eum conſideraverit nunc ut *Subjectum*, nunc ut *Prædicatum* Propoſitionis. Ità unus idémque homo poteſt conſiderari ut *quintus* vel *decimus*, ut *primus* vel *ultimus*, prout nobis fuerit viſum mutare principium vel ordinem numerandi.

2. *Exempla alia ejuſdem Diſtinctionis.*

2. Ad eundem modum una eadémque Magnitudo etiam contrarias poteſt ſubire notiones vel habitudines, ſine omni prorſus mutatione in ipſa Magnitudine. Ut eadem Linea pedalis ad ſemipedalem lineam dupla eſt, ad bipedalem ſubdupla. Ità unum idémque latus parallelogrammi alteri lateri ſymmetrum eſſe poteſt, dum eſt Diagonio aſymmetrum. Et ſi attribueremus Superficiei planæ hujus Parallelogrammi triplicem potentiam tangendi Conum, putà in puncto, in linea, & ſuperficie, cùm nulla phyſica vel realis differentia inſit Superficiei hujus Parallelogrammi, (ut quæ ubique perfectè eſt uniformis,) ſed realis differentia ſoli inſit formæ Coni; manifeſtum eſt quòd hæc triplex tangendi poteſtas in Superficie Parallelogrammi eſt ſolummodo diſtinctio Rationis.

3. *Diſtinctio* Formalis *in genere, ejúſq; Diſtributio in* Eſſentialem, Modalem, *&* Attributorum; *quidque ſit Diſtinctio* Eſſentialis.

3. Quod ad Diſtinctionem *Formalem* & *Modalem* attinet, intelligentur illæ meliùs ſi junctim conſiderentur, & poſterior tanquam ſpecies prioris. Diſtinctio igitur *Formalis* in genere eſt, quando phyſica aliqua & realis Differentia ſuffulcit terminos diſtinguentes qui diſtinctas tantummodo naturas Objectorum repræſentant, nullâ ratione habitâ ſeparabilitatis vel inſeparabilitatis eorum. Si Objecta differentes habeant Definitiones, nec tamen meræ ſint Notiones vel Modi quos noſtra cogitandi ratio rebus affingit, ſed per ſeipſas differunt, in hiſce omnibus locum habet *Diſtinctio Formalis*; quæ triplex eſt, *Eſſentialis*, *Modalis*, & *Attributorum*.

Diſtinctio *Eſſentialis* Eſſentiarum eſt, & nihil amplius in ſe includit præterquam quòd *Eſſentiæ* ſint *formaliter* diſtinctæ, hoc eſt, differentes habeant Definitiones. Sic *Animalis* Eſſentia & *Humana* ſive *Rationalis* in Homine eſſentialiter diſtinguuntur: & ſic Eſſentia *Plaſtica* & *Perceptiva* in Anima.

4. *Diſtinctio* Modalis *quid, itémq;* Modus; *& quomodo Modi ipſi in eodem Subjecto à ſe invicem diſtinguantur, graduſq; Modorum à Modis.*

4. Diſtinctio *Modalis* eſt quæ eſt inter Subſtantiam ſive Eſſentiam & illius Modum. Quid verò ſit *Modus* haud inſcitè inſinuat *Carteſius*, ubi ait quòd *Modus* idem eſt quod *Attributum* vel *Qualitas*; niſi quòd quoties conſideramus Subſtantiam ut variatam per Qualitatem aliquam vel Attributum, *Modum* tunc appellamus, ut qui modificat & contrahit Subjectum in quo eſt, facítque illud differre tum à ſeipſo tum ab aliis. Idem etiam vocatur *Qualitas* ſtrictiori ſenſu, ab hac modificatione ſive qualificatione, ſi ità fas ſit loqui, ſui Subjecti. Cùm verò *Attributum* ità generale eſt ut Subjectum non modificet, ſimpliciter *Attributum* dicitur: ut in Attributo Durationis, quod omnibus rebus quæ revera ſunt competit.

Eſt autem hæc *Modi* notanda Proprietas, quòd tametſi Eſſentia poſſit concipi ſine Modo, Modus tamen non poteſt ſine Eſſentia, ut Motus ſine re mota.

Quod verò ad Figuram & Motum in eodem corpore attinet, * cùm non ſint invicem alter alterius Modi, ſed dicti corporis, Diſtinctio eorum eſſentialis potiùs eſt dicenda quàm modalis, propterea quòd Eſſentia tam Subſtantiam quàm Accidens complectitur.

Quibus demum addas, quòd gradus cujuſlibet Modi vel Qualitatis Modus etiam eſt hujus Qualitatis vel Modi, niſi Modum hîc malles Eſſentiam appellari. Sic gradus quilibet Motûs vel Caloris illius Motûs vel Caloris modus eſt.

5. *Diſtinctio* Attributorum *quid, & quæ* Attributa Subjecti *rectè dicantur.*

5. Poſtremò, quod ad *Diſtinctionem* quam diximus *Attributorum*, illius natura hæc eſt, nempe, quòd quemadmodum Attributum non poteſt concipi ſine Subſtantia vel Eſſentia, ità nec Subſtantia vel Eſſentia concipi poteſt exſiſtere ſine Attributo; prout videre eſt in *Duratione*, vel in quavis inſeparabili Qualitate quæ competit Subjecto ᾗ ἀυτὸ, i. e. quatenus hujuſmodi Subjectum eſt. Quæ quidem Qualitas Attributum rectiùs appellatur quàm Modus, propterea quòd non variat conditionem Subjecti cujus eſt Attributum, nec ab aliis ejuſdem generis Subjectis diſtinguit; ut *Tangibilitas* in corpore.

6. *Diſtinctio* Realis *quid, quotq; ipſius gradus; ſingulorúmque graduum deſcriptiones & exempla.*

6. Atque hujuſmodi fuit *Diſtinctio Formalis* cum ſuis ſpeciebus. *Realis Diſtinctio* paulò altiùs aſſurgit, mutuámque diſtinctorum ſeparationem, ſaltem potentialem, includit. Per Separationem verò intelligo *Localem quandam diſtantiam* à ſe invicem, ità ut occupare poſſint diverſa Loca Logicè ſumpta, hoc eſt, duo Ubi diverſa & interciſa. Hoc modo Anima & Corpus realiter diſtinguuntur etiam dum in unum Suppoſitum uniuntur, quia relegari poſſunt in duo diſtincta Loca vel Ubi, & in uno continuo Ubi non contineri. Sic etiam modi Corporis realiter diſtinguuntur à modis Animæ ſeparatæ, etiam ante ſeparationem, quòd in diſtincta Ubi & interrupta ſeponi poſſunt. Atque hic primus eſt gradus *Realis Diſtinctionis*, nempe *Separabilitas* eorum mutua quæ diſtinguuntur.

Alter verò gradus eſt *actualis* eorum *Separatio*, quando utique duo diſtincta vel diſtantia loca occupant; ut Anima ſeparata ejúſque cadaver.

Gradus verò tertius atque ultimus eorum eſt quæ non ſolùm *ſeparata* ſunt, verùm ità comparata ut *non niſi in diverſis Ubi & diſtinctis exſiſtere poſſint*, aut in *eiſdem ſoluta* & ἀσύμφυλα. Poſterioris generis ſunt quælibet pars Materiæ & Subſtantia ſeparata propriè dicta ad ſe invicem collatæ. (Quales *Platonicorum* ſunt νόες & ἑνάδες, qualéſque vulgus Theologorum omnes Genios tam malos quàm bonos autumat.) Prioris verò, corporea cujuſcunque generis Suppoſita. Quibus affinia ſunt Accidentia omnia quæ non niſi in diverſis Subjectis, aut in diverſis ejuſdem Subjecti partibus, eſſe poſſunt. Hiſce omnibus competit tertius hic gradus Diſtinctionis Realis.

7. *Diſtinctionis realis Interpretatio Logica, quod idem nempe ſit quod* diſtingui Subjecto.

7. Non eſt igitur difficile intelligere quid ſibi velint iſti termini Metaphyſici, *Diſtinctio Rationis*, *Diſtinctio Formalis*, & *Diſtinctio Realis*. Sed majoris videtur peritiæ eorum cum Logica cognationem oſtendere, eóſque ad propriam claſſem in illa Arte reducere, propriúmque ipſorum ſenſum Logicè interpretari.

Diſtingui igitur *realiter* nihil aliud eſt quàm *Subjecto diſtingui*, ſive ſit Subjectum *Comprehenſionis*, (quod eſt *Locus* vel *Ubi*, quod & *Subjectum continens* dicitur,) ſive *Inhæſionis*, (quod eſt *Subjectum ſuſtinens*.) In hujuſmodi Subjecto & eadem illius parte album & nigrum, calidum & frigidum, viride & purpureum, & cætera hujus generis realiter diſtincta, eſſe non poſſunt. Unde & illa rectè dici poſſunt *Subjecto* diſtingui æquè ac ea quæ *Loco* diſtinguuntur. Sed poſterius hoc genus magis reſpicit Metaphyſicorum *Diſtinctio realis*, quæ, prout ſuprà innui, *actualis* eſt, vel *potentialis*. Interim planè apparet quòd *diſtingui realiter* Logicè idem ſonat atque diſtingui vel differre *Subjecto*.

8. Ità

8. *Diſtinctionis formalis Interpretatio Logica, (quòd ſcilicet idem ſit quod* Definitione diſtingui,) *unà cum ſuccincta enumeratione ſeptem modorum diſtinctionis.*

8. Ità *diſtingui formaliter* nihil aliud eſt quàm diſtingui τῷ λόγῳ τοῦ τί ἦν εἶναι, id eſt, *Definitione*, *Conceptu*, vel *Ideâ*, quod eſt iterum τῷ λόγῳ· ut hoc ſenſu etiam *diſtinctio rationis* includatur; eóque pacto illud *Ariſtotelis* aliquatenus ratum habeatur, qui Diſſentanea omnia facit differre ἢ λόγῳ ἢ ὑποκειμένῳ, *Ratione* vel *Subjecto*.

Ad quam igitur Argumentorum Categoriam Diſtinctiones haſce reduci oportere clarè patebit, poſtquam omnes earum modos enumeraverimus. Quorum itaque primus ſit *Rationis*, *Attributorum* ſecundus, tertius *Modalis*, quartus *Eſſentialis*, quintus *Separabilitatis*, ſextus *Separationis actualis*, ſeptimus *Unionis repugnantia*, vel in *uno Subjecto*, vel in *unum Suppoſitum*. Quod *Subjectum* etiam appellari poteſt, ut & ultimi hujus Modi pars hæc poſterior ἀσυμφυσία· quando ſcilicet eſt ea Repugnantia inter duas Subſtantias, ut in unum *Suppoſitum* coaleſcere non poſſint, ſaltem ſine miraculo. Eſtque ratio ſuppar de harum Subſtantiarum modis.

9. *Quid ſit re, quod* Oppoſita, *quid ſolâ* ratione *diſſentire, quod* Diverſa *conſtituit: Et quòd ad hæc primi ſex modi Diſtinctionis reducendi ſunt, ad illa ſeptimus & ultimus.*

9. Quòd ad *Diſſentaneorum* Categoriam omnes hi Modi Diſtinctionis referendi ſunt, neminem latere poteſt. Sed cui tandem generi accenſendi ſint ſinguli, id forſan paulò difficilius videbitur definire. Cùm verò duo ſint *Diſſentaneorum* genera, *Diverſa* & *Oppoſita*, quorum prima *ſolâ ratione* diſſentiunt, altera & *re* & *ratione*; omnes modos *Diſtinctionis* præter *realem* ad *Diverſa* referendos eſſe, videtur primo intuitu manifeſtum, ex eo quòd ratione ſolâ differunt, non ſubjecto.

Verùm ſi penitiùs rem inſpiciamus, omnes omnino modi præter ultimum *Diverſis* ſunt adjudicandi. Quanquam enim quintus & ſextus modus *Separationem* innuunt *Subjectorum*; prior tamen *potentialem* duntaxat innuit; alter talem tantummodo quæ, quamvìs ſit *actu*, non eſt tamen *neceſſaria*, ſed eſt eorum quæ ſæpius, aut ſaltem aliquando, conjunguntur in unum Subjectum vel Suppoſitum. Et, ut nihil diſſimulem, *Diverſa* non ſemper dicuntur *ſolâ ratione* diſſentire quòd *ſolâ definitione* differunt, ſed, utplurimùm, quòd *ſolo contingenti alicujus rei reſpectu* ea inveniuntur diſſentire quæ aliàs conſociari ſolent. Ut Victoria & Victoriæ inſignia reſpectu *Syllæ* & *Murenæ*, qui ante Victoriam triumphârunt. *Re* verò *diſſentire* eſt ità ex propriis ſuis naturis ſibi invicem pugnare, ut nunquam in uno Subjecto unúmve in Suppoſitum conveniant. Atque hæc *Oppoſita* ſunt, ad quæ ſolus ultimus Diſtinctionis modus reducitur.

10. *Reductionis ſex primorum modorum Diſtinctionis ad* Diverſa *ex appoſitis diſcretorum Axiomatum exemplis confirmatio.*

10. Quòd verò rectè reducuntur ſex primi modi ad *Diverſa*, confirmari poteſt applicando ſingulis exempla propria diſcretorum Axiomatum, in quibus ſolis hujus generis Argumenti uſus cernitur. Qualia ſunt, Quamvìs hæc linea nunc dupla, nunc ſubdupla, concipiatur, eſt tamen eadem & ex omni parte invariata linea. Radiorum ſolarium vim calefactivam experta eſt hæc congelata gleba, ſed nondum exſiccativam. Argumenta diſpoſita in iſtis Axiomatis diſcretis Diverſa ſunt primi modi. Eſt certè riſibilis omnis homo, ſed non Riſibilitas. Quamvìs Ens ſine duratione eſſe nequeat, non eſt tamen ipſa Duratio. Argumenta ſunt Diverſa ſecundi modi. Moles mundana, quamvìs corpus ſit, non eſt tamen in Loco Phyſico. Spatium, quamvìs ſit extenſum, non eſt tamen mobile. Argumenta ſunt tertii modi Diverſa. Illud quod à longinquo in agris ſe movens proſpicimus, quanquam homo non eſt, eſt tamen Animal. Diverſa ſunt quarti modi. Lacerum corpus eſt, ſed nondum animâ ſolutum. Hic truncus arboris eſt, ſed nondum in aſſeres diffiſſus. Sunt quinti modi Diverſa. Denique, Ecce corpus filii tui, ſed animâ caſſum. Accepi ſtatuam, ſed utrâque manu truncatam. Sunt Diverſa ſexti ſive ultimi modi. Reductio verò ſeptimi modi ad *Oppoſita* tam facilis eſt & perſpicua, ut nullâ confirmatione aut illuſtratione indigeat.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. 4.

Cum non ſint invicem alter alterius modi, *&c. Niſi fortè quis cenſeat, ex eo quòd Figura ſimul cum corpore moveatur, & Motus eâdem figurâ qua corpus claudatur, figuram motum, motúmque figuram aliquâ ratione dici poſſe modificare. Sed inutiles ſunt iſtiuſmodi argutiæ.*

CAP. V.

Aliæ Diviſiones Entis ſecundùm Attributum Perfectionis, Durationis, *&* Quantitatis; *& quomodo ad* Logicam *reducantur.*

1. HActenus fuerunt ***Diviſiones Entis*** quæ ***Unitatis*** Attributum reſpexerunt. Quæ ſequuntur reſpiciunt Attributum ***Perfectionis.*** Quarum pleræque, ut Ens ipſum è Categoria ***Cauſarum*** & ***Effectorum*** explicandæ ſunt, penitiúſque intelligendæ. Quòd omne Ens Eſſentiatum ſit, quódque utraque vocabula idem fere ſonent, ſuprà inſinuavimus. Sed monuimus porrò, quòd in accuratioribus rerum examinationibus, ut earum naturam perfectiùs perſcrutemur, non uno Cauſarum genere contenta eſt Mens humana, ſed per omnia pervolitat, & tum demum plenè ſe rem ſcire exiſtimat, cùm non ſolùm ejus ***Eſſentiam,*** quæ ***Materiam*** & ***Formam*** complectitur, ſed & ***Cauſam Efficientem proximam Finémque*** cognoſcit. Ad quæ quatuor Cauſarum genera ità profectò ſingula expendit, ut etiam illa quæ propriè ea omnia non habent, tamen tanquam ſi haberent, in contemplandis eorum naturis conſideret.

1. *Quòd Mens humana Cauſas omnes percurrit in contemplandis rerum naturis, etiam earum quæ propriè nullas Cauſas habere intelliguntur.*

2. Eſtque hoc manifeſtum in prima quæ occurrit Entis Diviſione in ***Ens à ſe,*** & ***ab alio.*** Nam ***Ens à ſe*** nihil aliud eſt quàm hujuſmodi Ens quod conſideretur tanquam ***habens ſui Efficientiam in ſeipſo :*** cúmque definiatur Cauſa, ***cujus vi res eſt,*** tam immenſa hujus Entis agnoſcitur vis eſſentialis atque vigor, ut nullâ aliâ re externâ vel à ſe diſtinctâ indigeat quâ poſſit eſſe, ſed ſuis propriis viribus, ut quod omnium cauſarum vim eminenter in ſe complectitur, neceſſariò exſiſtat. De quo proinde perquam tempeſtivè uſurpari aptéque intelligi poteſt illud ***Ariſtotelis,*** οὗ ἡ οὐσία ἐστὶν ἐνέργεια, ***cujus eſſentia eſt Actus,*** vel, ſi ità fas ſit loqui, ***perfecta Actualitas;*** hoc eſt, tam plena ac perfecta, ut in ***ſtatu Potentiæ*** unquam fuiſſe nè concipi quidem poſſit, ſed per peculiarem vim ac præſtantiam ſuæ naturæ ſemper exſtitiſſe. Cùm, è contrà, ***Ens ab alio*** iſtiuſmodi ſit, ut quamvìs concederetur ex eo genere aliquid exſtitiſſe ab æterno, ſimul tamen neceſſariò concipiendum eſſet potuiſſe idem ab æterno non exſtitiſſe.

2. *Diviſio Entis in* Ens à ſe, *&* ab alio, *ejuſq; Explicatio.*

3. Sunt verò multæ aliæ ***Diviſiones Entis*** huic admodum affines : Quales ferme ſunt illæ in ***Creatum,*** vel ***Increatum;*** ***per Eſſentiam,*** vel ***per Participationem;*** ***Dependens,*** vel ***Independens.*** Ubi ***Ens Increatum*** parùm differt ab ***Ente à ſe.*** Quippe quòd, cùm ***hoc*** quandam quaſi ſui in ſe efficientiam ſubindicet, ***illud*** omnem externam efficientiam excludit. ***Ens*** verò ***creatum*** & ***Ens ab alio*** idem ſunt; quandoquidem quicquid creatum eſt ab alio, & quicquid ab alio eſt eo ſenſu quo explicavimus eſt etiam creatum. Ità in Diviſione in Ens ***per Eſſentiam*** & ***per Participationem,*** palàm eſt quòd ***Ens per Eſſentiam*** idem eſt quod ***Ens à ſe,*** Ens utique quod per peculiarem vim ac præſtantiam, quòd modò dixi, ſuæ naturæ vel eſſentiæ non poteſt non exſiſtere : ***Ens*** verò ***per Participationem, Ens ab alio,*** ut quod ab alio eſſentiam exſiſtentiámque ſuam accepit. Denique, quod ad ***Dependens*** & ***Independens;*** manifeſtum eſt quòd prius membrum coincidit cum ***Ente ab alio,*** nihílque ab eo differt; niſi fortè quòd ***Dependens*** magìs reſpicit ***Cauſam conſervantem, Ens ab alio procreantem.*** Eadémque ratio eſt de ***Ente Independente,*** & ***Ente à ſe.***

3. *Diviſio Entis* in Creatum *&* Increatum, per Eſſentiam *&* per Participationem, Dependens *&* Independens.

4. Quin & tres aliæ ſunt ***Entis Diviſiones*** & cum ſeipſis & cum præcedentibus admodum conjunctæ; nempe in ***Actum*** & ***Potentiam,*** in ***Ens actu*** vel ***potentiâ,*** in ***Contingens*** & ***Neceſſarium.*** Quarum tamen duæ priores non ſatìs ſunt legitimæ, cùm prima Diviſio membra ***inter ſe*** nimis conſentientia habeat, altera membrum alterum nimis diſſentiens ***à Toto.*** Nam quantùm ad primam Diviſionem; manifeſtum eſt quòd unum idémque Ens poteſt eſſe & Actus & Potentia, imò verò omnia ſunt, excepto ſolo Deo, qui rectè dicitur puriſſimus Actus in eo ſenſu quo hæc ſit Diviſio.

Nam hìc ***Actus*** & ***Potentia*** non de modis vel qualitatibus rerum dicitur, ſed de rebus ipſis; ut Forma ſubſtantialis apud ***Ariſtotelem*** ἐντελέχεια & ἐνέργεια dicitur, Materia δύναμις. Sed hìc vox δύναμις ſive ***Potentia*** extenditur ad quamlibet potentiam objectivam & paſſivam, ſive ſit illa Potentia aliquod Subjectum exſiſtens, ſive totum Subjectum ſit aliquid quod nondum exſiſtit, ſed concipitur tantummodo ut Objectum alicujus Agentis quod efficere poteſt ut exſiſtat. Hoc Objectum dicitur tam ***Potentia*** quàm ***Ens in Potentia.***

4. *Diviſio Entis in* Actum *&* Potentiam, *& in* Ens actu *&* Ens potentiâ; *quódque Diviſiones illæ non ſint legitimæ.*

5. Dicitur igitur Ens quodlibet ***Potentia*** quod perfectibile eſt ab alio perfectione aliquâ reali & intrinſecâ, ſive eſſentialiter perficiatur, ídque in integrum, ut cùm tota Eſſentia producitur; ſive accidentaliter, ut cùm novo aliquo Accidente vel Adjuncto ador-

5. *Quid* Potentiâ, *quid* Actus : *quódq; Ens dividi debet in* Actum purum *&* Potentiam, *ut Diſtributionis vitium emendetur.*

adornatur vel completur: quomodo Materia perficitur à Forma, & Puer à Præceptore.

Ex quibus facile eſt intelligere quâ ratione aliquod Ens dici poſſit *Actus*, nempe quatenus nihilo ad Eſſentiam ſuam perficiendam indiget, vel quatenus cujuſvis alius rei Eſſentiam perficit. Quod verò ſolummodo res alias perficit, nec ab alia ulla re perficitur, id *purus Actus* eſt, qualis nullus reperitur præter ſolùm Deum, qui eſt *Ens à ſe*. Ac proinde Diſtributio Entis in *Actum* & *Potentiam* rectè inſtitui nequit, niſi fiat in *Actum purum* & *Potentiam*. Sic enim membra Diviſionis ſatis inter ſe diſſentient.

6.
Vocabuli Actus *ex comparatione cum aliis vocibus idem ſignificantibus plenior explicatio.*

6. Verùm interea notatu dignum eſt, quòd plenior intelligentia hujus vocabuli *Actus* è Cauſarum & Effectorum Categoria petenda eſt. Nam proculdubio apud *Ariſtotelem Actus*, id eſt, ἐντελέχεια vel ἐνέργεια, idem eſt quod εἶδος καὶ μορφή, i. e. *Forma*, ſubſtantialis præſertim, ut ſuprà monui: ipſámque Animam humanam ille appellat ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν· Subſtantiáſque, quæ vocantur, *ſeparatas*, tanquam ἐντελεχείας χωριστὰς & εἴδη χωριστά, tanquam *Actus* & *Formas ſeparatas* conſiderat. Quo quidem, cùm nullam corpoream materiam informent, ſeipſas quaſi actuare, perficere, determinare, propriâque vi ac vitali vigore totas ſe implere, agnoſcere videtur, atque hoc modo Spiritualium Eſſentiarum naturam non obſcurè delineare & deſcribere.

Quod verò *ſeparatæ* Formæ faciunt in ſeipſas, id *conjunctæ* faciunt in materiam ſubjectam, cujus naturam perficiunt & determinant, itáque actuant, ut totum *Suppoſitum* ſuo modo *Actus* evadat, & *totalis* quædam *Forma* diſtinctáque *Eſſentia*. Quatenus verò *Actus* operationem aliquam innuit actionémve quæ tranſit in aliud, *Efficientis* Cauſæ rationem ſubit. Cujus efficientia ſi tanta ſit ut Materiam non ſolùm modificare, ſed & creare, poſſit, certè hic *Actus* eſſet omnium *Actuum actuoſiſſimus*. Sed ad *Formam* interim aliquam *ſeparatam*, non ad *Materiam*, hanc præcellentem vim pertinere ex dictis patet, cùm revera omnis actio ac perfectio ſit à *Forma*, quæ, ut modò monui, quatenus agit in aliud rationem *Efficientis* induit.

Atque duplici hoc reſpectu *Deus* rectè, quamvìs forſan haut ità purè & Latinè, *Actus actuum* & *Forma formarum* dici poteſt; quemadmodum Ψυχᾶν ψυχὰ φύσις τε φυσίων, *Anima animarum* & *naturarum Natura*, à *Syneſio* in Hymnis celebratur. Sed fateor ea ad *Metaphyſicam* potiùs ſpectare quàm ad *Dialecticam*.

7.
Quòd Ens potentiâ non eſt Ens, quo vitioſitas Diviſionis Entis in Ens actu & Ens potentiâ clarè demonſtratur.

7. Recurro ad Diviſionem Entis in *Ens actu* & *Ens potentiâ*, quam illegitimam eſſe ſuprà notavi, cùm membrorum alterum Diviſionis non conſentiat cum Toto. Nam *Ens potentiâ* revera non eſt Ens. Eſt enim *Ens* idem quod *Eſſentiatum*, à Materia & Forma ſimul ſic denominatum, ut ab *Efficiente Effectum*. *Effectum* verò eſt *quod è cauſis exſiſtit*. *Ens* verò *potentiâ* non extra ſuas cauſas exſiſtit; ac proinde nondum *Effectum* eſt, nondum *Eſſentiatum*, nondum denique *Ens*.

Cæterùm ſi unumquodque ex eo quòd eſſe poteſt revera Ens eſt, omnia particularia Entia (Homines, Equi, Arbores, & ſimilia) quæ à Mundo condito fuerunt, vel ſunt ad hunc uſque diem, fuerunt revera ſimul ab æterno. Quo quidem nullum comminiſci quiſquam poteſt figmentum majus & immanius. Nam *Socrates* & Puer & Senex erat ſimul, *Bucephalus* ſimul & Pullus & adultus Equus ac bellator, omnéſque productiones naturales terminantur non in aliquam realem Eſſentiam vel Subſtantiam, ſed in meram Notionem Logicam, nempe in Exſiſtentiam, ſive eſſe extra ſuas Cauſas. Quaſi verò *Socrates* & *Bucephalus* Dii quidam eſſent immortales & æterni quoad *Eſſentias* ſuas, eáſq; nullis in tempore Agentibus acceptas referrent; quoad *Exſiſtentias* verò alter homo mortalis, alter miſellus quadrupes.

Sed quòd tam fœda deliria humanas mentes occupârunt, ut *Ens in potentia* & *Ens univerſale* realia crederent, ex eo factum arbitror, quòd Genio *phantaſmatico* nimiùm indulſerunt. Roſa ſcilicet in Hyeme & Homo in genere æquè fortiter ac Homo quivis ſingularis Roſáve verna à ſenſibus remoti imaginationem ipſorum feriebant, paríque ſenſu implebant.

8.
Diviſio Entis in Neceſſarium *&* Contingens, *ejúſq; è Categoria Cauſarum & Effectorum explicatio.*

8. Sed jam tertiam Entis Diviſionem perpendamus, in *Neceſſarium* & *Contingens*. Quorum iterum intelligentia è Cauſis optimè percipitur. Eſt enim Ens *Contingens* quod poteſt *exſiſtere* & *non exſiſtere*, quod eſt, extra ſuas *cauſas* exſtare, vel in eis latitare, ut quæ nondum plenam ſuam vim exſeruerint. Ens verò *Neceſſarium* eſt quod nunquam poteſt non exſiſtere. Quod ad *Cauſas* etiam refertur, cùm ſcientia neceſſariorum ſit, juxta *Ariſtotelem*, eorundémque è cauſis intelligendorum.

Id igitur ſimpliciter maximéque immediatè neceſſarium eſt quod cauſas maximè immediatas habet ſuæ exſiſtentiæ, quod idem eſt quod *Ens à ſe*, vel *Ens per Eſſentiam*. Illud utique Ens cujus naturæ vel eſſentiæ tanta eſt præſtantia, ut ſui efficientiam in ſe quodammodo continere videatur, eſt ſimpliciter maximéque immediatè neceſſarium, quoniam nihil inter Eſſentiam & Exſiſtentiam ſuam intervenit cujus ope exſiſtat. Quicquid autem interventu alterius exſiſtit * non eſt immediatè, ſed hypotheticè neceſſarium.

Ens igitur *ſimpliciter neceſſarium* ſit quod Exſiſtentiæ ſuæ rationem in Eſſentia complectitur, vel cujus Exſiſtentia eſt de ratione Eſſentiæ. Hujuſmodi enim Ens neceſſariò exſiſtit; quemadmodum Propoſitiones illæ quarum antecedens pars & conſequens eſſentiali nexu cohærent neceſſariò ſunt veræ.

9. Atque hæ ſunt Diviſiones Entis quarum Explicatio è *Cauſis* petitur. Superſunt tres aliæ: quarum prima fit ſecundùm Attributum *Durationis*; alteræ duæ, *Quantitatis*. Secundùm *Durationem* igitur Ens dicitur *Permanens* vel *Succeſſivum*. Ubi maximopere notandum eſt, quanquam Ens dividitur per differentias Durationis tanquam per Adjuncta quædam addita, quòd ipſæ tamen Durationis differentiæ oriuntur ex ipſa natura rerum quibus attribuuntur; quódque Ens & attributum Durationis adeò idem ſunt, ut alterum ſine altero nè concipi quidem poſſint.

9. *Diviſio Entis in* Permanens *&* Succeſſivum, *cum accurata Durationis permanentis & ſucceſſivæ deſcriptione.*

Ut eſt igitur Ens, ſic & illius Duratio eſt. Si ſit unum idémque numero Ens totum coexſiſtens ſimul, duratio illius, ex quo primum exſtiterit uſque dum deſiverit exſiſtere, eſt una quædam eadémque numero Præſentia, in nullas partes *futuritatis* aut *præteritionis*, niſi forſan imaginationis ope, diſpeſcenda. Ità ut clarè pateat *Durationem permanentem* ſuam originem trahere ex identitate numerica Subjecti cui attribuitur, quemadmodum *ſucceſſivam* è reali diſtinctione & actuali partium fluentium Subjecti quod dicitur ſucceſſivum. Duratio enim fluit & præterit cum fluxu partium, præſens eſt cum præſenti parte, & futura cum futuris. Præſentiam verò identificam partes habere nunquam poſſunt, nec tota illarum duratio præſens appellari: ſed ſunt adinſtar tot perſonarum vel lampadum defunctis vivarum & accenſarum extinctis ſuccedentium.

Unde manifeſtò patet quòd differentia inter Durationem *permanentem* & *ſucceſſivam* non eſt fictitia & imaginaria, ſed realis prorſus planéque ſolida ac palpabilis Diſtinctio.

10. Alteræ illæ duæ Diviſiones Entis, quæ reſpiciunt illius *Quantitatem*, ſunt in Ens *Finitum* & *Infinitum*; & in *Circumſcriptum* & *Incircumſcriptum*. Quarum poſterior *Amplitudinem Eſſentiæ* potiſſimùm ſpectat: ità ut illud Ens *Circumſcriptum* dicatur cujus Eſſentia limites habet, nec eodem tempore ubique eſſe poteſt; *Incircumſcriptum*, cujus Eſſentia nullis circumſcribitur limitibus, ſed eodem tempore ubique eſt præſens.

10. *Diviſio Entis in* Finitum *&* Infinitum, *& in* Circumſcriptum *&* Incircumſcriptum, *cum ipſorum explicatione.*

Prior verò Diviſio non ſolùm *Eſſentiæ Amplitudinem* ſpectat, ſed *Exſiſtentiam*, *Durationem*, *Operationem*, & qualemcunque demum *Perfectionem*; ſcilicet ut Ens *Finitum* eas habeat finito modo, *Infinitum* verò infinito. Adeò ut Ens *infinitum*, ex eo ipſo quòd infinitum eſt, ſit etiam Ens à ſe, Ens independens, Ens increatum, Ens per eſſentiam, puriſſimus Actus, Ens ſimpliciter neceſſarium, & incircumſcriptum. Quibus etiam addas Ens *completum*: quod membrum eſt ultimæ Diviſionum Entis quas hìc proponere inſtituimus.

11. Diviſio autem Entis in Ens *Completum* & *Incompletum* manifeſtò ad Logicam pertinet, cùm omne Ens *incompletum* ſit *pars* aliqua alterius Entis illud intrinſecè ſive eſſentialiter complens & perficiens: ut Corpus vel Anima hominis, qui eſt totum eſſentiale, quemadmodum Dialectici appellant, & *completum*; Anima verò & Corpus partes, ac proinde Entia *incompleta*.

11. *Diviſio Entis in* Completum *&* Incompletum, *cum ipſius explicatione & reductione ad Logicam.*

Sed & illa Entia etiam completa dicuntur quæ ſimplicia ſunt, nec habent partes, (modò Eſſentiam habeant terminatam in ſe, ut *Metaphyſici* loquuntur, & non ad intrinſecam perfectionem alterius;) quamvis illa vocabuli acceptio proculdubio minùs ſit propria. Atque hujus Diviſionis Explicatio, prout monui, eſt è Categoria *Totius* & *Partium*; ut præcedentium aut è *Cauſarum*, aut ex *Entis attributis*.

Nec abs re fore puto obiter notare, quòd *Ens infinitum* ſuprà modò explicatum idem planè ſit quod Ens *abſolutè perfectum*, cujus Definitio vel Eſſentia etiam Exſiſtentiæ neceſſitatem in ſe complectitur.

12. Verùm utut illud ſit, ſpero me tandem abunde eviciſſe nec *Ens ipſum* quatenus Ens eſt, nec *illius Proprietates* & *Diviſiones*, quales nos enumeravimus, ad *Metaphyſicam* pertinere, ſed ad *Logicam*, & ex ea optimè maximéque immediatè explicari poſſe & intelligi. Cætera verò Generalia quæ occurrunt apud Metaphyſicos tam apertè ſunt Logica, ut meritò quivis mirari poſſit quâ fronte potuiſſent tam manifeſti furti ſe aſtringere, ut ea quæ adeò aliena ſunt ad ſe ſuámve Metaphyſicam transferrent.

Inter quos profectò *Ariſtotelem* in Libris *Metaphyſicis* habemus quodammodo confitentem reum. Nam apertè ibi agnoſcit, περὶ τὸ αὐτὸ γένος στρέφεσθαι τὴν σοφιστικὴν καὶ τὴν διαλεκτικὴν τῇ φιλοσοφίᾳ, *quòd Sophiſtica & Dialectica verſentur circa Subjectum idem quod Philoſophia prima*, hoc eſt, *Metaphyſica*. Hinc eſt quòd ſine omni pudore *Metaphyſici* Logicam ferè integram in ſuam Artem infarſerunt, cùm tamen multò ſit juſtius & concinnius Artem utramq; propriis cancellis circumſcribi.

12. *Quòd abunde probatum eſt & Ens & ejus Proprietates ac Diviſiones, ut & alia Generalia quæ in Metaphyſica occurrunt, pertinere ad* Logicam, *idémque quodammodo ipſum* Ariſtotelem *confiteri.*

SCHOLIA

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 8.

NOn eſt immediatè ſed Hypotheticè, *&c. Nota tamen, nequa fraus fiat Divinis Myſteriis, quamvìs quid ſit mediatè tantùm & Hypotheticè neceſſarium, æquè certò tamen neceſſarium eſſe poſſe atque illud quod immediatè eſt neceſſarium, & ſine ullo interventu alterius.*

CAP. VI.

Prima Methodus probandi Exſiſtentiam Rerum incorporearum, nempe ex demonſtratione immobilis cujuſdam Extenſi à mobili Materia diſtincti.

1.
Cùm reliquas Notiones Metaphyſicas ad Logicam jam probatum ſit pertinere, nè omni Objecto Metaphyſica carere videatur, Rerum incorporearum exſiſtentia diligenter eſt demonſtranda.

1. EX prædictis igitur ſatìs manifeſtum eſt, cùm *Ens* quatenus *Ens* cum omnibus ſuis Proprietatibus ac Diviſionibus ad *Dialecticam* ſpectet, quòd ſola relinquitur *Subſtantia incorporea* quæ legitimum *Metaphyſicæ* Objectum eſſe poſſit. Cùm verò nonnulli ſint homines tam craſſo ingenio ac fæculento, ut fateantur ſe nec credere quicquam præter Materiam & Corpus exſiſtere, nec ſe animo poſſe concipere quod immateriale eſt vel incorporeum; eò nunc enixius elaborandum eſt, nè omni videamur Objecto *Metaphyſicam* ſpoliâſſe, ut Subſtantiarum incorporearum exſiſtentiam ſolidè demonſtremus, earúmque naturam quàm maximâ poſſumus illuſtremus perſpicuitate: quod Primâ hâc Parte præſtare conabimur. Exordium verò capiemus à demonſtratione exſiſtentiæ immobilis cujuſdam Extenſi à mobili Materia diſtincti, quod vulgò *Spatium* vocant *Locúmque internum.* Quod poſtea reale quid eſſe, non imaginarium, ut pleriq; autumant, quibus poſſumus Argumentis evincemus.

2.
Quòd neceſſe ſit Extenſum *aliud præter Materiam admittere ex eorum ſententia qui eam agnoſcunt creatam.*

2. Prima verò pars adeò ex ſe perſpicua eſt ut vix indigeat probatione, cùm omnium ferè Philoſophorum ſuffragiis ſit comprobata, imò verò omnium omnino hominum, ſed eorum præ cæteris qui Materiam aliquando, prout fas eſt, creatam fuiſſe credunt. Nam aut Extenſum quoddam eſſe præter Materiam agnoſcendum eſt, aut Deum non potuiſſe creare Materiam finitam; quippe quòd non poſſimus non concipere quamlibet finitam Materiam infinito aliquo Extenſo undiquaq; circundari.

Præterea ſequeretur, Quòd nè Omnipotentia quidem Divina efficere poſſit ut Mundus hic Corporeus finitus in extima ſuperficie ullos haberet Montes aut Valles, hoc eſt, Extuberantias ullas aut Cavitates.

Tertiò, Quòd alium Mundum præter hunc nullo pacto creare poſſit; imò verò nè duas quidem Sphærulas aheneas ſimul, vice horum duorum Mundorum, nè parallelorum Axium Poli ſe mutuò contingerent ob defectum intermedii Spatii.

Denique, Quòd creatam ex Sphærulis utramlibet nè Omnipotentis quidem Dei manus impellere quoquàm poſſit vel promovere. Quæ ſanè omnia tam dura ſunt & ferrea, ut Struthiocameli œſophagum & ventriculum habere eum oporteat qui talia deglutire poteſt & concoquere.

3.
Quòd omnium ferè Philoſophorum ſententia erat, quanquam Materiam increatam crediderint, Spatium eſſe ab ea diſtinctum ſive Locum internum; quódq; Ariſtoteles, *qui id negare videtur, videtur etiam ſibi malè conſtare.*

3. Sed & Philoſophi qui Materiæ creationem non crediderunt, hujuſmodi tamen Spatium agnoverunt, ut *Leucippus*, *Democritus*, *Demetrius*, *Metrodorus*, *Epicurus*, & *Stoici* quidem omnes. *Platonem* quidam hiſce adjunxerunt. Quod verò ad *Ariſtotelem* attinet, qui Locum *proximam ambientis corporis ſuperficiem* definit, pleriq; illius diſcipuli ea in re ipſum deſeruerunt. Imò verò ipſum ſibiipſi hac in cauſa malè conſtare rectè obſervârunt, cùm iſtiuſmodi Proprietates Loco aſſignaverit quæ nulli rei præterquam Spatio quod à quoque Corpore occupatur convenire poſſint. *Æqualitatem* intelligo & *Immobilitatem.*

Neque enim Superficies ambiens toti Corpori contento æqualis eſt, nec ſemper immobilis; ut in Aere ventoſo & rapido Fluvio qui exſtructam Pyramidem infixúmq; Palum *inundant* & *præterfluunt.* Qui proinde non eundem ſervant locum, ſi Superficies ambiens eſt locus; nec mutant locum, cùm ſine motu locali id fieri non poſſit. Palo enim & Pyramidi, ex eo quòd Aer & Aqua recedentes ab eis moventur, motum localem affingere, deſipere eſt. Quomodo enim id ſine fractura loco moveri poteſt cujus baſis terræ infixa quieſcit? Sed hæc ſunt Philoſophiæ *Carteſianæ* ſubtilia Nugamenta.

4. Id interim notatu dignum arbitror, quandoquidem ii Philoſophi qui Mundum faciunt finitum (ut ***Plato, Ariſtoteles*** & ***Stoici***) ***Spatium*** extra Mundum vel ultro agnoſcunt, ii verò qui infinitos Mundos & Materiam infinitam etiam intra Mundum intermixtum ***Vacuum*** eſſe docent, ut ***Democritus*** veteréſque omnes qui Atomicam Philoſophiam amplexi ſunt; quòd utique videtur communi Naturæ voce confirmatum quòd ſit διάστημά τι χωριστόν, Intervallum quoddam ſive Spatium à Materia mundana realiter diſtinctum. De poſterioribus res ſatis nota eſt. De ***Stoicis*** verò ***Plutarchus*** teſtatur, quòd ut nullum intra Mundum Vacuum admiſerunt, ità extra, infinitum. Et ***Plato*** ſuper extimum cœlum, in cujus dorſo puriſſimas Animas collocat, τόπον τινὰ ὑπερουράνιον, ***ſupercœleſtem quendam locum***, eſſe tradit in ***Phædro*** ſuo, Theologorum non abſimilem ſedi Beatorum.

4. *Cùm Philoſophi omnes, tam qui Mundum finitum quàm qui infinitum tenuerunt,* διάστημά τι χωριστὸν *admiſerunt, communi Naturæ voce videtur confirmatum quòd* Spatium *ſit diſtinctum quid à* Materia.

Ariſtoteles denique, quanquam negat aut tempus aut locum eſſe ſupra cœlos, intelligendus eſt tamen de iſtiuſmodi loco quem ipſe deſcribit, quíque ſolis Corporibus competit. Cujuſmodi profectò ſupra cœlos nè ***Plato*** quidem ipſe, quamvis locum appellet, intelligere potuit, ſed ***Spatium*** duntaxat ſive ***Ubi***, quale & ***Ariſtoteles*** planè innuit, quando ea ſupra cœlos eſſe aſſerit; ἅπερ οὔτ' ἐν τόπῳ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, ἀλλὰ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα· nempe, ***ſupra cœlos eſſe Subſtantias quaſdam ſeparatas quæ beatiſſimo ibi fruuntur ævo. Illic***, inquam, eas eſſe planè definit his verbis, οὐδὲ γὰρ ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν, ***quæ ibi ſunt non ſunt apta eſſe in loco.*** Aliquod ***Ubi*** igitur eis competere agnoſcit, eáque in eo eſſe, quanquam ***Locum*** excludit. Nullum autem ***Ubi*** nè fingi quidem poteſt ſine omni ***Spatio.*** Ac proinde ***Spatium*** juxta mentem ***Ariſtotelis*** eſt extra cœlos, quamvìs non concedat ibi eſſe ***Vacuum***, ut quod propriè eſt Spatium intra ambientia corpora omni corpore deſtitutum: Cujuſmodi nullum eſſe poteſt extra ultimum cœlum.

5. Et qui tam ſtrenuè negant illud eſſe intra Mundum corporeum, variis & inopinatis ducti motuum Phænomenis, cùm ea omnia ob fugam Vacui adeò frequenter aſſeverent contingere, à quo Natura tantopere abhorret, manifeſtum eſt eos exiſtimare fieri poſſe ut ſit Vacuum etiam inter mundana corpora, niſi arcana aliqua vis averruncando tanto malo proſpiceret. Quàm enim ſtolidam ac fatuam aniculam illam rerum Dominam ac Reginam Naturam facerent, ſi tam ſolicitè ſibi caveret ab illo malo quod impoſſibile prorſus eſt unquam evenire? Et quid eſt quòd tam multis experimentis ſe fatigaverint tot præclara Ingenia, tentando an ſit ullum in Natura Vacuum, ſi tam obviâ ac facili demonſtratione conſtaret quòd planè repugnet ullum fieri, nempe ex eo, quòd Omne quod habet tres dimenſiones ſit revera Materia vel Corpus? Quòd verò ſit ***Locus***, quem vocant, ***internus***, ſive ***Spatium*** à Corporibus realiter diſtinctum, ſed trinis tamen dimenſionibus præditum, Argumentis prorſus Apodicticis jam evincemus.

5. *Qui ob fugam Vacui certa quædam Phænomena fieri autumant, quíq; experimentis tentant an ſit Vacuum in Natura, non repugnare illud eſſe planè agnoſcunt.*

6. Quod ut breviùs & expeditiùs præſtemus, pauca hæc præmittemus Axiomata ex ſe ſatis manifeſta ac vera. Quorum

Primum eſt, ***Nullius corporis Superficies quieſcente corpore moveri poteſt, nec moto corpore quieſcere.***

Secundum, ***Nullum corpus ad aliud corpus quieſcens propiùs accedere, nec ab eo recedere, poteſt ſine motu locali.***

Tertium, ***Nullius corporis poteſt fieri motus localis niſi tranſeundo per aliquod Extenſum.***

Quartum & ultimum, ***Omne corpus localiter motum movetur adæquatè per illa loca quæ motu ſuo acquirit.***

6. *Axiomata quædam ad demonſtrandum exſiſtentiam* Spatii *ſive* Loci interni *præmiſſa; cum prima illius demonſtratione à circumactu totius Cylindri paradigmate delineati.*

Eſto jam pro Cylindro duas vel tres uncias alto & ſuper terram immotam, ut jam ſupponemus, poſito Circulus H K M H, Polúſque illius Axis (circa quem movetur) ſuperior & inferior A A. Manifeſtum eſt quòd ſuperficies Cylindri extima ſeparat ſe à ſuperficie concava ambientis aeris, per partes, puta H I à concava parte H I, pergítque ad I K, & ſic de reliquis. Unde planè apparet totam Superficiem convexam Cylindri (& eadem ratio eſt de planis) moveri in orbem; ac proinde quòd totus Cylindrus in orbem movetur, per Axioma primum. Sed nullum Corpus movetur niſi tranſeundo per aliquod Extenſum. Ergò Cylindrus tranſit per aliquod Extenſum, per Axioma tertium. Sed per nullum Extenſum tranſit extra ambitum H K M H. Ergò per Extenſum intra illum ambitum tranſit. Sed per ſuam ipſius Extenſionem non tranſit; circumfertur enim cum ea ſimul. Quid igitur reliquum eſt præter internum ſuum Locum, ſive Spatium quod occupat, per cujus partes tranſire poſſit, nempe ab H A I ad I A K, *&c*? Quod oportebat demonſtrare.

7.

Altera ejus demonſtratio, à minoribus Cylindris majori inſertis, & ad datum corpus accedentibus ob eóque recedentibus, nullum pertranſeundo Extenſum materiale.

7. Rurſus, Supponamus in eodem Cylindro majori H K M H ſex foramina Cylindracea, B, C, D, E, F, G, æqualia, totidémque minores Cylindros eiſdem foraminibus inſertos, ſuperficiebúſque concavis horum foraminum æquatos & contiguos: Ponatúrque aliquod corpus quieſcens extra majorem Cylindrum, ſítque corpus P. Moveatur jam denuo major Cylindrus H K M H circa axem A A ſecundùm ordinem literarum H I K, *&c.* Dico, tametſi minores Cylindri ſuperficies ſuas non ſeparent immediatè nec à ſuperficiebus foraminum ſuorum * nec à ſuperficie aeris majorem Cylindrum ambientis, quod nihilominus moventur localiter. Nam dum major Cylindrus movetur ab H ad I, Cylindrus B recedit à corpore P quieſcente; Cylindrus verò E propiùs ad illud accedit. Nullum autem corpus ad aliud corpus quieſcens propiùs accedere poteſt, vel ab eo recedere, ſine motu locali, per Axioma ſecundum: nec omnino moveri localiter, niſi tranſeundo aliquod Extenſum, per Axioma tertium. Sed Cylindrus B per nullum Extenſum extra Cylindrum majorem pertranſit, nec penetrat ipſum corpus Cylindri C cùm ad C pervenit. Igitur Cylindrus B ſuccedit tantùm in cylindraceum ſpatium C, & Cylindrus C in ſpatium cylindraceum D, & ſinguli Cylindri ſucceſſivè ſpatia cylindracea ſive locos internos præcedentium Cylindrorum occupant. Quod erat demonſtrandum.

Fig. 1.



8.

Tertia demonſtratio, à deſcriptione etiam viſibilis Annuli cylindracei, nec tamen in ullo materiali ſubjecto deſcripti.

8. Tertiò denique, ut ſenſui etiam atque imaginationi aliquantulùm indulgeamus, totus hic major Cylindrus H K M H cum omnibus ſuis partibus inſertis fiat vitreus vel cryſtallinus; & minoris Cylindri B tingatur Axis B B rubro colore, ac tum celerrimo motu circumrotetur major Cylindrus H K M H circa ſuum Axem A A. Non ſolùm Ratio atque Imaginatio neceſſariò deprehendent indè deſcribi cylindraceum quendam Annulum, cujus altitudo erit B B vel A A, diameter verò B E, ſed & ipſis oculis hæc figura apparebit, præſertim ſi Axis B B ſatis ſaturâ rubedine ſit tinctus. Sed hæc Figura non deſcribitur extra Cylindrum majorem H K M H, cùm diameter Annuli ex utraque parte minor ſit diametro majoris Cylindri rectis R B & E S. Nec deſcribitur in ipſo Vitro vel Cryſtallo, cùm omnes partes hujus coagmentati corporis cryſtallini ſimul moveantur. Relinquitur igitur ut deſcribatur in loco interno vel ſpatio quod Cylindrus cryſtallinus occupat. Quod erat demonſtrandum.

9.

Quarta demonſtratio, proximè præcedenti finitima, à projecto ſurſum plumbo in circulo Æquinoctiali deſumpta, Terrâ cum Aere circumrotatâ.

9. Huic ultimo argumento finitimum eſt illud deſumptum à plumbo vel alio quovis corpore duro à terra ſurſum perpendiculariter jacto, ſub ipſo putà Æquatore, ſuppoſito motu Telluris. Qui fiat ab Occaſu in Ortum, nempe ab A in B. Emittatur autem lapis vel plumbum ab A rectâ lineâ ſurſum in C. Moveatur autem Terra cum linea recta A C, dum aſcendit plumbum, uſque ad E D; dum verò deſcendit, uſque ad F B. Manifeſtum eſt igitur, dum plumbum aſcendit in linea recta A C, quòd etiam in tranſverſum fertur versùs E D curvámque deſcribit A E; ut & E B curvam in deſcenſu, uſque dum terram iterum tangat in B. At verò in Æquatore aereo non deſcripſit hanc curvam A E B. Nam illam ipſam partem Telluris tangit lapis vel plumbum in B è qua emiſſum eſt ad A, & in eadem linea aerea, ſi fas ſit ità loqui, perrexit tam in deſcenſu quàm aſcenſu, ipſis etiam oculis teſtibus. Sed curva A E B non poteſt deſcribi niſi in aliquo Extenſo. Ergò eſt aliquod Extenſum in aereo Æquatore ab ipſo realiter diſtinctum. Quod erat probandum.

Fig. 2.



10. Poſtremò, In Bombardis quæ glandes ferreas plumbeáſve explodunt, & in Tubis qui aquam tranſmittunt, ſunt Cavitates vel Intervalla rotunda certæ menſuræ vel diametri. Aliáque rotunda corpora diametri paulò minoris aut ferè æqualis tranſire poſſunt per haſce Cavitates Intervalláque rotunda, quanquam eas ſuis dimenſionibus tantùm non æqualibus opplent. Dum igitur glans ferrea per ferreum Tubum aut aqua per ligneum tranſit, totum ferè intervallum rotundum opplens, aerémque ante ſe protrudens, pergénſque hoc modo ad aliquot pedum longitudinem, nec materiale quicquam penetrans, manifeſtiſſimum eſſe poteſt vel lippis & tonſoribus, aquam vel glandem ferream non per corporeum aliquod intervallum rotundum tot pedes longum, ſed per incorporeum ferri. Neque enim ſolæ ſuperficies glandis vel aquæ tranſeunt, ſed ipſarum ſolida corpora. Quod adhuc faciliùs forſan intelligetur ex ſubjecto Tubo vitreo A B, per quem ferri ſupponemus plumbum cylindraceum C D F E ab extremò D B F ad extremum C A E. Totum enim plumbum cylindraceum C D F E, cujus diameter unius plus minus unciæ eſt, C E vel D F, fertur per cavitatem Tubi vitrei ejuſdem ferè diametri, & à C E ad D F ſex uncias longi. Videbis igitur, ſiqua oculis fides, ſolidum plumbum cylindraceum C D F E tranſire à C E ad D F per intervallum cylindraceum ſolidum C E F D ſex uncias longum, unámque craſſum & ampliùs, cùm tamen interim nullius corporis dimenſiones penetret. Unde neceſſe eſt per longum illud Tubi ac rotundum Vacuum C E F D plumbum cylindraceum moveri. Per Vacuum enim intelligo διάστημά τι χωριστὸν, non quod de facto eſt ſeparatum. Atque ità profectò omnia corpora moventur, ſive in Tubis ſive extra Tubos feruntur.

10. *Quinta demonſtratio, à tranſitu plumbi ſphærici vel cylindracei per tubum, cùm nullam tamen interim ſubſtantiam corpoream penetret.*



Fig. 3.

11. Puderet certè me in re adeò facili tamdiu hæſiſſe, niſi coactus feciſſem ob magnum ***Carteſii*** nomen, quod quoſdam minùs cautos ità effaſcinat, ut malint cum ***Carteſio*** delirare & inſanire, quàm vel ſolidiſſimis rationibus cedere ſi cum illius Philoſophiæ ***Principiis*** pugnant. Quorum inter præcipua hoc ipſum quod tam ſedulò impugnavi ipſe enumerat; ſcilicet, Quòd nè virtute quidem Divinâ fieri poſſit ut ullum in Univerſo ſit Intervallum quod non revera ſit Materia vel Corpus. Quam opinionem ego ſemper falſam exiſtimavi, nunc verò eam ſolito acriùs impugno tanquam minùs piam. Et nè eam penitùs non expugnâſſe videar, ſubterfugia illa omnia quibus ***Carteſiani*** Demonſtrationum mearum vim eludere velint in medium proferam, eíſque reſpondebo.

11. *Quòd Præjudicium* Carteſianorum *fecit ut tam manifeſtæ veritati demonſtrandæ tantam operam ac diligentiam impenderit.*

SCHOLIA

In CAP. VI. SECT. 7.

NEc à ſuperficie Aeris majorem Cylindrum ambientis, &c. ***Latera ſcilicet majoris Cylindri. De baſibus verò alia eſt ratio, ſed quæ vim demonſtrationis noſtræ nequaquam minuit, quemadmodum conſtare poteſt ex Axiomate primo; vel minorum cylindrorum baſes fingi poſſunt paulo intra baſes majoris, ut omnis tollatur cavillandi anſa.***

CAP. VII.

Quibus potiſſimùm modis evadendi vim præcedentium Demonſtrationum utantur Carteſiani; eorúmque omnium Refutatio.

1. OMnes verò evadendi viæ quibus ad declinandam vim mearum Demonſtrationum utuntur ***Carteſiani*** ad has tres præcipuas reducuntur. Prima eſt, quâ recurrunt ad Definitionem Motûs localis apud ***Carteſium***, qui, cùm Locum internum nihil eſſe præter ipſum corpus ſtatuat, externum indè eundem ferè quem ſitum facit, & ad eam rationem motum localem definit, ***Tranſlationem utique unius corporis ex vicinia eorum corporum quæ illud immediatè contingunt & tanquam quieſcentia ſpectantur in viciniam aliorum.*** Hâc Magiſtri ſui Definitione freti ***Carteſiani*** audacter

1. *Prima ratio evadendi vim noſtrarum Demonſtrationum à Definitione Motûs* Carteſiana *ſumitur, quæ hîc proponitur.*

negant, verbi gratiâ, Cylindrum minorem B ad motum circularem majoris Cylindri H K M H, vel ejuſdem Axem rubeum B B, ſimul localiter circumrotari; majorem fidem habentes autoritati Magiſtelli ſui quàm propriis oculis, aut cuivis rationi quantumvìs Apodicticæ.

2.
Quòd definitio prædicta gratìs dicta ſit à Carteſio, *&, ex eo quod cum tam ſolidis demonſtrationibus pugnet, manifeſtò falſa.*

2. Atque profectò concedendum eſſet, ſi de veritate Definitionis **Carteſianæ** conſtaret, nec minorem Cylindrum B nec axem illius rubeum B B ad motum majoris Cylindri H K M H localiter moveri, quoniam * è vicinia nullorum corporum quæ immediatè eos contingunt transferuntur. Sed cùm **Carteſius** hanc Definitionem ſolummodo dictet, non demonſtret, nec ullis ſolidis argumentis veritatem ejus evicerit, validiſſima quidem mihi demonſtratio videtur illius falſitatis, quòd cum antecedentibus illis Demonſtrationibus quas ſuprà protulimus adeò ex diametro pugnet. Et quanquam hoc unicum, ut quod tam multa in ſe complectitur, ſufficere debet ad refellendam hanc Definitionem **Carteſii**, quædam tamen de novo magìs particulatim ad eam ſubvertendam, ſed perquam breviſſimè, urgebimus.

3.
Definitionis Carteſianæ *confutatio particularis, ex eo quòd ſupponit acceſſum fieri poſſe unius corporis ad aliud corpus quieſcens ſine motu locali.*

3. Primum autem eſt, Quòd ſi nullus ſit localis motus præter eum qui eſt tranſlatio unius corporis ex vicinia quorundam corporum quæ illud immediatè contingunt, continuò ſequeretur quòd unum corpus ad aliud corpus quieſcens propiùs accedere poſſit, vel ab eo recedere longiùs, abſque omni motu locali. Ut planè patet in circumrotatione majoris Cylindri H K M H ab H in I, *&c.* Nam manifeſtum eſt quòd Cylindrus E propiùs ad corpus P quieſcens accedit, Cylindrus verò B ab eo recedit longiùs, cùm tamen nec E nec B è vicinia ullorum corporum ea immediatè tangentium transferuntur. Sed ut fiat ullus acceſſus corporis ad aliud corpus quieſcens, vel ab eo receſſus, ſine illius corporis motu aliquo locali, impoſſibile eſt, juxta Axioma ſecundum. Ac proinde apertè falſa eſt hæc **Carteſii** Definitio.

4.
Et ex eo præterea, quòd agnoſcit motum eſſe reciprocum.

4. Alterum eſt, Quòd ille motus localis quem definit **Carteſius**, etiam ipſo fatente, ſit reciprocus. ***Ipſa enim tranſlatio***, inquit ille, ***eſt reciproca, nec poteſt intelligi corpus A B transferri ex vicinia corporis C D, quin ſimul intelligatur corpus C D transferri ex vicinia corporis A B.*** Et paulò pòſt, ***Quapropter ſi omnino propriam, & non ad aliud relatam, naturam motui tribuere vellemus, cùm duo corpora contigua unum in unam, aliud in aliam, partem transferuntur, ſicque à ſe mutuò ſeparantur, tantundem motûs in uno quàm in altero diceremus***; ſcilicet ſi ***accuratè*** & ***philoſophicè*** loqui vellemus, & non ad captum vulgi. Quo tamen dicto nihil ἀφιλοσοφώτερον, nihil ab omni Philoſophia magis alienum dici poteſt vel excogitari, nempe ut ſola duorum corporum à ſe invicem ſeparatio faciat ut æquali jure utraque moveri dicantur, ex eo utique ſolummodo, quòd nova vicinitas fiat circumjacentium corporum. Juxta quem ſenſum Turris æquè moveretur ac Ventorum flamina quæ leniter eam prætereunt.

5.
Quòd Carteſiana *Motûs Definitio eſt potiùs Sitûs deſcriptio; quòdq; ſi ſit Motûs, reciproca illius natura unum corpus duobus contrariis motibus moveri arguet, imò & moveri & non moveri ſimul.*

5. Sed ex hac **Carteſii** explicatione ſubolere poterit cuivis, qui ſatìs emunctæ naris ſit homo, illius Definitionem quâ ***motum localem*** deſcribere pertendit revera nihil aliud eſſe quàm deſcriptionem ***mutationis ſitûs*** proximè appoſitorum corporum, quæ profectò ſemper eſt reciproca, motus non item. Sitûs enim duorum corporum vicinitas ex parte unius corporis mutari non poteſt quin ſtatim intelligatur mutari ex parte alterius, quamvìs hoc alterum fixum maneret ut Turris in Vento.

Quòd ſi **Carteſiani** motum revera localem hìc definiri volunt cui hæc competat reciprocatio, in iſtiuſmodi difficultates ſe induent ex quibus nullo pacto ſe poſſint expedire. Nam unum idémque corpus duobus contrariis motibus movebitur eodem tempore; ut in corpore A B. Supponemus enim duo corpora, E F & C D, utrumque latus corporis A B cingere; dúmque E F movetur versùs H, C D eodem tempore moveri versùs G. Unde planè ſequetur quòd A B movetur in I & in K contrarias partes ſimul. Supponemus porrò corpus A B fixum in baſi, Terrámq; quieſcere: Ergò non movetur omnino, per Axioma primum; ac proinde & movetur & non movetur ſimul. Quibus quid dici poteſt abſurdius?

Fig. 4.



6.
Quòd Definitio Motûs Carteſiana *omnibus animi facultatibus, Senſui, Imaginationi & Rationi repugnat.*

6. Tertium atque ultimum Incommodum quo urgetur hæc Definitio eſt, Quòd manifeſtiſſimæ repugnat Experientiæ, vel, ſi malles, omnibus humanæ mentis facultatibus, Rationi, Imaginationi & Senſui. Nam motâ ſuperficie majoris Cylindri H K M H, & ſeparatâ per partes à ſuperficie ambientis Aeris ab H in I, ab I in K, *&c.* totum Cylindrum circumrotari localitérque moveri Ratio cum Imaginatione conjuncta ſuadet

ex Axiomate primo. Quin & Senſus manifeſtò deprehendit internas partes hujus Cylindri cryſtallini H K M H (talem enim eſſe ſupponimus) ſimul cum externis ſuperficiebus circumrotari. Quod adhuc evidentiùs faciet, ſi admodum ſaturâ rubedine tingatur media pars Axis minoris Cylindri B, & circumvolvatur poſtea celeriter totus Cylindrus H K M H circa Axem A A. Nam pars Axis rubea Cylindri B circulum vel annulum rubeum intra cryſtallum depinget æquè conſpicuum atque illum quem pueri ſolent in aere deſcribere celeriter circumrotando arundinem alterâ extremitate ignitam. Quod impoſſibile eſſet fieri niſi rubea pars Axis Cylindri B circumageretur circulariter; nec circumagi poteſt ſine motu. Et ſi motus non accidit huic parti rubeæ dum viſibilem annulum deſcribit, quid, obſecro, eſt quod illi accidit? Neque enim quieſcens eum deſcribit, nec eſt ulla media conditio inter motum & quietem quæ corpori competit.

7. Eóne igitur ſtuporis ac vecordiæ diſcipulos ſuos perduxit *Carteſii* autoritas, ut omnibus animi facultatibus, imò verò propriis oculis, nuncium mallent mittere, quàm iſtiuſmodi Præceptoris veſtigia deſerere, qui tot abſurda & incredibilia aut ignarus & oſcitans, ut cæcus muſcas, inter philoſophandum devoravit, aut, quod pejus eſt, etiam datâ operâ admiſit, nè non talia Philoſophiæ Principia ſtatueret quæ neceſſitatem exiſtendi Materiæ aſſererent, cùm ea tamen ſoli conveniat Deo?

7.
Abſurda Carteſianorum *ſuppoſitio, quod motus localis ſit reſpectu locorum ubi corpus motum non eſt, non ubi eſt.*

Quid igitur hîc facient *Carteſiani*? Ægre tandem atque invito animo agnoſcent partem rubeam Cylindri B moveri, ſed non reſpectu ullius loci ubi eſt, ſed alicujus corporis extra majorem Cylindrum H K M H, putà corporis P, ad quod propiùs nunc accedit, nunc ab eo recedit longiùs. Quo quidem commento nihil fingi poteſt ineptius & incredibilius. Quaſi corpus localiter moveretur non ubi eſt, ſed ubi non eſt, nec reſpectu locorum quæ ſucceſſivè relinquit, ſed eorum quæ nunquam nè attingit quidem. Quod eſt contra Axioma quartum.

Sed & ex hoc etiam merum ſubterfugium eſſe facilè intelligitur, quòd reſpectus illi quos habet pars rubea Cylindri varios ad corpus P in motu ſuo circulari circa Axem A A (nempe ut nunc ab eo diſtet lineâ breviſſimâ B P, nunc longiſſimâ P E, nunc intermediis P G & P F, ab uno latere, nunc totidem æqualibus ab altero) non conſtituunt motum partis rubeæ, ſed ipſe motus partis rubeæ illos efficit. Illius igitur motus prior naturâ eſt quàm illi reſpectus. Quomodo igitur ſuam naturam acceptam referre poteſt illis quorum & ipſe cauſa eſt, & non viciſſim? Et nè evagetur imaginatio extra Cylindrum cryſtallinum, omnes illæ lineæ, P B, P G, P F, P E, P D, & P C, terminatæ in Circulum B G F E D C B, planè indicant motum partis rubeæ in eo ſolo peragi, nec recedere à Centro, A putà, ultra ſemidiametrum A B, quæ minor eſt ſemidiametro A R, rectâ B R differentiâ utriuſque.

Fig. 1.



8.
Altera ratio evadendi noſtras Demonſtrationes ex Carteſio *petita, ubi Spatium Locúmve internum unitatem tantùm genericam corporis eſſe ſtatuit.*

8. E primis ſuis latibulis *Carteſianos* exturbavimus: ſecunda jam luſtremus, quæ illis ipſe etiam exſtruxit *Carteſius*. Princip. part. 2. artic. 10. *Revera*, inquit ille, *Extenſio in longum, latum & profundum quæ Spatium conſtituit, eadem planè eſt cum illa quæ conſtituit Corpus. Sed in hoc differentia eſt, quòd ipſam in Corpore ut ſingularem conſideremus, & putemus ſemper mutari quoties mutatur corpus; in Spatio verò unitatem tantùm genericam ipſi tribuamus*, &c. Et rurſus Artic. 12: *Sublato lapide ex ſpatio vel loco in quo eſt, putamus etiam ejus extenſionem eſſe ſublatam, utpote quam ut ſingularem & ab ipſo inſeparabilem ſpectamus: ſed interim extenſionem loci in quo erat lapis remanere arbitramur eandémq; eſſe quamvìs jam ille locus lapidis à ligno vel aqua vel aere vel alio quovis corpore occupetur, vel etiam vacuus eſſe credatur; quia ibi conſideratur Extenſio in genere, cenſetúrque eadem eſſe lapidis, ligni, aquæ, aeris, aliorúmque corporum, vel etiam ipſius Vacui, ſiquid detur, modò tantum ſit ejuſdem magnitudinis ac figuræ, ſervét-*

que eundem ſitum inter corpora externa quæ ſpatium illud determinant.

9.
Hujus ſuppoſitionis Applicatio ad enervandas ſuprà dictas Demonſtrationes.

9. Hiſce igitur documentis inſtructi *Carteſii* Sectatores omnem vim Demonſtrationum mearum ad hunc modum eludere conabuntur; dicendo ſcilicet locum illum internum quem ego ex illis concludere velim nihil aliud eſſe quàm Ideam Unitatis genericæ illorum corporum corporíſve partium quas in locos hos internos ſuccedere contendo. Verbi gratiâ, Quando concludo partem majoris Cylindri N A H ſuccedere in locum partis H A I, & minorem Cylindrum B in locum internum minoris C, & ſic in reliquis, reſpondebunt quòd nullus utique ſit locus internus partis H A I nec Cylindri C revera diſtinctus ab ipſis dimenſionibus partis H A I & Cylindri C, ſed quòd tantùm concipitur utrobique quaſi permanens Extenſio quædam in genere in H A I & in Cylindro C, quæ competit vel congruit parti N A H & Cylindro B, & reliquis partibus, N A M, M A L, *&c.* reliquíſque minoribus Cylindris, G, F, E, *&c.* quódque faciliùs mihi ipſi in hac re impono, quòd ea ſit partium omnium omniúmq; itidem Cylindrorum æqualitas inter ſe & ſimilitudo.

10.
Applicationis confutatio ex hoc, quòd Corpus ſeparabile eſt, Internus locus immobilis & ſingularis.

10. Bella profectò & arguta evadendi ratio, ſed ab omnibus rationibus Logicis remotiſſima. Nemo enim qui vel primoribus labris Dialecticam guſtaverit ullo pacto fingere poteſt quòd natura ſingularis à generica revera poteſt ſeparari, ut hîc clarè & diſtinctè Cylindrus C à loco ſuo interno C ſeparari intelligitur. Et certè ſi locus internus C eſſet Extenſio generica Cylindri C, quando Cylindrus C reliquit illum locum deſineret etiam extendi, aut ſaltem deſineret idem eſſe numero Cylindrus. Sublato enim Genere tollitur & Species & Individuum, ut omnes Dialectici nôrunt. Ergò locus cylindraceus Cylindri C non eſt Extenſio illius generica.

Quod ex eo porrò liquet, quòd Cylindrus C mobilis ſit, locus verò illius cylindraceus immobilis. Quibus omnibus addas, & ipſum locum internum C eſſe ſingularem, non genericum, ut qui hîc & nunc eſſe deprehenditur, quod Genericæ naturæ non competit. Extenſum igitur illud quod occupat totus Cylindrus cryſtallinus nulla pars eſt Cylindri, nec generica nec ſpecifica, ſed aliud aliquid, quicquid ſit, ab ipſo realiter diſtinctum.

11.
Quòd nec Locus internus ullo modo inadæquatus eſt conceptus Materiæ, clarè demonſtratur.

11. Huic ſubterfugio in Unitate corporum generica quæſito non abſimile eſt illud eorum qui Locum internum inadæquatum Materiæ conceptum eſſe contendunt. Quod tamen impoſſibile eſt, cùm conceptus cujuſvis rei inadæquatus conſtet ex notionibus rei conceptæ conſentaneis quidem, quamvìs non adæquatis, nequaquam verò rei ipſi repugnantibus. Sic enim conceptus in oppoſitam aliquam ſpeciem determinaretur, nec ullo modo conceptus hujus rei dici poſſet. Notiones verò quædam ex quibus conſtat Locus internus, quales ſunt Immobilitas & Penetrabilitas, naturæ Materiæ planè repugnant; nec tamen ullâ vi ab interni loci natura excludi poſſunt, ſed neceſſariò ipſi ineſſe à nobis vel invitis concipiuntur. Ac proinde loci interni conceptus conceptus Materiæ inadæquatus eſſe non poteſt.

12.
Tertia evadendi ratio, quæ ſupponit locam internum eſſe tantummodo Materiæ poſſibilitatem.

12. Tertia verò & ultima evadendi ratio eſt liberiorum quorundam Aſſeclarum *Carteſii*, qui haud ægre animum inducerent magnum ſuum Magiſtrum magnæ poſtulare oſcitantiæ aut temeritatis ob ea quæ tradit Princip. part. 2. artic. 21. nempe, *hunc Mundum ſive ſubſtantiæ corporeæ Univerſitatem nullos Extenſionis ſuæ fines habere; quia Idea ejus Extenſionis, quam in Spatio qualicunq; concipimus eadem planè eſt cum Idea Subſtantiæ corporeæ.* Spatii verò Idea in infinitum undique protenditur. Ubi egregiè deceptum *Carteſium* confitentur, quòd Ideam Spatii pro Idea Poſſibilitatis Materiæ, vel Capacitatis in qua Materia eſſe poſſit. acceperit; ſe verò Capacitatem hanc vel Poſſibilitatem Materiæ agnoſcere per omnia in infinitum neceſſariò pervadere, ſed non Spatium, (ut quod idem eſt quod Materia vel Corpus;) atque hanc demum Materiæ Poſſibilitatem id ipſum eſſe (nec quicquam amplius) quod ex Demonſtrationibus noſtris concludi poteſt, non Locum aliquem internum, nec Vacuum. Acutè, ſanè, juxtà ac modeſté.

13.
Hujus Evaſionis refutatio prima, ex ſuppoſitione quòd Mundus ſit finitus.

13. Ego tamen interea, cùm planè ſequatur ex hac Hypotheſi Mundum fieri poſſe finitum, rogatos vellem hoſce moderatiores *Carteſii* Sectatores, ſupponendo Mundum finitum, an ſuper Dorſum ejus, putà A B, corpus aliquod altum & editum exſtrui poſſit adinſtar rectæ E D, atque ſic deduci recta à ſummitate corporis editi E in G. Nam ſi hoc fieri poteſt, manifeſtum eſt quòd eſt actuale aliquod intervallum ſive Spatium vacuum inter E & G. Quod nobis ſufficit, neque aliud quicquam in præſens quærunt Demonſtrationes noſtræ.

Fig. 2.



Quòd ſi hoc fieri poſſe negant, agoſcúntque hanc Capacitatem ſive Materiæ Poſſibilitatem nullam in ſe diſtantiam partium innuere, adeò ut ſi duo globi ferrei in iſtiuſmodi capacitate vel nuda poſſibilitate ponerentur parallelorum Axium Poli ſe mutuò contingerent, tunc palàm eſt quòd hæc Materiæ Poſſibilitas non eò pertingit quò Demonſtrationes noſtræ pervenerunt, utpote quæ manifeſtò probârunt aliquid eſſe præter Materiam in omnes partes extenſum, & ab ipſa Materia realiter diſtinctum.

14. *Perfectiſſima ejuſdem pleniſſimáq; Refutatio ex Principiis Metaphyſicis de Coalitione Entis actu & potentiâ in unum idémque Ens. Vide Fig. 1.*

14. Sed demus pauliſper hanc Materiæ *Poſſibilitatem*, quam non poſſumus non concipere in infinitum undiqueverſum excurrere, ſupplere vicem loci illius interni quem Demonſtrationes noſtræ in lucem eruerunt, & notemus deinde quàm immania illinc Abſurda conſequantur. Nam quòd Ens potentiâ cùm jam ſit Ens actu in unum idémque Ens coaleſcit nemo Metaphyſicus eſt qui non agnoſcat. Nec poteſt Bucephalus actu ſeparari à Bucephalo potentiâ, dum actu exſiſtit Bucephalus. Nec currente illo qui eſt actu Bucephalo dormire poteſt ille potentiâ Bucephalus humíque jacere.

At verò ſi locus internus cylindraceus B ſit nihil aliud niſi Poſſibilitas Materiæ, in unam eandémque rem coaleſcit cum ipſa materia Cylindri B; & tamen & ſeparari poteſt à loco interno B, & moveri, loco interno B immobili exſiſtente, quemadmodum jam demonſtratum eſt. Cúmque Cylindrus B receſſit è loco interno cylindraceo B, & in eundem ſucceſſit Cylindrus G, manifeſtum eſt quòd Cylindrus G in unum corpus coaleſcit cum illo interno loco B, ut qui erat id ipſum G potentiâ, nunc verò ſit idem actu. At verò unum duntaxat Ens actu fieri poteſt ex uno Ente potentiâ, nec Ens actu disjungi ab Ente potentiâ quamdiu actu eſt. Ac proinde Cylindrus B, quanquam reliquit locum internum B, & Cylindrus G, qui in eundem ſucceſſit, ſunt unus idémque Cylindrus, & tamen in diverſis locis ſimul; Cylindrus enim G eſt in loco B, & Cylindrus B in C. Ecquis mortalium his quicquam excogitare poteſt abſurdius?

15. *Demonſtrationis Theorematis, nempe, Quòd eſt Extenſum quoddam immobile à mobili Materia diſtinctum, præſtantia & utilitas.*

15. * Quamobrem cùm tam manifeſtis Demonſtrationibus evicerimus dari locum internum in Cylindro cryſtallino H K M H diſtinctum realiter ab Extenſione Materiæ, omnéſque effugiendi vias Adverſariis intercluſerimus, plenámque reportaverimus victoriam, quid ſupereſt niſi ut in univerſum concludamus, (cùm nihilo aliter ſe habeat uſpiam, quoad hoc, natura rerum) quòd utique ubique eſt hæc Extenſionum diſtinctio, ſiquidem Materia ubique eſt; aut, ſi ipſa alicubi deficit, tamen quòd nuſquam deficit Extenſum quoddam immobile per omnes undique partes diffuſum in infinitum uſque & à mobili Materia diſtinctum? Quod maximum certè erat operæ pretium demonſtrâſſe, ut indè planè conſtet exſiſtendi neceſſitatem huic Mundanæ Materiæ nullo modo poſſe competere.

SCHOLIA

In CAP. VII. SECT. 2.

E Vicinia nullorum corporum quæ immediatè eos contingunt, &c. *Exceptâ ſolâ eâ aeris parte, quæ baſes dictorum Cylindrorum circumrotatas radat. Sed ut nulla, quod ſuprà dixi, præbeatur cavillandi anſa, facilè ſuperaddi poteſt utrique baſi majoris Cylindri H K M H ſtrictum preſſúmque operculum, ut nè umbram quidem ullam ſuffugii captent Adverſarii.*

Sect. 15. Quamobrem cùm tam manifeſtis demonſtrationibus evicerimus dari locum internum, &c. *Et quidem ex his demonſtrationibus manifeſtò apparet, falſum eſſe quod quidam aliàs non indocti viri ſomniant*, Nihil aliud utique ſpacium eſſe quàm dimenſionem Mundi atque magnitudinem, neque Mundum in ſpacio eſſe ſed ſpacium potiùs ipſum in Mundo. *Problema profectò dignum cui ſolertiſſimus* Syſtematis Animæ *oppugnator attentiſſimas ſuas Meditationes impendat.*

CAP. VIII.

Quòd Extenſum illud immobile quod demonſtratum eſt, à mobili Materia diſtinctum, non eſt Imaginarium quiddam, ſed Reale ſaltem, ſi non Divinum.

1. *Extenſionem aliis rebus Phyſicis competere præterquam Materiæ, ac proinde competere poſſe Metaphyſicis.*

1. VErùm ad rei apicem nondum pervenimus. Diſpiciendum nunc tandem eſt diligenter, an infinitum hoc Extenſum immobile Imaginarium quiddam ſit ſolummodo, quemadmodum vulgus Philoſophorum opinatur, an verò Reale. Poſſe enim

Extenſum aliquod præter Materiam reale eſſe ex eo liquet, quòd Modi quidam Materiæ reales ſunt, qui ipſi ſunt extenſi, nec tamen ipſamet ſunt Materia, ut Motus & Quies. Quæ quidem, tametſi Corporis vel Materiæ rectè *Modi* dicuntur, ſunt tamen in ſeipſis *Entia*, non *Entis* Modi, nec ſolùm *realia*, ſed & *Phyſica* Entia. Et ſi aliis Entibus Phyſicis præterquam Materiæ competit Extenſio, cur non & Metaphyſicis competat? Nam ob eam ſolummodo cauſam Extenſionem ab aliis rebus omnibus excludit *Carteſius*, quòd *ipſam adæquatam* Materiæ eſſentiam eam eſſe autumet.

2.
Ut Motus & Durities habent proprias ſuas naturas à natura Materiæ diſtinctas, ità & proprias Extenſiones.

2. Nec fieri profectò poteſt ut Motus vel Durities vel alius hujuſmodi Materiæ Modus quilibet *propriâ* non extendatur Extenſione, ſed *Materiæ*, cùm quodlibet Ens quatenus Ens eſt ſuam habeat Extenſionem, prout ſuprà monuimus. Non igitur magìs poteſt Motus extendi alienâ Extenſione quàm alienâ eſſentiâ eſſe id quod eſt, hoc eſt, Motus. Neque enim magìs per eſſentiam Materiæ Motus eſt Motus, quàm per eſſentiam Motûs Materia eſt Materia; ſed utraque habent ſuas naturas diſtinctas, ac diſtinctas proinde Extenſiones.

Quod ulteriùs patere poteſt ex eo, quòd Extenſio Motûs intra eundem Materiæ ambitum variorum graduum capax eſt, & quaſi novis ſuperadvenientis motûs dimenſionibus penetratur. Ut in Cylindro cryſtallino H K M H, cui, ſi nunc ſupponitur moveri uno gradu celeritatis, poteſt alter poſtea gradus addi, quo duplò celeriùs circumrotetur quàm antea, deinde triplò, & ſic deinceps. Qui gradus etiam per totum (pro ratione diſtantiæ ab Axe) Cylindrum ſunt extenſi, & mutuò ſe penetrant. At nullæ novæ Extenſiones Materiæ poſſunt addi intra ambitum dicti Cylindri. Quocirca Extenſio Motûs non eſt ipſiſſima Extenſio Materiæ.

3.
Qui immobile Extenſum nihil eſſe autumant præter meram Vacuitatem, rudem imitari plebeculam, qui Cœlum ventis & nubibus liberum inane tantummodo Concavum eſſe ſomniant; Pythagoreos *verò,* Democritum *&* Epicurum *inter Entia realia Locum internum numerâſſe.*

3. Nihil igitur impedit quò minùs Extenſum hoc immobile quod deteximus reale quid eſſe poſſit, quamvìs Corpus non ſit vel ulla res materialis; nec meliori jure merum Vacuum exiſtimari, quàm Cœlum proximum Vento ac Nubibus liberum *inane* quoddam *Concavum* ab illiterata plebe exiſtimatur. Quam certè mihi videntur ad amuſſim imitari vulgares Philoſophi qui immobile hoc Extenſum, quod ubique eſſe demonſtravimus, tanquam Intervallum perfectè vacuum hactenus conſiderârunt, cùm tamen non magìs vacuum ſit quàm capacitas Cyathi vino deſtituta, quæ interim inviſibili aere impletur. Atque equidem, quamvìs non ſolùm Aer ſed & Æther ac ſubtiliſſima quævis materia juxtà ac craſſiſſima amoverentur, reſtaret tamen ſubſtantia quædam ſubtilis, imò verò omnium ſubtiliſſima, quæ, tametſi externos ſenſus fugere poteſt, internis tamen animi oculis, modò adſit Spectator ſatìs gnarus & callidus, facilè poteſt deprehendi: ut patet in *Pythagoreis*, qui aliam à vulgo Philoſophorum ſententiam ferentes introducuntur apud *Ariſtotelem* de Spatio quod dicitur vacuo.

Ejuſmodi enim deſcribunt *quod ex infinito ſit Spiritu, totúmque Univerſum permeet, ſic ut reſpirare dicatur Mundus in hoc Spatio.* Spiritum proculdubio innuentes eſſe hoc Vacuum, vel Subſtantiam immaterialem. Quale itidem declarat Spatium eſſe antiqua Philoſophia Atomica apud *Diogenem Laertium: Democrito* quidem apud ipſum nulla alia rerum Principia vera ac realia agnoſcente præter *Atomos* & *Inane*, reliqua verò omnia non *res* eſſe, ſed *apparentias* tantummodo in ſenſibus noſtris excitatas; & *Epicuro* rurſus diſertis verbis κενὸν ϗ χώραν, *Vacuum & Locum*, τὴν ἀναφῆ φύσιν, *naturam intangibilem*, i. e. incorpoream, appellante.

4.
Locum internum aliquid reale eſſe; ex eo quòd Nihili, juxtà Carteſium, *nulla poteſt eſſe Extenſio, prima demonſtratio.*

4. Sed nè ſolis autoritatibus niti videamur in re tam gravi, Argumento uno & altero à natura rei deſumpto tandem Cauſam noſtram confirmabimus. Quorum primum erit illud in quo tum *Carteſius* ipſe tum omnes, quod ſciam, *Carteſiani* juxtà mecum ſentiunt; nempe, quòd *Nihili nulla poteſt eſſe Extenſio.* Nos verò claris & perſpicuis Demonſtrationibus ſuprà probavimus dari quiddam Extenſum immobile per omnia pervadens à mobili Materia diſtinctum. Quid igitur eſt quòd quiſquam hæreat aut reſtitet quin continuò concludat, ideo eſſe aliquod Ens reale à Materia diſtinctum quod pervaderet omnia, omniáque ſpatia poſſibilia, quamvìs nulla Materia uſquam exſiſteret, ſuâ præſentiâ occuparet?

5.
Illuſtratur ex effectis Effati illius Carteſiani *veritas.*

5. Quod verò ad veritatem attinet Effati illius *Carteſiani*, quanquam ex ſe ſatìs clara videtur, illuſtrari tamen porrò poteſt ex effectis: ut in Schemate A C F B. Ubi A B Dorſum Mundi finiti iterum ſupponemus, & E D Turrem ſuperſtructam; E G verò diſtantiam ſummitatis Turris à parte dorſi mundani G, tot putà pedibus vel perticis menſurabilem. Poteſtne igitur Extenſum hoc immobile

Fig. 2.



immobile extra Mundum corporeum efficere ut ſummitas Turris à parte dorſi mundani G tot pedibus vel perticis diſtet, & tamen eſſe nihil? Imò verò impoſſibile eſt quin ea quæ nihilo diſtant prorſus ſint contigua. Quænam enim, obſecro, ſunt contigua niſi illa inter quæ nihil intercedit? Nec eludi poteſt vis hujus Argumenti dicendo, quòd Diſtantia non ſit proprietas alicujus rei Phyſica, ſed tantùm reſpectiva & notionalis. Eſto enim, quatenus utique duo corpora à ſe invicem dicuntur diſtare, quòd iſthoc modo conſiderata ſint Relata; Fundamentum tamen hujus Relationis eſt reale quid, ut in multis aliis Relationibus rerum Phyſicarum. Nam Formâ vel Eſſentiâ differentia, Relata ſunt quatenus differre à ſe invicem concipiuntur, cùm tamen illud quo differunt ſit ipſa Forma vel Eſſentia.

6. *Altera Demonſtratio realitatis Extenſionis Vacui vel Loci interni, quòd in ipſa reperitur Attributum quod alibi eſt planè reale.*

6. Alterum Argumentum eſt, Quòd quicquid eſt alicujus realis Subjecti Attributum reale nuſquam alibi reperiri poteſt niſi ibidem ei ſubſit Subjectum aliquod reale. At verò Extenſio eſt realis Subjecti (nempe Materiæ) Attributum reale, quod tamen alibi reperitur, idque independenter ab Imaginatione noſtra. Imò verò non poſſumus non concipere Extenſionem quandam immobilem omnia in infinitum pervadentem exſtitiſſe ſemper, & in æternum exſtituram, (ſive nos de ea cogitemus ſive non cogitemus) & à Materia denique mobili realiter diſtinctam. Ergò neceſſe eſt ut reale aliquod Subjectum huic ſubſit Extenſioni, cùm ſit Attributum reale. Hæc argumentatio ità firma eſt ut nulla poſſit eſſe firmior. Nam ſi illa vacillet, nullius prorſus realis Subjecti exſiſtentiam certò concludere poſſumus in rerum natura. Attributa enim realia adeſſe poſſunt, & tamen nullum Subjectum reale ſive Subſtantia ſubeſſe.

7. *Quòdq; hæc ipſiſſima illa demonſtrandi ratio eſt quam adhibet* Carteſius *ad probandum Spatium eſſe Subſtantiam, quamvis in eo falſus ſit quòd ipſam corpoream concluſerit.*

7. Eſtque hæc ipſiſſima illa argumentandi ratio quâ utitur *Carteſius*, quam idcirco ſuperaddam, ut ſi fortè oculos clauſuri ſint *Carteſiani* contra tam claram lucem dum ego eam profero, eos tamen rurſus aperiant auditis & nomine & verbis *Carteſii*. Princip. part. 2. artic. 16. *Nam cùm ex hoc ſolo*, inquit ille, *quòd corpus ſit extenſum in longum, latum & profundum, rectè concludimus illud eſſe Subſtantiam, quia omnino repugnat ut Nihili ſit aliqua Extenſio: idem etiam de Spatio quod vacuum ſupponitur concludendum eſt, quòd nempe, cùm in eo ſit Extenſio, neceſſariò etiam in ipſo ſit Subſtantia.*

Hæc ille, ſed in alium finem quàm quò ego collineo. Ille enim ex hoc Argumento concludere conatur Spatium quod dicitur Vacuum ipſammet eſſe illam ſubſtantiam corpoream quæ Materia dicitur. Ego è contrà, cùm tam manifeſtò probaverim Spatium ſive Locum internum à Materia eſſe realiter diſtinctum, eum idcirco ſubſtantiam quandam eſſe incorpoream ſive Spiritum concludo, qualem ipſum olim eſſe autumârunt *Pythagorei*. Atque ità per eam ipſam januam per quam Philoſophia *Carteſiana* Deum videtur velle è Mundo excludere, ego, è contrà, (quod & feliciſſimo ſucceſſu me præſtiturum confido) eum introducere rurſus enitor & contendo.

8. *Enumeratio viginti plùs minùs Titulorum quos Metaphyſici Deo tribuunt, immobili Extenſo ſive Loco interno congruentium.*

8. Neque enim Reale duntaxat, (quod ultimo loco notabimus) ſed Divinum quiddam videbitur hoc Extenſum infinitum ac immobile, (quod tam certò in rerum naturâ deprehenditur) poſtquam Divina illa Nomina vel Titulos qui examuſſim ipſi congruunt enumeraverimus; qui & ulteriorem fidem facient illud non poſſe eſſe Nihil, utpote cui tot támque præclara Attributa competunt. Cujuſmodi ſunt quæ ſequuntur, quæque Metaphyſici Primo Enti ſpeciatim attribuunt. Ut *Unum*, *Simplex*, *Immobile*, *Æternum*, *Completum*, *Independens*, *A ſe exſiſtens*, *Per ſe ſubſiſtens*, *Incorruptibile*, *Neceſſarium*, *Immenſum*, *Increatum*, *Incircumſcriptum*, *Incomprehenſibile*, *Omnipræſens*, *Incorporeum*, *Omnia permeans & complectens*, *Ens per Eſſentiam*, *Ens actu*, *Purus Actus*. Non pauciores quàm viginti Tituli ſunt quibus inſigniri ſolet Divinum Numen, qui infinito huic Loco interno, quem in rerum natura eſſe demonſtravimus, aptiſſimè conveniunt: ut omittam ipſum Divinum Numen apud *Cabbaliſtas* appellari מקום, id eſt, *Locum*. Profectò res mira eſſet ſuprà quàm dici poteſt & prodigii inſtar, ſi omne hoc in merum deſineret Nihil.

9. *Quomodo infinitum illud Extenſum à Materia diſtinctum ſit Unum, Simplex, & Immobile.*

9. Sed perpendamus ſingulos titulos, illorúmque congruentiam notemus. *Infinitum* igitur hoc *Extenſum* à Materia diſtinctum, primò, *Unum* rectè dicitur, non ſolùm quòd ſit homogeneum quiddam & per omnia ubique ſibi ſimile, ſed quòd adeò unum ſit ut prorſus ſit impoſſibile ut illo uno plura ſint, vel ut fiat multa, cùm nullas partes Phyſicas habeat ex quibus coagmentetur, & in quas verè & phyſicè dividi poſſit, nec in quas conſpiſſari. Sic enim eſt *Locus internus*, vel, ſi malles, *intimus*.

Unde porrò ſequitur quòd aptè *Simplex* appellatur, utpote quod nullas, quod dixi, habet partes Phyſicas. Quod verò ad iſtiuſmodi diverſitates attinet juxta quas Logica diſtributio fieri poſſit, nulla omnino res eſt ità ſimplex quin in illa iſtæ reperiantur.

Ex hac autem Simplicitate facilè intelligitur illius *Immobilitas*. Nam nullum Extenſum infinitum quod nec coagmentatur è partibus, nec quovis modo condenſatur vel conſtipatur, poteſt moveri vel pars à parte, cùm totum ſit ſimplex & indiſcerpibile, nec totum ſimul, cùm ſit infinitum, nec contrahi in minus ſpatium, cùm nec condenſatum ſit uſpiam nec locum poſſit relinquere; quandoquidem hoc *Infinitum* eſt *intimus* rerum omnium *Locus*, intra vel ultra quod nihil eſt. Et ex eo ipſo quòd moveri quicquam concipitur, ſtatim intelligitur nulla pars eſſe poſſe hujus infiniti Extenſi de quo hîc agimus. * Quocirca neceſſe eſt ut ſit *Immobile*. Quod eximium *Primi Entis* Attributum apud *Ariſtotelem* celebratur.

10\.
Quomodo Æternum, Completum, Independens, & A ſe exſiſtens.

10. *Æternum* verò rectè dicitur, quoniam concipere nullo pacto poſſumus quin hoc Unum, Immobile & Simplex ſemper fuerit ſempérque ſit futurum, Mobile verò non item, nec quod partes Phyſicas habet, partibúſve ſit conſtipatum vel condenſatum. Unde *Æternitas* ſaltem *neceſſaria* etiam perfectam rei *Simplicitatem* involvit.

Completum autem appellatur, quòd cum nullo alio Ente in Unum Ens per naturam coaleſcit; alioqui cum eo ſimul moveretur, quod interno loco non competit.

Eſt verò non ſolum Æternum, ſed *Independens*, non tantùm ab Imaginatione noſtra, quemadmodum demonſtravimus, ſed ab alia re qualibet, nec cum alio quovis connectitur aut ab eo ſuſtentatur, ſed recipit & ſuſtentat omnia tanquam eorum *Sedes* & *Locus*. * Quò videtur alludere nomen אדוני perinde ac prædictum מקום.

Neceſſe autem eſt concipere tanquam *Exſiſtens à ſe*, cùm ſit omnino independens ab alio. Quòd autem ab alio non dependet hoc manifeſtiſſimo eſt indicio, nempe, quòd tametſi res reliquas omnes tanquam è rerum natura exterminabiles concipere poſſumus, hoc tamen Extenſum infinitum immobile nè cogitatione quidem vel fingi poteſt exterminabile. Ecquid majus in ſupremum Numen cadere poteſt quod ad neceſſitatem attinet illius Exſiſtentiæ?

11\.
Mirabilis illa vis quam Ariſtoteles *Loco interno tribuit, & quomodo ſit Ens per ſe ſubſiſtens, incorruptibile & neceſſarium.*

11. Atque hæc eſt illa ipſa vis mirabilis, θαυμαστὴ δύναμις, quam *Ariſtoteles* etiam, quanquam non dogmaticè, notavit in Loco hoc interno in quo omnia ſunt, quámque omnibus priorem prædicat. Οὐ γὰρ ἄνευ τῶν ἄλλων οὐδέν ἐστιν, ἐκεῖνο δ' ἄνευ τῶν ἄλλων, ἀνάγκη πρῶτον εἶναι. οὐ γὰρ ἀπόλλυται τόπος τῶν ἐν αὐτῷ φθειρομένων, i. e. *Quod enim ità ſe habet ut ſine ipſo cætera nequeant eſſe, ipſum autem ſine cæteris ſit, id primum omnium eſſe neceſſe eſt. Locus enim non perit, etſi ea quæ in ipſo ſunt corrumpantur.* Quæ quidem valde affinia ſunt eorum quæ diximus de illius Independentia.

Quod autem Ens primum eſt, & omnia alia recipit, proculdubio *per ſe ſubſiſtit*, cùm nihil illo ſit prius quod ipſum ſuſtentet.

Et cùm alia in ipſo corrumpantur, eſt tamen ipſum *Incorruptibile*, ac proinde *Neceſſarium.*

12\.
Quomodo Immenſum, Incircumſcriptum, Incomprehenſibile, Increatum, Omnipræſens, Incorporeum, Omnia permeans, Ens per eſſentiam, Ens actu, Purus Actus.

12. Quòd autem *Immenſum* & *Incircumſcriptum* ſit ex eo patet, quòd ubicunque in eo fines fingere velimus, non poſſumus tamen non concipere ulteriorem Extenſionem quæ fines illos excedit; & ſic in infinitum.

Et ex eo ipſo deprehenditur eſſe *Incomprehenſibile*. Quomodo enim finita Mens illud comprehendere poteſt quod nullis finibus comprehenditur?

Increatum autem eſt, ut quod omnium primum eſt, ut quod à ſe eſt, & à quovis alio independens.

Omnipræſens verò, propterea quòd immenſum eſt ſive infinitum.

Incorporeum autem, quia Materiam penetrat, cùm ſit tamen Subſtantia, hoc eſt, Ens per ſe ſubſiſtens.

Omnia deinde *permeans*, quòd ſit immenſum quoddam Incorporeum, & *omnia ſingularia complectens* ob ſuam Immenſitatem. Hinc τὸ συνέχον πάντα & τὸ περιέχον πάντα à Sapientibus appellatur.

Ens etiam *per eſſentiam* haud immeritò dicitur quatenus diſtinguitur ab Ente per Participationem, quoniam Ens à ſe & Independens à nullo alio eſſentiam ſuam mutuatur.

Ens porrò *actu* aptè nuncupatur, quòd non poteſt non concipi extra ſuas Cauſas exſiſtere.

Et *purus* denique *Actus*, quòd à ſeipſo neceſſariò exſiſtit, nec ab alia ulla re afficitur, quò perfici poſſit, aut quovis modo lædi. Eſt enim immenſus hic *Locus internus* planè impaſſibililis à re qualibet externa.

13\.
Quòd rem tam Divinis decoratam nominibus Imaginarium ſolummodo quiddam eſſe fas non eſt ſuſpicari.

13. Quàm aptè quadrent hæc omnia *Attributa* (quæ & *Divina* ſunt & ſic habentur à *Metaphyſicis*) *Loco* qui vulgò vocatur *interno*, ſatìs jam vidimus. Unde profectò ſagaci cuilibet ingenio religionem fore in poſterum ſpero, Rem tam Divinis decoratam nominibus * tanquam Imaginarium neſcio quid apud ſe in animo ſuo concipere, utpote quâ nulla quidem dari poteſt veſanior aut inſulſior imaginatio. Sed & duobus antecedentibus (Sect. 5, 6, 7.) Argumentis manifeſtò demonſtravimus Extenſum illud infinitum, quod vulgò merum Spatium eſſe fingitur, revera Subſtantiam quandam eſſe, eámque incorpoream, ſive Spiritum.

14.
Concluſionis hactenus agitatæ & confirmatæ duo prima Conſectaria, viz. Spiritus ext n- di, & Quædam Extenſa non poſſe diſcerpi.

14. Quæ ſententia cùm tam firmiter ſit ſtabilita, hæc tria tandem inſignia Conſectaria tanquam genuinos illius fructus illinc decerpemus. Primum eſt, ***Quòd omnis Spiritus eſt Extenſus.*** Per Extenſionem enim hîc intelligo non Magnitudinem aliquam quæ revera eſt diviſibilis, qualis Materiæ competit, quæque facit ut res quælibet magna, potentiâ ſit etiam multa, ut quæ in plures partes diſcerpi poteſt; ſed Amplitudinem ſolummodo quandam quæ ità una eſt & ſimplex, aut ſaltem eſſe poteſt, ut repugnet in partes diſcerpi.

Secundum, ***Quòd aliquid extendi poteſt nec tamen in partes diſcerpi.*** Ut clarè conſtat in ***interno*** hoc ſive ***intimo loco*** immenſo, quem ut omnes Extenſum agnoſcunt, ità ego Subſtantiam eſſe probavi incorpoream & indiſcerpibilem. Nam ſi partes diſcerpi fingerentur, conciperentur ipſo facto in loco moveri, atque ſic interior eſſet locus in quo moverentur & profundior quàm de quo nos hactenus egimus. * Nos verò ***locum intimum*** intelleximus in omnibus noſtris Demonſtrationibus, quem manifeſtò repugnat in partes diſcerpi.

15.
Tertium & ultimum Conſectarium, Quòd immenſum hoc immobile Extenſum à Materia diſtinctum eſt rudis quædam Repræſentatio Eſſentiæ Divinæ.

15. Tertium & ultimum (quod & mirabiliter conſentit cum doctrina ***Cabbaliſtarum***, * qui apud ***Cornelium Agrippam*** inter alia Dei Attributa etiam ***Locum*** ſimul enumerant) hoc tandem eſt, nempe, ***Quòd immenſus hic Locus internus***, ſive Spatium à Materia realiter diſtinctum quod animo concipimus, ***eſt rudior quædam*** ὑπογραφὴ, (quemadmodum & alibi ariolatus ſum) ***confuſior quædam & generalior Repræſentatio Eſſentiæ ſive Eſſentialis Præſentiæ Divinæ, quatenus à Vita atque Operationibus præciditur.*** Nulla enim horum Attributorum quæ recenſuimus Vitam atque Operationem Divinam ſpectare videntur, ſed nudam illius duntaxat Eſſentiam vel Exſiſtentiam.

Quàm neceſſario verò nexu conjungantur hæc Attributa cum illis quæ Vitam & Operationem ſpectant, non eſt hujus loci diſquirere. Id opportuniùs fiet in ſubſequente Parte, ubi ex inſtituto de Deo agemus ejúſque Attributis. Sat eſto in præſens quòd aliquam Subſtantiam incorpoream in rerum natura tam certò & manifeſtò deteximus primâ hâc quam inivimus argumentandi ratione; demonſtrando ſcilicet quòd ***Infinitum quoddam Extenſum immobile ſit à mobili Materia diſtinctum.***

SCHOLIA

In CAP. VIII. SECT. 3.

VAcuum & locum τὴν ἀναφῆ φύσιν, naturam intangibilem, *i. e.* incorpoream appellante. ***Hiſce omnibus adde ſententiam*** Procli ***præclari illius Platonici, qui (quemadmodum memorat*** Petrus Petitus ***in ſua confutatione*** Syſtematis Animæ) Spacium, novum quoddam corporis genus eſſe autumavit ſine materia extenſum. ***Quod idem ferè reverà eſt quod*** Pythagoreorum ***ſpiritus quo de ſuprà mentionem feci. Nam*** materiâ ***ipſum*** exuere ***idem eſt atque*** Spiritum ***conſtituere. Et certè digna res eſt in quam curioſi inquirant, an ii ex Patribus qui Deum corpus finiverunt, non tale corpus intellexerint quale*** Proclus ***ſpacium fingit***, corpus ***nempe*** omni materiâ deſtitutum, ***i. e.*** ſpiritum ***aliquo modo*** extenſum. ***Quòd verò reale quid ſpacium ſit, ſi ſit à materia diſtinctum (quod nos ſatis luculentè demonſtravimus) hic ipſe vir doctus*** P. Petitus, realem ***ipſi attribuendo*** quantitatem, ***planè concedit, immò verò vehementiſſimè affirmat.*** Nam ſpacium ut ſit actu, ***inquit ille.*** ſine formali quantitate, nullâ potentiâ fieri poteſt, cùm ſit contradictio. Quippe Spacium, Intercapedo, Quantitas, vocabula ſunt eandem rem ſignificantia, ſicut Amictus, Indumentum, Veſtis, ut omnibus non corruptæ Imaginationis hominibus notum eſt. Soli ii Spacium à Quantitate diſtrahunt, quos ***Averroes*** diminutos in natura appellat, ***hoc eſt***, virtute naturali Intellectûs orbatos, ***ut ipſemet exponit***, qui iccircò nec rebus per ſe manifeſtis accedunt. ***Vides quanta cum confidentia, ſuppoſito quòd Spacium diſtinguatur à Materia, (quod nos fuſiſſimè & luculentiſſimè demonſtravimus) vir hic acutus illius*** Realitatem ***concluſerit.***

Sect. 9. Quocirca neceſſe eſt ut ſit immobile. ***Suſpicor igitur hoc ipſum, Infinitum illud eſſe*** Anaxagoræ, ***quod*** Ariſtoteles ***ſic deſcribit***, Phyſ. lib. 3. cap. 5. Ἀναξαγόρας δ' ἀτόπως λέγει περὶ τῆς τοῦ ἀπείρου μονῆς· στηρίζειν γὰρ αὐτὸ αὑτό φησι τὸ ἄπειρον. ***Addamus inſuper quæ*** Ariſtoteles ***adjicit de ſuo.*** Τὸ γὰρ ἐν αὑτῷ στηριζόμενον καὶ ἐν αὑτῷ ὄν, ἀκίνητον εἶναι ἀνάγκη. ***Vellicat hanc ſententiam*** Anaxagoræ Ariſtoteles, ***ſed fruſtrà.***

Nam & in hac ipſa ſectione Infinitum Extenſum *à materia diſtinctum probavimus à ſe vel ſuâ naturâ ſtabile eſſe & immobile & in ſeipſo, cùm ſit locus intimus. De Mundo Intellectuali* Simplicius *hoc* Anaxagoræ *Infinitum intelligit. Quod viam aperit quò faciliùs intelligamus de* Amplitudine Divina. *Videtur verò* Ariſtoteles *mentem Philoſophi minimè aſſecutus.*

Sect. 10. Quò videtur alludere nomen אדוני perinde ac prædictum מקום. *Cum hac* Cabbaliſtarum *ſententia mirificè congruunt quæ habentur apud* Arnobium, *qui ad illud Apoſtoli alludens* [*in ipſo vivimus, movemur & ſumus*] *Deum* Locum *rerum ac* Spacium, *item* Fundamentum *cunctorum quæcunque ſunt apertè deſcribit. Quibus ſuccinit Divina illa* Moſis *Oda*, Pſalm. 90. *perantiquum ſanè* Moſaicæ *ſeu* Cabbaliſticæ *Philoſophiæ monumentum.* Domine Habitaculum nobis fuiſti à generatione in generationem. Ante natos Montes, ante formatam Terram à ſeculo in ſeculum Tu Deus, *putà, ſic fuiſti.* Munſterus *non incelebris certè Interpres Moſen hìc reſpexiſſe autumat ad* Tabernaculum *Fœderis. Verùm illud Tabernaculum* Dei *fuit non* noſtrum. *Multo igitur aptiùs intelligitur de* Deo *tanquam* Tabernaculo noſtro, *communique omnium loco, ſenſu illo* Arnobiano & Cabbaliſtico : *præſertim cùm ſint non obſcura veteris Cabbalæ, in reliquo Pſalmo veſtigia. Qui partim* Philoſophicus *eſt, partim* Propheticus, & *partim* ſupplicatorius. *Pars* Philoſophica *hanc ipſam* τοῦ מקום *duobus primis commatis notionem continet. Lapſum verò Animarum in terreſtrem hanc miſeriam vitámque evanidam & marceſcentem hujúſq; miſeriæ cauſam à commate tertio ad duodecimum. Status* Silentii *videtur innui commate tertio quartóque. Quæ verò quinto commate occurrunt ſubindicare videntur Inſeminationem Animarum.* Spargis eos, *quaſi hæc* Platonica *illa eſſet* ψυχῶν σπορά. Plotinus *vocat* τὴν εἰς γένεσιν σποράν. *Et* זרמה *ſanè vas vel inſtrumentum ſeminarium ſignificat* Ezechiel. 25. 20. *Quod autem proximè ſequitur valdè* Platonicum *perinde ac* Moſaicum eſt, שנה יהיו, ſomnus ſunt, *vel* ſomnium ſunt. *In ſoporem enim cecidit* Adam, & Platonici *dicunt Animam humanam in hoc corpore dormire.* Ὅσον γὰρ ἐν σώματι ψυχῆς τοῦτο εὕδει. Plotin. Ennead. 3. *Sed nolo hìc ulteriùs excurrere. Vide* Caſtellionem *in locum*, & Cabbalam *meam* Philoſophicam.

Sect. 13. Tanquam imaginarium neſcio quid apud ſe in animo ſuo concipere, &c. *Equidem ſatìs demirari non poſſum eorum hominum tarditatem obſtinatámve conſtantiam, qui tam luculentis argumentis quàm quæ hoc in capite allata ſunt, à vulgari illa opinione nequeunt dimoveri. Neque enim quicquam quod magni ullius momenti ſit, afferunt. Primò enim, quod aiunt, Attributa illa Divina cùm privativa ſint* (*ejuſmodi enim eſſe volunt*, Infinitum, Æternum, (*ut quod duratione infinitum eſt,*) Increatum, Immutabile, Immobile, &c.) *in Non-Ens cadere poſſe; ad hoc reſpondeo, Primùm, ea ipſa Attributa quæ videntur* privativa, *ut* Infinitum *duratione*, & Immenſum, *putà, amplitudine, tantum abeſt ut ſint Attributa* privativa, *ut ſint omnium maximè* poſitiva, *cùm ſint Negationes Negationis ſive defectûs in* duratione & amplitudine, *ſummámque perfectionem & indeficientem Realitatem in utriſque denotent. Eſtque par ratio in aliis id genus Attributis. Cujuſmodi ſunt* Independens, Immobile, Incorruptibile, Increatum, Incircumſcriptum, Incomprehenſibile & Incorporeum; *Sunt enim omnia Negationes ſive Privationes Imperfectionis ac defectûs, ac proinde perfectionem & realitatem ſignificant, & propterea Non-Enti nequeunt competere. Deinde ſunt alia Attributa præter hæc quæ poſitivè omninò ſonant, ut,* A ſe exiſtens, Per ſe ſubſiſtens, Neceſſarium, Omnipræſens, Ens per Eſſentiam, Ens Actu, Purus Actus.

Heìc verò nè res huc aſſurgat ſtrenuè negant, Spacium quod dicitur imaginarium Ens omninò eſſe, nè cogantur fateri omnium Entium eſſe perfectiſſimum, & privativa illa, quæ illi autumant, Attributa ſenſu maximè poſitivo ipſi competere : ut certè neceſſe erat ut tunc poſitivè prorſus ſignificent.

Contendunt igitur Spacium hoc meram eſſe vacuitatem & capacitatem *recipiendi res alias, cùm ipſum interim nihil ſit. Quod tamen porrò, præter ea quæ Sect.* 5, 6, 7. *attuli, aliis Indiciis impoſſibile eſſe demonſtrabo. Fingamus igitur Cameram, putà, meam, omni corpore vacuam. Spacium igitur eâ contentum, eſt* mera vacuitas, *hæc ipſiſſima illius natura eſt. Impleatur jam Camera Aere. Spacium hoc minimè aboletur adventu Aeris, ſed illius natura manet integra ut antea, nec permixta cum immiſſo Aere. Igitur & aere oppletur Camera mea & tamen* mera *ipſi ineſt* vacuitas, *quæ eſt apertiſſima contradictio. Hoc igitur argumentum eſt evidentiſſimum, Spacium non eſſe privationem, quoniam non deſtruitur Habitu introducto.* Capacitas *autem illa nihil aliud eſt quàm* Poſſibilitas *ut impleatur. Faceſſere igitur oportet* meram vacuitatem *poſtquam facta ſit Impletio, nec* actualem *Impletionem à* poſſibili *diſtingui. Et tamen vacuitas, id eſt, ſpacium in ſua diſtincta natura & impermixtim cum aere implente palpabiliter remanet, cùm alter mobilis ſit alterum immobile. Nec hîc rurſus urgebo capacitatem illam fundari in extenſione, nullámque eſſe poſſe extenſionem ſine ſubjecto reali.*

Sed breviter potiùs ſic arguam. Quod præſentiam habet à nullo Intellectu ſeu Imaginatione, à nullo ſubjecto cauſâve dependentem quo perſiſtat aut pereat, illud realem habet ſubſiſtentiam : Sed hujuſmodi eſt Spacium quod vulgò dicitur Imaginarium, ſive immobile illud Extenſum, Locúſve intimus. Ergo &c. *Certè utraque tam Propoſitio quàm Aſſumptio tam claræ ſunt ac manifeſtæ ut nemo qui rectè rem perpenderit, eas poſſit negare. Nam quantùm ad Propoſitionem; Illud quod præſentiam habet, quam non poſſumus quin percipiamus, & ſic quidem ut clarè cognoſcamus à nullius imaginatione pendere, non poteſt eſſe merum phantaſma Animi ſed Objectum externum. Omne autem Objectum externum eſt aut ſubſtantia aut modus ſubſtantiæ poſitivus, aut privativus, aut omninò nihil. Jam verò quod ſupponitur à nullo ſubjecto cauſâve dependere, non poteſt eſſe modus ullus Subſtantiæ ſive poſitivus ſive privativus; dependeret enim à ſubjecto & à cauſis, quo perſiſtat pereátve. Reliquum igitur eſt ut ſit aut ſubſtantia aut omninò nihil. Præterquam verò quòd durum ſit præſentiam ullam aliam illi quod omninò nihil eſt tribuere, quàm quæ ab Imaginatione noſtra dependeat, quod eſt contra primam Propoſitionis partem; id præterea notandum eſt, quòd ſi* omninò *ſit* nihil, *præſentia ejus introducendo* aliquid *poſſit fugari.* (*Nam* aliquid *&* nihil omninò *non poſſunt eſſe in eodem Vbi.*) *Quod eſt contra alteram Propoſitionis partem, præſentiam nempe habere independentem à ſubjecto ullo cauſâve, quo aut perſiſtat aut pereat. Equidem fateor Tenebras ſive Non-Lucem, Non-Aquam, Non-Ignem & quidvis aliud determinatum Negativum fingi poſſe Cameram meam poſſidere, & tamen aliquid interim in ea eſſe; ſed ſi* nihil omninò *ſit per Vniverſam Cameram, impoſſibile eſt eodem tempore* Aliquid *vel fingi quidem ibi adeſſe. Non poteſt igitur quod ſuprà deſcriptam habet præſentiam à nullo intellectu, imaginatione, ſubjectóve dependentem,* omninò *eſſe* Nihil. *Ac proinde ſubſtantia eſt, cùm non ſit ſubſtantiæ modus.*

Quod verò ad Aſſumptionem attinet, appello cujuſvis internum ſenſum ac judicium, ſi Spacium quod vulgò dicitur Imaginarium, ſive Extenſum immobile Locúſve intimus præſentiam non habet à nulla Imaginatione, à nullo ſubjecto cauſâve dependentem quo perſiſtat aut pereat, vel potiùs ad caput ſextum & ſeptimum remitto, ubi clarè ſolidéq; hanc veritatem demonſtravimus.

Quod autem altero in loco objicitur, Si Spacium hoc Locúſve intimus Ens reale ſit, impoſſibile eſſe quin ſit Deus, nec tamen ut Deus ſit, eſſe poſſibile, propterea quòd materialem ſic quandam extenſionem haberet & partes extra partes. Equidem hanc cauſam eſſe ſuſpicor cur plerique Spacium internum ſive Locum intimum, imaginarium quid potiùs putaverint quàm Ens Reale. Sed Reſpondeo, ut taceam quòd juxta ipſam hanc Ideam Ens ſit ſimplex, unúmque per ſe & non per aliud, unde carere partibus ſatìs poteſt conſtare, addo inſuper Objectum hoc Intellectûs, Imaginationis ſuæ ſordibus illos contaminâſſe, eámque extenſionem materialem *finxiſſe, quæ nihil aliud erat, niſi* dilutior *quædam ac* magìs generica *non-interruptæ Divinæ præſentiæ Repræſentatio. Vt quando quis Objectum aliquod viſibile è longinquo in Crepuſculo conſpicit, corpus aliquod opacum eſſe planè deprehendit, cujus verò ſit ſpeciei neſcit, Animal an Arbor, Equus obverſâ facie caudâve an Homo, ſed maximè genericam tantùm naturam percipit : Ità ſanè hîc ſe res habet. Objectum mentis noſtræ, quod ſpaciùm dicimus internum, eſt tantùm tenuis quædam ac diluta umbra genericam non-interruptæ Divinæ præſentiæ naturam ſub obſcura luce noſtri intellectûs repræſentans, donec magìs evigilatè attenderit, propiúſque ſe admoverit rei contemplandæ. Primus autem hic Intuitus nudam ſimplicémve tantùm Rei alicujus non-interruptam præſentiam agnoſcit, eam & à* materiali *præſentia &* ſpirituali *præſcindens, hoc eſt, neutram firmiter concludens : Adeò ut nihil quicquam hîc nè contra* Holenmerianorum *quidem ſententiam præjudicetur. Tam parum difficultatis habet hæc altera Objectio.*

Tertiò denique, quod ad illam attinet Objectionem, ab umbra petitam, quâ duas noſtras Objectiones Sect. 4. *&* 6. *nitantur obſcurare, quaſi pari evidentiâ Vmbra quidem Ens reale per iſtas demonſtrationes probari poſſit quippe quæ Extenſionem habet perinde atque Spacium ipſum : Nihil profectò huic rei ineſt difficultatis. Nam ſi per umbram intelligas lucem ſive lumen minutum ſeu debile, cùm lumen tamen ſit, manifeſtum eſt Ens eſſe reale, ac proinde nihil eſſe abſurdi ſi extenſio in ea agnoſcatur. Verùm ſi per umbram aut abſentiam tot graduum lucis, aut meras tenebras*

tenebras intellexeris, manifeſtum eſt Extenſionem ipſis minimè competere. Eſt enim utrobique tantummodò realis cujuſpiam affectionis negatio in ſubjecto reali *extenſo, nempe hoc vel illud pavimenti ſpacium non ſatis illuminari, vel nullam omninò lucem habere. Quod haud abſimiliter dictum eſt quàm ſiquis diceret tres quatuórve uncias virgæ argenteæ nondum deauratas eſſe aut ferreæ nondum candefactas. Ecquis verò unquam aliter ſomniavit, quàm quòd extenſio illa trium quatuórve unciarum ipſi virgæ argenteæ ferreæve inſit, non autem iſtis negationibus deaurationis & candefactionis, quæ nihil aliud ſignificant quàm per tres integras uncias virgarum illarum nihil iſtarum mutationum ipſis contigiſſe?*

Quod autem quidam motum Vmbræ hominis in ſole currentis tribuunt, mera eſt Imaginationis Hallucinatio. Non eſt enim ejuſdem Vmbræ curſus ſed ſucceſſiva Terræ obſcuratio novis perpetuò projectis umbris. Sed una eadémque Vmbra (vel Tenebræ potiùs) in ſphæræ æneæ cavitate incluſa currit provolvitúrve provolutâ ſphærâ, ejuſdem diametri cum globo aeris incluſo, unde figura & motus umbræ tenebriſve competant, Phyſicæ *nempe affectiones* Enti non reali, *contrà ac in ſecunda demonſtratione ſupponitur. Hìc verò ad ſuperius Reſponſum facilè recurritur; Tenebras nempe nihil aliud eſſe quàm abſentiam ſeu* Negationem *Lucis, ac ſenſum proinde verum & Phyſicum hunc eſſe, Orbem ſcilicet aereum ſphærâ æneâ incluſum, motúmque ſeu provolutum non illuminari ſeu omni luce deſtitui. Eſt igitur negatio tantùm affectionis realis in ſubjecto reali extenſo, quemadmodum ſuprà monuimus, Extenſio verò reali ſubjecto ineſt non autem Negationi. Adeò nihili omnia ſunt quæ afferri poſſunt contra evidentes noſtras demonſtrationes Realitatis Spacii, quod dicitur, imaginarii. Quam ego igitur* obſcuram ac dilutam realis Divinæ Præſentiæ imaginem *eſſe ſuſpicor, &* naturalem *(qualis in homines improbos malóſque Dæmonas cadere poteſt) Illius quaſi in tenebris* viſionem. *Et manifeſtum eſt attentiùs rem perpendenti, ſuppoſito Deum eſſe in quo omnia moveantur, neceſſe eſſe ut menti noſtræ, niſi prorſus cæcutiat, obverſetur hujuſmodi Idea immobilis æternique* Extenſi *quod omnia complectatur.* (Simplicem *intelligo* Extenſionem *quamvìs æternam & immobilem, quemadmodum & ipſi* Ariſtotelici, *qui plus materiæ corporibus* denſis *ineſſe autumant quàm* raris, *eandem tamen* Mathematicam *extenſionem in* denſis *pariter ac* raris *concipiunt, in Cubis putà ejuſdem diametri, quamvìs centies plus materiæ in denſo Cubo fortè ineſſe imaginentur quàm in raro. Et in* Eſſentiali ſpiſſitudine *rerum incorporearum, etiam* ſimplex *ac* Mathematica *Extenſio concipitur, tanquam virtualiter in ea concluſa. Immò verò ſi* ὁλενμέρεια *in ſpiritibus agnoſceretur, hæc tamen* Mathematica *etiam extenſio in ea contineretur, ipſáque hæc* ὁλενμέρεια *neceſſariò conciperetur* Mathematicâ *quadam ac* ſimplici *dimenſione longâ, latâ ac profundâ (ſed quæ* ὁλενμέρειαν *iſtam nulla ex parte adæquaret exhaurirétve) undequaque extendi, quemadmodum fusè demonſtravimus in Spacio, æterno illo & immobili Extenſo contigiſſe.) Acproinde, quod dicturus eram, cùm in ejuſmodi immobile æternúmque Extenſum incidimus, quid rationi magìs conſentaneum eſſe poteſt quàm ut referamus ad Deum? Et certè qui retulerit, multis inextricabilibus liberabitur difficultatibus ac griphis quibus qui non retulerint, illaqueantur.*

Eadémque ratio eſt de tempore quodam, quod quidam fingunt, Antemundano, *quam* Durationem Antemundanam *rectiùs appellaverint; Quam ſucceſſivam etiam concipiunt, ſed & neceſſariam, & quæ non poteſt non eſſe, quale Spacium ſimiliter cenſent: Vtraque, inquam, tum* Extenſum *hoc, tum* Durationem *illam, cùm æterna ac neceſſaria, nec tamen quæ à Deo dependeant aut ad eum pertineant, imaginati ſint, in miros Labyrinthos ſe induerunt & Rationi ac Religioni minùs conſentaneos. Quæ ſanè ſiquis meminerit* adulterinas *quaſdam eſſe* Æternitatis Immenſitatíſque *Divinæ Repræſentationes,* νόθῳ, *quod aiunt,* λόγῳ *exhibitas, hos laqueos facilè effugiet. Hujuſmodi verò ſpurias rationes notionéſve eſſe ex eo patet, quòd res toto genere differentes in utriſque miſcentur.* Immenſitas *ſcilicet ſive Amplitudo infinita cum* Diviſibilitate, & Neceſſitas Durationis *cum* Succeſſione. *Si auferamus igitur* Antemundanæ *Durationi increatæ & neceſſariæ* Succeſſionem, & Diviſibilitatem *immobili* Immenſitati, *quas quidem ſordes ipſis affinxit incauta noſtra Imaginatio; ſtatim deprehendemus tantum abeſſe ut ſint externa quædam, (ſed neceſſaria) Divinæ Exiſtentiæ Concomitantia, ut neceſſe ſit alteram quidem reverà eſſe obſcuriorem quandam Divinæ Præſentiæ exhibitionem, alteram verò Illius durationis: minimèque mirum videri oportere rerum duarum Ideas tam neceſſariò exiſtentium eſſentialique nexu conjunctarum mentibus noſtris perinde neceſſariò ſimul obverſari, nec ullis rationibus excuti poſſe aut aboleri.*

Ex quibus omnibus ſatìs tandem liquet, Autorem Diſſertationis de Mole ac Fimbria Mundi, *virum ſanè aliàs acutum & lepidum, mentem meam ſcopúmque circa demonſtrationes Immobilis cujuſdam Extenſi à mobili Materia diſtincti, perperam intellexiſſe, quaſi eò collineaverim, ut evincerem Spiritum quendam à Deo diſtinctum (quanquam ipſi nulla in re diſſimilem niſi quòd vitâ careret & operatione) omnia pervadere. Cùm è contrà ego demonſtrationes eas intenderem tanquam firma quædam magis articulatæ Probationis Exiſtentiæ Divinæ rudimenta: quam in ſecundam partem Enchiridii differendam cenſebam, dilutiori delineatione in hac prima parte contentus. Et ipſe certè ſi ſatìs attendiſſet, prævidere facilè potuiſſet, impoſſibile fore, cùm ego hoc immobile Extenſum Reale quid faciam, tótque è Divinis Attributis exornem, quin concluſurus eſſem ipſum eſſe Deum, modo quodam rudiori & generaliori repræſentatum; nec aliter fieri poſſe, cùm nec ullus Deus eſſe poſſet, ullúmve Ens abſolutè perfectum, ſi quid præter ipſum à ſe exiſteret æternum & neceſſarium, infinitum etiam & immenſum, quale hoc Extenſum immobile hoc ipſo in loco deſcribo. Me verò omne Ens quatenus Ens aliquo modo extenſum cenſere lubens agnoſco, Deo ipſo non excepto, ſed non omnia meris Mathematicis ſimplicibúſve dimenſionibus extendi, ſed iſtiuſmodi tamen dimenſiones in ſpiritualioribus iſtis extenſionibus aliquâ ratione includi. Quod & hic Author nolens volens cogitur fateri, dum* realem Dei ubiquitatem *agnoſcit, nec* inextenſum *eſſe ut Atomum,* h. e. *propter amplitudinis defectum, ſed* Indiviſibilitatem *tantùm iſtoc ſymbolo ſignificari. Quod & ipſe lubentiſſimè concedo, nulláſque partes Spiritibus, nedum Deo ipſi omnium Spirituum puriſſimo ac ſimpliciſſimo, propriè dictas ineſſe iterum atque iterum inculco. Quæ ſi ingenioſus hic Scriptor ſatìs attentè conſideraverit, ſpero fore ut non cunctanter in noſtram ſententiam totus ſit conceſſurus.*

Sect. 14. Nos verò Locum intimum intelleximus, *&c. Cui igitur competit illud* Porphyrianum *de Deo,* ὁ θεὸς πανταχοῦ ὅτι οὐδαμοῦ. *Quod ſuprà pleniùs notavimus.*

Sect. 15. Qui apud *Cornelium Agrippam* inter alia Dei Attributa, *&c. viz.* De Occult. Philoſoph. lib. 3. cap. 11. *Eſt & nomen Jah* יה *& nomen Elion* עליון *& nomen Macom* מקום *&c. Occurrit etiam in MS. Cabbaliſtico, quod appellatur Emek Hammelech,* i. e. *Vallis Regia. S. J. B. vocari* מקום *& de ipſo dici,* benedictus ſit Locus, *Cap. 1. Sect.* 35. *Et alibi in eodem MS. Kuph eſſe S. J. B. quia* קוף *per* Gematriam *idem valet ac* מקום.

CAP. IX.

Secunda Rerum incorporearum demonſtrandi ratio, quâ ex exſiſtentia Materiæ ejúſque Partium coalitione ac motu immaterialis alicujus Subſtantiæ exſiſtentia concluditur.

1. Altera Rerum incorporearum demonſtrandi ratio ab *exſiſtentia Materiæ* petenda eſt penitiorique *naturæ* illius *intelligentia. Naturam* verò intelligo ipſius *Materiæ primæ*, quæ non uſque adeò indeterminata res eſt, quemadmodum eam fingit *Ariſtoteles*, ſed intellectus Philoſophi ea in re indeterminatus potiùs videtur & confuſus. Materiæ verò primæ natura ſatis diſtinctè ſic deſcribi poteſt, nimirum, * *Phyſicarum Monadum congeries homogenea quæ ſe invicem penetrare non poſſunt, nec ſuâpte naturâ cohærere, quæque, quantumvis contiguæ ſint, ſunt tamen actu ſolutæ, & quanquam moveri queunt, quieſcentes ſunt nihilominus vel immotæ.* Hæc eſt diſtinctiſſima & veriſſima Deſcriptio *Materiæ primæ* antequam in conditionem *Materiæ*, quæ dicitur, *ſecundæ* tranſeat. 1. *Materiæ primæ plena & accurata Definitio.*

2. *Prima* verò hæc Materia dicitur quam deſcripſi, tum quòd naturâ prior eſt omni Materiâ corporeâ propriè dictâ, hoc eſt, omni Corpore, tum etiam quòd & tempore poteſt eſſe prior; contrà ac fit in figmento illo *Ariſtotelico*, quod potiùs Genus generaliſſimum omnium rerum corporearum videtur (ac proinde illis *naturâ* ſolummodo prius) quàm vera ac realis Materia, quæ eas etiam *tempore* antecedere poteſt, quemadmodum hæc noſtra facere poſſe intelligitur. Hinc eſt quòd Materia *Ariſtotelica* dicitur nunquam inveniri nuda, non magis utique quàm Genus nudum reperitur, hoc eſt, omnibus ſuis Speciebus ſpoliatum. 2. *Cur hæc Materia* prima *dicatur, ejúſque cum Materia* Ariſtotelica *&* Carteſiana *comparatio.*

Et nihilo quidem melior eſt Definitio Materiæ quam *Carteſius* inſtituit, quæ conſimili morbo laborat, ſi non majori. Nam quamvìs præ ſe ferat tanquam ſi velit immenſam illam ac ſingularem Materiam ex qua prima Univerſum hoc revera erat compoſitum deſcribere; talem tamen illius commentus eſt Ideam támque generalem, ut non ſolùm omnibus rebus corporeis, ſed & incorporeis etiam conveniat. Verùm hæc tantùm obiter notanda ſunt. Ad propoſitum redeo.

3. *Explicatio prædictæ Definitionis per partes : Primóque quid intelligatur per* Monadas Phyſicas.

3. Per *Phyſicas Monadas* intelligo particulas adeò minutas ut ulteriùs dividi non poſſint vel in partes diſcerpi. Corpus autem omne ex his componitur, & in eaſdem ſaltem Divinâ virtute diſſolvi poteſt. Repugnat enim omnino ut Corpus non poſſit actu dividi quouſque in eo actualis Diviſio fieri poteſt. Cùm verò eò eſt perventum, Partes omnes rectè dicuntur *Monades Phyſicæ*, utpote in quibus ſiſtitur *Phyſica Diviſio*, nec ipſæ poſſunt in ulteriores partes diſcerpi, quod eſt *phyſicè* dividi. Nam Extenſionem aliquam etiamnum retinent, ſed nullam magnitudinem *Phyſicam* & propriè dictam, ut quæ in partes actu poteſt dividi.

Cùm verò ſint tam infinitæ exilitatis, utrùm omni figurâ careant, ut Magnitudo infinita, an verò rotundæ ſint, cùm nullæ in illis vel fingi poſſint reales Extuberantiæ vel Angularitates, figuráque rotunda ſit omnium ejuſdem capacitatis contractiſſima, equidem hoc aliis qui & otio abundant & ingenii ſubtilitate diſcutiendum relinquo.

4. *Quid per* harum Monadum congeriem homogeneam : *Cùrque Impenetrabilitas, Incohærentia, contigua Solutio Motûſq; privatio ipſis tribuatur.*

4. * Materiam autem dico *harum Monadum congeriem homogeneam*, propterea quòd nulla ſit inter ipſas ſpecifica differentia, ſed ejuſdem prorſus omnes inter ſe ſunt naturæ quoad intimam Eſſentiam. *Penetrare* autem *ſe invicem non poſſe*, utpote quæ ſunt vera ac realia Principia ex quibus Corpora, quæ impenetrabilia ſunt, componuntur. Nec *ſuâpte naturâ cohærere*, hoc eſt, non concreſcere propriis viribus in aliquod corpus per quandam σύμφυσιν, quæ alii alicui Principio accepta referenda eſt, non Principiis hiſce corporeis. Quanquam autem *contiguæ* ſupponuntur, (abſque quo nè congeries quidem ipſarum ulla eſſet) tamen *actu ſolutæ* intelliguntur, tum quòd ſic ſunt ſuâ naturâ & ſine aliquo vinculo tertio; tum etiam ut diſtinguatur hæc congeries à Materia ſecunda ſive Corpore, ubi per σύμφυσιν quandam cohærent, & in quædam corpuſcula, vel etiam viſibilia corpora, coaleſcunt. Poſtremò, quamvis mobiles agnoſcantur, *quieſcentes* tamen vel *immotæ* in hac ſcena introducuntur, quia nihil omnino illis hìc attribuitur (contiguitate earum ſolummodo exceptâ,) quod ipſis in ſe conſideratis non competit. Materia enim hìc, qualis eſt nuda ac per ſe, mentis noſtræ oculis exhibetur, qualiſque actu eſſe poteſt, & fuit fortean aliquantiſper ante Mundum conditum. Atque ſic ſatis *perſpicua*, ut ſpero, facta eſt noſtra hæc *Materiæ primæ* Definitio.

5. *Demonſtratio veritatis Definitionis per partes : Primóque, quòd omnes Monades Phyſicæ ſunt homogeneæ.*

5. * Quin & *veram* eam eſſe (nempe Materiam primam, vel Materiam ſuæ propriæ naturæ omnino relictam integréque permiſſam, talem eſſe qualem deſcripſimus) ſic porrò evincemus.

Primò, Quòd hæ *Monades* ſunt *homogeneæ* ex eo patet, quòd ex communi omnium ferè Philoſophorum ſententia, qui accuratiùs & anquiſitiùs hiſce de rebus cogitaverunt, Materia ex ſe ſibi ubique per omnia ſimilis ſtatuitur, ut quæ nihil aliud eſſe intelligitur quàm Magnitudo quædam impenetrabilis : τὸ τριχῆ διαστατὸν ἀντίτυπον. Cujus perfectiſſima quæ fieri poteſt Diviſio tandem in has Monadas neceſſariò deſinit. Præterea, ipſa experientia nos docet omnes Mundanorum Phænomenôn differentias ex eo ſolo apparere, * quòd Materiæ particulæ varias Figuras habeant, diverſíſque motuum gradibus agitentur, utì ſatis fusè demonſtravimus in Epiſtola ad V. C. Sect. 6. quò brevitatis causâ Lectorem remitto.

6. *Deinde quòd mutuò ſe non penetrant, nec ſuâpte naturâ cohærent.*

6. Deinde, Quòd hæ Monades *ſe invicem non penetrant* ex eo manifeſtum eſt, quòd nullæ partes Materiæ ſe penetrant. Planè enim ridiculum eſſet ſubtimeſcere nè in hoc ſoluto ſtatu hæ Monades ſe mutuò poſſint penetrare, cùm nè tum quidem cùm in corpus aliquod coaluerunt id faciunt, aut facere poſſunt, juxta communem omnium Philoſophorum ſententiam.

Tertiò, Quòd *ſuâpte naturâ non cohærent* ex eo patet, quòd nullum habeant vinculum quo connectantur. Non Figuram, quâ aut omnino carent, aut rotundam habent, quæ ad cohæſionem eſt omnium ineptiſſima. Nec certè Quietem, quâ uniri partes Materiæ fingit *Carteſius*, cùm tamen Motum definiat partium Separationem : unde continuò ſequitur ex lege contrariorum, quòd Quies earum nihil aliud eſt quàm ipſarum Unio, ac proinde ſi per quietem *uniuntur*, quòd uniuntur per *unionem*, ſcilicet ut Paries fit albus per albedinem. Quæ profectò valde profunda eſt philoſophandi ratio. Nec quicquam aliud eſt reliquum in his Monadibus quo eas ſuâpte naturâ (ſine alterius alicujus adminiculo) cohærere poſſe intelligamus, quandoquidem minutiſſima illa Extenſio cum ſua ἀντιτυπίᾳ conjuncta totam ipſarum eſſentiam exhaurit.

Nam quanquam mobiles ſunt, (quod & ultimo loco occurrit) tamen *ex ſe moveri non poſſunt*, nec quicquam agere.

7. Qua

7. *Tertiò denique, quòd ſeipſas non movent, cùm Materia principium ſit purè paſſivum, juxta Ariſtotelem, Platonem, & alios.*

7. Qua de re admodum ſolidè ac generosè mihi videtur philoſophari ***Ariſtoteles*** in Libris de ***Generatione*** & ***Corruptione***, ubi ait, Ἡ δ' ὕλη ᾗ ὕλη παθητικόν, ***Materiam*** utique ***nudam ac per ſe paſſivam eſſe duntaxat.*** Cùm verò impreſſionem aliquam aliunde acceperit, nihil obſtat quin ipſa etiam agat. Nam Materia mota aliam etiam Materiam movere poteſt. Et rurſus in eiſdem Libris, Τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι, τὸ δὲ κινεῖν καὶ τὸ ποιεῖν ἑτέρας δυνάμεως· ubi ***pati & moveri Materiæ eſſe dicit, movere verò & agere, alterius poteſtatis.*** Denique in ***Meteorologicis*** duas cauſas ait verſari ſolere circa Materiam, τό, τε ποιοῦν καὶ τὸ πάθος. τὸ μὲν ποιοῦν ὡς ὅθεν ἡ κίνησις· τὸ δὲ πάθος ὡς εἶδος. Ubi apertè aſſerit neque ***formam*** nec ***motum Materiæ competere niſi quatenus aliunde imprimitur.*** Quæ & doctrinæ ***Platonis*** conſona ſunt aliorúmque omnium qui penitiùs in has res introſpexerunt.

8. *Sed & rationibus demonſtratur; primóque, ſupponendo eas omnes eſſe homogeneas, ſolâque movendi ſe facultate, vel & movendi ſe & ſiſtendi, eſſe præditas.*

8. Sed nè ſolis Autoritatibus niti videamur, has Monadas Phyſicas *à ſe moveri* non poſſe ſic breviter demonſtramus.

Primò enim ſupponamus, prout res eſt, * univerſam harum Monadum congeriem, quantumlibèt ſit infinita, eſſe prorſus homogeneam, ac proinde moveri ***omnes*** à ſeipſis immediatè. Manifeſtum eſt igitur quòd motuum ſuorum cauſæ ſint emanativæ & neceſſariæ; quódque propterea, niſi quid impediat ab extrà, non poſſint non ſemper moveri, ídque æquali celeritate. Unde impoſſibile eſt ut unquam coaleſcerent in hujuſmodi Phænomena, qualia quotidie nobis ante oculos obverſantur, tam diſtincta, tantiſque conſiſtentiarum motûſque gradibus diſcriminata.

Quòd ſi quis objecerit, quòd homogeneæ eſſe poſſunt, nec tamen ſolâ ſe movendi facultate, ſed & ſiſtendi ſe pariter ſingulæ ex immediata ſua natura pollere, videtur ſanè id dictum eſſe contra commune rationis lumen, quæ in Agentibus naturalibus ſimpliciſſimis emanativas operationes contrarias neutiquam admittit. Præterea, ſi haberent hæ Monades emanativas has propenſiones tam ad movendum ſe quàm ad ſiſtendum ſe à motu, cùm ***naturâ*** agant, non ***deliberatione*** vel ***conſilio***, videtur profectò impoſſibile quin utramque facultatem exſerant ſimul. Unde contrariarum facultatum juncta exſertio (ſi æquales fuerint, prout eas ſupponimus) neceſſariò faciet ut nec moveantur, nec firmiter ſe ſiſtant, ſed ſolummodo ſint mobiles: ſin minor ſit in ſingulis ſiſtendi facultas, ut ſemper actu moveantur: (ex quo prius redibit incommodum, cùm ubique æqualiter ſit minor:) ſi denique major, efficiet ut eo ægriùs moveantur, & non ſolùm quieſcant, ſed aliquatenus ſint fixæ; unde iterum aliquo externo motore opus erit.

9. *Deinde, ſupponendo eas eſſe heterogeneas, partémq; movere ſeipſas, partem verò aut mobiles ſolummodo eſſe, aut etiam ſiſtendi ſe vi pollere.*

9. Jam verò ſi ſupponamus (ut omnibus Adverſariorum ſubterfugiis eamus obviàm) omnes haſce Monadas non eſſe homogeneas, ſed unam partem moveri à ſeipſis, alteram verò aut mobiles duntaxat eſſe, aut innatâ facultate ſiſtendi ſe gaudere; certè ex prima Hypotheſi, quòd mobiles ſint, cùm à moventibus Monadibus non poſſint non impelli, nec exuere motum impreſſum niſi exonerando ſe in alias minùs motas, nec iſtæ ſe moventes Monades ullos gradus ſuæ celeritatis amittere, ut quæ innatâ & immutabili vi moventur; ſequeretur hinc planè, quòd multis antè ſeculis tota Mundi Materia ſoluta fuiſſet in tenuiſſimum ætherem ſolaréſve flammas, aut ſaltem brevi illam in eas ſolutum iri, in nullos poſtea Mundos unquam coalituram, quandoquidem tantam vim Motûs jam in Univerſo deprehendimus, ut ſegnes illius partes in Terra & Planetis omnes ſimul corraſæ & conjunctæ vix eam rationem habeant ad Materiam fluidam quam unum milii granulum ad totam Telluris molem. Quod & permagnam ſe moventium Monadum copiam à principio fuiſſe indicium eſt, nec Cometas ullos quales depingit ***Carteſius*** unquam gigni potuiſſe.

Quòd ſi ſupponamus alteram Monadum partem non ſimpliciter quieſcentes, ſed ex immediata ſua natura ſiſtentes ſe &, ſi ità fas ſit loqui, fixantes; id facilè refellitur experientiâ. Nam ſi uſpiam iſtiuſmodi Monades ſint, ſunt certè in auro & plumbo, & iſtiuſmodi craſſis corporibus quæ motui maximè reſiſtunt. Iſta tamen moventur etiam ab Impulſore disjuncta; quemadmodum fit in projectis: nec ſtatim ſe ſiſtunt quanquam ſubitò moventur. Unde manifeſtum eſt hanc alteram Hypotheſin merum eſſe inſomnium, nec Materiam ex ſe ullum motum habere poſſe. Quod erat demonſtrandum.

10. *Materiam non eſſe à ſe, quia non eſt neceſſariò, ac proinde immateriale aliquod eſſe Principium unde exſiſtat.*

10. Ex his igitur ſic explicatis & probatis triplex nobis ſuppetit Argumentum quo demonſtremus exſiſtentiam Subſtantiæ alicujus incorporeæ. Primum petitur ab ipſa ***exſiſtentia Materiæ.*** Nam quod ad illud ***Carteſii*** Sophiſma attinet quo videtur velle inferre ipſius Exſiſtentiæ neceſſitatem, ex eo nimirum quòd non poſſumus non concipere Extenſionem quandam in infinitum undique excurrentem, nec Extenſionem omnino ullam, niſi corpoream, hoc ſatis ſuprà à nobis exagitatum eſt ſatiſque profligatum. Materia igitur non neceſſariò exſiſtit.

Quod verò non exſiſtit neceſſariò non exſiſtit à ſe; propterea quòd quicquid à ſe immediatè exſiſtit exſiſtit neceſſariò, utpote cui nihil intervenire intelligitur aut contingere cujus ope exſiſtat, aut à cujus nutu dependeat ejus Exſiſtentia, ità ut illam impedire poſſit. Unde contingenter quippiam à ſeipſo exſiſtere pura puta repugnantia eſt. Supponit enim aliquid contingere quo exſiſtat, & tamen immediatè à ſeipſo exſiſtere; habere ſufficientem nec arbitrariam ſui ipſius efficientiam in ſeipſo, & tamen potuiſſe non exſiſtere; neceſſariò exſiſtere, & tamen contingenter; neceſſariò denique & non neceſſariò ſimul. Jam verò quod à ſe non exſiſtit, neceſſe eſt, ſi exſiſtit, ut exſiſtat ab alio. Quòd verò Materia exſiſtit apud omnes in confeſſo eſt. Eſt igitur aliud aliquid diſtinctum à Materia à quo Materia exſiſtit. Quod cùm Materia non ſit, neceſſe eſt ut ſit aliquid immateriale ſive incorporeum.

11.
Demonſtratur porrò Materiam non poſſe eſſe à ſe, ſive Ens eſſe per Eſſentiam, propter Eſſentiæ ſuæ vilitatem.

11. Præterea, cùm nihil eſſe nec ſciri poſſit ſine Cauſis, ſi jam juxta uſitatum Rationis communis modum cauſas velimus expendere cur Materia exſiſtat, certè quò penitiùs in ipſam Eſſentiam Materiæ introſpicimus, eò clariùs deprehendemus eam non eſſe ex earum rerum genere quæ ſuam quaſi efficientiam in ſeipſis habere poſſunt, quæque Entia per *Eſſentiam* à *Metaphyſicis* dicuntur, ut quæ *virtute præſtantiæ* ac *nobilitatis eſſentiæ* ſuæ (quæ in ratione ſua formali exſiſtendi neceſſitatem complectitur) exſiſtere concipiuntur. Cujus generis unicum duntaxat in rerum natura eſſe poteſt, ut ſuo loco patebit. Tota verò maſſa Materiæ in ſe ſpectata quàm vilis res eſt! quàm evanida! quámque prorſus inutilis! adeò ut rectiſſimè obſervetur ab *Ariſtotele*, Ὅτι τὸ οὗ ἕνεκα ἥκιστα ἐνταῦθα δῆλον ὅπου πλεῖστον τῆς ὕλης, *quòd Cauſa finalis minimè ibi apparet ubi maxima eſt Materiæ copia.* Tantum abeſt ut Materia ſit aut αὐτοφυὴς aut αὐτοτελὴς, aut *Finis* ſuiipſius aut *Principium.*

Et ſi tota maſſa Materiæ res tam nihili ſit, quid, obſecro, dicendum erit de ſingulari Monade? Eáne putanda eſt ſummo illo maximóque (quod exſiſtentiam attinet) *Entis abſolutè perfecti* gaudere privilegio? Videtur enim majus quiddam à ſe eſſe, quam aliud quid minus ſeipſo creare poſſe: ut omittam, quicquid à ſe eſt ab æterno eſſe, omne verò creatum eſſe temporarium. Quàm ridiculum igitur eſt tam ingens Attributum tam vili reculæ adaptare conari, ut *Herculis* cothurnum infantis pedi! At ſi ſolitaria Monas à ſe exſiſtere non poteſt, nec poſſunt omnes ſimul. Neque enim quaſi manu factâ junctíſque viribus in Exſiſtentiam proruperunt. Cúmque omnes ex ſe ſolutæ ſint, & à ſe invicem independentes, támque immenſa ipſarum copia, hoc ulteriorem addit fidem quòd ſunt ab uno aliquo immateriali Principio in Naturam introductæ ſimul.

Quæ verò hìc de Monadibus diſſeruntur, etiam de *Democriti* Atomis, ſiquæ ſunt, pari jure, ob figurarum diverſitatem, ſi non potiori, dici poſſunt.

Id tantùm obiter notatu dignum puto; Cùm nihil abſurdius aut incredibilius humanæ menti offerri poteſt quàm unius ſolitariæ in immenſo Vacuo Monados vel Atomi à ſe *ab æterno* exſiſtentis Spectaculum, (Quis enim non ſibilis aut cachinnis tam ineptam exciperet Hypotheſin?) quòd tamen infinitum harum Monadum vel Atomorum numerum admittere à ſeipſis exſiſtentium infinitis quidem vicibus abſurdius eſt & incredibilius.

12.
Alterum Argumentum exſiſtentiæ Principii alicujus immaterialis, à Coalitione Phyſicarum Monadum deductum.

12. Alterum Argumentum à *Coalitione harum Monadum* petitur. Cùm enim ex ſe ſolutæ ſint & ſolummodo contiguæ, oportet profectò ut aliud aliquod Principium ſit ab ipſis diſtinctum, quo coaleſcant, ſuámque σύμφυσιν nanciſcantur, quódque adeò ſit, juxta ſignificantiſſimum vocabuli ſenſum, vera ipſarum ἐντελέχεια, (quæ vox ab ἐν, δέειν, ἐλᾷν & ἔχειν à *Julio Scaligero* derivatur) ut Principium, inquam, ſit quod ipſas perpetuò *penetret*, (quod idipſum eſt quod particula ἐν denotat;) quod ipſas ad ſe invicem *devinciat* atque *conſtringat*, (quod δέειν innuit;) quod ſic conſtrictas *moveat*, (ut ſignificatur per ἐλᾷν·) & quod ſic motas etiam intra ſe *retineat & poſſideat*, (quod eſt ἔχειν.) Sed Motus ad ultimum locum ſpectat. Reliqua ἐντελεχείας officia etiam ad σύμφυσιν pertinent, ſed ſpeciatim *Monadum conſtrictio* & *Unio*, quæ, cùm ex ſe ſolutæ ſint univerſæ, immaterialis alicujus Principii vi concreſcere neceſſariò intelliguntur. Quid autem hoc Principium ſit, præterquam quòd ſit Spiritus, quóve nomine inſigniendum, non eſt hujus loci determinare.

13.
Tertium & ultimum, ab earum motu.

13. Tertium & ultimum Argumentum quo detegitur Subſtantia aliqua immaterialis in rerum natura exſiſtere, eſt *Motus*. Qui, cùm ipſe ſubſtantia non ſit, ab aliqua ſubſtantia proficiſci debet. A Materia verò non proficiſci ſuprà ſatis clarè probatum eſt. Relinquitur igitur ut ab alia aliqua ſubſtantia proficiſcatur quæ non eſt materialis, ſed incorporea. Et certè tametſi ex præjudiciis ſenſuum eò aliquando cuipiam propendeat animus ut credat & motum & partium concretionem Materiæ ex ſe poſſe competere; eſt tamen proculdubio Rationi maximè conſonum, (cùm Materia ſit res adeò bruta omniſque conſilii expers,) ut nullas habeat coaleſcentias ex ſe nec motus, ut Divinioris

Principii motibus ac formationibus faciliorem ſe præbeat, poſsítque eſſe ut Codex in quo nondum quicquam ſcriptum eſt. Atque hæc de ſecundâ ratione probandi Res incorporeas, ab *exſiſtentia Materiæ* ejúſque *proprietatibus* deſumptâ, dicta ſunto.

14. *Quòd trium antecedentium Argumentorum primi & ſecundi vis eludi non poteſt, nè ſupponendo quidem virtutem quandam perceptivam Monadibus Phyſicis ineſſe.*

14. Neque equidem dubito quin firmiter ac perſpicuè per tria illa Argumenta demonſtrâſſe quod propoſui viſus fuero illis qui præter Diviſibilitatem & Impenetrabilitatem Motum ſolummodo ac Quietem Materiæ ſuperaddunt.

Et certè quod illos attinet qui vim neſcio quam perceptivam ei inſuper attribuunt, profectò tametſi Voluntatem ac Conſilium ipſi porrò ſuperadjicerent, nec ſic tamen effugient vim primi noſtri Argumenti, ut cuilibet rem accuratiùs perpendenti facilè apparebit. Nec ſecundi ſanè, niſi quis fortè arbitretur ſolo conſilio ac voluntate res ſucceſſuras eſſe, abſque omni externo adminiculo. Adinſtar glabrarum enim ac lævium particularum ſe habent omnes Phyſicæ Monades; & ex his ipſis Monadibus *Democriticæ*, ſiquæ ſunt, Atomi componuntur. Solo igitur conſilio ac voluntate cohærent, ac pro ſolida illa quâ pollent ſapientia in plumbea, ferrea, & ſaxea conciliabula coeunt & obdureſcunt. Sed ô ingenium pluſquam lapideum & ſaxeum quod talia comminiſci poteſt & credere!

Quòd ſi affectu & conſilio cohærere non poſſunt, multò minùs nudâ quadam ac paſſivâ perceptione, quæ nihil agit, nec proinde quicquam conſtringit aut premit. Et ſi adhæſivam quandam vim aut vitam aliquibus Monadibus ineſſe fingeremus, quàm debilem tamen eam eſſe oportet in his primis corporum Elementis, tam infinitè exilibus & exiguis, cùm tamen ſint corpora quorum tam extimæ quàm intimæ partes validiſſimè cohærent.

Sed & ullam hujuſmodi ipſis ineſſe vitam conſtrictivam planè impoſſibile eſt. Oportet enim id quod conſtringit & continet utramque partem conſtringendam pervadere. Sed vita cujuſque Monadis, cùm ſit illius modus, non exit extra ipſam Monadem. Quomodo igitur utriuſque partis vinculum eſſe poteſt quod eas contineat & conſtringat?

15. *Nec deniq; tertii, ſi Motus ſpontaneus excludatur, quam Materiæ non ineſſe manifeſtiſſimis indiciis deprehenditur.*

15. Nec denique tertii Argumenti noſtri vires quicquam enervat hæc perceptivæ alicujus in Monadibus Atomíſve Vitæ ſuppoſitio, modò Motus ſpontaneus ipſis non concedatur. Omnia enim procedent eodem planè modo in Materia perceptiva ac in Materia omni perceptione deſtituta, ut cuivis animum ad Argumenti rationem ſatìs attendenti eſt perſpicuum.

Motum autem ſpontaneum Materiæ tribuere ſummæ profectò eſſet vecordiæ, cùm tam apertè ſenſibus experientiæque repugnet. Nulla enim corpora præterquam quæ animata ſunt organíſque instructa ſpontaneo motu cientur. Cujus contrarium ſi uſu veniret, innumera corpuſcula, lapillos, pilos, feſtucas, & id genus reliqua, variis modis ſe movere ac diſtorquere ſine omni externo Agitatore deprehenderemus, omnéq; corpus, cùm ad aliud corpus appropinquat quod ipſi noxium eſt & exitiale, in fugam ſe vertere: Cùm tamen non directo magìs tramite Aurum in ſubjectos ignes deſcendat quàm Glacies, Pix aut Lignum. Quamobrem ex omni parte ſolida manet & inconcuſſa hæc ſecunda noſtra Ratio probandi exſiſtentiam Rerum incorporearum, ab *exſiſtentia Materiæ* ejúſque *partium coalitione* ac *motu.*

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. 1.

PHyſicarum Monadum congeries, *&c. Quibus minùs placet hæc noſtra Materiæ primæ definitio, hoc præcipuè objiciunt, quòd* Rarefactionem *&* Condenſationem Ariſtotelicam *è rerum natura tollit, eundémque* Phyſicarum Monadum *numerum, in cubo aeris putà & cubo plumbi ejuſdem diametri ſupponit. Quod illi inſanum Paradoxon autumant & communi ſenſui repugnans, cùm ingens plumbi ponderoſitas præ illa Aeris, infinito ferè majorem Materiæ Monadúmve Phyſicarum copiam in uno prodat quàm in altero. Qui verò hoc objiciunt minimè videntur intelligere naturam* Soliditatis *ac* Gravitatis. *Quarum prior optimè explicatur apud* Carteſium, Princip. Philoſoph. Part. 3. Artic. 121, 122, 123. *Poſterior nunquam rectè intelligi poteſt abſque notitia Principii* Hylarchici, *quo Materia Mundana certis quibuſdam legibus diſponitur, & ſic quidem circa terram ut corpora magis ſolida illorſum, minùs ſolida ſurſum remittantur. Itaque cùm Aer in Aere utpote loco illius naturali pendulus maneat manúmque minimè premat, Plumbum verò, ut quod maximè ſolidum eſt, depulſum deorſum (deſcenſûs impetu pro ſoliditate corporis fortiori facto) ſenſum noſtrum immani quanto palpabiliùs afficiat, minimè mirandum eſt, quòd* *multo plus materiæ ſubſtantiæve in plumbo imaginemur quàm in aere, particulis etiam plumbi adeò conjunctim, propter firmam earum coaleſcentiam & fixationem, agentibus. Quòd ſi cubus Aeris, ejuſdem diametri cum cubo plumbi ità fixaretur quoad ſuas particulas, ut tota ejus materia in unam continuam maſſam firmiter ſine ullis omninò poris eſſet compacta (quamvìs nulla nova Materia adderetur quæ idem ſpacium occuparet) equidem ſtatim deprehenderetur etiam majus habere pondus quàm cubus plumbi. Dictúſque plumbi Cubus ſi ſolveretur in totidem ejuſdem magnitudinis particulas primi Elementi ſecundique ac tertii, quot habebat Cubus Aeris, & idem Spacium quod priùs occuparet; æquè eo ipſo levis futurus eſſet atque Cubus aereus, nec ullam in aere præ ſe ferret ponderoſitatem, quoniam ceſſaret jam Principium* Hylarchicum *eum deorſum urgere. Adeò ut nihil planè neceſſe ſit ut plures Phyſicæ Monades ſint in Cubo plumbeo quàm Aereo, cùm ponderoſitas plumbi non ſit à materia plumbi, ſed à vi preſſoria* Principii Hylarchici *ſive* Spiritûs Naturæ *qui pro corporum ſoliditate fortiùs ea deorſum detrudit.*

Sect. 4. Materiam autem dico harum Monadum congeriem homogeneam, *&c. Materiam intellige Mundi naturalis* naturalem *non autem* Divinam, *quæ ex* naturalibus *Monadibus non conſiſtit ſed* Divinis.

Sect. 5. Quin & veram eam eſſe, *&c. Nempe de Materia* naturali *intellectam.*

Quòd Materiæ particulæ varias figuras habeant, *&c. Ità ſanè fit in Mundanis Phænomenis merè* naturalibus, *& in Materia* naturali. *Poſſunt autem eſſe Phænomena quæ effecta ſint Materiæ* Divinæ, *de qua hîc non eſt diſſerendi locus.*

Sect. 8. Univerſam harum Monadum congeriem eſſe prorſus homogeneam, *&c. Nota, quamvìs* Divinæ *Monades admitterentur intermixtæ, id rationes noſtras minimè turbaturum eſſe, cùm tam propè ad Phyſicarum Monadum naturam accedant, earúmque leges imitentur quantùm ad impenetrabilitatem & mobilitatem ab adjacentibus particulis, niſi à Diviniori Principio frænum injiciatur. Qua de re hoc in loco minimè lubet Philoſophari.*

CAP. X.

Tertia ratio demonſtrandi exſiſtentiam Rerum incorporearum, à ſucceſſiva Mundi corporei Duratione accerſita.

1. *Duratio ſucceſſiva qualis ſit, & ex quibus partibus conſtet.*

1. TErtia Ratio petitur à *Duratione ſucceſſiva.* Eſt autem Duratio ſucceſſiva propriè non ipſarum Subſtantiarum, quæ ſemper quod ipſam ſubſtantiam ſpectat ſunt eædem, ſed Alterationum in Subſtantiis unius poſt aliam ſuccedentium in ordine exſiſtentiæ, ità ut nullæ partes hujus Succeſſionis præteritæ ſint quæ non aliquando præſentes fuerunt: Quemadmodum fit in alicujus Regni Regum ſucceſſione, ubi nè fingi quidem poteſt quiſquam regnare deſiviſſe (quantacunque ſit eorum ſeries) qui aliquando non regnavit; hoc eſt, unuſquiſque defunctorum Regum aliquando vivus præſénſque imperium in populum exercuit. Ità nullæ Alterationes in hac Succeſſione de qua jam loquimur præteritæ ſunt quæ non aliquando revera fuerunt præſentes.

Quomodo enim id præteriiſſe dici poteſt quod nè præſens quidem unquam erat? Nec ſanè præteriit id quod etiamnum præſens eſt. Unde clarè conſtat neceſſe eſſe in Duratione ſucceſſiva ut deſinat præſens Alteratio quò nova quæ exſpectatur ſuccedat, itáque fiat perpetuus rerum ortus & interitus. Atque hinc fit ut omnis hujuſmodi duratio intelligatur ex tribus conſtare partibus, *Præterita, Præſenti,* & *Futura.*

2. *Quòd omnis pars Durationis ſucceſſivæ præterita aliquando erat præſens: Unde omnes ſaltem præter unam aliquando futuras fuiſſe concluditur; proindéq; Mundum non potuiſſe exſiſtere ab æterno.*

2. Sed & æquè clarè deprehenditur, quod jam innui, nè momentum quidem hujus Succeſſionis præteriiſſe quod aliquando non fuit præſens. * Unde manifeſtò patet, cùm *omnia* hujus Succeſſionis Momenta aliquando *præſentia* fuerint, *nec* tamen unquam *uno plura ſimul,* ſed ſingula unum poſt alterum ſemper ſucceſſerint, quòd aliquando erat cùm omnia, ſaltem præter unum, erant futura. Et ſic vel inviti reducemur ad caput ſive principium omnis ſucceſſivæ Durationis, quantæcunque eam fingamus extenſionis, cogemúrque fateri quòd æquè repugnat dari poſſe *infinitam Durationem ſucceſſivam* ac *Magnitudinem* aliquam *infinitam figuratam.*

Nam ut Figura undique claudit Magnitudinem quò minùs in infinitum excurrat ab ullo latere, ità hoc ipſum, Unumquodque ſcilicet ſucceſſivæ Durationis Momentum aut *jam eſſe,* aut ſaltem aliquando *fuiſſe præſens,* hoc ipſum, inquam, ab utraque parte (ab hac per præſens Momentum, ab altera per illud citra quod & hoc præſens Momentum & reliqua illa omnia intermedia Momenta aliquando (nempe cùm illud præſens erat) erant futura) ità hanc Durationem ſucceſſivam terminat, ut à neutra parte infinita ullo modo concipi poſſit.

Ex quo demum neceſſariò ſequitur, quòd Mundus hic corporeus cum ſuis Motibus & Alterationum viciſſitudinibus nec exſtitit nec exſiſtere potuit ab æterno; Materiámque non eſſe à ſeipſa, aut ſaltem à ſeipſa non poſſe moveri; ac proinde neceſſe eſſe ut exſiſtat aliquod Principium immateriale ſive Subſtantia incorporea quæ motum Materiæ poſſet imprimere.

3. *Mundum non potuiſſe exſiſtere ab æterno ex eo demonſtratur, quòd non anteceſſit infinitum tempus ante mortem ullius Animalis.*

3. Quod quidem Argumentum ſiquis nimiæ ſubtilitatis ſuſpectum habeat, ſéque inopinato aliquo Sophiſmate circumventum vel illaqueatum arbitretur, craſſiori modo idem tentemus, demúſque naſuto huic ac ſuſpicaci Ingenio, Mundum hunc corporeum cum omnibus ſuis Motibus rerúmque Generationibus & Corruptionibus ab æterno exſtitiſſe. Quod quidam Athei perquam avidè amplectuntur, ut hoc modo ab eis rationibus adversùs Atheiſmum quæ petuntur à fabrica corporum Animalium faciliùs ſe expediant.

Sed nec hâc viâ res apud ipſos ſuccedet. Nam ipſe rerum Ordo, quem nullo pacto negare poſſunt, æternitatem Succeſſionis protinus tollet. Sit enim hæc generandorum & corrumpendorum uniuſcujuſque Speciei Individuorum Succeſſio quàm infinita velis; * Vita tamen Animalium erat ante ullam ipſorum mortem, nec potuit ullum Animal mori antequam vixiſſet, aut vivere ſine aliqua temporis mora. Aliquando igitur erat cùm nullum Animal erat mortuum. Sed illud temporis ſpatium non erat infinitum, ſed intra aliquot dies annóſve clauſum. Aliquando igitur incepit Vita Animalium eorundémque Generatio.

4. *Quòd nè virtute quidem Divinâ Mundus potuit exſiſtere ab æterno, nec æterna proinde Succeſſio fuiſſe.*

4. At ſaltem virtute Divinâ fieri potuit ut Mundus fuerit ab æterno, ſimul cum ipſo Deo per emanationem exſiſtens. Concedamus illud etiam parumper, & diſpiciamus quid ſequatur. Emanare enim Creaturæ à Deo non potuerunt ſine aliqua certa lege atque ordine. Sol emanans erat in certo aliquo Signo, Luna in aliquo certo Aſpectu ad Solem: Boves emanârunt aut mugientes aut muti: Homines aut ſedentes, aut ſtantes, aut ambulantes, choreámve ducentes ac ſaltantes. Quid igitur? num Æternitas erat antequam Sol ad aliud Signum proceſſerit, Lunáve Aſpectum mutaverit? Num infinitum excurrebat tempus antequam Bos mugierit, vel à mugiendo deſtiterit, Hominéſve Situs ſuos vel Geſtus alteraverint?

Omnia Animalia aut jejuna emanârunt aut cibum capientia, aut coeuntia mares cùm fœminis aut ſeparata. Verùm ecquis auſit affirmare nihil horum per infinita ſecula fuiſſe immutatum? Quòd ſi intra aliquot finita ſecula facta ſit mutatio, quando illa mutatio contigit Mundus non exſtiterat ab æterno, ac proinde aliquando incepit.

Atque eadem ratio eſt ſi Mundus ſuâ vi ab æterno exſtitiſſe fingatur. Nam tota retro Æternitas antequam una & altera magna Planetarum conjunctio contigerit, vel unus Solis Terræve peractus ſit circuitus, non erat elapſa. Ante unum verò circuitum non erant plures, multò minùs infiniti, nec uno plures ſimul, nec mors ante vitam, *&c.* Adeò ut certo certius ſit nullam Durationem ſucceſſivam ullo modo æternam eſſe poſſe, cùm tam manifeſtò videamus Mundum hunc corporeum à ſe non exſtitiſſe, nec Deum quidem ipſum cum motibus ſuis rerúmque vicibus eum ab æterno producere potuiſſe.

5. *Quod tamen non ſit ob defectum virium in Deo, ſed ob ſolam Creaturæ incapacitatem.*

5. Quod non ſit propter ullam impotentiam in Deo, ſed quòd ipſa rei natura id recuſet, nec repugnet magis evolutionem temporum rerúmque ſeriem ſimul exſiſtere in eodem Inſtanti, quàm à prima uſque Æternitate immediatè effluxiſſe. Quorum tamen prius nemo ulli in Deo impotentiæ imputat, ſed ſoli ipſius rei ineptitudini: quod pari jure ſtatuendum eſt de poſteriori. Deus majora potuit. Verbum enim Spiritúmque per emanationem potuit producere ab æterno, cùm ipſorum vita ac duratio non ſucceſſiva ſit vel alterativa, ſed permanens & identifica. Quòd minora igitur hæc non potuerit nullum arguit in ipſo virium defectum, ſed rei ipſius ſolummodo incapacitatem, & vanitatem Creaturæ, immenſámque illius à Deo diſtantiam.

6. *Probandi etiam Materiam Mundanam finitam eſſe Ratio prima, ab inventione Centri deſumpta, cum Reſponſione.*

6. Siquis verò fortè hic regeſſerit, non abſimili ratione ſe probare poſſe ***Mundanam Materiam non poſſe eſſe infinitam***, id profectò ſi poſſet præſtare, per me liceret; neque enim enervaret hanc noſtram Argumentationem, ſed potiùs corroboraret. Nam hoc pacto ut ***Durationis Æternitas*** ità ***Eſſentiæ Immenſitas*** ſoli Deo competeret. Quod ego nullo modo refugerem.

Sed videamus aliquot hujus probationis Specimina. Quorum primum eſt, Quòd, cum Deus ſit omniſcius & infinitæ comprehenſionis, neceſſe eſt ut accuratè cognoſcat infinitæ cujuſcunque molis corporeæ medium ſive Centrum. A quo cùm omnes lineæ ductæ ſint æquales, planè indicat infinitam hanc molem eſſe ſphæricam; hoc eſt, figuratam, ac proinde terminatam ac finitam. Sed reſpondeo, Deus, qui omnia novit, novit Amplitudinem verè immenſam nullum poſſe habere Centrum ſive medium.



Fig. 5.

Sic enim Diameter infinita divideretur in duas partes æquales, putà A B & B C. Et pari ratione Semidiameter A B poſſit dividi in duas æquales partes, A D & D B. Cujus Semidiametri ſemiſſis interior D B cùm ſit ex utraque parte terminata, exterior etiam A D quæ ipſi æquatur iſthoc modo terminata eſſet, ac proinde tota Diameter A C terminata ab utraque parte. Hæc igitur inſtantia non probat omnem Amplitudinem neceſſariò eſſe finitam, ſed nullam infinitam Amplitudinem habere certum & determinatum medium; Centrúmque ejus, quemadmodum ille olim de Deo enunciavit, ubique locorum eſſe, Circumferentiam verò nuſquam. Quod ſano ſenſu veriſſimum eſt.

7. *Ad primam hanc Rationem Reſponſio altera.*

7. Quin & alio modo huic Argumento reſponderi poteſt, aſſerendo ſcilicet quamlibet Infiniti partem aliquotam finitæ denominationis eſſe infinitam, quamvìs (quod & neceſſe eſt fieri) ab utraque parte terminatam. Ità me philoſophatum memini in Poemate quod olim juvenis ſermone patrio compoſui, cui *Democritus Platoniſſans*, ſive de *Mundorum Infinitate*, nomen inſcriptum eſt. Nec etiamnum ſatìs cauſæ ſubeſſe deprehendo cur mutem ſententiam. Neque enim ſemper requiritur ad realem Infinitatem extremorum interminabilitas, ſed ſolummodo innumerabilitas partium actu extenſarum, ut palmorum, pedum, ſtadiorum, & ſimilium.

Quòd autem extremorum terminatio non tollit Infinitatem, clarè ſic poteſt demonſtrari in præſenti Schemate. Ubi à B, puncto Meridiano, procurrat linea revera in infinitum Orientem versùs, appelletúrque illa linea B A, quæ igitur agnoſcenda eſt linea infinita. Sed eadem æqualíſque via eſt ab *Athenis* ad *Thebas*, & à *Thebis* ad *Athenas*, & una eadémque linea eſt B A & A B, ac proinde ſibi ipſi æqualis. Quamobrem ſi illa linea à B ad A ſit infinita, eſt etiam infinita ab A ad B quamvìs ſit in B terminata. Ac proinde Terminatio non tollit Infinitatem. Quod erat demonſtrandum.

E qua Demonſtratione neceſſariò fluit hoc Poriſma, Quòd dari poteſt infinitum infinito majus. Nam A C linea major eſt lineâ B A, & B A major quàm D A, quadrans lineæ infinitæ A C. Et certè niſi D A, quadrans, infinita eſſet, tota A C non eſſet infinita. Nam è quatuor finitis lineis linea infinita ſurgere non poteſt. Hujuſmodi Paradoxa cecini in prædicto Poemate, poetico neſcio quo furore percitus, nec video cur in integrum hìc Palinodiam canam.

8. *Quòd realis Terminabilitas Mundanæ Materiæ facit ut non poſſit eſſe abſolutè infinita, contrà ac fit in Divina Amplitudine: cum nova Ratione demonſtrandi Mundum non potuiſſe creari ab æterno.*

8. Ingenuè tamen fateor, dum agnoſco Diametrum infinitam A C diſpeſci poſſe in quatuor æquales partes, vel dum demonſtro lineam A B terminatam in B æqualem eſſe eidem lineæ B A in infinitum productæ in A, quòd tota A C, Mundanæ Materiæ diameter, apparet quodammodo ab utraque parte terminata, non abſolutè infinita. Nihilo enim longior eſt dicta linea à B in A quàm ab A in B; ac proinde cùm ſit terminata in B, neceſſe eſt etiam ut terminetur in A, nec excurrat ultra longitudinem quæ eſt ab A in B, quæ terminata eſt. Quòd verò B A revera terminetur in A ex eo fit, quòd ſit *realis Terminabilitas* in B, poſsítque Materia Mundana deſinere in Meridiano B E, totáque Materia B E C annihilari manente adhuc B E A. Quod luculentum eſt indicium B A, etiam ante annihilationem B E C, ab utraque parte terminatam fuiſſe.

Unde nova Ratio effulget demonſtrandi Mundum non potuiſſe creari ab æterno, utique ſi Deus eum unquam annihilare poſſit. Nam quod ab una parte terminatum eſt, neceſſe eſt ut terminetur ab altera, prout vidimus. Itaque ſi Duratio Mundi unquam finiri poteſt, ab æterno non poteſt fieri. Solúmque id quod neceſſariò eſt, nec unquam non eſſe poteſt, poteſt eſſe ab æterno. Parique ratione illud ſolum quod non poteſt non eſſe ubique ſimul ſine omni interruptione, poteſt eſſe abſolutè infinitum. Qualis Materia non eſt, ſed Divina ſolummodo Amplitudo. Ad quam propriè ſpectat * prior Reſponſio, ut hæc altera ad Mundanam Infinitatem. In Divina verò Amplitudine, quæ res ſimpliciſſima eſt maximéque una, quæque proinde nullubi admittit ullam realem Terminabilitatem, Centrum fingere, vel Diametrum bipartiri, deſipere eſt; cùm ſit impoſſibile quin hujuſmodi imaginationis deliria animum in errores inextricabiles inducant.

* *Sect. 6.*

9. Alterum

9. *Altera Ratio refellendi Mundanæ Materiæ Infinitatem, à poteſtate rectæ Quadratica & Cubica petita.*

9. Alterum Argumentum contra Materiæ Mundanæ Infinitatem eſt, Quòd omnis Linea potentiam habet Quadraticam & Cubicam, quódque proinde infinita linea eandem habet. Quæ igitur in ſe triplicata demonſtrat totam magnitudinem, quantumvìs infinitam, revera fieri poſſe Cubum, adeóque Figuratam; cúmque jam figurata ſit, infinitam eam eſſe non poſſe, nec revera antea fuiſſe.

Sed ad infinitam Materiæ Mundanæ molem revera ac phyſicè transfigurandam in Cubum non ſufficit quælibet ſubtilitas Mathematica & imaginaria, ut & nulla alia cauſa ad transformandum illud quod ex ſe immutabile & immobile eſt. Sed & ipſa hæc Imaginatio ſecum pugnat. Nam vel primo aſpectu clarè deprehenditur Lineam infinitam non ità in ſe duci poſſe ut Quadratum conſtituat, cùm ſingula latera Quadrati duobus conterminis lateribus claudantur. Unde Quadratica poteſtas non competit niſi lineis finitis, nec proinde Cubica. Sed hoc levius Argumentum erat.

10. *Tertia Ratio, à virtute Divina, quæ totam Materiam Mundanam in reales Orbes Cubóſve convertere poteſt.*

10. Tertium paulò urgentius eſt. Nempe, cùm Deus adſit ubique præſens omnibus Materiæ Mundanæ partibus quantumlibet infinitæ, poteſt ideo univerſam hanc Materiam in Cubos convertere revera & phyſicè formatos & diſtinctos; vel poteſt totam Mundanam molem in Orbes Sphæráſve diſtinguere, adinſtar Involucrorum Cepæ ſe ordinatim includentes. Quamobrem cùm hæc infinita Mundi moles nuſquam non ſit ſphærica, tota ſphærica erit, vel nuſquam non cubica, tota cubica erit, aut ſaltem Parallelepipeda, ac proinde figurata & finita.

Sed reſpondeo, quòd tametſi corpus Mundanum ubique ſit ſphæricum, vel ubique cubicum, nullus tamen locus eſt ubi Sphæra non involvit ſphæram, aut Cubus ab omni latere cubo non clauditur. Unde impoſſibile eſt ut Mundana moles figurata ſit vel terminata, cùm nullus harum partium inveniatur exitus. Neque enim ullus locus eſt ubi Cubus eſt citra quem qui in una jacent linea reliqui omnes cubi ſiti ſunt, aut ubi Sphæra quæ reliquas omnes ſphæras includit. At in Duratione ſucceſſiva neceſſariò retrahimur ad aliquod momentum citra quod cùm præſens erat reliqua momenta omnia poſita erant, hoc eſt, cùm illud erat præſens reliqua omnia erant futura. Unde diſparitas rationis inter has argumentationes ſatìs clarè pateſcit.

11. *Quarta Ratio non abſimilis præcedenti, à ſitu & ordine Cuborum in una linea poſitorum.*

11. Quartum Argumentum non multùm abſimile eſt tertio, ſed majori vi ac aſtu videtur contortum contra illud quod ſuprà inſinuavimus de circuitibus Solis, quòd non poſſint eſſe infiniti, ex eo quòd unus erat ante plures, ut plures ante infinitos, ordine & naturæ & temporis, nec uno plures ſimul; quódque proinde aliquando erat cùm unicus erat duntaxat Solis circuitus.

Vide Fig. 5.

Jam verò quod illic urgetur de ordine naturæ & temporis adhibetur hìc de ordine ſitûs, putà ſuprà dictorum Cuborum (ex quibus infinitus Mundus ſupponebatur conſtructus) in una linea poſitorum uſque ab Infinitate Orientali A ad B. Nam in hac infinita linea neceſſe eſt ut ſit unus Cubus ante plures, nec plures ante unum, ſed & unus & plures ante infinitos ab Infinitate uſque Orientali A ad B. Ut igitur aliquando erat cùm unus erat Solis circuitus ante quem nullus fuerat; ità alicubi eſt unus Cubus in dicta linea A B ultra quem, Orientem verſùs, invenitur nullus.

Et concedo ſanè non mediocrem vim ineſſe huic argumento, ſi infinita Cuborum ſeries eſſe poſſit ab Infinitate Orientali A uſque ad B ſine infinito infinitorum numerorum Cuborum numero, qui cùm omnes ſimul ſint, vim Argumenti perpetuò eludent. Sed in infinita ſerie vel ſucceſſione Circuituum Solis, eſto numerus infinitorum numerorum Circuituum Solis quantumlibèt infinitus, tamen vel inviti reducemur ad principium omnium horum Circuituum præteritorum, cùm nullus ex ipſis ſit qui non aliquando præſens fuit, ac proinde omnes aliquando futuri ſaltem præter unum, quandoquidem plures uno non poſſunt eſſe præſentes ſimul. Adeò ut firmitudo ac robur Argumenti contra infinitam Succeſſionem in eo præcipuè fundetur, quòd plures illius partes vel momenta non poſſint ſimul coexſiſtere.

12. *Quartæ Rationis ulterior corroboratio ex reali terminabilitate numeri Cuborum, quâ abſoluta Mundi infinitas ſolidè refellitur.*

12. Quòd ſi hìc porrò retorqueatur, Quòd non eſt infinitus infinitorum numerorum Cuborum numerus ab Infinitate Orientali A ad B uſque, propter realem terminabilitatem ſeriei Cuborum in B, cùm reliqui omnes Cubi à B in C annihilari poſſint; fateor hoc ictu cauſam concidere. Nam cùm idem ſit numerus Cuborum ab A ad B qui à B ad A, & *realis Terminabilitas* actualíſque diſcretio ad B, manifeſtum eſt quòd numerus Cuborum revera terminatur æquè ad A quàm ad B. Et quemadmodum eſt unus extra quem nullus à quo incipit Cuborum numerus à B ad A; ità eſt

Fig. 5.



unus extra quem nullus à quo incipit idem Cuborum numerus ab A ad B.

13.
Quinta & ultima Ratio, à Mobilitate Materiæ, ejúſque tractione continua ab Infinitate Orientali, quâ Terminatio illius ab ea parte arguitur.
* *Sect.* 10.

13. Quintum & ultimum Argumentum ſumitur à Mobilitate Materiæ. Videtur enim de eſſentia Materiæ eſſe ut ſit in quamlibet partem mobilis, quoad partes ſaltem, ſi fiat motus versùs partem terminatam; ut ſi moveatur A B versùs B. Tota verò Materia ſi infinita eſſet, quanquam nihil habet quod ipſius motui reſiſtat, cùm tamen non habeat quò in ullam partem ſe totam ſimul promoveat, videtur impoſſibile ut in ullam partem tota ſimul moveatur, niſi forſan circulariter. Quod an orbicularem hanc immenſam Materiæ molem, ac proinde terminatam, argueret, * ſuprà ſententiam noſtram ſubindicavimus.

Intereà loci à motu partis Materiæ, putà A B versùs C, præſens Argumentum petitur. Sit enim vel Funis, vel Flumen, vel Virga ferrea ab Infinitate Orientali A ad B uſque producta. Fingatúrque funis, vel flumen, vel virga quàm maximè fieri poteſt ab Oriente infinita. Jam verò procurrat flumen, vel protrahatur funis, vel virga ferrea, ità ut extremitas ipſorum B pertingat uſque ad F; ſítque B F ſtadium unum & alterum. Manifeſtum eſt, quòd quantò procurrit flumen, vel protrahatur funis, virgáve, tantò deficient ab Infinitate Orientali. Deficiunt igitur uno & altero ſtadio. Unde planè conſtat A B etiam ante motum à neutra parte fuiſſe infinitam, cùm nihilo brevior, jam facta ſit, ſed ſitum tantùm mutaverit.

14.
Rationis ultimæ ſoliditas; quódque Deus ſolus æternus eſt, & Amplitudine abſolutè infinitus.

14. Atque certè, ut nihil diſſimulem, ſolidiſſimum videtur hoc Argumentum quo demonſtretur Mundanam Materiam non poſſe eſſe abſolutè infinitam, ſed duntaxat indefinitam, prout videtur alicubi pronunciare *Carteſius*, noménque infiniti ſoli Deo reſervare. Quod ſeriò ac conſtanter aſſerendum eſt tam de *Duratione Dei* quàm de ejus *Amplitudine*. Utræque enim abſolutè infinitæ ſunt: Mundi verò indefinitæ ſolummodo eſſe poſſunt. Quod de illius Duratione, cùm ſit ſucceſſiva, præcipuè perſpicuum eſt. Neque de eo major jam dubitandi ratio eſt, quòd tam apertè conſtet quòd & Mundana Amplitudo ſit tantummodo indefinita, (hoc eſt, revera finita) ut initio monuimus. Etenim hoc modo Deus ſupra totum Univerſum debitis gradibus evehitur, hoc eſt, infinitis, dum non ſolùm *infinito ævo* Mundo *antiquior*, ſed & *immenſis ſpatiis* intelligitur eo eſſe *amplior* & *auguſtior*.

15.
Quòd inter Durationem permanentem & ſucceſſivam diſtinctio eſt maniſeſtiſſima; quódq; hanc alteram rebus ſtabilibus attribuere perfecta eſt contradictio.

15. Poſtremò, quod ad illos attinet qui omnem Durationem *ſucceſſivam* eſſe contendunt, non videntur ſatìs intelligere naturam ſucceſſivæ durationis, nec profectò Durationis in genere. Neque enim Duratio fictitium Attributum eſt, ſed reale; éſtq; omnis Duratio aliquarum rerum, vel rei alicujus duratio. Cùm verò res vel *ſtabilis* ſit, vel *fluxa*, & quæ conſtat ex ſuprà dictis partibus, *præteritâ*, *præſenti*, & *futurâ*, *Duratio* etiam erit vel *ſtabilis* & identifica, vel *ſucceſſiva* & alterativa. Rem *fluxam* verò definio *continuationem rerum quarumcunque ipſarúmve alterationum quæ exſiſtunt una poſt alteram.* Unde colligitur omnes illius partes aliquando præſentes fuiſſe, & omnes præter præſentem deſiviſſe, omnéſque ſaltem præter unam aliquando fuiſſe futuras. Quod de re *ſtabili* & *immutabili* nullo modo intelligi poteſt, cùm manifeſtam implicet contradictionem. Neque enim de *re ſtabili* & *immutabili* & neceſſariò ac per ſe exſiſtenti dici unquam poteſt quòd *nondum eſt*, vel *deſiit eſſe*. Quod tamen dicitur de partibus rei fluxæ & ex alterationibus mutationibúſve conſtitutæ.

Manifeſtiſſima igitur eſt hæc diſtinctio Durationis in *ſucceſſivam* ſive alterativam, (quæ competit rei fluxæ, quam conſideramus tanquam ex partibus tranſeuntibus & alterantibus conſiſtentem,) & in *permanentem* ſive identificam, quam rei quæ ſemper eadem eſt eodémque modo ſe habet, vel ſaltem quatenus eodem ſe habet modo, verè aptéque tribuimus. Ex quibus omnibus conſtat nullum ſupereſſe ſubterfugium quò quis ſe recipiat & abſcondat ab hac tam illuſtri ac præfulgida Veritate, Quòd nulla Duratio ſucceſſiva poteſt eſſe ab æterno.

16.
Ex impoſſibilitate æternæ Succeſſionis præclara aliquot Conſectaria, quæ exſiſtentiam Rerum incorporearum arguunt.

16. Cujus utiliſſimæ Concluſionis præclara hæc ſunt Conſectaria. Primum, Quòd Materia per ſe actu mota non potuit exſiſtere ab æterno. Nam hoc pacto Duratio ſucceſſiva fuiſſet ab æterno, contrà atque jam concluſum eſt.

Secundum, Quòd eſt aliquod aliud Principium immateriale, ſive Eſſentia incorporea à Materia diſtincta, quæ motum Materiæ impreſſit. Hoc patet ex primo Conſectario. Nam cùm Materia ab æterno moveri non potuerit, neceſſe eſt ut Æternitas anteceſſerit antequam moveretur. Quod igitur in plenam retro æternitatem uſque torpuerat iners & immotum, omníque vitâ & operatione caſſum, quomodo vel fingi poteſt quòd ſeipſum in motum unquam excitârit?

Tertium, Quòd nè Deus quidem ipſe Materiam actu motam producere potuit ab æterno. Hoc immediatè patet ex principali Concluſione de Duratione ſucceſſiva, quæ non poteſt eſſe ab æterno.

Quartum, Quòd Materia, cùm ſit immediatè ex ſua natura mobilis, hoc eſt, hujuſmodi quæ moveri poteſt, quamvìs ea nondum mota ſupponatur, non potuit tamen ſic exſiſtere ab æterno, nec ſuâpte naturâ, nec ab alio creata. Nam ſi exſiſtere potuit ab æterno, ab æterno mobilis exſtitiſſet, hoc eſt, hujuſmodi quæ moveri poſſit, ac propterea potuit moveri ab æterno. Quod eſt contra Conſectarium primum tertiúmque.

Quintum & ultimum, Materia non eſt à ſeipſa, ſed ab alio aliquando creata. Hoc patet ex Conſectario proximè antecedenti. Nam quod revera eſt, nec tamen à ſe nec ab alio quoquam ab æterno potuit exſiſtere, in tempore ab aliquo creatum eſt, & ſic incepit exſiſtere. Quod minimè mirum eſt de Materia, quæ in ſua Idea nullam exſiſtendi neceſſitatem involvit, quemadmodum ſuprà fuſiùs diſſeruimus. Et ſi exſtitiſſet ab æterno, per totam retro æternitatem nulli uſui fuiſſet, per Conſectarium primum. Quod ſatìs ſolidum eſt Argumentum Deum aliquando Materiam creaviſſe, nec eam, ſi potuiſſet, ab æterno creare voluiſſe. Unde iterum planè conſtat, tum ex inceptione motûs Materiæ tum ex illius creatione, aliud aliquod Principium immateriale & incorporeum præter Materiam ſemper exſtitiſſe. Atque hæc de tertia methodo perveniendi ad notitiam Rerum incorporearum dicta ſunto.

SCHOLIA

In Cap. X. Sect. 2.

Unde manifeſtò patet cùm omnia hujus ſucceſſionis momenta, aliquando præſentia fuerint, *&c. Contra hoc argumentum ab Hiberno quodam, viro ſanè pio ac docto, in ſuis ad me literis ſic objicitur:* Quæ contra æternam Mundi corporei ſucceſſivam durationem in Enchiridio tuo Metaphyſico conſcripſiſti, nervoſiſſimè licèt contexta videantur, ſuccurrit tamen mihi, penitiùs (oculis fateor præſtrictis hebetibúſque nimis) in hanc ipſam rem rimanti, iſtiuſmodi cogitatio : Admodum ſcilicet perſpicuum eſſe atque extra aleam poſitum, ejuſmodi generationum ſucceſſivarum ſeriem jam inchoatam in æternum poſſe & ſine fine uſque protrahi. Nempe quid impedire valeat? Inexhauſtæ Dei potentiæ iſtud denegare ut poſſit ſi velit vel nutantes rerum mutabilium naturas & in pejus (hoc ſi detur) per ſingula ſecula labantes renovare, viréſque illis ſubinde redintegratas ſufficere, Deo prorſus indignum, atque cum infinita ejus perfectione pugnantiſſimum videtur. Quæ autem tu in prius illud attuleris, in poſterius hoc ex æquo videntur militare. Nimirum ſi dixerim : Nullæ alterationes in hac ſucceſſione de qua jam loquimur futuræ ſunt quæ non aliquando erunt præſentes, *&c.* facillimum erit ad eundem modum totum argumentationis tuæ filum percurrere. Ea autem argumentatio non poteſt non eſſe ſophiſtica, quæ evidentiſſimæ veritati æquè adverſetur ac veſaniſſimo pernicioſiſſimóque errori. Hoc autem ſi inſuper habeas; Accedit quòd eadem ſpicula contra æternam beatorum felicitatem æquo impetu contorqueri poſſint, paríque eam ictu vulneréque confodere. Non eſt quòd addubitemus quin actuum contemplationis, amoris, gaudii, *&c.* æterna futura ſit ſucceſſio. Jam verò nullus futurus eſt qui non aliquando erit præſens. Si autem *omnis* aliquando erit præſens, tandem finietur iſta duratio. Quoniam extra *omnem* jam præſentem factum (unum ſcilicet poſt alterum) non dabitur *alius* qui ſuccedat. *Equidem hæc Objectio ſuo non caret acumine. Ut breviter igitur ac perſpicuè illi reſpondeam, Argumenti mei vim contra Infinitatem Succeſſionis à parte antè, & Opponentis contra infinitatem à parte pòſt, ut loquuntur Scholaſtici, in formam Syllogiſticam compingam, ut æqua fiat amborum comparatio. Meum autem Argumentum ſic eſt.*

Si omnia, ſucceſſionis cujuſcunque, momenta præterita, fuerunt aliquando præſentia, tum omnia, præter unum ſaltem, fuerunt aliquando futura.

Sed omnia, ſucceſſionis cujuſcunque, momenta præterita, fuerunt aliquando præſentia. Ergo omnia præter unum ſaltem fuerunt aliquando futura, nec ſucceſſio iſta uno diutiùs momento tunc duraverat, ac proinde nec infinita fuit à parte anté. Opponentis autem Argumentum ſic eſt.

Si omnia, ſucceſſionis cujuſcunque, momenta futura, erunt vel potiùs fuerint (nam alioqui neganda eſt conſequentia, ſi [Erunt] proprio ſignificatu retineatur qui tempus exactum nequaquam innuit ſed ſucceſſionem permittit adhuc eſſe in fieri) fuerint, inquam, aliquando præſentia, tum omnia, præter unum ſaltem, erunt aliquando præterita.

Sed omnia, ſucceſſionis cujuſcunque, momenta futura, erunt, vel potiùs factum erit ut fuerint aliquando præſentia. Ergo omnia præter unum ſaltem erunt ali-

quando præterita, nullâque, præter illud, reliqua quibus ſucceſſio infinita fiat à parte pôſt. Neque enim quod finem habet, infinitum eſſe poteſt.

Hæc eſt brevis ac perſpicua utriuſque Argumenti ratio. Et meum quidem tale eſt ut nec Propoſitio nec Aſſumptio apud ullum hominem cordatum ſi intimas animi ſui facultates conſulat, poſſit negari. In Opponentis verò Argumento, Aſſumptio mihi planè vacillare videtur. Ac proinde nego, omnia Succeſſionis cujuſcunque (etiam infinitæ à parte pôſt, quæ ſuo ſenſu admitti poteſt, quanquam à parte antè non poteſt) momenta futura, nego inquam fore unquam ut fuerint omnia præſentia, immò nè omnia quidem præter unum, tempore futuro exacto, *(nam tempore futuro præſenti ſive non-exacto omnia ſimul fore præſentia nemo nè per ſomnum quidem poteſt imaginari.) Ac proinde ut in meo argumento arguo à momentis præteritis, quorum ſingula* fuêre *præſentia in tempore præterito perfecto ſive exacto (ut Grammatici loquuntur) ad momenta futura, ità Opponens debet argumentari à momentis futuris quæ aliquando præſentia fuerint in tempore futuro exacto, ad momenta præterita. Quod ſi facit, (& certè, cùm nulla momenta actu* erunt *quin extemplò fiat, ut eadem* fuerint *tempore futuro exacto, ex ipſa natura rei manifeſtum eſt neceſſe eſſe ut faciat) nego Aſſumptionem; nempe factum iri unquam, ut omnia cujuſcunque ſucceſſionis, etiam infinitæ, momenta futura aliquando præſentia fuerint, immò nè omnia quidem præter unum, tempore futuro exacto. Atque in hoc conſiſtit conſpicua illa diſparitas inter illius argumentum atque meum; quòd dum ego argumentor à momentis* præteritis *quæ olim præſentia fuerunt, ad* futura, *neceſſariò intelliguntur & agnoſcuntur momenta illa omnia revera præſentia fuiſſe tempore præterito perfecto ſive exacto, ut Grammaticè loquamur; dum verò Opponens argumentatur à futuris momentis ad præterita, omnia illa momenta futura, omniáve præter unum, quòd fuerint aliquando præſentia tempore futuro exacto, quò præterita tandem evincantur, non ſolùm falſum eſſe intelligitur, ſed & impoſſibile. Interim agnoſco Infinitam hanc ſucceſſionem à parte pôſt eò potiùs ſic dici quòd nunquam deſitura ſit, quàm quòd unquam ad plenam Infinitatem ſit perventura, immò verò ſemper remanebit nunquam exhaurienda ſucceſſionis Infinitas, alioquin aliquando eſſet deſitura.*

Cæterùm nè ipſa verba eruditi Opponentis neglectui habere videamur, ad ea, quibus vis argumenti & aculeus maximè ineſt, (viz.) Jam verò nullus actus futurus eſt qui non aliquando erit præſens, ſi autem *omnis* aliquando erit præſens tandem finietur iſta duratio. Quoniam extra *omnem* jam præſentem factum, (unum ſcilicet poſt alterum) non dabitur *alius* qui ſuccedat] *ſic reſpondemus, quantùm ad actus* futuros, *diſtinguendo de futuritate, quòd Futuritas ſit aut temporis* futuri exacti, *aut temporis* futuri nondum exacti. *Quæ quidem diſtinctio adeò naturalis eſt atque obvia ut vel ipſis Grammaticis ſit nota, ut cùm* Amabo *faciunt tempus* futurum ſimpliciter, Amavero *autem* futurum exactum. *Ipſe verò addo &* Amaſſo *futurum eſſe pluſquam exactum, ab* Amâſſem, *ut* Amavero *ab* Amaverim, *formatum, contrà ac ſentit* Voſſius *qui* Amaſſo *ab* Amavero *vult formari. Sed nolo hîc lites Grammaticas movere. Satìs ſit hinc notâſſe quàm obvia ſit hæc* Futuritatis *diſtinctio. Ejúſque applicatio ad præſentem difficultatem æquè erit facilis. Dico igitur, In iſta Propoſitione, [Nullus futurus eſt Actus qui non aliquando erit præſens] ſi intelligatur futuritas temporis* futuri exacti, *aſſertionem eſſe veram. Quod enim eo ſenſu futurum eſt, proculdubio aliquando erit præſens. Quale eſt* τὸ ἐσόμενον Ariſtotelis. *Illius verò* τὸ μέλλον *tale futurum eſt quod tametſi futurum ſit, fieri tamen poteſt ut nunquam exiſtat. Omnis igitur* Futuritas *non neceſſariò ſupponit rem reverà fore, ſed eſſe poſſe, aut eſſe in potentia. Omniſque* Poſſibilitas *rationem aliquo modo habet* Futuritatis, *& iſtiuſmodi* Futuritas poſſibilem *aliquando* ſucceſſionis ſeriem *inexhauſtam ſive nunquam exhauriendam quamvìs ſemper aliquid exhauriatur. Quanquam igitur concedo nullum actum futurum eſſe futuritate temporis* futuri exacti, *qui non aliquando erit præſens; nego tamen omnem actum futurum, futurum eſſe tali futuritate; unde nec omnis aliquando erit præſens, nec tandem finietur ſucceſſio, ſed ſemper erit una aliqua pars infinitæ Succeſſionis in fieri, actúve, aliæ in proxima potentia, reliquæ in remotiori ad remotiones uſque infinitas, nunquam exhauriendas.*

Hæc eſt brevis ac ſimplex ingenioſi hujus Sophiſmatis contra ſolidam noſtram demonſtrationem adducti ſolutio. Atque hoc eſt ingens illud diſcrimen inter Infinitatem ſucceſſionis à parte antè, *& infinitatem ſucceſſionis* à parte pôſt, *quòd illa ſupponit numerum partium ſucceſſionis quæ actu ac revera aliquando extiterunt ac præterierunt, abſolutè infinitum; hæc verò numerum partium indefinitum tantùm & nunquam ſuccedere deſinentium ſed increſcentium ſemper, quanquam ſemper ſimul* *abſolutâ infinitate infinities minorum, quod & ſuprà monui. Quo minùs mirari debeamus quòd ſatìs ſolida argumenta in parato ſint ad refutandum monſtrum illud infinitæ ſucceſſionis à* parte antè; *ad refellendam verò infinitam ſucceſſionem* à parte pòſt, *nulla ſuppetant niſi planè Sophiſtica.*

Sed & altera reſtat Objectio in hunc locum à Carteſiano *quodam, viro quidem erudito & acuto, ad me tranſmiſſa, quæ hujuſmodi eſt :* Fallaciam nempe latere in illo vocabulo [*omnia*] quod Numerum deſignat; Numerum verò infinitum implicare contradictionem, neminémque eſſe adeò infirmi & pertinacis animi ut ſi concederet mihi certum & *determinatum* Numerum, nihilominùs *primum* negaret. *Ad quod reſpondeo, Nullam in vocabulo* [*omnia*] *latitare fallaciam, multòque minùs ullum à me in ea voce dolum intendi. Vocem verò* [*omnia*] Logicè *ſignificare non* Arithmeticé. *Cur verò Numerus infinitus contradictionem magis implicaret quàm magnitudo infinita, ego profectò neſcio. Et tamen* Carteſiani *nimis propenſi ſunt ad credendum Materiam infinitam, quam igitur partes habere numero infinitas neceſſe eſt. Et ſi quis ejuſmodi propoſitionem proferret : Omnes particulæ Materiæ Mundanæ ſunt extenſæ, Ecquis eſt qui ullam fallaciam dolúmve malum vocabulo* [*omnes*] *in iſta propoſitione ſubeſſe ſuſpicaturus ſit? Senſus* Logicus *vocabuli* [*omnia*] *nihil ampliùs ſignificat quàm* Unumquodque nullo excepto. *Qui loquendi modus noſtri argumenti vim æquè firmam exhibet atque vox* [*omnia.*] *Nam ſi unumquodque ſucceſſionis momentum, nullo excepto præter unum, præſens aliquando fuit, manifeſtum eſt unumquodq; præter illud unum, fuiſſe aliquando futurum; quod idem eſt, ac ſi dixeris,* omnia *præter unum fuiſſe futura.*

Sect. 3. Vita tamen Animalium erat ante ullam ipſorum mortem, *&c. Idem vir ingenioſus hujus argumenti vim ſic eludere conatur.* Vitam nempe *Julii Cæſaris* fuiſſe ante mortem ejuſdem, ſed mortem *Alexandri* fuiſſe ante vitam *Cæſaris.* Me verò ponere *vitam* in hac diſputatione tanquam Ens rationis vel Univerſale Scholaſticorum, ejuſmodi quod nullam habet exiſtentiam extra animam, aliter falſam eſſe meam propoſitionem, ſcilicet, Vitam Animalium fuiſſe ante ullam ipſorum mortem, niſi per *ipſorum* intelligant, ipſorummet ſingularium nominatim A. B. *&c.* de quibus verba fiunt. *Hæc ille. Reſpondeo verò iniquam eſſe cavillationem contra minimè fucatum noſtrum argumentandi modum, ubi nihil Sophiſticæ ſubeſt, non magìs quàm in dicto iſto,* Sanitatem priorem eſſe morbo; *prout in Hymno iſto habetur,* ὑγεία πρεσβίστα μακάρων. *Miror interim viri eruditi ingenium quòd tam inopinatas longéque petitas adinvenerit evaſiunculas, quibus tam manifeſti argumenti vim eludat, lucémq; obſcuret. Agè igitur quæſtionem proponamus de novo, ſine vocibus ullis* abſtractis *aut* univerſalibus, *quo rem tamen eòdem recidere videamus. Eſto itaque Problema,* Utrùm infinita eſſe poſſit ſucceſſio hominum ſingularium vel particularium viventium & morientium ſucceſſivè ab omni retro æternitate. *Quod ego quidem ſtrenuè pernego, affirmóque non magìs poſſibile eſſe quàm ut Mundus hic materialis* Globus *ſit* infinitus. *Quippe quòd aliquem vel aliquos particulares homines in Mundo exiſtere & vivere ordine* naturæ *prius eſt immo &* temporis *quàm poſſibilitas mortis cujuſquam hominis, nedum ut quiſquam, de facto, moriatur. Quod ſanè ex ſe adeò manifeſtum eſt ut planè obſtupeſcam, quòd quis vel primo intuitu illius veritatem non deprehendat, atque æquè ineptè pro infinita ſucceſſione hominum viventium ac morientium contendi, atque pro Mundo rotundo infinito. Nam ordine* naturæ *figuratus eſt antequam rotundus concipi poſſit, quæ figuratio notionem illius Infinitudinis planè expungit. Quod ſimiliter fit in infinita ſucceſſione viventinm ac morientium hominum particularium, quippe, cùm aliquos particulares homines in vivis eſſe ordine &* naturæ *&* temporis *neceſſariò præcedat mortem ullorum particularium hominum, id quidem itidem opinionem infinitæ ſucceſſionis viventium ac morientium hominum penitus tollit. Regerere verò, in infinita ſucceſſione, quòd nulla ſit* naturæ *aut* temporis *prioritas quæ ad iſtos viventes particulares homines pertineat, cùm in ſucceſſione infinita non detur* primum, *æquè bellum profectò reſponſum eſt, quàm ſi quis diceret in* Globo immenſo *ſive* infinito, *nullam* terminationem *dari, ac proinde nullam* figuram *quæ ordine naturæ prior ſit ipsâ globoſitate, quæque Globum demonſtret finitum. Cæterùm ex eo ipſo quòd* Globus *ſit eſt* figuratus, *& ex eo quòd* figuratus, finitus. *Parique ratione ex eo ipſo quòd ſit ſucceſſio* viventium *&* morientium *hominum,* vivos aliquos priùs *oportet eſſe quàm ullos* mortuos, *& ex hoc,* primos *aliquos fuiſſe qui ſucceſſionem inceperint, eámq; nequaquam eſſe infinitam. Nam primos illos ante ullorum mortem per infinita ſecula vixiſſe eſt incredibile. Hæc argumentatio plana eſt atque ſimplex, nulliſq; vocibus abſtractis aut univerſalibus, à quibus tam miſerè ſibi metuit adverſarius, invia aut horrida.*

CAP. XI.

Quarta Demonſtratio exſiſtentiæ Rerum incorporearum, à Phænomeno Gravitatis petita.

1. *Theorematis de Telluris Motu ad demonſtrandam Rerum incorporearum exſiſtentiam utilitas.*

1. MAgni equidem ſemper feci nobile illud Theorema de Telluris Motu, non ſolùm ob id, quòd ad veram Syſtematis Mundani cognitionem nos perducat, verùm etiam quòd tam manifeſtam aperiat viam ad certam Rerum incorporearum exſiſtentiæ notitiam. Quod præcipuè intelligendum eſt de Motu Terræ diurno. Concedunt enim omnes ex circumrotatione Telluris viginti quatuor horarum ſpatio circa proprium Axem, omnia corpora ſolida quæ ſoluta in terra jacent (ut lateres, lapides, globi ferrei plumbeíve, & ſimilia) in liberum aerem disjectum iri, ſi receſſum eorum à terra nihil impediret. ***Eodem planè modo***, inquit * ***Carteſius***, ***quo videre licet, dum turbo gyrat, ſi arena ſupra ipſum conjiciatur, eam ſtatim ab illo recedere, atque in omnes partes diſpergi. Quo caſu terra non gravis*** (inquit ille) ***ſed potiùs levis eſſet ducenda.*** Cùm verò experientiâ conſtet omnia terreſtria tendere deorſum, hoc eſt, eſſe gravia, quodnam tandem hujus Phænomeni principium ſit, diligenter eſt inquirendum.

* *Princip. Philoſ. part. 4. Artic. 21.*

2. *Doctrina Carteſiana de Gravitate aliquot Axiomatis breviter comprehenſa.*

2. Inter eos qui cauſas purè Mechanicas ſive corporeas huic Phænomeno aſſignârunt maximè eminent prædictus ***Carteſius*** & noſter ***Hobbius***. Quorum ſententias, cùm præcipuæ ſint quæ afferuntur hac de re, ſi ſolidè refutavero, reliquas equidem nihil morabor. Primóque ***Carteſianam*** expendemus, cujus doctrina de ***Gravitate*** his ferè Axiomatis continetur.

Primò, Quòd partes Terræ non ſatis firmiter ſibi mutuò alligatæ ex motu Terræ diurno ab ea non reſiliunt, ex eo fieri, quòd nec in Vacuo circumvolvitur, hoc eſt, in Spatio quod nec impedit nec promovet illius motum, nec proprio motu cietur, ſed à Materia cœleſti eam ambiente ejúſq; omnes poros pervadente defertur. ***Princip. Philoſ. part. 4. Sect. 21, 22.***

Secundò, Materiam cœleſtem, quatenus tota conſentit in illum motum quo Terram defert, nullam habere vim gravitatis nec levitatis, ſed partes ejus, quatenus plus habent agitationis quàm in hoc impendant, ideóque terræ occurſu à motibus ſuis ſecundùm lineas rectas perſequendis impediuntur, quantum poſſunt à terra recedere, & in hoc earum levitatem conſiſtere. ***Artic. 22.***

Tertiò, Partes Materiæ cœleſtis à terra actu recedere non poſſe, niſi partes aliquas terreſtres, in quarum locum ſuccedunt, infra ſe deprimant & propellant. ***Artic. 23.***

Quartò, Gravitatem cujuſque corporis terreſtris non propriè effici ab omni Materia cœleſti illud circumfluente, ſed præciſè tantùm ab ea ipſius parte quæ, ſi corpus iſtud deſcendat in ejus locum, immediatè aſcendit, ac proinde quæ eſt illi magnitudine planè æqualis. ***Artic. 23.***

Quintò, In penſitanda gravitate corporis terreſtris ità calculum iniri debere, ut, detractis utrinque partibus, cœleſtibus quidem à terreſtri corpore, terreſtribus verò à mole aerea ipſi æquali, ex reliquis vis aereæ molis ad deprimendum corpus terreſtre æſtimetur, hujúſque Gravitatem in hoc uno conſiſtere. ***Artic. 24.***

Sextò, quòd in vaſe quantumvìs profundo & lato guttæ inferiores aquæ à ſuperioribus non premuntur, nec ſingulæ partes fundi niſi à totidem guttis quot ipſis perpendiculariter incumbunt, ex eo fieri, quòd nullum corpus à gravitate ſua deorſum fertur niſi eodem tempore aliud corpus æquale minúſque grave ſurſum fertur. ***Artic. 26.***

Septimò & ultimò, Particulæ cœleſtes quamvìs eodem tempore diverſimodè cieantur, omnes tamen earum actiones ità ſimul conſpirare, unáſque aliis opponi, ut ex objectu terræ quaquaverſus æqualiter propendeant, ad ſe ab ejus vicinia & tanquam ab ejus centro removendas. ***Artic. 27.***

3. *Axiomatis primi Examinatio.*

3. Hæc ſunt præcipua ***Gravitatis*** & ***Levitatis*** Theoremata apud ***Carteſium***; quæ quàm vera ſint jam videamus. Nam quod ad primum attinet, equidem implorarem hîc ipſius ***Carteſii*** conſcientiam, ſi in vivis eſſet, an ſeriò putare poſſit ſuprà dictum turbinem non externo flagello, ſed ſubtili aliquâ materiâ poros ipſius pervadente, in gyros excitatum, arenam ideo ſupra caput ejus conjectam in omnes partes non eſſe disjecturum. Deinde ex eo quærerem, an corpus ullum moveri poſſit, nec tamen ſuo proprio motu, cùm motus ille qui ipſum pervadit movétque eo ipſo evadat ſuus. Porrò, annon in vecta & aquis innatantia proprius hic derivetur motus, quemadmodum apparet in fragmentis glaciei & lignis flumini innatantibus, quæ ipſâ aquâ fortiùs in riparum

parum ſinus impingunt. Poſtremò, eum monerem quòd, tametſi Tellus non circumrotetur in iſtiuſmodi ſpatio quod nihil omnino impediat motum corporum ab illius ſuperficie disjiciendorum, in iſtiuſmodi tamen ſpatio circumrotatur (putà in hoc aereo), cujus partes non ſolùm non ſufficientem habent reſiſtentiam, ſed ferè omnino nullam, adeò quoquoverſum ſciſſilis eſt aer & leviſſimo cuilibet motui cedens: quemadmodum quivis manû motâ experiri poteſt, cui vix ſenſibilis eſt ob facilem ſuam diviſibilitatem & ſubitaneam receſſionem. Quomodo igitur in lapide vel globo ferreo ob motum terræ reſilientibus eorum impetûs celeritatem, majorem multò quàm quâ è tormentis bellicis explodi ſolent, compeſcere poteſt hoc tam leve & fugitivum Elementum?

4. *Examinatio Axiomatis ſecundi.* 4. Nec ſolidius eſt ſecundum Theorema, quod Levitatis Materiæ cœleſtis cauſas rejicit in occurſum terræ rectos particularum illius motus impedientis. Namq; hæc particularum cœleſtis Materiæ redundans agitatio in omnes partes æqualiter fluit, ut ipſe *Carteſius* agnoſcit, in formandis aquæ guttulis in aere. Quomodo igitur hæc Levitas, hoc eſt, redundans Materiæ cœleſtis agitatio, facere poterit ut lapis in terram deſcendat, & non potiùs in aere ſuſpenſus maneat ab omnibus partibus æqualiter pulſus? Ut omittam, quàm incredibilis planè res ſit, ut ex eo quòd partes Materiæ cœleſtis quæ prope terram ſunt in ipſam impingant & reflectantur aliquò verſùm, partes ejuſdem remotiores, putà in media aeris regione, ſimul etiam reſiliant; cùm multò contractiores motûs corporum circuitus fieri poſſint, præſertim in particulis tam tenuibus & mobilibus, quàm ut in mediam aeris regionem quovis modo agant, particuláſve ibi exſiſtentes à quaquam parte faciant reſilire. Sed & hæc inſomnia eſſe ultimo hoc Argumento facilè poteſt evinci.

Nam ſi Levitas Materiæ cœleſtis ex eo eſſet, quòd particulæ illius in partes terræ occurrentes impingant & reſiliant, ac proinde Gravitatis corporum terreſtrium ratio indè eſſet petenda, planè ſequeretur quòd deſcenſus corporis gravis etiam in libero aere deflecti poſſit à perpendiculo. Exempli gratiâ, ſi ponatur aliqua Lamina lata ex metallo ſolidiſſimo, & ad Horizontem angulis obliquis ſita, & perfectiſſimè polita, ità ut fortiùs reflectere poſſit materiam cœleſtem quàm reliqua ferè omnia corpora terreſtria in quæ impingit, dictáque Lamina ſit B C. Manifeſtum igitur eſt quòd efficaciores hìc ſuberunt cauſæ levitatis & gravitatis quàm uſquam alibi in terra; quódque proinde corpus grave A, ob reſilientiam Materiæ cœleſtis à lamina poſita B C, non feretur perpendiculariter ad Horizontem D E, ſed ad laminam B C ſecundùm rectam A C. Quod tamen eſt contra experientiam: nam corpus grave A ſemper cadit ab A in B.

Fig. 6.



Neque ullum hìc patet effugium; cùm hæc lamina, etiam in alto, conſimili ſitu poni poſſit, cúmque vis ſit non remotæ alicujus partis Materiæ cœleſtis, ſed proximæ, quæ agit in corpus B, illúdque propellit, prout nos ipſe monet *Carteſius* Axiomate quarto.

5. *Examinatio tertii quartique Axiomatis.* 5. In quarto enim tertióque Axiomate hæc tria continentur: Particulas cœleſtis Materiæ, quæ agunt in corpus grave ut ullud deprimant, 1. ſimul ſumptas æquales eſſe magnitudine corpori deprimendo; 2. eáſque proximè ipſi adjacere; 3. & infra aliquas ſaltem illius partes ſitas eſſe. Quorum primum non probat *Carteſius*, ſed ſolummodo dictat, ſupponítque precarió. Quid enim impedit quin omnis illa Materia quæ continetur ſpatio D E F C agat in corpus Conicum B G H, quintuplò putà ſextuplóve minus quàm illud ſpatium? Quodnam Mechanicum obſtaculum oſtendi poteſt quò minùs hoc fiat? Quod tamen ſi fieret, ſequeretur minora corpora ejuſdem conſiſtentiæ celeriùs propulſum iri deorſum quàm majora, aut ſaltem fortiùs; quoniam una eademq; vis plus valet in minus corpus, modò non ſit nimia parvitas, quàm in majus. Quod igitur indicum eſt, circumjacentem Materiam cœleſtem non vi purè Mechanicâ agere in Conum B G H aliúdve corpus quodlibet ad illud deprimendum.

Fig. 7.



Eas verò partes quæ corpori B G H proximè adjacent in ipſum agere lubens agnoſco, ſed ità tamen (cùm eæ à *Carteſio* infra baſin putà Coni B G H ſitæ eſſe ſupponantur) ut unà ſimul liberè profitear, quòd meo quidem judicio hæc circumjacentis Materiæ cœleſtis actio multò plus facit ad attollendum Conum B G H quàm ad illum deprimendum. Nam cùm actio Materiæ cœleſtis ſit quaquaverſum, nempe ſecundùm lineas parallelas axi Coni A B eidémque perpendiculares, vel ſecundùm perpendiculares & quovis modo obliquas in latera G B & H B, manifeſtum eſt quòd lineæ perpendiculares in latera, quales ſunt L K & O N, & obliquæ deorſum, quales ſunt R K & P N, & perpendiculares ad Axem, quales ſunt I K & S N, ſurſum premunt Conum B G H, modo non multùm abſimili atque cùm os olivæ vel pruni Damaſceni indice & pollice preſſum eliditur. Quòd verò parallelæ Axi, nempe M K & T N, ſurſum propellunt Conum, ut & obliquæ omnes inter L K & K B & inter O N & N B, quales ſunt N V & K Z, ità apertum eſt ut monito non ſit opus. Siquid igitur omnino agat Materia cœleſtis motu purè Mechanico in Conum hujuſmodi inverſum filóque ſuſpenſum, in altum proculdubio attollit; tantum abeſt ut deprimat, ullámve illi imprimat gravitatem.

Quod verò ad eam actionem Materiæ cœleſtis attinet quæ fertur juxta lineas parallelas lateribus B G & B H, manifeſtum eſt quòd nihil quoquam confert niſi actu ac revera deflectat, cùm ad G vel H pervenerit, versùs A. Quæ tamen eſt admodum precaria imaginatio. Neque enim Mechanicè fieri poteſt ut actio Materiæ cœleſtis pergens à B in G, vel à B in H, actu divertat ſe in iſtis locis ſpeciatim versùs A, potiùs quàm rectà pergat, vel in partes contrarias ſe flectat. Quod quidem ſi faceret, vel facere conaretur, conatum tamen illum vinceret major vis ſubnixûs Materiæ cœleſtis circa latera Coni B G & B H. Sed ſupponamus tamen ità uſuvenire, Materiámque cœleſtem quatenus inundat baſin Coni B G H eam deorſum deprimere.

6. *Quinti Axiomatis examinatio.*

6. Etenim manifeſtum eſt *Carteſium* ea in opinione fuiſſe, quòd tantum abſit ut ea pars Materiæ cœleſtis quæ in poros intrat alicujus corporis illud deprimat, ut è contrà tantundem levitatis ei conciliari autumet quantum cœleſtis materiæ in ipſum influit. Quemadmodum patet ex hoc quinto Axiomate. Ac proinde quicquid gravitatis imprimitur à cœleſti materia corpori cuilibet terreſtri, imprimitur agendo duntaxat in aliquam exteriorem ejus partem, eámque ſuperiorem, ut patet in Cono B G H, quem inundando ejus baſin deprimit. Ex quo ſequitur quòd quantò major iſta pars ſuperior eſt, tantò vehementior futura ſit illius impulſio. Unde duo corpora æqualia & ejuſdem ſoliditatis inæquali erunt pondere; vel unum idémque corpus, variato ſitu, nunc gravius, nunc levius ſeipſo reperietur. Ut in Cubo B, & A rectangulo parallelepipedo, quæ ſupponuntur magnitudine æqualia. Si tamen A imponatur Lanci ſuper baſin E F R æqualem ſupernæ Hedræ C D H G, minorem verò Cubi baſi O P Q, quæ æquatur Hedræ oppoſitæ I K L M, ità ut ſupernæ hedræ C D H G & I K L M ſint inæquales, hedráque I K L M hedrâ C D H G major, Cubus B neceſſariò præponderabit Parallelepipedo A, quamvìs magnitudine æqualia ſint, propter ſuperficies C D H G & I K L M inæquales.

Fig 8



Porrò, cùm Parallelepipedi A baſis E F R quadrata ſupponatur, hujúſque latus duplo minus quàm Parallelepipedi altitudo F D vel E H, duplò minus ponderabit in baſin E F R erectum, lancíque eo ſitu impoſitum, quàm jacens in hedram C D F R Horizonti parallelam, & oppoſitæ hedræ G H E æqualem. Duplò enim minor eſt baſis quadrata E F R, quàm hedra ſupina G H E in quam agit Materia cœleſtis. At verò experientia docet, nihilo magìs grave eſſe Parallelepipedum A in hedram jacens C D F R, quàm in baſin erectum E F R lancíque impoſitum, nec Cubum B ipſi ſic in baſin erecto præponderare. Atque idcirco quòd nec in partem ullam externam gravitas illis imprimitur à Materia cœleſti, contrà ac *Carteſius* videtur innuere.

Poſtremò, Nec feliciùs res ſucceſſura eſt, ſiquis hìc contenderet gravitatem terreſtri corpori à cœleſti materia imprimi non quidem agendo in ullam ejus partem externam, ſed pervadendo omnes illius poros.* Quod & contra *Carteſii* ſententiam eſt, & magno hoc inſuper oneratur incommodo, nempe, quòd hoc pacto corpora poroſiora majorem gravitatem habitura ſint quàm quæ minùs ſunt poroſa magiſq; ſolida. Quod rurſus experientiæ repugnat.

Cùm verò Materia cœleſtis nec pervadendo terreſtris corporis poros, nec pellendo externas ejus partes, gravitatem ipſi imprimat, manifeſtum eſt quòd nullam omnino ipſi imprimit gravitatem, ſed quòd alii alicui Principio illa corporum terreſtrium affectio ſit accepta referenda.

Fig. 9.



7. *Examinatio Axiomatis ſexti.*

7. Phænomenon in ſexto Theoremate propoſitum lubens agnoſco, nempe, Quòd in vaſe quantumvis profundo & lato, putà in vaſe ABC, aquæ gutta 1. non premitur ab aliis 2, 3, 4. ſupra ipſam poſitis, nec pars fundi B à pluribus guttis urgetur quàm à guttis 1, 2, 3, 4. rectà ipſis impendentibus. Sed hujus Phænomeni cauſam quam affert *Carteſius* nullo pacto poſſum admittere. Neque enim genuina ratio eſt Mechanica, quâ contendit fieri quòd guttæ 2,3,4. guttam 1. non premant, aut quòd omnes guttæ 1,2,3,4. eam tantummodo fundi partem urgeant in quam præcisè incumbunt; nimirum ex eo, quòd cùm guttæ 7, 6, 5. æquè graves ſint ac guttæ 2, 3, 4. illæ harum deſcenſum impediant; quippe quòd guttæ 2, 3, 4. deſcendere non poſſunt, niſi eodem tempore faciant ut guttæ 7, 6, 5. aſcendant. Et cùm non plures guttæ quàm 1, 2, 3, 4. cedente parte fundi B deſcenſuræ ſint, illæ ſolæ hanc fundi partem premunt.

Quaſi verò in poteſtate eſſet harum guttarum nuſquam premere niſi ubi ipſarum preſſio ſortitura eſt effectum. Cùm è contrà evidentiſſimum ſit, ſi motus ipſarum ſit purè Mechanicus, & à preſſura Materiæ cœleſtis profectus, quòd guttæ 4, 3, 2. non poſſint non premere quæque proximè ſubjectam guttam uſque ad fundum B, ſive Materia cœleſtis agat in ſuperficiem Aquæ tantummodo, ſive omnes poros Aquæ in vaſe ABC contentæ ſubintret & pervadat.

Perinde enim eſt ac ſi fingeres fieri poſſe in ſerie quinque vel ſex virorum ad parietem aliquem pertingente, ut primus ultimum parietique proximum ad parietem urgere vel premere poſſit, viris intermediis non preſſis, nec prementibus quoque proximum versùs parietem; vel, ut primus ſecundum protrudere poſſit versùs parietem, tertius quartum, quintúſq; ſextum, ità ut ſextus cunctorum quinque vim atque impetum excipiat, nec tamen ſecundus quartum quartúſve ſextum eò protrudere aut premere. Quod eſt impoſſibile.

Sed fortaſſis hoc faciliùs intelligetur ex ſerie literarum ABCDEF, pro tot hominibus poſitarum. Nam A non poteſt protrudere vel premere F ad parietem GHI, niſi eodem tempore premat etiam B versùs C, & C versùs D, & D versùs E, & E versùs F. Nec poteſt A premere B versùs C, nec C premere D versùs E, nec E premere F versùs parietem GHI, ità ut paries cunctorum preſſionem ſuſtineat, quin eodem tempore intelligatur B premere D versùs F, & D premere F versùs parietem GHI. Nam ACE hîc ponuntur pro Materia cœleſti premente aquam in poris, & BDF pro ipſa aqua premente fundum vaſis. Quòd verò B premit D, & DF, ex eo porrò patet quòd, ejectis EF, D prorueret ad parietem GHI, & ejectis CDEF, B eò etiam prorueret. Atque ità proculdubio res ſe haberet, ſi Gravitas ex motu merè Mechanico per Materiam cœleſtem in corpora terreſtria agentem proficiſceretur: nempe, Elementa actu gravitarent in ſuis locis. Quod cùm non fiat, indicium eſt Gravitatem ab altioribus cauſis oriri.

Fig. 10.



8. *Axiomatis ſeptimi & ultimi examinatio.*

8. Septimum & ultimum Theorema conſpirationem aptámque oppoſitionem actionum Materiæ cœleſtis commemorat, quas hujuſmodi fingit, ut ſolo objectu terrenæ molis ipſius motibus adverſantis quoquoverſum æqualiter propendeat ad ſe a vicinia terræ & tanquam ab ipſius centro ſubmovendam. Sed quàm bellè conſpirent harum actionum oppoſitiones ad detrudendum versùs terram corpus aliquod grave, ſuprà ſatis

tis

tìs vidimus in Cono inverſo. Ubi ſiqua ſit conſpiratio oppoſitarum actionum Materiæ cœleſtis, proculdubio facit omnis non ad deprimendum, ſed ad ſublevandum filo ſuſpenſum Conum, eúmque altiùs attollendum. Sed ſupervacaneum eſt eadem hìc rurſus repetere.

Hoc tantùm adnotabo, non eſſe veriſimile, ſi gravitas corporum terreſtrium ex actione Materiæ cœleſtis oritur, quin deſcenſus eorum fieret ad terram non perpendicularis, ſed ad angulos ſatìs obliquos ab Oriente Occidentem versùs, propter impactiones Materiæ cœleſtis in ſuperficiem terræ tardiùs ipsâ Materiâ cœleſti in Orientem circumrotatæ. Sed abunde ſatìs jam demonſtratum eſt totam doctrinam ***Carteſianam*** de ***Gravitate*** & ***Levitate*** puram putam eſt Imaginationem, ex eo animi morbo quem ego ***Mechanicam credulitatem*** appellare ſoleo genitam ac prognatam.

9. *Sententiæ* Hobbianæ *de Phænomeno Gravitatis declaratio.*

9. Ad ***Hobbianam*** Hypotheſin tandem devenimus. Quæ nihilo melior eſt ***Carteſianâ***, imò aliquantò craſſior. Supponit enim deſcenſum Lapidis D in circulo Æquatoris ad E poſiti perpendiculariter fieri in ſuperficiem Telluris A B C A, ob motum Terræ diurnum ab A in B ſuper centrum I. Aerem enim, quandoquidem facilius movetur, expeditiùs recedere à centro I ob motum terræ quàm lapidem D. Inundante verò Aere undique & ſuperante lapidem D, neceſſariò eum detrudi ad perpendiculum versùs C in linea circuli Æquatoris E C. Singulorúmque corporum gravium deſcenſum hoc modo fieri in Circulis Æquatori parallelis. Hæc eſt doctrina ***Hobbiana*** de ***Gravitate***. Quæ, præterquam quòd illinc ſequeretur nullum fore corporum gravium deſcenſum juxta Polos, faceret præterea ut nullus eorum perpendicularis deſcenſus eſſet, nè in eis quidem Regionibus in quibus nos verſamur. Ut nihil in præſens dicam de errore ***Hobbii*** circa facilitatem motûs Aeris à Centro terræ præ illo Lapidis D, qui tamen multò ſolidior eſt Aere. Iſta enim Aſſertio à peritia Mechanica admodum eſt aliena.


Fig 11

10. *Sententiæ* Hobbianæ *de Phænomeno Gravitatis Confutatio.*

10. Sed ad propoſitum redeo, probóque Argumento irrefragabili, quòd ex Hypotheſi ***Hobbiana*** nè nos quidem qui in ***Anglia*** degimus ***Galliâve*** corporibus erectis ambulare poſſumus. Nam evidenter demonſtrari poteſt tam oculis quàm ratione quantâ declinatione à perpendiculo ſinguli terrarum Incolæ, juxta Hypotheſin ***Hobbianam***, pro Elevatione Poli incedant. In circulo igitur A B D eſto Æquator B D, & à puncto C ducatur recta uſque ad E parallela Æquatori B D. Quæ recta C E ſecabit Meridianum B A D B in F, ſexaginta putà gradus à B. Supponamus jam Lapidem ad E. Itaque juxta Hypotheſin ***Hobbianam*** cadet lapis ab E in linea Æquatori parallela, ac proinde ſecundùm rectam E F; quæ declinat à recta H F, ad Horizontem L K perpendiculari, duabus tertiis Anguli recti, hoc eſt, ſexaginta gradibus. Nam Angulus E F H æqualis eſt angulo G F R, qui rurſus æquatur angulo alterno B G F, qui eſt duæ tertiæ Anguli recti ex theſi. Unde manifeſtum eſt E F declinare à perpendiculo non minùs ſanè quàm ſexaginta gradus. Quod erat demonſtrandum.

Fig. 12.



Eâdem ratione, ſi inſtituiſſemus Schema pro Elevatione Poli gr. 50. quæ noſtro Climate Auſtralior eſt, demonſtrare potuiſſemus quòd deſcenſus corporum gravium declinat à perpendiculo versùs Horizontem quinquaginta gradus ſive $\frac{5}{9}$ Anguli recti, & ſic de reliquis. Unde manifeſtò ſequitur, quòd homines non poſſunt erecti ambulare in elevatione Poli gr. 60. ſed tam propè ad terram inclinati quàm eſt E F recta ad rectam F L; multóque propiùs in Regionibus Septentrionalibus magìs remotis, putà in ***Norwegia***, ***Ruſſia***, ***Friſlandia***, ***Iſlandia***, ***Scrifinia***, & ſimilibus. Eadémque tenetur Analogia in aliis Climatibus ad Boream minùs vergentibus. Adeò ut nihil opus habuerit noſter ***Hobbius*** tam longè hinc Gentium quàm ad Polum uſque Arcticum Antarcticúmve nos ablegare ad experiendam veritatem ſuæ doctrinæ de cauſis Gravitatis, cùm tam facilè experimentum capere poſſimus domi.

11. Nam ſi Schema ducere vellemus pro Parallelo ſub quo nos degimus, putà circiter 52 gr. Elevationis, poſſemus vel ad oculum repræſentare quo corporis ſitu homines incedunt ***Londini*** vel ***Cantabrigiæ*** juxta hanc Hypotheſin ***Hobbianam***. Manifeſtum enim eſt ex eo quod ſuprà demonſtravimus, quòd naturalis Corporum poſitura ſuper Horizontem L K eſſet in linea recta E F, extra quam ſi quis adhuc ſtans in F corpus deflectere conaretur versùs F H perpendicularem Horizonti, id certè non faceret ſine moleſtia, nec poſſet ità admovere ſe ad perpendicularem H F, in eâque ſe collocare, quin ad humum præcipitaretur proſterneretúrque ſuper Horizontem, vel pronus in F K, vel ſupinus in F F, vel ſcilicet depulſus ſive Aeris ſive alius alicujus Elementi ſubtilis omnia corpora deprimentis in hac Regione ſecundùm lineas rectæ E F parallelas, ac proinde deturbantis neceſſariò quicquid ſolutum ponitur in recta H F. Quemadmodum cuilibet vel primo aſpectu patet. Quamobrem cùm nil tale in quotidiana experientia occurrit, manifeſtiſſimum eſt indicium ***Hobbii*** doctrinam de Gravitate falſam eſſe, nè dicam impoſſibilem.

11. Londinenſium & Cantabrigienſium *in agris inceſſus juxta Hypotheſin de Gravitate* Hobbianam.

Fig. 13.



12. Atque hoc ſanè ſatìs abunde fidem facere debet apud prudentes homines & ſagaces, quòd hoc Gravitatis Phænomenon Mechanicè explicari non poteſt, cùm præcipuæ Mechanicorum Philoſophorum ſententiæ tam longè abſint à vero. Addam tamen, poſtremo in loco, quod omnem ſpem in poſterum præcidere poteſt enodandi hanc difficultatem, eruendíque rationem hujus Phænomeni è cauſis purè Mechanicis & corporeis. Eſtque hoc ipſum, nimirum, Quòd ſcilicet in hoc Phænomeno id planè contingit quod Principiis Mechanicis prorſus repugnat. Corpus utique motum non continuare motum ſuum in linea recta, quamvìs nullum aliud corpus adſit quod ſufficientes habet vires quibus ipſum impediat. Eſt enim hoc Admiſſum contra legem quâ apud Mechanicos Philoſophos nulla firmior, nulla ſanctior exiſtimatur, quámque proinde condignâ claritate & elegantiâ illuſtravit ***Carteſius*** in Principiis Philoſophiæ ad hunc modum & his ipſis verbis. *Quamvìs nullus motus*, inquit ille, *fiat in inſtanti ; manifeſtum tamen eſt omne id quod movetur in ſingulis inſtantibus quæ poſſunt deſignari, dum movetur determinatum eſſe ad continuandum motum ſuum versùs aliquam partem ſecundùm lineam rectam, non autem unquam ſecundùm ullam lineam curvam. Ut, exempli causâ, Lapis A in funda E A per circulum A B F rotatus, eo inſtanti quo eſt in puncto A determinatus quidem eſt ad motum versùs aliquam partem, nempe ſecundùm lineam rectam versùs C, ità ſcilicet ut linea recta A C ſit Tangens Circuli. Non autem fingi poteſt illum determinatum eſſe ad ullum motum curvum. Etſi enim priùs venerit ex L ad A per lineam curvam, nihil tamen iſtius curvitatis intelligi poteſt in eo remanere dum eſt in puncto A. Hócque etiam experientiâ confirmatur ; quia ſi tunc è funda egrediatur, non perget moveri versùs B, ſed versùs C vel G. Ex quo ſequitur, omne corpus quod circulariter movetur perpetuò tendere ut recedat à centro Circuli quem deſcribit.* Hæc ***Carteſius***. Cujus præclari Philoſophi Concluſioni manifeſtiſſimum hoc & nobiliſſimum Poriſma ſubjungam, nempe, *Quodlibet corpus circulariter motum etiam actu receſſurum eſſe à centro Circuli quem deſcribit, niſi ab alio aliquo corpore impediatur.*

12. *Corpus circulariter motum perpetuò tendere ut recedat à Centro Circuli quem deſcribit ; cum Poriſmate hujus Concluſionis* Carteſianæ.

Fig. 14.



13. Quin & alterum Theorema lubet adjicere ex eodem Philoſopho præſenti Diſquiſitioni valde commodum, viz. *Quòd Sidus incruſtatum & à vicino Vortice abreptum,*

13. *Theorema* Carteſianum *de motu Sideris incruſtati abreptique à vicino Vortice, ac pro ſua ſoliditate deſcendentis vel recedentis à centro Vorticis abripientis.*

reptum, & circumrotatum circa centrum vorticis qui eum abripuit, vim ex hoc motu circulari ſibi acquirit recedendi à centro vorticis, quódque pro ſua ſoliditate accedit propiùs ad vorticis centrum, vel longiùs ab eo recedit. Corpora enim ſemel mota quò ſolidiora ſunt, eò majorem vim habent ad perſeverandum in ſuo motu. Sic Aurum, Plumbum, aliáque metalla, fortiùs perſiſtunt in ſuo motu quàm Lapides ejuſdem magnitudinis, & Lapides ipſi quàm alia corpora minùs compacta & ſolida. Ad hunc planè ſenſum philoſophatur ***Carteſius*** in tertia parte Principiorum Philoſophiæ, ***Artic.*** 120, 121, 122. Quæ ſanè inſignem uſum habitura ſunt in præſenti quæſtione, in qua quærimus, ***Annon id contingit in Phænomeno Gravitatis quod præcipuo illi Principio Mechanico quod modò protulimus prorſus repugnat.***

14. *Demonſtratio è motu Telluris diurno, quòd ratio Phænomeni Gravitatis in cauſas purè Mechanicas reſolvi non poteſt.*

14. Suppoſito igitur Telluris motu, quem jam omnes ferè Philoſophi agnoſcunt, expendamus tandem hoc Gravitatis Phænomenon ad legem illam Mechanicam modò memoratam. Eſto igitur, ut ſuprà, Æquator terræ A B C A, continuatus undique in Aerem uſque ad peripheriam E K G E. Sítque porrò Lapis D poſitus vel ad C ſuper terram, vel in Aere ad E. Jam moveatur Terra motu diurno à C in A ſimul cum circumfuſo aeris orbe ab E in K. Experientiâ tamen conſtat quòd Lapis D in E poſitus deſcendit directò ad terram ſecundùm lineam rectam E C; vel in C poſitus, quòd immotus manet, nec ſitum proximum omnino mutat. Quod planè repugnat illi legi Mechanicæ principali modò memoratæ, & tam egregiè à ***Carteſio*** illuſtratæ & confirmatæ ab Experimento Lapidis Fundâ rotati. Nam hìc lapis D circulariter movetur à C in A, vel ab E in K, nec tamen conatur recedere à Centro circuli A B C A, vel E K G E, quem deſcribit. Etenim ſi ullus iſtiuſmodi eſſet conatus, revera ſortiretur effectum, ut patet ex Poriſmate ſuprà dictæ Concluſionis, & ferretur D lapis vel à C in F, vel ab E in H, ſecundùm lineas contingentes C F & E H. Nam cùm lapis D in Æquatore poſitus ſit, motu fertur omnium rapidiſſimo, & qui globorum celeritatem è Tormentis bellicis exploſorum multis vicibus ſuperat. Nec ullum circumſtat corpus quod hunc motum impetúmve lapidis comprimat & compeſcat. Nulla enim adeſt materia quæ obſiſtat ejus curſui præter aerem, & ſubtiliora levioráque aliqua elementa quæ aerem pervadunt. Quorum moles æqualis lapidi D quàm longè abſit à ſoliditate lapidis cuivis æſtimandum relinquo.


Fig. 11.

Quàm facilè autem hæc omnia ſolidi cujuſvis corporis motui quoquoverſum cedant, manu digitíſve experiri licet, quos in omnes partes, ſurſum, deorſum, & in tranſverſum, ſatis celeriter transferre poſſumus facillimo negotio, & ferè abſque omni ſenſibili reſiſtentia. Idémque dici poteſt de projectis ſive in Ortum ſive in Occaſum, quòd utroverſum pari facilitate feruntur, ídque quantumvìs vi mediocri projiciantur. Eſtque Aer proculdubio ſurſum æquè ſciſſilis projectíſque cedens. Quæ quidem ille non remittit deorſum externâ ſuâ preſſione, ſed eſt vis quædam intus ea deprimens, qualem nos experimur in noſtris ipſorum corporibus aut ſuâ mole aut ex morbo gravitantibus. Neque enim ſentimus externam aliquam preſſuram in corporis membra, ſed ipſa interno ſuo pondere gravitare. Quod influxui Materiæ ſubtilis imputare perridiculum eſſet, quandoquidem quò major eſt ſpirituum copia, corpus eò levius evadit.

Quamobrem cùm tam certò conſtet de facilitate diviſionis Aeris, promptiſſimâque ejus in omnes partes receſſione, quomodo fieri poteſt ut lapis D, corpus ità ſolidum, & tam rapido motu rotatum, non rectà pergat ad F vel H, cùm adeò levis debiliſque ſit reſiſtentia per quam perrumpere eum oportet? Nam & Sidus incruſtatum ſolidius eis partibus Vorticis in quibus verſatur à centro Vorticis recedit, quanquam eum motum quem habet ab ipſo Vortice acquirit. Ut hic lapis D, in C vel E poſitus, motum ſuum à raptu Terræ Aeriſve acquirere intelligitur. Adeò ut in omni Natura nihil certius & exploratius eſſe poſſit, quàm quòd Phænomenon Gravitatis Mechanicis legibus repugnat; quódque proinde illius ratio in cauſas purè Mechanicas & corporeas reſolvi non poteſt, ſed quòd neceſſe eſt aliquas huc arceſſere cauſas immateriales & incorporeas. Quod erat demonſtrandum.

15. *Quòd præcedentis Argumenti vis eludi non poteſt, nè affingendo quidem Vitam, Senſum ac Rationem Lapidibus ac Metallis.*

15. Neque hìc certè divinare poſſum quæ diverticula exploraturi ſint Adverſarii, quæve ſibi hic quæſituri ſubterfugia; niſi fortè dicturi ſint, quòd per innatam quandam vim vel qualitatem (quæ Gravitas dicitur) corporibus terreſtribus inſitam fit quòd

lapis D deſcendit ab E in C, vel immotus manet in C, quantumvis terra moveatur: ſive hæc vis ſit cæcus tantummodo conatus deſcendendi ad terram; ſive cum virtute quadam vitali ac perceptiva conjuncta, qualis eſt Senſus, Imaginatio, Ratio, & ſimilia. Sunt enim qui Materiam Mundanam vitâ atque intellectu imbuunt. Sed nec ſic effugient vim hujus Argumenti ad probandas Res incorporeas à Telluris motu deducti.

Eſto enim quòd Lapis D conatu hoc ſenſúque (quibus adjice, ſi lubet, rationem & intellectum) præditus ſit, eſt tamen nihilominus eâdem quâ antea imbutus ſoliditate. Quæ quantum poſſit in Motu, experiri poſſumus in Lapide fundâ circumrotato, quámque forti nixu ſe revellere conetur è manu eum circumrotantis. Quod fit ob ſoliditatem lapidis. Qui effectus adhuc notabilior eſſet in ejuſdem magnitudinis plumbo auróve; quæ certè, ſi vel Angelico intellectu prædita eſſent, tamen fundâ ad hunc modum circumrotatâ comprimere ſe non poſſent, quin forti niſu conarentur à manu circumrotantis recedere. Multò minùs exploſum è Tormento bellico hoc intellectuale plumbum aurúmve continere ſe poſſet à pergendo rectâ ad metam. Quo tamen motu multò celerior eſt Telluris circumrotatio. Vis igitur conatûs horum ſolidorum corporum deorſum terram versùs * non eſt conferenda cum rapido illo impetu quem acquirunt ad pergendum putà à C in F, vel ab E in H, ex telluris circumrotatione, ſimúlque ad illinc recedendum. Et quàm vincibilis ſit hæc deorſum propenſio corporum ſolidorum ex eo æſtimare poſſumus, quòd aliquot libras plumbi ferríque manu haud difficulter levare poſſumus, torquere, & in longinquum projicere.

* Sed quid ego adeò ſatago in tam fœda refellendo deliria? Ex ſuprà dictis ſatìs patet quòd Gravitatis Phænomenon in cauſas ſolas Mechanicas ſive corporeas reſolvi non poteſt. * Nihil in univerſa Philoſophia certum eſt, ſi hoc non ſit certiſſimum.

SCHOLIA

In CAP. XI. SECT. 15.

NOn eſt conferenda cum rapido illo impetu quem acquirunt ad pergendum putà à C in F vel ab E in H, ex telluris circumrotatione, ſimúlque ad illinc recedendum. Et quàm vincibilis ſit hæc deorſum propenſio, *&c. Et certè ſi adeò vincibilis ſit in maſſis plumbi ferrive aliquot libras pendentibus, quàm vincibilis futura eſt in glande plumbea quam Sclopetarii in ſcopum explodunt, quæque tamen tanto impetu fertur ut aſſerem ſatìs craſſum exploſa perforet, quàm vincibilis in ligno, in ſubere,* &c? *Cui tamen difficultati* Galilæus *in ſecundo Dialogo de* Syſtemate Coſmico, *ſe ſatisfeciſſe gloriatur hoc arguto Sophiſmate quam* Demonſtrationem Geometricam vocat, quâ probetur impoſſibilitas extruſionis (*quorumcunque corporum ſuper terram jacentium*) mediante vertigine terreſtri. *Eſt autem hujuſmodi :* Quòd nempe à centro Circuli duci poſſit linea recta uſque ad tangentem, ſectura eam hac ratione ut pars tangentis inter contactum & ſecantem, centum, ducentis trecentíſve myriadibus excedat illam partem ſecantis, quæ interjecta eſt inter tangentem & circumferentiam. Quóque ſecans contactui vicinior fuerit, iſta proportio fit major in infinitum. *Hæc ferè verba ſunt* Galilæi, *Theorematiſque demonſtratio reſolvitur tandem in* Prop. 17. lib. 15. Geom. Ram. *Quæ ſic eſt : Recta A B excedat rectam C K quantâlibet proportione. Sumatur autem in A B tertia proportionalis continua, ſitque A I. Eâ verò proportione quâ eſt B I ad I A fiat diameter circuli F E producta ab E in G. Ità ut ſit B I, I A :: F E, E G. ducatur H G tangens. Itáque H G tangens erit media proportionalis inter F G & G E (quia H G q. = F G × G E per* Prop. 17. lib. 15. Geom. Ram.) *quemadmodum C K eſt media proportionalis inter B A & A I. Unde manifeſtum eſt, H G eſſe ad G E ut B A ad C K. quia in utriſque ternis terminis eadem continuatur proportio. Hinc igitur concludit Galilæus, quantillæcunque ſit rationis gravitatio corporis in puncto contactûs H poſiti cum celeritate ejus projectionis in Tangente, collata, cùm interim partis ſecantis E G ratio ad Tangentem*



gentem HG centum, ducentiſve & ampliùs myriadibus ſit minor, hinc factum iri ut corpus projectum in terram citiùs deſcenderit per rectam GE, partem ſecantis, quàm pertranſiverit per Tangentem HG. Cúmque hæc minuta ratio rectæ GE ad rectam HG tanto minor adhuc fiat quanto admotior ſit puncto contactûs, planè indè ſequi, quòd projectum non omninò attolletur à terra, quamvìs conatus projectionis vim habeat celeritati vertiginis terreſtris reſpondentem.

Nec hâc quidem argutatiunculâ contentus addit porrò: Vim projectionis non eſſe ſecundùm celeritatem in convexitate Rotæ niſi eandem rotam æqualéſve intelligas, cùm minor Rota majorem vim projectionis habeat, vel major vis requiratur ad retinendum projectum in minori Rota quàm in majori, propterea quòd partes ſecantium, interceptæ in æqualibus arcubus majoris & minoris Rotæ æqualiter motis non ſunt æquales, ſed minoris ſecans major quàm majoris, putà FG, multo quidem major quàm DE, ut videre eſt in ſubjecta figura. Ac proinde major in corpore projecto Gravitationis vis requiritur ut ad G retrahatur quàm ad E, dum eâdem celeritate movetur in Tangentibus à B ad F & à C ad D. Unde concludit, in majori Rota projectionem eſſe minùs validam, eóque tantùm non prorumpere videtur ut inſinuet vim projectionis in majori Rota vim in minori æquare non poſſe, niſi celeritas addatur pro ratione exceſſûs illius diametri ſupra diametrum alterius, hoc eſt, niſi finiant circuitus ſuos eodem tempore.



Hæ ſunt duæ illæ bellæ argutiæ magni illius Ingenii Italici Galilæi, *de quibus me monebat amicus quidam, Philoſophiæ certè & Matheſeos haud mediocriter gnarus, tanquam vim aliquam habentibus contra præſentem hanc noſtram demonſtrationem. Quas tamen ego, ut liberè fatear quod ſentio, tanquam duo arida planéque araneacea argumenta conſidero, taliáque quibus robuſta noſtra ac Borealia Ingenia neſciant irretiri aut captivari. Ad prius igitur reſpondeo: Imperitè à* Simplicio *in hoc Dialogo concedi, gravitatem, putà, lapidis in H poſiti, dum vertigine terreſtri concipitur ab H versùs G ferri, poſſe operari, etiam dum centum ducentiſve myriadibus celeriùs movetur in ea linea, quàm Gravitatio aliàs premat deorſum. Ingens enim illa celeritas planè extinguit ad tempus, omninóque anticipat omnem conatum aut ſaltem effectum Gravitationis deorſum in lapide. Neque enim glans plumbea è Sclopeto exploſa ullum actualem conatum effectúmve habet vergendi deſcendendive versùs terram, antequam vis exploſionis è Sclopeto, ſufficienter ſit minuta, motum impertiendo aëri per quem tranſit.*

Et quantùm quidem ad poſterius, ut inſtantiam de Rota ſumptam, Telluris vertigini applicemus. Niſi utramque Rotam pari celeritate ferri fingamus cum ipſa terra, parum profectò facit ad præſentem cauſam. Et certè ſi ſupponamus pari celeritate ferri, tantundem proficies. Nam ſi convexitatum utriuſque Rotatio Terræ vertiginem celeritate exæquat, iterum dico perinde eſſe ſecans FG an DE ſecans ſit major, cùm tam celeriter feratur projectum in tangentibus BF & CD ut nullam omninò actualem tendentiam habeat quâ deſcendat in ſecantibus FG & DE. Adeò ut inæqualitas earum nullam rationis diſparitatem in hoc caſu efficiat. Plura hîc effundere poſſim quibus imbecillitas argutarum harum ſubtilitatum oſtendatur, ſed hæc pauca ſufficiunt, cùm tam obvia ſint támque perſpicua & valida.

Sed quid ego adeò ſatago in tam fœda refellendo deliria? Ex ſuprà dictis ſatis patet, *&c. Hunc locum admodum perversè interpretatur vir aliàs ingenioſus,* Micrographiæ *Scriptor,* R. Hookius, *nempe, in ſua* Lampade, *referendo ad Hypotheſin Gravitatis* Carteſianam, *quam in principio hujus Capitis propono & confuto, quaſi illius Theoremata, fœda vocâſſem deliria, cùm ipſe nè de* Hobbiana *quidem intellexerim, quæ magìs in propinquo erat magiſque abſona ſuppoſitio, ſed de poſtremis iſtis commentis & ſubterfugiis in hac ultima ſectione memoratis, quæ vim quandam qualitatémve innatam, immò Vitam, Senſum, Imaginationem, Conſilium, Rationem liberúmque arbitrium lapidibus laterculiſque ineſſe ſupponunt, quibus ſe nè Telluris gyro procul ab ea ablegentur, contineant: Hæc ego commenta, fœda voco deliria, ipſúmque* Micrographiæ *Scriptorem appello ſi non ſunt talia. Ac proinde cùm horum verborum ſenſum ad* Carteſiana *Gravitatis principia retrahere maluerit, quàm de abſurdiſſimis hiſce poſtremis Commentis ea mecum intelligere, indicium eſt,*

eſt, malevolo eum & infenſo animo contra me ſcripſiſſe, idque præcipuè egiſſe ut invidiam mihi non ſolùm apud Carteſianos *ſed apud omnes homines ingenuos concitaret. Quod quàm parùm Philoſophum, Chriſtianúmve deceat, ipſi* Micrographo, *niſi* minimis *per* Microſcopia *ſua aſpectandis ità aſſneverit, ut* maxima *neglexerit, judicandum relinquo. Intereà loci abunde manifeſtum eſt me Principia Gravitatis* Carteſiana *nè deliria quidem nedum fœda deliria appellâſſe, quanquam etiamnum affirmo nequaquam eſſe ſolida. Ipſe verò an ſolidè ea refutaverim, penès ſatìs gnaros peritóſque Lectores judicium eſto.*

Nihil in univerſa Philoſophia certum eſt ſi hoc non ſit certiſſimum. *Ità prorſus exiſtimavi cùm hæc ſcriberem, nec ullam cauſam video cur mutem ſententiam. Etenim non ſolùm in nullam hactenus veram Phænomeni Gravitatis ſolutionem incidi, ſed clarè mihi prævidere videor nullam dari poſſe, quam ingens illa celeritas vertiginis terreſtris cum corporis gravis, putà glandis plumbeæ, propenſionis deorſum vi vincibili comparata ſophiſma aut figmentum eſſe non ſit evidenter detectura.*

CAP. XII.

Demonſtratio quinta, è triceſimo tertio Experimento Antliæ pneumaticæ hauſta, duorúmque marmorum adhæſione.

1. QUinta noſtra Rerum incorporearum demonſtrandi ratio è præclaro illo Experimento hauſta eſt quod Illuſtriſſimus Vir, déque Republica literaria perquam optimè meritus, in libro de ***Fabrica uſúque novæ Machinæ pneumaticæ*** commemorat. Eſtque Experimentum triceſimum tertium.

1. *Deſcriptio novæ Machinæ pneumaticæ generalis & decurſoria.*

Operoſum ſanè eſſet, nec ad rem præſentem multum faceret, ex illius chartis totam Machinam perfectè depingere. Sat erit obiter monere, eam ex duabus partibus conſiſtere; ***Vaſe*** ſcilicet ***vitreo***, (quod etiam ***Recipiens*** dicitur,) & ***Antliâ***, quâ Aer è Vitro exhauritur. ***Vitrum*** verò ***foramen*** cum ***æneo Operculo*** habere in ſuperna parte, (ipſúmque ***Operculum*** ſuum ***Verticillum***,) infrà verò ***Epiſtomium collo*** ſuo ſuffixum; ***Verticilli*** cujus beneficio Aer intercluditur, vel tranſmittitur è ***Vitro*** in ***Antliam***, & viciſſim ex ***Antlia*** in ***Vitrum***. ***Antliam*** verò ex quatuor conſtare partibus, ***cavo*** ſcilicet ***Cylindro***, ***Embolo ſuctorio***, ***Manubrio***, & ***Valvâ***. ***Emboli*** autem ***fundo*** infixam eſſe ***Laminam ferream***, non latam ſanè, ſed pro altitudine Cylindri longam, & ex altera parte ***dentatam***, ut beneficio ferrei Cylindruli dentes itidem habentis, eóſq; dentatæ laminæ intervallis adaptatos, ***Embolus ſuctorius*** ſurſum & deorſum moveri poſſit per impoſitum ***excurrenti*** è dicto Cylindrulo ferreo ***ferro quadrangulari Manubrium***. ***Suſtentaculum*** denique eſſe ligneum tribus pedibus ſuffultum, & pro longitudine laminæ dentatæ altum, in quod ***Antlia pneumatica*** imponitur.

Atq; hæc brevis Deſcriptio eſto & decurſoria Machinæ pneumaticæ in genere.

Fig. 15.



2. Verùm ipſam ***Antliam pneumaticam*** paulò articulatiùs deſcribere non abs re fore puto, cùm ad eam omnino pertineat ſuprà dictum Experimentum triceſimum tertium. Quod faciliùs pleniúſque fiet apponendo ejus Schema. Eſto igitur A B C D Cylindrus æneus, cujus Altitudo A C vel B D eſt quatuordecim plùs minùs digitorum; Diameter Cavitatis E F trium, quemadmodum & Emboli ſuctorii E F H G, cum corio cui involvitur, lixivio elaborato, & tam arctè cum ipſo Embolo Cavitati Cylindri accommodato, ut multâ vi fortíq; quaſi fiſtucatione opus ſit, ſi fortè è Cylindro eximatur, ad illum eódem reponendum immittendúmque. Tantâ curâ ac molimine proſpectum eſt nè ſubintret Aer ipſum Embolum inter & Cavitatem Cylindri. Paríq; ſolertiâ cautum eſt ut ſuprà dicta Valva, vel foramen turbinatum I, cum ſuo obturaculo æneo ejuſdem formæ ità congruat, ut nè minimum quidem externi aeris immiſſo obturaculo, intromitti poſſit, quamvìs, revulſo eodem, ſatìs magna influat copia. Poſtremò, K eſt foramen Antliæ ſupremum, tur-

2. *Deſcriptio ejus partis illius quæ* Antlia pneumatica *dicitur paulò plenior & articulatior, diſtinctáq; Plumbi Embolo appenſi & quaſi ſpontè aſcendentis Expoſitio.*

binatum etiam, & Epiſtomio vaſis vitrei admittendo deſtinatum; ſed in hoc Experimento alio quovis obturaculo firmiter arctéque occluſum, ut ingreſſus externi aeris inhibeatur. Quod commodè fit in foramine I per ſuum æneum obturaculum.

His itá expoſitis, ut præſentis Experimenti vim pleniùs intelligamus, notandum eſt, quòd aperto altero foraminum, vel utriſque, I & K, & Embolo ſuctorio Cavitati Cylindri perquam arctè perfectéque accommodato, prout deſcripſimus; ſupponimus primò, Embolum hunc beneficio Manubrii, Cylindruli ferrei & laminæ dentatæ, ad ſummitatem Cylindri A B ſubvectum. Deinde, foraminibus I & K firmiter obturatis, affigi dentatæ laminæ, (cujus partem Embolo proximam hìc tantùm pinximus) ſuſpendíque lancem O P, in quam tot plumbi libræ conjiciendæ ſunt quot ſuffecerint ad deprimendum Embolum ab A B uſque ad baſin Cylindri C D, itá ut tota ferè Cavitas Cylindri hoc deſcenſu Emboli aere evacuata intelligatur. Poſtremò, ſi rurſus demantur è lance plumbi libræ uſque dum cœperit ſurſum moveri Embolus, ſtupendum profectò mox videbimus Phænomenon, Embolum ſcilicet ſuctorium E F H G unà cum Lamina dentata L, reliquóque plum centum pondo plumbo M, quaſi ſponte aſcendentem uſque ad ſummitatem Cylindri A B. Dignum ſanè Spectaculum in quod Mechanica Ingenia oculos animóſque diu defigant, ſerióque diſpiciant ecquæ cauſæ ſint purè Mechanicæ & corporeæ quæ tam mirabile Phænomenon nobis poſſint exhibere.

3. *Nullam cauſam purè Mechanicam ineſſe ipſi Embolo quâ in altum aſcendit.*

3. Agedum igitur, comminiſcamur quicquid poſſumus Cauſarum corporearum quibus hoc Phænomenon effici poſſit, eáſque in medium proferamus. Neceſſe verò eſt ut ſint in univerſum vel in ipſo *Embolo ſubvecto*, vel in *Cavitate Cylindri* aere ferè exhauſtâ, vel denique in *Aere externo*. Quid autem eſſe poſſit in *ipſo Embolo* quo ſubvehatur in altum præter motum ipſi à circumrotatione terræ communicatum, nè cogitatione quidem conſequi poſſum. Hunc verò in cauſa eſſe non poſſe ex eo liquet, quòd ſolutum plumbum ferrúmve ex hac rotatione non recedit à terra, quemadmodum experientiâ conſtat, cùm tamen plumbum multò ſit ſolidius corio & ligno ex quibus Embolus conſiſtit, & Aer præterea adeò tenuis, quamvis materiæ in cavitate Cylindri ſubtilitate multùm cedat, ut ſi heic recederet Embolus ob tenuitatem materiæ Cylindro incluſæ, tam grandi pondere oneratus, proculdubio illa tenuitas promptiſſimáque diviſibilitas quam experimur in Aere effectum etiam ſortiretur in plumbo ſolido & libero. Nam reſiſtentiam ferè nullam in Aere perſentiſcimus, quemadmodum & ſuprà monuimus.

4. *Nec in Cavitate cylindri aere ferè exhauſti ſubtilique materiâ repleti.*

4. Jam verò in *Cavitate Cylindri* nihil eſt præter reliquias Aeris & materiam *Carteſii* ſubtilem cui hunc ſtupendum effectum imputemus. Quod verò ad Aeris reliquias attinet, tantum abeſt ut hunc effectum illæ promoveant, ut impediant potiùs, aſcenſúique Emboli ſuctorii reſiſtant. Nam hæ aeris reliquiæ in materia ſubtili fluitantes in omnes proculdubio partes Cavitatis Cylindri ab illa agitantur, ac proinde ruentes ſurſum, deorſum, quoquoverſum, depellunt Embolum quantum poſſunt, nè aſſurgat. Quod eò faciliùs faciunt, quòd poros Cylindri Embolíque penetrare non poſſunt.

Nec certè videtur efficientiâ ſuâ carere materia ſubtilis ad deprimendum etiam Embolum, cùm & ipſa in omnes itidem partes, juxta Philoſophiam *Carteſianam*, æqualiter feratur, itáque ferri experientiâ deprehendatur; ex eo utique, quòd reliquias Aeris in Veſicâ collum arctè conſtrictâ, & vaſi vitreo (ſuprà memorato) aere maximam partem exhauſto impoſitâ, contentas itá (undiq; veſicam ſubingrediendo) agitet & excitet, ut ejus latera in orbem propellat, adeóque eam faciat intumeſcere, ut aliquando diſrumpatur; quemadmodum videre eſt in Experimentis quarto quintóque *novæ Machinæ pneumaticæ*.

Præterea, nec ullam Levitatem habet ſurſúmve vergentiam vel Reſilientiam hæc materia, quâ è Cylindro ſurſum avolet, niſi quatenus Embolo ſe impingat, itáque reſiliat; nec ſic impingere poteſt ſine aliquo conatu ad detrudendum Embolum, nec reſilire ſine impactione in ſummitatem Cylindri, & aliquali illinc reflectione in ipſum Embolum, itá ut quaſi duplicatis reverberatíſque ictibus in Embolum perpetuò agere videatur ad eum detrudendum. Tantum abeſt ut hæc interna agitatio, ſi qua ſit, ad aſcenſum Emboli quicquam conferat.

Verùm cùm tanta ſit materiæ ſubtilis in omnes partes agitatio, poróſque habeat Cylindrus ipſi ſatis permeabiles, annon hinc fieri poteſt ut magnâ vi hæc materia amoliendo ſe è Cylindro faciat ut *Embolus ſuctorius* aſcendat? Etenim cùm omnia ſint corporibus plena, materia ſubtilis è Cylindro exire non poteſt, quin eo ipſo aliam aliquam materiam in Cylindrum impellat. Commodiſſimè autem hæc impulſio fieret in ipſum Embolum. Atque hæc quaſi quædam exſuctio eſſet materiæ ſubtilis è Cylindro, quâ ipſe Embolus ſuctorius ad ſummitatem Cylindri rurſus reſorberetur.

Equidem hæc non eſt contemnenda Objectio, ſed quæ tamen haud difficulter ſolvi poteſt. Quamvìs enim concederem ſat agitationis ineſſe materiæ ſubtili Cylindro contentæ quâ quoquoverſum ferri poſſit magna cum celeritate; interim tamen notandum eſt, hujus materiæ particulas intra datum ambitum ſe continere ſolere, ludentes inter ſe, nec quóquam proſilientes, niſi oblatâ occaſione, quæ determinet earum motum verſùs aliquam partem. Celeritas enim earum nihil facit ad avolandum aliquò, niſi via pateat, ſítque aliquid quod in ipſarum locum commodè ſuccedat. Ut videre eſt in materia Solis omnium ſubtiliſſima agitatiſſimâque; quæ tamen locum non deſerit, aut ſaltem non ſine dictis conditionibus: hoc eſt, Nullus eſſet effluxus materiæ ſubtiliſſimæ è corpore Solis per Eclipticam ejúſque partes vicinas, niſi influxus itidem eſſet materiæ ſubtilis in corpus Solis per ejus Polos. Subingreſſus igitur materiæ ſubtilis per Polos Solis facit ut quæ in Sole materia eſt, pro quantitate materiæ per Polos ſubintrantis, itidem per partes Eclipticæ vicinas exeat. Alioqui materia Solis, quantumvìs agitatiſſima & ad quoquoverſum celeriter avolandum paratiſſima, intra ambitum ſuum ſe ſemper contineret. Unde manifeſtum eſt, quòd celerrima illa agitatio materiæ ſubtilis in Cylindro non ſufficit ei ad ſubducendum ſe è Cylindro, niſi ſit quod commodè in locum ſuum ſuccedat, imò verò ingerat ſe in Concavum Cylindri, ibíque inexſiſtentem materiam extrudat & propellat, (ut materia per Polos ſubintrans Solis præinexſiſtentem Soli materiam verſùs Eclipticam protrudit.) Ac proinde cùm non ſit in Cylindro quod extrudat materiam inibi inexſiſtentem, motúmque ejus determinet, manifeſtum eſt, inquam, quòd neceſſe ſit ut intra Concavum Cylindri coercita ludat, nec evolet foras.

Sed tamen cùm adeò agitata exiſtimetur, fingamus paulisper eam per aliquos poros evolare. Num hoc continuò Embolum circumpulſione particularum ſurſum propellet? Minimè gentium. Nam recedente materiâ è Cylindro, æquè facilè illa ſubtilis materia quæ extra Cylindrum eſt influere poteſt in Cylindrum per alios poros, ac illa quæ intra erat exire per alios. Utrùm verò hæc materia quæ adeò ubique præſtò eſt, & ad celerrimos motus peragendos prompta, an ligneus ille Embolus corio indutus, caudam trahens ferream plus centum pondo plumbo onuſtam, uter, inquam, horum alterum præcurſurus ſit, & exeuntis materiæ è Cylindro locum præoccupaturus, Ingenio cuivis vel maximè plumbeo judicandum relinquo. Impoſſibile eſt proculdubio, præſertim cùm tam pauxillum primò materiæ ſubtilis effluere neceſſe ſit, & quod nullam ferè virium rationem habere poteſt ad movendum tantum pondus, quin circulus ille qui in omni motu requiritur fiat in ſola materia ſubtili. Quod nihil ad ſubvehendum Embolum conducit. Unde manifeſtiſſimum eſt, * quòd intra Cylindrum nullæ cauſæ corporeæ puréque Mechanicæ inveniri poſſunt quibus Embolus ſuctorius attollatur.

5.
Nec in materia ſubtili extra Cylindrum.

5. Nec certè *extra Cylindrum*. Etenim ſi ſint, ſunt vel in *Aere* vel in ***materia ſubtili*** extra Cylindrum quærendæ. Quod verò materiam ſubtilem attinet, ut omittam quòd, juxta ſententiam ***Carteſii***, hujus Materiæ munus ſit corpora gravia deorſum depellere ut ipſa aſcendat, ac proinde quòd nulla actio ab ea exſpectanda ſit niſi depreſſio Emboli ſuctorii; illud ſolùm urgeo, quòd ipſa ſubtilitas hujus materiæ facit ut inepta ſit ad ſurſum propellendum Embolum, quia tam facilè poros ejus permeat. Quod ſanè præſtare haud poſſet, quamvìs adinſtar pulveris Pyrii cum aliqua excuſſione vel ſubitanea exploſione ferretur in fundum Emboli, ſed pertranſiret potiùs, ut ſubtile illud fulmen vaginam viatoris, dum liquefacit illius gladium: præſertim ſi conſideremus quanto pondere Embolus ſit detentus, quámque ſparſim potiùs per intervalla particularum Aeris, quàm perpetuâ ac homogeneâ contiguitate, hæc materia ſubtilis in fundum Emboli feratur. Nunc verò, cùm nec ſubitanea hæc exploſio accedat celeri mobilitati hujus materiæ, ſed per modum percolationis potiùs placidè ſe inſinuet in poros Emboli, profectò eo etiam nomine multò mihi minùs efficax videtur illius vis ad Embolum attollendum. (Eadémque conſideratio commodè adhiberi potuit in præcedenti quæſtione.) Ut nihil dicam de mutuo internæ & externæ materiæ ſubtilis occurſu in Embolo, quo externæ pulſus ſurſum aliquantùm frangitur; nec de paucitate particularum luminis, & raritate, quæ tranſeunt per Embolum, eúmque ſubvehunt; quod tam laxum utique luminis corpus, vel tenues radii, plus centum pondo plumbum ſurſum propellant? Quod ſi facerent, laminam etiam plumbeam aptè fundo Emboli applicatam apprimerent & ſuſtinerent. Quod tamen non faciunt. Sed non eſt quòd nimis ſoliciti ſimus de his cauſis Mechanicis ſubvectionis Emboli, cùm nemo quod ſciam eas afferat, nec quiſquam fortaſſis eas ab aliis allatas unquam ſit amplexurus.

6.
Nec in externo Aere condenſato ob aerem è Cylindro ejectum. Ubi hujus Solutionis Phænomeni proponitur Explicatio.

6. Cauſæ igitur purè Mechanicæ ſubvectionis Emboli ſuctorii in *ipſo Aere externo circa Cylindrum* inveſtigandæ ſunt, ibíque inveniendæ, aut nuſquam. Eorum verò qui cauſam hujus Phænomeni in externum Aerem rejiciunt duæ ſunt ſententiæ. Prima

effectum imputat condenſationi externi aeris ab ingreſſu interni è Cylindro foras ejecti factæ : Quemadmodum philoſophatur *Henricus Regius* de eductione ſanguinis per cucurbitam è carne ſcarificata, liquoris è ſubjecta lance per ſcyphum, & lactis è mamilla mulieris per cantharum calidum. Nempe, propterea quòd aer internus cucurbitæ, ſcyphi vel canthari, vi ignis in aerem foris exſiſtentem ferè totus ejicitur, & materia ſubtilis in eorum cavitates impellitur, ex eo utiq; majorem fieri aeris ambientis condenſationem quàm ejus natura patitur, ac proinde materiæ ſubtilis agitatione adjutum dilatare ſe atque extendere aerem hunc condenſatum conari, atque hoc nixu omnia vicina corpora tentare ac premere, quò liberius ſibi ſpatium faciat, & conſtrictiones illas ac complicationes particularum ſuarum ſolvat & expediat. Conatum verò hunc, dum vicina corpora æqualiter reſiſtunt, nullum habere effectum ; ſed ſimulatq; aeris reliquiæ aliorúmque corpuſculorum in cucurbita, ſcypho & cantharo cœperint refrigerari, ſublatâ hâc internâ reſiſtentiâ, conatum expanſorium externi aeris ſenſibilem edere effectum, premendo ſcilicet è lance liquorem in ſcyphum, è mamilla lac in cantharum, & è carne ſanguinem in cucurbitam.

Atque ad eundem modum proculdubio idem Philoſophus Emboli ſuctorii ſubvectionem fieri contenderet ; eum utique ſurſum propelli ob condenſati aeris vim extendere ſe conantis, atque ex hoc conatu impellentis fundum vel baſin Emboli, qui ob eximiam illam tenuitatem materiæ ſubtilis in Cylindro, mirabilémque illius mobilitatem, non modò facilè cedit illius impulſui, ſed, cùm centuplo major vis ſit & ampliùs in hoc præter naturam condenſati aeris nixu expanſorio quàm quæ ſoli Embolo impellendo ſufficit, & ipſe & infixum ſimul ferrum alligatúmque plumbum unà cum ipſo ſurſum propelluntur. Tam ſtupendas, ut videtur, vires habet Aer externus ab ingreſſu è Cylindro ejecti aeris condenſatus.

7. *Propoſita Solutionis Refutatio.*

7. Verùm enimvero, tametſi primo aſpectu aliqualem veriſimilitudinem præ ſe ferre videatur hæc *Regiana* philoſophatio ; ſi tamen in rem ipſam penitiùs introſpiciamus, inveniemus ſanè id quod primâ fronte adeò nobis adblandiebatur omnino ſpem noſtram fallere, nec ſolidi quicquam ſubeſſe huic Mechanicæ Solutioni. Nam ipſum Fundamentum hujus Solutionis infirmum eſt, ferméque nullum. Nulla enim poteſt eſſe hujuſmodi externi aeris condenſatio è ſolis cauſis Mechanicis profecta. Quomodo enim fieri poteſt ut Aer è Cylindro ejectus, cùm Elementum ſit adeò liquidum, non ſtatim diffundat ſe in reliquum aerem, donec æqualis ſit ubique Aeris conſiſtentia? Hoc certè, ſi leges Mechanicas reſpiciamus, multò faciliùs factu eſt, quàm ut in tam libero excurrendi campo Aer Cylindro vicinus patiatur particulas ſuas tam arctè comprimi & complicari, tamq; longè ſupra juſtam naturæ ſuæ conſiſtentiam, præſertim cùm materia ſubtilis ubiq; præſtò ſit ad expanſiones haſce atq; excurſiones ſatis potenter adjuvandas & promovendas.

Fig. 16.



Præterea, cùm Conatus hîc condenſati Aeris expediendi ſe ſuáſque particulas ab iſtis conſtrictionibus & complicationibus quibus ob ſupervenientem condenſationem irretiuntur tantam vim habeat, ut Embolum ſuctorium cum plus centum pondo plumbo ſurſum impellat, ex hoc certè videtur impoſſibile quin virtute tam validi nixûs vel facillimo negotio per omnes partes vicini Aeris non condenſatas eouſq; prorumpat, donec ad parem ferè tenuitatem cum reliquo Aere ſe reduxerit. Qua de re nemo poteſt dubitare qui mobilitatem Aeris promptámq; ejus diviſibilitatem cum prædicto pondere comparat.

Quin & aliud documentum ſatis manifeſtum ſuppetit ex ipſo *Regio* ad demonſtrandum hoc condenſationis Fundamentum fictitium quiddam eſſe & imaginarium, nec ullis ſolidis rationibus inventum aut ſuffultum. Eſtque ejus explicatio rationis fabricandi, putà, Thermometri ABCFE. Nam apertè aſſerit quòd aqua BC in Thermometro, abſq; externi aeris condenſatione ſi foret, nunquam ob internum Aerem refrigeratum aſcenſura eſſet verſùs ſummitatem Thermometri A, cùm tamen ob ſolam refrigerationem Aeris interni AB eò verſùs aſcendat, hoc eſt, ſine ulla aeris externi condenſatione. Alioqui Thermometrum, à loco in locum tranſlatum, & ſolutum à condenſato illo Aere quo cingebatur, recens factum officium ſuum non faceret ob defectum condenſati Aeris, à quo incredibile eſt quin ſe expediat dum transfertur, præſertim ſi id celeriter fiat, aut vento flante contra Thermometrum. Panniculis ſaltem pelliceiſve hic condenſatus Aer à Thermometro abſtergi poſſit, aliúſque in ejus locum ſuccedere, nec Thermometrum tamen minùs fideliter temperiem cœli indicare tinctæ aquæ aſcenſu deſcenſúque, nec aqua ſtatim propter abactum condenſatum Aerem ad F C ſubſidere, ibíque hærere in eadem linea cum E F. Cùm igitur hæc condenſatio externi Aeris tam manifeſtum deprehendatur Figmentum in Thermometro, idem pari jure de reliquis hujuſmodi Experimentis eſt concludendum, ſolámque in eis ſufficere interni Aeris expulſionem, nullam verò novam externi conſiſtentiam requiri.

Quibus omnibus tandem adjicias quod obſervavit eruditiſſimus pariter atque ingenioſiſſimus Scriptor in tertio Experimento *Novæ Machinæ pneumaticæ*. Nempe, quòd impulſo ad ſummitatem Cylindri Embolo, Valvulâque tanta cum cura ac diligentia occluſâ ut nullus Aer ſupra Embolum in Cylindrum ſe poſſit inſinuare, ſi quis continuò Antliam exercet Embolúmque deducit à ſummitate Cylindri ad imum, nullam ſenſibilem differentiam deprehendet difficultatis deprimendi Embolum in toto decurſo ſpatio, ſed pari ferè facilitate, & cùm propè abeſt ab ima parte Cylindri, & cùm parùm à ſummitate ejus receſſit, eum deorſum versùs ope Manubrii detrudi. Quod indicium eſt evidentiſſimum hanc externi Aeris condenſationem ex interni foras ejectione factam merum eſſe Commentum, non verum Naturæ Phænomenon. Nam cùm hoc pacto preſſio externi Aeris ſupponatur centies ſolito fortior evaſiſſe, impoſſibile eſt quin differentia difficultatis deprimendi Embolum prope ſummitatem & prope imum Cylindri ſit notabiliter ſenſibilis: Niſi quis forte arbitretur nullam intercedere ſenſibilem differentiam inter unam & plus centum plumbi libras. Adeò ut abunde ſatìs ſecuri eſſe poſſimus *hanc* Mechanicam Solutionem ſubvectionis Emboli cum appenſo plumbo in *Machina pneumatica* non eſſe veram.

8.
Ultimæ Solutionis Mechanicæ præſentis Phænomeni à vi Aeris elaſtica petitæ Explicatio.

8. Unica ſolummodo jam ſupereſt hujus Phænomeni Solutio examinanda, quæ omnium probabiliſſima videtur, quámque ſuprà laudatus Author ſuo etiam ſuffragio cohoneſtavit. Eſt autem hujuſmodi, occurrítque in hoc ipſo Experimento triceſimo tertio; Totam nimirum Atmoſphæram, ſingulaſque illius partes, gravitare etiam in propriis ſuis locis, & ex hac actuali preſſura oriri *vim quandam elaſticam* in univerſo *aere*, utpote qui ex iſtiuſmodi particulis conſiſtit quæ, cùm flexiles ſint, habent tamen perpetuum conatum reſiliendi reſtituendíque ſe in lineas rectas; cúmque hic conatus quoquoverſum ſe exſerat, *vim hanc elaſticam* æqualiter in omnes partes diffundi, ſurſum, deorſum, decuſſatim, & in tranſverſum, hoc eſt, Conatûs hujus lineas ad omnes angulos ſe invicem interſecare, atque ſic à terra reflecti. Ac proinde, quod præſens Phænomenon attinet, ſubvectionem ſcilicet Emboli ſuctorii versùs ſummitatem Cylindri, ex eo utique illam fieri, quòd Cylindrus Atmoſphæræ ab ejus ſummitate ad terram uſque pertingens, ejuſdémque diametri cum ipſo Embolo exſiſtens, reflectitur à terra in ipſum, cúmque ſuo pondere illinc reverberato in baſin Emboli incumbit, eúmque vi hac elaſticâ, quaquaverſum (ut dixi) excurrente, ſurſum protrudit, quippe qui nè cum plumbo quidem ſuo appenſo tam alti aeris Cylindri preſſuræ, quamvis non majoris diametri quàm ipſe eſt, reſiſtere poteſt. Hæc, quantum ego aſſequor, clara & fidelis eſt explicatio ultimæ hujus Solutionis præſentis Phænomeni; quæ quàm vera ſit jam videamus.

9.
Ejuſdem ex ipſis Explicationis circumſtantiis Refutatio.

9. Quamobrem, ſi mihi meam hìc liberè opinionem profiteri liceat, quanquam hæc quidem Solutio ſatìs in ſe ingenioſa videri poteſt, credibilitatis tamen illius pars longè maxima debetur tam præclari Philoſophi, omníque genere Eruditionis ac Virtutum nobiliſſimi, ſuffragio. Primò enim, ſi hæc Solutio verè Mechanica ſit, quæ tandem cauſa merè Mechanica aſſignari poteſt Gravitationis ſingularum particularum totiúſq; Atmoſphæræ in ſuis locis? Nam quod materiam ſubtilem attinet, eam non eſſe cauſam hujus Gravitationis ex ſuprà dictis in præcedenti Capite facilè colligi poteſt. Neque aliud quicquam corporeum eſt præter hanc materiam & ipſam Atmoſphæram intra Atmoſphæræ ambitum quod Gravitatem corpuſculis imprimat. Deinde, ullam omnino eſſe hujuſmodi corporum particularúmve Gravitationem in propriis locis audacter nego. Sed ea de re pleniùs diſſeremus in Capite ſequenti.

De æquali etiam diffuſione vis Elaſticæ, aut preſſionis, ſaltem particularum Atmoſphæræ, in omnes partes, meritò poteſt dubitari. Nam ſemotâ hâc vi elaſticâ, particulæ tamen Atmoſphæræ deorſum tenderent. Eſt igitur preſſio quædam deorſum præter vim elaſticam ipſi ſuperaddita; ſurſum non item ſed elaſtica ſola. Eſtque ſuppar ratio in preſſionibus tranſverſis & obliquis. Preſſio igitur Atmoſphæræ non eſt quoquoverſum æqualis. Quibus omnibus addas, difficile eſſe intellectu, ſi unius Cylindri Atmoſphæræ pondus æqualis diametri cum Embolo reflectione in fundum Emboli derivetur, cur non quinque alii Cylindri Aeris qui circumſtant Embolum in ejus fundum eodem modo ſimul agere poſſint, ità ut vis ſurſum impellens Embolum ſextuplò major ſit quàm hactenus ab hujus Opinionis fautoribus exiſtimata eſt. Quod ſi ſit, tunc certè, ſiquo artificio fieri poſſit ut unius ſolius Cylindri actio in Embolum admitteretur, reliquorum quinque excluſâ, & pari tamen facilitate Embolus aſcenderet, * manifeſtum indicium eſſet nè unum quidem Cylindrum Atmoſphæræ agere in fundum Emboli, ſed totam Hypotheſin ingenioſam tantummodo eſſe Fictionem.

10. *Robuſtiſſimum Argumentum contra hanc ultimam Solutionem Phænomeni ex ipſis Phænomeni viſceribus erutum, nempe ex eo, quòd vim Aeris elaſticam majorem demonſtret quàm quæ à rerum natura ferri poſſit.*

10. Sed leves hæ videri poſſunt velitationes præ eo quod jam ſequitur. Etenim ex ipſis Phænomeni viſceribus robuſtiſſimum jam contra omnem Mechanicam illius Solutionem Argumentum eruo, & quod non ſolùm contra *vim* Aeris *elaſticam* ſuprà dicto modo explicatam militat, ſed etiam contra *Carteſianum* illum Aeris conatum nixúmque, quo ope materiæ ſubtilis expandere ſe ac diffundere in majus ſpatium perpetuò conari intelligitur. Quem quidem conatum Argumentum quod prolaturus ſum eatenus planè ſubvertit quatenus adæquata ſufficiénſve cauſa præſentis Phænomeni præſumitur.

Eſt enim, juxta hujus Experimenti Phænomenon, *vis* illa *aeris elaſtica* (nixúſve expanſorius) major multò quàm quæ ferri poteſt à rerum natura, quámque quotidianis illius Phænomenis congruit. Nam ſi *nixus* hic *elaſticus* tantam vim haberet ut plus centum pondo plumbum ſurſum poſſit propellere, omnes profecto rerum terreſtrium compages tantâ violentiâ comprimerentur, ut nullæ, niſi quæ admodum firmiter compactæ ſint, tantæ compreſſioni reſiſtere poſſent, quin confringerentur, vel partium colliſione ità contererentur, ut brevi tempore perirent. Et ut miſſas faciam aviculas, limaces, muſcas, & ſimilia minuſcula animalia, quid de noſtris ipſorum corporibus, obſecro, fieret, quorum latera, thoraces & dorſa circumcirca premit vis contrà nitens, quæ non centum, ſed (pro ratione Diametri Emboli, quæ tres tantùm digitos longa eſt) bis mille pondo plumbum ſuperat & amplius? Sed vis elaſtica aeris interna intra Thoracem contra externi vim enitens facit ut non collidamur. At ipſa caro Laterum, habétne illa vim aliquam elaſticam aerémque proprium quo reſiſtat utriuſque tam interni in thorace Aeris quàm externi preſſuræ, quò minùs collidatur conteratúrque tritico faciliùs inter duos molares lapides? Ut taceam de Pulmonibus, quos & internus & externus ſimul Aer comprimit: * Quis *Typhœus* tantum pondus amoliri poterit, liberéq; ſpirare?

11. *Particulare Experimentum in Butyro contra vim Aeris elaſticam, quæ, tametſi tam magna ſit, ſeroſum tamen butyri humorem non exprimit.*

11. Sed & externum aliquod Experimentum capiamus in re multò molliori quàm eſt Caro noſtra. Quale eſt Butyrum. Materia enim hæc mollis & lubrica Argumentum ſanè ſolidum miniméque lubricum ſuppeditabit contra vim Aeris elaſticam. Supponamus igitur Butyri maſſam lanci impoſitam ligneæ ejuſdem diametri cum Embolo ſuctorio, ipſíque lanci latitudine æquatam. Manifeſtum eſt quòd Butyrum hoc premetur ducentarum librarum pondere, cùm duo Aeris Cylindri, unus deſuper, alter ab infrà, & æqualis diametri cum Embolo centenarum librarum pondere, ſinguli butyri maſſam ex oppoſitis partibus premant. Hoc profectò neceſſariò ſequeretur, ſiqua eſſet in Aere hujuſmodi vis elaſtica. Sed butyrum non omnino premitur, quemadmodum liquet ex eo quòd nullus humor ſeroſus ex illo exprimitur, nec ſecundùm lineas Horizonti parallelas quóquam expanditur, quanquam ducentarum librarum pondere quà deſuper quà ab infrà ipſum urgente juxta hanc Hypotheſin comprimitur.

12. *Subterfugii adverſus prædictum Experimentum Confutatio.*

12. Neque certè excogitare poſſum quodnam hìc Effugium quæratur ad declinandam vim hujus Demonſtrationis, niſi fortè occurrat, quòd vis Aeris elaſtica æquè latera premendo butyri atque ejus baſin & ſummitatem, ab extendendo ſe ſecundùm Horizontem ipſum cohibeat. Cui reſpondeo, quòd tamen hoc nihil prohibet quò minùs in omnes partes Horizontales * exprimatur humor ſeroſus & lacteus, ſi revera eſſet ulla hujuſmodi preſſura elaſtica qualis fingitur. Ut nihil dicam de extruſione ſubtilioris Elementi cujus virtute butyrum ſuam mollitiem retinet, * & quo excluſio, indureſceret brevi tempore, & in glebam lapideam vel alicujus metalli maſſam verteretur.

Quibus inſuper addas, quòd tametſi butyri maſſa, in diſci lignei ſpeciem reducta, cujus margo centum vicibus areâ ſit minor, interq; duas laminas ligneas ejuſdem formæ ac latitudinis poſita, filis ſuſpenderetur in aere tanquam in lance, * ità ut preſſura aeris elaſtica quà ab infrà quà deſuper ducentis ferè vicibus exceſſura ſit preſſionem in marginem butyri, butyrum tamen nihilo arctiùs comprimetur per vim Aeris elaſticam, nec aliter hìc afficietur quàm antea, quamvis adeò molle ſit & fluidum corpus, ut perexiguâ manûs vi comprimi poſſit.

13. *Objectioni contra hanc Confutationem obviatio.*

13. Quod tamen non uſuvenire ſolet, ob vim aeris elaſticam manûs preſſioni ſuperadditam, (ut alteri Diverticulo viam claudamus.) * Nam vis Aeris elaſticæ in laminarum lignearum areas agentis exceſſus (quod ſummopere notandum eſt) ſupra eam quâ

agit in rotundum butyri marginem, quàm plurimis vicibus major eſt quàm manûs preſſio elaſticæ vi aeris ſuperaddita, & tamen immanis hic exceſſus nullum ſortiebatur effectum. Quin & hoc addam, quòd vis Aeris elaſtica æquè ferè impedire poteſt hanc compreſſionem pollicis putà indicíſque in interjectum Butyrum, atque eam adjuvare. Nam vis Aeris elaſtica à partibus A ut adjuvat Indicem C, ità obſiſtit Pollici D. Et ſic de vi elaſtica veniente à partibus B, quæ ut adjuvat Pollicem D, ità obſiſtit Indici C. Vis autem elaſtica Aeris inter Pollicem D & C Indicem utriſque integrè obſiſtit.

Fig. 17.



Ac præterea, etiam eo locorum quò vis hæc aeris elaſtica intelligitur non pertingere, ut in mulctrali aquâ repleto, ſi indideris butyri maſſam, butyrum ſanè etiam hîc manûs preſſioni quoquoverſum cedet æquè facilè ac in ipſo aere. Quod nullo modo fieret, ſi manûs preſſio in aere ab ejus vi elaſtica tam inſigniter adjuvaretur. Sed magna profectò cum difficultate, * ſaltem ſecundùm aliquas partes, butyrum in mulctrali digitis comprimeremus. * Adeò ut extra omnem controverſiam poſitum videatur, quòd nulla talis ſit vis elaſtica in Aere qualem è doctis nonnulli ſupponunt, multóque minùs tam fortis ut centum librarum pondus ſuperet. Quod erat demonſtrandum.

14.
Demonſtratio contra vim elaſticam Aeris ab Experimento duorum Marmorum mutuò adhærentium, magnúmque pondus attollentium appenſum inferiori marmori.

14. Quæ quidem Concluſio cùm tanti ſit momenti, quanquam jam ſatìs evidens videri poſſit, confirmabimus tamen eam ulteriùs, ídque argumentandi genere non multùm abſimili poſtremo huic quod modò adhibuimus. Argumento ſcilicet à duobus Marmoribus perfectè planis affabréque politis deſumpto. Quorum ſuperius ſuſpenſum alterum, ab infrà horizontaliter admotum & applicatum, abſque omni glutinis beneficio, etiam cum appenſo pondere octoginta librarum, ſuſtinet, quemadmodum commemorat ſolertiſſimus ille Naturæ Indagator in ***Hiſtoria ſua Firmitatis & Fluiditatis***; qui & hujus cauſam rurſus conjicit in vim aeris elaſticam, cùm tamen ipſum Experimentum mihi videatur luculentiſſimum argumentum quòd nulla ſit hujuſmodi vis elaſtica in tota Atmoſphæra.

Nam ſi ex eo quòd ſuperius marmor incumbentis Atmoſphæræ preſſuram defendit ab inferiori marmore, vis elaſtica erigentis ſe ab infrà Aeris fortitérque nitentis contra fundum inferioris marmoris illud non modò ſolitarium ſed & octoginta libris onuſtum ſuſtentat, certè idem faciliùs præſtaret in lamina lignea quàm fieri poteſt accuratiſſimè complanata, omníque onere libera, vice inferioris marmoris ſuperioris fundo admota. Multò faciliùs, inquam, hanc tenuem laminam ſuſtentaret quàm prædictum marmor octoginta libris plumbi onuſtum.

15.
Objectioni contra præcedentem Demonſtrationem Reſponſio.

15. Sed complanata hæc Lamina lignea tam arctè præciſéque Marmoris fundo applicari non poteſt quin futurum ſit ut * aliquantulum aeris inter fundum Marmoris & Laminam ſe inſinuet. Eſto; Hoc tamen nihil impedit quò minùs columna aeris à terra in laminam aſſurgens eam versùs fundum Marmoris tantâ vi preſſura ſit quanta ad octoginta libras plumbi ſurſum propellendas ſufficeret. Annon igitur tam valida vis perpetuò enitens & propellens ſurſum tam tenuem levémque laminam versùs fundum marmoris, vel invito illo pauxillo aere qui laminam inter & marmor ſe inſinuat, eam tam preſsè conjunget cum marmore ut in terram cadere eam nunquam ſit paſſura? Certè ſiquis, ſepoſito omni præjudicio, rem ſecum accuratè perpendere velit, impoſſibile eſt quin ità ſtatuat, nec admittat quicquam contra tam ſanctam ac manifeſtam Naturæ legem, quòd ſcilicet Major vis ſemper vincit minorem. In comparandis verò viribus duorum corporum, * ea vis ſemper major eſt cujus Moles, * cùm & ſingularum particularum agitatio utrinq; ſit æqualis, eſt major. Quis enim vel per ſomnum imaginari poteſt, * quòd ſingularis granulorum pulveris pyrii accenſorum area ſuperimpoſitum corpus eodem impetu rejectura ſit quo cumulatus eorum cubus? Quis conſimilem ſuperficiem frontémve particularum venti aut turbinis in parietem aliquem arietantium, quamvìs pari celeritate ferantur cum ſuc-

Fig. 10.



cedentibus, pari poſſe robore parietem concutere, tametſi ſolæ & à ſuccedente particularum agmine præſectæ penitùs, ab eiſque deſtitutæ, in dictum parietem irruerent? * Quis denique in ſerie hominum æqualibus viribus præditorum, A B C D E F, ex eo quòd F ſingulos æquet viribus, non erubeſceret ſubinferre, ſi reliqui omnes, A B C D E, conjunctis viribus niterentur contra F, quòd tamen F, ut qui par eſt ſingulis, aut vincat, aut ſaltem adæquet, nitendo univerſos? Quàm ab omni ratione igitur abſonum eſt, ut ſuperficies illa ſive area aerearum particularum quæ inſinuant ſe laminam ligneam inter & marmor ſolidam columnam hujuſmodi particularum vi elaſticâ ſurſum enitentium contra laminam ligneam obnitendo vincat, ipſámque laminam in terram deturbet? Nam ipſa gravitas ligneæ laminæ nullius hic rationis eſt, cùm columna aeris elaſtica octoginta libras ſuſtineat. Unde manifeſtum eſt, quòd ſingularis illa quaſi area particularum aeris inter laminam & marmor ſolidam Aeris columnam, & ſingulæ particulæ in area ſingulas particularum in columna ſeries, quemadmodum F modò dicebatur vincere A B C D E, ſuis quæque ſolius viribus contranitendo ſuperant. Quo tamen nihil fingi poteſt à veritate alienius.

16. *Præcedentium Argumentorum vim ab Aſcenſu Emboli & Deſcenſu Laminæ ligneæ petitorum, ſupponendo Rationem in particulis aereis, cùm ipſis ea revera non inſit, eludi non poſſe.*

16. Evidentiſſimum igitur eſt, quòd nihil corporei in cauſa ſit quòd aut ***Embolus*** in ***Cylindro aſcendat***, aut ***marmor inferius ſuperiori*** ſuſpenſum ***adhæreat***, tantis onuſta ponderibus, ac proinde quòd ſit Principium aliquod in Natura incorporeum. Niſi quis fortè hic iterum recurrere velit ad ridiculam illam abſurdámque Hypotheſin, Particulas ſcilicet aereas perceptione ac conſilio præditas eſſe, ac proinde pro re nata agere ſolere, atque ità, tametſi aliàs quieſcant, vímque ſuam elaſticam intra ſe cohibeant, datâ tamen occaſione, ut in Cylindro aereis particulis exhauſto, vires ſuas exſerere, Embolúmque ſuctorium ob aeris è Cylindro evacuationem ſurſum propellere; eundémque delectum adhibere in marmore & lamina lignea, abſtinendo ſe ſcilicet ab omni nixu contra hanc, in illud verò totam vim elaſticam effundendo.

Quæ quidem Commenta ut in ſe valde vana ac inepta videntur, ità revera ſic eſſe Experimento uno & altero manifeſtò poteſt evinci. Quanto enim conſilio arbitriique libertate polleant hæ particulæ aereæ facilè intelligitur ab Experimentis ſecundo & triceſimo ſecundo ſuprà dictæ ***Machinæ pneumaticæ***. Nam in priori, ſi ex ***Vitri*** ſive ***Recipientis*** operculo ***Verticillum*** quis tentet elevare vel extrahere poſtquam vitrum aere bene evacuatum eſt, miram ſanè ob ***vim elaſticam*** aeris ***Verticillum*** fortiter deprimentis in eo obeundo experietur difficultatem, cùm tamen proculdubio tanto nixu incumbit aer obturato Operculi foramini, ut in vas aere vacuum intret: Nam impleto nixus hic deſinit. Et tamen dum durabat, tantum aberat ut ullum gradum ſibi hinc faceret ad intrandum Aer, ut multò firmiùs ſibi aditum hoc conatu occluderet. Quod certè nullius conſilii aut deliberationis opus eſt.

Sed hujus cæci brutíque impetûs inſtantia adhuc eluceſcentior occurrit in Experimento altero; ubi inferiori ***Epiſtomii*** Ramulo evacuati ***vaſis vitrei*** & ab ***Antlia*** dimoti turbinata æris Valvula A B C D ſtatim apponitur, quæ apta facta eſt ad ingrediendum implendúmque dicti Ramuli Cavitatem, cujus ſolutum oſtiolum C D fibulam habet æneam E cui lanx F G alligatur. Admoto igitur hoc oſtiolo cum lance Valvulæ A B inferiori Recipientis Epiſtomii ramulo infixæ, clavéque Epiſtomii verſâ, rapidi torrentis inſtar ruit Aer contra oſtiolum D E C; dúmque tantâ contentione in ***vas vitreum*** ſive ***Recipiens*** ſe ingerere conatur, eò firmiùs A B Valvulam claudit, aditúmque ſibi intercludit, ídque tam forti nixu, ut decem librarum pondus in lancem F G injectum vix divellere poſſit oſtiolum D E C ab Epiſtomio ***Recipientis*** humíque dejicere. Vides igitur quàm inſana inter ſe agitant conſilia Particulæ aereæ, ſi Ratione deliberandíque facultate ſunt præditæ.

Fig. 18



17. *Nec ſi ipſis ineſſet, eas poſſe laminam ligneam tranſmittere ad terram, marmorq; inferius eodem tempore ſuſtinere.*

17. Et quod ad delectum illum quem faciant in permittendo laminam ligneam deſcendere, & tam fortiter ſuſtinendo marmor inferius, ut prætercam quàm fatuum & inutile hoc inſtituum ſit, id ſolummodo notabo, quàm difficile ſit factu in quibuſdam circumſtantiis, ſi non impoſſibile, quantocunque conſilio ac calliditate polleant hæ Particulæ aereæ. Ut ſi, verbi gratiâ, ſupponamus marmor inferius eſſe A, eíque appenſam eſſe lancem E F, æqualibus filis per quatuor annulos ſingulis angulis marmoris affixos alligatam; Laminam verò ligneam B C D inferioris hujus marmoris fundo quàm aptiſſimè fieri poteſt applicatam, & inferius hoc marmor vi aeris elaſticâ tam firmiter ſuperiori adhærere,

ut etiam lancem E F cum octoginta librarum pondere (juxta ſuprà expoſitum Experimentum) ſuſtineat; & laminam tamen ligneam B C D, quamvìs ducentis vel mille vicibus leviorem, non retineri valido hoc aeris nixu, qui tantum pondus ſuſtinet, ſed humi deſcendere permitti. Quomodo igitur hæ Particulæ aereæ, ſapiant quàm velis maximè & conſilia miſceant, nixum ſuum poſſunt versùs A ità laxare vel cohibere, ut laminam B C D deſcendere permittant, & tamen eodem tempore tam fortiter vim elaſticam exſerere in marmor A, ut ipſum cum annexo pondere octoginta librarum ſuffulciant? Hoc certè requirit ut nixus elaſticus aeris ducenties ſeipſo & major & minor ſit eodem temporis momento: Quod profectò eſt impoſſibile. Sed cadit nihilominus Lamina B C D, ſuffulto adhuc marmore A cum appenſo pondere. Quod ideo certiſſimum eſt indicium, * Particulas aereas nec cum conſilio, nec ſine conſilio, marmor A ſuſtinere & ſuffulcire, ſed aliquod aliud abſtruſius Principium, veréque incorporeum, & à Particulis aereis penitùs diſtinctum. Quod erat probandum.

Fig. 19.



SCHOLIA

In CAP. XII. SECT. 4.

QUòd intra Cylindrum nullæ cauſæ corporeæ puréve Mechanicæ, *&c. Quod intelligi volo de cauſis præcipuis maximéque probabilibus. Nam* Tenſionem materiæ, *exhauſto aere, ſubtilioris factæ, ſive* Funiculum Lini, *ſciens prudénſque omiſi; quanquam ſi vera eſſet iſta Hypotheſis, equidem fateor perquam opportunè huic Phænomeno poſſe applicari. Figmentum verò eſſe non veram Hypotheſin, in* Adnotamentis *in ingenioſam Hydroſtatici ſolertiſſimi Diſſertationem quæ* Difficiles nugæ *ſive* Obſervationes circa Experimentum Torricellianum *inſcribitur, abundè me ſpero demonſtrâſſe, eadem verò hìc repetere ſupervacaneum cenſeo.* Vide Adnotament. 1, 29, 32, 33.

Sect. 9. Manifeſtum indicium eſſet nè unum quidem cylindrum Atmoſphæræ, *&c. Vis argumenti hæc eſt. Quanquam unicus cylindrus directè & perpendiculariter propellat Embolum, tamen cùm alius quiſpiam à ſumma Atmoſphæra, ejuſdem cum illo diametri, vires intelligitur ſuppeditare huic directo, & promovere ſurſum, obliquâ licèt continuatione, equidem cùm & quinque alii pari jure ſingi poſſint directo huic ſic continuari, credibile videri, ſi quo artificio iſti quinque intercipi poſſint, quò minùs ſuam vim ſuppeditent directo Cylindro, illius vim propulſoriam multùm indè diminutum iri. Quod ad me verò attinet, equidem credo cylindrum, cujus baſis nè quinquageſima quidem pars ſit baſis Emboli, continuatum cum Atmoſphæra ſatìs eſſe quò ſubvehatur Embolus cum ſuprà dicto pondere. Nempe tametſi fundum Antliæ C D, arctiſſimè operiretur laminâ æneâ, relinqueretúrque foramen rotundum cujus diameter vix octava pars eſſet diametri Emboli, aſcenſurum tamen ut antea idem pondus facilè conjicio, cùm ſatìs ſim perſuaſus aerem quidem non tam movere Embolum vi ſuâ Elaſticâ quàm cum Embolo ſimul moveri. Neceſſarium autem eſſe foramen ut ſubintret Aer motûſque circulum continuet. Neq; hanc noſtram ſententiam enervare poteſt, quòd veſicæ ſemiplenæ aeris, dum Recipiens in Antlia Pneumatica aere evacuatur, intumeſcentiâ ſuâ ſatìs magnum pondus attollunt, hoc enim nullum naturalem & conſtantem aeris elaterem probat, ſed particularum aerearum pro re nata ſatìs fortem quaquaverſum agitationem. Quod ſit etiam in veſiculis, omni aere expreſſo, & humore tantùm aliquo relicto. Particulæ enim illæ paucæ aqueæ exhauſto aere in Recipiente, motu ſatìs vehementi excitantur, lateráque veſicæ extendunt, cùm tamen Elaterem in aqua, nemo, quòd ſciam, hactenus agnoverit. Mundanáque corpora* non vi propriâ *& pro molis quantitate diſponi argumento eſt experimentum obvium immiſſi Tubi olei, in Tubum aquæ pauxillo majorem Tubo olei, ità ut intervallum inter duos Tubos vix triceſima pars ſit Tubi olei, adeóque Aqua illo intervallo contenta, haud triceſima pars olei: Aqua tamen illa contenta oleum tricies, ampliúſque, gravius, ſuâ (ut volunt novi noſtri Hydroſtatici) gravitate ſuſtentat, premendo inferiorem aquam in fundum*

Tubi olei, adeò ut tenuis ille cylindrus aquæ concavus & ſolidum aquæ cylindrum & olei ſimul ſurſum premat. Quod mihi videtur valdè abſonum, nec obſcurum indicium hujuſmodi Phænomena ab altiori Principio proficiſci.

Sect. 10. Quis *Typhæus* tantum pondus amoliri poterit, *&c. Equidem ad difficultatem hâc ſectione propoſitam apud neminem aut Hydroſtaticum aut Philoſophum ſatis ſolidum Reſponſum reperio. Summa huc redit; Corpus humanum ſatis firmâ ac tenaci eſſe compage, internique aeris elaterem externo ſatis ſtrenuè reſiſtere. At verò cùm utriuſque aeris Elater tam rigidus ſit & quaſi chalybeus, particulæque aereæ tam ſubtiles ac tenues ut acutiſſimæ novaculæ aciem ſubtilitate ſuperent, premantúrque contra ſe invicem interjectámque carnem preſſurâ quæ bis quatérve mille pondo plumbum excedat, quî fieri poteſt ut hujuſmodi preſſura & attritio non totam pulmonum muſculorúmque reſpirationi deſtinatorum, immò verò totius corporis compagem conterat, diſcindat & conſumat, generationéſque rerum omnium, quippe quarum exordia ubique tenera ſunt ac mollia, prævertat aut ſubvertat, primáque vitæ filamenta ac ſtamina ubique locorum diſſecet ac diſſipet? Et certè quantùm ad Reſpirationem, eſt planè incredibile ut vi muſculorum reſpiratoriorum, tam ingentem preſſuram, quæ bis mille pondo plumbum exæquet, à nobis amoliamur, cùm aer per nares putà tractus, occluſo ore, non tam cauſa ſit quàm effectus dilatationis Thoracis per muſculos reſpiratorios, nec internus ille aer tantus, ut oceano quaſi aeris externi tanto molimine contra Thoracem, abdomen reliquáſque circumcircà partes obnitentis poſſit reſiſtere. Et ſi parem vim obnitendi in utriſque fingamus ità ut quater mille pondo plumbum exæquante preſſurâ partes corporis exerceantur, rigidique hi & acuti interni externique Aeris Elateres ſingulis reſpirationibus contra ſe invicem interjectámque carnem pulmonum membranáſque ut & aliarum partium obnitantur, fortiſſimóque hoc motu preſſorio alternis vicibus expandantur quadantenùs ac proſiliant, quid hoc eſſet niſi ſerræ quaſi perpetua reciprocatio, quò omnia compagis corporeæ filamenta diſcindantur aut dilacerentur, quod & in principio ſubinnui? nec nos ſentire interim nos ullo onere gravari, ſed perinde eſſe ſive in altiſſimi montis cacumine ſive in mari immerſi verſemur (cùm tamen proculdubio ſi experimentum* Torricellianum *in ſummitate alti montis & mox intra ipſam aquam fieret, ingens appareret in ſubſidentia Mercurii differentia) hæc inquam, Portenta ſunt fide Philoſophicâ omninò indigna. Clarè interim mihi probare videntur id quod ante hoc ſeculum nunquam in dubium vocatum eſt, Elementa nempe non gravitare in propriis locis.*

Cæterùm antequam progrediar, opportunum hunc locum puto monendi Lectorem, paucis poſt diebus quàm Scholia in hoc ipſum caput proximúmque (ubi res Hydroſtaticæ potiſſimùm tractantur) abſolveram, Libri cujuſdam, Collegium Experimentale *ſive* curioſum *inſcripti, & ab erudito viro* Chriſtophoro Sturmio *ſcripti, Appendicibúſque, quibus* Principium noſtrum Hylarchicum *multùm exagitari dicebatur, aucti famam ad aures meas perveniſſe. Statim ad* Londinenſem *meum Bibliopolam, cùm hîc* Cantabrigiæ *nulla adhuc proſtarent exemplaria, literas mitto, ut librum mihi quàm celeriter paret, mando. Quod intra paucos effecit dies. Librum nactus continuò evolvo, eáque quæ ad me meúmque* Principium Hylarchicum *pertineant, attentè perlego; cúmque Autorem reperirem hominem lepidum & Hydroſtaticum ſanè non ignavum, dignum profectò cujus objectionibus reſponderem judicavi, aut ſaltem monerem ubi in hiſce ipſis Scholiis, eis jam reſponderim, & ubi denique mentem meam minùs plenè eum aſſecutum eſſe planè deprehenderim. Hæc autem omnia quantâ poſſum brevitate præſtabo, ac proinde quicquid ambagium eſt aut feſtivitatum ſciens volénſque prætervolabo, notabóque ea ſola quæ jugulum cauſæ petant: reducendo ſingula ad ordinem Sectionum Capitum* Enchiridii *noſtri. Quarum decima hæc hujus capitis, prima eſt quæ* Chriſtophori Sturmii *aggreſſuram excepit. In dicti igitur Libri* Appendicibus *ſive* Auctariis *pag.* 71, *&* 72. *ad ea quæ hac Sectione occurrunt, hæc reponit,* Internum *ſcilicet* pulmonum ac Thoracis aerem æquali niſu ac elaterio corporis partes extrorſum diſpandere, quantum externus eaſdem forinſecus audet comprimere. *Verùm quàm parùm valeat hoc Reſponſum ex modò dictis ſatis intelligi poteſt, nec opus eſt repetere. Addit verò paulò pòſt, quod novum videtur,* Quidni verò, *inquit,* etiam caro talem habeat aerem cujus adminiculo & externi & interni aeris preſſuræ citra damnum ferendæ par ſit? *Ad quod reſpondeo, ſi totum hominem præter cutem & oſſa aereum fingeret* Sturmius, *& ex elaſticis iſtiuſmodi particulis conſtitutum, nihil proficeret, quemadmodum intelligere eſt ex eis quæ ſuprà diſſeruimus. Rigidi enim iſti Elateres ex quibus homo conſtitutus fingitur, breviſſimo tempore cutem diſcinderet in atomos, oſſáque exederet ut aqua-*

fortis ferrum, aut ignis lignum. Nec hîc quicquam valeret aut oſſium aut cutis rotunditas, non ſanè tametſi æquè rotunda eſſet ac quævis inflata veſicula. Cæterùm ad eludendam obtundendámve hujus argumenti aciem, pro rigidis hiſce ac quaſi Chalybeis Elateris aerei particulis, ſubſtituere velle videtur Sturmius *plumeas & lanugineas, inſtaréque Elaterem aeris non ex rigiditate particularum ſed ex Materiæ æthereæ craſſiuſculas aeris particulas interfluentis vehementiori agitatione proficiſci, eo ferè modo quo* Carteſiani *rem explicant. Sed nec ſic effugiet. Sublatâ enim particularum rigiditate, tollitur aeris elaterium, cùm nihil jam relinquatur quod tot centenarum immò tot millenarum librarum ponderi reſiſtat; ſed hac undique in aere compreſſurâ tota hæc inferior Atmoſphæræ pars lapideſceret dicam an metalleſceret, omni materiâ ætherea, ut eſt res agillima pariter ac ſubtiliſſima, in altum evolante. Facit enim ſumma & ineffabilis partium tenuitas ut admodum ceſſilis ſit & fugabilis, quidni dicam & debilis, ex ſe, quæque nihil earum rerum præſtet quæ ipſi attribuuntur niſi quatenus actuatur à* Principio *noſtro* Hylarchico *ſive* Spiritu Naturæ.

Sect. 12. Exprimatur humor ſeroſus & lacteus, *&c. Ità ſanè nec par ratio eſt de butyro ipſo, cùm illius particulæ ſint magìs ramoſæ & implicatæ. Partes autem ſeroſæ cùm ſint magìs aqueæ, id eſt, læves ac teretes, faciliùs extricantur & exprimuntur in mollem faciléque diviſibilem aerem cujus nulla ferè eſt per partium continentiam obſiſtentia. Neque enim tam aeris obſiſtentia eſt quò minùs per foraminula elabatur aqua in Harpagio, quàm ſuperioris foraminis obturatio. quâ ſit ut aqua nequeat deſcendere niſi relicto Vacuo. Supernè igitur ſuſpenditur aqua potiùs quàm per inferiorem aerem reprimitur aut coercetur.* Sturmius *verò quid ille in hunc locum?* Miratur, *ſcilicet,* Virum adeò ſcrupuloſum non advertiſſe quòd conceſsâ ſemel æquali ex omni parte preſſurâ, iſtorum (*expreſſionis nempe ſeroſi humoris & elementi ſubtilioris*) nihil omninò metuendum ſit. *Sed reſponſum habeat ex jam dictis, causâque tam manifeſtò indicatâ in poſterum deſinat admirari.*

Et quo excluſo indureſceret brevi tempore, *&c. Quòd autem aqua non tam facilè indureſceret, referri poteſt ad lævorem glabritiémve particularum. In ramoſis verò particulis & quæ facilè intricantur multiſq; ſubtilibus extremitatibus præditæ ſunt, alia eſt ratio. Nec impedire poteſt aura illa ætherea quam in* Auctariis *memorat* Sturmius *pag. 72. quò minùs in duram maſſam concreſcant, quemadmodum intelligere eſt ex eis quæ reſpondimus* Sect. 10.

Ità ut preſſura aeris Elaſtica quà ab infrà quà deſuper, ducentis ferè vicibus exceſſura ſit preſſionem in marginem, *&c. Sunt qui vim hujus demonſtrationis ſic eludere conantur, ſupponendo ſcilicet ambientis aeris preſſuram undique æqualem eſſe, butyrique ſuperficiem in æquales partes diſtinctam. Nam ſic effectum iri ſentiunt, cùm ſingulæ partes ſive* Horizontales *ſive in* margine *ſitæ, non niſi unicâ columnulâ Atmoſphæricâ premi poſſint, nec partes* Horizontales, *niſi eodem tempore aliquæ* marginales *partes extrudantur, loco extrudi (quæ tamen ſic extrudi non poſſunt, quippe quæ exiguis aereis columnulis, quarum baſes ipſis ſunt contiguæ, æquali vi introrſum impelluntur) effectum iri, inquam, ſentiunt, ut butyrum facilè intelligi poſſit eodem ſtatu manſurum quo primùm erat conſtitutum. Quod profectò ſatìs ingenioſum eſt ſuffugium, ſed quod vim argumenti noſtri nequaquam enervat. Eâ verò parte maximè vacillat qua aſſerit* marginales *partes pari vi introrſum impelli atque extrorſum propelluntur. Primùm enim, manifeſtum eſt partes ſive portiones butyri cùm & deſuper & ab infrà premantur in ſuperficiebus* Horizonti *parallelis, duplo majori vi premi ſingulas, quàm ſingulas partes marginales, quæ premuntur in una tantùm ſuperficie exteriori ad Horizontem perpendiculari. Deinde cùm ſingulæ illæ* marginales *partes non ſolùm ſuâ duplâ preſſurâ urgeantur extrorſum ſed & centenis putà ampliùs portionibus æqualibus inter centrum & ſeipſas interjacentibus, parique preſſurâ extrorſum ſive marginem verſùs vergentibus, protrudantur, impoſſibile eſt quin centenæ illæ extrorſum preſſæ ſingulas illas ſolitarias introrſum preſſas facillimo negotio vincant locóque extrudant, quippe quæ centum putà ampliùs ſunt, duplóque majori vi ſingulæ extrorſum preſſæ, quæ urgentur contra unam portionem* marginalem *ſubduplâ tantùm preſſurâ adverſùs ipſas armatam. Unde hujus ſolitariæ portionis vis vi centenarum portionum, ducenties meritò reputanda eſt minor. Denique ut magìs ſummatim & in genere vim argumenti noſtri exponamus: Maſſæ rotundæ butyri* area *centies major ſupponitur quàm ſuperficies* marginis, *ipſâque maſſa inter duas laminas rotundas centenarum librarum pondere ab infrà & deſuper premi. Hîc rogo, ſi nulla vis obſiſteret circa marginem, an non certò & celeriter exiliret butyrum per univerſum marginem? Quæro igitur quanta vis requi-*

ratur quæ obſiſtat circumcirca nè excurrat butyrum dum ſic premitur ducentarum librarum preſſurâ. Certè aut major, aut æqualis, aut non multo minor. At verò hîc in hoc noſtro exemplo, vis ducenties minor eſt quæ obſiſtit nè per marginem excurrat. Quomodo igitur non poteſt non excurrere? Aut quid hoc argumento firmius eſſe poteſt aut manifeſtius? Sturmius *igitur quid ille ad hæc? Homo equidem cautus & circumſpectus nihil hîc audet de ſuo, ſed Cercopitheci aſtum imitatus, felis pede quàm proprio mavult caſtaneas ex igni ſibi corradere. Quamobrem cùm ſit* θερμὸν πρᾶγμα, Georgii Sinclari, *viri ut videtur audacis ac ſtrenui, operam hîc adhibet, tandémque* pag. 69. *poſt multas ambages* Sinclari *agens Interpretem ſive* Hypophetam, Verbo, *inquit*, hoc videtur velle *Sinclarus:* Butyrum circumſtare ſphæram quandam aeris uniformiter ejus partes versùs commune quaſi punctum urgentis; adeóque cùm ſinguli hujus Sphæræ radii ſint virium æqualium ſítque æqualis etiam partium butyri omnium conſiſtentia ac renitentia, non eſſe cauſam cur unus prementis ſphæræ radius vim alterius vincat, & ſic totius corporis figura mutetur. *Quod Reſponſum profectò eſt Sphærâ illâ ſtellulatâ Hedypnoidis levius ac debilius, & quod uno halitu difflari poteſt & in lenes auras diſſipari. Accedat igitur huc* Sturmius *Reſponſúmq;* Sinclari *ſui præſenti Inſtantiæ applicet, oculóſq; admoveat figuræ quam deſcriptum eo, quæq; ineptitudinem hujus reſponſi clarè eſt oſtenſura. Pro Sphæra igitur aeris, planum ſit A B C D ejúſq; centrum ſit E. Butyrum inter ſuas duas laminas F G. Ex peripheria A B C D ducitur indefinitus radiorum Numerus ſic ut tendentes ad centrum E deſinant nihilominus & incumbant aut in exteriores facies laminarum, aut in ipſum Butyrum F G. Denique in hac ipſa Aeris Sphæra notentur etiam duo cylindri aerei ſuperior & inferior habentes pro baſibus exteriores facies laminarum, ſintq; F H I G, & K F G L. Hîc oculos mentémque tum* Sturmii *tum* Sinclari *appello, quàm nullius momenti ſit hoc Sphæræ aeris figmentum ad eludendam argumenti noſtri vim. Quàm exigua enim pars Sphæræ, præſertim in Inſtantia noſtra, (ubi Superficies butyri cylindrica nè centeſimam quidem partem plani laminæ excedere ſupponitur) in cylindricam butyri ſuperficiem nitatur, reliquis radiis utrinque in exteriores laminarum facies rectiùs aliis, aliis obliquiùs incumbentibus, ex ipſo Diagrammate primo intuitu manifeſtiſſimum eſt. Quamvìs igitur ſinguli hujus ſphæræ radii ſint virium æqualium, quamvìs etiam partium butyri omnium æqualis eſſet conſiſtentia ac renitentia, cùm tamen pars radiorum adeò exigua in butyri faciem cylindricam, reliqui in ſuperficies ejuſdem planas incumbant, ut inæqualitas preſſionis indè oriatur ſatìs eſt conſpicuum. Quibus demum addas, bellum hoc Sphæræ aeris figmentum, duos iſtos cylindros aereos F H I G, & K F G L centenis utrinque libris exteriores facies laminarum comprimentes, nequaquam tollere aut delere, ac proinde in eiſdem difficultatibus, quibus ſuprà, etiam hîc hæreri. Sphæram interim* Sinclari *aeream palàm eſt nos nullo negotio difflaviſſe, & ut lanugineas iſtas Hedypnoidis ſtellulas in aerem diſpuliſſe, levitérque diſſipâſſe*

Tom. 1 p: 206



——Ut plumas avium pappóſque volantes.

Sect. 13. Nam vis aeris Elaſticæ in laminarum lignearum areas agentis exceſſus, *&c. Ad hunc locum* Sturmius; Verùm quòd fruſtrà hîc ſupponit *Morus* exceſſum aliquem preſſionis in parte aeris una ſupra alteram jam oſtenſum eſt. *Quàm bellè hoc oſtenſum ſit nos in præcedenti ſectione abunde oſtendimus, & quàm nihil ad rem faciant quæ ex* Sinclaro *ſuo attulit apertè demonſtravimus. Vide* Sturmii *Auctaria*, pag. 69.

Saltem ſecundùm aliquas partes butyrum in mulctrali, *&c. Nempe ſi butyrum in mulctrali premeremus adducendo pollicem indicémque in Plano Horizonti parallelo. Partes enim Butyri aſſurgerent contra Elaterem aeris aquam prementis deorſum. Si iſtiuſmodi ſcilicet exiſteret aeris Elater & in aquam quicquam ageret. Sed aut eſſe aut ſic agere illa experimenta non probant in Antlia pneumatica ubi in* Recipiente *Veſicæ ſub aqua, exhauſto aere, intumeſcunt. Hoc Elaterem aeris naturalem vel potiùs Mechanicum & conſtantem non probat, ſed* Spiritum *potiùs* Naturæ *qui pro re* *nata particulas Mundanæ materiæ in varios motus ciet. Quæ* Sturmius *heîc habet leviora ſunt quàm quæ ullum reſponſum requirant, videtúrque mihi illud planè concedere pro quo contendo, digitos nempe noſtros in comprimendo butyro proprias vires experiri nullo armatos elatere aeris aquæve. Vnde igitur concludo, ſatis nobis patere butyrum corpus eſſe molle admodum atque fluidum, & perexigua manûs vi comprimi poſſe.*

Adeò ut extra omnem controverſiam poſitum videatur quòd nulla ſit vis elaſtica, *&c. Ità quidem ex his argumentis à me propoſitis certò deduci poſſe videtur. Cui autem vacat, alia accommodatiſſima argumenta quærat in Adnotamentis meis in* Difficiles Nugas, *Adnot.* 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 47. *Sed pergimus ad noſtra.*

Sect. 15. Aliquantulum aeris inter fundum marmoris & laminam ſe inſinuet, *&c. Hoc ſic fieri exiſtimo ob innumeras inæqualitates, lacunulas nempe ac tubercula in ſuperficie laminæ nobis non conſpicua. In quibus lacunulis particulæ aereæ ſe condere poſſunt & ſepelire. Ac proinde ubi mox* aream *aerearum particularum appello, non ſic intelligi volo ac ſi continua eſſet talium particularum area, ſed tantùm interſperſa, dictis tuberculis pari ferè numero cum lacunulis capita ſua efferentibus.*

Ea vis ſemper major eſt cujus moles, *&c. Hinc igitur factum eſt ut illi Hydroſtatici qui pro Elatere aeris tantopere contendunt, preſſuram volunt lateralis & ſuperioris partis Atmoſphæræ cum hujus areæ aerearum particularum preſſura conjungi. Ità quidem per datam hanc rimulam conatur eorum Subtilitas elabi, & inter alios* Chriſtophorus Sturmius *vir alioquin ingenioſus, Auctar.* pag. 48. *Sed ut omittam, rimulam iſtam ex ſuprà dicta explicatione aliquanto clauſiorem eſſe quàm putabant, addo porrò quòd totam quaſi Atmoſphæram ad ſuppetias vocare in iſtiuſmodi difficultatibus, eſt omnes rationes confundere merámque caliginem ſpeculationibus Hydroſtaticis ſuperinducere. Quam tamen hîc diſpelli ſic poſſe puto. Primùm igitur hîc conceditur, Si ſola aerearum particularum areola laminam inter ac marmor cum ſolo cylindro aereo inter laminam ac terram conferatur, Cylindrum hunc infinitis ferè vicibus potentiorem fore, laminámque non poſſe delabi. Deinde negari non poteſt quin ſi æqualia inæqualibus addantur, tota etiamnum futura ſint æqualia. Dico igitur poſtremò, nihil Atmoſphæræ fingi poſſe quod addatur ad corroborandam vim areolæ Elaſticam, quin eædem Atmoſphæræ partes, aut plures ac majores addi poſſint ad augendam vim Cylindri aerei laminam inter & terram poſiti. Immò tota quaſi Atmoſphæra à ſuperioribus regionibus uſque ad terram fingi poteſt elaſticâ ſuâ preſſurâ in baſin Cylindri agere, ut taceam latera, & attollere contra laminam ligneam. Vnde palàm eſt Cylindrum eſſe victurum, viréſq; ſingulorum ſolorum, Areolæ nempe ac Cylindri, præciſè conferendas eſſe, non quæ ex communi ad utrumque pertinent, admiſcenda. Equidem fateor, vir clariſſimus* Chriſtophorus Sturmius *in Auctariis,* pag. 48. *quâ eſt modeſtiâ, cylindrum tantummodo ſive columnam aeris æqualis altitudinis & baſis cum cylindro inter laminam & terram interjacente & cum areola Aeris laminam inter ac marmor cohærentem in ipſámque ab alto innitentem, cum prædicto cylindro conferendam contendit. Rogo verò hominem gnavum & rerum Hydroſtaticarum haud indiligentem, quo artificio efficere poſſit, ut aut columna aut columna æqualis tantùm Cylindro laminam inter & terram interjacenti cum areola aerea inter laminam & marmor cohæreat, areolámque premat, cùm certè manifeſtum ſit areolam cum toto aere externo cohærere, illiúſq; undique, ſiqua ſit, preſſuræ exponi, horúmque cylindrorum Atmoſphæricorum figmentum originem ſuam experimento* Torricelliano *acceptam referre, ubi columnam Atmoſphæricam unicam ejuſdem baſis cum columna Mercurii, propter immanem altitudinem, Mercurii columnæ æquiponderare augurati ſunt, cùm tamen, quamvìs Superficies reſtagnantis Mercurii baſi columnæ Mercurialis in Tubo decies major ſit, columna iſta in Tubo nihilo fiat altior, nec humilior, quamvìs dicta ſuperficies baſi columnæ Mercurialis decies ſit minor. Quod manifeſto indicio eſt totam hanc Theoriam Hydroſtaticam de cylindris & columnis meram eſſe Chimæram.*

Sed enimverò, utcunq; id fiat, dato quod hîc volunt inſignes noſtri Hydroſtatici, areolam aeream & cylindrum aereum paribus viribus, i. e. *preſſura* 80 *librarum contra laminam utrinque obniti, detinebitur profectò lamina tanquam per forcipem inter areolam & cylindrum, nequaquam verò deſcendet, aut ſaltem, cùm illius gravitas tam exigua ſit, valdè tardè propter adeò rigidum aeris Elaterem. Et quod peſſimè omnium cedit, ſi deſcenſu ad Horizontem perpendiculari viam ſibi ſecet, feretur tardiſſimè, immò nè ſic deſcendet quidem, ſed preſſura utrinque octoginta li-*

brarum quaſi forcipe iterum prehenſa hærebit, cùm tamen iſtoc ſitu celerrimè deſcendat. Quæ rurſus indicio ſunt Elaterem hunc aeris lepidum duntaxat eſſe commentum.

Cùm & ſingularum particularum agitatio utrinque ſit æqualis, *&c. Hìc negat* Sturmius, *Auctar. pag.* 48. *ſingularum particularum aeris vim eſſe æqualem; ſed valdè inſcitè & intempeſtivè, cùm ſiqua ſit inæqualitas vis elaſticæ aeris ac preſſoriæ, major ſanè eſt prope terram quàm remotiùs, unde cylindrus noſter terram inter atque laminam eò firmior erit & contra laminam obnitentior.*

Quòd ſingularis granulorum pulveris pyrii accenſorum, *&c. Illuſtratio hæc à pulvere pyrio & vento, noſtro ſcopo ſatis accommodata eſt, nempe ut oſtendam molem ac multitudinem ad conſtituendam augendámve vim neceſſariò requiri. Quod perinde fit in preſſura atque in pulſu. Nam quemadmodum æquè celeris pulſura pro magnitudine corporis pellentis aut ferientis major eſt, ità & preſſura pro magnitudine corporis prementis numeróve prementium fortior. Res aptiùs fortean à Sclopeto pneumatico illuſtrari potuit, ſed tunc temporis mihi non veniebat in mentem. Vide Adnotamenta in* Difficiles Nugas, *Adnot.* 47.

Quis denique in ſerie hominum æqualibus viribus præditorum, *&c. Tertiam etiam hanc illuſtrationem à ſerie ſex hominum ſumptam adhibendam cenſui, ut Adverſarii veritatem quam defendo digitis quaſi premere manibúſq; poſſint contrectare. Verùm interim illi contendunt ad præſentem cauſam minimè quadrare, tum quòd homines ſinguli vim habeant in ſe ipſis omninóque ab aliis independentem, particulæ autem Aeris elaſticæ vim ſuam habeant ab ipſo obnixu aliarum particularum contra ſe, profectam; tum etiam quòd, cùm ſummam ſingulæ obnitentiam aliarum particularum corporúmve jam paſſæ ſint totiúſque quaſi Atmoſphæræ preſſuram, impoſſibile ſit ut aliarum numeroſitas alias numero pauciores ulteriùs inflectant. Quicquid enim eo in genere fieri poteſt, jam factum eſt preſſurâ totius ferè Atmoſphæræ. Ac proinde minimè ſequi, quanquam quinque homines ſextum contra parietem efficaciter premere & opprimere poſſunt, quòd vel quingentæ Myriades particularum aeris elaſticarum unam ſolitariam contranitendo ulteriùs poſſint inflectere, ſed potiùs hîc rem ità ſe habere ut in quinque veſicis aere plenis ſextæque in terra jacenti ſuperimpoſitis, à quibus quanquam ſexta premitur quidem, nihil tamen cedit.*

Verùm ad primum reſpondeo, nihil referre, modò eadem vis ſit, utrùm aliunde neceſſariò extorta ſit, an ſponte in ipſo Agente excitata; nec ipſum particularum Elaterem aliarum obſiſtentiâ augeri, ſed virium tantùm elateris exertionem, quemadmodum ſextus ille homo proximè parietem pro obnixu reliquorum quinque vires ſuas intelligitur exerere uſque dum ad ultimum ſuarum virium deveniat, victúſque tandem ſuccumbat. Atque equidem ſimiliter incredibile eſt, cùm partes aeris adeò tenues ſint, quin centum librarum preſſura non ſolùm ad ultimum virium elaſticarum eas redigat, ſed etiam diffringat.

Huic igitur difficultati obviat objectionis pars altera, quæ monet ſingulas aeris particulas elaſticas hanc aut majorem preſſuram à tota quaſi Atmoſphæra jam ſubiiſſe, adeò ut nihil periculi indè metuendum ſit. Ad quod ego reſpondeo, hoc ipſum haud obſcuro eſſe argumento preſſuram hanc Atmoſphæræ elaſticam, ingenioſum tantummodo eſſe figmentum, cùm incredibile prorſus ſit adeò tenues particulas, ut ſunt hæ partes aeris elaſticæ, & tam rigidas preſſurâ centum ducentarúmve librarum non frangi. Et quod ad præſentem cauſam ſpectat, tametſi concederem integras manere, nec ſic tamen eludetur argumenti noſtri vis.

Nam primò, ſupponendo aream particularum inter laminam & marmor eſſe continuam, cùm tamen ſimplex ſit, & cylindrus particularum ſuppoſitus ſingulæq; particulæ liberæ, non tanquam veſicis incluſæ, Cylindrique ſingulæ cum ſingulis Areolæ virium æqualium, ingens profectò paradoxon planéq; portentum eſſet ſi tot myriades fortiùs non agerent contra ſingularem particulam quàm ſingularis illa particula contra tot myriadas, quamvis illius elater rectè ſit poſitus. Nam continua preſſura omnium partium cylindri (ut in turba hominum contra ſeriem ſingularem proximè parietem, junctim prementium,) contra areolam neceſſariò prævalebit. Nec areolæ elater intelligi poteſt pro hac preſſura augeri, quin partes ſingularum particularum arctiùs comprimantur, propiúſque ad ſe invicem accedant, quemadmodum fit in tendendo arcu. Quo fit ut elaſticæ particulæ cylindri paululùm ſe expandant & fortiùs fortiúſq; urgeant areolam donec ità comprimatur, ut particulæ areolæ aut frangantur aut ad tam acutos angulos flectantur, ut vis earum elaſtica multùm minuatur, ſi non penitùs pereat.

Deinde, particulæ areolæ ità jacere poſſunt, nempe ſi Planum Horizonti parallelum ad angulos rectos non ſecent, ut ipſarum elater non nitatur adversùs cylindrum aut certè parum admodum. Sic ſanè aut fortuitò aut arte noſtrâ, ſi non & Mechanicâ quadam neceſſitate, diſponi poſſunt marmor inter & laminam.

Tertiò, Si fingamus eas inſuperabili rigiditate ſitúq; Horizontem ſecante, equidem cùm tam ſubtilem habeant aciem, in laminam ligneam propter preſſuram octoginta librarum facilè penetrarent, itáque vim adversùs cylindrum, obnixoriam amitterent.

Quartò denique quanquam hoc non fieret, quod tamen non dubito quin èventurum eſſet, in lamina ſaltem abiegna, tamen recordari debemus, innumera quaſi eſſe tubercula & lacunulas, Tubercula autem numerum particularum minuere, lacunulas verò eas quæ adſunt, ità condere, ut elateris vim mirum proculdubio in modum impediant præpediántve ac prævertant, cùm particulæ in tot quaſi thecis recondantur, & ob profunditatem lacunularum elaterem ibi multùm relaxent, quem nec recuperare poſſunt obnixu cylindri propter dictam lacunularum profunditatem.

Quod verò ad quinque veſicas attinet ſextæ impoſitas; ad hanc rem illuſtrandam minimè omnium quadrant. Illîc enim particulæ incarcerantur itáque conſtringuntur ut pro re nata expandere ſe ac promovere non poſſint, hîc verò liberæ ſunt ad protrudendas ſocias, nec tanquam ad tergum alligatis manibus in ſcenam producuntur.

Sect. 17. Particulas aereas nec cum conſilio nec ſine conſilio marmor A ſuſtinere & ſuffulcire, *&c. Vi nempe ſuâ elaſticâ. Quam aeri ineſſe nec elegans quidem illud experimentum de marmore inferiori in Recipiente (dum aer per Antliam Pneumaticam evacuatur) delabente, ſatis firmo eſt argumento. Quippe quod probat tantummodò talem quidem conſiſtentiam aeris requiri, nullum autem Elaterem. Cùm verò totum ſpacium in Recipiente impletum ſit tantâ copiâ materiæ ſubtiliſſimæ, naturaliſq; aeris conſiſtentia jam ſit perdita, minimè mirandum eſt, ſi ſatis magno agmine inter duo marmora materia ſubtilis ſe inſinuet eâque disjungat, cùm conſiſtentia aeris, cui per hanc marmorum cohæſionem à Natura proſpectum erat, nè fieret heterogeneus ſubtiliori elemento in aere hiatus, jam fracta eſſet planéque abolita.*

Quòd nullus verò ſit aeris Elater, *qualem volunt nonnulli haud imperiti* Hydroſtatici, *ab illa ratione, inter alias, quam obiter ſuprà indicavi, mihi quidem videtur manifeſtiſſimum, nempe, quòd levis illa lamina abiegna marmoris fundo ſubdita vix unam unciam pendens quâ feratur deorſum, ità quidem ſita ut plano ſuo planum horizonti parallelum ſecet, nequaquam tunc poſſit deſcendere, cùm preſſura deorſum propter gravitatem, rationem tantùm habeat unius ad* 2560, *cum vi quæ eam in aere retineat, comparata. Comprimitur enim firmitérque tanquam forcipe retinetur preſſura octogenarum librarum ab utroque latere, unde neceſſe eſt ut pendula hæreat in aere. En Elateris aerei, ſi modò eſſet, non miraculum quidem, ſed naturale & neceſſarium Phænomenon. Cùm verò hoc Phænomenon non ſit, ſatis liquidò indè conſtat, nec Elaterem aeris eſſe.*

Hoc argumentum contra Philoſophos Elaſticos *nullum ad quod recurrant admittit ſubterfugium. Non quidem ad preſſuram Atmoſphæræ deorſum. Quippe quòd ſuppoſito quòd Planum Horizonti parallelum laminam abiegnam rotundam per centrum ſecet ad angulos rectos, quantum certè elater aeris in ſuperiorem convexitatem marginis valiturus ſit ad detrudendam laminam deorſum, tantundem idem aeris Elater à terra ſurſum enitentis in inferiorem convexitatem valebit ad eam ſuſtinendam, ità ut nihil præter propriam gravitatem, quæ vix unam unciam pendet, habeat quo urgeatur versùs terram, Aeris interim Elatere utrinque planas illius facies comprimente (tanquam forcipe) vi mille ducentis octoginta vicibus majori. Nec ad lubricitatem ſive fluiditatem aeris hîc recurrere poſſunt Philoſophi* Elaſtici, *cùm hæc fluiditas nihil obſtet, juxta ipſorum ſententiam, quò minùs aer marmor ſuſtentet appenſo etiam octoginta librarum pondere. Quid ad hæc reſponſurus ſit ſedulus ille Hydroſtaticus* Chriſtophorus Sturmius *cum* Sinclaro *ſuo equidem præſagire non poſſum. En nodum dignum in quem duo illi ſtrenui Philoſophi* Elaſtici *dentes ſuos exerceant !*

CAP. XIII.

Sexta Demonſtratio, ab Aſcenſu Laminæ ligneæ ab imo ad ſummum vaſis aquâ repleti, & à Non-gravitatione Elementorum in propriis locis.

1.
Gravitatis Deſcriptio, cum ejus Explicatione.

1. UT præſentis Argumenti vis faciliùs intelligatur, à Non-gravitatione corporum in propriis locis, pauca hîc de ipſa natura Gravitatis rurſus ſunt prælibanda. ***Eſt*** igitur ***Gravitas nihil aliud niſi corporum propter ſuam ſoliditatem ad locum aliquem tanquam ad centrum motus, aut ſaltem ad motum conatus.*** Qui motus ſive conatus ad motum ſi actu ſit, ***Gravitatio*** dicitur. Eſt autem hæc Deſcriptio è certis argumentis & evidentibus. Etenim quamvìs de principio hujus corporum motûs obſcuritas aliqua ſubeſſe poſſit & dubitatio, de ipſo tamen motu nulla, nec quòd ad locum aliquem tanquam ad centrum moveantur. Quod cùm de particulis ſubtiliſſimi Elementi ex quibus Sol Stellæque fixæ conſiſtunt æquè verum eſſe poſſit ac de particulis Terreſtribus ac Planetariis quæ ad centrum Terræ & cujuſque Planetæ tendunt, ideo reſtringenda erat natura Gravitatis ad iſtiuſmodi corpora vel corporum particulas quæ ob ſoliditatem ſuam ad centrum aliquod ſuo motu contendunt. Quanquam enim in efformatione Solis Stellæve fixæ Elementi ſubtiliſſimi particulæ versùs centrum Vorticis deſcendere concipiantur; nemo tamen ob id ipſum graves eas eſſe, propter ſoliditatis defectum, pronunciabit.

2.
Si nihil in rerum natura eſſet præter Materiam, Elementa gravitarent in propriis locis.

2. Jam verò, ſuppoſito quòd nihil omnino ſit in rerum natura præter Materiam, nulla cauſa fingi poteſt quâ ſolida quædam corpora corporúmve particulæ tanquam ad aliquod centrum contenderent, niſi quòd illas aliæ aliquæ particulæ eò propellerent dirigeréntque. Quæ, cùm ubique præſtò ſint, motúque excitentur, perpetuò dicta corpora corporúmve particulas ad certum centrum depellunt. Quemadmodum revera fieri hîc deprehendimus circa Terram: ubi ſi quod ſolidum levatur à terra, manúque pauliſper tenetur, ſimulatque manum ſubtrahas, continuò ad terram deprimitur. Nempe quia ubique præſtò ſunt hæ particulæ depreſſoriæ, quæ motu ſuo ſolidiora corpora deorſum propellunt.

Quæ particulæ cùm ſint à corporibus ſolidis ſolidíſque particulis diſtinctæ, manifeſtum eſt quòd totam ſeriem hujuſmodi particularum ſolidarum deorſum premere non poſſint, niſi ſingulas premant. Unde neceſſe foret quòd Elementa gravitarent in propriis locis. Quòd autem neceſſe ſit ut ſingulas propellant premántque, ex Schemate ſuprà adhibito facillimè intelligitur. Nam in ſerie ſex hominum, A B C D E F, impoſſibile eſt ut tota eorum ſeries ad Murum G H K I protruderetur, niſi aut tantâ vi A protrudatur ut protrudat B, & B protruſus protrudat C, & ſic uſque ad murum G H K I; aut præponantur quaſi ſex alii homines, ſingulis unus, qui ſingulos homines A B C D E F murum versùs protrudant. Utrocunque modo fiat, palàm eſt quòd ſit actualis protruſio omnium & preſſio versùs murum G H K I. Et eandem planè rationem eſſe oportet in gravitatione corporum liquidorum. Neceſſe utique eſt ut partes ſingulæ gravitent, cùm totius ſit gravitatio, ſi non ſit aliquod immateriale Principium in rerum natura, vel, quod idem eſt, ſi motu merè Mechanico externóque eas urgente particulæ ſolidæ versùs terræ centrum deſcendant.

Fig. 10.



3.
Gravitationem Elementorum in locis propriis Experimento primo in Paradoxis Hydroſtaticis *valde conſonum eſſe; ſed tamen ex eo concludi eam non poſſe, quandoquidem aliis Experimentis tam manifeſtò repugnet.*

3. Atque ſanè huic externi motûs Hypotheſi, & Gravitationis Elementorum in propriis locis indè neceſſariò emergentis, apprimè conſonum eſt primum illud Experimentum quod ingenioſiſſimus Scriptor profert in ***Paradoxis*** ſuis ***Hydroſtaticis***. Vaſis utique vitrei, putà A B C D, aquâ pleni ad L M, cui Tubi vitrei oleo terebinthino ſuctione aliquatenus impleti immerguntur, Tubus P Q uſque ad G H, Tubus R S uſq;

ad I K, & Tubus denique N O uſque ad E F. In ſuperficie verò G H Cylindrus olei X Q non effluit, propterea quòd Cylindrus aquæ à ſuperficie imaginaria G H, uſque ad ſuperficiem realem aquæ L M, ejuſdem diametri cum Cylindro olei Q X, æqualis eſt ponderis cum ipſo: Ac proinde cùm ubiq; in ſuperficiem G H æqualis ſit preſſio, nihil aſcendit vel deſcendit. At verò in Cylindro olei S T, majoris ponderis quàm eſt Cylindrus aquæ ejuſdem diametri inter ſuperficies L M & I K interceptus, oleum effluit, ex eo quòd fortiùs premit partem ſuperficiei I K in S quàm ea in aliis partibus premitur. In Tubo autem N O aſcendit oleum ab O ad α, quia ſuperficies E F debiliùs premitur in parte O quàm in reliquis omnibus partibus. Compreſſio igitur reliquarum partium ab incumbente aqua neceſſariò cogit oleum aſcendere, putà uſque ad θ, cúmque ipſo oleo ſubjectam aquam ad α uſque. Atque hoc proculdubio ſic eveniret, ſi actualis eſſet Gravitatio in ſingulis partibus aquæ, ac pro ratione profunditatis aquæ ad ſingulas ſuperficies imaginarias compreſſio eſſet major vel minor. Adeò ut hæc vera & genuina ratio eſſe poſſet hujus Phænomeni. Verùm, quòd ex hoc Phænomeno ſive Experimento actualis Gravitatio Elementorum in propriis locis poſſit evinci, id prorſus nego, quippe quòd hæc concluſio cum aliis Experimentis planiſſimè repugnet.



Fig. 20.

4. Nam ſi hujuſmodi eſſet Gravitatio actualíſque preſſio ſingularum partium aquæ in partes ſubjectas, impoſſibile eſſet ut Lamina lignea rotunda, paulóque minoris diametri quàm vas vitreum A B C D, ad ejus fundum uſque demerſa, ſuâ quaſi ſponte reſurgeret ad ſummitatem aquæ L M. Vel, ſi malles, fiat Experimentum in Situla aquæ plena, funéque à trabe ſuſpenſa, vel in majori aliquo vaſe tantæ capacitatis, ut aquæ pondus unius hominis vires planè ſuperet: ſítque illud Vas vel Situla F G H I, habens ſua latera F H & G I ubique æquidiſtantia ſive parallela, ità ut Capacitas vaſis ſit perfectè cylindracea. Sítque lignea Lamina rotunda K L M, ejúſque diameter K M partium 61 qualium diameter Vaſis eſt partium 62, ità ut rotunda lamina facilè labatur ab F G ſummitate vaſis ad fundum ejus H R I, faciléque à fundo excutiatur vel effundatur vaſe inverſo. Jam verò ſupponatur lamina lignea K L M vaſi injecta ad fundum H R I eſſe delapſa, & ſuperinfundatur aqua laminæ ligneæ ad fundum baculo detentæ nè ſurgat, donec vas impleatur aquâ uſque ad ſummitatem F G. Tum retrahatur baculus, retractóque baculo ſtatim videbitur lamina lignea aſcendere versùs F G, donec ad aquæ ſummitatem perveniat eíque innatet. Quod prorſus impoſſibile eſſet, ſi omnes partes aquæ ab F G ad H I non ſolùm junctim fundum vaſis, ſed ſingulæ ſingulas in eadem ſerie ſubjectas, actu premerent.

4. *Experimentum ligneæ Laminæ à fundo Situlæ aquâ repletæ ſpontè aſcendentis ad aquæ ſummitatem.*

Nam cùm diameter laminæ ligneæ K M partes 61 habeat quales diameter vaſis H I habet 62, manifeſtum eſt quòd ſuperficies fundi vaſis ad ſuperficiem laminæ ſe habet ut 3844 ad 3721; quorum differentia eſt 123. Itaque rotundum Intervallum inter latera vaſis & marginem laminæ ligneæ habet ſe ad aream laminæ ut 123 ad 3721, hoc eſt, area laminæ ligneæ excedit aream dicti Intervalli plùs quàm triginta vicibus. Ac proinde aqua incumbens ligneæ laminæ excedit magnitudine aquam incumbentem dicto intervallo inter marginem laminæ & latera vaſis plùs quàm triginta vicibus, pondúſq; ſive preſſio hujus alterius pondus preſſionémque vincit plùs quàm triginta vicibus. Adeò ut impoſſibile ſit ut aqua incumbens prædicto intervallo ità premat aquam ipſi ſubjectam, ut hujus vi ſublevetur lamina quam vis tricies major deprimit. Quod æquè abſonum atque abſurdum Phænomenon eſſet, atque ſi pondus lanci injectum alteri ponderi ipſo tricies



Fig. 21.

tricies majori in oppoſitam lancem impoſito præponderare, etiam in juſta trutina debitóque medio, videremus. * Hæc tam luculenta demonſtratio contra Gravitationem particularum aquæ inter ſe, quamvis junctim ſitulæ fundum urgeant, ſi non ſit vera atque ſolida, equidem nec meis ipſius nec ullius unquam mortalis in poſterum ratiociniis credam.

5.
Experimentum Obturaculi Valvulæ imo Tubi affixæ ad certam profunditatem immerſi, manentiſq; valvulâ in Tubum ipſum perforatâ, obſtructâ vero in vaſis fundum cadentis.

5. Verùm, quamvìs unicum hoc Argumentum mihi ipſi ſufficiat ad faciendam rei fidem, aliorum tamen causâ, qui hæſitantiores ſunt, unum & alterum ad corroborationem tantæ veritatis ſuperadjiciendum putavi. Quorum primum hoc eſt; nempe, Si omnes particulæ aqueæ in vaſe contentæ ſubjectas particulas deorſum premunt, neceſſariò ſequi, ſi quâ arte ſuperincumbentis aquæ preſſio in aliquam partem ſubjectæ aquæ intercipi poſſit & inhiberi, quòd compreſſio reliquæ aquæ dictam partem ſurſum urgeret & attolleret. Quod id ipſum eſt quod egregius Author in ultimo ſuo *Paradoxo Hydroſtatico* primo aſpectu videtur demonſtràſſe, in Experimento Tubi cavi Valvulæ inſerti, & in ſatis profundum vas aquâ repletum immerſi, v.g. in vas vitreum A B C D. Ubi Tubus E P Valvulæ G P H inſertus tam profundè immergi poteſt, (putà uſq; ad V W,) ut non ſolùm Obturaculum Valvæ æneum G H non excidat, ſed tam fortiter ſurſum urgeatur, ut etiam ſatìs grandem lapidem K ipſi appenſum ſuſtentet. Quod ex eo fieri autumat ingenioſiſſimus Author, quòd columna aquæ ab I L ad V W pertingentis, & ejuſdem diametri cum Obturaculo, multò ponderoſior ſit ipſo Obturaculo ſolo ſine aqua ipſi perpendiculariter incumbente. Quæ quidem aqua cùm beneficio Tubi & Valvulæ E G H prohibeatur nè deorſum premat Obturaculum G H, (Tubi enim orificium E eſt ſupra ſummitatem aquæ I L,) ſolúſque Aer inſit Tubo E F, pondus ſolummodo Obturaculi cum aere relinquitur quod nitatur contra preſſionem aquæ incumbentis in ſuperficiem V W. Quæ proinde cùm multò fortior ſit preſſurâ ponderis Obturaculi & aeris, neceſſariò illud ſurſum urget cum appenſo lapide.

Fig. 42.



Et quòd ſurſum urgetur cum appenſo lapide lubens agnoſco. Id verò ex eo fieri, quod Tubus cum valva defendit ab ipſo ſuperincumbentis aquæ preſſuram, conſtanter nego. Nam ſi idem Tubus E F cum valvula perfectiſſimè obturetur circa P, ità ut nè minimum quidem Aeris ſe inſinuare poſſit, eodémque ſitu ſit poſitus, nempe ſuper ſuperficiem V W, tantum tamen abeſt ut Obturaculum G H cum appenſo lapide K à ſubjecta aqua ſuſtentetur, * ut nè nudum quidem ſuſtineatur, ſed ſtatim excidat remiſſo filo, deſcendátque ad fundum D C, quanquam obturatione Tubi circa P etiam ab incumbenti Aeris preſſione defenditur.

Quod manifeſtiſſimum indicium eſt, cauſam ſuſtentationis Obturaculi Valvulæ cum appenſo lapide in aperto Tubo * referri non debere ad actualem preſſionem particularum aquæ inter ſe, quæ eſt earum Gravitatio, & ad remotionem hujus Gravitationis aquæ ab Obturaculo interpoſitu Tubi cum Valvula, ſed ad aliam aliquam cauſam; ſimilitérque rem hìc fieri ac in *Obturaculo Valvulæ Epiſtomio Recipientis inſixæ*, quod irruentis aeris vi, cum lance, cui decem librarum pondus injectum erat, ſurſum fortititer propellebatur in Valvulum, ibíque firmiter ſuſtentabatur, quemadmodum fuſiùs rem * ſuprà deſcripſi.

* Cap. 12. Sect. 10.

Intereà loci ſatis liquet ex obturatione Tubi circa P, ejúſque interpoſitu ad amoliendam omnem aquam quæ Obturaculum G H deorſum pellat, éque caſu nihilominus Obturaculi G H ad fundum C D, quamvìs ad ſuperficiem V W uſque immerſi, quòd nulla eſt iſtiuſmodi Gravitatio particularum aquæ in ſitula qualis à viris quibuſdam doctis ſupponitur.

6.
Ex eo quòd Urinatores nullum dolorem ſentiunt ſub aqua marina, conſtare quod particulæ aquæ non gravitent inter ſe.

6. Alterum Argumentum, quod & ultimum erit, ab Urinatoribus deducitur, qui in medio mari, quanquam hujus aqua fluviatili multò ſit ponderoſior, nullam tamen preſſionem ſentiunt, multò minus læduntur vel enecantur, tantâ aquarum mole oppreſſi. Videtur enim res non ſolùm incredibilis, ſed & planè impoſſibilis, ut mille, putà, pondo aquæ actu gravitantis incumbant Urinatoris corpori, párque vis aut forſan major ab infrà ipſum ſurſum urgeat, juxta præſentem Hypotheſin, nec tamen hic tantam ſentiat preſſuram. Nihilo enim ſuſtentatur columna aquæ quæ Urinatoris corpori incum-

bit, ſed ſoluta eſt, & ſine omni impedimento pro ſuo pondere premit ſubjectum corpus mille, putà, pondo preſſurâ. Hæc deſuper ipſum urget, totidémque, ut fit, ipſum urgent ab infrà, ídque æquè libero impetu. * Certè impoſſibile eſt, quin tantæ preſſionis vi, ſi revera fieret, omnia illius oſſa colliderentur, omnéque quod tenue eſt & ſubtile, ut animales ſpiritus, materia ſubtiliſſima, & id genus reliqua, è toto corpore exprimerentur, nec quicquam ferè præterquam quod craſſum eſt relinqueretur in corpore.

Nec ſanè quicquam prodeſt illud ſubterfugium, * quòd corpus Urinatoris undique æqualiter premitur, quódque ex eo fit quòd nec corpus illius læditur, nec ipſe ullum dolorem ſentit. * Nam tametſi hæc preſſio æqualis ſit, nihil tamen impedit quò minùs ſubtiliores partes corporis magíſque fluidas exprimat & elidat. Ut prætercam, non ſufficere quòd externa preſſio æqualis ſit, * niſi vis & reſiſtentia partium corporis inter ſe ſit etiam æqualis : quæ tamen non eſt. Ac proinde partes infirmiores & molliores immani hâc preſſurâ à firmioribus divellentur & luxabuntur. * Sed ut nè ſentire quidem onus Urinator in mari ſtatim mille pondo onuſtior quàm in aere ſuper terram exiſtimetur, adeò ab omni veriſimilitudine abhorret, ut meritò mirari poſſis in cujuſvis hominis cogitationem cadere potuiſſe tam ſtupendam opinionem.

7. Ex his igitur certiſſimè conſtat particulas aqueas in ſitula non gravitare inter ſeipſas, quamvìs junctim omnes ſive tota aqua in fundum ſitulæ gravitet, ídque tanto conatu ut, niſi impediretur fundi firmitate, in terram prorumperet præceps magnóque impetu corrueret. Quòd autem tota aqua gravitet in ſitula F G H I ex eo liquet, tum quòd funis O P tam ſtrictè rigidéque tenditur vi ponderis; tum etiam quòd pro quantitate aquæ in ſitula manu ejus fundo ſuppoſitâ illius gravitationem ſenties. Quódque hæc Gravitatio conſtans ſit & perpetua ex eo manifeſtum eſt, quòd illa rigida funis tenſio perpetua eſt, fundíque Gravitatio ſine intermiſſione in manum ſuppoſitam ad R.

7.
Ex Gravitatione totius aquæ in ſitula, intermediis particulis non gravitantibus, Cauſa immaterialis concluditur. Vide Fig. 21.

Jam verò, cùm tota hæc aqua conſtet ex particulis aqueis non compactis vel concretis, ſed ſolutis à ſe invicem, impoſſibile eſt ut omnes fundum ſitulæ premant, niſi infima quæque ab omnibus ſuperioribus prematur, quemadmodum clarè demonſtravimus in ſecunda Sectione hujus Capitis; nempe ſi nullæ cauſæ niſi purè Mechanicæ (quales ſunt Motus localis, Magnitudo, Figura, *&c.*) in edendo hoc Phænomeno ſe intermiſcent. * Imò verò, quantumvìs ſupponeremus ſingulas particulas aqueas ſenſu, ratione, liberóque ſe movendi principio, eſſe præditas; tamen omnibus ſuis conſiliis & conatibus efficere non poſſent, ſine infimarum & intermediarū preſſione, ut omnes ſitulæ fundum junctis viribus (ídque pro ratione numeri vel copiæ particularum eum deorſum ſimul impellentium) urgerent & primerent : Quemadmodum nec ſex illi homines junctim in murum G H I ſe trudere poſſunt ſine truſione ſingulorum quinque intermediorum murum inter primúmque hominem poſitorum.



Fig. 10.

Ex eo igitur quòd ſit juncta omnium particularum compreſſio in fundum Situlæ ſine preſſione intermediarum, manifeſtum eſt quòd altior quædam ac Divinior cauſa ſubeſt huic Phænomeno quàm quæ purè ſit Mechanica. Hujuſmodi ſcilicet quæ, cùm una ſit & immaterialis, omnes particulas in Situla poſſidet & actuat, non ſolùm aqueas illas, ſed alias (cujuſcunq; ſubtilitatis) minutiores ipſis intermixtas; quas tamen omnes tanquam unum corpus regit atque ordinat, debitíſque locis & diſtantiis diſponit, eóque ordine diſpoſitas firmiter conſervat, junctímque omnes ſic ordinatas, cùm ipſa una ſit, tanquam unum corpus pro data occaſione huc vel illuc propellit, aut ſaltem propellere conatur; qui conatus vulgò *Preſſio* dicitur. Adeò ut fluida hæc Mundi materia videatur quaſi organum & vehiculum hujus Principii incorporei, quo utitur dum in alias atque alias materiæ partes agit. Quod quò majus eſt, eò fortior eſt actio ab hoc immateriali Principio profecta in eam partem materiæ in quam agunt tum Organum hoc tum ipſum Principium immateriale.

8. Quem-

8. *Ulteriúſq; detegitur & confirmatur ex aſcenſu Laminæ ligneæ ab imo ad ſummitatem Situlæ.*

8. Quemadmodum verò particulæ aqueæ abſque hoc Principio incorporeo non poſſunt junctim omnes, intermediis non gravitantibus, in fundum Situlæ gravitare; ità multò minùs Laminam ligneam K M in fundo jacentem ad ſummitatem ſitulæ elevare vel tranſmittere. Propterea quòd, ſublato hoc Principio incorporeo, non poſſet eſſe Gravitatio totius aquæ, non gravitantibus intermediis. Nec eſt ulla Gravitationis ſingularum partium intermiſſio, prout ſuprà, ex non intermiſſa Funis O P tenſione & perpetua fundi ſitulæ in manum ad R poſitam gravitatione, probatum eſt. Manifeſtum autem eſt, quod niſi particulæ ſuperiores ſubjectis incumbentes particulis gravitationem ſuam cohibeant, inferiores à preſſura ſua ceſſare non poſſe: v. g. Niſi particulæ quæ intercluduntur inter $\alpha\,\beta$ & F G gravitationem ſuam ſuſpendant & coerceant, particulæ ſubjectæ inter $\alpha\,\beta$ & K M neceſſariò deprimuntur, ipſámque laminam junctâ vi omnium particularum inter F G & $\alpha\,\beta$ contentarum deprimunt, ità ut nullo pacto ſurgere poſſit, quemadmodum ſuprà demonſtravimus Sect. 4. Ac proinde ipſa aſcenſio laminæ ligneæ è fundo ad ſummitatem Situlæ exſiſtentiam alicujus Subſtantiæ incorporeæ porrò indicat & confirmat. Etenim gravitatione fundi in manum rigidâque funis tenſione non ceſſantibus, juxta agnitum Phænomeni tenorem, nec ſi ratione & conſilio pollerent hæ particulæ, liberóque, quod dixi, ſe movendi principio, ità ſe gerere poſſent ut laminam ligneam K M, in fundo H R I jacentem, ad ſummitatem vaſis F G trajicerent.

Fig. 21.



9. *Quòd preſſio aquæ in Situla non eſt in omnes partes æqualis.*

9. Eſt autem una eadémq; Subſtantia incorporea omnes ſinguláſque partes aquæ in Situla ipſámque laminam penetrans, quæ & laminam ipſam ab imo ad ſummum vaſis tranſponit, particuláſque aquæ ità tenet diſpoſitas, ut quamvis omnes junctim in fundum Situlæ gravitent, non gravitent tamen inter ſe, nec ità reſiſtant aſſurgenti laminæ, quin tacito paſſu ad ſummitatem aquæ tandem emergat, nec ipſa interim (ſive in imo ſita, ſive in ſummo, ſive in ipſo aſcenſu) deſinens eſſe pars conjuncta hujus organi vel vehiculi quo utitur hæc vis incorporea ad deprimendum aut è via amoliendum quicquid obſtat hujus vehiculi motioni quâ fertur deorſum terram verſùs, quæ conſiſtentiam habet magis congenerem cum lamina & aqua quàm aer in quo pendent.

Et certè, quantum ego video, juxta Situlæ Experimentum, tota tendentia aquæ eſt deorſum, preſſióque nulla eſt quæ deprehendi poteſt aut ſurſum aut in tranſverſum. Nec ſanè, ſiqua eſſet, valeret magis verſùs F H quàm verſùs G I, cùm par ſit in utramque partem preſſio. Nec ullum diſcrimen reperitur ab eo qui Situlam amolitur à perpendiculo O P R, nunc F H verſùs, nunc verſùs G I. Hoc tantùm notare poteſt, quòd eſt ſenſibilis nixus accedendi rurſus ad perpendiculum O P R, propterea quòd in acceſſu ad illud Situla deſcendit propiùs ad terram quantum Funis O P illam permittit. Adeò ut omnis vergentia preſſióque aquæ ſit deorſum, non æqualis quoquoverſum: ſaltem non eſt ſurſum & deorſum æqualis. Alioqui, excepto ipſius Situlæ pondere, pari facilitate manu urgeretur moles aquæ in Situla ſurſum verſùs F G ac deorſum verſùs H I; quemadmodum pari facilitate urgetur verſùs F H atque verſùs G I: cùm tamen vix unius hominis vires ſufficiant ad ſubmovendam hanc aquæ molem verſùs F G, aut ad ſuſtinendam nè ad terram cadat. Tantum abeſt ut cujuſvis manu opus ſit ad illam eò deprimendam.

Quod eò libentiùs notavi, ut eorum quæ à me dicta ſunt *Cap.* 12. *Sect.* 13. vis atque ratio faciliùs intelligatur; Preſſionem utique mediarum particularum, ſiqua eſſet in Mulctrali aquâ repleto, in omnes partes non eſſe æqualem.

10. *Axiomatum quorundam Hydroſtaticorum propoſitio.*

10. Sed ad propoſitum redeamus. Evicimus tandem, ídque clariſſimis, ut ſpero, Demonſtrationibus, * quòd eſt aliquod Principium incorporeum per aquam aerémque permeans, paritérque per Mundum univerſum, quod partes Materiæ certo, eóque optimo, ordine diſponit; atque etiam tum cùm actu diſponere non poſſit, conatur tamen nihilominus eo ordine illas diſponere, præſtóque eſt ubique ut remotis obſtaculis illo ſtato ordine eas diſponat. Cujus Principii *Hylarchici* (nam aptiori nomine inſigniri non poteſt) agnitio in *Hydroſtaticis* adeò neceſſaria eſt, ut ſine ipſo nulla ſolida & per omnia quadrans ratio reddi unquam poſſit occurrentium & ad eam Artem pertinentium Phænomenôn. Hoc autem Principio admiſſo, (quod revera in rerum natura

tura exſiſtere luculentè demonſtravimus, & ulterioribus mox Argumentis confirmabimus,) è certis quibuſdam Legibus, juxta quas illud agere ſolere experientiâ diligentiq; obſervatione deprehenditur, iſtiuſmodi Axiomata *Hydroſtatica* conflari poſſunt, quæ ſolidam & irrefragabilem rationem eorum Phænomenôn redditura ſint quæ ad eam Artem ſpectant. Qualia v. g. hæc pauca ſunt quæ obiter notabimus.

Primum, *Quòd pro ſua vel particularum ſuarum ſoliditate vel ponderoſitate corpora quæ circa terram ſunt propiùs vel remotiùs ab ejus centro ab* Hylarchico *hoc Principio collocantur, niſi quid hanc ordinatam eorum collocationem impediat.* Juxta hanc Legem agit Principium *Hylarchicum* dum tranſponit ligneam Laminam à fundo Situlæ ad ſummitatem aquæ infuſæ, quandoquidem aqua ejuſdem magnitudinis cum lamina ipſâ laminâ eſt ſolidior vel ponderoſior. Totam verò aquam cum lamina & ſitula ad terram deferret, niſi à fune quo ſuſpenduntur impediretur.

Secundum eſt, *Quòd nulla corpora corporúmve particulæ, poſtquam debitam ſuam inter ſe collocationem nacta ſunt, urgentur ab* Hylarchico *Principio unum in alterum, truduntúrve quóquam, ſed quod tendentiam omnem ſpectat ſurſum, deorſum vel in tranſverſum, perfectè quieſcunt.* Quemadmodum itidem fit in particulis aqueis ſitulâ contentis, quæ non gravitant inter ſe, ut quæ debitam inter ſe collocationem ſunt ſortitæ.

Tertium, *Quòd particulæ molis corporeæ, ſive ſtabilis ſive fluidæ, ab* Hylarchico *Principio* * *in unam aliquam partem omnes junctim urgeri poſſunt & premi, quamvìs ſingulæ ſingulas in nullam partem premant;* * *quódque pro magnitudine molis major minórve Totius fit preſſio.* Hoc etiam experimur in Situla ſuſpenſa cum aqua in eam infuſa. Tota enim aqua urgetur deorſum, cùm tamen particulæ inter ſe nec premant nec premantur; eóque major totius fit preſſio quò major aquæ copia ſitulæ infunditur; ut quivis manu experiri poteſt fundo ſitulæ ſubjectâ, ſi aqua per partes infundatur, debitáque fiant intervalla infuſionum. De corporibus ſtabilibus nulla poteſt eſſe dubitatio, ut in lapidibus ligníſque, cùm etiam in fluidis hæc Lex obtineat, quæ vi Principii *Hylarchici* tam ſtabili tenore continentur, ſimúlque promoventur, ut rationem quodammodo induant ſpeciémque ſtabilium corporum.

Addam & quartum, *Quòd* ſcilicet *hoc Principium* Hylarchicum *debitam naturalémque Elementorum conſiſtentiam conſervare, & præternaturalem contruſionem partium, majorémve juſto divulſionem, & intromiſſionem morámve heterogenei Elementi inhibere, vi, quamvìs ſanè non invincibili, permagnâ tamen, enititur.* Huic ultimo Axiomati fidem facit compreſſi aeris è *Sclopetis aereis* magna & violenta eruptio, & *Emboli ſuctorii* cum appenſo pondere in *Antlia pneumatica* aere ferè vacua ſurſum ſubvectio, multáque alia id genus Experimenta.

11. *Eorundem Axiomatum ad tria prima Experimenta Hydroſtatica Applicatio.*

11. Equidem pauca hæc Axiomata *Hydroſtatica* mihi ſufficere videntur, imò forſan pauciora, ad rationem reddendam eorum omnium Phænomenôn ex quibus clariſſimus Philoſophus *Paradoxa* ſua *Hydroſtatica* tam ingenioſè elicere conatus eſt. Operæque pretium fore fortaſſis à nonnullis judicabitur, ſi, ad majorem noſtræ ſententiæ confirmationem, Experimenta ſingula, aut ſaltem notabiliora, breviter curſímque attingam. In primo igitur Experimento, ubi in Vitro ABCD, aquâ repleto uſque ad LM, Tubus vitreus utrinque apertus PQ, Oleóq; terebinthino impletus à Q uſque ad X, immittitur in aquam uſque ad GH, Cylindrus Olei QX non effluit è Tubo ad Q, propterea quòd, cùm Cylindrus Olei QX æquet ſoliditate vel pondere Cylindrum aquæ Cylindro QZ æqualem, Cylindrus hic XQ collocatur ab *Hylarchico* Principio juxta Legem illam primo Axiomate contentam, ac proinde nec ſurſum ulteriùs nec deorſum urgetur. Quòd ſi idem Cylindrus XQ imponeretur ſuper ſuperficiem IK in Tubo vitreo RS, cùm Cylindrus olei XQ ſolidior ſit vel ponderoſior (nam ponderoſitas hîc locum habet ſoliditatis) quàm Cylindrus aquæ interceptus inter S & LM, juxta eandem Legem deprimetur dictus Cylindrus XQ uſque ad T, oleúmq; effluet ad S. Denique, juxta Legem eandem, ſi Cylindrus Olei QX collocetur in Tubo NO ſuper ſuperficiem EF, oleum ſurſum propelletur ab O verſùs N uſque ad θ, ejúſque


Fig. 20.

ejúſque baſis inſiſtet in ſuperficiem G H; quippe quòd Cylindrus aquæ interceptus inter O & L M multò ſolidior eſt vel ponderoſior quàm Cylindrus Olei Q X. Atque hæc omnia eveniunt juxta primam Legem *Hylarchici* Principii.

In ſecundo verò Experimento, Vitrum A B C D oleo terebinthino uſque ad γ δ repletum ſupponitur, & Tubus ζ W repletus aquâ uſque ad V. Cùm igitur Cylindrus aquæ W V ſit ſolidior Cylindro olei ejuſdem diametri & altitudinis, juxta prædictam primam Legem Principii *Hylarchici* infra ſuperficiem olei γ δ deprimi debet, ejúſque ſupera Extremitas circa V collocari.

Inter tertii ordinis Experimenta præcipuè emicat illud de Cubo ligneo aquæ innatanti, de quo, ſicut de aliis aquæ innatantibus, egregium illum Aphoriſmum *Hydroſtaticum* profert Scriptor præſtantiſſimus, nempe, *Quòd eò uſque in aquam ſubſidit Cubus, donec pars immerſa æquetur tantæ aquæ moli quànta pari pondere eſt cum toto Cubo.* Atque certè ſic neceſſariò diſponitur à Principio noſtro *Hylarchico*, modò Legem illam primam, quam ſuprà protulimus, obſervet. Nam ſi ſegmento Cubi A B C D E F, Aquæ F G H I immerſo, moles aquæ æqualis & ſimilis non æquetur pondere toti Cubo K L M D E F, tum aquæ moles ipſi pondere æquetur quæ ſegmento A B C D E F major eſt, ut ſegmentum N O P D E F, vel minor, ut ſegmentum Q R S D E F. At verò ſi moles aquæ æqualis ſegmento N O P D E F æquatur pondere toti Cubo K L M D E F, Cubus minus quàm pro ponderoſitate ſua immergitur rectâ O B. Si verò moles aquæ æqualis ſegmento Q R S D E F æquetur pondere toti Cubo, tum Cubus profundiùs quàm pro ſua ſoliditate vel ponderoſitate immergitur rectâ B R. Quorum utrumque planè contrà fit ac requiritur per primam *Hylarchici* Principii Legem, quæ corpora æquè ponderantia ſuper fluidum in æquali altitudine & quaſi in æquilibrio collocat. Nam alioqui pro ſua ſoliditate vel ponderoſitate ipſa non collocaret.



Fig. 2.

12. *Dictorum Axiomatum Applicatio ad Experimenta quarto Paradoxo ſubjecta.*

12. Eſtque, juxta hanc primam Legem, in Vitro putà A B C D aquâ repleto uſq; ad G H, ſi Tubus N O aquâ tinctâ repletus uſque ad α immergatur ad ſuperficiem E F, oleúmque terebinthinum ſuperinfundatur uſque dum aſſurgat ad γ δ, quòd aqua tincta O α aſcendat in Tubo donec pars ejus ſupera α ſit inter γ δ & L M, putà circa θ, quamvìs hæc aqua tincta multò ſit ponderoſior quàm oleum terebinthinum. Eadémq; ratio eſſet, ſi O α ſupponeretur Cylindrus Mercurii, ſed tam profundè immerſus infra Oleum γ δ G H, & aquam G H C D, ut tota columna ex Mercurio & Aere aggregata interceptáque inter E F & γ δ levior eſſet quàm columna aquæ & olei ejuſdem diametri, & eiſdem ſuperficiebus E F & γ δ terminata. Aſcenderet proculdubio Mercurius, & Aqua cum eo, donec fuerit æquilibrium, juxta hanc primam Legem Principii noſtri *Hylarchici*.

Quòd verò aqua in Antliis ſuſpenſa tenetur, & Mercurius in Tubo vitreo, hic ad altitudinem circiter 27 pollicum, illa ad unius & triginta pedum, nec deſcendant ad corpora homogenea (juxta hanc primam Legem) ejuſdémque ponderis cum ſeipſis, aqua ſcilicet ad aquam in puteo, & ad Mercurium in vaſe ſuſpenſus Mercurius, id certè fit ob impedimentum aeris. Eſt enim quædam lucta ac vulſura inter columnam aquæ in Antlia & aerem, itémque inter aerem & columnam Mercurii in Tubo vitreo, quorum virium paritas videtur eſſe & æqualitas, ponderoſitatis nempe aquæ ac Mercurii ad dictas altitudines ſuſpenſorum cum firmitudine conſiſtentiæ Aeris, quæ, propter Principium *Hylarchicum* eum in naturali ſtatu ac tenore conſervans, non facilè mutatur. Dum verò in hac lucta Aquæ & Mercurii cum Aere neuter ſuperat alterum, ambo ſuſpenſi hærent, Aqua ſcilicet & Mercurius; multóque magìs hærent infra dictas altitudines. Suprà verò, cùm ipſorum ponderoſitates eò locorum augeantur ultrà quàm ferre poteſt firmitudo conſiſtentiæ aereæ, neceſſe eſt ut tam Aqua quàm Mercurius ad ſtatas altitudines ſubſidant, permittátque Aer materiam ſubtilem influere. * Nihil autem hìc contra primam Legem committitur, cùm exceptio de Impedimentis in ipſa Lege contineatur, nec vis Principii *Hylarchici* prorſus invincibilis ſit, juxta Legem quartam, vel immutabilis.

13. *Ipſorum applicatio ad Experimenta quinto Paradoxo ſubjuncta.*

13. Porrò, ad eandem Legem (primam intelligo) referri debet, quòd Aqua in vaſe curvo & difformi, cornúque non abſimili, A B C D, ad eandem altitudinem aſſurgat tam in A B quàm in C D. Quod certè vix fieri poſſe videtur, niſi ab hujuſmodi *Hy-*

larchico Principio quale nos ſtatuimus. Nam ſi diſponeretur Aqua in vaſe A B C D vi ſolâ Mechanicæ cujuſpiam preſſionis, ſive in ſuperficies A B & C, ſive per omnes partes, intercurſu materiæ ſubtilis, proculdubio vis preſſuræ in A B ſuperficiem, cùm tantò major ſit, pro extenſione ſuperficiei, quàm in ſuperficiem C, urgeret aquam in crure E C altiùs versùs D, nec in una linea reperirentur ſuperficies aquæ A B & ſuperficies aquæ C, quemadmodum jam eas reperiri videmus. Unde manifeſtum eſt quòd corpora fluida, pro ſpecifica ſuâ ſoliditate vel ponderoſitate, (non ſemper ratione habitâ magnitudinis vel molis,) modò libera ſit inter ea intermeatio, ab *Hylarchico* Principio diſponuntur. Ex quo cauſa facilè detegitur cur in Tubos inæqualium diametrorum, ut in Tubos O N, W ζ, aqua in vitro, ſuperinfuſo oleo, æqualiter aſcendat. Quòd verò in Experimento *Torricelliano* Mercurius in Tubis inæqualium diametrorum ad eandem altitudinem ſuſpenditur, ex eo fit etiam, quòd pro ratione diametri Tubi major minórve copia materiæ ſubtilis ex aere exprimenda eſt. Tubus autem minoris diametri æquè valet ad minorem copiam materiæ ſubtilis exprimendam, atque majoris ad majorem.

Fig. 24.



14. *Applicatio eorum ad Experimenta ſexto, ſeptimo, & octavo Paradoxo ſubjuncta.*

14. Præterea huc etiam pertinet Experimentum illud Tubi ad modum L M N P incurvati, & oleo terebinthino repleti uſque ad P, & poſtea in vas vitreum ſatìs profundum A B C D, & aquæ plenum uſque ad S, demiſſi. Nam juxta hanc primam Legem, cùm via pateat aquæ in orificium L, ſuperúmque Tubi orificium O ſit apertum, ut debitum ſuum locum capiat oleum terebinthinum L M N P, protrudendum eſt primò ex L M in tranſverſum versùs M, deinde deorſum ab M in N N, poſtremò etiam ſurſum ab N versùs P, donec ſupera extremitas olei P aſcendat versùs O ad eam in Tubo altitudinem R, à qua aggregatus hic ex oleo aquâque Cylindrus R N æquatur aquæ Cylindro ejuſdem diametri ab N ad S producto. Quod & experientiâ comprobatur. Eadem ratio eſſet ſi Tubus O N L formaretur juxta Curvaturas lineæ A B. *Hylarchicum* enim Principium non ceſſaret oleum ſurſum propellere, donec ad debitam altitudinem aſcenderit, paulóque ſupra ſuperficiem aquæ eminuerit. Interea clarè conſtat ex hoc Experimento, quòd Principium *Hylarchicum* perinde paratum eſt ad impellendum corpora in quamlibet partem, prout occaſio datur; datâque occaſione, per certam legem requiritur ut hàc vel illàc impellatur.

Fig. 25.



Fig. 26.



15. *Applicatio eorundem ad Bullas vitreas fluitantes in aqua, & poſtea, ſuperinfuſo oleo, ſubſidentes.*

15. Quæ quoquoverſum impellendi corpora promptitudo manifeſtò itidem deprehenditur in Bullis anguſto collo productis, & à clariſſimo Philoſopho ità pondere attemperatis è *vitro*, *aere* & *aqua*, ut, quamvis poſſint aquæ innatare ob peritam hanc ponderis attemperationem, tamen ob infuſum aquæ oleum mox ad fundum ſubſidant. Ut in Tubo A B clauſo ad B, & aquâ repleto uſque ad C D, quamvis Bulla vitrea X natet circa C D cum inverſo collo, tamen ſi infundatur oleum ſuper aquam C D uſque dum pertingat putà ad E F, eadem bulla X præcipitabitur ad fundum Tubi B. In quo nihil contingit niſi quod præcedenti Experimento Legíque tertiæ *Hylarchici* Principii conſonum eſt. Hoc enim Principium paratum eſt ad movendam quoquoverſum materiam pro data occaſione, & ſecundùm ſtatam aliquam legem, ut modò obſervavimus in Tubo incurvato L M N P O. Ac proinde Aqua C D ante ſuperinfuſum Oleum proculdubio premit Aerem in bulla tanquam in loco indebito (in aquæ ſcilicet Elemento) exſiſtentem, ſed preſſione debili & vincibili, & quæ, ut aerem expellere

Fig. 27.



pellere non poteſt ex elemento heterogeneo, ità nec in ſpatium anguſtius comprimere. * Poſtquam verò ex ſuperinfuſo oleo E F C D totius congeriei olei & aquæ multò fortior ſit actio ſive preſſio quàm ſingulorum ſeparatim, juxta Legem tertiam, in anguſtius tandem ſpatium comprimitur aer in bulla, majorémque aquæ copiam ipſa bulla imbibit, unde facta ponderoſior quàm moles aquæ illi magnitudine æqualis ad fundum decidit, juxta Legem primam. Nec fortis hæc preſſio in aerem bullæ incluſum arguit ullam ſingularum in ſe invicem particularum preſſuram, non magis quàm in fundum Tubi B; ſed juncta omnium preſſura modo ſuprà explicato in aerem derivatur.

16.
Item ad Experimentum Gyrini in Tubum aquæ immiſſi, & ex fortiſſima aquæ preſſione non læſi.

16. Imò verò hæc preſſio partium inter ſe ità ſedulò eluditur à Principio *Hylarchico* & inhibetur, ut ſi v. g. in Aquam Tubo recurvato A B C infuſam uſque dum aſcendat ad D Gyrinus immittatur, & poſtea in crure A B aqua tam fortiter deprimatur ope trudis ligneæ G F coriis altero extremo involutæ, ut deſcendat ad F in crure A B, in crure verò B C aſcendat uſque ad H, hoc eſt, uſque ad ſeptem octavas vel novem decimas ſpatii D C, ità ut aer in decimam vel octavam partem ſpatii quod naturaliter occupat cogatur & coarctetur, (unde neceſſe eſt ut aqua trudem inter preſſúmque aerem, ſi rectè calculum iniit præſtantiſſimus Philoſophus, preſſuram ſuſtineat à parte Aeris preſſioni columnæ Aquæ ducentos vel trecentos pedes altæ æqualem,) Gyrinus tamen, quamvìs ſit tam molle & tenellum Animal, non omnino læditur ab hac ingenti preſſura, nedum colliditur, ſed liberè in aqua natat, & ad ſuperas partes cruris B C aliquando enatat, & aſcendit putà ad D, neque in ulla re mutatur quantum cerni poteſt, niſi quòd aliquanto apparet ſtrigoſior. * Quod certè fieri non poſſet niſi, juxta quartam Legem, contruſio particularum aquæ contra ſe invicem Principio *Hylarchico* inhiberetur & eluderetur. Atque hinc fit ut, quamvìs aqua in Tubo A B C vi trudis G F aliquanto facta ſit condenſatior, partes tamen ſic compreſſæ ut propiùs ad ſe invicem accedant nihilo indè inter ſe fiant comprimentiores. Neque enim ſequitur ex eorum contactu quòd premunt ſe invicem, quandoquidem Particulæ, uti fit in duris corporibus, in unum coaleſcere poſſunt, & tamen non mutuò ſe premere. Cùm verò hìc Aquæ particulæ ſi omnino premerent ſe invicem, preſſura in Gyrinum columnæ aqueæ ducentos vel trecentos pedes, æneæ verò plus viginti vel triginta pedes altæ, preſſionem adæquaret, luculentum eſt indicium quòd revera Particulæ ſe invicem non premunt. Nam planè eſt incredibile Columnam æneam pro corpore quidem Gyrini latam, ſed altam viginti vel triginta pedes & amplius, Gyrinóque ad perpendiculum incumbentem, omnia viſcera tam tenellæ Gelatinæ non eſſe eliſuram.

Fig. 28.



17.
Applicatio denique dictorum Axiomatum ad nobile illud Experimentum ultimo Paradoxo ſubjectum.

17. Poſtremò, Quod ad nobile illud Experimentum attinet Tubi in æneam valvulam inſerti, & in vas vitreum aquâ repletum immerſi, primò, putà, ad M N, ubi Obturaculum G I H excidit è Valvula & ad fundum vaſis deſcendit; deinde ad O R, ubi Obturaculum non excidit, ſed valvulæ inhæret; & poſtremò ad V W, ubi non ſolùm inhæret valvulæ, ſed & pondus K ei appenſum ſuſtinet: Hujus etiam pulcherrimi Phænomeni ratio in primam ſecundámque Legem *Hylarchici* Principii reſolvitur. Nam quòd Obturaculum excidit circa ſuperficiem M N ex eo fit, quòd retractio aeris per Principium *Hylarchicum* in Tubo inter I L & P intercepti debilior ſit quàm depulſio Obturaculi per idem Principium, ac proinde, cùm major vis ſemper vincat minorem, Obturaculum G I H ad fundum deturbatur. Verùm quando Tubus cum valvula demittitur uſque ad ſuperficiem O R, Obturaculum non excidit, propterea quòd retractio Aeris inter I L & P in Tubo intercepti jam fortior ſit quàm depulſio Obturaculi, ac proinde major vis hìc etiam vincit minorem. Cùm verò tam profundè immergitur Tubus ut Obturaculum tangat ſuperficiem V W, vis retractionis Aeris ità augetur, ut etiam ponderis appenſi ſuperadditam depreſſionem ſuperet.

Videtur

Fg. 22.



Videtur igitur quaſi quædam ſurſum ſuctio Aeris in Tubo contenti, & conformis ac contemporanea aquæ compulſio in Obturaculum G I H, quo tam firmiter in os Valvulæ comprimitur, ibíque cum appenſo pondere ſuſtentatur. In ſingulis igitur caſibus agit hîc Principium *Hylarchicum* juxta primam ſecundámve Legem. In primo enim caſu Obturaculum, ut quod eſt aquâ & aere ponderoſius, infra utrumque deprimit, aerémque in Tubo, utpote qui aquâ eſt levior, ut aqua inibi aſſurgat ad ſuperficiem aquæ communem in vitro contentæ I L, ſurſum retrahit & repellit. Idque fit propterea quòd eo loci, nempe circa ſuperficiem M N, Cylindrus Aeris in Tubo inter I L & P interceptus non tantus eſt ut vis in eo Principii *Hylarchici* retractiva major ſit quàm ejuſdem depulſiva in Obturaculo. Cùm verò in ſecundo tertióque caſu hâc illa major ſit, nec motus ullus fieri poſſit ſine corporum circulo, Obturaculum neceſſariò hæret, & ex nimis violento & præcipiti, ſi fas ſit ità loqui, conatu Principii *Hylarchici* retrahendi aerem in Tubo ad debitam poſitionem, ſimúlque aquam in Tubum ſurſum propellendi uſque ad ſuperficiem I L, firmiùs ſibi viam claudit illud efficiendi quod tantopere, juxta primam Legem, videtur eniti ut fiat.

* Quòd verò Aquæ Obturaculo ſubjectæ in ipſum impulſus dependet à ſurſum quaſi ſuctione Aeris in Tubo, quódque primum movendi indè capitur initium à Principio *Hylarchico*, clarè ex eo conſtat, quòd niſi ſit libera intermeatio aeris atque aquæ (excepto quòd Obturaculum G I H interjicitur) per foramen è Valvula in Tubum & viciſſim, quamvìs immergatur Tubus cum Valvula uſque ad ſuperficiem V W, Obturaculum tamen etiam ſine appenſo pondere excidet.

Atque hæc ſunt quæ obiter adnotare operæ pretium fore putavi in præſtantiſſimi Philoſophi Experimenta, ad pleniorem Demonſtrationum noſtrarum confirmationem. Progrediemur tandem ad reliqua quæ ſuperſunt Rerum incorporearum Argumenta.

18. Quanquam verò ad alia feſtino, facere tamen non poſſum quin in tranſcurſu moneam, præſens hoc Experimentum Tubi Valvulæ inſerti, & in aquam ad diverſos gradus immerſi, *Carteſianam* Gravitatis Hypotheſin funditus ſubvertere. Juxta quam proculdubio, ſi vera eſſet, Obturaculum G I H æquè facilè Valvulæ excideret in ſuperficie V W atque in ſuperficie O R vel M N: & in eadem ſuperficie V W æquè facilè rurſus caderet è valvula in Tubum perforata ac è valvula non perforata in Tubum, ſed clauſa in eam partem firmitérque obſtructa. Hoc neceſſariò eveniret ex iſta Hypotheſi, quæ tollit omnem particularum aquearum gravitationem inter ſe, & tamen ſoli materiæ ſubtili cum aqueis particulis deprimendi Obturaculi munus in hoc Experimento delegat.

18. *Hujus ultimi Experimenti Poriſma contra Hypotheſin Gravitatis* Carteſianam.

Vide Fig. 22.

SCHOLIA

In CAP. XIII. SECT. 4.

HÆc tam luculenta demonſtratio contra gravitationem particularum aquæ inter ſe, *&c. Quanta cum confidentia in hoc contra particularum aquæ inter ſe gravitationem argumento exultaverim palàm eſt nec poteſt celari. Quàm verò non temerè id à me factum ſit, reſpondendo omnibus adverſariorum ſive objectionibus ſive evaſionibus, æquè palàm facere hîc inſtitui. Et certè quantùm ad ea ſuffugia, quæ ex ſuppoſito quaſi* pileo *ſolo ſive* cono *aqueo qui incumbat laminæ ligneæ, reliquâ aquâ per modum fornicis baſi cylindri* concavi *imminentis ſuſtentatâ, eâque quæ à* continuitate *particularum aquæ, ipſarúmque* motûs *niſûſque ad motum in* omnes partes *tendentia peti poſſunt, ea, inquam, omnia in* Adnotamentis *in Diſſertationem ſolertiſſimi Hydroſtatici* De Gravitatione & Non-Gravitatione corporum fluidorum *ſatìs ſolidè, utì ſpero, confutavi, Lectorémque ad ea* Adnotamenta *brevitatis causâ relego. Reliqua, qualia ſint, jam videamus.*

Primùm, igitur, quidam vim hujus Demonſtrationis ſic ſe effugere poſſe ſperant, *fingendo nempe preſſuram cylindri aquæ ſolidi in omnes partes deorſum ferri, obliquis nixibus in puncta ſingula æquè ac perpendicularibus deſinentem, atque ſic totam illius preſſuram etiam in Baſin cylindri concavi incumbere. Alludunt, credo, qui ſic objiciunt, ad rationem* Carteſianam *explicandi naturam Lucis, totiúſq; corporis lucidi, in ſingula aeris puncta, preſſuram, qua illius Imago in ſingulis punctis cernitur. Cæterùm interim non advertunt eâdem ratione modóque totum Cylindrum aquæ F G M K in laminam ligneam K L M premere, in ſingula nimirum illius puncta totum, ac proinde adhuc preſſuram fore pro ratione ferè baſis Cylindri concavi & ſolidi, qui ſe habent ut 1 ad 30.*

Præterea ſi cylindrus cereus loco aquei interni & ſolidi poneretur ejuſdem cum eo baſis & altitudinis, cylindrus aqueus concavus *eum cylindrum cereum priori aqueo non multo leviorem, (ubi obliquæ illæ preſſuræ fingi nequeunt) ad ſatis conſpicuum ſpatium attolleret.*

Et poſtremò in Hydriis Hydroſtaticis Helmontianis *Cylindrus* concavus *etiam aqueum Cylindrum (ubi rurſus iſtæ obliquæ preſſuræ nullum habent locum) tam efficaciter vincit (ſi omnino premit) ut baſis Hydriæ internæ ad ſummitatem externæ paulatim ſubvehatur: Vide* Adnotamenta in Diſſertationem de Gravitatione & Non-Gravitatione corporum fluidorum, *Adnot.* 20. *Igitur ſolâ vi preſſuræ cylindri concavi aſcendit lamina, ſi ullâ omnino preſſurâ Mechanicâ aſcendit. Quod tamen impoſſibile eſt, cùm preſſura tricies major laminam urget deorſum, ſi ulla ſit partium aquæ aliarum in alias preſſio. Quam hoc experimentum penitus ſubvertit.*

Alii verò tale Reſponſum ad demonſtrationem noſtram enervandam comminiſcuntur. Eſſe nempe ſecundùm leges Hydroſtaticas *ut partes magìs preſſæ extrudant partes minùs preſſas. Itaque cùm baſis Cylindri concavi in eodem plano jacere intelligatur quo inferior ſuperficies laminæ ligneæ, & illa pars Plani cui baſis* concavi *cylindri innititur, fortiùs prematur quàm illa cui baſis cylindri ex lamina lignea & aqua compacti incumbit; juxta dictam legem ſequi, ut cylindrus concavus compoſitum illum è lamina & aqua cylindrum (cùm lignum aquâ ſpecificè ſit levius) preſſurâ vincat, laminámque ex loco exturbet. Sed reſpondeo, Datâ quidem ejuſmodi partium aquæ preſſurâ aliarum in alias, concedo in cylindris æquali altitudine & baſi, purè aqueum aqua-ligneum preſſurâ victurum. Heîc verò cùm baſis cylindri* aqua-lignei *tricies major ſit & ampliùs baſi purè aquei, & ipſa aqua Cylindri* aqua-lignei *major graviórq; tricies quàm aqua cylindri aquei, cujus etiam actualis gravitatio ſentitur in fundum ſitulæ, nec cylindrus aqueus* aqua-ligneum *omnino movere poſſit niſi totum moveat, non autem partem ſolummodò ſibi æqualem; heîc, inquam, vel admiſſâ preſſurâ partium aquæ aliarum in alias lex illa* Hydroſtatica *locum habere non poteſt, illiúſque huic cauſæ applicatio planè eſt ſophiſtica. Ac proinde emerſio laminæ è fundo ſitulæ planè evincit nullam hujuſmodi eſſe preſſuram. Quid enim valent iſtæ* Hydroſtaticorum *leges fictitiæ quas ſupponunt tantùm non probant?*

Qualis eſt illa à celeberrimo quodam Hydroſtatico *obiter indicata*, Majorem *ſcilicet* preſſuram in inferiorem partem quam in ſuperiorem corporum, in aquam ipſis ſpecificè graviorem, immerſorum, veram eſſe cauſam, cur emergant. *Quem errorem ~~eſſe~~, planè conſtare poteſt ex iſtiuſmodi experimentis quæ probant quò profundiùs quis immergitur in mare, quòd eò fortiùs è fundo elevatur: Ità ut* Indi *Vrinatores in tam profundis immerſionibus cogantur lapides alligare corporibus nè intempeſtivè & inviti è fundo attollantur. Quæ luculentiſſima quidem demonſtratio eſt contra partium aquæ preſſuram aliarum in alias. Nam ſi corpus levius aquæ immerſum propterea emergit quòd columna ex leviori hoc corpore & incumbenti aqua conſiſtens minùs gravis ſit quàm columna ejuſdem altitudinis & craſſitiei ex ſola aqua conſtans, ac proinde hæc columna alteram ſurſum urgeat tanquam leviorem; manifeſtò hinc ſequetur, quòd quanto profundiùs corpus leve immergitur eo difficiliùs ſit emerſurum, quod ipſi tamen experientiæ repugnat. Ponamus enim Cubum ligneum,* 100 *pedes in aquam immerſum, ità ut integra columna ex ligno & aqua aggregata, ſit* 101 *pedum, perinde ac columna purè aquea totidem pedum intelligitur, quæ alteram illam aqua-ligneam ſurſum urgere debet. Manifeſtum eſt quando hæc columna non excedit aquam columnæ aqua-ligneæ incumbentem niſi parte centeſimâ, quòd multò minùs prævalitura ſit, quàm ubi Cubus ligneus decem tantùm pedes ſub aqua immergitur, columnáque purè aquea eſt undecim pedes alta. Tunc enim excedit aquam cubo incumbentem parte decimâ, quæ decuplo major eſt quàm pars centeſima. Et tamen undecim hi pedes aquæ minùs valent contra decem quàm*

101 *contra centum, Quæ preſſuræ partium aquæ inter ſe aperta eſt confutatio.*

Poſtremò, quantum ad eos attinet, qui demonſtrationem hanc noſtram è ſitula hauſtam ſophiſma eſſe volunt, quippe quæ tam claris experimentis confutari poteſt, quæ probant gravitationem partium aquæ inter ſe, equidem ut ingenuè fatear quod ſentio, in nulla hactenus incidi quæ quicquam ampliùs probant quàm quod ipſe lubens concedam, nempe partes aquæ conjunctim in levius aliquod corpus in ipſam immiſſum gravitare, nequaquam autem partes ipſas inter ſe. Immò verò corpus heterogeneum & è cera & plumbo putà aggregatum & ità attemperatum ut vel uno granulo addito vel ſubducto deſcendat, & aſcendat aquæ in vitro innatans, lanci impoſitum cum aqua & vitro contra aerem ſenſibiliter augebit pondus totius, unâ ſecundâ, tertiâ quartâve, pendebitque ſemiſſem, trientem aut quadrantem prout ponderis omnium ſimul ſumptorum ad ſingula fuerit ratio. Vnde facilè intelligi poteſt cùm heterogeneum hoc corpus & tam magnum & ex plumbo partim conſiſtens, ad tantillum gravitationis reduci poſſit ut uno granulo dempto aſcendat, quàm omnino nihil aqueæ particulæ gravitent inter ſe, quamvis conjunctim in aliquod levius corpus ſenſibiliter poſſint gravitare.

Cæterùm ea experimenta quibus probare volunt partes aquæ gravitare inter ſe, hujuſmodi ferè ſunt : Quòd ſcilicet Vrinatorum 1 *Aures profundiùs immerſorum ob preſſuram aquæ dolorem ſentiunt valdè moleſtum, quódque conſtrictio etiam ſentitur Thoracis & abdominis ;* 2 *Quòd latera ampullæ ſtanneæ in mare fune demiſſæ introrſum vi aquæ marinæ inflexa ſint,* 3 *quódque ampullarum fictilium ſuberea obturacula ſic demiſſarum tam firmiter aquæ preſſurâ infixa, ac ſi malleo fuiſſent impacta, & nonnunquam dictâ vi in ipſam ampullarum cavitatem depreſſa ;* 4 *Præterea in ampulla vitrea collo oblongo & veſicæ portiunculâ modicóque Mercurio clauſo & in vas aquæ ſatìs profundum collo prono immiſſa, quòd, tametſi in principio pondus Mercurii veſicam propendere faciat infra orificium ampullæ, mox tamen, dum profundiùs immergitur, veſica cum Mercurio, (preſſurâ aquæ, pro profunditate, auctâ) introrſum impellitur.* 5 *Item, in* Metro-Siphone *Hydroſtaticorum* Mercuriali, *quòd Aqua operto cruri incumbens, quò profundiùs* Metro-Sipho *immittitur in aquam, eò fortiùs Mercurium in crus clauſum contra aerem inibi contentum urget comprimitque.* 6 *Denique quòd in Aquæ dolio, per foramen inferius aqua fortiùs & copioſiùs effluit quàm per foramen in ſuperiori parte factum. Quæ omnia ſatìs manifeſto eſſe argumento contendunt, quòd Aqua gravitat in aqua, ſive partes aquæ inter ſe.*

Ego verò contrà reſpondeo, probare tantùm, partes aquæ conjunctim gravitare, 1 *contra aerem intra tympanum auris,* 2 *thoracem & abdomen in primo exemplo ;* 3 *contra aerem in ampullis in ſecundo, tertio quartóque, & contra aerem in longiori clauſóque crure* Metro-Siphonis Mercurialis *in quinto, & in ſexto denique contra aerem externum. Quod autem heîc regeritur (impoſſibile utique eſſe ut remotiores partes ſive ſuperiores aquæ putà in dolio premant externum aerem niſi idem faciant intermediæ, quemadmodum fit in turba hominum ac preſſura, ubi qui aliquo ſpatio diſtans eſt, in oſtio ſtantem premere non poteſt niſi intermedios homines premat) id ipſum eſt quod lubens ſanè agnoſco, nempe ſic factum iri ſi nullum Principium incorporeum quod hanc rem moderetur, interveniat ; ſed impoſſibile tunc eſſe ut lamina lignea è fundo ſitulæ aſſurgat, dum tricies majori pondere deprimitur quàm urgetur ſurſum ; ac proinde manifeſtum eſſe quòd datur iſtiuſmodi* Principium incorporeum. *Ex hiſce paucis ſatìs patere ſpero, me non temerè aut ſine cauſa in evidentia tam perſpicuæ demonſtrationis adeò confidenter exultâſſe.*

Atque hæc quidem ad aliorum objectiones dicta ſunto. Num ecquid novi, novus noſter adverſarius Chriſtophorus Sturmius *afferat, breviter videamus. Qui in* Auctariis *pag.* 41. *ad ea quæ habemus* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 13. *ſect.* 7. *cum illis quæ ſub initium ejuſdem capitis comparata, (ubi neceſſum eſſe concludo ut partes ſingulæ gravitent cùm totius ſit gravitatio, ſi non aliquod immateriale principium quod hoc phænomenon exhibeat, in rerum natura exiſtat ; poſteáque ſect. 7. agnoſco totam aquam ſitulæ & omnes ejus particulas junctim gravitare in fundum eúmque premere, ſingulis tamen à ſingulis premi conſtanter negans,* Confeſſus licèt, *inquit ille,* ſi ſupponeremus ſingulas particulas aqueas ſenſu, ratione, liberóque ſe movendi principio eſſe præditas, tamen omnibus ſuis conſiliis & conatibus efficere non poſſe, ſine infimarum & intermediarum preſſione, ut omnes ſitulæ fundum junctis viribus urgerent & premerent) *ad hæc, inquam, homo modeſtus tarditatem ſui ingenii cauſatur, profitetúrque* ſe concipere non poſſe, quî poſſit unum immateriale illud principium, ſi particulæ omnes ratione & libertate præditæ omnibus ſuis conſiliis non poſſent. *Nobile* *igitur hinc emergit hoc problema*, Quomodo, *ſcilicet*, vel Spiritus Naturæ ſive Principium Hylarchicum efficere poſſit, ut particulæ aqueæ, dum fundus ſitulæ ab eis premitur, aliæ tamen ab aliis non premantur, nec aſcenſum laminæ ligneæ impediant.

Vt pedetentim igitur hoc myſterium aperiamus. Primò obſervemus quid eventurum ſit dum nullam cauſam præterquam quæ corporea ſit, particulas nempe materiæ ſitulâ contentas, huic Phænomeno aſſignamus. Manifeſtum enim eſt, particulas materiæ, niſi ſuperiores inferiores premant, fundum ſitulæ premere non poſſe; ſi fundus autem ſitulæ prematur particularum preſſurâ aliarum in alias à ſummo ad imum, laminam ligneam non poſſe aſſurgere. Deinde ſi particulæ materiæ quæ laminæ imminent ſuam preſſuram ſuſpendunt, quanquam ſic quidem aſcenſura eſt lamina; Situla tamen ferè vacua triceſimámve duntaxat aquæ partem habere videbitur ſiquis fundo manum ſuam admoveat. Tertiò igitur attentè diſpiciendum eſt quam peculiarem vim habeat hoc Principium Hylarchicum *ſive* Spiritus Naturæ, *quâ totam materiam in ſitula ipſámque adeò laminam ligneam deorſum ità moveat, ut dicta materia ſitulâ contenta in fundum ſitulæ prematur, nec partes tamen aliæ alias versùs fundum urgeant, quo fieret ut impediretur laminæ aſcenſus.*

Dico itaque quòd Spiritus Naturæ *hæc in ſe habet peculiaria: Primò, quòd, cùm unum ſit, omnes tamen in ſitula materiæ partes & particulas permeat. Deinde, non permeat ſolùm ſed* vitaliter *actuat. Tertiò, quòd* vitalem *hanc* ἐνέργειαν Spiritus *hic, ex omniformi quadam* vita *ipſi eſſentiali, pro re nata in partes particuláſve materiæ variis modis exerit. Quartò, quòd omniformis hæc vita quæ Materiæ Mundanæ movendæ leges continet, ſingulis quaſi punctis, ſi fas ſit ità loqui, hujus* Spiritûs Naturæ *ineſt. Quintò deniq; cùm* Spiritus *hic Eſſentialis quædam ſive ſubſtantialis vita ſit leges motuum Materiæ Mundanæ in ſe complectens, ſpirituiq; quatenus tali* συμπάθεια & συνενέργεια *competat, cúmq; deniq; dictus Naturæ ſpiritus à ſapientiſſimo Deo ſit creatus, ex his manifeſtum eſt, quòd omnes illius operationes, motus,* ſympathiæ *&* ſynenergiæ *tales conſtitutæ ſint quas, ſecundùm rationes quaſdam generales è re univerſi fore Deus ipſe præviderit. Juxta vulgatiſſimum illud effatum, Natura non deeſt in neceſſariis. Ac proinde cùm neceſſarium eſſet ut partes craſſæ & terreſtres deprimerentur versùs terram, immò univerſa Atmoſphæra pro particularum ponderoſitate ſive ſoliditate ac craſſitie certo ordine diſponatur, ut commoda ubiq; ſint vitæ ſpiramina; poſtquam vero ſingulæ partes particulæq; Materiæ loca debita aſſecutæ ſint, ut à preſſura deſiſtant, nè Animalium corpora, ut pulmones nunc taceam, moleſtis & inutilibus oneribus opprimantur; hiſce innumeriſq; aliis muneribus obeundis, (quæ meris Mechanicis rationibus præſtari non poſſunt) vitale hoc Principium (quod ego* Spiritum Naturæ, Naturam *verò, non ſatis diſtinctè intelligentes quid dicant, vulgò vocant) præfecit Mundi Opifex ſapientiſſimus Deus, Intelligentiæ quidem & conſilii expers vacuúmque, ſed vitæ cujuſdam* plaſticæ *particularúmq; materialium ordinativæ plenum, quâ juxta leges quaſdam Vniverſi generales ipſi à Deo inſitas, omnes Materiæ particulas regit & diſponit. Hæc eſt brevis deſcriptio Privilegiorum* Spiritûs Naturæ *ſive* Spiritûs Hyloſtatici, *(quemadmodum aliàs appellatur) Vniverſi. Ex quibus facilè intelligi poſſe ſpero ab Adverſario noſtro, quî poſſit unum hoc immateriale Principium, rationis & libertatis expers, quod particulæ omnes ſitulâ contentæ quamvìs ratione & libertate præditæ eſſent, neutiquam poſſent; hoc eſt, efficere, ut fundus ſitulæ prematur, ſuperioribus interim particulis inferiores non prementibus.*

Preſſionem enim poſſe eſſe Totius, partibus inter ſe non prementibus, manifeſtum pleriſq; omnibus videtur in corporibus ſolidis, putà in columnula ænea vel argentea funiculo per aerem demiſſa. Omnes partes columnulæ, cùm æquè ſolidæ ſint, pari vi ac celeritate deorſum feruntur, ac proinde ſuperiores inferiores protrudere non poſſunt, nec inferiores à ſuperioribus ſe divellere conari niſi quatenus naturalis celeritas funiculo cohibetur. Impetus autem quo fertur deorſum columnula, eſt pro magnitudine columnulæ validus magnúſve; ità ut preſſura totius, quamvìs partium nulla inter ſe ſit preſſura, pro mole totius, in aliud corpus fieri poſſit valida, in corporibus ſaltem ſolidis fixíſque. Dico igitur, quanquam particulæ aqueæ in ſitula contiguæ tantùm, non continuæ, etiamſi conſilio liberóq; arbitrio præditæ eſſent, eſſéntq; quaſi totidem Atomi hominiformes, fundum ſitulæ ſine ſui ipſarum preſſura premere non poſſent; unum tamen hoc Principium immateriale, pro quo ego tantopere contendo, cùm omnes prædictas particulas permeet *juxta privilegium primum, nec id ſolùm ſed etiam vitaliter actuet juxta ſecundum, hoc eſt moveat, ſiſtat & poſſideat ſecundùm leges ſibi inſitas, manifeſtum eſt quòd efficere poſſit ut hoc moderamine particulæ iſtæ aqueæ in ſitula contentæ, ſolidorum corporum ra-*

tionem planè imitentur, omnéſq; conjunctim fundum ſitulæ petant, dum interim ſuperiores interno hoc Spiritûs Naturæ moderamine quaſi ſuſpenſæ & æquilibres factæ per totam ſitulam, inferiores deorſum nequaquam urgeant. Quemadmodum factum eſt in columnula argentea è turre per aerem demiſſa.

At verò cùm quid obſiſtit, tum ſaltem, inquiet Adverſarius, ſuperiores particulæ prement inferiores, quippe quæ ulteriùs deſcendere non poſſunt, nedum pari paſſu cum ſuperioribus procedere. Reſpondeo autem, nec ſuperiores ullam propenſionem habent deſcendendi infra inferiores, quippe cùm æquilibres factæ ſint inter ſe. Spiritúſq; Naturæ *ipſis quaſi armatus & corroboratus eáſq; viciſſim corroborans ac ſiſtens, ſinguláſq; uno tanquam æquilibrio retinens, hoc quaſi inſtrumento corporeo fundum ſitulæ premit, ſuſq; deq; habens quæ particulæ ſuperiores ſint, quæ inferiores, cùm ſint paris ubique ponderoſitatis ſive ſoliditatis, modò junctim urgeantur contra fundum ſitulæ;* Spiritus, *inquam,* Naturæ *particulæq; aqueæ, tanquam* unum quid vivum, *non* Mechanicum, *in ſitulæ fundum agunt.*

Sed urget porrò ingenioſus ille Hydroſtaticus Chriſtophorus Sturmius *pag.* 45. Cùm neget *Morus, inquit ille,* aquæ particulas inferiores à ſuperioribus premi, fateatur tamen omnes junctim premere ſitulæ fundum, fateatur etiam neceſſum eſt cylindri aquæ medii particulas junctim ſaltem premere laminam ligneam K L M: & cùm hic cylindrus *Vide Fig.* 21. ad ambientem reliquam aquam ſit ut 3721 ad 123, eadem nunc *Morum* quoque urgebit difficultas quâ noſtram onerare voluit hypotheſin, quî ſcilicet fiat ut aqua copioſior ligneam laminam non deprimat magis quàm paucior ipſam attollat. Quâ igitur ratione ipſe difficultatem iſtam ſuſtulerit, eâdem nos eidem facilè ſatisfaciemus. *Hoc profectò aliquid habet aculei. A quo tamen facilè nos ſic defendere poſſumus. Reſpondeo utique, Hujus Experimenti duplicem caſum eſſe poſſe, vel talem ſcilicet ubi laminæ facies inferior & fundus ſitulæ ità complanati ſint læ véſq; facti ut nullo interveniente aere aquâve immediatè ſe invicem contingant; vel talem, ubi aqua ſe inſinuare poſſit. In priori caſu agnoſco, ſi quando contingat, incumbentem aquam in ipſam laminam gravitare perinde ac in fundum ſitulæ, ac propterea nec aſcendere laminam è fundo. In poſteriori verò nego cylindri aquæ medii particulas vel junctim premere laminam ligneam K L M, ſed ipſam laminam ligneam ſimul cum aqueis particulis corporeum hoc inſtrumentum conſtituere quod* Spiritus Naturæ *urget in fundum ſitulæ, quatenus nempe in aere penduntur & à fundo ſitulæ impediuntur quo minùs ad terram deſcendant.* Spiritus *enim* Naturæ, *particulæ aqueæ & lamina lignea, tanquam* unum quid vivens, *quod ſuprà monui, in fundum ſitulæ ſimul agunt, etiam tum cùm lamina è fundo aſcendit. Nam tametſi pro minori ſua ſoliditatis ratione ad aquam relata à* Spiritu Naturæ *verſùs ſummitatem aquæ, juxta privilegium tertium evehitur; ab eodem tamen Spiritu, pro majori ſua ſoliditatis ratione ad Aerem, ſimul cum particulis aqueis verſùs fundum ſitulæ urgetur. Nam cùm omnes leges movendæ Materiæ Mundanæ ſingulis* Principii Hylarchici *punctis inſint, juxta privilegium quartum, iſtæq; itidem* Sympathiæ & Synenergiæ *Privilegio quinto memoratæ; facilè indè intelligitur, quomodo, dum omnes particulæ aqueæ modo adeò ſuſpenſo ac æquilibri ſe habent ut aliæ alias non premant, eæ tamen quæ cavum cylindrum conſtituunt ſic à* Spiritu Naturæ *dirigi poſſint, ut ſe fundum ſitulæ inter & laminam ligneam inſinuantes, cùm incumbentes particulæ nullam faciant reſiſtentiam, eam ad ſummitatem aquæ nullo ferè negotio attollant, aliis atque aliis partibus* Spiritûs Naturæ, *ſi ità fas ſit loqui, in ſitula, pro re nata ad hoc phænomenon conſpirantibus, nempe ad faciendum ut & lamina, pro ſua quidem ſoliditate, aqueæq; omnes particulæ in fundum ſitulæ gravitent, cùm tamen nec in ſuperiorem laminæ faciem gravitent nec demum inter ſe. Hoc eſt illud complicatum* Principii Hylarchici *ſive* Spiritûs Naturæ *Privilegium & Officium quod nullæ cauſæ Mechanicæ præſtare aut explicare poſſunt.*

Cæterùm ut nulla Viri ingenioſi contra demonſtrationem hanc noſtram è ſitula petitam, argumenta vilipendere videar, illa etiam quæ intermediis paginis, 42 *ſcilicet,* 43 *&* 44 *occurrunt, in medium proferemus, brevitérq; examinabimus. Quorum primum petitur ab iſto Hydroſtaticæ modernæ ſatìs recepto Axiomate,* Fluida, juncta ſcilicet in Bilance ſeu libra quaſi naturali, non ſeparata in libra artificiali, ponderare non ſecundùm molem ſed ſecundùm altitudinem. *Alludit ad experimentum Tubi* *Vide Fig.* 24. *recurvi ſive corniformis, ubi, tametſi aqua in latiori crure centies excedit aquam in minori, ad æqualem tamen altitudinem æquilibrio ſuſtinentur, nec major portio ſurſum urget minorem. Hinc inſinuare vult, minimè mirum videri debere, ſi cylindrus aquæ concavus in Situla Cylindrum ſolidum tricies majorem paulóq; breviorem ob ſubjectam laminam in hac libra Naturæ vincat, laminámq; ſurſum pellat.*

lat. Sed huic Reſponſo diffiſus, propter ea quæ ſcripſimus Enchirid. cap. 13. ſect. 13. *(ubi ex hoc experimento inter alia* Principium *meum* Hylarchicum *ſtabilio) tandem huc devenit, poſtquam neceſſe viderat, aut* Principium *noſtrum* Hylarchicum *admittendum, aut fatendum partes aquæ quaſq; ſuperiores in intermedias ac inferiores gravitare, ut ipſe conſultius putet ſtatuere hoc poſterius verum eſſe, quàm prius, quippe qui iſtiuſmodi* Principium Hylarchicum *hactenus in natura reperire non poſſit; cùm tamen iſtiuſmodi Principium non ſolùm* Pythagoras, Plato, Ariſtoteles *aliiq; præclari Philoſophi, quanquam ſub aliis nominibus, ſatis manifeſtò tenuerint, ſed & ipſe inexpugnabilibus argumentis apud quoſvis æquos judices, nullóq; laborantes præjudicio in* Enchiridio *hoc meo* Metaphyſico *illius exiſtentiam demonſtraverim. Apud eos verò homines, qui agnoſcunt laminam in ſitula aquarum pondere tricies centiéſve majori quàm quo attollatur, actu premi, & tamen è fundo aſſurgere poſſe, neſcio profectò Demonſtratio an Fortuna potiùs animi ipſorum aſſenſus diſſenſúſq; regat. Equidem non dubito quin hoc ipſi* Sturmio *durum videatur, nec parum abſurdum.*

Sed enimvero, cùm nihil illi abſurdius viſum ſit, (quod alterum illius eſt Reſponſum) aut ineffabili Divini Numinis & ſapientiâ & potentiâ indignius, quàm ut Mundum hunc corporeum fingamus tanquam Horologium quod horas ac tempora indicare nullâ aliâ ratione poſſet, quàm præſente ſemper artifice aut alio qui ad illius præſcriptum ac leges rotas circumduceret, aut compendioſiùs indicem ipſum ad clepſydram moveret, *&c. hoc eſt, tanquam ſi nullæ Mundi partes motus ſuos obire poſſent, niſi excitante & dirigente* Principio *noſtro* Hylarchico *ſive* Spiritu Naturæ, *quidvis maluit quàm tam enorme prodigium admittere. Hæc eſt ſumma hujus ſecundi Reſponſi.*

Quod Reſponſum viri ingenioſi quanquam primâ ſpecie Lectori haud ſatis cauto adblandiri poteſt, multa tamen ſupponit quæ ſunt falſiſſima. Quorum primum eſt, Quòd Principium noſtrum Hylarchicum *ſive* Spiritus Naturæ, *ſit Mens quædam ſive Intelligentia, Spiritúſve intelligens liberóq; arbitrio præditus. Alterum Quòd non ſit unum quid cum Mundo corporeo, Formáve illius* informans, *ſed Forma tantùm* aſſiſtens. *Tertium, Quòd Deo magìs dignum ſit ut in Mundo creando* Mechanicum Opificem, *qualis certè non eſt, ſe ipſum præſtet, quàm* Patrem Spirituum *latiſſimo ſenſu, omniſq; vitæ fontem, qualis proculdubio eſt. Quartum denique, Quòd poſſibile ſit ut Mundus, tali partium Materiæ ordine motúque, quali jam conſtitutum videmus, rationibus merè Mechanicis conſtituatur, nempe ut Rotatio terræ ſit Mechanica, ut preſſura Fluidorum ſit Mechanica,* &c. *& tamen eadem appareant Phænomena quæ nobis quotidie ante oculos apparent, harum legum virtute ſolarum Mechanicarum. Quod commentum eſt quo nullum profectò veſanius aut furioſius unquam poteſt excogitari; quemadmodum multis iiſq; ſolidis invictiſq; argumentis in* Enchiridio Metaphyſico *demonſtravimus. Omnes verò qui Deum agnoſcunt, agnoſcunt pariter Mundum optimâ ratione conſtitutum. Quomodo igitur ineffabili Divini Numinis aut ſapientiâ aut potentiâ indignum videri poteſt, cùm Mundum optimâ ratione condendum inſtituiſſet, nec poſſibile eſſet ut ratio Mechanica futura fuiſſet optima, ut eam rationem rejiceret,* plaſticámque *eligeret ſive* vitalem, *hoc eſt* Spiritum Naturæ *ſimul cum Materia crearet vitalitérq; conjungeret, ut Materia per leges iſti ſpiritui, non quidem* intellectualiter *ſed* plaſticè *inſitas, in pulcherrimum hunc utiliſſimúmq; Mundi ordinem concreſceret? Quâ quidem Hypotheſi ritè ſic explicatâ, Similitudinis quam affert* Sturmius *vis ac elegantia planè evaneſcit. Mundúſq; hoc noſtro modo conſtitutus non* Mechanicum *quidem ſed* verum vivúmq; *deprehenditur* Automaton, *(juxta rationem Vocabuli) ſeipſum movens & excitans, magnúmve quoddam Horologium temporum ſeculorúmq; ſucceſſiones inchoans ſimul & indicans ſuis motibus, cujus* Elater, *ipſe pars interim exiſtens vivi hujus Horologii, eſt hic* Spiritus Naturæ, Principiúmve Hylarchicum, *non ut externa aliqua perſona adſidens, Indicémq; ad Clepſydram movens, ſed ut principium Mundi eſſentiale & internum, in motus debitos materiam mundanam ubiq; ciens, motámve ad quietem reducens ſecundùm leges illas* vitales *ſive* plaſticas *à Deo ſapientiſſimo ipſi inditas. Ex dictis ſpero ipſi* Sturmio *jam planè conſtare nihil momenti ſubeſſe huic ſuo ſecundo Reſponſo.*

Tertiò deniq; & ultimò, tantundem ſubeſſe ex dicendis mox patebit. Eſt enim nihil aliud ultimum iſtud Reſponſum quàm operoſa, diſtorta ſophiſticáq; Experimenti cujuſdam Paſchaliani *adversùs noſtrum hoc Situlæ experimentum oppoſitio & applicatio. Quod* Paſchalii *experimentum breviter hujuſmodi eſt. Siquis duo pluráve vaſa diverſæ figuræ & magnitudinis parieti affigat, omniáq; ad eandem altitudinem*



Tom.1.p.225

nem aquâ adimpleat, & in fundo ſingulorum vaſorum aperturæ ſint æquales cum embolis ità adaptatis, ut niſi filo, putà, ſuperiori parti Embolorum adſixo, & per medium vaſis aſſurgenti brachióq; bilancis alligato, per pondus alteri brachio alligatum ſubveherentur, aperturâ exciderent mole aquæ depreſſi; quòd idem ſcilicet pondus ab altero bilancis brachio pendens, quod par omnino ſit ſuſtinendæ aquæ in embolum minoris vaſis incumbenti, par ſit etiam ſuſtinendæ incumbenti in embolum majoris, in embolos putà vaſorum A & B. Heîc, *inquit* Sturmius, cùm non neget *Morus* omnem ſaltem in ſingulis vaſis aquam gravitare in ſubjectum fundum ſeu embolum, fruſtrà certè, ſubducto quàm voluerit exactiſſimo calculo, conabitur demonſtrare majorem aquæ molem debere fundum magìs premere quàm minorem, dum ocularis experientia contrarium oſtendit. *Ego verò interim demiror virum oculatiſſimum non ſtatim deprehendiſſe hoc experimentum contra ipſum facere, quippe quod planè demonſtrat, primùm, preſſuram aquæ in fundum vaſis non eſſe Mechanicam, alioqui proculdubio propter obliqua ſive turbinata latera vaſis B, majus aquæ onus incumberet in embolum C, quàm in embolum D, ac proinde majus brachio bilancis appenſum pondus requireret ad retinendum Embolum in apertura vaſis B, quàm requiritur ad retinendum Embolum in apertura vaſis A. Deinde, manifeſtò etiam probat in aquis æquè altis, preſſuram in fundum fieri pro latitudine Baſis columnarum aquearum fundo vaſis incumbentium. Alioqui cur requiritur ut aperturæ ſint æquales? Quod apertè confirmat argumentum noſtrum è Situla petitum. Sed in abutendo hoc experimento* Paſchaliano *pergit porrò* Sturmius, Quodſi igitur, *inquit*, æqualis altitudinis aquæ in fundos ſeu baſes æquales æquè gravitant, quamcunque ſuperius figuram aut amplitudinem habuerint, vi experimenti *Paſchaliani*, mirum non eſt cylindrum aqueum in Situla medium etſi amplum & ſpiſſum, minùs tamen valere gravitando deſuper in ſubjectam laminam ligneam quàm valet ambiens ad ſitulæ latera cavus aquæ cylindrus, gracilis quidem ſuperiùs ſed tandem in baſin æqualem infrà expanſus, & quod rei caput eſt, priori ſenſibiliter altior. *Hîc concludere vult ex experimento* Paſchaliano, *ubi aquæ æquè altæ in vaſis licèt & magnitudine & figurâ differentibus, modò aperturæ* æquales *ſint emboliq; aperturis adaptati*, æqualiter *in dictos embolos premunt, cylindrum aquæ in ſitula medium* minùs *premere poſſe vel gravitare in portionem fundi* tricies majorem *reliquâ in quam cavus cylindrus incumbit, quòd* minùs, *inquam, in eam gravitare poſſit quàm cavus Cylindrus in ſuam portionem fundi ſitulæ reliquam. Quàm diſtorta atq; abſona eſt hæc deductio? Atenimvero, inquiet, addendum porrò eſt, quòd cavus ille cylindrus* gracilis licèt ſuperiùs, tandem in baſin expanditur, medii Cylindri baſi æqualem; *immò verò concedo etiam in majorem, componendo utiq; baſin hanc cum illa quæ cavo cylindro adæquatè ſubjacet. Sed quid hoc ad rem?* Nec *tota enim hæc baſis nec ulla illius pars quicquam facit ad urgendam laminam ligneam contra cylindrum aquæ medium, niſi quatenus ſurſum comprimitur cavo cylindro in planum, in quo facies inferior laminæ ligneæ jacet, innitente, adeò ut illa preſſura quæ laminam ſurſum urgeat certo certiùs, iſtâ, quæ eam urgeat deorſum, tricies ſit minor, tantum abeſt ut Cylindrus medius minùs gravitet in laminam ligneam quàm cavus propter hanc ipſi additam baſin ſubter laminam ligneam expanſam. Sed nec huic rationi multùm confidere videtur ipſe* Sturmius, *quippe qui addit*, Et quod rei caput eſt, priori ſenſibiliter altior. *Heîc ſaltem rem acu tetigiſſe ſibi videri poteſt. Sed enimvero, ſi altitudinem ſitûs intelligat*, medii *Cylindri* ſummitas *in eodem Plano jacet quo ſummitas* cavi: baſis *verò in Plano paulò altiori quàm quo baſis* Cavi *jacet. Si per altitudinem, longitudinem cylindrorum intelligit, perexigua quidem ſupponitur differentia, pars putà centeſima aut circiter. Quid autem valet hoc, dum interim cylindrus* ſolidus *tricies ampliùs* cavo *ſit major, illiúſq; preſſura Mechanica Cavi preſſurâ in laminam tricies itidem major fortiórque, quâ & actu premere in fundum Situlæ ſentitur? Adeò in nihilum redacta ſunt quicquid argumentorum ſibi corradere potuit* Sturmius, *& contra inexpugnabilem hanc noſtram è Situla arceſſitam demonſtrationem contorquere. Ità ut hoc Situlæ experimentum pro intemerato fonte & ſcaturigine omnis ſanioris* Hydroſtaticæ *in poſterum meritò haberi poſſit.*

Sect. 5. Referri non debere ad actualem preſſionem particularum aquæ inter ſe, *&c. Nam quòd conjunctim in obturaculum premere poſſint facilè concedo, quemadmodum fit in particulis aquæ in ſuprà memorata ſitula. Hæc à me antè ſcripta* *ſunt quàm in* Collegium Experimentale *incidiſſem, recurramus paululùm* Sturmii *gratiâ ad ea quæ paucis abhinc lineis ſuprà occurrunt.*

Ut nè nudum quidem ſuſtineatur ſed ſtatim excidat remiſſo filo deſcendátque, *&c. Quid ad hæc* Sturmius? Hæreo, *inquit*, actutum ego inſperati lapsûs auditu perterritus, atque ſi vera ſunt hæc, inquam, unà labare non immeritò fortè videtur *Moro* tota *Boyliana*, quæ hactenus etiam noſtra fuit, Hypotheſis. Abſque mora faciendum eſt rei periculum, *&c.* Auctar. *pag.* 36. *& ſeqq. Poſt longam verò nec inſeſtivam tamen experimenti facti narrationem ſumma huc tandem redit, pag.* 38. Nihil igitur ampliùs, *inquit*, poteram, in experimento *Mori* deſiderare, niſi quòd is ſtatim fieri dixiſſet, quod ſenſim tamen & lentè fieret. *Sed & paulò poſt, hunc etiam nodum ipſe ſolvit, ex facto quodam experimento ejuſdémve, ſi mavis, experimenti quadam circumſtantia.* Si *Morus*, inquiebam, *ait ille*, valvulam adhibuit, cujus cavitatem minùs exactè explevit immiſſum obturaculum, citiùs etiam aqua ſurrepere ocyúſque lapſus obturaculi contingere potuit. *Et rectè quidem conjectat. Erat enim Cavitas valvæ Tuborum quos ego experimento huic faciendo adhibui, multo laxior, quàm Tubi* Sturmiani. *Duos autem adhibui, vel potiùs Tubum ſolidámq; columnulam ligneam, quanquam unum tantùm obturaculum, valvulæ utriuſq; ſic adaptatum, ut quanquam utrobiq; ſatis laxè ſe habebat, curaverim tamen ut in valvula Columnæ minùs laxè ſe haberet, quàm in valvula Tubi. Et tamen, quod atteſtatus ſum, multiq; alii atteſtari poſſunt, Obturaculum ad eam aquæ profunditatem immerſum, quâ Tubi valvulæ inditum, cum addito plumbeo pondere diu ſuſtentabatur, ligneæ columnulæ valvæ vel nudum inditum ſtatim excidit. De veritate igitur experimenti ſatis inter nos convenit, quanquam in cauſa explicanda hujus Phænomeni multùm interim diſſidemus. Cur noſtram explicationem rejiciat, Sectione decimâ ſeptimâ opportuniùs videbimus. Intereà loci* Sturmium *audiamus quomodo experimentum cum ſua Hypotheſi de pondere & preſſura aquarum conetur conciliare. Cùm igitur duo ex hoc experimento ſe offerant Problemata, quorum alterum eſt, Quæ ſit vera cauſa lapsûs obturaculi è valva in Tubo obſtructo nullúmve habente intermeatum inter valvam & cavitatem Tubi; Alterum, Cur lapſus hic obturaculi difficilior ſit ac tardior in Tubo aperto intermeatúmve habente quàm in Tubo obſtructo,* Sturmius *ſecundùm ſuam Hypotheſin rem ſic expedit. Quantùm ad primum,* Veram, *inquit*, cauſam hujus lapsûs arguebam aquæ validè prementis & urgentis per commiſſuras valvulæ lentam ac tacitam obreptionem. *Quòd lentè inſinuatur aqua per dictas commiſſuras negari non poteſt, ſed quòd inſinuatio iſta ſit per preſſuram Mechanicam qualem moderni* Hydroſtatici *fingunt,* Sturmiúſq; *cum illis amplectitur, prorſus eſt impoſſibile. Talis enim aquæ preſſura fieri non poteſt quin ſimul eâdem prematur fundus ſive Baſis obturaculi, quæ, cùm illius ſuperficies quadragies centiéſve latior ſit quàm commiſſuræ, centies majori vi premetur quàm illud quicquid ſit materiæ in ipſa commiſſura, cujus protruſione aquæq; ſubſecutione obreptionéve* Sturmius *vult obturaculum tandem extrudi. Hoc adeò manifeſtum eſt ut nihil opus ſit plura accumulare verba, in re tam perſpicua. Jam verò quod ad alterum attinet, Cur lapſus hic obturaculi difficilior ſit in Tubo aperto quàm in obſtructo?* Sturmius, *ut qui jam ſtatuerit lapſum obturaculi referri debere ad Mechanicam aquæ preſſuram & obreptionem in commiſſuram obturaculi & valvæ, cauſam tarditatis lapsûs in Tubo aperto haud abſimili modo explicat. Ex eo enim fieri exiſtimat, Quòd in Tubo aperto preſſuræ aquæ in commiſſuram vis per preſſuram columnæ aeris in Tubum uſq; deſcendentis & obturaculo incumbentis & inſinuantis ſe ſimiliter in commiſſuram, infringitur & retunditur; cùm è contrà in Tubo obſtructo, hujus aereæ columnæ preſſuræ vis obturato intermeatu intercipitur, dum interim cylindrus non tantùm aqueus ſed aereus etiam altiſſimus & qui aqueum cylindrum* 30 *pedes altum æquiparet, ejuſdem ferè diametri cum valvæ obturaculo, in commiſſuram ſimul cum obturaculo preſſurâ vehementiſſimâ nituntur. Hinc fit ut tardior ſit lapſus obturaculi in Tubo aperto quàm in obſtructo. Quod ingenioſum ſanè eſt Inventum niſi quòd rurſus ſit impoſſibile. Immò verò tales aperit cauſas, quæ ſi veræ eſſent, obturaculum in Tubo obſtructo non dicam tardiùs ſed nè omnino caderet; in aperto verò multo citiùs quàm ſi hæ cauſæ non eſſent in rerum natura, preſſuram intelligo columnæ aeris per Tubum in obturaculum. Cùm enim columna iſta aeris cylindrum aqueum* 30 *pedes altum æquiparet, obturaculóq; incumbat, cujus area ſuperior quadragies minimùm latior ſit circulari commiſſurâ, manifeſtum eſt vi quadragies majori in ſuperiorem faciem obturaculi agere quàm in ipſam commiſſuram, unde multo quidem faciliùs lapſurum eſt obturaculum in Tubo aperto quàm in obſtructo, quod certiſſimæ repugnat experientiæ. Quibus adde, in meo Tubo aperto ubi obtu-*

raculum laxiùs ſe habet in valva, & aqua facilè ſe inſinuat in commiſſuram, & ſupra obturaculum in ipſum Tubum, poſt haud longum quidem tempus, aſcendit. Obturaculum tamen non cadit. Quod manifeſto indicio eſt lapſum obturaculi, à ſola aquæ preſſura in commiſſuram aſcenſúq; ſupra obturaculum non dependere. Adeò toto cœlo Sturmius *vir alioquin ingenioſus erravit in cauſis explicandis hujus Phænomeni. Sed ut bono animo ſit nec incepti nimiùm pudeat, ipſi prædico quòd nec acutiſſimus* Boylius, *cujus opem implorare videtur pag. 38. nec* Sinclarus *nec quiſquam alius Hydroſtaticus, contemnant quàm volent* Principium *noſtrum* Hylarchicum, *cauſas ullas purè Mechanicas hujuſmodi Phænomenôn veras unquam ſunt eruituri.*

Sect. 6. Certè impoſſibile eſt quin tantæ preſſionis vi ſi reverà fieret, *&c. Fingunt enim quidam fieri, ut corporis humani compagis firmitudinem indè illuſtrent.*

Quòd corpus Urinatoris undique æqualiter premitur, *&c. In hac enim de Vrinatoribus difficultate ad duo hæc confugere ſolent hodierni* Hydroſtatici. *Ad æquabilem & uniformem fluidorum compreſſionem, & corporum Animalium hominis præſertim compagis firmitudinem aut robur. Sed cùm Gyrinorum cochlearúmq; carnes molles faciléq; preſſibiles nihil ab hac Fluidorum preſſura patiantur, fruſtrà recurritur & ſupervacaneè ad corporum aliorum Animalium robur & firmitudinem, manifeſtóq; indicio eſt nullam partium Fluidorum inter ſe dari preſſuram, ac proinde nec æquabilem ac uniformem.* Nec *certè in ulla omninò argumenta incidi quæ illud poſſunt evincere, quod & ſuprà monui, aut quòd humani corporis compages tam robuſta ſit omni ex parte ut iſtiuſmodi Ætnæa pondera oneráve quæ ei ſub aqua jacenti incumbere finguntur, poſſit ſuſtentare.* Nam *quòd veſicula piſce extracta & in aquam profundè immerſa non comprimitur aut corrugatur, Quòd Muſca in aere in ſummitate Tubi ad tertiam quartámve naturalis ſui ſpatii partem adacto movere ſe poſſit cruráq; refricare & illæſa tandem exire, Quòd etiam prope fundum Tubi* 27 *uncias alti Mercurióque impleti non colliditur aut læditur, ſed incolumis eximitur, gradiens ſatis firmiter & in ſignum victoriæ alas vibrans; hæc certè experimenta & id genus reliqua omnia, non tam firmitudinem humani corporis cum muſcarum veſicularúmq; firmitudine collatam illuſtrant, quàm nullam ferè partium fluidi inter ſe eſſe preſſuram reverà demonſtrant : Tam benignè ſcilicet à Domina rerum Natura ſaluti Animalium proſpectum eſſe. Cùm è contrà moderni noſtri* Hydroſtatici *pleraq; omnia Animalia malunt viſceribus elidendis periclitari quàm ſe Phænomena Hydroſtatica omnia* Mechanicè *poſſe explicare non videri.*

Nam tametſi hæc preſſio æqualis ſit, nihil tamen impedit quo minùs ſubtiliores partes corporis, *&c. Illæ præſertim quæ particulis aqueis tenuiores ſunt, quales ſunt partes magìs ſpirituoſæ & ætheræ ſpiritúſq; animales & vitales; unde vita & ſenſus multùm in animalibus aquæ profundiùs immerſis aut minueretur aut planè extingueretur motúſq; fieret aut debilior aut nullus. Quod tamen nè in Gyrinis quidem Cochleiſq; conſpicitur. Gyrinus enim ſatìs agiliter ludit in aqua, etiam artificiali ſeu violentâ additâ aquæ preſſurâ. Quod certè non faceret ſpiritibus vitalibus animalibúſq; magna ex parte eliſis. Quod igitur argumento eſt non elidi, naturalémq; partium aquæ inter ſe preſſuram nullam eſſe, artificialem verò à Natura eludi. Qua de re mox plura.*

Niſi vis & reſiſtentia partium corporis inter ſe ſit etiam æqualis, *&c. Nec poteſt hujus argumenti vis enervari, quòd muſcæ nempe aliáve ſimilia Animalia, quorum partes omnes non ſint æqualiter firmæ, Mercurio ſatìs profundè immerſa nullum damnum acceperint. Hujuſmodi enim exempla potiùs à noſtra parte ſtant quàm contra præſens argumentum militant, probéntq; fluidi corporis partium inter ſe nullam eſſe preſſuram ſed ab omni preſſitante motu inter ſe à provida Natura ſuſpendi.*

Sed ut nè ſentire quidem onus Urinator in mari ſtatim mille pondo onuſtior quàm dum ſtabat in aere, *&c. Equidem preſſuram aeris, ſiqua eſſet, in fodinis non multò majorem ſentiri quàm in altiſſimorum montium jugis, cùm Mercurius in Tubo* Torricelliano *tot gradibus heîc inferiùs ſubſidat quàm illîc nempe in fodinis, meritò quiſpiam poteſt admirari : In mari autem, dum Vrinator mille pondo onuſtior ſit quàm cùm ſtabat in Aere, non admodum palpabiliter novo onere gravari, quis non obſtupeſcat? Sed mare corpus fluidum eſt ac proinde preſſura mollis & æquabilis. Quaſi verò quis vel ſericâ periſcelide ſi ſatìs arctè circa collum conſtringatur, ſuſpendi non poſſit & ſuffocari. Sed conſtrictio heîc, ad incolumitatem Vrinatoris, non eſt circa collum ſolùm, quo neceſſariò ſuffocaretur tam ingenti preſſurâ, ſed eſt æqua-*

bilis & uniformis per totum corpus, tanquam ſi faſciis vel unâ quaſi faſciâ æquè ſtrictè ubiq; eſſet involutum. Hinc illa Vrinatoris incolumitas & ſalus. Verùm enimvero, an probabile putandum eſt in ſuſpenſione hominis & ſuffocatione, faſciâ putà vel periſcelide ſericâ, ſi totum corpus eâdem ſtricturâ aliis faſciis eodem tempore conſtringeretur, effecturum eſſe ut homo de vita non periclitaretur? At Vrinatori collum preſſurâ longè longéq; majori urgetur circumcircà, & tamen non ſolùm de vita non periclitatur ſed nè minimum circa collum ſentit dolorem, ſed eodem ferè modo ſe habet, quoad ullam ſenſibilem preſſuram, quo antea, quanquam faſciis iſtis aqueis vi mille pondo preſſuram æquante fortiùs quàm in aere conſtringatur. Hæc quàm veriſimilia ſint, ut tanta ſcilicet ſit conſtrictionis differentia in aere & aqua, & tantilla tamen differentiæ perceptio, judicent alii. Ipſe equidem fateor me hujuſmodi ſubtilitates non capere.

Sect. 7. Immò vero quantumvìs ſupponeremus ſingulas particulas aqueas ſenſu, ratione, liberóque ſe movendi principio eſſe præditas, *&c. Ità prorſus ſe res habet, ut cuique patere poteſt ſi rem attentiùs conſideret. Eſtq; hoc quartum argumentum quo probari poteſt, tametſi perceptio ratióq; ipſi materiæ ineſſe ſingerentur, ſubſtantiam tamen aliquam in Mundo præter materiam neceſſariò requiri, eámq; propterea incorpoream, quâ Mundana Materia regatur.* Vide cap. 9. ſect. 14 & 15. cap. 11. ſect. 15. cap. 12. ſect. 17. *Vnde Materiæ vitam perceptionémq; attribuere, quemadmodum ex parte materiæ valde incongruum eſt, quippe quæ ſenſationis incapax videtur; ità cùm aliud præſtò ſit ſubjectum magìs idoneum ad exhibenda omnia illa Phænomena, quorum gratiâ perceptio materiæ affingitur, omninò ſupervacaneum.*

Sect. 10. Quod eſt Principium aliquod incorporeum per aquam aerémque permeans paritérque per Mundum univerſum, *&c. Abſtinere heîc me nequeo quin obiter notem, quàm toto, quod aiunt, cœlo aberret* Sturmius *à mea mente, in deſcriptione Principii mei Hylarchici, in Auctariis pag.* 34. *ubi hæc occurrunt verba.* Prodiit autem & alia nuper ex Anglia *Henrici Mori*, viri alioquin ingenioſi, Hypotheſis, quæ hæc Baroſcopii Phænomena ut quævis alia vulgatiſſima reducit ad Principium quoddam Spirituale & incorporeum, per aerem aquámque & univerſum adeò Mundum permeans, quod corpora & partes Materiæ certo conſilio & ordine ad certas leges cum ratione & arbitratu quaſi ſuo diſponat, *&c. Ego verò quanquam Principium hoc* Hylarchicum *Spirituale ſtatuo & incorporeum, totámq; materiam Mundanam pervadere, ſinguláq; juxta leges quaſdam ipſi à Deo inditas certo quodam ordine, niſi impediatur, diſponere; nego tamen conſilio hæc facere rationéq; ac arbitratu ſuo, quippe quod ratione, conſilio liberóq; arbitrio carere maniſeſtiſſimis experimentis evinci poſſe ſat ſcio. Obſcurum tamen aliquem ſenſum habeat necne, non tam confidenter definio. Vitam verò habere* ſpermaticam *ſive* plaſticam, *Materiæ Mundanæ juxta leges quaſdam ipſi* vitaliter *inſitas, ordinativam, indubitanter affirmo, & experimentis perquam luculentis demonſtrari poſſe acriter contendo, talibus utiq; quæ in* Enchiridio Metaphyſico *in medium protulimus quorúmq; vim nemo, quod ſciam, hactenus enervare potuit, nè hic ipſe* Sturmius *quidem quanquam nullum non moviſſe lapidem videtur ut hæc efficeret.*

Axioma 3. In unam aliquam partem omnes junctim urgeri poſſunt & premi, quamvìs ſingulæ ſingulas in nullam partem premant, quódque pro magnitudine molis, *&c. Axioma hoc tertium* Sturmius *palmarium meum Axioma appellat*, quo tanquam Ariete *ait* me concluſiones Hydroſtaticas recentiorum Philoſophorum pleraſque quaſſare & ſubvertere conari. *Quod tamen ipſe ſe putat paucis propoſitis quæſtiunculis facilè conterere poſſe ac diruere. De experimento Tubi triginta pedes ampliùs longi, & ex multis tubis per commiſſuras compacti*, Auctar. *pag.* 59. *ſic interrogat.* Dicat igitur *Morus* ſi poteſt, cur aquæ partes inferioribus Tubi commiſſuris B & C vicinæ exitum non quærunt per inſenſibiles obturamenti rimulas, quamdiu ſuperiores Tubi partes ab aqua vacuæ ſunt, erumpunt verò tum cùm altior ſuper ipſas erigitur aquæ noviter effuſæ cylindrus? Dicat ſecundò, cur gracilis aquæ columna quæ Tubum ad 30 pedum altitudinem complet & quanta quanta eſt tres ſextarios vix adæquat, imum epiſtomium vi multo majori urget quàm ingens plurium amphorarum moles cujuſdam dolii, *&c. Denique ultimam partem hujus tertii Axiomatis perſtringit, ubi mox aſſerit, pag.* 60. Fluidorum vim ex altitudine magìs quàm ex mole dependere & æſtimari oportere. *Ad quæ reſpondeo, Ea omnia optimè cum tertio hoc meo Axiomate conſiſtere.* Sturmii*que imperitiæ imputandum eſſe, quòd ea inter ſe committere velit quibus ſumma eſt concordia. Reſpondeo igitur ad primum, ex hoc ipſo tertio Axiomate, quòd cùm pro magnitudine molis major minórve totius fiat preſſio, hinc evenire ut aquæ partes inferioribus Tubi commiſſuris B & C vicinæ per inſenſibiles obturamenti*

menti rimulas quamdiu ſuperiores Tubi partes aquâ vacuæ ſunt exitum ſibi non quærant, quoniam molis magnitudo tunc minor eſt ideóq; preſſio minor. Tum verò demum erumpunt, cùm altior ſuper ipſas erigitur aquæ noviter effuſæ cylindrus, quia magnitudo molis tunc major eſt, majórq; proinde preſſio. Ad ſecundum reſpondeo quòd, quemadmodum illa fortis in Epiſtomium preſſura nequaquam digladiatur cum hoc tertio Axiomate, ità conſentit maximè cum Hypotheſi noſtra, qui ſect. 9. totam aquæ in ſitula tendentiam eſſe deorſum contendimus, unde in ſingulas fundi partes pro partium iſtarum proportione ſit preſſura, cùm ſuperficies aquæ in ſitula plana ſit, ſingulæq; proinde columnulæ dictis fundi partibus incumbentes ejuſdem altitudinis. Cùm igitur preſſura ſit pro altitudine & baſi columnularum, minimè mirandum eſt ſecundùm noſtram Hypotheſin ſi gracilis aquæ columna quæ tubum ad 30 pedum altitudinem complet quanquam vix tres ſextarios adæquat, imum Epiſtomium vi multo majori urgeat quàm ingens plurium amphorarum moles epiſtomium dolii, cujus diameter tres quatuórve pedes fortean haud excedat, cùm preſſura fiat pro ratione baſis & altitudinis, ſive altitudinis & Epiſtomii, ut ſuprà etiam patuit ex experimento illo Paſchaliano. *Quæ omnia optimè cum noſtra Hypotheſi conſentiunt. Ad tertium denique, dico abſurdum quid ſublatere in iſtoc Effato* Sturmiano, Fluidorum vim ex altitudine magis quàm ex mole dependere, *quaſi altitudo perinde ac latitudo una non eſſet dimenſionis molis pars. Moles enim ſenſu Philoſophico nihil aliud eſt quàm magnitudo in* concreto, *præſertim ſi corpus magnum ſit, duo autem corpora æquè magna eſſe poſſunt, quanquam alterum cubus ſit vel ſphæra, alterum admodum gracilis columna. cujus tamen moles æqualis eſt moli Cubi Sphæræve. Ac proinde eo ipſo quòd Fluidorum vis ex altitudine dependet, dependet etiam ex mole. Neque enim puto virum eruditum per altitudinem, altitudinem ſitûs intelligere. tunc enim major fieri deberet preſſio in commiſſurarum rimulas circa ſuperiores Tubi partes quàm circa inferiores. Quod repugnat experientiæ.*

Quódque pro magnitudine molis major minórve totius ſit preſſio, *&c. Ex poſteriore hac parte tertii hujus Axiomatis Hydroſtatici ratio patet, cur in doliis delinendis vel in vaſis aliis perforandis hæc obſervanda ſit Lex. Verbi gratiâ, Si vas foramine, cujus diameter ſit quadrantis unciæ, perforatum, ad profunditatem unius unciæ infra aquæ ſuperficiem, reperiatur certam aquæ quantitatem effundere uno horæ momento, velitq; quis ut per foramen ejuſdem diametri bis tantum aquæ reddatur eodem temporis ſpacio, vas tunc perforandum eſt ad quatuor unciarum profunditatem, & ſi ter tantum aquæ, perforandum eſt ad profunditatem novem unciarum & ſic deinceps, quemadmodum ex* Merſenno *notavit vir ingenioſus* R. Hookius *in ſua* Lampade. *Hæc eſt Lex ipſa, Ratio verò Legis ex hoc ipſo Axiomate petenda eſt, nempe cur in ſecundo exemplo foramen fieri debeat ad altitudinem quatuor unciarum infra aquæ ſuperficiem, in tertio, unciarum novem. Hoc enim cùm in confeſſo ſit apud Philoſophos Mechanicos, Quòd vis quæ requiritur ad motum accelerandum ſemper in duplicata ratione ſit ad celeritatem acquirendam, ſequitur planè ex poſteriore parte hujus Axiomatis, quòd in ſecundo exemplo vas perforandum ſit ad altitudinem quatuor unciarum infra ſuperficiem Aquæ, in tertio ad novem. Nam pro magnitudine molis minor majórve Aquæ ſit preſſio. Cùm igitur preſſio ſive vis pro mole aquæ augeatur. manifeſtum eſt, in ſecundo exemplo ubi celeritas dupla producenda eſt, neceſſe eſſe, ut Aqua ſit quatuor uncias alta, nam duo in duo faciunt quatuor; & in tertio exemplo ubi celeritas tripla producenda eſt, ut Aqua novem uncias ſit alta, nam tria in tria faciunt novem. Hujuſmodi igitur experimenta tantum abeſt ut cum Principio noſtro Hylarchico, ullo modo digladientur, ut neceſſario nexu, cum eis legibus quas ipſi ineſſe ſtatuimus, conjungantur ac cohæreant, tanquam genuina illarum effecta. Unde ſatis demirari non poſſum ardorem nimis juvenilem ac præcipitem viri aliàs ingenioſi ac de Republica Philoſophica optimè meriti,* Roberti *utiq;* Hookii, *qui in* Lampade *ſuâ, quaſi ipſe quantus quantus eſt, in ardens* Λαμπάδιον *totus abiiſſet, tanto animi fervore in me invehitur, quaſi ego veritatem iſtam Hydroſtaticam abolitum iviſſem introducendo Spiritum meum Hylarchicum, inter cujus tamen leges hanc ipſam tam neceſſariò includo. Quanquam enim Spiritum hunc Hyloſtaticum materiam movere contendo, vim tamen motæ Materiæ pro mole illius majorem minorémve eſſe ſimul aſſero. Addóque inſuper experimenta omnia pari certitudine vi hujus Spiritûs* Hylarchici *factum iri, atq; ſi vis ipſi Materiæ inſita eſſet, quanquam interim non Materia Spiritui, ſed Materiæ Spiritus imperat, idq; non arbitrario ſed naturali fatalíve Imperio, juxta certas ratáſq; quaſdam leges & immutabiles. Adeò ut nemo operam* *luſurus ſit ſcrutando & obſervando has leges, non magis quidem quàm ſi merè eſſent Mechanicæ; quandoquidem omnia proceſſura ſunt eâdem conſtantiâ parique fructu, quantùm ad uſus humanos. Ut qui novas motuum cœleſtium Hypotheſes introduxerunt, rerum Naturam, quantùm ad humanos uſus, nihil immutârunt.*

Tantilli momenti eſt, quod è delinendis doliis contra Spiritum noſtrum Hylarchicum *deprompſit vir ingenioſus* R. Hookius. *Plus mihi videtur acuminis ineſſe ei argumento quo probare conatur partes corporum fluidorum gravitare inter : ſe quod cùm falſum eſſe ipſi ſenſus doceant; nec tamen conjunctim in aliud gravitare poſſe, inter ſe non gravitantes, ſine Spiritûs alicujus interventu ipſa nobis confirmet Ratio; hoc inter alia mihi argumento eſt haud obſcuro* Spiritum Hylarchicum *exiſtere. Quam Concluſionem* Hookius *ſubvertere ſic enititur, ſubinſinuando ſcilicet partes plumbi putà liquefacti in Cylindro ferreo æquè gravitare inter ſe, atque quando ejuſdem plumbi frigidi partes diviſæ aliæ aliis incumbunt, quemadmodum manifeſtum eſt ex ipſorum libratione, quippe plumbum frigidum cum cylindro ferreo & plumbum liquefactum cum eodem cylindro lanci impoſita, ejuſdem reperiuntur ponderis.*

Sed ad hoc argumentum reſpondeo in ipſiſſimis verbis prioris partis hujus tertii Axiomatis Hydroſtatici, Quòd particulæ molis corporeæ ſive ſtabilis ſive fluidæ ab Hylarchico *Principio in unam aliquam partem omnes junctim urgeri poſſunt & premi, quamvis ſingulæ ſingulas in nullam partem premant; cujus veritas ſuprà demonſtrata eſt experimento ſitulæ & laminæ ligneæ, nec opus eſt hîc repetere. Quamobrem cùm totum plumbum utrobiq; ſive frigidum ſive liquefactum lancem premat, minimè mirum eſt æqualis ponderis reperiri. Et quod ad partes plumbi frigidi diviſas attinet, putà decem breviuſculos plumbi cylindros alios aliis incumbentes, partes ſingulorum Cylindrorum aliæ alias non premunt, ipſiq; cylindruli potiùs ſimul premunt lancem, quàm alii alios, immediatè ſe utiq; tangentes. Nam inter ſe ritè diſponuntur. Totius verò fit preſſio propter ſubjectum Aerem.*

Atque hæc homogenearum partium, præſertim in liquidis, aliarum in alias Nonpreſſura, tam conſentanea eſt ut non mediocris profectò futura fuiſſet in Divina Providentia labes, ſi Natura rerum ità non eſſet comparata, ſed onus, ut quidam fingunt, totius altitudinis Atmoſphæræ, partibus ſuperioribus inferiores perpetuò prementibus, (adeò ut columna baſis quadratæ pedalis, 1800 *pondo ſuperet) cujuſq; capiti ac humeris incumberet, idque ob nullam aliam cauſam, quantum ego intelligo, niſi ut* R. Hookius, *aliiq; curioſi Naturæ ſcrutatores, non ſatìs Mechanicas, ſi Philoſophiæ placet, Hydroſtaticorum aliorúmq; Phænomenôn & Experimentorum rationes reddere valere non videantur. Atque hæc breviter indicâſſe ſufficit. Si qua prætermiſi in* Lampade Hookiana *à pag. 27. ad pag. 35. aut iſtiuſmodi ſunt quibus, in Reſponſionibus ad* Chriſtophorum Sturmium *ſatisfecerim, aut ludicra prorſus ac jocularia. Quæ enim ſolidè confutare neſcit, irridet homo facetus ſcommatiſq; excipit. Nos verò iſtiuſmodi nugis & ineptiis indulgere nec ætas, nec vitæ conditio ſinit.*

Sect. 12. Nihil autem hìc contra primam legem committitur cùm exceptio, *&c. Quæ in hunc locum habet* Sturmius, *ad finem horum Scholiorum mox notabimus. Ad alia interim feſtinamus.*

Vide Fig. 27.

Vide Fig. 27.

Sect. 15. Poſtquam verò ex ſuperinfuſo oleo E F C D totius congeriei olei & aquæ multò fortior ſit actio, *&c. Habet ſanè in hunc locum* Sturmius *quædam non illepida nec aliena.* Hoc loco, *inquit ille*, non incongruè quis monuerit Hylarchicum *Mori* Principium inconſultiùs uti, ad aerem ex indebito loco, aquæ ſcilicet elemento, pellendum, aquâ oleóque ipſum fortiùs comprimente & circumvallante; ſiquidem quo magìs urgetur ab incumbentibus illis, tanto arctiùs intra locum illum indebitum concluditur, tantóque difficiliùs ipſum relinquit : immò, quod eventus docet, dum id agit Hylarchicum Principium ut ex indebito loco quem occupat proximè ſub aquæ ſummitate C D removeat aerem, & altiori ſupra aquam reſtituat, ipſum ad fundum potiùs deprimit, locóque adhuc profundiori ac minùs debito collocat; id quod ampliſſimâ ejus ac totius Naturæ gubernatrice Providentiâ omnino indignum eſt. *Hæc profectò acumine non carent nec lepore. Sed nihil probant quàm quod ipſe ultro concedam eſſe verum,* Principium *ſcilicet* Hylarchicum *ſive* Spiritum Naturæ, *non agere pro re nata ex conſilio ac deliberatione rationéve libera, ſed ſecundùm generales quaſdam rationes* plaſticas *ipſi à Deo inſitas, bonóq; Univerſi publico utiliſſimas eique deſtinatas, ſatiſq; accommodatas fini ad quem collineant in curſu Naturæ ordinario. Cùm verò ludicris humani ingenii artificiis otioſuliſque curioſitatibus* Principium Hylarchicum *circumvenitur & impetitur, & ad exerendam vim generalis alicujus* *rationis* plaſticæ *allicitur aut proritatur, in perverſè aſtutéq; excogitatis oblatiſq; circumſtantiis, ſæpiſſimè fit ut in applicando generales iſtas motûs leges datæ occaſioni, illaqueetur impediatúrq; quo minùs finem aſſequatur ad quem iſtæ leges naturaliter tendunt. Cujus rei multa quidem exempla huc accumulare poſſem niſi brevitati ſtuderem. Quæ omnia probant, non quidem nullum eſſe Principium* Hylarchicum, *ſed nullo conſilio, ratione, liberóve arbitrio eſſe præditum, contrà ac* Sturmius *& hîc & ſuprà videtur cenſuiſſe. Ac proinde nihil hîc incommodi accidit, niſi quòd meritò hinc exiſtimari poſſit* Sturmius *confutâſſe* Sturmium *& ab eo errore liberâſſe.*

Sect. 16. Quod certè fieri non poſſet niſi, juxta quartam legem, contruſio particularum aquæ contra ſe invicem Principio Hylarchico inhiberetur, *&c. Mihi certè eximium exemplum hoc videtur quartæ legis Principii* Hylarchici, *cùm aliàs tanta preſſio Gyrinum conſtringeret quanta eſſet molis columnæ æneæ, latæ quidem pro corpore Gyrini & pedes viginti aut triginta altæ, ipſius corpori incumbentis. Nec temerè hoc Phænomenon ad Principium* Hylarchicum *referimus (quippe Principium obſcurum & incertum quemadmodum vulgò contenditur) cùm tam multis & manifeſtis indiciis, quæ in hoc noſtro Enchiridio commemorantur, paſſim ſe prodat; ità ut obſcurum eſſe non poſſit niſi eis qui datâ operâ contra veritatem oculos claudunt. Qui verò ex eo quòd veſica piſcis in aquam immerſa vitro cryſtallino contentam, forti obturaculi, in intermedium, in oblongo collo, aerem preſſurâ rugas contrahit, vel ingratiis* Principii Hylarchici *effici poſſe augurantur ut aquæ particulæ aliæ alias premant, haud rectè rationes ſupputare mihi videntur. Nam quanquam ex aere in collo vitri tam fortiter compreſſo aer in veſica etiam in minus ſpacium contrahatur, unde iſtæ in veſica rugæ ſive plicaturæ fiunt; non tamen omnino ſequitur, quòd aut aeris, ſive in collo vitri, ſive in veſica, aut ipſius aquæ particulæ inter ſe ullam preſſuram exerceant. Cùm verò illæ rugæ evaneſcunt ſublatâ preſſurâ obturaculi, manifeſto quidem indicio eſt, quàm mediocris ſit partium aquæ in corpus levius mediocri ſpacio immerſum preſſura, cúmq; renovatâ preſſione obturaculi corrugatur veſica, quantopere periclitarentur veſicæ piſcium adeóq; piſces ipſi, ſi mechanica illa eſſet partium aquæ marinæ preſſura inter ſe, dum prope fundum maris natant.*

Jam verò quod Sturmium *attinet, in Auctariis, pag.* 75. *in hæc verba mea,* Id certè fieri non poſſe niſi contruſio particularum aquæ contra ſe invicem Principio Hylarchico inhiberetur & eluderetur, *ſic ſcribit :* Verùm hoc ipſum me confirmat magìs in hypotheſi recepta, quòd videam ejus vim eludi non poſſe niſi confiĉto novo & inaudito Principio, quod, niſi aliunde evidentiſſimè demonſtratum fuerit, admittere nullo modo poſſumus. *Ad quod rurſus reſpondeo, Principium hoc nec confictum eſſe nec novum & inauditum, niſi nomen ſolummodo intelligas, rem enim ipſam agnoverunt antiqui Philoſophi* Pythagoras, Plato, *ipſéq;* Ariſtoteles *ſub nomine* τῆς φύσεως, *ut quando toties inculcat* τὴν φύσιν οὐδὲν μάτην ποιεῖν, Naturam nihil facere fruſtrà, *quod intelligendum eſt omnino de hoc* Spiritu Naturæ *quem & Principium* Hylarchicum *appello. Principium verò hoc aliis in locis non paucis hujus* Enchiridii Metaphyſici *evidentiſſimè à me demonſtratum eſſe acriter contendo, ipſiúſq;* Sturmii *judicium & conſcientiam appello, an non iſtiuſmodi demonſtrationibus veritatem evicerim, contra quas ipſe, (quanquam rerum Hydroſtaticarum diligentiſſimus & adversùs hoc Principium noſtrum* Hylarchicum *animo infenſiſſimo videatur) nulla ullius momenti argumenta aut è penu ſuo aut aliunde deprompta afferre potuerit. Addo etiam hoc ipſum experimentum argumentum eſſe exiſtentiæ hujus Principii* Hylarchici *minimè contemnendum, taléq; cujus vis ordinariis iſtis ſuffugiis à diſcrimine inter preſſuram* ſolidorum & fluidorum *corporum petitis nequaquam poſſit evitari. Quàm vanæ enim ſint iſtæ evaſiones, ſuprà ſatis demonſtravimus, adeò ut ſupervacaneum eſſet hîc repetere. Quantùm verò ad illa, quæ ad calcem hujus paginæ occurrunt,* Qui ad inſigne illud diſcrimen attenderit quod inter ſolida fluidáque corpora intercedit, vel ipſo *Moro* fatente, qui aqueam columnam immenſæ molis ac ponderis à Principio ſuo Hylarchico credit poſſe cohiberi, quo minùs immerſa & ſubjecta ſibi corpora valeat ullo modo comprimere aut onerare, etiam tum cùm validiſſimus impulſus humano conſilio accedit, & tamen non putabit credo idem Hylarchicum Principium æneam columnam viginti vel triginta pedes ſupra Gyrini tenerum corpuſculum erectam ſufflaminare poſſe quo minùs omnia viſcera tam tenellæ Gelatinæ elidat. *Equidem valde ſcævè ac diſtortè hîc meum Teſtimonium contra meipſum adhibet* Sturmius, *quaſi ego tam ingens inter preſſuram, (ubi revera eſt) fluidorum & ſolidorum corporum diſcrimen agnoſcerem, cùm è contrà preſſuram centum putà librarum,* *ſive in ſolidis ſit ſive in fluidis, ego ſemper æquiponderare mordicus teneo. Sed ullam eſſe homogeneorum Fluidorum partium inter ſe preſſuram conſtantiſſimè nego, fieriq; ſic aſſero propter certas quaſdam leges Principio* Hylarchico *inſitas; quibus fit ut aquea columna immenſæ molis, & ponderis etiam, ſi Tubo in aere erigeretur, nullius ſit ponderis aut gravaminis in gyrini corpuſculum in aqua. Cùm verò columnam aqueam in aere, nè premat, minimè inhibiturum ſit Principium* Hylarchicum, *multo minùs expectandum eſt ut inhibeat æneam. Quodſi verò preſſuram illam aquæ, quæ columnæ æneæ viginti aut triginta pedes altæ preſſuram æquiparare ſupponitur, non anteverteret aut eluderet, planè impoſſibile eſt ut Gyrinus tam intolerabili onere circumquaq; conſtrictus in ullam partem ſe moveret, cùm nulla ſit penetratio dimenſionum. Valdéq; demiror & obſtupeſco planè tam aculeatas rationes, Ingenii* Sturmiani *cutem nondum penetrare.*

Sed & propriis armis eum jam invadam, nempe ex Tentamine ſeptimo, ſic: Cùm pes aquæ cubicus 60 circiter pondo contineat, & conſequenter aquæ priſma quadrangulare, cujus baſis ſit unius pedis quadrati & altitudo 31 vel rotundo numero 30 pedum, 1800. *Cúmq; huic priſmati aqueo Aeris priſma æqualis baſis, & altitudinis ad ſummam Atmoſphæræ ſuperficiem extenſæ, æquiponderet, priſmáq; hoc aeris, ſuperficiem Aquæ ſatis profundæ ſaltem ſi non marinæ* 1800 *pondo premat, ſequitur quòd infra pedum* 31 *deſcenſum in aquam columna aerea ſive priſma aereum cum aquea continuatum,* 3600 *pondo pendeat, eáque preſſuræ vi aquam ſubjectam premat, quódq; infimus ſive ultimus pes cubicus hujus priſmatis, ab infrà & circumcirca in ſingula latera perinde atque deſuper* 3600 *pondo preſſurâ prematur. Nam preſſura fluidorum eſt undequaq; æqualis juxta* Sturmii *ſuorúmq; omnium ſententiam. Demittatur jam funiculo quadratum ejuſdem areæ cum baſi priſmatis, taliſq; materiæ quæ cùm Aquâ ſpecificè gravior ſit, cubo tamen Aqueo pedali quadruplo octuplôve minùs pendeat, infra pedes triginta vel triginta unum in aquam, in plano verticali, funiculo, alicui Quadrati angulo, alligato. Manifeſtum eſt Quadratum hoc ad eam aquæ profunditatem, ab utraq; facie, tanquam forcipe, quod & ſuprà monui, vi quatuordecies mille quadringentis vicibus majori comprimi & retineri quàm propriâ gravitate urgetur deorſum. Nec tamen credo* Sturmium *negaturum, quin quadratum, remiſſo filo, vel ad fundum ſit deſcenſurum. Quo tamen nihil fingi poteſt ab omni ſenſu ac ratione magìs alienum, ut tantilla gravitatis preſſura tam ingentem in utrumq; latus Quadrati preſſuram,* 14400 *ſi non* 28800 *vicibus majorem, ſuperet:*

Quodcunque oſtendis mihi ſic incredulus odi.

Hîc nullus relinquitur ſubterfugiis locus, cùm aqua firmius craſſiúſq; elementum ſit quàm Aer, & tamen ab ipſo Sturmio *ſupponitur aer inferius marmor in Experimento* Boyliano, *inferiorémq; orbem Orichalceum in ſuo ſuſtinere,* Tentam. 4. Phænom. 5. *Et quantùm ad margines Quadrati, preſſura in inferiores tantundem ſurſum urget quantum preſſura in ſuperiores deorſum; nempe ſi ulla eſſet hujuſmodi Aquæ, in Aqua, Mechanica preſſura. Quam cùm nullis niſi notis tritiſq; argumentis,* pag. 76. *defendere conetur* Sturmius, *talibúſq; quorum vim omnem iterum atque iterum contudimus & diſſipavimus in ſuperioribus ſectionibus, eis univerſis ſuperſedendum duximus, niſi quòd obiter viſum ſit notare bellum illud* Sinclari *experimentum, (viz.)* Si cuti ſuæ applicet Urinator cucurbitulam frigidam, non priùs ultra tres quatuórve paſſus ſubter aquam deſcendet, quàm tantâ vi carnem cutémque intrudi ſentiet quantâ eas nos hîc ſentimus dum calida applicatur——Et quo altiùs deſcendit, eo majorem ſentiet dolorem, immò ultra ſeptem vel octo paſſus eſt penitus intolerandus. *Cui addemus* Sturmii Sinclaro *ſuo applaudentis egregium illud Poriſma.* Ut non immeritò *(pag. 77.)* heìc cum *Sinclaro* paulò mutatis verbis inferamus: Si aeris vel aquæ pondus eo tempore ſolummodò ſentitur & corpora contundit quando ipſa inæqualiter ambit & premit & nequaquam aliàs, tum ſequetur neceſſariò ejus gravitatem non ſentiri, quando æqualiter ex omni parte premit & incumbit. *Verùm enimvero quod ad ipſum Poriſma attinet, equidem mihi perquam temerarium & ſuperficiarium videtur, nec ſatìs ſolido innixum fundamento, ſed ex Aſſumptione falſa concluſionem perinde falſam inferre, viz. ſatìs magnam nobis incumbere poſſe novam preſſuram nec tamen ſentiri, modò æqualiter ex omni parte fiat, hoc eſt, ſi præſentem inſtantiam reſpiciamus, ſi preſſura hæc fiat ab aere vel aqua, cùm nulla pars illius in quod fit preſſura tenuioris ſit conſiſtentiæ quàm ſit aer vel aqua, contrà ac ſit in cucurbita calida & frigida, quarum ſuprà facta eſt mentio, aer enim rarefactus*

factus in calida tenuior eſt externo crudo, & crudus aer in frigida tenuior aquâ in quam deſcendit Urinator. Hinc ille in utriſq; ſenſus aeris externi & aquæ preſſuræ, atque ex preſſuræ ſenſu ejuſdem exiſtentiæ notitia. Certam enim rerum ſenſibilium notitiam externorum ſenſuum beneficio haurimus. Ac proinde ſi ſolidè philoſophari voluiſſet ſive Sinclarus *ſeu* Sturmius, *ſic debuerunt ratiocinari, Si aeris vel aquæ preſſura eo tempore ſolummodo ſentitur vel ſenſibus noſtris deprehenditur eſſe, corporáq; contundere, quando ipſa inæqualiter ambit & premit, (hoc eſt quando agit in corpus tenuioris conſiſtentiæ,) & nequaquam aliàs, tum ſequetur neceſſariò, quando nullum adeſt corpus ſive in aere ſive in aqua tenuioris illis conſiſtentiæ, tunc gravitationem hanc ſive preſſuram nec perceptum iri nec revera fore, quandoquidem ſi eſſet, proculdubio nos perciperemus tam ingentem utiq; ſive aeris ſive aquæ preſſuram. Verbi gratiâ, ut ad* Sinclari *Urinatorem rurſus redeamus, quem in aquam immerſum ſupponemus ad ſex ſeptémve paſſus, manúq; ferre ſecum, non quidem Cucurbitam ſed Pyxidem chalybeam, cujus baſis quadrata ſit unciáſq;* 16 *lata, altitudo verò pyxidis, unius duarúmve unciarum, cui nullum ſit operculum, ſed ſummitates laterum labrúmve Pyxidis dentatum ſtrigilis inſtar, niſi quòd dentes ſint acutiores, & qui faciliùs penetrent. Applicet Urinator hanc Pyxidem leniter corpori ſuo poſtquam ad paſſum ſeptimum deſcenderit, & ſi nullam majorem preſſuram à pyxide ſentiat quàm quæ leni manûs ſuæ admotione fit, pro certo renunciare poterit poſt reditum, nullam aquæ in aquam eſſe preſſuram, quamvìs in aerem ſit, teſtante experimento cucurbitæ aere in aqua etiamnum repletæ. Addóque porrò ex computatione* Sturmii *ſuprà memorata, Si qua eſſet aquæ in baſin ſive fundum Pyxidis preſſura, tanta eſſet quæ quadringenta pondo adæquaret. Quæ preſſura proculdubio non ſine dolore dentes pyxidis in Urinatoris cutem adigeret, modò inopinata hæc Pyxidis punctura* Sturmium Sinclarúm*que ex abſurdo ſuo Inſomnio Hydroſtatico de aquæ partium preſſura inter ſe, tanquam ſtimulo quodam, poſſit excitare.*

Sect. 17. Quòd verò aquæ obturaculo ſubjectæ in ipſum impulſus dependet à ſurſum quaſi ſuctione Aeris in Tubo, *&c. Quàm nihil obſcuritatis habeat noſtra de lapſu & adhæſione obturaculi valvæ opinio, in* Adnotamentis *in* Difficiles Nugas *abunde oſtendimus, Adnotament.* 12. *verámq; cauſam hujus Phænomeni contra ſolertiſſimum illum* Hydroſtaticum *dictæ Diſſertationis Autorem Adnotamento decimo tertio explicavimus. Quæ non multùm abludit ab hac ipſa quam hîc tradimus. Rejicio enim in* abiturientiam aeris *in Tubo E P, aut ſaltem ad debitam aeris in dicto Tubo quantitatem, quando ſcilicet clauditur Tubi ſummitas E, ſi quis nempe fingeret* abiturientiam aeris *iſtâ clauſurâ extingui. Etenim cùm Aer corpus compreſſibile ſit, poteſt adhuc manere in hoc ſtatu* abiturienti *atque ſeſe* retracturienti, *vi nempe* Spiritûs Naturæ. *Qui tamen pro quantitate aeris, inter clauſuram & valvam, vim ſuam exerit. Quanquam enim, verbi gratiâ, obturaculum cum appenſo lapide K Plano aquæ V W inſidens clauſurâ Tubi factâ ad E non caderet, caderet tamen clauſurâ Embolo factâ in ea parte Tubi quam ſecat Planum M N vel O R, niſi mea me fefellerit experientia, cùm tamen preſſio aquæ in vitro A B C D eadem ſit quæ antea. Unde manifeſtum eſt cauſam hujus Phænomeni ad preſſuram Aquæ in vitro Mechanicam (quæ eadem foret ſive E P Tubus claudatur ad E ſive in ſectionibus dictorum planorum, ſive in ipſo P) referri non poſſe, ſed ad aliqualem* Aeris abiturientiam *in Tubo per* Spiritum Naturæ *factam, qui aquam itidem eodem tempore, ſimultaneo conſenſu, valvæ obturaculo admovet: atque hinc eſt quod tam firmiter inibi hæret, modò Tubus ſatis profundè immerſus ſit, ſatiſq; magna aeris quantitas, ſi fiat Tubi clauſura, inter clauſuram ipſámq; valvam in Tubo interjaceat. Atque hæc ſufficiant ad explicandum quid per illam ſurſum quaſi aeris ſuctionem in Tubo intelligam; Nempe iſtiuſmodi* aeris abiturientiam *ſive* retracturientiam *per* Spiritum Naturæ, *quâ factâ Aqua, etiam in vitro, ſimultaneo conſenſu obturaculo valvæ admovetur illúdq; fortiter ſuſtentat, quâ verò relaxatâ aut extinctâ, preſſura in obturaculum extinguitur, ſtatimq; cadit Obturaculum. Sic autem eſſe ex eo clare conſtat, quòd niſi libera ſit (excepto quòd Obturaculum interjacet) intermeatio aeris atque aquæ per foramen è valvula in Tubum & viciſſim, quamvis immergatur Tubus cum valvula uſq; ad planum V W longéq; infra obturaculum, tamen etiam ſine appenſo pondere excidet. Quod certiſſimo argumento eſt Obturaculum valvæ, per Mechanicam aquæ in ipſum preſſuram, nequaquam inhærere.*

Vid. Fig. 22.

Et certè non dubito, ſi hoc Experimentum fieret in Vacuo Boyliano, *quin pari ferè modo res ſuccederet, per primam legem noſtram Hydroſtaticam, niſi quòd non opus eſſet tam profundè Tubum immergere propter tenuitatem materiæ ſubtilis in Tubo.*

Quid autem eventurum ſit in Vacuo propriè dicto difficilius eſt conjectare. Videtur tamen mihi probabile quòd etiam heîc, vehementiori adhuc impetu, ad eundem immerſionis gradum, factum iri, ut urgeretur Obturaculum in valvam, Spiritu Naturæ vi excitatiori in ipſam aquam agente, cùm nulla omnino jam materia ſupponatur in Tubo ubi motum inchoet. Quod nihil impedit quo minùs, ubi ineſt iſtiuſmodi materia ſubtilior ſive Aer ſive Æther, motum illîc incipiat. Nam ipſe Spiritus illîc primus motor eſt non Aer ſolus ſuâ vi. Unde etiam ſublato aere, minimè mirum eſſe debet experimentum ſuccedere, quanquam per alia inſtrumenta ſive plura ſive pauciora.

Et quantùm ad Mercurii ſubſtitutionem in locum ænei obturaculi in Tubo exiliori, per primam quidem noſtram legem Hydroſtaticam, ſi immergatur Tubulus in profunditatem Mercurii columnulâ quatuordecies majorem, columnula Mercurii non cadet è Tubulo libero & aperto. Si verò per embolum proximè ſupra Mercurii columnulam fiat Clauſura, certò cadet, modò pars illa inferior Tubuli, quæ columnulam Mercurii continet, eâdem formâ fiat quâ valva ænea, i. e. *turbinatâ ità ut columnula Mercurii Coni potiùs ſectionem referat, alioqui columnula non deſcenderet nè in aere quidem, formâ nempe Cylindraceâ, & proximè Mercurii verticem embolo clauſa. Hæc ſanè omnia ſimul conſiderata breviterq; ſic à me indicata ſpero omnibus undecunq; corraſis Objectionibus contra noſtram hujus Phænomeni ſolutionem opportunè obviatura. Quam profectò ſpem antè conceperam quàm* Auctaria Sturmiana *mihi videre contigit. Nunc verò an me fefellerit hæc ſpes proponendo* Sturmii *Objectiones contra hanc noſtram ſolutionem, eiſq; reſpondendo, optimè aſpecturi ſumus. Hîc autem in* Auctariis *pag. 38. de hoc Experimento* Obturaculi *&* Valvæ, *ſic ſcribit.* Supererat igitur ut experimentum hoc cum Hypotheſi noſtra de pondere & preſſura aquarum conciliarem, vel ipſâ deſertâ eam amplecterer quam *Morus* his verbis exponit : *Quòd verò aquæ obturaculo ſubjectæ in ipſum impulſus dependet à ſurſum quaſi ſuctione aeris in Tubo, quódq; primum movendi inde capitur initium à Principio Hylarchico*, &c. Hic verò, *inquit*, optabam & geſtiebam valdè ſcire quid acutiſſimus *Boylius*, qui proculdubio hæc dudum legit & examinavit, reſpondiſſet ; ſed cùm id fruſtrà nunc expeterem, quæ mihi ipſi videbantur regerenda ſubjunxi. *Quinq; autem omnino reponit, quorum duo poſtrema, quæ ſuam Problematis ſolutionem continent, ſuprà examinavimus, planéq; demonſtravimus illam Solutionem eſſe impoſſibilem. Superſunt tria priora quæ* noſtram *impugnant, quàm ſtrenuè verò nunc videamus.* Primò, *inquit*, non placebat ille aquarum impulſus ab aere ſurſum trahente dependens, ſiquidem cauſam aliam non videbam, cur aer in ſublimia enitens traheret, niſi quòd Hylarchicum *Mori* Principium ità vellet, cui locum dare inter res verè exiſtentes hactenus nondum potueram. *Tribus ad minimum modis hîc peccat* Sturmius, *Primò quòd ſupponit aerem ſurſum trahere aquam, cùm ſuctio illa, nè Mechanicè quidem, ullam arguit tractionem, ſed pulſionem tantummodò circularem, ut cùm Thoracem muſculorum reſpiratoriorum ope dilatans aerem ſugo vel haurio, Thorax dilatatus aerem circumpellit in os & pulmones, eodem planè modo quo aer in Follem impellitur. Deinde quòd voluntatem liberúmve arbitrium* Principio *noſtro* Hylarchico *attribuit, quod ipſi non ineſſe multis experimentis demonſtravi, ut præſens hoc experimentum inter alia omittam. Tertiò quòd dicat, aut ſaltem innuat, aerem in ſublimia enitentem efficere non poſſe, ut aquæ impulſus fiat in obturaculum niſi ſic velit Principium* Hylarchicum, *quod perinde eſt ac ſi diceret, aerem dum Thoracem dilatamus nobis per os naréſve apertas in pulmones non eſſe influxurum, niſi id velimus, cùm dilatationis Thoracis neceſſarium ſit effectum. Errorem addam etiam quartum, quòd* Principio *noſtro* Hylarchico *locum inter res verè exiſtentes recuſat dare, cùm nec ipſe nec alius quiſquam quod ſciam, ullas Mechanicas cauſas veras & adæquatas hujus præſentis Phænomeni, ut alia innumera omittam, excogitare poteſt, quod manifeſtò arguit noſtri Principii neceſſitatem.*

Deinde, *inquit*, ſi maximè admiſſam hanc vim incorpoream crederem velle poſſe ac jubere ut aer ſurſum traheret, non eram tamen ità lynceus ut nexum aliquem inter aerem trahentem & aquam trahendam poſſem videre, niſi hunc iterum è ſolo Hylarchici principii nutu juſſúq; pendere vellem, quo caſu mallem dicere aquam ſine aeris tractione, in obturaculum ſuperimpoſitum, aut adhuc compendioſiùs ipſum ſtatim obturaculum in ſuam valvulam compelli atque protrudi. *Hîc fuſiùs & copioſiùs tertium ſuum errorem modò notatum expandit ac propinat, quem ſatis ſuprà confutavimus. Miror interim virum aliàs ità lynceum in cauſis Mechanicis ut eas illîc videat ubi non ſunt, quòd hîc non videat ubi multò probabiliùs adeſſe judicari poſſunt. Nam* *ex ſatìs forti ſurſum ſuctione aeris in Tubo neceſſariò fiet motûs niſúſve ad motum ex Tubi aere in aerem externum ſubjectámq; aquam ad fundum uſq; obturaculi circulatio. Quæ res tritiſſima eſt in Philoſophia* Carteſiana. *Secundus etiam error hîc rurſus occurrit, dum voluntatem nutúſq; ac juſſus Principio huic noſtro* Hylarchico *iterum attribuit. Quòd autem* Sturmius *novas leges* Principio Hylarchico *dare velit, ſecundùm quas, aquam ſine aeris tractione in obturaculum ſuperimpoſitum aut ipſum ſtatim obturaculum in ſuam valvulam protrudat, audacula quidem plenáque temeritatis res eſt. Neq; enim conſentaneum videtur, ut* Principium Hylarchicum, *cùm ubiq; præſtò ſit, uſquam otietur, ubi motuum fieri poteſt in unam rem conſenſus. Eſt igitur motus niſúſve ad motum ab aere in Tubo per externum aerem in fundum uſq; obturaculi, quaſi, quod dixi, Circulatio eodem tempore facta, quamvìs ille in Tubo ordine naturæ ſit prior, reliquiq; Circuli cauſa, quemadmodum ex eo patet, quòd niſi ſit libera intermeatio aeris atq; aquæ, preſſura aquæ in obturaculum ceſſat, utì ex illius lapſu patet, quod planè arguit preſſuram aquæ in obturaculum à ſurſum ſuctione aeris pendere. Quod quidem ipſe* Sturmius, *ſi velit, experiri poteſt aut aliquo ſaltem modo imitari, ſugendo nimirum labiis aerem in Tubulo cum valva & obturaculo, qualem apud me habeo. Dum fugit enim, ſive Tubulus in aere totus ſit, ſive inferiori parte in aquam immerſus, Obturaculum valvæ inhærebit, ceſſante verò ſuctione continuò excidet. Quod experimentum opinionem noſtram egregiè illuſtrat; niſi quòd preſſuram aquæ in obturaculum, aeriſque, in hoc experimento magis* Mechanicam *eſſe credam, in altero magis* Magicam *ſive* vitalem, *quippe ex conſenſu* Spiritûs Naturæ *ſive* Principii Hylarchici *profectam. Eſt verò aliqualis ſurſum ſuctio aeris in Tubo in utroq; exemplo Circuliq; indè inchoatio, unde non obſcura inter ipſa intercedit ſimilitudo. Etenim cùm abhorreat* Spiritus Naturæ *ab indebito illo aeris in aquam deſcenſu tubo incluſi, quemadmodum abſq; obturaculo eſſet, reverà retraheret in locum debitum, ità obturaculo impeditus & in* retracturienti *tamen ſtatu conſtitutus, per circulum conſenſûs eodem tempore aquam aerem ſecuturam obturaculo admovet, ſcopúmq; generalis legis* Hydroſtaticæ *ſive* Hyloſtaticæ *non quidem conſilio ſed cæco impetu ſeu inſtinctu proſequens, hoc valvulæ & obturaculi artificio tanquam decipulâ captus, ſcopo quidem excidit miſeréq; irretitur, cùm tamen ſcopus quò collineat, cuivis quem nullum occæcaverit præjudicium, ſatìs ſit conſpicuus.* Spiritum *verò* Naturæ *ſive* Principium Hylarchicum *primùm ratione & conſilio præditum fingere, deinde autem ità delirare aut nugari ut pro re nata aut aquam in obturaculum aut obturaculum in ſuam valvulam compellat, ab omni profectò ratione eſt alieniſſimum.*

Denique, ut pergamus ad tertium & ultimum, Tertiò, *inquit,* non poteram firmiorem, in *Mori* conſequentia, nexum, quàm inter aquam & aerem obſervare; ſiquidem, quòd obturaculum hoc caſu ſuâ valvulâ excidat, aliunde poteſt provenire utì mox oſtendemus, (*in quarto quintóq; ſcilicet Reſponſo, quam quidem cauſam nos ſuprà abunde refutavimus*) præſertim cùm ipſum Principium Hylarchicum ſecundùm legem aliquam ſuam, *Moro* adhuc ignotam, illud deturbare potuiſſet. *Duo heîc regerit* Sturmius, *quibus conſequentiæ noſtræ nexum vult aut infirmare aut diſſolvere. Primum, ſe reperiſſe aliam cauſam eámq; Mechanicam, quo fiat ut Obturaculum hoc caſu ſuâ valvulâ excidat. Eam verò cauſam (quod modò monui) nullam eſſe, luculentiſſimis ſuprà argumentis demonſtravi, nihilque opus eſt hîc repetere. Alterum eſt, Quamvìs concedatur quidem lapſum Obturaculi à* Principio Hylarchico *fieri, minimè tamen ſequi quòd eâ ratione ab ipſo fiat, quâ ego volo, ſed ſecundùm aliquam legem ſuam mihi adhuc ignotam. Ità ſcilicet mavult* Sturmius *latebras ſibi quærere quàm in manifeſta luce verſari & amplecti veritatem. Quid enim manifeſtius eſſe poteſt quàm prima illa Lex Hydroſtatica, quam propono ſect.* 10. Principii *ſcilicet, ſi quod ſit,* Hylarchici *legem eſſe,* quâ corpora circa terram, pro ſua vel particularum ſuarum ponderoſitate propiùs vel remotiùs ab ejus centro collocat, niſi quid hanc ordinatam eorum collocationem impediat. *Secundùm hanc legem agere* Spiritum Naturæ *perpetua teſtatur experientia. Et ſi quis locus ſit irritationi, (ut in Tubo perforato cum valvula & obturaculo) etiam impeditum ſic agere conari. Conatum autem incipere ab aere in Tubo tum ob experimentum ſuctionis ſuprà memoratum, tum ob aeris mobilitatem, illiúſq; indebitam collocationem, & irritationem* (*ſaltem* vitalem) Spiritûs Naturæ *indè ibidem factam (ubi enim dolor ibi digitus) omnino veriſimillimum eſt. Qui verò cauſas adeò conſentaneas & obvias ex nimia argutandi libidine reſpuunt, digni profectò ſunt qui cauſas abſurdas amplectantur & impoſſibiles. Qualis præſertim eſt illa* Sturmii, *quam profert in quarto quintóq; ſuo Reſponſo, quámq; abunde, quod dixi, ſuprà refutavi.*

Atque hæc quidem ſunt, quæ ad argutas Sturmii *noſtrarum circa Phænomena Hydroſtatica ſolutionum vellicationes* ſingulas *regerenda putavi. Reſtat ut Cavillationi illi contra commune illud omnium noſtrarum ſolutionum Principium*, Spiritum *ſcilicet* Naturæ, *paucis reſpondeam. In* Auctariis *enim* pag. 34. *Principium hoc noſtrum perperam intelligens depravatéq; deſcribens, ſummatim tandem addit*, Quòd Naturæ effecta omnia cum ratione deliberatóque conſilio producit, ipſum adeò Naturæ agentis nomine digniſſimum, ideóque Inventori *Hylarchicum* dictum *Principium*, omnium Phænomenôn naturalium una & communis cauſa exiſtens, & ſic Phyſicam ſcientiam omnem, ineffabili compendio, uno oris anhelitu exhauriens. *His ſannis & argutiis, hoc noſtrum* Principium Hylarchicum *excipit* Sturmius, *ipſúmque quantum poteſt, omnium literatorum deriſioni exponit, minimè interim advertens quàm ridiculus ipſe ſit & ab omnibus deridendus, qui carpit quæ non intelligit, ſuáque ægrotantis inſomnia ſolidiſſimæ veritati affingit. Quis enim qui rectè rem perpenderit, conceſſo hoc noſtro Principio, ſcientiam Phyſicam æſtimaturus eſt rem adeò facilem levémq; ut unus oris anhelitus eam totam poſſit exhaurire?* Spiritus *enim* Naturæ *licèt unus ſit, eſt tamen* omniformi *quâdem vitâ præditus, quæ univerſas Materiæ Mundanæ movendæ diſponendæve leges in ſe complectitur, ex quibus rationes finéſq; omnium Naturæ Phænomenôn innoteſcunt, & cum ipſis Divinæ Sapientiæ Mundo huic corporeo impreſſa veſtigia. Æquè latus igitur hîc philoſophandi campus atq; in Hypotheſi purè Mechanica extenditur, qui ab æquis rerum æſtimatoribus* πεδίον τῆς ἀληθείας, veritatis campus *meritò judicabitur; illa verò altera è contrà Hypotheſis, Terra Inſomniorum, quemadmodum multis invictiſq; argumentis in* Enchiridio Metaphyſico *demonſtravi, palámque jam feci, nihil ullius momenti contra iſtas demonſtrationes poſſe produci.* Sturmium *igitur amicè moneo ut ex ſomno hoc veternóve Mechanico exſuſcitet ſe pauliſper, oculóſq; refricet & circumſpectet, ut adſtantem ſibi medicum, qui à morbo iſto hujus ſeculi Epidemico,* Mechanica *ſcilicet* Credulitate, *eum liberaturus ſit, intentè benignéq; aſpiciat; Ut ad inveſtigationem Principii moventis immediati in Mundo Materiali, præſertímque corporum gravium eorúmq; deorſum preſſuræ, ſeriò ſe accingat, renunciétq; nobis quid ſit,* Deúſne *an* Creatura *aliqua, & ſi Creatura,* ſubſtantiáne *aliqua à corporibus gravibus diſtincta, an* modus *aliquis in dictis corporibus, quo fiant gravia, & ſuopte nutu deorſum tendentia. Et, ſi ſubſtantia,* corporeáne *an* incorporea. *Nullam corpoream ſubſtantiam idoneam eſſe poſſe cauſam gravitationis corporum, copioſè ac perſpicuè in Capite* Enchiridii *undecimo additiſq; Scholiis demonſtravimus, talibúſq; confirmavimus argumentis, è quibus ſubtiliſſimum tortuoſiſſimúmque Ingenium nunquam ſit eluctaturum. Quòd cauſa Gravitationis corporum non ſit* modus *aliquis ipſis inſitus, clarè conſtare poteſt ex eis quæ notavimus ad Capitis hujus decimi tertii ſectionem ſeptimam, quæ nihil neceſſe eſt hîc repetere. Cùm igitur nec corpus ullum nec ullus corporis modus cauſa eſſe poſſit gravitationis corporum, reſtat ut aut* Deus *ſit aut* Spiritus Creatus. *Ipſum verò Deum Agens liberum, ſapiens ac benignum illud eſſe Principium quod ſe elementorum gravitationibus immiſcet, admodum ridiculum dicam, an profanum, eſſet imaginari; quippe quòd iſtud Principium illudi poſſe decipuliſq; quaſi capi & illaqueari è multis experimentis manifeſtiſſimum eſt. Ut omittam quàm indignum ſit ipſum demergendis ſuffocandiſq; felium canúmque tenellis fætibus, immò hominibus, in naufragio, innocentibus, hominúmve per plateas ambulantium & Templum fortean devoto animo petentium, ſolutarum tegularum jactu, capitibus comminuendis occupari. Et ſuppar profectò eſſet abſurditas, ſi Gravitationis corporum cauſam Spiritum creatum fingeremus ratione liberóq; arbitrio præditum. Ac proinde cùm talem* Sturmius, *noſtrum* Spiritum Naturæ *per errorem ſuppoſuiſſet, meritò, in* Auctariis *pag.* 43. *cum indignabunda quadam eloquentia in ipſum invehitur, ſummáq; cum confidentia explodit, clarâ voce profitendo,* Nunquam ſe animo ſuo perſuadere poſſe opus eſſe in producendis quibuſcunque effectibus ſublunaribus tali Principio Hylarchico incorporeo, quod *v. g.* lapidem ſe invito in ſublime projectum ſuo loco reſtituat, & quidem, (præ indignatione forſan) cum impetu tanto majori, quanto fuerit repetendus longiùs, aut è filo vel funiculo ſuſpenſum reſtituere tantùm conetur, jam non valens infirmum hujus nexum rumpere, cùm aliàs immenſam aquæ molem leviculo ligno incumbentem valeat ſufflaminare, nè pondere ſuo obſtet illi ex imo etiam Oceani fundo ad ſumma tacito greſſu enataturo. Quódque adeò Siſyphi ſaxum non uno Mundi loco ſed in omnibus Univerſi angulis perpetuò volvat. *Heîc certè ſatìs facetè & appoſitè Principium* Hylarchicum *deridet* Sturmius; *at non meum profectò, ſed ſuum, id eſt, è ſuo cerebro effictum. Meum enim nec intellectu* *nec libero arbitrio pollet, ſed vitâ tantùm gaudet* plaſticâ *ſenſûque aliquo fortean obſcuro, quorum beneficio, nullâ adhibitâ deliberatione aut conſilio, neceſſariò agit ſecundùm leges quaſdam generales ipſi à Deo* plaſticè *ſive* vitaliter *inſitas. Atque hujuſcemodi quidem* Principium Hylarchicum, *(cùm, ipſo* Sturmio *conſentiente, alterum illud monſtrum quod ille per errorem finxit, in rerum Natura eſſe non poſſit, nec cauſa Gravitationis corporum aut in aliquem ipſorum modum rejici, aut ulli ſubſtantiæ corporeæ à dictis corporibus diſtinctæ aſſignari, quemadmodum ſuprà patuit) neceſſariò profectò eſt admittendum, cùm nullum aliud Principium præter hoc quod ad Phænomena gravitationis corporum producenda ſufficiat, à quoquam poſſit excogitari. Spero igitur, ſi verum ſit quod de ſe profitetur* Sturmius *in Præfatione* Collegii Experimentalis, Quòd nulli ſcilicet Sectæ ſit addictus, nec ad Autoritatem vel *Ariſtotelis* vel *Carteſii* vel ullius alius Philoſophi, ſed ad ipſa veritatis ac ſanæ rationis principia, & quod modernæ Philoſophiæ proprium eſt, ad experimenta ipſi oculorum ſenſui expoſita, ſuos auditores ableget: *ſpero, inquam, eum vim noſtrorum argumentorum pro* Principio Hylarchico *ſive* Spiritu Naturæ *poſt ſecundam examinationem ultro agniturum, illúdque præſtiturum quod expectat ab Auditoribus ſuis, nempe ut ad nullius Philoſophi nominis autoritatem confugiat, ſed ad ſola ſanæ rationis Principia, & experimenta ipſi oculorum ſenſui expoſita, ad quæ ipſe etiam lubens provoco, omniáq; fauſta ſic Philoſophanti* Sturmio *animitùs comprecor. Nec dubito quin ſi iſtâc viâ inceſſerit, ad certiſſimam* Principii Hylarchici *notitiam tandem ſit perventurus.*

CAP. XIV.

Demonſtratio ſeptima, ab Æſtu marino ſumpta.

1. HActenus in eo Argumentorum genere verſati ſumus quæ tam ſimplicia ſunt, tam perſpicua, támque undique menti intelligentiæque noſtræ pervia, & tam claris & neceſſariis ratiocinandi conſequentiis deducta, ut nè Mathematicis quidem Demonſtrationibus aut perſpicuitate aut certitudine cedant. Quamobrem non intempeſtivum erit illud hìc facere quod aliquando ab eis fieri ſolet qui ludunt globulis; qui opportuno jactu ludum claudentes, vincentéſque etiam dum adhuc habent in manu quod porrò jaciant, ſtatim victoriam canunt, depoſitámque depoſcunt ſponſionem, ut poſtea ſine periculo, animi causâ alterum jactum faciant, peritiámque oſtentent ſuam. Ità profectò mihi hìc profitendum eſt, me non tam ullâ coactum neceſſitate, quàm rerum contemplandarum voluptate ac oblectatione pellectum, cùm tam plenam jam de adverſariis victoriam nactus ſim, ad reliqua Argumenta procedere.

1. *Quæ hactenus tradita ſunt ſufficere ad evincendum exſiſtentiam Principii alicujus incorporei; ſe tamen animi causâ ad alia Argumenta procedere velle.*

Neque tamen hæc eò dico, quaſi putarem quæ mox ſum allaturus non æquè firma ac ſolida fore quàm quæ hactenus protulimus; ſed quòd aliis fortaſſe ea tam perpetuo tenore firma ac ſolida non ſint apparitura. Faciam tamen quod potero, ut uno conſtanti tenore firma appareant. Antequam verò ad Cœleſtium Phænomenôn contemplationem aſcendamus, aliquantò diutiùs hærebimus circa Terreſtrem hunc Globum: & quemadmodum *Gravitatis* Phænomenon non ſine debita cura ac diligentia examinavimus; ità & *Marini Æſtûs Magnetiſ*que naturam (cùm & ipſa Terra Magnes ſit) non oſcitanter expendemus, diſpiciemúſq; annon & illa Principii alicujus incorporei nobis detectura ſint exſiſtentiam.

2. Quod autem Mechanicas *marini Æſtûs* Hypotheſes attinet, earum nobiliſſimæ, quod ſciam, ſunt *Galilaica* & *Carteſiana*. Quarum utramque priùs delineabo, poſteáque demonſtrabo earum defectus, quódque natura rerum dictis Hypotheſibus repugnat.

Eſt autem in primo loco *Galilaica* hujuſmodi, quæ, utì etiam *Carteſiana*, cauſam *fluxûs* & *refluxûs* Maris in Telluris motum rejicit. Cùm verò mutationes *Æſtûs marini* ſint vel *diurnæ*, vel *menſtruæ*, vel *annuæ*; harum omnium rationem reddere conatus eſt *Galilæus* ex inæqualitate ſubductionum & additionum motûs Terræ diurni ſuper ejuſdem motum annuum. Tota res facilè intelligetur ex ſubjectis Schematibus; primarúmque mutationum ratio ex hoc primo: Ubi circa Solem A annua motûs Telluris Orbita deſcribitur B C D B à B in C, motúque diurno Terra fertur ſuper Axem ſuum ſecundùm ordinem literarum E F G H E, ità ut motus annuus & diurnus terræ in eandem partem planè conſpirent ad F, perfectè verò ſibi invicem adverſentur ad H. Unde manifeſtum eſt, cùm celeritas motûs annui triplò major ſit (juxta ſententiam

2. *Primæ partis Hypotheſeos* Galilaicæ, *quâ diurnarum menſtruarúmq; mutationum Æſtûs marini rationem reddere conatur, Propoſitio.*

tiam *Galilei*) quàm diurni, quòd utique celeritas illa tertiâ parte augetur ad F adjectione celeritatis motûs diurni, tertiâque itidem parte minuitur ad H ob ejuſdem motûs diurni ſubductionem. Ex hoc igitur fieri autumat *Galilæus*, quòd bis ſingulis diebus intumeſcit aqua marina, bíſque detumeſcit. Etenim aquam marinam in alveo ſuo tanquam in vaſe conſiderat, quod, dum movetur derepente celeriùs quàm antea in F versùs I vel G, facit ut aqua fluat retro versùs K vel E. Repentina verò retardatio vaſis in H facit ut procurrat aqua versùs M vel G. Atque hinc duos fluxus fieri in die contendit *Galilæus*, refluxúſq; totidem, ob aquæ ipſius gravitatem, quæ ſpontè poſtea ſubſidit.



Fig. 29.

3. *Diurnarum Æſtûs marini mutationum rationis ex Hypotheſi* Galilaica *petitæ Confutatio.*

3. Verùm quò minùs hæc vera ſit hujus Phænomeni Solutio multa quidem obſtant. Primò enim, Adjectio hæc & ſubductio celeritatis motûs diurni ab annuo non eſt tam repentina & ſubitanea ut hujuſmodi fiat vaſis ſuccuſſio, ſed gradualis, ab E putà ad F, & à G ad H. Deinde, Si eſſet hujuſmodi ſuccuſſio vaſis, incredibile eſt quin in fluviis lacubúſq; ſe proderet in quibus nullus fluxus refluxúſve obſervatur; ut nihil dicam de hominum ſenſu, quem planè fugit. Tertiò, Non facilè intelligitur quomodo, dum terra cum aqua ab E fertur ad F, vel à G ad H, adjectio vel ſubductio celeritatis motûs diurni aquam non æquè ſpectet ac terram, & tam acceleratio quàm retardatio motûs utrarumque non ſit pariter ſimul; cùm tamen acceleratio & retardatio quâ aqua in vaſe reciprocè fluctuat à vaſe primò ſuſcipiatur, effectúſque deinde redundet in aquam. Quartò, Quandoquidem terra cum aqua placidè in hoc particulari vortice fertur ſine ulla offenſione vel impactione Solaris vorticis circumactu, habent ſanè potiùs rationem quieſcentium, reſpectu motûs annui, quàm motorum corporum. Quemadmodum fit in navi, cujus nec motum qui in cameris ejus ſunt (ſi nulla eſſet ipſius agitatio per fluctus) nec accelerationes motûs perſentiſcerent, nec ſi ambularent ſentirent ſe velociùs ferri in unam partem quàm in aliam. Ità igitur ſe res habet in motu Terræ. Non eſt ulla ſenſibilis velocitas circa F magìs quàm circa H; nec certè aſſerit *Galilæus* ullam inibi fore, niſi Tellus motu annuo moveretur. Sed cùm ità moveatur motu annuo ut homo in camera navali, perinde eſt ac ſi non moveretur omnino, quod præſentem cauſam attinet vaſíſque ſuccuſſionem. Quintò, Succuſſio vaſis fieri non poteſt ſine aliqua reali additione vel ſubductione motûs à vaſe: ſed nec circa F ulla eſt realis additio impreſſióve novæ celeritatis motui terræ, nec ulla revera ejuſdem ſubductio circa H; ac proinde in neutro loco ulla vaſis ſuccuſſio, qualem imaginatur *Galilæus*. Sextò, Impoſſibile planè eſt in corpore rotundo benéque ſolido E F G H I circa centrum B rotato, ut diametri F H pars ſuperior F B duplò, putà, majori celeritate moveatur eodem tempore quàm pars inferior B H: quod tamen fit juxta hanc Hypotheſin *Galilaicam*, quæ celeritatem diurnam & annuam tam ad H quàm ad F in unam eandémque celeritatem compingit. Septimò & ultimò, Si fluxus Maris fieret ex hac ſubitanea acceleratione motûs Terræ in F, ejuſdémque repentinâ retardatione in H, cùm celeritas aggregata ad F quadrante tantùm augeatur, reſidua verò ad H ſemiſſe diminuatur, fluxus maris diurni multò majores eſſent nocturnis. Quod Hiſtoriæ Æſtûs marini repugnat. Quibus omnibus addas, ex hac Hypotheſi Fluxum maris eodem ferè tempore ſemper reverſurum eſſe, nec fore ſingulis diebus, quemadmodum jam fit, horâ circiter tardiorem.

4. *Rationis Mutationum menſtruarum Confutatio.*

4. Quàm malè res ſucceſſerit in Mutationibus Diurnis vidimus: videamus jam quid fiat in Menſtruis. Quarum rationem ſic ſe explicare poſſe arbitratus eſt *Galilæus*. Circa Solem A moveatur Terra C in annua ſua Orbita C E F C ſimul cum Luna in Conjunctione cum Sole ad B, in Oppoſitione ad D. Cùm igitur Semidiameter Orbitæ annuæ Telluris (quam cum Luna tanquam unum corpus conſiderat) major ſit cùm Luna eſt in D quàm cùm in B, & poſitio Lunæ in B inter Terram & Solem ſit adinſtar re-

motionis plumbi in ſcapo Horologii horizontaliter volubilis verſus centrum ſcapi, quo celeriores ejus vibrationes fiunt, indè concluditur Terram celeriùs moveri in Interluniis, in Pleniluniis verò tardiùs. Tanquam ſi A D longius pendulum eſſet, A C verò brevius eâdem vi motum, & A D ſcapus Horologii cum plumbo in D poſito, A C verò idem ſcapus cum plumbo poſito in B. Ex quibus efficitur, cùm Terra tardiùs moveatur in Pleniluniis quàm in quadris, quòd additio vel ſubductio motûs diurni eo loci majorem rationem habet ad annuum quàm in quartili aſpectu, ac proinde quòd Fluxus maris tunc futurus ſit major ſingulis menſibus. Ingenioſiſſimum ſanè commentum, niſi quòd ſit impoſſibile.

Fig. 30.



Nam primò, clarè jam demonſtravimus, additionem hujuſmodi vel ſubductionem motûs diurni ab annuo qualem ſupponit *Galilæus*, aut nihil eſſe, aut nihil omnino facere ad ſubitaneam motûs vaſis accelerationem vel retardationem; unde Hypotheſis *Galilaica* jam funditus ſubverſa eſt. Sed addo præterea, quòd nihil omnino habet diameter A D vel A C ſimile vel commune cum Pendulo, multóque minùs cum Scapo Horologii, cùm nullo fune nectatur Terra C cum A Sole, nec ulla rigida materiæ continuatio ſit in ſcapo inter D & A, vel C & A, ſed in vortice omnia fluitent laxè & ſine ullo nexu materiali; adeò ut planè precaria res ſit & prorſus imaginaria conſiderare terram & Lunam tanquam unum corpus. Quibus omnibus addas, quòd conceſſo quòd Lunâ exſiſtente in D motus terræ annuus tardior ſit, exſiſtente verò in B celerior, tametſi ratio hinc reddi poſſit majoris Fluxûs maris in Pleniluniis, in Noviluniis tamen Fluxus minor ſolito eſſet, quia minorem ſolito rationem additio & ſubductio diurni motûs haberet ad annuum propter auctam annui celeritatem. Quod omnino iterum repugnat Æſtûs marini Hiſtoriæ.

5. *Tertiæ partis Hypotheſeos* Galilaicæ *propoſitio, rationiſque indè redditæ Mutationum annuarum Confutatio.*

5. Poſtremò, quod ad Æſtûs marini mutationes annuas attinet, ſic explicantur à *Galilæo*: In circulo Ecliptico A B C D ponatur Terra C F E G in puncto ſolſtitiali A & Æquinoctiali B, ſervato Paralleliſmo eâdémque inclinatione axis terræ G F utrobique. Quanquam hactenus brevitatis causâ ſic locuti ſumus, tanquam ſi Æquator terræ cum circulo Solis Ecliptico coincideret; hæc tamen Expoſitio neceſſariò ſupponit declinationem unius ab altero, ejuſdémque cognitionem. Manifeſtum eſt igitur quòd plenior conſpiratio ſit diurni motûs cum annuo in ſemicirculo Æquatoris terræ A C A, pleniórque oppoſitio eorundem in ſemicirculo Æquatoris A E A, in puncto Solſtitiali A, quàm in puncto Æquinoctiali B. Quod ex eo facilè intelligitur, quòd communis ſectio Æ-

Fig. 31.



quatoris cum Ecliptica in A ſit Tangens Orbitæ terræ, qualis eſt H I. In B verò dicta ſectio ſecat etiam annuam Orbitam ipſiúſque Tangentem M N in B adinſtar rectæ C E. Nec certè digna eſt materia quam accuratiùs explicemus, vel in qua diutiùs immoremur.

Ex eo verò quòd plenior ſit conſpiratio & oppoſitio motuum Terræ diurni & annui in A quàm in B, ſubductiones & additiones motûs diurni ad annuum majores eſſe colligit in A quàm in B, ac proinde Æſtus marinos eſſe majores ſingulis annis in A, putà, atque C punctis Solſtitialibus quàm alibi.

Quibus hæc duo tantùm repono. Primum eſt, quòd jam ſatis fusè ac ſolidè probavimus haſce additiones ac ſubductiones motûs diurni *Galilaicas* eſſe meras imaginationes aridas & araneas. Alterum, quòd tota hæc Hypotheſis etiam ex hac ultima ſuperſtructura manifeſtò humi corruit funditúſque ſubvertitur. Quippe quòd ſequeretur illinc mutationes Æſtûs marini annuas maximas fore in punctis Solſtitialibus, cùm tamen eæ fiant in punctis Æquinoctialibus, ſiqua eſt Hiſtoriæ fides.

Actum eſt igitur de Æſtûs marini Hypotheſi *Galilaica* : *Carteſianam* jam expendamus.

6. *Hypotheſeos* Carteſianæ *cauſas Æſtûs marini continentis brevis propoſitio.*

6. Omnium profectò Speculationum quæ in Philoſophia *Carteſiana* occurrunt, mihi ſemper viſa eſt illa de Æſtu marino elegantiſſima & pulcherrima, addo, & ſolidiſſima; veráſq; hujus Phænomeni cauſas maximam partem attigiſſe etiamnum eum ſentio; quas ille breviter exponit ad hunc modum.

Eſto Terræ vortex ellipticus A B C D; Terra verò ipſa E F G H; & 1. 2. 3. 4. Mare totam terram obtegens; Centrum terræ T, quod, ſi nulla eſſet Luna in Vortice, reperiretur ad punctum M; ſed ob Lunam I exſiſtentem ad B centrum T eſt inter M & D, ut materia cœleſtis æquè liberè fluat inter B & T ac inter T & D. Ità cùm Luna I eſt in C, centrum T eſt inter M & A; cùm in D, inter M & B: ſicque ſemper Terra nonnihil à Luna recedit, ità ut præſentia Lunæ I ad B vel C viam materiæ cœleſtis tam inter H & D quàm inter I & F, atque itidem tam inter E & A quàm inter G & C, aliquantùm anguſtet. Materiam autem cœleſtem in illis anguſtiis, putà inter I & F & H & D, celeriùs fluere, ac proinde fortiùs premere tum ſuperficiem Aeris in 6 & 8, tum ſuperficiem Aquæ in 2 & 4, quàm cùm Luna I non eſt in diametro vorticis D B. Atque ex hac preſſura aerem aquámq; ad 6 & 2 itémque ad 8 & 4 humiliores fieri, verùm ad 5 & 1 atque ad 7 & 3 protuberare.

Fig. 32.



7. *Applicatio Hypotheſeos ad Hiſtoriam Æſtûs marini.*

7. * In brevem hanc ſimplicémque Hypotheſin generaliſſimæ maximéque notabiles Æſtûs marini Leges mirâ facilitate & congruitate ſolvuntur. Nam primò, Quòd Fluxus Refluxúſque Maris ſit ad curſum Lunæ ſingulis diebus unâ horâ ferè tardior, ex eo fit, quòd nimirum dum Terra ab Occidente in Orientem ſuper Axem ſuum convertitur viginti quatuor horarum ſpatio ſecundùm ordinem literarum E F G H, * Luna I illorſum etiam defertur in ſua orbita versùs C, & quatuordecim ferè gradus conficit. Unde unâ ferè horâ tardiùs Fluxûs marini initium ſingulis diebus recurrere neceſſum eſt.

Secundò, Quòd Fluxus ſex circiter horas durat Refluxúſque totidem, ex eo intelligitur, quòd Tellus ſex horas conficit progrediendo ab F in G, & totidem deinde à G in H, *&c.*

Tertiò, Quòd punctum cœli Lunæ oppoſitum, quod *Libertus Fromondus* 'Αντισελήνην vocat, idem ferè præſtat in Æſtu marino quod ipſa corporis Lunaris præſentia, indè eſt, quòd corpus Lunæ I ad B ſitum * Terram facit recedere versùs D, & conſimilem æqualémque loci anguſtiam ibi producere; & ſic deinceps in C D, & A. Eſtque

que hoc notabile indicium Lunæ *preſſurâ* Æſtum marinum fieri, non ipſius *influentiâ*.

Quartò, quemadmodum & illud, nempe, Quòd Fluxus Maris ſolito major eſt tam Interluniis quàm Pleniluniis. Ex eo autem illud fit, quòd diameter Vorticis elliptici B D minor ſit quàm diameter C A; quódque utriuſque partes interceptæ, ut I F recta rectæ H D, & C G recta rectæ E A, ſint æquales.

Quintò denique, Quòd Æquinoctiis Æſtus marini ſint maximi ex eo evenit, quòd Sol tunc in Æquatore verſatur, quem Eclipticæ circulus in punctis Æquinoctialibus interſecat: à cujus Eclipticæ Plano parùm admodum deflectit Planum Orbitæ Lunæ. Unde ſequitur quòd Pleniluniis & Interluniis Æquinoctialibus Luna non procul ab Æquatore collocatur, quódque proinde gibboſitate ſive protuberantiâ ſuâ * Telluris protuberantiæ directò imminens ſtrictiores ſolito facit anguſtias inter I & F & inter H & D, atque ex eo Fluxus itidem majores.

8.
Lapſus Carteſianæ *Hypotheſeos in locis maximæ intumeſcentiæ & detumeſcentiæ Æſtûs marini, ejuſque Emendatio.*

8. Atque hæc omnia in hac Hypotheſi valde concinna ſunt & cohærentia tam inter ſe quàm cum Phænomenis Æſtûs marini, niſi quòd ſummam aquæ depreſſionem facit dum Luna eſt in Meridiano, ut in 6: 2. F, cùm tamen maximam Æſtûs intumeſcentiam tunc eſſe quotidianâ comprobatum ſit experientiâ; quod & rectè *Varenius* notavit in Geographia ſua generali. Sed hoc præcipuam Hypotheſeos materiam ſive ſubſtantiam nihil lædit nec minuit, cùm facilè corrigi poſſit & emendari; ſupponendo utique primam advenientis Æſtûs ſenſibilitatem incipere & obrepere dum Terra obvertit ſe ab E putà versùs F. Fieri enim poteſt ut aliqualis ſit aquæ fluor versùs E à preſſione Lunæ in F, ſed major majórque donec perveneris ubi immediatiùs & fortiùs præſentia Lunæ preſſurâ ſuâ aquam versùs littora pellit attollitque, nempe ad F. Nam & hoc modo facilè intelligitur quomodo Fluxus incrementum capiat per ſex horas, nempe dum pars terræ E obvertit ſe versùs Lunam ad B; & quomodo pari temporis ſpatio Fluxûs fiat decrementum, nimirum dum per ſex alteras horas pars terræ E avertit ſe à Luna donec venerit ad G. In G verò mox incipit ſentiri aliqualis fluor aquarum ob preſſionem *Antiſelenes*, hoc eſt, ob anguſtiam ſpatii quâ tranſit materia cœleſtis inter H & D, & ſic deinceps. Vides igitur quàm facilis repertu ſit medicina huic errori: quamvìs interim fatendum ſit, in hac Æſtûs marini contemplatione mentem *Carteſio* aliquantulùm fluitâſſe, nec tam fixo eum ſtabilíque intuitu rem conſiderâſſe quàm oportebat.

9.
Egregius Carteſii *lapſus in reddenda ratione Fluxûs Maris ab Oriente in Occidentem, cui nulla reperitur medicatio.*

9. Quod tamen majorem in modum ipſi accidiſſe videtur in reddenda ratione Fluxûs aquæ marinæ ab Oriente ad Occidentem. Nam apertè aſſerit, (*Part.* 4. *Artic.* 53.) aquæ tumorem 4. 1. 2, qui nunc parti terræ E incumbit, ad partes magìs Occidentales migrare, ità ut poſt ſex horas incumbat parti terræ H, & poſt horas duodecim parti terræ G: atque hinc fieri ut aqua ab Orientalibus terræ partibus in ejuſdem Occidentales fluxu continuo feratur. Quem fluxum tamen non admodum celerem eſſe agnoſcit proximo Articulo, quamvìs magnis Navigationibus deprehenſibilem. Quaſi verò ille motus non admodum celer ſit qui unâ horâ nongenta milliaria conficit. Niſi igitur mens mea fluitat in intelligendo *Carteſio*, mentem ipſi egregiè hìc rurſus fluitâſſe manifeſtum eſt.

Nec ſanè video quomodo evitari poſſit immane hoc incommodum, niſi quis fortè tolerabilius cenſuerit, motum tumoris 4. 1. 2. ſex horarum ſpatio ab E in H, juxta peculiarem *Carteſii* ſenſum de motu, intelligi oportere; nempe tumorem aquæ in E migrare ad H, quia pars terræ H migrat ad tumorem aquæ in E, cùm motus ſit reciprocus. Cæterùm quantumvìs hoc admittatur, non tollit tamen hoc incommodum, quia Navis nihilominus tumori ad E impoſita, putà in Æquatore, intra ſpatium ſex horarum in duobus diverſis Meridianis verſabitur toto quadrante (hoc eſt, quinquies mille milliaribus & quadringentis) à ſe invicem diſtantibus. Hoc ità prorſus fieret, ſuppoſito quòd tota Terra aquâ marinâ obtegeretur. Et neceſſe eſt, ut nunc ſe res habent, ut aliquid conſimile contingat pro ſpatio Maris ubi tumoris apex eſſe juxta curſum Lunæ intelligitur. Nam, ex ſuprà dicta ratione, Navis tumori E ſuperimpoſita unâ horâ in duobus Meridianis nongenta milliaria à ſe mutuò diſtantibus verſabitur.

Quòd ſi quis tandem ſuggeſſerit, Tumoris aquæ ſuper E migrationem ad H non ità intelligi debere, quaſi unus idémque numero tumor ab E ad H migraret, ſed quòd poſt ſex horas futurus ſit tumor ſuper H conſimilis illi qui nunc ſuper E reſidet; nec illud ſanè medebitur huic lapſui *Carteſiano*. Nam ſi non manet idem numero tumor, proculdubio tranſit illa pars aquæ ex qua conſiſtit cum materia cœleſti ſecundo flumine versùs F, non adverſo contráque curſum materiæ cœleſtis versùs H. Ac proinde realis hæc migratio aquæ ex qua conſiſtit tumor qui E inſidet nihil inſerviret ſolvendo Phænomeno motûs Maris in Occaſum, quò tamen collineat præſens *Carteſii* Speculatio. Præterea, cùm quicquid aquæ ineſt gravitatis, aliiſve corporibus, id totum actioni



Fig. 32.

actioni materiæ ſubtilis, juxta *Carteſii* ſententiam, acceptum referant, equidem valde conſonanter conſequenterq; ſuis Principiis intelligitur hîc *Carteſius* non conſimilem, ſed eundem numero, tumorem in E ſubindicare, cùm de ejus migratione loquitur versùs H. Nam ex principiis Gravitatis *Carteſianis*, quæ in ſolidum dependet ab actione materiæ cœleſtis, dum Luna eſt in B, tumores illi aquæ marinæ ad E & G è locis ſuis quatenus reſpiciunt A & C amoveri non poſſunt, ſed ſuſpendentur vi materiæ cœleſtis, aquâ interim H 4 & F 2 ſimul cum terra ipſos ſubterlabentibus. Ità ut hic Lapſus *Carteſii* valde conſonus ſit ſuis ipſius Principiis, eóque proinde certius quòd ipſius Scriptoris error ſit, non Interpretis, quiſquis ad hunc modum ejus mentem intelligit.

Quod verò ad Fluxum maris versùs Occidentem ſpectat, ex eo fit, quòd, cùm Aqua corpus minùs ſolidum ſit minùſve ponderoſum quàm ipſa Terra, * non tam pertinaci impetu circumrapitur ab Occaſu in Ortum quàm ipſa, ac proinde dum lentiùs ſequitur, retrocedere in Occaſum quodammodo eam nobis videri neceſſe eſt. Ad quem ferè ſenſum philoſophatur *Henricus Regius* ſuper hac re in Philoſophia ſua naturali, qui & totam *Carteſianam* Hypotheſin Æſtûs marini judicio ſanè magìs cauto caſtigatóque propoſuit quàm ipſe *Carteſius*.

10. *Cauſas Æſtûs marini in Hypotheſi* Carteſiana *contentas non eſſe purè Mechanicas, cùm nec figura Vorticis elliptica Mechanicæ legibus conſona ſit, ſed ipſis planè repugnet.*

10. Demus igitur in Hypotheſi *Carteſiana* Vorticem terræ ellipticum; demus binas iſtas anguſtias ſtrictiores in Noviluniis & Pleniluniis, ſtrictiſſimas in Æquinoctiis, laxiores in reliquis punctis Lunaris Orbitæ factas; demus denique omnes Æſtûs marini mutationes quas enarravimus aliquali cauſalitate à curſu Lunæ dependere: hæc tamen omnia fieri poſſe concatenatione Cauſarum purè Mechanicâ, omnino eſt negandum. Imò verò clarè demonſtrabimus, multa Mechanicis legibus prorſus repugnare; ut nec ipſum Terræ Vorticem per illas ellipticum poſſe evadere, ſed adverſari potiùs eam Vorticis figuram *Carteſianæ* Mechanicæ decretis. Nam, juxta ſententiam *Carteſii*, dum Terra T circumvolvitur circa centrum vorticis Solaris S, Lunáque eam aſſequitur in parte vorticis N Z, impedita Luna à terra nè ulteriùs pergat in circulo N Z deflectit curſum versùs B, omnémq; materiam cœleſtem contentam in ſpatio A B C D, quæ ipſam defert, contorquet in modum vorticis circa centrum T, efficiens ut terra etiam circa centrum ſuum gyret, dum interim hæc omnia ſimul per circulum N T Z circa centrum S feruntur. Cùm verò globuli cœleſtes in ſpatio A B C D magnitudine & motu diverſi ſint tam ab iis qui ſunt infra D versùs K, quàm ab iis qui ſunt ſupra B versùs L, iis autem qui ſunt versùs N & Z ſint ſimiles, itaq; liberiùs ſe diffundunt versùs A & C quàm versùs B & D, faciúntq; vorticem terræ ellipticum.



Fig. 33.

Hæc eſt ratio *Carteſii* Mechanica cur Vortex terræ ſit Ellipſis. Quæ quàm ſit infirma, imò verò quàm repugnans legibus Mechanicis, facile eſt detegere. (Supponendo utique, quod experientiæ maximè conſonum eſt, partes terreni vorticis virtute circumactûs ſui circa Solem à Sole recedere non conari. Alioquin eorundem corporum ſolidorum inter B T & T D non eſſet eadem Gravitatio.) Nam, ut uno verbo rem abſolvam, ſi globuli cœleſtes vorticis A B C D ex eo quod ſint ſimiles globulis qui ſunt versùs N & Z (hoc eſt, magnitudine & motu ipſis æquales) liberiùs ſe diffundunt versùs N & Z, tum multò liberiùs ſe diffundent versùs globulos circa D & K, cùm ſint ipſis magnitudine & motu valentiores; ac proinde pars vorticis terreni quæ Solem S ſpectat elliptica non erit, ſed potiùs turbinata ad formam lineæ C K A. Etenim globulorum qui rotantur circa T ſolidiſſimi quique maximéque agitati à centro T recedent, & circumſtantium debiliores repellent, quales ſunt ii qui inveniuntur circa D K. Unde & Diameter C A contractior fiet, materiâ vorticis liberiùs ſe diffundente versùs K quàm versùs N & Z. Ex quo ſequeretur maximas Æſtûs marini mutationes contingere, non quidem in Oppoſitionibus & Conjunctionibus Lunæ cum Sole, ſed in Quadris. Quod cùm contrà uſuvenire ſoleat, indicium eſt id totum deberi nobiliori alicui Principio quàm quod purè Mechanicum eſt ac corporeum. Nec ſi ſupponeremus partes terreni vorticis vi circumactûs ſui circa Solem à Sole conari recedere, meliùs res ſuccederet, cùm hæc turbinatio vorticis ſic non tolleretur, ſed transferretur tantummodo à parte vorticis Soli obverſa D ad partem averſam B: quemadmodum facilè probari poſſet, ſi operæ eſſet pretium hiſce immorari.

11.
Quemadmodum & detentio aquæ marinæ intra ſuum alveum;

11. Deinde, quod ipſum marinum Æſtum attinet, quem nunc videmus coerceri certis quibuſdam legibus & temperari, certè, ſi nulla alia vis præterquam quæ purè Mechanica ſit aquæ marinæ motibus ſubeſſet, nullis litoribus contineri poſſet, * ſed adinſtar ſalivæ, quam puer per ludum in gyrantem turbinem exſpuit, in omnes partes terræ disjiceretur; vel potiùs in ipſum aerem exſiliret, terrámque penitùs deſtitueret, in regiones aereas ſubvecta, & neſcio quò diſperſa; niſi fortè conſiſtentiam ſuam amiſſura ſit, & in tenues vapores ſit abitura.

12.
Et perpetua terræ dimotio è centro ſui vorticis;

12. Tertiò, Si magnitudinem Lunæ cum Telluris magnitudine conferamus, quæ major eſt illâ juxta *Tychonis* calculum vicibus quadraginta duabus, hoc etiam videtur valde enervare hanc Mechanicam *Carteſii* Hypotheſin de Fluxu & refluxu Maris. Quippe quòd incredibile planè videtur, ut acceleratior materiæ cœleſtis tranſitus per anguſtiam B T è loco ſuo dimoveret Terram versùs B, potiùs quàm ipſam Lunam quadraginta duabus vicibus Terrâ minorem versùs L. Nihil enim Mechanicum retinere poteſt Lunam à recedendo altiùs à terra versùs L eò impulſa vi cœleſtis materiæ, (quæ majorem ſolito celeritatem nanciſcitur inter B & T,) niſi ſoliditas globulorum circa L. Quæ quidem ratio, ſi conſideremus quàm parva, vel potiùs quàm nulla, eſſe poteſt differentia globulorum intra diametri Lunaris diſtantiam circa B & L, prætérque magnitudinem Telluris ejus etiam conatum à centro S versùs B & L perpendamus, valde profectò infirma debet apparere.

13.
Ut & celer materiæ cœleſtis tranſitus per ejus anguſtias ſine Arborum inclinatione ad Ortum;
Vide Fig. 33.

13. Quartò, Si ullus eſſet hujuſmodi quotidianus Mechanicus intercurſus materiæ cœleſtis cum tam notabili acceleratione in anguſtiis B T & T D, & ſimiliter A T & T C, aliiſque in locis vorticis quæ Luna occupat, quo fluxum & refluxum Maris efficeret, cùm hic curſus materiæ cœleſtis ſemper ſit in unam partem, putà, ſecundùm ordinem literarum A B C D, hoc eſt, ab Occaſu in Ortum, præterquam quòd valde credibile ſit quòd ventum perpetuum excitaturus ſit ab Occidente ſpirantem in Orientem, inſignem hunc præterea effectum produceret, quòd Graminis, ſcilicet, Arborúmque ſcapi truncique in Ortum inclinarent. Quemadmodum fieri dicitur in *Terra Del fuego* haud procul à Freto *Van le Maire*, propter ventum in eo loco conſtanter ab Occaſu ſpirantem.

14.
Et dierum inter ſe eorúmque numeri æqualitas in Annis ſatìs magno temporis ſpatio à ſe invicem diſtantibus;

14. Quintò, Cùm in omnibus anguſtiis noſtri vorticis tantus ſit impetus materiæ cœleſtis ut totam Terræ molem ſuo dimoveat loco, cúmque in Interluniis & Pleniluniis Æſtus marinus inſigniter major ſit quàm in Quadris, ſequitur profectò quòd impetus materiæ cœleſtis quo agit in terram in Pleniluniis & Interluniis inſigniter major eſt, pro majori ejus celeritate in iſtis anguſtiis, Æſtûſque marini exceſſu, quàm in Quadris. Ac proinde ſi hæc res ad leges purè Mechanicas exigatur, quòd motus terræ diurnus inſigniter celerior eſt in Noviluniis & Pleniluniis quàm in Quadris, & cum eo ipſo dies etiam inſigniter brevior. Quod certè ſi foret, quamvìs Scioterícis notari non poſſet, poſſet tamen accuratioribus aliorum generum Horologiis.

Hoc proculdubio ſatis manifeſtò contingeret, ſuppoſito quòd Luna in Quadris ad priſtinam reſtituatur tarditatem. Quod agnoſco haud ità probabile eſſe, cùm nihil ipſi occurrat quod novæ ſuæ accelerationis in Pleniluniis & Interluniis impreſſione eam ſpoliet. Eſt enim Terra in vortice ſuo inter duas iſtas anguſtias, rapidáque flumina materiæ cœleſtis per eas tranſcurrentia, adinſtar magni Turbinis inter duos ſtrenuos flagellatores ſiti, quem eodem ſimul tempore junctis utrinque plagis in orbem fortiter urgent excitántque. Quas impreſſas accelerationes quamvis Turbo, ob pavimenti cui inſiſtit pedíſque ſui ſcabritiem, paulatim amittat, Terra tamen, cùm in fluido æthere tota ſita ſit, haud facilè eas deponit, præſertim tam exiguo ſpatio quàm quod intercurrit inter Plenilunium vel Interlunium Aſpectúmque Lunæ quartilem; adeò ut nihil ferè novæ accelerationis eo temporis ſpatio deperdere ſit cenſenda, (imò nè Interlunii quidem ac Plenilunii intervallo.) Quæ igitur cùm iteretur per junctas illas ab utraque parte flagelli plagas, bis ſingulis menſibus, ídque per aliquot dies, & ferè vicies quinquies quotannis, impoſſibile eſt quin Anni ſinguli aliquotâ horæ parte præcedentem ſubſequens ſemper excedant. Quàm notabilis igitur differentia erit centeſimo vel milleſimo quoque anno! quàm neceſſe eſt aliquot ſaltem dierum numerum eſſe impleturam! cùm tamen unus annus alterum nè uno quidem horæ minuto revera excedere deprehendatur.

15. *Imperceptibilitáſque preſſuræ materiæ cœleſtis, quæ tamen tanta eſt ut Terram è loco ſuo pellat, & Mare ad litora diſpellat attollátque;*

15. Sextò, Si materia cœleſtis in iſtis vorticis noſtri anguſtiis preſſuram hujuſmodi Mechanicam, qualem fingit *Carteſius*, in aerem aquámque produceret, impoſſibile eſt quin ſentiatur, ab eis præſertim quorum humeris ipſum corpus Lunare, intra Tropicos putà aut paulò citra, impendet. Eſt enim tam fortis, ut non ſolùm ingens aquarum pondus ad utraque Oceani litora diſpellat ibíque attollat, ſed ipſam Terram è loco ſuo moveat. Neque enim reſponderi poteſt, quòd nos hanc preſſuram non ſentimus, propterea quòd Terra ſimul cum nobis cedit preſſuræ: nam aqua planè ipſius vim percipit, hoc eſt, ità recipit ipſius impreſſionem, ut prematur è medio alveo, & utrinque ad litora attollatur. Adde quàm ineptum ſit exiſtimare Terram è loco ſuo moveri poſſe abſque omni reſiſtentia, cùm tam ingens moles ſit. Et perpende porrò quàm imperitum hoc ſit ſubterfugium, cùm Terra ab utraque parte ſimul in oppoſitis iſtis anguſtiis B T & T D vi materiæ cœleſtis eo locorum intercurrentis comprimatur, ità ut permanente jam preſſurâ neutrò poſſit cedere. * Equidem res monſtroſa eſt & ſupra omnem fidem, ut tam immenſa vis nos agat, ídque juxta varios gradus, in Quadris remiſſiores, fortiores in Noviluniis & Pleniluniis, nec tamen eam unquam ſentiamus.

At verò inquies quòd preſſura aeris non eſt ſenſibilior nobis quàm aquæ preſſura in magno lacu foret cuipiam piſci ſupra quem Navigium aliquod bene onuſtum, itáque amplum ut aquam ad ripas attolleret, ſupernataret; neque homo quiſquam nec piſces natantes ſubter hoc Navigium majorem illìc preſſuram ſenſuri eſſent quàm in quibuſlibet aliis locis lacûs: & in univerſum verum eſt, quòd Elementa non gravitant in propriis locis. Bellam ſanè inſtantiam! ſed quæ Argumentum noſtrum nullo modo infirmat, cùm tam clarè ſuprà demonſtraverimus quòd Non-gravitatio Elementorum in propriis locis in cauſas purè Mechanicas reſolvi non poteſt, quódque Gravitas & Levitas nihil aliud eſt quàm diſpoſitio & ſuſpenſio partium materiæ in debitis ordinibus pro ſua cujuſque ponderoſitate à Principio *Hylarchico* peracta.

16. *Et denique modus preſſuræ ejus quatenus aerem aquámque urget deorſum.*

16. Septimò & ultimò, Equidem mihi videtur intellectu valde difficile, quomodo Mechanica hæc acceleratio motûs materiæ cœleſtis in anguſtis illis vorticis noſtri portis efficere poſſit ut aer & aqua deorſum premantur versùs terram. Nam illa materia cœleſtis quæ eſt ſupra aquam & aerem neutros tangit. Quæ verò in ipſis Elementis eſt, quanquam aliquantò celeriùs particulas eorum in tranſverſum versùs Ortum agere poteſt, deorſum tamen terram versùs non poteſt deprimere: imò verò potiùs illas attollet, ut ventus pulverem. Globuli etiam cœleſtes ante hanc preſſionem tam preſsè conſertímque continuari intelliguntur, ut vix locus ſit novæ ipſorum preſſioni quâ aerem aquámque deprimant. Et ſanè ſi eſſet, majórque ipſorum copia in aerem aquámque deſcenderet, id profectò faceret potiùs ut aſſurgant aqua & aer quàm ut deprimantur. Quemadmodum experiri licet in vaſe aquâ ſemipleno, in quod ſi calculos injeceris, aqua pro injectorum calculorum copia altiùs altiúſq; aſſurget.

Neque hìc excogitare poſſum quid reſponſuri ſint *Carteſiani*, niſi fortè dicturi ſint, quòd nova hæc acceleratio motûs materiæ cœleſtis ſub illius ingreſſum in anguſtias vorticis levitatem quandam novam ipſi ſuperadjiciat, quâ expeditiùs ſe attollens ſupra aquam & aerem, eo ipſo neceſſariò eos deprimat. Sed præterquam quòd ſuprà abunde refutavimus hanc *Carteſianam* de Gravitate & Levitate notionem, notandum eſt præterea, quòd nulla nova hìc celeritas vel agitatio à materia cœleſti acquiritur, ſed illius duntaxat quæ erat eſt incitatior directio in certam partem, putà in Ortum, quemadmodum fit in defluxu fluminis ubi ripæ coanguſtantur. Cujus motûs modulationi fateor me majus quiddam ſubeſſe ſuſpicari quàm quod purè Mechanicum eſt & corporeum.

Quòd verò globuli ex nova hac eorum motûs acceleratione versùs Ortum ſurſum aſcenderent, videtur incredibile, tum quòd major jam ipſorum agitationis pars inſumitur curſui in tranſverſum, tum etiam quòd ſuperincumbentes globuli fortiúſque ſolito deſuper prementes aſcenſum eorum qui aquæ aerique inſunt impediunt. Ut nihil dicam de eventu hujus aſcensûs, (ſi modò eſſet) qui, adinſtar humo prorumpentis turbinis, attolleret ſecum potiùs particulas aqueas & aereas quàm deprimeret.

Quamobrem manifeſtum eſt quòd, admiſſis licèt conceſsiſque & figurâ noſtri vorticis ellipticâ, & anguſtis illis tranſitûs cœleſtis materiæ portis, & aeris denique atque aquæ in illis anguſtiis preſſurâ pro curſu Lunæ ordinatâ; hoc tamen Fluxûs refluxûſq; marini Phænomenon ſine altiori Principio quàm quod merè Mechanicum eſt & corporeum ſtare non poteſt. Quod erat demonſtrandum.

SCHOLIA

In CAP. XIV. SECT. 7.

IN brevem hanc ſimplicémque Hypotheſin, *&c. Nempe à ſitu motúque Lunæ petitam. Adeò ut ſatìs demirari non poſſim eorum Philoſophorum Propoſitum qui è cauſis æſtûs marini Lunam datâ operâ excludunt, ut nec generoſam* Liberti Fromondi *hac in parte confidentiam ſatìs laudare & extollere : qui* Meteor. lib. 5. Art. 9. *ad hunc modum minimè dubitat philoſophari.* Si ex effectu, *ait ille*, de cauſa conjectatio valere poteſt, tam compertum videtur æſtus effici & gubernari à Lunari ſydere, quàm calorem ab ignibus effundi aut lumen à ſole. *Argumentúmque addit inexpugnabile*, Cum Luna ſcilicet aſcendente mare in fermento eſſe, & cùm unâ ferè horâ tardiùs quàm præcedenti die ad Horizontem veniat, ſingulis diebus unâ ferè horâ ſeriùs aſſurgere æſtus; *planè quemadmodum fit in ipſo Sole, cum quo redit dies & lux & tardiùs itidem prout ille tardiùs redit, & vice verſâ.*

Luna I illorſum etiam defertur in ſua Orbita versùs C & quatuordecim ferè gradus conficit, *&c. Hæc eſt vera cauſa quamobrem Luna unâ ferè horâ tardiùs redit ad Horizontem die ſequenti, nempe tendentia cursûs in orbe ſuo versùs C, non quòd Orbis quem ſuo curſu deſcribit ſit Ellipticus, quemadmodum vult vir eruditus* Iſ. Voſſius, De motu marium & ventorum, *cap.* 18. *Lunámque non quidem cauſam efficientem eſſe, ſed veluti Indicem & Menſuram æſtuum qui paſſim in mari occurrunt; ipſámque ſacram Scripturam id officii ipſi præſcribere,* tantùm *ut* ſignum ſit & menſura temporum & tempeſtatum Anni. *Quaſi verò curſus Solis per Zodiacum, tempeſtatum Anni cauſa non ſit perinde atque ſignum & menſura.*

Vide Fig. 32.

Terram facit recedere versùs D, *&c. Hoc verò æquè abſurdum ducit prædictus* Iſaacus Voſſius *ac* Fromondi Ἀντισελήνην, De motu marium ac ventorum *cap.* 17. *Cùm tamen ſi conſideretur circumfluentis Ætheris copia, motûſque celeritas in hoc loco anguſtiori, & quàm facilè ingentia corpora in aqua moveantur, quâ tamen æther multò eſt liquidior, proſpiciente quidem Naturâ per limites Ellipſeos ut Luna è ſuo curſu non dimoveatur, facilè intelligitur factum iri ut Terra dimoveatur è ſuo. Cauſa verò quam in hujus locum ſubſtituere vult* Voſſius, *mihi nullâ quidem probabilitate arridet. Supponit enim Tumorem maris ſub imminentibus Solis radiis pedalem, remotis verò iiſdem ad quadrantem Circuli, pedalem illum tumorem non ſolùm cadere ad mediam maris ſuperficiem & æquilibrem, (qualem nempe abſque illo tumore radiis Solis perpendicularibus excitato haberet) ſed tantundem ferè infra iſtam ſuperficiem ſubſidere, cùm neutra pars credibilis ſit, poſterior verò ſuprà quàm dici poteſt incredibilis, & vel primo intuitu repudianda. Cæterùm de priori mox plura. Intereà loci, niſi concedatur hæc pedalis ferè Tumoris infra mediam maris ſuperficiem ſubſidentia, cauſa à* Voſſio *adducta cur ſingulis 24 horis duo fiant æſtus, planè vacillat. Præterea, admiſſâ tantâ aquæ, cùm Sol quadrantalem diſtantiam petit, ſubſidentiâ, quis præſtabit fore, ut non multò antè impleatur à proximè adjacentibus aquis lacuna, ad A putà, quàm Sol pervenerit ad oppoſitum Meridiani punctum C, quod eſt contra Hiſtoriam æſtûs marini? Ità enim comparata eſt aquæ natura ut omnia ſibi æquilibria corpora (quales ſunt partes aquæ inter ſe) ſuper ſuperficiem ejus extantia, ad eandem ſecum ſuperficiem ſtatim reducat; ac proinde cùm Tumor hic aqueus aut æquilibris ſit reliquæ aquæ marinæ, aut admodum pauxillo levior, certè aut ad eandem ſuperficiem cum reliqua aqua marina ſtatim ſubſidere neceſſe eſt, aut nè ſemiunciam quidem extare. Ac proinde maxima pars Tumoris ad D perveniet ad A, vel potiùs alias partes protrudet ad A multò antè quàm Sol pervenerit ad C; reliqua verò pars Tumoris ad D nè tunc quidem eſt perventura, cùm declivitas tum valde exigua ſit, & conſequenter motus infinitè*

Tom. 1 p: 246.



infinitè tardus, itérq; ad tarditatem, immenſum quaſi. Adeò impoſſibile eſt ut dum Sol æſtum facit in C, refluxus aquæ alterum æſtum faciat in puncto oppoſito A. Et certè ſi Sol omnino iſtiuſmodi tumorem radiis ſuis excitare poteſt, unicum poteſt eodem tempore non duos duobus oppoſitis locis ſimul. Et quantùm ad fictitiam illam lacunam, pari profectò paſſu accurret undique aqua quo iſta fit ſubſidentia, ſi ulla utique fieret, adeò ut lacuna planè præverteretur, quò minùs fiat oppoſitus tumor præcipiti quaſi & celeri deſcenſu & affluxu aquarum ad A, reducto jam mari in iſtoc oppoſito loco, ubi expectatur tumor, ad æquabilem ſuperficiem perinde atque partibus ad D. Vt omittam lacunam mediam ad D inter duo iſta oppoſita puncta, dum illîc fit ſubſidentia infra mediam maris ſuperficiem, impedimento reverà eſſe quò minùs iſte Tumor oppoſitus fiat. Adeò omnia in hac Voſſiana *Hypotheſi, intricantur inter ſe & confunduntur, nec poteſt duorum eodem tempore oppoſitorum æſtuum Phænomenon ullo modo cum illa conſiſtere.*

Telluris protuberantiæ directò imminens, *&c. Quæ quidem ratio adhuc valentior erit, ſi mare, quod quidam autumant, ob motum terræ illîc rapidiſſimum, in quoddam continuum culmen aquarúmve jugum, prope lineam Æquinoctialem intumeſcit.*

Sect. 9. Non tam pertinaci impetu circumrapitur ab occaſu in ortum quàm ipſa, *&c. Fieri enim poteſt ut ſic viſum ſit Naturæ Mundique opifici ut etiam legibus Mechanicis ubi è re Vniverſi fore præviderit, aliquantulum indulgeat, itáque comparatus ſit* Spiritus Naturæ *ut ubique Mechanicam motûs vim in ſolidum non ſupprimat aut prævertat, ſed moderatum bonóque publico attemperatum effectum aliquibus in locis ſortiri patiatur. Hoc autem ſuppoſito evidens è terreſtri vertigine occurrere videtur ratio primi tertiique motûs marium quos notat vir eruditus* Iſ. Voſſius. *Primi ſcilicet, quo fertur Oceanus ab Ortu in Occaſum, qui in mari Pacifico, quod Occidentale* Americæ *littus &* Moluccas *Inſulas interjacet, maximè eſt conſpicuus. Quippe quòd totum illud ſpacium, (quod ultra bis mille & ducentas leucas Germanicas patet) Nautæ trimeſtri aut breviori tempore emetiuntur. Eſtque ſuppar ratio in aliis Oceani partibus. Hoc autem fieri poſſe ex eo quòd Oceanus lentiùs ſequendo raptum terræ, retrocedere quodammodo in Occaſum videatur, manifeſtiſſimum eſt, dúmque aer adhuc ſegniùs huic raptui obtemperat, ventum etiam in Occaſum cieri. Porrò quod tertium* Voſſii *motum attinet, ex hac Oceani lentitudine Aeriſq; ſegnitie planè ſequitur, ut denudarentur littora marina Occidentalia niſi aquarum eſſet Refluxus à Borea & Auſtro in Ortum, ut lacunæ iſtæ futuræ prope littora marium Occidentalia impleri poſſent vel potiùs præverti. Hæc igitur vera poteſt eſſe cauſa cur univerſalis iſte aquarum fluxus ab ortu in occaſum contrario fluxu in ortum utrinque præcingatur. Quòd autem Orientalia littora non inundentur, difficultas eſt quæ* Voſſianam *Hypotheſin perinde urget atque noſtram, taliſque è qua eluctari vix detur ſine recurſu ad* Principii Hylarchici *moderamen, quod quodammodo ubique ſe immiſcet. Cumulus etiam iſte continuus ſub Æquatore quem notat* Voſſius, *ulteriori eſt argumento, ad terreſtrem vertiginem Fluxum hunc Oceani referri debere, præſertim cùm celeriùs Naves in culmen aſcendant firmiúſque illîc hæreant. Adjuvante nempe vertigine terreſtri, vel potiùs vertiginem hanc moderante* Naturæ Spiritu, *in culmen aquarum ejiciuntur, nec tamen ab aquis aquæve à terra revelluntur per concitatiſſimam Telluris vertiginem. Addo poſtremò ipſum Maris Mediterranei motum ab ortu in occaſum non obſcuro indicio eſſe Marium motum à* Telluris *motu proficiſci non* Solis. *Equidem maximam pro illa opinione probabilitatis ſpeciem præ ſe fert quod* Voſſius *de motu Marium annuo, qui eſt primi motûs inclinatio, in ſuprà dicto Tractatu notavit,* cap. 2. *Motum nempe hunc Maris ac Ventorum ab ortu in occaſum prout Sol in ſignis Borealibus eſt aut Auſtralibus, variari & in Boream Auſtrúmve inclinari. Sed enimverò illud tantùm probat ventorum vi motum marium inflecti poſſe, ventóſque pro curſu Solis ſuos etiam curſus aliquo modo mutare. Id quod valde conſentaneum eſt, ex eo quòd Aer ille qui Solaribus radiis ſubjacet, eo ipſo fit tennior ac proinde debilior. Hinc igitur fit ut craſſior ac robuſtior, qualis eſt ille à Sole remotior, eò proruat eúmque quaſi alveum occupet.*

Cæterùm quòd Sol primi Marium motûs ſit cauſa iſtoc modo quo vult Voſſius, *mihi quidem non ſit veriſimile. Primò enim medium mare vel meridiano ſole ità* *torreri ut aqua illius ad tactum ſit calida, immò verò tepida & non potiùs frigida, mihi non ſatis conſtat. Et certè niſi aliquis ſit ſenſibilis tepor, quî fieri poterit ut ſit ulla ſenſibilis Rarefactio aut Tumor? Et tametſi aquæ tepeſcentis vitro amplioris uteri collóque anguſtiori incluſæ intumeſcentia viſibilis ſit in collo iſto anguſto, alia tamen res eſt in latè patenti mari. Præterea conceſſâ aliquali rarefactione & intumeſcentiæ inchoatione, neceſſe tamen eſt diffluere ſtatim aquam ut aſſurgit, & nunquam ad pedalem altitudinem attolli. Pedalémque altitudinem, ſi ad eam attolleretur, manifeſtum eſt nihil planè eſſe cum baſi hujus rectanguli Trianguli comparatam ad aliquot Milliarium millena millia exporrectâ: adeò ut perinde ferè videatur ſive per Hypotenuſam hujus Trianguli ſive per lineam baſi parallelam aquæ iter ſit faciendum ad littora, vel ad talem diſtantiam in mari ipſo versùs occaſum. Unde defluxus eſſet aut nullus aut infinitè lentus pariter ac debilis, planéq; inſenſibilis, nec Hiſtoriæ motuum marinorum ullo modo conſentaneus. Quibus addas denique, quòd æſtuum marinorum reditus diurni Solem ex hac Hypotheſi autorem ſuum haberent & indicem, non autem Lunam, quod apertæ repugnat experientiæ. Hæc quidem & ſimilia faciunt, ut* Carteſianam *Hypotheſin* Voſſianæ *longè exiſtimem anteferendam, temeréque à* Voſſio *factum eſſe quòd ſuam, cùm nihil opus eſſet, in locum* Carteſianæ *vellet ſubſtituere.*

Sect. 11. Sed inſtar ſalivæ, quam puer per ludum in gyrantem turbinem expuit, in omnes partes terræ disjiceretur, *&c. Hoc malum profectò nulla Hypotheſis Mechanica unquam evitare poteſt, non* Voſſiana *magìs quàm* Carteſiana, *nec ulla alia cujuſmodicunque; adeò ut æſtuum marinorum ordo mariſque motus limitatus ac regularis, certiſſimum inter alia ſit* Principii Hylarchici *argumentum.*

Sect. 15. Equidem res monſtroſa eſt & ſupra omnem fidem, *&c. Quamobrem ità planè eſt proculdubio in elemento hoc æthereo, ut in aqua & in aere, nulla eſt Gravitatio in locis ſuis debitis, nec preſſura Mechanica, ſed omnia adminiſtrantur ſecundùm leges quaſdam vitales* Spiritui Naturæ *inſitas in Bonum univerſi. Quarum legum vis per univerſos vortices diffunditur, materiámque cæleſtem.*

CAP. XV.

Octava Demonſtratio, à mutua corporum magneticorum adhæſione, magneticarúmque particularum motu.

1. HÆc de *Æſtu marino.* In *Magnete* non diu hærebimus, quandoquidem ea de re aliquantò fuſiùs egimus in Epiſtola noſtra ad V. C. ubi tam de formatione particularum magneticarum ſcripſimus quàm de earum motu. Formationem verò hîc miſſam faciemus majoris compendii causâ, cùm de certa ipſarum forma non tam liquidò conſtet quàm de ipſarum exſiſtentia atque motu. Quorum utrumque egregiè mihi comprobare videtur illud Experimentum quod *Carteſius* profert *Princip. Philoſ. Part.* 4. *Artic.* 179. Quod quidem certiſſimum eſt Experimentum & compertiſſimum. Eſt autem de ſpontanea quaſi diſpoſitione limaturæ ferri circa Magnetem.

1. *Vorticis magnetici circa unum vel duos magnetes cum polis in Plano jacentibus particularum magneticarum curſu per ferri limaturam facti deſcriptio.*

Nam imprimis, inquit ille, *notare licet ejus pulviſculos non confusè coacervari, ſed unos aliis incumbendo quoſdam quaſi tubulos componere, per quos particulæ ſtriatæ liberiùs quàm per aerem fluunt, quique idcirco earum vias deſignant.* Quod Experimentum fit immittendo Magnetem Plano ità ut Poli magnetis in ipſo plano jaceant. Etenim tunc apparebunt dictæ particularum magneticarum viæ ſic ut in ſubjecto Schemate exhibentur. Ubi particulæ magneticæ venientes ab Auſtrali Polo A, & exeuntes per Borealem B, non rectà feruntur in C & ſic porrò, ſed revertuntur versùs D vel E, ad Polum Auſtralem A. Et qui veniunt à Polo Boreali B, & exeunt per Auſtralem A, non pergunt rectà versùs F, ſed reflectuntur in D vel E, iterúmque intrant Polum B, atque ità hoc itu reditúque quendam quaſi verticem particularum magneticarum componunt.

Fig. 34.



Quòd ſi alius Magnes in eodem

Plano ſuprà dicto modo diſponatur, atque ità ut Poli utriuſque in eadem linea jaceant; internúſque Auſtralis interno Boreali ex oppoſito reſpondeat; ut in altero hoc Schemate; Particulæ magneticæ venientes ab A & exeuntes per B reflectentur quidem versùs D & E, ſed non redibunt ad Polum Auſtralem A prioris Magnetis O, ſed pergent ad G & H, & tandem in Polum Auſtralem *a* alterius Magnetis P intrabunt; duorúmque Magnetum, tanquam ſi unus Magnes eſſet, unus erit communis Vortex B D G, à H E B, &, ſi nihil impediat, hujus communis vorticis vi tandem conjungentur in polis A & *b*. Unde obiter notare licet, non multùm erràſſe *Platonem* in *Timæo*, qui non tam attractione quàm circumpulſione Magnetem in ferrum agere olim aſſeverabat.

Fig. 35.



2.

Quòd in Vorticibus magneticis ſuprà deſcriptis particularum magneticarum motus non eſt Mechanicus, ſed à Diviniori aliquo Principio profectus.

2. Sed illud ad rem præſentem parùm facit. Eſt quod notatu magìs dignum eſt: nempe, primò, quàm certò conſtet de exſiſtentia motúque particularum magneticarum ex iſtis viſibilibus vorticibus quos vel ſinguli vel ſimul adhibiti Magnetes O & P per ſupradictos limaturæ tubulos deſcribunt. Deinde, quàm manifeſtum hoc ſit indicium motum particularum magneticarum non eſſe Mechanicum, ſed ab altiori aliquo Principio profectum. Nam neque *Carteſius*, neque quiſquam alius, diffitetur quin, remotâ ferri limaturâ, Magnetes O & P vel ſinguli vel conjuncti eoſdem vortices faciant quos in ipſa limatura tam viſibiliter deſcribunt itu reditúque particularum magneticarum per utriuſque polos. Quæro igitur primò ſigillatim de Magnete O, cùm undique ſe perinde habeat aer, cur Particulæ magneticæ exſilientes è Polo B non feruntur rectà ad C, & ſic porrò, ſed revertuntur per D vel E ad A.

Quod ſpectaculum cùm mirabile ſit in tam parvo Magnete, quàm ſtupendum cenſeri debet in ipſa Terra, quæ tam ingens Magnes eſt? Ubi tamen eiſdem legibus à Polo Auſtrali ad Borealem & viciſſim per immenſa itinera feruntur Particulæ magneticæ. Quomodo vel cogitatu poſſibile eſt, ut parvuli illi meatus magnetici in Polo terræ Auſtrali ità agant in Particulas magneticas è Polo Boreali exſilientes, ut reflectant eas versùs ſeipſos faciántque reverti? Quod verò ad Aerem attinet materiámque ſubtilem, (quantum hunc effectum ſpectat) ſingulorum proculdubio partes ubique circa Polos homogeneæ ſunt, nec poſſunt curſum particularum magneticarum quóquam inflectere niſi valde fortuitò, non ſecundùm ſtatas Magnetiſmi leges, quales ſuprà deſcripſimus. Ac proinde ſi Phænomenon ad leges Mechanicas expendamus, proculdubio Particulæ magneticæ à Polo B pergent præter propter juxta rectam B C, & ſimiliter exeuntes è Polo A juxta rectam A F, nec adeò ſtatis curſibus revertentur per D & E. Nam omne corpus motum motionem ſuam continuat in linea recta, niſi quid impediat, nec deflectitur ab incepta via, niſi pro ratione impedientis.

Vide Fig. 34.

3.

Particularis applicatio experimenti duorum Magnetum ad inferendam tandem Concluſionem.

Vide Fig. 35.

3. Curvitatem verò & rectitudinem viæ particularum magneticarum non tam à medio per quod tranſeunt, quàm à meatibus magneticis ad quos tendunt, dependere egregiè evincitur ex ſuprà expoſito Experimento duorum Magnetum ſimul adhibitorum, & eidem Plano impoſitorum.

Nam eæ viæ quæ à B in D & E incurvabantur inter D A & E A versùs A in magnete O ſeorſim adhibito, jam rectà continuantur uſque ad G & H. Et quoniam tam commodè ponuntur Poli A & *b*, omnes limaturæ tubuli viæve tubulis deſcriptæ rectæ ſunt inter Magnetes O & P, nec quóquam inflectuntur. Et ſummopere notandum eſt, ipſas particulas magneticas tubulos hos, ſive curvos ſive rectos, ſuâ ipſarum vi ac tranſitu, non ullâ ſitûs limaturæ opportunitate, (cùm illa promiſcuè & confusè in Planum conſperſa ſit,) delineare, & ad iſtum modum diſponere.

Unde manifeſtum eſt non fortuitis impactionibus & offenſionibus motum particularum magneticarum in hanc vel illam partem derivari, ſed certiori aliquâ Diviniorique lege regi ac gubernari. Quod erat probandum. Quæ quidem probatio adeò facilis eſt ac manifeſta, ut vix quiſquam ſit, cujus animus ad omnia Rerum incorporearum Argumenta non prorſus occalluit, quin ſtatim illius vim perſentiſcat & agnoſcat.

4.

Ferrum armato Magneti non adhærere vi glu-

4. Feſtinamus ad reliqua, ac proinde alterum duntaxat Argumentum adjiciam ex hoc fonte hauſtum. Eſt autem de hæſura ferri cum *Magnete armato*, qui multò plus ferri ſuſtinet quàm nudus. Hujus rei cauſam in Contactûs differentiam rejicit *Carteſius*;

ſius; quòd nempe laminæ ferreæ meatus aptiſſimè congruant cum meatibus ferri ipſi appenſi; quódque ideo particulæ magneticæ, faciliùs tranſeuntes ex uno ferro in aliud per hos meatus, omnem aerem intermedium expellant, itáque efficiant ut eorum ſuperficies ſe invicem immediatè contingentes difficillimè disjungantur. Quippe quòd immediatus contactus ſit illud ipſum glutinum per quod omnia corpora tam validè cohærent. Ad hunc ſenſum philoſophatur, & eiſdem ferè verbis, *Carteſius Princip. Philoſ. Part.* 4. *Artic.* 172.

tinis illius Mechanici quod fingit Carteſius, *immediati ſcilicet contactûs & quietis; Experimento ferreæ Rotulæ detegitur, quæ etiam in gyros contorta Magneti pendula adhæret.*

Verùm enimvero meminiſſe oportet hoc glutinum vel ex ipſius *Carteſii* ſententia non ex ſolo contactu immediato conſtare, ſed etiam ex quiete corporum: alioqui omnes Mundanæ materiæ partes aut mediatè aut immediatè ſibi invicem conglutinarentur; quod omnem particularum motum atque agilitatem, ac præcipuè materiæ ſubtiliſſimæ, è mundo tolleret. Quòd verò per quietem partes Materiæ couniri vel conglutinari non poſſunt, * ſuprà demonſtravimus, nec opus eſt hìc repetere.

* *Cap.* 9.

Sed ſi poſſint partes Materiæ per quietem immediatúmque contactum cohærere, tamen in illo Experimento ferreæ Rotulæ, cujus mentionem facit *Carteſius Artic.* 174. quæque in gyros acta ſatis tamen firmiter adhæret armato Magneti, glutinum hoc Mechanicum diſſolvitur. Quâ igitur vi adhæret illa ferro Magnetis? Nam hujuſmodi ferreas rotulas turbinis inſtar contortas diutiùs gyrare ait è Magnete pendentes quàm cùm ab eo remotæ terræ inſiſtunt. Quale igitur eſt illud gluten quod tam faciles agiléſq; motus ac receſſus à ſe invicem partibus conglutinatis permittit? Hoc autem Mechanico glutino deficiente, quid, obſecro, in ejus locum ſuccedere poteſt, niſi Principium illud *Hylarchicum* incorporeum cujus vi omnes materiæ mundanæ partes moventur, ſiſtuntur, & uniuntur?

5. Sed verò in Experimentis illis ubi ferrum appenſum non rotatur, ſed manet immotum, cohæſio ejus cum armatura Magnetis abſque aliquo Principio incorporeo videtur planè impoſſibilis. Ut v.g. in Magnete A B, ubi ferrum G H immotum adhæret armaturæ Magnetis ad D & F. Cujus quidem adhæſionis nullæ cauſæ purè Mechanicæ ac corporeæ ſe offerunt in hoc Experimento præter motum particularum magneticarum, quæ venientes ab Auſtrali Magnetis polo A, per laminam chalybeam C D inflexæ ingrediuntur ferri partem β, atq; indè fluentes uſque ad α aſcendunt in aliam laminam chalybeam F E ad B, Polum Magnetis Borealem; & vice verſâ, egreſſæ à B per chalybeam laminam E F, ferrum appenſum H G, alterámq; laminam D C, revertuntur ad A. Præter hunc motum, inquam, particularum magneticarum, & immediatum ferri G H contactum cum laminis chalybeis ad D & F, nihil corporeum puréve Mechanicum in hoc Experimento occurrit cui adhæſio ferri G H ejúſque ſuſpenſio ab armatura Magnetis imputari poteſt. Quorum tamen neutrum quicquam valet ad hunc effectum producendum.

Fig. 36.



5. *Nihil corporei puréve Mechanici occurrere in Experimentis ubi ferram appenſum immotum adhæret armato Magneti quod ad illius adhæſionem quicquam confert: Ex quo iterum præſentia Principii alicujus incorporei concluditur.*

Nam quod fluxum particularum magneticarum attinet per dictas partes, manifeſtum eſt quòd motus earum in ea parte ferri G H quæ intercipitur ſpatio M L, diſtantiæ internæ laminarum æquali, nihil conferat ad ſuſtinendum ferrum G H, quamvìs ſimul atque advenerint ad partes ferri M β & L α videri poſſint aſcenſu ſuo in laminas D C & F E aliquid conferre ad admovendum apprimendúmve ferrum G H laminis chalybeis D C & F E. Veruntamen cùm fluxus earum ſit tam ab A per C D in β M, & à B per E F in α L, quàm ab M β per D C in A, & ab L α per F E in B, manifeſtum eſt rurſus, quòd quantum particularum magneticarum affluxus ſurſum intelligitur promovere ſuſtentationem Ferri G H, tantundem earum defluxus deorſum ipſi neceſſariò intelligitur officere. Unde clarè conſtat particularum magneticarum motum nihil ex ſe contribuere ſuſtentationi ferri G H. Neque majoris momenti eſt abſque alio aliquo Principio immediatus ferri & laminarum contactus & quies, cùm immotus hic contactus nihilo plus in ſe includat quàm ſimplex illa quies, quam particularum corporearum glutinum eſſe non poſſe ſatis abunde * ſuprà demonſtravimus.

* *Cap.* 9.

Quamobrem cùm nec motus particularum magneticarum nec ferri ac laminarum chalybearum immediatus contactus ſufficiant ad ſuſtinendum hoc appenſum ferrum G H, nec aliud quicquam corporeum puréve Mechanicum excogitari poſſit quod has vices ſubeat, luce clarius eſt, ſi propriis facultatibus fidem habere velimus, quòd eſt Principium aliquod incorporeum quod ſe hujuſmodi Phænomenis intermiſcet.

CAP. XVI.

Demonſtratio nona, à Solis Stellarúmque magnitudine.

1. *Hypotheſis Carteſiana de æqualitate magnitudinis ac motûs partium Materiæ, in quas initio diviſa ab ipſo ſupponitur.*

1. QUÆ circa Terram ſunt Phænomena generaliora ad leges Mechanicas jam expendimus, claréque oſtendimus, tantum abeſſe ut ex ejuſmodi Principiis prognata ſint, ut aut eis ipſis Principiis aut aliis Naturæ Phænomenis repugnent. Submoveamus tandem oculos animóſque ad Cœlum, & quæ ibi occurrunt generaliora Phænomena notemus, & ad eaſdem leges Mechanicas expendamus, ut videamus quàm bellè illa cum Mechanica *Carteſii* Hypotheſi conveniant. Intelligo autem Siderum tam magnitudines quàm figuras. Quibus addam nonnihil de Cometarum trajectionibus, & de natura Luminis. His paucis, nè nimius ſim in hac materia, contenti erimus. Agemus autem primò de Siderum magnitudine, poſtquam breviter ex *Carteſio* primi ipſius ſecundiq; Elementi generationem deſcripſerimus.

Supponit igitur Materiam initio diviſam in particulas quamproximè inter ſe æquales, & magnitudine mediocres, ſive medias inter illas omnes ex quibus jam Cœli atque Aſtra componuntur, æqualitérque fuiſſe motas tum ſingulas circa propria ſua centra, tum etiam plures ſimul circa alia quædam puncta æquè à ſe mutuò & eodem modo diſpoſita ac jam ſunt centra fixarum, nec non etiam circa alia aliquantò plura quæ æquent numerum Planetarum. Hæc in *Artic.* 46. *Part.* 3. Planiúſq; ac rotundiùs eandem rem repetit ſubſequenti Articulo, ubi, *Suppono*, inquit, *omnes Materiæ particulas initio fuiſſe tam in magnitudine quàm in motu inter ſe æquales, & nullam in Univerſo inæqualitatem relinquo præter illam quæ eſt in ſitu Fixarum.* Quibus ſuperaddas, ex præcedenti Articulo, *omnes Materiæ partes ſic diviſas tantundem motûs in ſe habuiſſe quantum jam in Mundo reperitur.*

Ex eo verò quòd *Carteſius* ſupponit univerſam Mundi Materiam in partes æquales diviſam, non obſcurè inſinuat eas aut formâ cubicâ fuiſſe, aut ſaltem parallelepipedâ, aut ad minimum rectilineari, & non curvâ, cùm alioquin aut Vacuum fuiſſet in Univerſo, aut æquales omnes eſſe non potuiſſent. Sed nè nimiùm excreſcat materiæ ſubtiliſſimæ copia, cùm & ipſe ſupponat totam limaturam vel raſuram harum primarum partium in illud Elementum abire, proculdubio primas Materiæ partes corpuſcula ſaltem parallelepipeda, eáque rectangula, lubenter fuiſſet agniturus. Nos verò, in majorem illius favorem, Cubos fuiſſe concedemus, ut quæ omnium figurarum parallelepipedarum maximè ſolida eſt, minimámque ramentorum copiam ex ſua tornatione vel rotundatione redditura.

2. *Primum Mundi Elementum æquale ferè eſſe ſecundo quantitate vel copiâ.*

2. Ex ſuprà dictis igitur partibus motu magnitudinéque æqualibus, formâque cubicâ præditis, Cœli, ſive Vortices, Stellæque generatæ ſunt, nempe dum ſingulæ circa propria centra celeriter rotabantur, pluréſque conjunctim circa ſuprà dicta puncta ſimul circumagebantur. Nam ſucceſſu temporis hi Cubuli in perfectas Sphærulas ſive Globulos obterebantur, qui, cùm ramentis ſuis multò ſint ſolidiores, neceſſariò recedebant à centro cujuſque Vorticis, dictáque ramenta, hoc eſt, materiam ſubtiliſſimam ab ipſis diuturno motu abraſam, in medium cujuſq; Vorticis detrudebant, atque hoc modo Cœlos Stelláſq; componebant.

Unde manifeſtum eſt quòd initio duo tantùm Elementa fuerunt, *Globuli* nempe ac *Materia ſubtiliſſima*, quódque hæc duo totam materiam mundanam inter ſe diviſerunt. Ac proinde quòd *tota mundana Materia* eam habuit rationem ad Elementum ſecundum, ſive *Globulos*, quam *Cubus* ad *inſcriptum Globum*; ad primum verò Elementum, ſive *materiam ſubtiliſſimam*, quam *Cubus* ad ſuas partes extra inſcriptum Globum eminentes vel exſtantes: Elementum verò ſecundum ad primum, quam inſcriptus Globus ad dictas Cubi partes exſtantes extra Globum Cubo inſcriptum, aut aliquantò minorem. Nam videtur incredibile quin primorum Cubulorum, dum abradebantur ipſorum anguli, etiam Hedræ aliquantùm raderentur; atque ità plus Cubulorum ſingulorum abiret in materiam ſubtiliſſimam, poſtquam ad perfectas ſphæras reducti erant, quàm partes exſtantes extra Globum inſcriptum. Ut omittam quod *Carteſius* aſſerit *Artic.* 85. ipſos utique Globulos jam perfectos lapſu temporis magnitudine minui. Eſt igitur ſatis evidens quòd, antequam ulli Cometæ Planetæque facti eſſent, *Elementum ſecundum* minorem rationem habuit ad *Elementum primum* quàm inſcriptus Cubo Globus ad partes Cubi extra inſcriptum Globum exſtantes.

Eſt autem ratio circumſcripti Cubi ad Globum inſcriptum, prout aſſerunt Geometræ, ut 21 ad 11. Si igitur ſubducas 11 è 21, reliquum 10 ſunt partes Cubi extra Globum inſcriptum exſtantes. Unde manifeſtum eſt quòd Globus Cubo inſcriptus ad partes ejus extra Globum inſcriptum exſtantes ſe habet ut 11 ad 10; quódque propterea ſecundum Elementum minorem habet rationem ad primum quàm 11 ad 10; hoc eſt, quòd primum Elementum æquale ferè ſit ſecundo quantitate vel copiâ.

3. Jam verò, cùm duo illa Mundi Elementa, *Globulorum* nempe & *Materiæ ſubtiliſſimæ*, totam inter ſe materiam mundanam dividant ferè æqualiter, conſequens eſt, ut unicuique Cœlo ſive Vortici æqualem ferè utriuſque portionem pariter aſſignemus, *Globulorum* ſcilicet & *materiæ ſubtiliſſimæ*, quæ partim mixta inter Globulos, partim ſeparata in centro Vorticis, æquale ferè ſpatium Vorticis cum ipſis Globulis occupat. Ut verò cognoſcamus quantum ſpatium Vorticis materia ſubtiliſſima ſeparata ad centrum poſſideat, intelligendum primò eſt quantam illius copiam globuli Vorticis inter ſe retineant in ſolidis ſuis triangularibus interſtitiis. Quæ quidem (quantum ego oculis rationem capio vel ex figura ipſorum interſtitiorum, vel è reliquiis aquæ poſt extractos globulos è vitro in quod utrique infundebantur) * ſpatium aliquantò minus quàm dimidium ejus quod globuli, occupant, à centro Vorticis tam fortiter ad ſe invicem compreſſi. Sed demus tamen ſpatium eſſe dimidium. Itaque cùm globuli in ſuis interſtitiis dimidiam tantùm partem materiæ ſubtiliſſimæ retinere poſſint, neceſſe eſt ut alteram partem dimidiam ad centrum Vorticis tranſmittant. Ac proinde, cùm materiæ ſubtiliſſimæ ac globulorum æqualis ferè ſit copia, æqualéſque partes totius ſpatii Vorticis occupent, ut eadem materia ſubtiliſſima è globulis ſeparata & congregata circa centrum Vorticis quartam partem totius Vorticis poſſideat, hoc eſt, ut Sol ipſe ſit tantùm triplò minor toto reliquo Vorticis ſpatio.

3. *Ex ſuprà deſcripta Hypotheſi* Carteſiana *ſequi, Solem triplo tantùm minorem eſſe toto reliquo Vorticis ſpatio.*

4. Cognitâ verò ratione quam habet Sol ad totum ſpatium Vorticis, (quæ eſt ratio unius ad quatuor,) non eſt difficile inveſtigare rationem Diametri vel Semidiametri Solis ad Vorticis Diametrum vel Semidiametrum, modò ſupponamus corpus Solis perinde ac totius Vorticis eſſe ellipticum; quod in tam immenſis dimenſionibus ac dinumerationibus, ut mox videbimus, parùm aut nihil rationes noſtras conturbabit. Suppoſito verò quòd Sol & Vortex ſint figuræ ellipticæ conſimiles, Semidiametri ipſorum ſimiles eam ad ſe invicem rationem habebunt quam prima ſecundáque quatuor rectarum continuè proportionalium, quæ rationem Solis Vorticíſque ad ſe invicem includunt. Etenim Figuræ ſimiles habent rationem homologorum laterum æquè multiplicatam dimenſionibus & medium proportionale unâ minus. Itaque nullæ quatuor rectæ continuè proportionales duorum ſimilium Solidorum rationem includere poſſunt, quarum prima ad ſecundam non habet eandem rationem quam ſimilis Semidiameter primi Solidi ad ſimilem Semidiametrum ſecundi, cùm & ipſæ Semidiametri ſe habeant ut latera homologa ſimilium Solidorum. Ac proinde è quatuor rectis continuè proportionalibus, quarum prima & ultima rationem quadruplam includunt, prima ad ſecundam eandem neceſſariò rationem habebit quam ſimilis Semidiameter Vorticis ad ſimilem Solis Semidiametrum.

4. *Semidiametrum Solis dimidio ſemidiametri Vorticis aliquantò eſſe majorem.*

* Quatuor verò rectæ continuè proportionales rationem quadruplam includentes ope Meſographi *Heronis* facillimè inveniuntur; quarum prima ad ſecundam ſemper ſe habet ut A B ad A D. Quam idcirco rationem & Semidiametrum Vorticis ad Solis Semidiametrum habere neceſſe eſt, quæ dimidio Semidiametri Vorticis aliquantò eſt major.

Fig. 57.



5. Verùm nos dimidio Semidiametri Vorticis contenti erimus, ut omnes cavillas de immutatione figuræ Solis evitemus. Et ob eandem rationem, quanquam meritò ſuſpicari poſſimus hunc noſtrum Vorticem multò majorem eſſe quibuſlibet è vicinis, cùm tot tantíſque ſpoliis Planetarum tam ſecundariorum quàm primariorum tanquam vis ſuæ atque roboris perquam ſplendidis monumentis ſit ornatus; nos tamen eum æqualem duntaxat eſſe vicinis ſuis ſupponemus, imò verò axes eorum diametro Eclipticæ noſtri vorticis æquari: atque ex iſta Hypotheſi rationes noſtras inibimus. Quæ breviter ſic ſunt. Ex computationibus *Lansbergianis*, quæ *Carteſianæ* Hypotheſi maximè ſunt conſonæ, Stella fixa, etiam prope Eclipticam ſita, à Terra diſtat 42000000 terræ ſemidiametris. Quibus ſi addas diſtantiam Terræ à Sole, quæ continet 1500 terræ ſemidiametros, tota diſtantia Solis à Stella fixa erit 42001500 ſemidiametrorum terræ. Cujus dimidium 21000750, juxta noſtram facilem Hypotheſin, non minus eſt, ſed æquale noſtri vorticis ſemidiametro per Eclipticam ductæ: hujúſque rurſus dimidium, pro ea quâ ſumus facilitate, non minus, ſed æquale eſſe ſemidiametro Solis agnoſcemus. Eritque Solis ſemidiameter ſemidiametrorum terræ 10500375. Jam verò cùm diſtantia Saturni à Sole ſit ſemidiametrorum terræ 16380, & diſtantia

5. *Nóſq; in ipſo corpore Solis habitare ingenti ignis mole plus decies millies mille quadringenties nonagies octies mille Terræ ſemidiametros altâ obrutos.*



Fig. 38.

Terræ à Sole terrenarum ſemidiametrorum 1500; tolle 16380 è 10500375, manent 10483995 ſemidiametri terræ, quibus ſemidiameter Solis excedit diſtantiam Saturni à Solis centro. Ad eam nempe altitudinem ipſa materia Solis Saturni orbitam inundat. Tolle verò 1500 è 10500375, manent 10498875 terræ ſemidiametri, quibus ſemidiameter Solis diſtantiam terræ ab illius centro excedit. Ad eam utique profunditatem in ipſum corpus Solare ſive materiam ſubtiliſſimam nos terræ Incolæ immergimur, ibíque degimus in hoc liquido igni, ut piſces in aqua, quemadmodum clarè efficitur ex hac *Carteſiana* Hypotheſi.

Totius rei rationem vel externis oculis aliquatenus uſurpare poteris in præcedenti Schemate. Ubi DE eſt diameter vorticis, FG corporis Solaris, FA & AG Solaris corporis ſemidiametri. Quarum AG dividitur in ſex æquales partes, quarum ſingulæ plus centies continent diſtantiam Saturni à centro Solis. AF verò dividitur in ſeptem æquales partes, quarum ſingulæ Telluris millies continent à Solis centro diſtantiam. Ità ut Saturnus intelligatur diſtare à centro Solis A centeſimâ parte ſemidiametri ſextantis CA; Terra verò particulâ milleſimâ partis ſemidiametri ſeptimæ BA; ità ut in ipſo ferè centro Solis videamur habitare. O enormem lapſum & prodigioſum! Sed ſic merentur qui Mundos, ſi Diis placet, Mechanicos ex proprio cerebro condere volunt, atque ità aut inſcientes aut de induſtria viam Atheiſmo aperire, hominéſque invitare ad credendum, modò tantundem Motûs inſit Materiæ quantum in ipſa reperitur, Mundum poſſe generare ſeipſum. Quod tamen eſt impoſſibile. Sed ſi fieri poſſet, equidem fateor omnium quæ hactenus inventæ ſunt viam eſſe ad Atheiſmum compendioſiſſimam. Quod eò dico, ut nemo mihi vitio vertat quòd tanta cum cura & induſtria hanc Mechanicam Philoſophiam impugno.

6.
Qui ratione & imaginatione pollent facilè in magnos errores labi, ſi intimiori quadam animi ſagacitate destituantur.

6. Verùm quàm inauſpicatò tam immane inceptum inſignis ille Philoſophus *Carteſius* aggreſſus ſit ſatis jam vidimus. Et certè ſæpenumero mihi mirari ſubit, quî fieri potuerit ut tam acutum aliàs ingenium atque elegans in cogitationem tam abſonam atque abſurdam unquam incideret, nec in primo limine abſterreretur à tam inſano tentamine, odorans quaſi & olfaciens rei & impoſſibilitatem, itidémque immanitatem, dum ſanctiſſimum hoc atque auguſtum Dei Templum in vilem quandam Fabri ferrarii lignariíve officinam convertit, omnia ramentis & limaturis implens. Præcipuè verò, quòd ei ſtatim in mentem non veniret, cùm nè minimum quidem Vacui in Univerſo ſupponeret, quòd primordiales illi Cubuli circa propria centra (cùm perfectiſſimè duri fuerint, & tam preſsè ſibi invicem undique compacti) vix ullâ vi movendi eſſent, aut ſi moverentur, eâ id factum fore violentiâ, ut non ſolùm eorum anguli abraderentur, ſed & totæ Cubulorum moles in varia fragmina diſſilirent; unde majorem adhuc in modum augeretur materiæ ſubtiliſſimæ copia. Tam coactus ac ferreus quaſi rerum ortus non poteſt non admodum duriter & ſtridenter obradere cujuſvis animi ſenſus cui innata illa ſagacitas teneráque judicii ſenſibilitas ſatis feliciter contigit. Quâ qui deſtituuntur, tametſi mirandâ Rationis & Imaginationis ſubtilitate atque agilitate polleant, in Errores tamen ſæpenumero incidunt longè immaniores quàm ii qui mediocri tantùm ingenio videntur prædíti.

7. Sed ultrà quàm putâram digreſſus ſum; ad rem redeo. Videmus igitur primum hoc Hypotheſeos *Carteſianæ* Fundamentum quàm immenſo malo laboret. Cui tamen nullum reperiri poteſt Remedium, nullum Subterfugium excogitari. Nam ſi omnes noſtri vorticis Planetas, tam ſecundarios quàm primarios, cum ipſa Terra, ut quos è materia ſubtiliſſima olim conſtitutos autumat *Carteſius*, in Solem conjicias, nè uno quidem quadrante, ſi ad calculos rem revocas, magnitudinem ejus indè exaugebis; tantùmque aberit ut ex eo ità intumeſceret ut Saturni orbitam inundaret, ut nè ad Mercurii quidem pertingeret, ſed multis terræ ſemidiametris diſtaret.

7. *Nullum Remedium inveniri poſſe huic tam immani* Carteſii *lapſui, nec ullum ſubterfugium, ſed moderatiorem illum* Hortenſii *computum ſequendo, nos etiamnum ſub vaſta ignis luciſve mole bis millies mille præter ſexcenties vicies quater mille terræ ſemidiametros altâ & ampliùs obrutos ſepeliri.*

Nec porrò objici poteſt me aut majorem juſto Solem inter atque Fixas diſtantiam feciſſe, aut feciſſe injuſtè quòd ſemidiametrum noſtri Vorticis vicinorum vorticum ſemidiametris fecerim æqualem. Non ſanè prius, propterea quòd eas *Lansbergii* Computationes ſequor quas & Hypotheſi *Carteſianæ*, propter vaſtam diſtantiam inter Solem & Fixas, magìs congruas eſſe conſtat, quáſque ipſe *Lansbergius* poſt ſecundas ſuas cogitationes, quæ utplurimùm ſapientiores ſunt, inſtituebat: quamvìs fatendum ſit, in his poſterioribus rationibus eum magni Orbis terræ parallaxin ferè quadruplò minorem feciſſe quàm antea fecerat. Neque enim id injuriâ factum eſt, cùm magnus terræ Orbis adinſtar puncti ſit ſi cum orbe Fixarum conferatur, nullámque illius reſpectu ad ſenſum faciat parallaxin.

Cæterùm ut omnis querelarum cavillarúmque præſcindatur occaſio, omníſque erroris ſuſpicio in hanc partem penitùs tollatur, reducamus iterum cum *Hortenſio* magni Orbis terræ parallaxin ad priſtinam quantitatem, ſitque 30 ſecundorum, diſtantiáque fixarum à Sole non 28001 ſemidiametrorum magni Orbis terræ, ſed 6876. Hoc tamen rationem A E vel A D ſemidiametri Vorticis ad A F vel A G Solis ſemidiametrum nihil mutabit, ſed tantummodo faciet, cùm jam ferè quadruplò minor ſit & Solis ſemidiameter & Vorticis quàm antea, ut ſexta pars ſemidiametri Solis, putà A C, diſtantiam Saturni à Solis centro tantùm vicies quinquies contineat, & ſeptima pars, putà A B, diſtantiam terræ ab eodem centro ducenties quinquagies. Atque hâc ratione Saturnus intelligetur diſtare nunc à centro Solis viceſimâ quintâ parte ſextantis illius ſemidiametri, nempe rectæ A C, & Terra ducenteſimâ quinquageſimâ particulâ unius ſeptimæ Diametri Solis, putà rectæ B A, nec obruemur illâ ignis Lucíſve mole multùm ultra bis millies mille præter ſexcenties vicies quater mille ſemidiametros terræ. Quod profectò mirificè recreare debet *Carteſianorum* animos, eorúmque dolorem lenire. Quo igitur ſolatio nè nos privare eos velle videamur, *Hortenſianam* hanc rationem non invito animo, eorum gratiâ, tanquam ſaniorem amplectemur. Unde hoc prius, de nimia ſcilicet Fixarum à Sole diſtantia, nunc ſaltem nobis niſi immeritò objici non poteſt.

Vide Fig. 38.

Nec certè poſterius, quandoquidem, tametſi fatendum ſit quòd ipſe *Hortenſius* ſuis rationibus Stellas fixas Sole multò majores ſtatuat, ex quo eorum vortices majores noſtro non inſcitè quiſpiam concludere poſſet, notandum eſt tamen hoc ab *Hortenſio* factum eſſe ex eo, quòd Fixarum diametros multò majores juſto fecerit, cùm revera ſint omni opinione minores, poſſintque eorum diſci non aciculæ cuſpidis, non globuli ſecundi Elementi latitudinem excedere, & tamen eandem noctu lucem in terras effundere, eaſdémque ſui magnitudines oculis noſtris exhibere, viſibiles utique ſolummodo propter ſui luminis circumradiationes, quarum ſolarum virtute poſſint & à nobis videri & terras illuſtrare. Nec aliâ re quaquam præter hanc id fieri indicium eſt, quòd, cùm tot ſint támque clarè micent, tantillum tamen luminis noctu terris affundant.

Quamobrem, cùm nulla ſit ratio cur Stellas fixas Sole noſtro majores fingamus, & tamen ſit cur noſtrum vorticem aliquantò vicinis majorem ſtatuamus, licet certè eum ipſis ſaltem concludere æqualem. Præſertim cùm, ſiquid erroris ſubſit, abunde compenſata ſit hæc injuria ex eo, quòd Solis ſemidiametrum totius vorticis quadrantem æquantis dimidio ſemidiametri vorticis faciamus itidem æqualem. Cui addas, quod majoris adhuc momenti eſt, etiam axes vicinorum vorticum noſtri vorticis Eclipticæ diametro nos æquâſſe. Et denique, quod maximum eſt, *Hortenſianum* computum ſubſtituendo in locum *Lansbergiani*, errorem ferè octies millies mille ſemidiametrorum terræ ex ſemidiametro Solis expunxiſſe, & *Carteſianis* condonâſſe.

Poſtremò, nec ſi materiam ſubtiliſſimam è noſtro vortice in alios vortices jam olim maximam partem effluxiſſe fingerent, vel ſic è manibus noſtris elabi poſſent *Carteſiani*, cùm, præterquam quòd impoſſibile ſit ut id fieret, quin ità debilis factus antea fuiſſet noſter vortex ut ante multa ſecula fuiſſet dilaniatus & abſorptus à vicinis vorticibus, meminiſſe præterea oportet, quòd nos demonſtravimus omnes vortices eâdem materiæ ſubtiliſſimæ redundantiâ oppletos eſſe. Unde tantum abeſt ut hoc artificio ſe tegere poſſint atque effugere, ut mihi novum, ídque validiſſimum luculentiſſimúmque, Argumentum contra Hypotheſin *Carteſianam* ſuggerant è propinquitate Stellarum fixarum ad ſe invicem deductum. Nam cùm ſemidiametri ipſarum majores ſint quàm dimidia ſemidiametrorum ſuorum vorticum, diametri erunt etiam majores quàm diſtantiæ corporum ipſarum à ſe invicem. Adeò ut, cùm Stellæ quâ jam ſunt magnitudine in tam latos diſcos lucis per circumradiationes ſuas ſe extendant, neceſſe eſſet ut ex hac Hypotheſi *Carteſiana* totum Cœlum tanquam una continua Flamma nobis videretur, nullo colore cæruleo, prout nunc eſt, interjecto, ipſéque *Carteſius*, tanquam alter *Phaeton*, temerariis ſuis auſis Mechanicis commune Mundo incendium inſcius imprudénſque feciſſe.

SCHOLIA

In CAP. XVI. SECT. 3.

Spacium aliquanto minus quàm dimidium ejus quod globuli, occupant, *&c. Et paulò pòſt*, Sed demus tamen ſpacium eſſe dimidium. *Sic enim utrobique legendum eſt, non autem*, Spacium aliquanto minus quàm globuli occupant; *nec*, Spacia eſſe æqualia, *ut prima habet Editio. Nec certè diffiteor quin ità habuerit MSS Latinum, contrà ac in* Anglicano *reperitur, ex quo locus hic Latinè redditus eſt. Quî verò factum ſit ut hoc mendum irrepſerit neſcio, niſi quòd omiſſiori, ut videtur, animo eſſem in Latinè reddendis hiſce meis Speculationibus, quàm fueram in eiſdem excogitandis. Ipſa verò ſenſûs cohærentia omnino oſtendit ſic ſcribi oportere, alioqui Sol, quàm reliquus vortex triplo quidem minor non eſſet, ſed omnino nullus. Intereà loci haud abs re fore cenſeo ſi hîc moneam, quantùm ad rationem quam Solem ad totum Vorticem habere concludimus, quem quartam illius partem ſtatuimus, quamvis eum concederemus quintam, ſextam, ſeptimámve duntaxat partem eſſe aut denique octavam, eodem ferè tenore omnia in hoc capite ſucceſſura, nóſq; etiamnum in flammam plus millies mille terræ ſemidiametros altam, conditum iri, totúmque cœlum quaſi univerſali incendio arſurum. Tam inexhauſtus argumentationis fons hic eſt contra hanc Hypotheſin* Carteſianam.

Sect. 4. Quatuor verò rectæ continuè proportionales rationem quadruplam includentes ope Meſographi *Heronis* facilè inveniuntur, *&c. Quemadmodum videre eſt apud Petrum Ramum*, Geom. lib. 13. Prop. 8.

CAP. XVII.

Demonſtratio decima, à Figura Solis & Stellarum.

I. *Figuram Solis Stellarúmque ſphæricam Principium aliquod in Mundo incorporeum planè arguere.*

I. Occiſa eſt & veluti ſuffocata in ipſis incunabulis hæc *Carteſiana* Hypotheſis Stellarum ſpectatâ Magnitudine. Sed reviviſcat pauliſper & reſpiret, ut quid in ipſarum Figura fiat animadvertamus. Quomodo corpora Solis & Fixarum rotunda evadunt, nos edocet *Carteſius Part.* 3. *Artic.* 61. Nempe, cùm globuli omnes qui volvuntur circa S in vortice C B D C conentur recedere ab S, ut lapis vel plumbum fundâ rotatum à manu rotantis, manifeſtum eſt quòd ſpatium rotundum relinquant materiæ ſubtiliſſimæ, ut qui pauciores ſunt quàm qui totum vorticem ſoli occupent. Etenim tam validè recedunt propter ſuam ſoliditatem, multò particularum materiæ ſubtiliſſimæ ſoliditate majorem, ut neceſſariò compulſuri ſint dictam materiam versùs centrum S, dum ipſi ab eo æqualiter recedunt.

Quod lubens profectò fieri agnoſco, ídque neceſſariò, (ſi motus quo partes Materiæ moventur ſit purè Mechanicus,) & in Circulis axem Vorticis ad angulos rectos ſecantibus. Nam impoſſibile eſt quin, juxta hanc Hypotheſin, globuli cœleſtes per totum axem Vorticis ab eis ipſius partibus quibus impendent Mechanico hoc rotatu conentur circulariter recedere, atque eo pacto locum materiæ ſubtiliſſimæ aliquo modo quidem rotundum relinquere, ſed non ſphæricum tamen, ſed cylindraceum potiùs, aut ſaltem versùs utramque extremitatem axis in Coni mucronem paulatim faſtigiatum. Ut ſi, v. g. ſupponatur Vortex hic noſter in quo nos degimus eſſe A D B C A, Axis Vorticis B S A, Circulus autem axem ad angulos rectos in medio ſecans D C, cui infinitos alios ab utraque parte ipſi parallelos fingere licet à D S C ad B & A uſque pertingentes: Dico quòd, ut globuli in Circulo D S C conantur circulariter recedere à medio puncto axis S, ibíque rotundum ſpatium diſci inſtar materiæ ſubtiliſſimæ relinquere; ità etiam omnes globuli vorticis in dictis circulis huic circulo D S C parallelis contenti circulariter recedunt à centris ſuis in axe vorticis deſignatis, relinquúntque ſuos diſcos materiæ ſubtiliſſimæ occupandos: ac proinde neceſſario fore ut totum relictum circa axem ſpatium aut cylindraceum ſit, (nempe ſi æquali vi per totum axem cœleſtes globuli ab eo recedant,) útque terminetur lineis H F & L G; aut ſi minuatur paulatim vis receſsûs globulorum in circulis ab S uſque ad A & B, ut totum corpus rotundum materiæ ſubtiliſſimæ, circa axem vorticis congeſtæ in duplicem quaſi Conum deſinat, ſecundùm lineas I B, K B, & I A, K A, delineatum. Hoc proculdubio eveniret, ſi motus hic qui in Mundo eſt eſſet purè Mechanicus.

* Nec ullum adeſt ſubterfugium quò quis ſe recipiat, non ſanè tametſi Vitam aliquam ac voluntatem affingeret hiſce Globulis. Nam ſi Mechanicè circumrotantur, nolentes volentes neceſſe eſt ut à centro rotationis, juxta eas quas diximus leges, recedant, ſpatiúmque materiæ ſubtiliſſimæ relinquant aut cylindraceũ, quale eſt HFLGH, aut utrinque conicum, cujuſmodi eſt A I B K A. Unde iterum neceſſe eſt ut in rerum naturam Principium aliquod introducamus incorporeum, ut Sol noſter Stellæque fixæ non cylindraceæ, non conicæ fiant, ſed, prout eſſe deprehenduntur, ſphæricæ vel globoſæ, adinſtar I *b* K *a* I.

Fig. 39.



2. *Præcedentis Argumenti vim eludi non poſſe exemplo ampullæ vitreæ quod* Carteſius *adhibet ad muniendam Solis rotunditatem.*

2. Nec certè huc contra nos afferri poteſt Exemplum illud ampullæ vitreæ quo utitur *Carteſius* ad probandam figuram Solis ſphæricam fore, tametſi obliquè & inæqualiter materia ſubtiliſſima per utroſque vorticis polos ad ejus centrum influat; Solem utique nihilominus eâdem ratione fieri rotundum, quâ videmus ampullam vitream ex eo ſolo rotundam fieri, quòd aer in ejus materiam igni liquefactam per tubum ferreum immittatur. Quia nempe iſte aer non majori vi ab ampullæ orificio in ejus fundum tendit quàm indè in omnes alias partes reflectitur, & æquè facilè illas omnes pellit. *Ità*, inquit ille, *materia primi Elementi corpus Solis per ejus polos ingreſſa debet omnes globulos ſecundi Elementi circumjacentes æqualiter undique repellere*, &c. Si quis, inquam, hoc Exemplo abuti velit ad eludendam vim præcedentis Argumenti, facilè reſpondetur, non parem eſſe utrobique rationem. Quippe quòd materia vitrea æquè apta eſt in unam partem diduci atque in aliam, æqualemque aeri undique exhibere reſiſtentiam. In axe verò vorticis, ob globulorum continuum receſſum, aut recedendi conatum, à ſingulis ejus punctis tanquam à centro ſuæ rotationis, multò liberiùs in longitudinem fluere apta eſt materia ſubtiliſſima inter S A & S B, quàm in tranſverſum inter S I & S K, vel inter S D & S C; nempe tanquam in concava quadam, ſive cylindracea, ſive potiùs amphiconica fiſtula, per circularem globulorum receſſum continuum à toto axe Vorticis à Polo A uſque ad Polum B factâ, quemadmodum in Schemate deſcripſimus.

Vide Fig. 39.

Præterea notandum eſt, præter illam primi Elementi materiam quæ per polos vorticis versùs centrum tranſit ex aliis vorticibus, alium, eúmque præcipuum, hujus materiæ affluxum fuiſſe ad axem ex toto ſuo proprio vortice, è ſemivortice B C A, & è ſemivortice B D A, ídque per totum axem juxta lineas ad eum rectas, globulis ad illum modum ubique ab axe recedentibus. Ac proinde primâ formatione Solem fuiſſe longam quaſi lucis fiſtulam, amphiconicam potiùs, prout hinc patet, quàm cylindraceam. Cujus magnitudinem quanquam materiæ primi Elementi fluxus augere potuit, ejus tamen formam non potuit mutare. Adeò ut certo certius ſit, ſi omnia facta fuiſſent motu merè Mechanico, formam Solis futuram fuiſſe fiſtularem. Manet igitur immotum; cùm tam infirma ſit allata Objectio, quòd Solis Stellarúmque figuræ ſphæricæ præclara nobis documenta ſunt incorporei alicujus Principii, cujus virtute nutúq; Materiæ partes reguntur.

SCHOLIA

In CAP. XVII. SECT. 1.

NEc ullum adeſt ſubterfugium quò quis ſe recipiat, non ſanè tametſi vitam aliquam ac voluntatem affingeret, &c. *Meritò igitur hoc quintum argumentum haberi poteſt, quo demonſtretur, fruſtrà materiæ ſenſum ac perceptionem à quibuſdam affingi, cùm nec ſic Naturæ Phænomena à Principii incorporei neceſſitate poſſint liberare. Vide Scholia in Sectionem ſeptimam Capitis decimi tertii.*

CAP. XVIII.

Undecima Demonſtratio, ab immenſa Globulorum Vorticis ſuperiorum celeritate Cometarúmque motu deducta.

1. *Immenſa differentia celeritatis inter motum quorundam globulorum & motum aliorum.*

1. ET certè quòd motu merè Mechanico Materiæ partes non cientur, ac præſertim juxta hanc præſentem *Carteſii* Hypotheſin, quæ omnes initio æqualiter motas fuiſſe ſtatuit, ex immenſa motuum ipſarum inæqualitate evidens eſſe videtur; quod eſt tertium hujus claſſis Argumentum. Cujus vim ut penitiùs perſpiciamus, in notam aliquam nobis Celeritatem mentem cogitationémque noſtram defigamus, putà in celeritatem motûs Telluris, quæ in circulo Æquinoctiali unius horæ beſſe 600 milliaria conficit, motu verò centri circa Solem ſpatium triplò majus percurrit, putà milliaria 1800; ac proinde totius anni ſpatio, hoc eſt, horæ beſſibus 13140, milliaria motu centri conficit 23652000.

Notemus jam rationem quam habet hæc annua Telluris orbita ad diſtantiam Fixarum, quam & ipſe *Carteſius* tantam eſſe agnoſcit, ut totus ille circulus qui à Terra deſcribitur circa Solem, ſi ad eam comparetur, adinſtar puncti ſit habendus. Eſt igitur hic circulus à Terra deſcriptus adinſtar puncti reſpectu circuli cujus ſemidiameter eſt diſtantia ab ipſo ad Fixas. Quod cùm ità ſit, conſequens eſt ut hic circulus à Terra deſcriptus ad circulum cujus ſemidiameter dimidio minor eſt diſtantiâ ab ipſa ad Fixas non majorem rationem habeat quàm habet unus horæ bes ad 13140 horæ beſſes, hoc eſt, Terræ orbita annua non majorem habet rationem ad extimam vorticis noſtri peripheriam quàm 1 ad 13140. Ac proinde ſi uno anno extimi vorticis globuli ſuos abſolverent circuitus, cùm tota Terræ annua orbita ſit Eclipticæ vorticis extimæ pars tantùm tredecies milleſima centeſima quadrageſima, unius horæ beſſe tot milliaria conficerent quot terra annuo ſuo circuitu.

Carteſius verò, *Part.* 3. *Artic.* 82. extimos vorticis globulos circulum ſuum abſolvere aſſerit intra paucas hebdomadas. Sed nos tres ſupponemus menſes, ſive anni quadrantem. Ergò unius horæ ſextante tot milliaria conficiunt globuli vorticis ſuperiores quot Terra ſuo circuitu annuo; celeritáſque globulorum ſuperiorum eorum celeritatem vincet qui in Terræ orbita inveniuntur 52560 vicibus. Atque ità ſanè res haberet, ſumendo tres menſes pro globulorum ſuperiorum circuitu. Quòd ſi, cum *Carteſio*, paucas hebdomadas, putà ſex, ſumamus, celeritas eorum erit duplò major, vincétque celeritatem inferiorum globulorum 105120 vicibus, globulíque ſuperiores ſic unius horæ unciâ ſive quinque minutis tantum percurrent ſpatium quantum Terra motu ſuo annuo.

2. *Quodque nullæ ſufficientes cauſæ ſint Mechanicæ, juxta Hypotheſin* Carteſianam, *hujus tam immenſæ differentiæ.*

2. Immenſa igitur hæc differentia celeritatis motûs globulorum in ſuperiori parte vorticis præ ea quæ invenitur in globulis circa Telluris orbitam mihi profectò videtur conſpicua repugnantia cum prima *Carteſii* Hypotheſi, quæ omnes partes materiæ & æquales eſſe initio ſtatuit, & æqualiter moveri: præſertim cùm nullæ ſufficientes cauſæ Mechanicæ excogitari poſſint quibus enormis hæc celeritatis motuum differentia poſſit effici. Cauſæ enim illæ quas profert *Carteſius*, utut poſſint demonſtrare alios globulos aliis celeriùs moveri, non poſſunt tamen demonſtrare immenſam hanc celeritatis differentiam quam in Natura deprehendimus. Quid enim ſi duo globi qui ſunt inter puncta A & B non poſſunt tranſire inter duo viciniora C & D niſi unus alterum præcedat, atque eo ipſo celeriùs eo altero moveatur? ideóne ſequitur ut vicibus 52560, vel, juxta *Carteſii* rationem, ut 105120 vicibus celeriùs moveatur hic altero? Idémque dicendum eſt de altero illius Argumento, quo aſſerit, quia omnes globuli primi

cœli totâ ſuâ vi recedere conantur à centro S, ſtatim atque aliquis ex ipſis celeriùs quàm vicini movetur, illum hoc ipſo, cùm majorem habeat vim, magìs à centro illo recedere, atque ità ſemper ſuperiores illos eſſe qui celeriùs moventur. Sed hoc iterum majorem tantummodo probat celeritatem, non 105120 vicibus majorem.



Fig. 40.

Et quod prius ſpectat Argumentum, non certè video quomodo illa anguſta viarum quæ globulos ſuperiores pertranſire fingit *Carteſius* ullam novam celeritatem impreſſura ſint ipſis illàc tranſeuntibus, ſed quòd datura ſint tantùm occaſionem dirigendi priſtinam celeritatem, eámque accommodandi viarum anguſtiis per quas tranſeunt. Nulla enim nova celeritas intelligi poteſt ipſis impreſſa niſi à ſequentibus globulis qui adhuc in latioribus ſpatiis vorticis verſantur, eóſque protrudunt ſolito fortiùs. Quam impreſſionem ipſi iterum perdent cùm in eiſdem latioribus ſpatiis verſabuntur, & præcedentes globulos per anguſta viarum viciſſim protrudent. Ità ut nihilo plus celeritatis ſit in ſuperioribus globulis quàm quod ſecum eò portant cùm à centro vorticis recedunt. Ut omittam quàm difficile ſit intellectu, quomodo illa anguſta viarum ſuperiores duntaxat globulos reſpiciant, & non omnes in eadem vorticis diametro ſitos.

Et quod poſterius attinet Argumentum, appello cujuſvis mentem ac judicium, quomodo vel fingi poſſit quòd globulus inter æquales ſuos verſatus, æqualitérque initio cum ipſis motus, mox temporis ſucceſſu 105120 vicibus celeriùs ipſis moveatur. Nulla vis Mechanica in tanta rerum Homogenia hoc unquam poteſt efficere.

3. *Ex immenſa celeritate ſuperiorum globulorum vorticis Principium aliquod in mundo incorporeum rectè colligi :*

3. Multóque minùs quòd tam rapidò motu moveantur ſuperiores globuli, ut unius horæ unciâ ſpacium Telluris Orbitæ æquale conficiant, viam vi ſibi etiam facientes per anguſtias vorticis, * nec tamen pauciſſimis ſeculis in minutias Elementi primi minutiſſimas ſe obterant & comminuant, ità ut pauxillo tempore ſenſibilia incrementa capiat Solaris corporis magnitudo; eóque magìs, quòd exilitas partium in Elemento primo facit ut multò ineptiores ſint ad communicandum ſuum motum aliis corporibus quàm ipſi globuli, qui multò illis ſolidiores ſunt, ac proinde ad imprimendum motum ſuum aliis, aliorúmq; motibus reſiſtendum, fortiores. Unde neceſſe eſt ut in immenſum indies creſcat materia ſubtiliſſima, quicquid contrà videatur ſtatuiſſe *Carteſius*.

Quòd igitur in tam immenſam molem excreviſſe eam non videamus, certiſſimum eſt indicium celerrimos hos in Natura motus non Mechanicè fieri, ſed ab alio aliquo Principio, eóque incorporeo, oriri, quod non violenter quóquam projicit Materiæ partes, * ſed eas manu quaſi geſtans, aut veluti è manu in manum tranſmittens, juxta varios celeritatis gradus eas tranſvehit, & in Mundo ſuaviter diſponit.

4. *Quemadmodum etiam ex incolumi trajectione Cometarum.*

4. Cujus rei & trajectio Cometatum (qualem olim hanc Terram noſtram fuiſſe ſupponit *Carteſius*) luculentum eſt Argumentum. Nam cùm Terra, dum erat Cometa, & ante lapſum ſuum in noſtrum Vorticem, iſtiuſmodi partibus conſtaret quales depinxit *Carteſius* in ſubjecto Schemate, (ubi Prima Regio, I, ex materia ſubtiliſſima, ſaltem maximam partem, conſiſtit; Media verò, M, tota occupatur à corpore valde opaco ac denſo, omníque ferro duriori ac ſolidiori; Tertia verò, B A, à variis tertii Elementi particulis ramoſis, plumeis ac ſolutis, & ſecundæ Regioni circumfuſis, ex quibus omnia corpora quæ hic circa nos reperiuntur tandem oriri ſtatuit:) notandum eſt, quòd tota illa tertia Regio non abſterſa erat rapidiſſimo illo motu quo, dum Cometa erat, ferebatur, planè contra Mechanicas leges factum fuiſſe. * Nam cùm ferrea illa ſolidáque Regio M multò aptior eſſet ad recipiendum retinendúmque celerrimum illum



Fig. 41.

illum ſuperiorum globulorum motum quàm Regio tertia A B, neceſſe erat ut Regio M longè proſiliret à Regione A B, eámque à tergo relinqueret, ut plumbum plumas & paleas eodem jactu è manu projectas; atque ità ut omnia Rudimenta Terrarum orbis, quatenus habitabilis eſt, abraderentur penitùs uſque ad Regionem ferream M, & in ætherea ſpatia diſſiparentur. Quod cùm factum non fuiſſe videamus, ſed & eam Regionem in Viventium procreationem atque uſum ſartam tectam fuiſſe conſervatam, & ſucceſſu temporis in glebam, aquam, arbores, cæteráque corpora utiliter converſam, argumentum certè evidentiſſimum eſt, motus Cometarum aliorúmque corporum, ipſorúmque particularum, tam cœleſtium quàm terreſtrium, non rudi ac Mechanico impetu rotari impellíve, ſed Diviniori aliquo Principio transferri. Atque hæc de Solis Stellarúmque figura ac magnitudine, & motu Cometarum. Reſtat ut de Lumine agamus. Sed nè nimiùm hoc præſens excurrat Caput, id ſubſequentis erit Argumentum.

SCHOLIA

In CAP. XVIII. SECT. 3.

NEc tamen pauciſſimis ſeculis in minutias Elementi primi minutiſſimas ſe obterant, *&c. Quod certè cùm manifeſtò eventurum eſſet, tametſi globuli hi ſenſu ac perceptione eſſent præditi, opportunè hìc monendum puto ſextum hinc ſuppetere poſſe argumentum, quo, licèt materia ſenſu ac conſilio pollere ſupponeretur, neceſſitas tamen incorporei Principii introducendi innoteſceret.*

Sed eas manu quaſi geſtans, aut veluti è manu in manum tranſmittens juxta varios celeritatis gradus, *&c. Quòd verò maxima cernatur globulorum celeritas in ſuperioribus Vorticum Regionibus, Legibus* Spiritui Naturæ, *quippe à ſapientiſſimo Deo, ipſi inſitis, apprimè eſt conſentaneum, ut maturè ſic proſpici poſſit tranſvectioni Cometarum in vortices idoneos, ubi Planetarum Terrarúmve officia obeant. Nam ſi nihilo celeriùs quàm globuli in orbita Terræ moverentur, ſemiſſi convexitatis vorticis percurrendæ annos ferè* 6570 *inſumerent; quantum igitur temporis inſumpturos Cometas putandum eſt, cùm non unius vorticis dorſo eis inequitandum ſit, ſed bene multis aliis poſt alios, donec ad deſignatum verticem pervenerint, adeò ut neceſſe eſſet non languere tantùm ſed conſeneſcere in medio itinere ac diſſolvi.*

Sect. 4. Nam cùm ferrea illa ſolidáque Regio M multò aptior eſſet ad recipiendum, *&c. Eſſètque ferè par ratio, quamvìs iſta Regio haud uſque adeò ferrea eſſet, aut ſaltem haud ità craſſa, ſed ſatìs mediocri potiùs craſſitie.*

CAP. XIX.

Demonſtratio duodecima, à Natura Luminis & Colorum.

1. *Obſcuritatem quæ invenitur in natura Luminis ac Colorum non tam ipſis quàm contemplantium imperitiæ imputandum eſſe.*

1. NUlli Mentis humanæ Objecto in univerſa Philoſophia plus noctis offunditur & tenebrarum quàm naturæ Lucis & Colorum. Quod tamen non tam ipſius Objecti obſcuritati, quàm contemplantium oſcitantiæ aut vecordiæ, ego imputandum eſſe cenſeo, doctrinæque forſan *Ariſtotelicæ* ſuper hac re perperàm intellectæ. Nam ex eo quòd *Ariſtoteles* Senſûs naturam talem eſſe definierit quæ ſit δεκτικὴ τῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης, i. e. *Formæ objectæ ſuſceptiva ſine Materia*, plerique certè *Ariſtotelici* iſtiuſmodi Formas immateriales quas *Species intentionales* vocant commenti ſunt, à ſingulis Objectis viſibilibus propagatas, & per medium undique diffuſas, naturâque tam planè ſpirituali imbutas, ut Subſtantiæ revera ſpirituales eſſe potiùs videantur, quàm tenuia quædam Accidentia à Subſtantiis corporeis profecta, ipſarúmque ſolarum viribus producta.

2. *Nullas dari Species intentionales ex eo, quòd revera Subſtantiæ quædam eſſent incorporeæ, ſi omnino eſſent;*

2. Subſtantias enim, primo in loco, potiùs quàm Accidentia referunt, propterea quòd in nullo inhærent Subjecto. Non in ipſo Objecto viſibili corporeo, cùm extra ipſum ſint, ab eóque fluant tanquam à Cauſa ſua emanativa, cujus non tam Accidentia ſunt quàm Effecta. Non in Medio quod occupant, putà in Aere, cùm ipſæ non moveantur ad motum Aeris, ſed ad Objecti ſolius à quo fluunt. Ergò Subſtantiæ quædam ſecundariæ ſunt à Subſtantiis ſuis primariis iiſque corporeis profectæ, &, quod om-

nium maximè abſurdum eſt, cùm ipſæ ſint incorporeæ. Nulla enim Subſtantia ſubſtantiam corpoream penetrare poteſt præter eam quæ eſt incorporea. Nec in eo ſolo incorporeæ Subſtantiæ ſpeciem induunt quòd Subſtantiam corpoream penetrant, ſed quòd operationes incorporeas planè imitantur, & in ſingulis ſui punctis aut unius integræ Ideæ, aut multarum, earúmque diverſarum, imò contrariarum Idearum, repræſentationes ſine omni mixtura aut confuſione clarè & diſtinctè exhibent, ità ut, ſi omnino eſſent, ut ſint revera ſubſtantiæ ſpirituales neceſſe ſit. Cùm verò ſubſtantia corporea incorpoream producere non poſſit, manifeſtum eſt quòd hæ *Species intentionales* non omnino exſiſtant; quandoquidem niſi eâ lege quâ incorporeæ ſint exſiſtere non poſſint, nec incorporeæ exſiſtentes reflecti.

3. *Et longitudinis in infinitum productæ.*

3. Quibus omnibus addas, ſi Materiæ partes ullas hujuſmodi haberent eſſentiales Eradiationes, quòd neceſſe eſſet ut haberent longitudine ferè infinitas, hoc eſt, ut quælibet *Monas phyſica* orbem ferè infinitum ſecundariæ ſubſtantiæ è ſe undique emitteret, non minorem utique quàm cujus ſemidiameter æqualis futura eſſet Radio luminis è Sole ex tota, quantacunque ſit, Mundi materia conflato emicantis. Nam niſi ſingularum *Monadum* orbes in eam diſtantiam extenderentur, etiam ſimul conjunctæ (in quantam libet molem) non poſſent in eam longitudinem extendi. Orbis illuminationis fortior duntaxat evaderet, non amplior. Quod manifeſtiſſimum eſt indicium Lumen non eſſe *Speciem intentionalem* Lucis, nec ullum hujuſmodi orbem intentionalem à Subjecto quoquam viſibili effluere. Quàm fœdè igitur hallucinati ſint Specierum intentionalium Inventores & Introductores ſatìs perſpeximus, eámq; caliginem ab Objectis viſibilibus abegimus. Pergamus jam ad eorum Opiniones diſcutiendas qui particulas ſolummodo corporeas, earúmq; motum Mechanicum, in *ſpecierum intentionalium* locum ſubſtituunt.

4. *Hypotheſeos* Carteſianæ *de Lumine ac Coloribus deſcriptio; breviſq; quantùm ad partem illius Mechanicam Defenſio ac Confirmatio.*

4. Quarum quidem Opinionum cùm quædam nimis craſſum & obtuſum ingenium prodant, aliæ verò judicium magìs caſtigatum atque cautum; prætermiſſis illis prioribus, ſecundum tantummodo genus attingemus, omniúmque in eo genere præſtantiſſimam, *Carteſianam* intelligo, qui Viſionem fieri ſtatuit non particulis ſubtilibus tanquam ſpiculis in oculum ab objecto immiſſis, multò minùs imagunculis ullis corporeis illuc tranſeuntibus; ſed perpetuâ duntaxat preſſurâ certarum particularum inter fundum Oculi & Objectum. Quæ quidem Mechanicarum Hypotheſium circa Phænomena Viſûs emendatio omni laude excipienda eſt. Totam igitur illius Hypotheſin quatenus huc ſpectat breviter delineabo, ut qui ſatìs ſum ſecurus, quòd ſi illius Hypotheſis Mechanica ſcopum non attingat, nulla omnino Hypotheſis Mechanica eum ſit unquam attactura.

Luminis igitur Phænomeno exhibendo ac Colorum, primò, potiſſimas partes defert *corpuſculis quibuſdam minutis quidem valde, ſed perfectè ſolidis ac rotundis, quos Globulos vel Sphærulas vocat.* Quos tametſi Mechanico illo modo formatos eſſe non credam quo ſtatuit *Carteſius*, nihil tamen diffido quin ſint exactè rotundi, primariáſq; partes obeant in excitando Luminis ac Colorum Phænomeno, ídque ob multas rationes.

Primò enim, Hæc figura aptior videtur Reflexionibus ac Reſulturis quales obſervantur in Lumine; ut eâ etiam lege Reſulturæ fiant, ut anguli incidentiæ ac reflexionis ſint æquales, eorúmq; porrò lineæ in eodem Plano conſtitutæ.

Secundò, Accommodatior eſt hæc Rotunditas poris ſive meatibus corporum pellucidorum, vitris, cryſtallis, & tunicis etiam humoribúſque oculorum Animalium; ut Globulorum ſubingreſſus ſit facilior ob ipſorum glabritiem omni anguloſitate deſtitutam.

Tertiò, Ex hac Globulorum figura fit ut portionem primi Elementi magìs mediocrem triangularibus ſuis intervallis cooperiant ac includant, unde motus in univerſa Natura moderatiores mitioréſque fiunt, & ad tranſmittendos per ſua media colores accommodatiores. Primi enim Elementi furor, niſi minueretur illius copia, tenuiores illas colorum apparentias facilè deleret & confunderet.

Quartò, Hi Globuli ſive Sphærulæ ob rotunditatem ſuam non adeò facilè coaleſcunt, cùm niſi puncto ferè ſe invicem non contingant.

Quintò, Linea horum Globulorum perpetuò contiguorum, cùm ſit ſolidiſſima omnium, eſt etiam ad mirificam illam celeritatem tranſmiſſionis luminis exhibendam maximè idonea. Nam moto uno globulo, cùm tam ſolidi ſint, (non ramoſi, ut particulæ aereæ, nec flexiles,) ut reliqui omnes in eadem ſerie ſtatim in eodem temporis momento commoveantur neceſſe eſt, ídque, quod ſummopere notandum eſt, tametſi eodem tempore ſuper propria centra rotentur: quæ multò impeditior res eſſet in aliarum figurarum particulis.

Sextò, Ipſa figuræ mobilitas valde videtur congrua naturæ Luminis, quæ res adeò mobilis eſt facilèque in Colores mutabilis, ut videre eſt in Iride aliiſque refractionibus.

Septimò & ultimò, Hæc figura maximè conſentanea eſt illi Colorum conſtantiæ quam obſervamus in corporibus coloratis dum in eodem ſitu ponuntur. Nam perfecta undique uniformitas ac ſimplicitas figuræ facit ut ab eadem ſuperficie ac in eodem ſitu eædem ſint etiam Reflexionis modificationes, quod in anguloſis figuris non tam facilè contingeret; imò verò videtur planè impoſſibile quin magna indè futura ſit Colorum inconſtantia. Hæc horúmque ſimilia Argumenta faciunt ut facilè mihi perſuadeam primum hoc *Carteſii* Fundamentum ſolidiſſimum eſſe.

Alterum eſt, *Senſum Luminis excitari in nobis hujuſmodi Globulorum in fundum oculi nixu vel preſſurâ.*

Tertium, *Colores nihil eſſe aliud niſi Reflexiones vel Refractiones Luminis: Quemadmodum patet in coloribus Priſmatis & Iridis.*

Quartum, *Differentiam Colorum oriri ex differentia rationum circularis motûs Globulorum ad eorundem rectilinearem.* Quam ſententiam perfecta ſimplicitas uniformitáſque figuræ Globulorum, quæ nullas alias motûs varietates admittit (quæ ad ſpecificationem Colorum videntur quicquam poſſe conferre,) facit valde probabilem. Nam major minórve preſſura non ſpecies Colorum mutat, ſed gradus.

Quintum, *Quicquid Rotationis acquiritur à Globulo ſive in reflexione ſive in refractione* (quæ eſt quædam reflexio) *fit, in eo quidem latere quod ſpectat motûs illius terminum à quo, versùs eum terminum, in altero verò, versùs terminum ad quem.*

Sextum, *Reflexionem in corporibus pellucidis parùm mutare Globulorum rotationem; Refractionem non item.*

Septimum, *In quam partem primus Globulus refracti Radii in ſuo ſubingreſſu in novum medium rotatur, in eandem reliqui omnes itidem rotantur qui conſtituunt eundem Radium.* Hujus Fundamenti veritas ex eo liquet, quòd primæ refractionis vis in Cryſtallo parallelepipedo deletur ſecundâ, prout ipſe notat *Carteſius*.

Octavum, *Pro quantitate refractionis Globulorum rotationem majorem eſſe; próque Globulorum rotatione, colorem ſpecificè fortiorem.*

Nonum & ultimum, *Colores rubeum & cæruleum, alterum è maxima ratione rotationis Globulorum ad motum illorum rectilinearem, alterum è minima, oriri.* Hujus Fundamenti veritas ſatìs videtur apparere è coloribus Priſmatis & Iridis. Nam, è Fundamentis ſeptimo & octavo, Color ad F in Experimento Priſmatis *Carteſiano* M N P rubeus erit, quemadmodum reperitur, & Color ad H cæruleus; quia Globuli jacentes in umbra proximè Radium D F augent rotationem Globulorum refracti Radii D F, ut & alteri qui ex altera parte proximè jacent, ob celeritatem ſuam majorem illâ quam habent Globuli D F. Verùm in E H planè contrà accidit. Etenim tam ii qui à latere luminoſo quàm ii qui à latere umbroſo proximè jacent rotationem minuunt globulorum E H. Unde E H Radius rationem circularis ad rectilinearem motum minimam habet omnium Radiorum inter D F & ſeipſum. Quæ igitur rationum differentia videtur cauſa differentiæ omnium intermediorum Colorum æquè ac extremorum. Neque enim aliud quicquam præter hoc concipi poteſt in Priſmate & Globulis quod has Colorum varietates producat. Et certè, ſi hìc licet ſagacitati ſenſûs aliquantulùm indulgere, ea videtur rubei coloris aſperitas quaſi & ferocitas, ut celerrimis refricationibus, quales rotatio Globuli gignere poſſit, originem ſuam potiùs videatur debere quàm directis preſſuris; adeò excitata atque ignea ad oculum eſt hæc Coloris ſpecies. Atque in ipſa Iride maxima refractio, quam Globulorum itidem ſequitur rotatio maxima, ſola, quod ſciam, cauſa eſt ejus rubei coloris.

Fig. 42.



5. *Objectionem ingenioſiſſimi Micrographi adversùs hanc Carteſii de Coloribus Hypotheſin propoſitio.*

5. Hæc ſunt Mechanica naturæ Luminis ac Colorum Fundamenta omnium quæ hactenus exſtiterunt aut in poſterum futura ſunt, ſiquid ego conjecturâ valeo, longè præſtantiſſima. Quæ quidem tametſi totum naturæ Luminis ac Colorum myſterium non exhauriant, altioríque aliquo Principio opus ſit ad globulos fabricandos, motúſq; ipſorum dirigendos; motus tamen ipſos ut plurimùm varietatis Colorum cauſas eſſe immediatas nihil dubito.

Nec multùm moror duas illas &, ut mihi videtur, præcipuas ingenioſiſſimi *Micrographi* Objectiones, quibus hoc Theorema *Carteſianum* de Globulorum rotatione funditus ſubvertere conatur. Quarum prior à tenuibus illis vitri, quod dicitur, *Muſcovitici* laminis deducitur, * quarum latera, quamvis parallela ſint, colores tamen ad oculum tranſmittunt refractione genitos, contrà ac ſtatuit *Carteſius*, qui primæ refractionis vim in Parallelepipedo pellucido ſecundâ ſolvi aſſerit, ut in ſeptimo Fundamento notavimus.

Poſterior petitur ab Iride, cujus colores ex rotatione Globulorum non fieri ſic demonſtrare conatur *Micrographus*; (ex eodem ſcilicet Principio quo prior Objectio nititur;) nempe, *Quòd in Cryſtallo parallelepipedo globulorum radii refracti rotatio quæ acquiritur in ſupera ſuperficie deperditur rurſus in infera.* Cùm igitur in Iride refractiones perinde ſe habeant propter intermediam reflexionem ac ſi abſque omni reflexione radius bis refractus fuiſſet duabus corporis pellucidi ſuperficiebus parallelis, & tamen colores manifeſtò appareant, manifeſtum etiam eſt quòd Rotatio globulorum non eſt cauſa varietatis Colorum, ſed quòd nova eorum ratio aliunde eſt accerſenda. Cæterùm quòd Refractiones in Iride, putà primariâ, ità ſe habent ac ſi factæ fuiſſent in duabus corporis pellucidi ſuperficiebus parallelis ſic probat. Eſto Gutta rotunda F K N F, Radiúſq; Solaris E F refractus ad F; & reflexus ad K refringatur iterum ad N, pergátque juxta rectam N P; & re-invertatur deniq; Radius K N P juxta lineam K H M. Quamobrem Tangentes Y Y, L I & O X, juncti cum rectis K F, K N, K H, æquales angulos facient. Unde manifeſtum eſt quòd Y Y & L I ſunt parallelæ. Ac proinde cùm angulus E F K æqualis ſit angulo K N P, (qui æquatur angulo K H M,) quòd perinde eſt ac ſi abſque illa intermedia reflexione ad K ſecunda refractio facta fuiſſet in linea vel ſuperficie L I, parallela primæ lineæ vel ſuperficiei Y Y. Unde Rotatio globulorum acquiſita in F deleretur iterum in N, cùm tamen colores Iridis indidem appareant.

Fig. 43.



6. Ad priorem reſpondeo, ipſum Objectionum Autorem ingenioſiſſimum colorum apparentias in ſuprà dictis laminis *Muſcoviticis* luminis reflexioni ab inferiori latere laminarum imputare. Quidni igitur fiant illi colores unâ reflexione ab inferiori laminarum latere, duplici verò refractione in ſuperiori, quarum altera rotationem globulorum non deſtruit, quamvis lamina ſit figura parallelepipeda? * Neque enim quævis ſecunda refractio delet priorem in Parallelepipedo pellucido, ſed quæ fiunt in oppoſitis lateribus. Ut v. g. in pellucido Parallelepipedo A, ubi Radius B C primò refringitur in D, deinde in F; Rotatióque acquiſita in D deperditur iterum in F. Nam cùm globuli in D ex Fundamento quinto rotationem acquirant ſecundùm ordinem literarum D B A D, rotatio ad F mutatur in ordinem literarum C F D C; quod rotationem priorem deſtruit. Verùm in Parallelepipedo pellucido B, ubi radius C D refringitur in E, & poſtea reflexus in D ſuam habet ſecundam refractionem in eadem ſuperficie quâ primam, nempe ad F, * ſecunda hæc refractio non eſt deletio prioris, ſed potiùs illius corroboratio. Nam quemadmodum ex Fundamento quinto rotatio globulorum Radii E D eſt ſecundùm ordinem literarum D E B D; ità eodem modo continuatur in F ex eodem Fundamento, globulis ibi gyrantibus ſecundùm ordinem literarum D F E D. * Sed de hac prima Objectione non eſt quòd ſimus adeò ſoliciti, cùm ſit in materia magis incerta ac inæquali, cujus interna contextura videatur globulorum motus variis modis poſſe mutare.

6. *Reſponſio ad priorem Micrographi Objectionem.*

Fig. 44.



Fig. 45.



7. Verùm

7. *Reſponſio ad poſteriorem.*

7. Verùm in materia illa idonea, gutta ſcilicet pluvia, ſi nullus Demonſtrationis ſcopo ſubſit error, actum eſt de Globulis *Carteſianis*. Sed videtur ingenioſus Demonſtrator non ſatis intellexiſſe ſcopum quò collineare debeat ipſius Demonſtratio. Neque enim ſatis erat probare (quod agnoſco eum feciſſe ſcitè & eleganter) refractiones in gutta pluvia ità fieri ut ſi in duobus pellucidi Parallelepipedi lateribus oppoſitis factæ eſſent; ſed oportebat præterea evinciſſe quòd eodem modo refringatur radius in utriſque locis quo in Parallelepipedo A refringitur, hoc eſt, ut radius B C, quamvìs obliquè, perpetuò tamen procurrat versùs eandem extremitatem tam in F quàm in D Parallelepipedi A, putà versùs extremitatem E. Nam in hoc caſu Rotatio ad D diſſolvitur iterum ad F, ut ſuprà dictum eſt. *Vide Fig. 45.* Sed Demonſtratio ingenioſi *Micrographi* huc non attingit, ſed probat tantummodo ſecundam refractionem in oppoſito latere fieri ad modum refractionis in Parallelepipedo C, ubi radius B N primò refringitur in D, & procurrens versùs extremitatem E, ibique inflexus, pergit poſtea versùs alteram extremitatem G, & refringitur in F. Quæ refractio non diluit rotationem prioris refractionis in D, quippe quòd tendentia radii ſit in partem oppoſitam. Nam ex Fundamento quinto rotatio globuli in D eſt ſecundùm ordinem literarum D B C D, & rurſus ad F ſecundùm ordinem literarum N F C N, hoc eſt, in eandem utrobique partem, adeò ut non diluatur, ſed potiùs corroboretur, rotatio prima ad D. Et conſimili planè modo ſe res habet in gutta pluvia N F K. Nam globulus ad F, ex Fundamento quinto, rotatur ſecundùm ordinem figurarum 1, 2, 3; & ad N itidem ſecundùm eundem ordinem, ex eodem Fundamento. Adeò ut doctrina *Carteſiana* de Globulis eorúmque Rotationibus nihil periclitetur ab hac Demonſtratione, quæ, quamvìs ſatìs elegans ſit & concinna, debitum tamen ſcopum non omnino attingit.


Fig. 46.


Fig. 47.

8. *Motus ac rotationes Globulorum non ſemper fieri modis purè Mechanicis.*

8. Fateor igitur in doctorum virorum ſcriptis mihi hactenus nihil occurriſſe quod Hypotheſin *Carteſianam* de Lumine & Coloribus funditus videtur ſubvertiſſe, ità ut figuras particularum & earundem rotationes tollat. * Veruntamen diſſimulandum non eſt, non pauca me meapte operâ excogitâſſe quibus pro perſuaſiſſimo habeo earum motus & rotationes modis purè Mechanicis ſemper fieri non poſſe. Quorum quædam breviter enumerare inſtituto noſtro maximè conſentaneum fore exiſtimo.

Primum igitur eſt, de continua rotatione globulorum radii in unam eandémq; partem. Quod tantum abeſt ut fiat Mechanicè, ut legibus purè Mechanicis planè contrarietur. Nam qui ſunt in eadem linea Globuli ſi omnino quidem poſſint per glabritiem ſuam tactûſque exilitatem movere ſe unus alterum per longam ſeriem, in unam tamen partem ut ſe unus alterum rotent planè videtur impoſſibile. Nam quid eventurum ſit in breviuſcula ſerie licet experiri; v. g. in A B C D E. Nam globulo A rotato ſecundùm figurarum ordinem 1, 2, 3, globulus B rotabitur ſecundùm figurarum ordinem 3, 2, 1, & globulus C rurſus ſecundùm ordinem 1, 2, 3; atq; ità à primo ad ultimum perpetuò erit rotationis globulorum alterna commutatio. Ità certè fieret, ſi motus eorum legibus purè Mechanicis regerentur. Verùm non ità fieri ex eo conſtat, quòd in pellucido Parallelepipedo refractio in prima ſuperficie ſemper diluitur in ſecunda, quemadmodum agnoſcit *Carteſius*. Quod neceſſariò ſupponit omnes globulos in eandem partem in quam primus in ſupera refractione ad D volvitur, uſque ad inferam refractionem in F rotari. Alterna enim illa rotatio non tam conſtantem ſortiretur effectum, cùm incertum ſit an globulorum radius, putà D F, in Parallelepipedo A in parem an imparem deſiturus ſit globulum ad F. Impares enim in F ſoli ſolvent ſuperam rotationem acquiſitam ad D; pares retinebunt, vel potiùs augebunt.


Fig. 48.


Fig. 44.

Secundò, Quamvìs concederemus globulos ſingularum linearum refractionis in eandem partem rotari, tamen, cùm primi etiam cunctarum linearum globuli in eandem partem rotentur,

iterum

Fig. 49.



iterum erit Mechanica Rotationum repugnantia. Nam A movebitur in ea parte quâ contingit B à 3 ad 1, B verò ab 1 ad 2; & ſic in totis lineis A D & B E. Ità B in ea parte quâ contingit C movebitur à 3 ad 1, C verò ab 1 ad 2; & ſic in totis lineis B E & C F. Adeò ut ſi hi globuli poſſint propter contiguitatem ſuam movere unus alterum in hujuſmodi ſitu, ſufflaminarent etiam eo ipſo mutuos motus & confunderent. Cæterùm quanquam in hoc ſitu (qui ut multò inuſitatior eſt, ità & inefficacior) lateralis preſſura globulorum rectè intelligi poſſit non tam fortiter agere ad excitandum in orbem ſuos vicinos, in illa tamen poſitione quâ occurrunt apud *Carteſium*, in Experimento Priſmatis, (quæ longè naturaliſſima eſt & uſitatiſſima,) Globuli T Q R S ità collocantur, ut Q neceſſariò concipiatur, cùm ſit motus celeriùs, id eſt, vergat urgentiùs versùs X quàm globulus V, non ſolùm tangere, ſed etiam fortiter premere latus globuli V, ac proinde eum rotare ſecundùm ordinem figurarum 2, 1, 4, propter ſuam rotationem ſecundùm ordinem figurarum 1, 2, 3, 4, 1; atque iſtoc modo ſufflaminare, non accelerare, rotationem globuli V ſecundùm ordinem figurarum 1, 2, 3, 4. Quod planè fit contra ſcopum *Carteſii*.

Fig. 50.



Supponamus tamen, tertiò, hanc preſſuram non rotaturam globulum V juxta ordinem figurarum 2, 1, 4; nec ſic abſolvetur ratio generationis coloris rubei in Priſmatis Experimento ad F. Hæc enim ratio *Carteſii* Mechanica vix pertingit ultra unam ſingularem globulorum lineam in ipſo confinio Umbræ & Lucis immediatè poſitam. Ut ſi, v. g. ſupponeremus Umbram terminari in A D, Lumen in C F, & B E inter utrumque proximè jacere, ſed in ea poſitione quâ V inter Q R & T S: certè B E iſtiuſmodi rotationis celeritatem acquireret qualem ipſi affingit *Carteſius*. Sed quid interim fiet de globulorum lineis ultra C F & citra A D jacentibus? Hæc ratio ad ipſas non pertinget, cùm tamen una ſingularis linea globulorum nullum colorem exhibere poſſit. Parùm igitur eſt quod vis Mechanica hìc ſuggerit, ſed Principium *Hylarchicum* omnia ferè ſupplet & perficit.

Vide Fig. 49.

Quartò, Cùm juxta *Carteſii* ſententiam color rubeus conſiſtat in maxima ratione circularis motûs globulorum ad eorum motum rectilineum, albus in æquali, cæruleus verò in minima, manifeſtum eſt è coloribus tam Iridis quàm Halonis quòd generatio colorum non eſt purè Mechanica. Nam in gutta pluvia rotunda A è qua colores Iridis emergunt radius Solaris incidens in B nullam patitur refractionem, ſed circularis & rectilineus globulorum motus inter ſe æquantur. Cæterùm quandoquidem Refractio auget rotationem ſupra motum rectilineum, niſi ejus vis alterâ refractione diluatur, omnes radii guttam intrantes inter B & C rotationes habebunt motum eorum rectilineum excedentes. Unde neceſſariò ſequitur quòd nulli colores præter rubeum, croceum & conſimiles apparere poſſunt ex refractionibus inter B & C. Sed apparent etiam cæruleus & viridis, ut ipſa teſtatur experientia. Quod igitur nullis legibus purè Mechanicis imputari poteſt, ſed Principio *Hylarchico*, quod certas quaſdam colorum ſequelas affectare videtur.

Fig. 51.



Quintò, Quod & ulteriori indicio pateſcit in Halone, putà, Solari, ubi Radius C F refractus in F facit ut globuli rotentur ſecundùm ordinem literarum D G F D in ſuperiori ſuperficie particularum glaciei pellucidarum. Quæ rotatio iterum augetur in refractione ſubter inferiorem ſuperficiem particularum, quæ fit itidem juxta eundem literarum ordinem. Quibus addas radium C F D Lucem etiam proximè jacere. Quæ omnia adeò augent rotationem globulorum in radio C F D, ut neceſſe ſit ut color rubeus in interiori Halonis parte F H, quemadmodum revera fit, appareat. At verò cùm radius A G D vel C I D eiſdem gaudeat refractionibus globuliſque in eandem partem rotatis, umbrâque proximè jacenti, quæ rotationis exceſſum ſupra motum rectilineum in radio GD vel ID promoveant, impoſſibile eſt quin, ſi leges Mechanicas ſpectemus, multò major ſit rotatio globulorum in radio GD vel ID quàm motus rectilineus, ac proinde ut exterior pars Halonis GI etiam rubea appareat, aut ſaltem crocea, cùm tamen ſit cærulea, prout notat *Carteſius*. Quod iterum horum colorum ſequelæ in Principio *Hylarchico* affectationi imputandum eſt, cùm legibus Mechanicis tam manifeſtò repugnet.

Fig. 52.



Sextò, Ut color rubeus ab Oculo Tauri & Orionis Humero, ut omnes Iridis colores à maculis Solis certis rotationis globulorum legibus & continuis ad oculos noſtros deferantur, videtur ſupra omnem vim Mechanicam poſitum eſſe, Figmentúmque eſſe raptu primi Mobilis (quo inferiores omnes Sphæras quantumvis glabras ſecum in ortum viginti quatuor horarum ſpacio defert) longè intolerabilius, cùm hi globuli æquè glabri ſint, nec niſi in puncto ſe invicem tangant. Si hæc igitur rotatio continuetur, per conſenſum fit, vi Principii *Hylarchici*. * Et ſi non continuetur, Viſio noſtra in Objectis adeò longinquis fit per conſenſum. Videtur enim incredibile quòd Rotatio globulorum in Objectis tam immenſùm diſtantibus totum intermedium ſpacium ad oculos uſque noſtros Mechanicè modificet. Nam comparatio illa quam adhibet *Carteſius*, de alta Cubulorum ſerie in unam partem magìs preſſorum quàm in alias, equidem eſt ineptiſſima, nec magìs quadrat præſenti difficultati quàm quadrata rotundis. Agnoſcit tamen interea, niſi iſtiuſmodi rotatio globulorum ad oculos noſtros derivetur, actum eſſe de perceptione colorum.

Septimò & ultimò, Quòd colores tam in Halone quàm in Iride in tænias faſciáſve rubro, flavo, viridi & cæruleo diſtinctè coloratas abeant, nec videantur tanquam una faſcia paulatim à rubro in cæruleum devergens, id etiam videtur ſupra vires motûs globulorum merè Mechanici collocatum. Nam colores pro gradibus refractionum gradatim, & non per ſaltum, juxta iſtas leges mutari oportet: Hoc certè magìs Mechanicum fuiſſet, illud verò quod uſu venire ſolet pulchrum magìs, magíſque in Mundi ornamentum.

9. *Quòd viſio Imaginis ponè Speculum vim omnium legum Mechanicarum excedit.*

9. Nec ſanè mirandum eſt Rotationis globulorum moderationem rudibus & ineptis Mechanicæ legibus non relinqui, cùm altius aliquod Principium in aliis Viſûs Phænomenis tam certò ſe intermiſcere deprehendatur. Ut in Imagine noſtra viſa ponè Speculum. Nam eodem planè intervallo eam ultra Speculum ſitam eſſe cernimus quo ipſa facies citra ſita eſt, ità ut duplo ſpatii à facie ad Speculum Imago à facie diſtet. Stupendum ſanè Phænomenon, & quod in nullas cauſas Mechanicas reſolvi poteſt! Etenim ex eo quòd altero tanto diſtet Imago à facie quàm facies à Speculo, * omnes agnoſcunt viſionem hanc fieri tam per lineam Incidentiæ quàm Reflexionis. * Cúmque conjunctæ unam curvam conſtituant, *Carteſius* tamen nos tanquam per unam rectam videre aſſerit propter conſuetudinem. Quæ mihi ſemper viſa eſt minùs ſolida hujus Problematis Solutio.

Sæpe verò animo meo obrepit iſtiuſmodi cogitatio, * quòd idem ferè hîc nobis accidit quod in picturis quibuſdam (quæ vulgò Perſpectivæ vocantur,) ubi videre videmur in una ſuperficie binas columnarum arborúmve ſeries in longum retro porrectas, aliarúmque rerum ſatis longinquos receſſus quaſi ultra picturæ ſuperficiem exſtantium, ad magna ſanè intervalla. Sed ab opinione hac rurſus me retrahit rei etiam alicujus ſingularis, cum nullo alio Objecto viſibili conjunctæ vel continuatæ, clarè ponè ſpeculum perceptæ diſtantiæ obſervatio. Quæ tamen Objectorum viſibilium continuatio in dictis picturis neceſſaria eſt; alioqui non apparebit ultra picturæ ſuperficiem ementita illa rerum illìc pictarum diſtantia.

* In videndo igitur Imaginem noſtram ponè Speculum duplex occurrit miraculum: Unum, quòd per totam lineam tam Incidentiæ quàm Reflexionis videmus, ſit interme-

dius Angulus quantumlibet acutus; ad ſpeciem putà Anguli A B C, multóque, ſi lubet, minor. In quibus circumſtantiis videtur quidem impoſſibile ut Oculus ad C ullo nixu purè Mechanico continuato ab A per B uſque ad C perſentiſcat Objectum quod eſt ad A. Alterum miraculum eſt, quòd, concedendo Oculum ad C perſentiſcere poſſe Objectum ad A, non tamen in A perſentiſcat ubi eſt juxta ductum lineæ curvæ C B A & ante ſpeculum, ſed ponè ſpeculum & ſecundùm lineam rectam ex A B & B C conflatam, putà A C.

Fig. 53.



* Nam proculdubio ad leges Mechanicas propiùs acceſſiſſet Objecti viſio facta aut in A ubi eſt, aut in B unde reflectitur, ut cuivis rem accuratiùs penſitanti facilè apparebit.

Jam verò cùm Animæ noſtræ eſſentia extra corporis cuticulam ſe non extendat, nec operationes Animæ extra Animæ eſſentiam, cùm ſint ipſius non niſi quidam modi, Anima non poteſt extrà poſitum quicquam ad ſe rapere, ſed recipere ſolummodo id quod ad eam quoquo modo extrinſecùs derivatur vel defertur. Cùm igitur, quantumvis in iſtiuſmodi Reflexionibus in quibus intermedius Angulus valde obtuſus eſt, ad inſtat anguli D E F, Oculus ad D nixu planè Mechanico versùs F haud ità imperitè cenſeri poſſit perſentiſcere Objectum ad F, quemadmodum etiam flexi bacilli nixu in arborem, ipſam manu ſentire poſſumus ad diſtantiam quam baculus occupat manum inter atque arborem; cùm tamen, inquam, in Reflexionibus quarum medius angulus A B C valde acutus eſt, quemadmodum jam vidimus, nihil hujuſmodi nixu Mechanico derivari poſſit ad Animæ ſenſum eóve deferri, & ſenſus nihilominus Objectorum etiam in illis circumſtantiis ad Animam deferatur; manifeſtum eſt quòd ſit aliud aliquod Principium in mundo præter Mechanicum, quod rerum externarum ſenſus ad Animam extrinſecùs defert.

Fig. 54.



10. Cujus rei veritas Experimento magìs obvio confirmari poteſt, quæ eſt Diſtantiæ ſimplicis perceptio; quæ certè ex ſe, omnibus Reflexionibus Refractionibúſque exuta, res ſatìs miranda eſt, & quæ omnes leges Mechanicas ſuperat. Nam quòd ad eas Rationes attinet quas profert *Carteſius*, ut ſunt Figuræ Oculi pro Objecti diſtantia mutatio, Comparatio angulorum cum oculorum intervallo ab ipſo lineiſq; ab oculis ad Objectum ductis factorum, (quam naturalem quandam viſûs Geometriam eſſe fingit) & ſimilia; præterquam quòd hæc naturalis noſtræ Geometriæ ratiocinia nobiſmetipſis ſatìs attentè animadvertentibus quomodo diſtantiam rerum deprehendamus, ſunt imperceptа ac incognita, nec ità introrſum oculos contorqueamus ut tam Objecti diſtantiam quàm ut ipſum ſimpliciter Objectum videamus; ipſe præterea *Carteſius* fatetur in Objectis aliquantùm remotis iſta nihil valere.

10. *Quemadmodum & Diſtantiæ ſimplicis perceptio;*

At verò nos Objecta longè diſtantia, eáque à nobis longè diſtare, cernimus, ſiqua noſtris oculis fides. Quod certè mirandum eſſet in Natura Phænomenon, ſi nihil in rerum natura præter corpus eſſet motúſque corporeos; nempe ut perceptio noſtra penetraret ultrà quàm tactus noſter penetrat.

Perſentimus equidem aliquo modo ſcipionis longitudinem dum humi eum imponimus, ipſique innitimur. Hoc verò ex eo fit, quòd cum corporis parte coextenditur à manu ad imos pedes humi demiſſus. Nec diffiteor quin homo cæcus duorum baculorum ope in extremis ſe invicem tangentium & in murum junctim innitentium muri à ſe diſtantiam deprehendere poſſit ex magnitudine anguli quem baculi faciunt in murum, ex obtuſo propiorem, remotiorémque ex acuto, ſe eſſe colligens. * Atque ad eundem modum, ſi cæci manibus nunc bini longiores baculi, nunc bini breviores imponerentur, eâ lege ut manûs eodem ſemper tenore à ſe invicem diſtent, ex angulo longiorum acuto, breviorúmque obtuſo, nunc remotiorem, nunc propiorem muro ſe eſſe facilè deprehenderet. Denique, ſi ſigillatim nunc breviori, nunc longiori baculo uteretur, ſed ità ut nixu ſingulorum contra murum angulos faceret demovendo huc illuc eam quæ in manu eſt baculi extremitatem, etiam hoc modo diſtantias ſuas à muro ſatìs commodè deprehenderet ille cæcus. Agnoſco hæc omnia, ſed interim audacter affirmo, quòd ſine aliquibus hujus generis adminiculis impoſſibile eſt ut quis quicquam percipiat ultrà quàm quò ipſius tactus pertingit, ſi ad vires Naturæ Mechanicas ſolùm recurramus: quódque eodem planè modo ſe res habebit in Viſûs Objectis atque in Tactûs, cui murus ſemipedalis latitudinis æquè craſſus apparet ac murus ſex pedes latus.

Verùm enimvero in Viſu manifeſtum eſt quòd uno oculo Objectorum diſtantias deprehendere poſſumus, ità ut duorum baculorum exemplum hîc nullum locum habere poſſit. Imò verò quòd diſtantias uno oculo cernimus ſine omni ſtationis mutatione, ità ut nè demotione quidem baculi hîc adjuvemur, aut re quaquam huic conſimili; nec denique nixu illo baculi, qui tamen ſolus nihil efficere poteſt. Nam præterquam quòd in Reflexione quâ Imaginem ponè Speculum videmus non eſt perpetuus ab Objecto in oculum nixus, quemadmodum ſuprà notavimus, novum hoc præterea Experimentum idem confirmat. Nempe quòd ſi nixus hic, οἷον διὰ βακτηρίας, perceptionis Objecti viſibilis cauſa eſſet, certè quoties Angulus incidentiæ valde acutus eſt, vel intermedius (quod idem eſt) valde obtuſus, ut in angulis C B A & A B D, ubi tota linea A B D ad rectam quàm proximè accedit, fieri non poſſet quin videremus Objectum A per hanc lineam D B A etiam proprio in loco ad A. Nam per baculum magìs incurvatum lapidem vel arborem, eámve lapidis vel arboris partem quam tangit baculus, in ſuis veris locis deprehendere poſſumus. Ut taceam de Sonis, qui nec internixu hoc Mechanico percipiuntur, quemadmodum patet ex eo, quòd unâ aure obturatâ ſonus in alteram etiam directò ab ipſo averſam influit, & tamen auditur tanquam veniens ab eo ipſo loco à quo auris averſa eſt.

Fig.55.



11. *Ut & perceptio Magnitudinis;*

11. Præterea, quemadmodum Diſtantia Objecti ad ſenſum noſtrum modis purè Mechanicis non derivatur, ità nec illius Magnitudo, quæ percipi non poſſet non perceptâ Diſtantiâ. Nam decuſſatus ille nixus ab extremis partibus Objecti, putà D C, Angulum faciens in oculo G K L, non ſufficit ad detegendum nobis veram Objecti magnitudinem, cùm eadem ſit decuſſatio ab Objectis admodum inæqualibus, * ut apparet in C D & E F, quæ, cùm inæqualia ſint, æquales tamen decuſſationes facere poſſint, alteram in oculo G K L, alteram in G H I. Cùm igitur nec pro amplitudine decuſſationis, nec pro Imaginis magnitudine in fundo Oculi depictæ, quemadmodum ipſe fatetur *Carteſius*, Objecta magna videantur; manifeſtum eſt quòd eorum magnitudo nullis modis Mechanicis nobis innoteſcit, ſed vitali illo Principio quod *Hylarchicum* appello, quod veram Objecti magnitudinem pro ratione diſtantiæ tantummodo variatam ad ſenſum noſtrum tranſmittit. Quod præſtat ex eo ſolo, quòd partes Objecti repræſentat in illis locis ubi revera ſunt. Quæ neceſſariò pro elongata diſtantia minùs minúſque à ſe invicem diſtare videbuntur, prout decuſſationis angulus pro ſingulis elongationibus erit contractior, donec in unam quaſi lineam tandem fiat coitio.

Fig.56.



12. *Ac Colorum denique ab uno Objecto venientium proximéque ſitorum ſincera diſtinctio, non ſolùm per foramen laminæ oculo admotæ tranſeuntium,*

12. Poſtremò, Quòd viſibilium Objectorum perceptio non ſit purè Mechanica, unum etiamnum ſupereſt, ídque luculentiſſimum, Argumentum, ex Colorum ſcilicet diſtinctorum, ſed præcisâ ac immediatâ vicinitate in eodem Subjecto conjunctorum, ſinceritate deductum. Quod per leges Mechanicas fieri, ſi illis ſolis niteretur Colorum Phænomenon, eſſet prorſus impoſſibile. Ut quando per exiguum foramen aciculæ cuſpidem latitudine non excedens in lamina ahenea pupillæ oculi admota ſatìs amplum Objectum contuemur diverſis variegatum coloribus. Nam ſi ad leges purè Mechanicas rem expendamus, cùm omnes globuli ab Objecto in pauciſſimos illos dicto foramine contentos agant, omnéſque fundi oculum inter & ipſam laminam ab iſtis paucis ſuas modificationes recipiant, tam promiſcuis oportet omnes modificationibus imbui, ut nullus ſincerus color in fundo oculi ſit appariturus. Quod tamen eſt contra experientiam.

Neque ſanè vis hujus Argumenti eludi poteſt dicendo, quòd per vices ordinatas agunt ab Objecto globuli in globulos foramine contentos; cùm id Mechanicè fieri non poſſit, ſed ab altiori aliquo Principio ordinatim ſuſpendente & renovante actionem globulorum: qui ſi Mechanicè agunt, tumultuariò agunt in foramen omnes ſimul, globulóſque eo contentos diverſis, imò contrariis, Modificationibus eodem tempore imbuunt; unde ſinceritas Colorum in fundo oculi pereat neceſſe eſt, imò verò in quibuſdam circumſtantiis ut ipſi Colores perimantur.

Ut in Circulo putà rubro vel albò, cujus diameter centies major ſit diametro nigræ maculæ rotundæ in eodem circulo poſitæ. Etenim cùm circulus albus vel rubeus decies millies major ſit nigrâ maculâ in eo poſitâ, in hac continua & tumultuaria actione & preſſione totius circuli rubri cum macula nigra in pauculos illos globulos laminæ aheneæ foramine contentos impoſſibile eſt quin modificatio illa globulorum quæ nigrum referat prorſus diluatur : cùm tamen nigra macula eò conſpectior ſit quòd in hoc albo rubeóve circulo collocetur.

13. *Sed etiam per nudam oculi pupillam.*

13. Cæterùm non veremur cauſam noſtram committere etiam nudæ Pupillæ Experimento & Objecti duorum contrariorum colorum æquale ſpatium in eo occupantium: putà Objecti V Y; cujus pars V X tota cærulea ſit, X Y rubea, qui ſunt colores maximè contrarii. Sit verò Oculus B D R S T, Pupilla oculi B D F F, Humor cryſtallinus L, Radius extremus partis Objecti cæruleæ V F R F V, extremus rubeæ Y F T F Y, intimus utriuſque X F S F X, juxta utique rationem radiorum ab uno puncto in Objecto in aliud punctum in oculi fundo convergentium à *Carteſio* in Dioptrice deſcriptam, quæ mihi veriſſima videtur. Manifeſtum igitur eſt quòd globuli omnes in pupilla F F duobus maximè contrariis modificationibus imbuuntur, cæruleâ nempe ab V, & rubeâ ab Y; ità ut ipſis imprimatur & maxima & minima Rotationis ratio ſimul, útque Radius cæruleus ab V tranſeat per globulos rubeos F G F H F, vel rubeus ab Y per cæruleos F G F H F; ità ut impoſſibile ſit ut color ad R ſit ſincerè cæruleus, aut ad T ſincerè rubeus, multóque minùs in S, cùm nullus omnino ibi inveniatur ſubterfugio locus, propterea quòd non eſt ea obliquitas actionis radiorum in ſe invicem in qua forſan quiſpiam latebras ſibi quærat, ſed eódem ferè directò Radii utrimque proximi radio X globulos (cærulei rubeos, & rubei cæruleos) per integros ferè radios uſque ad puncta S utrinque proxima premunt. Unde in ipſo confinio duarum partium Objecti V X & Y X nulla apparebit rubei & cærulei diſtinctio; ſed poſt aliquod utrinque intervallum versùs V & Y color ille confuſus, aut ſaltem nec cæruleus nec rubeus : in X, paulatim ab hac parte ad cæruleum, ab illa ad rubeum verget. Cùm tamen in ipſo illo utrorumque confinio X immediata ſit ipſorum & præciſa ad viſum diſcriminatio, eóque magìs vivida quò conjuncti ſunt magìs. Quod inexpugnabile Argumentum eſt colorum generationem ex cauſis merè Mechanicis fieri non poſſe.



Fig. 57.

Quæ quidem Demonſtratio non eſt (ut neque ex præcedentibus pleræque) reſtringenda ad Globulos *Carteſianos*, * ſed ad omnes omnino Solutiones merè Mechanicas extendenda, utpote quæ mutuâ motuum mixturâ (cujuſcunque figuræ particulæ fuerint) in F G F H F etiam in extremis Objecti radiis ſinceritatem Colorum, in mediis ipſam diſtinctionem tollent.

14. *Quæ ſit vera illius natura quod* Ariſtoteles τὸ εἶδος ἄνευ τῆς ὕλης, *Scholæ* Speciem Intentionalem *appellitant.*

14. Quamobrem ut ex prolixis his ac laborioſis ratiocinationibus condignum aliquem fructum tandem decerpamus, equidem præter communem illum & principalem, demonſtrationem ſcilicet exſiſtentiæ Rerum incorporearum, videre mihi videor alterum ſatìs pulchrum nec vulgarem ori quaſi noſtro imminentem, & ſpontè ſe offerentem decerptoris manui. Eſtque illius quod *Ariſtoteles* τὸ εἶδος ἄνευ τῆς ὕλης, Scholæ *Speciem intentionalem* vocant, accuratior ac perfectior notitia. Nam ſatìs notum eſt quàm incorporeas ac planè ſpirituales proprietates hiſce *Speciebus intentionalibus* Scholæ attribuunt, dum eas in ſingulis ſui punctis totum Objectum viſibile cum omnibus ſuis coloribus, quantumlibèt contrariis, & ſine omni mixtura ac confuſione repræſentare agnoſcunt. Quod modis ullis Mechanicis meréque corporeis fieri neutiquam poſſe abunde demonſtravimus; quemadmodum & *Species* illas *intentionales* à Materia radiantes pura puta eſſe figmenta : nec tamen radios Lucis ac Colorum ex Principiis omnimodè incorporeis oriri propter eorum Refractiones ac Reflexiones, quæ naturam aliqualiter corpoream planè ſapiunt.

Unde planè conficitur haſce *Species intentionales* pendere quidem aliquo modo à materia quadam ſubtili tanquam ipſarum vehiculo, in immateriali verò aliqua ſubſtantia immediatè ſubjectari, illiúſque proprium eſſe πάθος ſive *affectum*, ut Senſatio Animæ, cujus pars perceptiva in Capite mediantibus ſpiritibus Pedis puncturam ſentit. Neque aliter ſanè *ſpecies* eſſe poſſunt vel *imagines* earum rerum quas repræſentant, quàm eſt affectio illa quæ in plaſtica Animæ parte intercurrit inter puncturam pedis & ſenſum communem. Quæ quantam gerat ſimilitudinem cum ipſâ pedis punctura, cùm nullus dolor punctorius præterquam in ea pedis parte quæ pungitur ſentiatur, quivis ex ſenſu ſecum æſtimet. Idémque obſervare licet in *mundano ſpiritu* quod in *ſpiritu* noſtro *plaſtico.* Nam *ſpecies* hæ quæ vocantur *intentionales* nullam partem Medii ſuâ ſimilitudine inficiunt, unámque ſtellam minimam ac ſolitariam clarè videre poſſumus in profundiſſima noctis caligine, modò nullæ nebulæ interveniant. Debitum igitur medium ritéque præparatum tantùm requiritur, (quo promoveatur Mundani Spiritûs actio & corroboretur,) non diſtinctâ rei Imagine perpetuò modificatum.

Nec ideo celeriùs videmus quàm audimus quia corporeæ aliquæ modificationes, putà motus quidam, per globulos celeriùs deferuntur quàm per aereas particulas flexiles & ramoſas, ſed quòd actio *Mundani Spiritûs* pro celeritate motûs vehiculi celerior eſt vel tardior ; ut & Cogitationes noſtræ pro ſubtilitate & agilitate ſpirituum celeriores ſunt vel tardiores. Cogitationes tamen illæ non ſunt in ſpiritibus, ſed in ipſa Anima. Ità & εἶδος ἄνευ τῆς ὕλης, ſive *Species intentionalis*, non eſt in *materia Globulorum*, ſed in *Mundano Spiritu*, quam tumultuaria & promiſcua globulorum Rotatio neſcit conturbare, ſi ad pupillam uſque derivetur. Ego verò ſuſpicor Rotationes haſce non multùm citra Objectum viſibile protendi, ſed per communem *Spiritûs Mundani* Magiam in Objectis aptis atque idoneis, & ab ipſa Natura ad hoc deſignatis, denuo generari. Ut nemo miretur Oculi Tauri rubedinem à Speculo in fundum oculi noſtri reflecti, cùm tamen interim nec oculum Tauri inter & ſpeculum, nec inter ſpeculum noſtríque oculi fundum, ulla ſit hujus Rubedinis perpetuatio, ſed res eodem planè modo ſe habeat ac in pedis punctione, ubi dolor punctorius in pede ſentitur, cùm totum tamen ſpacium inter pedem & caput omni dolore ſit vacuum.

15. *Præcedentis Explicationis ex* Plotini *teſtimonio confirmatio.*

15. Ad quem ſenſum egregiè philoſophatur præſtantiſſimus ille Platonicus, *Plotinus*, *Ennead.* 4. *lib.* 5. ubi noſtram Objectorum diſtantium perceptionem εἰς τὸ συμπαθὲς διὰ τὴν ἑνὸς ζώου φύσιν, *in conſenſum ob unius Animalis naturam*, reſolvit. Nihílque aliud requirit præter debitum inter Objecta Organúmque, Visûs vel Auditûs, medium. Hoc autem requirit, propterea quòd alioquin ἡ συμπάθεια τοῦ ζώου ἀναιρῆται ἂν πρὸς αὐτὰ καὶ ἡ πρὸς ἄλληλα τῶν μερῶν τῷ ἓν εἶναι, *Conſenſus magni hujus Animalis*, (Mundum intelligit) *qui ex eo ortus eſt quòd Unum ſit, & ad Objecta & partium ad ſe invicem perimeretur.* Τούτῳ γὰρ ἔοικε καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ὁπωσοῦν εἶναι, ὅτι συμπαθὲς τὸ ζῶον τόδε τὸ πᾶν ἑαυτῷ, *In hoc enim videtur natura ſensûs utcunque conſiſtere, quòd Mundus hic, ſive Univerſum, Animal ſit miros in ſe ad longinqua intervalla excitans conſenſus.* Et quamvìs paulò pòſt affirmet quòd in ſingulis Aeris partibus tota Objecti Imago inſit ; ſtatim tamen ſe corrigit, & ad priorem ſenſum hanc ſuam ſententiam explicat, dum ſubjungit, Τοῦτο δὲ οὐ κατὰ σωματικὸν πάθημα, ἀλλὰ κατὰ μείζους καὶ ψυχικὰς καὶ ζώου ἑνὸς συμπαθοῦς ἀνάγκας, *Quod tamen fit non ſecundùm corporeum aliquem affectum, ſed ſecundùm præſtantiores & animales Unius Viventis & ad longa intervalla ſibi compatientis neceſſitates.* Sic *Plotinus.* Cujus ſententia ad hanc noſtram quàm proximè accedit, nihilóque ferè differt, niſi quòd ille *Animam* quandam *Mundanam* expreſsè indigitare videatur, nos in præſens nihil præter *Principium* quoddam *Hylarchicum Spiritúm*ve *Mundanum* in genere detegere ſatagamus. In quo tamen agnoſcimus omnes illas Sympathias vitæque conſenſus fundari, & abſque quo Lucis Colorúmque Phænomena aut nulla, aut valde languida & emortua, & ad nullas ferè diſtantias deprehenſibilia, fore ariolamur.

SCHOLIA

In CAP. XIX. SECT. 5.

Quarum latera, quamvìs parallela ſint, colores tamen ad oculum tranſmittunt refractione genitos, contrà ac ſtatuit *Carteſius*, qui primæ Refractionis vim in Parallelepipedo pellucido ſecundâ ſolvi aſſerit, *&c. Ad hæc quæ hìc à me ſcripta ſunt & in* *in duabus proximè ſequentibus Sectionibus, ingenioſus* Micrographus *cùm ità reſpondeat, in ſua* Lampade, *ut ſubinde mihi ignorantiam exprobret, & argumentorum ſuorum & ipſarum legum* Reflexionis & Refractionis *ſecundùm Optica Principia* Carteſii; *operæ pretium eſſe duxi in ipſo limine còntroverſiæ aut ſcientiam meam aut inſcitiam paulo uberiùs patefacere, poſtquam monuero, me valdè demirari eum tale inſomnium præfixiſſe Reſponſioni, quaſi ego ex confutatione ſuæ explicationis colorum,* Hylarchicum *meum Principium ſtabilire conatus ſim, canerémque Triumphum ante victoriam, cùm ipſe profectò heîc explicationi iſti nè bellum quidem indixiſſem, quippe cui non vacat quamlibet Hypotheſin, ſed optimam quamq; maximéq; probabilem convellere, ut indè majori cum compendio ſententia feratur de reliquis. Talem verò exiſtimavi & etiamnum exiſtimo* Carteſianam *de coloribus Hypotheſin, quam duobus* Micrographi *argumentis, quæ hîc commemoro, minimè labefactatam cenſeo. Quod, ſpero me effecturum, ut ipſe* Micrographus *tandem agniturus ſit, poſtquam doctrinam* Carteſii *de Refractionibus cujus me ità ignarum fingit, paululum aperuero. Quam tamen ante annos plus viginti adeò penitùs intellexi, ut certè rationem illam Refractionis in* Dioptrice Carteſii *prorſus imaginariam eſſe detexerim, ut videre eſt in quarta mea Epiſtola ad ipſum ſcripta. Cauſa verò purè Mechanica ſi ulla ſit harum Refractionum, iſta eſt quam illîc inſinuo.*

In Refractione *nempe à perpendiculo cauſa referenda eſt ad robur & magnitudinem Anguli putà C B D & ad debilitatem minoris Anguli E B D, cujus acies ob exilitatem ſuam & materiæ fluiditatem faciliùs cedit pilæ projectæ ab A, quàm obtuſus angulus C B D; atque ità in Refractione versùs perpendiculum cùm acies anguli E B D adeò dura ſit & pervicax ut nihil cedat radius in ſuperficiem putà vitri C B E cadens & in conſtipam impingens & inclinantem anguli aciem nonnihil avertitur ab incepto curſu & introrſum perpendiculum versùs abigitur H G, ità ut in recta pergat B K. Vide Epiſtolam meam quartam ad* Carteſium *in* Dioptric. Cap. 2. Artic. 4. & 6. *Atque hoc de ratione Mechanica diverſionis motûs globulorum progreſſivi primum* Lemma *eſto.*



Alterum eſt de Rotatione, *quod quintum Fundamentum conſtituit, nempe dum in ipſo ſubingreſſu ex Aere in vitrum aquámve, in aciem anguli obliquè impingit, eo quidem latere quo impingit rotari ſtatim versùs terminum à quo motûs ſui, in altero verò latere versùs terminum ad quem. Eadémque Lex eſt quando obliquè exit è vitro putà in Aerem. Nam in eo latere ubi fit in angulum Aeris obtuſum impactio, & quaſi impeditio, rotatio itidem fit in terminum à quo, in altero latere in terminum ad quem. Quod* Micrographi *memoriæ & imaginationi firmiter infixum volo.*

Tertium & ultimum eſt, ſuppoſito, quòd eadem ſit in Parallelepipedo pellucido globulorum rotatio *à ſubingreſſu obliquo ex Aere in vitrum ad egreſſum è vitro obliquum, in aerem iterum, idem eventurum eſſe quod aſſerit* Carteſius *in Meteoris* cap. 8. *Prioris utique refractionis vim ſecundâ ſolutum iri. Vt videre eſt in Parallelepipedo A, ubi globulus obliquè impingens in aciem anguli D rotatur in latere impingente versùs terminum à quo motûs, in adverſo latere versùs terminum ad quem juxta Lemma ſecundum, hoc eſt, rotatur juxta ordinem literarum D B A D. Globulus verò egrediens è Parallelepipedo obliquè in Aerem ad F in latere impingente in obtuſum angulum ad F rotatur versùs terminum à quo, in altero verò latere versùs terminum ad quem juxta idem Lemma, hoc eſt, rotatur juxta ordinem literarum C F D C, qui ordo planè contrarius eſt priori. Vnde minimè mirum eſt, in ſuperiori ſuperficie, ſi qua peculiaris acquiritur Refractionis vis & propagatur, in inferiori rurſus dilui, quod vult* Carteſius.

Vide Fig. 44.

His præmiſſis, pergamus ad examinationem Reſponſionis viri eruditi, quâ ſuas Objectiones contra Hypotheſin Carteſianam *velit defendere.*

Sect. 6. Neque enim quævis ſecunda Refractio delet priorem in Parallelepipedo pellucido ſed quæ fiunt in oppoſitis lateribus : *& paulò pòſt*, Secunda hæc Refractio non eſt deletio prioris ſed potiùs illius corroboratio. *Ad hæc reſpondet* Micrographus. Hæc præfidenter aſſerit, [1] ſed nullam rationem producit pro ſua aſſertione. Nec poteſt quidem cùm planè principiis [2] *Carteſianis* contrarietur, [3] omnibúſq; Phænomenis iſtiuſmodi corporum Parallelepipedorum, donec ad certum tenuitatis gradum perventum ſit. Nam ſi illius affirmatio vera eſſet, tunc omnes Reflectiones à Mercurio ſpeculis ſubdito præſertim aliquantum obliquæ, effecturæ eſſent ut Objectum diffundatur & coloratum evadat eo planè modo quo objecta quæ per priſmata aſpectantur. Hoc verò contrariatur tum experientiæ tum legibus Reflexionis. Nam Refractiones 4 in parallelepipedo B eædem ſunt cum Refractionibus in Parallelepipedo A, cùm Reflexio ad D efficiat ut radius refringatur ad F eodem planè modo ac ſi refringeretur ad G (*in* Micrographi *Schemate mox apponendo*) in lineam G H, Parallelepipedúmque duplo craſſius eſſet : & ex conſequenti color generatus in E neceſſariò 5 deſtruitur in F, ac proinde nullos producit colores, quemadmodum reverà uſuvenire videmus in laminis juſto craſſioribus, *&c. Hæc eſt Reſponſio* Micrographi, *ubi quædam ſolida ſunt, alia ſecùs. Examinabimus ſingula.*

Neque enim verum eſt me 1 *nullam pro aſſertione mea rationem attuliſſe, ſed ipſum præ nimia oſcitantia non animadvertiſſe aut ſaltem diſſimulâſſe. Nam ſi altiùs rem repetiiſſet, obſervare potuit quod hîc aſſero, ex Fundamento quinto ſextóque facilè poſſe confirmari, & adhuc planiùs fortean ex ſecundo tertióque Lemmate quæ illius gratiâ hîc præfixi. Quæ proculdubio hîc locum habitura eſſent ſi ratio horum Phænomenôn omnino eſſet Mechanica. Miror verò eum dum audio aſſerentem* 2 Carteſianis *principiis contrariari, cùm & ex præfixis Lemmatis & ex Fundamento ſeptimo adeò cum ipſis conſentire manifeſtum ſit. Experimentum verò de Reflexionibus à* 3 *Mercurio Speculorum dorſis ſubdito & id genus aliis ſolidum eſſe poſſe agnoſco, ipſúmq; proinde mirum in modum hallucinatum eſſe qui hiſce neglectis quæ magis obvia erant, & ad* Carteſianam *doctrinam de Globulorum rotationibus ſubvertendam accommodatiora, ad laminas iſtas* Muſcoviticas *ſe recepit, quæ cum lege Rotationis Globulorum in Fundamento ſeptimo indicata, & Lemmatis his poſitis ulteriùs confirmata & illuſtrata, apprimè conveniunt. Non nego iſta experimenta ſatìs idonea futura fuiſſe argumenta contra Hypotheſin* Carteſianam, *ſed iſtud à laminis* Muſcoviticis *ductum. Refractiones verò* 4 *in * Parallelepipedo B eaſdem eſſe quæ in parallelepipedo A, radiúmve refringi in F eodem planè modo ac ſi refringeretur ad G in lineam G H, prorſus nego. Quod cùm tam ſtrenuè tamen affirmet* Micrographus, *ex ſuo ipſius ſchemate falſum eſſe clarè demonſtrabo.*

* *Vid. Fig.* 44, & 45.

Demonſtrabo nempe Radium E D F non refringi ad F eodem planè modo ac ſi refringeretur ad G. Nam per Lemma ſecundum ſive Fundamentum quintum globulus ad E rotatur ſecundùm ordinem figurarum 1, 2, 3. *ob impactionem in aciem anguli acuti ſub ingreſſum Parallelepipedi B, in egreſſu verò in Aerem ad G rotatur ſecundùm ordinem Figurarum* 3, 2, 1. *propter impactionem in Angulum obtuſum ad G. In eo enim latere rotatur versùs terminum à quo, in altero versùs terminum ad quem motûs globuli progreſſivi. At verò in egreſſu in Aerem ad F propter impactionem in Angulum obtuſum & rotationem in eo latere versùs terminum à quo, rotatur ſecundùm ordinem figurarum* 1, 2, 3. *quemadmodum fit in Globulo ad E. Unde meridianâ luce clarius eſt radium E D F non refringi ad F eodem planè modo ac ſi refringeretur ad G, ſed modo planè contrario, quantùm ad rotationem globulorum & ex conſequenti generationem colorum. Neque enim æqualitas anguli ſufficit, ſed in eandem partem, globulorum requiritur rotatio ut æſtimetur eodem modo facta refractio. Quod videtur vir acutus non ſatìs animadvertiſſe. Ex quo planè ſequitur colorem generatum in E non deſtrui ſive aboleri in F, ſed potiùs renovari. Quemadmodum fit in tenuioribus Laminis* Muſcoviticis. *Quòd verò ità non fiat in* 5 *ſpeculis, argumento eſt hæc Phænomena Mechanicè ſemper non fieri ſed à Diviniori Principio : ipſúmq;* Micrographum *appello an non melius ſit ut ità fiat in Speculis, quàm ut Speculum coloribus inficeretur & macularetur. Hoc igitur ad* Ariſtotelis τὸ βέλτιστον & τὸ οὗ ἕνεκα *referendum cenſeo. Cæterùm interim manifeſtum eſt* Micrographum *nimis quàm miſerè errâſſe in eligendo laminas haſce* Muſcoviticas *(quæ poſt duplicem refractionem in eadem ſuperficie colores reddant) ad Hypotheſin* Carteſianam *refutandam, quippe quum eandem potiùs confirment. Meáq; Reſponſa ad objectiones illius adversùs* Carteſium *jam formatas facta ſunt, non contra eas quas poſtea excogitaturus eſſet & allaturus.*



Sed de prima hac Objectione non eſt quòd ſimus adeò ſoliciti, cùm ſit in materia magìs incerta ac inæquali, cujus interna contextura videatur, *&c. Micrographus heîc contendit eandem eſſe contexturam omnium pellucidorum, quaſi cornea pelluciditas & vitrea ex conſimilis Texturæ corporibus oriretur, quod manifeſtò falſum eſt. Vitrúmq;* Muſcoviticum *ab aliis vitris multùm differre ex eo patet, quòd Colliquabilitas,*

tas, ductilitas & friabilitas his competat, vitrum verò Muſcoviticum *fiſſile ſit atque combuſtile, nec tam ſincerum nitidúmque corpus quàm alia ſint vitra. Non temerè igitur hoc à me additum eſt, quanquam non diffiteor quin omitti potuerit, quippe quum Laminarum* Muſcoviticarum, *quatenus colores reddant ex duplici refractione in eadem ſuperficie, ad confutandam Hypotheſin* Carteſianam, *ſatìs antea demonſtrata eſſet ineptitudo. Hîc tantùm obiter moneo, ſi in minùs ſincera hac vitri* Muſcovitici *contextura obſervatum ſit, colores, ob craſſitiem laminæ, non apparere, nempe quando lamina juſto craſſior eſt, fieri id quidem poſſe ex iſta inordinatiori compage hujuſce corporis, quæ tam tenues & delicatas motûs modificationes paululum confundit delétve, nè quis heîc* Spiritum Naturæ *neceſſariò ſe immiſcere exiſtimet.*

Sect. 7. Sed videtur ingenioſus demonſtrator non ſatìs intellexiſſe ſcopum quò collineare debeat ipſius demonſtratio, *&c. Hoc dictum admodum inclementer fert* Robertus Micrographus, *quanquam quæ ſequuntur veriſſimum eſſe demonſtrant. Reſpondet igitur ſagaciſſimus* Hookius, ſe ex ſtudio conatúq; meo refutandi ejus demonſtrationem percipere, me nec eam nec leges Reflexionis & Refractionis juxta *Carteſianam* Hypotheſin, intelligere. *Quod quàm candidè veréq; dictum ſit ex tribus meis Lemmatis quivis judicet. Cætera quæ ad hanc noſtram confutationem reſpondet verbatim tranſcribere operæ pretium non duxi. Summam verò rei in medium proferam, quæ partim vera eſt partim falſa. Nullatenus verò tollit reſponſum meum ad poſteriorem hanc ejus Objectionem contra* Carteſium. *Quæ enim affert hæc ferè ſunt; Primò, me contraire Principiis* Carteſii *Dioptricis. Deinde ſi vera ſunt quæ in hac ſectione dico, ſpecula Objecta redditura eſſe colorata. Deniq; rationem à me expoſcit cur in ſpeculis putà, cùm duæ ſint Refractiones in eadem ſuperficie, globuliq; rotentur tum in ingreſſu tum in egreſſu in eandem partem, nulli generentur colores.*

Ad quorum primum reſpondeo, Quæ ego hîc depromo optimè cum Principiis Carteſii *Dioptricis convenire, qui primæ Refractionis vim in Cryſtallo Parallelepipedo ſecundâ deleri aſſerit, ut in Parallelepipedo A Rotatio globuli in D in unam partem, retorquetur in F, in alteram, itáq; deletur. Vnde colligo, ſecundùm mentem* Carteſii, *omnes globulos inter D & F in unam partem rotari. An non hoc ſatìs conſentaneum eſt Principiis* Carteſianis? Micrographus *verò omnem omnino globulorum rotationem tollere vult per ſecundam illam ſuam Objectionem ſectione quintâ propoſitam. Nam ſi colores generentur per globulorum rotationem cerni nequirent, ait ille, in N, cùm Rotatio priùs facta in F illîc deleretur, quippe quòd Refractio illîc fit ac ſi fieret in H. Sed enimvero longè aliter ſe res habet. Quamvìs enim Anguli O N P & I H M æquales ſint, Refractio tamen non eſt eadem, cùm Rotatio ſit in partes contrarias. Nam Rotatio in F & H fit ut in ſuperiore & inferiore ſuperficie Cryſtalli parallelepipedi, hoc eſt, in partes contrarias, ſecundùm* Carteſium. *E contrà Rotatio in F & N fit in eandem partem. Nam globulus in aciem anguli obliquè impingens rotatur ſecundùm ordinem literarum F E Y F, & impingens in obtuſum Aeris angulum in N rotatur ſecundùm ordinem literarum N O P N, hoc eſt, in eandem utrobiq; partem, per lemma ſecundum, ac proinde ſecundùm principia* Carteſiana, *Rotatio in F non deletur in N. Vnde minimè mirum, colores ibi apparere, ſecundùm eadem* Carteſii *principia. Immò colores illîc apparentes rotationem globulorum confirmant potiùs quàm tollunt, contrà ac vult ingenioſus* Micrographus. *Adeò ut tantum abſit ut ego Principiis* Carteſianis *hactenus contraire cenſendus ſim, ut ex eis ipſis principiis Enervitatem vel potiùs immanem abſurditatem ſecundæ Objectionis* Micrographi *perinde atq; primæ apertè demonſtraverim.*

Vide Fig. 44.

Vid. Fig. 43.

Vide Fig. 43.

Quod ad alterum attinet de Speculis Objecta colorata redditurìs, quicquid de hac difficultate ſtatuendum ſit, manifeſtum eſt interim duo Micrographi *argumenta contra globulorum Rotationem* Carteſianam *adhibita planè eſſe* ἀπροσδιόνυσα *& à ſcopo ad quem collineabat prorſus aliena, immò contra ſcopum. Quod unicum eſt quod ego hîc contendo. De ſpeculis verò Objecta colorata redditurìs mentionem ingerere eſt novum argumentum proferre, non priora defendere. Quod novum quidem argumentum nihil contra nos facit, qui ut globulos & eorum rotationes in generandis coloribus cum* Carteſio *admittimus, ità eoſdem globulos & eorum Rotationes* Mechanicè *ſemper non fieri, ſed à* Spiritu *utplurimùm* Hylarchico, *contra* Carteſium *omnéſq; Philoſophos Mechanicos acriter contendimus.*

Ac proinde, quod ad ultimum attinet, ubi à me rationem expoſcit, cur in ſpeculis ordinariis quamvìs (ſi nempe hæc ubiq; ad leges Mechanicas *expendenda eſſent) in* *ſuperficie ſpeculi, rotatio globulorum in exitu augeatur in eandem partem in quam facta eſt in introitu, nulli tamen generentur colores, quibus ſinceritas ac nitor ſpeculi inficiatur; ego viciſſim eum rogo, utrum præſtabilius ſit ut ſpeculum coloribus inficiatur, an ut ſit purum nitidúmq; ad reddendas fideliter rerum imagines. Nec diffido quin alterum hoc præſtabilius eſſe facilè ſit conceſſurus. Reſpondeo igitur cum* Ariſtotele, *(ſi ſuperficies Mercurii ſatìs æquabilis ſit) ad* τὸ βέλτιστον *ſive* τὴν ἄνω ἀρχὴν *hoc referri oportere. Malóq; ego Divinæ Sapientiæ ac Providentiæ veſtigia in operibus Naturæ mirari & deoſculari, quàm Rationes Mechanicas hujuſmodi Naturæ Phænomenôn ubi reddi nequeant, me reddere poſſe, imperitè inſubidéque gloriari.*

Sect. 8. Veruntamen diſſimulandum non eſt, non pauca me meapte operâ excogitâſſe, *&c. Idem* Robertus Micrographus *qui ad conflandam mihi invidiam ſuprà affirmavit me* Carteſiana *Gravitatis Principia fœda deliria appellare, heîc rurſus ut me deridendum omnibus propinet, tanquam hominem levem & inanes ex alienis Inventis gloriolas aucupantem, inſinuare vult, quæ hîc ſequuntur non de meo cerebro deprompta eſſe ſed è ſua* Micrographia *mutuata. Equidem fateor argumenta non tam profunda eſſe atq; abdita, quin ipſe etiam ex ſuo cerebello ea eruere potuerit; interim mihi ſatìs eſt, quòd certò mihi ſim conſcius, ea me eruiſſe ex meo. Sed de hujuſmodi rerum minutarum inventionibus contendere animi profectò eſt puſilli atq; anguſti; aliena verò ſibi attribuere injuſti & inhoneſti, & à bonis moribus immane quantum alieni. Intereà loci, quantum judicii* Micrographus *habere rectè poſſit cenſeri, tantundem ponderis noſtris Inventis, ſi modò & ſua ſunt, ſuum addendo calculum, meritò viciſſim adjeciſſe debet exiſtimari.*

Et ſi non continuetur, viſio noſtra in Objectis adeò longinquis fit per conſenſum, *&c. Quæ ipſiſſima eſt* Platonicorum *Sententia. Vide Sectionem decimam quintam.*

Sect. 9. Omnes agnoſcunt viſionem hanc fieri tam per lineam incidentiæ quàm reflexionis. *Apertiſſimè verò omnium* Johannes *Archiepiſcopus* Cantuarienſis, *Perſpect. Commun. lib.* 2. *Prop.* 19. *hiſce verbis.* Nam res non apparet viſui per reflexionem in loco ſuo. Quia enim viſus aſſuetus eſt videre per lineas rectas, ideo non percipit incurvationem reflexionis. *Et, qui inſtar omnium eſt,* Carteſius *idem aſſerit, ut in proximè ſubſequentibus moneo. Quæ dilutior Problematis ſolutio à tam inſigni Mechanico Ingenio prolata tantam mihi confidentiam addidit concludendi hoc Phænomenon nullis rationibus Mechanicis poſſe explicari. Non abs re tamen exiſtimo ſolutionem quandam hîc proponere quam Scotus quidam vir ſanè non contemnendi acuminis haud ità pridem mecum communicavit, quæ ſi vera ſit, an* Mechanica *appellanda ſit, poſtmodum deliberabimus.*

Huic autem Hypotheſi præcipuè innititur; Diſtantiam ſcilicet Objecti per Pyramidem Conúmve duplicem, cujus alter vertex ſit punctum aliquod Objecti, alter punctum in fundo oculi, percipi ſolere. Nempe quanto curvatura in conjunctione Conorum adeóque ipſe vertex ſive cuſpis coni exterioris major ſit, eò propinquius, quanto minor, eò longinquius Objectum apparere. Quæ ratio facilè intelligitur ex ſubjecta figura. Ubi, Curvatura B C E vel B D E cùm major ſit ſive angulus ad C vel D minor, Coni exterioris vertex deſinit in E cuſpidem majorem; cùm verò curvatura B C A vel B D A minor ſit ſive angulus ad C vel D major, vertex exterioris coni deſinit in A, in cuſpidem ſcilicet minorem. Atq; hæc univerſalis quodammodo ratio videri poteſt deprehendendæ diſtantiæ Objectorum.



Jam verò ut hinc intelligamus rationem cur Objectum à Speculo plano reflexum, ipſa, putà, intuentis facies altero tanto videatur diſtare à ſeipſa, quàm ipſa diſtet à Speculo, id eſt, pari intervallo ponè ſpeculum atque ante ſpeculum à ſpeculo diſtet, vel aliud quodvis objectum, cur per lineam Incidentiæ & Reflexionis tanquam per unam rectam conſpici videatur: Eſto ſpeculum planum A B, Punctum Objecti conicè radians C, perpendicularis tranſiens per A B ſit linea C O, Axis coni reflexus in E & pergens ad oculum in G ſit linea C E G, exteriora latera coni C D & C F reflexa in D & F & pergentia ad oculum in H & I. Producantur jam lineæ Reflexionis D H, E G, F I. Concurrent ſingulæ in K, eritque E K, æqualis

E C,



EC, DK æqualis DC, & FK æqualis FC. Unde diſtantia K ponè ſpeculum, & diſtantia C citra vel ante ſpeculum omnino erit æqualis. Demonſtratio facilè intelligitur ex æqualitate angulorum verticalium. Nam primò quidem AEC angulus incidentiæ æqualis eſt angulo reflexionis GEB; Angulus verò AEK & GEB ſunt verticales. Cùm igitur AEK æquetur GEB, æquatur etiam angulo CEA. Porrò CAE & EAK æquales ſunt ob perpendicularem CO, ac proinde ACE & AKE ob commune latus AE. Unde deniq; EK æquatur EC, & AK, rectæ AC, cùm AEC & AEK ſint triangula æquiangula. Et pari quidem demonſtrandi ratione invenitur KD æqualis DC, & FK æqualis FC. Jam verò cùm AK æqualis ſit AC, ut DK & FK in eodem puncto concurrant cum EK, & cuſpidem æqualem cuſpidi ad C conſtituant, manifeſtum eſt ex eo quòd alioquin æquales eſſe non poſſent rectis DC & FC, quales tamen eſſe eâdem methodo facilè foret probare. Producatur CE ad M ità ut EM æqualis ſit EG; Oculus ad G per reflexos radios DH, EG, FI videbit punctum C eâdem diſtantiâ & æquè rectâ lineâ ac ſi intueretur illud ab M ſemoto ſpeculo AB. Eâdem quidem diſtantiâ videbit, quia MC æquatur GK. Nam EK demonſtrata eſt æqualis rectæ EC, & EG & EM æquantur ex Hypotheſi, & cuſpis K æquatur cuſpidi C, ut patet ex prædictis. Quòd autem C conſpicitur in K lineâ rectâ, indè ſit quòd revera illud non conſpicimus per radios directos CD, CE, CF, ſed tantùm per reflexos DH, EG, FI, qui cùm ſic veniant ad oculum ac ſi C ſitum eſſet ad K, ità afficitur oculus ac ſi revera venirent à K. Et ad eandem imaginamur ſitum diſtantiam, quoniam anguli ſive curvaturæ commiſſorum conorum exterioris & interioris utrobiq; ſunt æquales, ut & cuſpides pariter K & C æquantur. Ad hunc ferè ſenſum mihi videbatur Scotus ille philoſophari voluiſſe. Et certè ſolutio ſatis ingenioſa eſt, quam credo partim ex Keplero (Paralipom. *in* Vitellionem *cap. 3. Prop. 14.) mutuatam, partim proprio Marte erutam & elimatam : Sed quàm vera ſit, & ſi vera, quàm Mechanica, mox videbimus poſtquam ad ſectionem decimam pervenerimus.*

Cúmq; conjunctæ unam curvam conſtituant, *Carteſius* tamen nos tanquam per unam rectam videre aſſerit propter conſuetudinem, *&c. Ità planè videtur aſſerere, Dioptric. cap.* 6. *Artic.* 19. Præterea quoniam aſſueti ſumus judicare, actiones à quibus viſus noſter movetur, ex iis locis venire versùs quæ debemus obtutum dirigere, ut illas percipiamus, quoties accidit ut aliunde procedant, facillimè fallunt. *Iſta ſunt ipſa verba* Carteſii, *inter exempla autem harum fallaciarum eſt hoc ipſum ſpeculi plani.* Nam oculus D, *ait ille*, in ſpeculo plano Q, judicat Objectum eſſe in puncto K (*ponè ſpeculum*) non in puncto Y (*ante ſpeculum*) ſpeculo radios ab Objecto venientes ità detorquente ut ab oculo D diſtinctè nequeat videri, niſi ità diſpoſitus ſit ac ſi punctum K intueri vellet. *Vel recurrendo ad noſtrum Diagramma ſuprà deſcriptum, niſi oculus G ità diſpoſitus ſit ac ſi punctum K intueri vellet. Quamobrem viſus oculi G dum actionem puncti radiantis C quâ movetur, judicat venire ex loco K versùs quem debet obtutum dirigere ut eam percipiat, fallitur. Unde manifeſtum eſt* Carteſium *duo hæc planè aſſerere, nempe in hoc caſu, actionem quæ viſum movet revera eſſe à C, quamvìs viſus per fallaciam judicet eſſe à K, Objectum nempe movens viſum eſſe in K, & falſum hoc judicium fieri quoniam* aſſueti ſumus *judicare*, &c. *hoc eſt quod dixi propter* conſuetudinem. *Hoc autem obiter notavi, nè quis me inſimulet quaſi perperàm hoc in loco* Carteſium *intellexerim.*

Quod idem ferè hìc nobis accidit quod in picturis quibuſdam (quæ vulgò Perſpectivæ vocantur, *&c.*) *Equidem à veris hujus Phænomeni cauſis in genere non multùm aberrabat hæc noſtra conjectura, Aliquam nempe visûs ſublatere fallaciam. Nec temerè tamen ab hoc Perſpectivarum exemplo ſtatim reſiliebam, ob eam ipſam rem qua de hìc monemus, nempe quòd Objecti etiam ſolitarii appareret ponè ſpeculum diſtantia. Cui difficultati, niſi ſuprà allata Ratio, nulla par videtur ſolvendæ.*

In videndo igitur imaginem noſtram ponè ſpeculum duplex occurrit miraculum, *&c. Per miraculum hîc intellige quod ſupra vel contra leges Mechanicas fit. Et certè ſi nulla alia ſubeſſet fallacia fallaciæve cauſa præter eam quam ſuprà innuit* Carteſius, *qui nos videre objectum ponè ſpeculum aſſerit, per* actionem ab ipſo Objecto *perinde atque* à ſpeculo, *hoc eſt, tam per radium directum quàm per reflexum, ingens meritò videri poteſt in hoc ſenſu miraculum. Cæterùm utut eſt, equidem ſi non ſit hujuſmodi miraculum, eſt tamen elegantiſſimum pariter ac callidiſſimum Naturæ Præſtigium.*

Nam proculdubio ad leges Mechanicas propiùs acceſſiſſet Objecti viſio facta aut in A ubi eſt, aut in B unde reflectitur, *&c. Nempe ſi hæc mero nixu corporeo fierent,* *Vide Fig. 53.* *nixúſq; continuari poſſet ab A per B in C. Unde haud obſcura profectò ſuffulget ratio, cur, tametſi concedamus Imaginem ponè Speculum videri propter radios ità reflexos ac ſi venirent ab eo loco ubi Imago apparet, negemus tamen id fieri nixu duro meréq; Mechanico, quod effecturum eſſet ut viſus in ipſum Speculum potiùs quàm ultra Speculum terminaretur, ſed hæc omnia modo mixto fieri,* vitali *pariter atque* Mechanico, *quemadmodum mox pleniùs edocebimus.*

Sect. 10. Atque ad eundem modum, ſi cæci manibus nunc bini longiores baculi nunc bini breviores imponerentur, eâ lege ut manus eodem ſemper tenore à ſe invicem diſtent, ex angulo longiorum acuto, breviorúmq; obtuſo, nunc remotiorem nunc propiorem muro ſe eſſe facilè deprehenderet. *Hîc opportunè diſquiri poteſt an non eadem ferè ſit ratio duorum exterioris Coni laterum certâ quâdam flexurâ ſeu curvaturâ cum interiori Cono commiſſi in cuſpidem ad punctum Objecti majori minorive angulo, pro minori majorive diſtantia, deſinentium. Quæ ſumma eſt Hypotheſeos cui problematis ſuprà memorati ſolutio innititur; & magnâ ſanè primo aſpectu nobis veriſimilitudine adblanditur. Sed hæc ferè obſtant, quo minùs plenum præbeamus aſſenſum.*

Primò, Quòd mirum ſit Carteſium, *magnum illud Ingenium Mechanicum, ſatiſq; in ſua* Dioptrice *de reddenda ratione perceptionis diſtantiæ Objectorum ſolicitum, hanc rationem nè vel obiter quidem attigiſſe, quæ tamen ipſi admodum obvia futura erat, cùm & viſionem fieri per duplicem hujuſmodi Conum tam diſertè doceat* Dioptrices Cap. 5. Artic. 4.

Secundò, Quòd, cùm alius tam manifeſtus ſit ac neceſſarius hujus duplicis Coni uſus, nempe ut congregatione radiorum à ſingulis punctis Objecti venientium in fundo oculi, objectum fiat viſibile (quippe cùm ſingulares radii vix ſenſum noſtrum in hoc terreſtri corpore moverent) alter ille uſus meritò videri poteſt fictitius.

Tertiò, Præſertim dum obſervamus, ſi objectum per foraminulum quàm fieri poteſt anguſtiſſimum conſpicimus, objectum quidem dilutius & obſcurius videri, ſed nihilo tamen propinquius aut remotius. Quod primum illum uſum horum conorum neceſſarium confirmat, alterum in dubium vocat.

Quartò, Et cùm per radios tam exiles nos in hoc terreſtri domicilio Objectum conſpicere poſſumus, rationi ſanè valdè conſentaneum eſt Aereos Genios citra omnem Vehiculi organizationem per ſingulares radios à ſingulis objecti punctis venientes, Objecta videre poſſe: ſine diſtantiarum verò differentia videre perquam abſurdum eſt. Diſtantia igitur apud ipſos cernitur ſine duplici Cono, ſimplici utiq; ab uno Objecti puncto radiante. Quod proinde facilè fieri poteſt apud nos, dupléxque Conus primo tantùm uſui inſervire.

Quintò denique, Si Mechanicâ hâc ratione, οἷον διὰ δυοῖν βακτηρίαιν, *diſtantia Objecti deprehenderetur, perſentiſceremus illud verâ ſuâ diſtantiâ, etiam per brevem Tubulum oculo admotum, cùm tamen tunc non longiùs remotum videtur quàm extremitas Tubuli cujus rotundo margini videtur adhærere.*

Hæ ſunt potiſſimæ Objectiones quæ afferri poſſunt contra principalem hujus Hypotheſeos ſcopum. Sed ut ingenuè fatear quod res eſt, quatuor priores haud ità magni mihi videntur momenti, quippe quòd reſponderi poteſt

Ad primam, Quòd tametſi Carteſius *rationem* veræ *quidem diſtantiæ Objecti nuſquam datâ operâ ad hunc modum explicat,* apparentis *tamen diſtantiæ rationem apertè in hanc Hypotheſin reſolvit. Quemadmodum facilè patebit attentiùs intuenti depicta diagrammata in Dioptrice,* cap. 6. Artic. 19. *præſertim B H, C I, F M, D K. Ubi ex figurarum deſcriptionibus intelliges Objecti diſtantiam apparere in H, I, M, K, ob hanc ipſam rationem quòd radii ad oculum B, C, F, D, ità veniunt, ac ſi profecti fuiſſent à punctis ſingularibus in H, I, M, K. Ac proinde multò magis, ſi reverà illinc veniſſent, feciſſent itidem ut Objecta eâdem apparerent diſtantiâ. Vide etiam Dioptrices* cap. 7. Artic. 5. *In hoc verò ſolummodò aut re aut ver-*

bis



bis lapſus eſt Carteſius, *quòd videatur id ad* conſuetudinem *referre, quod revera ex* Naturæ neceſſitate *fieri magìs anquiſitè rem perſcrutanti facilè conſtabit, radiúmq; directum in Speculo plano perinde ac reflexum protruſione Mechanicâ in oculum agere imaginetur, atque indè diſtantiam Objecti eandem, quanquam alio in loco, percipi. Quod mihi profectò præſertim in quibuſdam circumſtantiis planè videtur* ἀμήχανον.

Ad ſecundam reſpondeo, Argumentum tantùm probare, cùm de uno uſu hujus duplicis Coni tam certò ac neceſſariò conſtet, non temerè alterum admittendum eſſe. Et certè hîc temerè non admitti, ex eis quæ ad primam dicta ſunt, palàm eſt.

Ad tertiam, Objectum nihilo propinquius aut remotius videri, quia ut angulus cuſpidis exterioris Coni hîc minuitur, ità & diameter baſis ejuſdem, adeò ut latera etiamnum neceſſariò in idem punctum & ad eandem diſtantiam deſinant.

Ad quartam, Argumentum incertum eſſe de Geniis aereis, & perinde proclive eos concludere Vehicula organizata habere, ac videre per radios ſingulares, eiſque ſolis diſtantiam Objectorum deprehendere. Quibus certè perpenſis, equidem non diffiteor quin in genere Hypotheſis de Objectorum diſtantia per Conum duplicem videnda, ſit admodum veriſimilis.

Cæterùm merè Mechanicam eſſe, propter Objectionem quintam non tam facilè concedo. Crudâ igitur illâ ac durâ ratione Mechanicâ (tanquam ſi oculus palpabili nixu, (ut cæcus ille duobus baculis in angulum coeuntibus diſtantiam muri) ità hic Objecti ſui diſtantiam deprehenderet) rejectâ ac repudiatâ, rem breviter ſic explicandam cenſeo. Lumen nempe ac colores ἐνεργήματα *quædam eſſe ſive* φάσματα vitalia *per certas quaſdam Materiæ cæleſtis actiones in* Spiritu Naturæ *ſive* Principio Hylarchico *excitata, & à ſingulis punctis ſui fontis orbiculariter per Materiam cæleſtem, (cum qua vitali aliquâ ratione uniuntur) diffuſa; ut quæ naturam & ſpiritualem & corpoream imitantur: Spiritualem in eo quòd ſine confuſione per eadem loca tranſeunt, integra & impermixta; in eo verò quod reflecti poſſunt & refringi, corpoream: Ac proinde eſſe quaſi* vitales *quoſdam radios ex dictis Energematis* Mundani Spiritûs *& materia cæleſti conſiſtentes, quorum illa quaſi vehiculum eſt. Pro ratione igitur cuſpidis Coni exterioris ex hujuſmodi radiis vitalibus conflati & curvaturarum commiſſuræ conorum exterioris & interioris in oculo, vera diſtantia Objecti, major vel minor videbitur non quidem per explicitam rationem Geometricam nec per craſſum ſenſum & Mechanicum ut in cæco illo, ſed per leges vitales* Spiritui Naturæ *inſitas. Secundùm quas pro differentia anguli exterioris coni & curvaturarum commiſſuræ utrorumque, vera Objecti diſtantia diſcernitur. Cùm verò differentiæ angulorum ad ſatìs elongatum ſpacium admodum exiguæ ſint, minimè mirandum eſt poſt illud ſpacium omnia Objecta, quantocunq; intervallo alia aliis ſint remotiora, æquidiſtantia ferè oculo apparere: aut, cùm ipſa diſtantia pars quaſi hujus vitalis* Phaſmatis *ſit, anguſto breviq; Tubulo oculo admoto, per defectum aliarum circumſtantiarum, quæ diſtantiæ perceptionem comitari debent, non ſentiri. Quam tamen diſtantiæ perceptionem, ſi duro illo modo Mechanico fieret, cùm nihil, intra Tubulum intus denigratum, ſit, quod Coni preſſuram extinguat aut minuat, iſtiuſmodi circumſtantiarum defectu aboleri poſſe omnino eſt incredibile.*

Intereà loci principali illius Hypotheſeos ſcopo admiſſo, ratio loci Imaginis in Speculo ſuprà memorata vera eſt & certa, quanquam non concedimus eſſe purè Mechanicam,

chanicam, cùm nec ipſa Hypotheſis talis ſit; Quódq; Imago apparet in perpendiculari C O circa punctum K, ſit per jucundam quandam & quidem utilem visûs fallaciam, quæ non multùm abludit ab illa cogitatione quæ animo meo toties obrepebat de Picturis illis quæ vulgo Perſpectivæ vocantur, quemadmodum ſuprà monui. Sed plus ſatis hac in re immorati ſumus. Tantùm moneo duo illa miracula quorum mentio ſectione præcedenti facta eſt, re ſic intellectâ, ut ego explicavi, non autem ut Carteſius, *jam penitus evanuiſſe, nec eorum doleo jacturam; neque certè ſi omni ex parte argumentum ſpem feſelliſſet multùm fuiſſem doliturus, cùm affatim ſit aliorum argumentorum minimè lubricorum, quibus* Principium *noſtrum* Hylarchicum *certò poſſit ſtabiliri.*

Vide Fig. 56. *Sect.* 11. Ut apparet in CD & EF quæ cùm inæqualia ſint, æquales tamen decuſſationes facere poſſint, *&c. Igitur quòd Objectum E F pro ratione diametri E F magnum videtur, & C D pro ratione diametri C D, ex eo fit quòd angulus cuſpidis exterioris Coni in E & F major ſit, in C & D minor, unde illa puncta cernuntur in ipſo loco ubi ſunt, & ſic de reliquis utriuſque Objecti E F & C D punctis. Quo fit ut utrumque Objectum ſub veris ſuis magnitudinibus appareat. In duobus verò Objectis ad bene longam diſtantiam ab oculo remotis, ità ut anguli Baſis & laterum exterioris Coni recti quodammodo evadant, hæc ratio ſanè videtur ceſſare, lateribus coni in oculum eodem ferè modo incidentibus ac ſi latera eſſent Cylindri. Nec quò recurrendum hîc ſit ſatis video niſi ad rationes* Plotinicas, *quæ noſtram Objectorum diſtantium perceptionem* in conſenſum, ob unius Animalis naturam, *reſolvunt. Nos nempe univerſim, per radios* vitales, *quales ſuprà deſcripſimus, Objecta cernere, qui ſimul illorum à nobis diſtantiam aliquatenus ſubindicant, ſed magis accuratè & determinatè, ubi anguli ad baſin exteriorum Conorum ſatis obliqui ſunt; cùm verò omnem Phyſicam obliquitatem perdiderint, lateráque in baſin Coni ferè ad perpendiculum cadant, diſtantia quædam etiam tunc ex lege Radiorum vitalium per* Spiritum Naturæ *diffuſorum, adhuc perceptibilis manet, ſed diſtincta illius determinatio evaneſcit. Nec certè mirari debemus, ſi tam imperfecta vita quàm ſit illa* Spiritûs Mundani *(cùm & corpus Mundi ſit tam vaſtum) integro & diſtincto diſtantiſſimarum partium non polleat conſenſu, radiique vitales cùm non ſint prorſus incorporei, ſi ità reflecti & refringi poſſint, ut variato curſu ac directione, egregiæ indè oriantur ludificationes visûs, locúſq; ac diſtantia Objecti videatur mutari.*

Univerſim verò ac in genere diſtantiarum perceptionem, in rationes Plotinicas *reſolvi debere non ſolùm de noſtro pronunciamus, ſed addimus etiam, præterquam quòd* Carteſius *in explicanda diſtantiarum cernendarum ratione hanc duplicis Coni prorſus neglexerit,* Kepleri *præterea ſuffragio poſſe comprobari. Qui uſum Trianguli, cujus vertex ſit in puncto rei viſæ, baſis in latitudine pupillæ, vix ad decem paſſuum aut minores diſtantias aſpirare ſtatuit,* Paralipom. *ad* Vitell. Cap. 3. Prop. 9. *Cùm igitur longè majores diſtantias etiam uno oculo cernamus, manifeſtum eſt ad rationes* Plotinicas *oportere referri. Ex generica igitur radiorum* vitalium *natura quâ aliquatenus diſtantiam Objectorum unde veniant, repræſentant, Imago cerneretur in Speculo circa D, E, F. Cùm verò radii ſic reflectuntur ac ſi venirent in oculum à partibus circa K, Imago illîc omnino videtur.*

Sect. 13. Sed ad omnes omnino ſolutiones merè Mechanicas extendenda, utpote quæ mutuâ motuum mixturâ, *&c. Atque equidem ità neceſſariò miſcebuntur, ut, tametſi particulas iſtas ſenſu ac conſilio præditas fingeremus, malum hoc evitari non poſſet. Unde notare licet ſeptimum hîc occurrere argumentum, quo demonſtretur irritum eſſe illorum ſtudium qui ſenſum & perceptionem materiæ attribuunt, ut omnium rerum immaterialium exiſtentiæ fidem abrogent.*

CAP. XX.

Demonſtratio decima-tertia, à generatione Nubium.

1. *Confidentia* Carteſii *de Solutionibus ſuis Mechanicis Phænomenωn Pluviæ, Nubium, Ventorum & Tonitruum, taxatur.*

1. CIrca Cœleſtia Phænomena contemplanda ſat diu hæſimus: deſcendendi nunc tempus eſt ad Terram, ibiq; Plantarum ſtructuras contemplandi & Animalium; niſi quòd in via nobis occurrunt Meteora paucula, quæ ſenſus cogitationéſque noſtras aliquantiſper morari debent. Quales ſunt *Nubes*, *Guttæ pluviæ*, *Venti* ac *Tonitrua*. De quibus in ipſo limine Meteorologiæ ſuæ *Carteſius*, tanquam de Difficultatibus perfectè debellatis, prorſúſq; Mechanicis legibus ſubjectis, mihi triumphos agere videtur ante prælium & victoriam; nec certè ſine obliqua quadam inſultatione & irriſione Religionis Vulgi, qui *Deum in nubibus ſedem ſuam Regiam habere* autumant, *magnâſq; illius manus ibi occupari laxandis atque obſtruendis Ventorum clauſtris, matutino rore floſculis noſtris perfundendis, & fulminandis editorum montium jugis.* Hæc ſunt *Carteſii* ipſiſſima verba, tanquam ſi ipſi in animo auribúſve interim ſubtinnirent illa *Lucretii*,

Quare Relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.

2. *Tenacem particularum aquearum flexibilitatem non eſſe Mechanicam.*

2. Verùm videamus tandem quo jure *Carteſius* tam magnificos agat triumphos de re adeò incerta ſaltem, ſi non manifeſtò falſa. Nam in primo loco, quod ad *Nubes* attinet, quod videtur Meteorum adeò ſimplex & nullâ difficultate involutum, ſi ad prima ipſarum uſque principia eas excutere velimus & reſecare, ex cauſis ſolis Mechanicis eas conflari non poſſe ſatìs clarè deprehendemus. *Nubes* enim ex *Vaporibus* fiunt; Vapores verò ex *aqueis* quibuſdam *particulis* conſiſtunt longis & admodum exilibus, & undiqueverſum flexibilibus, ac proinde valde poroſis, alioqui inflecti non poſſint. Cùm verò partes ubique tam propè ad ſe invicem poſſint adduci, infinitis ferè poris ſcatere eas neceſſe eſt, nè fiat dimenſionum penetratio. Quomodo igitur partes Mechanicè cohærere poſſunt, cùm in ſingulis punctis hæ particulæ ſint tam mobiles ac flexiles? Quomodo tam exiles molléſque reculæ in Mechanica ſua generatione, quæ fit radendo & obterendo, fortitérque eas premendo per circumſtantium particularum meatus, non dilacerabantur comminuebantúrque iterum in primum Elementum ex quo coaluerunt? Ut taceam quàm clarè ſuprà demonſtraverim nullas materiæ *Monadas phyſicas* vi ullâ Mechanicâ coaleſcere poſſe.

Denique, quomodo jam genitæ durare ad ullum tempus poſſunt, cùm, præter perpetuum illum motum quo exercentur, etiam tum cùm quieſcere quodammodo videntur, tam rapido præterea impetu (cùm Ventorum Tempeſtatúmque formam induunt) & contra ſe invicem & contra alia quælibet Objecta ferri deprehendantur? * Quod mirabilem horum oblongorum corpuſculorum tenacitatem arguit, & quæ cauſas omnes Mechanicas planè excedit. Nullum enim viſcus eſt, nullum gluten Mechanicum, præter Quietem, juxta ipſius *Carteſii* ſententiam; & tamen Particularum aquearum partes omnes undiqueverſum flexiles ſunt ac mobiles. Quàm malè igitur cohærent? aut quàm malè in tali corpore cohæret ejuſmodi tenacitas cum legibus Mechanicis?

3. *Contra leges Mechanicas fieri quòd Vapores aſcendunt.*

3. Sed admiſsâ hâc Particularum aquearum flexili tenacitate; quòd ſurſum ſcandunt, fit contra leges Mechanicas. Equidem maximi eſt momenti ut aſcendant, propterea quòd alioqui non ſolùm Arbores Herbæque pluviâ deſtituerentur, ſed & Hominum aliorúmq; Animalium corpora, aperto ſemper expoſita Soli, præ æſtu fatiſcerent. Adeò ut ἡ ἀρχὴ ἡ ἄνωθεν, quemadmodum appellat *Ariſtoteles*, cauſa finalis hujus Meteori ſatìs ſit in propatulo, quódque ex Vaporum aſcenſu omnibus *Viventibus* pulchrè ſit indè proſpectum: * uti etiam ex depreſſione craſſiorum partium terreſtrium, quæ aliter nobis reſpirantibus in pulmones haurirentur, ſpiritúmque opprimerent. Sed hoc beneficium nullis cauſis Mechanicis, ſed immateriali alicui Principio, debemus. Imò verò, quod jam dixi, Mechanicis legibus repugnat. Tellure enim in gyrum actâ, & cum ea globulis pari ſaltem celeritate, neceſſe eſt ut ipſi à Terra fortiter recedant, corporáque omnia ſe minùs ſolida ad terram deprimant, quo aſcenſus aquearum Particularum in ipſo primo conatu ſufflaminatur & prævertitur, cùm globuli ipſis multò ſint ſolidiores, & propter figuram & propter privationem pororum, quibus particulæ aqueæ mirum in modum abundant.

4. *Nubes ex rotundis guttulis conſiſtentes non poſſe oriri ex ſolis cauſis Mechanicis.*

4. Quamobrem manifeſtum eſt, cùm aſcenſus Vaporum Mechanicis legibus repugnet, quòd eiſdem pariter repugnet Nubium quæ ex Vaporibus fiunt generatio. Ac præterea, cùm non ſit hæc Mechanica globulorum à terra receſſio, quemadmodum vaporum aſcenſus demonſtrat, quòd nec ſit eorundem in omnes partes illa diſcurſitatio quam fingit *Carteſius*, ſed quòd leniter duntaxat rotentur ſinguli in propriis locis. Neque enim decet cæcum Principium nimis pronum eſſe ac præceps in motus quoquoverſum ſine ſuo gubernatore ac duce. Sed quòd nulla ſit hujuſmodi globulorum diſcurſitatio ex eo mihi conſtare videtur, quòd ſi leve aliquod vel minutum corpus à filo ſerico, vel araneo, ſi velis, pendeat, niſi aliquis accedat venti vel aeris afflatus, non movetur omnino, nedum in gyrum rapitur. Unde cadit ingenioſum illud *Carteſii* Figmentum, quòd globuli circa ſingulas inæquales vel irregulares partes aqueas in aere pendentes ſtatim in orbem moventur adinſtar Vorticis, atque iſthoc modo in guttas rotundas ipſas efformant, ex quibus Nubes quædam conſiſtunt. Quas igitur ex cauſis purè Mechanicis oriri non poſſe jam clarum eſt. Sed id mox pleniùs in ſuo proprio loco dilucidabitur.

5. *Nec eas quæ ex particulis glaciei conſiſtunt.*

5. Quemadmodum verò illæ nubes quæ ex rotundis guttulis conſiſtunt ex ſolis Principiis Mechanicis fieri non poſſunt, ità nec illæ quæ ex particulis glacialibus conflantur. Etenim tum particularum glaciatio tum glaciatarum unio omnes vires Mechanicas excedunt. * Omnis enim phyſicarum Monadum continuitas fit per σύμφυσιν, prout ſuprà ſatìs luculentè demonſtravimus, partiúmque Materiæ unio æquè ab extrinſeco eſt atque earum motus. Cùm igitur Rigiditas quam particulæ aqueæ in hac glaciatione acquirunt ſit unio quædam *Monadum* ſtrictior ac compactior quàm quæ ipſis inerat dum erant flexiles, manifeſtum eſt quòd hoc unitivæ facultati Principii *Hylarchici* acceptum referendum ſit, cùm nullum Mechanicum Principium hac in re illius vices poſſit ſupplere.

6. *Nec ex eiſdem ſolis cauſis in Aere ſuſpendi.*

6. Poſtremò, ipſa etiam ſuſpenſio nubium in Aere vim omnium cauſarum Mechanicarum excedit, quemadmodum rectè philoſophatur *Plinius*; *Quid enim eſt mirabilius aquis in cœlo pendentibus?* Idque quod meritò augere poſſit admirationem noſtram eſt, quòd particulæ aqueæ in majores moles acervóſve aggregatæ vel concretæ in ſublimi aere ſpontè ſtant quàm quibus vi Solis adjutæ à terra poſſunt aſcendere, cùm tamen ea pars aeris ubi ſublimes hærent noſtrâ hâc infimâ multò ſit purior, ac proinde juxta leges Mechanicas aptior promptiórque ad deturbandos hos aqueos vel glaciales acervulos ad terram. Nam quòd quò aer purior eſt eò faciliùs corpora gravia ſubſidunt, ex *Torricelliano* Experimento ſatis omnibus patet, cùm Mercurius in Tubo vitreo multò profundiùs deſcendat in editorum montium jugis quàm ad calces montium vel in planitie, & generatim in purioris Aeris regionibus quàm in craſſioris.

Unde manifeſtum eſt acervulos hos glaciales vel aqueos è quibus nubes conſiſtunt in aere ſublimi pendentes ex lege Principii *Hylarchici* ibi ſuſpendi. Juxta quam legem etiam (mirandum ſanè ſpectaculum!) nubes illa in ingentem annulum glacialem formata, multiſque ornata Pareliis, cujus mentionem facit *Carteſius*, in aere ſuſpenſa hærebat. Quod exſiſtentiæ virtutiſque Principii noſtri *Hylarchici* egregium eſt documentum.

SCHOLIA

In CAP. XX. SECT. 2.

QUod mirabilem horum oblongorum corpuſculorum tenacitatem arguit, *&c. Immò & actuationem pariter* Spiritûs Naturæ, *qui ea vitaliter permeans & conſtringens hâc ipsâ continentiâ corroborat eodem etiam tempore quo tam rapido motu propellit : Haud diſſimiliter atque nos animales ſpiritus moventes per modum actuationis non per modum Mechanicæ projectionis aut propulſionis.*

Sect. 3. Utì etiam ex depreſſione craſſiorum partium terreſtrium quæ aliter nobis reſpirantibus in pulmones haurirentur, *&c. Quamobrem cùm hæc & conſimiles motuum naturalium, ut gravitationis corporum præſertim, cauſæ finales tam facilè detegi poſſint, Naturam ſine ullo Primi Opificis ſcopo agere, aut poſtquam hunc ſcopum aſſecuta ſit, etiamnum inſtare & urgere ac ſi nondum eſſet aſſecuta, capútque ancillæ lactariæ domum redeuntis, præter mulctræ lactiſque pondus columnâ Atmoſphæræ aereâ bis mille ferè pondo preſſuram adæquante onerare, hujuſmodi ſanè monſtra opinionum alere nè Naturæ Phænomena in rationes Mechanicas reſolvere non* *poſſe videamur, mira profectò mihi videtur & perquam abſurda philoſophandi ratio.*

Sect. 5. Omnis enim Phyſicarum Monadum continuitas fit per σύμφυσιν, *&c. Per* σύμφυσιν *intelligo vitalem partium materiæ coalitionem vel concretionem à* Spiritu *aliquo* Plaſtico *factam, ſive is ſit particularis alicujus Animalis Spiritus, ſive* Spiritus Univerſi.

Sect. *6. Quid enim eſt mirabilius aquis*, &c. Plinius *habet, Quid eſſe mirabilius poteſt aquis in cælo ſtantibus ?* Hiſtor. Natur. lib. 3. cap. 1.

CAP. XXI.

Demonſtratio decima-quarta, à Guttis pluviis & Iride.

1. *Quòd nulla eſt globulorum diſcurſitatio quâ Guttæ pluviæ rotundentur.*

1. Redeamus jam ad *Guttas pluvias*, quibus & de *Iride* conſiderationem brevem aliquam ac tenuem propter ipſarum cognationem adjungemus. Nam quod ad *Iridem* attinet, quamvìs videatur Phænomenon admodum ſimplex, pauciſſimiſq; cauſis indigens, cùm nihil ad eam producendam intelligendámve requiratur quàm quod *Carteſius* obſervavit in rotundo vitro in ea poſitura ſuſpenſo, ut linea ab ipſo ad oculum noſtrum hos vel illos angulos faciat cum linea per centrum Solis noſtrúmque oculum ducta, ſolaréſque radii in vitro refracti & reflexi ad oculos noſtros indidem ſecundùm dictos angulos deriventur; tamen cùm ſufficientes cauſæ Mechanicæ non ſint quibus conſimilis in guttis pluviis efficiatur rotunditas, aut quibus debitæ rotationis globulorum rationes ad oculum uſque propagentur, manifeſtum eſt quòd & ipſa Iris abſque *Hylarchici* Principii beneficio inter reliqua Mundi Phænomena caput ſuum efferre non poteſt.

Quantum enim ad guttarum rotundationem, quamvìs ipſarum formandi ratio *Carteſiana* ſatìs ingenioſa videri poſſit, mihi tamen videtur minùs ſolida. Etenim, primò, id aſſumit cujus concedendi nulla ratio eſt, multóque minùs ulla neceſſitas, globulorum intelligo in omnes partes diſcurſitationem; cùm nulla ſit cauſa cur admittamus in ipſis plures motus quàm duos, Rotationem utique, & Receſſionem à Terra Soléque; quarum poſteriorem omnes conjunctim potiùs habent quàm ſeparatim ſinguli, ut partes Elementorum in propriis locis, vel potiùs reſpectu ſui ipſarum ad ſe invicem. Quòd verò nulla ſit hujuſmodi diſcurſitatio in globulis indè videtur manifeſtum, quòd in iſtis Reflexionibus ubi linea Incidentiæ & Reflexionis quàm proximè accedunt ad unam lineam rectam, Objectum tamen non videtur in Aere citra Speculum ad remotiorem extremitatem lineæ Incidentiæ, ſed ad extremitatem lineæ Reflexionis ad lineæ Incidentiæ menſuram ponè Speculum continuatæ, ut ſuprà notavimus. Quamobrem cùm globuli ab hujuſmodi diſcurſitationibus planè quieſcant, ut aut acervuli aquei angulos exſtantes introrſum pellant ab extrà, aut intrà diſcurſitando ut ejuſdem latera extrorſum & à centro propellant, prorſus eſt impoſſibile.

2. *Et ſi eſſet, quòd nihil tamen ad rotundationem guttarum pluviarum contribueret, propter impreſſionum ineptitudinem & pororum guttarum laxitatem.*

2. Cæterùm, ſecundò, ſuppoſitâ hâc *globulorum diſcurſitatione* in omnes partes quam ipſis affingit *Carteſius*, & quòd ad iſtum modum agant in Acervulum aqueum A; profectò, ſiquid ego intelligo, nihil ad ejus rotundationem efficient. Nam manifeſtum eſt quòd illi ab extrà qui agunt in latera DC & BC non ſolùm nihil contribuunt ad introrſum pellendum angulum BCD eúmque obtundendum, ſed & acuunt potiùs anguſtioremq; ipſum reddunt. Et tametſi illi qui agunt in latus BD videantur poſſe ipſum propellere propius centrum A, parùm tamen id confert ad rotundationem Acervuli aquei, quin & eo ipſo videtur angulos B & D acutiores facturum. Et quantum ad alios motus qui fiunt paralleli lineis GH & FE, nec ipſi introrſum adigent Angulos B & D, cùm fiant tam ab H in G quàm à G in H, & tam ab E in F quàm ab F in E. Nec denique ulla eſt Mechanica neceſſitas ut globuli in orbem aliquatenus moveantur circa Acervulum A, quemadmodum aliquando uſu venit in fluviis ob arundinum juncorúmque obſtacula. Quippe quòd non eſt illa Fluminis declivitas in globulis motûſque omnium in unam partem determinatio, ſed in omnes partes promiſcuè feruntur, quò minùs facilè in unum aliquem motum conſpirent.

Fig. 58.



Quibus addas, quòd cùm tam facilis globulis pateat introitus in aquei Acervuli poros, intellectu difficile eſt quomodo ipſorum pulſus, vel potiùs ingreſſus, in Acervulum Angulos verſùs centrum propellant. Nam quòd aciculæ in aquæ ſuperficie jacent, nihil ad hanc rem facit, cùm adeò in longum ſuper ejus ſuperficiem extendantur, cuſpidéſque habeant aquæ meatibus multò majores. Et quod glabritiem & tenacitatem ſuperficiei aquæ attinet, ſiqua ſit hujuſmodi qualis fingitur, non poteſt fieri Mechanicâ illâ attritione proximarum particularum Aquæ atque Aeris, quæ utrarumque ſuperficiebus villum forſan frequentiùs attolleret quàm complanaret. Siqua igitur ſit hujuſmodi glabra ſuperficiei Aquæ tenacitas, altiori alicui Principio quàm refricationibus Mechanicis debetur.

3. *Quòd nullus eſt motus vorticoſus in guttis pluviis à circumactione globulorum factus.* *Vide Fig.* 58.

3. Jam verò quòd Globuli in Acervum aqueum ingreſſi motionem vorticoſam acquirant, cùm æquè facili negotio exire poſſint ex Acervulo atque in eum introire, videtur ſolummodo credula quædam ac precaria Imaginatio. Nam cùm particulæ aqueæ craſſiores ſint aereis, minúſque mobiles, res majoris erit moliminis ut globuli eas ad modum vorticis rotent, angulúmque B C D in formam rotundam tranſmutent, quàm ut ultro citróque tranſeant per poros Acervuli A in eadem figura quâ invenitur. Et certè in guttis illis roridis & rotundis quæ manè videntur à graminibus pendentes nemo, quod ſciam, obſervavit eas unquam in gyrum converti, aliáſve quaſlibet ab extremo filo pendulas, quamvìs ipſarum efformationem dum fiebant attentè inſpexerit. Quod tamen neceſſe eſt ut eveniret, quandoquidem quamvìs gutta poroſa ſit, non tamen tota abit in poros, ſed ex aquæ pondere eam pro magnitudine ſua ſatis ſolidam eſſe deprehendimus. Ac proinde motus hic vertiginoſus globulorum intra guttam fieri non poteſt ſine ea & vi & reſiſtentia quæ neceſſariò totam guttam agat in gyrum, dum tam ſolutè ac pendulè vel fili vel graminis extremitati adhæret.

4. *Nec, ſi ſit, guttam indè ſphæricam eſſe evaſuram, ſed ellipticam.*

4. Tertiò, Quantumvìs admitteremus hanc globulorum vertiginem intra guttam vel Acervulum aqueum A, & quòd ex ea rotundus evadat, certè rotunditas hæc non extenderetur æqualiter in omnes partes, ſed Acervulus A formaretur in figuram ellipticam, qualis eſt A B C D. Nam proſequendo eam ipſam ſimilitudinem quam *Carteſius* adhibet à Vorticibus fluvialibus deſumptam, non eſt conſentaneum ut hanc vertiginem aliter fieri admittamus quàm motibus fundo fluvii ferè parallelis, non perpendicularibus in fluvii fundum. Unde manifeſtum eſt quòd Gutta pluvia extendet ſe magìs verſùs A & C quàm verſùs B & D, hoc eſt, quòd Ellipſis erit aquea, non aqueus Globus. Et certè perquam difficile eſt intellectu quomodo globuli poſſint vorticoſos ſuos motus & circa Axem A C & circa Axem B D peragere ſimul, & non potiùs conſpirare omnes in unum motum circa Axem B D; præſertim cùm hâc ratione minùs mutabunt eum quo jam diſpoſiti ſunt ordinem, nec inferiùs nec ſuperiùs ituri quàm quo conſtantiſſimæ maximéque conſuetæ cauſæ eos collocant. Sed ſi in tantilla diametro iſta ratio cuipiam minoris momenti videbitur, non multùm reluctor. Verùm interea globulorum circa duos ſe invicem decuſſantes axes vertiginum repugnantia ſatìs palpabilis eſt; nec minùs facile intellectu quomodo, ceſſante vertiginum alterâ, partes guttæ ſtatim à centro inæqualiter propellantur. Unde impoſſibile eſt ut rotundatio guttæ in globum è cauſis proveniat purè Mechanicis.

Fig. 59.



5. *Et ſi ſphærica eſſet, quod in deſcenſu tamen figuram ſit mutatura.*

5. Quartò & ultimò, Supponamus licet guttas pluvias exactè undique rotundas dum ſublimes hærent in aere, nec adhuc deſcendunt: vix fieri tamen poteſt per leges Mechanicas quin dum deſcendunt ſtatim mutent figuram. Gutta enim pluvia cùm ſit conſiſtentiæ adeò mollis & fluidæ, & quæ facilè ex leviſſima quavis preſſura ac reſiſtentia figuram mutet, cúmque tamen cadat ſimulatque ulla ex parte valeat per aerem viam ſibi ſecare, manifeſtum eſt quòd non poteſt tranſire ſine æquali ferè ſuis viribus reſiſtentia, aut non multò minori: ac proinde ut aut in latum comprimatur dum deſcendit, quod minùs probabile videtur, cùm ea figura deſcenſui minùs ſit commoda; aut ut ſurſum retruſis exterioribus partibus producatur in longum, adinſtar figuræ A D B C. In qua figura faciliùs ſibi viam ſecabit gutta pluvia quàm in globoſa, quoniam pars C minùs lata eſt, fortiúſque premit deorſum, propter longitudinem perpendicularis D C: quemadmodum videre eſt in baculo aquæ ad eum ſitum impoſito. Ut nihil dicam de rectiori aſcenſu Aeris à C ad D quàm in figura ſphærica, ſi quidem neceſſe ſit ut idem numero Aer ſub C ſtatim ad D aſcendat guttâ deſcendente ſive ſphæricâ ſive oblongâ. Quamobrem rationi maximè conſentaneum eſt, poſtquam gutta ſphærica penetravit Planum Aeris ità ut illud planum guttam ſecet in circulo G H, ut pars guttæ quâ ſectio ſphærica G D E H excedit Cylindrum incluſum G H E D ſurſum retrudatur preſſurâ Aeris ad augmentum Oblongi D G C H E, per

Fig. 60.





per ſuperadditionem partis guttæ DFE, atque ità tota forma guttæ ſit adinſtar figuræ FC; ſi nempe totum hoc negotium ad leges purè Mechanicas exigatur.

Quamobrem cùm rotunditas Guttarum quæ neceſſariò ſupponitur in Phænomeno Iridis (quemadmodum ex ipſius *Carteſii* calculo manifeſtò apparet) leges Materiæ Mechanicas omnino excedat, palàm eſt ipſum Phænomenon in eis quibus apparet circumſtantiis earundem legum vires ſimiliter excedere.

6. Quod tamen adhuc manifeſtius eſt ex eo, quòd Phænomenon Diſtantiæ in cauſas purè Mechanicas reſolvi non poteſt, quemadmodum ſuprà fusè demonſtravimus. Nec rotatio globulorum in unam partem, quod tamen neceſſarium eſt ad legum Refractionis conſtantiam. Nec denique viridis & cærulei coloris emergentia ab Iride, cùm refractio radiorum qui ſub uſitatis angulis ad oculos noſtros perveniunt tanta ſit, ut rotationem globulorum majorem proceſſione efficiant, cùm tamen in viridi & cæruleo proceſſio rotatione ſit major, ut ſuprà obſervavimus. Nec ullum huic malo ſatìs honeſtum ac ſolidum à *Carteſio*, ſat ſcio, proſpectum eſt ſubterfugium. Sed minutulis hiſce non eſt immorandum.

6. *Rationes magìs generales cur Phænomenon Iridis non ſit purè Mechanicum.*

CAP. XXII.

Decima-quinta Demonſtratio, à Ventis accerſita.

1. AD *Ventos* jam pergamus. Qui, quatenus ex eiſdem particulis ex quibus Nubes conſiſtunt, hanc communem cum ipſis evidentiam veritati exhibent, quòd origo Meteororum non eſt purè Mechanica. Sed ingens illa violentia motûs quorundam ſaltem Ventorum planè arguit ejus ortum eſſe ab aliqua vitali irritatione potiùs quàm ab æſtu Solis aut quovis hujuſmodi calore. Etenim, meo quidem judicio, non majori cum ratione concluditur ventos naturales eodem modo fieri quo in Æolipyla fiunt illi artificiales vivis carbonibus impoſita, quàm ſi quis contenderet eos ad modum flaminis quod è follibus eliditur conflari. Nam æquè facilè reperiet in Univerſo quod reſpondeat follibus ſufflatoriſque manui, quàm quod vivis illis carbonibus anguſtóque Æolipylæ roſtro vel foramini. Quanquam fatendum eſt *Vitruvium* ante *Carteſium* hâc ſimilitudine uſum fuiſſe ad illuſtrandam naturam Ventorum.

1. *Similitudinem Æolipylæ generationi Ventorum non quadrare.*

2. Cæterùm ſi conſideremus preſſam & compactam in Æolipyla materiæ metallicæ duritiem, & orificii roſtrive parvitatem cum totius Æolipylæ capacitate collatam, impoſſibile eſt ut inveniatur quicquam in Natura quod aliqualem cum hoc Inſtrumento ſimilitudinem gerat. Conatur quidem *Carteſius* aliquid in Natura effingere quod hujus Inſtrumenti uſui reſpondeat. Supponit enim nubes deſuper impendentes quæ ſupernæ partis Æolipylæ locum ſuppleant; & montes rupéſve ab una parte, ab altera conſpiſſatum aerem, in laterum vicem ſubſtituit; addítque demum vaporum conſtrictionem coagulationémve in nives vel pluvias ad diſtantiam, quarum locum derelictum Venti faciliùs invadant atque occupent. Verùm id imprimis notandum eſt, Ventum non fieri in ipſa Æolipyla, ſed in tranſitu per Æolipylæ roſtrum. Cui nihil reſpondet in Ventorum hiſtoria, niſi tota hæc undique aut nubibus aut rupibus aut condenſato aere clauſa Regio, quam deſcribit *Carteſius*, illi reſpondeat. At verò tunc nihil erit quod reſpondeat ipſi Æolipylæ, Calixque argenteus bene profundus & oblongus cum aqua in fundo igni impoſitus ventum excitabit, cùm tamen nihil profectò amplius reddat quàm calidum quendam vaporem, debilémque halitum.

2. *Nihil eſſe in Natura quod Æolipylæ roſtro reſpondeat.*

3. Præterea, Quiſnam, obſecro, Aer ità conſpiſſari poteſt, ut lateris Æolipylæ vicem repræſentet? Et quàm vehementes ac feroces venti inveniuntur ubi nulli montes collocantur qui curſum eorum coanguſtent? Et certè cùm Nubes ac Nebulæ nihilo ferè à ſe invicem differant quàm ſitu, cúmque fortis agitatio particularum ventorum ipſas naturaliter ſurſum ferat, cur non multò potiùs ſublimia petant, ſubitóque impendentes iſtas nubes diſpellant, quàm ab ipſis deorſum detrudantur ad terram, quæ tam fortiter ipſis reſiſtit, nihilque prorſus ipſarum cedit curſui? Dic, ſaltem, cur omnes venti, quando nullæ deſuper nubes impendent quæ illorum curſum deprimant ad terram, in cœlum ſtatim non avolent, terráſque relinquant. Etenim ſæpenumero venti valde violenti in diebus admodum ſerenis contingunt, ubi aut nullis, aut pauciſſimis, nubibus cooperitur cœlum, iiſque adeò disjunctis & diſtantibus à ſe invicem, ut ſatìs liber patenſque

3. *Nec ſupernas nubes aerémque à latere condenſatum Æolipylæ laterum vices poſſe explere.*

que aditus concedatur ventis in cœlum nitentibus aſcendere, terráſque deſerere, ſi nullum aliud Principium præterquam quod merè Mechanicum eſt eorum curſus dirigeret & gubernaret.

4.
Vapores ad diſtantiam in pluvias nivéſve converſos rapidorum quidem ventorum nec curſum determinare, nec novam ipſis agitationem imprimere poſſe.

4. Poſtremò, Quod ad illud attinet quod addit *Carteſius* de determinatione curſûs Ventorum ob ſpacium illis ad diſtantiam à vaporibus in pluvias nivéſve converſis relictum, curſûſque eorum ex his cauſis acceleratione in certam partem, ſatìs ingenioſum ſanè primâ ſpecie videtur Commentum. Nam ob conſimiles rationes auram veſpertinam ſentimus versùs fluvios & per ripas ipſorum leniter fluentem, propterea quòd ea pars Aeris quæ prope fluvios eſt citiùs refrigeratur poſt Solis occaſum quàm quæ propius terram eſt, ipſique deſuper impendet. Veruntamen cùm ventorum tam rapidus ſit impetus atque pernicitas, multò aliter apud ipſos ſe res habet. Nam omnes vapores, etiam qui vix minimam quidem partem agitationis illius quæ in ventis cernitur nactæ ſunt, ſublimia petunt. Quomodo igitur fieri poteſt ut Ventus ad tantam diſtantiam in iſtum locum ubi vapores in pluviam ac nivem converſi ſunt curſum ſuum terram versùs detorqueat, cùm furioſa illa agitatio particularum naturaliter ſurſum eas ſubvehat in cœlum, & à terris procul amoveat?

Neque enim ſpacium illud relictum à vaporibus cauſa eſt ullius novæ pernicitatis in vento, tanquam ſi hâc velocitate deſtitueretur niſi eò curſum tenderet, ſed ſuam integram ferè agitationem acquirit habétque, ſi Mechanicè rem expendas, in ipſis curſûs carceribus. Quem igitur oportet ſurſum eſſe etiam in cœlo nubiloſo, multóque magìs in cœlo puro & ſereno. Nullæ enim nubes reſiſtere poſſunt tam terribili ac vehementi Particularum agitationi atque incurſationi quàm reperitur in Ventis, præſertim *Martiis*. Tanta ſanè, ut aliquando ingentes quercus radicitus evellant humíque dejiciant, totáſque domos funditus ſubvertant. Cujus tantæ violentiæ * quæ, obſecro, vel fingi poteſt cauſa ſufficiens Mechanica in tam tenuibus flexilibúſq; particulis, & tam lento calore commotis?

5.
Problematum quorundam circa Ventos apud Carteſium *propoſitio.*

5. *Carteſius* tamen ſatìs ingenioſè, ut in cæteris omnibus, iſtiuſmodi cauſas Mechanicas in medium proferre conatur Meteor. cap. 4. quæ præſenti difficultati ſatisfaciant. Etenim ratio, inquit ille, apparebit, ſi conſideremus Terram E B F D, quomodo circa Polos E & F (ubi non multùm caleſit à Sole) nebulis nubibúſque multis cooperitur; & quomodo ad B (ubi Sol directò & perpendiculariter radios in Terram jaciat) ingens vaporum copia excitatur: qui agitati actione luminis celeriter ſurſum aſcendunt, donec eò pervenerint altitudinis ut vi proprii ponderis faciliùs in oppoſitas partes curſum deflectant, viámq; pergant versùs I & M ſupra nubes G & K, quàm rectà ulteriùs ſurſum tendant. Et quando incaluerunt nubes G & K, & rarefactæ ſunt calore Solis, vapores indè provenientes curſum capeſſunt à G versùs H, & à K versùs L, potiùs quàm aut versùs E aut versùs F; quoniam craſſi vapores qui circa polos hærent fortiùs ipſis reſiſtunt quàm vapores à terra ſurgentes circa meridiem, ut qui vehementer agitati, ac proinde prompti ad quoquoverſum movendum, facilè ipſis cedunt. Atque hoc modo ſi ſupponamus Polum Arcticum eſſe circa F, motus vaporum à K versùs L ventum excitabit Septentrionalem per totam *Europam* interdiu ſpirantem. Exque hac ſola Hypotheſi *Carteſius* varia ſolvit Problemata, quorum quædam recenſebo. Ut, primò, Cur Ventus Septentrionalis frequentiùs ſpiret interdiu quàm noctu. Secundò, Cur videatur potiùs è ſublimi ruere in terram, quàm ſurſum à terra versùs cœlum aſcendere. Tertiò, Cur ſiccus ſit & frigidus. Quartò & ultimò, Cur tam vehemens ac violentus.

Fig. 62.



6.
Eorundem ab ipſo juxta ſuam Hypotheſin Solutio.

6. Ad primum igitur *Carteſius* reſpondet, ex ſua Hypotheſi, Ventum Septentrionalem frequentiùs interdiu ſpirare quàm noctu, ob rarefactionem aeris tunc temporis majorem inter Tropicos quàm noctu, majorémque vaporum agitationem, quò faciliùs cedunt cuivis corpori ipſis occurrenti. Quamobrem cùm ſemper ſit non mediocris ob vapores craſſos circa Circulum Arcticum reſiſtentia, facilior verò intra vel prope Tropicos particularum tranſmiſſio interdiu quàm noctu, ob aeris vaporúmque in iſtis locis rarefactionem, Ventus proinde interdiu frequentiùs quàm noctu curſum ſuum capeſſit à Septentrione versùs Meridiem. Ad ſecundum verò, Quòd ex alto præceps ruit cùm ex nubibus K versùs terram L feratur. Ad tertium, Quòd adeò frigidus & ſiccus eſt tum ob ingentem illius vim; tum etiam quia ex craſſioribus aquæ particulis conſiſtit, quæ glaciei potiùs ſpeciem in tam altis nubibus induunt quàm aquæ; tum denique, quòd ſecum Meridiem versùs materiam ſubtiliſſimam Borealem rapit, quæ primaria

ria frigoris cauſa eſt. Ad quartum, Quòd adeò impetuoſus ac vehemens eſt, quia æſtu omnium maximo cietur, putà meridiano, & è materia multò omnium facillimè in vapores diſſolubili, nubibus ſcilicet. Quæ Solutiones quàm ſint Mechanicæ jam videamus.

7. Nam quod primam attinet, Cùm Ventus qui fit circa nubem K, partim ex illa nube in vapores ſolutâ, partim ex vaporibus ibi à B per M ad ea loca profectis, tam vehemens agnoſcatur eſſe & impetuoſus, proculdubio juxta leges Mechanicas ſurſum aſcenderet verſùs M, cùm nec tam commodè poſſit curſum dirigere verſùs F propter Aeris vaporúmque craſſitiem, cúmque K ſit quaſi ipſum Solum ſupernáque quædam Terra ex qua excitantur vapores, atque propterea indè debeant curſus capeſſere ſurſum, ut vapores è terra exhalantes, non viam detorquere verſùs L. Ut nè dicam quòd ex ſola ipſarum Agitationis vehementia, abſque nubis ſuppoſitæ directione, juxta leges etiam Mechanicas, & ob terræ reſiſtentiam, in ſublime eas viam capere oportet, non ruere verſùs Terram. Unde & ſecundæ Solutionis Mechanica falſitas deprehenditur. Nam ſi ventus præceps feratur à K verſùs L, nihil niſi Gravitas, quod Mechanicè ſonat, in cauſa eſſe ritè exiſtimari poteſt. Quod ſi concedatur, ipſa tamen Gravitas non eſt revera Potentia purè Mechanica, quemadmodum ſuprà demonſtravimus. Et tertia certè pars Solutionis tertiæ ſatìs lubrica videtur; nempe ut particularum illarum flexilium in vento Septentrionali curſus globulos Boreales minutiores ſecum auferat, & in partes magìs Meridionales tranſlocet. Facillimo enim negotio locum cedunt retróque labuntur, cùm ſint adeò glabri ac rotundi, & figuræ omnium minimè implicatilis. Sed de primis hiſce tribus Solutionibus non multùm laboro, quas quartæ ſolius gratiâ potiùs quàm ſuâ in medium propoſui.

7. *Trium primarum Solutionum brevis examinatio.*

Vide Fig. 62.

8. Quod maximè admirandum occurrit in Ventis Septentrionalibus eſt rapidiſſimus illorum motus & impetuoſiſſimus; cujus nullæ cauſæ purè Mechanicæ ſufficientes excogitari poſſunt. Nam nec æſtus *Meridionalis*, (ſic enim ego *Carteſium* intelligo, neque enim ad Meridianum tempus reſtringit hos ventos, ſed laxiùs definit ad diurnum ſpatium,) nec glacialium nubium facilis in vapores ſolubilitas, plenam hujus Phænomeni cauſalitatem exhaurit. Quid magnum enim præſtare poteſt æſtus Meridionalis, Sole in Æquatore verſante, in partes ab Æquatore tanto intervallo diſſitas, ubi tam obliquis radiis Sol terras nubéſque ferit? & in mediam porrò aeris Regionem, ubi etiam in Regionibus magìs Meridionalibus omnia frigent, vel in modum glaciei rigeſcunt? Nec certè, fatente ipſo *Carteſio*, æſtus hic Meridionalis, ſive de Meridiano Sole intelligatur, ſive de vaporibus ab intra Tropicos vi æſtûs Solis ibi impendentis excitatis, & ab Auſtro in Septentrionem uſque ad K dilatis, tantus eſt ut nubem K ità diſſolvat in vapores, quin ipſi naturæ ſuæ glacialis, etiam poſtquam formam venti induerunt, aliquantulum adhuc retineant. Quomodo igitur tam lentus ignis ac placidus, qui ſolvit tantummodo & liquefacit Nubem, nec tamen ità ut partes omnes glaciem penitùs exuant, in tantum poteſt furorem ac impetum ſolutos vapores excitare?

8. *Examinatio aliquanto accuratior quartæ & ultimæ.*

Et quod eos vapores attinet qui finguntur aſcendere à B L, & ſublati ad M tanquam aqua fervens ſuperinfundi nubi K, quò in vapores faciliùs ſolvatur, profectò hæc ſolummodo eſt præfervida quædam Ingenii Solutionibus Mechanicis nimiùm quantum dediti Imaginatio. Neque enim intra Tropicos adeò vehementer calet, propter ſuaviſſimam auram ab Ortu in Occaſum perpetuò ſpirantem, ut ille æſtus vivorum illorum carbonum quibus Æolipyla imponitur calorem æquiparet. Nec ſi pari agitatione moverentur quâ particulæ illæ quæ ex Æolipylâ, totâ ob ignem candenti, evolent, hanc agitationem ac calorem retinere poſſent ad centeſimam partem itineris quod ipſis ſuſcipiendum eſt antequam pervenire poſſint ad nubem K. Nam filum ferreum ignitum quàm ſubitò, aeri expoſitum, frigeat, quilibet poteſt notare. Et cùm hi vapores ſive particulæ aqueæ tam flexiles ſint & molles, indè etiam ſatìs manifeſtò apparet quàm ineptæ ſunt ad viam ſibi ſecandum per tam immenſum aerearum, hoc eſt, ramoſarum laciniatarúmve, particularum ſpatium. Etenim propter utrarumque mollitiem & implicatilitatem inter ſe, mutuos ſibi motus facilè ſufflaminabunt. Quomodo igitur brevi aliquot horarum ſpatio iter tot milliarium quot ſunt à B L per M ad K conficere poterunt?

Vide Fig. 64.

Poſtremò igitur, manifeſtum eſt quòd quicquid habent Venti Septentrionales aut impetûs aut velocitatis, quantum Mechanicas cauſas ſpectat, id totum acquirunt in ipſa Regione Septentrionali ab illo ſolo Calore quo ibi in nubes agit Sol. Qui quidem Calor quantillus ſit ſatìs ſuprà demonſtravi. Unde igitur, inquies, his ventis tam ingens ferocitas ac violentia? Certè nulla cauſa tanti furoris excogitari poteſt præter irritationem aliquam in *Spiritu Mundano* vitalem; qui Principii *Hylarchici* Paroxyſmus quaſi quidam videtur, quo tantam ſolutorum vaporum molem ipſi incumbentem diſcutit, eóque onere ad hunc modum ſe levat ac liberat.

SCHO-

SCHOLIA

In CAP. XXII. SECT. 4.

Quæ, obſecro, vel fingi poteſt cauſa ſufficiens Mechanica in tam tenuibus flexilibúſque particulis, *&c. Quæ vi ullâ ac impetu Mechanicè projici poſſunt, molem aliquam & ſoliditatem habere debent. Res verò parvæ ac leviculæ, quanquam certis quibuſdam caſibus, ut in Sclopetis pneumaticis, corpora dura & ſolida ad bene longum intervallum Mechanicè projicere poſſint, ipſæ tamen neutiquam ſic poſſunt projici. Quod ſatìs clarum indicium mihi videtur quòd particularum ventos violentos conſtituentium motus ab eodem principio proficiſcitur à quo lapſus lapidis deorſum,* à Spiritu *utique* Naturæ, *qui dictas particulas format, actuat, variiſque pro data occaſione modis atque gradibus movet. Lege hujus Capitis Sectionem octavam, & quæ ibi occurrunt, ſepoſito omni præjudicio, diligenter perpende.*

CAP. XXIII.

Demonſtratio decima-ſexta, à Fulmine & Tonitru.

1. *Ingenioſus* Carteſii *apparatus ad explicandum Phænomenon Fulminis & Tonitru.*

1. Pervenimus jam ad horrendum illud Phænomenon quod hominibus ſpectantibus audientibúſque tantum terrorem incutere ſolet & Religionem, ***Fulmen*** intelligo & ***Tonitru***, quemadmodum ſatìs graphicè ipſum deſcribit ***Lucretius***, de ***Rerum Natura*** lib. 5.

> ——*Quoi non conrepunt membra pavore,*
> *Fulminis horribili plagâ quom torrida Tellus*
> *Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum?*
> *Non populi gentéſque tremunt? Regéſque ſuperbi*
> *Conripiunt Divom perculſi membra timore,*
> *Nequid ob admiſſum fœdè dictúmve ſuperbè*
> *Pœnarum grave ſit ſolvendi tempus adactum?*

Quâ quidem ſive Religione, ſive Superſtitione, quàm officioſiſſimè poteſt videtur velle ***Carteſius*** per Mechanicas ſuas hujus Phænomeni Solutiones animos mortalium ſolvere. Quod certè quanquam ſolito cum ingenii acumine atque elegantia aggreditur; ſoliditas tamen hîc, ut in locis aliis pleriſque omnibus, deſideratur. Viam verò huic ſolvendo Phænomeno ſatis cautè tentat, & gradatim ingenioſéque præparat. Primò, rationem reddendo parvorum quorundam quaſi turbinum in angulo Foci excitatorum, cineréſque & feſtucas ibi in orbem contorquentium. Quod fieri aſſerit illapſo vento in Caminum per mediocrem Nubis in aere deſcenſum facto. Nam corporis lati deſcenſum Horizontalem ventum creare poſſe ex ſubito deſcenſu Veli colligit; Nubiúmque hujuſmodi deſcenſum ex volatu Hirundinum, quæ ante pluviam propius terram volant, ob muſcas quas captant per ventum hoc modo factum terram versùs depreſſas. Travadáſque tandem introducit tanquam nobiliſſimum hujus Nubium deſcenſûs & ſubſidentiæ exemplum, quandoquidem fiunt, ut ille opinatur, ex deſcenſu nubium & gravium & valde latarum amplarúmve, unde tam ingens oritur Tempeſtas.

2. *Concluſiones* Carteſii *undecim quibus naturam Fulminis & Tonitrui explicat & illuſtrat.*

2. His igitur ſic præmiſſis, ad ***Tonitru Fulménque*** explicandum ſe accingit tanquam quandam Tempeſtatis ſpeciem; hujúſque Phænomeni naturam ac proprietates hiſce undecim Concluſionibus illuſtrat.

Prima eſt, Quòd Tonitru fit cùm ex duabus nubibus è nive rara, & ut maximè expanſa, compoſitis, ſuperior ob calorem ponderoſior facta in inferiorem dilabitur.

Secunda, Quòd lapſus ſuperioris in inferiorem cauſa eſt fragoris illius qui in Tonitru auditur; quemadmodum magnarum molium Nivis devolutio à jugis ***Alpium*** ſoni cujuſdam Tonitruo non abſimilis cauſa eſt.

Tertia, Quòd Tonitru frequentius eſt in Æſtate quàm in Hyeme, propter defectum caloris in Hyeme qui ſuperiorem nubem liquefaciat.

Quarta, Quòd calor humens ac veluti ſuffocans, ſi Septentrionali vento ſuccedit, Tonitruum introducit, propterea quòd ventus ille calorem in regionem ſuperioris nubis abegerat, ipſéque poſtmodum erat expulſus ad regionem inferioris per vapores tepidos è terra calente egredientes.

Quinta, Quòd iſti vapores è calente terra egreſſi adeò rarefaciunt, extendunt ſurſúmque protrudunt nubem inferiorem per dilatationem Aeris ſubter exſiſtentis, ut ruentem ſuperiorem excipiat, ſiſtátq; eâ vi ac firmitudine, ut nullam illius partem patiatur versùs terram deturbari.

Sexta, Fragorem qui ex hoc lapſu fit ob aeris circumquaque poſiti reſonantiam exaudiri meliùs quàm illi ſtrepitus quos magnarum nivis molium à montibus in valles edit devolutio.

Septima, Quòd differentiæ fragorum Tonitrui oriuntur tum à ſuperioris nubis lapſu ſubito vel ſucceſſivo, celeri vel tardo; tum ab inferioris magnitudine vel parvitate, tenuitate vel craſſitie, & reſiſtentiâ deniq; majori vel minori.

Octava, Differentiam inter Fulgur, Turbinem & Fulmen ex diverſitate Exhalationum originem ducere inter nubes interceptarum, & nubium unius in alteram lapsûs. Etenim ſi Exhalationes multæ ſint & ſubtiles, faciléque inflammabiles, leviſſimus cujuſlibet nubis in alteram caſus Fulgur producere poteſt ſine fragore, etiam cùm nubes ità tenues ſint ut ſint nobis inviſibiles. Defectu verò interjacentium Exhalationum, unius in alteram nubium lapſus Tonitru poteſt gignere abſque omni fulgure vel coruſcatione.

Nona, Lapſum ſuperioris nubis in inferiorem ſucceſſivum, ſive per partes, Fulgura tantùm elidere & Tonitrua. Superior verò ſi tota ſimul in inferiorem ruat, Turbines producit & Fulmina: Turbines, ex defectu Exhalationum inter nubes interceptarum; Fulmina, ex earum copia, quæ in unum cumulum coeuntes, & ſimul cum ipſo Turbine in terram ruentes, ſic Fulmen componunt, & hujuſmodi, ſi ſulphureæ ſunt, quod ſolùm comburit corpora valde combuſtibilia; ſi ſalinæ, & quæ aquam fortem imitantur, quod ſolidiſſima etiam corpora comminuit & diffringit, laxioribus interim intactis & illæſis.

Decima, Quòd ſi penetrantibus his Exhalationibus multæ aliæ pingues immiſceantur & ſulphureæ, craſſioréſq; quædam præſertim, terræ quæ in fundis vaſorum aquam pluviam colligentium ſubſidat conſimiles, Fulmen in lapidem duriſſimum omnia obvia rumpentem & disjicientem converti.

Undecima & ultima, Fulmen denique loca edita faciliùs ferire quam humiliâ aut ob itineris obliquitatem, aut ob loci editi reſiſtentiam.

3. *Eorum quæ in apparatum à* Carteſio *proponuntur examinatio.*

3. Hæ ſunt præcipuæ ***Carteſii*** Concluſiones de natura ac proprietatibus ***Tonitrui*** ac ***Fulminis***. Quas jam ſingulas ad leges Mechanicas examinabimus, non prætermiſsâ quidem ipsâ ad has Concluſiones Præparatione. Mira enim mihi videtur ſenſibilitas ingenii ***Carteſiani***, quæ in foci angulo cineres & feſtucas ex mediocri nubis ſubſidentia vel lapſu ad maximam milliaris partem diſtanti in turbinem contorqueri poſſe præſagit. Eſto enim hæc nubes A, deſcendátque ad B versùs Caminum C; certè nullum ventum ciere poteſt qui impellatur in hujus Camini Spiraculum: non ſanè ſi propiùs accederet ad Caminum C, (quem ſub nube ſitum ſupponimus) propterea quòd is ventus qui fit deſcenſu nubis A circumcirca eliditur à centro nubis A ſive B versùs E & F, & conſimiles partes circumſtantes, curſu ad Horizontem ferè parallelo, eâ parte aeris quæ proximè deſcendenti nubi ſubjicitur recedente, reliquâ verò ipſam inter & Caminum quieſcente, ità ut nullus aer impelli poſſit deſcenſu nubis A in ſpiraculum Camini C. Nec certè in ſpiraculum Camini H & G ad tantam quâ nubes à terra diſſitæ ſunt diſtantiam, cùm curſus eliſi aeris per nubis deſcenſum, ut modò notavi, ſit Horizontalis: Unde eum Caminorum ſpiracula G & H ſupervolare neceſſe eſt. Præſertim cùm hujus nubis deſcenſum etiam admodum tardum eſſe oporteat, ut videre eſt in deſcenſu floccorum nivis, qui tamen multò ſunt ſolidiores maſsâ Nubis. Unde & ventis illis qui muſcas depellunt propius terram exortum hinc præcludi video. Nec eas Tempeſtates quas Travadas vocant ex his cauſis Mechanicis oriri poſſe ob deſcendentium Nubium tarditatem. Nam quamvis admodum amplæ ſint iſtæ nubes, ſunt tamen ejuſdem cum aliis conſiſtentiæ, ac proinde quò ampliores, eò tardiores deſcendunt, & dum cadunt aliæ in alias, ventúmque faciunt, aerem circumcirca explodunt curſu potiùs ad Horizontem parallelo quàm ad terram devergente. Adeò ut ſi hæc res

Fig. 63.



fiat Mechanicè, eæ naves quibus nubes maximè directò impendent minimam Tempeſtatis partem ſint ſenſuræ. Hæc breviter de Præparatione : ad ipſas Concluſiones jam progrediamur.

4. *Examinatio Concluſionum primæ & ſecundæ.*

4. Quod ad primam igitur attinet, Ex prædictis jam conſtat quàm incredibile ſit ut ſuperioris nubis lapſus in inferiorem Tonitru generet eo modo quo deſcribit **Carteſius**, quippe qui nè Ventum quidem creare poteſt, ut patet ex prædictis, ob tarditatem utique deſcensûs, ex levitate particularum nivalium ex quibus nubes componitur ipſiúſq; nubis poroſitate profectam. Nam **Carteſii** Exemplum de expanſo Velo huc non quadrat, cùm Velum corpus ſit valde ſolidum, firmum, grave ac compactum, ſi cum Nube conferatur. Quibus addas quàm improbabile ſit ut ſuperior nubes ponderoſior fiat per calorem quàm inferior, cùm inferior multò plùs expoſita ſit eis cauſis quæ calorem imprimant quàm ſuperior.

Quantùm ad ſecundam; Certè, ſi perpendamus quàm ingens fragor ſit qui in Tonitru auditur, eo uſque ut quidam indè exſurduerint, videtur planè impoſſibile ut lapſus unius nubis in aliam, cùm ex iſtiuſmodi minutis nivis flocculis & levibus conſiſtant, tam ſtupendum edat ſonum; non magìs profectò nec æquè facilè ac unius ſpongiæ in alteram caſus tam horrendos ſonos excitare poſſit. Et quod Inſtantiam ſpectat de ſtrepitu illo Tonitrali quem devolutio Nivis in **Alpibus** excitat, non eſt præſenti Cauſæ ſatis accommodata. Nubes enim nivalis non ſatis propè accedit ad conſiſtentiam, gravitatem ac firmitudinem illarum nivis molium quæ in **Alpibus** reperiuntur, multóque minùs inferior nubes ad ipſius terræ ſoliditatem, contra quam **Alpinæ** illæ Nivis moles deturbantur. Ut taceam de cavitate vallium, quæ proculdubio ſtrepitum auget.

Quamobrem miranda profectò erat imaginatio quæ **Carteſii** animum occupabat, quum putabat nubium lapſum unius in alteram adinſtar tabulatorum unius in alterum ruentium tam ſonoros ſtrepitus eſſe editurum, cùm certè multò pronius fuiſſet illi exſpectare ſonum non majorem, nec tam magnum, quàm quem magna laneorum flocculorum moles in aliam hujuſmodi molem cadentium ſit excitatura, cùm horum contextura nivalium flocculorum contexturâ multò ſit compactior.

5. *Tertiæ quartæq; Concluſionum examinatio.*

5. Ad tertiam reſpondeo quemadmodum reſpondi ad primam, Quòd ſi calor ſit ſufficiens ad liquefaciendam ſuperiorem nubem, erit etiam ſufficiens ad liquefaciendam inferiorem. Quod efficiet ut facilè ſubſidat à ſuperiori nube, ictúſque illius eludat. Præterea, quòd Tonitru frequentius ſit Æſtate quàm Hyeme, hoc non ex eo fit quòd ſuperiores nubes faciliùs tunc liquefiant quàm inferiores, ſed quòd vi Solis major tunc temporis Exhalationum copia è terra in Aerem aſcendat. Quemadmodum videre eſt ex crebritate Tonitruum circa Montes ignivomos in **America** & alibi contingentium, nempe quia illi montes tantam Exhalationum ſulphurearum copiam emittunt.

Ad quartam verò; Multò probabilius eſſe quòd ventus Septentrionalis Aerem humentem ſuffocantérque calidum antrorſum quàm ſurſum propelleret, tum quòd hic Aer ſuperiori Aere gravior ſit; tum etiam quòd vis propellens Horizonti ſit ferè parallela. Ut taceam quàm impoſſibile ſit ut Ventus integrum Aerem ante ſe propellat ità ut omnino locum mutet, ſed potiùs ut Ventus Aerem ſcindat volantibus illis particulis, tandémque ad morem corporum liquidorum ſe cum ipſo miſceat. Unde illa fieri poteſt Aeris ad tempus frigefactio ob Boreales particulas in eum introductas. Mox verò calore adventitium frigus vincente, poteſt iterum Aer intenſiùs ſuffocantiúſque calefieri quàm antea : ut novum pabulum ad tempus ignem opprimere poteſt, poſtea verò majorem flammam excitare. Unde nihil opus eſt ut fingamus ventum hunc Septentrionalem calidis quibuſdam vaporibus è terra ſurgentibus versùs inferiores nubes abactum eſſe, ſed potiùs quòd aut ipſe, aut ſaltem frigidæ quas introduxit particulæ à calidis his vaporibus victæ ſunt, omníſque aer à terra uſq; ad nubes ſuffocanti quodam calore imbutus.

Sed & præterea, Mira ſanè vis hìc attribuitur Vaporibus à terra aſcendentibus, qui ſurſum trudant ad nubes ventum tam ſtrenuè ſpirantem, & ità interim Vaporibus pervium, ut facilè per ipſum tranſire poſſint, aut ab ipſo in unum motum rapi. Certè ſi hi vapores tam denſis agminibus aſcenderent, támque fortiter moverentur, ut protrudere poſſint ventum Septentrionalem uſque ad inferiores nubes, ipſi tantus futuri eſſent ventus, ut omnia levia & ſoluta ſecum ſurſum eſſent abrepturi. Quod tamen nemo, quod ſciam, obſervavit in hiſce circumſtantiis.

6. *Examinatio quintæ & ſextæ.*

6. Ad quintam; Quòd ſtupendum ſanè illa nobis exhibet Paradoxon, nempe, quòd diſtenſio & rarefactio Aeris ſubter inferiorem nubem in cauſa ſit cur tam firmiter excipiat ſtrenuéque ſiſtat ſuperioris nubis lapſum, ſic ut nihil illius in terram cadere permittat. Quantò enim magìs rareſit corpus quodvis liquidum, eò faciliùs in ipſo ſubſidit quicquid eſt ponderoſum, expeditiúſque per ipſum tranſit. Adeò ut ipſum Mare ob calidarum Exhalationum è ſuo fundo eruptionem efferveſcens & rarefactum naves

onuſtas exinopinato obruerit. Sic enim, anno 1531, in magno illo *Luſitaniæ* terræmotu, Mare ibi multo & fervente ſpiritu tumidum & rareſcens multarum navium oneri ſuccubuit, hauſitque in profundum, quemadmodum commemorat *Libertus Fromondus* in *Meteorologicis*. *Carteſius* tamen ad eundem ferè modum philoſophatur in Pareliorum deſcriptione. Nam ingentem illum Annulum glacialem in quo Parelii apparent ſuſtentari facit ſolo vaporum aſcenſu. Heu quàm credula res eſt hæc Mechanica Philoſophia!

Lib. 5. cap. 1. Artic. 10.

Ad ſextam reſpondeo, Quòd adeò tenuis & laxus eſt Aer ſupernus inter nubes, adeóque nullis clauſus terminis, laquearibúſve teſtudineatus, ut nulla omnino comparatio inſtitui poſſit inter devolutionem *Alpinæ* nivis in valles, & lapſum ſuperioris nubis in inferiorem, quo hujuſmodi fragor tonitralis elidatur.

7. *Examinatio ſeptimæ & octavæ.*

7. Ad ſeptimam verò, Quòd ſi lapſus unius nubis in alteram poſſit quicquam omnino mutuâ earum alliſione conferre ad hujuſmodi horrendos fragores excitandum, tum certè differentia horum tonitralium ſtrepituum rectè poſſit reſolvi in differentiam talium cauſarum. Veruntamen cùm adeò difficile ſit intellectu quomodo illæ ullum omnino ſonum, ad eam præſertim diſtantiam, audibilem ciere poſſint, differentiam ſonorum tonitralium eis quidem cauſis aſſignando fruſtrà profectò laboramus. Cæterùm interea dum differentia horum ſonorum agnoſcitur conſiſtere in diverſitate modificationum unius alicujus cauſæ generalis, ſi quædam ſpecies vel modificationes effectûs hujus generalis cauſæ vim excedant, indicium eſt nullas ſtrepituum tonitralium ſpecies ab hac generali cauſa, nubium ſcilicet colliſione in ſe invicem, originem ducere. Et ſanè quidam Tonitrui fragores tam ſupra modum vehementes ſunt & acuti, ut ſi ex unius nubis in alteram lapſu proficiſcerentur, impoſſibile videretur quin ſuperior inferiorem nubem in terram ſecum continuò deturbaret, cùm ſoni vehementia tantam vim ac celeritatem motûs indicet.

Ad octavam; Admodum improbabile videri ut ſuperior nubes tantam Exhalationum copiam versùs inferiorem nubem dilapſu ſuo ante ſe propellat, tum ob tarditatem caſûs, quam neceſſariò fieri ſuprà probavi, tum ob poroſitatem vel laxitatem nubis, tum denique ob procurſum undique aeris ſubter nubem deſcendentem, venti formam induentis, & proſilientis undique à centro inferioris ſuperficiei nubis, Exhalationéſque ſecum rapientis. Nam dum Nubes A deſcendit versùs nubem B, Aer recedit à centro, putà, infimæ ſuperficiei I versùs K & L; & ſic circa totam nubem à medio I eliditur Aer, & cum ipſo ſi quæ ſunt Exhalationes, ità ut pauciſſimæ poſſint protrudi uſque ad Nubem B. Præterea, æſtivis noctibus tot repetuntur fulgurationes ab eadem cœli parte, ut non ſit veriſimile tot fieri poſſe nubium lapſus intra tantillum cœli temporiſq; ſpatium; ſed eſſe confluxum quendam Exhalationum in illam partem, quaſdámq; quaſi ad Paroxyſmos futuros præparationes, & materiæ onerantis per certa intervalla ſpiramentáque temporum diſcuſſiones & matureſcentias * à *Mundano ſpiritu* factas, non multùm fortè abſimiles ſternutationibus Animalium. Et poſtremò notandum eſt, cùm ſtrepitus tonitralis tam rarò accidat ſine coruſcatione, quod non ſit colliſio nubium, ſed celerrimus materiæ inflammatæ curſus, qui tam ſubitò Aerem ſcindit, quæ cauſa eſt ingentis illius fragoris in Tonitru. Nam in quibuſdam ignibus tam qui è lignis quàm qui è carbonibus fiunt ipſa flamma hujuſmodi ſtrepitus tonitrales imitatur.

Fig. 63.



8. *Nonæ, decimæ & undecimæ examinatio.*

8. Ad novam verò; Quæro, ſi Turbo generetur è caſu totius ſuperioris nubis in inferiorem ruentis ſemel, cur non ille fragor Turbines etiam comitatur? aut quomodo fieri poteſt quin & hinc clarè pateat quod fragor non oriatur è nubium colliſione, ſed ex celerrima craſſioris aeris ſciſſione per materiam inflammatam?

Quæ materia inflammabilis in cumulum cogi non poteſt per nubis ſuperioris lapſum in inferiorem, propter perpetuum illum ventum deſubter medium nubis undique exſilientem. Qui facit etiam ut partes extremæ nubis non deflectantur ab A in C & D, quemadmodum ſupponit *Carteſius*, ſed retorqueantur potiùs ſurſum versùs I & K, præſertim cùm propiùs accedunt ad nubem B, propter dictum ventum in omnes partes proſilientem, & tunc à nube B ſurſum reverberatum. Adeò ut ſi ſuperior nubes ullas Exhalationes ſecum deferre poſſet uſque ad CED, non poſſet tamen in eum cumulum illas colligere versùs E. Qui igitur affectus altiori alicui cauſæ eſſet imputandus.



Fig. 64.

Et quod ſalinas illas particulas ſpectat ex quibus illud Fulmen conflatur quod gladium in illæſa vagina liquefacit, * quæ, obſecro, cauſa Mechanica excogitari poteſt in Aere libero laxiſque nubibus quæ tam levia corpuſcula tam forti ac obſtinato impetu contorquere poteſt, ut Ferrum Chalybémve ad eam diſtantiam penetrent, ſubitóque liquefaciant? Quod non eſt credibile eas præſtare poſſe ex anguſtiis Tormenti bellici exploſas. * Eſt igitur mordax illa pungentia harum particularum & acrimonia quæ tam fortes celeréſque irritationes & diſcuſſiones in *Spiritu Mundano* ciet, omniáque peraguntur juxta certas quaſdam leges Vitæ quæ Principio *Hylarchico* inditæ ſunt à primo rerum Autore & Conditore Deo.

Ad decimam; Quòd generatio illa duriſſimi lapidis in nubibus Mechanica fieri non poteſt, cùm nulla iſtiuſmodi ſit aut propulſio Exhalationum per nubem A uſque ad nubem B, aut convexitas lapſûs nubis A in nubem B, devergens utique ab A in C & D, quâ in unum cumulum particulæ tum ſalinæ, tum pingues & ſulphureæ, tum denique craſſiores illæ magíſque terreſtres, colligantur; ſed earum tranſmiſſio in unum locum & affluxus eſt ab *Hylarchico*, quod ſæpius dixi, Principio, cui certæ leges Vitæ ab æterna Sapientia inditæ ſunt, quæ omnes modos & formationis & motûs & fixationis indurationíſque particularum, earundémq; coalitionis inter ſe invicem, continet.

De undecima denique & ultima non multùm contendo: Quanquam parùm video quomodo Fulmen G loca edita, cujuſmodi ſunt H & L, frequentiùs feriat quàm humilia, cùm Planities perquam multò ſint ampliores quàm loca edita. Nec ſatis intelligo reſiſtentiam quam Turris L facit contra nubem B, quâ dehiſcat ad F potiùs quàm ad C vel D. Solet enim ſæpenumero per anguſta viarum ventus quidam, aut ſaltem aura, ſpirare, quæ igitur potiùs ſuſtentare poſſit & corroborare fundum nubis B, quàm ad ullam diruptionem & dehiſcentiam eum diſponere. Sed cùm parùm extendatur hæc anguſtia ſubter nubem DFC, & diſtantia nubis à Turre L tam magna ſit, ingenuè fateor me non videre quì fieri poſſit, aut ut multùm corroboretur fundus nubis BFC, aut ut Turris ad eam diſtantiam ipſi reſiſtat. Quòd autem curſus Fulminis ſit vel obliquus, ut à G ad H, vel directò deorſum, ut ab F ad L, id acceptum referendum eſt inflammatæ materiæ terreſtri gravitati; cujus cauſas non eſſe purè Mechanicas ſuprà ſatis demonſtravi.

9.
Quòd Phraſis Scripturæ & opinio vulgi de Iride & Tonitru propiùs accedunt ad veritatem Philoſophicam quàm ipſa Mechanica Philoſophia.

9. Atque hæc breviter de Concluſionibus *Carteſianis* de Phænomeno Tonitrui & Fulminis: quæ quàm curtæ ſint & inhabiles ad aperiendam denudandámque veram hujus Phænomeni naturam, ſatìs, opinor, ex dictis jam perſpicuum eſt. Quemadmodum etiam antea apparuit de *Nubium* natura, *Ventorum*, *Pluviarum*, & *Iridis*. De quorum tamen Phænomenôn ſolutione Mechanica adeò ſibi ſecurus videbatur *Carteſius*, ut auſus ſit, quod ſuprà innui, triumphum agere ante prælium & victoriam, ſuavitérque ſubridere rudem eorum hominum Religionem qui *Divinam* Potentiam tam abjectis rebus & contemptibilibus intermiſcent; quaſi ſola Materia Motúſque Mechanicus hæc omnia ſuis propriis viribus præſtare poſſent. Cùm tamen nullus dubitem quin poſſim demonſtrare opiniones Vulgi hiſce de rebus propiùs ad accuratam earum philoſophicámque veritatem accedere, quàm hanc nimiùm nunc dierum decantatam Philoſophiam Mechanicam: & quòd hominem Philoſophum deceret magìs *Tonitru* cum ſacris Oraculis *Vocem Dei* appellare, & *Siracidis* verba de *Iride* cum admiratione uſurpare, [*Contemplare Arcum, & benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ: manus Excelſi extenderunt eum,*] quàm ſtatuere hæc & ſimilia Phænomena è cauſis purè Mechanicis oriri ſolere, eáſque ſe in medium proferre poſſe profiteri. Sed nolo me tam prolixæ Digreſſioni committere. Ad Plantarum Animaliúmq; corporum ſtructuras propero.

SCHOLIA

SCHOLIA

In Cap. XXIII. Sect. 7.

A Mundano Spiritu factas non multùm fortè abſimiles ſternutationibus Animalium. *Ridebunt fortean ſcioli quidam & naſutuli ad inopinatam hanc noſtram hujuſmodi fulgurum αἰτιολογίαν à rebus animatis petitam. Neque equidem ipſis facilem hanc ſuam hilaritatem ac jocularitatem invideo. Ipſe tamen interim de abſurdo ac præpoſtero Philoſophorum præſentis ſeculi ſtudio haud immeritò in Adnotamentis conqueror, quòd cùm ex ſpiritu conſiſtant perinde atque corpore, omnes tamen ſuas philoſophandi menſuras à corpore, hoc eſt, à ſubſtantia corporea ejúſque modis & affectionibus ſumunt, nullas à Spiritu ſubſtantiáve incorporea. Cùm tamen proculdubio ſubſtantia materialis ſine Spirituali nihil fermè eſſet nulláſq; Phænomenôn varietates nobis exhiberet, multóq; minùs tam ordinatas, & ad tam pulchrum finem collineantes. Vide Adnotamenta in* Difficiles Nugas, *Adnot.* 37. *Nos verò cùm tam multis iiſque validis argumentis exiſtentiam* Spiritûs Naturæ, *in genere demonſtraverimus, Mundanámque Materiam animâ ſaltem plaſticâ actuari, nemo profectò nobis vitio vertere debet ſi interdum Phænomena Naturæ particularia particularibus aliquibus rerum Animatarum affectionibus illuſtramus.*

Sect. 8. Quæ obſecro cauſa Mechanica excogitari poteſt in aere libero laxíſque nubibus quæ tam levia corpuſcula tam forti ac obſtinato impetu contorquere poteſt, *&c. Equidem res ſtupenda eſt ſi quis attentiùs conſideret, & quæ fieri nequit ex ſola excitatione illius partis Spiritûs Mundani à qua dejiciuntur hæc corpuſcula, ſed per continuatum conſenſum in quem rapitur idem ſpiritus, per totum ferè tractum per quem excurrunt hæc corpuſcula ad ſcopum.*

Eſt igitur mordax illa pungentia harum particularum, & acrimonia, *&c. Hîc rurſus opera Naturæ ſimilitudine à rebus animatis accerſitâ illuſtramus, idque nos rectè facere contendimus, quippe quum Mundana Materia à* Spiritu Naturæ *vitaliter actuetur. Et certè quamvìs vitâ actuaretur tantùm plaſticâ, pungentia hæc particularum & acrimonia rectè intelligi poſſet iſtiuſmodi fortes celeréſque irritationes & diſcuſſiones in* Spiritu Mundano *ciere. Quod enim per voluntatem percipientis non fit, immò contra voluntatem illius, poteſt quidem nec à voluntate nec à perceptione dependere, ſed ex mera* vita plaſtica *neceſſariò emergens utraſq; antevertere. Quòd autem percipitur dum emergit, id ſanè ſuperadditum quiddam eſt, nulláq; eſt ex ipſa natura rei, neceſſaria inter illa, connexio. An verò Deus perceptionem, obſcurámve aliquam ſenſationem quâ* vitales *iſtæ irritationes & diſcuſſiones percipiantur,* Spiritui Naturæ *ſuperaddiderit, equidem nihil neceſſe eſt determinare. Quiſque, per me licet, ſenſu fruatur ſuo. Eſſe verò* Spiritum Naturæ *à Materia diſtinctum, vi* plaſticâ vitalíque conſenſu *præditum, neminem latere poteſt qui oculos contra veritatem datâ operâ non claudit.*

Sect. 9. Et quòd hominem Philoſophum deceret magìs Tonitru, cum ſacris oraculis, vocem Dei appellare, *&c. Quanto contemptui hoc effatum futurum ſit Giganteis noſtris Philoſophis è Schola Mechanica, facilè prævideo, nec muto tamen ſententiam. Non quòd exiſtimem ullum decere Philoſophum Tonitru vocem Dei propriè dictam, affirmare; ſed qui ſic in genere appellant, propiùs ad veritatem Philoſophicam accedere quàm ii qui tales hujus Phænomeni cauſas Mechanicas afferunt, quales magnum illum Mechanicum* Carteſium *(& tamen quod ſuprà adnotatum eſt, non ſine tacita deriſione Religionis vulgi) haud puduit afferre. Quibus tamen nihil magìs abſurdum aut impoſſibile eſſe abunde demonſtravimus.*

Omnes verò Philoſophi qui non in fæce materiæ impuróq; luto jacent, cùm æternum λόγον, λόγον θεοῦ ἐνδιάθετον agnoſcant, quid magìs Philoſophicum eſſe poteſt, quàm ut Spiritum Naturæ *λόγον θεοῦ προφορικὸν pariter admittant? qui in* Phyſicarum Monadum *abyſſum ſic emiſſus ſit ut vox humana in externum aerem. Utque voce humanâ aerem talibus articulatis modis movente varias mentis alicujus hominis affectiones notionéſque cognoſcimus, ità* Spiritu Naturæ Phyſicarum Monadum *abyſſum in varias figuras motúſque modificante Divinæ itidem mentis, quæ eſt Dei λόγος ἐνδιάθετος, varias rationes tum Bonitatis tum Sapientiæ illius intelligimus, ità ut ſingulæ leges vitales* Spiritûs Naturæ, *dum in materiam agunt ejúſque partes modificant, tot quaſi voces ſermonéſve ſint ab* interno Dei verbo, *æternóve* logo *divinitùs nobis emiſſi.*

Ad quem planè ſenſum, ἐξάστιχον *illam Hortatiunculam ad rectam philoſophandi rationem (quam olim cùm admodum juvenis eſſem compoſui ipſéque mihi in proprium uſum dictavi) optimè nunc intelligendam cenſeo :*

Ἐκ θεοῦ ἦν ὁ λόγος κ' αὐτὸς θεός, ἐκ δὲ λόγοιο
Τοῦδ' ἑνὸς ἐν κόσμῳ μυρίοι εἰσὶ λόγοι.
Ἡμεῖς δ', ὡς Νείλοιο βαρυγδούπου ποταμοῖο
Ἐνναέται, ἱερῷ κωφεόμεθα κελάδῳ.
Κλῦθι δ' ἐμὸν φίλον ἦτορ, ἐπὴν ζαθέοιο χοροῖο
Ἠθῆς, εἰσαΐον τὴν μελίγηρυν ὄπα.

Hanc ego etiamnum adoleſcens optimam philoſophandi rationem cenſebam, nec, ſatìs grandævus jam factus meliorem invenio, confirmatior indies evadens, non neceſſitate aliquâ Mechanicâ ſed per iſtos μυρίους λόγους *per innumeras illas* vitales *& quaſi vocales Leges Rationéſque ſpermaticas* Spiritui Naturæ *ab interno Dei verbo æternóve Logo inſitas, omnia Naturæ Phænomena concinnari. Adeò ut omnes veri Philoſophi dum Phænomena Naturæ attentiùs conſiderant, ipſam* Divinam Sapientiam *per vitales* Spiritûs Naturæ *in materiam operationes, ſecum colloquentem intelligant. Quæ profectò optima & jucundiſſima eſt philoſophandi ratio, ut quæ veriſſima eſt & amorem præterea erga Deum ac reverentiam ciet. Cùm è contrà Mechanica iſta falſiſſima ſit & arrogantiam inſuper pariat in Mechanicis Philoſophis inſulſiſſimam, quaſi rationes tenerent quibus Materia (tantâ ſolummodò ſuppoſitâ motûs menſurâ, quantam jam habet) ſeipſam in Mundum hunc, cum omnibus ſuis partibus, pulcherrimum formaret. Cùm tamen interim ità delirent ut vocem Tonitrui conſimili modo fieri autument, atque quando Tabulatorum ſit aliorum in alia delapſus, quo tamen nihil fingi poteſt magìs ridiculum aut puerile & ab omni Philoſophica ratione magis abſonum aut alienum.*

Quamobrem ex prædictis quidem facilè conſtare poteſt hominem Philoſophum magìs decere Tonitruum vocem Dei *appellare (cùm omnia Naturæ* ἐνεργήματα *juxta generalem rationem ſuprà expoſitam illius voces ſint, Tonitruum verò tum quòd vocale quid ſit, tum ob vocis majeſtatem præter cætera ſic mereatur nuncupari) quàm tam frigidas ac abſurdas hujus Phænomeni cauſas Mechanicas non pudere proferre.*

CAP. XXIV.

Demonſtratio decima-ſeptima, à ſtructura corporum Plantarum & Animalium.

1. *Quid in cauſa eſſet quòd in ſimpliciſſimis illis Phænomenis expendendis tamdiu immorati ſumus.*

1. QUàm ineptæ atque impares vel ſimpliciſſimis Mundi Phænomenis gignendis cauſæ purè Mechanicæ ſint ſine omni alio adminiculo, abunde jam vidimus. Unde meritò quivis admirari poteſt eorum hominum vecordiam ac dementiam qui, tametſi tam manifeſtum ſit quòd iſtæ cauſæ tantillùm valent in his minimis facillimíſque, ut primâ ſpecie apparent, Naturæ effectis, tamen ὥσπερ ὀνείροις πετόμενοι, adeò ſuâ Mechanicâ confidentiâ elati ſunt & turgidi, ut omnia omnino Phænomena quæ in Univerſo occurrunt in rationes merè Mechanicas reſolvi poſſe *ſomnient*, nè Plantarum quidem corporum ſtructuris Animaliúmve exceptis.

Quæ quidem Phænomena quantumvìs in ſe ſint contra hanc Mechanicam Philoſophiam Argumenta longè omnium illuſtriſſima validiſſimáque; tamen ob multifariam compoſitionem ſpiſſámq; magìs ac perplexam diverſarum rerum in ipſis contexturam, ut nec tam facilè eorum ratio Mechanica reddi poteſt, ità nec tam dilucidè, plenè præciſéque refutari, ſaltem non niſi multò majori cum labore ac molimine. Sed in ſimplicioribus illis Phænomenis omnia, cùm pauca ſint, adeò ſunt intellectui noſtro perſpicua & pervia, ut nullus dubitandi locus relinqui poſſit, quin plenam de illis reportaverimus victoriam, Mechanicáſq; rationes in aciem inductas omnes ad internecionem uſque ceciderimus. Quæ certè ſola cauſa erat quòd tamdiu in illis immorati ſumus, multò breviores in his compoſitis Phænomenis futuri.

2. *Quòd in compoſitioribus Phænomenis Finis opportuniùs ur-*

2. Quorum perfecta contextura quamvìs tam facilè nobis non pateat, nec proinde præciſa illa ac palpabilis in ſingulis partium lineamentis Legi alicui Mechanicæ repugnantia; tamen cùm partium organicarum uſùs finíſque tam clarè nobis innoteſcat, hâc profectò ratione ut tractatu forſan haud minùs facilia, ità ad retundendam Mechanicorum

getur quàm contexturæ partium Legi alicui Mechanicæ repugnantia.

corum Philoſophorum audaciam ac confidentiam, aut ſaltem ad muniendos aliorum animos contra deliram illam fœdámque de Materiæ Motûſque Mechanici viribus credulitatem, multò futura ſunt efficaciora. Sed tam immenſus mihi hîc aperitur philoſophandi campus, ut de nulla re adeò ſolicitus eſſe debeam quàm de dicendi brevitate. Capita igitur aliquot rerum tangemus potiùs aut nominabimus, quàm res ipſas tractabimus, cùm breves hæ levéſque ſuggeſtiunculæ ſufficiant ad totam Argumenti vim intelligendum, quæ perpetuò Principium aliquod conſilii rationiſque particeps indigitabit, cui ſoli competere poteſt Finis alicujus, aut Mediorum ad finem, deſtinatio.

3.
Quòd Plantarum formatio, ipſarúmque Specierum invariata propagatio, Principium aliquod incorporeum arguit.

3. Primò igitur, Præterquam quòd ipſa partium Plantæ coaleſcentia & concretio Mechanicarum legum vim planè excedit; pertinax illud præterea obſtinatúmque propoſitum atque inſtitutum perducendi eam à minuto aliquo laxóque ſemine ad talem formam tantámque magnitudinem quæ reperitur, putà, in Pinis, Quercubus, & id genus reliquis arboribus, omnium Mechanicarum cauſarum efficientiam videtur itidem longè ſuperare. Miranda enim res eſt quòd Planta ex tam laxo tenuíque primordio, tumultuantibus interim fortuitóque undique incurſantibus, ut creditur, particulis materiæ ſubtilis, tam ſtabili tenore exſurgat, (quaſi ſubſtantia Plantæ & ferreâ quadam firmitudine fixa ſimul eſſet, nec minùs tamen quàm aqua fluida,) quòd, inquam, eâdem ſervatâ partium naturâ & analogiâ, in immenſam molem excreſcat, nullâ impedita obſtructione meatuum, nec in ulla parte deſtinatæ formæ ac magnitudinis imminuta; ſed integras habeat, eáſque ferè infinitas, in longum porrectas venas fibráſque, cæteráſque partes Plantæ proprias, folia etiam fructúſque formâ conſtanti & eleganti porrò productos, nihil obſtante ingenti hâc (quæ neceſſariò fit per ſtupendam Plantæ accretionem) per omnes partes mutatione. Quæ facit ut Planta nè minima quidem ſui quæ olim erat pars ſit, & tamen eandem formæ partiúmque analogiam in hoc tanto rerum fluxu retineat. Denique, quod adhuc magìs mirandum eſt, quòd nec Species Arborum per tot tumultuarios materiæ caſus atque impetus in primis ſuis teneriſque rudimentis ſeminalibus ità lædantur alterentúrve, quin ſolitas formas figuráſve per tot innumera ſecula conſervent. Quod præclarum profectò indicium eſt harum rerum adminiſtrationem non cæcis ac fortuitis particularum corporearum motibus Mechanicis relinqui, ſed præeſſe Divinius quoddam Principium, eíſque præſidere.

4.
Alituram Plantarum Principium etiam arguere incorporeum.

4. Quemadmodum planè patere poteſt ex ipſa Plantarum Alitura: Quandoquidem impoſſibile videtur ut ſuccus alimentitius vi aliquâ purè Mechanicâ ad ſummitatem tam procerarum arborum aſcendat, cùm ſit ex ſe ſatis certè gravis conſiſtentiæ, nec tantus in arboribus calor inveniatur qui illum ità attenuet, agitet ac rarefaciat, ut præ ipſa agitatione ac tenuitate etiam per anguſtiſſimos meatus ſublimia petat. Et valvulas neſcio quas fingere quæ intromittant ſuccum aſcendentem, nec ſinant relabi, præſertim cùm nulla ſit cauſa ſufficiens Mechanica ad ſurſum propellendum ſuccum nutritium, deſipere eſt. Ut omittam, quàm ſit in poris tam arctis anguſtíſque ſupervacaneum. Prout videmus in tubulis illis vitreis, admodum exilibus ac longis, ſed nullas valvulas habentibus; in quos, ſi aquæ imponuntur, aqua ſtatim, contra omnes leges Mechanicas, ad magnam altitudinem aſcendit. Quod Experimentum *Carteſii* rationem Gravitatis Mechanicam funditus ſubvertit.

Vera autem Ratio præſentis Phænomeni reſolvitur in Leges Vitæ Principio *Hylarchico* inſitas, quem & *Spiritum Naturæ* ſuo loco appellabimus, utpote cujus opera procreandis alendíſque rebus vitalibus egregiè collocatur. Quamobrem ità comparatum eſt hoc Principium *Hylarchicum* ad uſum nutritionémque Plantarum ſaltem, ſi non Animalium, ut quod liquidum ſive fluidum eſt in quoſlibet longos admodúmque anguſtos meatus protrudat, ſive ſurſum hoc fiat, ſive deorſum, ſive denique in tranſverſum, pro ſitu Subjecti ſuccíque protrudendi, ac pororum in quos protruditur. Ex Lege igitur hac Vitæ generali in *Hylarchico* Principio fit ut aqua etiam in ſubtiles illos tubulos vitreos aſcendat, quamvìs illa Aere multò ſit gravior. Et illuditur quaſi Principio *Hylarchico* in hujuſmodi Experimentis, ut Vitulo vel Agno, quando admotum labiis pollicem digitúmve pro matrum papillis ſugunt.

Fruſtrà, fateor, aſcendit Aqua in vitreos tubulos, cùm non ſint Plantarum meatus, ut fruſtrà viſum eſt ſuprà *Hylarchicum* Principium valvulam Epiſtomii *Recipientis* deprimere. Sed generalis hæc promptitudo ad impellendum ſuccos in anguſtos meatus non eſt fruſtrà, ſed quàm maximi ſanè momenti. Cujus legis conſtantia propoſitíque pervicacia etiam in ludicris hiſce Experimentis, jocoſíſque Principii *Hylarchici* illuſionibus, non ſine ſeria quadam animi oblectatione ac voluptate à viris ſapientibus ſpectatur.

5.
Quemadmodum & ipſarum Pulchritudo & Utilitas.

5. Sed diutiùs hîc hæſi quàm inſtitui. Satis fuiſſet curſim duntaxat indigitâſſe conſpicuam illam congruitatem quam habet florum Plantarum, foliorum fructuúmque Pul-

chritudo cum Anima intellectuali, quæ pulchritudinis amans eſt, cognationémque ſuam cum debita ratione ac ſymmetria, ubicunque emicuerint, agnoſcit; réſque ità conſtitutas non caſu, nec fortuitis cæcéve neceſſariis particularum corporearum occurſationibus coalitionibúſque, ſed à Principio tandem aliquo ratione conſilióque prædito, profectas autumat. Quibus addas Plantarum ad Cibum, ad Potum, ad Medicinam, & ad exſtruenda Ædificia, uſum manifeſtum: Semen porrò ad ipſarum propagationem, & Signaturas denique ad virtutum ipſarum indicationem, & ad Univerſi ornatum oblectationémque oculorum ſplendidos in floribus colorum nitores, variáſque figurarum Animalium aliarúmque rerum imitationes ac luſus; &, inter cætera, conſtantem Graminis virorem, qui maximi profectò momenti eſt ad demulcendos reficiendóſque oculos, & ad radios Solis, qui ab aliis coloribus reflexi nimis ferociter viſum feriunt, in mitiorem quendam ſplendorem mitigandos. Nec, poſtremò, præterire debemus generalem illam ac inſignem Lini Cannabíſque utilitatem, quæ non ſolùm Indumentis materiam ſuppeditant, ſed in re Nautica præſertim & Agricultura magnis multíſque vicibus funguntur in longos robuſtóſque funes ac rudentes contorta; adeò ut ab his ferè omnis vectionum pendeat negotiatio, graviſſimorúmque ponderum in hanc vel illam partem tractio: cùm tamen per glutinum illud merè Mechanicum, quale fingit *Carteſius*, nullæ duæ *Monades phyſicæ* ſatìs firmiter inter ſe cohærerent, quamvìs nulla vis ipſas tentaret divellere. Atque hæc breviter de Plantis.

6.
Structuram Animalium, Partiúmq; ad inſtinctus ipſorum naturales adaptationem, idem Principium arguere.

6. Pari parcitate ac brevitate, cùm hæc ſint tam obvia, corporum Animalium ſtructuras percurremus; externas utplurimum, aliquando internas. Eſt autem hoc ſummopere notandum, quòd corpora Animalium, cùm multis aliis modis conſtrui potuiſſent, & tamen eis ſic conſtructis ipſa Animalia vivere & ſubſiſtere, ità nunc quidem conſtructa ſunt, ut optimè commodiſſiméque vitam juxta ſuas ſingula ſpecies tranſigere poſſint. Quod manifeſtiſſimum eſt indicium ea non orta eſſe ex fortuitis Mechaniciſque particularum concurſibus, ſed à Diviniori aliqua vi compoſita & ordinata. Etenim quis non videt ea Animalia quæ aures oculóſque habent meliùs ſe habere ex eo quòd binos nacta ſunt oculos auréſque quàm ſi ſingula uno duntaxat oculo unâque aure inſtructa eſſent, quomodocunque poſitis? Nam bini oculi auréſque ſic poſiti ut ſunt, multò plus habent in ſe utilitatis, ſecuritatis & pulchritudinis. Et quod Animalia quadrupedia ſpectat, annon multùm præſtat ut ſic ſint, quàm ut tres duntaxat pedes habeant, aut plures quàm quatuor, quinque putà vel ſex, medióſque binos extremis breviores & pendulos, ut equo inſidentis pedes inter pedes equi? Nihil itaque horum tam ineptè admiſſorum eſt in univerſis Naturæ operibus.

Præterea, ex eo quòd Animalium ſtructura peculiaribus vitæ ſingulorum inſtinctibus atque uſibus adaptata eſt & accommodata, luculentum eſt argumentum hanc rem non geri caſu, juxtáve cæcas Mechanicæ leges, ſed ab altiori aliquo Principio adminiſtrari ac perfici. Hinc enim eſt quòd Plantæ genitalibus carent, Animalia verò ipſis inſtruuntur: quòd Beſtiæ mammas habent, Aves non habent: quòd Aves pedibus gaudent, non item Piſces: quòd Gallus calcaria, eáque aptè (id eſt, retro) poſita, & in acumen ſurſum aliquantulùm reflexa habet; Columbæ verò aliæque Aves pacificæ nulla: quòd Aves rapaces ac carnivoræ uncis roſtris præditæ ſunt, aliæ rectis: quòd ipſæ brevia colla habent; illæ verò quæ aquas frequentant longa, quibus pro arundine piſcatoria, ut ludit *Ariſtoteles*, utuntur, roſtris verò pro linea & hamo: quòd illæ quæ uncis roſtris ſunt præditæ γαμψώνυχοι inſuper ſunt, hoc eſt, quæ uncis itidem gaudent unguibus; & ex aquaticis, quòd eæ quæ natant mediocrem pedum longitudinem habent, palmipedéſque naſcuntur; quæ verò non natant, ſed prædæ causâ vadant, & fiſſipedes ſunt, & pedes inſuper habent admodum longos; ut Talpa breves, caudámque itidem brevem, quamvìs è Murum genere eſſe videatur. Sed partes prolixas & exſtantes, nec neceſſarias, non oportet habere Animal quod viam ſibi ſecat per terram, ut alia Animalia, incedendo, per aerem aquámve. Ad quem igitur uſum modúmque vitæ crura Talpa habet breviſſima, unguéſque acutiſſimos, palmáſque pedum anteriorum cavas latáſque, quibus tanquam palis celeriter terram effodit & à ſe utrinque ſubmovet ater hic & ſubterraneus foſſor, ad fodinas æternùm damnatus, dum interim in Aere ſpecioſus Pavo, ad pompam ſuperbiámque natus, ingentem trahit caudam gemmis auróque mirificè nitentem.

7.
Quòd vel Pavonis contemplatio Mechanicos Philoſophos è veterno ſuo debet excitare.

7. Quod unum ſpectaculum meritò poſſit Mechanicis Philoſophis veternum excutere, papaveroſúmq; ſuum de Materiæ Motûſq; Mechanici viribus inſomnium. Nam præterquam quòd hujus Animalis corporis fabrica ingenio ità congrua eſt, ſplendida nimirum & magnifica pompam affectanti & gloriam, (nam gemmantes laudatus expandit colores, quemadmodum commemorat *Plinius*, ídque adverſo Sole maximè, quia ſic fulgentiùs radiant;) tota præterea Avis forma in ſe conſiderata tam elegans eſt &

nitida, ut nemo mentis compos è fortuitis & tumultuariis particularum motibus tam pulchrum ſpectaculum coaleſcere exiſtimet: neque ſanè ſi vel ſolam Pavonis Caudam contempletur, tam amplam, tam ſplendidam, & tam ordinatim in rotam extenſam ut omnes illi ſplendentes oculi ſtellæve gemmantes gradatim è centro una ſupra alteram ad extimam uſque rotæ apſidem emergant, alterâ interim caudâ ſubtercreſcente ſuperadditâ, & pretioſum hoc ſplendidúmq; Aulæum ſuſtentante, ad id ſolum muneris, ut videtur, cùm ipſa ſatis fuſca ſit & obſcura, à Natura deſtinatâ.

Et tamen adhuc ſupereſt quod in majorem admirationem animum tuum rapiat; nempe, vel ſingularis alicujus è Pavonis cauda gemmantis pennæ examinatio, ſi quanto artificio ac ſolicitudine amabiles illæ Ellipſes è laxis iſtis filis utrinque è pennæ ſcapo enaſcentibus conſtituantur attentè obſervaveris. Nam cùm multa ſint & à ſe invicem independentia, tamen reſumptis omiſſiſque aliquando plùs octies decieſve per debita intervalla coloribus, in unum oculum lampadémve gratiſſimis colorum variationibus ellipticè diſtinctam, deſtinatiſſimo quaſi conſilio, ab utraque parte perquam aptè tandem conſpirant. Cùm tamen nulla vola aut veſtigium in cauſis purè Mechanicis inveniendum ſit rationis hujus tam conſpicui atque admirandi effectûs. Imò verò nec exquiſitiſſimi illius artificii quod in qualibet Avium penna plumáve reperitur. Sed his non eſt immorandum.

I nunc, Philoſophe Mechanice, &, poſtquam Mechanicum unius pennulæ artificium tam diſtinctè ignoras, totos Mundos ex proprio cerebello Mechanicos conde; vel potiùs exue abſque mora turpem illam Mechanicam credulitatem omni plumâ pappóve leviorem.

8. *Quemadmodum & Oculorum fabrica ac ſitus;*

8. Quod ſi ſtatim non facias ac lubens, extorquebit tamen hoc tibi tandem proprii tui Corporis ſtructuræ contemplatio, tam manifeſtò ad commodiſſimos vitæ uſus omnes illius partes concinnantur ordinantúrque. Fac igitur periculum in parte qualibet, (immenſum enim eſſet omnes conſiderare,) ut v. g. in Oculo. Annon eorum Numerus, Situs & Fabrica talis eſt, ut nihil excogitari poſſit quo ampliùs perficiantur quantum ſpectat ad eorum vel ***pulchritudinem***, vel ***incolumitatem***, vel ***uſum***? Sed Pulchritudinem miſſam facimus, relinquimúſq; delicatis Poetarum ingeniis calamiſque, & hominum Amoribus deditorum, nè fortè materiam tam teneram mollémq; ſeveriori noſtro ſtylo violâſſe videamur. Notabo duntaxat quàm tutò ab omni injuria muniantur, quámq; apta ſit ad deſtinatos uſus eorum fabrica. Frons igitur ac Naſus eos à durioribus ictibus defendunt. Sed cùm tam tenera ſit res tantíq; momenti Oculus, nè minimum à minoribus rebus damnum capiat, ſudoris frontis deſcenſus interpoſitis Superciliis impeditur: Oculorúmque Palpebræ rigidis pilis tanquam paxillis quibuſdam propugnacularibus contra muſcarum culicúmq; & iſtiuſmodi Animalculorum incurſus præmuniuntur. Ipſæq; Palpebræ ſuperiores cataractarum vicibus funguntur, non ſolùm noctu, ſed interdiu, ſubitâ ſuâ depreſſione contra occurſationes rerum omnium hoſtilium quæ oculos viſúmq; ſint læſuræ. Quaſi ipſa Natura in hac humani corporis Acropoli, Capite intelligo, præſidium agitaret, & ejuſmodi leges obſervandas daret quæ ad illius maximè conducant incolumitatem.

9. *Eorúmque tam conſpicua deſtinatio ad proprios uſus.*

9. Quod verò Uſum Oculi attinet, quæ eſt Viſio, manifeſtum eſt quòd hoc Organum in eum uſum tam affabre factum ſit, ut nè minima quidem ipſi fabricando deſit curioſitas.

Nam, primò, Humores K L M, & Tunica exterior B C B, ſunt valde pellucidi ad ſincerè tranſmittendum lumen & colores. Deinde, partes Oculi convexæ fiunt, ut radii à ſingulis punctis Objecti venientes vi hujus convexitatis in totidem punctis ad fundum Oculi G H I iterum colligantur. Ad quod multum confert Humor cryſtallinus L, & ſine quo viſio eſſet multò obſcurior & debilior. Tertiò, Tunica uvea E F F E muſculi vicem obit, contraheréq; poteſt ac dilatare foramen illud rotundum F F quæ Pupilla oculi appellatur, ad meliorem moderationem tranſmiſſionis luminis. Quartò, interior pars Uveæ E F F E nigrore obducitur, adinſtar Parietum Sphæriſterii, ut & Proceſſus ciliares ad N N, nè repercuſſio radiorum à fundo Oculi viſionem redderet confuſiorem. Quintò, Tunica Arachnoïdes, humorem cryſtallinum L involvens, proceſſuum ſuorum ciliarium beneficio N N, antrorſum retror-



Fig. 65.

ſúmve movere poteſt præſtantiſſimam illam oculi partem pro Objecti propinquitate vel diſtantia. Sextò & ultimò, Tunica retina G H I alba eſt, ad ſinceriorem clariorémque ſpecierum in fundum oculi receptionem : quemadmodum alba Charta aptiſſima eſt ad recipiendum externarum rerum imagines in camera obſcurata. Dic igitur, tu Philoſophe Mechanice, ſi tibi datum fuiſſet ut ex tuo ipſius ingenio proprios Oculos formare potuiſſes, nunquid omni adhibitâ deliberatione & conſilio potuiſti formare perfectiores? Hujuſmodi igitur rerum tam affabre conſtructas fabricas, & ad certos fines tam manifeſtò deſtinatas, cæcis & tumultuariis Particularum occurſibus & coalitionibus factas exiſtimare intolerandæ cæcitatis eſt aut dementiæ.

Nec tamen adhuc totam hujus Organi perfectionem exhauſit noſtra deſcriptio. Nam tametſi jam adeò perfectus eſt Oculus, ut ratio humana facilè hìc acquieviſſet, & admiratura fuiſſet inventi ſui perfectionem, cúmque Caput poſſit ſurſum, deorſum, & in omnes ferè partes movere, putare potuiſſet abunde ſibi eſſe proſpectum; Naturæ tamen Providentia altiùs penetravit, &, nè quicquam omnino deſit ad omnes Viſionis uſus, multos etiam Muſculos, quales ſunt O R, oculo præterea addidit, quibus in quamcunq; partem etiam immoto capite vertatur. Cujus rei utilitas ſatìs eſt conſpicua in legendis libris, aliiſq; contractioribus Objectis accuratiùs contemplandis.

10. *Miranda totius Carnis corporis in Muſculos formatio.*

10. Et ſanè quod Muſculos attinet, non eorum ſolùm qui ad oculos ſpectant, ſed eorum omnino omnium qui in corpore inveniuntur, fabrica eſt admirabilis. Etenim annon admiratione dignum eſt, quòd tota corporis Caro tam eleganter diſtinctéq; in hujuſmodi partes formetur, quarum origines & inſertiones eâ arte ordinantur, ut aptè inſerviant movendo alicui corporis membro, nec ſic ut ſolummodo valeamus ambulare & currere, manúſq; porrigere ad aliquid capiendum, & ſimilia, ſed in omnes omnino partes brachia cruráque jactare, ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, & in circulum, ad morem eorum qui nendo occupantur, vel Talpæ grumulum pede diſpergere ſatagunt? Ut taceam ad Reſpiratione, de Conſtrictione Diaphragmatis ad deprimenda inteſtina nè nimis coanguſtetur Thorax, ſed Pulmones ſpatium habeant ad Aerem hauriendum reddendúmque; de intercoſtalium Muſculorum uſu in ſuſpiriis profundioribus, quando nimiùm oneratur Cor Amoris Doloríſve ſenſu; & de curioſa Laryngis fabrica tam affabre muſculis inſtructa ad Sermonis modulationem, molleſq; in Cantu vocis inflexus; & poſtremò de tam diligenti & deſtinata perforatione Tendinum ſecundorum internodiorum in Manuum Pedúmq; digitis, & tam ſolicita per eoſdem tertiorum internodiorum tendinum tranſmiſſione, unde hi, putà muſculi A, *perforantes*, illi verò, nempe muſculi B, *perforati* dicuntur. Quos utroſque in ſubjecto Schemate A B contemplari poteris.

Fig. 66.



11. *Notabile Cordis Venarúmq; artificium; aptúſque juncturarum Artuum Digitorúmq; numerus; ut & Dentium forma idonea ac ſitus.*

11. His adde notabile Cordis artificium, ejúſq; duos Ventriculos, numeroſáſq; Valvulas ità fabricatas & poſitas quemadmodum maximè conveniat receptioni & tranſmiſſioni ſanguinis tum per ipſum tum per pulmones, ut ex illo fonte calidior ebulliat & redundet in corpus reliquum univerſum, ad corroboranda & refocillanda illius membra. Cui circuitioni etiam inſerviunt Valvulæ in Venis, quæ in eum finem factæ ſunt ut ſanguis faciliùs ſurſum aſcendat.

Cæterùm eis potiùs rebus inſiſtam quæ etiam illiteratis & ineruditis hominibus obviæ ſunt facileſq; intellectu; qui, modò poſſint Digitorum internodia numerare, Dentiúmq; uſum dignoſcere, facillimè hæc caſu non fieri, ſed exquiſitiſſimo conſilio, deprehendent. Cur enim tres Artuum juncturas in Manibus Pedibúſque, itémq; in ipſis Digitis, habemus, niſi quòd hoc multò præſtet ad uſus vitæ quàm binas ſolummodo habere, vel quaternas? Et cúrnam Dentes anteriores acuti ſunt inſtar ſcalprorum ad incidendum, interiores verò ſive molares lati facti ſunt ad molendum, niſi quòd & hoc etiam ad uſus vitæ magis eſt accommodatum? Vivere tamen utcunq; potuiſſemus abſq; hac tam accurata rerum proſpicientia. Rurſus, quî fit ut Dentes tam feliciter ac opportunè ſiti ſint, vel potiùs ut non ſint dentes etiam aliis in oſſibus æquè ac in maxillis? Videntur enim eorum æquè capacia, niſi quòd in nullum finem eos eſſent habitura. Et, ut taceam de exquiſito Auris internæ artificio, ſine externa ſanè non tam perfectè audituri fuiſſemus.

12. Quibus

12.
Totius Corporis ſtructura tuta ac commoda.

12. Quibus omnibus in cumulum ſuperaddas, quòd poſteriores Corporis noſtri partes magìs carnoſas Natura formavit & muſculoſas, non ſolùm ut inſtrumenta eò magìs idonea ad crura tibiáſq; movendas evadant, ſed ut pulvillorum etiam vices expleant, ad molliùs commodiúſq; ſedendum. Occiput porrò firmiori fecit craſſioríq; ſtructurâ, cùm nec ab oculis ipſi proſpici poſſit, nec manibus poſſit defendi, ut Sinciput, inter lapſus corporis aliorúmq; malorum occurſus. Spinam dorſi è variis vertebris concinnavit, ut eò faciliùs flecti poſſit, nec tamen frangi : quod proclive eſſet tam longæ corporis parti, ſi ex uno integro oſſe conſtitiſſet abſque his cartilagineis vertebrarum juncturis. Pedum manuúmque digitorum extremitates Unguibus armavit, cùm tamen corneam hanc ſubſtantiam è primi ſecundíve internodii extremitatibus emittere potuiſſet : quod tamen nec ad formam nec ad uſum tam aptè conveniſſet, ſed potiùs nocuum fuiſſet ac moleſtum. Poſtremò, omnia Oſſa ſenſûs expertia fecit, propterea quòd & ſui ipſorum & totius corporis bajuli eſſent futuri : Ac proinde niſi ſenſu caruiſſent, vita noſtra magìs laborioſa futura fuiſſet ac dolorifica. Et quod nobis fecit, cæteris etiam Animantibus omnibus pro rata ſua parte ſpecieíq; fecit. Adeò ut nihil manifeſtius eſſe poſſit quàm quòd hæc non relinquuntur fortuitis cæcéve neceſſariis particularum corporearum occurſibus & implicationibus, ſed quòd à Diviniori aliquo Principio, eóq; incorporeo, adminiſtrantur.

13.
Reſponſio ad eorum ſubterfugium qui dicunt ineptas aliquando Animalium ſpecies Naturam procreâſſe, ſed eas ante multa ſecula fabricæ defectu periiſſe.

13. Nec certè hìc quoquam modo comminiſci poſſum vel divinare quodnam ad hæc Subterfugium ſint excogitaturi adverſæ ſententiæ Philoſophi ; niſi fortè dicturi ſint quòd, tametſi nunc apparent omnes Animalium ſpecies tam affabre factæ, fuiſſe tamen tempus quando è Terra Matre ineptiſſimæ eorum formæ emerſerunt, ſed cùm earum ſtructuræ vitæ uſibus non adeò accommodatæ aptæque eſſent, ante multa ſecula eas ab aliis Animantibus debellatas devoratáſque periiſſe. Quod profectò inſulſiſſimum eſt ineptiſſimúmque commentum. Etenim in primo loco quæro, Numnam & Arbores concinniores perfectioréſque alias minùs perfectas devorârunt? Quod proculdubio puderet ipſos aſſerere. Nec tamen in eo genere quicquam apparet ineptum aut incongruum. Deinde, Planè conſtat quòd & in eis Animalibus quæ ex putrefactione generantur, ſpontéque naſci dicuntur, omnes partes exquiſitiſſimo artificio formatæ ſunt, & ad uſus vitæ ſpeciei proprios quàm aptiſſimè accommodatæ. Tertiò, denique, Quòd, tametſi omnium generationum primordia admodum tenera ſint & fluida, ac proinde valde mutabilia, propter tumultuarias materiæ ſubtilis aliarúmque particularum incurſationes ; conſtanti tamen ratâq; formâ ac ſtructurâ, tam internâ quàm externâ, omnes animalium Species per tot ſecula ad hunc uſque diem permanſerunt, nec in ullas inhabiles ineptáſque ad vitæ munera ſtructuras formáſve degenerârunt. Quod ſatìs illuſtre argumentum videri debet quòd Natura nunquam iſtiuſmodi incongruas rerum Species produxit. Majoris enim videtur virtutis ac providentiæ rectè conſtitutas Animalium ſpecies in ſuo certo ratóq; tenore per tot innumera ſecula conſervâſſe, quàm nullas unquam creâſſe ineptas & perverſas.

14
Reſponſi vis contra eos qui æternas rerum Species faciunt, ejúſque opinionis brevis Confutatio.

14. Cujus Argumenti vis æquè, vel potiùs multò fortiùs, contra illos militat qui æternas rerum Species eſſe fingunt, quamvìs è cauſis ſolis Mechanicis & corporeis conſtitutas. Sed præter præſentis Argumenti vim ſatis clarè ſuprà demonſtravimus, Durationem ſucceſſivam non poſſe eſſe æternam. Brevitérque hìc iterum monemus, nulla ullius Speciei Individua jam obiiſſe quæ aliquando non fuerunt præſentia, ac proinde omnia illius Speciei Individua, ſaltem præter unum, aliquando fuiſſe futura, unúmque illud fuiſſe omnium primum, nec à ſe exſiſtens quando erat, nec è fortuitis & tumultuariis Particularum occurſibus & intricaturis conſtructum ; utpote quod tam exquiſito erat artificio & ad notiſſimos vitæ uſus tam conſpicuè deſtinato perfectum, ut ab incorporeo aliquo Principio ſuam duxiſſe originem prorſus ſit neceſſe. Neque ullus nunc omnino elabendi locus relinquitur, niſi quis confugiat ad abſurdiſſimam iſtam Hypotheſin quæ *Materiæ Mundanæ* particulas ſenſu, ratione conſilióque præditas eſſe ſtatuit. Quæ igitur Controverſia ſubſequentis Capitis erit Argumentum.

CAP. XXV.

Demonſtratio decima-octava, ab Operationibus Animæ.

1.
Partes Materiæ non cogitare ex Experimento patet ſuprà Cap. 12. *adhibito.*

1. PRimò igitur probabimus, quæ eſt duodeviceſima exſiſtentiæ Rerum incorporearum demonſtrandi ratio, Quòd particulæ Materiæ Mundanæ nullarum animalium Operationum Cogitationúmve, quales nos in nobiſmetipſis experimur, ſunt omnino capaces. Deinde, Quòd, tametſi ipſis cogitandi vim aliquam affingeremus, iſtiuſmodi tamen ordinatas rerum ſtructuras quales ſuprà deſcripſimus efficere non poſſent.

* Quòd Materiæ particulæ actu non cogitant, non obſcurum Argumentum eſſe poteſt quod ſuprà notavimus de firmiori preſſione Verticilli ab incumbente Aere in *Recipientis* Operculum, ruentíque Aeris torrente in *Oſtiolum Valvulæ* DEC: quas aerearum aliarúmque minutiorum particularum actiones omni rationi repugnantes eſſe *Cap.* 12. *Sect.* 16. ſatis expreſsè monuimus; nec opus eſt hîc eadem repetere, cùm eò lector facilè, ſi ipſi lubet, poſſit recurrere.

2.
Si ſit Perceptio in Materia, tam eo modo fieri quo ſtatuit Hobbius.

2. Id quod nobis impræſentiarum incumbit eſt, demonſtrare * quòd ità comparatæ ſunt omnes particulæ materiales vel corporeæ, ut nulla Cogitatio ſive Perceptio illis ullo modo poſſit competere. Quod ſpero me abunde præſtiturum, ſi & eum ipſum modum quo ſolo noſtrâs *Hobbius*, & ſanè cum judicio, Perceptionem in Materia cieri aſſerit, ad nullas ferè Perceptionum ſpecies pertingere poſſe demonſtravero. Eſt autem unicus hic modus, *Motus* vel *Reactio unius partis Materiæ contra alteram, aut ſaltem hujus Re-actionis debita Continuatio.* Hanc noſtrâs *Hobbius* eandem realiter cum Perceptione ſive Senſatione Materiæ eſſe ſtatuit: & rectè ſanè, quod dixi, ſi nihil omnino in rerum natura exſiſteret præter Materiam. Etenim quem non puderet affirmare quòd vel Cuneus aureus ſegníſve Plumbi maſſa, à nullo alio corpore tacta vel pulſa, ſentiat quicquam vel cogitet? Et tamen eadem planè ratio eſt de minutiſſima quavis Plumbi Aurive particula, reliquiſque Materiæ particulis omnibus quàm maximè fieri poteſt minutis, ſi nullus ſit omnino ipſarum motus vel agitatio. Perpetuáque atteſtatur Experientia, nullam Senſationem fieri, nullam internam Cogitationem, ſine ſubtiliſſimarum partium motu & agitatione; ità ut caput, corpúſq; aliquando, intentioribus diuturnioribúſq; Meditationibus ferveat.

3.
Diverſitates Perceptionum ex diverſitate Re-actionum partium Materiæ in ſe invicem oriri.

3. Cùm igitur Perceptio nihil aliud ſit realiter in genere quàm Re-actio unius partis Materiæ in aliam, neceſſe eſt ut omnes Perceptionum diverſitates ex diverſitate etiam modificationis harum Re-actionum Motuúmve oriatur, nempe quòd aliis atque aliis corporeis Circumſtantiis fiant, quæ preſſuram partium ac Re-actionem diverſimodè variare poſſint. Quódq; uniuſcujuſque particulæ perceptio talis futura ſit qualis eſt ille in ipſa excitatus motus & Re-actio, ex eo patet, * quòd Materiæ partes nullis gaudent radiis intentionalibus, * nec ullo alio Diviniori vinculo quàm ſuiipſarum Juxta-poſitione uniuntur: Ità ut nulla inter partes communicatio eſſe poſſit niſi quæ per corporeum aliquem pulſum fit vel preſſuram.

4.
Præcedentis Concluſionis multiplex & copioſa confirmatio.

4. Nec ullum hîc omnino occurrere poteſt effugium, niſi quis fortè auſit aſſerere, quòd generalis quædam & confuſa particularum agitatio ſufficere poſſit ad excitandum eas ad cogitandum; quódque ſic ſemel excitatæ ſpontè tunc poſſint in varias prout lubet cogitationes phantaſmatúmq; fictiones excurrere, quæ nullam diſtinctam & adæquatam à primis illis impreſſionibus corporeis habent dependentiam. Verùm enimvero hoc non eſt ingenioſum aliquod diverticulum quærere, ſed Hypotheſin *Hobbianam* planè apertéq; negare. Quam tamen nos, ſuppoſito quòd nihil præter Materiam in Univerſo exſiſtat, veram eſſe ſatis ſolidè demonſtravimus.

Nam manifeſtum eſt quòd omnes noſtræ *ab extrà Perceptiones* ex modificatis hujuſmodi motibus & Re-actionibus cientur; ac proinde quòd Materia ex iſtiuſmodi Re-actionibus ac preſſuris neceſſariò percipit, nec ſuſpensè & in genere, ſed, pro varietate preſſurarum Re-actionúmque, variè & determinaté. Quod cùm ità ſit, cúmque particulæ ſubtiles in perpetuo ſint motu & agitatione, impoſſibile eſt quin, ſi quas ipſæ apud ſe Cogitationes Meditationéſve ordiri ſingulæ ſatagerent, ſtatim confunderentur delerentúrq; mutuis occurſationibus & preſſuris, quæ internas illas Perceptiones * ſenſibilioribus ſuis impreſſionibus neceſſariò obruerent.

Deinde, Quicquid percipitur, in communi percipitur per id quod *Percipientis* vices obire poteſt. Sed nihil præter motum corporeum adæquatúmve illius effectum communibus alicujus Materiæ particulis poteſt impertiri: Unde efficitur quòd nulla

Particularum congeries in liberas ejuſmodi Cogitationes excurrere poteſt, ſive Phantaſmata craſſiora, ſive Notiones ſecundas, ob mutuum hunc Communicationis defectum.

Quibus tandem addas, ſatis ex quotidiana experientia conſtare Materiam eſſe Principium purè paſſivum, nec eſſe aliter motam vel modificatam quàm ab alia aliqua re movetur vel modificatur; nec ullum habere motum ſpontaneum; alioqui proculdubio à malleorum ictibus & ignium furore ſe ſubduceret. Quod illi ſanè nullo jure negare poſſunt qui Senſum ipſi ineſſe tam lubenter agnoſcunt. Quòd ſi nec ſpontaneum motum habet, quomodo, obſecro, habere poteſt vim tam Divino modo liberam, ut in varias rerum Cogitationes ſe exſerere poſſit, Inventionémq; ſuam, Judicium & Memoriam exercere, etiam in eis Objectis quæ nullarum corporearum impreſſionum adminiculo aut excitari aut ſuffulciri ſupponuntur?

5. Sed paulò preſſiùs diſtinctiúſq; ſuper hac re philoſophandum eſt, notandúmque obiter, Si Re-actio unius partis Materiæ in alteram & Perceptio idem ſint, quòd omnis Materia ſentiret; quódque Animalia non ſolummodo ipſa in Catochis conſopita, ſed ipſorum etiam Cadavera poſt mortem, Senſu & Perceptione prædita eſſent: quandoquidem etiam tunc æquè ac antea re-actionum impreſſionúmque corporearum ſint capacia.

5. *Si Perceptio ſit idem quod Materiæ Re-actio, eſt etiam in Cadaveribus Senſatio, nec tamen ulla in vivis Animalibus Viſio, aut ſaltem non talis qualem nos in nobiſmetipſis experimur.*

Verùm omiſſis iſtis mitioribus Argumentis, afferemus quod mordaciùs arctiúſq; ſtringit, ſenſúmq; Quæſtionis aut ad noſtras Perceptiones, aut ad noſtrarum ſimiles, planiùs reſtringit. De Materia igitur illa ubicunq; Senſorii communis vicibus fungente quæro, num unum aliquod illius punctum totam imaginem Objecti, an verò ſingula totam, an denique ſingula partes ejus ſingulas totáq; totam recipiant.

Si primum; Neceſſe eſt ut unum Materiæ punctulum tantæ moli quæ innumeris ipſum vicibus ſuperat motionem localem imprimat.

Si verò ſecundum, (quod etiam de primo dici poteſt;) Intellectu difficile eſt, vel potiùs impoſſibile, quòd unica, putà, *Monas phyſica* ampli alicujus Objecti & diverſimodè variegati imaginem integram recipiat. *Monas* enim *phyſica* cùm minutiſſima ſit quantitas quæ in Materia reperitur, in eam agi non poteſt niſi unicâ ab Objecto phyſicâ tranſmiſſionis lineâ. Quod cùm ità ſit, videtur ſanè conſequens, ut aut minutiſſimæ particulæ, quales ſunt Materia ſubtiliſſima & Globuli, à *Monade phyſica* deprehendantur, cùm ipſâ ſingulæ ſint majores, multóque magis ut corporum ex particulis terreſtribus diſtinctæ contexturæ, aut ut nihil omnino revera ab ipſa percipiatur. Quæ pars verior eſt, ex eóque manifeſta, quòd nec Globulos nec diſtinctas illas terreſtrium corporum contexturas percipimus. Præterea, cùm ſingularis *Monas* lineas phyſicas recipere non poſſit unâ plures ſemel, ſi totum Objectum percipit, ex eo fit quòd aut omnes lineæ phyſicæ ab Objecto venientes per vices in eam agant, aut quòd circumſtantes *Monades* ſuas ipſarum impreſſiones in ipſam tranſmittant. Primum verò fieri non poteſt, nempe ut tam infinitus phyſicarum linearum numerus vices ſuas ordine ſumant tantillo temporis ſpatio, ut omnes ſimul agere ſine ullis viciſſitudinum intercapedinibus videantur; præſertim in Objecto magno, & diverſis figuris contrariiſq; coloribus variegato, qui per tam ineffabilem viciſſitudinum celeritatem cerni non poſſunt, cùm in omni Senſatione debita requiratur Objecti ſenſibilis in Senſorium agentis mora. Poſſumus enim digitum tam celeriter movere ut viſum noſtrum fugiat. Nec ſecundum; cùm in Senſorio B F D & Objecto I K, linearum phyſicarum I G & K H impreſſiones in Monadas G & H tranſmitti non poſſunt ad F, quin motus videatur venire à B & D, non ab I & K; quod experientiæ repugnat. Eadémq; ratio eſſet ſi Senſorium eſſet concavum adinſtar B L D, & lineæ phyſicæ K G & I H. Et certè quantumvìs immediatè ex ipſo Objecto ſingulæ Monades totam Objecti Imaginem haurirent, Objectum tamen minus, & à *Percipiente materia* non multùm remotum, non unum ipſi appareret, ſed quaſi cumulus quidam Objectorum aut manipulus, propter diverſitatem ſitûs in quo apparebit, nempe tam intra M M & O O quàm intra N N. Hoc neceſſariò contingeret, ſi ipſe qui Objectum percipio tota hæc ſim *percipiens Materia* B F D. Et ſi non ſim hæc tota Particularum congeries, quænam ex ipſis, obſecro, ſum? & quid tandem fit de iſtis reliquis?

Fg. 67.



Si denique tertium; Ipſi Experientiæ repugnat Aſſertio. Nam totum Objectum nos recipere ſatis clarè deprehendimus: cùm tamen ſi ſingulæ partes *Percipientis* ſingulas duntaxat Objecti partes perciperent, nihil reſtaret quod totum perciperet Objectum, déque eo judicaret: non magìs ſanè quàm tres homines Canticum trium partium canentes, nec ullam ſinguli præter ſuam quiſque propriam audientes, de toto concentu judicare poſſint. Et notandum eſt iterum, quòd totum deprehendimus Objectum, id per nullam communicationem inter partes purè Mechanicam ac corpoream fieri poſſe, ſed Diviniori aliquo modo planéq; incorporeo. Nam impreſſiones ab A & C quæ recipiuntur in B & D non poſſunt derivari in F vel K per intermedias particulas inter B & F & D & F, vel inter D & K & B & K, quin eo ipſo partes Objecti ad A apparituræ eſſent verſùs C, & partes Objecti ad C verſùs A: ut cuilibet rem penſiculatiùs conſideranti patebit.

Fig. 68.



6.
Quòd Materia nec Memoriæ nec Imaginationis capax eſt.

6. Porrò, quod Imaginationem attinet & Memoriam, Qualis eſt illa Materia quæ illis muneribus fungi poteſt? Si fluida ſit, imagines ſubitò evaneſcent, faciléque pervertentur, convertentúrque in partes contrarias. Ut v. g. in particula materiæ fluidæ C, quæ recipiens impreſſionem à B debet eam ſentire tanquam venientem ab ea parte; ſed ob agitationem hujus corporis fluidi Mechanicam & tumultuariam convertit latus E F, quod impreſſionem ſuſcepit à B, verſùs L: unde, cùm neceſſe ſit ut impreſſionem tanquam ab oppoſita parte venientem percipiat, neceſſariò jam imaginabitur impreſſionem veniſſe ab L, contrà ac factum eſt. Eadémque eſt ratio in reliquis particulis fluidis. Quas igitur neceſſe eſt, ſi per illas ſolas hæc res adminiſtraretur, totas Memoriæ ac Imaginationis vires ac functiones confundere. Si verò dura eſt materia vel viſcida, motûs vibratio ſubitò ceſſabit, & extemplo peribit Memoria; cùm Imaginatio & Memoria Re-actiones ſint corporeæ: nec recordabitur magìs quando in conſimiles motus ciebitur hæc materia, quàm Lapis vel Plumbum ſemel jactum in Aerem levius ex eo ad ſequentes jactus evadet. Nam ambo ſunt tanquam ſi nunquam prorſus antea mota fuiſſent.

Fig. 69.



Præterea, Quemadmodum perſentimus quædam quæ nullâ Mechanicâ ratione in Senſus noſtros derivari poſſunt, ut * ſuprà notavi; ità recordamur ſine ullorum ſignorum materialium adminiculo quæ ipſa repræſentent: ut in latitudinibus Objectorum eorúmque diſtantiis. Quæ enim Nota imprimi poteſt Materiæ E per lineas à duobus Objectis ductas A B & C D, quâ differentia Longitudinis A E ſupra C E, vel Latitudinis A B ſupra C D, diſcerni poſſit? * Utraque enim Objecta unam eandémque Notam imprimunt in Materiam E.

* *Cap. 19.*

Fig. 70.



7.
Quòd Notiones ſecundæ non poſſunt eſſe Re-actionis corporeæ ullæ modificationes; ut neque quod Liberum dicitur arbitrium.

7. Et poſtremò, Illæ Notiones quæ vulgò vocantur *ſecundæ* (quales ſunt multæ tum ***Logicæ*** tum ***Mathematicæ***) non ſunt Modificationes ullius Re-actionis corporeæ ſive Mechanicæ, nec per ſenſus intrant, ſed ab ipſa Mente apud ſeipſam, datâ ab externis Objectis occaſione, excitantur. Quæ igitur nec ipſæ Modi Materiæ eſſe poſſunt, ſed Rei, vel potiùs (cùm quicquid eſt, Subſtantia ſit vel Modus) Subſtantiæ modi cujuſpiam incorporeæ. Notiones verò has Secundas nuda Nomina appellare, planè deſipere eſt. Nam iſthoc pacto variantibus nominibus Mathematicæ Logicæque Notiones variarent pro ſingularum Gentium dialectis; cùm tamen certiſſimum ſit ***Latinos*** eandem rem intelligere per vocem ***Similitudo*** quam ***Græci*** per ὁμοιότης, hos per ἀναλογίαν & λόγον quam illi per ***Proportionem*** & ***Rationem***, & ſic in cæteris. Adeò ut nihil manifeſtius eſſe poſſit, quàm quòd ſint ***Notiones ſecundæ***, quas Mens noſtra contemplatur, à Nominibus prorſus diſtinctæ.

Quibus omnibus addas, ἀυτεξούσιον illud, cujus nobiſmetipſis conſcii ſumus, & ex quo omnis Conſcientiæ morſus dependet, ſatìs evidens eſſe argumentum quòd ſit aliquod in rerum natura incorporeum. Nam ſi omnes noſtræ Perceptiones Re-actiones tantummodo Mechanicæ eſſent, omnes itidem eſſent neceſſariæ, nec plus libertatis in Conſiliis noſtris ac Deliberationibus eſſet quàm in Bilance, quæ poſt tot neceſſarias vibrationes neceſſariò demum quieſcit.

Quamobrem cùm inveniamus in omnibus Perceptionum Cogitationúmve ſpeciebus eam perfectionem ad quam Re-actio Mechanica vel corporea neutiquam poteſt pertingere;

gere; manifeſtum eſt Re-actionem illam in genere non eſſe reipſa eandem rem quæ eſt Cogitatio vel Perceptio, ac proinde omnes Animæ noſtræ Operationes Principium aliquod in mundo incorporeum inferre. Quod erat demonſtrandum.

8. *Quòd Particulæ Mundanæ, tametſi Perceptionem haberent, non poſſent tamen corpora Animalium fabricare, cùm conſilia communicare neſciant.*

8. Cæterùm (quod illud alterum eſt quod initio propoſui) demus pauliſper corporeas Materiæ mundanæ particulas Perceptione eſſe præditas: * nec ſic tamen ſatìs aptæ inſtructæque erat ad tam exquiſitas Animalium aliarúmque rerum quæ in Mundo reperiuntur ſtructuras efformandas. Quæro enim, * Numnam ſingulæ Particulæ quæ ad Corporis, putà, Animalis efformationem concurrunt, totam operis delineationem ſibi ab aliquo phantaſmate impreſſam habent? an verò, quemadmodum diverſa munera ſortitæ ſunt, ità diverſas ſibíque peculiares delineationis partes tantummodo intelligunt? Videtur verò primum impoſſibile, ut una aliqua nimirum Particula, vel multæ etiam ſimul, cùm nullum adhuc in Natura exſtaret Animal, haberent ſibi impreſſam ullam Animalis fabricandi Ideam. Alterum verò quamvìs aliquantò facilius videatur, utpote quod eſt ſimplicius, nempe ut aliæ alias delineationis partes intelligerent, quæro tamen quomodo in unum finem conſpirare poſſint, quibúſve verbis vel ſermonibus conſilia inter ſe communicare. Quamobrem ut ſibi mutuam præſtarent operam in hujuſmodi Inſtituto multò eſt impoſſibilius, quàm ut tot homines cæci à nativitate & ſurdi mutique omnes vires & conſilia mutuò conferrent ad exſtruendam Turrem Statuámve ſculpendam, quarum non niſi minimam aliquam partem ſinguli cognoverint, nec eam demum rationem quam haberet ad totam vel Turrem vel Statuam.

9. *Nec agere poſſint juxta ullum conſtans propoſitum.*

9. Præterea, cùm hic Particularum ſenſus vel perceptio nihil ſit aliud quàm Motus vel Re-actio corporea, neceſſe eſt ut ad novas Motûs impreſſiones perpetuò varietur vel immutetur, adeò ut ſi Particula ex præſenti ſenſu in hac ferretur linea, in aliquem tamen adverſum ictum incurrenti in via ſtatim alius imprimeretur ipſi & motus & ſenſus, itáque oblita quid actura eſſet in aliam partem jam curſum deflecteret. Imò verò tametſi hujuſmodi occurſibus libera incederet, tamen cùm Senſus & Re-actio idem ſint, amoto illo contra quod fit nixus, neceſſe eſt ut Senſatio ceſſet, perfectáque ſuccedat Oblivio. Neque enim ità ſe res habet apud has particulas quemadmodum in Horologii ſpira vel in Arcu intento, ut poſſint ad bene longum tempus eandem retinere Re-actionem, & Senſum conſequenter eundem.

Nec denique, ſi poſſent, multum faceret ad propoſitum. Nam cujuſmodicunq; ſit ipſarum ſenſus, motus earum eſt neceſſarius, cùm ſit purè corporeus; ac proinde illius effectus nullius Cognitionis fructus eſſe poteſt. Etenim motus corporeus primùm eſt & ſolummodo perceptus, non gubernatus à Perceptione. Ac proinde ſive imbuatur Materia ſenſu, ſive eo careat, quicquid ipſa per ſeipſam ex ſeipſa efficit non poteſt eſſe aliud quicquam quàm Maſſa quædam confuſa ex fortuitis & tumultuariis particularum Colliſionibus & Implicationibus orta, & ſine omni arte & conſilio ſtabilíve propoſito coagmentata.

10. *Ignorantia Cauſarum ſecundarum non Religionem, ſed Superſtitionem peperit, & Atheiſmum.*

10. Quamobrem cùm ordinaria Naturæ Phænomena ità facta ſunt quemadmodum exquiſitiſſima Sapientia ac Conſilium illa efformatura eſſet, manifeſtum eſt quòd altius aliquod Principium, hoc eſt, Incorporeum, Materiæ motibus præſidet. Quódque Ignorantia Secundarum Cauſarum non tam Religionis ſemen eſt, (prout incautis inſinuare animis ſatagit noſtrâs *Hobbius*,) quàm Superſtitionis & Atheiſmi. Nam ex ſatis perſpecta natura viribúſque Cauſarum corporearum, earúmque ineptitudine ad tam præclara opera perficienda, neceſſariò in Rerum incorporearum, & ipſiuſmet adeò Dei, cognitionem tandem emergimus; ut in primo hujus Diſſertationis limine haud inauſpicatò monuimus.

SCHOLIA

In CAP. XXV. SECT. I.

QUòd Materiæ particulæ actu non cogitant, non obſcurum argumentum, *&c. Verum utiq; hoc eſt ſi cogitatio intelligatur libera & pro re nata, quæ conſilium & deliberationem complectatur; alioqui ſi perceptionem tantùm in genere ſignificet, talémve quæ ſit iners ſolummodò & neceſſaria ſenſatio, iſtiuſmodi quidem cogitatio in particulis Materiæ cum iſto Phænomeno* cap. 12. ſect. 16. *memorato facilè poteſt conſiſtere.*

Sect. 2. Quòd ità comparatæ ſunt omnes particulæ Materiales, ut nulla cogitatio, *&c. Hoc eſt, ut nulla nè ſenſatio quidem neceſſaria miniméque libera ipſis poſſit competere. Qui unus eſt idémq; non contemnendus modus demonſtrandi exiſtentiam* *ſubſtantiarum incorporearum in rerum Univerſitate. Sunt autem hujus generis demonſtrationum, (nempe quibus ſubſtantiarum incorporearum exiſtentia demonſtretur) modi ferè tres. Primus qui è Phænomenis Naturæ, ubi nulla ſenſatio apparet, aliquod ſubſtantiale vitâ ſaltem plaſticâ præditum & à materia diſtinctum probat. Quale erat experimentum ponderis Antliæ pneumaticæ Embolo appenſi; & id genus multa alia quæ in hoc Enchiridio adhibuimus. Alter eſt à natura cogitationis, quatenus ſenſationem, memoriam, imaginationem, rationem cæteráſque id genus operationes complectitur. Nempe quòd earum omnium natura hujuſmodi ſit cujus nulla Materia ſit capax. Tertius denique modus eſt, quo demonſtramus, etiamſi cogitatio & perceptio concederetur ineſſe particulis materiæ, ad quædam tamen edenda phænomena ſubſtantiam aliquam etiam illîc à materia diſtinctam requiri. Sex ſeptémve hujus generis ſuprà notata ſunt, quibus mox adnumerabimus octavum.*

Sect. 3. Quòd Materiæ partes nullis gaudent radiis intentionalibus, *&c. Hoc ſatis luculentè oſtendimus*, cap. 19. ſect. 2. & 3.

Nec ullo alio Diviniori vinculo, *&c. Nempe tali vinculo quo ſpiritus unus ſit. Hoc eſt, Cùm Materia nec Ens unum per ſe ſit nec partes ſuas habeat ſpiritu aliquo communi unitas, nulla inter eas fieri poteſt communicatio niſi per corporeum aliquem pulſum vel preſſuram.*

Sect. 4. Senſibilioribus ſuis Impreſſionibus neceſſariò obruerent, *&c. Id quod multiplici experimento perſentiſcimus. Atque hinc factum quòd* Ariſtoteles *Imaginationem cum externo ſenſuum pulſu comparatam* αἴσθησίν τινα ἀσθενῆ *ſenſationem quandam debilem ac evanidam appellet.*

Sect. 6. Utraque enim Objecta unam eandémque Notam imprimunt in materiam E. *Quod præcipuè intelligendum eſt quando objecta* C D *&* A B *utraq; ſatis remota ſunt à Materia E. Vide quæ dicta ſunt ad ſectionem nonam & undecimam* cap. 19.

Sect. 8. Nec ſic tamen ſatis aptæ inſtructæque erunt ad tam exquiſitas animalium, *&c. Hoc eſt octavum illud argumentum modi tertii cujus paulò ſuprà facta eſt mentio.*

Numnam ſingulæ particulæ quæ ad corporis putà Animalis efformationem, *&c. Fateor hæc adversùs* Hobbianam *Hypotheſin potiſſimùm collineari. Diſpiciendum verò porrò eſt an non etiam attingant* * Gliſſonianam. *Quæ ſi virum doctiſſimum rectè intelligo, eſt hujuſmodi. Materia cùm ſit Ens per ſe ſubſiſtens, equidem tam nobilem entitatem, quàm quæ per ſe ſubſiſtat, nequaquam decere ut ſit inutilis & ad nullam operationem nata. Cùm verò omnis Operatio vel perceptio ſit vel appetitus vel motus, nec tamen facilè intelligi poſſit quomodo ſubſtantia ulla ſeipſam moveret ſine appetitu, nec quomodo appetitus oriri poſſit ſine perceptione; hinc iſta omnia ipſi materiæ ineſſe tanquam naturæ illius* energeticæ partes, *vitámque illius immediatam & originalem complere acriter contendit. Hæc illius opinionis ferè ſumma eſt. Quòd autem huc ſe receperit, potiſſimam occaſionem fuiſſe exiſtimo, quòd longè probabilius cenſeret ipſam Materiam primò ac per ſe vivam eſſe, quàm* formas ſubſtantiales vivificas *ad formanda Plantarum Animaliúmque corpora, immò ad ſenſum & imaginationem poſterioribus impertiendum è gremio ſuo effundere. Quo quidem commento, quanquam per tot ſecula obtinuit, nihil inſulſius aut abſurdius excogitari poteſt. Unde minimè miror tam diligentem Naturæ indagatorem ab eo tantopere abhorruiſſe.*

Quòd autem detecto fœdo hoc Ariſtotelicorum *errore in* Behmeniſmum *maluerit quàm* Platoniſmum *ſe ſinere prolabi, equidem non video eum ſic faciendi ſatis graves cauſas habuiſſe. Videtur enim mihi gratis dictum, Quòd Ens per ſe ſubſiſtens quatenus tale (niſi ſit Ens etiam à ſe exiſtens, quale ſolus eſt Deus) tantâ ſit dignitate ſive nobilitate ut neceſſariò & immediatè in ſua natura vitam quandam, vitalémve* ἐνέργειαν *contineat, aut ſi non contineat, ut ſtatim prorſus inutile foret. Quandoquidem, tametſi in ſe nec vitam nec motum habeat, ab alio tamen vivificari poſſit ac moveri, ipſúmque ſic motum alia etiam in motum ciere. Qui materiam ſine inſito motu atque vita planè inutilem cenſet, univerſas animarum ſpecies nè humanis quidem exceptis, fruſtrà creatas eſſe neceſſe habet pariter profiteri.*

Sed conceſſo vitam motúmque, immò perceptionem diſtinctámque cognitionem materiæ partibus immediatè ineſſe, quo earum fiat ad fabricandum corpus alicujus Animalis, conjunctis viribus confœderatio, *hîc rogo eruditiſſimum virum an ſingulæ particulæ totam operis delineationem in ſe concipiant* [illegible] *verò ſuas duntaxat partes quæ ipſis ſint obeundæ. Si prius, cùm omnes* p[illegible] *Univerſi, ad*

unum

* Tractat. de Natura Subſtantiæ Energetica, Præfat. Sect. 17. & Tract. cap. 7. ct. 10.

unum Mundum fabricandum eundémque conſervandum confœderatæ *ſint, omninò ſequitur, quòd ſingulæ particulæ claram totius Mundi fabricandi ideam in ſe conceptam habeant; illúdq; adeò ſingulis* Phyſicis monadibus *competat quod* Boethius *rectè & eleganter de ſapientiſſimo Deo pronunciat:*

> *——Pulchrum pulcherrimus ipſe*
> *Mundum mente geris——*

Sequitur, inquam, quòd ſingulæ Monades Phyſicæ *tot ſint quaſi Perſonæ omniſciæ, quantùm ad res omnes ad mundum fabricandum conſervandúmq; pertinentes. Ac proinde ſeriò hîc egregium Philoſophum rogo an non multò conſultius eſſet tam ingens planéq; Divinum Privilegium alicui ſpiritui ineſſe ſtatuere, qui in ſingulis ſui quaſi punctis rationem fabricandi conſervandíq; Univerſi aliquo modo contineat, (quippe quòd Spiritus majorem habet cum Divinitate cognationem quàm Materia ejúſq; Monades Phyſicæ) quàm eaſdem Monadas Phyſicas tot quaſi omniſcias Perſonas furore pluſquam poetico fingere? Rationémque illam Mundi fabricandi, in hoc Spiritu, & conſervandi non eſſe intellectualem, clarámve aliquam perceptionem Ideæ Mundi fabricandi conſervandique, ſed* Spermaticam *tantùm ſive* vitalem, *adeò ut Spiritus hic ſit* λόγος *ille* σπερματικὸς *Univerſi, quemadmodum* Pythagorei *appellabant, uti &* λόγων σπερματικῶν *frequens eſt, ſi rectè memini, apud* Platonicos *mentio. Equidem hoc mihi longè longéq; probabilius videtur quàm ut aut totius Mundi aut particularis alicujus Animalis formandi perceptio idealis ſingulis Materiæ particulis inſit.*

Certè ſi vita originalis & immediata corporis mei adeò Divina res ſit ut claram perceptionem habeat rationis fabricandi conſervandíq; corporis mei ſuprà quàm vel peritiſſimus Anatomicus adhuc aſſecutus ſit aut poſſit unquam aſſequi, abſurdum planè eſſet ullam aliam intellectualem animam à corpore diſtinctam huic humanæ compagi affingere, ſed in proclivi eſſet potiùs concludere, vitam hanc Materiæ immediatam & originalem in humano corpore ad eum gradum exaltari ut omnes functiones intellectuales facilè poſſit obire, ut in Brutis omnes functiones ſenſitivas, memoriâ & imaginatione non exceptis. Jam verò ſi nulla anima humana ſit diſtincta à corpore materiâve in humanam formam confœderata, *illud profectò ſequetur quod perinde ſit ſi non magis abſurdum, nempe, cùm ipſe ſim aut pars aut tota hæc Materia* confœderata, *ſingulæq; partes totam rationem fabricæ corporis mei clarè diſtinctéq; percipiant, ipſéq; conſequenter (quippe qui ſum aut tota hæc materia aut pars ſaltem aliqua) eandem rationem clarè & diſtinctè percipiam, quod tamen attentionem defigendo attentiſſimè quàm volo percipere non poſſim me hanc rationem percipere; quaſi ipſe propriæ meæ cogitationis quantumvis claræ & diſtinctæ, etiam tum cùm id velim maximè, eóque me totum ſummo cum ſilentio & attentione componam, conſcius tamen fieri non poſſim. Addo Muſcas & Aſinos, quanquam præ fatali quadam modeſtia, tam præclaræ facultatis ipſi ſibi non ſint conſcii, quantùm ad talium muſcarum corpora & aſinorum eſſe planè ipſo* Harvæo & Democrito *peritiores Anatomicos. Hæc nempe omnia conſequi contendo ſi ſingulis materiæ particulis totius Animalis formandi naturalis inſit Ideæ perceptio.*

Quodſi quæ ad ſuas duntaxat partes pertineant, nôrint particulæ ſingulæ, tunc eadem difficultas contra Hypotheſin Gliſſonianam *occurrit, quæ contra* Hobbianam, *quî nempe fieri poſſit ut particulæ inter ſe communicent conſilia: adeò ut unum* Spiritum *neceſſe ſit eſſe qui hujuſmodi corporum Animalium fabricas poſſit abſolvere.*

Poſtremò, quantùm ad vitam Materiæ originalem *naturámve ejus* energeticam, *Hypotheſin ingenioſam licèt, eſſe tamen prorſus ſupervacaneam ac proinde falſam, eis ipſis argumentis ſatìs demonſtravimus, quibus probavimus, nè materiam quidem vivam, rationéq; ac conſilio pollentem ad quædam Phænomena ſalvanda poſſe ſufficere, eáque ſatìs ſimplicia (vide quæ adnotavimus ad ſectionem ſeptimam* cap. 13. *etiam* cap. 17. ſect. 1. cap. 18. ſect. 3. cap. 19. ſect. 13.) *& quæ ſatìs latè patent, planéque innuunt æquè latè patentem vitam per Materiam Mundanam eſſe diffuſam, non ipſi quidem* Materiæ *inſitam ſed* Spiritui Univerſi, *qui Materiæ Mundanæ, tanquam Univerſalis quidam* Archæus, *ut loquuntur Chymici (quem doctiſſimus* Gliſſonius *à principatu & dominio (conſimili ratione atque Principium noſtrum* Hylarchicum) *nominari rectè conjectat,* Naturámque *ab* Hippocrate *appellari, quemadmodum & nos eum* Spiritum Naturæ *nuncupamus) præſidere intelligitur, eiq; moderari. Hanc veram ego notionem* Archæi Naturæque *exiſtimo,* Spiritum *nempe eſſe* vitalem Univerſi, omnium rerum Mundanarum rationes ſpermaticas in ſe continentem.

Quem ſic non explico tantùm ſed variis iiſque validis argumentis, per totum ferè hoc Enchiridium *noſtrum demonſtro : Vide Clariſſ.* Gliſſonii *Tractat.* de Natura Subſtantiæ energetica *ſeu de* Vita Naturæ, *Præfat. ſect.* 18. *In quo quidem Tractatu quanquam in ſupradicto* Ariſtotelicorum *errore explodendo & in vili pendendis modernæ Philoſophiæ Mechanicæ nugis, inſignem profectò agit Philoſophum; quòd tamen* vitam Naturæ *non in* Spiritu Naturæ *tanquam illius prima poſt Deum Origine, ſed in ipſa* Materia *immediatè ſtatuerit, & tam claram diſtinctámque ipſi inſuper perceptionem attribuerit, hiſce in rebus, ſi cum pace tanti Philoſophi liberè mihi effari liceat quæ ſentio, equidem eum exiſtimo humanum quoddam admiſiſſe, & ab antiquiſſima illa veriſſimáque philoſophandi ratione nimium quantum deviâſſe.*

CAP. XXVI.

Demonſtrationes undeviceſima & viceſima, ab Apparitionibus & Vaticiniis.

1. *Tres Regulæ juxta quas examinandæ ſunt Apparitionum Narrationes, ſi quis de eis dubitat.*

1. AD undeviceſimam jam Exſiſtentiæ Rerum incorporearum Demonſtrationem pervenimus, ex *Apparitionibus* deductam. Cui, ob cognationem & proximitatem, viceſimam adjungemus, ex *Vaticiniis.* Quibus duobus totum Argumentorum noſtrorum agmen claudemus. Per *Apparitiones* autem intelligo non ſolùm *Spectra*, ſive ſolitaria, ſive in Turmas diſcurrentéſq; Acies diſpoſita, ſed *Phænomena omnia* quæ *præter* vel *contra Naturam* fiunt, & à *liberis aliquibus Agentibus*, quanquam *inviſibilibus*, intelliguntur proficiſci. Atque hîc profectò immenſus iterum ſe nobis aperit rerum campus. Verùm eò ſtudioſiùs operam dabimus brevitati, nulliſque indulgebimus Narratiunculis, nec omnia Narrationum capita recenſebimus. Quædam tamen nomiminare, prout memoriæ occurrunt, omnino neceſſe eſt, ut materiam adminiſtrent dicendi de earum veritate & aptitudine ad demonſtrandam Rerum incorporearum Exſiſtentiam.

Et tanta ſanè veritatis certitudo quanta in ullis aliis rebus humanis agnoſci debet in hujuſmodi Narrationibus, modò tribus illis Legibus quas in *Antidoto adversùs Atheiſmum* propoſuimus ſatis inveniantur conſentaneæ. Quarum prima eſt, Si hujuſmodi rerum Narratores viri ſint prudentes, nec ſibi quicquam lucri commodíve ex iſtis Narratiunculis captantes. Altera, Si multi erant ejuſdem rei Spectatores Teſtéſve oculati. Tertia denique, Si ſit ſenſibile aliquod harum rerum mirabilium Effectum, permanénſque veſtigium. Certè quamvìs nollem omnes harum rerum Narrationes quæ ad has Leges non quadrant falſitatis haberi ſuſpectas, de eis tamen quæ quadrant dubitare, hominis profectò mihi videtur eſſe Sceptici aut obſtinatæ incredulitatis, quíq; miſerè effléctímq; cupit ut nullæ hujuſmodi Narrationes ſint veræ.

2. *Narrationum hujuſmodi capitum quorundam propoſitio.*

2. Sunt autem innumeræ Narrationes quæ hiſce Regulis ſatìs aptè conveniunt; quarum paucula capita nos jam enarrabimus. Ut ſunt Verberationes hominum clarâ die ab inviſibili aliqua manu; ejúſque corpori cujuſpiam tam fortis impactio, ut totius manûs veſtigium, pollicis, digitorum palmæq; in cadavere poſtea (tanquam ſi maſſæ alicui farinaceæ impreſſum fuiſſet) diſtinctè & nigricanti colore appareret : Vectiones Sagarum aliorúmq; hominum per ſublimem Aerem medio diei multis ſpectantibus; vel, ſi noctu, eis qui præter Sagas ad earum Conventicula, peractis quibuſdam Ceremoniis, ſimul tranſvecti ſunt, Conventiculo ex inopinato aliquo caſu ſubitò diſſipato, ſe in agro invenientibus quàm plurima milliaria à propriis domibus diſſito : Linteorum in gramine ad inſolationem expoſitorum in tantam Aeris altitudinem ſublationes, ídque ſine omni vento, ut ſatìs amplæ lodices vix mappellarum amplitudinem aſpectu æquarent : Ingentium lignorum in Aerem ſublevationes, eorúmq; denuo lentæ demiſſiones in terram : Ciſtarum, poſt earum diligentem obſerationem, reſerationes quaſi ſpontaneæ, liníque indidem ejectiones : Crepidarum, etiam lignearum, à pavimento quaſi voluntariæ exſurrectiones, & involationes in adſtantes; Lapidúmq; ac Laterum celerrimi jactus neminem quem incurſant lædentium, ſed ſtatim atque attacturi quempiam erant humi ſubitò cadentium : Obſtinatiſſimæ inviſibilium Dæmonum luctæ, & fortiſſimæ ad ſe eorum quibuſcum luctantur per manum brachiúmve attractiones in mediam adſtantium turbam, totiúſque corporis in celerrimam ſuper extremum pedem vertiginem circumactiones, violentæq; tandem ejus dejectiones in terram : Magorum Sagarúmque cum Dæmonibus converſationes & colloquia, rerúmq; ab ipſis, etiam poſt eorum abitus permanentium, receptiones : Integrorum deniq; Exercituum præliantium, & contra ſe invicem incurſantium, foras effuſâ ad ſpectandum multitudine, claræ ac diſtinctæ

Apparitiones. Immenſum eſſet omnia hujuſmodi rerum genera percurrere : ſed ex pauculis hiſce quæ in medium protulimus ſatis manifeſtum eſt quòd Subſtantias alias præter corporeas hæc rerum Univerſitas complectitur.

3. *Judicium* Machiavelli *de hujuſmodi Narrationibus.*

3. Nam quod ipſas Hiſtorias attinet, tam certò de eis conſtat, ut vel eos quidem qui in Atheiſmum procliviores fuiſſe exiſtimantur ipſis fidem puduerit abrogare conari. Imò verò ſpontè earum veritatem agnoverunt, & inter primos *Machiavellus* admodùm liberè & ingenuè, *Diſput. de Repub.* lib. 1. cap. 56. ubi de his Aereis Spectaculis agens, aliiſque Prodigiis conſimilibus, *Hujuſmodi*, inquit, *rerum cauſas ab iis explicari poſſe credo qui rerum naturalium ac ſupernaturalium cognitione inſignes ſunt, à qua me alienum eſſe fateor; niſi fortè, cum Philoſophis quibuſdam, pronunciandùm cenſeamus Aerem plenum Spiritibus & Intelligentiis eſſe, quæ res futuras prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænunciant, ut ſe adversùs eas tempeſtiviùs præparare & communire queant. Utut ſe res habeat, Experientiâ certè compertum habemus talia Signa ſequi ſolere magnos aliquos motus.* Ubi non ſolùm agnoſcit *Machiavellus*, ſed ſumma cum confidentia harum aſſerit Hiſtoriarum veritatem, indéque judicio ſolido planéq; philoſophico Spirituum Intelligentiarúmve exſiſtentiam Infert.

4. *Atheorum ſtolida ac ridicula quæ in Imaginationis viribus quærunt effugia.*

4. Cæterùm, quomodo ſe hìc gerant homines verè Athei videamus, quámque ſtolidas ac ridiculas tergiverſationes & effugia meditentur. Primò enim magnopere id ſatagunt, animum inducere ut credant *Apparitiones* omnes meras eſſe *Imaginationes*, nihilque reale ipſis reſpondere ab extrá. Sed ab hoc ſubterfugio depulſi, propterea quòd multi eodem tempore idem externum Spectrum ſæpe contuentur, poſtea adeò miraculoſam potentiam Imaginationi affingunt, ac ſi ipſa propriis ſuis viribus externum Aerem in has vel illas formas mutare poſſit, ità ut etiam alii æquè ac ipſe qui illum ſic efformavit formas eas poſſint contueri. Cùm tamen hoc opus multò magis arduum ſit quàm aut Sagarum aut Dæmonum propriorum corporum tranſmutatio. Eſt enim longè intellectu facilius, quòd res quælibet imaginatione appetitúq; prædita eam ipſam Aeris partem quam occupat & actuat in formam aliquam figurámve pro libitu tranſmutare poſſit, quàm quòd hoc poſſit præſtare in ullam partem Aeris ab ipſa diſjunctam & diſſitam. Et ſi poſſit ad eam diſtantiam hoc præſtare, poterítne etiam efficere ut Aer hâc Imaginationis vi formatus *loqui* poſſit, & *reſponſa dare*, & *Nummos*, *Aciculas* & *Medicamenta* in *manum* Imaginantis *tradere*? Certè hoc non eſſet negare Spirituum Dæmonúmq; exſiſtentiam in rerum natura, ſed & eſſe eos, & à nobis eſſe creatos, apertiſſimè firmiſſiméq; aſſeverare.

5. *Eorundem latebræ quas in* Scholæ Epicureæ *Effluviis quærunt.*

5. Præterea, Si Imaginatio hanc vim habeat in partes Aeris breviori intervallo diſtantes, habebitne etiam eandem ad nubes uſque pertingentem, ibique efficientem ut integri Exercitus videantur præliantes contra ſe invicem in ſublimi Aere, hoſtiliterq; mutuò incurſantes? Hìc idem ille vaniſſimus & ineptiſſimus Acuminis & Philoſophiæ affectator *Cæſar Vaninus* latebras ſibi quærit in annoſis iſtis ejectitiiſq; Scholæ *Epicureæ* panniculis, *Exuviis* ſcilicet rerum vel *Effluviis*. Quaſi Vapores corporum hominum, &, ut videtur, Equorum etiam, in Aerem aſcenderent, ſpontéq; caderent in tam aptas partium poſitiones, ut figuras Militum inter nubes præliantium imitarentur. Sed dic, obſecro, mi *Vanine*, quî fit ut tam opportunè Vapores humani in equinos vapores incidant, nec in hoc occurſu promiſcuè inter ſe miſceantur. Dic etiam quando & quamdiu eſt quòd conveniunt, & annon appareant antequam ullus ſit Exercitus in campis qui eos poſſit emittere. Narra porrò an & Armaturæ Teláque ſuos vapores etiam ſurſum ejiciant, ut Loricæ, Galeæ, Clypei Haſtæque; & quomodo in horum Aereorum Militum capita, corpora manúſque tam commodè illabantur: præſertim cùm par ſit ut Metallorum vapores, ſi quos habent, graviores ſint quàm Equorum Hominúmq; fumi. Cur deniq; tam accurato ordine planéq; militari mutuis præliis inter ſe pugnant, ſi inanes tantummodo ſint vaporum fumorúmq; cumuli vitâ animâque deſtituti. Et dic mihi tandem an Tubæ Cornuáq; ſuas habeant exuvias quæ ſublimia petunt, & quinam ſint illi Tubicines Cornicinéſve Aerei qui Tubas ac Cornua inter pugnandum inflant. Sed nihil eſt tam abſurdum quod animus Atheus & à Deo alienus non mallet cogitare quàm ea agnoſcere, vera ſint quamlibèt maximè, quæ ad Religionem ſolidámq; Divinæ Exſiſtentiæ Providentiæq; cognitionem quoquam modo conducunt.

6. *Prælia Aerea non eſſe reflexa terreſtrium ſimulacra.*

6. Verùm nec in hoc Cogitato acquieſcit animus *Vanini*, ſed vacillat nutátque, & nè res ſic malè ſuccedat, aliud commentum adinvenit, aliquantò ſpecioſius primo aſpectu, ſed nihilo ſolidius aut verius: Quòd, ſcilicet, hæc Aereorum Militum, Equitum Peditúmque Prælia in ſublimi commiſſa nihil aliud ſint quàm Reflexiones quorundam realium Exercituum alicubi in terris præliantium. Quod tamen impoſſibile eſt. Nam

cùm neceſſe ſit ut hi terreſtres Exercitus tanto intervallo à Spectatoribus diſtent ut fama prælii commiſſi ad eorum aures nunquam perventura ſit, oculi ipſum ſpectare non poſſunt per ullam à nubibus reflexionem. Nam præterquam quòd ipſa Reflexio imagines rerum multò obſcuriores redditura ſit quàm viſio directa; diſtantia præterea, cùm tanta ſit ab exercitu ad nubes, & à nubibus rurſus ad oculum ſpectantis, adeò ſupra modum ſpecies minuet, ut evaſuræ ſint prorſus inviſibiles.

Sed quod ad me attinet, Ego profectò ſuſpicor nunquam contingere ut ea ſit ullarum nubium lævigatio & politura, ut res ullas poſſint in terra collocatas per reflexas ſpecies ad oculos noſtros retorquere. Cur enim, ſi poſſint, etiam alias res præter Prælia & id genus reliqua ominoſa Prodigia non reflectunt? Imò verò cur nulla *Paraſtra* repræſentant, cùm nullum in terris objectum tam facilè reflecti poſſit ad oculos noſtros quàm Stellæ in cœlo, propter ipſarum claritatem, oculíque in umbra Terræ poſituram, propter magnitudinem ſpecierum non imminutam, & propter ipſarum in omnes partes diſperſionem, ubicunque nubes aptè occurrerit quæ hanc reflectendi vim ſit nacta?

Sed demus pauliſper Nubibus hanc Speculorum facultatem, reflectendi utiq; rerum ſpecies, & quàm velis perfectiſſimam, Hypotheſinque poſtea ad Hiſtorias applicemus, eas ſcilicet quæ hujuſmodi Aereas Acies ſuper hoc vel illud Oppidum præliantes commemorant: Sitque Oppidum A, Exercitus aereus ſuper oppidum imminens B, Oculus Spectatoris C. Superficies igitur Nubis lævigata & Horizonti parallela (quales utplurimum ſaltem, ſi non ſemper, ſunt quæ has reflexiones faciunt, ob ventos ſubterfluentes eáſque lævigantes) ſit R D S. Exercitúſq; apparebit juxta leges Reflexionis ſupra vel ultra inferiores nubes in B: Sed revera erit circa A. Adeò ut aerea illa *σκιομαχία* Umbra deprehenderetur eſſe Exercitûs circa oppidum A præliantis, cùm nullus tamen ſit circa illud oppidum Exercitus, nec quidem umbratilis ille Exercitus videatur ſupra nubem R D S, ſed infrà ad B.

Fig. 71.



Quod ſi quis ſuggeſſerit Exercitum aliquem eſſe poſſe ultra A oppidum versùs F, qui per ſuperficiem aliquam nubis obliquam ad ſpectantis oculum C reflecti poſſit ab F per M à nube I M K, vel per N à nube G N H, manifeſtum eſt quòd Exercitus F non appariturus ſit ſupra oppidum A ad B, ſed longè ultrà ad O, aut immane quantum ſublimis in Aere versùs L. Cùm ad harum Hiſtoriarum fidem hujuſmodi Hypotheſis non omnino quadret. Nam hi aerei Exercitus dicuntur apparere ſuper hoc vel illud oppidum, & non multùm aliquando ab ipſis ædibus, nedum tot milliaria ſupra ſupremas nubes, diſtare. Quibus addas, è *Cardano*, Nubes ad Horizontem infimas non multò longiùs decem horariis Leucis ab oculo diſſitas eſſe; hominéſq; ſolere, non ab editis montibus turribúſve, ſed in Terræ planitie, utplurimum hujuſmodi ſpectacula contemplari. Ut nihil dicam de Spectaculorum Inverſione. Unde egregia hujuſmodi Hypotheſeωn levitas ac ineptitudo abunde detegitur. Ut taceam de hujus generis Exercituum congreſſu in Terra, ubi, poſtquam diſparuerunt, ipſum Gramen depreſſum conculcatúmque à Spectatoribus obſervatum eſt: quod ab inanibus rerum Imaginibus alicunde reflexis fieri non poteſt.

7. Rectè igitur & cum judicio hanc rationem ſolvendi hoc Phænomenon declinavit *Carteſius*, quanquam ſanè rationem valde tenuem mancámq; in locum ejus ſubſtituit, dum, pro ſolita ſua Mechanica credulitate, has exactas Præliorum Imagines, Equitum Peditúmq; incurſantium & conflictantium inter ſe, in rudes Nubium formas earúmq; fortuitos unarum in alteras caſus reſolvere conatur. Cùm tamen, præter Hiſtorias literis mandatas, ipſe ab oculatis teſtibus fidéq; dignis acceperim, hæc præliantium militum ſimulachra admodum viva fuiſſe, nec quavis Picturâ minùs graphicè delineata. Quod & ſuâ ſponte videtur agnoſcere *Vaninus*, omnéſq; alii qui verorum Exercituum Reflexiones eſſe contendunt & Imagines. Ex fortuitis verò Nubium unius in alteram lapſibus & ordinariis coruſcationibus hæc non fieri, manifeſtum id indicium eſt quod paulò ſuprà notavit *Machiavellus*, nempe, quòd Motus civiles temporúmq; mutationes prænunciant, eventu utplurimum Ominis implente fidem. Unde hæc Præliorum ſimulachra à Dæmonibus Geniiſve exhiberi neceſſe eſt, aut ipſas nubes aut ſua ipſorum vehicula in has formas motúſq; concinnantibus cientibúſque.

7. *Hujus Phænomeni Solutio* Carteſiana *manca & incommoda*.

8. Verùm ſi indulgeremus *Vanino* hæc ſua inſomnia, & præſentis Argumenti ictum ſic eum evadere pateremur, quid tandem facturus eſſet quò Lapidum Laterúmq; jactorum à manibus inviſibilibus, & hominum boúmq; per Aerem vectionum, vim eluderet? aut quodnam hìc Effugium eſſet excogitaturus? Tot igitur támque claris hujuſmodi rerum Experimentis ac Hiſtoriis obruti adverſæ ſententiæ Philoſophi tandem eò confugiunt, ut fateantur profectò Dæmonum Geniorúmve Exſiſtentiam, ſed ità ut interim aereis hiſce Spectris nullam immaterialem ſive incorpoream ſubſtantiam ſubeſſe admodum pertinaciter contendant, aereóſque hoſce homines vel igneos ex iſtiuſmodi ſolis particulis totos conſiſtere. Quod tamen nemo aſſereret, ſi modò quid Aer Igniſve ſit aut aliud quodvis corpus liquidum anquiſitiùs apud ſeipſum penſiculatiúſq; cogitâſſet. Inveniſſet enim, niſi quòd particulæ longè minutiores ſint, & ſigillatim ſaltem inviſibiles, naturam ejus non multùm ab arenularum acervi ſimilitudine abludere, hoc eſt, particulas utrobiq; æquè disjunctas eſſe & à ſe invicem diſſolutas.

8. *Quòd Dæmones Geniive non ſunt purè corporei, omniq; Spiritu immateriali deſtituti, patere ex eorum facultatibus progreſſivis & ſenſitivis.*

Quæro igitur in hac aerearum vel ignearum arenularum non compage, ſed potiùs nube ſolutove cumulo, num una aliqua ex ipſis, an paucæ quædam, an verò denique univerſæ, Senſu, Imaginatione & Intellectu præditæ ſint. Si una, vel etiam paucæ, quomodo una vel paucæ illæ poſſunt totam congeriem motu ſpontaneo promovere? quomodo eas quæ ponè ſunt poſt ſe trahere poſſunt? aut quæ ſuprà infràve aut à lateribus, ſecum abducere? Si verò univerſæ ſentiunt & intelligunt, quodlibet Objectum externum, præſertim propinquum, in multis ſimul locis apparebit. Atque ſic Imagines rerum confunderentur; aut aereæ igneæve particulæ, cùm movere ſe incipiunt, aliæ in alias irruerent, & ab invicem ſe abrumperent, totámq; Dæmonis compagem, vel potiùs congeriem, diſcerperent ac dilacerarent.

9. Præterea manifeſtum eſt quòd illud quod ſentit in Dæmone etiam reminiſcitur, & quod reminiſcitur imaginatur, & quod denique imaginatur hujus Imaginationis vi vehiculum Dæmonis in varias formas figuráſve convertit, & in eiſdem detinet quamdiu ipſi lubet. Hoc autem fieri ab una aliqua aut paucis quibuſdam totius congeriei particulis, quamvìs Senſum haberent, prorſus eſt impoſſibile. Quomodo enim cæteras prenſitare poterunt, & in unam aliquam formam, Canis putà, Equi vel Hominis, cogere & conſtringere? Aut, ſi univerſæ particulæ Imaginatione ſint præditæ, quantumvìs unum Objectum videre ſimul poſſint, quomodo tamen poſſunt ſeipſas in unum aliquod Objectum Formámve aliis conſpiciendam diſponere & coagmentare, ſive humanam ſive belluinam, & ſubindè pauxillo tempore ante oculos ſpectantium in aliam formam diſtinctam mutare, * cùm nulli modi ſint quibus commune aliquod conſilium inter ſe agitare poſſint, & in unum finem conſpirare, ut ſingulæ partes ſuas quas in concinnando hujuſmodi Spectro expleturæ ſunt intelligant, obeant & expleant?

9. *Item ex facultate transformandi ſua vehicula in varias formas; & ex eo quòd ſubſiſtunt, nec ventorum vi in vagas diſflantur atomos.*

Porrò, ſi Dæmon hujuſmodi eſſet aerearum vel ignearum particularum cumulus vel congeries, res eſſet ità diſſolubilis, ut ad nullum tempus ſubſiſtere poſſet, ſed diſſiparetur ſtatim, ut Nubecula à ventis diſflata; quemadmodum *Lucretius* de Anima humana argumentatur, quam quòd hujuſmodi Atomorum congeriem eſſe autumaverit, ſatis conſequenter confidenterque eam negavit

——— *ſine corpore in Aere aperto*
Cum validis ventis ætatem degere poſſe.

10. Poſtremò, Sagarum Pecudúmq; per Aerem tranſportationes, magnorúmq; Lignorum ſublationes à terra, & iſtiuſmodi multa quæ fiunt à Dæmonibus, quomodo hæc præſtare poſſunt, ſi meræ ſint aerearum particularum congeries quæ nullo immateriali

10. *Et quòd corpora Sagarum Pecudúmque per aerem portare poſſunt.*

Principio continentur uniuntúrque; Manifeſtum enim eſt quòd homo vel pecus per aerem ſtatim ſubſidit, nec à dilabendo deſiſtit donec ad terram pervenerit. Et eodem modo perlaberetur per Dæmonis vehiculum aereum æquè ſubtile ac fluidum atque eſt ipſe Aer; niſi quòd ipſi inſit internum aliquod Principium incorporeum quod conſtringere novit atque continere fluidum hoc Dæmonis vehiculum, quo impoſitum onus ſuſtineat.

Sunt enim omnia corpora, fluida æquè ac dura, impenetrabilia; ac proinde ſiqua vis ſit quæ ità Aeris particulas continere poſſit ut intra unum certum ſpatium conſtringantur, ſed ſic tamen ut ipſam Aeris conſiſtentiam nihil mutet, eſſet certè Aer adinſtar Veſicæ inflatæ, & æquè tutò ſuper ipſum quivis jacere poſſet, modò ſatis latus ſit, ac ſuper culcitram plumeam, abſque omni per eum ſubſidendi perlabendíve periculo.

11.
Quod omnino non poſſent abſq; incorporeo aliquo Principio; nec Perſonæ eſſe ſinguli, ſed innumerarum Perſonarum cumuli.

11. Sed quod ſolutam hanc aerearum Particularum congeriem ſpectat, quas totam Spiritûs ſive Dæmonis naturam conſtituere ſtatuunt illi Rerum incorporearum Exploſores, * quomodo illæ onus aliquod, præſertim ponderoſius, ſuſtentare poſſint, nec ſinere perlabi, equidem non intelligo; non ſanè tametſi univerſæ Senſu, Ratione Liberóq; arbitrio præditæ eſſent.

Primò, quòd nullus occurrit modus quo miſcere inter ſe poſſint conſilia: quod ſuprà notavi.

Deinde, quòd, tametſi poſſint, nec tunc videatur probabile, cùm ſingulæ tam tenues infirmæque reculæ ſint, ut ullæ ex illis ſe tantis oneribus proximè applicandi munus ſuſciperent, ob ingentem in tantillam reculam & ab onere & à ſociis preſſuram.

Quibus deniq; addas, quàm inepta hæc eſſet Particularum intelligentium congeries ad Colluctationes, & per manum brachiúmve ſubitas Attractiones, & ſimilia; & quàm facilè à quovis divelli poſſet membrum colluctantis Dæmonis; cùm tamen eis qui cum ipſis colluctantur ſatìs firmæ videantur tenaciſq; ſubſtantiæ. Quod prorſus impoſſibile eſſet, niſi ab incorporeo aliquo Principio totam congeriem actuante, poſſidente & conſtringente cogerentur in unum Atomi, & hâc ſtabili firmitudine continerentur.

Poſtremò, Perpende quàm planè monſtroſum ſit, & ab omni ratione alienum, unam aliquam individuam Subſtantiam (qualis Spiritus vel Dæmon ab omnibus habetur) rerum eſſe congeriem nullâ Naturæ neceſſitate, ſed conſilio ſolummodo & voluntate, cohærentium. Unde planè ſequitur, haſce aereas igneáſve particularum intelligentium congeries non eſſe tot ſingulares Spiritus ſive Dæmones, ſed ſingulas eſſe tot innumerorum Dæmoniolorum exercitus. Quo tamen nihil dici poteſt abſurdius aut inſanius. Sed ad has anguſtias neceſſariò rediguntur qui nolunt vel firmiſſimis clariſſimiſque Rerum incorporearum Argumentis fidem adhibere, veritatiq; cedere.

12.
Rerum incorporearum Exſiſtentiæ ex Vaticiniis confirmatio.

12. Quam porrò breviter ex *Vaticiniis* confirmabo, continuóq; poſtea concludam. *Vaticinia* verò *Apparitionibus* adjungo, propterea quòd utraque tandem in *Dæmonas Genióſ*ve bonos vel malos deſinant. Videtur autem rerum futurarum æquè ac ſpatio diſtantium longinquitatis repræſentatio meras Materiæ vires Mechanicas ſuperare. Imò verò longè magis, cùm *Temporis* Idea multò ſit ſubtilior tenuiórque quàm Idea *Spatii*.

Præterea, quomodo fieri poteſt ut res nondum exſiſtentes, etiam centenis aliquot luſtris antequam exſiſtant, ſpecies ſuas imaginéſve eo ordine quo futuræ ſunt alicui Materiæ imprimant; aut ut illa ipſa Materia in tam ordinatas rerum tanquam futurarum repræſentationes ſeipſam excitet, & non tanquam præſentium, ſed cum ipſo ſenſu futuritatis, & ſic ut Eventus Præfigurationibus ad amuſſim reſpondeant, cùm tamen Repræſentationum excitatio non fiat niſi fortuitis cæceve neceſſariis Particularum ad ſe invicem colliſionibus & involutionibus, (prout ſuprà de Animalium fabricatione, monuimus,) quamvis interim videatur ſibi Materia ſeipſam in hos motus exſuſcitâſſe?

Sed poſtremò, quando ipſa ſeipſam non ſibi videtur exſuſcitâſſe, ſed fuiſſe purè paſſivam, & impreſſas ſibi habuiſſe, per vices, perlongas ſeculorum ſeries, iporúmq; Fata vivis ratóque ordine diſtinctis Ænigmatis præfigurata, quarum tamen omnium Præfigurationum fidem implere Eventus perpetuò deprehenduntur, Quid eſt, inquam, quod tam aptis appoſitiſque Ænigmatis, quibus & res ipſæ ipſarúmque rerum eventus accuratè reſpondent, tam longa ſeculorum Fata per bis mille annos & ampliùs diſtincta & deducta prævidet & prætexit? Aut quî fieri poteſt ut aut *Daniel* aut *Johannes* (Neque enim Philoſophiam dedecet eorum adhibere teſtimonia, cùm ipſorum Vaticinia cum Eventis tam clarè & diſtinctè comparare poſſit, ipſorúmq; veritatem propriis quaſi oculis uſurpare,) quî fieri poteſt, inquam, ut illi Vates, qui tot tantarúmque rerum fata prædixerunt, & cum Angelis ſe aſſeruerunt fuiſſe collocutos, cùm in primo de ipſorum veracitate tam clarè conſtet, in altero fallerentur vel fallerent? Unde iterum ad certam Spirituum quorundam qui ſe rebus humanis intermiſcent cognitionem deducimur, clarúmq; ſimul Rerum incorporearum Exſiſtentiæ ſcientiam.

Cæterùm his minimè immorandum duximus, quandoquidem multò antehac ex præcedentibus Argumentis hanc veritatem ſatìs abunde demonſtravimus.

SCHOLIA

In CAP. XXVI. SECT. 9.

CUm nulli modi ſint quibus commune aliquod conſilium inter ſe agitare poſſint, &c. *Vide igitur annon hoc nonum exemplum cenſeri debeat iſtiuſmodi Phænomenôn quæ nulla materialis ſubſtantia quantumvis viva & intelligens poſſit ſalvare.*

Sect. 11. Quomodo illæ onus aliquod, præſertim ponderoſius, ſuſtentare poſſint, &c. *Vide Sectionem præcedentem, & cùm ſatìs conſtet de Sagarum pecudúmque per aerem deportatione an non hoc decimum modò dictæ veritatis meritò haberi poſſit argumentum.*

CAP. XXVII.

Duas eſſe Opiniones quæ maximâ obſcuritate naturam Spiritûs involvunt, Nullibiſtarum *ſcilicet,* & Holenmerianorum.

1. Nullibiſtarum & Holenmerianorum *Opinionum propoſitio.*

1. HActenus de *Exſiſtentia* Rerum incorporearum egimus: Quam certè tam multis támque ſolidis Argumentis demonſtravimus, ut hanc profectò veritatem quaſi digitis palpare manúq; tenere poſſe videamur. Reſtat ut brevitate multò majori, paríq; perſpicuitate, *Eſſentiam* Rerum incorporearum in genere explicemus. Quod ſatìs feliciter nos præſtituros eſſe ſperamus, poſtquam duas ingentes tenebrarum moles quæ naturæ ipſarum incumbunt ab ipſis amoverimus ac difflaverimus.

Prima eſt eorum qui, tametſi Res incorporeas in rerum natura exſiſtere non gravatè agnoſcunt, eas tamen in tota rerum Univerſitate *nuſquam* eſſe perquam acriter contendunt. Quæ quidem Opinio, quanquam vel primâ fronte ſatìs ridicula videtur, ab ejus tamen Aſſertoribus non ſine aliquo faſtu ac ſupercilio, aut occulto ſaltem contemptu aliorum Philoſophorum qui aliter ſentiunt, tanquam minùs intellectualium, & Imaginationi nimium quantum indulgentium, mordicus tenetur. Hi igitur, propterea quòd Spiritus *nullibi* eſſe tam audacter affirmant, *Nullibiſtarum* titulum ſibi meritò conciliaverunt.

Altera eſt eorum qui ſanè Spiritus *alicubi* eſſe lubenter concedunt, verùm inſuper addunt eos in ſuis Ubi non ſolùm totos eſſe, ſed etiam in ſingulis ſuorum Ubi punctis vel partibus ſimul eſſe totos, peculiarémq; Spiritûs naturam ſic deſcribunt, quaſi eſſet *totus in toto & totus in qualibet ſui parte.* Quam igitur οὐσίαν ὁλενμερῆ *Græci* aptè & conciſè appellarent, ipſámq; hanc proprietatem (τὴν ἀσωμάτων οὐσιῶν τὴν ὁλενμέρειαν) *rerum incorporearum Holenmeriam* nuncuparent. Unde & hi alteri Philoſophi, prioribus ex diametro oppoſiti, vocabulo ſignificantiſſimo ſatíſq; compendioſo appellari poterunt *Holenmeriani.*

2. *Quòd* Carteſius Nullibiſtarum *princeps eſt; & quibus præcipuè conſiſtat ipſorum Opinionis vis.*

2. Quorum utrorumq; Opiniones cùm jam ſatìs explicaverimus, Rationes ſingulorum & proponemus & confutabimus: primóq; *Nullibiſtarum.* Quorum quidem primus Author exſtitiſſe videtur feſtivum illud caput *Renatus Carteſius*, qui, jocularibus ſuis Meditationibus *Metaphyſicis*, Ingeniis ſatìs ſobriis aliàs atq; acutis, ſed in hac parte ob nimiam *Carteſii* admirationem minùs cautis, facultates rationales ità luxavit ac diſtorſit, ut partim ementitâ ac præſtigioſâ illius ſubtilitate, partim autoritate decepti, ea ſibi perſuaſerint veriſſima clariſſimáq; eſſe, quæ, niſi hiſce præjudiciis occæcati eſſent, nunquam exiſtimaturi fuiſſent poſſibilia. Itáque tam ſedulò ab ipſo edocti & diligenter inſtructi, ut à nullo nè potentiſſimo quidem & maligniſſimo deceptore Deo falli poſſent, non ſatìs ſibi caverunt nè à mero homine, ſed perfaceto quidem, quanquam aſtuto ſatìs & abſtruſo, deciperentur illuderentúrque. Quemadmodum clarè patebit poſtquam Rationes hujus Opinionis *Nullibiſtarum* ab ipſa ſtirpe exquiſiverimus.

Tota verò illius vis his tribus Effatis comprehenditur. Quorum primum eſt, *Quicquid cogitat, eſſe Immateriale*; & contrá: Secundum, *Quicquid eſt extenſum, eſſe Materiale*: Tertium, *Quicquid eſt inextenſum, eſſe Nullibi.* Cui quidem tertio hoc quartum, tanquam illius neceſſarium & manifeſtiſſimum Conſectarium, ſuperadjiciam, viz. *Quicquid eſt alicubi, eſſe etiam Extenſum.* Quod ipſi *Nullibiſtæ* mihi ultro concedent veriſſimum eſſe; alioqui ſeriò contendere non poſſent pro ſua Opinione, quâ Spiritus nullibi eſſe ſtatuunt, ſed id facerent ſolummodo in occultam & obliquam realis ipſorum Exſiſtentiæ deriſionem, dicentes quidem eos exſiſtere, ſed iterum tectè ſubdoléque id negantes, aſſerendo illos *nuſquam* eſſe. Nuſquam igitur eos eſſe aſſerunt proculdubio, ſi ſeriò agunt, eâ ſolâ ratione, nè concedendo eos alicubi eſſe, ab illis ſtatim extorqueretur eos etiam eſſe extenſos. Manifeſtum igitur eſt nos ambos in hoc convenire, quòd *Quicquid eſt alicubi eſt etiam Extenſum.*

3. *Illius Ratiocinii quo* Nullibiſtæ, *ex eo quòd cogitationem concipere poſſumus non concipiendo materiam, Omne quod cogitat immateriale concludunt, Sophiſtica imbecillitas.*

3. Quâ tamen veritate inſtructus & ſuffultus nullus dubito quin facilè poſſim *Nullibiſtarum* Opinionem profligare penitùs, radicitúſq; evellere. Verùm ut manifeſtiùs appareat eorum levitas ac credulitas, membratim examinemus hujus Opinionis Principia, perpendamúſq; quàm bellè ab ipſis ſingula demonſtrentur.

Primum eſt, *Quicquid cogitat, eſſe Immateriale*; & contrá. Hujus Axiomatis converſionem non examinabo, cùm ad rem præſentem parùm faciat: tantùm obiter moneo, me non dubitare quin poſſit eſſe falſa, quamvis ipſum Axioma verum eſſe non invitè concedam: ſed novam hanc demonſtrandi methodum in dubium voco; quæ utique ex eo quòd Cogitationem poſſumus concipere non concipiendo Materiam, & Materiam concipere non concipiendo Cogitationem, quicquid cogitat Immateriale eſſe concludit. Quòd autem Cogitationem poſſumus concipere non concipiendo Materiam, ex eo conſtare autumant, *quòd etiamſi quis ſupponat nullum eſſe Corpus in rerum natura, eámque poſitionem nihil mutet, non tamen propterea deſinat eſſe certus quòd ſit res cogitans.* Ego verò porrò addo, quòd tametſi nullam rem immaterialem in rerum natura ſupponeret nec materialem, eámq; poſitionem nihil mutaret, non tamen propterea deſineret eſſe certus quòd ſit res cogitans, non certè ſi ſupponeret ſe non eſſe rem cogitantem, cùm nihil ſupponere poſſit ſine aliqua cogitatione. Quod obiter notare operæ pretium fore putabam, ut Sophiſtica *Nullibiſtarum* levitas indè luculentiùs innoteſceret.

Addo tamen præterea, eam eſſe naturam Mentis humanæ, ut apta nata ſit, ad inſtar Oculi, ad alias res potiùs contemplandas quàm ſeipſam; ac proinde minimè mirum eſſe quòd nihil cogitando de ſua propria natura, alias res ferè omnes interim ſatìs fixè & intentè contueatur & contempletur, imò verò eas ipſas quibuſcum arctiſſimam affinitatem habet, ſine ulla reflexione quòd ipſa ſit conſimilis naturæ. Unde facilè fieri poteſt, cùm adeò tota ſit occupanda in aliis rebus contemplandis ſine ulla reflexione ſuper ſeipſam, ut vel per incuriam ſe poſſit conſiderare in genere tanquam rem ſolummodo cogitantem, ſine omni alio Attributo, vel per obſtinationem poſtea ac vim ſuis facultatibus datâ operâ illatam. Hanc verò eſſe Rationem admodum infirmam ac nugatoriam ad probandum Mentem humanam nihil aliud eſſe, hoc eſt, nullis aliis Attributis gaudere, præter Cogitationem, nemo eſt qui non videt.

4. *Vera methodus quâ procedi oportet in probando Materiam non poſſe cogitare.*

4. Poſtremò, ſi *Carteſius* cum ſuis *Nullibiſtis* bonâ fide agere voluiſſent, debuiſſent profectò miſſos facere omnes illos Abſtractionum anfractus & ambages, & directo ictu in rem ipſam involâſſe, itáque Materiam excuſſiſſe, Cogitationíſque explorâſſe naturam, ut evidenter indè demonſtrare potuiſſent eſſe aliquod inſeparabile Attributum in Materia quod Cogitanti facultati repugnat, vel in Cogitatione quod repugnat Materiæ. Ex diverſitate verò ſolummodo Idearum vel Notionum quorumlibet Attributorum neceſſariam ipſorum Separabilitatem vel realem Diſtinctionem colligere, imò verò ipſorum Contrarietatem & Repugnantiam, eſt ſanctiſſimas Dialecticæ leges fœdiſſimè violare, ac *Diverſa* cum *Oppoſitis* confundere. Qui lapſus illis qui *Logicam* nôrunt non poteſt non apparere turpiſſimus ac abſurdiſſimus.

Sed ut adhuc clariùs hujus Methodi appareat vacillatio ac infirmitas, ſupponamus id quod quidam nec obſcuri nominis Philoſophi ſeriò ponunt aſſerúntque, nempe, Subſtantiam cogitantem eſſe vel materialem, vel immaterialem. Annon indè clarè ſequeretur quòd & Res cogitans præcisè concipi poſſit ſine conceptu Materiæ, ut Materia ſine conceptu Cogitationis, cùm tamen in altero hujus diſtributionis membro ſatìs arctè conjungantur?

Quomodo igitur poteſt hæc nova novitia *Carteſii* Methodus hanc Suppoſitionem falſam eſſe convincere, Diſtributionémq; eſſe illegitimam? Numnam ex eo quòd Materia ſine Cogitatione, & Cogitatio ſine Materia concipi poteſt? Primum certè omnes agnoſcunt. Alterum verò ipſa Diſtributio ſupponit, manétq; nihilominus ſatìs firma ac ſarta tecta. Igitur manifeſtiſſimum eſt, neceſſe eſſe ut recurratur ad notas ratáſque communis Dialecticæ leges, quæ multa antè ſecula quàm nova hæc *Carteſii* Methodus illuxit conſtitutæ ſunt, & univerſis humani generis ſuffragiis comprobatæ, quæ docent oportere in omni legitima Diſtributione Partes conſentire cum Toto, & diſſentire inter ſe. Inter ſe autem in hac Diſtributione ſatis eas diſſentire manifeſtum eſt. Reſtat igitur ſolummodo probandum, quòd altera earum, nempe ea quæ Subſtantiam cogitantem materialem eſſe poſſe innuit, ipſi Totius naturæ repugnet. Hæc eſt clara, ſolida ac manifeſta illa via ac Methodus juxta notiſſimas Dialecticæ leges; Altera illa nova, Sophiſtria quædam, feſtiváq; ludendi ac prævaricandi ratio.

5. *Quòd res omnes ſunt aliquo modo extenſæ, è tertii* Nullibiſtarum *Fundamenti Corollario clara demonſtratio.*

5. Quod ſecundum Effatum vel Fundamentum attinet, nempe, *Quicquid eſt Extenſum, eſſe Materiale*, ad illius falſitatem evincendam nullâ novâ opus eſt argumentatione, cùm id tam perſpicuè ſolidéq; ſuprà à me refutatum ſit, ex eo quòd Extenſum quoddam immobile à mobili Materia diſtinctum in rerum natura exſiſtere tam multis támq; inexpugnabilibus Argumentis demonſtraverim, *Cap.* ſcilicet 6, 7, & 8. Quò Lectorem relegare quanquam ſufficere poteſt, nos tamen ex tertii Fundamenti Corollario idem hic rurſus clarè demonſtrabimus, eâdémque operâ omnes Spiritus eſſe *alicubi* (contra ridiculam ac malè-ſanam *Nullibiſtarum* Opinionem) perquam luculentè probabimus.

Quorum tertium Fundamentum, & ex quo proximè & immediatè Spiritus nullibi eſſe concludunt, eſt, *Quicquid eſt inextenſum, eſſe Nullibi.* Quod certè ego lubentiſſimè concedo, ſed eâ lege ut illi rurſus concedant, (nec dubito quin id liberè conceſſuri ſint,) quòd *Quicquid eſt alicubi, eſt etiam Extenſum.* Ex quo, quod dixi, Conſectario certitudine planè Mathematicâ evincam, Deum Animámque noſtram, ac proinde res cæteras omnes immateriales, eſſe aliquo modo extenſas. Nam & ipſi *Nullibiſtæ* agnoſcunt & aſſerunt Operationes quibus Anima agit in Corpus eſſe in corpore, & potentiam illam ſive vim Divinam quâ agit Deus in Materiam eámque movet præſentem eſſe ſingulis Materiæ partibus. Unde facile eſt colligere Operationem Animæ Deíque vim motricem eſſe alicubi, in Corpore nempe & in Materia. At verò Operatio Animæ quâ agit in Corpus, ipſaque Anima, & Divina Potentia quâ movet Deus Materiam, ac Deus ipſe, ſimul ſunt, nec à ſe invicem, nè cogitatione quidem, ſeparari poſſunt, Operatio utique ab Anima, & Potentia à Deo. Ergò ſi Operatio Animæ eſt alicubi, Anima eſt alicubi, ibi nempe ubi eſt Operatio: Si Potentia Dei eſt alicubi, Deus eſt alicubi, ibi ſcilicet ubi Divina Potentia: Hic in ſingulis Materiæ partibus, Anima in humano corpore. Qui hoc profectò negare poteſt, pari poterit jure negare communem illam Notionem Mathematicam, *Quæ uni alicui tertio æquantur æquantur inter ſe.*

6. Nullibiſtarum *aperta confeſſio quod Eſſentia Spiritûs eſt ubi illius Operatio, ipſorúmque cum ſeipſis repugnantia.*

6. Atque certè hoc ipſum pro quo contendimus ipſi *Nullibiſtæ* ſuis ipſorum verbis mihi apertè affirmare videntur. Quemadmodum patet in *Lamberto Velthuſio*, De *initiis primæ Philoſophiæ*, in Capite de *Ubi*. Qui quamvìs ſatìs manifeſtò affirmet Deum Mentemve humanam per Operationes ſuas omni vel alicui Materiæ parti ineſſe vel adeſſe, atque in eo ſenſu, nempe reſpectu Operationum, Animam rectè dici poſſe alicubi eſſe, Deum ubique, quaſi ille ſolus ipſorum præſentiæ eſſet modus; expreſsè tamen concedit, *quòd nullibi quidem Eſſentia ſeparata eſt ab hoc per quod Deus aut Spiritus creatus ubique aut alicubi eſſe dicitur, nequis arbitretur Dei Eſſentiam alicubi eſſe ubi reliqua ejus Attributa non ſunt, Eſſentiam Divinam eſſe in cœlo, Virtutem autem etiam extra cœlum ſe diffundere. Nullo modo*, inquit ille, *ubicunque Dei Potentia aut Operatio eſt, illîc etiam eſt Dei Natura, cùm Deus ſit Subſtantia omnis compoſitionis expers.* Hæc *Velthuſius.* Unde ego aſſumo; Sed Potentia vel Operatio Dei ineſt vel adeſt Materiæ: Ergò Eſſentia Dei Materiæ ineſt vel adeſt, ibíque eſt ubi Materia eſt, ac proinde eſt alicubi. Ecqua fieri poteſt Deductio vel Illatio conjunctior & cohærentior cum Præmiſſis?

Nec tamen ille alter addictiſſimus Philoſophiæ *Carteſianæ* Aſſectator *Ludovicus De-la-forge* abſtinere ſe poteſt, quin nobis eandem præbeat argumentandi anſam, vel potiùs eandem nobiſcum Concluſionem inferat, in Tractatu ſuo de *Mente humana*, cap. 12. ubi hæc ipſius occurrunt verba, *Denique, quando dico Deum eſſe omnibus rebus præſentem per ſuam Omnipotentiam*, (& conſequenter partibus Materiæ univerſis,) *nolo negare eum etiam per ſuam Eſſentiam ſuámq; Subſtantiam iis eſſe præſentem. Ea enim omnia in Deo non ſunt niſi unum idémque.*

Audi'n' tu, mi *Nullibiſta*, quid apertè profitetur unus è præcipuis Condiſcipulis tuis, & religioſiſſimis ſtupendi veſtri Arcani, *Nullibiſmum* intelligo, Symmyſtis, Deum etiam per Eſſentiam vel Subſtantiam ſuam omnibus Materiæ partibus adeſſe? Et tamen vos non pudet interim aſſeverare nec Deum nec Spiritus ullos creatos *alicubi* eſſe poſſe? Quo nihil repugnantius dici poteſt vel excogitari, & ab omni ratione alienius. Quamobrem cùm tam propè ad veritatem accedant *Nullibiſtæ*, impoſſibile videtur ut adeò ex inopinato eam rurſus refugerent, niſi ſuperſtitioſâ Metaphyſicæ *Carteſianæ* admiratione occæcati eſſent, & jocularìis illius Subtilitatibus præſtigioſiſq; Abſtractionibus illuſi,

luſi, effaſcinati, & dementati. Quis enim mentis compos agnoſcere poteſt quòd Spiritus etiam per eſſentiam adſit Materiæ, & tamen ſit nullibi, niſi ipſa Materia etiam nullibi eſſet; quòd corpus aliquod determinatum penetret, poſſideat, actuet, nec tamen ſit in corpore? In quo certè ſi ſit, alicubi eum eſſe planè neceſſe eſt.

Et tamen ad hunc modum Corpus ab Anima poſſideri & actuari in Præfatione ſua ad Tractatum de *Mente humana* apertè aſſerit idem *Ludovicus De-la-forge*, dum ſententiam *Marſilii Ficini* de modo quo Anima Corpus actuat ipſis *Marſilii* verbis profert, ejúſque ſententiæ ultro aſſentitur: *Quid igitur agunt hæ formæ in corpus quando ipſi Eſſe ſuum communicant? Penetrant ipſum undique Eſſentiâ ſuâ, Virtutem Eſſentiæ ſuæ dedicant illi. Cùm verò ab Eſſentia ducatur Eſſe, & à Virtute profluat Operatio, conjungendo Eſſentiam impertiunt Eſſe, dedicando Virtutem Operationes communicant, ut ex Animæ Corporiſq; congreſſu unum evadat Eſſe Animalis, Operatio una.* Anima per eſſentiam ſuam totum corpus penetrat & pervadit, nec tamen eſt ubi corpus eſt, ſed nullibi in rerum natura!

Quàm manifeſta igitur cum Repugnantia cum aliis ſuis Aſſertionibus hanc ridiculam ſuam Concluſionem tenent *Nullibiſtiæ* abunde jam vidimus, & quàm infirmum ſit potiſſimum illius fulcrum, quòd *Omne Extenſum eſt Materiale.* Quod non ſolùm ſuprà, *cap.* 6, 7, 8. irrefragabilibus Argumentis refutavimus, ſed & hìc itidem, tam clarè probando *omnes Spiritus eſſe alicubi*, etiam ex ipſa *Nullibiſtarum* ſententia, illud miſerè rurſus profligavimus.

7.
Leviores Nullibiſtarum *Rationes quibus Opinionem ſuam confirmare conantur. Quarum prima eſt, Quòd Anima cogitat de eis rebus quæ ſunt nullibi.*

7. Cæterùm nec leviores eorum Rationes in re tanta, aut ſaltem tam monſtroſa, præteribimus. Quarum prima eſt, Quòd Mens humana de eis cogitat quæ nuſquam ſunt, & nullam ad Locum, nè quidem *Logicum*, ſive *Ubi*, relationem habent. * Cujuſmodi ſunt multæ Veritates tam Morales quàm Theologicæ ac Logicæ, quæ cùm ejuſmodi ſint naturæ ut ſint nullibi, Mentem etiam humanam quæ eas concipit nullibi eſſe neceſſe eſt. Sed quàm mendoſè & inſequenter colligant *Nullibiſtæ* Mentem humanam eſſe *nullibi* ex eo quòd de eis cogitat quæ nullibi ſunt, hinc cuilibet apparere poteſt, & præcipuè ipſis *Nullibiſtis*, quòd pari ratione ſequeretur humanam Mentem eſſe *alicubi*, quia aliquando, ſi non ferè ſemper, de eis cogitat quæ alicubi ſunt. Quod ipſi concedere non ſunt auſi, propterea quòd ex eo ipſo planè ſequeretur, juxta eorum Doctrinam, quòd Mens vel Anima humana eſſet *extenſa*, atque ſic corporea evaderet, omnique Cogitatione deſtituta.

Sed præterea, Ea quæ illi nuſquam eſſe dicunt, nempe Veritates quædam Morales, Logicæ & Theologicæ, ſunt revera alicubi, in ipſa ſcilicet Anima quæ ipſas concipit; Anima verò ipſa in corpore, prout ſuprà probavimus. Unde manifeſtum eſt Animam & Veritates illas quas concipit, æquè ac ipſum Corpus, alicubi eſſe. * Concedo quidem quaſdam Veritates, quatenus Repræſentationes ſunt, nec Tempus nec Locum quomodocunque ſumptum reſpicere. Veruntamen quatenus ſunt Operationes, ac proinde Modi alicujus Subjecti vel Subſtantiæ, non poſſunt aliter concipi quàm in aliqua Subſtantia. Et quandoquidem nulla eſt Subſtantia quæ non aliquam ſaltem habet Amplitudinem eſſentialem, ſunt in Subſtantia quæ aliquo modo extenſa eſt; atque ſic ratione Subjecti, neceſſariò concipiuntur eſſe alicubi, cùm Modus à Subjecto ſit inſeparabilis.

Nec me movet quicquam temulenta illa ac temeraria Tergiverſatio quam hìc quidam moliuntur, dicentes malè hìc diſtingui inter Cogitationem (quales ſunt ſingulæ Veritates conceptæ) & Subſtantiam Animæ cogitantis: Ipſam enim Cogitationem eſſe Animæ ſubſtantiam, ut Extenſio eſt Materiæ; ac proinde Animam æquè nuſquam eſſe ac quælibet Cogitatio, quæ nec Tempus nec Locum omnino reſpicit, futura eſſet ſi in nullo eſſe Subjecto comperiretur. Sed non animadvertunt hìc *Nullibiſtæ*, qui ſic volunt effugere, quòd dum Animæ ſubſtantiam Cogitationem eſſe agnoſcunt, eo ipſo agnoſcunt Animam habere ſubſtantiam, quam aliqualem Amplitudinem habere neceſſe eſt. Sed præterea, Aſſertio hæc quâ aſſerunt Cogitationem eſſe ipſiſſimam Animæ ſubſtantiam manifeſtò falſa eſt. Etenim quamplurimæ Animæ Operationes ſpecificè, quod aiunt, diſtinguuntur; quæ igitur ſuccedentes, una poſt alteram, tot erunt Subſtantiæ ſpecie diſtinctæ. Atque ſic *Socratis* Anima non ſemper erit eadem ſpecie Anima, multò minùs eadem numero. Quo quid fingi poteſt delirantius, aut à communi ſenſu remotius?

Cui addas, Animam humanam eſſe rem permanentem, Cogitationes verò illius eſſe in fluxu. Quomodo igitur ipſa ſubſtantia Animæ poteſt eſſe ſucceſſivæ illius Operationes? Et cùm ſubſtantia Animæ ità perpetuò intercidat, quid, obſecro, fiet de Memoria? Unde manifeſtò liquet quòd ſit Subſtantia quædam Animæ permanens, æquè diſtincta à ſuis ſuccedentibus Cogitationibus ac ipſa Materia eſt à ſuis figuris ſucceſſivis ac motibus.

8. Altera Ratio aliquatenus coindicit cum quibuſdam earum quas jam examinavimus. Breviter autem ad hunc modum inſtituitur: Nullus poteſt eſſe Loci Logici, ſive Ubi, conceptus ſine Extenſione: Sed Cogitatio facillimè concipitur nullâ Extenſione conceptâ: Igitur Mens cogitans, omni exempta Extenſione, omni omnino Localitate ſive phyſicâ ſive logicâ etiam eximitur, itáque ab illa ſolvitur ut nullam ad eam relationem habeat ullámve applicabilitatem. Quaſi verò illæ res nullam habeant relationem ad alias res nec applicabilitatem ſine quibus concipi poſſunt.

8. *Altera* Nullibiſtarum *Ratio, viz. Quòd Cogitatio facillimè concipitur abſque Extenſione.*

Hujus argumentationis imbecillitas ex eo facilè deprehendi poteſt, quòd intenſio Caloris vel Motûs conſideretur nullâ ratione habitâ ad illius extenſionem, & tamen refertur ad Subjectum extenſum, putà ad plumbum volans candénſve ferrum. Et quanquam in intentis defixíſque in rem aliquam difficilem aut valde jucundam Cogitationibus lapſum temporis non omnino obſervamus, nec ipſum vel leviſſimâ cogitatiunculâ notamus; nihil obſtat tamen quin iſtæ Cogitationes ad tempus poſſint applicari, rectéque dici circa ſextam, putà, horam matutinam incepiſſe, & continuatæ fuiſſe ad horam uſque undecimam: paríque ratione locus definiri ubi concipiebantur, intra Muſei utique parietes; quanquam fortaſſe per totum id tempus hic tam defixus Contemplator non animadvertebat an in Muſeo eſſet an verò in Agris.

Et, ut ſummatim dicam, ex præciſione Cogitationum noſtrarum realem ipſarum rerum præciſionem vel ſeparationem inferre, Sophiſma putidum eſt ac puerile; ſed & adhuc enormius ac immanius, nullam eas omnino ad ſe invicem habere relationem vel applicabilitatem indè porrò colligere. Poſſumus enim habere claram & diſtinctam apprehenſionem alicujus rei, quæ cum alia tamen re nexu etiam eſſentiali cohæret, non animadverſo illo nexu, (multóque magis cùm non niſi circumſtantiali vinculo connectuntur,) ſed non plenam & adæquatam, atque adeò hujuſmodi quæ omnes illius eſſentiæ gradus eorúmq; proprietates perſpicit ac penetrat. Quò niſi quis pervenerit, de reali cujuſquam naturæ ab aliis naturis ſeparabilitate rectè judicare neutiquam poterit.

Unde patet quàm fœdè ſaltem aliis, ſi non ſibi ipſi, impoſuit *Carteſius*, dum ex hac mentali præciſione Cogitationis ab Extenſione Spiritum quemlibet, qualis eſt humana Anima, ſolâ Cogitatione, Materiam Extenſione, definivit, ómnémque Subſtantiam in *Cogitantem* & *Extenſam*, tanquam in primas ſuas Species, diviſit. Quæ tamen Diſtributio æquè abſona eſt atque abſurda, ac ſi Animal in Senſitivum & Rationale diſtribuiſſet, cùm omnis Subſtantia *extenſa* ſit æquè ac omne Animal *ſenſitivum*. Sed animadverſionem defixit in naturam ſpecificam Animæ humanæ, illius genericâ, aut datâ operâ, aut per incuriam, non animadverſâ nec conſideratâ. Quemadmodum notavi in * Enchiridio Ethico.

* *Lib.* 3. *cap.* 4. *ſect.* 3.

9. Tertia & ultima Ratio, quæ & omnium eſt ingenioſiſſima, occurrit apud *Lambertum Velthuſium*, nempe, Quòd *Mens nullibi eſt, veritatem eſſe ipſi Menti à Deo inditam. Quippe quòd uſu cognoſcimus nos ex Operationibus noſtris ſpiritualibus ſcire non poſſe ubinam Mens ſit: Et quòd nos ſcimus eam eſſe in noſtro Corpore, id ex Operationibus Senſationis & Imaginationis (quas ſine corpore aut motu corporis Mens non exſequitur) tantùm percipimus.* Cujus ſenſus eſt, ſi rectè conjicio, quòd Senſu quodam interno ipſa Mens ſibi conſcia eſſet ſe eſſe nullibi, niſi corporis motu ac impulſu ſubindè interturbaretur. Quod ingenioſum eſt, quod dixi, Præſagium, ſed non verum. Aliud enim eſt, ſe percipere eſſe nullibi, aliud, ſe alicubi eſſe non percipere. Poteſt enim alicubi ſe eſſe non percipere, quamvìs alicubi ſit; ut Individualitatem ſuam Numericámq; à cæteris Mentibus diſtinctionem non animadvertere, quamvìs ſit una numero Mens ac individua. Ità enim, quod ſuprà monui, comparata eſt Mentis humanæ natura, ut, adinſtar Oculi, ad res reliquas omnes contemplandas magìs apta nata ſit quàm ſeipſam; debétque illud quod ad res alias clarè & ſincerè percipiendas factum eſt, nihil habere ſui actu perceptibile quod cum illarum perceptionibus permiſceat. Unde Mentem humanam nullum ſtabilem fixúmque ſuæ Eſſentiæ ſenſum, & quem pro re nata facilè deponere non poſſit, habere oportet. Ex quo minimè mirum eſt, cùm Mens humana propriæ Eſſentiæ ſenſum & conſcientiam exuere poſſit, ac ſuæ ipſius Individualitatis, quòd etiam ſui alicubi exſiſtendi ſenſum ſimul poſſit exuere, vel non percipere, cùm nec Eſſentiam nec Individualitatem percipiat, (cujus Hîc & Nunc ſunt notiſſimi characteres,) præcipuáq; Mentis objecta ſint Univerſalia.

9. *Tertia & ultima, Quòd ipſa Mens ſibi conſcia eſt ſe eſſe nullibi, niſi à Corporis motu interturbetur.*

Quemadmodum verò Mens, quanquam ſuam Individualitatem non percipit, poteſt tamen ratione ſibi probare ſe eſſe aliquam unam numero Mentem ac individuam; ità poteſt & eâdem operâ, quamvìs ſenſu ubi ſit non percipiat, ſe eſſe tamen alicubi clarè evincere, ex ratione ſcilicet rerum omnium generali, quæ, quod * ſuprà monuimus, ex ſua id habent natura, ut ſint extenſæ, ſingulares, & alicubi. Sed & præterea ipſe *Vel-*

* *Cap.* 2. & 3.

thuſius apertè concedit, ex Operationibus Senſationis & Imaginationis nos ſcire Mentem eſſe in noſtro corpore. Quomodo igitur eam alicubi, niſi corpus nullibi ſit, neſcire poſſumus?

10.
Provocatio ad internum Mentis ſenſum, annon ſit infinitâ quadam Extenſione circundata; Nullibiſtarúmque clangore circumſtantium Tubicinum ex Inſomnio ſuo excitatio.

10. Satìs jam enervatæ ac profligatæ ſunt Rationes ***Nullibiſtarum*** quibus Opinionem ſuam confirmare conantur: neque ullis nobis opus eſt Argumentis quibus contraria ſententia ſtabiliatur. Tantùm obiter monebo ut, qui Mentem ſuam nullibi eſſe poſſe putat, experiatur ſuas cogitandi vires, ac poſtquam abſtraxit ſe ab omni cogitatione ſenſûve ſui corporis, animúmque tantummodo intendit in Ideam indefinitæ vel infinitæ Extenſionis, ſimúlque ſe percipit eſſe Rem aliquam particularem cogitantem, experiatur, inquam, an ullo modo evitare poſſit quin eodem tempore percipiat ſe alicubi eſſe, aut ſaltem eſſe poſſe, intra hanc nimirum Extenſionem immenſam, eâque ſe eſſe undique circundatam. Equidem ingenuè fateor me non poſſe aliter concipere, nec poſſe non concipere Ideam infinitæ cujuſdam Extenſionis immobilis neceſſariò actu exſiſtentis, quam ab externis Senſibus non hauſtam eſſe, ſed ipſi Menti innatam atque inſitam, clariſſimè firmiſſiméq; deprehendo; ac proinde genuinum eſſe non Imaginationis, ſed Intellectûs, Objectum; perperámque ac ſine omni judicio à ***Nullibiſtis Carteſianis***ve dictum eſſe, quòd ***Quicquid eſt Extenſum, eſt etiam*** φανταστόν τι, ſive ***Imaginabile quiddam***, cùm tamen nihil ſit imaginabile quod non eſt ſenſibile; nam ex ſenſibus omnia φαντάσματα hauriuntur. Sed hæc infinita Extenſio nihilo plus habet communitatis cum rebus ſenſibilibus atque Imaginationi ſubjectis quàm quod eſt maximè incorporeum. Sed de hoc fortean alius erit opportunior dicendi locus.

Interea loci unicum duntaxat Argumentum ſubjungam, quo Mentem humanam alicubi eſſe manifeſtò evincam, & poſtea ad ***Holenmerianorum*** Opinionem diſcutiendam me accingam. Breviter igitur ſupponamus quempiam coronâ Tubicinum circumvallatum eſſe, Tubíſque ſuis eos omnes eodem ſimul tempore canere. Videamus jam an hic circumſonus undique tubarum clangor ***Nullibiſtas*** ex veternoſo ſuo Inſomnio excitare poſſit. Statuamúſque, quod ipſi ſatìs lubenter concedunt, ***Conarion*** vel ***Glandulam pinealem*** A eſſe commune Senſorium ad quod tendunt tandem omnes Objectorum externorum motus. Nec quicquam refert an ſit hoc Conarion, an alia aliqua Cerebri pars, ejúſve quod intra Cerebrum continetur. Sed Conarion jam ſaltem vices obeat illius partis materiæ quæ eſt commune Animæ Senſorium. Octóque cùm ſit circumcinctum Tubicinibus, octo ab illis ad ipſum ducantur lineæ, nempe à B, C, D, E, F, G, H, I. Dico quòd ad ſingularum linearum motûs extremitates uniuſcujuſque Tubæ clangor à Corona Tubicinum defertur, omnéſq; ibi clangores tanquam undiq; à Corona B C D E F G H I venientes in Conario A percipiuntur, perceptióque fit circa eam partem ad quam omnes lineæ motûs tanquam ad commune Centrum concurrunt; ac proinde illarum extremitates Clangorúmque perceptiones ſunt in medio Coronæ Tubicinum, nempe ubi eſt Conarion. Ergò ipſum ***Percipiens***, nempe Anima, eſt in medio hujus Coronæ æquè ac ipſum Conarion, ac proinde eſt alicubi.

Fig. 72.



Certè qui vim hujus Demonſtrationis ſe perſentiſcere inficiatur, agnoſcitque perceptionem quidem fieri ad extremitates dictarum linearum & in medio coronæ Tubicinum, ipſam verò Mentem percipientem ibi non eſſe contendit, cùm ſit nullibi, hic homo profectò aut delirat, aut ludit, vafréque ac obliquè ſubinſinuat perceptionem quæ fit in Conario ipſi Conario eſſe attribuendam, Mentem verò, quatenus eſt ſubſtantia incorporea, tanquam Chimæram inutiléque Figmentum è tota rerum Univerſitate eſſe exterminandam.

11.
Explicatio Opinionis Holenmerianorum, *& duarum ipſius Rationum propoſitio.*

11. Atque hæc de ***Nullibiſtarum*** Opinione dicta ſufficiant. ***Holenmerianorum*** jam Opinionem examinemus: Cujus Explicatio ſic eſt. Eſto corpus quodlibet, putà C D E, quod Anima Spiritûſve quilibet occupet, illúdque penetret. Dicunt ***Holenmeriani*** Spiritum Animámve totam totum corpus C D E per eſſentiam ſuam penitùs occupare & poſſidere, totámque porrò eſſe in qualibet parte vel puncto ejuſdem corporis C D E, ut in A & B, & reliquis ejus particulis punctíſve. Hæc eſt Opinionis illorum brevis ac dilucida explicatio.

Fig. 73.



Rationes verò quibus inducti ſunt ad eam amplectendam, adeóque mordicus tenendam, hæ duæ ſolæ ſunt, (nempe quantum Spirituum ὁλενμέρειαν ſpectat,) aut ſaltem præcipuæ. Prima eſt, Quòd cùm totam Animam totum corpus pervadere ac poſſidere concederent, eo ipſo ſequi putarent ipſam Animam fore diviſibilem, niſi hanc ſuam Aſſertionem rurſus corrigerent, dicendo utique eam ità tamen eſſe in toto corpore, ut tota ſit interim in qualibet ejus parte. Hâc enim ratione certos ſe fore arbitrabantur quòd Anima indè argui non poſſet ullo modo diviſibilis vel corporea, ſed purè ſpiritualis. Altera eorum Ratio eſt, Quòd hinc facilè intelligi poſſit quî fit ut Anima, in toto corpore exſiſtens, quicquid ipſi accidit in C vel B ſtatim percipiat in A. Quippe quòd cùm tota Anima perfectè atque integrè ſit æquè in C vel B ac in A, quomodocunque ſe habet C vel B, neceſſe eſt ut eodem prorſus modo ſe habeat A, cùm ſint integrè perfectéq; una eadémq; res, nempe tota Anima. Atque hinc jactatur vulgare illud dictum, *Si oculus in pede eſſet, Animam viſuram eſſe in pede.*

12. *Opinionis* Holenmerianorum *Examinatio.*

12. Nos verò nunc hæc omnia, pro more noſtro, liberâ æquaque Trutinâ examinemus. In eo igitur quòd totam Animam in toto corpore eſſe aſſerunt, ipsúmque ab Anima per ſuam eſſentiam totum penetrari, ac proinde Amplitudinem eſſe quandam Animæ eſſentialem ultro videntur agnoſcere, in hoc, inquam, ad nos quàm proximè accedunt, qui metaphyſicam quandam Extenſionem & eſſentialem omnibus Spiritibus ineſſe contendimus, ſed quæ ſit ἀμεγέθης ϗ ἀμερὴς, quemadmodum *Ariſtoteles* de Subſtantiis ſuis ſeparatis definit, hoc eſt, quæ ſint *ſine magnitudine & ſine partibus.* * Nulla enim eſt magnitudo niſi quæ dividi poteſt, nec ullæ partes ubi fieri non poteſt Diviſio. Unde Extenſio Spirituum metaphyſica nec magnitudinis nec partium eſt capax. Quod autem Partes non habet non rectè dicitur Totum. In eo igitur plenè cum *Holenmerianis* conſentimus, quòd Anima Spiritúſve totum corpus C D E eſſentiâ ſuâ penetrare & occupare poſſe ab ipſis dicitur; ſed in eo rurſus ab eis diſſentimus, quòd *totum* Spiritum *totámve* Animam dictum corpus penetrare & poſſidere non audeamus aſſeverare, cùm illud quod *partes* non habet propriè non poſſit *Totum* appellari. Quanquam non vehementer contendo quin abuti poſſimus iſtâ voce ad faciliorem mentis noſtræ explicationem, juxta verbum illud vetus ac pervulgatum, Ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ, ϗ σαφέστερον λέγε. Sed tunc meminiſſe oportebit nos non propriè, quanquam magis forſan apertè, ſed impropriè loqui.

Cæterùm, cùm porrò addunt *Holenmeriani*, totam Animam eſſe in qualibet parte vel puncto phyſico corporis D C E, in puncto A & B, & in reliquis ex quibus conſiſtit corpus D C E punctis univerſis, id profectò admodum duriter dictum mihi videtur, & ſic ut proximè ab aperta contradictione vel repugnantia abeſſe meritò exiſtimetur. Nam ſi in eo quòd dicunt totam Animam eſſe in toto corpore D C E, Eſſentiam Animæ intelligunt corpori D C E commenſuratam eſſe & quodammodo æqualem, & tamen eodem tempore totam Animam intra punctum A vel B contineri, manifeſtum eſt quòd unam eandémque rem multis millenis vicibus ſeipsâ majorem vel minorem faciunt eodem tempore: quod eſt prorſus impoſſibile. Quòd ſi eſſentialem Animæ amplitudinem non majorem eſſe affirmabunt quàm quæ uno puncto phyſico A vel B continetur, ſed præſentiam Animæ eſſentialem per totum corpus C D E diffundi, nec feliciùs res ſic ſuccedet. Nam dum apertè profitentur totam Animam eſſe in puncto A, manifeſtum eſt quòd nihil reliquum ſit Animæ quod eſſe poſſit in B puncto, quod diſtat ab A. Perinde enim eſt ac ſi quis diceret nihil eſſe Animæ quod non includitur intra A, & tamen eodem temporis momento non ſolùm aliquid Animæ, (quæ mollior fortaſſe futura erat repugnantia) ſed totam Animam, eſſe in B; quaſi tota Anima extra ſe tota eſſet. Quod ſanè impoſſibile eſt in re quaquam ſingulari & individua. Quod Univerſalia verò attinet, non ſunt Res, ſed Notiones quas in rebus contemplandis adhibemus.

Vide Fig. 73.

Præterea, ſi Animæ amplitudo eſſentialis non major ſit quàm quæ puncti phyſici limitibus concludatur, eſſentialem ſuam præſentiam per totum corpus extendere vel exhibere non poteſt; niſi ipſi affingamus ſtupendam quandam velocitatem quâ in omnes corporis partes uno ſimul momento ferri poſſit, iiſque ſic præſtò adeſſe. Quod cùm tam difficile ſit intellectu in hac anguſta humani corporis compage, Animâque ſingulas illius partes eodem temporis momento ſimul occupante, quàm immane dictu eſt, & quàm * prorſus cogitatu impoſſibile, de illo Spiritu qui eſſentialem ſuam præſentiam univerſo Mundo & quicquid extra Mundum eſt indeſinenter exhibet!

Quibus poſtremò addas, quòd Hypotheſis hæc *Holenmerianorum* neceſſariò facit omnes Spiritus reculas quidem omnium quæ concipi poſſunt minutiſſimas. Nam ſi totus Spiritus ſit in ſingulis punctis phyſicis, manifeſtum eſt quòd ipſa eſſentialis amplitudo Spiritûs (quod & duæ proximæ Objectiones ſupponebant) non eſt major illò

puncto

puncto phyſico in quo eſt, quam & *phyſicam Monadem* hic iterum appellare poteris, quâ nihil eſt, nec eſſe poteſt, exilius in rerum natura. Quod quidem ſi ad Spiritum quemlibet creatum referatur, non poteſt non apparere valde ridiculum : ſi verò ad Divini Numinis Majeſtatem ac Amplitudinem, intolerandum planè, nè dicam enormiter contumelioſum & blaſphemum.

13. *Prima* Holenmerianorum *Rationis Confutatio.*

13. Jam verò quantum ad Rationes propter quas *Holenmeriani* tam abſurdæ Opinioni adhærent, ſunt certè tales quæ nullatenus compenſare poſſint ingentes illas difficultates ac repugnantias quibus ipſa Opinio laborat. Prima enim, quæ tam ſolicitè proſpicit Spirituum *Indiviſibilitati*, curam mihi videtur ſuſcipere *ſuperfluam*, aut *inefficacem*. *Superfluam* quidem, ſi Extenſio eſſe poteſt ſine omni Diviſibilitate, quemadmodum ſuprà clarè demonſtravimus eam eſſe poſſe in *Infinito Extenſo immobili à mobili Materia diſtincto* : *Inefficacem* verò, ſi omnis Extenſio eſt diviſibilis, eſſentialíſque præſentia Spiritûs quæ per totum corpus CDE pervadit & extenditur eo ipſo etiam dividi poteſt. Nam ſic tota Eſſentia quæ totum occupat corpus CDE dividetur in partes. Nequaquam, inquies, cùm ſit etiam tota in ſingulis corporis partibus. Igitur dividetur in tot, ſi fas ſit ità loqui, *Totalitates*. Sed quæ aures Logicæ vocem ferre poſſunt tam abſurdam & ab omni ratione abſonam, ut *Totum* non dividatur in *Partes*, ſed in *Tota*? Verùm, inquies, id ſaltem aſſequemur, ut agnoſcatur præſentia eſſentialis ſecundùm tot ſitu diſtinctas Totalitates, quæ totum corpus CDE ſimul occupant, poſſe diſtribui. Ità certè concedetur, quando demonſtraveritis Spiritum *phyſicâ Monade* non majorem in eodem τῷ νῦν omnes partes corporis CDE poſſe occupare; ſed eâ porrò lege, ut non plures Totalitates, ſed unicam totam Eſſentiam, quamvìs minutiſſimam, totum illud ſpatium occupare agnoſcatis, &, ubi opus eſt, occupare poſſe, eodem momento, infinitum. Quod *Holenmerianos* neceſſe eſt tenere de Eſſentia Divina, cùm, juxta ipſorum ſententiam ſecundo ſenſu acceptam, (quo totam eſſentiam Spiritûs in minutulum rurſus punctum compingunt) etiam *Eſſentia Divina* non ſit quavis *phyſicâ Monade* major. Unde clarè conſtat omnes illas tres Objectiones quas initio adhibuimus hic iterum recurrere, & primam hanc *Holenmerianorum* Rationem penitùs obruere : Adeò ut multò intolerabilior malo ipſo ab ipſis allata ſit medela.

14. *Confutatio Rationis ſecundæ.*

14. Et altera quidem Ratio, quæ ex hac Spirituum ὁλενμερείᾳ faciliorem modum proferre prætendit concipiendi qui fieri poſſit ut Anima, putà, in A poſſit percipere quid ſibi accidit in C vel B, & eiſdem planè circumſtantiis ac ſi ipſa eſſet perfectè integréque in C vel B, cùm tamen ſit in A, quanquam primâ ſpecie ſatìs plauſibilis videtur, ſi tamen eam inſpiciamus penitiùs, inveniemus certè multùm abfore ut hoc præſtitura ſit quod tam blandè pollicetur. Nam præterquam quòd nihil conceptu difficilius eſt, vel potiùs impoſſibilius, quàm quòd Eſſentia puncto phyſico non major totum corpus humanum eodem inſtanti occupet & poſſideat; eſt & præterea hæc Hypotheſis ipſis perceptionum Animæ legibus apertè repugnans ac contraria. Nam Medici uno ore omnes profitentur ſe ſolidiſſimis reperiſſe Experimentis, quòd Anima intra Caput ſolummodo percipit, quódque nulla ſit extra Caput perceptio. Quod nullo pacto fieri poſſet ſi ipſamet Anima tota eſſet in A puncto, & ipſiſſima illa Anima iterum in punctis B & C, nec ullubi tamen quantum ad eſſentialem amplitudinem vel phyſicâ Monade major. Etenim hinc ſequeretur quòd una & eadem prorſus res & perciperet & non perciperet ſimul; nempe ut perciperet hoc vel illud Objectum, & tamen nihil omnino perciperet : quæ eſt perfecta Contradictio.

Fig. 73.



Atque hinc falſitas vulgaris illius Dicti detegitur, quòd, *ſi oculus in pede eſſet, Anima viſura eſſet in pede*, cùm nec in illis oculis quos jam habet videat, ſed alicubi intra cerebrum. Nec per oculum in pede videret Anima niſi per idoneos nervos Opticis non abſimiles continuatos cum Capite Cerebróque, * ubi Anima quatenus eſt perceptiva habitat : per reliquas corporis partes vitali tantùm munere fungitur.

Præterea, Ea eſt lex quarundam Animæ perceptionum, ut aptæ natæ ſint ad movendum corpus, ità ut manifeſtum ſit eam ipſam rem quæ percipit poteſtatem habere corpus movendi illúdque gubernandi. Quod certè impoſſibile videtur ut fiat ab hac Anima, nè punctuli quidem phyſici amplitudinem, juxta *Holenmerianorum* ſententiam, excedente. Ut vel primo intuitu apparere poteſt cuilibet cujus Rationem nullum occæcavit præjudicium.

Denique, Siquid menti humanæ conjectare fas eſt de immortalibus Geniis, (ſive cum vehiculis ſint, ſive vehiculis deſtituti,) déque eorum perceptionibus ac eſſentialibus

Præſentiis, ſive inviſibilibus, ſive eis juxta quas dicuntur nonnunquam mortalibus hominibus apparere, nemo, certè, ſtatuere poteſt quòd quicquam horum competere poſſit iſtiuſmodi Spiritui qualem deſcribunt *Holenmeriani*. Quomodo enim poteſt *Monas metaphyſica*, hoc eſt, Subſtantia ſpiritualis, Monadem phyſicam amplitudine non excedens, præſentiam implere eſſentialem *phyſicâ Monade* majorem, niſi id fiat celerrimâ ſui vibratione in omnes partes, quemadmodum pueri velociſſimâ Sarmentuli alicujus unâ extremitate igniti circumactione coronam igneam deſcribunt? Spiritus verò vehiculis deſtitutos non majorem habere præſentiam eſſentialem quàm quæ ab immota nudâq; *metaphyſica Monade* occupetur vel ab ea exhibeatur, tam abſonum videtur ac ridiculum humanæ menti ſpectaculum, ut, niſi quis omni animi ſagacitate ac ſenſibilitate privetur, non poſſit non abhorrere à tam inepta opinione.

Et quod illas eſſentiales præſentias attinet juxta quas hominibus aliquando apparent ſtaturam humanam ſaltem adæquantes, quomodo ſolitaria *Monas metaphyſica* tantam aeris vel ætheris molem in ſpeciem humanam formare poteſt, formatámve gubernare? vel quomodo percipere ullum Objectum externum in hac celerrima ſui vibratione ac motu, quo omnibus ſimul vehiculi partibus adeſſe hæc *Monas metaphyſica* ab *Holenmerianis* intelligitur? Nam nulla fieri poteſt perceptio Objecti externi niſi Objectum percipiendum aliqua cum mora agat in illud quod percipit. Nec ſi percipi poſſit à *Monade hac metaphyſica* ità in omnes partes mota celeritérque reducta, in uno Objectum cerni poſſit loco, ſed in multis ſimul, eiſque, prout fieri poteſt, valde diſtantibus.

15. *Opinionum* Holenmerianorum *&* Nulliſtarum *egregia falſitas, & ad omnes fines Philoſophicos inutilitas.*

15. Sed profectò me pudet in adeò deliris Nugamentis refellendis tantum temporis conterere. Quæ iſtiuſmodi ſunt, (*Nullibiſtarum* intelligo, æquè ac *Holenmerianorum*,) ut meritò mirari poſſimus quonam modo tam diſtortæ ac coactæ Cogitationes in mentes humanas irrepere unquam potuiſſent, aut quo tandem artificio ſe tam latè propagare, niſi quòd Superſtitionis ſtupidæque Perſonarum admirationis præjudicia & incantamenta tam valida ſint, ut humanos animos penitùs occæcare poſſint & dementare. Quòd ſiquis, abjecto omni præjudicio partiúmque ſtudio, rem prout eſt attentè velit perpendere, clarè percipiet, agnoſcétque, niſi omnibus humanæ Mentis facultatibus fides ſit abroganda, quòd miſerè falſæ ſunt tam *Nullibiſtarum* quàm *Holenmerianorum* de Rebus incorporeis Opiniones; nec id ſolùm, ſed ad omnem finem Philoſophicum prorſus inutiles; cùm ex neutra Hypotheſi ulla major eluceat facilitas concipiendi quomodo Mens humana aliúſve quilibet Spiritus eas functiones obire poſſit, percipiendi movendíve corpora, * ex eo quòd *nullibi* eſſe ſupponatur, quàm quòd *alicubi*, vel ex eo quòd *totus* ſit in *qualibet corporis parte*, quàm quòd *Extenſione* quadam *eſſentiali* ac *metaphyſicâ* totum corpus occupet; ſed è contrà, quòd utraque Hypotheſis majoribus Difficultatibus ac Repugnantiis totam de Rebus incorporeis Diſciplinam implicet & involvat.

Quamobrem cùm nulla *veritas* ſit nec *utilitas* in *Nullibiſtarum* & *Holenmerianorum* Opinionibus, apud neminem me ſpero malam initurum gratiam, ſi à noſtra de Rebus incorporeis Doctrina eas procul ablegemus.

SCHOLIA

In CAP. XXVII. SECT. 7.

CUjuſmodi multæ ſunt veritates tam Morales quàm Theologicæ ac Logicæ, *&c. Hiſce addunt etiam Mathematicas, ac pari quidem jure omnium omninò ſcientiarum Theoremata, utpote quæ univerſalia ſunt (univerſalia verò ad* Hîc *&* Nunc *non religantur) ſuperaddere poſſunt. Intereà verò loci notatu digniſſimum eſt hunc ipſum fontem eſſe & originem, unde omnes* Nullibiſtarum *hallucinationes ac errores circa res Incorporeas ſcaturire intelligantur. Nam dum liberas ac volitantes notiones ac phantaſmata in animo obſervant ad nullum locum defixas, illi ſtatim incipiunt cogitare, aliquas res iſtiuſmodi eſſe poſſe quæ omni loco tam* Phyſico *quàm* Logico *poſſint eſſe immunes; cúmque hæ notiones animæ operationes ſint propriæ, quam incorpoream agnoſcunt, continuò colligere hanc ipſiſſimam naturam atque indolem eſſe rerum omnium incorporearum, ut adinſtar* notionum univerſalium *determinati loci, ſive* Logici *ſive* Phyſici, *vinculis prorſus liberæ ſint ac ſolutæ. Vnde levia hæc & deſultoria Ingenia tales animas noſtras, tales Angelos ipſúmq; adeò Deum mirâ temeritate & oſcitantiâ colligunt, cum pari firmitudine concludere poſſint Univerſalia eſſe realia, Animáſve eſſe quod nec Homo ſit nec brutum, ſive*

ſive nec Rationale nec Irrationale, quoniam Natura Animalis ab utriſque imaginatione noſtrâ poſſit præſcindi. Tam infirma ac lubrica ſunt Nullibiſtarum *Fundamenta. Nos verò brevi ſed irreſragabili demonſtratione, hoc ipſo in loco probavimus, Omnes has Notiones alicubi eſſe, cùm in Anima ſint, ipſa verò anima in corpore.*

Concedo quidem quaſdam veritates, quatenus Repræſentationes, nec tempus nec locum quomodocunque ſumptum reſpicere; veruntamen quatenus ſunt operationes ac proinde modi, *&c. Hæc quidem diſtinctio in notionibus ſeu phantaſmatis quæ Anima ſibi exhibet valdè notabilis eſt atque utilis. Hinc enim quàm miſerè ſibi imponant* Nullibiſtæ, *facilè perſpicitur. Multa enim ſunt quæ longè abſunt à natura earum rerum quas repræſentant. Nam ſuperficies plana certis quibuſdam linearum ductibus in ea exaratis, omnem gibbarum & extantium figurarum varietatem ad vivum repræſentat, cùm tamen ipſa ſit plana. Parváque ſpeculi portio dimidium Horizontem omnigenis rerum ſpectaculis refertum oculo reflectit ipſéque oculus ſine ſpeculo quàm immenſam Formarum ſcenam uno intuitu haurit, quàm vaſtam & hiantem? Cùm ipſe interim tam parvula res ſit, ſed tamen extenſa & corporea, imagóq; quæ vim hujus impreſſionis in ſe continet tam exigua, ut intra oculi fundum terminetur. Non rectè igitur ex vi* repræſentationis, *de* operationis *repræſentantis* Ubi, *judicatur, cùm* Repræſentatio *ad ea loca pertingat à quibus* operatio *multis milliaribus abſit, putà iſtiuſmodi motus vel modificatio in nervis opticis. Ac proinde ſi ſit* repræſentatio *in Anima rerum aliquarum tanquam aut* nullibi *aut* ubique *exiſtentium, minimè ſequitur operationem illam* ubique *eſſe aut* nullibi, *non certè magìs quàm nihil eſſe quum* Non-Ens *repræſentat ſive* Ideam Nihili.

Sect. 12. Nulla enim eſt magnitudo niſi quæ dividi poteſt, *&c. Quod heîc aſſerimus, Argutamentum nequaquam ullum eſt ſcitéve excogitatum ſubterfugium, ſed firma & irrefutabilis veritas, certiſſimis quæ adhiberi poſſunt demonſtrationibus confirmata. Nempe ex immediatis ac neceſſariis realis magnitudinis proprietatibus (quantùm enim ad dimenſiones Mathematicas & abſtractas, Objectum earum in rebus etiam incorporeis, quanquam non formaliter, virtualiter certè contineri non nego) quas reali magnitudini omnes ineſſe ſtatuunt, ex* realis, *inquam,* diviſibilitatis, partiúmque realiter diſtinctarum remotione, magnitudinem *etiam molémque omnem à rebus incorporeis procul itidem removemus. Adeò ut indè planè conſtare poſſit rerum incorporearum extenſionem eſſe* ἀμερῆ ϗ ἀμεγέθη, *i. e.* mole *ſeu* magnitudine *reali perinde ac* partibus *carere.*

Prorſus cogitatu impoſſibile de illo Spiritu, *&c. Atque hinc etiam illi qui* Nullibiſmo *maximè ſuperſtitioſè addicti ſunt, non ob id Eſſentiam Divinam inextenſam contendunt, quaſi Atomi inſtar Entitatis copiâ careat, quâ poſſit extendi, ſed quòd illius omnia implens ubiquitas res ſit infinitis rationibus differens à mole ejúſque diviſibilitate. Ad hunc ferè modum philoſophatur acerrimus ille* Nullibiſmi *propugnator in Diſſertatione ſua* De Mole ac Fimbria Mundi. *Qui tamen dum ubiquitatem plenitudinis Divinæ Eſſentiæ ſic agnoſcit, tantum ſanè concedit, quantum ego à quoquam mihi conceſſum volo.*

Sect. 14. Ubi Anima quatenus eſt perceptiva habitat: per reliquas corporis partes vitali tantùm munere fungitur. *Contra hunc locum doctiſſimus & celeberrimus Theologus* Philippus Limbergius *ingenioſam hanc Quæſtionem movet.* Quî nimirum id conſiſtere poſſit cum Immaterialitate Animæ ejúſque ſimplicitate, ut non ubiq; percipiat, ut non ubique æquali virtute ac perfectione polleat, ut non ubique cogitet, cùm per omnes corporis partes ſit diffuſa. *Ad quam difficultatem, mihi per literas ſic ferè viſum eſt reſpondere. Optimè nempe cum Immaterialitate Animæ conſiſtere poſſe ut pars, perceptiva non ſit, cùm ex communi conſenſu omnium Philoſophorum ante præſens hoc ſeculum* vita *aliqua ſit abſque* ſenſu & cogitatione, *quam vulgo* Plaſticam *vel* Spermaticam *dixerunt, quaſdámque animas eâ ſolâ virtute præditas ſtatuerunt, quas igitur appellârunt* vegetativas. *Tantum autem abeſt ut* vita *hæc* plaſtica *materialitatem animæ arguat, ut mihi manifeſto argumento ſit quòd ſit immaterialis, cùm nulla* vita originalis *& immediata cuiquam competere poſſit niſi* Spiritui, *quemadmodum paſſim inculco, invictiſque argumentis demonſtro. Nec periclitatur hîc Animæ* ſimplicitas *quòd pars* perceptiva *ſit, pars* plaſtica. *Nam cùm Ens ſimplex apud me nihil aliud ſonet quàm Ens* unum per ſe *& non* per aliud, *hoc eſt, cujus ſubſtantiæ amplitudo nullam habeat coagmentationem partium, ſed una omnino ſit ſimpléxque ſubſtantia ſine partibus phyſicis, manifeſtum eſt, hoc cum varietate proprietatum optimè poſſe conſiſtere; Animámque partim* perceptivam *partim* plaſticam *eſſe poſſe, & tamen quoad ipſam ſubſtantiam Ens eſſe* ſimpliciſſimum, *hoc eſt, omni partium coagmentatione immune. Nec ulla difficultas eſt ex eo quòd* Plaſtica *minùs perfecta videri poſſit quàm* Perceptiva, *tum quòd ſi admitteretur nihil indè abſurdi ſecuturum eſſet, quòd omnes partes* Interioris *noſtri* Hominis *non ſint æquè nobiles, tum quòd difficile ſit probatu* Perceptivam Plaſticâ *eſſe præſtantiorem, quum* Plaſtica *ſedes ſit* τȣ̃ ἀγαθοειδȣ̃ς τῆς ψυχῆς *præcipuúmq; ſubjectum Regenerationis, & maximè intimum Adytum* Spiritûs Sancti *qui Tabernaculum ſuum in corde fixit Regeneratorum firmiſſimáq; indè refundit ad Cerebrum Oracula. Plerique, fateor, Philoſophi ac Chriſtiani cerebro excolendo totam ferè operam impendunt. Verùm, Cor, mihi crede, cor eſt ex quo veriſſima ebullit rerum divinarum ſcientia. Hîc reconditus eſt Theſaurus locupletiſſimus. Beatus ille qui eruere novit & frui.*

Sect. 15. Ex eo quòd nullibi eſſe ſupponatur quàm quòd alicubi, vel ex eo quòd totus ſit, *&c. Digna ſanè hæc materia eſt in quam* Holenmeriani *&* Nullibiſtæ *totam animi intentionem defigant, ut clarè diſtinctéque tandem deprehendant has Hypotheſes nè ad exiſtentiam quidem ſpirituum probabiliorem efficiendam, nedum ad naturam operationum reddendam intelligibiliorem quicquam conferre.* Vide cap. 28. ſect. 16.

CAP. XXVIII.

Vera Spiritûs in genere Idea ac Definitio; ejúſque plenior Explicatio.

1. POſtquam duas illas ingentes noctis ac caliginis moles quæ Rerum incorporearum naturæ incubuerunt, eámque tam denſis obſcurârunt tenebris, adeò feliciter amovimus & diſſipavimus; reliquum eſt ut veram ac genuinam earum naturam quatenus in genere explicanda eſt aperiamus & illuſtremus, talémque Spiritûs proponamus Definitionem quæ nullam difficultatem menti bene præparatæ omnibúſq; liberatæ præjudiciis exhibeat. Eſt enim illius natura intellectu admodum facilis, modò quis diſcenti rectè ac peritè præeat, veráſque ea de re ipſi Notiones præformet. Adeò ut mihi ſæpenumero demirari ſubeat eorum hominum ſive ſuperſtitioſam animi conſternationem, ſive prophanitatem Ingenii, ac innatam à rebus Divinis contemplandis averſationem, qui, ſi fortè quempiam audiverint profitentem ſe ſatis clarè ac diſtinctè naturam Spiritûs concipere, eámque notitiam aliis communicare poſſe, exhorrent ſtatim ad id dictum & obſtupeſcunt, hominémque intolerandæ levitatis aut arrogantiæ continuò inſimulant; utpote qui putant eum tantum ſibi aſſumere, & polliceri aliis, quantum nulla mens humana quantâcunque ſcientiâ inſtructa unquam poterit præſtare. Atque hæc intelligo etiam de eis hominibus qui quidem eſſe Spiritus ſatis lubenter concedunt.

1. *Qui veram Spiritûs notitiam tam difficilem ac imperſcrutabilem ſtatuunt, hoc non facere ex eo quòd ſint acriori cæteris judicio, ſed quòd ſint ingenio magìs rudi ac plebeio.*

Quod illos verò attinet qui eorum exſiſtentiam negant, quiſquis hujuſmodi peritiam apud ipſos profitetur, profectò non poteſt non apparere homo ſuprà quàm poteſt dici vanus ac delirus. Veruntamen ſpero me effecturum ut nemo delirantior appariturus ſit vel ſtupidior, nemo imperitior aut indoctior, quàm qui claram naturæ Spiritûs notitiam pro re adeò deſperata habet & conclamata; omnibúſq; planè detecturum, hanc faſtuoſam ſuæ in hiſce rebus Ignorantiæ profeſſionem ac jactantiam non provenire ex eo quòd acriori judicio ac ſagacitate polleat quàm cæteri mortales, ſed quòd ſit craſſiori ingenio & imbecilliori, & quod propiùs accedit ad rudis Plebeculæ vel Superſtitionem vel Stupiditatem, qui faciliùs admirantur conſternantúrq; animo quàm ſe in veram cujuſvis rei difficilis rationem ac notitiam penetrant.

2. Cæterùm qui adeò de omni vera naturæ Spiritûs cognitione deſperant, equidem pervelim ut ingenii ſui vires experiantur in cognoſcenda penitiúſque intelligenda natura Corporis in genere; dicántque mihi ingenuè an poſſint non agnoſcere hanc perſpicuam clarámque eſſe illius Definitionem, nempe, quòd *Corpus eſt Subſtantia materialis omni perceptione ac vitâ, omnique etiam motu, ex ſe prorſus deſtituta:* vel ſic, *Corpus eſt Subſtantia materialis alienâ vi in unum coaleſcens, vitámque indidem ac motum participans.* Nullus dubito quin promptè reſponſuri ſint, quòd hæc omnia ſatis clarè perfectéque intelligant quod *ipſos terminos* ſpectat, nec de *veritate* ſint hæſitaturi, niſi quòd Corpus omni motu per ſe & unione pariter ac vitâ & perceptione privamus. Quòd verò ſit *Subſtantia*, hoc eſt, Ens per ſe ſubſiſtens, non Modus alicujus Entis, non poſſunt non lubentiſſimè admittere. Quódque porrò ſit Subſtantia *materialis*, hoc eſt, ex *Monadibus phyſicis*, aut ſaltem ex minutiſſimis Materiæ particulis,

2. *Definitio Corporis in genere, ejúſq; Explicatio adeò clara, ut vel ii qui de Spiritûs obſcuritate conqueruntur non poſſint non fateri ſe eam perfectè intelligere.*

culis, compoſita, in quas diviſibilis eſt, & propter ipſarum ἀντιτυπίαν ab ullo alio corpore impenetrabilis, ità ut differentia eſſentialis & poſitiva corporis ſit, ut ſit ἀντίτυπον, ſive ***impenetrabile***, & ***phyſicè in partes diviſibile.*** Quòd autem ſit ***extenſum***, id ipſi quatenus *Ens* eſt immediatè competit. Nec certè ulla ratio eſt cur de reliqua Differentiæ parte dubitent, cùm tam ſolidè ſuprà probaverimus, quòd Materia nullâ perceptione, nullâ vitâ nullóque motu ſuapte naturâ vel ex ſe ſit prædita. Et præterea meminiſſe oportet, nos hìc non de rerum ***Exſiſtentia*** agere, ſed de ***intelligibili*** earum ***Notione*** ac ***Eſſentia.***

3. *Perfecta Spiritûs Definitio, plenáque illius naturæ per omnes gradus explicatio.*

3. Quæ ſi ſit tam facilis intellectu in ***natura corporea*** ſive in ***Corpore***, non video quin in ſpecie corpori immediatè oppoſita, nempe ***Spiritu***, par ſit reperienda intelligendi facilitas. Experiamur igitur, & ex lege Oppoſitorum ***Spiritum*** definiamus, ***Subſtantiam immaterialem vitâ movendique facultate intrinſecùs præditam.*** Totam naturam Spiritûs in genere complectitur exilis hæc breviſque & abſque omni ſtrepitu fluens Definitio. Quæ nè ob exilitatem ſuam ac brevitatem intellectum legentis fugiat, ut ipſe Spiritus viſum, aliquantò fuſiorem illi ſubjungemus explicationem; ut tandem appareat omnibus quòd hæc ***Spiritûs*** Definitio claritate ac perſpicuitate ***Corporis*** Definitioni nihil cedat, quódq; hâc Methodo, quemadmodum ſuprà ***Cap.*** 2. notavimus, plena perfectáq; naturæ Spiritûs notitia intelligentiáq; ſit haurienda.

Agè igitur, diſpiciamus per omnes ***Definiti*** gradus, quas præciſas immediatáſq; Proprietates ſinguli contineant, unde diſtinctiſſima tandem perfectiſſimáque totius Definiti cognitio eluceſcat. Incipiamus itaque à ſummo vertice, primóque agnoſcamus ***Spiritum*** eſſe ***Ens***, & ex eo quòd Ens eſt, eſſe unum, verum, bonum, aliquando, alicubi, & extenſum. Nam has eſſe Entis quatenus Ens eſt Affectiones, ſuprà ſatìs probavimus, nec opus eſt hic repetere. Eſt autem ***Ens*** vel ***Subſtantia***, vel ***Modus*** Subſtantiæ, ſive ***Accidens.*** Spiritum verò non eſſe Modum Subſtantiæ ſive Accidens omnes ferè uno ore profitentur, & nos ſatìs clarè ità ſe rem habere ſuprà demonſtravimus.

Eſt igitur ſecundus ***Spiritûs*** gradus eſſentialis, quòd ſit ***Subſtantia.*** Ex quo intelligitur ***per ſe ſubſiſtere***, nec ullâ aliâ re tanquam Subjecto cui inhæreat, vel cujus Modus Accidénſve ſit, ad ſubſiſtendum vel exſiſtendum indigere.

Tertius verò ultimúſque gradus eſſentialis eſt, quòd ſit ***Immaterialis*** : Juxta quem immediatè ipſi competit ut ſit ***Ens*** non ſolùm ***unum***, ſed ***unum per ſe, & non per aliud***; hoc eſt, Tametſi quatenus ***Ens*** eſt ***ſit extenſum***, quòd tamen ſit in ***partes phyſicas*** ac reales ***prorſus indiviſibilis*** ſive ***indiſcerpibilis***, quódque præterea ***Materiam*** poſſit ***penetrare***, & (quod Materia non poteſt) ***res ſui generis***, hoc eſt, ***ſpirituales*** ſubſtantias, pervadere. In quibus duobus Attributis eſſentialibus (quemadmodum fieri oportet in omni perfecta & legitima Generis diſtributione) ***oppoſitæ*** ſuæ ſpeciei, nempe ***Corpori***, plenè accuratéque contrariatur: Ut & in immediatis illis Proprietatibus quibus vitam intelligitur habere intrinſecùs in ſe movendíque facultatem. Quod aliquo ſaltem ſenſu verum eſt de omni omnino Spiritu; cùm ***vita*** ſit vel ***vegetativa***, vel ***ſenſitiva***, vel ***intellectualis***; quarum unâ aliquâ ſaltem gaudet omnis Spiritualis ſubſtantia: quemadmodum & Movendi facultate; ità ut omnis Spiritus aut ***ſeipſum*** moveat per ſe, aut ***Materiam***, aut ***utrumque***, aut ſaltem ***Materiam*** vel ***mediatè*** vel ***immediatè***, vel denique ***utroque modo.*** Nam ſic Mobilia omnia moventur à Deo.

4. *Quòd ex eo quòd Corporis Definitio perſpicua eſt, Definitio Spiritûs eſt etiam neceſſariò perſpicua.*

4. Audeo igitur hìc appellare judicium conſcientiámq; cujuſlibet viri qui non prorſus illiteratus ſit aut ingenio valde hebeti ac obtuſo, an hæc Notio Definitióve Spiritûs in genere non æque intelligibilis ac perſpicua ſit, non æquè clara & undiquaque diſtincta, ac Idea vel Notio Corporis, aut alius cujuſcunque rei quam Mens humana contemplari poteſt per totam rerum Univerſitatem. Et an non poſſit æquè facilè, vel potiùs eâdem operâ, & ***Corporis*** & ***Spiritûs*** naturam apprehendere, quandoquidem in ***proximo genere*** utraque adamuſſim conveniunt. ***Differentiæ*** verò mutuâ oppoſitione ſe invicem illuſtrant; ità ut impoſſibile ſit ut quis intelligat quid ſit ***materialis*** Subſtantia, quin eo ipſo ſtatim intelligat quid ſit Subſtantia ***immaterialis***; aut quid ſit vitam motúmve ***ex ſe non habere***, quin continuò percipiat quid ſit utraque ***in ſe habere***, vel communicare poſſe aliis.

5. *Objectiones quatuor, quæ ex perſpicuitate terminorum Definitionis Spiritûs ipſorum inter ſe repugnantiam inferunt.*

5. Nec quicquam quod hìc regeri queat divinare poſſum, niſi fortè hæc allaturi ſint, quòd tametſi negare non poſſint quin ſinguli Definitionis termini ipſorúmque explicationes ſatìs intelligibiles ſint, nempe ſi ſigillatim conſiderentur, tamen, ſi conferantur cum ſe invicem, mutuò ſe deſtruant. Nam ***Extenſio*** hæc quæ naturæ ***Spiritûs*** immiſcetur vel inſeritur, videtur tollere & ***Penetrabilitatem*** illius & ***Indiviſibilitatem***, & ***Facultatem*** etiam ***cogitandi***; ut ***Penetrabilitas*** denique vim ***movendi*** quævis ***corpora.***

Primò, tollit Extenſio *Penetrabilitatem*, quia ſi una Extenſio alteram penetret, aut alteram ex eis perdi neceſſe eſt, aut duas Amplitudines æquales ſe totas invicem penetrantes majores non eſſe quàm ſit earum alterutra ſigillatim ſumptarum, quandoquidem eiſdem planè terminis clauduntur.

Deindè, *Indiviſibilitatem* tollit, propterea quòd quicquid extenditur partes habet extra partes, ac proinde eſt diviſibile. Neque enim partes haberet niſi in eas dividi poſſet. Cui porrò adjici poteſt, quòd, cùm partes *ſubſtantiales* ſint, nec à ſe invicem dependeant, manifeſtò apparet quòd Divinâ ſaltem virtute ſeparari poſſint, & ſeparatim ſubſiſtere.

Tertiò, Extenſio *Cogitandi facultatem* eripit Spiritui, ut quæ ad eandem claſſem cum corpore eum deprimit; nec ulla exſtat ratio cur *Spiritus extenſus* magìs capax ſit Perceptionis quàm *extenſa Materia*.

Denique, *Penetrabilitas* Spiritum *ineptum* reddit ad *movendam Materiam*, quia, cùm tam facilè per Materiam propter hanc Penetrabilitatem dilabatur, uniri cum Materia commodè non poteſt, quo eam poſſit movere. Nam ſine aliqua unione vel inhærentia, cùm omni ἀντιτυπίᾳ Spiritus deſtituatur, impoſſibile eſt ut Materiam in ullam partem protrudat.

Quarum quatuor Difficultatum ſumma huc reſpicit, ut intelligamus quòd, tametſi hæc Spiritûs Idea vel Notio quam exhibuimus ſit aperta ſatìs & explicata, facilèque intelligi poſſit, ex ipſa tamen rei perſpicuitate abunde innoteſcat quòd non ſit *Idea* ullius *rei poſſibilis*, multóq; minùs *revera exſiſtentis*, cùm partes illius inter ſe tam manifeſtò repugnent.

6. *Reſponſio ad primam Objectionem.*

6. Cæterùm tam contra *Nullibiſtas* quàm *Hobbianos*, quorum utrique Extenſionem ac Materiam eandem rem eſſe contendunt, probabimus primò, eam Notionem ſive Ideam Spiritûs quam protulimus notionem eſſe rei *poſſibilis*: Et deinde memoriam ipſis refricabimus, brevitèrque monebimus, nos multis & irrefragabilibus Argumentis ſuprà demonſtrâſſe, Definitionem Spiritûs quam formavimus Ideam eſſe ac Notionem rei non ſolùm *poſſibilis*, ſed & *actu* in rerum natura *exſiſtentis*. Et quantum ad ipſos *Nullibiſtas*, qui Imaginationi corporeæ adeò nos indulgere arbitrantur ob noſtram hanc de Spirituum Extenſione ſententiam, ſpero certè me è contra clarè oſtenſurum, quòd ſic utique *Hobbiani* vel *Nullibiſtæ* omnem Spiritibus amplitudinem ademerunt ex eo ſolo eveniſſe, quòd ipſi *Imaginationem* habent non ſatis defæcatam & à corporeis ſordibus expurgatam; vel potiùs, quòd *Mentem* nacti ſunt rebus materialibus nimium quantum addictam & mancipatam, & à craſſis corporeìſque imaginationibus ſe expedire neſciam.

Ex quo fonte exortæ ſunt omnes hæ Difficultates quibus noſtram Spiritûs notionem obruere conantur; quemadmodum percurrendo & perpendendo ſingulas manifeſtò jam demonſtrabimus. Nam craſſæ ipſorum imaginationi imputandum eſt, quòd ex eo quòd duæ Extenſiones æquales mutuò ſe per omnia penetrant, aut alteram earum eo ipſo perire, aut utraſque ſimul ſic conjunctas non majores eſſe alterutrâ ſigillatim ſumptâ, concludunt. Hoc enim fit ex eo quòd Mens eorum ità illaqueata ſit & inviſcata rerum corporearum Ideis & Proprietatibus, ut facere non poſſint quin res quæ nihil in ſe corporei complectuntur, *Materiali* tamen illo *contagio* inficiant, Extenſionémq; *metaphyſicam* cum *phyſica* Extenſione omnino confundant. Nempe quòd hinc ipſorum Mentis acies adeò hebes evaſit & obtuſa, ut *commune* illud *Entis Attributum*, *Extenſionem* intelligo, à *ſpeciali illa* ac *materiali* dividere nequeat, ſuámque propriam Extenſionem Spiritibus aſſignare, & Materiæ relinquere ſuam; nec, more notiſſimo, ſive *Logico* ſive *Metaphyſico*, *genericam* Extenſionis naturam ab utraque *ſpecie*, intellectuali abſtractione, præſcindere; nec denique penetrare, quod & alterum *hebetudinis* indicium eſt, cum *Extenſione ſpirituali* in *materialem* putà Extenſionem, ſed adinſtar ſtupidæ pecudis foris mugiens ſtare, quaſi ipſa Mens jam tota facta eſſet corporea, & ſiquid videtur intrare illud interire potiùs aut annihilari credere, quàm quòd duæ res in eodem Ubi poſſunt ſimul coexſiſtere. Quæ manifeſta ſunt ſymptomata mentis morbo hoc imaginandi corporeo perditè laborantis, nec liberis intellectûs functionibus ſatis aſſuetæ.

Et ex eadem profluit ſcaturigine, ſupponendo duas Extenſiones ſe invicem penetrantes, idémque Ubi adæquatè occupantes, quòd ſic junctæ majores non putentur quàm alterutra ipſarum per ſe ſumpta. Nam hoc indè fit, quòd Mens imaginatione gravata ac incraſſata non poteſt penetrare ſimul cum *Extenſione ſpirituali* in *materialem*, eámque per omnia comitari, ſed tantùm juxta ſe ponit, extráq; ſtat tanquam res ſtupida planéque corporea. Etenim ſi poſſit ſe cum *Extenſione ſpirituali* in *materialem* inſinuare, atque ità eas tanquam duas realiter diſtinctas Extenſiones ſimul concipere, impoſſibile eſt quin cum eo etiam concipiat, ipſas ſic conjunctas in unum *Vbi* nihilo tamen eſſe minores quàm cùm ſeparantur, *Vbi*que duplò majus occupant. *Extenſio* enim in neutra minuitur, ſed earum tantùm ſitus mutatur. Quemadmodum etiam fit aliquando in una eadémque Extenſione Spirituum quorundam particularium, qui Amplitudinem ſuam in majus minúſque *Vbi* extendere poſſunt & contrahere, ſine ulla Extenſionis aut augmentatione aut deperditione, ſed ſolâ in alium ſitum expanſione & retractione.

7. *Quòd præter trinas illas Dimenſiones quæ omnibus rebus extenſis competunt, quarta etiam admittenda eſt, quæ propriè competit Spiritibus.*

7. Et, ut nihil diſſimulem, quanquam Materiales res omnes *in ſe* conſideratæ *trinis* tantummodo Dimenſionibus contentæ ſint, *quarta* tamen in rerum naturam eſt admittenda, quæ ſatìs apte, opinor, appellari poteſt *Spiſſitudo eſſentialis.* Quæ tametſi maximè propriè ad eos Spiritus attinet qui Extenſionem ſuam in minus *Vbi* poſſunt contrahere, facili tamen analogiâ referri porrò poteſt ad Spirituum tam Materiæ quàm ſuiipſorum mutuas Penetrationes; ità ut ubicunq; vel plures vel plus Eſſentiæ in aliquo Ubi continetur quàm quod amplitudinem hujus adæquat, ibi agnoſcatur * *quarta hæc dimenſio* quam appello *Spiſſitudinem eſſentialem.*

Quæ certè nullam majorem involvit repugnantiam quàm quæ fieri in reliquis tribus Dimenſionibus cuipiam minùs attentè cogitanti primâ ſpecie apparere poteſt. Nempe niſi quis putare velit quòd Cera in ulnæ putà longitudinem producta, & poſtea in globi formam conſtructa ac convoluta, aliquid prioris extenſionis ex hac ſui conglobatione perdiderit, fateri eum oportet quòd nec Spiritus in ſuiipſius minus in ſpatium contractione quicquam aut Extenſionis aut Eſſentiæ ſuæ deperdidit, ſed, quemadmodum in ſuprà dicta Cera ejus *longitudinis* diminutio præſenti *latitudinis* & *profunditatis* incremento compenſatur, ità in Spiritu ſeipſum contrahente, quòd minutæ itidem illius *longitudo*, *latitudo* & *profunditas* recenti compenſantur *eſſentiali Spiſſitudine*, quam hâc ſui contractione acquirit.

Et utrobiq; meminiſſe oportet *ſitum* duntaxat *mutari*, *eſſentiam* verò & *extenſionem* nequaquam *minui.*

Hæc certè mihi tam perfectè undiq; perſpecta ſunt penitúſq; explorata, ut cujuſvis mentem morbidis illis Imaginationis præjudiciis liberam appellare audeam & provocare ad experiendas intellectûs ſui vires, an non clarè percipiat rem ità ſe habere poſſe quemadmodum definivi, duáſq; æquales Extenſiones idem prorſus *Vbi* occupantes duplò majores eſſe alterutrâ ſolâ, nec *eiſdem* terminis, ut falſò ſuggerit Imaginatio, ſed *æqualibus* ſolummodo, claudi.

Nec plura opus eſt accumulare verba ad ſolvendam hanc primam Difficultatem, cùm quæ hactenus breviter dicta ſunt abunde ſufficiant ad penetrandum illorum intellectum qui nullo obſidentur præjudicio; ad eorum verò qui præjudiciis occæcati ſunt nè infinita quidem ſufficient.

8. *Ad ſecundam Objectionem Reſponſio, ubi fundamentalis* Nullibiſtarum *Error, viz.* Quòd quicquid eſt extenſum Imaginationis Objectum eſt, *notatur.*

8. Experiamur jam an pari ſucceſſu alteram Difficultatem expedire poſſimus; & videamus an non id totum Imaginationi aſcribendum ſit, quòd *Extenſum indiſcerpibile* ullam in ſe videatur involvere repugnantiam. Quaſi nempe nullum eſſe poſſit Extenſum quod non habet partes reales & propriè dictas, in quas actu dividi poteſt, ex eo quòd id ſolum eſt Extenſum quod partes habet extra partes quæ, cùm ſint ſubſtantiales, à ſe mutuò divelli poſſunt, ac divulſæ per ſe ſubſiſtere. Hæc eſt ratio ſummaria hujus Difficultatis, quam nihil præterquam corrupta Imaginatio ſuffulcit. Hujus autem Erroris *Nullibiſtarum* prima origo ac fons eſt, quòd *omne Extenſum Imaginationis Objectum faciunt*, omnéq; Imaginationis Objectum corporeum. Quorum poſterius proculdubio verum eſt, ſi ſano ſenſu accipiatur. Nempe ſi iſtiuſmodi perceptionem intelligunt, quæ vel ſimpliciter & adæquatè ab Objectis externis hauritur, vel ex eiſdem (augendo, minuendo, partéſve tranſponendo transformandóve, ut in Chimæris & Hippocentauris,) componitur. Agnoſco has Ideas omnes Imaginationis (ut aliquando erant aliquo modo Senſationis) genuina eſſe Objecta, harúmq; perceptionem rectè Imaginationem appellari, eáſq; res omnes quas repræſentant neceſſariò tanquam corporeas conſiderari, & conſequenter tanquam actu diviſibiles.

Cæterùm omnem Extenſionis perceptionem eſſe hujuſmodi Imaginationem, id perquam ſtrenuè nego, cùm ſit Idea infinitæ Extenſionis à nullo externo ſenſu hauſta vel deſumpta, ſed ipſi percipiendi facultati naturalis & inſita, quam Mens ſibi evellere nullo modo poteſt, nec à ſe abjicere, ſed, ſi excutere ſe velit, & acri attentâque cogitatione eò animadverſionem defigere, vel invita cogetur agnoſcere, quamvìs tota Mundana Materia è rerum Univerſitate exterminaretur, manſuram tamen eſſe infinitam quandam Extenſionem ſubtilem ac immaterialem, quæ cum illa altera materiali in nulla omnino re, præterquam quòd extenſa ſit, convenit, ut quæ nec in *ſenſum* cadit, nec *impenetrabilis* eſt, nec *moveri* poteſt, nec *in partes diſcerpi*; quódque hæc profectò

Idea non ſolùm poſſibilis eſt, ſed & neceſſaria, & quam pro arbitrio noſtro non fingimus, ſed eam Menti noſtræ adeò innatam eſſe atque inſitam deprehendimus, ut nullâ eam vi aut artificio illinc amoliri valeamus. Quæ certiſſima eſt Demonſtratio omnem Extenſionis perceptionem non eſſe Imaginationem propriè dictam.

Qui mihi unus è præcipuis maximéque fundamentalibus ***Nullibiſtarum Carteſianorúm***ve Erroribus videtur exiſtimandus, & cui potiſſimùm debetur præſens hæc Difficultas de ***Extenſo indiſcerpibili.*** Habemus enim confitentes reos, Mentem utique ipſorum ità ***imaginatione*** eſſe corruptam, eiq; immerſam, ut nullâ aliâ facultate uti poſſit ad ullam rem ***extenſam*** contemplandam. Ac proinde, cùm Imaginationem pro Intellectu adhibeant in ea contemplanda, neceſſariò tanquam Imaginationis Objectum conſiderant, hoc eſt, tanquam rem corpoream, & in partes diſcerpibilem. Etenim, quod ſuprà notavi, ipſorum Mentis acies ex hoc morbo ὑλοειδεῖ (Latina enim me deficiunt) adeò hebes & obtuſa reddita eſt, ut nullam Extenſionem à Materiali, tanquam ad aliam ſpeciem pertinentem, ***dividere*** poſſit, nec Logicâ vel Metaphyſicâ abſtractione ab utraq; ſpecie ***præſcindere.***

9. Atque hinc eſt quòd ex eo quòd res extenſa eſt, ſtatim eam ***partes habere extra partes*** imaginentur, unúmq; quid eſſe non per ſe, ſed ex partium juxtapoſitione conflatum. Cùm Idea Extenſionis in ſe præcisè conſiderata nihil tale includat, ſed trinam tantùm διάστασιν ſolidámve Amplitudinem; hoc eſt, non linearem duntaxat vel ſuperficiariam, (ſi iſtis vocibus hîc abuti liceat quæ ad ***magnitudinem*** propriè ſpectant,) ſed undique vel quoquoverſus excurrentem. ***Hanc*** ſanè ***Amplitudinem***, ſed nihil præterea, includit ***nuda ſimpléx***que ***Extenſio***, non ***Penetrabilitatem*** nec ***Impenetrabilitatem***, non ***Diviſibilitatem*** nec quidem ***Indiviſibilitatem***, ſed ad utraſvis Affectiones aut Proprietates, vel, ſi malles, Differentias eſſentiales, ***Diviſibilitatem*** ſcilicet & ***Impenetrabilitatem***, vel ***Penetrabilitatem*** & ***Indiviſibilitatem***, in ſe ſpectata eſt omnino indifferens, & ad binas utraſlibet determinari poteſt.

9. *Quòd Extenſio quà talis non Diviſibilitatem nec Impenetrabilitatem, non Indiviſibilitatem nec Penetrabilitatem includit, ſed ad binas utraſlibet eſt indifferens.*

Quamobrem, cùm quandam Extenſionem, ***materialem*** ſcilicet, tam forti & invincibili ἀντιτυπίᾳ præditam eſſe agnoſcamus, ut omnem aliam Materiam occurrentem & ipſam penetrare tentantem neceſſariò & ***inſuperabili renixu repellat*** & excludat, nec ullatenus introire permittat, quamvìs in ſimplici Extenſionis Idea hæc mirifica vis non omnino contineatur, ſed omittatur penitùs, tanquam nihil ad eam per ſe & immediatè pertinens, cur non æquè facile concipere poſſumus quòd alia Extenſio, nempe ***immaterialis***, quamvìs Extenſio in ſe nihil tale includat, ità comparata ſit, ut ***non poſſit*** ab ulla alia re, ſive materiali ſive immateriali, ***in partes divelli***, ſed indiſſolubili, neceſſario planéque eſſentiali nexu ſecum ubique ſic uniatur & cohæreat, ut quamvìs omnia penetrare poſſit, & ab omnibus rurſus penetrari, nihil tamen ità ſe in eam inſinuare valeat, ut quicquam illius eſſentiæ disjungat ullibi nec perforet, ullúmve porum ipſi excavet aut exſculpat? Hoc eſt, ut uno verbo dicam, Quid eſt quod prohibet quo minùs eſſe poſſit ***Ens*** aliquod ***unum per ſe*** & ***non per aliud***, quamvìs ***Omne Ens*** quatenus Ens ſit ***extenſum***, cùm Extenſio in præciſa ſua ratione Diviſionem phyſicam non includat, ſed Mens Imaginatione corporeâ infecta falsè ac imperitè ipſi eam affingat.

10. Neque enim hîc quicquam afferunt ***Nullibiſtæ***, dum dicunt Omne Extenſum Partes inferre, omnéſq; partes Diviſionem. Nam præterquam quòd primum illud falſum eſt, cùm Ens ***unum per ſe***, quamvìs extenſum, nullas tamen partes in ſua Idea includat, ſed ſecundùm propriam ſuam eſſentiam concipiatur ut res quàm fieri poteſt ***ſimpliciſſima***, ac proinde ***ex nullis partibus compoſita***; reſpondemus præterea, nihil cauſæ noſtræ nociturum eſſe ſi concederemus Extenſionem hanc Spirituum metaphyſicam eſſe etiam diviſibilem, ſed ***logicè*** duntaxat, non ***phyſicè***, hoc eſt, non eſſe ***diſcerpibilem.*** Quòd autem quiſpiam phyſicam Diviſibilitatem hujuſmodi Extenſioni adjungat, illud profectò neceſſariò proficiſci ex ipſius Imaginationis impotentia, quam Mens cohibere non poteſt, nec ſe ab illius fæce corporeiſq; ſordibus ſeparare; indéque fieri ut puram hanc ſpiritualémque Extenſionem Proprietatibus corporeis tingat & inficiat.

10. *Quòd omne Extenſum non habet Partes phyſicè diſcerpibiles, quamvìs logicè vel intellectualiter diviſibiles.*

Rem verò extenſam ***logicè*** vel ***intellectualiter*** dividi poſſe, cùm tamen nullo pacto poſſit diſcerpi, ſatìs apparere ex eo, quòd ***Monas phyſica***, quæ aliqualem amplitudinem habet, licèt minimam quæ fieri poteſt, ſic intelligitur dividi in linea ex quotlibet imparibus ***Monadibus*** conſiſtente, quam tamen Intellectus in duas æquales partes dividit. * Et certè in ***Monade metaphyſica***, qualem ***Holenmeriani*** Mentem humanam eſſe fingunt, totúmque interim corpus eodem tempore occupare & poſſidere, ***logica*** hîc iterum fieri poteſt diſtributio, putà è ***ſubjectis***, quatenus ſcilicet hæc ***Monas metaphyſica***, ſive ***Holenmerianorum*** Anima, vel Caput vel Truncum vel Artus poſſidet. Nemo tamen ità delirus eſt, ut indè ſequi arbitretur quòd hujuſmodi Anima in tot partes diſcerpi poſſit, partéſq; ſic diſcerptæ per ſe ſubſiſtere.

11. *Poſteriori ſecundæ Objectionis parti reſpondetur, quæ Extenſi ſubſtantialis partium ſeparabilitatem ex eo quòd ſint ſubſtantiales, mutuóque independentes, infert.*

11. Unde ſatìs aptum commodúmq; Reſponſum peti poteſt ad poſteriorem partem hujus Difficultatis, ad illam nempe quæ ex eo quòd partes Subſtantiæ ſubſtantiales ſint, & à ſe invicem independentes, ac per ſe ſubſiſtentes, (cùm ſint Subſtantiæ,) inferre conatur quòd diſcerpi etiam poſſint, ſaltem virtute Divinâ, ac disjungi, & ſic disjunctæ per ſe ſubſiſtere. Quem fateor totius Difficultatis ſummum eſſe aculeum, ſed talem tamen quem credo me perfacili negotio obtuſurum. Primò enim, nego in re *ſimpliciſſima*, qualis eſt *Spiritus*, ullas eſſe *Partes phyſicas* ac *propriè dictas*, eáſque ipſi ab impura Imaginatione falsò affingi. Mentem verò ipſam ſatìs defæcatam, & ab impuris Imaginationis ſordibus expurgatam, quamvìs extrinſeco aliquo reſpectu Spiritum tanquam partes habentem conſiderare poſſit, tamen ex ſe eum nullas habere eodem tempore apud ſeipſam ſatis acriter obſervare & ſubnotare. Ac proinde cùm nullas habeat partes, nec ſubſtantiales habet, nec à ſe invicem independentes, nec per ſe ſubſiſtentes.

Deinde, quantum ad eas quas impotens ſtupidáve Imaginatio partes eſſe fingit, non ſequitur ex eo quòd ſubſtantiales ſint, quòd ſeparatim per ſe ſubſiſtere poſſint. Subſiſtere enim per ſe ſolummodo ſignificat ità ſubſiſtere, ut quid Subjecti alicujus cui inhæreat fulcro non indigeat.

12. *Partium extenſæ Subſtantiæ independentiam mutuam duplici ſenſu accipi, déque eâ Reſponſio in primo ſenſu ſumptâ.*

12. Quid verò per harum partium mutuam independentiam velint non ſatìs capio. Verùm ſat intelligo neceſſe eſſe ut horum alterutrum per eam ſubindicetur, nempe, vel ut mutuæ & efficaces ſibi invicem exſiſtendi cauſæ non ſint, vel ut nullâ omnino conditione neceſſariâ exſiſtentia earum connecti concipiatur.

Et quantum ad primum ſenſum, lubens fateor haſce partes quas in Spiritu fingunt non eſſe ſibi mutuas exſiſtendi cauſas; ſed ità ut firmiſſimè interim negem indè ſequi, quòd ideo diſcerpi poſſint, & diſcerptæ ſeparatim conſervari; non magìs certè quàm partes intelligibiles *Monadis phyſicæ* ratione in duas partes æquales diviſæ, quæ ſibi exſiſtendi mutuæ profectò cauſæ non ſunt; vel etiam quàm Diſtributionis membra *Monadis metaphyſicæ* juxta *Holenmerianorum* ſententiam, (Animâ nempe quamlibet partem corporis totaliter occupante,) quæ nemo mentis compos ſperare poteſt unquam diſcerptum iri, quamvìs Diviſionis membra non ſint ſibi invicem mutuæ exſiſtentiarum ſuarum cauſæ. Non ſunt enim niſi una eadémq; Anima, quæ ſuiipſius cauſa non eſt, ſed profecta tota eſt à Deo.

At verò, inquies, ratio hìc manifeſtò apparet exſtátque cur hæc membra Diſtributionis diſcerpi non poſſint, & diſcerpta ſeparatim conſervari, quippe quòd una eadémque prorſus *Monas* indiviſibilis in ſingulis illius Diviſionis membris occurrit, quam igitur, cùm ſingularis ſit, à ſe ipſa diſcerpi impoſſibile eſt. Ego igitur è contrà reſpondeo, quòd æquè manifeſtò apparet exſtátque quàm frivolè ac ineptè adhibentur Argumenta à *logicis* vel *intellectualibus* Diviſionibus ad concludendam *realem* partium *Separabilitatem*. Addóque præterea, quòd quemadmodum fictitia illa *Monas metaphyſica* à ſeipſa diſcerpi non poteſt nec divelli, ità nec realis quivis Spiritus, cùm res ſit *ſimpliciſſima maximéq; una*, & in qua Mens pura, nulliſq; Imaginationis præjudiciis obfuſcata & obſeſſa, *nullas* omnino *partes* ineſſe agnoſcit: Eſſet enim eo ipſo *res compoſita*.

13. *De independentia partium ſecundo ſenſu ſumptâ Reſponſio.*

13. Unde perfacilis patet aditus reſpondendi Difficultati juxta alterum ſenſum mutuæ independentiæ partium Spiritûs, quo coexſiſtentiæ earum atque unio nullâ neceſſariâ conditione connecti intelliguntur. Etenim id falſum eſſe ſine omni mora fortiſſimè affirmo. Coexſiſtentiæ enim partium, quas vocant, Spiritûs, conditione quàm maximè neceſſariâ planéque eſſentiali connectuntur, cùm ſit *Ens ſimpliciſſimum*, ſive *Ens unum per ſe*, & *non per aliud*. Nullæ enim earum partium quas vocant *Nullibiſtæ* exſiſtere poſſunt niſi hâc lege ac conditione, ut conjunctim exſiſtant omnes ſimul. Quæ conditio ſive lex continetur in ipſa *Idea* vel *natura* cujuſvis *Spiritûs*. Unde nec creari poteſt, nec ullo modo produci, niſi ſub hac conditione, ut omnes illius partes inſeparabiliter indiſcerpibilitérque unæ ſint: ut nec rectangulum Triangulum, niſi hâc lege, ut Catheti Baſiſque potentiæ Hypotenuſæ potentiam adæquent. Unde Spiritûs *Indiſcerpibilitas* ab ipſo nec virtute quidem Divinâ amoveri poteſt, non magìs certè quàm dicta illa proprietas à rectangulo Triangulo divelli. Ex quibus omnibus ſatìs tandem liquere ſpero quòd *Extenſio Spiritûs* illius *Indiſcerpibilitati* nihil omnino officit.

14. *Ad tertiam Objectionem Reſponſio, Omne u-*

14. Nec, quod tertium eſt, illius *percipiendi cogitandíve Facultati*. Neque enim Spiritum, Extenſionem illi attribuendo, ad rerum corporearum claſſes detrudimus, cùm nihil omnino ſit in rerum natura quod non ſit aliquo modo extenſum. Nam quicquid

Eſſentiæ eſt in quavis re, aut actu jam adeſt, aut adeſſe ſaltem poteſt alicui parti Materiæ; ac proinde aut extenſum illud eſſe oportet, aut in puncti anguſtiam contrahi, merúmque eſſe Nihil.

Nam quod *Nullibiſtas* attinet & *Holenmerianos*, utrorumque profectò Opiniones ſuprà à me profligatæ ſunt prorſus, radicitúſque evulſæ ac ſubverſæ, nequis fortè illic latebras ſibi quærat & ſuffugia. Itaq; aut *Extenſum aliquid* cogitare & percipere neceſſe eſt, aut *Nihil*.

tique quod eſt eſſe extenſum; nec ipſos Nullibiſtas *vel* Holenmerianos *ex ſuis Hypotheſibus rationem perceptivæ Facultatis in Spiritibus reddere poſſe.*

Quòd verò porrò urget hæc tertia Objectio, quòd nulla exſtat ratio cur Spiritus extenſus magìs capax ſit perceptionis quàm extenſa Materia; eſt illa certè, meo judicio, admodum indocta & imperita argutatio. Neque enim adeò allaboramus demonſtrandæ Spiritûs extenſioni, ut indè modum percipiendi facultatis in ipſo rationémve eruamus; ſed ut ipſe Ens aliquod reale eſſe percipiatur veráque Subſtantia, & non inane Figmentum, quale eſt omne id quod nullâ gaudet amplitudine, nullóve modo extenditur.

Illi verò qui adeò æſtuant & inſudant probandæ Opinioni, quòd Spiritus *nullibi* eſt, vel *totus in qualibet parte illius Ubi quod occupat*, manifeſto quidem jure tenentur ut ex ſua Hypotheſi rationem percipiendi facultatis quæ in Spiritibus agnoſcitur clarè & diſtinctè reddant. Nimirum ut, ex eo quòd res aliqua nuſquam eſt, aut totaliter in ſingulis partibus illius Ubi quod occupat, quòd & neceſſariò percipiendi cogitandíq; facultate indè imbuitur, apertè ac præciſè deducant, adeò ut ratio conjunctionis Proprietatum cum Subjecto liquidiſſimè percipiatur.

Quod tamen pro exploratiſſimo habeo eos præſtare non poſſe, ſed Cogitationem vel Perceptionem immediatum eſſe alicujus Subſtantiæ attributum; ac proinde, prout illa Regula Prudentiæ quam in * *Enchiridio Ethico* tradidi declarat, nullam illius rationem phyſicam peti debere daríve poſſe cur inſit.

* *Lib.* 3. *cap.* 4. *ſect.* 3.

15. Verum ità ſtatuendum eſt, quòd, quemadmodum Subſtantia immediatè dividitur in Materialem & Immaterialem, ſive in Corpus & Spiritum; ubi nulla ratio reddi poteſt de Subſtantia in Spiritu quatenus eſt ſubſtantia, cur Spiritus ſit potiùs quam corpus, nec de Subſtantia in corpore quatenus ſubſtantia eſt, cur corpus potiùs ſit quàm Spiritus; ſed illæ Differentiæ eſſentiales immediatè inſunt eis Subjectis in quibus inveniuntur: ità ſe res habet in ſubdiviſione Spiritûs in merè Plaſticum & Perceptivum, ſuppoſito quòd ſint Spiritus qui ſunt merè plaſtici; & dein Spiritûs perceptivi in merè Senſitivum & Intellectualem. Neque enim ulla ratio reddi poteſt de Spiritu quatenus Spiritus eſt in Spiritu merè plaſtico, quòd ſit Spiritus merè plaſticus potiùs quàm perceptivus, nec in Spiritu perceptivo, quòd ſit perceptivus magìs quàm merè plaſticus, & denique in Spiritu perceptivo intellectuali, quòd ſit intellectualis magìs quàm merè ſenſitivus, & in merè ſenſitivo, quòd talis ſit potiùs quàm intellectualis; ſed hæ Differentiæ eſſentiales immediatè inſunt Subjectis in quibus reperiuntur, nec ulla ratio phyſica & intrinſeca peti debet daríve poteſt cur inſint, quemadmodum paulò antè ex *Enchiridio* meo *Ethico* commemoravi.

15.
Quòd è natura generica cujuſlibet Speciei non petenda eſt ulla ratio conjunctionis cum ipſa Differentiæ eſſentialis, cùm ſit immediata.

16. Veruntamen, tametſi rationem reddere non poſſumus cur hæc vel illa Subſtantia quatenus eſt ſubſtantia Spiritus ſit potiùs quàm Corpus, & cur hic vel ille Spiritus Perceptivus ſit potiùs quàm merè Plaſticus; tamen, quemadmodum ratio ſatìs in propatulo eſt cur Materia Corpúſve Subſtantia ſit potiùs quàm Accidens, ità ſanè ſat manifeſtum eſt cur id quod percipit vel plaſticum eſt Spiritus ſit potiùs quàm Materia vel Corpus. Quod multò ſanè majus eſt quàm quod præſtare poſſunt vel *Holenmeriani*, vel *Nullibiſtæ*. Nullam enim rationem poſſunt afferre cur id quod percipit *nuſquam* potiùs ſit quàm *alicubi*, vel ὁλενμερές τι ſive *totum in ſingulis partibus* illius Ubi quod occupat, quàm *ſecùs*.

Nam cùm Materia ſive Corpus quod diſcerpibile eſt & impenetrabile omni vitâ ſit per ſe motúque deſtitutum, certè rationi conſentaneum eſt ut ſpecies corpori oppoſita, quæ & penetrabilis & indiſcerpibilis eſſe intelligitur, vitâ etiam in genere motúque intrinſecùs ſit prædita. Et cùm Materia nihil ſit aliud quàm *Monadum phyſicarum ſtupida* quædam ac *ſoluta* congeries, ut primus maximéque immediatus gradus oppoſitus in hac indiſcerpibili & penetrabili Subſtantia quæ *Spiritus* dicitur ſit facultas *unionis*, *motûs* ac *vitæ*, in qua omnes quæ in Mundo inveniuntur συμπάθειαι & συνενέργειαι conſiſtere intelligantur. Unde minimè mirum videri debet quòd id quod *Plaſticum* eſt ſit Spiritus.

16.
Quòd, tametſi Holenmeriani *&* Nullibiſtæ *nullam rationem afferre poſſunt cur id quod percipit ſit* ὁλενμερές τι, *aut ſit nullibi, potiùs quàm vel ſimpliciter amplum vel alicubi, ſunt tamen cauſæ ſatìs obviæ cur Spiritus extenſus percipiat potiùs quàm extenſa Materia.*

Et certè quod ipſam *Perceptionem* attinet, habent proculdubio omnes mortales vel præſagium quoddam confuſum, vel notitiam potiùs quandam præciſam magìs ac determinatam, quòd ut illud, quicquid eſt, cui immediatè inſunt illæ ſuprà dictæ συμπάθειαι & συνενέργειαι, ità potiſſimùm id cui percipiendi cogitandíque facultas competit, res ſit omnium quàm fieri poteſt ſubtiliſſima maximéq; una.

Appello hîc igitur cujuſvis mentem ac judicium, an revera poſſit concipere quicquam ſubtilius magíſve unum quàm ſit Eſſentia Notióve Spiritûs quatenus immediatè à Materia diſtinguitur eíque opponitur. Ecquid enim eſſe poteſt magìs *unum* quàm quod *nullas* habet *partes* in quas diſcerpi poteſt; vel ſubtilius, quàm quod non ſolùm Materiam penetrat, ſed & ſeipſam, aut ſaltem alias ſui generis ſubſtantias? Nam Spiritus Spiritum penetrare poteſt, quanquam Materia non poteſt penetrare Materiam.

Eſt igitur in ipſa eſſentia *Spiritûs*, quamvìs ſit *metaphyſicè* extenſus, non obſcura ratio cur omnes συμπάθειαι & συνενέργειαι, cur omnes Perceptiones omnéſque omnium generum Cogitationes ad eum potiùs referantur, propter *unitatem ſubtilitatém*que ipſius naturæ, quàm ad *Materiam*, quæ tam *craſſa* eſt ut ſit impenetrabilis, tantúmq; *abeſt* ab *unitate* Eſſentiæ, ut ex *innumeris juxtà poſitis* partibus conſiſtat. Sed huic tertiæ Difficultati fecimus profectò plus ſatìs.

17. *Reſponſio ad quartam Objectionem quantum* Holenmerianos *ſpectat &* Nullibiſtas, *omnéſq; qui agnoſcunt Materiam eſſe à Deo creatam.*

17. Pergamus ad quartam & ultimam, quæ ex *Penetrabilitate* Spiritûs illius ad *movendam Materiam ineptitudinem* concludit. Movere enim Materiam non poteſt niſi eam impellendo, nec poteſt eam impellere, cùm tam facilè abſque omni reſiſtentia eam penetret. Hîc igitur iterum ſuos ludos facit Imaginatio, naturámq; Spiritûs ad leges Materiæ expendit, Spiritum fingens adinſtar corporis alicujus per nimis laxum ac patulum foramen tranſeuntem.

Cæterùm notandum eſt interea, nec *Holenmerianos* nec *Nullibiſtas* hanc Difficultatem ullo jure nobis poſſe objicere, cùm multò ſit incredibilius ut aut *Monas metaphyſica* aut Eſſentia quævis quæ *nuſquam* eſt aptiores ſint ad movendam Materiam, quàm quæ & amplitudinem aliquam habet, præſénſque eſt inſuper Materiæ movendæ. Res igitur nobis nunc ſolummodo eſt cum iſtiuſmodi Philoſophis qui Spirituum exſiſtentiam negant, quique totam rerum Univerſitatem ſtatuunt è ſolis corporibus conſiſtere.

Nam quantum ad eos qui Deum eſſe agnoſcunt, & Materiam eſſe à Deo creatam, non difficile forſan ipſis eſſet concipere, quòd Facultas eſſe poſſit quædam in Anima quæ aliquo modo, ſed valde umbratili, potentiæ in Deo creandi Materiam reſpondeat. Ut nimirum quemadmodum Deus, quantumvìs *Spiritus* omnium *puriſſimus*, Materiam tamen creat omnium rerum *craſſiſſimam*, * itâ ipſi *Spiritus* creati *materialem* quaſi quandam vim emittere poſſint, vel ſponte vel naturâ, per quam intimè ſubjectæ Materiæ inhæreſcant, ſatíſque ſtrictè cum ea uniantur. Quam quidem Spirituum facultatem in *Appendice ad Antidotum adversùs Atheiſmum* ὑλοπάθειαν Spirituum appello. Sed fateor illud Reſponſum nimis incommodè adhiberi cùm nobis res ſit cum eis qui Materiæ creationem negant, multóq; adhuc magìs quando cum eis qui negant eſſe Deum.

18. *Reſponſio ad eos qui nihil credunt eſſe in rerum natura præter Materiam vel Corpus.*

18. Cùm igitur hìc agendum ſit cum tam infenſis Adverſariis, & ab omni Rerum incorporearum tum cognitione tum agnitione alienis, cautè profectò nos gerere ac circumſpectè oportet, titulúmque Quæſtionis paulò præciſiùs reſpicere, quæ non eſt, An nos modum rationémque quâ Spiritus Materiam moveat accuratè diſpicere & enarrare poſſimus, ſed, An illius *penetrabilitas* cum *hac movendi facultate* repugnet. Manifeſtum autem eſt, ſi uniri poſſet & quaſi cohæreſcere Spiritus cum Materia, quòd de facili Materiam moveret, quandoquidem ſi ullus omnino ſit Spiritus, juxta communem omnium opinionem, omnis vitæ motûſque agnoſcendus eſt ipſum Principium & Fons. In hoc uno igitur totius Quæſtionis cardo vertitur, Utrùm repugnet ut quivis Spiritus cum Materia uniatur & quaſi cohæreſcat, aut qualicunq; cum firmitudine ſive permanente ſive momentanea cum ea conjungatur.

Non repugnare verò clarè me demonſtraturum ſpero ex eo, quòd Unitio Spiritûs cum Materia æquè intelligibilis eſt ac unitio unius partis Materiæ cum altera. Id enim ratum firmúmque haberi debet, quòd *Id fieri poſſibile eſt in quo non major* (nè dicam minor) *difficultas invenitur quò minùs fiat, quàm in eo quod reipſa jam factum eſt eſſe cernimus.* Videmus verò reipſa unam Materiæ partem cum altera uniri, idque in quibuſdam corporibus firmitudine ferè invincibili, ut in Lapidibus quibuſdam ac Metallis, quæ omnium corporum duriſſima habentur. Sed nos plenioris intelligentiæ gratiâ corpus ſupponemus abſolutè perfectéque durum, nullis particulis præterquam ipſis *phyſicis Monadibus*, & nullis præterea cum Poris, conſtitutum.

Rogo igitur, quâ vi aut ratione hujus tam perfecti Solidi partes cohærent. Proculdubio nihil hìc afferre poſſunt præter immediatum contactum ac quietem. *Nam ſi ad alias Affectiones confugiunt quæ vitæ ſenſûſque affines ſunt, eæ rectiùs & faciliùs in Spiritu eſſe intelliguntur quàm in ulla Materia, & nos ſtatim per eas ipſas Spiritum Materiæ adhæreſcere poſſe pronunciabimus.*

Quòd verò partes Materiæ per nudum contactum quamvìs immediatum cohæreant, æquè difficile videtur, ſi non magìs quàm ut Spiritus Materiam penetrans cum ipſa coaleſcat. Contactus enim partium Materiæ ubique eſt tantummodo ſuperficialis; unus verò idémque indiſcerpibilis Spiritus totam Materiam ſimul penetrat ac poſſidet.

Nec certè verendum eſt nè inhæreſcere non poſſit, quia tam facilè poteſt illabi, & proinde, ut res præ ſe fert, perlabi & pertranſire. Nam in corpore abſolutè ſolido, putà A, in quo concipimus aliquam particularem ſuperficiem, putà E A C, certè hæc ſuperficies A E C ità lævis eſt & glabra, ut eâ nihil nè fingi quidem poteſt lævius vel glabrius. Cur igitur ſuperior hujus Cubi ſolidi pars E D C leviſſimo quovis impulſu non labitur ſuper inferiorem Cubi partem E F C, præſertim ſi ſupponatur pars inferior E F C fixè detineri, dum ſuperior E D C impellitur? Equidem hæc corporum perfectè lævium ſive glabrorum mutuóque ſe immediatè tangentium ſuperlabendi unius ſuper alterum facilitas ſaltem æquè neceſſaria apparet Imaginationi noſtræ ac cujuſvis Spiritûs tranſeundi proclivitas per illa corpora quæ penetrat.

Fig. 74.



Quamobrem ſi duæ partes Materiæ, putà E D C & E F C, quas ſemper leviſſimo quovis impulſu unam ſuper alteram ſuperlapſuras perquam urgentiſſimè nobis ſuggerit noſtra Imaginatio, firmiſſimâ tamen ac penè invincibili unione ſibi mutuò adhærent, cur igitur & Spiritus, quem Imaginatio tam facilè per quodvis corpus tranſiturum ſuſpicatur, pari firmitudine cum corpore uniri non poteſt, cùm hoc illo non ſit difficilius, imo multò quidem facilius, ſiquis rem prout eſt, ſepoſito omni præjudicio, velit perpendere? Cæterùm cùm *Penetrabilitas* Spiritûs cum ipſius *unione* cum Materia non pugnet, manifeſtum eſt quòd nec ipſius facultas movendi corpora cum ejus Penetrabilitate repugnare poteſt. Quod erat demonſtrandum.

19. Sed ferè jam piget me tanto paratu ac præmolimine rem tantillam fuiſſe aggreſſum, & cum meris Imaginationis Illuſionibus & præſtigiis tantas fictitiarum Repugnantiarum tenebras veræ Spiritûs Ideæ offundentibus tanquam cum tot nocturnis Larvis ac Lemuribus tamdiu concertâſſe. Interea tamen abunde liquet quòd nullæ aliæ ſunt Contradictiones aut Repugnantiæ in hac noſtra notione Spiritûs quàm quas mentes Adverſariorum impuris Imaginationis fæcibus coinquinatæ, corporeáſque Affectiones ab Extenſione Metaphyſica abſtrahere neſciæ, fœdè ſordidéq; agglutinant; quódq; hæc Idea in ſe ſpectata ſatis clarè apparet eſſe Notio rei ſaltem poſſibilis.

19.
Ideam Spiritûs à ſe deſcriptam non ſolùm rei poſſibilis eſſe Ideam, ſed actu etiam exſiſtentis, multis argumentis ſuprà eſſe demonſtratum, ac proinde nullas Repugnantias in ea contineri.

Sed, quod dicturus eram, hujus tam prolixæ operæ facile facere potui compendium, ſi ſolummodo ipſis in memoriam revocâſſem me ſolidiſſimis firmiſſimiſq; Demonſtrationibus ſuprà eviciſſe quòd ſit Idea rei jam actu exſiſtentis: hanc facem extemplo ſi ipſis extuliſſem, omnes illas ſtatim diſpuliſſem Imaginationis Illuſiones & præſtigias, omnéſq; ejus quas veritati offundit nebulas quaſi uno halitu difflaviſſem. Nam ex eo ipſo quòd Spiritum demonſtraverim exſiſtere, cùm ſpecies ſit ſub proximo genere corpori immediatè oppoſita, corpúſq; quatenus corpus ſit impenetrabile & diſcerpibile, eâdem profectò operâ ſimul demonſtravi Spiritum & penetrabilem eſſe & indiſcerpibilem, nec ullas eſſe, cùm jam actu ſint in uno Subjecto, inter illa Attributa & Subjectum Repugnantias.

Sed præterea meminiſſe oportet, me particulatim Argumentis invictiſſimis probâſſe Extenſum eſſe quoddam immobile infinitum ac reale à mobili Materia diſtinctum, quòd nolentes volentes non poſſumus non concipere iſtiuſmodi eſſe, ut impoſſibile ſit ut in ullas partes diſtrahatur vel diſcerpatur. Quæ luculentiſſima demonſtratio eſt quòd Indiſcerpibilitas & Extenſio optimè poſſint eidem Subjecto competere.

Quòd verò unum Extenſum aliud Extenſum penetrare poteſt, penetránſque illud aliud movere, infinitis ferè exemplis probavi. Adeò ut non niſi ſerò jam objici poſſit à *Nullibiſtis*, *Holenmerianis*, *Hobbianiſ*ve, & aliis id genus Philoſophis, (quorum mentes veneficiis ſuis ac impuritatibus ità effaſcinavit & obfuſcavit fallax & præſtigioſa Imaginatio) quòd illa quæ in Ideam Spiritûs cómpegi ἀσύστατα ſunt, nec bene ſimul poſſunt conſiſtere, cùm eidem prorſus Subjecto ea omnia actu competere firma ſolidáq; experientia & Ratio Sole clarior tam fusè támq; manifeſtò demonſtravit.

20. Quibus poſtremò addas, hanc noſtram Sententiam etiam communibus Adverſariorum ſuffragiis quodammodo confirmari & comprobari.

20.
Suámq; denique Sententiam etiam communibus Adverſariorum ſuffragiis quodammodo confirmari.

Etenim *Hobbiani*, & quotquot alii ejuſdem farinæ Philoſophi, illud nobis planiſſimè aſſentiuntur, quòd Quicquid revera eſt, neceſſe eſt ut ſit extenſum. Quòd verò indè ſubinferunt, quòd nihil eſt in rerum natura quod non eſt etiam corporeum, id certè admodum inſcitè & inſequenter colligunt, in tam turpem errorem ex aliquo animi morbo delapſi. Impoſſibile enim eſt ut Mens humana, niſi corporeæ Imaginationis fæcibus & ſcoriis polluta & gravata, in tam fœdam craſſámque Opinionem ſe ſubſidere permittat.

Verùm rem unamquamque extenſam eſſe, ipſi etiam *Nullibiſtæ* mihi quàm proximè abeſſe videntur ut pro vero certóque agnoſcant. Neque enim occultè ferunt quin ſi Spiritus ſit *alicubi*, neceſſariò ſequatur quòd ſit etiam *extenſus :* Et concedunt præterea Spiritum per *Operationes adeſſe* vel *ineſſe* Materiæ, nec *Eſſentiam* ab *Operationibus* ſeparari.

Quòd verò quicquam exſiſtat, nec tamen ſit uſquam in tota rerum Univerſitate, tam malè-ſana vox eſt & ab omni Ratione aliena atque abſona, ut à nemine mentis compote niſi per deridiculum poſſit proferri, prout ſuprà monuimus. Unde magìs dolendæ ſunt eorum vices qui admiratione primi Autoris tam abſurdæ ſententiæ capti & occæcati eam tam ſeriò ſanctéq; amplectuntur, támq; diligenter expoliunt.

Denique, quod *Holenmerianos* attinet, ii certè ex ipſis qui magìs cauti ſunt ac conſiderati ità Opinionem ſuam explicant, ut nè hilum quidem à noſtra differre videatur. Etenim quamvìs aſſerant Animam totam eſſe in qualibet parte, id tamen non de ipſa Animæ quantitate ſive extenſione quâ totum corpus occupat, ſed de ipſius Eſſentiæ Virtutíſque perfectione ſe intelligere dicunt. Quod quomodocunq; verum ſit de Anima, de Divino Numine eſt proculdubio perquam veriſſimum, cujus Vita & Eſſentia eſt ubiq; perfectiſſima pleniſſimáque, utpote quæ nuſquam non infinitam planè Bonitatem, Sapientiam ac Potentiam complectitur.

21. *Primæ hujus Partis Enchiridii Metaphyſici Concluſio.*

21. Quòd igitur Res incorporeæ ſunt, ſive Spiritus, & quæ ipſarum ſit natura in genere, tam perſpicuè & luculentè edocuimus, ut in poſterum ſperemus ferè neminem fore, qui ingenium animúmq; ad hujuſmodi res contemplandas aptum idoneúmq; nactus eſt, quin plenam ſufficientémque de earum veritate certitudinem ex his noſtris lucubrationibus ſit hauſturus, & indubitanter agniturus Res incorporeas & exſiſtere, & tales eſſe in *genere* quales nos deſcripſimus. Ad *Species* verò earum tractandas per corporis valetudinem adhuc deſcendere non licet ; ſed id poſt aliquam reſpirandi intercapedinem, in Secunda Tertiáque Parte hujus *Enchiridii*, pari, quoad fieri poterit, perſpicuitate præſtabimus, ſi Deus utique vitam viréſque largiri nobis dignatus fuerit ; Cui omnia mea committo, & cui ſoli debetur omnis Gloria & nunc & in omnia ſecula. *Amen.*

SCHOLIA

In Cap. XXVIII. Sect. 7.

Quarta hæc dimenſio quam appello ſpiſſitudinem eſſentialem, *&c. Quòd ſit hujuſmodi quarta dimenſio, nullus dubito ; quanto autem uſui ad rectè intelligendam naturam Animæ humanæ, ex iſtiuſmodi quæſtionibus quas* Nullibiſtæ *potiſſimùm proponunt licet experiri. Illi enim negantes animam ipſam totum corpus pervadere, nè extendi videatur & evadere corporea, porrò quærunt,* An Spiritus hic extenſus ſimul augeatur minuatúrque cum corpore. An eadem Anima ſit cum qua natus ſum & quam habeo jam adultus. *Nam ſi eadem (& certè ſi non ſit non ſum idem homo) aut creſcere oportet cum corpore & incrementum capere, aut corporis partem maximam mihi jam adulto animâ deſtitui.* Si brachium abſcindatur quid fiat de illa parte animæ quæ brachium modo informabat ; *& multa id genus alia, quæ eſſentiali hâc ſpiſſitudine admiſſâ nullam omninò habent difficultatem. Facilè enim reſpondetur eandem numero animam eſſe ab Infantia ad extremam ſenectutem, nec majorem eſſe nec minorem per totum illum temporis decurſum, ſed ſpiſſiorem, ſeu contractiorem in Infantia, in virili ætate magìs expanſam, illúdque ipſi contingere paulatim, quod Angeli ſubitò ac pro libitu experiuntur, qui eſſentiam ſuam pro ſuo arbitrio contrahere & dilatare poſſe apud Philoſophos dicuntur. Abſciſſo brachio, eam, ſi fas ſit ità loqui, animæ partem quæ brachium informabat, cùm aer debitâ congruitate vitali deſtituatur, in reliquum corpus recurrere, ibíque ferè ſilere, nec ullis opus eſſe vacuitatibus aut inaniis in quas recurrat, cùm & materia & ſpiritus ſpiritui ſit pervius & penetrabilis. Quòd autem ſit hujuſmodi quarta dimenſio, innumeris argumentis demonſtrari poteſt, non paucioribus ſanè quàm eis univerſis quibus Dei, Angelorum, Animarúmque humanarum exiſtentia demonſtratur.*

Sect. 10. Et certè in Monade Metaphyſica, qualem Holenmeriani mentem, *&c. Ex pauxilla hac luce ingentes tenebræ quas* Nullibiſtæ *præſertim Divinæ præſentiæ (quæ à ſanioris* *à ſanioris judicii Philoſophis ubique eſſe agnoſcitur) offundunt, facilè diſſipantur. Nam ex hoc exemplo planè conſtat, ex eo quòd Deus ubique ſit præſens, quamvis aliquâ ratione præſentia ejus iſtoc pacto extendi videatur, minimè tamen ſequi eam aut corpoream eſſe aut diviſibilem, niſi diviſione purâ putâ logicâ, & quæ in ipſam* Holenmerianorum *animam ſi eſſet, cadere poſſet. Etenim quemadmodum Anima hæc* ὁλενμερῶς *omnes humanæ molis Mathematicas dimenſiones occupare concipitur, ſed neutiquam adæquatè per ipſas menſurari, quamvis virtualiter eminentérve etiam Mathematicas illas dimenſiones ipſius* ὁλενμέρεια *in ſe contineat eáſque ſuo modo ubique attingat; ità etiam manifeſtum eſt Divinam Præſentiam ubique eſſe poſſe, & vel Mathemathicas rerum omnium dimenſiones non interruptim penetrare, nec tamen adæquatè ac pro dignitate & plenitudine ſuæ eſſentiæ ab eis menſurari; cùm nec condenſatio corporea, nec eſſentialis Spirituum ſpiſſitudo, nec gradualis qualitatum Phyſicarum intentio ſimplici dimenſione Mathematicâ comprehendi poſſint. Unde notare poſſumus quàm alienæ & abſonæ perinde ac invidioſæ iſtæ* Nullibiſtarum *Interrogationes ſint, dum quærunt,* quot ulnas, quótve orgyas Deus hîc vel illîc pateat, *quaſi ex eo quòd habeat in ſe virtualiter quod omnibus dimenſionibus Mathematicis adſit & quaſi attingat, ſequeretur eum ab ipſis adæquatè poſſe menſurari, corporeúmq; indè effici & diviſibilem. Quod perinde abſurdum craſſúmq; eſt ac ſi quis ex eo quòd Divinæ Hypoſtaſes Deive Attributa æneis calculis in menſam poſitis dinumerari poſſint, ea* realiter *diſtincta colligeret &* corporea, *immò, ſi ſic placet, etiam* ahenea.

Sect. 17. Ità ipſi Spiritus creati materialem quaſi quandam vim emittere poſſint, *&c. Super hoc loco itidem clariſſimus ille doctiſſimúſque vir* Philippus Limbergius *per literas à me quærit, quomodo ſcilicet probari poſſit illa per ſpiritus creatos materialis cujuſdam vis emiſſio, quippe vir ſagaciſſimus ſic ſublatum iri ſperat pleraſque difficultates circa nobile illud Problema.* Quomodo *nempe* Anima ſubſtantia immaterialis à corpore craſſo & materiali affici poſſit corpúſque viciſſim ab anima. *Ambo autem hæc tam conjuncta ſunt ut conſultius exiſtimem in unam Quæſtionem conflare eáque quæ viro eruditiſſimo per literas reſpondi hîc rurſus recitare. Quæſtio igitur hæc ſit,* Unde conſtare poſſit Animam humanam rem planè ſpiritualem ac immaterialem vim tamen habere quandam quaſi materialem *quam Græcè* τὴν ὑλοειδῆ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν τῆς ψυχῆς *ſignificantiùs forſan appellare poſſumus. Vim autem hanc* ὑλοειδῆ *quatuor hæc in ſe includere ſupponimus, quæ in confeſſo eſt apud omnes corporibus ineſſe ac proinde corporea judicantur, (viz.)* Subjectum ità occupare & implere ut alia excludat. Agere in materiam eámque movere. Coaleſcere cum materia in unum ſuppoſitum. Et pati denique à Materia. *Illud igitur quod in Anima has, quæ dicuntur, corporeas proprietates imitatur,* τὸ ὑλοειδὲς τῆς ψυχῆς *compendii cauſâ appellamus; & emiſſionem vis materialis in anima* τὴν τοῦ ὑλοειδοῦς ἐνέργειαν, *ſive* voluntate *hæc exeratur* ἐνέργεια *ſive* naturâ. *Hæc erat brevis propoſitio Quæſtionis ſimul & explicatio. Ad quam hæc ferè reſpondebam.*

Primùm, Eſſe quidem aliquam concinnitatem & elegantiam in eo ipſo argumento quod in hac Sectione propono. Nempe, cùm Deus qui actus eſt puriſſimus & maximè omnium immaterialis, è ſe tamen realem materiam creando emittat, neque ulla creandi imitatio noſtris animabus competat (quæ tamen dicuntur Imagines Dei) præter emiſſionem certarum quarundam virium in formando Ideas tum intellectuales tum phantaſmaticas, certè ut per omnia Anima poſſit eſſe Dei quaſi Imago & Umbra, oportet etiam ipſam, Ideam plaſticam exerere & virtutem denique ὑλοειδῆ *ſive* Hyliformem, *ut per omnia ſuum Creatorem imitetur eòque perfectior illius Imago evadat. Quam* Hyliformem *facultatem Anima ſi habet, (& quidni habeat ob dictas rationes) minimè mirandum eſt ſi propter potentiam* Hyliformem, *excellentiori quodam modo & agere poſſit in materiam, & ab eadem pati. Quod in genere dictum ad ſingulas animæ affectiones quæ videntur corporeæ ſeu materiales, facilè poteſt applicari. Nec vel minima ſupererit difficultas, modò meminerimus, nihilo magis à ratione abhorrere ut Anima* Hyliformem *quandam facultatem exerceat, quàm ut Deus* Hylen, *hoc eſt,* Materiam *creet.*

Deinde ὑλοειδὲς *hoc Animabus ineſſe humanis à Fine porrò probari poteſt. Cùm enim planè nobis conſtet Mundum quendam eſſe corporeum variis repletum Animalibus variiſque rerum generibus adornatum, debebat profectò Divina Providentia tale Animal creare quale eſt homo rationali Animâ præditus. Rationalis verò Anima in unum ſuppoſitum cum aliqua Materia coaleſcere non potuit ſine facultate* Plaſtica & Hyliformi.

Tertiò denique, Hyliformem *facultatem demonſtramus ab Effectis, ſic; Primò, Demonſtramus id quod in nobis ſentit & intelligit,* &c. *eſſe ſubſtantiam immaterialem*

& à corpore realiter diſtinctam, quam Animam dicimus. Deinde Animam hanc per totum corpus non ſolùm virtualiter *ſed &* ſubſtantialiter *eſſe diffuſam. Tertiò percipere tantùm intra cerebrum. Vnde clarè conſtat maximam planè, ſi fas ſit ità loqui, Animæ partem eſſe* Plaſticam, *non* Perceptivam. *Propter* Plaſticam *autem hanc partem in unum Animal coaleſcit Anima cum corpore, non per* Perceptivam *liberámve volendi facultatem. Poſſet enim ſic Anima pro libitu corpus relinquere. Eſtque hæc Animæ cum corpore coalitio*, Hyliformis *Facultatis egregium quidem ſpecimen.*

Quanquam profectò de Hyliformi Animæ conditione haud ità ſoliciti eſſe debemus, cùm ex multifariis Animæ ſymptomatis corporeis, (ut reputantur) Homines Athei & Infideles Animam omninò corpoream confidenter concludunt, hoc eſt, nullam eſſe Animam immaterialem & à corpore realiter diſtinctam. Cùm verò ipſe in Tractatu de Animæ Immortalitate, *Animam irrefragabilibus argumentis immaterialem & à corpore realiter diſtinctam fusè demonſtraverim, & apud omnes in confeſſo ſit nec negari poſſit, quin multa ſint quaſi corporea ſymptomata in Anima, & quæ nulli rei niſi corporeæ competere poſſe nimiùm multi ſumma cum confidentia ſtatuunt; manifeſtiſſimum argumentum eſt neceſſe eſſe ut* Hyliformis *quædam facultas, qualem ſuprà deſcripſi, omnibus humanis animabus inſit; ac proinde minimè mirum eſſe, ſi anima propter ſuum* ὑλοειδὲς *patiatur à Materia & agat in Materiam, eámque moveat, ſuóque modo repleat, alióſque Spiritus, niſi* Hyliformis *facultatis exertio ſuſpendatur, excludat, faciátque quicquid materia poteſt facere ſed modo excellentiori. Hæc ferè ſunt quæ ad Virum doctiſſimum ſuper hoc argumento reſcripſi, quæ hîc repetere non abs re omninò fore putavi.*

Sect. 21. Ad ſpecies verò earum tractandas, *&c. Species quas poſtea mihi tractandas propoſueram ſunt,* Spiritus Naturæ, *(qui &* Principium Hylarchicum *ſeu* Spiritus Mundi Hyloſtaticus *appellari poteſt) &* Deus *hujus Spiritûs Mundani rerúmq; aliarum omnium Creator. Hoc argumentum ſecundæ parti* Enchiridii *deſtinabam. Vt ſpiritus particulares, Animas nempe, præſertim Humanas, Angelóſque tertiæ. Sed cùm per Divinam Providentiam ità factum ſit, ut Juvenis quidam Nobilis ingenioſus & doctus, nomine* Johannes Cockſhutus, *diem obiens Legatum ſatis amplum librarum nempe trecentarum reliquerit ſcriptis meis Anglicanis latinè transferendis aſſignatum, in quibus, hiſce de rebus quantum ſatis, jam ſcripſeram, mutavi ſtatim conſilium; Inſtitutúmque duas alteras partes abſolvendi protinus ex animo abjeci. Et hortantibus amicis hanc ſcripta mea Latinè transferendi provinciam ipſe in me ſuſcepi, nec opus quidem futurum fuiſſet, etſi alius quiſpiam eam ſuſcepiſſet, ut* Enchiridium Metaphyſicum *conſummarem, quandoquidem id aliâ ratione faciendum non erat quàm ea in illud transfundendo, quæ eis de rebus, quas ſecundæ tertiæque parti deſtinabam, Anglicè olim ſcripſeram, novis quibuſdam fortean additis ſubinde & interfuſis. Quæ multa ſanè eſſe non poterant. Quippe, quod ad* Spiritûs Naturæ *exiſtentiam attinet, præter ea quæ in aliis libris ſcripſi, tam multis ac copioſis argumentationibus hac prima in parte confirmavi, ut ea de re quicquam ſuperaddere futurum fuiſſet planè ſupervacaneum. Et quantùm ad illius naturam ſeu definitionem, eam libro tertio De* Animæ Immortalitate *ſatis apertè delineavi.*

Hunc ſolummodò ſcrupulum fortaſſis moturus fuiſſem an ullo ſenſu ac ratione polleat hic Naturæ Spiritus, *quemadmodum de ſua Mundi Anima fingunt Platonici, & inter cæteros præſertim* Plotinus *hiſce verbis.* Η ψυχὴ ἡ χωριστὴ τοῦ παντὸς θεὸς, ταύτης δὲ χωρισθείσης τὸ λοιπὸν δαίμων μέγας. *Vbi planè præter animam illam ſeparabilem ab Vniverſo, quam aliàs* τὴν θείαν ψυχὴν *appellitat (Æternóque Spiritui reſpondet apud Chriſtianos) utì hîc* θεὸν, *Animam alteram agnoſcit Mundanam Ratione ac paſſionibus præcipuè præditam, quam propterea cum Mundana Materia vitaliter unitam* magnum *appellat* Dæmonem. *Tantum verò abeſt ut ego* Spiritum Naturæ *aut* Intelligentiam, *qualem me fingit ſupponere Author ingenioſus* Tentaminis Hydroſtatici, De Gravitatione & Non-Gravitatione corporum fluidorum, *aut hujuſmodi Dæmonem, qualem* Plotinus *depingit, exiſtimem, ut planè dubitem an ullam* vitam *habeat præter* Plaſticam, *quæ omnes leges motuum ac unionum naturalium, hoc eſt, omnes modos quibus Materiæ Mundanæ partes moventur & uniuntur, in ſe complectitur. Cætera certè excluſi in Definitione* Spiritûs Naturæ *ſuprà memorata.*

Quanquam verò omne conſilium, Rationem & libertatem arbitrii ab eo quàm confidentiſſimè amandandam puto (quippe quòd ex multis experimentis quæ in hac prima parte produxi, aliiſque quamplurimis quæ productu obvia ſunt clarè poteſt demonſtrari eum iſtis omnibus carere) omni tamen omninò perceptione eum deſtitui, *haud tam facilè admittendum cenſeo, ſed tactum quendam forteàn habere obſcuriorem, gaudiúmq; ac dolorem ſenſum hunc conſequentem nunc remiſſiorem nunc excitatiorem, adeò ut interdum ad furorem quendam redigi poſſit ex immaniori legum ſuarum vitalium violatione : Quemadmodum videre eſt in eis experimentis quibus nimis violentâ ſolicitatione urgetur ad admittendum vacuum, & ad naturalem corporum ordinem interturbandum. Sæpenumerò evenit ut iſtiuſmodi experimentorum Inſtrumenta ſubitò diſrupta cum ingenti impetu diſſiliant. Senſus igitur tactui cuidam haud multùm abſimilis tanquam probabilis hujus Spiritûs affectio concedi poſſe videtur, dolórq; tactum conſequens, qui eo ferè modo ſentiatur quo Spaſmi dolor in ſomno; ludicrum illum ſpaſmum intelligo quem pueri aliquando, (ſic memini factum in Schola* Ætonenſi) *condiſcipulis ſuis in lecto dormientibus nexu funiculi pedis pollici injecti creare ſolent. Et certè quemadmodum dolor acrior ſubinde eſſe poteſt, ità & luxuriantior & præcipitantior lætitia ſuboriri, & maleſanum gaudium : Immo & inquieta quædam anxietas aliæque id genus multæ affectiones in fæculentioribus Mundi Regionibus. In Regionibus verò Æthereis & Paradiſiacis etiam Spiritûs Naturæ ſenſus ſedatiùs ſe habet, externæ illarum Regionum ſerenitatis ac tranquillitatis exprimens Imaginem. Nec plura in re tam lubrica opus eſt hîc proferre. Hoc ſolùm moneo, ſive perceptionem habeat* Spiritus Naturæ *ſive ſecus, perinde eſſe quantùm ad vires* Plaſticas. *Neque enim illæ reguntur ex illo ſenſu per modum conſilii. Sed Spiritus hic percipit ſe ſic affectum, nec deliberat quomodo mutet conditionem, ſed quicquid patitur aut agit, id omne antevertit ſuam ſi quam habet perceptionem quantùm ad ullas deliberationes & conſilia, adeò ut omnia in illo fiant* vitali *tantùm lege ac* plaſticâ, *cæcóq; quaſi inſtinctu & neceſſario.*

Et ut brevi tandem Definitione illius Naturam hîc etiam deſcribam, Spiritus Naturæ *(juxta eam notionem quam ego de eo apud meipſum formare ſoleo) eſt* ſubſtantia incorporea, *vitâ* ſaltem ſi non ſenſu quodam obſcuriori prædita, generales motuum ac unionum partium Mundanæ Materiæ naturalis leges, omniúmq; corporum naturalium Ideas ſeu Rationes *Plaſticas* vitaliter in ſe complectens, & ſecundùm iſtas rationes ſeu Ideas pro data occaſione in Materiæ Mundanæ partes agens, quo totius Mundi Materialis compages ac ordo rerúmque ſingularum corporearum ſpecies ac formæ conſervantur ac propagantur. *Ex qua deſcriptione intelligere licet* Spiritum *hunc* Naturæ *quaſi* omniformem *ubique eſſe, id eſt, Omnes rerum corporearum rationes* Plaſticas *omnéſque earum gradus, inchoationes, incrementa & conſummationes in ſe ubique* vitaliter *continere. Et quemadmodum Anima noſtra, pro re nata, varia profert* Phantaſmata, *ità & hunc ſpiritum datâ occaſione varia inchoare* Plaſmata, *& cùm idem ſit ubique, ut qui ubique eſt* omniformis, *(quemadmodum Intellectus* Divinus *ubique omniſcius) inchoata paulatim perficere. Ex quo porrò conſtare poteſt unicum eſſe* Naturæ Spiritum, *ſinguláſq; Mundi partes ſingulis non indigere. Quando verò dico eum Mundanæ Materiæ* Naturalis *leges in ſe continere, eo ipſo ſubindico aliam quandam eſſe Materiam à Materia* Naturali *ſpecificè diſtinctam,* Divinam *utique & in quam non quidem* Spiritus Naturæ *ſed* Æternus Spiritus *operatur, quam & ſemen* Regenerationis *eſſe fuſiùs in ſuo loco ediſſeruimus. Hæc interim ſufficiant ad notionem* Spiritûs Naturæ *(qui &* Spiritus Mundi Hyloſtaticus *&* Principium Hylarchicum *ſenſu ſignificantiſſimo appellari poteſt) diſtinctiùs intelligendam.*

Cæterùm & hoc etiam in ſecunda parte moniturus fuiſſem, nempe, quemadmodum ex natura Materiæ penitiùs perſpecta & intellecta exiſtentia Spiritûs Naturæ *clarè demonſtratur, ità ex vera notitia* Spiritûs Naturæ, *exiſtentiam Dei æquè clarè poſſe demonſtrari. Nam ut Motus & modificationes Materiæ omnem vim ipſi materiæ inſitam excedunt, ac proinde ad* Spiritum Naturæ *referuntur; ità cùm per multa experimenta probari poſſit* Spiritum Naturæ *rem quaſi brutam eſſe & inſenſatam, omnique ratione, conſilio & arbitrii libertate deſtitutam, talémque cui facilè illudi poſſit, quæque in eventus contra ſuum generalem ſcopum poſſit præcipitari; omninò conſentaneum eſt colligere, leges illas generales ipſi inſitas & innatas, & ad Bonum Univerſi tanta cum ſapientia accommodatas, juxta quas tamen iſte ſpiritus, niſi impediatur, conſtanter agit, quanquam inſcienter &* vitaliter *duntaxat, ad ſuperius aliquod Principium illúdque Intellectuale, hoc eſt, ad Deum referri debere. Cujus,* Spiritus Naturæ *Inſtrumentum quoddam tantummodò ſit, vitale ac creatum, legibúſque ac rationibus, quas* Divinus *Intellectus circa Mundum condendum conceperat diſtinctéque recognoverat* plaſticè *duntaxat imbutum. Haud diſſimiliter ac ſi Artificium alicujus Opificis ad Materiam in hanc vel illam ſtructuram* *formandam à mente Opificis abſcindi fingeremus & in ipſam* vitaliter & operativè, *quanquam non* intellectualiter & perceptivè *derivari. Unde Horologia & id genus alia opera artificioſa ſine Artifice viderentur extare. Quod tamen eſſet impoſſibile. Atque æquè profectò impoſſibile eſt ut* Spiritus Naturæ *extaret, à quo Naturæ opera proficiſcuntur, niſi eſſet etiam* Deus.

Porrò, quemadmodum Spiritum Naturæ *inter cætera adhibiturus fuiſſem, ad demonſtrationem exiſtentiæ Divinæ; ità & rudem illam & inchoatam Divinæ Eſſentiæ Ideam ex magis præciſa preſſáque ſpacii, quod vulgo dicitur, conſideratione ſubobſcurè elucentem, eódem fuiſſem tracturus. Videtur enim mihi rudis illa æternæ alicujus & infinitæ eſſentiæ Umbra immobilis ac importuna (& quam nullis machinis è mente noſtra amoliri poſſumus aut fugare) nec paucioribus viginti Attributis Divinis prædita ſemper inſtans, Obſes quidem eſſe firmiſſimus Exiſtentiæ veri Dei, niſi Durationis æternitas, & immenſitas Amplitudinis increatæ eſſe poſſint, nec tamen eſſe Deus. Equidem cùm Idea Materiæ nullam exiſtendi neceſſitatem in ſe contineat, hæc verò æterna Amplitudo (quam, ſi admittatur, nihil eſſe non poſſe, præter* Carteſianos *omnes, ipſi etiam* Nullibiſtæ *ultrò concedunt, ut videre eſt apud Autorem Diſſertationis* De Mole ac Fimbria Mundi) *neceſſariò exiſtat, non levis meritò ſuboriri debet ſuſpicio, ipſam materiam omnéſq; illius motus & modificationes ab æterno hoc fonte aliquo modo proficiſci.*

Quòd ſi porrò conſideremus veram Dei Ideam omnem omnino perfectionem perinde ac neceſſitatem exiſtendi in ſe complecti, Amplitudinem verò hanc immenſam ac æternam præter ipſam exiſtendi neceſſitatem, (quam illi neceſſariò actúque ineſſe palpabiliter deprehendimus) viginti ferè alia Attributa Divina continere; fieri profectò non poteſt quin indubitanter concludamus, illud in quo omnia ferè Divina Attributa quæ ad nudam eſſentiam *ſpectant, reperiuntur, reliqua etiam poſſidere quæ ſpectant ad* operationem & vitam. *Etenim, ni hoc ſit, impoſſibile eſt ut quicquam exiſtat quod omnes numeros Entis abſolutè perfecti (quæ vera Dei Idea eſt) expleat. Eſſet enim immenſum illud & æternum multiſq; aliis Divinis attributis exornatum quod à nulla re dependeret. Unde manifeſtum eſt quòd nulla alia res præter ipſum, Ens abſolute perfectum eſſe poſſet, ipſúmq; proinde eſſe Deum. Breviter, cùm quicquid alicui rei* ᾗ αὐτὸ *quatenus tali ſive ſecundùm ſpecificam ſuam differentiam competit, nulli præterquam tali poſſit competere, immenſáque amplitudo cum reliquis ſuprà nominatis Attributis Enti ſummè perfecto ſive Deo competat quatenus tali; manifeſtum eſt, Immenſum illud immobile tale eſſe Ens,* Ens *nempe* abſolutè perfectum *ſive ipſum Deum.*

Pro certo igitur cognoſcimus nos in ſubobſcuram Illius *præſentiam incidiſſe quem neceſſe eſt eſſe Deum. Cujus exiſtentia, ex* Idea Dei & inevitabili *æternæ hujus & immenſæ* amplitudinis *obtutu ſimul conſideratis, mirâ firmitudine corroboratur. Nec mirari quiſquam debet dum* præſentiam eſſentiæ *tam certo mentis intuitu deprehendimus, quòd* vitam *etiam* Divinam *ſimiliter non deprehendamus, influxúmve percipiamus æternæ Bonitatis ac Sapientiæ. Hic enim intuitus viſio* naturalis *non eſſet ſed potiùs* ſupernaturalis & beatifica. *Sat interim habemus, quòd earum vitalium perfectionum effecta in externis Naturæ Phænomenis contemplamur, memores ſemper ea omnia eſſe poſſe & non eſſe, præſtò autem ubique eſſe* τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον, *quod non poſſe non eſſe clarè & neceſſariò experimur, valdéq; falsò ac imperitè à veteribus appellatum fuiſſe* τὸ κενὸν, *ſi merum* vacuum *per iſtam vocem intellexerint, & non potiùs* κενὸν τοῦ σώματος, *quod idem ſonare poteſt quod* ἀσώματον, i. e. Incorporeum. *Qualem omnes Deum Optimum Maximum agnoſcimus.*

Ad hunc ferè modum Philoſophaturi fuiſſemus in ſecunda parte Enchiridii *circa exiſtentiam Divinam, & nonnihil fortè addituri de* Triunitate *Divini Numinis, quatenus rationi humanæ innoteſcere videatur. Cùm verò* Myſterium Pietatis *Latinè jam extet ubi ſatìs diſtinctè ea de re diſſeruimus ex mente* Platonicorum, *multa hìc ſuperaddidiſſe ſupervacaneum fuiſſet. Cæterùm hìc monere non omittam* Triunitatem *Deitatis adeò rationi non eſſe contrariam ut acutus ille vir* * Julius Scaliger *apud ipſum* Ariſtotelem *ſe eam reperiſſe glorietur, & ad hanc ferè rationem apud eundem eſſe deſcriptam.* Deum ſcilicet ſeſe intelligere. Generat igitur ex ſeipſo in ſeipſo ſui ipſius Intellectionem Deus, eodem modo eandem & æqualem ſibi. Quia non intelligit per ſpeciem ſed per ſui ipſius præſentiam. Ergo cùm ſe intellexit Bonum, primum, immenſum, & Intellectionem ejuſdem quoq; modi; ſpirat ergo ipſum Amorem utrique æqualem, æquè reciprocum (ſine ullo recurſu tamen) ab ipſa Intellectione. *Hanc ille Philoſophiam eſſe fingit Divini ſui* Ariſtotelis, *jubétque* Platonicos *tandem deſinere* Platonem *in rebus Divinis ei præferre.*

* De ſubtil. ad Cardan. Exerc. 365. ſect. 3.

Et certè commentum hoc ſive Ariſtotelis *ſive* Scaligeri *videtur ſatìs cautè proſpexiſſe* Unitati *in* Trinitate, *ſed an tres* Hypoſtaſes *(quarum hìc nulla fit mentio & quas tamen profitentur* Platonici *juxtà cum* Chriſtianis) *hinc elicere liceat, haud tam clarè conſtat. Incertum enim eſt primo aſpectu an quicquam amplius hìc intelligatur quàm quòd Deus ſe intelligat*

ligat & diligat, quod & ferociſſimi agnoſcent Antitrinitariorum. *Rogandus igitur hîc eſt* Scaliger, *quando dicit* Deum generare ex ſeipſo in ſe ipſo Intellectionem, *an agnoſcat* Intellectionem *hanc intelligere & percipere ſeipſam putà & Genitorem ſuum; ſin minùs, ſimplex Intellectio eſt, non* Hypoſtaſis. *Nam de formali ratione* Hypoſtaſeos *eſt ut percipiat. Atque hinc eſt quòd animæ noſtræ Intellectio non ſit Hypoſtaſis, quòd Intellectio Animæ nihil percipiat ſed Anima ipſa per Intellectionem. Quòd ſi agnoſcat* Scaliger Intellectionem *hanc intelligere, & percipere Genitorem pariter ac ſeipſam, manifeſtum eſt hanc* Intellectionem *eſſe ipſum* Intellectum *ſive* τοῦ νοῦ Platonicorum *primi ac immenſi Boni Filium. Nam & talem Patrem agnoſcit hæc ipſa Intellectio* Scaligerana. *Pater verò quin Filium percipiat nulla eſt addubitatio. Ex hac igitur conceſſione planè emergunt duæ* Hypoſtaſes Platonicæ, τ' ἀγαθὸν ϗ ὁ Νοῦς, *videamus jam de tertia.*

Ergo, inquit Scaliger, cùm ſe intellexit Bonum, primum, immenſum, & Intellectionem ejuſdem quoque modi, ſpirat ergo ipſum Amorem utrique æqualem, *&c.* ab Intellectione. *Hìc rurſus rogo virum acutum, Amor hic an percipiat id quod amat,* τ' ἀγαθὸν *nempe* ϗ Νοῦν. *Nihil enim dubii eſt quin utrique hujus Amoris ſint objectum. Si non percipiat Objectum, argumento erit hunc* Amorem *nihilo ferè differre ab illo affectu quem anima noſtra concipit erga aliquod Objectum, nec ſatis Fundamenti ſuppetere cui* Trinitas *Divini Numinis ſuperſtruatur, quemadmodum ſuprà monuimus de* Intellectione. *Si verò percipiat objectum ſuum, hic* Amor *reverà tunc erit tertia* Hypoſtaſis & Platonica *ſanè, nempe ipſorum* ψυχὴν, *quam &* οὐρανίαν ἀφροδίτην, cœleſtem Venerem Plotinus *appellat. Eadémque* Juno *eſt ſoror uxórve* Jovis, *hoc eſt,* Divini Intellectûs *quemadmodum idem Philoſophus innuit. Noménque Græcum* Junonis Ἥρα *huc aptiſſimè quadrat, utpote quod* amorem *ſignificat* παρὰ τοῦ ἐρᾷν. Junonem *denique &* Venerem *eandem eſſe id porrò arguit, quòd Aſtronomi eandem ſtellam utroque nomine indigitant.* * Μεθ' ὃν ὁ τοῦ φωσφόρου ὃν Ἀφροδίτης οἱ δὲ τῆς Ἥρας προσαγορεύουσιν. *Ex quibus planè conſtat* Scaligerum *Trinitatem aut nullam aut* Platonicorum, *quibus minùs æquus videtur, ſtabiliviſſe, immò verò quidni dicam, veterum* Cabbaliſtarum? *Quibus, cum* Platonicis *quanta intercedat affinitas, fuſiùs alibi enarro.*

* Ariſtot. de Mundo.

Cùm verò tum apud Platonicos *tum* Chriſtianos *tres in Deitate ſupponantur* Hypoſtaſes, *nec poteſt quid eſſe Hypoſtaſis ſi omni perceptione deſtituatur, nec Hypoſtaſes eſſe poſſint* diſtinctæ *niſi proprias &* diſtinctas *habeant perceptiones, palàm eſt ſingulas trium Hypoſtaſeon perceptiones ſibi proprias ac ſingulas habere, ſed conſenſu ſummo maximéque accurato & neceſſario unitas, adeò ut planè impoſſibile ſit aliàs aliud aut ſentire aut velle; nequid difficultatis oriatur ex diſtinctione Perceptionum.* Et *nè* Unitas *Divinæ Eſſentiæ in hac tam perſpicua ac intelligibili diſtinctione Hypoſtaſeon periclitetur, ſine qua tamen diſtinctione Trinitas nec* Platonica *nec* Chriſtiana *concipi poteſt; (Nam eſſentiam ità unam ſupponere ut unica tantùm in Deitate ſit perceptio, ac ſi Trinitas nihil aliud eſſet niſi Deus ex ſe intelligibilis, Deus ſe intelligens & Deus ſic ſe intellectum amans, tres quidem modi, ſenſu hoc jejuno & frigido, ſed unus Deus ſive una Eſſentia Divina tripliciter ſic modificata & unicâ perceptione pollens, hoc ſanè eſſet Deum profiteri ſimpliciter unum, talémq; quem vel acerrimi Trinitatis impugnatores nunquam negaverint. Ut omittam quàm abſonum ſit ac abſurdum fingere meram* Intelligibilitatem *eſſe Patrem, perinde ac* Intellectionem & Dilectionem *duas meras operationes Filium eſſe & Spiritum ſanctum. Ac denique omnes tres omni perceptione & conſequenter omni ſapientiâ, conſilio, amore, & providentiâ deſtitutas.) Cùm, inquam, Trinitas nec Chriſtiana nec Platonica ſine intelligibili hac Hypoſtaſeon diſtinctione concipi poteſt, videamus tandem quomodo* unitas *Divinæ Eſſentiæ cum ea poſſit conſiſtere.*

Hìc igitur porrò obſervandum eſt, ſumma quæ fingi poteſt in Divina Eſſentia Unitas, *non par eſſe ut à quoquam expectetur, nè alia nulla ſatisfactura ſit niſi quæ planè tollat* Trinitatem. *Sed ſatìs fore, ſi talis relinquatur* Unitas *quâ Divina Eſſentia* Ens *adhuc maneat* Unum per ſe & non per aliud, *ſeu Ens ſimplex & ex nullis partibus conflatum, vel ſubſtantia ſaltem æquè ſimplex ac Anima humana quam omnes unam Eſſentiam ſeu ſubſtantiam uno ore profitentur. Atque his quidem præmiſſis & conceſſis, breviter ex mente* Platonicorum & Cabbaliſtarum Triunitatem *Divini Numinis partim verbis propriis partim ſymbolicis, prout res tulerit, ſic deſcribemus.*

Primam igitur Hypoſtaſin ſupponimus eſſe τ' ἀγαθὸν, *quod &* τὸ ἓν *ob ſimpliciſſimam illius Ideam, dicitur, quam &* Cabbaliſtæ *vocant* Kether, *i. e.* Coronam, *Quòd infinitâ ſuâ cincturâ omnem omninò perfectionem virtualiter & eminenter complectitur. Eſtque quaſi prægnans quædam & fœcunda Benignitas ſpiritualiter palpabilis ac ſubſtantialis & ad inſtar immenſæ cujuſdam & puriſſimæ lucis, quam proinde* Boethius Fontem Boni lucidum *appellat. Hæc eſt hujus Hypoſtaſeos natura propria, quam & ipſa propriâ ſuâ perceptione percipit immenſámq; ſuam fœcunditatem.*

Quamobrem cùm adeò prægnans ſit in hac prima Hypoſtaſi perfectio, utpote quæ τ᾽ἀγαθὸν *ſit omniáq; omnino bona in ſe contineat; ut ex ſimpliciſſima luce omnimodæ colorum varietates oriri ſolent: ità hæc Hypoſtaſis, cùm* τ᾽ἀγαθὸν *ſit ac* τὸ ἓν, *omnes tamen rerum rationes, hoc eſt,* omniformem *quandam* Sapientiam *ſeu* Intellectum *ex ſe & in ſe genuit, quam &* Cabbaliſtæ Cochmah *vocant, ut Chriſtiani &* Sapientiam & Logon, *i. e.* Rationem, *ut quæ primordialis eſt rerum omnium Ratio, atque ob id ipſum* Veritas *appellatur, quia* veritas *cujuſq; rei indè ſit petenda.* Platonici *etiam* λόγον *vocant &* νοῦν, Rationem & Mentem *ſeu* Intellectum. *Etiam* τὸ ὂν, *& ob id ipſum,* τὴν σοφίαν. Ἡ γὰρ ἀληθινὴ σοφία οὐσία, καὶ ἡ ἀληθινὴ οὐσία σοφία· *Verba ſunt* Plotini.

Hæc igitur æterna Sapientia *ſeu* Mens *ſecunda eſt Hypoſtaſis, ac proinde Genitorem ſuum ac ſeipſum Genitum & infinitam utriuſq; perfectionem ac pulchritudinem percipiens, Infinitum ac ineffabile Gaudium ac Amorem ex ſua Patriſq; plenitudine producit non meram quidem operationem aut affectum ſed Hypoſtaſin tertiam, quæ igitur & ſeipſam, & duas alteras ſumma ac inenarrabili cum voluptate percipit. Hanc* Platonici τὴν θείαν ψυχὴν Divinam Animam, *Chriſtiani* Spiritum Sanctum *vel* Æternum Spiritum *vocant.* Ψυχὴ *verò &* πνεῦμα Anima & Spiritus, *quantùm ad rationem ſignificationémq; Nominis, univerſa* halitum *ſeu* ſpirationem *innuunt: quantùm verò ad rem ipſam* vitam *ac* deſiderium, (ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, *Johan.* 1. 4. In logo erat vita ſive ſpiritus) *aliunde perficiendum denotant ac promptitudinem alia perficiendi. Cujus rei præſtò eſt Imago, Anima ſcilicet humana, quæ dum corpus perficit, eſt tamen flamma quaſi quædam immaterialis,* πῦρ ἄϋλον *varias eáſque gratas ſenſationes aliunde hauriens.* Platonicóſque *Animam Divinam* cœleſtem Venerem *appellâſſe ſuprà monuimus, ipſóſque Chriſtianos* Spiritum *per Amorem indigitare.* Amor *autem accipit ab* Amato. *Unde hæc tertia Hypoſtaſis apud* Cabbaliſtas Binah *dicitur, ut ſecunda* Cochmah, *illáque* σύνεσιν *propriè ut hæc* σοφίαν *ſignificat. Quanquam non diffiteor quin* Binah *ad* Banah *etiam alludere poſſit, quod eſt condere, cùm & ſacra Oracula &* Platonici *tertiam Hypoſtaſin Mundi conditricem ſpeciali modo deſcribant. Sed eò uſq; deſcendere hoc in loco nihil opus eſt.*

Spero, ſatìs jam liquere quàm diſtinctè Divina Trinitas *concipi poſſit dum hujuſmodi veras Hypoſtaſes ſupponimus. Supereſt ut* Unitatem *Deitatis cum perſpicua hac Hypoſtaſeon* diſtinctione *conciliemus, ut Deus interim maneat* Ens *verè* unum per ſe, *Divináq; Eſſentia perinde propriè una ſit ac Anima humana ſpiritúſve Angelicus ſit unus.*

Sic verò eſſe ex hoc manifeſtum eſt, quòd prima Hypoſtaſis non ſolùm immediatè ac neceſſariò gignit ſecundam, ſecundáq; immediatè & neceſſariò producit tertiam; ſed & pari planè neceſſitate unitionis ac nexûs ſecundæ cum prima, & tertiæ cum ſecunda, atque quâ facultates Animæ cum ipſa anima uniuntur, quas impoſſibile eſt ab ipſa ſeparari; vel quâ Plaſtica & Perceptiva *in ſpiritibus humanis & Angelicis connectuntur. Quod fit ratione ac naturâ immediatâ ac immutabili iſtinſmodi ſubſtantiarum, quatenus ſpiritus ſunt ac proinde Entia una per ſe & non per aliud. Unde conſtat eas prorſus eſſe indiviſibiles. Hinc igitur liquidò conſtat diſtinctionem Hypoſtaſeon non excludere veram ac realem Unitatem* Eſſentiæ Divinæ, *non magìs ſanè quàm diſtinctio Animæ ac ſuarum facultatum, minùs verò quàm* Perceptiva & Plaſtica *in Anima, unitatem Eſſentiæ Animæ excludunt. Nam æquè arcta neceſſaria ac eſſentialis unitas eſt inter tres Hypoſtaſes, infinitóq; magìs adæquata quàm inter* Plaſticam *ac* Perceptivam *in Anima. Et tamen unitas Animæ eſt, quoad Eſſentiam profectò, perfectiſſima. Atque hinc manifeſtò apparet, etiam juxta hanc* Cabbaliſtarum Platonicorúmq; *deſcriptionem, Divinam Eſſentiam modo maximè proprio & perfecto, unam eſſe, Trinitatémq; omninò* individuam.

Nullam autem unitatem niſi ſummam *ac* ſimpliciſſimam *Divinæ Naturæ competere poſſe inſomnium eſt vel potiùs delirium Ingeniorum quorundam Metaphyſicorum aridorum profectò & jejunorum, qui ſingula in Deo ad nullam attendendo menſuram in abſolutiſſimam infinitatem cenſent extendi oportere. Quo tamen nihil magìs inſulſum eſſe poteſt atq; abſonum. Cùm proculdubio eatenus duntaxat extendi debeat ſingulorum Attributorum Divinorum ratio, quatenus conſiſtat cum* Divina Perfectione. *Alioqui Unitas, putà, ſumma ac abſolutiſſima non ſolùm Hypoſtaſes tolleret ſed & Attributa reliqua omnia Divina, nec ſapiens eſſet Deus, nec bonus, nec juſtus, nè ob iſtam Attributorum pluralitatem indè non ſatìs videretur unus. Eſt igitur quædam etiam Divinorum Attributorum* Symmetria, *quorum menſura eſt,* perfectio Deitatis. *Cui ſi obeſt cujuſvis particularis Attributi in nimiam infinitatem productio, ad hanc menſuram revocanda eſt, nè fraus ulla fiat Divinæ pulchritudini* *ac perfectioni. Tantum autem abeſt ut ſumma ac abſolutiſſima unitas ullam perfectionem ſpiret, ut palàm ſit eam ſummæ perfectioni prorſus repugnare, cùm omnia alia Attributa tollat præter ſeipſam.* Eadémq; *eſt ratio de* Identitate. *Sed nolo in re tam perſpicua nimiùm immorari. Ex his abunde conſtat ſi talis unitas in Deitate agnoſcatur quæ augeat aut ſaltem non diminuat Divinam perfectionem & cum diſtinctione interim Hypoſtaſeon conſiſtat, hanc eam ipſiſſimam eſſe Divinæ Eſſentiæ unitatem cui meritò ſuffragari debet humana ratio, & hujuſmodi Trinitatis deſcriptionem omni alii, ubi Unitas Divinitatis ejuſdémve Trinitas periclitetur, eſſe præferendam.*

Trinitatis Platonicæ & Ariſtotelicæ collatio.

Quantum verò ad deſcriptionem Trinitatis Platonicam *&* Ariſtotelicam, *utra utri præſtet, poſt brevem collationem facilè intelligemus. Neque enim omittere poſſumus quin notemus quibus potiſſimùm conſentiant.*

Primùm igitur, Ariſtotelica *ſive* Scaligerana *Trinitatis deſcriptio Deum unum ſimpliciſſimum agnoſcit, quod idem facit* Platonica. *Deum enim agnoſcit* Ens *unum per ſe & non per aliud, quod eſt agnoſcere* Eſſentiam *ejus eſſe ſimpliciſſimam.*

Deinde, Deum intelligere ſeipſum non quidem per ſpeciem *ſed per* ſui ipſius præſentiam. *Quod & ſupponit deſcriptio* Platonica, *nempe perceptiones omnium trium Hypoſtaſeon fieri per* αὐτοπαρουσίαν τοῦ πράγματος, *non per operationem excitationémve* ſpeciei. *Quod tamen non fieret niſi tres eſſent Hypoſtaſes. Unde patet diſtinctionem Hypoſtaſeon ad Divinam perfectionem ſpectare. Omnis vita creata concipit & percipit in ſe* ſpecies *tantùm. Divina verò & increata, reales etiam* Hypoſtaſes, *earúmq;* αὐτοπαρουσίᾳ *æterna omnia perſentiſcit.*

Tertiò, Scaligerana *hæc deſcriptio tres diſſimiles Trinitatis characteres notat, primum* Bonum *appellans, alterum,* Intellectionem, *tertium,* Amorem. *Qua in re adeò conſentit Platonicæ ut eiſdem ferè appellationibus utatur, niſi quòd* Intellectum *vel* Mentem *Platonica* ſecundum *potiùs vocitet, quàm* Intellectionem. *Quæ vox malè hîc ſonat, ac ſi ſecundum,* operatio *potiùs eſſet, quàm* Hypoſtaſis.

Quartò, Deus cùm ſeſe intelligat, eundem eſſe intelligentem & eum qui intelligitur, eundem, *inquit* Scaliger, & æqualem; *pariq; ratione apud ipſum ſtatuendum eſt, cùm Deus amet ſeipſum, eundem eſſe amantem & eum qui amatur, eundem ſanè & æqualem. Verùm quod ſuprà notavi de* Unitate, *idem hîc de* Identitate *&* Æqualitate *notandum eſt, talem ſcilicet intelligi oportere quæ* Trinitatem *non tollit, quam ſumma, quæ fingi poteſt,* Identitas & æqualitas *planè tolleret. Omnem enim Hypoſtaſeon diſtinctionem & ordinem ac relationem funditùs deleret, nec ſolummodò Hypoſtaſeon ſed & ipſorum Attributorum Divinorum; inter quæ planè agnoſci debet ordo quidam ac diverſitas. Nec ulli tamen obſtaculo eſt quo minùs ſingula ſint infinita ac proinde æqualia. Ex hujuſmodi verò ordine ac diverſitate inter Hypoſtaſes,* inæqualitatem *concludere perinde eſſet, ac ſi quis* Attributa Divina *inter ſe committeret, nullámq; eorum eſſe contenderet diverſitatem, nè aliqua indè ſequeretur inæqualitas & ex inæqualitate imperfectio aliqua in Deo. Quæ nemo non videt pura puta eſſe Sophiſmata.*

Deus igitur cùm ſe intelligit, cùm ſe amat, eundem eſſe intelligentem & eum qui intelligitur, eundem amantem & qui amatur, & planè æqualem, Platonica *etiam agnoſcit deſcriptio, ſed non ſummam quæ fingi poteſt* Identitatem *& æqualitatem. Nam palàm eſt utrobiq; diſſimiles eſſe Hypoſtaſeon characteres, ordinémq; neceſſarium.*

Quòd verò hîc Platonicos *fingit* Scaliger ψυχὴν *reliquis duabus Hypoſtaſibus longè facere inferiorem, immanis eſt error, ex eo ortus, quòd non ſatìs obſervaverit eos duplicem agnoviſſe animam,* Divinam *unam, alteram* Mundanam, *quemadmodum ſuprà notavi ex* Plotino. Mundana *illa Anima quamvis rationalis longè profectò inferior eſſet, ſi qua eſſet, quàm* τ'ἀγαθὸν *&* νοῦς, *Mundúmq; actuans* μέγαν δαίμονα *tantummodò ſe præſtaret, quemadmodum loquitur* Plotinus. Ἡ δ' ψυχὴ χωριστὴ *(quæ eſt tertia Hypoſtaſis)* θεός, *inquit idem Philoſophus. Quæ proinde æquè æqualis eſt reliquis Hypoſtaſibus, atq;* Amor *apud* Scaligerum Intellectioni *& immenſo ſummóve* Bono. *Quæ ea ipſa Trinitas eſt quam ille agnoſcit ex mente* Ariſtotelis.

Quintò deniq; cùm Scaliger *expoſcit ut Immenſum hoc Bonum, Intellectio & Amor ſint coæva vel potiùs coæterna, id neceſſariò fit in Trinitate* Platonica, *quemadmodum facilè demonſtrari poteſt ex ſuprà propoſita deſcriptione. Nam* τ'ἀγαθὸν *immediatè ac neceſſariò gignit* τὸν νοῦν, *& ex hiſce utriſq; æquè neceſſariò promanat* ἡ ψυχή.

Atque in his quinq; planè conſentiunt Trinitas Platonica *ſive* Cabbaliſtica, *&* Ariſtotelica. *Cùm verò adeò ſibi caveat à voce Hypoſtaſeos* Scaliger, *vereor ſanè ut putaverit tres hujuſmodi Hypoſtaſes ex mente* Ariſtotelis *ſtabiliri poſſe. Quæ tamen ſi non ſtabiliantur, actum eſt de Trinitate, quemadmodum ſuprà notavi. Breviter igitur, ſi Trinitas* Ariſtotelica *ſupponit tres hujuſmodi Hypoſtaſes, tum per omnia ferè conſentiunt* Platonica *Trinitas &* Ariſtotelica; *ſi verò non ſupponat, palàm eſt* Platonicam *Trinitatis deſcriptionem* Ariſtotelicæ eſſe præferendam, quippe quæ non ſolùm veritati Chriſtianæ magìs conſentanea eſt, ſed & Divini Numinis perfectionem magìs illuſtrat.

Nam cùm multi iiq; docti viri ſe in anima humana quandam Divinæ Trinitatis Imaginem contemplari ſibi perſuasêre, ponentes animam ſilentio & tenebris quaſi clauſam, hoc eſt, conſideratam tanquam nondum actu ſeipſam, quidquámve aliud intelligentem pro prima Hypoſtaſi, Intellectionem verò ſui actualem pro ſecunda, Amorem deniq; ſui ſic intellectæ pro tertia: Hoc certè Deitatis videtur divinum prorſus privilegium, ut quod in Anima ſit ſilentium & tenebræ, i. e. caliginoſa quædam Potentialitas, in Divino Numine ſit perfectiſſima vita pleniſſimáq; ac puriſſima Lux, Deúſq; Pater minimè omnium ſit vallis tenebrarum, quemadmodum nimis profectò temerè pronunciavit Philoſophus Teutonicus. Cúmq; Anima ſeipſam ſuámve ſapientiam non niſi ſucceſſivè ac per partes depromere poteſt & per meram operationem excitationémve ſpeciei, prima Hypoſtaſis omniformem ſuam Sapientiam non ſolùm ſimul depromit, ſed nec etiam tanquam Speciem operationémve omniformem ſed veram Hypoſtaſin. Hæcq; altera Hypoſtaſis per αὐτοπαρουσίαν τοῦ πράγματος, ſuam patriſq; pulchritudinem percipiens, non affectionem aliquam ſpeciémve affectuoſam ſed ejuſmodi Hypoſtaſin producit cujus peculiaris character ſit Amor. Eſtq; hoc præcellentiſſimum Divinæ perfectionis Privilegium, ut quod in Creaturis Intellectualibus ſit ſpecies, aut operatio, illìc ſit permanens quædam æterna ac immutabilis Hypoſtaſis. Quod certè minùs mirari debemus cùm totus Mundus nihil aliud ſit niſi conceptus Divinus extrorſum vergens ſive λόγος προφορικὸς Dei.

Cùm igitur ità comparata ſit Divina natura ut conceptus illius extrorſum vergentes, veræ, ſi velit, fiant ſubſtantiæ, recta profectò ratio nobis facilè perſuadebit, cùm res omnes Mundanæ umbræ ſint, ſi cum theſauris Divinitatis conferantur, fieri non poſſe quin conceptus omniformis Sapientiæ neceſſarius ac immanens, Amoríſq; pulchritudinis Divinæ in Deitate, veræ ac reales ſint Hypoſtaſes æternúmq; firmæ ac neceſſariæ. Adeò ut qui tam elato cum ſupercilio doctrinam Triunitatis Divinæ explodunt, faſtuoſam quandam ignorantiam fovere meritò videri poſſint, nec eas veritates, quarum etiam humana Ratio capax ſit, hactenùs aſſecuti.

Hæc horúmve haud diſſimilia in hac ſecunda parte Enchiridii valde veriſimile eſt me dicturum fuiſſe de Divini Numinis Triunitate quatenus humanis facultatibus innoteſcat. Quæ, tametſi haud ſatìs ſciam an uſquequaq; Theologiæ Scholaſticæ congruant, certiſſimum tamen eſt & ſacris Oraculis abunde conſentanea eſſe, & Symbolis quidem tum Niceno tum Athanaſiano neutiquam repugnare. Nec quicquam de Divina Trinitate aut à me aut à quoquam alio ſcriptum tanquam verum credi velim, quod communi Eccleſiæ verè Catholicæ ac Apoſtolicæ Fidei quovis modo contrarietur.

Deniq; quantùm ad Attributa ac Providentiam Divinam, de utriſq; diſſero in Dialogis Divinis. Et ſi quid de iſtis additurus fuiſſem in ſecunda hac parte quod non occurrit in iſtis Dialogis, occaſio dabitur addendi in Scholiis. Hîc interim fortean opportunum erit monere, cùm ſint qui putant Platonicam Triadem tria eſſe tantùm Divina Attributa, Bonitatem ſcilicet, Sapientiam & Amorem, quippe qui nullum diſcrimen inter tria hujuſmodi Attributa ac tres Platonicorum Hypoſtaſes reperiant, manifeſtum eſſe rem multò ſecùs ſe habere ex ſuprà propoſita harum Hypoſtaſeon deſcriptione, cùm ſingulæ propriam ſuam perceptionem habeant, Modi verò & Attributa nuſquam percipiant.

Ad tertiam & ultimam Enchiridii partem quod attinet; Quandoquidem ſatìs multa in Tractatu de Animæ Immortalitate tum de Animabus humanis tum de Geniis inſuper Angeliſve in tertia præſertim illius Tractatûs parte diſſeruerimus, nec non in libro ultimo Antidoti adversùs Atheiſmum, parum profectò occaſionis ſe oblaturum fuiſſet quicquam porrò addendi. Si quid verò fortè occurrerit, in Scholiis dictorum Tractatuum opportunè ejus fieri poteſt mentio.

FINIS.

PHILO-

PHILOSOPHEMATUM
ERUDITI AUTHORIS
Difficilium Nugarum
DE
PRINCIPIIS MOTUUM NATURALIUM,
SIVE DE
ESSENTIIS MEDIIS
ET DE MODO
Rarefactionis & Condenſationis,
EXAMINATIO.
Cum Reſponſione ad Ejuſdem Objectiones Quæſtioneſve
CIRCA
PRINCIPIUM HYLARCHICUM
SIVE
SPIRITUM NATURÆ.

Per *H. M.* CANTABRIGIENSEM.

Plutarch.
Πᾶν τὸ κινέμενον ἢ αὐτὸ κινεῖν ἢ ὑφ᾽ ἑτέρου πάσχειν πέφυκεν.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

PHILOSOPHEMATUM
DE
PRINCIPIIS MOTUUM NATURALIUM,
SIVE DE
ESSENTIIS MEDIIS, &c.
EXAMINATIO, &c.

1. Examinationis *ſcopus & occaſio.* 2. Eruditum Authorem *D. N. motûs omnium corporum Naturalium, præterquam Humani, principium facere* Eſſentiam Mediam; *ſive aliquid quod nec* Subſtantia *ſit nec* Accidens. 3. *Hujus* Eſſentiæ Mediæ *Deſcriptio & Diſtributio.* 4. *Quibus in rebus* Eſſentiæ *hæ* Mediæ *Materiæ præcellant.* 5. *Quibus in rebus à Materia ſuperentur.* 6. *Opinionem* eruditi Authoris *ſolius* Helmontii *autoritati inniti, niſi fortè addat abſurdum eſſe Animas Brutorum aut* Subſtantias *eſſe aut* Accidentia, *id quod Hominem prudentem opinari minimè dedeceat.* 7. *Revera tamen magìs conſentaneum eſſe, Animas Brutorum eſſe* Subſtantias, *quàm ullas hujuſmodi* Eſſentias Medias *exiſtere: Undèque* Helmontius *in hoc Paradoxon inciderit.* 8. Mediarum Eſſentiarum *exiſtentia quintuplici argumento confutata.* 9. *Modus* Rarefactionis *&* Condenſationis, Epicureus, Carteſianus, *&* Ariſtotelicus. 10. *Objectiones magìs generales* eruditi Authoris *D. N. contra* modum *Rarefactionis & Condenſationis* Carteſianum. 11. *Objectiones ex* ipſis Phænomenis *Rarefactionis & Condenſationis petitæ.* 12. *Reſponſa ad priores.* 13. *Reſponſa ad poſteriores.* 14. *Argumenta ab* erudito Authore, *pro poſſibilitate aut probabilitate* Modi *Rarefactionis & Condenſationis* Ariſtotelici, *allata.* 15. *Reſponſio ad prædicta Argumenta.* 16. *Novem Objectiones Quæſtionéſve ab* erudito Authore *contra* Spiritum Naturæ *propoſitæ.* 17. *Reſponſa ad eaſdem.* 18. *Suppoſitionis* Spiritûs Naturæ *utilitas, & cur* Generalis *hæc* Examinatio Adnotamentis *ſit præfixa.*

1. CUm multa acutè dicta ſint & ingenioſè excogitata ab erudito *Difficilium Nugarum* Authore in ſuis *Obſervationibus circa Principia Motuum Naturalium*, quibus *Adnotamentorum* meorum vim eludere nervóſq; ſuccidere conatur, quæq; *Reſponſo* ſuo ad *Adnotamenta* mea præſtruxit & tanquam Caſtellum quoddam erexit, quò ſe ſubinde inter reſpondendum recepturus ſit méve ipſum quaſi captivum abducturus, è re fore putavi hoc ipſum caſtellum quàm firmum ſit & munitum primùm experiri. Quamobrem potiſſima quæq; & quæ maximè ad rem quæ præ manibus eſt faciant, in medium proferam, omnémq; vim quâ ipſa præmuniverit, quàm fideliſſimè quámq; breviſſimè potero Lectoris ante oculos *Latinè* exponam, penéſque ipſum judicium erit, illiúſne *Principia* & *Objectiones*, an verò *Examinatio* Reſponſionéſq; meæ, Rationi ſint magìs conſentaneæ.

2. Tria verò omnino ſunt circa quæ *Examinatio* hæc noſtra verſabitur; Primum eſt *Principium motûs corporum Naturalium internum*, Alterum, *Modus Rarefactionis & Condenſationis*. Tertium, *Objectiones Quæſtionéſve circa Spiritum Naturæ.* Hiſce enim tribus illius Diſſertatio (cui Titulus eſt, *Obſervationes circa Principia Motuum Naturalium; ac potiſſimùm circa Rarefactionem & Condenſationem*) tota ferè inſumitur.

Quantùm ad primum, Eruditi Authoris opinio hæc eſt, Principium nempe Motûs internum in omnibus corporibus Naturalibus, excepto ſolo corpore humano, *Subſtantiam* quidem non eſſe, nec tamen *Accidens*, ſed *Eſſentiam* quandam *Mediam* inter Accidens & Subſtantiam, antiquámque illam rerum creatarum bipartitionem in *Subſtantiam* & *Accidens* nimis anguſtam eſſe ſtatuit atque mutilam, quippe cui tertium membrum deeſt. Diviſionem igitur rerum creatarum, ſecundùm eruditi Authoris ſententiam tripartitò fieri oportet ad hunc modum. Rerum creatarum aliæ ſunt *Subſtantiæ*, aliæ *Accidentia*, aliæ nec Subſtantiæ nec Accidentia ſed *Eſſentiæ* quædam *Mediæ*. Vox enim *Eſſentiæ* ad quamlibet Entitatem Naturámve, ſive Subſtantia ſive Accidens ſive quicquid aliud reale ſit, ſignificandam extenditur.

3. Hanc *Eſſentiam Mediam*, *Vim* ſive *Virtutem Activam* appellat, ſine qua Materiam ſtupidam torpidámq; & ſine omni motu agnoſcit. Harum verò *Virtutum Activarum* duo præcipuè genera facit, unum ſcilicet, quæ *Vires* ejuſmodi ſint *Virtuté*ſve *Eſſentiales*, quæ *Vitales ſubſtantialé*ſve *Formas conſtituant*; ut *Vis ſentiens* & *animalis*, quæ ſit Forma *Animalium*. *Vis vegetans* & *Vitalis*, quæ ſit Forma *Vegetabilium*. *Vis combuſtiva* & calefactiva, quæ ſit Forma *Ignis*. *Vis attractiva*, *directiva*, & *communicativa*, quæ ſit Forma corporum *Magneticorum*. Alterum verò genus ſunt *Qualitates Activæ*, quarum duo tantùm exempla profert, *Calorem* & *Gravitatem*.

4. Hoc verò Privilegium eſſe ſtatuit ac præcellentiam harum *Mediarum Eſſentiarum* præ Materia Subſtantiâve cui inſint, quòd ſunt *immediata*, *vitalia* ac *moventia Principia*, quæ *vitam* quandam ac *motum* Subjecto impertiunt in quo exiſtunt, quod alioquin ex ſeipſo omni vitâ motúve deſtitueretur. Præterea nullam eſſe exoleſcentiam aut interitum naturalemve Terminationem harum *Virium* ſive *Energiarum Eſſentialium* niſi ex defectu aut diſſolutione *Materialis*, quam vocat, Hypoſtaſeos ſive immediati Subjecti in quo ſunt.

5. *Eſſentias* verò has *Medias*, ex aliquibus rationibus, inferiores eſſe *Materiâ*, & ad *Accidentium* naturam propiùs accedere; Primò, quòd neceſſariò, ſecundùm Leges Naturæ communes, *Materialem Hypoſtaſin* ſive Subjectum, in quo exiſtant, requirant. Deinde cum nulla Materiæ portio, niſi per Divinam Omnipotentiam annihilari poſſit, *Vires* hæ *Eſſentiales*, quantùm ad Individua, ad diſſipationem ſive diſſolutionem neceſſariæ *Hypoſtaſeos*, ſive *Subjecti* ſuæ *Inexiſtentiæ*, prorſus extinguuntur. Atque hinc conſtare Animas Brutorum, Formáſq; Vegetabilium cæterarúmq; rerum omnium Naturalium (humanâ Animâ ſolâ exceptâ) eſſe mortales, & Subjecto ſoluto, penitus perire. Hæc eſt opinionis viri eruditi ſuper hac re, brevis fideliſq; deſcriptio.

6. Quod verò ad argumenta attinet, quibus ſententiam ſuam ſtabilire poſſit, equidem præter autoritatem *Helmontii* invenio ab illo allata nulla: Niſi id argumenti loco habendum ſit, Quòd Materia *motûs* omnis *vitæ*que ex ſe incapax ſit, ac proinde Brutorum Animæ nequeant ullæ eſſe Materiæ Modificationes nec *Mechanicæ* nec *Vitales*. Atque hac in re uterq; convenimus. Cùm verò ſubſtantiæ eſſe nequeant & tamen ſimul ad diſſolutionem corporis perire, quod tam multi adeò efflictim fieri cupiunt, & abſurdum ſit *Materiam* à meris *Accidentibus* actuari, aut accidens quid eſſe, niſi modum ex ipſa ſubſtantia ſubjectóve elicitum factúmve (cujuſmodi ſunt Motus Figuráve quos ciemus formamúſve in Materia, taléſq; ſunt (modi utique) ſive Materia ipſa eos in ſe excitet, (quod tamen facere nequit, juxta ipſius Autoris ſententiam) ſive in ea ab alio excitentur) hinc etiam liquet nec *Accidentia* eſſe poſſe. Relinquitur igitur ut *Mediæ Eſſentiæ* ſint, inter *Accidens* & *Subſtantiam*. Cúmq; hæ Mediæ Eſſentiæ tam manifeſtò appareant in Brutis, omníſq; Materia iners ex ſe ſit ac ſtupida, facilè ad omnem Materiam (infra corpus humanum) ubi vita motúſq; reperitur, extendi poſſunt. Atque indè, quod caput rei, nihil neceſſe erit ad monſtrum illud in Philoſophia, Principium *Hylarchicum* ſive *Spiritum Naturæ* in explicandis Naturæ Phænomenis confugere. Atque hæc quidem fateor talia ſunt quæ Hominem prudentem atque ſobrium apud ſe commentari minimè dedeceat.

7. Cæterùm, ſi quis rem penitiùs introſpicere velit, ſepoſito omni præjudicio, reperiet proculdubio hanc *Hypotheſin* à ſeveriori Ratione, ſaniorique Philoſophia nimis alienam. Impendióque magis conſentaneum eſſe ut Animas Brutorum Subſtantias eſſe incorporeas admittamus, quàm ullas iſtiuſmodi *medias Eſſentias* exiſtere. Nihil enim abſurdi ſubeſt in admittendo Animas Brutorum ſubſtantias eſſe nec perire cum corpore, cùm nec ipſa materia corporis pereat, nec Anima Bruti ſuperſtes, vitæ immortalis capax ſit, quippe quæ nec Intellectu nec Religionis ſenſu ſit prædita. Cui ſcrupulo eximendo cùm aliàs ſatisfecerim, nihil opus eſt hic ei rei diutiùs immorari.

Quod verò ad *Helmontii* autoritatem attinet, quanquam profectò multa præclara habet & acuta ad Medicinam præſertim ac Chymiam ſpectantia, celari tamen non poteſt quin aliquando nimiùm quantum indulgeat imaginationibus. Videtur autem mihi ex contemplatione naturæ Ignis potiſſimum in hoc Paradoxon incidiſſe. Etenim cùm animadvertiſſet Ignem in Ferro candenti omnes proprietates Ignis habere, & Ferrum adhuc manere Ferrum, nec duas *Subſtantiales* formas uni eidémque ſubjecto ineſſe poſſe autumaret, colligit ſtatim, Formam Ignis non eſſe Subſtantiam. Dein, poſtquam obſervaverat eundem Ignem multarum proprietatum eſſe Subjectum, ut calefaciendi, exſiccandi, illuminandi, *&c.* nec Accidens eſſe confeſtim ſtatuit, quippe quòd alia Accidentia ſpecie varia in ſe haberet. Quæ quidem Argumentatio quanquam aliquam ſanè acuminis ſpeciem præ ſe gerit, parum tamen profectò habet ſoliditatis, cùm utraq; ſuppoſitio vacillet. Duas enim formas ſubſtantiales eidem ſubjecto ineſſe poſſe & in idem agere planè conſtat in aliquibus Dæmoniacis quorum corpora Spiritus Dæmonis perinde atque proprius Spiritus ad aliquod tempus actuat. Illúdq; Accidens ſive Modus Animæ humanæ qui appetitus dicitur, varias ſpecies appetendi in ſe continet. Ut taceam neminem ferè nunc dierum, qui rebus Philoſophicis operam dederit, quin ſtatim agniturus ſit ipſam materiam Ferri eſſe ſubjectum hujus ignitionis, talémq; eſſe partium Ferri motum; adeò ut nihil neceſſe ſit ad Formas ullas ſubſtantiales hîc recurrere præter Materiam ipſam modificatam. Materiam verò quippe ſubſtantiam, varias operationes pariter ac modificationes habere poſſe in confeſſo eſt apud ipſum *Helmontium.* Ego verò hìc addo etiam *Spiritum Naturæ* omnibus iſtis locis ſubeſſe poſſe ubi *formas ſubſtantiales* vulgo fingunt quæ infra Animas humanas ſint & Brutorum. Quidquid autem de *Spiritu Naturæ* fiat, manifeſtum eſt interim, nullam omnino occurrere rationem cur *Eſſentias* haſce *Medias* quiſquam admittat.

8. Cur autem non ſint admittendæ, Rationes non paucæ nec eæ quidem contemnendæ ſuppetunt, ut primò, Videtur mira quædam ἀσυςασία ac repugnantia ipſi Nomini & Notioni *Eſſentiæ Mediæ* ineſſe. Etenim cùm *Vis* ſive *Virtus activa* appelletur ab Authore, nec tamen vis virtúſve ſit Materiæ quâ illa agit, ſed vis aliqua quæ agit in ipſam, manifeſtum eſt, ſubjectum aliquod eſſe præter Materiam cui hæc vis virtúſve tanquam modus illius inſit; ſin minùs, hæc vis movendi æquè abſurdè extra ſubjectum fingitur atque motus ipſe, quem nemo fingere poteſt extra ſubjectum mobile cujus ſit accidens, nec vim hanc extra ſubjectum è quo emanet, ut facultates ex anima. Quòd ſi ſubjectum habeat præter Materiam ex quo emanet & cujus ſit modus, manifeſtum eſt illud *ſubjectum* eſſe *ſubſtantiam* à Deo ſolo dependentem, quippe quæ è Materia non emanaverit ſed à Deo, nec minùs eſſe ſubſtantiam, quàm aliæ creatæ ſubſtantiæ, ex eo quòd à Deo dependet. Cùm igitur hæc *vis* ſubjecti cujuſdam *vis* ſit ac *modus* à Materia realiter diſtincti, certè eam fingere ad diſſolutionem *Materialis Hypoſtaſeos* abolitum iri, valdè eſt incongruum. Nam ſi propter diſſolutionem dictæ *Hypoſtaſeos* penitùs perit, planè *Accidens* eſt contra Hypotheſin: At ſi tantùm ex voluntate Divina perit, palàm eſt eſſe *ſubſtantiam.* Nam ſic & Anima humana & Materia & res quælibet creata perire poteſt ſive annihilari: Atque ſic non *Eſſentiam Mediam* inter Accidens & Subſtantiam, ſed alterutrum eorum eſſe oportet. Eſſentiam autem Mediam figmentum eſſe ἀσύςατον. Ut verò Deus datâ operâ ſtatuerit ſubjecta harum virtutum activarum, ad diſſolutionem ſingularum Hypoſtaſeon materialium penitus perire, cùm interim, ſi permanerent, vicibus ſuis iterum fungi poſſent in actuando Materiam eámque in hanc vel illam ſpeciem viſibilem reducendo, non eſt Rationi conſentaneum.

Secundò, cùm eruditus Author has *medias Eſſentias* ad diſſolutionem ſingularum *Hypoſtaſeon Materialium* penitùs interire ſupponat, cúmque ex prædictis ſatis pateat, eas ſubjecta quædam eſſe vel rectiùs ſubſtantias ab omni Materia realiter diſtinctas; equidem in rerum generationibus aut à Deo eas creari oportet, aut à cauſa aliqua creata, quorum utrumque abſurdum. Prius, quia facit Divinum Numen Telam *Penelopes* quaſi texere & retexere. Formas nempe eſſentiales datâ operâ annihilare (quas tamen niſi annihilâſſet eiſdem uſibus inſervire denuo poſſent) ut novas poſtmodùm nihilo meliores creet. Poſterius, quòd plus potentiæ Creaturæ tribuat quàm ipſi competat, nempe creandi facultatem, & niſi annihilandi etiam, minus quàm par eſt Bonitatis, Deo, qui tanquam *Apollyon* quidam fingitur datâ operâ eas Formas annihilare quas Creatura creat. Et creat ſanè cùm non ex Materia producat ſed in Materia tantùm. Unde multo conſultius eſt ſtatuere, eas quas Deus primùm creavit ſemper permanere; cúmq; omnis Materia ex ſeipſa iners ſit & ſine motu atque vita nec ulla Materia informis motúque omni deſtituta, Eum initiò aliquod *Univerſale Vitæ* atque *Motûs Principium* creâſſe, quod omnes partes Materiæ percurrat, & aliquibus ſaltem rudimentis vitæ atque motûs imbuat atque præparet & in ſimpliciori aliqua ſpecie conſtituat, donec aut magis particularis *Idea* hujus *Principii Vitalis* in Plantam aliquam, aut Anima aliqua, diſtincta ab hoc Principio, in ſpeciem aliquam Animalem converterit. Solas enim Animas Hominum ac Brutorum Formas ſubſtantiales à *Spiritu Naturæ* diſtinctas eſſe cenſeo; Reliquas omnes Materiæ ſpecificas, quæ finguntur, varietates, ex *Spiritu Naturæ* oriri. Atque hinc verum eſſe ortum omnium iſtiuſmodi Formarum, vel potiùs unum eſſe λόγον σπερματικὸν, qui omnes iſtas viſibiles ſpecies ſenſibus noſtris exhibet.

Tertiò, Quanquam nolo cum doctiſſimo *Gliſſonio* (in Tractatu *de Natura Subſtantiæ energetica*) ſubſtantiam aſſerere, quatenus ſubſtantia eſt, perceptione, appetitu, & motu ex ſe præditam eſſe; id tamen Rationi maximè conſentaneum eſſe exiſtimo, ut quicquid ex ſe percipit, appetit ac movetur, idem etiam ſit ſubſtantia. Neque enim ullam præ ſe fert veriſimilitudinem, ut Radix *nobiliorum* facultatum ignobilior ſit radice *viliorum*. Ac proinde cùm Materia, quæ tam tenuibus ac jejunis proprietatibus imbuta eſt, ſit ſubſtantia; ſubjectum ſenſationis, Imaginationis, immo facultatis tam mirificè organizandi Materiam, multo magis ſubſtantiam eſſe oportet.

Quartò, Cùm Deus, qui ſubſtantia eſt maximè neceſſaria, & quæ non poteſt non eſſe, maximâ pariter gaudeat plenitudine *Vitæ* præſtantiſſimæ etiam à privilegio talis naturæ profectâ, certè ex manifeſta ſequitur analogia, quòd unumquodq; ſubjectum quanto melioribus dotibus ex ſe præditum eſt, tanto, ſi fas ſit ità loqui, ſit *ſubſtantialius*, vel tanto certiùs agnoſcatur ſubſtantia permanens, & quæ, niſi Deus eam annihilare voluerit, ſemper ſit duratura.

Quintò denique, Cùm *Mediæ* hæ *Eſſentiæ* diviſibiles & diſcerpibiles ſupponantur, perinde atque *Materialis Hypoſtaſis* à qua quoad ſuam exiſtentiam ſupponuntur dependere, omnem profectò habent ineptitudinem ad nobiliores iſtas *Vitæ ſenſúſq;* functiones obeundas quam habet Materia ipſa; adeò ut longè probabilius eſſet Materiam ipſam *Vitâ*, *ſenſu* & *perceptione* præditam eſſe cùm ſubſtantia ſit, licèt diviſibilis (quemadmodum vult celeberrimus Medicinæ Profeſſor *Franciſcus Gliſſonius*, quanquam nullus dubito quin ea in re omnino fallatur) quàm ut hæ *Eſſentiæ Mediæ* eis dotibus gaudeant, quippe quæ Subſtantiæ non ſunt, atque inſuper æquè ac Materia Diviſibiles ſunt, ſive Diſcerpibiles. Atque hæc breviter de prima parte Examinationis, quæ eſt circa *Eſſentias Medias*.

9. Pars altera eſt, de modo *Rarefactionis* & *Condenſationis*, quatenus externis ſenſibus apparet. Nam idem corpus dum majus ſpacium occupare videtur ac tenuius evadere, iſta *Rarefactio* dicitur; cùm in minus verò ſpacium contrahi videtur & craſſius denſiúſve evadere, iſta dicitur *Condenſatio*. Cujus quidem *Phænomeni* explicandi ſecundùm *eruditum Authorem* tres ſunt modi, *Epicureus*, *Carteſianus* & *Ariſtotelicus*. *Epicureus* Interſtitia, poroſve vacuos in corpore rarefaciendo, & condenſando ſupponit; partéſq; corporis propiùs conjungi vacuóſq; poros minui in *Condenſatione*, in *Rarefactione* verò contrà fieri. *Carteſianus* poros etiam & Interſtitia admittit ſed non *vacuos*, verùm ſubtiliori aliquâ Materiâ plenos, háncq; ſubtiliorem Materiam in *Condenſatione* elidi exprimíque ut Aqua ex ſpongia, in *Rarefactione* verò majorem copiam intromitti. Ità ut hic Modus *Carteſianus* non eandem Materiam, ſed majorem illius Quantitatem in *Rarefactione*, minorem in *Condenſatione* ſupponat. Modus deniq; *Ariſtotelicus*, quem Author eruditus amplectitur, eandem utrobique Materiam ſupponit, ſed nunc in majus ſpacium extenſam, nunc in minus, ità ut partes Materiæ ſe invicem penetrent.

Primum modum, tum quòd ad noſtram cauſam minùs pertineat, tum etiam, quòd quæ notatu digna videantur, in ſecundo iterum occurſura ſint, lubens prætereo. Cùm verò multa contra Modum *Carteſianum* & quæ virile ingenium & erectum ſapiunt, ab *Erudito Authore* objiciuntur, ea omnia proponenda propoſitáq; diligentiùs examinanda cenſui.

10. Objectiones verò ejus, primùm, ut cauſæ jugulum petat, radicitúſq; dogma hoc *Carteſianum* evellat, contra Atomos fiunt ſive particulas Materiæ *Carteſianas*, quas nullas eſſe contendit, ſed unumquodq; corpus, ut Aquam, Aerem & ſimilia, eſſe continuum quid nec ex ullis particulis conſtare.

Atque hæc quidem prima eſt illius Objectio contra Atomos ac Particulas *Carteſianas*; Quòd corpora omnia omni omninò reali *Continuitate* ſpoliant, niſi Miraculum intercedat, aut *Materia* fingatur aliqua *cæmentaria* quæ has particulas conglutinet. Solâ enim *Contiguitate* non poſſe cohærere.

Secundò, In multis verò corporibus, non ſolùm *continuitatem* percipi, ſed tam fortem Texturam, ut haud facilè diſrumpi poſſit, quamvìs ex tenui primùm aqueâve ſubſtantia ſive concremento dicta corpora oriri obſerventur; cujuſmodi ſunt *Nervi Animalium*, *ligna corticéſque Arborum*, *Linum*, *Vrticæ*, &c. Immò verò ipſam Aquam ſuâ gaudere tenacitate, quemadmodum liquet ex tractu Aquæ in longiori crure Siphonis. Tam fortem verò tenacitatem glutinoſitatémq; partium corporum ex particulis ſolutis nequaquam poſſe oriri, ſed ex Textura intrinſeca ipſorum corporum.

Tertiò, Ex Hypotheſi hac *Carteſiana*, omnia corpora æquè dura forent, æquè gravia ac denſa, cùm omnia ex particulis conſtent quæ minuta corpora ſunt & eſſentialiter diviſibilia, quanquam non diviſa, nec diviſibilia quidem *Phyſicè* per ullam vim, ac proinde dura ac infrangibilia. Unde vas Aere plenum cùm æquè plenum ſit Materiæ corporeæ duræ atque ſi auro plumbóve repleretur, æquè durum æquéq; ponderoſum videri debet, atque vas auro vel plumbo repletum.

Quartò denique, Cùm vel minimæ Materiæ particulæ ſuas habeant figuras, nec figuræ variæ ac differentes aut eædem quidem, ut Coni, Cylindri, Sphæræ, ſic adaptari poſſint ut ſpacium adæquatè compleant, neceſſe eſſe ut aliquæ intermaneant vacuitates. Quod Hypotheſi *Carteſianæ* repugnat.

Atque hæ quidem ſunt Objectiones eruditi Authoris in genere, uti ipſe innuit, *cap.* 8. contra modum *Rarefactionis* & *Condenſationis* Carteſianum. In hoc octavo Capite pergit ad eas Objectiones quæ ex *ipſis Phænomenis* Rarefactionis & Condenſationis petuntur.

11. Primò igitur objicit, Repugnare naturæ *Rarefactionis* ut particulæ Materiæ extraneæ intromittantur ad ſpacia partium corporis rarefacti magis diſſitarum implenda, quippe quum motus corporum in *Rarefactione*, *expulſivus* potiùs ſit quàm *receptivus* ullius novæ ingredientis Materiæ. Ut in grano pulveris *Pyrii*, quod accenſum momento in flammam extenditur millies ſuâ mole majorem, manifeſtum eſt, quòd aerem conterminum undiq; à ſe expellit. Quinimò ubi ſatis magna copia eſt, feneſtras, parietes, contignationéſque frangit, idque momento ſuæ expanſionis. Ac proinde cùm omnia ante ſe ſic propellit, non videri credibile ut Materiam ſubtilem eâ copiâ admittat, ad tantam exhibendam expanſionem flammeam quantam videmus.

Secundò, Aerem in vaſe ad ignem calefacto expandi & foras egeri, vas verò clauſum frangi ab illius expanſione; ac proinde motum Aeris eſſe extrorſum, propellentem omnia à ſe, nec admittentem rem ullam ab extrà, nedum Materiam ſubtilem quam tam facilè à ſe propulſurus eſſet.

Tertiò, Duram eſſe Hypotheſin ac difficilem, ut Materia ſubtilis per impervia corpora Vitri, Æris, ipſiúſq; adeò Auri pertranſeat, ad replenda Interſtitia tenſorum rarefactorúmve corporum.

Quartò, In Hemiſphæriis *Magdeburgenſibus*, quæ per præternaturalem Aeris tenſionem ità cohærent ut triginta librarum pondus ea non ſit divulſurum, ſi Materia ſubtilis ſit quæ tam facilè per poros Hemiſphæriorum pervadat, cur non eâ copiâ intrat ut Aerem ab hac violenta tenſione liberet; aut ſaltem cur non *Spiritus Naturæ*, ſi quis ſit, hìc ſuas partes agit, Aerémq; non liberat ab hac violentia?

Quintò, In hujuſmodi Experimentis, quale eſt illud Hemiſphæriorum *Magdeburgenſium*, ubi fit *Tenſio* Aeris & conatus ad *Reſtitutionem*, *Attractúſ*que (per modum *Nexûs*) laterum vaſis continentis; *Nexum* hunc & *conatum* ad *Reſtitutionem* nequaquam explicari poſſe per Particulas *Carteſianas contiguas* tantùm non autem *continuas*, quæ majorem Tenacitatem non habent quàm Funiculus Arenarum.

Sextò, In condenſatione Aeris, putà in Sclopeto *Pneumatico*, qui glandem plumbeam tantâ vi ejicit ut per tabulam bene craſſam penetret, eámque perforet. Quid eſt in *Modo Condenſationis Carteſiano*, quod glandem tantâ violentiâ explodit? Non quidem Materia ſubtilis, cùm ea hâc *condenſatione* eliſa ſit & excluſa. Nec partes Aeris craſſiores arctiùs compreſſæ, cùm, eliſâ Materiâ ſubtili, ſat ſpacii habeant eíque æquale quod priùs occupabant. Nec Materia deniq; ſubtilis expulſa in ſclopetum rurſus ingrediens; Nam quæ in orificium ſclopeti ingreditur, adverſatur exploſioni. Per ferrea verò latera ſclopeti ingredi non poteſt niſi gradatim, quemadmodum ægrè & gradatim per poros ferreos eliſa eſt & expreſſa. Diſploſio verò ſclopeti, obturaculo remoto, fit quaſi in momento, quod huic modo condenſationis *Carteſiano* planè repugnat.

Septimò denique, Nec Hypotheſis illa Principii *Hylarchici* huic malo mederi poteſt, cùm *Principium* hoc, ſive *Spiritus Naturæ* huic malo medendo dum operam dare concipitur, eo ipſo aſciſcit novum. Quippe qui Materiam ſubtilem, in ſclopetum per Ferri poros tranſmittere intelligi non poteſt, quin Aerem externum ſimul intelligatur eâdem ſpoliare, debitámq; violare conſiſtentiam.

12. Hæc verò cùm argumenta præcipua ſint quæ contra Hypotheſin *Carteſianam* de *Rarefactione* & *Condenſatione* memini à quoquam proponi, ſi invalida eſſe demonſtravero, ſpero eruditum Authorem in poſterum de hac Hypotheſi benigniùs ſenſurum, ſi non pro vera & genuina agniturum.

Ad primam igitur Objectionem contra particulas *Carteſianas* reſpondeo, Verum quidem eſſe, corpora ſolâ contiguitate cohærere non poſſe, ſed perinde eſſe verum corpora nulla vi propriâ poſſe coaleſcere aut ope glutini cujuſvis corporei, cùm eadem de ipſo glutino maneat difficultas; parúmque diſcriminis eſſe inter *continuitatem* partium Aquæ & Aeris, pro qua contendit eruditus Author, & *contiguitatem Carteſianam*, cùm utrocunque modo res fiat, manifeſtum ſit tam facilem eſſe utriuſque *fiſſilitatem*. Quatenus vero cohærent, id συμφύσει fieri affirmo, virtutéve *Spiritûs Naturæ*, quod cùm conſtans in rerum Natura ſit Principium, non eſt habendum pro miraculo.

Ad ſecundam, Quantùm ad tenacitatem *Nervorum*, *Tendinúm*ve Animalium, & *Lignorum*, *Corticúm*q; Arborum, *Lini* etiam *Vrticæ* & id genus reliquorum, cùm talia omnia ſint, quæ ex tenui primùm aqueáq; ſubſtantia oriantur, quæ proinde facilè dividi poteſt & in partes disjungi, dico eandem vim quæcunq; ea ſit, quæ liquidam hanc materiam in tam firmam & tenacem conſiſtentiam converterit, efficere poſſe ut particulæ *Carteſianæ* pro re nata ſatis firmiter coaleſcant & cohæreant. Hoc verò in rebus Inanimatis per *Spiritum Naturæ* fieri contendo, in Animatis aut à *Spiritu Naturæ*, aut à propriis Animalium *Plaſticis*, aut ab utriſque. Aquam verò in longiori crure Siphonis continuitatis vi non trahi; ſed ob conſertam Materiæ plenitudinem in Univerſo motúmq; circumpulſionis juxta doctrinam *Carteſianam*, obiter moneo; quanquam nec id quidem rationibus merè Mechanicis fieri exiſtimo.

Ad tertiam, Omnia corpora non æquè dura fore aut gravia aut denſa reſpondeo. Non æquè *dura*, quoniam Materia in tam exiguas particulas comminuta ad tactum neceſſario molleſcit, ut videre eſt in pulverizationibus corporum. Pulvis enim planè mollis fit ad tactum, non quidem ob interſperſum Aerem, (ut vult eruditus Author) ut qui non omninò ſentitur in contrectando pulvere, ſed ſimpliciter ob exiguitatem ipſarum particularum pulveris. Porrò, Non æquè *gravia*; Hoc enim Author quanquam ſatis ingenioſè quidem, ex falſa tamen Hypotheſi infert, quaſi *Gravitas* ex intrinſeca quantitate Materiæ naſceretur, non ex vi motrice incorporei alicujus Principii, abſque quo eſſet, fateor quòd *Cubus Aeris* & *cubus Auri* ejuſdem diametri, paris forent ponderis. Sed è re Univerſi eſt ut *ſolida* deſcendant Terram verſùs, atque hinc eſt quòd illuc depellantur illius Principii vi, quæ Leges continet Univerſi. Denique, Non æquè *denſa*, ſi denſitas rectè intelligatur. Quæ reverà nihil aliud eſt niſi *Soliditas* corporis, quum corpus ſcilicet pauciores minoréſve habet poros qui ſubtiliorem Materiam intromittant. Plus enim Materiæ in *Cubo Auri* quàm in *Cubo Aeris*, ejuſdem diametri, non eſſe ultrò profitemur, nec quicquam incommodi eſſe, ſic ſtatuere.

Ad quartam deniq; reſpondemus cum *Carteſio*, Materiam eſſe indefinitè diviſibilem, actúq; ſic diviſam, ut nulla Interſtitia propter malè adaptatas figuras particularum eſſe poſſint in quæ ſubtilior adhuc Materia ſe non facilè ingerat. Nihílque porrò abſurdi eſſe addo, ſi vacuitates infinitis ferè modis minutæ ac ſubtiles admitterentur, nulliq; impedimento fore quo minùs hic modus *Rarefactionis* & *Condenſationis*, nempe ad morem ſpongiæ, approbetur. Eſt enim Modus adhuc admodum naturalis facilíſque, quanquam non uſque adeò neceſſarius. Atque hæc ſunt Reſponſa ad Objectiones *in genere* ſive contra doctrinam *particularum Carteſianarum*. Cujus veritatem non eſt hujus loci ulteriùs confirmare; quanquam multa ac manifeſta argumenta cuivis ſuper hac re attentiùs meditanti ſe offerunt. Inter quæ nullum magìs obvium quàm quòd omnia ferè corpora terreſtria per ignem aut calorem in minutas particulas retexuntur. Lignum in fumum abit & cineres. Sebum candelæ in flammam & fuligines. Aqua calefacta ſolvitur in diſperſos vapores. Adde perſpirationes Animalium, varióſque corporum odores, & fumum Peti, aliáque id genus innumerabilia, quæ ad oculum ferè demonſtrant concreta corpora in particulas retexi poſſe, quod planè arguit ea ex eiſdem eſſe conſtituta. Cúmque illi vapores ac fumi poſtquam ſurrexerant è corporibus per ignem vel calorem expulſi non ſtatim coeant, ſed magìs magíſque diſſipentur, indicium planè eſt non eſſe corpora rarefacta ſenſu *Ariſtotelico* ſed *Carteſiano*, alioqui tantam & tam violentam *Tenſionem* abhorrentia ſtatim poſt emiſſionem in Aerem, ſe contraherent & reſtituerent. Et ut miſſam faciam Materiam ſubtilem *Luminis* & *Magnetiſmi*, equidem credo qui ſatis attentè perlegerit quæ *Carteſius* in *Meteoris* ſcripſit de particulis *Aqueis* oblongis & flexibilibus, ut ex eis fiant non ſolùm Aqua, ſed Nix, Grando, Glacies, Vapores, Nubes & Venti, & quàm concinnè & cohærenter, nè dicam demonſtrativè hac in re philoſophetur, ſi nullo præjudicii morbo laboret, videtur profectò mihi ferè impoſſibile, quin ſic omnino rem habere fateatur, de particulis aqueis; Quod poſtquam deprehenderit, haud credo dubitaturum de particulis Aereis & Igneis, doctrinámve particularum in poſterum repudiaturum. Sed hiſce rebus non hic eſt immorandi locus. Pergo ad Objectiones ex *Phænomenis Rarefactionis* & *Condenſationis* petitas.

13. Ad quarum primam reſpondeo, Motum illum *expulſivum* in *Rarefactione Carteſiana*, nihil impedire quo minùs Materia ſubtilis introrſum refluat, quippe quòd in omnibus hujuſmodi motibus fit *Circuitus*, & ut particulæ accenſi pulveris *Pyrii* extrorſum exiliunt, ità neceſſariò partim Aerem partim Materiam ſubtilem diſcoopertam

introrſum agunt, unde tantum ſpacium ex disjectione hàc illàc globulorum, aliarúmque, cum illis, particularum pulveris Pyrii ac craſſioris Aeris agitatione igneum ſive flammeum apparet: Quanquam interim fateor hanc violentam particularum disjectionem & agitationem mero motu Mechanico non fieri, ſed irritatione *Spiritûs Naturæ* vitali. Retroceſſionem verò partium Aeris introrſum, proſilientibus undiq; è centro particulis pulveris accenſi, merè *Mechanicam* eſſe agnoſco & neceſſariam, cùm nulla ſit penetratio dimenſionum. Videtur autem incredibile, ſi penetratio dimenſionum factu tam facilis eſſet, quàm eruditus Author ſupponit, ut tam vehemens ſit concuſſio aeris, ut non ſolùm feneſtras ſed parietes & contignationes confringat, cùm Materia pulveris millies tenuior fiat quàm ante rarefactionem, ipſéque Aer millies tenuior ſit quàm Aqua, & quatuordecies millies tenuior quàm Mercurius. Tam ingens igitur Capacitas eſt in Aere ut plus Materiæ in ſe admittat, cùm omnis Materia ejuſdem ſit generis, tantillúſq; eſſe poteſt vel tam tenuis pulvis Pyrius rarefactus ut neceſſe videatur eum ſine omni ſtrepitu ac tumultu veluti lumen Aerem permeaturum, nec in tam violentam motionem eum concitaturum. Adeò ut hoc experimentum pro *Carteſiana Rarefactione* potiùs faciat quàm contra ipſam.

Ad ſecundam, Aerem, in vaſe ad ignem calefacto, expandi & foras egeri, optimè conſentire cum Rarefactione *Carteſiana*, quæ ſupponit partes corporis rarefacti agitari & agitatione iſtâ à ſe invicem paulatim divelli, & ob hanc divulſionem & agitationem majus ſpacium requirere in quo moveantur; unde minimè mirum eſt in vaſe aperto avolare, clauſum verò, ob vehementiam agitationis, frangere. Hoc autem non probat Aerem, qui & multis aqueis particulis abundat, omnia à ſe propellere, ſed aliqua corpuſcula introrſum redigere, immo verò illa ipſa corpuſcula vel particulas quas propellere videtur reverà retro agit, cùm motus non fiat ſine circulo. Ut qui in Aqua vadat, aquam, anteriori corporis parte quam propellere videtur, revera tandem ad poſteriorem corporis partem repellit.

Ad tertiam, Ut Materia ſubtilis per Æs, Vitrum, Aurúmque tranſeat, minimè duram eſſe aut difficilem Hypotheſin. Ratio enim facilè admittet, Objecta tam parva eſſe poſſe ut ſenſus noſtros planè fugiant. Facilè igitur eſſe poſſunt Pori in Ære, Vitro & Auro, quanquam nos viſu eos minimè poſſumus deprehendere; & ſi Pori, Particulæ quæ per eos tranſeant. Hoc profectò perquam facile intellectu eſt, cùm Materia diviſibilis ſit quaſi in infinitum. Quin & experientiâ planè comprobatur. Radii enim Solis per Vitrum tranſeunt, & corporei ſunt, cùm reflectantur & refringantur. Præterea in Experimento, quod apud *Carteſium* deſcribitur, quod & ipſe meis oculis vidi, curſus particularum *Magneticarum* in limatura ferri tam conſpicuè deprehenduntur, ut de earum exiſtentia nemo vel maximè ſcepticus dubitare poſſit. Et tamen hæ particulæ *Magneticæ* ipſum Aurum penetrant. Tam certum eſt Particulas quàm minutiſſimas in rerum Natura exiſtere, & in hac noſtra Regione ubiq; verſari.

Princip. Philoſ. part. 4. Artic. 179.

Ad quartam, Experimentum Hemiſphæriorum *Magdeburgenſium* cum Hypotheſi Materiæ ſubtiliſſimæ optimè conſiſtere. Eâ verò copiâ in Hemiſphæria hoc in caſu non intrat propter ſtatam Aeris conſiſtentiam, quæ non facilè violatur; ut taceam Materiâ ſubtili ſimul cum Aeris Reliquiis ea jam plena eſſe. Spiritum verò *Hylarchicum* hìc non ſuccurrere agnoſco, ſed potiùs in cauſa eſſe cur tam arctè cohæreant Hemiſphæria, partim *abhorrendo* ab omni ulteriori *rarefactione*, vel tenuitate, (quod contingeret in divellendis *Hemiſphæriis*) & partim comprimendo conterminum Aerem in convexitates Hemiſphæriorum, quo Materiam ſubtilem obruat, & eum locum Aeris ad debitum reducat conſiſtentiam. Sed dum ineptè hæc molitur interpoſitis *Hemiſphæriis*, hoc inter alia indicium eſt *Spiritum* hunc *Naturæ*, nullo conſilio aut ratione, pro re nata, agere, ſed tantùm ſecundùm *Vitales* aliquas Leges generales à rerum Opifice ipſi inſitas.

Ad quintam, Dico eruditum Authorem *Tenſionem* fingere & tum poſteà *Carteſianas* particulas explodere, quòd cum ſua fictitia Hypotheſi non conveniunt. Nego igitur ullam *Tenſionem* eſſe in experimento Hemiſphæriorum *Magdeburgenſium*, nec, ſi eſſet, tam infirmam *Continuitatem*, pro qua Author contendit, ad eam tuendam plus quicquam valere quàm *Contiguitatem* particularum *Carteſianam*, utramlibet enim haud fortiorem eſſe quàm funiculum Arenarum.

Ad ſextam, Exploſionem glandis plumbeæ è Sclopeto *Pneumatico* tantâ vi fieri autumo propter *Elaſticas* ramoſitates particularum Aeris, recurrente, eodem momento, per poros ferri, materiâ ſubtiliſſimâ, quam immediatum Inſtrumentum *Spiritûs Naturæ* in iſtiuſmodi actionibus facilè eſſe conjicio; Nec paulatim ingredi per poros, ſed ſubitò ac ſimul propter egregiam tenuitatem, paulatim verò egreſſam fuiſſe, propter *Elaſticam* particularum Aeris ramoſitatem. Ut verò Materia Aeris, quæ, cùm ejuſdem naturæ ſit cum reliqua Materia Univerſi, capax eſt condenſationis, ex ſententia Authoris, quatuordecies millies majoris, quàm ſub qua ſit in naturali ſua conſiſtentia, & ſaltem millies majoris quàm ſit ſub condenſatione in Sclopeto Pneumatico, tantâ vi expellat glandem plumbeam, mihi minimè videtur veriſimile.

Ad ſeptimam denique, *Spiritum Naturæ* optimè huic malo mederi poſſe reſpondeo, nec alias tamen Aeris partes ſpoliare Materiâ hâc ſubtiliſſimâ ſic ut ejus conſiſtentiam quaquam ex parte violet, ſed eam tantùm portionem, quæ aeri condenſato, in Sclopeto, debetur, ei reſtituere, ut debitam ſuam conſiſtentiam recuperet.

Manifeſtum igitur eſt, nihil ullius momenti contra Particulas *Carteſianas*, illiúſque Explicationem *Rarefactionis* & *Condenſationis* per modum Spongiæ, afferri poſſe, ſed eas revera eſſe in Rerum Natura. Quanquam Hypotheſis *Carteſiana* ſola, ſine *Spiritu Naturæ*, quod & videtur agnoſcere eruditus Author, hujuſmodi Phænomena plenè ſolvere non poſſit. Reſtat nunc ut *modum* Rarefactionis & Condenſationis *Ariſtotelicum*, quem Author amplectitur, pauliſper examinemus, & tum demum pergemus ad Objectiones contra *Spiritum Naturæ*.

14. Qualis ſit modus *Ariſtotelicus*, ſuprà innuimus; talis nempe qui eandem Materiæ quantitatem, ſub longè differentibus dimenſionibus contineri ſupponit. Cubum nempe, cujus magnitudo millies minor ſit altero Cubo, æqualem tamen cum eo Materiæ quantitatem poſſe continere. Hujus modi Rarefactionis & Condenſationis *Ariſtotelici* poſſibilitatem eruditus Author ſic demonſtrare conatur. Quantum Materiæ unumquodq; corpus habeat, à pondere dignoſci. Aqua verò Aere mille ferè vicibus gravior eſt. Ergo Aqua millecuplo plus Materiæ habet quàm Aer, Cubus nempe Aquæ quàm æqualis Cubus Aeris. Cùm igitur Materia Aereorum mille Cuborum uncialium in unum cubum aqueum conſpiſſari poteſt, unúſve Cubus aqueus uncialis in mille unciales Cubos Aereos expandi; manifeſtum eſt *poſſibile* eſſe ut *Rarefactio* & *Condenſatio* modo *Ariſtotelico* fiat, eâdem nempe manente Materiæ quantitate utrobique, ſive nullâ materia novâ accedente in *Rarefactione*, nec, in *Condenſatione*, recedente.

Porrò, Quod ad penetrationem Dimenſionum attinet, licèt impoſſibilis ſit in corpore quamdiu *Textura Corporis* non mutetur, hoc eſt, quamdiu non fiat *condenſatior*; mutatâ tamen *Texturâ*, quanquam penetratio dimenſionum talis quidem corporis non ſit, partium tamen *Materialis Subſtantiæ* neceſſariò fit penetratio. Quantum ego video hæc ſumma eſt argumentorum quò probare velit eruditus Author *poſſibilitatem* Rarefactionis & Condenſationis *Ariſtotelicæ*.

Sed tertiò denique, Unum quidem argumentum affert, quod, ſi ſolidum ſit, modum hunc *Ariſtotelicum* revera modum eſſe Naturalem & in rerum Univerſitate *exiſtentem* concludet; nempe, Si Hypotheſis Atomica admittatur, quòd in *Rarefactione* perinde atque in *Condenſatione* omnia corpora dura videbuntur, quippe quæ ex plenitudine Atomorum conſiſtunt, quæ duræ ſupponuntur & infrangibiles. Nunc verò ex Hypotheſi *Ariſtotelica* Aerem mollem videri ac vietum, quippe qui millies laxior eſt ac rarior, hoc eſt, millecuplo minùs refertus Materiâ quàm Aqua, Rationi eſt valde conſentaneum.

15. Sed ad primam breviter reſpondeo; *Ariſtotelicam* Materiæ *Spiſſitudinem* & *Raritatem* ex differentia ponderis corporum ejuſdem magnitudinis non poſſe colligi. Quippe quòd, cùm Materia ex ſe omni motu & activitate careat, ac proinde, etiam ſecundùm ſententiam Authoris, motum habeat à vi quadam ſive virtute activa ab alio inſita; cúmque *Gravitas* & *Gravitatio*, ſit hujuſmodi vis Activa illiúſve exertio, víſque hæc inſita major minórve eſſe poſſit, prout placuerit inſerenti, putà omnium Opifici Deo; palàm eſt etiam, ſuppoſitò quòd una pars Materiæ, ejuſdem magnitudinis ſive extenſionis cum altera, millecuplo plus Materiæ in ſe contineat quàm altera illa, equidem, cùm utræq; omni vi activâ ex ſe deſtitutæ ſint, & aliunde eis ſit inſerenda, manifeſtum eſt, inquam, æqualem utriſque inſeri poſſe. Quinimò majorem rariori, vel ſi millecuplo ſpiſſiori, non tamen ſecundùm Rationem millecuplam (quippe quòd è Materia non oritur ſed aliunde infunditur) ſed ſecundùm duplam, triplam, quadruplam, quintuplam aliámve quamlibet rationem; adeò ut nihil omnino neceſſe ſit, ut vis ad vim ſit ut Materiæ quantitas ad Materiæ quantitatem. Unde clarè patet hoc ratiocinium à differentia ponderis corporum, quo differentia ſpiſſitudinis denſitatíſve Ariſtotelicæ concludatur, omnino vacillare. Ut taceam, ſi vis activa neceſſariò pro ſpiſſitudine corporis augeretur, nihil tamen neceſſe eſſe ut hæc aucta vis corpus deorſum potiùs ferat quàm ſurſum. Quòd igitur deorſum ferat ſit ob finem aliquem, qui in bonum cedat Univerſi. Manifeſtum enim eſt, niſi craſſiora corpora deorſum ferrentur, nec compagem Terræ conſiſtere poſſe, nec Animalia commodè reſpirare.

Dico igitur ſecundò, Non pro ratione *Spiſſitudinis* ſed pro ratione *Soliditatis* corpora deorſum, Terram verſùs, urgeri à vi illa, quæcunq; ſit, quæ ea urget. In rem enim Univerſi, ut *ſolida* corpora Terram verſùs urgeantur, perinde facit atque ſi eſſent *denſa* ſive *ſpiſſa* ſenſu *Ariſtotelico*. Soliditatis enim *Carteſianæ* eadem ſunt Commoda & Incommoda quæ Spiſſitudinis Denſitatiſve *Ariſtotelicæ*. Dum enim Materia ſupponitur penitus impenetrabilis, Cubus uncialis talis Materiæ ſine poris & firmiter compactæ eâdem vi deorſum pulſus quâ Cubus uncialis auri, pari ſaltem pondere erit atque Cubus aureus, qui tamen millecuplo ſpiſſior cenſetur Cubo ejuſdem diametri aereo. Cubúſque Aereus dictæ Materiæ impenetrabilis, hoc eſt, in partes ſatìs minutas, alias verò aliis multò minores diviſus (ità ut pars in materiam ſubtiliſſimam vertatur) & à vi activa, qualiſcunq; ſit, proportionaliter agitatus levitatem exhibebit planè Aeream: Cùm interim Cubus hic Aereus ac fluidus nihilo rarior eſt, ſenſu *Ariſtotelico*, quàm ille Cubus *ſolidus* Cubo aureo, pondere, ſaltem par. Tam perperam profectò ex *ponderis* differentia, differentia *ſpiſſitudinis* colligitur.

Deniq; Cùm tam ingens ſpiſſitudinum diſcrimen ex differentia ponderum colligitur, hoc mihi profectò haud obſcurum indicium eſt malefidam hanc eſſe computandi rationem. Ex hoc enim computo octodecies millies major quantitas erit Materiæ in *Cubo aureo* unciali quàm in *Cubo Aereo*. Qui Cubus igitur Aereus tam rarus & laxus intelligitur, ut capax ſit octodecies millies plus materiæ recipiendi in ſe quàm habet. Unde impoſſibile eſt quin perquam facili negotio aut ferè nullo, & ſine omni reſiſtentia Aer ſenſibiliter comprimi poſſit, & in minus ſpacium redigi, quod tamen experientiæ repugnat. Cúmq; Aqua, quæ vigecuplo quidem rarior eſt quàm Aurum, nullam habeat *compreſſibilitatem*, argumento eſt nec Aerem quidem condenſari ſenſu *Ariſtotelico*, dum comprimitur, ſed materiam ſubtilem, quippe illìc copioſam, elidi. Et poſtremò cùm *Lumen* corpus ſit, nec ex particulis ſubtiliſſimis (ſecundùm eruditi *Authoris* ſententiam) conſiſtens, quàm immenſa eſt iſta planéq; incredibilis *Rarefactio*, cùm totus orbis luminoſus, putà Candelæ, unum continuum corpus ſit tenuiſſimum ab omni materia Aeris planè diſtinctum? Quid verò fiat de hiſce orbibus luminoſis (eadémq; difficultas eſt in granulo pulveris Pyrii accenſo) tenuiſſimiſve corporibus in perpetuo fluxu flammæ candelæ ſuccedentibus, difficile eſt comminiſci. Nam & ſeparari poſſe videntur à flamma, cùm corpora tenuiſſima ſint, & ſeorſim conſervari. Adeò ut impendio conſultius ſit particulas amplecti *Carteſianas*, quàm tam incredibiles corporum rarefactiones admittere.

Ad ſecundum reſpondeo, Lepidum profectò mihi videri argutamentum. Satiúſque fuiſſe apertè agnoviſſe *penetrationem Dimenſionum*, quàm tam argutè inter *penetrationem dimenſionum* corporúmve & *penetrationem ſubſtantiæ Materialis* diſtinxiſſe, quaſi iſta *impoſſibilis* eſſet, fieríq; planè repugnaret, hæc verò non tantùm *poſſibilis* ſed alicubi *neceſſaria*. Quiſquámne enim unquam ſomniavit controverſiam ſtatui poſſe de priori modo, An nullâ accedente ſpiſſitudine texturæve aut conſiſtentiæ corporis mutatione, penetratio fieri poſſit? Quippe tam apertè fieri repugnat. Sed ſimpliciter an partes extenſæ *Materiæ* ſive *ſubſtantiæ Materialis* ſe mutuò poſſint penetrare. Qui hoc agnoſcit, eo ipſo agnoſcit dimenſionum corporearum ſive materialium penetrationem fieri poſſe. Cujus dogmatis abſurditas nihil minuitur dicendo, non fieri quidem poſſe manente eâdem Texturâ ſeu Conſiſtentiâ Materiæ ſive Corporis, ſed cum illius mutatione. Quandoquidem perinde eſt ac ſi dixeris, non fieri poſſe dum non fit, (fieri enim eſt eo ipſo ſpiſſitudinem introduci) ſed dum fit poſſe fieri. Sed controverſia eſt, cùm *Materia Subſtantiáve Corporea* ἀντίτυπόν τι à pleriſq; omnibus Philoſophis cenſeatur, an unquam fieri poſſit ut partes ſive dimenſiones ejus ſe mutuò penetrent. Et certè quæ ſuprà allata ſunt *Incredibilitatem* rei potiùs arguunt, quàm illius *Poſſibilitatem*. Nec explicatio hic difficultatem quicquam minuit, quòd nemo quiſquam, quod dixi, unquam ſomniaverit aliter intelligendam eſſe, quàm de ejuſmodi penetratione dimenſionum quam mutatio *Texturæ* ſive *Conſiſtentiæ* comitetur. Sed nec talem dari illud quod ſuprà obiter tetigi, argumentum mihi videtur ſatìs ſolidum. Quòd Aqua ſcilicet nullâ vi condenſari poteſt, ut quæ nullam habeat *Elaſticitatem*; quanquam interim vigecuplo laxior rariórve agnoſcitur ab erudito Authore, quàm Aurum. Quapropter cum nulli vi cedit comprimentis, id certè haud obſcurum indicium eſt non eſſe vigecuplo rariorem laxiorémve quàm Aurum, nec exiſtere quidem *Raritatem* ſenſu *Ariſtotelico* in rerum Natura; atque ubi corpora videntur *condenſari*, ut Aer præſertim, per expreſſionem ſeu eliſionem ſubtilioris cujuſdam Materiæ id fieri, modo nempe *Carteſiano*. Contrà ac vult tertium Argumentum, quod urget, ſi Hypotheſis Atomica admittatur, non poſſe fieri, quin omnia omnino corpora propter plenitudinem Atomorum, quæ duræ ſupponuntur, dura videantur ſenſui.

Ad quod tertium igitur Argumentum ſic reſpondeo. Quanquam nullum ſit Vacuum, Plenitudinem tamen iſtam Atomorum minimè effecturam ut Aer & Aqua & ſimilia corpora videantur dura. Etenim tametſi particulæ ſive Atomi in ſe duræ ſint, propter eximiam tamen ſuam exiguitatem, ſenſui ſigillatim non ſunt perceptibiles; Unde nec tanquam duræ percipi poſſunt. Sed cùm conjunctæ perceptibiles ſint, & interim tam nullo negotio ceſſiles & diviſibiles, hinc corpus, Aeris putà, neceſſariò molle ſentitur, utì & Aqua reliquáq; id genus corpora, ſuo gradu. Hujúſque Aſſertionis veritatem ipſis digitis quodammodo experiri poſſumus, in arenulis quæ adhibentur in Vitris Horologicis. Ubi, tametſi arenulæ ſingulæ tactui perceptibiles ſunt, & tanquam duræ percipiuntur; corpus tamen ex iſtis minutiſſimis granulis coacervatum, ſi pollice indicéq; contrectes, planè molle lævéq; videbitur. Quanto igitur mollius videbitur illud corpus quod coacervatur ex corpuſculis atomíſve nulli quidem ſenſui ſigillatim perceptibilibus, quámq; parum duritiei illîc appariturum eſt, cùm minutiſſimæ illæ particulæ contiguæ tantùm ſunt & quoquoverſùm vel leviſſimo quovis tactu pulſúve dividuntur diſcedúntque? Quod neceſſe eſt fieri propter inſignem particularum exiguitatem vitalémq; Spiritûs Naturæ actuationem, nequis ullam in ipſis ob vitæ defectum, ſegnitiem majorem, quàm revera eis inſit, fingat. Atque hujuſmodi quidem corpus Aer eſt, cujus facillima Diviſibilitas quoquoverſum, eum ſic eſſe planè arguit. Atque jam ſpero ſatìs conſtare Hypotheſin *Impenetrabilitatis ſubſtantiæ Materialis*, Rationémq; *Rarefactionis* & *Condenſationis Carteſianam*, nullas revera in ſe habere tenebras niſi quas eruditus Author ipſis offuderit, ac proinde omnia argumenta quæ ab iſtis Hypotheſibus deducuntur, plenam ſuam vim adhuc obtinere debere.

16. Ad tertiam partem jam pergo vel potiùs Appendicem *Examinationis*, ad *Reſponſionem* ſcilicet ad *Objectiones Quæſtionéſve circa Principium Hylarchicum* ſive *Spiritum Naturæ*. Quas cùm ſatìs ingenioſè excogitaverit eruditus Author, nos pari diligentiâ mox perpendemus.

Primò igitur innuit, Deum ſupremum illum Creatorem Dominúmq; Univerſi, qui intimè præſens eſt operibus ſuis eáq; continuo ſuo influxu in ſubſiſtentiis ſuis ac motibus ſecundùm ſapientiſſimas illas leges quas eis infixit, ſuſtentat, rectiùs appellari *Principium Hylarchicum* quàm illud quod ego deſcripſi, *Adnotamento* 13. in *Tentam. de Gravitatione & Non-Gravitatione corporum Fluidorum*.

Deinde, magìs Rationi, Senſui & Experientiæ conſentaneum eſſe per *Spiritum Naturæ* nihil aliud intelligere præter *Activas* illas *Virtutes Eſſentiales* (ſuprà ſcilicet memoratas & *Eſſentias Medias* dictas) Entibus ſingulis creatis à Deo inditas ſimul cum ſtabilitis legibus, ordine, methodo, & œconomia quas eiſdem dedit, & ſecundùm quas *activa* iſta *Principia* operantur, quàm tale Principium quod loco modò dicto ipſe deſcripſerim.

Tertiò, Quòd ſit iſtiuſmodi vicarium, immateriale, commune *Principium*, quod Materiam ordinet, excitet, & gubernet, *Spiritúſve communis* Deo ſubordinatus, à particularibus Principiis activis Phyſicis corporibus variè inſitis, diſtinctus, licèt perquam venuſta Hypotheſis ſit, difficilem tamen eſſe probatu per talia argumenta quæ plenam gignant perſuaſionem, eſſéque è genere earum *Suppoſitionum*, quæ meris Notionibus innituntur, quæque, utplurimùm, ſic formantur, ut nullis certis argumentis confirmari poſſint, perinde atque nullis iſtiuſmodi argumentis confutari. Quæ verò adversùs eam excogitavit, tandem profert.

Quarto igitur, ait, *Principii Hylarchici* Hypotheſin admittere, eſt Entia multiplicare ſine neceſſitate, cùm omnia in Univerſo agi poſſint per operationem Dei omnipotentis, & per Principia illa particularia quæ omnibus ferè naturis creatis inſevit, & per Inſtituta atq; Leges quas particularibus Creationis operibus annexuit.

Quintò, Poſt accuratam ſaltem examinationem conſtaturum eſſe pleraq; hæc Phænomena in Natura atque Motu, aut ab activis Principiis in particularibus Subjectis reſidentibus aut à neceſſario corporum *Mechaniſmo* fieri, ſine ope immediata hujus *Spiritûs Naturæ* pro quo tantopere contendimus.

Sextò, quærit eruditus Author, An *Spiritus* hic *Naturæ* diſtinctus ſit & per ſe ſubſiſtens Spiritus à Materia ſeparatus, an verò communis quædam Anima ſive Forma reſidens in Univerſo, ut Anima Bruti in illius corpore reſidet. Si prior, *Angelicam* quandam Naturam fore contendit, nec unitam cum Materia ſed in eam ſeparatim agere, & ſine ea ſubſiſtere, ac proinde eſſe *Intelligentiam*. Si poſterior, quærit Author, Formáne *immaterialis* ſit ut Anima humana, tunc enim plus fortean perfectionis ei tribuetur quàm inſit; an verò *Materialis* Forma ut animæ Brutorum; nam tunc ſciſcitatu dignum putat, an conſimilem habeat *ſensûs* perfectionem, an ſolummodò *Vitalem*, ut in *Vegetabilibus*: An denique connaturale ſensûs quoddam genus ſit ſingulis Entibus materialibus adaptatum, unà cum *Perceptione* & *Appetitu* Naturæ cujuſq; ſubſtantiæ Materialis approportionatis, quemadmodum aſſerere ait *Campanellam*, & celeberrimum Medicinæ Profeſſorem *Franciſcum Gliſſonium*.

Septimò quærit porrò, An aliæ ſint *particulares* ſive ſpecificæ Formæ in diverſis Eſſentiarum Materialium Claſſibus, ut in *Animalibus*, *Vegetabilibus*, *Mineralibus*, &c. quæ varias operationes exerant ſuis naturis proprias, an verò *Communis* hic *Spiritus* Naturæ omnes eas exerat Operationes, quæ proinde diverſificentur tantùm pro diverſificatione ſubjectorum, in quibus & per quæ exeruntur, ut ventus communis Follis in Organo pro ratione Fiſtularum varios edit ſonos. Si prius ſupponimus, Entia videmur multiplicare ſine neceſſitate; ſi poſterius, deſtruere quod exſtruere volumus, cùm omnia Animalia, Vegetabilia, reliquáq; Entia Materialia in Univerſo, hoc pacto nihil aliud futura ſint quàm meræ *Compages Mechanicæ* ſine ullo *Vitæ ſenſûſq*; Principio, Inanimáq; tantùm Inſtrumenta hujus *Spiritûs Naturæ*.

Octavò, Suppoſito quidem, quòd ſit hujuſmodi *Spiritus Naturæ* in rerum Univerſitate, id tamen tenendum eſt, eum ſe nunquam interponere, niſi *magnum* aliquod *incommodum* rerum Naturæ immineat, ut periculum Vacui, diſcontinuitatíſve partium Univerſi & ſimilia; verùm exiguis iſtis rebus adeſſe, ſuámve vim interponere, nempe ut Orbiculus ligneus à fundo Aquæ emergat, vel ut ſuſtentetur pondus Embolo Antliæ Pneumaticæ appenſum, operculúmve valvæ extremitatis Tubi in Aquam immerſi, ludicrum planè videtur, nec nobili *Naturæ Spiritu* dignum.

Nonò denique, Si hic *Spiritus* aliquando ſe interponit, nunquam tamen agit violentè & convulſivè ſed pacatè, & quàm conſonanter regulari corporum diſpoſitioni, quemadmodum fit in ritè conformatis ſaníſq; Animalium membris quando moventur. Adeò ut *Spiritus* hic *Naturæ* quantumlibet admittatur, neceſſaria tamen Inſtrumenta, Modi ac Methodi motûs, ſecundùm leges aliquas *Mechanicas* adhuc inveſtigandæ ſunt. Miſellum enim fore perfugium eis qui inter Philoſophos nomen ſuum profitentur, generalem hanc tantùm Phænomenôn Naturæ ſolutionem reddere, ſic nempe fieri quòd *Spiritus Naturæ* ità ordinaverit, nullis interim allatis Mediis Methodóve quibus effecerit, nec indicato Fine, uſu, aut propoſito *Spiritûs Naturæ* cur effecerit. Hoc enim non abſimile eſſet, atque ad occultas qualitates confugere, vulgare illud Ignorantiæ Aſylum.

17. Hæc præcipua ſunt Argumenta quibus Vir eruditus, dogma hoc de *Spiritu Naturæ*, & ſatìs quidem ingenioſè, convellere conatur. Quibus ordine, quàm breviſſimè potero, reſpondebo.

Ad primam, Principatum Dei Supremi, Creatoris ac Domini Univerſi majorem eſſe quàm qui huic anguſto Titulo Principii *Hylarchici* quadret. Quippe quum Deus non ſolùm *Hylarcha* ſit ſed *Holarcha*, ſive Ἄρχων τῶν ὅλων, Princeps Univerſi, non tantùm per *Spiritum Naturæ* in univerſam Mundi Naturalis Materiam agens, ſed per *Divinum Spiritum* in Spiritus Hominum atque Angelorum, totúmq; adeò Mundum *Divinum*. Puram verò *Divinitatem* Materiæ Mundanæ non eſſe immediatam Motricem ex eo planè conſtat, quòd id quod movet, in conatibus ſuis aliquando intricatur, eáque agit quæ propoſito fini repugnant. Cujus rei tam multa occurrunt exempla ut nullum unum, opus ſit proferre.

Ad ſecundam, Dico nec Rationi nec Senſui & Experientiæ magìs conſentaneum eſſe, ut *Mediæ* iſtæ *Eſſentiæ* ſuprà deſcriptæ locum obtineant *Spiritûs Naturæ* quàm è contrà: Non quidem *Rationi*, quemadmodum abundè patet ex eis quæ ſuprà de *Eſſentiis Mediis* diſſeruimus, oſtendimúſque quàm magnis difficultatibus iſta Hypotheſis oneretur: Nec verò *Senſui* & *Experientiæ*, quicquid enim Experientiæ, Eſſentias iſtas Medias probare poſſe videatur, idem *Spiritum Naturæ* in omnibus rebus corporeis Animali ordine inferioribus ex æquo ſaltem probaturum eſt. Súntque quædam Experimenta, quemadmodum moneo in *Enchiridio Metaphyſico*, quæ, licèt tales virtutes *Eſſentiales* fingerentur iſtiuſmodi corporibus ineſſe, ſine Motore ab eis diſtincto rectè explicari non poſſunt, ut in *Orbiculo è fundo Situlæ exurgent*, &c.

Ad tertiam, Reſpondeo Hypotheſin meam de *Spiritu Naturæ* non tantùm bellam eſſe ac venuſtam, ſed firmam atque ſolidam, nec Notionibus pro libitu fictis & concinnatis inniti, ſed ex ſenſibilibus, & ineluctabilibus experimentis demonſtrari, quemadmodum ſatìs patere poteſt ex *Enchiridio Metaphyſico*, & *Adnotamentis in duas Diſſertationes eruditi Authoris*. Impendióque certius eſſe *Eſſentias Medias* arbitrariis Notionibus inniti quàm *Spiritum Naturæ*, & talibus quidem quæ apertè confutari poſſint, cùm ſperem eruditum Autorem tandem deprehenſurum *Spiritum Naturæ* nullâ ratione poſſe confutari.

Ad quartam, Reſpondeo, Quædam effecta in Natura, inferiora eſſe quàm quæ Deo conveniant, eadémque majora & nobiliora quàm quæ aut nudæ Materiæ aut *Eſſentiis Mediis* ipſi inditis competant. Ut in experimento *Situlæ & Orbiculi lignei & id genus aliis apparet.* Ac proinde *Spiritus Naturæ* non ſine neceſſitate in rerum Univerſitatem introducitur, præſertim quando iſtæ *Eſſentiæ Mediæ* finguntur eſſe, cùm reverà exiſtere nequeant, utì ſuprà probatum eſt. Supponit verò eruditus Author exiſtere, & tum conqueritur de multiplicatione Entium ſine neceſſitate. Admiſſo autem Spiritu Naturæ ipſæ planè non-neceſſariæ erunt, opportunéq; prævertentur innumeræ iſtæ Generationum & Corruptionum, vel potiùs Creationum & Annihilationum multiplicationes, & priſca illa veritas locum rurſus obtinebit,

——————— Φύσις οὐδενός ἐστιν
Ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων.

Ad quintam, Nego poſt ullam vel accuratiſſimam examinationem fore ut conſtet, pleraque Phænomena (excepto ordine Animalium) à Principiis activis particularibus oriri, aut è rationibus merè Mechanicis ſine ope *Spiritûs Naturæ*, ſed potiùs è contrà illius ſolius ope ea fieri poſſe, immò quædam non poſſe fieri ſine illa, ut in Phænomeno *Gravitatis*, ſuppoſito *motu Telluris*, & in Emerſione *lignei Orbiculi* è *fundo Situlæ* & ſimilibus. Quinimo quamvìs Terra non moveretur, difficile eſt conceptu, quomodo internum ullum principium activum particulare, & quod non extenditur per Terram perinde atque per particulare corpus grave, hoc corpus grave ad terram deducat, cùm ſine hoc *communi Spiritu* nullus eſſe poſſit conſenſus corpus iſtud inter atq; Terram. Sed Telluris motu conceſſo, quem nemo ferè Philoſophorum nunc dierum negaturus eſt, res extra omnem controverſiam mihi poſita videtur, corpora gravia ſolida ac ſoluta neceſſario receſſura eſſe à Terra, ſi non ſit *Spiritus Naturæ*.

Ad ſextam, Reſpondeo, utrumcunq; ſit, nullum magnum incommodum conſequi, ſaltem non illa quæ Vir eruditus innuit ſequi. Quamvìs enim *Spiritus Naturæ* Spiritus eſſet per ſe ſubſiſtens & à Materia ſeparatus, ſed intra Materiam tamen, ut ſupponuntur *Intelligentiæ*; non tamen omninò ſequitur eum aut *Angelum* fore aut *Intelligentiam*. Poteſt enim nihilominus eſſe *Spiritus* tantùm *Plaſticus*, qui agat *vitaliter* in Materiam eámque moveat & tranſmutet ſecundùm *Leges Ideáſve* quaſdam *Vitales* eſſentialiter huic *Spiritui* inſitas. Qui initio quidem antecedenter planè egit in Materiam, cùm nulla rerum inchoamina eſſent quæ proſequeretur, ſed *Materia Mundana* abraſa eſſet Tabula. Et quidem ſi aliquanto arctiùs cum Materia Mundana uniri concederetur ità ut *Anima* vocari poſſet, nequaquam ſequitur ut ſit aut iſtiuſmodi Anima *immaterialis*, cujuſmodi Anima humana ſupponitur, cùm ratione ac libero arbitrio careat; aut talis Anima *Materialis* qualem vir eruditus fingit in Brutis, ut ſit *Eſſentia Media* inter Subſtantiam & Accidens. Non eſt tam vilis Recula quantùm ad *Eſſentiam*, nec certè neceſſe eſt eſſe tam nobilem ut omnes Brutorum ſenſus adæquet. Sed quoad ſenſum *Zoophyti* potiùs animam referre poteſt, ità ut Mundus Materialis cenſendus ſit ingens quaſi quoddam *Zoophyton* ex *Spiritu* hoc *Naturæ* ac Materia *naturali* Mundana conſiſtens. Ullum verò motum, ſenſum, perceptionem, aut appetitum ipſi Materiæ ineſſe nequaquam concedendum eſſe exiſtimo. Cui ſententiæ eruditum Autorem novi facilè aſtipulaturum.

Ad ſeptimam, Nullas formas *particulares* ſive *ſpecificas*, præter *Spiritum Naturæ*, rebus ullis Materialibus ineſſe cenſeo, niſi *Animalibus*. Animalia verò omnia proprias ſuas Formas Animáſve habere exiſtimo, earúmque *Plaſticas* cum *Spiritu Naturæ* cooperari in formandis aut perficiendis ſaltem ſingulorum Animalium corporibus. Has verò Animas minimè eſſe ſuperfluas aut non-neceſſarias, quippe abſq; eis eſſet, Animalia eis ſenſibus ac voluptatibus, quibus fruuntur, carerent. Reliquæ verò res corporeæ infra ordinem *Animalium*, cùm ad ſenſus ac perceptiones voluptatum ſigillatim non deſtinarentur, nihil opus erat ut eæ animas haberent diſtinctas à *Spiritu Univerſi*. Quas tamen meras proinde *compages Mechanicas* eſſe omnino nego, aut quoad *Formationem* aut quoad *Informationem*. Neq; enim formantur ex motu merè *Mechanico*, prout *Carteſius* fingit, ſed *Vitali*, *Spiritu Naturæ* Materiam ubiq; ordinante, & in *Symphymata* coagmentante, aut quovis alio modo diſponente ac modificante. Nec ſanè *Informatione* ſive Formâ informante deſtituuntur, cùm perpetuò ſub qualicunq; modificatione, à *Spiritu Naturæ* actuantur, ut partes ingentis illius *Zoophyti*, quod *Univerſum*, *Mundúmve* vulgò appellamus.

Ad octavam, *Spiritum Naturæ* per univerſam Mundi Materiam percurrere ſtatuo, nec uſquam eſſe otioſam, ſed omnes rerum compages aliquo modo actuare, conſervando aut mutando, efficiendo aut perficiendo, aut huc illuc movendo, idque ſecundùm generales aliquas Leges *Vitales* atq; *Ideales* quemadmodum *Divina* Sapientia præſcripſerit, eáſq; *Spiritui Naturæ* indiderit, non quidem *Intellectualiter* ſed *Vitaliter*: Quas igitur ille pro re nata mutare non poteſt, nec ſe ab agendo ſuſpendere, ſed generali legi atq; inſtinctui *Vitali* obſequens, rebus admodum exiguis ordinandis operam dare deprehenditur, ut *Orbiculo ligneo levando è fundo aquæ, ſuſtentando ponderi & levando Embolo Antliæ pneumaticæ appenſo*, & *operculo valvulæ in valvulam firmiùs premendo*, in *Tubo in aquam immerſo*, etiam contra ſuum propoſitum. Quæ omnia ludicra aut inepta meritò videri poſſunt ſola conſiderata; ſed ſi memineris hæc particularia eſſe effecta generaliſſimarum illarum & utiliſſimarum Legum *Spiritui Naturæ* inſitarum, quæ jubent, ut corpora pro ſua aut particularum ſuarum ſoliditate diſponantur, & debita ac naturalis Elementorum conſiſtentia ubique conſervetur, quæ maximi profectò momenti eſt in genere ut fiant, ludicra quidem & inepta hæc Phænomena non apparebunt, ſed ſolertiæ conſtantiæq; Naturæ ad minima quæq; deſcendentis luculenta Teſtimonia. Ut verò *Spiritus Naturæ* Navem onuſtam in aquis ſuſtentet, Orbiculum verò ligneum in fundo Aquæ jacere ſinat, quoniam non tanti momenti eſt ut exurgat, opus eſſet quod *Intelligentiam* potiùs deceret, cui ineſt Ratio, liberum Arbitrium, dijudicandíq; facultas, quàm *talem Spiritum* cui an ſenſus ullus inſit, nondum ſatis conſtat. Satis interim auguſtam ac magnificam Provinciam nobilis hic *Spiritus Naturæ* habet dum univerſam Mundi Materiam, utpote cui nullus Motus vitáve per ſe ineſt, ubiq; aliquo modo actuat & informat, omniúmq; Formarum Materialium ſive Eſſentiarum Mediarum, (quarum natura & origo tam obſcura eſt & intricata) vices ubique ſupplet. Quantùm enim ad Brutorum Animas, ſubſtantias immateriales eas eſſe puto, quæ poſt mortem maneant in Materiam ritè præparatam rurſus ingreſſuræ. *Beatæ* verò *Immortalitatis* ſemper eſſe incapaces, quippe quæ virtute carent ac libero arbitrio, Rationiſq; ac Religionis ſunt expertes.

Ad poſtremam denique; Heic eruditum Authorem perlubenter rogare vellem, quibus modis aut Inſtrumentis Deus rerum omnium Opifex Mundum univerſum adeóque hunc ipſum *Spiritum Naturæ* ſuáſve Eſſentias Medias, ſi non ſit *Spiritus Naturæ*, creaverit? Per nihil aliud proculdubio quàm per ſuam æternam Sapientiam atq; Omnipotentiam immenſámq; Bonitatem Idearum omnium menſuram. Ità ſanè *Spiritus Naturæ* Inſtrumentis nullis Mechanicis indiget ad ordinandam Materiam Mundanam præter propriam ſuam *Vitam Idealem* ſive *Plaſticam* à ſapientiſſimo Deo ipſi inſitam. Quæ Leges omnes generales ſpecialioréſque (nempe quæ ad magìs particulares rerum purè Materialium Species ſpectant, ut Ignis, Aquæ, Arboris & ſimilium, & fortaſſis earum etiam quæ particulares Formas immateriales habent ut Animantes omnes) in ſe *vitaliter* quidem quanquam non *intellectualiter* complectitur. Quarum virtute immediatè agit in liquidiſſimam maximéq; homogeneam *Phyſicarum Monadum Abyſſum*, ſine Organis ullis Inſtrumentíſve *Mechanicis*, quippe qui Principium eſt quod hæc omnia antecedit, ut *Principium* illud in *Ovo* quod omnium Organorum Mechanicorum ipſum expers, Pullum tamen perquam affabrè in membra animalia organizat; ſive ſit ipſa *Anima Pulli Plaſtica* ſola ſive conjunctim cum hoc *Spiritu Naturæ*, quem probabiliſſimum eſt prima ſaltem lineamenta ducere & ſic materiam præparare in idoneum receptaculum *Animæ Pulli*. In Plantis verò formandis, quippe quæ particularibus animabus carent, opus totum eſt *Spiritûs Naturæ*, ut in reliquis omnibus inferioribus Generationibus. Ubi *Spiritus Naturæ* ſolus eſt Principium Matutinum ſive Activum.

Spiritum verò hunc *Naturæ* nunquam agere violentè & convulſivè, ſed pacatè & quàm conſonanter regulari corporum diſpoſitioni lubens agnoſco, niſi arte aliquâ impediatur quo minùs naturalem ſuum curſum teneat atq; ordinem. Videtur enim ex impeditionibus & inordinationibus aliquibus in quendam quaſi furorem aliquando prorumpere & violentiam, ità ut corpora interdum diffringat quo rectus ordo reſtituatur. Regularis verò corporum diſpoſitio eſt ab hoc ipſo *Spiritu Naturæ*. Paucas id genus Regulas notavi in *Enchiridio Metaphyſico*; Multæq; proculdubio leges quæ vocantur *Mechanicæ* ſunt ipſæ leges *Vitales* hujus *Spiritûs Naturæ*. Quas Obſervatio eruere poteſt & exponere, methodóſq, hujus *Spiritûs Naturæ* in Phænomenis producendis notare, & fines denum ac ſcopos Legum illius explicare. Ut in lege illa deſcenſûs corporum ſolidorum verſùs Centrum Terræ, & in ſexcentis aliis, ac præſertim in organizatione partium *Animalium* & *Plantarum*, quibus immenſum eſſet heic inſiſtere.

Cap. 13. Sect. 10.

Hanc verò ſolam rationem reddere Phænomenôn Naturæ, quòd ſic ſint quia ſic *Spiritus Naturæ* ordinavit, valdè ineptum, fateor, foret atq; frigidum. Naturam verò *Principii Hylarchici* ſive *Spiritûs Naturæ* rectè definire, illiúſq; exiſtentiam in rerum univerſitate demonſtrare, finéſq; præcipuè ſingulorum Phænomenôn cauſas ritè explicare ordinémq; in eis gignendis, ut in formatione Pulli, fideliter enarrare, veriſſimam conſummatiſſimámq; philoſophandi rationem eſſe exiſtimo. Merum verò Motum *Mechanicum* Mundi Phænomena neceſſariò producturum eſſe, ſic quidem ſtatuere, Philoſophari non eſt, ſed immaniter delirare, & fœdiſſimè tum contra Religionem tum contra Philoſophiam ipſam peccare, Divinámque Sapientiam è rerum Natura penitus expungere. De *Eſſentiis* verò iſtis *Mediis* ſive Principiis *particularibus materialibus Activis* quid cenſendum ſit ſuprà ſatis indicavi.

Intereà igitur loci ſatis liquet ad *Spiritum Naturæ* intra Naturæ limites recurrere tanquam ad veram Activam Originem Phænomenôn omnium inanimatorum Univerſi, hoc eſt, animabus particularibus deſtitutorum, non eſſe ſimile atq; ſi quis ad occultas recurreret qualitates, non magìs certè quàm cùm, ex contemplatione totius Univerſi ad *Deum Divinámve* illius *ſubſtantiam* recurrimus, tanquam ad primam omnium Cauſam ipſiúſque adeò *Spiritûs Naturæ*, omniúmq; Formarum immaterialium. Verùm, quemadmodum ex effectis in rerum Natura quæ *Materiam Spiritúmq; Naturæ* pariter excedunt, non ad occultarum qualitatum ſed ad *Divinæ* cujuſdam *Subſtantiæ* notitiam pervenimus; ità ex effectis quæ viliora ſunt quàm quæ huic *Divinæ Subſtantiæ* competant, nobiliora verò quàm ut à Materia ipſa aut à Principiis ullis materialibus particularibus Activis, ſive *Eſſentiis Mediis* produci poſſint, non ad *occultas* quidem *Qualitates* nec ad *Eſſentias Medias*, ſed ad veram quandam ſubſtantiam à *Materia* ac *Deo* diſtinctam methodo luculentâ ac neceſſariâ deducimur.

18. Quâ quidem repertâ atque agnitâ mens humana innumeris difficultatibus, circa *Eſſentias Medias*, *Formarúm*que Materialium *Originem*, circa *Condenſationem* & *Rarefactionem* & id genus reliqua, quibus hìc immorandi non eſt locus, perquam commodè opportunéque liberatur, nec ullis quidem novis irretitur Incommodis, quemadmodum ſpero me jam ſatis clarè demonſtrâſſe. Atq; hanc quidem *Generalem Examinationem Adnotamentis* præfigendam eſſe cenſui, ut in *Scholiis*, ſive eruditi Authoris ſive aliorum gratiâ adnectendis, majus fiat operæ compendium.

ADNOTAMENTA
IN DUAS
Ingenioſas Diſſertationes:
ALTERAM,
Tentamen de GRAVITATIONE
ET
NON-GRAVITATIONE
CORPORUM FLUIDORUM;
ALTERAM,
Difficiles Nugas,
SIVE
OBSERVATIONES circa EXPERIMENTUM
TORRICELLIANUM
Appellatas,
Quatenus ad loca aliqua in *Enchiridio* ſuo *Metaphyſico* ſpectent.

Per *H. M.* CANTABRIGIENSEM.

Ἡ φύσις ȣ̓δὲν μάτην ποιεῖ. Ariſtot.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

Z z

PRÆFATIO AD LECTOREM.

M*oleſtiam hanc Præfationis, amice Lector, tibi exhibere noluiſſem, niſi quòd pro locutione quadam, quam paulò frequentiùs in* Adnotamentis *meis occurrere obſervavi, quæ ſibi immane quantum paradoxa videri poſſit, ſi non omninò abſurda, Apologiam meditarer. Eſt autem* Gravitatio ſurſum. *Eâ verò uſus ſum ab exemplo eruditi Autoris, in cujus* Diſſertationes *hæc mea* Adnotamenta *feci. Quamobrem, quò meliùs dijudices in quantum probanda improbandáve ſit hæc loquendi formula, quóq; ſimul opportuniùs illud tibi proponam, quod ad meliorem forſan Intellectûs tui in Theorematis* Hydroſtaticis *illuſtrationem tendat, ſimplicem tibi Hypotheſin deſcribam, quâ naturalis illa ponderatio, libratio, ſive Gravitatio explicetur, quam Philoſophi in* Materia Fluida *hujus Mundi terreſtris ſe deprehendere ſupponunt.*

Primò igitur, Imaginemur Tellurem noſtram ſolâ illâ materiâ ſubtili, quam Carteſius *adeò curioſè deſcripſit, circundatam; vel ut planiùs dicam & apertiùs, puro illo ac ſubtili* Æthere, *qui corpus liquidum eſt tantæ quidem ſubtilitatis ut facilè corpora omnia aliquo modo, ſed abundè præter cætera poros vitri penetret.*

Secundò, Conſideremus quemadmodum plumbeæ granedulæ, ſabulum, argentum vivum & ſimilia in Aqua poſſunt ponderari; Frumentum verò, Palea, Uvæ Corinthiacæ & id genus alia in Aere, quódq; ſubſident vel contraponderabunt alia aliis in dictis Elementis; quòd ad eundem modum horum ipſorum Elementorum Particulæ, Aeris putà atq; Aquæ, vaporéſq; in eis contenti, librantur quaſi & ponderantur in hoc magìs Univerſali Liquido Ætheris.

Tertiò, Particulæ Argenti vivi, Aquæ, Vaporum, Aeris, & ſummatim quicquid in hac Atmoſphæra quam appellitant, continetur, ſi nullum adſit Impedimentum, noviterve emergens Mutatio, ſecundùm ſoliditatem *ſuam, præſertim verò particularum ſuarum ex quibus conſiſtunt, (putà Aer, Aqua, Argentum vivum,) in hac libratione collocantur, prout declaravi, in primo Axiomate* Hydroſtatico, Enchirid. Metaphyſ. cap. 13. ſect. 10.

Quartò, Quòd aliquo quidem ſenſu, omnes partes ac particulæ Atmoſphæræ, *nè tenuiſſimo aere excepto in illius* Convexitate *poſito, gravitant; ſic utique, ut ſi per aliquam occaſionem altiùs elevarentur dictâ* Convexitate, *tenues iſtæ aeris partes ad eandem rurſus æquè certò deſcenſuræ eſſent, atq; vapores in rore ſuper gramina campi, pulviſve excitatus in Cameræ Aream ſive Pavimentum.*

Quintò, Quòd hoc ipſum quod Gravitatem *appellamus, nihil aliud eſt niſi Capacitas in partibus ſive particulis* Atmoſphæræ *quâ collocari poſſint ſecundùm ſuam* ſoliditatem, *per illud, quicquid ſit, quod illas movet ſive diſponit.*

Sextò, Poſtquam hæ fluidorum *corporum particulæ in* Atmoſphæra *pro differentia ſuarum ſoliditatum ſic diſpoſitæ ſunt, ut* Principii moventis *Leges requirunt, non premuntur tunc aliæ ab aliis, ſed quantùm ad ullam actualem* Gravitationem *aliarum in alias, revera quieſcunt.*

Septimò, Hæc Soliditatis *diverſitas in particulis cauſa eſt, cur Elementa, liquidáq; corpora in* locis *tam differentibus &* conſiſtentiarum *adeò differentium, videamus. Ut Argentum vivum infra Aquam, Aquam infra Aerem, craſſiorem Aerem infra tenuiorem, &* conſiſtentias *ipſorum pari diſcrimine.*

Octavò, Quanto ſolidiores *ſunt particulæ in corporibus* fluidis, *eo fortior eſt ipſorum* Conſiſtentia, *perinde atque* Gravitas *indidem major.*

Nonò, Quemadmodum Movens *ſive* diſponens Principium *diverſa* Liquida *ad tam diverſas* Conſiſtentiæ *differentias actione* Poſitivâ *perduxit, ità in eadem* Conſiſtentia, *per conſimilem actionem* Poſitivam *ſive vim, licèt ex occaſione mutabilem ſeu vincibilem, illa conſervat.*

Decimò, Quòd admodum firma poteſt eſſe in liquidis Conſiſtentia *ſine ulla omnino* Reſilientia *ſive* Elaſticitate, *quemadmodum fit in Argento vivo & Aqua. Quæ minimè ſunt* compreſſibilia.

Unde-

Vndecimò, Quòd compreſſibilis eſſe poteſt Conſiſtentia ſatis firma, ubi aut nulla aut admodum exigua ſit partium Elaſticitas. Id quod facilè deprehendi poteſt dum quis madidum manu comprimit conſtringitve ſudarium. Atque hujuſmodi compreſſibilis Conſiſtentiæ eſſe poteſt hic noſter inferior Aer, quippe ſpiſſis vaporibus refertus conſiſténſq; etiam ex craſſioribus Aereis particulis.

Duodecimò, Quòd omnes ponderationes, ſuſpenſiones ſive librationes corporum gravium liquidorum, non quidem fiunt per merum perpendicularis preſſuræ alterius corporis contrapondium, quippe quæ fieri queunt per firmitudinem ſive vim propriæ ſuæ Conſiſtentiæ. Hoc loquor cum reſpectu ad Experimentum Torricellianum, & ſuſpenſionem Aquæ in Antliis & Syringibus, quæ hâc ratione omnium facillimè explicantur & intelliguntur, ſupponendo utique tam fortem conſiſtentiam in inferiori hoc Aere, ut illius firmitudo ponderi putà 29 unciarum Mercurii in Tubo, vel 34 pedum Aquæ in Antlia reſiſtere valeat, frangatur verò pondere 30 vel 31 unciarum Mercurii, & 35 vel 36 pedum Aquæ, compreſſionémq; patiatur uſq; ad intromiſſionem ſubtilis Liquidi ſive Ætheris, (in quo tota Atmoſphæra libratur) in Vitrum vel Antliam, quò Mercurius vel Aqua capax fiat deſcenſûs. Cúmq; 29 unciæ Mercurii cum 34 pedibus aquæ in Tubo ejuſdem diametri, paris ſint ponderis, manifeſtum eſt, quòd hoc ſit pondus quod aut firmitudinem conſiſtentiæ Aeris, aut pondus illius adæquat, aut utraq; conjunctim.

Decimotertiò, Cæterùm in hoc Theoriæ hujus vertitur curioſitas, utrùm hæc ſuſpenſio putà Mercurii in Tubo intelligenda ſit fieri per perpendicularem preſſuram ſive actualem gravitationem Aeris in Mercurium reſtagnantem, an verò, quod paulò antè monui, per firmitudinem illius Conſiſtentiæ, quippe qui non comprimitur pondere quod non majus ſit quàm 29 unciarum Mercurii; ac proinde cùm nullum ſit Vacuum nec Dimenſionum penetratio, neceſſariò præpeditur motionis Circulus, Mercuriúſq; ad eam altitudinem ſubſiſtit. Ad quod, quantum ego quidem exiſtimo, hæc tutò reſponderi poſſunt.

Primò, Quòd poſtquam Mercurius ad viginti novem Vncias delapſus ſit, libratio quædam fiat inter Aerem conjunctim cum Mercurio reſtagnante & Mercurium in Tubo. Nam pro quantitate Aquæ infuſæ ſuper Mercurium reſtagnantem, Mercurius in Tubo altiùs aſcendet. Atque hoc eruditus Author, in quem Adnotamenta feci, appellabit Gravitationem ſurſum, quippe quòd illius tendentia ſit verſùs Materiam ſubtiliorem in ſpacio Vitri derelicto. Neque multùm abſimilis eſt hæc libratio illi quæ in Siphone cernitur, cujus crus alterum altero ſit longius. In quem poſtquam Mercurium indideris (qui ſtatim ſe in utroq; crure ad æqualem altitudinem componet) ſi in altius crus aquam infundas, Mercurius in altero proportionaliter aſſurget. Quod rurſus genus quoddam eſt Gravitationis ſurſum contra tenuem Aerem, reſpondétq; aſcenſui ſive Gravitationi Torricelliani Mercurii in Tubo contra ſubtilem Ætherem illîc imminentem. Attamen partes ſic libratas in hoc Liquido ſubtiliſſimo (in quo tota Atmoſphæra per movens diſponénſve Principium in æquilibrio ſuſpenditur) poſtquam in debito ſuo libramento conſtitutæ ſint, alias in alias premere, intérve ſeſe gravitare, conſtantiſſimè pernego.

Verùm, ſecundò, dico Firmitudinem Conſiſtentiæ Aeris, quatenus Materiam ſubtilem intra ſe retinet, eſſe quaſi filum Libræ ſive Bilancis, quod ſi rumpitur, * vel quouſque rumpitur aut relaxatur, eouſq; Mercurius in Tubo ſubſidet.

Et tertiò, Quòd Mercurius hoc filo Firmitudinis Conſiſtentiæ Aeris non autem per actualem Gravitationem Cylindri Atmoſphærici, æqualis diametri, in Mercurium reſtagnantem, ſuſpenditur, ab iſto Experimento apparet, ubi Mercurius in Tubo non ſubſidit, quanquam vas Mercurii vitro ſatìs arctè claudatur, atque itâ preſſura quæ ſupponitur Cylindri Atmoſphærici intercipiatur, valvuláq; ſatìs commoda fabricetur quæ ad lapſum Mercurii aerem emiſſura eſſet, cùm nullum interim aerem eſſet intromiſſura. Quam valvulam, pondus, putà, decem librarum Mercurii non poſſet quin aperiret, ſi Atmoſphærici Cylindri pondus eſſet, quod decem librarum Mercurii pondus in Tubo antea ſuſtentaverat.

Nec, quartò, Elater eſſe poteſt Aeris vitro incluſi qui Mercurium in Tubo ſuſtentet, cùm tantum eum eſſe oporteat, ut non minus quàm decem librarum Mercurii pondus ſuſpendat. Quòd ſi Elaſticitas Aeris tanta ſit & tam fortis (ſi conſideremus ſubtilitatem partium Aeris quæ hunc Elaterem conſtituunt, quæ impendiò ſubtiliores & tenuiores, & ex conſequenti acutiores ſunt cujuſvis Novaculæ acie) impoſſibile eſt quin ſumma cum facilitate Mercurium ſcindant, eúmq; ſic penetrantes bello iſti facinori cui deſtinatæ ſunt, inutiles reperiantur. Vt taceam præſtantiſſima Argumenta eruditi Autoris in quem Adnotamenta ſcripſi, quibus mihi videtur, moder-

num iſtud monſtroſæ Elaſticitatis *Aeris Paradoxon, quod tamen eximia quædam Ingenia tantopere foverunt & amplexati ſunt, funditus ſubvertiſſe.*

Quamobrem, poſtremò, nè Lectorem diutius, minùs neceſſariâ Præfatione detineam, Ex eis quæ dicta ſunt, facilè perſpiciet, quòd Gravitatio ſurſum *locutio ſit quæ ſuâ quidem ratione omnino non careat; quippe cùm talis libratio ſurſum, in tenuius Elementum terminetur, quemadmodum fieri ſolet in omni vera & propria* Gravitatione. *Et obſervare interim poteſt nullam eſſe propriam* Gravitationem *niſi in iſtiuſmodi circumſtantiis, ubi* gravius Fluidum *nitatur in* levius, *partes verò* gravis Fluidi *non omnino premere aut gravitare inter ſe, nec* levius Fluidum *in gravius, ſed moveri junctim per* illud Principium *quod ità ea diſponit quemadmodum ſuprà deſcripſi; & conſiderare denique apud ſeipſum, an non multo veriſimilius ſit quòd ſit ejuſmodi* Elementum ſubtile *omnia corpora penetrans in quo illa, vel (ut compendiò loquar) tota* Atmoſphæra *libretur, quódq; ſimiliter ſit inferioris hujus Aeris* Conſiſtentia *illa vincibilis, quàm quòd ſit* Tenſio *iſta pro qua eruditus hic Author contendit; (quæ tamen ſine penetratione dimenſionum eſſe non poteſt, nec quomodo talis extenſi* Funiculi *partes inter ſe cohæreant facilè concipi) aut ſit tam monſtroſa (quam opinionem pari ſtudio impugnat hic Author atque alteram tuetur) Aeris preſſura* Elaſtica, *actualiſque Gravitatio partium ejuſdem Elementi in ſe invicem, cùm particulæ ſint ejuſdem ſoliditatis. Quod quidem quemadmodum ſolidiori penetrantiorique Rationi (quæ finales rerum cauſas inquirit rectéq; ſapit præſtantiſſimum illum* Ariſtotelis *Aphoriſmum,* Natura nihil facit fruſtra) *apertè repugnat, ità ſanè manifeſtò communi ſenſui contrariatur, & compertiſſimæ experientiæ. Equidem Hypotheſin quam hìc breviter deſcripſi, ego utràvis prædictarum multo minùs obnoxiam cenſeo. Sed enimverò ſi quis aliter ſentiat, probè novi libertatem philoſophandi commune eſſe jus eorum omnium, qui bonâ fide profitentur ſe liberos eſſe Philoſophos, aliiſque lubenter concedunt ut liberè philoſophentur.*

SCHOLIA

In Præfationem.

V*El quouſque rumpitur aut relaxatur, eouſque Mercurius in Tubo ſubſidet.* Operæ pretium cenſui hìc monere, nullam magis probabilem eſſe Hypotheſin quæ iſtud *Barometri* Phænomenon (cœlo nempe humido pluvióque Mercurium deſcendere, aſcendere autem ſicco & ſereno) commodè explicet quàm hæc noſtra. Phænomenon ſcilicet reſolvi debere in *Fili Libræ* ſive *Bilancis relaxationem.* Alioqui veriſimilius videtur, ut, quemadmodum ſuperinfuſâ Aquâ in Mercurium reſtagnantem Mercurius in Tubo altiùs ſurgere deprehenditur, ità Aere humidiore ac ſpiſſiore facto Mercurius etiam in Tubo altiùs ſit aſcenſurus; contrà quàm teſtatur ipſa experientia, cùm ſenſibiliter tunc ſubſidere cernatur. Cujus rei cauſam exiſtimo quòd *filum Bilancis* ſive libræ relaxatur, hoc eſt, major Materiæ ſubtilis copia, dum conſpiſſatur vaporibus Aer, per poros vitri tranſmittitur quàm antea, cùm Aer minùs eſſet conſpiſſatus, vaporibus per Atmoſphæram magis diſperſim volantibus & loca ſuperiora occupantibus. Cùm tamen ſive ſic diſperſi jaceant, ſive pars ſaltem magis confertim congregantur & quaſi comprimuntur, pondus Atmoſphæræ idem ferè ſit. Ut in vaſe Aquæ, cui cœnum inditum ſit, ſive cœnum ſubſidat versùs fundum vaſis, ſive motu aliquantulum cieatur & per totam aquam diffundatur, idem præter propter, erit Aquæ Cœníque ſimul ſumptorum pondus. At verò vapores in inferiore hoc Aere dum magis conſpiſſantur & comprimuntur, Aérq; adeò denſior fit, neceſſariò Materia ſubtilis, cùm nulla ſit dimenſionum penetratio, eliditur & quaſi exprimitur, quæ quidem propterea

Quà data porta ruit———

& quoquoverſum reſiliens in poros vitri pars ſe induit, perinde atque pars ſurſum ferri poſſit. Atque hinc fit illa *Fili Bilancis Relaxatio* novâ Materiâ ſubtili in vitrum ingrediente, Mercuriiq; in vitro, tanquam ponderis in altera lance, *filo relaxato,* deſcenſus, *&c.* Hanc ego veram credo ac genuinam hujus Phænomeni, hoc eſt, Problematis circa hoc Phænomenon, ſolutionem. Videat Lector, qui hiſce in rebus magis ſit exercitatus.

ADNOTAMENTA
In TENTAMEN de
Gravitatione & Non-Gravitatione
CORPORUM FLUIDORUM.

In CAPUT Secundum
Adnotamentum primum.

De Gravitate & Gravitatione, *quòd nihil aliud in genere ſint quàm* Mobilitas & Motus actualis, & *quibus ex rebus fas ſit concludere* Motum actualem *corpori alicui ineſſe.*

IN hoc Capite ea dicuntur quæ inter ſe pugnant. Nam in ipſo Capitis introitu, eruditus Author aſſerit *Gravitatem* qualitatem eſſe corporum *intrinſecam* quâ deorſum tendunt Terræ centrum versùs; & tamen poſtea prope finem Capitis affirmat Ignem rectè dici poſſe *gravitare ſurſum*, &c. Jam verò ſi iſta definitio vera ſit quòd *Gravitas* qualitas ſit corporum *intrinſeca* quâ tendunt versùs centrum terræ, ſive per Gravitatem intelligatur *facultas* ſeu capacitas ſic tendendi, ſive *actuale* illius *exercitium*, neutro modo Repugnantiam poſſumus evitare. Etenim ſi *actuale exercitium* intelligatur, illa ipſa *Gravitatio* eſt. Quæ cùm hìc affirmetur tendentia eſſe corporum deorſum Terræ centrum versùs, repugnat planè ùt tendentia eorum ſurſum ſit *Gravitatio*, ſed *Levitatio* eſſet potiús. Quodſi per *Gravitatem* intelligatur *Capacitas* tantùm tendendi deorſum Centrum versùs, illius tamen *Actualitas* erit *Gravitatio*, quemadmodum *Levitatis levitatio*; ac proinde ſecundùm hanc *Gravitatis* Notionem deorſum tantùm eſſe poteſt, cùm tamen eruditus Author poſtea aſſerit *Gravitationem* eſſe etiam *ſurſum*, quæ mihi, inquam, aperta videtur Contradictio.

* Sed enimvero mallem emendationem interpretari prioris Aſſertionis, quódq; affirmando *Gravitationem* ſurſum eſſe perinde atque deorſum inſinuare velit quòd reverà, (contra eum ſenſum quo *Gravitas* & *Gravitatio* in Scholis intelliguntur) æquè ſurſum, tranſverſim, & obliquè ſit atque deorſum, cùm nequaquam ulla ſit talis Gravitas ſive Gravitatio, qualem Scholæ ſomniant, hoc eſt, ab aliqua *inhærente* qualitate corporis ipſius, quæ appellari poſſit *Gravitas*, ſed merum tantummodo ſit *Idolum Fori* (quemadmodum *Verulamius* appellaturus eſſet) falſa utique Notio vulgari uſui ac ſenſui illius vocabuli adhærens. Quod meo quidem judicio eruditus Author apertè agnoſcit, & ex conſequenti vulgarem iſtam Notionem explodit, in iſtis verbis quibus affirmat, *Quòd Gravitatio nihil aliud ſit quàm Motus aut Niſus ad motum ſecundùm lineam directionis ejuſdem :* & paulò antè, *Quòd Gravitatio nihil ſit aliud quàm Motus aut ſaltem Conatus ſive Niſus ad motum.* Quod quidem, quantum ego exiſtimo, falſam illam *Gravitatis* & *Gravitationis* notionem quam Vulgus Scholæq; amplectuntur, penitus tollit. Etenim æquè manifeſtò ſequitur ex negatione omnis naturæ *intrinſecæ* Gravitationi præter *Motum* ſive *Niſum* ad motum, quòd Scholaſtica illa *Gravitatio* ſpecificáve illius natura expungatur, quàm quòd ex negatione, quòd Homo quicquam aliud ſit præter Animal vitâ ſenſuq; præditum, Hominis natura ſpecifica è rerum Univerſitate tollatur.

Prima igitur pars hujus primi mei Adnotamenti hæc erit : Quòd etiam juxta ſententiam hujus eruditi Authoris nihil ſit in corporibus præter *Mobilitatem* & *Motum actualem*, aut *Niſum* ad *motum*, utcunque iſta Attributa oblarvari poſſint ſub vulgaribus Phaſeologiis, *Gravitatis* & *Levitatis*, *Gravitationis* & *Levitationis*. &c. 1.

Secundò, Quòd Author, quanquam in Diſſertationis ſerie, vulgaribus iſtis locutionibus utitur *Gravitatis* & *Gravitationis*, recordari tamen debet quòd verus ac Philoſophicus 2.

loſophicus earum ſenſus nihil aliud ſit quàm *Mobilitas* & *actualis Motus* vel *actualis Niſus* ad *Motum :* Qui ſi conſideretur ſecundùm ſuam directionem versùs Centrum Terræ, magis ſpeciali Nomine *Gravitatis* vel *Gravitationis* inſignitur.

3. Tertiò, Si cautè ac ſeveriter philoſophari volumus, non debemus imaginari hunc *actualem Motum*, *actualém*ve *Niſum* ad motum ulli ineſſe corpori, niſi certo ſenſu aut ratione illic eſſe deprehendatur, ſed potiùs inibi non eſſe, poſtquam diligenter duabus illis facultatibus ad illius detectionem uſi ſimus, nec tamen nobis appareat.

4. Quartò, Nec ſenſu deprehendi poteſt nec ratione, ex eo quòd Aqua, verbi gratiâ, celeriter aſcendit in Tubum in aquam immiſſum, digitóq; in inferiori orificio obturatum, & mox apertum, quòd ullus antea in aqua *motus* eſſet *actualis* ſurſum, ullúſve *actualis Niſus* ad iſtiuſmodi motum, ſed quantùm ad ullum id genus Motum, omnino quieſceret.

5. Quintò, Si celeris aſcenſus Aquæ in talem Tubum ſolido ſit argumento actualis Niſûs Aquæ ſurſum, etiam tum cùm nullam nactus ſit occaſionem manifeſtandi ſeipſum, Celeritas quidem aſcenſûs Aquæ tanta eſt & tam propè æqualis Aquæ deſcenſui in Tubo aquæ recurvo cum una extremitate in aerem aperta, poſtquam in Aquam immerſus ſit, (alterum intelligo illius orificium digito ſimiliter obturatum & mox apertum rurſus poſtquam ad debitam profunditatem ſit demiſſum) ut *actualis* Aquæ *Niſus* (ſuſpenſæ putà in ſitula) ſurſum & deorſum futuri ſint fermè æquales. Unde fieret ut Aqua nullum omnino pondus habitura eſſet. Ità ut altera ſitula ejuſdem ponderis ac menſuræ, omníq; aquâ vacua, plenæ huic æquilibris foret.

6. Unde ſextò & ultimò ſequeretur, cùm tantum pondus à ſitula aquæ plena cum *actuali Niſu* deorſum perſentiſcimus, quòd ſubſtantiam aliquam eſſe oportet ab Aqua diſtinctam, quæ motum ejus illorſum dirigat. Cæterùm hæc Obſervatio eſt præter præſentem ſcopum. Reliquæ ſaltem utiles erunt ad rectam utrinque intelligentiam eorum quæ in ſequentibus Adnotamentis occurrerint.

In CAPUT Tertium

Adnotamentum Secundum.

Utrùm Motus deorſum ad ſolida *corpora pertineat quatenus talia, An verò quædam Fluida fortiorem id genus tendentiam non habeant, quàm quædam* ſolida *Corpora.*

IN principio hujus Capitis videtur Author affirmare, quòd *Actualis* preſſura Conatúſve ad motum versùs Centrum Terræ, ad corpora *ſolida* pertineat quatenus talia, ad *Fluida* verò tantummodo quatenus reduci poſſunt ad *ſolida* includendo ea in aliquod vas; cùm tamen manifeſtum ſit quòd quædam corpora *fluida* fortiorem habent preſſuram versùs Centrum Terræ, quàm quædam corpora *ſolida*. Ità pro ratione molis, Aqua fortiùs premit versùs Centrum quàm pleraque ligni genera, & Argentum vivum quàm pleraque genera Metallorum. Unde manifeſtum eſt quòd *Gravitas* non æſtimanda ſit à *fixatione* partium, ſed à *ſoliditate* particularum, quas *Principium* illud, quod *Mundanam Materiam* gubernat, perinde ordinat diſponítque.

Adnotamentum Tertium.

Vera ratio cur partes corporum ſolidorum *aliæ in alias non gravitent.*

IN eo etiam erràſſe cenſeo, quod ait *pag.* 15. *l.* 3. Quòd tametſi corpora *ſolida* actualiter gravitant, partes tamen non gravitant aliæ in alias propter mutuam *Mechanicam*que alterarum ab alteris ſuſtentationem ſtatúmque *Continuitatis*. Nam primùm, *Continuitas* & *fixatio ſolidorum* corporum in Natura, *Mechanica* non eſt ſed per συμφυσιν. Et deinde, quòd partes aliæ in alias non gravitant, non fit propter earum *Continuitatem*, ſed propter *Homogeneitatem* potiùs *æqualém*ve particularum *ſoliditatem*. Unde fit quòd in *Fluidis* homogeneæ naturæ partes aliæ in alias non gravitant. Verùm in ſolidis corporibus & continuis ſi alterum latus pumiceum putà ſit, alterum metallicum, latus metallicum gravitabit in pumiceum ſive ſpongioſum.

In CAPUT Quartum.

Autoris ſtudium methodúſque ſubvertendi demonſtrationem meam in Enchirid. Metaphyſ. cap. 13. ſect. 4. *introducendo* Pileum *ſolum ſive* Conum Aquæ *gravitantis in laminam ligneam, ſuccinctè explicata.*

IN hoc atque octavo Capite duo præcipua traduntur Principia, quæ contra vim Demonſtrationis noſtræ, *Enchirid. Metaphyſ. cap.* 13. *ſect.* 4. in qua tantopere exulto, videntur parari. Quorum utraque igitur accuratiùs examinabo. Principium quod in hoc capite paratur, hoc utique eſt: Quòd in corporibus liquidis, putà in Aqua, *Columna* aquæ *integra* à ſubjecto corpore ad aquæ ſuperficiem uſque non gravitat, ſed *Pileus* ſolus ſive *Conus* ad exiguam diſtantiam à ſubjecto corpore. Unde non parum ſpei ſuffulgeat, cùm *lamina lignea* in ſitula non niſi tali humili *cono* prematur, reliquúmque pondus aquæ inter latera ſitulæ & laminam ſeipſum exoneret, quòd eo ipſo laminam facilè elevare poſſet, *&c.* Quòd verò hoc ſcitum tantummodo ſit commentum, ſpero me in ſubſequentibus Adnotamentis clarè oſtenſurum.

Adnotamentum Quartum.

Diſparilitas Pileum *ſive* Conum *& Cylindrum aqueum inter, ac Pyramidem laterculorum.*

* EX eo quòd Reſiduum Pyramidis (*pag.* 23. *l.* 13.) ſtaret quidem ſine omni Gravitatione in Cavitatem à ſubſidentibus ſexdecim lapidibus unà cum eis quæ ab ipſis ſolis ſuſtentabantur, relictam, nullum argumentum peti poteſt, quòd *Conus* ſolus ſive *Pileus* aquæ in rotundam laminam ligneam gravitet. Tum propterea quòd lamina lignea à reliqua columna Aquæ ſuperimpoſitæ, non ſubſidit ſed contra eam nititur; tum etiam quòd ſi ſupponeretur ſubſidere paululùm, particulæ Aquæ cum flexiles ſint, etiamnum incumberent in ſubſidentem *Conum*; cúmque ſint tam immenſæ parvitatis, ſi *Conus* ad aliquod intervallum ſubſideret, in eum certò eſſent lapſuræ. Tam parùm idonea ad hanc rem eſt hæc comparatio, quanquam aliàs fortean ſatis ingenioſa.

Adnotamentum Quintum.

Quòd antecedens exemplum Architecturæ in Pyramide laterculorum non valiturum ſit nè in Tritico quidem, Arenulis, & Granedulis plumbeis.

CUmq; eruditus Author ait (*pag.* 24. *l.* 8.) Quòd hæc Inſtantia *Architecturæ* quam attulit in lapidibus quadratis, etiam in corporibus minutioribus magiſque irregularibus valitura ſit, experientia quidem probabit etiam in illis exemplis quæ ipſe protulit, putà Tritici, Arenæ, & Granedulæ plumbeæ, rem minimè eſſe ſucceſſuram. Nam ſi foramen fieret in fundo, ut *Pileus*, quem ſupponit, reverà ſubſidere poſſit penitúſq; tolli, expectatæ fornices in ſingulis experimentis ſubito ſuo lapſu, perperàm fabricatæ reperirentur. Nec Ovi quidem putamen parvúſq; *Pileus Conúſve* Tritici ſtaret, tanquam ſub fornice reliquis Acervi granis ſuſtentata, quemadmodum affirmat, *pag.* 26. *l.* 6. Ac proinde quòd Ovi putamen evadat adeò incolume, ad aliam aliquam cauſam eſt referendum. Quod ad lateralem preſſuram *per declive* ſpectat, quæ perpendicularem Gravitationem granorum Tritici minuat, iſtam opinionem * loco ſuo debito examinabo.

* *Adnotam.* 8. *&* 28.

Adnotamentum Sextum.

Arenam ſuſpenſam in ſummitate corporis Cylindri nullum argumentum eſſe pro tali ulla Architectura *qualis in Aquæ elemento ſupponitur.*

QUòd Arena in corpore Cylindri ſuſpenſa manſerit, * Plumbi ponderi attribuendum eſt, quod Arenam tam arctè compreſſerat, partem eam præſertim prope ſummitatem, ubi præcipuè hærebat, propter partium irregularium aliarum in alias Renitentiam, *pag.* 27. *l. penult.* Quid autem hoc ad naturam Aquæ? Ubi omnia adeò infinitè lævia ſunt & pervia, particuláq; particulam tam facilè præterlabitur, ſpeciéſq;

nè minima quidem eſt ullius conſtipationis aut compreſſionis. Talem equidem forcipem formare quis poteſt qui in Arenæ acervum immiſſus (quamvìs forceps hic infrà ſupráq; apertus ſit inſtar Tubi) qui majorem arenæ copiam ſecum attolleret, quàm dicti cylindri Tubíve corpori adhærebat. Et perinde eſt ſive tali forcipe ſive compreſſione in iſtiuſmodi Tubum Arena conſtringatur. Hoc profectò *Architecturæ* Myſterium ſummum eſt quod ego in hoc experimento diſpicere poſſum.

Adnotamentum Septimum.

Mechanica particularum Arenæ in Ovi putamen in morem Fornicis Incumbentia, unde enervanda.

CÆterùm, quòd nulla talis eſſet Mechanica particularum Arenæ Incumbentia, quæ Ovi putamen tanquam ſub fornice relinqueret, adeò ut indè factum ſit ut exiguus ſolummodo *Pileus* ſive *Conus* arenæ in ipſum gravitaret, mihi indè manifeſtum videtur, quòd * ſi foramen efficeretur ejuſdem diametri cum Ovi putamine, ovíq; putamen tolleretur, vel potiùs non poneretur, non ſolùm arenæ *Pileus*, ſed fornix humi prolaberetur; ac proinde quòd Ovi putamen nullum damnum acceperit, ab alia aliqua cauſa oriri oportet. Arena circa latera ipſum à plumbi pondere manifeſtò defendit.

Adnotamentum Octavum.

De laterali directione partium Arenæ aliorúmq; ſimilium corporum.

QUòd *lateralis* directio partium arenæ aliorúmve ſimilium corporum, *pag.* 29. *l.* 3. *perpendicularem* Gravitationem refringeret, cùm & ipſa ſit lateralis *Gravitatio* ſive *perpendicularis* directio impedita, in Tubo putà aut Vaſe, meritò in dubium vocari poteſt. * Nam particulæ ſimul atque ſiſtuntur lateribus Tubi ſive Vaſis, veriſimillimum eſt eas tunc totam ſuæ directionis vim deorſum impendere, aut efficaciùs reflecti à lateribus, in Ovi putaminis periculum aut damnum: Si Phænomeni ratio hiſce quidem in rebus verteretur.

Adnotamentum Nonum.

Quatuor argumenta ad oſtendendum Invaliditatem ſuppoſititiæ illius in Aqua Architecturæ, quæ contra demonſtrationem meam à rotunda lamina lignea *in* Enchiridio Metaphyſico *petitam excogitata eſt.*

1. QUòd *Non-Gravitatio* minutiorum corporum, *pag.* 31. *l.* 3. arenæ, ſabuli, & granedulæ plumbeæ, non ſatìs animum præparat ad deprehendendam unam è rationibus *Non-Gravitationis Fluidorum*, manifeſtum eſt ex iſta toties inculcata Inſtantia *delapsùs Fornicis* poſt realem *Coni* ſive *Pilei* cum ſubjecto corpore remotionem, foraménq; factum æqualis magnitudinis in ſuperno Tabulato Menſáve.

2. Præterea, Quanquam in iſtiuſmodi craſſis particulis, ut ſunt Arenæ, Tritici, & plumbeæ granedulæ, partes aliæ ad alias ſuſtentandas aliquid conferre poſſunt; tamen, quemadmodum in Tubo *Phyſicarum Monadum*, ſuppoſito quòd graves ſint, hoc non omninò contingeret, ità in Aqua, cujus partes adeò infinitè exiguæ ſunt, cum granedula plumbea, Tritico Arenáve comparatæ, hæc partium *Architectura* aliarum in alias incumbentium nullum omnino ſortiretur effectum.

3. Tertiò, Si iſtiuſmodi eſſet Architectura in ſitu partium Aquæ, quæ aliquo modo reſpondere poſſit figuræ, *pag.* 21. omne illud deleretur artificium in Aqua fervefacta alióve quovis modo conturbata, in qua tamen, æquè parum Gravitationis partium ineſt, atque in ea quæ quieſcit.

4. Quartò & ultimò, Suppone, hanc in aqua eſſe *Architecturam*, hoc tamen firmitudinem meæ demonſtrationis à *rotunda lamina lignea* in fundo Situlæ, nequaquam enervabit; cùm diameter Fundi Situlæ eam rationem ad Situlæ altitudinem habere poſſit & tam parva diſtantia inter *laminam rotundam* & latera Situlæ relinqui, ut ingens futura ſit Horizontalis ſectio Coni in Aere ſupra Situlam, aquæve ſuperficiem in ea contentæ. Unde Reſiduum hujus concavæ, quæ ſupponitur, Fornicis, Reſiduo Coni impendentis, neceſſariò in ipſum incidet, & ex conſequenti totus cylindrus aquæ, laminæ incumbens, in ipſam gravitabit, qui tricies putà major erit, quàm cavus ille Cylindrus qui inter convexum hujus Cylindri aquæ, & Situlæ concavum continetur. Et tamen *lamina lignea* aſcendit. Hoc abunde jam planum eſt. Quodſi ullus ſuper-

eſſet ſcrupulus, rationem diametri fundi Situlæ ad illius altitudinem eouſque augere poſſem, ut ipſum Reſiduum ***Coni*** futurum ſit tricies putà majus quàm ſit Reſiduum ***Fornicis*** quæ ***Conum*** circumdat: Ut taceam * alia argumenta, quibus hæc ***Coni Pilei***ve Inventio, ſuper ſubjectum corpus in Aqua, planè deprehendetur bellum ſolummodo argutúmve Commentum.

* *Vide Adnotament.* 20.

In CAPUT Quintum

Adnotamentum Decimum.

Gravitas Aquæ intrinſeca quomodo intelligenda.

VErba iſta, *pag.* 30. *l.* 9. [***Certum eſſe quòd Aqua intrinſecam Gravitatem habeat de ſuo, quatenus eſt Corpus grave***] verba, inquam, iſta vera ſint necne an falſa, diſtinctiſſimè intelligitur ex eis de quibus inter nos conveniſſe putabam, in prima ſecundáq; parte ***Adnotamenti*** primi: Quòd ***Gravitas*** nempe nihil aliud ſit quàm ***Mobilitas***, & ***Gravitatio*** nihil aliud quàm ***Motus*** ſive ***Niſus ad Motum***. ***Gravitas*** igitur cùm nihil aliud ſit quàm ***Mobilitas***, ſive capacitas ut deorſum moveatur, Capacitas hæc proculdubio intrinſecùs illi ineſt, quinimò & aliis omnibus præterea corporibus. Quodſi per ***Gravitatem*** intelligeretur tale principium in Áqua ullóve alio corpore gravi, ut illius virtute ſeipſa per occaſionem deorſum movere valerent, hoc quidem certum eſſe nequaquam cenſeo, ſed potiùs falſum.

Adnotamentum undecimum.

Quòd Aqua in fluida ſua Conſiſtentia gravitat, & quonam in ſenſu hoc faciat, ſuper Mercurium infuſa in quem Tubus immiſſus fuerit, &c.

AQua quamdiu quidem Aqua eſt, *pag.* 34. *l.* 21. ſemper eſt in ***fluida*** ſua Conſiſtentia, ac proinde aliquando gravitat in fluida ſua Conſiſtentia, hoc eſt, actualem habet Motum actualémve Niſum ad motum versùs centrum Terræ. Cæterùm illa preſſura quam habere videtur *pag.* 35. *l.* 1. in Argentum vivum in vaſe, ex accidenti tantùm eſt versùs centrum Terræ, quippe quum ad materiam tenuem in Tubo ***Torricelliano*** collineat, vel potiùs ad reducendum Materiam ad debitum Æquilibrium. Nec in Argentum vivum premit ſed cum eo, éſtque vis unita fortior, quemadmodum apparet ex aſcenſu Mercurii in vitro.

In CAPUT Sextum

Adnotamentum duodecimum.

Quòd Situla Aquæ non eſt corpus æquè continuum atque Situla Picis, & quanam in re Fluiditas ***conſiſtat, quámque eminens & conſpicua ſit in Aqua.***

UT Situla ***Aquæ*** corpus æquè continuum ſit atque Situla ***Picis*** Ceræve, mihi planè Paradoxum eſt, *pag.* 42. *l.* 10. Hoc fieri non poteſt, niſi Aqua in glaciem penitus ſit converſa. Pix verò, Cera, Butyrum & Glacies igni applicata & ex partium ſuarum excitatione in motum fluida facta, * Fluiditatis naturam apertè oſtendunt, quòd in partium tenuitate conſiſtat, earúmque aliarum juxta alias motu lubrico. Quod in aqua valdè conſpicuum eſt. Ipſarúmq; ***Diſcontinuitas*** hoc notabili documento innoteſcit, nempe quòd tam copioſè exhalantur calore Solis, támque facilè in compoſitorum vellerum ſtrues ſe transferunt, Aquæ vaſe in Camera collocato. Quod quidem Experimentum in dubium veniſſe, nunquam hactenus audivimus.

Adnotamentum decimumtertium.

Erratum eruditi Autoris circa Principium Hylarchicum, ***cum brevi illius*** Principii ***deſcriptione.***

Hîc tantùm noto, *pag.* 42. *l.* 14. eruditum Autorem erroneam ſibi efformâſſe ***Principii*** mei ***Hylarchici*** notionem, quod toties occurrit in ***Enchiridio Metaphyſico.***

* *Vid. Difficiles Nugas, Adnotam. 9.*

* Neque enim per illud intelligo, Naturam ullam *intelligentem*, ſed *vitalem* duntaxat aut præcipuè ſaltem: Spiritum ſcilicet virtute *Plaſticâ* præditum quâ Materiam ordinet ſecundùm certas quaſdam leges generales quas Divina ſapientia *vitaliter* & *eſſentialiter*, licèt non quidem *intellectualiter*, huic *Spiritui Naturæ*, quemadmodum alibi appellamus, inſeverit. Vitam enim nullam eſſe, niſi quæ ſit *cogitativa*, Opinio tantùm heſterna eſt, & quæ æquè brevi, ſi rectè conjicio, ſit expiratura. Cæterùm quòd hoc Principium & *Plaſticum* ſit & *non intelligens*, hæc duo ſentio me non poſſe ſolùm ſed & revera demonſtrâſſe. Utrùm verò ſomniculoſior aliquis ſtupidiórve ſenſus ipſi etiam inſit, nondum apud meipſum determinavi, & in præſens perdifficile duco utramvis partem probare. Et piget profectò plus aſſerere quàm cui ſimus probando pares.

In CAPUT Septimum

Adnotamentum Decimum quartum.

Diſtinctio conſiderandi Aquam tanquam corpus ſolidum, *& tanquam* corpus fluidum, *ad examen revocata.*

DIſtinctio conſiderandi Aquam ut *ſolidum* corpus, & ut *fluidum* corpus (*pag.* 49. *&* 50.) equidem apud me admodum ægrè admittitur. Nam Aqua quamdiu Aqua eſt non glacies, ſemper eſt *fluida*, etiam tum cùm in vaſe includitur; & ſi integra illius tunc versùs terram Tendentia ejus *ſoliditatem* arguit, *ſolidum* corpus eſt etiam extra vas. Nam & tunc integrè directéque versùs Terram tendit, quemadmodum cernimus in guttis pluviis. Quamobrem nullam rationem video, cur aquam vaſe contentam ad naturam corporis *ſolidi* reducamus, ut iſtoc pacto Problematis de partibus aquæ aliis in alias non gravitantibus, ſolutionem indè petere valeamus.

Adnotamentum decimum quintum.

Duplex Ratio Mechanica Non-Gravitationis *particularum Aquæ in ſubjecta corpora*, (viz.) *à Continuitate particularum, & ab earundem Architectura, cum utriuſq; confutatione.*

N*On-gravitatio* particularum Aquæ (*pag.* 52. *l.* 1.) in ſubjecta corpora in duas Rationes reſolvitur. Prima eſt *Mechanica*, altera *Naturalis*. *Mechanica* proponitur & applicatur in hoc ſeptimo capite, *Naturalis* in ſequenti. Ratio *Mechanica* duplex eſt, Prima à *Continuitate* particularum Aquæ, altera ab earundem *Architectura*, ſupponendo eas non *continuas*. Jam verò Ratio à *Continuitate* partium, quâ eruditus Author Aquam genus quoddam corporis ſolidi vult eſſe, quòd hæc invalida ſit, ex tertio duodecimóque *Adnotamento* apparet. Et certè *diſcontinuitas* partium Aquæ palpabilis eſt ob ſummam mollitiem vel ad ipſos digitos noſtros; ut quando quid in pulverem atteritur, quo tenuior pulvis fit, eo mollior ſentitur digitis: *Continuitáſque* nihil aliud eſt quàm partium partibus *affixatio*, unde *durities* neceſſariò oriretur; quemadmodum apparet in Aqua in glaciem converſa, quæ nihil aliud eſt quàm aquearum partium aliarum aliis *affixatio*.

Adnotamentum decimum ſextum.

Quòd eruditus Author ipſe tandem admittit partes Aquæ non continuas *eſſe ſed* contiguas. *Refugium illius ad particularum* Architecturam *etiam confutatum.*

AC proinde eruditus hic Author rectè facit (*pag.* 52. *l.* 2.) in admittendo tandem, quòd Aqua naturam habet corpuſculorum *ſeparatorum*, quódque partes illius tantùm ſunt *contiguæ*. Jam verò quando pro ſolutione præſentis Problematis (cur integra Columna Aquæ in ſubjectum corpus non gravitet) ad Inſtantias rurſus confugit (*pag.* 53. *l.* 8.) Pyramidis lapidum quadratorum, Acervi Tritici, & Arenæ *Caleſiæ*, in quibus Fornix ſubjecto corpori ſuperſtruatur, *&c.* imbecillitatem quidem hujus Argumenti in Adnotamentis 4, 5, 6, 7, 8 & 9. abunde detexi. Inter craſſas iſtas partes in quiete & has infinitè tenues Aquæ particulas, quæ ſunt in motu, nulla profectò inſtitui poteſt comparatio.

Adnotamentum decimum ſeptimum.

Vtrùm Aqueæ particulæ Carteſii *ad ſuppoſititiam hanc* Architecturam *magìs idoneæ ſint, quàm granula Tritici, granedulæ plumbeæ, & Arenulæ.*

AFfirmare videtur Author aqueas *Carteſii* particulas infinitò magìs idoneas eſſe (*p.* 53. *l.* 8.) ad ſuperſtruendam *fornicem*, in levamen & ſecuritatem ſubjacentium corporum, quàm ſint illæ Tritici, Granedulæ plumbeæ, vel Arenæ, cùm proculdubio infinitò minùs idoneæ ſint, ut quæ in promiſcuo ſunt motu, ſecundùm *Carteſium*, propter intermixtionem Materiæ ſubtiliſſimæ & globulorum, nec in ullo conſtituuntur ordine è quo non perpetuò elabuntur. Et quam perfectè aliæ ab aliis extricatæ lubricæque ſint, manifeſtum eſt ipſis ſenſibus, quemadmodum * ſuprà notavi.

Vid. Difficiles Nugas, Adnotam. 6, 7.

* *Adnotam.* 9. 15.

Adnotamentum decimum octavum.

An Aqua quid Continuum *ſit, an verò* Contiguum.

SUpponit (*pag.* 54. *l.* 6.) Quòd unio partium Aquæ multo ſit arctior quàm ſit illa Monadum Arenæ *Caleſiæ*, quia Aqua eſt quid *Continuum*, licèt *Fluidum*. Verùm rationes * attuli quas ſpero ſufficientes eſſe ad evincendum, quòd non ſit quid *Continuum* ſed *Contiguum*; addóque inſuper, quòd partes Arenæ cùm tam arctè ſint compreſſæ & in quiete, propiùs accedunt ad naturam *Continuitatis*, quàm ubi partes in motu ſunt quanquam ſint magìs propinquæ, quemadmodum fit in Aqua.

* *Adnotam.* 12. 15.

Adnotamentum decimum nonum.

Columna Aquæ gravitantis in Orbiculum ligneum perforato ſitulæ fundo impoſitum quàm ægrè cum ſuppoſititia illa fornicis Architectura *ſit concilianda.*

ERuditus Author (*pag.* 57. *l.* 3.) agnoſcit, in Situla aquæ cum Orbiculo ligneo in fundo, ſi fundum foramen habeat, integram aquæ Columnam, non *Pileum* ſolum *Conúm*ve, in Orbiculum eſſe gravitaturam. Hìc igitur quæro, quomodo hoc foramen in fundo Vaſis ſub Orbiculo, * aquâ non effluente, fornicem, quæ ſupponitur, attingat, faciátque integrum Cylindrum *Gravitationis* in Orbiculum, ſi hæc *Architectura* huic Phænomeno ineſſet, nec in aliud reſolvendum eſſet *Principium*?

Adnotamentum viceſimum.

Experimentum duorum Orbiculorum ligneorum contra ſuppoſititiam hanc Architecturam *allatum, unà cum Experimento quod utraſque ejus* Mechanicas *rationes tum illam* Continuitatis, *tum hanc* Architecturæ *uno quaſi ictu penitus tollit.*

RUrſus, ſuper iſtoc quod occurrit, *l.* 12. Quòd Aqua ſupplantatura ſit corpus levius aquæ portione ipſi mole æquali, hoc proponere velim Problema pariter & Experimentum. Supponendo Situlam cum foramine in fundo, ut ſuprà, & graviorem Orbiculum ligneum fundo Situlæ ferè æqualem ipſi ſuperimpoſitum, & dein Orbiculum leviorem, ejuſdem cum graviori diametri, in ipſum collocatum, quæro * an integer aquæ Cylindrus in hos Orbiculos non ſit preſſurus, non autem Pileus ſolus, & an non, iſtoc nihil obſtante, ſuperior Orbiculus ſit aſcenſurus? Quod indicio eſt aſcenſum illius aliis temporibus, eruditi Autoris ingenioſè excogitatæ fornicis Architecturæ non eſſe imputandum.

Sed ad alterum porrò experimentum provocabo quod utraſque rationes *Mechanicas*, iſtam *Continuitatis* atque hanc *Architecturæ*, uno ictu eſt ſublaturum. Experimentum autem hoc eſt. Eſto Situla cujus Cavitas perfectè ſit Cylindracea, & diameter fundi 63 partium. Eſto vas alterum Cylindraceum, cujus interna diameter ſit partium 61, externa 62. Sunto ad fundum hujus vaſis quatuor foraminula æquidiſtantia in lateribus obliqua introrſum, ità ut ad fundum uſque pertingant, ut Aqua non aliter exire poſſit quàm ab ipſo fundo ſurſum, nec aſcendere omnino, niſi fundum priùs preſſerit. Pone hoc vas in Situlam ad fundum uſque, illícque ità detine, ut Vaſis ſummitas, ſummitatem Situlæ adæquet. Tunc aquam infunde donec utraque ad marginem uſque impleantur, manum verò poſtea amove, quæ vas ad fundum Situlæ detinebat. * Vas in Situla aſſurget altiùs altiúſque donec tanta ſolummodo illius pars aquæ immergatur, quanta molem aquæ adæquet, quæ ejuſdem cum toto vaſe ponderis ſit.

Pondus aquæ in fundum vaſis hujus, tricies ferè majus eſt quàm aquæ, vas inter & latera Situlæ, quæ illud ſupplantet, & vas tamen aſſurgit. Cujus quidem rei nulla ratio reddi poteſt, nec à *Continuitate* Aquæ, (nam aqua in vaſe non continuatur cum exteriori aqua in ſitula, ſed vaſis lateribus tantùm eſt contigua tam exterior aqua quàm interior;) nec ab *Architectura* fornicis ſuper Orbiculum fundúmve Vaſis; nam tota aquæ moles in vaſe æquè integrè premit in fundum vaſis, atque tota moles aquæ in ulla Situla in illius fundum premit. Adeò omnino inepta ſunt hæc *Mechanica* Inventa *Continuitatis* & *Fornicis* ſive *Coni* ſuper ſubjecta corpora in Aqua, ad explicandam illius *Non-Gravitationem*. *Phyſicam* jam illius rei rationem examinabimus.

In CAPUT Octavum.

Quòd Author maximam ſuam fiduciam ponit in Naturali *ſive* Phyſica *Ratione Non-Gravitationis Aquæ*, &c.

AUtorem obſervo (*pag.* 58. *l.* 13.) maximam fiduciam ponere in hac *Phyſica* ratione *Non-Gravitationis* Aquæ, ſive in partes ſuas inferiores ſive in corpus aliquod ſubjectum, gravius vel pari pondere cum æquali Aquæ mole. *Nam hanc*, ait ille, *veram naturalem ſpecificam Non-Gravitationis Fluidorum rationem eſſe exiſtimo, quanquam Mechanica ratio ſuprà allata non ſit prorſus inutilis, ſed ſuam partem huc contribuat.* Eò igitur majorem diligentiam adhibebimus in *Phyſica* hac ratione examinanda.

Adnotamentum viceſimum primum.

Intrinſeca *Corporis* Gravitas *quomodo ex pacto intelligenda ſit, ex eis utique quæ occurrunt* in Adnotamento *primo*.

CÆterùm, ut fœliciùs procedamus hac in re, ex mentione facta *intrinſecæ* Gravitatis corporis, (*pag.* 59. *l.* 16.) recordari debemus, quibus de rebus inter nos, quod putabam, convenerit in *Adnotamento* primo, parte primâ & ſecundâ. Quòd *Gravitas* utiq; in corpore nihil aliud ſit quàm illius *Mobilitas*, nec *Gravitatio* quàm illius *Motus*, *actualiſve Niſus* ad motum; quódque Notio illa *Gravitatis* in Scholis merum ſit *Idolum Fori*. Quòd mobilitas motúſque ſurſum corpori æquè ſit intrinſecus, atque mobilitas ac motus deorſum. * Quòd nullus ſit Motus Niſúſve ad motum qui cerni poſſit in aqua ad ullum *Terminum* niſi quando perperàm locatur, ità ut omnis talis motus ex occaſione tantummodo fiat. Ac proinde quando Aqua aſcendit in Tubo eo modo quo deſcribitur *Adnotamento* primo, *part.* 4. illa *mobilitas* & *motus* ſurſum æquè intrinſecus eſt aquæ atque illius *niſus* deorſum. Nam Niſus ille deorſum non fit niſi pro re nata, quando Aqua non rectè collocatur. Super hiſce rebus nullam fore ſpero hæſitantiam, ſi ad primum *Adnotamentum* partéſque illius recurramus.

Adnotamentum viceſimum ſecundum.

Autoris deſcriptio Naturalis *ſuæ ſive* Phyſicæ *Rationis Non-Gravitationis corporum fluidorum*, &c.

RAtio *Phyſica Non-Gravitationis Fluidorum*, in qua Autor tantam ponit fiduciam, hæc eſt, *pag.* 62. *l.* 5. Quòd habent utique *lineas diverſas ſuæ directionis Gravitationis* (hoc eſt motûs ſui per *Adnotamentum* primum;) *quódque proinde neceſſariò una debet reſtringi, impediri, minuique ab alia, & conſequenter directio perpendicularis ſuæ vel lateralis Gravitationis* (motúſve deorſum) *corrigi propéve in integrum ſuſpendi per alias tendentias vel directiones ſui motûs.* Hæc eſt eruditi Autoris Ratio *Phyſica Non-gravitationis* partium aquæ in aquam, *&c.*

Adnotamentum viceſimum tertium.

Autoris diſtinctio de Terminalibus aquæ motibus, quatenus ſit corpus grave *&* *quatenus ſit corpus* fluidum, *examinatur per ea de quibus inter nos convenit in* Adnotamento *primo; concluditúrque omnes directiones Motûs in Aqua, quantùm ad rationem* Primitivam *&* Intrinſecam, *eſſe ejuſdem generis.*

ERuditus Autor (*pag.* 63. *l.* 5.) notionem & diſtinctionem rurſus introducit *Terminalium* motuum tendentiarúmve Aquæ, quatenus eſt corpus *grave*, (quæ ſint perpendiculares Terram verſùs, quos *primitivos* Conatus omnium *gravium* corporum, effectúmque *intrinſecæ* ſuæ Gravitatis ſtatuit) & aliorum motuum & directionum, quatenus eſt corpus *fluidum*. Hanc diſtinctionem iterum repetit *pag.* 68. *l. penult.* Quam loquelam ſi interpretari velimus juxta ea in quibus conſenſimus in *Adnotamento* primo, ſenſus quidem hic eſt: Quòd Aqua quatenus eſt corpus *mobile deorſum*, habétve intrinſecam *mobilitatem deorſum*, directionem ſuam habet verſùs terram. Ego verò hîc rogo, An *mobilitas* Aquæ *ſurſum*, ei non ſit æquè intrinſeca ac *mobilitas deorſum*, unúſque Conatus æquè *primitivus* atque alter, cùm utrique tantùm ſint ex occaſione, nempe ubi Aqua indebitè collocatur? Nam ubi Aqua recto ordine collocatur, nullum omnino motum habet *Terminalem*. Ac proinde omnes directiones motûs in aqua quantùm ad rationem *primitivam intrinſecámve*, ejuſdem planè ſunt generis. Habétque, ut habent alia corpora omnia, *mobilitatem* in partes omnes. Sed *actualis niſus motúſve* ipſorum ſit pro re nata.

Adnotamentum viceſimum quartum.

Quòd eruditus Autor abunde demonſtravit varias Aquæ tendentias ac preſſuras in omnes partes, non autem in omnes ſimul atque eodem tempore.

ET certè eruditus Autor à *pag.* 63. ad paginam 66. ſatìs abunde probavit hanc *mobilitatem* Aquæ partiúmve ejus, quòd datâ occaſione movebitur ſurſùm, deorſùm, horizontaliter, obliquè, & uno verbo quaquaverſùm, ídque ad *terminos* oppoſitos in eiſdem lineis. Hoc eſt, hoc fieri poteſt diverſis temporibus & ex diverſis occaſionibus. * Quòd verò Aqua omnes has tendentias preſſuráſve ſimul habeat, huc profectò illius experimenta nequaquam pertingunt. Atque hoc manifeſtò appariturum ſpero cuivis qui *Adnotamenti mei* primi partem tertiam, quartam quintámque non oſcitanter conſideraverit.

Adnotamentum viceſimum quintum.

Inutilitas Conjunctionis Gravitationis Primitivæ *cum motu Aquæ deorſum, quantùm ad Autoris ſcopum; quandoquidem* Primitiva *Gravitatio aquearum particularum ſic remanet ac ſi ſola eſſet, motu Aquæ ſurſum expungente illum deorſum.* Primitiva *verò* Gravitatio *ſublata ſitulam Aeris & ſitulam Aquæ æquali facit pondere. Adeò ut utrocunque modo,* Phyſica *hæc Ratio* Non-Gravitationis *planè ſubvertatur.*

IN deſcriptione rationis ſuæ *Phyſicæ* (*Adnotam.* 22.) declarat quòd reliquis directionibus ac tendentiis multis in corpore fluido, perpendicularis ferè in integrum ſuſpenditur; verùm hìc, (*pag.* 68. *l.* 27.) quòd fieri poteſt, ut linea directionis in deſcenſu *perpendiculari* haud modico fortior ſit & efficacior, & conſequenter *Gravitatio* fortior, quippe quòd iſti motui contribuit Natura aquæ, * non ſolùm quatenus *fluidum* corpus, ſed etiam quatenus corpus *grave*. Cæterùm præterquam quòd * ſuprà notavi, quòd diſtinctio inter corpus *grave* & *fluidum*, ubi unum idémque corpus eſt & grave & fluidum ſimul, non eſt ità conſentanea, quódque * nulla eſt iſtiuſmodi *Primitiva* Gravitas vel Gravitatio diſtincta à *mobilitate* aut *actuali motu* ſive tendentia alicujus corporis deorſum: addo præterea, licèt admittamus hanc *intrinſecam Gravitatem* vel *Gravitationem mobilitati motuique* aquæ deorſum ſuperadditam, nihilominus cùm *mobilitas motúſque* aquæ *ſurſum* æquè urgens ſit atque agilis, quàm ille *deorſum*, alter omnino alterum delet, & hiſce nihil obſtantibus, Aqua *intrinſecam* gravitatem etiamnum retinet. Adeò ut hoc Inventum prorſus inutile videatur, quippe quum nihil impediat hæc Hypotheſis quo minùs partes aquæ aliæ alias premant. Quòd

* *Adnotam.* 2. 14.

* *Adnotam.* 1. 10.

ſi *Gravitas* hæc *intrinſeca* Erratum Scholarum ſit, quale eſſe nullus dubito, tum illud Incommodum recurret cujus mentionem facio *Adnotamento* primo, *part.* 5. Quòd Situla aquæ non majorem habitura ſit gravitatem, quàm ſi Aquâ vacua eſſet, quod quotidianæ adverſatur experientiæ. Quæ quidem manifeſta ſunt imbecillitatis hujus *Phyſicæ* rationis indicia.

Adnotamentum viceſimum ſextum.

Quòd variæ lineæ directionis Motûs præter perpendicularem, *nihil conferre poſſunt ad mitigandam intrinſecam Gravitationem.*

PErgit tamen in hoc argumento dicítque, (*pag.* 70. *l.* 9.) Si linea perpendicularis deſcensûs *Fluidi* cum multis illis variíſque lineis ſuæ directionis conferatur, *&c.* perpendicularem motum Gravitationis ſuæ, quatenus corpus *grave*, in integrum ferè minutum iri. Cæterùm obſervandum eſt, quòd omnes illi varii motus admiſſi, quibus ſperare poſſimus *intrinſecam* gravitatem mitigatum iri, nihil tamen iſtuc contributuri ſint, quia nulla tendentia eſt in ulla una earum linea, quin æqualis ſit in eadem, contratendentia, ità ut vis earum quaquaverſum aboleatur, quemadmodum de perpendiculari ſuprà notavimus.

Adnotamentum viceſimum ſeptimum.

Quòd nec imaginaria Continuitas *in Aqua*, *præ quàm quæ ſit in Arena* Caleſia, *nec Motus per declive* intrinſecam *Gravitationem Aquæ minuere poſſet, ſi qua revera ipſi ineſſet.*

QUod obſervavi eum dixiſſe in priori Adnotamento, hîc porrò illuſtrat & confirmat, (*pag.* 71. *l.* 13.) per conſimilem Inſtantiam Arenæ *Caleſiæ*, ubi granulorum Gravitationem *perpendicularem* immane quantum mitigatum iri ſupponit per motum ipſorum per *declive*, repetítq; privilegium Aquæ præ Arena *Caleſia*, quòd partes Aquæ conjunctæ ſint in unum *Continuum*. Cæterùm, quòd omninò contrà ſit, * ſuprà probavi, de *Continuitate*, quemadmodum * etiam de illo genere *perpendicularis Gravitationis*, quæ non eſt pro *re nata* ſed *intrinſeca*. Verùm hîc inſuper addemus, Quòd, ſi eſſet omninò ulla *Intrinſeca* Gravitas, ſingulæ partes ſuperiores in inferiores premerent, maximáque preſſura in infimis foret, minima in ſupremis. Tam exiguæ utilitatis eſt hæc de *Continuitate* Opinio. Singuláque Arenæ granula ubicunque ſita, ad ſummum virium ſe deorſum urgerent.

* *Adnotamen.* 12. 15.

* *Adnotam.* 10. 21. 23. 25.

* *Vid. etiam Difficiles Nugas, Adnotam.* 2. 10. 11.

Adnotamentum viceſimum octavum.

Quòd lapſus Arenæ Caleſiæ *per declive nequaquam probat*, *poſtquam granula quieverint, ea adhuc premere per* declive, *non autem* deorſum.

SEd enimvero, quòd haud ità pertinaciter ſe deorſum urgent, indubiam manifeſtámque (*pag.* 72. *l.* 10.) cauſam hanc eſſe ait, quòd accidentalis tendentia arenularum per *declive perpendicularem* Gravitationem refringat, ità ut nè in maximè quidem fragile corpus ſubjectum pleno pondere gravitet. Quòd verò hæc haud adeò manifeſta cauſa ſit, præter ea quæ * ſuprà notavimus, illud in præcedenti *Adnotamento* confirmare porrò poteſt, ſi ulla utique eſſet *intrinſeca* Gravitas. Et tametſi arenulæ labuntur per declive, non omnino indè ſequitur, etiam tum cùm ſiſtuntur & quieſcunt, quòd premant graviténtve per *declive*, ſed deorſum. Quòd igitur Animal nullum damnum accipiat ſub acervo Arenæ, talem aliquam habere poteſt cauſam, qualem habet *fluidorum* ſuſpenſio.

Adnotam. 8.

Adnotamentum viceſimum nonum.

Quomodo ex ſuppoſitione, quòd rata duodecim omnino librarum intrinſeci *ponderis ſumma in Aquæ pede Cubico in omnes lineas motûs in Aqua varias diſpenſata ſit, & ſentiatur adhuc nihilominus duodecim omnino librarum juſtum pondus, demonſtrari indè poſſit, quòd reliqui omnes motus merè imaginarii ſint, nequaquam verò reales.*

QUantùm ad ulteriorem ejus explicationem confirmationémque hujus *Phyſicæ* Rationis *Non-Gravitationis* partium *Fluidorum* in Aquæ pede Cubico quem ſupponit *ponderis perpendicularis librarum omnino duodecim*, (pag. 73. l. 3.) *quódque hæc communis omnium illius preſſurarum ſors ſit ratáve Summa* (pag. 74. l. 2.) *diſtribuenda tanquam ab una communi Ciſterna per tot fiſtulas* (l. 6.) *ad univerſas illas Gravitationes, Conatúſve ad motum, ſupplendas. Neque enim plus duodecim libras intrinſecæ Gravitatis habet, ad ſupplendos univerſos illos Conatus ſive Gravitationes:* Hîc equidem, meo judicio, oppidò quàm manifeſtò deprehendi poteſt, cùm concedatur, * nullam aliam ſortem ſummámve intrinſeci ponderis præter libras has duodecim eſſe quæ in multifarias iſtas *actuales* Gravitationes, Horizontalem, obliquam & directò ſurſum, poſſit derivari, & virtus tamen harum duodecim librarum ponderoſitatis integra adhuc ſentiatur, quòd reliquæ omnes *actuales* Gravitationes meræ ſint curioſæ mentis Imaginationes, nulla realia Naturæ Effecta.

Adnotamentum triceſimum.

Inefficax Autoris Reſponſum ad hanc difficultatem cum ulteriori Confutatione Phyſicæ *ſuæ rationis, à ſitula glaciei petita.*

IPſe quidem Autor eruditus prævidiſſe videtur hanc difficultatem eámque ut talem proponit (*pag.* 76. *l.* 3.) ſed ingenuè fateor me vim Reſponſi illius minimè intelligere, quanquam ipſe perſpicuum eſſe dicit. Ait enim *Aquam in Situla* corpus eſſe perinde *fluidum* atq; tantundem Aquæ in Oceano, ſed *Situlam Aquæ* eſſe unum corpus *ſolidum*. Ego verò aio, *Situlam Aquæ* eſſe *Aquam in Situla*, quæ non poteſt eſſe & *fluida* & *ſolida* ſimul. Id naturæ rerum omnino repugnat. * Eſt igitur Aqua proculdubio corpus *fluidum* etiam in Situla, habebítque omnia illa quæ ad corpus fluidum pertineant, quatenus tale, omnes iſtas Gravitationes varias, obliquam, Horizontalem & ſurſum, ſi modò ullæ tales eſſent, illámque ſurſum præ reliquis, cùm nihil adſit quod illam limitet aut infringat, quæ tamen maximam vim habet ad Gravitationem *perpendicularem* minuendam. Quòd verò nullæ tales ſint, manifeſtum eſt ex integritate *Gravitationis deorſum* in Aquâ Situlæ; quæ etiamnum duodecim, putà, libras pendet. Et ſi fundum ſitulæ uno quaſi ictu eximeretur, dum ſuſpenditur, Aqua quidem, dum exit, non ſtatim extenderetur Horizontaliter, ſed deſcenderet directò deorſum. Adeò ut Horizontales excurſus pro re nata tantummodò fiant, quando aqua nequit perpendiculariter deſcendere; * nec tentantur unquam niſi ex data occaſione, quando Principium movens invitatur ad agendum. Quod verum etiam eſt de illius Gravitationibus deorſum, quæ nunquam actuales ſunt, niſi quando aqua non rectè collocatur. Supponere verò talem perpetuum Conatum quaquaverſum, fortémq; Preſſuram in nullum uſum, nimis quàm affine eſt *Elaſticis* iſtis Obtruſionibus & Compreſſuris quas quidam in aere fingunt, aut furioſæ illi quaquaverſum Agitationi Materiæ in Philoſophia *Carteſiana*. Leges Naturæ proculdubio magìs ordinatæ ſunt ac tranquillæ.

Quibus omnibus addere potes: Si hæc præcipua ratio eſſet cur partes Aquæ in Situla aliæ in alias non gravitent, nempe quia Gravitatio perpendicularis ità refracta eſt, mitigata, & ad æquilibrium quaſi reducta per reliquas Gravitationes; neceſſariò ſequeretur, Aquâ in Situla in glaciem penitùs converſâ, itáque revera in corpus ſolidum mutatâ, quo omnes reliquæ Gravitationes præter *perpendicularem* extinguerentur, quòd perpendicularis Gravitatio quæ antea duodecim libras pendebat, ferè duplo jam major evaderet, cùm è contrà Aqua potiùs levior ſit pro moderata Rarefactione, quam in Congelatione receperit. Quod manifeſtò demonſtrat, reliquas iſtas ſuppoſititias Gravitationes non *actuales* fuiſſe, ſed pro re nata tantummodo fieri, quemadmodum monui *Adnotamento* primo, *part.* 4.

SCHOLIA

In Adnotamentum I.

SEd enimvero mallem emendationem interpretari prioris Aſſertionis, *&c. Atque hanc quidem ego molliſſimam interpretandi rationem putavi. Quodſi adeò volupe eſt erudito Autori ut* Gravitas *principium ſignificet in corpore quo fertur deorſum, & tamen* Gravitatio *lationem ſurſum, equidem per me licet animo indulgeat ſuo. Nolo litigare de terminis, agnoſcóque notari apud Dialecticos* Conjugata *quæ* voce *conveniunt &* ſignificatione *differunt, perinde atque quæ* ſignificatione *conveniunt &* voce *differunt. Hoc verò ſemel admiſſo quòd* Gravitatio *nihil aliud ſit quàm* Motus *vel* Niſus ad motum, *concedo Aquam lapide in vas injecto minúſque pondus in Bilance* gravitare ſurſum, *hoc eſt*, moveri ſurſum. *Et ſic de Aqua in ſiphonem A B inverſum infuſa, quæ componit ſe ad æquilibrium, agnoſco Aquam dum aſcendit per crus B, æquè rectè dici* gravitare ſurſum, *quàm* gravitare deorſum *in crure A, admiſſo ſemel quòd* Gravitatio *ſit nihil aliud quàm* Motus *vel* Niſus ad motum. *Sed interim Motum ponderum in Bilance & Aquæ in ſiphone eſſe* merè Mechanicum *non* vitalem, *id prorſus nego, planéque demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico *omnes rationes* Gravitatis *merè* Mechanicas *eſſe falſas. Ipſéq; eruditus Autor agnoſcit* Gravitatem *eſſe* Principium intrinſecum Activum, Eſſentiam *ſcilicet quandam* mediam, *quâ corpora gravia feruntur deorſum. Utrùm verò iſta* Eſſentiæ Mediæ *an* Spiritus Naturæ *veriſimilior ſit Hypotheſis, judicet Lector ex eis quæ tradita ſunt in antecedente* examinatione.

In Adnotamentum IV.

Ex eo quòd Reſiduum Pyramidis, *&c. Ut Architectura Autoris Mechanica cujus tam frequens occurrit mentio in* Adnotamentis *faciliùs intelligatur, Schemata huc tranſcribere opera pretium duxi, occurrentia* pag. 21, & 24.



Quorum prius A Pyramidem repræſentat cujus Baſis 144 laterculos quadratos continet; poſterius B ſpacium vacuum, ſexdecim laterculis mediis ſubſidentibus cum reliquis quos ipſi ſupportabant, Cavitatémque relinquentibus fornicis inſtar, quæ Reſidui Pyramidis laterculorum pondere & regulari incumbentiâ satìs firmiter ſuſtinetur.

In Adnotamentum VI.

Plumbi ponderi attribuendum eſt, *&c. Tubo enim Arenæ* Caleſiæ *plumbi libras ſex ſeptémve impoſuerat, ad vires Ovi putaminis experiendas, ipſámque Arenam* Caleſiam *quatuor fere libras pependiſſe aſſerit.*

In Adnotamentum VII.

Si foramen efficeretur ejuſdem diametri cum Ovi putamine, Ovíque putamen tolleretur, *&c. Cujus loci vim illa ratio quam eruditus Autor affert minimè tollit; nempe ſi foramen fiat pro exiguitate corporum Tritici, Granedinis plumbeæ, granulorúmque Arenæ, exiguum, tunc fore ut non deſcendant, ſed exiguam quandam ca-*

vam vacuámve Teſtudinem faciant, quæ reliquam molem ſuſtentet. Nam baſis Pilei *ſive* Coni *quem fingit, infinito ferè major eſt aut ſaltem eſſe poteſt quàm pro exiguitate particularum Aquæ.*

In Adnotamentum VIII.

Nam Particulæ ſimul atque ſiſtuntur lateribus Tubi, *&c. Nec eludi poteſt hujus argumenti evidentia dicendo tendentiam lateralis motûs eandem eſſe quæ priùs. Cùm enim motus* per declive *nihil aliud ſit quàm Motus* Gravitatis, *quoad determinationem tantùm impeditus, nec unquam ceſſat conatus deorſum, iſte conatus deorſum adhuc integer conſervatur, præſertim quando impeditur nè actu tendat lateraliter ſive per declive, & fortean, quod dixi, majori cum efficacia reflecti poteſt in Ovi putamen, nempe ſi eſſet hujuſmodi arenularum contruſio. Pari enim ratione concipitur retruſio Arenularum à lateribus atque ad latera protruſio. Sed proculdubio omnis conatus eſt deorſum, niſi quatenus ſitus arenulæ in arenam, ut Pilæ plumbeæ in declivem Tabulam, facit, ut conatus ſit ad motum declivem. Qui tamen caſus minimè congruens eſt inſtituto eruditi Autoris, qui Aquam è particulis conſtare negat, ſed corpus eſſe contendit perfectè continuum & ubique perinde unum nec ex ullis particulis coagmentatum. Atque ità omnes iſtas bellas ſimilitudines ab* Architectura *laterculorum, Tritici, Granulorum Arenæ, granedulæ plumbeæ & ſimilium petitas, unâ quaſi liturâ inducit. Nam ſi Aqua tale corpus ſit, Gravitáſque ipſi intimè ſit inſita, manifeſtum eſt in Situla cum firmis lateribus, nullam omnino occaſionem eſſe poſſe, cur aliò quoquàm tendat quàm deorſum, quippe quum ſublata ſit ſitûs partium omnis declivitas.*

In Adnotamentum XII.

Fluiditatis naturam apertè oſtendunt quòd in partium tenuitate conſiſtat, earúmque aliarum juxta alias motu lubrico. *Heîc tamen acriter contendit eruditus Autor corpora* fluida *non conſtare ex particulis, ſed eſſe ubique pariter continua; ſed infirmis, quantum ego quidem judico, innixus argumentis. Nam primò, quando ad ſenſus noſtros provocat, Judices appellat haud competentes : Nam cùm de contiguitate iſtiuſmodi particularum diſputatur, quæ propter exilitatem ſuam, omnem viſûs tactúſque diſcriminationem fugiunt, quomodo judicare poterunt de* continuitate *vel* contiguitate? *Verùm Ratio, ex motu inter ſe, rectè* contiguitatem *ipſarum colligit. Ut quando duo politiſſima marmora conjunguntur ità ut commiſſura effundat ungues, ut ille loquitur, viſúmque prorſus fugiat, ſi admotis digitis, ſuperius marmor impulſum, ſuper inferius labatur, ſtatim colligimus marmora* contigua *duntaxat eſſe non autem* continua; *Ità ſanè dum partes fluidorum tam facilè inter ſe labuntur, certo eſt indicio eas tantummodo eſſe* contiguas. *Atque ità plumbum in fuſione proculdubio fit corpus tantùm* contiguum. *Deinde verò quòd Aqua ex vaſe per ſiphonem exhauritur, non fit per* funiculum Aquæ continuæ, *ſed per* motûs *circumpulſorii* circulum, *quemadmodum rectè docent* Carteſiani. *Vide* H. Regium, Philoſ. Natural. *lib.* 1. *cap.* 12. *Quòd verò idem non fit in ſiphone arenâ repleto minimè mirum eſt, cùm per arenularum interſtitia aer ſubingreditur. Nec experimentum denique* Hemiſphæriorum Magdeburgenſium *ullam talem Aeris* continuitatem *arguere, ſuo oſtenditur loco. Et certè cùm* continuitas *pro qua contenditur tam infirma ſit, ut quoad vim & tenacitatem, nihil differat à* contiguitate, *illa Phænomena quæ eruditus autor in hanc* fluidorum continuitatem *reſolvi vult, in aliud aliquod Principium ſolvi debere, manifeſtiſſimum eſt.*

In Adnotamentum XIX.

Aquâ non effluente, *&c. Niſi enim Aqua efflnat, eadem videtur opportunitas condendæ fornicis atque in ſitulæ fundo non perforato. Quæ tamen ſi adeſſe ſupponeretur, Orbiculus totius incumbentis Aquæ onere levaretur, pileo ſolo excepto ſive Cono, Aquáque fundum inter & orbiculum ſe inſinuaret elaberetúrque. Tam repugnantia inter ſe ſunt, quæ falſa hæc Hypotheſis infert.*

In Adnotamentum XX.

An integer Aquæ Cylindrus in hos Orbiculos non ſit preſſurus, non autem Pileus ſolus, *&c.*

ſolus, *&c. Quod occurrit in antecedente Adnotamento de Orbiculo ligneo & Situla perforata, illius vim eludit eruditus Autor dum declarat & ſe &* Stevinum, *quando concedunt totam columnam Aquæ Orbiculo incumbentem gravitare in Orbiculum, intelligi debere de Orbiculo non tam accuratè foramini adaptato, quin paululum aquæ effluat. Sic enim fore autumat ut* Pilei *ſive* Coni Architectura *deſtruatur meique pariter argumenti vis. Cæterùm in hoc exemplo manifeſtum eſt totum cylindrum Aquæ æquè actu premere duos hos orbiculos, atque unicum in priori. Et tamen experientia nos docet ſuperiorem aſſurgere in Aquæ ſuperficiem aquâ paulatim effluente per foramèn. Igitur non per* Pileum *aut* Conum *fit, quòd Orbiculus aſſurgit, ſed quòd partes Aquæ, quanquam conjunctim in fundum Situlæ gravitent, non gravitent tamen inter ſe. Quod ſine ope* Principii Hylarchici *nequaquam fieri poſſe contendo.*

Tom. 3. P 370



Vas in Situla aſſurget altiùs altiúſque donec tanta ſolummodo illius pars aquæ immergatur, *&c. Quod tamen eruditus Autor in Reſponſo ſuo ad hoc* Adnotamentum *negat. Verba ejus* Latinè *reddita ſic ſunt.* Emerſuráne eſt, *ait ille*, minor Situla niſi manu detineatur ? Minimè gentium. Nam aqua ſtatim tranſibit per perforationes ab una ſitula in alteram, donec in unam attollantur altitudinem, ſuperficiéſq; aquarum in uno jaceant plano ; & adhuc minor Situla manebit ſuper baſin majoris, quippe quæ habent æquipondium ; ſuppoſito (quod ſupponi debet) lignum ſitulæ minoris ejuſdem ſpecifici ponderis eſſe atque conſimilis moles Aquæ.

Equidem ſi ex tali ligno facta eſſet interior Situla, fateor Situlam non aſcenſuram. Sed ipſe Autor interim fatetur, ſi è vulgari ligno facta ſupponatur (ex quali factam me non ſuppoſuiſſe nemo ſibi ſeriò perſuadere poteſt) eam certò emerſuram. Et ſanè non poſſum quin exoſculer amœnum eruditi Autoris ingenium qui invictam demonſtrationis noſtræ firmitudinem tam lepido feſtivóque ſuffugio agnoverit. Ad ulteriorem verò demonſtrationis noſtræ illuſtrationem atque confirmationem, quòd partes Aquæ non gravitent inter ſe, nec ex Architectura Pilei Conive aut continuitate partium Aquæ fiat ut Orbiculus ligneus è fundo Situlæ aſcendat, & Fabricam & Vſum aliqua ex parte Hydriarum Hydroſtaticarum ænearum (quas Helmontianas à Mercurio Helmontio ingenioſo ipſarum Fabricatore appellandas cenſui) aliquanto fuſiùs hîc explicabo.

Generaliorem igitur Inſtrumenti intuitum tibi exhibet totum Schema A B C D. Vbi C D eſt ſtylobata ligneus, E B ſtylus ferreus perpendiculariter per cochleam immiſſus in æneum Quadratum E F, ſtylobatæ ligneo infixum, & erectus uſque ad B, atque illìc ad angulum rectum incurvatus ac productus uſque ad A, ſed fiſſus inter A & B ut trochlea ænea G ſuper axem ferreum H liberè circumrotari queat ad motum funiculi ſive fili nervive tenuis, (qualis ferè ſolet eſſe ultima penultimáve chorda in Teſtudine) in ſulcatura Trochleæ pro vi ponderum huc illuc tracti. I vaſculum æneum in quod injiciantur pondera. S O eſt Hydria exterior cum operculo etiam æneo L, & epiſtomio M. S eſt pars ſuprema, K N pars media Hydriæ exterioris in quam immittitur Hydria interior uſque ad K & N vertice ac baſi, ubi ad N in annulum quaſi æneum inſiſtit, baſin nempe partium Hydriæ exterioris, ſupremæ ac mediæ, circularem perforatam. N O eſt pars exterioris Hydriæ infima in quam inditur Epiſtomium M. P eſt filum æneum quod ſummitati Hydriæ interioris annexum per foramen tranſit operculi P, colligatúrque cum funiculo qui per ſulcaturam perimetri Trochleæ ducitur, & cum anſula ænei vaſculi connectitur, ut videre eſt in Schemate. Q eſt operculum exterioris Hydriæ exemptum. R Hydria interior ipſa etiam ænea. T T T T quatuor foramina per quæ aqua in interiorem Hydriam infunditur. T T T foraminula admodum parva & obliquè in imis lateribus Hydriæ facta, ità ut Aqua ad baſin uſque priùs pertingat quàm per ea exire poſſit, nec exire niſi aſcendat. X eſt ſtylus ferreus in ſcopum cavum in fundo Hydriæ exterioris extantem immittendus, ut ſitus motúſque Hydriæ interioris eò fiat directior. Diametri verò Cavitatum exterioris & interioris Hydriæ eam habent ad ſe invicem rationem ut Aqua in Hydria interiori ad aquam K N inter duas Hydrias contentam ſit ad minimum ut 30 ad 1. Ad eam enim rationem fabricatæ ſunt Hydriæ hæ Helmontianæ.

Præcipuus verò illarum uſus hic eſt, ad certò ſcilicet demonſtrandum partes Aquæ, (contrà ac multa nunc dierum Ingenia, aliàs ſatìs Philoſophica, ſtatuunt) non gravitare inter ſe. Si igitur tantum ponderis addatur vaſculo æneo I, ut cum Hydria interiori, in libero aere reducatur ad æquipondium, hoc eſt, ut pendeat uncias ferè octo, impleatúrque Hydria exterior ſimul cum interiori aquâ infuſâ uſque ad K, Vaſculum æneum I cum ſuis ponderibus præponderabit Hydriæ interiori in aquam hoc modo immerſæ paulatimque attollet. Quod certiſſimum indicium eſt partes aquæ non gravitare inter ſe. Nam ſi Aqua Hydriæ interioris gravitaret in aquam exteriori Hydriâ contentam & inter duas Hydrias interceptam, impoſſibile eſſet ut vaſculum æneum I attolleret Hydriam interiorem cujus fundum Aquæ ſexdecim ferè unciæ premunt. Nihil autem ſupereſt quod adjuvet pondus vaſculi ænei, cui æquale eſt pondus ipſius Hydriæ interioris, præter aquam inter duas ſitulas ſive Hydrias contentam, quæ tamen vix triceſima pars eſt Aquæ in Hydria interiori contentæ. Hoc facile ac perſpicuum experimentum Adverſariorum ſubterfugia uno quaſi ictu præſcindit univerſa. Non Pileus aut Conus hîc valet quicquam, tota enim Aqua Hydriâ interiori contenta, illius baſi incumbit. Nec partium Continuitas, Hydriæ enim interioris lateribus aqua interior & exterior diſcinditur. Nec obliquus denique Aquæ, interioris Hydriæ baſi incumbentis Conatus, qui hujus Hydriæ lateribus omnino impeditur. Adeò ut ſola agat Aqua inter duas Hydrias, quæ vix triceſima pars eſt Aquæ interiori Hydriâ contentæ, in attollendo Hydriam interiorem æqualem pondere æneo vaſculo cum ſuis ponderibus, ità ut pars Aquæ triceſima triginta partes attollat, eiſque præponderet, quod eſt impoſſibile.

Nullum jam ſupereſt ſubterfugium niſi ad Atmoſphæram ſe conferant, quo has tam perſpicuas rationes conturbent. Nam quemadmodum hactenus, in experimento ſimplicis Situlæ & Orbiculi lignei, ad obliquum conatum omnium ferè partium cylindri Aquæ Orbiculo incumbentis, præter concavi Cylindri motum perpendicularem, recurrerunt; ità hîc recurſuri ſunt ad motum obliquum Cylindri Atmoſphæræ Hydriæ interioris vertici incumbentis, præter perpendicularem motum Cylindri concavi ejuſdem Atmoſphæræ, quinimò omnes obliquos motus Atmoſphæræ hîc ad ſuppetias vocabunt, ut rationes noſtras confundant. Sed fruſtra, tum ob ea quæ diximus in Scholiis Enchiridii Metaphyſici, tum ob operculum L, quod Hydriæ exteriori impoſitum omnes iſtas fictitias Atmoſphæræ ſuppetias intercipit. Partis enim, Hydriæ exterioris, ſupremæ, impoſito operculo, profunditas parva eſt, & aquâ repleta (nè quis ad Aeris Elaſticitatem hîc recurrat) adeò ut in Cavitatem operculi L redundet. Nec relinquitur ullus locus in quem agat Atmoſphæra niſi in exiguum foramen P, per quod tranſit filum æneum P. Adeò ut, ſi quid agat Atmoſphæra aut perpendicularibus, aut obliquis preſſuris, in ſolam agit Hydriam interiorem, quò illius aſcenſum impediat. Eſt enim ſuperior pars operculi L cava, cavitatiſq; profunditas duplo major quàm intervallum inter baſin illius atque verticem Hydriæ interioris, ad eam ferè rationem quæ hîc deſcribitur. Ubi A B eſt diameter baſis operculi, A C vel B D cavitatis illius profunditas. E F vertex interioris Hydriæ, E A vel F B diſtantia inter baſin Operculi A B, & verticem interioris Hydriæ E F. L H preſſura Atmoſphæræ perpendicularis. D I, C K preſſuræ Atmoſphæræ maximè obliquæ, quæ intrare poſſunt per foramen P; quæ cùm à peripheria verticis Hydriæ interioris tanto diſtent intervallo, impoſſibile eſt ut aquam premant inter duas Hydrias contentam. Aqua verò inter A B & E F contenta ſi perpendicularem illius motum ſpectes, rationes noſtras nihil turbat, cùm vertici Hydriæ interioris perinde atque Cylindri Aquæ concavi incumbat. Obliquæ verò preſſuræ Aquæ quæ finguntur, propter exiguitatem Intervalli inter A B & E F adeò obliquæ erunt, & in Cylindrum concavum Aquæ adeò tenuem, ut nullam rationem habere poſſint ad preſſuram ejuſdem perpendicularem. Et ſi integra preſſura Aquæ intra A B & E F contenta adderetur preſſuræ Cylindri Aquæ concavi ſive Aquæ inter duas Hydrias interceptæ, cùm trigeſima, putà, tantùm pars ſupponi poſſit aquæ in Hydria interiori contentæ, manifeſtum eſt Aquam quindecuplo adhuc majorem fore in Hydria interiori, & tamen ab aqua quindecuplo minori attolli. Aſſurget enim Hydria interior uſque ad baſin Operculi A B. Et denique ſi integra preſſura Aquæ intra A B & E F cum preſſura Atmoſphæræ C L D conferatur, quæ per foramen P ingreditur & in verticem Hydriæ ſolius interioris I H K incumbit, Aquæ preſſura integra in concavum Cylindrum Aquæ præ preſſura Atmoſphæræ in Cylindrum Aquæ ſolidum Hydriâ interiori contentum nihil planè erit. Quinimò ingens momentum addet Atmoſphæræ preſſura, ſi qua omnino ſit, ad deprimendum Cylindrum Aquæ ſolidum; & tamen, quod dixi, Hydria interior aſſurget. Tam undique manifeſtum eſt partes aquæ inter ſe non gravitare, nec ullam talem eſſe Atmoſphæræ preſſuram, qualis nunc dierum à viris quibuſdam doctis ſupponitur.

Tom. 1.



p: 372.

Atque hic quidem præcipuus idémque egregius uſus eſt harum Hydriarum Hydroſtaticarum, ad evellendum ſcilicet enormem iſtum errorem ex animis modernorum Philoſophorum de Gravitatione partium Fluidorum inter ſe. Poteris tamen magìs curioſa, earum ope, experiri, nempe, quàm multò majus pondus requiratur ad attollendam Hydriam interiorem ſi exterioris pars infima N O Aere tantùm impleatur clauſo Epiſtomio M, & quanto adhuc majus, eodem aperto. Quod ad ſimilitudinem accedit experimenti Steviniani in Situla cum fundo perforato. Sed adhuc propiùs accedet, ſi exemptâ Hydriâ interiori, ſolâ exteriori utaris & Orbiculis ligneis ſive ſubereis. Nam clauſo Epiſtomio, ſi Hydriam aquâ impleas & Orbiculum ligneum æqualis ferè diametri, vel admodum pauxillo minori, quàm ſit diameter Cavitatis Hydriæ, ad ſupradictum annulum æneum N detrudas, juxta vulgare experimentum certò ſurget. Quodſi eundem Orbiculum ad dictum Annulum labi patiaris in Hydria vacua, ibiq; bacillo detineas donec infuſâ aquâ impleatur pars Hydriæ S N, Orbiculus, Epiſtomio præſertim aperto, non aſſurget: at ſi duos Orbiculos ejuſdem diametri, vel ſecùs, eodem modo detineas donec infuſa fuerit Aqua, remoto bacillo, ſuperior ſtatim ſurget, inferior nequaquam. Quod experimentum ἀντίστροφον videtur experimento Tubi cum Valvula, & duobus Obturaculis interiori & exteriori, *ubi interius quanquam multò ponderoſius, hæret valvulæ, exterius quanquam multò levius decidit. Utraque verò experimenta ſatìs manifeſtò probant non eſſe iſtam preſſuram partium Aquæ ſurſum, in altero exemplo, nec deorſum in altero, contrà ac fingunt moderni Philoſophi. Sed de his alius dabitur dicendi locus.*

Intereà loci ad eruditum Autorem pauliſper redeamus. Operæ pretium duxi notare, quanquam triginta minimùm paginas Adnotamento huic viceſimo ventilando impenderit, multáque ad rem Hydroſtaticam *pertinentia, doctè copioſéque accumulaverit, nè unum apicem tamen occurriſſe qui vim demonſtrationis noſtræ ullo modo enervet, niſi fortè Effatum illud* Hydroſtaticum : *Vim preſſuræ Aquæ ſecundùm* Altitudinem *vel profunditatem fieri, non ſecundùm* Latitudinem *vel amplitudinem. Quod tamen obſervo eum enervandæ noſtræ demonſtrationi nuſquam applicuiſſe, licèt ab aliis eò uſurpatum. Quod profectò facit ut neſciam, feſtivitatem Ingenii an Judicii acumen magìs admirer. Fingere enim preſſuram Aquæ inter duas Hydrias quæ vix triceſima pars eſt illius aquæ quæ eſt in interiori Hydria, propter æqualem altitudinem paulóve majorem, ſed ità ut quantitas hujus Aquæ, interioris Aquæ quantitate plùs tricies ſuperetur, preſſuram Aquæ interioris aut exæquare aut excedere, ab omni ratione eſt alieniſſimum, & quod Summæ gravitationum computum planè turbaturum eſſet. Etenim cùm triginta unciarum pondus & unius unciæ pondus, (ſic enim ſupponi poteſt) pondus triginta & unius unciarum conficiunt, ſi aqua illa inter Hydrias quæ triceſima tantùm pars eſt interioris, exæquat preſſuram interioris aut ſuperat, nec iſtâ vi interiorem ſurſum premit quin eo ipſo eâdem vi fundum premat Hydriæ, nec Aqua interior ſuam Gravitationem ſuſpendat (non magìs ſanè quàm aliquot plumbi pondo menſæ incumbentia dum cultrum laminámve aliquam inter plumbum ac menſam immittis, & ſic paululum attollis, gravitationem ſuſpendunt ſuam) Summa planè erit pondus ſexaginta unciarum aut ampliùs, quod abſurdiſſimum eſt. Unde manifeſtum eſt partes aquæ inter ſe non gravitare, atque id in cauſa eſſe cur tam facilè aſſurgat Orbiculus ligneus è fundo Situlæ, cùm nulla ſit in ipſum preſſura, quamvis conjunctim partes omnes Aquæ premantur deorſum. Quod fieri non poteſt ſine ope* Spiritûs Naturæ, *qui Orbiculum etiam attollit.*

In Adnotamentum XXI.

Quòd nullus ſit Motus Niſúſve ad motum qui cerni poſſit in aqua ad ullum Terminum, niſi quando perperam locatur, *&c. Hîc quærit eruditus Autor quid ſit* perperam collocari. *Ad quod reſpondeo, Non ſic collocari ut* Hyloſtatici Spiritûs Naturæ *leges requirunt, quarum paucas ſed potiſſimas, & quæ ad hanc rem maximè faciunt, in* Enchiridio Metaphyſico *propono,* Cap. 13. ſect. 10. *Tota verò Aquæ alicujus maſſa perperam collocari poteſt dum partes illius maſſæ rectè collocantur inter ſe. Unde fit ut tota maſſa Aquæ conjunctim, in Situla ſuſpenſa niſum ad motum habeat deorſum, cùm partes tamen inter ſe nullam talem habent* Gravitationem. *Vide Enchirid. Metaphyſ. Cap. 10. ſect. 7.*

In Adnotamentum XXIV.

Quòd verò Aqua omnes has tendentias preſſuráſve ſimul habeat, huc profectò illius experimenta nequaquam pertingunt. *Satìs ingenioſum eſt quod hîc affert eruditus Autor, quo probet tendentiam Aquæ actualem fieri poſſe in partes oppoſitas. Quòd ſcilicet Situla Aquæ duodecim libras pendens, tantundem pendet, (quando Tubus infrà obturatus & immiſſus in aquam & poſtmodum apertus occaſionem dat aquæ ſurſum aſcendendi in Tubum,) quantum pendebat antea. Unde concludit, Aquam aſcendentem in Tubum & actualem habere preſſuram deorſum & motum ſurſum ſimul. Quod profectò verum eſt, ſed cauſam Autoris minimè attingit, qui levitatem quaſi quandam, hoc eſt, Tendentiam ſurſum etiam nullâ datâ occaſione perinde atque Gravitatem Aquæ intrinſecam ſupponit, cujus actualis efficáxque preſſura proculdubio ſuſpenderetur in aſcenſu motúve ſurſum, ſi iſta tendentia ſurſum vi inſitâ aquæ ineſſet, & ea pars aquæ quæ ſurſum movetur à ſe moveretur ſurſum. Experimenti igitur veritas ſubſtantiam aliquam diſtinctam ab Aqua ſurſum mota planè arguit. Partes itaque Aquæ extra Tubum laterales gravitatione ſuâ conjunctim in Tubum, propellere poſſunt aquam inferiorem, gravitantem interea, ut pondo iſta plumbi modò memorata, in laminam ac menſam. Sed cùm partes aquæ inter ſe non gravitant, & tantillum aquæ lateralis tantam molem Aquæ in Hydria interiori, in* *ſuprà deſcripto experimento attollit, certiſſimum indicium eſt hæc non fieri gravitate partium aquæ inſitâ, ſed à ſubſtantia ſpirituali diſtincta, quæ, utcunque partes interim moveantur inter ſe, totam maſſam tamen Aquæ versùs unum terminum urgeat.*

In Adnotamentum XXV.

Non ſolùm quatenus fluidum corpus, *&c. Quippe quod ſupponit eruditus Autor corpus* fluidum *tendentiam habere quaquaverſum & ex conſequenti deorſum ſive perpendicularem, quæ ad illius* Gravitationem *igitur aliquid poſſit contribuere.*

In Adnotamentum XXIX.

Nullam aliam ſortem ſummámve intrinſeci ponderis præter libras has duodecim eſſe quæ in multifarias iſtas actuales Gravitationes, Horizontalem, obliquam, & directò ſurſum poſſit derivari, *&c. Me fideliſſimè ſenſum Autoris hac in re narrâſſe planè cuivis conſtabit qui caput octavum perlegerit* Diſſertationis *eruditi Autoris de* Gravitatione & Non-Gravitatione corporum Fluidorum; *nempe Aquam quatenus corpus* fluidum *eſt, ſemper conatum habere ad motum* verticalem *perinde atque ad motum* Horizontalem *&* obliquum, *& omnes iſtos conatus corrigere ac refringere vim perpendicularis motûs aquæ deorſum. Unde mihi profectò impoſſibile videtur ut duodecim librarum pondus poſt has refractiones & correctiones integrum adhuc ſentiatur.*

In Adnotamentum XXX.

Eſt igitur Aqua proculdubio corpus fluidum etiam in Situla, *&c. Quod etiam in Reſponſo ſuo agnoſcit eruditus Autor, omnéſque conatus ad motum habere quos habent reliqua* Fluida, *& tamen paulò pòſt contendit propter firma latera Situlæ aquam contentam ſimpliciter ad centrum Terræ tendere, ac ſi Aqua congelata eſſet in glaciem. Quod planè eſt agnoſcere nullos habere iſtiuſmodi conatus quoquoverſum quò motus deorſum corrigatur aut refringatur. Sed mox innuit cùm conatibus* lateralibus *ſive* Horizontalibus *obſiſtant firma Situlæ latera nè aerem premant, preſſuram ad centrum Terræ dirigi. Quod tamen fieri non poteſt, ſed eſt tantùm reciprocatio conatuum ad motum à latere in oppoſitum latus, & viciſſim; ut taceam conatus* verticales *&* obliquos *ſurſum, quos latera Situlæ nullò pacto concipi poſſunt deorſum dirigere.* Obliqui *enim* ſurſum, *reflectuntur ſurſum non deorſum, prout cuilibet attentiùs cogitanti facilè patet. Unde impoſſibile eſt ut Aqua in Situla ſit ad inſtar Aquæ congelatæ. Atque ſic etiamnum firmiſſimum manet, neceſſariò fore ut Aqua in Situla in glaciem converſa ponderoſior ſit quàm Aqua ſoluta, quod tamen repugnat experientiæ.*

Multa, fateor, hîc ingenioſè afferuntur ab erudito Autore quibus probare velit motus fieri poſſe in oppoſitas partes eodem tempore; motiſque partibus corporis gravis quoquoverſum, totum tamen corpus grave pari ferè pondere ad centrum ferri aut ſaltem eò adniti. Quod ego vel primo aſpectu verum eſſe agnoſco, ſed niſi ſit principium Hylarchicum, *aut aliqua ſubſtantia à Materia diſtincta quæ Materiam moveat & dirigat, in hiſce Phænomenis id fieri poſſe conſtanter nego. Quanquam enim vector in Navi ad motum Navis à Septentrione ad Auſtrum & motu proprio ab Auſtro ad Septentrionem eodem tempore moveri poteſt; proprio tamen motu non poteſt & in Auſtrum & in Septentrionem moveri ſimul. Et eruditus Autor nullum alium motum partibus aquæ attribuit quàm qui ex ipſis partibus aquæ proficiſcatur. Et cùm partes* Fluidi *ipſum* Fluidum *ſint, preſſuræ partium deorſum minui corrigive non poſſunt quin preſſura totius minuatur, non magis certè quàm minutis ſingulis unciis integri Aſſis, As poſſit intelligi adhuc integer manere.*

Non quidem diffiteor quin dolium vini non obſtante motu fermentationis, corpúſque Hominis vivum non obſtante circulatione ſanguinis quæ ſurſum fit perinde atque deorſum, pari ferè pondere eſſe poſſint, quo, vinum putà ante fermentationem, aut corpus ſtatim poſt mortem; ſed nego hæc fieri poſſe ſi nulla ſubſtantia motrix eſſet præter partes ipſius vini corporiſve humani, quæ ipſa eorúmque partes conjunctim versùs terræ centrum urgeret.

Deniq; quantùm ad exempla illa egregia, de pondere trium librarum in una lance Trutinæ, pondus attollente duarum librarum in altera, omnémque ſenſibilem gravitationem in quodvis corpus ſubjectum, ab eis auferente, cùm tamen manus interim, qui Trutinam ſuſtinet, quinque librarum pondus ſentiat : & de *Plano inclinato,*

A B C,

A B C, cujus Cathetus B C tres pedes longa ſit, Hypotenuſa verò A C ſex; ubi pondus E duarum librarum, æquale ferè eſt ponderi D librarum quatuor, & tamen ſi quis tolleret Planum hoc inclinatum cum ſuis ponderibus, ſex librarum pondus ſenſurus eſt præter pondus ipſius Machinæ; quo inſinuare velit eruditus Autor quanquam pondera partium corporum liquidorum ad ſe invicem reſringi poſſint, & tolli aut ſaltem diminui, conjunctim tamen integram queant habere gravitationem: hæc, inquam, licèt ſcitè profectò & ingenioſè afferri videantur, revera tamen contra cauſam illius militant. Nam in primo exemplo de Trutina, Gravitatio duarum librarum in altera lancium revera ſuſpenditur. Quo quidem modo ſi omnium partium Aquæ in Situla Gravitatio ſuſpenderetur, nulla foret preſſura in fundum Situlæ. Quodſi, quemadmodum manus retinens Trutinam ſentit totum pondus librarum, ità Orbiculus ligneus, qui excipit & ſuſtinet totam ferè Aquæ incumbentis molem, unâ triceſimâ tantùm exceptâ, (ut & ille qui tollit Planum inclinatum cum ponderibus) integro ferè Aquæ molis pondere oneraretur, impoſſibile eſſet ut aſſurgat.



Et certè quantùm ad Planum inclinatum, ex eo porrò ediſcere poſſumus quàm intutum ſit illud eruditi Autoris ſuffugium, quoties ad motum arenarum & corporum fluidorum per declive recurrit, quaſi ille motus preſſuram reſringeret partium deorſum; cùm, fatente ipſo Autore, quanquam pila D quatuor librarum, propter declivitatem Plani non præponderet pilæ E duarum, tollenti tamen Machinam Plani, perpendicularis preſſura pilæ D quatuor libras pendere percipitur. Quod id ipſum eſt quod in Adnotamentis monui, Conatum ſcilicet per declive, præſertim ubi ſiſtitur motus, non minuere preſſuram deorſum. Ac proinde urinator, abſque Spiritu Naturæ *eſſet, ingentem proculdubio preſſuram ſub aqua profunda ſenſurus eſſet, nec Orbiculus è fundo Situlæ, ad aquæ ſuperficiem aſſurrecturus. Quemadmodum manifeſtò demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico, *nec in quicquam unquam hactenus incidi, quod vim illius demonſtrationis queat enervare.*

Nec tentantur unquam niſi ex data occaſione, *&c. Quod fieri poteſt, aut propter nimiam laterum tenuitatem, aut propter rimas aliquas fiſſuráſve.*

IN
Difficiles Nugas,
SIVE
OBSERVATIONES circa EXPERIMENTUM
TORRICELLIANUM.

Ab Adnotamentis in Tentamen *de* Gravitatione Fluidorum *ad* Obſervationes *circa Experimentum* Torricellianum *Tranſitio.*

* Enchirid. Metaphyſ. cap. 13. ſect. 4.

POſtquam * Demonſtrationem meam pro exiſtentia *Principii Hylarchici*, ſive *Spiritûs Naturæ* ab experimento lignei Orbiculi, à fundo Situlæ aquæ, aſſurgentis petitam, ab ea obſcuritate vel incertitudine, quâ inventio *Pilei* ſive *Coni*, cujuſdámque quaquaverſum-Gravitationis, tendentiæve Motûs ſuppoſititii in corporibus *fluidis* quatenus ſunt talia, eam involvere poſſet, præcedentibus *Adnotamentis* liberaverim, atque vindicaverim: Talia nunc potiſſimùm *Adnotamenta* in ſecundam hanc Diſſertationem (*Obſervationes* nempe Autoris circa *Experimentum Torricellianum*) proferam, quæ conſimilem defenſura ſint * demonſtrationem, ab *aſcenſu ponderis Antliæ pneumaticæ Embolo appenſi* accerſitam, contra illius Problematis ſolutionem ab erudito Autore adhibitam, omniúmque id genus experimentorum. Quorum quidem cauſam ille præcipuè attribuit *Rarefactioni* & *Tenſioni* Materiæ, *&c.* quas ille reales Naturæ affectiones eſſe ſupponit: Ac proinde has Notiones primo ſuo occurſu excipiam, prout obferunt ſe in ſecundo capite præſentis hujus *Diſſertationis.*

* Enchirid. Metaphyſ. cap. 12.

In CAPUT Secundum

Adnotamentum Primum.

De Rarefactione *&* Tenſione, *& de* Condenſatione *&* Reſtitutione *juxta ſenſum Autoris. Quàm nullo nitantur Fundamento probatur ex eo quòd ſubtiliores particulæ in Aere ſunt quàm quæ propriè ſint Aereæ. Oſtenditur porrò quantum Rationi & Experientiæ repugnent.*

ERuditus Autor Principia hîc aſſumit quæ nondum ſunt probata, (*pag.* 21.) * taliáque quæ nullo in Natura Experimento Rationéve probari poſſint, immò verò talia quæ Rationi repugnent abſurdáque ſint, ſi modò ea preſſiùs examinemus, in eáq; penitiùs introſpiciamus.

1. Quòd nondum ea probaverit ſed ſimpliciter applicaverit, manifeſtum cuilibet erit, qui oblectamentum ſibi dederit perlegendi hanc Diſſertationem.

2. Quòd autem probari non poſſunt manifeſtum eſt ab ipſa Notione *Rarefactionis* & *Condenſationis*, & *Tenſionis* atque *Reſtitutionis*, (pag. 21. l. 12.) Nam *Rarefactio* & *Tenſio* eſt, quando una eadémque ſubſtantia corporea majus ſpacium occupat quàm antea, ſed *Condenſatio* & *Reſtitutio* quando occupat minus. Hæ ſunt generales naturæ (quod ad præſentem meum ſcopum ſufficit) in quibus conveniunt, *Rarefactio* putà & *Tenſio*, atque *Condenſatio* & *Reſtitutio*. Quæ temerè ab antiquis aliquibus Philoſophis perinde ac à modernis admiſſæ ſunt, quia putabant nulla eſſe in Univerſo corpora, aut ſaltem prope hanc noſtram terram, quorum partes ſubtiliores eſſent partibus Aeris; vel Aerem imaginabantur corpus abſolutè homogeneum, neque eum conſiderabant tanquam conſiſtentem ex ullis particulis. Adeò confuſæ erant eorum Notiones circa naturale hoc Phænomenon.

3. Quòd verò ex actualibus particulis conſiſtat, mihi manifeſtum videtur, ex eo quòd tam facilè poſſit dividi. Quippe quem tenerum Araneolæ filum à petaſo pendens in qualibet parte aſſignata poteſt diſſecare. Quod incredibile planè eſſet, niſi Aer ex partibus merè *contiguis* conſiſteret, eiſque admodum tenuibus, nec tamen tenuitatis infinitæ; propterea quòd Aer, quanquam per quorundam corporum poros tranſire poteſt, per aliorum tamen non poteſt.

4. Ac proinde cùm nullum ſit *Vacuum*, quemadmodum omnes ferè conſentiunt, cúmque partes Aeris quàm facillimè cedant vel minimo cuivis tactui, (quod fieri non poſſet ſi præcipuæ partes Aeris talium eſſent figurarum, quæ omne ſpacium, quod ille intelligitur occupare, adæquatè impleret; tunc enim ità conſtipatus eſſet, ut nihil ſe facilè, aut ſine violenta penetratione dimenſionum moveret) oportet ideo particulas eſſe, quæ exigua inter aeris partes intervalla impleant, eáſque tenues admodum, ut motus facilis eſſe poſſit, útque partes Aeris in hoc ſubtiliori *liquido* fluitantes celeriter motui quaquaverſum cedant, quemadmodum fieri videmus. Hæc eſt una methodus probandi valdè tenues particulas eſſe in Aere, à præcipuis illius magíſque propriis particulis diſtinctas.

Supereſt verò alia hujuſce rei magìs viſibilis detectio in Phænomeno *Lucis*, ex eo quòd poros vitri pertranſit, quos Aer non poteſt pertranſire. Et, quod *Lux* ſive *lumen* corpus ſubtile ſit, præter Antiquorum autoritatem, *Reflexio* illius & *Refractio* abunde reddit manifeſtum. Quomodo Figura corporis, ut in ſpeculo uſtorio, radios ad unum punctum dirigere poſſet, ſi mera qualitas eſſent, & non tenuiores particulæ Materiæ in Aere? Et quantùm ad opinionem *ſpecierum intentionalium*, quale *Lumen* Solis fingunt reſpectu ſuæ *Lucis*, quòd Notio ſit impoſſibilis, in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravi. Cap. 19. ſect. 2 Hæ ſubindicatiunculæ ſufficiunt, in Argumento apud omnes philoſophos qui nullo præjudicio laborant, tam facilè approbato, ad demonſtrandum quòd * tenuiores Materiæ partes ſunt, quàm quæ propriè ſint *Aereæ*, taléſque quæ poros corporum penetrare valent, dum Aereæ partes coguntur manere foris.

* Vide Adnotamen. 4,

5. Ex quibus itaque manifeſtò ſequitur, hæc Principia *Rarefactionis* & *Condenſationis*, *Tenſionis* & *Reſtitutionis* Aeris eſſe in Natura probari non poſſe in iſtiuſmodi caſibus quibus eruditus Autor aliíq; ea fingunt eſſe: Quoniam ingreſſus egreſſúſque ſubtiliorum particularum quas probavimus eſſe in Natura hæc Phænomena facilè explicant, oſtendúntque nihil opus eſſe, ut eadem ſubſtantia integra ſit quando *rarefacta* eſt, ſed quòd ſubtiliores partes ingredi poſſunt, veluti aqua in ſpongiam; nec certè quando *condenſata eſt*, ſed quòd partes quædam ſubtiles egredi poſſunt, veluti aqua ex ſpongia. Eadémque ratio eſt in *Tenſione* Aeris, illiúſque *Reſtitutione*. Explicari poſſunt per egreſſum & regreſſum ſubtilium particularum; *Tenſio* verò & *Reſtitutio* illa ad imaginem Nervi in Barbito, mera poteſt eſſe imaginatio.

6. Nec eo certè contenti ſumus, ſed affirmamus porrò, de facto, meram eſſe Imaginationem, quemadmodum apparet ex eo quod jam probavimus. Aerem ſcilicet tam bellè repletum eſſe materiâ ipſo multò ſubtiliori, etiam tali quæ vitrum penetret; & ex eo pariter in quo omnes conſentiunt, Aerem utique eſſe *compreſſibilem*. Indè enim neceſſariò ſequetur, quòd, ex illius compreſſione, ut nullum fiat Vacuum, vel per neceſſarium motûs circulum, tenuiores iſtæ particulæ quodlibet Vitrum ſint penetraturæ, ut putà Tubum vitreum in Experimento *Torricelliano*, de quo magis particulatim dicemus in ſuo loco.

Præterea, ipſa Notio talis *Rarefactionis* & *Condenſationis*, *Tenſionis* & *Reſtitutionis*, qualem hic Autor ſtatuit, ipſi naturæ Corporis contrariatur, quod antiqui philoſophi definiverunt τὸ τριχῆ διάστατον ἀντίτυπον, ſubſtantiam trinæ dimenſionis & impenetrabilem. Et certè Corporis ſive Materiæ impenetrabilitas tanquam realis & inſeparabilis illius proprietas tam univerſim agnoſcitur, ut illi etiam Philoſophi qui tali favent *Rarefactioni* & *Condenſationi*, qualem *Ariſtoteles* tradidit, atque hic Autor tuetur, omnes intenderunt nervos, ſed fruſtrà profectò, ad eam defendendam ab iſta abſurditate penetrationis dimenſionum. Ut taceam quàm fœda confuſio ſit proprietatum *Corporis* & *Spiritûs*. Nam talis *Rarefactio* & *Condenſatio* qualis hîc ſupponitur, * nimis propè accedit ad eam *Dilatationem* & *Contractionem* quæ ad Spiritus particulares pertinet.

7. Et poſtremò, ſi accuratiùs anquiſitiúſque conſideremus, ſi hujuſmodi ſit *Rarefactio*, quòd oportet fieri, aut per augmentum *Molis* uniuſcujuſque particulæ, putà Aeris ſic rarefacti, aut per augmentum *Numeri* particularum (unaquâque particulâ, (mirabile commentum!) particulas ex ſe emittente ad majus ſpacium occupandum) & emiſſitiis & originalibus interim particulis omni poro carentibus, ſaltem quatenus ad hunc modum augentur, (quippe quum noviter hæc acquiſita extenſio aperiendo implendóque

poros non fiat, (ut in methodo *Carteſiana*) ſed per novam continuam quantitatem aut ſaltem noviter emiſſam) eſt, inquam, hîc manifeſtum, ſi augmentum particularum ſit in *Mole* (cùm nulla alia ſit imaginabilis aut ſaltem rationabilis Notio *Soliditatis* niſi Materiæ *Imporoſitas* arctáque *Continuitas* partium in particulas indiviſarum (naturalis enim experientia nos docet, quòd ſolutilitas particularum origo ſit *Fluiditatis* & *Mollitiei*) manifeſtum eſt, inquam, quòd particulis aliquando centies millieſve majoribus factis, ſolidiſque pariter exiſtentibus, hoc effectum futurum eſſet *Rarefactionis*, ut corpus rarefactum ſentiatur craſſius quàm fuerit antea, quod experientiæ planè contrariatur. Cæterùm utcunque in caſu altero ubi *Numerus* tantùm augetur, iſtæ emiſſitiæ particulæ propter *imporoſitatem* arctámque continuitatem partium æquè reverà ſolidæ ſunt atque majores iſtæ, ut utræque reverà ſolidæ ſunt propter ἀντιτυπίαν ſubſtantiæ corporeæ eſſentialem. Ac proinde conceptu difficile eſt, quomodo rurſus intrare poſſint in particulas ex quibus eſſent emiſſæ. Ut taceam (cùm nullum ſit *Vacuum*) quàm inconcinnum ſit opinari ex tali qualibet *Rarefactione* neceſſariò fieri intruſionem durorum & ſolidorum corporum in corpora ſimiliter dura atque ſolida, adeò ut reverà penetrent non poros ſed ipſas dimenſiones mutuas, quanquam ad hunc modum duras atque ſolidas. Quod intelligo de corporibus non rarefactis ídque ex levibus occaſionibus & vi perpauxillâ adhibitâ. Quod mihi quidem, fateor, immaniter durum & abſurdum videtur, & experientiæ planè contrarium, etiam in corporibus mollibus, ut in Aqua putà, cùm violenta iſta experimenta quæ illius *Elaſticitatem* refutant, confirmant pariter impenetrabilitatem illius partium.

8. Quibus omnibus addam, Quòd hoc Principium, quod ſupponitur, *Tenſionis*, omnia tollit ſubterfugia quæ peti poſſint, in introducendo interſperſas Inanitates vacuóſque poros in corporibus. Quæ *Diſcontinuitas* futura eſſet ſive *Diſcontiguitas* Materiæ in Univerſo. Contra quam hæc *Tenſio* deſtinatur propugnaculum. Et præterea, ſi ullæ iſtiuſmodi eſſent interſperſæ Vacuitates ità ut Materia poſſit in eas arctiùs compingi, illud profectò Demonſtrationem meam ab *Antlia pneumatica* petitam redderet firmiorem, aſcenſúſque ponderis eò eſſet mirabilior, *Principiúm*que *Hylarchicum* magìs neceſſariò requireret. Cujus Defenſio, præſentium *Adnotamentorum* præcipuus eſt ſcopus. Admittere verò tam incredibilem & inopinabilem Naturæ affectionem quàm ſit in duris ſolidíſque corporibus mutua Dimenſionum penetratio, (exiguitas enim nihil impedit quò minùs revera dura ſint & ſolida) Hypotheſis eſt rudi iſti contruſioni & intolerandæ preſſuræ in prodigioſa illa *Elaſticitate* Aeris, adeò germana, ut ſperem ingenioſum hunc Autorem * æquè cautum fore nè nimis firmiter uni adhæreſcat, atq; emunctò ſe hominem judicio præſtitit in explodenda altera.

In CAPUT tertium

Adnotamentum Secundum.

Diſtinctio Gravitationis ad motum & Gravitationis ad pondus: *quòdque nè concipi quidem poteſt quomodo poſterior eſſe poſſit ſine priori, ſi modò ſit ulla intrinſeca Gravitas in corporibus gravibus vulgò ſic dictis: cum ratione cur partes Plumbi aliæ in alias non gravitent.*

ERuditus Autor aſſerit (*p.* 30.) quòd ſuperiores partes Cubi plumbei non actualiter gravitant in partes inferiores, quia ſuperiores *Mechanicè* impediuntur ab inferioribus quò minùs ulla earum actualis *Gravitatio* in ipſas fiat, quódque ſingulæ tamen Atomi cubi plumbei aliquid contribuant ad Gravitationem totius in lancem. Priorem (*p.* 32.) appellat *Gravitationem ad motum*, poſteriorem, *Gravitationem ad pondus*. Difficile verò cogitatu eſt, ſiqua eſſet iſtiuſmodi *Intrinſeca Gravitas*, hoc eſt, proprietas ipſi plumbo inſita quâ tendat deorſum, ut ſingulæ illius partes non haberent *Gravitationem ad motum* ſive conatum ad *motum*, * cùm nulla pars inferior ſuperiorem partem ab hoc conatu poſſit impedire: Et omne naturale Agens ſupponatur agere ad extremum ſuarum virium. Quódque nullæ partes otiantur, ex *Gravitatione ad pondus* apparet, ſiqua utique eſſet iſtiuſmodi *Intrinſeca* Gravitatio. Quamobrem, quòd partes non gravitent aliæ in alias, quemadmodum fit in plumbo & luto unà *continuatis*, lutóque infrà poſito, (*p.* 31. *l.* 16.) id quidem *Mechanicæ* ulli *Continuitati* non eſt acceptum referendum, ſed eidem rationi quæ cernitur in *Fluidis* ejuſdem generis; partes aliæ in alias non premunt, quia non perperam collocantur, ſed in eo ordine ſita ſunt qui Legibus *Immaterialis* illius *Principii* convenit. Quodſi partes non diſponerentur à *Principio* ab ipſis *diſtincto*, ſed Gravitatio ipſarum ab innata ſua *Gravitate* proficiſceretur, incredibile eſſet, immò verò impoſſibile ut *Gravitatio* partium ſit *ad pondus*, & non ſimul *ad motum*. Nam ſi innata Gravitatio uniuſcujuſq; partis Cubi plumbei proximè ſubjectam non urgeret deorſum, nulla omnino futura eſſet urgentia niſúſve in lancem, prout cuilibet manifeſtum eſt qui rem magìs attentè preſſéque conſideraverit.

Adnotamentum Tertium.

Quòd incrementum Renitentiæ ſive preſſuræ Aquæ nè altiùs elevetur, majus quidem in B quàm in A, rurſúſque majus in C quàm in B, non ſit cauſa cur oleum in Tubo non exeat in B & aſcendat in C. Porrò cur catillus ſtanneus plumbeâ granedulâ plenus pari ferè pondere reperiatur in aqua à fundo uſq; ad ſummitatem.

AFfirmat (*p.* 42. *l.* 16.) cauſam cur Tubo vitreo olei, ad certam profunditatem in vas aquæ immiſſo, aliquid olei ſit exiturum, ſed profundiùs immerſo, manſurum, & ſi adhuc profundiùs, aſcenſurum in Tubum, &c. hanc eſſe: Quoniam major eſt preſſura ſive renitentia in ultimo loco quàm in ſecundo, & in ſecundo quàm in primo; & proinde minor vis requiritur ad elevandam ſuperficiem in caſu hoc primo, quàm in ſecundo, & in ſecundo quàm in tertio. Reſponſum quidem ingenioſum eſt, hoc autem obſtat quò minùs ſit verum. Eſto enim primus locus A, ſecundus B, tertius C, conſideremúſq; dum Oleum exit ad A quòd totum corpus Aquæ ab A uſq; ad ſuperficiem elevatur ſimul, nec ullus colliculus aquæ apparet ſupra Oleum ad A in ſuperficie: vel in vaſe Olei ſupra Aquam ad A, ſupponendo Aquam in vas Olei ad eundem modum per Tubum vitreum immiſſam. Jam verò præterquam quòd incredibile ſit ut tam exigua Aquæ Oleíve portio effuſa ad A, omnino elevare valeret totam Aquæ Oleíve molem in Vaſis ab integra ſuperficie in qua eſt A (ad quantum vis minimum quantum) versùs ſummitatem vaſorum; demonſtrari porrò poteſt, quòd incrementum Renitentiæ ſive preſſuræ aquæ nè altiùs elevetur in B quidem majus quàm in A & in C quàm in B, non ſit cauſa cur Oleum in Tubo in Aquam immiſſo, vel Aqua in Tubo immiſſo in Oleum, non exeat ad B, & aſcendat ad C. Etenim ſequeretur, Tubo Olei in vas aquæ multo majoris diametri, duplo putà majoris quàm priùs, immiſſo, rurſúſque ad A immerſo, hoc eſt ad parem profunditatem quâ priùs, Oleum non exiturum eſſet, quandoquidem moles aquæ ab A uſq; ad ſuperficiem quadruplo major eſt quàm antea, ac proinde *Renitentia* nè altiùs elevetur, pari ferè proportione deberet creſcere. Et tamen Oleum exit ad A ut antea, nihil obſtante imaginariâ hâc *Renitentiâ*. Unde manifeſtum eſt non eſſe vim effuſæ aquæ in oleum, oleíve in aquam, quæ aquam oleúmve, vel unâ Atomo latâ altiùs elevare poſſit, ſed anticipantem immaterialis illius Principii activitatem quæ omnes partes liquorum in vaſe, ordinatim ſimúlq; diſponit, cùm nulla contruſio preſſuráve ſit in ullam partem, unius partis in alteram. Quódque catinus ſtanneus granedulâ plumbeâ plenus & in Aqua libratus, *p.* 43. *l.* 23. reperitur ab imo Aquæ uſq; ad ſummitatem ejuſdem ferè ponderis, ex eo non fit, quòd ſuperficiem aquæ uno in ſitu non attollit altiùs quàm in alio, ſed quia Aqua in ſingulis partibus ejuſdem eſt conſiſtentiæ, nec gravitat magìs ad unam altitudinem quàm ad aliam, hoc eſt non gravitat omninó.

In CAPUT Quartum

Adnotamentum Quartum.

Particulæ tenuiores in Aere ab ipſo Autore agnitæ; cum confutatione Continuitatis, *quam ſupponit, particularum craſſiorum.*

PAg. 50. *l.* 23. In hac pagina eruditus Autor concedit quodammodo id quod tanta cum diligentia conatus ſum probare in primo meo Adnotamento, part. 4. Etenim Aerem immenſo Reti comparat, cum exiguis maculis ſive interſtitiis, quæ partibus magìs magíſq; gradatim ſubtilioribus oppleantur. Qua in re rectè quidem judicat, niſi quòd per Retis ſimilitudinem *Continuitatem* quandam Aeris inſinuare velle videtur, quam tamen abundè refutavi *Adnotamento* primo, part. 3.

Adnotamentum Quintum.

Compreſſus Aer quòd gravior appareat id nullum eſſe argumentum innatæ cujuſdam Gravitatis *in ipſo antea exiſtentis, ſed potiùs quòd nulla omnino ſit* innata Gravitas *in univerſa rerum Natura.*

COmpreſſio diverſarum particularum Aeris, inquit Autor, *p.* 51. *l.* 13. efficere poteſt ut compreſſum Aeris corpus ad ſenſum ſit gravius. Unde infert, iſtas aeris particulas etiam ante Compreſſionem, ab omni genere Gravitatis non eſſe prorſus excludendas. Etenim nullum corpus grave oriri poſſe è coalitione talium partium quæ nullam omninò priùs haberent Gravitatem. Equidem concluſio aliquam ſpeciem Concinnitatis præ ſe fert. Verùm meo quidem judicio, Illatio tutior eſſet, ſi quis hinc argueret, nullam omninò *innatam Gravitatem* in rerum Natura exiſtere, quandoquidem id quod leve corpus antea apparebat, * ſolâ propinquiori partium ad ſe invicem contruſione ſine ulla reali qualitate addita, motum deorſum acquiſivit. Quod igitur innuit motum iſtum ab alia aliqua ſubſtantia profectum eſſe, non autem ab ipſo Aere compreſſo, Ignémq; porrò, ſi comprimi poſſet, deſcenſurum etiam eſſe deorſum: Quemadmodum certè illius materia deorſum planè tendit in ligno, partes verò ligni attenuatæ & agitatæ ſurſum tendunt in forma Ignis. Quæ certè haud obſcura Indicatio eſt nullam eſſe internam particularem formam aut qualitatem quæ corpora moveat ſurſum vel deorſum, ſed Principium immateriale diſtinctum, quo Materia Univerſi ſecundùm majorem minorémve *ſoliditatem* ſuæ conſiſtentiæ, ordinatur & diſponitur.

Adnotamentum Sextum.

Cohæſionem partium Aquæ infirmiorem, quàm quæ ſit illa Aeris, juxta ipſius Autoris ſententiam, manifeſtum eſſe argumentum contra ſuppoſititiam illius in partibus aquæ, Architecturam.

IN Pagina hac 63, ut & *p.* 51. *l.* 2. aſſerit non tam ſtrictam cohæſionem eſſe unius partis Aquæ cum altera, quàm ſit unius partis Aeris cum altera, & tamen Aer quemadmodum ſuprà notavi, filo Araneolæ dividitur, à galero dependentis. Quàm diviſibilis igitur ac ſeparabilis eſt una pars aquæ ab alia, quæ faciliùs disjungitur quàm Aer ipſe; & quàm inidonea ad talem imaginarii *Coni Pileíve Architecturam*, qualis in priori *Diſſertatione* memoratur?

Adnotamentum Septimum.

Experimentum ejus in Siphone vitreo cum Mercurio & Aqua, illiúſque Concluſiones erroneæ indè deductæ. Quámque præſtabilis uſus eſſe poſſit illius Experimenti contra imaginariam ejus Architecturam *in elemento Aquæ.*

POſt Experimentum factum per Siphonem vitreum, cum Mercurio & Aqua, longiori crure Siphonis 32 unciarum exiſtente, breviori 8. cruréque breviori aliquanto majorem diametrum habente, quàm habet longius; (quod Experimentum ſic eſt: 1. Crus brevius implebat Mercurio donec aſcendiſſet ad eandem altitudinem in longiori, hoc eſt, ad 8 uncias ſecundùm legem *Fluidorum*, digitóque crus brevius obturans Reſiduum longioris aquâ implebat. Quo facto, Mercurius in longiori crure ſubſidebat ad duas uncias & quadrantem, 24 unciis Aquæ eò uſque eum impellentibus deorſum, quanquam 28 unciæ aquæ uſitatum duarum unciarum Mercurii ſit contrapondium. 2. Poſtquam Siphonem rurſus Mercurio repleverat ut priùs, immerſerátq; in Tubum Aquæ 32 uncias altum, adeò ut Columna aquæ ſuper crus brevius 24 uncias planè adæquaret, iſtæ tamen 24 unciæ Mercurium in breviori crure non niſi unam unciam deorſum impellebant, & unam unciam elevabant in crure longiori. 3. Poſtquam aquam infuderat in crus longius Siphonis adeò ut Mercurius duas uncias ſubſediſſet, tantundémque effluxiſſet è breviori, rurſúſque immerſerat Siphonem in vas vitreum uncias 32 altum, aquâ repletum, Mercurius unciam ferè ſubſidebat in breviori crure, & pro iſtac ratione Mercurium in longiori impellebat:) Poſt hoc Experimentum, inquam, factum, hanc Obſervationem inſtituit, *p.* 67. *l.* 1. Quòd non obſtante illo Acceſſorio, majoris diametri in crure breviori, Gravitatio Aquæ externæ ulliúſve imaginariæ columnæ illius nè dimidium quidem valebat Gravitationis Cylindri aquæ in Tubo incluſi, longius Siphonis crus intelligit. Qua in re eum planè errâſſe exiſtimo. Etenim neq; major iſta diameter in breviori crure, ulli hîc commodo eſt, ſed potiùs incommodo, cùm *Fluidorum* motus celerior ſit ex anguſtiori loco in latiorem, quàm vice verſâ; nec eſt ulla indicatio in univerſis hiſce experimentis, quòd Gravitatio 24 unciarum Aquæ in crure longiori,duplo major ſit quàm gravitatio columnæ aquæ 24 unciarum, brevioris cruris orificio impendentis.

Nam in primo exemplo, ubi 24 unciæ aquæ Mercurium duas uncias & quadrantem in crure longiori deorſum impellunt, id quidem fit propter magnitudinem diametri cruris brevioris, vel propter illius amplitudinem. Adeò ut, cùm 24 unciæ Aquæ unà cum Mercurio contra Mercurium in breviori crure librari deberent, plus Mercurii, ut in æquilibrio cum ipſis eſſe poſſet, crus brevius requireret, quàm ſi ejuſdem diametri fuiſſet cum crure longiori. Atque hinc factum eſt ut Mercurius eò uſq; in longiori crure ſubſideret, non autem à diſcontinuitate aquæ in eo contentæ, ab alia Aqua quæ eam implicaret & ſuſtentaret.

Et nunc quidem, poſtquam ad alterum exemplum pervenimus, notandum eſt, cùm columna aquæ impendentis, Mercurium unam unciam, in crure breviori, deorſum impellat, & conſequenter unam unciam in longiori attollat, * quòd futuræ ſint novem unciæ in crure longiori, & ſeptem tantùm in breviori; adeò ut, rectè ſubductis rationibus, columna 24 unciarum paris ponderis ſit contra Mercurium in hoc experimento, atq; Aqua in longiori crure erat, in priori. Nam heîc libratur contra duas uncias Mercurii, illîc non niſi contra duas & quadrantem, immò auſim dicere hîc etiam ultra duas. Nam ſi propulſus ſit Mercurius deorſum unam unciam in crure breviori ſed laxiori, neceſſe eſt ut ultra unam unciam attollatur in altero, nullúſq; dubito quin quadrantem unciæ aut circitèr, ſi Autor rem ſatìs curiosè obſervatéq; notâſſet.

Et certè, quemadmodum in his duobus Exemplis ſeparatim, Columna Aquæ in aqua reperitur paris ponderis cum Columna totidem unciarum in longiori crure Siphonis; itâ eas inveniemus in hoc ultimo compoſitóque Experimento. Nam poſtquam Aqua in longum crus Siphonis infuſa eſſet, remanſerunt ſex tantum unciæ Mercurii in iſto crure, & octo in altero. Quamobrem ex immiſſo Siphone in Tubum vitreum repertâq; in breviori crure unius circitèr Unciæ ſubſidentiâ, aſcenſúq; æquali in longiori, manifeſtum eſt quòd in utroq; crure ſeptem circitèr unciarum altitudo Mercurii eſſet, quódq; columna aquæ in aqua tantundem gravitet quantum columna Aquæ in longiori crure Siphonis, non autem ſemiſſem duntaxat, quemadmodum Autor noſter vult. Quod profectò argumentum eſt præſtabile contra ſuppoſititiam illius *Architecturam* in Elemento Aquæ, planéq; indicat quàm facilè liberéq; partes aquæ ſingulæ per ſingulas partes præterlabantur, quámq; propterea nihil ſit quod hæc imaginaria *Architectura* contribuere poſſit ad Orbiculi lignei è fundo Situlæ aſcenſum, ſuper quo iſtam nobilem demonſtrationem in *Enchiridio Metaphyſico* extruxi.

In CAPUT Quintum

Adnotamentum Octavum.

Inventio Pilei *ejus ſive* Coni *enervata per* Stevini *experimentum in Orbiculo ligneo fundo vaſis perforato incumbente.*

EXperimentum iſtud *Stevini*, ubi Orbiculus ligneus ità imponitur fundo vaſis perforato, ut Orbiculus aliquantulum ultra foramen circumcircà extendatur, *p.* 94. *l.* 4. quòd dictus Orbiculus incumbénſq; Cylindrus Aquæ, Orbiculo baſi commenſuratus, tam arctè preſſéq; in foramen gravitet, ut pondus requirat in Bilance ponderi impendentis Cylindri aquæ propè commenſuratum ad revellendum ſe à fundo; hoc, inquam, Experimentum argumentum eſt contra Inventionem *Pilei Coni*ve reliquámq; id genus *Architecturam* in antecedente Libro. Nam foramen ſub Orbiculo cauſa ulla Mechanica concipi non poteſt cur eadem *Architectura* nequeat eſſe quæ ſupponebatur priús. * Et tamen Orbiculus non aſcendit in vaſe, nec Aqua interim elabitur.

Adnotamentum Nonum.

Gravitatio Aquæ, caſu prædicto, in Orbiculum unde fiat, an ſimpliciter propter Aerem ſuppoſitum, an verò potiùs propterea quòd Aer ſit in ſtatu Abiturientiæ. *Ubi nonnihil de* Spiritu Naturæ.

QUòd Orbiculus non aſcendit in vaſe eruditus Autor hanc rationem affert, quia Aqua nunc gravitat in Orbiculum, * quippe habens mediatè levius elementum, nempe Aerem, in quem gravitet, *l.* 23. Verùm enimverò, cùm æquè firmiter ſuſtineatur atque priùs nè ad aerem tranſeat, cur magìs jam gravitet quàm priùs? Præterea, ſi fundum Situlæ aliquanto altius ſit quàm baſis coſtarum Situlæ in quam inſiſtat, * ſecundúmq; fiat fundum quo prohibeatur aer inter hoc ſecundum fundum priúſque fundum perforatum à communicando cum reliquo Aere, inquiſitu dignum eſt, an tunc non aſcenſurus ſit Orbiculus, quippe quòd *Abiturientia* aeris, quæ in caſu altero aderat, hoc pacto ſufflaminatur. Unde futurum eſſet manifeſtum, * non ſimpliciter ex eo factum eſſe, quòd Aer infrà eſſet, ut Aqua gravitaret in Orbiculum, ſed quòd aer eſſet in *ſtatu Abiturientiæ*, aut ſaltem * in ſufficienti quantitate ad colluctandum cum Aqua. * Quippe quòd *Principium Hylarchicum* ex iſtiuſmodi occaſiunculis, propter celerem motum excitationémve iſtarum *legum vitæ* ipſi inſitarum, infrà incluſum aerem in *ſtatum* iſtum *Abiturientem* collocat, Aquámque ſimul movet raptu conſenſûs in actualem tendentiam deorſum, atque ità Orbiculum foramini preſſiùs obtrudens, ſeipſum intricat ſuo conatu, ut quod non agit ratione liberâ ac conſilio, ſed per generales quaſdam leges *Inſtinctûs vitalis*, quæ in aliquibus hujuſmodi caſibus inopinatis non adjuvant ſed impediunt Effectum à Natura generaliter productum. Unde manifeſtum eſt hunc *Spiritum Naturæ* non eſſe primam cauſam, quæ eſt *Æterna Sapientia*, ſed meram inferioris claſſis Creaturam. Verùm hoc obiter dictum eſto.

Adnotamentum Decimum.

Cur Ampulla vitrea vacua & diligenter obturata & in mare demiſſa frangatur, cúrque in aliquibus circumſtantiis Oleum Aquam & Aqua Mercurium ſurſum impellat, quámque preſſæ ſubindicationes iſtiuſmodi Phænomena ſint quòd nulla omnino ſit interna Gravitatio *in corporibus, ſed quòd Materia diſponatur juxta leges* Spiritûs Naturæ.

EXperimentum memorat Autor in vacua Ampulla vitrea diligenter obturata & ad magnam profunditatem in mare immiſſa, quòd utique Aquæ preſſura facit ut in fragmina diſſiliat, *p.* 95. *l.* 9. Phænomenúmq; in hanc cauſam reſolvit, quoniam Aqua in levius elementum premit, nempe Aerem, quanquam mediatè per vitrum. Ego verò nego hanc adæquatam rei cauſam eſſe, quòd levius elementum prope ſe habet, ſed quòd elementum iſtud non ſit in loco debito. Nam ſuperior pars Aquæ in vaſe non premit in Aerem eodem in vaſe, qui ipſi incumbit. Quòd ſi ampulla Aere plena in mare immitteretur * cum orificio deorſum inverſo, affabréque eſſet obturata ad excludendam Aquam, Aqua tamen ſuber ſurſum impelleret, ipſúmque adigeret intus. Hoc autem ex eo fit, quòd Aer indebitè collocatus ſit, & in elemento Aquæ poſitus. Quæ mihi quidem videntur ſatìs apertæ indicationes quòd nulla omnino ſit *intrinſeca* Gravitas, ſed quòd Materia mota, à Principio à ſeipſa diſtincto moveatur. * Nam partes Aquæ in mari non premunt aliæ alias nec ante nec poſt ampullam illìc demiſſam. Et tamen talis fit preſſura in Ampullam ſemel demiſſam, ut aut ſuber intus impellatur aut Ampulla diffringatur in fruſtula.

Duo altera etiam exempla quæ commemorat Autor in hac pagina eódem ſpectant; Iſta intelligo, Olei Aquam ſurſum impellentis, & Aquæ Mercurium, de quibus, *p.* 96. ſic declarat. *Nam in hiſce exemplis quanquam immediata ſubjecta contiguitas ſit levioris corporis graviori, ut Olei Aquæ, & Aquæ Mercurio; tamen Aer cùm* * *ponè Mercurium ſit in longiori crure Siphonis, & ponè Aquam in Tubo, Aqua in uno caſu, & Oleum in altero revera in Aerem mediatè & effectivè gravitant potiùs quàm in immediata Fluida graviora.* Quæ planè futura eſſet *Gravitatio ſurſum*, ac proinde eò durior phraſis ſenſúſque. Sed meritò huic Autori inſinuare poteſt, quàm conſentanea ſit eorum opinio qui tenent, nullam omnino eſſe *internam Gravitationem*, ſed Materiam pro re nata moveri ordinaríque à *Spiritu Naturæ* ſecundùm certas quaſdam leges bono Univerſi generaliter accommodatas eſſentialitérque dicto *Spiritui* inſitas. Atque hæc ultima Phænomena facilè reſolvuntur in primum Axioma Hydroſtaticum, *Enchirid. Metaphyſ. cap.* 13. *ſect.* 10.

In CAPUT Sextum

Adnotamentum undecimum.

Quòd cauſa cur tenui Tubo vitreo aquâ repleto, & in vas Aquæ immiſſo, Aqua in Tubo ſubſidat donec in eadem ſit ſuperficie cum Aqua in vaſe, non ſit vis Aquæ in Tubo quæ eam premit deorſum, ſed altius *aliquod* Principium.

CAuſa aſſignata, *p.* 101. *l.* 6. cur tenui Tubo vitreo, tot uncias longo, & aquâ repleto, digitóque in inferiori extremitate obturato & in Aquæ vas competentis diametri & profunditatis immiſſo, poſt apertam inferiorem extremitatem, omnis aqua in Tubo ſupra ſuperficiem Aquæ in vaſe decurſura ſit uſque dum nihilo altior ſit quàm dicta ſuperficies; nempe, Quia ſi vel tantillo majorem altitudinem in Fiſtula obtinuerit quàm in vaſe, majorem vim habitura eſt ad premendum deorſum, quàm Aqua in vaſe robur habeat ad ei reſiſtendum: hæc ratio, quantum ego exiſtimo, totam difficultatem nequaquam exhaurit: Nam ſupponendo Fiſtulam habere non niſi quadrantis Unciæ diametrum, Situlam verò diametrum ſeſquipedalem, pedalémque profunditatem; Fiſtulámque eſſe novem uncias cum octava parte longam, novémque in Aquam uncias immerſam, adeò ut Aquæ pars unciæ tantùm octava ſit reliqua quæ ad aliquam, quantumvis admodum parvam, altitudinem molem aquæ novem uncias profundam, & diametri ſeſquipedalis, propriâ ſuâ vi ſurſum premat; quomodo fieri poteſt ut Gravitatis vis intrinſeca Cylindri Aquæ qui diametrum habet quadrantis tantùm unciæ, Altitudinem verò non niſi partis unciæ octavæ, attollat omnino Cylindrum diametrum octodecim unciarum habentem, & novem unciarum altitudinem, niſi Principium aliquod ab utriſque diſtinctum aſſiſteret? Nam unus Cylindrus multis millenis vicibus alterum excedit; & tamen hujus exigui Cylindri preſſura propriâ ſuâ vi majorem attollere debet ſi nullum aliud adſit principium quod opituletur, nec Dimenſionum penetratio, quod perinde abſurdum eſt atque iſtud alterum. Vel ſi novem Aquæ uncias in Tubo in computum inſuper aſſumas, hiſce tamen additis ſupradicto Cylindro non niſi partis Unciæ octavæ altitudinem habenti, totus hic Cylindrulus futurus eſt 5000 ferè vicibus exteriori Cylindro minor. Tam vaſta adhuc ac turgida manebit hæc abſurditas.

Adnotamentum duodecimum.

Obſcuritas, quæ prætenditur, ſolutionis, in Enchiridio Metaphyſico, *cap.* 13. *Rationiſve cur in Tubo cum valvula obturaculum nunc cadat, nunc adhæreat, prout Tubus magìs minúſve immerſus ſit in Aquam, pleniùs illuſtrata.*

OBturaculi, in Tubo cum valvula, prout Tubus plùs minúſve immergitur in Aquam, delapsûs & adhæſionis cauſam à me in *Enchiridio meo Metaphyſico*, cap. 13. ſect. 17. traditam, eruditus hic Autor æquè parum ſibi placere ait, *pag.* 103. atque rationem præſtabilis Autoris *Hydroſtaticorum Paradoxorum*; verùm nihil contra ipſam affert, niſi quòd ſit obſcura ſolutio. Hoc tamen ego in ipſa valde perſpicuum facileque intellectu exiſtimo, ſi ſit utique id quod declaro, * *Quædam quaſi ſurſum ſuctio Aeris in Tubo contenti, & conformis ac contemporanea aquæ compulſio in Obturaculum G I H*, &c. eam admodum ſolidam eſſe rationem cur Obturaculum, quando hæc ſuctio ſatis fortis eſt (quod tum fit, cùm Tubus ſatis profundè immittitur) per circulum motûs aut ſaltem per conjunctam Aquæ eodem tempore contra ipſum, compreſſionem, à lapſu ſuſtineretur. Nam ex hoc *Abiturienti ſtatu* Aeris, cùm vegetior ſit iſtoc impulſu qui Obturaculum ferret deorſum (vel potiùs Principio illo quod materiam movet, in unum conſenſum rapto circularis motûs ab imo Aeris in Tubo ad ſummitatem & indè deorſum in Aquam tanquam ſi aſcenſura eſſet (quod certè factura eſſet niſi obſtaret Obturaculum) inſequendo Aerem adeò ſurſum attractum, uſque dum Aquæ ſuperficiem adæquaret) manifeſtum eſt, inquam, quòd Obturaculum ex iſta *Abiturientia ſurſum* impellitur, quia motus ordine Naturæ illic priùs fit, nempe in Aere Tubi; quandoquidem, ſi *Abiturientia* aeris in Tubo ſufflaminetur ad debitam proximitatem, * per digitum Embolúmve mobilem, Obturaculum quod ad talem diſtantiam

* *Vide Enchi-rid. cap.* 13. *ſect.* 17.

ſtantiam in Aqua, valvulæ antea arctè adhærebat, ſtatim ad eandem diſtantiam valvula excidet. Quod manifeſtò demonſtrat, Originem motûs preſſuræ adversùs Obturaculum, eſſe ab acre in Tubo, qui priùs movetur (ſecundùm illam legem *Principii Hylarchici* in primo Axiomate Hydroſtatico contentam, *Enchirid. Metaphyſ.* cap. 13. ſect. 10.) unde & hic conjunctus motus ſive preſſura contra Obturaculum fit. Hoc nemini obſcurum eſſe poteſt qui agniturus eſt *Spiritum* vitâ plaſticâ præditum, quanquam Intellectu deſtitutum, & fortean omni acuto ſenſu, capacem eſſe movendi materiam.

Adnotamentum Decimum tertium.

Quòd adhæſio Obturaculi cum Valvula ex eo ſimpliciter non fiat quòd Tubus portionem aquæ ſurſum impellat majoris ponderis quàm ipſum ſit; quippe quòd ſi Abiturientia *Aeris in Tubo ad debitam menſuram ſufflaminetur, Obturaculum ad eandem profunditatem decidet. Cum ulteriori hujus cauſæ confutatione ab Ampullis vitreis ritè obturatis & in Mare immiſſis. Unde Operatio* Principii Hylarchici *plenius detegitur.*

ATque ex eis quidem quæ diximus in antecedenti Adnotamento, manifeſtum eſſe exiſtimo, quòd eruditus Autor in reddenda ratione hujus Phænomeni planè erraverit. Nam, *pag.* 110 & 111. adhæſionem Obturaculi in Valva * ex eo fieri autumat, quòd Tubus aquæ portionem, majoris quàm ipſum ſit ponderis, ſurſum premit attollitve. *Si Embolus ſuctorius*, ait ille (quod noſtro reſpondet *Obturaculo*) *ſurſum attrahatur*, (pag. 110. l. 12.) *& tunc eò profunditatis immergatur ut portio Aquæ Tubo ſurſum impulſa pondus Emboli ſuctorii excedat, Embolus ſuctorius, Aquæ in cum preſſurâ ſuſtinebitur: Quòd ſi pondus molis Aquæ*, ait ille, *tanto Tubi, quantum aquæ immerſum ſit, commenſuratæ, minus ſit pondere emboli ſuctorii, embolus ſuctorius proprio pondere ſubſidet.* Quòd hæc ratio manca ſit hinc apparere poteſt, Quòd utique ſi Tubus ad eam profunditatem immittatur ut molem Aquæ attollat, cujus pondus multo majus ſit quàm pondus obturaculi ſive emboli ſuctorii, & in præſens, obturaculum valvulæ adhæreat, * tamen ſi Tubus per digitum obturetur vel potiùs per mobilem Embolum ad proximitatem valvulæ debitam, Obturaculum ſtatim excidet. Unde manifeſtum eſt ſolutionem hujus Phænomeni non ultimò fieri debere in ſublationem aquæ ad diverſas altitudines ex quibus ejus preſſura contra Obturaculum augeatur, ſed in *Abiturientiam Aeris* in Tubo, *juſtámve* illius *quantitatem*, & in diverſas vires iſtius *Abiturientiæ* juxta leges motûs innatas ſive eſſentiales *Spiritui Naturæ*, *univerſali*ve partium Materiæ Mundanæ *Tranſpoſitori.* Etenim ubi Aqua non attollitur altiùs, ad profundiorem deſcenſum, quo preſſura illius major fiat, in immittendo Aere in Aquam, vis tamen illius ſentitur. Ut in ampulla vitrea Aere repleta ritéque obturata & in fundum maris demiſſa: poſt profundum deſcenſum frangetur, poſt moderatum verò non item, quanquam aquam perinde in utroque caſu attollit. Quod in nihil aliud reſolvitur niſi vehementiorem excitationem vis *Principii Hylarchici* ad majorem tranſgreſſionem legum iſtarum *Hyloſtaticarum* vitaliter & eſſentialiter in eo incluſarum. Nam partes aquæ in aqua aliæ in alias non gravitant, & tantundem ſpacii habent ad exercendas ſeſe quando ampulla Aeris immittitur in aquam, quàm ubi ampulla aquæ ejuſdem magnitudinis eò immittitur. Aer verò in priori exemplo perperàm collocatur, & contra leges *Hyloſtaticas* Univerſi.

In CAPUT ſeptimum

Adnotamentum Decimum quartum.

Notabile experimentum Autoris in Tubo Mercurii, cujus quidem fructus ſi ritè percepiſſet, facilè eum perducturum fuiſſet ad notitiam Hyloſtatici Spiritûs Univerſi.

NObile eſt & peramœnum Experimentum quod eruditus Autor memorat, *pag.* 118. *l.* 19. *Evidentiſſimum eſt*, inquit ille, *ad cujuſlibet hominis ſenſum, qui periculum fecerit, ſi Tubus apertus ſit in utraque extremitate & Mercurio repleatur, & tunc una extremitas digito obturetur, alteráque invertatur, & in reſtagnantem Mercurium immergatur, quò Mercurius in Tubo à ſummitate Tubi deſcendat, quòd fortis ſenſibiliſque attractio fit in pulpam ſuperioris digiti qui Tubum claudit, quæ perſiſtit quidem, & eò magis magiſque violenta, ſenſibilis & evidens evadit, quan-*

to Mercurius à ſuperiore extremitate removetur, & ad uſitatam ſuam ſtationem 29 *unciarum appropinquat.* Hoc illius Experimentum eſt. Quæ opportuna quidem confirmatio eſt illius quod Adnotamento præcedenti obſervavi. Vim ſcilicet activitatis in Principio *Hylarchico* ſive *Hyloſtatico*, pro menſura gradúve indebitæ illegitimæve collocationis partium Materiæ Univerſi, excitari ſolere.

Quantùm verò ad ſolutionem hujus Phænomeni quam affert eruditus Autor, hujus ſcilicet Attractionis pulpæ digiti in ſummitate Tubi, ingenuè fateor eam mihi nequaquam ſatisfacere; conſideróq; tanquam Philoſophicam quandam Incivilitatem cùm tam eminens Creationis *Commembrum* quàm ſit *Spiritus* hic *Hyloſtaticus*, opportunitatem ſibi arripuiſſet digitum ipſi vellendi, cùm manum prenſitare non liceret, quòd ipſe viciſſim notitiæ ac familiaritatis occaſionem hanc amplecti nollet, nec exiſtentiam agnoſcere iſtiuſmodi Principii in rerum Univerſitate. Cujus quidem ego cenſeo experimentum hoc ſic circumſtantiatum, quemadmodum Autor deſcribit, notabile argumentum. Neque enim Impulſio ab extrà eſt, ut ille quidem deſcribit. Ait enim, *evidentiſſimum eſſe, quòd vis quam digitus ſentit, ab intrà ſit non autem ab extrà :* Et quando dicit in pulpam digiti eſſe, non autem cutis vellicationem, planè indè apparet, quòd vis iſta in ipſo digito ſit non in parte exteriori, ſive in Tubo ſive extrà. Ac proinde non poteſt eſſe contiguitas ullius corporis in Tubo, (contrà ac vult eruditus Autor) quâ fiat hæc Attractio, ſed *Naturæ Spiritus Hyloſtaticus* eſt qui ex inopinatis occaſionibus inopinato quodam modo materiam movet. Erátque quaſi conamen quoddam in *Principio Hylarchico* expandendi & rarefaciendi pulpam digiti ad ſupplendam Mercurii abſentiam. Ejus vulſura igitur aut qualiſcunque admotio & dilatatio pulpæ digiti verſùs cavitatem Tubi ſenſum excitabat Attractionis verſùs ipſam. Cæterùm quòd Attractio hæc fieri non poſſet per ullius corporis contiguitatem in Tubo, hinc apparet, quòd tunc ſentienda fuiſſet magìs particulatim ac diſtinctè in ipſa exteriori Cute.

Adnotamentum Decimum quintum.

Duo alia Experimenta ex Honorato Fabro *quæ ulteriori confirmationi ſint ſolutionis prioris.*

DUo iſta altera Exempla quæ ex *Honorato Fabro* affert eruditus Autor, *pag.* 120. videntur favere noſtræ explicationi prioris. Chartula enim per vim extendibilis, ſed aliàs ſeipſam contrahens, ſuperiori extremitati Tubi affixa, & poſt deſcenſum Mercurii extenſa, quemadmodum & veſica ſimiliter ſuſpenſa, arctéque in collo colligata, poſteáque ex deſcenſu Argenti vivi inflata, utraque hæc, Effecta videntur inefficacis conatûs in *Spiritu* Mundi *Hylarchico* ad ſupplendam, quantum poteſt, Nuditatem ſive Vacuitatem Tubi ab ea materia, quâ debet repleri. Atque hoc facit, ut extendat chartulam ad nuditatem tegendam ſpacii quouſque valet, & ut veſicam inflet ciendo craſſiores particulas in motum, hoc eſt rarefaciendo quicquid humoris ſit in veſicula; quod minimè mirum eſt non fieri in Veſicula perforata. Tum enim exeunt iſtæ particulæ & per totam vacuitatem Tubi diſſipantur. Quòd verò integra veſicula, ſive non perforata infletur per *Attractionem*, occaſionem * poſtea capiam oſtendendi, quantus is ſit error. * *Adnot.* 32.

Adnotamentum Decimum ſextum.

Erratum Autoris, quòd omnem motum corporeum per activi alicujus corporis contactum fieri ſupponat, cùm è contrà maxima pars motuum in Univerſo, Mechanici *non ſint ſed* Vitales.

APhoriſmus ille eruditi Autoris, *p.* 122. * *Quòd regulariter omnia Naturalia Effecta corporea fiunt per contactum alicujus activi corporis in corpus patiens,* videtur quidem mihi Naturæ Phænomenis repugnare, & in motu confeſſiſſimè ſic appellato, maximè omnium numeroſè & univerſaliter, qui certè non eſt, niſi ex accidenti, *Mechanicus* ſed *Vitalis*. Deſcenſus lapidis *vitalis* eſt quemadmodum probavi in *Enchiridio Metaphyſico*, verùm impactio illius vel occurſio in rem aliquam, quo moveatur, motus iſte ſolus *Mechanicus* eſt in re ſic mota, alioqui motus non fit pulſando vel contrudendo, ſed partes *vitaliter* tranſponendo, ſicut manifeſtiſſimum eſt in *Fluidis*, ubi partes non gravitant aliæ in alias, ſed conjunctim liberéque moventur per *vitale* iſtud *Principium* quod appellamus *Hylarchicum Spiritum Univerſi*.

In CAPUT octavum

Adnotamentum Decimum ſeptimum.

Erratum Autoris dum imaginatur nullos Vitro ineſſe poros, neceſſéque eſſe, ſi Æther vitri poros pertranſeat, ut eos pertranſeat liberé.

SOlidè profectò & appoſitè ratiocinatur Autor contra *liberam* permeationem *Ætheris* in Tubum vitreum à Mercurio derelictum, quippe quòd Mercurius tunc ad fundum ſubſideret, quemadmodum accidit, quando foramen, non majus quidem cuſpide Aciculæ fit in Tubi ſummitate, quia Aer tunc, ut rectè exiſtimat, liberè ſe ingerere poteſt. Et ſimiliter ſi Æther poros vitri liberè poſſet ingredi, quòd iſtoc etiam caſu Mercurius ſubſideret. Cæterùm quòd ſubtiliores partes Aeris ſive Æther nequeant per occaſionem (licèt non quidem tam liberè) poros vitri penetrare, argumenta illius pro hac Aſſertione non omninò mihi videntur ſatisfacere. Nam ſi rectè mentem illius accipio, primum, quo id adnititur probare, hoc eſt: Quòd ſcilicet, ſi omninò penetrare poſſent, penetrarent etiam *liberè*, unde prius illud reverteretur Incommodum. Alterum, pernegatio eſt ſive ſuppoſitio quòd nulli tales pori in vitro ſint, per quos ullæ iſtiuſmodi particulæ tenuiores poſſint tranſire. Sed reſpondeo ad primum, Quòd tametſi pori in vitro Ætheri ſive ſubtilioribus Aeris partibus ſatis pervii ſint, Renitentia tamen *naturalis Conſiſtentiæ Aeris* non permiſſura ſit eas elabi niſi vi aliquâ coacta, minórq; preſſura ſive vis quàm columnæ Mercurii 30 ferè uncias altæ non prævalebit, ſed prævalebit quælibet major. Ad alterum, Quòd ea in primo *Adnotamento* inſinuavi (part. 4.) quæ abundè probatura ſunt, poros eſſe in vitro perinde ac particulas Aere ſubtiliores quæ per ipſos poſſint tranſire. Quemadmodum apparet in directione radiorum ad unum punctum per Speculum combuſtorium, contrà atq; Autor hîc declarat, quòd vis tantummodò vigórve corporeus, nulla autem ſubſtantia vitrum penetrat. Nam ut corpora tangibilia ſola ſunt, ità ſola reflecti poſſunt & refringi. Quibus addere potes, quòd levitas & frangibilitas vitri ulteriora ſunt indicia illius poroſitatis. Hæc certè adeò manifeſta ſunt apud eos qui nullo laborant præjudicio, ut omninò ſupervacaneum ſit eis inſiſtere.

Adnotamentum Decimum octavum.

Erratum illius pleniùs detectum ex propriis ſuis Experimentis & Obſervationibus, quas in Tubo vitreo Mercurii fecit in aerem inverſo, & in Mercurio Experimenti Torricelliani.

ET tamen ulteriorem confirmationem adhibere poſſumus, quòd ſubtiliores Aeris partes per vitri poros tranſeant, ab ipſius Autoris conceſſione (*p.* 128. *l.* 18.) quòd per Mercurium non tranſeant, quemadmodum fieri opinatur, in invertendo Tubum Mercurii vitreum in liberum Aerem, quo in caſu bullas obſervat aſcendere in Mercurio prout ille deſcendit. Cùm verò nullus talis ſit motus tumultuarius Mercurii in Experimento *Torricelliano*, indè concludit, nullas partes Aeris per Mercurium tranſire in Tubum. Ac proinde ego aſſero, manifeſtiorem rationem eſſe, quòd per ſolos vitri poros tranſeunt in hoc Experimento.

In CAPUT nonum

Adnotamentum Decimum nonum.

Vberior adhuc Errati detectio per demonſtrationem incredibilitatis aſcenſûs ullorum vaporum ſive halituum à Mercurio in ſpacium Tubi derelictum.

QUa de re certiores erimus poſtquam intellexerimus argumenta Autoris in hoc nono Capite pro aſcenſu halituum ſive vaporum à Mercurio ipſo *p.* 139. *l.* 13. non eſſe ſatis firma. Nam duæ iſtæ viæ quas affert, pro ſeparatione horum halituum ſive vaporum à corpore Mercurii ſunt, Prima quidem, *Expreſſio* ipſarum ſive eliſio per violentum deſcenſum Mercurii compreſſionémq; inferiorum partium à ſuperioribus. Altera eſt, Extractio fortiſve *percolatio* earum partium quæ magis ſubtiles ſint ac fluidæ & expanſionis capaces, *&c.* Ad quod reſpondeo, quòd duæ hæ viæ una eadémq; quodammodo ſunt, aut ſummum ſaltem rei momentum in una illa prima poſitum eſt, quæ ſi fruſtrà fuerit, altera nihil omnino valebit. Atq; meo quidem judicio, in hujuſmodi ſaltem caſu manifeſtum eſt nihil eſſe valituram; nempe ſi Tubus Mercurio repletus admodum obliquè immittatur in Mercurium reſtagnantem, & ſenſim lentéq; admodum ad perpendiculum erigatur. Tunc enim cùm nulla futura ſit ſuccuſſatio partiúmq; aliarum in alias colliſio, ſed mollis lentáq; duntaxat unius partis in aliam ſuperimpoſitio; cúmq; partes ſic poſitæ ſecundùm legem *Fluidorum* aliæ in alias in Tubo ſuper ſuperficiem reſtagnantis Mercurii non gravitent, parúmq; ſpacii ſubter ſe in quod gravitent habeant, nec reſtagnantis quidem Mercurii partes (juxta eandem legem *Fluidorum* etiam tum cùm paululum aſcendere, per deſcenſum Mercurii à Tubo, coactæ ſunt) gravitent aliæ in alias; manifeſtum eſt quòd nulla eſſet compreſſio, quæ particulas à Mercurio ſeparare valeret, eáſq; ſurſum in Tubum emittere.

Adnotamentum Viceſimum.

Notabilis Objectio Autoris contra Opinionem Mercurialium Effluviorum *derelictum Tubi ſpacium occupantium, taliſq; cui ipſe nequaquam ſatisfaciat.*

IPſe Autor notabilem movet Objectionem, *p.* 141. *l.* 26. contra hanc opinionem, de Mercurialibus Effluviis quæ derelictum Mercurii locum in Tubo ſuppleant: Supponamus, inquit ille, Tubum decem pedes longum, vel ſummitatem illius cum capite bulboſo fabricatam, quæ quatuor libras Mercurii contineat, hoc Mercurio ad 29 uncias ſubſidente unde ſuppetant Effluvia ad implendum tam magnum ſpacium? Illius Reſponſum ſic eſt. Quanto major copia Mercurii deſcendit ad ſtationem 29 unciarum, tanto futura eſt Effluviorum copia major quæ ſpacium impleant. Sed enim ego regero, Si Mercurius immittatur obliquè ut ſuprà, & ſenſim lentéq; erigatur ad perpendiculum, equidem ſecundùm legem *Fluidorum*, compreſſio nulla ferè erit. Unde igitur ſpacium vacuum tam magnum ſuppleri poteſt, niſi à ſubtilioribus aeris partibus, qui per poros Tubi vitrei tranſeunt? Quod id ipſum eſt ad quod collineavimus.

In CAPUT undecimum

Adnotamentum Viceſimum primum.

Solida & ingenioſa demonſtratio Autoris contra Hypotheſin Cylindri Atmoſphærici *Cylindrum Mercurii in Tubo ſuſpendentis, à Tubo Mercurii à Bilance ſuſpenſo cum ore in reſtagnantem Mercurium ad ſemiunciam ferè immerſo, accerſita.*

IPſius Confutatio uſûs Cylindri Atmoſphærici in explicando Experimento *Torricelliano* admodum eſt ingenioſa, *p.* 158. *l.* 4. Supponit utiq; Tubum vitreum ſemiuncialis diametri in cavitate, ejuſdémq; craſſitiei, & tres pedes longum, & in una extremitate Hermeticè ſigillatum, repletúmq; Mercurio, & ad fundum vaſis reſtagnantis Mercurii ſeptem uncias alti immerſum, adeò ut 29 unciæ cum ſemiſſe futuræ ſint ſupra reſtagnantem Mercurium, Tubo interim manente ad ſummitatem pleno. Vitrum verò cùm levius ſit Mercurio, ſurſum indè impelletur prope illius ſuperficiem. Ità ut ſex ferè unciæ ſuperioris extremitatis Tubi, futuræ ſint vacuæ, Tubus verò etiamnum manſurus 29 unciis & ſemiſſe Mercurii plenus, illius fundo ſemiſſem tantùm immerſo: ſupponitq; porrò, 29 uncias Mercurii cum ſemiſſe unam libram pendere, Tubúmq; omnino tantundem. Hoc Tubo igitur Mercurii in hiſce circumſtantiis per filum Jugo Bilancis affixo, libræ duæ in adverſa lance facient æquipondium, pauxillímque quodlibet ponderis additamentum, efficiet præpondium. Unde clarè deducit, ex eo nempe quòd Mercurius unius libræ pondus ex altera parte, ad hoc lancis æquipondium contribuat, eum non ſuſtentari à Cylindro Aeris paris diametri ac ponderis cum ſeipſo, tunc enim futurum eſſet ut unicæ ſolius libræ pondus ipſius Tubi reſtaret, quod contra duas libras in lance ponderetur. Quæ firma & ingenioſa eſt contra Hypotheſin *Mechanicæ* Preſſuræ Atmoſphæræ in reſtagnantem Mercurium, demonſtratio.

Adnotamentum Viceſimum ſecundum.

Ingenioſa ejus obviatio Evaſioni quæ Cylindrum Aeris ſupponit ſummitatem Tubi Mercurii ità ſuſpenſi premere, tanquam ſi ille locum ſuppleret Mercurii in Tubo cujus pondus in lance Trutinæ oppoſita deprehendebatur.

NEc eludi poteſt dicendo, *p.* 161. *l.* 8. Quòd tametſi columna quidem Mercurii in Tubo ſuſtentetur per columnam cylindrúmve Aeris æqualis diametri cum columna Mercurii in Tubo, itáque nihil pendeat contra lancem; columna tamen Aeris, cujus Baſis Tubi eſt ſummitas, in ipſam ponderat, & ità locum ſupplet Cylindri Mercurii cui pondere æqualis eſt. Etenim cùm diameter Mercurii ſemiunciæ tantùm ſit, diameter verò Tubi trium ſemiſſium, manifeſtum eſt, quòd pondus columnæ Aeris in caput Tubi, ſi quicquam omnino pendeat eorum ſenſu, noncuplo plus penderet, quàm illa Mercurii in Tubo. Quæ admodum pinguis craſſáve abſurditas eſt.

Adnotamentum Viceſimum tertium.

Dextera ejus demolitio infirmi Subterfugii quo prioris Reſponſi vim conantur eludere.

ATque æquè infirmum profectò ſubterfugium eſt iſtud, quo hoc Reſponſum eludere volunt, nempe prætendendo, quòd Tubus vitreus, cùm corpus ſit ſpecificè levius Mercurio, ipſe à reſtagnanti Mercurio ſuſtentatur, tanquam ſi is vim columnæ Aeris quæ noncuplo fortiùs in caput Tubi innititur, quàm altera Aeris columna in Mercurium reſtagnantem, infringeret: Cùm res planè monſtroſa ſit, ut vis ſimpla Mercurium 29 uncias cum ſemiſſe ſupra ſuperficiem reſtagnantis Mercurii in aere retineret, quanquam ſit neſcio quot millenis vicibus Mercurio levior, & tamen vitrum nè ſex quidem uncias infra ſuperficiem reſtagnantis Mercurii detineretur, licèt vix quatuordecim vicibus vitro gravioris, ídque per vim noncuplo majorem priori.

Adnotamentum Viceſimum quartum.

Duo pulchra Experimenta Autoris quibus univerſis iſtiuſmodi Eluſionibus obviat, & citra omnem exceptionem demonſtrat Atmoſphæricæ *Columnæ Preſſuram in Experimentis hoc genus* Hydroſtaticis *mirum eſſe hallucinamentum.*

SEd enimverò Autor univerſis iſtiuſmodi Eluſionibus per duo concinna Experimenta dextrè peritéq; viam intercludit. Primum Experimentum eſt in Tubo vitreo, cujus Cavitatis diameter ſit quatuor octavarum unciæ, diameter totius quinq; octavarum, longitudo unciarum octodecim, pondus illius in Aere, duarum unciarum cum tribus quadrantibus, Aqua quam contineat, unius ferè unciæ cum tribus quadrantibus. Tubo hoc, per extremitatem clauſam, jugo Bilancis alligato, aquâq; repleto, & digito obturato, itáq; in Aquam demiſſo, inibíq; ſic collocato ut inferior extremitas quadrante ferè unciæ ab aquæ ſuperficie infrà diſtaret, requirebantur in oppoſita lance quatuor unciæ cum ſemiſſe, quæ pondus Aquæ contentæ Tubíq; ſimul adæquant, ad retinendum Tubum in Æquilibrio. Atq; hìc quidem, Tubus vitreus non ſuſtentatur ab Aqua reſtagnante, cùm Vitrum adeo grave ſit ut ad fundum ſubſideret, quippe corpus aquâ ſpecificè gravius. Quamobrem cùm hoc Æquilibrium hinc ſit, juxta Principia eorum qui *Atmoſphæræ* preſſuram tenent; Aut ex eo quòd Tubus & Aqua conjunctim contra pondera in lance altera ponderant, aut quòd columna Aeris in caput Tubi cum ipſo contra eadem ponderet, cùm ſecundùm hoc quidem impoſſibile ſit (propterea quòd diameter columnæ Aeris quinq; talium partium ſit, qualium diameter columnæ Aquæ in Tubo, illiúſq; Aeris quæ Aquæ reſtagnanti incumbere fingitur, eſt quatuor, ac proinde plus ſeſquialtero gravitaret, quàm Aqua in Tubo, nempe in ratione 25 ad 16, quod ipſa Bilanx falſum eſſe oſtendit. Nam una tantùm uncia cum tribus quadrantibus, duabus unciis tribúſq; quadrantibus additur, non autem ſemiſſis tréſq; octavæ partes unciæ inſuper:) Reliquum eſt ut Aqua cum Tubo conjunctim contra pondera in altera lance ponderent, quandoquidem Aqua reſtagnans Tubum nequaquam impedit. Unde ſequitur, Aquam in Tubo ab ulla Aeris columna Aquæ reſtagnanti incumbente, nequaquam ſuſtentari. Quod adhuc manifeſtiùs apparebit in altero Experimento, quod hujuſmodi eſt:

Sumpſit eundem putà Tubum, eúmque calefecit valdè, ſuſpendítque opertam extremitatem à jugo Bilancis, extremitatem autem apertam permiſit ſubſidere paululùm in vas aquæ, librabátque eum contrà, in altera lance, duabus unciis & tribus quadrantibus, pondere utique quod Tubus vacuus in Aere pendebat, quod, quia extremitas illius aquam tantùm ferè tangebat, etiamnum retinuit. Verùm intra ſpacium ſemiquadrantis horæ duodecim Tubi unciæ ex octodecim impletæ ſunt aquâ. Quæ duodecim Aquæ unciæ unam unciam cum quadrante pendere repertæ ſunt. Atque equidem unâ unciâ & quadrante in lance adverſa poſitis, Bilancéque ſic retentâ ut Tubus aquæ ſuperficiem tantùm tangeret, Tubus cum duodecim Aquæ unciis in ipſo, quatuor omnino uncias pendere repertus eſt. Nunc igitur cùm Tubus plus pendere non poſſet, ſi tantundem, in ſummitate Aquæ, quàm cùm ſuſpenſus erat in Aere, columna enim Aeris ſummitati Tubi incumbentis eadem eſt utrobique, manifeſtum eſt, contra principia eorum, qui Atmoſphæræ preſſuram tenent, quòd Aqua in Tubo ſuam partem pendet, unam nempe unciam cum quadrante, ad conficiendum pondus quatuor unciarum, & conſequenter, quòd Aqua in Tubo non ſuſtentatur à preſſura ullius columnæ Aeris Aquæ reſtagnanti incumbentis. Quod oportebat demonſtrare.

Adnotamentum Viceſimum quintum.

Alia ingenioſa demonſtratio contra preſſuram Cylindrorum Atmoſphæricorum *ex eo quòd Mercurius in Tubo ſuſpenditur quando ſuperficies Mercurii reſtagnantis quadrantem Baſis Cylindri Mercurii in Tubo non excedit.*

ISta etiam ingenioſa eſt demonſtratio contra Opinionem Preſſuræ Cylindrorum *Atmoſphæricorum*, *pag.* 175. *l.* 9. Inverſio ſcilicet Tubi Mercurii, cujus diameter novem putà talium partium ſit, qualium vaſis reſtagnantis Mercurii diameter ſit decem, ità ut manifeſtò apparere poſſit quòd annulus ſive rotunda ſuperficies reſtagnantis Mercurii in vaſe non ſit quadrans integer Areæ Mercurialis Cylindri in Tubo, & tamen Mercurius in Tubo ſic ſuſtentabitur ut in aliis circumſtantiis. Quod igitur fieri non poteſt à preſſura Aeris in Mercurium reſtagnantem, quippe cujus ſuperficies quadrante Areæ Cylindri Mercurialis in Tubo eſt minor.

Adnotamentum Viceſimum ſextum.

Argumentum illius ab Experimento Torricelliano, *quòd in operto* Recipiente *perinde ſuccedat, atque in aperto Aere, cùm id* Elaſticitati *Aeris quæ preſſuram ſupponit, imputari neutiquam poſſit, quippe quæ heîc jam confutata eſt, & magìs particulatim in quarto capite libri ſui per duos Cylindros æneos in Aqua.*

HÆc ultima denique Inſtantia nequaquam contemnenda eſt, Quòd Experimentum ſcilicet *Torricellianum* in *Recipiente* aliquo magno æquè feliciter ſucceſſurum ſit atque in aperto Aere, cùm nulla tamen eſſe poſſit Columna Atmoſphærica ſuper reſtagnantem Mercurium in *Recipiente*. Nec ullum hîc ad *Elaſticitatem* Aeris eſt Refugium, *p.* 186. quippe quæ illius *Gravitationem* ſupponit, quæ tam manifeſtò refutata eſt ab Autore, non ſolùm per poſtrema hæc Experimenta, ſed in Capite quarto, & ſpeciatim per duos æneos Cylindros in aqua libratos, quorum diametri duplam rationem habebant una ad alteram, unúmq; viciſſim latus ad alterum quadruplam. Rebus enim ità paratis ut Columna Aeris diametri duarum unciarum in unum premat, & non niſi diametri quadrantis columna in alterum, Cylindri tamen æqualis ponderis erunt in Aqua. * Experimentum illìc triplici momento præpollet ipſúmque primum ſatìs forte eſt firmúmque, ſi conſideremus nullam *Elaſticitatem* reſulturámve eſſe in aqua, (*vide pag.* 75. *l.* 4.) (quanquam Autor eſſe opinatur) æqualibúſque ponderibus inæquali vi preſſis, fortiori vi preſſum eſſe prævaliturum. Et præterea, ſi hæc Aeris *Elaſticitas* admitteretur, equidem haud inſcitè urget, ſupponendo *Recipientis* figuram ſphæricam, quòd ſingulæ partes incluſi Aeris adeò ferè æqualiter in partes ſingulas quaquaverſum agunt, ut ubique ſuſpenſio preſſuræ futura ſit quantùm ad ullum effectum, *&c. pag.* 194. *l.* 23.

In CAPUT Decimum tertium

Adnotamentum Viceſimum ſeptimum.

Experimentum ejus in Ampulla vitrea cui impoſitum ſit vitrum calefactum cum capite bulboſo, quàm bellè adverſùs Aeris Elaſticitatem *ab ipſo dirigatur, ſed quàm parum interim commodè natura illius Phænomeni ab ipſo explicetur.*

EXperimentum etiam Ampullæ Vitríque cum *Capite bulboſo*, eximiè vibratur adverſùs Aeris *Elaſticitatem*, *pag.* 196. *l.* 22. Quòd ſcilicet, *Capite bulboſo* valdè calefacto, & Ampullæ vitreæ ſuperimpoſito, cum ſex unciis Aquæ in ipſa, eam quaſi ſemiplenam reddituris, Ampullâ verò cum *Capite bulboſo*, non tam arctè conjunctis accuratéve oblitis, quin aliquantum Aeris, quanquam non niſi per Aciculare foraminulum, intrare valeat, Aqua tota ex ampulla attrahitur in *caput bulboſum.* Quòd ſi *caput bulboſum* adeò feſtinanter clauderetur, ut nullus aer ingredi poſſet, aliquantum quidem Aquæ uſque ad ſcapum *capitis bulboſi* aſſurgeret, tota verò aqua non aſcenderet in caput bulboſum, quemadmodum factum eſt priùs. Quod eruditus Autor contendit manifeſtum argumentum eſſe contra *immanem* iſtam Aeris *Elaſticitatem* quam quidam imaginantur. Cùm nullus enim recens Aer intromittatur propter ſtrictam hanc clauſuram, vim rarefacti Aeris in *capite bulboſo* magìs integram eſſe opinatur, attractionémq; validiorem eſſe ad attollendam aquam ſicut priùs, ſi vel aliquo minimo gradu Aer communis ad eam *Elaſticitatem* acceſſiſſet quæ in eo ſupponitur, ut ſeipſum extendat in ſpacium quadragies majus ſi opus eſſet. Nec futurum eſſet, ait ille, interpoſitæ Aquæ pondus majus quàm pro Elaterio Aeris in hoc caſu, ut in parem Altitudinem impellat atque antea, cùm in *Recipiente* clauſo, juxta eorum opinionem, par ſit attollendæ aut ſuſtinendæ columnæ Mercurii ad altitudinem 29 unciarum, & ponderis fortean unius libræ aut ampliús. Quî fit igitur, ſi ullum eſſet tam forte Aeris *Elaterium*, ut ſurſum impellere nequeat quinque aut ſex uncias Aquæ ad altitudinem quinque vel ſex unciarum in *capite bulboſo?* Et certè non inſcitè frigidéve ſic diſputatur, contra immanem iſtam Aeris *Elaſticitatem.* Quantùm verò ad ipſius Autoris ſolutionem circa hoc Problema, nimirum à *Tenſione* & *Attractione*, æquè parum mihi indè ſatiſfit, atque ipſi ab *Elaſticitate*, venítque mihi hîc in mentem dicti illius *Pliniani*, *Quid mirabilius eſſe poteſt aquis in cœlo ſtantibus?* Et idem tamen Miraculum occurrit in *capite bulboſo*; quorum neutrum ipſe auſim in ullum ignobilius *Principium* reſolvere, quàm ſit illud, quod ego *Hylarchicum* appello, ſive *Hyloſtaticum Spiritum* Univerſi. Quod ad *Tenſionem* ſpectat, examinabimus *cap.* 14, & 15.

In CAPUT Decimum quartum

Adnotamentum Viceſimum octavum.

Autoris opinio, quòd omnia illa Experimenta quæ Virtuoſi *explicari volunt per* preſſuram *Aeris &* Elaſticitatem, *explicanda ſunt per* Suctionem *&* Attractionem, *accuratiùs curioſiúſq; examinanda eſt, ut quæ ad experimentum* ponderis ab Embolo Antliæ pneumaticæ ſuſpenſi, *apertè pertineat.*

ERuditus Autor heìc declarat, quòd omnia illa experimenta, quorum rationem *Virtuoſi* à *preſſura* & *Elaſticitate* Aeris reddendam cenſent, *pag.* 203. explicari planè debent per *Suctionem* & Attractionem Aeris, quando majori *Tenſione* ſive *Rarefactione* exercetur. Quam opinionem fateor meâ maximè intereſſe, examinare, quàm ſit vera, propter illa quæ ſcripſi de Experimento ponderis Antliæ pneumaticæ Cap. 12. ſect. 2. Embolo appenſi in *Enchiridio Metaphyſico.* Quam igitur non abs re erit in hoc capite aliquantum attingere; opinionis verò errorem pleniùs detegemus in capite proximo, ubi Eruditus Autor veram cauſam ſuſpenſionis Mercurii in experimento *Torricelliano*, ſe tradidiſſe gloriatur.

Adnotamentum Viceſimum nonum.

Varietas ſuſpenſionum Mercurii in Tubo pro Cœli mutationibus, vel prout humiliori aut altiori aere collocatur, quàm commodè iſta obſervatio contorqueri poſſit adverſùs opinionem Tenſionis *&* Mercurialium Effluviorum.

QUòd Mercurius in Experimento *Torricelliano* (*pag.* 203. *l.* 12.) ſublapſurus ſit duas tréſve uncias, prout collocatus Tubus fuerit ad calcem montis, vel in ſummitate, vel denique ad cœli mutationem, mihi profectò valdè conſentaneum videtur, propter differentiam ***Conſiſtentiæ Aeris***, qui plus minúſve Materiâ ſubtiliſſimâ abundat, ac perinde eam faciliùs per poros Vitri tranſmittere poteſt, & cum minori ***Conſiſtentiæ*** ſuæ facta violentia. Quod ipſum Experimentum, meo quidem judicio, argumentum haud contemnendum eſt contra opinionem ***Tenſionis*** partiúmque ſubtilium ex ipſo Mercurio egredientium, tunc enim perinde eſſet, quali cœlo, aut quo in loco Tubus poneretur. Cùm verò ſubſidat Mercurius cœlo puriore & frigidiore, & in locis magìs editis ſummitatibúſve montium, ubi Aer vaporibus haud adeò refertus eſt, manifeſtum eſt hanc mutationem dependere à faciliori ingreſſu materiæ ſubtiliſſimæ per poros Vitri, Conſiſtentiámque Aeris illìc non tam firmam eſſe quin minus pondus eam violaturum ſit, quàm in Aere craſſiore.

Adnotamentum triceſimum.

Quòd inopinati motus & agitationes rerum Recipienti impoſitarum ex ſtrenua exhauſtione Antliæ pneumaticæ, à Tenſione ***non fiant rarefacti Aeris, ſed à tali aliquo Principio, quo furioſi rapidique Ventorum motus excitantur poſt diſſolutionem aquearum particularum Nubium.***

QUòd poſt fortem Antliæ pneumaticæ exhauſtionem, veſica arida ritè ligata, & inflata moderatè frangitur, Bullæque vitreæ ſimiliter, *&c.* Quòd veſica ex qua aeris pars maxima eliſa ſit ejúſque collum arctiſſimè colligatum pondúſque ipſi affixum, in vitrum laxum poſita aquâ plenum, poſteáque amplo ***Recipiente***, quò Antliæ ſatìs arctè adhæreat, bene oblito, contegendum; Quòd Aere, inquam, ex amplo Recipiente exhauſto, hæc veſica infra Aquam intumeſcit uſque dum exercendo adhuc Antliam ad plenum ſit inflata; Et poſtremò, Quòd Aqua, Spiritus vini, *&c.* ità attolluntur ut è vitro effluant, quódq; bullæ formantur in fundo vitri aquâ pleni in hoc laxo *Recipiente* incluſi, adeò ut omnia in varias agitationes cieantur: Totum hoc eruditus Autor in *Tenſionem* Aeris rarefacti in ***Recipiente*** reſolvit. Quod rurſus, ingenuè fateor, mihi æquè parum ſatisfacere atque ***Elaſticitas*** aeris ab aliis allata ipſi ſatisfacit, neutrámque ſolutionem veram exiſtimo. Cæterùm hoc cenſeo, quòd in veſicis bulliſque vitreis quæ *franguntur*, fortior agitatio eſt partium Aeris, quódq; eæ ipſæ ſint quæ ***materialiter*** agunt contra interna latera bullarum vitrearum, non autem exterior Materia per ***Attractionem.*** Verùm furioſa eſt interioris agitatio, quæ non fit ab ulla antecedente ***Elaſticitate***, ſed acquiritur pro re nata, quemadmodum Venti furioſi excitantur in ſeptentrione in Mundo magno, poſt diſſolutionem aquearum particularum Nubium. Quem furioſum rapidúmq; motum impoſſibile eſt ut ipſi ex mero calore, in eis præſertim partibus, acquirant, ſed ex altiori aliquo ***Principio.*** Idémq; ***Principium*** hìc agere exiſtimo, excitatum in acerrimam celerrimámque activitatem, quâ Materiam reducat in exhauſto ***Recipiente***, quantum poteſt, ad ***Conſiſtentiam*** reliquo Aeri, ad hanc à terra diſtantiam, magìs congruentem. Nullus verò calor eſt in Veſica, Bulliſve vitreis, ipſóve ***Recipiente***, qui materiam in ipſis tam furioſè poſſit agitare. Quòd verò tanta ſit ebullitio, agitatio, & exæſtuatio in Aqua, Spiritu vini, *&c.* manifeſto eſt indicio, quòd hæc non fiunt per modum ***Tenſionis***, ſed ***Excitationis*** furioſæque diſperſionis partium ad conſpiſſandam, quantum fieri poteſt, totam Materiam in ***Recipiente***. quæ tam immenſo gradu tenuis ſit præ reliqua Materia tam prope terram, & in medio noſtro Aere craſſo. Ut alia taceam quæ allegari poſſint, quæque in caput ſequens reſervabo.

Adnotamentum Triceſimum primum.

Quòd Experimentum H. Regii *quo Fumus Peti per Aquam in operto Scypho ope duorum Tubuli Tabaccarii fragminum hauritur, minimè idoneum eſt Exemplum talis* Attractionis *&* Rarefactionis *quali hic Author patrocinatur. Verùm non ineptè inſerviet illuſtrandis aliquibus Phænomenis in antecedente Adnotamento recenſitis.*

QUantùm ad iſtud Experimentum apud *Regium*, valdè impropriè hìc aſſertur (*p.* 212. *l.* 21.) pro tali *Attractione* qualem hic Author defendit, pro tali nempe quæ fiat ex hoc genere *Rarefactionis* ſive *Tenſionis*. Neq; enim minima ſpecies umbráve eſt hoc genus *Rarefactionis* ſive *Tenſionis*, in iſtoc Experimento, ſed eſt Circulus tantùm motûs in Aere. Os haurit Aerem in Thoracem per unum fragmen Tubi Tabaccarii, Thoráxq; diſtentus externum aerem premit, qui viam invenit in alterum fiſtulæ Tabaccariæ fragmen, Petum in ſe habens accenſum, & extremitatem graciliorem aquâ immerſam, & per aquam Aer fumúſq; tranſit, curſúmq; continuat donec in alterum fragmen Tubi Tabaccarii venerit, (quod tametſi tranſit per arctum Phialæ operculum, non tranſit tamen in Aquam ipſam, ſed diſtat ab ea paululùm) atq; ſic in iſtud fiſtulæ Tabaccariæ fragmen ingreſſus, poſtquam per Aquam pertranſiverit ad aerémq; pervenerit aquam inter vitríq; operculum, in *Tabacconiſtæ* os ingreditur, integrúmq; Circulum ſic abſolvit. Sed nihil hìc omnino Tenſionis aut *Rarefactionis* Aeris in tota hac re, ſed Peti ſolummodò, quod in fumum vertitur.

Quòd verò omnes partes Aquæ uſq; ad fundum, granuláq; Arenæ in fundo Aquæ jacentia in motum tumultuarium cieantur, id minimè mirum eſt, (quandoquidem Aer fumúſq; coguntur viam ſibi ſecare per aquam) belléq; illuſtrare faciliorémq; reddere poteſt intelligentiam veræ cauſæ iſtorum tumultuum atq; agitationum aquæ & ſpiritûs vini ſuprà memoratorum & in exhauſto *Recipiente* obſervatorum. Quia nempe Elementum magìs ſubtile & actuoſum per poros vitri intraverat (ut turbulentus fumus Tabaccarius Aérq; in hoc poſtremo Experimento per Aquam) partéſq; illius excitationem in ſe plus quàm ordinariam habebant à *movente Principio* profectam, propter rationes ſuprà allatas. Quòd *Tenſio* verò hiſce rebus ſe neutiquam intermiſcet, ex eis porrò confirmabo, quæ in ſequentibus capitibus occurrunt.

In CAPUT Decimum quintum

Adnotamentum Triceſimum ſecundum.

Deſcriptio Experimenti Torricelliani *in præcipuo ſuo Exemplo. Inſoliditas rationum Autoris aperitur, dum naturam hujus Phænomeni explicare conatur per* Tenſionem Effluviorum Mercurialium *in ſpacio derelicto.*

IN hoc Capite eruditus Autor veram cauſam, quemadmodum is exiſtimat, ſuſpenſionis Mercurii in Tubo vitreo in Experimento *Torricelliano*, tradit, occaſionémq; capit tria recenſendi illius genera. Ego verò unicum notabo, ſed idem ex ipſis præcipuum. In quo ſi errorem illius apertè detexero, ſpero nullam fore reliquam controverſiam de cæteris duobus. Hoc Experimentum igitur hujuſmodi eſt; nempe poſtquam Tubus quatuor pedes putà longus, Mercurio repletus ſit, & tum dein inverſus, & in reſtagnantis Mercurii vas immiſſus, quòd Mercurius ſtatim in Tubo vitreo deſcendet ad viginti novem uncias & ſemiſſem, relinquétq; octodecim ferè uncias in Tubo Mercurio deſtitutas. Rationem hujus Phænomeni Autor hanc eſſe tradit: *Expreſſionem* utiq; & aſcenſionem Mercurialium aliquorum vaporum, particularúmve in genere, per agitationem preſſionémq; partium Mercurii ſurſum impulſorum; additq; porrò *Tenſionem* ipſorum ut implere poſſint tantum ſpacium, quantum eſt octodecim unciarum in Tubo, Mercurii corpore deſtitutum. Hæc eſt hujus apud ipſum Problematis ſolutio. Fundamenta verò quibus hæc ſolutio innititur, non ſunt ſatis firma. Nam primò ſupponit nullas Aereas particulas tranſire per Mercurium ad derelictum Tubi ſpacium occupandum, ità ut neceſſariò ſint ipſius Mercurii Effluvia quæ aſcendant. Cùm tamen per partem tertiam quartámq; *Adnotamenti* primi, ejuſmodi ſubtiles Aeris partes ſint quæ vitri poros penetrent. Et dein, ſecundò, Quantùm ad *Preſſionem* & agitationem partium Mercurii; *Fluidorum* in *Fluida* ejuſdem generis preſſura ferè nulla prorſus eſt. Agitatióq; quæ obſervatur multùm minui poſſit ſi non in integrum præverti, per lentam obliquámq; Tubi immiſſionem, gradatímq; factam reductionem ad perpendiculum. Unde futurum eſſet, ut aut nulla Effluvia Mercurialia aſſurgerent, aut ſaltem eorum copia ità variaretur, prout agitationi tumultuariæ præcautum fuerit, ut ſuſpenſio Mercurii non eadem futura ſit omnibus temporibus, ſed nunc humilior, nunc altior. Nec eſt lucta illa in Mercurio à conatu Naturæ quò *Tenſionem* effluviis impertiat, ſed inter pondus columnæ Mercurii & reſiſtentiam *Conſiſtentiæ* Aeris compreſſibilis. Nec deniq; Experimentum iſtud Mercurii tam violentè aſſurgentis in ſummitatem Tubi, ſi ſubitò elevetur, probare poteſt ullam talem, quæ Barbiti nervos chordáſve imitetur, in Effluviis quæ ſupponuntur, *Tenſionem*. Nam in hoc caſu illud ipſum accidit, quod eruditus hic Autor admittit & quoad nomen & quoad rem, *Gravitatio* putà ſurſum; quippe ad ſubitam Tubi elevationem, * *Conſiſtentiâ* Aeris ſubtile elementum exire non permittente, nullóq; in Natura Vacuo exiſtente, dimenſionúmq; penetratione, Aer impellitur in Mercurium reſtagnantem, Mercuriúſq; reſtagnans in os Tubi, atq; ità fit quaſi Aquæ fluxus in canalem multò anguſtiorem, eóq; proinde celeriùs currens. Velóxq; hic motus, in tam gravi corpore quàm ſit Mercurius, fortior neceſſariò fit & pervicacior, dum tam tenui corpori, quàm ſit materia ſubtilis in Tubo, occurrit; nec ſanè ſine aliquo Tubi periculo. Ità ut ſumma rei huc redeat: * Quòd ſit quædam quaſi celer *ſurſum Gravitatio* per motûs circulum contra ſubtile elementum in ſuperiore extremitate Tubi. Quod planè oſtendit nullum hic eſſe fundamentum *Tenſioni*, cùm tam evidens appareat pro *Circumpulſione*. Atque ſic argumentorum ipſius *Infirmitatem* ſatis demonſtravi, *Repugnantiam* Aſſertionis capite proximo mox detecturus.

In CAPUT Decimum ſextum

Adnotamentum Triceſimum tertium.

Detectio Repugnantiarum quibus ejus ſolutio hujus Phænomeni laborat. Ingenua ejus Confeſſio circa Phænomenon Gravitatis, *Explicationem ſcilicet illius per cauſas* Mechanicas *fruſtra à quoquam tentari. Quòd Philoſophia* Ariſtotelica Spiritum Naturæ *ſupponit.*

IN hoc capite duas ponit Anticipationes quas neceſſarias putat ad tuendam priorem ſuam ſolutionem Problematis *Torricelliani*. Prima eſt quòd nullum datur Vacuum in rerum natura. Altera, Quòd corpora tenuia ac ſubtilia capacia ſunt *Tenſionis*, & *Attractionis*, fortíſque Adhæſionis aliis corporibus, Cohæſioníſq; unius partis cum altera, ut in Barbiti nervo chordáve, prout illius vult familiaris illuſtratio; excepto quòd in chorda Barbiti, Tenſio in unam partem, eam contrahit quantùm ad alteram, facítque chordam anguſtiorem ſive tenuiorem, hîc verò *Tenſio* & *Cohæſio* quaquaverſum fit ſimul. Quod ad primam attinet, quòd nullum ſit Vacuum, conceditur. Ac proinde ejus quidem pernegatio quòd ullæ aereæ partes, particulæve in Aere per Vitrum aut Mercurium tranſeant, ſuo ipſius quod ſupponit, repugnat Principio. Cùm enim manifeſtum ſit immerſionem Tubi tam obliquè lentéq; fieri poſſe, ut nulla aut exprimat aut effricet Effluvia Mercurialia, ſequitur ut futurum ſit Vacuum; vel ſi pauca aliquot aſcenderent, quid iſta factura eſſent quando ſummitas Tubi, Capiti vitri *bulboſi* ſimilis eſt, menſuram multarum librarum Mercurii continens? Equidem oportet aut *Vacuum* eſſe, talémve paucorum iſtorum effluviorum *Tenſionem*, quæ omnem, credo, fidem excederet etiam apud ipſum Autorem. Sed iſtud miſſum faciamus. Satìs profectò ſupereſt in eo quod remanet, ad deſtruendam hanc Hypotheſin Autoris, duo iſta intelligo ſecundo membro comprehenſa: Meram utiq; *Tenſionem* ipſam, qualis in vulgari quovis Tubo ordinariè ſupponitur, ubi Mercurius deſcendit ad 29 uncias; & tenacem *Adhæſionem* & *Cohæſionem* Particularum ſic extenſarum.

Nam primò, quantùm ad *Tenſionem* in Tubo ità obliquè immiſſo lentéque ad perpendiculum reducto vel erecto, nemo ſanè cum ratione cogitare poteſt vel unam unciam Effluviorum aut expreſſum aut effrictum iri è Mercurio, per illius deſcenſum. Et certè ſi id contingeret, illáque Effluvia aliquò recepta eſſent quovis artificio, vel emiſſa ſingulis vicibus, octodecim iſtiuſmodi periclitationes Mercurium minuerent ad tales uncias octodecim Tubi; Quod ipſe ſenſus planè eſſet deprehenſurus. Verùm enimvero, quamvìs hoc non eſſet, eſſet interea nihilominus propter hanc *Tenſionem* unius unciæ Materiæ in octodecim, Materiæ *duræ* & *ſolidæ* ſeptemdecim unciarum (nec enim aliter ſic dicenda eſſet) penetratio, ídque per tam exiguam vim, quàm ſit pondus Cylindri Mercurii non majoris quidem diametri quàm quæ faceret ut unam libram pendeat; cùm ipſe Autor agnoſcat centum librarum pondus aquam ità comprimere non poſſe ut quicquam omnino cedat. Et tamen hoc in caſu, vel lentiſſimus motus Tubi à perpendiculari ſitu ad obliquum & ab obliquo ad perpendicularem, plus minúſve erit penetrationis dimenſionum. Tanquam ſi iſtud quod ſapientiſſimi conſultiſſimiq; Philoſophi impoſſibile tenuerunt, æquè facile factu eſſet, atque Butyri maſſam penetrare candenti ſubulâ. Quod quidem, meo judicio, cuivis homini, qui rem ſine omni partium ſtudio penſitaverit, clara videri debet demonſtratio contra hanc ſolutionem problematis, quemadmodum jam notavi in ſexta ſeptimáque parte Adnotamenti primi. Et quod illîc certè jam ſcripſi, omnis ulterioris operæ expatiandi hac in re meritò mihi facere poteſt compendium.

* Jam verò quantùm ad tenacem pervicacémque *Adhæſionem* hujus tenuis corporis in Tubo, ad ſummitatem lateráque illius, & *cohæſionem* unius partis ipſius cum altera, infimæque partis cum ſumma parte Mercurii in Tubo, tanquam ſi Tubi ſummitas tot verticillorum ſummáq; pars Mercurii vicem Magadii in Barbito gereret, Materiáq; ſubtilis interpoſita, ſub hac actuali *Tenſione*, tot Nervorum Chordarúmve, quarum ope Columna Mercurii ut pondus, ſuſpenſa libretur, locum ſuppleret. Hoc certè quòd verum ſit nullâ cogitatione aſſequi poſſum. Nam primò, non poſſum non concipere, ſi ad tenuem iſtam Materiam pervenire poſſem, quæ ipſo Aere eſt ſubtilior, quòd vel filo Araneolæ eam diſſecare valerem, aliáve quavis lineâ, quæ ipſo ſit tenuior & vietior. Et nequeo quidem imaginari quòd illud, quod tam nullo negotio disjungi dividíve poteſt, tam tenaciter cohæreret, ut in hoc Experimento unius libræ pondus, in aliis centenarum aliquot fortean ſuſtinere poſſit. Præterea, ſi partes ſingulæ tam pertinaciter in tenui hac Materia cohærent, nulla Muſca ſe in ea movere poſſit, nec Muſca aut pluma à ſummitate Tubi ad ſuperiorem Mercurialis Cylindri baſin delabi, quod eſt contra Experientiam, ſed ſublimes penderent, pulveris inſtar muſcarúmve in telis Aranearum, quinimo tota iſtius ſubtilis Materiæ conſiſtentia viſcoſa foret & glutinoſa, ipſiſq; ideo prorſus impervia.

Quibus omnibus addere potes, ſi haberet fortem hanc Retractionem adinſtar Nervi Chordæve in Barbito, cùm ſuperiori tantùm parti ſive ſuperficiei quaſi, Mercurialis Cylindri, adhæreſcat, Magadium funditus revelleret. Quamobrem Cylindrus Mercurialis non ſuſtentatur per *Suſpenſionem* ſed per *Circumpulſionem* & *Gravitationem ſurſum*, ſi Autoris hujus locutione uti liceat, Aere Mercurióque ſimul gravitantibus contra tenuem ſubtilémque Materiam in ſuperiore parte Tubi per Mercurium in inferiori, *Adnotam. 12.* ut Aqua contra Obturaculum valvæ in * ſuprà memorato Experimento, hoc eſt, ſiſtentia eſt eorum in hoc ordine & libratio per *Hyloſtaticum Spiritum* Univerſi, qui etiam corporum gravium motus dirigit deorſum. In cujus quidem rei cauſis Mechanicis excogitandis homines inani ſtudio ſe hactenus defatigâſſe eruditus Autor ingenuè fatetur, ipſéque in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravi Phænomenon Gravitatis, legibus Mechanicis contrariari.

Quinimo hæc effecta reſolvere videtur in *Naturam*, quæ *Principium eſt motûs & quietis*, definiente *Ariſtotele*, qui & de ipſa declarat, *Quòd Natura nihil facit fruſtrà*. Quamobrem, niſi quòd verba dentibus adhæſerint, nec clarè elocutus ſit, *Ariſtoteles* id ipſum agnoſcit pro quo ego tantopere contendo, *Spiritum* utique *Naturæ Principiúmve Hyloſtaticum*, quod neceſſariò concedere debet, niſi ſibi ipſi contradicere velit, quandoquidem Materiam merè paſſivam eſſe ſtatuit. Qualis eſſe non poteſt ſi id quod ipſam movet ordinátque, non ſit niſi modificatio Materiæ, non autem *Spiritus* ab ipſa *diſtinctus*. Iſta enim modificatio ſic foret ab ipſius Eſſentia, & conſequenter materia ſe ipſam moveret, immò ità moveret ſe (niſi nos ludicra aliqua obſtacula ipſi in viam injiciamus) ut nihil faceret fruſtrà, quod procul abeſt à conditione *Principii* merè *Paſſivi*. Sed longiùs hac in re prolapſus ſum quàm inſtitui. Robur præcipuum hujus capitis planè enervavimus. Exiguum illud quod remanet, in ſequentia Adnotamenta diſponemus.

Adnotamentum Triceſimum quartum.

Quòd ſuſpenſio Mercurii non ſit ad Univerſum conſervandum à Diſcontinuitate, *ſed ad Aerem tuendum in debita ſua* Conſiſtentia. *Quódque non ſit Aer ſed unus communis* Spiritus *qui ſit Cæmentum vinculúmve Univerſi.*

ERuditus Autor probare conatur *Attractionem* corporum tenſorum, *p.* 239. *l.* 12. ex eo quòd Natura ſtrictam *Contiguitatem* affectat, quippe quæ genus quoddam ſit *Continuitatis* Univerſi omniúmque illius partium. Obſervo tamen interim, ſi ulla talis eſſet *Attractio*, *finalem* tantùm Cauſam illìc indigitari, nos verò Cauſam quærimus naturalem *Efficientem*. Negóque porrò in ſuſpenſione Mercurii ſcopum ullum eſſe ſervandi Univerſum à *Diſcontinuitate*, ſed tantummodo conſervandi Aerem in debita ſua *Conſiſtentia*. Neq; eſt *Aer* commune *Cæmentum* partium Mundi hujus inferioris, ſed unus eſt *communis Spiritus* qui partes totius Univerſi ſimul conjungit atque continet, nullæ Atomi hamatæ, ullæque aliæ id genus corporeæ fabricatiunculæ. Atque ubi Materia eſt quantum voles ſubtilis, par eſt Mundi *Contiguitas* atque ubi eſt craſſior. Ac proinde ubi mirabilia accidere videmus in loco aliquo, qui admodum ſubtili tantùm materiâ repleatur, id certè non fit propter ullam *Diſcontiguitatis*, *Vacui*ve formidinem, ſed quia Materia *perperam collocatur*, *ſpiritûſ*que Univerſi *Hyloſtaticus* rectiùs eam velit diſponere.

Adnotamentum Triceſimum quintum.

Quòd Attractio probari non poteſt ab Experimento Cucurbitarum aut expanſione Veſicarum compreſſarum in ſummitate Tubi Torricelliani.

ERuditus Autor, *pag.* 240, & 242. in ſuis, quæ ſuo ſenſu ſupponit, *tenſis rarefactiſ*que corporibus, *attractionem* probare nititur, ab experimento Cucurbitarum Veſicæq; in ſummitate Tubi in experimento *Torricelliano*. Quòd verò hæc nulla ſint argumenta, in antecedentibus * Adnotamentis oſtendi. * *Adnotam.* 30.

Adnotamentum Triceſimum ſextum.

Quæ Ratio reddenda ſit conjunctæ Gravitationis Tubi cum Mercurio, Tubi cum Aqua, & Vitri cum Aqua in Mercurium & Aquam inverſorum.

MEntionem hìc rurſus facit (*pag.* 242. *l.* 12.) Tubi calefacti, de quo diximus *Adnotamento* 24. attractioniſq; & ſuſpenſionis Aquæ in eo, Aquâ etiam in Tubo Tubóque ipſo tanquam corpus unum, pendentibus. Conſimiléque hìc iterum repetit experimentum in vitreo calice repandi oris calefacto, aquámque ſurſum hauriente, pendentéque ut unum corpus cum Aqua; ſuſpenſionémque Aquæ in utriſque *Attractioni* rarefacti Aeris attribuit. Cæterùm cùm hæc Hypotheſis à me ſatìs cumulatè confutata ſit, magìs ſolicitus ſum in his Inſtantiis de concinna reddenda ratione junctæ ponderationis Tubi & Mercurii, Tubi & Aquæ, atque vitrei Calicis & Aquæ, ſingulorum binorum tanquam unius corporis, quàm de Confutatione illius quod jam ſatìs confutatum eſt. Rem verò ſic ſe habere exiſtimo: Per leges Univerſi *Hyloſtaticas* fit, ut etiam Corpora gravia premant ſurſum, perinde ac levia in gravia, atque utraque junctim in longè levius, quamvìs corpus grave interjaceat, quod paulò * ſuprà * *Adnot.* 32. notavi in reſultura Mercurii contra ſummitatem Tubi. Jam verò quemadmodum illìc Aer reſtagnánſque Mercurius contra ſubtilem Materiam in ſummitate Tubi per columnam Mercurii in Tubo gravitabant; ità Aer & Aqua tum in Tubo tum in Calice vitreo, contra rarefactum inibi aerem, quippe communi Aere tenuiorem, gravitant, & eouſque aſcendebant in ſingulis, quouſque leges *Hyloſtaticæ* ferebant. Quemadmodum nullus dubito, quin ſi totus Tubus talis ſubtilis Materiæ qualis in ſummitate reperitur, in experimento Torricelliano poſſit obtineri, & in Mercurium reſtagnantem inverteretur, Mercurius ad 29 uncias aſcenſurus eſſet in Tubo, ut Aqua in Tubo & in Calice vitreo aſcendere deprehenditur. In quibus omnibus exemplis & Mercurius & Aqua aſcendunt per *librationem*, quam hic Autor appellat *Gravitationem ſurſum*, ibique detinentur per eandem legem ad talem altitudinem, non autem per *Attractionem* aut *Suſpenſionem*.

Sed quomodo igitur, in quietis, fit, ut Tubus & Mercurius, Tubus & Aqua, atq; Calix vitreus & Aqua, bina ſingula, tanquam unum corpus compactum, pendeant? Equidem nobile eſt Problema, ſed reſpondeo, Idem Principium *Hyloſtaticum* quod illa iſtoc modo librat, qui *Spiritus* eſt *Naturæ*, eadem pariter conjungit unítque, ſed vincibili & mutabili Unione. Nam & motus & unio à *Spiritu* eſt, quemadmodum oſtendi in *Enchiridio Metaphyſico.* Atq; hinc facilè intelligitur quî fit, ut quando manu (*p.* 247. *l.* 12.) versùs ſuperficiem reſtagnantis Aquæ vitreum Calicem levas, aqua incluſa, multùm ſupra externæ aquæ ſuperficiem, ſimul cum ipſo aſcendat. Quod tametſi per monſtroſam illam preſſuram Aeris *Elaſticam*, cui quidam adeò favent, non fiat, fit tamen per gravitationem Aeris in Aquam & Aquæ *ſurſum*, & utriuſq; conjunctim in rarefactum Aerem in Concavo Vitri. Adeò nihil omnino opus eſt ullâ *Tenſione*, ſed hâc ſolummodo *Libratione Hyloſtaticâ*.

Adnotamentum Triceſimum ſeptimum.

Autoris aperta declaratio quòd leges Naturæ non ſint Mechanicæ, *unà cum conſequentiis illius Conceſſionis, & neceſſitate introducendi* Spiritum Naturæ. *Fatua Philoſophorum hujus ſeculi intemperies, qui cùm Naturam habeant ex* Spiritu *perinde atque* corpore *conſiſtentem, omnes tamen ſuas philoſophandi menſuras à* corpore *ſumunt, nullas verò à* Spiritu.

ERuditus Autor *pag.* 248. *l.* 16. vim & efficaciam legum Naturæ memorat, in ſtrictè colligando partes Texturarum & Conſiſtentiarum maximè differentium, ſine ope Velliculorum, Uncorum, Harpagonúmve aut Atomorum hamatarum. Et *pag.* 238. ait, idque admodum verè, nec cum facundia vulgari, *Quòd nemo omnium mortalium per totum terrarum orbem, firmam ſolidámque rationem unquam poſſit reddere, cur motus lapidis ſit deorſum terram versùs, magìs quàm versùs Lunam, niſi quòd Natura, quæ Principium eſt motûs & quietis, vel potiùs Deus Naturæ, cujus rata ſtatuminatáque Lex ipſa Natura eſt, ità ordinaverit, atque ſic quidem ordinaverit prout maximè futurum ſit in uſum, pulchritudinem, & accommodationem Univerſi.* Ubi planè declarat Leges Naturæ non eſſe *Mechanicas*, quales ſi non ſunt, neceſſe eſt eſſe *Vitales*. Et ſi *Vitales* ſunt, Quinam eſt fons earum immediatus proximúſque poſt Deum? ſubjectúmque in quo hæc vita ſit? quodnámve hoc Principium Motûs & Quietis? Eſtne ſubſtantia à Materia diſtincta, an ipſius Materiæ vis Eſſentialis ac modificatio? Nam quicquid eſt, aut ſubſtantia eſt, aut ſubſtantiæ modificatio. Si leges Naturæ vis eſſentialis Materiæ ſint ac modificatio, ipſa materia ſui-motrix eſt ſuíque itidem ordinatrix, uſque ad delineationes omnium iſtorum ſtupendorum veſtigiorum Divinæ ſapientiæ in Creatione. Quod manifeſtò eſt contra *Ariſtotelem*, cui eruditus Autor haud mediocrem honorem defert, quíque expreſſim *Paſſivitatem* tantùm Materiæ attribuit, ſed *Activitatem* ab alio Principio derivat. Hæc eſt doctrina illius inculcatiſſima. Et dein quod adhuc pejus cedit, naturam Corporis & Spiritûs confundit iſta opinio, cùm *Motiva* & *Unitiva* Potentia immediatè & originaliter ſit in Spiritu, *Mobilis* verò & *Unibilis* in Materia. * Quodſi hæ *vitales* leges Naturæ, quæ ad Bonum Univerſi conducunt, Materiæ non ſint Eſſentiales, nec tanquam ex ea operentur, reſtat ut ſit *Spiritus Naturæ*, cui ſint eſſentiales, qui ſit Motor & Moderator Materiæ, qui nullis Velliculis, Uncis, aut Harpagonibus indigeat, ad continendas conſtringendáſve eas partes Materiæ quæ contineri unà debent, aut quamdiu ſic debeant contineri, nec ſcalpris ad eas disjungendas, prout Leges Naturæ requiſiverint. Hujuſce quidem facultatis, eruditus Autor certus eſſe videtur, (propter unionem propriæ Animæ cum corpore) quòd ſpiritus ſit capax: Mirúmque mihi videtur, cùm ex duobus iſtis Principiis conſtemus, quòd Genius hujus Seculi utplurimùm talis ſit ut omnes ſuas philoſophandi menſuras à parte ſua *corporea* capiant, nullas à *Spirituali*; tanquam ſi obliti fuiſſent ſe ullam talem habere naturam, illiúſve facultates eos prorſus laterent, aut integra ipſorum compages perſonalis nihil aliud eſſet, quàm maſſa quædam modificata Materiæ philoſophantis. Cæterùm ut meræ Materiæ partes ſine Atomis hamatis, quas *Epicurei* tantopere crepant, tam tenaciter cohærerent, majus quidem miraculum mihi videretur quàm ſi abſque iſtis id fieret, niſi quòd par adhuc miraculum maneat, quomodo partes Atomi hamatæ tam arctè contineantur. Partes enim Phyſicas eas habere oportet, cùm alioqui nullam habituræ eſſent figuram.

In CAPUT Decimum ſeptimum

Adnotamentum Triceſimum octavum.

De Cohæſione duorum Marmorum, quódq; Fuga Vacui non ſit niſi finalis illius Cauſa, & quænam illius Cauſa efficiens eſſe poſſit.

ERuditus Autor (*p.* 251. *l.* 12.) arctam cohæſionem duorum politorum Marmorum cum pondere inferiori appenſo, in Fugam Vacui reſolvit, quippe quòd ſi parallela ipſorum divulſio eſſet, aliquod tempus intercederet (cùm Motus non fiat in inſtanti) antequam interius Intervallum materiâ ſuppleri poſſet. Quod igitur effecturum eſſet ut Vacuum exiſteret in Natura, à quo proculdubio Natura abhorret, quódq; fieri poſſet ſine ulla repugnantia Logica (cùm tam manifeſtò Extenſum exiſtat ubiq; à Materia diſtinctum, quemadmodum abundè demonſtravi in * *Enchiridio Metaphyſico*) niſi Naturæ leges obſiſterent. Cæterùm notare inſuper debemus, *Fugam Vacui* non eſſe niſi Cauſam *Finalem*, qui verò hanc ſolutionem vilipendunt, Cauſam *efficientem* requirere. Atq; hìc rurſus oportet materiam *ſe-unientem* ac *ſemoventem* facere, vel *ſe-fixantem*; aut ad *ſpiritum Naturæ*, ejúſq; leges *Hyloſtaticas* recurrere, quibus materiam gubernat, quibúſq; demum totam Univerſi compagem conſtringit continétque. Nam cùm Mundus finitus ſit, quemadmodum probavi in *Enchiridio Metaphyſico*, & ex indefinito Vorticum numero reliquáq; qualicunque materia liquida conſiſtat, ſi motus Materiæ *Mechanicus* eſſet, non autem à Principio vitali eam actuante, quem *Spiritum Naturæ* appellamus, dehiſcentia partium illius futura eſſet, nulliúſq; rei major *copia* foret quàm *Vacuitatum*, cùm jam è contrà nullæ prorſus ſint aut quæ fingi poſſunt maximè exiguæ. Nam marmorum divulſio etiam inclinata ſive angularis vix intelligi poteſt, ſine aliqua infinitè exili Vacuitate, niſi motus concipi poſſit fieri in inſtanti.

* *Cap.* 6.

Cap. 10. *ſect.* 6.

Adnotamentum Triceſimum nonum.

Stevini *Experimentum in Orbiculo ligneo aquâ leviori foramini fundi vaſis impoſito Aquâ implendi*, &c. *Quale id argumentum ſit contra Gravitationem Aquæ in Aquam, contráq; monſtroſam, quam quidam ſupponunt, Aeris* Elaſticitatem.

QUantùm ad *Stevini* experimentum quod hìc iterum occurrit, *p.* 259. *l.* 10. Quòd Orbiculo ligneo aquâ leviori, foramini fundi vaſis aquâ implendi ſuperimpoſito, columna Aquæ ei incumbens, ligneum Orbiculum ad fundum detinebit, & gravitabit reverà ad plenum pondus iſtiuſmodi quantitatis Aquæ, cùm è contrà ſi foramen iſtud non ſubſit Orbiculo, ſponte ſit aſcenſurus; Dico, immane hoc Paradoxon in Natura foret, ſi partes Aquæ gravitarent in aqua, eſſétq; iſta monſtroſa Aeris Elaſticitas. Etenim cùm reſiliens iſta Aeris columna contra Orbiculum nitatur, per foramen talis diametri, ut columna diametri æqualis in aliis circumſtantiis aliquot centenas libras pondere ſuperaret, hoc certè effecturum eſſet, ut Orbiculus multò faciliùs aſcenderet, quàm quando fundum vaſis integrum eſt miniméq; perforatum. Quamobrem, manifeſtum indicium eſt, quòd nulla ſit iſtiuſmodi conſtans preſſura partium aquæ in aquam, nec ulla talis prodigioſa Aeris Elaſticitas, ſed quòd motus quiéſq; materiæ ſit pro re nata prout *Spiritus* Mundi *Hyloſtaticus* eam gubernaverit. Etenim proculdubio ſuperior Elater Aeris qui Aquam in Orbiculum premit, multo minùs oppugnatur à fundo imperforato, quod non nititur in Orbiculum, ad ipſum attollendum, quàm à columna Aeris inferiori quæ tam fortiter ſurſum nititur, ut aliquot centenarum librarum pondus poſſit æquiparare. Quæ quidem Conſideratio citra omnem Exceptionem futura eſt, ſi pro Orbiculo ligneo vas minus cum lateribus tenuibus ponamus, & cum quatuor foraminulis obliquè per latera ad fundum factis, quemadmodum ſuprà ex alia occaſione deſcripſimus. Difficile erit ullam excogitare evaſionem, * ſi vas internum non aſcendat, ut ſolet quando fundum eſt imperforatum.

In CAPUT Decimum octavum

Adnotamentum Quadrageſimum.

De arcta cohæſione Hemiſphæriorum Magdeburgenſium. *Quòd nec internæ Materiæ rarefactæ* Tenſio, *nec externi Aeris* Elaſticitas *illius cauſa ſit. Et quænam demum ſit cauſa illius veriſimillima.*

QUòd divulſio *Hemiſphæriorum Magdeburgenſium, p.* 267. tanto facilior ſit factu lateraliter, quàm ab eorum centro, facilè aſſentior. Nam in tali Divulſione additur quaſi potentia duplicis *cunei*, ſed vellendo directè ab eorum centro, accedit res propiùs ad illius conditionem, qui Pali divulſionem in duas partes meditans, medium ex utroq; latere manibus prenſitat, & ſic in duo oblonga fragmina, per parallelam ſeparationem unius partis ab altera, eum diſcerpere conatur. Quòd verò Hemiſphæria ullâ tali *Tenſione* filamentorum eorundémve contractione dum Hemiſphæriorum concavo adhærent, conſtringantur vel contineantur, mihi nequaquam videtur credibile. Etenim eruditus Autor quanquam ſanè ſatìs gnarè contra *Elaſticitatem* Aeris argumentetur quo minùs illa eorum cohæſionis ſit cauſa, (quippe, ſi Hemiſphæria, poſtquam refrixerint, tam arctè cohærent ut pondus triginta librarum ea non ſit ſeparaturum, propter Aeris utiq; *Elaſticitatem* pondúſve Atmoſphæræ quibus conſtringuntur, & tamen quantumvis iterum non mediocriter calefierent, cohærere debent etiamnum æquè fortiter, cùm Elaterium Aeris minimè relaxetur calore ſed potiùs intendatur, dum partium reſilientiam in violentiorem expanſionem excitat, quæ proinde Hemiſphæria fortiùs comprimet, cùm tamen obſervatum ſit, ſi modò vel intepeſcant paululùm, facilè à ſe invicem dilabi. Quod fateor minimè contemnendum argumentum eſſe contra Aeris *Elaſticitatem*, quo minùs ea ſit cauſa hujus tam firmæ cohæſionis:) Eſt tamen iſtud meo quidem judicio, unum inter alia argumentum quòd nec *Contractio* ſive *Reſtitutio* Materiæ *tenſæ* in Hemiſphæriis iſtius Cohærentiæ ſit cauſa. Nam ſi materia tam violenta *Tenſione* & *Contractione* exerceretur quàm quæ ab eo ordinariè per Tenſionem Nervi in Barbito exprimitur, incredibile eſt ut tam puſillum caloris momentum adeò ſubitò & inſigniter eam relaxaret, ut Hæmiſphæria quæ priùs tam firmiter cohærebant ut triginta librarum pondus ſuſtinerent, nunc ultrò quaſi fatiſcerent & à ſe invicem dilaberentur. Quanquam quidem nec illa Relaxatio eſſe poteſt ſine penetratione dimenſionum, quod immane quantum rei incredibilitatem auget, ut tam exigua vis dimenſionum penetrationem produceret, quemadmodum * ſuprà obſervavi in Experimento *Torricelliano*, præter reliquas omnes Repugnantia quæ hîc rurſus occurrunt.

* *Adnotam.* 1. *Part.* 7, & 8. *Adnotam.* 33.

Ac proinde quemadmodum eruditus Autor ex remotione *Elaſticitatis* Aeris concludere voluit, quòd ſua *Tenſio* & *Reſtitutio*, cùm nulla alia cauſa appareret, locum hîc obtinere deberet; ità ego pari ratione, ex remotione ejus *Tenſionis* & *Reſtitutionis* pariter atq; *Elaſticitatis Aeris*, poſſim inferre quòd *Spiritus* meus *Hyloſtaticus* Univerſi, poſt tam inſignem victoriam palmam debet reportare, qui agit pro re nata in materiam, conſtringit relaxátque prout tulerit occaſio. Atq; hîc aio, poſt frigefacta Hemiſphæria, *Gravitationem* fieri *Aeris* introrſum verſùs commune centrum Hemiſphæriorum, propter ſubtilitatem materiæ ibi in loco *indebito* contentæ, lateráq; Hemiſphæriorum introrſum cogi vel contrudi, quemadmodum quis aliquando ſentire poteſt coſtas ſuas in ſubtili frigidóq; Aere conſtringi. Sentimúſq; hanc Contractionem non quidem ab intrà ſed ab extrà vel in ipſis coſtis noſtris. Dico igitur quòd occaſionalis eſt Gravitatio ambientis Aeris & ipſorum Hemiſphæriorum contra Aerem rarefactum ſubtilémve materiam intra ipſa, ad eam elidendam; * quemadmodum eſt Aquæ contra ampullam Aeris in mare immiſſam, quam aliquando hæc ipſa preſſura frangit, quod in his æneis Hemiſphæriis expectari non poteſt.

Cæterùm hæc Compreſſio cùm *Mechanica* non ſit ſed *Vitalis*, perpuſillum momentum operationem immutat, ut in Orbiculo ligneo qui in Situla aſcendit, qui tamen ſi foramen in Fundo Situlæ ſit, non eſt aſcenſurus; quodſi Fundum ſit ſuppoſititium infra id ſatìs propè poſitum, rurſus eſt aſcenſurus. Et * ſimiliter Obturaculum Valvæ in Tubo quod adhærebit Valvæ ſi Tubus apertus ſit in aerem, tamen ſi obturaveris eum Embolo ad debitam diſtantiam Obturaculum deſcendet. Ità hîc pauxillum caloris efficit ut *Spiritus* Mundi *Hyloſtaticus* compreſſivam Operationem miſſam faciat, preſſurámq; relaxet, ſine penetratione dimenſionum, ulláve alia abſurda Suppoſitione. Ponamus tantùm *Vitalem* motum loco *Mechanici*, rectéq; omnia facillimo negotio ſuccedent.

In

In CAPUT Decimum nonum

Adnotamentum Quadrageſimum primum.

Antlia Autoris ingenioſè excogitata: Error verò illius ex eo quòd Phænomenon inibi apparens internæ Tenſioni *attribuat, cùm ad vim* Conſiſtentiæ *externi Aeris potiùs ſit referendum.*

AUtoris ingenioſè concinnata Antlia *pag.* 293, 294. paucula alia requiret Adnotamenta, & tum demum concludemus. Orificio B ritè oblito ac obturato Embolus elevabatur, ſed non pari facilitate atque quando apertum erat. Cujus rei rationem eruditus Autor in *Tenſionem* reſolvit quam ſingulæ Emboli elevationes Aeri in ſuperiori cavitate vitri impertiunt, ut eo pacto poſſit locum aquæ per Antliam exhauſtæ ſupplere. Ego verò rationem reſolvendam exiſtimo, in robur *Conſiſtentiæ* aeris externi, quæ ſine aliqua vi non patietur materiam ſubtilem ex eo in vitri cavitatem elidi. Adeò ut *Tenſione* nihil opus ſit ad hoc Phænomenon explicandum.

Adnotamentum Quadrageſimum ſecundum.

Alia Phænomena in Antlia Autoris obſervatu digna. Quódque nihil neceſſe ſit in eis ſolvendis adhibere Tenſionem, *ſed quòd notabiles interim ſint Indicationes quàm ſit neceſſe ut* Spiritus *aliquis* Hyloſtaticus *Materiæ Mundanæ præſideat.*

AMpullâ vitreâ A B C aquæ ſextarios quinque continente, primúmque liberiùs Antliam exercendo à duobus cum ſemiſſe vacuâ factâ, orificióque poſtea ad B ritè oblito & obturato, unus adhuc ſextarius quanquam ægrè admodum, exhauſtus eſt, ita ut unicus cum ſemiſſe reliquus eſſet in quem tamen nihilominus Antliæ fiſtula extendebatur. Poſthac verò, vicibus quàm libet frequentibus elevetur Embolus, nè guttula quidem Aquæ exit; ſed Aer tantummodo, ait Autor, in Antlia incluſus elevando Embolum rareſit, deprimendóq; rurſus condenſatur. Quod ipſum experimentum, ut meum quidem eſt judicium, ſufficiens debet eſſe confutatio hoc genus Rarefactionis & Condenſationis, ubi unius hominis robur rem ità monſtroſam ut eſt Dimenſionum penetratio, poteſt efficere. Vide *Adnotamentum* 1. *part.* 6, & 7. Neque ea cauſa eſt cur nulla ampliùs Aqua exeat, quòd Aer ad ſummum tenditur quò talis vis elevandi Embolum, eum poteſt extendere; ſed à majori ſit *firmitudine* & *obſiſtentia* Aeris externi, cujus robur augetur per *Hyloſtaticum* Spiritum Univerſi contra iſtam indebitam rerum conſtitutionem, quâ tanta jam ſubtilis materiæ copia perperàm collocata eſt, quemadmodum & in Hemiſphæriis *Magdeburgenſibus*: Ut omittam contra leges *Hyloſtaticas* fore, * ut tam grave corpus quàm ſit aqua, in corpus adeò impenſè tenue, ut eſt iſta ſubtilis Materia in * vitro, tam altè ſubſiliret, ídque ſine ullo recente Aere illìc ſuccedente, ullóve vehementi præcedente calore. Nec dubito ſanè, quin ſi Experimentum *Torricellianum* ſubter aquam fieret, Mercurius in Tubo, immani quanto altiùs ſtaturus eſſet, quàm nunc ſit in aere. Ac proinde iſta conſideratio ſuum pondus habere debet in hoc Phænomeno. Manifeſtum autem eſt, nihil omnino opus eſſe *Tenſione* in his Problematis, * cùm Materia ſubtilis ſit quæ illius locum ſupplere poſſit. Et tamen quantùm ad Materiam hanc ſubtilem, ſi motus partium Aeris omninò *Mechanici* eſſent non autem *vitales*, nullam rationem invenire poſſemus, quin vis Emboli, quæ primo antlatu Aeris *Conſiſtentiam* vicerat, etiamnum eſſet victura, cùm vitrum illud ſubtilis Materiæ nihil ferè ſit cum illius Oceano in Aere, comparatum. Tam evidens undiquaque noſtra ſit de *Hylarchico Principio* Hypotheſis.



* *Vide Adnot.* 27.

Adnotamentum Quadrageſimum tertium.

Argumentum ab ipſius Autoris Antlia, quòd Aqua ſcilicet in Antliis non ſuſpendatur per Tenſionem *ſed per* Gravitationem ſurſum, *magìs enucleatè explicatum*; & *in* Principium Hylarchicum *tandem reſolutum: unà cum ratione particulari cur in Autoris Antliæ caſu propoſito, ex elevatione Emboli, nè una quidem Aquæ gutta exeat.*

PRæterea, cùm Embolus prope H pertingat, cúmque elevari poſſit prope ſummitatem Stanneæ Syringis ſive Antliæ, Aer, ſi quicquam ab Inſtrumenti figura ejúſque dimenſionibus colligere liceat, ex elevatione Emboli ad plenam ſuam Altitudinem ità in Antlia extenditur (cùm Tenſio tamen Aeris in Cavitate vitri ſpacium majus non occupet quàm quòd rationem habet 7 ad 5 ad illud ſpacium quod occupaverat antea) ut occupet ſpacium quod ad ſpacium prius ſe habet ut 5 ad 1. Quod certiori indicio eſt, quòd nulla iſtiuſmodi ſit Aeris Tenſio (quoniam ſi eſſet, Aer in Cavitate vitri qui ultrà non extenditur quàm ut 7 ad 5, majorem reciperet Tenſionem facerétque Aquam aſcendere) quàm quòd iſte in Antlia adeò ſupra modum ratámve ſuam partem tenderetur. Et conſequenter quòd Aqua in Antlia per *Tenſionem* non ſuſpendatur, nec ad talem Altitudinem eo pacto attollatur, ſed per *Gravitationem ſurſum*, aut ex *actuali* mala collocatione Elementi ſubtilioris, aut ex imminenti *periculo* nè iſta mala fiat collocatio. Quod certè eveniret, ſi Aqua recederet; ac proinde aſcendit ad talem altitudinem ſive menſuram, Aere & Aquâ ſupra fundum Antliæ ſurſum gravitantibus, non tam protruſis quidem propter impenetrabilitatem Materiæ, quàm per *Principium Hylarchicum* deductis vitalitérque motis in hac *Gravitatione ſurſum*. Cujus vis pro ſoliditate Elementorum, quæ ſic gravitant, invaleſcit. Atq; hinc etiam una emergere poteſt ratio in hoc exemplo, cur ex elevatione Emboli nè una quidem gutta exeat; nempe quia Gravitatio rarefacti Aeris in Cavitate Vitri reſtagnanti Aquæ, ſupra orificium fiſtulæ, ſuperadditi, propter tenuitatem unius, & exiguam quantitatem alterius, debilior eſt quàm ut attollere aut ſuſtentare poſſit columnam Aquæ in fiſtula quæ in ipſam Antliam extendatur. Atque hinc fit ut nulla Aqua exeat.

Adnotamentum Quadrageſimum quartum.

Incertitudo ſucceſſûs ſi Antlia longior eſſet, Calórve Vitro applicaretur. Certum verò eſſe quòd Tenſio *nullum hîc locum ſit inventura.*

NUnc verò ſuppoſito, quòd Antlia longior eſſet, *pag.* 297. *l. penult.* aut fortis aliquis calor externus ſuperiori Aeri in Vitro applicaretur, ſi Aqua in iſtis caſibus æquè facilè attolleretur atque in principio, quemadmodum affirmat Autor; In priori quidem caſu, tum fieri oportet, cùm Antlia tam longa eſt ut ſpacium quod ſubtilis Materia ex elevatione Emboli illic occupat, majus ſit quàm quod occupat in Vitro, vel Materia potiùs ſit etiam magìs ſubtilis: Et in poſteriori ratio eſſe poteſt quòd applicatio hujus caloris vitalem immutat energiam, hoc eſt, pervicacem iſtam *firmitudinem* & *obſiſtentiam* Aeris de qua ſuprà dixi, in operationem magìs relaxatam, quemadmodum notavi in Hemiſphæriis *Magdeburgenſibus*. Verùm haud certus ſum quòd utralibet Methodus ſortitura ſit effectum. Atqui interim ſatìs ſum certus propter *Tenſionem* & *Reſtitutionem* iſtud neutiquam fore, ſi ſucceſſus expectationi reſpondeat.

Adnotamentum Quadrageſimum quintum.

Elevatio Aquæ illiúſque ſuſpenſio in Antliis quomodo efficiatur.

ERuditus Autor * ab experimentis Antliæ ſuæ colligit, *pag.* 298. *l.* 16. Quòd Gravitatio ſive Preſſura externi Aeris non ſit in cauſa, quòd Aqua in Antlia attollatur. Et certè quantùm ad *Elaſticitatem* in hac ratione *Atmoſphærica*, collectionem illius veram eſſe exiſtimo. Sed enim ſuprà monui & rurſus hîc repeto, Quòd aſcenſio aquæ illiúſque ſuſpenſio in Antlia, * per circularem preſſuram fit ac Gravitationem Aeris & Aquæ in ſuperficiem Aquæ, cui fundum Antliæ inſiſtit, incumbentium, quæ junctim ſurſum gravitant cum Aqua aſcendente in Antlia, quemadmodum ſuprà declaravi de Aere & Mercurio *ſurſum gravitantibus* reſpectu ſubtilis Elementi in ſummitate Tubi. Atque hic ſimiliter Aer & Aqua ſurſum gravitant, ut nulla ſit nuda Materia ſubtilis in Antlia ad Inordinationem Univerſi. Quæ Gravitatio Aeris & Mercurii, atque Aeris & Aquæ ſurſum, non eſt, utì dixi, per ullam obtruſionem gravitationémve partis in partem, * ſed feruntur univerſæ per Mundi *Spiritum Hyloſtaticum* viâ hâc ordinatâ, & in tam bonum ſcopum, ut nullum Incommodum eveniat malè collocando Elementa Univerſi, è quorum numero Materiam ſubtilem unum eſſe cenſeo.

Adnotamentum Quadrageſimum ſextum.

Inſinuatio Aeris in Cavitatem Putei utrùm Effectus *ſit an* Cauſa *receſſûs Aquæ, an verò non potiùs utrùmque.*

COncluſiones etiam ejus contra ipſam *Elaſticitatem* Aeris à dictis Experimentis ingenioſæ ſunt, veruntamen eis non licet immorari. Adnotabo potiùs quod occurrit *pag.* 302. *l.* 6. Ubi ſupponit immiſſionem ſive inſinuationem Aeris in cavitatem Putei (eadem enim ratio eſt atque in Ampulla vitrea, quæ illius Antliæ quaſi puteus eſt) effectum eſſe non cauſam receſſûs aquæ. Scrupulus heîc eſt, an non perinde rectè dici poſſit eſſe utrumque. Nam in iſto circulo Aeris & Aquæ qui fit in exercendo Antliam, motus Aeris, qui, per exitum Aquæ, aut versùs Puteum aut in ipſum fertur, quemadmodum Effectus eſt Aquæ exeuntis è Puteo atque Antlia, ità ſanè, cùm partem Circuli Aeris & Aquæ conſtituat, quæ uſque ad fundum ſitulæ in Antlia (ubi periculum imminet hiatûs denudationiſque ſubtilis Elementi) gravitant, rectè Cauſa dicenda eſt, Cauſam intelligo inſtrumentalem (nam Efficiens principalis eſt *Hyloſtaticus Spiritus* Univerſi) hauriendæ aquæ ex Antlia, quippe pars circuli illius materialis in motu, quem *Principium* illud, quod Materiam gubernat, ciet, aut ſaltem moderatur, motum incipiente ipſo Antliæ exercitatore.

Adnotamentum Quadrageſimum ſeptimum.

Vtrùm vis protruſiva in columna Aeris liberi quicquam addat ad preſſuram illius Elaſticam, *& an minima Aeris proportio eandem vim* Elaſticam *habeat quam habet major. Cum notabili Argumento, quandoquidem* Elaſticitas *Aeris in Autoris Antlia Aquam non elevat ad unam unciam, quam tamen prætendunt decem libras Mercurii ad altitudinem viginti novem unciarum ſuſtinere, quòd nulla omnino ejuſmodi ſit Aeris* Elaſticitas *in rerum Vniverſitate.*

DUo Argumenta contra *Elaſticitatem* Aeris, cum quibus eruditus Autor concludit, ſunt ſanè, ſi rectè penſitentur, haud mediocris momenti. Primum eſt, Si *Elaſticitas* Aeris in humilis laquearis Cubiculo, aut vitreo Recipiente, Mercurium in Tubo ad eandem altitudinem in Experimento *Torricelliano* ſuſtinere valet, ad quam ſuſtinetur in Aere libero, ubi pondus Cylindri Atmoſphærici dictæ Aeris *Elaſticitati* ſuperadditur, quòd indicio ſit, utraque mera eſſe figmenta, Mercuriúmq; à neutrius preſſura ſuſpendi. Equidem fateor me præſagire non poſſe quomodo *Elaſtici* iſti Philoſophi hujus argumenti evidentiam ſint evaſuri, niſi fortè ſe elapſuros ſperent, dicendo, cùm *Elaſticitas* Aeris ad ſummum ſuum vigorem ſive vim perducta ſit quam preſſura *Atmoſphærica* ei impertire poteſt, modò conſervetur in eodem *Elaſtico* rigore & firmitudine per vitrum laqueariúmve Cubiculi, *Elaſticitate* eâdem adhuc permanente, Effectum itidem idem fore. Hoc certè ex prima rei cute ſpeciéve quis fortean conjectare poſſit; verùm ſi penitiùs eam introſpexerit, nequaquam ſatisfaciet. Eſto enim vis Aeris *Elaſtica* in Vitro vel Cubiculo per preſſuram primùm *Atmoſphæræ* facta, eſto, inquam, ut 10, eadémque conſervetur integra in Vitro Cubiculóve, quæ non premunt contra Aerem *Elaſticum*, ſed ſtant immota, ut nec *Atmoſphæra* quidem fateor, ſi huic Aeri incumberet, quicquam illius *Elaſticitati* additura eſſet amplius, ſed remaneret etiamnum ut 10. Sed enimvero, etiamſi nihil addit *Elaſticitati* Aeris, cùm tamen preſſuram habeat propriam ac vim protruſivam, quas laquearium vitrúmque non habent, habitura eſt inſuper diſtinctam ſuam vim iſtis 10 gr. *Elaſticitatis* Aeris interjacentis ſuperadjectam, per quam efficaciter operabitur ad faciliùs attollendum ſuſpendendúmve Mercurium, conſequenterq; eum ſuſpendet ad majorem altitudinem, quàm Aer in Cubiculo Vitróve poteſt, modò exigua valvula commodè fiat, putà in vitro, quæ aerem emittat, prohibeat verò nè ullus ingrediatur. * Eſt quidem ſubtilitas hac in re, verùm nullus dubito quin veritas apparitura ſit apertè eruditi Autoris, iſtáque *prorſum Vrgentia* ſive motus progreſſivus Aeris *Elaſtici* aliquid computo ſit additurus.

Et præterea, quod Appendicis loco ſit huic argumento, Si portiones hujus Aeris Elaſtici, ſine reſpectu ad Atmoſphæram comparemus, minima illius portio eundem effectum habitura eſt quem maxima, Cylindrúſq; Aeris Elaſtici à laqueario cubiculi ad reſtagnantem Mercurium extenſus, nihilo majorem vim habebit ad ſuſtinendum Mercurium in Tubo quàm Cylindrus decimam duntaxat unciæ partem altus, quod rurſus indicio eſt, quòd nulla omnino ſit iſtiuſmodi Elaſticitas. Nemo enim unquam dixerit, quòd in onerando ſclopeto, vel minima pulveris pyrii portio quando accenditur, glandem plumbeam pari vi exploſura ſit, atq; debita ejuſdem pulveris portio, quanquam illius *Elaſticitas* ſive *Expanſivitas* celerior acriórq; eſt quàm hæc Aeris. Vel, ſi quadrans tantùm unciæ Aeris aut minus, condenſatus eſſet ad eum gradum, ad quem debita Aeris menſura in ſclopetis pneumaticis condenſari ſolet, quòd glandem evibraturus eſſet eâdem violentiâ quâ aliàs fieri aſſolet in id genus ſclopetis, & tamen utrorumque motus hìc fiunt per *Elaſticitatem* propriè ſic dictam. Quamobrem cùm ſint hujuſmodi diſcrimina, ubi realis eſt *Elaſticitas*, nullum verò in hac, quæ fingitur, Aeris *Elaſticitate*, indicio eſt merum eſſe figmentum, nullum autem verum Phænomenon in Natura.

Jam verò quantùm ad alterum Autoris argumentum, quod ex Antlia ſua hauſit, quódq; eſt hujuſmodi ; Si ulla talis eſſet Elaſticitas Aeris putà in Cubiculo clauſo Vitróve, quæ Cylindrum Mercurii ſuſtinere (addo & attollere, ſi Tubus meræ materiæ ſubtilis in eum queat immitti) ad 29 unciarum altitudinem valeat, qui tamen pro magnitudine illius diametri duas, quatuor, decémve libras poteſt pendere ; impoſſibile eſſet quin Elaterium Aeris in ſua Antlia (quippe quæ aperta eſt ad K & B, ut Aer ingredi poſſit ad B, & Aer vel Aqua egredi ad K) impulſurum ſit portionem Aquæ in fiſtulam diametri tantùm ſemiuncialis, adeò ut aſſurgere poſſit ſupra ſuperficiem Aquæ reſtagnantis in vitrea Ampulla ad unciæ putà ſemiunciæve altitudinem. Quod profectò nihil eſt ſi cum ſublatione vel ſuſtentatione ponderis decem librarum conferatur.

Quod adhuc clariùs evidentiúſq; intelligemus, ſi ſupponamus fiſtulam hujus Antliæ tantæ diametri ut 29 vel 30 unciæ Mercurii in ea libras decem eſſent penſuræ, Ampullam verò vitream diametri octodecies majoris quàm ſit illa fiſtulæ. Quæ reverà ratio eſt quam Ampulla hæc vitrea ad fiſtulam in Antlia gerit. Poſtremò ſupponamus Ampullam vitream tantâ Mercurii copiâ repletam ut Mercurius reſtagnans paulo ſupra medium vitri aſcendat ; fiſtulâ interim eo ad 29 vel 30 uncias plenâ ; ad iſtam ferè altitudinem ſubſiſtet quidem Mercurius, quamvìs decem libras pendeat. Quinimò appellare auſim Philoſophum quemvis conſideratum ſi Tubus vitreus quatuor pedum aut ampliùs meræ materiæ ſubtilis in hanc ampullam vitream Mercurii immitteretur ſufficienter eo repletam, ſi aliter præſagire poteſt, quàm quòd Mercurius aſcenſurus ſit ad 29 ferè vel 30 unciarum altitudinem. Quantùm verò ad ſuſtentationem, in confeſſo eſt apud omnes, quòd decem libræ Mercurii 29 uncias alti ſuſtinentur, quicquid ſit quod eas ſuſtineat. *Elaſtici* Philoſophi aiunt *Elaterium* eſſe aeris in Ampulla vitrea, quod tam fortiter in reſtagnantem Mercurium innititur, ut viginti novem unciæ Mercurii quæ decem libras pendent, in Mercurium reſtagnantem nequeant deſcendere. Eruditus verò Autor, & maxima quidem cum ratione, pernegat, affirmans, ſi tam forte eſſet *Elaterium* Aeris quàm ut ſurſum impellat ſuſtentétve decem libras Mercurii, quæ 29 uncias in fiſtula Tubóve faciunt, quòd proculdubio eadem *Elaſticitas* ſurſum impulſura eſſet & ſuſtentatura unam unciam aquæ in fiſtula vel Tubo, cùm multis centenis vicibus levior ſit quàm ſint iſtæ 29 unciæ Mercurii.

Sed enim Philoſophi *Elaſtici* ſcitum hìc ſibi quærunt perfugium, *viz*. Quòd ſit *Non-reſiſtentia* materiæ ſubtilis omni *Elaſticitate* deſtitutæ quæ cauſa ſit prævalentiæ *Elaterii* Aeris ad attollendum ſuſtentandúmve tam magnum pondus Mercurii ; cùm verò Aer ſit in fiſtula ejuſdem *Elaſticitatis* cum eo qui Ampullæ vitreæ ineſt, in altero iſtoc caſu, quod id ipſum ſit, quod omnem talem motum aquæ ſurſum ſufflaminat. Verùm enimvero hoc indulgere eſt argutis inventiunculis contra ſenſum palpabilem omnémq; ſolidam rationem. Ab hiſce *Elaſticis* Philoſophis jam conceſſum eſt in vitro Aeris eſſe *Elaterium* quod ſuſtentet ſaltem, ſi non attollat pondus decem librarum. Jam verò in aere Fiſtulæ ſi *Elaterium* non ſit tam forte, ut reſiſtat tali vi, ſed impendiò vietius, ſi ullum omnino, aquam aſcendere oportet aut ſtare ſaltem ad unius unciæ altitudinem, quorum tamen neutrum fit.

Atq; equidem quàm ſupra modum infirmum ſit *Elaterium* talis omninò Cylindri Aeris qualis eſt in Fiſtula, vel ipſis digitis experiri potes, ſi Tubum facias ejuſdem diametri cum fiſtula, embolúmq; ſimiliter ex aliquo ejuſdem ponderis ligno aut ſaltem non levioris quàm ſit Aqua, itáq; fiſtulæ adaptes ut labi poſſit ſurſum & deorſum, ſummâ, quæ fingi poteſt, facilitate. Quod quidem facere poteſt, & tamen Tubum ſatis arctè claudere, oleo modò ſit inunctus. Et certè facilis hæc atq; lubrica ejus ſurſum & deorſum perlapſio, argumento eſſe poſſit, quàm infirmum ſit in fiſtula aeris *Elaterium*, niſi quòd ſtatim reſponſuri ſint, quòd tam facilè Embolum ſurſum moveas, quia reſiliens *Elaterium* te adjuvat. At enimvero annon directum æquè impedit?

Pone igitur Embolum in aquam, cujus cum ſuperficie pars, putà, ſuperior Emboli in una linea jacebit, immitténſq; manum in aquam digito ſurſum move Embolum, quem experieris contra *Elaterium* aeris in Tubo, ſi quod ſit, moveri quàm facillimo negotio, perſentiſces vim ponderis quadrantis libræ ad ſummum, repellere Aerem cum ſuo Elaterio; Quomodo igitur vi reſiſtet, quæ ſurſum pulſura eſt aut ſuſtentatura pondus quadragies majus? Quamobrem manifeſtum eſt, ſuppoſito quòd *Elaſticitas* aeris tam fortis ſit ut pondus decem librarum aut attollat aut ſuſtentet, eam tam violentè Aquam in Ampulla vitrea clauſam, in Fiſtulam impulſuram eſſe, ut propter illius anguſtiam, (ſi cum iſta parte Ampullæ, quæ aquam continet, conferatur) ipſam cum impetu emiſſura ſit, ut Aer per naſum follis emittitur per eum qui follem manibus premit. Omnis Aer follis comprimitur ſimul, cúmq; motus illius qui in folle eſt multò ſit tardior iſto in naſo, exit rapidè & celeriter. Atq; ſic aquam per fiſtulam impelli oporteret vi velociſſimâ, propter illius anguſtiam, recentíq; aere ingrediente per orificium B, Aqua nunquam ceſſaret effluere per K, uſq; dum exhauſta eſſet ad E. Quod cùm fieri non videamus, ex eo intelligimus quòd nulla talis omninò ſit in Aere *Elaſticitas*, qualem *Elaſtici* noſtri Philoſophi ſupponunt.

Unius tantùm ampliùs Evaſionis vanitati occurremus, & tum demum concludemus. Reſilientis *Elaterii* Aeris prætextum ſuſtulimus, ponendo Tubum parvum Embolúmq; ligneum in Aquam. Heìc fortean dicturi ſunt, quòd *Elaterium* Aeris in Aquæ ſuperficiem, efficit ut Embolus tam facilè prematur contra *Elaterium* Aeris qui ipſi incumbit. Quî autem id fieri poteſt, quandoquidem Aqua nullum habet *Elaterium* ad manum meam attollendam, obnitendúmve contra fundum Emboli, Aquáq; tantùm ſuccedit preſſuræ digiti mei contra Embolum, non premit cum eo, ſi qua fides ſenſibus? Adeò ut ſolus ſit circulus talis vis quam digiti mei preſſura effecerit, & nihil amplius. Et præterea, ſi hoc tantæ ſit prævalentiæ, idem reperitur in eruditi Autoris Antlia, quippe Aer ingreditur per B, ad circulum preſſuræ ſuâ Elaſticitate faciendum uſque ad E & dein ad A, & poſtremò per K uſq; dum ad B iterum revertatur, & tamen nè una quidem Uncia Aquæ attollitur hâc Elaſticitate ſupra ſuperficiem I, quanquam hæc Elaſticitas ſupponitur ſuſtinere 29 uncias Mercurii quæ decem libras pendent.

Et ut hic error latiùs adhuc expandatur, nullúſq; locus reliquus ſit ſubterfugiis, à valvulis, aut exiguitate foraminum ad K & B petendis, convertamus vitream hanc Ampullam in amplum vas ac repandum, ut Aer ex voto quàm liberrimè accedat, Tubúmq; in ipſum immittamus cujus unciæ 29, decem libras Mercurii contineant, & in quo in Mercurium immerſo, tot Mercurii unciæ ſuſpenderentur. Pone jam in talem Embolum qualis ſuprà deſcriptus eſt, (cujus ſuperior baſis Aquam altitudine æquat) Tubum hunc vacuum, & tum manum in Aquam pone, propriíſq; tuis crede ſenſibus, quanta cum facilitate Embolus contra Elaterium Aeris in Tubo premi poſſit; quippe quod, quemadmodum ſuprà notavi, vim ponderis quadrantis libræ vix requirit. Potéſtne igitur *Elaterium* Aeris pondus quadragies eo majus ſuſtinere, retineréque Mercurium ad triginta ferè unciarum altitudinem in eodem Tubo, nec tamen aquam attollere in Tubum ad unius unciæ altitudinem, quæ plus quadringenties levior eſt quàm 30 unciæ Mercurii, quas ſupponitur ſuſtinere, cùm *Elaterium* Aeris in Tubo deprehenditur nè quadrageſimam quidem Reſiſtentiæ partem facere contra *Elaterium* Aeris in aquam reſtagnantem incumbentis, quod quadragies fortiùs premere ſupponitur? Quamobrem cùm *Elaterium* Aeris tam certò deprehenditur non efficere illud quod ipſi quadragies factu ſit facilius, impoſſibile planè eſt ut id faciat quod quadragies eſt difficilius. Eſtq; manifeſta demonſtratio, quòd nullum omnino ſit tale Aeris *Elaterium*.

CONCLUSIO.

JAm verò ut ſummam rei ſub oculos ſubjiciamus omniáque ad ſcopum applicemus deſtinatum, reputemúſq; præcipuos fructus laboris noſtri in faciendis Adnotamentis in haſce duas eruditi Autoris *Diſſertationes*; niſi calculos malè ſubduxi, exiſtimo quidem in *Adnotamentis* in primam *Diſſertationem* (ut taceam de multis in ſecundam) me clarè demonſtrâſſe imbecillitatem omnium hujus Autoris Inventorum (quanquam aliàs ingenioſorum) ſive *Mechanicorum*, ſive *Naturalium* (talium licèt quæ *Spiritum Naturæ* excluderent) quibus videri poſſit Demonſtrationis meæ ab aſcenſu Orbiculi lignei in Aquæ Situla, *Enchirid. Metaphyſ. cap.* 13. *ſect.* 4. vim atque robur ſubruere. Quæ igitur Demonſtratio inconcuſſa manet pro *Principio Hylarchico*, ſive *Hyloſtatico Spiritu Univerſi.*

Et quantùm ad alteram illam perinde nobilem Demonſtrationem ab *aſcenſu tam magni ponderis Antliæ pneumaticæ Embolo appenſi*, præcipua vis illius ſupplantatio cùm ſit aut ab *Elaſticorum* Philoſophorum *Elaterio*, aut ab hujus Autoris *Tenſione*, priorem quidem hic eruditus Autor tam abunde confutavit, & cum argumentis tam manifeſtis atque ſolidis, ut nemo quidem emunctæ naris homo ſit, qui cauſam iſtam planè in deſperato eſſe non facilè perſenſerit. Et nunc certè quantùm ad rationem alteram, * equidem credo me abunde † argumentorum attuliſſe, quibus eam incredibilem probarem vel potiùs impoſſibilem. Quamobrem commento *Elaſticitatis* Aeris & *Funiculi Lini* ſive *Tenſionis* in genere, ad hunc modum tam funditus everſo, manifeſtum eſt Demonſtrationem meam, *Enchirid. Metaphyſ. cap.* 12. *ſect.* 2, 3, 4, *&c.* à pondere Embolo Antliæ pneumaticæ appenſo, pro *Hylarchico Spiritu Univerſi*, vim ſuam atque robur in ſolidum adhuc retinere.

† *Vide Adnotam.* 1, 29, 32, 33.

Ac proinde, juxta computum magìs diſtinctum, fructus laboris in hiſce *Adnotamentis* faciendis hoſce eſſe reputo. Primò, Eruditum hunc Autorem ſpero jam liberatum eſſe ab iſta anxietate & ſolicitudine quam meâ gratiâ conceperat, eúmque jam demum ſatis pro perſuaſo habere, me tantæ levitatis ac temeritatis crimen non incurriſſe, ut gracilia & debilia argumenta eligerem, ad magnas & ponderoſas veritates ſuſtinendas. Summo enim cum judicio ab eo dictum eſt, idémque prorſus cum eo ſentio, *Quòd certiſſimæ omnium, maximiq; momenti veritates nunquam tantum detrimentum capiunt ab Argumentis Adverſariorum atque ſophiſmatis, quàm ab argumentis in ipſarum gratiam allatis, quæ Media habent impropria ad ſuffulciendas Concluſiones, aut quæ capacia ſunt aliarum ſolutionum*, qualium valde confido mea nunquam repertum iri capacia. Speróque eruditum Autorem ex hiſce noſtris *Adnotamentis* ſatìs jam tandem percepiſſe, confidentiam hanc noſtram non malè eſſe fundatam.

Secundò, Non parum laudis huic Autori hinc redundat ob induſtriam ſuam & dexteritatem ſagacitatémq; eximiam in faciendis promovendíſque Experimentis *Hydroſtaticis*, quæ tam utili veritati adeò præſtabiles ſuppetias ferunt. Etenim admodum ſtrenuè & opportunè mihi opitulatus eſt, in eo pleniùs refellendo, quod mihi ſemper incredibile Paradoxon apparebat; prodigioſam intelligo Aeris preſſuram *Elaſticam*: atq; modeſtiæ propterea hujus Scriptoris imputo, quòd ſecundam ſuam *Diſſertationem*, *Difficilium Nugarum* nomine inſcripſerit. Etenim tametſi *difficultas* aliqua & curioſitas in faciendis examinandíſq; iſtiuſmodi *Hydroſtaticis* Experimentis eſſe poteſt, nulla tamen omnino eſt, mihi crede, *Nugacitas*, niſi apud eos, qui experimentorum ipſorum gratiâ experimenta faciunt, vel ad fallendum tempus, aut ut inſignes *Phyſici*, vel potiùs *Mechanici* Philoſophi exiſtimari poſſint, ídque cum ſpe oſtendendi quòd omnia Naturæ Phænomena fieri queant, ſine præſenti Aſſiſtentia aut moderatione ullius *Principii Immaterialis*. Sed enimvero, examinare & perpendere hæc Experimenta, tanta cum cura & diſpicientia, tantóque judicii acumine ac penetrabilitate ut planè deprehendas *Motorem* aliquem *immaterialem* neceſſariò ſubeſſe oportere, in hoc certè nulla omnino eſt *Nugacitas*, ſed ſolida ac ſeria philoſophandi methodus.

Tertio itaque, Hic non exiguus duarum *Diſſertationum* hujus Autoris meíq; adeò laboris in *Adnotamentis* in ipſas faciendis fructus eſt, quòd hinc planiùs evidentiúſq; appareat, Nihil reverà ullius roboris contra Demonſtrationes meas pro *Spiritu Naturæ*, afferri poſſe, quo minùs talis *Spiritus* in rerum Natura neceſſariò exiſtat.

Quartò, Ac proinde cùm tam manifeſtum ſit inferiorem hanc Eſſentiam *Immaterialem* exiſtere quæ *Vitâ* tantùm *Plaſticâ* prædita ſit, ſenſúve aliquo obſcuriori, quæque generalia *Legum Univerſi* lineamenta in ſe habeat, ſed *ratione* & *conſilio*, pro re nata, agere prorſus neſciat; Conſtat pariter nobiliorem quandam ac planè *Divinam* in Univerſo exiſtere Eſſentiam, quæ inferiori huic *immateriali* Eſſentiæ exiſtentiam ſuam impertiverit, aſſignaveritq; ipſi in *menſura*, ſive *limitaverit* generales iſtas leges *vitalis Activitatis*, quas in Naturæ Phænomenis deprehendimus. Ut omittam, quòd certitudo hæc de exiſtentia *Spiritûs Naturæ* uſitatiſſimum fortiſſimúmque Atheorum propugnaculum funditus ſubvertat, confidentiam utiq; ipſorum, quòd nullus omnino ſit *Spiritus Eſſentiá*ve *immaterialis* in rerum Univerſitate. Unde mirâ ſecuritate ſeipſum amplexatur ſibíque applaudit Atheus in fatua iſta fœdáque concluſione indè deducta, Quòd non ſit Deus.

Quintò, Cùm multi ſint, qui omni ſpe exciderunt concipiendi intelligendíve naturam *proprii Spiritûs* ſive *Animæ*, propter ſophiſma iſtud quo illaqueati ſunt, nempe ſi *Spiritus* ſit ſive ſubſtantia *immaterialis* quòd pertranſitura eſſet per corpus, nequiret verò ipſum prendere uniríve cum ipſo, quò ipſum movere valeat; detectio quidem hæc *Spiritûs Naturæ*, qui univerſam Mundi materiam movet pariter atque penetrat, æquè ſolidè ac palpabiliter ſophiſma hoc refellet, atque is olim iſtud contra motum, refutavit, ambulando nempe in conſpectu Sophiſtæ qui nullum eſſe in Univerſo demonſtrandum ſuſceperat.

Sextò, Cùm hic Spiritus Naturæ omnem tenuem fluidámque perinde ac ſolidam Mundi Materiam moveat, faciliùs indè intelligimus, quàm conſentaneum ſit, ut particulares Spiritus, Angeli putà vel Dæmones, facultatem habere poſſint tenuia ſua movendi vehicula, Animæque humanæ movendi animales ſpiritus in corpore.

Septimò denique, Cùm alii pro craſſitie ingenii ſui atque cogitationum ſe ullam omnino habere Animam perſuaderi non poſſint, ſed pro conceſſo habent ſe habere nullam, quàm aculeatum ac ſtimulatorium eſſe oportet hoc argumentum, ad excitandum ipſos ex ſtupido hoc inſomnio, dum conſiderant quòd nè lapis quidem terram versùs deſcendit niſi virtute cujuſdam Spiritûs qui eum movet deorſum, nec ligneus Orbiculus in Aquæ ſitula aſcendit, niſi ab eadem cauſa? Quì igitur fieri poteſt cùm nos magìs *liberorum* ac ſpontaneorum *motuum* nobis conſcii ſimus, *motuum*, attractionibus luctíſque *Spiritûs Naturæ* contrariantium, *motuum* cœleſtium ac Divinorum, ut hi per meram Materiam corpúſve fieri poſſint, & non potiùs per Spiritum particularem à corpore realiter diſtinctum? Quamobrem cùm ea ſit inexpugnabilis evidentia pro Exiſtentia *Spiritûs Naturæ*, egregiáque Notitiæ illius Utilitas, equidem pro antiqua hac *Platonica* vel potiùs *Pythagorica* Opinione, cum *Lucretiana* iſta Confidentiæ vena, concludam.

Ergo etiam atque etiam eſt in Mundo SPIRITUS *ille*
NATURÆ, *qui materiam regit atque gubernat.*

SCHOLIA

In Adnotamentum I.

TAliáque quæ nullo, in Natura, Experimento Rationéve probari poſſint, &c. *Temeréne hæc à me dicta ſint an ſecùs optimè intellecturus eſt Lector ex eis quæ in* Examinatione *occurrunt, ad quam igitur ipſum remitto.*

Nimis propè accedit ad eam dilatationem & contractionem quæ ad Spiritûs, &c. *Equidem propriam Spiritûs naturam imitatur non ſolùm in eo quòd Materia heîc ſeipſam* penetret *in contrahendo & dilatando ſeipſam, ſed quòd ſeipſam itidem ſic faciendo* moveat, *ac ſi* αὐτοκινησία *ſive* αὐτοζωία *quâdam eſſet prædita. Quod certè eſſet diſtinctas rerum naturas ſpeciéſve confundere, cùm proculdubio nulla ſit* αὐτοζωία *ſive* αὐτοκινησία *niſi in* Natura Spirituali, *materia verò principium ſit omninò* paſſivum, *aſſerente* Ariſtotele. *Et quàm nullo fundamento innitantur* Eſſentiæ *illæ* Mediæ, *in ſuprà præfixa* Examinatione *abunde oſtendimus.*

Æquè cautum fore nè nimis firmiter uni adhæreſcat, &c. *Ut ſunt certè quibus hæc opinio mirum in modum placet, adeò ut experimentis quibuſdam ſe eam demonſtrare poſſe confidant,* & Carteſianam, *quæ tam tenues ac ſubtiles Materiæ particulas ſupponit, penitus ſubvertere. Quomodo hoc conatus ſit eruditus Autor, in* Examinatione *vidimus. Quæ verò heic propono, ab alio ſunt nec contemnendi acuminis Philoſopho. Ait autem experientiâ conſtare, Primò quòd varia Salis genera ſimiliúmve corporum in vas aquæ plenum immiſſa aquam non extrudant, faciántve ut effluat.*

Deinde, Quòd Aer compreſſus plus pendet quàm ante compreſſionem, unde plus materiæ in ſpacio iſto magìs anguſto continèri palàm eſſe.

Tertiò, Si in Tubo aureo admodum craſſo & ligno in una extremitate firmiter obturato, Aer comprimeretur, ſentiretur iſtius materiæ ſubtilis, ſi qua aeri ineſſet, effluxus per ligni poros: quod cùm non ſit, indicio eſſe, nullam talem eſſe materiam ſubtilem in Aere, ſed alias Aeris partes ab aliis, in hujuſmodi compreſſionibus, penetrari.

Quartò, Nullam eſſe poſſe copiam materiæ ſubtilis, ſi ulla omnino ſit, in aere, cùm ea ſit Materiæ diſpoſitio à Natura, ut quò quicquid tenuius ſit, eò altiùs e volet.

Quintò, Manifeſtum eſſe ex difficili apertura Follis ſatis affabrè facti & in naſo ſuo firmiter arctéq; obturati, nullam ferè eſſe in Aere materiam ſubtilem, quippe quæ cùm tam ſubtilis ſit ut ferrum aurúmque penetret, facilè per corium lignúmque (quanquam utrinque integrum) follis penetraret, nec tantâ vi opus eſſet ad aperienda ſive diducenda Follis latera, quantam reverà experimur. Præterea in duobus follibus, quorum alter diſtentis lateribus congium unum, compreſſis congii partem octavam, alter lateribus diductis congios viginti, adductis duos contineat, ſi naſos roſtráve firmiter obturaveris, adductis priùs lateribus & compreſſis, multò majori vi opus erit ad latera minoris ità diducenda ut cavitas congium unum contineat, quàm ad ſic diducenda latera majoris ut quatuor contineat congios, cùm tamen duplo major copia materiæ ſubtilis ex aere emittenda ſit hîc quàm illîc. Quod proinde indicium eſt nullam emitti, ſed ipſum Aerem in follibus extendi, cúmq; ità quidem in minori folle ut ſpacium octuplo majus occupet quàm antea, in majori verò non niſi duplo. Atq; hinc rationem genuinam innoteſcere, cur multò majori vi opus ſit ad ſic extendenda latera minoris follis ut unum congium capiat, quàm majoris ut quatuor. Tenſio enim Aeris octuplo major eſt in minori, in majori autem major tantùm duplo. Unde manifeſtum eſt, non per ingreſſum & egreſſum Materiæ ſubtilis, ſed per ipſius Aeris Tenſionem & Reſtitutionem hæc Phænomena fieri.

Denique, Cùm ſubtilis hæc Materia inventa ſit ad evitandam penetrationem dimenſionum in Condenſatione corporum, ut Aeris præſertim; Tantam eſſe poſſe compreſſionem Aeris, ut in minus ſpacium contrahatur quàm ipſe ante expreſſam Materiam ſubtilem occupabat, ut v. g. Si in cubo Aeris ſpacium quod ſubtilis Materia occupat, ad ſpacium ab Aereis particulis occupatum, ſe haberet ut 3 ad 2. tanta fieri poteſt Aeris compreſſio ut compingatur in quintam partem ſpacii ab utriſq; occupati, hoc eſt, in duplo minus ſpacium quàm Aer ante compreſſionem occupabat. Ubi neceſſe eſt fieri penetrationem dimenſionum.

Sed breviter reſpondeo, Ad primum quidem, Neminem hominem probare poſſe ex aqua non exire multas particulas tum aqueas tenuiores, tum alias, immiſſis in eam aliis corporibus, adeò ut nihil hîc neceſſe ſit fieri penetrationem dimenſionum.

Ad ſecundum, Aerem compreſſum plus pendere, non quòd plus ſubſtantiæ nactus ſit in minori ſpacio, ſed plus ſoliditatis; minúſq; pororum & agitationis in ſuis partibus. Qua de re plura vide in Examinatione.

Ad tertium, Quòd experimentum Tubi aurei hîc nihil valet. Nam quamvìs effluxuræ eſſent particulæ ſubtiles per lignum, minimè ſequitur eas ſenſu perceptum iri, cùm iſta ſenſûs perceptio non fiat, nè illîc quidem, ubi certiſſimum eſt eas effluere, ut per magnetis polos, quarum tamen effecta ac veſtigia cernuntur (ut hiſce meis oculis vidi cùm Lutetiæ eram Pariſiorum) in talibus tractibus ramentorum ferreorum chartæ inſperſorum quales deſcribuntur apud Carteſium, quemadmodum ſuprà monui in Examinatione.

Ad quartum, Quòd impoſſibile ſit ut omnes particulæ Aere ſubtiliores Aerem hunc noſtrum inferiorem ſublime petendo, deſtituant, cùm ipſæ Aeris particulæ variâ ramoſitate & angularitate ſint irregulares, nec inter ſe gravitent aut comprimantur, ac proinde innumera habent Interſtitia, quæ vacua planè forent, niſi ſubtiliores eſſent particulæ quæ ipſa implerent. Quæ hæc ipſa materia ſubtilis eſt.

Ad quintum, quod omnium profectò ingenioſiſſimum eſt, reſpondeo, Illud quidem aliquam vim habere poſſe, ſi omnia rationibus merè Mechanicis peragerentur. Aſſero igitur conſiſtentiam Aeris ejúſq; firmitudinem non ex ſola proportione particularum Aeris ad materiam ſubtilem, ſed ex vi pariter Spiritûs Naturæ oriri; id quod in ipſa præfatione horum Adnotamentorum apertè indicavi. Fitque præcipuè propter obſiſtentiam hujus Spiritûs ſive Principii Hylarchici quòd tanta difficultas *ſit in diducendo Follis latera, roſtro firmiter obturato: Quia Spiritus iſte ab iſtiuſmodi chaſmate* heterogeneo, *in medio Aeris, tantopere abhorret. Quod etiam in cauſa eſt cur duo marmora tam tenaciter cohæreant, ut inferius octoginta libras ſuſtineat, nempe nè fiat tale, quantumvis minimum, chaſma adeò* heterogeneum *in Natura. Quæ quidem Obſervatio demonſtrationem iſtam à majori minoriq; folle deductum, planè enervat. Quanquam enim in majorem follem major materiæ ſubtilis copia ingrediatur,* Heterogeneitas *tamen iſta, à qua tantopere abhorret Natura, non ſe habet niſi ut* 2. *ad* 1. *in minori verò folle ut* 8 *ad* 1. *Hinc igitur iſta eſt diducendi latera follis minoris, difficultas, non quòd Aer internus octies* tenſior *ſit quàm ferat illius natura, ſed quòd* conſiſtentia *hujus mixtæ Materiæ internæ octies* tenuior *ſit quàm admittant leges* Spiritûs Naturæ *qui æquabilem Aeris conſiſtentiam in medio Aere affectat, vitæq; Animalium utilem & accommodam.*

Ad ſextum denique, Agnoſco Methodum confutandi hanc Hypotheſin de Materia ſubtili perbellam eſſe, ſi de ratione illius ad particulas Aereas ſatis conſtaret, quam tametſi, quanta ſit, certò ſtatuere nequeam, non dubito tamen quin multo major ſit quàm 3 *ad* 2, *immò quàm* 20 *ad* 2, *vel* 40 *ad* 2. *& ampliùs; nec tantam fieri poſſe Aeris compreſſionem contendo, quin cum ratione ſtatuere poſſimus, totum relictum ſpacium aut non excedere illud quod à materia ſubtili ante compreſſionem occupabatur, aut ſi majus ſit, aliquas ramoſitates Aerearum particularum nimiâ compreſſionis violentiâ, in materiam ſubtilem comminutas fuiſſe, & cum eadem evolâſſe. An verò in hujuſmodi caſu, remoto repagulo, æquè fortiter erupturus ſit Aer atque in compreſſione minùs violenta, cùm ramoſitates aereæ non confringantur, ſola certò ſtatuet experientia. Argumenta in utramq; partem afferri poſſunt, quibus haud operæ pretium duxi heîc inſiſtere.*

In Adnotamentum II.

Cùm nulla pars inferior ſuperiorem partem ab hoc conatu poſſit impedire, *&c. Heîc urget eruditus Autor in ſuo Reponſo, Actualem* Gravitationem *aliarum partium in alias, ſuâ continuitate ſuſpendi, quippe quum partes inferiores recipiant & ſuſtineant & ità de facto ſuſpendant actualem* Gravitationem *ſuperiorum partium in inferiores.* Equidem *ſi pars media, putà B, ità reciperet gravitationem partis A ut ſuſtineret, impediret proculdubio nè pergat ad C. Ut ſi B per duos annulos* d. e. *funiculo ſuſpenderetur, tum certè ità gravitationem partis A reciperet, ut ſuſtineret, impediretque nè deſcendat iſta gravitatio ad C. Sed niſi ſic ſuſpendatur B, & ſuâ gravitatione & gravitatione partis A, neceſſariò gravitabit in C, ſi ſit intrinſeca gravitas ſingulis* partibus. *Quemadmodum manifeſtum erit cuilibet rem paulò attentiùs contemplanti.*

Tom. 1. p. 407.



In Adnotamentum V.

Solâ propinquiori partium ad ſe invicem contruſione ſine ulla reali qualitate addita, motum deorſum acquiſivit. *Si quid ſit quod nullum deprehenditur habere pondus, quantacunq; illius addatur copia, & tamen portio aliqua compreſſa pondus ſive gravitationem nanciſcitur, haud obſcuro certè indicio eſt,* Gravitatem *non eſſe* realem *aliquam* qualitatem Ariſtotelicam, *ſed tantùm diſpoſitionem partium Materiæ compreſſiorem. Neq; ſic argumentamur, quemadmodum ad ingenioſè eludendam vim argumenti ſupponit eruditus Autor, ac ſi è non gravitatione plumæ ſingularis nullam plumis intrinſecam gravitatem ineſſe concludere velimus. Quandoquidem multis plumis ſimul additis gravitatio evadet ſenſibilis, contrà ac fit in Aere ubi majori quantitati nullum accedit pondus. Quod in plumis ſi fieret, & ſingularis tamen pluma compreſſior facta gravitationem nanciſceretur, eòdem hoc experimentum tenderet quò illud Aeris.*

In Adnotamentum VII.

Quòd futuræ ſint 9 unciæ in crure longiori & ſeptem tantùm in breviori, *&c. Quod ſatisfacere poteſt eruditi Autoris lepidæ ac jocoſæ provocationi ad Arithmeticam; An non plus ſit duas Mercurii uncias depellere quàm unam? Aqua verò in longiori crure duas ſaltem uncias depulit, Aqua verò ſoluta ſive reſtagnans tantummodo unam. Ad quod hîc reſpondeo, Quanquam Aqua reſtagnans in crure minori Mercurium ad unam tantùm unciam depellit, ad duas tamen attollit in longiori crure, quod tantundem eſt. Nec niſi ad unam unciam aqua in crure longiori incluſa Mercurium depulſura fuiſſet, ſi duæ unciæ è minori non effluxiſſent. Verùm, ſi crus minus novem uncias altum fuiſſet,* *Mercurius ad novem uncias aſcenſurus fuiſſet in iſto crure, ſeptem manentibus in longiori; ut in aqua reſtagnante novem unciæ Mercurii inveniuntur in longiori crure, ſeptem in breviori.*

In Adnotamentum VIII.

Et tamen Orbiculus non aſcendit in Vaſe, *&c. Ut ut enim Orbiculus propter deſcenſum Aquæ tam commodè aſcendere nequeat, ſiqua tamen talis eſſet* Architectura *qualis ab erudito Autore fingitur, licèt non aſcendat Orbiculus, vi tamen ſubruentis Aquæ ad elevandum iſtum* Pileum *ſive* Conum, *fieret certè aliquis Aquæ ſubinde interlapſus frequénſq; ſtillicidium. Idem utique tentaretur & cum aliquo effectu, quod plenum ſortitur effectum in Fundo imperforato.*

Nec Aqua interim elabitur. *Ità certè* Stevinus *ſupponit, & eruditus Autor agnoſcit eum id ſupponere in Reſponſo ad Adnotamenta* 14, 19, & 20. Diſſertationis *antecedentis. Et quanquam nec eruditus Autor, nec ipſe in Experimentum incidi, ubi Orbiculus ligneus perforato fundo Situlæ ſic adaptatus ſit, ut nihil omnino aquæ interfluat, non dubito tamen, ſi opificis manus eò pervenire poſſit, (ſine ope ullius olei aut unguenti, per quod nec Aer ipſe poſſit pertranſire) ut Orbiculi lignei & Fundi perforati commiſſura nihil aquæ tranſmitteret, quin columna tamen Aquæ Orbiculo incumbens gravitaret, perinde ac ſi actu Aqua ſe in commiſſuram inſinuaret. Quod ità fore credo propter irritationem in* Spiritu Naturæ *partiúmque conſenſum.*

In Adnotamentum IX.

Quippe habens mediatè levius elementum, nempe Aerem in quem gravitet, *&c. Cylindrus ſive Columna Aquæ in Orbiculum incumbens aerem ſub ſe habet mediatè etiam in fundo Situlæ imperforato. Tunc verò non gravitat. Et certè quanquam interjacet & fundum & orbiculus in hoc caſu, orbiculus tamen & fundum tam mediocris craſſitiei fieri poſſunt, ut Orbiculum ſolum, ſimul juncta, craſſitie non ſuperent, & aſcendet nihilominus Orbiculus, nec Aquæ Cylindrus in eum gravitabit, quanquam gravitàbit in Orbiculum in Situla perforata, priori Orbiculo fundóque ſimul-ſumptis craſſiorem. Quod indicio eſt rem non* Mechanicè, *ſed ſubtili quodam ſenſu quaſi, vitalive proritatione hîc peragi.*

Secundúmque fiat fundum quo prohibeatur, *&c. Vide igitur* Adnotamentum 20. *in priorem* Diſſertationem, *cujus in* Scholiis *uſus* Hydriarum Hydroſtaticarum Helmontianarum *exemplis illuſtratur.*

Non ſimpliciter ex eo factum eſſe quòd Aer infrà eſſet, *&c. Hoc ſanè apertè conſtare poteſt ex experimentis ritè factis. Id quod ipſe aliquo modo expertus ſum in dictis* Hydriis Hydroſtaticis, *in exteriori nempe cum fundo ſecundo & primo perforato. Epiſtomio enim aperto Orbiculus neutiquam aſcendit, clauſo verò, quo interni Aeris cum externo intercipitur communicatio, ſtatim quaſi cernitur aſſurgere. Quod quanquam aliqua ex parte imputari poſſit minùs perfectæ commiſſuræ fundi perforati cum Orbiculo, quæ paululum aliquid aquæ ſinit interfluere; non dubito tamen, ſi abſque oleo aut unguento ullo, commiſſura ità perfecta fieri poſſet, ut aperto Epiſtomio nihil aquæ unquam interflueret, quin clauſo nihilominus, pauxillo tempore aliquid interlapſurum eſſet, orbiculúſque aſſurrecturus, præſertim ſi ſatìs anguſta fiat N O, pars infima Hydriæ exterioris. Quod ſatìs oſtenderet, quantum interſit inter liberum Aerem majorémve illius copiam, & Aerem clauſum magiſque parcâ menſurâ circumſcriptum.*

In ſufficiente quantitate ad colluctandum cum Aqua, *&c. Quod experiri licet in experimentis huic de* Hydria Hydroſtatica *modò memorata,* antiſtrophis. *Ut in Tubo cum valvula & Obturaculo. Tubo cum Obturaculo ad talem profunditatem Aquæ immerſo, Obturaculum valvulâ non excidet, modò Aer in Tubo cum libero Aere communicet. Immò verò quamvìs iſta communicatio inhibeatur, ſuperiori extremitate Tubi obſtructâ, ſi Tubus ſatìs longus ſit ad eandémque profunditatem eum immergas, necdum excidet Obturaculum. At verò ſi immiſſo embolo in Tubum, cavitas Tubi quæ Aerem contineat multò fiat brevior, tum demum ad eandem profunditatem Tubo immerſo, excidet obturaculum; præſertim ſi experimentum fiat majori aliquo pondere Obturaculo annexo. Qua de re alibi dabitur dicendi occaſio. Obiter tantùm noto, id* Obturaculum *eſſe ad* Tubum *quod* Orbiculus *ad* Hydriam Hydroſtaticam exteriorem; *& ut clauſo* Epiſtomio *in Hydria*, Orbiculus aſcendit, *ità Tubo per* Embolum *breviori facto deſcendit ſive* excidit Obturaculum. *Atque*

que ob hanc cauſam experimenta à me dicta ſunt antiſtropha, *cùm ex adverſo ſibi ſic mutuò reſpondeant.*

Quippe quòd Principium Hylarchicum ex iſtiuſmodi occaſiunculis, *&c. Vera Ratio, ait eruditus Autor in Reſponſo ad* Adnotamentum 8, *&* 9. *cur Orbiculus ligneus aſcendat, (eadémq; ratio eſt de illius hæſione) nec ab* Hylarchico Principio *eſt, nec à* Spiritu Naturæ; *ſed à notis* Regulis Hydroſtaticis, *ſecundùm quas corpus fluidum, levius corpus ad ſuperficiem neceſſariò repellit. Hinc Aqua ſe inſinuans ſubter Orbiculum ligneum, in ſummitatem rejicit, quippe ut in bilance, majus pondus minus attollit. Quod ſatìs ingenioſum Reſponſum eſt, fateor. Ego tamen hoc contendo, nec ipſas* leges Hydroſtaticas *ſine* Spiritu Naturæ *conſiſtere poſſe. Nam quomodo, obſecro, fieri poteſt iſta libratio in ſuprà memoratis Hydriis ſine hujuſmodi Principio, ubi unius putà unciæ pondus triginta unciarum pondus attollat? Heîc* Hydroſtatici *contenti ſunt ſuum tantummodo proferre Axioma:* Fluida *ſcilicet* gravitare non ſecundùm Amplitudinem ſed ſecundùm Altitudinem. *Atque hæc quidem pro fictitia quadam Hypotheſi adhiberi poteſt, juxta quam iſti argutari inter ſe queant cauſáſq; Phænomenôn utcunque explicare. Cùm tamen reverà non fiat, ut Orbiculus ſurgat ob vim unius putà unciæ Aquæ gravitantis in triginta uncias & ejuſdem ferè altitudinis, ſed quòd non omninò gravitent partes inter ſe, ſic nempe à* Spiritu Naturæ *moderatæ, per quas igitur idem* Spiritus *ligneum Orbiculum facili negotio in ſummitatem Aquæ tranſmittit. Hoc manifeſtiſſimum eſt ex* Scholiis *in* Adnotamentum *viceſimum præcedentis* Diſſertationis.

In Adnotamentum X.

Cum orificio deorſum inverſo, *&c. Sic enim Aqua ageret ſurſum ut ſuber in Ampullam impelleret, cùm tamen aliàs non agat ſurſum in Aerem eodem in vaſe incluſum, quemadmodum in ipſo* Adnotamento *monui.*

Nam partes Aquæ in mari non premunt aliæ alias, *&c. Quomodo igitur premere poſſunt ampullam, cùm aliæ alias non premant, niſi* Spiritus Naturæ, *etiam dum ſe aliæ alias non premunt, conjunctim tamen eas premeret adversùs orificium laterávè ampullæ? Eſt par ratio in foſſa vacua fluvio vicina, cùm Aer in foſſa ſit, cui aqua ſaltem ineſſe debet; quanquam partes fluvii non gravitent inter ſe, gravitabunt tamen contra aggerem, propter Aerem inibi perperàm collocatum, eúmque, niſi ſatìs firmus ſit, diruent.*

Aer ponè Mercurium ſit in longiori crure Siphonis & ponè Aquam in Tubo. *Utrumque experimentum fieri poteſt in Siphone, cujus crus brevius octo putà unciarum ſit, longius ampliùs quàm triginta. Siphóque nunc Mercurio ſex uncias repleatur alto, in utroque crure, nunc Aquâ, ad totidem utrobique uncias aſſurgente. Sipho autem cum* Mercurio *immergatur in* Aquam, *cum* Aqua *in Oleum, aſſurget tum Mercurius tum Aqua in longiori crure ad iſtas immerſiones, quanquam Aqua Mercurio, Oleúmque Aquâ ſit levius.*

In Adnotamentum XII.

Quædam quaſi ſurſum ſuctio aeris, *&c. Nempe quia Aer illîc extra ſuum locum eſt. Ad quod reſpondet eruditus Autor, & certè non inſcitè, primâ ſaltem ſpecie; Se nempe non intelligere quomodo Aer Tubum infra ſuperficiem Aquæ replens, magìs extra ſuum locum ſit, quàm ſi vaſe Aquæ in Turre vel Pyramide collocato, Aer undique à fundo vaſis ad 40 ulnas forſan extenſus deorſum, extra ſuum locum ſit propter vas Aquæ ſupra ſe ſitum. Verùm cùm palàm ſit vas Aquæ & ſuprà & infrà & circumcircà, regione Aeris cingi; totum vas Aquæ extra ſuum locum eſſe pariter manifeſtum eſt, non autem Aerem, ac propterea tanquam extra ſuum locum collocatum vel ſuſpenſum, actualem habet gravitationem ſive propenſionem deorſum. Quod certè, inter alia, argumentum eſſe poteſt, quòd Aer extra ſuum locum, hoc eſt, infra Aquam in Tubo poſitus, niſum etiam habet ſurſum, quem ego illius* Abiturientiam *voco, quæ tum ſaltem fit, cùm ſpes quaſi aliqua illucet Aquam aſcenſuram eſſe, ad reſuctionem Aeris ſurſum propter meatum in Tubo. Quæ tamen ſpes fallitur firmiùs per hunc aſcensûs conatum impulſo valvulæ obturaculo.*

Per digitum Embolúmve mobilem, *&c. Digiti hîc mentionem facio, quoniam ſæpe expertus ſum in Tubo gracili brevique cum valvula & obturaculo ſatìs laxo, poſt immiſſum Tubum ad eam Aquæ profunditatem, ut obturaculum inhæreat valvulæ, admoto digito ſuperiori Tubi extremitati, obturaculum ſtatim excidiſſe. Quod in* *majoribus longioribúſq; Tubis non accidere obſervavi, ac proinde Embolo mobili opus fore animadverti, qualis in Scholiorum fine deſcriptus eſt. Qui ad varias diſtantias in Tubo ſiſti poteſt, quo quis quantum copia aeris in Tubo valeat, facilè queat deprehendere.*

In Adnotamentum XIII.

Ex eo fieri autumat quòd Tubus aquæ portionem, majoris, quàm ipſum ſit, ponderis, ſurſum premit, *&c. Hanc rem porrò ſic illuſtrat in Reſponſo ſuo eruditus Autor. Nempe, quemadmodum in Arundine, cujus altitudo ſit duorum pedum, diameter duarum unciarum, una autem extremitatum Plumbo ad unam unciam repleta, tota verò Arundo cum Plumbo eâ ratione levior Aquâ ut Cylindrus Aquæ ejuſdem diametri & duodecim uncias altus æqualis foret ponderis, hoc æquilibrium in cauſa eſt, quòd Arundo infra duodecim uncias in aqua non ſubſidit, ſed in eodem Plano ſuum habet baſin quo Cylindrus aquæ ejuſdem diametri ſuam habere intelligitur; ità eadem planè cauſa eſt, inquit ille, quòd obturaculum ſuſtentatur in tali plano ubi Tubus cum obturaculo æquilibres ſint Aquæ Cylindro æqualis diametri cum Tubo. Obturaculum enim & Tubum adinſtar unius Cannæ ſeu Arundinis eſſe cum infixo plumbo. Sed enimverò, quanquam lubens agnoſco & Cannam & Tubum cum obturaculo tali plano inſidere poſſe propter æquilibrium cum Aqua, nego tamen Æquilibrium hoc, Obturaculum in valva ſuſtinere. Æquilibrium enim deſinit in ipſum Planum, ut in Bilance ubi æqualia lancibus imponuntur pondera. Preſſio ultra Planum non pergit in quo conſtituuntur lances, quippe repreſſa ſive ſuſpenſa æqualitate ponderum, quæ gravitationem in ſubjectum Aerem mutuò ſibi tollunt. Idémq; hîc fit in ſubjectam Aquam, quanquam haud iſtoc modo* Mechanico *quo in Bilance, ſed perinde ſe heîc habet Tubus in Aqua ac partes Aquæ inter ſe, quæ non gravitant aliæ in alias, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt per experimentum Hydriarum. Unde manifeſtum eſt in hoc æquilibrio Obturaculum Valvæ nullâ Staticâ Preſſione Mechanicâ ſubjectæ Aquæ ſuſtentari, ſed ab Aere in Tubo, in heterogeneum Elementum ulteriùs deſcendere nolente, ſuſpendi. Recedere enim Obturaculum non poteſt, niſi ulteriùs deſcendat Aer. Atq; hoc haud obſcurum mihi videtur argumentum initium motûs fieri in Aere Tubi qui reſorbetur à* Spiritu Naturæ, *& circulum ad baſin Obturaculi illinc continuari; aut aquam ſubjectam conſenſu in Obturaculum ſimul impelli. Non autem* Mechanicè *quaſi omnes partes ſubjectæ aquæ premerent aliæ alias, ſed* Vitaliter, *& ope, quod dixi,* Spiritûs Naturæ. *Alioqui tenue Obturaculum Obturaculo valvæ ſubditum pariter adhæreſceret, cùm tamen ſponte cadit ad eam profunditatem, ubi internum obturaculum non ſolùm hæret, ſed pondus quadragecuplo fortè gravius externo obturaculo, ſuſtentat.*

Tamen ſi Tubus per digitum obturetur, vel potiùs per mobilem Embolum ad proximitatem valvulæ debitam, *&c. Equidem hæc expertus ſum plus ſemel in parvo Tubo & Obturaculo ſatis ſoluto, quemadmodum ſuprà monui. Quod autem ad Experimentum eruditi Autoris attinet qui profitetur ſe Tubum ſtanneum diametri unius unciæ & quadrantis, ſubere & cæmento quodam ſatis idoneo ad unius ferè unciæ ab exemptili obturaculo diſtantiam accuratè obturâſſe, & tamen ad octodecim uncias in aquam immerſo Tubo obturaculum non decidiſſe, immò verò nec ad ſex aut quinq; uncias Tubo retracto, ſolidè quidem hoc urgetur in hunc locum* Adnotamenti. *Hoc tamen fortunas ſtatúmq;* Spiritûs Naturæ *minimè quaſſat. Immò* illius *operatio, ut in premendis impellendiſque ampullarum obturaculis aere repletarum, & injectarum in mare, etiam heîc cernitur. Quodſi eruditus Autor ſeriò conſideraverit aut Embolo ad ipſum Obturaculum admoto, aut Cylindro ligneo cum obturaculo & valvula in Aquam ad octodecim uncias immiſſo, obturaculum ſtatim delapſurum eſſe, non preſſuræ Aquæ pro mole cylindri lignei elevatæ, ſed reſuctioni Aeris, in Tubo quidem vitreo perforato, inhæſionem obturaculi imputabit. Caſurum verò in iſtiuſmodi cylindro ligneo, ex repetitis experimentis certò ſcio. Et quicquid ad hanc rem pertineat cùm in Reſponſione ad Objectiones* Sturmianas *ſatis luculentè expoſuerim, aliáq; nonnulla ad finem horum Scholiorum additurus ſim, quicquam ampliùs hîc adjicere ſuperſedebo.*

In Adnotamentum XVI.

Quòd regulariter omnia naturalia Effecta corporea fiunt, per contactum alicujus activi corporis, *&c. Hanc ſuam Regulam intelligi vult eruditus Autor de effectis corporeis ab extrinſeco, & ſic intelligendam probat ex eis quæ tranſcripſi in* Adnotamentum *triceſimum ſeptimum, ubi apertè agnoſcit eſſe Principium motûs & quietis præter Materiam ipſam quo Materia movetur & regitur. Quod Principium,* Naturæ Legem *appellat. Quæ certè ſi uni alicui ſubſtantiæ immateriali inſita eſſet, vitâ ſenſúq; aliquo, non* *autem ratione liberóq; arbitrio prædita, ſubſtantiam iſtam cum hac lege inſita, Principium eſſe* Hylarchicum *lubens agnoſcerem. Legem verò hanc uni alicui univerſali ſubſtantiæ, non autem diverſis ſeorſim particularibus* Eſſentiis mediis *inſeri, ex multis Phænomenis demonſtrari poſſe ſatis alibi inſinuavimus.*

In Adnotamentum XXVI.

Experimentum illìc triplici momento præpollet, *&c. Primum momentum eſt,* (Cap. 4.) *ubi diameter unius cylindri duplo major eſt diametro alterius, quanquam cylindri ipſi ſunt æquales. Nam & ſic Bilance ſuſpenſis & demiſſis in aquam ità ut baſes ſuperiores utriuſq; in uno plano cum Aquæ ſuperficie jaceant, cùm baſis unius quadruplo major ſit baſi alterius, columna Aeris quadruplo major in unam incumbet quàm in alteram. Cúmque in Aqua, quippe quæ nullâ vi comprimi poteſt, non ſit ulla* Elaſticitas, *manifeſtum eſt, vi quadruplo majori urgeri deorſum unum æneum cylindrum quàm alterum, nempe ſi ulla ſit Atmoſphærica preſſura. Et tamen utriuſq; baſes ſuperiores in una communi cum Aqua ſuperficie manent. Alterum momentum eſt, quando iidem Cylindri in duos Tubos, Bilanci appenſi, immittuntur, per duo foramina dictis Cylindris æqualia, vel admodum pauxillo majora, eouſq; tantùm ut moveri poſſint Cylindri ſine impedimento, ad tollendum iſtud ſubterfugium quaſi Aqua Cylindris ſubjecta propter preſſuram Aeris in ſuperficiem Aquæ, pari reſiliret vi in inferiores baſes Cylindrorum, atq; aeris columnæ gravitent in ſuperiores. Sed & cùm hìc cauſentur perpauxillam iſtam foraminum laxitatem ut & iſtud intercipiatur diverticulum, hoc tertium tandem additur momentum. Foramen nempe minus perquam accuratè laminâ plumbeâ cooperitur, niſi quòd in centro ſic perforata ſit iſta lamina ut Bilancis filum facilè intromittat, adeò ut impoſſibile eſſet ut Aer ullubi Aquam in iſtoc Tubo premeret ſed ſuperiorem tantùm baſin Cylindri, & in tam tenui foraminulo ut columna Aeris ipſi incumbens vix ducenteſima pars ſit incumbentis in alterius Cylindri baſin, nec tamen hic alter Cylindrus quicquam hinc præponderat alteri, quod experiri licet per filum ejus, cui paululum plumbi adnecti poteſt, ad quod ſtatim inferius deſcendet, quod fieri non poſſet, ſi ulla hujuſmodi eſſet Atmoſphæræ preſſura Mechanica.*

In Adnotamentum XXXII.

Conſiſtentiâ Aeris ſubtile elementum exire non permittente, *&c. Hoc ſi attentiùs obſervâſſet eruditus Autor, nunquam rogaturus fuiſſet, quid opus eſſet tam violentâ reſilientiâ, ubi poroſa Tubi ſummitas (quippe vitrei) ſubtiliores Aeris particulas introire permittit.*

Quòd ſit quædam quaſi celeris ſurſum gravitatio, *&c. Neque certè Celeritas motûs ullum argumentum eſt contra hanc noſtram ſolutionem, ſi meminerimus quàm agile corpus ſit aer, & quàm tenue Materia ſubtilis in ſummitate Tubi, & quàm celeri impetu globulus plumbeus in os ſugenti è ſclopeto incurrit.*

In Adnotamentum XXXIII.

Jam verò quantùm ad tenacem pervicacémq; adhæſionem, *&c. Iſtiuſmodi eſſe tenuium corporum* tenſorum *(quemadmodum ille ſupponit) tenacitatem ſenſui manifeſtum eſſe contendit, ut in Experimento* Hemiſphæriorum Magdeburgenſium *& in hoc ipſo Experimento* Torricelliano. *Quod ſi verum eſſet, magnum momentum faceret ad cauſam. Sed enim ſenſus tantùm percipit Mercurium in Tubo non cadere, ſuſpendi non percipit, ut nec ſuſtentari. Idémq; ſenſus percipit Hemiſphæria* Magdeburgenſia *conjungi & contineri, ſed Materiâ tenui intùs* tenſâ *contineri non percipit ut nec externo aere* conſtringi. *Sed ſenſus ab experientia clarè percipit iſtiuſmodi tenuia corpora vel leviſſimo negotio dividi & diſrumpi, quod* tenacitati *contrarium eſt. Ac proinde Ratio ſaltem rectè concluſerit Mercurium in Tubo non ſuſpendi* tenacitate *Materiæ ſubtilis, ſed* ſuſtentari *potiùs aut à* Spiritu Naturæ *librari.*

In Adnotamentum XXXVII.

Rationem nunquam poſſit reddere cur motus lapidis ſit deorſum, *&c. Equidem non multùm à mente eruditi Autoris abludunt quæ apud ſolertiſſimum illum Naturæ Indagatorem occurrunt,* Guilielmum Harvæum, *in Tractatu de* Generatione Animalium, *Exercit. 49. Vbi animam vegetativam in Ovo quâ formatur pullus, eodem modo operari docet quo Natura in movendo lapidem deorſum.* Fatendum eſt, *inquit,* in Naturæ operibus nec prudentiam nec artificium neque intellectum ineſſe, ſed ità ſolùm videri conceptui noſtro, qui ſecundùm artes noſtras & facultates (ceu exemplaria à nobiſmet ipſis mutuata) de rebus Naturæ Divinis judicamus; quaſi Principia Naturæ activa effectus ſuos eo modo producerent quo nos opera noſtra artificialia ſolemus, conſilio nempe & diſciplinâ ab intellectu ſive mente acquiſitâ. At verò Natura principium motûs & quietis in omnibus in quibus eſt, & Anima vegetativa prima cujuſque generationis cauſa efficiens, movent nullâ facultate acquiſitâ (ſicut nos) quam vel Artis vel Prudentiæ nomine indigitemus, ſed tanquam Fato ſeu Mandato quodam ſecundùm leges operante, ſimili nempe impetu modóque quo levia ſurſum, gravia deorſum feruntur. *Hæc ille.*

Hîc verò Animam vegetativam *&* Naturam, *tanquam ſi duæ res eſſent, videtur diſtinguere. Cùm tamen una ſit per totam Materiam Mundanam Natura extenſa* Vegetativa *ſive* Plaſtica, *quæ & totum Mundum actuat, Animaliúmque corpora format & gravia movet deorſum, cùm omnia iſtiuſmodi in finem optimum fieri manifeſtum ſit, & ipſa tamen conſilio careat. Quem* Spiritum *igitur* Naturæ *mallem appellari quàm* Animam, *niſi* Animam *intelligas* Vegetativam *Fato Mandatóve Divinæ Sapientiæ, non proprio conſilio operantem. Videtur verò* Harvæus *ſimpliciter* Naturam *appellare, ubi ait, paulò pòſt,* Quod in nobis operationum artificialium principium eſt, dicitúrque Ars, Intellectus, aut Providentia, id in naturalibus operibus eſt Natura. *Quaſi Natura* affectio *eſſet potiùs ſubjecti alicujus quàm* ſubſtantia Spiritualis. *Ego verò è contrà* Spiritum Naturæ *datâ operâ appello, cùm argumentis ſatìs ſolidis demonſtrari poſſit,* ſubſtantiam *eſſe* Spiritualem. *Quid verò* Harvæus *hac in re ſenſerit in incerto eſt, quippe qui id quod Principium activum eſt in Rerum Generationibus, nunc* Jovem, *nunc* Solem, *nunc* Animam Mundi, *nunc* Naturam *ſimpliciter, aliàs* Naturam naturantem, Deum *denique* Numénque æternum *&* omnipotens, *à cujus nutu rerum ipſarum univerſitas dependet, appellitat. Ità ab extremis ad extrema reſilire videtur; hoc activum Principium* Subſtantiáne *ſit an* Vitalis *Mundanæ Materiæ* modus, Intellectúſne *an* Intellectui *quid* analogum, *non conſilio agens ſed naturâ, neſcius ſtatuere. Quibus è labyrinthis facilè ſe expedire potuiſſet ſi talem* Spiritum Naturæ *agnoviſſet qualem ego non uno loco deſcripſi; Omniáq; illa problemata quibus ſolvendis adeò inſudat, facili negotio explicâſſet, feliciúſq; &* Philoſophiæ *litâſſet &* Religioni.

Divinum *enim hoc eſſe* Principium, *quod toties cum* Ariſtotele *ſubindicat, & tamen ſine conſilio agere intellectúque omnino carere tutò ſtatuere potuit, modò ſimul* Divini Intellectûs Tranſcriptum *quoddam eſſe ſubſtantiale ac vitale, Mundi condendi omniúmque in eo generationum leges* Vitaliter *non* Intellectualiter *in ſe complectens,* Verbúmque *ſive* Decretum externum *quo omnia Naturæ opera ordinentur & diſponantur, indigitâſſet. Quod neſcio quo afflatu actus, aliquibus in locis obiter innuere videtur. Ut Exercit.* 44. *Ubi pulli generationem ſic fieri affirmat ac ſi* Divini Opificis juſſu ſeu effato quodam totus pullus crearetur: ſcilicet, fiat maſſa ſimilaris alba, & dividatur in partes & augeatur, atque interim dum augetur fiat partium ſecretio & delineatio, *&c. Quod eis quæ in Scholiis meis ad* cap. 23. ſect. 9. Enchirid. Metaphyſ. *occurrunt, valde eſt conſentaneum.*

Quodſi hæ vitales leges Naturæ, quæ ad bonum Univerſi conducunt, Materiæ non ſint eſſentiales, reſtat ut ſit Spiritus Naturæ, *&c. Heîc igitur eruditus Autor in locum hujus* Spiritûs Naturæ *particularia introducere conatur Principia Activa, vulgò Formas Eſſentiales ac Vitales vocata. Quæ in præliminari ſua diſſertatiuncula, medium quid eſſe vult inter* Subſtantiam *&* Accidens, *quas* Eſſentias *proinde* medias *appellavi. Quæ quidem illius Hypotheſis an mea de* Spiritu Naturæ *verior ſit perfectâ* Examinatione Adnotamentis *præfixâ quivis æquus rerum æſtimator judicet. Quod vero hîc inſuper innuit eruditus Autor, Imperium* Spiritûs Hylarchici *cùm ſit in univerſam Materiam, putà* Naturalem, *majus eſſe quàm pro Creatura, mihi nulla videtur difficultas dum* Divinam *Omnipotentiam conſidero, qui & nobiliorem Creaturam creare poteſt, quique hujus vires ad Materiam Mundanam* Naturalem *determinavit, nec Rationem huic impertivit liberúmq; Arbitrium.*

In Adnotamentum XXXIX.

Si vas internum non aſcendat ut ſolet quando fundum eſt imperforatum. *Paulò brevius eóque obſcurius hæc dicta ſunt. Rem igitur ſic accipe. Cùm vas in vas ad hunc modum ponitur, vaſiſque exterioris fundum non eſt perforatum, vas interius aſſurgit, quanquam Aqua inter duo vaſa (cujus vis ſupponitur interius vas attollere)*

lere) tricies minor ſit quàm aqua in interiore vaſe. Jam verò in Fundo perforato foramen ſe habeat ad baſin internæ cavitatis interioris vaſis ut 2 ad 3, reſiliens Aeris columna per foramen in fundum interioris vaſis agens, vim vicies ferè majorem habebit ad attollendum vas interius (ſi ſit iſtiuſmodi Aeris Elaſticitas) *quàm habuit Aqua ſola inter duo vaſa contenta; cur igitur non aſcendit vas interius, ut in fundo ſit imperforato, ubi ſola interjacens Aqua agit, vim vicies minorem habens quàm reſiliens Aeris columna? Nec recurri poteſt ad conjunctas vires aquæ vaſis interioris fundo incumbentis, quemadmodum fieri ſolet in experimento per ſolum Orbiculum facto. Quamobrem cùm vas internum non aſcendit ut ſolet quando fundum eſt imperforatum, nè ad minimum quidem intervallum, manifeſtum eſt prodigioſam illam Aeris* preſſuram & Elaſticitatem, *temerarium eſſe commentum.*

In Adnotamentum XL.

Quemadmodum eſt Aquæ contra Ampullam Aeris in Mare immiſſam, *&c. Eſtque admodum opportuna comparatio, quâ faciliùs intelligi poſſit hanc conſtrictionem externi Aeris & compreſſionem in Materiam intra Hemiſphæria contentam, non ideo fieri quia in* Tenſione *eſt, aut latera intus conſtringi ob iſtam* Tenſionem *Reſtitutioniſque conatum, ſed ſimpliciter quia multo tenuior eſt externo Aere. Neque enim Aer in Ampulla in mare miſſa,* tenſus *eſt aut* rareſactus, *ſed in naturali conſiſtentia, quanquam non in naturali ſuo loco. Aerem verò in Rarefactione* tendi *& tenſum ſe* reſtituere *conari & in hoc conatu* tenacitatem *neſcio quam &* viſcoſitatem *nanciſci, ità ut lateribus Hemiſphæriorum adhæreat & contrahendo ſe ea intus conſtringat, quæ omnia ſenſui eruditus Autor admodum manifeſta eſſe contendit; fateor quidem ſenſus meos adeò tardos eſſe ut nequaquam horum quicquam percipiam. Sed quod & ſuprà innui, meo & ſenſui & Rationi adverſari. Nulla enim eſſe poteſt* tenacitas *in corpore quod quovis leviſſimo momento dividitur, filo nempe Araneæ aut ſiquid ſit eo infirmius & tenuius. Nec hìc recurrendum eſt ad* Aeris principium particulare activum, *quippe quod ipſum ad diviſionem dividitur hujuſmodi tenuis Materiæ, quemadmodum fit in omnibus Autoris* Eſſentiis Mediis. *Solus igitur relinquitur* Spiritus Naturæ, *ut qui vera ſit ſubſtantia incorporea, qui vera cauſa ſit hujuſmodi Phænomenôn. Quem in hoc experimento* Hemiſphæriorum *nec* pondus *nec* Elaſticitatem *(quod eruditus Autor objicere velle videtur) novam creare affirmo, ſed ambientem tantummodo Aerem ſine compreſſione partium inter ſe, lateráque ipſa* Hemiſphæriorum *versùs Centrum comprimere. Et quanquam compreſſio hæc, hoc in loco fruſtrà ſit, non tamen ſequitur inſtinctum hunc, quantùm ad univerſalem ſuum uſum, eſſe fruſtraneum. Quinimò nuſquam ferè non ſortitur effectum niſi in hujuſmodi ludicris experimentis ab humano ingenio excogitatis, quemadmodum de conſimilibus caſibus alibi moneo. Quæ omnia apertiùs illud confirmant quod ſtatuo,* Spiritum *nempe* Naturæ *ſolâ vitâ* ſenſûque *aliquo forſan obſcuro, non autem* Ratione liberóque arbitrio *præditum eſſe.*

In Adnotamentum XLII.

Ut tam grave corpus quàm ſit aqua in corpus adeò impensè tenue ut eſt iſta ſubtilis Materia, *&c. Ex iſtis verbis eruditus Autor colligere vult me* intrinſecam *hìc in Aqua admittere Gravitatem. Quod tamen me facere minimè ex eo liquet quòd Aquam grave corpus appello. Sic enim apparet ſenſibus, qui de principio hujus* gravitationis *nihil judicant, quanquam vulgus Philoſophorum* intrinſecam *hinc* gravitatem *temerè concluſerunt. Ego verò hìc intrinſecam illam qualitatem non addo, ſed grave tantùm corpus appello, loquens cum vulgo, quanquam interim ſentio cum ſapientibus. Quamvis autem nulla inſit interna Gravitas Aquæ, tamen cùm utplurimum tam fortiter à* Spiritu Naturæ *deorſum urgeatur, perinde eſt, quantùm ad argumenti vim, atque ſi internam* gravitatem *haberet.*

Cùm Materia ſubtilis ſit quæ illius locum ſupplere poſſit, *&c. Hæc urget eruditus Autor, ſi talis eſſet Materia ſubtilis, quæ vitri poros permearet, hæc locum ſupplere poſſet Aquæ evacuatæ uſque ad guttam ultimam. Sed Reſponſum occurrit in ipſo* Adnotamento, *id utique non evenire propter obſiſtentiam* Spiritûs Naturæ *qui conſiſtentiam Aeris contra tam immane Admiſſum adversùs leges Univerſi, obfirmat. Quanto enim minus aquæ relinquitur in vitro, tanto tenuior fit aer in eodem, influente Materiâ ſubtili, tantóque magis* heterogeneus *ad reliquum Aerem in quo collocatur. Eſtque hæc irregularis corporum collocatio à qua tantopere abhorret* Spiritus Naturæ.

In

In Adnotamentum XLV.

Ab experimentis Antliæ ſuæ colligit, *&c. Preſſuram externi Aeris non eſſe cauſam aſcenſionis Aquæ in Antlia ex eo colligit, Quia hîc attollitur Aqua ubi tollitur externi Aeris gravitatio, orificio nempe ad B perfectè obturato.*

Per circularem preſſuram fit ac gravitationem Aeris & Aquæ in ſuperficiem Aquæ cui fundum Antliæ inſiſtit, *&c. Circularis hæc preſſura intelligitur cum relatione ad Materiam ſubtilem nè nudetur. Prope finem enim hujus* Adnotamenti *apertè declaro partes nec Aquæ nec Aeris gravitare inter ſe, multóque minùs ullam hîc ſuppono Aquæ Aeriſve occaſionalem* Elaſticitatem, *contrà atque eruditus Autor heîc videtur velle inſinuare. Quod ad ingenioſum verò illius Dilemma attinet, contra hunc circulum quem in ejus etiam Antlia ſuppono, qui fit per Materiam ſubtilem, orificio B obturato; Materiam ſcilicet hanc ſubtilem aut Elementum eſſe ab Aere diſtinctum, aut partem ſubtiliorem* Concrementi *Aeris, ſed ex occaſione ſeparabilem; &, ſi prius, Materiam ſubtilem, quæ propter puritatem, ſuperiorem locum habere debet, per* Spiritum Naturæ *in inferiorem detrudi, penetrando per poros vitri contra ordinem naturalem; ſi poſterius, externum Aerem parte ſui* Concrementi *ſpoliari, & Aerem in vitro majorem, quàm par eſt, illius nanciſci copiam; Atque hæc omnia fieri per* Spiritum Naturæ, *qui Principium activum* Plaſticum *ſupponitur quo conſervetur ordo Univerſi: Ad hæc breviter reſpondeo: Materiam ſubtilem partem eſſe Aggregati ex ſeipſa atque Aere, quamvìs non ſoli Aeri propriam ſed & aliis corporibus, pro ſuo cujuſq; modulo, communem. Quòd autem in hoc circuitu poros vitri permeat, Aerem externum relinquens induénſque ſe in Aerem vitri internum, id non tam fieri à* Spiritu Naturæ *quàm ab eo qui Antliam exercet, qui dum vi aquam exhaurit & in aerem ejicit, neceſſariò, cùm nulla ſit corporum penetratio, nec vacuum, materiam ſubtilem, cùm Aer tranſire non poſſit, per poros vitri propellit. Quòd autem tam difficulter Aqua poſt aliquot hauſtus in Antliam attollitur, id demum debetur* Spiritui *Naturæ, qui tam heterogeneam tenuitatem in medio craſſi hujus Aeris prope Terram, magnopere abhorrens, conſiſtentiam externi Aeris contra ulteriorem omnem vitri evacuationem fortiter obfirmat. Nihil igitur hîc fit quod univerſalem hunc Mundanæ Materiæ Moderatorem non ſummopere condeceat. Et ex hoc Reſponſo porrò intelligitur unde fiat, quanquam magna copia ſit Materiæ ſubtilis in aere porique idonei in vitro per quos tranſmittatur, ut Aqua tamen ad guttam ultimam non exhauriatur. Quod hîc iterum objicit eruditus Autor, & cui ni fallor ſatìs appoſitè reſponſum eſt ſuprá.*

Sed feruntur univerſæ per Spiritum Mundi Hyloſtaticum, *&c.* Spiritus *nempe* Hyloſtaticus *motus earum & moderatur & facilitat, quanquam interim neceſſariò circulus hîc urgetur ab eo qui Aquam ex Antlia haurit, cùm nec vacuum ſit nec dimenſionum penetratio; licèt interim non diffitear, quin* Spiritui Naturæ *debeatur quòd non ſit vacuum, niſi Materia ſit infinita.*

In Adnotamentum XLVII.

Eſt quidem ſubtilitas hac in re, verùm nullus dubito, *&c. Equidem eruditus Autor rationes ſic deputat ac ſi preſſura Cylindri Atmoſphærici, cùm mera* Elaſticitas *faciat ut* Mercurius *in Tubo ad* 29 *unciarum & ſemiſſis altitudinem in Cubiculo aut* Recipiente *ſuſpendatur, in Aere libero effectura ſit,* Elaſticitati *putà huic ſuperaddita, ut Mercurius ſuſpendatur ad altitudinem unciarum quinquaginta novem. Verùm hac in re eouſq; illi non accedo, ſed aliquod tamen momenti acceſſurum ſuſpicor ex eo quòd Cylindrus* Atmoſphæricus *non ſolùm Aerem inferiorem C D B eodem*



Elaſtico *tenore conſervat quo C D B vitrum in quo includitur, ſed protrudit porrò, quod non facit immobile vitrum. Quantum verò valiturum ſit hoc privilegium in Cylindro Atmoſphærico ad Mercurium altiùs attollendum quàm in vitro clauſo, non facilè conjicio. Immanem verò vim* Elaſticam *eſſe oportere in inferioribus Aeris particulis manifeſtum eſt, cùm ipſarum rigor* Elaſticus *in ſpacio pedali quadrato, pondus* 1800 *librarum ſuſtineat computante* Chriſtophoro Sturmio. *Unde, quod in Præfatione monui, cùm tanta rigiditas tantæ ſubtilitati particularum Aeris addatur, impoſſibile eſt quin in Aquam, in Mercurium, omnidque id genus liquida penetrent, non* Elaſticitate *ſuâ detrudant, quod* *volunt Philoſophi* Elaſtici. *Quodſi particulæ Aeris molles ſint ut Lana, non ut Chalybs rigidæ,* Elaſticitas *tam debilis erit ut haud multò plus valeret, quàm Aqua atque iſtiuſmodi liquida, quantùm ad* Elaſticitatem *ſuam, ac proinde interpoſito vitro C D B, quo pondus* Atmoſphæræ *tolleretur, ſubſideret ſtatim Mercurius in Tubo E A, Aérque exiret per valvulam F, præſertim cùm valvula ſive foramen F ducenties trecentiéſve minus ſupponatur quàm Cavitas Tubi E A. Vt taceam quàm ceſſile & mobile corpus ſit Aer, ſenſus noſtros experiri, vimque* Elaſticam *interni Aeris externo eſſe parem. Vel ſi vitrum C D B multò humilius ſupponatur, adeò ut ſemunciâ tantùm diſtet à Mercurio in Cymba A, aquâque pro Aere totum impleatur quæ nullum habet elaterem, Mercurius minimè omnium tunc ſtaturus eſſet in Tubo E A ad altitudinem viginti novem unciarum, cùm nullus omnino in aqua incluſa ſit* Elater, *pondúſque præterea Aquei Cylindri vitro incluſi & ejuſdem diametri cum Cylindro Mercurii in Tubo, vix octingenteſima pars ſit ponderis Aerei cylindri ejuſdem diametri & vitro intercepti ſeu repulſi. Adeò ut Mercurius in Tubo A E cylindro aqueo in vitro C D B incluſo octingentis vicibus præponderet. Vnde manifeſtum eſt exituram eſſe aquam per valvulam ſive foraminulum F, ſi aut per* Elaſticitatem aut preſſuram *Aeris Mercurius in Tubo ſuſtentaretur. Jam verò cùm non exeat, quod ſatis pro comperto habeo, Mercuriúſque ad Altitudinem 29 ferè unciarum ſtet immotus in his circumſtantiis, manifeſtum argumentum eſt ſuſpenſionem Mercurii nec per* Elaſticitatem *nec per* Preſſuram *ullam Aeris* Mechanicam *fieri.*

In Concluſionem.

EQuidem credo me abunde argumentorum attuliſſe, *&c. Quibus tamen heîc hæc tria ſuperaddere operæ pretium duxi, ut nè minimus ſuperſit ſcrupulus quin* Funiculus Lini Tenſióve *quævis in hoc genus Phænomenis explicandis nihil omninò valeat. Primum verò Argumentum hoc eſt : Si Tenſio ſubtilioris cujuſdam Materiæ eſſet quæ Mercurium in Experimento* Torricelliano *ſuſpenderet, ſpacium iſtud inter Mercurium & ſummitatem Tubi non appareret tanquam vacuum, ſed innumeris parvulis Mercurii grumulis à Tubi ſummitate uſque ad ſolidum Mercurii Cylindrum interſperſum, aliquanto laxiùs quidem versùs ſummitatem Tubi, ſpiſſiùs verò magíſque confertim versùs Mercurii Cylindrum, quippe quò productior eſt* Tenſio, *eò fortior eſt Retractionis contractioniſque niſus. Et* Tenſio *quidem cùm violentus ſit Materiæ motus quæ ſic fidiculis quaſi torquetur, cúmq; confertim interſperſis iſtis grumulis minor fiat iſta Tortura ſive* Tenſio, *palàm eſt neceſſariò fore, ſi* Tenſio *ſit, ut ſpacium, ſolidum Mercurium inter ac Tubi ſummitatem, innumeris iſtis Mercurii grumulis confertiſſimum appareat; Quod cùm non fiat, manifeſtum eſt nullam eſſe* Tenſionem.

Duo reliqua argumenta occurrunt in Diſſertatione *acutiſſimi Philoſophi* Johannis Walliſii *in Tractatu de* Gravitate & Gravitatione. *Quorum prius eſt, Quòd valde veri diſſimile ſit ut* Funiculus Lini *conficeretur ex Effluviis* Mercurialibus *eliſis, quippe quod, cùm variæ ſint* Liquidorum *contexturæ, & æquale tamen pondus requiratur ad elidenda Effluvia quorumcunque liquidorum, haud obſcuro ſit indicio, iſtiuſmodi Funiculum ſic fieri in nullis.*

Sed præcipuum ejus Argumentum eſt hoc alterum. Nempe, Si è vitro C D B, Aer, Antliâ Pneumaticâ, exhauriatur, fieri poſſe tandem ut Mercurius deſcendat ab E ad A ferè uſque, hoc eſt, intra unciam putà à Mercurio reſtagnante, quaſi pondus unius unciæ Mercurii plus valeret ad Tenſionem *Materiæ ſubtilis* Mercurialium *Effluviorum quàm 29. Nam ante Aeris exhauſtionem Cylindrus 29 unciarum cum ſemiſſe materiam effluviorum non ultra uncias putà octodecim extenderat, ſupponendo Tubum uncias 48 longum; nunc verò extendit ad uncias ferè 45 aut 46, cùm nulla interim alteratio facta ſit in* Mercurio, *ſed tantùm in* Aere, *Antliæ exhauſtione, ſubtiliori facto. Vnde planè conſtaret hunc* Funiculum Lini *merum eſſe Figmentum, niſi quòd eruditus Autor in* Additamentis *ſuis, ingenioſum hoc excogitaverit effugium. Nempe ante exhauſtionem Aeris* Potentiam ſuſtinentem, *hoc eſt, Materiam Effluviorum* tenſam, *parem fuiſſe ponderi Cylindri Mercurii 29 uncias cum ſemiſſe alti. Quamobrem cùm hæc Materia* tenſa *& Mercurii Cylindrus in æquilibrio quaſi eſſent, poſtmodum verò Aer in vitro putà C D B, ex hauſtu Antliæ ipſe* tenſus *eſſet, quanto quidem iſta* Tenſio *major facta eſt, tanto ratio* Potentiæ ſuſtinentis *ad* Gravitationem Mercurii ſuſtinendi *facta eſt minor;* Tenſione *ſcilicet Aeris* in vitro rurſum retrahente Mercurium reſtagnantem & cum eo Cylindrum in Tubo, qui ante hanc retractionem, in æquilibrio quaſi virium erat cum Effluviorum Tenſione in Tubo contentorum.

Hoc verò Reſponſum quanquam primâ ſpecie admodum adblanditur, nec nervis quidem careret, ſi iſtiuſmodi daretur Tenſio; præſenti tamen difficultati aut ſaltem huic quam ego jam ſubjecturus ſum, nequaquam ſatisfaciet. Nempe ſi pro majori ac majori Tenſione Aeris in vitro C D B, Mercurius illìc ſurſum retrahitur, quò Mercurius deſcendat in Tubo, ſequitur, ut, ſi Tubum tres pedes longum Mercurióque plenum in vas Mercurii ſeptem uncias altum immergamus, ſinamúſque Tubum (vide Adnotamentum 21.) primò ſic aſcendere ut ſpacium ſit unius duarúmve unciarum à Mercurio derelictum in ſummitate Tubi, Tenſio heîc etiam Effluviorum in hoc ſpacio eſt Potentia ſuſtinens quæ Cylindrum Mercurii in Tubo ad 29 uncias cum ſemiſſe ſuſpendit, adeò ut Tenſio illa ac Cylindrus ſint in virium æquilibrio. Attollatur eò uſque Tubus ut ſex unciæ, in Tubi ſummitate, ſpacii derelicti fiant; manifeſtum eſt ſextuplo triplóve majorem fieri Tenſionem Effluviorum, nec tamen Mercurium in Tubo altiùs aſcendere: Ut nec aſcenſurus eſſet, tametſi vas eâ altitudine Tubúſque longitudine fuiſſet, ut ſpacium derelictum ad uncias 20, 40, 60 & ampliùs, diduci potuiſſet. Unde Hypotheſin hanc Funiculi Lini ſive Tenſionis falſam eſſe manifeſtiſſimè liquet. Nam dum ſic attollimus Tubum, Mercurius in ipſo, ſuâ interim & quiete & ſtatione fruitur ſine ulla moleſtatione; nè quis novorum Effluviorum aſcenſum ſibi ſomniet, fugámque per iſtam caliginem nebuláſve meditetur.

Quòd verò poſt exhauſtionem Aeris in vitro C D B Mercurius tandem deſcendat ad unius unciæ diſtantiam à Mercurio reſtagnante, quamvìs id non fiat ob debilitatam Elaſticitatem Aeris in C D B, (quemadmodum ſtatuit vir egregius J. Walliſius) quippe quâ eum carere jam demonſtratum eſt; fit tamen ob conſiſtentiam Aeris mutatam in tenuem admodum & ferè Ætheream, quæ cùm Materiâ ſubtiliſſimâ adeò abundet, facilè illa in Tubum ſimul transfunditur, ad cujus ſubingreſſum deſcendit Mercurius in Tubo. Quemadmodum in editorum Montium ſummitate humilior cernitur, quàm in Planitie ubi Aer craſſior eſt.

Atque hîc quidem finem feciſſem niſi polliciti memor experimentis Tubi cum valvula & obturaculo demum explicandis pauliſper inſiſtendum duxerim, quò iſti præſertim eruditi Autoris Reſponſo ad Adnotamentum decimumtertium pleniùs poſſem ſatisfacere, utì etiam Experimenta à me Antiſtropha appellata meliùs illuſtrare. Quin &, cùm eâdem ferè operâ fieri poſſit, de ſingulis quæ in Adnotamento decimotertio occurrunt, explicatiùs hîc agam, Inſtrumentis etiam Hydroſtaticis quibus uſus ſum ante oculos propoſitis, ut quid verum, quid ſecùs, faciliùs intelligatur. Quamobrem A & B; Prior eſt Tubulus vitreus cum valvula perforata & obturaculo α, B eſt columnula lignea ſolida cum valvula ejuſdem ferè magnitudinis quâ valvula Tubi A, quæ paulo laxior eſt, ſed idem obturaculum utrique commune. Hæc ego ante aliquammultos annos fabricanda curavi, poſtquam Experimentis quibuſdam Hydroſtaticis faciendis interfuiſſem, eique præſertim quod Valvulæ & Obturaculi experimentum vulgò nunc dicitur. De cauſa autem cur obturaculum valvulæ Tubi inhæreret ad debitam profunditatem demiſſi cùm quidam tunc verba facerent & ad preſſuram Aquæ Obturaculo ſubjectæ referrent, ad eum ferè ſenſum explicantes quo Paradoxorum Hydroſtaticorum Scriptor præſtantiſſimus explicat; ego reſpondi rationem eſſe probabilem, ſi in Tubo etiam non perforato idem eveniat; ſin minùs, rationem eſſe alienam. Valde igitur ſuſpicatus (ut mea erat & etiamnum eſt de Mundi Phænomenis Hypotheſis) longè aliter eventurum, Tubulum A & Columnulam B fabricanda curavi, immiſſóq; Tubulo A in aquam cum Obturaculo, plumbi pondere, duas ferè drachmas pendente, onuſto, ad certam profunditatem, obturaculum cum plumbo adhæſit valvulæ. Ad quam eandem profunditatem columnulam B cum eodem obturaculo, vix duos ſcrupulos pendente, poſtmodùm immiſi, & laxato filo β γ, ſtatim excidit obturaculum etiam ſimplex ſine plumbo ullo addito, & è valvula paulò anguſtiori quàm valvula Tubuli A. Hinc ego ad Aeris potiùs Reſuctionem, (quam & Abiturientiam Aeris appello) quàm ad ſubjectæ Aquæ ſurſum preſſuram, primam cauſam referendam cenſui.

Porrò, poſtquam hanc Reſuctionem ſive Abiturientiam Aeris in Tubo cogitâſſem, Tubum eis circumſtantiis in aquam immerſi, ut admoto digito orificio Tubi, ſtatim, ſi rectè memini, cùm antea valvulæ inhæreret, exciderit obturaculum. Quod Phænomenon memoriâ recolens, ſuſpicánſq; quòd pulpa digiti ac calor Tubi orificio immiſſi,



miſſi, efficere poſſit ut excidat obturaculum, ſperánſq; fore, ut quantæcunq; longitudinis ſit Tubus, modò ſatis onuſtum ſit obturaculum pondere appenſo, quanquam aliàs ſic inhæreret, admoto operculo elapſurum eſſe; non quidem digito, ſed alio exteriori artificiali operimento æneo orificium Tubi C duos ferè pedes longi, poſt demiſſum Tubum ad debitam profunditatem, cooperiendum curavi. Sed obturaculum non ſtatim excidit, verùm diu admodum inhæſit. Multò brevior igitur Tubus factus eſt cum Epiſtomio in Orificio ſuperiori, cujuſmodi eſt Tubus D. Atenim nec heîc ad votum res ſucceſſit.

Embolo igitur aliquo mobili tandem opus fore deprehendi qualis eſt C, nec quamlibet obturationem Tubi, ſed ad ſatìs propinquam à valvula diſtantiam efficere poſſe, ut obturaculum, aliàs inhæſurum, caderet. Atque hinc factum eſt, ut in hoc Adnotamento decimotertio ſcripſerim, Si Tubus per digitum obturetur, vel potiùs per Embolum ad proximitatem valvulæ debitam; *& mox,* Phænomenon quod præ manibus eſt aut in Abiturientiam Aeris in Tubo, aut in juſtam illius quantitatem reſolvitur: *quoniam haud ità credibile pleriſq; videri poteſt, ut poſt iſtam obturationem per Embolum alióve quovis modo factam Aer intra Tubum, cùm omnis illi occludatur exitus, in ſtatu* Abiturientiæ *foret. Si verò vox iſta ipſis minùs placet, videant, an* Sui-Retracturientia *magìs apta gratâve eſſe poſſit. Ut ut ſit, certum interim eſt, à quantitate ſaltem Aeris in Tubo pendere quòd Obturaculum aut excidat aut non excidat. Obturaculum enim Tubi C ad verticem ferè uſque in aquam ſine Embolo immiſſi, etiam pondere K duas uncias & ampliùs pendente, onuſtum, non excidet; & cum Embolo quidem immiſſo uſque ad medium Tubi, nec tunc excidet: ſed ſi ad intra ſex quinquéve unciarum Intervallum ab Obturaculo,*

raculo, Embolo priùs immiſſo, Tubus poſtea ad eandem profunditatem in aquam immittatur, Obturaculum ſic ut priùs onuſtum, ſtatim excidet. Vnde Aeris in Tubo quantitati vim obturaculum retinendi aliquo modo ineſſe, hoc eſt, cauſam aliqualem eſſe cur ſic agat Spiritus Naturæ, *ut retineatur, manifeſtiſſimum eſt, quia ſi juſta Aeris quantitas in Tubo deſit, obturaculum excidet, aliàs inhæſurum. Et pari ferè ratione res ſucceſſit in Tubo D, ſepoſito Epiſtomio δ & Embolo D adhibito, Obturaculóq; appenſo pondere L.*

Quantùm verò ad prius Experimentum, equidem lubens fateor, Obturaculum nudum ſine pondere K appenſo, in Tubo C, (cujus longitudo eſt duorum ferè pedum, ſemiunciæ verò diameter Cavitatis,) quamvìs immiſſo priùs Embolo in Tubum ad octodecim vel undeviginti uncias, Tubo, inquam, ut priùs in aquam immerſo, Valvulæ adhæſurum eſſe, quemadmodum factum eſt in nudo Obturaculo Tubi eruditi Autoris, (cujus pondus cùm prætermiſerit, haud magnum fuiſſe ſuſpicor) Tubi verò Cavitatis diametrum unciæ & quadrantis fuiſſe aſſerit, diſtantiámque inter duo obturacula unius ferè unciæ. Vnde tantundem Aeris inter duo illius obturacula, quantum inter meum Embolum & obturaculum fuiſſe concludo. Hoc verò mei experimenti argumentique vim minimè enervat, qui ob debitam Aeris quantitatem retineri Obturaculum, ob defectum verò excidere contendo. Nam meum Obturaculum pondere K plus duas uncias pendente onuſtum, quanquam Tubo ad verticem ferè in aquam immerſo, ob Aerem toto Tubo incluſum firmiter ejus valvulæ inhæret; ſi Aeris tamen dodrans Embolo intercipiatur, è Tubi valvula ad eandem rurſus profunditatem immerſi Obturaculum ſtatim excidet.

Ad Mechanicam verò ſubjectæ Aquæ in Obturaculum preſſuram, illius Valvulæ adhæſionem, quando inhæret, referri non poſſe, manifeſtum eſt ab Experimentis per Tubum E factis cum duplici obturaculo ε ζ. Filo enim interno per verticillum η ſi Obturaculum interius in Tubum, exteriúſque poſtea uſque ad baſin interioris retrahas filis θ ι, Tubúmque ad verticem ferè immergas in aquam, Interius Obturaculum ε, quanquam remiſſo filo, inhærebit Valvulæ, poſtquam exterius ζ lapſu ſubito deciderit. Quod manifeſto indicio eſt, quandoquidem interius bis aut quinquies ponderoſius eſt exteriori, preſſurâ Aquæ ſubjectæ Mechanicâ interius Obturaculum non ſuſtentari. Immò ſi ſepoſito exteriori Obturaculo pondus K interiori appenſum ſit, Tubúſque ad eandem profunditatem demiſſus, non cadet tamen obturaculum, ſed ſatis firmiter inhærebit, quanquam octies jam vel vicies ponderoſius Obturaculo exteriori. Preſſurâ autem Aquæ Horizontali aut Obliquâ deorſum, exterius Obturaculum ab interiori divelli, inſomnium planè eſt, quippe recedente exteriori obturaculo Aqua tantùm ſuccedit & intercurrit. Nam & in Obturaculo ſimplice laxéque admodum Valvulæ inhærente, ità ut ſtatim aquæ paululum in Tubum aſcendat, nullus tamen fit inſimul Obturaculi lapſus, quamvìs continuò lapſus foret in tali laxa valvula, ſi ſuperior pars valvulæ eſſet ſolida ſive imperforata. Immò verò in Tubo E, exempto interiori Obturaculo, exterius ſolum adhibitum adhærebit Orificio Valvulæ, nec relaxatis filis θ ι excidet. Vnde palàm eſt, nec divulſionem Obturaculorum ob preſſuram Aquæ aut Horizontalem aut Obliquam fieri, nec inhæſionem interioris Obturaculi Aquæ ſubjacentis preſſuræ Mechanicæ debere imputari.

Quanquam enim nequaquam inficior quin, quemadmodum Abiturientia *quædam ſive* Sui-retracturientia *Aeris in Tubo eſt vi* Spiritûs Naturæ *facta, ità ejuſdem Spiritûs conſenſu quædam ſurſum aquæ ſubjectæ ad Obturaculum admotio ſimul eſſe poſſit; fit tamen ſine ulla partium aliarum in alias preſſura, quam preſſuram* Mechanicam *appellamus. Id quod Experimento* Antiſtropho *ſatìs illuſtrari poteſt ac probari. Nam in Hydria exteriori G, quam ſuprà deſcripſimus cum Epiſtomio M, ſi aperto Epiſtomio M duo Orbiculi ſuberei injiciantur qualis eſt g, & ad baſin Hydriæ ſuperiorem N Tridente Hydroſtatico I detineantur, donec infuſâ aquâ Hydriæ pars ſuperior impleatur; Tridente I poſtmodum retracto ſuperior Orbiculus ſtatim aſcendet, totâ interim incumbente Aquâ (quod &* Stevinus *agnoſcit & nos ſuprà probavimus,) gravitante in Orbiculum inferiorem cui Aer immediatè ſubjacet. Sed ex eo quòd ſuperior aſſurgit, manifeſtum eſt partes aquæ interim non gravitare inter ſe.*

Et ut adhuc clariùs innoteſcat, rem hìc non momentis Mechanicis, *ſed* Vitalibus *agi, ſi pro ſubere inferiori imponatur Lamina Ænea rotunda quod amplum illud foramen ſuperioris Baſis Hydriæ operiat, & in centro hujus Laminæ fora-*

minulum fiat admodum exiguum, cujuſmodi eſt foraminulum h, tam exiguum ſanè ut Aqua ſuperinfuſa non pertranſeat; Orbiculus tamen G huic Laminæ ſuperinjectus & Tridente Hydroſtatico I ibi detentus dum aqua infunditur impletúrque Hydria, ſublato mox Tridente non ſtatim aſcendit; Immò verò aperto Epiſtomio M diu eſt donec aſcenderit, evulſo verò Epiſtomio longè diutiùs. Omninóque hoc fit ob exiguam illam quam Orbiculus ſubereus per foraminulum Laminæ cum Aere habet communicationem. Nam obturato illo foraminulo Orbiculus ſubereus ſtatim ſurgit, ut in experimento duorum iſtiuſmodi Orbiculorum. Quamobrem cùm Aqua non tranſeat per iſtud foraminulum, dicat quivis Oedipus *Mechanicus, quî factum ſit ut tam multò tardiùs aſcendat, hoc eſt, aſcendere incipiat Orbiculus ſubereus foraminulo Laminæ aperto, quàm obturato, &* Phyllida *ſolus habeto. Equidem qui rerum naturam penitiùs introſpexerit, inveniet hujuſmodi Phænomena non craſſo aliquo modo ac* Mechanico, *ſed ſubtili quodam* Vitæ *conſenſu aut luctâ fieri.*

TRIUM

TRIUM TABULARUM
CABBALISTICARUM
DECEM
SEPHIROTHAS ſive NUMERATIONES
EXHIBENTIUM
DESCRIPTIO:

Viz.
- Tabulæ *Sephirotharum* Cabbaliſticæ ac *Judaicæ* Vulgaris:
- Tabulæ *Sephirotharum Knorrianæ* vel *Lorianæ* in ſublimioris Cabbalæ clavem *Zoariſticam* deſtinatæ; &
- Tabulæ *Sephirotharum Græcanicæ* ſive *Pythagoricæ* ab *H. M.* reſtitutæ.

Hiſce præfixa eſt Epiſtola ad eruditiſſimum Virum *Chriſtianum Knorrium*, de decem Sephirotharum uſu, *&c.*

Per *H. M.* CANTABRIGIENSEM.

Clemens Alexandr. *Strom. Lib.* 1.

Βαρβάρων ἁπάντων πρεσβύτατον μακρῷ τὸ Ἰουδαῖον γένος, καὶ τὴν παρ' αὐτοῖς φιλοσοφίαν ἔγγραπτον γενομένην προκατάρξαι τῆς παρ' Ἕλλησι φιλοσοφίας διὰ πολλῶν ὁ Πυθαγόρειος ὑποδείκνυσι Φίλων.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

AD
CLARISSIMUM & ERUDITISSIMUM
VIRUM
CHRISTIANUM KNORRIUM,
De Uſu Decem SEPHIROTHARUM, *&c.*

1. M*Ultum jam temporis elapſum eſt, Vir Clariſſime, ex quo tuas accepi, tum priores illas ad me ipſum ſcriptas, tum eas alteras ad præſtantiſſimum virum Dominum* Helmontium, *quæ ad me tamen potiſſimum pertinebant. Scripta mea, quæ maxima ex parte te perlegiſſe dicis, tibi tantopere placere,* (*cùm eo vir ſis judicio*) *vehementer equidem gaudeo. Speróq; demonſtrationes meas Principii quod dicitur* Hylarchici *quas tantâ curâ ac conatu elaboravi, non relaxaturas eſſe hominum induſtriam in rimandis, quæ revera inſint, rationibus Naturæ mechanicis, ſed excitaturas potiùs eorum vigilantiam nè præ nimia Credulitate ſe exiſtiment ſolutiones earum rerum Mechanicas inveniſſe quæ earundem ſint incapaces. Qua de re Lectorem moneo in Præfatione ad* Tractatum Immortalitatis Animæ, *Sect.* 13. *Cæterùm quicquid judicent alii de opere illo Metaphyſico, equidem diſſimulare non poſſum quin mihi ipſi in eo magnopere placuerim plenéque omni ex parte ſatisfecerim. Nemóq; quod ſciam, apparuit hactenus, qui demonſtrationes meas ulla in parte enervare potuit. Quanquam haud oſcitanter videntur legiſſe, cùm quidam certè eorum, lapſum notaverint,* pag. 218. *qui me prorſus fugerat, ut qui omiſſiori, ut videtur, animo eram in Latinè reddendis hiſce meis ſpeculationibus, quàm in iiſdem fueram formandis excogitandíſque. Legendum enim eſt juxta MSS. meum Anglicanum,* pag. 218. *lin.* 11. Quàm dimidium ejus quod globuli occupant. *Et Lin.* 13. ſpacium eſſe dimidium. *Quemadmodum ipſe ſenſus Contextûs planè poſtulat, ut Sol quarta pars vorticis fiat. Quæ quidem Solis Quantitas cum ibi dicto experimento, computatis computandis, ſatìs convenit. Qua de re tamen non eſt ut ſimus nimis ſoliciti, quandoquidem quinta tantùm, ſexta, ſeptimáve licèt pars vorticis eſſet, omnia tamen in hoc Capite pari ferè firmitudine procederent. Sed credo te inter legendum, qua es ingenii promptitudine, hæc tuâ ſponte notâſſe.*

2. *Benignior tua ſententia de Conjecturis meis in Tabulas Cabbaliſticas, cùm in illis ſtudiis adeò verſatus ſis, calcar addidit curioſitati perlegendi Tractatum primum Libri* Druſchim, *quem huc mittendum nuper curâſti. Quid autem de eo ſentiam, ex brevibus quibuſdam* Adnotatis *Anglicè ſcriptis percipere potes. Equidem nunquam adduci poſſum ut credam iſtiuſmodi commenta veros eſſe antiquæ* Cabbalæ *Theſauros. Rationes in iſtis* Adnotatis *ſubindicavi. Ità ſanè Author philoſophatur ac ſi* Sephiroth *Numerationes non eſſent ſed* Sephæroth *ſive* Sphæroth, *i. e.* Sphæræ, *penéq; orbes* Ariſtotelicos *cum ſuis* Intelligentiis *pro Antiquæ* Cabbalæ *Myſteriis reponere videtur. Sed præcipua perſtrinxi in* Adnotatis *illis. Singula notâſſe eiſve animum attendiſſe magno mihi futurum fuiſſet tædio, nec abſimile vitioſarum nucum diffringendarum operæ, è quibus nil niſi aridus ingratúſq; pulviſculus pro laboris pretio in os frangenti excidit. Quo*

majores profectò tibi gratiæ debentur qui hunc Laborem in publicum commodum tam alacriter devoras, ut quæ ſint opes penuriáve Judæorum *philoſophica & ſibi & Chriſtianis pateſcat. Quantùm ad me, ego certè credo* Sephiroth, *ſicut & tu vertis,* Numerationes *omninò ſignificare, eſſéq; nihil aliud quàm* Numeralia *quædam* Repoſitoria *maximorum Myſteriorum Antiquæ* Cabbalæ *Decadem non excedentia, manuúmq; decem digitis ſuper quos res numerari ſolent, reſpondentia ;* Denariúmq; Pythagoricum *hinc originem ſuam traxiſſe ; varias verò Notiones ſive Nomina, ad ſingulos Numeros relata fuiſſe ; quemadmodum obſervare licet apud* Johannem Meurſium *in* Denario *ſuo* Pythagorico ; *Quanquam multa quidem illìc notata Nomina ſpuria ſint , Modi tamen referendorum ſatis amplum eſt exemplum.*

3. Sephiroth *verò ſive* Numerationes Cabbaliſticas *duûm fuiſſe generum puto,* Phyſicas *&* Metaphyſicas. *Phyſicas fuiſſe Repoſitoria myſterii* Creationis *ſive mundi aſpectabilis præcipuè, ſubindicatis interim & inviſibilibus ejus incorporeiſq; Principiis. Septem verò primæ* Sephiroth *huic rei maximè inſerviebant, ſeptem Diebus (ſex primis* operæ, *ſeptimo quietis) applicatæ ; & ſic quidem ut ſinguli numeri imaginem quaſi ferrent rerum quæ ſingulis Diebus appropriantur, ſicut fusè demonſtravi in* Cabbala *mea* Philoſophica. *Nec omninò hìc otiatur decima* Sephirah *ſive* Denarius, *quatenus ad* Quaternarium *referri poteſt tanquam illius Potentia. Tot è decem Numeris ſive* Sephiroth Mundi aſpectabilis Creationi *illuſtrandæ inſerviebant. Quantùm verò ad Numerationes* Metaphyſicas, *id maximè notatu dignum eſt, eas totum* Denarium *complecti & in duas partes dividi, tribus prioribus ipſi* Divinitati, *ſeptem reliquis* Creationi ſpirituali *& inviſibili applicatis. Ità ut ſeptem poſtremæ* Sephiroth *Repoſitoria ſint & capſulæ quaſi rerum omnium creatarum* ſpiritualium *& inviſibilium, (quemadmodum ſeptem primæ rerum* corporearum *& aſpectabilium ;) tres verò primæ, quod dixi,* Sacroſanctæ Trinitatis. *Quæ quidem earum in* tres *ac* ſeptem *Diviſio mihi ſupponi videtur,* Apoc. 1. 4. *Eſt enim* ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Periphraſis* Jehovæ *qui triunus ille Deus eſt, ac proinde tres primas* Sephiroth *ſive* Numerationes *occupat ; ſeptem autem Spiritus qui dicuntur ante Thronum illius, reliquas ſeptem. Intelliguntur autem per eos Angeli boni Divinæ* Providentiæ *miniſtri. Non quòd ſeptem omnino ſint, ſed quòd ad ſeptem* Sephiroth *referantur quæ* univerſalitatem *bonorum Angelorum continent, (nempe quando prima è ſeptem* Sephiroth *appellanda eſt* Cheſed ; *ſi verò appelletur* Gedulach, *nè Angelorum quidem malorum ordines excludit.) Quam etiam ob cauſam* Septenarius *appellatur* ὁλομέλεια, *& magìs particulatim* φυλακῖτις· *Quippe quòd ſeptem hæ* Sephiroth *omnes cohortes* φυλάκων, Vigilum, *i. e. Angelorum continent. Ac proinde ubi ſeptem Spiritus dicuntur, id non* numeraliter *intelligendum eſt ſed* ſymbolicè, *aut univerſalitatem bonorum Spirituum in ſeptem* Sephiroth *contentorum, aut indefinitum numerum notando, nempe aliquos è ſeptem,* i. e. *ex univerſis. Etenim quin Angeli hìc intelligantur nullus dubito, ob ea quæ occurrunt* Cap. 3. 5. *Eſt igitur hæc ſalutatio,* Cap. 1. 4. *fauſta precatio ut gratiam ſive favorem obtineant apud Deum & Angelos Divinæ* Providentiæ *miniſtros. Nec certè credo ſeptem poſtremas* Sephiroth *univerſos Angelorum ordines tantùm continere, ſed omnem omninò ſpiritualitatem quæ à Deo in creaturam emanat, ſicut notavi in Conjecturis meis in* Tabulas Cabbaliſticas, *ubi nec* Spiritum Naturæ *excluſi, nec gratiam internam, in intellectuales ordines, Angelos intelligo & homines Divinitùs influentem. Quæ hìc nihil opus eſt repetere.*

4. *Hic tantùm inculco decem* Sephiroth *eſſe ex ſe nihil aliud niſi decem aridas* Numerationes, *non* Emanationes Divinas, *vacuas Capſulas non Aurum Margaritáſve illîc reponendas. Dúmq; rebus Metaphyſicis inſerviunt, tres primas triunam Divinitatem ſibi vendicare. Quippe tria omninò diſtinctim, quocunque nomine appellaveris, æterna, neceſſaria, & immutabilia (non ut tranſeuntes alternantéſve operationes ſive actiones, ſed ut ſtabiles* ἐνέργειαι *ſive Actualitates) in Divino Numine menti ſe noſtræ offerunt. Omnia ſanè in Deo ineffabilia ſunt; at ſi balbutire juvat ubi eloqui non licet, Primum illud eſt Eſſentialis quædam in infinitum fœcunda Bonitas, Alterum Sapientia omniſcia, Tertium eſt infinitum quoddam ex his duobus mutuò intiméq; perceptis profluens Gaudium ſive Amor. Unde in* Denario Pythagorico *fortean ſit, ut* Ternarius *appelletur* φρόνησις & ὁμόνοια, *& tertia* Sephirah *apud Judæos* Binah. *Quòd autem unitas illîc* θεὸς *dicitur, id fortaſſis ſic intelligi poteſt, ut de Deo Patre apud* Arminium, *ac ſi eſſet* αὐτόθεος. *An verò Binarius* Νοῦς *illîc appelletur, non ſatìs memini.*

5. *Quemadmodùm verò tres primæ* Sephiroth *Deum ſive* triunam *Divinitatem complectuntur, ità ſeptem poſtremæ, ſiquidem ſex priores in* Malchut *deſinunt, Myſteriorum Regni Dei videntur* Repoſitoria. *Nomina autem quibus inſigniuntur, ſunt omnium univerſaliſſima, & quæ Regno Dei interno pariter atq; externo illuſtrando commodiſſimè inſerviant. Nam* Cheſed, Geburah, Tiphereth, Netzach, Hod, Jeſod, *i. e.* Bonitas *ſive* Benignitas, Virtus, *ſive* Fortitudo, Prudentia *ſive* pulchra *ordinatáq; de rebus gerendis* diſpectio, *& felix indè operatio ſolidúmq; hinc gaudium & in* Deo gloriatio, *omniúmq; tandem horum tenor firmus ac ſtabilis,* Regnum *illud conſtituit* Dei internum *in ſpiritibus Hominum ac Angelorum; atq; ſanè ſex hæ priores* Sephiroth *in* Malchuth *omnino deſinunt, ut ſex dierum opera in* Sabbatiſmum.

6. *Præter* internum *autem hoc Regnum Dei eſt triplex* externum, *nempe* Regnum Naturæ, Regnum Angelicum & Eccleſia. *Quorum ſingulorum Myſteria particularia ſub ſingulis illis Nominibus univerſaliſſimis inquirenda erant. De extenſione, ſub* Gedulah; *De Viribus, ſub* Geburah; *De Legibus, Politia, & Ordinibus, ſub* Tiphereth; *De Pugnis ac Victoriis, ſub* Netzach; *De Splendore ac Gloria, ſub* Hod; *De Stabilitate, Permanentia ac Duratione, ſub* Jeſod. *Ut de* Regno Naturæ: *Sub* Gedulah *quæri poterat, Quouſque ſe extendat* Spiritus Univerſi, *certóſne quoſdam ad Limites, an in infinitum, Ætherémne atq; Aërem tantùm permeet, an ipſum globum etiam terreſtrem: Animæ Brutorum an ſpirituales ſint, & quouſq; per Mundum diſſeminatæ. Sub* Geburah, *Spiritus mundi quid poſſit, & qualis ſit illius vis Magica. Sub* Tiphereth, *Quænam potiſſimæ Leges ſint* Spiritûs Naturæ *in ordinanda Mundi materia, quódq; verum Mundi Syſtema. Sub* Netzach, *Quæ Pugnæ illius cum contumaci Materia & quæ Victoriæ. Sub* Hod, *An Spiritus univerſi capax ſit gaudii & gloriationis ſenſûſq; grati & ingrati, & quænam illius rei ſint indicia. Sub* Jeſod, *De conſtantia operationum Naturæ in quo fundetur, & quamdiu duraturus ſit Spiritus Mundanus,* &c.

7. *De* Regno Angelico: *Sub* Gedulah, *Quouſq; extendatur Regnum Angelicum, & an totus Æther atq; Aër plenus ſit illorum turmis, ſintq; qui Igni atque Aquæ præſideant, quique præfecti ſint Gentium ac populorum. Sub* Geburah, *Qualis Angelorum vis ſit in movendis mutandíſve Mundi Elementis, in malis averruncandis infligendíſve, in Cogitationes injiciendo hominibus & Arcana revelando. Sub* Tiphereth, *Quæ ſit Politia Angelica, quæ Leges, quot & quinam ordines Angelorum, ubi de* Cherubin, Seraphin, Thronis, *&c. Sub* Netzach, *De Prælüs*

Præliis eorum & Victoriis. Sub Hod, *De Triumphis, Pompa ac ſplendore Regni Angelici. Sub* Jeſod, *De firmitudine & ſtabilitate Regni Angelici; ubi de Lapſu* Luciferi *cum ſociis, & de Confirmatione non Lapſorum*, &c.

8. *De* Eccleſia *ſive* Dei Regno peculiari apud homines: *Sub* Gedulah, *Quæ fuerit illius Latitudo à principio ad Mundi finem. Sub* Geburah, *Quales Virtutes emicent in veris illius membris, putà, in ſubdomando veteri homine, in edendis miraculis, in vaticiniis aut effundendis aut interpretandis. Sub* Tiphereth, *Quæ ſit illius Politia, Ordinationes ac Leges, quinam præcipui Legiſlatores, ubi de* Moſe *& de ipſo* Meſſia, *quoad illius interna officia pariter atq; externa; Et an principalis veráq; Regia illius Imperii Lex non ſit* ſincerus Dei amor atq; Proximi. *Sub* Netzah, *Quæ ſint Eccleſiæ Prælia, Arma ac Victoriæ, quibúſq; tandem modis eventurum ſit ut omnia Mundi Regna,* Chriſti *ſive* Meſſiæ *Regna fiant. Sub* Hod, *De externo ſplendore ac ornatu Eccleſiæ per omnes ſuas ætates; ubi de Veſtimentis Aaronicis ornatúq; Tabernaculi*, &c. *Sub* Jeſod, *De ſtabilitate ac perpetuitate Eccleſiæ, quo nitatur fulcro, humani arbitrii Libertate, an æterno Dei fœdere*, &c.

9. *Atq; hæc paucula Exempla ſufficiant ad indicandam aptitudinem horum generaliſſimorum Nominum præ cæteris, ut* Repoſitoria *fiant præcipuorum Arcanorum antiquæ* Cabbalæ, *quomodóq; potiſſima Arcana* Moſaica *his capſulis recondi poſſent indéq; commodè depromi, non excludendo interim alia cognomina: Decémq;* Sephiroth *meras Notas eſſe* Numerales; *ſic, ut vulgò dicitur, decem eſſe prædicamenta, quæ dici poſſunt* Sephiroth Dialecticæ. Sephiroth *verò* Sphæroth *orbéſve vel* Sphæras *fuiſſe imaginari, immane profectò mihi videtur deliramentum ac novum aliquod recentiorum Rabbinorum figmentum, taléq; quod peſſimè ſuccedat, quemadmodum demonſtravi in* Adnotatis.

Sephirotharum *igitur* Cabbaliſticarum *ejuſmodi ferè uſum fuiſſe valdè equidem ſuſpicor: An verò ea in re uſquequaq; rectè ariolatus ſim, penès te eſto alióſq; viros doctos judicium.*

10. *Intereà loci diſſimulare non poſſum quantopere illud mihi placet, quod te expertum fieri profiteris de* Judæis, *Myſteria nempe noſtra terminis ipſorum Cabbaliſticis propoſita neutiquam eis videri abſurda, nullámq; ferè inter nos reſtare diſcrepantiam in fundamentalibus niſi ſuper perſona Jeſu Chriſti. Quem ſanè illos tandem agnituros ſpero proclive fore ex vaticiniis tum veteris tum novi Teſtamenti rectè intellectis, præſertim ex hebdomadis* Danielis. *Quarum* explicationem *ſatis profectò concinnam abſolviſſe mihi videtur Vir acerrimo judicio & ingenio* Thomas Lydiatus Anglus. *De quo opportunum hîc ſit dicere, Prophetam honore non carere niſi in propria Patria. Ego verò magnas tibi habeo gratias quòd mihi per Literas tuas tam accurati Scriptoris mentionem feceris, illiúſq; mihi dederis notitiam. Fateor me nihil ſolidi habere quod objiciam contra hujus rationes quibus Epocham illius vaticinii in annum viceſimum* Artaxerxis *figendam contendit, niſi quòd hiſtorici pleriq; omnes in annum ſeptimum defixerint. Sed qui ſic fecerunt, Paſſionem Chriſti, quod tamen Caput rei eſt, ad medium ultimæ Septimanæ diem revocare hactenus neſciverunt. Quod quidem ſi commodè ſolidéq; hîc præſtari poſſet, ea ratio ob ſuffragiorum multitudinem plauſibilior videretur. An verò id pari firmitudine fieri poſſit atq; in rationibus* Thomæ Lydiati, *nondum ſatis video. Aliquam-multum temporis interfluxit ex quo* Lydiatum *legi, neq; hic eſt ea de re dicendi locus. Cæterùm præter inſigne* Danielis *vaticinium de* Meſſia *ejúſq; Morte ſive Paſſione eo ipſo anno quo paſſus eſt* Jeſus Nazarenus, *multiplices illæ viſiones* Apocalypticæ, *quæ in ipſo exordio Libri ei inſcribuntur*

buntur (Apocalypſis Jeſu Chriſti, *&c.*) *non poſſunt profectò, ob admirabilem earum Claritatem ac Veracitatem, & ſingularem Jeſu Chriſti erga Judæos eo in Libro præſignificatam Benignitatem ac Benevolentiam, quin ſuo tempore* Judæos *planè convincant eum ipſum* Jeſum Nazarenum *fuiſſe & etiamnum eſſe verum ipſorum* Meſſiam *æternúmq;* Regem Iſraelis.

11. *Quod ad* Judæorum *opinionem ſpectat qui credunt Animas humanas non ob Lapſum primò deſcendere ſed ut probentur: Quæri equidem hìc poteſt, an non fiat exploratio ſive probatio Animarum in Regionibus Aëreis vel Æthereis ſtaréne an labi velint, Lapſæ verò an non hìc iterum probandæ ſint; itáq; &* Lapſus *&* Probatio *commodè poſſunt conjungi, opinióq;* Judæorum *cum* Platonicorum *opinione quadantenus conciliari? Deinde an omnibus animabus deſcendendum ſit ut probentur. Quod ſupervacaneum videtur cùm explorationem jam ſubierint, quædámque fideles ſe præſtiterint in illa exploratione. Præterea voluntaria illa exinanitio in anima Meſſiæ, ſi omnes Animæ fatali quâdam Lege teneantur deſcendere, quî fieri poteſt ut non multùm obſcuretur minuatúrque ex hac Hypotheſi?*

12. *Quantùm verò ad delicatulam iſtam* Judæorum *ſcrupuloſitatem, quâ tametſi* Perſonarum *appellationem in ſua Trinitate admittunt, nolunt tamen ullam propriam in ipſis agnoſcere* ſubſiſtentiam; *equidem id minimè demiror, cùm nec ipſi Scholaſtici Deum ſubſtantiam propriè appellari poſſe concedant, ut qui omnia* Prædicamenta *tranſcendit, nec ſubſtare poteſt Accidentibus. Cùm igitur in ipſa Divina ſubſtantia aliquid eximium & ſingulare & quod vocis Subſtantiæ vim planè excedit agnoſcendum ſit, quidni idem fiat in Divinis Subſiſtentiis? Quin & ipſi antiqui Patres hærent, ut videre eſt apud* Calvinum, *quibus appellanda ſint nominibus* * *Tria illa in Divino Numine eminentia, diſtinctéq; percepta.* Platonici *tamen non dubitàrunt tres appellare* Hypoſtaſes, *ut conſtat apud* Plotinum. *Nec mirum eſt humana ingenia in tam præfulgida Luce cæcutire, neſciréq; quibus verbis tam ineffabile Myſterium enunciari debeat. Tutò autem proculdubio eis nominibus uti poſſumus quæ ſacra Scriptura nobis proponit. Quæ tria omninò illa æterna neceſſaria & immutabilia quæ à nobis diſtinctè in Divinitate percipi poſſunt,* Patrem *appellant &* Filium *&* Spiritum ſanctum; *in quibus Judæos facilè nobiſcum conſenſuros credo, cùm &* Philo Judæus *æternum* Logon *unigenitum Dei Filium nuncupet. Præter modum verò mihi deliciari videntur* Judæi, *quòd à voce* Subſiſtentia *tantopere abhorreant, cùm ipſi Philoſophi,* Platonicos *intelligo, tres in Divinitate Hypoſtaſes admiſerint. Quas tamen haud credo eos tam pingui ſenſu intellexiſſe, quàm ſi tres ſubſiſtentias trium hominum diſtinctorum innuerent, quippe quod unitati Divinitatis planè repugnaret. Impoſſibile eſt ut nomina craſſa & è communi uſu arrepta ineffabili Divinitatis Myſterio propriè & adæquatè conveniant, ſed cautè ſunt ſcienterq; ac candidè interpretanda. Quod effecturam eſſe ſpero Cœleſtem illam mutuæ Charitatis Lucem in intervallo illo Eccleſiæ* Philadelphico, *quæ omnes hujuſmodi obſcuritates mirâ facilitate illuſtrabit ac diſſipabit.*

13. *Cæterùm vereor nè diutiùs quàm æquum erat te his haud ità neceſſariis ſpeculationibus detinuerim. Libertatem quâ uſus ſum & in hac Epiſtola & in* Adnotatis *in enormia taxando* Judæorum *figmenta, ut excuſes, etiam atque etiam rogo. Quod te facilè facturum autumo, cùm ipſe is ſis qui liberiorem* Philoſophandi *rationem juxtà mecum approbas.*

Mitte ad me obſecro cum proximis tuis Literis ſatis diſtinctas definitiones quatuor generum Mundorum, Emanationis, Creationis, Formationis *&*

Factionis, *ut diſtinctè intelligam quomodo differant, diſpiciámq; quid ſolidi ſubeſſe poſſit iſti diſtributioni, quidve minus ſolidi. Ut Deus Optimus Maximus ſtudia tua omnia ac egregios conatus porrò ſecundet in ſui Nominis gloriam & Eccleſiæ emolumentum, animitùs precatur*

Tibi addictiſſimus,

H. M.

SCHOLIA

In Epiſtolam ad C. K. Sect. 12.

TRia illa in Divino Numine eminentia, &c. Sic certò ſcio habuiſſe meum Manuſcriptum quod ad *C. K.* miſi, *Tria illa in Divino Numine*, &c. Et tamen, quod miratus ſum, Editio *Sultzbacana* habet, *Tria in Divinis Numina.* Quod per incuriam an præ nimia curioſitate factum ſit neſcio, quaſi ſic ſenſus plenior futurus eſſet & magìs perſpicuus, & tamen prout illi fortean putare poſſent, ſatìs orthodoxus; Per Numen nihil ampliùs intelligendo quàm σέβασμα, ſive Divini Cultûs objectum, quèmadmodum σέβασμα, *2 Theſſ.* 2. 4. *Numen* & ab *Eraſmo* & *Caſtellione* in ſuis Tranſlationibus vertitur. Tres autem Perſonas tria Divini cultûs Objecta debita eſſe, veriſimile eſt eos nequaquam dubitâſſe, ac proinde tria σεβάσματα ſive Numina poſſe appellari, præſertim cùm *Tertullianus* Spiritum S. *tertium Numen* noménve Majeſtatis alicubi appellat. Qui tamen Numen tertium appellari non poteſt niſi tria ſint Numina, hoc eſt, tria σεβάσματα ſive idonea Divini cultûs objecta. Ego verò cùm iſta Vox, *Tria in Divinis Numina*, ad Tritheiſmum primâ ſpecie nimis vergere videtur, datâ operâ hunc locum reſtitui, imprimendúmq; curavi ſic ut meum habet MS. Tria illa in Divino Numine, *&c.* Neq; certè ſi ego *Tria in Divinis Numina* ſcripſiſſem, addidiſſem porrò, *eminentia diſtinctéq; percepta*; ac ſi alia eſſent in Divinis Numina, ſed non tam eminentia diſtinctéq; percepta. Unde planè cuilibet conſtare poteſt *Sultzbacani* preli erratum eſſe, non meum.

Aditus tentatus ad rationem reddendam *Nominum* & *Ordinis* decem *Sephirotharum* in duabus prioribus Tabulis Cabbaliſticis, ex Scriptura, *Platoniſmo* Rationéq; libera petitam.

PRIMA TABULA,

SIVE,

TABULA *Sephirotharum* Cabbaliſtica ac *Judaica* Vulgaris.

Tom. 1 . p. 429.


כהר
Corona
בינה
Prudentia
חכמה
Sapientia
רעת
Scientie Locus.
גבורה
Robur
גדולה
Amplitudo
alias
חסר
Benignitas.
הפארה
Pulchritudo
הור
Gloria
נצה
Victoria
סור
Fundamentum
מלכות
Regnum

TABULA SECUNDA,

SIVE,

TABULA Sephirotharum *Knorriana* vel *Loriana*, in ſublimioris Cabbalæ Clavem *Zoariſticam* deſtinata.


Inſinitum Enſoph.
1 Arich Anpin
Kether
a Attik Iomin a
d
c
I
Binah
Mater
l
e
F
Chochmah
Pater
h
Dſeir Anpin
i
f
m
m
q
p
r
5
4
Geburah
t
Gedulah
Cheſed
s
m
Tiphereth
u
6
n
8
Hed
x
Netzach
w
7
Ieſod
γ
n
n
9
Vxor
Dſeir Anpin.
Malchuth
β
z
z
δ
ν
a
ε
10
ℵ
ζ
a
θ
a

Tom. 1. p. 430

IN PRIMAM
TABULAM CABBALISTICAM.

1. KEther, *Corona.* Nomen Symbolicum illius quod primum eſt in Divinitate. Per hunc Circulum, Annulum, Coronámve, primò ſignificatur Infinitas in *Amplitudine* perinde ac *Duratione*, cùm Annulus nec finem habeat nec initium, juxta tritum quoddam Provèrbium Anglicanum, quod durabilem Amicitiam Annulo finem non habenti comparat. Ac propterea *Kether* ſymbolum eſt illius quod vocatur *Arich Anpin* & *Enſoph*, (in ſecunda Tabula) quod Infinitudinem denotat.

2. Cæterùm *Kether* porrò à Figuræ uniformitate, talis enim Annulus eſt ſive *Corona*, (quæ *Corona* hîc potiùs quàm Annulus vocatur quippe quòd ad ipſum Apicem ſummitatémve univerſitatis rerum pertineat) ſymbolum etiam eſt *Unitatis*, primæve Hypoſtaſeos Triados *Platonicæ*, quam τὸ ἓν appellitant. Quæ Unitas iterum ſignificatur per *Kether* ab ipſa vocis derivatione, à כָּתַר nempe, quod eſt *cingere*, quod conſtrictionem quandam innuit rerúmque continentiam in unum.

3. *Corona* autem hæc ſive *Cinctura* Symbolum etiam eſt *Comprehenſionis* perinde ac *Conſtrictionis*, ſignificátq; primam Hypoſtaſin omnia ſuâ plenitudine, prægnantiâ, ſive fœcunditate perfectionis *cauſaliter* continere. Nam cùm omnia ex ea proveniant, manifeſtum eſt omnia in ea fuiſſe, vel potiùs in ea etiamnum eſſe. Quo ſenſu inter alia cognomina, appellatur *Cauſa Cauſarum*, cujus ex plenitudine ac bonitate omnia ſunt. Quod *Platonicum* proinde neceſſe eſt eſſe Τ᾽ἀγαθὸν. Quemadmodum & Pſalmiſta de Deo argumentatur, *Pſal.* 119. *v.* 68. *Bonus es & Beneſaciens.* Neſcio an & iſtæ locutiones huc referendæ ſint, *Pſalm.* 65. *Coronas annum bonitate tuâ*; & *Pſalm.* 103. *Qui* coronat *te benignitate & miſerationibus.*

4. Præterea, inter Cognomina vocatur *Lux*, quod ſymbolum etiam eſt hilaris communicationis ac beneficentiæ; & *Fons ſine fundo*, quod alterum ſymbolum eſt hujus inexhauſtæ Bonitatis; utraque autem conjuncta, *Platonicam* illam locutionem æquabunt vel adimplebunt quæ occurrit apud *Boetium*, *Fontem Boni lucidum.* Tam nullum ſubeſt dubium, quin *Kether* hæc, *Platonicorum* Τ᾽ἀγαθὸν ſit, quemadmodum ſuprà oſtendi ipſorum eſſe τὸ ἓν.

5. Et notatu quidem dignum eſt, quòd *Parmenides* tam profundus Myſteriiſq; plenus Philoſophus Deum definiverit *Ardoris lucidi Coronam*: Non dubito quin cum relatione ad hanc ipſam *Kether*. *Tullius* enim eam memorans ait dixiſſe *Stephanen*, ac ſi *Parmenides* datâ operâ fœmininam illam terminationem elegiſſet (nam στέφανος uſitatior vox eſt) ut reſponderet τῇ *Kether*, quæ fœminini itidem generis eſt. Nec credibile eſt futurum fuiſſe ut vocis *Stephane* omnino fieret mentio, ſed vocabuli *Corona* tantùm, ſi non vox Myſtica ſacráque apud *Parmenidem* fuiſſet, qui ſenſum illius optimè callebat, quamvìs *Tullius* ignarus illius eſſet. Unde & factum eſt, ut *Parmenideam* hanc Dei definitionem parvi penderet. Cæterùm veriſimile eſt *Parmenidem* *Kether* hanc cenſuiſſe αὐτόθεον, (quemadmodum *Arminius* dicitur Deum Patrem appellâſſe) eúmque perinde definiviſſe *Coronam ardoris lucidi*, ſed ſenſu ſymbolico. Utcunque verò ſit, argumentum interim minimè obſcurum eſt antiquitatis hujus Tabulæ Cabbaliſticæ, cùm *Parmenides* 460 ferè annis ante natum Chriſtum floruerit.

6. Jam verò ſecundam *Sephiram* quod attinet, illius cum ſecunda *Platonicæ* Triados Hypoſtaſi convenientia tam manifeſta eſt ut celari non poſſit. Illud enim quod hîc *Cochmah* (i. e. *Sapientia*) appellatur, ab ipſis etiam appellatur νοῦς, & σοφία, utì etiam λόγος. Quæ duo poſteriora, nomina etiam ſunt ſecundæ Hypoſtaſeos in Trinitate Chriſtiana. Adeò ut nihil neceſſe ſit diu hîc immorari. Cognomina etiam hujus *Sephiræ*, multa eorum, valde conſona ſunt tum Chriſtianis tum Platonicis Titulis ſecundæ Hypoſtaſeos; ut *Principium*, *Jeſch*, *Ens*, *Eſſentia*, (ἡ ἀληθινὴ σοφία οὐσία, ϗ ἡ ἀληθινὴ οὐσία σοφία, inquit *Plotinus*) & *Primogenitura*. Philo appellat τὸ πρωτόγονον θεοῦ υἱὸν, *Primogenitum Dei.* Verùm hæc adeò obvia ſunt ut nullam prorſus habeant difficultatem.

7. Res majoris difficultatis meritò videri poteſt, tertiam *Sephiram* diſtinguere ab hac ſecunda, cùm altera Sapientia, *Cochmah*, altera ſit *Binah*, *Prudentia*, quemadmodum in hac Tabula exponitur; veruntamen exponi etiam poteſt *Intelligentia*, cum relatione ad *Kether* & *Cochmah*, ſi per *Intelligentiam* intelligamus id ipſum quod Græci σύνεσιν vocant. Quæ facilis eſt, recta, promptáque perceptio eorum quæ

ab altero dicuntur, nempe in humanis colloquiis & ſermocinationibus. Hæc verò, ſi fas ſit ità loqui, communicatio ſive ſermocinatio eſt quam Æternus profert *Logos*, qui inter alia cognomina appellatur, *Scaturigo Olei Unctionis*, quíque cùm in carne eſſet, de tertia hac Hypoſtaſi, quem Spiritum nos Chriſtiani appellamus, dixit; *Ille de meo accipiet & renunciabit vobis*, Johan. 16. v. 14. *Binah* igitur pulchritudinis omnis, omníſque Sapientiæ ac Bonitatis in *Kether* & *Cochmah*, lætabunda eſt Perceptio, éſtque unus purus, immutabilis & infinitus Divini Amoris ardor, ex Divinæ perfectionis perceptione ortus.

8. Hanc Hypoſtaſin *Platonici Pſychen*, ſive Animam appellant, perinde ac Cabbaliſtæ *Animæ gradum ſuperiorem.* Quam *Platonici* vocant τὴν θείαν ψυχὴν, quæ *Spiritui ſancto* in Chriſtianitate reſpondet. Cujus proprius Character eſt *Amor*, quemadmodum & ipſi Scholaſtici notârunt. Atque etiam hîc inter alia cognomina, vocatur *Ignis ignem conſumens. Plotinus* verò hanc Hypoſtaſin οὐρανίαν Ἀφροδίτην, i. e. *cœleſtem Venerem* appellat, utì etiam, Ἥραν, παρὰ τοῦ ἐρᾶν, (*ab amore*) quam ſororem facit uxorémq; *Jovis*, ſive *Divini Intellectûs.* Atque hîc etiam inter alia Cognomina vocatur *Soror mea*, & *Filia patris mei.* Ut prætercam in ſecunda Tabula Cabbaliſtica *Cochmah* appellari Patrem, & *Binah* Matrem, quod parùm profectò abeſt à faciendo *Binah* Uxorem perinde ac Sororem Sephiræ *Cochmah*, quemadmodum *Plotinus Pſychen* facit utramque vicem præſtare Divino Intellectui. Sed hæc credo ſufficere poſſe ad evidenter demonſtrandum, quòd *Binah* tertiæ Hypoſtaſi reſpondeat in *Platonica* Trinitate.

9. Et tamen aliquid ſupereſt haud parvi momenti quod eódem facit. *Platonici* enim ſuæ *Pſyche* immediatam Mundi fabricationem attribuunt, ut Scriptura *Spiritui Dei* incubanti aquis. Hæc igitur eorum eſt νοῦς δημιουργὸς, nempe *Binah*, ut *Cochmah* eorum νοῦς νοητὸς, ex eo quòd Creatio immediatè hinc profecta ſit. Atque hanc ob cauſam, & quòd Divinæ illæ Emanationes ſive Effluxus quibus Mundus regatur, immediatè hinc promanaverint, hæc *Sephirah* aptè appellatur *Prudentia*, & inter alia cognomina *Formatrix* etiam nominatur. Quò & ipſum nomen *Binah* videri poteſt alludere, cùm ſono proximè abſit à *Binuah*, tanquam ſi tale eſſet vocabulum à בנה extruere, fabricare, innuendo *Binah*, immediatam eſſe rerum omnium conditricem. Tanta ſanè convenientia eſt, per omnia, tres primas *Sephiroth* inter & tres Hypoſtaſes *Platonicæ* Trinitatis.

10. Quòd autem *Cochmah* Patèr appelletur, ſatìs conſentaneum eſt illi loco apud *Eſaiam*, Πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, *Pater ſeculi futuri*, vel Mundi futuri. Erat enim quando *Mundus* ab eo extiturus erat, perinde ac *Eccleſia.* Quorum utrorumq; *Binah* etiam mater eſt. Ex eo verò quòd appellatur etiam *Filia patris mei*, manifeſtum eſt Cabbalam, *Kether* etiam appellare *Patrem.* Quæ uſitatiſſima appellatio eſt primæ Hypoſtaſeos apud nos Chriſtianos.

11. Quamobrem cùm hæc conſpicua ſit congruitas inter primam hanc Triadem *Sephirotharum* & tum Chriſtianam tum Platonicam Trinitatem, concludere debemus, quanquam haud ità diſtinctè in hac Tabula indicetur, quòd in his æterna Divinitas conſiſtat, quæ quantùm ad ſeipſam ſemper eadem eſt, ſive ulla Creatura exiſtat ſive non. Ac proinde hæ rectiùs *Immanationes* appellari poſſunt quàm *Emanationes*, vel potiùs Ἐνέργειαι· Prima enim nè *immanatio* quidem propriè eſt, omnes verò ſunt *Energiæ*, in ſublimi illo ac nobili ſenſu, quo *Ariſtoteles* dicit Deum talem eſſe, οὗ ἡ οὐσία ἐστὶν ἐνέργεια, cujus ipſa Eſſentia ſit *Energia*, nec poſſit non eſſe. Quod veriſſimum eſt de tribus hiſce univerſis. Quòd utique ſunt infinita quædam ac neceſſaria Vita & Energia quæ non poteſt non eſſe, ac proinde exiſtunt ab æterno. Unde *Arich Anpin* appellatur *Attik Jomin*, *Antiquus Dierum*, in ſecunda Tabula. Antiquitate illìc pro *Æternitate*, poſitâ, ut *Arich*, quæ larga productio eſt ſive extenſio, pro *Immenſitate.*

12. Tales quidem ſunt tres primæ *Sephiroth.* Quæ verò ſequuntur Divinæ ſunt *Emanationes* in *Creationem*, vel potiùs ſeptem magìs generales ſive Metaphyſicæ ſignificationes *modorum* ordiníſque earum (quibus & ipſæ continentur in hoc ſeptenario) ſecundùm ipſam rerum naturam. Ut primò, Divina hæc Influentia *extendi* debet ſuper totam Creationem, cùm nullus Spiritus ſpiritualíſve Operatio *amplitudine* deſtituatur aut Ubietate, ut ità loquar, cùm *amplitudo* primum & generaliſſimum Attributum ſit cujuſque rei, quæ reverà ſit. Quamobrem prima harum ſeptem *Sephirotharum*, eſt *Gedulah*, quæ magnitudinem ſignificat ſive amplitudinem. Sit verò quid, quàm voles, amplum, parum tamen valet ſine viribus aut vigore, ac proinde proximè ſequi debet *Geburah*, quod eſt, Robur. Sed nec *Amplitudo Vigór*que quicquam proficiunt, ſine eo quod apud Græcos vocatur κόσμος, quod non ſolùm ornatum ſed & aptum ordinem

ſignificat, & proinde additur *Tiphereth*. Hiſce verò tribus conjunctis *Amplitudine*, *Vigore*, aptóq; *Ordine*, naturalis horum eventus eſt *Netzach* Victoria ſive felix ſucceſſus. Victoriæ verò fructus *Hod*, i. e. Gloria, Triumphus, aut exultabundum Gaudium, ex operum ſuorum ſucceſſu. Quod, crepitantis flammæ inſtar ſi citò extingueretur, res omnino imperfecta eſſet, & propterea ſuperadditur *Jeſod*, Fundamentum, quod *Stabilitatem* innuit, taléſq; leges Fundamentales quibus glorioſa hæc & victorioſa *Influentia Divina* certò ac inevitabiliter Creationem regat. Eſtq; certè illa Divina *Nemeſis* in rebus. Et ex his omnibus ſimul concinnatis, æternum illud Dei Regnum emergit, quo imperat Univerſis. Ac proinde poſtremo loco occurrit *Malcuth*, Regnum. Quod eſt integra illa poteſtas Imperialis quam Deus exercet in totam Creationem. *Jehova in Cœlis ſtabilivit ſolium ſuum, & Regnum ipſius dominatur omnibus.*

13. Atq; hæc *Nominum Ordiniſq;* decem *Sephirotharum* brevis eſt ratio. Supereſt unicum nomen in hac Tabula proximè ſub tribus primis *Sephiroth* collocatum, & ante ſeptem poſtremas, éſtq; *Daath*, vocatúrq; locus Scientiæ. Quem tanquam Symbolum conſidero ſtatûs talium Animarum, quæ ſub Influentia poſitæ, ſive Illuminatione *Binah*, participes fiunt Sapientiæ quæ ſupernè eſt, & illuminatæ ſint Spiritu ſancto. Cognomina cujus *Binah* ſunt, *Lumen mirificum*, *Vox interior*, *Facies Solis*, &c. De titulo *Cheſed* pro *Gedulah* poſito, nomine primæ ſeptem Sephirotharum adnotamenta ponemus in Tabula ſequenti.

In SECUNDAM
TABULAM CABBALISTICAM.

1. IN hac ſecunda Tabula diſtinctio inter *æternam Deitatem* & *Divinas Emanationes*, in *Creationem profluentes*, magìs eſt manifeſta. Primò, Quia ſeptem ſequentes *Sephiroth* tam conſpicuè à tribus primis circulo diſtinguuntur. Et deinde quia generalis Diviſio cunctarum decem eſt in *Arich Anpin* & *Dſeir Anpin*. Infinitáq; Amplitudo uni attribuitur, utì patet ex Inſcriptione τȣ̃ *Enſoph*, *Infiniti*, ſed contractio amplitudinis alteri. Quandoquidem *Arich Anpin Macroproſopum* ſignificat, ſive hominem vultu longè latéve extenſo; *Dſeir Anpin* autem *Microproſopum*, ſive hominem facie magìs contractâ. Quod planè demonſtrat Antiquam hanc Sapientiam Cabbaliſticam Mundum concluſiſſe finitum, quemadmodum fieri oportere oſtendi in *Enchiridio Metaphyſico*, cap. 10. Ac proinde cùm Divinæ Emanationes Mundo commenſuratæ ſint, eas etiam oportet eſſe *Dſeir Anpin*, limitatas ſcilicet ac finitas.

2. Cùm verò *Arich Anpin* infinitus ſit amplitudine, manifeſtum eſt oportere ipſam eſſe Divinitatem. Quæ in generali Repræſentatione ſimplicis *Arich Anpin* accuratè reſpondet *Extenſo* illi immobili *infinito* quod tam planè demonſtravi in *Enchiridio Metaphyſico*, cap. 6, & 7. Et inſinuavi porrò, *cap.* 8. à viginti ferè Divinis Attributis quæ ipſi competunt, confuſiorem quandam ac generaliorem eſſe repræſentationem *Eſſentiæ* ſive eſſentialis Præſentiæ Divinæ, quatenus à *vita* & operationibus præciditur. Et certè cùm ſit iſtiuſmodi obſcura adumbratio alicujus quod tamen neceſſariò eſt, (ac proinde meritò appellari poteſt *Ehieh*) puto me non temerè amicos ſæpenumerò monuiſſe, quòd illud cenſerem talem eſſe Deitatis repræſentationem qualem *Cabbaliſtæ* etiam fortean obſervaverint, appellaverintq; *Aleph tenebroſum*; Divinis verò illis Energiis, quæ ſuprà memoratæ ſunt, unà conſideratis earúmq; manifeſtatione per Mundi Creationem, tum demum appellatum fuiſſe *Aleph lucidum*. Atq; heic ſanè, ille *Arich Anpin* ſive prima *Sephirah*, inter alia Cognomina vocatur *Color niger*, & *Privatio*. Quod admodum aptè reſpondet meæ Notioni, de *Infinito* illo *extenſo* immobili. Adeò ut quod ipſe anxiâ ac ſeverâ ratione concluſeram, antiquâ hâc Cabbalâ porrò confirmatum videam. Sed pergo.

3. Hic *Arich Anpin* ulteriori rurſus ſenſu, quàm ſuprà notaverim, appellari poteſt *Kether*, *Corona*, quippe cùm Mundus finitus ſit, hic *Arich Anpin* neceſſariò eum circumcinget & quaſi coronabit, quatenus *Arich Anpin* ſive *Enſoph*. Quantùm verò ad alteras rationes, quare prima hæc *Sephirah* appellanda ſit *Kether*, nihil neceſſe eſt hîc repetere.

4. Cæterùm *Arich Anpin* ſive *Kether* hoc ultimo ſenſu cum tribus capitibus deſcribitur, *Kether*, *Cochmah* & *Binah*, utpote qui *eſſentialiter* ſit *Kether*, *cauſaliter*

Cochmah & *Binah*, immo verò omnia quæ exiſtunt. Vide Myſterium Pietatis, *lib.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 2. Veruntamen f f & i i *Cochmah* & *Binah* deſcribuntur etiam diſtinctis Circulis ad utrumq; latus τοῦ *Arich Anpin* ſive *Kether*, quippe quæ ſunt quod ſunt, *eſſentialiter* & *formaliter*, diſtinctim à *Kether*, quanquam neceſſariò cum eo co-exiſtentes, & exiſtentes ab eo nec tamen ab eo realiter differentes. Et *Cochmah* appellatur *Pater* reſpectu Creationis Mundi & Regenerationis Animarum humanarum, quemadmodum & *Binah* ob eaſdem cauſas dicitur *Mater*. Sed ratione habitâ ad *Kether*, *Cochmah* appellatur Primogenitura heîc, & πρωτόγονος θεοῦ ὑιὸς apud *Philonem*. Et *Binah* heîc *Soror mea*, & *Filia Patris mei*, juxta illud de *Pſyche* (quæ huic *Binah* reſpondet) quod occurrit in mea *Pſychozoia*, Cant. 2. Enneaſtich. 1.

> *Magnam illam primo cantavi carmine* Pſychen
> *Antiquo* Atuvo *prognatam*, Ontóſq; *ſororem.*

Et *Binah* itidem juxta hanc Cabbalam filia *Kether* eſt, & ſoror *Cochmah*. Verùm & illa Locutio, *Filia Patris mei*, apertè agnoſcit *Kether* Deum Patrem, quemadmodum nos Chriſtiani primam Trinitatis Hypoſtaſin appellamus. Quod & *Primogenitura* etiam planè implicat.

5. Notabo tantummodo Cognomina quædam ſive ſubordinata τῆς *Binah* (quæ *Spiritui ſancto* reſpondet) iſtiuſmodi ſcilicet quæ ſeculum illud futurum ſupponant, quod *Cabbaliſtæ* vocant *Regnum Spiritûs*: & tunc conſiderabimus τὸν *Dſeir Anpin*. Talia autem ſunt, *Sabbatum magnum*, *Jubilæus magnus*, *Hæreditas Jacob*, *Dies ſuprema*, *Dies Propitiationis*, *Tuba magna*, *Rex ſedens in Throno miſerationis*, *Fluvius egrediens è Paradiſo*, *Pœnitentia*, *Converſio*, *Lumen mirificum*, *Redemptio*, *Seculum veniens*, *Vita venientis ſeculi*, *Collaudatio*. Hæc omnia, quantum ego video, digitum intendunt in *Millennium* ſive *Regnum Spiritûs* (qui hìc appellatur *Binah*) tanquam effecta ſpecialis illius Influentiæ, operationúmve illis temporibus.

6. Circulus τοῦ *Dſeir Anpin* m m m n n n, caput complectitur τοῦ *Dſeir Anpin* o o o, & ſex primas præterea ſeptem *Sephirotharum*. Et q p r triplex Cerebrum eſt hujus Capitis, viz. *Sapientia*, *Prudentia* & *Scientia*, & reſpondet τῇ *Daath* in priori Tabula, loco Scientiæ ſenſu magìs generali, cujus rei ſignificationem jam ſuprà declaravi, majúſq; quippiam eſt quàm pro meis viribus, plures ullius momenti inſtituere obſervationes ſuper hiſce *Sephiroth*.

7. Notabo ſolummodò circa primam harum ſeptem ſubſequentium *Sephirotharum*, quòd duo illius nomina, *Gedulah* & *Cheſed*, talia ſunt quæ rurſus initium arguant ſecundi generis *Sephirotharum*, quæ ſunt *Creaturales*, ſive *Emanationes in Creationem*, quæq; diſtinguendæ ſunt à tribus *Sephiroth* æternæ Deitatis, illúcq; referendæ tanquam effluxus ab eis tribus. Ut ad *Arich Anpin* cum Inſcriptione τοῦ *Enſoph*, quæ infinitam planè arguit magnitudinem, referenda eſt *Gedulah* magnitudo vel amplitudo *creata* ſive *finita*. Nullum enim ſignum Infinitatis illi adjungitur. Cæterùm τῷ *Arich Anpin*, quatenus eſt *Kether*, eo ſenſu quo *Platonicorum* Τ'ἀγαθὸν includit, (ſive æternam & a-ſe-natam *Bonitatem*) *Cheſed* manifeſtò reſpondet, alterum utiq; illud nomen hujus primæ ſeptem *Sephirotharum*, quæ eſt *Benignitas* ſive *Miſericordia*. Quæ altera Indicatio eſt, *Creaturales* Sephiroth hìc incipere, hâncq; eſſe illam miſericordiam, quæ eſt in omnibus illius operibus.

8. Ad primam etiam *Sephiram* Deitatis referri poteſt *Geburah* Robur ſive vigor, qui manifeſtò continetur in *Kether*, quæ non ſolùm conſtrictionem & unionem ſignificat, ſed, quemadmodum reverà eſt, primordialem vigorem, prægnantémq; vim ac plenitudinem ex qua omnis *vita* & *eſſentia* promanat, idem ipſum quod *Platonicorum* Τ'ἀγαθὸν implicat. Adeò ut *Gedulah* cum *Cheſed* & *Geburah*, manifeſtò referendæ ſint ad *Arich Anpin* ſive *Kether* primam *Sephiram* æternæ Deitatis.

9. *Tiphereth* verò ad *Cochmah* Sapientiam, referenda eſt, ſiquidem *Tiphereth*, hoc eſt, *Pulchritudo* ſive *Ordo* æterno Logo, ſive τῷ νοητῷ, aptè reſpondet, quem *Platonici* etiam vocant τὸ πρῶτον εἶδος, τὸ πρῶτον κάλλος ſive Ἀυτοκαλόν. Quatuor autem ultimæ Sephiroth *Netzak*, *Hod*, *Jeſod* & *Malcuth*, referendæ ſunt ad *Binah Prudentiam*, quippe quum hæ quatuor proſperam, glorioſam ſtabilémq; rerum adminiſtrationem Regni Dei in Creatione inſinuent. Et certè *Prudentia* proprium eſt vocabulum, quo illa ſignificatur Peritia quæ in rebus agundis cernitur.

10. Nihil ſupereſt quod notem ex *Cognominibus* ſive *Subordinatis*, niſi quòd quæ ad *Tiphereth* ſpectant, viz. *Jehovah*, *Spiritus*, *Sol*, *Ortus Solis*, *Sacerdos magnus*, * *Homo ſupernus*, *Adam cæleſtis*, *Maritus Eccleſiæ*, cum aliis eódem ſpectantibus, nempe

Mundus venturus, *Judicium*, *Rex*, comparata, ſubindicare videantur Regnum Chriſti ſecundùm *Spiritum*, cùm *Tiphereth* hoc in ſenſu ſit *Divinarum* Emanationum in Creaturam omnium pretioſiſſima, vel *Imago Dei Chriſti*ve in nobis nati, illúdque ipſum quo ipſe etiam Chriſtus ſecundùm humanam ſuam naturam gradu præ conſortibus uberiori unctus eſt.

11. *Jeſod* etiam Cognomina habet quæ digitum videntur intendere in ſpeciale illud fœdus quod Prophetæ prædixerunt Deum cum populo icturum eſſe in Chriſto, in beatis illis ſeculis futuris. Quod fœdus futurum eſt Vitæ Spiritus ac Virtutis populo ſuo. Ac proinde talia occurunt cognomina, *Jeſod*, *El-chai Deus Vitæ*, *El-ſhaddai Deus Omnipotens*, *Angelus Redemptor*, *Redemptio*, *Fons aquarum viventium*, (quod ipſum Chriſti promiſſum eſt, omnibus in eum credentibus, *Johan.* 7. 38.) *Robur*, *Dominus ſuper Arcam fœderis*, ut legem nempe cordibus ipſorum inſculpat, *&c.*

12. Nunc verò quòd Circulus τοῦ *Dſeir Anpin* è ſeptem *Creaturalibus* Sephiroth (ſi fas ſit ità loqui) ſex ſolas contineat, equidem aliquantulum demirarer, ſi non conſiderarem mentionem fieri coalitionis *Malcuthæ*, quæ dicitur uxor *Dſeir Anpin*, cum ipſo *Dſeir Anpin*, conjunctis tergis. Mihi verò videtur inveniri debuiſſe *Malcuth* in *Dſeir Anpin*, tanquam Summam vel Aggregatum omnium *Sephirotharum* quatenus emanationes ſunt à Deo, * quemadmodum intelligendæ videntur in prima Tabula, & tum demum ſuccedere oportuiſſe Uxorem *Dſeir Anpin*, quæ aut Creatio eſt in genere, aut vera Eccleſia magis particulatim, quam hîc *Dſeir Anpin* actuet regátque. Quo in ſenſu vocatur inter cognomina, *Sponſa*, (ſimiliter atq; Sponſa Agni in Apocalypſi) *Eccleſia Iſraelis*, *Virgo Iſraelis*, & *Regina Cœli* (quaſi *Hieroſolyma* illa eſſet deſcendens è Cœlo) *Domus David*, *Hortus David*, *Templum Regis*, *Arca Noæ*, *Piſcina*, *Mare*, *Domus Sanctuarii*, &c. * In altero verò ſenſu, *Adonai*, *Elohim*, *Vita*, *Dominus univerſæ terræ*, *Lapis capitalis*, *Gladius*, *Liber vitæ*, *Terra vitæ*, *Raphael*, &c.

13. His præmiſſis, ſuppoſitóque quòd uxor *Dſeir Anpin* ſive Circulus i i i a a a intelligatur tota eſſe Creatio in genere, Circuli interiores β, γ, δ, ε, ζ, η, θ, non erunt niſi eædem rurſus *Sephiroth*, ſed nunc conſiderandæ non tam ſecundùm ſuum terminum à quo, quatenus Emanationes ſunt ab *Arich Anpin*, quàm ſecundùm terminum ad quem, ſecundúmve id in quod fluunt, quæ Uxor eſt τοῦ *Dſeir Anpin* ſive Creatio, uti dixi. Atque heîc *Malcuth* propriè ſic dicta caput eſt hujus fœminæ, reſpondétque τῷ q. p. r. in priori circulo, τὸ γ τῷ s, τὸ δ τῷ t, τὸ ε τῷ u, τὸ ζ τῷ w, τὸ η τῷ x, τὸ θ τῷ y. In hac uxore *Dſeir Anpin* hæ Sephiroth conſiderantur magis *concretè*, in *Dſeir Anpin* ipſo magis *abſtractè*. Suppoſito verò tantùm Fœminam eſſe, (quæ uno in ſenſu ſit rerum creatarum univerſitas, in altero autem ſenſu Eccleſia) β eſt caput ejus, γ brachium dextrum, δ brachium ſiniſtrum, ε corpus, ζ femur dextrum & pes dexter, η femur ſiniſtrum & pes ſiniſter, θ membrum fœderis. Quantùm verò ad i k pedes, qui dicuntur ad extremum Mundi materialis protendi & veſtiri à *Metatrone*, ex hoc loco auguror *Metatronem* reſpondere poſſe *Principio Hylarchico* quod voco, vel *Spiritui Naturæ*, qui immediatus eſt ornator ordinatórque mundi materialis, *Tiphereth* Phyſica, ſive *Tiphereth* Univerſi naturalis, éſtque Effluxus proprius *Cochmah*, (quemadmodum ſuprà notavi) ſecundæve *Sephiræ* æternæ Deitatis, quæ eſt νοῦς νοητὸς, æternus logos, & τὸ ὂν, vel potiùs τὸ ὄντως ὂν, appellatúrque ὁ ἐὼν in verſibus illis *Sibyllinis* :

Εἰμὶ δ' ἐγὼ ὁ ἐὼν, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον,
Οὐρανὸν ἐνδέδυμαι, &c.

Utpote qui æternus ille ſit λόγος qui per hanc Phyſicam *Tiphereth* propriam ſuam Emanationem Materiam prehendit tenétque ac ſeipſum Univerſo inveſtit, qui magnus ſit ille ſacerdos ac æternus *Aaron*, cujus *Aaron* tantùm fuit Typus, æternus Dei filius qui Creationem fecit, ſuſtinet & renovat. Vide Appendicem Defenſionis *Cabbalæ* meæ *Philoſophicæ*, cap. 5. ſect. 2, 3, 4. Et quemadmodum Abyſſus *Phyſicarum Monadum* τῷ *Arich Anpin* reſpondet, & *Spiritus Naturæ* νῷ νοητῷ ſive *Cochmah*; ità Anima Mundi (quæ *Spiritûs Naturæ* pars perceptiva eſt) νῷ νοερῷ reſpondet ſive *Binah*, tertiæ *Sephiræ* Deitatis. Verùm hiſce non licet immorari.

14. Intereà loci, (quod ferè oblitus eram) expreſſa trium primarum *Sephirotharum* à ſeptem reliquis diſtinctio, ídque tali modo ut manifeſtum ſit per tres primas intelligendam eſſe æternam Deitatem, viz. יהוה, quæ vox in י,ו,ה, tempus futurum, præſens & præteritum complectitur, ac proinde perquam aptè reſpondet τῷ ὁ ὢν ϗ ὁ ἦν ϗ ὁ ἐρχόμενος, quemadmodum Apocalypſis vocabulum illud Hebraicum יהוה videtur explicare; expreſſa, inquam, hæc diſtinctio facit, ut pronior jam ſim, quàm unquam,

in hanc ſententiam, quòd ſeptem utique Spiritus, Apoc. 1. 4. [*Gratia vobis & pax à Qui eſt, & Qui erat, & Qui venturus eſt*, (quæ periphraſis eſt Jehovæ ſive trium primarum Sephirotharum ſeu Sacroſanctæ Trinitatis) *& à ſeptem Spiritibus*] * ſeptem ſint *Sephiroth*, quæ actuent regántque Creationem, vel magìs ſpecialiter Eccleſiam Dei. Nec ſanè dubito quin admirabilis ille liber multis in locis valdè ſit Cabbaliſticus. Quod majorem profectò antiquæ Cabbalæ conciliare debet reverentiam, quemadmodum nec dubito quin veræ antiquæ Cabbalæ detectio effectura ſit ut ipſa *Chriſtiana Religio* acceptatior futura ſit & optatior apud omnes & præſertim apud Judæos, poſtquam purgata fuerit ac liberata ab immenſa illa mole ſcoriæ ac ruderis, ſub qua jam jacet ſepulta.

In uſum Tabulæ de Ordinibus *Divinorum Nominum*, &c.

Sect. 4. Inquirendum utrùm Judæi, quanquam vox illa פרצוף *perſona* apud illos in iſta ſignificatione reperiatur, revera ipſam vocem applicent τῷ *Arich Anpin*, *Cochmah*, *Binah*, *Dſeir Anpin*, &c. nec ſit noſtra tantùm Collectio ex eo quòd *Cochmah* patrem, & *Binah* matrem appellent, *&c.*

Sect. 5. Quòd Judæi membra Generationis in ipſa Deitate admittant, manifeſtum eſt ex eo quòd *Cochmah* vocant Membrum generationis maſculinum & *Binah* Matricem literæ Jod. * Quæ quidem Jod circulus eſt *Arich Anpin*, qui tamen includit *Cochmah* & *Binah*, (adeò ut iſta figura trium primarum Sephirotharum a a a, f f, i i, & Unitatem Deitatis & Trinitatem ſimul repræſentet :) quemadmodum *Vau* cùm ſit craſſior quàm *Jod*, circulus eſt τοῦ *Dſeir Anpin*, qui circulus eſt Divinarum Emanationum *abſtractè* conſideratarum. *Malcuth* verò ſive Uxor *Dſeir Anpin* * circulus eſt literæ ה, quæ litera eſt magìs compoſita, eóque Divinis Emanationibus in concreto convenientior. Unde manifeſtum eſt Judæos utraque membra Generationis in ipſa Deitate admiſiſſe. Nec veteres quidam Theologi dubitârunt Deum agnoſcere ἀῤῥενόθηλυν. Et *Syneſius* expreſſim,

Σὺ πατὴρ, σὺ δ' ἐσσὶ μάτηρ,
Σὺ δ' ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς.

Sicut & Cabbala, *Cochmah* patrem appellat, *Binah* verò matrem, membrum maſculinum attribuens alteri, alteri verò fœmininum ; Matricem *Jod*, facultatem utiq; percipiendi, (ut quæ νοῦς νοερὸς ſit) vel concipiendi à *Cochmah*, & procreandi etiam, totam nempe Creaturam. Tam parum rationis ſubeſt cur Judæi cum nobis cavillentur, quòd *Patrem* in Divinitate admittamus.

Sect. 6. Hîc conſiderare oportet, an *Modus*, apta ſit locutio, quæ *Logo* ſive Sapientiæ, ſecundæ Hypoſtaſi in Trinitate poſſit applicari. Quodſi Judæi *Cochmah* Divinum *modum* appellare volunt, argumentum adversùs ipſos fortius erit, præſertim ſi agnoſcant reliquas ſeptem *Sephiroth* non *Creaturales* eſſe ſed *æternos* & immutabiles Dei *modos*. Quales fateor me eas minimè eſſe cenſere, ſed tales quæ cum Creatione inceperint, & ceſſante Creatione ſimul ſint ceſſaturæ, nihílque eſſe ipſum Deum æternum, præter tres primas *Sephiroth*. Veruntamen ſi *Abrahamus* agnoſcatur apud Judæos uniri cum *Cheſed*, *Iſaacus* cum *Geburah*, *Jacob* cum *Tiphereth* & *David* cum *Malcuth*, quibus tamen Scriptura nullam attribuit Divinitatem aut ἀποθέωσιν, qualem attribuit *Meſſiæ* ſive *Chriſto* ; equidem omnino par eſt, ut is cui Divinitas attribuitur, uniatur cum una aliqua earum *Sephirotharum*, quæ revera *Divinæ* ſunt, nempe uni alicui ex Divinis Hypoſtaſibus conjungatur. Et cui, obſecro, congruentiùs, quàm ſecundæ Hypoſtaſi *Cochmah* ſive *Logo*, per quem omnia facta ſunt, quíque proinde maximè eſt idoneus, qui corrigendis, redimendis inſtaurandíſque manuum ſuarum operibus ſeipſum immiſceret ? Adeò ut utrâcunq; ratione Argumentum hoc vim ſuam obtineat adversùs Judæos.

SCHOLIA

In Tabulam II. Sect. 10.

Homo ſupernus, Adam cœleſtis, Maritus Eccleſiæ, *&c. Quî factum ſit ut hæc Nomina*, Homo ſupernus, Adam cœleſtis, Maritus Eccleſiæ, Sacerdos magnus *hîc occurrant ſub* Tiphereth, *intelligi poteſt ex eis quæ notavimus in Epiſtola ad* C. K.

ſect. 8. Tiphereth *nempe locum eſſe opportunum quærendi de Legiſlatoribus* Eccleſiæ *ac Principibus, ut de* Moſe *ac præſertim de* Meſſia, *qui hîc Maritus* Eccleſiæ *dicitur. Quòd autem quidam ex eo quòd Circulus m m m, n n n,* Dſeir Anpin *dicitur, & Circulus z z, a a a, Uxor* Dſeir Anpin, *humanam creatámque naturam* Chriſti *ſive* Meſſiæ, *hoc eſt, Animam ejus, quam &* Logon *eſſe, qui incarnatus eſt, eſſe volunt, per totum Mundum extendunt, id profectò nullo modo admittendum eſt. Nam ſuppoſito, quòd Judæi Animam Meſſiæ per rerum creatarum univerſitatem extenderent, per errorem eos ſic feciſſe nullus dubito ex eo ortum, quòd Animæ Meſſiæ cum Æterno* Logo *unionem quam vocant Hypoſtaticam non ſatìs diſtinctè intelligerent. Ac proinde mirum quoddam Figmentum, quod nec Æterno Logo, nec veræ Animæ Meſſiæ nec utriſque conjunctim conſideratis conveniat, temerè excogitârunt.*

Logon *autem incarnatum non eſſe Animam Meſſiæ per totum Mundum extenſam manifeſtò apparet ex eo quòd* Logos *Deus apertè dicitur apud* Johannem. *Qui ſic dici non poteſt ob unionem Hypoſtaticam putà cum Deo, non magìs quàm* corpus *Anima dici vel* Spiritus *propter unionem cum Anima, quemadmodum alibi pleniùs demonſtro. Chriſtus Homo igitur, quod tam efflictim fieri cupiunt* Familiſtæ *vel potiùs* Quakeri, *ubique eſſe non poteſt, niſi* Æternus Logos, *qui revera Deus eſt & increatus, dicendus ſit* Homo. *Quem apud* Clementem Alexandrinum *fateor appellari* ἄνθρωπον ἀπαθῆ, *Hominem impaſſibilem. Ubi & Imago Dei dicitur, ut & Mens noſtra hujus Imago Imaginis. Quo ſenſu etiam intelligendum eſt illud Triſmegiſti :* Λέγε μοι καὶ τοῦτο, τίς ἐστι γενεσιουργὸς τῆς παλιγγενεσίας; Dic age quis Regenerationis Auctor? *Ad quod reſpondetur,* Ὁ τοῦ θεοῦ παῖς ἄνθρωπος εἷς, θελήματι θεοῦ, Dei Filius homo unus, voluntate Dei. *Unigenitus putà ille Dei filius quem omnes agnoſcunt Logon eſſe, non Animam creatam & per totum Mundum diffuſam. Quod autem affertur de* Sapientia *quæ idem eſt quod hic* Logos, *quaſi Creatura eſſet non Deus, propterea quòd inungi dicitur,* Pro. 8. 23. מעולם נסכתי. A Seculo inuncta ſum, *id Animam* Meſſiæ *à ſeculo cum Æterno Logo unitam fuiſſe potiùs arguit, quàm Æternum Logon eſſe Creaturam. Et quod de uno hoc loco notavi, idem de reliquis id genus omnibus quæ allegantur, dici poteſt; Hypoſtaticam Animæ Meſſiæ cum Æterno Logo unionem arguere, non autem Animam per totum Mundum extenſam.*

Verùm iſte locus ad Coloſſenſes, *minimè omnium huc facit, quippe qui apertè agit de complexa Hypoſtaſi Chriſti, quandoquidem plus ſemel etiam de* ſanguine *ejus illîc fit mentio. Ac proinde* Πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *cùm* πρωτότοκος *idem ſit quod* בכור *(quod non ſolùm* Primogenitum, *ſed* Principem *ac* Dominum *ſignificat) ſi* humanam *Chriſti* Naturam *reſpicis, exponi poteſt Princeps totius Creationis, dum ipſe interim ut Creatura conſideratur, & ut Creationis principalis pars. Si verò ad* Æternum Logon *refers, Princeps Creationis altiori ſenſu dici poteſt, nempe quatenus illius eſt, jure creationis, Princeps atque Dominus. Qui ſenſus optimè cohæret cum verbis proximè ſubſequentibus,* Nam per eum condita ſunt omnia, *&c.* Coloſſ. cap. 1. ver. 16. *Atque hoc quidem ſenſu legi poteſt* πρωτοτόκος, *ut quidam volunt, cum accentu in penultima, quòd* Logos per Spiritum *primus Parens ſit totius Creationis, omniúmque in Natura Cauſarum Generationis Auctor : quemadmodum &* Cochmah, *quæ* Logo *huic reſpondet, in ſecunda Tabula Cabbaliſtica,* Pater *appellatur. Et ſi* πρωτότοκος *paſſivè accipias, interpreteriſque,* πρὸ πάσης κτίσεως τεχθεὶς, *id eſt,* ante omnem Creationem genitus, *ſi de* Æterno Logo *intelligatur, nec id quidem coactum eſt. Tam parum momenti habet hic locus ad probandum* Logon, *apud* Johannem *memoratum, eſſe Creaturam.*

Cæterùm Creaturam eſſe oportere contendunt, ut idoneum ubique Medium *ſit vel* Mediator *Deum inter atque Homines : Et ſic eſſe conſtare ex eo quòd Mediatorio fungitur officio in Sanctis* ὑπερεντυγχάνων ὑπὲρ αὐτῶν, Rom. 8. 27. *& poſtremò, Chriſtus, qui iccirco* Homo *Chriſtus eſt, paſſim, in Sanctis eſſe dicitur, utì & Satanas in Filiis Inobedientiæ. Quod verò ad primum attinet, quaſi nullam communionem habere poſſemus cum Deo, quippe omnino impaſſibili & immutabili, & qui pro re nata nihil audiat aut percipiat aut agat, nè mutari videatur aut non ſatìs antea fuiſſe perfectus, ac proinde aliquis qui non ſit niſi per unionem cum Deo Deus,* Medium *ſive* Mediator *eſſe debeat inter Homines & Deum, qui noſtra percipiat eiſque afficiatur & cum Deo communicet, Divináque à Deo, in nobis exiſtens, in nos transfundat; hæc quidem, quanquam primâ ſpecie plauſibilia videantur, dura tamen ſunt, nè dicam impoſſibilia. Divinæ enim perfectioni planè repugnat ut ſeriem tantùm Eventorum cognoſcat, præterita autem ſint an futura, an verò præſentia in-*

Johan. 5. 17. *terim neſciat.* Pater meus uſque adhuc operatur & ego operor. *Neſcitne ſe tunc operari Pater quando operatur, aut deſiiſſe poſtquam deſiverit? Miracula edidiſſe in Ægypto temporibus Moſis, in Judæa autem temporibus Chriſti, in neutro verò loco nunc edere? Nunc ſe Mundum non creare ſed olim creâſſe? Certè ut nihil derogat Eſſentiæ Divinæ, ut alia aliqua Eſſentia ſit à ſe creata præter ſuam; ità nec Divinæ Scientiæ æternæ & immutabili, quòd res in ſeculorum fluxu etiam percipiat; Quæ major perfectio eſt (noſtrâque magìs intereſt eam agnoſcere) quàm ut æterna ſolummodo ſciat & immutabilia. Et huic noſtræ quidem ſententiæ planè* Eſai. 57. 15. *ſuffragatur Propheta* Eſaias, *ubi ait*, Hæc dicit Excelſus & ſublimis habitans Æternitatem, In excelſo & in ſancto habitans & cum contrito & humili ſpiritu, ut vivificet ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum. *Quæ autem percipit & curat, eiſdem, eo quo Deum deceat modo, affici neceſſe eſt, æternâ ſuâ vitâ interim immutatâ & intemeratâ. Præterea quomodo poteſt illa Anima Chriſti per Mundum extenſa ſuo Mediatorio munere fungi apud Deum, ſi Deus nihil pro re nata percipit, nec ad illius Mediationem bona nobis largitur?*

Quod autem ad locum illum (Rom. 8. 27.) *attinet, Non de* Anima *aliqua* Chriſti *per Mundum extenſa agit, ſed de* Spiritu; *nec de* Spiritu *Chriſti* omniſcio, *ſive* Spiritu S. *tertiâ illâ SS. Trinitatis Hypoſtaſi, ſed de* Spiritu *ſive* Vita *in* Nova Nativitate *excitato, quo Animæ* Plaſtica *accenditur antequam Regeneratio pleniorem ſortita ſit effectum, ad Animæq; partem* Perceptivam *ac liberam, ubi diſtincta dominatur Ratio ac Loquela, ſatìs penetraverit. Suſpirat interim Anima Ardore hoc Divino inflammata, & anhelat ad eam quam nondum ſatìs novit libertatem Filiorum Dei.* Qui verò ſcrutatur corda, novit quis ſenſus ſit Spiritûs: *Quod planè indicat Spiritum hunc non diſtinctè cognoſcere quid ſibi velit, ut nec poteſt effari; ac proinde nec* Animam Chriſti *nec* Spiritum Dei, *ſenſu ſuprà dicto, eſſe, ſed* Spiritum Vitæ *in* Nova Nativitate, *ſive* Plaſticam *noſtram* Divini Spiritûs *ardore accenſam, quæ parturiens quaſi ad incognitum illum libertatis filiorum Dei ſtatum, ſummâ animi contentione anhelat.*

Ad poſtremum denique reſpondeo, Quotieſcunque Chriſtus in nobis eſſe dicitur, ſic ineſſe dicitur aut Potentiâ, *aut per* Fidem, *aut per* Spiritum, *aut per renovatam indiéſve renovandam* Imaginem illius *in nobis, operante Spiritu Chriſti quatenus Æternum* Logon *ſuâ Hypoſtaſi complectitur, in quo eſt* Ζωὴ *ſive* Spiritus Æternus. *Quemadmodum ſcriptum eſt,* Nos autem omnes retectâ facie gloriam Domini ut in ſpeculo intuentes, in eandem Imaginem transformamur ex gloria in gloriam ſicut à Domini Spiritu. *Hæc tam manifeſta ſunt & obvia ut pudeat eis diutiùs immorari. Vnum autem aliquem longè latéque ſic in Mundo extenſum eſſe Satanam ſive Diabolum, ut eſſentialiter ſive perſonaliter inſit Filiis Inobedientiæ, ſi quam illud Figmentum cohæſionem habet cum extenſione Animæ Chriſti per omnes Fideles, hæc profectò extenſio eò fit incredibilior: Quemadmodum & ex eo quòd* Spiritus Naturæ *fingitur pars* Plaſtica *Animæ hujus Chriſti per totum Mundum extenſæ. Cùm enim Anima hæc Hypoſtaticè cum Deo unita ſupponitur, Deus etiam Hypoſtaticè unietur cum hoc Mundo, atque ſic Deus totúmque hoc Vniverſum una fiet Hypoſtaſis. Quod ad antiquum Paganiſmum, qui inſigniores Mundi partes ut Dei membra Idololatricè coluit, latam aperit feneſtram: Quemadmodum &* Logon *hanc Animam eſſe fingere, manifeſtum olet* Arianiſmum; *ſicuti & Trinitatem in Divinitate ſic omnino eſſe ſtatuere ut tria illa in quovis corpore,* Subſtantia, Figura *&* Motus, *aut in Sole,* Diſcus, *Lumen & Calor, purum putum olet* Sabellianiſmum.

Atque ſic veram & orthodoxam Trinitatem evitantes, in Trinitatem fœdiſſimorum errorum prolabimur, Paganiſmum, Arianiſmum *&* Sabellianiſmum. *Adeò ut longè conſultius fuiſſet* τὰ ἀκίνητα μὴ κεκινηκέναι, *debitúmque antiquæ Eccleſiæ temporibus Symmetris honorem detuliſſe, quàm Næniis* Familiſticis *incantatos aut ſectæ cujuſvis infallibilitatis opinione deluſos tam incredibilia amplecti Inſomnia, addo, & ad nullam rem utilia. Anima enim Chriſti in cœlis apud Patrem ad extrà & Spiritus Chriſti intus in nobis, præſtare poteſt, quicquid quivis exoptare queant, qui veram æternámque ſincerè eſuriunt ſitiúntque Juſtitiam. Animam verò Chriſti in nos & per totum Vniverſum extenſam, ac eſſentiali & ſpecificâ dignitate à noſtris animabus differentem introducere, eſt planè* Naturam Chriſti humanam *è rerum Natura tollere, Diviniſq; apertè contradicere Oraculis.*

Abſurdus igitur inſcitúſque eſt Notionis hujus Cabbaliſticæ de Dſeir Anpin *abuſus, hujuſmodi Animam Meſſiæ per Vniverſum extenſam ex eadem extundere, cùm ſi quid ſimile finxerint* Cabbaliſtæ *recentiores, per errorem id factum ſit & ignorantiam Styli Prophetici ſive Cabbaliſtici, qui diverſorum Individuorum multitudi-*

nem in unam quaſi Perſonam ſolitus eſt compingere. Vnde minimè mirum eſt antiquos Cabbaliſtas *univerſalem omnium creatorum Spirituum comprehenſionem in unum* Microproſopum *ſive* Dſeir Anpin *primùm confinxiſſe; poſtea verò majoris diſtinctionis gratiâ, cùm univerſam obſervâſſent Spirituum multitudinem Divinis Influentiis perpetuò ſuſtentari & irrigari, totam Influentiarum varietatem per hunc* Dſeir Anpin *intellexiſſe, univerſoſque ipſorum Spirituum ordines tanquam illius Vxorem conſiderâſſe, quemadmodum jam notavimus. Et certè ab Æterno* Logo *per Spiritum cum Divino ſuo corpore ſive vehiculo (quamvìs &* Logos *&* Spiritus *infinitus ſit) finita eſt, ſed per totum Mundum extenſa & in omnes Spiritus puros Intellectuales exporrecta Divina Influentia, quæ* Dſeir Anpin, *quippe huic finito tantùm Vniverſo commenſurata, appellari poteſt. Cujus, omnes Spiritus Intellectuales puri (vel potiùs* τȣ̃ λόγȣ *quatenus in eos ſic influit) collectivè ſumpti poſſunt dici Vxor. Spiritus igitur Chriſti cum Divino ſuo Vehiculo ubique adeſt puris Spiritibus & Animabus: Anima verò Chriſti proprii ſui corporis limitibus in cœlo glorificati clauditur. Nec quicquam ab Anima illa, quam fingunt, longè latéque extenſa expectari poteſt, quod non æquè commodè præſtetur à Spiritu Chriſti cum ſuo Divino vehiculo.*

Ac proinde concludendum eſt, Logon, *de quo mentio fit initio Evangelii* Johannis, *quique apud Deum fuiſſe dicitur omniáque creâſſe, & incarnatus eſſe, non eſſe hunc* Dſeir Anpin, *ullámve meram Creaturam aut Animam creatam licèt per totum Mundum extenſam, aut Deum ob unionem ſolummodo cum Deo, appellari, ſed* verum Deum *eſſe* de vero Deo, *prout Fides Catholica tradit.*

Sect. 12. Quemadmodum intelligendæ videntur in prima Tabula, *&c. Sunt enim illîc proculdubio omnes unius generis. Cùm verò heîc* Malcuth *ſeparetur à reliquis tanquam rationis ſolitariæ, illud certè haud obſcurè ſubindicat, id quod & nos alibi apertiùs declaramus, nempe* Malcuth *eſſe ſubjectum Quæſtionum per præcedentes* Sephirothas *tanquam per locos communes faciendarum, ut fusè docemus in* Catechiſmo Cabbaliſtico.

In altero verò ſenſu, Adonai, Elohim, *&c. Nempe quatenus Æternus* Logos *per Influentiam* Spiritûs ſui, *cum Eccleſia, aut per* Spiritum Naturæ, *cum Mundo Naturali uniri quodammodo intelligatur. Vnde & Mundus apud* Plotinum ϑεὸς *appellatur, & apud* Philonem μέγας ἄνθρωπος· *Sed quàm nimis temerè iſta dicta ſint aut quàm cautè intelligenda, alibi moneo.*

Sect. 14. Septem ſint Sephiroth quæ actuent, *&c. Non quòd ipſæ* Sephiroth, *quæ aridæ tantùm ſunt* Numerationes, *quicquam actuent, ſed ſpirituales illæ Virtutes ac Potentiæ cuicuimodi ſint, ſive* ſubſtantiæ *creatæ ſive* operationes *Divinæ, Spiritúſve S.* influxus, *à ſeptem* Sephiroth *comprehenſi, vel per* ſeptenarium *ſignificati qui* Univerſalitatis *eſt Symbolum. Qua de re alibi explicatiùs ago.*

In uſum TABULÆ de Ordinibus, &c.

Quæ quidem Jod circulus eſt *Arich Anpin*, qui tamen, *&c. Nam quòd tres illi Circuli AA, FF, II pro uno habeantur circulo, indè mihi probabile videtur, quòd tres in genere tantùm numerantur circuli; quorum primo* Jod, *ſecundo* Vau *& tertio* He *litera aſſignatur. Ad* Jod *igitur pertinet AA, FF, II, tanquam unus circulus primúſque, ad* Vau *alter MM,* NN, *& ad* He *tertius ZZ, AA. Vide* Clavem ſublimioris Cabbalæ.

Quemadmodum *Vau* cùm ſit craſſior quàm Jod, *&c. Ipſe Deus ſive Æterna Divinitas cùm Actus ſit puriſſimus, quicquid ab ea promanat facilè intelligitur craſſius ipſâ eſſe & compoſitius, ſenſu ſaltem Metaphyſico.*

Circulus eſt literæ ה, quæ litera eſt magìs compoſita, *&c. Ex duabus enim partibus conſpicuè diverſis & disjunctis ferè conſiſtit, quod realem diſtinctionem Divinarum Emanationum à ſubjecto planè innuit, & compoſitionem igitur magìs craſſam. Quæ tamen Ratio minimè obtinet in* He *primo Tetragrammati quod* Sephiræ *Binah tribuitur, ut* Jod *Sephiræ Cochmah*, & Apex *literæ* Jod *Sephiræ* Kether *ſive* Coronæ *ſummæ.* Binah *verò etiam dicitur Matrix literæ* Jod, *adeò ut litera* Jod *primas tres Sephiras planè pervadat, prout videre eſt in Clave ſublimioris Cabbalæ. Non autem realis diſtinctio ſed unitas inter* Cochmah *&* Binah, *primo* He *Tetragrammati ſubindicatur. Quemadmodum enim Vnitas inter* Kether *&* Cochmah *intelligitur ex eo quòd* Kether *Apex ſit literæ* Jod, *Cochmah verò litera* Jod, Jod *enim cum ſuo Apice una eſt litera; Ità cùm ex* Jod *&* Vau, י *&* ו

facilè pingi poſſit ה *litera, ex eo quòd* י *&* ו *unam faciant literam, facilè itidem indè intelligitur unitas inter* Cochmah *&* Binah. *Atque ſic omnes tres primas* Sephiras *unum quid eſſe ſignificari.* He *verò primum* Tetragrammati *Increatum, tum* He *tum* Vau *Creatum eminenter effectivéque in ſe continere, magis obvium eſt quàm ut opus ſit monere; ut & ob literarum communitatem circulum* Vau *& circulum* He *ipſi Divinitati accenſere nimis temerarium eſſe, & à Divinæ Majeſtatis Sanctitate omnino alienum.*

TABULA TERTIA,

SIVE,

TABULA Sephirotharum *Græcanica* ſive *Pythagorica* ab *H. M.* reſtituta.


Tom. 1.
p. 440.
ΖΑΝῸΣ ΠΎΡΓΟΣ
1
Ἐπιστήμη
2
Φρόνησις
3
Σῶμα
4
Καρδιᾶτις
5
Διαρθρωσις τοῦ παντος
6
Ἀδράστεια
7
Παναρμονία
8
Ἕδρασμα
9
Κόσμος
10

IN TERTIAM TABULAM CABBALISTICAM.

HÆc ſunt decem nomina Denarii *Pythagorici* quæ decem vulgatis nominibus Tabulæ *Judæorum* Cabbaliſticæ non ineptè reſpondent; quemadmodum videre licet ſi ſingula cum ſingulis ſuo ordine comparemus. Ut primo in loco ſi כתר *Corona*, & Ζανὸς πύργος *Jovis Turris* inter ſe conferantur. Utraque enim *ſummitatem* Divinitatis denotant. Nec certè multùm abludit ſuperioris partis Turris ſimilitudo à *Corona:* Ut taceam projecturam illam quæ Turrem cingit vocari στεφάνην apud Græcos, *i. e. Coronam. Jovem* autem mentem eſſe Divinam notiſſimum eſt. Mente verò Divinâ, ſtrictiori ſenſu, aliquid ſuperius eſſe apertè innuit *Macrobius*, in Somn. Scip. lib. 1. cap. 6. *Aut enim Deus ſummus eſt aut Mens ex eo nata, in qua ſpecies rerum continentur, aut Mundi Anima*, &c. Deus ſummus illìc eſt *Summitas* Divinitatis quam *Platonici* vocant τὸ ἕν, ut *Pythagorici* μονάδα appellant θεόν· per quem intelligunt, ut quidam Chriſtiani, αὐτόθεον, ipſum fontem Divinitatis, quem & τὸ ἄκρον τοῦ νοῦ aliàs indicat *Macrobius*, unde & Κρόνον ſuum nomen habere exiſtimat, *Jovis* ſive Mentis Divinæ Patrem. *Summitatem* verò hanc cum *Turris* perinde ac *Coronæ* Imagine optimè convenire ſatìs ſuprà inſinuavimus. כתר igitur & Ζανὸς πύργος primorum in utraque Tabula Cabbaliſtica Numerorum Nomina bellè ſibi invicem reſpondent. Quidni & alia adjiciamus, in quibus conveniunt? Nam in *Clave ſublimioris Cabbalæ*, Prima *Sephirah* vocatur *Mens*, Primus Numerus apud *Pythagoricos* Νοῦς· Illìc *Fons ſine Fundo*, heìc βάραθρον· illìc *Nihil*, heîc χάσμα· illîc *Privatio*, heîc ἀλαμπία· illìc *Color niger*, heìc σκοτωδία· illìc *Ehjeh*, heîc οὐσία.

Secundi Numeri nomen eſt Ἐπιστήμη, Scientia. Cui ſatìs aptè reſpondet ſecunda *Sephirah* חכמה Sapientia. Quæ eſt ſecunda Hypoſtaſis. Quæ cùm Ideas Rationéſve rerum omnium in ſe complectitur, meritò prima Scientia appellari poteſt, ut quæ immediatas rerum omnium cauſas eſſentiales in ſe contineat. Et reverà ſic appellari videtur apud *Barucum*, quod alibi moneo. Atque hinc οὐσία perinde atque λόγος apud *Platonicos* vocatur: quemadmodum appellatur in ſuprà dicta Clave, *Ens* & *Eſſentia*, & *Semitæ Idearum*; item *Lux Primitiva*, ut Φάνης apud *Pythagoreos*, quaſi illa Lux ſit quæ Paternam revelat illuſtrátve Abyſſum, ut loquuntur *Platonici*. Nec ab his multùm abludit illud Lucæ, *cap.* 10. *v.* 22. *Nemo novit quis ſit Pater niſi Filius, & cuicunq; voluerit Filius eum revelare.*

Tertius Numerus Φρόνησις *Sephiræ* בינה exactè reſpondet, utpote quæ in ipſa Tabula Cabbaliſtica, aliquando *Prudentia* vertitur. Vocatur etiam apud *Pythagoreos* Φιλία, Εἰρήνη, Ὁμόνοια, Χαριτία, Δίκη, ut apud Cabbaliſtas *Judaicos*, *Sabbatum magnum*, *Jubilæus magnus*, *Dies propitiationis*, *Juſtitia ſuperior*. Quæ omnia utrobique conſentanea ſunt illi ſeculorum ſtatui qui dicitur *Regnum Spiritûs*. Quòd Ἐράνα etiam dicitur eò ſpectat quò Ἥρα & οὐρανία Ἀφροδίτη. Nam Ἐράνα perinde atque Ἥρα deducitur παρὰ τοῦ ἐρᾷν. Atque ſic primos tres Numeros in Tabula *Pythagorica* tres Divinæ Hypoſtaſes, ut tres פרצופין primas tres *Sephiras* in Tabula *Cabbaliſtica*, occupant.

Tres primi igitur Numeri in Tabula *Pythagorica* ad Deum, reliqui ad Mundum ſpectant. Ut nomen *Numeri quarti* quod eſt Σῶμα, cui reſpondet גדולה *magnitudo* ſive Amplitudo. Verterunt autem גדולה non μέγεθος quidem ſed σῶμα, tum propter affectationem Mathematicam, quippe quum Numerus *quaternarius*, *Tetraedrum* (τὸ πρῶτον σῶμα) conſtituat, tum quòd Mundi hujus corporei ac ſpectabilis ratio eorum mentes, utpote qui Philoſophi erant, totas ferè opplebat & occupabat, primúmque ac præcipuum Objectum diſquiſitionis apud ipſos erat Mundus hic ante oculos eorum poſitus: An factus ſit & unde, & utrùm Animatus an Inanimatus. Prioris Diſquiſitionis exitus erat notitia *Divinitatis*, & ſecundùm Sapientiam illam θεοπαράδοτον quam *Pythagorei* profeſſi ſunt, talis Divinitatis quæ ſit τρισυπόστατος tribúſve Hypoſtaſibus conſiſtens. Quæ igitur tres Hypoſtaſes, quod dixi, tres primos Numeros occupant. Deſcendendo verò ad totam rerum creatarum Univerſitatem ipſa Mundi moles corporea primò ſe ſenſibus noſtris offert. Unde minimè mirandum quòd eam etiam ob rationem apud *Pythagoreos* Σῶμα primo in loco occurrit: Præſertim cùm vox Σῶμα utplurimum reſpectum habeat ad ψυχὴν, quem μέγεθος non habet.

Σῶμα igitur quartum locum occupare poteſt quatenus viam ſtruit ad alteram illam diſquiſitionem de *Vita* Mundi ejúſve *Anima.* Nam animatus cenſebatur apud *Pythagoreos.* Intereà loci manifeſtum eſt ſatìs conſpicuam eſſe affinitatem inter nomen σῶμα & nomen גדולה, nec μέγεθος in σῶμα temerè à *Pythagoreis* mutatum eſſe. Quod ex ſequentis Numeri nomine luculentiùs adhuc apparebit.

Nam *quinti Numeri* nomen eſt Καρδιᾶτις, quod quintæ *Sephiræ* nomini reſpondet, quod eſt גבורה, i. e. *robur, vires,* ac ſi robur aliquod eſſet Animale. Virium enim Animalium ſedes præcipua eſt Καρδία *Cor.* Quod Robur *Fortitudo* propriè dicitur in Homine. Hîc verò de *Microcoſmo* non quæritur ſed de *Macrocoſmo,* quem etiam Animal crediderunt *Pythagorei,* nè miremur *vim* in eo *Animalem* vocari Καρδιᾶτιν. Optimè autem hoc convenit cum altero hujus Numeri nomine *Pythagorico,* quo appellatur Ἀκρότης ἐλαχίστη τῆς ζωότητος, *Extremitas minima Vitalitatis.* Quo innuitur *Mundum,* quamvìs Animal ſit, infimum tamen tantùm habere vitæ gradum, *Plaſticum* nempe & *ſenſum* quendam obſcurum, & fortean confuſam aliquam imaginationem; nec hoc ubiq; ſed aliquibus in locis & ex vehementiſſima aliqua excitatione, Naturæve violatione. Hic enim eſt *Spiritus Naturæ:* Et quinta tamen hæc *Sephirah* vocatur à Cabbaliſtis *Metatron.*

Cum hac verò Opinione de *Mundi Animalitate* optimè congruit *ſexti Numeri* nomen, quippe qui vocatur Διάρθρωσις τοῦ παντὸς, ac ſi eſſet Univerſi in *Artus Articulóſ*ve diſtincta ordinatáq; *diſpoſitio,* quæ ejuſdem proinde foret ex recto membrorum ſitu ac proportione profecta pulchritudo, quemadmodum & ſexta *Sephirah* תפארת *ornatum pulchritudinémque* ſignificat: Atq; ob hanc pulchritudinem hic Numerus apud *Pythagoreos* Κόσμος dicitur, quod ſignificat *ornatum,* ut prætercam Ἁρμονίαν dici & ὑγείαν.

Septimi Numeri nomen eſt Ἀδράστεια, quod pervicacem quandam Efficaciam innuit, ab ἀ ἐπιτατικῷ & δρᾶν, vel ab ἀ στερητικῷ & διδράσκειν fugere, utpote cujus vis tanta eſt ut nihil ei aut reſiſtere poſſit aut fugere. Quod ſatìs bellè convenit cum Septima *Sephirah* נצח *Victoria.* Quin & *Pallas* hic Numerus apud *Pythagoreos* dicitur, & Ἀγελείη, quod interpretantur ἡ ἄγουσα λείαν ἀπὸ τοῦ πολέμου, quod idem eſt quod λαφυραγωγός. Quæ planè victoriam ſupponunt.

Octavi Numeri nomen Παναρμονία, optimè ſubjungitur præcedentibus, quippe quòd, cùm Mundus ſive Univerſum, quod per *Pana* intelligitur apud Antiquos, per vim illam *Plaſticam* adeò pulchrè ordinatus ſit, illéq; Ordo & εὐταξία adeò ubique prævaleat, valdè conſentaneum eſt, ut triumphus quidam ac gaudium indè ſequatur, quod per *Panos* fiſtulam Choreáſq; Nympharum ſubindicatur, heîc verò vocatur Παναρμονία, ſatiſq; habet affinitatis cum octava *Sephirah* הוד, qui locus eſt proculdubio *gloriationis* ac *Triumphi,* quemadmodum alibi declaravimus.

Noni Numeri nomen eſt Ἕδρασμα, quod per ſuſpicionem & conjecturam hîc reſtituimus. Cùm enim juxta veram ac antiquam *Cabbalam* ad Numerum nonum pertinere videatur, quippe quòd *Sephirah* nona dicitur יסוד, *Fundamentum, Pythagoricos* recentiores aut ſciolos aliquos inter Criticos (verâ illâ antiquæ Cabbalæ ratione ac doctrinâ jam perditâ) poſtquam Numerum Octonarium, primum eſſe Cubum, Cubúmq; aptum eſſe Stabilitatis Symbolum obſervâſſent, ad Numerum octavum retraxiſſe ſuſpicor. Hanc, inquam, aptitudinem Symboli, lociq; proximitatem, occaſionem dediſſe conjicio *Pythagoricis* recentioribus, (qui aridis & jejunis Numerorum proprietatibus explicandis plus inhiabant quàm veritati his Repoſitoriis incluſæ recuperandæ) ut Ἕδρασμα, quod in Numero nono repererant, in Numerum octavum, ob Cubi ſtabilitatem tranſlocarent. Quanquam verò vox Ἕδρασμα, per quam Quæſtio inſtitui debet, deſit, id tamen non deeſt quod occurrere debet in Reſponſo. Hic enim *nonus Numerus* dicitur Ὠκεανός. Cujus mentio rectè fit in Reſponſo ad Quæſtionem, Quodnam ſit יסוד ſive fundamentum Mundi Terreſtris. Ad quam reſpondet Pſalmiſta, *Pſalm.* 24. 2. כי הוא על ימים יסדה, *Deus ſuper Mare fundavit illam.* En *Mare* ſive *Oceanum,* יסוד *Fundamentum* ſive Ἕδρασμα Telluris. Quodſi Quæſtio inſtituatur de toto Mundo aſpectabili, quodnam illius Imum ſit ſive Baſis, iterum reſponderi poteſt ex antiquiſſimorum Philoſophorum ſententia, Ὠκεανὸς, vel *Phyſicarum Monadum Abyſſus.* Quam Aquam *Stygiam* appellare videtur *Ariſtoteles,* quemadmodum videre eſt in Appendice Defenſionis *Cabbalæ Philoſophicæ,* cap. 9. Quæ tertia certè ratio eſt cur ſuſpicemur ἕδρασμα ex nono hoc Numero in octavum Numerum retractum fuiſſe. Sed eſt & alterum hujus Numeri nomen nempe Ἀνείκεια, quod ſatìs cum voce יסוד conveniat; cùm & inter cognomina *Sephiræ* יסוד, in *Clave ſublimioris Cabbalæ, Pax* & *Columna Pacis* recenſeantur. Inter vocem *Pax* verò & Ἀνείκεια ſatìs evidens intercedit affinitas.

Nomen ultimi ſive ***decimi Numeri*** eſt Κόσμος, quatenus hanc rerum ſpectabilium Univerſitatem ſignificat. Decimæ verò ***Sephiræ*** nomen eſt מלכות. Nec occurrit ſanè apud ***Pythagoreos*** nomen βασιλέιας hoc in Numero. Cujus rei cauſam exiſtimo; quòd nomen מלכות ad Regnum propriè ſpectabat ***Meſſiæ.*** Cujus notitiam parùm ſuâ intereſſe putabant antiqui Philoſophi. Unde minimè mirum videri debet ſi iſtam vocem paſſi ſint intercidere. Vocem verò 'Αιὼν retinuerunt perinde atq; Κόσμος Quæ tamen ad Hebraicum Idioma propiùs accedit.

Notandum verò eſt in hac Tabula ***Pythagorica***, Subjectum Quæſtionis eſſe ***Mundum Naturæ Univerſalem***: Quæri verò etiam potuiſſe de ***Mundo Terreſtri***, de ***Mundo Angelico***, de ***Mundo Animarum***, pauxillâ factâ Nominum mutatione, ſed hiſce non eſt inſiſtendum. Sat habeo quòd demonſtraverim tam propinquam intercedere affinitatem inter uſum ac ſtructuram ***Tabulæ Pythagoricæ*** & Tabulæ ***Sephirothicæ*** Cabbaliſtarum.

QUÆSTIO-

Σῶμα igitur quartum locum occupare poteſt quatenus viam ſtruit ad alteram illam diſquiſitionem de ***Vita*** Mundi ejúſve ***Anima.*** Nam animatus cenſebatur apud ***Pythagoreos.*** Intereà loci manifeſtum eſt ſatìs conſpicuam eſſe affinitatem inter nomen σῶμα & nomen גדולה, nec μέγεθος in σῶμα temerè à ***Pythagoreis*** mutatum eſſe. Quod ex ſequentis Numeri nomine luculentiùs adhuc apparebit.

Nam ***quinti Numeri*** nomen eſt Καρδιᾶτις, quod quintæ ***Sephiræ*** nomini reſpondet, quod eſt גבורה, i. e. ***robur, vires,*** ac ſi robur aliquod eſſet Animale. Virium enim Animalium ſedes præcipua eſt Καρδία ***Cor.*** Quod Robur ***Fortitudo*** propriè dicitur in Homine. Hìc verò de ***Microcoſmo*** non quæritur ſed de ***Macrocoſmo,*** quem etiam Animal crediderunt ***Pythagorei,*** nè miremur ***vim*** in eo ***Animalem*** vocari Καρδιᾶτιν. Optimè autem hoc convenit cum altero hujus Numeri nomine ***Pythagorico,*** quo appellatur Ἀκρότης ἐλαχίστη τῆς ζωότητος, ***Extremitas minima Vitalitatis.*** Quo innuitur ***Mundum,*** quamvìs Animal ſit, infimum tamen tantùm habere vitæ gradum, ***Plaſticum*** nempe & ***ſenſum*** quendam obſcurum, & fortean confuſam aliquam imaginationem; nec hoc ubiq; ſed aliquibus in locis & ex vehementiſſima aliqua excitatione, Naturæve violatione. Hic enim eſt ***Spiritus Naturæ:*** Et quinta tamen hæc ***Sephirah*** vocatur à Cabbaliſtis ***Metatron.***

Cum hac verò Opinione de ***Mundi Animalitate*** optimè congruit ***ſexti Numeri*** nomen, quippe qui vocatur Διάρθρωσις τοῦ παντός, ac ſi eſſet Univerſi in ***Artus Articulóſve*** diſtincta ordinatáq; ***diſpoſitio,*** quæ ejuſdem proinde foret ex recto membrorum ſitu ac proportione profecta pulchritudo, quemadmodum & ſexta ***Sephirah*** תפארת ***ornatum pulchritudiném***que ſignificat: Atq; ob hanc pulchritudinem hic Numerus apud ***Pythagoreos*** Κόσμος dicitur, quod ſignificat ***ornatum,*** ut prætereamʹ Ἁρμονίαν dici & ὑγείαν.

Septimi Numeri nomen eſt Ἀδράστεια, quod pervicacem quandam Efficaciam innuit, ab α ἐπιτατικῷ & δρᾶν, vel ab α στερητικῷ & διδράσκειν fugere, utpote cujus vis tanta eſt ut nihil ei aut reſiſtere poſſit aut fugere. Quod ſatìs bellè convenit cum Septima ***Sephirah*** נצח ***Victoria.*** Quin & ***Pallas*** hic Numerus apud ***Pythagoreos*** dicitur, & Ἀγελείη, quod interpretantur ἡ ἄγουσα λείαν ἀπὸ τοῦ πολέμου, quod idem eſt quod λαφυραγωγός. Quæ planè victoriam ſupponunt.

Octavi Numeri nomen Παναρμονία, optimè ſubjungitur præcedentibus, quippe quòd, cùm Mundus ſive Univerſum, quod per ***Pana*** intelligitur apud Antiquos, per vim illam ***Plaſticam*** adeò pulchrè ordinatus ſit, illéq; Ordo & εὐταξία adeò ubique prævaleat, valdè conſentaneum eſt, ut triumphus quidam ac gaudium indè ſequatur, quod per ***Panos*** fiſtulam Choreáſq; Nympharum ſubindicatur, heîc verò vocatur Παναρμονία, ſatíſq; habet affinitatis cum octava ***Sephirah*** הוד, qui locus eſt proculdubio ***gloriationis*** ac ***Triumphi,*** quemadmodum alibi declaravimus.

Noni Numeri nomen eſt Ἕδρασμα, quod per ſuſpicionem & conjecturam hîc reſtituimus. Cùm enim juxta veram ac antiquam ***Cabbalam*** ad Numerum nonum pertinere videatur, quippe quòd ***Sephirah*** nona dicitur יסוד, ***Fundamentum, Pythagoricos*** recentiores aut ſciolos aliquos inter Criticos (verâ illâ antiquæ Cabbalæ ratione ac doctrinâ jam perditâ) poſtquam Numerum Octonarium, primum eſſe Cubum, Cubúmq; aptum eſſe Stabilitatis Symbolum obſervâſſent, ad Numerum octavum retraxiſſe ſuſpicor. Hanc, inquam, aptitudinem Symboli, locíq; proximitatem, occaſionem dediſſe conjicio ***Pythagoricis*** recentioribus, (qui aridis & jejunis Numerorum proprietatibus explicandis plus inhiabant quàm veritati his Repoſitoriis incluſæ recuperandæ) ut Ἕδρασμα, quod in Numero nono repererant, in Numerum octavum, ob Cubi ſtabilitatem tranſlocarent. Quanquam verò vox Ἕδρασμα, per quam Quæſtio inſtitui debet, deſit, id tamen non deeſt quod occurrere debet in Reſponſo. Hic enim ***nonus Numerus*** dicitur Ὠκεανός. Cujus mentio rectè fit in Reſponſo ad Quæſtionem, Quodnam ſit יסוד ſive fundamentum Mundi Terreſtris. Ad quam reſpondet Pſalmiſta, ***Pſalm.*** 24. 2. כי הוא על ימים יסדה, ***Deus ſuper Mare fundavit illam.*** En ***Mare*** ſive ***Oceanum,*** יסוד ***Fundamentum*** ſive Ἕδρασμα Telluris. Quodſi Quæſtio inſtituatur de toto Mundo aſpectabili, quodnam illius Imum ſit ſive Baſis, iterum reſponderi poteſt ex antiquiſſimorum Philoſophorum ſententia, Ὠκεανὸς, vel ***Phyſicarum Monadum Abyſſus.*** Quam Aquam ***Stygiam*** appellare videtur ***Ariſtoteles,*** quemadmodum videre eſt in Appendice Defenſionis ***Cabbalæ Philoſophicæ,*** cap. 9. Quæ tertia certè ratio eſt cur ſuſpicemur ἕδρασμα ex nono hoc Numero in octavum Numerum retractum fuiſſe. Sed eſt & alterum hujus Numeri nomen nempe Ἀνείκεια, quod ſatìs cum voce יסוד conveniat; cùm & inter cognomina ***Sephiræ*** יסוד, in ***Clave ſublimioris Cabbalæ, Pax*** & ***Columna Pacis*** recenſeantur. Inter vocem ***Pax*** verò & Ἀνείκεια ſatìs evidens intercedit affinitas.

Nomen ultimi ſive ***decimi Numeri*** eſt Κόσμος, quatenus hanc rerum ſpectabilium Univerſitatem ſignificat. Decimæ verò ***Sephiræ*** nomen eſt מלכות. Nec occurrit ſanè apud ***Pythagoreos*** nomen βασιλείας hoc in Numero. Cujus rei cauſam exiſtimo; quòd nomen מלכות ad Regnum propriè ſpectabat ***Meſſiæ***. Cujus notitiam parùm ſuâ intereſſe putabant antiqui Philoſophi. Unde minimè mirum videri debet ſi iſtam vocem paſſi ſint intercidere. Vocem verò ’Αιὼν retinuerunt perinde atq; Κόσμος Quæ tamen ad Hebraicum Idioma propiùs accedit.

Notandum verò eſt in hac Tabula ***Pythagorica***, Subjectum Quæſtionis eſſe ***Mundum Naturæ Univerſalem***: Quæri verò etiam potuiſſe de ***Mundo Terreſtri***, de ***Mundo Angelico***, de ***Mundo Animarum***, pauxillâ factâ Nominum mutatione, ſed hiſce non eſt inſiſtendum. Sat habeo quòd demonſtraverim tam propinquam intercedere affinitatem inter uſum ac ſtructuram ***Tabulæ Pythagoricæ*** & Tabulæ ***Sephirothicæ*** Cabbaliſtarum.

QUÆSTIO-

QUÆSTIONES
ET
CONSIDERATIONES

Paucæ Brevéſque in

Tractatum Primum
LIBRI *DRUSCHIM*,

SIVE

INTRODUCTIONEM METAPHYSICAM

AD

CABBALAM GENUINAM,

Authore R. *ISAACO LORIENSI.*

Quibus acceſſit

Ad CLARISSIMUM & ERUDITISSIMUM Virum

CHRISTIANUM KNORRIUM

De Rebus in Amica ſua Reſponſione ad dictas Quæſtiones, *&c.*

CONTENTIS

ULTERIOR DISQUISITIO.

Per *Henricum Morum* CANTABRIGIENSEM.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

QUÆSTIONES & CONSIDERATIONES paucæ brevéſq;
IN
Tractatum primum LIBRI *DRUSCHIM*
SIVE
Introductionem Metaphyſicam

Ad Cabbalam Genuinam, Autore *R. Iſaaco Lorienſi.*

In CAP. I.

I. MUndum ideo creatum fuiſſe ut Deus perfectus fieri poſſet in facultatibus ſuis, operibus & ***nominibus*** magnificentiæ, ut ***Jehovah*** & ***Adonai***, minùs videtur accuratè dictum. Durum enim mihi videtur ut Deus minùs perfectus ante Creationem Mundi exiſtimetur quàm poſtea. Quippe quòd, cùm Mundus ab æterno non ſit creatus, cúmque æternitas fuiſſet, ſi ità fas ſit loqui, antequam ullus Mundus conditus eſſet, tamdiu Deus futurus fuiſſet imperfectus, quod valdè videtur abſurdum. Unde manifeſtum eſt quòd Deus æquè perfectus erat ante ullorum Mundorum Creationem quàm erat poſtea. Quódque proinde ex nulla ***ſui ipſius*** ratione habita, quatenus ***ſui ipſius***, factum ſit quòd ullos Mundos unquam crearet, ſed ex mera benignitate propenſáque voluntate benefaciendi aliis, non autem magnificandi ***ſeipſum*** quatenus ***ſeipſum***, ſed ut Creatio Intellectualis magna fieri poſſet ac beata in contemplanda magnitudine Bonitatis, Sapientiæ ac Potentiæ Divinæ, quæ ex operibus Illius eluceſcunt.

2. Cæterùm ut Deus Mundum crearet, quò ſtatum ſuum ſive conditionem illis nominibus ***Johovah*** & ***Adonai*** adaptaret, majus adhuc videtur magíſque mirandum Paradoxon, quaſi illa nomina haberet ante Mundi Creationem, cùm nemo erat qui eum illis nominibus appellaret.

II. Quærendum, de magno illo Lumine quod appellatur ***Kadmon*** & ***Adam omnibus primis prior***, annon ***Kadmon*** idem ſit quod ***Kedem***, & Omnibus primis prior, idem quod ***Reſhith***, Pro. 8. 22. Vide Defenſionem Cabbalæ meæ Philoſophicæ, in ***Geneſ. cap.*** 1. 1. Et ſi rectè memini * Æternus Logos appellatur ὁ ἀληθινὸς ἄνθρωπος, verus utique ***Adam***, alicubi apud Philonem ; Et Νȣ̃ς, ***i. e.*** Intellectus, ità nuncupatur alicubi apud Plotinum. Et Logos videtur nominari ***Lux***, Johan. 1. ***Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum.*** Adeò ut ***Kadmon*** hìc ſive ***Adamus omnibus primis prior*** idem videatur quod ſecunda ***Sephirah***, ***Cochmah*** appellata, ***i. e. Sapientia.*** Unde equidem miror ***Adamum*** non reperiri inter cognomina Sephiræ ***Cochmah***, æquè ac inter illa Sephiræ ***Tiphereth.***

2. Nunc verò ſuppoſito, quòd ***Kadmon*** hìc idem ſit quod ***Cochmah***, quódque ***Cochmah*** ſecundæ Hypoſtaſi Triados ***Platonicæ***, Triunitatíſve Chriſtianæ reſpondeat, Incongruum planè videtur ut ullum habeat principium Temporale ;

3. Ut & valdè abſurdum, ut Deus concipiatur, aliquando non generâſſe τὸν Λόγον, quem ***Philo*** primogenitum Dei appellat, quaſi unquam poſſet eſſe ut Deus eſſet ἄνευ τȣ̃ λόγȣ· Quod [***ab hoc Infinito poſtmodum deſcendit***] videtur implicare.

4. Et mox prima hæc Lux rurſus dicitur principium habere ac finem, quod æterno Dei Filio neutiquam competit.

5. Diſtributio verò hujus veri primíque ***Adami*** qui dicitur Omnibus primis prior, (vocatúrque ***Reſhith***,) in Cerebrum, Cranium, Oculos, Aures, Naſum, *&c.* nimiò craſſior eſt Imaginatio quàm ut quenquam ædificet in vera rerum Divinarum notitia. Hæc profectò falſa videtur à recentioribus quibuſdam Cabbaliſtis craſſiori ingenii filo, addita appendix, ex antiqua τ ***Cochmah*** appellatione nata, quam cùm verum ***Hominem*** veteres appellâſſent, illi ſanè, nè res ſatis omnibus non compareret, viſibili formâ, cum naſo reliquíſque faciei partibus, finxerunt.

6. Si quam verò Philoſophicam præ ſe ferat veritatem eorum *Olam Hannikuddim*, *Mundus* ſcilicet *Punctatorum*, equidem veriſimillimum videtur, quòd ſit *Phyſis*, ſive *Spiritus Naturæ*, alludendo ad ſeminales Maculas centrave Generationis quæ inde proveniunt, quemadmodum deſcribitur, *Pſychozoiæ*, *Cant.* 1.

7. Cæterùm, quod quatuor Mundos attinet, (viz.) *Emanationis*, *Creationis*, *Formationis*, & *Factionis*, equidem non intelligo aliorum ab aliis diſtinctionem.

8. Poſtremò, quantùm ad ſolutionem Problematis, Cur utique Mundus hic nec ſeriùs nec citiùs creatus ſit, Ratio certè, quantum ego intelligo, à ſcopo multùm deficit. Prima enim illa Emanatio, (quippe quæ ſecundùm hanc Philoſophiam non erat ab æterno) cur non potuit ſeriùs eſſe aut citiùs? ac tum dein Mundorum intermediorum cur non velociùs aut tardiùs eſſe potuit Creatio; atque ſit demum Mundus hic fieri citiùs aut ſeriùs? Et quantùm ad ordinatam ſucceſſionem Temporalem, illa quidem talem Creationem probabit non potuiſſe fieri ab æterno; illa verò ſola nunquam probabit citiùs aut ſeriùs fieri non potuiſſe. Illud Problema in ſolam Bonitatem primæ Cauſæ reſolvendum eſt, ſupponendo Deum Mundum condere voluiſſe quàm primùm capax eſſet ut conderetur, nec antè quidem condi potuit quàm eſſet capax.

In Cap. II.

1. Tres illi modi quibus Cabbaliſtæ *Sephirotharum* Emanationes fieri contendunt, ſive cunctæ, aliæ ſuper alias componantur in unam ſtruem, ſive in tres diſtinctas Columnas, ſeu denique in tot Orbes alios intra alios diſponantur, univerſi mihi videntur nimis pingues atque craſſi, tanquam ſi *Divinæ Potentiæ* non eſſent aut *Spiritus*, ſed Corpora.

2. Ut taceam abſurditatem agnoſcendi *Primum Ens* uno in loco *Sapiens* eſſe ſive emittere *Sephiram Cochmah*, in alio non, in uno *Binah*, in alio non, *&c.*

3. Cùm fingunt omnes *Sephiroth* terminatas, ſolam verò *Lucem* ſupremi *Infiniti* interminatam, ſi intelligatur de ipſarum *natura*, manifeſtum eſt rem unamquamque determinatam ſuam habere naturam, ſive nos intelligamus ſive non. Si verò intelligatur de *amplitudine*, ſatìs quidem conſtat *Cochmah* & *Binah*, ubicunq; eſt *Kether* ſive *Or-Haenſoph*, ibidem etiam eſſe; ac proinde æquè illimitatas eſſe atque eſt Ipſe. Cùm hi tres Trinitati reſpondeant, quemadmodum vulgò notatur ab eis, qui hiſce de rebus tractant. Hoc certè neceſſe eſt ut ſit, propterea quòd Trinitas *Platonica* nihil aliud concipitur quàm *Infinita Bonitas eſſentialis*, ac *Sapientia* ubique ex hac Bonitate, ac *infinitè læta* ac *amoroſa Perceptio utriuſque*, atque hæ *tres* cunctæ in *una* Divina Natura, non quidem ut tres mutabiles *Operationes*, ſed *Hypoſtaſes*, *Energiæ*ve *Eſſentiales*, *æternæ*, neceſſariæ & immutabiles, ante & poſt Creationem eædem & in perpetuum. Quas in prioribus meis Notis intimavi eſſe *Kether*, *Cochmah* & *Binah*, integrúmque *Arich-Anpin* æternam Dei Infinitatem, reliquas *Sephiroth* Emanationes eſſe in Creaturas.

4. Jam verò cùm hic *Or-Haenſoph* naturæ ſit neceſſariæ ac immutabilis & ubique ſibi ſimilis, quì fieri poteſt ut retrahat ſeipſum à puncto ullo, quo adeò vaſtam relinquat Concavitatem, in qua Mundis creandis ſit locus? Quaſi Natura Dei craſſa eſſet ac corporea, nec Mundi ubi ipſe ſit, eſſe poſſint. Præterea, Diſcerpibilitas, ſive ſeparatio unius partis ab altera, *corporis* proprietas eſt non *Spiritûs*. Cúmque Deus ubiq; ſibi ipſi ſit ſimilis, ſi poteſt disjungere eſſentiam ſuam à tali puncto, poteſt profectò à quovis puncto, atque ſic fiſſuram facere per totam ſuam Eſſentiam, putà ab A ad B & ad C, atque ſic dividere ſeipſum in duas partes. Quod etiam demonſtrationi eſſet contra *Infinitatem* illius. Nam cùm D A non ſit infinitum, ut quod terminatum eſt in A, idémque dicendum ſit de E A, terminato in A, certè D C E B non eſt infinitum, quemadmodum intelligere eſt ex *Enchiridio* meo *Metaphyſico*, cap. 10. ſect. 8. Poſtremò,



Vacuum illud quod imaginantur, poſtquam Deus ſe à puncto quopiam ſubtraxerit, non eſt mera Non-Entitas, ſed Subſtantia incorporea & neceſſariò exiſtens. (Vide *Enchirid. Metaphyſ.* cap. 8.) Unde ſequeretur, quòd ſpiritus ſit neceſſariò exiſtens, & tamen diſtinctus à Deo, quod eſt impoſſibile. Ac proinde manifeſtum eſt verum Deum, quem hîc *Or-Haenſoph* denotat, non poſſe ſubducere ſe à puncto ut Vacuum fiat in quo Mundi ſint creandi. Et certè cùm primum hoc Fundamentum tam manifeſtò vacillet, indicio eſt, univerſam Fabricam meram eſſe Imaginationem recentiorum quorundam Judæorum, qui antiquam *Cabbalam* corruperint.

II. Porrò, parum profectò concinnitatis eſt, quantum ego exiſtimo, in iſta opinione, de ſubtili Linea ex *Or-Haenſoph* in Vacuum concavum emiſſa, ut ſe poſſit in tot Orbes concavos formare. Quærendum enim eſt, an Orbes hi ex Radiis *ſecundariis* hujus Lineæ fiant, an verò ab hac Linea lux primaria ſic procedat, tali utique menſurâ, quæ orbi, talis ambitûs, conveniat. Si prius, Quid opus eſt iſtâ delicatulâ cautione, ut Orbis primus Superficiei concavæ *Or-Haenſoph* non ſit contiguus, cùm ſatìs ab ea diſtinctus ſit, ex eo quòd lux ſit ſecundaria, tametſi ei eſſet contiguus? Quòd ſi ipſa primaria lux ſit, eſt ipſe *Or-Haenſoph*, & conſequenter Deus ipſe, hæq; Emanationes ſive Mundi ſunt ipſe Deus. Quod abſurdum eſt.

2. Deniq; valdè incredibile videtur ut ſecundarii Radii hujus Lineæ influxum his Orbibus ſuppeditent, nec tamen Concavum τȣ̃ *Or-Haenſoph* infinito plus affunderet. Quod planè deſtruit argutum hujus *Lineæ* Inventum tanquam tenuis Canaliculi perquam affabrè facti, qui Lucem tam moderatè derivaret. Nam uberior undiquaq; Influxus τȣ̃ *Or-Haenſoph* hoc propoſitum penitus ſubverteret. Quod igitur indicio eſt, tenuem hanc Lineam non eſſe niſi ſcitum quoddam ac ſubtile recentiorum *Cabbaliſtarum* Imaginamentum. Deus omnia poteſt in numero & menſura ordinare ſine hujuſmodi argutis Inventiunculis, ídq; ſe præſentem præbendo hiſce Mundis, non ſubducendo ſe ut vacuum ſpacium faceret, quod poſtea implendum ſit exiliſſimo Tubulo Lucis.

3. Nec Creatura ulla ipſa Dei ſubſtantia eſt, ſed ſubſtantia ab eo creata. Et qualis, obſecro, ille Deus reputandus eſt, qui formari poteſt in Mundos ac Orbes?

III. Quærendum, An non formatio decem *Sephirotharum* in decem Orbes aliis alios involutos, ſpuria ſit Inventio, ex antiqua Traditione *Sephirotharum* Numerationes ſignificantium, & ex decem *Sphæris* cum ſuis Intelligentiis apud *Ariſtotelicos* celebratis genita, cùm *Sephirah* & σφαῖρα ſono quàm proximo ſint, tanquam ſi *Sephiroth Sphæras* ſignificarent perinde ac *Numerationes*. Verùm hanc Opinionem *Ariſtotelicam*, ſatis jam notum eſt, merum eſſe commentum & univerſim ab omnibus Philoſophis explodi. *Pythagoricum* verò Syſtema idem fuiſſe quod antiquorum Judæorum, ſatìs manifeſtum eſt ex *Defenſione Cabbalæ* meæ *Philoſophicæ*. Intereà loci obſervare poſſumus quàm abſurdum ſit decem has *Sephiroth*, in tot Orbes diſtinctáq; ſpacia alia ſub aliis, formare.

2. Nam ut miſſum faciam, nullam bonam ſolidámq; cauſam eſſe, cur prima *Sephirah* appelletur *Kether*, cùm nec duratione nec amplitudine ſit infinita;

3. Hoc etiam durum eſt, ut *Kether* Sapientiâ deſtituatur, cùm hæc ad ſecundum Orbem relegetur; ut *Sapientia* deſtituatur *Intelligentiâ*, cùm hæc relegetur ad Orbem tertium; ut Orbis quartus mera ſit *Magnitudo*, viribus deſtituta, cùm iſtæ reſtringantur ad quintum; ut utræq; deſtituantur *Ordine* ſeu *Pulchritudine*, cùm illa ſexto orbe claudatur: Ut *Victoria* Orbis per ſe diſtinctus ſit, *Magnitudine*, *Viribus*, ac *Ordine* deſtitutus; & *Gloria* alter, quanquam deſtitutus *Victoriâ*; & *Stabilitas* ſeparatim in Orbem compingatur, atq; ſic ſinat omnes reliquos fluctuare; & ut *Regnum* deniq; ſeorſim in Orbe ſit, ſine *Stabilitate*, ſine *Amplitudine*, ſine *Viribus*, *Ordine*, *Victoria* aut *Gloria*, &c. Hæc certè admodum dura videntur ac abſona, planéq; indicant rem Figmentum eſſe, non autem doctrinam antiquæ Sapientiæ *Judæorum*.

4. Sed tres primas *Sephiroth* reſpondere Trinitati *Chriſtianorum* ac *Platonicorum*,

5. Septémq; ſequentes non *Orbes* quidem eſſe, ſed *Claſſes Metaphyſicas* Divinarum Virtutum, quas Deus in Creationem emittit, tales utiq; ex quibus conſiſtat, aut per quas ordinetur vel regatur, non diſtinctas in Orbes diſtantes, ſed juxta quoſdam modos ac qualificationes ubiq; inveniendas, ſunt certè tanquam Prædicamenta ſeptem *Cabbaliſtica* ad quæ res referendæ ſint, ut *Pythagorei* olim ad Numeros referebant.

IV. Jam verò cùm viderimus horum decem *Sephirothicorum* Orbium vacillantiam in uno hoc Exemplo, minimè neceſſe eſt ut repetamus quàm infinitæ ſit περιεργίας enarrare, quòd in his multis Mundorum Myriadibus ſinguli hos denos Orbes habeant, & unuſquiſq; iterum Orbis ſuos denos Orbes, & ſic in infinitum. Quódq; ſic ſe involvant alii alios, ut cœleſtes Orbes apud Aſtronomos.

2. Quódq; decem hi Orbes, cùm ſuos denos Orbes habeant ſinguli, eos habere debeant tanquam denos *Epicyclos* alios ab aliis involutos. Quod cùm fiat in infinitum, Mundi demum æquè minuti fient atq; Atomi. Sed totum Commentum videtur omni ratione, concinnitate, ac ædificatione deſtitutum.

V. Nec plus ſanè habet aut rationis aut ædificationis, illa inopinata eorum Notio, *Kadmon* nempe ſive *Adamus primus*, in membra per diſtincta ſpacia extenſus. Quæ profectò utut poſſit aſtum aliquem Politicum ſapere ad retinendos animos infantiorum Judæorum, videtur tamen omni ratione ſolidâ ac Philoſophicâ penitus carere.

2. Imaginari verò hanc Fictionem apud *Moſen* inſinuari, *Gen.* 1. 16. intoleranda certè videtur credulitas & oſcitantia. *Homo* enim ſive *Adamus* ibi creatus in Imagine Dei, creatur poſt Volucres, Piſces & Beſtias, & ſuper Terram etiam creatur, cùm hic *Kadmon* ſupponatur & ante terram, & ante omnem in terris Creaturam, creari.

VI. Cùm punctum in medio Vacui τȣ̃ *Or-Haenſoph*, Mundum *Materialem* ac corporeum perfectâ corporeitate faciat, quærendum quidem hìc eſt annon punctum hoc ſit Terra in medio Mundi ſita. Quod optimè cum hac Hypotheſi convenit, *Sephiroth* nempe Sphæras eſſe *Ariſtotelicas*.

2. Et tum dein, an in medio cujuſq; Decadis Epicyclicarum *Sephirotharum* Terra ſit necne. Ac deniq; an unaquæq; particularis *Sephirah* unam tantùm habeat Decadem Epicyclicam *Sephirotharum*. Indè enim diſtantias immane quantum diſproportionatas perinde ac magnitudines Terrarum fore, *&c.*

In Cap. III.

I. QUærendum, quomodo Vaſa ac Lumina *Numerationum* tam *Circularium* quàm *Rectilinearum* diſtinguantur, Utrùm ut *Lux* & *Diaphaneitas*, vel quonam demum modo. Nam vaſa Numerationum *Adami primi* dicuntur tenuis eſſe Lux, *Cap.* 4.

Declarari etiam debet quid ſignificetur per *Nepheſh*, quid per *Ruach*, quibus Circulares & Rectilineæ *Numerationes* diſtinguuntur, & Subſtantiæne per ipſa intelligantur an Facultates. Et quando dicitur, quòd Jecur ſit ſedes *Nepheſh*, Cor *Ruach*, & Cerebrum *Animæ*, quid intelligatur per vocem *Anima*. Si illa Anima ſit quæ eſt Subſtantia, non eſt niſi una eáq; per totum corpus diffuſa. Et tunc, non eſt ulla alia Subſtantia incorporea præter ipſam. Adeò ut *Ruach* in corde, melior eâ eſſe non poſſit, ſed ad ſummum non niſi calor vitalis ac ſpiritus. Et quàm miſella res tunc futura eſt *Nepheſh* ſive *Pſyche* in Jecore, aut quid utilis eruditionis eſt in toto hoc Myſterio?

II. Quid intelligendum ſit per *circulares* Emanationes ipſarúmq; Vaſa, quódq; lumen in his Vaſis appelletur *Nepheſh*, quódq; ſint alia Vaſa ac Lumina (ſeu Numerationes) quæ ſint *Ruach*, utraq; in humana Figura. Si corporea ſunt, quomodo eſſe poſſunt in eodem loco? Et quàm inopinatum eſt, ut ſint in omnibus Mundis quantumcunq; materialibus? An verò Intimatio Parabolica eſt, quâ doceamur cœleſtes Orbes totúmq; adeò Mundum Animâ non ſolùm ſenſitivâ & imaginativâ ſed rationali etiam informari, Cujus rei Vaſa & Numerationes *Hominiformes* ſint ſymbola. Cæterùm Spiritus Mundi, tametſi vitâ præditus ſit (& ſenſu fortean ac imaginatione) ratione tamen carere, ex variis Experimentis in *Enchiridio* meo *Metaphyſico* occurrentibus, facile eſſet demonſtrare. Adeò ut nihil ſolidi deprehendere poſſim in hac Notione circa *Nepheſh* & *Ruach*, quæ vaſorum Circularium & Rectilineorum ſeu Hominiformium lumina conſtituuntur.

III. Illud etiam mirandum mihi videtur Myſterium, ut *Or-Haenſoph* ſubduceret ſeipſum ad magnam faciendam vacuitatem in qua nihil concipiatur relinqui; in eum finem ut *Vaſa* Emanationum vel Numerationum ibi primùm fiant & appareant; tanquam ſi rationi non eſſet magìs conſentaneum, Quòd *Præſentia Dei* ad talia Vaſa creanda magìs requiſita ſit quàm ejuſdem *Abſentia*. Ubi enim nihil eſt, ibi nullius rei actus aut effectus eſſe poteſt. Nec deſtruit quidem Divina Præſentia ullam rem quæ bona ſit ritéque comparata, ſed corroborat eam, quippe quæ ad æternæ ſuæ Sapientiæ modulum ſit concinnata, (quæ non poteſt non ubiq; eſſe) & ſuſtentata conſervatáq; virtute externi ſui Verbi qui *Spiritus* eſt *Naturæ*.

2. Deum verò talem Lucem fingere, quæ Vaſa ab ipſo creanda, per præſentiam ſuam deſtrueret, idem eſt atq; ſi eum *Lucem materialem* faceremus, ignémve vehementem, qui fiſtulas metallicas ligneáſq; conſumit. Qua in re apertè ſe produnt, oſtendúntq; ſe non quidem cum ratione philoſophari, ſed temerarias impuræ *Imaginationis* corporeæve Phantaſiæ Scenas erigere, in derogationem excellentiæ Divinæ Naturæ quæ purè eſt incorporea. Cæterùm haud ità mirum videri debet, quòd Myſterium tam inauſpicatò inceptum (quemadmodum oſtendi in ſecundo capite) Deum fingendo tam vaſtam Lacunam in ſe excavâſſe, meliorem non ſortiatur exitum.

In Cap. IV.

1. *Adamum omnium primorum primum* quod attinet, in hoc capite memoratum, qui dicitur, ante res omnes eſſe, & à quo Mundi omnes dicuntur dependere ac procedere ; Quidnam eſt hoc ? Deus an Creatura ? Illúdne Creatura eſſe poteſt à quo omnes Mundi dependent, ab eóq; procedunt ? Deúſve id quod non eſt æternum ? Neq; enim erat ante rotundum Vacuum factum, cujus partes à centro remotiſſimas *Adamus* hic *primus* poſtea ex decem *circularibus* Emanationibus ſive Numerationibus ſub notione *Nepheſh*, ut & *Rectilineis* ſeu *Hominiformibus* ſub notione *Ruach* conſtitutus, poſſedit opplevítque.

2. Verùm quî poteſt hic *Adamus* primus ad iſtud ſpacium relegatus quod Concavo *Or-Haenſoph* proximè adjacet, Mundos producere ad tam vaſtam à ſeipſo diſtantiam ? Quîve eos ordinare poteſt, cùm ipſis minimè ſit præſens ? Et quî porrò fieri poteſt ut hic *Adamus* primus Animas ſpiritúſq; hiſce Mundis creet, ſi ipſe ſit Creatura ; Finitúſve ſit amplitudine, ſi ſit Deus ?

3. Et poſtremò, Quænam eſt hæc Intellectui meo ſatisfactio ? quomodóve Creationis Mundi Fides facilior ob hoc commentum mihi evadat, aut confirmatior ? Adeò ut nulli facultati gratificetur, niſi quis fortè tam infirmo ſit ingenio, ut in deliciis habeat commoveri incredibilibus & inauditis Imaginationibus & Narrationibus, eiſdémq; quaſi obſtupefieri.

In Cap. V.

1. Hic rurſus inquirendum eſt, quid intelligi debeat per hanc perſonam *Adami*, *Deitáſne* intelligenda ſit an *Creatura*. Ut *Deitas* Cranium ſit uno in loco, Cerebrum in altero, Corpus Brachiáq; in alio, in alio Crura ac Pudenda, equidem admodum eſt abſurdum. Utq; *Kether* appelletur *Arich-Anpin*, *Cochmah Abba*, & *Binah*, *Immah*, parum confert ad Chriſtianitatem, niſi hic *Adamus* omnium primorum primus ipſa eſſet Deitas. Decem fuiſſe *Sephiroth*, Numerúmve *Denarium* haud contemnendorum Myſteriorum tum *Phyſicorum* tum *Metaphyſicorum* apud antiquos *Judæos* fuiſſe Repoſitorium facilè admitto. Quòd verò ullæ ſtructuræ ſuper has *Sephiroth*, in his Capitibus memoratæ, antiquæ Divinitúſq; inſpiratæ *Cabbalæ* pars ſit, equidem animum inducere non poſſum ut credam. Nullæ Inſpirationes à Deo ſunt nugatoriæ & inutiles, ſed tales quæ noſtram in Eo fidem, vitæq; futuræ, confirment.

AD
CLARISSIMUM ac ERUDITISSIMUM Virum
CHRISTIANVM KNORRIVM,
De Rebus in *AMICA* ſua *RESPONSIONE* CONTENTIS
ULTERIOR DISQUISITIO.

PErlectâ, Vir Clariſſime, ***Amicâ*** tuâ ***Reſponſione***, neſciebam profectò an eximium tuum acumen ac eruditionis copiam, an verò prudentiam candorémq; animi, dulcedinémq; ingenii ac manſuetudinem magìs admirari deberem. Quarum virtutum tuarum cùm priores quidem nobis haud ità facilè aſſequi liceat, poſteriores in hac noſtra ***Vlteriori Diſquiſitione*** de rebus in ***Amica*** tua ***Reſponſione*** contentis, quantum poſſumus, imitabimur. Non quòd res ſingulas quæ in erudita tua Reſponſione occurrant, mihi accuratè diſcutiendas propoſuerim, ſed quæ majoris ſint momenti, quáſq; è re noſtra fore magìs penſiculatè examinare, perſenſero. Quod quantâ poſſum brevitate ac perſpicuitate effectum dabo.

Primò igitur, quæ in Præfatione occurrunt, levi brachio perſtringam, ad ipſam Reſponſionem mox perrecturus.

§. 4. Equidem ſtudium tuum atq; ſolicitudinem de convertendis ***Judæis*** magnopere laudo, quippe opus dignum viro non nomine ſolùm ſed & re ipſâ ***Chriſtiano***. Tuæq; ſententiæ accedo, quòd non ſolùm utile ſed ferè neceſſarium ſit antequam res tanti momenti ſuſcipiatur, ut ***Chriſtianus*** ac ***Judæus*** mutuam utriuſq; intelligant Theologiam ſive Theoſophiam. Ac proinde non contemnendum gradum ad hanc rem facere, qui ſe communem utriſque præſtat Interpretem. Qua de cauſa ingentes profectò tibi debentur gratiæ, non tantùm à Republica literaria ſed à toto Chriſtiano Orbe, quòd hanc tam difficilem Provinciam in te ſuſceperis. Converſi verò ***Judæi***, an ſua ***Barbaricâ*** Philoſophiâ uſuri ſint, an verò ***Græcanicâ***, rem puto eſſe in ambiguo; vel potiùs eos veros factos Chriſtianos, nulli Sectæ addictos fore, ſed liberos Veritatis indagatores & amplexatores ingenuos undicunq; emicuerit, nec tam indulturos ***Oralibus*** traditionibus, quàm ſacris Scripturis ***Sanctóque Spiritui*** à Chriſto omnibus verè credentibus promiſſo ſolidæq; Rationi innixuros. Nec ſanè credo probabile eis temporibus fore ut per longas & ænigmaticas ambages erudiantur homines in rebus Divinis, ſed ut velo ***Moſaico*** remoto, prout quiſq; in Divina vita profecerit, nudam contempletur veritatem, unctionem utiq; nactus quæ eum omnia edoctura ſit, quæ ſana ſint & ſolida ac utilia; nec σεσοφισμένοις μύθοις gaviſuros, ſed certis ac ponderoſis Myſticorum locorum ***Moſis*** ac Prophetarum, internóq; Lumini ac Spiritui congruis explicationibus abundè futuros eſſe contentos. Quòd deniq; ***zeteticè*** potiùs quàm ***theticè*** omnia tractas in ***Theologia*** tua ***Judaica***, id meritò ſingulari tuæ, tum prudentiæ, tum charitati imputandum eſt; quippe quæ via expeditiſſima eſt, quâ & Publico prodeſſe poſſis, & neminem interim privatum offendere.

§. 5. Satìs ſplendidam ſanè ac opulentam in hac Sectione nobis ante oculos exponis librorum ***Cabbaliſticorum*** ſupellectilem, téq; tam bene undiquaq; ad ſuſceptum onus inſtructum eſſe vehementer gaudeo. Nam ſuppoſito quidem quod multos hîc prævideo eóſq; non indoctos viros avidè ſibi arrepturos, nempe, Cùm libri hi ***Cabbaliſtici***, publicationem Talmudis ***Babylonici***, (quod & ipſe fateris) antiquitate non multùm ſuperent, (quæ facta eſt circa annum à N. C. quadringenteſimum) ſatìs ab eo tempore ſpacii Judæos habuiſſe, nè dicam plus ſatìs à receptione Cabbalæ per ***Moſen*** in Monte ***Sinai***, ad eam propriis Inventis corrùmpendam, quippe quum tam clarè conſtet temporibus Chriſti eos ***Cabbalam Ritualem Moralém***que turpiter corrupiſſe. Et certè tametſi regeri poſſit, non eaſdem ipſis fuiſſe occaſiones corrumpendi Cabbalam ***Theoſophicam***, quæ ad ***Ritualem Moralém***q; corrumpendam datæ fuerint, meminiſſe tamen oportere inter excidium Urbis per ***Titum*** & Publicationem ***Talmudis*** ſatìs temporis interfluxiſſe, quo propter calamitatem temporum in quæ inciderant Judæi, quibúſque eorum animi ab iſtiuſmodi ſtudiis penitus avocarentur, præcipuas etiam Cabbalæ *Theoſophicæ* partes planè perderent & oblivioni traderent, & mox nè perdidiſſe viderentur, nova commenta earum loco adinvenirent. Id quod R. *Moſes Ægyptius* in *More Nevochim* part. I. cap. 71. apertè videtur conſiteri. *Quodſi*, inquit ille, *circa Legem oralem cautum eſt nè illa publicè in libro conſcripta omnibus proſtaret, nè fortè corrumperetur aut depravaretur; quanto magis debuit hoc fieri circa Arcana iſta Legis Theoſophica vel Philoſophica, & caveri nè divulgentur publicè, & ità Margaritæ porcis objicerentur?* Quamobrem partim longitudine temporis, partim infidelium & ſtultorum populorum in eos dominatione, partim etiam quòd non cuivis conceſſa erant, multa Myſteria Gentis Judaicæ Theoſophica & Philoſophica palàm agnoſcit periiſſe & in oblivionem deveniſſe. Præterea ſcripta hæc antiqua quæ extant, quod & ipſe innuis, ænigmatum & allegoriarum multitudine perinde ac ipſâ antiquitate apparere venerabilia; Quarum altera alteram deſtruit, Ænigmatum & Allegoriarum multitudo Antiquitatem. Quippe incredibile videri antiquam illam Cabbalam *Moſaicam*, ænigmaticam fuiſſe, cùm veritas eſſet, [אמת] *i. e.* vera ac aperta interpretatio locorum maximè ænigmaticorum in Pentateucho, & præſertim trium primorum capitum Geneſeos, rerúmque ad Tabernaculum ſpectantium ſummúmque Sacerdotem, ipſiúſque adeò *Mercavæ* ſive currûs Triumphalis Dei *Iſraelis* in monte, à *Moſe*, *Aarone*, *Nadab* & *Abihu*, conſpecti, cùm Throno *Saphirino* ut in viſione *Ezechielis*. Quarum rerum Interpretatio proculdubio plana erat & perſpicua, apertáq; doctrina maximè ſublimium veritatum Theoſophicarum vel Philoſophicarum, & à vulgi captu longiſſimè abhorrentium; ſed à *Moſe* ipſo penitiſſimè intellectarum, quamvis figuris *Moſaicis* propheticiſque viſionibus obtectarum, unde & facies *Moſis* deſcendentis de monte lucere dicitur, & mox ob captum populi velo obduci. In *litera* eſt *velum*, in *orali doctrina* de ſenſu myſtico, eſt *lux*. Quæ ipſa igitur ænigmatica non erat, nec ſolent Allegoriæ vel Ænigmata per Ænigmata & Allegorias exponi.

Sed conceſſis, inquam, his omnibus & ſuppoſitis, præclarum tuum Inſtitutum parùm profectò indè labefactatur, tum quòd ipſe *Maimonides*, qui tamen ſatìs ſeverum harum rerum æſtimatorem ſe gerit, pauca doctrinæ illius veteris veſtigia & indicia, quæ in *Talmud* & *Medraſchoth* ſparſim hinc indè extant, tanquam *nucleos parvos magnis cinctos corticibus*, etiamnum agnoſcit comparere; tum quòd res ipſa docet, tam profundam ſcientiam intelligentiſſimi cujuſque ac pientiſſimi fidei concreditam, etiam in maximis rerum viciſſitudinibus, temporúmque mutationibus neglectui prorſus haberi non potuiſſe, cùm, ut ipſa virtus, κτῆμα eſſet ἀναφαίρετον, nec ipſis eripi aut ſurripi potuiſſet, ſed cùm nec palàm per conſcientiam ſublimes iſtas veritates ac arcanas publicare, nec eas pati omnino intercidere ipſis liceret, novis tandem involucris ænigmaticis eas abſcondidiſſe, ut eſſent, quod olim *Ariſtoteles* reſpondebat *Alexandro* de Scriptis ſuis *Acroamaticis*, ἐκδεδομένα ϗ μὴ ἐκδεδομένα, *edita & non edita*; edita quidem ipſis *Judæis*, Magiſtris ſuis eos docentibus, Gentibus verò non edita, niſi quatenus placuerit Judæis, & ipſe opportunè gloriaris, inventum eſſe huic Sphingi *Judaicæ Oedipum* etiam *Judaicum*: tum denique, quòd præcipua laudatiſſimi tui Inſtituti pars non tam eò collineat ut unam certam integrámque *Cabbalam*, ex his ruderibus Judaicis extruas, quàm ut *Judæi* & *Chriſtiani* ſuam utriuſque Theoſophiam mutuò intelligant, liberéque, quid ſolidum quídve ſecùs utrobique reperiatur, apud ſeipſos perpendant. Unde de præcipua hac parte præclari tui Inſtituti, per ſuprà dictas difficultates nihil omninò videmus decerpi.

Et quantùm quidem ad nova illa Involucra, ex pauxilla mea experientia, ut qui hoſpes planè in his ſtudiis ac peregrinus ſum, reperi tamen veritates maximi momenti, & quas credibile eſt partem fuiſſe antiquæ *Cabbalæ*, ænigmaticis Imaginibus iíſque mirum in modum craſſis & diſtortis, malignè ſatìs atque invidè obtectas & quaſi oblarvatas. Ut in MS. illo (quod huc mittendum curâſti & de quo gratias tibi ago) *Idra Rabba* appellato. Ubi certè vehementer ſuſpicor Divinitatem *Meſſiæ* conditionémque Regni illius ſpiritualis, Eccleſiæve veræ ac Catholicæ latiſſimo ſenſu ſumptæ, quatenus ſuperiorem etiam *Hiproſolymam* includit per omnes æonas deductam, depravatis ſimulachris & ænigmatis τοῦ *Seir Anpin*, & uxoris ejus, ſuo modo adumbrari. Nec fortean ineptè huc referri poſſe illud S. *Pauli*, Epheſ. 5. 32. *Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & Eccleſia.* Sed cùm ſummam mihi brevitatem propoſuerim, hiſce non licèt immorari.

§. 6. Spicilegium, pro tua modeſtia, hîc vocas, quam meritò nos ſperamus meſſem uberrimam fore. De Aſſenſu verò Dogmatis *Judaicis* aut adhibendo aut denegando, juxtà tecum ſentio, Ante auditam utique cauſam neutrum eſſe faciendum. Nec miraberis *Platonicam* Philoſophiam aliquantum loci habere in Academiis noſtris Anglicanis, cùm & Statuta Academiarum, ſaltem ***Cantabrigienſis***, aut jubent aut commendant lectionem non ſolius ***Ariſtotelis***, ſed & ***Ciceronis*** & ***Platonis***. Nec iniquum votum eſt, ut latitudo opinandi apud doctiores & prudentiores longiùs ſe diffunderet, qui eâ lege libertatem acceptaturi ſint, quâ aliis in rebus promittit Poeta,

——***Dabitúrque licentia ſumpta pudenter.***

§. 7. Diſcrimen quod ponis in hac Sectione inter ***Judaicam*** Philoſophiam & ***Pythagoricam*** ac ***Platonicam***, non caret acumine ac judicio. Cæterùm dum Judæorum Magiſtros in duo genera diſpeſcis locis ævíque periodis diſtincta, magnum mihi injicis ſcrupulum etiam de eis qui Urbis vaſtationi ſunt propiores, & in Terra Sancta ſuas ſcholas habuêre. Sunt enim qui contendunt etiam ab ***Antiochi*** temporibus, Philoſophorum Scholis, & certè ***Ariſtotelis*** præter cæteros ***Judæam*** corruptam fuiſſe. Quò minùs mirari debemus, ***Jonathanem*** F. ***Vzriel***, ſectam ***Ariſtotelicam*** ſapere in ſua Paraphraſi in viſionem ***Ezechielis***, qui tamen multis annis vixit ante Urbis excidium. Nam Rotas ille Cœlos ***Ariſtotelicos*** eſſe fingit, & in illius opinionis gratiam, ***Et ecce una Rota*** in terra, interpretatur dicam an pervertit ad hunc modum, ***Sphæra una poſita erat ſub altitudine Cœli.*** Quod ipſe ***Maimonides*** etiam notavit, in ***More Nevochim***, part. 3. c. 4. Vides quàm maturè corrupta ſit ***Cabbala*** Philoſophica apud ***Judæos***, etiam aliquot annis ante Chriſtum natum, immò multis, ſi calculum ineas ab Antiocho. Quam quidem ob cauſam ſeriò conſiderandum eſt, an non certiora veteris Philoſophiæ ***Judaicæ*** veſtigia invenienda ſint apud ***Pythagoreos*** quàm apud ipſos ***Judæos***, cùm ***Pythagoras*** edoctus ſit Arcana ***Cabbalæ Philoſophicæ*** à Sapientibus ***Judæorum***, quadringentis aut quingentis annis ante modò memoratam corruptionem. Atque hæc breviter de Præfatione. Ad ipſam Reſponſionem jam pergimus, ubi pari ferè brevitati operam dabimus.

In CAP. I. Conſid. 1.

I. MInùs accuratè dici, ***Mundum propterea creatum ut Deus eſſet perfectus***, &c.

1. Satìs ingenioſè hîc abs te excogitata eſt Perfectionis Diviſio in ***extrinſecam*** & ***intrinſecam***, quaſi ***extrinſeca*** Imperfectio in Deum cadere poſſet, quamvìs ***intrinſeca*** non poſſit. Cæterùm hîc porrò diſquirendum eſt, an ulla omnino ***Imperfectio*** ſive extrinſeca ſive intrinſeca cum Divina αὐταρκείᾳ poſſit conſiſtere.

2. Quod ſtylum linguarum Orientalium attinet, equidem hîc ingenuè propriam profiteor imperitiam. Haud tamen credibile cenſeo, quin certæ quædam notiones ſint omnibus gentibus cujuſcunque linguæ communes, nè principia naturalis Scientiæ videantur pro linguarum varietate variari.

3. Ἀνάγκην ***Pythagoricam*** quamvìs admitteremus, diſpiciendum porrò eſt, rectiúſne hæc Neceſſitas oriri intelligatur, ex eo quòd Mundus à Deo factus aliquam ulteriorem perfectionem illi ſuperaddat, quæ neceſſitas eſſet ***Indigentiæ***, ex parte Dei; an verò ex eo quòd ità comparata ſit Divina Natura, quippe quæ perfectiſſima & abſolutiſſima Bonitas eſt ſive Benignitas, ut non poſſit non agere quod ſimpliciter optimum eſt. Ut verò Mundus, quàm primùm poteſt, exiſtat, ſimpliciter optimum eſt. Atque hinc à ***Pythagoreis*** Decadem dici ἀνάγκην. Ut verò prior neceſſitas, neceſſitas erat ***indigentiæ***; Hæc è contrà, neceſſitas eſt ***Perfectionis***, ex parte Dei, quæ illius naturæ magìs eſt conſentanea.

4. Quid ipſe ſtatuam de Emanatione Mundi Deo coæterna, videre potes in ***Enchiridio*** meo ***Metaphyſico***, Cap. 10. ubi impoſſibile demonſtro ut Mundus exiſtat ab æterno. Et certè admiſſo Mundum extitiſſe vel emanâſſe à Deo ab æterno, quanquam hinc concedendum eſt, Deum ſic ſemper & fuiſſe & fore æquè perfectum, conſiderandum tamen eſt annon etiamnum hoc pugnet cum Divina αὐταρκείᾳ, quaſi omnibus numeris Deus perfectus non eſſet niſi Mundo ſuperaddito. Atque ſic id tantùm efficeretur, nempe ut Deus quidem ſemper æquè perfectus ſit, nunquam tamen per ſe, (Mundo non ſuperaddito) plenè perfectus.

II. ***Mirè Paradoxum eſſe Deum tribuere nomina ante Creationem***, &c.

1. Ut Deus ſe cognoſceret ab æterno, (quæ certè mihi videtur æterna Filii Generatio) planè neceſſarium erat. An verò ut ſibi nomen ab æterno daret, perinde neceſſarium ſit, magìs ardua eſt quæſtio, neque enim ſuam ipſius notitiam apud ſe quicquam illuſtraret. Apud homines quidem, illud Platonis valere poteſt, Ὃς ἂν ἴδῃ τὰ ὀνόματα εἴσεται ϗ τὰ πράγματα, non item apud Deum, qui immediatam rerum naturam

novit, nullâ hominum manuductione indigens. Et præterea diſquirendum eſt, an *Hebraicè* ſe tantùm nominaverit, an verò Græcè etiam & Latinè, & Gallicè & Germanicè & Hiſpanicè, & omnibus in univerſum nominibus, quibus apud ullam gentem appellatur. Hæc inquam per otium diſquirenda ſunt, nec temerè quicquam ſtatuendum.

2. * Hæc quæſtio prioris admodum affinis eſt. Et certè quamvìs leve quid præ ſe ferre videatur, viam aperit in immenſum Philoſophandi campum, eúmq; ſpinoſum ſatìs ac dumetis obſitum. Nec certi eſſe poſſumus Ideas nominum & linguarum ab æterno eſſe, ut dialectorum ſingularum, ſingularúmq; mutationum ac depravationum, niſi omnium omninò rerum & perſonarum, actionúmq; ac motionum in Mundo viliſſimarum pariter atq; honeſtiſſimarum ab æterno concipiatur in mente Divina Idealis deſcriptio, atq; hæc non ſolùm τῶν ἐσομένων ſed & τῶν μελλόντων, utì diſtinguit alicubi *Ariſtoteles*, nè liberum hominis arbitrium funditus ſubvertatur, ac proinde rebus perſoniſq; infinita ferè Bivia, Trivia, Quadriviáq; patere in Divino fato delineata. De quibus hîc diſputandi nec locus eſt nec animus. Intereà loci conceſſâ hâc omnimodâ rerum, Perſonarum, motionúmq; atque actionum in mente Divina, ideali prædelineatione, quæ ſanè illius infinitati maximè eſt congrua, minimè dubium eſt, quin & Nominum omnium inibi ſint Ideæ ab omni retro æternitate, & proinde Nominum *Jehovah* & *Adonai*, & *Ciceronis* & *Platonis*. Sed hîc tamen porrò diſpiciendum eſt, an rectiùs *Cabbaliſtæ* ratiocinentur Mundum creatum ut ſit quòd conveniret nominibus *Jehovah* atq; *Adonai*, quàm ſi quis concluderet *Ciceronem* & *Platonem* genitos eſſe, alterum cum latis humeris, cum cicere in naſo alterum, ut exiſteret aliquando in Natura quod iſtis nominibus reſponderet.

SCHOLIA

In Cap. I. Conſid. 1. II. 2.

HÆc quæſtio prioris admodum affinis eſt, &c. *Duæ quæſtiones à* C. K. *propoſitæ hæ ſunt, Annon Deus prout ſeipſum potuit cognoſcere, ità & ſeipſum nominare potuerit? Hæc prior eſt quæſtio; Altera verò, Annon ſint Ideæ tam Nominum quàm Rerum in Deo.*

In Cap. I. Conſid. 2.

I. QUod impedire ais nè *Adam Cadmon* ſit *Logos* ſive ſecunda Perſona Divinitatis, nempe quòd in ſacris paginis appellatio Filii illi approprietur, *Cochmah* verò apud *Cabbaliſtas* nunquam appelletur *Filius*, ſed *Seir Anpin*, qui in *Tiphereth* reperitur, propriè & conſtanter Filius à *Cabbaliſtis* vocetur, aut Primogenitus; hîc ſepoſito omni præjudicio liberè perpendendum eſt, an non *Seir Anpin* idem ſit qui *Sacerdos magnus*, *Homo ſupernus*, *Adam cœleſtis*, *Maritus Eccleſiæ*, quæ nomina omnia ſunt in *Tiphereth*, cur non *Adam Cadmon* igitur ibi collocandus? Addo ex *Idra Rabba*, *Microproſopum* ſive *Seir Anpin*, eſſe Hominem ſuper Thronum *Sapphirinum* in Viſione *Ezechielis*, & *Adamum Androgynum* vocari. Etiam in eodem libro legimus *Sapientiam* eſſe *Hominem ſuperiorem*, & niſi eſſet hic homo Mundum conſtare non poſſe, citato etiam *Prov.* 3. 19. *Dominus in ſapientia fundavit terram.* Hanc verò ſapientiam abſconditam efformari formâ hominis ut conſiſtat ſuper ſolio, *Ezech.* 1. 26. Hîc igitur ſeriò & circumſpectè diſpiciendum eſt, & diligenter inquirendum, an non *Seir Anpin* apud *Cabbaliſtas* revera ſit Anima *Meſſiæ* cum æterno *logo* unita, quamvìs myſterium variis iiſq; diſtortis Imaginibus ac Ænigmatis obvelaverint, & ferè turpiter oblarvaverint. Quis eſt enim ille *Adamus* ἀνδρόγυνος, niſi Maritus Eccleſiæ? quis Maritus Eccleſiæ, niſi *Meſſias*? Hominem verò ſuper ſolium *Sapphirinum* ſedentem in Viſione *Ezechielis* eſſe Animam *Meſſiæ* cum *Logo* unitam, ſatìs fuſè doceo in Expoſitione illius Viſionis: *Sapientiam* verò in illo throno ſedere ſub forma humana, monemur ex ipſa *Idra Rabba*. Cùm igitur revera *Seir Anpin* ſit Meſſias, eiſdémq; nominibus gaudeat quibus *Adam Cadmon*, nam ſub *Tiphereth* dicitur *Adam ſuperior* & *Adam cœleſtis*, immo verò ni fallor, *Adam Cadmon* in *Idra Rabba*; ſequitur quòd revera *Adam Cadmon* etiam ſit *Meſſias* Homo ille cœleſtis, atque ſic *Logos* ſit in *concreto* quamvis non in *abſtracto*. Atque hinc certè minimè mirandum eſt *Seir Anpin* Filium Dei tam conſtanter à *Cabbaliſtis* appellari, cùm ſit ipſe *Meſſias*, ſive Anima *Meſſiæ* cum Logo, æterno Dei filio, unita. Hujuſce verò rei ignorantiam, nempe quòd Anima *Meſſiæ*, cum æterno *Logo* unita, ſit Homo ille throno inſidens in viſione *Ezechielis*, fontem eſſe credo deformatiſſimorum Ænigmatum apud *Cabbaliſtas*, & in varios labyrinthos eos diduxiſſe. Atque è contrà hujus Myſterii cognitionem, clavem eſſe verè auream ad reſeranda pretioſiſſima Myſteria Cabbalæ Theoſophicæ, quin & limam etiam chalybeam quâ omnis rubigo ſitúſque & quicquid alienum ſit ac ſordidum deteratur ac defricetur, & antiqua Cabbala purè ac ſincerè reſtituatur.

Sed ſecundam *Sephiram* non vocari Filium, apud Cabbaliſtas, innuis, ſed Patrem. At verò, cùm *Philo Judæus* plus ſemel, æternum Logon, τὸν πρωτόγονον θεοῦ υἱὸν appellet, conſiderandum eſt quanto majoris illius autoritas æſtimanda ſit, quàm eorum quos quingentis minimùm annis antiquitate ſuperat. Ut prætercam *Cochmah* per Filiam ſummi Regis etiam apud alios *Cabbaliſtas* indigitari; quomodo autem Pater dici poſſit explico in *Annotatis* ad *Tabulam Cabbaliſticam*. Denique unionem Animæ *Meſſiæ* cum *Cochmah*, ii *Cabbaliſtæ* inſinuant, qui deſcriptionem ſive circumſcriptionem τοῦ *Seir Anpin* à ſecunda *Sephirah Cochmah* incipiunt. Quoſdam verò *Cabbaliſtas* ſic facere ipſe doces, in *Clave ſublimioris Cabbalæ*. Quod mihi egregiè videtur confirmare ſuprà dictam opinionem. Poſtremò ut prætermittamus contractionem trium primarum *Sephiroth* in unam *Cochmah* quæ *Pater* ſit, & ſex proximarum in unam *Tiphereth* quæ ſit *Filius*, ut decima *Sephirah Malcuth* ſit *Spiritus S.* hîc ſeriò diſpiciendum eſt, an non multò ſit probabilius, ut *Malcuth*, quæ & uxor dicitur τοῦ *Seir Anpin*, ſit Eccleſia latiſſimo ſenſu ſumpta, quatenus ſuperiorem perinde ac inferiorem *Hieroſolymam* complectitur, adeóque ſit *Regnum Meſſiæ Spirituale*, quàm ut ſit ipſe *Spiritus Sanctus*. Una enim Perſona non facit *Regnum*, *Malcuth* verò Regnum ſignificat; Spiritus verò ſanctus unica eſt perſona, & vocatur רוח החיה in viſione *Ezechielis*, cujus ſubjectum eſt *Regnum Meſſiæ Spirituale*, quemadmodum abunde demonſtrabimus in explicatione *Mercavæ*. Intereà loci, quantùm ad iſtam *Adami primi* notionem, tam longè à *Microproſopo* diſtinctam, equidem multùm ſuſpicor eam originem ſuam debere ignorantiæ ſtyli Prophetici apud recentiores *Cabbaliſtas*. *Adam*, fateor, univerſaliſſimum habere ſenſum omnéſque complecti Creaturas Intellectuales, cujuſcunque generis aut ordinis, & ad Animas Angelicas pariter ac humanas referri. Ac proinde cùm ſub ſingulari nomine *Adami*, in monumentis *Cabbaliſticis*, deſcriptiones occurrerent, quæ, ſi unus hic Adamus literaliter intelligendus eſſet, tantum eſſe ſubindicarent ut cœlum terrámque impleret; recentiores, cùm quid ſit *Henopœia* Prophetica vel Cabbaliſtica, non intelligerent aut ſaltem non ſatìs attenderent, prodigia planè pro myſteriis amplexati ſunt, & quod fieri ſolet, ad majorem admirationem movendam, quum repertam putabant monſtroſitatem novis appendicibus adauxerunt. An verò ſtatus omnium primus, Adami *Henopoeticè* intellecti (qui ſtatus erat Adami *Aziluthicus*) in horto *Eden* מקדם, occaſionem non dederit mirabili illi notioni de *Adam Cadmon* qui dicitur omnium primorum primus, ſagaciſſimis ingeniis mihi digna videtur diſquiſitio, & tuo quidem præ cæteris, quum in hiſce ſtudiis ſis omnium verſatiſſimus.

II. Hujus Sectionis Titulus eſt, de *Incongruitate* tribuendi *Adamo primo* temporale quoddam initium. Quanquam non ſatìs inter nos convenit quid ſit hic *Adamus primus*, an *ſuperior* ille *Homo*, quem Sapientiam appellat *Idra Rabba*, an aliud quippiam, ad ſingulos tamen hujus Sectionis articulos aliquid dicendum cenſui.

1. Neſcio igitur an Tempus eminenter ſic dictum & ab omni imperfectione purgatum, adeò ut applicari poſſit omnibus antecedaneis Æonibus, quicquam aliud ſit quàm duratio in genere. Quæ generalis tamen notio ipſam à perfectionibus perinde purgat atque ab imperfectionibus. Sed ut fatear quod res eſt, ego tempus propriè dictum, hoc eſt, durationem ſucceſſivam, omnibus *Æonibus* quos ego noverim, competere autumo. Quos ego quatuor omnino in genere ſtatuo, *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jetzirathicum* & *Aſiathicum*, nec veterem ac genuinam Cabbalam Theoſophicam Judæorum ſupra hos *Æonas* unquam aſſurrexiſſe, quippe ſuper viſionem *Ezechielis* fundatam ac ſtabilitam, quæ viſa eſt ſuper fluvium *Chebar*. Quod mihi apertè indicare videtur, viſionem eſſe de rebus quæ cum defluxu ſeculorum fiunt, quemadmodum in explicatione *Mercavæ* pleniùs moneo.

2. * Diſquirendum hîc primum eſt, An ſint Modi Divini, & quid ſint, & denique quot ſint. Nam ſi per Modum פרצוף intelligitur, nego plures eſſe tribus. Et certè R. *Menachem Haraknah*, ſeptem poſteriores *Sephiroth* ſolos מדות ſive *Modos* ap-

pellandas cenſet, ego verò locos communes eſſe cenſeo, ſive repoſitoria nominum ac notionum, & nè modos quidem Divinos eſſe, ſed locos, quod dixi, communes quæſtionibus de Regno ***Meſſiæ***, & fortean de ***Naturæ*** Regno inſtituendis aptè accommodatos. Ut per compendium igitur quinque Rationibus hîc ſubjectis reſpondeam, dico anxiè circumſpectéque conſiderandum eſſe, an quicquid Deo competere concipi poteſt, ad hæc duo non ſit referendum, ad ***Eſſentiam*** putà aut ***Operationes***; cùm autem Deus is ſit cujus ȣ̓σία eſt ἐνέργεια, definiente ***Ariſtotele***, nempe quatenus opponitur δυνάμει, ità ut ***Actus*** ſit ***ſimpliciſſimus*** abſolutè æternus & immutabilis, annon indè palàm ſequatur, cùm & Pater ſit Deus, Filius Deus & Spiritus S. Deus, ut ſinguli ſint Actus ſimpliciſſimi abſolutè æterni & immutabiles, & coexiſtentes ſimul ab æterno in æternum, & Λόγος & Ζωὴ ſive Πνεῦμα cum Deo Patre. Quantùm verò ad operationes propriè ſic dictas, non fuiſſe ab æterno & deſinere poſſe vel intermitti ac reſumi, haud cunctabundus concedo. Sed ***Adamum*** hunc ***omnium primorum primum***, ad horum alterutrum referri poſſe vehementer dubito. Ac proinde diligenti exploratione digna res eſt, an hic ***Adam Cadmon*** Commentum quoddam non ſit paulò alienius ab antiqua ***Cabbala***, & ex ignoratione ſtyli Cabbaliſtici, quemadmodum ſuprà monui, aut Unionis Animæ ***Meſſiæ*** à primis uſque ſeculis cum Æterno Logo factæ, procreatum.

3. * Ex modò propoſito compendio, breviter hîc reſpondeo: Quicquid ad Deum refertur, aut illius Eſſentiam eſſe, aut Operationes. In Eſſentia verò Divina nullam eſſe ſucceſſivam Repræſentationum varietatem. Cæterùm ſi gradus hos Cabbaliſticos Operationes eſſe concedis, quòd initium habere dicantur, nulla eſt apud me difficultas. Sed quàm bellè tunc mera operatio ***Adam Cadmon*** appellanda ſit, ulteriori indiget indagatione.

4. Quod hîc quæris, Annon deſcriptio ſuccedentium ſibi hoc ordine ***Emanationum***, prioritatem & poſterioritatem ordinis tantùm involvere poſſit, non temporis, ſcopum propiùs mihi attingere videtur, ſi darentur utique iſtiuſmodi Emanationes interpoſitæ Mundum Creationis inter atque Deum. Quod ſuo loco porrò eſt diſcutiendum. Interea perpendendum eſt, an non ſatius ſit humanum animum aliquâ verâ ſupellectile carere, quàm falsâ eâque nimis moliminosâ ac tumidâ oppleri. Entia non multiplicanda eſſe ſine neceſſitate, Effatum eſt in Scholis vulgatiſſimum nec minus ſolidum.

5. Quæ hic profers ex R. ***Schabthe*** apud ***Rittangelium*** ad libr. ***Jetzirah***, ſcopo tuo admodum ſunt apposita. Sed enimvero, dum ***Numerationes***, quatenus Deum ipſum reſpiciunt, de ipſa Eſſentia Divinitatis eſſe agnoſcit, atque eo ipſo æternas, manifeſtum eſt ſiquid omnino ſint, eſſe ipſam Divinam ***Eſſentiam***; quatenus verò ***Emanationes*** dici poſſunt, dum reſpicere ait Creaturas, indè profectò ſatis mihi liquere videtur, eas meras eſſe ***Operationes***, nihílque neceſſe eſſe ut indè Mundus fingatur Emanationum, rebus perſoníſque ſcatentium, inter quas numerandus ſit ***Adam Cadmon*** omnium primorum primus. Et certè hîc ſeriò conſiderandum eſt, quanto correctiùs & caſtigatiùs quantóque veritati Philoſophicæ congruentiùs Chriſtus & Apoſtoli, totáque adeò Eccleſia Chriſtiana, qui prætermiſsâ omni mentione Mundorum Emanationis, illorum loco operationes tantùm ***Spiritûs*** S. (qui רוח החיה in viſione ***Ezechielis*** dicitur) commemorârunt dictíſque ac monitis ubique celebrârunt, jam olim locuti ſint, quàm recentiores iſti ***Cabbaliſtæ*** qui animos noſtros ſuſpectâ illâ Mundorum Emanationis ſupellectile opplere ſategerunt, quibus tamen nihil opus eſt ad eas res quibus R. ***Schabthe*** eos deſtinatos autumat, nempe ut per has Emanationes Divinum lumen fluxu ſuaviori ac mitiori in mentes noſtras deſcendat. Etenim, cùm quicquid recipitur recipiatur ad modum recipientis, nihil periculi eſt, nè nimium luminis (defectu illarum Emanationum) in animos noſtros immittatur; ſoláque operatio Divina, ad menſuram mentis noſtræ recepta, emanationum iſtarum vicem poteſt ſupplere. Nam ut oculus corporis pro diſtantia objecti luminoſi, plus minúſve luminis ab ipſo haurit; ità & oculus mentis pro diſtantia aut ſpecifica aut adventitia, à Divina excellentia magis minúſve remota, plus minúſve illuminationis à Patre luminum recipit, ejúſve Spiritûs operationes fortiùs aut remiſſiùs ſeſe ferientes perſentiſcit. Equidem fateor ſi Theoremata, quæ ſupponit R. ***Schabthe***, vera eſſent, per ſimilitudinem Veſpertilionis, qui lumen Solis niſi à Luna reflexum ferre non poteſt, ſatis ingenioſè illuſtrari. Verùm τὸ πρῶτον ἀληθὲς in re quaque inveſtigare & eruere, hic labor hoc opus eſt, vel potiùs Divina quædam εὐτυχία.

III. Abſurditas aſſerendi Deum aliquando fuiſſe ἄνευ τȣ̃ λόγȣ· Super hâc re quæris,

1. Annon diſtingui poſſit inter τȣ̃ λόγȣ ***Exiſtentiam***, atque ejuſdem ***Repræſentationem***. Per exiſtentiam τȣ̃ λόγȣ ſecundam Hypoſtaſin te innuere opinor; illúdque ſine quo Deum aliquando fuiſſe non videatur abſurdum, eſſe aliquam illius repræſentationem,

tationem, quaſi ſpeciem illius intentionalem externo alicui Intellectui impreſſām. Hîc verò diſpiciendum eſt, an *Repræſentatio* illa alia eſſe poſſit quàm Operatio, ut quando Sigillum figurat Ceram. Et reminiſcendum porrò non de *Repræſentatione* hîc agi ſed de ipſo *Logo.*

2. Ac proinde luſum non eſſe in termino τȣ̃ λόγȣ, cùm ipſe *Logos* intelligatur, qui æquè neceſſariò in Divina ac immutabili eſſentia continetur, atq; Ratio in Humana.

IV. Fieri non poſſe ut Æternus Dei filius principium habeat & finem. Hic eſt Titulus hujus Sectionis, ubi

1. Primò aſſeris, de *Ubietate* ſermonem eſſe non de *Duratione.* Id verò an ità ſit optimè diſpicitur allatis Verbis. *Jam verò Emanatio lucis illius primæ* (*Adam Cadmon* indigitatur) *cum cæteris Mundis qui ſub ipſa ſunt, principium & finem habent nec tempore deſtituuntur.* Quæ poſtrema verba ἐξηγητικῶς addita putabam, nè quis principium & finem aliter quàm de tempore acciperet.

2. Locum illum *Johan.* 14. 28. *Pater major me eſt*, hinc explicari poſſe * ſupponit, ſermonem fuiſſe de Ubietate, cùm veriſimilius videatur fuiſſe de tempore. Sed nec Ubietatem *Patris* ubietate Λόγȣ majorem eſſe ex hoc loco evinci poſſe puto, ſed *Divinam* Naturam hîc potiùs cum *humana* ac viſibili comparari. Quanquam interim non diffiteor quin majus aliquod privilegium Patris quàm Λόγȣ poſſit ſimul hîc ſubindicari.

3. Nihil abſurdi ſubeſſe exiſtimo ſi repræſentatio Filii Dei ubiq; non fieret, hoc eſt, operatio quâ repræſentetur. Sed porrò conſiderandum eſt an hæc operatio *Adam Cadmon* appellanda ſit necne, fingendáve Emanatio eſſe, & non ſimplex operatio, ut aliæ operationes Spiritûs ſancti, qui communicat quæ ſunt Filii. Hæc ſpero penitiùs introſpecta non tantùm magìs orthodoxa, ſed & magìs ſolida magiſq; philoſophica viſum iri rectè penſitantibus.

V. Hujus Sectionis Titulus eſt, Diſtributionem Adami primi in membra craſſam videri imaginationem. Ad quod mitigandum ſatìs appoſitè ſuggeris,

1. Hæc omnia ſpiritualiter intelligi debere. Rectéq; id mones, ut & Antiquis hoc genus non fuiſſe inſolitum, tam craſſas nimirum ac prolixas Allegorias & Ænigmata. Cujus quidem Modi ſcribendi, *Idra Rabba*, quam huc mittendam curâſti, & qua de re gratias tibi ago maximas, exemplum eſt locupletiſſimum; nec certè dubito quin antiquitate cum ipſo *Talmude* poſſit contendere. Verùm interim reminiſcendum, hanc antiquitatem cum antiquitate veræ Cabbalæ *Moſi* à Deo traditæ in Monte *Sinai* minimè eſſe conferendam, ac proinde ſatìs temporis interfluxiſſe quo novis additionibus aut perverſionibus corrumperetur.

2. Scripturam ſic ſæpe loqui agnoſco, nempe acſi membra humani corporis Deo competerent, verùm hoc fieri per ἀνθρωποπάθειαν ut vulgò.docent. Sed & ipſam *Cabbalam*, quæ reverà *Judaica* vel *Moſaica* Philoſophia eſt, tam craſſis uſum fuiſſe Imaginibus, & adeò datâ operâ *Anthropomorphitiſmum* inculcâſſe, mihi minùs videtur credibile.

3. An verò hic mos ſit philoſophandi apud Orientales neſcio, aut ad quæ loca hîc reſpicere poſſis apud *Triſmegiſtum*; quem tamen, ſed ante multos annos diligenter perlegi, nec ulla memoriæ meæ hujus moris Philoſophandi inhærent veſtigia.

4. Conceſſo, quòd ordine membrorum, non niſi ordinatæ Divinorum Attributorum claſſes effigurantur, ut Cerebro Sapientia, Oculis Providentia, Auribus Intelligentia, Brachiis Potentia, & virili membro vis creandi omnia; meritò tamen hîc quærere quis poteſt, quorſum iſta tot Mundorum, in Cranio novies mille Myriadum, in Naſo 375, & in membro virili 208, in *Idra Rabba*, facta ſit deſcriptio; Quæve ulla eximia veritas Philoſophica hiſce craſſis ſimulachris illuſtrata ſit, aut quæ tam excelſa & ſupra captum vulgi poſita, ut digna reputetur quæ tantâ Involucrorum ſpiſſitudine à vulgi oculis abſcondatur.

5. Quantùm verò ad iſtam ὑλαίαν χειραγωγίαν, quam ſanè ſatìs ingenioſè & appoſitè profers ex *Dionyſio Areopagita*, ea certè nuſquam locum habere debet, niſi ubi Imagines illæ materiales, aliqua ex parte revera ſint Imagines rerum immaterialium quas repræſentant, adeò ut aliquid ſaltem ad faciliorem earum cognitionem conferant; quod fateor me in *Anthropomorphitiſmo* hoc *Cabbaliſtico*, ſi fas ſit ità loqui, minùs deprehendere. Ac proinde poſtremò, altè profectò fixéq; conſiderandum eſt, an commentum recentiorum *Cabbaliſtarum*, (& omnes quidem Cabbaliſtæ *Talmudi* haud antiquiores, apud me recentiores audiunt, cum antiquitate veræ Cabbalæ collati) de *Adamo primo*, qui & *Adam Cadmon*, & *Seir Anpin* appellatur,

originem ſuam non debeat Adamo קדמון in Horto *Edeni* poſito & ab Antiquis Cabbaliſtis *Henopoeticè* deſcripto, à poſterioribus verò perperam intellecto; aut Homini *Ezechielæo*, ſimilitudini utiq; Hominis in ſolio collocatæ, quæ cùm Anima *Meſſiæ* ſit, quæ eſt Creatura, cum æterno tamen *Logo* Hypoſtaticè unita, qui revera eſt Deus, illi re malè intellectâ, talem Notionem efformârunt, quæ nec *Deo* nec *Creaturæ* competat, majora illi attribuendo quàm quæ Creaturæ, minora verò quàm quæ conveniant Deo. Quod factum eſt ex ignoratione tam maturæ Unionis & à primis uſq; ſæculis, Animæ Meſſiæ cum æterno *Logo*, cujus myſterii notitiam in noſtra *Mercavæ* Expoſitione, opportunè, ut ſpero, renovavimus.

VI. Quantùm ad *Olam Hannekuddim*, fateor me toto cœlo, quod dicitur, errâſſe: Nec mirum, cùm adeò peregrinus ſim in his ſtudiis, me neſciviſſe ubi gentium eſſem, in terra *Divinarum Idearum*, an in *Mundo materiali*, ubi *Spiritus Naturæ* ſuas partes agit. Quomodo verò iſta quæ de *Olam Hannekuddim* dicuntur, ad Mundum *Tohu* potiùs quàm ad Mundum Divinarum Idearum pertineat, non ſatis intelligo, niſi quòd ego nullum Divinarum Idearum Mundum eſſe intelligam præter ipſum Intellectum Divinum. Conceſſo autem quòd ſit *Mundus Idearum* à *Divino Intellectu* diſtinctus, *Mundus punctatorum* non ſine probabilitate ad eum Mundum videtur poſſe referri, quaſi aliquanto compoſitior quàm *Mundus punctorum*, Quæ in MS^{to} *Emek Hammelech* dicto (de quo gratias tibi ago) deſcribuntur. De Mundo verò *Tohu* ſic ſe res habet in *Emek Hammelech*: *Tres* nempe *Mundos condere in Idea Deum ſibi propoſuiſſe, Mundum* Nepheſh *in quo malum prævaluit bono, qui fuit Mundus* Tohu, *quem igitur deſtruxit; Mundum hunc qui eſt Myſterium* Ruach, *qui ſciſſus eſt in Medietates, unde vocatur* Arbor ſcientiæ boni & mali, *ſicut ſcriptum eſt, Et terra erat* Tohu, *& Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; hoc verò deſtructo S. J. B. creaturum eſſe Mundum* Neſchamæ *qui vocatur* אור, *ſicuti ſcriptum eſt*, Et dixit Deus, Fiat Lux. *Iſtum verò Mundum totum bonum eſſe, nec eſſe malum in eo.* Aliáque plura ad eum ſenſum, ex quibus liquere poteſt, hæc ad *Cabbalam* quandam *Propheticam* pertinere potiùs quàm ad *Cabbalam Philoſophicam*, & ad Mundos Phyſicè vel Metaphyſicè intellectos. Unde dubito nè non ſatìs bellè *Olam Hannekuddim* ad Mundum *Tohu* referatur. Fateórq; ad *Spiritum Naturæ* rectè referri non poſſe, cùm ordine præcedat ipſos Mundos *Emanationis*, quod autem profectò non obſervavi, inſcius etiam quid ſibi velint quatuor iſti Mundi *Emanationis*, *Creationis*, *Formationis* & *Factionis*, quos ſequenti Sectione ſatìs accuratè deſcribis.

VII. Et magnas ſanè habeo tibi gratias quòd tam graphicè mihi depinxeris quatuor iſtos Mundos ex *R. Moſe Corduero*. Quæ certè Deſcriptio occaſionem mihi dedit inveſtigandi veram *Mercavæ* Expoſitionem. Nam quatuor hos Mundos ad quatuor *Animalia* quatuórve *Rotas* in Viſione *Ezechielis*, referendos eſſe nullus dubito, nec ab ullo credo Cabbaliſta negari. Ipſáſq; appellationes ſatìs antiquas eſſe facilè concedo. Verùm enimvero an ſenſum earum rectè acceperint poſteriores *Cabbaliſtæ*, non parum ſubeſt ſcrupuli. Equidem non tot Mundos ſpecificè diſtinctos intelligendos cenſeo; ſed unum eundémq; Mundum, Mundum nempe Animarum per quatuor ſtatus variatarum, iſto Myſterio figurari, quemadmodum in *Expoſitione Mercavæ* ſatìs copioſè explicavi. Mundúmq; Emanationis nihil aliud eſſe credo, quàm influentiam Spiritûs S. in Animas in ſtatu *Aziluthico*, quemadmodum ex iſta mea explicatione ſatìs potes intelligere. Nec opus eſt hiſce rebus hîc diu inhærere, cùm nulla alia hîc dicenda ſint, quàm quæ illîc tibi legenti occurrent. Committere verò non poſſum quin hîc notem, quàm opportunè ſecundas illas ſignificationes vocum אצילות & בריאה animo meo objeceris, juxta quas Expoſitionem meam formavi, excogitato, proprio Marte, ſatìs commodo ſignificatu vocis יצירה. Vox verò עשיה, cùm & Mundus Fabricæ dicatur ex vi nominis, ſuâ ſponte noſtro Inſtituto aptiſſimè quadrabat, Mundúmq; illum indigitat ubi *Magia* magna ex parte deficit, maximéq; in uſu ſint opera *Mechanica*. Quod maximè intelligendum eſt de infima illius Mundi parte. Et profectò magna animo meo inſidet ſuſpicio, huc etiam inter alia, alluſiſſe S. *Johannem*, in mentione ſeptem Eccleſiarum in *Aſia*, innuens omnes Eccleſias in inferiori hac parte Mundi *Aſiathici* conſtitutas. Hæc verò obiter. Intereà loci non poſſum non profiteri, mihi nullam ſufficientem innoteſcere cauſam, cur *R. Moſes Corduerus*, Animas humanas creatas fingeret ante Angelicas, aut ordine dignitatis eas præcedere; ego potiùs æquales exiſtimem & eodem tempore creatas, & eâdem planè conditione, nempe in ſtatu *Aziluthico*, & utraſq; illæsâ innocentiâ in ſtatum *Briathicum* deſcendere potuiſſe, atq; huc ſanè quaſi pari paſſu proceſſiſſe. Poſtea verò factum eſſe, ut Animæ Angelicæ ulteriùs ſe auderent proripere, & in Mundum *Jetzirathicum* tationem, quaſi ſpeciem illius intentionalem externo alicui Intellectui impreſſam. Hîc verò diſpiciendum eſt, an *Repræſentatio* illa alia eſſe poſſit quàm Operatio, ut quando Sigillum figurat Ceram. Et reminiſcendum porrò non de *Repræſentatione* hîc agi ſed de ipſo *Logo*.

2. Ac proinde luſum non eſſe in termino τȣ͂ λόγȣ, cùm ipſe *Logos* intelligatur, qui æquè neceſſariò in Divina ac immutabili eſſentia continetur, atq; Ratio in Humana.

IV. Fieri non poſſe ut Æternus Dei filius principium habeat & finem. Hic eſt Titulus hujus Sectionis, ubi

1. Primò aſſeris, de *Vbietate* ſermonem eſſe non de *Duratione*. Id verò an ità ſit optimè diſpicitur allatis Verbis. *Jam verò Emanatio lucis illius primæ* (*Adam Cadmon* indigitatur) *cum cæteris Mundis qui ſub ipſa ſunt, principium & finem habent nec tempore deſtituuntur.* Quæ poſtrema verba ἐξηγητικῶς addita putabam, nè quis principium & finem aliter quàm de tempore acciperet.

2. Locum illum *Johan.* 14. 28. *Pater major me eſt*, hinc explicari poſſe * ſupponit, ſermonem fuiſſe de Ubietate, cùm veriſimilius videatur fuiſſe de tempore. Sed nec Ubietatem *Patris* ubietate Λόγȣ majorem eſſe ex hoc loco evinci poſſe puto, ſed *Divinam* Naturam hîc potiùs cum *humana* ac viſibili comparari. Quanquam interim non diffiteor quin majus aliquod privilegium Patris quàm Λόγȣ poſſit ſimul hîc ſubindicari.

3. Nihil abſurdi ſubeſſe exiſtimo ſi repræſentatio Filii Dei ubiq; non fieret, hoc eſt, operatio quâ repræſentetur. Sed porrò conſiderandum eſt an hæc operatio *Adam Cadmon* appellanda ſit necne, fingendáve Emanatio eſſe, & non ſimplex operatio, ut aliæ operationes Spiritûs ſancti, qui communicat quæ ſunt Filii. Hæc ſpero penitiùs introſpecta non tantùm magis orthodoxa, ſed & magis ſolida magíſq; philoſophica viſum iri rectè penſitantibus.

V. Hujus Sectionis Titulus eſt, Diſtributionem Adami primi in membra craſſam videri imaginationem. Ad quod mitigandum ſatìs appoſitè ſuggeris,

1. Hæc omnia ſpiritualiter intelligi debere. Rectéq; id mones, ut & Antiquis hoc genus non fuiſſe inſolitum, tam craſſas nimirum ac prolixas Allegorias & Ænigmata. Cujus quidem Modi ſcribendi, *Idra Rabba*, quam huc mittendam curâſti, & qua de re gratias tibi ago maximas, exemplum eſt locupletiſſimum; nec certè dubito quin antiquitate cum ipſo *Talmude* poſſit contendere. Verùm interim reminiſcendum, hanc antiquitatem cum antiquitate veræ Cabbalæ *Moſi* à Deo traditæ in Monte *Sinai* minimè eſſe conferendam, ac proinde ſatìs temporis interfluxiſſe quo novis additionibus aut perverſionibus corrumperetur.

2. Scripturam ſic ſæpe loqui agnoſco, nempe acſi membra humani corporis Deo competerent, verùm hoc fieri per ἀνθρωποπάθειαν ut vulgò docent. Sed & ipſam *Cabbalam*, quæ reverà *Judaica* vel *Moſaica* Philoſophia eſt, tam craſſis uſum fuiſſe Imaginibus, & adeò datâ operâ *Anthropomorphitiſmum* inculcâſſe, mihi minùs videtur credibile.

3. An verò hic mos ſit philoſophandi apud Orientales neſcio, aut ad quæ loca hîc reſpicere poſſis apud *Triſmegiſtum*; quem tamen, ſed ante multos annos diligenter perlegi, nec ulla memoriæ meæ hujus moris Philoſophandi inhærent veſtigia.

4. Conceſſo, quòd ordine membrorum, non niſi ordinatæ Divinorum Attributorum claſſes effigurantur, ut Cerebro Sapientia, Oculis Providentia, Auribus Intelligentia, Brachiis Potentia, & virili membro vis creandi omnia; meritò tamen hîc quærere quis poteſt, quorſum iſta tot Mundorum, in Cranio novies mille Myriadum, in Naſo 375, & in membro virili 208, in *Idra Rabba*, facta ſit deſcriptio; Quæve ulla eximia veritas Philoſophica hiſce craſſis ſimulachris illuſtrata ſit, aut quæ tam excelſa & ſupra captum vulgi poſita, ut digna reputetur quæ tantâ Involucrorum ſpiſſitudine à vulgi oculis abſcondatur.

5. Quantùm verò ad iſtam ὑλαίαν χειραγωγίαν, quam ſanè ſatìs ingenioſè & appoſitè profers ex *Dionyſio Areopagita*, ea certè nuſquam locum habere debet, niſi ubi Imagines illæ materiales, aliqua ex parte revera ſint Imagines rerum immaterialium quas repræſentant, adeò ut aliquid ſaltem ad faciliorem earum cognitionem conferant; quod fateor me in *Anthropomorphitiſmo* hoc *Cabbaliſtico*, ſi fas ſit ità loqui, minùs deprehendere. Ac proinde poſtremò, altè profectò fixéq; conſiderandum eſt, an commentum recentiorum *Cabbaliſtarum*, (& omnes quidem Cabbaliſtæ *Talmudi* haud antiquiores, apud me recentiores audiunt, cum antiquitate veræ Cabbalæ collati) de *Adamo primo*, qui & *Adam Cadmon*, & *Seir Anpin* appellatur,

originem ſuam non debeat Adamo מקדם in Horto *Edeni* poſito & ab Antiquis Cabbaliſtis *Henopoeticè* deſcripto, à poſterioribus verò perperam intellecto; aut Homini *Ezechielæo*, ſimilitudini utiq; Hominis in ſolio collocatæ, quæ cùm Anima *Meſſiæ* ſit, quæ eſt Creatura, cum æternò tamen *Logo* Hypoſtaticè unita, qui revera eſt Deus, illi re malè intellectâ, talem Notionem efformârunt, quæ nec *Deo* nec *Creaturæ* competat, majora illi attribuendo quàm quæ Creaturæ, minora verò quàm quæ conveniant Deo. Quod factum eſt ex ignoratione tam maturæ Unionis & à primis uſq; ſæculis, Animæ Meſſiæ cum æterno *Logo*, cujus myſterii notitiam in noſtra *Mercavæ* Expoſitione, opportunè, ut ſpero, renovavimus.

VI. Quantùm ad *Olam Hannekuddim*, fateor me toto cœlo, quod dicitur, errâſſe: Nec mirum, cùm adeò peregrinus ſim in his ſtudiis, me neſciviſſe ubi gentium eſſem, in terra *Divinarum Idearum*, an in *Mundo materiali*, ubi *Spiritus Naturæ* ſuas partes agit. Quomodo verò iſta quæ de *Olam Hannekuddim* dicuntur, ad Mundum *Tohu* potiùs quàm ad Mundum Divinarum Idearum pertineat, non ſatis intelligo, niſi quòd ego nullum Divinarum Idearum Mundum eſſe intelligam præter ipſum Intellectum Divinum. Conceſſo autem quòd ſit *Mundus Idearum* à *Divino Intellectu* diſtinctus, *Mundus punctatorum* non ſine probabilitate ad eum Mundum videtur poſſe referri, quaſi aliquanto compoſitior quàm *Mundus punctorum*, Quæ in MS^to^ *Emek Hammelech* dicto (de quo gratias tibi ago) deſcribuntur. De Mundo verò *Tohu* ſic ſe res habet in *Emek Hammelech*: *Tres nempe Mundos condere in Idea Deum ſibi propoſuiſſe, Mundum* Nepheſh *in quo malum prævaluit bono, qui fuit Mundus* Tohu, *quem igitur deſtruxit; Mundum hunc qui eſt Myſterium* Ruach, *qui ſciſſus eſt in Medietate*; *unde vocatur* Arbor ſcientiæ boni & mali, *ſicut ſcriptum eſt*, *Et terra erat* Tohu, *& Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; hoc verò deſtructo S. J. B. creaturum eſſe Mundum* Neſchamæ *qui vocatur* אור, *ſicuti ſcriptum eſt*, Et dixit Deus, Fiat Lux. *Iſtum verò Mundum totum bonum eſſe, nec eſſe malum in eo.* Aliáque plura ad eum ſenſum, ex quibus liquere poteſt, hæc ad *Cabbalam* quandam *Propheticam* pertinere potiùs quàm ad *Cabbalam Philoſophicam*, & ad Mundos Phyſicè vel Metaphyſicè intellectos. Unde dubito nè non ſatìs bellè *Olam Hannekuddim* ad Mundum *Tohu* referatur. Fateórq; ad *Spiritum Naturæ* rectè referri non poſſe, cùm ordine præcedat ipſos Mundos *Emanationis*, quod autem profectò non obſervavi, inſcius etiam quid ſibi velint quatuor iſti Mundi *Emanationis*, *Creationis*, *Formationis* & *Factionis*, quos ſequenti Sectione ſatìs accuratè deſcribis.

VII. Et magnas ſanè habeo tibi gratias quòd tam graphicè mihi depinxeris quatuor iſtos Mundos ex *R. Moſe Corduero.* Quæ certè Deſcriptio occaſionem mihi dedit inveſtigandi veram *Mercavæ* Expoſitionem. Nam quatuor hos Mundos ad quatuor *Animalia* quatuórve *Rotas* in Viſione *Ezechielis*, referendos eſſe nullus dubito, nec ab ullo credo Cabbaliſta negari. Ipsáſq; appellationes ſatìs antiquas eſſe facilè concedo. Verùm enimvero an ſenſum earum rectè acceperint poſteriores *Cabbaliſtæ*, non parum ſubeſt ſcrupuli. Equidem non tot Mundos ſpecificè diſtinctos intelligendos cenſeo; ſed unum eundémq; Mundum, Mundum nempe Animarum per quatuor ſtatus variatarum, iſto Myſterio figurari, quemadmodum in *Expoſitione Mercavæ* ſatìs copioſè explicavi. Mundúmq; Emanationis nihil aliud eſſe credo, quàm influentiam Spiritûs S. in Animas in ſtatu *Aziluthico*, quemadmodum ex iſta mea explicatione ſatìs potes intelligere. Nec opus eſt hiſce rebus hîc diu inhærere, cùm nulla alia hîc dicenda ſint, quàm quæ illîc tibi legenti occurrent. Committere verò non poſſum quin hîc notem, quàm opportunè ſecundas illas ſignificationes vocum אצילות & בריאה animo meo objeceris, juxta quas Expoſitionem meam formavi, excogitato, proprio Marte, ſatìs commodo ſignificatu vocis יצירה. Vox verò עשיה, cùm & Mundus Fabricæ dicatur ex vi nominis, ſuâ ſponte noſtro Inſtituto aptiſſimè quadrabat, Mundúmq; illum indigitat ubi *Magia* magna ex parte deficit, maximéq; in uſu ſint opera *Mechanica.* Quod maximè intelligendum eſt de infima illius Mundi parte. Et profectò magna animo meo inſidet ſuſpicio, huc etiam inter alia, alluſiſſe S. *Johannem*, in mentione ſeptem Eccleſiarum in *Aſia*, innuens omnes Eccleſias in inferiori hac parte Mundi *Aſiathici* conſtitutas. Hæc verò obiter. Intereà loci non poſſum non profiteri, mihi nullam ſufficientem innoteſcere cauſam, cur *R. Moſes Corduerus*, Animas humanas creatas fingeret ante Angelicas, aut ordine dignitatis eas præcedere; ego potiùs æquales exiſtimem & eodem tempore creatas, & eâdem planè conditione, nempe in ſtatu *Aziluthico*, & utraſq; illæsâ innocentiâ in ſtatum *Briathicum* deſcendere potuiſſe, atq; huc ſanè quaſi pari paſſu proceſſiſſe. Poſtea verò factum eſſe, ut Animæ Angelicæ ulteriùs ſe auderent proripere, & in Mundum *Jetzirathicum*

ziratbicum injuſſu Divino prorumpere; quod præclarum facinus reputantes, ſeq; eo ipſo ***Elohim*** factos, *i.e.* Deos, quippe ſcientes boni ac mali, nullíq; ſe legi ſubjicientes, in novam quaſi ſpeciem aut ſaltem ordinem Animarum ſibi viſæ ſunt emerſiſſe, faſtuoſo nomine אלהים ob inſigne robur & effrænem vigorem vehiculorum ſe appellitantes, dum interim Divinorum Oraculorum veritas eos appellat רפאים, ob relaxatam & ferè prorſus amiſſam aut abolitam primævam attentionem ***Aziluthicam.*** Hujus verò facti incertam famam apud poſteriores ***Cabbaliſtas*** tandem in opinionem abiiſſe ſuſpicor de ***Mundo Angelico*** poſt ***Mundum Animarum*** creato. Abſtinere me non potui quin pauca hæc de quatuor Mundis hîc prælibarem, cætera ex ***Expoſitione*** mea pleniùs intelliges noſtræ huic ulteriori Diſquiſitioni ſubjicienda. Verùm interim præterire non poſſum quin moneam ſeriò hîc diſpiciendum eſſe, an ***Mundus Emanationis*** aliud quicquam eſſe poſſit quàm operationes ***Spiritûs S.*** in omnes ordines Intellectualium Creaturarum transfuſas; nam harum ***Sephirotharum***, quas ***Mundum Emanationis*** conſtituere innuit ***R. Moſes Corduerus***, ſubſtantiam, Deum ipſum, (ſc. ***En-ſoph***) ipſe eſſe agnoſcit; relinquitur igitur ut ***Sephiroth***, illius tantùm ſint Operationes.

VIII. Problema eſt quare Mundus hic non citiùs nec tardiùs ſit conditus. Solutio Problematis rejicitur in graduales deſcenſus Luminum à prima illa Luce infinita quæ ***En-ſoph*** dicitur, quorum primum eſt ***Adam Cadmon***, dein multa alia Lumina quæ ab ipſo dependent, tertio loco occurrit ***Olam Hannekuddim***, & ab illo deniq; dependent quatuor Mundi, ***Emanationis***, ***Creationis***, ***Formationis & Factionis.*** Sic igitur ſolvitur Problema: Quoniam ſcilicet ordine quodam opus fuit expanſioni & emiſſioni horum Luminum ac Mundorum ſibi ordine ſuccedentium, non ſanè poſſibile fuiſſe ut vel citiùs fieret vel tardiùs creatio Mundi hujus. Quilibet enim Mundus creatus eſt poſt creationem Mundi ſemet ſuperioris, & Mundi ſinguli procedunt alius ab alio temporibus diverſis, donec ordo tangeret Creationem Mundi hujus. Hæc ſunt ipſiſſima verba in Libro ***Druſchim.*** Hinc verò manifeſtum eſt ſolutionem Problematis in graduales & ſucceſſivos deſcenſus Luminum ac Mundorum rejici. Quæ quidem ſolutio maximam Quæſtionis difficultatem intactam mihi videtur relinquere. Cùm quæri porrò poſſit, cur magnum illud Lumen ***Adam Cadmon*** priùs non extiterit, qui ipſe apex eſt Quæſtionis. Ubi verò aſſerit quemlibet Mundum creatum eſſe poſt creationem Mundi ſemet ſuperioris, Mundóſq; ſingulos procedere alium ab alio temporibus diverſis, attentè quidem hîc obſervandum eſt, quàm pulchrè hujuſmodi ſucceſſiones diverſis rerum creatarum ***ſtatibus*** conveniant, Animarum putà humanarum & Angelicarum, cùm interim vix credibile videatur, quin ſubſtantia rerum omnium & ſingularum creata ſit ſimul.

SCHOLIA

In CAP. I. Conſid. II. S. 11.

Diſquirendum hîc primùm eſt, An ſint Modi Divini, *&c.* ***Quæſtio hîc apud*** C. K. ***eſt utrùm abſolutè repugnet purgatiſſimæ Rationi, alicui Divinorum Modorum qualecunq; tribui initium.***

Num. 3. Ex modò propoſito compendio breviter hîc reſpondeo, *&c.* ***Quæſtio hæc eſt apud*** C. K. ***Annon Natura Divinitatis (quia à Creatura comprehendi nequit) obvolutâ ineffabili exiſtentiæ ſuæ veritate variis per continuatam œconomiam ſeſe exhibeat repræſentationibus quibus ſuo modo competere queat initium.***

Sect. 4. Supponit ſermonem fuiſſe de Ubietate, *&c.* ***Quæſtiones duæ ſunt apud*** C K. ***vel potiùs prior ſimplex Aſſertio***, viz. ***Sermonem eſſe (nempe in Tractatu libri*** Druſchim ***hoc in loco) de Ubietate non de Duratione. Altera quæſtio, Annon indè explicari queat locus*** Johan. 14. 28. Pater major me eſt.

In CAP. II. Conſ. 1.

I. Hic notandum eſt, ſcopum argumentationis noſtræ eum non eſſe ut arguamus corporeitatem Numerationum ex eo duntaxat quòd aliquam extenſionem habeant, ſed quòd dicantur aut in ***unam ſtruem*** componi, aut in tres diſponi ***columnas***, aut in Orbes conglobari. Quæ locutiones meritò ſuſpicionem movere poterant, res aliquas ***corporeas*** per has Numerationes intelligi, non autem ***ſpirituales.***

II. Titulus hujus Sectionis eſt, Abſurdum eſſe ſtatuere Primum Ens in uno loco emittere Sapientiam, in alio non, *&c.* 1. Ad quod reſpondetur, Quamvis Deus ſtatui poſſit in quolibet puncto ſui eſſe ſapiens implicitè, aliter tamen ſe habere poſſe quoad ſapientiam manifeſtatam Creaturis, *&c.* Sed hîc conſiderandum eſt, quàm incredibile ſit, Manifeſtatam Sapientiam, quatenus *Aziluth* eſt, ullo abeſſe loco, quaſi eſſent aliquæ Mundi Regiones in quibus non præſtò ſit Divina Illuminatio. Aut igitur ubique *Aziluth* Sapientiæ eſt, aut nuſquam. Ego verò ſenſu Cabbaliſtico nuſquam eſſe ſuſpicor. Illiúſque in locum Operationem *Spiritûs* ſubſtituo, quæ hujuſmodi difficultatibus prorſus liberatur.

2. Et huic primo quidem Reſponſo ipſe videris diffidere, dum ad alterum recurris. *Judæos* nempe *ad evitandam hanc abſurditatem in infinitum multiplicare Numerationes, ſingulas Decades in alias diſtribuendo Decades & has in Decades iterum & ſic in infinitum, ut nè unicum quidem punctum*, &c. At verò hîc primò conſiderandum eſt, annon multiplex hæc Diviſio Commento huic decem Emanationum aliarum alias orbiculariter involventium oſcitanter excogitato, tanquam σοφὸν φάρμακον poſtmodum ſit adinventa, ut nos ſolemus in Scholis Falſitates ſemel factas Authenticas, multis miriſque diſtinctiunculis defendere. Deinde accuratè diſpiciendum, an vel ſic notata Abſurditas reverà poſſit evitari. Nam cùm certo ordine hæc facienda ſit Diviſio, manifeſtum eſt, ſi vel in infinitum dividas, aliquod intervallum fore inter datam *Sephiram* & *Sapientiam*. Ut ſi data *Sephirah* ſit *Hod*, atque iſta *Hod* dividatur in decem *Sephiroth*, ut ſui partem habeat *Cochmah* ſive *Sapientiam*, atque eadem *Sephirah Hod* in ſecunda Diviſione iterum dividatur in decem *Sephiroth*, & ſic in infinitum; neceſſe tamen erit ſemper ut *Hod* quatuor *Sephirothis* diſtet à *Cochmah* ſive Sapientia, nec verum erit, quòd nè unicum quidem punctum relinquatur Sapientiâ deſtitutum.

III. Quantùm ad terminationem Amplitudinis Numerationum, equidem non video quî iſta difficultas evitari poſſit, ſupponendo Trinitatem Chriſtianam exhaurire totam Decadem *Aziluthicam*, cùm neceſſariò tenendum ſit tres primas ſummáſve, eſſe interminatas, vel infinitas, utpote quæ tribus Hypoſtaſibus, quæ ſunt in Trinitate Chriſtiana, reſpondent; *Kether* quidem τῷ θεῷ, Johan. 1. *Cochmah* τῷ λόγῳ, & *Binah*, quæ in viſione *Ezechielis* רוח החיה dicitur, τῇ ζωῇ, Quæ *Vita* dicitur τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, Quòd Prophetæ viríque ſapientes luce viventis hujus Spiritûs illuminentur atque actuentur. Atque hæc certè operatio Spiritûs, quæ ſola Emanatio eſt quam ego admitti poſſe putem cum ratione, rectè dici poteſt *terminari*, cùm ſit tantùm operatio Spiritûs varia pro variis ſubjectis & circumſtantiis in *Briah* deſcendens, & in omnes omnino Creaturas Intellectuales ejuſdem capaces. *Kether* verò, *Cochmah* & *Binah* non ſunt meræ Operationes ſed Hypoſtaſes, æterna nempe Divinitas, infinita, immutabilis ac neceſſaria, qualis utique eſt, ſi nulla exiſteret Creatura. Neque quicquam nunc eſſe in rerum natura credibile eſt præter hanc æternam Divinitatem, Mundúmque ab ipſo creatum, & operationes ipſius Spiritûs in Mundi partes præſertim Intellectuales, Homines intelligo & Angelos; adeò ut nulla mihi videatur neceſſitas cur iſtiuſmodi Decas *Aziluthica* adinveniretur, quæ celebratur apud *Cabbaliſtas*, nec ſatìs perſpicio cui uſui inſerviat. Sufficit operatio Spiritûs, magnum illud & inæſtimabile donum à *Jeſu Nazareno* vero *Meſſia* omnibus in eum credentibus promiſſum. De *Sephiroth* verò *Aziluthicis* non ſolùm apud Chriſtum & Apoſtolos, ſed & apud *Pythagoreos* & *Platonicos*, apud *Philonem*, *Plotinum* omnéſque Philoſophos altum eſt ſilentium.

IV. Circa Evacuationem *Or-Haenſoph* ſive Infiniti, notandum eſt, Cabbaliſtas rem hanc ſic exprimere ac ſi ipſa ſubſtantia Infiniti comprimeretur, contraheretur, retraheretúrve à puncto quodam ut ingens fiat Vacuum concavum in quo Mundi creari poſſint. Res ſic deſcribitur in libro *Emek Hammelech* ſeu *Valle Regia*. *Dimenſum ſcilicet eſſe* בעל הרצון (*Deum ſcilicet liberrimum illud Agens*) *intra ſubſtantiam ſuam magnitudinem circuli cujuſdam evacuandi ubi foret ſtatio Mundorum; Illámque Lucem, quæ erat intra Circulum hunc, compreſſiſſe, complicaviſſéque quandam ejus partem veluti cùm quis colligit atque conduplicat veſtem ſuam nudando ſe, & lucem eam elevâſſe in ſublime, atque ſic relictum eſſe locum primâ luce vacuum.* Quæ tamen Lux eſt *Or-Haenſoph*, & præterea compreſſio & complicatio quaſi veſtis, ſatìs innuit *ſubſtantiam* ſaltem intelligi, ſi non *corpoream*. Et certè ſimilitudo tua, quâ rem excuſare velis, non minùs ſapit corporeitatem, dum glorioſiſſimam Infiniti Luminis copiam tantùm minui contendis non in totum tolli, ſicut cùm evacuato vitro fragrantis olei pleno, non planè tollitur ſed tantùm diminuitur fragrantia. Et certè quantùm ad interrogationes illas, Annon Deus ſicut mutavit modum præſentiæ ſuæ quâ quondam fuit in rubo, in arca fœderis, in monte *Sinai*, in loco transfigurationis Chriſti, *&c.*

ſti, *&c.* ità etiam diminuere potuit modum præſentiæ ſuæ intra hoc vacuum; reſpondeo fuiſſe ante ullum Mundum conditum, immutabilem quandam Divinitatis lucem ſive gloriam, quam nefas eſt exiſtimare ulla ex parte minui poſſe, ſed eandem prorſus ubique eſſe & ante & poſt Mundum conditum, nec ullam aliam fuiſſe ante Mundum conditum præter hanc gloriam *eſſentialem*. Mutabiles verò Dei præſentias tantùm fuiſſe poſt mundum conditum, & meras eſſe operationes ad extrá. Quando verò nulla fuit externa Creatio, incredibile eſt Deum tunc ullas induiſſe mutabiles & variabiles Glorias aut Præſentias, cùm nulla eſſet Creatura cui irradiaret, ſuáque Eſſentialis Gloria abundè ſibi ſufficeret. * Nec video denique quomodo hâc Hypotheſi, major minórve materia futura ſit, quàm ſine illa, quippe infinita eſſe non poteſt, ſicut demonſtravi in *Enchiridio Metaphyſico*; & certè ſi eſſet infinita, creationem immaterialem iſta Hypotheſis minimè anguſtaret. Mira igitur hæc *Ha-enſoph*, ſive *Infiniti* Evacuatio, nullo mihi videtur ſolido niti fundamento. Occaſionem verò hujus Inventi hinc originem duxiſſe arbitror, nempe cùm recentiores *Cabbaliſtæ* מקום inter Divina nomina apud Scriptores Judaicos antiquiſſimos recenſeri animadvertiſſent, illi omnem veritatem modio *Ariſtotelico* metientes, naturámque loci in eo omninò conſiſtere putantes ut rem locatam circumambiat, de interno loco nè ſomniantes quidem, aut cum ſuo *Ariſtotele* ſtrenuè negantes, (cùm è contrà *Pythagorei*, & *locum* internum admittunt, & *Spiritum* eſſe planè definiunt, utì videre eſt in *Enchiridio* meo *Metaphyſico*;) illi, inquam, cùm Deum מקום, *locum* eſſe ex Reliquiis antiquæ Cabbalæ edocti eſſent, ſtatim rem ad ſenſum Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* intellexerunt, nec aliter Deum *locum* eſſe poſſe cenſuerunt, quàm ità ſe excavando, ut concavâ Divinitatis ſuæ, ſi fas ſit ità loqui, ſuperficie convexam Mundi ſuperficiem circumcingeret. Hæc prima videtur baſis argutæ hujus Theoſophiæ à recentioribus *Cabbaliſtis* poſt *Ariſtotelis* tempora inventæ, cùm antiquiores *Cabbaliſtæ*, inter quos *Pythagorei* numerandi ſunt, longè aliter de natura *Loci* cenſerent.

SCHOLIA

In Cap. II. Conſid. I. Sect. 3.

Quantùm ad terminationem Amplitudinis Numerationum, *&c. Quæſtio apud C. K. ſic eſt: Annon ſuppoſito Emanationes in Creaturas incipere cum* Briah, *& Trinitatem Chriſtianam exhaurire totam Decadem* Aziluthicam, *tam ſummæ tres quàm ſeptem imæ* Sephiroth *futuræ ſint terminatæ ſuo modo, quamvis interminatæ maneant quoad unitatem Eſſentiæ, cum qua ſunt ubique.*

Sect. 4. Nec video denique quomodo hâc Hypotheſi, major minórve Materia, *&c. Verba C. K. hæc ſunt: Et profectò hâc Hypotheſi Materia in centrum relegatur anguſtum, cùm contraria Hypotheſis eandem in circumferentia Emanationum collocet ampliſſimam, conceptu ſanè difficillimo.*

In Cap. II. Conſ. 2.

I. Difficultas de Influxu lineæ lucidæ, ſive lux primaria ſit ſive ſecundaria, hîc proponitur.

1. Extremitas Orbis primi hìc ſtatuitur conſiſtere ex lumine eum ambiente, quod ſuo modo eſt *ſecundarium*, &c. Ego verò quærebam utrùm ex ipſa luce directa lineæ emiſſæ hi Orbes fierent, an ex illa quæ è latere lineæ circumcirca ſecundùm longitudinem lineæ eradiaret, quam *ſecundariam* lucem eſſe intelligebam. Tu verò, ſi rectè rem capio, directum lumen ab *Ha-enſoph* extremitatem primi Orbis conſtituere ſupponis, & *ſecundarium* lumen ſuo modo eſſe contendis, ſicut cùm intra vitrum noctu detinetur candela, lumen externum *ſecundarium* eſt. Quæ ſi ità ſint, neceſſe videtur ut Orbis primus non contingat modò Concavum *Ha-enſoph*, ſed arctiſſimè cum eo cohæreat, nec niſi notionaliter ab eo diſtinguatur.

2. Dum verò voluntariam ſtatuis effigurationem Divinæ Influentiæ non Mechanicè neceſſariam, diſpiciendum hìc eſt quàm bene hoc conveniat cum prima Hypotheſi, quâ docetur Deum quaſi eſſentiam ſuam compreſſiſſe & à puncto circumcirca retraxiſſe, quod feciſſe nihil opus habuiſſet, ſi ſuas influentias pro libitu ſuo ſuſpendere potuiſſet. Poſtremò, dum ais, non abſurdum eſſe Emanationes iſtas, quamdiu durat *Aziluth*, Deum ipſum eſſe, cùm nec abſurdum ſit Filium atque Spiritum S. eſſe Deum,

diſcrimen ipſe mihi offers, dicendo quamdiu durat *Aziluth*, quod ſubinſinuat eas poſſe ceſſare. Nihil autem quod ceſſare poteſt ab eſſendo, poteſt eſſe Deus. E quo genere neutiquam ſunt Filius & Spiritus S.

II. Ad difficultatem in hac Sectione propoſitam idem ferè affertur Reſponſum quod proximè datum eſt. Unde idem regerendum quod modò regeſſimus, Fruſtrà utiq; Deum ſubſtantiam ſuam ſubduxiſſe ex circuitu Mundis condendis deſtinato, ſi liberè poteſt inhibere influentiam luminis ſui, nè præ quàm quod Creaturis commodum ſit, effluat. Ac proinde hîc conſiderandum eſt annon partes hujus Cabbaliſtæ Hypotheſeos inter ſe pugnent.

III. * Breviter hîc reſpondeo, parem utrobiq; non eſſe rationem, nempe ubi Deus dicitur factus Orbes, atq; ubi dicitur idem Deus Pater, Filius & Spiritus S. nam hi tres concipiuntur ut unus æternus, neceſſarius & immutabilis Deus, idem ante & poſt omnes Mundos conditos. Quod verò cum tempore incipit, nec æternum eſt, neutiquam poteſt eſſe Deus, nec quod ullâ terminatur figurâ, quod ſit in his Orbibus. Undè ſatis ingens apparet diſcrimen inter Deum factum Orbes, & Deum qui Pater & Filius & Spiritus S. dicitur, quippe qui unum æternum ſunt, infinitum, omniſcium, omnipotens & immutabile Numen. Quantùm verò ad Repræſentationes Divinas, quatenus repræſentatur ut Homo, ut Ignis, ut Fumus, *&c.* non ſpectare videntur ad hunc locum, ubi de Deo ipſo loquimur, non de ejus externis Repræſentationibus aut Operationibus.

SCHOLIA

In Cap. II. Conſid. 2. Sect. 3.

Breviter hîc reſpondeo, parem utrobiq; non eſſe rationem, *&c. Reſpondetur hîc ad iſta apud* C. K. *Ridetur Deum dici factum Orbes, ubi conſiderandum, inquit, an magis riſu dignum ſit hoc quàm quòd ſit Pater & Filius & Spiritus Egrediens; item, quòd ſeſe repræſentaverit ut Homo, ut Ignis, ut Fumus, ut Lux*, &c.

In Cap. II. Conſ. 3.

I. Reſponſum hoc tuum de conceptu τῶν Sephiroth ex Hypotheſi Sphærarum *Ariſtotelicarum* genito, ſolidum perinde ac ingenioſum videri poſſet, ſi de antiquitate Inventi, & puritate Scholæ Judaicæ immunitateq; à Paganicæ Philoſophiæ corruptionibus ſatis conſtaret. Verùm Scholam Judaicam Philoſophiâ *Ariſtotelicâ* etiam Antiochi temporibus corrumpi potuiſſe ſuprà ſubindicavi, & inſigne illius rei exemplum in *Jonathane Ben Vzziel* protuli. Adeóq; præterea in *Sepher Jetzirah*, (qui tamen liber omnium antiquiſſimus reputatur apud Judæos) Hypotheſin *Ariſtotelicam* planè ſupponi, ut nugas Aſtrologicas ibi memoratas prætereaam. Nam non ſolùm Orbium Signorúmq; cœleſtium ibi ſit mentio, ſed *Semita* 31. vocari dicitur Intelligentia perpetua, *eò quòd ducit motum Solis ac Lunæ juxta conſtitutionem eorum, utrumq; in Orbe ſibi conveniente.* Ad quæ R. *Abraham F. D. Semita trigeſima prima vocatur Intelligentia perpetua. Et illa ducit Solem & Lunam & reliquas Stellas & figuras*, (Planetas nempe reliquos & Signa cœleſtia) *unumquodq; in Orbe ſuo.* Et in *Tykunin Zoar.* Ibi planè aſſeritur Hypotheſis *Ariſtotelica* affirmando, *Mundum Fabricæ, Mundum eſſe Sphærarum ſeu Orbium cœleſtium & omnia quæ in eo ſunt, uſq; ad Centrum Terræ.* Vide *Rittangel.* lib. *Jetzir.* p. 163. Deniq; in MS^{to} *Emek Hammelech* hæc occurrunt, *Infimum autem Circuli & Sphæræ hujus ſplendoris eſt* Aſiah *ſpiritualis & corporea in cujus medio nos jam ſubſiſtimus, nempe in terra hac quæ vocatur* תבל, i. e. *Terra habitabilis.* Quæ certè mihi manifeſto ſunt indicio, *Judæos Phyſicæ* ſive *Cabbalæ* partem quidem potiſſimam jam olim perdidiſſe, & in illius locum Hypotheſin Ariſtotelicam aſſumpſiſſe, Sphæráſq; decem *Ariſtotelicas* ſuas *Sephiroth Aſiathicas* eſſe ratos, ad eam menſuram reliquas excogitâſſe. Quod verò addis, Decadem Numerationum *Aſiathicam* non Sphæras denotare Materiales ſed radios Divinitatis illuc tranſmiſſos, id nihil obeſt quo minùs Sphæras immateriales ad illud exemplum comminiſcerentur, præſertim cùm *Ariſtoteles* ſingulis Sphæris Intelligentiam præfecerit affixeritque.

II. De rationibus cur prima Numeratio *Kether* ſive *Corona* appelletur.

1. Agnoſco ſanè inter alias etiam ob hanc ſic appellari poſſe, quòd ſit quaſi ſummitas Divinitatis, ut *Corona* quæ ſuper caput *eminet*, & ob eam ipſam cauſam Ζανὸς πύργος nuncupari apud *Pythagoreos*.

2. Secundam verò rationem ferè cum priori coincidere autumo, niſi quòd ſplendoris notio addatur, qui τἀγαθοῦ ſymbolum eſt apud *Platonicos*, Nitorémq; materiæ *Coronæ* gemmeæ putà aut aureæ reſpicit.

3. Cæterùm quomodo Non-adhærentia inter cauſas appellationis connumerari poſſit non ſatìs intelligo, quandoquidem, cùm *Kether* cauſa ſit cauſarum, reliquæq; Emanationes ab ea dependere ſupponantur, neceſſe eſt ut *Corona* cum Capite arctiſſimè cohæreat.

4. Veram autem principalémq; occaſionem hujus Denominationis à Viſione *Ezechielis* arceſſendam puto, ubi ingens Iris, *Halo* ſeu *Corona* conſpicitur in circuitu Hominis ſolio Sapphirino inſidentis, quemadmodum notavi in explicatione illius Viſionis. Quod tamen nihil impedit quò minùs ſignificationem præ ſe gerat *Infinitatis*. Immò verò hæc duo occurrunt, ni fallor, apud R. *Simeonem Jochaidem*, in *Tykune Soar*, nempe *Menti ſummæ non eſſe finem*; *& Sphæram, quæ à Natura* Coronæ *non multùm abludit, ratione rotunditatis ſuæ nec principium habere nec finem*. Vide *Sepher Jetzirah*, p. 59.

III. Durum eſſe dictu, Coronam ſtatui Sapientiâ carentem, hâc ſcilicet ad ſecundum Orbem relegatâ, *&c.* hujus Sectionis eſt Titulus. Ubi eadem fere afferenda ſunt quæ ſuprà attuli in *Cap.* II. *Conſ.* 1. *Sect.* II. 2. quò Lectorem remitto, neq; enim opus eſt, nova hîc Reſponſa comminiſci.

IV. Cur *Cochmah*, *Tiphereth* & *Malchuth* tribus Hypoſtaſibus in Trinitate *Chriſtiana* & *Platonica* reſpondere putes potiùs quàm *Kether*, *Cochmah* & *Binah*, vel רוח החיה, equidem nondum video. In parato verò ſunt rationes & quaſi ultrò ſe offerunt cur quis credat contrarium. Nam præterquam quòd *Malchuth* cœtus ſit perſonarum non perſona ſingularis, manifeſtum eſt porrò cùm *Kether* & *Binah* æquè perſonæ ſint atq; *Cochmah*, & quinq; illæ τῇ *Tiphereth* accenſitæ æquè perſonæ ſingulæ atq; ipſa *Tiphereth*, quòd eadem ferè abſurditas in his occurrit atq; in *Malchuth*. Unde meritò videatur dogma minùs conſentaneum. Error verò mihi hinc ortus videtur apud *Cabbaliſtas*, quòd cùm Nomen Filii ſubjectum ſit Numerationi *Tiphereth*, non intellexerint ſubindicatam eſſe *Animam Meſſiæ*, ſive *Meſſiam*, cujus etiam gratiâ hæc nomina huic *Sephiræ* accenſentur, *Sacerdos magnus*, *Maritus Eccleſiæ*, *Rex*, ille ipſe Rex, cujus Regnum ſit *Malchuth*; & tamen ex eo ſolo quòd *Tiphereth* ſecundam Hypoſtaſin ſtatuerint, *Malchuth* ſtatuerunt tertiam. Ob nullas equidem rationes probabiles quas mihi hactenus licuit odorari.

V. Quòd ſeptem inferiores *Sephiræ*, tot quaſi Prædicamenta ſint *Cabbaliſtica* locíve communes ſecundùm quos Quæſtiones inſtitui, Reſponſionéſve formari perquam commodè poſſint, ex Catechiſmo noſtro Cabbaliſtico facilè intelliges. Quod tamen non tam aptè quadrat tribus prioribus. Cæterùm ut ingenuè fatear quod ſentio, ego *Numeros Pythagoricos* ac *Sephiroth* perinde aliquid eſſe exiſtimo, nempe neutra res ullas externas eſſe quatenus *Numeri* ſunt aut *Sephiroth*, ſed modos tantùm rationéſve ſecundùm quas realia Entia & externa concipimus & conſideramus, & proinde eſſe ex genere Notionum, quas vocant, *ſecundarum*, quæ cùm certas & determinatas Ideas habeant, poſſunt eſſe Symbola earum rerum quæ verè exiſtunt, aut ſaltem nuda Repoſitoria ordinalia, ut quando in perſequendo aliquo argumento, eóq; dividendo, dicimus Primò, Secundò, Tertiò, *&c.* Atq; huic uſui inſervire poſſunt meri *Numeri* meræve *Sephiroth*, atq; ſic aliquo modo Memoriæ fieri adminicula. Poſtquam verò communiora quædam Nomina ſingulis *Numeris* ſive *Sephiroth*, affixa eſſent, tum ſeptem poſteriores præſertim, nomina nempe ipſis affixa, ſpeciem induerunt tot *Prædicamentorum*, nec magìs Emanationes cenſenda ſunt, quàm decem *Prædicamenta Logica*, quæ decem *Divinas Emanationes* eſſe nemo quiſquam, quod ſciam, unquam hactenus ſomniavit; ſed decem tantùm generaliores rerum notiones, ſecundùm quas de re qualibet accuratior inſtitui poſſit diſquiſitio. Ad eum ferè modum qui adhibetur in *Catechiſmo* noſtro *Cabbaliſtico*. Et certè hæc res digna videtur quæ omni cum cura ac diligentia omníque ſepoſito partium ſtudio à *Cabbaliſtis* tum *Judaicis* tum *Chriſtianis*, ſeriò ac ſolicitè perpendatur, nè tam fundamentali errore admiſſo, tota Diſciplinæ *Cabbaliſticæ* ſtructura apud homines naſutiores ridicula videatur ac ruinoſa.

SCHOLIA

In CAP. II. Conſid. 4. SECT. 1.

REſponſum hoc tuum de conceptu τῶν Sephiroth, *&c. Reſponſum hoc eſt. Cùm Circulorum Hypotheſis in* Zoar *inveniatur qui conſcriptus eſſe judicandus illis temporibus cùm in* Judæa *Scholæ Judaicæ adhuc eſſent celeberrimæ, Paganicâ quacunque Philoſophiâ quam olim tantopere abhorruerunt vix cognitâ inter ipſos tunc temporis, nedum admiſſâ, non auſim affirmare Quæſtionem.*

Sect. 2. De Rationibus cur prima Numeratio *Kether*, &c. *Rationes ſic ſunt. Hîc, inquit, notandum, Primam Numerationem Coronam dici,* (1.) *propter ſummitatem*, &c. (2.) *propter excellentiam & ſplendorem*, &c. 3. *propter non-adhærentiam. Sicut enim Corona quamvìs Capiti impoſita ad Caput tamen pertinere non videatur*, &c. *Quòd autem ad denotandam* Infinitatem *ità denominetur penès* Judæos *non inveni.*

In CAP. II. Conſid. 4.

I. NE vana videatur illa Decadum Multiplicatio, * quadruplex hîc ídque ingenioſum excogitâſti Reſponſum.

1. Verùm, quantùm ad primum, conſiderandum, an Multiplicatio hæc Decadum in indefinitos Decadum numeros apud homines Philoſophiæ gnaros ac ſapientes, majorem excitatura ſit admirationem, quàm pervulgata illa Quantitatis Diviſio in infinitum. Quâ nihil magìs tritum in Scholis.

2. Hîc perpendendum eſt, an *Ha-enſoph* ſive *Infinitum*, quod Ens ſimpliciſſimum eſt reſpondétque *Platonicorum* Hypoſtaſi, quæ τὸ ἓν & τ᾽ἀγαθὸν appellatur, ullam intelligi poſſit habere conformitatem cum tam multiplici diviſione variatorum modorum, nè tantam quidem quantam Sol habet cum diverſicolore Iride. Et *Malchuth* ſanè cùm ſit ordinata rerum ac perſonarum congeries, * quanto pluries multiplicatur, tanto immanioribus intervallis recedit ab Unitate.

3. Hîc autem quærendum, an ipſi modi quatenus modi ſunt, rectè dici poſſint de ſe invicem participare, nec Unitas illa ipſorum, quæ hîc illuſtrari intenditur, uſquam alibi inveniatur, quàm in *Cauſa* unde profluunt, aut in *Subjecto* in quod recipiuntur. Unde ſcopus hic tertius multiplicationis videatur fruſtraneus, cùm nulla ſit Modorum inter ſe participatio, & unitas, ſed naturæ rationéſque ſingulorum ſint diſtinctæ. Unitas autem quæ ipſis competit, aut ſit in *Cauſa* aut in *Subjecto*.

4. Denique hîc etiam quærendum eſt, annon facilius eſſet intellectu Deum ubique eſſe eundem, omniáque ejus Attributa ubiq; ipſi debere tribui, ſi ingens illud Vacuum in ſeipſo nunquam feciſſe ſupponeretur, nec eſſentiam ſuam æternámve ſuam gloriam ac lucem, quam habuit ante Orbes hos Emanatorios, è medio ſpacii illius puncto retraxiſſe, ſed pro re nata, poſt Creationem Mundi, emanare in Creaturas Intellectuales per præſentiam Spiritûs qui ubique eſt, & dona multiplicia pro occaſionibus & temporibus, rectè prædiſpoſitis impertit. Quæ quidem vulgo dicitur operatio Spiritûs. Ad quem ſenſum loquitur Servator, Johan. 5. 17. *Pater meus uſque adhuc operatur & ego operor.* De *Emanationibus* autem decem, quales recentiores finxerunt *Cabbaliſtæ*, altum (quod & ſuprà innui) apud Servatorem & Apoſtolos ſilentium.

II. Equidem hîc fateor me haud ſatìs attento animo legiſſe ſcriptum tuum librum, nempe *Druſchim*. Quod autem in errorem me duxit, fuit, quòd præter ſimilitudinem Involucrorum Ceparum, de Orbibus cœleſtibus facta ſit mentio.

1. Hinc igitur erat, quod ſingulos Orbes ſuos *Epicyclos* habere ſomniarem, & hos *Epicyclos* in decem Orbes iterum diſtribui, & ſic in infinitum. Hunc autem ſenſum eſſe putabam, quòd ſingulorum Orbium apud Aſtronomos in decem iterum Orbes, & ſingulorum iſtorum in decem alios, omnes utique concentricos nuſquam inveniatur diſtributio. Adeò ut nihil opus videretur mentionem feciſſe Aſtronomorum, cum Ceparum tunicis, niſi *Epicyclorum* gratiâ.

2. Quantùm verò ad ædificationem ab his Inventis expectandam, agnoſco cum S. Paulo, πάντα συνεργεῖν εἰς ἀγαθὸν τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν, *Rom.* 8. 28. Et errores aliquando ad Pietatem aliquid conferre. Nec tamen cuiquam ſcienti prudentíque admittendos eſſe aut fovendos, præſertim ſi præſtò ſit veritas, quæ parem ſaltem ſi non majorem vim habet, ad promovendam Pietatem. Qualis illa mihi videtur, quæ ſup-

ponit Deum quidem non retraxiſſe lucem ſuam è ſpacio Mundorum conditorum, ſed eodem ubique modo ſe habere poſt mundum conditum atque antea, nec diſtare à nobis tot immenſis Orbibus Intervalliſque *Emanatoriis* ſed unicuique noſtrûm *eſſentialiter* intus adeſſe, & per *Spiritum Filii* nos ſubinde urgere ad ea quæ bona ac pulchra ſunt, ac præſertim ad omnimodam puritatem ac ſanctitatem, nos commonefaciendo, Corpora noſtra Templa eſſe *Dei viventis*, ut cum omni reverentia ac timore coram eo verſemur, illiúſque templa nullâ immunditie ſinamus coinquinari, ut ſic idonea fiant Divini Spiritûs habitacula, nec Numinis adeò nobis præſentis ac domeſtici Majeſtatem, ullâ levitate aut temeritate actionum noſtrarum unquam audeamus lædere aut offendere.

Quantùm verò ad locos Scripturæ à te hîc citatos, plerique pro me faciunt; ut 2 Cor. 4. 6. *Quoniam Deus qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris, ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti.* Qui locus interpretandus eſt ex altero illo loco quem citas, 2 Cor. 3. 18. *Nos autem omnes retectâ facie gloriam Domini quaſi in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam*, καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Quæ loca planè innuunt, *faciem Chriſti* ſitam eſſe non quidem in *Orbibus* iſtis *emanatoriis* immane quantum à nobis diſſitis, ſed in *cordibus noſtris*, illícque non per decem *Emanationes*, ſed per *Spiritum Domini*, nempe Spiritum *Meſſiæ* quem promiſit verè credentibus, revelari. Id verò Epheſ. 4. 13. intelligitur de Eccleſia Chriſti quæ illius corpus eſt, nec ullum talem ſupponit *Adamum Cadmonem* qualis à *Cabbaliſtis* deſcribitur. Deſcriptionem verò τοῦ *Seir Anpin* & *Malchuth* uxoris illius depravationem quandam eſſe ſuſpicor Myſterii ad quod reſpicit Paulus, Epheſ. 5. 32. Quædam verò loca Scripturæ etiam allegoricè intelligenda eſſe, quò reſpicere videtur locus ille Pauli, Gal. 4. 24. lubens illi accedo ſententiæ. Ex * reliquis Scripturæ locis quos affers, abunde conſtare fateor, ſatìs opulentum eſſe Divinæ ſapientiæ in Chriſtianitate reconditum Theſaurum, vel potiùs Theſaurum illum in Oeconomia *Moſaica* reconditum per Chriſtianitatem eſſe revelatum, hoc eſt, per prædicationem Evangelii. Qua cognoſcitur *Jeſum* eſſe *Meſſiam*, fidelitérque ſuis adfore per Spiritum ſuum verè credentibus uſque ad finem ſeculi. Omnéſque Prophetias & Myſteria *Moſaica* in ipſo impleri, veráque illius Eccleſia; quibus dedit τὸ πνεῦμα τῆς σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, ſpiritum ſapientiæ & revelationis, roboríſque ac fortitudinis ad debellandum peccatum ac Diabolum, & ad omne malignum ſemen funditùs extirpandum. Ut charitas magìs magíſque nobis exundet, in iſta cognitione quæ oritur ex Divino quodam ſenſu ac experientia; ut rerum excellentiſſimarum, quarum ſummus apex eſt Divinus Amor, gnari ſimus, & inoffensâ innocentiâ & ſinceritate ambulemus uſque ad glorioſum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hæc & hujuſmodi ſunt opulentiſſima illa Myſteria Sapientiæ Chriſtianæ, quæ in nobis ſunt revelanda. Quò quantum conferant remotæ illæ longéve petitæ ſpeculationes recentiorum *Cabbaliſtarum* de Orbibus *Sephirothicis* & humanis Imaginibus in immenſas ferè membrorum laxitates diductis, aliis relinquo majori cum deliberatione diſpiciendum.

* 1 Cor. 1. 5. Epheſ. 1.8.17. Philip. 1. 9. Coloſ. 1.9. c.3. v. 16. 1 Cor. 2. 7.

SCHOLIA

In CAP. II. Conſid. 4. SECT. 1.

QUadruplex hîc, ídque ingenioſum excogitâſti Reſponſum, *&c. Fieri enim hanc Decadum multiplicationem ait, ad denotandum* (1.) *Iſtos Modos indefinitos eſſe & ab humanæ mentis ſpeculatione non poſſe terminari. Unde auguſta quædam ipſis accedit Majeſtas atque veneratio*, &c. (2.) *Ad denotandum omnium Modorum Subſtantialium cum ipſo Infinito conformitatem, in attributis, in communicatione, & propagatione ſui*, &c. (3.) *Ad denotandum modorum inter ſe participationem, verámque, non attentâ nominum gradu*ú*mque multitudine, unitatem.* (4.) *Ut denotetur, Deum ubique eſſe eundem, omniáque ejus Attributa ubiq; ipſi debere tribui, variatâ licèt Oeconomiæ ſuæ manifeſtatione.*

Num. Quanto pluries multiplicatur, *&c. Multiplicatio enim hæc eſt revera indefinita Decadum in Decadas diviſio.*

In Cap. II. Conſ. 5.

I. DE conceptu Adami primi in ſua membra diviſi uterq; egimus in *Cap.* I. *Conſ.* 2. *Sect.* V.

II. Hic agitatur quæſtio de Applicatione loci Geneſeos, *Cap.* 1. *v.* 26. ad *Adamum primum*, an ullo colore illud myſterium indè elici poſſit.

1. Nam *Recentioribus* Cabbaliſtis quamvìs modus ſit accommodandi uſitatiſſimus; diſpiciendum tamen eſt an ità ſit *Antiquis*; cùm nulla ſint indicia vel notamenta aut in ipſo Textu aut aliunde deſumpta, quæ Myſterium inſinuent aut confirment, ut vellent ſtupendum aliquod Myſterium ſuper fundamentum planè nullum extruere.

2. Agnoſco ſanè ſi abſurdas has *Cabbaliſtarum* accommodationes admitteremus, vel in iſtoc malo aliquem futurum eſſe uſum, ad obturandum ora cavillatoribus Judæis, circa loca aliquot Prophetarum quæ alio ſenſu atq; olim impleta erant, ab Evangeliſtis ad Chriſtum applicantur. Cæterùm ſi res accuratiùs perpendatur, valde diſpar inter eos videtur eſſe ratio. Nam Allegationes Evangeliſtarum ſuâ non carent concinnitate & analogiâ, aut impletiones Prophetiarum perfectiores ſunt & quodammodo veriores eo ſenſu quo ab Evangeliſtis applicantur, quàm quo primùm impletæ ſunt; quemadmodum de * utriſq; illis locis allegatis, non dubito quin abundè evincere poſſem, niſi calamus ad alia properaret. Cabbaliſtas verò obſervo frequenter nulla alia de cauſa quàm quòd nomen vel appellatio illius rei, de qua agitur, in Textu occurrit, Textus Scripturæ allegare.

* Matth. 1. 23. Matth. 2. 15, 17.

3. Si quis ad probandam vel illuſtrandam Hypotheſin *Pythagoricam* de Motu Terræ allegaret *Gen.* 1. 16, 19. nullis aliis indiciis vel notamentis, aut ab ipſo Textu aut aliunde deſumptis inſtructus, næ ille homo eſſet ineptus admodum & inſcitus. Sed ſi quis penſitatis ſex primorum numerorum & naturis & nominibus, Juramento per traditorem *Tetractyos* addito, quæ Κλειδοῦχος τῆς φύσεως apud *Pythagoreos* appellatur, obſervaverit ſingulos numeros & quoad naturam & quoad nomen ſingulorum dierum operibus convenire, erràſſe licèt hic dici poſſet, non tamen temerè & ſine ratione dici poteſt errare.

4. Agnoſco quæ traduntur *Myſterio Pietatis*, lib. 7. cap. 7. aliquo modo ad *Cabbaliſtarum* accommodationes trahi poſſe, ubi intra aliquos limites conſiſtùnt, nec Accommodationes ſuas ſinunt omni carere Analogiâ; verùm cùm ſine omni rationis ſtrictura, ſolo occurſu appellationis rei quam tractant, contenti, textus citant, nulli ipſis, quæ nos in *Myſterio Pietatis* ſcripſimus, eſſe poſſunt ſuffugio.

In Cap. II. Conſ. 6.

I. HUjus Sectionis Titulus eſt, videri per punctum Vacui medium intelligi Terram, unde augeatur ſuſpicio de Hypotheſi *Ariſtotelica* huc allata.

1. Conſiderandum eſt annon multò credibilius videatur Orbes *Ariſtotelicos* hìc intelligi quàm Vortices *Pythagoreos*, quia Orbes *Ariſtotelici* concentrici finguntur cum Terra, punctóve medio Vacui excavati. Vortices verò omnes excentrici ſunt, diverſáq; habent ac diſtincta Centra.

2. Præterea cùm punctum medium Vacui in *Or haenſoph* dicatur Mundus materialis & corporeus perfectâ corporeitate, *i. e.* craſſiſſimâ, videndum porrò annon manifeſto hoc ſit indicio, Terram intelligi, quæ Elementum eſt *craſſiſſimum*, ac proinde non poſſe eſſe magnam illam Abyſſum in carcerem omnibus malignis Spiritibus deſtinatam, ſed unumquemq; potiùs vorticem, tanquam tot *Dinarchias*, ubi & quatenus opus ſit, ſuum proprium habere carcerem. Qui ante lapſum Spirituum ferè nulli ſunt, poſt lapſum verò inferior Regio verſùs Solem Vorticis craſſior evadit, donec tandem *Sol* abeat in *Aſtrum frigidum*, Terráve fiat. Ac proinde diſpiciendum eſt annon pars concava Terrarum ſingularum ſive Planetarum, ſit in ſingulis *Dinarchiis*, ubi ſint lapſi Spiritus, formidabilis illa & tenebroſa Abyſſus malignis Spiritibus deſtinata, præſertim ſi, (quod haud ità improbabile, rem anquiſitiùs perpendenti fortean videbitur,) Mundus quaſi alter ſit intra terram, Terráq; ipſa, quod innuit Pſalmiſta, fundetur ſuper aquas, tanquam ingens quædam Inſula ipſis innatans. Unde יסוד *Fundamentum* quæ nona *Sephirah* eſt, Numerúſve *Novenarius*, apud Græcos *Cabbaliſtas* vocatur Ὠκεανός. Cùm verò nihil opus ſit ut hæc aquarum fornix plus

30 aut 40 millia ſit craſſa, ſatìs amplum ſpacium relinquitur, intra hanc Fornicem, quod malignis ſpiritibus funeſtum ac caliginoſum eſſe poſſit habitaculum. Atque hîc illud *Plinii* locum habebit, *Quid mirabilius aquis in cœlo pendentibus?* Nam ut aquæ in noſtro cœlo pendent nullâ vi Mechanicâ ſuffultæ, ità hæc fornix aquarum ſubterranea; *Sandalphone* utrobique ſuas partes ſtrenuè agente. Inter fornicem verò hanc aqueam corpúſque Solis maxima ex parte jam in craſſos fumos vaporéſque converſum, extenditur ſatìs ampla Regio caliginoſi aeris admodum debili ac dubiâ luce illuſtrati, Sole non aliter lucente, quàm lucernæ tenui fuligine incorticatæ, (quemadmodum deſcribunt & *Henricus Regius* & ipſe *Carteſius* ſi rectè memini,) in ſepulchris mortuorum. Adeò ut verè hic locus videatur miſerorum illorum Spirituum qui ſacris Scripturis appellantur *Rephaim* & *Methim*. Quodſi contractus hic Sol ſubterraneus, in terrellam ipſe tandem abeat craſsâ obvolutus opacitate firmitérque obduratus, tunc tandem illos oppriment *extremæ* illæ *tenebræ* ubi fletus erit & ſtridor dentium. Sed ſubterranei Solis in terrellam converſi nullum exemplum externis noſtris oculis in rerum natura expoſitum fateor, niſi id fortè fiat in *Saturno*, ubi curioſi Planetarum contemplatores, globellum quendam in medio illius, circulo quodam ad inſignem diſtantiam circumcinctum, Teleſcopiorum beneficio intuentur. Qui globus an Terrella ſit, Circulúſque, ex oppoſitis partibus multùm, ſeculorum antiquitate, exeſa & demolita Fornix, harum rerum curioſis, magìs anxiè ſolicitéque diſcutiendum relinquo. Quantùm ad me, de eis equidem rebus quæ tam longè extra rationis experientiæque noſtræ ictum ſitæ ſint, parciùs modeſtiúſque Philoſophandum cenſeo.

II. Rectè quidem hîc reſpondes Epicyclicarum Decadum Notione ſublatâ, omnem de tot terrarum diſtantiis magnitudinibúſque diſproportionatis difficultatem ceſſare, nihilque periculi eſſe, nè multiplicando *Decadas*, terræ tandem in minutiſſima puncta contrahantur. Verùm enimvero videndum, annon ſuppar abſurditas difficultáſve etiamnum maneat, ex eo quòd ſingulæ *Decadas* concentricè cum medio puncto excavati Vacui, in infinitum ferè in alias *Decades* dividantur. Quanquam enim iſtoc pacto fateor minimè eventurum ut *Terræ* mera demum puncta quaſi Mathematica fiant, futurum eſt tamen ut *Malchuth*, hoc eſt, Regnum quod eſt rerum populorúmq; ordinata coagmentatio, tandem fiat papyraceum dicam ob tenuitatem, an Mathematicè ſuperficiarium, nulliúſque planè altitudinis aut craſſitiei; quod perinde abſonum videtur, ac *Terra* in punctum contracta. Nam dividatur *Tiphereth* putà, in decem *Sephiroth*, quaſi in infinitum, *Malchuth* ſive Regnum omni tandem, ſi fieri poſſet, ſuperficie *Mathematicâ* tenuius fiet, & ab aliis Regnis aliquot *Sephirotharum* intervallo diſſitum. Quæ quidem una conſideratio, videndum eſt, annon meritò expergefacere debeat *Judæos*, & excitare ad ſeriam apud ſeipſos diſquiſitionem, ſítne hæc infinita *Decadum* diviſio merum σοφὸν, quod dixi, φάρμακον necne, poſtquam Majores eorum in errorem hunc decem Emanatoriorum orbium incidiſſent, & an maxima pars diſciplinæ *Cabbaliſticæ*, quæ nunc apud eos viget, nova non ſit ac ſuppoſititia; Quod & ipſi termini *Cabbaliſtici* ſubindicant, ut *Metatron*, *Gematria*, *Notaricon* & ſimilia quæ à vocibus Latinis Græcíſve deducuntur. תמורה verò cùm vox Hebraica ſit, majorem videtur mereri fidem, ut & propterea quòd indicatio ſimplicior ſit & facilior, & quaſi Anagrammatiſmus quidam pleriſque Gentibus familiaris. Et quanquam גמטריא vox Græca ſit, & ſatìs abſurde à γεωμετρία deducta, cùm operatio *Arithmetica* potiùs ſit quàm *Geometrica*, fieri tamen poteſt ut ejuſmodi æqualitatis valorum literarum in nominibus vocabulíſve contentarum obſervatæ exempla quædam antiquiſſima apud *Cabbaliſtas* extarent, propriâ illius operationis appellatione, propter longam interjectam earum rerum deſuetudinem, deperditâ. In uſu verò à primis uſque *Cabbaliſtis* fuiſſe cùm ſingulæ literæ Hebraicæ numeralem etiam ſignificationem habeant, haud ità veri eſt diſſimile. נוטריקון verò, ut nomen, ità rem novam eſſe, indicio eſt, quòd illius ratio ità laxa ſit & diluta, & tam nihil in ſe habere videatur aut concinnitatis aut roboris. Et certè quod ad duo priora genera attinet, quanquam non inficier in ſacris Myſteriis exponendis ea aliquando locum habere poſſe, eorum tamen uſum in ſacris paginis explicandis ut & ſensûs allegorici rariùs occurrere, ſed ut gemmas & metallorum fodinas in terra parciùs hinc indè ſpargi; & ut *virgâ Divinatoriâ* in his inveſtigandis, ità planè, in iſtis eruendis *divino afflatu* opus eſſe, nè in vaniſſimas Nugacitates aberremus. Hæc verò obiter.

In Cap. III. Conſ. 1.

I. Equidem habeo tibi gratias quòd & hìc tam copioſè & accuratè mihi enarraveris diſtinctiones inter *Nepheſh*, *Ruach* & *Neſchamah*, etiam *Chajah* & *Jachidah*; ipſúmque librum R. *Moſis Cordueri* huc mittendum curaveris. Hìc autem quædam perpendamus quæ in hac Sectione occurrunt. Quantùm enim ad me, ego in homine unicam eſſe Animam firmiter ſtatuo, eámque eſſe quam omnibus hominibus *Cabbaliſtæ*, ſub nomine *Nepheſh* faciunt communem. Quod verò ad illud Jobi attinet, c. 32.8. ונשמת שַׁדַּי. *Et Anima* Schaddai *intelligere faciet eos*; ſi ſic vertatur, Anima *Schaddai* reſpondet τῇ θείᾳ ψυχῇ apud *Platonicos*, idemque eſt qui Spiritus S. quem & præcedentibus verbis indigitari autumo. אכן רוח־היא באנוש· *Profectò Spiritus ille eſt in homine*, Spiritus utique S. ſeu Divinus, ille tranſit per corda omnium mortalium & pro tempore & occaſione in quibuſdam mirificè operatur. Sed particularem aut Animam aut Spiritum præter *Nepheſh* in homine eſſe, nec ex hoc loco nec ex ullo alio evinci poſſe exiſtimo. Verùm ſi נשמת שַׁדַּי reddatur, *Inſpiratio Schaddai*, tum rectè *Neſchamah*, i. e. Inſpiratio dicitur emanare à *Binah*, quippe quam ego tertiam in Divinitate Hypoſtaſin eſſe cenſeo. Cur verò *Ruach* attribuatur τῇ *Tiphereth*, non video, niſi quòd illa *Sephirah* ſit *Filii* Repoſitorium propter Animam *Meſſiæ* cum *Logo* conjunctam, Principem Regni, & promiſſorem pariter & emiſſorem Spiritûs S. qui per errorem à Cabbaliſtis exiſtimetur *particularis* in Homine ſpiritus, ut & *Nepheſh* è *Malcuth* emanare, quòd Malcuth ſive regnum *Meſſiæ* ex immenſo quaſi numero *Nephaſhim* i. e. Animarum tum Humanarum tum Angelicarum coagmentetur. Nec ſanè opus eſt hiſce diu inhærere. Verbum ſapienti ſat eſt. Hic verò primus error paulo craſſiorem mihi aggeneràſſe videtur, nempe tam realem inter has tres animas diſtinctionem ut diverſis in locis poſt mortem habitare exiſtimentur, *Nepheſh* in ſepulchro, *Ruach* in Paradiſo inferiore, & *Neſchamah* in Paradiſo ſuperiore. Ex quibus manifeſtò apparet ſingulas animas humanas, hominum ſaltem bonorum, tres eſſe animas realiter diſtinctas, ſingulóſq; iſtiuſmodi homines tres eſſe quodammodo homines, perſonáſve tres realiter ſeparabiles, quamvìs uni in præſens culeo inſutas. Unuſquiſque verò homo ſe unicam Perſonam Animámve quàm intimo ſenſu & experientiâ ex eo perſentiſcere poteſt, quòd unicam ſe experiri poſſit habere facultatem *animadverſivam*, nihilque ad eſſentialem integritatem ſuæ perſonæ pertinere, niſi quod cum hoc communi *Centro Cataleptico* ſive *perceptivo* inſeparabiliter & eſſentialiter unum eſt, qualis eſt pars animæ *Plaſtica*. Quæ quamvìs eſſentialiter & indiſcerpibiliter unum quid ſit cum parte animæ *perceptiva*, ipſáque quoad eſſentiam ſemper eadem; variis tamen vehiculis indui poteſt, & pro varia vehiculorum puritate, variis nominibus appellari. Et ex hac vehiculorum diſtinctione, fortean nata eſt ipſarum Animarum tanquam realiter diſtinguendarum apud *Cabbaliſtas* opinio, cùm pro varia puritate vehiculorum, varii tantùm gradus Divinarum operationum in unam eandémque Animam deſcenderent. Neque enim ipſe, quantum video, *Chajah* & *Jachidah*, quartam quintámque animam conſtituis, ſed vitales potiùs operationes Divinitus influentes. Idem ſtatue de *Ruach* & *Neſchamah*, Animáque humana, ut debet, manebit una.

Quantùm verò ad ſententiam quorundam Chriſtianorum Doctorum, quaſi opinioni de tribus in Homine Formis vel Animabus realiter diſtinctis faverent, equidem apud pauciſſimos, ni malè memini, illud dogma obtinet. Ipſe verò accommodatiſſimum argumentum elegiſti, quo opinio iſta ſtabiliri poſſe videatur, à contrarietate ſcilicet actionum Animæ ſimultanearum deſumptum, à concupiſcentia utique appetitûs ſenſitivi & repugnantia mentis. Urges enim harum Actionum, Accidentia ſeu Potentias nudas neutiquam eſſe poſſe principia. Quod poſtremò confirmas noto iſto Axiomate, *Actiones eſſe ſuppoſitorum.* Ubi ultrò videris agnoſcere cum *Cabbaliſtis*, Tres illas Animas tria quaſi eſſe ſuppoſita. Fateor ſatìs ſpecioſam ac ingenioſam eſſe argumentationem. Cæterùm hìc provocandum eſt ad experientiam. Plures unâ animas in bruto neminem credo affirmaturum, putà in Cane. Qui tamen in juſculo paulò calidiori, aliquando deprehenditur & lambere & queritari ſimul, quod indicio eſt & appetitum & averſationem circa jus in eo ſimul excitari; idémque fieri poteſt in Anima humana circa Objectum *jucundum* quidem ſed minùs *honeſtum*, quamvìs una ſit. Jucunditas appetitum movere poteſt eodem tempore quo turpitudo averſationem, cùm una eadémque Anima in homine utriuſque ſit conſcia, ut Anima in Cane voluptatis & doloris. Præterea conſiderandum eſt, an quas actiones vocas, revera ſint Actiones, non autem Paſſiones potiùs & impreſſiones, appetitus intelligo ſenſitivos, qui virtute unionis

30 aut 40 millia ſit craſſa, ſatìs amplum ſpacium relinquitur, intra hanc Fornicem, quod malignis ſpiritibus funeſtum ac caliginoſum eſſe poſſit habitaculum. Atque hìc illud *Plinii* locum habebit, *Quid mirabilius aquis in cœlo pendentibus?* Nam ut aquæ in noſtro cœlo pendent nullâ vi Mechanicâ ſuffultæ, ità hæc fornix aquarum ſubterranea; *Sandalphone* utrobique ſuas partes ſtrenuè agente. Inter fornicem verò hanc aqueam corpúſque Solis maxima ex parte jam in craſſos fumos vaporéſque converſum, extenditur ſatìs ampla Regio caliginoſi aeris admodum debili ac dubiâ luce illuſtrati, Sole non aliter lucente, quàm lucernæ tenui fuligine incorticatæ, (quemadmodum deſcribunt & *Henricus Regius* & ipſe *Carteſius* ſi rectè memini,) in ſepulchris mortuorum. Adeò ut verè hic locus videatur miſerorum illorum Spirituum qui ſacris Scripturis appellantur *Rephaim* & *Methim.* Quodſi contractus hic Sol ſubterraneus, in terrellam ipſe tandem abeat craſsâ obvolutus opacitate firmitérque obduratus, tunc tandem illos opprimerent *extremæ* illæ *tenebræ* ubi fletus erit & ſtridor dentium. Sed ſubterranei Solis in terrellam converſi nullum exemplum externis noſtris oculis in rerum natura expoſitum fateor, niſi id fortè fiat in *Saturno*, ubi curioſi Planetarum contemplatores, globellum quendam in medio illius, circulo quodam ad inſignem diſtantiam circumcinctum, Teleſcopiorum beneficio intuentur. Qui globus an Terrella ſit, Circulúſque, ex oppoſitis partibus multùm, ſeculorum antiquitate, exeſa & demolita Fornix, harum rerum curioſis, magìs anxiè ſolicitéque diſcutiendum relinquo. Quantùm ad me, de eis equidem rebus quæ tam longè extra rationis experientiæque noſtræ ictum ſitæ ſint, parciùs modeſtiúſque Philoſophandum cenſeo.

II. Rectè quidem hìc reſpondes Epicyclicarum Decadum Notione ſublatâ, omnem de tot terrarum diſtantiis magnitudinibúſque diſproportionatis difficultatem ceſſare, nihilque periculi eſſe, nè multiplicando *Decadas*, terræ tandem in minutiſſima puncta contrahantur. Verùm enimvero videndum, annon ſuppar abſurditas difficultáſve etiamnum maneat, ex eo quòd ſingulæ *Decadas* concentricè cum medio puncto excavati Vacui, in infinitum ferè in alias *Decades* dividantur. Quanquam enim iſtoc pacto fateor minimè eventurum ut *Terræ* mera demum puncta quaſi Mathematica fiant, futurum eſt tamen ut *Malchuth*, hoc eſt, Regnum quod eſt rerum populorúmq; ordinata coagmentatio, tandem fiat papyraceum dicam ob tenuitatem, an Mathematicè ſuperficiarium, nulliúſque planè altitudinis aut craſſitiei; quod perinde abſonum videtur, ac *Terra* in punctum contracta. Nam dividatur *Tiphereth* putà, in decem *Sephiroth*, quaſi in infinitum, *Malchuth* ſive Regnum omni tandem, ſi fieri poſſet, ſuperficie *Mathematicâ* tenuius fiet, & ab aliis Regnis aliquot *Sephirotharum* intervallo diſſitum. Quæ quidem una conſideratio, videndum eſt, annon meritò expergefacere debeat *Judæos*, & excitare ad ſeriam apud ſeipſos diſquiſitionem, ſítne hæc infinita *Decadum* diviſio merum σοφὸν, quod dixi, φάρμακον necne, poſtquam Majores eorum in errorem hunc decem Emanatoriorum orbium incidiſſent, & an maxima pars diſciplinæ *Cabbaliſticæ*, quæ nunc apud eos viget, nova non ſit ac ſuppoſititia; Quod & ipſi termini *Cabbaliſtici* ſubindicant, ut *Metatron*, *Gematria*, *Notaricon* & ſimilia quæ à vocibus Latinis Græcíſve deducuntur. תמורה verò cùm vox Hebraica ſit, majorem videtur mereri fidem, ut & propterea quòd indicatio ſimplicior ſit & facilior, & quaſi Anagrammatiſmus quidam pleriſque Gentibus familiaris. Et quanquam גמטריא vox Græca ſit, & ſatìs abſurde à γεωμετρία deducta, cùm operatio *Arithmetica* potiùs ſit quàm *Geometrica*, fieri tamen poteſt ut ejuſmodi æqualitatis valorum literarum in nominibus vocabulíſve contentarum obſervatæ exempla quædam antiquiſſima apud *Cabbaliſtas* extarent, propriâ illius operationis appellatione, propter longam interjectam earum rerum deſuetudinem, deperditâ. In uſu verò à primis uſque *Cabbaliſtis* fuiſſe cùm ſingulæ literæ Hebraicæ numeralem etiam ſignificationem habeant, haud ità veri eſt diſſimile. נוטריקון verò, ut nomen, ità rem novam eſſe, indicio eſt, quòd illius ratio ità laxa ſit & diluta, & tam nihil in ſe habere videatur aut concinnitatis aut roboris. Et certè quod ad duo priora genera attinet, quanquam non inficier in ſacris Myſteriis exponendis ea aliquando locum habere poſſe, eorum tamen uſum in ſacris paginis explicandis ut & ſenſûs allegorici rariùs occurrere, ſed ut gemmas & metallorum fodinas in terra parciùs hinc indè ſpargi; & ut *virgâ Divinatoriâ* in his inveſtigandis, ità planè, in iſtis eruendis *divino afflatu* opus eſſe, nè in vaniſſimas Nugacitates aberremus. Hæc verò obiter.

In Cap. III. Conſ. 1.

I. Equidem habeo tibi gratias quòd & hìc tam copioſè & accuratè mihi enarraveris diſtinctiones inter *Nepheſh*, *Ruach* & *Neſchamah*, etiam *Chajah* & *Jachidah*; ipſúmque librum R. *Moſis Cordueri* huc mittendum curaveris. Hìc autem quædam perpendamus quæ in hac Sectione occurrunt. Quantùm enim ad me, ego in homine unicam eſſe Animam firmiter ſtatuo, eámque eſſe quam omnibus hominibus *Cabbaliſtæ*, ſub nomine *Nepheſh* faciunt communem. Quod verò ad illud Jobi attinet, c. 32.8. ונשמת שדי, *Et Anima* Schaddai *intelligere faciet eos*; ſi ſic vertatur, Anima *Schaddai* reſpondet τῇ θείᾳ ψυχῇ apud *Platonicos*, idemque eſt qui Spiritus S. quem & præcedentibus verbis indigitari autumo. אכן רוח־היא באנוש. *Profectò Spiritus ille eſt in homine*, Spiritus utique S. ſeu Divinus, ille tranſit per corda omnium mortalium & pro tempore & occaſione in quibuſdam mirificè operatur. Sed particularem aut Animam aut Spiritum præter *Nepheſh* in homine eſſe, nec ex hoc loco nec ex ullo alio evinci poſſe exiſtimo. Verùm ſi נשמת שדי reddatur, *Inſpiratio Schaddai*, tum rectè *Neſchamah*, i. e. Inſpiratio dicitur emanare à *Binah*, quippe quam ego tertiam in Divinitate Hypoſtaſin eſſe cenſeo. Cur verò *Ruach* attribuatur τῇ *Tiphereth*, non video, niſi quòd illa *Sephirah* ſit *Filii* Repoſitorium propter Animam *Meſſiæ* cum *Logo* conjunctam, Principem Regni, & promiſſorem pariter & emiſſorem Spiritûs S. qui per errorem à Cabbaliſtis exiſtimetur *particularis* in Homine ſpiritus, ut & *Nepheſh* è *Malcuth* emanare, quòd Malcuth ſive regnum *Meſſiæ* ex immenſo quaſi numero *Nephaſhim* i. e. Animarum tum Humanarum tum Angelicarum coagmentetur. Nec ſanè opus eſt hiſce diu inhærere. Verbum ſapienti ſat eſt. Hic verò primus error paulo craſſiorem mihi aggenerâſſe videtur, nempe tam realem inter has tres animas diſtinctionem ut diverſis in locis poſt mortem habitare exiſtimentur, *Nepheſh* in ſepulchro, *Ruach* in Paradiſo inferiore, & *Neſchamah* in Paradiſo ſuperiore. Ex quibus manifeſtò apparet ſingulas animas humanas, hominum ſaltem bonorum, tres eſſe animas realiter diſtinctas, ſingulóſq; iſtiuſmodi homines tres eſſe quodammodo homines, perſonáſve tres realiter ſeparabiles, quamvìs uni in præſens culeo inſutas. Unuſquiſque verò homo ſe unicam Perſonam Animámve quàm intimo ſenſu & experientiâ ex eo perſentiſcere poteſt, quòd unicam ſe experiri poſſit habere facultatem *animadverſivam*, nihilque ad eſſentialem integritatem ſuæ perſonæ pertinere, niſi quod cum hoc communi *Centro Cataleptico* ſive *perceptivo* inſeparabiliter & eſſentialiter unum eſt, qualis eſt pars animæ *Plaſtica*. Quæ quamvìs eſſentialiter & indiſcerpibiliter unum quid ſit cum parte animæ *perceptiva*, ipſáque quoad eſſentiam ſemper eadem; variis tamen vehiculis indui poteſt, & pro varia vehiculorum puritate, variis nominibus appellari. Et ex hac vehiculorum diſtinctione, fortean nata eſt ipſarum Animarum tanquam realiter diſtinguendarum apud *Cabbaliſtas* opinio, cùm pro varia puritate vehiculorum, varii tantùm gradus Divinarum operationum in unam eandémque Animam deſcenderent. Neque enim ipſe, quantum video, *Chajah* & *Jachidah*, quartam quintámque animam conſtituis, ſed vitales potiùs operationes Divinitus influentes. Idem ſtatue de *Ruach* & *Neſchamah*, Animáque humana, ut debet, manebit una.

Quantùm verò ad ſententiam quorundam Chriſtianorum Doctorum, quaſi opinioni de tribus in Homine Formis vel Animabus realiter diſtinctis faverent, equidem apud pauciſſimos, ni malè memini, illud dogma obtinet. Ipſe verò accommodatiſſimum argumentum elegiſti, quo opinio iſta ſtabiliri poſſe videatur, à contrarietate ſcilicet actionum Animæ ſimultanearum deſumptum, à concupiſcentia utique appetitûs ſenſitivi & repugnantia mentis. Urges enim harum Actionum, Accidentia ſeu Potentias nudas neutiquam eſſe poſſe principia. Quod poſtremò confirmas noto iſto Axiomate, *Actiones eſſe ſuppoſitorum.* Ubi ultrò videris agnoſcere cum *Cabbaliſtis*, Tres illas Animas tria quaſi eſſe ſuppoſita. Fateor ſatis ſpecioſam ac ingenioſam eſſe argumentationem. Cæterùm hic provocandum eſt ad experientiam. Plures unâ animas in bruto neminem credo affirmaturum, putà in Cane. Qui tamen in juſculo paulò calidiori, aliquando deprehenditur & lambere & queritari ſimul, quod indicio eſt & appetitum & averſationem circa jus in eo ſimul excitari; idémque fieri poteſt in Anima humana circa Objectum *jucundum* quidem ſed minùs *honeſtum*, quamvìs una ſit. Jucunditas appetitum movere poteſt eodem tempore quo turpitudo averſationem, cùm una eadémque Anima in homine utriuſque ſit conſcia, ut Anima in Cane voluptatis & doloris. Præterea conſiderandum eſt, an quas actiones vocas, revera ſint Actiones, non autem Paſſiones potiùs & impreſſiones, appetitus intelligo ſenſitivos, qui virtute unionis

nis partis *plaſticæ* animæ cùm hoc terreſtri corpore ipſi vel invitæ imprimantur, repugnante interim voluntate mentis lumine illuſtratâ. Poſtremò nihil abſurdi eſt nudas potentias, modò δυνάμεις ποιητικαὶ ſint, quemadmodum alicubi diſtinguit *Ariſtoteles*, pro contrarietate modificationum Objecti, contrariarum Actionum eſſe principia, nec diverſa hic requiri ſuppoſita. Hæc certè mihi maximè conſentanea videntur, Entiáq; minimè multiplicanda eſſe ſine neceſſitate.

In Cap. III. Conſ. 2.

I. Per *Ruach* & *Nepheſh* in ſuperioribus ad *Spiritum Naturæ* non alludi, ſatis jam ex te intelligo libríſq; quos huc pro ſingulari tua humanitate mittendos curâſti. Credóq; te facilè admiſſurum *Spiritum Naturæ* non tantùm in *Aſia* ſola commorari, ſed per *Aſiam* univerſam, cùm per *Mundum Factionis* ſuprà intellexeris univerſos vortices Mundanos. An verò Spiritus hic, *Sandalphon*, quatenus circa Regiones Mundi materialis craſſiores verſatur, appellandus ſit, *Metatron* verò quatenus Metator univerſaliſq; diſpoſitor eſt totius materiæ Mundanæ Animarúmq; eâ contentarum, ulteriori diſquiſitione indiget. Suſpicor enim ut non unas, ita nec ſemper aptiſſimas notiones nominibus Cabbaliſticis Cabbaliſtas recentiores accommodâſſe.

In Cap. III. Conſ. 3.

I. Vaſa fieri non potuiſſe abſente & evacuato Deo manifeſtiſſimum eſt, ac proinde rectè reponi in locum ſuum. Sed porrò diſquirendum eſt, annon eodem planè Præſentiæ Adeſſentiæve modo reponendus ſit, quo ante Creationem fuit, nempe ſine omni diminutione eſſentialis æternæq; lucis vel gloriæ; ità ut omnem eam, quam ante Creationem habuit, & abſq; Creatione eſſet, ſemper fuiſſet habiturus, etiam poſt Creationem haberet in omnibus Mundi locis Lucem atq; Gloriam, nullâ perfectione ipſi per Creationem demptâ aut diminutâ, ſed ſuperadditâ tantùm aut continuâ aut interciſâ in Mundum parteſq; ejus pro datis occaſionibus influentiâ.

II. De deſtructione Vaſorum per præſentiam Lucis Infinitæ, quaſi Infinitum ſupponeretur igneum, &c. Huic difficultati ingenioſè reſpondes. Idem tantùm innui ac ſi dicatur, Præſentiam Dei naturalem in Arca Fœderis per præſentiam gratioſam eſſe immutatam, &c. Sed enimvero, diligenter hìc diſpiciendum eſt an uſq; adeò quadret præſenti cauſæ hæc comparatio. Status enim externus ac mutabilis Divini Numinis hìc comparatur cum ſtatu itidem externo & mutabili. Status verò Numinis ante Creationem ſtatus quidam *internus* erat *æternúſque*, ac proinde immutabilis ac permanens in æternum; hujuſmodi planè erat illius *Lux* & *Gloria* ante Mundum conditum, quæ propterea imminui aut mutari neutiquam poterat, ut ſic Locus parari poſſet Mundis condendis creandiſve. Dignum profectò eſt hoc argumentum ut altâ mente ac tranquillâ cautè curioſéq; penſitetur, cùm primum ponatur præcipuúmq; hujus *Cabbaliſtæ Metaphyſices* Fundamentum.

In Cap. IV.

I. Utrùm *Adamus primus* Deus ſit an Creatura; Ad hanc Quæſtionem ſummâ quidem quam res patitur ἀκριβείᾳ reſpondes, affirmando *eſſe conceptum diſtinctum Dei, quatenus ut cauſa prima in actu cauſandi conſideratur.* Sed curioſi hìc ſe abſtinere non poſſunt quin porrò quærant, cur Deus ut prima cauſa humanâ formâ ſe indueret, quaſi id quicquam contribueret ad faciliorem magiſve ſcitam Mundorum condendorum rationem; & quî factum ut hujuſmodi externo quaſi modulo indigeret, cùm Ideas rationéſq; rerum omnium ac ſpecierum in mente ab æterno immutabiliter ac neceſſariò habuerit.

II. Et quantùm quidem ad diſtantiam hujus Adami primi à Mundis à ſe creandis, videndum quàm ægrè difficultas ſublevari poſſit aut ſupponendo radiorum propagationem, per quos præſens cenſeri poſſit, ut alia Objecta figurata in locis diſſitis per ſpecies ſuas intentionales quodammodo adeſſe reputantur, aut revera præſentem eſſe concedendo, quamvis aliis ob variatum præſentiæ modum nominibus expreſſum.

Quippe intellectu difficile eſt quomodo iſtiuſmodi radii hominiformes propagentur ab Adamo primo, cùm non ſit lux corporea, nec ſint revera iſtiuſmodi radii in Objectis corporeis quos Philoſophi veteres, *Ariſtotelici* præſertim, nimis temerè finxerunt; & ſi eſſent ſanè iſtiuſmodi ſpecies intentionales ab *Adamo primo* manantes, cùm iidem *hominiformes* ſint, quid ad Mundos variáſq; rerum ſpecies creandas ab humana ſpecie tàm longè differentes conferrent? Quam partem igitur Reſponſionis tanquam minùs validam ipſe videris declinare, & adhærere potiùs alteri. Quæ aliàs profectò ſatìs ſolida hoc tamen non vacat incommodo, quòd omnem uſum hujus Adami primi penitùs videtur ſubvertere. Nam ſi Deus revera præſens in eis ſpaciis ubi Mundi creantur, virtute ſuæ præſentiæ eos ibi creat, quid opus eſt hoc Adamo primo tam longinquè ab eis remoto?

III. Atq; hinc certè videtur haud difficile diſpicere, palámq; deprehendere quantilli momenti vim habeant hujuſmodi Inventa Cabbaliſtica, * ad fidem Creationis confirmandam, aut ad augendam Religionem, cùm multò plus valeat Divini Numinis è propinquo circa nos, immo in nobis, habitantis ſubinde recurrens tempeſtiva recordatio, ad purificandos animos & ad greſſus noſtros cum timore ac reverentia ad *domeſtici* hujus *Numinis* nutum dirigendos, & ad agendum omnia tanquam in conſpectu illius qui noſtra omnium corda perſcrutatur ac permeat, quàm immenſæ cujuſdam Imaginis humanæ in immanem membrorum laxitatem diductæ, & immenſis ſpaciis ſupra Mundum materialem elevatæ ac remotæ incerta & ſuperſtitioſa ſaltem, ſi non Idololatrica contemplatio. Næ ille demum ad unionem cum prima Cauſa quæ ex mero amore ac benignitate omnia creavit, efficaciter ſe parat, qui omnibus deletis externis Imaginibus, propriâq; extinctâ voluntate ac amore, ad liberum illum nihílq; ſibi quærentem Divinum Amorem quotidiè anhelat; ſemper memor Dicti illius, dilectiſſimi diſcipuli Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Deus eſt Amor, & qui in Amore manet, in Deo manet & Deus in eo*, Johan. 4. 12.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. III.

AD fidem Creationis confirmandam, &c. *Sic enim reſpondetur ad iſtam Quæſtionem apud* C. K. *Quid iſta Figmenta proſint ad fidem Creationis confirmandam?* R. *Ad minimum in ipſo Creatore primâq; Cauſa ſtatim diſtinctè proponi quid ſit in illo quod amari quódq; metui debeat: Et ſi talia nequeunt proponi Tyronibus ad fidem Creationis commovendis; arcere tamen adultos poſſunt per contemplationis aſſiduitatem ab adhæſione cum rebus terrenis, & eorum fortè non parùm promovere cum Prima Cauſa unionem.*

In Cap. V.

I. INſpirationes Dei non eſſe nugatorias & inutiles. Etiam huic difficultati maximè appoſitum accommodâſti Reſponſum; Inſpirationes tamen Dei Angelos proponere ut Aquilas, Boves, Leones; Deum ut Hominem, Ignem, Nubem, &c. Verùm hîc obſervandum eſt, Ubi Divina Inſpiratio Angelos proponit ut Aquilas, Boves, Leones, &c. proponere ut Symbola quædam ac Hieroglyphica quibus miranda Arcana repræſentantur, quemadmodum fieri in Viſione *Ezechelis* in Expoſitione noſtra fuſè enarravimus; quando Deum ut Hominem, (ut in eadem Viſione) Myſterium unionis Animæ *Meſſiæ* cum æterno *Logo*, quo evadit verus Dei filius, ſubindicari; quando ut Antiquum Dierum, cum Filio Hominis, (ut apud *Danielem*) Deum Patrem cum Incarnato Filio Hieroglyphicè indigitari. Ubi verò Ignis conſumens dicitur aut Nubes refrigerans, vulgares eſſe Metaphoras manifeſtiſſimum eſt. Deſcriptio verò τȣ *Arich Anpin* & τȣ *Seir Anpin*, & *Adami primi* qui & *Adam Cadmon* dicitur, ad hunc cenſum nullo pacto referri poteſt; tum quòd minimè probabile, doctrinas Cabbaliſticas veras & antiquas alias fuiſſe quàm veritates quaſdam Divinas ſublimes quidem & excelſas ſed nudas interim & apertas, Symbolicis Hieroglyphicíſve Scripturæ locis applicatas, non nova verò Involucra & Ænigmata; tum quòd dictæ deſcriptiones nullas veritates Philoſophicas ullius quidem momenti aut profunditatis repræſentent, ſed animum potiùs in craſſos de Deo conceptus & rudem *Anthropomorphitiſ-*

mum abjiciunt, dum non figuratè ſed propriè quæ de Deo in Scripturis per ἀνθρωποπάθειαν attribuuntur, intelligenda inſinuant. Quæ quidem cùm ità ſe habeant, ſeriò tandem judicatóque determinandum eſt annon multò ſit credibilius, poſteriores *Cabbaliſtas*, antiquis Cabbalæ reliquiis malè intellectis, per ſtyli prophetici ignorationem, veræque Philoſophiæ inſcitiam, in adeò depravatas rerum Imagines priſtinam Theoſophiæ *Judaicæ* ſimplicitatem convertiſſe, quàm hujuſmodi Inventa abſona atque aliena genuinam θεοπνεύστου illius ſapientiæ ſupellectilem fuiſſe.

Equidem fateor hanc Cabbaliſticam Metaphyſicam me paulò liberiùs iterum vellicâſſe quàm intenderam. Sed candorem tuum obteſtor generoſámq; animi ſinceritatem, ut hanc meam libertatem æquo animo feras, quippe qui eâ uſus ſum nulla alia de cauſa quàm ex amore veritatis & non fictâ erga ipſos Judæos benevolentiâ, quos hoc pacto exuſcitari poſſe ſperabam ad recognoſcendum apud ſeipſos quomodo aruerint, ut extra vineam abjecti palmites, ex quo à vera vite *Jeſu Chriſto* ſunt abſciſſi, & quàm vani facti ſint in ratiocinationibus ſuis, poſtquam æternum *Logon* incarnatum abnegaverint, ut reſipiſcant tandem, & ad veram in Chriſto fidem convertantur, promiſſúmque Spiritum obtineant, eámque Unctionem quæ ipſos edoctura ſit omnia. Intereà loci minimè tibi vitio vertendum cenſeo, quòd harum qualiumcunq; Cabbaliſticarum ſpeculationum tam ſtrenuum te accommodâſti patronum, quippe quem eo conſilio feciſſe ſat ſcio, ut apud omnes, ipſóſque adeò Judæos, clariùs poſſet conſtare, quid ſolidi inter Cabbalæ Judaicæ reliquias, quídve ſecùs ſuperſit; ut Judæus & Chriſtianus quod apud alterutrum bonum eſt, alter ab altero mutuò accipiant, & quod ſecùs eſt, unanimiter excludant & abjiciant, & in unum corpus tandem coaleſcant, unámque *Malcuth*, ſponſámve unam illibatam vel uxorem non quidem fictitii eorum *Seir-Anpin*, ſed veri *Meſſiæ*, Dominíque noſtri *Jeſu Nazareni*, quem per errorem ipſi crucifixerunt, quíq; in mediis doloribus Patrem oravit ut condonaret ipſis horrendum illud peccatum; quod certiſſimum eſt eum nec *Hypocriticè* nec *inefficaciter* feciſſe, ſed aliquando fore ut plenum effectum preces illius ſortiantur, totúſq; Iſrael convertatur ad Deum Patrum ſuorum, quem, *Jeſum Nazarenum*, verum *Meſſiam*, repudiandò turpiter repudiârunt. Hunc pulcherrimum præclari tui Inſtituti ſcopum eſſe, præſtantiſſime *Knorri*, vel ex ultimis tuis verbis è S. Paulo mutuatis, quibus Reſponſionem concludis, omnibus poteſt conſtare, *Omnia probanda, quod bonum eſt, tenendum.* Cæterùm cùm nimiùm multa reprobâſſe, Judæis præſertim videri poſſim atque abjeciſſe, ut hanc jacturam aliquo modo compenſem, Dicti etiam memor, Amiciſſimi tui, D. *Franciſci Mercurii Van-Helmont*, nec iniqui ſanè nec infaceti, *mihi utique fas non eſſe veteres calceos Judæorum pedibus detrahere niſi ipſis pararem novos*, experiebar equidem, Chriſto cœptis aſpirante, quid mea ars ea in re efficere poſſet; hoc eſt, cùm præſentis *Metaphyſicæ* ſive Theoſophiæ *Cabbaliſticæ* fundamenta videri poſſim penitùs ſubvertiſſe, ut damnum hoc aliqua ex parte reſarcirem, novam *Mercavæ* Expoſitionem, inſtigante D. *Helmontio*, meditatus ſum, quam vera Theoſophiæ *Judaicæ* fundamenta complecti apud omnes in confeſſo eſt. Nova verò an antiqua potiùs dicenda hæc noſtra Expoſitio, ſi quidem genuina ſit ac vera, penès harum rerum intelligentes ſit judicium. Sed utcunque cùm ex pauxillis antiquæ *Cabbalæ* ruderibus *noviter* ſit erecta, eâ quidem ratione, *nova* perinde atque *Antiqua* dici poteſt, nè novos Judæis juxta promiſſum Amiciſſimo tuo factum, non videar paraviſſe calceos. Quos tibi in manus eâ lege trado, ut *Judæorum* pedibus induendis, & quâ arte poſſis, adaptandis, ſedulò des operam.

Viſionis Ezechielis
SIVE
MERCAVÆ EXPOSITIO,
EX
PRINCIPIIS
PHILOSOPHIÆ PYTHAGORICÆ
PRÆCIPUISQUE
Theoſophiæ Judaicæ
RELIQUIIS
CONCINNATA,

Mirâque, cum locis quibuſdam S. Scripturæ hactenus obſcuris, luculentâque congruitate conſolidata.

Per *Henricum Morum* CANTABRIGIENSEM.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

IN
Viſionem Ezechielis
EX
TEXTU HEBRAICO
Brevis & Fidelis
PARAPHRASIS.

Caput I. Verſ. 1.

ET factum eſt triceſimo anno, quartóq; menſe ac quintâ menſis die, quum eſſem in medio tranſmigrationis juxta fluvium Chebar, *aperti ſunt cœli & vidi viſiones Dei.*

2. *Quintâ, inquam, menſis, (ipſe eſt annus quintus tranſmigrationis Regis* Joachin)

3. *Factum eſt verbum* Jehovæ *ad* Ezechielem *filium* Buzi *ſacerdotem in terra* Chaldæorum, *juxta fluvium* Chebar: *& fuit ſuper eum ibi manus* Jehovæ.

4. *Et vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, nubes magna, & ignis in medio nubis involvens ſe, ſeſéve quaſi captans ſive prenſitans, & ſplendor erat ei per circuitum. Et de medio hujus ſplendoris, de medio ſcilicet ignis, qui hujus ſplendoris centrum ſive medium erat, apparebat veluti aſpectus Electri.*

5. *Et in medio ſplendore ſimilitudo apparuit quatuor Animalium. Hic autem aſpectus eorum, ſimilitudo Hominis erat eis.*

6. *Et quatuor facies unicuique erant, & quatuor alæ unicuique.*

7. *Et pedes eorum pes rectus, & planta pedis eorum veluti planta pedis Vituli, & ſcintillantes tanquam aſpectus æris politi.*

8. *Porrò manus hominis erant ſub alis eorum. Et quaternioni quadrantum eorum erant & Facies & Alæ.*

9. *Aliſque ſuis juncta erant unum ad alterum. Non revertebantur quando ambulabant, unumquodq; contra faciem ſuam gradiebatur.*

10. *Similitudo autem facierum eorum hæc erat: Prima, facies Hominis erat; dein facies Leonis ad dextram Quaternioni ipſorum, ad ſiniſtram verò Quaternioni ipſorum erat facies Bovis; & erat deniq; facies Aquilæ Quaternioni ipſorum.*

11. *Atque ſic quidem poſitæ erant facies ſingulorum præcipuæ. Alarum autem binæ extentæ diſtentæq; erant deſuper unicuique. Binæ verò ad partem ſuam anteriorem unicuiq; junctæ ſive conſociatæ, & binæ deniq; poſteriores corporis partes tegebant.*

12. *Et unumquodque contra faciem ſuam ambulabat, eóve tendebat quò ſpectantem faciem habebat. Quócunque erat Spiritus ut ambularent, ambulabant, non revertebantur quum ambularent.*

13. *Et ſimilitudo Animalium, aſpectúſq; eorum veluti prunarum ignis ardentium, tanquam aſpectus lampadarum; ipſe ignis diſcurrebat inter Animalia, & ſplendor erat ipſi igni, & de igne egrediebatur fulgur.*

14. *Et Animalia ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.*

15. *Quúmque aſpicerem Animalia, apparuit Rota una ſuper terram juxta Animalia cum quaternione facierum ſuarum.*

16. *Aſpectus Rotarum & opus earum tanquam aſpectus lapidis Tharſis, vel quaſi viſio Maris, & ſimilitudo una Quaternioni ipſarum: Aſpectus autem earum & opus earum erat, ac ſi eſſet Rota in medio Rotæ.*

17. *In quaternione quadrantum ſuorum, dum irent Animalia, ibant, non revertebantur quando ambulabant.*

18. *Habebant & ipſæ Canthos eóſq; altos & formidabiles omnéſq; undiq; oculorum plenos.*

19. Quùmque ambularent Animalia, ambulabant pariter & Rotæ juxta ea, & cùm elevarentur Animalia de terra, elevabantur ſimul & Rotæ.

20. Quòcunque ibat Spiritus, illuc, eunte Spiritu, & Rotæ pariter elevabantur ſequentes eum. Spiritus enim Animalis erat in Rotis.

21. Cum euntibus ibant & cum ſtantibus ſtabant, & cum elevatis à terra pariter elevabantur & Rotæ ſecundùm ea, quia Spiritus Animalis erat in Rotis.

22. Et ſimilitudo, ſuper capita Animalium, erat Firmamenti, tanquam aſpectus cryſtalli terribilis, expanſa ſuper capita eorum ſuperné.

23. Sub Firmamento autem alæ eorum erant erectæ quidem unicuiq; binæ ad utrinque * proximam, altera utique ad unam, altera ad alteram; binis autem unumquodq; tegebat ſeipſum, nempe partes corporis anteriores, & binis denique partes corporis poſteriores unumquodque tegebat.

* אשה אל אחותה

24. Et audivi ſonum alarum ipſorum tanquam ſonum aquarum multarum, & tanquam ſonum Omnipotentis, quando ambulabant; vocem, inquam, audivi loquelæ, tanquam vocem caſtrorum. Quando autem ſtabant, demittebant alas ſuas.

25. Nam quum fieret vox ſuper Firmamentum quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.

26. Et ſuper Firmamentum quod erat ſuper caput eorum, erat ad Sapphiri gemmæ ſimilitudinem figura Throni, & ſupra figuram Throni, ſimilitudo tanquam aſpectûs Hominis ſuper eum ſuperné.

27. Et vidi quaſi ſpeciem Chaſmal, & tanquam aſpectum Ignis ab aſpectu lumborum ejus & ſuprà, & ab aſpectu lumborum ejus & infrà, pervadentis & circumjacentis. Vidique tanquam ſpeciem Ignis cui ſplendor erat per circuitum.

28. Velut aſpectus arcûs qui fit in nube in die pluviæ, ſic erat aſpectus ſplendoris per circuitum. Hæc erat viſio ſimilitudinis gloriæ Jehovæ, & vidi & cecidi ſuper faciem meam, & audivi vocem loquentis.

CAPUT X. verſ. 2.

Et dixit ad virum indutum lineis, Ingredere in medium Rotarum ſub Cherubim, & imple manus tuas prunis ignis de medio Cherubim.

7. Et miſit Cherub manum ſuam de medio Cherubim ad ignem qui erat inter Cherubim, & ſumpſit poſuitque in volas induti lineis.

9. Et vidi & ecce quatuor Rotæ juxta Cherubim; Rota una erat juxta Cherub unum, & Rota altera juxta Cherub alterum.

11. Quum ambulabant, in Quaternione Quadrantum ſuorum ambulabant, non revertebantur dum ambularent, ſed ad locum ad quem ſe convertebat * Caput, eò ibant, nec revertebantur dum ambularent.

* הרוש

12. Et omnis caro earum & dorſa earum & manus earum & alæ earum atque Rotæ plena erant oculis per circuitum quaternioni ipſarum Rotarum.

13. Ipſis autem Rotis acclamatum eſt, O rota, in auribus meis.

14. Et quatuor facies erant unicuique ſive Cherubo ſive Rotæ: * Facies primi, facies Cherub, & Facies ſecundi facies Hominis; & tertio erat Facies Leonis, & quarto Facies Aquilæ.

* פני אחד

15. Et elevati ſunt Cherubim. Hoc eſt Animal quod vidi in flumine Chebar: & v.

20. Hoc eſt Animal quod videram ſub Deo Iſraelis in flumine Chebar, & cognovi quòd Cherubim eſſent.

EXPLI-


V
V
Z
Z
T
T
C
M

EXPLICATIO TABULÆ VISIONIS EZECHIELIS

Primo potiſſimùm Capite deſcriptæ.

In hac Explicatione Tabulæ Viſionis *Ezechielis*, *capite* primo *Ezechielis* deſcriptæ, non tantùm quid ſingulæ Figuræ in Tabula contentæ denotent, indigitabimus, ſed ſingularum figurandarum, præſertim ubi à vulgaribus Tabulis deviant, rationem reddemus, aut ab ipſo Viſionis textu aut aliunde deductam.

Eſto igitur S. S. plaga ſeptentrionalis unde venit Turbo, *v.* 4. M. M. plaga Meridionalis, & P. propheta *Ezechiel* prope ripam Fluminis *Chebar*, cum facie versùs Septentrionem obverſa.

C. centrum Turbinis igneum, Solis inſtar, in orbem volutum. Sic enim innuit illa in Textu locutio אש מתלקחת, ignis involvens ſe, vel captans ſe. Ità enim partes inſequentes corporis circumvoluti facere videntur, captare utiq; & occupare conari antecedentes. Reliquum ſpacium S. ξ ξ à parte Occidentali circa Centrum C, eſt materia turbinis à nebuloſa ſua conſiſtentia ad Diaphaneitatem ſive pelluciditatem reducti & ſplendore centri ignei undiq; illuſtrati, quò figuræ Animalium & Rotarum aliarúmq; rerum clariùs & diſtinctiùs depingantur.

ζ ſpecies Electri.

D. E. F. G. quatuor Animalia quatuor facies præcipuas ſive capita potiùs habentia: quemadmodum planè innuitur, *v.* 11.* Et facies eorum & alæ eorum פרודות diviſæ deſuper. Alæ verò uniuſcujuſq; dividuntur à ſe invicem, ut in ſummitate conjungantur cum alis proximis proximorum utrinq; Cherubinorum, & ut volantis præ ſe ſpeciem ferant.

E. eſt Animal cum principali ſuo capite, humano nempe versùs Meridiem ſito; D. cum principali capite Leonino ſcilicet versùs Ortum; F. cum Bovino versùs Occaſum; & G. cum Aquilino versùs Septentrionem. Habuiſſe autem unumquodq; Animal unam ſpecialem faciem indè videtur innoteſcere:

Primò, quòd, poſtquam expreſsè dixiſſet, *v.* 6. unicuiq; eſſe quatuor facies ut & quatuor alas, verſu tamen octavo iterum monet, quatuor hæc Animalia habere facies & alas. Ubi nè inanis fiat tautologia, valdè probabile puto verſu hoc octavo innui, quanquam ſingula Animalia eaſdem quodammodo quaternas habeant facies, unam tamen aliquam è quaternis eſſe ſingulis quaſi peculiarem ac principalem, & præter ſuprà dictas quaternas alas, quæ tegunt corpus, binas inſuper habere ſingula quibus volent: De quibus alis intelligitur verſus nonus, Juncta erant Animalia unum ad alterum alis ſuis, nempe ſummitatibus ſingularum in ſublime extenſarum, quippe alarum proximi utrinq; proximas ſummitates contingentibus, ut videre eſt in Tabula.

Deinde, quòd de faciebus ſic agit verſus decimus, ac ſi uno halitu monere nos velit ſingula Animalia & quaternas diſtinctas habere facies, & unam aliquam è quaternis ſpecialem vel principalem ſimul. Nam ſi dextram & ſiniſtram Philoſophicè & Geographicè ſumamus, facilè quidem ex hoc verſu intelligimus quatuor Animalibus, nempe ſingulis ipſorum, faciem fuiſſe humanam ad Meridiem, Leoninam ad Ortum, Bovinam ad Occaſum & Aquilinam ad Septentrionem, nec ſpeciales facies eâ ratione notari. Dum verò Propheta, (quod maximè credibile eſt) ſuam dextram ſiniſtrámq; reſpicit, neceſſe eſt, ut principales tantùm ſingulorum Animalium facies recenſeat, ſitúq; deſcribat; Eam nempe *ſibi* obverſam & ad Meridiem ſpectantem eſſe humanam ſive hominiformem; útq; unicam ſic ſibi obverſam memoret. Quod optimè noſtræ Hypotheſi quadrat, factæq; in Tabula Delineationi. Alioqui ſi duo Animalia ſtetiſſent in eadem linea vel Circulo Verticali Meridianum ad angulos rectos ſecante, duæ facies humanæ æqualiter Prophetæ ſe obtuliſſent. Ut verò unica humana facies Prophetæ directò obvertitur, ità nec plures unâ Leoninâ, ſpeciali hoc ſenſu poſſunt eſſe ad dextram, unâve Bovinâ ad ſiniſtram. Et verò Aquilina unica è diametro dictæ Humanæ oppoſita facilè intelligitur in quarto Animali. Ità certè contingit in hac noſtra

* Vulg. Lat.

noſtra Animalium poſitione ſupponendo, Prophetam propriam ſuam dextram ſiniſtrámq; reſpicere. Quod & hanc noſtram Poſitionem, & facierum ſingulorum Animalium Specialitatem ſimul confirmat. Nec quicquam obeſt quod *v.* 10. toties addatur [* *ipſis quatuor,*] quaſi ad ſingula è quatuor Animalibus iſtum totidem facierum ſitum neceſſariò referre deberemus. * *Vatabl.* Eſt enim vox Hebraica, לארבעתן, ubi ארבעה ut in verſu octavo, על ארבעת רבעיהם ſubſtantivum planè videtur, idémq; ſignificare quod Quaternio Latinè, & referri ad ארבעת חיות, *verſ.* 5. ad Quaternionem Animalium cum quaternis capitibus apparentium. Adeò ut hic genuinus ſenſus eſſe poſſit verſûs decimi. Facies hominis, & facies Leonis ad dextram Quaternioni ipſorum, facies autem Bovis ad ſiniſtram Quaternioni ipſorum, & facies Aquilæ Quaternioni ipſorum, deſcribendo utiq; ſitum ſpecialium facierum Quaternionis Animalium, non quaternarum facierum ſitum ſingulorum. Quod & neceſſariò innuit has quatuor facies ſpeciali modo ad ſingula ſingulas eo ſitu ac ordine, quo deſcripſimus, non autem omnes ad ſingula hìc referri; nempe ſi, לארבעתן non [*ipſis quatuor*] ſed quaternioni ipſorum exponamus.

Porrò, ex eo quòd Propheta nunc duas alas tegentes corpus, nunc quatuor videtur notare, id noſtræ Animalium poſitioni valdè conſentaneum eſt. Nam in Animalibus ad Ortum & Occaſum ſitis, cùm latera ipſorum ipſi obverterentur, alas & anteriorem & poſteriorem corporis partem tegentes conſpiciebat, in Animalibus verò ad Meridiem & Aquilonem ſolas alterutram partem tegentes.

Præterea, apta miniméq; coacta alarum extenſarum mutuóq; contactu in ſummitatibus uniuſcujuſq; cum ala proximi conjunctarum diſpoſitio hujuſce rei veritatem non mediocriter arguit. Omnes enim Interpretes uno ore profitentur, extenſas Animalium alas, proximi alarum ſummitatibus ubiq; conjungi. Quod impoſſibile eſt ubi Animalia collocantur omnia in una linea, ut in quibuſdam Tabulis fit: Itáq; fieri oportere ſubinſinuare videtur **Ezechiel**, cap. 10. v. 9. ***Et ecce quatuor rotæ juxta Cherubim, Rota una juxta Cherub unum, & Rota altera juxta Cherub alterum,*** &c. Hinc quidam Cherub & Rotam alternatim in una linea depingunt, atq; ità omnem formam Quadrigæ in hac viſione planè obliterant. Ego verò formam Quadrigæ in prima Viſione ſatis accuratè retineri nullus dubito; Ordinem verò in hac altera ſubitò mutatum; nec temerè quidem factum eſſe, ſed ut indè intelligamus Rotas Animalibus ſingulas ſingulis appropriari, quæ non levis momenti res eſt in explicanda Viſione. Ut verò in hac poſitione omnium alarum conjunctio ſupernè impoſſibilis eſt, ità & valdè coacta & diſtorta, ſi ponantur Animalia, non quidem in decuſſatis lineis, (quod nos factum oportere contendimus) ſed in lineis Meridianum rectè ſecantibus ac parallelis, quemadmodum ſuprà deſcripſimus. Neq; enim futura eſt illa conjunctarum alarum ſimilitudo & concinnitas.

Denique, quod ingens pondus præcedentibus addit: Quatuor hæc Animalia quanquam quaternas facies habentia, dicuntur tamen (*Apoc.* 4. *v.* 6, 7.) unum ſimile Leoni, alterum Bovi, tertium Homini, & quartum Aquilæ. Quod planè indicat Animalia hæc **Ezechielis**, quamvis quaternas dicantur habere facies, unam tamen aliquam è quatuor ſingulis eſſe peculiarem. Vide etiam annon huc faciant quæ occurrunt **Ezechiel.** cap. 10. v. 9. & 14. Peculiares autem facies ſic ſitas eſſe quemadmodum nos deſcripſimus, *Iſraelitarum* Caſtrametatio ulteriorem addit fidem. Quippe qui per ternas Tribus in quatuor tantùm vexilla diſtributi, in vexillo ad Orientem Leonis ſignum præferebant, ad Occidentem **Bovis**, ad Meridiem **Hominis** & ad Septentrionem **Aquilæ**. Hæc vexillorum Signa erant ut tradunt *Hebræi* & ad iſtas Mundi plagas ſita ſingula ad ſingulas, quò major fiat cum hac noſtra Animalium poſitione conſenſus, qui unicam principalem Animalis faciem in unam Mundi plagam obverſam contendimus; ut unici vexilli fit mentio in ſingulis plagis apud *Moſen*, **Num.** cap. 2. *v.* 2, 3.

H. H. H. H. ſummitates alarum ſingulorum Animalium cum ſummitatibus utrinq; proximi conjunctarum.

I. I. I. I. Alæ quaternæ ſingulorum Animalium contegentes corpora, ut ſingula ſenas habere poſſint alas quemadmodum fit in quatuor Animalibus Apocalypticis, ***cap.*** 4. & in Seraphinis ab *Eſaia* viſis. Habere autem quatuor alas tegentes corpus expreſſè dicuntur in hac viſione, *v.* 11. Unicuiq; duæ alæ junctæ & complicatæ לאיש (nam ל, niſi ſit Ellipſis, ἀπὸ κοινοῦ repetendum eſt) in gratiam Animalis vel προσώπου illius, quod propriè anteriorem partem ſpectat, & duæ tegebant corpora. Vox Hebraica eſt גויה idem quod גו, quod ſæpiùs tergum, partem corporis poſteriorem ſignificat. Verſus autem hic undecimus & verſus viceſimus tertius mutuò ſibi lucem afferunt, quippe *v.* 23. ſex alæ planè enumerantur; Duæ erectæ & ſummitatibus cum alis utrinq; proximi junctæ, duæ tegentes ſe, nempe anteriorem corporis faciem ſive partem, (quaſi ea pars modo præcipuo perſona eſſet cujuſque, qua oculis & imaginationi præſens abſénſq; repræſentatur) & duæ deniq; tegentes גויה partem corporis poſteriorem.

In ipſa *Viſionis Expoſitione* quaternas tantùm Animalium alas noto. Hæc verò ſenarum Alarum nova mea obſervatio nihil neceſſe eſt ut quicquam innovet in *Expoſitione*; niſi fortè quis illîc jam dictis addendam inſuper putaverit Reverentiæ Divinæ Majeſtatis, ob quam minùs honeſtæ partes contegantur, ſignificationem.

K K. K. K. Aſpectus Lampadarum, diſcurrénſq; Ignis & fulgur.

B. B. B. B. Plantæ pedum vitulinæ.

L. Rota illa una in terra vel contingens terram juxta Animalia.

N. N. N. N. Aſpectus opúſq; Rotarum ac ſi eſſet האופן בתוך האופן, Rota in medio Rotæ. Quod Rotarum numerum aliarum aliis involutarum (quaſi binæ duntaxat eſſent altera alteri implexæ, ſéq; invicem ſecantes ad angulos rectos ut duo coluri in globo) non ſignificat, ſed modum fabricæ ſingularum Rotarum, nempe concinnatas eſſe è multis Rotis ſic diſpoſitis ut ſit Rota intra Rotam, majoréſq; minores comprehendant. Quis verò ſit numerus Rotarum ex quibus ſingulæ Rotæ conſiſterent, ex numero capitum ſingulorum Animalium facile erit conjectare. Debere ſcilicet quatuor eſſe, ut quaternis Animalium Capitibus reſpondere poſſint. Modiolus verò ſingularum Rotarum cur in tribus *Soliformis* ſit, in quarta verò *Terræ* ſpeciem referat, intelligendum eſt ex *Expoſitione Viſionis.*

O. O. O. O. Altitudo dorſorum Canthorúmve Rotarum horribilis.

Q. Q. Q. Q. Quatuor facies Rotarum, manus etiam, alæ atq; oculi ex verſu decimo octavo primi Capitis, & ex verſibus duodecimo, decimo tertio & decimo quarto Capitis decimi intelligendi.

R. R. Firmamentum cryſtallinum ſuper capita Ánimalium versùs quod Alæ ſint extenſæ.

T. T. Thronus Sapphirinus ſuper Firmamentum collocatus.

U. U. Similitudo Hominis Throno impoſita.

X. X. Electrum.

Y. Y. Ignis cui domus eſt circa Electrum & ad hominem Throno impoſitum pertinens.

Z. Z. Aſpectus Ignis alter, ad quem maximè propriè ſpectat ſplendor & Iris.

A. A. A. Iris ſive Arcus cœleſtis integro circulo, quo Halonem ſive Coronam potiùs referat.

Ex his particularibus indicationibus intelligere licet quouſq; ſe extendat hujus Tabulæ generalis perfectio. Cæterùm non abs re fore autumo, illius etiam notare imperfectiones. Cujuſmodi eſt omiſſio deſcriptionis ſcintillationum pedum Animalium, *v.* 7. Omiſſio prunarum ignis ardentium, diſcurſûſq; Ignis & coruſcationis, *v.* 13. Item aſpectûs lapidis *Tharſis*, v. 16. Omiſſio Firmamenti tanquam aſpectûs Cryſtalli terribilis ſuper Capita Animalium, *v.* 22. Hæc autem omnia omiſſa ſunt aut quòd omninò non poſſent aut ſaltem non commodè exprimi, rectiùs mente aut imaginatione Lectoris concipienda; perinde atq; Voces. Quis enim pingere poteſt ſonos, *cap.* 1. *v.* 24, 25. & *cap.* 10. *v.* 13.



Et cùm averſæ Animalis partes & obverſæ ſimul conſpici non poſſunt, Animal Aquilinum G. ſive cujus caput principale eſt Aquila, ſeorſim ſic pingendum curavi ac ſi oculus ſpectatoris poneretur non quidem ab *Auſtrali* parte ut oculus Prophetæ, ſed à *Septentrionali*; ut quæ Prophetæ averſæ partes erant ſive poſticæ, obverſæ hîc fiant ſive anticæ contemplanti. Ut taceam partes inferiores, interpoſitu Animalis ſive Cherubi E. abſconditas in Tabula generali, heîc ſpectatoris oculo pleniùs exponi. Oculos autem qui in Tabula generali omiſſi erant in Cherubinis ob Figurarum parvitatem, in hoc exemplo reſtituendos curavi per totum corpus Aláſq; diſperſos, quippe qui non dubito quin ſic depingendi ſint in hac Viſione, tum quòd Rotarum & Caro & Dorſa & Manus & Alæ oculis plenæ dicuntur, *Cap.* 10. *v.* 12. & Rotæ ac Cherubini, unam eandémq; rem ſignificant; tum præterea quòd hic Verſus 12. de Cherubinis perinde atq; Rotis exponi poteſt, quemadmodum & verſus 14. tum deniq; quòd quatuor Animalia Apocalyptica dicuntur & corpora & Alas oculis plenas habere, *Apoc.* 4. quæ proculdubio eadem ſunt Animalia quæ hæc Animalia *Ezechielis*. Cùm verò in ſingulis Rotis in Tabula generali Manus & Dorſa & Alæ tam plenè commodéq; pingi non poſſent, exemplum hîc addidi unius Rotæ ſic depictæ ut ex ea reliquas facilè intelligas. Quamobrem ſi ſuprà notatas Omiſſiones mente imaginationéve ſuppleveris, & hæc duo Exempla ſingularis heîc depictæ Rotæ ac Cherubi ad pleniorem diſtinctioremq; intelligentiam omnium Rotarum & Cherubinorum adhibeas, omne id quod externis ſenſibus *Ezechiel* perceperit, facili negotio ipſe deprehendes.

Hæc igitur eſt Tabulæ Viſionis *Ezechielis*, ſenſúſve ejuſdem literalis facillima maximéq; naturalis explicatio. Quis verò ſit ſenſus illius *Theoſophicus*, ex ſubſequenti *Expoſitione* intelligendum eſt.

VISIONIS EZECHIELIS
SIVE
MERCAVÆ
EXPOSITIO,

Ex Principiis Philoſophiæ Pythagoricæ
Præcipuíſq; Theoſophiæ Judaicæ Reliquiis concinnata,

Mirâque, cum locis quibuſdam S. Scripturæ hactenus obſcuris, luculentâque congruitate conſolidata.

PRiuſquam inſtitutam hanc *Viſionis Ezechielis Expoſitionem* aggrediamur, ut meliori methodo majoríque claritate ac firmitudine procedamus, *Poſtulata* quædam, aut antiquæ *Pythagoreorum* Philoſophiæ, à qua non multùm abludit, quantùm ad eas res ad quas nos reſpicimus, *Carteſiana*, aut ſelectioribus Theoſophiæ *Judæorum* Reliquiis, aut deniq; inſignioribus quibuſdam S. *Scripturæ* locis ſatis conſentanea, primo in loco ſunt proponenda.

Poſtulatum I.

In Cabbala *Mercavæ* ſumma contineri, quæ concipi poſſunt, & profundiſſima Myſteria, vulgaríque Philoſopho vix credibilia.

Ad hunc ferè ſenſum paſſim occurrunt, ſi rectè memini, apud R. *Moſen Ægyptium* in *More Nevochim* de profunditate Arcanorum Legis, & Operis *Mercavæ* præſertim, luculenta Teſtimonia. Nec dubito quin ipſe, eruditiſſime *Knorri*, cùm in his ſtudiis verſatiſſimus ſis, quamplurima alia *Cabbaliſtarum* ſuffragia huc adjicere poſſis, ſperóque neminem fore qui ſuper hac re ſit hæſitaturus.

Poſtulatum II.

Omnes Animas tum Angelicas tum Humanas Animámque adeò *Meſſiæ*, in principio cum ipſo Mundo materiali creatas fuiſſe, omnéſque ab eo uſque tempore extitiſſe.

Nihil ferè apud *Cabbaliſtas*, ut præſtantiſſimos tum Patrum Eccleſiæ, tum Philoſophorum Ethnicorum, Pythagoreos & Platonicos præteream, magìs in confeſſo eſt quàm Animarum *Præexiſtentia*, adeò ut hac de re minimè laborare debeamus.

Poſtulatum III.

Totum Mundum materialem in primævo ſuo ſtatu aut *diaphanum* fuiſſe aut *lucidum*, hoc eſt, in Soles, tranſparentéſq; Cœlos, æthereóſve Vortices fuiſſe diſtributum.

Hoc certè conſtare poteſt ex *Cabbala* noſtra *Philoſophica*, in Interpretatione Operis quartæ Diei. Nec permittit brevitas ut eadem hìc repetamus. Res facilè intelligitur è Philoſophia *Carteſiana*. Hoc tantùm obiter noto, cùm & ipſius *Mercavæ* intellectio intellectioni Operis quartæ diei innitatur ab eâve dependeat, minùs mirum videri debere, quòd *Tetractys* tam ſacrum eſſet apud *Pythagoreos* Juramentum.

Poſtulatum IV.

Duo quaſi eſſe præcipua Mundi *materialis* Elementa, *Naturale* alterum, alterum *Divinum*. Prius autem eſſe ſubjectum operationum * *Spiritûs Naturæ* quem *Cabbaliſtæ* * *Sandalphonem* appellant; poſterius *Spiritûs S.* vehiculum, verúmque illud *Manna cœleſte*, quod Cibus Paniſve ſit ſanctarum Animarum ac Angelorum.

Spiritum Naturæ hîc *Sandalphonem* appello tuâ Autoritate adductus. Duo autem hîc ſtatuo quaſi Elementa Mundi *materialis*; non quòd totus Mundus Materialis ex iſtis, tanquam unum perfectè Mixtum, conſiſteret, ut corpus putà terreſtre ex quatuor Elementis; ſed quòd duo talia corpora ſpecificè diſtincta, unum corruptibile & mutabile, alterum prorſus incorruptibile, in univerſo hoc rerum Materialium complexu reperiantur; *Divinúm*que hoc *Elementum*, (ſic, quòd corporeum ſit, appellatum) *Cœleſti* præſertim Materiæ ſeu *Æthereæ*, tanquam ſanctiſſimum quoddam illius condimentum, paſſim ſit interſperſum. Atque Cœlos equidem שמים duali numero, ob hæc duo Principia ſeu Elementa, *Naturale* & *Divinum*, perinde atque propter *Globulos* & *Materiam ſubtiliſſimam* veriſimile eſt nuncupari. Quæ verò me ratio moverit ut hæc duo Elementa ſtatuerem, ex variis locis Scripturæ ſatìs fusè in Scholiis doceo. Quæ nimio tædio hîc eſſet repetere. *Elementũm* autem hoc *Divinum*, in Viſione *Ezechielis* ſive *Mercava*, ſubindicari, ſuo loco notabo.

Poſtulatum V.

Solem in unoquoque Vortice & *Medium* eſſe & *Imum* ſive *Inſimum*; Partes verò à ſole remotiores, *ſublimes* eſſe & extremas.

Hoc facilè admitti poteſt, ſi conſideremus, Motum à Circumferentia versùs Centrum, dici Deſcenſum; à Centro verò ad Circumferentiam, Aſcenſum.

Poſtulatum VI.

In quatuor inæquales partes dividi poſſe Vorticem, quatuórque indè fingi Mundos ſive Orbes, eorúmque ſupremum vocari *Aziluthicum*, alterum *Briathicum*, tertium *Jetzirathicum*, & ultimum denique *Aſiathicum*.

Curioſitatis nimiæ forſan foret, præciſis limitibus hos quatuor Orbes ſeu Mundos circumſcribere, minúſque conſultum nullis indicationibus ipſorum ſpacia determinare. Igitur nè nullam Intervallorum diſtinctionem feciſſe videar plenioris explicationis gratiâ, ſumpto noſtro Vortice, puróque ſuppoſito & ſine Planetis, quorundam tamen interim nominibus Planetarum retentis, extendatur Orbis ſive Mundus *Aziluthicus* à margine Vorticis ad Orbitam *Saturni*, *Briathicus* ab Orbita *Saturni* ad Orbitam *Martis*, *Jetzirathicus* ab Orbita *Martis* ad Orbitam *Mercurii*, *Aſiathicus* ab Orbita *Mercurii* ad corpus *Solis* jam *frigeſcentis*. Duplicem enim *Parmenides* poſuit, & *calidum* & *frigidum*, Solem, qui primò Cometa factus, mox Planeta fit ſeu Terra. In duas verò Regiones dividi poteſt Orbis *Aſiathicus*, in ſuperiorem & inferiorem. Superior à *Mercurio* ad Atmoſphæram extenditur. Inferior Atmoſphæram, ipſúmque corpus *Aſtri frigidi* complectitur.

Poſtulatum VII.

Omnes Animas etiam in Mundo *Aziluthico* corporeis aliquibus vehiculis indutas fuiſſe.

Hoc certè valdè conſentaneum eſt, alioqui, ſi omni corporeitate caruiſſent, haud videtur adeò veriſimile quòd ſtatus earum mutari potuiſſet. Præterea *Meſſias* Animarum omnium bonarum Paſtor, eas dicitur ſalvaturus *εἰς τὸ παντελὲς*, hoc eſt, *modo quàm perfectiſſimo*, Hebr. 7. 25. Quæ tamen ſalus conſiſtit in recuperatione corporis ſpiritualis & glorificati, veréque Paradiſiaci, cujus locus eſt in Mundo *Aziluthico*, ſuperioris nempe præſertim Paradiſi. Nulla igitur major fœlicitas Animæ competit, quoad ſpeciem, quàm ut habeat vehiculum ſive corpus cœleſte, ſpirituale & glorioſum. Huc poſtremò adjici poteſt Dictum illud *Cabbaliſticum*, Nullam virtutem Divinam deſcendere ſine Indumento.

Poſtulatum VIII.

Eſſe *Revolutionem* Animarum humanarum per omnes Mundos, *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jetzirathicum*, & *Aſiathicum*, aut ſuâ culpâ aut Divino Fato profectam.

Hinc Animarum *Revolutionem* quadruplicem omninò eſſe conſtat, ſingulaſque *Revolutiones* eſſe certas quaſdam in ſingulis illis Mundis ab introitu ad exitum moras. Hîc verò notatu dignum eſt *Fatales Revolutiones* vitaléſve Periodos ex Eſſentiali charactere Animarum exortas, immane quantum inter ſe differre. Quod præſertim intelligendum eſt de Revolutione *Aziluthica* & *Briathica*. Eſſe verò Animarum *Revolutionem*, in confeſſo eſt apud *Cabbaliſtas*, qui & גלגול animarum eam appellant.

Poſtulatum

Poſtulatum IX.

Angelicarum Animarum ***Revolutionem***, quanquam ad ***Terreſtrem*** Regionem propriè dictam haud pertingit, ad ſuperiorem tamen partem Mundi ***Aſiathici*** & ***Atmaſphæram*** extendi.

Hoc enim videtur eſſe diſcriminis inter Animam ***Angelicam*** & ***Humanam***, quòd Humana carnem terreſtrem induere poſſit, Angelica verò nequaquam. Cui fortaſſe affine eſt illud R. ***Moſis Cordueri***, ***Vehiculum Angeli melius eſſe humano***, ***Animam verò hominis meliorem Angelicâ.*** Quod certè ſi ponatur ſenſu paulò uberiori, nempe quòd Anima humana ex ſua natura Divinitati aliquanto addictior ſit quàm Angelica, Angelicum verò vehiculum aliquanto opulentius, & quod ad ſuas delicias promptiùs alliciat Animam Angelicam, quàm humanum humanam Animam ad ſuas; hinc cauſa deduci poſſit cur Angeli priùs lapſi ſint quàm Animæ humanæ, priúſque in Mundum ***Jetzirathicum*** diſceſſerint, quàm illæ. Nullum enim ferè apparebat diſcrimen inter Angelos & Homines in Mundo ***Aziluthico*** & ***Briathico***, nec ullum erat peccatum in illis Mundis Statibúſve reperiri, cùm in utriſque retineretur immaculata Innocentia, quemadmodum in ***Cabbala Philoſophica*** inſinuavi. Aliqui verò ex Ordinibus Angelicis ſuâ culpâ non Divino Fato in Mundum ***Jetzirathicum*** prorumpentes, tentârunt poſtea Animas ***Briathicas***; Quæ quidem hic latiùs deducendi non eſt locus. Nec tamen niſi parciùs & compendioſiùs hiſce de rebus egimus in ***Cabbala Philoſophica***, in Geneſeos Cap. 2. & 3.

Poſtulatum X.

Animas, quæ non ſuâ quidem culpâ, προῤῥυΐα laborant, ſed ***Divino*** quodam ***Fato*** in Mundum ***Aſiathicum*** delabuntur, Divinâ quâdam vi munitas ac agitatas tutò certóque in Mundum ***Aziluthicum*** reverti.

Hæc enim Vaſa ſunt electa, quæ Divinâ virtute fideliter adjuta, nullæ ullius Mundi aut res adverſæ aut illecebræ perfringere poſſunt aut emollire flectere've in vitium. ***Agrippa*** alicubi, ni malè memini, appellat ***Heroas***.

Poſtulatum XI.

In Mundo ***Aziluthico*** Animas tum Humanas tum Angelicas ***Divino*** Amori, ***Diviniſ***que ac ſublimibus ſpeculationibus, neglectâ ferè ac vix perceptâ adhuc vitâ ***naturalis*** vehiculi, totas fuiſſe intentas.

Quem quidem Animarum ſtatum in hoc Mundo ipſum nomen innuit. Nam & ipſe agnoſcis vocem אצילות alludere ad vocem אצל quæ denotat rem propinquam. Hic igitur omnes animas cum ***Davide*** dixiſſe, Ἀγαθὸν μοι προσκολλᾶσθαι τῷ Θεῷ, ***Bonum eſt mihi adhærere & quaſi agglutinari Deo***; hoc eſt, arctiſſimam cum illo unitatem ſervare, ſpretis neglectíſque rebus omnibus externis. Tanto amore erga Deum ſolum incenduntur Divinámque contemplationem Animæ in ſtatu ***Aziluthico.*** Unde hic locus Mundúſve, ob amorem hunc igneum & Seraphicum, utì & ob igneam vivaciſſimámque naturam cœleſtis materiæ ibi locorum, (quod & ex celeri Cometarum trajectione deprehenditur) haud ineptè ***Cœlum Empyreum***, (quæ ſuprema Beatorum ſedes cenſetur) appellari poteſt. Compara hunc ſtatum cum ſtatu ***Adami*** ante ***Evam*** è coſta ejus factam, ***Cabb. Philoſoph. cap.*** 2. ***v.*** 8. Ubi ***Adamus*** in ***Divinum*** Intellectum, Solem illum Juſtitiæ, (quemadmodum & ipſe ***Philo*** eum appellat ***Solem***) quaſi ***Aquilinis*** oculis perpetuo obtutu defigitur.

Poſtulatum XII.

In Mundo autem ***Briathico*** Animas intenſiſſimum illud rerum ***Divinarum*** ſtudium, internæque Contemplationis ardorem paululùm relaxâſſe & ***foras*** quaſi proſpexiſſe, nempe in Mundum externum ***Materialem***, & attendiſſe aliquantulum vitæ ac motibus vehiculi ***naturalis***, Societates ***politicas*** inſtituiſſe, & humanitatem interim ac charitatem ſincerámq; Amicitiam inter ſe coluiſſe.

Atque hunc quidem Animarum ſtatum vel ipſum nomen iterum denotat, quemadmodum & ipſe innuis, quaſi בריאה diceretur cum alluſione ad בְּרָא vel בר foris, extrá. Hic enim notatum eſt extrà proſpectare animas in hoc ſtatu, Societates inire ***Politicas*** & de rebus agundis conſilia capere, ſed ſumma interim cum benignitate & innocentia.

nocentia. Compara hunc ſtatum cum ſtatu *Adami* poſt *Evam* è coſta ejus factam, & ante lapſum, *Cabb. Philoſ. cap.* 2. à *v.* 18. ad finem capitis. Non incommodè autem hîc accidit quòd Mundus hic *Briathicus* cœlum occupet *Saturni* & *Jovis*, qui *Conſilii*, apud Aſtrologos, & *Benignitatis* ſunt Indices. Intereà loci non abs re fore cenſeo hîc monere, cùm huc res rediiſſet, tempus tunc fuiſſe in quo Deus tranſegit cum Anima *Meſſiæ* de Paſſione ejus & Redemptione Mundi. Nam proximè res tunc aberant à vero lapſu. Et memoratur præterea in *Peſikta* quòd Deus è *Throno* gloriæ animam *Meſſiæ* proferens rogabat an vellet Populum redimere & pro eis pati. Notum verò eſt apud Cabbaliſtas *Thronum* & *Briam* idem ſignificare.

Poſtulatum XIII.

Animam *Meſſiæ* in Mundo *Aziluthico* tantum profeciſſe & tam arcto amore ac unione cum *Divino Intellectu* ſive *æterno Logo* coaluiſſe, ut tandem ſummo planè gradu *Aziluthico* vel potiùs *Hyperaziluthico*, & ſi Scholaſticè loqui liceat *Hypoſtatico* cum eo unitus eſſet, adeò ut Anima *Meſſiæ* & Divinus *Logos* una fieret פרצוף, i. e. una perſona (ut Anima & corpus unus Homo) quæ rectè appellanda eſſet *Filius Dei*.

Filium Dei nomen eſſe *Meſſiæ* notiſſimum eſt. Nec tamen pigebit huc aſcribere quod occurrit apud R. *Moſen Corduerum*, nempe, In quantum homo appropinquat conditori ſuo, in tantum ipſi affundi de Spiritu [*Ruach*,] & prout magis dignum ſe præbet, ſic *Neſchamah* quoque ipſi affluere; & ſi ad ultimam ἀκμὴν perducat cultum ſuum, derivari in eum *Neſchamah Aziluthicam*, ità ut appellari queat *Filius Sanctiſſimi*. Et in *Emek Hammelech* memini occurrere diſtinctionem inter *ſervum Dei* & *Filium Dei*, ex hujuſmodi rationibus. Sed hîc Anima *Meſſiæ* adhuc aliquid magis ſingulare habet quoad nexum ſuum cum æterno *Logo* ſummè *Aziluthicum*, vel ut rectiùs dicam, *Ineffabilem*, ſicut dicitur in Apocalypſi, *c.* 19. *v.* 12. *Nomen illi inſcriptum eſſe quod nemo novit præter ſeipſum.* Interea tamen minimè prætereundum cenſui, cùm *Judæi* decem Perſonas in Divinitate, (quarum tamen ſeptem fictitiæ ſunt) agnoſcant, fruſtrà adversùs nos cavillari, qui tres profitemur; & cùm illi hunc vel illum Patriarcham cum hac vel illa perſona unitum aſſerant, unionem Animæ Meſſiæ cum Perſona *Cochmah*, ſive *æterno Logo*, inſcitè ac immeritò negare.

Poſtulatum XIV.

Animam *Meſſiæ* ſic cum æterno *Logo* unitam, à Deo Patre Principem fuiſſe conſtitutum omnium Animarum in quocunque ſtatu poſitarum, Regem utique factum eſſe quatuor *Orbium* ſeu *Mundorum*, *Aziluthici*, *Briathici*, *Jetzirathici* & *Aſiathici*.

Hoc Decretum factum eſt ſub initium Regni Mundíve *Briathici* ad pactionem de redimendo Populo per mortem ſuam; quo quidem tempore in maximè expreſſam declaratámque cum æterno Logo unionem aſſumptus eſt. Atque hæc eſt inſignis illa gloria quam obtinebat *Meſſias* ante jacta Mundi Fundamenta, & quæ ad illum ſpectabat quatenus erat *Meſſias*. Unde intelligendus eſt locus iſte Johannis, *cap.* 17. 5. *Glorifica me tu Pater, eâ gloriâ quam apud te habui antequam hic mundus factus eſſet.* Πρὸ τοῦ ὄρη γεννηθῆναι καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν καὶ τὴν οἰκουμένην, hoc eſt, *ante Mundum hunc* Aſiathicum. Nam ab iſtis uſque temporibus agnitus eſt *Meſſias* Filius Dei unigenitus, quatuórque Mundorum Rex, cui omnis jam olim data eſt poteſtas in cœlo atque in terris, ſed denuò manifeſtata & declarata poſt Reſurrectionem. Hinc etiam loci illius obſcuriſſimi, *Philip. c.* 2. *v.* 6, 7, 8. facilis eſt Explicatio. Hîc enim Anima *Meſſiæ* nexu ſummè *Aziluthico* vel ſi mavis *Hypoſtatico* cum æterno *Logo* unita, & una פרצוף cum eo facta, adeóque unus verúſque Deus quatuórque Mundorum Princeps vel Rex, non Homo tamen ſolummodo fit, ſed & ſervus. Qui cùm eſſet in forma Dei non duxit rapinam parem eſſe cum Deo, ſed ipſe ſe exinanivit, formâ ſervi acceptâ, ſimilis hominibus factus, *&c.* De tam matura verò Inauguratione Animæ *Meſſiæ* in hunc glorioſum Principatum ſive *Dinarchatum* quo totius ſui vorticis factus ſit Princeps, illud *Pſalm.* 72. prout interpretati ſunt Septuaginta, illuſtre videtur Teſtimonium, *v.* 5. Καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ καὶ πρὸ τῆς σελήνης. Ubi *Hamondus* noſter vir pius & doctus Septuaginta ויארוך pro ייראוך legiſſe, & rectè quidem opinor, conjectat. Unde ſic optimè verti potuit, Καὶ συμπαρέμεινε τῷ ἡλίῳ καὶ πρὸ τῆς σελήνης. Et duravit nempe *Meſſias*, in *Dinarchatu* ſuo σὺν τῷ ἡλίῳ, donec *Sol* ſui vorticis in *Aſtrum frigidum* eſſet converſus; & quanquam ſimul cum Sole condito non inceperit Regnum ejus, incepit tamen & duravit πρὸ τῆς σελήνης *ante Lunam*, tanquam *Mercurium* aliquem, circa Solem ſui vorticis circumgyrantem, vel antequam converſa eſſet in corpus opacum ac frigidum. Quod indicio eſt à primis uſque ſeculis regnum *Meſſiæ* incepiſſe, & דור דורים retro numerando ferè attigiſſe, hoc eſt, Seculum *Aziluthicum.* Atque hæc de *Duratione* Regni *Meſſiæ* à parte *antè*, de qua plura in *Catechiſmo Cabbaliſtico* dicentur, ut de duratione à parte *pòſt*, in *Jeſod.*

Poſtulatum XV.

Animam *Meſſiæ*, ſtatim atque Princeps quatuor Mundorum conſtitutus eſſet, pactúmque Crucis pepigiſſet cum Patre, poteſtatem habuiſſe confirmandi Animas etiam Angelicas perinde atque humanas in ſtatu ſuo *Aziluthico* vel *Briathico.*

Eò uſque ſcilicet ut nihil incommodi ipſis accideret præter *Naturam* prætérque *Fatum.* Atque huc ſanè ſpectare videtur inſignis ille locus Pauli ad *Coloſſenſes*, cap. 1. v. 19. *Quoniam libuit Patri ut omnis plenitudo in eo inhabitaret; & ut pace per ſanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliaret omnia ſibi, per eum inquam, tum quæ in terris tum quæ in cœlis.* Sed pergimus ad duos reliquos Mundos.

Poſtulatum XVI.

Animas Angelicas in Mundum *Jetzirathicum*, præ nimia vehiculi naturalis vivacitate ac laſcivia primas prorupiſſe, nec Innocentiam ampliùs retinuiſſe, ſed *Iraſcibili* & *Concupiſcibili*, effræni modo indulſiſſe.

In mundo quidem *Briathico* ſive Cœlo *Saturni* & *Jovis* Animæ tum humanæ tum Angelicæ cautè & circumſpectè, & ſenili quaſi quodam cum conſilio, at cum ſummo interim candore ac benignitate omnia peragebant. Lapſis verò Animabus Angelicis in Mundum *Jetzirathicum*, τὸ λεοντῶδες ϗ̀ θηριῶδες, ut loquitur *Plotinus*, *Natura Leonina & Belluina*, vel, ſi malles, *Iraſcibile* & *Concupiſcibile* mirum in modum exæſtuabant, acſi major illarum ad ſolem appropinquatio naturalia vehicula fortiùs everberaret & irritaret, nec temerè hic Mundus, *Martis* ac *Veneris* Cœlum appellaretur. Hîc enim *Iraſcibili* & *Concupiſcibili* lora effuſiſſimè relaxabant, maliſque Cogitationibus & Inclinationibus nequiter indulgebant. Unde fortè in nomine יצירה ad יצר הרע alluditur. Inter reliqua autem vitia enormis exorta eſt ſuperbia, & imperium militari virtute proferendi indomita libido; adeò ut ſi uſpiam, hîc facta ſit illa latè famigerata aut *Gigantum* aut *Luciferi* pugna ac rebellio. Quam fœliciter tandem compreſſerit Dei filius. Vide *Baruc.* cap. 3. v. 26. *Illîc fuerant Gigantes illi nominati qui principio erant permagni, periti rei militaris*, &c. perpende locum, egregiè enim huc facit. Illîc fuerant *Gigantes*, nempe in magna illa altáque Dei domo, quæ eſt cœlum. *Adami* etiam Tentatio per *Ophoneum*, *Luciferi* Legatum ſeu Oratorem, huc forſan referenda eſt. Et opportunè hîc eſt reminiſcendum, per *Serpentem* ſtylo Prophetico, non unam ſingularem perſonam, ſed corpus Politicum, ut in Apocalypſi, intelligi poſſe. Confer ſtatum Mundi hujus *Jetzirathici* cum ſtatu *Adami* conſilio Serpentis obſecuti, *Cabb. Philoſ. cap.* 3. v. 1. & 6.

Poſtulatum XVII.

Humanas etiam Animas tandem lapſorum Angelorum aſtu ac ſolicitatione circumventas in Mundum *Jetzirathicum* itidem delapſas eſſe.

Hæc eſt אמת ſive nuda declaratio lapsûs *Adami* in Paradiſo *cœleſti*, *Symbolicè* & *Ænigmaticè* in litera deſcripti. Quippe quum lapſus *Adami* in Paradiſo *terreſtri* Figura ſit & Imago lapsûs in *cœleſti.* Ubi unus aliquis homo non intelligitur, nec unus Serpens vel Diabolus, ſed per Propheticam *Henopœiam* ſpecies humana, & corpus Diabolorum ſive Angelorum lapſorum Politicum *Serpente* repræſentatum. Sicut Serpens ſepticeps in *Apocalypſi* exponitur, *Politicè* nempe, per *Henopœiam.* Ad quem ſenſum videtur locutus *Salomon*, Eccleſiaſt. c. 7. 29. Deum feciſſe האדם *Adamum* ſive Hominem rectum, והמה & *ipſos* inquiſiviſſe חשבנות רבים. Ubi חשבנות videtur poni pro יצרים. Quod & magìs Grammaticè ſonat, & huic quidem ſtatui Animarum vel potiùs lapſui *Jetzirathico* conſonantiús.

Poſtulatum XVIII.

Animas humanas pariter ac Angelicas effrænium ſuarum Cupiditatum expletarum ſordibus onuſtas quaſi ac laſſatas in Mundo iſto *Jetzirathico*, in Mundum *Aſiathicum* porrò ſubſediſſe, *Angelicas* quidem uſq; ad *Atmoſphæram* Aſtri frigeſcentis aut jam frigidi, *Humanas* verò etiam in ipſum *Aſtri frigidi* corpus.

Commodè equidem hactenus accidit ut *Regiones* in quibus Mundi ſiti ſunt, apta nomina æquè ac ipſi Mundi, ſint ſortitæ, cùm Mundus *Aziluthicus* Cœlum, à me *Empyreum* vocatum, occupet; *Briathicus*, Cœlum *Saturni* ac *Jovis*; *Jetzirathicus*, *Martis* ac *Veneris*; ubiq; convenienter rebus ipſis ſignificandis. Quod credo aliquo modo videri poſſe hîc contingere, nempe ſi notemus per *Aſiah*, ad מעשה *Opus* vel *opificium* rectè alludi; *Mercurium* verò *Facturis* Technicis & Mechanicis ab Aſtrologis Philologiſq; præfici; *Opificium* verò *Facturáſq*; *Mechanicas* materiam aliquam craſſiorem requirere. Nè addam in ſuperioribus Mundis *Divinâ* quadam *Magiâ* res ferè fieri. Virtutem verò Magicam etiam in ſuperioribus partibus Mundi *Aſiathici* multùm minui, in inferioribus verò extingui prorſus, ſolámq; vigere *Mechanicam*. Nec prætereundum duxi Mundum *Jetzirah* ità fortè appellari non tantùm *morali* ſenſu ob perverſas cogitationes figmentáve *interna*, ſed ob figmenta etiam *externa*, diſtorta & abſona planéq; nova & inaudita, quæ *Rephaim* abuſi virtute *Magicâ* in Mundo *Jetzirathico* produxerint, ſic dicto, inquam, ob inauditas rerum formationes externas, enormes deforméſque, & Divinæ pulchritudinis legibus contrarias. Quâ virtute *Magicâ* cùm tam fœdè abuſi eſſent, minùs mirandum eſt, tandem detrudendos eſſe in ſtatum *Aſiathicum*, ubi *Magia* minùs viget, ſed illius loco tandem ſuccedit Ars *Mechanica* & *Manufacturæ*. Hæc verò nominum Regionum congruitas mihi nihil tale expectanti, poſt diſtinctionem Mundorum iſtis limitibus factam, obſervata eſt. Quam certè negligere religio erat, cùm S. *Johannes* tam præclaro mihi præivit exemplo, qui ſeptem Intervalla Eccleſiæ, ſeptem Civitatum nominibus, ad ſtatum ſingulorum Intervallorum ſignificandum aptis, pulchrè diſtinxit & illuſtravit.

Cæterùm quantùm ad ipſum ſtatum Mundi *Aſiathici*, manifeſtum eſt Animas huc delapſas ſordibúſq; anteactæ vitæ coinquinatas, magìs impuris craſſiſq; veſtiri *Vehiculis*. Nam Regionem inter *Mercurium* & *Solem*, etiam antequam *Sol* incruſtetur maculis, non tam cœleſtem eſſe quàm aeream ipſe agnoſcit *Carteſius*. Quæ proculdubio craſſeſcit magìs Sole corticibus incruſtato. Neceſſéq; eſt Animas huc delapſas magìs ſegnem ac laborioſam vitam agere quàm cùm in ſuperioribus magiſq; puris Cœli Regionibus ſpirabant; in terreſtria verò tandem corpora detruſas, cogi demum hærere quaſi ac laborare in luto. Confer ſtatum hunc *Aſiathicum* cum ſtatu *Adami* lapſi, *Cab. Philoſ.* cap. 3. v. 13, 16, 17, 18, 19. Ubi manifeſtum eſt, *Moſen* totum laborem *Aſiathicum* & *Mechanicum* ſolâ ferè *Agriculturâ* per *Dioriſmum Propheticum* exprimere.

Poſtulatum XIX.

Singulis Mundis Statibúſve Mundos ſingulos Statúſve aliquo modo ineſſe, *Aziluthico Briathicum*, *Jetzirathicum* & *Aſiathicum*; *Briathico Jetzirathicum*, *Aſiathicum* & *Aziluthicum*; *Jetzirathico Aſiathicum*, *Aziluthicum & Briathicum*, &c.

Hoc certè non magìs mirum videri debet *Judæis*, quàm quod apud R. *Moſem Corduerum* occurrit. In *Aziluth* per ſe fieri אביע ſive *Aziluth*, *Briah*, *Jetzirah*, *Aſiah*; quamvìs omnia ſint *Aziluth*. Quanquam & iſtud huic rei tam accuratè fortean non quadrat. Res ipſa nullam in ſe habet difficultatem. Satìs enim conſentaneum eſt, in ſingulis Mundis, quanquam unus certus ſtatus maximè valeat præ reliquis, reliquos tamen ibi eſſe δυνάμει, ſi non ἐνεργείᾳ, aut ἐνεργείᾳ ſaltem remiſſiori, aut in aliquibus ſaltem animabus, ſi non in omnibus.

Plura hîc *Poſtulata* fortè præmiſi quàm quibus opus ſit in *Mercava* explicanda. Sed ſi quædam ſint ad quæ in interpretanda iſta Viſione non ſim recurſurus, ſcias tamen non fruſtrà interſeri, cùm ea ad quæ recurſurus ſum ſuffulciant. Spero autem hæc quæ præmiſi adeò conſona fore *Viſioni*, ut, quemadmodum lucem Viſioni allatura ſunt, ità robur ac firmitudinem ſibi à Viſione ſint reportatura, cæteráque in Viſione his ità cohæſura ut ſatìs plena ac luculenta hinc emerſura ſit *Mercavæ* explicatio.

Antequam verò Explicationem aggrediar, præmonendum cenſui me hoc in loco non quidem Expoſitionem *Mercavæ Ethico-Politicam*, qualem exhibui in *Divinis Dialogis*, meditari, ſed magìs *Metaphyſicam* vel *Theoſophicam*, nec ad ulla circumſtantialia, quæ Propheta obiter tangat, ſed ad ea ſola, quæ ad eſſentiam hujus Divinæ Theoriæ ſpectent, reſpecturum eſſe. Ea verò omnia, hiſce ferè Quæſtionibus quinquaginta duabus, quas propoſiturus ſum, contineri exiſtimo. *v. g.*

1. Quodnam ſit Divinæ hujus Viſionis Subjectum adæquatum. 2. Quid Turbo.

3. Quid Spiritus movens Turbinem. 4. Quid Aquilo, terminus à quo movetur. 5. Quid magna Nubes. 6. Quid Ignis ſe involvens. 7. Quid item Splendor circumcirca. 8. Et quid Electrum de medio Ignis. Atque hæc de corpore Turbinis. Quærendum porrò,

9. Quid ſint quatuor illa Animalia. 10. Cur dicantur habere in genere ſimilitudinem Hominis. 11. Cur quatuor habere facies ſingula; 12. Cur quatuor alas. 13. Cur habere pedes rectos, 14. Plantáſq; pedum Vitulinas. 15. Et cur addantur ſcintillæ quaſi æris candentis. 16. Cur manus Hominis cuiq; ſub alis. 17 Alæ Animalium cur junctæ alterius ad alterum. 18. Cur binæ ſurſum extenſæ, binæq; contegant corpus. 19. Cur cùm unumquodq; Animal quaternas habeat facies, quatuor tamen diſtincta ſint Animalium corpora eaſdem facies habentia; Cúrve cùm ſingula, ſingularia Animalia ſint, facies tamen habeat unumquodq; quaternas. 20. Facies Aquilæ, Facies Hominis, Facies Leonis & Facies Bovis quid ſignificent. 21. Quid eorum contra faciem ſuam ambulatio. 22. Quid greſſus eò quò impelleret Spiritus. 23. Cúrq; non reverterentur cùm ambularent. 24. Aſpectus Animalium quaſi Carbonum ignis ardentium & Lampadarum quid denotet. 25. Cur iſtiuſmodi viſio diſcurrens in medio Animalium ſplendórq; Ignis & de Igne fulgur egrediens. 26. Et cur Animalia dicantur ire & reverti (cùm antea dictum, non reverti) & in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. 27. Sonus Alarum quaſi Aquarum multarum, Tonitrui aut Caſtrorum, quid denotet. 28. Submiſſio Alarum ad vocem ſuper Firmamentum, quid innuat. Atq; hæc ferè ſunt quæ quæri poſſint de Animalibus. Pergendum ad Rotas.

29. Quid ſint quatuor Rotæ. 30. Quid Rota illa una ſuper Terram cum quatuor faciebus. 31. Quid aſpectus ipſarum tanquam Tharſis. 32. Et quare viſa ſit Rota quaſi in medio Rotæ. 33. Quid ſit per quatuor ſuas partes ire nec reverti, 34. Unáq; illis ſimilitudo. 35. Horribilis canthorum dorſorúmve altitudo quid denotet; 36. Cúrq; totum corpus oculis plenum appareat. 37. Cur dicantur Rotæ ambulare pariter cum Animalibus, cum ſtantibus ſtare, & elevatis de terra Animalibus ſimul cum ipſis elevari. 38. Cur quócunq; ibat Spiritus, Rotæ dicantur ſequi, Spiritúſq; vitæ eis ineſſe. Atq; hæc de Rotis. Quærendum porrò,

39. Quid ſimilitudo Firmamenti quaſi aſpectus Cryſtalli horribilis, Animalium capitibus imminens. 40. Quid intelligendum per Thronum Sapphirinum ſuper hoc Firmamentum. 41. Quid per Hominem ipſi inſidentem. 42. Quid per Electrum igne circumhabitante circundatum, à lumbis deſuper & uſq; deorſum ſplendente in circuitu. 43. Quid per Arcum pluvium Iridémve circumfulgentem. Atq; hæc ferè ſunt Quærenda quæ occurrunt cap. 1. *Ezechielis*. In capite verò 10. hæc pauca.

44. Cur quatuor Animalia vocentur Cherubin in repetita Viſione. 45. Cur dictus ſit Cherub manum de medio Cherubin extendere ad ignem daréq; in manus viri induti lineis. 46. Cur corpus Rotarum terga habere dicantur & manus & alas. 47. Cur ipſis Rotis inclamatum ſit, הגלגל, O Rota. 48. Cur ſingulæ Rotæ dicantur quatuor facies habere; 49. Cúrq; in Enumeratione una tantùm facies diſtincta ſingulis attribuatur. 50. Cur quatuor Animalia unum Animal appelletur *Ezechiel.* c. 10. *v.* 20. (*Hoc eſt Animal quod videram ſub Deo* Iſrael *in Flumine* Chebar) & cur Fluminis *Chebar* facta ſit mentio. 51. Quis ſit præciſè Deus *Iſrael*; 52. Et quæ deniq; illius Gloria.

Hæ ſunt quinquaginta iſtæ duæ Quæſtiones eſſentiales (omiſſis circumſtantialibus) & omnes ferè quæ ad plenam *Mercavæ* intellectionem ſint neceſſariæ. Quibus qui appoſitè ſolidéq; reſponderit, hoc eſt, applicando veritates aptas, ſatíſq; profundas aut ſublimes & quæ non facilè in captum vulgarem cadant, juxta Poſtulatum primum, næ is eſt qui plenam perfectámq; *Mercavæ* Expoſitionem dederit. Quid verò noſtra tenuitas hac in re poſſit, Deo cœptis aſpirante, jam tentabimus, Reſpondendo ſingulis Quæſtionibus eo quo poſitæ ſunt ordine.

Ad primam igitur reſpondeo, Quòd Objectum adæquatum Divinæ Viſionis apud *Ezechielem* cap. 1. & cap. 10. (omiſſis circumſtantialibus) eſt Regnum *Meſſiæ* ſpirituale cum æterno *Logo* Hypoſtaticè uniti, & ab omni ferè ævo, Animarum Angelicarum pariter atq; Humanarum Principis à Deo Patre conſtituti. Per ſpirituale autem Regnum *Meſſiæ* intelligo Compagem *Divino-politicam* omnium Animarum ſive Angelicarum ſive Humanarum quocunq; vehiculo, cœleſti terreſtríve indutarum, quæ *genuini* ſint illius *Subditi*, eo ſenſu quo S. *Paulus* loquitur, *Si quis Chriſti Spiritum non habet, non eſt ejus*, Rom. 8. 9. Nihil verò nobis hac in Notione cum *Vaſallis* & *Hypocritis*. Quanquam enim aliquo modo ad eos etiam extendatur Regnum Chriſti, id tamen in hac Viſione non reſpicitur. Interim opportunè hìc moneo, hujus præſertim Viſionis gratiâ, nomina illa notiſſima decem *Sephirotharum* decem illis Numeris *Cabbaliſticis* fuiſſe applicata. Hinc enim Nomini primæ *Sephiræ Kether Corona*, & decimæ *Sephiræ Malcuth Regnum*, prima data eſt occaſio. Cúmq; expectatio *Meſſiæ* ejúſq; Regni in terris non tam ad Gentes quàm ad *Judæos* videretur pertinere, *Judæi* quidem nomen *Malcuth* retinuerunt, *Græci* verò *Cabbaliſtæ* facilè illud nomen paſſi ſunt intercidere, decimámq; *Sephiram* ſive decimum Numerum, omiſſo nomine βασιλεία, nominibus αἰὼν & κόσμος, quæ voces magis *Philoſophicæ* ſunt, contenti ſunt celebrare. Solutionis hujus primi Problematis è Poſtulato decimo tertio & decimo quarto petenda eſt Ratio. Interim omittere non poſſum quin hîc notem, *Regnum* hoc *ſpirituale* ſive *Malcuth*, ipſiſſimam illam *Malcuth* eſſe quam *Cabbaliſtæ* Uxorem τοῦ *Seir Anpin* eſſe fingunt, quæq; tam miris Ænigmatis oblarvata occurrit in *Idra Rabba*; & *Seir Anpin* reverà eſſe Animam *Meſſiæ* cum æterno *Logo* conjunctam. Atq; hoc, (quod & ſuprà innui) in cauſa eſſe, cur quidam Cabbaliſtæ deſcriptionem & circumſcriptionem illius inchoant à *Cochmah*, alii verò à *Gedulah*, & utriq; ſanè non ſine ratione. Nam qui veram illius *Divinitatem* videntur reſpicere, incipiunt à *Cochmah* ſecunda *Partzuph* cum qua unitur; qui Animam illius reſpiciunt, à *Gedulah*, cùm illius Anima referatur ad *Tiphereth*. Quod obiter rurſus monere haud abs re fore cenſui, cùm & Expoſitionem noſtram aliquo modo confirmet.

Ad ſecundam reſpondeo, & congruenter quidem Cabbalæ meæ Philoſophicæ naturali, nimirum, Sicuti Turbo vortex quaſi quidam Aereus eſt, ità verticem Æthereum (qualem ſupponit *Cabbala* mea *Philoſophica*) Æthereum quaſi Turbinem rectè cenſeri. Ac proinde Turbinem aptiſſimè ſignificare vorticem Æthereum non abſimilem eis à *Carteſio* deſcriptis. Doctrinam verò cœleſtium Vorticum partem fuiſſe Philoſophiæ *Pythagoricæ* à Philoſophia *Judaica* oriundæ, in *Cabbalæ* meæ *Philoſophicæ* Defenſione fuſiùs doceo.

Ad tertiam, Spiritus movens Turbinem eſt *Principium Hylarchicum* (de quo in *Enchiridio* meo *Metaphyſico*) ſive Spiritus Naturæ, æterni Spiritûs Inſtrumentum. Vox eſt רוח quam vulgò vertunt *Ventus*. Sed & *Spiritus* rectè etiam vertitur. Et *Septuaginta* hoc ipſo in loco reddunt πνεῦμα. *Spiritus* igitur *Naturæ* eſt motor hujus Turbinis, hoc eſt, ingentis alicujus molis *Monadum Phyſicarum* in *Abyſſo*, quò fiat Inchoatio VorticisÆtherei.

Ad quartam, Aquilo verò qui *Hebraicè* hîc צפן dicitur & occultum ſeu abſconditum ſignificat, quippe quòd in partibus Aquilonaribus vix appareat Sol,

Ἀιεὶ δὲ σκιερῇσι παχνώεται ἐν νεφέλῃσι,

quemadmodum iſtæ Regiones à *Dionyſio Afro* deſcribuntur; Hic *Zaphon*, inquam, eſt ſtatus ingentis illius molis *Monadum Phyſicarum* in *Abyſſo*, antequam à *Spiritu Naturæ* contorqueantur in vorticem, incipiántq; fieri vortex cœleſtis ſeu Æthereus, cum Igne in medio, ut *Pythagorici* loquuntur. Qui ſtatus proculdubio eſt ſtatus profundiſſimæ Abſconſionis, Inviſibilitatis & Tenebrarum. Quemadmodum etiam deſcribi videtur in principio Geneſeos, *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi*. Hic igitur ſtatus *Zaphonicus* eſt Terminus à quo movetur hic inchoatus vortex ſive Turbo. Supra quem ſtatum exaltari incipit per πνεῦμα ἐξαῖρον, (quemadmodum vocant Septuaginta Interpretes) in proximè ſequenti parte deſcriptionis.

Ad quintam, Nubes magna eſt ingens moles hujus Vorticis inchoati, & ad conditionem ſive ſimilitudinem Nubis cujuſdam perducti propter obſcuram quandam lucis interſperſæ apparentiam. Neq; enim nubes perfectè opaca eſt nec omnimodo lumine deſtituta, ut nec Vortex in hoc ſtatu: Nec materia ſubtiliſſima adhuc, ſufficienti copiâ ad centrum vorticis ablegata, corpúſve vorticis ſatis pellucidum factum.

Ad ſextam, Sed in proxima parte deſcriptionis id fit. Ibi enim occurrit Ignis ſe involvens. אש מתלקחת, *Ignis ſe captans*, ut habet Bibliorum *Anglicanorum* Margo. Quod vorticalem motum planè innuit ſeu gyrum, ut cùm laſcivus catulus caudam ſuam in gyrum ſe movendo captat. Sed & ipſa Turbinis vox innuit in gyrum moveri ſeu revolvi. Hic autem Ignis in gyrum motus quid aliud eſſe poteſt quàm *Sol vorticis*, quem *Pythagorei* πῦρ i, e, *Ignem* ſimpliciter vocant? Solem autem verticaliter moveri ex motu macularum patet.

Ad ſeptimam, Splendor circumcircà eſt corpus vorticis Ætherei diaphanum factum & lumine Ignis ſive Solis ubiq; perfuſum, juxta Poſtulatum tertium.

Ad octavam, Electrum verò in medio Ignis eſt *Elementum Divinum* cœleſtis vorticis materiæ incluſum & interſperſum, cujus præcipuum vehiculum eſt pars Materiæ cœleſtis maximè ſubtilis & ignea, ac proinde dicitur emanare מתוך האש è medio Ignis, intelligitúrque cum ſubtiliſſimis partibus Materiæ cœleſtis, per omnes Regiones Ætherei vorticis aliquo modo diffundi, juxta Poſtulatum quartum. Hactenus igitur eſt Vorticis cujuſdam cum Sole in medio lucente, deſcriptio compendiaria. Quæ doctrina Vorticum, cùm Cabbalæ *Bereſhith* pars ſit præcipua, maximéque genuina, haud parvam fidem facit præſenti Interpretationi *Mercavæ* quæ præ manibus eſt, quemadmodum & ſuprà monui. Pergimus ad Quæſtiones reliquas.

Ad nonam, Nullius ferè rei celebratior mentio eſt apud *Cabbaliſtas* quàm quatuor Mundorum, *Aziluthici*, *Briathici*, *Jetzirathici* & *Aſiathici*, ſive Mundi *Emanationis*, *Creationis*, *Formationis* & *Factionis*, arreptâ hujus quadripartitionis occaſione, prout veriſimillimum eſt, ex quatuor Animalibus hujus viſionis quatuórve Rotis, quæ ut mox indicabimus, idem ferè ſignificant. Et certè ſatis patet apud *Cabbaliſtas* doctrinam quatuor Mundorum partem eſſe *Cabbalæ Mercavææ*. Quam & ipſe itaque feci Expoſitionis noſtræ *Mercavææ* partem ſano ſenſu intellectam, & præſenti Hypotheſi conſentaneo. Dico igitur quatuor Animalia eſſe quatuor Mundos vel Æonas Animarum Angelicarum pariter atque Humanarum, quatuor diſtinctas Regiones alicujus Ætherei vorticis, ſucceſſu temporis occupantium, (nam quæ ſucceſſivè contingunt ſub uno intuitu, ſimul repræſentantur in viſionibus Propheticis) juxta Poſtulatum ſextum, octavum & nonum. Nec offendi debet quiſquam quòd *Mundos* appellem cùm ipſas *Animas* intelligam, tum quòd has Animas tanquam quatuor diverſarum Regionum vel Orbium Ætherei vorticis Incolas conſidero, tum quòd *Cabbaliſtæ Judaici* Mundum *Creationis* de ipſis Animabus humanis, Mundum *Formationis* verò de ipſis Angelis intelligunt. Quod certè planè arguit quatuor hos Mundos adeò apud *Cabbaliſtas* celebratos, de *perſonis* potiùs intelligendos quàm de *locis*: Quemadmodum & nos expoſituri ſumus, mentione locorum ſtationúmve, ubi commodum fuerit, non neglectâ. Quatuor verò Animalia quatuórve Rotas Mundos hoſce quatuor ſignificare ſenſu ſupradicto ex mente *Cabbaliſtarum*, tum ex Libro *Jetzirah*, tum ex *Tractatu de Anima*, R. *Moſis Cordueri*, cap. 2. apertè conſtat. Ubi quatuor quaſi ſpecies aut tres ſaltem Animarum facit, nempe *Neſchamah*, (quæ eſt vel *Aziluthica* vel *Briathica*) *Ruach* & *Nepheſh*, tres verò poſteriores realiter facit diſtinctas, diverſiſque poſt mortem locis collocat, Hominémque ex iſtis tribus conſtare autumat. Verba hæc ſunt: *Congreſſi ſunt* Ophan, (*Rota*, i. e. *Mundus* Aſiah, *ob* Sandalphonem *qui dicitur* Ophan) *&* Angelus (Metatron, *ſeu Mundus* Jetzirah) & Thronus *ſeu Mundus* Briah, *atque dixerunt*, Faciamus Hominem. *Nam ex compoſitione noſtra*, Neſchamah *ex* Throno, *&* Ruach *ex* Angelo, *&* Nepheſh *ex* Ophan, *&c.* Et rurſus per *Thronum* ait intelligi *Briah*, per *Metatronem Jetzirah*, *Sandalphonem* verò eſſe *Rotam*, & de illo dictum eſſe, Ezech. 1. 15. *Et ecce Rota una erat in terra.* Et in eodem deniq; Capite *Metatronem* vocat Animal illud *Ezechielæum*. Ex quibus abunde patet, per quatuor Animalia Rotáſve, ſuprà dictos quatuor Mundos apud *Cabbaliſtas* intelligi. Ego verò R. *Moſen Corduerum* alióſque *Cabbaliſtas* inſignem errorem commiſiſſe cenſeo, quòd ex eo quòd una eadémque Anima quatuor ſtatuum vices ſubire poſſit, juxta Poſtulatum octavum, Animam humanam ex quatuor tribúſve animabus realiter diſtinctis conſtare arbitrati ſint. Quem errorem per hanc noſtram Expoſitionem ſatis feliciter correctum fore ſpero. Quando dicunt veſtem *Aziluth* eſſe *Briam*, & veſtem *Briæ Jetziram*, & *Jetziræ*, *Aſiam*, ſi de variis ſubtilitate ac puritate differentibus vehiculis intelligeretur, ferendum eſſet. Sed cùm *Nepheſh* faciunt vehiculum τȣ̃ *Ruach*, & *Ruach* vehiculum *Neſchamæ*, id certè intolerandum eſt, utpote quod innuat omnia eſſe corporea. Quæ nimis craſſa profectò eſt philoſophandi ratio.

Ad decimam, Præmoneri dico in genere ſimilitudinem Hominis hiſce quatuor Animalibus competere, nè quis ob Capita Aquilina, Leonina, Bovina, Aláſque humeris additas, & ob Ungulas Vitulinas quidvis potiùs ea exiſtimet quàm Humanarum Angelicarúmve Animarum Symbola. Interim verò dum eadem hæc Animalia *Cherubini* dicuntur in Viſione repetita, *cap.* 10. non levis eſt ſubindicatio Animas humanas & Angelicas eaſdem ferè eſſe & eâdem ferè humanâ figurâ ſpeciéve gaudere & ſub ea apparere. Et poſtremò, manifeſtò hinc conſtare per quatuor Animalia nullos alios quatuor Mundos intelligi poſſe quàm qui ex Animabus humanis Angelicíſve conſiſtant; adeò ut Mundus *Aziluthicus* & Mundus *Fabricæ* qui dicitur ex eo genere ſit. Et certè non levis abſurditas eſt apud Recentiores *Cabbaliſtas*, quòd Mundus *Aziluth* & Mundus *Aſiah* quatenus Mundus *Fabricæ* dicitur, à reliquis duobus Mundis toto genere differant. Quem quidem errorem hæc Viſio pulchrè corrigit.

Ad undecimam, Huic Quæſtioni ſatisfaciendum eſt ex Poſtulato undeviceſimo. Nec levis quidem momenti veritas hîc ſubindicari poteſt, nempe quatuor iſtos ſtatus δυνάμει radicali & eſſentiali ſemper Animæ cuique ineſſe, quanquam non ſemper ἐνεργείᾳ.

Perpende etiam cætera quæ iſti Poſtulato ſubnexa ſunt, ut & ipſum Poſtulatum octavum.

Ad duodecimam, Cùm quatuor Animalia quatuor alas habere dicantur, id nihil amplius innuit quàm alata eſſe Animalia. Cùm verò Animalia Animarum Symbola ſint, Animarum alatarum eſſe Symbola, hoc eſt, non culpâ πτεῤῥυήσεως in Mundum *Jetzirathicum Aſiathicúm*ve delapſas eſſe, ſed Divino potiùs Fato, juxta Poſtulatum octavum, deſcendiſſe, quos *Heroas* alicubi appellat *Agrippa*, aut ſaltem ex eo genere eſſe quæ ſeriò reſipuerint, Divinâque itidem gratiâ alas recuperaverint. Meminiſſe enim oportet Objectum adæquatum hujus Viſionis eſſe *Regnum* Meſſiæ *Spirituale*, quemadmodum in ſolutione primæ Quæſtionis explicavimus. Alarum verò mentio hîc optimè convenit cum illa Animarum appellatione apud R. *Moſen Corduerum*, ubi ait, Aves *Sandalphonis* eſſe *Nepheſchin*, Aves *Metatronis Ruchim*, & Aves Throni *Neſchmathin*. Quod ſano quidem ſenſu intelligi poteſt de triplici ſtatu Animarum, quaſi in Mundo *Briathico* appellari deberent *Neſchmathin*, in *Jetzirathico Ruchim*, & in Mundo *Aſiathico Nepheſchin*. *Thronum* enim ad Mundum *Briathicum*, *Metatronem* ad Mundum *Jetzirathicum*, & *Sandalphonem* ad *Aſiathicum* pertinere ſuprà eſt notatum. Interim cùm Anima quatenus in corpore terreſtri *Nepheſh* appellanda ſit, *i. e.* ψυχή, & quatenus in vehiculo *Jetzirathico*, *Ruach*, i. e. πνεῦμα, videndum annon aptè hinc explicari poſſint verba illa Pauli, 1 Cor. 15. Ἔστι σῶμα ψυχικὸν ϗ ἔστι σῶμα πνευματικόν. Eſſe utique corpus quod animæ congruat quatenus in ſtatu *Nepheſh*. eſſe quatenus in ſtatu *Ruach*; nec corpus, quanquam idem numero, eodem modo ſe habens, vel ſimiliter modificatum, utrique ſtatui poſſe competere. Sed hiſce, cùm minùs huc pertineant, non eſt immorandum.

Ad decimam tertiam, Habere verò dicuntur pedes rectos; partim ut pleniùs innuatur, ſtaturam habere humanam, partim ut rectitudo ambulationis inceſsûſve eorum ſignificetur, adde & Affectus. Nam pedes affectus ſignificant apud *Pythagoreos*. Ac proinde רגל׳ ישרה dici poteſt eo ſenſu quo ישרון, Eſai. 44. 2.

Ad decimam quartam, Septuaginta pro plantis pedum vitulinis ponunt πόδες πτερωτοὶ, i. e. Pedes alati. Unde conſtat eos nihil humile de pedibus horum Animalium ſenſiſſe. Nec humile certè quicquam ſonat quòd plantas vitulinas habere dicuntur. Nam perinde eſt ac ſi dixiſſet *Angelicas*, hoc eſt, *Cherubicas*. Nam *Cherub*, Vitulus eſt vel Bos. Faciéſque Cherub in decimo capite Ezechielis reſpondet faciei Bovis in primo, ipſúmque nomen *Cherub* eſt à כרב arare. Plantæ igitur vitulinæ ſeu *Cherubicæ* magnam illam affinitatem innuunt & cognationem inter naturam Animarum Angelicarum & Humanarum. Ex aliis enim indiciis Humanas Animas eſſe innuitur, ex hoc *Angelicas* vel *Cherubicas*. Ac proinde in repetita Viſione ubi Cherubini tam apertè dicuntur, plantarum vitulinarum nulla fit mentio, quippe ſupervacanea futura.

Ad decimam quintam, Et digna ſanè pedibus his Cherubicis ſubſequens eſt deſcriptio, quòd nempe ſcintillæ addantur quaſi æris politi vel candentis. Quum enim pedes affectum ſignificent, Æs politum & candens puritatem & firmitatem affectuum, ſcintillæ verò exilientes, ad occurſum rerum difficiliorum ejaculationes cœleſtes denotant.

Ad decimam ſextam, Manus hominis ſub alis cuique eſt, partim ut humana forma ad has Animas reverà pertinere expreſſiùs intelligatur, partim ut ſubindicetur, Alas versùs Deum ſurſum extenſas nihil valere niſi præſtò ſint manus, id eſt, opera & conatus fideliſque executio earum rerum, quæ ad vota obtinenda contribuant: Legémque hanc eſſe Adamantinam per omnes Mundos *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jetzirathicum*, & *Aſiathicum*: Otioſam verò & inertem ſpeculationem in Regno *Meſſiæ* ſpirituali ubique exulare.

Ad decimam ſeptimam, Alæ verò Animalium in extenſione ſua ſurſum junctæ ſunt alterius ad alterum, ut intelligatur unio animorum ac votorum omnium Mundorum in Regno *Meſſiæ* ſpirituali, ardentiſſimúmque ac promptiſſimum pro bono publico deſiderium ac ſtudium. Nam manus ſubeſt alis unicuique, ut ſuprà notatum eſt.

Ad decimam octavam, Quòd binæ autem ſurſum extenſæ binæque dicantur contegere corpus, commodiſſimè ſic intelligitur. Nempe ſi meminerimus binas illas extenſas eas alas eſſe quæ ſuprà dictæ ſunt conjungi cum alis alterius Animalis, quo intelligitur omnium Mundorum partiúmque ſingulorum votorum ſtudiorúmque pro communi bono unio ac ſocietas. Dum verò hæ ſic extenſæ ac unitæ ſunt, alteræ rectè obſervantur contegere corpus, hoc eſt, demitti. Alæ enim demiſſæ contegunt corpus avium. Quibus innuitur ſingulorum bonum privatum communi bono oportere ac ſolere ſubmitti & ſubordinari, & tamen revera etiam hâc alarum demiſſione ſingulorum Animalium corpus tegi, hoc eſt, ſubmittendo & ſubordinando privatum bonum bono publico,

lico, privatum cujuſq; bonum ac ſecuritatem reipsâ procurari. Atq; hoc id ipſum eſt quod egregius ille Philoſophus ac Princeps M. *Antoninus* in Meditationibus ſuis toties inculcat, de malis privatis ferendis, nempe, quòd in bonum cedant Univerſi.

Ad decimam nonam, Solutio hujus Quæſtionis facilè elici poteſt ex ſolutione Quæſtionis nonæ & undecimæ. Reſpondeo igitur quanquam unumquodq; Animal quaternas habet facies, hoc tamen nihil impedire, quò minùs quatuor diſtincta ſint Animalia; nempe diſtincta Animalium corpora quaternas facies habentia, quippe quæ quatuor diſtinctos Mundos ſuprà memoratos repræſentant, qui ex eo præſertim diſtinguuntur quòd ſinguli unum peculiarem ſtatum habent longè præ reliquis tribus prædominantem, unóq; aliquo ex quatuor iſtis Animalibus, diſtinctè repræſentabilem, Aquilâ nempe, Homine, Leone, vel Bove; ità ut unus Mundus ſit *Aquilæ*, alter *Hominis*, tertius *Leonis*, quartus *Bovis*. Hinc quatuor diſtincta corpora Animalium ſunt, non unum ſolummodo corpus quatuor faciebus præditum. Cùm verò quatuor iſti Mundi non ſolùm unum quempiam ſtatum in eminenti gradu habeant ſed tres etiam reliquos, gradu aliquo magis minúſve ſuppreſſo, hinc diſtincta iſta quatuor corpora non unicâ facie contenta ſunt ſingula, ſed quaternis faciebus gaudent, unâ præ reliquis eminenti, & à qua Corpus Animálve ſpecialiter nominari poſſit Aquila, Homo, Leo, vel Bos, quemadmodum fit in Apocalypſi, *cap.* 4. 7. Quódq; porrò confirmari poteſt ex *Ezechiel.* cap. 10. v. 14. Poſtremò quantùm ad ordinem Nominationis Animalium, fit certè prout res tulerit. Quemadmodum videre eſt *Ezech.* c. 1. v. 10. ubi Numeratio incipit à facie Hominis. Capite verò 10. *v.* 14. Numeratio incipit à Cherub, id eſt, à Bove. In Apocalypſi verò incipit à Leone, *cap.* 4. *v.* 7.

Ad viceſimam, Quidni nobis igitur liceat ab ea facie vel Animante incipere quod præſenti Argumento maximè conveniat, & quid ſingula ſignificent breviter ex præmiſſis Poſtulatis indicare? Dico igitur ex Poſtulato undecimo per *Aquilam* Mundum Animarum *Aziluthicum* denotari. Animal enim aliquod ſingulare per Propheticam *Henopœiam* multitudinem perſonarum quantamcunq; ſignificare poſſe notiſſimum eſt. Vide *Synopſin* meam *Propheticam*, lib. 1. cap. 3. Cùm verò ſedes Mundi *Aziluthici* ſit Cœlum *Empyreum* ab Imo vel Infimo vorticis maximè remotum, ac proinde Regio maximè ſublimis per Poſtulatum quintum, cúmq; ſtatus Animarum *Aziluthicus* ſit ſtatus fixiſſimæ contemplationis in *Solem* Mundi Intellectualis (quam ipſam ob cauſam ſtatus primus *Adami* deſcribitur tanquam hortum *Eden* inhabitantis verſus *Kedem*, nempe quòd eximio quodam modo radiis החכמה הקדומה, *Sapientiæ Primordialis*, uti appellatur in *Sepher Jetzirah*, ſemitâ 20, illuſtraretur; Et R. *Abraham* F. D. *omnes plantas Sapientiæ acceptas aſſerit* מקדם *ab Oriente, ſcilicet Intellectuali; & plantatas fuiſſe in* עדן *Sapientiæ*) hinc inquam manifeſtum eſt, ſive altum *Aquilæ* volatum ſive viſûs aciem, quam in ipſum ſolem illæſo oculo poteſt defigere, conſideras, hoc Animal aptiſſimum Symbolum eſſe Mundi Animarum *Aziluthici*. Perpende quæ ſcripſimus ad Poſtulatum undecimum; Mirabilem deprehendes rerum congruitatem, & quàm conſentaneum ſit Mundum ſtatúmve Animarum *Aziluthicum* primum earum ſtatum fuiſſe, & per *Aquilam* in hâc Viſione ſignificari.

Jam verò per *Hominem* Statum Mundúmve *Briathicum* indigitari, ex Poſtulato duodecimo ejúſq; explicatione manifeſtiſſimum eſt. Quòd hic Mundus ſecundus ſit ordine, ex ipſius deſcriptione abundè patet. Nec verò per *Bovem* aut *Leonem* rectè repræſentari poteſt. Reſtat igitur ut repræſentetur per *Hominem*. Quinimo ex charactere humano res ſatis confirmari poteſt, cujus eſt politicas Societates inire, pacem colere & juſtitiam, de rebus agundis conſilium capere & ſimilia, qui planè eſt Mundi *Briathici* character. Perpende Poſtulatum duodecimum & quæ ſub illo innuimus. Mundus deniq; *Briathicus* eſt ſtatus quidam Paradiſiacus, quomodo igitur aut cum labore ac laſſitudine *Bovis*, aut cum ferocitate *Leonis* convenire poteſt? Relinquitur igitur ut repræſentetur per *Hominem*.

Porrò ex ipſa deſcriptione Mundi *Jetzirathici*, eum planè conſtat per *Leonem* ſignificari, nempe quòd in eo ſtatu τὸ λεοντῶδες ϗ θηριῶδες in animabus Angelicis præter modum excitatum ſit, & ambitioni & ſuperbiæ contentioniq; bellicæ lora laxata, adeò ut Regnum ſive Regionem *Briathicam* ex qua lapſæ erant, vi & armis tandem invaſerint, ingentéſq; tumultus fecerint quos ſapientiâ ſuâ ac fortitudine tandem compreſſit *Anima Meſſiæ*, qui Princeps Mundorum erat conſtitutus juxta Poſtulatum decimum tertium & decimum quartum. Atq; huc forſan rectè trahi poſſunt ea R. *Simeonis Jochaidæ* quæ occurrunt apud *Rittangelium* in librum *Jetzirah*, ubi mentio fit *Serpentis* occidendi, & *Filiæ* ſuper *Turrem* poſitæ in Aere, factæq; proclamationis ſingulis diebus in Cœlo, *Quicunq; interfecerit ſerpentem, illi datum iri in uxorem Filiam Regis cum indumento aureo.* Quod aurum ſex dies Creationis ſignificare innuit idem *Simeon Jochaides.* Sex dierum verò opera peregiſſe *Meſſiam,* literaliter intellecta, in *Apologia* mea apertè moneo. Eſtq; hic ipſe *Meſſias,* nempe *Shiloh,* cùm multi bellatores viríq; clypeati nihil valuerint, quem R. *Simeon Jochaides* dicit interfeciſſe Serpentem & exercitum ejus, in Mari & in Arida & in Cœlo, quaſi eadem Anima *Meſſiæ* Dux etiam eſſet *Iſraelitarum* in Deſerto. Quàm rectè igitur *Leo* Mundo *Jetzirathico* conveniat, vel ex his conſtare poteſt. Sed & ex hoc etiam porrò conjectari; Nempe quòd hæ Animæ *Angelicæ* propter vigorem vehicularem animíq; fortitudinem אלהים dictæ ſint, à ſeipſis ſaltem qui vel audaciam ſuam ac temeritatem quâ in ſtatum hunc *Jetzirathicum* auſi ſint prorumpere, fortitudinem reputarent. Cùm certè ſibi cavere oportuiſſet à nimia appropinquatione versùs Solem tanquam ab Inferno πυῤῥὸν βάθος αἰὲν ἑλίσσοντι, nè ſicut infelices Tineæ nimis prope candelam volitantes, alas tandem urerent. Hæ tamen Animæ iſtâc occaſione אלהים dictæ & ſic apud ſeipſas reputatæ, rerúmq; ferè omnium bonarum malarúmque, (propter calorem ac temulentiam in vehiculis excitatam) experientiâ ac notitiâ inſtructæ, de qua maximè gloriarentur, ſunt illi *Elohim* quorum mentionem facit Serpens ad *Adamum,* Gen. 3. 5. *Eritis ſicut* Elohim *ſcientes boni & mali,* hoc eſt, יצר טוב ויצר רע, quemadmodum appellat R. *Moſes Ægyptius* in *More Nevochim.* Unde hic ſtatus *Elohim* (quem *Cabbaliſtæ* Mundum *Angelorum* appellant, cùm ſit Mundus tantummodo Angelorum lapſorum) *Jetzirah* ſive Mundus *Jetzirathicus* rectè nominatur. Ut hîc præteream, יצרים החיצונים figmenta ſive Formationes externas perversâ Magiâ per rebelles hos Spiritus noviter excitatas, ulteriorem occaſionem nomini *Jetzirah* dare potuiſſe. Palàm interim eſt præfervidam Animarum Angelicarum audaciam, rectè per *Leonem* ſignificari. Poſtremò ex eo etiam res conficitur, quòd *Bos* & *Aquila* maximè ex Diametro opponi videantur, ob ſegnitiem unius, & velocitatem alterius. Ut *Aquila* igitur in ſublimi volans Mundum *Aziluthicum* repræſentat, ità neceſſe eſt ut *Bos* Animal tardum & in terra ſegniter ſe movens Mundum repræſentet *Aſiathicum,* unde, cùm & *Briathicus* Homini aſſignatus ſit, *Jetzirathicus* neceſſariò relinquitur Leoni.

Deniq; ex Deſcriptione Mundi *Aſiathici* ad Poſtulatum decimum octavum, manifeſtum eſt *Bovem* ſtatum iſtum admodum aptè ſignificare. Cùm omnia tunc craſſiora incipiant fieri ac ſegniora, donec Animæ lapſæ in terreno tandem luto pedem figant tanquam laſſus Bos. Cætera vide in Notis ad Poſtulatum decimum octavum; Ubi ſtatus Adami in terreſtre corpus lapſi laboribus Agriculturæ illuſtratur. Quàm autem accommodum Agriculturæ Animal ſit Bos, omnes nôrunt. Nec hîc præterire poſſum quàm apta ſolutio egregii quidem Problematis hoc in loco occurrat, nempe cur *Moſes* Bovinam Figuram vel Vitulinam præ reliquis elegerit, quam ſuper Arcam Fœderis collocaret. Nam cùm integram Quadrigam illîc collocâſſe, opus futurum fuiſſet magìs moliminoſum, illud animal elegit quod maximè erat proprium, Bovem ſcilicet Mundi *Aſiathici* Inſigne, quò Anima *Meſſiæ* jam deſcenderat Tentoriúmq; fixerat inter filios *Iſraelis.*

Quàm ad vivum igitur Mundus *Aziluthicus, Briathicus, Jetzirathicus* & *Aſiathicus* in *Aquila, Homine, Leone,* & *Bove* depicti ſint, vidimus. Animal autem quod *Aquila* appellandum eſt (& ſic de reliquis tribus Animalibus) cum quaternis faciebus repræſentari, Arcanum eſt Cabbalâ *Mercavæ* dignum, cùm indè moneantur Animæ in quocunq; ſtatu conſtitutæ ſint, radicem uniuſcujuſq; Mundi in ipſis manere. Quod magnæ profectò animationi debet eſſe animabus in Mundos inferiores lapſis, & excitationi ut animum habeant revertendi; cautioni verò eis qui in Mundis ſint ſuperioribus, juxta Monitum illud Apoſtoli, *Itaq; qui videtur ſtare videat nè cadat.*

Ad quæſtionem viceſimam primam, Ambulatio Animalium contra faciem ſuam אל עבר פניו, nihil ampliùs ſignificat quàm inceſſum directum, nec per ullam vim externam internámve pravitatem à via deflectentem. Quod Privilegium eſt quod ſolis ſubditis *Regni* Meſſiæ *Spiritualis* competat.

Ad quæſtionem viceſimam ſecundam, *Regnum* verò Meſſiæ *Spirituale* per hanc viſionem *Ezechielis* ſignificari, ex præſenti Quæſtione patere poteſt. Nam cùm greſſus Animalium eò ferantur quò impellit Spiritus, illud planè inſinuat Subditos Regni *Meſſiæ* ſpiritualis impulſu inſtinctúve Divini Spiritûs ſua omnia agere, nihil ex voluntate propria, quaſi omninò eſſent θεοφορέμενοι, afflatúq; Divino ad opera ſua inſtigati. רוח igitur in hac Viſione ſignificat רוח הקדש *Spiritum Sanctum,* quem *Cabbaliſtæ* aliàs vocant בינה, éſtq; is ille אחד רוח אלהים חיים qui in *Sepher Jetzirah* memoratur. Quem Spiritum R. *Aharon* eminentiſſimus *Cabbaliſta* intelligi vult, *Pſalm.* 33. 6. *Verbo Dei Cæli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Cæterùm רוח שניה ſive Spiritum ſecundum quem commemorat R. *Moſeh Botril*, de Spiritu Deorum viventium procedentem, ego veriſſimè intelligendum exiſtimem de *Spiritu Naturæ* Divini Spiritûs inſtrumento. Spiritum verò אלהים חיים *Dei viventis* unicum eſſe, nempe *Spiritum Sanctum*, firmiter eſſe tenendum, Qui eſt una ex *Divinis Hypoſtaſibus* in hac *Viſione* occurrentibus; eruemus duas reliquas ſuis locis.

Ad quæſtionem viceſimam tertiam, Non reverti dicuntur cùm ambularent, eò quòd nullâ vi externâ poſſint repelli. Neq; enim ulla vis aut conſilium eſt contra Deum. Divino verò Fato Afflatúq; ſuprà notatum eſt hæc Animalia ferri.

Ad quæſtionem viceſimam quartam, *Aſpectus verò Animalium quaſi carbonum ignis ardentium & lampadarum*; Ignis quidem Zelum firmum & fervidum, lampades claram cognitionem illuminationémve ſignificant, atq; utraque tanquam dona Spiritûs ſancti, qui hîc omnia movere intelligitur. De *Meſſia* enim dictum eſt, *ille baptizabit vos Spiritu ſancto atque Igne.* Sed magìs Philoſophicè fortean intelligi poteſt de Vehiculis *Cœleſtibus* ſeu *Æthereis* & σώματι αὐγοειδεῖ apud *Pythagoreos* celebrato; Quam tamen conditionem comitantur ſuprà dictæ virtutes.

Ad quæſtionem viceſimam quintam, Diſcurſio ſplendoris Ignis & de igne fulguris egredientis inter Animalia, viſa, eſt frequens eruptio atq; emicantia virtutum Spiritûs ſancti in Membris Regni *Meſſiæ* ſpiritualis. Quæ res etiam ſignificata eſt eximiè per linguas igneas *tempore Pentecoſtes* ſedentes ſuper unumquemque Apoſtolorum, juxta promiſſum veri *Meſſiæ Jeſu Nazareni*, quò omnibus innoteſceret hunc ipſum eum eſſe.

Ad quæſtionem viceſimam ſextam, Animalia quanquam antè dicta ſunt non reverti, hîc tamen ire & reverti dicuntur, ſed alio planè ſenſu. Priori enim ſenſu dicta ſunt non reverti, eò quòd repelli non poſſint ullâ vi, nec à ſemita recta deflecti: Hîc verò reverti dicuntur tanquam re feliciter ac celeriter geſtâ. Unde itus reditúſq; eorum comparantur fulguri coruſcanti. Vel adhuc magis Philoſophicè, Itus reditúſq; inſtar fulguris coruſcantis, cùm fulgur de cœlo ſit, ſignificare poſſunt deſcenſus harum Animarum de Cœlo certóſq; ad cœlum reditus, juxta Poſtulatum decimum. Reciprocatio enim coruſcantis fulguris hunc itum reditúmq; non ineptè repræſentat. R. *Moſes Ægyptius* in *More Nevochim*, Part. 3. cap. 2. de motu circulari cœlorum intelligit. Ego de circuitu ſive Revolutione Animarum potiùs intelligendum autumo. Quod ex Rotarum explicatione pleniùs confirmabitur.

Ad viceſimam ſeptimam, Sonus verò Alarum quaſi Aquarum multarum, Tonitrui, aut Caſtrorum dicitur, quò intelligatur quatuor hæc Animalia non eſſe tot Animalia ſingularia, ſed ſignificare totidem numeroſas admodum multitudines perſonarum Animarúmve Angelicarum & Humanarum ſecundùm ſtylum Propheticum. Vide *Synopſin Propheticam*, lib. 1. c. 3.

Ad viceſimam octavam, Submiſſio deniq; Alarum ad vocem ſuper Firmamentum, ex Textu ſic intelligenda eſt. Dicitur enim, cùm vox fieret ſuper Firmamentum quod erat ſuper caput eorum, quòd ſtabant & ſubmittebant ſuas Alas. Ubi vox proculdubio vox eſt Aurigæ hujus Quadrigæ Currûſve Cherubici. Unde ſignificatur, motus eorum ſiſti perinde cœleſti aliquo ſigno aut inſtinctu atq; cœlitus cieri, eáq; penitùs à Divino verbo Spiritúq; regi. Nam in verbo eſt Spiritus, *Johan.* 1. 4. Stare autem non ſolùm dicuntur, ſed ſubmittere vel demittere alas ſuas, quòd nulla vota nulláſq; proprias voluntates habeant, ac proinde juſſu cœleſtis Aurigæ non ſolùm motum externum corporis ſiſtunt ſed internum appetitum & voluntatem, atq; ſic alas ſubmittunt.

Ad viceſimam nonam, Pervenimus jam ad *Rotas* quæ idem ferè ſignificant quod *Animalia*, quatuor nempe ſtatus Animarum, ſed reſpiciendo præſertim ad *Revolutiones* earum ab uno ſtatu ad alterum. Quam Cabbaliſtæ גלגול, i. e. *Revolutionem* Animarum appellant. Quatuor verò Rotas & quatuor Animalia idem ferè ſignificare ex eo intelligitur, quod annotavit etiam ipſe R. *Moſes Ægyptius* in *More Nevochim*, nempe quòd & *ipſis Rotis ſunt caro & terga & alæ & manus.* Quæ certè res valdè abſona eſſet niſi Rotæ idem innuerent quod quatuor Animalia, nempe Animas in quatuor diſtinctis conditionibus conſtitutas, ſed quatenus in *Rotatione* ſive *Revolutione* (בגלגול) conſideratas. His præmiſſis ad quæſtionem viceſimam nonam reſpondeo: Quatuor Rotas ſignificare quatuor illos ſtatus Animarum, *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jetzirathicum* & *Aſiathicum*, quatenus ſunt in *Revolutione*, juxta Poſtulatum octavum & nonum. Hoc dico præcipuè ſignificari, quanquam fortaſſis aliqua poteſt eſſe alluſio ad quatuor Orbes Poſtulato ſexto memoratos.

Ad triceſimam, Una illa Rota ſuper terram cum quatuor faciebus eſt Mundus vel Orbis *Aſiathicus*, hoc eſt, Animæ illius Mundi quoad *Revolutionem* ſuam ſpectatæ. Hæc Rota ſpeciali ſenſu *Ophan* dicitur, & *Sandalphon* apud R. *Moſen Corduerum*. Habere verò dicitur quatuor facies ob nullas alias rationes quàm ob quas *Bos*, ſive Animal quartum, quatuor facies habere dicitur, quas nihil opus eſt hîc repetere. Reſolvuntur verò in Poſtulatum undeviceſimum. Interim notandum etiam hac è re eluceſcere *Rotarum* & *Animalium* Identitatem. *Aſiathicum* verò Mundum per hanc Rotam notari indè conſtat, quòd eſſe *ſuper terram*, hoc eſt, ad terram uſque ſive *Aſtrum frigidum* (quæ pars eſt Orbis *Aſiathici* infima) dicatur pertingere. Qui unus locus opinionem *Jonathanis Ben Uzziel* abunde confutat, qui Orbes cœleſtes *Ariſtotelicos* per has Rotas *Ezechielis* vult intelligi, quemadmodum notavi in *Dialogis Divinis*.

Ad triceſimam primam, Aſpectus verò Rotarum tanquam *Tharſis* dicitur cum alluſione ad ſignificationem vocis *Tharſis*, quæ quanquam lapidem pretioſum marini coloris ſignificet, ſignificat etiam ſimpliciter *Mare*, (atque ſic reddit verſio vulgaris Latina) *Mare* autem *ſtylo Prophetico* multitudinem denotat. Atque hoc proinde reſpondet ſono Alarum Animalium, (in Quæſtione viceſima ſeptima) tanquam Aquarum multarum, quibus ſignificabantur ingentes multitudines. Unde iterum innoteſcit *Animalium* & *Rotarum* identitas.

Ad triceſimam ſecundam, Viſa eſt Rota quaſi in medio Rotæ propter quatuor Orbes Poſtulato ſexto deſcriptos. Hæc certè longè tolerabilior eſt Interpretatio quàm *Jonathanis Ben Uzziel*, qui Orbes *Ariſtotelicos* ſe mutuò involventes hîc intelligendos exiſtimat, cùm nec ipſe numerus congruat. Neque ego certè quatuor illos orbes principaliter hîc ſignificari cenſeo, ſed obiter tantùm perſtringi. Præcipuum verò Viſionis ſcopum hoc in loco eſſe, ſubindicationem quatuor Periodorum *Revolutionúmve* Animarum quæ majores ſint aliæ aliis, ſicque aliæ alias includant. Ut ſi, v. g. Periodus fiat à ſumma parte ad imam partem (modo quodam Epicyclari) & ad ſummam rurſus Orbis *Aziluthici*, deinde à ſumma parte Orbis *Aziluthici* ad imam partem *Briathici*, *Jetzirathici*, vel *Aſiathici*, & ad ſummam à ſingulis rurſus *Aziluthici*; manifeſtum eſt primam Periodum ſeu Revolutionem includi in ſecunda, ſecundam in tertia, & tertiam in quarta tanquam omnium maxima. Et ſic vice verſâ, ab ima parte *Aſiathici*, &c. Rotam igitur viſam eſſe quaſi in medio Rotæ nihil ampliùs ſignificat quàm *Revolutiones* Animarum alias aliis majores eſſe poſſe, ac proinde alias ab aliis includi.

Ad triceſimam tertiam, Quòd autem dicuntur Rotæ per ſuas quatuor partes ire & non reverti, diſtinctionem quatuor Orbium ſuprà memoratorum innuit. Iſti ſunt illi ארבעה רבעים quatuor quartæ partes ſive Regiones in quibus ſingulæ eunt. Non reverti verò dicuntur, non quidem eò quòd rectâ quaſi lineâ pergant, hoc enim *Revolutioni* earum repugnaret, ſed quòd Divino quodam fato ac invincibili ferantur, quemadmodum monui de Animalibus.

Ad triceſimam quartam, Quòd verò una Rotis ſit ſimilitudo, non contemnendum ſubinnuit Arcanum & *Mercavæâ* Cabbalâ non indignum, (hoc eſt,) *Nihil fere habere Mundum inferiorem quod non habet aliquo modo ſuperior.* Quod certè aliquâ ratione repræſentatum eſt in quaternis faciebus ſingulorum Animalium; nempe, conſimiles ferè ubique eſſe negotiationes, conſimiles ubique Animarum formas viſibiles, Humanas putà, & ſecundùm quoſdam *Rabbinos*, in maſculinam & fœmininam diſtinctas, *Plaſticámque* habere ſingulas, quæ pro ſingulis Mundis, omiſſis omittendis, vehicula in figuram humanam efformet. Nec opus eſt ut in re tam facili latiùs expatiemur.

Ad triceſimam quintam, Horribilis canthorum dorſorúmve Rotarum altitudo vaſtas illas denotat Animarum *Revolutiones* à Mundo *Aziluthico* uſq; ad *Aſtrum frigidum Aſiathici*, & hinc rurſus ad Mundum *Aziluthicum*. ['Εξ οἵων εἰς οἷα.] Quis non horreat ad tales rerum viciſſitudines, ad tam immenſos animarum delapſus aſcenſúſque, & planè obſtupeſcat; ut ea Anima quæ modò in ſummo Cœlo Empyreo ſicut *Aquila* volitabat, ſuccedentibus ſeculis tandem in terra reperiretur, & ut *Bos* laſſus pedem figeret in luto, juxta hanc Viſionem *Ezechielis*?

Ad triceſimam ſextam, Quòd corpus Rotarum oculis plenum appareat, ex eo fit quòd reverà Rotæ nihil aliud ſint quàm ipſæ Animæ rotatæ ſive in גלגול conſtitutæ. Atque ſic oculi pari ratione illis attribuuntur, atque terga, alæ ac manus, *Ezech.* c. 10. 12. Quibus planè ſignificatur *Rotas* & *Animalia* eandem rem repræſentare, quemadmodum ſæpe jam notavi.

Ad triceſimam ſeptimam, Idémque in ſequenti Quæſtione innuitur. Illa enim admodum trivialis abjectáque foret obſervatio, Rotas nempe ambulare pariter cum Animalibus, cum ſtantibus ſtare & elevatis de terra Animalibus, ſimul cum ipſis elevari, niſi monitu hôc ſubinſinuaretur, unam eandémque rem ſignificari (quamvis non ſub eodem reſpectu) per ***Animalia*** & per ***Rotas*** ipſas, (nempe in hac Philoſophica Theoſophicáve Interpretatione Viſionis) & ut una eadémq; res ſemper movetur ſimul cum ſeipſa, ità ***Animalia*** & ***Rotas***, unam eandémque rem repræſentantes, adinſtar unius rei, ſimul moveri aut ſimul quieſcere.

Ad triceſimam octavam, Hoc verò porrò confirmatur etiam ex hac quæſtione. Iterum enim dicitur de ***Rotis*** quod ſuprà dictum eſt de ***Animalibus***; Quócunque ſcilicet iret Spiritus, eas ſequi. Quo innuitur eaſdem eſſe animas θεοφορουμένας quæ per quatuor Animalia repræſentantur. Ac proinde membra omnes eſſe Regni ***Meſſiæ*** Spiritualis, quemadmodum ſuprà notavi. Veritatem verò hanc vehementiùs inculcari, addendo porrò, Spiritum vitæ fuiſſe in Rotis, (quod & *cap.* 10. *v.* 17. repetitur) רוח החיה. Septuaginta vertunt πνεῦμα ζωῆς. ***Spiritus*** autem ***Vitæ*** Rotis non competit ſed Animabus, quibus Divina Nativitas nondum perdita ſit, aut rurſus recuperata. Neque infrequens eſt apud Prophetas unam eandémque rem ſub diverſo reſpectu per res diverſas in eadem Viſione repræſentare. Sic ***Apoc. cap.*** 17. Imperium Romanum quatenus latum ac populoſum, per multas ***aquas*** repræſentatur ſuper quas Meretrix ſedet, ***v.*** 1. Et *v.* 3. quatenus in corpus Politicum redactum, per ***Beſtiam*** figuratur, cui eadem Mulier inſidet. Atq; hæc de Rotis: pergimus ad Aurigam & Thronum ejus, *&c.*

Ad triceſimam nonam, Per ſimilitudinem Firmamenti quaſi aſpectum Cryſtalli horribilem, cui Thronus eſt impoſitus, intelligitur ingens Vorticis Expanſum, ***diaphanum*** ut ***Cryſtallus***, propter verò ***immenſam*** extenſionem ***horribile***, ità ut horrorem ſpectanti vel contemplanti incutiat, præſertim dum conſiderat Animarum גלגול per tam vaſta ſpacia rotari.

Ad quadrageſimam, Quantùm ad Thronum ***Sapphirinum*** non dubito quin aliqua Alluſio eſſe poſſit ad lapidem ***Sapphirum.*** Cœleſtem enim quandam ac æthercam naturam refert color ejus cæruleus. Tinctus verò ac coloratus eſt commodè in reliquo æthere Thronus, ut ſit Objectum ab immenſa mole Ætheris circumfuſa diſtinctum, quæ diaphana ſeu pellucida ut cryſtallus, repræſentatur. Durities ***Sapphiri*** durabilitatem Regni illius qui Throno inſidet, ſignificat. Huc ſpectat illud ad ***Hebræos*** cap. 1. (ex Poſtulato decimo tertio & decimo quarto) v. 8. ***Thronus tuus Deus, in ſeculum ſeculi, virga recta virga regni tui, dilexiſti juſtitiam & odiſti tranſgreſſionem, propterea unxit te O Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra conſortes tuos.*** De regno ***Meſſiæ*** ejúſque anima hîc agi manifeſtiſſimum eſt, cùm de unctione facta ſit mentio. De qua paulò pòſt in hac Viſione. Altera ***Sapphiri*** virtus eſt ut veneream impuritatem non ferat, fœdáſque libidines comprimat. Quæ puriſſima & immaculatiſſima Virginitas ſtatui ſummè ***Aziluthico*** maximè convenit. Et redempti à terra ***Apoc.*** 14. Agni utique aſſeclæ, ***Virgines*** vocantur ob puritatem affectuum.

Verùm enimvero quanquam hæc non contemnenda ſunt, magna tamen animo inſidet ſuſpicio majus adhuc quid per Thronum ***Sapphirinum*** indigitari. In ***Tykune Zoar***, Orationis ***Eliahu*** Interpres, de Numerationibus tandem agens, apertè ait dictionem כפירות à voce ספיר, [***Exod.*** 24. 10. כמעשה לבנת הספיר] derivatam eſſe: quaſi ***Sephiroth*** Numerationes non ſignificarent ſed Emanationes flammantes & ſcintillantes, ſplendorémque Sapphiri imitantes. Cujus quidem ſententiæ quanquam minimè accedo, ut qui decem ***Sephiroth*** decem Numeros tantùm ſignificare exiſtimem, quemadmodum fit in Denario ***Pythagorico***; tamen diſſimulare non poſſum quin admodum veriſimile credam Thronum hunc ***Sapphirinum*** etiam ad ***Sephiroth*** per ſatis perſpicuam nec minùs uſitatam ***Paronomaſian Propheticam*** alludere. Non quidem ad ***Sephiroth*** ipſas quæ non niſi meræ Numerationes ſunt, ſed ad eas res quarum ſunt Repoſitoria, & ad ipſas ſanè quatenus earum rerum Repoſitoria ſunt, & ad tres primas præcipuè, quæ tres primariæ ſeu primordiales Numerationes à R. ***Schabthe*** appellantur. Súntque ***Corona ſumma, Sapientia*** & ***Intelligentia.*** Quas & tres Mentes eſſe aſſerit (ſi ſatìs fidus ſit ***Rittangelius*** illius Interpres) quas indè neceſſe eſt tres eſſe Perſonas, quippe quæ ſic habent centra ſua perceptiva diſtincta ſingulæ. Ipſéque aſſerit quamlibet earum eſſe mentem per ſe, & in æquali dignitate quaſi ſummè unum quid conſtituere. Quæ quidem ad Fidem Chriſtianam Catholicam & Orthodoxam quàm proximè videntur accedere.

Cæterùm illud ad quod nos hìc maximè ſpectamus hoc eſt: Alluſionem ſcilicet hanc ad tres primarias ***Sephiroth***, inſinuare ipſam Divinitatem hunc Thronum ***Sapphirinum*** eſſe ad quem evecta ſit Anima ***Meſſiæ*** per Poſtulatum decimum tertium, ex unione illius Hypoſtatica cum Perſona ***Cochmah***, ſive æterno ***Logo***. Unde ipſa Divinitas quæ ſui ipſius locus, Thronus ac Fulcrum eſt, facta eſt animæ ***Meſſiæ*** Thronus atque Fulcrum.

crum. Neque habet hæc locutio quicquam in ſe abſoni, cùm Deus & מקום & מעון & locus & habitaculum appelletur. Ut verò tres primæ **Sephiroth** triunam Divinitatem complectuntur, ità ſeptem reliquas creatorum Spirituum præſertim bonorum Univerſalitatem ſignificare, in **Annotatis** ad ſecundam Tabulam **Cabbaliſticam**, breviter indico. Ità ut Thronus **Sapphirinus** ſimpliciter ad decem **Sephiroth** alludere poſſit, quibus omnibus aliquâ ratione Anima **Meſſiæ** dici poſſit inſidere: ut & ipſi mali Genii ipſum ſcabellum fieri Throni illius, quos quaſi pede premat ſupprimátve, reliquos verò ſpiritu regat ut ſuprà notatum eſt.

Quin & **Ophan** ſive **Sandalphon**, quatenus **Spiritum Naturæ** etiam ſenſu magìs extenſo ſignificare poteſt, inferioribus hujus Throni partibus meritò videtur poſſe accenſeri. Quid enim iſtuc mirum ſi is qui cum Divina Sapientia ſive **Cochmah**, quod **internum** eſt æternúmque Dei **verbum**, tam mirificâ unione unitus ſit, abſolutiſſimum Imperium habeat in **Verbum externum** qui **Spiritus** eſt **Naturæ**, adeò ut illum in quoſcunque voluerit motus excitare poſſit & omnimoda miracula patrare, elementáque Mundi mutare ordinaréque prout libuerit? Qui enim **Filiam Regis** habet **auream**, etiam illius habet **tunicam**, quæ ſex dies Creationis ſignificat, quemadmodum videre eſt in **Tikune Zoar**. Ingens verò hoc Privilegium ei conceſſum videtur ex fide pacta de Redemptione Populi Dei, & de occidendo Serpente in **Cœlo**, in **Mari**, & in **Aridâ**. Quò quædam non coactè reſpicere videntur quæ in eodem libro occurrunt, in **Sepher** nempe **Jetzirah**. Ubi mentio fit Filiæ Regis in Turri conſpicabilis quæ in uxorem ceſſura ſit illi qui Serpentem occiderit, putà in **Cœlo Jetzirathico** perinde atque in **Mari** & in **Aridâ**. Ibi verò dicitur **Shiloh** fuiſſe qui hoc præclarum facinus patraverit, quemadmodum ſuprà notavimus.

Quæ verò poteſt eſſe illa Filia Regis in Turri ſublimi niſi **Cochmah** ſive **Æterna Dei Sapientia**, quídve Nuptiæ niſi **unio Hypoſtatica**, ut Anima Meſſiæ & Sapientia Dei æterna una fiant Hypoſtaſis, ſicut vir & fœmina unum corpus, quemadmodum innuit Apoſtolus? Filiam verò Regiam ac glorioſam in Turre, idem eſſe quod **Cochmah** in **Kether**, illa appellatio Unitatis **Pythagorica** Ζανὸς πύργος perſuadere poteſt, ubi πύργος, id eſt, **Turris**, reſpondet τῷ **Kether**, **Coronæ**, & Ζεὺς, per quem Græci Cabbaliſtæ τὸν νοῦν, **Divinam mentem** intelligunt, reſpondet τῷ **Cochmah**. Sed Throno huic **Sapphirino** explicando plus ſatìs operæ impenſum eſt, niſi quòd hinc faciliùs ſatisfacturi ſimus Quæſtioni ſequenti.

Ad quadrageſimam primam, Hominem igitur Throno **Sapphirino** inſidentem ſine mora reſpondeo, Animam eſſe **Meſſiæ** cum æterno **Logo Hyperaziluthicè**, vel ſi Scholaſticè mallemus loqui, **Hypoſtaticè** unitam, juxta Poſtulatum decimum tertium. Hic eſt ille Λόγος τοῦ Θεοῦ qui humanâ formâ equo inſidens conſpicitur, **Apoc.** 19. Idem nempe qui מימרא דיי **Verbum Jehovæ** ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, apud Chaldæum Paraphraſten toties dicitur, quemadmodum notat **Rittangelius** in **Sepher Jetzirah**. Verbum autem hoc **Jehovæ** humanâ formâ Patriarchis apparuiſſe, notiſſimum eſt. Quam igitur ob cauſam meliorem id factum putari poteſt, quàm quòd nudus **Logos** non eſſet, ſed λόγος ἐνανθρωπωθεὶς, quanquam nondum ἐνσαρκωθεὶς, **Logos** cum Anima **Meſſiæ** quanquam nondum cum carne illius unitus, ac proinde humanâ formâ, qualis eſt ferè Animarum ſeparatarum Angelorúmque, niſi fortè datâ operâ figuram mutent?

Atque profectò ipſe **Calvinus** Hominem hunc Throno inſidentem Chriſtum eſſe enixè contendit, aptíſque ſacræ Scripturæ locis confirmat. Nam ſub hac forma repræſentatum eſſe in Viſione **Danielis**, ſecundámque Trinitatis perſonam ibi referre ſtatuit, ut Antiquus dierum primam. (Quid autem in hac **Ezechielis** Viſione primam Perſonam referat, mox notabimus.) Neque enim contentus Patrum ſententiâ **Calvinus**, qui dicunt in genere hoc præludium fuiſſe magni illius Myſterii apud **Paulum** memorati, Deus manifeſtatus eſt in carne, meritóq; illud **Hieronymi** execrans, qui verba ait fieri de Patre ipſo; probat hic Filium, ſecundam Perſonam, humanâ natura indutum, eſſe intelligendum ex Johan. 12. 41. *Hæc dixit Eſaias quando vidit gloriam ejus*, nempe Chriſti, *& locutus eſt de eo.* Et ſi Dominus ſolio celſo & elato inſidens, illìc Chriſtus eſt, cum **Logo** æterno unitus, proculdubio idem Chriſtus eſt in Viſione hac **Ezechielis**, cùm Apprehenſio **Ezechielis** & **Eſaiæ** in utraque Viſione eadem ſit, quemadmodum nos docet R. **Moſes Ægyptius**, **More Nevochim**, part. 3. cap. 6. & res ipſa demonſtrat.

Concludimus igitur Hominem inſidentem Solio **Logon** eſſe ἐνανθρωπωθέντα, cùm nec Deus Pater, nec Spiritus Sanctus humanam naturam ſumpſiſſe dicantur. Et ut de **tertia Hypoſtaſi** ex mentione **Spiritûs** ſuprà conſtabat, ſic de **ſecunda** ex **humana** Forma ſuper Solium **Sapphirinum** apparente hìc ſatìs conſtare cenſeo. Atque hinc fortean opportunè moneri poſſumus, cur in Incarnatione Meſſiæ nulla Animæ facta ſit mentio, ut **Johan.**

Johan. 1. 14. Et *Logos* caro factus eſt, quaſi nudus *Logos* cum carne unitus eſſet, nullâ Animâ interveniente. Sed ratio eſt, quia unio animæ *Meſſiæ* cum *Logo* infinitis ferè antè ſeculis facta intelligitur. Unde ſat erat de *Logo* meminiſſe, cùm *Logos* animam in ſe contineat.

Ad quadrageſimam ſecundam, Ut duabus proximè ſequentibus Quæſtionibus accuratiùs reſpondeatur, verſum viceſimum ſeptimum & viceſimum octavum, quàm exquiſitiſſimè poſſum, Latinè reddam. *Et vidi quaſi ſpeciem Chaſmal, tanquam aſpectum Ignis domus illi circùm, ab aſpectu lumborum ejus & ſuprà, & ab aſpectu lumborum ejus & infrà, vidi tanquam aſpectum ignis & ſplendorem ei circùm; velut aſpectum arcûs, cùm fuerit in nube in die pluviæ, ſic aſpectus ſplendoris circúm. Chaſmal* & vulgaris Verſio *Latina*, & *ſeptuaginta* Interpretes & pleræq; omnes Tralationes reddunt *Electrum*, quod Medici vulgò Succinum vocant, quódq, Cordi imprimis amicum eſſe aiunt, ut taceam de Cerebro. Quod ſatìs conſentaneum eſt conſpectui ejus circa medias partes. Nam domus igni eſt circa *Electrum*. Uſus ejus in oleum redacti eximius eſt apud medicos. Per *Electrum* verò hoc ſignificari *Divinum Elementum*, ſuprà ad quæſtionem octavam notavi. Aureámque *Filiæ Regis* Tunicam huc referendam cenſeo, aurúmque purum tranſparens ex quo Nova *Hieroſolyma* facta eſt, *Apoc.* 21. Nam *aurum tranſparens* proculdubio ad *Electri* ſpeciem quàm proximè accederet. Sed mutatâ Divini hujus Elementi conſiſtentiâ in ſpeciem olei, noſtris rebus magìs accommoda eſt, ut aptiùs conveniat cum illo loco ſuprà citato ad *Hebræos*, *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi*, &c. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti tranſgreſſionem, propterea unxit te O Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra conſortes tuos.* Qui locus planè intelligendus eſt de *Meſſia*. Et *Meſſiam* itidem hac in Viſione intelligi debere, etiam ex hac ipſa voce חשמל non obſcurè inſinuari videtur.

Nam חשמל per תמורה; ſive tranſpoſitionem literarum *Cabbaliſticam*, eſt למשח, tanquam *Inſcriptio* eſſet hujus Figuræ humanæ ſuper ſolium ſedentis, quâ indicetur cujus eſſet Figura vel Imago, quemadmodum inſcribitur femori Herois Apocalyptici Equo albo inſidentis, *Rex Regum & Dominus Dominantium*. Fateor deeſſe י literam, ſed admodum commodé. Nam ſic & nomen *Meſſiæ*, quanquam non adeò plenè, ſatìs apertè ſubinnuit, quaſi legendum eſſet למשיח. & ſimul naturam illius rei quæ Electri ſpeciem præ ſe fert, * (quod Divinum illud Elementum eſſe cenſeo in Poſtulato quarto memoratum) perquam eximiè illuſtrat, nempe quòd ſit למשח in oleum vel unctionem. Quod quidem oleum ſive *Divinum Elementum* eſt vehiculum Spiritûs ſancti. Eſtque hæc ipſiſſima illa Unctio de qua S. *Johannes* monet fideles, 1 *Johan.* 2. *Unctio utique quæ ipſos doceat omnia*, & quam à Chriſto acceperint. Univerſi enim hujus Divini Elementi penès ipſum eſt diſpenſatio, quatenus in unam perſonam cum *Divino Logo* coaluit, ut facilè demonſtrari poteſt ex *Johan. cap.* 6. Unde non temerè per omnes Mundos diffundi ſuprà obſervavimus. Maximè proprius autem effectus primúſq; hujus unctionis eſt in cor ipſum, quò à ſui-amore mundetur, ut Amoris verè Divini fiat capax. Servatórque beatos *mundos corde* prædicat, quia ipſi *Deum videbunt*. Et certè non incommodè accidit quòd per *Gematriam Cabbaliſticam* חשמל, *unguentum* hoc, & אור פניאל i. e. *Lux faciei Dei*, idem valeant. Qui valorum conſenſus notatus eſt ab ipſis *Cabbaliſtis* in *Emek Hammelech*, ſive *Valle Regia*. Addúntq; inſuper מלבוש & חשמל per ſuam *Gematriam* idem eſſe. Et verum equidem eſt literis utriuſq; in unam ſummam collectis, utrobiq; ſummam eandem eſſe ſive æqualem. Unde certè illi haud inſcitè colligere poſſunt *Chaſmal hoc* in Viſione ad *veſtimentum* internum *aureum Filiæ Regis* ſuprà memoratum rectiſſimè referri, eſſéque veſtem internam ad quam Renati pro ſuo modulo ſuſpirant, quemadmodum monet Apoſtolus, 2 *Cor. cap.* 5. *v.* 2, 3, 4.

Quid ſit igitur *Electrum*, & quæ Myſteria eſſe poſſint in voce חשמל, ſufficiat pauca hæc breviter libâſſe. Quòd verò domus igni dicitur eſſe circa *Electrum* vel *Chaſmal*, videtur innuere *Chaſmal* ſive *Divinum Elementum* in igneo ſive æthereo Meſſiæ vehiculo includi, totum verò vehiculum ex eo non componi, quamvìs eo ungatur longè ultra conſortes. Cùm verò domum ignis ab aſpectu lumborum & ſuprà, & ab aſpectu lumborum & infrà extendi ait, totum vehiculum Animæ *Meſſiæ* igneum, quod dixi, vel æthereum eſſe notat, ipsúmque *Electrum* pervadere, atque hoc omne eſſe particulare corpus glorioſum *Meſſiæ* diſtinctum ab alia gloria quam ſtatim proximis verbis deſcribit, *Vidi tanquam aſpectum Ignis & ſplendorem ei circùm*, &c. Quorſum enim illa Repetitio niſi quòd aliam igneam gloriam ſive lucem velit deſcribere? Quæ qualis ſit; in ſubſequenti Quæſtione dicemus.

Ad quadrageſimam tertiam, ***Vidi***, inquit, ***tanquam aſpectum Ignis, & ſplendorem ei circùm, velut aſpectum Arcûs cùm fuerit in nube in die Pluviæ, ſic aſpectus ſplendoris circùm.*** Hæc eſt altera illa gloria à vehiculo ***Meſſiæ*** diſtincta. Deſcribitur autem per Ignem, & Splendorem, & Arcum pluvium. Eſt autem hîc ***Attik Jomin***, ſecundùm tuam Tabulam ***Cabbaliſticam***, qui reſpondet ***Antiquo Dierum*** in Viſione ***Danielis***. Et tria etiam hîc occurrunt ut illîc, nempe in tua Tabula, Ignis, Splendor, Iris. Quæ tria ***cauſaliter***, ſi fas ſit ità loqui, in prima ***Sephirah*** vel Perſonâ continentur. Ipſe enim Deus ***Pater*** eſt αὐτογενὴς, & ***cauſaliter*** in ſe continet ***Filium*** ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ· & ab eo cum Filio procedit ***Spiritus ſanctus***, cujus varia dona per colores ***Iridis*** repræſentantur. ***Pater*** eſt cauſa cauſarum, etiam ſui ipſius, & ſimpliciſſima quaſi Lux, unde & vocatur ***Pater luminum***, ut qui prima Lux ſit & ſimpliciſſima, ſed ſub triplici ſpecie hîc repræſentata, Ignis, Splendoris & Iridis propter rationem ſuprà dictam. * Ignis eſt ***caput Imperceptibile***, Splendor vel Lux eſt ***caput Enſoph***, (nam אין־סוף & אור, quemadmodum ipſe mones, per ***Gematriam*** idem valent) & ***Arich Anpin*** diffuſio Spiritûs. Sed hæc omnia latenter ac cauſaliter, niſi quòd Lux ſit expreſſa appellatio hujus primæ perſonæ, prout ipſe in Cognominibus & Subordinatis mones. Hæc igitur in ultimo loco memorata Lux vel Gloria, eſt Gloria Patris vel Lux Paterna, quam cùm nos, niſi per nebulam quaſi, contemplari non poſſumus, rectè dicitur circundari Arcu cœleſti ſeu ***Iride***, vel ſi malles ***Halone***, quæ etiam ***Corona*** dicitur. Nullúſq; dubito, quin prima ***Sephirah*** vel פרצוף, ***Kether***, i. e. ***Corona***, ab hac Viſione ***Ezechielis*** dicatur, ſplendida quidem ut colores Iridis, ſed cum integro circulo ut ***Halo*** ſive ***Corona*** circa Solem. Rectè autem hæc prima Sephirah ***Kether*** ſeu ***Corona*** dicitur, quia complectitur omnia ***Cauſalitate***. Unde manifeſtum eſt gloriam Patris illâ indicari. Ex quibus concluditur, etiam de ***prima Hypoſtaſi*** in hac Viſione ***Ezechielis*** apertè conſtare perinde ac de ***tertia*** ac ***ſecunda***, cum qua Anima ***Meſſiæ*** unita eſt, & ſuper excelſum Thronum ***Sapphirinum*** collocata, paternâ etiam gloriâ circumfulgens, quemadmodum habet illa Eccleſiæ noſtræ doxologia ad Chriſtum, ***Tu enim ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus O Chriſte cum Spiritu ſancto altiſſimus es in gloria Dei Patris.*** Amen. Atq; hæc de primo Capite ***Ezechielis***. Pergimus ad Quærenda in Capite decimo.

Ad Quæſtionem quadrageſimam quartam, In repetita Viſione, quatuor Animalia dicuntur ***Cherubin***, cùm tamen in prima Viſione dicatur aſpectus eorum eſſe tanquam Hominis, דמות אדם להנה, ***Similitudo hominis eis***, quo ſignificabatur Animas eſſe humanas: Hinc, inquam, innuitur perinde eſſe ſive Animæ ***humanæ*** ſive ***Angelicæ*** cenſeantur, cùm tanta inter eas intercedat naturæ ſimilitudo, quemadmodum intelligi poteſt ex Poſtulato decimo octavo. Quæ certè eximia clavis eſt ad retegendos errores aliquos immanes recentiorum quorundam ***Cabbaliſtarum***, cùm nomen ***Adam*** ad Angelos perinde pertineat atq; ad genus humanum.

Ad quæſtionem quadrageſimam quintam, Per virum indutum lineis Sacerdotem aliquem intelligi exiſtimo, vel Prophetam, cujus zelus accendatur, operáq; Functionis promoveantur ac dirigantur aſſiſtentiâ Spiritûs & miniſterio Angelorum.

Ad quæſtionem quadrageſimam ſextam, Rotæ carnem & terga habere dicuntur & manus & alas, immo addam & caput ex ***v.*** 11. (niſi fortè nihil aliud ſignificet quàm primam partem) & oculos expreſſiſſimè; etiam Rotas ipſas aſſerit plenas eſſe oculis, non contentus dixiſſe carnem, terga, manus & alas ſic eſſe, quaſi totæ ferè conſiſterent ex oculis. Hæc autem omnia tanta cum induſtria inculcantur, ut ſatis poſſimus intelligere, quatuor Rotas & quatuor Animalia idem eſſe, utì ſuprà monuimus. Animalibus enim non Rotis iſtiuſmodi partes competunt. Cæterùm cùm hæc Animarum Univerſitas in quatuor Animalibus plenè contineretur, nemo profectò cauſam facilè excogitare poteſt, cur hîc iterum in Rotis tantâ arte tantóq; opere depingerentur, niſi ut expreſſiſſimè indè deprehendere poſſimus ***Revolutionem*** Animarum per has Rotas indicari.

Ad Quæſtionem quadrageſimam ſeptimam, Et nè aures ipſis deeſſe videantur, ipſis Rotis acclamatum eſt, Prophetâ audiente, הגלגל, O Rota. Et ſurdum profectò eſſe oportet qui hâc voce experrectus non ſtatim agnoſcat ad Cabbaliſticam Animarum גלגולי hîc alludi. Eſtq; mutatio Vocabuli in hoc loco (nam hactenus ***Ophannim*** dixerat) quaſi clavis totius Myſterii Rotarum, apertáq; indicatio, ***Revolutionem*** Animarum tum humanarum tum Angelicarum hîc indigitari, earum præſertim quæ non tam propriâ culpâ quàm Divino fato deſcenderint, nulláſq; aſcendere poſſe niſi pars fiant Rotarum Regiæ Quadrigæ ſemper benedicti Meſſiæ. Ut verò Auriga Rotas, præteritis Animalibus, niſi Rotæ ipſa Animalia eſſent, inclamaret, videtur abſurdiſſimum. Acclamando verò הגלגל non unam aliquam Rotam ſed omnes quatuor intelligit. Sic enim גלגל ſignificat, ***Ezech.*** 23. 24. & in hoc ipſo capite *v.* 6. quo ſolo in loco occurrit Vox גלגל, in aliis locis omnibus in utraq; Viſione vox אפן & אפנים uſurpantur, præterquam hujus capitis verſu 13. ubi acclamatur הגלגל. Videtur autem vox גלגל verſ. 6. datâ operâ uſurpari, ut ubi acclamandum foret הגלגל, *v.* 13. de omnibus Rotis ***Aziluthica***, ***Briathica***, ***Jetzirathica***, & ***Aſiathica*** intelligi poſſit fauſta hæc & alacris Acclamatio. Quippe quòd Rotæ hæ quatuor, ***Regnum*** notant Meſſiæ ***Spirituale*** quacunq; in Rotatione poſitum.

Ad quadrageſimam octavam, Singulæ verò Rotæ quatuor facies habere dicuntur ob eandem cauſam ob quam ſingula Animalia dicta ſunt quatuor habere facies; & præterea, quòd toties inculcatum eſt, quòd idem ſignificent quod Animalia, nempe Animas quatuor Mundorum, Rotatione ſive ***Revolutione*** tantùm additâ.

Ad quadrageſimam nonam, In enumeratione verò, una tantùm facies diſtincta ſingulis Rotis attribuitur, tum ut in hoc etiam Rotæ ſimiles ſint Animalibus, quorum ſingulis, quamvìs quaterna haberent capita, unum præ cæteris peculiariter attribuebatur, ***Aquilinum***, ***Humanum***, ***Leoninum***, aut ***Bovinum***, tum ut hâc enumeratione prior illa veritas pleniùs confirmaretur.

Ad quinquageſimam, Quatuor autem Animalia unum Animal appellantur, *v.* 20. quia in omnibus Mundis & Revolutionibus unæ eædémq; ſunt individuæ Animæ, ſive ſint in ſtatu ***Aziluthico***, ſive ***Briathico***, ſeu deniq; ***Jetzirathico***, ***Aſiathicó***ve. Cúmque nec Angelicæ profectò Animæ à noſtris plenâ ſpecificatione videantur diſtingui, hinc innumeræ hæ multitudines Animarum ſive Angelicæ ſive humanæ, ſive in hoc ſtatu ſive in illo, per Propheticam ***Henopœiam*** unum Animal rectè dicuntur, præſertim cùm ſint unum Regnum & ſub uno Principe, Anima nempe ***Meſſiæ***. Facta verò hîc mentio eſt Fluminis ***Chebar***, ut planè conſtare poſſit, eandem eſſe viſionem quam priùs viderat, על נהר כבר, ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ Χεβάρ. Quod bis illîc inculcatur, quò probabilius fiat, aliquid ſubeſſe Myſterii. Et certè mihi tale videtur myſterium ſubeſſe quod non parvi momenti ſit ad rectam Intellectionem Viſionis. Innuit igitur hæc circumſtantia loci, ſubjectum Viſionis in genere non eſſe de rebus purè immaterialibus & æternis, ſive de tranquilla prorſus ſerenáq;, de fixa immobíliq; Æternitate, ſed de rebus Immaterialibus, cum fluxu temporis ſeculorúmq; decurſu ob unionem cum materia, conjunctis. Hoc נהר כבר Flumen ***Chebar*** (ſive ad מים כבירים ad validum Aquarum fluxum, ſive ad ſignificationem כבר, quatenus Temporis particula eſt ac ferè præteriti, alludatur) ſignificat. Nam & ***Heraclitus*** olim omnia ferri dicebat ποταμοῦ δίκην, addebátq; ni malè memini, nihil verè enunciari poſſe de re quapiam quia res priùs effluxerit, quàm de ea poſſit quid pronunciari. Sed hoc certè verum eſt, mutationes Mundi materialis eſſe quaſi in perpetua præteritione, ut omittam tres primos æonas hujus Viſionis ***Aziluthicum***, ***Briathicum***, & ***Jetzirathicum*** jam præteriiſſe, ut rectè hæc Viſio ſuper fluvium ***Chebar*** conſpecta dicatur, juxta rationem nominis ***Chebar***. Et ex quatuor Rotis manifeſtum eſt omnia hîc eſſe in motu. Quæ quidem, quanquam in principio notâſſe, magìs Methodicum fuiſſet, malui tamen hîc memorari quàm ſilentio prorſus præteriri, cùm inſcitiam eorum ***Cabbaliſtarum*** opportunè prodat, qui quoſdam ex his Mundis ***Mercavæis*** ad res purè immateriales evehant, cùm nè unum quidem Mundum purè immaterialem indicari mihi ſatìs conſtare videatur.

Ad quinquageſimam primam, Ex prædictis ſatis clarè conſtat, Deum ***Iſraelis*** præciſè ſumptum eſſe Æternum ***Logon*** cum anima ***Meſſiæ*** unitum, quemadmodum rectè deduci poteſt ex ſexto capite ***Eſaiæ***, & ***Johan.*** 12. *v.* 41. ***Hæc dixit*** Eſaias ***quando vidit gloriam ejus***, (nempe Chriſti) ***& locutus eſt de eo.*** Viſionem autem ***Eſaiæ*** & ***Ezechielis*** eandem ferè eſſe, ſuprà notavimus ex ***Maimonide***. Hunc fuiſſe Deum peculiarem & quaſi Angelum cuſtodem Populi ***Iſraelis***, multa Scripturæ loca naturaliter videntur indicare. Ut 1 ***Cor.*** 10. 4. ubi Chriſtus dicitur cibâſſe & potum præbuiſſe ***Iſraelitis.*** Et *v.*9. Iſraelitæ dicuntur tentâſſe Chriſtum. Chriſtus verò nuda Divinitas non eſt, ſed Anima ***Meſſiæ*** cum æterno ***Logo*** unita. Et certè quod occurrit ***Hebr.*** 13. *v.* 8. ultrà haud incommodè extendi poteſt quàm ad Nativitatem Chriſti in carne, ***Jeſus Chriſtus herì & hodie idem & in ſecula.*** Ille debellabat Serpentem in Cœlo, ille debellabat in Mari, nempe ***Pharaonem*** in Mari rubro, idémq; debellabit Serpentem ruſum ſepticipitem, Imperium utiq; Romanum, ſuiſq; tandem in manus Aſſeclis tradet. Hoc autem dictum eſt ad ***Hebræos***, ut afflictiones pro Chriſto fortiter poſſent ferre. Vide ***Myſterium Pietatis***, lib. 1. cap. 8. Dediſſe etiam Legem ***Iſraelitis*** in Deſerto (quanquam, ***Incognito***, quod dicitur) nec in forma Filii Dei ſed cuſtodis Angeli populi Iſraelitici, innuere videtur Propheta ***Baruc***, cap. 3. 36. ***Is Deus noſter, non æſtimatur alius cum ipſo comparatus***, id eſt, vileſcunt Dii Gentium

tium cum Deo *Iſraelis* comparati, quia ipſi meri Angeli ſunt. Deus verò *Iſraelis* æterna Sapientia חכמה חקדומה cum Anima *Meſſiæ* unita, quemadmodum ſequitur, ***Invenit omnem viam Scientiæ*** (id eſt, tum ***Legem*** tum ***Cabbalam***) ***quam dedit Jacobo filio ſuo & Iſraeli dilecto ſuo. Poſtea in terra viſa eſt & inter homines converſata.*** Nempe ***Sapientia*** hæc demum incarnata eſt, quem Jeſum Chriſtum vocamus. Sed expreſſiſſimus locus pro illius Incarnatione eſt *Johan.* 1. v. 14. ***Et ſermo Caro factus eſt.*** * Hic eſt מימרא דיי (*Hebraicè* diceretur אמרה fœminino genere, perinde ac חכמה) qui toties apparuit humanâ formâ ***Patriarchis***, unde rectè colligi poteſt Animam *Meſſiæ* ſubfuiſſe, quippe qui fuerit quaſi Angelus Cuſtos Familiæ ***Iſraeliticæ.*** Quod planè hîc innuitur apud *Johannem*, v. 11. ***Ad ſua venit*** (id eſt, ad proprium Populum, quibus tamdiu tanquam Angelus eorum cuſtos præfuerat) ***& ſui eum non exceperunt.*** Et certè nunc מלאך יהוה nunc יהוה dicitur, *Zachar.* 3. 1, 2. Nam de Angelo *Jehovæ*, v. 1. magni Sacerdotis Patrono, *v.* 2. dicitur, quòd dixit Jehovah ad Satan, ***Increpet Jehovah in te Satan.*** Ipſe igitur Angelus dicitur ***Jehovah.*** Quod nuſquam tamen verum eſſe poteſt niſi in perſona ***Chriſti***, qui & ***Angelus fœderis***, & ***Angelus Cuſtos Iſraelis, & Jehova*** ſimul erat. Hæc & ſimilia loca mihi planè demonſtrare videntur, Animam *Meſſiæ* cum æterno *Logo* ante Incarnationem fuiſſe unitam, atq; hanc Hypoſtaſin ex Anima Meſſiæ & æterna Sapientia ſive *Logo* coaleſcentem, Deum eſſe *Iſraelis* præciſè ſumptum.

Ad quæſtionem ultimam, Quæ verò ſit hujus Dei *Iſraelis* gloria facilè intelligitur ex tota Expoſitione hujus Viſionis *Ezechielis.* Eſtq; hæc ipſiſſima illa gloria Chriſti quam memorat *Johan.* 17. *v.* 5. ***Ego te glorificavi in terra, opus conſummavi quod dediſti mihi ut facerem.*** Nempe firmiter ſtatuit, ſicut promiſerat in Mundo putà ***Briathico***, pro redemptione populi, in hac terra, infima Regione immenſæ illius provinciæ ſibi à Patre commiſſæ, pati. In ſequenti igitur verſu orat, ut in eas poſtmodum Regiones ſuperiores redire liceat, ubi apud Patrem vel in gloria Patris, quemadmodum in Viſione *Ezechielis* deſcribitur, regnaverat, ante Mundi *Aſiathici*, in quo tunc conſiſtebat, jacta Fundamenta. Hic enim ſenſus videtur genuinus illius orationis, *v.* 5. ***Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipſum eâ gloriâ quam habui apud te priuſquam mundus eſſet.*** Quod neceſſariò de humana natura intelligendum eſt. Divina enim eſt immutabilis, nec poteſt ſtatus illius minui. Et dicit eâ gloriâ quam habui, ἣν εἶχον, quod nulla Grammatica permittit ut vertatur, Habiturus ſum; & ſi permitteret, frigida tamen profectò ſic eſſet, & diluta Interpretatio. Argumentum enim nihil in ſe peculiare haberet, omnibúſq; nervis careret ac venuſtate.

Atq; nunc ſpero me, pro modulo meo, quinquaginta hiſce duabus quæſtionibus circa Viſionem ***Ezechielis*** ſatisfeciſſe. Quæ proculdubio veteris ***Cabbalæ*** Metaphyſicæ pretioſiſſima eſt Fodina, ex qua omnes Veritates Metaphyſicæ ullius momenti effodiendæ ſunt, aut ſaltem commodè ad eam referendæ. Cujus rei eximium puto fuiſſe Inſtrumentum decem Numeros, quos *Græci* ***Cabbaliſtæ*** Denarium ***Pythagoricum***, *Hebræi* decem ***Sephiroth*** nominant. Nec tamen Numeros ſed Emanationes eſſe, haud ſatìs ſolido conſilio, quantum ego quidem exiſtimo, finxerunt. Sed penès harum rerum peritiores judicium eſto. Ego interim uſum horum decem Numerorum Nominúmq; in Tabula Cabbaliſtica, ſingulis affixorum, per modum brevis quaſi ***Catechiſmi Cabbaliſtici*** vel potiùs *Mercavæi*, aliquot propoſitis Quæſtionibus illuſtrabo; ut clariùs pateat nihil opus eſſe ut iſtæ decem ***Sephiroth*** pro tot ***Emanationibus*** habeantur. Decem verò illa Nomina ad Viſionem hanc ***Ezechielis*** ſpectare, nullam puto apud emunctæ naris homines unquam fore controverſiam.

SCHOLIA

In Expoſitionem *Mercavæ*, *Poſt.* IV.

SPiritus Naturæ quem Cabbaliſtæ Sandalphonem appellant, &c. ***An totus Spiritus Naturæ*** Sandalphon ***ab ipſis appelletur dubito, certus interim Mundum tantummodo*** Aſiathicum ***illiúſve partem inferiorem, ſi rationem nominis ſpectemus, jure ſic appellari poſſe. Videtur enim*** Sandalphon ***nomen eſſe conſlatum ex*** סנדל ***&*** אפן ***quæ facilè raptim coaleſcunt in unam vocem*** Sandalphon, ***quæ Rotam infimam denotat, quaſi Rotarum Sandalium eſſet ſive loco infimo poſita.***

Ad Quæſt. 42. Quod Divinum illud elementum eſſe cenſeo in Poſtulato quarto memoratum, *&c. Nè temerè Electrum de Materia quadam Divina à reliqua Mundi Materia diſtincta interpretatus videar, eſſe quidem tale Elementum corpúſve Divinum, quale & in* Divinis Dialogis *(Dialog. 4.) deſcripſi, Principiúmq; Regenerationis ſubſtantiale illîc feci, fuſiùs hîc demonſtrabo, tranſcriptis huc quæ haud ità pridem ad Amicum quendam, meam ſententiam ſuper hac re ſciſcitantem reſcripſi. Naturam igitur novæ Nativitatis partúmve Divinum in Homine, ſubſtantiale quid eſſe cenſeo perinde atq; partum naturalem. Partus enim noſter in hoc corpus terreſtre ipſius Animæ generatio non eſt (quippe quæ admodum craſſa profectò foret philoſophandi ratio) ſed vitalis unio* plaſticæ *partis Animæ cum* terreſtri *Materia, parte ſcilicet Materiæ* Mundi naturalis *in qua* Spiritus Naturæ *dominatur réſq; illîc gubernat, movet ac modificat. Cujus* Plaſticæ *partis Animæ Centrum Tabernaculum ſuum poſuit in corde; Naturaléſq; affectus omnes, ut Sui-Amor radix ipſa cum ramulis univerſis, heîc ſuam habent ſedem, atq; hinc ad* Perceptivam *Animæ partem in Capite tranſmittuntur. Atq; ex eo quòd* Plaſtica *pars Animæ unitur cum Materia quam* Spiritus Naturæ *actuat,* Spiritus *hic* Naturæ *vim quandam etiam habet ac imperium in Animæ Imaginationes & Affectus; ſaltem in eis promovendis & corroborandis, ſi non ſemper in excitandis; in illis præſertim Paſſionibus & Affectibus quos Regni Naturæ illiúſq; perpet$\overset{u}{n}$ationis in talibus Regionibus ac Conditionibus quibus conſtitutum ſit, ſive Aereis ſive Terreſtribus cieri interſit aut excitari.*

Jam verò quemadmodum ſubſtantialis partus Animæ in corpus Terrenum, illius eſt cum ipſo per Congruitatem vitalem Terreſtrem *unio; ità* nova *Animæ* Nativitas *ſubſtantialis in novum etiam fit corpus, quod* elementale *non eſt, niſi* Divinum *appellare lubet* Elementum *ut & reliquam Mundi Materiam* Naturalem. *Quippe, quemadmodum* Ariſtoteles *cœlum ſtatuere dicitur* πέμπτην οὐσίαν, quintam Eſſentiam, *etiam quantùm ad materiam, à Mundo Elementali ſpecificè diſtinctam; ità* Divinum *hoc* Corpus *à reliquis corporibus omnibus in Univerſo diſtinguitur, immò à Cœlis ipſis* Naturalibus, *quorum materia mutabilis eſt & corruptibilis, ità ut quamlibet recipere poſſit modificationem, hoc verò nunquam in ullas corruptibiles modificationes variabile eſt, nec ullius turpitudinis aut corruptionis, ulliúſve rei improbæ & pollutæ unquam ſit Inſtrumentum; Sed eſt tanquam* Sal *quidam* Divinus *ad conſervanda omnia ſalubria & incorrupta, & ad conſumendum quicquid corruptum eſt & impurum.* Omnis homo igne ſalietur, *&c.* Habete in vobis ipſis ſalem, & pacem habete inter vos mutuó.

Marc. 9.

Hoc illud eſt, quod vel ipſius Paradiſi *Regiones ſanctificat, immediatúmq; Vehiculum eſt æterni Spiritûs Filii Dei, eſſentialis Sapientiæ Patris, cujus deſcriptio in libro* Sapientiæ Salomonis *tam copioſè proponitur. Ubi inter alios characteres (quanquam illa ipſa Sapientia quæ creavit omnia illîc deſcribitur) hi etiam recenſentur; Quòd ſit* ἀτμὶς ϗ ἀπόῤῥοια, quòd ſit Vapor & Effluxus è potentia Dei; *&* ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς θεοῦ ἐνεργείας, purum & immaculatum Speculum in quo operationes Divinæ à nobis percipiuntur, in nobis utiq; ipſis. *Qui characteres, meo quidem judicio, haud ità idonei forent qui* Divinæ *darentur* Sapientiæ *ſive* Logo, *cujus æternus Spiritus per ſingulas ætates in ſanctas animas ſe transfert amicóſq; Dei conſtituit & Prophetas, niſi de eo intelligendi eſſent conjunctim cum ſuo vehiculo* Divinóve corpore *per quod operatur in animas ſanctas & regenitas, quódq; ſit principalis materia in* Mundo Divino, *quæ magìs immediatè regitur actuatúrq; ab* æterno Spiritu *ut* Naturalis *& corruptibilis* materia *à* Spiritu Naturæ. *Quamobrem vitalis unio* Plaſticæ *partis animarum noſtrarum cum hac* Divina materia *æquè realis ac ſubſtantialis* Regeneratio *eſt Animæ, atq; illius unio vitalis cum* terreſtri materia *realis erat ac ſubſtantialis illius* Generatio. *Et quemadmodum* terreſtris *noſtra* unio *nos ad res indignas ſordidáſque propellit,* Spiritu *ſimul* Naturæ *incitante & animante; ità* unio *noſtra cum* Divino *hoc* corpore, *in quo Diviniores Animæ facultates expergeſiunt, ſurſum nos cœlum versùs rapit atq; evehit, nóſq; omni genere actionum & ſenſationum ſanctarum implet,* æterno Spiritu *nos ad hoc ſimul inſtigante & corroborante, quemadmodum haud obſcurè innui etiam in Enchiridio meo Ethico,* lib. 1. cap. 6. ſect. 8.

Et deniq; quod præcipuè notandum eſt, ſicut terreſtris unio *facultatis* Plaſticæ *Animarum noſtrarum cum illa parte quam Spiritus Naturæ cum reliqua Mundi Materia* Naturali *actuat, in fortiſſimas ſenſationes nos captivat Sui-Amoris, Sui-exultationis, Sui-gloriationis, Sui-ſolicitudinis,* &c. *ità unio* Plaſticæ *Animarum noſtrarum cum* Divina *Materia, in qua* æternus Spiritus *operatur, relaxat nos liberátq;*

liberátque, & ſi fas ſit ità loqui, excardinat, *id eſt, è cardinibus omnis amoris proprii ſuáſque res quærentis ſubmovet, nóſque totos implet, evehit, abripítque in amorem Dei & universæ Creationis, & in zelum vividum, fervidúmque deſiderium promovendi quicquid ad illius Regni rem augendam conducat, ut vis ac potentia Regni Chriſti illius, fidelitáſque magni noſtri Advocati ac Patroni Domini Jeſu, qui miſſionem Spiritûs omnibus in eum verè credentibus promiſit, per totum terrarum Orbem innoteſcat. Sic enim ſuam Eccleſiam primùm inſtituit, & cum ipſa eſt ad finem uſq; Mundi :* Herì & hodie idem & in ſecula omnibus verè credentibus. Creditis in Deum, etiam in me credite. Johan. 14. 1.

Nec tamen hæc noſtra unio cum Divino corpore *in* nova Nativitate *quod* æternus Spiritus *omniſcius actuat, nos magìs arguit omniſcios fore, quàm unio* Plaſticæ *cum certa parte Materiæ quam* Spiritus Naturæ *actuat (qui Spiritus in ſeipſo ubique* vitaliter *&* energeticè omniformis *eſt, quanquam operatur tantùm pro requiſita conditione talis particularis Materiæ) nos aut in externa ſpecie, aut internis ſenſationibus & proprietatibus unquam evaſuros arguit* omniformes. *Quamobrem, quemadmodum* Vitalis Omniformitas *Spiritûs Naturæ ſe in menſura tantùm exonerat pro conditione particularis materiæ ſubjectæ in quam operatur ; ità* externæ energiæ *Æterni omniſciique Spiritûs in* Divinum *corpus ad certum modum exeruntur, & talia tantummodo impertiuntur, quæ ad talis ſpecificæ Naturæ perfectionem tendant, qualis eſt Anima humana, taliáque quæ rebus Regni Chriſti promovendis inſerviant.*

Et nè magìs ſoliciti videamur de obviandis Objectionibus quàm de dogmate hoc noſtro, per poſitiva argumenta confirmando, præter ea quidem quæ ex libro Sapientiæ *attulimus, qui minùs Canonicus habetur,* ſubſtantialitas novæ Nativitatis *ſuprà explicata multis Novi Teſtamenti locis valdè eſt conſentanea ; ut* Johan. cap. 3. v. 5. *Niſi quis regenitus ſit* ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ex Aqua & Spiritu : Ἐξ *illìc naturaliter* Materialem *Cauſam innuit ex qua* nova Nativitas *fit, ex* Spirituali corpore *Aqua ſymbolicè nominato. Majoriq; cum compendio poſtea appellatur* Spiritus, *utpote quod* corpus *eſt* Spirituale, *idoneúmq; ac proprium vehiculum operationum Æ*terni Spiritûs. Quod genitum eſt ex carne caro eſt, ἐκ τῆς σαρκὸς, & quod genitum eſt ex Spiritu, ἐκ τοῦ πνεύματος, Spiritus eſt. *Ubi* ἐκ *naturaliter* materialem *rurſus cauſam ſignificat. Atq; heìc* materialis *hæc* cauſa *omiſſo ſymbolo, citra omnes ambages* Spiritus *continuò vocatur, quippe quum purum ſit* Divinúmque ac Spirituale *corpus, quemadmodum Apoſtolus loquitur,* 1 Cor. 15. Eſt corpus Animale *ſive* Naturale, & eſt corpus Spirituale : *Ut certè omnia illa corpora ſive univerſa illa Materia cui* Spiritus Naturæ *dominatur immediatéque actuat,* Naturalis *eſt.* Divinum *verò* corpus *quod Inſtrumentum eſt propriúmque* Æterni Spiritûs *Habitaculum, rectè appellatur* Spirituale, *quæ materia eſt* novæ Nativitatis. *Hic facilis eſt nativúſque ſenſus horum locorum.*

Et certè quando Servator tam ſeriò profitetur, Amen, Amen, dico tibi, Quod ſcimus loquimur & quod vidimus teſtamur, *declaratio eſt propriæ ſuæ Experientiæ de principio hoc* Nativitatis ſupernaturalis, *quo humana illius Natura fruebatur, quippe qui ab ipſo utero ad eum modum ſanctificatus eſt. Effecta autem illius maximè conſpicua erant aliis in monte* Tabor, *quando corpus ejus terrenum, principium illud adeò inundabat* ut ſplenderet facies ejus ut Sol, veſtimenta autem ejus facta eſſent alba ut Lux : *ac ſi* Divinum corpus *ſive materiale principium* novæ Nativitatis, *illud* σῶμα αὐγοειδὲς *eſſet de quo* Pythagorei *quidem loquuntur, Servator verò reverà adeptus eſt, & tali quidem menſurâ quali nemo quiſquam hactenus eſt adeptus aut unquam adepturus. Unde planè videmus quàm abominandâ ſtupiditate aut furore correpti ſint, qui ſeipſos ſupra beatum Jeſum exaltant.*

Loci igitur iſti in capite tertio S. Johannis *planè ſignificant,* Novam Nativitatem *in unione conſiſtere cum* Novo *corpore* Spirituali. *Súntque alii Scripturæ loci qui huic notioni valdè favent.* Ut 2 *Cor.* 4. 6. *ubi Apoſtolus ait,* Quòd etiamſi externus homo noſter corrumpitur, internus tamen renovatur indies. *Heìc quidem maximè obvium eſt per* internum hominem *Animam intelligere cum interno corpore* ſpirituali. *Qui internus Homo propter* corporis ſpiritualitatem *videtur conjunctim unus integer* ſpiritus *appellari,* 1 Theſſ. 5. 23. Ipſe autem Deus Pacis ſanctificet vos totos, & Spiritus veſter integer, tum Anima tum corpus, inculpatè in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur. Ὁλόκληρον πνεῦμα *Spiritus integer cum omnibus ſuis partibus (ità enim* ὁλόκληρον *propriè ſignificat) vel cum ambabus ſuis partibus, ut qui conſiſtit ex* anima *&* corpore ſpirituali, *quæ ambo unum* integrum Spiritum *ſive* Hominem Spiritualem internum *conſtituunt. Cujus interni Hominis* Renovatio *ſive* ἀνακαίνωσις *idem eſt quod ejus* Regeneratio *ejuſdémq; augmentum.*

Quæ Regeneratio *ſive* Renovatio *interni Hominis quòd in Vnione conſiſtit cum* novo corpore, *manifeſtum eſt ex ſequenti Capite ſecundæ hujus Epiſtolæ ad Corinthios. Vbi etiamſi Domicilium* non manu factum *Apoſtolus illud appellat, eſt tamen æquè* corpus Animæ *atque ejus corpus* terrenum *eſt, quod ibi etiam* Tabernaculum *vocatur. Cæterùm ideo* οἰκία ἀχειροποίητος *nominatur, quia nec factum eſt nec conjunctum cum Anima per* Spiritum Naturæ *(nam & corpus terreſtre quod opus eſt Naturæ, ſine manu etiam factum eſt) ſed per operationem* æterni Spiritûs. *Quam ob cauſam, quódq; præterea ſemen ſit* beatæ Immortalitatis, *dicitur* æternum; *& in* cœlis *porrò, ex eo quòd præcipuè in* Ætherea *ac* Paradiſiaca *ſubſtantia invenitur, éſtque illius* ſal Divinus *ut ità dicam, & quaſi* condimentum, *quo corpus incorruptum conſervetur in æternum. Tanta quidem neceſſitas eſt ut quiſque igne ſaliatur, corruptáve illius natura abſumatur exuratúrque à ſale, ut illi ſolummodo adhæreſcat quod* Divinum *eſt &* cœleſte. *Vide Paraphraſin meam in primos verſus* cap. 5. 2 Epiſt. *ad* Corinthios, Myſter. Pietatis, lib. 1. cap. 7. ſect. 4.

Hoc cum Spiritu Vitæ *in eo reſidentis vocatur etiam* ſemen Dei *in Regenitis*, 1 Johan. cap. 3. v. 9. *Et de hoc dicitur*, 1 Pet. c. 1. 23. Renati non ex ſemine corruptibili ſed incorruptibili, διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ, καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, per Sermonem, per Logon viventem Dei & permanentem in æternum. *Ille eſt qui ſemen hoc inſeminat per* æternum Spiritum, *quod ſemen eſt etiam verum illud* Manna, *prout* Logos *hic æternus Incarnatus apertè teſtatur*, Johan. 6. *v.* 33. *Atque equidem tota ſermocinatio Servatoris in iſtoc capite ab illo verſu ad verſum* 64. *adeò ſublimis eſt adeóque ſupra communem Intellectûs humani rationem remota, ut niſi* ingens *aliquod* Arcanum *ſubſit, modò liberè liceat effari quod ſentio, multa quidem dicta Dei filio minùs videbuntur congrua, nec mirari debemus, ea cùm Judæis in genere, tum diſcipulis propriis tantum dediſſe ſcandalum. Quòd verò* ingens *quoddam* Arcanum *eis ſubeſt, manifeſtum eſt partim ex ipſis locutionibus mirum in modum Paradoxis, & partim ex illa, ad extremum, Servatoris ſubindicatione ad diſcipulos*, Caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus ſunt & vita ſunt.

Atque nunc equidem iſtas ſubindicatiunculas nobis arripientes, haſce tres præmittamus ſuppoſitiones. Quarum prima indubitabilis omnino eſt, Incarnatio ſcilicet Æterni Λόγου cum humana natura Chriſti; *Atque altera citra omnem controverſiam ſita, nempe*, Quòd Spiritus ſanctus, qui Dominus eſt ac largitor Vitæ, ſpiritus ſit Λόγου. *Nam ſic ait*, Johan. 16. 14. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem. Ille me glorificabit quia de meo accipiet quod renunciabit vobis. *Tertia ſuppoſitio*, Quòd hujus Spiritûs operatio, propriè & immediatè (*quemadmodum* Spiritûs Naturæ *operationes in* Naturalem *Materiam Vniverſi*) in certam quandam Materiam Divinam itidem fit, per quam ad hominum aliarúmq; omnium Intellectualium Creaturarum animas pertingit, *ut operationes* Spiritûs Naturæ *ad animas noſtras penetrant per communem materiam Vniverſi. Adeò ut hæc* Divina Materia, *ut communis Materia Vniverſi* Spiritui Naturæ, Æterno Spiritui Λόγου *approprietur, illiúſq;* Spiritûs *quaſi* corpus *ſit, & ex conſequenti* corpus Λόγου, *cujus ille eſt* Spiritus. *Atque* Divinum *hoc quidem ac* Spirituale *corpus quippe vehiculum* æterni Spiritûs *Vitæ atque Lucis*, illa unctio eſt quæ nos docet omnia, 1 *Johan.* 2. 20. *Atque hoc quidem oleo etiam inuncta eſt humana Natura Chriſti præ cæteris omnibus; ut prætercam* Hypoſtaticam, *quam Scholæ appellitant unionem, ipſius Animæ Chriſti cum* æterno Logo.

Quamobrem cùm Univerſa hæc Materia Divina *ad Chriſtum pertineat, quatenus eſt* æternus Logos, *etiam illa cum qua ſancti Angeli uniuntur, quicquidve illius reliquum eſt per totum Vniverſum, (nam* Manna *hoc abſconditum, eſt quidem, prout in libro Pſalmorum appellatur*, verus Angelorum Cibus, *perinde atque Cibus & alimentum Animarum regenitarum) nihil eſt in tota Servatoris ſermocinatione in ſexto illo capite S.* Johannis *cujus ſenſus* Spiritualis (*& ſanè quòd* ſpiritualiter *ſive* Myſticè *intelligenda ſit, ipſe Servator apertè nobis confirmat*) *ex conceſſis hiſce* tribus ſuppoſitionibus *non facilis ſit & Rationi conſentaneus.*

Hinc enim facilè intelligimus non Moſen *fuiſſe qui verum Manna de Cœlo dedit, qui* Panis *eſt Animarum* Regenitarum *bonorúmq; Angelorum, illéque* ἄρτος ἐπιούσιος, *quem docemur petere in Oratione Dominica, quippe quòd* ἐπιούσιος *vocabulum videatur datâ operâ formatum ad hoc myſterium ſubindicandum, naturalitérque ſignificet, quemadmodum & ſatìs probati Critici reddiderunt*, ſuperſubſtantialis *&* ſuperesſentialis; *Quod talem indicat panem qui ſubſtantiam ſuperaddat non tantùm* præter *ſed &* ſupra *Naturam ſubſtantiæ noſtræ naturalis. Et talis reverà eſt panis de cœlo quem Servator ait* Moſen *non dediſſe ſed ſeipſum dare, panem nempe Dei ſive* Divinum corpus quod dat vitam Mundo, *v. 33. quódque animæ cujuſq; verè credentis dat. Et ſimiliter quando ait* v. 53. *affirmátq; ſeriò,* Amen, amen, dico vobis, niſi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis: *Et rurſus,* Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: *Hoc quidem quod ſpeciem adeò alienam & monſtroſam præ ſe fert, & tamen tam ſeriò vehementérq; affirmatur, ex præmiſſis ſuppoſitionibus* Arcanum *eſt perinde* rationabile *& ſolidum atq;* ſublime, *tantique ſanè momenti ut debeat profectò eo cum fervore ac vehementia affirmari, nec vel minima ſubeſt abſonantia aut Incongruentia in Myſterio ipſo. Hìc enim Filius hominis, prout appellatur, ſive* Meſſias, *cùm* Hypoſtaticè *unita ſit cum* æterno Logo, *verè poteſt propriéq; declarare, quandoquidem quicquid uſpiam in mundo exiſtit* Divinæ materiæ, *illius corpus eſt, quatenus eſt* æternus Logos *(cùm Caro hìc* Symbolicè ponatur *pro* Divino Corpore, *&* Sanguis, *(nam Sanguis omnis Carnis vita ipſius eſt) pro* vita æterni Spiritûs) *poteſt, inquam, verè ac propriè declarare,* Qui non edunt carnem filii Hominis, illiúſq; ſanguinem non bibunt, vitam non habere in ſeipſis: Suámq; carnem verè cibum eſſe, ſanguinémq; ſuum verè potum: Divinum *putà* corpus *illúmq;* Spiritum vitæ, *quæ modo adeò eminenti in eo reperta eſt etiam quantùm ad* humanam Naturam, *quæq; ad eum pertinet univerſa ſecundùm* Naturam Divinam, vel *quatenus eſt* æternus Logos, *à quo atq; Patre* æternus *eſt* Spiritus *Dominus ac largitor vitæ. Adeò ut loco Canabaliſmi ejúſq; carnis humanæ ſanguiniſq; illius potationis, quæ diſcipuli ejus perinde atq; Judæi meritò abhorrere poſſent & abominari, maximè ſublime ſe hìc nobis offert maximéq; ſolenne Myſterium quod cum filiis hominum communicari poteſt, & quod* præcipuum *Evangelii videtur eſſe* Arcanum. *Vide* Myſterium Pietatis, *lib.* 8. *cap.* 9. *ſect.* 2.

Quamobrem hæc Servatoris ſermocinatio quam Judæi ſuiq; adeò diſcipuli tanto cum horrore & averſatione exceperunt, cùm ex his ſuppoſitionibus tam venerabilis intelligibiliſq; veritas appareat, taliſq; quam omnes verè Fideles meritò cum gaudio ac gratiarum actione recipiant, quæq; tam manifeſtò ad Divinitatem Chriſti confirmandam conducat; omnes ſuppoſitiones quæ tam neceſſariæ ſunt ad eam explicandam ſolidúmq; ſenſum conficiendum, debent quidem ab omnibus hominibus qui ratione pollent nec laborant præjudicio, quanquam novam Nativitatem *nondum aſſecuti ſint, haberi pro veris. Una autem ex iſtis hæc eſt, Quòd Anima regenita cibatur ac nutritur* divino corpore *Chriſti quatenus eſt* æternus Logos, *ejuſdem generis cum illa ipſa unctione ſive* ſpirituali corpore *quo humana natura Chriſti inuncta eſt; quippe quum univerſa per totum Mundum* Divina Materia *ad Chriſtum pertineat, tum ſimpliciter quatenus eſt* Æternus Logos, *tum ob partem etiam illam ſive peculiarem portionem humanæ illius naturæ aſſignatam. Hoc Myſterium ſatìs jam manifeſtum eſſe ſpero nullo præjudicio laborantibus, etiam ex Ratione ac Scriptura.*

Notitia verò experimentalis longè alia res eſt, omniſq; ab ea argumentatio parum valebit apud inexpertos. Expertis verò ſatìs conſpicua oborietur evidentia in progreſſu fructúq; Regenerationis, novum corpus *ex* nova Nativitate *ſibi acceſſiſſe, alîus planè generis atq; corpus ſuum naturale eſt, irregenitis commune pariter ac regenitis; quanquam organizatione non magìs indiget quàm tenuiores* Animales Spiritus *quibus Anima utitur in ſuis maximè Philoſophicis Speculationibus & Meditationibus. Quod Organon* homogeneum *cùm ſit, inſervit tamen omni* varietati *naturalium Speculationum quibus Anima humana occupatur. Atq; equidem quantùm ad me, vehementer profectò ſuſpicor nullam eſſe animæ actionem vel in ſubtiliſſimis ſuis Meditationibus, in quibus non aliquo ſubtiliori corporis genere utatur. Adeò ut cùm aliquod corporis genus omninò neceſſarium ſit in omnibus operationibus, corpus aereum in auditione, principium putà globulare in viſione, & alia aliqua tenuis Materia naturalis in naturali Imaginatione, Ratiocinatione & ſimilibus, ſi Anima in ſe ſenſum percipit ſupra omnes alias ſenſationes, eiſdémve contrarium, equidem cum* ratione *concludere poteſt perinde ac aliquo modo* perſentiſcere, *aliud ſibi corpus in* nova *ſua* Nativitate *acceſſiſſe cujus antea ſibi non fuerat conſcia.*

Et certè non dubito quin acris *&* vehemens fames *atq;* ſitis Juſtitiæ Realis, *quæ* Divina *illa animi ſpiritûſve* rectitudo *eſt, nullis Hypocriticis ſui-quæſitionibus ullarúmve animalium Paſſionum gratificationibus præonuſta, aut prægravata; Forte* *illud ac palpabile & inextinguibile deſiderium proſequendi, id quod* abſolutè *&* ſimpliciter optimum *eſt; Ingentes illæ elevationes conatúſq; Animæ ad* excardinandam *quaſi ſeipſam & liberandam ab illa (ut quibuſdam videtur) invincibili attractione validi firmiq; Centri totius vitæ animalis,* Amoris *nempe* proprii, *ut frui poſſit ſuavi illâ ac delectabili influentiâ* æterni Spiritûs *Domini Jeſu, qui eſt liberrimus ille nihilq; ſibi quærens Amor ac Benignitas: Hujuſmodi, inquam, ſupernaturales immò verò contranaturales motus & ſenſationes Animæ, eæq; adeò palpabiles, tempeſtuoſæ ac violentæ, præſentiam Corporis ſupernaturalis, meræq; Naturæ illiúſq; imperfectionibus & corruptionibus prorſus contrarii neceſſariò arguunt, quandoquidem Anima non agit ſine omni corpore & præſertim modo tam palpabili ac violento; nec rationi quidem conſentaneum eſt exiſtimare per ullam modificationem figuræ aut motûs communem ſive* naturalem *Mundi* materiam *ad iſtiuſmodi* ſupernaturales *Divináſq; operationes poſſe adaptari. Summam igitur hanc & ineffabilem, in Anima,* divinæ *illius* rectitudinis Spiritûs *ſitim, per præſentiam* Divini corporis *in* nova Nativitate *fieri oportet, quod inter alias appellationes* Sal *vocatur,* Omnis homo ſalietur igne, *&c. quemadmodum ſuprà monui. Et, ô beatos illos, qui ſic ſaliuntur, quorúmq;* fames *ac* ſitis *indè accenduntur erga* æternam Juſtitiam Dei! *Illi enim pane cœleſti ſaturabuntur, cibo illo ſanctorum Hominum & Angelorum, vero illo* Manna, *corpore utiq; & ſanguine Chriſti, quatenus eſt Æternus* Logos *Spiritûſq; vitæ Fons, quemadmodum ſuprà explicavimus.*

Porrò, palpabilis *illa ac* permanens *ſatisfactio, ſuſtentatio ac* corroboratio *interni Hominis;* Robur *illud ac* Firmitudo *quam experiuntur ad ſincerè conſtantérq; ambulandum in ſemitis Sanctitatis, (ut* Elias *olim poſtquam ediſſet & bibiſſet quod Angeli attulerant, virtute illius cibi, quadraginta dierum iter poſtea confecit ad* Horeb *montem Dei;)* palpabile, *inquam, hoc* robur *poſt hujuſmodi devotiones* Ecſtaticas *&* ineffabilem ſitim inflammatúm*que ardorem erga Juſtitiam Dei, quæ* Divina *quædam* Magia *eſt ad attrahendum ſibi* Manna cœleſte, *ſoláq; vera eſſentia & ſubſtantia omnis hoc genus orationis ſive precationis: Hoc, inquam, etiam alterum ſenſibile argumentum eſt* Divini Corporis *in* Regenitis. *Manifeſtum enim eſt internum hominem* Divino hoc corpore *paſci, illúdq; verum eſſe experiuntur quod Servator tam ſanctè atteſtatur,* Qui non edit carnem ejus nec ſanguinem ejus bibit, vitam in ſe non habere. *Nam ſi veram in ſe habet vitam, habebit &* famem *ac* ſitim; *& ſi eſurit ſititque æternam Juſtitiam Dei, corpore & ſanguine Chriſti, quod eſt verum illud Manna quod cœlitùs deſcendit, paſcetur & ſaturabitur; quemadmodum ſcriptum eſt,* Panem Angelorum manducavit homo, cibum eis miſerat ad ſaturitatem. *Eſtque, inquam, hoc* palpabile *& ſenſibile* robur *ac* firmitudo *interni hominis poſt iſtiuſmodi cibationes, apud eos qui ſentiunt, ſignum etiam palpabile ſe ſibi in animam fortibus ſuis anhelationibus & ſuſpiriis erga Deum ejúſq; juſtitiam,* realem *aliquam* ſubſtantiam Divinam *attraxiſſe, cujus* æternus Spiritus *Chriſti, Oeconomus eſt ac Diſpenſator, ut* Spiritus Naturæ, *communis ac* Naturalis *Materiæ* Univerſi. *Quanquam enim Æternus Pater perpetuum quietis Sabbatum, quantùm ad productionem ullius novæ in Mundo ſubſtantiæ, celebrat; non ceſſat tamen per Spiritum Filii omnia adhuc ordinare, eáq; præſertim quæ ad cœleſte ſuum Regnum pertinent. Quemadmodum Servator etiam apertè profitetur,* Pater meus uſq; adhuc operatur & ego operor, *Johan.* 5. 7. *Et* 2 Cor. *c.* 5. 5. *Deus illîc etiam dicitur nos in unionem diſponere cum* Divino corpore, *Spiritum ſimul nobis impertiens tanquam pignus magìs abſolutæ conſummationis operis ſui, in poſterum perficiendæ.*

Rurſus Inundationes inexpectatæ, inopinatæq; Viſitationes Divini Amoris nihilq; ſibi quærentis Benignitatis Spiritûs, ineffabili exultatione in Deo nos implentis, inq; bono totius Creationis, hæc ſanè tam ſublimis, tam palpabilis, tam delectabilis ſenſatio eſt & eouſq; ſupra Naturam remota eidémve contraria, quippe in ſeipſam tam firmiter defixæ & immerſæ, ut ſupernaturalitas *cum* palpabili *illius* ſenſibilitate *ſimul conſiderata haud obſcuro ſit Argumento, quòd virtute peculiaris cujuſdam ac* ſupernaturalis *corporis Anima tam ſublimium & cœleſtium ſenſationum ſit capax.*

Ad hæc, eſt peculiaris quædam Reprehenſionis *ratio, quam ii experiuntur qui* novam Nativitatem *aſſecuti ſunt, nempe quando motus pravi à reliquiis veteris Adami ſuggeruntur, qui quidem non tam ullâ externâ lege ſcriptâ memoriæve mandatâ, quæ tales ſuggeſtiones prohibeat, ullóve ſimplici conſcientiæ aſſenſu* *æquitati talis Legis, reprimuntur, ſed per præſentiam* realis vitæ *contra* vitam, *ac* ſubſtantiæ *contra* ſubſtantiam *deformitas peccati caput ſuum inferre adnitens, exurgente quâdam* vitali formâ viventéve pulchritudine *internæ ſanctitatis (vitioſo illi ac corrupto motui particulatim contrariâ) pudeſit omnino, conſternatúrque ac confunditur, idque modo tam ſuavi, tam ſenſibili & convincente, ut voluptas quæ talem reprehenſionem comitatur, planè ſit ineffabilis. Eſt autem maximè illi conſimile quod adeò nos oblectat in Muſica, quando Chorda diſſona præcedit, ut ſubſequentem chordam magìs delectabilem reddat & Harmonicam. Adeò hîc* turpe corpus *peccati confutatur & confunditur in omnibus ſuis ſpeciebus ac apparentiis, per aſpectus pulchros venuſtáſque appaventias* vivi corporis *Juſtitiæ.*

Denique hiſce omnibus adde, quos Apoſtolus Galat. 5. *appellat fructus Spiritûs, ut Charitatem, Gaudium, Pacem, Lenitatem, Benignitatem, Bonitatem, Fidem, Manſuetudinem, Temperantiam, & ſimilia, illúdque quod in Epiſtola ad Philippenſes ſpeciali modo* Pacem Dei *nuncupat* quæ omnem ſuperat intellectum, *hoc eſt, omnem Intellectum aut opinionem humanam. Quod etiam verum eſt de reliquis fructibus Spiritûs, qui* veritas *ac* vita *ſunt, quædámque* Divinæ ſenſationes *Animæ, realiter ac verè & in ſua* Divina *proprietate ſine unione* Divini corporis *non percipiendæ. Irregeniti quidem* imaginarias *quaſdam* definitiones *procudere poſſunt,* ſpuriáſque *& analogas de eis* Notiones *à naturalibus Animæ paſſionibus & ſenſationibus efformare, ad veram autem vivámque earum perceptionem niſi* novæ Nativitatis *beneficio, quæ* Divinum corpus *in ſe complectitur, nequaquam poſſunt attingere.*

Adjumenta etiam à Nova *hac* Nativitate *ad Intellectum noſtrum Rationémque in* Divinis ſpeculationibus *perficiendam acuendámque, res eſt ab Irregenitorum oculis abſcondita, quippe quibus ipſa* nova Nativitas *abſcondita eſt. Cùm tamen palpabilis ſit connexio inter has* Divinas ſenſationes *quibus hactenus inſtitimus, & omnia noſtra* certa ratáque Ratiocinia *circa quod juſtum ſit & æquum, reliquáque objecta moralia. Ut ſunt certè* cædem *ſimiliter* Fidei *noſtræ fulcrum præcipuum & ſpeciale adminiculum ad certam ſacrarum Scripturarum intelligentiam, iſto* Spiritu *nobis opitulante, per quem ſcriptæ erant, quandoquidem & nos virtute* Divini corporis *unionem habemus cum illo qui novit omnia, & per hoc principium operatur, confirmans corroboránſque nobis fidem noſtram in omnibus iſtiuſmodi rebus quas noſtrâ ſpeciatim interſit cognoſcere eiſque adhærere, quemadmodum* Spiritus Naturæ *varios Animales Inſtinctus in ipſis brutis Animantibus ſecundùm varias ſuas proprietates adjuvat atque acuit. Verùm hæ conſiderationes cùm magìs ſubtiles ſint, adeóque inexpertis prorſus imperceptibiles, minus operæ pretium fore cenſeo, eis diutiùs immorari.*

Ex eis quæ jam dicta ſunt ſatìs liquere credo eſſe Materiam *quandam* Divinam *à reliqua* Materia Mundana *ſpecificè diſtinctam, quæ* Spiritûs Sancti *vehiculum ſit in Animabus ſanctis & Angelis, ſeménque* Regenerationis, *ac cibus in* Regenitis, *&* Unctio *illa quæ Spiritum ſecum vehens nos doceat omnia. Unde hoc ipſum Principium per* Chaſmal, חשמל, *ut quod per* Temuram *Cabbaliſticam* Unctionem *planè innuit, in hac Viſione* Ezechielis *intelligendum ſtatuiſſe, apud æquos rerum æſtimatores haudquaquam temerarium habitum iri confido. Equidem fateor* Proclum *compendioſiori ratione hac in re philoſophari dum in* Inſtitutionibus *ſuis* Platonicis *tradit,* πᾶν μὲν σῶμα θεῖον διὰ ψυχῆς εἶναι θεῖον τῆς ἐκθεουμένης, *&c.* Omne quidem corpus Divinum per animam deificatam fieri Divinum, *&c. Quod ſpecificam hanc diſtinctionem omnino videtur tollere, aut vim Animæ ſuprà quàm ferat illius natura, extollere, ſi materiam* Mundanam *communem in* Divinam *mutare poſſe ſupponatur. Ut ut ſit,* Divinam *aliquam eſſe* Materiam corpúſve Divinum, *à nobis ambobus apertè ſtatuitur. Quod licèt tam copioſè confirmaverim, ſpeculationem tamen, omnibus haud uſque adeò abſolutè neceſſariam exiſtimo, quanquam manifeſtum ſit multa Scripturæ loca commodè hinc exponi poſſe, quæ aliàs manebunt nimis obſcura. Quod autem ad Chriſtianam vitam attinet fructúſque Spiritûs, modò eos in nobis experiamur, perinde eſt ad ſalutem, ſive has curioſas ſpeculationes teneamus ſive omnino ignoremus. Nam & Ruſtici qui in re Anatomica modóque concoctionis cibi in ventriculum immiſſi, nè unam callent ſyllabam, edunt, bibunt, concoquunt reliquáſque vitæ functiones peragunt nihilo infeliciùs quàm vel peritiſſimi Anatomicorum. Verùm, ut nihil diſſimulem, apud viros doctos ac pios, uſus egregios habere poteſt hæc noſtra* *tam ſolidè diſtinctéque de* Divino *Chriſti* corpore *deducta ſpeculatio, qui non tam curioſi haberi debent quàm apprimè utiles ac pacifici. Nihil enim* realem *in Euchariſtia corporis ſanguiniſque Chriſti* præſentiam, *quam pientiſſimus quiſque adeò facilè quaſi divinando odoratur, rationi fideique noſtræ tam aptè commendat, quàm ſuprà dicta philoſophatio, ſecundùm quam manifeſtum eſt omnem dignè communicantem, illam Chriſti carnem ſanguinémque revera participare de quibus ipſe enunciavit*, Caro mea verè cibus eſt, & ſanguis meus verè potus; *atque ſic* Rubrica Communioni *ſuffixa, cum* Catechiſmo *Eccleſiæ noſtræ* Anglicanæ *perquam pulchrè conciliatur : ſed de his hic non eſt differendi locus.*

Ad Quæſt. 43. Ignis eſt caput imperceptibile, *&c. Hoc pleniùs intelligitur ex* Clave ſublimioris Cabbalæ. *Ubi* Kether *intra Circulum primum*, Corona Coronæ ſummæ *dioitur &* caput Imperceptibile. *Vide* Tabulam Cabbaliſticam ſecundam.

CATE-

CATECHISMUS CABBALISTICUS
SIVE
MERCAVÆUS:
QUO, IN
DIVINIS MYSTERIIS
Mercavæ Ezechielis
Explicandis & Memoriâ retinendis,
DECEM SEPHIROTHARUM
Uſus egregiè illuſtratur.

Per *Henricum Morum* CANTABRIGIENSEM.

VERITAS FILIA TEMPORIS

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

Catechiſmus Cabbaliſticus
SIVE
MERCAVÆUS:
QUO, IN
DIVINIS MYSTERIIS
MERCAVÆ EZECHIELIS
Explicandis & Memoriâ retinendis,
DECEM SEPHIROTHARUM uſus egregiè illuſtratur.

Quæſt. I.

Viſionis *Ezechielis* quodnam eſt Subjectum proprium & adæquatum?

Reſp. Subjectum proprium & adæquatum Viſionis *Ezechielis* eſt *Regnum Spirituale* Dei Iſraelis quatenus *Dei Iſraelis.*

Hîc autem notandum ex hac ſummaria quæſtione rationem patere Nominis decimæ *Sephiræ* quæ vocatur *Malcuth*, id eſt, *Regnum.* Nomen verò decimæ ſive ultimæ *Sephiræ* hoc eſſe, quoniam, tametſi *Malcuth* prima ſit *propoſitione*, illius tamen cognitio ultima eſt *aſſecutione.* Plena enim illius Cognitio antè non obtinetur quàm ſatisfactum fuerit Quæſtionibus de reliquis novem. Quòd verò *Græci Cabbaliſtæ* hanc *Sephiram* βασιλείαν non vocant, ſed tantùm αἰῶνα vel κόσμον, indè factum eſſe, quòd vox βασιλεία non tam ad Gentes, quàm ad Iſraelitas ſive Judæos pertineret, ut ſuprà inſinuavi.

Quæſt. II. Quiſnam eſt hic *Deus Iſraelis* quatenus *Iſraelis*?

Reſp. Eſt Anima *Meſſiæ* in unam perſonam (*Hebræi Cabbaliſtæ* פרצוף, *Græci* ὑπόστασιν vocant) cum ſecunda Perſona Divinitatis coaleſcens.

Quæſt. III. Súntne igitur Perſonæ unâ plures in Divinitate?

Reſp. Sunt omnino tres.

Quæſt. IV. Quomodo appellatur prima?

Reſp. Prima vocatur *Kether*, כתר, hoc eſt, *Corona*, & *Attik Jomin*, *Antiquus dierum.* Sic appellatur à *Cabbaliſtis Hebræis*, éſtq; planè *ſummitas* Divinitatis omniúmq; ſupremus Pater atq; Rex. A *Græcis* verò *Cabbaliſtis* vocatur τὸ ἓν καὶ τ᾽ἀγαθόν. * Item fortaſſe Κρόνος quaſi Ἀκρόνους, prætrito α, (quod facilè fit) ac ſi diceres, τὸ ἄκρον τοῦ νοῦ. * Per τὸν νοῦν verò illi intelligunt Δία *Jovem.* Hæc & notatio & vis nominis, ſi rectè memini, occurrit alicubi apud *Macrobium.* Κρόνος verò qui & valdè ſenex depingitur, cujúſq; vel ipſum nomen ad temporis ſignificationem alludit, aptè reſpondet nomini *Attik Jomin*, i. e. *Antiquo dierum.* Sed & Ζανὸς πύργος hæc *Sephirah* appellatur à *Pythagoreis* qui *Græcorum Cabbaliſtarum* ſunt antiquiſſimi. Τὸ ἄκρον verò τοῦ νοῦ & *Kether* ſive *Corona* optimè conveniunt cum πύργῳ Turri quæ *Acropolis* eſt *ſummitáſ*ve Civitatis. Ζεὺς verò cùm ſit Mens Divina, pulchrè convenit, ut τὸ ἄκρον τοῦ νοῦ, quod eſt τ᾽ἀγαθὸν, appelletur Ζανὸς πύργος, *Jovis Turris.* Sic autem appellatur Unitas in *Denario Pythagorico.* Atq; hinc planè conſtat cur *Kether* primæ *Sephiræ* nomen dederit. *Kether* verò quâ ratione è Viſione *Ezechielis* emicuerit, ſuprà notavimus.

Quæſt. V. Quomodo appellatur ſecunda Perſona?

Reſp. Secunda Perſona appellatur *Cochmah*, *Sapientia*, ſecundámq; *Sephiram* occupat. Denotatur etiam per *Regis*, putà *Supremi*, *Filiam in Turre.* Quod præclarè convenit cum *Pythagoreorum* Ζανὸς πύργῳ. Ubi πύργος τὸ ἄκρον τοῦ Ζανὸς ſignificat, idémq; eſt quod ſupremus omnium Pater atq; Rex. Utq; hæc *Sephirah Cochmah* apud *Hebræos*, ità apud *Pythagoreos* Ἐπιστήμη vocatur. Hoc enim apud ipſos nomen eſt *Binarii*. *Platonici* vocant τὸν νοῦν, S. *Johannes* τὸν λόγον ad מימרא alludendo, quod nomen eſt ſecundæ Perſonæ apud *Chaldæum Paraphraſten*, innuíq; ſuprà אמרה appellandam fuiſſe Hebraicè, nullúmque ſexûs diſcrimen eſſe in Divinitate certiſſimum eſt. Quomodo verò hæc ſecunda Perſona è Viſione *Ezechielis* eluxerit, ſuprà diximus.

Quæſt. VI. Quomodo vocatur Perſona tertia?

Reſp. Tertia Perſona vocatur *Binah*, *Prudentia*, tertiámq; *Sephiram* occupat. Et à *Pythagoreis* expreſsè vocatur φρόνησις, *Prudentia*. Apud *Johannem* verò, *c.* 1. *v.* 4. Ζωὴ, Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Unde *Pythagoreorum* Ζὰν ſic appellari fortè poteſt, (qui Λόγῳ apud *Johannem* reſpondet) ὅτι ἐν αὐτῷ ζωή ἐστιν. Tertia verò hæc Perſona occurrit in Viſione *Ezechielis* ſub nomine רוח, ſed præſertim ſub nomine רוח החיה, quæ pulchrè reſpondet τῇ ζωῇ apud S. *Johannem*. Cur verò veteres *Cabbaliſtæ* vocem רוח vel רוח החיה in בינה verterint, nihil neceſſe eſt hîc inquirere. Satìs eſt quòd antiquæ *Cabbalæ* vox in Chriſtiana Religione ſit reſtituta.

Intereà loci abunde patet, quomodo primi tres Numeri ſive *Sephiroth*, nominum trium Divinarum Hypoſtaſium, ſive Perſonarum tam in Tabula *Sephirothica* quàm in Denario *Pythagorico* apta fiant Repoſitoria, horúmq; trium Numerorum ſive *Sephirotharum* hunc eſſe uſum genuinum; neq; quicquam neceſſe eſſe Judæis rem ullam habere cum *Emanationibus*, non magis certè quàm *Pythagoreis* apud quos *Emanationum* nulla prorſus fit mentio. Nomina verò æternæ infinitæq; Divinitatis tribus hiſce Numeris concludi, teſtimonio eſſe poteſt quod occurrit in *Idra Rabba* de diſtinctione *Arich Anpin*, & *Seir Anpin* qui ſeptem ſequentibus numeris clauditur. Et R. *Menachem Haraknah* apud *Rittangelium* in *Sepher Jetzirah*, tres primas Numerationes *primordiales* vocat (ut & R. *Schabthe*, Mentes) ſeptem verò reliquas appellat מדות. Quales verò reliquæ ſeptem revera ſint, pergendo in hoc *Catechiſmo* noſtro *Cabbaliſtico*, mox ſatìs intelligemus. Deprehendemus enim non eſſe niſi locos communes juxta quos Quæſtiones porrò inſtituendæ ſint ad pleniorem notitiam *Regni Meſſiæ* ſive *Dei Iſraelis*. Qui *Eſaiæ* cap. 6. vocatur *Rex Dominus exercituum*, *Rex Jehovah Zebaoth*. Nomen verò *Jehovah* ſecundæ Perſonæ competere, ut τὸ ὄν & οὐσία ſecundæ Hypoſtaſi *Platonicæ*, notiſſimum eſt. Eſt autem hic *Jehovah Rex* cum Anima *Meſſiæ* in unam perſonam unitus. De regno cujus Regis, poſtquam de Rege ipſo jam conſtet, qui ſedet in gloria Patris ſpiritúmq; ſuis diſtribuit, quærendum porrò eſt, ex loco communi *Gedulah*,

Quæſt. VII. Quæ ſit Regni Dei *Iſraelis* ſive *Meſſiæ* magnitudo, amplitudo vel extenſio?

Baruc. c. 4. 24. *Reſp*. Huic quæſtioni non incommodè reſponderi poteſt ex Propheta *Baruc*. *O Iſrael quàm magna eſt domus Dei tui*, *quàm amplus locus poſſeſſionis ejus!* &c. Et certè vel unus Æthereus vortex moles ingens quædam eſt & quaſi immenſa. Et ad unum aliquem vorticem videtur reſpicere Propheta, Mundúmq; illius Orbémve *Jetzirathicum*, quoniam mox addit: *Illîc fuerant Gigantes illi nominati* (רפאים uſitatiſſimè, ob attentionem *Aziluthicam* prorſus remiſſam & ferè extinctam, ſic dicti) *qui principio erant permagni*, *periti rei militaris*, quos tamen Dei Filius debellavit & profligavit in confiniis Mundi *Briathici* & *Jetzirathici*. Et addit porrò, *Non hos elegit Deus neq; viam Scientiæ tradidit eis*. Neminem horum elegit Deus Pater Rex ſupremus cui nuptum det filiam *Cochmah* cum *veſtimento aureo*, ſed elegit Animam *Meſſiæ*, prout ſuprà explicavimus. Hîc verò *Cochmah* i. e. *Sapientia*, Scientia dicitur, ſicut & vocatur à *Pythagoreis* Ἐπιστήμη. Iterúmq; dicitur Scientia, *v.* 37. De qua tamen ait: *Poſtea in terra viſa eſt & inter homines converſata*. Quod planè innuit æternam eſſe *Sapientiam* incarnatam. Quòd verò via Scientiæ, non ſimpliciter Scientia apud *Barucum* dicitur, id optimè convenit cum verbis Chriſti, *Ego ſum Via*, *Veritas ac Vita*. Vulgaris Verſio è Græco habet, *Poſtea in terra viſus eſt*, &c. reſpiciendo ad *v.* 36. *Is Deus noſter eſt*, &c. Sed eódem recidit quò Tralatio hæc *Tremelliana*. Tunc enim [coram Factore ſuo] *v.* 35. intelligendum eſt de illa Hypoſtaſi quam *Platonici* νοῦν δημιουργὸν vocant. Breviter igitur, amplitudo Regni Meſſiæ univerſos quattuor Mundos *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jetzirathicum* & *Aſiathicum* occupat, quemadmodum intelligere eſt ex noſtra Expoſitione Viſionis *Ezechielis*. Utrùm vero ob Meritum Paſſionis pretiúmq; ſanguinis effuſi, cujus vel una guttula ſuffecerit ad infinitos Mundos redimendos, ei datum ſit Imperium ſuum in omnes omnino Mundi Vortices, ubicunque quicquam Animarum lapſarum ſit, proferre; an verò aliis modis ſupremo Regi (cujus Providentia & Sapientia non ſolùm πολυμερὴς ϗ πολύτροπος, ſed planè infinita eſt,) viſum ſit cum lapſis animabus agere, graviſſimis doctiſſimiſq; Theologis ac Theoſophis diſputandum relinquo, penéſq; ſapientiores ſit judicium. Interim ex loco *Geburah* quærendum eſt, *Quæſt.* VIII. Quibus viribus virtutibúſve inſt[illegible]cta ſint genuina *Spiritualis Regni Meſſiæ* membra?

Reſp. Hic reſpondeat *Paulus* pro omnibus, *Philip.* 4. 13. Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ, *Omnia poſſum per eum qui me corroborat Chriſtum*, nempe per Spiritum omnibus credentibus promiſſum. Quemadmodum precatur, *Epheſ.* 3. 16. *Ut det vobis pro divite ſua gloria ut fortiter corroboremini per ſpiritum ſuum in interiore homine.* Et Coloſſ. 1. 11. *Omni potentiâ potentes facti ſecùndùm glorioſum robur ipſius, ad omnem tolerantiam & animi lenitàtem cum gaudiò, gratias agentes Patri qui idoneos nos fecit ad participandam ſortem ſanctorum in luce, qui eripuit nos ex poteſtate tenebrarum & tranſtulit in Regnum Filii ſui dilecti*, nempe in *Regnum* Meſſiæ *Spirituale.* Infinita loca ſunt ſacræ Scripturæ quæ huc congeri poſſint. Inter cætera verò præſertim Pſalmus duodeviceſimus myſticè intellectus. Egregiè indè illuſtratur *Geburah* moralis. Cæterùm רוח החיה in Rotis alios etiam præclaros edit fructus, 1 *Cor.* 12. 1. in uſum Regni Chriſti, *Diſtinctiones donorum ſunt ſed idem Spiritus. Nam huic quidem per ſpiritum datur* λόγος τῆς σοφίας, *profundiſſimæ ſapientiæ, etiam* Cabbaliſticæ, *ratio, alii verò* λόγος γνώσεως, *per eundem ſpiritum*; Antiquitatem utique, Hiſtoriam, humanam reliquam literaturam, ipſámq; adeò Scripturam rectè adhibendi explicandíq; ratio ac peritia. *Alteri verò fides per eundem ſpiritum*, Fides nempe omnibus veris Chriſtianis communis, quæ tamen eſt donum Spiritûs. *Alii verò donum ſanationum, alii operatio miraculorum, alii prophetia*, &c. *Geburah* igitur ſive vis virtúſq; *Spiritualis Regni* Meſſiæ eſt Spiritus ejus ſuis omnibus membris infuſus, quo omnes malas cupiditates perfectè ſubjugant & extinguunt ſolique Chriſto vivunt, præclaráq; alii alia aliíſq; locis & temporibus, prout res tulerit, virtutum vocantis eos in mirabilem ſuam lucem edunt ſpecimina. Nam cùm *Chaſmal* tunctionem, aureámve Tunicam, pro ſuo modulo quiſque, cum Principe, capitéve, ſummóque Sacerdote participant, illi ſanè in Mundis omnibus, virtute hujus *Divinæ Magiæ* elementis externis imperant, ut Chriſtus olim ventis fluctibúſq; marinis. Et *Elias* in veteri Teſtamento, hoc השמל inſtructus vel potiùs מלבוש (per *Gematriam*) *togâ* dicitur Fluvium *Jordanem* diviſiſſe, Spiritúmq; *Eliæ* in *Eliſham* deſcendiſſe cum Toga, quaſi ad hunc מלבוש alluderetur.

Hæc eſt pars *Togæ aureæ* Filiæ Regis, quæ Poteſtas eſt, Animæ Meſſiæ data, ordinandi ſex dies Creationis, ut ſuprà monui, jubendíq; ut fiat Lux, & ex benedictione ſua ut volucres in cœlo piſcéſq; in mari multiplicentur. Unde minimè profectò mirum videri debet, quòd *Anima hæc Incarnata*, poſt gratiarum actionem duos piſciculos & quinque panes in cibum quinq; millibus hominum ſufficientem multiplicaret. Immenſum eſſet Moſis ac Prophetarum Chriſtíque ac Apoſtolorum Miracula, quibus *Geburah*, vis ſive virtus *Spiritualis Regni* Meſſiæ in membris ejus etiam terreſtri corpore oneratis, illuſtretur, hîc commemorare. Talia autem cùm fiant in infima Regione Mundi *Aſiathici*, quid non facturæ ſunt Animæ in Mundis ſuperioribus? Et ſi *Divini Elementi* virtute *externis Elementis* imperant, quid non poterunt in propria ſua vehicula, pulcherrimè ea veſtiendo lucéque perfundendo mirabili? Quid non in ſuis vehiculis defendendis, thorace hoc *Chaſmalino* indutæ, (cùm deſcendunt in inferiores Regiones Mundi *Aſiathici*) contra vaporum contagia, ut naturale *Electrum* dicitur valere contra omnes peſtes ac venena? Sed nimiùm diu hîc hæſimus. Pergamus ad locum *Tiphereth*, ex quo porrò quærendum eſt,

Queſt. IX. Quæ ſit εὐταξία Politica, pulchráve Ordinis Politici atq; Legum, in Regno *Meſſiæ*, conſtitutio.

Reſp. Omiſſis quæ apud *Dionyſium Areopagitam* occurrunt de Angelorum Hierarchia, breviter & appoſitè ex S. *Paulo* hic reſponderi poteſt & ex *Ezechiele*, Quòd ſummum viſibile caput Hierarchiæ Regni Chriſti ſit ipſe *Meſſias*, humanâ formâ in viſione *Ezechielis* exhibitus, & ſic deſcriptus apud *Paulum*, Coloſſ. 1. 14. Ὃς ἐστιν εἰκὼν θεοῦ τοῦ ἀοράτου, *Qui eſt Imago Dei inviſibilis.* Πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Quod certè non incommodè exponi poteſt, *Princeps totius Hierarchiæ*, vel *Princeps totius Ordinationis vel Creationis politicè ſumptæ.* Nam κτίσις ſic ſignificat, 1 Pet. 2. 13. ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, &c. Eſtque nihil magìs tritum apud *Latinos* quàm phraſis *creandi Magiſtratus.* Rectè autem dicitur *Princeps Creationis Politicæ*, tum quòd ipſe ſit πρωτότοκος reſpectu Dei Patris qui hoc Regnum huic primùm commiſit, omne dans illi judicium ac poteſtatem in cœlo atque in terra, tum quod ille poſtea omnes ſub ſe Magiſtratus creaverit. *Nam per eum creata vel ordinata ſunt omnia quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominia, ſive Imperia, ſive Poteſtates*, &c. Quippe ſecundùm *Ezechielem* ille eſt quatuor Mundorum Dominus atque Rex. Tantùm addo, ſextam hanc ***Sephiram*** apud ***Pythagoreos*** appellari κόσμον, non quidem illâ ſignificatione quâ ***Ariſtoteles*** dicitur ſcripſiſſe περὶ τοῦ κόσμου, ſed ſignificatione ***Politicâ*** quatenus κόσμος ſignificat non tantùm ***ornatum ordinatúm***ve in genere, ſed ipſum ***Ordinem Politicum.*** Et quidam certè Magiſtratus apud ***Lacedæmonios***, expreſsè κόσμοι dicebantur. Pulchrè igitur nomen ſexti Numeri ***Pythagorici*** κόσμος cum ***Tiphereth*** nomine ſextæ ***Sephiræ*** convenit. Quantùm ad Leges verò Regni, una ferè ſumma ac principalis Lex eſt, Quicquid juſſerit ***Amor*** verè ***Divinus***, quo nemo quæ ſua ſunt quærit ſed quæ ſunt Chriſti ſive Meſſiæ Principis, quemadmodum innuit Apoſtolus conquerendo de contrario, ***Philip.*** 2. 21. Atque hæc eſt vera ***Pythagoreorum*** Θέμις. Nam illi triplicem Legem finxerunt, Θέμιν, quæ eſt ***Superûm***, Mundi putà ***Aziluthici*** præſertim ac ***Briathici***; Νόμον, qui eſt ***Hominum***; & Δίκην, quæ eſt ***Inferorum.*** Sed hiſce non eſt immorandum. Septimus locus eſt ***Netzac***, ex quo quærendum,

Quæſt. X. Quæ prælia ſint quæq; victoriæ Regni ***Meſſiæ*** ?

Reſp. Heic igitur veriſimile eſt Monumenta quædam recitata fuiſſe antiquiſſimorum præliorum ac victoriarum Animæ Meſſiæ in Confiniis Mundi ***Jetzirathici***, ubi ***Serpentem*** profligaverit, utì ſuprà notatum eſt ex ***Tykune Soar***, vel ***Gigantes*** ſive ***Rephaim*** debellaverit juxta Prophetiam ***Baruci.*** Etiam quomodo ***Serpentem*** in Mari occiderit, nempe ***Pharaonem*** in mari rubro, quomodóq; occiſurus eſſet aliquando ruſum Serpentem ſepticipitem in ***Apocalypſi*** deſcriptum, qui ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος ibi dicitur, tanquam idem ille quem in confiniis Mundi ***Jetzirathici*** olim debellaverit, poſtea ex ſuperioribus Regionibus Mundi ***Aſiathici*** dejiciendus in terram, ibíque poſtremò confringendus & incarcerandus per mille annos, & in exitu ultimæ Tubæ in ſtagnum Ignis & Sulphuris in finali ***Conflagratione*** cum omnibus impiis Animabus & obduratis conjiciendus. Et ut verbo dicam, ſeptima hæc ***Sephirah*** locus communis erat Hiſtoriarum de rebus præclarè geſtis Animæ ***Meſſiæ*** ejúſque exercituum, multáſq; Prophetias complectebatur de eis rebus quæ à ſe ſuiſque adhuc gerendæ eſſent, nempe ab ipſo ***Meſſia*** ejúſque ſervis ac Prophetis ſanctíſque Martyribus. Cujus Propheticæ partis Cabbalæ ***Mercavææ***, (quæ in manibus Angelorum à primis uſque ſeculis cuſtodita eſt, & cum antiquis Prophetis magìs parcè & obſcurè ſubinde communicata) Apocalypſis, quantùm quidem ad tempora à Nativitate ***Meſſiæ*** in carne ad ***finalem*** Terræ ***conflagrationem***, plenior videtur Reſtitutio. Eſtque ***Apotheoſeos*** Meſſiæ præclarum argumentum, ſicut aliàs moneo, hæc Apocalypſis, quam à Deo ipſi primùm revelatam, per Angelum ſuum ſervo ***Johanni*** miſſam ſignificavit. Ad נצח ***Meſſiæ***, qui per ſuam mortem vim mortis ſubvertit, referendum eſt illud Pauli, **1 *Cor.*** 15. Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νεῖκος. Illúdque ad נצח ***particularium*** Chriſtianorum, ***Rom.*** 8. 37. Ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν. Atque pauca hæc raptim & feſtinanter de ***Sephirah Netzac*** notâſſe ſit ſatis. Pergimus ad הוד, ex quo loco communi quærendum,

Quæſt. XI. Quæ Pompæ, qui Triumphi ſint Regni ***Meſſiæ*** ?

Reſp. Per הוד ***Sephiram***, cùm proximè præceſſerit נצח victoria, palàm eſt ſignificari, quicquid gloriam ac Majeſtatem Perſonarum rerúmque ab eis præclarâ virtute geſtarum exprimere poſſit vel amplificare. Hujus verò ***Sephiræ*** הוד haud minima quidem pars videtur conſiſtere in laudibus per Cantica Inſtrumentáq; Muſica celebrandis. Ut poſt egregiam illam victoriam contra ***Pharaonem*** & exercitum ejus, in Mari rubro partam, ſtatim ***Moſes*** incipit cum filiis ***Iſrael***, ***Cantabo Jehovæ eò quòd admodum excelluit***, &c. Mox verò ***Miriam*** Propheteſſa ſoror ***Aaronis*** cum Tympano in manu ſua, quam ſequebantur omnes fœminæ cum tympanis ac fiſtulis, reſpondet, ***Cantate Jehovæ, eò quòd admodum excelluit, equum & ſeſſorem ejus dejecit in mare***, &c. ***Exod.*** 15. Et ***Apoc.*** 15. reportantes victoriam ex Beſtia, citharas Dei in manibus habere dicuntur & cantare canticum ***Moſis*** ſervi Dei & canticum ***Agni***, dicentes, ***Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens, Juſtæ ac veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſanctorum***, &c. Hoc quidem genus exprimendi gloriam ac magnificentiam Perſonarum rerúmq; ab eis geſtarum frequenter occurrit in ***Apocalypſi.*** Eſtque mos omninò frequentiſſimus in laudibus victorum celebrandis, Cantilenis Inſtrumentíſque Muſicis uti. Unde minimè mirandum eſt hanc octavam ***Sephiram*** à ***Pythagoreis*** vocari Παναρμονίαν, eóque magìs quòd quum ſtudiis Mathematicis dediti eſſent, Διαπασῶν obſervaverint octo tonos continere, quemadmodum ex eo quòd ***Quaternarium*** primum corpus conſtituere notaverint, quartam ***Sephiram*** σῶμα appellare maluerunt quàm μέγεθος. Adeò uſque indulſerunt iſti rebus Mathematicis. Sed pergimus. Hymnodias verò & Inſtrumentorum Muſicorum concentus etiam in ſuperioribus Mundis ***Aziluthico*** & ***Briathico*** uſurpari, Chororum Angelicorum concentus in Nativitate Servatoris ſatìs luculento argumento eſſe poteſt; quos Paſtores noctu audiverunt. Et ſi occiſo ſerpente & exercitu ejus ad mare rubrum, ductu Animæ ***Meſſiæ***, ***Iſraelitæ***

raelitæ ad eum modum ovabant cantabantq; , non eſt certè credibile Serpente exercitúq; ejus in cœlo *Jetzirathico* profligatis cœleſtes *Iſraelitas* ſiluiſſe. Nec Pompam Triumphalem ſolis hymnis & canticis illîc locorum celebrari autumo, quibus aures demulceantur, ſed eſſe ſpectacula quæ oculos etiam paſcant. Nam Chriſtus devictâ morte per Crucem, non reſurrexit ſolùm ſed in conſpectu diſcipulorum aſcendit glorioſâ nube vectus in cœlum, ubi proculdubio innumeris Angelorum turmis ei obviàm euntibus & de victoria ejus triumphantibus receptus eſt in gloriam quam apud Patrem habuit antequam Mundus hic *Aſiathicus* conditus eſſet. Ad hanc etiam *Sephiræ* partem referri poteſt Hiſtoria *Eliæ*, qui poſt multos labores exantlatos pro vero cultu *Jehovæ* contra populum Idololatricum, viſus eſt ab *Eliſha* curru igneo Triumphali equíſq; igneis in cœlum ſubvehi. Et nè non ſatìs magna copia turmarum Angelicarum in cœleſtibus Regionibus ad inſtruendas maximas Pompas ac Triumphos videri poſſit, recordemur quid acciderit puero *Eliſhæ* poſt apertos oculos, *qui ecce hîc in terris, totum montem vidit plenum equis & curribus igneis circa unum* Eliſham.

Sunt igitur proculdubio, ut octavæ hujus *Sephiræ* הוד illuſtrationem tandem finiam, *Pompæ Triumphales* Proceſſionéſve in cœleſtibus Regionibus omni Pompâ terreſtri, ſive civili ſive Religioſâ, infinitò ſplendidiores ac frequentiores, Spectaculáq; impendiò lætiora & mirabiliora propter magnificum paratum ornatúmque. Ut taceam ipſas Perſonas viſibiles Animarum Angelorúmve tam venuſtè ſplendidéq; veſtitas (nam perſonas eſſe viſibiles quis dubitare poteſt formâq; humanâ præditas, quum & ſic eſſe teſtentur Scripturæ aliæ, præter Viſionem *Ezechielis*, ut & candidis veſtibus indui) gratiſſima ſibi invicem eſſe Spectacula. Nec id ulla ſana abnuet Philoſophia. *Plaſticam* enim, *Plaſticam*, inquam, habet unaquæq; Anima ſive Humana, ſive Angelica, eſſentiáq; ejus in merè arida cogitatione neutiquam poteſt conſiſtere, ac proinde neceſſariò, niſi ſit in ſtatu ſilentii, viſibilem in aliqua Regione induit Perſonam, pro interna pulchritudine, pulchram, venuſtam aut magnificam. Quibus de rebus cùm ſatìs dictum ſit in Tractatu de Animæ Immortalitate, plura hìc effundere ſuperſedeo. Obiter hìc tantùm moneo, Quæ hactenus dicta ſunt, ad *Sephiram* הוד , quatenus publicæ magnificentiæ, gloriæ ac triumphi locus eſt, referri. Sed & rationes privatas poſſe huc etiam ſpectare. Hinc igitur explicari poteſt quod occurrit *Apoc.* 3. *v.* 5. *Qui vicerit, amicietur veſtimentis albis.* Et *Eccleſiaſt.* 8. 1. *Sapientia hominis lucere faciet faciem ejus.* Vide *Enchirid. Ethic.* lib. 2. Octava *Sephirah* הוד quæ de pompis ac triumphis Regni Meſſiæ poſt partas victorias quærit, ſatìs illuſtrata eſt. Pergimus ad *Sephiram* nonam יסוד, qui locus communis eſt de *ſtabilitate* ac *durabilitate* Regni Meſſiæ, ſecundùm quem igitur quærendum eſt,

Quæſt. XII. Quæ ſit Stabilitas, quæque Duratio fuerit & futura ſit Regni *Meſſiæ* ?

Reſp. Et ſatìs appoſitè quidem reſponderi poteſt de ſtabilitate Regni *Meſſiæ* ex Pſalmo 45. Ὁ θρόνος σου ὁ Θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Nec certè mirum, cùm Thronus *Meſſiæ Sapphirinus* ſit ipſa Divinitas, quemadmodum ſuprà explicavimus. Quæque duratio fuerit perinde ac futura ſit, non obſcurè inſinuari videtur in Pſalmo 72. *v.* 5, 6, 7. ubi παραμονὴ ſive *permanentia* Regni Meſſiæ tam à parte antè quàm à parte pòſt, egregiè deſcribitur à Septuaginta Interpretibus, ſi conſenſus tot Interpretum ſuffecerit. V. 5. Καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ. Ab initio rem repetit Spiritus Prophetiæ, & tanquam in principio Regni Meſſiæ ſe collocans, quando totum Univerſum aut Soles erant aut tranſparentes Vortices, juxta Poſtulatum tertium, aſſerit Regnum *Meſſiæ* παραμενεῖν τῷ ἡλίῳ, permanſurum eſſe cum Sole ſuprà deſcripti Vorticis. Καὶ πρὸ τῆς σελήνης γενεὰς γενεῶν· hoc eſt, & manſiſſe ſanè antequam Luna volveretur circa Solem Vorticis *Meſſiæ*, ut *Mercurius* jam volvitur circa Solem noſtri Vorticis. Id quod ſuprà diximus de Anima *Meſſiæ*, eum nempe in ipſo Mundo *Aziluthico* factum eſſe *Meſſiam* juxta Poſtulatum decimum tertium, antequam ulla rudimenta Mundi *Aziathici* apparuiſſent, Lunáve circa Solem Vorticis *Meſſiatici* circumvolveretur, quem & nunc comitatur, etiam *Aſtrum frigidum* factum. Regnum igitur *Meſſiæ* innuit cœpiſſe ferè à Mundo condito, in ſtatu illius pellucido ſive diaphano ante ullius Mundi Aſiathici jacta fundamenta ; tunc ille primùm unctus eſt *Meſſias*. Exprimit autem per γενεὰς γενεῶν, quoniam res *Meſſiæ* continentur fluxu temporis, ſeculorúmve decurſu, quemadmodum innuit Viſio *Ezechielis* ſuper Fluvium *Chebar* viſa, ſicut ſuprà monui. Et verſio quidem vulgaris Latina hunc verſum ſic reddit : *Et permanebit cum Sole* & ante Lunam, ut Septuaginta πρὸ τῆς σελήνης, tempus non ſitum ſignificando. Eſtq; nota Grammatica apud *Buxtorfium*, פנים cum ל ab initio, temporis eſſe. Et Textus Hebraicus habet ולפני ירח. Quod ἐνώπιον τῆς σελήνης *Græcè*, vel coram Luna aut in conſpectu Lunæ Latinè tranſtuliſſe, ſenſus futurus fuiſſet admodum abſurdus, inſipidus ac dilutus, planéque ἀπροσδιόνυσος, quaſi de tempore non ageretur ſed de ſitu, Lunæque Majeſtas ac conſpectus auguſtius quid eſſet quàm ipſius Solis. Ut nihil dicam de redundantia τοῦ ו hoc in ſenſu. Adeò ut hac in parte omnia ſint ſarta tecta.

Quodſi cui fortè durius videatur, ut Spiritus Prophetiæ intelligatur ſe in antiquiſſima Mundi ſecula retraxiſſe, ut præterita tanquam futura poſſet enunciare, reminiſcendum eſt Propheticam hanc deſcriptionem durationis Regni *Salomonis*, imaginem etiam eſſe durationis Regni *Meſſiæ*, ac proinde per totam illius durationem extendi; ac propterea Spiritum Prophetiæ per rectam ac debitam analogiam prope prima illa ſecula ſe ſiſtere voluiſſe, ut eodem halitu durationem Typi Regni Meſſiæ, ipſiúſq; Regni prædicat ac deſcribat. Atq; ſic perinde verum erit Regnum *Salomonis* manſiſſe πρὸ σελήνης, atq; duraturum fuiſſe σὺν ἡλίῳ· neutra revera competunt *Salomoni*, ſed *Meſſiæ*. Vide *Myſter. Piet.* lib. 7. cap. 7. ſect. 4. Siquis verò hæc ſubtiliùs dicta exiſtimet, hic ſcrupulus facilè eximitur reddendo ויאריך (quam lectionem proculdubio ſecuti ſunt Septuaginta) non quidem καὶ συμπαραμενεῖ, ſed καὶ συμπαρέμεινε, quemadmodum monuimus ad Poſtulatum decimum quartum. Quippe ſic Pſalmi verſus quintus ſecula Regni Meſſiæ præterita revera indigitabit, & ante Mundum, *Aſiathicum* utique, conditum.

Pergit verò Propheta & deſcribit durationem Regni *Meſſiæ* etiam poſtquam Mundus *Aſiathicus* ſit conditus, *v.* 6. Quæ planè prædictio eſt illius *Incarnationis* & deſcenſûs ad *Aſtrum frigidum*. Καταβήσεται, (de *Meſſia* loquitur) ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον, καὶ ὡσεὶ σταγὼν ἡ στάζουσα, ἐπὶ τὴν γῆν. *Deſcendet ut Pluvia in vellus, ut gutta ſtillans, in terram.* Deſcendet ut Pluvia in vellus, ſic enim ſignificat πόκος. Nec puto vellus ità intelligendum eſſe ac ſi lana eſſet ſine pelle, (neq; enim celebratiſſimum illud Vellus aureum ſic intelligitur aut depingitur) ſed pellem lanoſam innui. Quâ & ad iſtos χιτῶνας δερματίνους, apud *Græcos Cabbaliſtas*. ſatìs notos, in genere, & ſpeciatim ad *agninum* Chriſti corpus, tum quoad temperamentum innocuum & immaculatum, tum quoad uſum illius deſtinatum, cùm *Agnus* futurus eſſet *Paſchalis*, alludi poſſit. Ut gutta ſtillans deſcendet in terram, Anima nempe *Meſſiæ* in terrenum corpus. Et certè *Syneſius* Hymno 3. Animam in corpus terreſtre delapſam, οὐρανίαν λιβάδα vocat, (quemadmodum hic σταγὼν appellatur) *cæleſtem ſtillam vel guttam*, κεχυμένην κατὰ γᾶς, *quæ in terram ſit fuſa.* Hoc ille de anima ſua, quod potiori jure Animæ *Meſſiæ* competit. In verſu verò ſeptimo, ulteriorem durationem Regni Meſſiæ etiam in Mundo hoc *Aſiathico* & ſpeciatim beatum Millennium videtur deſcribere. Ἀνατελεῖ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ δικαιοσύνη. Reſurrectio quaſi erit Juſtitiæ (quæ miſerè occiſa erat & oppreſſa ſub regno Beſtiæ ſepticipitis & Pſeudoprophetæ) in diebus illius, putà poſterioribus, præſertim intra Tubam ultimam, in ipſo utiq; *Millennio.* Textus Hebraicus habet יפרח צדיק, *Florebit* vel *refloreſcet juſtus* (quod eódem recidit) in diebus ejus, putà in *Millennio.* Καὶ πλῆθος εἰρήνης ἕως οὗ ἀνταναιρεθῇ ἡ σελήνη. *Et abundantia pacis uſq; dum ex adverſo* (Nam Luna apud *Pythagoreos* ἀντίχθων vocatur notante Ariſtotele) *auferatur Luna.* Quod per *Hypallagen* Propheticam ſignificat, donec nos ablati fuerimus è Regionibus his ſublunaribus, & in Mundum *Aziluthicum* cœlúmve *Empyreum* rurſus tranſlati; ubi Luna ampliùs à nobis non conſpicietur tanquam ex adverſo poſita, ſed omnino è conſpectu noſtro evaneſcet. Et propter diuturnam hanc *pacem* tam firmiter ſtabilitam & durantem per tot ſecula in Regno *Meſſiæ* etiam hîc in terris, veriſimile eſt, nonam *Sephiram* יסוד à *Pythagoreis* dictam eſſe Ἀνεικίαν, quanquam ipſi rem haud ſatìs intellexerint.

Atq; huc uſq; duratio Regni *Meſſiæ* propriè ſic dicti; an verò Æterna illa Ἀνεικία, poſt devictam mortem, qui ultimus hoſtis dicitur, 1 *Cor.* 15. qui per Chriſtum ſive *Meſſiam* abolendus ſit, regno *Meſſiæ* ſit accenſenda, equidem ſubdubito. Mentio enim fit regni Patris poſt Terræ conflagrationem futuri, *Matt.* 13. *v.* 42, 43. utì & *cap.* 26. *v.* 29. Ubi Chriſtus dicit ſe ex fructu vitis non bibiturum uſque ad diem illum quum ipſum bibat cum diſcipulis novum in regno Patris ſui, in Mundo putà *Aziluthico.* Et *Paulus* expreſſim ait, 1 *Cor.* 15. 24. *Tum demum fore finem cùm Chriſtus tradiderit Regnum Deo ac Patri, cùm omne Imperium ac Poteſtatem ipſámque adeò mortem aboleverit*, conjiciendo in ſtagnum Ignis atque Sulphuris. *Poſtquam verò Chriſto filio ſubjecta fuerint omnia, tunc & ipſum Filium ſubjectum iri Patri, qui ſubjecit ei omnia, ut Deus ſit omnia in omnibus*, qui eſt ſupremus ille omnium Pater atq; Rex.

Meſſias verò, qui *Eſai* 6. dicitur *Rex ille Jehovah exercituum*, prout ſuprà notavimus, erat quaſi *Imperator* univerſarum copiarum à ſummo omnium Rege atq; Patre conſtitutus. Debellatis igitur omnibus hoſtibus, nè ipsâ Morte, nedum peccato exceptis, rebúſque ad perfectam ἀνεικίαν pacémve univerſalem firmiſſimam permanentiſſimámque reductis, Regnum ſic fide ſuâ ac fortitudine pacificatum, poſt ineffabilem Pompam ac Triumphum in ſummis Cœlis poſt univerſalem Reſurrectionem, Terrâ adhuc conflagrante, celebratum, (quod ad *Sephiram* הוד referri debet) quaſi officio Imperatorio jam defunctus, Regnum, inquam, tradet Patri in æterna pace ſtabilitum. Quod igitur referri debet ad יסוד. (Ad quam hîc etiam ἀνεικία *Pythagoreorum* fortean extendi poteſt.) Nec Regnum *Chriſti* ſive *Meſſiæ* hîc tam finiri videri q[illegible]m conſummari ac perfici, ex eo nempe quòd Regnum evaſerit ſupremi omnium [illegible]egis atque Patris Dei. Quemadmodum loquitur Apoſtolus.

Atque ſic novem primis *Sephiroth* peragratis ad decimam rurſus devenimus, quaſi facto circulo, ſcilicet ad *Sephiram Malcuth*, hoc eſt, ad *Regnum* Dei *Iſraelis* ſeu Meſſiæ *Spirituale*. Quod quatenus ſubjectum univerſale eſt totius Viſionis *Ezechielis* ſive *Merçavæ*, rectè ad illud collineavit prima Quæſtio; cùm verò plenior hujus Regni cognitio priùs obtineri nequeat, quàm ſatisfactum ſit eis quæſtionibus quæ referuntur ad reliquas novem, *Sephirah Malcuth* meritò ac naturali ſanè Methodo *Syntheticâ* ultimum in Tabula *Cabbaliſtica* locum occupat, quemadmodum in Principio monuimus.

Intereà loci, per brevem hunc Catechiſmum *Mercavæum* ſive *Ezechielæum* ſatìs eluxit genuinus uſus decem communium Nominum *Sephirotharum*, ſatíſq; conſtat decem *Sephiroth* tantùm eſſe decem capſulas ſive Repoſitoria ubi maxima *Mercavæ* Myſteria recondantur, indéque, prout res tulerit, depromantur, quippe quæ inventa ſint ad memoriæ ſubſidium vel adminiculum in conſervanda tradendáque Cabbala *Mercavæ*, eâ ferè ratione quæ ex brevi hoc noſtro *Catechiſmo Cabbaliſtico* innoteſcit.

Nam propoſitâ ſemel Quæſtione de ſubjecto Viſionis Ezechielis occurrit *Malcuth*. Ex ipſo verò Reſponſo quod ad *Malcuth* pertinet, * & ad notitiam Trinitatis perſonarum ſive פרצפוּת in Divinitate deducit, occurrunt tres primæ *Sephiroth*, *Kether*, *Cochmah*, & רוח החיה, πνεῦμα ζωῆς, quæ aliàs dicitur *Binah*, ſenſu magìs Philoſophico, & quo *Platonici* ψυχὴν hanc Hypoſtaſin vocant Mundíq; *conditricem* faciunt. Quas tres perſonas in Viſione *Ezechielis* ſatìs ſubindicari ſuprà notatum eſt. Propoſitâ verò quæſtione de *Amplitudine* Regni *Meſſiæ* occurrit *Gedulah*, quâ quatuor Mundi Rotæque quatuor, Animarúmq; גלגול continetur. De viribus verò virtutibúſque, *Geburah*. Ubi dona ac virtutes רוח החיה, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, in Rotis, explicantur. De ordine Politico ac Militari, quod ſuprà additum oportebat, cùm *Meſſias* Princeps ſit idémque *Jehovah Zebaoth*, Eſai. 6. (quæ eadem ferè viſio eſt cum hac *Ezechielis*) & Joſ. 6. *Princeps militiæ Jehovæ* dicatur, & perquam magnificè deſcribatur in Epinikio *Deboræ* & *Baruc*, ſub nomine *Jehovæ Dei Iſraelis*, Jud. c. 5. v. 4, 5. quæſtione, inquam, factâ de ordine *Politico* ac *Militari* occurrit *Tiphereth*. Et certè quodammodo eminet *militaris*. Cujus Princeps eſt Anima *Meſſiæ* cum *Cochmah* ſeu æterno *Logo* conjuncta. Unde rectè dicitur *Jehovah Zebaoth* & *Princeps militiæ Jehovæ Patris*. Et ipſe certè, in *Clavi* tua *ſublimioris Cabbalæ*, inter nomina ſecundæ *Sephiræ*, non ſolùm *Jeſch*, *Ens*, *Eſſentia*, ſed & *Verbum*, & *Bellum*, & *Judicium*, & *Amen* numeras. Quod optimè quidem convenit cum Viſione illa *Apoc.* 19. ubi *Verbum*, i. e. *Logos*, inſigni ordine militari incedens introducitur. *Deinde vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui inſidebat ei vocabatur fidelis & verax.* En tibi tuum *Amen*. *Et qui juſtè judicat & pugnat.* En *Bellum* & *Judicium*. Et *v.* 13. *Vocatúrq; Nomen ejus* ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. En *verbum*. *Exercitus autem qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum equis albis*, &c. En *Tiphereth*, i. e. *Ordinem militarem*. De *præliis* igitur ac *victoriis* congruenter propoſitâ Quæſtione occurrit *Netzak*, victoria. Quæ ſubindicatur in Viſione *Ezechielis* per curſum pervicacem Animalium ac Rotarum, quæ dicuntur nunquam reverti, hoc eſt, nullâ vi reprimi poſſe. Unde innuitur tandem ex ſua parte ſtaturam eſſe victoriam. De *Pompa* ac *Triumpho* poſt partam victoriam occurrit *Hod*. * Et certè tota *Mercava* videtur currus *Meſſiæ*, triumphalis; ut nihil dicam de fulgurationibus, quæ tot eſſe poſſunt poſt partas victorias, *triumphalis gloriæ rutilationes*. De *durabilitate* & *ſtabilitate* Regni occurrit *Jeſod*. Quæ *Sephirah* ad Thronum *Sapphirinum* refertur. Notitia *verò* τῆς *Malcuth* ex his omnibus eluceſcit.

Vides tandem, dilectiſſime *Knorri*, qualem Chriſto cœptis noſtris aſpirante eruerimus *Mercavæ* Explicationem. Talem profectò, quæ, ut Judæis grata eſſe debet, utpote quæ ex Principiis ipſorum *Cabbaliſticis* magna ex parte conflata eſt, ità ſpero, quòd nec ingrata futura ſit Chriſtianis, ſed utriſque potiùs gratiſſima. Quippe quæ gloriam Majeſtatémque *Meſſiæ*, etiam quantùm ad humanam illius naturam, tam eximiè illuſtrat. Nec tamen interim ex ullis iſtiuſmodi dogmatis concinnata eſt, quæ antiquæ Catholicæ veréq; Apoſtolicæ Fidei repugnent, ſed quæ interim obſcuriſſima aliquot ſacræ Scripturæ loca mirificâ claritate explanent.

Et certè quod ***Judæos*** attinet, immenſa profectò ***Iſraelitici*** populi gloriæ cenſenda eſt acceſſio, quòd ***Meſſias*** non ſolùm ex eorum ſtirpe oriundus eſſet, ſed à primis uſque temporibus factus ſit Gentis eorum quaſi ***Angelus cuſtos***, converſatus ſit cum antiquis ***Patriarchis***, Serpentem occiderit in ***Mari rubro***, populúmque per Deſertum duxerit in Terram Promiſſionis; & ut verbo dicam, Cùm Anima ***Meſſiæ*** à primis uſque ſeculis cum ***Cochmah*** ſive æterno ***Logo*** unita eſſet, ***Filius Dei*** maximè eximio ſenſu ſic factus verúſque ***Jehovah*** ſive Deus, quòd peculiaris tamen populi Iſraelitici Deus conſtitutus eſſet juxta illud quod occurrit ***Deut.*** 32. 8. ***Cùm poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus, cùm diſpararet filios Adami, ſtatuit terminos populorum*** κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ· (ſic Septuaginta.) ***Pars verò Jehovæ populus ejus***, (populus nempe ***Iſraeliticus***) Jacob ***funiculus Poſſeſſionis ejus.*** i. e. Cùm Excelſus, ſupremus ille omnium Pater atque Rex, cæteris gentibus Angelos Præſides præfecerit; populo tamen ***Iſraelitico*** ſuum proprium præfecit Jehovam Filium. Quo quidem Privilegio quodnam eſſe poteſt majus aut auguſtius? Quiſve Amor & Condeſcenſio magìs ſtupenda, quàm ut hæc ***Cochmah***, quam & ***Barucus*** viam ſcientiæ vocat, (utì & ipſe Chriſtus ſe ***viam, veritatem ac vitam*** appellat) ut hæc ***Cochmah*** cum Anima ***Meſſiæ*** ἐνανθρωποθεῖσα, carnem tandem de Gente ***Judaica*** ſumeret, ut adhuc familiariùs cum ſuis verſari poſſet, juxta Vaticinium ***Baruci?***

Quod nos Chriſtiani, in Jeſu Chriſto, quem ut Deum verúmque ***Meſſiam*** colimus, ante annos plus mille ſexcentos, impletum affirmatiſſimè contendimus. Ipſéque certè argumentis inexpugnabilibus, in ***Myſterio Pietatis***, lib. 7. hunc Jeſum eum ipſum eſſe luculentè demonſtravi. Quibus ſpero, aut ſimilibus argumentis motos tandem fore Judæos ut recognoſcant horrendum Patrum ſuorum errorem, adeóque ſuum, dum in eadem Infidelitate perſiſtunt, (qui Gentis ſuæ antiquum Tutorem ac Patronum Angelúmve Cuſtodem peculiarémque Deum, apud ipſos incarnatum, ſuóſque in Carne inviſentem, turpiter injuſtéque crucifixerunt, clavis manus pedéſque ligno affigentes) & ingenuo pudore ob tam horrendum facinus confuſos, ſinceram de Infidelitate pœnitentiam acturos, oculíſque Fidei apud ipſos apertis, viſuros eum quem crucifixerunt, illúdque demum in eis impletum iri quod prædixit ***Zacharias*** Propheta, ***Effundam ſuper domum Davidis & ſuper habitatores Hieroſolymæ ſpiritum gratiæ & deprecationum, reſpiciéntque ad me*** (antiquum ſuum Tutorem ac Servatorem Deum) ***quem crucifixerunt, plangéntque ſuper hoc tanquam planctu de unigenito, & amarè plangent de eo ut amarè quis plangit de primogenito. Die illo magnus erit planctus Hieroſolymis ut planctus Hadadrimmon in convalle Megiddon.*** Tam plenè ſinceréq; illis temporibus ***Judæos*** pœnitebit de tam indignis modis apud ipſos tractato proprio ***Iſraelis*** Cuſtode ac Servatore Deo. Quæ tempora ut Deus dignetur accelerare, eorúmque ſtudiis favere quæ huc aſpirant, tuíſq; præ cæteris, qui tantopere huic negotio inſudâſti, & etiamnum inſudas, animitùs precatur

Tibi addictiſſimus,

Dat. Ragleiæ, Jul. 16.
An. Dom. 1675.

HEN. MORUS.

SCHOLIA

In Catechiſm. Mercavæum.

Quæſt. 4. Item fortaſſe Κρόνος quaſi 'Ακρόνους prætrito α, &c. ***Huc alludere videtur illud Procli, Theolog. Patonic.*** lib. 5. cap. 5. Νοῦς μὲν ἐστιν ὁ Κρόνος πάντελὴς, νοῦς δὲ καὶ ὁ μέγιστος Ζεύς· ἀλλ' ὁ μὲν μᾶλλον νοῦς, ὁ δὲ μᾶλλον νοητός. Ἵδρυται γὰρ ὁ μὲν, (***nempe***, ὁ Κρόνος ***Saturnus***) κατὰ τὴν ἀκρότητα τὴν νοερὰν, ὁ δὲ κατὰ τὸ πέρας. καὶ ὁ μὲν ἐφετόν ἐστιν, ὁ δὲ ἐφιέμενον· καὶ ὁ μὲν πληροῦν, ὁ δὲ πληρούμενον. ***Unde manifeſtum eſt*** τὸν Κρόνον ***reſpondere*** Τ'ἀγαθῷ. ***Quò tendunt etiam quæ occurrunt*** cap. 3. Τὸ τοίνυν ἐφετὸν τοῦ Διὸς καὶ τὸ νοητὸν ὁ Κρόνος ἐστὶν, αὐτὸς δὲ ὁ μέγιστος Ζεὺς νοῦς θεῖος καὶ δημιουργός.

υργός. *Et paulò antè in eodem capite, de Saturno loquens,* Τὸ τοίνυν ἀκρότατον τοῦ νοῦ τοῦ θείου καὶ τὸ καθαρώτατον, οὗτός ἐστι ὁ θεός. Ὁ Κρόνος *ſcilicet. Unde meritò quaſi* Ἀκρόνους *dictus reputetur.*

Per τὸν νοῦν verò illi intelligunt Δία Jovem, *&c. Ex antecedentibus planè conſtat, Mentem Divinam appellari* Jovem. *Nec ſanè vult* Proclus Jovem *vitæ autorem eſſe, niſi* Intellectualiter *& ſecundò.* Ἔστι μὲν γὰρ ὁ Ζεὺς αἴτιος τοῦ ζῆν, ἀλλὰ νοερῶς καὶ δευτέρως. Περὶ δὲ τοῦ Νοῦ τὴν ζωὴν πανταχοῦ τετάχθαι λέγομεν, lib. 5. cap. 3. *Unde manifeſtum eſt* Jovem *Mentem propriè Divinam eſſe, non autem* Τἀγαθόν.

Quæſt. 12. Et ad notitiam Trinitatis Perſonarum ſive פרצפות, *&c. Credo alios ſcripturos fuiſſe* פרצופין. *Ego verò pro meo arbitrio vocem deflexi in terminationem Fœmininam, ut aptiùs reſponderet vocibus Græcæ & Latinæ Fœmininis Hypoſtaſis & Perſona. Quod meliori jure me feciſſe ſentio, cùm ipſa vox* פרצוף *ad libitum à Judæis ficta ſit ex voce Græca,* Portzoph *ponendo pro* Protzoph *à* πρόσωπον Perſona. *Quòd autem aliquando* פרצוף *ſingulari numero tanquam vocem fœmininam adhibeo, paulo audentior eſt* Syntheſis *dum in mente vocem* Perſona *vel* Hypoſtaſis *reſpicio, non abſimiliter atq; factum eſt ab* Homero *in iſto* Hemiſtichio,

Πῇ γὰρ ἐγὼ φίλε τέκνον ἴω; ———

Ferant autem ut volent hanc meam libertatem Critici *ac* Grammatici; *Fateor enim me hiſce de tricis non multùm eſſe ſolicitum.*

Et certè tota Mercava videtur currus Meſſiæ Triumphalis, *&c. Quæ inſcientes præterivimus in* Expoſitione Mercavæ *ad Quæſtionem decimam quartam, & quadrageſimam quartam, ea reſtituendi hèic occaſionem nobis arripiendam cenſemus. Nam licèt Affinitas illa* Angelicam *inter* Humanámq; *naturam per pedes* Vitulinos Cherubinorúm*que appellationem ſubindicari etiam aliquo modo poſſit; præcipuam tamen cauſam cur omnia Animalia* Vitulinos *pedes habere dicantur in prima Viſione, & in altera* Cherubini *vocentur, id eſt* Boves *vel* Vituli, *hanc eſſe exiſtimo, nempe quòd magnificus hic* Meſſiæ *Currus cum Auriga ſuo, in Mundo jam* Aſiathico *verſaretur, cujus inſigne eſt* Bos. *Unde Forma & appellatio* Bovina *præ reliquis eminere debebat. Valdéq; credibile autumo in Curru hoc, dum in Mundo verſatur* Jetzirathico, *pedes omnium Animalium* Leoninos *fieri, in* Briathico Humanos, *&* Aziluthico Aquilinos. *Atq; ob hanc ipſam cauſam quòd Animæ* Meſſiæ *præſentia ejúſq; Symbolum in Mundo tunc eſſet hoc* Aſiathico, Cherubinos *ſuper Arcam fœderis apud* Iſraelitas, *& formâ fuiſſe* bovinâ, *&* Cherubinos, *hoc eſt,* Boves *appellatos. Cùm autem antiquiſſimum hoc* Arcanum *de ſummo Deo, ſive Deo* Iſraelis, *illius utiq; præſentiæ Symbolum* Aſiathicum, Bovem *eſſe, ad* Ægyptiorum *notitiam emanâſſet, ut ſolent certè Gentes, omnia ſanctiſſima licèt & caſtiſſima, quæ à Dei populo receperint, depravare & corrumpere, hinc illi occaſionem ſumpſerunt ſtolidè & ſuperſtitioſè colendi* Apin Bovem, *quanquam ſub iſto Bove ſive* vivo *ſive* aureo, Deum Deorum magnorum potiorem & majorum ſummum & ſummorum maximum & maximorum Regnatorem, *qualem* Oſirin (*qui &* Apis *&* Serapis *dicitur*) Apuleius *deſcribit, coluiſſe meritò credantur, qualiſq; revera fuit ſolus Deus* Iſraelis, *cujus Symbolum* Aſiathicum *eſt Bos. Unde manifeſtum eſt etiamſi cultus* Bovis *apud* Ægyptios *ante tempora* Moſis *obtinuiſſet,* Aaronem *tamen in formando vitulo aureo non in alienos ritus deſciviſſe, hoc eſt* Ægyptios, *ſed intra ritus Arcanáq; domeſtica ad* Abrahami *familiam pertinentia ſe continuiſſe. Hoc tantùm* Ægyptium *erat, quòd nudum expoſitúmve* Symbolum, *quemadmodum* Iſraelitæ *in* Bove Ægyptio *factum obſervâſſent, coluerunt, non quòd* Bovem *ſive* Vitulum aureum *Divinæ præſentiæ fecerunt* Symbolum. *Qua de re cùm alibi fusè egimus, plura hìc adjicere eſt ſupervacaneum.*

FUNDAMENTA PHILOSOPHIÆ
SIVE
CABBALÆ Aeto-pædo-meliſſææ,
QUÆ OMNEM
CREATIONEM
Propriè dictam negat,
ESSENTIAMque ſupponit DIVINAM
QUASI
CORPOREO-SPIRITTUALEM, MUNDUMq; MATERIALEM
aliquo modo SPIRITUM.
Cum brevi ac luculenta prædictorum
FUNDAMENTORUM CONFUTATIONE.

Πάντα δοκιμάζετε, τὰ καλὰ κατέχετε.

Per *Henricum Morum* CANTABRIGIENSEM.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

FUNDAMENTA
PHILOSOPHIÆ ſive CABBALÆ
Aeto-pædo-meliſſææ.

1. EX nihilo nihil poſſe creari.

2. Ac proinde nec Materiam creari poſſe.

3. Nec ob vilitatem naturæ ſuæ à ſe exiſtere. Cujus Conſectarium, aut Fundamentum potiùs ſit, Nullam rem vilem à ſe exiſtere poſſe.

4. Nullam igitur Materiam eſſe in rerum natura.

5. Quicquid verò eſt, Spiritum eſſe.

6. Spiritum autem hunc, increatum eſſe, & æternum, intellectualem, ſenſibilem, vitalem, per ſe moventem, infinitum amplitudine & à ſe neceſſariò exiſtentem.

7. Ac proinde *Spiritum* hunc reverà eſſe *Eſſentiam Divinam*.

8. Nec ullam *Eſſentiam* præter *Divinam* à ſe exiſtere poſſe.

9. Cùm verò nulla omnino ſit Eſſentia præter hanc in rerum Univerſitate per *Axiom.* 1, 2, 3, 8. & manifeſtum ſit aliquam ex Eſſentia hac unica, actu dividi, palàm eſſe, *Eſſentiam Divinam* dividi poſſe.

10. Cùm verò *Eſſentia Divina* ſit, ſingulas particulas infinitas eſſe, & in orbes infinitæ virtutis & amplitudinis poſſe extendi expandíve.

11. Et verò cùm ſingulæ arenulæ, lapidúmve granula, particulæque Aeris, Ætheris, *&c.* ſint partes hujus *Divinæ Eſſentiæ*, æquè manifeſtum eſſe, quòd in minutiſſimas has partes poſſint contrahi & conſtringi.

12. Ex contractis his partibus conſtare *Mundum*, qui vocatur, *Materialem*, cùm reverà adhuc *Spiritualis* ſit, conſtans utique ex diviſis ſpiritibus, particulíſve *Divinæ Eſſentiæ*, in *Monadas Punctáve Phyſica* contractis & conſtipatis.

13. *Contractionem* hanc eſſe ſtatum ſomni ſeu *Soporis*, Divinis his particulis, *Expanſionem* verò ſtatum *Evigilationis*.

14. *Evigilationis* verò gradus eſſe varios, viz. in Vitam *vegetativam*, *ſenſitivam*, *rationalem*, & in *Neſchamam*, *Chajah*, & *Jachidah*; immo tandem *Evigilationem* fieri & expanſionem in infinitum ferè amplitudinis & virtutis Orbem, adeò ut hæc *Divina particula* ſpiritúſve particularis Mundum ſibi fabricare poſſit ex terra, aqua, aere, cœlo, cæteríſq; partibus conſiſtentem.

15. Ac proinde *particularem* hunc *Spiritum*, è pulviſculo putà marmoris fieri poſſe *Plantam*, è planta *Brutum*, è Bruto *Hominem*, ex Homine *Angelum*, ex Angelo denique novæ Terræ Cœlique *Creatorem Deum*.

16. Idémque dici poſſe de ſingulis *Divinæ Eſſentiæ* particulis, quas neceſſe eſt aut actu ſeparatas eſſe aut ſeparabiles; nempe omnes aut eſſe aut eſſe poſſe *Deos* Terrarum Cœlorúmque *Creatores*. Quod id ipſum eſt quod Puer per inſomnium mox in Scholiis narrandum, innuebat, à me rogatus an *unum Deum* crederet. Qui ſubridens reſpondebat ſe *plures* credere eſſe *Deos* alios ab aliis ſeorſim diſtinctos.

Prædictorum Fundamentorum Confutatio.

Ad AXIOMA ſive Fundamentum Primum RESPONSIO.

1. QUamvìs quibuſdam quidem nihil durius aut abſurdius videatur quàm Creatio alicujus ſubſtantiæ ex nihilo, conſiderandum tamen eſſe, an quicquam magìs abſurdum eſſe poſſit quàm primi hujus Axiomatis Conſectaria. Nam ex hoc fonte, virtute Axiomatis tertii hæc immaniſſima Abſurda profluunt. 1. *Divinam Eſſentiam* in partes poſſe dividi ſive diſcerpi. Quod eſt Axioma nonum. 2. Divinas particulas Monadáſve Divinas quanquam in infinitum extenſibiles, in punctum tamen Phyſicum

poſſe contrahi vel conſtringi. Quod eſt Axioma undecimum. 3. Pulviſculum marmoris evadere poſſe in Terræ cœliſque Creatorem Deum, quod eſt Axioma decimum quintum. 4. Denique plures eſſe Deos æternos, increatos, alios ab aliis ſeparatos, terrarum cœlorúmque Creatores. Quod eſt Axioma decimum ſextum. An non horum ſingula multò abſurdiora ſunt, quàm ut *Ens ſummè perfectum*, quale verus eſt Deus, aliquam ſubſtantiam *creet ex nihilo*, hoc eſt, faciat ut aliqua ſubſtantia exiſtat, quæ antè non extiterat? Quandoquidem *Ens abſolutè perfectum* omnia poteſt quæ nullam implicant contradictionem.

2. Faciliùs intelligi poſſe aliquid ex nihilo creari per Ens ſummè perfectum, quàm Ens imperfectum à ſe poſſe exiſtere, per Conſectarium Axiomatis tertii, & per Axioma octavum. In Ente enim imperfecto, (ſi humanæ mentis facultates conſulamus) nulla eſt cauſa cur *à ſe* exiſtat; in *Ente* verò *ſummè perfecto* eſt cauſa, cur & *à ſeipſo* exiſtat, & ſubſtantias alias, quæ antè non extiterant, *exiſtere faciat*, utpote quod omnia poteſt quæ non implicant contradictionem, utì dixi. Ut verò quid, quod jam omnino non exiſtit, poſtea exiſtat, nullam implicat contradictionem, ut omnes nôrunt qui *Logicam* vel primoribus labris attigerunt.. Vide *Enchirid. Metaphyſ. cap.* 2. *ſect.* 6. & *cap.* 5. *ſect.* 1, 2.

Ad Axioma ſecundum.

Unde manifeſtum eſt, Materiam creari poſſe, quanquam non poſſit à ſeipſa exiſtere; nec neceſſe eſſe ut quicquid eſt, ſit *Spiritus*, contra Axioma quintum.

Ad Axioma ſeptimum.

Videtur ſanè *Spiritus* hic *Divina Eſſentia* ex ipſius deſcriptione Axiomate ſexto contenta. At verò ſi conſideremus alias illius conditiones, quòd *diſcerpi* poſſit in partes, per Axioma nonum; in ſtatum *ſoporis* ſive *ſtuporis* redigi, & in *punctum Phyſicum* hoc *ſtupore* conſtringi, per Axioma duodecimum & decimum tertium; manifeſtum eſt talem non poſſe eſſe Divinam Eſſentiam. *Divina* enim *Eſſentia* rationem in ſe debet continere ſuæ exiſtentiæ, quòd non poſſit non eſſe à ſe: Quæ proprietas ſoli *Enti ſummè perfecto* competit. Hunc verò ſpiritum Ens eſſe imperfectum palàm eſt, quòd præ *ſtupore* in *puncta Phyſica* poſſit conſtringi. Quid autem vilius eſt *puncto Phyſico ſtupore conſtricto*, omníque vitâ ſenſúque deſtituto? Spiritus igitur hic non poteſt eſſe *Ens à ſe exiſtens* per Conſectarium Axiomatis tertii, ac propterea nec eſſe *Divina Eſſentia* per Axioma octavum, cùm à ſe exiſtere *Divinæ Eſſentiæ* ſit proprietas.

Quibus addas aliam Eſſentiam demonſtrari poſſe neceſſariò à ſe exiſtentem, à *Spiritu* hoc *mobili* ac mutabili diſtinctam. Quæ verus *Cabbaliſtarum* מקום eſt, verúſque adeò Deus. Quod iterum oſtendit Spiritum hunc non eſſe *Divinam Eſſentiam*, ſed merum Figmentum. מקום verò verum eſſe Deum ex eo patet, quòd à ſe neceſſariò exiſtat. Quod nulli rei competit præterquam *Eſſentiæ Divinæ*, per Axioma octavum. Cùm igitur, inquam, מקום ſit Deus, *Spiritus* hic non poteſt eſſe *Deus*.

Ad Axioma decimum & undecimum.

Plurima hinc emergent Abſurda. 1. *Divinas* has *Monadas* in infinitum extenſas tot eſſe Deos, cùm à ſe invicem realiter ſint ſeparabiles, ac proinde infinitum eſſe Deorum numerum. 2. *Monades* hæ *Divinæ* cùm ſingulæ infinitæ ſint amplitudinis, mirum videri in *puncta Phyſica* poſſe conſtringi, nec *Antitypas* antè fieri atque duras, cùm tandem ſic fiant, alioqui ſe invicem penetrarent. 3. Cùm ſingulæ *Monades*, infinitæ ſint Extenſionis, fore, quando omnes in ſtatu *Extenſionis* ſive *Evigilationis* ſunt, ut tota *Divinæ Eſſentiæ* Univerſalitas dura fiat ſive *Antitypa*, propter *Eſſentiæ ſpiſſitudinem*, quæ æqualis eſt ſpiſſitudini ſingularum *Monadum* contractarum. 4. Neceſſariò fieri, ut ingens pars *Divinarum Monadum* ſigillatim contrahantur, ut reliquæ à *ſpiſſitudine* hac liberentur. Quæ igitur immanis quædam ac neceſſaria imperfectio eſt hujus Divinæ Eſſentiæ.

Ad Axioma duodecimum.

Doctrinam *Præexiſtentiæ* Animarum hâc Hypotheſi deturpari & conſpurcari, dum ſupponuntur Animæ ortum ducere è Mundo Materiali, lapidéſq; aut ſtercus antè fuiſſe, quàm Anima eſſent humana corpora organizantes, rurſúſq; in lapides ac ſtercus, ni ſibi rectè caveant, mutari poſſe.

Ad

Ad Axioma decimum tertium.

Cùm omnis Materia congeries ſit Animarum conſopitarum, conſiderandum eſſe, quantos dolores ipſis creaturæ ſint Aſciæ, Serræ, Limæ, *&c.* Partem verò Dei in hunc ſtuporem & dolorem delabi poſſe, quàm ridiculum aut horridum!

Ad Axioma decimum quartum.

Deum fieri Lapidem, Stercus, Pediculum, Buſonem, Diabolum, *&c.* immane quantùm abſonum eſſe, neminem non videre.

Ad Axioma decimum quintum.

Et ex his rurſus Novarum terrarum, cœlorúmque Creatorem. Quod tamen fieri non poteſt, niſi immenſa ferè moles *Divinarum Monadum* ſint in ſtatu *ſoporis* ſive *ſtuporis.* Unde ſequitur, nullum unum Deum eſſe qui ſuâ ſolius virtute creare poteſt cœlum atque terram reliquáſq; Mundi partes.

Ad Axioma ultimum.

Polytheiſmum hunc Atheiſmum planè inferre, cùm unuſquiſque Deus ſingularis infinitò imperfectior ſit cunctis ſimul, quippe qui ſunt numero infiniti; quemadmodum ſuprà notavi ad Axioma decimum & undecimum. Verus autem Deus nullâ perfectione deſtitui poteſt, nedum infinitâ.

Et quantùm ad *Polytheiſmum* ſi quis reſponderet, unius Mundi unicum eſſe Deum, ex prædictis tamen conſtat Deum iſtum unum nullum eſſe propter infinitam ſuam Imperfectionem; Nec vel unum Mundum condi ſine infinito ferè *Divinæ Eſſentiæ* diſpendio, cùm infinitus ferè numerus *Monadum Divinarum* ſtupore contractarum ad unum Mundum condendum requiratur.

SCHOLIA

In Cab. Aeto-pædo-meliſſæam.

UT pleniùs intelligatur natura hujus Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ *ejúſque* Confutatio, *primò occaſionem narrabo Tituli ipſius* Cabbalæ, *deinde pauca de duplici Philoſophandi ratione ſubjungam. Anno Domini* 1675. *circa finem menſis Aprilis, ſub lucis ortum, tempus veris inſomniis opportuniſſimum, mirabile hoc mihi contigit Inſomnium. Videbar mihi in inferiori quodam eſſe Conclavi ſatis amplo, in quo feneſtra erat ad* Orientem. *Spectanti verò mihi illam versùs, videbatur Avis quædam grandis ad aliquam diſtantiam, volare versùs feneſtram, magnitudine ac figurâ* Aquilæ: *poſtquam verò ad feneſtram propiùs acceſſiſſet, paulo minor videbatur, & meditari introitum. Quod cùm obſervâſſem, feneſtram aperui, per quam ſtatim volavit in Conclave, & nè rurſus evolaret, ſubitò feneſtram clauſi. Magno enim ſtudio tenebar capiendi eam. Et feci ſanè facili negotio, cùm illa capi perinde geſtire videretur atque ego eam capere. Séque adeò cicurem & familiarem præſtitit, ut ultrò manui inſideret, inſtar Accipitris. Ad quem modum mihi videbar ſedere cum ea, ſub arbore, conclavi ſubitò in apertum hortum mutato. Videbatur autem admodum levis pugno inſidens. Cúmque dorſum aláſque manu alterâ demulcerem, corpúſque palpando curioſiùs contrectarem, nullum ferè corpus partéſve muſculoſas habere videbatur, ſed oſſa tantùm arida, pennáſque ac plumas colore* Accipitrem, Aquilám*ve referentes. Roſtrum verò nec* Accipitrem *referebat nec* Aquilam, *quippe quod planum omnino erat, multo quidem planius quàm roſtrum* Anatis, *ſed in angulum deſinens, nec rectum nec obtuſum, nec valdè quidem acutum. Hoc verò roſtro, ad quod obſtupui, loqui incepit, adeò ut ſtatim ſuſpicarer,* Avem *non eſſe, ſed* Genium *aliquem vel* Spiritum, *& allocutus amicum quendam, qui adeſſe videbatur, juſſi, excutere ſe & evigilare, ut certus ſit nos ſomno non teneri, nec illudi inſomniis. Ille verò, quæ eſt illius prudentia ac cautela, quaſi Spiritum autumans, videbatur ſe ſubducere. Cæterùm ſimul atque abiiſſet, Avis hæc ſtatim converſa eſt in puerum puſillâ ſtaturâ, capillitium habentem in floccos cæruleos albóſq; diſtinctum, haud abſimile Verriculo, (quo areas conclavium tabulatas aquâ madefacto verrere ac emundare ſolent,) ex iſtiuſmodi floccis diſcoloribus concinnato.*

cinnato. Erant autem colores capillitii, ut in iſtiuſmodi verricnlis, ſordibus quaſi obfuſcati & conſpurcati; Tunicámq; geſtabat eiſdem coloribus, ſed ſordidis pariter & obfuſcatis. Puer verò atq; Ego colloquium continuavimus. Cujus, partis quidem prioris nihil omnino memini. Perfectè verò memini me rogâſſe, unde venerit: eúmq; reſpondiſſe, à Sione. Sed pergens in ſermocinatione, certúſque, ut videbatur, me cum Spiritu Genióve aliquo loqui, neſciúſque, bonúſne eſſet Spiritus an malus, ſtatim decrevi puerum quæſtione unâ & alterâ explorare. Rogabam igitur, crederétne in Jeſum Chriſtum: Ille reſpondebat, Non. Unde rurſus ſtatim rogabam, Unúmne crederet Deum: Ad quod ſubridenti vultu reſpondebat, ſe multos credere Deos eſſe (one by one, ſic ille Anglicè reſpondebat) alios ab aliis ſeparatos, vel alios aliis ſuccedentes. Ad quod dictum vehementi indignatione commotus, juſſi faceſſere Satanam, crebriſque calcitrationibus puerum impetivi. Quod fecit ut ſtatim ſe in Apem converteret, ſegnitérq; volaret bombilans circa medias tibias, nec in hanc formam converſum ſtrenuis cum calcitrationibus impetere deſtiti. Sed in medio hoc animi æſtu ac tumultu è ſomno excitatus ſum, haud parum demirans, unde mihi acciderit tale inſomnium. Neque enim in memoriam revocare poteram quicquam, quod occaſionem daret iſtiuſmodi inſomnio. Ac proinde ſuſpicans nihil triviale ei ſubeſſe, nec caſu ſed providentiâ mihi contigiſſe; cúmque ἀθυονειρία, (ut loquitur Ariſtoteles,) non eſſet, ſed ὄνειρος αἰνιγματώδης, ſeriò apud meipſum meditabar, cujuſnam tandem rei Hieroglyphicum eſſet. Quamobrem, cùm hoc Inſomnium eo tempore mihi accideret, quo in legendis MSS^{tis} quibuſdam Cabbaliſticis maximopere verſabar, ut in Emek Hammelek, ſive Valle Regia aliiſque, ſuſpicari quidem incepi eò Viſionem ſive Inſomnium ſpectare poſſe, & Repræſentationem eſſe Cabbalæ cujuſpiam Judaicæ, cujus Fundamenta, in tam horridam delirationem tandem deſinerent. Quod præcipuè me ad iſtam Interpretationem movebat, hoc eſt: nempe quòd puer rogatus unde venerit, reſponderet ſe veniſſe à Sione. Quòd verò primùm in forma Aquilina apparuerit, ſublimem aliquam ſpeculationem Judaicam eſſe ſignificabat, quam igitur Cabbalam eſſe conjectabam. Quódque Aquila per Feneſtram Orientalem intraret in conclave, Orientalem eſſe Philoſophiam, qualis eſt Cabbala Judaica. Quòd verò Aquila major appareret à longinquo, quàm cùm propinqua eſſet, tandémq; ab Aquila in Apem abiret, prope humum bombilantem, ſatìs apertè innuebat, Judaicam Cabbalam multò majora ac ſublimiora primo aſpectu promittere, quàm reverà præſtat in exitu. Quò ſpectare etiam videtur color plumarum Avis Aquilinus, & pennæ oſſáq; arida omni carne muſculosâ deſtituta. Sed meminiſſe etiam oportet, quamvìs muſculoſa caro defluxerit, manere tamen oſſa quantumvìs arida, nec veterem Cabbalam Judaicam funditùs periiſſe. Duóſq; illos colores Capillitii ac Tunicæ pueri, candidum ac cæruleum, Divinos quaſi eſſe ac cœleſtes, quamvìs, heu! nimiùm quantùm ſordidatos ac obfuſcatos, ut madidum Verriculum è floccis concinnatum, ſordidæque areæ affrictum. Et certè Cabbaliſtica illa Theoremata de Divina Nemeſi, Animarúmque præexiſtentia, ſatìs olim pura ac ſublimia, ut nunc quidem ſunt, pulverem cœnúmq; verrunt. Et ut nec roſtrum Avis omittam, quo loquebatur, planum quidem, ſed nec in rectum, nec obtuſum, nec in valdè acutum deſinens angulum, quid profectò ſignificet neſcio, niſi quòd Cabbala hæc, quanquam loquelâ & argutiâ quadam non caret, caret tamen rectitudine ac firmitate. Neque enim fingi poteſt roſtrum magìs infirmâ ac ineptâ figurâ, quàm quod hæc avis habere videbatur. Quòd verò puer ſubridens dixit, ſe plures credere eſſe Deos alios ab aliis ſeparatos, confidentiam innuit iſtiuſmodi Cabbaliſtarum, qui tam craſſè philoſophantur, aliorúmq; ex hac confidentia contemptum. Ità enim uſu venire ſolet ut quanto cujuſq; conceptus craſſiores ſunt, & Imaginationi corporeæ magìs innixi, tanto vehementiùs animum moveant fortiúſq; captivent aſſenſum. Intereà loci ex hiſce Indiciis quanquam ordine ſatìs tumultuario notatis, credo ſatìs patere, Cabbalæ Judaicæ genus ſaltem aliquod & ſubindicari per hoc Inſomnium & perſtringi, quod fit tum per Symbola illa magìs ænigmatica, tum per apertam illam & execrandam doctrinam de pluribus Diis. Cui peſſimæ Concluſioni haud ità arduum erat conſentanea adinvenire Fundamenta quæ ſuprà recitavimus. Et certè talem eſſe apud Judæos Cabbalam ex iſtiuſmodi Fundamentis conſiſtentem poſtea certò intellexi tum conſulendo amicum quendam rerum Judaicarum ſatìs gnarum, qui liberè & ingenuè faſſus eſt, hanc unam eſſe philoſophandi methodum apud Cabbaliſtas, ex negatione Creationis propriæ dictæ, ulliúſq; rei exiſtentiæ à ſeipſa, præter Divinam Eſſentiam; ex quibus neceſſariò profluit abſurda illa Deorum plurium opinio: tum notando loca non pauca in Emek Hammelek, quæ planè innuunt ex Deo omnia fieri tanquam ex cauſa eorum

rum materiali, *perinde ac tanquam à* cauſa efficiente. *Ex quibus omnibus ſatìs innoteſcit, cur Philoſophia ſuprà à me deſcripta, &* Cabbala *appellanda ſit, utpote quæ* Judaicæ *Philoſophiæ genus quoddam eſt, &* Aeto-pædo-meliſſæa, *nempe propter Inſomnium hoc,* de Aquila, Puero *ac* Ape: *quibus illius natura & detecta eſt & perſtricta. Atq; hæc de ratione Tituli hujus* Cabbalæ. *Vt natura autem illius accuratiùs intelligatur, pauca de* duplici *Philoſophandi via ſubnectemus, ut quâ tandem inſtiterit hæc* Cabbala Aeto-pædo-meliſſæa, *clariùs deprehendamus.*

Vt breviter igitur dicam: Duplex illa philoſophandi ratio hæc eſt: Vna quidem ex ſenſu *quodam ac* ſagacitate Intellectuali; *altera verò ex* craſſa Imaginatione *ſenſúq;* corporeo. Philoſophatio *verò ex his duobus Principiis, nihil aliud eſt niſi quædam circa deducendas ex utrolibet concluſiones* communis Rationis exercitatio. *Ad priorem fontem referendæ ſunt omnes innatæ Intellectûs humani Ideæ, notionéſve rerum accuratæ, quales nullus externus ſenſus percipere poteſt, ut* Trianguli, Circuli, Tetrahedri, Entis ſummè perfecti, *& ſimilium. Etiam Axiomata Noematicè ſive immediatè vera,* Logica, Ethica, Mathematica, *ut* Quod alicui rei convenit quatenus talis, id nequaquam convenire poteſt ſuo contrario. Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris. Quæ æqualia ſunt uni tertio, æqualia ſunt inter ſe. *Quam veritatem non ſolùm in quantitate* corporea, *ſed in omnibus omnino rebus Mentis humanæ Sagacitas intellectualis primo intuitu deprehendit. Item,* Quicquid eſt, finitum eſt aut infinitum. Neceſſe eſt aut Materiam æternam eſſe, aut æternum eſſe Deum. *Hæc Mens humana certò percipit vera eſſe,* ſuâ *ſolius innixa* Sagacitate, *non beneficio* Imaginationis corporeæ, *ſenſuúmve* externorum, *qui nec* æternitatem, *nec* neceſſitatem, *nec* infinitatem *poſſunt percipere, nec notionem deniq;* Dei. *Hiſce etiam accenſenda duo præclara illa Axiomata.* Ens ſummè & abſolutè perfectum tale eſſe cui omnis omnino perfectio aut formaliter aut effectivè inſit. *Et,* Extenſum quoddam immobile dari, à mobili Materia diſtinctum. *Huc* ſenſus Intellectualis *neceſſariò penetrat.* Senſus externus *non item nec* corporea Imaginatio. *Hæc & infinita ferè hoc genus alia ſunt inſita humanæ Mentis ſuppellex, non ab* externis ſenſibus *mutuata hauſtáve, ſed* ipſi *mentis humanæ* Eſſentiæ *intexta. Vide* Antidot. adverſùs Atheiſmum, *lib.* 1. *cap.* 5, 6 *&* 7.

Ad alterum fontem reducenda ſunt iſta. Subſtantiam & corpus æquè latè patere. Omne extenſum eſſe corporeum, (*cum ſuo conſectario,* Spiritus nuſquam eſſe.) Nihil fieri poſſe niſi ex præjacenti materia; *vel, quod idem eſt,* Nihil poſſe creari. Omne corpus motum ab alio corpore moveri. Omnia Mundi Phænomena rationibus purè Mechanicis poſſe explicari. Cohærentiam corporum, atomorum hamatarum unione contineri, *& id genus alia ferè infinita præſertim apud* Democriti *&* Epicuri *ſectatores & apud* Lucretium *præ cæteris, quem cùm admodum adoleſcens evolverem, putabam profectò ſubinde, me* Satyrum *quempiam* Simiúmve *ſenem è Sylvis Philoſophantem audire, adeò omnia ex ſolo ſenſu externo craſſáque Imaginatione deducebantur. Quod genus Philoſophos innumeros è luſtris lociſq; deſertis credibile eſt jamdudum confluxuros fuiſſe, ſi Deus ac Natura brutis Animalibus loquendi ſcribendiq; facultatem conceſſiſſent. Ipſa enim facilè potuiſſent prolixas* craſſarum Imaginationum *concatenationes ſive* carmine *ſive* ſolutâ oratione, *ornatè & copioſè deducere & enarrare. Hoc verò propriè* philoſophari *non eſt, ſed materialia* αἰσθήματα ϗ φαντάσματα *inani operâ recenſere.*

Ex hiſce paucis ſatìs ſpero intelligi, quodnam ſit inter has duas philoſophandi Methodos diſcrimen, quas cùm ſimplices eſſe planè conſtet, ſiquis ex utroq; fonte rationes ſuas contexat, mixtum *quoddam genus fore minimè difficile eſt ſtatuere. Ex quo genere* Cabbalam *hanc* Aeto-pædo-meliſſæam *eſſe jam breviter ſubindicabimus. Primum enim illius Fundamentum, Ex nihilo nil poſſe creari, è ſecunda philoſophandi ratione hauſtum eſſe manifeſtiſſimum eſt, nempe ex* imaginatione craſſa ſenſúq; corporeo. *Quippe quòd, cùm Anima Artifices omnes ipſámq; adeò Naturam ſua omnia opera ſemper ex aliqua præjacenti materia efficere obſervaverit, hiſce* ſenſuum externorum corporeæque Imaginationis *præjudiciis prægravata nihil niſi ex aliqua præjacenti materia fieri poſſe confidenter apud ſeipſam concludit; vel quod idem eſt,* Ex nihilo nil poſſe creari. *Quaſi verò nihil fieri poſſit niſi quod* externus ſenſus *factum deprehenderit,* craſſáve Imaginatio, *quæ externorum ſenſuum filia eſt, poſſit concipere. Suppoſito verò hoc* primo *principio, rectè philoſophatur, hoc eſt, ratione ſuâ utitur hæc Philoſophia* Aeto-pædo-meliſſæa *in* ſecundo, *quod neceſſarium eſt primi Fundamenti conſectarium. Tertium verò Fundamentum firmiſſimum eſt & è prima philoſophandi methodo petitum, nempe* Materiam ob vilitatem naturæ ſuæ à ſe exiſtere non poſſe. *Hoc* externus ſenſus corporeáve Imaginatio *non dictat, ſed* ſenſus intellectualis, innatáq; *ipſius mentis* ſagacitas, *inter cujus notiones communes axiomatáve* Noematicè *ſive* immediatè *vera, ſuprà numeratum eſt :* Quod alicui rei convenit quatenus talis, id nequaquam convenire poteſt ſuo contrario. *Quamobrem, cùm manifeſtum ſit,* A ſe exiſtere, Enti ſummè perfecto *competere, quatenus tale, æquè profectò manifeſtum eſt,* Enti cuilibet vili ac imperfecto, *qualis eſt præ cæteris omnibus Materia,* idem competere non poſſe, *ac proinde materiam à ſe non poſſe exiſtere. Quod eſt, quod dixi, Fundamentum tertium. Unde porrò patet,* Cabbalam *hanc* Aeto pædo-meliſſæam, *nec à primo Fonte nec à ſecundo ortam eſſe, ſed Philoſophiæ genus quoddam eſſe ex utroque genere* mixtum.

Jam verò ſuppoſitis duobus illis heterogeneis Fundamentis, primo *nempe &* tertio, *recta eſt illa in* quarto quintóq; *Philoſophatio, communiſve Rationis deductio, nempe* nullam eſſe in rerum Univerſitate Materiam, ſed quicquid eſt Spiritum eſſe. *Item in* ſexto, ſeptimo *&* octavo. *Quæ planè innuunt* Spiritum hunc revera eſſe Deum, *vel* Divinam Eſſentiam, *nullámq; eſſe Eſſentiam in rerum Natura præter ipſam, juxta dictum illud Paganicum,*

Jupiter eſt quodcunque vides, quocunque moveris.

Quæ noni *explicita eſt ſatiſq; firma Philoſophatio, ex Axiom.* 1, 2, 3, 8. *ut & de* Diviſibilitate *Divinæ Eſſentiæ, externorum ſenſuum adminiculo. Quorum uſus ac teſtimonium in hujuſmodi cauſis ſolidum eſt ac legitimum, nempe an id quod videmus tangimúſque, in partes dividatur, necne. Hoc enim ſenſus externus rectè circumſtantiatus, certò ac fideliter deprehendit. Immane hoc abſurdum ex malè poſitis Principiis, fidem facientibus, de facto, externis ſenſibus, neceſſariò infert communis Ratio. Nec temerè ex hac* Divinæ *Eſſentiæ* Diviſibilitate *in Fundamento* decimo *concluditur, ſingulas particulas in quas ſolvi poteſt Divina Eſſentia, ſi in ullas particulas poſſit ſolvi, infinitæ eſſe virtutis & amplitudinis, quoniam niſi hoc eſſet, ſed finitæ eſſent amplitudinis & virtutis, ſingulis illis particulis infinita deeſſet perfectio, ac proinde* Entia *eſſent modis infinitis imperfecta, nec magis à ſe exiſtere poſſent quam* Monades materiales, *per Fundamentum* tertium. *Tam firmiter, poſitis ſuprà dictis principiis, immaniſſima hæc abſurditas concluditur, & majores adhuc & majores indè Abſurditates concluduntur, in reliquis Fundamentis, donec res tandem eò erumpat, ut* plures *concludatur eſſe Deos, terrarum cælorúmq;* Creatores.

Videmus igitur quàm plena periculi res ſit, contra illa Moſaica Præcepta peccare, Nè conſerito vineam tuam duobus generibus : *&*, Nè arato Bove & Aſino ſimul. *Nam ex conjunctione duorum illorum malè cohærentium Principiorum,* Ex nihilo nil poſſe creari, *&* Materiam propter vilitatem naturæ ſuæ à ſe non poſſe exiſtere, (*quorum alterum ex* ſenſu corporeo craſſá*que* Imaginatione, *alterum ex* Intellectuali ſenſu *ac* ſagacitate *originem ducit*) *omnes iſtæ ſtupendæ abſurditates neceſſariò profluxerunt. Quamobrem manifeſtò cogimur alterutrum ablegare, ut monſtra illa Philoſophiæ evitemus. Poſterius verò ablegare minimè fas eſt, cùm inſitis illis & inviolabilibus humanæ mentis notionibus adeò ſit conſentaneum. Materia enim cùm adeò vilis recula ſit, impoſſibile planè eſt, ut à ſe exiſtere ipſi competat, quippe cùm id* Enti perfectiſſimo *quatenus tale competere neceſſariò intelligatur.* Quod *autem* Enti alicui quatenus tale convenit, illud nequaquam convenire poteſt ſuo contrario. *Prius igitur illud amandari oportet,* (*utpote quod corporeo tantùm ſenſui craſſæque imaginationi innititur*) *nempe,* Ex nihilo nil poſſe creari. *Illud enim intimæ intellectualis Animæ naturæ nequaquam inſitum eſt, ſed* externæ *tantùm illius* cruſtæ *ſive* larvæ, *quam amoveri oportet ac avelli, ut veris animi oculis res contemplemur, rectéq; ſic philoſophemur. Et ob hoc, inquam, hoc primum fundamentum rejiciendum eſt, tum quòd externis tantùm ſenſuum impreſſionibus,* corporeæ*que* Imaginationi *omnem ſuam probabilitatem acceptam referat, quæ nullum omnino pondus habent in rebus extra ſuam Sphæram ſitis, ipſámq; mentis ni ſummopere ſibi caveat, operationes vitiant atq; depravant ; tum quòd ipſarum ingratiis, Anima* intellectualis *propriis viribus, Fundamentum primo iſti Fundamento contrarium ex ſeipſa eruerit & detexerit, nempe* Ideam Entis ſummè perfecti ſive Dei : Ens *utique* ſummè *&* abſolutè perfectum *tale eſſe cui omnis omnino perfectio aut formaliter aut effectivè inſit, quemadmodum ſuprà notavimus. Quod tamen verum eſſe non poteſt niſi admittatur* propriè dicta Creatio. *Sed de his excurſum eſt ultrà quàm putabam. Ex dictis abunde conſtat, quæ ſit ratio nominis hujus* Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ, *qualiſque illius natura, quódque non ex uno ſimplici philoſophandi genere orta ſit, ſed mixtum quoddam ſit genus, partim ex* ſenſu corporeo craſſá*que* Imaginatione, *partim ex* intellectuali ſenſu *ac* ſagacitate *derivatum. Nec mirari quidem debemus Philoſophiam ex tam malè cohærentibus principiis conflatam tam infælicem habere exitum.*

Philoſophiæ Teutonicæ CENSURA:

SIVE

EPISTOLA PRIVATA AD AMICUM,

QUÆ
RESPONSUM COMPLECTITUR
AD
QUÆSTIONES QUINQUE
DE
PHILOSOPHO TEUTONICO
JACOBO BEHMEN
Illiúſque PHILOSOPHIA,
Ab AUTORE Latinè reddita.

Αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι.

Per *Henricum Morum* CANTABRIGIENSEM.

VERITAS FILIA TEMPORIS

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

1. QUòd Epiſtolam hanc, eò ab amico invitatus, ſcripſerim, neminem credo, qui optimum & nobiliſſimum Amicitiæ commercium intellexerit, mihi vitio unquam verſurum. Ut verò publici juris facerem, quod primùm privatæ ſolummodò ſatisfactioni deſtinatum eſt, hac in re me fateor meipſum reperire magìs obnoxium: Non quòd rem ullam Heterodoxam mihi viſus ſim hîc tradidiſſe; (Neque enim mihi conſcius ſum me hac in Epiſtola quicquam affirmâſſe, quod univerſali Doctrinæ Eccleſiæ in temporibus ſuis Symmetris, ullo modo repugnet. Nec certè quando errores J. B. emendo, intelligi volo ità abſolutè & dogmaticè definire, ac ſi certus eſſem, quid ſibi vellet in hiſce Spiritûs ſui parturitionibus, ſed potiùs, id quod nos ſubinnuimus veriſimilius eſſe quàm quod ipſe videtur planè & apertè indicare; ſed ad indubias Doctrinæ Apoſtolicæ Regulas omnia eſſe expendenda. Quamobrem quantùm ad hoc, à cujuſvis Cavillis ſatìs ſecurum me eſſe ſentio:)

2. Sed hoc eſt quod dico, me nempe manifeſtò meipſum obnoxium reperire cenſuræ duarum ex diametro oppoſitarum hominum partium, quippe quorum alteri Autorem, quem examinandum ſuſcepi, tanti æſtimant, ut nihil infra Canonizationem & Infallibilitatem, juxta hos enormes illius Admiratores, Meritorum ejus magnitudinem æquare poſſit. Alteri è contrà eum adeò execrantur tanquam Hæreticum Diabolicum, aut tanquam merum Enthuſiaſten cerebroſum contemnunt, ut nemo apud hos vel tolerabilem de eo profiteri queat opinionem, quin ipſe ſuſpectus habeatur impietatis, nec reperiri ullas horas illius Scriptis legendis impendiſſe, quin exiſtimetur tantundem temporis in Nugas prodegiſſe & Quiſquilias, in mera Deliria & Ineptias.

3. Cæterùm tametſi non diffiteor, me expoſuiſſe meipſum cenſuræ duorum adeò immane quantum differentium Judiciorum, nego tamen eos me juſtè reprehendere poſſe; ſed potiùs ingens hoc diſcrimen opinionum ipſorum circa Philoſophiam Teutonicam, juſtam dare occaſionem ſobriæ omnino & laudabili Curioſitati in rem ipſam inquirendi & perſcrutandi quid in imo lateat. Nam & ipſius Servatoris ſors erat, ut à quibuſdam credi Filium Dei, ità ab aliis haberi pro Dæmoniaco.

4. Nunc verò quantùm ad prius hominum genus, qui adeò devoti ſunt admiratores Jacobi Behmen, quiq; eum infallibiliter inſpiratum credunt, quòd illi me culpare non debeant, quòd contrà ſentiam, hæc ipſa Epiſtola demonſtratio eſt, in qua manifeſtò probavi, Inſpirationes ſuas eum fefelliſſe. Atq; equidem gratias mihi agere eos oportere potiùs cenſeo, quàm offendi, cùm res ignobilis planè ſit ex hujuſmodi falſa opinione, errorem alterius tanquam Inſigne intellectualis ſuæ ſervitutis geſtare, atq; ſic ſuppoſitione alienæ Infallibilitatis captivatos ſemper detineri ab ullas faciendo excurſiones in liberum Veritatis campum, & à probandis examinandiſq; rebus uſu ſobrio experimentorum propriorúmq; Ratiociniorum ſemper cohiberi.

Qui tamen ſolus genuinus eſt propriúſque philoſophandi modus, alter verò mera Perſuaſionis Fideive Profeſſio.

5. *Jam verò quantùm ad eos, qui aut abominantur* Jacobum Behmen, *ceu Diabolicum, vel tanquam vanum vilémque Scriptorem contemnunt, ex ignorantia id proficiſci oportet, tum* Scriptorum *tum* Vitæ *hominis. Spiritus enim qui in Scriptis illius ſe prodit, tantum quidem abeſt ut Diabolicus ſit, ut ſit apprimè Chriſtianus. Cùm nihil crebrius inculcetur, quàm Humilitas, Amor, Manſuetudo, ac Dilectio fraterna, quàm perfecta ſubmiſsio voluntati Divinæ, integráque noſtrî ipſorum Renunciatio, & derelictio hujus Mundi, vanitatúmque vitæ præſentis in plena ſpe ineffabilium illorum gaudiorum quorum participes erimus cum Animabus ſanctis atque Angelis in Paradiſo. Quibus quidem de rebus is ſcribit ſenſu acriori & penetrantiori, quàm quilibet ferè alius quem tibi legere contigerit. Quæ planè omnia manifeſtò oppoſita ſunt Regno rebúſque Diaboli.*

6. *Quibus omnibus addas, quanquam ad internam Margaritam quærendam Hortator erat vehementiſsimus,* Chriſtum in nobis ſpem gloriæ, *adeò ut Symbolum illius eſſet,* Salus noſtra in vita Jeſu Chriſti in nobis; *nemo tamen eſt, qui majori cum reverentia & affectione de perſona Chriſti externi loquitur quàm ille, nemo qui apertiùs officia illius Perſonalia agnoſcit, qui virtuti & efficaciæ Sacramentorum plus attribuit, expreſsiúſve urget neceſsitatem celebrandi Cœnam Dominicam, uſque ad finem ſeculorum. Et poſtremò, qui planiùs profitetur,* Literalem Reſurrectionem, *adventúmq;* perſonalem *Servatoris die noviſsimo ad judicandos vivos atque mortuōs. Adeò ut, quantum ego quidem video, quicquid peccaverit J. B. purus putus eſt innocuus error, neque cum ullo omninò malo conſilio dolóve, nedum Diabolico conjunctus.*

7. *Videtur autem non ſine Providentia ſuſcitatus ad pungendos extimulandóſve Chriſtianos putatitios, qui Chriſtum tantùm externum volunt, nihilq; curant, quàm parùm vitæ ſpiritûſq; habeant intus; utì etiam ad reducendos* Familiſtas, *qui Enthuſiaſmo tam facilè percelluntur, ex ſtupido ſuo* Saduciſmo *&* Infidelitate *in magnis illis Articulis, qui ad* Perſonam *Servatoris ſpectant, ad magìs veram Apoſtolicámque in Chriſto Fidem. Qui perinde atque* Quakeri, *quos vocant, nunc magìs inexcuſabiles ſunt, ſi etiamnum aſſenſum ſubducant à præcipuis iſtis Chriſtianæ Fidei articulis, cùm Apoſtolus quaſi de ſuis, & qui plus inſpiratus ſit quàm aut H. N. aut è* Quakeris *quiſquam, tam planè & expreſsè Literalem eorum veritatem affirmaverit, adversùs omnes ineptas præſumptiones Allegorici ſui Prophetæ H. N. in contrarium.*

8. *Et denique ſi conſideremus quàm devotus ac raptuoſus eſſet J. B. & quàm admirandis donis inſtructus, qui tamen Eccleſiæ erectionem nunquam affectavit, populive congregationem in privata Conventicula, ſed diligenter & ordinatè publico Miniſterio adhærebat, in loco ubi vixit, admodum manſuetè pacificéq; ſe gerens erga* Superintendentem *loci, etiam tum cùm admodum inciviliter & injuriosè ab eo tractatus erat: hoc egregium admodum poteſt eſſe exemplum adversùs omnes noſtræ ætatis Schiſmaticos, qui adeò nihil penſi habent, ſeparare ſe ab Eccleſia, & ex propriorum donorum opinione, ſi non & Mundani alicujus commodi gratiâ, populum ad ſe congregare, atq; ſic Eccleſiam contra Eccleſiam erigere, ad dilacerandum Chriſti corpus contumeliâq; afficiendum Eccleſiam Nationalem, ac ſi res illìc ità corruptæ eſſent, ut illicitum omnino foret communionem cum illis colere. Quod planè contrarium eſt praxi hujus pacifici ac demiſsi Chriſtiani J. B. Quem, ut ſpero, abunde jam, Lector, perſuaſus es, Spiritu* Diabolico *nequaquam fuiſſe, ſed imputationem eſſe, aut ex malitia aut ex ignorantia profectam, quoties tam indignis aſpergitur contumeliis.*

9. Quantùm autem ad Tenuitatem illius & contemptibilitatem, equidem fateor, ſi ſtirpem, ſi educationem & profeſſionem reſpicias, ſic omnino fuiſſe. Hoc tamen interim reliqua illius privilegia ac perfectiones magìs mirabiles reddit, ut tam ſtupenda Fabrica ſuper tam anguſtam Baſin extrueretur.

Ex Scriptore Vitæ illius breviter illa ſubindicabo, quæ meritò eum poſſint, ut ego quidem opinor, eò uſque ſaltem ſupra contemptum collocare, ut nemini dedecori eſſe queat, id ſibi negotii faceſſere, ut libros ejus legat, in illiúſque inquirat Philoſophiam.

10. Ut primùm, cùm puer erat & armentorum Oppidi communium, cum aliis pueris pauperculis, ſociis ſuis Armentariis, cuſtos, peculiarémq; favorem nactus erat ut locupletiſſimus ei oſtenderetur Theſaurus, in ſaxoſæ Rupis ſummitate haud procul ab oppido, Nummorum ſcilicet amplum vas; quòd ea porrò gratia illi addita eſt, ut eum nollet tangere. Quem Magus quidam poſtea cùm arte ſuâ ſibi acquiſiviſſet, carô tam opimam emit prædam, quippe triſti infamiq; fato peremptus, quemadmodum J. B. ipſe refert. Hoc quidem privilegium eſt quod cuiq; non contingit, & matura ſignificatio ſpecialem oculum J. B. injectum fuiſſe à Poteſtatibus inviſibilibus.

11. Ex quibus unus aliquis viſibilem ſe reddidiſſe probabiliter exiſtimari poteſt in forma venerandæ graviſq; perſonæ quanquam non niſi mediocriter veſtitæ, qui ſub prætextu mercandi ab hoc Tyrunculo, (nam in ea tunc arte ſic erat) calceorum par, ſoluto pretio calceiſq; ſecum ſublatis, poſtquam ab Officina paululum diſceſſerat, J. B. ſuo prænomine inclamavit, quanquam ipſi ignotus, dicens, Jacobe, Jacobe, exi huc foras. Quem ad ſe accedentem, multùm licèt attonitum, ſtatim dextrâ prehendit, oculóſq; claros ac ſcintillantes in eum figens, ſevero quidem ſed amico vultu, graves paternáſq; admonitiones, piáſq; inſtructiones impertivit, eum hortans ad legendas Scripturas, eique, quale Mundo Miraculum evaſurus eſſet, prædicens.

12. Ab hac impreſſione adoleſcentulus, admodum factus eſt devotus, ſedulúſq; Scripturarum Lector, & frequenter obnixéq; Deum oravit ut dignaretur ſibi donum Spiritûs dare. Et durante quidem illo tempore, quo jam apud Magiſtrum erat, factum eſt, utì ipſe profitetur, ut per ſeptem dies continuos, circundatus eſſet Divino Lumine, & in ſumma Contemplatione gaudiorúmq; Regno conſtitutus.

13. Quo iterum circumfuſus eſt poſtquam Magiſtrum reliquerat, anno Ætatis viceſimo quinto, adeò ut in Agris Gorlitzienſibus Herbas Gramináq; inſpiciens, interno viſu in ipſorum Eſſentias, uſus, & proprietates, figuris eorum, ut is ait, & ſignaturis ſibi detectas, introſpiceret.

Et decennio ferè pòſt, rurſus in idem Lumen aſſumptus, nè Myſteria ipſi revelata perirent, ea, in Memoriam, primo ſuo libro inſcripſit, Aurora, ſive Rubedo Matutina appellato.

14. Poſtea verò multos alios Libros ſcripſit, ſecundùm juſſum ac directionem Spiritûs, & cum ea celeritate, quâ ab illo impulſus eſt. Ait enim quòd Ignis ardens ſæpe cum velocitate prorſum urgebat, quodq; manum ſcribæ tremulam oportebat continuò poſt eum feſtinare, quandoquidem ivit redivitq; tanquam ſubita & inopina Pluvia. Additq; porrò, reſignando ſeipſum totum Deo, ut non ſuæ voluntati ſed illius poſſet vivere, talem ei apertam fuiſſe Feneſtram, ut videret cognoſceretque plus unius horæ quadrante, quàm ſi multos continuos annos egiſſet in Academia.

15. Quanquam verò magnum hoc Myſterium uno quaſi intuitu vidiſſet, non tamen niſi gradatim in exteriorem ſuum Hominem illud inducere potuit. Ità ut paulatim

de die in diem ſe aperuerit, ut fit in tenera Planta. Et quaſi utero per duodecim annorum ſpacium antè geſtatum eſt, quàm potenti inſtigatione internâ in externam ſcripti formam produxerit. Quod tamen adhuc tam profundè Myſticum erat ut ſi lumen illud aſſiſtens ſe ſubduxiſſet, proprios ſuos labores ipſe non facilè intellexerit.

16. Et nè eum dicas ſolum de ſeipſo teſtificari, primus illius Liber qui publicatus eſt, qui eſt ejus Aurora ſive Rubedo Matutina, ingentem doctorum hominum copiam ab omnibus Regionibus ad ſe invitavit: Inter quos Baltazar quidam Gualterus è Silesia Medicus qui Arabiam, Syriam & Ægyptum, ad antiquam Magicam diſciplinam inquirendam peragraverat, cùm famam de J. B. accepiſſet, eúmque inviſiſſet, poſt trimeſtrem cum eo converſationem profeſſus eſt ſeipſum ab illo rediiſſe majori cum animi ſatisfactione quàm à præſtantiſſimis Ingeniis in quæ incidiſſet in ſuis Peregrinationibus. Hic eſt ille qui Quadraginta de Anima Quæſtiones ei propoſuit, quibus J. B. reſpondit, Libérque in multas linguas tranſlatus venalis proſtat.

17. Fama ac ſuſpicio profundæ illius Scientiæ tanta erat, ut quidam, ultrà quàm fas eſt curioſus, humillimum apud ipſum, Petitorem ſe geſſit ut Magicam illam Peritiam ſive virtutem, quâ eum præditum eſſe ſuſpicabatur, ſibi communicaret, credens etiam eum Spiritûs alicujus Familiaris ſocietate fretum, eóque illum pelliciens offerendo ipſi pecuniam. Apud Jacobum verò Behmen ſtatim repulſam tulit, cum ſeveriſſimis Increpationibus, qui profeſſionem ſe nullius rei facere dixit, niſi Fidei in Deum & Charitatis erga Proximum, neque ſe cum ullo Spiritu rem habere præterquam Spiritu Dei. Quem ſi participare vellet, dixit ei viam eſſe, ſeriam Pœnitentiam, fervidáſque preces ad Patrem Luminum qui omnis boni perfectíque doni eſt largitor.

18. Id verò maximè præ reliquis ad exiſtimationem J. B. facit, quòd cùm Dreſdam veniſſet eò citatus, & examinatus eſſet coram ſua Celſitudine Principe Electore Saxoniæ, ſuper Scriptis ejus, multis Theologiæ Doctoribus aſſiſtentibus aliiſque viris literatis, tam egregiè ſatisfecit in Reſponſis ſuis circa Quæſtiones tum Philoſophicas tum Theologicas; adeò ut D^{r} Meſnerus, aliúſque Doctor tunc præſentes, auditi ſint poſtea magna loqui in illius commendationem, tanquam de homine qui miranda Spiritûs dona aſſecutus eſſet, nolléque ſe ejus Inimicorum malitiæ miniſtros fuiſſe in eo condemnando, nè ullius quidem rei gratiâ.

19. Quibus addere potes talem Atteſtationem Pietati & Integritati Spiritûs illius, qualis maximè propriè ſpectat ad Sanctos vitâ defunctos, quando injuriâ afficiuntur. Nam incola quidam Gorlitziæ, ubi vixerat, cùm Peregrinis quibuſdam Raritates, quas vocant, Oppidi oſtenderet, tranſiénſque per J. B. domum, modo quodam contumelioſo Amicis ſuis peregrinis dixiſſet, Illa Domus eſt in qua Hæreticus iſte Jacobus Behmen vixit, ſtatim humi cecidit exanimis. Tam chara erat Memoria hujus viri innocui defuncti Divinæ Providentiæ.

20. Et certè Mortis J. B. circumſtantiæ demonſtrant eum dilectum fuiſſe Cœleſtibus Poteſtatibus. Etenim paucis antè horis quàm deceſſerit, muſicos concentus audivit admirabiles; cúmque horam prædixiſſet in qua deceſſurus ſit, eo ipſo tempore poſtquam valedixiſſet Familiæ eiſque benedixiſſet, juſſiſſétque Filium ſe in alterum latus vertere in lecto, Nunc, ait, hinc abeo in Paradiſum; atque ſic immediatè Animam efflavit. Atque equidem fateor me exiſtimare, Præſagium illius eum minimè feſelliſſe. Neque enim in Mahometanorum opinione ſum, (qui in hunc finem cirrum in capite relinquunt, quo Mahometes eos prehendat) homines in Paradiſum per Caput ſurſum trahi, ſed per Cor, in quo radix eſt Regenerationis,

generationis, & qui Fons eſt, ex quo Diviniſſimæ delicatiſſimæque ſenſationes, quarum Anima humana capax ſit, ſcaturiunt.

21. *Propter cujus Partis perfectionem præcipuè credo* J. B. *tam charum fuiſſe* Poteſtatibus inviſibilibus. *Taléſque eum Providentiæ comitabantur, quæ, nihil obſtante illius tenuitate quantùm ad alias rationes, eum notabilem Orbi redderent, & Miraculum quaſi apud multos bonos & intelligentes viros. Præterea, ſtrepitus & ſuſpicio Philoſophicæ ſuæ Inſpirationis, quâ tamen, magna ſaltem ex parte, excidit, multos alios, ceu eſca, attraxit ad ſeriam morum ſuorum reformationem, ſtudiúmque aſſequendi illud quo nihil neceſſe eſt quenquam excidere niſi ipſe velit, Qui* Spiritus *eſt* Vitæ in nova Nativitate. *Qui, tametſi Scientia Philoſophica eum non comitaretur, ſummos hominum conatus meretur, & tam pretioſa Margarita eſt ut æſtimanda ſit præ reliquis rebus omnibus in Univerſo.*

22. *Quamobrem, amice Lector, tametſi quantùm ad* Cerebri *partus, meráſque Speculationes, de ullo adeò infallibili Spiritu in* J. B. *gloriari nequeamus; manifeſtum tamen eſſe exiſtimo ex his ſubindicatiunculis quas attuli (& copioſiùs adhuc tibi ſatisfacere potes legendo Vitam illius à Viro illo ingenioſo* D. H. *ſcriptam) Authorem eum non eſſe tam contemptibilem ut homo quiſquam ſobrius rerúmque momentoſarum curioſus dedecori fore putet negotium ſibi faceſſere inquirendi in illius Scripta. Qui ipſe Scopus eſt quò collineavi.* Vale.

PHILOSOPHIÆ TEUTONICÆ CENSURA, SIVE EPISTOLA PRIVATA, &c.

QUÆSTIO I.

Utrùm Jacobus Behmen *infallibiliter inſpiratus eſſet ?*

1. PErlegi tandem Scripta illa *J. B.* quæ mihi commendâſti, ejus *Auroram* ſcilicet, ſive *Rubedinem Matutinam*, Librum de *Tribus Principiis*, alterúmq; de *Triplici Vita Hominis*, & denique *Quadraginta Quæſtiones.* Quibus ipſe addidi partem haud ità exiguam *Myſterii Magni*, quæ ad tria prima Capita *Geneſeos* extenditur. Quæ quidem omnia tametſi tam attentè non conſideravi, ut experirer an mentem ejus penitùs in locis ſingulis caperem; puto tamen me eam eouſq; aſſequutum eſſe, ut ſatìs bene inſtructus ſim ad reſpondendum *quinq; Quæſtionibus* quas mihi propoſuiſti de ipſo, ejúſq; Philoſophia.

2. Equidem fateor me animo haud parùm averſo fuiſſe à legendo tam obſcurum Autorem; verùm Moralium Divinorúmque Eloquiorum venæ divites quæ ſubinde apud ipſum occurrebant, adeò mirum in modum recreabant animúmque rapiebant meum, ut faſtidium à quo tantopere mihi metui, in meram verſum ſit voluptatem ac oblectationem. Tam ſincerus, tam ſimplex innocuúſque Spiritus eſt in illius Scriptis, & qui tam efficaciter ad maximè neceſſaria Chriſtianitatis officia moveat, támque fortiter ac vehementer Animum feriat, aut ſeipſum cum tam ſalubri ac nativa ſuavitate inſinuet, ut jam planè mirari deſinam, homines, quorum eximias ingenii dotes par Pietatis amor ac Virtutis comitatur, etiam ad religioſam quandam trahi adhærentiam & reverentiam Scriptorum hujus ſancti Viri, non ſine valida ſuſpicione aliquod humano majus eis ſubeſſe, & aliquando fortean non ſine aliqua præſumptione omnia infallibiliter eſſe inſpirata, præſertim cùm ipſe Autor tam frequenter ac confidenter affirmet ſe ex tali omnino principio ſcripſiſſe. Atque equidem fateor me exiſtimare nullum in homine fuiſſe malum dolum, ſed ex animo dixiſſe quod ſentiebat.

3. Cæterùm rectène ſenſerit an ſecùs, hoc eſt, *An revera & infallibiliter inſpiratus eſſet*, prima eſt quæſtionum, quas mihi ſolvendas propoſuiſti.

Et, ſi ità infallibiliter inſpiratus non erat, ſecunda Quæſtio eſt, *An Maniacâ aliquâ intemperie affectus non eſſet*, & *Quid eſſet in cauſa, cur aut ipſe ſe aut alii ipſum inſpiratum putarent ?*

Tertia, *Quænam eſſe poſſit occaſio præcipuorum ejus errorum particularium ?*

Quarta, *Quaſnam veriſimillimum ſit Animi ſui in his Erroribus fuiſſe Parturientias*, hoc eſt, Ad quid tenderent *Enthuſiaſtici* iſti æſtus & fermentationes Animæ illius, ſi erumpere valuiſſet in magìs claram diſtinctámq; lucem?

Quinta & ultima, *Quàm conſiſtens videri poſſit cum Divina Providentia, cum bonitate & perfectione illius, tam innocuam permittere ac Chriſtianam Animam in tam multos ac manifeſtos errores ſeduci, eóſq; conjunctos interim cum maximo omnium errore, Quòd putavit ſe infallibiliter inſpiratum ?* Hæ ſunt Quæſtiones.

4. Ad quas, quàm breviter potero, reſpondebo. Et ad primam dico, Quòd, tametſi in illis locis ubi tam ſenſibiliter potentérq; loquitur de Manſuetudine, Humilitate, Sui-abnegatione, Charitate & ſimilibus, ea quæ illîc tradit meritò attribui poſſunt Divino Spiritui eum actuanti, quatenus eſt *Spiritus Vitæ & Sanctificationis* in eo; *Spiritum* tamen *Theoſophicæ* ſive *Philoſophicæ Illuminationis*, in omnibus ſuis Scriptis ei adfuiſſe, (quanquam non niſi invitus quicquam effari queo, quod tam pii & innocui viri famam minuat) abſtinere me non poſſum quin declarem, me abunde certum eſſe de contrario. Credóque me quemlibet alium Inſtantiis irrefragabilibus ea de re convincere poſſe.

5. Incipiemus à Sole & Stellis. Ut homo tam ignobili educatione animum induceret *Pythagoricam* Hypotheſin amplecti, & Solem in medio collocare Terrámque circa eum movere, mentis profectò generoſæ indicium eſt eximiiq; Ingenii naturalis. Cæterùm de ſuo poſtea addere, Quòd Sol lumen vitámq; omnibus Stellis impertit; Quòd ex omnibus Stellis factus ſit vel generatus; Quòd Stellæ ſunt Ignis & Aqua concreti; Quòd differentes rerum ſpecies ex Stellarum differentia proficiſcuntur; Quòd Vitam miniſtrant, Imaginationem & Rationem; Quòd Somnia & Viſiones mentibus dormientium Mortalium immittunt; Quódq; inter Stellas ingens caligo eſt ubi Diabolus Principatum ſuum tenet ac Dominium; Quòd Scientiæ omnes, Artes, Methodíq; victum quærendi è *ſydereo* hujus Mundi *Spiritu* proveniunt: Hæc equidem, opinor, mera ſunt Inſomnia, non autem Veritates inſpiratæ.

6. Rurſus de Planetis, ejus errores admodum craſſi ſunt. Pellucidos facit univerſos, quemadmodum apparet ex illo quod occurrit in Aurora, *cap.* 3. *v.* 50. Si *Terra* tolleretur, totum *Profundum* æquè lucidum foret in una parte atq; in alia: cùm tamen non ſolùm *Luna*, ſed *Venus*, quæ ſuas, *Lunæ* inſtar, Phaſes habet, reliquíque Planetæ ſunt opaci. Præterea, quàm ineptum commentum eſt iſtud, ut *Venus*, *Mercurius*, *Mars* & *Jupiter* è Sole evolaverint, cùm globi adeò opaci ſunt, quemadmodum innuimus? Et ut *Mars Solem* accenderet, ut Fel accendit Cor?

Ut *Venus*, exhorrens quaſi *Terram*, non ſubſideret, ſed curreret feſtinarétq; circá? Ut ipſa & *Mercurius* æquè longo temporis ſpatio circa *Solem* curſus ſuos abſolverent, atque *Terra*; cùm *Venus* ſuum circuitum novem menſibus, *Mercurius* ferè tribus abſolvat? Ut *Luna* ſaccus eſſet Proprietatum Stellarum; Et ut *Terra* vehementer, ceu picâ laborans, *Lunam* appeteret, atq; hinc Lumen lunare ad ſe attraheret? Quibus adde, *Solem* Regem Profundi eſſe atq; Cor, reliquóſque ſex Planetas ſenſum efficere & intellectum in Profundo, adeò ut omnes ſimul ſumpti ſint *Spiritus vivens*: Cùm tamen reliqui Planetæ æquè ſtupidi ſunt & opaci atque ſuus ſocius Planeta, *Terra*, ac proinde nihilo plus contribuere poſſunt ſenſûs & Intellectûs quàm illa.

7. Sunt etiam duo craſſi apud eum errores circa Diem Judicii propriè ſic dictum. Primus, quòd brevi futurus ſit; cùm tamen expectatum *Millennium* nondum inceperit. Alter, quòd in hac *Conflagratione* Stellæ etiam interibunt, nec ullum deinceps tempus futurum ſit ampliùs.

8. Cæterùm ſunt & alia apud eum Errata maximè palpabilia in Interpretationibus Scripturæ & magis particulatim *Apocalypſeos*, quippe quòd multis locis ad ſenſum *Theoſophicum* abutitur, cùm totus liber omnino ſit *Propheticus* ſecundùm illius Titulum, *cap.* 1. Et tamen *J. B.* Viſionem Mulieris quæ paritura eſſet Filium, cui devorando invigilabat Draco, de *Adamo* exponit quando ſuam *Veneris-matricem* geſtabat in Paradiſo, ac ſi is illa Fœmina eſſet. Et prælium *Michaelis* contra *Draconem*, de pugna *Michaelis* cum *Lucifero* poſtquam Divinum Sal-nitrum corruperat. Ità ſeptem Stellas, ſeptem Spiritus, ſeptem Candelabra aurea, ſeptem Tonitrua, de ſeptem Formis ſive Proprietatibus Naturæ interpretatur. Meretricem etiam ſuper Draconem collocat, & tunc eam interrogat, Aſinúſne Chriſti ſit an Diabolus? Id etiam Erratum eſt palpabile, ubi ait, Quòd ad apertionem Sigilli ſeptimi *Babylon* caſura ſit, & *Archipaſtor* oves ſuas tunc ipſe paſturus, cùm Sigillum tamen ſeptimum ante mille trecentos ferè abhinc annos apertum erat.

9. Iſtud etiam ignorantiam illius arguit tum in Natura tum in Scriptura, ubi ait, Quòd Mundus poſt lapſum, unum tantùm oculum habuit hactenus, ut qui vixit ſub ſex Sigillis in ſex Planetis, cum ſua Scientia. Verùm videbitis Sigillum ſeptimum cum *Solis* oculo, loquimur heîc quod novimus. Atenim Planetæ nec Scientiam miniſtrant, nec Sigillum ſeptimum aperiendum adhuc eſt, ſed, quod dixi, ante mille trecentos ferè abhinc annos apertum. Interpretatur etiam ſeptem aurea Candelabra de Humanitate Chriſti, & ſeptem Stellas de Divinitate, cùm tamen ipſius Dei Spiritus ait, *Septem Candelabra ſunt ſeptem Eccleſiæ, & ſeptem Stellæ Angeli Eccleſiarum.* Inſcitiam porrò prodit in interpretandis Scripturis, ex eo quòd dicit dilectum Hominem *Moſen* non ſcripſiſſe Creationem, ſed alterum aliquem qui nec verum Deum novit nec Stellas.

10. Iſta etiam effrænis Imaginatio Melancholica eſt, quòd ſe linguæ Naturæ peritiam habere adeò confidat, eámq; intelligi poſſe ab unoquoq; in ſua lingua vernacula, quamvis cognitio perdita ſit in lapſu Adami. Linguæ enim adeò diſcrepantes ſunt, ut ſi vocabulum ſic ſignificaret *naturaliter* in una lingua, valde tamen probabile eſt, non ità facturum in altera. Ut, exempli cauſa, quanquam *phur* in *Sulphur*, juxta illius imaginationem, ſcabritiem & aſperitatem Animæ illuſtrat, quæ ſuam originem ducit à primo Principio; nulla tamen iſtiuſmodi ſignificantia eſt in θεῖον, cùm utræque

ſyllabæ admodum molles ſint atque glabræ. Et certè ut communes vocabulorum terminationes eſſentiales haberent ſignificationes, videtur incredibile. Et tamen in *Tetragrammaton*, vult *Tetragramma* ſignificare primum Principium, & *ton*, ſecundum. Ut verò *Te* ſignificaret primam Proprietatem in primo Principio, & *Ma* quartum, inſipida ſanè eſt intimatio. Quamobrem hæc vana vagáq; ſunt Inſomnia.

11. Quòd autem in rebus majoris momenti ſua eum ſefellerit Inſpiratio, manifeſtum eſt ex ejus *Aurora*, de natura Dei, quem frequenter facit diſcerpibilem & corporeum, ſi quidem mens cujuſquam ex verbis intelligi poſſit. Cœlum, inquit, & Terra & quicquid ſupra cœlos eſt ſimul ſumpta, totus Deus eſt, *cap.* 2. *v.* 61. Et *cap.* 4. Lux, Calor, Frigus, Molle, Tenerum, Dulce, Amarum, Acidum, Acerbum, Sonus, hæc omnia ſunt in Deo Patre, ſed modo quidem miti, jucundo ac placido. Atque hoc eſt quod appellat, *Divinum Sal-nitrum.* Et *v.* 58. Deus Angelos creavit, non ex Materia ulla aliena, ſed ex ſeipſo. Et *cap.* 7. Sancti Angeli creati ex Deo ſunt quaſi puſilli Dii, toti Deo qualitate reſpondentes. Et *cap.* 8. In Patre Lux eſt & Tenebræ, Aer & Aqua, Calor & Frigus, Durum & Molle, Spiſſum & Tenue, Sonus & Tonus, Dulce & Acidum, Amarum & Aſtringens; ſed incorrupta hæc univerſa in eo ante lapſum *Luciferi.* Et. *v.* 16. Aqua in eo comparatur liquori ſuccóve Pomi, ſed valde claro lucidóque inſtar cœlorum. Et rurſus, *cap.* 13. *v.* 65. Medulla intima ac Nucleus totius Deitatis Aſperitatem habet admodum acrem ac terribilem; Attractionem horribilem tenebroſam ac frigidam, Hyemi haud abſimilem cum pruina ac glacie. In hoc ipſo capite etiam ait, Quòd Angelus totius Deitatis pars eſt ſive portio, non autem totus ipſe Deus. Et rurſus, *verſ.* 145. Deus ipſe eſt omnia, & quicquid factum eſt, ex ipſo eſt factum, in *Amore* aut *Ira.*

12. Et de eo, quòd Deus *Luciferum* prælio ſtatim non debellaverit, reſpondet, *cap.* 14. *O homo cæce dilecte, non erat Homo aut Beſtia adversùs Deum, ſed Deus adversùs Deum*, hoc eſt, ingens portio Dei, adversùs Reliquum Dei. Et *cap.* 21. 12. ait, *Nunquam creatam fuiſſe ullam rem novam à Deo ipſo diſtinctam.* Et v. 69. *Totus ſive univerſalis Deus eſt unicum illud corpus ex quo omnia ſunt, & quod eſt omnia.* Et cap. 23. *Tota ſive univerſa rerum Eſſentia, Aquâ Terrâque non exceptis, Deus eſt.* Et *v.* 6. Si ex ulla alia Materia es quàm Deus ipſe, quomodo potes eſſe illius Filius? Et *v.* 7. Si Deitas ulla alia ſubſtantia ſive res ſit quàm ejus corpus, tum duplicem Deitatem eſſe oportet. Et ut recurramus paululùm in *cap.* 22. *v.* 37. illìc ait, *Si Deus non ſit in Beſtiis, Vermibus, Foliis, Cœlo, Terra, & ſi totum hoc non ſit Deus, ſe librum ſuum flammis committere velle.* Potéſtne quicquam Deum magìs diſcerpibilem ac corporeum deſcribere quàm hæc loca Autoris? Multáq; alia ſunt ejuſdem generis. Unde manifeſtum eſt infallibilem Inſpirationem calamum ejus toto quo ſcripſit tempore neutiquam direxiſſe.

13. Sed enim, Myſticum hoc Erratum porrò adhuc promovetur ad magìs præciſam accuratámq; Explicationem æternæ generationis Deitatis, *Patris, Filii* & *Spiritûs ſancti*, ex ſeptem *Fontanis Spiritibus* Dei. Quos, quàm corporei ſint, ſecundùm hanc deſcriptionem in genere, facilè intelliges, poſtquam nomina eorum audiveris. Quæ ſunt, *Acerbum, Dulce, Amarum, Calor, Lux, Tonus, Corpus.* Vel, prout deſcribuntur in aliis ſuis Tractatibus, *Acerbum, Amarum, Angor, Calor*, &c. Dicuntur etiam *ſeptem Spiritus Naturæ*, prout Naturam Deúmq; confundit. Et expreſſim ait, Quòd *Natura integrum corpus eſt Dei*, cap. 2. v. 17. Et cap. 3. 13. *Quando conſideramus*, inquit, *univerſam Naturam ejúſque Proprietates, tunc contemplamur Patrem.* Et tamen ſecundùm eum, quatuor primi Fontani Spiritus ſive Formæ Æternæ Naturæ antequam ad Lucem venimus, ſpeciatim eſt Pater. Ac proinde dicit, *v.* 55. *Si Filius non luceret in Patre, Pater futurus eſſet Vallis tenebroſa.* Quod repetitur in aliis locis ſcriptorum ſuorum. Et *cap.* 7. *v.* 42. *Pater eſt Poteſtas & Regnum, Filius Lux & ſplendor in Patre, & Spiritus ſanctus motus virtutum Patris & Filii & qui format omnia.*

14. Sed ut Philoſophiam ejus de ſeptem *Fontanis Spiritibus* ſive *Formis Naturæ* proſequamur, *cap.* 23. *v.* 16. ait, *Si ſeptem hi Spiritus non eſſent, nec Deus foret nec vita, nec ulla Creatura.* Et *cap.* 9. Septem Spiritus Dei complectuntur omnia, immo totum Patrem, ſine Principio ac Fine. Et *v.* 77, 78. dicit *Angelos, Dæmonas, Cœlum, Terram, Arbores, Lapides ex corpore ſeptem Spirituum fieri, Deúmq; ipſum eſſe omnia.* Et *cap.* 10. *v.* 5. Septem *Spiritus Fontani* ſunt unicus æternus omnipotens Deus, ſed magìs ſpeciatim Deus Pater.

Cæterùm de æterna generatione Filii ſic ſcribit, *cap.* 11. *v.* 14. *Ecce, cuncti ſeptem Spiritus ſine* Coruſcamine *Vallis futuri eſſent tenebricoſa; quando autem* Coruſcamen *oritur aſtringentem inter & amaram qualitatem in Calore, tunc luceſcit in*

Aqua dulci, &c. Et *v.* 22. Septem Spiritus ſunt Pater, atque hæc Lux ſic genita eorum Filius eſt. *Lux eſt cor ſeptem Spirituum quod generant, illúdque quo cuncti ſeptem triumphantes evadunt & gaudentes.* Atque hæc Lux, inquit ille, *v.* 34. eſt verus Filius Dei quem nos Chriſtiani honoramus & colimus, ſecunda perſona ſacroſanctæ Trinitatis. Et *v.* 35. ait univerſos ſeptem Dei Spiritus ſimul ſumptos eſſe Deum Patrem.

Et *v.* 38. *Filius in centro eſt, ut Stirps, Medulla vel Cor*; *Lux in Medio: Splendor verò ſive Fulgor in omnibus potentiis, ſive virtutibus Patris & Filii, hic verus eſt Spiritus ſanctus, quem pro Perſona tertia nos Chriſtiani adoramus.*

15. Quamobrem admodum manifeſtum eſt ſeptem *Fontanos Spiritus* ſummam eſſe Deitatem, ſupra quam nihil eſt, ſecundùm Autoris declarationem in hoc ſuo Libro *Aurora* appellato. Atque eum proinde corporeum Deum facere, Deúmq; Patrem tenebroſum & deſolatum, omnique gaudio deſtitutum ſine Filio. Et quod huic apprimè conſequens eſt, Deum facere *diſcerpibilem.* Quod quidem tametſi ſatis patet ex multis locis jam citatis, eſt tamen adhuc magis notorium *cap.* 14. *v.* 10. ubi ait, Angelos, novos non fuiſſe Spiritus ex ulla re nova factos, ſed antiquos fuiſſe Spiritus qui in Deo fuerant ab omni æternitate, optiméque noverant jus Deitatis ac Naturæ, & quomodo moveri deberent & cieri, hoc eſt, quâ menſurâ & moderatione, nec efferre ſe & intumeſcere, ſuprà quàm facere ſolebant, quando pars conjuncta erant totius Deitatis, quemadmodum ille loquitur, *v.* 17, 18. Et *v.* 23. Terram ait & lapides ſuam originem duxiſſe à primo *Fontano Spiritu.* Quid planiùs repræſentare poteſt totam Deitatem *corpoream* & *diſcerpibilem*?

Adeò ut ex grandi hoc Errato, manifeſtum ſit J. B. inter ſcribendum ſuam *Auroram*, haud infallibiliter fuiſſe inſpiratum, quanquam tam confidenter ſubinde Lectorem ea de re monet. Quæ quidem ſufficiens eſt Ratio, cur non credamus eum inſpiratum in aliis ſuis Scriptis, affirmet ſe, quàm volet, vehementer, ſic eſſe.

16. Verùm nondum abſolvimus; Alios aliquos errores, ut mihi quidem videntur, nominabimus, qui & in hoc Tractatu occurrunt, & in aliis repetuntur. Quòd Angeli creati ſunt vel materialiter facti ex Deo, iterum atque iterum repetitur, prout à nobis jam notatum eſt.

17. Quódque Spiritum Beſtiæ facit ex *tertio Principio* in Regno elementari ac ſydereo ſuam ducere originem minimè mirum eſt, quippe quum in *Clavi* ait, Rationem Ingeniíq; Acumen non eſſe niſi Conſtellationem Stellarum externarum: Sed pergimus.

18. Quòd ſeptem *Fontani Spiritus* nullum habent Principium; Et quantùm ad hanc *Abyſſum*, Deum ipſum ait non cognoſcere quid ſit, ut qui Principio ac Fine caret, nec habet quicquam ſibi ſimile.

19. Quòd Infernum Mundúſve igneus tenebroſus ubique eſt. Et *Myſter. magn. cap.* 8. *v.* 28. Cœlum eſt in Inferno & Infernum in Cœlo, & tamen alterum alteri non manifeſtatur; & licèt Diabolus multas milliarium Myriadas itinerando conficeret, in cœlum cupiens intrare illúdque videre, tamen adhuc foret in Inferno, nec ipſum videret. Ut nec boni Angeli vident Tenebras.

20. Quòd Diabolus in Lumine Solis videre non poteſt, ſed tantummodo in Tenebris.

21. Quòd Anima propagatur ſecundùm modum humanum, ut ſurculus creſcit ex arbore.

22. Quòd æternus erat Ludus Luſúſve ſive Scena Dei in ſcaturientia *Fontanorum Spirituum* ante Creationem Angelorum.

23. Quòd ſingularis homo *Adamus*, Angelicum, Cœleſte, ſive Paradiſiacum corpus habuit ante lapſum.

24. Quòd *Adamus* ante lapſum *Virgo* erat, *Matricémq*; in ſe habuit, perinde ac *Virilitatem.*

Quòd potuit, ſi ſtetiſſet, Magicè ex ſeipſo propagare, ſine ſciſſione corporis, partu tranſeunte, Radiorum Solarium more per Aquam.

25. Quòd Anima res ſcaberrima ſit & aſperrima in Homine, ut quæ ex quatuor primis Proprietatibus conſiſtit, *Acerbo*, *Amaro*, *Angore*, *Calore*.

Quódq; ſi Originalitas ejus eſſet dulcis, nullum habitura eſſet robur.

26. Quòd *Adamus* ante ejus ſomnum, dum adhuc erat in forma ſua Angelica, quanquam oculi ejus ſemper aperti erant, non videbat tamen lumen Solis.

27. Quòd *Adamus* nec *Inteſtina* habuit nec *Genitalia*, ante lapſum. Quódq; *Veneris-Matrix* ejus ex ipſo ablata eſt & in Mulierem formata.

28. Quòd ſeptem Artes liberales ex *ſeptem Formis*, ſive *Spiritibus Naturæ* oriuntur.

29. Quòd Animæ humanæ recèns natæ, erant denuò, in Anima Chriſti, ex Maria, & in Cor Dei genitæ.

30. Quòd Figuræ & Umbræ rerum omnium ac Verborum poſt hujus Mundi deſtructionem manent.

31. Quòd *Coruſcamen* igneum omnia conſumit in quatuor primis *Formis* ſive *Proprietatibus*, adeò ut Diaboli crudi ſive cruenti fiant ſuis corporibus excoriati.

Quòd nulla intelligentia ſit ſine corpore, nec poteſt ipſe Spiritus abſque eo ſubſiſtere.

32. Quòd multitudines ſunt Spirituum intelligentium per totam *Abyſſum*, Terram inter atque Stellas, ſed omnino mortales, ut quæ Originem ſuam ducunt à Spiritu Mundi externi.

33. Quòd *corpus ſydereum* Anima eſt magni Mundi, à *Sole* dependens, ſed vera Vita rationalis omnium Creaturarum.

34. Quòd productio Naturæ fit in manifeſtationem Dei ſibi ipſi, & ad contemplationem ſui ipſius in Operibus Naturæ, ſine qua manſurus eſſet ſibi ipſi omnino incognitus.

35. Quòd Deus fecit tres principales *Throno-Angelos*, *Michaelem*, *Urielem* & *Luciferum*, quódq; *Luciferi* ignea intumeſcens ſuperbia *Divinum Sal-nitrum* corrupit, ex eo quòd ſeipſum contra Deum adeò exaltavit, ut coactus eſſet Deus *Michaelis* & *Urielis* copias adducere ad eum debellandum & ſubdomandum; quódque ex corrupto *Sal-nitro*, per *Luciferum* ſic facto, bellúmq; iſtud fulminatorium, Externus hic Mundus creatus ſit, Terram cum Abyſſo totúmque Stellarum ambitum complectens.

Si hæc omnia ulláve ex ipſis, Errata reperiantur, in Philoſopho *Tentonico*, agnoſcere profectò debemus eum infallibili Inſpiratione non fuiſſe actum.

QUÆSTIO II.

An Maniacâ aliquâ intemperie affectus non eſſet, & quid eſſet in cauſa cur aut ipſe ſe aut alii ipſum inſpiratum putarent.

1. CÆterùm ſi *inſpiratus* non eſſet, ut eum continuò *Maniacum* concludamus, nullam video neceſſitatem. Debemus quidem agnoſcere *Enthuſiaſten* eſſe, quippe qui tam confidenter ſeipſum inſpiratum autumat, cùm reverà non ſit, in rebus putà ſpeculationis Philoſophicæ.

Et pone quidem *Divinationem* & *Enthuſiaſmum* tam craſsè hallucinatum, an non videmus nonnullos qui ingenii ac *Rationis* pluſquam ordinariæ privilegium ſibi vendicant, magìs craſsè ac periculosè errâſſe, cùm, affectatis ſuis *Ratiociniis*, ſine meliore Luce, Chriſtianæ Religionis Fidem, omnem ſenſum Moralitatis, ſyllogiſticè exinaniverint, atque aboleverint, omnémque futuri poſt hanc vitam ſtatûs Metum atque Spem? Quorum tamen omnium, utut in aliis rebus erraverit, hic *Enthuſiaſtes* noſter plenum firmúmq; retinet ſenſum ac perſuaſionem.

2. Nec Inſania eſt, ſed præfervidus præcépſque Error incautáque adhæſio opinionibus talium virorum qui ſatìs moderati ac ſobrii exiſtimati ſunt, quæ hunc Autorem ſeducere potuiſſent in tam *corpoream* Deitatis deſcriptionem. Quod mihi quidem omnium quæ apud ipſum occurrunt, duriſſimum videtur; cùm tamen è contrà aliis nihil magìs durum videtur atque difficile, quàm concipere & agnoſcere quicquam *Incorporeum*. Et *Marcus* quidem *Antoninus* ſapientiſſimus ille optimúſq; Imperator Animas humanas appellat ἀποσπάσματα θεοῦ, partes quaſi à Deitate avulſas. Et reliqui Stoicorum ipſéq; adeò *Cicero* nimis ſæpe ad hunc craſſum modum loquitur. Quæ tamen loquendi formulæ Deitatem planè innuunt eſſe corpoream.

Et quotquot (qui ſanè haud pauci ſunt) Animas brutorum Animámque inferiorem humanam declarant corpoream eſſe, atque ſic perceptionem, cogitationem, imaginationem & memoriam Materiæ attribuunt; tam latum aperiunt portum ad faciendam *Spiritualitatem* cujuſquam Eſſentiæ minimè neceſſariam, ut mirari non debeamus, ſi Philoſophi *Teutonici* Enthuſiaſmus eum per iſtam januam longiùs propulerit, quàm quò illi qui aperuerant, eum lubenter vellent ſequi.

3. Et certè, ut maximè cautam ſubtilémque Philoſophicam *Rationem* cum fervidiſſimo *Enthuſiaſmo* comparemus quantùm ad ſuos effectus: Utrum probabilius eſt, ut tribuendo motum vitalem, intellectum, & perceptionem partibus Materiæ (in qua vitali colluctatione luſúque *Fontanorum Spirituum* partes Materiæ palpant percipiúntq;

aliæ alias in Luce, quemadmodum *J. B.* loquitur) ut ſic, inquam, cognitione præditæ, in maximè elegantes formas, commodáſque rerum ſtructuras quas videmus, ſe diſponere queant; an ut Materia nullâ aliâ re præterquam motu locali freta, ſolâ aliarum partium in alias colliſione ſeipſam poſſit in hunc rerum ordinem quem in Univerſo cernimus, redigere: in hæc duo, inquam, commenta dum oculos conjicio, ubi unus exclamat, ***Mathematica Demonſtratio***, alter, ***Infallibilis Inſpiratio***, ſeriò equidem rogo, ***Ratió***ne an ***Enthuſiaſmus*** magìs inſanire ſit exiſtimandus?

Confidentia æquè veſana eſt utrobique, errórque ex eadem Origine, hoc eſt, ex defectu debiti gradûs *Moralis Prudentiæ*, illiúſq; δυσαισθησίας, quemadmodum *Pythagorei* appellant, illius *ſenſibilitatis Spiritûs*, quæ illâ continetur.

4. Nam ut ad partem alteram hujus quæſtionis tranſeamus; ex iſto imperfecto & inconſummato Purificationis ſtatu quem tam ſtrenuè in ſcriptis ſuis defendit *J. B.* factum eſt ut huic errori eſſet obnoxius. Cùm enim minimè perſuaſus eſſet de tam perfecta victoria in corpus ſuum, quàm fortean poſſibilis ſit, (ſaltem in aliquibus) defuit illi ea reverentia atq; metus quo inhiberetur à prophetando ante tempus. Nam niſi corpus penitus ſubdomitum ſit, equidem certò, quanquam inſenſibiliter, menti ludos facturum eſt & impoſturas, homóq; neceſſariò ſe fatis ſuis expoſiturus eſt, ſi quicquam hîc tentet audeátve ultra ſuas facultates. Ac proinde decies millies magìs ſeduli ac diligentes homines eſſe debent in purgando corde, vel à minima labecula, ſuperbiæ præſertim & ſui-admirationis, quàm in accendendo cerebro curioſâ proſecutione cuicuimodi ſcientiæ.

5. Non quòd non ſatìs perſuaſus ſim, *J. B.* cor habuiſſe bene probum ac ſincerum, penitúſq; angores Regenerationis expertum eſſe & ad novam perveniſſe Nativitatem. Verùm Incredulitas iſta tanto obſtaculo erat incremento Novi Hominis, ut Nova Nativitas *corpus Stellarum & Elementorum*, quod vocat, haud ità tingere valeret, ut ſecurum eum reddiderit ab Incommodis *Enthuſiaſtici* ſui Temperamenti.

6. Verùm, cùm propriæ ſinceritatis pro dato illi lumine, ſibi conſcius eſſet, crederétque, ut par erat, omnem veram ſolidámq; Sapientiam à Patre Luminum proficiſci, & cùm multâ fide magnóq; fervore donum Spiritûs ſancti ſecundùm promiſſum ab eo petiiſſet, cúmq; vehementia deſideria frequentéſque preces totam corporis fabricam magnopere calefeciſſent, inflammâſséntq; ſpiritus (unde factum eſt ut Imaginatio admodum fortis evaſerit atq; prævalens) illa Cogitationum Scena, quæ in *Aurora* ejus repræſentatur, mentem ejus hiſce in circumſtantiis occupans, facilè illi imponere potuit, & efficere ut crederet infallibilem eſſe Illuminationem à Deo, fructúmq; votorum ſuorum atq; Precum. Quemadmodum *Eva* primum Infantem quem peperit, promiſſum ſemen putabat, qui contriturus eſſet caput Serpentis.

Adeò ut, tametſi error erat, ſpecimen tamen quoddam piæ Gratitudinis ei ſubeſſet, quòd, cùm putaret ſe ità totum veritate atq; luce repletum, ſoli Divinæ Gratiæ, non propriis Ingenii dotibus, ſuæve ſedulitati ac induſtriæ aſcripſerit.

7. Cæterùm id quod eum adhuc magìs animare potuerit ad Supernaturalem Illuminationem admittendam, Familiaritas eſſe potuit quam contraxerat cum Scriptis præſertim *H. N.* aliorúmq; iſtiuſmodi hominum, qui eò ſe perveniſſe profitebantur. Qui tam fervidè ac raptuosè de Sanctitate vitæ loquentes, ad quam *J. B.* tam ſeriò anhelabat, declarantéſque adeò expreſſim, quàm ſublimes Illuminationes mirandáque dona à Divino Spiritu aſſecuti eſſent, Inſpirationis ſpem, innocenti huic ac bene ſincero illius *Candidato* adeò familiarem reddere potuerunt, ut quicquid ſub ulla iſtiuſmodi ſpecie illi ſe obtulerit, ab eo inſcienti, promptè pro tali acceptaretur; Temperamento etiam ejus naturali eum in errorem illum impellente.

8. Ratio autem cur alii eum inſpiratum exiſtimaverint, eſt ingenua illa proclivitas ad fidem adhibendam dicto viri probi. Et ſincera quidem ſapidáque ſtyli ratio, quæ omnimodam Sanctitatem tam vehementer urget, & tam ſimplici libertate ac fervore in omnia vitiorum genera invehitur, facilè quemlibet Lectorem perſuaſum redderet, de pietate & integritate Autoris.

Præterea, vilitas familiæ ejus & educationis, & Literarum credita Ignorantia, non potuit quin ſuſpicionem augeret, iſtiuſmodi ſublimes & inopinatas Speculationes hominis adeò illiterati à nullo alio Fonte profluere potuiſſe quàm Spiritu Dei. Verùm hic revera eſt error.

9. Nam in multis Scriptorum ſuorum locis, profitetur ſe legiſſe libros Literatorum. Et particulatim, in *Aurora* ſua, ait ſe legiſſe Aſtrologorum ſcripta, mentémque ipſorum ſe intelligere probè, narrátque ut ipſe Planetarum ordinem approbet & ſitum, Hypotheſínq; *Copernicanam* reliquis præferat. Et in *Tribus Principiis*, ſe perlegiſſe ait multa eximia Scripta ad inveſtigandam Margaritam, *&c.* Et rurſus, *cap.* 13. *v.* 21.

Vix enumerare poſſum, inquit, faſtidioſos cumulos Scriptorum de *Anima*; præter multa alia loca. Et propter ſimilitudinem & congruentiam Imaginationis ipſorum, nullus dubito quin *Paracelſi* opera evolverit. Adeò ut ſat Materiæ ingeſſerit, quæ bulliret & fermenteſceret in Cerebro ejus.

10. Cæterùm hoc tendit ad probandum potiùs eum non fuiſſe inſpiratum, quàm ad rationes detegendas cur homines eum ſic eſſe exiſtimaverint. Quæ ſatis indicatæ ſunt antea.

QUÆSTIO III.

Quænam eſſe poſſent Occaſiones præcipuorum J. B. *errorum particularium?*

1. Tertia Quæſtio longè majoris eſt momenti, ſi fœliciter res ſuccedat in illius ſolutione, nempe, Quænam occaſiones eſſe poſſent præcipuorum Errorum in particularibus ejus Inſpirationibus? Ut verbi gratiâ, In Errore illo maximè omnium Fundamentali, de Æterna Generatione Deitatis in *ſeptem Fontanorum Spirituum* ſive *ſeptem Proprietatum Naturæ* motu. Et Deum Patrem imaginando *vallem tenebroſam* ſine partu Filii quem appellat *Dei Cor*.

Quæſt. 1. Sect. 11, 12, 13, 14, 15.

2. De quo partu, in Aurora, *cap.* 9. *v.* 28, 29. ſic ſcribit. Calor generatur *amaram* inter & *aſtringentem* Qualitatem, in *dulci* Aqua Fontana, atque illîc *Lux* accenditur in *Calore*. Et *v.* 36, 37. Non potes hoc intelligere niſi Spiritus ſanctus Animam tuam accendat, ità ut hæc ipſa Vita luceat in corde tuo, atque tunc hæc ipſa Lux generabitur in te ſicuti in Deo, orietúrq; in *aſtringenti* tua & *amara* Qualitate, in tua Aqua *dulci*, & triumphabit ut in Deo. Poſtquam hoc factum fuerit, tum demum intelliges Librum meum, non autem antea. Quapropter *Regenerationis* proceſſus in ſeipſo, occaſionem ei dedit concipiendi Naturam Dei Filiique ejus generationem ad eundem planè modum.

3. Rurſus, *cap.* 10. *v.* 103. Cunctæ tres Perſonæ generantur in corde tuo. Et *v.* 108. Quemadmodum Deitas generatur in Creatura, ad eundem planè modum generatur in univerſa Abyſſo Patris, in omnibus locis partibúſque illius. Et in libro de *Tribus Principiis*, cap. 9. v. 34. Quemadmodum enim fit in partu Sanctæ Deitatis, in deſiderio & angore ante eruptionem Lucis, ità & tu, O homo, debes in dolore, eſuritione & deſiderabunda voluntate intrare rurſus in partum, *&c.* Et in *Triplici Vita Hominis*, cap. 2. *v.* 5. Haud ità difficile eſt Æternam contemplari Naturam, utì & Deum etiam regnúmque Cœlorum & Inferni. Tibi incumbit tantùm, ut *novum* aggrediaris *Partum* ſive *Regenerationem* ex Tenebris in Lucem, ſine qua ad Profundum pervenire non poſſumus in Centro. Et poſtremò, in libro de *Tribus Principiis*, *cap.* 10. ubi ſummam ſuam ſitim maximè ſublimis Scientiæ profitetur, illîc ſimiliter narrat, inveſtigationem illius eſſe in novo Partu.

4. Ex quibus abunde conſtare exiſtimo, eum Regenerationis noſtræ proceſſum exactam facere Repræſentationem æternæ Generationis Deitatis, Patris, Filii & Spiritûs ſancti, quemadmodum ille fingit. Et propterea, quia, quando nos vehemens tantùm deſiderium habemus ad partum Chriſti in nobis, in angore, tenebris, & amaritudine verſamur, calorémq; habemus & ardorem ſine gaudio lætitiâque Lucis, hinc in æterna generatione Deitatis Patrem concludit primum eſſe deſiderium & appetitum ad Filium, *cap.* 7. libri de *Tribus Principiis*, v. 13. facítque quatuor primos *Spiritus Fontanos* qui *Lucem* præcedunt, Deum Patrem. Qui ſine Filio, inquit, *Vallis eſt tenebroſa, ſine ſolatio & gaudio.* Quodnam enim eſſe poteſt ſolatium aut gaudium, in *Aſtringentia*, *Amaritudine*, *Angore* & *Calore*? Quæ quatuor Proprietates, ſecundùm eum, Deus Pater propriè ſunt. *Lux* verò, illius *Cor* eſt ſive *Filius*, qui Chriſti partui in nobis reſpondet. Qui poſt angorem noſtrum & deſiderium ad eum, interna noſtra fit Lux & Gaudium. Sub *Patre* in *Ira*, ſed poſt partum *Filii*, in *Amore* conſtituti ſumus totíque conciliati Deo. Adeò ut *Moralia* illa Myſteria Patris & Filii, quæ toties in *Familiſmo* inculcantur, quæq; *J. B.* ſit expertus, is imperitè ad Speculationem *Theoſophicam* transferat.

Atque hoc quidem unà cum obſervatione ſucci acerbi, amari & dulcis in Arborum corticibus, quibus additus eſt Calor Solis ad quartam Proprietatem conſtituendam, (*Auror.* c. 9. *v.* 54.) occaſio eſt hujus principalis maximéq; fundamentalis Erroris, circa Naturam Dei ac Trinitatem.

5. Cæterùm quòd Naturam Patris ad numerum uſque Septenarium extenderit,

juxta illud in *Aurora* ſua, *cap.* 9. *v.* 74. Septem Spiritus Dei omnia complectuntur, etiam totum Patrem ſine Principio aut Fine: hunc numerum eum affectâſſe exiſtimo propter Numerum ſeptem Planetarum & ſeptem Chymicorum corporum. Quæ magni momenti res ſunt apud ipſum, quibúſque frequenter ſeptem *Fontanos Spiritus* aſſimilat. Ut omittam quæ ſuſpicari potuerit latere ſub ſeptem Sigillis, ſeptem Tubis, ſeptem Tonitruis, ſeptem Candelabris aureis, & ſub ſeptem præſertim Spiritibus Dei. Hæc intimamina veriſimillimum eſt ſatìs momenti habuiſſe ad imaginationem illius determinandam ad Numerum ſeptenarium, quamvìs nulla cauſa ſit in re ipſa, cur reſtringat aut extendat has Naturæ, quas vocat, Proprietates ad hunc omnino Numerum.

Atque hoc ſufficiat ad detegendam occaſionem hujus primi maximéq; Fundamentalis erroris Philoſophi *Teutonici*. Percurremus nunc breviter reliquos errores univerſos, eodémq; ordine quo eos recenſuimus.

6. Primùm igitur de *Sole* & *Stellis*. Quòd Solem dicit Vitam impertire & Lucem Quæſt. 1.
omnibus Stellis, eúmq; ex Stellis univerſis eſſe generatum, huic errori occaſioni fuiſſe Sect. 5.
credo magnam ejus ſecuritatem & confidentiam de ſua cognitione æternæ Generationis Dei, & ſimilitudinis quam hic Mundus gerit cum illo. Circulum enim Stellatum Deo Patri comparat, & Filium Soli; ac proinde pro conceſſo habet, quòd quemadmodum Filius generatur à Patre, ità Sol generatur à Stellis; & ſicut Filius illuminat & vivificat Patrem, ita Sol illuminat vitámq; largitur Stellis.

7. Quòd autem Stellas facit * Ignem concretum & Aquam, credo placidam mitémve * Ibid.
earum Lucem & quaſi refrigeratoriam, fixationémque in ſuis qui ſupponuntur Orbibus, phantaſiâ in vulgare Syſtema divagante, eum in hanc & loquendi formulam, & imaginationem impuliſſe.

Quòd verò * Vitam miniſtrant, Imaginationem & Rationem, quòd Inſomnia & Vi- * Ibid.
ſiones, dum dormiunt, hominum mentibus immittunt; quòd Artes, Scientiæ, & Mercaturæ à Stellis Sunt, quódq; ingens inter ipſas ſit Caligo, valde equidem ſuſpicor, *Paracelſi* Scripta inter alia occaſionem dediſſe hiſce Imaginationibus. Vide || *Enthu- || Sect. 4.
ſiaſmum Triumphatum*. Quemadmodum Aſtrologiæ ſtudium atq; amor, opinionem illi injecit, quaſi * differentes rerum ſpecies à Stellarum differentia proficiſcerentur, * Quæſt. 1.
cùm nullus earum præter hunc, uſus ei innotuiſſet. Sect. 5.

8. Iſti etiam errores circa Planetas, ex ſua proclivitate ad Aſtrologiam, originem Sect. 6.
ducunt. Oportet enim res admodum bellas fingat, quibus tam mirandos attribuit effectus, nec tam ſtupidos & opacos ſupponere quàm Tellurem. In quam perſuaſionem ſplendor etiam eorum, eò faciliùs ipſum occæcare potuit. Ac propterea credo eum putaviſſe *Venerem*, *Mercurium*, *Martem* & *Jovem*, è *Sole* ut ſcintillas ex igni vehementi, evolâſſe.

Vulgaris autem duorum Mundorum comparatio, *Magni* utique & *Parvi*, quem *Microcoſmum* & *Macrocoſmum* appellant, facilè ei occaſionem dare potuit magìs particulatim explicandi, pro ſuo modulo, Analogiam. Unde minimè mirari debemus poſtquam Solem *Cor* conſtituerat, Martem, (qui & rutilum aſpectum habet & Planeta igneus perhibetur) *Fel* eum facere voluiſſe. Quemadmodum alicubi Saturnum ait *craſſo Cranio* reſpondere, Stelláſque appellat aut Coronam aut Verticem.

9. Cúmque ſenſum Planetis tribuat, eò magìs illi in proclivi erat imaginari delicatulum illum Planetam Fœmineum, *Venerem*, ad aſpectum Telluris exterreri, atque ſic è longinquo circuire potiùs quàm ad eam appropinquare velle. Quódque *Lunam* Syderearum Proprietatum ſaccum facit, ex eo fit, quòd eam ſupponit reſpondere ſeptimo *Fontano Spiritui* ſive proprietati Naturæ quod *Corpus* eſt & reliquarum ſex Proprietatum domus. Atque ſic *Luna* ſupponitur recipere & tranſmittere Stellarum omnium influentias. Unde illi conſentaneum etiam videbatur, ut *Terra* adeò ſitienter Radios *Lunares* imbiberet.

10. Quantùm verò ad diem Judicii, fortis impreſſio tam terribilis ac ſtupendi Ob- Sect. 7.
jecti in Melancholicam ejus Imaginationem, facilè ei ſenſum induxit propinquioris diſtantiæ illius quàm revera eſt. Et, quòd ad *Conflagrationem Terræ* omnes Stellæ Cœli tranſituræ ſint, ad ſic opinandum induci potuit ex aliquibus locutionibus Scripturæ perperàm intellectis, & ex proprio ſuo commento, quaſi Terra totúſq; Cœli ſtellati ambitus unum eſſet Animal, totúmq; ex Sal-nitro corrupto *Luciferi* factum, quod repurgandum ſive purificandum ſit in Die Judicii.

11. Quantùm ad errores in exponendo loca Prophetica Scripturæ, præſertim *Apo- Sect. 8.
calypſeos*, fortis fervidáq; impreſſio eſt Myſterii ſeptem *Fontanorum Spirituum* in illius phantaſian & fidem, quæ eum imaginari fecit aut ipſos aut alias notiones ab eis depen-

dependentes in illis Viſionibus recondi. Nam illius Myſteria cùm tantâ dignitate, (ſuâ quidem opinione) tantâq; profunditate eſſent, eò faciliùs ſuſpicabatur ea Vaticinia, quæ ſtylo maximè ſublimi ac Myſtico ſcripta eſſent, eorum fuiſſe Repoſitoria, nunquam interim periculum faciens particulatim, ut res congruerent, *Rotâ igneâ Imaginationis* tam velociter verſatâ, ut illi permitteretur leviter attingere tantummodo, neutiquam autem immorari.

Et indicio quidem eſt Impreſſiones ejus Imaginationis admodum fortes fuiſſe, quòd coactus ſit profiteri dilectum Hominem *Moſen* non fuiſſe qui ſcripſit creationem, ſed alium aliquem qui nec verum Deum cognovit nec Stellas; nempe quia res non conveniebant cum ſuis præconceptionibus. Qui verò *Cabbalam* intelligunt, intelligunt pariter iſtud ſcriptum oſtendere dilectum hominem *Moſen* ſapientiſſimum fuiſſe Philoſophum qui unquam extiterit in Orbe terrarum; illiúſq; ſcripti Autorem ſatis accuratè intellexiſſe Stellarum naturam ac Dei.

Sect. 10. 12. Quî factum ſit ut putaret ſe peritiam linguæ Naturæ nactum eſſe, ſatis ei obvium eſt qui ſcripta illius perlegerit. Nam, in *Aurora*, cap. 10. verſ. 89. ait, *Adamum* dediſſe nomina Creaturis ſecundùm earum naturas, quæ ipſiſſima lingua Naturæ eſt, cujus peritiam ſibi communicatam ait à Spiritu Dei, quem ſe oblectari, addit, ſuíque amore languere. Cui conſimile occurrit in *Triplici Vita Hominis*, cap. 3. v. 18. Ex lingua Naturæ res omnes ſua nomina ſortitæ ſunt. Quam *Philoſophi* Scholarum *tertii Principii* hujus Mundi non intelligunt, ſed *Theoſophi* Scholæ *Pentecoſtes* intelligunt bene. Quibus adde quod occurrit *cap.* 2. *v.* 2. Viri literati & periti in Hiſtoria, qui de peregrinis linguis jactitant & gloriantur, linguam ſuam vernaculam non intelligunt, quam ſi intelligerent unà cum ſpiritibus literarum, Naturam ſimul intellecturi eſſent. Et *cap* 5. *v.* 85. Lingua Naturæ intelligenda eſt in lingua cujuſq; vernacula, quamvìs illius peritia perdita ſit in lapſu *Adami*, dicit verò ſe in *Regeneratione* eam rurſus eſſe aſſecutum.

13. Equidem fateor quòd nihil videbatur mihi magìs abſonum ac veſanum in *J. B.* quàm hæc peritiæ linguæ Naturæ venditatio. Nunc verò minùs demiror, poſtquam tam clarè perſpexerim occaſiones hujus erroris. Error enim Fundamentalis hic eſt, quòd neſciret ritè diſtinguere inter Corticem *Moſaicæ Cabbalæ* & Medullam, ſive Myſterium, in quo vera conſiſtit Philoſophia. Ac propterea ſuppoſuit recuperationem illius quod nunquam extiterat uſpiam. Etenim neque fuit nec eſſe poteſt ulla lingua quæ ex ſua natura menti præciſè tranſmittere poteſt diſtinctam ullius rei naturam, ſed expreſſa ſignificatio verborum *primitivorum* debet eſſe ex pacto, quemadmodum quivis qui rem ſeriò perpenderit, facilè agniturus eſt. Quod verò fecit ut *J. B.* contrà ſentiret, error ejus erat circa Literam *Moſis*.

Hoc autem errore ſemel admiſſo, quódque Regeneratio in omnia nos reſtituit quæ perdidimus in lapſu *Adami*, is ſtatim imaginatus eſt donum intelligendi *linguam Naturæ* ex privilegio novæ Nativitatis, ſibi fuiſſe reſtitutum. Eóque fortiùs allectatus eſt ad ſic cogitandum, ut indè haberet de quo gloriari poſſet & ſe jactare, contra linguarum peregrinarum jactatores. Quod, ut intelligere eſt ex iſtis locis, vehementer provocabat ſtimulabátque illius æmulationem. Ac proinde ut ille adversùs eos ſe jactare poſſet de ſuis Interpretationibus linguæ Naturæ, perinde atque literati adversùs eum, quippe hominem illiteratum, de ſua linguæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritia jactabant ſe, facilè paſſus eſt ſibi imponi in hoc Figmento Enthuſiaſtico.

Sect. 11. 14. Jam verò quantùm ad Opinionem ejus de Deo quòd ſit corporeus & diſcerpibilis, (quod tam fuſè probatum eſt ex *Aurora* illius) nempe quòd in ea ſententia erat iſtoc quidem tempore, occaſionem hujus erroris jam indicavimus, ex eo nempe quòd *Regenerationis* proceſſum æternæ *Generationis Deitatis* perfectam feciſſet imaginem, eſſe profectum. Ac proinde quia in doloribus novi partûs, illam Acerbitatem, Amaritudinem, Angorem & Ardorem tam craſsè & corporaliter in ſeipſo ſenſerat, ante eruptionem puræ Lucis & Amoris, qui eſt Chriſtus ſecundùm Spiritum; hinc nullum alium imaginatus eſt partum æterni Filii Dei nec Patrem alium ullum ex quo generaretur, quàm qui ità ſit corporeus, ut in ſeipſo adeò acerbus ſit, amarus, anxius, ardens, tenebroſus, acidus, aliáque id genus alia, conſideratus ſine partu Filii: Cùm hoc, inquam, perſenſiſſet, in ſuo proprio corpore, ante novum partum, Deum Patrem imaginatus eſt talem tenebroſam, anxiam, corpoream eſſentiam, qualem ſeipſum expertus erat in iſta conditione. Hæc origo eſſe potuit hujus Fundamentalis Erroris de *corporeitate* Dei.

Ibid. 15. Quæ proculdubio occaſio erat multorum aliorum. Ut illius qui immediatè ſequitur de Creatione Angelorum ex Deo, tanquam ex ipſorum Materia.

Neque omnino mirandum eſt, quòd Animarum Brutorum ex *Elementari* & *ſydereo*

Regno originem deduxerit, cùm jam admiſiſſet Deum ipſum, qui vitam habet & intellectum, eſſentiam tamen eſſe ***corpoream.*** Ut omittam animari potuiſſe ad hoc commentum per ſcripta ***Paracelſi.***

Sect. 18. Et quòd ſeptem ***Spiritus Fontani*** nullum habent Principium, iſti ſuo dogmati valde conſequens eſt, quòd ſint Deus Pater. Et quòd infinitum & æternum corpus, ſuppoſito quòd perceptionem in ſe habeat & intelligentiam, ſeipſum comprehendere nequeat, non eſt inſcita conjectura. Adeò ut hoc conſectarium meritò cenſeri poſſit ***Corporeitatis*** Dei.

Sect. 19. 16. Et quòd Infernum ſive Mundus Igneus tenebroſus ubiq; eſt, hoc eum imaginatum fuiſſe ſuſpicor ex ſimilitudine Ellychnii, (quanquam ſatis oſcitanter) & flammæ Candelæ. Ignis in Ellychnio, etiam tunc eſt quando Flamma ipſum circundat. Vel quia Tenebræ Luci remotæ immediatè ſuccedunt, Tenebras illic imaginatur anteà fuiſſe, quanquam nondum detectas.

Sect. 20. Quòd autem nec boni Angeli cernunt Tenebras nec Diaboli Lucem Solis, conſectarium autumo ejus opinionis de tribus perſonis Trinitatis, quaſi aliæ alias non comprehenderent. Ac proinde particulares illæ Creaturæ quæ ad ***primum Principium*** ſive ***Mundum igneum tenebroſum*** pertinent, in eo ſolo Principio cernunt, & lucidæ in ***Mundo lucido.*** Atq; hinc extendebatur ad omnia Principia: Quòd nulla Creatura cernere poteſt niſi in proprio ſuo Principio, quódq; propterea Diabolus in lumine Solis cernere non poteſt. Quoniam Mundus hic Externus, cujus Sol eſt pars, ***tertium Principium*** eſt non primum. Quòd autem tres Perſonæ aliæ alias non comprehendunt, alicubi innuit, ex eo fieri quòd ſunt ***Perſonæ.*** Videtúrque porrò ad illam opinionem invitari à conſideratione Ignis, Flammæ & Aeris. Ignis non comprehendit Flammam quæ ab eo provenit, nec Flamma Aerem qui procedit ab utriſque. Illiúſq; Imaginatio ſuperaddidit, Nec vice verſâ.

Sect. 21. 17. Quòd Anima propagatur ut ſurculus ex arbore, obvium ei creditu erat, ut qui tam proclivis eſſet ad omnia faciendum corporea. Præterea ejus Ignorantia Cabbalæ ***Moſaicæ*** Philoſophicæ, quæ eum in iſtam opinionem conjecit, quòd ***Adamus*** fuerit Ἀνδρόγυνος, & per ſeipſum potuerit propagare, ulteriùs ſibi confirmare potuit commentum de Animarum Traductione.

Sect. 22. Quódque æterna erat colluctationis & luſûs ***Fontanorum Spirituum*** ſucceſſio, neceſſaria illius dogmatis ſequela eſt, quo eos fecit Deum Patrem. Alioqui Deus, Æternitatem, futurus fuiſſet ſine Vita ac Luce. Corporea Deitas neceſſariò infert æternam Motûs ſucceſſionem. Quæ cùm impoſſibilis ſit, manifeſtum eſt Deum non poſſe eſſe corporeum.

Sect. 23, 24. 18. Quòd autem ***Adamus*** ante lapſum, corpus habuit Angelicum, Virgo fuit, Matricémq; habuit in ſeipſo, & à ſeipſo Magicè potuit propagare, hoc ex eo tantùm provenit, quòd Corticem & Myſterium ***Moſaicæ*** Narrationis ſimul miſceret ſeu confunderet. Cùm enim imaginatus eſſet ***Adamum*** hominem ſingularem ad Paradiſum, creatum, & Paradiſum tam ſublimem conditionem ſive ſtatum, ut libido concubitúſq; cum mulieribus ei nequaquam competeret, hinc factum eſt, ut ſingularem iſtum ***Adamum, Viro-virginem*** Magicam & prolificam fingeret, qui poſteritatem ſibi ſuſcitaturus eſſet, eo quo declaratum eſt modo.

Sect. 25. 19. Quòd Animam facit rem adeò rigidam ſive aſperam & fortem in quatuor primis Principiis, ***Acerbo, Amaro, Angore, Calore***; id equidem autumo ei ſuggeſtum eſſe ex eorum ſenſu & detectione in Paſſionibus truculentioribus. Et Oppoſitorum Regula eum in iſtam opinionem conjecit; Si Originalitas ejus dulcis fuiſſet, ei nullum futurum fuiſſe robur.

Sect. 26. Ratio cur ***Adamus*** Solem non cerneret, quando in ſuo Angelico erat corpore, eadem eſt quæ ſuprà memorata, cur putaret bonos Angelos Tenebras cernere non poſſe nec Diabolos Lucem.

Sect. 27. Quódque ***Adamus*** nec Inteſtina habuit nec Genitalia ante lapſum, ex eadem cauſa eſt ob quam fingebatur pura ***Viro-virgo*** cum Matrice, quippe quòd Inteſtina & Coitus ſtatui Paradiſiaco non congruebat. Poſt lapſum autem ejus & in quem conjectus eſt ſoporem, nulla pars magìs idonea erat quæ ab eo auferretur ad conſtituendam Mulierem, quàm ea quam ***J. B.*** ejus appellat ***Veneris-Matricem.***

Sect. 28. 20. Quòd putabat ſeptem Artes liberales ex ſeptem ***Fontanis Spiritibus*** oriri, ex eo ſolo factum eſt, quòd ***Septenæ*** reſpondebant ***Septenis.*** Quælibet enim ſeptena ad ſeptem ***Spiritus Fontanos*** refert, etiam ſeptem Filios ***Japhet.***

Sect. 30. Opinioni ejus de Figuris & Umbris rerum omnium & verborum poſt hanc vitam manſuris, pia dari potuit occaſio ex illo Fidei articulo, quòd rationem quiſq; redditurus ſit de ſingulis ſuis operibus atq; verbis in die noviſſimo.

Sect. 29. Occaſio autem cur nos exiſtimaret natos denuo in Anima Chriſti propagata à Maria, hinc, opinor, erat, propter mortem utiq; Animarum noſtrarum in lapſu Animæ Adami, unde eas propagatas putabat, cùm tamen nullæ Animæ propagatæ erant ab Anima Chriſti ut qui cœlebs mortuus eſt.

Sect. 31. Quòd malorum Dæmonum Spiritus crudos imaginatur ſive cruentos ſine corpore, ***coruſcamen igneum***, hoc figmentum in ejus phantaſian injeciſſe credo, tanquam ſi proprius ipſorum Calor atq; Ignis, corpora eis detriviſſet.

21. Quòd nec Spiritus, nec Intellectus ſit ſine corpore, obvium ei erat imaginari qui Deum fecit corporeum, talémve Deum qui ſeipſum percipere nequiret niſi per manifeſtationes in Creaturis.

Sect. 32. Quantùm ad Spirituum intelligentium multitudines in Abyſſo Terram inter atque Stellas, qui tamen ſint mortales, iſtam opinionem (prout ſuprà notatum eſt) à ***Paracelſo*** haurire potuit, faciléque propter corpoream ſuam Imaginationem pro vera admittere.

Sect. 33. Idémq; dici poteſt de eo, quòd corpus ſydereum Animam Mundi magni facit, & rationalem vitam omnium Creaturarum.

Sect. 34. Quòd autem Deus manifeſtare ſeipſum ſibi ipſi nequeat ſine creatione alicujus rei à ſeipſo diſtinctæ, ex ſpeculorum uſu eum hoc hauſiſſe autumo, cùm nemo proprium vultum contemplari poſſit nullâ re objectâ, quæ eum ſuo aſpectui reflectat.

Sect. 35. 22. Et poſtremò, quod ad tres ***Throno-Angelos*** ſpectat ***Michaelem***, ***Vrielem*** & ***Luciferum***, ipſe fatetur ſe tres eos conſtituiſſe, ut Divinæ Trinitati reſpondeant. Quantùm verò ad lapſum ac prælium ***Luciferi*** in quo ***Michael*** cum ipſo pugnavit, hujus Commenti occaſionem ſumpſit ab aliquibus locis Scripturæ, & expreſsè, licèt imperitè, bellum ***Michaelis*** cum ſuis Angelis adverſus Draconem, in ***Apocalypſi***, de hoc terribili prælio interpretatur. Quòd autem Creationem Mundi hujus Externi à corrupto Sal-nitro per ***Luciferi*** rebellionem ſic facto & per ingentes fulminationes ac pugnas duorum alterorum Throno-Angelorum cum ſuis legionibus contra ipſum deducit, hoc illius commentum introductum eſt ut rationem redderet de origine Mali ***Naturalis*** perinde atq; ***Moralis***, cur utiq; res tam deformi ſqualidóq; aſpectu appareant in Orbe.

23. Atque ſic quidem omnia Occaſionum intimamina horum errorum ***J. B.*** quantâ potui brevitate percurri. Quæ eodem ordine tumultuario & confuſo indicavi, quo errores ipſi mihi occurrebant. Ad quod exemplum quivis alias conſimiles Rationes reddere poteſt, de quibuſcunq; aliis erroribus qui apud ipſum reperiantur. Neque enim profiteor me omnes ejus errores notâſſe.

QUÆSTIO IV.

Quaſnam veriſimillimum ſit Animi ſui in his Erroribus fuiſſe Parturientias, *hoc eſt, Ad quid tenderent Enthuſiaſtici iſti æſtus & fermentationes Animæ illius, ſi erumpere valuiſſet in magis claram diſtinctámq; Lucem?*

1. Venimus nunc ad Quæſtionem quartam quæ ſolutu omnium difficillima eſt & curioſiſſima. Nec me obligatum cenſeo inveſtigare, ad quamnam veritatem aſpirare poſſet Anima ejus in ſingulis prædictorum errorum, ſed in eis tantùm qui maximi videantur momenti, & in quibus conatus noſtri maximè fœliciter ſuccedant. Quam rem priuſquam aggrediar, operæ pretium eſſe exiſtimo ante oculos ponere Tabulam iſtam ſive Diagramma ***ſeptem Spirituum***, quod ***Clavi*** ejus inſeritur. Quod breviter ſic ſe habet.

♄	☽	1	Forma	Acerbum,		Mundus tenebroſus.
☿	♃	2		Amarum,		
♂	♀	3		Angor		
☉		4		Ignis	Tenebroſus, Lucidus	Mundus igneus.
♀	♂	5				
♃	☿	6		Lux ſive Amor,		Mundus lucidus.
☽	♄	7		Sonus ſive Mercurius, Subſtantia ſive Natura		

2. Hæc eſt Tabula Formarum Univerſalium in tota rerum Comprehenſione. Quas ſeptem facit ſecundùm ſuam illius Numeri affectationem. Mundus autem igneus à Mundo lucido & Mundo tenebroſo diſtinctus ſuperfluus eſt. * Ac propterea expungemus

⊙ Solem. Et quia ☽ haud ità idoneum Symbolum eſt Divini corporis ſive ſubſtantiæ Mundi lucidi, ejiciemus viliorem iſtum Planetam, Solémque ⊙ qui Mundi tenebroſi Emblema peſſimum eſt, in locum ejus ſubſtituemus. Ità ⊙ Sol & ♄ Saturnus plenâ oppoſitione alter alteri reſpondebit. Quemadmodum & ipſe in *Aurora* ſua, ♄ *Saturnum*, aſtringentem, frigidum, auſterúmque *Solem* appellat & omnis corporeitatis & palpabilitatis *Cor.*

3. Jam verò notatu digna ſunt quæ *J. B.* ipſe de hac Tabula tradit. *Apprimè*, inquit, *obſervandum eſt, quòd ſeptima ſemper & prima Proprietas pro una habetur, & ſimiliter ſecunda & ſexta, & tertia itidem ac quinta, & quarta tantùm limes eſt* terminúſve diſtinguens. *Nam ſecundùm manifeſtationem Trinitatis Dei, non ſunt niſi tres Proprietates Naturæ.* Eſt igitur Syzygia ☽ & ♄, ☿ & ♃, ♂ & ♀ ſimul, ad oſtendendam analogiam quam gerant alteræ ad alteras in ſuis utrinque Mundis *Ignis tenebroſi* & *Ignis lucidi*, in Mundo *Amoris* & Mundo *Iræ*. *Ac ſic*, inquit, *Effluentia Divinæ Manifeſtationis quantùm ad tres proprietates in* primo Principio *ante* Lucem *eſt* Naturalis, *ſed in* ſecundo Principio *in* Luce, *eſt* Spiritualis. Ac propterea, inquam ego, exteramus ☽, & ſubſtituamus ⊙ in hiſce combinationibus. Et tunc ♄ reſpondebit ⊙ Soli in Mundo *lucido*, & ⊙, ♄ Saturno in Mundo *tenebroſo*.

4. Atque ità ſatìs propinqua erit ac aperta ſimilitudo cum vetere Diagrammate *Cabbaliſtico* ſex univerſalium Formarum in tota rerum comprehenſione, quas in Tabulam diſponemus, ſic :

♄	⊙	Forma	1	Supremum Bonum,	Trinitas puræ Divinitatis.
☿	♃		2	Æternus Intellectus,	
♂	♀		3	Divina Anima	
♀	♂		4	Anima Mundi,	Trinitas Univerſalis Naturæ.
♃	☿		5	Spiritus Naturæ,	
⊙	♄.		6	Abyſſus Phyſicarum Monadum	

Hypoſtaſes heîc utriuſq; Trinitatis alteræ alteris per manifeſtam ἀντιϛοιχίαν reſpondent, ⊙ Sol ♄ Saturno, ♃ Jupiter ☿ Mercurio, ♀ Venus ♂ Marti : Cùm Trinitas univerſalis Naturæ ſit quaſi umbratilis projectio Trinitatis puræ Divinitatis per Divinam Animam, ut in Arbore ſuper Fluvii ripam poſita quæ ſuam umbram in aquam projicit, Ramorum ſummi infimi fiunt in projectione, ſed reſpondent alteri alteris, debitámque inter ſe gerunt ſimilitudinem : Sic ♄ ſive Abyſſus Phyſicarum monadum ⊙ Solis imaginem refert ſive Supremi Boni, quod Platonici Τ'αγαθὸν appellant.

5. Etenim quemadmodum *Supremum Bonum* Divina eſt Tactualitas ſive Intellectualis Dulcedo, ità *Abyſſus Phyſicarum Monadum* Fons eſt naturalis Tactualitatis ſive Palpabilitatis. Et ſicut Τ'αγαθὸν *uniformis* eſt *Luciditas* & Claritas Deitatis, ſic *Abyſſus Monadum* Caligo uniformis, ſed quæ accendi poteſt in univerſalem ſplendorem atque Lucem. Quo fiat *unicum* illud *Elementum* de quo *J. B.* loquitur, éſtque verus *Lucifer* cum ſuo *Divino Sal-nitro* qui ⊙ *Soli* ſive *ſupremo Bono* reſpondet, Patri illi Luminum & *Phoſphoro* inacceſſibili, qui maximè propriè appellatur *Cor Dei* ut qui primum Vitæ Luciſque in Trinitate puræ Divinitatis eſt Centrum. Ac proinde *Luciferum Naturæ* vero *Cordi* Dei ſecundùm hanc Hypotheſin reſpondere oportet non autem *Filio*, quippe qui *Cor* quidem Deitatis non eſt, ſed *Mens* ſive Intellectus, hoc eſt, ♃.

6. Cui *Menti* ſive *Intellectui* ♃ Ζηνὶ *Jovi* (quem Mythologi, de Æterno Intellectu, filio Divini ♄ *Saturni* ſive Κρόνου, qui apud *Proclum* idem ſonat quod 'Ακρόνους, quod Τ'αγαθὸν eſt, cui in Animabus humanis reſpondet τὸ ἀγαθοειδὲς) huic, inquam, *Menti* ſive Intellectui ♃ (qui & ὁ θεῖος λόγος nuncupatur) ☿ Ἑρμῆς Mercurius, hoc eſt, λόγος προφορικὸς, Interpres, Verbum expreſſum, ſive Λόγος σπερματικὸς, nempe *Spiritus Naturæ* accuratâ ratione in projecta umbra reſpondet. Verùm Jupiter ♃ Intellectualis *perceptiva* Omniformitas eſt, Mercurius ☿ Omniformitas *imperceptiva* ac plaſtica. Et nota, quòd *J. B.* in ſua Tabula è regione ♃, eum Mercurium perinde atque Tonum ſive Sonum appellat, cui in Aurora, rerum omnium Figurationes aſcribit.

Neque heîc omitti oportet, quòd quemadmodum ♄ *Saturnus* ſemel in lucem accenſus ſit *Lucifer Naturæ*, ità ☿ propter Naturalem *Nemeſin* ipſi intertextam, fit *Michael Naturæ*, & ♃ *Michael Divinitatis*, qui gladium æternæ Rationis adversùs omnes Tranſgreſſores, qui contra *Supremum Bonum* peccaverint, vibrat, illiúſque cauſam apud omnes Rationales Creaturas agit.

7. Et poſtremò ♀ Veneri, τῇ θείᾳ ψυχῇ, Divinæ Animæ (quam *Plotinus* appellat ꝥ ὐρανίαν ἀφροδίτην) ♂ Mars κατ' ἀντίστοιχον admodum appoſitè reſpondet, cùm altera Ignis *Amoris* ſit, alter Ignis *Angoris*. Venus ♀, ut quæ verus *Uriel* ſit in Igni *Divini Amoris* in pura Deitate, tota fertur in fruitionem Divinæ Sapientiæ ac Bonitatis, in liberam Lucem & Majeſtatem Divinitatis; ſed ♂ Mars ſive Anima Mundi, ut qui *Uriel* ſit *Naturæ*, ſuum habet deſiderium & Imaginationem in Naturam ſolummodo propenſam, & determinatur ad Particularitates & Ipſitates, eſtque, Divinâ quidem Influentiâ deſtitutus, *Igneæ* libidinis Origo atque Belli.

Divina Anima imprægnatur æternâ *Mente* ſive *Intellectu*, & in voluptatem ineffabilem rapitur ex unione cum *Supremo Bono*. *Anima Mundi* Senſationis tantùm, Imaginationis, & Concatenationis Phantaſmatum Fons eſt, totáque in ſenſu & poſſeſſione corporearum varietatum Naturæ occupatur, importunáque ad falſa, ex ſui-amore, Ratiocinia inſtigatrix eſt, ubi illuminatio *puræ Divinitatis* intercipitur.

8. Hæc brevis eſt duarum generalium Sphærarum rerum deſcriptio, quarum altera *puræ Divinitatis* eſt, altera *Univerſalis Naturæ*. Quæ ſi actu à priori abſcindi poſſet, Anima utique Mundi à Divina Anima, evaderet quidem ut *Plotinus* loquitur, δαίμων μέγαν, ego verò mallem, μέγας δράκων. Cæterùm cùm tam plenè Sphæræ *puræ Divinitatis* expoſita ſit, tota ferè evadit immenſa Paradiſus Dei. Cunctæque ſex Formæ ſimul ſumptæ & ut una immenſa Sphæra ſextuplex conſideratæ, cujus Formæ per totum ſe invicem penetrant, Totum hoc, ſive Univerſum, ab eodem Philoſopho appellatur Θεὸς, * hoc eſt, tota ſive integra Deitas, univerſaliſve Origo unde res omnes particulares proficiſcuntur.

9. Atque hæc quidem inſervire poſſunt paratui ad conjecturas noſtras quid ſit quò probabiliter *J. B.* collineet in ſuis erroribus. Etenim etiam illìc ubi Meta non attingitur, propinqua tamen tendentia detegit quis fuerit eorum Scopus qui Sagittam emiſerint. Et certè non poſſum non augurari mentem *Jacobi Behmen* quæ *ſeptem* ſuis *Formis* ſive *Fontanis Spiritibus* adeò oppleta erat, * revera non plures intendiſſe quàm haſce ſex. Et propterea quantùm ad Numerum non multùm aberravit à Meta.

10. Cæterùm, quod ad æternam ſpectat generationem Dei ſanctæque Trinitatis in ſeptem *Fontanis ſpiritibus*, formulæ ejus loquendi apertè oſtendunt eum intricatum oberrâſſe in Sphæra *Univerſalis Naturæ* illámque ſumpſiſſe pro Deo. Immo verò, quaſi nocte oppreſſum, in ipſis infimis illius extremitatibus divagatum eſſe, æternámque quæſiviſſe Deitatis Generationem in ♄ Saturno, ſive tenebroſa *Phyſicarum Monadum* Abyſſo. Ex coagulatione enim hujus Saturni, quæ eſt *Aſtringentia*, orta eſt ſubtilis amaráque vividitas, tenuiſſimi omnium Principii, globulis ſubtilioris: Lævis autem mitiſque ac pacifica Globulorum forma atque Ratio, illa Dulcedo eſt ſive Aqua dulcis, quemadmodum eam in *Aurora* appellat. Agitatio verò horum ſimul calorem gignit, qui quartus *Spiritus* eſt *Fontanus*. Et ex Fermentatione Caloris, (ex quo ſtridor exiit & coruſcamen) in disjunctione paſſim Globulorum, per totam *Abyſſum* orta eſt alacris Lux. Quæ ſecundùm illius ſententiam lætus Partus eſt *Filii* Dei, vel *Cordis* Dei, cùm revera nihil ampliùs ſit, quàm *Lucifer Univerſalis Naturæ*, & nè Filio quidem Dei *reſpondet* in pura Divinitate, ſed *Divino* ☉ *Soli* ſive *Phoſphoro*, Majeſtati utique Dei Patris, qui verum eſt puræ Deitatis Cor.

11. Cæterùm, ut errores ejus porrò proſequamur in Abyſſo. Ex Luce provenit Tonus ſive Sonus. Quem etiam *Divinum Mercurium* appellat, éſtq; ſextus *Fontanus Spiritus* (ſicuti Lux eſt quintus) quem Spiritui ſancto aſſimilat, eúmque facit rerum omnium Formatorem. Poſtquam enim Abyſſus luce ſemel ſit perfuſa, Fontani Spiritus videre, percipere & ſe mutuò intueri poſſunt. Atque ex hac cognitione oritur totius molis Abyſſi diſpoſitio in debitas Formas ac Figuras; Quæ ſimul ſumptæ *Divina* eſt *Corporeitas*, quemadmodum & ſeptimum *Fontanum Spiritum* appellat *Corpus*. In *Aurora* quidem omnia quæ illìc dicit, ad nullum majus videntur aſſurgere Myſterium quàm hoc ipſum. Adeò ut æterna Generatio Dei ſanctæque Trinitatis ſecundùm ejus quidem Theoſophiam in illo Tractatu, uſitatáſque loquendi formulas illìc occurrentes, ultrà non pertingat quàm ad has Modificationes *Phyſicarum Monadum Abyſſi*.

12. Equidem verum eſt eum aliquando videri diſtinguere inter partum *intimum* atque *extimum*. Veruntamen iſtud difficultatem nequaquam exhaurit. Sed indicium eſt ſpeculationem hanc haud ità bellè ſecum cohærere ipſi viſam eſſe, quin mens ejus aliam aliquam Theoriam magìs congruam parturiret. Et per charitatem ſuſpicor hanc ipſam quam feci Deſcriptionem ei futuram fuiſſe ſatis gratam & accommodam. Quippe in qua ſibi fingere potuit ſi voluiſſet, ſeptem ſuos Spiritus Fontanos.

Etenim coagulatio *Abyſſi* in Materiam ſubtiliſſimam & Globulos (quorum luſus tamen & colluctatio facit *Luciferum Univerſalis Naturæ*) locum ſuppletura eſſet duarum

rum iſtarum ejus Formarum, *Aſtringentis* & *Amaræ*. Et tunc *Mercurius* ☿, ſive *Spiritus Naturæ*, qui Homogeneitatem tenebroſarum & ſubtilium Monadum Abyſſi in Heterogeneas particulas diſtinguit, reveráque omnis corporeitatis eſt formator, ſedéſque Angoris & Solicitudinis pro Vita corporea quando erumpit, & naturalis *Nemeſeos* origo, hic tertiæ ejus Formæ reſpondet, quem *Angorem* expreſſim appellat. Et tunc noſter ♂ *Mars* ſive *Vriel Naturæ* locum occupabit illius ☉ Solis, quem ego expunxi. Atque in his reperturus eſſet iſtud contineri quod (in Libro de *Tribus Principiis*) *æternum vinculum* nuncupat. Non quòd ex ſeipſo ſit æternum, ſed quòd tam æternum ſit, quàm quicquam, quod non eſt pura Divinitas, eſſe poteſt.

13. Anima Mundi rectè appellatur ♂ Mars, quoniam abſque puræ Divinitatis Influentia eſſet corporéque Paradiſiaco, igneus furioſúſque Diabolus foret δαίμων μέλας ſenſu peſſimo, hoc eſt, δράκων μέγας. Adeò ut Sphæra Univerſalis Naturæ verus futurus eſſet Mundus Igneus tenebroſus, ut *J. B.* loquitur. Verùm, hoc ipſum Deum Patrem appellare, admodum cæcus ac veſanus eſt Error. Deprehendemus Deum Patrem in loco ſuo debito. Primùm verò nobis occurrit *Divina Anima* in pura Divinitate, quæ reſpondet *Spiritui Sancto*. Quæ cœleſtis Venus eſt, Ignis Amoris, ſive *Vriel puræ Deitatis*. Atque hæc quidem eſſe poſſet Forma quinta apud *Jacobum Behmen*, quam ipſe etiam *Lucem* ſive *Amorem* vocat.

14. Et nunc quidem ♃ puræ Deitatis ſive *æternus Intellectus* vel Divina Sapientia ſecundùm quam res omnes formantur, hæc accuratè reſpondet illius Tono ſive Sono, ſextæ Formæ quam ille rerum *Formatricem* facit. Eſt autem hic verus æternus Dei Filius, qui non eſt *Cor* ſed *Sapientia* in Deitate. Cor verò Centrum intimum eſt ac profundiſſimum, dulciſſima maximéque ſuprema Bonitas, puriſſima ſubſtantialis uniformis Luciditas, immenſa Divina Tactualitas in pura Deitate. De qua illud *Plotini* intelligendum eſt, quando Anima ſecundùm ſuam *Boniformem* Facultatem unionem cum illa attingere poteſt, quod κέντρον κέντρῳ συνάπτει, *centrum cum Dei centro conjungit*. Atque hæc in locum ſeptimæ Formæ *J. B.* ſubſtitui poteſt, quam is *Corpus* appellat, per quod intelligit *Corporeitatem* Dei. Cùm tamen nulla talis res ſit in pura Deitate, quanquam radicalis ſubſtantia illîc ſit, omni corporeâ Naturâ infinitò ſubſtantialior.

15. Quòd *J. B.* Animus tale aliquid parturiebat, quódq; hæc Hypotheſis ſive Deſcriptio ei placere potuiſſet, hoc facit fidem, nempe, Tum quia iſta Tabula illius aliquam ſaltem congruentiam habet cum hac Tabula quam ego propoſui, tum etiam quia tandem (ſcilicet, in *Triplici Vita Hominis*) expreſsè profitetur talem ferè puram Deitatem qualem ego in mea Tabula deſcripſi.

Immò verò nequa fraus fiat veritati, in Capite 26. *Auroræ* ſuæ, videtur divinare eſſe aliam aliquam rem ſive Eſſentiam ab illo corpore Naturæ diſtinctam. Nam poſt deſcriptionem tenebroſæ Abyſſi, *v.* 56. quæ genuina videtur Repræſentatio *Abyſſi Phyſicarum Monadum*, ait, *in hac tenebroſa valle ſeptem eſſe Spiritus Dei*. Et *v.* 63, 64. *Quando ſeptem Spiritus non colluctantur, ſed univerſa quies eſt & tranquillitas per totam Abyſſum extra, intra & ſupra omnes Cœlos, hoc Domicilium appellatur Æternitas. Non appellatur autem Deus, ſed inomnipotens Corpus Naturæ, in quo Deitas mortua quidem non eſt ſed abſcondita in ſeptem Spirituum Nucleo. Et tale quidem Domicilium erat totum hujus Mundi ſpacium quando Deitas ſeipſam abſcondidit ab horribili Diabolo, donec Sol Stellæque ſuam emiſiſſent lucem.* Hoc quidem videtur ſubindicare quòd Mens ejus etiam tunc ferebatur versùs Deitatem incorpoream.

16. Cæterùm admodum expreſſim adverſatur priori ſuæ ſententiæ qua Deum Patrem *vallem tenebroſam*, Deitatémque *corpoream* ſtatuit; in *Triplici vita Hominis*, cap. 2. verſ. 75. * *Illud quod quietum ſive tranquillum eſt ac ſine eſſentia in ſeipſo, quod nullas tenebras in ſe habet, ſed eſt omnino tranquillum, clarum, lucidúmque gaudium ſine Eſſentia, illud Æternitas eſt, quæ ſine re ulla conſiſtit, & ſupra res alias omnes appellatur Deus. Nihil enim mali in ea eſt, & ſine Eſſentia conſiſtit. Deus Pater in ſeipſo talis eſt, ſed ſine Nomine. Etenim in ſeipſo eſt, lucida, clara, ſplendidáque Æternitas ſine eſſentia, ſi loquamur ſimpliciter de Luce Dei.*

Et rurſus, *cap.* 5. *verſ.* 29. *Patris Proprietas non ſunt Tenebræ, ſed Tenebræ generantur in auſtero deſiderio; ſed Proprietas Patris eſt, lucida, clara ac libera Æternitas quæ voluntatem habet ad Naturam*, &c. Et in *Myſterio Magno*, cap. 1. verſ. 4. Ibi Æterna Voluntas dicitur Pater; Mens ex Voluntate concepta, Filius; & egreſſus Voluntatis & Mentis, Spiritus ſanctus. Quòd non multùm abludit à Trinitate puræ Deitatis in noſtra Tabula. Hoc enim & hîc exiſtere ſupponitur, ante Naturam aut Creaturam.

17. Porrò, in *Triplici Vita Hominis*, cap. 4. v. 64. *Pater generat Naturam ex Æterna tranquilla libertate quæ eſt ipſe, qui tamen in hac tranquillitate non appellatur Pater, ſed propter æternam Naturam quam generat.* Et v. 86. *Unicum Deum intelligimus in tribus Perſonis unius Eſſentiæ & Voluntatis. Verùm hoc vos de Trinitate monemus, tria in illa eſſe Centra quæ in Æterna Natura cognita ſunt, ſed extra ultràve Naturam ſunt incognita. Nam extra Naturam Deitas appellatur Majeſtas, ſed in Natura appellatur Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Notabilia profectò hæc loca ſunt in illius Scriptis, taliáq; quæ eum à craſſo illo errore liberent faciendi puram Deitatem aut tenebroſam aut diſcerpibilem & corpoream, illáq; aſſerunt quæ eis omnino adverſantur, quæ in ejus *Aurora* occurrunt, Trinitatémq; planè indicant ultra Naturam in Æternitate tranquilla atq; lucida. Quemadmodum etiam apparet ex Tabulis Myſterio magno præfixis. Quòd autem diſtinctiones puræ Deitatis ante Naturam & Creaturam, in ſeptem producit, id quidem fit ex temeraria ſua & ſuperſtitioſa affectatione Numeri *ſeptenarii*, quem in ſeptem *Fontanis Spiritibus* in *Aurora*, uſurpaverat.

18. Verùm, mentem ſuam explicans in hiſce aliis ſuis ſcriptis, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum (quos in *Aurora* ait ipſam Trinitatem eſſe quam nos Chriſtiani colimus) *manifeſtationem* tantummodo facit *Trinitatis* in æterna lucida libertate, quæ ſupra res alias omnes appellanda eſt Deus. Nos verò Chriſtiani *Trinitatem Naturæ* non colimus, ſed *Trinitatem puræ Divinitatis.* Quam poſtquam *J. B.* inveniſſet, abſtinere debuit ab appellando *Trinitatem Naturæ*, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, erroréſq; ſuos in *Aurora* agnoſcere, & fateri ſe in Sphæra *Univerſalis Naturæ* inſcientem oberrâſſe, nec penetrâſſe adhuc in Sphæram *puræ Deitatis* tranquillæque ac lucidæ Trinitatis illius. Cujus Imaginem, ejus Trinitas in *æterna Natura*, tam aptè, quàm Trinitas noſtræ Sphæræ *univerſalis Naturæ* in ſua inverſa projectione, à Sphæra tranquillæ lucidæq; Æternitatis ſupra Naturam, nequaquam refert.

19. Nam in noſtra Sphæræ duplicis Tabula, ♄ Saturnus perquam aptè reſpondet ☉ Soli, ☿ Mercurius ♃ Jovi, & ♂ Mars ♀ Veneri, quemadmodum jam notatum eſt. Et tametſi quantùm ad eſſentiam ☿ non derivatur à ♄, nec ♂ à ♄ aut ☿, Energia tamen ☿ dependet à ♄ & ♂ Martis ab utriſque. Nam ſi ♄ non exiſteret, neutri eorum ullam habituri eſſent operationem. Hæ duæ igitur Trinitates ſolæ univerſales ſunt Formæ totius comprehenſionis rerum, unde omnia oriuntur. Súntque hæ ſex, quantùm ego quidem exiſtimo, ad quas aſpirabat Mens *J. B.* ſi in earum diſtinctam notitiam penetrare potuiſſet, non autem ſeptem quæ nullum Fundamentum habet, præter hallucinantem Imaginationem: Nec affectaturus fuiſſet ullum alium Numerum præter Ternarium in pura Deitate & in univerſali Natura, quam Æternam appellat, quippe quum Numerus ſeptem ejus Spirituum illìc æquè ratione caret, atq; in æterna lucida libertate, ſive Sphæra ipſius puræ Deitatis.

Atque hactenus de detectione, quæ fortè eſſe poſſet Mentis *J. B. parturientia* in ſua doctrina de Æterna Generatione Dei ac Trinitatis in ſeptem ſuis *Fontanis Spiritibus.* Divinemus nunc quæ ſit illius mens in aliis apud eum locis.

Quæſt. 1. Sect. 5. 20. Ut Stellæ ſint Ignis cum Aqua concretus, augurari nequeo cum qua veritate iſtud ullam gerat ſimilitudinem: útve Sol genitus eſſet ex omnibus Stellis, ſed tantùm ex tali Materia ex qua reliquæ Stellæ ſint genitæ. Nec dici poteſt hic Sol illuminare & vivificare omnes Stellas, ſed *Lucifer univerſalis Naturæ*, qui ☉ Soli reſpondet in Mundo Intellectuali, Lucem dedit Stellis ac Subſtantiam. Ex eo verò quòd ſubtilis Materia ab uno Vortice tranſit in alium, omnes Stellæ dici poſſunt nutriri, quanquam non generari, aliæ ex aliis.

Et cùm univerſus Mundus quaſi maceratus jacet in Æthere per quem ſubtilis ſe inſinuat Stellarum Lux (Nam *Lucifer univerſalis Naturæ* quanquam non ubiq; lucet, ſeipſum tamen in omnes res inſinuat quæ vitam habent, ſenſum, ac perceptionem) cúmque virtute hujus Aſtralis Influentiæ, & Anima Mundi & omnes aliæ Animæ vivunt, cogitant, imaginantur reliquáſq; operationes ſuas exercent, hac quidem ratione *Stellæ* etiam dici poſſunt vitam miniſtrare, imaginationem, & rationem, Artéſq; atque Scientias impartiri & Viſiones immittere & Inſomnia, *&c.* Hæc enim omnia fiunt virtute abſconditæ lucis Stellarum, ſive *Luciferi univerſalis Naturæ.*

21. Cum Planetis verò opacis hìc nihil rei eſt, nec percipere poſſum ullam omnino tendentiam versùs ullam veritatem, in eo quòd Caliginem ſive Tenebroſitatem aliquam imaginatur in Regione Stellarum, niſi fortè ſint Planetæ aliqui opaci qui circa Stellas fixas moveantur, quíque ſemper ſint habitacula Spirituum lapſorum.

Credóque *Jacobum Behmen* ſi rem penitiùs inſpexiſſet, pleniùs ſibi ſatisfacturum fuiſſe in concipiendo Planetas genitos fuiſſe ex Solibus ſenſu vetere *Cabbaliſtico*, quàm in imaginando eos evolâſſe ex Sole ſecundùm ſuam deſcriptionem. Reliqua ejus commenta circa Planetas admodum aliena ſunt ab omni veritate Philoſophica, quantum ego quidem intelligo, ſed tantùm ſupponunt in genere Mundum ſubſtantiam eſſe animatam.

22. Et quod ad diem Judicii attinet, Si per diem Judicii intelligeretur effuſio Phialæ Sect. 7.
ſeptimæ, computus magìs tolerandus foret; ſed ut die Judicii, quando Tellus conflagrabit, omnes in Cœlo Stellæ interituræ ſint, commentum eſt temerè quidem divulgatum. Nec aliter poſſum ſentire de Tentaminibus ejus in Apocalypſin, & de ejus peritia Sect. 8.
in Lingua Naturæ, prout ſuam ea in re mentem explicat.

23. Quòd autem Deum corporeum facit, ſi propriam mentem pleniùs diſtinctiúſq; Sect. 11, 12.
tenuiſſet, intellecturum eum fuiſſe opinor eâ notione, * quâ totum Orbem ſex generalium Formarum ordinúmve rerum Deus complectitur. Illud enim etiam Abyſſum *Phyſicarum Monadum* includit, quæ materialis eſt & corporea. Mens igitur illius eſſe debet, (candidè interpretata) non quidem quòd Sphæra *puræ Divinitatis* ſit corporea, nec dum Anima Mundi Spiritúſve Naturæ, ſed tantùm exterior Partus maximè extremæ projectæ Formæ à Centro puræ Deitatis, *Abyſſus* utiq; *Phyſicarum Monadum*, in qua reliquæ quinq; Formæ paſſim inveniuntur.

Ac proinde quando ait, Deus eſt omnia & omnia fiunt ex Deo, Aer, Aqua, Terra, Lapides reliquáq; univerſa, illud intelligendum eſt de Deo in ſuprà dicto ſenſu *Plotiniano*, qui totum Orbem comprehendit univerſalium Formarum rerum. Etenim ex *Abyſſo Phyſicarum Monadum*, Terra, Aqua, Lapides, omnéſq; res coporeæ, Cœli, Stellæ, omniáq; Naturæ Objecta ſenſibilia conſiſtunt.

24. Atq; ubi ait quòd Angeli fiunt ex Deo tanquam ex Materia ſua, id etiam cautè Sect. 11.
intelligendum eſt, nempe quòd ſola eorum corpora fiunt ex *Abyſſo Phyſicarum Monadum*, non autem Spiritus. Quantùm ad corpora ſua, inquam, fiunt ex Deo, laxo illo ſenſu. Quantum verò ad vivos ſuos & intelligentes Spiritus, fiunt, non quidem ex, ſed tantummodo ſecundùm puram Divinitatem in imitatione & participatione facultatis *Intellectualis*, & ſecundùm Animam Mundi Spiritúmq; Naturæ quoad ipſam Eſſentiam eorum, ſi non aliquanto ſuperiores eſſentiâ ſint.

Et quod de Angelis dictum eſt, idem eſt intelligendum de Animabus humanis in ſtatu ſuo Paradiſiaco. Ità ut tum homines tum Angeli * non tantùm ſint μικρόκοσμοι, ſed μικρόθεοι, non tantùm *parvi Mundi* ſed *parvi Dii*. In quo ſenſu tantùm, illud *Jacobi Behmen* tolerabile eſt, ubi dicit, *Quòd Angeli puſilli Dii ſunt ex totali ſive univerſali Deo.* Nihil enim diſcerpibile eſt Phyſicéve diviſibile præter Materiam.

25. Atque eodem modo ubi Animas Brutorum ex Stellis & Elementis vult gene- Sect. 17.
rari, Aſſertionis hujus veritas non ultrà pertingit quàm ad eorum corpora Animarúmque operationes. Atque illud quod Elementare appellat & Sydereum Regnum, conjunctim intelligendum eſt cum *Anima Mundi* ac *Spiritu Naturæ*, qui ità uniuntur cum *Lucifero univerſalis Naturæ* & Elementis, ut illi nec agere nec vivere poſſent ſine his. Ac proinde ſi pro una Formarum Sphæra eos habeamus, *J. B.* ſic intelligi debet: Quòd Brutorum corpora ex elementari fiunt & ſydereo Principio mixtim, & Animæ eorum *ſecundùm*, non autem *ex* Anima Mundi, Spiritúque Naturæ. Animæ enim Brutorum Senſum habent, Imaginationem, Memoriam & Phantaſmatum concatenationem, præter Facultatem Plaſticam.

Quòd autem Rationem Ingeniíque acumen ex hac Sphæra derivat, illius Effati veritas non ultrà extenditur quàm ad callidam ſuiq; quærentem Rationem, quatenus callida eſt & ſui-quærens. Pura autem Ratio ab *omniformi Intellectu* petenda eſt, & à *Divina Anima* in Sphæra puræ Divinitatis.

26. Quòd autem ait *ſeptem Spiritus Naturæ* omni principio carere, Deúmq; in Sect. 18.
hac Infinitudine ſeipſum comprehendere non poſſe; hæc omnis principii carentia oſtendit eum ad puram Deitatem collineâſſe: verùm ubi ait eum ſeipſum comprehendere non poſſe, indicium eſt, in hac ſua Dei inveſtigatione, in *Aurora*, ſive *Rubedine Matutina*, mentem ejus ſupra *Sphæram Martis*, *Animæ*ve *Mundi* nondum emerſiſſe. Nam Infinitudo imaginationi quidem incomprehenſibilis eſt, ſed Æterna lucida libertas in pura Deitate ſeipſam comprehendit & omnia.

27. Opinio ejus de Inferno, ſive Mundo igneo tenebroſo quòd ubiq; ſit, vera Sect. 19.
tantùm eſt de ejus *Potentialitate*. Tota Sphæra *univerſalis Naturæ* poteſt quidem in Mundum igneum tenebroſum converti. Atque tunc *Mars* magnus illius Diabolus ſive *Belzebub* Catholicus foret. Et *Infernalis Mercurius*, Divino Sal-nitro corrupto & contaminato, monſtroſis horrendiſque Formis Univerſum eſſet oppleturus.

Nihil verò tale, qualis eſt Mundus igneus tenebroſus, jam actu exiſtit, tanquam una univerſalis Forma Naturæ. Nam *Lucifer univerſalis Naturæ*, ſalubris paſſim eſt, ac purus & Paradiſiacus, præterquam ubi Opacitas intraverit aliquáve illuc tendentia, prætérque vicinas Regiones quæ particulares iſtas Opacitates involverint. Quæ cum reliqua Sphæra *univerſalis Naturæ* comparatæ, vix eam rationem habent, quam Arenæ granulum ad globum totius Terræ. Adeò triumphans eſt Divina Providentia per immenſam Naturæ Sphæram, univerſam ferè conſtituens florentem Paradiſum Dei.

Immò verò hujus Paradiſi ſemina in Mundum Elementarem ſe immittunt Regionéſq; *Opacitatis*, adeò ut vis illius ſentiatur ab Animabus magìs puris perfectéq; regenitis. Tam parùm Inferni eſt uſpiam, niſi Diabolo hominibúſq; improbis qui in Elementari hoc Mundo ſibi ipſis illud creant.

28. Quòd *Adamus* Solem non vidit ante lapſum, quódq; Boni Angeli tenebras cernere non poſſunt, nec Mali lucem, niſi ſenſationem in nudis Spiritibus ſine corpore admittere velimus, omninò temerè mihi dictum videtur, nec conjectare poſſum quid ſibi hìc velit, niſi Parabolam loquatur Moralem.

Sect. 21. Quòd autem Anima propagetur, ut ramulus ſive ſurculus ab Arbore, id tantùm æquè verum eſt, quàm quòd ſurculus ab arbore cauſa ſit ac principium illud quod poſtea efficit ut per ſeipſum creſcat in Terra, fructúſq; ferat & floreſcat. Quod quidem nulla ſubſtantia eſt, ab arbore ſumpta, ſed *Spiritus Naturæ* quæ operatur in eo. Arbor occaſionem quidem dedit *Spiritui Naturæ* proſequendi opus ſuum in ſurculo illúdq; promovendi donec completa facta ſit arbor: Ità Fœtus in utero occaſionem dat particulari animæ exerendi vitam ſuam & operationem in corpus iſtud, ipſúmq; regendi, actuandi & gubernandi ad certam temporis periodum, quæ nulla tamen pars eſt Animæ Parentum ut Fœtus corporis eorum. Ipſéq; *J. B.* alicubi ſic loquitur ac ſi Animam tenuiſſet præexiſtere.

Sect. 22. 29. Quantùm verò ad æternam ſucceſſivam Colluctationem ſeptem Spirituum ante Creationem Angelorum, credo eum hoc voluiſſe, quòd ſucceſſiva iſta colluctatio tam infinitæ durationis extiterit, ut à noſtris retro temporibus numerando nullo numero eam valeamus exhaurire. Non quin Æternitas ſit puræ ac lucidæ Deitatis ultra hanc, ad quam *J. B.* non penetravit in ſua *Rubedine veſpertina*, ſed oberravit quod ſuprà dixi, intra ſphæram ♂ Martis.

Sect. 23. 30. Quòd ſingularis homo Adamus ab eo ſupponitur corpus habuiſſe cœleſte, Paradiſiacum & Angelicum ante lapſum ſine Inteſtinis & Genitalibus, Angelicam iſtud innuit naturam Animarum ante lapſum. Quòd autem ſingularis hic homo Viro-virgo erat, Matricem habuit taléſq; Angelicos Adamos ſibi ſimiles Magicè propagare potuit, id quidem ſubindicat, multitudines Animarum in tali Angelico ſtatu à Divina Providentia fuiſſe deſtinatas. Quòd deniq; Veneris-matrix *Adami* poſt lapſum formata ſit in *Evam*, quódque Sexus uterque Inteſtina habuerint & Genitalia, hoc quidem ſtatum hunc ſignificat craſſi cibi potúſque & carnalis Coitûs, ſtatum eſſe Animarum lapſarum.

Adeò ut *J. B.* miſcendo ſic Corticem & Myſterium Textûs ſimul, videatur per eum ad *Moſaicam Cabbalam Philoſophicam* penetrare voluiſſe, talem utiq; qualem ipſe deſcripſi in *Triplici Cabbala* in prima tria Capita Geneſeos.

Sect. 25. 31. Quod ait de aſperitate Animæ in quatuor primis Proprietatibus, *Acerbo*, *Amaro*, *Angore*, *Calore*, intelligendum eſt propriè de parte Animæ *Plaſtica*, quæ cùm unita ſit cum corpore ipſáq; propriè *Vita* ſit, non *Senſus*, ſenſum vitalium ſuarum Qualificationum à corpore ad *Perceptivam* Animæ partem tranſmittit. Quæ in craſſo hoc corpore Terreſtri facilè ſentientur auſteræ atque aſperæ, præſertim cùm auſteræ aſperæve Paſſiones excitantur. In Angelico autem corpore omnia ſuavia ſunt & grata.

Robur autem in utriſq; pars *Plaſtica* eſt, quæ *Spiritui Naturæ* in Sphæra *univerſalis Naturæ* reſpondet, qui omnia corpora, quantælibet molis ac craſſitiei, quæ moventur, movet. Hic *Spiritus* & ſeparat quæ ſeparantur, & quæ conſtringuntur ſimul conſtringit. Et pars *Plaſtica* in Spiritibus Hominum atque Dæmonum iſtud eſt quo prenſuram habent illius Materiæ quam actuant, quam ipſi Dæmones ità poſſunt conſtringere, ut ad tempus dura fiat & tinniens Vitri inſtar aut Metalli. Aſpera eſt fortitérque prenſans *Plaſtica*, deſiderii voluntatíſve influentiâ inſtigata, quæ totum hoc præſtat.

Ac proinde quando dicit, ſi Originalitas Animæ dulcis eſſet, nullum habitura eſſet robur, hoc tantùm intelligendum eſt de acceſſione roboris quod ex ferocitate provenit. Nam *Plaſtica* Angelica dulcis eſt propter corpus ſuum Paradiſiacum, & tamen proculdubio robur habent admodum firmum, ſtabile & invictum, & tamen admodum celere ſimul atq; agile.

32. Quòd

Sect. 28. 32. Quòd ſeptem liberales Artes oriuntur ex ſeptem Formis Naturæ, dictum eſt ſine omni ſcopo. Nam pura dilucidáque Ratio, cujus egregia ſunt ſpecimina in aliquibus ſaltem harum Artium, ſupra **Sphæram univerſalis Naturæ** aſſurgit, ſuámque ducit originem à **Sphæra puræ Deitatis**, ab omniformi utique Intellectu in Deo.

Sect. 29. Quódque Animæ humanæ denuò natæ eſſent in Anima Chriſti è Maria, illius Effati veritas ultrà extendi non poteſt, quàm quòd, cùm Filius Dei dignatus ſit naſci homo, tempus jam advenerit quo ſeria, præter ſolitum, efficáxque Gratiæ oblatio facta ſit hominibus quò regenerari poſſint fieríque Filii Dei.

Sect. 30. Et quantùm ad Figuras Umbráſq; rerum omnium ac verborum ſine Spiritu aut Subſtantia poſt hujus Mundi Scenam manſuras, quod J. B. toties inculcat ſed nuſquam narrat in quo reſerventur, equidem intelligi non poteſt ac ſi futurum ſit ut in Univerſo pendeant ſine omni ſubjecto, ſed potiùs quòd conſcribenda ſint * in memoriam Animæ Mundi ac ſi illud ingens Regiſtrum eſſet Dei. Aut hoc fortè commentum voluit, aut omnino ſimpliciterve deliravit.

Sect. 31. 33. Atque iſtud etiam quod toties apud eum occurrit, quòd Diaboli toti cruenti ſint & excarnati, ſine corporibus, ſic quidem intelligi non poteſt, ac ſi nulla omnino haberent corpora; tunc enim ex eo quod mox ſequitur, nullam habituri eſſent intelligentiam; ſed quòd omni deſtituuntur corpore quod ad pacem eorum faceret atque gaudium. **Coruſcamen** in eis igneum non omne quidem corpus eis abſumit, ſed pars maximè dulcis & oleoſa accenditur & diſſipatur in momento, nihilque relinquitur niſi quod acerbum ſit, aſperum & acidum, carboníque ardenti ſimile ſine flamma. Talis quidem per ſimilitudinem eſt natura corporis eorum. Corpus verò quo deſtituuntur, pura eſt, benigna alacríſque Lux.

34. Nunc verò, ubi ait, Quòd nullus Intellectus Spiritúſve ſubſiſtere poteſt ſine corpore, non intelligendum eſt niſi de Spiritibus **creatis**, nec de ullo Spiritu qui ſecundùm eſſentiam eſt ſupra **Sphæram univerſalis Naturæ**. Adeò ut ſupponendo Spiritus Hominum atque Angelorum quantùm ad eſſentiam ſuam ſecundùm **Animam Mundi** ac **Spiritûs Naturæ** creatos, quanquam facultates habent quæ ſecundùm **Imitationem** ſive **participationem** in **Sphæram puræ Deitatis extendantur**, tamen ex eo quòd, quantùm ad **eſſentiam**, ſecundùm **Sphæram univerſalis Naturæ** creati ſunt, unio cum corpore neceſſaria eſt ad eorum operationes, ſine qua in **ſtatum ſilentii** ſubſiderent.

Sect. 32. 35. Jam verò quod ad opinionem illius attinet de tot multitudinibus intelligentium Spirituum qui toti mortales ſint, quorúmque domicilium à Terra uſque ad Stellas vult extendi, eorúmque originem duci à Spiritu **Mundi Externi**; conſiderare debemus,

Primùm, Nullum eſſe **Mundum externum** ad quem jure collineare poteſt præter illum ex quatuor Elementis, cui **Lucifer univerſalis Naturæ** eſt internus. **Lucifer** verò **univerſalis Naturæ** ultra confinia **Mundi** cujuſvis **Elementalis**, ipſe maximè externus Mundus eſt qui illic reperiatur.

Secundò, Quòd nullus Mundus Elementalis ſive Externus in ſenſu explicato, à centro ſuo ad Stellas uſque extenditur, ſed limitandus eſt propriâ ſuâ Atmoſphærâ.

Tertiò, Quòd nulli Spiritus intelligentes totam ſuam Originem ducunt à **Mundo Externo**, ſed corpora eorum ſolummodo; Animæ verò ſunt, quantùm ad Eſſentiam, ſecundùm **Animam Mundi** & **Spiritum Naturæ**.

Et poſtremò, Animæ hæ non ſic habendæ ſunt mortales ac ſi penitùs evaneſcerent in nihilum; verùm, ut quæ ad **Elementalem** tantùm **Vitæ congruitatem** factæ ſint, Elementalíque corpore diffluente in ſtatum ſilentii tranſeant, nec Cœli nec Inferni capaces.

Cæterùm Homines atque Angeli cùm quantùm ad eorum eſſentiam creati ſint in primo ſtatu ſecundùm ſphæram **univerſalis Naturæ** in tribus ſuis Formis **Uriele**, **Michaele**, & **Lucifero**, hoc **æternum** eſt eorum Vinculum & Origo Immortalitatis, quippe quorum Vitalis Congruitas ad omnes mutationes **univerſalis Naturæ** extenditur. Atque ſic capacitatem habent Animæ, humanæ præſertim, actuandi Terreſtre corpus perinde atque Aereum & Æthereum. Ac proinde ſecundùm Dei ordinationem in Natura vivunt poſt mortem, & miſeræ fiunt aut fœlices, ſecundùm evigilationem earum facultatum quæ influentiam recipiunt aut ab efferato ♂ & ☿, aut à ſphæra puræ Divinitatis. Hoc eſt ſummum veritatis ad quod hic locus poteſt collineare.

Sect. 33. 36. Et quòd corpus ſydereum à Sole dependens magni Mundi Animam facit, veritas ad quam illic aſpiratur hæc eſſe videtur: Quòd **Lucifer** ſcilicet **univerſalis Naturæ**, qui non tantùm Solem noſtrum ſed omnes præterea Stellas complectitur, vitaliter cum Anima magni Mundi unitur, quódque eouſque unum ſunt ut nec ♂ Mars nec ☿

Mercurius *univerſalis Naturæ* ſine eo poſſint operari. Id quod verum eſt. Quòd autem hæc Anima Mundi vita rationa[illegible] ſit omnium Creaturarum, iſtud falſum eſſe autumo, quippe quum phantaſmatum concatenationes tantùm ſuppeditet, ſubtilémve quandam verſutiam ad ea proſequenda quibus proprii expleantur appetitus.

Sect. 34. 37. Et quòd Productionem Naturæ in eum finem factam exiſtimet, ut Deus ſeipſum ſibi manifeſtaret, ac ſi, abſque hoc eſſet, ſibi manſurus eſſet incognitus; *Jacobi Behmen* imaginatio videtur hîc ex *Sphæra puræ Deitatis* in Sphæram *univerſalis Naturæ* dilapſa, illúdque puræ Divinitati attribuere quod verum tantummodo eſt de *Anima Mundi* cum *Spiritu Naturæ* ſimul conſiderata. Etenim abſque vitalibus operationibus eſſet & efformationibus *Spiritûs Naturæ* ex *Abyſſo Phyſicarum Monadum*, Anima Mundi in perpetuo verſaretur ſilentio & Tenebris, nec perceptionem haberet aut ſui ipſius aut cujuſquam rei alterius.

Sect. 35. 38. Et poſtremò, quantùm ad tres iſtos principales *Throno-Angelos*, quos J. B. excogitavit, *Michaelem*, *Luciferum* & *Urielem*, quos reſpondere facit *Patri*, *Filio* & *Spiritui ſancto*, narrátque præterea, quomodo per rebellionem *Luciferi* præliúmque adversùs Deum, cui *Michael* & *Uriel* tulit ſuppetias, Divinum Sal-nitrum puráve Corporeitas corrupta eſſet, in turbinibus & fulminationibus iſtius belli, atque hoc dediſſe occaſionem creationi totius Mundi viſibilis Stellas comprehendentis & Elementa, qui Mundus eſt ex bono malóque mixtus (*Mundum quatuor Elementorum* in *Clavi* ſua vocat, diſtinguítque à *Mundo tenebroſo* & *Mundo lucido*, quos illìc duos Mundos *Internos* appellat. Quos tres Mundos, *Mundum tenebroſum*, Mundum *lucidum*, & hunc Mundum *Externum* etiam *Tria Principia* nuncupat) omnis, inquam, Veritas ad quam J. B. hîc aſpirare jure cenſeri poteſt, hæc ferè eſt: Horum trium ſcilicet potentum *Throno-Angelorum* loco, Patri, Filio & Spiritui ſancto reſpondentium, tres iſtiuſmodi eſſe poſſe *Formas* in Sphæra *univerſalis Naturæ* quas & nos appellavimus *Urielem*, *Michaelem* & *Luciferum*, *Urieli*, *Michaeli* & *Phoſphoro* in Sphæra *puræ Divinitatis* reſpondentes. Nullúmque tale fuiſſe formidabile Prælium ante Mundi hujus externi Creationem, ità ut ex diſperſo fumo ſulphureo ac pulvere iſtarum Fulminationum & Fulgurationum Rudimenta hujus Mundi, utut vaſtus ſit, collecta eſſent, ſed conflictationem magìs ſilentem fuiſſe ac ſpiritualem.

Nec potentem illum fuiſſe Throno-Angelum *Luciferum*, quem J. B. tam immenſam portionem fingit ex Deo exciſam, qui cum corporeis ſuis Legionibus adverſùs talem *Michaelem* & *Urielem* cum ſuis Legionibus pugnavit: Sed dum particulares Angeli à Divina Luce quæ à *Phoſphoro puræ Deitatis* eis illuxit, deficiebant, incipiebántque ſeipſos majori ſolito guſtu perſentiſcere, ſuáſque particulares ipſitates ſapere modò palpabiliori in *univerſali Lucifero Naturæ*, in iſtis putà portionibus quæ ipſorum erant appropriatæ Corporeitates, (cùm *Boniformem* è contrà facultatem fideliter unitam habere deberent cum libero *Supremo Bono*, in æterna, lucida libertate Deitatis) atque ſic accendendo ſua deſideria deorſum, *Divinum Sal-nitrum* in diſcrimen ducebant nè inquinaretur corrumperetúrque; tunc *Michael* puræ Deitatis, Chriſtus ſecundùm ſuam Divinitatem, & *Uriel* Divina Anima ſive Spiritus ſanctus cum ſuis copiis ac virtutibus ſe ingeſſerunt, ad ſiſtendum defectum; quemadmodum & *Michael* etiam univerſalis Naturæ (in qua errantium Animarum *Nemeſis* includitur) igneæq; ♂ *Martis* ſtricturæ ſive *Urielis* prædictæ Naturæ, ſcindebant pungebántque ad ſurſum eos repellendos ad Sphæram puræ Deitatis, in ſuis lapſibus.

39. Spiritus verò lapſi plus *Divini Sal-nitri* non corruperunt, corporíſve *Luciferi univerſalis Naturæ*, quàm quod ad appropriatas ipſorum corporeitates pertineret. Ac proinde hæc corruptio ſat materiæ ſuppeditare non potuit ad tam vaſtum *Mundum Externum* conficiendum, qui totum hunc Orbem viſibilem ex Terra, Cœlo, Stelliſque conſiſtentem comprehendat.

Dei verò omnia proſpicientis Providentia cùm illorum Spirituum lapſum prævideret, qui in Paradiſo puri creati erant, ex ordine curſûve Naturæ carceres eis præparavit. Atque hoc quidem occaſionem dare potuit creationi *Mundi Elementalis* propriè ſic dicti, convertendíque ſplendidiſſima Luminaria *Luciferi Naturalis* in opacos caliginoſóſque globos Terræ, Aquæ & Aeris, in quibus Diabolus & princeps eſt & captivus cum ſuis legionibus perinde atque humanæ Animæ in ſuis terreni corporis ergaſtulis.

40. In Mundo igitur tantùm Elementali inveniendæ ſunt cameræ Inferni, qui in univerſale Infernum convertendus eſt in *Conflagratione*. Admittere autem actualem *Inferni-carcerem*, ſive *Mundum igneum tenebroſum* æquè latè patentem atq; ipſam Deitatem, immenſa in Providentiam contumelia eſt, ſive plenus ſit ſive vacuus. Atque hæc quidem ſufficiant per modum conjecturæ de parturitionibus Animi J. B. in iſtis Enthuſiaſticis Theorematis ſuprà recitatis.

SCHO-

SCHOLIA

In QUÆST. IV. SECT. 2.

AC propterea expungemus ☉ Solem. *Atque id jure quidem. Sol enim hîc ſive Ignis vel potiùs Mundus igneus quaſi Genus eſt Mundum tenebroſum & Mundum lucidum ſub ſe continens. Nam & Mundus tenebroſus igneus eſt perinde atque Mundus lucidus, quemadmodum ♂ apertè indicat. Ac proinde, per* Limitem Terminúmve diſtinguentem, *Confinium communémve Terminum eum intellexiſſe auguror in quo utrique mundi conveniunt, continentúrve, ut duæ oppoſitæ ſpecies conveniunt genere, propter Logicæ autem ignorantiam* Limitem *dixiſſe (i. e.* confinium) *non* Genus.

Sect. 8. Hoc eſt, Tota ſive integra Deitas, univerſalíſve Origo, *&c. Sic quidem* Plotinus *Mundum ſive Univerſum Deum facit. Sed qui Divinæ Majeſtatis ſanctitatem ſatìs conſiderant, voce pariter atque re Sphæram puræ Divinitatis à Sphæra univerſalis Naturæ religioſiſſimè diſtinguent.*

Sect. 9. Reverà non plures intendiſſe quàm haſce ſex, *&c. Quod conſtare poteſt ex eis quæ diximus in* Sect. 2. *Ubi Mundum igneum Genus tantùm eſſe probavimus, quod Mundum tenebroſum & Mundum lucidum complectitur, qui cùm ſinguli ternas omnino Formas habent, neceſſe eſt tantùm eſſe ſex.*

Sect. 16. Illud quod quietum ſive tranquillum eſt ſine eſſentia, *&c. Si omnino ſine eſſentia eſſet, nihil foret. Unde credibile eſt eum per eſſentiam corporeitatem aliquam intellexiſſe.*

Sect. 23. Quâ totum orbem ſex generalium Formarum, *&c. Sed quàm temerè & impropriè tres inferiores accenſeantur Deitati, ſuprà monui ad* Sect. 8. *Veruntamen hoc multò tolerabilius eſt quàm Deum facere omnino corporeum.*

Sect. 24. Non tantùm ſint μικρόκοσμοι ſed μικρόθεοι, *&c. Senſu nempe* Plotiniano *qui Mundum Deo in unum Numen conjungit. Quò ſpectat etiam illud* Philonis, *qui Mundum* μέγαν ἄνθρωπον *facit atque Hominem parvum Mundum. Cæterùm iſtiuſmodi voces à Divina ſanctitate mihi immaniter abhorrere videntur, ſed* J. B. *ignorantiam & temeritatem aliquantulum interim excuſare, quippe qui à tantis Philoſophis haud ità multùm receſſerit.*

Sect. 32. In memoriam Animæ Mundi ac ſi illud ingens Regiſtrum eſſet Dei, *&c. Animam Mundi nullam habere Rationem, liberúmque arbitrium apud me certiſſimum eſt, & cùm Ratione caret nullam habere Reminiſcentiam, ſed memoriam (ſi quam omnino habet) paſſivam duntaxat, & ferè ſtupidam, & ſi quid illîc reconditur, ab alio eſſe eliciendum. Haſce autem res ingens quædam & impenetrabilis obſidet caligo & obſcuritas.*

QUÆSTIO V.

Quàm conſiſtens videri poſſit cum Divina Providentia, cum bonitate & perfectione illius, tam innocuam permittere & Chriſtianam Animam in tam multos & manifeſtos errores ſeduci, eóſq; conjunctos interim cum errore omnium maximo, nempe quòd putavit ſe infallibiliter inſpiratum?

1. AD ultimam jam venimus Quæſtionem, *Quàm bene conſiſtat cum Bonitate Providentiæ, tam ſeriam ſincerámque Animam permittere in tam craſſos errores prolabi, & tamen interea ſeipſum quoad eos opinari inſpiratum, qui omnium maximus eſt error?*

Equidem fateor hoc mihi primo aſpectu admodum abſonum viſum eſſe in Divina Providentia Phænomenon; poſtquam verò paulò propinquius ipſum inſpexiſſem, neſcivi profectò unde ullam cujuſquam momenti inſtituerem querelam. Proculdubio J. B. prolubium majus non habuit, ut ullus error tam fortiter ſuæ Imaginationi imprimeretur, quàm alius quivis vir probus ut Febri corriperetur, aut Paroxyſmo Phrenetico. Unde morbi potiùs quàm vitii ſpeciem præ ſe fert, ac proinde eò magìs conſiſtens eſt cum bonitate Hominis utì etiam Providentiæ, quam citra offenſionem permittimus morbos immittere bonis perinde atque malis & improbis.

2. At enimvero, ut tam fortiter impreſſum errorem Divinæ Inſpirationis fructum exiſtimet, proprióſque ſuos errores attribuat Deo? Reſpondeo autem, ejus Infirmitatis fuiſſe quòd errorem pro magni momenti veritate ſumpſerit, poſtquam verò ſumpſiſſet, pietatis ac gratitudinis quòd Illuminationem Dei donum agnoſceret.

Hoc verò dices ad excuſationem hominis potiùs facere quàm Providentiæ, ſed difficultatem adhuc manere, cur homo qui tam ſincerum cor habuit, tàm imbecillum haberet cerebrum. Quod quidem Problema eſt non multùm ei abſimile de Virtute ac Divitiis; Cur tam ſapiens probúſque homo tam parum haberet poteſtatis ac divitiarum in hoc Mundo. Quaſi verò propterea quòd Deus alicui homini magnum aliquod bonum dederit, is jus ſibi continuò vendicare poſſet, & quaſi monopolium omnium reliquorum. Quid verò eſt, cur Deus paſſim dona ſua ac chariſmata acervatim accumulet, nec ſinat potiùs in aliquibus ſolitaria jacere, ut modo magìs nudo exponantur aſpectui, ad magìs diſtinctam naturarum eorum diſcriminationem, quid valeant ſola & quid conjuncta cum aliis?

3. Quídve eſt cur Deus graduales emergentias ac tentamina Ingenii, prout in nova Nativitate exurgit, ſufflaminet, quæ ſuum Pueritiæ ſtatum habet, perinde atque illa in Natura? Et quis, obſecro, Pater aut Avus Philoſophicas ægrè ferret Filii Nepotíſve ſui garritiunculas circa ſeipſum, quanquam in puerili ſua confabulatione, niger ejus pileus tramoſericus pro naturalis capitis parte accipitur, longáque barba quæ inter loquendum toties ſe motitat, præcipuum ſermonis ejus inſtrumentum à puero declaratur? Ità ſanè exiſtimare poſſumus Patrem noſtrum cœleſtem æquè parum offendi erroribus filiorum ſuorum, qui virtute novæ Nativitatis fervidum erga eum amorem habent ac deſiderium cognitionis naturæ illius, cogitationéſque ſuas in pueritia circa eum occupantes, in multos craſſos errores incurrunt. Quam conditionem primùm fuiſſe autumo *Jacobi Behmen*, qui Ætherem cæruleum Stelláſque pro parte Dei Patris accepit, cùm tamen nè bactreatum quidem illius ſint Nocticapitium. Sic ſanè dum puer erat, cogitavit ſcripſitque ut puer. Poſtea verò intellectus ejus ad magìs puram ac ſpiritualem Deitatem penetravit.

4. Verùm enimvero præter infantilem ætatem novi hominis, ſi veteris hominis vigorem conſideremus vitioſæque naturæ reliquias in *J. B.* prout ipſe ſat liberè confitetur, (& ſanè contemptus ejus & inſultatio in Literatos non-illuminatos, (ut is opinatus eſt,) nimis quàm conſpicuus eſt) quid eſt cur arbitremur quod Divinam dedeceret Providentiam tam audacem myſteriorum ſcrutatorem ſinere, (qui nondum ſufficienter purificatus eſſet) in errores tam palàm aſpectabiles prolabi, & tam fervidum Imperfectionis morum vitæque Patronum permittere Poſteritati ſeipſum prodere, non obſtante Inſpirationum ſuarum confidentiâ, erroneum etiam & imperfectum in ſuis Opinionibus, ut nemo Philoſophicæ Inſpirationis jus ſibi temerè vendicet?

5. Intereà tamen loci, error ejus & confidentia non injucundam nec inutilem ſcenam ſat gnaris ſpectatoribus introduxit, dum puerilis hic innocénſq; Enthuſiaſtes (quem non dubito, quin ſuam portionem habuerit Regenerationis ſanctificantíſq; Spiritûs Dei) tantâ audaciâ animatus erat in ſuis Paroxyſmis, ut putaret ſe plura profunda ſcire Myſteria quàm omnes profanos Philoſophos meréve formales Theologos per totum terrarum orbem. Et inſtar parvi impudentuli confidentíſve Pueruli in Paterna Familia, ignorantiæ inſimulabat univerſos qui virtute novæ Nativitatis Scholares in Pentecoſtes Schola non fuiſſent, admodúmq; acriter & liberè reprehendebat pariter ac detegebat technas dolóſque ſervorum in Familia. Et quò ludus puerilis perfectior appareat, per imitationem linguarum doctarum, *Jargonicè* loquebatur, hoc eſt, omne genus vocabula Myſticè interpretabatur, ex lingua Naturæ, ut ſolent pueri, domi, eruditionem imitari Concionatorum, qui Latinas Græcáſque ſententias de ſuggeſto effundunt, per voces barbaro-fictitias, quas ad ſuum libitum ipſi fingunt.

Quæ confidentiſſima à puerili hoc Athleta provocatio quid aliud eſſe poteſt quàm communis profanitatis Tribûs literatæ exprobratio, qui quanquam Spiritum ſanctum profitentur, nullum tamen auxilium opémve in regenerandis ſuis animabus in debitam puritatem & ſanctitatem, quò tutiùs ſuâ utantur ratione, à Spiritu Dei expectant?

6. Et præterea cùm hic *Jacobus Behmen*, exploſor tam rudis eſſet contemptórq; rationis, adeóque totus profeſſioni Spiritûs addictus, & tamen tam manifeſtò erroneus in ſuis Inſpirationibus, numnam Providentiam dedecebat permittere hanc rerum ſcenam procedere ut Poſteritas inde diſcant, quemadmodum in Ratione merè naturali nondúmque ſanctificata, ſine debita mentium purificatione opéque Spiritûs Dei, neutiquam confidere, ità nec illuminationem Spiritûs profiteri in ſpeculationibus Philoſophicis, dum nullam interim in ſeipſis facultatem experiuntur aut peritiam rectè utendi ratione ſuâ naturali?

7. Et quòd tam apertus erat Imperfectionis Patronus, fieri etiam poteſt, ut nec iſtud ſuâ careat utilitate. Quoniam manus ejus magìs parata eſt ac propinqua ad eos adjuvandos qui à perfectione maximè ſunt remoti. Ad quos ſi nulla alia fieret adhortatio niſi ab eis qui perfectionem ſtatim tantopere extollunt, Penſum videretur tam immenſum, ut deterrerentur prorſus à moliendo quicquam. Talis verò homo, qualis eſt *J. B.* tam impensè ſincerus atque fervidus in promovendo internam vivámque Juſtitiam, ſine omni gloriatione de perfectione in eadem, inſtrumentum videtur magìs accommodum ad eos prenſandos qui magnis Naturæ impedimentis onerantur, & tamen prolubium habent ad Deum.

8. Præterea, ſi conſideremus Scriptorum illius Theoreticorum rationem confuſam, obſcuram & erroneam, ſimul cum ejus confidentia quòd Divinitùs ſint inſpirata, & declarationem quòd nemo capax ſit penetrandi ad eorum profunditatem niſi ſit regenitus totóſq; intendat nervos quò perveniat ad ſummum quàm poteſt ſanctitatis gradum; ecqua magìs efficax machina eſt quàm hæc apud profundorum Myſteriorum curioſos, quæ eos illiget Pietati proſequendæ omni ſtudio, perpetuóq; eos detineat in proſecutione? Quia illius nunquam futuri ſunt compotes, quod in aliquibus locis perinde falſum eſt atque in plurimis obſcurum, & tamen traditum tanquam Divinitus inſpiratum in omnibus.

9. Quodſi quis ſemel compos ſit Theorematis, quantumlibet magnum ſit, quantumlibet ſacrum, certamen plerunq; finitur, ſtudiúmque Sanctitatis deferveſcit, prædámq; quam nacti ſint, tanquam notionale Cerebri ornamentum geſtant, plumeti inſtar in pileo, cordáq; facilè cum vanitate fornicantur, victoriáq; mutatur in meram ſuperbiam ſpiritûſq; levitatem.

Adeò ut deterreret profectò virum quemlibet probum & intelligentem, à clarè diſtinctéque ſcribendo ulla magna, licèt haud ità neceſſaria, myſteria, niſi quòd, poſtquam ratione maximè perſpicuâ ac demonſtrativâ tradita ſint, adhuc manſura ſunt Parabolæ inſtar aut ænigmatis, hominibus improbis & indignis qui videntes non videbunt, nec intelligent credéntve. Tam juſtam preſséq; ſe inſinuantem Nemeſin Naturæ rerum intertexuit Deus. Qua de re hoc etiam addas, Quòd ille qui ſemel viderit, pro mutatione tamen internæ ſuæ vitæ, poſtea poteſt evadere cæcus.

10. Et poſtremò vera viváq; Chriſti Eccleſia, quorum animi Regenerationis opere novæq; Nativitatis ſincerè occupantur, ſi ut unus homo conſideretur, varias ſuas habere poteſt ætates veritate vitæ in omnibus inexiſtente, licèt virili intellectu non item. Et Specimen quidem talis Eccleſiæ, quantum ego exiſtimo, quaſi in Faſciis apparuit, in iſtiuſmodi *H. N.* ſectatoribus qui fidem Symbolo Apoſtolico habentes ſecundùm communem ejus ſenſum & orthodoxum, Notionibus Philoſophicis minimè indulgebant, ſed purificationi cordis toti incumbebant & excitationi ac nutritioni internæ vitæ ſpiritûſq; Amoris, recénſq; in ipſis natum Chriſtum ſedulò fovebant. Atq; equidem fateor me *Jacobum Behmen* conſiderare tanquam ex iſta ſtirpe ſurculum, ſed diſpenſationem vitæ in eo ex faſciis cuniſq; evaſiſſe, eúmque ad ætatem perveniſſe ambulantis garrientiſque pueruli, qui audaculè argutéq; in Scientiarum Myſteria inquireret, & confidenter, licèt ſæpenumero hallucinanter, declararet quid ipſe de rebus ſentiret, maximéq; liberè ac ſincerè omnia quæ detexiſſet in domo Paterna vitia, reprehenderet, quemadmodum ſuprà deſcripſi.

11. Cæterùm, quòd quædam opportunè locutus ſit, ut in aliis propterea nunquam falleretur, cur illud expectandum eſt ab iſta ætate? Quídve eſt cur Pater eum à loquendo prorſus inhiberet, quòd omnia nequeat ſapienter loqui? præſertim cùm prævideret alios apparituros in ulteriori adaugeſcentia Diſpenſationis Vitæ, qui ad magìs virilem intellectum perventuri ſint & antecedentes errores emendaturi: Conſiderato inſuper quòd hoc incrementum ſit non niſi unius ejuſdémq; corporis, quod eſt vera viváq; Eccleſia, quæ gradatim in perfectionem creſcit, quódque gradualis hic proceſſus Scientiæ, magìs utilis eſt ad incrementum ſanctitatis vitæ, & ad Divinæ noſtræ Fidei corroborationem, quàm ſi omnia primitùs reperta fuiſſent ſemel.

12. Illud enim quod vetuſtum eſt, ſæpenumero aliquid de virtute ſua perdit, maximéq; præclara Remedia ſi primitus reperta fuiſſent, virtutem ante hoc tempus in curandis morbis perdidiſſent. Quapropter Illuminationem gradualem eſſe oportebat. Quippe quum unumquodq; recens Inventum novus eſſet Providentiæ aggreſſus, ad humanas Animas potentiùs abripiendas ad Fidem vitæq; Sanctitatem.

Tam manifeſtum eſt undiquaque, tale Phænomenon, qualis erat *Jacobus Behmen*, Gemmam potiùs fuiſſe quàm Maculam in Divina Providentia, quamvìs quantùm ad opinionem de ſua Inſpiratione planè eſſet deceptus.

CONCLUSIO.

1. Quanquam verò eum infallibiliter inſpiratum fuiſſe nullo pacto admittere poſſumus, non poſſumus tamen quin fateamur aliquantulùm mirabile eſſe & præter opinionem omnino contigiſſe, ut homo adeò illiteratus, in præcipua antiquæ Sapientiæ Lineamenta, quæ reverà inſpirata erat, tam manifeſtò incideret. Dogma quidem de *Trinitate*, illius educatio quatenus Chriſtianus erat, meritò cenſeri poteſt ei ſuggeſſiſſe. Quid autem fuit quod efficere poſſet, ut *Pythagoricum* Mundi Syſtema eligeret potiùs quàm *Ariſtotelicum*, niſi aut magno ingenio eſſet, aut aliquod proprio ingenio majus ei adfuiſſet, quo regeretur? Et quòd *Adamo* corpus Angelicum ante lapſum attribuit, id ſi *Cabbaliſticè* exponatur, Præexiſtentiam Animarum planè implicat, tertium illud dogma eximium in *Cabbala Moſaica*.

2. Cui opinioni quanquam expreſſim adverſatur, in dicendo, eam propagari ut ex arbore ſurculum; in libro tamen ſuo, de *Triplici Vita hominis*, tanquam ſi Ecſtatico quodam Paroxyſmo abreptus eſſet, illìc ait, *Mentem generari ex Æterna tranquilla Placiditate, & extitiſſe ante tempus hujus Mundi in Sapientia Dei, & fœcundam fuiſſe Pluviam in æterna ſua Matre tranquilla, ubi nondum creata erat Spiritus.* Ubi manifeſtum eſt * ex eo quòd dicitur *nondum creata eſſe Spiritus*, intelligi in tali conditione nondum fuiſſe conſtitutam, ut actuaret ſive informaret ullum fortean corpus, nedum terreſtre.

Et quòd dicitur *fœcunda fuiſſe pluvia*, illud apprimè conſentaneum eſt ſenſui *Cabbalæ Moſaicæ* quæ Animas, quæ εἰς γένεσιν deſcendunt in hæc elementaria corpora, *Aquas ſuperiores* facit. Quemadmodum & *Syneſius* Animam ſuam appellat λιβάδα οὐρανίαν, *Guttam Pluviæ cæleſtis.*

3. Et quòd Animam, Mentem hìc appellat potiùs quàm Animam, illud etiam exponi poteſt de tali ſtatu quo concipi poſſit Anima ante *Luciferum univerſalis Naturæ* & Paradiſum, * quando Mars & Mercurius *univerſalis Naturæ* in perfecto erant ſilentio, & *Saturnus* ſi omnino erat, *Monadica* tantùm adhuc erat *Abyſſus.* Tunc enim Mens pura requievit in matre ſua, in *Venere* utique *Sphæræ puræ Divinitatis*, in Divina ſcilicet Anima, * Plaſticâ ejus omnino ſilente quoad ullas operationes corporeas, intellectu verò toto ab æterno omniformi Intellectu actuato, & boniformi ejus facultate firmiter concentratâ in *ſupremo Bono.* Videtur autem inſinuare, quòd mentes humanas, quanquam olim ſic fixæ erant in Divina Tranquillitate, poſtea tamen depluebantur è *Sphæra puræ Deitatis* in Paradiſum, ſed poſt lapſum earum illinc, ſubſidentes porrò, in Mundum hunc Elementalem aliquæ delapſæ ſunt.

Hoc ſummè *Platonicum* eſt, etiam ad ipſius *Plotini* ſublimem gradum. Cæterùm an omnino, quotáve ex parte verum ſit, * magìs curioſam requirit diſquiſitionem. Verùm quòd *Præexiſtentiam Animæ* ſupponit, extra omnem poſitum eſt controverſiam.

4. Sunt autem & aliæ memorabiles apud ipſum Stricturæ antiquæ *Cabbalæ*, præter haſce tres. Ut ubi ait, *Ex virtutibus Dei erant Cœli, ex Cœlis autem Stellæ* (quæ & tot Soles ſunt) *& ex Stellis Elementa, Terra, Aqua, Aer & Animantes.* Hoc Cabbalæ *Moſaicæ* valde eſt conſentaneum. Atque huic cognata eſt iſta Aſſertio quæ plus ſemel bìſve apud eum occurrit, *Quòd ante Mundum hunc elementalem, totum Profundum integrâve Abyſſus univerſim lucida erat & ſplendeſcens.* Utì & illud ubi dicit, *Quòd hujus Mundi Sol generatus ſit ex unico illo puro Elemento*, quod eſt *Lucifer univerſalis Naturæ.*

Et poſtremò, illud de *Cherubino* cum gladio flammante, qui Paradiſi introitum cuſtodit, quem de conditione interpretatur per quam nos tranſire oportet, antequam queamus reintromitti, ſcopum hìc admodum *Cabbaliſticè* fœliciterque attigit, ſi illius Interpretationem comparemus cum *Cabbala Philoſophica.*

5. Sunt quidem tam egregiæ tendentiæ versùs antiquam *Cabbalam* in multis illius Scriptorum locis, ut ſi credere poſſem quicquam ampliùs Inſpirationis ſubfuiſſe, quàm quod nativorum Privilegiorum novi Partûs cum Temperamento Melancholico imaginabundo conjuncti, fructus eſſe poſſet, ſuſpicarer profectò aliquem bonum Genium antiquæ illius Sapientiæ cuſtodem adnixum aliquoties fuiſſe mentem ejus in illius Repræſentationem figurare. Verùm, cùm ejus Spirituum temperies & educationis tenuitas eum iſtiuſmodi impreſſionibus minùs idoneum reddidiſſent, totum omnino repertum eſt inſtar Imaginis à turbata aqua reflexæ, Repræſentamen factum eſt abruptum, obſcurum & confuſum.

6. Utcunque tamen res quædam particulares mirâ ratione videntur & inopinatâ injectæ, Propheticas perinde intelligo atque Philoſophicas, quarum pauca nunc tantummodo ſubindicabo exempla.

Primum quod in mentem occurrit eſt quidem Divinatio potiùs in genere, quàm Prædictio, de tempore ſcilicet reſtitutionis antiquæ illius Theoriæ de motu Terræ circa Solem immobilem in medio Planetarum ſitum. Ait enim, *Eos qui dicunt Solem egredi, loqui ut cæcos de coloribus, nec eos unquam cognoviſſe Centrum.* Addit autem hoc Myſterium reſervatum fuiſſe ad *ſeptimum Tubæ clangorem.*

Quæ conjectura ejus de clangore Tubæ ſeptimæ magìs accurata mihi videtur quàm aliorum qui aiunt illius clangorem nondum incepiſſe, quanquam aliis in rebus ſatis fœlices *Apocalypſeos* Interpretes. Adeò ut mirabilis ſit Metæ ictus apud *J. B.* qui clangorem Tubæ ſeptimæ æquè maturè incipere facit atque tempora *Copernici*, cujus Aſtronomia primùm publicata eſt *Norinbergæ*, Anno 1543. Quod factum eſt poſtquam *Reformatio* incepiſſet & *Luthero* adhuc vivente.

7. Illa verò admodum dextra Prædictio eſt, propriè ſic dicta, de *Apocalypſi*, Quòd recta illius intelligentia adeò brevì eſſet expullulatura. Quod tam verum eſt, ut ex eo tempore quo illam ſcripſit Prædictionem (& ſanè vix quinquaginta anni ex eo tempore effluxerunt) ad eum gradum impletum ſit, ut tota ferè *Apocalypſis* tam pervia ac perſpicua jam facta ſit, quàm Domus cryſtallina in Solarium radiorum medio ſita. Quæ Prædictio eò mirabilior eſt quòd ipſe *J. B.* videtur vix unam illius ſententiam rectè intellexiſſe.

8. Et quod præſagit de modo ulterioris ruinæ *Antichriſti*, ut omnibus bonis acceptiſſimum eſt & gratiſſimum, ità mihi quidem videtur omnino veriſimillimum. Verba illius hæc ſunt: *Non confringeris haſtis inſtrumentiſve belli O Hypocrita, ſed Mendacia tua ſuffocabunt te.* Et in alio loco: *Nullus gladius Meretricem interficiet, ſed os ſuum proprium ei præcludet ſpiritum.*

9. Et in alio loco, de recèns quodam ſuſcitato *Antichriſto*, ſic ſcribit: *Sunt quidem nunc ſcopæ & virga in veterem Antichriſtum Avum ſuum; eſt autem venturus qui eos etiam perſtringet, veritatémq; ante eorum oculos exponet.* Et paulò pôſt: *Hoc eſt ſignum poſtremi Antichriſti in ſuo Regno & opinionibus, negant corpus & ſanguinem ex quibus renaſcimur in Deo:* hoc eſt, Omnis eorum Religio Opinio eſt aut Formalitas, ſed quantùm ad *Subſtantialitatem Vitæ potentiámque Spiritûs in nova Nativitate*, ea quidem in re peregrini omnino ſunt atq; hoſpites.

10. Et de *Reformatione* in genere, quanquam ex *Babylone* externa exierunt, multum tamen Miſeriæ & Calamitatis eis comminatur, propter ſuperbiam ſuam & avaritiam quæ contrariantur *Spiritui Amoris*. Quemadmodum & præfiguratum eſt etiam in Epiſtola ad Eccleſiam *Sardienſem.*

11. Et poſtremò, Addam etiam Prædictiones illius de *temporibus Lilii*, quæ ſæpenumero quidem attingit, præſertim in libro *De Tribus Principiis*. Quæ Phraſis, opinor, menti ejus inhæſit, aut ex familiaritate quam cum *Familiſtarum* libris contraxerat, quorum in Frontiſpiciis utplurimum *duæ manus conjunctæ conſpiciuntur cum* Lilio *inter ipſas inſerto*, & quibuſdam ſubſcriptis verſiculis; aut ex Typo illo puræ Eccleſiæ in Cantico *Salomonis*, ubi dicitur, *Sicut Lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias.* Verùm ſive ex alterutro ſive ex utriſq; factum ſit, Typus admodum ſignificans eſt illius ſtatûs Eccleſiæ qui appariturus eſt in Intervallo *Philadelphiæ*. Quam Eccleſiam *Familia Amoris*, ut vocantur, nimis maturè ac´ præpoſterè ſeipſos eſſe gloriati ſunt, perinde atque Typum ſibi ipſis aſſumpſerunt, qui *Lilium* eſt, prout ipſe *J. B.* inſinuat, quem fateor me conſiderare tanquam ſurculum hujus arboris præmaturæ *Liliorum.*

12. Hæc verò nec *Lilii* tempora ſunt nec Intervalli *Philadelphiani*; ſed quotquot fuerunt, aut etiamnum ſunt qui tam cauti innocuíq; ſint Patris illius Familiæ admiratores, ut cum *Jacobo Behmen* omnia officia uſúſq; Chriſti externi omnéſq; circa eum Veritates Apoſtolicas agnoſcant, ejúſq; præcepta omnia quæ facienda præcipit ad finem uſq; ſeculi, obſervent, perinde atquæ *novæ Nativitati* promovendæ in ſeipſis aliiſq; ſedulò dent operam, qui præcipuus eſt omnium ſcopus; Qui ſalutem ſuam in vita Jeſu Chriſti in ipſis operentur, quemadmodum habet *J. B.* Symbolum, *Salus noſtra in vita Jeſu Chriſti in nobis*; Hi quidem cum reliquis è Reformatione qui ſic animati ſunt, quanquam ad *Philadelphianæ* Eccleſiæ conſtitutionem aſſurgere non poſſunt, meritò tamen exiſtimari queunt pauca illa eſſe Nomina in *Sardibus*, quorum tam honorifica ſit mentio, & quæ ſemina ſunt puræ illius ac glorioſæ Eccleſiæ *Philadelphianæ*, quæ tametſi nunc diſperſa jacent inter ſpinas, tandem introductura ſunt *integrum Liliorum Agrum*, totúmq; Orbem converſura in pulcherrimum *Lilietum*

Dei. Quemadmodum apparet ex noſtra interpretatione Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias. Hoc eſt, *Tempora Lilii*, quæ *J. B.* toties memorat, & de quibus res adeò glorioſas declarat, eadem ſunt cum Intervallo Eccleſiæ *Philadelphianæ*.

14. Et prædictio ejus de natura horum temporum in una quidem re tanto intervallo ſupra extráve ejus viam remota eſt, ut meritò mens illius rurſus videri poſſit *Ecſtatica*, quando hanc vaticinationem ſcripſit. Nam utplurimum egregius eſt vilificator oppugnatórq; Rationis, & tamen de hiſce temporibus ſic ſcribit : *Lilium non invenietur in contentionibus & bellis, ſed in amico, demiſſo, benignóq; ſpiritu, unà cum bona ſolidâq; Ratione. Hoc diſſipabit abigétque fumum Diaboli, & florebit in ſuo tempore.*

Quinam melior eſſe poteſt character Eccleſiæ *Philadelphianæ* quàm *amicus, demiſſus, benignúſq; Spiritus?* Quídve meliùs præfigurare poteſt claritatem illam & comprehenſibilitatem veritatis quæ illa tempora cohoneſtabit, quàm *bona ſolidáq; Ratio?* Hæc quidem fugabunt omnes nebulas ac pulverem, qui hactenus excitatus ſit, aut à Diabolo aut ab iracunda ſuperſtitione.

15. Et in alio loco de Judæis, Turcis aliíſque Gentibus loquens, *Nihil opus eſt*, ait, *ut ullum aliud tempus expectetur. Nullum aliud tempus inſtat præter tempus Lilii, ſignúmque illius Temporis eſt ſignum Eliæ.*

Hoc ità dictum eſt, ac ſi ad ſucceſſiva ſeptem Eccleſiarum Intervalla reſpexiſſet. Secundùm quæ nullum aliud tempus inſtat præter illud *Lilii*, hoc eſt, *Philadelphiæ*, quò excitetur expectatio aut Judæorum & Turcarum, aut aliarum ullarum Nationum. Hæc enim tempora ſunt in quibus totus *Iſrael* ſalvabitur, Nationéſq; ambulabunt in luce Novæ *Hieroſolymæ*. Quod nomen, *Lilialis* Eccleſia (pura illa, candida, immaculata, manſueta, amica, benevoláque Eccleſia) Eccleſia nempe *Philadelphiana* gerit.

16. Dicítque ſignum appropinquationis horum temporum, adventum fore *Eliæ* in Spiritu. Qui, quemadmodum ipſe de bona ſolidáque Ratione ſuprà narravit, Inſtaurator erit ac Recuperator tam ſanctæ, tam cœleſtis, tam ſolidæ támque cohærentis Sapientiæ ac Theoſophiæ, ut tota humani ingenii vis ac ratio, nullam in ea unquam labeculam ullámve enervitatem deprehenſura ſit, nec ulla ex parte confutatura.

17. Et ſimul cum hac Luce exibit Ignis & cum hoc Igne Spiritus flammeus, qui ſiderabit exurétq; omnem Improbitatem atque Hypocriſin. Lux illius ſapientiæ tota tendet ad correctionem vitæ, & ad corroborandam fidem noſtram, & ad redimendas animas noſtras à vanis deſideriis ac voluptatibus hujus Regionis Mortis ac Corruptionis, ad perpetuam ſitim veræ Juſtitiæ perfectæque Sanctitatis, jugémque ſuſpirationem ad illa gaudia gloriáſque quæ ſuprà ſunt, in conſpectu Dei ſanctorúmq; Angelorum.

18. Hujus ignis Cœleſtis calor omnes terrenos conſumet ardores Iracundiæ, Libidinis, Diſſidii, Superbiæ, Contentionis, Perſecutionis & quicquid contrariatur *Amori Dei & Proximi*. Hic eſt promiſſus *Elias* qui converſurus eſt cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres. Hic eſt Spiritus qui infuſurus eſt paternam charitatem Principibus erga ſubditos ſuos, & filialem Reverentiam ſincerámque obedientiam ſubditis erga ſuos Principes. Atque hæc denique eſt illa Diſpenſatio Vitæ ac Potentiæ, quæ terrarum orbem repletura eſt ſolidâ, verâ ac ſanctificâ Cognitione; Juſtitiâ, Proſperitate ac Pace.

19. Campum ingreſſus ſum, qui quemlibet invitet qui ſemel intraverit ad longè latéque in eo expatiandum. Atenim vereor nè faſtidium jam tibi pepererit prolixa hæc noſtra Epiſtola. Quamobrem ut de Inſpiratione *J. B.* quæ præcipua res eſt quæ præ manibus erat, tandem finiam, equidem exiſtimo, (credóq; me id ſatis demonſtrâſſe) *Jacobum Behmen* in ſuis ſcriptis infallibiliter conſtanterq; non fuiſſe inſpiratum, immo verò nè in eis quidem locis ubi ſe inſpiratum expreſsè affirmat. Cæterùm videntur tamen nihilominus variæ fuiſſe Injectiones in illius mentem & ab eadem Eruptiones in rebus Philoſophicis perinde atque Vaticinationibus circa Eccleſiam, in quibus obſervari poteſt mira quædam & inopinata, aut Providentia aut Fortunium, quòd in hiſce ſuis æſtibus Enthuſiaſticis longiùs non aberraverit à Scopo.

Sed enim, tametſi infallibili illâ ac ſupernaturali Inſpiratione circa exteriores ſpeculationes exciderit, videtur tamen non omnino hoſpes eſſe in Myſteriis *Spiritûs Vitæ in Nova Nativitate*, ſed admodum ſapidè ſcribit & experimentoſè de illo Proceſſu, & bene magnas illius fruitiones videtur aſſecutus, ſecundùm eam ad quam perveniſſet Regenerationis menſuram.

20. Quæ Regeneratio magìs realis perfectio eſt Hominis, quàm vel ſumma infallibilis Inſpiratio. Quemadmodum major perfectio foret, ſi poſſibile eſſet, ut Equus mutaretur in veram naturam Hominis, quàm ut inequitaretur regeretúrve à generoſiſſimo Heroe qui unquam extiterit. Ac proinde ſcripta *J. B.* mihi profectò ſat magni

momenti videntur, quòd tametſi haud ità accurati ſunt in exterioribus ſpeculationibus duces, tam utilia tamen ſunt atque accommoda ad promovendum opus *Regenerationis*, ad extinguendam Superbiam, Oppreſſionem, Avaritiam, omnéq; ſui-deſiderium, & ad deducendam Animam in liberam Lucem Divini Amoris quò particeps fiat Divinæ Naturæ, ſéq; oblectare poſſit & convivari in cœleſti communione ſanctorum Angelorum. Quod privilegium eſt quod ſubtiliſſimorum Philoſophicorum Theorematum cognitioni longè eſt præferendum.

21. Hæc maximè probabilis eſt maximéq; favorabilis Ratio quam tibi reddere poſſum de *Jacobo Behmen* ejúſq; Philoſophia. Atque equidem hunc candorem quo uſus ſum in illius ſcriptis interpretandis, cuivis Autori debitum exiſtimo ejuſdem Innocentiæ & Simplicitatis. Etenim ſpondere auſim, eum minimè in animo habuiſſe antiquam Fidem Apoſtolicam ulla ex parte ſubruere, ſed tantùm opinatus eſt magìs accuratam profundámq; rerum manifeſtationem ſibi fuiſſe communicatam.

Quod ad eos verò attinet, qui ſub prætextu Inſpirationis ac Spiritualitatis, Chriſtianam Fidem in inanes Allegorias diſſlant, & Fidelibus orthodoxis quantumlibet piè juſtéque viventibus inſultant tanquam hominibus carnalibus, quia in parem cum ipſis Infidelitatem non ſubſederunt; Dies ignominiam eorum Mundo manifeſtabit, deprehendentúrq; Synagoga Mimoprophetarum & Impoſtorum, & quanquam tantopere de ſua ſpiritualitate glorientur, ab aliis tamen viris Apoſtolicis, (prout Apoſtolus ipſe de ejuſdem farinæ hominibus pronunciat) ψυχικοὶ cenſebuntur τὸ πνεῦμα μὴ ἔχοντες, *Homines merè Animales* judicabuntur, ſive *Carnales*, *Spiritum non habentes*.

H. M.

SCHOLIA

In *Concluſionem*. Sect. 2.

EX eo quòd dicitur nondum creata eſſe Spiritus, *&c. Vox Spiritus apud* Cabbaliſtas *appropriatur Animæ quatenus in Mundum Jetzirathicum deſcenderit. Tunc enim Anima vocatur* רוח *Spiritus, ut in Mundo* Briathico נשמה. *Verùm opinarer* J. B. *ſtatum Animæ* Aziluthicum *hîc inſcientem deſcripſiſſe, ubi Anima appellatur* חיה, *(quod & nomen* Spiritûs Sancti *eſt apud* Johannem *Evangeliſtam,) niſi quòd* Mentem *heîc nuncupet non* Vitam, *omniq; Indumento eam deſtituat. Quem, quicquid ſtatuerint* Cabbaliſtæ, Aziluthicum *ego non credo eſſe ſtatum.*

Sect. 3. Quando Mars & Mercurius univerſalis Naturæ in perfecto erant ſilentio, *&c. Immò verò potiùs omnino non erant. Quid enim eſt cur eſſent cùm operari non poſſent*, Monadum Abyſſo *deſtituti, niſi Abyſſum hanc Materiámve æternam eſſe velimus? Verùm tunc nec Mars nec Mercurius in perfecto unquam forent ſilentio.*

Plaſticâ ejus omnino ſilente quoad ullas operationes corporeas, *&c. Id quod neceſſe eſt fieri cùm nullum corpus jam exiſtere ſupponatur, ſed Animæ* Plaſticam *à Divina Anima tantùm affici.*

Magìs curioſam requirit Diſquiſitionem, *&c. Verùm ſi miſſis ſublimitatibus aridiſque ſubtilitatibus* Plotinianis, *verè Divina conſulamus Oracula, ſtatum Animæ vel fæliciſſimum inveniemus corpore nequaquam deſtitutum. Nam qui perfectiſſimo modo nos ſervaturus eſt Chriſtus, non* abolitionem *omnis omnino corporeitatis nos expectare jubet, ſed ejuſdem* glorificationem.

AD

V. C. Epiſtola altera,

Quæ brevem Tractatûs
THEOLOGICO-POLITICI
CONFUTATIONEM
Complectitur,
Paucáque ſub finem annexa habet
De LIBRI
FRANCISCI CUPERI
SCOPO,
Cui TITULUS eſt,
ARCANA ATHEISMI
REVELATA, *&c.*

PSALM. 139. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam illos? Perfecto odio odi illos & pro inimicis facti ſunt mihi.*
Explora me, Deus, & cognoſce cor meum; proba me & cognoſce cogitationes meas:
Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.

Per *Henricum Morum* CANTABRIGIENSEM.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

Ad V. C. Epiſtola altera, quæ brevem *Tractatûs Theologico-politici Refutationem* complectitur, paucáque ſub finem annexa habet de *Franciſci Cuperi* Libri ſcopo cui titulus eſt, *Arcana Atheiſmi revelata*, &c.

FEci tandem aliqua ex parte, *V. C.* quod toties ac tantopere à me efflagitârunt alii viri ingenioſi haud pauci perinde atque ipſe tu. Perlegi ſcilicet *Tractatum Theologico-politicum*, & inter legendum pauca quædam *Notanda* in ſingulis ferè capitibus obſervavi. Quod credo me nunquam facturum fuiſſe niſi Amicus quidam tranſmarinus *Fr. Cuperi* Confutationem in ſolutis Schedis mihi pro dono miſiſſet. Quas poſtquam ad Bibliopegum mittendas curaveram quò compingerentur, interim mihi venit in mentem haud abs re fore ſi librum hunc quem confutat *Cuperus* antè evolverem, quàm illius *Confutationem* perlegerem. Hoc ni fuiſſet, credo me nunquam *Tractatum* hunc fuiſſe perlecturum, ut qui toties expertus ſum in *Pomponatio*, *Cardano*, *Vanino*, *Hobbio* aliiſque ejuſdem farinæ hominibus, quàm nihil omnino ſit quod homines Athei aut à Religione alieni pro ſua cauſa afferunt. Quanquam lubens fateor ingenium paulò tortuoſius atque argutius reperiri in hujus *Tractatûs* Autore quàm in ſuprà dictis. Quàm nihil autem firmi ſubſit, recolendo apud meipſum ſuprà dicta *Notanda*, breviter tibi, per ſingula capita pervolitans, indicabo: Non omnia quidem quæ occurrunt excuſſurus, ſed quæ potiſſima, & quibus profligatis, cætera quæ ipſis innituntur, corruent, Autórque improbus ſuo nefario excidet ſcopo. Qui eſt omnis *Religionis revelatæ* è medio ſublatio. Hinc *Prophetiæ Prophetiſq;* ac *Miraculis* libríſq; novi ac veteris Teſtamenti univerſis debitam adnititur adimere fidem.

1. Quàm temerè autem ac inſulsè id faciat, jam videbimus. Primum caput eſt de *Prophetia*; Ubi ut Prophetiam in eundem cum naturali cognitione gradum dejiciat, falſam illius definitionem depromit, aſſerendo eſſe *rei alicujus certam cognitionem à Deo hominibus revelatam*. Cùm verò Deus univerſaliſſima cauſa ſit omnis omnino cognitionis aut mediatè aut immediatè, quælibet cognitio ſic foret *Prophetia* ſive *Revelatio* modò certa ſit; ut, Pars eſt minor toto: Omnis numerus eſt par aut impar, & ſimilia. Quod id ipſum eſt ad quod hic Autor collineat. Verùm laxiorem eſſe definitionem quàm pro re definita manifeſtum eſt ex omnium mortalium conſenſu, qui *Prophetiam* nuſquam eſſe agnoſcunt niſi Revelatio ſit ſupra vires humanas, aut ſaltem ſupra illius hominis cui fit Revelatio. Unde Apoſtoli rectè dicuntur linguis *prophetare*, quamvis eis loquuti ſint quas alii calluerint didicerintq; uſu atque arte. Illi verò ſubitò ac ſine omni uſu atque arte eiſdem loquuti ſunt. Quod *ſupernaturalem* vim ipſis adfuiſſe planè indicat, eximiúmque erat Divinæ providentiæ pro re nata liberéque agentis teſtimonium. Addi igitur oportet, ut perfecta fiat definitio, mentionem hujus vis *ſupernaturalis* ſic: *Prophetia* ſive *Revelatio Divina*, eſt rei alicujus certa cognitio *ſupra facultates humanas* aut ſaltem illius cui fit Revelatio, à Deo aut immediatè aut per bonum aliquem Angelum revelata. Unde conſtat, licèt *Prophetæ* mentem humanam perinde atque corpus humanum habuerint, aliquid tamen humano majus eorum mentibus modo extraordinario adfuiſſe, nec opus eſſe ut quiſquam ſomniet eorum mentes non ejuſdem ſpeciei fuiſſe cum mentibus reliquorum mortalium * ut nugatur *Spinozius*. Si quidem is ſit hujus *Tractatûs* Autor, prout plerique omnes aſſerunt. Cap. 1.

2. Ex quibus porrò liquet primam ac principalem Divinæ Revelationis cauſam mentem humanam eſſe non poſſe, contrà ac ſtatuit *Spinozius*, nec Ideam Dei in nobis naturalem ſine ope Divina extraordinaria eò poſſe pertingere.

3. De cauſis autem *Prophetiæ*; Eas è ſola Scriptura peti debere, cùm de rebus limites noſtri intellectûs excedentibus nihil, præter id quod ex ipſis Prophetis ore vel ſcripto nobis traditur, dicere poſſimus, æqua primo aſpectu videtur poſtulatio. Cui tamen nec ipſe fidem habet, ut qui paulò pòſt concludit, non omne id quod Scriptura propter phraſin Hebraicam ait Deum alicui dixiſſe, pro *Prophetia* & cognitione *ſupernaturali* habendum, ſed tantùm id quod Scriptura expreſsè dicit, vel quod ex circumſtantiis Narrationis ſequitur *Prophetiam* ſive *Revelationem* fuiſſe. Quibus vellicare vult certitudinem inſpirationis *Propheticæ*, nempe ex eo quòd nos neſciamus an quid

divinitùs inſpiratum ſit necne, niſi quatenus ipſi *Prophetæ* ità declarant: Ex forma autem loquendi *Hebraica*, cùm ea ad Deum referant quæ ſunt vulgaria ac naturalia, nec ex *ipſorum* declaratione nos certi queamus fieri de *ſupernaturali* eorum inſpiratione. At vel illius ingratiis hoc manifeſtum eſt, cùm quæ ſupra facultates humanas aut ſuâs ſaltem, *Prophetis* revelantur, aliquod humano majus ipſis adfuiſſe ac proinde revera fuiſſe inſpiratos, meritóque cùm hæc limites noſtri intellectûs excedunt, ad opem *Divinam* aut *Supernaturalem* referri. A quo tamen tantopere abhorret *Spinozius.*

4. De Deo colloquente cum *Moſe* ſic philoſophatur. *Quæſo quid ſi Deus labia* Moſis (*ſed quid* Moſis) *immò alicujus beſtiæ contorſiſſet ad eadem pronunciandum & dicendum, Ego ſum Deus, an indè Dei exiſtentiam intelligerent? Deinde Scriptura omninò indicare videtur Deum ipſum loquutum fuiſſe (quem ad finem è Cœlo ſupra montem* Sinai *deſcenderit) &* Judæos *non tantùm eum loquentem audiviſſe, ſed Magnates eum etiam vidiſſe*, Exod. 26. *&c.* Quæ malignîſſimo conſilio hîc à *Spinozio* afferuntur, quaſi *Moſes* admiſiſſet Deum eſſe corporeum. *Quinimo*, inquit, *Scriptura clarè indicat Deum habere figuram, &* Moſen *ubi Deum loquentem audiebat eam aſpexiſſe, nec tamen videre contigiſſe niſi Dei poſteriora.* * Quid Myſterii hîc *Spinozius* latitare autumet neſcio. Ego verò magnum credo ſubeſſe Myſterium, & Chriſtum filium Dei ipſúmq; adeò Deum pariter atque hominem, hominem nempe adhuc *æthereum* non incarnatum, hiſce locis ſubindicari. Qua de re cùm in pluribus Scriptorum meorum locis diſſeruerim, ſatis hîc erit iſtud monuiſſe. Præſentiâ igitur illius θεανθρώπου exiſtentia Dei ab *Iſraelitis* percepta eſt juxta illud dictum Servatoris: *Qui conſpicit me, conſpicit eum qui miſit me.* Veritatem verò θεανθρωπίας Chriſti, ſat ſcio, nec *Spinozius* nec quiſquam alius poteſt deſtruere. Ac proinde deſinant mirari apud *Moſen* occurrere quæ Deum *corporeum* & *figuratum* perinde atque *ſpiritualem* ac *inviſibilem* repræſentent, cùm ipſe Deus *Iſraelis* anima fuerit *Meſſiæ* cum æterno *Logo* conjuncta, quemadmodum in *Expoſitione Viſionis Ezechielis* pleniùs explicavi.

5. De modis quibus ſe *Prophetis* revelat Deus ſic ſtatuit, aut *externos* eſſe aut *internos.* Per *internos* intelligit aut voces aut repræſentationes imaginarias; per *externos*, Imagines ſive repræſentationes reales externas, externámque vocem realem, quâ ſolum *Moſen* fretum fuiſſe contendit, qua de cauſa dici eum *cum Deo de facie ad faciem loqui.* Quod tamen ſolummodo intelligi de frequentia illius colloquii debet, quòd nemo tam familiariter, hoc eſt tam frequenter, loquutus ſit cum Deo. Ad hoſce autem modos reſtringit *Prophetiam*, ut eam infra humanum intellectum deprimat, utì ex ſequentibus intelligetur, cùm tamen nihil impedit quin ratio rerum omnium ſimul cum rebus ipſis à Deo fuerit *Moſi* communicata, quod originem *Judaicæ Cabbalæ* dare potuerit, rideat quantum volet petulans Philoſophaſter *Spinozius* qui *Cabbaliſtas* tantopere ex profeſſo execratur.

6. Quamvis autem *Moſen* reliquóſq; *Prophetas* ad quatuor modò dictos Revelationis modos reſtrinxerit utpote craſſiores, & quos ipſe apud ſe contemnit, tanquam à Philoſophia prorſus alienos; *Chriſto* tamen agnoſcit, quæ eſt illius urbanitas, Dei placita ſine verbis aut Viſionibus immediatè fuiſſe revelata, adeò ut Deus per mentem *Chriſti* ſeſe Apoſtolis manifeſtaverit, ut olim *Moſi* mediante voce aeriâ. Et ideo vox *Chriſti*, ſicuti illa quam *Moſes* audiebat, vox Dei vocari poteſt. Et paulò pòſt addit: *Quæ modò affirmavi, ex ipſa Scriptura conjicio. Nam nullibi legi Deum* Chriſto *apparuiſſe aut loquutum fuiſſe*, &c. *Quare ſi* Moſes *cum Deo de facie ad faciem ut vir cum ſocio ſolet (hoc eſt, mediantibus duobus corporibus) loquebatur*, Chriſtus *quidem de mente ad mentem cum Deo communicavit.* Quæ certè licèt in ſpeciem piè dicta videantur, tacitè tamen ſubdoléque & *Moſen* & *Chriſtum* deridet; *Moſen* quidem quòd Deum corporeum figuratúmq; introduxerit ſecum loquentem; *Chriſtum* verò quòd *Propheta* eſſe vellet, cùm tamen Deus eum nuſquam more *Prophetico* ſit alloquutus, ſed in mentem tantùm egerit; quum tamen paulò antè inſinuaverat *Spinozius*, nihil eam percipere poſſe quod in primis humanæ cognitionis fundamentis non continetur. Sic omnes *Prophetiæ* ac *Revelationis* prætextus elevare ſatagit. Verùm non temerè nec ſine Myſterio fit, quòd Deus *Chriſto* nuſquam dicitur apparuiſſe & loquutus fuiſſe ut olim *Moſi*, cui legem tradidiſſe dicitur, * cùm ille ipſe Deus qui *Moſi* loquutus eſt, Deus nempe *Iſraelis* jam fuerit incarnatus, ipſéque ex humano corpore Apoſtolis reliquiſq; Diſcipulis loqueretur Divinàque Oracula dictaret uberrimo modo Divinâ unctione perfuſus. Adeò ut quæ dictavit licèt & *humanæ* rationi defæcatæ conſentanea eſſent, è principio tamen omnino *Divino* proficiſcerentur. Fuiſſe verò quem ſe profeſſus eſt, *filium utiq; Dei*, Miracula, Voces è

Cœlo, Reſurrectio, Aſcenſio, miſſióque Spiritûs ſancti & Apocalypticarum Viſionum impletio locupletiſſimè atteſtantur.

7. Paginæ octo proximæ inſumuntur in enumerando varias ſignificationes vocis *Spiritus*, ubi Legem *Moſis* per *Spiritum* aliquando ſignificari falſò aſſerit. Sed in eo maximè triumphat quòd, cum adjectio vocis *Dei* ad res (ut ubi dicitur *Mons Dei*, *Cedrus Dei*, *Ventus Dei*,) non *ſpecificam* differentiam, ſed haud vulgarem tantùm magnitudinem aut vehementiam in rebus ſignificet; ità *Spiritus Dei* in Prophetis humanus ſeu naturalis eſſe poſſit (quamvìs *Spiritus* appelletur) ſed egregius & ſingularis & ſupra communem ſortem; non quòd *ſpecie* differunt, ſed ſingularitate aut *eminentiâ*. Additq; denique quòd Prophetæ *Dei Spiritum* habere dicebantur, quia homines cauſas Propheticæ cognitionis ignorabant, eandémque admirabantur, & propterea ut reliqua portenta ipſam ad Deum referre Deiq; cognitionem vocare ſolebant. Quibus planè inſinuat donum *Prophetiæ naturale* eſſe, non *Divinum* nec ad Dei potentiam vulgari ſenſu referri debere. Imò, inquit, quia Naturæ nulla potentia eſt niſi ipſa Dei potentia, certum eſt nos eatenus Dei potentiam non intelligere quatenus cauſas naturales ignoramus, adeóque ſtultè ad eandem Dei potentiam recurritur quando rei alicujus cauſam naturalem, hoc eſt, ipſam Dei potentiam ignoramus. * Ubi planè Deum ac Naturam confundit idémque facit, nullúmve *Deum* agnoſcit præter *Naturam*. Nos verò cùm iterum iterúmque in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtraverimus non ſolùm Materiam ſed & *Spiritum* eſſe *Naturæ* infra Deum, ab eo diſtinctum, eò te remitto nè præſens Epiſtolium nimis extumeſcat. Cúmque innata humanarum Animarum ſupellex ad rationes rerum univerſales tantùm pertingat, non ad res ſingulares ſive Individua futuróſq; eventus longè diſſitos, qualia complectuntur vaticinia *Danielis* & *Apocalypſeos*; manifeſtum eſt, inquam, aliquod adeſſe majus humano ſive bonus Angelus ſit ſive Deus ipſe, qui iſtiuſmodi res *Prophetis* revelat. Hoc verò interim obſervare potes *Spinozium* hæc ſua deliria dictare tantùm, probare autem nè conari quidem. Atq; hæc de capite primo.

8. In Secundo capite inquirit, unde *Prophetis* oriri potuerit certitudo eorum, quæ tantùm per *imaginationem*, & non ex certis mentis principiis percipiebant. Certitudinem autem reſolvit in hæc tria, in *Imaginationem vividam*, in *Signum*, & in *Animum in ſolum bonum & æquum inclinatum*. Quaſi Imagines, *internæ* ſemper eſſent, non autem aliquando *externæ*, uti ſunt voces. Cùm autem Imaginationes vividæ atque Signa Pſeudo-prophetis accidunt, hujus certitudinis vim in omnibus ſimul junctis omninò vult conſiſtere. Quanquam non dubito quin veris *Prophetis* ac piis quædam Revelatorum certitudo ſit indubia omnino ac firma, ex aliis etiam principiis orta, quæ non tam externis Signis vigoríve Imaginationis innititur quàm ineffabili corroborationi cordis, per vim *Divini Spiritûs* tanquam in proprio Adyto ibi reſidentis. Quam conſtantiam *Revelationis* ac firmitudinem cùm *vita* ſit non *imaginatio*, qualis ſit præter ipſum *Prophetam* nemo poteſt apud ſe fingere. Interim obſervare libet caput hoc ſecundum, ubi ſe ait de *certitudine Prophetarum* diſſerturum, totum in eis vilificandis abſumi.

9. Primò enim ex ſuperiore capite concludit, Prophetas non fuiſſe perfectiore mente præditos ſed potentiâ tantùm vividiùs *imaginandi*, eóſq; qui maximè *imaginatione* pollent minùs aptos eſſe ad res purè intelligendum.

Secundò, Cùm Simplex Imaginatio non involvat in ſua natura certitudinem, *Prophetas* ideo de Dei Revelatione certos eſſe non potuiſſe niſi per *Signum*, & tamen *Signa* etiam *falſis* Prophetis adfuiſſe.

Tertiò, Prophetias variaviſſe non tantùm pro ratione Imaginationis & Temperamenti corporis cujuſq; Prophetæ, ſed etiam pro ratione opinionum quibus fuerant imbuti, atque adeò *Prophetiam* nunquam *Prophetas* doctiores reddidiſſe.

Quartò, *Prophetiam*, hac in re, *naturali* cedere *cognitioni*, quæ nullo indiget *Signo*, ſed ex ſua natura certitudinem involvit. Certitudinémq; *Propheticam*, *Mathematicam* quidem non eſſe ſed tantùm *Moralem*.

Quintò, Quanquam Deus pios & electos nunquam decipit, ſed piis utitur tanquam pietatis ſuæ ac veracitatis inſtrumentis, ut conſtat exemplo *Michææ* & *Pſeudo-prophetarum* ſui temporis; cùm tamen nemo ſe coram Deo juſtificare queat nec jactare ſe pietatis Dei eſſe inſtrumentum, certitudinem *Prophetæ* adhuc *Moralem* tantùm fore.

Sextò denique, meram quandam eſſe præcipitantiam quòd omnes ſibi perſuaſerint, *Prophetas* omnia quæ humanus intellectus aſſequi poteſt, ſciviſſe.

10. Verùm ad primum reſpondeo: Inſcitè imperitéque philoſophari hîc *Spinozium* qui in vivacitatem vis imaginativæ donum *Prophetiæ* rejicit. Fit enim ex quie-

tudine & tranquillitate imaginationis, illiúſq; paſſivitate potiùs quòd quis ad *Revelationes* recipiendas idoneus evadit, quàm ex illius vivacitate aut vigore. Et quid ipſa quæſo poteſt vis imaginationis aut vigor, ni adſit quod eam ad res futuras præfigurandas dirigat? Quod cùm ſupra humanas facultates ſit, *Angelicum* ſaltem eſſe oportet ſi non *Divinum*. Atque hinc *Eliſam* organum petiiſſe credibile eſt quò ad Prophetiam diſponeretur, ut imaginatio ad Malaciam quaſi & inturbatam veluti æquoris planitiem componeretur, quò faciliùs fideliúſque impreſſionum *Propheticarum* imagines reciperet quæ imperfectè reflectuntur in animo turbido: & qui ad hanc animi quietudinem ſe componere poſſunt, etiam ad res purè intelligendas, ſi eò ſe vertant, fiunt aptiores.

2. Ad Secundum, Reſpondeo, quanquam uſus aliquis interdum eſſe poteſt externorum *Signorum*, * Prophetas tamen etiam abſque eis certos eſſe poſſe ex altiori quodam principio cordibus eorum inſidenti, nempe ex intima operatione *Divini Spiritûs* qui fidem excitat omni *Imaginatione*, *Ratione*, externóve *Signo* firmiorem. Sed non eſt ut nos tam ſoliciti ſimus de certitudine quam ipſi *Prophetæ* habuerint de ſuis prædictionibus, cùm eas quæ ad noſtram Religionem pertinent, tam conſpicuè mirificéque confirmaverint ipſa eventa, quemadmodum copioſè demonſtro tum in *Myſterio Pietatis*, tum in *Synopſi Prophetica*. Cæcum verò & temulentum *Spinozii* ingenium in ea, prophano impetu, irruit, quorum minimè idoneus eſt Judex.

3. Ad tertium: Multa ſunt ſed levia & ſuperficiaria quæ tertium hoc complectitur. Quantùm enim ad *Temperamentum*, quamvìs *Hilaritas* animi ad læta Objecta imaginanda eum inclinet & *Triſtitia* ad triſtia, quid tamen iſta valent ad præfiniendum tempus & circumſtantias, amplámq; rerum ſeriem ac ordinem triſtium pariter ac lætarum aliarum aliis ſuccedentium, ut fit apud *Danielem* & S. *Johannem*? Ignarum planè eſſe oportet rerum Propheticarum qui tam frivolè & oſcitanter circa *Prophetias* philoſophatur. Quod verò ad ſtyli variationem attinet quaſi propriis viribus prophetarent quòd unuſquiſque ſuo proprio utitur ſtylo, *Eſaias* putà Aulico, *Ezechiel* & *Amoſus* ruſtico, id valde inſcitè colligitur, perinde ac ſi quis inferret Equos ſuâ vi atque ductu non Seſſoris, recto itinere ad hæc vel illa loca perveniſſe, quoniam ſuo quiſque utitur inceſſu, unus ſuccuſſatorio, alter tolutatorio, & ſic in reliquis. Ut igitur regit Seſſor Equum, ſed ſuum interim ei permittit inceſſum; ità regit Divinus Spiritus ſenſum Prophetæ, quanquam ſuum ei interim permittit loquendi modum ſive ruſticum ſive aulicum. Ad *Imaginationem* etiam refert *Repræſentationum* Propheticarum & *modum* & *obſcuritatem*, conqueritúrque Dei gloriam aliter apud *Eſaiam*, aliter apud *Ezechielem* repræſentari. Quaſi verò neceſſe ſit ut eodem modo ſemper repræſentetur ſine ulla variatione, aut tam plenè ubique memoretur. Quòd autem *Eſaiam* Seraphinos ſenis alis, *Ezechielem* Animalia quaternis, vidiſſe ait, falſum eſt. Nam & Animalia ſenas alas habuerunt prout notavi in *Expoſitione Viſionis Ezechielis*. Quòd etiam repræſentationes quorundam Prophetarum obſcuriores ſint repræſentationibus aliorum, nihil habet abſurdi. Sat eſt quòd omnes facultates humanas ſuperent, quemadmodum in definitione *Prophetiæ* monui. Verba autem à *Daniele* audita (*Cap.* 10.) imaginaria tantùm fuiſſe, inſulſiſſimè aſſeritur & ſine omni fundamento. Planè enim liquet ex textu externum fuiſſe colloquium ineptéque ad imbecillitatem imaginationis *Danielis*, Prophetiæ obſcuritatem referri. Sed hic prophanus Scurra omnes Prophetarum Revelationes, proprias ipſorum imaginationes fuiſſe reputat, ut qui clanculum ſupponit nullos eſſe Angelos nec Deum quidem à Natura diſtinctum. Et ut Prophetarum hiſce de rebus teſtimonia eludat, fingit eos homines fuiſſe omnino rudes, & res ad eorum captum tantùm ipſis fuiſſe revelatas, hoc eſt, ſecundùm ſuas proprias quantumlibet abſurdas opiniones & imaginationes eos prophetâſſe. Ad quod probandum ineptè affert exemplum *Joſuæ* orantis ut ſtet Sol ſuper *Gibeon* (quo communi loquendi modo vel quilibet *Copernicanus* uteretur in precibus ad Deum) ſignúmq; umbræ retrogradæ apud *Eſaiam*, de qua eadem planè eſt ratio. Nam præterquam quòd Preces iſtæ potiùs dicendæ ſunt, una ex iſtis ſaltem, quàm Revelationes, nequaquam ex eo quòd Divinus Spiritus communem loquendi modum ſenſúmve de rebus, quæ toti ferè generi humano ſic apparent, & univerſalem apud omnes habent apparentiæ veritatem, Prophetis indulget, ſequitur eum peculiares illorum circa res magni momenti errores non corrigere, nè falſa miſcendo veris totam perdant fidem. Quòd autem miracula Solis ſtantis & retrogradi ad neſcio quam glaciem & Parelia refert, id ipſius Textûs inconſultu facit, qui Solem per diem integrum ſtetiſſe narrat & umbram in Horologio *Ahaz* ad decem gradus, hoc eſt, ad horas decem retroceſſiſſe. Unde quamvìs immane portentum videri poſſit, cum *Juſtino Martyre*, ipſum Solem ſtetiſſe aut retroceſſiſſe ex Hypotheſi *Ptolemaica*, concludere;

modeſtius tamen illud miraculum ſubeſſe videtur, Divino utique nutu motum Terræ cum Atmoſphæra diurnum tot horas ſufflaminatum fuiſſe aut motu contrario revolutum. Hoc enim ordinem Univerſi perquam parum turbaturum eſſet, nec motus quidem terræ annuus quicquam hinc mutaretur. Sed nihil opus eſt hîc quicquam definire, niſi quòd hæc majora non ſint quàm pro potentia Dei *Iſraelis*, qui hujus Terreni Globi primordia initio ordinavit.

Jam verò quantùm ad vulgares opiniones falſáſque quas *Prophetis* affingit, quibus inſinuare velit nullas iſtiuſmodi apparitiones externas Divináſve Revelationes eis contigiſſe, ſed omnia fuiſſe propriæ ſuæ imaginationis opera (ut de colloquio illo *Abrahami* cum Deo expreſsè ait, Deum in illius *imaginatione* loquutum eſſe) omnia ferè illa quæ is ſupponit abſurda in his manifeſtationibus, ex una hac Hypotheſi ſtatim evaneſcent; Deum nempe qui dicitur Patriarchis appariuſſe, *Meſſiæ* animam fuiſſe cum æterno *Logo* conjunctam. Sic enim cùm & verè Deus eſſet & homo æthereus, & Deus appellari potuit, & tamen ea quæ infra Deum ſunt ipſi attribui. Hâc machinâ omnes illius cavillationes facilè corruent, ut ipſe experiri potes. Longum enim eſſet ſingula applicare; ut potes etiam eas Repugnantias inter opiniones Prophetarum quas ille fingit, ex vulgaribus Interpretibus facilè componere. Plura enim jam dixi ſuper hoc capite quàm inſtitueram. Quamquam abſtinere me non poſſim quin iterum notem hujus ferè unius rei gratiâ huic commento eum tantopere indulſiſſe, quòd ſcilicet omnia ad captum Prophetarum revelata ſint, nec proprii illorum errores ex ullis Revelationibus correcti, ut de exiſtentia *Spirituum* ſive *Angelorum* per ipſorum Revelationes non conſtaret. Nam eò impudentiæ tandem prorumpit ut de *Chriſto* dicat ubi ſic *Phariſæos* alloquitur, *Si Satanas Satanam ejicit adverſus ſeipſum diviſus eſt, quomodo igitur ſtaret Regnum ejus?* eum *Phariſæos* tantùm ex ſuis principiis convincere voluiſſe, non autem docere dari Dæmones aut aliquod Dæmonum regnum. Et ubi ait, *Videte nè contemnatis unum ex parvis hiſce, dico enim Angelos eorum in cælis*, &c. nihil hic docere diſcipulos niſi quòd non debeant eſſe ſuperbi. Proh lutulenti Philoſophaſtri impudentiam! quaſi Servator tam aſſeveranter ad rem ullam probandam adeò falſum aut fictitium proferret argumentum.

Denique quòd *Prophetiam* nunquam *Prophetas* doctiores reddidiſſe ait, id quidem apertè falſum eſt. Quod manifeſtò apparet ex trium primorum capitum Geneſeos *Cabbala philoſophica*. Quam *Moſen* ſimul cum narratione à Deo accepiſſe valdè conſentaneum eſt. Et certè quantùm ad Viſionem *Ezechielis*, quanquam is, quippe homo ruſticus, philoſophicam illius non intelligeret ſignificationem; manifeſtum tamen eſt cùm ea tot & tam ſublimium Arcanorum Philoſophicorum adeò ſignificans aptúmq; ſit Symbolum, fœtum propriæ imaginationis *Prophetæ* eſſe non potuiſſe, ſed Repræſentationem verè Divinam & ſupra Prophetæ facultates poſitam. Ac proinde vim quandam humanâ majorem rebus humanis aliquando ſe immiſcere. A quo tamen tantopere abhorret ſordidus abjectúſq; animus *Spinozii*.

4. Ad quartum, Reſpondeo, maximam partem Naturalis Philoſophiæ etiam hujus quam hîc præ omnibus extollit, Mechanicam ſcilicet ſive *Carteſianam*, ſigno indigere nec tamen habere, adeò ut omnino vacillet, quemadmodum fusè probavi in *Enchiridio Metaphyſico*. Omnémque Prophetiam non indigere ſigno externo, ſuprà monui nec opus eſt repetere. Et ſi *Moralis* tantùm illius eſſet certitudo non *Mathematica*, ſufficere tamen ad vitæ pietatem. Fuiſſe verò *Prophetas* ex interno etiam ſenſu certiſſimos, aſſero, ut & nos, per eventa prædictionibus reſpondentia.

5. Ad quintum: Quanquam nemo qui verus eſt Propheta, jactabit ſe Dei pietatis eſſe inſtrumentum, nolens volens tamen perſentiſcere poteſt ſe talem eſſe Deóque ſolam gloriam dare certitudinémque aſſequi pluſquam *moralem*. Cæterùm hæc terrenum intellectûs *Spinozii* captum nimiùm quantùm excedunt.

6. Vulgarem verò denique illum errorem, ut, qui Propheta ſit, omnia quæ humanus intellectus aſſequi poteſt ſciat, ipſe lubens cum *Spinozio* explodo. Illa tantùm Propheticè ſciunt quæ pro re nata divinitùs eis in uſum populi Dei ſive Eccleſiæ communicantur. Atque hæc ferè ſunt quæ notanda duxi ſuper ſecundo hoc capite. Ex quibus tibi clarè conſtare poteſt, *Spinozium* nihil ullius momenti attuliſſe quo Prophetarum Hebraicorum labefactare poſſit dignitatem ac fidem.

Cap. 3. 11. Quam tamen rem novis Machinis aggreditur capite tertio, ubi concludit donum *Propheticum*, *Judæis* peculiare non fuiſſe ſed omnibus nationibus commune. Ubi de *re ipſa* non multùm renitor, de *gradu* verò omnino diſſentio. *Prophetæ* enim apud gentes rari erant ſiqua hiſtoricis fides, & de rebus minoris momenti prophetârunt. *Hebræi* verò *Prophetæ*, fatente *Spinozio*, non tantùm ſuæ ſed etiam aliis nationibus à Deo miſſi fuêre, cujus rei teſtes affert *Ezechielem*, *Obediam*, *Jonam*, *Jeremiam*.

Et manifeſtum eſt *Danielem* non ſolùm de *regno Chriſti*, ſed & de *quatuor Monarchiis* apertè prophetâſſe, omnéſque caſus Eccleſiæ Chriſtianæ poſt *Meſſiam* in genere prædixiſſe, annúmque illius crucifixionis antè quingentos ferè annos præfiniviſſe; ut taceam totam ferè Oeconomiam *Moſaicam*, Tabernaculum, Æneum Serpentem, Sacrificia, Typos fuiſſe *Propheticos* eorum quæ ad Chriſtum pertinent ejuſq; Eccleſiam. Sanctúmque *Johannem* è ſtirpe *Judaica* oriundum, ſtatum Chriſtiani orbis & aliarum ſimul gentium ab initio Chriſtianitatis ad hunc uſque diem, & porrò, imò ad finem uſque Mundi ſive ad *Telluris Conflagrationem*, luculentiſſimis vaticiniis præfiguráſſe. Cui quicquam ſimile nec habent hodiedum ullæ gentes nec habuerunt unquam. Tam iniqua eſt hæc *Spinozii* Prophetarum *Hebræorum* vilificatio.

12. Cæterùm nec hoc contentus ut totam gentem *Judaicam* majori contemptui exponat, negat ullam peculiarem eorum fuiſſe in populum Dei electionem præ reliquis gentibus quantùm ad ullam rem magni cujuſquam momenti. Quod ut meliùs intelligas primò notandum eſt quid *Spinozius* per *Dei directionem* (phraſin quâ hoc in capite utitur, móxque tibi occurret) intelligat. Quem fixum ſcilicet illum eſſe ſupponit & immutabilem Naturæ ordinem ſive rerum naturalium concatenationem; * legéſque Naturæ univerſales ſecundùm quas omnia fiunt, nihil eſſe niſi Dei æterna decreta quæ ſemper æternam veritatem & neceſſitatem involvunt; ac proinde ſive dicimus omnia ſecundùm *leges Naturæ* fieri, ſive ex *Dei decreto* & *directione* ordinari, idem eſſe; & proinde quicquid natura humana ex ſola ſua potentia præſtare poteſt ad ſuum eſſe conſervandum, id *Dei auxilium internum*, & quicquid præterea potentiâ cauſarum externarum in ipſius utile cedit, id *Dei auxilium* externum meritò vocari poſſe. Hæc ille. Ex quibus quilibet niſi omni naſo deſtitutus ſit, facilè odorari poteſt quæ ſit mens *Spinozii*, nempe nullum *Deum* eſſe præter *ipſam rerum Naturam materialem*, cujus ipſi pars ſumus, noſtrámque ideo potentiam eſſe potentiam Dei internam, réſq; omnes perinde eſſe Deum. Atque hinc, inquit ille, facilè intelligitur quid per *Dei electionem* ſit intelligendum, nempe ex prædeterminato Naturæ ordine, hoc eſt, ex Dei æterna directione ac decreto (* materiæ utiq; Mundanæ motu neceſſario ac mechanico) aliquid agi vel fieri, ac proinde quemlibet alium populum perinde atque *Judaicum*, populum Dei electum eſſe. Hæc quidem ille impudenti ore dictat, ſed nullis rationibus nè conatur quidem probare.

Electionem verò hanc qualis ſit ſive prælationem populi *Hebraici* præ reliquis gentibus, cùm omnia quæ honeſtè cupimus ad ſapientiam, ad virtutem, & ad ſecuritatem vitæ corporiſque ſanitatem referantur, in hoc ultimo tantùm conſiſtere ſtatuit, in ſola imperii temporanea fœlicitate, externíſque vitæ commodis: Hæc, inquam, ille dictat ſed non probat, & planè contra apertam *Pauli* ſententiam. Qui poſtquam rogaverit, *quæ igitur eſt præſtantia* Judæi? reſpondet continuò, *Multa per omnem modum. Primarium enim eſt quòd ei concredita ſunt Eloquia Dei.* Quæ certè ſi nullam nec ullo meliori modo, præter communem omnibus nationibus, ſapientiam continerent, nullum foret Privilegium. In his igitur primùm præfigurata eſt ac prædicta æternæ noſtræ per Chriſtum ſalutis ratio; ut taceam *Cabbalam* Philoſophicam *Judæorum* in *Bereſhith* & *Mercava* reconditam, præceptáque vitæ ſaniſſima Divinâ authoritate confirmata, & repetita Providentiæ Dei pro re nata aut contra aut ſupra Naturæ leges agentis, exempla, miniſteriíque Angelorum, de quorum exiſtentia Deíque à Natura diſtincti, certiores fieri, humani generis permultùm quidem intereſt: Sed hæ veritates ſublimiores ſunt quàm quas capiat cæcus hic à *Moſe* pariter atque à *Chriſto* Apoſtata. Contra quos utroſque per inanem quandam Philoſophiæ jactationem petulanter recalcitrat. Cùm proculdubio vera quidem & ad intima rerum penetrans Philoſophia exiſtentiam Dei à Natura diſtincti ut & Angelorum quæ *Moſes* tantopere Chriſtúſque inculcant, certiſſimè patefaceret, quemadmodum paſſim in ſcriptis meis demonſtravi. Atque hæc quidem præcipua ſunt quæ obſervanda occurrebant in capite tertio.

13. Nam quod in ipſo initio capitis occurrit, quaſi *Moſes* Deúſve, *Judæorum* invidiæ indulgeret, inculcando ipſis Deum eos præ reliquis Nationibus in populum peculiarem elegiſſe, excellentioribúſq; donâſſe privilegiis, puerilis eſt cavillatio. Longè generoſiùs veriúſque de illa oblectatione quæ ex comparatione oritur noſtri ſtatûs cum ſtatu magìs miſero vel minùs fœlici, judicat *Lucretius*:

Suave mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem,
Non quia vexari quenquam eſt jucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.

Ità privilegia *Judæorum* præ reliquis gentibus ipſis ante oculos à *Moſe* exponuntur, non ut gentium penuriâ gaudeant ſed ſuâ bonorum copiâ; quam pleniùs perciperent cum aliorum penuria comparatam, indéque ſeipſos Deo magìs devinctos. Sed petulantes hi perverſiq; *Lemures* ſic ſolent, ſanctiſſima quæq; ac ſolidiſſima in ridiculum ludicrúmq; convertunt.

14. In hoc quarto capite concionantem te audire putes Angelum Lucis; adeò legem Divinam, adeò Deum, Dei cognitionem, Deíque amorem ceu ſummum bonum totus crepat. Cap. 4. Verùm operæ-pretium erit eis quæ dicit paulò preſſiùs attendere, ut intelligamus quid ſibi velit. *Legem* eſſe ait *rationem vivendi quam homines in aliquem finem ſibi vel aliis præſcribunt, eſſéque duplicem, Humanam* & *Divinam; illam ad tutandum vitam & Rempublicam tantùm inſervire, hanc ſolum ſummum bonum*, hoc eſt, *Dei veram cognitionem & amorem ſpectare.* Atque hæc quidem hactenus ſatìs pulchrè in ſpeciem dicta ſunt, niſi quòd homines facit Divinæ Legis conditores. Verùm pergit: *Summum noſtrum Bonum in perfectione Intellectûs conſiſtere, Intellectum cognitione Dei perfici: quò magìs autem res naturales cognoſcimus, eò majorem ac perfectiorem Dei cognitionem nos acquirere, vel (* quoniam cognitio effectûs per cauſam nihil aliud eſt quàm cauſæ proprietatem aliquam cognoſcere) quò magìs res naturales cognoſcimus, eò Dei eſſentiam (quæ omnium rerum cauſa eſt) perfectiùs nos cognoſcere.* Ubi planè videre potes eum inſinuare effecta ſive *Phænomena Naturæ*, Divinæ Eſſentiæ eſſe proprietates, unde rurſus haud obſcurè nullum *Deum* præter ipſam *Naturam* conſtituit. Quando igitur dicit Legis Divinæ ſummam, ejúſque ſummum præceptum eſſe, Deum ut ſummum Bonum amare, Deíque cognitionem & amorem finem eſſe ultimum ad quem omnes noſtræ actiones ſunt dirigendæ, & hominem tamen carnalem hæc intelligere nequire, ipsíque vana videri, quippe in quibus nihil reperit quod palpet, comedat, *&c.* quis à riſu ſe aut ſaltem ab indignatione abſtinere poteſt, cùm totum hoc in ſolam deſinat Naturæ cognitionem, cujus Diaboli æquè capaces ſunt atque viri boni, quámque proinde manifeſtum eſt non poſſe eſſe ſummum Bonum, ni ipſos Diabolos ſummè beatos eſſe velis? Eſt certè aliquod Intellectu ſanctius, Divinius, ac beatius, ut in *Enchiridio Ethico* probavi, nec opus eſt hìc repetere.

15. Quod autem ad extollendam hanc Dei cognitionem naturalem addit, prorſus intolerandum eſt: *Quòd nec Fides ſcilicet Hiſtoriarum quantumlibet certa, Dei cognitionem & conſequenter nec Dei Amorem nobis dare poteſt.* Annon ſuppoſito quòd omnes Hiſtoriæ in vetere & novo Teſtamento certæ ſunt, Dei cognitionem nobis darent? Nempe, quòd ſit, Creatórque ſit rerum omnium, quòd ſit omnipotens, omniſcius, juſtúſque ac perbenignus rerum humanarum ſpectator. Benignitas Divina ex nulla re æquè demonſtratur atque ex Hiſtoria Beati Servatoris. Annon illius igitur Revelatio amorem noſtrum magìs accendit erga Deum, quàm Cognitio rerum naturalium, ex qua, ſi *Carteſianæ* Philoſophiæ ſtetur, quam adeò admiratus eſt *Spinozius*, colligere non poſſumus an ſit Deus necne, nedum an bonùs ac ſapiens. Quippe apud quem Motus ac Materia omnia faciunt. Cùm verò addit, Amor enim Dei ab ejus cognitione oritur, ejus autem cognitio ex communibus Notionibus per ſe certis & notis hauriri debet, certè cùm is Divinam potentiam cum potentia Naturæ paſſim ità confundit, ſuſpicor heîc eum ſubinnuere leges aliquas univerſales Naturæ certas ac invariabiles, veritatéſq; quas vocant æternas, quibus is tamen ut mox videbimus Naturam Divinam obſcurat. Naturam quidem ſine communibus Naturæ legibus cognoſcere non poſſumus. Dei verò Providentiam, Bonitatem, Inſpectionem liberámque pro re nata potentiæ ſuæ exertionem meliùs ex fide certa hiſtoriarum ſacrarum intelligimus quàm ex Natura. Eſt enim communis in univerſo genere humano certáque animi & infallibilis ſagacitas, qua ex iſtiuſmodi hiſtoriis indubiam Dei cognitionem colligunt, ejúſque juſtitiam, potentiam ac bonitatem venerantur.

16. Reliquum capitis duæ quæſtiones occupant. Altera, *An lumine naturali concipere poſſimus Deum veluti Legiſlatorem Principémve leges hominibus præſcribentem.* Altera, *quid ipſa Scriptura de lumine & lege hac naturali doceat.* Ad primam quæſtionem decidendam abſurdiſſimum quiddam comminiſcitur, * voluntatem Dei ejúſque intellectum idem prorſus eſſe, ac proinde Deum ab æterno decreviſſe & voluiſſe *tres angulos trianguli æquales eſſe duobus rectis*, idem eſſe atque ipſum id intellexiſſe. Unde ſequi ait Dei affirmationes & negationes æternam ſemper neceſſitatem ſive veritatem involvere. Ubi & Præmiſſæ abſurdæ ſunt, & Concluſio, & ipſa utrarumque connexio abſurda. Nam ut prætercam quàm abſonum ſit dicere æternas in Deo veritates eſſentialiter ineſſe quatenus *volens* eſt, quaſi à voluntate dependerent & non

ex eſſentia ejus quatenus *intellectuali* neceſſariò oriſentur quod veriſſimum eſt, ſequitur Deum peccata hominum ac Angelorum aut neſciviſſe aut voluiſſe, quorum utrumq; perquam abſurdum eſt. Deinde non ſequitur ex eò quòd Dei voluntas & intellectus idem ſint, aut quòd iſta Mathematica propoſitio æterna ſit veritas, omnes Dei affirmationes & negationes æternam ſemper neceſſitatem ſive veritatem involvere. Quamvìs enim *voluntas* Dei & *intellectus* idem eſſent, poſſent tamen verſari circa particularia, hoc eſt, Deus poſſet velle & percipere particularia. Nec ſequitur ex eò quòd iſta Mathematica veritas ſit æterna apud Deum affirmatio, non eſſe apud ipſum affirmationes quaſdam quæ non ſunt æternæ. Quamdiu enim erat *Socrates* in terris affirmatio erat apud Deum, *Socratem* illîc eſſe, ſed non antè nec pòſt, ni malles admittere Deum neſciviſſe quando *Socrates* erat in terris, quod cum Idea Dei quippe *Entis abſolutè perfecti* repugnat. Major enim perfectio eſt omnes veritates & æternas & tranſitorias cognoſcere quàm æternas ſolas. Atque hinc patet nec *Moſen* nec alios quoſcunq; veros *Prophetas* falsò ſimulâſſe ſe quædam ut leges à Deo accepiſſe populo tradendas, nec *Moſen*, Deum falsò Rectorem, Legiſlatorem, Regem benignum juſtúmque imaginatum eſſe, ſed talem revera eum fuiſſe; nec omnia illius decreta ac volitiones æternas eſſe veritates, nec talem Dei cognitionem ſummum noſtrum eſſe Bonum quæ docet res humanas à Deo non eſſe cognitas, non preces quando funduntur, nec pœnitentiam converſionémve ad bonam frugem quando inſtituitur. Hujuſmodi Dei cognitio nihil aliud eſt quàm *abyſſus tenebrarum* in quas homines improbi ac nefarii ſe ab aſpectu Dei abſcondere volunt ut liberiùs indulgeant ſuis libidinibus De ſecunda illius quæſtione non multùm laboro. Tantùm obiter noto, ineptè illa loca *Salomonis* afferri quaſi de naturali lumine ageret, cùm planè loquitur de Sapientia à Deo inſpirata, ut patet ex *cap. 2. v. 6.* *Paulum* autem docere lumine naturæ ad cognitionem exiſtentiæ Dei perveniri poſſe lubens agnoſco, nec tamen indè ſequi fruſtra factas fuiſſe Revelationes ſupernaturales ac miracula per *Moſen* atque *Chriſtum*. Quod tam manifeſtum eſt atque obvium ut nihil opus ſit ei inſiſtere.

Cap. 5. 17. In capite quinto nihil occurrit quod magnopere notandum ſit. Illud tamen præterire non poſſum, falſiſſimè ab eo aſſeri Chriſtum ad ſolùm legem univerſalem documentáve moralia docendum miſſum eſſe, cùm & ea documenta vitæ tradiderit quæ ſupra lumen naturale ſunt, nec ſine promiſſi ab ipſo Spiritûs vi perfici poſſunt. Ut taceam immortalitatem animæ Angelorúmque exiſtentiam planè ab ipſo traditam eſſe, quæ tamen non credit cæcus Philoſophaſter. Adde denique ritus iſtos ſive inſtituta *Baptiſmi* & *Cœnæ Dominicæ*. Qui conſtituti ſunt non quidem ut hic fingit tantùm ut univerſalis Eccleſiæ *Signa* ſint *externa*, quaſi res ſint quæ ad beatitudinem nihil faciunt, ſed ut inſtrumenta ſint ac monumenta amoris Chriſti miſſioniſque Spiritûs in verè credentes ad animos eorum renovandos in vivam imaginem Dei Chriſtive. *Baptizamur* enim in nomine Domini *Jeſu* Filii Dei, potentis apud Patrem Mediatoris ad mittendum Spiritum ſanctum in corda fidelium, ad extirpandum omne vitium & impuritatem & ad nos renovandos, quod dixi, in vivam imaginem Dei. *Cœna* verò *Dominica* cùm commemoratio ſit Paſſionis Chriſti, Divinum in nobis erga eum accendit amorem & erga nos invicem, quo nihil majus, nihil Divinius aut beatius in humanam naturam cadit; & accensâ hâc devotione panem cœleſtem verúmq; Manna quale ſuum corpus eſſe prædicat Chriſtus, revera haurimus eóque nutrimur & corroboramur. Sed quid ego has Margaritas porco projicio, qui nihil altius aridâ jejunâque Naturæ cognitione novit ſapítve? Reliqua hujus Capitis cùm aliquam ſaltem veri honeſtíque ſpeciem pleraq; præ ſe ferant nec tam atrocem habeant aſpectum, ſciens volénſq; prætereo.

Cap. 6. 18. Sextum caput totum eſt de Miraculis, ubi primùm duas præcipuè, vulgi, ut ille appellat, opiniones deridet. * Alteram, quòd duas potentias numero ab invicem diſtinctas imaginantur, ſcilicet *Potentiam* Dei, & *Potentiam rerum Naturalium*, à Deo tamen certo modo determinatam vel (ut plerique, ait, magis hodierno tempore ſentiunt) creatam. Alteram, quòd Dei Potentiam ac Providentiam quàm clariſſimè conſtare putant, quum aliquid in Natura inſolitum contingere vident, & Potentiam Naturæ à Deo quaſi ſubactam imaginantur. Dum verò has opiniones tanquam vulgi opiniones carpit, planè ſupponit eſſe errores, cùm tamen admodum ſana veráque ſint dogmata & ſapientiſſimo Philoſopho haudquaquam indigna. Nam vel ex ipſa Idea Dei quam *Spinozius* hîc toties crepat, Naturam à Deo creatam eſſe conſtat, alioqui non eſſet *Ens abſolutè perfectum*. Deus autem & Creatura numero à ſe invicem ſunt diſtincti, & conſequenter potentiæ ipſorum à ſe invicem numero diſtinctæ, niſi fingere velis Creaturam totámq; adeò Naturam omnis potentiæ expertem creari.

Quod veſanum quidem foret commentum. Manifeſtum eſt igitur ***Potentiam*** Dei & ***potentiam Naturæ*** duas eſſe potentias à ſe invicem numero diſtinctas. Ac propterea cùm Potentia Divina naturali major ſit & quæ Naturæ pro re nata imperare poſſit, vera miracula poſſe dari. Alterámque quam vocat vulgi opinionem veram eſſe. De Divina ſcilicet Providentia per miracula perquam clariſſimè conſtare, ***Divinámq;*** eſſe ***Naturam*** à materia ***Spirituque Naturæ*** qui communes Naturæ leges vitaliter complectitur, revera diſtinctam, peſſiméq; ***Spinozium*** feciſſe qui adeò totis nervis adniſus eſt * hanc opinionem de Miraculis ex hominum mentibus delere.

Opinionem de Miraculis quatuor modis Spinozium *ſubvertere conari.*

19. Quod quidem conatus eſt quatuor hiſce modis: Primùm, probando nihil contra Naturam contingere, ſed ipſam æternum, fixum & immutabilem ordinem ſervare. Deinde, nos ex Miraculis nec eſſentiam nec exiſtentiam, & conſequenter nec providentiam Dei poſſe cognoſcere. Tertiò, ex aliquot Scripturæ exemplis oſtendendo ipſam Scripturam per ***Dei decreta*** & volitiones & conſequenter per Providentiam nihil aliud intelligere quàm ***ipſum Naturæ ordinem*** qui ex ejus æternis legibus neceſſariò ſequitur. Et quartò denique, addendo quædam de ratione miracula Scripturæ interpretandi, *&c.* Primum ſic demonſtrari poſſe prætendit: Siquid utique in Natura contingeret quod ejus univerſalibus legibus repugnaret, quòd id decreto & intellectui & naturæ Divinæ neceſſariò etiam repugnaret; vel ſic: ***Si Deus aliquid contra leges Naturæ ageret, is ſimul contra ſuam ageret Naturam, quia leges Naturæ univerſales decreta Dei ſunt quæ ex neceſſitate & perfectione Naturæ Divinæ ſequuntur. Nam nihil verum eſſe contendit niſi ex ſolo Divino decreto neceſſario; omnia autem quæ vera ſunt ſic eſſe ex ſolo Divino decreto, quòd idem in Deo ſit intelligere ac velle, quódve Dei intellectus à Dei voluntate non diſtinguatur.*** Sed hoc ultimum fundamentum in quod tota demonſtratio reſolvitur, falſiſſimum eſſe ſuprà probavi. Intelligit enim Deus malum rerum ordinem, nec tamen eum vult; intelligit omnes poſſibiles Univerſi condendi varietates, cùm tamen unica ratio exiſtit actu, ſed ex hoc fundamento omnes exiſterent quippe quas omnes vellet, ſi nihil intelligit niſi quod vult, quæ aperta eſt contradictio. Immò cùm univerſales quaſdam Naturæ leges ſive ***materiæ*** ſive ***Spiritui Naturæ*** inſeverit, intellexerítque vera Miracula contra iſtas leges eſſe, vult ergo vera Miracula ac proinde aliquando fiunt. En impium Sophiſtam ſuis captum laqueis! Manifeſtum eſt niſi quis datâ operâ cæcutire velit, cùm Deus & Natura duæ res ſint diſtinctæ alteráque ab altera creata, Materiáque à ***Spiritu Naturæ*** creato ſecundùm leges quaſdam ipſi inſitas univerſales moveatur, Deum qui infinitò potentior eſt Naturâ, legum iſtarum operationes pro re nata ſiſtere poſſe aut variare. Sed hoc monſtrum erroris apud ſe clàm fovere ſuſpicor ***Spinozium***, nullum Deum eſſe præter Naturam, immò verò haud obſcurè inſinuat in altero quòd breviter innuit argumento hiſce verbis. ***Idem etiam facilè ex hoc poſſit oſtendi, quòd nimirum, Potentia Naturæ ſit ipſa Divina Potentia ac Virtus, Divina autem Potentia ſit ipſiſſima Dei eſſentia, ſed hoc in præſentiarum libentiùs omitto:*** Sic ille. An verò hìc quicquam præter Motum ac Materiam eorúmq; fructus indigitet, quivis qui naſo non ſit nimis obeſo judicet, præſertim cùm paulò pòſt Naturæ Potentiam infinitam ſtatuat, quâ igitur nihil ſuperius ac Divinius fingi poteſt. Et tamen ut hanc impietatem occultet argumentúmque ad vulgus adhibeat, indignum ait eſſe Deo ut Naturam adeò impotentem crearet ejúſque leges ac regulas adeò ſteriles ſtatueret, ut ſæpe de novo ei ſubvenire cogatur ſi eam conſervatam vult, & ut res ex voto ſuccedant, *&c.* Ad quod reſpondeo, ità datâ operâ Naturam à Deo creatam eſſe ut Creatori quoties lubet ejúſve liberis Providentiæ Miniſtris pro re nata morigera ſit, ordinémque ſuum uſitatum deſerat, ut eò clariùs conſtet de exiſtentia ***Dei*** & ***Angelorum***, déque ***Divina Providentia***, & omnia à ſola Natura non dependere. Naturam tamen ſic conſtitutam in ſuo genere ſatìs perfectam eſſe, nec de novo hìc ſubvenire Deum ad conſervationem ***Naturæ***, ſed ad ſalutem hominum lapſorum, quorum plerique omnes faciliùs Dei Exiſtentiam & Providentiam ex miraculis intelligunt, quàm ſi nihil contingeret ſupra vires Naturæ, contrà ac ſtatuit ***Spinozius***, qui ſecundo loco contendit nos ***ex miraculis nec Dei Eſſentiam nec Exiſtentiam nec Providentiam poſſe intelligere.***

Modus primus.

Modus ſecundus.

20. Quibus autem argumentis id efficere velit, nunc videamus. Primi argumenti vis breviter ſic eſt: Cùm Dei Exiſtentia non ſit per ſe nota, concludi debet ex notionibus tam certis & inconcuſſis, ut à nulla Potentia mutari poſſint. Nam ſi concipere poſſemus ab ulla Potentia poſſe mutari, non certi eſſe poſſemus de Dei exiſtentia. Porrò nihil cum Natura convenire vel ei repugnare ſcimus, niſi id quod cum iſtiuſmodi certis principiis conveniat aut eis repugnet. Quare ſi concipere poſſemus aliquid in Natura ab aliqua Potentia qualicumque poſſe fieri quod Naturæ repug-

net, id iſtiuſmodi notionibus repugnaret, ideóque ut abſurdum rejiciendum eſſet, aut de certiſſimis notionibus ac propterea de ipſa Dei exiſtentia dubitandum. Unde manifeſtum eſt tantum abeſſe ut miracula exiſtentiam Dei probent, ut è contra eandem in dubium vocent. Verùm nego *nihil convenire cum Natura vel ei repugnare niſi quod ex iſtiuſmodi certiſſimis, neceſſariis & abſolutè immutabilibus principiis conveniat aut repugnet.* Leges enim Naturæ univerſales non tali neceſſitate ex Divino Intellectu oriuntur quali affectio trianguli, ut habeat tres angulos duobus rectis æquales; ſed Divino conſilio in *Spiritum Naturæ* à Deo creatum ſimul inſeruntur, itáque in bonum univerſi attemperantur, ut quamvis, niſi aliquod ponatur impedimentum, conſtanter uno modo agant; impedimento tamen poſito ab aliquo libero Agente, operatio inhibeatur aut varietur. Id quod libera Agentia etiam creata efficere poſſunt, infinitóque faciliùs Agens illud liberum increatum Deus. Quando verò iſtiuſmodi ſit inhibitio aut variatio quam manifeſtum ſit nullum hominem aliámve ullam cauſam naturalem viſibilem ſenſibilémve feciſſe, equidem non ſine ratione effectum aut in Angelorum miniſterium, aut in Deum ipſum eſt rejiciendum. Ut verbi gratiâ, ſi ingens ſaxum nullo facto flatu terreſtri, lentè à terra in aerem aſcenderet, hoc fieret contra legem Naturæ, & manifeſtò aut ad Angelum aliquem aut ad Deum eſſet referendum.

Hujuſmodi fuit primum illius argumentum ex natura miraculi ſumptum, quatenus contra leges Naturæ fit. Alterum eſt quatenus opus eſt quod captum humanum ſuperat. Ex opere enim quod captum noſtrum ſuperat, nihil intelligi poſſe contendit. Quod quidem argumentum valdè leve ac ludicrum eſt. Ut in modò dato exemplo de ſaxo aſcendente. Ipſum effectum nobis notiſſimum eſt, atque æquè nota lex illa Naturæ univerſalis de deſcenſu gravium verſùs centrum Terræ. Hæc ſupra captum noſtrum non ſunt. Imò verò quia has aliáſque Phænomeni circumſtantias tam clarè percipimus, meritò ſupra captum noſtrum concludimus hoc omnino fieri poſſe, niſi ope aut Dei aut Angelorum. Nóſque oportet aut ſecundùm captum noſtrum facultatéſve mentis humanæ pronunciare, aut ſilere. Silere verò hîc in re tam manifeſta prorſus eſſet ſtupere. Præſertim ſi ad preces pii alicujus viri hoc contingeret aut ad Magi alicujus exorciſmum.

Tertium argumentum aliquanto ſolidius eſt quod urget, cùm Miraculum opus limitatum ſit nec unquam niſi certam ac limitatam potentiam exprimat, nos ex tali effectu non poſſe concludere exiſtentiam cauſæ cujus potentia ſit infinita, Exiſtentiam ſcilicet Dei. Ad quod reſpondeo: Et cùm omnis creata potentia finita ſit, quippe cùm Mundus ipſe ſit finitus, ut in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtro, nec ex legibus Naturæ univerſalibus Exiſtentia cauſæ infinitæ ex hac ratione concludi poſſit. Et ſi Mundus infinitus eſſet cùm nos finitam tantùm illius partem percipere poſſumus, perinde, quantùm ad noſtram ſcientiam, res ſeſe haberet. Cæterùm tametſi nullus effectus à nobis ſatis compertus infinitæ Dei potentiæ adæquatus ſit; ità tamen humana anima comparata eſt ut præ naturali ſua ſagacitate (modò conſtet de exiſtentia Eſſentiæ ſpiritualis intelligentis quæ Mundanæ materiæ leges dederit, aut particularis alicujus ſubſtantiæ intellectualis inviſibilis, quales ſunt Angeli) nolens volens feratur ad firmiſſimum aſſenſum quòd Ens primum quoddam ſit ſummè abſolutéque perfectum quod appellamus Deum. Unde miraculorum utilitas ad ingenerandam animis noſtris fidem de Exiſtentia Dei, quanquam opera limitata ſunt nec niſi limitatam potentiam exprimunt, ſatis planè innoteſcit. Ut aſcenſus ſaxi ſuprà memorati, pone quòd potentiam & exiſtentiam Angeli tantùm evincat, per hanc ſolam tamen feneſtram tota intrabit Religio. Unde fit ut homines Athei ac prophani narrationibus de Angelis ac Spiritibus omnibúſque eventis quæ eos arguant tam infenſi ſint, diligentiámque adhibeant quantam poſſunt maximam ut omnis eis adimatur fides.

Quartum denique addit argumentum, ſed elumbe admodum atque languidum, quaſi ex Scriptura pateret miracula nihil facere ad cognitionem Dei, ejúſque Providentiæ, quippe quæ ſupponit etiam Prophetas falſos facere poſſe Miracula ad populum ſeducendum ad Deos alienos. *Iſraelitas* è miraculis nullum ſanum conceptum de Deo formare potuiſſe ſed vitulum, proh pudor! eorum Dei fuiſſe Ideam; *Aſeph* de Divina Providentia dubitâſſe, & ſimilia. Sed ad iſta breviter reſpondeo, Etiam falſorum *Prophetarum* miracula ad cognitionem Dei facere, quatenus ad cognitionem ducit Angelorum (ut ſuprà monui) Divinámque illuſtrare Providentiam, utpote quibus Deus probat populum ſuum, aliquídque innuit ſanctius ac Divinius potentiâ æſtimandum, quod ſi deſit, nè miraculis quidem credendum eſſe tanquam ſignis infallibilibus veritatis. Et quanquam *Iſraelitæ* perfectam philoſophicámque Dei Ideam ex miraculis edocti non ſint, illius tamen Exiſtentiam Eſſentiámque intelligentem ac rebus humanis invigilantem intellexerunt, de quibus tamen Philoſophi qui vulgus adeò contemnunt, ſæpiùs quàm par eſt dubitant. Vitulum autem *Iſraelitici* Dei fuiſſe Ideam, inurbanum eſt maligni Philoſophaſtri mendacium. Et quid ſi *Aſeph* denique & alii aliqui boni viri quibus *Moſaicorum* miraculorum hiſtoria nota eſſet, dubitaverint ad tempus de Providentia? hoc non magis tollit miraculorum efficaciam atq; uſum, quàm ægrotatio quorundam hominum ad tempus, uſum optimarum medicinarum. Sed piget tam leviculis argutiis immorari.

Modus tertius.

21. Pergimus ad modum tertium quo oſtendere vult ex Scriptura, ipſam Scripturam per *Dei volitiones ac decreta* & conſequenter per Providentiam nihil aliud intelligere quàm *ipſum Naturæ ordinem.* Argumentum ejus primum ſic eſt. Multa in Scriptura reperiuntur quæ clariſſimè indicant Dei Decretum, Juſſum, Dictum, ac Verbum nihil aliud eſſe quàm ipſam *Naturæ* actionem ac ordinem. Quare non dubium eſt quin omnia quæ in Sciptura narrantur naturaliter contigerint, quanquam ad Deum referuntur. Reſpondeo autem: Mihi quidem ſatìs conſentaneum videtur, ut ipſa Naturæ actio & ordo Juſſum, Decretum, Verbúmve Dei dicatur, quippe qui *Spiritum Naturæ*, in quo leges ordóque Materiæ mundanæ continentur, & ex illo in eam derivantur, tanquam externum Dei Verbum conſidero, ut obſervare potes in meis Scriptis; & conſequenter lubens fateor communem Dei Providentiam legibus ordinéque hujus *Spiritûs Naturæ* contineri, Divinæque Providentiæ partem rectè poſſe appellari. Eſſe verò præter hanc, *extraordinariam Dei Providentiam* aut immediatè per ſeipſum aut per Miniſtros ſuos, Angelos vulgò appellatos adminiſtratam, id eſt quod acriter contendo; mendoſéque omnino colligi, ex eo quòd actiones *Spiritûs Naturæ* Juſſa vel Decreta Dei in Scriptura appellantur, nulla alia eſſe præter iſtas Juſſa Decretáve Divina: Et quamvìs miſſio *Sauli* à Deo ad *Samuelem* cauſis ordinariis fieri poſſet, prædictio tamen illius adventûs in aurem *Samuelis*, pridie quàm adveniſſet, & multæ illæ variæque particulares rerum prædictiones *Saulo* à *Samuele* factæ, quæ redeunti ei occurſuræ eſſent in via, planè ſupra ordinem erant Naturæ; ut erant etiam *Dei Iſraelis* Angelorúmq; Patriarchis *Moſi*q; apparitiones, & multifaria illa à *Moſe* facta Miracula.

Neque enim (quod ſecundum illius argumentum eſt) ſequitur ex eo quòd *Moſes* aliquâ re *Naturali* uſus ſit in edendis miraculis, vi illius rei *naturalis* ea fuiſſe conſecuta, ſed omnino virtute *Divinâ*. Planéque ridiculum eſt imaginari ex eo quòd Chriſtus lutum & ſputum adhibuit in ſanando cæco, naturali luti ſputíque vi eum iſtud miraculum effeciſſe. Adde pleraque *Moſis* miracula ſolâ virgæ manûſve extenſione fuiſſe facta. Manum verò virgámve ad tot miraculorum varietates edendas nullam vim habere poſſe naturalem, manifeſtum eſt. Et quanquam materia ventorum quî Locuſtas introduxerunt & abſtulerunt è Terra *Egypti* naturalis erat; motus tamen eorum tunc erat ſupernaturalis & ad nutum Divinum, ut Chriſtus etiam tumultuanti Mari ac Ventis ſilentium imperâſſe dicitur. Sed ut nihilominus contra tam manifeſtam lucem abſolutè concludatur, omnia quæ in Scriptura verè narrantur contigiſſe, ea ſecundùm leges Naturæ, ut omnia, neceſſariò contigiſſe; & ſiquid reperiatur quod apodicticè demonſtrari poteſt legibus Naturæ repugnare aut ex iis conſequi non potuiſſe, planè credendum eſſe id à ſacrilegis hominibus ſacris Literis adjectum fuiſſe, ſtolidiſſima eſt occæcati Philoſophaſtri temeritas & pervicacia. Hujus enim temulentæ Aſſertionis hanc tantùm enervem addit rationem. Quicquid ſcilicet contra Naturam eſt, id contra Rationem eſſe. Quaſi verò vel optimæ rationi conſentaneum non eſſet ut ex datis occaſionibus *Prophetæ* Dei iſtiuſmodi edant opera quæ fidem populi in Deum à Natura diſtinctum, quos ut alii olim, ità hic vafer Tenebrio confundere tantopere ſatagit, excitarent.

Modus quartus.

22. Sed ad quartum modum ultimúmque pergimus, nempe ad modum miracula Scripturæ interpretandi. Qua de re tria monet: Primum, in narrandis miraculis narratores ſuas opiniones immiſcere, ut tempore *Joſuæ*, Hebræis diem non tantùm ſolito longiorem factum narratur, ſed & Solem Lunámque ſtetiſſe. Alterum, in Scriptura multa ut realia narrari quæ tamen non niſi Repræſentationes réſque imaginariæ fuerunt, ut quòd Deus à Cœlo deſcenderit & quòd mons *Sinai* propterea fumabat, *&c.* Quòd *Elias* ad Cœlum igneo curru igneis Equis aſcenderit. Tertium denique, Hebræorum Phraſes ac Tropos Propheticos occaſionem dare poſſe, ni caveas, multa affingendi Scripturæ miracula quæ ejus Scriptores nunquam enarrare cogitaverunt.

Exod. 19. 28.
Deut. 5. 28.

Ad quorum primum reſpondeo, Nihil abſurdi eſſe narratorem miraculum ſecundùm vulgarem notámque *veritatem apparentiæ* memorare, cùm vel illinc de veritate miraculi perinde poſſit conſtare. Sive enim *Terræ* ſive *Solis* motus ſiſtatur ad viginti quatuor horarum ſpatium vel ad longiſſimi diei æſtivi (ità enim planè textus innuit) perinde miraculum eſt quanquam haud æquè magnum. At verò aut ex ſcientia aut inſtinctu Divino ſic videtur loquutus *Joſua*, quemadmodum maximè conſentit cum Hypotheſi *Pythagorica*, alioqui quid opus eſt ut Lunæ curſus ſiſteretur cùm ſat luminis Sol ipſe adminiſtraturus eſſet? Sed dum motus Terræ diurnus ſiſtitur, neceſſariò ſimul ſiſtetur motus Lunæ apparens diurnus. Commentum verò *Spinozii* de refractione lucis Solis per glaciem valde hìc ineptum eſt, cùm dies in tot horas produci iſtoc quidem pacto non poſſet. Ad ſecundum, Admodum temerè ac prophanè à *Spinozio* aſſeri deſcenſum Dei in montem *Sinai* rem fuiſſe imaginariam, ut ex textu planiſſimè conſtat. Quod autem affert, Deum loco moveri non poſſe, verum eſt de nuda quidem Deitate, *Deum* verò *Iſraelis* animam fuiſſe *Meſſiæ* cum æterno *Logo* conjunctam ſuprà monui. *Eliam* autem in Cœlum igneo curru igneiſque equis revera ſublatum fuiſſe, & aſpectus *Eliſæ* & pallii *Eliæ* caſus ſatis teſtantur. Eſtque animi *Spinozii* in cœnum ſordéſq; corporis immerſi Incredulitas quæ facit ut tam aperta neget. Quod denique ad tertium attinet: Fieri quidem aliquando potuit ut ex ignorantia ſtyli *Prophetici* quidam miracula Scripturæ affingerent quæ revera non narret; nunc verò dierum ſtylus ſatis notus eſt, nec ullum reſtat talis erroris periculum. Reliqua in hoc capite tam infirma ſunt aut aliena, ut operæ pretium, præſertim cùm brevitati tantopere ſtudeam, haud duxerim ea notare.

Cap. 7. 23. Caput ſeptimum eſt de interpretatione Scripturæ, ubi vir Religioni Deóq; inſenſiſſimus multa accumulat quò Scripturarum Interpretationem rem deſperatam aut ridiculam efficiat. Noſtra verò brevitas, pro Capitis prolixitate, Notationes multiplicare non permittit. Paucis igitur ſed eiſdem præcipuis erimus contenti. Regula apud eum univerſalis interpretandi Scripturam eſt: *Nihil Scripturæ tanquam ejus documentum tribuere quod ex ipſius Hiſtoria quàm maximè perſpectum non habeamus.* Hiſtoria autem Scripturæ apud eum hæc ferè complectitur; Peritiam linguæ in qua Scripturæ ſint ſcriptæ; Collectionem ſententiarum tum perſpicuarum tum ambiguarum; vel obſcurarum aut quæ inter ſe pugnare videntur, Notationem. Per *perſpicuas* & *obſcuras* ſententias intelligit, quarum ſenſus ex contextu orationis ſic eſt, non quarum veritas facilè vel difficulter ratione percipitur; quippe quas falſas aliquando eſſe poſſe ſupponit vir pius, apertéq; profitetur ſe de *ſolo ſenſu orationum non autem de earum veritate laborare.* Complectitur porrò hæc Hiſtoria caſus omnium librorum Prophetarum, vitam ſcilicet, mores ac ſtudia authoris cujuſque libri, quiſnam fuerit, quâ occaſione, quo tempore, cui, & quâ denique linguâ ſcripſerit. Et poſtremò, qui tamen rei Apex eſt, *apprimè* ait *cavendum eſſe quamdiu ſenſum Scripturæ quærimus, nè ratiocinio noſtro, quatenus principiis naturalis cognitionis fundatum eſt, præoccupemur, ſed nè verum ſenſum cum rerum veritate confundamus, illum ex ſolo linguæ uſu eſſe inveſtigandum, vel ex ratiocinio quod nullum aliud Fundamentum agnoſcit quàm Scripturam.* Hoc poſtremum profectò quod ſibi concedi poſtulat, ſi obtinere poſſet, O quàm ovanter Scripturarum humeris inſultaret hic cachinnabundus Lemur! Hinc enim non paucæ fortean reperiri poſſent in ſacris Paginis ſententiæ falſæ, ſi verba tantùm proprio ſenſu, quo vulgò uſurpari ſolent, intelligerentur. Ut quando Deus in V. T. Ignis, in N. Lux dicitur, & ſimilia. Sed verò non ſolùm iniqua, ſed omnino excors eſt hæc ac veſana poſtulatio. Ut enim ipſa *Naturam* interpretandi methodus Logicam aut artificialem aut naturalem ſaltem, non excludit; ità nec eandem excludere poteſt vera *Scripturam* interpretandi methodus, alioqui ipſæ pecudes, ſi legere poſſent, utriuſq; æquè idoneæ forent Interpretes. At verò præter ipſam Hiſtoriam Scripturæ non ſolùm *Logicæ* principia neceſſaria ſunt ad eam rectè intelligendam, ſed & cognitio *Rhetoricæ*. Contrà ac fit in interpretatione *Naturæ*, quippe cujus loquela *res* ſunt non *verba* ac proinde nullis Tropis Figuríſve obſcuratur. Unde planè apparet, in interpretandis Scripturis aliquid adhiberi debere præter merum linguæ uſum, aut ratiocinium quod nullum aliud Fundamentum agnoſcit quàm Scripturam. Sunt enim Rudimenta *Logica* ac *Rhetorica* neceſſaria ad Interpretationem, ab his utriſque diſtincta, ut quivis, ni mente captus ſit, facilè primo intuitu deprehendet. Et denique cùm ità comparata ſit humani ſermonis natura ut Tropos ſuos habeat ac figuras, illa loca Scripturæ quæ ſimpliciter & Grammaticè intellecta ſanæ Philoſophiæ principiis Phyſicis Metaphyſicíſve aliàs adverſarentur, ſi per Analyſin *Rhetoricam* cum iſtis principiis conciliari poſſunt, optimo jure ſic reduci debent. Æquiſſimum enim eſt ac Rationi maximè conſentaneum Scripturas ſupponere, quippe à *Spiritu ſancto* dictatas, nuſquam falſum dicere. Et ſi quid uſpiam occurrit quod ſanæ Rationi ſanæve Philoſophiæ revera adverſatur, nec ullo pacto reduci poteſt, mendam eſſe lapſu temporum ſcribarúmque incuriâ ſacræ Scripturæ illatam. Veræ autem Philoſophiæ principia perinde atque Rhetoricæ ac Logicæ, cùm ille Spiritus qui Scripturas dictavit, hæc omnia humanæ Naturæ competere noverit, non adhibenda eſſe contendere, eſt planè delirare, aut impietatem ſuam prodere, oſtendendo, quàm miſerè efflictímq; cupiat ſacras Scripturas omnium contemptui ac deriſioni expoſitum iri, concedíque ſibi falſis paſſim ſcatere ſententiis & à vera Philoſophia alienis, prout vult intoleranda hujus jactabundi Philoſophaſtri Impietas. Quem hìc Prophetarum inter ſe diſſenſus in rebus ſpeculativis non pudet repetere tanquam à ſe ſuprà probatos, quod quàm falsò jactet ſuprà monuimus. Interim Methodum ſuam interpretandi Scripturas ultro fatetur id tantùm docere inveſtigare quod revera *Prophetæ* viderint aut audierint, non autem quid illis Hieroglyphicis ſignificare aut repræſentare voluerint. Unde aut ad Philoſophiam hìc recurrendum eſt aut nihil per iſta Hieroglyphica intelligendum. Ut prætercam non ſolùm Hiſtoriam Scripturæ ſed & Hiſtoriam temporum atque gentium ad explicanda vaticinia eſſe neceſſariam. Adeò ex omni parte inſanit hìc *Spinozius*, qui nihil afferri permittit ad interpretandam Scripturam, quàm quod in ipſa Scriptura inveniatur.

24. Sed ad alias pergimus interpretandæ Scripturæ difficultates, quas affundit permultas *Spinozius* quáſq; breviter indigitabimus. Ut, 1. Linguæ Hebraicæ integram cognitionem quæ nunc dierum mutila eſt. 2. Ejuſdémque, licèt integra eſſet, præter omnibus linguis communes, cauſas peculiares ambiguitatis. 3. Ut quòd literæ gutturales ה, ח, ע, א, aliæ pro aliis promiſcuè uſurpentur. 4. Quòd ו & כי quamplurimas habeant ſignificationes valdéque diverſas. 5. Quòd verba in modo Indicativo carent præſenti, præterito perfecto, pluſquam perfecto, futuro perfecto, *&c.* 6. Quòd Hebræi literas vocales non habent. 7. Quòd nullis ſignis orationes diſtinguunt. 8. Quòd ambiguitas orationis mutuâ orationum collatione illuſtrari non poteſt, quandoquidem nullus Propheta eo fine ſcripſit ut verba alterius aut ſua ipſe ex profeſſo explicaret. 9. Quòd multorum librorum Autores ſunt ignoti quâque occaſione & quo tempore ſcripſerint. 10. Quòd neſcimus præterea in quorum manus libri omnes inciderint, neque in quorum exemplaribus variæ lectiones repertæ ſint, nec deniq; an plures aliæ fuerint apud alios lectiones. 11. Et quòd quoſdam deniq; libros habemus non eâdem quâ primùm linguâ ſcriptos. De quibus difficultatibus tandem pronunciat ſe eas adeò magnas exiſtimare ut affirmare non dubitet nos verum Scripturæ ſenſum plurimis in locis vel ignorare vel ſine certitudine hariolari.

Parturiunt montes, tandem exit ridiculus mus.

Conceſſo ſic eſſe, nos Scripturæ ſenſum multis in locis non certò intelligere, ecquid magni mali indè ſequitur, cùm de rebus interim maximi momenti & ad æternam ſalutem pertinentibus ex ea certiſſimè conſtet, nec ulla verborum ambiguitas earum certitudinem obſcuret? Quinimo ipſe *Spinozius* ultro fatetur has omnes difficultates impedire tantùm poſſe quò minùs mentem *Prophetarum* aſſequamur circa res *imperceptibiles*, & quas tantùm imaginari, at non circa res quas & intellectu aſſequi & quarum clarum facilè poſſumus formare conceptum. Res enim quæ ſuâ naturâ facilè percipiuntur nunquam tam obſcurè dici poſſe quin facilè intelligantur, nec integræ linguæ peritiâ opus eſſe ad certò intelligendam mentem *Euclidis* & id genus alia. Quæ nos facilè *Spinozio* concedimus, ſed eandem planè interim de *Miraculis*, de *Apparitionibus Angelorum*, de *Animarum* humanarum *Immortalitate* & id genus reliquis, à quibus tantopere abhorret mens *Spinozii*, rationem eſſe contendimus. Hæc nempe omnia affirmari aut deſcribi manifeſtò in iſtiuſmodi Scripturæ locis quibus partialis tantùm linguæ ſive Græcæ ſive Hebraicæ cognitio, reliquæque illæ objectiunculæ nullum omninò ponunt obicem quò minùs certò intelligantur. Adeò ut cuniculis quos Religioni ſuffoderat ipſe ſit obrutus.

Et quod ad ipſas difficultates ſimpliciter attinet. 1. Quamvìs linguæ Hebraicæ peritia nunc dierum mutila ſit, conſiderandum eſt tamen eam linguam objectum habere valdè contractum vel mutilum, nempe res tantùm Bibliorum Hebraicorum, eadémque verba in variis iſtis libellis toties recurrere ut facilè ſenſus eorum quàm certiſſimus reperiatur, & ſiqua incertitudo contingat, in rebus eſſe ferè nullius momenti. 2. Quod & peculiarium cauſarum ambiguitatis illius linguæ vim maxima ex parte retundere poteſt. 3. Leve autem eſt quod objicitur de gutturalibus, quæ quanquam nunc ſono ferè confunduntur, olim non item, & characteribus, quod maximi eſt momenti, etiamnum diſtinguuntur. 4. Et licèt ו & כי tam varias diverſáſque habeant utræque ſignificationes, contextus tamen orationis facilè determinabit ad maximè commodas. 5. Idémque is præſtabit in ſignificatione temporum. 6. Quòd autem Hebræi litteras vocales primitùs non habuerunt haud uſque adeò verum eſt. Habuerunt enim י, ו, א

quas *Martinus* matres Lectionis appellat. 7. Et ſi ſigna diſtinctionis orationum & puncta, recentiora ſint Inventa, facta tamen ſunt ſecundùm antiquiſſimum legendi diſtinguendíque in legendis Bibliis modum, præſertim in rebus ullius momenti. Etenim מטה, מִטָּה legatur an מַטֶּה apud homines cordatos parùm refert. 8. Et quanquam nullus Propheta eo fine ſcripſit ut aut alterius aut ſua ipſe ex profeſſo verba explicaret; ità tamen res à Providentia dirigi aut ex ipſa rei natura fieri poteſt, ut orationum collatio ſe invicem mutuò illuſtret. 9. Quàm multorum verò librorum Autores ignoti ſint mox videndum eſt, ſed vel ignotis Autoribus ingens tamen diſcrimen apparebit homini cuivis intelligenti inter hiſtoriam *Sampſonis* & Fabulam *Orlandi* furioſi, inter aſcenſum *Eliæ* in Cœlum curru igneo & *Perſei* equo alato inſidentis volatum per Aerem ad ſuccurrendum *Andromedæ*. Nec fit ob narrationum paritatem quòd hìc adeò naſo indulgeat Philoſophus Scurra, quàm quòd nulla eſſe credat miracula & in cæca hac ſua incredulitate exultet. 10. Et parùm quidem refert in quorum manus inciderint libri, dum tam illæſos eos exiiſſe videmus & tam bonâ fide tractatos, ut vel varias lectiones notâſſe non neglexerint. Incredibilis *Judæorum* hac in re cura ac ferè ſuperſtitio omnibus nota eſt. 11. Quòd quoſdam denique libros habemus non eâdem quâ primùm linguâ ſcriptos, ii valde pauci ſunt ſi ulli, & ſi ſint, cùm libri tam ſacri tantâ fide ac diligentiâ verti ſoleant, in nulla re ullius momenti ullum eſſe poteſt periculum. Adeò ut infantiles planè næniæ ſint quas de conclamatis Scripturæ interpretandæ difficultatibus tam lamentabili voce cecinit hic Onocrotalus.

25. Atque hìc certè hujus capitis Adnotationibus finem imponerem niſi me moraretur paululùm, argutum quidem ſed falſum quoddam Dictum *Spinozii* de ſupernaturalibus auxiliis interpretandi Scripturam. *Qui lumen*, inquit, *ſupernaturale quærunt ad mentem Prophetarum & Apoſtolorum intelligendam, ii ſanè lumine naturali indigere videntur, tantum abeſt ut tales Donum Divinum ſupernaturale habere*
1. *exiſtimem*. Concluſio autem hæc ex his præcipuè Præmiſſis infertur. 1. Qui ſuper-
naturale lumen ſe nactos profitentur eorum interpretationes aliorum conſimiles repe-
2. riri, humanas ſcilicet diu cogitatas & cum labore inventas. 2. Difficultatem Scriptu-
ræ interpretandæ non oriri ex defectu virium luminis naturalis, ſed tantùm ex hominum ſocordia qui hiſtoriam Scripturæ dum eam concinnare poterant, neglexerunt.
3. 3. Denique ex eo quòd Lumen ſupernaturale donum ſupponitur Divinum fidelibus
tantùm conceſſum, apparet figmentum eſſe, quandoquidem *Prophetæ* & *Apoſtoli* non fidelibus tantùm ſed maximè infidelibus & impiis prædicare ſolebant.

Verùm ad primum reſpondeo, Eas expoſitiones quæ humanâ induſtriâ & artificio diſpoſitæ videntur, Divinâ ope inventas eſſe poſſe animóque Interpretis injectas. Ut omittam Divinum Spiritum humanis laboribus aſpirare poſſe eóſque ſecundare ac dirigere. Ad alterum, Ex defectu virium luminis naturalis planè oriri, quòd *Spinozius* miracula eſſe negat vi ſupernaturali edita. Apparitionéſq; Angelorum putat meras Prophetarum Patriarcharúmq; fuiſſe imaginationes. Hiſce enim in rebus Scripturarum hiſtoria tam perfecta eſt & expreſſa, ut nulla apud *Euclidem* propoſitio aut demonſtratio magìs planè ac perſpicuè tradita ſit. Fit igitur ex defectu virium luminis naturalis quòd Divinam veritatem ex iſtiuſmodi locis ſacræ Scripturæ *Spinozius* non intelligat, ſed ob miſellæ ſuæ animæ in corporis fæces demerſionem & propter animi faſtum, falſæque infatuationem Philoſophiæ perperam interpretetur. Ad tertium denique reſpondeo, Licèt ſupernaturale Lumen donum Divinum ſit fidelibus tantùm conceſſum, non fruſtra tamen Prophetas Apoſtolóſq; infidelibus prædicâſſe & impiis, quoniam & ea etiam prædicabant quæ infideles & impii intelligere poterant, nempe pœnitentiam ſive ceſſationem à malis operibus, Jeſum crucifixum fuiſſe, reſurrexiſſe à mortuis, & in Cœlum aſcendiſſe multis ſpectantibus diſcipulis. Hæc quidem intelligere potuerunt, quamquam experimentalia Myſteria *Regenerationis* *ſpiritûſq; promiſſi* operationes adhuc eis eſſent abſconditæ.

26. Quantùm ad *Maimonidæ* ſententiam quam tantopere exagitat *Spinozius*, proculdubio multò ſanctior eſt atque ſanior quàm ſua. Manifeſtóque verum eſt ſi Scriptura ipſa vera ſit, veram *Rationem* verámq; *Philoſophiam* ipſi non poſſe repugnare. *Spinozius* verò cùm falſiſſimis Philoſophiæ principiis imbutus ſit Naturæq; ac Dei potentiam confundat, Prophetas ac Patriarchas delirare mavult, proh ſtolidiſſimam impudentiam! quàm ſuam rationem (quæ quantilla ſit omnibus præterquam ſibi ipſi ſatìs conſtare poteſt) falſæque, quam ſibi, quæ craſſa illius eſt ignorantia, elegerit, Philoſophiæ principia vacillare. Sed piget diutiùs tam fœtido excutiendo immorari ſterquilinio. Reliqua capita velociùs tranſvolabimus.

Cap. 8, 9 & 10. 27. In tribus ſequentibus capitibus ſatìs magno molimine nec ſine acumine ſanè aliquo conatur probare, pleraque ſacra Veteris Teſtamenti Scripta non eſſe *Autographa*,

hoc eſt ~~non eſſe libros (ſic enim ille intelligit)~~ eorum Autorum quorum nomina præ ſe
ferunt. Ut verbi gratiâ, Quinque libros *Pentateuchi* non eſſe libros *Moſis*, contrà
ac vulgò creditur, tum quòd ea occurrunt in iſtis libris quæ à *Moſe* ſcribi non potuerunt 1.
ſed ab aliquo recentioris memoriæ viro; tum quòd libri quos *Moſes* ſcripſit certò 2.
numeratóq; memorantur in *Pentateucho*. Ut liber belli contra *Amalec*, *Exod.* 17.
14. (qui idem eſt qui liber bellorum Dei, *Num.* 21. 14.) & liber *Pacti*, *Exod.* 24. 4.
7. quem pauca continere ait, nempe Juſſa Dei quæ narrantur ex *Exod.* 20. 21. uſque
ad *cap.* 24. ejuſdem libri. Et Canticum deniq; *Moſis*. Hos igitur tres omnino libros
eſſe contendit quos ſcripſit *Moſes*, non autem totum *Pentateuchum*. Verùm, ad primum 1.
reſpondeo, Ex eo quòd occurrunt quædam in ſingulis *Pentateuchi* libris quæ
manum recentiorem ſupponunt quàm *Moſis*, putà manum *Ezræ*, non omnino indè
ſequi, libros eos à *Moſe* non fuiſſe ſcriptos, nempe eas res quæ recentiorem manum
non implicant. Quæ autem de morte illius ac luctu *Irſaelitarum* & de Encomiis *Moſis*
memorantur, veriſimillimum eſt ab ipſo *Joſhua* fuiſſe addita. Sed cujuſque libri
corpus, demptis pauculis iſtis quæ *Ezra* ſupponi poteſt explicationis cauſâ interſeruiſſe,
nihil valet hoc *Spinozii* argumentum ad probandum ab ipſo *Moſe* non fuiſſe ſcriptum.
Materia ſaltem *Moſis* eſt, quanquam modus loquendi mutandíſque toties primam
perſonam, ubi de *Moſe* agitur, in tertiam, *Ezræ* eſſe poſſit & fortaſſe ipſius
Moſis.

2. Quantùm verò ad alterum argumentum omnino mihi vacillare videtur, cùm Scriptura nuſquam dicat eos tres libros ſolos à *Moſe* eſſe ſcriptos, immò verò nec eos diſtinctos eſſe à *Pentateucho*. Nam *Exod.* 17. 14. jubetur *Moſes* à Deo tantùm monumentis mandare cladem illam *Amaleci*, ſuúmque de eo conſilium, quæ memorantur in hoc ipſo Capite ſecundùm juſſum Dei, nec opus eſt ullum alium librum comminiſci. Et *Num.* 21. 14. liber illic memoratus qui vocatur *liber bellorum Dei* planè carmen aliquod vetuſtius eſt quàm quod ſcribere potuerit *Moſes*, ut intelligi poteſt ex eis quæ *Druſius* & *Grotius* in hunc locum ſcripſerunt. *Librum* autem *Pacti* & *Canticum Moſis*, Pentateuchi etiam partes eſſe planè conſtat. Nec omnino ſequitur ex eo quòd *Moſes*, *Exod.* 24. *librum Pacti* in præſentem uſum, ut mane proximo populo recitaret, dicitur ſcripſiſſe, quòd nullum præterea Exodi partem ſcripſerit. Pudet ſanè tam abſonæ languidæq; ratiocinationis. Et tamen idem elumbe eſt argumentum, nempe, Quia *Moſes* memoratur *Deut.* 31. datâ occaſione & ex juſſu Dei Canticum prædictum ſcribere illúdq; filios Iſraelis docere, ergo nihil earum rerum præterea ſcripſit quæ occurrunt in *Deuteronomio*. Manifeſtum eſt igitur aut nullos diſtinctos libros ſcripſiſſe *Moſen* toto quadraginta annorum ſpacio, aut hos *Pentateuchi* ejus eſſe, quemadmodum omnes fatentur.

28. Argumenta porrò quibus librum *Joſuæ* non eſſe *Autographum* probare adnititur, ejuſdem generis ſunt; quibus igitur idem paratum eſt Reſponſum. Nihil utique incommodi eſſe, concedere quidem manum *Ezræ* recentiorem eſſe adhibitam, & ſic de libris *Judicum*, *Samuelis* & *Regum*, omnes ſcilicet hoſce libros cum libris *Pentateuchi* ab uno quaſi hiſtorico tranſcriptos fuiſſe & in eum quo invenimus ordinem digeſtos & connexos, ut qui *Judæorum* Antiquitates ab eorum prima origine uſque ad primam urbis vaſtationem ſcribere voluit. Quod ſi factum ſit ab *Eſra*, quod nec ipſe *Spinozius* diffitetur, à viro nempe apprimè pio ſummâq; integritate & Legis Antiquitatúmque Judaicarum peritiſſimo, ego certè non video quî hoc queat ſacris iſtis Scriptis ullo modo minuere fidem. Quòd autem objicit libros aliquos ſacros interiiſſe, Scriptáq; quædam Prophetarum fragmenta eſſe, numeros & Annorum & Perſonarum aliquando perperam computari, Hyſterologias reperiri aliquot aliáſq; mendas in Textum irrepſiſſe, variáſque lectiones notatas eſſe, & ſiqua ſunt id genus alia, hæc certè neminem cordatum movere debent, cùm nulla quæ is affert exempla aut quiſquam alius afferre poteſt, talia ſint quæ locis Scripturæ integris abrogent fidem. Cum quibus ſi ſuſpecta comparentur, nullius ferè ſunt rationis. Itaque omnino hîc fit ut in antiquis Picturis ab optima manu deſcriptis, ſed quæ præ vetuſtate aliquibus in partibus aut mutilæ ſint aut obſcuratæ, reliquum tamen à perito ſpectatore facilè dignoſcitur opus fuiſſe alicujus *Titiani* aut *Apellis*. Et denique ut ſummatim dicam, quod *Spinozius* cap. 7. de ſcriptis *Euclidis* aſſerit, ut de eorum veritate ſenſúque certi ſimus non opus eſſe ut integram linguæ quâ ſcripſit cognitionem habeamus, non ut vitam, ſtudia, & mores Authoris ſciamus, neque quâ linguâ aut cui neque præciſè quando ſcripſerit, non libri fortunam neque varias ejus lectiones, non quomodo nec denique quorum conſilio acceptus fuerit; idem ſanè dici poteſt de iis rebus in vetere Teſtamento quæ ad Chriſtianam Religionem confirmandam maximè ſpectant, ſi comparemus hiſtorias de Chriſto quas veriſſimas eſſe ſcimus, cum Typis *Moſaicis* ac Vaticiniis

Prophetarum, ipſi Eventus demonſtrant libros iſtos divinitus fuiſſe inſpiratos, itáque totis narrationibus apud *Moſen* atque inſpirationibus *Prophetarum* meritam conciliant fidem. Eſſéque Angelorum miniſteria nec non miracula ac Vaticinia ſpecialémque Dei ſuper populum ſuum Providentiam contrà ac vult *Spinozius*, manifeſtò evincunt. Adeò ut hic planè ſcopo ſuo exciderit, & ex omnibus quæ attulit in his tribus capitibus ad ſubruendam Religionem nè hilum quidem profecerit.

Cap. 11. 29. In capite undecimo ut Apoſtolorum Epiſtolis fidem deroget, Apoſtolos *Prophetas* fuiſſe negat, ſed *Doctores* eſſe tantùm vult. 1. Quippe quorum ſtylus non eſt *Propheticus* qualis eſt, *Sic dicit Deus*, *Sic ait Dominus exercituum.* 2. Immò verò *Paulus* vocibus animi ambigui utitur, ut *arbitramur*, & *arbitror.* 3. Item *Præ-* 1 Cor. c. 7. *ceptum Domini* dicit *ſe non habere ſed tradere quod ſentit, ut cui Dominus per miſericordiam dederit ſidum eſſe.* Et in calce illius capitis dicit, *Secundùm meam ſententiam, puto autem me quoque Spiritum Dei habere.* 4. Porrò, *ratiocinantur* ubique Apoſtoli ità ut non *prophetare* ſed *diſputare* videantur. 5. Et quæ dicunt cujuſque judicio ſubmittunt, *tanquam ſapientibus loquor, judicate vos id quod dico.* 6. Nec tantùm ratiocinantur ſed *urbanitatem* immiſcent monitionibus, *Paulò audaciùs ſcripſi vobis fratres.* 7. Juſſu Divino non ſcripſiſſe Epiſtolas nec ad hunc vel illum locum miſſos eſſe. 8. Precari *Paulum Philemonem* non mandare. 9. Diſſidium fuiſſe inter *Paulum* atque *Barnabam.* 10. *Paulúm*que alterius Apoſtoli fundamenta aliena vocâſſe, & in dogmate Juſtificationis per fidem eum à *Jacobo* diſſenſiſſe. Hæc ferè ſunt quæ accumulat ſedulus hic malignúſque Religionis impugnator ad probandum Apoſtolos ex lumine tantùm naturali ſcripſiſſe non Inſpiratione Divinâ, *Doctores* tantùm fuiſſe non *Prophetas.* Sed quàm nihili ſint quæ affert, breviter jam videbimus, poſtquam monuerimus Prophetiam & prædictionem rerum futurarum non reſtringi, ſed unumquemque qui ſpeciali aſſiſtentiâ Dei ità gubernatur in eis quæ aut loquitur aut ſcribit, ut nunquam in errorem labatur, meritò dici poſſe *prophetare*, vel ex mero lumine naturali non ſcribere. Quam Apoſtolorum conditionem eſſe contendo.

Ad primum igitur reſpondeo, quanquam ſtylum veterem propheticum non uſurpant præfando, *Sic dicit Dominus*, ſignificant tamen in Epiſtolarum ſuarum Præfationibus ſe eos eſſe Apoſtolos quibus ſpeciali modo Chriſtus promiſerat ſe adfuturum & in omnem veritatem deducturum; *Paulúm*que ipſum quanquam miraculoſæ illi *Spiritûs* miſſioni in die *Pentecoſtes* non interfuit, ad Apoſtolatum tamen vocatus eſt ſtupendo miraculo, Chriſto eum cœlitùs alloquente & increpante & ad fidem convertente. Omninò igitur impoſſibile eſt ut *Chriſtus* hujuſmodi Apoſtolos quos toti orbi tam ſtupendo modo ſuos deſtinatos Apoſtolos eſſe demonſtraverat, in rebus ullius momenti deſereret quæ ad fidem Chriſtianam pertineant propriiſque erroribus permitteret. Quod id ipſum planè eſt quod illi innuunt in Præfationibus Epiſtolarum ubi profitentur ſe *Jeſu Chriſti* vocatos Apoſtolos. Unde manifeſtum eſt eos non ex mero lumine naturali ſed aſſiſtentia Divina ſuas Epiſtolas ſcripſiſſe. 2. Quòd verò *Paulus* aliquando vocibus iſtis utitur, *arbitramur* & *arbitror*, hoc eſt λογιζόμεθα & λογίζομαι, non eſt profectò ſignum animi ambigui & dubitantis, ſed firmâ ac Divinâ planè *ratione* rem concludentis. An non enim poteſt Æternus ille *Logos* rationem etiam noſtram illuminare perinde atque per Spiritum corroborare fidem atque cor? 3. Quòd autem *Paulus* dicit ſe nullum præceptum Chriſti de Virginibus habere, ſed tantùm ex æquo bonóque conſulere ſive conſilium dare, ut qui fido animo eſſet per gratiam Chriſti, Spiritúque æquitatis imbutus, (quod tamen modeſtè de ſe, nè invidiam conflet, pronunciat) id certè magìs confirmat, eum, ubi has formulas μεωθικὰς non adhibet, infallibili autoritate tradere quæ docet ac planè Divinâ, non ſolâ vi luminis naturalis. 4. Quòd ratiocinantur autem Apoſtoli id nihil impedit quò minùs Divino Spiritu regantur (prout ad ſecundum reſpondi,) Divinâque ratione utantur. Cùm id è contrà veriſſimum ſit de iſtis Philoſophaſtris qui adeò alieno animo ſunt à Fide Chriſtiana, quòd ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς ἀυτῶν, *vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis*, adeò hìc ſine ope Spiritûs ratio humana vacillat. Unde mendosè colligitur & ſine ratione, quia *ratiocinantur* Apoſtoli, ideò non *inſpirari.* 5. Et quandoquidem ſolidè ratiocinantur, rectè *judicium appellant Sapientûm*, non autem petulantiam Philoſophaſtrorum quorum judicium inanis gloria turpíſque vivendi ratio occæcaverit. 6. Et ſi *urbanitatem* immiſcent monitis, id Divinam quandam prudentiam animíque moderationem, ad conciliandam benevolentiam, nequaquam dedecet. 7. Sed an eodem planè modo juſſi ſint Apoſtoli ſcribere Epiſtolas quo Prophetæ olim verbum Domini divulgare, non multùm refert. Verùm jubente Divinâ Providentiâ Deóque ſpeciali modo ſuperinſpectante nè quid errent ſcripſerunt, operatione Spiritûs intus nequaquam otiante, virtute cujus tam certò cognoverunt myſteria Regni Dei. Nec opus habuerunt ut ad hunc vel illum locum mitterentur, cùm jus haberent prædicandi omnibus gentibus, quanquam & ad certos locos aliquando mittebantur ex Divina Revelatione recèns facta. Ut quando vocatus eſt *Paulus* in *Macedoniam*, Act. 16. per Viſum nocturnum, quod ipſi apparuerat. Et ſi ex amore ac propenſione animi ad quoſdam citiùs proficiſci voluerunt quàm poterant, quid hoc ad Doctrinam quam aut ore aut literis tradiderunt ? Nam in eis duntaxat rebus promiſſa eſt eis infallibilitas. 8. Atque ubi *Paulus* precatur *Philemonem* cùm pro autoritate poſſet imperare, profitetur ſe id facere per charitatem qui fructus eſt Spiritûs omnium Diviniſſimus. 9. Diſſidium autem inter *Paulum* & *Barnabam* non fuit de rebus Fidei, ſed de commodiore Itineris comite. Nihil omnino autem latere homines inſpiratos ridiculi vulgi opinio eſt, fatente & deridente ipſo *Spinozio*. 10. Et poſtremò, *Act.* 15. 20. quod *Paulus* illìc appellat *alienum Fundamentum*, manifeſtum eſt eum intelligere alterius Apoſtoli Fundamentum, per quod *opus* ejus non *Doctrinam* intelligit, quaſi Apoſtoli non eandem fidei Doctrinam docerent, ut inſinuare vult hic importunus Scurra. Sancta *Pauli* ambitio erat ut idem Evangelium ſed non iiſdem in locis quibus alii prædicaverant, divulgaret, ſed ſicut ſcriptum eſt, *Quibus non eſt annunciatum de eo videbunt*, &c. *Paulum* verò à *Jacobo* in dogmate de Juſtificatione diſſenſiſſe falſiſſimum eſt. *Paulus* enim perinde atq; *Jacobus* opera requirit ad Fidem quâ juſtificemur. Apertè enim *Paulus* ſtatuit, *In Chriſto neque Circumciſionem quicquam valere nec præputium, ſed fidem quæ operatur per charitatem.* Vides igitur qualia opera excludat *Paulus*, Opera legis, vel opera carnalis hominis, non opera hominis regeniti operáve Spiritûs Chriſti; Fides quæ his deſtituta eſt mortua eſt, nec quenquam poteſt juſtificare juxta utriuſq; Apoſtoli ſententiam.

Cap. 12. 30. In duodecimo capite ſpeciem rurſus Angeli lucis induit extollendo legem cordibus noſtris inſcriptam, ut meliori jure videatur totam ſacram Scripturam pro libitu fœdè conculcare, quam & ſacram eſſe deſinere, proh inſaniam! affirmat, ſi nos deſinimus eſſe pii. Pari modo probare poſſet Divinam Conſcientiæ vocem in nobis nec Sacram eſſe nec Divinam ullámve Dei legem, quando nos ipſi non obtemperamus, quaſi Lex Dei à noſtra penderet obedientia. Lex verò firma manet ſive nos ei obtemperemus ſive ſecùs, alioqui peccando peccati immunes nos redderemus. Non eſt enim peccatum ubi nulla eſt lex. Falſum igitur eſt Scripturam tamdiu ſolummodo ſacram eſſe ejúſque orationes Divinas, quamdiu homines ad devotionem erga Deum movent, cùm aptæ natæ ſunt ad movendum niſi nobis ipſis ponamus obicem. Id æquè profectò ſtolidè dictum eſt ac ſiquis aſſereret Demonſtrationes *Euclideas* non eſſe veras, ſi nos eas negligeremus & haberemus pro Sophiſmatis. Veritates iſtæ nequaquam indè mutarentur in mendacia. Nec Prophetiæ ac miracula reliquáque Divinæ Providentiæ ſuper Eccleſiam monumenta deſinerent eſſe iſtiuſmodi Divina monumenta & ad Religionem ſuâ naturâ utilia, etiamſi eò impietatis prorumperent homines ut planè negligerentur. Quàm ſacra igitur ac Divina ex ſe Scriptura ſit hinc videmus. Quod tamen de *chartis* ac *atramento* non intelligendum eſt, ſed de *ſenſu* qui indè reflectitur, & de cognitione prædictorum illorum Divinæ Providentiæ extraordinariæ monumentorum; De *charta* autem ac *atramento* quatenus iſta conſervant. Longéque diſpar ratio eſt de *Scripturis* ſacris quò minùs illæ perire debeant, atque de Templo *Salomonis*, de *Arca Fœderis*, & ſimilibus, tum quòd hæc opera humani artificii erant non Spiritus Dei ſupra vires Naturæ operantis, tum quòd formæ memoriæque eorum, ipſis ſacris Scripturis, ad notitiam noſtram tranſmittuntur.

31. Cæterùm cùm Scriptura ſacra *Verbum Dei* etiam appelletur, hinc occaſionem ſumit
oſtendendi quibus de cauſis Scriptura ſic nuncupetur, quas tres eſſe ſtatuit. 1. Primùm, 1.
Quòd legem docet Divinam univerſalem cujus Deus Æternus eſt Autor. 2. Deinde 2.
quia Prædictiones rerum futurarum tanquam Dei decreta narrat. 3. Et denique quia ii 3.
qui reverà fuerunt ejus Autores, utplurimum non ex communi naturali lumine ſed quodam
ſibi peculiari docuerunt & Deum eadem loquentem introduxerunt. 4. Additq; 4.
quamvìs præter hæc plura in Scriptura contineantur quæ merè hiſtorica ſunt & ex lumine
naturali percepta, nomen tamen à potiori ſumi. 5. Vult autem Deum Autorem 5.
Bibliorum, propter Divinam Legem univerſalem, quam & veram Religionem vocat, intelligi.
6. Veram autem hanc Religionem vereq; catholicam & maximè naturalem in Vetere 6.
perinde atque Novo Teſtamento doceri, in Vetere autem tanquam legem *Patriæ*
& ex *vi pacti* tempore initi, in Novo tanquam *legem Catholicam* & ex ſola vi Paſſionis
Chriſti omnibus per Apoſtolos prædicatam, nec novam tunc fuiſſe niſi reſpectu hominum

num qui eam non noverant. Quam ſuam ſententiam deniq; probat dicto illo S. *Johannis, In mundo erat & mundus non novit eum.*

1. Quæ ſingula ordine nunc breviter excutiemus. 1. Quòd igitur ait Scripturam
Verbum Dei dici propter *Legem Divinam univerſalem*, quam & *maximè naturalem*
vocat, quippe cujus Deus Æternus eſt Autor, id certè nequaquam verum eſt illius
ſenſu, nempe quatenus lex eſt maximè naturalis mentibúſque humanis inſita. Hac enim
ratione non dicitur *Verbum Dei*, ut Scripturis continetur, ſed quatenus viri ſancti
Spiritúque Dei modo ſupernaturali afflati miraculíſque inſtructi, unde conſtet Deum
ipſum per eos locutum eſſe, populo illud communicârunt. Quod quidem quemadmodum
veriſſimum eſt, ità profectò ingens eſt illius & ineffabilis utilitas, ut lapſum genus
humanum non relinquatur dubiis ac debilibus corruptæ conſcientiæ Reliquiis,
ſed ut lumen illud Conſcientiæ olim plenè inſitum, nunc autem obſcuratum lapſu &
ferè obliteratum & extinctum, externis his Dei monitis exuſcitetur, confirmetur & corroboretur.
Et certè Scripturam quatenus hoc ſenſu *Verbum Dei* dicitur, ſæculo hoc
vili pendere, in quo apud nimiùm multos pars Philoſophiæ præcipua eſt negare diſcrimen
honeſtorum & turpium, valde intempeſtivum eſt & planè intolerandum. Adde,
quòd eſt etiam vitæ *ſupernaturalis* manifeſtatio per Chriſtum in eis quos per Spiritum
ſuum regenerat, ad quam lex *Spinozii maximè naturalis* non pertingit, cui
nimium eſſet hîc inſiſtere. Atque hæc peculiaris cauſa eſt cur Novum Teſtamentum
Verbum Dei appelletur. Sed in genere nè ſanæ ſolidæque leges vitæ quæ in Vetere
juxtà atque Novo Teſtamento traduntur, ſeverioris tantùm cujuſdam melancholiæ
dictamina haberentur (ſi propriis noſtris conſcientiis permitteremur in hæc
terrena corpora lapſi ac demerſi) eóque nomine deriderentur à prophanis, viſum eſt
Divinæ Sapientiæ ac Miſericordiæ (ut lapſum genus humanum ad priſtinam fœlicitatem
reſtituatur) has leges vitæ (animis noſtris olim inſitas & jam ferè obliteratas)
per *Prophetas*, *Chriſtúm*que præcipuè ac *Apoſtolos* certis miraculis ſuum eſſe verbum,
& ſe per *Moſen Chriſtúm*que ac *Apoſtolos* revera locutum eſſe demonſtrare,
nè bona Conſcientiæ dictamina contemnerent homines, & quia domeſtica ſunt & quaſi
ſua, pro ſuo jure, ut volent, aut auſcultarent eis aut inſuper haberent, aut melancholiæ
2. denique vel neſcio cui alii intemperiei imputarent. 2. Quod verò ad alteram
cauſam attinet, quia prædictiones rerum futurarum tanquam decreta Dei narrat, quis
illius ſenſus ſit hac in re ex eis quæ ſuprà de *Prophetis* & *Prophetiis* effutiit, quæq;
3. illîc confutavi intelligere eſt nec opus eſt repetere. 3. Idémque dicendum eſt de
tertia cauſa quid velit per [& Deum eadem loquentem introduxerunt] : Ex eis enim
quæ de *Prophetiis* & *Miraculis* dixit, facilè quid velit intelligitur. Quæ cùm ſuprà
confutaverimus, ad alia properamus. Quanta autem neceſſitas & quàm ingens utilitas
4. ſit ut ſint *Prophetiæ* ac *Miracula*, modò à me dicta ſatìs demonſtrant. 4. Quæ
quarto loco addit, ſatìs quidem ſana ſunt. Tantùm obiter moneo per *merè hiſtorica*
& ex lumine naturali percepta eum intelligere eam hiſtoriæ partem ubi nulla vera
5. miracula occurrunt. 5. In quinto autem inſinuat nullam veram eſſe Religionem præter
Legem Divinam univerſalem, quam omnes naturalis luminis vi amplectuntur,
quo totam Religionem Chriſtianam propriè dictam uno ictu expungit. Sed hoc eſt
impudenti ac blaſphemo ore dictare non probare. Nos verò Chriſtianæ Religionis
propriè ſic dictæ ſoliditatem inexpugnabilibus argumentis in *Magno Pietatis Myſterio*
6, & 7. demonſtravimus. 6. In ſexto etiam dictat tantùm, nihil autem probat niſi locum
illum *Johannis* quis velit ſatìs firmum argumentum ad probandum Religionem
Chriſtianam temporibus Chriſti non fuiſſe novam, *In mundo erat & mundus non novit eum.*
Si illîc Chriſtiana Religio intelligitur, ſequetur per Chriſtianam
Religionem mundum fuiſſe conditum. Verſus enim integer ſic eſt : *In mundo erat,*
& mundus per eum factus eſt, ſed mundus eum non agnovit. Atenim quid eſt
quod non auſit hic Nugator ? Nos verò interim contendimus toto cœlo errare *Spinozium*
dum Chriſtum ait Religionem inſtituiſſe *maximè naturalem* & quam vi
luminis naturalis aſſequi poſſumus. Nimis profectò lapſum eſt genus humanum ut naturalibus
viribus huc pervenire poſſit. Hoc igitur peculiare eſt Religioni Chriſtianæ
atque novum, quòd in ſe Promiſſum complectitur *Spiritûs* à Chriſto factum verè
credentibus ad renovandas animas noſtras in imaginem Dei. Et cùm Chriſtus pro
nobis paſſus ſit nóſque per mortem ſuam conciliaverit Patri, indiſpenſabilis profectò
pars eſt juſtitiæ & gratitudinis ac proinde veræ Religionis eum ut Dei filium colere,
potentémque noſtrum agnoſcere Advocatum apud Patrem, nec ab eo unquam deficere.
Quod feciſſe aiunt Blaſphemum hunc Autorem, immò à *Moſe* pariter defeciſſe
atque *Chriſto*. Quem tamen aut ſemper fuiſſe *Saducæum* aut relapſum eſſe in *Saduciſmum*
vel ex hoc libro ſatìs conſtat, nequid gravius de eo ſtatuamus.

32. Reliquum hujus Capitis inſumitur, 1. Primò, in probando Scripturam ratione 1. Legis tantùm Divinæ univerſalis propriè vocari *verbum Dei*. 2. Deinde oſtendendo hoc 2. verbum Dei incorruptum ad manus noſtras perveniſſe. Prius quinque aut ſex argumentis 1. adnititur probare, quæ ſciens omitto ut quæ falſis ejus ſuppoſitionibus innituntur quas ſuprà confutavi. Eò verò omnia collineant ut appareat quamtùmlibet librorum Veteris ac novi Teſtamenti minuatur aut autoritas aut copia, certam tamen adhuc manere legem hanc *Divinam univerſalem*, unde meritò illa propriè *Verbum Dei* vocandum eſſet: cùm tamen proculdubio, niſi quatenus *Miraculis* ac *Prophetiis* ab ipſo Deo conſtet per homines Divino Spiritu afflatos prolatum aut probatum eſſe, lex hæc Divina univerſalis maximéq; naturalis *Verbum Dei* propriè ac ſenſu Scripturali dici non poteſt, ſed *Lex naturæ humanæ* ipſi per creationem à Deo inſita. Ipſaque *anima* illîc loquitur non *Deus*, quemadmodum fit in hominibus Divino Spiritu afflatis. Superadditur autem verbum hoc Dei propriè ſic dictum, ut neque in hominibus *Prophanis* nec *infirmis* nec *Hypocritis* nec *Enthuſiaſtis* Anima in hac lapſa conditione ſibi falſa dictando uſpiam imponat. Unde ſi cuncti libri tum Veteris tum Novi Teſtamenti ſub examinationem revocandi eſſent, examinatio illa non neceſſariò ſupponeret adhuc notitiam Verbi Dei propriè ſic dicti in Examinantibus, ſed notitiam traditionis Legiſq; Naturæ humanæ ſive Rationis, niſi novum velis ac pro re nata afflatum Divinum in ipſis Examinatoribus.

Et quantùm ad illam obliquam perverſámq; inſinuationem, *Quis credet quòd Deus quater hiſtoriam Chriſti narrare voluerit?* id quidem aut inſcitè aut malignè objicitur, quaſi Deus ipſe narraret hiſtoriam. Sat eſt ſi, quod nequit non facere, (ut qui omnia intuetur) ſcribenti ſuperinſpectet, & utilitates ac veritatem narrationum prævideat ac probet. Sed hæc ludicra ſunt & confutatione indigna.

Quod ad alterum attinet, *viz.* Hoc verbum Dei, quod ille propriè dictum vocat, ad 2. manus noſtras incorruptum perveniſſe, (cujus partes recenſet, *Deum ſupra omnia amare & proximum tanquam ſeipſum*, eáque quæ primæ parti hujus fundamenti conſequentia ſunt, *Deum exiſtere, omnibus providere, eſſe omnipotentem, piiſque ex ipſius decreto bene eſſe, improbis verò malè, noſtrámq; ſalutem à ſola ejus gratia pendere:* Et quæ ex altera parte emanant, *Juſtitiam defendere, Inopi auxilio eſſe, neminem occidere, nihil alterius concupiſcere*, &c.) certè ſi literam Scripturæ ſpectes, æquè incorrupta ad manus noſtras per eam venerunt hæc dogmata, *Res Eccleſiæ bonorúmque hominum miniſterio Angelorum adjuvari, Prophetias à Deo viris ſanctis de rebus longo ſæculorum intervallo diſſitis communicari, Miracula à Deo ſupra & contra leges Naturæ aliquando fieri, Statum fœlicem pios manere poſt mortem*, &c. Et niſi hæc admittantur & ob autoritatem ſacræ Scripturæ credantur, nec priora illa poſſunt, nec ratione Scripturæ omnino Dei verbum vocari. Quatenus autem principia ſunt mentibus noſtris naturaliter inſita, non propriè *verbum Dei* ſunt, ſed *noſtrum* potiùs *verbum* quod mens noſtra ex ſua natura nobis loquitur. Verbum autem Dei eſt quod Deus ipſe ab anima noſtra diſtinctus Divino afflatu externâve voce aut aliis miraculis nobis ſuum eſſe ſignificat, quippe ab ipſo, modo aliquo mirabili & ſupernaturali, non autem à nobis ipſis, profectum. Hæc autem omnia quæ ego recenſui aut reticet, aut excludit tanquam nullas *Verbi Dei* partes, *Spinozius*. Quodſi altera illa verbi Dei partes eſſe vult, quia ab omnibus hominibus tanquam vera vitæ præcepta Deóque placita agnoſcuntur, id falſum eſſe, proh dolor! præſentis ſæculi teſtatur infœlicitas, quod tot monſtra hominum peperit apud quos præcipua, quod ſuprà dixi, Philoſophiæ pars habetur, nullum agnoſcere diſcrimen honeſtorum atque turpium. Adeò nihil ſani reperire eſt per totum hoc Caput.

33. Duo ſequentia Capita tanti æſtimat Autor ut in fine poſterioris enixiſſimè roget Cap. 13, 14. Lectorem ut ea attentiùs legere & iterum atque iterum perpendere dignetur. Quod igitur feci, & certè inter legendum videbar mihi album quendam Diabolum philoſophantem vel potiùs concionantem audire. Dum enim juſtitiam & charitatem tantopere inculcat omnia alba videntur, & concionator candore quodam ſplendoréve Angelico circumfundi; dum verò eum ſubinde inſinuare obſervo imò apertè profiteri, *nullam habendam eſſe rationem veritatis in rebus Religionis ſed obedientiæ tantùm*, fœdi Cacodæmonis vocem exhorreo. Sed videamus breviter quid ſit quò tendant hæc duo Capita. Atque horum prius quidem oſtendit Scripturam non niſi ſimpliciſſima Cap. 13. docere (hæc enim *crambe* bis cocta hîc rurſus nobis obtruditur) ſolámque obedientiam intendere, nec de Divina natura aliud docere quàm quod homines certa vivendi ratione imitari poſſunt. Ad hæc confirmanda quæ *cap.* 2, 5, 6, & 7. tradidit, hîc commemorat, ad quæ cùm jam reſponderim, hîc præteribo. Sed plura hîc videtur velle ſuperaddere argumenta: ut, 1. Prophetas non peritis ſed omnibus abſolutè Judæis

prædicaviſſe, & ſic de Apoſtolis, eóſque ſalsè deridet, qui ulla in Scripturis Arcana
2. Philoſophica expectant. 2. Conſtare ex Scripturis nullam Dei cognitionem à *Prophetis*
requiri præter cognitionem Divinæ ejus Juſtitiæ & Charitatis. Etenim, *Abrahamo*,
Iſaaco & *Jacobo* Deum revelatum fuiſſe tantùm ut *El-ſhaddai*; ſub nomine autem
Jehovah quod Naturam & Eſſentiam Dei innuit, eum non fuiſſe cognitum. Et
ex teſtimonio *Jeremiæ*, *Moſis* & *Johannis* conſtare eam Dei cognitionem quæ à nobis
requiritur omnino eſſe, quòd Deus ſit ſummè juſtus, ſummè miſericors, ſive unicum
3. veræ vitæ exemplar. 3. Scripturas nullam Dei definitionem expreſsè tradere, &
4. ſic liberum eſſe hominibus de Dei natura ſentire ut poſſunt. 4. Sacra volumina impropria
de Deo loqui, eíque manus, pedes, oculos, aures, mentem, & motum localem
5. tribuere, imò Animi commotiones, Zelotypiam, Miſericordiam, *&c.* 5. Hæc non metaphoricè
eſſe interpretanda, quia tum Scriptura non plebi & rudi vulgo ſed peritiſſimis
6. tantùm & maximè Philoſophis ſcripta eſſet. 6. Denique ſi impium eſſet piè &
ſimplicitate animi hæc de Deo credere, cavere debuiſſe Prophetas ab hujuſmodi phraſibus
Deíque attributa ex profeſſo clarè docere. Hæc ferè ſunt quæ congeſſit ad probandum
Deum nullam aliam ab hominibus quàm Divinæ ſuæ Juſtitiæ & Charitatis petiiſſe
1. cognitionem. 1. Ad quorum primum reſpondeo. Ex eo quòd Prophetæ omnibus
abſolutè Judæis prædicaverunt, & Apoſtoli omne genus hominibus; credibilius
eſt ea communicâſſe quæ animos peritorum perinde atque imperitorum morarentur,
nè verbum Dei contemptui exponeretur. Et *Bereſhith* Prophetæ *Moſis* ut & *Mercava*
Ezechielis manifeſto indicio ſunt, abſtruſiſſima ac nobiliſſima Philoſophiæ arcana
in *Prophetarum* ſcriptis recondi. Et *Paulus* teſtatur ſe ſapientiam loqui inter perfectos.
2. 2. Ad ſecundum. Apertè falſum eſſe quod aſſerit. Nam & *Omnipotentiæ* illius
cognitio requiritur quippe Cœli Terræque *Creatoris*, qualis apud *Moſen* alióſq;
Prophetas deſcribitur, atque ſic ſubſtantia ejus à Cœlo Terráq; & ab univerſa adeò
Natura diſtincta indigitatur. Quam *Spinozium* hìc præterire minimè mirum eſt, ut
qui Deum Naturámque confundit. Quod autem ad nomina *El-ſhaddai* & *Jehovah*
attinet, ſenſus illius loci facilis & perſpicuus hic eſt: *Sufficientiam* meam *Abrahamo*,
Iſaaco & *Jacobo* tantùm notam fuiſſe, quòd poſſim utique dare Terram promiſſam;
jam verò fidem meam in ſervando promiſſo, reíque promiſſæ præſtationem *Moſi* inclareſcere
ut revera fiat & *exiſtat* quod promiſſum eſt, alluſione factâ ad rationem nominis
Jehovæ ab הוה *exiſtere*. Si Textum & Interpretes conſulas, hunc genuinum
loci ſenſum certò reperies. Et quòd *Moſes*, *Jeremias* & *Johannes* Juſtitiam & Charitatem
Dei ità prædicant & extollunt, non ex eo ſequitur nullam aliam notitiam Dei
præter iſtam requiri, cùm non tantùm illius *Juſtitia* & Benignitas, ſed & *Unitas*, *Æternitas*,
Immenſitas, *Omnipotentia* & *Omniſcientia* paſſim etiam apud *Prophetas* & *Apoſtolos*
3. celebratur. 3. Ac proinde quanquam in nullo uno loco illius traditur definitio,
ut ad tertium reſpondeam, facilè tamen quivis colligere poteſt ex Scripturis. Quin &
Servator generalem illius naturam expreſsè definivit ubi dicit, *Deum Spiritum eſſe, &*
qui adorant eum, oportere eum adorare ſpiritu ac veritate; Æternam nempe illam
mentem purâ mente colere, ideóque non licet ſentire ut volumus de Deo ſed quæ Deo
4. digna ſunt Divinámque Majeſtatem decent. 4. Ad quartum. De hiſce ſuprà monuiſſe
me memini *Deum Iſraelitarum*, Animam fuiſſe *Meſſiæ* cum Æterno *Logo* conjunctam,
nec ad nudam Divinitatem iſta referenda eſſe. * Dum autem *Spinozius*
[mentem] recenſet inter impropria Deo, qualem ille Deum fingit nimis quàm manifeſtò
5. patere, aut *Naturam* nempe quam cum Deo confundere ſolet, aut *nullum*. 5. Ad
quintum reſpondeo, Scripturam & plebi ſcriptam eſſe & peritis. Peritos igitur metaphoricè,
ſi iſtiuſmodi locutiones ad nudam Divinitatem referant, poſſe interpretari.
Vulgus autem ſine Metaphora intelligere, cùm à veritate non abhorreant, ſi referantur
6. ad *Deum Iſraelis* ſuprà dictum. 6. Denique nihil opus fuiſſe ut Prophetæ ab
iſtiuſmodi phraſibus caverent cùm mentem populi fortiùs ferirent, nec in ullum errorem
inducerent circa *Deum Iſraelis* de quo illi dictas ſemper intelligebant. Atque
hæc interim Chriſtianam fidem de Divinitate Chriſti majorem in modum confirmant.

Cap. 14. 34. Pergimus nunc ad Caput poſterius, ubi definitur quid ſit *Fides*, quinam *Fideles*,
1. Fideíq; *Fundamenta* determinantur. 1. Primò autem ex præcedente capite aſſumit
ſcopum Scripturæ tantùm eſſe obedientiam docere. Obedientiam verò hanc in hoc
2. ſolo conſiſtere, *ut amemus proximum tanquam noſmetipſos*. 2. Hinc igitur Fidem definit,
eſſe ſcilicet *talia ſentire de Deo quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia,*
3. *& hac obedientiâ poſitâ neceſſariò ponuntur.* 3. Cujus primum Conſectarium
4. eſſe ait, Fidem non per ſe ſed ratione obedientiæ ſalutiferam eſſe. 4. Alterum, Solos
5. Fideles eſſe qui ſunt obedientes. 5. Tertium, Fidem non tam requirere vera quàm

pia dogmata, hoc eſt, talia quæ animum ad obe
autem prædictæ definitionis Conſectarium eſt recta n
determinatio, quæ ſeptem omnino eſſe ſtatuit. I.
ſummè juſtum & miſericordem, ſive veræ vitæ exe
cum. III. Eum ubique eſſe præſentem vel omnia
ſupremum habere jus & dominium. V. Cultum D
Juſtitia & Charitate ſive amore erga proximum c
vendi ratione Deo obediunt ſalvos tantùm eſſe, r
luptatum vivunt perditos. VII. Denique Deum
7. Poſtremò adjungit tanquam totius diſceptation
giam & Philoſophiam quoad ſcopos & fundament
ſophiæ enim ſcopum nihil eſſe præter veritatem,
tiam, &c.

Ad ſingula jam ordine reſpondebimus. 1. Ad pri
tam noſtram complecti obedientiam. Nam ipſa non ſ
Amorem Dei, ***Sobrietatem*** porrò & ***Continentiam***,
ac *ſobriè* vivamus in præſenti ſæculo. *Amare* aut
cognoſcamus. Studium igitur veræ cognitionis Dei,
Scriptura teſtatur, χωρὶς ἐπιστήμης ψυχὴν εἶναι ἀγαθ
eſſe bonam. 2. Ad ſecundum. Quæritur quæ fides
Moſaica eſt neque ***Chriſtiana*** nempe ſuo ſenſu int
quibus nec ***Moſaica*** nec ***Chriſtiana*** Fides cognita e
erga proximum. Immò verò nec veram integrámqu
plectitur hæc Fidei definitio, quum per ***obedienti***
intelligit quàm ***Juſtitiam ac Charitatem erga Proxi***
tiâ erga Deum, quibus continetur legitimus illius
Divinam Majeſtatem. Unde manifeſtum eſt hanc Fid
intelligitur, mancam eſſe atque falſam minimèque ad e
Naturalem Religionem refertur, nedum Chriſtianam.
ſatìs univerſaliter verum eſt. 4. Alterum non item,
rectam tenent Fidem. Nam poteſt quiſpiam omnia
recenſentur tenere, & tamen legi Fraternæ Charitati
ſectario planè innoteſcit Autorem ludicram tantùm
& Nugatorem egiſſe hac in re omniſque veræ Relig
magìs ridiculum eſſe poteſt quàm ut objectum Fid
immò fortè impoſſibile ſit? hoc enim ille ex iſta def
rem Proximi. Hinc prævidere licet quâ fidelitate h
I. Et certè primum illud fundamentum aliis in lo
Deum nec juſtum eſſe poſſe nec miſericordem. Et
tem Sanctitatémve Dei hoc in loco addere debuit
ponit, quemadmodum ſcriptum eſt, *Eſtote ſancti*
Qui habet hanc ſpem, purificat ſe, ſicut & ille p
tate Dei, qui, ut ſuprà monui, Deum cum Natur
cum niſi ex perfectione ſuæ naturæ demonſtrari no
Sed quantùm ad rationem quam affert ***Spinozius***
nempe ut *ſupremam devotionem*, ***admirationem*** &
quæ Dei perfectiones ob eandem rationem, quamvis
tanquam fundamenta Fidei debent proponi & credi
tas, *Præſcientia*, &c. III. Hoc etiam falſum agno
propria Deo, *mentem appellari*, ut ſuprà notavimu
hic Sophiſta, abſolutum hic Dei addere potuit in
miracula contra aut ſupra leges illius. Sed nunqua
Natura confundit. V. In ſola Juſtitia & Charita
ſiſtere ſuprà probavi falſum. Id certè rectè vocari
cum relatione ad illius mandata ſit. ***Cultum*** verò De
jus partes potiùs ſunt quæ cum ſecundo Fundament
ſcilicet ***Devotio***, ***Admiratio*** & ***Amor erga Deum.***
rum actionem, quas minimè mirum eſt ***Spinozium***
Mentem eſſe negat demens Philoſophaſter, ac proi
cem. VI. In hoc fundamento nimis modeſtè ac re
hanc vitam ſalute aut perditione indicans ſed tan
perditos, quippe circa res futuræ vitæ incredulus

prædicaviſſe, & ſic de Apoſtolis, eóſque falsè deridet, qui ulla in Scripturis Arcana
2. Philoſophica expectant. 2. Conſtare ex Scripturis nullam Dei cognitionem à *Prophetis*
requiri præter cognitionem Divinæ ejus Juſtitiæ & Charitatis. Etenim, *Abrahamo*,
Iſaaco & *Jacobo* Deum revelatum fuiſſe tantùm ut *El-ſhaddai*; ſub nomine autem
Jehovah quod Naturam & Eſſentiam Dei innuit, eum non fuiſſe cognitum. Et
ex teſtimonio *Jeremiæ*, *Moſis* & *Johannis* conſtare eam Dei cognitionem quæ à nobis
requiritur omnino eſſe, quòd Deus ſit ſummè juſtus, ſummè miſericors, ſive unicum
3. veræ vitæ exemplar. 3. Scripturas nullam Dei definitionem expreſsè tradere, &
4. ſic liberum eſſe hominibus de Dei natura ſentire ut poſſunt. 4. Sacra volumina impropria
de Deo loqui, eique manus, pedes, oculos, aures, mentem, & motum localem
5. tribuere, imò Animi commotiones, Zelotypiam, Miſericordiam, *&c.* 5. Hæc non metaphoricè
eſſe interpretanda, quia tum Scriptura non plebi & rudi vulgo ſed peritiſſimis
6. tantùm & maximè Philoſophis ſcripta eſſet. 6. Denique ſi impium eſſet piè &
ſimplicitate animi hæc de Deo credere, cavere debuiſſe Prophetas ab hujuſmodi phraſibus
Deíque attributa ex profeſſo clarè docere. Hæc ferè ſunt quæ congeſſit ad probandum
Deum nullam aliam ab hominibus quàm Divinæ ſuæ Juſtitiæ & Charitatis petiiſſe
1. cognitionem. 1. Ad quorum primum reſpondeo. Ex eo quòd Prophetæ omnibus
abſolutè Judæis prædicaverunt, & Apoſtoli omne genus hominibus; credibilius
eſt ea communicâſſe quæ animos peritorum perinde atque imperitorum morarentur,
nè verbum Dei contemptui exponeretur. Et *Bereſhith* Prophetæ *Moſis* ut & *Mercava
Ezechielis* manifeſto indicio ſunt, abſtruſiſſima ac nobiliſſima Philoſophiæ arcana
in *Prophetarum* ſcriptis recondi. Et *Paulus* teſtatur ſe ſapientiam loqui inter perfectos.
2. 2. Ad ſecundum. Apertè falſum eſſe quod aſſerit. Nam & *Omnipotentiæ* illius
cognitio requiritur quippe Cœli Terræque *Creatoris*, qualis apud *Moſen* alióſq;
Prophetas deſcribitur, atque ſic ſubſtantia ejus à Cœlo Terráq; & ab univerſa adeò
Natura diſtincta indigitatur. Quam *Spinozium* hìc præterire minimè mirum eſt, ut
qui Deum Naturámque confundit. Quod autem ad nomina *El-ſhaddai* & *Jehovah*
attinet, ſenſus illius loci facilis & perſpicuus hic eſt: *Sufficientiam* meam *Abrahamo*,
Iſaaco & *Jacobo* tantùm notam fuiſſe, quòd poſſim utique dare Terram promiſſam;
jam verò fidem meam in ſervando promiſſo, reíque promiſſæ præſtationem *Moſi* inclareſcere
ut revera fiat & *exiſtat* quod promiſſum eſt, alluſione factâ ad rationem nominis
Jehovæ ab הוה *exiſtere*. Si Textum & Interpretes conſulas, hunc genuinum
loci ſenſum certò reperies. Et quòd *Moſes*, *Jeremias* & *Johannes* Juſtitiam & Charitatem
Dei ità prædicant & extollunt, non ex eo ſequitur nullam aliam notitiam Dei
præter iſtam requiri, cùm non tantùm illius *Juſtitia* & Benignitas, ſed & *Unitas*, *Æternitas*,
Immenſitas, *Omnipotentia* & *Omniſcientia* paſſim etiam apud *Prophetas* & *Apoſtolos*
3. celebratur. 3. Ac proinde quanquam in nullo uno loco illius traditur definitio,
ut ad tertium reſpondeam, facilè tamen quivis colligere poteſt ex Scripturis. Quin &
Servator generalem illius naturam expreſsè definivit ubi dicit, *Deum Spiritum eſſe, &
qui adorant eum, oportere eum adorare ſpiritu ac veritate*; Æternam nempe illam
mentem purâ mente colere, ideóque non licet ſentire ut volumus de Deo ſed quæ Deo
4. digna ſunt Divinámque Majeſtatem decent. 4. Ad quartum. De hiſce ſuprà monuiſſe
me memini *Deum Iſraelitarum*, Animam fuiſſe *Meſſiæ* cum Æterno *Logo* conjunctam,
nec ad nudam Divinitatem iſta referenda eſſe. * Dum autem *Spinozius*
[mentem] recenſet inter impropria Deo, qualem ille Deum fingit nimis quàm manifeſtò
5. patere, aut *Naturam* nempe quam cum Deo confundere ſolet, aut *nullum*. 5. Ad
quintum reſpondeo, Scripturam & plebi ſcriptam eſſe & peritis. Peritos igitur metaphoricè,
ſi iſtiuſmodi locutiones ad nudam Divinitatem referant, poſſe interpretari.
Vulgus autem ſine Metaphora intelligere, cùm à veritate non abhorreant, ſi referantur
6. ad *Deum Iſraelis* ſuprà dictum. 6. Denique nihil opus fuiſſe ut Prophetæ ab
iſtiuſmodi phraſibus caverent cùm mentem populi fortiùs ferirent, nec in ullum errorem
inducerent circa *Deum Iſraelis* de quo illi dictas ſemper intelligebant. Atque
hæc interim Chriſtianam fidem de Divinitate Chriſti majorem in modum confirmant.

Cap. 14. 34. Pergimus nunc ad Caput poſterius, ubi definitur quid ſit *Fides*, quinam *Fideles*,
1. Fideiq; *Fundamenta* determinantur. 1. Primò autem ex præcedente capite aſſumit
ſcopum Scripturæ tantùm eſſe obedientiam docere. Obedientiam verò hanc in hoc
2. ſolo conſiſtere, *ut amemus proximum tanquam noſmetipſos*. 2. Hinc igitur Fidem definit,
eſſe ſcilicet *talia ſentire de Deo quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia,
3. & hac obedientiâ poſitâ neceſſariò ponuntur*. 3. Cujus primum Conſectarium
4. eſſe ait, Fidem non per ſe ſed ratione obedientiæ ſalutiferam eſſe. 4. Alterum, Solos
5. Fideles eſſe qui ſunt obedientes. 5. Tertium, Fidem non tam requirere vera quàm

pia dogmata, hoc eſt, talia quæ animum ad obedientiam moveant. 6. Potiſſimum 6.
autem prædictæ definitionis Conſectarium eſt recta numeri *Fundamentalium Fidei*
determinatio, quæ ſeptem omnino eſſe ſtatuit. I. Deum (hoc eſt Ens ſupremum) I.
ſummè juſtum & miſericordem, ſive veræ vitæ exemplar exiſtere. II. Eum eſſe unicum. II.
III. Eum ubique eſſe præſentem vel omnia ipſi patere. IV. Ipſum in omnia III. IV.
ſupremum habere jus & dominium. V. Cultum Dei ejúſque obedientiam in ſola V.
Juſtitia & Charitate ſive amore erga proximum conſiſtere. VI. Omnes qui hac vivendi VI.
ratione Deo obediunt ſalvos tantùm eſſe, reliquos autem qui ſub imperio voluptatum
vivunt perditos. VII. Denique Deum pœnitentibus peccata condonare. VII.
7. Poſtremò adjungit tanquam totius diſceptationis Conſectarium ultimum, *Theologiam* 7.
& Philoſophiam quoad ſcopos & fundamenta, toto cœlo diſcrepare. Philoſophiæ
enim ſcopum nihil eſſe præter veritatem, Fidei autem nihil præter obedientiam,
&c.

Ad ſingula jam ordine reſpondebimus. 1. Ad primum, Amorem proximi non totam 1.
noſtram complecti obedientiam. Nam ipſa non ſolùm Ratio ſed & Scriptura jubet
Amorem Dei, *Sobrietatem* porrò & *Continentiam*, non ſolùm ut *juſtè* ſed ut *piè*
ac *ſobriè* vivamus in præſenti ſæculo. *Amare* autem *Deum* non poſſumus niſi ipſum
cognoſcamus. Studium igitur veræ cognitionis Dei, noſtræ obedientiæ eſt pars, ipſáq;
Scriptura teſtatur, χωρὶς ἐπιστήμης ψυχὴν οὐκ εἶναι ἀγαθὴν, *Sine ſcientia animam non*
eſſe bonam. 2. Ad ſecundum. Quæritur quæ fides ſit quam ſic definit, neque enim 2.
Moſaica eſt neque *Chriſtiana* nempe ſuo ſenſu intellecta. *Infideles* enim multi ſunt
quibus nec *Moſaica* nec *Chriſtiana* Fides cognita eſt, qui amorem tamen coluerunt
erga proximum. Immò verò nec veram integrámque *Religionem Naturalem* complectitur
hæc Fidei definitio, quum per *obedientiam erga Deum* ille nihil præterea
intelligit quàm *Juſtitiam ac Charitatem erga Proximum*, omiſſâ *charitate & juſtitiâ*
erga Deum, quibus continetur legitimus illius cultus dignæque opiniones circa
Divinam Majeſtatem. Unde manifeſtum eſt hanc Fidei definitionem prout ab Autore
intelligitur, mancam eſſe atque falſam minimeque adæquatam, nè quatenus quidem ad
Naturalem Religionem refertur, nedum Chriſtianam. 3. Primum illud conſectarium 3.
ſatis univerſaliter verum eſt. 4. Alterum non item, ſi per *Fideles* intelligantur qui 4.
rectam tenent Fidem. Nam poteſt quiſpiam omnia illa *Fidei fundamenta* quæ poſtea
recenſentur tenere, & tamen legi Fraternæ Charitatis non obedire. 5. Ex tertio Conſectario 5.
planè innnoteſcit Autorem ludicram tantùm propoſuiſſe Fidei definitionem
& Nugatorem egiſſe hac in re omníſque veræ Religionis ſubſannatorem. Quid enim
magìs ridiculum eſſe poteſt quàm ut objectum Fidei non ſolùm incertum ſed falſum 6.
immò fortè impoſſibile ſit? hoc enim ille ex iſta definitione admittet, ſi faciat ad amorem
Proximi. Hinc prævidere licet quâ fidelitate hæc Fidei Fundamenta deſcripſerit.
I. Et certè primum illud fundamentum aliis in locis falſum eſſe apertè agnoſcit, & I.
Deum nec juſtum eſſe poſſe nec miſericordem. Et ſi ſeriò agere hîc voluiſſet, Puritatem
Sanctitatémve Dei hoc in loco addere debuit ubi Deum veræ vitæ exemplar proponit,
quemadmodum ſcriptum eſt, *Eſtote ſancti quia ego ſanctus ſum:* Et rurſus,
Qui habet hanc ſpem, purificat ſe, ſicut & ille purus eſt. Sed quid huic cum puritate
Dei, qui, ut ſuprà monui, Deum cum Natura confundit? II. Deum eſſe unicum II.
niſi ex perfectione ſuæ naturæ demonſtrari non poteſt, credi tamen fateor poteſt.
Sed quantùm ad rationem quam affert *Spinozius* cur hoc inter fundamenta ponatur,
nempe ut *ſupremam devotionem*, *admirationem & amorem erga Deum moveat*, reliquæ
Dei perfectiones ob eandem rationem, quamvìs demonſtratio ſupra vulgi captum ſit,
tanquam fundamenta Fidei debent proponi & credi, ut ejus *Immenſitas*, *Immaterialitas*,
Præſcientia, &c. III. Hoc etiam falſum agnoſcit *Spinozius* numerando inter impropria III.
Deo, *mentem appellari*, ut ſuprà notavimus. IV. Et niſi in his luderet vafer IV.
hic Sophiſta, abſolutum hic Dei addere potuit in *ipſam Naturam* dominium in edendo
miracula contra aut ſupra leges illius. Sed nunquam id lubens faciet qui Deum cum
Natura confundit. V. In ſola Juſtitia & Charitate erga Proximum cultum Dei conſiſtere V.
ſuprà probavi falſum. Id certè rectè vocari poteſt *obedientia* erga Deum ſi
cum relatione ad illius mandata fit. *Cultus* verò Deum ipſum immediatè reſpicit cujus
partes potiùs ſunt quæ cum ſecundo Fundamento à *Spinozio* recenſentur, *ſuprema*
ſcilicet *Devotio*, *Admiratio* & *Amor erga Deum*. Quibus adde preces & gratiarum
actionem, quas minimè mirum eſt *Spinozium* hîc omiſiſſe in cultu Dei, quem
Mentem eſſe negat demens Philoſophaſter, ac proinde iſtiuſmodi facit cultûs incapacem.
VI. In hoc fundamento nimis modeſtè ac reſtrictè ſe gerit, nihil de futura poſt VI.
hanc vitam ſalute aut perditione indicans ſed tantùm definiens ſalvos *hîc* fore aut
perditos, quippe circa res futuræ vitæ incredulus *Saducæus*, quem idcirco obſervare

eſt

VII. eſt in hoc tractatu Phariſæos toties perſtringere. VII. Hoc ultimum fundamentum ut pium figmentum adhiberi poſſe ſupponit; ſed ſi Deus mens non ſit qualem is negat eſſe, impoſſibile eſt ut credat aut condonationem peccatorum aut eorundem retentionem ad ipſum pertinere. Unde manifeſtum eſt hæc omnia eum per deridiculum nec tanquam vera ſed tanquam ad Vulgi obedientiam accommoda propoſuiſſe, dum ipſe interim nec Deum nec ullum honeſtorum ac turpium diſcrimen eſſe credit, ut
7. mox patebit. 7. Et nè dubites, ultimum illud tandem ſuperaddit Conſectarium, Philoſophiæ ſcopum eſſe veritatem; Fidei autem nihil præter obedientiam, & perinde eſſe, falſa ſint an vera quæ eò fecerint. Quibus uno quaſi rictu totam Religionem tum *Moſaicam* tum *Chriſtianam* deridet ſubſannátque. Hanc autem illius blaſphemam Incredulitatem hiſce in rebus hîc confutare nihil opus eſt, cùm paſſim id in Scriptis meis tum Philoſophicis tum Theologicis jam factum ſit. Interea manifeſtum eſt ex his quæ obſervavi, quàm bellè his duobus capitibus *Spinozius* album egerit Diabolum. Et quàm facile ſit hominibus pulcherrima maximéque pia adhibere verba quibus nulla fides ſenſúſve inſit earum rerum quas pronunciant.

Cap. 15. 35. Hæc verò obiter. Pergimus nunc ad Caput decimum quintum. Ubi duo hæc diſcutiuntur. Primùm, *An Theologia Rationi, an verò Ratio Theologiæ ancilletur.* Alterum, *Quâ ratione nobis S. Scripturæ Autoritatem perſuadeamus.* Primæ Quæſtionis ſenſum eſſe ait, An ſenſus Scripturæ Rationi, an verò Ratio Scripturæ accommodari debeat. Additum autem oportuit ad pleniorem Quæſtionis Explicationem, per *Rationem*, rectam certámque Rationem, & per *ſenſum Scripturæ*, clarum perſpicuúmque ejus ſenſum intelligi debere. Vel potiùs diſtinguere debemus *Rationem* in certam rectámque, & probabilem; & ſimiliter *ſenſum Scripturæ*, in clarum & perſpicuum & ad rem unam certò determinatum, & in incertum & ad varias res determinabilem, ex cognito ſermonis uſu ſive *Grammatico* ſive *Figurato*, ſive *vulgari Formula loquendi* cui indulget Scriptura Plebis gratiâ. His poſitis, perquam facilis mihi videtur hujus Quæſtionis deciſio. Senſum ſcilicet Scripturæ ambiguum ſive in res varias determinabilem rectæ certæque Rationi accommodandum eſſe & per eam determinandum. Et viciſſim Rationem incertam ſive probabilem tantùm accommodandam ſenſui Scripturæ claro ac certo.

Alterius ſic
Altera poſcit opem res & conjurat amicè.

Quodſi contingat ut clarus & indubitatus ſenſus Scripturæ, rectæ certæque Rationi repugnet, manifeſtum eſt per vetuſtatem, Scribarúmve incuriam, aliquam mendam irrepſiſſe: ut in malè conſtantibus aliquibus Numerorum computationibus. Prophetas verò ipſos in his quæ tradiderunt lapſos eſſe, vox hominis ſacrilegi eſt, ac Deo boníſque omnibus inviſi. Quod verò *Spinozius* heîc rurſus affert de Dei Zelotypia, de deſcenſu in Montem *Sinai*, ea revera *Deo Iſraelis* competere poſſe, nempe Animæ Meſſiæ cum æterno *Logo* conjunctæ, iterum atque iterum reſpondi. Et de hoc ipſo Deo teſtatur *Baruc* Propheta: *Hic eſt Deus noſter nec eſt alius qui cum ipſo comparetur. Is invenit omnem viam Scientiæ, eámque ſervo ſuo* Jacob *&* Iſrael *dilecto ſuo dedit. Poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus*, nempe poſtquam carnem noſtram aſſumpſerat, Qui igitur in uterum Virginis deſcendit, quidni verè dici poteſt deſcendiſſe in montem *Sinai*? Cùm autem *omnem* viam Scientiæ tradidiſſe dicitur dilecto ſuo *Iſrael*, equidem heîc *Cabbalæ Philoſophicæ* Arcana includi lubens pronunciarem, niſi quòd aures id ferre nequeant increduli hujus *Saducæi*.

Reliqua quæ hîc affert, cùm eadem ferè ſint quæ ſuprà attulerat, cúmque eiſdem illîc reſponderim, ad alteram Quæſtionem propero: Niſi quòd priùs monendum ſit, quàm ſuperciliosè Theologiam omnémque Religionem, grandiloquâ illâ, licet falſâ, Quæſtionis deciſione derideat. *Ratio regnum Veritatis & Sapientiæ teneat, Theologia autem Pietatis & Obedientiæ*; Regnum ſcilicet cæcum & tenebroſum & caligine pluſquam Ægyptiacâ involutum. Nam à Pietate & Obedientia Veritatem & Sapientiam planè excludit; cùm Salomon tamen definiverit, *Animam ſine Scientia non eſſe bonam*. Et ipſe ſanè agnoſcit nequaquam ratione conſtare, Homines ſolâ obedientiâ abſque rerum intelligentia poſſe eſſe beatos, Theologiam tamen nihil præter hoc dictare nihílque præter obedientiam imperare. Per Theologiam enim intelligit Revelationem quatenus indicat ſcopum Scripturæ quæ eſt Juſtitia & Charitas. Addítque, quanquam haud ſatis conſonanter ſibi, Theologiam ſic acceptam, ſi ejus Præcepta ſive Documenta vitæ ſpectes, *cum ratione convenire & propterea omnibus univer-*

univerſalem eſſe. Quod illius Dictum imprimis hîc notatum volo. Quicquid verò hic ſtatuerit de præſenti controverſia, illud quod nos initio determinavimus ſanum ſolidúmque eſt, & cuivis, qui nullo laborat præjudicio, admodum manifeſtum. Ad illuſtrandum autem illius uſum, cùm ad ſummum, probabilis ſolummodo opinio videri poſſit, *Nullos dari Angelos, eorúmve Miniſterium, Nulla dari Miracula propriè dicta*, hoc eſt, ſupra vel contra leges Naturæ communes facta, *Nullam Animæ Immortalitatem*, &c. (à quibus omnibus adeò abhorret hic Autor, & quorum potiſſimùm gratiâ, Prophetas *Pietatis* ſolius non *Veritatis* magiſtros eſſe vult) probabiles, inquam, hæ, ſi ſic cuiquam videntur, Opiniones claro & indubitato S. Scripturæ ſenſui cedere debent, & humanæ ſuſpiciones Divinæ Revelationi manus dedere. Atque hic genuinus eſt ſacræ Scripturæ uſus, ut eis de rebus, de quibus aliqui homines ob animæ immerſionem in hoc terrenum corpus nihil certi poſſint ſtatuere, & eorum tamen intereſt certò eas cognoſcere, per ſacram Scripturam certiores fieri queant & in vera Fide ſtabiliri. Ii verò qui plus nimio in ſordes vitiáq; corporis immerſi ſunt, etiam contra hoc omnium efficaciſſimum Remedium impotenter impudentérq; recalcitrant. Quod hîc obiter non abs re fore putavi breviter monere.

36. Ad alteram Quæſtionem jam propero, quæ ex hac occaſione orta eſt, nempe cùm Autor Theologicum illud Fundamentum teneat, *Homines ſolâ Obedientiâ ſalvari, nec ratione tamen id demonſtrari poſſe*, Objectioni occurrit, qui igitur factum ſit ut id verum credat. Reſpondet autem ſe id *Morali* tantùm *certitudine* amplecti, qualem omninò habuerunt ipſi Prophetæ. Eorum enim certitudinem hiſce ſolis tribus conſiſtere, *Diſtinctâ & vividâ Imaginatione, Signo, & Animo ad Æquum bonúmque inclinato.* Brevitérque concludit hac de cauſa nos Scripturæ, hoc eſt, Prophetis credere teneri, nempe propter ſanam doctrinam ad mores pertinentem, ſignis confirmatam. Nam quoniam videmus, inquit, Prophetas Charitatem & Juſtitiam ſupra omnia commendare, & nihil aliud intendere, hinc concludimus, eos non dolo malo ſed ex vero animo docuiſſe homines obedientiâ & fide beatos fieri; & quia hoc inſuper ſignis confirmaverunt, hinc nobis perſuademus eos non temerè id dixiſſe, neque delirâſſe cùm prophetabant, in quo etiam magìs confirmamur, (quod rurſus diligenter notatum volo) dum attendimus, *quòd nihil Morale docuerunt quod cum ratione planiſſimè non conveniat.* Nam non temerè eſt quòd *verbum Dei* in Prophetis cum ipſo *verbo Dei* in nobis loquente omnino conveniat. Atque hæc, inquit, nos æque certò ex Bibliis, ac olim *Judæi* ex viva voce Prophetarum hæc eadem concludebant. Scripturam enim ratione doctrinæ & præcipuarum hiſtoriarum incorruptam ad manus noſtras perveniſſe, oſtendiſſe ſe ait. Atque hæc ferè omnia ſano ſenſu intelligi poſſint ſi à ſano corde eſſent profecta. Quàm certi autem eſſe potuerint ipſi Prophetæ de ſuis Revelationibus ſuprà monui nec opus eſt hîc repetere. Illud verò noſtrum eſt præ *Judæis* privilegium quo fidem habeamus *Moſi* ac *Prophetis*, quòd quæ prædixerant tam verè eveniſſe deprehendimus, *Typos* nempe Propheticos *Moſaicos* tam multos diſtinctóſq; præter vaticinia adeò examuſſim in rebus Chriſti illiúſq; Eccleſiæ impleri. Ubi autem ait *obedientiâ* & *fide* homines beatos fieri, illic paululùm immutat quæſtionem, ſanúſq; eſſe poteſt illius Effati ſenſus ſi per *fidem* intelligit perſuaſionem de dogmatis credendis in ſacra Scriptura revelatis, quorum certè aliquam habent cognitionem, veráque eſſe ſibi indè probant quòd dicta ſunt hominum *ſignis* ac *miraculis* inclytorum, quibus ſe demonſtrârunt à Deo miſſos, ut omittam *Spinozium* dicta moralia Prophetarum concedere cum *ratione* noſtra convenire. Igitur ratione ſive cognitione perinde atq; obedientiâ homines ſalvos fieri manifeſtum eſt. At verò quantùm ad *ſigna* ac *miracula* cùm nulla aliàs dari contendit, manifeſtum etiam eſt hîc eum quoad iſta nugari tantùm & prævaricari, malève ſibi conſtare, nec ſincerè philoſophari bonâque fide, & *præcipuas* quas innuit *hiſtorias*, illam hiſtoriarum eum velle eſſe partem, quæ nulla vera *miracula* continent.

Quod autem ad Effatum illud attinet quod ſub finem capitis profert, *De veritate autem & certitudine rerum quæ ſolius ſunt ſpeculationis nullus ſpiritus teſtimonium dat præter rationem quæ ſola veritatis regnum vindicavit*, poſtquam duo de hac aſſertione monuero, ad proximum Caput pergam. Primum eſt, pauca occurrere aut nulla in ſacris Scripturis quæ ſolius ſunt ſpeculationis, ſed ad fidem confirmandam & ad praxin aliquo modo referri poſſint. Alterum, Rationem ipſam à Spiritu ſancto illuminari poſſe & corroborari. Quod veriſſimum eſt idémq; quod ni fallor ſuprà attigi in Reſponſis ad aliqua ex antecedentibus Capitibus, ac proinde ad proximum Caput feſtino.

37. Pro libri Titulo, qui *Tractatus Theologico-politicus* inſcribitur, cùm hactenus *Theologum* egerit, in hoc Capite incipit agere *Politicum*. Hîc enim Fundamenta Rei- Cap. 16.

publicæ tractat. Ubi de *triplici Jure* agit. De Jure uniuſcujuſq; naturali, De Jure
civili, & de Jure ſummarum Poteſtatum. De *Jure cujuſque naturali* hæc ſunt præ-
1. cipuè quæ ſtatuit. 1. Jus Naturale regulas eſſe naturæ uniuſcujuſq; Individui, ſecun-
dùm quas unumquodq; naturaliter determinatur ad certo modo exiſtendum & ope-
2. randum. 2. Certum eſſe Naturam quamlibet individuam abſolutè conſideratam, jus
ſummum habere ad omnia quæ poteſt, quia Naturæ potentia ipſa Dei potentia eſt (qui
ſummum jus ad omnia habet) & uniuſcujuſque Individui potentia univerſalis illius
3. Potentiæ pars. 3. Legem ſummam Naturæ eſſe ut unaquæq; res in ſuo ſtatu quantùm
4. in ſe eſt conetur perſeverare, idq; nullâ alterius ſed tantùm ſui habitâ ratione. 4. Quan-
tùm ad jus Naturæ nullam eſſe differentiam inter homines & reliqua Naturæ Indivi-
dua, neque inter homines ratione præditos ejuſdémque ignaros, neque inter Fatuos
delirantes & Sanos. Singulos enim jus habere naturale ad animum explendum ſuum.
5. Id quod ipſe *Paulus* docet, ubi nulla eſt lex nullum eſſe peccatum. 5. Jus itaq; Na-
turale uniuſcujuſq; hominis non ſanâ ratione ſed cupiditate & potentiâ determinari.
Eóſque quibus Natura actualem potentiam ex ſana ratione vivendi denegavit, non
magis ex legibus ſanæ mentis vivere teneri, quàm Felis ex legibus naturæ Leoninæ.

Hæc ſunt præcipua illius Principia de *Jure uniuſcujuſque naturali*. De quibus in
genere obſervare licet, privilegium ferè eſſe eorum qui abſurdiſſima ſtatuunt ſecurè
ſtatuere talia, quia nihil abſurdius relinquunt quo poſſint convinci aut refutari. Sed
1. breviter percurramus ſingula. 1. Primum Definitionem eſſe generalem *Juris natura-
lis* ex quarto Axiomate intelligitur, & ad omnes res naturales animatas & inanimatas
pertinere, Lapides, Pecudes, Homines. Jam verò ſenſum Definitionis expiſcemur. *Jus*
ex communiſſima Juris notione *Legem* ſupponit, *Lex* autem *Rationem*. *Regulas* igi-
tur Naturæ uniuſcujuſq; Individui oportet eſſe *Juſſa* aut *Decreta* alicujus *Legis*, ac
proinde alicujus *Rationis*. Ratio verò hæc quæro an ſit ex ipſa Natura rei cujuſque
neceſſariò emergens, an à ſuperiori aliqua cauſa indita, quæ rebus naturalibus univer-
ſis proſpexerit. Neceſſariò è ſingulis emergens eſſe non poteſt, quoniam ſingulæ par-
tes Univerſi ſic moventur tanquam ſi uno communi omnibúſque proſpicienti conſilio
dirigerentur. Igitur eſt à ſuperiori aliqua cauſa indita, à *Ratione* putà *Divina* in
quam omne jus reſolvitur. Illa *Ratio* eſt ſuprema Lex & omnis juris Fons. Nec
habet quicquam jus agendi niſi ab hoc Fonte derivetur, quanquam habere poteſt po-
tentiam vel potiùs impotentiam qua aberret ab hac lege, ſed tunc non *naturaliter* agit
ſed præter *Naturam*. Ni ſic intelligantur *Regulæ Naturæ*, falſa eſt definitio & Mundi
Phænomenis repugnans. Et ſi vox [determinatur] ſic intelligitur ut liberum arbitri-
2. um excludat, anguſtior erit definitio quàm ut ad homines extendatur. 2. Secundum
principium apertè falſum eſt, cùm leges Naturæ conſtitutæ ſint à Ratione bono Uni-
verſi proſpiciente, ac proinde nulla Natura particularis jus habet quicquam agendi
contra bonum Univerſi. Ratio verò hujus principii quæ additur omnium falſiſſima
eſt & impiiſſima, quippe quæ Naturam & Deum planè confundit nullúmq; Deum eſſe
innuit præter Naturam; quod & plus ſemel ſuprà notavi. Eſſe verò Deum à Natura
3. diſtinctum, in Scriptis meis abunde demonſtravi. 3. Tertium etiam Principium falſum
eſt & Naturæ Phænomenis repugnans. Talis enim pleriſque animantibus inditur lex
ut de fœtibus magìs ſolicitæ ſint quàm de ſeipſis, habéntq; iſtiuſmodi partium confor-
mationes & appetitus qui non ad bonum Individui, ſed ad bonum ſpeciei & ad con-
ſervationem iſtius partis Univerſi planè referantur. Atq; hinc ſanè eſt quòd non ſine
magno tædio Aves ovis incubent per naturalem inſtinctum & cum labore cibum pullis
quærant, *&c.* Ut commune igitur bonum curetur lex eſt Naturæ, quam nulla parti-
4. cularis natura ullum habet violandi jus. 4. Ad quartum. Quàm cæco ac furibundo
impetu feruntur hujus ſeculi Philoſophaſtri ad quodlibet effutiendum, quantumlibet
impium ſit, quantumlibet abſonum & repugnans? Hoc enim Principium planè pugnat
cum proximè præcedenti. Hinc enim ſequitur, inſanos & delirantes jus habere occi-
dendi ſeipſos. Atque ſic jus haberent peccandi contra *Legem Naturæ ſummam*, quæ
eſt ut unaquæq; res in ſuo ſtatu conetur perſeverare, quæ aperta eſt contradictio. Et
certè ſi inſani & delirantes nullum jus habent occidendi ſeipſos, multo minùs reliqui
homines mente ac ratione præditi. Unde ex tertio illo principio, manifeſtò falſum eſt
quod tam confidenter affirmat *Spinozius*, *Jus utique uniuſcujuſque euſque ſe exten-
dere quouſque ejus potentia determinata ſe extendit*. Ad iſtud *Pauli* mox reſpon-
5. debimus. 5. Quintum eſt κακȣ̃ κόρακος κακὸν ὠὸν, peſſimorum Theorematum Con-
ſectarium peſſimum. Sed ipſa Theoremata jam falſa eſſe atque abſurda oſtendimus.
Et quantùm ad illud *Pauli*, ubi nulla lex eſt ibi nullum eſſe peccatum, dico omnium
Creaturarum Rationalium quales ſunt animæ humanæ, rectam rationem eſſe legem. Et
certè ſi brutis animantibus rebúſq; inanimatis, quæ vulgò vocantur, à *Spiritu Naturæ*

Leges impoſitæ ſunt, multò magis rationalibus animantibus à ſumma illa ac æterna *Ratione* qui Deus eſt, *recta Ratio* impoſita eſt lex. Ac proinde *rectâ Ratione* non *cupiditate* & *potentiâ* jus cujuſq; hominis naturale determinari oportet. Quòd autem ait eos quibus Natura actualem potentiam ex ſana Ratione vivendi denegavit, non magis ex legibus ſanæ mentis vivere teneri quàm felis ex legibus naturæ leoninæ, quanquam ſatis quidem argutè dictum eſt, falsò dictum eſt tamen. Equidem ſi in hanc conditionem non ſuâ culpâ lapſæ eſſent animæ humanæ, hoc argumentum aliquam vim haberet. Nunc verò cùm ipſæ ſuâ culpâ in hunc malum ſtatum prociderint, perinde ridiculum eſt eas fingere *jus naturale* habere ad omnes ſuas contra rationem cupiditates explendas, quàm hominem ebrium ex ſua ebrietate jus ſibi acquirere ad quælibet homicidia, adulteria, aliáque id genus flagitia committenda. Quum id certè juſtiſſimum ſit ac veriſſimum quod in tritum apud Noſtrates proverbium abiit, *Qui ebrius hominem occidit, patibulo ſuſpendendus eſt quando ſobrius.* Quippe qui ſuâ culpâ factus eſt ebrius. Eſt igitur uniuſcujuſque hominis jus naturale vel potiùs lex indiſpenſabilis recta Ratio, quæ eum obligat ad agendum non quod ſibi ſuóve appetitui gratiſſimum eſt, ſed quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt, juxta illa moralia *Noemata* quæ in *Enchiridio Ethico* enumeravi. Atque hic eſt uniuſcujuſq; hominis ante initam ſocietatem Politicam ſtatus. Nullum utique jus habet ad quicquam faciendum niſi quod rectæ rationi conſentaneum eſt ſive abſolutè ac ſimpliciter optimum. Hæc ſumma eſt illius juris naturalis.

38. Pergimus jam ad *jus Civile* quod *privatum* eſt vel *publicum*: Alterum, *cujuſque civis eſt*, definitq; *Spinozius* uniuſcujuſque libertatem ad ſeſe in ſuo ſtatu conſervandum, quæ edictis ſummæ Poteſtatis determinatur ſolâq; ejuſdem autoritate defenditur; atque hæc quidem non malè. Alterum eſt, *Jus ſummæ poteſtatis*. Quod cùm jus ſit collectivum ex uniuſcujuſq; juribus naturalibus (quos ſingulos jus ad omnia habuiſſe ſtatuit) ex pacto conflatum & in ſummam Poteſtatem tranſlatum, jus ad omnia eſſe affirmat, ſummæq; Poteſtati omnia jure licere. Ac proinde *Injuriam* definit *cùm civis vel ſubditus ab alio aliquod damnum contra jus Civile ſive edictum ſummæ Poteſtatis pati cogitur.* Ante initam enim ſocietatem *Politicam* nullam eſſe injuriam à quoquam, nec poſt initam ſocietatem *Politicam* à ſummis Poteſtatibus in ſubditos alióſve quoſcunque; quia jus naturale ſubditorum, quod eſt jus ad omnia, in ipſas totum tranſlatum eſt. Et certè concedo repugnare planè ut Poteſtas conſtituatur abſolutè ſumma, quin totum jus populi naturale in ipſam transferatur. Cùm autem hoc omninò *jus naturale* ſit uniuſcujuſque, ut omnia Rationi rectæ conſentanea ei facere liceat, & nihil præterea, manifeſtum eſt totum hoc jus in ſummam Poteſtatem tranſferri, & nihil ampliùs; cùm populi pactum in ſummam Poteſtatem nihil transferre poteſt, quod ipſe non habuit. Eſt autem rectæ Rationi conſentaneum, ut ſumma Poteſtas & ſibi & populi bono bonâ fide proſpiciat. Igitur nihil opus eſt quicquam tam indignum humanâ naturâ comminiſci, quaſi nemo abſque dolo paciſci poſſit ſe jure quod in omnia habet ceſſurum, cùm nullum Naturæ jus habeat niſi ad agendum quod rectæ Rationi eſt conſentaneum, nec ullum aliud in ſummam Poteſtatem transferre poſſit. Et ſi ſumma Poteſtas quicquam contra hoc ſtatuit, cùm id nec populus potuit, nec Deus, quippe Æterna illa Ratio, voluit dare, manifeſtum eſt jus non eſſe ſed uſurpationem.

39. Atque hæc breviter de *triplici Jure, Naturali, Civili Privato*, ac *ſummarum Poteſtatum*. Superſunt duæ maximi quidem momenti quas ipſe affert Objectiones. Prima, quomodo jus cujuſque *Naturale* prout ipſe definivit, cum mandato *Divino* de amando proximum tanquam ſeipſum poſſit conſiſtere. Ad quam reſpondet. Statum *naturalem* & naturâ & tempore priorem eſſe *Religione*, & duplici ratione hominem in iſto ſtatu ab illoc mandato abſolvi, *Ignorantiæ* ſcilicet & *Libertatis*. *Ignorantiæ* quidem; Neminem enim ex Natura ſcire ſe ullâ erga Deum teneri obedientiâ, immò nec ullâ ratione hoc aſſequi, ſed tantùm ex Revelatione ſignis confirmatâ unumquemque id habere poſſe. *Libertatis* autem; Homines enim ſi ex Natura, jure Divino tenerentur, vel ſi jus Divinum ex Natura jus eſſet, ſuperfluum fuiſſe ut Deus cum hominibus contractum iniret, & pacto & juramento eoſdem obligaret. Ideóque abſolutè concedendum eſſe Jus Divinum ab eo tempore incepiſſe à quo homines expreſſo pacto Deo promiſerant ſe in omnibus obedire, quo ſuâ libertate naturali quaſi ceſſerunt, júſque ſuum in Deum tranſtulerunt, ſicuti, ait, in ſtatu Civili fieri diximus.

Qui de *Lege Divina* cordibus noſtris inſcripta, qui de Juſtitia & Charitate tanquam Rationi humanæ conſona, aliáque id genus tam multa támque pulchra inſtar Angeli lucis ſuprà multis in locis concionatus eſt, ecce pedem hîc quàm palàm oſtendit biſulcum impurus Dæmon! Reſponſa autem ejus falſa eſſe perinde atque impia (ut quæ omnem naturalem tollunt notitiam diſcriminis honeſtorum atq; turpium) ſic intelliges.

Cùm enim exiſtentia Dei etiam ex lumine rationis pateat (quam & ipſe agnoſcit lumen eſſe naturale) eúmque Creatorem eſſe rerum omnium & animarum humanarum quaſi parentem, obedientiam illi indè deberi manifeſtiſſimum eſt ex lumine Naturæ. Immò verò repugnant planè, quæ hic reſpondet, eis quæ notavi eum dixiſſe *Sect.* 34. *Prophetas nempe nihil morale docuiſſe quod cum Ratione planiſſimè non conveniat. Nec temere eſſe quod Verbum Dei in Prophetis cum ipſo Verbo Dei in nobis loquente omninò conveniat*, & Sect. 33. *Revelationem, ſi ejus præcepta vitæ ſpectes, cum ratione convenire ac propterea omnibus univerſalem eſſe.* Quæ cum hoc ſuo reſponſo ex ratione *Ignorantiæ* petito omnino pugnant. Rationem verò quam affert ad probandum homines liberos eſſe ab obedientia erga Deum ante pactum externum, nullam omnino vim habet. Neque enim ſequitur ex eo quòd Deus cum hominibus pactum externum iniit, quò fortiùs ad obedientiam conſtringeret, eos priùs fuiſſe jure liberos ab obedientia, eámque Deo non debuiſſe, cùm ex recta ratione quæ humanæ Naturæ lex eſt univerſalis, ſemper ad eam devincti eſſent. Sed ea de re ſuprà jam monuimus ſatis.

Altera objectio eſt: Quomodo *Jus Divinum* cum *jure ſummarum Poteſtatum*, quod eſt jus naturale quo omnia ipſis agere liceat, poſſit conſiſtere. Ad quod reſpondet. Unumquemque in ſtatu *naturali* eâdem ratione teneri jure revelato ac tenetur dictamine ſanæ rationis vivere, nempe quia ipſi utilius eſt, & ad ſalutem neceſſarium, quod ſi nollet cum ſuo periculo licere. Atque hoc jus ſummam Poteſtatem retinere, quæ quidem homines conſulere poteſt, at neminem Judicem agnoſcere teneri præter Deum. Eúmque ſic, licèt fortean contra voluntatem Dei revelatam peccet, non contra tamen ejus Æternum Decretum ſive ordinem univerſæ Naturæ, quo omnia prædeterminavit, poſſe peccare. De quo Reſponſo hoc breviter noto, Quanquam ſumma Poteſtas neminem Judicem agnoſcere tenetur præter Deum, non ſequi tamen eum Jus habere agendi contra Divinum mandatum ſive jus à Deo revelatum, neque contra rectam Rationem, quam *Jus Naturale* ſemper ſupponit. Quin & ipſum *Spinozium* rurſus hîc ſibiipſi contradicere, cùm ait, *quod ſi nollet cum ſuo periculo licere*, nempe, ex jure naturali, cùm *legem tamen Naturæ ſummam* ſtatuerit, ex qua & jus naturale emergit, *ſuiipſius conſervationem*. Unde manifeſtum eſt eum ſequi debere quod ad ſalutem neceſſarium eſt, nec ei *nolle*, cum ſuo periculo licere. Ubi autem addit, Eum ſic, licèt contra voluntatem Dei revelatam peccet, (quo, ad *Calviniſtarum* opinionem ſatis feſtiviter alluditur) non tamen contra ejus Æternum decretum ſive ordinem univerſæ Naturæ poſſe peccare, *Naturam* ſive *Materiam mundanam* cum motu ſuo Mechanico ejúſque neceſſariis fructibus quibuſcunque ſenſitivis aut intellectualibus, Deum omnino eſſe, aut nullum præter eam eſſe Deum haud obſcurè iterum indicat audaciſſimus hic pudendorum Philoſophiæ mechanicæ Myſteriorum *Hierophanta*. Quam impiam opinionem, ut ſæpiùs monui, nihil attinet hîc refutare, cùm eò ferè omnia mea ſcripta tendunt. Sed in hoc capite diutiùs hæſi quàm inſtitueram. Ad Caput proximum propero.

Cap. 17. 40. In hoc capite decimo ſeptimo Reipublicæ *Hebraicæ* naturam conſtitutioniſque
præſtantiam, ejuſdémque defectus quos fingit, deſcribit. Caput ſatis prolixum eſt,
multáque hinc indè occurrunt non ſine aliquo acumine dicta, præſertim in duabus
partibus prioribus. Nos pauca notare contenti erimus, nè brevitatis Epiſtolio debitæ
1. immemores videamur. 1. Primò igitur ait *Hebræos Ægyptiâ* ſervitute liberatos &
in ſuo ſtatu naturali, quo jus haberent ad omnia, conſtitutos, ex conſilio *Moſis* ſuum
jus in neminem mortalium ſed tantùm in Deum per expreſſum cum eo pactum initum,
2. *Exod.* 24. tranſtuliſſe. 2. Imperium ergo *Hebræorum* Deum tunc ſolum tenuiſſe,
& ſolummodo ex vi pacti *Regnum Dei* jure vocatum eſſe, Deúmque Regem
3. *Hebræorum*, &c. 3. Hac de cauſa hoc Imperium *Theocratiam* vocari potuiſſe, quandoquidem
4. ejus Cives nullo jure niſi à Deo revelato tenebantur. 4. Verùm hæc omnia
opinione magìs quàm re conſtitiſſe, & *Hebræos* revera jus Imperii abſolutè tenuiſſe,
quippe quum omnes æquè, ut in *Democratia*, ſuo jure ceſſiſſent, omnéſque
5. primâ vice æquè Deum adire & quæ imperare vellet audire potuiſſent. 5. Poſtquam
verò *Moſen* rogâſſent, *Deut.* 5. ut is ſolus Deum adiret verbáque ejus ipſis renunciaret,
eos primum pactum aboleviſſe ſuúmque jus Deum conſulendi ejúſque edicta
interpretandi in *Moſen* abſolutè tranſtuliſſe, Moſénque adeò ſolum legum Divinarum
latorem & Interpretem manſiſſe, ſupremúmque conſequenter Judicem, *&c.* Imperiúmque
6. *Hebræorum* tunc fuiſſe *Monarchicum*. 6. *Moſe* verò mortuo nec *Populare*
7. nec *Ariſtocraticum* nec *Monarchicum* vocari potuiſſe ſed *Theocraticum*. 7. Supremæque
Majeſtatis *Theocratici* hujus Imperii *Domum Dei* publicis ſumptibus ædificatam
Aulam fuiſſe, *Regiæ*que hujus *Divinæ* Aulicos & adminiſtratores *Levitas*,
horúmque

horúmque ſupremum & quaſi à Deo Rege ſecundum, *Pontificem.* 8. Militiam ex 8.
reliquis Tribubus formatam fuiſſe ſingularúmque Tribuum *Principes* electos, ſummum
verò Militiæ Imperatorem *Joſhuam.* 9. Formatos ex populo exercitus non in fidem 9.
Imperatoris, nec ſummi *Pontificis*, ſed *Religionis* ſive *Dei* jurâſſe, indéque Deum
Iſraelis apud *Hebræos Deum exercituum* vocatum eſſe, *&c.* Longum eſſet omnia
tranſcribere nec multum ad rem noſtram ſic facere. Verùm nè hæc fruſtrà tranſcripſiſſe
videamur notabimus breviter, In primum, quàm abſurdè ſonat *Hebræos Ægyptiâ* 1.
ſervitute liberatos jus habuiſſe ad omnia, etiam ad peccandum contra liberatorem
ſuum Deum, contráque æternam gratitudinis legem. Immò verò ſi propriis viribus
ſe liberâſſent, Jus naturale rectâ Ratione circumſcribi ſuprà demonſtravi, nec opus
eſſe externo pacto cum *nudo Numine.* Sed ſi *Deus Iſraelis* Anima fuit *Meſſiæ* cum
æterno *Logo* conjuncta, reſpectu humanæ illius Naturæ pactum hoc externum meritò
magis congruum ac conſentaneum videri poteſt, quod & nobis *Chriſtianis* continuatur
per Baptiſmum in nomen *Domini Jeſu.* Ex hujuſmodi autem pacto inito nè vel
minima quidem argumenti umbra ſuppetit quo probetur ante pactum cum *nuda Divinitate*
initum homines jus habere ad omnia patranda flagitia. Nam *jure Creationis*
obligantur Deo obedire rectámque ſequi Rationem, quippe quod id ipſum eſt
quod rerum omnium Creator etiam inſitâ lege creaturis omnibus *rationalibus* imperat.
Externa verò pacta cum *Deo Iſraelis Chriſtóve* fortiùs adhuc & efficaciùs idem
urgent. 2. In ſecundum, ſuppoſito quòd *Deus Iſraelis* Anima erat *Meſſiæ* cum æterno 2.
Logo conjuncta, hæc quidem dicta ferri poſſent, quatenus naturam illius humanam
reſpiciunt, aliàs quoad Divinam Naturam ſine ullo pacto Rex eſt Patérque totius
Creationis. 3. Ad tertium, Imperium hoc *Hebræorum*, *Theocratia* vocari potuit, 3.
non quia Cives ejus nullo jure niſi revelato tenebantur (neque enim ex pacto
inito ceſſavit legis illius univerſalis rectæ Rationis obligatio) ſed quia Rex eorum quicum
pacti erant, erat etiam Deus. 4. In quarto aperta eſt repugnantia, ut *Theocratia* 4.
Imperium *Hebræorum* ſit & tamen *Democratia*, ſuum nempe univerſum populum
jus in Deum tranſtuliſſe, & tamen ſibi reſervâſſe. 5. Ad quintum, Incredibile 5.
eſt populum unquam ſomniâſſe ſibi jus fuiſſe interpretandi Edicta Dei, ſed *Moſis*
fuiſſe ea referre & ſi opus eſſet interpretari. Quòd autem rogârunt *Moſen*, ut ipſe
ſolus Deum adiret, nulla erat juris eorum ad interpretandum Edicta Dei, quod nunquam
habuerunt, in *Moſen* tranſlatio, ſed tantùm verendæ Majeſtatis Divinæ quæ
leges tulit, agnitio. Ac proinde nec tunc fuit Imperium *Hebræorum* humano ſenſu
Monarchicum, ſed ut priùs *Theocraticum.* 6. Et quidem ipſe agnoſcit *Moſe* mortuo 6.
ſic fuiſſe. 7. Quòd autem domum Dei *Aulam* fuiſſe vult, & id genus reliqua, majorem 7.
quidem iſta omnia habent congruentiam & concinnitatem ex iſta Hypotheſi
quòd Rex hic Anima eſſet *Meſſiæ* cum æterno *Logo* conjuncta. 8. Octavum nihil 8.
in ſe difficultatis habet. 9. Et in ultimum, hoc tantùm notandum eſt, ſi Deus *Iſraelis*, 9.
Deus exercituum reſpectu Militiæ *Hebræorum* dictus ſit, id potiùs ad naturam
humanam referri. Nam quatenus æternus *Logos* eſt verúſque Deus, univerſa Creatio
illius Militia eſt.

41. In altera parte Capitis, multa quidem, & vera & appoſita occurrunt, quibus illuſtretur Reipublicæ *Hebraicæ* conſtitutionis præſtantia, ſed quæ hiſce planè repugnantia ſunt (quippe cui ſolenne eſt ſibi ipſi contradicere) in parte tertia profert, perverſéque illud *Ezechielis*, cap. 20. 25. *Ego dedi ipſis ſtatuta non bona*, &c. de legibus *Moſaicis* ob iratum Numen, ut modeſtiorem indè carpendi prætextum ſibi arripiat, ſic conſtitutis interpretatur. Cùm contextus planè demonſtrat hæc decreta ſtatutáve eis data eſſe, quòd leges *Moſaicas* bonas non obſervaverint, quemadmodum & *Vatablus* & plerique omnes Interpretes exponunt. *Quia noluerunt*, inquit *Vatablus*, *legibus meis parere*, *abjeci eos permiſique ut legibus iniquiſſimis inſervirent*, &c. Et tamen perquam Tragicè ſe cogi profitetur in verba *Taciti* erumpere, *illo tempore* (nempe quando lex *Hebræis* lata eſt) *non fuiſſe Deo curæ ſecuritatem illorum*, *fuiſſe ultionem.* Verbis utique illis abutitur quæ adhibentur de temporibus poſtquam *Judæi* horrendum illud ſcelus commiſerant, in crucifigendo ſuum *Meſſiam*, immò Deum Patrium antiquúmque Patronum *Iſraelitarum.* Quod autem ſub calcem Capitis occurrit, quo obſervâſſe ſe inſinuat quibus rationibus *Hebræorum* Imperium æternum eſſe potuerit, perquam lepidum profectò eſt & derìdiculum, quaſi homo hic ſtultulus ineptúſque Philoſophaſter non *Moſe* ſolùm ſed & Deo ipſo eſſet ſapientior. O faſtum Mechanico-philoſophicum! O ingenium pluſquam Politicum! & quod, niſi Diabolus Deo ſapientior habendus ſit, acutius ac ſagacius eſt omni Diabolo! Verùm enimvero obſervare potuit *Spinozius* omnium Imperiorum niſi æterni illius Imperii quod prædixit *Daniel*, ſua fuiſſe ac fore fata ac periodos; Mutatio-

néſque Regnorum ac Rerumpublicarum à ſpeciali Dei Providentia regi perinde ac fata eorum à ſuis *Prophetis* ad valde longinqua temporum intervalla prædici, nullúmque humanum conſilium aut prudentiam valere poſſe contra Deum. Sed cùm hæc præ craſſa ſua ignorantia non credit, hinc fit ut ſeipſum adeò efferat, cæcâque ſui confidentiâ turgeſcat. Poſtremò denique quod occurrit & quod ipſe coronidis loco notari vult, ut prius apprimè ridiculum erat, ità hoc, ut fieri ſolet, apprimè impium. Conſtare ſcilicet ex hoc capite *Jus Divinum* ſive *Religionis* ex pacto oriri ſine quo nullum eſt niſi *naturale*. Quod apud eum jus eſt faciendi aut omittendi quicquid libuerit, nullúmque officium agnoſcendi aut erga homines aut erga Deum. Quod illius inſanum ac furioſum dogma ſatis ſuprà refutavi. Hæc igitur pauca ſufficiat in hoc prolixum caput raptim curſimque adnotâſſe.

Cap. 18. 42. In Capite proximo cùm dogmata omnino *Politica* ſunt, & pleraque ſano ſenſu intellecta vera perinde atque ſatìs trita & obvia quæ illìc traduntur, (neque enim apud ipſum novum eſt paulò iniquiorem ſe *Prophetis* oſtendere, ſalséque perſtringere *Phariſæos*) hujus capitis adnotationibus illuſtrandi corrigendíve mihi operæ faciam compendium, & ad decimum nonum continuò me conferam.

Cap. 19. 43. Tria autem præcipuè ſunt quæ illo Capite ſibi probanda proponit. Primum,
I. Religionem vim juris accipere ex ſolo eorum decreto qui jus imperandi habent. Alterum,
II. Interpretationem Religionis penès ſummas Poteſtates eſſe. Tertium denique,
III. Neminem pietatem rectè colere, nec Deo obedire poſſe niſi omnibus ſummæ Poteſtatis
decretis obtemperet. Ut verò rectè mentem illius accipias, initio monet controverſiam de externo non de interno cultu intelligendam eſſe. Internum enim Dei cultum & ipſam pietatem *uniuſcujuſque juris eſſe quod in alium transferri non poteſt.* Quod quidem Effatum, quamvìs primâ ſpecie audienti adblandiri poſſit tanquam aliquid æquitatis præ ſe ferens, reverà tamen in ſe reconditum habet quod immaniter impium eſt atque monſtroſum. Neque enim tantùm vel veriſſimam Religionem ipſúmque adeò Chriſtum, contra illius mandatum, externo ore abnegare fas eſſe ſupponit, ſed neminem etiam ad ullam omnino Religionem internam teneri, non ad amorem Dei aut Proximi, aut quicquid aliud ſanctum ſacrúmque ſit. Nam juxta illius ſententiam, *jus cujuſque naturale* niſi in aliud transferatur, jus eſt agendi & omittendi quicquid volumus & poſſumus. Tam inauſpicata initia habet præſens hæc diſſertatio. Videamus verò jam ut ſingulas partes probet.

I. Quæ ad primam partem pertinent, hæc ferè ſunt. 1. Regnum Dei eſſe in quo Juſtitia
1. & Charitas vim juris ac mandati habent. 2. Juſtitiam & Charitatem vim juris ac
2. mandati non poſſe accipere niſi ex jure Imperii. 3. In ſtatu Naturali non plus juris
3. Rationi quàm Appetitui eſſe, ſed tam eos qui ſecundùm appetitus quàm eos qui ſecundùm
4. leges rationis vivunt, jus ad omnia quæ poſſunt habere. 4. Ut veræ Rationis
documenta, hoc eſt, ipſa Divina documenta vim juris abſolutè habeant, neceſſe
eſſe ut unuſquiſque jure ſuo naturali cedat, & omne idem vel in omnes vel in aliquot
5. vel in unum transferat. 5. Deum nullum regnum in homines habere niſi per
6. eos qui imperium tenent. 6. Deſtructo *Hebræorum* imperio Religionem revelatam
vim juris habere deſiiſſe, Divinúmque jus, ſimul ac *Hebræi* jus ſuum in Regem *Babylonicum*
7. transtulerant, ſtatim ceſſaviſſe. 7. Dei decreta, æternam neceſſitatem &
veritatem, omnia involvere, nec poſſe concipi Deum tanquam Principem leges hominibus
8. ferre. 8. Experientiâ conſtare nulla Divinæ Juſtitiæ veſtigia reperiri niſi ubi
Juſti regnant. Hæc ſeparatim excerpſi tanquam præcipua Effata quæ ad hanc primam partem ſpectant. Quomodo autem ad ſe invicem ſpectent, intérque ſe connectantur, breviter jam indicabo, & quàm falſa ſint pariter monebo.

1. Primum igitur apertè connectitur cum ipſa Quæſtione, An Religio vim juris accipiat ex ſolo decreto ſummarum Poteſtatum. Sic eſſe verò innuit ex eo quòd per Religionem conſtituitur Regnum Dei, nihilque ferè adeò ſit Religio quàm regni Dei conſtitutio, hinc eſt, quòd primò affert Regni Dei definitionem. Regnum nempe Dei eſſe in quo Juſtitia & Charitas vim juris ac mandati habent. Quam nego perfectam eſſe definitionem. Cultus enim Dei hìc omittitur purus tam externus quàm internus, adeò ut regnum eſſe poſſit Atheorum vel Idololatrarum æquè ac regnum Dei,
2. ſi hæc vera eſſet definitio. 2. Secundum verò Effatum ſatìs manifeſtam habet connexionem
3. cum primo quanquam haud ſatìs manifeſtam veritatem. 3. Ac proinde
tertium adducitur ad illud probandum quod ſanè ſi verum eſſet prius illud perinde eſſet verum, ſed deteſtabile tantùm dictamen eſt impuri & occæcati animi qui nullum agnoſcit diſcrimen honeſtorum & turpium, ſuáſque proinde ſordes & nequitiam fundamentum ponit juris ſummarum Poteſtatum in ipſam Religionem, quaſi nulla

foret ſi ipſis aliter viſum eſſet. Hujus autem Effati tertii veſaniam in *Enchiridio Ethico*
ſic confutavi ut id tantùm hic monuiſſe ſatìs ſit non autem novi quicquam ſuperaddere.
4. Quartum eundem ferè ſenſum ac vim habet (hoc eſt nullam) atque tertium. 4.
Et verò non ſolùm falſum & inſulſum eſt ſed ſupra modum ridiculum, ut quod
aſſerit, veræ rationis documenta adeóque Divina & ad vitam pertinentia vim juris
antè habere non poſſe, quàm ſummæ Poteſtates ſic ſtatuerint. Quod perinde abſurdum
eſt ac ſi quis affirmaret Axioma Mathematicum putà, *Trianguli tres angulos*
æquales eſſe duobus rectis, veri axiomatis vim obtinere non poſſe antequam congregatum
Mathematicorum Concilium ſic pronunciaverit. Vides quàm putrida Politices
fundamenta jacit perfidus hic perinde atque ſordidus ſummarum Poteſtatum Paraſitus.
Quem quidem non poſſunt quin, ut propter irreligioſitatem execrentur, ità
propter craſſam inſcitiam aut perfidiam aſpernentur & conculcent. Eſt enim omninò
Regnorum & Rerumpublicarum firmiſſimum vinculum quo contineantur & conſerventur
Religio. Et ſi nihil ex ſe juſtum eſt, nullum pactum eſſe poteſt validum. Quomodo
enim validum eſſe poteſt niſi pactis ſtare rectæ rationi ſit conſentaneum? quam
tamen nullam ex ſe juris vim habere per tertium quartúmque Effatum affirmatur.
Unde nulla relinquitur obligatio *Subditi* ad *Principem*, neque ulla, niſi opinione vel
imaginatione, juris uniuſcujuſque naturalis in ſummam Poteſtatem tranſlatio. Adeò
ut omnia adhuc liceat facere quæ lubet & poſſunt, nullum eſt Parricidium, nulla Rebellio,
nullum crimen læſæ Majeſtatis & ſimilia, vel potiùs nulla horum ſunt crimina
vel flagitia ſed pro jure patrantis committuntur. En inauſpicatarum impiarúmque
Præmiſſarum concluſionem æquè infauſtam & inauſpicatam! 5. Quintum eſt illatio 5.
ex tertio præſertim quartóque (quæ baſis ſunt hujus primæ argumentationis quanquam
infirmiſſima perinde atque impiiſſima,) primámque quæſtionem ſatìs manifeſtò
in ſe complectitur aut ſaltem apud Autorem complecti cenſetur. 6. Sextum verò 6.
novum argumentum eſt ad confirmandum ulteriùs modò dictam Illationem ſed admodum
invalidum. Deſtructo enim *Hebræorum* Imperio manſit etiamnum eorum ad
Deum Iſraelis obligatio ut eum colerent, ut iſta tempora ferre poterant. Expreſsímque
eis ſic præcipitur apud *Jeremiam*, Cap. 29. 7. *Quærite pacem Civitatis ad quam*
demigrare feci vos, & orate pro ea ad Jehovam, quoniam in pace illius erit vobis
pax. Orabant igitur *Jehovam* quanquam ſacrificare non poterant, manifeſtúmque
eſt, officium iſtud quærendi pacem Civitatis non eſſe in ſubmittendo ſe illicitis eorum
ritibus, ut vult *Spinozius*, ſed in orando *Jehovam* pro illius pace & cavendo à rebellionibus
ac tumultibus. Atq; ut *Hebræos* jus ſuum in Regem *Babylonis* tranſtuliſſe
non conſtat, ità manifeſtum eſt ſi tranſtuliſſent, jus Divinum non ideo ceſſaviſſe.
Sed omnia hæc argumenta *Spinozii*, *monſtrum* illud *Atheiſmi* planè ſupponere videntur,
quanquam id forſan aliis clàm habere vult. 7. En verò tibi tertium argumentum 7.
ſed ejuſdem farinæ & quod Atheiſmum etiam olet, ſi penitiùs excutiatur.
Nihil enim Deum velle aut decretare innuit niſi quod æternam neceſſitatem & veritatem
involvit. Nihil igitur ille vult aut decretat, ut hic ſæpiùs loquitur, niſi quod
verè ac neceſſariò evenit, & quod, ſi Caput ejus quartum ad quod nos remittit conſulimus,
ex ſolius ſuæ naturæ & perfectionis neceſſitate ipſe agit. Voluntas enim ejus
& intellectus apud ipſum idem ſunt, & potentia Dei ac Naturæ eadem. Unde per
decreta hæc neceſſaria mihi videtur neceſſarios motus ac eventus juxta leges Naturæ
mechanicas ſubindicare. Sin minùs, quidni poſſit Deus, ſi omnino ſit, Eſſentiáque ſit
à mundana Materia diſtincta, leges mentibus humanis inſcribere, ſed ſic ut in earum
poteſtate ſit eis obedire vel ſecùs, & poſt inobedientiam novis modis aggredi ipſarum
reductionem ad bonam frugem, quemadmodum feciſſe dicitur communicando leges
Moſi in Monte *Sinai*? Sed ſi nihil ſit præter mundanam Materiam inſitáque illius vis
ac motus ejúſque fructus neceſſarii, ſenſus, appetitus, & intellectus, prout res tulerit,
tunc certè nullus relinquitur Deus qui quicquam faciat pro ſuo arbitrio ſed ſecundùm
neceſſariam motuum mechanicorum ſequelam atque nexum, ſolíque Religionis Legumlatores
ſunt ſummæ Poteſtates, quæ, ut Principes, leges ferant, quibus populus
nunc quidem obediat, nunc autem ſecús. Hoc eſt horrendum monſtrum quod ſuſpicor
Spinozium clàm fovere, quippe nihil præter hanc Hypotheſin cum argumentationibus
ſuis ac opinionibus paſſim occurrentibus videtur poſſe adeò conſtanter convenire.
Vide quæ notavimus in Caput quartum. 8. Ultimum hoc, quartum argumentum 8.
eſt, quod ab experientia probare nititur Deum nullum in homines regnum habere
niſi per eos qui imperium tenent, cùm experientia planè contrà teſtetur, ut in
imperio Romano Paganico. Chriſtiani enim primævi pietatem & charitatem diligentiſſimè
colebant etiam eis invitis qui in ſummo erant imperio. Et ubi injuſti regnant,
innumeræ de injuſtitia eorum querelæ demonſtrant juſtitiæ ſenſum regnare in cordibus

oppreſſorum, & cum illo ſenſu Deum; per leges nempe ſuas ipſorum mentibus inſitas motúſve ſancti Spiritûs, qui modo ſupernaturali homines illuminare poteſt & contra eluviem vitiorum ſæculi corroborare. Vides igitur quàm parum virium quatuor hæc illius argumenta habeant ad primam concluſionem confirmandam. *Religionem ſcilicet vim juris accipere ex ſolo eorum decreto qui jus imperandi habent.*

II. 44. Altera Concluſio eſt, *Interpretationem Religionis penès ſummas Poteſtates*
1. *eſſe.* Ad quod probandum duo adhibet argumenta. Primum hoc eſt, Pietatem erga
patriam ſummam eſſe quam quiſquam præſtare poteſt, indéq; ſequi nihil proximo pium
2. præſtari poſſe quod non impium ſit ſi damnum ex eo totius Reipublicæ ſequatur. Alterum
eſt & primo quidem valde affine, Salutem populi ſummam eſſe legem cui omnes
tam humanæ quàm Divinæ leges accommodari debent. Ex utrolibet igitur ſequitur, Qui
in ſummo ſunt imperio penès eos eſſe debere interpretari quid pium ſit, quid impium,
quídq; ſecundùm legem Divinam quid ſecùs, nequid detrimenti capiat Reſpublica. In
genere autem primùm reſpondeo, hæc argumenta *Spinozii* ut alia illius pleraque nullum
1. ſupponere eſſe Deum nullámq; Animæ Immortalitatem. Alioqui proculdubio negandum
eſt pietatem erga patriam ſummam eſſe quam quiſquam præſtare poteſt. Eſt
officium erga Deum perinde atq; erga Proximum illúdq; omnium ſummum maximéq;
indiſpenſabile & quod maximam vim addit reliquis omnibus officiis. Nihil itaq; pium
eſſe poteſt erga patriam quod impium eſt erga Deum. Non igitur ex eo quòd res Politicas
optimè calleant ſummæ Poteſtates, Interpretes eſſe debent Religionis, niſi perinde
calleant quæ ſpectant ad Deum. Quod intelligi volo de indiſpenſabilibus Divini
cultûs veræq; Religionis partibus; de mutabilibus verò ritibus & opinionibus de quibus
ex Divinis oraculis non conſtat, iſta quidem ad bonum *Politicum* eis fas eſſe flectere
2. & accommodare non magnopere nego. Quod autem ad alterum attinet, Salutem
populi ſummam eſſe legem, id quidem agnoſco ſi ſalutem *æternam* perinde intelligis
atque *temporalem*; ſed ullam legem revera Divinam & quæ ad æternam populi ſalutem
ſpectat ſummarum Poteſtatum interpretatione eludi debere juréve poſſe, id conſtanter
nego. Penès nullam Poteſtatem eſt ſive *ſecularem* ſive *ſpiritualem* ad iſtum
modum Divina corrumpere Oracula ſenſúmq; manifeſtum ad mundanas utilitates turpiter
detorquere ac pervertere.

III. 45. Tertia & ultima concluſio eſt, *Neminem pietatem rectè colere nec Deo obedire poſſe, niſi omnibus ſummæ Poteſtatis Decretis obtemperet.* Dei fit in hac concluſione mentio in ſpeciem, ſed nemo qui ſeriò Deum exiſtere credit huic ſententiæ unquam poteſt aſſentire. Sed videamus quibus argumentis tam abſurdum dogma confirmet. Argumentum verò ferè unicum eſt quo hoc aggreditur, quod ſic ſe habet: *Quandoquidem ex Dei mandato omnes, nullo excepto, pietate colere tenemur neminique damnum inferre, hinc ſequi nemini licere opem alicui cum alterius, & multo minùs cum totius Reipublicæ damno ferre, adeóque neminem poſſe proximum pietate colere ſecundùm Dei mandatum niſi pietatem & religionem publicæ utilitati accommodet. At nullus privatus ſcire poteſt quid Reipublicæ utile ſit, niſi ex decretis ſummarum Poteſtatum, quarum tantùm eſt negotia publica tractare. Ergo nemo pietatem rectè colere nec Deo obedire poteſt, niſi omnibus ſummæ Poteſtatis decretis obtemperet.* Nominis Dei, quod dixi, ſæpe hìc fit mentio. Argumentum verò nullam vim habet niſi ſupponatur *Deum non eſſe*, aut nullum potiùs eſſe erga eum, ad quod obligemur, officium. Nego igitur officium Juſtitiæ & Charitatis erga Proximum omnia complecti obedientiæ officia, ſed ſupereſſe etiam juſtitiæ officia erga Deum, ut illius jura ſarta tecta tueamur eadémque obſervemus. Eſſe verò ejuſmodi officia erga Deum æquè manifeſtum eſt atque Deum eſſe, adeò ut qui alterutrum tollit, alterum tollere neceſſe ſit. Nequaquam igitur, licèt juſtitia erga homines (quam ille pietatem & religionem appellat) ſecundùm Dei mandatum exerceri non poſſit niſi & juxta decreta ſummarum Poteſtatum fiat, ex eo ſtatim ſequeretur neminem pietatem rectè colere poſſe niſi *omnibus* ſummæ Poteſtatis decretis obtemperet. Eſt enim univerſalis concluſio ex antecedenti particulari quæ igitur mendoſiſſimè infertur. Præterea falſum eſt nullum privatum ſcire poſſe quid Reipublicæ utile ſit niſi ex decretis ſummarum Poteſtatum. Hoc enim quilibet privatus ſcire poteſt (niſi *Hobbianiſmo* aut *Spinozianiſmo* occæcatus) quod abſolutè turpe eſt & inhoneſtum, revera Reipublicæ non eſſe utile, immò utile fore Reipublicæ ut ex eo exterminetur, nec fas eſſe ſummis Poteſtatibus res iſtiuſmodi imperare, quamvìs ad jura humana tantùm pertineant, aut privatis hominibus talibus decretis obtemperare. Sed *Spinozius* nihil ex ſe juſtum aut injuſtum, honeſtum aut turpe cæcâ confidentiâ ſupponit, nuſquam probat. Et tamen falſæ illi atque improbæ Hypotheſi argumenta ſua paſſim ſuperſtruit. Me verò Hypotheſin iſtam in *Enchiridio Ethico* falſam eſſe demonſtraſſe iterum atque iterum innui. Quod autem ad confirmationem hujus argumenti addit, conſtare nempe ex ipſa praxi; *Quem ſcilicet ſumma Poteſtas, utut fiat, reum mortis vel hoſtem judicavit, nemini ſubditorum eidem auxilium ferre licere*, hoc non probat quicquid ſtatuerit ſumma Poteſtas juſtum eſſe, aut nos juſtos eſſe non poſſe Deóque obedire niſi eidem obtemperemus, ſed privatis fas non eſſe, licèt ſumma Poteſtas quod revera injuſtum eſt ſtatuerit, tumultuari contra ipſam ac rebellare. Reliquæ hujus Argumenti appendiculæ minoris momenti ſunt quàm ut ipſis reſpondere debeam. Cúmque quod ſupereſt Capitis de ſeparando jus ſacrum à jure civili totum occupet Diſceptatio, intactum prætermittam, quippe qui ea de re in *Myſterio Pietatis* diſſerui, quantum mihi viſum eſt ſatis.

46. Pergo igitur ad Caput ultimum. Cujus argumentum eſt, *In libera Republica unicuique & ſentire quæ velit & quæ ſentiat dicere licere.* Cap. 20. Furioſa profectò ac maleſana ſententia, quemadmodum ſi ad particularia exempla deſcendas facilè deprehendes. Jus fáſque igitur eſt cuique ſentire ſi velit Deum non eſſe, Deum eſſe Spiritum malignum humaníſque calamitatibus apprimè gaudentem eáſque ipſis machinantem, vel rerum humanarum eſſe ignarum, imò nihil certò ſcire nec conſtanter ſtatuere, ſed vernâ aurâ eſſe magìs mutabilem, & ſiquid ſit hiſce magìs horridum aut abſurdum, jus fáſque eſt cuiq; hæc omnia non ſolùm ſentire, ſi velit, ſed publicè dicere ac profiteri. Quis niſi ipſe *Atheus* eſſet aut planè mente captus tam veſanam proferret ſententiam? Et tamen nemo mirari debet ex tam impuro fonte tam polluta fluenta promanâſſe. Hæc ſatìs arctè cohærent cum execrabili iſto principio quod is facit hujus Capitis perverſorúmq; illius (quamquam aliàs nonnulla hîc indè occurrunt nec ineptè nec flaccidè dicta) Philoſophematum præcipuum Fundamentum. *Videmus*, inquit, *quâ ratione unuſquiſq; ſalvo jure & autoritate ſummarum Poteſtatum, quæ ſentit, dicere & docere poteſt, nempe ſi decretum omnium rerum agendarum eiſdem relinquat, & nihil contra earum decretum agat, etiamſi ſæpe contra id quod bonum judicat & palàm ſentit, agere debeat. Quod quidem ſalvâ juſtitiâ ac pietate facere poteſt imò debet, ſi ſe juſtum & pium præſtare vult. Nam Juſtitia à ſolo ſummarum Poteſtatum decreto pendet, adeóque nemo niſi qui ſecundùm earum recepta decreta vivit, juſtus eſſe poteſt.* Qui purus putus *Hobbianiſmus* eſt. En Vetuli iſtius Urſi cæci æquè cæcum Catulum! Et quàm cæcâ confidentiâ dictat nullum eſſe diſcrimen honeſtorum & turpium, nihil pium & impium ſi nulla extaret externa & à ſummis poteſtatibus conſtituta Lex. Quod perinde inſanum eſt & furioſum ac ſi contenderet nullam eſſe veritatem aut falſitatem Mathematicam, nullam ſanitatem aut morbum priuſquam aliquod Mathematicorum Medicorúmq; Conciliabulum ſic eſſe ſtatuerit. Juſta ſentiendi dicendíq; libertas tam execrando fundamento non indiget. Cúmque hæc res à me ſanioribus ac moderatioribus rationibus in *Myſterio Pietatis* tractata ſit, plura hîc addere brevitati ſtudens ſuperſedeo. Hoc unum tantùm abs te peto, ut ſi paulò acerbiùs Autorem hujus Tractatûs aliquando viſus ſim perſtrinxiſſe, ut id nulli maledicendi libidini imputes ſed juſto zelo & indignationi quâ ferebar in tam indignum *Moſis* cæterorúmq; *Prophetarum* omníſq; veræ Religionis deriſorem, donandúmque memineris aliquid impatientiæ meæ (quippe qui mihi viſus ſum toto tempore quo putidas hujus impuri Philoſophaſtri rationes excutiebam, naſum imminentem habuiſſe fœtenti fumantíque ſterquilinio) & dolori ſcias mihi revera eſſe & ægritudini, quod hujuſmodi animalia ſpurca, ut ait *Muſonius*, atq; probra (quorum, proh pudor! nimis fœcundum eſt hoc noſtrum ſæculum) nomen uſurpent ſanctiſſimum, & Philoſophos ſe appellent aut ab aliis appellentur, cùm reverà nihil aliud ſint quàm communes humani generis quaſi lenones impuriſſimíq; corruptores.

47. Atque hæc quidem pleraq; dum *Cuperus* apud Bibliopegum compingendus manebat ſcripſi, univerſa verò priuſquam vel unam pagellam illius libri legiſſem. Datâ enim operâ abſtinebam, ut nullius hominis ſententiâ aut judicio præoccupatus, quid ipſe ſponte de *Tractatu Theologico-politico* ſenſurus eſſem, experirer. Meámq; de illo ſententiam, breviter tibi in hac mea ad te Epiſtola declaravi. Perlectóque *Franciſci Cuperi* libro idem planè mecum eum ſentire reperio, cujus ſententiam in *Prooemio* habitam tibi ipſius verbis tranſcribam. Cùm igitur Athei, inquit, ob nominis invidiam & cauſæ periculum occultiùs agere conſueverint & cogantur, idem hîc ab Adverſario noſtro (*Tractatûs* ſcilicet *Theologici-politici* Scriptore) fieri debuit. In quo excuſationem obtinere poſſet modò cauſæ ſuæ patrocinium in legitima argumentatione, non verò in fallaciis, impoſturis, mendaciis, ambiguitatibus & abſurdis falsíſque præſuppoſitis abſq; ulla probatione quæſiviſſet. Nunc verò oſtendere videtur ſe non eo animo ſcripſiſſe, ut in tam gravi & periculoſa (ſi in ea à veritate aberrare contigerit) quæſtione ab aliis erudiri poſſet aut vellet, ſed ut per fas nefáſque, per aſſertiones & argu-

menta quas ipſe falſas eſſe ſciebat, homines in ſuas partes abduceret, *&c.* Et paulò pòſt: Itaq; non, prout debuerat, ſubobſcurè demonſtrare conatur non exiſtere Naturæ Conditorem & Gubernatorem, ſed iſtud in omnibus Tractatûs ſui capitibus tanquam Axioma certiſſimum præſupponit, eique cætera quæ hic tractat ſuperſtruit. Quod hìc ſupervacaneum, inquit, foret oſtendere cùm id per totum Tractatum palàm fecerim. Et in iſta verba præfationis *Spinozii* (hunc enim hujus Tractatûs Autorem fuiſſe nemo apud nos dubitat)——— *Homines ſcilicet non niſi durante metu, ſuperſtitione conflictari, eáque omnia quæ unquam vanâ religione coluerunt, nihil præter phantaſmata animique triſtis ac timidi fuiſſe deliria*; Scio, inquit, verſipellem Adverſarium vocem [*vanâ*] interpoſuiſſe ut invidiam vanâ explicatione declinaret, declarando ſe non de *vera* ſed de *vana* religione locutum fuiſſe. Sed qui ea quæ in Refutatione paſſim docuimus ruminaverit, facilè videbit ipſum per veram Religionem nihil præter vitam ex uſu Reipublicæ ſecundùm leges Politicas, ídque per inevitabiliter neceſſarias naturæ leges quas nemo tranſgredi ullo modo poſſit, inſtitutam intelligere; ac propterea per *vanam* Religionem omnem quæ unquam à *Moſe*, *Chriſto*, & ante Legem ab ipſo Univerſi Conditore, nobis inſtituta creditur intelligere. Et *Pag.* 6. Declarat ſe, inquit, nullam præter ipſam Naturam Deum agnoſcere, atque reſpectu hominum nullam aliam eſſe directionem Dei præter humanam ſolertiam ac prudentiam, crederéq; ſe omnia quæ in toto Univerſo fiunt vel exiſtunt neceſſariò ab ipſius Naturæ curſu neceſſario & inevitabili proficiſci. Hæc pauca è multis excerpſiſſe ſufficiat, quibus facilè intelligas me modeſtè potiùs ac benignè cum *Spinozio* egiſſe quàm acerbè nimis aut ſeveriter, præſertim ſi quæ nos in eum diximus cum illis quæ *Cuperus* ei improperaverit conferantur. Et nè temerè me eum *Hobbianiſmi* inſimulâſſe putes, *Cuperus* eum, *Lib.* 1. *Cap.* 12. ex *Leviathane Thomæ Hobbs* pleraque ſua hauſiſſe videri affirmat.

48. Nunc verò cùm intellexeris me Refutationem *Cuperi* perlegiſſe, ſi ea fortè animum tuum inceſſerit curioſitas ut quid de illo, ejúſq; Refutatione ſentiam, certiorem fieri te cupias, equidem fateor me admodum feſtinanter, negotiis aliò me urgentibus, Refutationem evolviſſe, obſervâſſe verò me nonnullas locorum Scripturæ conciliationes nequaquam inſcitas aut ineptas ab eo prolatas, quas probabile eſt ex Avunculi ſui D. *Brennii* manuſcriptis, quæ penès ſe habere profitetur, tranſcripſiſſe. De *Philoſophicis* verò quæ affert nihil in præſens ſtatuendum magnopere ſentio. Hoc tantùm obiter moneo, Hujus Philoſophici ſæculi (ubi tantus de Naturali Scientia ſtrepitus eſt, & morum interim virtutiſq; ac bonæ diſciplinæ tam ſordidus ſqualidúſq; neglectus) φθειρίασιν quaſi quandam eſſe morbúmve pedicularem, Atheiſmum, adeò ut, cùm horridula hæc & inviſa animalcula, Atheos intelligo, paſſim repant, omninò viri prudentis eſſe exiſtimem, non temerè de quoquam (niſi ſibi bene noto) cui ab infantia vel à teneris, ut aiunt, unguiculis inter Atheos verſari & educari contigerit, in benigniorem partem quicquam ſtatuere, nè ſeipſum iſtoc pacto, & illius & aliorum Atheorum deriſioni exponat.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu———

Verùm, ut omnem offenſionem ex utraque parte evitem, non tam quid ipſe ſentiam, quàm quid naſutior quiſpiam & ad ſingula in ſequiorem partem rapienda proclivior ſenſurus, & ex quibus paulò iniquiorem fortean aut duriorem ſententiam laturus ſit, audies. Multa enim ſunt ob quæ naſutulo illi odorem iſtum etiamnum emittere ſive exhalare videatur.

Primum eſt, quòd cognitionem exiſtentiæ Dei naturali lumine hauriri poſſe neget. Quam opinionem adeò adamare videtur ut falſum fingere mallet notionem *Luminis naturalis* (per quod pleriq; omnes vim Rationis intelligunt Revelationis adminiculo non adjutam) illúdque ſolum ſic verum eſſe contendere quando quis nemine ipſi rem proponente aliquid verum exiſtimat vel colligit, quàm notitiam Dei Naturali lumine poſſe acquiri, fateri. Quum proculdubio illud perquam propriè verum eſſe dicitur ex lumine naturali, de quo conſtare poteſt ſine recurſu ad ullam ſupernaturalem Revelationem. Ut verbi gratiâ: Quòd Triangulum tres angulos habeat duobus rectis æquales, id ex lumine naturali verum eſt, quanquam innumeræ hominum Myriades vixerint qui ea de re nunquam cogitaverint. Ingenii igitur indicium videri poteſt ad Atheiſmum proni ità datâ operâ, & immeritò quidem, majorem quàm revera ſit exiſtentiæ Dei obſcuritatem naturalem affingere. Pugna autem illa quam fingit inter *Fidem* & *Demonſtrationem* fictitia tantùm σκιομαχία eſt in ipſius cerebro repræſentata.

Quis enim non novit ejuſdem rei eſſe poſſe & *Demonſtrationem* & *Opinionem*, & quidni itidem *Fidem*? Tantum abeſt ut iſtud ad Atheiſmum ſternat viam. Annon Opifices fidem habent aliquibus propoſitionibus Mathematicis quas ipſi non nôrunt demonſtrare, Mathematici verò ipſi id facilè poſſunt?

Alterum eſt, Quòd adeò infenſo animo ſit adversùs Ideam Dei innatam, quam tanto cum ſtrepitu explodit, cùm certo certiùs verum ſit, iſtiuſmodi dari Ideam æquè innatam, atque Ideas figurarum Mathematicarum, quod ſatis eſt nec quicquam ampliùs ab ullo cordato Philoſopho aſſeritur.

Tertium eſt, Quòd, quanquam non concipi poſſe ait Ens quod nullam extenſionem habet, eſſentiam habere poſſe, quicquid tamen extenſionem habet corpus eſſe contendit: Unde neceſſariò ſequitur aut Deum corporeum eſſe aut nullum. Hæc autem opinio mihi (ut illius verbis utar contra *Nullibiſtas*) merus eſſe Atheiſmus videtur, quippe qui æquè proclivis ſum ad Deum ligneum fingendum quàm corporeum. Omnia enim corpora Divinorum Attributorum apud me perinde ſunt capacia. Quid autem Naſutulus ille hac de re ſtatuturus ſit ipſe viderit.

Quartum eſt Dogma iſtud æquè horrendum & execrandum quàm ipſe *Atheiſmus*, & quo nihil apud *Spinozium* mihi magìs nauſeam movet, nempe, Quòd nullum ſit diſcrimen honeſtorum atque turpium naturâ ſed lege ſive pacto, vel ut illius verbis utar, *abſque Divina Revelatione nullum eſſe virtutis & vitii diſcrimen.* Immò verò ait nihil adeò abſurdum & Naturæ noſtræ contrarium poteſt excogitari quod Deus non potuerit ante novi Fœderis promulgationem nobis injungere quò de noſtra in ſe fiducia & charitate experimentum capiat. Ubi inter reliqua abſurda Juſſa numerat congreſſus ſupra Naturæ noſtræ vires fœdiſſimos & frequentiſſimos quibus maceraremur & perderemur. Cibi & potûs, ad certum pondus, immodicam ingurgitationem quo dolores ac morbos contraheremus, & ſic miſerè moreremur. Propriorum liberorum cremationem aut trucidationem in illius honorem, *&c.* Hæc perinde juſta futura fuiſſe ait & pia ſi Deus juſſiſſet, ac quæ jam per Chriſtum nos jubet: quæ intoleranda planè ac blaſphema videtur præceptorum Chriſti perinde atq; omnis moralitatis Naturalis vilificatio, ac propterea animam in ſordidas has Inſenſibilitatis fæces immerſam ab omni fide Divinæ Exiſtentiæ alieniſſimam eſſe omnino videbitur conſentaneum.

Quintum aliquam cum præcedenti affinitatem habet, quippe quod *Cuperi* videatur contumeliæ in Chriſtum inniti. Etenim cùm exploſis omnibus Naturalis Rationis argumentis pro Deo, ſe ad Revelationem recipere ſeriò videri velit, id haud ſatìs ſeriò eum facere ex eo forſan Naſutulus ille odorabitur, quòd ubi minima omnium occaſio data erat ex verbis *Spinozii* qui Chriſtum *os Dei vocat*, ipſe tanquam illius Interpres ſibi occaſionem arripit Servatorem, ſummum illum ac fideliſſimum Divinæ Revelationis Teſtem, *ſubtiliſſimum* appellandi *ac vaferrimum Impoſtorem*, quaſi tacitè exultaret in hac opportunitate tam fœdam impingendi contumeliam ſub ſpecie interpretandi *Spinozium*, cùm, ut fatear quod res eſt, ipſe *Spinozius* paulò urbanior hac in re videri velle mihi videbatur per aliquam reverentiam erga Chriſtum aut ſaltem ad captandam ſibi benevolentiam apud Chriſtianos, ideóque appellâſſe eum *os Dei*, dixiſſéque illum communicâſſe cum Deo *mente ad mentem*, quoniam nudam veritatem ſine Propheticis Ænigmatis & Imaginibus accepit à Deo, & nobiſcum communicavit; hoc fuiſſe diſcrimen inter reliquos Prophetas & Chriſtum, eum utique non accepiſſe quod docuit ab ullis externis apparitionibus aut vocibus, ſed intus cum Deo *mente ad mentem* communicâſſe, & indè hominibus deprompſiſſe quæ acceperit. Hæc verò quæ tam urbanè à *Spinozio* dicta ſunt, *Cuperus*, quaſi infenſo erga Chriſtum animo eſſet libidinéque præcipitaretur eum contumeliis afficiendi, inſubido hoc perverſóque modo interpretatur. *Satìs perſpectum*, inquit, *habeo quid ille per os Dei nec non communicationem mentis ad mentem cum Deo, quam Chriſto attribuit, intelligat,* * *ipſum videlicet ſubtiliſſimum & vaferrimum fuiſſe impoſtorem*, &c. Et certè præterea iniquo animo eſſe erga Chriſtum quanquam omnium Prophetarum quorum ope Revelatio Dei patefacta ſit hominibus facilè principem, argumentum reputabitur iſta deriſoria Parabolæ Chriſti interpretatio de Judice injuſto, *Pag.* 280. Deum, inquit, qui bonus eſt, malo comparat Judici. Electos nocte diéque ad eum clamantes (non ob vindictam à qua longè abeſſe debent, *Matth.* 5. 43, 44.) Viduæ, mulierculæ putà iræ impotenti & impatienti vindictæ moræ. Moroſitati & impatientiæ injuſti Judicis ad viduæ preces opponitur Dei ad preces piorum longanimitas, quem tantum abeſt ut eæ offendant ut gratioſè & libenter precantes exaudiat. Quorſum autem hæc tendunt quis non odoratur niſi valde obeſæ ſit naris, ut oſtendat ſcilicet comparationem perpetuò eſſe ineptam & ridiculam? cùm tamen inſcitiam ſuam perinde prodit atque malitiam. Nam ex adverſa illa rerum comparatarum natura, confertiſſima argumenti vis magìs eluceſcit. Argumentum enim à minore ad majus per totam iſtam adverſam comparationem repetitur. Si malus Judex, multò magìs bonus Deus; ſi iſte impotentem iræ mulierculam & vindictæ cupidam, multò magìs hic Fideles nullam vindictam ſitientes ſed tantùm miſeriarum petentes levamen. Si moroſus & ad impatientiam irritabilis Judex adeò ut facilè provocetur ad cauſam Viduæ omnino negligendam ac repudiandam, tum multò magìs mitis & longanimus ac benignus Deus ſuos audiet nec præ impatientia cauſam illorum rejiciet. Quam argumenti vim aut neſciviſſe ***Cuperus*** aut ſciens prudénſq; celâſſe videri poteſt, ut Parabolam Servatoris omnibus deridendam propinaret ipſúmque vilificaret, quamvìs maximè eximium Exiſtentiæ Dei apud homines Revelatorem.

Sextum eſt, Quòd Creationem propriè dictam rem planè impoſſibilem aſſerit, & (quod huic conſequens eſt) materiæ mundanæ neceſſariam æternámque à-ſe-exiſtentiam attribuit. Quod præcipuum tamen eſt Divinum Attributum. Quod ſi materiæ competere concedatur, latam aperiet feneſtram Atheis quamlibet ei affingendi excellentiam ***vitæ*** & ***perceptionis***, & ſimilium, quo nullum alium præter eam concludere poſſint eſſe Deum. Ut omittam ſiquid à-ſe-exiſtens præter Deum, impoſſibile eſſe ut ullus ſit Deus propriè dictus.

Septimum eſt, Quòd præterquam quòd Deum tam præfidenter, ſiquis ſit, corporeum eſſe aſſerit, adeò nugari præterea videatur in locum proſpiciendo huic ſuo Deo corporeo, ut qui nunc ſpaciola quædam vacua in mundana materia interſperſa locum ei aſſignat, nunc extra mœnia mundi eum collocat, ut indè Univerſum Divinâ ſuâ Influentiâ, ut Sol radiis, illuſtret. Quæ tam ridicula ſunt & abſurda, ut nemo mentis compos putari queat ſeriò ſic poſſe philoſophari. Manifeſtum enim eſt ſi ſpaciola illa tantùm occupet, innumeros ſic fore non unum Deum. Et ſi extra mundum ſit, materiam mundanam nè movere quidem poſſe nedum gubernare, niſi protruſione ab uno loco in alium. Corpus enim radios habere ſpecieſve intentionales, nemo nunc dierum eſt qui Philoſophiam vel à primo limine ſalutaverit quin omnino explodat; & ſi haberet, cùm extenſæ ſint ex ipſius ***Cuperi*** ſententia, corpora forent & penetrandi mundanam materiam incapacia. Unde nugari eum ac ludos facere hac in re non autem ſeriò agere pluſquam veriſimile videbitur.

Octavum, Quòd poſt propoſita Atheorum contra Dei exiſtentiam argumenta ſuáque ad ea Reſponſa, atque aliorum ex ratione naturali pro Deo argumenta & Atheorum reſponſa, tandem concludit, Ex utrinque diſputatis manifeſtum eſſe, ***lumen Naturæ*** abſque ***Divina Revelatione*** ad Dei cognitionem perducere non poſſe; ſed nè operam omnem luſiſſe videatur, addit porrò nec ***Rationem naturalem*** poſtquam hominum animos opinio de Dei exiſtentia ejúſq; cultu occupavit, docere, non eſſe vel non eſſe poſſe Deum; quaſi alioqui doctura eſſet non eſſe vel non poſſe eſſe Deum. En egregium ſtrenuúmq; pro Dei Exiſtentia Athletam! & qui *ſolidiori ſuâ viâ* (ut in Proœmio profitetur) *inhibiturus ſit nè tot homines iique ſolertes ac ſagaces paſſim ad Atheiſmum ruant.*

Nonum eſt, Quòd, re ad hoc æquilibrium perductâ vel potiùs nè perductâ quidem, cùm ſua quæ venditat ſolidiora argumenta quæq; pro Exiſtentia Dei producere præ ſe ferre velle videtur, pleraq; omnia tam ludicra & deriſoria ſunt aut tam frigida ac elumbia aut deniq; ab ipſo jam ſuprà planè repudiata, vix credibile videtur hominem ullum cui mens ſatìs conſiſtit, ſi bonâ fide agat, iſtiuſmodi argumenta producere voluiſſe. Cùm enim argumenta omnino tredecim ſint *Lib.* 2. *Cap.* 11. primum quidem & ſecundum univerſalem de Dei exiſtentia Mundíque Creatione apud homines opinionem ex Divina *ſola* Revelatione originem ducere potuiſſe contendunt, ac proinde Deum exiſtere qui dogma illud revelaverit. Quod argumentum vel primo intuitu infirmiſſimum apparet. Quum nihil apud homines proclivius ſit quàm ex pulchra hac Mundi Fabrica ut ex Ædificii cujuſpiam ſtructura aliquem agnoſcere Architectum à fabrica ipſa diſtinctum. Rectè verò collegerint an ſecùs penès, Philoſophiam judicium eſt rectámque Rationem. Ex eo verò quòd ſic colligunt, Mundi conditorem colligunt eundémque ſapientem ac potentem & beneficum, qualis eſt is quem vulgò appellamus Latinè Deum, aliæq; gentes (ut rebus aliis aliiſve notionibus) aliud nomen ſed eandem rem ſignificans ei notioni objectóve intellectûs impoſuerunt. Tertium argumentum concludit Deum exiſtere ex eo quòd nomen ejus exiſtit, quod quàm futile ac frivolum ſit ex modò dictis vel primo aſpectu vides. Quartum & quintum probant exiſtentiam Dei ex opinione reſurrectionis mortuorum & præceptis novi Fœderis, quæ cùm nullam æquitatis rationem præ ſe ferant præter ſolam Divinam voluntatem, Deum demonſtrant exiſtere, ab humano enim intellectu non potuiſſe excogitari.

cogitari. Quis non videt hoc ludicrum eſſe ac deriſorium argumentum adverſus Religionem, quaſi quicquid rectæ rationi contrarium videatur humanum commentum eſſe non poſſet erroneúmve dogma, ſed ut ſubſannetur Religio, Inventum Divinum illiúſque exiſtentiam proinde indicans, tanquam ejus primam cauſam? Sic omnia figmenta apud *Turcas* quæ aut *Mahometes* ipſe aut alii de *Mahomete* finxerunt (& abſurdiſſima quæq; maxima) Divinæ exiſtentiæ forent argumenta. Nonum argumentum eſt hominum in actionibus libertas, quæ cùm concatenationem neceſſariarum cauſarum interrumperet Mundúmq; diſſolveret, ni Gubernator Omnipotens adeſſet Deus, indè palàm fieri Deum exiſtere. Quaſi verò homines aut alia libera Agentia quæcunque, Mundum poſſent propter ejus Immenſitatem adamantináſq; Naturæ leges, aut vellent unquam propter illius commoditatem, proprium habitaculum diruere. Eſſe verò iſtiuſmodi neceſſariam cauſarum concatenationem, ut ſi vel unus claviculus è loco ſuo elideretur, tota Univerſi compages diſſiliret, anile planè ac delirum eſt Atheorum Figmentum & Inſomnium. Decimum, undecimum, duodecimum, & decimum tertium nihil apud *Cuperum* valere poſſunt ad probandam Dei exiſtentiam, cùm è numero eorum ſint quæ ipſe ultro faſſus eſt rem ad æquilibrium tantummodo perducere vel in ambiguo ponere Deúſne exiſtat an non.

Vides igitur decem ex tredecim argumentis nullam omnino vim habuiſſe ad probandam Dei exiſtentiam. Superſunt tantùm tria è Miraculis petita, ſextum, ſeptimum & octavum. Atque octavum quidem perinde frivolum eſt & frigidum atque tertium erat. Quia nomen ſcilicet Miraculi occurrit in ore hominum, ergo res ipſa aliquando exiſtit. Quod par momentum habet ac ſi quis concluderet ex eo quòd lapis Philoſophicus (qui omnes omnino morbos curet aliáq; præſtet incredibilia) tam crebrò in ore hominum verſatur, revera in rerum natura exiſtere. Sextum argumentum Dei exiſtentiam probat ex eo quòd *Cuperus, Lib.* 1. *Cap.* 6. probaverit miracula poſſe fieri, nec ullam contradictionem implicare ut fiant. Verùm illud eò loci non aliter probat quàm ſupponendo Deum exiſtere, quod nec illìc nec uſquam alibi ut videmus probavit, qui igitur circulus planè luſorius eſt niſi revera probetur facta fuiſſe miracula. Hic verò vir lepidus ad *Lavaterum* de *Spectris, part.* 1. *cap.* 12. & primam præcipuè, opinor, capitis partem, & ad librum cui titulus eſt *Magica de Spectris*, lectorem remittit, * ità omnia jocis ac ſcommatis miſcet. Reſtat jam tantummodo argumentum ſeptimum, è tredecim unicum, in quo expectemus *ſolidiorem illam & compendioſiorem viam, de qua, in Proœmio, adactum* ſe profitetur (*quò de Dei exiſtentia certi eſſe poſſemus*) *deliberare.* Septimum autem hoc atq; unicum (quantum ego quidem video) ſolidum argumentum ex omnibus quæ attulit, eſt ſacrarum literarum teſtimonium. Quod quidem, in ſe licèt admodum ſolidum ſit, tamen haudquaquam ſentio adeò *compendioſam* eſſe viam *Atheis* qui ſe nihil ſine ratione admittere profitentur, ac proinde niſi multis rebus, quæ ad hiſtoriam pertinent, quales *Spinozius* recenſet, priùs penſitatis, & examinatis (quod magni moliminis foret tædiúmq; fortean ipſis creaturum) ſacrarum literarum teſtimonio ægrè animum inducturi ſunt ut adhibeant fidem. Adde quòd omnis omnino hiſtoria rerum præteritarum, quamvìs illi nihil objici poſſit præterquam quòd hiſtoria ſit, minùs certa videtur ſuppeditare argumenta quàm rerum perpetuò nobis ante oculos verſantium cognitio. Quódq; deniq; Atheorum ingenium ità comparatum eſt ut nulli hiſtoriæ teſtatiſſimæ licèt ac recentiſſimæ de rebus miraculoſis credere valeant, ſed ſolis eis rebus quibus ipſi interfuerint, earúmque teſtes oculati eſſe poſſint. Imò verò ab omnibus rebus miraculoſis adeò abhorrent ut quanquam interſint, propriis oculis vix credituri ſint, ſed præſtigias eſſe aliquas Imaginationíſve deliria ſomniaturi.

Quod eorum ingenium *Cupero* quippe inter *Atheos* à teneris unguiculis verſato & educato cùm ignotum eſſe non poſſet, omnino Naſutulo illi veriſimile videbitur, eum, explodendo argumenta à Phænomenis Naturæ petita & à notionibus Animæ innatis, & eorum loco, frigida hæc pleraq; ludicráq; tredecim argumenta (quorum unum tantùm apud viros cordatos vim ullam habere poteſt, apud Atheos vero eorum nullum) ſurrogando, ſic ſe gerere inſtituiſſe, ut Atheis qui ipſum penitiùs intellexerint riſum pone ſiparium tantùm moveret (quod ipſe notat de *Spinozio*) & tam vehementem, ut venter & maxilla nè rumpantur manuum compreſſione munire neceſſe haberent, atque ſic, quòd Religionem ludibriis Atheorum & cachinnis expoſuiſſet, nec tam confutatorem *Spinozii* quàm in ædificationem Atheiſticæ plebeculæ, explanatorem ſe geſſiſſet & interpretem, dignus haberetur qui ipſi *Spinozio* במושב לצים *in Cathedra Deriſorum* ſuccederet. Quem ego tamen, rideant quàm volent Athei & Epicurei, deploratiſſimum omnium perditiſſimúmq, animæ ſtatum eſſe ſentio.

49. Hæc ferè ſunt V. C. quæ ſimul conſiderata haud mediocrem ſuſpicionem Naſu-

tulo cuivis injicere poſſunt *Cuperum* cauſam Religionis adversùs Atheos bonâ fide non ſuſcepiſſe ac defendiſſe, ſed per luſum tantùm jocúmque; quanquam fateor, quod & ſuprà notavi, cùm aliquas è manuſcriptis Avunculi ſui locorum Scripturæ conciliationes ſatìs ſcitas commodáſq; attuliſſe. Hoc autem Atheos haud iniquo animo laturos eſſe facilè potuit prævidere, qui proculdubio, etſi nullæ omnino locorum Scripturæ inter ſe pugnæ eſſent mendæve contractæ, quamdiu ulla illîc Miraculorum occurrit mentio ac vaticiniorum aut quicquid Deum exiſtere tam apertè arguat, omnem iſti ſemper derogaturi eſſent fidem.

Quid igitur, inquies, omnino exiſtimas eum qui *Arcana Atheiſmi* revelavit, non tam occultè ſe tuliſſe, quin ſeipſum tandem detexerit eſſe *Atheum?* Abſit ut ſic definiam. Id utique eſt quod hactenus datâ operâ declinavi. Hoc tantùm exiſtimo, quemadmodum is Deum eſſe ex *operibus ſuis in Natura* quam creavit neminem cognoſcere poſſe contendit ſed ex ſola illius *Revelatione*, ità certè ex hoc *Cuperi opere*, eum *Atheum* non eſſe neminem cognoſcere poſſe contendo, ſed ex ſola illius *profeſſione*. Neque enim dubito quin profeſſurus ſit ſe non eſſe *Atheum*. Et Humanitas omnino requirit ut iſto reſponſo acquieſcamus.

Et *Socinus* certè & *Sociniani* ſaltem aliqui, Deum ſolâ Revelatione ſupernaturali cognoſci poſſe affirmant quanquam contra apertam *Pauli* ſententiam, *Rom.* 1. 19, 20. Ubi manifeſtò aſſerit gentes cognitionem Dei ex Phænomenis Mundi conditi hauſiſſe Deúmq; ſeipſum per ipſa eis revelâſſe, æternum nempe ſuum Numen quod ante mundum conditum extitiſſe oportet. Hoc ipſum operibus illius in Natura perſpicitur, & nugæ planè ſunt quas affert *Cuperus*, *pag.* 245. ad eludendum ſenſum loci. Textus enim non ſupponit gentes aliunde exiſtentiam Dei hauſiſſe quàm ex ipſis operibus Creationis. Sed è contrà Apoſtolus planè declarat quid gentes ſine ſupernaturali Revelatione, ratione naturali operibus Dei in Natura occupatâ, poſſent aſſequi. Sed enimvero, cùm *Socinus* vir aliàs ſatìs acutus in ſuo genere & proculdubio multi illius Sectatores & alii fortean Chriſtiani, niſi ex Revelatione Scripturis facta ſuffulti in Atheiſmum proni ruituri eſſent, peſſimè profectò à quibuſdam *Enthuſiaſtis* fit, quòd externum Dei verbum tam procaciter ac petulanter proculcent & vilificent. Verùm iſtud obiter.

50. Quantùm autem ad *Cuperum* ſi in ludicro hoc & nugabundo ſcribendi genere venenum aliquod lectoris animo inſinuare voluit, hæc duo potiſſimùm erant. *Nullum eſſe Naturale diſcrimen honeſtorum & turpium, & Nullum præter ipſam Naturam Numen, ipſámque Naturam nihil aliud eſſe quàm Materiam æternam ex ſe immediatè & eſſentialiter vivam*, & pro variis occaſionibus in diverſos vitæ modos etiam perceptivos, ſenſationem, intellectionem & id genus reliqua, ex ſe immediatè & eſſentialiter explicabilem ſive evolubilem. Quorum prius expreſſim iterum cum illo dicto Apoſtoli pugnat, *Rom.* 2. 14, 15. *Nam quum gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis ſunt faciunt, iſti legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex: Ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum*, &c. Ut hujus loci vim enervet *Cuperus*, fingit *pag.* 245. contra omnia exemplaria omnéſq; Interpretes [naturâ] jungendum eſſe cum [habent.] Et præterea ſi ſic eſſet, quàm incongruus ſenſus & impoſſibilis, cùm in ſequentibus verbis [iſti legem non habentes] ſubintelligendum rurſus eſſet [naturâ,] emerſurus eſt, ob illa ſcilicet quæ continuò ſequuntur [ſibi ipſis ſunt lex]? Nam ſi nec Naturæ legem habent (& Apoſtolus ſupponit non habere legem externam) quomodo ſibi ipſis poſſunt eſſe lex? Omnino ſine omni lege erant, nihil erat eis illicitum, id quod magnopere ſic eſſe cupit *Cuperus*, ſed planè pugnat cum eis quæ mox ſequuntur *de conſcientia accuſante & defendente*. Adeò ut perquam ridiculum ſit hoc ac immane quantum diſtortum ſubterfugium.

Hic autem locus, quod obiter moneo, non tantùm cum Atheis & Epicureis pugnat ſed etiam cum *Quakeris*. Qui lumen naturalis conſcientiæ negant à dictamine Spiritûs Chriſti diſtinctum, quum Apoſtolus planè aſſerat *gentes naturâ quæ legis ſunt facere, & conſcientiam ipſorum reddere eis teſtimonium, cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus aut excuſantibus*, & quòd *ſibi ipſis ſint lex*, quod nequaquam foret ſi φύσει hoc in loco quicquam ſignificaret ab humana natura diſtinctum. Quid igitur clariùs aut articulatiùs exprimere poteſt naturalem hominis conſcientiam? Quam etiam appellat inſcriptam cordibus legem, hoc eſt ipſi *Animæ* ſive *Spiritui* humano, juxta illud in Proverbiis נר יהוה נשמת אדם *Lucerna Domini ſpiritus hominis eſt interiora cordis inveſtigans.* Eſt igitur ipſe ſpiritus hominis qui homini lux eſt à Deo data, unde *Lucerna Dei* dicitur, alioqui ſic ſcriptum eſſet, *Spiritus Domini* lucerna Hominis eſt, non Lucerna Domini *Spiritus Hominis*, niſi ipſe Spiritus Hominis hic intelligeretur eſſe qui lucerna Domini dicitur. Eſtque ipſa Anima humana quæ נשמת חיים, *Gen.* 2. id eſt *Spiritus vitarum* perquam appoſitè dicitur, non vitam tantùm *Rationalem* ſed & *Animalem* complectens, ut vulgò nec minùs rectè una Anima humana & *Rationalis* habetur & *ſenſitiva.* Unde in ipſo Textu dicitur, & factus eſt homo in *Animam viventem* לנפש חיה quæ vox etiam brutis animantibus tribuitur, *Gen.* 1. 20, 21, 24. Id igitur quod in nares *Adami* inſpiratus eſt, principium fuit quo vitam *Animalem* perinde ſortitus eſt atque *Rationalem*, ac propterea Spiritus Dei eſſe non potuit, quanquam quatenus Rationalis, *Lucerna Dei* fuit homini, quippe legem in ſe continens amplectendorum & fugiendorum. Qui locus *Salomonis* lumen naturalis Conſcientiæ & contra *Atheos* & contra *Quakeros* clarè edocet, ut nec illi nullum vitæ frænum ſuis libidinibus à Natura injectum ſomnient, nec hi omnes ſuas internas increpationes & inſtigationes Divini Spiritûs inſpirationes credant, ſed ſingulos internos motus, cùm Lumen Conſcientiæ ex lapſu *Adami* paulò factum ſit obſcurius, ad externam Chriſti ac Apoſtolorum doctrinam ſobriè ac modeſtè expendant. Ex Sacris Literis igitur contra *Cuperum* conſtat eſſe honeſtorum & turpium etiam à Natura nobis inſitum diſcrimen. Quod idem ut ſuprà monui à me demonſtratum eſt in *Enchiridio Ethico.*

51. Quod ad alterum verò venenum attinet, *nullum Numen præter Naturam ſive Materiam Mundanam æternam atq;* αὐτόζωον *exiſtere*, multa occurrunt in Scriptis meis eáque irrefragabilia argumenta quibus hoc fundamentum ſubvertatur. In *Enchirido Metaphyſico*, in *Antidoto adversùs Atheiſmum*, in *Tractatu de Animæ Immortalitate*, in *Confutatione Fundamentorum Cabbalæ Aeto-pædo-Meliſſææ*, in *Divinis Dialogis*, &c. Etenim ſi ſit immobile quoddam Extenſum ſubſtantiale à mobili Materia diſtinctum omniſq; Subſtantia ſit αὐτόζωος quatenus ſubſtantia, juxta eorum opinionem qui materiam æternam αὐτόζωον ſtatuunt, immobile illud Extenſum, cùm non ſolum æternum ſit ſed immenſum, immò verò viginti ferè Divinæ Eſſentiæ Attributa habeat, adeóque Eſſentia ſit Materiâ longè excellentior, vitam ipſum habere oportet Materiæ vitâ longè excellentiorem, etiam juxta ſententiam horum Philoſophorum qui Materiam αὐτόζωον ſtatuunt, ac proinde verum eſſe non poteſt, *nullum eſſe Numen præter Materiam* αὐτόζωον, etiam ex ipſorum principiis qui iſtud Paradoxon aſſerunt. Præterea ſi partes Materiæ ſuâ vi coaleſcere non poſſunt nec à ſe exiſtere. Si duratio Mundi Corporei nec ullarum rerum ſucceſſivarum ſeries poteſt eſſe ab æterno. Si gravia tendunt deorſum non propriâ vi ſed à principio immateriali *Hylarchico.* Si Materia ſeipſam nec in Plantarum nec in Animalium corpora formare poteſt. Si nec memoriæ nec imaginationis capax ſit multóque minùs rationis notionúmque ſecundarum. Si Apparitiones quas vocant Spirituum leges Materiæ excedunt, ut & rerum variarum longâ ſerie ſuccedentium multis ſeculis ante eventum prædictio. Si nihil exiſtat niſi cujus exiſtentiæ cauſa ſit ſive ratio aliqua aut in ſeipſo aut in alio. Si æquè certa ſit & innata Entis ſummè perfecti Idea atque ullius figuræ Geometricæ certáq; ejuſdem exiſtentiæ indè concluſio. Si Anima humana ſubſtantia ſit incorporea ab omnibus corporis partibus diſtincta, & id genus alia. Si inquam hæc ſolidè certóque demonſtrari poſſunt, quæ minimè profectò dubito quin à me ſic in ſupradictis libris ſunt demonſtrata, actum continuò eſt de temerario hoc *Cuperi* commento aliorúmque Materialiſtarum, *Nihil utique Materiâ Divinius in Mundo exiſtere.* Quo quidem Fundamento diruto ſummum Atheorum modernorum Propugnaculum corruere, * fatente ipſo *Cupero* qui modernos Atheos Atomicam ſive Mechanicam Mundi condendi rationem ſecum explodere aſſerit, omnino eſt neceſſe. Iſta verò argumenta quàm ſolida ſint ex ſupradictis Scriptis meis jam te ſatis intelligere credo, adeò ut nihil opus ſit quicquam ampliùs hîc adjicere, præſertim cùm verendum ſit me plura jam accumulâſſe quàm Epiſtolæ ratio aut patientia tua ferat. Siquid ſupereſt, in aliud potiùs tempus differam. Interim ut hæc quæ ſcripſi æqui boniq; conſulas, & hanc meam quam ſumpſi liberiùs prolixiúſque apud te garriendi libertatem humaniter condones, enixiſſimè rogo. *Vale.*

H. M.

SCHOLIA

In Epiſt. ad *V. C. Sect.* 1.

UT nugatur Spinozius, &c. * *Eum hujus Tractatûs Autorem eſſe à multis accepi, & in neminem hactenus incidi qui ea de re dubitaverit. Principalia etiam dogmata quæ occurrunt conſentire cum eis apud B.* de Spinoſa *in* Appendice continenti Cogitata Metaphyſica, *ſuis in locis monebo.*

Sect. 4. *Quid Myſterii* Spinozius hîc latitare autumet, *&c. Verba enim* Spinozii *ſunt,* Quare non dubito quin hîc aliquod lateat Myſterium.

Sect. 6. Cùm ille ipſe Deus qui Moſi locutus eſt jam fuerit incarnatus, *&c. Sic enim* Ambroſius: Non Pater in rubo, non Pater in eremo, ſed Filius *Moyſi* locutus eſt. *Idem etiam aſſerit* Baſilius *contra* Eunomium, *&* Irenæus *apud* Calvinum *affirmat,* Filium eſſe opificem Cœli ac Terræ qui legem tulit per *Moſis* manum & Patribus apparuit.

Sect. 7. Ubi planè Deum & Naturam confundit, *&c. Et tamen in ſupradicta* Appendice *multa philoſophatur de Deo ac ſi à Natura diſtinctus eſſet, ut ubi agens de illius Ubiquitate ſive Omnipræſentia* Part. 2. Cap. 3. *Si jam quæras, inquit, unde ergo nos probabimus Deum eſſe ubique; reſpondeo, id ſatìs ſupérq; à nobis jam demonſtratum eſſe ubi oſtendimus nihil nè momento quidem exiſtere poſſe quin ſingulis momentis à Deo procreetur. Hîc videtur Naturam creatam à Deo ipſo diſtinguere. Jam verò addit ut Dei Ubiquitas aut præſentia in ſingulis rebus debitè intelligi poſſit, neceſſariò debet perſpecta eſſe intima natura Divinæ voluntatis quâ nimirum res creavit, quâque eas continuò procreat. Quod cùm humanum captum ſuperat, impoſſibile eſt explicare quomodo Deus ſit ubique. Verùm hæc ego à* Cupero *animatus qui Atheiſmi & Atheorum arcana tam pulchrè callet, non poſſum quin ſuſpicer per deridiculum adjecta eſſe, & exiſtentiam Dei, qui non eſt niſi ſit ubique, tollendam innuere, * & Naturam relinquendam ſolam. Quæ cùm ſola ſit ſubſtantia in rerum Univerſitate & præſtò ſit ubique, omniáque in Mundo Phænomena, quippe ſuæ ſubſtantiæ varias duntaxat modificationes, ſingulis quaſi momentis exerat & quaſi renovet, occultum eſt* Spinozii, *ut vult* Cuperus, *Numen. Et ſic Dei Naturæq; potentia eadem erit. Sed ſi creata ſit ſubſtantia à ſubſtantia Dei diſtincta, nihil ab omni ſenſu ac ratione magìs alienum eſt quàm non diſtinctas potentias agnoſcere perinde ac ſubſtantias. Creatio igitur Creaturæ ſingulis momentis de nulla re tam rectè intelligi poteſt quàm de perpetua productione aut tranſmiſſione motûs à materia vitam in ſe habente ac perpetuò operante, quæ* voluntas *illius cenſeri poteſt. Quam qui intelligit, intellecturus eſt quodnam illud Numen ſit quod eſt ubique;* * Materia *nempe* Mundana *immenſa, æterna,* ἀυτόζωος, *quod modernorum Atheorum, fatente* Cupero, *eſt Arcanum, ipſiúſque adeò* Spinozii *ut is repetitò inculcat in ſua* Tractatûs Theologico-politici Refutatione.

Sect. 10. Prophetas tamen etiam abſque eis, *&c. Adde, quòd ſigna utplurimum Prophetæ à Deo non tam ſuâ quàm aliorum gratiâ petebant, ut rectè notavit* Cuperus.

Sect. 12. Legéſque Naturæ univerſales ſecundùm quas omnia fiunt, nihil eſſe niſi æterna Dei decreta, *&c. Ad occultandum ſe paululùm, ſenſúmque obſcurandum, verborum ordinem invertit Veterator. Nullus dubito enim quin hoc ſuis inſinuare velit,* * Æterna Dei Decreta nihil eſſe niſi Leges Naturæ univerſales.

Materiæ utique Mundanæ motu neceſſario & mechanico, *&c. Occurrunt in modò dicta* Appendice *Part. 2. Cap. 9. quæ hiſce apprime ſunt conſentanea, ubi concludit omnia eſſe neceſſaria reſpectu decreti Dei, non autem quædam in ſe, quædam reſpectu decreti. Quorum priorum exemplum profert* Triangulum tres angulos habens duobus rectis æquales. *Cui ſtatim ſubdit : Sed ſanè hi ex ſua ignorantia diſtinctiones in rebus fingunt. Nam ſi homines clarè totum ordinem Naturæ intelligerent, omnia æquè neceſſaria reperirent ac omnia illa quæ in Matheſi tractantur,* &c. *Quocirca, inquit, vel dicendum, quòd Deus nihil poteſt, quoniam omnia revera neceſſaria ſunt (neceſſitate putà Mechanicâ & Mathematicâ;) vel Deum omnia poſſe, & neceſſitatem quam in rebus reperimus à ſolo Dei decreto proveniſſe. Videmus hîc quàm conſonus* Spinozio *ſit* Spinozius, *verámque illius mentem hoc in capite nos non fugiſſe. Quippe* *quòd hîc etiam in* Appendice *inſinuat vaſer Sophiſta Leges Naturæ non magìs à Dei decreto dependere quàm proprietatem Trianguli quâ tres angulos habet duobus rectis æquales, ac proinde ab eo dependere nihil; & quod huic conſequens eſt*, * *eum non eſſe, ſed Naturam ſolam omnia neceſſariò & eſſe & facere.*

Sect. 14. Quoniam cognitio effectûs per cauſam, *&c. Alterum ordinis verborum Inverſionis exemplum hoc eſſe credo, illi quod Sectione duodecimâ notavimus haud diſſimile, ſenſúmque qui ſubinſinuatur eſſe,* Quoniam cognitio cauſæ per effectum, *&c.*

Sect. 16. Voluntatem Dei ejúſque intellectum idem prorſus eſſe, *&c. Hinc iterum* Spinozium *hujus* Tractatûs *Autorem eſſe liquet. Nam* Append. *Part.* 2. *Cap.* 8. *apertè* voluntatem *ac* potentiam *quoad extrà aſſerit à Dei* intellectu *non diſtingui.*

Sect. 18. Alterum, quòd duas potentias numero ab invicem diſtinctas imaginantur, *&c. Ità* Append. *Part.* 1. *Cap.* 3. *hiſce conſonanter ait, Nulla res creata propriâ vi aliquid facit eodem modo ut nulla res creata ſuâ propriâ vi incepit exiſtere. Ex quo ſequitur nihil fieri niſi vi cauſæ omnia creantis, ſcilicet Dei, qui ſuo concurſu ſingulis momentis omnia procreat. Hîc rurſus unicam vim ſive potentiam in rerum Univerſitate aſſerit quam in ſpeciem Divinam vocat, ſed ſi* Cuperus *Arcanorum Atheiſmi gnarus verus ſit Interpres*, * *tacitè eam inſinuat vim Materiæ eſſe naturalem.*

Opinionem de Miraculis, *&c.* Spinozius *hanc opinionem quippe ſibi ſemper conſiſtens in* Appendice *etiam ſalsè deridet*, Part. 2. Cap. 9. *Ubi poſtquam potentiam Dei in ordinariam & extraordinariam diviſit, atque hanc eſſe quando Deus aliquid agit præter Naturæ ordinem, ut ubi fiunt miracula, de hac extraordinaria* non immeritò valde dubitari poſſe, *ait*, cùm majus videatur eſſe miraculum, ſi Deus Mundum ſemper uno eodémque certo atque immutabili ordine gubernaret quàm ſi leges quas ipſe in Natura optimè ſancivit, propter ſtultitiam hominum abrogaret. *Quas tamen non abrogat ſed ad tempus tantùm ſuſpendit. Verùm enimvero mihi inſtar maximi omnium miraculi eſſet ſi* Spinozius *ſeriò crederet Deum eſſe à Natura diſtinctum qui ingens iſtud miraculum quotidie, immò ſingulis momentis edat, creando ſcilicet momentis ſingulis totum hoc Univerſum partéſq; illius ſingulas de novo, ni crederet ſimul eum poſſe & aliquando velle in aliqua parte, nè Mundus Naturâve vi propriâ ſubſiſtere videatur, ordinem ſiſtere parumper vel immutare ut in Miraculo* Joſuæ & Ezechiæ. *Cùm verò nihil abſurdius fingi poteſt quàm hoc Commentum* Spinozii *de Creatione de novo rerum ſingularum ſingulis momentis à Deo, hoc, nimis quàm veriſimile eſt, ab eo toties uſurpatum & inculcatum in meram Divinæ Exiſtentiæ deriſionem, & ſub ſpecie tamen tenerrimi cujuſdam Religionis ſensûs taliſque dependentiæ à Deo noſtræque deficientiæ, ac ſi revera ſingulis momentis in nihilum lapſos nos in exiſtentiam reſtitueret Subſtantiam pariter ac operationes, cùm tamen* Spinozius *interim nullum Deum præter Naturam clanculùm apud ſe ſtatuerit, ut non immeritò obſervavit etiam* Cuperus.

Commentum autem hoc quàm ridiculum ſit in rebus Naturalibus *& in rebus* Religionis *impium, cuivis vel paululùm conſideranti patebit. Ut quando Pilam putà aut Lapidem in aerem projicio. Lapis aſcendit non quidem vi motûs à manu mea impreſſi, quum eodem ferè momento quo motus imprimitur & lapis & impreſſio annihilatur, & ſequente momento de novo creatur à Deo, & ità à ſolo Deo illiúſq; potentia pila lapiſve in aerem aſcendit eâdémq; vi deſcendit, infinitis vicibus in aſcenſu deſcenſúq; annihilatus & creatus de novo. Ita utique*

Ludit in humanis Divina Potentia rebus,

vel humanum potiùs Ingenium ludit in Divina Potentia, & abſurdiſſimis hiſce Paradoxis è rerum Univerſitate eum occultè explodit. Quibus adde, ſi res ſingulis momentis de novo creantur, difficile eſſe intellectu quomodo planta animálve conſeneſcat, &c.

Ut autem hoc dogma ridiculum *eſt in rebus* naturalibus, *ità in* Religione impium, *ut quod Sanctitatem Divinæ Majeſtatis tam apertè violat; Peccatorem enim ejúſque operationes in fœdiſſimis actionibus dum ſic de novo creat, fœdiſſimas ſuas actiones ſimul creat, & in eiſdem detinet neceſſariò, & quod ſponte fatetur* Spinozius *ad eas determinat, & tunc hypocriticâ quâdam omnis pietatis ac virtutis deriſione agnoſcit*, quomodo hoc cum humana libertate conſiſtere queat ſupra captum ſuum eſſe, intelligere. *Quorſum verò hæc tendunt, niſi ut Autore* Spinozio *aut nullum*

nullum Deum credas præter Naturam, aut ſi credas, talem tibi fingas qui omnes conſcientiæ morſus aut vellicationes tibi auferat, ut effræni impetu ac ſecuro tuis indulgeas libidinibus? Non eſt enim ut quempiam ſeriò pœniteat eorum quæ non tam ipſe facit quàm omnia ſingulis momentis de novo creans Deus. Quòd autem hoc commentum Spinozii *pro libitu fictum ſit non autem ſanum ſolidúmque dogma, hinc breviter liquet, quòd cùm creatio ſit* Subſtantiæ *productio, nihilque Subſtantiam annihilare poſſit præter vim illam ac voluntatem quæ eam produxit; ſi nihil ſtatuat Deus contra eam voluntatem quâ ſimul cum potentia exertâ facta eſt Univerſi Creatio, impoſſibile eſt quin cujuſq; rei ſubſtantia cum immediatis ſuis facultatibus ſine ulla nova ſinguliſque momentis repetita creatione perſiſtat firmitérque maneat. Cùm verò nihil præter voluntatem Divinam ſubſtantiam creatam poteſt annihilare, Univerſum hoc fingere ſingulis alternis momentis* annihilari *&* denuò creari *eſt planè ſupponere Deum ſingulis alternis momentis velle & nolle creationem ſubſiſtere, quod non ſolùm ridiculum eſt, ſed nefanda profectò adversùs Divinæ Majeſtatis Immutabilitatem & Conſtantiam Blaſphemia.*

Sect. 33. Dum autem *Spinozius* mentem recenſet inter impropria Deo, *&c. Verba illius ſunt in hoc ipſo capite:* Minimè mirum quòd Sacra Volumina ubique adeò impropria de Deo loquantur, eíque manus, pedes, oculos, aures, mentem, & motum localem tribuant, *&c. Vide autem annon hoc bene conſentaneum ſit illi quod occurrit in illius* Appendice, *Part.* 2. *Cap.* 7. Nos autem contrà, * Deo ſingularium cognitionem tribuimus, univerſalium denegamus * niſi quatenus mentes humanas intelligit; *annon occultè inſinuet Naturam, quæ Deus eſt* Spinozii, * *in hominibus, partibus ſcilicet ſui, ut homines, in Brutis ut Bruta, & ſic in reliquis, res percipere, & niſi ſit in rebus omnibus perceptio, in aliquibus partibus nihil percipere, ſed planè ſtupere?*

Sect. 48. Ipſum videlicet ſubtiliſſimum & vaferrimum fuiſſe Impoſtorem, &c. *Equidem* Spinozium *ſatìs improbum fuiſſe atque impium facilè concedo, eò verò impietatis prorupiſſe* * *ut Servatorem ſubtiliſſimum ac vaferrimum Impoſtorem exiſtimaret, nequaquam ſentio, ſed virum potiùs fuiſſe bonum ac ſimplicem, quales alios fingit Prophetas, ſed nec ipſum nec alios revera Prophetas fuiſſe, hoc eſt, miraculosè à Deo inſpiratos, cùm nullos tales unquam extitiſſe exiſtimat, ſed putâſſe ſe inſpiratos & miſſos à Deo, cùm reverà non eſſent. Quem prætextum in Chriſto deridet* Spinozius, *quippe circa iſtas Divinas communicationes ſupernaturales ſive* internas *ſive* externas *omnino incredulus. Chriſtum verò ſimulâſſe ſe inſpiratum cùm ſibi conſcius eſſet ſe ſic non eſſe nec à Deo miſſum, hanc fuiſſe* Spinozii *ſententiam nè vel leviſſimum quidem apud eum in illo primo capite aut uſquam alibi invenio veſtigium. Adeò ut hæc* Cuperi *interpretatio in* Spinozium *quidem iniqua ſit, in Chriſtum verò (niſi aliter aliunde de Interprete conſtiterit) maligna atque impia, & haud obſcurum inſenſi quaſi erga eum animi ipſámque adeò Religionem Chriſtianam indicium.*

Ità omnia jocis ac ſcommatis miſcet. *Equidem quanquam ipſe non dubitem veras aliquando occurrere narrationes de* Spectris *& apud* Lavaterum *& apud* Henningum Groſium, Cuperum *tamen non niſi per jocum Lectorem eò remittere credo, cùm planè deprehendatur in reliquis ſuis omnibus argumentis quæ hactenus notavimus nugari datâ operâ & prævaricari.*

Sect. 51. Fatente ipſo *Cupero* qui modernos Atheos Atomicam ſive Mechanicam Mundi condendi rationem ſecum explodere aſſerit, *&c.* Cuperus *igitur cùm ait Atheos modernos ad* vitam *materiæ* innatam *nunc dierum ſe recipere non ad motum* Mechanicum, *talem aliquam hypotheſin innuit, qualem ratione accuratiſſimâ diſtinctiſſimâque deſcribere conatus eſt Medicus clariſſimus* Franciſcus Gliſſonius *in ſuo Tractatu* de Natura Subſtantiæ Energetica, *ſeu,* de Vita Naturæ; *ubi ut* Spinozius *omnem Subſtantiam quatenus Subſtantia eſt, à ſe, quippe quæ per ſe ſubſiſtit,* exiſtere *contendit, ità hic Subſtantiam quatenus Subſtantia eſt* * *neceſſariò vi ſuæ Naturæ* vivere, *hoc eſt,* percipere, appetere ſeſéque movere: *quas proinde facultates* Perceptivam, Appetitivam *&* Motivam, *ipſi Materiæ immediatè ineſſe ſtatuit.*

Gliſſoniana Hypotheſis qualis.

* Cap. 7. Sect. 10.

Quibus præcipuè argumentis ſtabiliatur Hypotheſis *Gliſſoniana.*

Longum eſſet omnes ejus rationes hìc proferre, quibus hoc dogma ſuum ſtabilire velit, nec certè neceſſarium, cùm & ipſe ſuis rationibus à priori, *hoc eſt, ab Efficiente, à cauſa Exemplari, Finali, Materiali & Formali ductis, planè diffidat, utì videre eſt* Cap. 16. Sect. 3. *Nec quicquam affert quod magnopere pungit quo vel rei* poſſibilitatem *arguat, præterquam quod occurrit Sect.* 5. Etenim, *inquit,* certiſſimum eſt eò quòd dentur Plantæ & Animalia, dari quoque vitam materialem &

conſequenter poſſe dari. *Quibus innuere vult & Plantas & Bruta animalia nihil aliud eſſe nec ab alio ullo principio formari & ſuſtentari quàm ab ipſa Materia, quippe per ſe viva. Nullam ipſis ineſſe* φύσιν, *nullam* ψυχὴν *ut* Platonici *loquuntur, præter ipſam Materiam ex ſe vivam.*

Hoc ni ſit, ad Pythagoriſmum *nos confugere oportere pluribus in locis planè innuit, ut Cap.* 9. *Sect.* 1. Hinc, *inquit*, Formas Plantarum & Brutorum vegetativam & ſenſitivam Animas vocant, quaſi forent umbratiles quædam Subſtantiæ vivæ, ſive materiales umbræ viventes, nempe vitæ ſubjectâ ſubſiſtentiâ. Eodem fortaſſe errore ductus olim *Pythagoras* Formarum migrationem à materia ad materiam ſomniavit, *&c. Et Sect.* 5. Si enim, *inquit*, Forma putà vel Anima Bruti ſuſtentaretur per propriam entitatem, ſeparata à Materia permaneret. Non enim in ſe includeret neceſſitatem ſuſtentationis ab alia creatura. Quare cùm à Materiæ ſuſtentatione non dependeret, æquè à Materia ſeparata ac in Materia ſuſtentaretur. Quid ergo hoc dato obſtat quò minùs in caſtra *Pythagoræ* rectè pergamus? *Et decimo denique Capite, Sect.* 33. In noſtro, *inquit*, modo explicandi, Forma generantis motu in Materia excitato in eadem Ideam ſuam erigit, quæ optimè naturalem Formæ eductionem declarat: Nec opus eſt confugiamus ad *Averrois Chalcodiam*, ut officiosè obſtetricetur generationi Formarum, aut migrationem *Pythagoricam* à ſubjecto in ſubjectum ſomniemus, nedum ut neceſſitemur in ſcenam Naturæ ipſum Deum evocare ad defectus creationis ſuæ conſarciendos. *Quod idem rurſus ſugillat*, Cap. 9. Sect. 1. *ubi conqueritur quoſdam illius novum educendi Formas modum ignorantes* creationem & annihilationem *Formarum in ſuas Philoſophias invexiſſe. Atque equidem modus* Gliſſonianus *talis eſt qui opinione* Spinozianâ *adjutus, quæ omni ſubſtantiæ quatenus ſubſtantiæ neceſſariam à ſe exiſtentiam attribuit, Deo quidem opifice nihil omnino opus eſſe planè ſupponat. Unde manifeſtum eſt quàm opportunam Atheiſmo januam* Pythagoras & Plato *qui omnes* Animas *ſive* Vitas ſubſtantiales, *ſimul cum Mundo condito, à Deo creatas tradiderunt, hac ſuâ Hypotheſi claudant. Cæterùm quàm pulchrè non ſolùm Religioni ſed & Veritati litaverint, vel naſutiſſimo* Gliſſonio *judice, qui aut ſuam aut* Pythagoricam *Hypotheſin admittendam inſinuat, ex ſuæ quidem Hypotheſeos falſitate planè apparebit, nimiſque temerè ab eo factum eſſe, quòd materiam* αὐτόζωον *ſtatuere mallet quàm ſe ad* Pythagoræ Platoniſ*que caſtra recipere.*

Etenim, quod ſuprà monui, ſuis à priori *rationibus ductis ipſe diffidit, & quas* à poſteriori *profert ſive ab effectis quàm nihil omnino ad cauſam faciant, ſimul atque ipſa argumentorum capita nominata fuerint, vel unico hoc monitu ſtatim deprehendetur, nempe, Argumenta aut vitam in Materia* non arguere, *aut ſaltem à Materia* non profectam *ſed à principio aliquo immateriali. Argumenta autem illius pro vita Materiæ deducuntur à variis motibus in Natura obſervatis, ut à* Motu Antitypiæ, *à* Motu nexûs, *à Motu Cœlorum ac Planetarum ipſiúſque adeò Telluris circa Solem, à Motu ob* fugam Vacui, Motu Libertatis, *Motu Rarefactionis & Condenſationis, & à Motu ad Craſſitiem & Tenuitatem. Item à* Schematiſmo *& Continuitate partium Materiæ. Eſt autem inſtar omnium quod in ipſo limine argumentationum adducit ab illuſtriſſimo & ſubtiliſſimo Vicecomite S.* Albani *mutuatum, de quo,* Ità de ſuis, *inquit*, generibus & differentiis Motuum tractat ut perpetuò eorum rationem ex ſcopis & appetitibus ſe præſervandi, exaltandi, propagandi atque etiam fruendi ſuâ naturâ reddat, adeóq; eos motus ab interno vitæ principio aut dimanare aut ſaltem regulari manifeſtò inſinuet. Quot ergo varias motûs ſpecies enumerat, tot ab eo argumenta ad Theſin noſtram de *univerſali Naturæ vita* probandam adducta puta.

Argumentorum pro *Gliſſoniana* Hypotheſi allatorum confutatio.

Quantùm verò ad eos ſupradictos Motus, certè ille Motus Antitypiæ, *quum is omninò ſit quo vel minima materiæ portio in nihilum redigi nequeat, ut* Verulamius *definit, manifeſtum eſt id fore nulla licèt Materiæ ineſſet vita, quippe quòd ſubſtantiæ quatenus ſubſtantiæ competit. Nullum ergo argumentum vitæ id eſſe poteſt in materia quod materiæ quatenus ſubſtantiæ, omni etiam vitâ deſtitutæ, neceſſariò ineſt. Nec* Motus nexûs *vitam Materiæ arguit, cùm certè illud Phænomenon* Carteſiani *ſatis ingenioſè & ſolidè exponunt per* circulum motûs *cùm omnia ſint corporibus plena, nec ulla detur partium materiæ penetratio. Nec* Motus Cœlorum, *hoc eſt,* Vorticum, *ullam in materia vorticum vitam* perceptivam *indicat, cùm tanta motûs portio vel* Mechanicè *eis impreſſa multóque magìs à principio aliquo* Immateriali *communicata eos in iſtos gyros ſine omni ſua perceptione facilè circumvolveret.* Et *quantùm ad* Motum Telluris (*eadémque ratio eſt de reliquis Planetis fatente ipſo* Gliſſonio) *fertur quidem in æthereo vortice ut pomum in aquæ vorticem injectum, nec magìs ſolicita eſt de motu ſuo annuo circa Solem quàm pomum de ſuo motu circa centrum vorticis aquæ, contrà ac ſtatuit celeberrimus Medicus* Gliſſonius. *Qui quanquam motum* diurnum *ex principiis* Carteſianis *fortè fieri poſſe concedit,*

cedit, motum tamen Terræ annuum *qui modò Auſtrum modò Septentrionem versùs ſertur, minimè abſq; Vita Naturæ ſuſtineri poſſe contendit.* Siquidem Terra in hoc Motu non eodem tenore quo occepit movere pergit, ſed ſponte ſuum curſum cùm ad ſolſtitia deventum ſit, invertit. Ducitur ergo vitali principio quo quamdiu motus Auſtrum versùs ſibi ſit utilis, quandóq; idem ſit potiùs Septentrionem versùs reflectendus, percipit. *Vide cap.* 24. *ſect.* 27. *Egregium ſanè Vitæ in Materia* perceptivæ *argumentum! Quaſi verò Terra non mechanico & neceſſario circa Solem gyratu moveretur, ut pomum in aqua vorticoſa, magíſve curſum reflecteret in Solſtitiis quàm Æquinoctiis, nec uno ferè tenore circa ſolem pergeret? Sed perpetuus inclinati axis Terræ parallelismus, qui motûs Auſtrum versùs & Septentrionem Phænomenon dat, viri aliàs doctiſſimi notitiam fugiſſe videtur, ex cujus ignoratione hanc* vitam perceptivam *in Materia Telluris fingit.*

Porrò, nec Motus ob fugam Vacui, *quaſi multò plus complacentiæ atque utilitatis ex aliorum corporum quàm ex Non-entis ſeu Vacui contactu corpus quodlibet percipiat, vitam Materiæ perceptivam probare poteſt*, cap. 26. ſect. 5. *Nam ut omittam nullum Vacuum ſenſu veterum ab ipſo* Gliſſonio *admitti, indè etiam ſequetur Materiam eſſe ſaltem* indefinitam, *modóq; impenetrabilis ſit, eadem hîc erit reſpondendi ratio quæ de* motu nexûs. *Si verò Materia mundana ſit* finita, *reſpondeo partes Materiæ uno communi* Spiritûs Naturæ *vinculo, qui totam materiam mundanam continet & actuat, cohærere & connecti. Quod* vitam *arguere agnoſco* in *materia, verùm non* à *materia, ſed* à Spiritu Naturæ *communi derivatam. Et quod ad* Motum Libertatis *attinet per quem corpora ſe liberare nituntur à preſſura & tenſura præternaturali, hunc nixum dico non ab ipſa materia ſed à* Spiritu Naturæ, *qui Materiam in iſtiuſmodi varias conſiſtentias format, activè proficiſci, materiámve ab ipſo in hos motus excitari & in debitum ordinem ſitúmque diſponi. Quod ad* Motum *verò* Rarefactionis & Condenſationis *ſpectat, ſenſu* Gliſſoniano *nullum eſſe contendo, & ſi eſſet*, vitam *materiæ* perceptivam *minimè arguere, ſed à* Principio Hylarchicho *excitari aut regi. Nec* Thermometri *experimentum quicquam huc facere aut* vulgaris *aut* Boiliani. *Neque enim ſpiritus vini in hoc, & Aer in illo ullâ innatâ ex ipſa Materia vitâ ſponte ſe modò expandit, modò contrahit; ſed vis caloris aeris externi facit ut extendantur, hoc eſt, ità partes agitat ut paulò disjunctiùs inter ſe moveantur, quo calore ceſſante iterum ad priorem conſiſtentiam revertuntur, non vi propriâ ſed virtute* Hyloſtaticâ Spiritûs Univerſi, *idémque dicendum de Motu ad* Craſſitiem & Tenuitatem. *Piget enim in his tam levibus rebus atque obviis diu immorari.*

Schematiſmum *verò* Naturæ vitam *planè monſtrare contendit eruditus Autor*, cap. 9. ſect. 13. Si enim, *inquit*, complexa vis formativa Plantis & Animalibus indulta ab omnibus pro certiſſimo vitæ vegetativæ indicio habeatur, pari jure hæc ſimplex formatrix quæ ſingulis corporum ſpeciebus debitum *Schematiſmum*, & multis perquam elegantem, arte vix imitabilem, miniſtrat, pro ſufficiente vitæ naturalis *(per quam ille intelligit vitam* perceptivam, appetitivam & motivam *non ſolùm in Materia ſed ex ipſa Materia ortam & in quam ipſa ſe exerit)* teſtimonio habenda eſt. *Et paulò pòſt:* Qui figurationes nivium, pruinæ, grandinum, & ſimilium in Microſcopiis contemplatur, vix ſibi perſuadere patiatur quin Natura aliquando quaſi deditâ operâ conſpicuum ſuæ artis ſpecimen perhibere affectet. *Si pro Natura* Spiritum Naturæ *poſuiſſet ſatìs inter nos conveniſſet. Nam & ipſos* Schematiſmos *corporum inanimatorum, quæ vocantur, non* Mechaniſmi *ſed* Spiritûs Naturæ *effecta lubens agnoſco. Manifeſtúmq; eſt hæc Phænomena nequaquam vitam Materiæ ex ipſa profectam aut exertam, ſed tantùm* Vitam Univerſi *indicare, ſive* Spiritum Naturæ *univerſam Mundi materiam actuantem. Et certè plerique omnes qui vim formativam in Plantis & Animalibus concedunt, in* Forma ſubſtantiali *non in* ipſa materia *fundatam ſimul aſſerunt. Cùm autem nulla forma ſubſtantialis è Materia oriri poſſit, maximè conſentaneum eſt ſubſtantiam aliquam à materia diſtinctam hæc præclara officia ubiq; obire:* Animas *quidem Animalium vi ſuâ plaſticâ in eorum corporibus, in reliquis verò* Spiritum Naturæ *qui in ſe continet vim Plaſticam Univerſi; quò proculdubio vergit ſenſus eorum omnium qui non* vitæ Materiæ *ſed* formis ſubſtantialibus *è ſinu Materiæ eductis hæc omnia opera attribuunt, ſi ſuam ipſi mentem diſtinctiùs excutere vellent penitiúſque intelligere. Omnes enim materiam conſiderant tanquam principium merè paſſivum & non in ſe aut per ſe agens ſed ab alio actuatum.*

Verùm ad ultimum propero, motum ſcilicet continuationis, *quo corpora omnia ſuæ ſolutionem continuitatis exhorrent.* Virtute enim hujus, *inquit doctiſſimus* Gliſſonius, pars quælibet auctior fit, & parte vicinâ tanquam ſuâ fruitur. Natura hinc

quoq;

quoque percipit utilitatem partium ſuarum eáſque amat & totis viribus tueri conatur, *cap.* 30. *ſect.* 11. *Huc etiam referri poteſt quod occurrit* cap. 31. ſect. 12. *ubi de* ſubſiſtentia modali *loquens*, Eſt verò, *inquit*, in re Actus vitæ quo ſubſtantia ſibi ſoli confœderata in partibus ſibi relictis ut ad integritatem ſuam ſufficientibus acquieſcit. *Ubi* vitam *Materiæ ex motu* Continuationis *&* Modali ſubſiſtentia *corporum inanimatorum particularium colligere vult. Sed reſpondeo* motum *hunc* Continuationis *quatenus à* motu nexûs *diſtinguitur, non magìs probare* vitam Materiæ *ſenſu* Gliſſoniano *in particularibus corporibus inanimatis, quàm in differentibus partibus corporum Animalium, quæ vi Plaſticæ partis animæ, non ſuâ, in iſtos diverſos* Schematiſmos *formantur, & parem ferè eſſe* Modalem ſubſiſtentiam *in partibus Animalium atque in partibus quæ putantur inanimatis Univerſi. Et quemadmodum omnes partes Animalis ab una illius Anima formantur & reguntur, ità omnia corpora particularia quæ putantur inanimata, ab uno* Spiritu Naturæ *formari ac regi. Nec ulla argumenta à doctiſſimo* Gliſſonio *allata talem probare materiæ vitam quæ* ex ipſa *exorta ſit &* ab ipſa *excitata, ſed talem ſolummodo quâ ipſa actuata ſit ipsique à Principio immateriali communicata.*

Denique quantùm ad ea quæ ex illuſtriſſimo Vicecomite S. Albani *aſſert, nihil novæ difficultatis ex eis emergit. Quanquam enim ità de ſuis generibus, & differentiis motuum tractat ut perpetuò eorum rationem ex ſcopis & appetitibus ſe præſervandi, exaltandi, propagandi atque etiam fruendi ſuâ naturâ reddat, iſtáque vitam aliquam arguant in genere in Materia Mundana relucere; nequaquam tamen probant Vitam iſtam* ex ipſa *materia emanare, aut ab immateriali Principio ei non eſſe communicatam. Nulla igitur* ab effectis *argumenta ſuppetunt quibus Materia probetur* ὠυτόζωο, *hoc eſt, naturali* perceptione *&* appetitu *prædita. Rationibus autem à* priori *ipſe diffidit* Gliſſonius.

Cæterùm cùm id forſan præcipuè ab illo intelligatur de rationibus à cauſa efficiente *petitis, nequa fraus ejus cauſæ fieri videatur, duo potiſſima quæ habet argumenta, alterum à* cauſa materiali, *à* formali *alterum deducta in medium proferam, ſed apertè ac fideliter ſecundùm illius ſententiam expoſita. Primùm igitur ex* cap. 17. ſect. 1. *ſic eſt:* Internum motûs, eſt & vitæ perceptivæ & appetitivæ ſufficiens principium. At natura ſubſtantiæ materialis *(hoc eſt Materia ipſa)* eſt internum motûs principium, & conſequenter eſt quoq; ſufficiens vitæ principium. *Verùm hîc profectò mihi videntur utræque tum Propoſitio tum Aſſumptio planè vacillare. Propoſitio quidem, Quoniam aliquod principium motûs internum eſſe poteſt Vitâ nullâ* perceptivâ *aut* appetitivâ *præditum. Quale Principium fortean eſt* Spiritus Naturæ, *nec tamen fruſtra aut ineptè uſquam agit, niſi præpeditum, quoniam vitam* Plaſticam *habet licèt non* perceptivam *Divinæ ſapientiæ ac conſilii* Ectypon, *cujus vi intra ſuam ſphæram rectè omnia peragit. Quamobrem ubi exclamat acutiſſimus Philoſophus,* Ego verò concipere nequeo quî fiat ut Motus purè ab interno Principio ordiatur, quem tamen iſtud Principium nec appetit nec percipit. An Natura adeò temeraria eſt ut nullo ſibi propoſito fine novam operationem ſponte aggrediatur, an potiùs omnia prudenter & non ſine admirabili providentia adminiſtrat? *ſect.* 3. *Hoc argumentum Materiam* ὠυτόζωον *eſſe vitâque perceptivâ & appetitivâ præditam probare non poteſt, niſi ſuppoſito priùs non eſſe Deum, qui* Spiritum *merè* Plaſticum *creare poteſt & Materiæ mundanæ præficere, ut* vitaliter *præſtet quod quædam Automata præſtant* Mechanicè, *quæ artificioſos edunt motus & ad certum ſcopum deſtinatos, cùm ipſa interim nullius ſcopi artiſve ſint conſcia. Aſſumptio verò apertiùs vacillat, cùm omnes ferè Philoſophi negent Materiam eſſe ullum activum Motûs Principium ſed motûs tantummodo receptivum. Ii ſoli qui Deum negant omnémque ſubſtantiam incorpoream, coguntur originem motûs omniſque vitæ quæ in mundo corporeo relucet, in ipſa materia quærere. Verùm apud Cl.* Gliſſonium *qui Dei Creatoris aliarúmque ſubſtantiarum incorporearum exiſtentiam non ſolùm profitetur ſed toties inculcat, mirum eſt inquam ſi aut Propoſitio aut Aſſumptio ullius momenti apud ipſum videatur.*

Duorum præcipuorum argumentorum à cauſa Materiali & Formali deductorum confutatio.

Alterum argumentum occurrit cap. 18. *in quo probatio intenditur* vitæ naturalis *à cauſa* Formali. *Ubi ad eos qui negant Formam Phyſicam Vitam aliquam Materiæ primævam modificare, ſed contendunt in eis corporibus in quibus vita cernitur ut in Plantis & Animalibus, quòd Forma vitam de novo addit eâq; Materiam afficit & modificat, ſic reſpondet:* Fieri nequit, *ait ille*, ut vita è materia pullulet in qua nullam radicem habuerat. Natura Materiæ eſt materialis cauſa è qua Forma Phyſica dimanat *(Anima putà Plantæ vel Bruti)* & ità dimanat ut in eadem quamdiu eſt immaneat, foveatur & ſuſtentetur, hoc eſt, ut per continuam quandam dimanationem ab ea profluat. Verùm ſuperat captum meum, *inquit ille*, poſſe è re mortua omni vitæ rudimento orba vivam formam immediatè pullulare. *Hic eſt ipſe apex & aculeus omnium argumentationum in dicto capite. Et certè ſuum pondus habere debet apud eos omnes qui negant ullam ſubſtantiam præter ipſam materiam in rerum univerſitate exiſtere. Tunc enim ſatìs conſentaneum eſſet ſtatuere immediatam quandam ac primævam materiæ ineſſe vitam, cujus ſpecificæ, quæ putantur, Vitæ, Animæque vulgo dicuntur, ſint variæ tantùm modificationes, nec varias has modificationes fieri poſſe niſi primæva quædam vita eſſet ipſi materiæ, quatenus materia eſt, eſſentialis quæ ſic modificaretur. Et certè argumentum ſtrenuè militat contra eos qui negant hanc primævam materiæ vitam, & tamen contendunt Animas non ſolùm Plantarum ſed & Animalium perfectorum, Equorum putà, Canum, Vulpium, Simiorum & ſimilium, è potentia Materiæ educi. Quod ingens fateor mihi ſemper viſum eſt Portentum ſeu miraculum, ut ſtupida utique materia & ex ſe omni vitâ orba* Formas ſubſtantiales *ſive* ſubſtantias vivas *ſenſu, imaginatione, memoriâ, acrique ſagacitate & aſtutiâ præditas, è ſinu ſuo fundat, aut ipſa cùm vita eſſentialis non eſſet ſed planè iners quædam ac ſtupida ſubſiſtentia mereque paſſiva, tales operationes immediatè ex ſe quales modò memoravi, ullis externis excitationibus exerat. Hoc certè fidem meam perinde atq; captum eximii Philoſophi & Medici ſuperat.*

Cæterùm intereà loci notandum eſt probationem hanc eſſe tantùm argumentum ad hominem, nullos ſuâ vi cogere poſſe niſi qui nullam ſubſtantiam præter materiam credant. Qui verò Deum eſſe credunt aliáſque ſubſtantias Immateriales, modò liberè philoſophari velint, facilè reſpondere poſſunt cum antiquis Pythagoreis Platonicíſque *Animas Brutorum* Subſtantias *eſſe à corporibus ipſorum* diſtinctas; *Materiam verò Univerſi inanimatam, quam autumant, ſed variis Formis Phyſicis inſtructam, à* Spiritu Naturæ *formari ac regi. Quæ Hypotheſis apud liberos Philoſophos nullam habere poteſt difficultatem. Quàm verò impar ſit Materia vitæ* perceptivæ, *putà ſenſationis, imaginationis, & memoriæ, multóque magìs rationis muneribus, cùm abunde in Scriptis meis demonſtratum ſit, meminiſſe hìc obiter ſufficiat.*

Satìs eſt quòd planè apparet doctiſſimum Gliſſonium *nulla ullius momenti nec* à priori *nec* à poſteriori *argumenta attuliſſe quibus probaret* Naturam *Materiæ* Energeticam, *vitam nempe illius primævam ex* perceptione, appetitu *ac* motu *conſiſtentem. Cùm illa vitæ ſpecimina quæ videntur in materia apparere, immaterialis alicujus Principii effecta eſſe poſſint, quod materiam ſatìs quidem morigeram ac ſequacem in varios modos transformat, nec ullam vitam in materia arguere niſi merè paſſivam perinde atque imperceptivam, & quaſi umbram & imitamentum veri vitæ Principii, utique Immaterialis, quod ſingulis motibus Materiæ præit.*

Sic profectò eſt in omnibus motibus naturalibus. Et in violentis quidem ut in motibus projectorum *nihil hìc attinet* perceptionem & appetitum *fingere. Nam plumbum è Baliſta miſſum nec perceptione nec appetitu fertur; & ſi omni omnino appetitu & perceptione deſtitutum ſupponatur, ſuâ tamen ſimul miſſilitate ſeu mobilitate deſtitutum iri ridiculum eſt imaginari. Et tamen fatendum eſt plumbum ſic ſemel in motum motûſque determinationem excitatum ſuis viribus pergere, atq; ſic* vitali *quodam modo ſed ſine* appetitu & perceptione *agere. Unde vitam quandam ſine perceptione & appetitu & ſine ulla prima* αὐτοκινησίᾳ *eſſe poſſe manifeſtum eſt. Qualem ſolam vitam variis à Principio Immateriali rationibus modificabilem nullámque aliam in materia radicaliter ineſſe contendo, hanc verò eò libentiùs concedo, nè ultima à primo Vitæ fonte emanatio omni prorſus vitâ deſtitui videatur.*

Biuſianiſmus ſive Hylozoiciſmus quibus argumentis ſubvertatur.

Ex dictis interim conſtat Atheos Cuperi *modernos qui rationibus mundi condendi* Mechanicis *relictis, ad* vitam *materiæ* primævam *ſe recepêre, niſi meliores* Gliſſonianis *rationes inveſtigaverint, cauſam ſuam nequaquam ſuffulcire poſſe, nihilve in Mundo materiâ Divinius exiſtere ullâ argumentorum vi ſuſtinere. Et certè res ardua eſt definire, utrum majoris ſit* ἀπαιδευσίας, *cæcâne* Mundum *ac mechanicâ neceſſitate ſine ullo ſcopo aut providentia factum contendere, an providentiam omniúmque rerum gignendarum perceptionem meræ materiæ mundanæ attribuere. Equidem* Mechanici *Philoſophi aliquid acuminis affectant diſtinctas oſtendendo rationes mechanicas quibus materia in iſtiuſmodi figurationes & conſiſtentias, & in talem ordinem diſponatur.* Biuſiani *verò (qui &* Hylozoici *ab erudito* Veri Syſtematis Mundi Intellectualis *Autore appellantur) hoc tantùm dicunt in genere, materiam eſſe* αὐτόζωον *perceptionéque & appetitu ac motu ex ſe pollere, atque ſic ſeipſam ubique prout commodum videbitur, in varias rerum ſpecies componere. Quæ profectò videri meritò poteſt admodum ſimplex faciliſque & compendioſa perinde ac precaria & gratuita (quippe nullis ſolidis fundamentis innixa) philoſophandi ratio, niſi quòd inſuperabilibus difficultatibus ſit intricata:* v. g. *Quomodo materia quæ ſubſtantia eſt minimè omnium una, utpote quæ innumeris Monadibus Phyſicis Minimiſve Naturalibus*

bus tantùm conſtat, ea obeat munera quæ abſolutiſſimam quæ fingi poteſt unitatem requirunt? Talis enim eſſe debet ſubſtantia illa quæ totius hujus Univerſi partium inter ſe pulcherrimum ordinem rationéſque earum ad ſe invicem ſimul præviderit & comprehenderit, ſtabilique ſemper intuitu & immutabili rerum harum omnium Ideas in ſeipſa contempletur, hoc eſt, quæ æterna *quædam ac* perfecta mens *ſit, quæ rerum quidem omnium gignendarum rationes in ſe præconceperit & in* Spiritum Naturæ *vim illius vicariam ſuper Materiam quanquam non* intellectualiter *quidem,* vitaliter *tamen transfuderit. Primæva verò vita materiæ ſiqua eſſet, cùm* generica *tantùm foret, & quantùm ad* ſpecificationes *ſuas ſive* modificationes *ingentibus intervallis diſſeminata ac diſperſa, equidem talis vita nihilo plus faceret ad mundi ordinem ac pulchritudinem quàm ſi eſſet nulla. Niſi ſit unum quid quod totam mundi compagem ſingularúmque ad ſe invicem partium rationes præconceperit ac proſpexerit ſimul, illius profectò conſtitutio modo æquè cæco ac fortuitò fiet atque ſi facta eſſet motu merè* mechanico. *Tam parùm proficiet* primæva *illa* vita *in Formas Phyſicas mox diſpeſcenda.*

Præterea cùm vita Materiæ *in hoc conſiſtat, ut perceptione ſcopi finiſve rerum illiúſq; appetitu motæ ſingulæ partes ſe moveant, rogo quàm credibile ſit ut lapis putà vel plumbum in tam ſegnem ſtupidúmque* modalis *ſuæ* ſubſiſtentiæ *ſenſum defixum & confœderatum, ſcopi deſcenſus corporum craſſorum Ideam retineat, quæ notitiam includit fabricæ corporum omnium Animalium reſpirantium utilitatiſque puritatis aeris, in quo ſi craſſiuſcula corpora fluitarent, in pulmones haurirentur Animalium eóſque oppilarent ſuffocaréntque.* Ferunt Aves aquatiles (*inquit doctiſſimus* Gliſſonius, *Cap.* 34. *Sect.* 26.) è glandibus prope Uropygium roſtro pinguem quandam materiam extrahere quâ leniter illiniunt plumas ſuas & ità muniunt, ut quamvìs aquis ſe pro more ſuo frequenter immergant, emergentes tamen liquorem eis vix adhærentem facilè excutiunt. *Rogo hìc rurſus Virum eruditum an ex hoc præviſo ſcopo, partes hujus pinguis materiæ & in hanc pinguem ſubſiſtentiam ſe formaverint, & promoverint ad Uropygium, ut Anas putà vel Anſer vel Cygnus vel alia quævis Avis aquatilis roſtro, pro re nata, eam indè extrahat ad plumas illiniendas, hoc eſt, an Ideam habeant dictarum avium roſtro gluten hoc vel oleum ex Uropygiis ad plumas illiniendas extrahentium? Similiter de galli calcaribus. Illæne partes materiæ ſinguláque earum* Minima naturalia *finem ſuæ duræ corneæve conſiſtentiæ & figuræ ac ſitûs præcognoverunt quò ſic ſe formarent eóque loco diſponerent tanquam idonea inſtrumenta ad pugnandum? Quod certè fieri non poteſt ſine Idea ſcenæ pugnæ cujuſdam Martiæ inter duos gallos, ob quem finem in talem conſiſtentiam, figuram ac ſitum, partes materiæ calcarium utriuſque galli ità confœderentur.* O *quàm acres igitur Ideas ſive Imaginationes fovent, cuſpides præſertim calcarium, quibus Rivalis cerebrum, ſcitè vibrato ictu effodiatur continuò vel diſcindatur!*

Porrò cùm Philoſophia Carteſiana *ſupponat aliáſque demonſtrari poſſit, Terram non ſemper extitiſſe, atque antè fuiſſe Aerem, Aquam, Lutum, Cœnum idque genus alia quàm animantes ullas, cùmque omnes hæ materiæ partes in alias formas vitáſque confœderatæ eſſent; difficile eſt conceptu niſi ſit aliquid Materiâ Divinius quod totam rerum gignendarum ſeriem ordinémque ac connexionem præviderit eique aliquo modo proſpexerit, ut ulla* forma animalis *uſpiam emergeret, quippe quòd omnes partes materiæ & terreſtris & circumjacentis propriis ſuis confœderationibus & ſubſiſtentiis occupatæ ſupponuntur & intentæ, & ſi fortè confœderatæ iſtæ ſubſiſtentiæ in ſe invicem agunt,* ſuam *tantùm Ideam excitare conantur, nullam verò* animalem, *adeò ut ullam animalis formam emergere aut impoſſibile ſit aut planè fortuitum. Cùm tamen Formæ animales ſint maximum Sapientiæ alicujus ac Providentiæ ſpecimen quod occurrit in Univerſo.*

Adhæc, in formatione ſive organizatione cujuſvis animalis, neceſſe eſt ut ſingula Minima *materiæ* naturalia *perceptione ſuâ naturali ſuos fines ſcopóſque præcognoſcant ad quos conſiſtentiam ſuam, figuram, ſitum locúmque attemperent. Ut particulas, quæ dentes conſtituunt, quid durum prævidere oportet & quid valeat acutum, formámque ac modum abmordendi & maſticandi intelligere & utriuſque maxillæ motum & fabricam: Quæ oculum, Opticam callere, & quæ viſum maximè perficiunt perſpicere modúmque videndi præconcipere; ut quæ genitalia conſtituunt coeundi, quæ inteſtina exonerandi alvum, & ſic in reliquis. Has Ideas ſcenáſve rerum particulares habere eas oportet, nec id ſolùm, ſed & ſingula* Minima naturalia *totam corporis fabricam & organizationem penitus percipere & intelligere, hoc eſt, perfectam illius Ideam tenere. Quod ni ſit, neceſſariò erit aliquid materiâ ſuperius quod hujuſmodi opera moderetur. Et ſanè ſi hoc ſit, cùm ſingula* Minima naturalia *pari ſint & potentiâ & ſapientiâ, omniáque totius fabricæ animalis ejúſque partium ſingularum fines atque uſus, alióſque nobiliores eſſe & optabiliores, alios minus nobiles minúſque optabiles noverint, mirum profectò eſt nulla inter ea* oriri de ordine & primatu diſſidia, nec tam confœderare inter ſe velle, quàm bella & lites adversùs ſe invicem movere, adeò ut rurſus neceſſe ſit aliquid materiâ ſuperius eſſe quod innumeræ huic Minimorum materiæ naturalium multitudini imperet eáque in ordinem diſponat.

Quibus omnibus adde, quod ad Atheos Cuperi modernos dictum volo. Si ſingula materiæ Minima naturalia quæ in meam Suppoſitalitatem ſive modalem Subſiſtentiam confœderantur ſeu coaleſcunt, totius fabricæ mei corporis ejúſque organizationis rationem intelligunt, in quo eorum vis Plaſtica conſiſtit, manétque vis Plaſtica ſeu vita Naturalis quemadmodum affirmat Cl. Gliſſonius in animalibus formatis, & conſtitutioni eorum naturali præeſt, ſuâque eam perceptione, appetitu & motu naturalibus regit; impoſſibile planè videtur ut ego qui ſum hæc Suppoſitalitas ſive Suppoſitum, Suppoſiti hujus, hoc eſt, meiipſius perceptionem Plaſticam adeóq; accuratiſſimam corporis mei Anatomiam non percipiam. Fruſtra enim ſubterfugium ſibi hîc quærent iſti Athei in Gliſſoniana illa diſtinctione Perceptionis in ſimplicem & duplicatam, nóſque nullius eſſe poſſe perceptionis conſcios præterquam reduplicatæ, quippe quum illa ipſa reduplicatio lepidum tantummodo ſit Commentum.

Externum enim Organum & Commune Senſorium non facit perceptionem, Viſionem putà, magìs duplicatam quàm ſi perceptio fieret in ſolo oculo. Eſt enim una tantùm perceptio ab oculo ad commune Senſorium propagata, nec eſt perceptio in communi Senſorio perceptio illius perceptionis quæ fit in oculo, ſed Objecti perceptio ad commune Senſorium tranſmiſſa. Quæ igitur æquè ſimplex eſt atque illa in oculo. Cæterùm revera nulla eſt perceptio in oculo ſed in perceptiva Animæ parte in Senſorio communi, impreſſione vitali in Plaſticam ejus in oculo, eò derivata. Ex duplici igitur Organo externo & interno non duplicatur perceptio, hoc eſt, non fit perceptio perceptionis, ſed ex ipſa natura Subſtantiæ percipientis, quæ non poteſt non percipere ſe percipere, hoc eſt, non conſcia eſſe earum rerum quas percipit. Ipſéque Gliſſonius agnoſcit ſubſtantiam ſuâ naturali perceptione percipere & ſe & facultates ſuas & operationes harum & influxus denique alterationéſque rerum aliarum extra ſe nec non connexus & confœderationes cum eiſdem. Potéſtne verò illa operationes ſuas percipere, nec tamen ſuam percipere perceptionem quæ ſua eſt operatio? igitur ſi ulla omnino ſit naturalis perceptio in materia, eſt & perceptionis illius perceptio.

Et certè hoc ipſo argumento convictus Gliſſonius concedit Materiam perceptionem ſuam naturalem percipere, ſed per unum actum, eodem nempe quo objectum percipit. Quod idem tamen fit in Senſatione. Eodem actu ſentiens quo objectum percipit, ſe percipere percipit objectum, nec novum actum elicit niſi ſcrupulus fortè injiciatur an percipiat. Quòd autem quis profundæ alicui cogitationi intentus adſtantem fortè quempiam non videt, aut guttâ ſerenâ viſu orbatur, id non fit quòd ad Viſionem (eadémque ratio eſt de reliquis ſenſibus) duplicatus percipiendi actus requiritur unus in externo Organo, alter in Senſorio Communi, ſed quòd nulla omnino perceptio ſit in externo Organo, ſed vitalis tantùm impreſſio in Plaſticam ab externo uſque organo ad internum extenſam. Quæ impreſſio niſi ad Perceptivam Animæ intra caput derivetur, nulla omnino fit perceptio. Plaſtica enim Animæ non percipit ſed Perceptiva, nec ipſa ſanè omnia ſimul quæ ſolicitant, ſed quibus vacat attendere. Ideóque niſi impreſſio ſatìs vehemens ſit in Plaſticam, Perceptivam animæ aliis rebus valde intentam facilè poteſt fugere, quippe quòd Plaſtica nullas res percipiat. Simplex igitur tantùm actus eſt tam in perceptione ſenſitiva quàm naturali & perceptionis perceptio perinde in utriſque.

Vtut verò eſt, cùm ſit naturalis perceptionis perceptio in Materia, ego ſi tantùm Materia ſum non Anima incorporea, neceſſariò omnes Materiæ perceptiones percipio, hoc eſt, quæcunque perceptiones fiant in eis materiæ partibus quæ in meam Suppoſitalitatem confœderantur. Ego enim ipſe, ſi non ſit anima incorporea, ſum tota hæc materia ſic confœderata. Et ipſa percipientis Subſtantia res eſt quæ, ſecundùm ſententiam ipſius Cl. Gliſſonii, immediatè percipit. Cùm autem ipſa ſubſtantia materialis ſive materia ſeipſam in hanc affabre concinnatam fabricam omnimodis organis inſtructam miróque artificio compactam ſciens prudénſque confœderaverit, eadémque naturalis ars ſive ſcientia Plaſtica inſit adhuc materiæ, vitæq; functionibus præſideat ut ſtatuit Cl. Gliſſonius, quî fit ut ipſe cùm ego ſum hæc confœderata materia, hujus artis non ſim conſcius, præſertim cùm ipſa ſubſtantia Res ſit quæ percipit & ubique neceſſariò ſit perceptionis perceptio? Cùm verò nullius hujuſmodi artis ipſe mihi conſcius ſim, argumento eſt hanc materiæ perceptionem

nem naturalem figmentum eſſe, aut me animam eſſe incorpoream à materia diſtinctam, & tunc animæ Plaſticâ ea fieri quæ Gliſſonius *naturali materiæ perceptioni imputat.*

Nec omnino ſequitur ex eo quòd ipſe Plaſtica *perinde pars animæ ſim atque* Perceptiva, *ut artis iſtius Plaſticæ quâ corpus organizatur ipſe pariter mihi ſim conſcius, quandoquidem cum* Platonicis *ſtatuo nè ipſam quidem animæ* Plaſticam, *ſuam percipere artem, eſſéque in ipſa vim tantùm quandam* vitalem, *nequaquam verò* Intellectualem. *Unde minimè mirum partem animæ* Perceptivam, Plaſticæ *artem, cùm nè ipſa* Plaſtica *percipiat, non percipere, ejúſve motuum in Plaſticis operationibus, quippe quæ* ἀψόφῳ κελεύθῳ *tacito lentóque greſſu ſemper illìc incedit, ullo modo eſſe conſciam, quanquam interim impreſſionum ab externis objectis, quæ ſemper celeriores & vehementiores ſunt, alterationúmq; in* Plaſtica *factarum, fida fiat per ipſum conſtánſque ad* Perceptivam *tranſmiſſio. Nec dubito quin myſterii* Plaſticæ *animarum* Spiritûſque Naturæ *aut ignoratio aut rejectio hoc naturalis perceptionis in materia figmentum prodigioſum pepererit apud eos qui ſui ingenii fato rerum incorporearum exiſtentiæ minùs faverent.*

Verùm hîc excurſum eſt ultrà quàm putabam. Non eſt quòd adeò ſolicitus ſim de confutandis Hylozoicis *ſeu* Atheis *ſeu* Philoſophis, *cùm ea ipſa loca vel argumenta quæ obiter in hac ſectione quinquageſima prima indigitavi, abunde eos confutent, claréq; demonſtrent aliquid in mundo materiâ longè divinius exiſtere. Fruſtráque laborant* Biuſiani *ſeu* Hylozoici *in tam ſplendidis materiam exornando privilegiis, quò par fiat eis muneribus quæ ei affingunt, quóq; ſibi gratiam faciant credendi ullarum rerum incorporearum exiſtentiam, ſiquidem quibuſcunque dotibus ſuam materiam ditaverint, illius ipſorúmq; ingratiis caput ſuum efferet noſter* Spiritus Naturæ *vel ex uno illo* ſitulæ & orbiculi lignei experimento, *ſatìs omnibus conſpicuus, niſi eis qui oculos datâ operâ claudant contra veritatem. Et certè ſi ſit* Spiritus *ille* univerſalis, *ſine cujus ope nec gravia deorſum nec levia ſurſum moventur, haud ſatìs mentis compotem eſſe oportet qui hoc reſciſcens de particularium Spirituum exiſtentia dubitaverit. Iſtud verò obiter.*

Intereà loci ſatìs liquet Cuperum *cum ſuis modernis Atheis, qui rationem mundi condendi* vitalem *profitentur, ſed per vitam ex ipſa materia emergentem, nec quicquam præter* vivam *hanc* materiam *in rerum natura eſſe ſtatuunt, nihil ex Scriptis* Gliſſonianis *ſibi corradere poſſe, quo cauſam ſuam magnopere ſuffulciant; ſed hoc uno demonſtrato, neceſſe utique eſſe ut aliud aliquod exiſtat materiâ excellentius, ſe iſtud* ſuum *præcipuum fundamentum corruere perinde ac* Mechanicum *ſive Atomicum, confiteri oportere.*

ADNOTATIONES in antecedentia

SCHOLIA.

SECT. I.

EUm hujus Tractatûs Autorem eſſe à multis accepi, *&c. Poſt abſolutam hanc* Tractatûs Theologico-politici *confutationem cum ipſis* Scholiis *& tranſcriptam, Londini cùm agerem in* B. D. S. Opera Poſthuma *incidi, quæ ob hoc potiſſimùm emi, ut perlectis, quantum ſatìs eſſet, indè planiùs mihi aliiſque conſtaret, me nullam* Spinozio, *aut ei attribuendo prædictum Tractatum aut loca illius ulla duriùs quàm par eſſet interpretando, feciſſe injuriam. Et quidem quantùm ad primum attinet, ex Præfatione dictorum* Operum *planè conſtat* Spinozium *Tractatûs hujus* Theologico-politici *Autorem fuiſſe, quippe cùm is qui Præfationem ſcripſit apertè profitetur,* Principiorum Philoſophiæ Carteſianæ partis I & II more Geometrico demonſtratæ, quibus Cogitata Metaphyſica annexa ſunt, *&* Tractatûs Theologico-politici *eundem fuiſſe Autorem, eundem ſcilicet cui & hæc quæ ſub titulo* [B. D. S. Opera Poſthuma] *orbi literato communicantur, aſcribit. Præterea* Henricus Oldenburgius *& B. D. S. nominatim hujus Tractatûs* Theologico-politici *in ſuis ad ſe invicem literis mentionem faciunt. Vid.* Epiſt. 20, *&* 21.

Sect. 7. Et Naturam relinquendam ſolam, quæ cùm ſola ſit ſubſtantia, *&c. Me de mente* Spinozii *hîc rectè conjectâſſe ex pluribus locis* Operum Poſthumorum *liquidò conſtabit.* Epiſt. 21. *ad* Henricum Oldenburgium, Ego de Deo, *inquit*, & Natura ſententiam foveo longè diverſam ab ea quam Neoterici Chriſtiani defendere ſolent. Deum enim rerum omnium cauſam immanentem non verò tranſeuntem ſtatuo. *Per cauſam verò* immanentem *intelligit cauſam quam alii vocarent* materialem *vel cauſam* eſſentialem, *ipſam eſſentiam rei conſtituentem, tanquam principium illius internum; qualia principia habentur* Forma *&* Materia *apud Logicos, adeò ut ſubſtantia noſtra ſit ipſa Dei ſubſtantia. Quòd autem ineptè hîc allegat autoritatem* Pauli, *quaſi ad illius exemplum affirmâſſet, in Deo nos eſſe & in Deo moveri (cùm aliud ſit in Deo eſſe & in Deo moveri, aliud verò partem Dei eſſe & in reliquo Dei moveri) & quòd antiquos omnes Hebræos ſecum ſentire venditat, inanis eſt jactatio. Nam quòd quidam* Cabaliſtæ *Deum rerum creatarum etiam cauſam* materialem *faciunt, corruptio proculdubio eſt antiquæ* Cabalæ, *quemadmodum ſatìs probavi in* Confutatione Cabalæ Aeto-pædo-meliſſææ. *Vbi autem pergit:* Attamen quòd quidam putent *Tractatum Theologico-politicum* eò niti quòd Deus & Natura (per quam maſſam quandam ſive materiam corpoream intelligunt) unum & idem ſint, totâ errant viâ: *hîc certè prævaricatur callidâſque fundit offucias. Non enim negat Deum & Naturam idem eſſe, ſed tantùm maſſam quampiam materiámve corpoream & Deum idem ait non eſſe. Dei enim nomen etiam apud* Spinozium *latiùs patet quàm materia corporea, quippe apud quem corpus Divinæ ſubſtantiæ certa tantùm quædam ſit modificatio. Subſtantia ſcilicet Divina in oorpus concreſcere poteſt, quamvìs omnis illa ſubſtantia non ſit corpus, nec niſi unica ſit ſubſtantia in Vniverſo. Quam igitur oportet eſſe ſubſtantiam Divinam, & cùm unica ſit ſubſtantia, Naturæ etiam ſubſtantiam ſive ipſam naturam.*

Huc referre potes quæ occurrunt in Epiſtola 15. *ad* Hen. Oldenburgium. Vides igitur quâ ratione & rationem cur ſentiam corpus humanum partem eſſe Naturæ. Quod autem ad Mentem humanam attinet, eam etiam partem Naturæ eſſe cenſeo, nempe quia ſtatuo dari etiam in Natura potentiam infinitam cogitandi, quæ quatenus infinita, in ſe continet totam Naturam objectivè, & cujus cogitationes procedunt eodem modo ac Natura, ejus nimirum Ideatum. Deinde mentem humanam hanc eandem potentiam ſtatuo non quatenus infinitam, & totam Naturam percipientem, ſed finitam, nempe quatenus tantùm humanum corpus percipit, & hâc ratione mentem humanam partem cujuſdam infiniti Intellectûs ſtatuo. *Nunc verò obſervare potes quam* Naturam *in hac Epiſtola vocat eum aliis in locis appellare* Deum, *ut in Ethic. part.* 1. *corol. prop.* 25. Res particulares nihil ſunt niſi Dei attributorum affectiones ſive modi quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimuntur. *Res autem particulares quid aliud eſſe poſſunt quàm partes Naturæ? Verùm id magìs appoſitum eſt quod occurrit part.* 2. *corol. prop.* 11. Hinc ſequitur, *inquit*, mentem humanam partem eſſe infiniti intellectûs Dei, ac proinde cùm dicimus mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus quàm quòd Deus non quatenus infinitus eſt, ſed quatenus humanæ mentis eſſentiam conſtituit, hanc vel illam habet Ideam. *Mentem humanam in dicta Epiſtola partem* Naturæ, *hîc partem intellectûs* Dei *vocat. Huc adjice part.* 1. *prop.* 14. Præter Deum nulla dari neque concipi poteſt ſubſtantia. *Vnde neceſſariò ſequitur ſubſtantiam Dei & Naturæ eandem eſſe. Denique Ethic. part.* 2. *Defin.* 1. Per corpus, *inquit*, intelligo modum, qui Dei eſſentiam, quatenus ut res extenſa conſideratur, certo & determinato modo exprimit. *Hinc intelliges ut corpus humanum pars* Materiæ *dictum eſt, ità hîc innui partem eſſe* Dei. *Vnde clarè conſtat me in mente* Spinozii *aſſequenda hoc in loco minimè hallucinatum eſſe.*

Materia nempe mundana immenſa æterna αὐτόζωος, &c. *Sic proculdubio cenſuit* Spinozius. *Quem enim ille* Deum *appellat*, Materiam *eſſe neceſſe eſt, propterea quòd præter Deum nullam dari aſſerit neque concipi poſſe ſubſtantiam, utì ſuprà obſervatum eſt. Materiam autem longè latéque extenſam Æthéream perinde atque Terreſtrem non ſolùm concipere poſſumus, ſed & ſenſu percipere & ratione. Vnde ſecundùm* Spinozii *ſententiam manifeſtò oportet eſſe Deum. Quamobrem* Materia, Natura, Deus *idem apud ipſum valent.*

Sect. 12. Æterna Dei Decreta nihil eſſe niſi leges Naturæ univerſales. *Ordinem invertiſſe & ad hunc ſcopum collineâſſe ex prædictis jam ſatìs liquet, quippe quòd tam clarè pateat eum idem per* Deum *&* Naturam *intelligere, addo & per* Materiam. *Motûſque corporum leges quaſdam in ſecunda parte Ethices commemorat.*

Eum non eſſe ſed Naturam ſolam omnia neceſſariò & eſſe & facere. *Huic conſentanea ſunt quæ occurrunt, Ethic. part.* 1. Deum non operari ex libertate voluntatis, *corol. prop.* 32. *&* Res nullo alio modo neque alio ordine produci potuerunt quàm productæ ſunt. *Hæc & ſimilia loca apud* Spinozium *facilè intelliguntur ſi pro* Deo *ponas* Naturam *vel* Materiam. *Et ferè ubicunq; intricatè aut falsè loquitur de Deo, Materiam vel Naturam intellige & ſolves continuò griphum.*

Sect. 18. Tacitè eam inſinuat vim materiæ eſſe naturalem, *&c. Quod ſic eſſe facilè intelliges ſi Ethicam* Spinozii *conſulas, Part.* 2. *pag.* 54, 55, 56, 57, 58. *ubi tandem concludit.* Quodſi præterea tertium Individuorum genus ex his ſecundis compoſitum concipiamus, idem multis aliis modis affici poſſe reperiemus abſque ulla ejus formæ mutatione; Et ſi ſic porrò in infinitum pergamus, facilè concipiemus totam Naturam unum eſſe Individuum, cujus partes, *hoc eſt*, omnia corpora infinitis modis variant abſque ulla totius Individui mutatione. *Naturam verò & Deum idem apud eum eſſe ſuprà demonſtravimus, & hîc* Naturam *facit* Individuum *omnia corpora infinitis modis variantia complectens quorum ſingula partes Dei ſunt, ut apparet ex* Ethic. *Part.* 2. *Prop.* 45. Unaquæque cujuſque corporis vel rei ſingularis actu exiſtentis Idea Dei æternam & infinitam eſſentiam neceſſariò involvit. *Quod verum eſſe ex eo demonſtrat, quòd Idea rei ſingularis actu exiſtentis ipſius rei tam eſſentiam quàm exiſtentiam neceſſariò involvit, ac proinde quia Deum pro cauſa habet quatenus ſub attributo Dei conſideratur, cujus res ipſa modus eſt, Dei æternam & infinitam eſſentiam involvit, hoc eſt, Natura* naturata *ſive quilibet Attributorum Dei modus, cujuſmodi eſt ſecundùm* Spinozii *ſententiam quælibet Res corpúſve ſingulare, Naturam* naturantem *involvit, id eſt, talia Dei attributa quæ æternam & infinitam eſſentiam exprimunt. Vide* Ethic. *Part.* 1. *Schol.* 1. *in Prop.* 29. *Hinc ſatìs patet apud* Spinozium *vim unicam ſive potentiam eſſe in rerum univerſitate, eandémque eſſe vim* materiæ *naturalem niſi corpora materialia eſſe nolis.*

Sect. 33. Deo ſingularium cognitionem tribuimus, univerſalium denegamus, *&c. Veriſimillimum igitur eſt cognitionem quam tanquam Deo propriam tribuit, eſſe rei cujuſque ſingularis perceptionem prout eſt. Omnia enim Individua aſſerit,* (Ethic. *Part.* 2. *Schol. Prop.* 13.) *perinde ac corpus humanum, quamvìs diverſis gradibus, eſſe animata. Quia cujuſque rei datur neceſſariò in Deo Idea (cujus Deus eſt cauſa) eodem modo ac humani corporis Idea, atque adeò quicquid de Idea, inquit, humani corporis diximus, id de cujuſque rei Idea neceſſariò dicendum eſt. Addit porrò* Ideas *inter ſe, ut ipſa* objecta, *differre, unámque aliâ præſtantiorem eſſe prout objectum unius objecto alterius eſt præſtantius, ac propterea, inquit, ad determinandum quid mens humana reliquis interſit, neceſſe nobis eſt ejus* objecti, *hoc eſt*, corporis humani *naturam cognoſcere. Ad quod clariùs intelligendum recurrere debemus ad* Prop. 11. *ubi ait*, Primum quod actuale mentis humanæ eſſe conſtituit, nihil aliud eſt quàm Idea rei alicujus ſingularis actu exiſtentis, *& ad* Prop. 13. *quæ aſſerit*, objectum Ideæ humanam mentem conſtituentis eſſe corpus. *Vnde licet colligere à* Spinozio *innui, per* Ideas *intelligendas eſſe ſingulares ſingulorum* Individuorum *intimas arctáſque perceptiones ex ipſis Individuis corporibus immediatè oriundas, quæ ſunt ſingularum Idearum Ideata. Juxta ea quæ ſuprà citavimus ex Epiſtola ad* Oldenburgium. *Vbi Naturæ potentia attribuitur infinita cogitandi, quæ quatenus infinita in ſe totam continet Naturam objectivè, hoc eſt, tanquam illius objectum, & cujuſque cogitationes procedunt eodem modo ac natura, ejus nimirum Ideatum. Hæc eſt igitur illa* Singularium cognitio *quam Deo tribuit* Spinozius *dum* Univerſalium *denegat.*

Niſi quatenus mentes humanas intelligit, *&c. Non igitur ſimpliciter negat, ſed negat uſpiam alibi Deum univerſalia intelligere præterquam in mentibus humanis. Mentem verò humanam partem eſſe infiniti Intellectûs Dei apertè agnoſcit*, Corol. *Prop.* 11. *Part.* 2. Ethices. *Vnde infert cùm dicimus mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud nos dicere, quàm quòd Deus non quatenus* infinitus, *ſed quatenus per naturam* humanæ *mentis explicatur, hanc vel illam habet Ideam.*

In hominibus, partibus ſcilicet ſui, ut homines, in Brutis ut Bruta, & ſic in reliquis, *&c. Apertè profectò hæc agnoſcit in eis quæ ſuprà citavimus, ubi ait Ideas inter ſe ut ipſa Objecta differre. Quantùm igitur inter acutiſſimi* Spinozii *Ideam & Ideam Rhombi plumbei interſit, cuivis* Spinozio *æſtimandum relinquo.*

Sect. 48. Ut Servatorem ſubtiliſſimum ac vaferrimum impoſtorem exiſtimârit, *&c. Injurium hîc fuiſſe* Spinozio Cuperum, *ulteriorem fidem faciunt quæ occurrunt in Epiſt.* 21. *ad* Oldenburgium. *Quæ huc propterea tranſcribam.* Denique, *inquit*, ut de tertio etiam capite mentem meam clariùs aperiam, dico ad ſalutem non eſſe omnino neceſſe Chriſtum ſecundùm carnem noſcere: Sed de æterno illo filio Dei, *hoc eſt*, Dei æterna Sapientia, quæ ſeſe in omnibus rebus & maximè in mente humana, & omnium maximè in Chriſto Jeſu manifeſtavit, longè aliter ſentiendum. Nam nemo abſque hac ad ſtatum beatitudinis poteſt pervenire, utpote quæ ſola docet quid verum

&

& falſum, quid bonum & malum ſit. Et quia, utì dixi, hæc Sapientia per Jeſum Chriſtum maximè manifeſtata fuit, ideo ipſius Diſcipuli eandem quatenus ab ipſo ipſis fuit revelata prædicaverunt. *En quàm immensò iſta abſunt ab immani illa contumelia quâ* Spinozium Cuperus *immaculatum illum agnum Jeſum Chriſtum affeciſſe non dubitat affirmare. Equidem in eam ſententiam pronior ſum,* Spinozium *poſtquam à Chriſtianiſmo perinde atque Judaiſmo defeciſſet; ad Familiſmum (ut ſunt certè Secta circa miracula omnia & apparitiones externas, ſicut & ipſe* Spinozius, *admodum incredula) ſe convertiſſe, ut Familiſtarum eſſet ſi non Pontifex, ſaltem Philoſophus, maximus. Quorum quidem eſt Jeſum Chriſtum non ut Impoſtorem conſiderare, ſed ut virum ſanctiſſimum & illuminatiſſimum, omnia verò miraculoſa quæ de eo narrantur pro fabulis habere bellâſque allegorias ex eo contexere,* neminémque *noſcere* ſecundùm carnem *nè Chriſtum quidem ipſum, quâ phraſi etiam uſus eſt* Spinozius *in principio hujus quem tranſcripſi Paragraphi.*

Et rurſus Epiſt. 23. *egregiè Familiſſat ubi ait,* Concludo itaque Chriſti à mortuis reſurrectionem reverà ſpiritualem & ſolis fidelibus ad eorum captum revelatam fuiſſe, nempe quòd Chriſtus æternitate donatus fuit, & à mortuis (mortuos hîc intelligo eo ſenſu quo Chriſtus dixit, *Sinite mortuos mortuos ſuos ſepelire*) ſurrexit ſimul atque vitâ ac morte ſingularis ſanctitatis exemplum dedit, & eatenus Diſcipulos ſuos à morte ſuſcitat, quatenus ipſi hoc vitæ ejus & mortis exemplum ſequuntur, nec difficile eſſet totam Evangelii doctrinam ſecundùm hanc Hypotheſin explicare. *En Familiſtam expertiſſimum & Seniorem quaſi Familiæ illuminatum!*

Denique Epiſt. 25. Cæterùm Chriſti paſſionem, *inquit,* mortem & ſepulturam tecum literaliter accipio, ejus autem Reſurrectionem allegoricé. Fateor quidem hanc etiam ab Evangeliſtis, iis narrari circumſtantiis, ut negare non poſſimus ipſos Evangeliſtas credidiſſe Chriſti corpus reſurrexiſſe, & ad Cœlum aſcendiſſe, ut ad Dei dextram ſederet, & quòd ab infidelibus etiam potuiſſet videri, ſi unà in iis locis adfuiſſent in quibus ipſe Chriſtus Diſcipulis apparuit; in quo tamen, ſalvâ Evangelii doctrinâ, potuerunt decipi ut aliis etiam Prophetis contigit. At *Paulus,* cui etiam Chriſtus poſtea apparuit, gloriatur, quòd Chriſtum non ſecundùm carnem ſed ſecundùm Spiritum noverit. *Vnde quicquid ſupernaturale ac miraculoſum eſt in hiſtoria Chriſti, manifeſtum eſt* Spinozium *cum ſuis* Familiſtis *myſticum illius ſolummodo ſenſum ceu verum admittere.*

Vides quàm ſpirituales *ſua homines circa exiſtentiam Spirituum animæque Immortalitatem realéque Angelorum miniſterium* ſtupida *quidem &* carnalis *efficiat Incredulitas, in quam craſſam opinionem ſomniculoſos* Familiſtas *ſanguineæ ſuæ complexionis dulcore hebetatos omnibúſque Philoſophiæ adminiculis utplurimum deſtitutos incidiſſe illicque obdormiviſſe, minùs quidem mirandum eſt. Vt verò homo Philoſophus idémque acutiſſimus habitus in tam ſtupidum veternum ac ſoporem plenámque rerum optimarum oblivionem delabatur, id ſatìs profectò demirari nequeo, quibus verò rationibus huc inductus fecerit mox examinabo.*

Sect. 51. Nec quicquam præter vivam hanc materiam eſſe in rerum natura, *&c. Hanc ipſiſſimam eſſe etiam* Spinozii *opinionem ac ſententiam ex ſuprà citatis è* Poſthumis *ejus* Operibus *abunde patet, nullámq; futuram fuiſſe in illius ſcriptis intelligendis difficultatem ſi apertè egiſſet, & pro* Deo *ubique poſuiſſet* Materiam, *ſemélque indigitâſſet ſe materiam* ἀυτόζωον *ſive* in ſe vivam *intelligere, eámque unam ſubſtantiam, nullámque præter eam aliam, in rerum Vniverſitate exiſtere. Hoc enim ſummum illius arcanum eſt quod clàm fovet, tametſi toties in ſpeciem ad fallendum populum, Dei nomen ore uſurpet. Eſt antem æquè craſſus error atque in quem quiſquam mortalium unquam inciderit. Nec poteſt ulla lapſa anima in magìs tenebroſum ſqualidúmque Atheiſmi barathrum detrudi, aut in craſſiores ignorantiæ fæces demergi. Nemo enim adeò omnis ſensûs mentíſque exſors eſt, quin ut* materiam *ità* vitam *in aliquibus ſaltem illius partibus nolens volens deprehendat. At verò hoc egregium eſt* Spinoziani *acuminis ſpecimen, quòd* unicam *hanc in rerum natura ſubſtantiam eſſe* deprehenderit & demonſtraverit, *eámque ipſam propterea ex ſe* vivam *nullâ aliâ ſubſtantiâ qualicunque actuatam, motam, aut animatam probaverit.*

DEMONSTRATIONIS DUARUM PROPOSITIONUM, VIZ.

[*Ad Subſtantiam quatenus Subſtantia eſt, neceſſariam Exiſtentiam pertinere*, &, *Unicam in Mundo Subſtantiam eſſe*,] quæ præcipuæ apud SPINOZIUM Atheiſmi ſunt Columnæ, brevis ſolidáque CONFUTATIO.

PRimarium autem quod ad hanc rem conficiendam principium ponit, habetur in Epiſtola 29. éſtque hujuſmodi: ***Quòd ad eſſentiam ſubſtantiæ pertinet exiſtentia, hoc eſt, quòd ex ſola ejus eſſentia & definitione ſequatur eam exiſtere.*** Supponit verò & hoc ipſum principium principium aliud, ſed de quo tamen, fateor, ſatìs inter nos convenit: ***Ex vera***, ſcilicet, ***Idea eſſentiæ concludi poſſe de ipſius exiſtentia.*** Id quod apertè agnoſcit ***Spinozius*** in Epiſtola 39. ***Uniuſcujuſque rei exiſtentis cauſam***, ait, ***poſitivam per quam exiſtit neceſſariò dari debere. Håncque cauſam vel in natura & in ipſius rei definitione (quia ſcilicet ad ipſius naturam exiſtentiæ pertinet vel eam neceſſariò includit) vel extra rem ponendam eſſe.*** Ad quem ſenſum etiam philoſophatur ***Ethic.*** Part. I. ad Prop. II. ***Cujuſcunque rei***, inquit, ***aſſignari debet cauſa ſeu ratio tam cur exiſtit, quàm cur non exiſtit. Hæc verò ratio ſeu cauſa vel in natura rei contineri debet vel extra ipſam.*** Ex. gr. ***Cur Circulus quadratus non exiſtat, ipſa ejus natura indicat, nimirum quia contradictionem involvit. Cur autem contrà ſubſtantia exiſtat, ex ſola etiam ejus natura ſequitur, quæ ſcilicet exiſtentiam involvit.*** Ac proinde hîc lectorem remittit ad Prop. 7. Part. I. ***Ethic.*** quæ hæc eſt: ***Ad Naturam Subſtantiæ pertinet exiſtere.*** Quod idem planè eſt quod primarium illud principium ſuprà memoratum, ***viz.*** quòd ad eſſentiam ſubſtantiæ pertinet exiſtentia. Prop. 7.

Primæ Atheiſmi Spinoziani Columnæ Subverſio.

De cujus veritate, priuſquam poſſimus ferre ſententiam, ſenſum ejus certum & determinatum prædefiniri oportet, nempe an intelligendum ſit hoc effatum ***univerſaliter*** an verò ***particulariter***, & certè alterutro modo intelligatur omnino neceſſe eſt. Si affirmatio ſit univerſalis, nempe quòd ad ***omnis*** ſubſtantiæ naturam pertinet exiſtere, dico apertè falſum eſſe. Nam nec ad naturam Materiæ quam is adeò deperit, nec ad naturam Spiritûs, Angeli, Animæque humanæ quos ego ut Subſtantias clarè conſidero, pertinere contendo. Ut omittam ſi verum hoc effatum eſſet, cauſam quam clanculùm fovet, penitus ſubverteret. Non enim ſolummodo Spirituum, Angelorum humanarúmque Animarum exiſtentiam, ſed & infiniti illius æterníque Spiritûs omnipotentis & omniſcii, hoc eſt, Dei veri propriéque ſic dicti, vel ***Spinozii*** ingratiis exiſtentiam ſimul inferret. Si Affirmatio verò particularis ſit, Quòd ad ***alicujus*** ſubſtantiæ naturam pertinet exiſtere, Effatum certè verum eſſe agnoſco, ſed interim minimè legitimum eſſe artis præceptum, quod Catholicum eſſe debet, hoc eſt, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλου πρῶτον verum. Hoc verò præceptum nè κατὰ παντὸς quidem verum eſt. Quanquam autem verum eſſe ***particulariter*** intellectum agnoſco, ad illius tamen ſcopum nihil planè facere clarè percipio. Nihil enim facit ad neceſſariam exiſtentiam adamatæ ſuæ Materiæ concludendam (quod tam impensè cupit) ſed Spiritûs æterni infinitíque, hoc eſt, veri Dei, qui ſolus eſt ſubſtantia ad cujus naturam pertinet exiſtere, vel cujus Idea clarè intellecta neceſſariam exiſtentiam in ſe involvit.

Verùm, inquies, ***Spinozius*** ſeptimam illam ſuam propoſitionem Mathematicâ quâdam methodo ac certitudine demonſtravit. Equidem fateor eum ***Mimo-mathematicam*** quandam præceptorum ſuorum diſpoſitionem affectâſſe, ſuperbúmque Geometrici ordinis ac demonſtrationis Titulum ſuis (ad imperitis imponendum ac plebeiis) probationibus qualibuſcunque indidiſſe. Verùm ***ordo*** ille ***Geometricus*** nihilo plus valet apud peritos cùm præcepta illius falſa ſunt, quàm recta ***Figura*** ac ***Modus*** in Syllogiſmo, dum utræque, aut alterutra præmiſſarum, ſint falſæ. Pergam igitur, & paſſu retrogrado ab hac ipſa ſeptima Propoſitione ad reliquas omnes antecedentes, in quas hujus veritas reſolvitur, pergam, adeóque in primum omnium principium tandem retexam, ſingula præcepta examinando ſolidáne ſint an ſecùs.

Prop. 6. Hanc ſeptimam verò propoſitionem ex propoſitionis ſextæ corollario demonſtrat, *Quòd ſubſtantia ab alio produci non poteſt.* Propoſitio autem illa ſexta eſt, *Una ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia.* Quod ſi verum eſſet, concedo ſubſtantiam ab alio neutiquam produci poſſe. Nihil enim aliud relinquitur præter modos qui eam producant, qui non inveniuntur niſi in aliqua ſubſtantia, nec tam propriè dici poſſunt agere quàm ſubſtantia ipſa cujus ſunt modi.

Cæterùm ut judicium magìs tutum diſtinctúmq; de ſexta hac propoſitione ferri poſſit, præfigatur Nota determinata Affirmationis aut *Univerſalis* aut *Particularis*, hoc eſt, dicatur, Quòd nulla ſubſtantia ab alia ſubſtantia produci poteſt, vel, Quòd aliqua ſubſtantia ab alia ſubſtantia produci non poteſt. Si primo ſenſu intelligatur Propoſitio, falſiſſimam eſſe ſtatuo. Quoniam ſubſtantia quædam exiſtit tam infinitè perfecta ut poſſit quicquid nullam contradictionem implicat. Ut verò ſubſtantia jam ſit quæ antè non fuit, nullam implicat contradictionem. Ergo ſubſtantia infinitè perfecta facilè id efficere poteſt; & verò qui vel primoribus labiis Logicam attigit, novit, Subſtantiam jam exiſtere quæ antè non extitit, quamvìs ſimul exiſtere & non exiſtere implicet, nullam implicare contradictionem. Quòd autem exiſtit ſubſtantia tam abſolutè infinitéque perfecta ut nulla ei deſit perfectio quæ non omnino repugnet ut cuiquam inſit, manifeſtum eſt ex communi principio de quo inter nos convenit. *Ex eſſentia utique ſive definitione rei de illius exiſtentia concludi poſſe.* *Entis* igitur *abſolutè perfecti* exiſtentiam ex vera eſſentiæ illius Idea certò poſſe deduci ex ſupradictis patet. Cùm igitur tam ſufficiens cauſa exiſtat quâ ſubſtantia aliqua producatur, manifeſtò falſum eſt, nullam ſubſtantiam ab alia produci poſſe. Et certè ſi *Ens abſolutè perfectum*, ſive ſubſtantia infinitè perfecta, è cujus perfectionibus una eſt, *omnipotentia*, (adeóq; potentia creandi) virtute perfectiſſimæ ſuæ naturæ eſt quaſi cauſa *ſui*, hoc eſt, *Entis infinitè perfecti*, adeóne mirum eſt ut eſſe poſſit cauſa Entium ſeipſo infinitis gradibus inferiorum, putà Materiæ Mundanæ, Spiritûs Naturæ, Spirituúmque hominum & Angelorum? Quod verò ad particularem affirmationem Propoſitionis ſextæ attinet, *Quòd aliqua ſubſtantia ab alia ſubſtantia produci non poteſt*, concedo verum eſſe, ſed de nulla ſubſtantia eſſe verum niſi de ſubſtantia ſummè abſolutéq; perfecta, qualis ſolus verus Deus eſt, infinitus ille, omniſcius omnipoténſq; Spiritus, quem ſuprà deſcripſi, ac proinde Propoſitionem ſic intellectam nihil facere ad *Spinozii* ſcopum. Hinc enim minimè ſecuturum eſt, Materiam quippe ſubſtantiam ab alia ſubſtantia non poſſe produci. Quod ille tantopere vult.

Attamen is more ſuo Geometrico non deſiſtit demonſtrare nullam ſubſtantiam poſſe produci ab alia ſubſtantia. Cujus demonſtratio ſic eſt: *In rerum natura non poſſunt dari duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi:* (per prop. 5.) hoc eſt (per prop. 2.) *Quæ aliquid in ſe commune habent. Adeòque* (per prop. 3.) *una alterius cauſa eſſe nequit, ſive una ab alia non poteſt produci.* Q.E.D. Ordinem ſententiarum *Mimo-mathematicum* video, demonſtrationem planè deſidero. Ex falſis enim nihil demonſtratur. In medium igitur proferamus Propoſitiones illas, quintam, ſecundam & tertiam. Prop. 5. Quinta hæc eſt: *In rerum natura non poſſunt dari duæ aut plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ ſive attributi.* Prop. 2. Secunda hæc: *Duæ ſubſtantiæ diverſa attributa habentes nihil inter ſe commune habent.* Prop. 3. Tertia deniq; iſta: *Quæ res nihil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe non poteſt.* Vis demonſtrationis, larvâ Geometricâ exuta, breviter ſic eſt: Duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi ſive commune aliquid habentes dari non poſſunt, & verò ſi nihil commune habent, una alterius cauſa eſſe non poteſt. Ergo. Sed veritatem ſingularum propoſitionum examinemus.

Prop. 5. Quinta quidem illa Propoſitio manifeſtò falſa eſt. In rerum nempe natura non poſſe dari duas pluréſve ſubſtantias ejuſdem attributi, hoc eſt, ipſo interpretante *Spinozio*, aliquid commune inter ſe habentes, quod innuere videtur dari poſſe attributorum diverſorum. Quinimo è contrà, inquam ego, ſuppoſito ſemel quòd duæ pluréſve exiſterent ſubſtantiæ quàm voles diſſimillimæ ſive diverſorum attributorum, hoc tamen inter ſe commune neceſſariò habituræ ſunt, quòd ſint ſubſtantiæ. Præterea communi ſenſui & experientiæ hæc Aſſertio repugnat, cùm ſexcentæ myriades exemplorum occurrunt in Lapidibus, Metallis, Plantis, Animalibus, quibus demonſtrari poſſit, plures ſubſtantias ejuſdem communis naturæ ſive commune aliquid inter ſe habentes in rerum natura exiſtere. Ut taceam Animas, Spiritúſq; Angelorum, & infinitas Materiæ Mundanæ particulas, Aqueas, Aereas, Æthereas, quæ ſingulæ ſubſtantiæ ſunt commune aliquid inter ſe habentes, & inter ſe tamen realiter diſtinctæ.

Nihilque iſtud moror quod *Spinozius* tanta cum confidentia in Epiſtola 29. effutiit. *Quare ii prorſus garriunt*, inquit, *nè dicam inſaniunt*, *qui ſubſtantiam extenſam ex partibus ſive corporibus ab invicem realiter diſtinctis conflatam eſſe putant.*

tant. Quæ ipſa certè maniaci potiùs aut delirantis vox eſt, non autem cautè ſolidéq; philoſophantis, qui cùm unam tantùm ſubſtantiam in rerum natura fingit, eámque materialem, ob aridam tamen illam abſtractámq; ejus à modis omnibus, in calidi ſui cerebri Acropoli conſiderationem tanquam meræ ſubſtantiæ extenſæ, oblitus interim externorum ſenſuum quotidianæq; experientiæ, ex partibus illam conflatam negat, actualiter licèt inter ſe diviſis, quemadmodum ex motu aliarum alias præterlabentium clarè conſtat. Eſt tamen fateor quædam ſubſtantia extenſa quam ex partibus conflatam putare furor eſſet & inſania. *Immobile* ſcilicet *illud extenſum* quod in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravi à mobili materia diſtinctum. Hoc certè *Extenſum* ſiquis ex partibus realiter diſtinctis conflatum putaret, perinde eſſet ac ſi ex ſola additione (quod *Spinozius* argutè ſatìs ſed falsò de ſua ſubſtantia extenſa affirmat) & coacervatione multorum circulorum quadratum aut triangulum aut quid aliud totâ eſſentiâ diverſum conflare ſtuderet. Atque hæc duo Extenſa, *Materia* ſcilicet mundana & *Immobile illud Extenſum* ab ea diſtinctum, poſtremum eſto (Nihili enim nulla eſt affectio fatentibus omnibus *Carteſianis* adeóq; ipſo *Spinozio*, qui & Extenſionem Dei Attributum facit *Ethic. part.* 2. *prop.* 11.) plurium ſubſtantiarum ejuſdem naturæ ſive attributi exemplum.

At enimvero acutiſſimus Philoſophus, nihil obſtantibus innumeris his exemplis, Prop. 5. quintam ſuam Propoſitionem, In rerum ſcilicet natura non poſſe dari plures diſtinctas ſubſtantias ejuſdem naturæ ſive attributi, demonſtrabit, ad hunc modum. *Si darentur plures diſtinctæ, diſtingui inter ſe deberent vel ex diverſitate attributorum, vel ex diverſitate affectionum*, per prop. 4. *Si attributorum, tum non niſi una datur ejuſdem attributi. At ſi ex diverſitate affectionum, cùm ſubſtantia naturâ prior ſit ſuis affectionibus*, per prop. 1. *eis depoſitis in ſe conſiderata non poterit concipi ab altera diſtingui*, hoc eſt, per prop. 4. *non poterunt dari plures ſed tantùm una.* Q. E. D. Sic ille rem ſibi confeciſſe videtur. Verùm ego nego propoſitionem illam quartam cui præcipuè innititur vis demonſtrationis, nempe, *Quòd duæ aut plures res diſtinctæ diſtinguuntur inter ſe vel ex diverſitate attributorum ſubſtantiarum vel ex diverſitate earundem affectionum.* Eſt enim diſtinctio tertia, quam diſtinctionem *Realem* appellare licet, quæ illìc inveniri poteſt ubi eadem ſunt plurium ſubſtantiarum attributa & affectiones. Hæc autem diſtinctio eſt omnium ſubſtantiarum Individuarum, quâ fit ut Subſtantia A non ſit Subſtantia B, nec B, A, *&c.* Hæc materia modificata quæ Urſus dicitur, non eſt illa materia modificata quæ dicitur Leo, & tamen utræque commune habent attributum extenſionis. Et ſi prædictas materias à ſuis modificationibus præſcindas ut nec *modis* nec *Attributis* differant, *Reali* tamen adhuc diſtinctione diſcernuntur, quò minùs altera altera ſit, quod tamen ſatìs conſiſtit cum primo ſuo axiomate, *Omnia ſcilicet quæ ſunt, vel in ſe vel in alio ſunt.* Verùm omnia quæ in ſe ſunt, extra ſe invicem aut ſunt aut eſſe poſſunt, & hæc eſt eorum diſtinctio *Realis*, quæ planè differt à *Modali* & *Attributorum* quæ eſſentiam conſtituunt vel potiùs illius ſint indices. Nullius enim rei intimam nudámve eſſentiam cognoſci poſſe ſed Attributa tantùm eſſentialia eſſentialéſve habitudines, inter fundamenta veræ ſapientiæ acquirendæ in *Enchiridio Ethico* recenſuimus.

Recurramus jam ad ſecundam propoſitionem, *viz. Duæ ſubſtantiæ diverſa attri-* Prop. 2. *buta habentes nihil inter ſe commune habent.* Vide quàm hic hallucinetur acutiſſimus Philoſophus, cùm hæc propoſitio tantum abſit ut vera ſit, ut manifeſtam implicet contradictionem. Nam duæ ſubſtantiæ eo ipſo quòd ſubſtantiæ ſunt aliquid inter ſe habent commune, utut diverſa attributa habeant: Ver. gr. Suppoſito quòd ſpiritus ſit in rerum natura perinde atque corpus, quod in multis Scriptorum meorum locis ac multis variiſq; argumentis demonſtravi, diverſa immò contraria attributa eis competere neceſſe eſt, & tamen hoc commune inter ſe habent quòd ſint ſubſtantiæ utrique.

Sed adeò peſtiferum habet ingenium *Spinozius* vel potiùs ſalutiferum, ut maximè hiulcis mederi poſſit repugnantiis ac contradictionibus, & quod revera impoſſibile eſt verum eſſe, ordine Geometrico demonſtrare. Quod hìc perquam breviter facit. *Patet*, inquit, *ex Defin.* 3. *Vnaquæque enim in ſe debet eſſe & per ſe debet concipi, ſive conceptus unius conceptum alterius non involvit.* Definitio autem tertia ad quam recurrit hæc eſt: Per ſubſtantiam intelligo *id quod in ſe eſt & per ſe concipitur*, hoc eſt, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei à quo formari poſſit. Dum ſubſtantiam definit id quod *in ſe* eſt, quid aliud intelligere poteſt, quàm quod non ſit *in alio* ut accidentia ſunt omnia ſive modi? Verùm ex eo quòd duæ res ſunt in ſe non in aliis rebus, ſive quòd rerum aliarum modi non ſunt ſed per ſe ſubſiſtunt non in alio, ut ex eo ſequatur eas nihil inter ſe commune habere, equidem non ſum tam Lynceus ut omnino videam, nec tam hebes quin planè deprehendam, id duas iſtas res inter ſe commune habere, quòd in ſe ſit unaquæq;, nec modus ſit rei cujuſquam alterius. Ubi autem addit, Et per ſe concipitur, hoc eſt, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei à quo formari poſſit, nec ex hoc intelligo, quomodo ſequatur duas has ſubſtantias nihil commune habere inter ſe, non magis certè quàm ſi ex eo quòd Circulum ſine Triangulo, & Triangulum ſine Circulo concipere poſſim, concluderem continuò Circulum & Triangulum nihil commune inter ſe habere. Cùm interim manifeſtum ſit hoc inter ſe commune habere, quòd ſint Figuræ utræque. Adeò in ſingulis titubat ac vacillat acutiſſimus hic noſter Philoſophus.

Prop. 3. Verùm nunc ad tertiam denique propoſitionem pergamus eámque accuratè examinemus, quippe quâ potiſſimùm ſextæ propoſitionis demonſtratio nititur, quæque ſic habet: *Quæ res nihil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe non poteſt.* Demonſtravimus ſuprà nullas res ſive ſubſtantias dari poſſe quæ nihil omnino habent commune, cùm id in communi habeant quòd ſint ſubſtantiæ, ac proinde in hac propoſitione ſuppoſitionem abſurdam ſublatere. Sed fingamus duas ſubſtantias quæ minimum communis cujuſquam inter ſe habeant, Naturâq; ſpecificâ, ſi fas ſit ità loqui, maximè omnium inter ſe differant, hoc eſt, ponamus alterum eſſe *Ens ſummè abſolutéque perfectum*, qualem Deum eſſe omnes ſobrii Philoſophi mentiſq; compotes concedunt, alterum verò tale quid, quale vulgò *Materia* exiſtimatur, Ens nempe valde vile ac evanidum, ſed quod tamen ſubſtantia ſit, hoc eſt, non modus alicujus ſubſtantiæ, ſed res quæ in ſe ſit & variorum modorum ſit capax, Quid obſecro impedit quò minùs materia hæc ab Ente illo ſummè abſolutéq; perfecto produci poſſit? Etenim quod *Spinozius* affert in Epiſtola 4. ad *H. Oldenburgium*, *Nam cùm nihil ſit in effectu commune cum cauſa, totum quod haberet, haberet à nihilo*, nullius planè hîc momenti eſt, ubi Cauſa infinitis modis perfectior eſt Effectu. Et quod ſuprà monui, cùm ſecundùm ſententiam ipſius *Spinozii*, Ens hoc ſummè abſolutéque perfectum ſui quaſi cauſa eſt ex Definitione prima, moroſum profectò eſſet ac protervum nimis, cùm hoc Ens ſummè abſolutéq; perfectum tanquam cauſa Entis ſummè & abſolutè perfecti conſideratur, denegare ei illam vim quâ rerum vel adeò imperfectarum, cujuſmodi eſt ſupradicta materia, cauſa eſſe poſſit. Imò verò ſic neceſſariò eſſe & ſuprà & alibi demonſtravi.

Sed acutulus hic contrà demonſtrabit, ídque ordine Geometrico, ad hunc nempe modum: *Si nihil commune cum ſe invicem habent*, ergo (per Axiom. 5.) *nec per ſe invicem poſſunt intelligi, adeóque* (per Axiom. 4.) *una alterius cauſa eſſe non poteſt.* Q. E. D. Axioma quintum hoc eſt: *Quæ nihil commune cum ſe invicem habent, etiam per ſe invicem intelligi non poſſunt, ſive conceptus unius alterius conceptum non involvit.* Axioma verò quartum hoc: *Effectûs cognitio à cognitione Cauſæ dependet & eandem involvit.* Exuamus larvam hanc Geometricam ut argumenti faciem pleniùs contemplemur, quæ nuda ſic eſt: Quæ cauſa alterum alterius eſſe poſſunt, eorum alterius tanquam Effectûs cognitio à cognitione alterius tanquam Cauſæ dependet eámque involvit; Sed duarum rerum nihil commune cum ſe invicem habentium alterius tanquam effectûs cognitio à cognitione alterius tanquam cauſæ non dependet nec eam involvit; Ergo duarum rerum nihil commune cum ſe invicem habentium altera alterius cauſa eſſe non poteſt. Hic eſt extremus Mimo-mathematicarum ſuarum demonſtrationum aculeus nudatus, qui quàm debilis ſit aut obtuſus hinc intelliges quòd neutra præmiſſarum vera ſit ullo in ſenſu qui ad illius ſcopum faciat. Hîc enim apprimè conſiderandum eſt unamquamq; Rem ſive Subſtantiam vel *abſolutè* ſpectari poſſe vel *relativè*, & utrovis modo cognoſci, quid in ſe vel ſecundùm ſuam eſſentiam ſit, vel quam σχέσιν ſive relationem habeat ad res alias.

Propoſitio igitur vera eſſe intelligi non poteſt niſi de cognitione hac *relativa*, inter duas ſubſtantias quarum altera cauſa altera effectus actu ſit, atque ſic has σχέσεις Logicas induerint. Earum quidem alterius tunc tanquam effectûs cognitio à cognitione alterius tanquam cauſæ dependet, eámque involvit. Sed poſſunt tamen nihilominus aut datâ operâ aut ab iis qui ignorant alteram alterius eſſe cauſam aut effectum, in nudis ſuis eſſentiis concipi. Ut ſunt qui Deum æternum illum ſpiritum ſine omni relatione cauſalitatis ad Materiam contemplantur, & materiam viciſſim ſine ulla relatione effectûs ad Deum, adeò ut relativa hæc cognitio Dei ut Cauſæ Materiæ, & Materiæ ut Effectûs Dei non tam conſpicuè involvatur in utralibet ut ſine ea concipi non poſſint. Si ad eum ſenſum intelligeretur nempe de cognitione *abſoluta*, propoſitio falſa eſſet, in altero verò ſenſu nobis nihil officit.

Quod ad Aſſumptionem attinet: Eſſe duas res ſive ſubſtantias quæ ſenſu abſolutiſſimo nihil inter ſe commune habent, contradictionem implicare ſæpiùs jam inculcavi; ſed ſupponamus quàm poteſt minimam intercedere communitatem, ut putà Deum inter

& materiam. Hìc certè omnino reſponderi poteſt, duas haſce res *Deum* & *materiam* cùm utræque ſubſtantiæ ſunt, in ſe conſiderari poſſe alterum ut Spiritum Omniſcium, Infinitum, neceſſariò à ſe exiſtentem, alteram ut Subſtantiam corpoream in ſe exiſtentem non ut accidens modúmve in alio, ſine ulla relativa cognitione Dei ut Cauſæ materiæ, aut materiæ ut Effectûs Dei. Verùm quandoquidem uti ſuprà monui, Deus revera Materiæ Cauſa eſt & Materia Effectus Dei (quanquam hoc exemplum illuſtrandi causâ hic potiùs adhibeo quàm probandi quicquam aut improbandi; ex ſe enim ſatis infirma videtur Aſſumptio, & puerilis quaſi quædam oſcitantia, quæ præſumpſerit eas res quæ abſolutè conſiderari poſſunt & in ſe, nullos unquam induere reſpectus ad res alias) poſſunt etiam, inquam, Deus & Materia ſub mutua relatione Cauſæ & Effectûs conſiderari. Unde manifeſtum eſt quàm falſa & infirma ſit hujus Syllogiſmi aſſumptio, paríque inſcitiâ allata, ac ſi quis, quoniam puerum aliquem ſpectare poteſt & virum ſimiliter, ſine ulla relatione ad aliam ullam perſonam, nec puerum filium alicujus viri eſſe poſſe contenderet, nec virum alicujus pueri parentem. Breviter, ſi Propoſitio intelligatur de cognitione *abſoluta* falſa eſt, ſi de *relativa* nihil facit contra nos. Si Aſſumptio de cognitione *relativa*, eſt itidem apertè falſa, omníſque alius ſenſus valdè abſonus prorſúſque ἀπροσδιόνυσος.

Atque ſic primi ſui principii demonſtrationes Mimo-mathematicas ordine retrogrado ad primos uſque fontes proſecutus ſum, claréque oſtendi Propoſitionem illam ſeptimam quæ affirmat, *Ad naturam Subſtantiæ quatenus Subſtantiæ pertinere exiſtentiam*, nullis ſolidis fundamentis inniti, ſed rem totam Fumum eſſe & Inſomnium.

Alterius Spinoziani Atheiſmi Columnæ ſubverſio.

Poſtquam primam hanc Atheiſmi Columnam eruimus & ſubvertimus quæ *exiſtentiam neceſſariam ſubſtantiæ quatenus ſubſtantiæ* competere ſtatuit, alteram quæ adjungenda erat ad ingens amoliendum periculum quod aliàs capitibus Atheorum immineret, nunc aggrediamur. Nam ex hoc primo principio quod neceſſariam exiſtentiam Subſtantiæ quatenus Subſtantiæ adjudicat, quò materiam à ſe exiſtere evincerent, nullóque Deo Creatore opus habere, immane hoc incommodum continuò profluxurum prævidebant, ſi plures eſſe poſſint in Univerſo Subſtantiæ; Quòd utique ſpiritualis etiam aliqua Subſtantia immenſa & æterna, hoc eſt, verus propriéque dictus *Deus* demonſtrari hinc poſſit exiſtere perinde atque ſubſtantia illa corporea quam *materiam* vulgò vocant. Ut huic igitur malo obicem ponat *Spinozius*, ſecundum hoc porrò principium addit, *Epiſt.* 29. tanquam alterum fulcrum Atheiſmi neceſſarium, *Subſtantiam ſcilicet non multiplicem, ſed unicam duntaxat in rerum natura exiſtere*; quemadmodum expreſsè aſſerit, *Ethic.* Part. 1. Prop. 14. Corol. 1. *Non niſi unam Subſtantiam in rerum natura dari.* Quam in iſta Propoſitione decima quarta appellat more ſuo luſorio *Deum*, quippe apud quem *Materia*, *Natura*, *Deus* idem ſonant. Iſta autem propoſitio ſic pronunciat: *Præter Deum nulla dari neque concipi poteſt ſubſtantia.* En purum putum *Behmeniſmum!* O inopinatam duorum oppoſitiſſimorum Ingeniorum, *Mathematici* unius ſuáque omnia ordine Geometrico demonſtrantis, alterius ſummè *Enthuſiaſtici*, conſpirationem & conſenſum! *Jacobus* verò *Behmen* quippe homo ſimplex ac ſincerus nec à *Moſe* aut à *Chriſto* Apoſtata aut ullorum principiorum quæ ad malos mores tendant fautor ac patronus, ad clariorem harum rerum notitiam maturè emerſit, *fixám*que quandam ac *tranquillam lucidám*que *Æternitatem* agnovit à *Natura* penitus diſtinctam. Hic verò in infimas Atheiſmi fæces immerſus, quantum ego quidem intelligo, ibi impœnitens expiravit. Utut verò ſordidus lutulentúſque Atheus, in hac tamen decima quarta Propoſitione,

Prop. 14.

Præter Deum nulla dari neque concipi poteſt Subſtantia,

Deum totus totum ſpirare velle videtur, nec quicquam præterea, cùm tamen neceſſariò hæc Propoſitio craſſiſſimum Atheiſmum involvat.

Hinc enim manifeſtò ſequitur Materiam eſſe Deum, cùm illa ſubſtantia & detur & facilè à nobis concipiatur, & nulla tamen ſecundùm hanc propoſitionem dari aut concipi poſſit præter Deum. Hinc Lapides, Cœnum, Plumbum, Stercus Deus erunt, ut quæ ſunt Materia. Ipſéque palàm agnoſcit Corol. Prop. 25. *Res particulares nihil eſſe niſi Dei attributorum affectiones ſive modos quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimantur.* Et in demonſtratione Prop. 28. expreſſim affirmat, *Præter Subſtantiam & modos nihil dari.* Id quod veriſſimum eſſe nequaquam nego, præſertim ſi admittatur illa *Spinozii* Definitio. *Per attributum*, inquit, *intelligo quod intellectus de ſubſtantia percipit tanquam ejuſdem eſſentiam conſtituens*, Defin. 4. Duo autem hujuſmodi attributa in Deo eſſe ſtatuit, *Cogitationem* & *Extenſionem*, Ethic. *Part.* 2. *Prop.* 1. & 2. Cùm igitur Lapis, Plumbum, Stercus, Aſinus, Bufo, Pediculus, & iſtiuſmodi id genus omnia, *Res particulares* ſint, modos attributorum Dei certo & determinato modo expreſſorum eſſe oportet; cúmque præter ſubſtantiam & modos nihil detur, nec modi ſine ſubſtantia eſſe poſſint, manifeſtum eſt Dei ſubſtantiam eſſe ſubſtantiam Lapidis, Plumbi, Stercoris, Aſini, Bufonis & Pediculi, háſque res extenſas *Divinæ extenſionis*, cogitationes verò *Divinæ cogitationis* eſſe modos, adeò ut Deus *Spinozianus* cogitet in Aſino ut Aſinus, in Bufone ut Bufo, in Pediculo ut Pediculus, in Lapide verò, Plumbo & Stercore ut Lapis, Plumbum & Stercus. Unde admodum aſininas & plumbeas, ut cætera omittam, cogitationes eum habere oportet, ſi modò Plumbum cogitet, quod neceſſe eſt ut fiat ſi Cogitatio *attributum* Dei ſit non *Modus*, qualis certè eſſet, & certas tantùm partes Dei modificaret, niſi omnes ſingulæque cogitarent. Veriſſimum enim eſt quod notavi obiter in *Enchiridio Metaphyſico*, Cap. 4. Sect. 4. ex ipſo *Carteſio*, Quòd modus idem eſt quod attributum & qualitas, niſi quòd quoties conſideramus ſubſtantiam ut *variatam* per qualitatem aliquam aut attributum, *modum* tunc appellamus, ut qui modificat & contrahit ſubjectum in quo eſt facítque illud differre, &c. Si igitur propriè loquitur *Spinozius* dum *Cogitationem* Dei attributum ſtatuit, Deo univerſim ſive ſingulis Dei partibus Cogitationem in genere competere neceſſe eſt, ità ut Plumbum Lapíſque cogitent. Atque iſtud inſuper ex illo loco notari poteſt, quemadmodum *Attributum* reſtrictum eſt *Modus*, ità *Modum* reſtrictivo ſenſu non ſumptum dici poſſe *Attributum*. Quo ſenſu probabile eſt *Spinozium* ſumpſiſſe ubi ait, *Præter Subſtantiam & Modos nihil dari*, ſin minùs, *attributum* cum *eſſentia* ſive *ſubſtantia* videtur confundere. Utrumcumque autem fecerit ſatis firmum eſt noſtrum argumentum, per *Deum* in hac Propoſitione decima quarta eum intelligere *Materiam*. Quandoquidem Aſinus & Plumbum cum reliquis ſuprà nominatis proculdubio materia ſunt, Materiam verò ubique eandem eſſe apertè aſſerit in Scholio in *Prop.* 15. *Ethic.* Part. 1. pag. 15.

Ubi Paragraphus occurrit egregius & notatu dignus, ut qui dementiam inſcitiámq;
hominis mirum in modum patefacit. *Quantitas*, inquit, *duobus modis à nobis concipitur*,
1, 2, [1] *abſtractè ſcilicet ſive ſuperficialiter, prout nempe ipſam imaginamur, vel* [2] *ut*
3. *ſubſtantia, quod à ſolo intellectu fit. Si itaque ad quantitatem attendimus* [3] *prout*
in imaginatione eſt, quod ſæpe & faciliùs à nobis fit, reperietur finita, diviſibilis & ex
partibus conflata. Si autem ad ipſam, prout in intellectu eſt, attendimus, & eam quatenus
Subſtantia eſt concipimus, quod difficillimè fit, tum infinita, unica, & indiviſibilis
reperietur. Quod omnibus qui inter imaginationem & intellectum diſtinguere
ſciverint, ſatis manifeſtum erit. Præcipuè ſi ad hoc etiam attendatur,
quòd materia ubique eadem eſt, nec partes in eadem diſtinguuntur, niſi quatenus
materiam diverſimodè affectam eſſe concipimus, [4] *unde ejus partes modaliter*
4. *tantùm diſtinguuntur.* Ex. gr. [5] *Aquam quatenus aqua eſt, dividi concipimus ejúſq;*
5. *partes ab invicem ſeparari,* [6] *at non quatenus eſt ſubſtantia corporea, eatenus*
6. *enim neque ſeparatur neque dividitur.* [7] *Porrò Aqua quatenus aqua generatur &*
7. *corrumpitur, at quatenus ſubſtantia nec generatur nec corrumpitur*, &c. Ecquid hiſce
dici poteſt indoctius aut inſcitius, potéſtve ullum majus argumentum eſſe mentis conturbatæ
& confuſæ & rerum contemplandarum prorſus ignaræ quàm quod heìc acutiſſimus
Philoſophus, ut apud imperitiſſimum quemque audit, temerè & imperitè effutiit?
Quot lineæ, tot ferè repugnantiæ aut ineptiæ.

1. Primò enim, Quantitas abſtractè concipitur ſed vi imaginationis, cùm Imaginatio res craſsè & concretè concipit, ut ſenſus primùm eas ipſi repræſentaverat, valdéque arduum opus eſt imaginationi ut quantitatem ſine ſubjecto concipiat, & intellectui ut ſine ſubjecto eſſe concipiat, impoſſibile.

2. Deinde, Quantitas ut ſubſtantia concipitur ſed à ſolo intellectu. A cujus obſecro intellectu niſi ab intellectu unius *Spinozii*, qui cœlum terrámque miſcet, omniáque confundit? Nullius verò Philoſophi ſolidi atque gnari intellectus quantitatem ut ſubſtantiam concipit, ſed ut ejuſdem aut modum aut attributum.

3. Tertiò, Quantitas (per quam proculdubio intelligit extenſionem) prout in imaginatione, reperitur finita, diviſibilis & ex partibus conflata, prout autem in intellectu, ibíque quatenus Subſtantia concipitur, infinita, unica, & indiviſibilis. Et rectè quidem hic ariolatur imaginatio de eis rebus quas ſenſus ei impertiviſſet. Cùm verò univerſus Mundus ſit ſenſibilis, de univerſa materia mundana rectiùs philoſophatur *Imaginatio* quàm acutiſſimi *Spinozii* Intellectus, quippe in quo, ut Subſtantia concepta, infinita eſt unica, & indiviſibilis. Quaſi verò id quod ſenſu ubique diviſibile deprehenditur, rectè veréque in Intellectu indiviſibile concipi poſſit, omnéſve res particulares Mundi, hoc eſt, Mundanæ materiæ modi diviſibiles ſint, & tamen tota materia mundana ubique quatenus eſt ſubſtantia, ſit indiviſibilis. Æquè lepidum profectò

commentum atq; quo quidam Dux idémque Epiſcopus cùm feciſſet aliquid quod Epiſcopum minùs decebat, factum defendit apud Ruſticum, dicendo, ſe feciſſe non ut Epiſcopus, ſed ut Dux. Ad quod ſubridens reſpondet Ruſticus, At ſi Ducem vivum è vivis auferat Diabolus, quid fiet de Epiſcopo? Similiter ſi Modi materiæ mundanæ ſinguli, Réſve quælibet ſingulares dividantur, potéſtne ſubſtantia ipſa cujus ſunt modi manere indiviſa? Quis captus ruſticus tam tardus aut obtuſus, quin ſtatim hoc deprehendat abſurdum eſſe prorſúſq; impoſſibile? Furit igitur inſanitque *Spinozius*, non acutè nedum ſolidè philoſophatur. Veruntamen in furore hoc Philoſophico videtur quidem mihi, ut aliquando uſu venit furentibus, divinare quodammodo & vaticinari, cùm ex hoc ſuo tumultuario agitatæ mentis æſtu, *extenſionis* cujuſdam *infinitæ* & *indiviſibilis* ſpecies ipſi emicuerit. Eſt enim revera quædam iſtiuſmodi infinita indiviſibilis unicáque extenſio extenſáve ſubſtantia quæ prorſus indiviſibilis eſt perinde atque infinita, quam per furorem quendam neſcio an mens *Spinozii* hìc parturiret. Hanc verò Materiam non eſſe certo certius eſt, qua de re mox plura. Intereà loci vel citra omnem divinationem apertè ſtatuit materiam ubiq; eandem eſſe.

4. Quartò, Sed ſtatim incipit denuò ineptire, dum tam confidenter aſſerit partes ejus *modaliter* tantùm non *realiter* diſtingui, cùm quæcunq; à ſe invicem ſeparari poſſunt & diverſa *ubi*, ſine ulla ſui continuatione occupare, *realiter* diſtinguuntur non ſolùm *modaliter*.

5. Quintò, Exemplum verò addit omnium ineptiſſimum, dum ait, Aquam, quatenus aqua eſt, dividi concipimus ejúſq; partes ab invicem ſeparari, at non quatenus eſt ſubſtantia corporea. Equidem ego quicquid faciat *Spinozius*, ità non concipio, non magìs quàm hominem quatenus eſt homo ſenſu prædĭtum eſſe, ſed quatenus eſt animal. Nam ſi quatenus homo ſenſu præditus eſſet, tum homo eſſet quicquid ſenſu eſt præditum, & ſic Leo, Aſinus, reliquáq; bruta eſſent homines. Ità certè Aqua quatenus aqua eſt non competit ut dividatur partéſve ejus diſcontinuentur. Indè enim ſequeretur Aerem Ignémq; eſſe Aquam. Sed hæc diviſio partiúmve diſcontinuatio, capacitas ſcilicet diviſionis, aquæ competit quatenus eſt ſubſtantia corporea, taliſq; tantummodo diviſio putà in particulas oblongas & flexiles quemadmodum deſcribit *Carteſius*, aquæ competit quatenus aqua eſt.

6. Sextò, Tantum abeſt ut partium Aquæ nulla fiat diviſio aut ſeparatio quatenus eſt ſubſtantia corporea, ut prima diviſionis capacitas actualiſque diviſio vel ſeparatio in genere, Aquæ quatenus eſt ſubſtantia corporea, talis verò tantùm qualem ſuprà deſcripſi, quatenus aqua eſt, competat. Sed quia omnia ordine Geometrico demonſtrat *Spinozius*, jus ſibi datum putat notiſſimas Logicæ regulas ignorandi ſimúlque labendi in maximè fœdos errores ac ridiculos. Cæterùm vides quàm profundè penetret acumen Geometricum. Nam ſuprà ordine Geometrico demonſtraverat, prop. 12. *Nullum ſubſtantiæ attributum verè poſſe concipi ex quo ſequatur ſubſtantiam poſſe dividi.* Prop. 12. Sed demonſtratio reſolvitur in eas Propoſitiones (nempe 5, 6, & 7.) quas nos falſas eſſe ſuprà demonſtravimus. Hic verò Propoſitionem duodecimam veram putans vel ſupponens, in abſurdiſſimas Repugnantias irruit. Aquam in particulas diviſam ut ex ſenſu & ratione planè conſtat indiviſam facit, & quod peræquè ridiculum & abſurdum eſt, indiviſam quatenus eſt ſubſtantia corporea, diviſam verò quatenus eſt aqua.

7. Septimò denique, ubi addit, Aqua quatenus aqua generatur ac corrumpitur, at quatenus ſubſtantia nec generatur nec corrumpitur, heìc etiam mirum in modum mens ejus hallucinatur & vacillat. Nam ut omittam, ſi aqua quatenus aqua generatur & corrumpitur, omne quod generatur & corrumpitur eſſe aquam, falſóque eum ſupponere unam tantùm eſſe ſubſtantiam indiviſam licèt corpoream; videtur inſuper non meminiſſe quid generatio & corruptio ſit, etiam ſecundùm ſua ipſius principia. Sunt enim nihil aliud niſi ſubſtantiæ corporeæ ſive materiæ modificationes. Subſtantia autem ipſa eſt quæ modificatur in Aquam, Ignem, Terram, & ſimilia, hoc eſt, ſubſtantia corporea ſive materia pro variis ſuis modificationibus γίνεται (unde γένεσις generatio) id eſt, fit Aqua, Ignis, Terra, *&c.* Aqua quatenus aqua generatur & corrumpitur, at quatenus ſubſtantia corporea non generatur aut corrumpitur, perinde abſurdum eſt ac ſi dixeris, doctus quatenus doctus capax eſt doctrinæ & oblivîſcentiæ, at quatenus homo nec doctrinæ capax eſt nec obliviſcentiæ. Adeò ubique ineptit & delirat acutiſſimus Philoſophus *Spinozius.* Sed nè nimis ſecurè ineptire videatur, hiſce ſubtilitatibus ceu minùs confiſus concludit tandem, ſubſtantiam extenſam tametſi diviſibilis ſupponatur, *Divinâ Naturâ* non eſſe indignam. Id quod apprimè notandum cenſeo, quandoquidem indè planè conſtet eum ſubſtantiam illam in rerum natura quam unicam eſſe contendit, Materiam eſſe agnoſcere, quanquam æternam & infinitam.

Qua de re ut nè minimus ſuperſit ſcrupulus, addam poſtremò propoſitiones aliquot aliáque quædam dicta, quæ in *Spinozii* Ethica, præſertim ubi nomen *Dei* vel *Naturæ Divinæ* adhibet, occurrunt. In quibus ſi nomen Materiæ ſubſtituas vel de Materia dictum intelligas, omnia mirâ facilitate fluent, cùm aliàs dura admodum Paradoxa videbuntur, & à ratione immane quantum aliena, quò certior eſſe poſſis eum per *Deum Materiam* intelligere, non *Spiritum* Æternum ac Omniſcium, *&c.* Hujuſmodi autem ſunt : *Ex neceſſitate Divinæ Naturæ* [i. e. Materiæ] *infinita infinitis modis ſequi debent*, prop. 16. *Deus* [i. e. Materia] *ex ſolis ſuæ naturæ legibus à nullo coactus agit*, prop. 17. *Solum Deum* [i. e. Materiam] *quia ex ſola ſuæ naturæ neceſſitate agit, eſſe cauſam liberam*, Corol. 2. prop. 17. *Ad Dei* [i. e. *Materiæ*] *Naturam neque intellectum neque voluntatem pertinere. A ſumma Dei* [i. e. Materiæ] *potentia omnia neceſſariò effluxiſſe vel ſemper eâdem neceſſitate ſequi, eodem modo ac ex natura Trianguli ab æterno in æternum ſequitur ejus tres angulos eſſe æquales duobus rectis*, Schol. prop. 17. *Deus* [i. e. Materia] *non tantùm eſt cauſa efficiens rerum exiſtentiæ ſed etiam eſſentiæ*; cauſa nempe earum interna, prop. 25. *Res particulares nihil ſunt niſi Dei* [i. e. Materiæ] *attributorum affectiones ſive modi*, &c. Corol. prop. 25. *Res quæ ad aliquid operandum determinata eſt à Deo* [i. e. Materia] *neceſſariò ſic fuit determinata*, *& quæ à Deo* [i. e. Materia] *non eſt determinata, non poteſt ſeipſum ad operandum determinare*, prop. 26. *Quodcunque ſingulare ſive quævis res quæ finita eſt & determinatam habet exiſtentiam non poteſt exiſtere nec ad operandum determinari, niſi ad exiſtendum & operandum determinetur ab alia cauſa quæ etiam finita eſt*, *& determinatam habet exiſtentiam*; *& rurſus hæc cauſa non poteſt exiſtere neque ad operandum determinari, niſi ab alia quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam, determinetur ad exiſtendum & operandum, & ſic in infinitum*, prop. 28. Quæ quidem propoſitio omnem à Deo creationem excludit facítque unam partem materiæ alteram neceſſariò modificare in infinitum. Sed pergo. *In rerum natura nullum datur contingens*, *ſed omnia ex neceſſitate Divinæ Naturæ* [i. e. Materiæ] *determinata ſunt ad certo modo exiſtendum & operandum*, prop. 29. *Deum* [i. e. Materiam] *non operari ex libertate voluntatis*, *ſed voluntatem & intellectum ad Dei* [i. e. Materiæ] *naturam ità ſe habere ut motus & quies*, *& abſolutè ut omnia naturalia quæ à Deo* [i. e. Materia] *ad exiſtendum & operandum certo modo determinari debent*, Corol. prop. 32. *Res nullo alio modo neque alio ordine à Deo* [i. e. Materia] *produci potuerunt quàm productæ ſunt*, prop. 33.

Ex hiſce ſingulis aut ſaltem omnibus inter ſe comparatis manifeſtiſſimum eſſe exiſtimo *Spinozium* per *Deum* nihil ampliùs ſignificare quàm *Materiam* quandam infinitam ſeſe neceſſariò agitantem. Quod porrò confirmatur ex Appendice hujus libri primi Ethices, ubi apertè affirmat, *Nihil à Deo* [i. e. Materia] *ex libertate voluntatis ejus*, *ſive abſoluto beneplacito determinatum eſſe*, *ſed ex abſoluta Dei* [i. e. Materiæ] *natura ſive infinita potentia omnia fuiſſe determinata.* Et fusè licèt inſulsè eorum opinionem confutat qui Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere autumant, contendens dirigere ad nullum. Immo verò nè in humani corporis partium ſtructura ullum finem agnoſcit, ſed eos qui aliter ſentiunt ſatìs protervè deridet. *Sic etiam*, inquit, *ubi corporis humani fabricam vident ſtupeſcunt*, *& ex eo quòd tantæ artis cauſas ignorant concludent*, *eandem non Mechanicâ ſed Divinâ vel ſupernaturali arte fabricari. Atque hinc fit ut qui miraculorum cauſas veras quærit*, *qui res naturales ut doctus intelligere*, *non autem ut ſtultus admirari ſtudet*, *paſſim pro Hæretico & impio habeatur*, *& proclametur ab iis quos vulgus tanquam Naturæ Deorúmque interpretes adorat*, *nam ſciunt quòd ſublatâ ignorantiâ ſtupor*, *hoc eſt*, *unicum argumentandi tuendæque ſuæ autoritatis Medium quod habent*, *tollitur.* O intolerandam petulantiam, virulentúmq; faſtum ſtupidiſſimi occæcatiſſimíq; Philoſophaſtri, qui cùm nè lapidis quidem in terram deſcensûs rationem Mechanicam reddere valeat, inſolentiſſimâ tamen jactantiâ præ ſe fert ac ſi ipſe certò noviſſet nullo conſilio aut providentiâ, ſed cæcâ mechanicâ neceſſitate fabricam humani corporis fuiſſe factam! Nos verò è contrà pro certiſſimo novimus potentias Mechanicas huc pertingere non poſſe, & ex ſolida ſcientia defectûs potentiarum Mechanicarum, non ex earum ignorantia, *Divinam* Sapientiam in operibus *Naturæ* non admiramur ſolùm ſed & ſtupemus.

Hic verò *Thraſo Philoſophicus* cùm tam magnificè ſe efferat contra eos qui Deum finis cauſâ agere contendunt, omnéſq; cauſas Finales nihil niſi humana eſſe Figmenta tam præſidenter aſſerat, (quo quidem, tametſi cogitationem, Dei, id eſt, Materiæ Attributum eſſe aſſerit, omnia tamen Mechanicis rationibus fieri ſive generari manifeſtò ſupponit)

ſupponit) equidem abſtinere me non poſſum, quin argumenta ejus breviter proponam & examinem.

1. Quorum primum petitur ab Incommodis quæ in rerum natura accidunt.

2. Alterum ex eo quòd mens humana ex ſuo ingenio Divinam naturam æſtimat, & quòd iſta propter fines agit, Deum itidem ſic agere putat.

3. Tertium, Quòd ex neceſſitate Divinæ naturæ infinita infinitis modis ſequi debent, atque proinde nihil opus eſt conſilio, cùm ex *Mechanica* neceſſitate omnia ſic ſint eventura.

4. Quartum, Quòd Deus non operatur ex libertate voluntatis.

5. Quintum, Quòd doctrina de fine Naturam omnino evertit, quippe quæ, quod revera cauſa eſt, id effectum conſiderat, & contrá. Et quod naturâ prius eſt facit poſterius.

6. Sextum, Et quod ſupremum & perfectiſſimum eſt reddit imperfectiſſimum.

7. Septimum & ultimum, Hæc doctrina perfectionem Dei tollit. Nam ſi propter finem agit, aliquid neceſſariò appetit quo caret. Hæc ſunt argumenta præcipua ſaltem quæ producit, quæ quàm elumbia ſint ac inepta jam videbimus.

1. Primum illud de Incommodis quæ in Natura accidunt tritum argumentum eſt & vulgare, & ad quod reſponſum eſt abunde in *Dialogis Divinis* quæ ſupervacaneum eſt hîc repetere. Tantùm in genere & obiter notabo, ea quæ mala vulgò habentur & incommoda, uſus habere bonos, ac præterea teſtari bona quæ habentur nullâ neceſſitate evenire, ſed providentiâ & conſilio, cùm reperiantur etiam quæ ſunt mala, ut fœtus oculo alióve aliquo membro orbus, quod cùm raró accidit & fieri tamen poteſt (ut iſta pauca exempla docent) manifeſtum eſt rerum Naturam non cæco impetu ferri ſed providentiâ & conſilio regi.

2. Ad alterum reſpondeo, Mentem humanam rectè facere, cùm ſe perſenſerit præſtantiſſimam rerum omnium particularium quarum conſcia eſt, quòd ſe Deo quodammodo ſimilem judicet, eúmque æternam quandam infinitámque ac perfectiſſimam mentem omniſciam prorſus, omniáq; providentem ſtatuat. Annon hoc infinito præſtabilius eſt quàm eum cæcam fingere ac tumultuariam materiam? Nec præterire poſſum quàm immeritò Ineptulus hic alios culpat quòd Deum fingunt ad ingenium ſuum quatenus Agentia ſunt libera ſive fines ſibi proponentia, cùm ille Materiam ex ingenio fingat ſuo, Mathematico ſi placet, & propterea quòd in Matheſi longæ deductionum ſeries ſine omni finium reſpectu neceſſario nexu aliarum ex aliis aptæ & concatenatæ reperiuntur, veritatéſque ex aliis aliæ inevitabiliter eliciuntur vel conſequuntur, haud abſimiliter is partes materiæ, nullo fine propoſito, ſed cæco quodam & *mechanico* impetu ac neceſſario in eas quæ conſpiciuntur modificationes alias ab aliis æternâ quaſi ſerie transformari comminiſcitur. Cùm tamen partes materiæ, *Monadas* intelligo *Phyſicas* quemadmodum in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravi, nihilo arctiùs inter ſe cohærent quàm arena ſine calce. Jam verò utrum concinnius ſit, Deum, *Mentem* æternam, infinitam, omniſcientem, omniáq; providentem ſtatuere, an *Materiam* cæcum inſenſatúmq; Geometram, inſcienter ſed tamen neceſſariò pulcherrimum hunc rerum ordinem ex ſolutili hac *monadum* arenula producentem, quilibet mentis compos judicet.

3. Prop. 16. Tertium argumentum ex propoſitione decima ſexta petitur. Veritas cujus propoſitionis reſolvitur in Definitionem ſextam quæ ut ſuis ipſius verbis utar hæc eſt: *Per Deum intelligo Ens abſolutè infinitum, hoc eſt, ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit.* Quæ quidem definitio admodum obſcura eſt & incerta, nè dicam repugnantiis, præſertim ſecundùm *Spinozii* ſenſum, involuta. Nam Ens abſolutè infinitum infinitam perfectionem omnino implicat, & infinita perfectio abſolutam omnipotentiam, omniſcientiam, omniúmq; rerum proſpicientiam, quæ *Spinozii* palato non arrident. Hinc enim ex conſilio rerum naturæ ordinem inſtitutum fuiſſe, non cæcâ ac mechanicâ neceſſitate, planè conſtabit. Porrò cùm addit, hoc eſt *Subſtantiam conſtantem infinitis attributis*, ambiguum eſt *numero* an *amplitudine* infinita attributa intelligat; ſi *numero*, res particulares ſunt effectáq; Dei non Deus. Et præterea Attributum eſt modus non reſtringens, id eſt, non propriè modus, ac proinde Attributum æquè latè ac Deus ipſe extendi debet, eſſéque univerſaliſſimum, atque ſic attributa *amplitudine* eſſe infinita non *numero*. Et certè non plura apud *Spinozium*, niſi æternitatem addere velis, Dei attributa invenio quàm *Extenſionem* & *Cogitationem*.

In Epiſtola autem 64. rationem velle reddere videtur hujus definitionis Dei, cur eam elegerit præ quavis alia, nempe quòd omnes ſubjecti proprietates indè poſſint deduci. Sic enim ibi philoſophatur. *Jam autem ut ſcire poſſim ex qua rei Idea è mul-*

tis, omnes Subjecti proprietates poſſint deduci, unicum tantùm obſervo, ut ea rei Idea ſive definitio cauſam efficientem exprimat. Ex.gr. *Ad circuli proprietates inveſtigandas inquiro, an ex hac Idea circuli, quòd ſcilicet conſtet ex infinitis rectangulis, poſſim omnes ejus proprietates deducere; inquiro, inquam, an hæc Idea cauſam circuli efficientem involvat, quod cùm non fiat, aliam quæro, nempe quòd circulus ſit ſpatium quod deſcribitur à linea cujus unum punctum eſt fixum, alterum mobile. Cùm hæc definitio jam cauſam efficientem exprimat, ſcio me omnes indè poſſe circuli proprietates deducere,* &c. *Sic quoque cùm Deum definio eſſe Ens ſummè perfectum, cúmque ea definitio non exprimat cauſam efficientem (intelligo enim cauſam efficientem tam internam quàm externam) non potero indè omnes Dei proprietates expromere. At quidem cùm definio Deum eſſe Ens abſolutè infinitum,* &c. (quomodo definitur hâc definitione ſextâ) hinc ſanè innuit omnes Dei proprietates deduci poſſe.

Similitudinis *Protaſin* inexaminatam, cùm ad illuſtrationem tantùm adhibeatur, datâ operâ præteribo. Obſervabo ſolummodo quàm inſcitè & oſcitanter philoſophetur in *Apodoſi*, quàm obſcurè & quam falſé. *Obſcurè* quidem cùm ait Definitionem Dei [Ens nempe ſummè & abſolutè perfectum] non exprimere cauſam efficientem. Incertum enim eſt *ſui* intelligat an rerum aliarum. Videtur autem in adjecta parentheſi innuere neutram cauſam efficientem exprimere, nec ſui nec rerum aliarum, cùm tamen utramque planè implicet. Eſt enim *Ens ſummè & abſolutè perfectum* Cauſa ſui (quippe cujus eſſentia involvit exiſtentiam ſecundùm primam definitionem *Spinozii*) quemadmodum fusè ſolidéque demonſtravi in *Antidoto adversùs Atheiſmum*, illiúſque *Appendice*. Cúmque omnipotentiam in ſe involvat, manifeſtum eſt cauſam eſſe rerum omnium aliarum, omnéſque Divinas proprietates ex hac *Carteſiana* Dei definitione poſſe deduci. E contrà verò ex hac definitione *Spinozii* niſi per *Ens abſolutè infinitum*, Ens intelligas *ſummè & abſolutè perfectum*, non autem Ens ex infinita tantùm, in genere, Cogitatione perinde ac Extenſione conſiſtens, neque ſui cauſa ſic erit nec cauſa rerum omnium aliarum. Quis enim niſi admodum temerarii ac præcipitis judicii homo, Extenſionem vel infinitam mobilem, ſed non niſi tenui vilique cogitatione præditam, cauſam ſui magìs agnoverit quàm ſi cogitatione prædita eſſet nullâ. Nullâ autem præditam quis ſui cauſam putet niſi ſtipes quiſpiam mentéve captus? Hujus enim eſſentiæ Idea nullam neceſſariò involvit exiſtentiam. Neque enim ſubſtantiæ quatenus ſubſtantiæ exiſtentia competit, quemadmodum ſuprà oſtendimus. Ex generali autem iſto attributo *Cogitationis* Rationem Intellectúmve humanum deducere, perinde eſſet atque ſi argumenteris à genere ad ſpeciem, quæ conſequentia nulla eſt, argumentatióque vel à pueris deridenda. Cùm igitur propoſitio decima ſexta tam falſo ac infirmo innitatur fundamento, ipſam infirmam falſámque eſſe manifeſtum eſt. Diceréque nullo conſilio ſed ex neceſſitate Divinæ Naturæ infinita infinitis modis ſequi oportere, eſt latebras quærere & in nebulas & confuſiones ſe recondere, ut ſepia aquam nigrore perfundit nè capiatur. Si ex neceſſitate infinitæ materiæ (ſic enim ille Divinam Naturam intelligit) infinitis modis *mechanicis* agitatæ, infinita Mundi Phænomena fiunt, quî fit ut deſcenſus lapidis in terram inter illa infinita non reperiatur? Evidentiâ enim planè Mathematicâ demonſtravi in *Enchiridio Metaphyſico* illud Phænomenon rationibus mechanicis non fieri. Et quî fit itidem ut tam rara σφάλματα fiant in organizatione animalium? Tertium igitur hoc argumentum contra cauſas rerum Finales nihil valere manifeſtum eſt.

4. Aggrediamur quartum, quod Deum ex libertate voluntatis operari negat. Quod *Prop.* 32. eſt Corollarium. Ubi porrò aſſerit *Spinozius* quòd quamvìs ex data voluntate ſive intellectu infinita ſequantur, non tamen propterea Deus magìs dici poteſt ex *libertate voluntatis* agere, quàm propter ea quæ ex *motu* & *quiete* ſequuntur (infinita enim ex his ſequuntur) dici poteſt ex *libertate motûs* & *quietis* agere. Quibus planè inſinuat voluntatem Dei à re aliqua externa jam exiſtente, ut omne corpus motum ab alio corpore, moveri ac cieri. Quod nobis æquè facile eſt negare atque illi affirmare. Immò infinitam motuum ſucceſſionem ſupponit, quod impoſſibile eſſe in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravimus. Nam de Deo hîc loquitur *Spinozius* tanquam de æterna quadam materia, cujus partes aliæ alias impellunt & impulerunt ab æterno. Sin minùs, motus ab intrinſeco aliquando incepit in materia, niſi ſit, qualis proculdubio eſt, diſtinctus à materia Deus, qui non ex laſciviente, dubia, aut hæſitante voluntate & conſilio, ſed ex animo præſenti & conſilii nunquam inope (quippe qui æterna illa Mens eſt & infinita, quæ uno quaſi oculi ictu quid in unaquaque re optimum ſit proſpexerit) ſecundùm ſuas æternas Ideas quæ rationes finéſque rerum omnium in ſe complectuntur, totam creationem, ſimulatque illa creandi capax eſſet, condidit.

Ad quintum reſpondeo: Doctrinam de cauſis Finalibus Naturam non evertere, nec quod revera Cauſa eſt ut Effectum conſiderare, nec quod naturâ prius eſt facere poſterius. Ut in uno illo exemplo pro omnibus, cauſa nempe finali fabricæ oculi, quæ eſt viſio, ſi rem prout eſt ſine omni cavillatione perpendamus. Neque enim actualem viſionem ex fabrica oculi emanantem cauſam fabricæ oculi facimus, ſed illius Ideam in mente Efficientis præconceptam, quæ viſione & tempore & naturâ prior eſt. Neque fabricam oculi tanquam Effectum illius viſionis ſed tanquam illius in mente Efficientis præconceptæ Ideæ effectum conſideramus. Adeò ut nihil niſi quod puerile ſit & ſophiſticum, huic argumento ſubſit.

6. Ad ſextum verò, Quòd nempe doctrina de cauſa finali, quod ſupremum & perfectiſſimum eſt reddit imperfectiſſimum, Quippe quum (ut ex *Prop.* 21, 22, 23 conſtat) ille effectus perfectiſſimus eſt qui à Deo immediatè producitur, & quò aliquid pluribus cauſis intermediis indiget ut producatur, eò imperfectius eſt; At ſi res quæ immediatè à Deo productæ ſunt ea de cauſa factæ eſſent, ut Deus finem aſſequeretur ſuum, tum neceſſariò ultimæ quarum de cauſa priores factæ ſunt omnium præſtantiſſimæ eſſent: Ad hæc reſpondeo, Nequaquam ex *Prop.* 21, 22, 23. (viz. *Omnia* *Ethic. Part.* 1. *quæ ex abſoluta natura alicujus attributi Dei ſequuntur, ſemper & infinita exiſtere debuerunt, ſive per idem Attributum æterna & infinita ſunt*; &, *Quicquid ex aliquo Dei Attributo quatenus modificatum eſt tali modificatione, quæ & neceſſariò & infinita per idem exiſtit, ſequitur, debet quoque & neceſſariò & infinitum exiſtere*; & denique, *Omnis modus qui & neceſſariò & infinitus exiſtit, neceſſariò ſequi debuit vel ex abſoluta natura alicujus attributi Dei, vel ex aliquo attributo modificato modificatione quæ & neceſſariò & infinita exiſtit*) nequaquam, inquam, ex his Propoſitionibus id concludi poſſe quod vult *Spinozius*, Illum utique Effectum eſſe perfectiſſimum qui à Deo immediatè producitur, qualis putâ ſit *conſiſtentia corporea* & *cogitatio* in genere, aut quicunque alii modi qui ex abſoluta natura alicujus attributi Dei *Spinoziani* vel ex aliquo attributo modificato modificatione quæ & neceſſariò & infinita exiſtit, neceſſariò & infiniti proficiſcuntur. Tales enim modi cùm omnium univerſaliſſimi ſint, non poſſunt eſſe perfectiſſimi, quamvìs eſſent æterni & infiniti. Quid enim valeret æterna & infinita corporeitas ſi nulla inſit cogitatio, & quid æterna & infinita cogitatio, ſi nihil cogitatione dignum percipiatur, taliſve ſit quam viliſſimi vermiculi cogitatio multis intervallis excedat? Homines igitur totam reliquam ſubſtantiam Univerſi, ſi intellectu & ratione caret, dignitate longè longéque ſuperant. Atque ſic nihil abſurdi eſſet admittere res ultimas eſſe omnium præſtantiſſimas & præſtantiores ipſo Deo *Spinoziano*, quem univerſaliſſimis tantùm illis attributis pollere fingit, ſed omni intellectu, providentiâ & conſilio deſtitui. Unde neceſſe erit alium ſtatuere Deum quàm *Spinozius* ſtatuit, nè effectus præſtantior ſit cauſâ, quod abſurdiſſimum eſt.

Ad Septimum denique reſpondeo, Non omnino ſequi, ſi Deus propter finem agit, eum aliquid neceſſariò appetere quo ipſe caret, ſed velle fieri aliquid quo careant res aliæ. Hoc profectò argumentum apud nullos valere poteſt niſi eos qui ſordido illo ſui-amoris morbo miſerè laborant, nec quicquam ſapiunt præter propriam utilitatem, atque proinde Divinam ex ſua metiuntur naturam. Sed Animus inſenſatus Atheiſmi perpetuus eſt comes.

Ultrà hìc excurſum eſt quàm putabam, redeamus jam in viam. Cùm igitur adeò datâ operâ doctrinam de *cauſa finali* impugnet *Spinozius* argumentis tam frivolis & ineptis, illud quidem etiam inter alia argumento eſt, aut ex cæca ſolummodo confidentia *quòd*, aut ex obfirmato deſiderio *ut* nihil in rerum natura ſit præter *Materiam*, eum omnem philoſophationem de *cauſa Finali* in Deo mundíque Phænomenis penitus abſtuliſſe. Et non ſolùm à Prophetis & Apoſtolis, à *Moſe Chriſto*que defeciſſe, ſed in eum reprobum ſenſum degeneráſſe, ut omne reale diſcrimen *Boni* & *Mali*, *Ordinis* & *Confuſionis*, *Pulchritudinis* & *Deformitatis* tollat, quemadmodum planè facit in poſtrema parte hujus *Appendicis* primæ parti *Ethices* additæ. Quaſi verò *vitales* reverà non eſſent *Congruitates* & *Incongruitates* (cùm ille toties ad Matheſin ex ſtolida ſui, ob aliquantulam eis in artibus peritiam, admiratione provocat) perinde atque *Mathematicæ*. Quaſi *Pulchritudo* & *Deformitas* non eſſet in rebus *Naturalibus* perinde atque *Symmetria* & *Aſymmetria* in magnitudinibus abſtractis; &, *Ordo* & *Confuſio* in Mundi Phænomenis, perinde ac Figuræ *ordinatæ* & *inordinatæ* in Geometria. Quinimo Intellectus agnoſcit ea hiſce ineſſe (non minùs quàm ipſe Senſus & Imaginatio perſentiſcit haud eſſe ingrata,) additque porrò ab *Intellectuali* principio, deſtinatas haſce rerum aptitudines & congruitates, commodáſque ac idoneas partium animalium conformationes eſſe profectas, nec perinde concinnum eſſe, commodum & ordinatum, ſi oculi in vertice putà hominis collocarentur, dentes ſub maxilla inferiori, naſus in dextra parte capitis, & auris quippe unica in ſiniſtra, anterior autem capitis pars eſſet ut occiput, niſi quòd glabra forſan eſſet ſine capillis.

Equidem qui hæc non abhorret, omnino ſtupet læſóque planè cerebro eſt & carioſo quaſi & exeſo, ac ſi pabulum aut ſtabulum, malo aliquo fato, factum fuiſſet Formicarum & Forficularum. Et ſic tamen mavult *Spinozius* ſtupere quàm ullas cauſas Finales in rerum Natura agnoſcere aut ullam Subſtantiam præter Materiam. Quam ſolam dum ſupponit id facit etiam ut tanta cum confidentia omnes narrationes de Spectris & Apparitionibus déque omnibus Phænomenis miraculoſis planè explodat omnémque eis deroget fidem, *Epiſt.* 56. & 58. Quæ quidem omnia *Spinozii* dogmata cùm tam arctè cum illa opinione cohærent, quòd nulla ſit in Univerſo Subſtantia præter Materiam, meritò faciunt ut non dubitemus concludere *Spinozium* per *Deum* in decima quarta propoſitione primæ partis Ethices, *Materiam* intelligere, ac ſi ſic apertè ſcripſiſſet,

Alterius Atheiſmi Spinoziani Columnæ ſubverſio.

Præter Materiam nulla dari neque concipi poteſt Subſtantia. Quæ altera eſt, utì ſuprà monui, Atheiſmi Columna, quam oportet demoliri & ſubvertere, ipſam falſam eſſe demonſtrando, & enervando *Spinozii* demonſtrationem.

1. Quatuor autem argumentis evincemus aliam Subſtantiam præter Materiam non ſolùm concipi ſed etiam revera dari. Quorum primum hoc eſt: Si alia extenſio præter extenſionem Materiæ detur, tum datur alia Subſtantia præter Materiam. At datur alia extenſio præter extenſionem Materiæ. Propoſitionis conſequentiæ ratio firmiſſima eſt ex notiſſimo illo axiomate & quod etiam in confeſſo eſt apud *Carteſianos* omnes adeóque ipſum *Spinozium*, *Quòd nihili nulla eſt affectio*, idémque axioma ipſe in *Enchiridio Metaphyſico* abunde confirmavi aut ſaltem extenſionem eſſe affectionem realem, ipſéque *Spinozius* attributum facit Dei, *Part.* 2. *Ethic. Prop.* 2. Quod autem aſſumptionem attinet, dari ſcilicet aliam extenſionem ab extenſione Materiæ diſtinctam, in ſuprà dicto *Enchiridio* fusè ſolidéque demonſtravi, eiſdem ſcilicet argumentis quibus demonſtravi *Extenſum quoddam immobile dari à materia mobili diſtinctum*, ídque evidentiâ & certitudine ſi fieri poteſt pluſquam Mathematicâ, cap. 6, 7, 8.

2. Alterum argumentum eſt à vera Idea *Entis ſummè abſolutéque perfecti* deſumptum. Nam de hoc inter nos convenit, quòd ex ipſa natura rei ejúſve Idea ſive definitione illius Exiſtentiam vel Non-exiſtentiam deduci poſſe. Et in Definitionibus, Defin. 1. *Per cauſam ſui*, inquit, *intellige id cujus eſſentia involvit exiſtentiam.* Et Schol. 1. ad Prop. 33. *Res aliqua*, inquit, *neceſſaria dicitur vel ratione ſuæ eſſentiæ vel ratione cauſæ. Rei enim alicujus exiſtentia vel ex ipſius eſſentia & definitione vel ex data cauſa efficiente neceſſariò ſequitur.* Et ad eundem ſenſum ſcribit in Epiſtolis ad *Hen. Oldenburgium*, Epiſt. 2. & 4. In eo autem peccat *Spinozius*, quòd ex Idea ſubſtantiæ quatenus ſubſtantia eſt, neceſſariam ſequi putat illius exiſtentiam, cùm ſubſtantia quatenus ſubſtantia nihil ampliùs ſignificat quàm *in ſe ſubſiſtere* non ut modus in alio, quod nihil prohibet quò minùs *ab alio* ſuam ſubſiſtentiam habeat. *Ens* verò *ſummè & abſolutè perfectum* innuit, ad ipſum pertinere non ſolùm *in ſe* ſubſiſtere & non ut modus in alio, ſed *à ſe* ſubſiſtere, hoc eſt, *Cauſam ſui* eſſe, ut loquitur *Spinozius*, ejúſve eſſentiam involvere exiſtentiam. Unde Apodicticè planè concluditur, *Ens ſummè & abſolutè perfectum* exiſtere. Quod cùm *in ſe* ſit (& non ut modus in alio) perinde atque *à ſe*, ſubſtantiam eſſe manifeſtum eſt, ſed non eandem ſubſtantiam quæ materia, quippe quæ Ens ſummè & abſolutè perfectum non eſt, nec propterea verè propriéque dictus Deus.

Cujus tamen, hâc methodo, exiſtentiam demonſtrari poſſe iterum atque iterum inculcat *Spinozius*. Ad prop. 11. *Cujuſque rei*, inquit ille, (quod & ſuprà memoravimus) *aſſignari debet cauſa tam cur exiſtit quàm cur non exiſtit.* Ex. gr. *Si Triangulus exiſtit, ratio ſeu cauſa dari debet, cur exiſtit; ſi autem non exiſtit, ratio etiam ſeu cauſa dari debet quæ impedit quò minus exiſtat, ſive quæ ejus exiſtentiam tollat. Hæc verò ratio ſeu cauſa vel in natura rei contineri debet, vel extra ipſam.* Ex. gr. *Rationem cur circulus quadratus non exiſtat ipſa ejus natura indicat, nimirum quia contradictionem involvit; cur autem contrà Deus exiſtat* (ego loco vocis *ſubſtantia* [Deus] ſubſtituo, quoniam propoſitio 11. ſic habet, *Deus ſive ſubſtantia*, &c.) *ex ſola ejus etiam natura ſequitur, quæ ſcilicet exiſtentiam involvit.* Et paulò pòſt: *Poſſe non exiſtere impotentia eſt, & contrà poſſe exiſtere potentia eſt. Si itaque id quod jam neceſſariò exiſtit non niſi Entia finita ſunt, ſunt ergo Entia finita potentiora Ente abſolutè infinito* [i. e. Ente ſummè abſolutéque perfecto] *atqui hoc abſurdum eſt, Ergo vel nihil exiſtit, vel Ens abſolutè infinitum* [i. e. ſummè abſolutéq; perfectum] *neceſſariò exiſtit. Atqui nos vel in nobis, vel in alio quod neceſſariò exiſtit, exiſtimus. Ergo Ens abſolutè infinitum* [ſive Ens ſummè abſolutéque perfectum] *hoc eſt, Deus, neceſſariò exiſtit.* Porrò in Scholio ad prop. 11. *Nam cùm poſſe,* inquit, *exiſtere potentia ſit, ſequetur quò plus realitatis, alicujus rei naturæ competit, eò plus virium à ſe habere ut exiſtat, adeóque Ens abſolutè infinitum ſive Deum, infinitam abſolutè potentiam exiſtendi à ſe habere qui propterea abſolutè exiſtit.* Poſtremóque addit in eodem Scholio; *Perfectio igitur rei exiſtentiam non tollit, ſed contrà ponit. Imperfectio autem contrà eandem tollit, adeóq; de nullius rei exiſtentia certiores eſſe poſſumus, quàm de exiſtentia Entis abſolutè infiniti ſeu perfecti, hoc eſt, Dei. Nam quandoquidem ejus eſſentia omnem imperfectionem ſecludit abſolutámq; perfectionem involvit, eo ipſo omnem cauſam dubitandi de ipſius exiſtentia tollit, ſummámque de eadem dat certitudinem.*

Hic me abſtinere non poſſum quin protinus exclamem, ut acclamari ſolitum eſt veteribus Oratoribus ſeu Sophiſtis, σοφῶς, θείως, ὑπερφυῶς. Nihil hiſce ſolidius dici poteſt, nihil Divinius; modóq; ſibi conſtare velit *Spinozius* in hac cauſa, utrùm nulla præter materiam dari nec concipi poſſit ſubſtantia, neminem præter illum electum vellem arbitrum. Nam ex his ipſis quæ is tam plenè ac liberaliter concedit & concludit, *Ens* ſcilicet *infinitè abſolutéq; perfectum* neceſſariò exiſtere, ego evidentiâ certiſſimâ concludam aliam aliquam præter Materiam neceſſariò exiſtere ſubſtantiam. Quippe quum certiſſimum ſit Materiam mundanam licèt infinita eſſet, (quam tamen finitam eſſe in *Enchiridio Metaphyſico* demonſtravi) *Ens* non eſſe *ſummè abſolutéque perfectum*, vel tale quid cujus eſſentia omnem imperfectionem ſecludat abſolutámq; perfectionem involvat, ut loquitur *Spinozius.* Quemadmodum enim Materia quantumlibet infinita ſit, niſi aliquâ perceptione polleret, à nemine haberetur, qui ſano eſſet cerebro, *Ens ſummè & abſolutè perfectum*, quippe cui defutura eſſet perceptio ſeu cogitatio; ità niſi perfectiſſimâ cogitatione ſeu perceptione polleret, nec adhuc foret *Ens ſummè abſolutéque perfectum.* Ideóque cùm materia perfectiſſimâ hâc perceptione non polleat, manifeſtò indè ſequetur materiam non eſſe *Ens* illud *ſummè abſolutéque perfectum*, quod *Spinozius* pariter atque ego neceſſariò exiſtere concluſimus; & proinde cùm idem *Ens ſummè abſolutéque perfectum*, non poſſit non eſſe ſubſtantia, aliam ſubſtantiam manifeſtò dari præter ipſam *Materiam.*

Materiam verò perfectiſſimâ cogitatione non pollere hinc liquet, quòd non aliter cogitat quàm illæ Materiæ partes quæ univerſam materiam mundanam conſtituunt, cujuſmodi ſunt, Homines, Anſeres, Aſini, Bufones, Pediculi, Teſtudines, *&c.* Ac proinde Materia licèt in hominibus humanas cogitationes revolvat, in Anſeribus tamen, prout ſuprà notavimus, cogitabit Anſerinè, in Aſinis Aſininè, in Bufonibus Bufonicè, in Pediculis Pediculariter, in Teſtudinibus Teſtudinaliter, ut taceam quid factura ſit in Lapidibus, Metallis, & Plantis, quid in Terra cruda, Aqua, Aere & Æthere. Unde ſi nulla ſit ſubſtantia quæ Deus ſit, ſive *Ens ſummè abſolutéque perfectum*, præter Materiam, quod tamen vult *Spinozius*, Deus hic *Spinozianus*, ut Anſer cogitabit in Anſeribus, ut Aſinus in Aſinis, in Bufonibus ut Bufo, in Pediculis ut Pediculus, in Teſtudinibus ut Teſtudo, in Hominibus ut Homo, in Fatuis ut Fatuus, ut Maniacus in Maniacis, ut *Spinozius* in *Spinozio.* Quod quàm prorſus alienum ſit ab illo Ente cujus eſſentia omnem imperfectionem excludit, quilibet judicet. Materiam autem hac imperfectione laborare manifeſtiſſimum eſt ſi omnino cogitet, & ſi non cogitet omnino ſtupet, quod adhuc eſt imperfectius.

Verum enimvero quanquam cogitationes partium mundanæ Materiæ tam jacentes jam ſunt, tam tenues & abjectæ, major tamen adhuc imperfectio accedit, quòd partium diſtinctarum materiæ cogitationes inter ſe minimè connectuntur aut uniuntur. Aſinus enim cogitationum Bufonis minimè conſcius eſt, nec Bufo cogitationum Aſini, & ſic de reliquis. Ità ut, licèt concederetur ſingulas mundanæ materiæ partes cogitare, Materia tamen mundana non eſt una res cogitans, ac proinde non una res perfectè cogitans, cùm nihil unum ſit in ipſa quod omnium cogitationum ſit conſcium, nec omnes partes, ſingularum cogitationum conſciæ ſint, ſingulæve univerſarum. Quibus addas poſtremò deeſſe partibus Materiæ cogitationum *futurarum* ac *præteritarum* per infinitas ferè ſeculorum ſeries ductarum perinde atque univerſarum *præſentium* ſingulis partibus communicatarum ſtabilem fixámque comprehenſionem, in qua *Æternitas* potiſſimùm conſiſtit. In perceptionibus autem partium Materiæ, quæ cogitant ſolummodo prout in æterno motuum fluxu partes aliæ alias in cogitandi actum cient, nulla talis eſſe poteſt rerum quaſi omnium futurarum, præſentium & præteritarum firma æternáque ac ſtabilis per unum quaſi intuitum comprehenſio. Propter quos multiplices cogitationis defectus in materia, manifeſtum fit, perfectam cogitationem in materiam cadere non poſſe, ac proinde Materiam non eſſe Ens ſive Subſtantiam illam *ſummè abſolutéque perfectam*, quæ ſit *cauſa ſui*, cujúſve eſſentia involvit exiſtentiam, quippe quæ omnem imperfectionem non excludit. Subſtantia igitur alia quæ ſummè abſolutéq; perfecta eſt, ex propriæ ſuæ Naturæ privilegio præter Materiam neceſſariò exiſtit. Q. E. D.

3. Tertium argumentum ſumetur à ſucceſſiva mundi corporei duratione. Nam manifeſtum eſt quòd nè momentum quidem mundanæ ſucceſſionis præteriit quod aliquando non fuit præſens. Unde planè conſtat cùm omnia hujus ſucceſſionis momenta aliquando præſentia fuerint, nec tamen unquam uno plura ſimul ſed ſingula unum poſt alterum ſemper ſucceſſerint, quòd aliquando erat cùm omnia ſaltem præter unum erant futura. Et ſic vel inviti reducemur ad caput ſive principium omnis ſucceſſivæ durationis quantæcunq; eam Extenſionis fingamus, cogemúrq; fateri quòd æquè repugnat dari poſſe infinitam durationem *ſucceſſivam*, ac magnitudinem aliquam infinitam *Figuratam*. Unde manifeſtò ſequitur mundum hunc corporeum cum ſuis motibus & alterationum viciſſitudinibus nec extitiſſe nec exiſtere potuiſſe ab æterno, Materiámq; non eſſe à ſeipſa aut ſaltem à ſeipſa non poſſe moveri, ac proinde neceſſe eſſe ut alia aliqua ſubſtantia exiſtat præter Materiam, quæ motum Materiæ aliquo modo communicet. Vide *Enchirid. Metaphyſ.* cap. 10. unde hæc deſumpta ſunt.

4. Quartum denique argumentum quo demonſtrari poteſt præter Materiam aliam aliquam ſubſtantiam concipi poſſe & dari, varium quidem eſt, & ferè immenſum, quippe à particularibus Naturæ Phænomenis deductum. Quod certè hîc optimo jure præterire poſſum cùm Scripta mea in hoc Volumine Philoſophico hoc genus argumentis ubique ſcateant. Hîc igitur recurrat Lector ad ea quæ attulimus in *Enchiridio Metaphyſico* & alibi, de Phænomeno Gravitatis, de experimento Antliæ Pneumaticæ, de Aſcenſu Laminæ ligneæ ab imo ad ſummum vaſis aquâ repleti, & Non-gravitatione Elementorum in propriis locis, de ſtructura corporum Plantarum & Animalium, de Operationibus Animæ, & de Vaticiniis & Apparitionibus, *i. e.* de rebus vel contra vel ſupra Naturæ vires ordinémq; accidentibus. Et nequis cavilletur de difficultate conceptûs ſubſtantiæ ullius præterquam Materiæ, adeat *Enchiridii Metaphyſici* caput 27, & 28. ut alia loca omittam, ſperóque facilè eum deprehenſurum alius eſſentiam ſubſtantiæ præter materiam concipi poſſe perinde atque dari.

Alterius Columnæ Atheiſmi Spinozianæ demonſtratio.

Intereà loci ex quadruplici hoc argumento falſam eſſe propoſitionem decimam quartam, clarè poſſe demonſtrari, ſatìs conſtare minimè diffido. *Præter Materiam* nempe *nullam dari neque concipi poſſe ſubſtantiam.* Supereſt tandem ut demonſtrationis hujus propoſitionis ab eo adhibitæ falſitatem paucis oſtendam, idque ſecundùm duplicem lectionem, ſive [præter Deum] ſive [præter Materiam] legendum cenſeas. Primùm autem demonſtratio ejus proponatur primo modo. *Cùm Deus*, inquit, *ſit Ens abſolutè infinitum de quo nullum attributum quod eſſentiam ſubſtantiæ exprimit negari poteſt* (per. defin. 6.) *iſque neceſſariò exiſtat* (per prop. 11.) *Si aliqua ſubſtantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, ſicque duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi exiſterent, quod* (per prop. 5.) *eſt abſurdum*, &c. In hiſce paucis vis illius demonſtrationis omnino continetur.

1. Primum principium cui hæc demonſtratio innititur eſt definitio Dei per quem ait ſe intelligere, *Ens abſolutè infinitum, hoc eſt, ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis quorum unumquodq; æternam & infinitam eſſentiam exprimit.* Definitio ſatìs obſcura eſt, audiamus illius explicationem. *Dico*, inquit, *abſolutè infinitum non autem in ſuo genere, quicquid enim in ſuo genere tantùm infinitum eſt, infinita de eo attributa negare poſſumus; quod autem abſolutè infinitum eſt, ad ejus eſſentiam pertinet quicquid eſſentiam exprimit & negationem nullam involvit*, hoc eſt, *quicquid poſitivum eſt*. Ex qua quidem explicatione quivis ſatìs emunctæ naris homo facilè quid ſibi velit poteſt odorari, nempe unicam eſſe rerum omnium ſubſtantiam eámque infinitam nullúmq; præter rerum univerſitatem (quæ varias dictæ ſubſtantiæ modificationes complectitur) eſſe Deum. Hoc neceſſariò ex iſtis verbis intelligitur, *Quod autem abſolutè infinitum eſt, ad ejus eſſentiam pertinet quicquid eſſentiam exprimit.* Unde unicam eſſentiam ſive ſubſtantiam affirmat eſſe in rerum univerſitate: Res autem illas diverſas, quæ cernuntur, infinitas, hujus unicæ ſubſtantiæ infinita eſſe attributa aut modos. Hanc autem Dei veram eſſe definitionem nemo qui mentis compos ſit, dubitabit negare. Ac proinde Fundamento planè precario demonſtrationem ſuam ſuperſtruit, quod is ſupponit tantùm non probat, niſi iſtud pro argumento habendum ſit, *Quòd id quod abſolutè infinitum eſt Deus eſſe debeat*, *non autem illud quod*

tantummodo in ſuo genere eſt infinitum. Quam aſſertionem prorſus nego, niſi per abſolutè infinitum, *abſolutè perfectum* intelligatur, & tunc nulla infinitudo niſi quæ perfectionem ſonat, ad naturam Divinam intelligetur pertinere. Unde infinita corporeitas, ſi dari poſſit, Deo tamen deberet denegari.

Abſoluta igitur Infinitas in Deo non ſic accipienda eſt, ac ſi non eſſet ſui generis infinitas, talíſque quæ cum abſolutiſſima perfectione conſiſtat. Eſt enim eſſentialis quædam Sanctitas Puritáſque Divinæ Majeſtatis quâ à rebus reliquis omnibus toto quaſi genere differt diſtátque, quam tamen ſanctitatem tanto ſtudio ac temeritate impurus hic Sophiſta conatur violare, Divinam Naturam cum rerum creatarum Natura confundens. Nulla igitur Infinitas Deo denegatur quæ perfectionem ſonat, ſed illa ſolummodo quæ imperfectionem involvit; & quicquid ſit perfectionis in creaturarum eſſentiis, Deo interim acceptum referendum relinquit, tanquam Fonti ac Principio, quod licèt non *formaliter*, *eminenter* tamen & *cauſaliter* eſſentias perfectionéſque rerum omnium creatarum in ſe complectitur. Quam veritatem cùm cæcus hic deménſque Philoſophaſter capere non poſſet, falſam hanc Dei definitionem commentus eſt, quâ ſuo Lectori imponat.

2. Alterum principium cui innititur demonſtratio eſt Propoſitio 11. *Deus ſive ſubſtantia conſtans infinitis attributis quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit, neceſſariò exiſtit.* Quæ Propoſitio, ut falſa eſt, niſi ſenſu quo eam ille non intelligit, accipiatur, ità illius demonſtratio infirmis nititur fundamentis, vel unico hoc potiùs falſo fundamento, nempe Prop. 7. *Ad naturam ſubſtantiæ pertinet exiſtere.* Quaſi verò ad naturam ſubſtantiæ quatenus ſubſtantiæ, hoc eſt, Entis per ſe ſubſiſtentis & non, ut modus, in alio inexiſtentis, pertineret exiſtere, & non ad naturam *Entis ſummè abſolutéque perfecti*, quod concedo verum eſſe. Hanc verò propoſitionem ſeptimam ſuprà demonſtravi eſſe falſam. Præſens verò propoſitio, ut ille intelligit, neceſſariam exiſtentiam materiæ æquè firmiter demonſtrat atque exiſtentiam Dei. 3. Tertium principium cui innititur hæc propoſitio decima quarta, eſt propoſitio quinta, *In rerum natura non poſſunt dari plures ſubſtantiæ unius attributi*, quam falſam eſſe ſuprà demonſtravi, nec opus eſt hic repetere: Et certè tam frivoli Nugatoris planè tædet pudétque. Manifeſtum eſt igitur decimam quartam hanc Propoſitionem hoc primo ſenſu qui præ ſe fert ac ſi Deum verum intelligeret ſolum exiſtere, & nihil præterea, ab eo non niſi ſophiſticè & luſoriè eſſe demonſtratam. Atque equidem quod initio monui, ipſi ſenſui & experientiæ repugnat, cùm ex his certi ſumus materiam exiſtere præter hunc Deum. Unde ſatìs conſtare poteſt eum hîc revera nihil aliud intelligere per Deum niſi materiam quandam infinitam, quæ hujus Propoſitionis altera lectio eſt, cui demonſtrationem ejus applicabimus ponendo pro *Deo*, *Materiam*.

Demonſtratio igitur ſic erit. *Cùm Materia ſit Ens abſolutè infinitum, de quo nullum Attributum quod eſſentiam ſubſtantiæ exprimit negari poteſt* (per Defin. 6.) *eáque neceſſariò exiſtat* (per Prop. 11.) *ſi aliqua ſubſtantia præter Materiam daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Materiæ*, &c. Nunc quivis vel primo intuitu ſtatim deprehendit quàm horridis & pudendis concinnata ſit hæc demonſtratio mendaciis. Materia enim nec Ens infinitum eſt, quoad extenſionem, multóque minùs quoad perfectiones Intellectuales & Morales, aut quoad Potentiam. Nec Ens de quo nullum attributum quod eſſentiam ſubſtantiæ exprimit negari poteſt. Sunt enim Subſtantiæ ſpirituales à Materia diſtinctæ, quemadmodum abundè demonſtravimus, quæ de Materia rectè negantur. Nec debent hæ ſubſtantiæ ſpirituales per aliquod Attributum materiæ proprium exprimi, nec neceſſariò denique exiſtit hæc materia. Sed fœda ſua inſomnia ex animo ſtupido hebetéque ac impuro corpore orta Dei nomine & Geometrico ordine oblarvat Sophiſta vafer improbúſque Impoſtor, quò animos incautos & à Religione alienos vitiiſve deditos in laqueos ſuos illiciat & in eandem ſecum perditam conditionem conjiciat. Et qui nolunt ullum eſſe Deum, ullum diſcrimen honeſtorum & turpium, ullámve vitam futuram, hujuſmodi fucatis Sophiſmatis facilem aurem præbent, abjectóque animo impudentibus hujuſmodi jactatoribus piè credunt, ut ſecuri vitam impiè tranſigant. Nam ſi intelligerent non autem crederent, profectò hæc omnia frivola, vana ac veſana eſſe non poſſent non clarè deprehendere; Et quos illi tanquam acuta Ingenia nunc admirantur, homines eſſe Fatuos, dementes ac Ceritos judicare, eóſque non aliter philoſophari quàm philoſophaturi eſſent Bruta Animalia, Cynocephali & Cercopitheci, ſi facultas eis daretur ſua animi ſenſa eloquendi aut mandandi literis.

Demonſtravimus igitur & decimam quartam hanc propoſitionem falſam eſſe, & *Spinozii* demonſtrationem Sophiſticam ac ineptam. Et proinde ambas Atheiſmi *Spinoziani*

noziani columnas funditus corruiſſe. Nec meum eſt disjecta rudera execrandæ hujus ſtructuræ accuratiùs excutere. Hoc *Angeæ* ſtabulum alteri alicui *Herculi* evacuandum relinquam. Mihi ſatìs eſt hîc, utì & alibi, cauſæ *Spinozianæ* & *Hobbianæ* nervos ſuccidiſſe, alii, profligato imbellique facto monſtro inſultent, ut illi inſultârunt Religioni, in quibuſcunque locis quicquam in ea infirmum abſurdúmve ſe deprehendiſſe putaverint, non quidem tam ex ingenua omnis falſitatis & abſurditatis abhorrentia, quàm ex inveterato odio veræ Religionis ſanæque Profeſſionis Dei atque Chriſti.

Cujus morbi impotentiæque animi egregium licet apud *Spinozium* in Epiſtola ſua ad *Albertum Burg* notare exemplum, Epiſt. 74. Ubi poſtquam Divinam Juſtitiam, quam pati fingit *ut Diabolus homines impunè decipiat, at minimè homines miſerè ab ipſo Diabolo deceptos & circumductos manere impunes*, ſatìs protervè deriſit, addit porrò, *Atque hæc abſurda toleranda quidem eſſent ſi Deum adorares infinitum & æternum, non illum quem* Chaſtillon *in Oppido* Tienen *ſic à* Belgis *nuncupato equis comedendum impunè dedit. Et me defles miſer! meámque Philoſophiam quam nunquam vidiſti, chimæram vocas? O mente deſtitute Juvenis, quis te faſcinavit ut ſummum illud & æternum te devorare & in Inteſtinis habere credas?* Sic ille Juveni inſultat qui Nænias illius Philoſophicas, nè errores dicam Atheiſticos, reliquerat, & fidem Chriſtianam, quanquam haud ſatìs fateor reformatam, amplexus eſt. Quod autem ad priorem partem attinet, ſtolidè profectò & imperitè inſultat. Quis enim non novit diram pœnam manere Diabolos, pulchrámque Divinæ Juſtitiæ ac Providentiæ eſſe partem ut animæ humanæ tententur & explorentur? Sed voluntatis humanæ liberum arbitrium omninò pernegat lapideus hic ligneúſve Philoſophaſter. Hinc illa Irriſio.

Quod verò ad partem ſpectat alteram, hîc profectò planè verificatur illud Poetæ,

Clodius *accuſat mœchos*, Catilina Cethegum.

O pudore omni & ingenuitate deſtitute Philoſophe, vel potiùs, O impudentiſſime Impoſtor & Hypocrita! Túne Juvenem hunc *Albertum* accuſas, tanquam ſi infinitum æternúmque Deum non adoraret quem nemo Chriſtianus non adorat, cùm ipſe interim nullum *Deum* reverà præter *Materiam* agnoſcis, quæ nec infinita eſſe poteſt nec æterna? Túne Juvenis effaſcinationem derides aut deploras quòd ſummum illud & æternum ſe devorare credat & in ſuis Inteſtinis habere, cùm craſſa tua ac fatua Philoſophia, ipſa Juvenis Inteſtina ipſúmque adeo ſtercus fœtidum eis contentum Deum eſſe ſtatuit Deíve partem? Nec adeò puer eſt hic Juvenis ut univerſam Divinitatem ſuo ventriculo circumſcriptam clauſámve putet. Totum quidem Chriſti corpus ſe devorare exiſtimat (nequid damni aliàs illi contingat ex diviſione) & utinam nec ille nec alius quiſquam Chriſtianus ſic exiſtimaret aut crederet, vel potiùs non profiteretur (plures enim profiteri credo quàm credere) ut non habeant nefarii ac profani homines & ementitiæ hæ Philoſophorum larvæ, cui tantopere inſultent, quóque venuſtatem majeſtatémque & illibatam veræ Religionis ſanctitatem malignis ſuis dicteriis violent & dehoneſtent.

Nemo ſanè cui reverà cordi eſt Religio Chriſtiana, quin ei doleat ex animo pudeátque tam intolerandorum ſcandalorum in Chriſtiana Eccleſia ſub luce jam meridiana etiamnum retentorum, & vel invitis hominibus ſummo cum terrore & violentia obtruſorum, nec puræ Religioni permitti juſtam ſuam adversùs Atheiſmum & Infidelitatem reportare victoriam. Quam certè reportatura eſſet contra omnes nefarios homines ipſóſque adeò Diabolos, ſi Chriſtianorum *Doctrina* ſuperſtitioſarum opinionum aſcititiarum portentis, *vitáque* vitiorum ſordibus liberaretur. Nam & hîc etiam *Spinozius* fictâ quâdam ac compoſitâ gravitate in Epiſtola ad *Albertum Burg* ſententias verè Chriſtianas quanquam animo vafro & hypocritico effundere velle videtur. *Eſt*, inquit, *Juſtitia & Charitas unicum & certiſſimum veræ fidei Catholicæ ſignum & veri Spiritûs ſancti fructus, & ubicunque hæc reperiuntur ibi Chriſtus reverà eſt, & ubicunque deſunt deeſt Chriſtus. Solo namque Chriſti Spiritu duci poſſumus in amorem Juſtitiæ & Charitatis.* Ecquis *Familiſta* aut *Quakerus* aliter hîc philoſopharetur atque vafer hic Hypocrita *Spinozius*, qui clàm apud ſe omnem de Deo Chriſtóque Religionem ridens, verbo tamen tenus Juſtitiam, Charitatem Spiritúmque Chriſti crepat? Sed ea ſola, ut Fidem antiquam Apoſtolicam Symbolo eorum contentam eâdem operâ ſubvertat aut excludat. Huiccine cordi eſſe poteſt Juſtitia aut Charitas apud quem jus fáſque eſt cuilibet agere quicquid lubet & poteſt, quemadmodum notavimus in *Tractatum* ejus *Theologico-politicum*?

apud quem cæco ac neceſſario Materiæ motu omnia ferri ſtatuitur, & quicquid fit nemini imputandum eſſe, nemini pœnitendum? Huiccine Chriſti Spiritus notus eſſe poteſt qui prima Religionis Chriſtianæ fundamenta non agnoſcit? aut ulli Infideli (cui tamen veram fidem amplectendi data eſt opportunitas) vera ulla ineſſe Charitas & Juſtitia? Et quàm parùm ſanè inſit *Spinozio* hinc ſatìs liquet, quòd, nè eximius quidam & inauditus Orbi Philoſophus non rideatur, cœlum terrámque miſcet, ſuámque craſſam, falſam abſurdámque Philoſophiam, inaníſque gloriæ quam indè expectat aucupium, univerſi humani generis Paci ac Saluti præfert. Quo quidem nihil repugnantius eſſe poteſt Juſtitiæ & Charitati. Sed jure merito interim hic Atheus Orbi Chriſtiano Charitatis Juſtitiæque defectum exprobrat, cùm doctrinam Chriſtianam profiteamur cujus quaſi *Flos* & *Quinteſſentia* Juſtitia eſt & Charitas, & nos tamen quos Religio noſtra vetat mutuò nos odiſſe, cædes nefandas alii in alios, etiam Religionis ergô, perpetramus, & ſub ſanctitatis larva, fortunis, libertate, vitáque ipsâ in gloriam Dei & ſalutem animarum, alii alios ſpoliamus.

——Pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuiſſe & non potuiſſe refelli.

Hic eſt præcipuus Atheorum contra Religionis Chriſtianæ profeſſores Triumphus & Ovatio.

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.

Equidem nihil homines Atheos in ſuo Atheiſmo æquè confirmat atque hæc morum barbaritas & certa iſta & conſpicua Abſurditas & Repugnantia in doctrina Tranſubſtantiationis. Nam quantùm ad Trinitatem viri etiam Philoſophi iique omnium Sapientiſſimi & Diviniſſimi, *Pythagoreos* intelligo & *Platonicos*, nullâ vi aut terrore adacti doctrinam quidem de Trinitate doctrinæ antiquæ Eccleſiæ adhuc Symmetræ, ſive Symboli *Nicæni* & *Athanaſiani*, admodum ſimilem etiam ſuâ ſponte amplexi ſunt, egregiéq; expoliverunt. Adeò ut Athei inſcitiam ſuam ingeniiq; tarditatem in proprium dedecus prodant, dum, ob Trinitatis doctrinam, Chriſtianam religionem repudiant, aut vili pendunt. Et quantùm ad Divinitatem Chriſti nihilo plus difficultatis unioni illius cum Æterno *Logo* ineſt, quàm animæ humanæ cum corpore. Adeò ut bardi planè ſint hominéſq; ſtolidi non acuti Philoſophi qui ob hæc myſteria religionem Chriſtianam rejiciunt. Et quantùm denique ad Animæ Immortalitatem Reſurrectionémq; ad vitam æternam, tantam profectò hæc doctrina plauſibilitatem ſecum gerit, ut ipſum *Spinozium* pudeat eam prorſus omittere, ideóq; in ſpeciem (Ethic. part. 5.) ſic philoſophatur, ac ſi Animæ aut ſaltem menti humanæ aliquam Immortalitatem tribuendam cenſeret. Prop. 23. *Mens humana non poteſt cum corpore abſolutè deſtrui, ſed ejus aliquid remanet quod æternum eſt.*

Hoc certè mihi à *Spinozio* dictum videtur in nullum alium finem, niſi quòd ſuam etiam Philoſophiam cohoneſtare voluerit aliquâ ſpecie atque ſpe immortalitatis Animæ ſive mentis humanæ poſt mortem, quò incautum Lectorem in ſuas partes pelliciat, aut ei in os daret quibus ſe apud imperitam plebem defendat. Sed bonâ fide eum hîc non agere manifeſtum eſt, quandoquidem immortales nos eo modo eſſe quo ille docet, noſtrâ ſanè nihil refert. Nam apertè aſſerit prop. 21. *Quòd mens nihil imaginari poteſt neque rerum præteritarum recordari niſi durante corpore.* Pereunte igitur memoriâ idem planè eſt ac ſi nos penitus periremus, neque Præmium ſic erit nec Pœna poſt hanc vitam; id quod tam efflictim cupit vafer hic Philoſophaſter ejúſque Sectatores. Et certè in demonſtratione Prop. 23. ipſe rei aculeus hic eſt: *Cùm aliquid*, inquit, *in mente ſit, id quod æternâ quâdam neceſſitate per ipſam Dei eſſentiam concipitur, erit neceſſariò hoc aliquid quod ad mentis eſſentiam pertinet æternam.* Res autem tandem reſolvitur in Prop. 1. part. 2. in Cogitationem ſcilicet unum ex attributis Dei. Quod certè univerſale *Dei* ſui attributum nempe *materiæ* eſſe non poteſt niſi modo generali & univerſali accipiatur, nempe abſtractim à Cogitatione intellectuali, ſenſitiva, imaginativa, à cogitatione humana, viperina, aſinina, teſtudinea, aquilina, anſerina, & in genere tantùm intelligatur præſcindendo ab omnibus ſpecialibus cogitationibus, alioqui Cogitatio Dei *Spinoziani* attributum verum κατὰ παντὸς eſſe non poteſt. Eſtque hæc Æternitas quam ſupponit, nihil niſi univerſalis propoſitionis veritas, ut ſi quis ſtatueret *naturam Animalem* eſſe æternam, pereuntibus interim & ſuccedentibus omnium generum Animalium *Individuis*. Semper igitur & ubique Deo *Spinoziano* competit Cogitatio (quæ eſt cogitationis illius Infinitas & Æternitas) ſed non ubiq; nec ſemper forſan ullibi optima. Cùm aliquid igitur in mente ſit

Mentis ſtatûs poſt mortem Spinoziana *deſcriptio, perplexa, falſa ac frivola.*

quod per cogitationem in genere, id eſt, per ipſam Dei eſſentiam concipitur, id ſanè æternum eſſe neceſſe eſt. En ſplendidam *Spinozianæ* Immortalitatis ſpem! Cogitat mens humana ſoluto corpore ſed non reminiſcitur. Cogitat ſed cogitatione quæ ab omni ſpecie cogitationis Intellectuali, Rationali, Imaginativa, Anſerina, Leonina, Aſinina, reliquíſq; id genus omnibus præſcinditur, ut ſic æterna ſit vel chimærica. Equidem aut hoc vult, aut ego (nec fortaſſis ipſe) quid ſibi velit, neſcio.

Et hiſce quæ conjectavimus conſentire videtur illud quod in Schol. prop. 23. occurrit, viz. *Quamvìs non recordemur nos ante corpus extitiſſe, ſentimus tamen mentem noſtram quatenus corporis eſſentiam ſub Æternitatis ſpecie involvit æternam eſſe, & hanc ejus exiſtentiam tempore definiri non poſſe.* Quid enim illìc eſſe poteſt ſub *æternitatis ſpecie*, quàm ſub ſpecie maximè univerſali, quæ infinitam modorum quos ſubierit variationem complecteretur; quam ille grandiloquentiæ cauſâ *Æternitatis ſpeciem* appellat? Hic tamen verus, humilis licèt abjectúſque, hujus loci ſenſus eſt: Pars utique illa Materiæ quæ Mentem noſtram conſtituit, ſi ad humanam mentem non reſtringas ſed in genere conſideres & veluti in Æternitate non in ſuccedentibus modorum quos ſubierit variationibus, æterna quidem eſt tum à parte antè tum à parte póſt. Quod certè Privilegium in hoc quidem ſenſu ad mentes Plebeiorum perinde atque Philoſophorum, Improborum atque Pientiſſimorum hominum ex æquo pertinet. Nos vero hac in re non perperam conjectâſſe ex part. 2. prop. 24. corol. 2. ejúſq; demonſtratione facilè poteſt conſtare. Corollarium enim iſtud eſt: *De Natura Rationis eſt res ſub quadam Æternitatis ſpecie percipere.* Ad quod confirmandum addit, *Fundamenta Rationis Notiones eſſe quæ illa explicant quæ omnibus communia ſunt quæque nullius rei ſingularis eſſentiam explicant, quæque propterea abſque ulla temporis relatione ſed ſub quadam Æternitatis ſpecie debent concipi.*

Ut verò nullam *Spinozio* injuriam feciſſe videamur, proferemus in medium quæ majus quid apud ipſum altiúſq; videantur ſonare. Id autem faciemus pedetentim part. 5. prop. 29. *Quicquid mens*, inquit, *ſub ſpecie Æternitatis intelligit, id ex eo non intelligit quòd corporis præſentem actualem exiſtentiam concipit, ſed ex eo quòd corporis eſſentiam concipit ſub ſpecie Æternitatis.* Demonſtratio præcipuè innititur 2. Corol. prop. 44. part. 2. viz. *De natura Rationis eſſe res ſub quadam Æternitatis ſpecie percipere.* Quod ex eo probat quòd de natura Rationis eſt res *ut neceſſarias & non ut contingentes contemplari. Hanc autem rerum neceſſitatem verè ut in ſe eſt percipit, ſed hæc rerum neceſſitas eſt ipſa Dei æternæ Naturæ neceſſitas, ex qua infinita infinitis modis ſequi debent*, prop. 16. part. 1. Et in Scholio prop. 29. part. 5. *Res duobus modis à nobis ut actuales concipiuntur, vel quatenus eaſdem cum relatione ad certum tempus & locum exiſtere, vel quatenus ipſas in Deo contineri & ex Divinæ Naturæ neceſſitate conſequi concipimus. Quæ autem hoc ſecundo modo ut veræ ſeu reales concipiuntur, eas ſub Æternitatis ſpecie concipimus & earum Ideæ æternam & infinitam Dei eſſentiam involvunt.* Ex his & prædictis patet Æternitatem apud *Spinozium* idem ferè eſſe atque univerſalitatem & neceſſitatem rei perceptæ quæ conditiones ſunt apud Logicos Axiomatis ſcientifici. Adeò ut per imperitiam, notiones Logicas terminis Metaphyſicis oblarvare videatur. Quanquam fateor etiam apud alios Autores *Propoſitiones neceſſarias*, propoſitiones itidem dici *æternæ veritatis.* Hìc verò potiùs veram notionem *æternam* vocat quia Dei æternam & infinitam eſſentiam involvit, prop. 45. part. 2.

Sed pergimus ad prop. 31. part. 2. *Tertium cognitionis genus, hoc eſt, genus intuitivum (ut in datis tribus terminis proportionalibus* 1. 2. 3. *primo intuitu novimus* 6. *eſſe quartum proportionalem) pendet à mente tanquam à formali cauſa quatenus mens ipſa æterna eſt, hoc eſt, ut patet ex demonſtratione, non quatenus corporis præſentem actualem exiſtentiam concipit, ſed quatenus corporis eſſentiam concipit ſub ſpecie Æternitatis. Hoc enim reſpectu æterna dicitur Deique habere cognitionem neceſſariò adæquatam.* Quod ex prop. 45, & 46. part. 2. probatur. *Unaquæque* ſcilicet *cujuſcunq; corporis vel rei ſingularis actu exiſtentis Idea, Dei æternam & infinitam eſſentiam neceſſariò involvit. Cognitio autem æternæ & infinitæ eſſentiæ quam unaquæque Idea involvit, eſt adæquata & perfecta. Demonſtratio præcedentis propoſitionis*, inquit, *univerſalis eſt, & ſive res ut pars ſive ut totum conſideretur, ejus Idea ſive totius ſive partis Dei æternam & infinitam eſſentiam involvet. Quare id quod cognitionem æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei dat, omnibus commune & æquè in parte atque in toto eſt, adeóque* (per prop. 38. part. 2.) *erit hæc cognitio adæquata.* Iſta verò propoſitio eſt, *Illa quæ omnibus quæque æquè in parte ac in toto ſunt, non poſſunt concipi niſi adæquaté.* Ex quibus omnibus nihil ampliùs efficitur quàm quòd cognitio Dei adæquata, ſit cognitio Dei, hoc eſt, Materiæ Univerſi, quatenus à differentibus partium modificationibus præciſa eſt, quæ cùm optimas & præſtantiſſimas modificationes excludit, manca potiùs Dei cognitio eſt quàm adæquata & perfecta. Sed hæc obiter notare operæ pretium duxi ut feliciùs procedamus, & Nænias fumóſque Sophiſticos deliri Scriptoris planiùs perſpiciamus.

Pergo igitur ad prop. 32. part. 5. *Quicquid intelligimus tertio* (i. e. *intuitivo*) *cognitionis genere, eo delectamur & quidem concomitante Ideâ Dei, tanquam causâ.* Unde Corollarium deducit; Ex tertio nempe hoc cognitionis genere oriri neceſſariò *Amorem Dei Intellectualem. Nam ex hoc cognitionis genere Lætitia*, inquit, *oritur, concomitante Ideâ Dei, tanquam Causâ*, hoc eſt, *Amor Dei, non quatenus ipſum ut præſentem imaginamur*, (vide ut ad præſentis Numinis notionem profanus conſciúſque horret Philoſophaſter) *ſed quatenus Deum æternum intelligimus, & hoc eſt quod Amorem Dei intellectualem voco.* Dei ùtique nunquam tibi præſentis. Qualis hæc dementia? quæ vecordia? Nullum Deum præter Materiam agnoſcere, & nuſquam tamen ut præſentem! Certè hoc ipſorum *Nullibiſtarum* deliria ſuperat.

Sed addit tandem magnifica quædam de Amore hoc Dei Intellectuali, prop. 33. & corol. prop. 34. *Hunc Amorem intellectualem æternum eſſe nec ullum alium amorem præter ipſum.* Porrò, *Deum ſeipſum amore intellectuali infinito amare*, prop. 35. Et prop. 36. *Mentis amorem intellectualem erga Deum eſſe ipſum Dei amorem quo Deus ſeipſum amat, non quatenus infinitus eſt, ſed quatenus per eſſentiam humanæ mentis ſub ſpecie æternitatis conſideratam explicari poteſt, hoc eſt, mentis erga Deum amorem intellectualem partem eſſe infiniti amoris quo Deus ſeipſum amat.* Cujus Corollarium facit, *Deum quatenus ſeipſum amat, homines amare, & conſequenter amorem Dei erga homines, & mentis erga Deum amorem intellectualem unum & idem eſſe.* Et in Scholio addit, *Ex his clarè intelligi qua in re noſtra ſalus & beatitudo conſiſtit, nempe in conſtanti & æterno erga Deum amore*, addens, *hunc Amorem ſeu Beatitudinem in ſacris codicibus Gloriam appellari.* Vide, ut vafer Sophiſta ſuas nugas, fraudes & ineptias titulis è ſanctiſſima & ſaniſſima Religione mutuatis infucat & deaurat. Sic ſolent *Familiſtæ* ſuas etiam fraudes obtegere.

Addam tantùm poſtremò, propoſitionem 40. *Quò unaquæque res plus perfectionis habet eò magìs agit & minùs patitur, & contrà quò magìs agit eò perfectior eſt.* Unde concludit, *partem mentis quæ remanet, quantacunque ea ſit, perfectiorem eſſe reliquâ. Quia pars mentis æterna eſt intellectus, per quem ſolùm nos agere dicimur, illa autem*, inquit, *quam perire oſtendimus eſt imaginatio.* Adjicítque tandem in Scholio, *Hæc ſunt*, inquit, *quæ de mente quatenus ſine relatione ad corporis exiſtentiam conſideratur, oſtendere conſtitueram: Ex quibus & ſimul ex prop. 21. part. 1. & aliis apparet, quòd mens noſtra quatenus intelligit, æternus cogitandi modus ſit, qui alio æterno cogitandi modo determinatur, & hic iterum ab alio & ſic in infinitum, ità ut omnes ſimul Dei æternum & infinitum intellectum conſtituant.*

Hæc præcipua ſunt quæ apud *Spinozium* occurrunt de æterno ſtatu mentis Humanæ. Quem cùm apertè negare puderet, omnimodis æquivocationibus & involucris ſuam infidelitatem obtegere ſtuduiſſe videtur. Nunc quidem *æternam* mentem ſtatuens, quatenus ſub *æternitatis ſpecie* res conſiderat ſine relatione ad tempus & ad locum. Nunc quatenus in Deo contenta videtur & ex Divinæ Naturæ neceſſitate conſequi. Mox æternum mentis ſtatum in Amore erga Deum intellectuali fundat, quippe qui æternus ſit, nihílque in Natura detur quod huic Amori intellectuali ſit contrarium, ſive quod ipſum poſſit tollere. Quod ſic videtur velle demonſtrare. *Hic intellectualis Amor*, inquit, *ex mentis natura neceſſariò ſequitur quatenus ipſa ut æterna veritas per Dei naturam conſideratur. Siquid ergo daretur quod huic Amori eſſet contrarium, id contrarium eſſet vero, & conſequenter id quod hunc Amorem poſſet tollere*, efficeret ut id quod verum eſt falſum eſſet, quod eſt abſurdum. Tædet profectò pudétque tam odioſæ nugacitatis. Quaſi verò veritas in falſitatem converteretur, & non illud potiùs quicquid ſit quod mente ſit præditum perverteretur deſciſcendo à veritate & Amore Dei ſimul. Porrò cùm aſſerit Deum ſeipſum Amore intellectuali infinitò amare, annon apertè contradicit ſibi ipſi, in *Tractatu Theologico-politico*, ubi negat Mentem ſive Intellectum Deo competere? Præterea cùm per Naturam *naturantem*, Deum intelligat, planè etiam contradicit prop. 31. part. 1. viz. *Intellectus actu ſive is finitus ſit ſive infinitus atque Amor ad Naturam natura-*

tam, non autem ad Naturam naturantem referri debet, hoc eſt, non referri debet ad Deum.

Et quantùm ad ſplendidum illud Elogium Amoris intellectualis erga Deum, vide in quàm abjectas res & ridiculas deſinat. Nam ſi memineris apud *Spinozium*, Deum nihil niſi *Materiam* eſſe vitâ ac motu præditam, pro certiſque quibuſdam ac neceſſariis legibus Mechanicis ſine omni ſapientia aut conſilio agentem, Mundíque Phænomena ſic exhibentem, intelligentem quidem nuſquam niſi in hominibus, & illìc certè in Inſanis furentem, in Fatuis Stultiſque, quorum plena ſunt omnia, ſtolidè agentem & delirantem, contradicentem ſibi in oppoſitis Philoſophiæ Sectis, & aut temerè concludentem, aut pro ſuſpecta rerum incertitudine turpiter hæſitantem, quippe neſciam quid concludat, & in omnia interim vitiorum & improbitatis genera paſſim irruentem; in cæteris verò animalibus, bruto tantùm quodam ſenſu craſſáque imaginatione pollentem; & in reliquis ſui partibus, in Plantis, Metallis, Lapidibus, in Aqua, in Terra reliquiſque Mundi elementis ferè ſtupentem, in Cœno cœnoſam, in Stercore ſtercoream ac fœtentem: dum hæc memineris, inquam, contemplare quàm pulchrum *Spinozius* nactus ſit Numen, & quàm condignum Amoris ſui intellectualis Objectum.

At verò, inquies, hæc Natura *naturata* eſt, non Natura *naturans* quæ ſola eſt *Spinozii* Numen. Quaſi verò cùm ſingulæ Materiæ partes particulari aliquo modo ſint modificatæ eóque ipſo Natura *naturata* factæ, ullum reſtare poſſet *Spinozii* Numen præter Naturam *naturatam*, aut fictitium aliquod Idolum proprii cerebri, Materiam ſcilicet ab omnibus particularibus modificationibus præciſam, præciſione Logicâ; ut quando animalem Naturam ab humana reliquorúmque omnium Animalium natura præſcindimus; adeò ut nihil in illius conceptu contineatur, quod cum viliſſimi vermiculi natura non conveniat. Atque ſic ſiqua ſit in hoc præciſo *Spinozii* Numine cogitatio, nihilo nobilior erit, quàm cujuſvis viliſſimi vermiculi. En quàm ſubtilem! quàm tenuem! vel potiùs quàm aridam! quàm jejunam! quàm ſtrigoſam! quámque cæcam Amaſiam intellectualis *Spinozii* Amor ſibi elegerit!

At enimvero eo ipſo in hac ſua Amaſia tantopere exultat *Spinozius*, quòd cæca ſit, nec quicquam ſapientiâ & conſilio ſed ex cæca quadam ſuæ Naturæ ac Mechanicâ planè neceſſitate omnia faciat. *Rationis enim eſſe res non ut contingentes ſed ut neceſſarias contemplari*, Prop. 44. Part. 2. hoc eſt, tanquam Mechanicâ quadam neceſſitate evenientes, tali modo quo Mundi Phænomena fieri ſupponit *Carteſius*. En Amorem *Spinozii*, erga Deum, intellectualem, quàm fucatus ſit & hypocriticus! Amat Deum cæcum & neceſſariò agentem ut ipſe certiùs cognoſcat quid ille agat. Hinc illa *Lætitia* quam jactat, cæcâ concomitante Ideâ Dei. Hic igitur Dei Amor intellectualis non eſt ſed ſuiipſius, dum tam magnificè ſe effert ſtultulus Philoſophus, ac ſi neceſſarias mechanicáſque rerum omnium è Materiæ motu ortarum connexiones ad unguem calleret, cùm nullam ſanè talem Phænomenôn rationem dari poſſe nos ſolidè & copioſè demonſtraverimus in *Enchiridio Metaphyſico*.

Sed mentis adæquatas Ideas alias dein adæquatas gignentes Ideas admiratur & amat, hoc eſt, rurſus ſeipſum amat & admiratur non Deum, quippe ad quem, mentem intellectúmve non pertinere apertiſſimè aſſerit, ſed ſeipſum interim ut Deum, aut partem Dei admirabundus Fatuus ſuſpicit. Et hic tamen eſt intellectualis ille Dei Amor, in quo ſalutem noſtram conſiſtere affirmat, ac beatitudinem, & in ſacris Codicibus appellari Gloriam. Digna profectò deliria in quæ ad æternam ſui nominis ignominiam is incidat, qui à *Moſe* & Prophetis, qui à *Chriſto* & Apoſtolis defecerit, immò eos deriſerit & ad ſuam ſolius ſapientiam ſe receperit, meritò ob id à Deo Chriſtóque derelictus propriíque animi inſomniis ac deluſionibus traditus.

Quàm infirma hactenus fulcra fuerint Immortalitatis mentis humanæ apud *Spinozium* ſatis vidimus. Unicum jam ſupereſt examinandum è *Prop.* 40. petitum. Et ſimilia habet in Demonſtratione *Prop.* 38. Ubi quia mentis eſſentia in cognitione conſiſtit, quò plures res cognoſcit ratione perſpicuâ aut ſcientiâ intuitivâ, eò majorem ejus partem remanere concludit. Sed magìs explicitè ad *Prop.* 40. in activitatem intellectûs, illius ſecuritatem reſolvit, mentémque noſtram quatenus intelligit æternum cogitandi modum eſſe definit, qui alio æterno cogitandi modo determinatur, & hic iterum ab alio, & ſic in infinitum, *&c.* quaſi neceſſaria eſſet & æterna modorum cogitandi intellectualium concatenatio, quod nuſquam tamen probat niſi ex *Prop.* 21. *Part.* 1. ad quam nos hìc remittit. Quæ quidem propoſitio ſic eſt: *Omnia quæ ex abſoluta natura alicujus attributi Dei ſequuntur ſemper & infinita exiſtere debuerunt, ſive per idem attributum æterna & infinita ſunt.* Equidem Propoſitionem rectè intellectam veram eſſe concedo, ſed appellatione ad hanc Propoſitionem, hac in cauſa, nihil eâ re eſſe poteſt inſcitius aut inſulſius. Perinde enim eſt ac ſi quis ex ***Animale*** concludere vellet eſſe ***Hominem.*** Neque enim magìs ſequitur ex Divino ***Cogitationis*** Attributo, ſtatim eſſe ***Intellectum,*** quàm ex Animale Hominem eſſe. Et dein ſi ſequeretur Intellectum eſſe, minimè indè ſequitur hujus vel illius hominis intellectum aut eſſe aut fore æternum. Tam laxa ſunt omnia & futilia quæ acutus hic Philoſophus in medium profert & ſibi ipſi (quod, ſi operæ pretium eſſet, facilè probari poſſet,) paſſim repugnantia.

Quibus omnibus addas, cùm ille præter ***Materiam*** in rerum natura nullam ſubſtantiam eſſe concedit, nec quicquam præter ***Modum*** & ***Subſtantiam*** poſſit concipi, Mens humana ſecundùm ***Spinozium*** neceſſariò modus eſt alicujus materiæ, quæ quò ſubtilior & actuoſior eò ſubtilioribus & diſſipabilioribus particulis conſtabit. Et verò ſi quò intellectualiores fuerint eò ſint actuoſiores, equidem tanto certiùs ſoluto corpore in vagum aerem diſſipabuntur. Adeò ut tota hæc ***Spinozii*** doctrina de duratione Mentis humanæ poſt mortem in merum Fumum abeat & Impoſturam. Quàm igitur ubique vacillet mens acuti Philoſophi, aut quàm vafrum paſſim agat Sophiſtam ex his paucis ſatìs eſt intelligere. Nec Mimo-mathematicam illius Methodum ordinémve Geometricum plus veritatis præceptis addere, quàm rectus Modus & Figura Præmiſſis in Syllogiſmo, quæ ſi falſæ ſunt, vera Syllogiſmi forma non efficit veras. Τὸ πρῶτον ψεῦδος autem apud ***Spinozium*** eſt, quòd unicam ſupponit in Univerſo ſubſtantiam, eandémque, quod neceſſe eſt, eſſe Materiam. Has craſſi ſui ingenii fæces aliàs acuti habiti, Mundo propinat. Cui, ſi modo quidem rudiuſculo atque aliquantulùm tumultuario è manibus calicem excuſſiſſe videar, condonabunt mihi juſtam hanc meam indignationem omnes viri boni & intelligentes. Sat veneni jam hauſit præſens hoc in omnem Impietatem Scævitatémque præceps Seculum.

DIALOGI

DIALOGI DIVINI
Per Autorem Latinè redditi
DISQUISITIONES
VARIAS ET
INSTRUCTIONES CONTINENTES
DE
ATTRIBUTIS
ET
PROVIDENTIA DEI.

Tres Primi DIALOGI,
QUI DE
ATTRIBUTIS DEI
Tractant ejúſque
PROVIDENTIA
in GENERE.

Collecti & concinnati Curâ ac Induſtriâ *F. P.*

Tua Sapientia, O Deus! à ſine uſque ad finem attingit fortiter & diſponit omnia ſuaviter. Sapient. cap. 8. v. 1.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*, 1679.

ILLUSTRISSIMO VIRO
JOHANNI FINCHIO,
EQUITI AURATO,
Magnæque BRITANNIÆ *Regis apud* TURCARUM
Imperatorem Legato.

MIrari forſan poteſt Excellentia tua, quid mihi in animo eſſet, quòd hoſce tres *Franciſci Palæopolitani* Dialogos, tibi in Regione tam longo intervallo hinc diſſita, magníſque negotiis occupatiſſimo, dicandos dedicandóſque cenſuerim. Equidem fateor tantam eſſe Nominis tui Claritatem propriis virtutibus acquiſitam, famámque per Terrarum Orbem, tum ob bonas literas ac Philoſophiam, tum ob rerum agundarum peritiam, adeò celebratam, (quarum Teſtes locupletiſſimæ ſunt non ſolùm *Cantabrigia*, ſed & *Conſtantinopolis*, *Florentia Piſæ* ac *Petavium*, ubi Syndici officio & Profeſſoris publici Philoſophiæ & Anatomiæ multos abhinc annos, ingenti cum plauſu & admiratione functus es, Statuáque tuæ Memoriæ publicè erecta) ut nihil prorſus Nominis tui celebritati ex cujuſcunque Libri dedicatione queat accedere, nec quicquam addi ad famæ tuæ immortalitatem, magìs, quàm quæ ipſe feceris, glorioſum. Non defuit igitur tibi Liber cujus Dedicatio nomen tuum Immortalitati conſecraret, ſed Libro huic meo Patronus defuit, Lectórque idoneus ac Judex.

Etenim cùm quoſdam lepida quædam ac minuta & florentem vino animum laceſſentia, cujuſmodi nonnulla fortè in his Dialogis occurrere poſſint, delectant; Alios doctrina ſeria & ad vitæ officia devincta, dum maximorum interim Philoſophiæ Arcanorum ſatìs ſunt incurioſi: Cùm alii, Phyſici Philoſophi dum ſunt, & ſi res ità tulerit, imprimis Mechanici, in Metaphyſicis tamen hoſpites ſunt prorſus & peregrini, & quod adhuc pejus eſt, Ingenii ab eis rebus planè alieni, & ſiquid illîc tentent, infelices & ridiculi: Alii denique dum ab omni Rationis & Philoſophiæ ſpinoſitate abhorrent, uberrimæ interim memoriæ evadunt Hiſtorici: Cúmque in his Dialogis tanquam in Comœdia quadam Philoſophica, tam varia Ingenia, Phyſica, Metaphyſica, Lepida, Seria, Mechanica, Hiſtorica, ſuas partes agunt, quis, obſecro, Excellentiâ tuâ horum omnium magìs idoneus eſſe poteſt Spectator atque Judex? Quippe quo nemo amœnioris Ingenii, & ſi res ità tulerit magìs ſeveri atque ſerii, nemo Naturæ magìs ſolers Indagator, nemo rerum Metaphyſicarum, quoties eò animum applicare libet, magìs acutus ſublimíſque contemplator, nemo denique Naturalium præſertim Hiſtoriarum, ut omittam quæ ad Gentium mores vitámque communem ſpectant, magìs venuſtus ac fidelis Narrator, adeò ut quócunque te verteris meritò æſtimari poſſis facilè omnium princeps. Talem igitur Lectorem, abſit dicto invidia, requirunt hi quos tibi dedico Dialogi, talem utique, ut Poetæ verba opportunè hîc uſurpem,

——— *Qualem vix repperit unum*
Millibus è multis hominum, conſultus Apollo.

Mirari igitur deſinet Excellentia tua, quòd mea qualis qualis ſit perſpicacia, tam conſpicuè idoneum è loco adeò longinquo diſpexerit, Dialogíſque hiſce proſpexerit Patronum ; Memor tamen interim nulla locorum Spacia aut Intervalla animos verâ Amicitiâ conjunctos poſſe diſterminare, nullúmque tempus dulcedinis ſuavitatíſque converſationis olim noſtræ Academicæ cum fido tuo *Achate* perpetuóque itinerum comite memoriam obliterare. Et certè antiquæ tuæ erga me benevolentiæ recentes haud ità pridem percepi fructus, quòd præcipuorum apud Judæos *Carreos* Librorum nominum Catalogum tam humaniter dignatus es meo rogatu huc tranſmittere, qua de re eruditiſſimus digniſſimúſque Collegii noſtri Magiſter, Linguæque Hebraicæ Profeſſor publicus D. *Cudworthius* perinde atque ego maximas tibi agit gratias.

Denique, quantùm ad negotia quibus diſtrictus tenearis ratione honorifici officii, cui te præfecit optimus & clementiſſimus Rex, oportet profectò ſubinde aliquod agendi laxamentum intercedere atque otium. Quas horas ſucciſivas, hiſce quos tibi dedicavi Dialogis legendis ſi placuerit aliquando impendere, poteris fortaſſe non ſine voluptate, priſtinæ noſtræ converſationis Academicæ haud illepida aliqua ſimulachra obſervare ac veſtigia. Ut Deus Optimus Maximus negotiis quibus te præfecit optimus noſter ac clementiſſimus *Angliæ* Rex, proſperos tribuat ſucceſſus, téque incolumem conſervet, reditúmque in Patriam tutum ac fœlicem concedat, ex animo precatur

E Muſeo, *Cantabrigiæ*,
16. Calend. *Auguſti*,
An. Dom. 1678.

Servus tuus humillimus,

HEN. MORUS.

Franciſci

Franciſci Eviſtoris Palæopolitani EPISTOLA ad nobilem Amicum de ſubſequentibus Dialogis.

Honoratiſſime Domine,

Biennium ferè jam effluxit ex quo certiorem te feci de notabili illo conventu, cui me commodùm intereſſe contigit in celebratiſſima Cuphophronis Pergulâ arborea. In iſtis autem literis notam tibi feci magnam illam animi voluptatem quam Philopolis percepit ex iſtis colloquiis, quantóq; gaudio & admiratione abreptus ſit Hylobares ex diſſertationibus Philothei, quippe quarum ope firmus factus eſt Proſelytus ad exiſtentiæ Eſſentiarum Spiritualium, accuratæq; Divinæ Providentiæ (qui Mundi teneat gubernacula) fidem. Quanquam verò breves iſtæ ſubindicatiunculæ quas tibi tunc dedi de ſingulorum dierum diſſertationibus, effecerunt, ut totam materiam iſtarum diſceptationum efflictim cuperes tibi pleniùs communicari, illáſq; quinque Dierum Diſputationes, ſi fieri poſſet, in totidem Dialogos redigi; tamen, quantaquanta fuerit mea cura ac induſtria, niſi nunc primùm illud efficere non potui quod tam vehementer deſiderabas.

Jam verò partim ex propriis meis Adverſariis, in quibus, poſt cujuſq; diei colloquium, rerum earum, quas ex uſu fore putabam, memoriam noctu adnotavi, & partim poſtea aut per literas, aut coràm cum eis communicando qui illîc adfuerunt (præſertim cum Sophrone fidelis memoriæ perinde atq; ſolidi judicii viro) credo me tandem quæ in iſtis colloquiis occurrerunt recuperâſſe omnia vel ad minutiſſimos morum apices flexúſve, levioréſq; circumſtantias converſationis noſtræ. Quod eâ fide præſtiti, ut nec iſta quidem prætermiſerim quæ in proprium meum redundatura ſint dedecus & ignominiam, quippe qui plus ſemel nimis quàm invenuſtè tractatus ſum ab amico noſtro adoleſcentulo Hylobare. Quem nôſti ſat libertatis ſibi aſſumere ſolere in ſuos Familiares. Quod effecit ut in Cuphophronem tam frequenter involaret, uſq; ad admirationem & offenſionem aliquando digniſſimi mei Patroni Philopolis.

Hi duo, Hylobarem intelligo & Cuphophronem, ſunt quaſi Nete ac Paranete in hoc Heptachordo, ſive Inſtrumento ſeptem nervorum. Et certè per omnes Dialogos (præſertim in tribus primis) æquè acuti ſunt & canori atque duæ ſtridulæ Hirundines in Camini ſummitate garrientes. Reliquos ſatìs graves reperturus es & meipſum aliquot gradibus infra gravitatem, hoc eſt, bene ſolenniter atque authenticè ſegnem hebetémve. Utcunque haud incommodè Hiſtorici vicem apud ipſos explevi, quemadmodum & apud te in re tota recenſenda. In qua dum Indoles hominum & Paſſiones perinde atq; eorum Ratiocinationes commemoro, ſi quid in juvenibus culpabile ſit quantùm ad ullam loquendi formulam, ſeipſóſve gerendi alterum erga alterum, conſiderare tamen oportet, meam futuram fuiſſe culpam, ſi omiſiſſem; præſertim cùm labeculæ minùs perfectorum tam conſpicuæ ſint in conſortio virorum iſtorum magìs conſummatorum, eóque magìs idoneæ ad averſationem & faſtidium in lectore movendum adverſùs iſtiuſmodi delicta in moribus. Qui præcipuus eſt omnium Scriptorum Moralium ſcopus, ſive Poeſis ſit ſive Hiſtoria.

Cæterùm, quod magìs abſonum videri poteſt in junioribus iſtis perſonis cum ſeniorum illorum prudenti ac irreprehenſibili morum tenore comparatum, id admodum congruens reperietur & conſentaneum Perſonis ipſis ſi ad particulares earum characteres recurras in pagina ante librum præfixos. Quos ſi memoriæ firmiter infigas, tecúmq; inter legendum perpetuò feras, hoc ſaltem certum habere poteris me Dramaticum eſſe haud uſq; adeò imperitum, utcunq; dubitare queas, antam fidelis ſim Hiſtoricus. Vale.

Palæopoli, Novemb. 29.
M DC LXVI.

Servus tuus obſequentiſſimus,
Fr. Eviſtor.

Perſonarum in ſubſequentibus Dialogis, cum aliqua alluſione ad earum Nomina, proprii Characteres.

Philotheus, Fervidus ſincerúſq; Amator Dei atque Chriſti totiúſq; adeò Creationis.

Bathynous, Altæ mentis profundéq; cogitans homo.

Sophron, Homo ſobrius & conſideratus.

Philopolis, Pius ac fidelis Politicus.

Eviſtor, Homo in Criticiſmis, Philologia, & Hiſtoria bene verſatus.

Hylobares, Juvenis ingenioſus ac facetus, probæque vitæ *Materialiſta*.

Cuphophron, Fervidus quidem, ſed animo paulò leviori, *Platonicus*, & *Carteſianus* ſive Philoſophus Mechanicus.

Character generalis.

Univerſi ingenio libero, libertatémque philoſophandi ſibi mutuò permittentes, ſine ulla violatione Amicitiæ.

DIALOGI DIVINI
QUI MULTAS
DISQUISITIONES INSTRUCTIONESq;
DE
ATTRIBUTIS DEI
Ejúſque PROVIDENTIA complectuntur.

Dialogus primus.

Philotheus, Bathynous, Sophron, Philopolis, Euiſtor, Hylobares, Cuphophron.

I. *Virtutis ac certitudinis beatæ Immortalitatis ante voluptates ac pompam hujus præſentis ſæculi, prælatio*

Cuph. TEr gratus mihi advenis, O *Philothee*, qui duos eos exoptatiſſimos comites unà tecum adduxiſti, *Bathynoum* & *Sophronem*. Placétne aſcendere paululùm in Hortum?

Philoth. Immò verò perplacet. Nihil mihi æquè gratum eſt Veſpertinis æſtivis quàm frigida apertâq; Aura. Eſtque hîc Aer profectò valde ſuavis, Proſpectúſq; admodum amœnus ac delectabilis.

Cuph. Equidem nullam ob rem Magnatum felicitatem eis tantopere invideo, quàm ob Ædes magnificas amplóſq; Hortos & Ambulacra, ob Areas in Nodos elegantes concinnatas, ornatáſq; Floribus pulcherrimis, ob Fontes denique *Caſcadáſ*que quas vocant affabréque factas Statuas, ut condigno ſplendore amicos meos poſſim excipere. Hæc certè haud exigua foret gaudiorum Paradiſi prælibatio hîc in terris.

Philoth. Quantùm ad me, *Cuphophron*, ſic ſentio, non eſſe quòd is alteri cuiquam invideat qui cor ſuum habet amore Dei repletum, mentémq; firmâ ſpe ineffabilis illius beatitudinis, quâ probæ piæque Animæ in altero ſtatu cum ſpiritibus hominum juſtorum perfectorúmq; fruuntur, ſtabilitam. Firma hujus rei, in Anima innocua, perſuaſio, tanta profectò eſt æternorum illorum gaudiorum prælibatio, ut hujuſmodi viri beatitudinem, modò ordinaria vitæ commoda ei ſuppetant, fœlicitati exæquet maximorum principum. Differentia externæ Fortunæ æquè exigui momenti eſt, ac ſemidiameter Terræ in duabus ſummi Cœli dimenſionibus, quarum altera à Terræ ſuperficie, à centro altera ſit capta. Nôſti differentiam nihil ferè eſſe.

Cuph. Sic eſt omnino.

Philoth. Et quod ad Amicorum gratificationem ſpectat, qui veræ Amicitiæ capaces ſunt, mediocris tuus ac vulgaris apparatus eis æquè ad plenum ſatisfacturus eſt, ac ſi fortunas poſſideres Magnatum. Præterea, id ſine tuo periculo non fieret ſi in affectato iſto ſplendore quem memoras, viveres, quemadmodum nec ità tutum eſt vel eundem affectare. Nam deſiderium perinde atque fruitio Pompæ externæ, mentis oculos naturaliter occæcat, illiúſq; magis ſublimes cœleſtéſq; operationes ſupprimere adnititur, cogitationes humi defigit, impedítque eas meditationes, quæ ad anticipatorium quendam ſupernarum illarum æternarúmque gloriarum aſpectum, animam evehunt.

Cuph. Quod narras, *Philothee*, fieri quidem poteſt, & poteſt rurſus non fieri. Hæc perinde ſunt ut eis quis utitur. Sed ingenuè fateor, Mundanis Fortunis homines utplurimum abuti, periculúmq; eis rebus ſubeſſe, quod facit ut eo loco quo ſum conſtitutus, magis contentus ſim.

Philoth. Idque optimo jure, *Cuphophron*. Quamvis enim nolis admittere te ſplendidè vivere, negari tamen non poteſt quin nitidè vivas & elegantulè. Tales enim ſunt Areolæ & ambulacra hujuſce tui Hortuli, taliſq; illa pergula arborea, ſi quidem interiora illius exterioribus reſpondeant.

Cuph. Id quod citò diſpecturus es, *Philothee*.

Philoth. Cuncta admodum nitida, Menſa, Pulvini, Sedilia, & quid non?

II. *Hylobaris Ingenii, Hoſpitiique*

Cuph. Heic amicos excipere ſoleo frugali ſanè apparatu, vini calice, fructuum ſcutellâ & pane ſiligineo. Quod deeſt, ipſi ſupplent liberis Diſſertationibus Philoſophicis.

Atque

Cuphophronis in Philoſophica ſua pergula arborea, deſcriptio.

Atque hæ potiſſimæ dapes ſunt quibus excipiere, *Philothee*, poſtquam *Philopolis*, *Eviſtor* & *Hylobares* advenerint.

Sophr. Nullæ uſquam dapes, frugali menſæ liberiſq; ac ingenuis colloquiis ſunt præferendæ. Sed obſecro te, mi *Cuphophron*, quis eſt ille *Hylobares*? Iſne eſt, cujus nomen ità celebre eſt, dicam an infame, ob ſua iſta dogmata, *Nihil in Univerſo exiſtere, quod corpus non ſit ſive Materia : Nihil eſſe naturâ juſtum aut injuſtum : Omnes voluptates perinde honeſtas eſſe, quantâcunq; cum turpitudine, aut crudelitati hominis ſatisfactum ſit aut libidini?*

Cuph. Nequaquam, O *Sophron*, non eſt ille. Credo enim me probè tenere quem ſubindices. Quanquam mihi nunquam hactenus accidit ſermones cum illo ſerere. Nunc verò minimè omnium id opto : Eſt enim homo admodum inconverſabilis &, ut ferunt, Principiorum omnis Improbitatis Dictator imperioſus, & impatientiſſimus quicum aut diſputes aut contradicas. Hic verò alter *Hylobares* alìus planè Genii eſt atque Familiæ, quippe qui æquè inſignis eſt, date vocibus veniam, *Moraliſta*, citra quidem rigorem ac ſeveritatem vitæ, atque eſt *Materialiſta*, indoliſque benignæ ac perhumanæ.

Bath. Id haud ità difficile eſt creditu. Neque enim ſatìs cauſæ video cur Anima in hanc materialem ſive corpoream Oeconomiam infœliciter immerſa; quantùm ad ſummam, non æquè ſolidus *Moraliſta* eſſe poſſit atque *Mathematicus*. Præcipuæ enim partes *Moralitatis* non minùs demonſtrabiles ſunt quàm ipſius Artis Mathematicæ. Nec ſubtilitas major in Theorematis *Moralibus* quàm *Mathematicis*.

Sophr. Meâ quidem ſententiâ, índicium eſt præſignis cujuſdam Integritatis naturalis, inſitæq; nobilitatis animi, quòd terreni illius ac Melancholici Temperamenti vel ingratiis, (quod eum à tanti momenti veritatibus Metaphyſicis concipiendis approbandiſque tam validè deprimere adnititur & detinere) adeò vivum nihilominus ſenſum ſolidioris interim *Moralitatis* retineat.

Philoth. Hoc ad majus illius gaudium conducet ac fœlicitatem quandocunq; Deo placuerit animam ejus in clariorem notitiam redimere ſui ipſius. Etenim ipſa Honeſtas moralis, Legis Dei pars eſt, Vitæque Divinæ adumbratio. Adeò ut poſtquam Regeneratio Intellectum illius penitiùs illuminaverit, nullus dubito quin erupturus ſit in piam illam admirationem ſermonémque antiqui Patriarchæ, *Revera Deus hoc in loco fuit, ego verò illius rei eram neſcius.* Quamobrem illi qui ſinceri Dei amatores ſunt, amico animo ac benevolo eſſe debent erga omnes illius apparentias, & vel primum diluculum perbenignè ſalutare Divinioris illius Lucis.

Gen. 28. 16.

Cuph. Cæterùm præter benignitatem Indolis, acerrimum habet ingenii acumen, éſtque diſputator admodum callidus eis in rebus quibus ipſe intricatur maximè, mirámque dexteritatem habet alios eiſdem intricandi, niſi in magnis illis ſpeculationibus valdè exercitati ſint, cautéq; ſibi proſpexerint.

Sophr. Si tantum ingenii acumen habeat ſinceritati ſuæ ſuperadditum, major indè ſpes eſt emergendi.

Cuph. Quantùm verò valeat in parte utralibet, citò jam vobis ipſis dabitur opportunitas experiendi. Video enim *Philopolin* reliquóſque in Hortum aſcendere. Ibo obviàm, eóſque ad vos deducam. Salutem vobis univerſis ſimul impertio, ſed *Philopoli* præter cæteros quippe omnium maximè peregrino.

Philop. Quæſo te *Cuphophron*, advenítne adhuc *Philotheus* cum reliquis ſuis ſociis?

Cuph. Id ipſe ſtatim experieris, poſtquam intraveris in pergulam Arboream.

Philop. Gratulor nobis fœlicem hunc congreſſum, vereor autem nè adventum noſtrum diutiùs quàm par erat, præſtolati ſitis.

Philoth. Æquius erat ut nos *Philopolis* adventum præſtolaremur quàm ut ille noſtrum. Verùm non niſi paululùm hic morati ſumus.

Cuph. Equidem admodum paululúm. Jam verò cœtus poſtquam duplo factus ſit frequentior, iſtud paululum duplo pariter factum eſt minus. Quantâ ego lætitiâ efferor dum parvam hanc meam pergulam conſpicio tam ſelectis Hoſpitibus refertam! Equidem niſi propria mea vilitas obſtaret, non dubitarem hunc noſtrum cœtum ſeptem *Græciæ* Sapientibus æquiparare.

Hyl. Septenarium, auſim dicere, in poſterum apud *Cuphophronem* multò ſacratiorem fore propter hodiernum congreſſum.

Cuph. Senarium ſaltem.

Hyl. Voluptate, quam ex præſentia amicorum tuorum capis, O *Cuphophron*, adeò commoveris, ut planè obliviſcaris quo apparatu excipiendi ſint, referre.

Cuph. Res facillima eſt recenſitu. Hanc fructuum ſcutellam in Pergulam meam, proximè ante *Philothei* adventum mittendam curavi, vinúmque hoc, optimum, ut ſpero, quod habetur *Athenis*, ſalutémque *Philopoli* propino, vóſque omnes ſimul ſalvere jubeo.

Hyl. Admodum maturè proſpexiſti, *Cuphophron*.

Cuph. Ut privatim hìc verſemur maturè proſpexi, & ut nihil opus eſſet ut quiſquam huc accederet præter nos ipſos.

Hyl. Regius profectò apparatus.

Cuph. Promiſſum *Philopoli* factum ſervo, meæque ſolitæ frugalitati in hoc genere collationum, morem ſimul gero. Nec tamen eſt, *Hylobares*, cur conqueraris. Habes enim quod univerſis quinque ſenſibus gratificetur. En vitrum alterum. Iſtud vinum guſta.

Hyl. Optimum eſt, *Cuphophron*, & præſtantiſſimum habet ſaporem.

Cuph. Habes igitur, quod guſtui gratificetur, *Hylobares*, præter fructuum horum maturorum delicias, qui nares etiam recreant Aromatico ſuo odore. Quod ſuavis etiam facit, Periclymeni & Cynorrhodi quæ pergulam meam cooperiunt, fragrantia.

Hyl. Sed quid eſt quod Tactui gratificetur, *Cuphophron*?

Cuph. Eſtne quicquam Tactui jucundius, quàm mollis Aura Veſpertina quæ Pergulæ Arboreæ folia ventilat ſanguinémq; noſtrum, quem Juventus Anniq; Tempeſtas nimiùm calefecerit, refrigerat?

Hyl. Nihil omnium, quod ſciam. Nec quicquam viſui gratius quàm tot ingenuorum amicorum facies ſimul convenientium, quorum candor ac fidelitas in ipſis oculis vultibúſq; elucet.

Cuph. Malè tibi ſit *Hylobares* qui dictum iſtud mihi præripuiſti. Ipſiſſimum illud eſt quod ego animo conceperam, debitúmq; iſtud elogium quod, (quæ mea eſt urbanitas,) ilico dicturus eram & excellentiſſimo huic conventui impertiturus.

Hyl. Vides, ut bona Ingenia in rem unam coinſiliant, *Cuphophron*, meum verò paulò promptiùs, è noſtris duobus. Sed dic porrò, quid habes, quod auribus gratificetur.

Cuph. Annon dulces audis minuritus avium & in horto & ſuper pergulam canentium? Et ſanè iſtam Muſicam ſi parvi pendis, propriæ peritiæ ede nobis ſpecimen, & Fiſtulâ tuâ, tuo more, cane.

Hyl. Hac lege faciam, ſi tu interim ad eam ſaltabis.

Soph. Equidem credo *Philopolin* nos Athenienſes admodum hilares congerrones apud ſe cenſere.

Philop. Animus hilaris ac feſtivus, O *Sophron*, debitum omnino eſt Innocentiæ vitæ præmium, quam, ſi uſquam, in veſtra vivendi ratione inveniri credo, qui Mundo valedixiſtis, non quidem ex ulla Hypocriſi, Moroſitate aut Superſtitione, ſed ex ſincero amore veræ ſcientiæ ac virtutis. Cæterùm quantùm ad bellos iſtos Avium minuritus, majorémve illam *Hylobaris* fiſtulâ canendi peritiam, liceat mihi liberè fateri, non eſſe id genus Muſicæ, quod attentionem meam hoc tempore evocaturum ſit, dum tot viros intelligentes rerúmque optimarum gnaros ſimul congregatos video, ſed argumenti alicujus ponderoſi tractationem, liberè anquiſitéque agitati ad inveſtigandam veritatem. Nihil meis auribus æquè Muſicum eſt atque hoc.

Cuph. Nec cujuſquam alterius ex hoc cœtu, auſim dicere, O *Philopoli*.

Philop. Verùm eò acriùs inſto, quia nolo tam eximiam opportunitatem ſcientiæ meæ augendæ prætermittere. Nunquam enim hactenus conſimilem nactus ſum occaſionem, nec credibile eſt unquam fore ut eam rurſus nanciſcar, niſi in eoſdem homines ſic congregatos denuò incidam.

Cuph. Multum tibi debemus ob benignam tuam de nobis opinionem, O *Philopoli*. Sed te prorſus latet, quòd tuum ſit omnino, Diſceptationem exordiri.

Philop. Quid ità, *Cuphophron*?

Cuph. Eſt enim antiquus & inviolabilis hujus loci mos, ut in conventibus noſtris Philoſophicis is qui maximè peregrinus eſt argumentum proponat. Utrùm verò hæc conſuetudo à majoribus noſtris ex ambitione quadam, ac deſiderio ſuam oſtentandi de re qualibet propoſita extemporaneam dicendi facultatem, inſtituta ſit, an ex ſola erga peregrinum humanitate ac benevolentia, ego quidem neſcio.

III. Philopolis *quæſtiones de Regno Dei, unà cum ſincero illius inſtituto in eis proponendis.*

Philop. Ego autem ex poſteriori cauſa ortum eſſe credo, quippe qui illius utilitatem adeò penitus perſentiſco, nec ſolùm accepto, ſed ſi opus eſſet, poſtquam cognoverim, privilegium mihi vendicarem; quo tamen, ea uſurus ſum cum modeſtia ut me excuſatum velim ſi argumentum quod eligo, ad Religionem pertinere videatur potiùs quàm ad Philoſophiam. Religionem enim noſcere omnium perinde intereſt. Philoſophiam verò, eorum tantummodo qui abundant otio, quibúſq; per res Mundanas vacat.

Philoth. Non eſt quòd iſtud moreris, *Philopoli*. Nam quantùm ad me, ego Chriſtianam Religionem rectè intellectam tanquam profundiſſimam ſelectiſſimámq; Philoſophiæ partem conſidero.

Philop. Equidem gaudeo, dum te hæc dicentem audio, *Philothee.* Spero enim nunc argumentum quod electurus ſum, haud ità incongruum fore. Eſt autem de *Regno Dei.*

Cuph. Philopolis tum *Philotheo* gratificatus eſt, tum ſibi ipſi exquiſitiſſimè ſatisfecit in delectu ſui argumenti, quippe quum adeò notum ſit, illius & res & genium omnino eſſe Politicum. Equidem amplæ comprehenſionis Argumentum eſſe oportet, in quo Religio, Philoſophia & Politia tam planè conſpirant.

Philoth. Ità prorſus exiſtimo. Quæ verò ſunt Quæſtiones, quas de Regno Dei proponere velis, O *Philopoli?*

Philop. Hæ ferè ſunt potiſſimæ. Primò, *Quid Regnum Dei ſit.* Secundò, *Quando inceperit, ubique fuerit aut nunc ſit inveniendum.* Tertiò, *Quos hactenus fecerit in Orbe profectus.* Denique, *Qualem ſucceſſum veriſimile ſit illud habiturum ad finem uſque ſeculorum.*

Philoth. Magni profectò hæ momenti ſunt Quæſtiones, *Philopoli.* Animóque magnopere conſternor, dum tam graves profundáſque Quæſtiones adeò ex inopinato propoſitas video, ab homine rebus Mundanis perpetuò ferè occupato.

Cuph. Caput auſim oppignerare, ſtrepitum de Quinta Monarchia, aut nuperum clamorem plauſibilem de Jeſu Chriſto in Thronum ſuum collocando, primùm *Philopolin* excitâſſe ad perſcrutanda hæc Myſteria.

Philoth. Ego verò non tam curioſus ſum in inquirendo primas occaſiones quibus *Philopolis* motus eſſet ad has res perſcrutandas, quàm ſolicitus, quem in finem nunc eas tam diligenter inquirat. Magnus enim eſt ac generalis error in humano genere, quòd omnes ſuas Acquiſitiones putent, ad ſeipſos omnino jure pertinere, ſive Potentia ſit, ſeu Divitiæ, ſive Sapientia, nec teneri ſe ultrà putant, quàm ut ſeipſos eiſdem aut adornent aut præmuniant, cùm revera merum ſint Depoſitum in manus eorum à Providentia traditum in commune bonum, adeò ut multò præſtaret ea non habere quàm eiſdem fideliter non uti & cum bona Conſcientia ad prædictum finem: Pejorem enim indè laqueum propriis capitibus injiciunt ex iſtiuſmodi acquiſitis facultatibus, majorique ſe condemnationi obnoxios reddunt niſi eis utantur, quod dixi, tanquam Depoſitis Dei, non quidem ad propriam ſuam ſuperbiam ac libidinem, ſed ad commune bonum Eccleſiæ, Principis ac Patriæ ſuæ.

Philop. Illud admodum verum eſſe agnoſco, *Philothee.* Et proximè poſt hos ii obnoxii ſunt qui acquiſitionem omnis potentiæ & ſcientiæ aſtutè declinant, nè in Fortunæ diſcrimina incidant teſtificando veritati aut Reipublicæ opitulando. Quæ Hypocriſis quum me minimè lateat, tantum abeſt ut animo concidam, ut zelus profectò meus erga maximi momenti veritates majorem in modum accendatur, quò fideliùs & efficaciùs Deo ſerviam Principíque dum vixero, quanquam cum diſcrimine omnium quæ poſſideo.

Eviſt. Quæ jam ſemel pluſquam in diſcrimen adduxit, Principis cauſâ, præter vitæ ipſius periculum, in quinque aut ſex cruentis præliis. Spero autem nunquam fore ut occaſio detur deinceps in talia incurrendi diſcrimina.

Philoth. O mirande *Philopoli!* qui tam erecto fidelíque animo es. Equidem in exemplum tam veræ virtutis ac nobilitatis Animi nè in maximè celebratis Societatibus Philoſophicis unquam hactenus incidi.

Philop. Id certè ago, ut meipſum perſentiſcam ſtudio & judicio fixo & expreſſo circa eas res quæ maximi ſint momenti. Nihilque majoris momenti eſſe poteſt, quàm res Regni Dei, ut cognoſcam quinam magìs propriè ac peculiariter illius populus ſit, ut cor meum eis agglutinari poſſit ubicunque terrarum inveniendi ſint, manúſque mea eos ſtudio quanto poſſum maximo ſublevet. Videtur enim mihi ſtatus faſtidioſus perinde atque ignobilis, quolibet Doctrinæ vento, Mundanive commodi aurâ huc illuc impelli, nec illi adhærere in quo dum permanemus vel damnum quodque, maximum lucrum reperietur, ipſáque mors tranſlatio in æternam Vitam ac Gloriam.

IV.
Interpoſitio quæſtionum Hylobaris *priùs, de Exiſtentia Dei illiuſque Providentia.*

Hyl. Præſtantiſſimus omnino hic eſſet in *Philopoli* animi ſtatus ſic obfirmatum eſſe, ſi certus eſſet fore ut ſummâ Spei non excideret.

Sophr. Pone verò certum non eſſe, cùm tantillum periclitetur pro tam immenſo præmio, ego quidem illius animi ſtatum eximiè præſtabilem etiamnum exiſtimo apprimeque commendabilem.

Philoth. Sed quid opus eſt ullâ tali ſuppoſitione, O *Sophron?* Neque enim magìs certum eſt Deum eſſe ac Providentiam quàm tam ſinceram animam quàm eſt *Philopolis*, poſt hanc vitam, glorioſum fore Civem in Cœlis.

Hyl. Omnino hac in re, O *Philothee*, juxtà tecum ſentio, Futuram nempe *Philopolis* fœlicitatem æquè certam eſſe atque exiſtentiam Dei, Divinámque Providentiam.

tiam. Verùm certitudo harum rerum ſemper mihi viſa eſt hactenus incerta & obſcura. Unde ſi rectè ac Methodicè procedere velimus, iſtas veritates primò demonſtrare debemus. Neque enim Regnum Dei eſſe poteſt ſi non ſit Deus, aut Providentia illius ad Regimen Univerſi non pertingat, ſed res permittantur cæco Caſui aut Fato.

Philop. Quantùm ad me, equidem nunquam iſtiuſmodi veritates in dubium vocare potui, quanquam *Hylobares* domi meæ prope *Athenas*, ubi aliquando officii ergô me inviſit, ſæpe me conatus eſt à ſententia dimovere. Verùm omnia illius Ratiocinia ſemper mihi viſa ſunt tanquam nodi Sophiſtici, & præſtigiæ Circulatoriæ, quæ tametſi in levem quendam ſtuporem & admirationem ad pauxillum tempus me conjicere poſſent, non potuerunt tamen efficere ut ab obfirmata fide in Deum ejúſque Providentiam vel minima ex parte dilaberer.

Philoth. Tam ſolidum præſidium eſt ac firmitudo in *vita* contra ſubtiles aſſultus vel vaferrimæ Rationis. Hoc verò mihi porrò confirmat Obſervationem quandam quam ante multos jam annos feceram. *Eſſe ſcilicet ſanctitatem quandam Animæ atque corporis, quæ majorem vim habet ad recipiendas retinendáſque Divinas veritates quàm maxima adminicula Diſcurſûs ac Demonſtrationis.*

Philop. Cæterùm tametſi ipſe nullâ re indigeo quâ in hiſce articulis confirmer, *Philotheus* tamen ſi *Hylobarem* de eorum veritate convincere poſſit, eúmque propriis armis debellare, perjucundum mihi profectò erit Spectaculum, modò ad Argumentum à me propoſitum tandem deveniat.

V.
Exiſtentia Dei demonſtratur ex deſtinatis rerum ſubordinationibus in Phænomenis Naturæ detectis.

Philoth. Equidem valdè demiror, ut homo tam ingenioſus quàm *Hylobares* ac tantopere verſatus in Philoſophia, omnino de Exiſtentia Dei magìs dubitaret, quàm de *Philopolis* exiſtentia dubitat aut mei ipſius. Neque enim nos tam audibili intelligibilíque modo cum eo verſari poſſumus, quàm Deus verſatur cum Philoſopho in ordinariis Naturæ Phænomenis. Dic enim mihi, O *Hylobares*, ſi talis brevis Tractatulus qualis eſt iſte *Archimedis* de *Sphæra & Cylindro* forte fortunâ alicubi repertus eſſet, cum delineationibus omnium Figurarum propoſito congruentium, cúmque brevibus characteribus, (cujuſmodi uſus nunc dierum eſt, in ſpecioſa Arithmetica & Algebra) ad deſcribendas demonſtrationes ordinatim diſpoſitarum Propoſitionum, poteſne tu aut quiſquam alius imaginari delineationem harum rerum & adaptationem ad ſe invicem, caſu factam eſſe, non autem à Principio aliquo ſcientiâ ac conſilio prædito, ab aliqua utique Poteſtate Intellectuali?

Hyl. Ingenuè fateor mihi videri impoſſibile ut quiſquam, qui ſcopum iſtarum Figurarum, adnexarúmque demonſtrationum intellexerit, Deſcriptionem ab intelligenti aliqua Eſſentia factam dubitaret.

Philoth. Sed quid eſt quòd ità cenſeas, *Hylobares*?

Hyl. Quia Eſſentiæ intelligentis proprietas eſt res varias ſimul ad unum Inſtitutum ſive ſcopum commodè ordinatímque diſponere. Quod in iſtoc Tractatu tam conſtanter fit ac repetitò, támque methodicè, ut impoſſibile prorſus ſit dubitare Intellectualis alicujus Agentis fuiſſe Effectum.

Philoth. Quamobrem ubicunque frequentes ac repetitas indicationes invenimus peritè proſequendi aliquod Inſtitutum, intelligentem aliquam Eſſentiam illius cauſam eſſe agnoſcere debemus.

Hyl. Debemus omnino.

Philoth. Verùm quàm exigua ſchedula, quámque pauca exempla ſunt proſequendi propoſitum in iſto Tractatulo *Archimedis* ſi cum vaſto Naturæ volumine conferatur, in quo, quemadmodum apud *Archimedem*, quælibet demonſtratio quæ extremum omnium ſcopum antecedit (quæ ratio eſt inter *Sphæram* & *Cylindrum*) rationis ac acuminis illius Mathematici pignus eſt; ità ſubordinatæ in Mundo Naturæ, (quæ ferè infinitæ ſunt) conſpicuum præ ſe ferunt Inſtitutum ſcopúmque ad optimum, ac proinde nubes Teſtium ſunt Divinum aliquod & Intellectuale Principium ſubeſſe univerſis.

Hil. Hoc ex Inſtantiis rectiùs intelligetur, *Philothee*.

VI.
Variæ Inſtantiæ generalis illius Argumenti.

Philoth. Ità quidem, & de minimis primùm inſtantiam dabo; nimirum de maximè laxis ac generalibus lineatibus peritiæ magni illius Geometræ, quemadmodum alicubi *Plutarchus* Divinum Numen appellat. Ut de natura Gravitatis quæ denſas partes terreſtres & per Aerem & per Aquam deorſum præcipitat. Quæ vis Naturæ ſi non eſſet, nullæ Beſtiæ aut Volucres in Terra & Aere vivere poſſent ob cœnum limúmque in os earum influentem obſtruentémque ſpiritum, nec Piſces quidem ſubſiſterent in aquis. 2. De forti iſta lucta contra nimiam denudationem Materiæ ſubtilis in his Regionibus inferioribus, quippe quum tenuius illud Elementum non ſatis accommodatum

datum ſit pulmonibus aut Volucrum aut Beſtiarum, prout meliùs intelligi poteſt ex ingenioſiſſimis illis experimentis Antliæ Pneumaticæ. 3. De Paralleliſmo rectéque attemperata Inclinatione Axis Telluris, & Latitudine Lunæ ab Æquatore.

Hyl. Equidem negare non poſſum, quin hæ Leges meliùs ſe habeant quàm ſi res aliter eſſent conſtitutæ.

Philoth. 4. Formatio Terræ in Montes, Scaturigines ac Fluvios, in Lapidum Fodinas ac Metallorum, annon hæc omnia ad ſcopum tendunt optimum?

Hyl. Ità quidem cenſeo.

Philoth. Et quid exiſtimas de Terræ ac Maris diſcrimine, cùm fieri potuiſſet, ut unum immenſum eſſet paſcuum paluſtre limo ac voraginibus ſcatens?

Hyl. Id etiam ad optimum tendit. Ex eo enim dependet & voluptas & commoditas navigandi. Præterea, Mare fons eſt Humoris quem Scaturiginibus ſubterraneis miniſtrat, ut Scaturigines eundem Fluviis ſupra Terram ſuppeditant, atque ſic Circulationem Sanguinis in humano corpore imitantur.

Philoth. Oculos etiam conjice in varietatem Herbarum atque Arborum, pulchritudinem earum contemplare, virtutem multiplicémque utilitatem, & Seminis denique concinnaturam ad propagationem, & perpende ſi non omnia fiunt ad finem optimum.

Hyl. Univerſis enarrandis integrum ſeculum vix ſufficeret.

Philoth. Rectè quidem. Brevitatis igitur gratiâ conſideremus tantummodo varia Animalium genera: Quæ, præter utilitatem aliquorum præſertim ex ipſis humano generi magìs appropriatorum (cujuſmodi ſunt Canis atque Equus ad Miniſteria, & Oves Bovéſque ad Cibum) externas etiam formas habent iſtis legibus rationibúſque vitæ quibus ea aſſignavit Natura, inſigniter accommodatas; ut in genere Volucrum ad volandum, Piſcium ad natandum, externæ fabricæ & integumenta corporis ad hæc munia exquiſitiſſimè attemperantur. Ut taceam quod valdè generale eſt, Maris ac Fœminæ formationem ad propagandum, notabilémque illam proprietatem Piſcium atque Avium quòd utræque ſint oviparæ, ut eò uberius ſupplementum eſſe poſſet in ingentes iſtas ſtrages quæ neceſſariò in ipſas faciendæ eſſent per voraces ſuos Inimicos. Hiſce addere potes Inſtinctum Avium in Nidis ſuis condendis, Ovíſque incubandis, Numerum ſitúmque Organorum Senſûs & peculiares Armaturas Animantium cum inſtinctu utendi eiſdem. Quòd illæ volucres quæ aquas frequentant, & vadant tantummodo non natant, longa crura perinde habent atque colla longa; illæ verò quæ ad natandum factæ ſunt, pedes ad ſimilitudinem remorum fabricatos; quódque Aves papillas non habent, ſicut habent Beſtiæ. Hæc omnia aliáque infinita accuratam conſilii rationem in ipſarum ſtructuris planè arguunt.

Hyl. Ità res ſunt, ingenuè fateor, ac ſi ad eam conditionem planè deſtinatæ eſſent.

Philoth. Sed ut finem hiſce Inſtantiis imponamus, quibus, quemadmodum dixiſti, ſeculum integrum vix ſufficeret enumerandis. Interna Anatomia uſúſque partium in multis millenis generibus Animantium æquè firma demonſtratio eſt exquiſitiſſimi conſilii ac deſtinationis in ſingulis iſtorum Animalium corporibus, atque variæ iſtæ figuræ ac demonſtrationes in ſuprà nominato libro *Archimedis* certa ſunt indicia propoſiti Scriptoris de concludendo veritatem uniuſcujuſque propoſitionis ad quam pertinerent. Quæ in humano corpore occurrunt, imprimis notanda ſunt Oculi fabrica, illiúſque tuta ac utilis poſitio; ſuperadditio muſculorum, & miranda carnis totius ferè corporis in utiliſſimam illam Organizationem conformatio; Laryngis Muſculi ad loquelam & cantillationem; Operoſa Tendinum perforatio ſecundorum articulorum tam Pedum quam Manuum, Tendinúmque tertiorum articulorum per eoſdem tranſmiſſio; Ventriculi Cordis eorúmque Valvulæ, & Valvulæ pariter Venarum: Horum fabrica conſpicuéque deſtinatus uſus milléque aliorum non ſolùm in homine ſed analogicè in reliquis animantibus æquè certum exiſtentiæ Dei pignus eſt, atque ulla vox aut ſcriptum, quod talia Rationis Specimina continet qualia in *Archimedis* reperiuntur, certum indicium eſt exiſtentiæ alicujus Hominis aut Angeli quem illius oporteat eſſe Autorem.

Hyl. Rationum pondus veheménſque Zelus *Philothei* me in præſens vel invitum in hanc fidem perſuaſionémve impellit. Facilè enim vim illius argumentationis è paucis iſtis ſubindicatiunculis ſatis perſentiſco, quippe qui maximè recentes Tractatus ſuper hac materia perlegi & in Hiſtoria Anatomica verſatus ſum ſatis. Quod, ut fatear quod res eſt, me efficaciùs quàm quicquam aliud urget ad credendam Dei exiſtentiam.

Philoth. In qua fide, meo quidem judicio, impoſſibile tibi foret ut unquam vacillares, ſi conſideraveris ex infinitis hiſce generibus Animantium nulla omnino ineptè aut imperitè facta eſſe, nè illa quidem quæ ex putrefactione generantur. Adeò ut infinita habeas exempla ſtabilis ac pervicacis propoſiti ex peritia agendi ac conſilio, firmámque certitudinem, haſce res ex fortuitis colliſionibus partium Materiæ fieri non poſſe.

VII.
Neceſſariam cauſalitatem in cæca materia æquè parum poſſe in ordinatis Naturæ effectis edendis quàm fortuitas illius colliſiones.

Hyl. Sic fieri non poſſunt, *Philothee.* Cæterùm fortuitarum cauſarum quanquam effectus eſſe nequeunt, quid obſtat quò minùs neceſſariarum eſſe poſſint, neceſſarias intelligo Leges Mechanicas motûs Materiæ? Quemadmodum fit in linea recta proportionaliter ſecta, ſi majus ſegmentum ſubtendat Iſoſceles, cujus utraque crura toti lineæ ſunt æqualia, uterque Angulus ad Baſin duplo major neceſſariò erit quàm Angulus ad Verticem. Atque hæc neceſſaria erit proprietas hujus Trianguli.

Philoth. Sed quid hoc probat, cùm nulla ſit neceſſitas in Materia, ut ulla linea ità ſecetur, vel ſi ſic eſſet ſecta, ut ullæ duæ lineæ æqualis longitudinis cum dicta linea tota, adjungant ſe cum majori Segmento ad tale conſtituendum Triangulum multóq; minùs ad inſcribendum Circulo Quinquangulum, aut ut motus Materiæ exactum formet Icoſaedrum vel Dodecaedrum, cujus fabrica ab hac proportionali Sectione Lineæ multùm dependet, quemadmodum videre eſt apud *Euclidem?* Et tamen Artificium eſt longè magis multifarium in ſtructura vel viliſſimi Animalculi. Hoc tibi affirmo, *Hylobares*, Nihil omnino eſt neceſſariò in Materia quod ullius Intellectualis concinnationis ſpeciem præ ſe fert. Cur enim cæca *Neceſſitas* plus in hoc genere valeret, quàm fluitans *Caſus?* Aut quis eſſe poteſt motus cæcæ Neceſſitatis niſi conſtans & perpetua *fluctuatio?* ſive varia ac *inordinata* rerum mutatio? Neceſſaria & immutabilis proprietas talis Trianguli qualem tu deſcripſiſti cum tali Baſi talibúſque cruribus, in Materia nequaquam eſt, ſed in mente tua ſive Intellectu qui non poteſt non concipere quemlibet Triangulum ſic factum talem habere angulorum proprietatem, quoniam tua Mens Imago eſt æterni & immutabilis Intellectûs Dei. Materia verò lubrica res eſt & fluida, nulláſque omnino leges iſtiuſmodi intellectuales & immutabiles habet, ſed regenda eſt & gubernanda ab eo quod eſt Intellectuale.

Hyl. Ego rem ſic intelligo quemadmodum *Carteſius* intelligit ac profitetur, Mechanicam ſcilicet cauſarum deductionem in explicatione Phænomenôn Univerſi æquè firmam eſſe & neceſſariam atque ſequelas Mathematicas.

Philoth. Immo verò addo præterea, eum opinari ſuas Deductiones Mechanicas tales eſſe. Atque equidem ingenuè fateor me exiſtimare eas æquè tales eſſe, atque ullas in poſterum inveniendas, tales fore. Et cùm tam excellens Ingenium tam palpabiliter ſuo propoſito exciderit, abunde id me confidentem reddit, prætextum ſalvandi Phænomena ex Principiis merè Mechanicis Inſtitutum eſſe quod nunquam habiturum eſt ſucceſſum.

VIII.
Nullum eſſe Phænomenon in Natura purè Mechanicum.

Hyl. Cur ita? ubíve *Carteſius* ſcopo excidit, O *Philothee?*

Philoth. Quinimò potiùs, dic mihi O *Hylobares* ubi ſcopo non exciderit? Vel, ſi mavis, exemplum profer in ullo uno Phænomeno quod ſit purè Mechanicum.

Hyl. Quid exiſtimas de Telluris circumlatione in hoc noſtro Vortice circa Solem?

Philoth. Summo quidem cum judicio iſtum delectum feciſſes, ſi Telluris *Deferens*, Vorticem intelligo, Principiorum Effectus eſſet merè Mechanicorum.

Hyl. Obſecro te, mi *Philothee*, annon ità prorſus eſt? Quid enim poteſt Motus Mechanicus ſi ſimplex illud Liquiditatis Phænomenon producere non poteſt?

Philoth. Materia Vorticis haud ſatis ſimplex eſt, quò altioris alicujus Principii ope ad eum conſervandum in iſta conſiſtentia neutiquam indigeret.

Hyl. Quid ità, *Philothee?*

Philoth. Quoniam *Diſunio*, ſi fas ſit ità loqui, ſivè *Diſunitio*, naturalis proprietas eſt Materiæ, quæ ex ſeipſa nihil aliud eſt niſi infinita Congeries *Monadum Phyſicarum*.

Hyl. Rem teneo, *Philothee.* Ac profectò nihil tantopere mentis meæ aciem fugit, quàm partium Materiæ continuitas ſive retinentia. Quæ certè me eam paulò penſiculatiùs conſiderantem adeò ad incitas redegit, ut pronus eſſem ad concludendum ſubinde apud meipſum, Mundi compagellulas non quidem *Geometriâ*, quod dicitur, ſed naturali quâdam *Magiâ*, modò qualis illa ſit reſciſcere liceret, contineri.

Philoth. Licebit ſuo tempore. Intereà autem loci notatu dignum eſt, alteram inſignem labem eſſe in hoc tam ſpecioſo quod produxiſti exemplo puri Mechaniſmi. Terra enim nunquam in hanc Orbitam in qua nunc movetur, ingreſſa eſt, virtute Mechanicarum iſtarum legum quas deſcribit *Carteſius*, eiſdémve illîc etiamnum detinetur.

Hyl. Quidni?

Philoth. Terra enim ſi ejecta fuiſſet ex uno Vortice in alterum, quemadmodum ſupponitur, omnis illa ſolutior leviórque Materia quæ pendebat circa eam, multò antè avulſa fuiſſet quàm huc pervenerit, (ac ſi quis è manu ſimul projiceret plumas, paleas & globum plumbeum, globi plumbei ſoliditas à palea & plumis ipſum ſeparabit, quas longè à tergo eſt relicturus) atque ſic Materia tertiæ Regionis Terræ perdita fuiſſet, unde evaſiſſet prorſus inhabitabilis.

Hyl. Iſta certè menti meæ nunquam occurrerunt antehac.

IX.

Nullam eſſe Levitationem aut Gravitationem Ætheris aut vulgarium Elementorum in propriis ſuis locis; indéq; manifeſtò conſtare motum Materiæ à Diviniori aliquo Principio gubernari.

Philoth. Præterea deſcenſus Terræ in hanc Orbitam non fit ex iſta quam prætendit *Carteſius* ratione Mechanicâ, nempe ex valido niſu magìs ſolidorum globulorum qui ipſam inundent. Nam ſi iſtiuſmodi eſſet niſus actualis globulorum Vorticis ad recedendum à centro ad circumferentiam, preſſura foret intolerabilis, ſéque ipſos ac res alias omnes in minutias quàm minimas comminuerent.

Hyl. Ex inopinato rurſus me opprimis, *Philothee.* Verùm ingenuè fateor me ſic factum iri exiſtimare.

Philoth. Cæterùm cùm nulla iſtiuſmodi ſit moleſta preſſura, nulla Levitatio aut Gravitatio, (prout manifeſtum eſt in Elementis vulgò ſic dictis) in locis propriis, annon manifeſtum indicium eſt, omnia ſecundùm Mechanicam Neceſſitatem non peragi, ſed Principium quoddam quod ſingulis in melius proſpiciat, univerſa gubernare?

Hyl. Equidem valdè manifeſtum eſt, quòd nec cœleſtis materia Vorticum nec Aer nec Aqua in propriis locis gravitent, id in melius fieri. Alioqui quomodo vivere poſſent Animantes in Aere aut Aqua? Pondus horum elementorum ad necem uſque eas premeret.

Philoth. Annon Divinius igitur aliquod Principium ſubeſſe oportet, quod Leges Mechanicas ad hunc modum expungit in bonum publicum?

Hyl. Ità profectò videtur, motúmque Materiæ non à Materia ſed à re alia aliqua regi.

Philoth. Id quod admodum evidens videtur, ex corporibus levibus in Aqua aſſurgentibus. Ut exempli causâ in ſatìs profunda aquæ ſitula, ubi ſupponemus tenuem Orbiculum ligneum ad fundum depreſſum, ejuſdem ferè diametri cum ſitula: Aquámque in ſitula adeò ponderoſam ſupponemus ut ei ſuſtinendæ vix duorum hominum vires ſufficerent. Dic mihi nunc, *Hylobares*, quomodo tenuis hæc lamina ad ſummitatem aquæ aſcendat, tam ingenti aquæ pondere ei incumbente. Tota aqua quæ ei incumbit actu gravitat deorſum, ac proinde eam potiùs deorſum premit, quàm conducit quicquam ad eam attollendam.

Hyl. Pondus aquæ fortaſſis per latera ſe ſubtùs inſinuat, itáque eam attollit ſuâ ſubſidentiâ.

Philoth. Ingenioſè conjectâſti, *Hylobares.* Verùm conſiderare oportet aquam laminæ incumbentem, eandémq; deorſum urgentem, quadraginta putà vicibus majorem eſſe poſſe eâ quam tu fingis marginem Orbiculi lignei inter ac vas ipſum, ſe premendo inſinuare.

X.

Primordia Mundi non Mechanica eſſe ſed vitalia.

Hyl. Fateri equidem cogor aſcenſum Orbiculi lignei non eſſe Mechanicum. Verùm obſecro te, liberè mihi effare, *Philothee*, (video enim te multò verſatiorem quàm ipſe ſim, in iſtac Philoſophia) nulliúſne Phænomeni in Natura, veram purámq; Rationem Mechanicam nobis explicavit *Carteſius*?

Philoth. Putat ſe certè omnium quæ tractavit, cauſas verè ac Mechanicè expoſuiſſe. Sed, ut liberè dicam quod ſentio, nullas illius explicationes meris Mechanicis Rationibus abſolvi poſſe deprehendo. Non *Solum* quidem Formationem, *Stellarúm*ve aut *Planetarum*; Non Generationem & Motum particularum *Magneticarum*; Non Hypotheſin *Fluxûs* & *Refluxûs* Maris; Non Colorum *Iridis* aut figuræ; Non Ventorum, non Nubium, non Pluviæ nec Tonitrui: Nec horum quidem nec ullorum aliorum Phænomenôn ullas ſufficientes cauſas Mechanicas tradidit. Quinimo ut ſemel dicam, Illa prima illius ac ſimpliciſſima Hypotheſis, Quòd tota Materia Univerſi primùm diviſa ſit in exiguas partes motu & magnitudine æquales, quódq; hinc orti ſint Soles ſive Stellæ atque Vortices ex diſtinctione Materiæ (per mutuam particularum colliſionem & attritionem inter ſe) in primum & ſecundum Elementum, dicam, inquam, ſemel, Quòd prima hæc rerum origo præſenti horum Elementorum inter ſe rationi immane quantum repugnat. Ex modo hoc enim Mundi condendi Mechanico, ſic conſtituto quemadmodum ille declaravit, ſequetur, quòd Sol Saturni Orbitam, decies millenis millibus, præter quadringenta octoginta quatuor millia ſemidiametrorum Terræ, inundet. Quod certè quivis meritò ſatìs manifeſtum indicium cenſeat, quo intelligamus Primordia Mundi non *Mechanica* quidem eſſe ſed *Spermatica* ſive *Vitalia*, non atterendo limandóve nec tornando aut abradendo, ut in Tornionis Fabríve officina, facta, ſed ab univerſali aliquo internæ *Vitæ* motúſq; principio profecta, ſeminales

Princip. Philoſ. part. 3. ſect. 46, 47.

rerum omnium formas in ſe continente, quod proinde ***Platonici*** & ***Pythagorei*** magnum illum Mundi λόγον σπερματικὸν appellant.

Hyl. Pulchra ſunt & miranda quæ narras, ingénſq; mihi voluptas eſſet ſi hæc omnia videre liceret argumentis ſolidis confirmata, ut eò clariùs intelligere poſſem, quantùm inſigne illud Ingenium rationibus ſuis exciderit.

Philop. Quæſo te, mi ***Hylobares***, denega tibi iſtam tantam voluptatem hoc tempore, vereor enim ut totum tempus moræ meæ in hoc oppido iſti penſo ſuffecerit.

Philoth. Nimis copioſa, fateor, foret digreſſio.

Cuph. Nec adeò neceſſaria; quandoquidem negari non poteſt, quin Deductiones ***Carteſii***, non ſemper tam Mathematicè Mechanicéq; certæ ſint, quàm ipſe eas putaverit. Cæterùm utcunque, quantumvis is ſuis auſis exciderit, Mechanica tamen Philoſophia adhuc firma manere poteſt atque integra, quippe quum ***Artis*** error non ſit ſed ***Artiſtæ***.

Philoth. Verùm haud contemnendum argumentum eſt, O ***Cuphophron***, quum tam præcellens Ingenium quàm erat ***Carteſius*** & tam peculiariter Mechanicum, etiam quoad magìs generalia Naturæ lineamenta, in neceſſariis Rationibus Mechanicis illius Phænomenôn tradendis tam turpiter defecerit, argumentum eſt, inquam, haud aſpernandum, ipſam profeſſionem, rem temerariam eſſe atque frivolam, nec veram illam eſſe ac genuinam methodum philoſophandi.

Philop. Quod ***Philotheus*** narrat, mihi valde credibile videtur, quanquam interim fateor me planè nullum eſſe in rebus Philoſophicis.

XI.
Exempla ſimplicium quorundam Phænomenôn legibus Mechanicis prorſus contrariorum.

Philoth. Quodſi vel inter magìs generalia Naturæ Phænomena iſtiuſmodi exempla producamus quæ cognitis legibus Mechanicis apertè contrarientur, dicat mihi ***Cuphophron*** quid tunc fiat de puro ſuo ac univerſali ***Mechaniſmo*** quem totam Mundi fabricam pervadere contendit.

Cuph. Dicam poſtquam produxeris.

Philoth. Dic verò mihi primùm, annon firmiter credas ***motum Telluris*** Annuum & Diurnum.

Cuph. Credo, nec quenquam eſſe qui ſatìs in Philoſophia verſatus ſit, qui non idem credat.

Philoth. Quamobrem Vorticem ideo teneas oportet Æthereæ Materiæ circa Solem rotatæ, qui Terram ſecum circumferat.

Cuph. Ità fieri oportet.

Philoth. Et cùm tam inſignis ſis Mechanicus, porrò fateri, Particulas quæ Terram in hanc noſtri Vorticis Regionem abſorpſerint, etiam eas quæ Terram proximæ ſunt, tot ſcilicet quot Terræ magnitudini reſpondeant, ſaltem æquè ſolidas eſſe atque ipſam.

Cuph. Sic ſunt.

Philoth. Ac proinde à centro moveri forti admodum conatu.

Cuph. Ità prorſus moventur.

Philoth. Atque ad eundem planè modum vortices qui adversùs vorticem noſtrum nituntur.

Cuph. Ità eſt proculdubio, alioqui vortex noſter eos inundaret eóſque ſecum auferret.

Philoth. Soléſne verò tu aut quiſquam alius aut hìc aut ſub linea Æquinoctiali, Meridie vel Mediâ nocte, ullam tantam preſſuram perſentiſcere quantam hæc Hypotheſis infert?

Cuph. Eam perſentiſcere credo neminem.

Philoth. En tibi unam, in purum quem prætendis Mechaniſmum, enſis puncturam.

Cuph. Euge, aggredere rurſus, experiar ſi magìs cuſtoditè ictus tuos poſſim obſervare.

Philoth. Phænomenon ***Gravitatis***, annon notiſſimo iſti Principio Mechanico, Quicquid movetur, lineâ rectâ, ſi nihil obſtet, motum ſuum continuare, planè repugnat? Unde ſequetur globum plumbeum in Aerem projectum, nunquam reverſurum eſſe in Terram, quippe qui motu tam rapido ſimul fertur cum Terra.

Cuph. Rectè teneo quid velis. Mechanicam Philoſophiam enſis mucrone antè impetebas, nunc in eam ſclopetum exoneràſti, globo plumbeo onuſtum.

Philoth. Et metam, ni fallor, percuſſi. Adeò ut ſupervacaneum ſit, mentionem addere ingentis illius ponderis Antliæ Pneumaticæ Embolo appenſi, eóque ſurſum tracti præter omnes rationes Philoſophiæ Mechanicæ, cum multis id genus aliis.

Hyl. Hæc exempla expectabam ***Philothee***, eorúmque vim ex moderno Authore penitus intelligo, ingenuéque fateor quòd talia mihi videntur, quæ parum abſint à Demonſtratione, omnia in Natura ex Principiis merè Mechanicis haud peragi.

D. Mori Antidot. lib. 2. c. 2. Immort. lib. 3. cap. 12, & 13.

Cuph. Si tam bona ſunt, quæſo plura audiamus, ***Philothee.***

Philoth. Poſtquam Reſponſum tuum ad hæc ipſa accepero.

Cuph. Meum Reſponſum eſt, O ***Philothee***, quòd hæ Inſtantiæ videntur, in præſens, demonſtrativæ & irrefragabiles. Hactenus mihi cum ***Hylobare*** convenit. Spero autem me poſſe ſine cujuſquam offenſione profiteri, cauſam Mechanicæ Philoſophiæ haud proinde prorſus profligatam eſſe, quin ſolertia ingenia ac ſagacia poſtquam ulteriorem rerum inveſtigationem inſtituerint, cauſas purè Mechanicas poſſint tandem eruere perplexi illius Phænomeni Gravitatis.

Philoth. Verùm ***Hylobares*** notare poteſt, Autorem quem memorat, non ſolùm falſas illius Phænomeni ſolutiones confutare, ſed demonſtrare porrò omnes Mechanicas illius ſolutiones eſſe impoſſibiles, cùm notis legibus Mechanicis tam manifeſtò repugnent.

Hyl. Veriſſimum eſt.

Cuph. Illud demonſtratio in præſens videri poteſt, quod poſteritati appariturum eſt Nodus omnino ſophiſticus, quem illi facilè videbunt quî ſit ſolvendus.

Bath. Credo beneficio aliquorum ad majorem perfectionis gradum olim deducendorum Microſcopiorum.

XII.
Ineptæ & imperitæ inhiationis adhæſioniſque impoſſibili omnia Phænomena Mechanicè explicandi prætextui, libera juſtáque perſtrictio.

Philop. Quinimò, ut ſeriò dicam, O ***Cuphophron***, (modò mihi indulgere velis hanc loquendi libertatem) quamvìs eo in rebus Philoſophicis haud polleam judicio, non poſſum tamen quin te nimis iniquum ac præpoſterum ***Mechaniſtam*** exiſtimem, qui iſti cauſæ adeò addictus eſt, ut adversùs eam nè Demonſtrationi quidem fidem habere velis antequam Ars Mechanica ultrà à poſteritate expolita ſit. Non abſimile enim eſt, atq; ſi quis nollet primo libro ***Euclidis*** aſſenſum præbere priuſquam totum ***Euclidem*** perlegiſſet, reliquóſq; omnes Scriptores Mathematicos. Hoc enim Gravitatis Phænomenon unum eſt ex omnium ſimpliciſſimis, quemadmodum primus liber ***Euclidis***, unus è facillimis. Ut præteream quanta Macula ſit in viro aliàs ingenii tam bene morati atque probi, majorem videri præ ſe ferre zelum pro oſtentatione Acuminis Mechanici Hominum, quàm pro manifeſtatione Sapientiæ Dei in Phænomenis Naturæ.

Prov. 27. verſ. 19.

Sophr. Præclarè dictum, O ***Philopoli !*** Ut in aqua vultus vultui, ſic cor cordi hominis reſpondet. Equidem locutus es ad intimum ſenſum tactúmq; ipſius animæ meæ ſuper hac re. Etenim quorundam ſtudia valdè demiratus ſum, qui animos ſuos profeſſioni puri Mechaniſmi in ſolvendis Univerſi Phænomenis tam ſuperſtitioſè addixerint, quum tamen aliàs non minorem fecerint profeſſionem Virtutis ac Pietatis. Cujus Mechanicæ proclivitatis nullum prorſus video ſcopum bonum. Proximiorem enim præ ſe fert pruritûs ſpeciem ſua magnificandi aut aliorum hominum Ingenia, quàm ullius ſtudii glorificandi Deum ob ſapientiſſima ſua ac benigniſſima conſilia in operibus Naturæ manifeſtata. Et efficaciſſima quidem maximéque vulgari intelligentiæ accommodata argumenta pro Divini Numinis exiſtentia præſcindit, ſi rudis effrænîſque agitatæ Materiæ motus neceſſariò tandem ad talem rerum ſtructuram poſſit pervenire. Equidem fateor, ſi talis Mechanica neceſſitas in natura Materiæ revera detecta eſſet, nullum ſuperfuturum fuiſſet iſti malo remedium. Nec ullam gloriam ſibi quærit Omnipotens ex cujuſquam hominis mendacio. Nunc verò cùm conatus ipſorum tam fruſtranei fuerint, & demonſtrationes in contrarium tam perſpicuæ, prodigii inſtar mihi videtur ut quiſquam qui Virtuti ac Pietati favet, tam iniquo ac præpoſtero zelo afficeretur in cauſa, quæ nullam in ſe habet veritatem aut utilitatem honeſtam.

Cuph. O ***Sophron***, ***Sophron !*** omninò te latet, quàm mirifica capiatur voluptas in perſpicuas contemplando cauſarum ſequelas Mechanicas in explicatione Phænomenôn Univerſi, æquè neceſſariò profectò arctéque cohærentes atque ipſas demonſtrationes Mathematicas.

Sophr. Mirum profectò in modum, O ***Cuphophron***, imaginatione iſtiuſmodi bellorum ſpectaculorum te abripi oportet, cùm merum ipſorum deſiderium, ea tibi tam confidenter repræſentet, priuſquam exiſtant. Quod ad me verò attinet, in ea ſum ſententia multò majorem capi voluptatem in luculentè diſtinctéque demonſtrando ea non exiſtere, quàm caperetur ex demonſtratione ulla quòd exiſtunt. Illáq; philoſophandi ratio quæ finalem cauſam premit, τὴν ἄνω ἀρχὴν quemadmodum appellat ***Ariſtoteles***, longè mihi jucundior videtur ac delectabilior, quàm inflata hæc ac faſtuoſa præſumptio demonſtrandi, Mundi fabricaturam Divinæ nihil debere ſapientiæ.

De generat. Animal. lib. 2.

Bath. Omnia oportet, O ***Sophron***, foras prorumpere in promiſcuis fermentationibus & ebullitionibus ſpirituum hominum hujus ſeculi, ut illa ſapientia quæ genuinus fructus eſt ſive Flos ***Divinæ Vitæ***, procedente tempore in maximè ſuperba incepta inventáve vel ſummorum ***Ingeniorum Naturalium*** ſuos Triumphos agat.

Cuph. Quænam eſt illa Sapientia quæ ex ***Divina Vita*** profluit, O ***Bathynoe ?***

Bath. Ea ipſa quæ ad eam deducit, quod Mechanica profectò Philoſophia nequaquam facit, ſed potiùs abducit à Deo viámve ad eum obſtruit, præſcindendo omnes occaſiones illius veſtigia inveniendi in operibus Creationis, & excludendo Finalem rerum cauſam, nobíſque adnitendo perſuadere omnia fieri cæco quidem ſed neceſſario partium Materiæ inter ſe colliſu.

Cuph. Probè narras, *Bathynoe*; veruntamen qualecunque fuerit rerum fatum, nullus dubito quin *Carteſius* admirationi futurus ſit omni poſteritati.

Bath. Proculdubio, O *Cuphophron.* Cenſebitur enim apud ipſos homo *Sapientiæ* & *Inſipientiæ* ſummæ omnium qui in hac Telluris Scena unquam conſpecti ſunt.

Cuph. Cur *Sapientiæ* & *Inſipientiæ*, *Bathynoe*?

Bath. *Sapientiæ* quidem ſive Acuminis, propter eximiè concinnam veriſimilitudinem ſpeciémve omnia quæ tractavit Phænomena neceſſariò ac Mechanicè deducendi, & ob Inventionem magis immediatarum rerum cauſarum materialium, cum magna ſanè probabilitate.

Cuph. Hoc ſaltem verum eſt *Bathynoe.* Sed cur *Inſipientiæ*?

Bath. Quoniam tantâ laborat credulitate, ut non ſolùm perſuaſus ſit ſe omnium Phænomenôn quæ in Philoſophia ſua ac Meteoris tractavit, cauſas neceſſarias puréque Mechanicas eruiſſe, ſed reliquarum rerum omnium naturalium cauſas ſic explicari poſſe, Plantarum corporibus & Animalium non exceptis.

Cuph. Illius rei Judex maximè idonea erit poſteritas.

Philop. *Cuphophron* zelum admodum conſtantem gerit erga Philoſophiam Mechanicam, etiam cum eorum argumentorum perdendorum periculo, quæ à Phænomenis Naturæ deduci ſolent maximámque vim habere ad probandam Dei exiſtentiam. Et tamen auſim aſſeverare, longè abeſſe ut vel minima ex parte, Atheiſmi labe inficiatur.

Cuph. Spero quidem.

XIII. *Exiſtentia Dei demonſtrata à conſenſu Nationum, à Miraculis, à Vaticiniis, ab operibus ejus in Natura & ab illius Idea.*

Philop. Quamobrem permitte mihi, O *Cuphophron*, libertatem interrogandi, Quænam ſint illa alia tua argumenta quibus perſuaſus ſis Deum exiſtere. Eſtne Eccleſiæ Catholicæ Autoritas? quicquídve aliud ſit, mihi liberè effare.

Cuph. Magnam profectò reverentiam ac honorem Eccleſiæ defero, O *Philopoli!* quod facit ut eò impenſiùs doleam, dum conſidero quantùm violaverint Autoritatem ſuam, eámque dehoneſtaverint res obtrudendo palpabiliter impoſſibiles, miſeréque blaſphemas, pari cum aſſeverantia & ſeveritate, atq; fidem ipſam de Exiſtentia Dei.

Eviſt. Alludit, opinor, *Cuphophron* ad ſævas barbaráſque hominum lanienas, quòd Articulo de *Tranſubſtantiatione* nequeant aſſentire.

Cuph. Rectè conjectas. Quis fidem habere poteſt iſtiuſmodi hominibus, vi propriæ Autoritatis, qui in tam craſſa impiáque Impoſtura ſemel ſint deprehenſi?

Eviſt. Hi verò non ſunt Eccleſia Catholica, ſed tantummodo numeroſior quædam hominum Factio. Cæterùm non ſolùm hi, ſed univerſa Eccleſia omnéſque adeò Gentes, credunt Deum exiſtere.

Cuph. *Tullius* ſanè ſic ait, *Nulla gens tam barbara*, &c.

Eviſt. Conſenſus igitur Gentium eſt, O *Cuphophron*, cui Fides Divini Numinis apud te potiſſimùm innititur.

Cuph. Eſt quidem illud, argumentum plauſibile, *Eviſtor.*

Eviſt. Sed Hiſtoria Miraculorum ac Vaticinia, argumentum longè validius.

Cuph. Argumentum ſatìs validum ſunt ad probandum inviſibiles quaſdam eſſe Poteſtates quæ rebus humanis invigilent, majorémque virtutem habeant ſcientiæq; comprehenſionem quàm nos ipſi.

Bath. Atque ſic efficere valeant, quæ ipſi prædixerint, in longo ſæculorum ſucceſſu. Tanquam ſi Mundi Regimen rerúmque humanarum Angelorum manibus concreditum eſſet.

Sophr. Verùm quædam Miracula tam ſtupenda ſunt, prædictionéſque tam vaſti temporum ambitûs, ut nullus præter Deum rectè intelligi poſſit eorundem Author.

Bath. Proculdubio Deus ipſe omnia ſuperinſpicit, agítque per omnia.

Philop. Eſtne hoc igitur Fidei *Cuphophronis* fundamentum ac Baſis?

Cuph. Dicam tibi, O *Philopoli*, quoniam te id tam efflictim expetere video, quæ ſit meæ fidei Baſis præcipua philoſophica, quòd ſit Deus.

Philop. Dic igitur.

Cuph. Innata Idea Dei in mente mea. Argumentationes hinc deductæ indubiæ mihi videntur Demonſtrationes.

Philop. Credo illas apud te eò plus valere, quòd ſint *Carteſii*.

Cuph. Fieri poteſt. Eæque me adeò convincunt, ut admodum ſecurè alteram illam argumentandi rationem à Phænomenis Naturæ, flocci pendam univerſam.

Philop. Perlegi quidem iſta argumenta *Carteſii*, mihi verò videbantur immane quantùm ſublimia ac Metaphyſica, & in multos homines incido qui ea tanquam ſophiſtica conſiderant, quædam quidem ex ipſis maxima pars hominum, nonnulli verò omnia. Sed enim privilegium præcelſorum elevatorúmque Ingeniorum eſt ſuarum mutuò, altera alterorum, notionum vim optimè intelligere.

Cuph. Equidem fateor, O *Philopoli*, eximium quendam ac peculiarem Animorum judiciorúmque conſenſum eſſe me inter atque *Carteſium*.

Philop. At enim communi bono proſpicere oportet, O *Cuphophron*, nec magìs vulgaria & intelligibilia argumenta vilipendere, affectaréve iſtiuſmodi Philoſophiam quæ omnes à Notitia Dei excluſura ſit, præter eos qui tam altè, quàm vos, qui elevatiorum Ingeniorum numero accenſendi eſtis, poſſunt ſubvolare. Argumenta à Mundi Phænomenis longè accommodatiora ſunt ad intelligentiam popularem.

Cuph. Quamobrem ad hunc modum tantummodo loquor in liberis noſtris conventibus Philoſophicis.

Philop. Prudenter utique facis.

Hyl. Euge *Cuphophron*, altâque tuâ Acropoli Metaphyſicâ te circummuni quantum voles, argumentáque ab operibus Naturæ petita, abjecta reputa ac popularia: quantùm tamen ad me, ego ea nihilominus tanquam firmiſſima omnium ſolidiſſimáque conſidero quæ produci poſſunt ad demonſtrandam Dei exiſtentiam. Mirórque te non obſervâſſe magnam illam vim quam habet comparatio voluminis Naturæ à *Philotheo* adhibita, librique *Archimedis* de Sphæra & Cylindro ad evincendum intellectuale aliquod Principium Architectum eſſe Univerſi. Figuræ enim iſtæ & Characteres ſingulis Propoſitionibus annexi ipſarum demonſtrationi tam efficaciter inſervientes, haud manifeſtior indicatio eſt *Agentis Intellectualis*, quàm aliquot centena millia particularium Fabricarum Materiæ hìc in orbe, deprehenduntur manifeſta conſimilis Operationis atque Conſilii veſtigia, quippe quum partes ità diſponantur in unum finem ut Demonſtrationis deductio ad unam Concluſionem, diverſarúmque Demonſtrationum ſubordinatio ad unum Finem ultimum: Quæ rerum ſubordinationes maximè evidenter frequentérque conſpicuæ ſunt in Operibus Naturæ.

Philop. Mihi crede, *Philothee*, oleum & operam non perdidiſti circa *Hylobarem*, quem tanto cum judicio video atque fervore potiſſimas tuas ratiocinationes repetere quas attuliſti ad probandam Dei exiſtentiam. Spero nunc, *Hylobares*, *Philotheo* licere ad dicendum de *Regno Dei* pergere, cùm omnes tam firmiter perſuaſi ſimus de illius Exiſtentia.

XIV. *Obſcuritas Naturæ Dei & Providentiæ Intricatura cum cautionibus præparatoriis ad fœliciùs expediendas has difficultates.*

Hyl. Equidem fateor dum in hoc cœtu verſor, me alterum quaſi *Saulum* eſſe inter Prophetas. *Philothei* zelus acuménque in argumentando vel invitum me rapit in aſſenſum Concluſioni. Et certè quando oculos in citeriorem rerum partem primùm defigo, iſtiuſmodi ex eis elucet intellectualis fulgor ut ipſius Divini Numinis gloria per eas tranſlucere mihi videatur. Cæterùm cùm paulò pleniùs illius Naturam comprehendere volo, propiúſque ad ipſum accedere, eadem Gloria quæ oculos modò recreabat, me planè occæcat, illiúſque viſionem perdo, adnitendo nimis propè ipſum aſpectare. Hæc una eſt illaqueatio animíque conturbatio, quòd naturam Dei intelligere nequeam. Altera verò res eſt, obſcuritas & perplexitas viarum Providentiæ.

Sophr. Annon valdè conſonum eſt Tranſcendentiæ tam ſublimis Naturæ quàm Dei, O *Hylobares*, ut Incomprehenſibilis agnoſcatur, ut & infinitæ illius Sapientiæ, ut viæ ejus non ſint inveſtigabiles?

Bath. Præclarè quidem hoc abs te dictum eſt, O *Sophron*, ſi rectè intelligatur: Alioqui nullam aliam rationem reddere de Natura Dei viiſque illius quàm quòd neutiquam ſint intelligibiles, Atheo eſt profectò animos addere, & manus ei dare. In hac enim re maximopere ſibi applaudit, quòd ſecurus ſit nec caput nec pedem deprehendi poſſe in Myſteriis Religionis, ipſámque Notionem Dei, apud facultates noſtras implicare contradictionem.

Hyl. Ego ſic tantummodo Deum intelligere deſidero, ut nihil ei attribuatur quod *Intellectui meo* repugnet, nec quicquam in Orbe inveniatur quod illius repugnet *Attributis*.

Bath. Credo *Philotheum* facilè hoc tibi effecturum, quòd nihil verè Deo attribuatur, quod non certiſſimè in rerum natura exiſtat, ſive nos illud intelligimus ſive non, nihilq; revera in rerum natura talibus circumſtantiis exiſtere quæ Divinis Attributis repugnent.

Philoth. Mentem *Bathynoi* hanc eſſe exiſtimo, nempe, niſi nos ipſos in fictitiis aliquibus Dei Attributis evincendis irretire velimus, Providentiámve illius etiam quoad falſas Suppoſitiones & Circumſtantias, defendere, nullum majus fore circa Notionem Dei illiúſque Providentiam illaqueamentum quàm futurum eſſet in notione earum etiam rerum quas certi ſumus exiſtere, etiamſi nullus Deus exiſteret in rerum Natura. Quamobrem, *Hylobares*, permitte mihi hoc monitum tibi dare, ut, poſtquam tam firmam certámque exiſtentiæ Divini Numinis deprehenſionem ex repetitis illius effectis in Natura aſſecutus ſis, ut nolis, inquam, firmam iſtam prenſuram amittere ob rationes incertas aut falſas. Scriptura enim nihil quod repugnet, de natura Dei declarat. Nec ulla humana Autoritas jus habet quo fides ei adhibeatur, quando illud proponit quod rationi planè repugnat. Neq; onerare quidem debemus notionem Dei ullâ re quæ perfectionem non certò denotet. Has ſi adhibeamus cautelas, non erit, opinor, ut quiſquam multùm irretiatur in cogitationibus ſuis circa Naturam Dei.

XV. *Attributum Æternitatis.*

Hyl. Auſpicatiſſimum profectò hoc eſt Exordium, *Philothee.* Ac proinde eò majori cum alacritate difficultates meas tibi proponam, quæ ex quinque his capitibus derivantur; ex *Æternitate* Dei, ex illius *Immutabilitate*, ex *Omniſcientia*, *Spiritualitate* & *Omnipræſentia.* Siquid enim ego intelligo, ipſa notio *Æternitatis* contradictionem implicat, prout quidam eam deſcribunt, nempe, Quòd ſit *Eſſentialis Præſentia rerum omnium apud Deum*, *præteritarum*, *præſentium* atque *futurarum.* Quódque *duratio Dei tota* in *uno quaſi ſtabili* ac permanenti τῷ νῦν ſive *Inſtanti* ſit ſimul. Si Deus exiſtere non poſſit niſi hoc ſenſu ſit æternus, contemplatio illius Ideæ majori vi nos à credenda illius exiſtentia revulſura eſt, quàm illius effecta in Natura eò nos impulſura. Quid enim magìs rationi repugnat quàm ut omnia realiter & eſſentialiter apud Deum extiterint ab omni retrò æternitate, & tamen in tempore ſeculorúmque ſucceſſione generentur? Nam Realitas & Eſſentia rerum corporearum eſt corporea, atque eæ ipſæ Arbores Individuæ & Animalia quæ dicuntur generari, & à perquam exiguis principiis creſcere conſpiciuntur, ſemper extiterunt, ut videtur, formâ perfectâ & adultâ. Quod meo quidem intellectui prorſus repugnat. Nam planè implicat eandem rem quæ jam exiſtit, poſſe nihilominus dum exiſtit, de novo reproduci. Quódq; æterna Duratio *ſimul* ſit, à me concipi non poteſt, unúmque permanens Inſtans commenſuratum vel potiùs æquale omnibus Ætatum ſucceſſionibus. Præterea ſi duratio Dei tota ſit ſimul, cùm nullum Agens operetur niſi intra ambitum propriæ ſuæ Durationis, certè neceſſe eſt ut Deus Mundum & condat & deſtruat ſimul, uno ſcilicet eodémque momento. Unde impoſſibile videtur ut æterna Duratio ſibi indiſtans ſit, continuationéve careat intervallorum.

Philoth. Strenuè profectò argumentaris, *Hylobares*, contra illam Æternitatis notionem quam quidam ſibi delegerunt, ſed ſine vel minimo damno Fidei Divinæ Exiſtentiæ illato, modò recurras ad iſtas cautelas quas tibi primùm ſubindicavi. Nos ſcilicet non obligari ad credendum Contradictionibus ob ullius hominis autoritatem. Hi nimiùm ſublimes adniſus ſunt aliquorum nubes omnino captantium Ingeniorum, qui ſe nunquam ſatìs altè volare putant, donec ultra conſpectum communis ſensûs & rationis prorſus evolaverint. Sed ſi benignè conjectare velimus quid ipſi ſibi velint in hac ſua tam ſublimi Notione, ſumma rei fortean huc omnino reciderit: Totam nempe Temporum atque Ætatum evolutionem ab æterno in æternum ità collectim ac præſentificè apud Deum ſimul repræſentari, ac ſi Res omnes & Actiones quæ unquam fuerunt, ſunt, aut futuræ ſunt, hoc ipſo inſtanti, & ſic ſemper revera præſentes apud ipſum eſſent, & exiſtentes. Quod minimè mirandum eſt, cùm Animadverſio Intellectualíſque comprehenſio Dei abſolutè infinita ſit juxta veritatem illius Ideæ.

Hyl. Hæc, fateor, multò facilior eſt & tolerabilior Notio quàm illa altera.

Philoth. Ità eſt omnino. Nec difficilius concipere, quomodo *Continuitas Durationis*, Divinæ Exiſtentiæ competat, perinde atque *Æternitas* ſive *Vita æterna*, quæ Ideas rerum omnium atque Ætatum in Intellectu Divino ſimul complectitur. Eſt enim adinſtar ingentis Globi, qui totus movetur in Plano fertúrque in una exili linea ſimul. Vel ſicut ſtabilis Quies Rupis quam Fluvius præterlabitur. Permanentia ſive ſtatio Rupis perinde atque lapſus Fluvii ſuam habet Durationis continuitatem. Nec ullâ aliâ ratione poteſt Æternitas Tempori eſſe commenſurata quàm hâc, hoc eſt Evolutionis omnium Temporum, Rerum & Tranſactionum comprehenſio permanenter exhibetur Deo, in ſingulis momentis ſucceſſionis Seculorum.

Hyl. Quî fit igitur ut Scholæ hanc perſuaſionem tanto ſtudio nobis obtrudant, Nihil utique præter *Nunc permanens* Divinæ Exiſtentiæ competere?

Philoth. Ex iſtac forſan opinione, quaſi illud cujus Exiſtentia ſit ſucceſſiva, neceſſariò aliquando deſiturum eſſet aut ſaltem deſinere periclitaretur, cùm una pars ſucceſſionis nullam ab altera habeat dependentiam. Sed merus *Timor Panicus* eſt. Nam durationis continuatio neceſſaria eſt ubi rei exiſtentia eſt talis. Taliſq; manifeſtò eſt exiſtentia Dei ex propria illius Idea.

Bath. Atque hanc neceſſariam Dei Exiſtentiam ego quidem cenſeo maximè ſolidam eſſe Notionem æternæ ejus durationis: Quæ haud rectè dici poteſt ſucceſſiva propriè & formaliter, ſed tantùm virtualiter & applicativè, hoc eſt, continet in ſe virtualiter omnem ſucceſſivam durationem quæ unquam poteſt concipi, ſuccedentibúſque illius partibus perpetuò applicabilis eſt, quippe quæ illis ſemper eſt præſens, ut alveus Fluvii omni Aquæ quæ per eum labitur. Ipſe verò alveus in tali ſucceſſivo defluxu non eſt, quamvìs Aqua ſit. Talis quidem eſt ſtabilis permanénſq; neceſſariæ exiſtentiæ Dei duratio reſpectu omnium ſucceſſivarum durationum cujuſmodicunque.

Philoth. Nondum ſatis plenè mentem tuam capio, *Bathynoe.*

Bath. Dico ſucceſſivam durationem propriè ſic dictam Deo nequaquam competere, ut qui Ens ſit neceſſariò exiſtens ac proinde ſine principio: Verùm duratio ſucceſſiva maximè infinita quæ concipi poteſt, principium habuiſſe invenietur. Nam quicquid præteritum eſt, aliquando erat præſens. Ac propterea cùm nihil totius hujus infinitæ ſucceſſionis ſit quod non aliquando præſens fuerit, momentum illius vel maximè infinitè remotum aliquando erat præſens. Quod maximè infinitè remotum momentum, Terminus terminans illius erat, quod planè demonſtrat principium habuiſſe.

Philoth. Vera ſunt quæ dicis, *Bathynoe.* Maximè remotum momentum oportet eſſe in *ſucceſſione*, & maximè infinitè remotum in ſucceſſione infinita. Cæterùm, cùm maximè infinitè remotum momentum non poſſit eſſe Terminus copulans, cùm nihil ſuperſit quod copulet cum futura ſucceſſione, cúmque proinde Terminus terminans ſit & neceſſariò aliquando fuerit præſens; manifeſtum eſt in iſto præſenti momento, Terminum fuiſſe ſive principium hujus infinitæ, quæ ſupponitur, ſucceſſionis. Vel breviter ſic, ut omnes Objectiones contra maximè infinitè remotum momentum in infinita ſucceſſione quaſi ἀσύστατα eſſent, ſemel præſcindam, mallem argumentari ad hunc modum: Quandoquidem ſcilicet omnia momenta præterita in infinita ſucceſſione aliquando erant præſentia, quòd hinc planè ſequitur, omnia momenta in hac infinita ſucceſſione aut ſaltem omnia præter unum, aliquando fuiſſe futura. Et certè, ſi vel omnia hæc momenta vel omnia præter unum aliquando erant futura, manifeſtum eſt, totam ſucceſſionem (aut ſaltem totam excepto uno momento) aliquando fuiſſe futuram, ac proinde habuiſſe initium. Vim ratiocinationis optimè intelligo. Atque propterea, quando locutus ſum de ſucceſſiva duratione Dei ſucceſſionem proprio illo ſenſu ac formali nequaquam intellexi, ſed *Virtualem* duntaxat, applicativam, ſive relativam ſucceſſionem, quemadmodum colligere eſt ex locis quibuſdam ac locutionibus ſermonis mei. Duratio Dei, *Rupis* durationem refert, duratio verò rerum naturalium *Fluvii* durationem, earum ſucceſſio ποταμοῦ δίκην præterlabitur, utì loquitur *Heraclitus.* Ac proinde, qui ſucceſſivam durationem propriè dictam Entis neceſſariò à ſe exiſtentis permanentiæ ſtabili attribuunt, eis haud abſimiles ſunt qui littus imaginantur moveri, propter motum Navis,

Provehimur portu, terræque urbéſque recedunt.

Propriam noſtram fluidam ac ſucceſſivam durationem ſtabili permanentiæ applicamus æternæ durationis Dei. Cujus duratio quamvìs ſtabilis & permanens & ſine omni defluxu & ſucceſſione (quippe quæ nihil aliud eſt quàm neceſſaria illius à-ſe-exiſtentia) talis nihilominus eſt quam vel maximè infinita ſucceſſiva duratio præterita nunquam excedat, nec futura unquam exhauriat. Unde manifeſtum eſt quamvìs æterna Dei duratio reverà ſit *permanens*, impoſſibile tamen eſſe, ut ſit *inſtans indiviſibile*, perfectéque atque omni ex parte indiſtans ſibi, nec poſſibiles omnes ſucceſſivas evolutiones in ſe complectatur.

XVI.
Objectio contra omni-comprehenſionem Æternitatis cum Reſponſo.

Hyl. Rectè quidem tu iſta, *Philothee*, ſed ſuperſunt adhuc aliqui ſcrupuli qui malè me habent. Agnoſco quidem Æternitatem tuo ſenſu nullam palpabilem repugnantiam in ſe involvere, veruntamen, meâ quidem ſententiâ, miræ cujuſdam incredibilitatis non eſt prorſus immunis.

Philoth. Quid tandem iſtud eſt?

Hyl. Omnes nimirum ſtrepitus ac clamores, omnes ululatus & ejulationes, omnes pulſationes malleorúmque ictus, omnes imprecationes dirorúmq; juramentorum enunciationes, orationéſq; ac laudes, omnes voces hominum, vagitus puerorum, avium cantillationes, rugitúſque ac querelas beſtiarum quæ unquam fuerunt aut futuræ ſunt in

Dei auribus ſemper ſimul perſonuiſſe: Et quidem ſimiliter, omnes gyros luſúſq; viſibilis cujuſq; objecti, omnes diſperſiones, motus & poſituras capillorum, foliorum, ſtraminum, plumarum ac pulviſculorum, &, ut ſummatim dicam, omnes vel leviſſimas nullíuſq; momenti mutationes ſemper agitatæ Materiæ, quæ fuerunt, ſunt aut futuræ ſunt, eſſe ac fuiſſe ſemper, ſempérque fore in conſpectu Dei ſimul. Hoc mihi videtur, quanquam non impoſſibile, incredibile tamen privilegium omnia-comprehendentis Æternitatis.

Philoth. Veſanum hoc tuum eſt, *Hylobares*, & prorſus inopinatum inventum, & modo perinde veſano deſcriptum. Verùm modò ſobriè quæſtioni uni aut alteri reſpondeas, videbis fore, ut difficultas ſuâ ſponte evaneſcat.

Hyl. Faciam.

Philoth. Dic mihi igitur, *Hylobares*, hoc privilegium quod vocas, an reverà privilegium eſſe putes Divinæ Naturæ, hoc eſt, illius perfectionem aliquam, necne?

Hyl. Neſcio.

Eviſt. Philoſophi iſti apud *Maimonidem*, quos non ſatìs memini an ſectam *Loquentium* appellet, non hæſitarent dicere, non eſſe perfectionem, ut qui præſumunt Divinam Providentiam ultra *Species* rerum non extendi, nequaquam verò ſibi curæ eſſe *ſingula Individua.*

Bath. Credo igitur eos tenere Deum Providentiæ ſuæ magìs particularis adminiſtrationem variis Angelorum ordinibus concrediſſe & aliqua ex parte hominibus omnibúſque Creaturis intelligentiâ præditis, quibus legem inſeverit rectè adminiſtrandi res individuas.

Eviſt. Fieri quidem poteſt.

Bath. Quas ſi perinde commodè adminiſtrare poſſent atque ſi Deus ipſe inſpectaret, quemadmodum nulla Divinæ fœlicitati ex eo quòd Mundum condiderit, eive ſe immiſceret, fit acceſſio; ità nullum fieret Univerſo detrimentum, ſi in contemplationem propriarum ſuarum Divinarum excellentiarum totus raptus intelligeretur.

Eviſt. Hoc fateor ab *Ariſtotelica* Theologia non multùm abhorrere.

Bath. Cæterùm immaniter falſum eſt, niſi ità comparata ſit rerum Natura, ut ſpiritus *ſtantes*, *lapſorum* numerum immane quantum excedant.

Eviſt. Id multùm profectò refert. Præterea quàm ridicula res eſſet, offerre Deo ſacrificia aut preces, [illegible] ſemper in ſeipſum adeò raptus eſſet, ut nunquam ipſi vacaret ſupplicantes audire?

Bath. Id peropportunè objicis, *Eviſtor*. Omnéſque homines pios profiteri oportet, ſe vim quandam ac influentiam ex fervidis ſuis devotionibus erga Divinum Numen haurire ſolere.

Hyl. Atque eapropter ego facilè concedo omnes res in præſenti ſucceſſione ante Dei oculos expoſitas jacere. Verùm an voces omnes & ſpectacula cujuſmodicunq; ab æterno in æternum ipſi ſimul perpetuò repræſententur, quanquam brevis hic *Bathynoi* & *Eviſtoris* congreſſus mihi aliquod dedit cogitandi ſpacium, me ſuper hac re fateor etiamnum hæſitare.

Philoth. Euge igitur, *Hylobares*, in hujuſmodi caſu probè nôſti uſum ſuprà memoratæ Regulæ: Cùm tam ſolidis certíſque rationibus pro Exiſtentia Dei manum injeceris, prenſuram laxari non oportere, propter rationes falſas aut incertas.

Hyl. Veriſſimum eſt quod narras, nec meam hoc omnino Fidem convellit.

Philoth. Sed ut eam adhuc magìs corroborem, uni huic quæſtioni reſponde, *Hylobares*. Annon neceſſe eſt ut iſta pars repræſentationis, quam ipſe feciſti, Æternitatis, ſit aut perfectio aut imperfectio, aut res indifferens ſive naturæ mediæ?

Hyl. Id quidem negari non poteſt.

Philoth. Si imperfectio eſt, amovenda eſt, atque ſic difficultas ſimul cum ea amovetur: Si res indifferens, perinde eſt ſive amoveas ſive non: Si perfectio, cùm non ſit impoſſibilis, quemadmodum & ipſe non potes quin agnoſcas, nemo dubitare poteſt, immo nec debet, quin ſit attribuenda Deo. Adeò quodcunq; fatum tuum fuerit in determinando aſſenſum alicui harum trium partium, nullum eſſe poteſt impedimentum quò minùs credas Deum exiſtere. Hoc unum eſt quod effecit, ut Objectio tua tanti momenti tibi viſa ſit, nempe quòd non notaſſes, licèt omnes iſtæ voces ac ſpectacula in Divina Eſſentia ſimul percipiantnr, eiſdem tamen temporum ac locorum diſtinctionibus ac intervallis, quibus in ipſa ſeculorum ſucceſſione reperiuntur, percipi. Nam infinita comprehenſio hoc ipſum admittit, vel potiùs implicat.

XVII. *Objectio altera cum Reſponſo.*

Hyl. Equidem homo es, O *Philothee*, dexterrimi ingenii ad ingenerandam corroborandámque nobis fidem de Dei exiſtentia, in quem unquam hactenus per totam vitam incidi. Unus tantùm jam ſupereſt ſcrupulus de Dei Æternitate, & ad proximum poſtea Attributum continuò pergam. Æterna Divinæ Exiſtentiæ ſucceſſio videtur mihi implicare contradictionem. Etenim niſi unaquæque pars denominata infinita ſit, tota non erit infinita. Et ſi quælibet pars denominata, decima putà, centeſima, milleſima infinita, totidem erunt infinita.

Philoth. Rectè rem intelligo. Oportet autem conſiderare aut Deum ab æterno fuiſſe, aut Mundum. Quamobrem cùm aliquid tam certò ſit æternum, nulla eſt repugnantia Deum talem eſſe. Adeò ut videas nullam majorem perplexitatem aut difficultatem ex Dei exiſtentia oriri, quàm ſi omninò non exiſteret, ſecundùm ultimum præliminarium meorum monitorum. Immò verò perplexitas omnium maximè inextricabilis foret, ſi Mundum admitteremus ab æterno, ſine Deo. Æternus enim Fluxus motionis Materiæ æterna foret ſucceſſio propriè ſic dicta, quod *Bathynous* ſatìs ſolidè oſtendit eſſe impoſſibile. Et ſi unquam quievit & poſtea mota eſt, primum oportet eſſe Motorem à Materia diſtinctum. Quod neceſſariò inferre videtur, Deum eſſe; eóque magìs, propterea quòd Materia ſi à ſeipſa extitit, eam æternùm quieviſſe oportet antequam eſſet mota.

Hyl. Tam ſubitò evanuit hæc difficultas, ut ferè me pudeat eam propoſuiſſe.

Philoth. In non paucos incidi, quibus haud exigua hæc videretur difficultas. Adeò ut ſatìs digna eſſet quam proponeres.

Philop. Sed quæſo te, *Hylobares*, ad proximum perge Attributum. Nam vehementer gaudeo, quòd *Philotheum* videam ſuas res agere tanto cum ſucceſſu.

XVIII. *Attributum Immutabilitatis.*

Hyl. Proximum eſt ***Immutabilitas***, quæ mihi videtur neceſſarium Dei Attributum ex eo quòd Mutabilitas imperfectionem implicat. Heic verò humanus intellectus hoc Dilemmate captus videtur. Quòd agnoſcendum ſit eſſe aut mutabilem Deum, aut immutabilem. Si prius, non eſt propriè Deus, propterea quòd Deus omnem ex ſua natura imperfectionem excludit: Si poſterius, non eſt colendus. Omne enim bonum quod venturum erat, certò veniet ſine illius cultu, nec malorum quicquam averruncari poteſt ullis noſtris Officiis religioſis, quoniam eſt immutabilis. Quamobrem admittendus eſt aut imperfectus Deus, aut Deus non colendus. Quorum utrumlibet adeò abſurdum eſt ut vel invitis nobis videatur ſuggerere nullum omnino eſſe Deum.

Philoth. Admodum argutum hoc videtur Dilemma, ***Hylobares***, primo quidem aſpectu. Neutrum tamen cornu tam validum eſſe exiſtimo, ut repellere nos poſſit à credenda Dei exiſtentia. Quod ad me verò attinet, ego prioris cornu impetum excipiam, concedámque Deum eſſe mutabilem, negabo verò omnem mutabilitatem implicare imperfectionem, quamvìs quædam ſic ſit: ut iſta in humanis animabus vacillantia, taléſque mutationes quales in Materia reperiuntur corporea. Iſtiuſmodi verò mutabilitas cujus abſentia impotentiam implicaret ſive incapacitatem actionum nobiliſſimarum quæ concipi poſſunt, cujuſmodi eſt Creatio Mundi, Juſtitiæque Hominibus atque Angelis adminiſtratio, tantum abeſt ut ullus ſit defectus, ut ſumma profectò ſit Perfectio. Hæc enim potentia in Deo agendi in Creaturam in tempore eíque ſuccurrendi aut caſtigandi, eum non omnino inquietat, diſtrahítve ab illo quod ipſe in ſeipſo eſt quoad beatam ſerenitatem ac tranquillitatem ſuæ omnia-comprehendentis Æternitatis, quippe cujus Animadverſio, abſolutè libera eſt & infinita. Adeò ut qui potentiam agendi in tempore diminutionem perfectionis Divinæ cenſeri volunt, æquè imperitè, meo quidem judicio, rationes ſuas computant, atque ſi quis contenderet Ac + Aq. minùs valere quàm Ac. ſolum.

Hyl. Hoc certè convincit.

Bath. Et ut adhuc multò convictior abeas de invaliditate tui Dilemmatis, ego cornu poſterioris impetum excipiam, negabóq; Immutabilitatem Dei implicaturam, quòd non ſit colendus. Quid enim aliud eſt cultus Dei quàm eminentiſſimarum iſtarum ac Diviniſſimarum agnitio Excellentiarum in Eo, cui Mundus debet ſuam conſervationem ac ſubſiſtentiam, & à quo profectus eſt pulcherrimus ille ordo ac ſolertiſſima rerum concinnatio in Univerſo? Eſt igitur Juſtitiæ pars inviolabilis, fœcundum hunc Fontem atque Originem omnis boni agnoſcere, nec eò quidem minùs, quòd tam perfectè bonus ſit, ut aliter nec eſſe nec agere poſſit, ſed immutabiliter talis exiſtat. Præterea, hæc Laus & Adoratio ipſi præſtita actiones ſunt quæ proprias animas perficiunt, & in noſtris ad eum acceſſibus, ipſe nobis fit propinquior, ut apertio oculorum luminis Solis eſt intromiſſio.

Hyl. Quod narras, *Bathynoe*, fateor locum habere poſſe in illa parte Divini Cultûs, quæ in Deo laudando inſumitur. Cæterùm non video quomodo illius immutabilitas cum precibus noſtris ad eum fundendis bene poſſit conſiſtere. Res enim certò futuræ ſunt aut non futuræ, ſive eum precemur ſive ſecùs.

Bath. Verùm interim haud ſatìs conſideras, licèt ſic eſſet, preces tamen noſtras agnitionem eſſe magnæ illius beneficentiæ erga genus humanum, nec multùm ab imagine abludit puerorum benedictionem à parentibus ſuis petentium, qui tamen Deum oraturi eſſent ut ipſis benedicat, ſive pueri hoc ab ipſis peterent ſive ſecùs. Præterea dum Deum oramus ut interna nobis bona largiatur, Gratiam putà, Sapientiam ac Virtutem, eo ipſo animas noſtras aperimus ad accipiendam Divinam Influentiam, quæ in corda noſtra, pro ſuſpiriorum profunditate, & Devotionis fervore, magis minúſque influit. Quod eſt, utì dixi, quaſi oculorum apertio, ad recipiendum lumen ſolis. Neque nos quidem heîc alteramus mutamúſve Divinam voluntatem, quoniam Dei permanens ac immutabilis voluntas eſt ut quotquot cum debita religione ad eum accedant, condignum ab eo recipiant ſolatium & influentiam. Et poſtremò, quantùm ad bona externa, quanquam Deum fingeremus in immutabili Sabbatiſmo ſuæ ſemper beatæ Æternitatis quieſcere, nihilque in orbe fieri ad extrà, niſi per aut Naturalia, aut libera Agentia creata, aut per Homines bonos, aut per ſanctiores illos altioréſq; Angelorum Ordines, qui ſunt quaſi Aures, Oculi & Manus Dei, quemadmodum *Philo* alicubi inſinuat, quíque à Spiritu Dei tam ſtabiliter plenéque actuantur, ut ea ipſa facturi ſint, quæ Deus ipſe faceret, ſi ipſi agendum eſſet in rebus Mundanis ad extrà: Ex hac, inquam, rerum Hypotheſi, licèt Dei Immutabilitas illibata adhuc maneat, nihil incongruitatis implicat preces ad eum fundere. Non enim ſolùm audit & contemplatur ſimul omnia, ſed tales in orbe cauſarum ſeries æternò & immutabiliter conſtituit, itáq; bonas poteſtates regit, motúſq; ſubigit, ut nemo qui eum ritè oret, illius obtinendi quod ſibi optimum ſit, ſpe poſſit excidere, etiam in rebus externis.

Hyl. Hæc quidem conſideratio eſt, quæ nunquam antehac animo occurrit meo. Verùm mihi videtur à ratione haud ità aliena.

XIX.
De Operatione Deitatis ad extrà.

Eviſt. Sed ſupervacanea, quantum ego judico, quoniam Divina Oracula teſtificantur, ipſam Deitatem aliquando in actiones externas egredi, quemadmodum ubi Servator Chriſtus multitudinem paſcit, duobus panibus & piſcibus quinque, ubi mortuos excitat; ut ingens illud miraculum taceam, quod effecturus eſt in conflagratione Globi terreſtris, die noviſſimo.

Bath. Deitas quidem heîc operatur ad extrà, ſed non nuda, ſi ità fas ſit loqui, Deitas, ſed Divina Magia exaltatiſſimæ Animæ *Meſſiæ*.

Eviſt. Verùm quid reſpondebis ad iſta Veteris Teſtamenti loca, *Bathynoe*, ubi Mare rubrum dividitur, ubi Solis Lunæq; curſus ſiſtitur, ubi *Shadrach*, *Meſhach* & *Abednego* in ignita fornace incolumes ſervantur, & ſimilia? Annon nuda Deitas, quemadmodum appellas, in externam Actionem illic egreſſa eſt?

Bath. Nôſti, *Eviſtor*, Eurum vehementiſſimum totâ nocte flaviſſe, & diviſiſſe mare, quartúmq; hominem in ignita Fornace apparuiſſe ſimilem filio Dei. Et, ut ſummatim dicam, Miracula omnia ſive per *Moſen* ſive aliâ quâcunq; ratione aut inter aut in populum Judæorum facta, virtute fiebant ejuſdem *Chriſti*, qui Dux erat *Iſraelitarum* ad Terram *Canaan*, Angelúſq; illius populi præſes.

Eviſt. Memini ſanè talem aliquam opinionem fuiſſe quorundam ex antiquis Patribus, verùm ego ſemper conſideravi tanquam unam ex aberrationibus eorum.

Sophr. Et ego quidem *Bathynoi* Hypotheſin, tanquam ſublime quoddam ingenii inventum conſidero; Verùm mihi ſanè videbatur *Philotheus Hylobaris* dilemmati antea plenè ſatisfeciſſe.

XX.
De Attributo Omniſcientiæ.

Hyl. Ingenuè fateor neutram è ſolutionibus adeò infirmam fuiſſe, quin argumentum meum circa *Immutabilitatem* Dei abunde enervaverit. Ac proinde ad illius *Omniſcientiam* lubens pergo.

Philoth. Quid eſt quod illîc malè te habet, *Hylobares*?

Hyl. Certa ac determinata Præſcientia rerum contingentium, liberarum & incertarum. Alioquin enim libertas voluntatis tolleretur, & natura peccati. Peccatum enim non videretur peccatum niſi eſſet voluntarium.

Philoth. Non fore forſan, *Hylobares*, concedo. Cur igitur talem præſcientiam Deo attribuis quæ tam immanibus involvatur incommodis?

Hyl. Quoniam major in Deo perfectio eſt, omnia quæ futura ſunt, certò & determinatè prævidere, quàm è contrá.

Philoth. Et quæſo te, annon major etiam perfectio foret in Omnipotentia Dei, ſi omnia facere valeret, etiam illa quæ contradictionem implicant, quàm non valere eadem facere?

Hyl. Foret. Verùm cùm ea fieri contradictionem implicet, nemo *Omnipotentiam* Divinam, mancam aut mutilatam cenſet ex eo quòd ad iſtiuſmodi res ſe non extendat.

Philoth. Quamobrem, *Hylobares*, ſi certa præſcientia incertarum rerum ſive eventuum implicat contradictionem, expungi poteſt, ut videtur, ex Divina *Omniſcientia*, nec ullam poſt ſe cicatricem relinquere aut labeculam. Deus enim nihilominus æquè *Omniſcius* erit atque eſt *Omnipotens*. Quod ſi nullam implicat contradictionem, quid impedit quò minùs eam illi attribuamus?

Hyl. Verùm neceſſe videtur ut eam ipſi attribuamus. Alioqui, quonam modo poterit res adminiſtrare Univerſi?

Philoth. Mitte tu iſtam ſolicitudinem, O *Hylobares*. Æterna enim illa Mens, quæ omnia cognitu poſſibilia cognoſcit, omnia factu poſſibilia complectitur, atque ità tales cauſarum ſeries præſtituit, quæ certiſſimè unumquemque attingent ſuo tempore, cum judicio & juſtitia, quamcunque ſibi, ad incedendum, viam elegerit.

Hyl. Rem intellgo, *Philothee*.

Philoth. Porróque intelligere potes, id quod tu velis Deo attribuere tanquam Perfectionem, Imperfectionem potiùs ſonare, ſi rectè rem perpendas.

Hyl. Quid ità, *Philothee*?

Philoth. Annon Cognitionis perfectio eſt ſic res cognoſcere ut ſunt in ſua natura?

Hyl. Ità prorſus exiſtimo.

Philoth. Quamobrem liberum cognoſcere Agens, quod in alterutram partem adhuc indeterminatum eſt, ſic eſſe indeterminatum, partémque poſſe eligere utramlibet, maximè perfecta cognitio eſt talis Agentis ejúſque Actionis, donec plenè determinatum ſit, ſuámque fecerit optionem.

Hyl. Ità quidem videtur.

Philoth. Itaque ipſum determinatum antè cognoſcere quàm determinetur vel dum liberum eſt, cognitionis eſt Imperfectio, vel potiùs nulla omnino cognitio, ſed error & hallucinatio, & quod reverà naturæ Dei repugnat, qui nihil intelligere poteſt niſi ſecundùm Ideas diſtinctas rerum propriâ mente conceptarum. Atque Idea liberi Agentis, Indeterminatio eſt ad partem alterutram, donec fecerit optionem. Unde prævidere Agens liberum, ſcientiâ certâ ac infallibili, talem partem electurum, eſt quidem rem prævidere tanquam certam, etiam tunc quando incerta eſt, qui Error craſſus eſt apertáque Repugnantia.

Hyl. Equidem, *Philothee*, hac in re mihi facis pluſquam ſatìs. Quòd nempe res indeterminatas determinatè concipere, vel certò eventuras eſſe hoc modo dum fieri poſſunt utrolibet, Imperfectio planè ſit veritatíque contradictio. Verùm hæc pars perplexitatis adhuc ſupereſt, quòd hic perfectionis ſcientiæ prætextus neceſſariò Imperfectionem inferet, ſive incapacitatem prædicendi Actiones futuras liberorum Agentium, Divinámque Inſpirationem ac prophetias penitus tollet.

Philoth. Id certè ſatis argutè urges & opportunè. Verùm intelligere debes, tantum libertatis quantum in Homine nos reliquum eſſe ſtatuimus, ſatìs ſpacii relinquere multis millenis millibus certarum Prædictionum, ſi Deo viſum eſſet hominibus tam confertim eas communicare. Quanquam enim nulla apud me quæſtio eſt, quin Animi humani aliquo modo ſint liberi, æquè parum tamen dubito quin ſint vel eſſe poſſint infiniti numeri Actionum in quibus æquè certò determinentur atque ipſa bruta Animalia. Taléſque actiones ſunt eorum omnium qui in corruptum hoc corpus nimis profundè illapſi ſint, & paucorum iſtorum, qui ad magìs Heroicum Virtutis gradum emerſerint. Certò præcognoſci poteſt, quid illi facturi ſint, in his vel illis circumſtantiis. Ut nè addam, ipſa Divina Decreta homines, ubi idonea Inſtrumenta eos non reperiunt, tales ipſos efficere, ubi vaticinia abſoluta ſunt ſine ulla tacita conditione annexa.

Bath. Quæ *Philotheus* hactenus ad conciliandam Divinam *Omniſcientiam* cum libero arbitrio, peccatíque natura attulit, laudabilem ſanè, propter facilem vulgari Intelligentiæ accommodationem, perſpicuitatem & plauſibilitatem præ ſe ferunt. Verùm, meo judicio, quanquam adeò repugnans videtur ut certa illius ſit præſcientia, quod ipſum liberum eſt & incertum, videtur tamen magìs tutum, iſtud privilegium infinito Dei Intellectui concedere, quàm *Omniſcientiam* illius ullatenus circumſcribere audere. Quanquam enim tutò dici poteſt, ipſum nihil cognoſcere quod reverà contradictionem implicat ut cognoſcatur, nos tamen certi eſſe non poſſumus, quin illud nobis contradictio videri poſſit, quod revera tale non ſit in ſeipſo. Verbi gratiâ: Finito noſtro Intellectui Quadratum cujus Diagonalis uni ex lateribus ſymmetra ſit, aperta eſt Repugnantia, nóſque exiſtimamus clarè nos demonſtrare poſſe ſic omnino eſſe, hoc eſt, Rationem unius ad alterum nec concipi poſſe nec definiri. Atenim ecquis eſt homo qui eò audaciæ proruperit, ut affirmet nè ipſum quidem intellectum Divinum, cujus comprehenſio infinita eſt, rationem Diagonalis lineæ in Quadrato, ad latus ſuum, apud ſeipſum poſſe definire? Applicatio admodum obvia eſt.

Philoth. Sic eſt, *Bathynoe.* Ità enim te breviter rem intelligere arbitror. Quòd quemadmodum linea Diagonalis latúſque Quadrati noſtro quidem conceptui aſymmetra ſive incommenſurata, commenſurabilia tamen ſunt infinitæ comprehenſioni Divini Intellectûs; ità certa & infallibilis incertarum Futuritatum præſcientia, quod nobis repugnans planè quoddam videtur, poteſt tamen nihilominus deprehendi tanquam abunde conſentaneum, per omnia-comprehendentem Intellectum Dei. Admodum tuta profectò ac ſobria ſolutio eſt præſentis difficultatis. Equidem facilè contentus ſum ut ità ſit, *Bathynoe,* útque id quò ego collimavi, pro Tentamine tantùm habeatur, non pro rato Dogmate, & ex ſententia aliorum potiùs dicto quàm mei ipſius.

Philop. Nuſquam alibi dictum illud æquè verificatum reperi, *Sapientiam facilem eſſem ei qui intelligit,* quàm in diſſertationibus *Bathynoi* ac *Philothei.* Annon hactenus penitus tibi ſatisfactum eſt, *Hylobares?*

Hyl. Equidem fateor. Nunc verò ad nodum venio, omnium longè perplexiſſimum, talémq; de quo mihi, vereor nè fatale ſit, nunquam ſatisfactum iri.

Philoth. Quid iſtud rei eſt, *Hylobares?*

XVI. *De Attributo Spiritualitatis, Deúmque eſſe non poſſe Materialem.*

Hyl. Spiritualitas Dei. Morbus eſt Animi mei proprius, quòd nihil niſi quod *Materiale* ſit ſive *corporeum* poſſim concipere. Spero verò Morbum non eſſe lethalem.

Philoth. Abſit, *Hylobares,* ut ità fiat, modò nulli ſit fidei impedimento circa Exiſtentiam Dei omniáque illa Attributa quæ neceſſaria ſunt ad illigandam Animam humanam ſtudio veræ Pietatis ac Virtutis. Deus talem tandem perducet ad veram ſui cognitionem, quantacunque illius ſit in præſens ignorantia. Et quantùm ad me, ego certè notionem *Spiritualitatis* ullámve aliam Notionem ultrà non depereo, quàm vitæ poſſint inſervire ac pietati. Ut tanta eſſe poſſit etiam in hac vita fœlicitas, quantæ res humanæ ſint capaces, & ut æternùm fœlices eſſe poſſimus in vita futura. Alioquin ego profectò haud tantâ teneor ſolicitudine, ut tam elegantes quiquam & præciſi rerum Speculatores ſint, ut nè latum quidem pilum errent in argumentis tantæ perplexitatis & obſcuritatis.

Eviſt. Equidem lego, quorundam Patrum opinionem fuiſſe, quòd Deus purum quoddam ac ſubtile ſit corpus.

Bath. Id quidem fieri poteſt. Verùm iſtis temporibus illam veram ac præciſam ſubtilis corporis notionem non habebant, quam Philoſophi plerique omnes nunc dierum habent. Sed veriſimillimum eſt eos nihil ampliùs per illud intellexiſſe, quàm quòd ſubtilis quædam eſſet ſubſtantia extenſa. Quod certè, quod ad me attinet, ego in genere verum eſſe poſſe cenſeo. Cæterùm corpus ſubtile propriè dictum affirmare, minutularum Atomorum congeriem eſſet agnoſcere, aliarum juxta alias gyrantium ac ludentium, qui nimiùm humilis abjectúſque conceptus eſt Majeſtatis Divinæ. Præterea quomodo hæ ſolutæ Atomi, independentes adeò aliæ ab aliis, unà ſe conjungant ad conficiendam Deitatem, nequaquam poteſt concipi, quomodóve conſpirent ad ſuam conſervandam unionem, nè fiat Divinitatis diſſolutio. Vel ſic: Si multitudo hæc Divinarum Atomorum Deus ſit, interſperſæne ſunt inter reliquam Mundi Materiam, an verò omnes ſimul conjunguntur? Si diſperſæ ſunt, Deus minùs Unum quid eſt quàm aliud quicquam in toto Univerſo, infinitúſque potiùs numerus eſt Deitatum quàm unus Deus, Deúſve ullus; Atque infinitus hic numerus, conſilia inter ſe miſcendi, quò artificioſam hanc Mundi fabricam comminiſcerentur, omninò incapax. Quodſi una ſit Divinarum Atomorum congeries ſimul conjunctarum, in quonam iſtorum infinitorum numero Vorticum, aut inter quos, ſita eſt? quomodóve materiam illorum Vorticum à ſe tam longè diſſitorum poteſt ordinare? vel quomodo rurſus Atomi iſtæ, quanquam non interſperſæ conſilium capiunt aliæ cum aliis in unum Finem? ſermones ſecum invicem ſerunt ac loquuntur? aut quid eſt quod faciunt? Ac rurſus ——

Hyl. Quin deſine, *Bathynoe,* porrò pergere. Feciſti enim jam ut Materialis Deitatis me planè pudeat, ſed in majorem meum dolorem & anxietatem. *Materialem* enim fingere Deitatem, fateor, oppidò quàm ridiculum videri, *Spiritualem* verò impoſſibile: Adeò ut in majores redactus ſim anguſtias, quàm unquam hactenus.

XXII. *Falſa Notio Spiritus.*

Philoth. Quid ità *Hylobares?* Qualem tu de Spiritu conceptum formas, ut rem impoſſibilem eſſe reputes?

Hyl. Annon infinitè incredibile eſt, *Philothee,* ſi non impoſſibile, ut aliquot Spirituum millia ſaltare poſſint vel ambulare in Aciculæ cuſpide ſimul?

Cuph. Idque, ocreis calcaribúſque induti?

Hyl. Et in uno temporis momento pervolare ab uno Mundi Polo ad alterum?

Philoth. Hæc ingenuè fateor admodum videri incredibilia.

Hyl. Utque Spiritus humanus, quem vulgò ejus Animam appellamus, totus ſit, ſine ullo tranſcurſu, in Pede, totúſque in Capite ſimul? Si tota Anima ſit in Pede, nihil reliquum eſt quod ſit in Capite. Ac proinde Notio *Spiritûs* omnino eſt impoſſibilis, aut omnia perinde ſunt vera. Nihil enim mihi videtur magìs impoſſibile quàm hoc.

Philoth. Verùm quinam ſunt iſti qui Spiritum ad hunc modum deſcripſerunt, *Hylobares*?

Hyl. Sunt quidem, O *Philothee*, Scholæ venerabiles quæ ſic deſcripſerint.

Philoth. Atenim, annon te præmonui, nullam humanam Autoritatem jus habere quo ei credatur, quoties apertas proponit repugnantias? Quamobrem eorum temeraria Spiritûs deſcriptio veritati illius Exiſtentiæ nequaquam debet præjudicare. Et certè quamvìs vera Spiritûs notio incomprehenſibilis eſſet, nullum tamen id ſolidum argumentum foret contra illius Realitatem; * quemadmodum obſervare eſt in natura æternæ Succeſſionis, quam eſſe quidem negare neutiquam poſſumus, licèt naturam ejus plenè comprehendere nequeamus.

XXIII. *Quòd aliqua Spiritualis ſubſtantia exiſtit in rerum Natura.*

Hyl. Hoc oppidò quàm verum eſt, valdéque notatu dignum. Sed enim quomodo ſat certi eſſe poſſumus de exiſtentia *Spiritûs*, dum comprehenſio illius naturæ adeò in deſperato eſſe agnoſcitur?

Philoth. Eſſe quidem aliquod Intellectuale Principium in Univerſo, ipſe abunde perſuaſus eras ex operibus Naturæ, æquè certè atque *Archimedis* Tractatum de *Sphæra* & *Cylindro* à rationali aliquo Agente fuiſſe profectum. Et modò præter modum tibi ridiculum videbatur, ut Atomorum congeries Divina eſſet & Intellectualis. Quamobrem aliquid, quod non eſt Materia, neceſſe eſt exiſtere, quod ſit intellectuale, quam ſubſtantiam proinde *immaterialem* ſive *incorpoream* eſſe oportet, hoc eſt, uno verbo, *Spiritum*.

Hyl. Equidem fateor me admodum fortiter urgeri ad credendum *Spiritum* perinde eſſe atque æternam Durationem, quamvìs neutrum comprehendere valeam.

Philoth. Et ut adhuc magìs in hac fide corroboreris, recole apud teipſum multiplices Apparitionum Hiſtorias, & quàm multi viderint aut perſenſerint Spectra cum Hominibus colluctantia. Quod, ſi mera Atomorum congeries eſſent, foret impoſſibile. Quomodo brachium meri Aeris ſive Ætheris, hominis manum brachiúmve convellere poſſet vel ad ſe attrahere, quin ipſâ vulſurâ facilè diſrumperetur? Quamvìs motu *pulſionis* uti poſſet nunquam tamen poſſet *attractionis*.

Hyl. Hæc palpabilis quidem demonſtratio foret aliam aliquam ſubſtantiam Spectris his Aereis ſive Æthereis ſubeſſe, ſi ipſæ Hiſtoriæ veræ eſſent.

Eviſt. Iſtiuſmodi res legimus etiam omnibus Seculis lociſque Mundi eveniſſe. Súntque moderna exempla ac recentia quotidie. Adeò ut non ſit cur quiſquam de veritate harum rerum dubitet.

XXIV. *Extenſionem & Materiam non eſſe reciprocas.*

Hyl. Hæc quidem Experimenta Imaginationem ſenſúſque admodum fortiter feriunt, eſt verò ſubtilis Ratio, quæ ſtatim omnia denuò diſſolvit. Et nunc quidem optarem ut natura Spiritûs mihi minùs nota eſſet quàm revera eſt, ut illius Exiſtentiam credere poſſem, intactâ ejus Eſſentiâ. Cæterùm non poſſum quin hoc vel invitus cognoſcam, eum aut extenſum eſſe aut non eſſe extenſum; aut habere ſcilicet aliquam Eſſentiæ amplitudinem, aut habere prorſus nullam. Si nullam habet amplitudinem ſive extenſionem, ridicula Scholarum Hypotheſis caput rurſus efferet, multáque millena Spirituum millia, quantum ego intelligo, ſaltare poterunt in cuſpide Aciculæ; vel potiùs cùm nullam habeant amplitudinem, nihil prorſus erunt. Si quam verò habeant Amplitudinem ſive extenſionem, non futuri ſunt *Spiritus*, ſed merum *Corpus* ſive *Materia*. Etenim, quemadmodum mirandum illud Ingenium, *Carteſius*, ſolidè concludit, *Extenſio ipſa Materiæ Eſſentia eſt.* Hoc certè unum ex præcipuis argumentis eſt, quæ me à promptè credenda Spirituum propriè dictorum exiſtentia tam fataliter abercent.

Philoth. Mirum eſt, *Hylobares*, ut adeò adamantinum aſſenſum præbeas Aſſertioni tam infirmæ & precariæ quàm ſit hæc *Carteſii*. Quanquam enim ſatis ingenioſè ab eo ſuppoſitum ſit, tanquam Fundamentum magìs certarum & quaſi Mathematicarum deductionum in Philoſophia ſua poſtea faciendarum, omnino tamen probatum non eſt, *Quòd Materia & Extenſio idem ſint reciprocè*, i. e. Unaquæque res extenſa, perinde Materia, atque omnis Materia extenſa. Hoc omnino novum eſt hujus præſentis ſeculi commentum. Veteres Philoſophi Atomici æquè pro *Vacuo* contendebant, atque pro *Atomis*. Et certè Orbis literatus hactenus admodum ineptus fuit, qui tot diſputationes inierunt, & tam multa fecerunt experimenta, ad diſpiciendum an ſit Vacuum necne, ſi tam demonſtrativè concludi poteſt, quàm nobis perſuadere vult *Carteſius*, contradictionem planè implicare, ut ullum ſit. Fundamentum Demonſtrationis adeò cuiq; expoſitum eſt atq; obvium, ut neminem latere potuiſſet, ſi vim ullam ei ſubeſſe quiſquam judicâſſet.

Hyl. Concedo quidem hoc meritò poſſe cujuſvis confidentiam aliquantum imminuere, *Philothee*. Opinio tamen iſta tam profundas in animo meo agit radices, ut iſtiuſmodi ventilationes Rhetoricæ nequaquam eam laxare poſſint, nedum eandem eruere.

XXV. *Extenſionem aliquam eſſe motui intrinſecam.*

Philoth. Age igitur, permitte mihi, *Hylobares*, aliâ te adoriri viâ. Annon modò dixiſti, quicquid nullam habet Extenſionem ſive Amplitudinem, nihil eſſe?

Hyl. Dixi, nec me pœnitet ità dixiſſe, nullus enim dubito quin verum ſit.

Philoth. Quamobrem Extenſio ſive Amplitudo, intrinſeca eſt ſive Eſſentialis proprietas Entis quatenus Ens eſt, ut loquuntur Metaphyſici.

Hyl. Ità quidem eſt.

Philoth. Et quod intrinſecum eſt ſive Eſſentiale rei Attributum, in ipſa re eſt.

Hyl. Ubi obſecro aliàs eſſe debet?

Philoth. Ergo Extenſio eſt in qualibet re ſive Entitate.

Hyl. Illud non poteſt negari.

Philoth. Et æquè parùm profectò negari poteſt, quòd Motus ſit Entitas, Phyſicam intelligo Entitatem.

Hyl. Nec id poteſt negari.

Philoth. Ergo extenſio intrinſeca proprietas eſt Motûs.

Hyl. Equidem agnoſcere oportet, Quid tum demum?

Philoth. Quid tum, rogas? Annon vides, *Hylobares*, quàm imbecilla ſit illa *Carteſii* Aſſertio, Quòd *Extenſio & Materia ſunt reciprocæ?* Planè enim deprehendis, Extenſionem *intrinſecam* eſſe Motui, & tamen Motum non eſſe Materiam.

Hyl. Motus non eſt Ens ſed modus Entis.

Philoth. Quinimo, cum tua pace, *Hylobares*, Motus eſt Ens, quanquam aliquâ ratione dici poteſt Modus Corporis.

Hyl. Equidem mihi videor, neſcio quomodo, *Philothee*, illaqueatus, ſed non revera captivatus in aſſenſum tuæ concluſioni.

Philoth. Id indè fit, quòd jam captivus teneris illâ aſſuetâ opinione *Carteſii*, quod facit ut vel ſolidiſſimam rationem ſuſpectam habeas ac ſi eſſet Sophiſma.

Hyl. Si Motus res eſſet ſoluta & exemptitia à Materia, tunc certè non poſſem non perſuaſus eſſe, ſuam propriam habere extenſionem; nunc verò cùm merus Materiæ ſit modus qui ab ea migrare non poteſt in aliud ſubjectum, nullam aliam extenſionem habet quàm quæ ſit ipſius Materiæ cui ineſt.

Philoth. Atenim, ſi Eſſentiam habet aliam ab ipſa Materia, etiam ex tuis conceſſis, aliam habere oportet quoquomodo extenſionem. Præterea, videris perperàm intelligere quid ego velim per Motum. Neque enim ſimpliciter intelligo tranſlationem ſed vim agitantem quæ corpus totum pervadit quod movetur. Quam & *Regius* & *Carteſius* agnoſcunt exemptitiam ac ſolutam, ità ut tranſire poſſit ab una parte Materiæ in aliam.

Hyl. Quid autem id ad me attinet, ſi ipſe non agnoſco?

Philoth. Eatenus ſaltem ad te attinet, quatenus obſervare potes quàm temerè & ſine omni ratione tum *Carteſius* tum *Regius* Extenſionem aſſerunt & Materiam eſſe reciprocas, dum interim id affirmant quod juxta tuam ipſius ſententiam planè apertéque infert Extenſionem magis generalem eſſe quàm Materiam.

Hyl. Indicium eſſe agnoſco, conceptus cogitationéſve hominum admodum laſcivientes eſſe atq; lubricas.

Philoth. Ac proinde cavere nobiſmetipſis oportet, nè permittamus animos noſtros cujuſquam opinioni, ex perſonæ illius admiratione, adhærere.

Hyl. Optimum profectò conſilium eſt, ſummíque momenti (ſi maturè detur,) ad errorem falſitatémq; repellendam. Poſtquam verò menti ſemel inſita ſit, dic quomodo tunc demum ſit expellenda.

Philoth. Equidem fateor me valdè demirari, *Hylobares*, cùm tam planè perſuaſus ſis, unamquamq; realem ac Phyſicam Entitatem propriam ſuam habere ac intrinſecam extenſionem, Motúmque Entitatem eſſe Phyſicam à Materia diverſam, te non continuò pariter perſuaderi eum propriam ſuam itidem habere extenſionem. Quibus addere potes, ipſum modum extenſionis in Materia à natura extenſionis in Motu, differre, quippe quarum prior ſimplex extenſio eſt non minuenda aut augenda ſine diminutione & augmento ipſius Materiæ, poſterior verò extenſio gradualis quæ minui & augeri poteſt ſine ulla diminutione & augmento Materiæ. Quod rurſus haud obſcurum indicium eſt eum propriam ſuam habere extenſionem, quæ in ſeipſam reduplicari poteſt, & in tenuiores debilioreſque gradus reduci, dum Materiæ extenſio adhuc ſimplex manet atq; eadem.

Hyl. Equidem fateor, *Philothee*, me ad eas anguſtias redactum eſſe ut neceſſe ſit aut iſti principio renunciare, Quòd *Entitas unaquæque Phyſica ſuam propriam extenſionem habet* atque intrinſecam, æquè ac ſuam intrinſecam Eſſentiam, (cui quidem renunciare neſcio) aut agnoſcere aliquid præter Materiam eſſe extenſum. Oportet verò ſpatium mihi ſumere ad cogitandum. Judicium meum vacillare aliquantum perſentiſco hac in re.

XXVI.
Immobile quoddam exiſtere Extenſum à mobili Materia diſtinctum.

Philoth. Permitte mihi igitur, *Hylobares*, ſi titubare incipit hæc tua opinio, novo impetu ictum duplicare, & experiri ſi humi eam proſternere non valeo.

Hyl. Fac, *Philothee*, ego ſtrenuè impetum excipiam.

Philoth. Colloca te igitur ſub linea Æquinoctiali, *Hylobares.*

Hyl. Annon multò conſultius eſt in frigida hac conſidere pergula?

Philoth. Spero meram Imaginationem Zonæ Torridæ te non calefacturam eſſe. Potes verò in Climate magìs Temperato te collocare ſi lubet.

Hyl. Sic me colloco, quid tum?

Philoth. Sagittam ex arcu emitte perpendiculariter à Terra. Sagitta, bene nôſti, ad pedem tibi reverſura eſt.

Hyl. Niſi impediat ventus. Sed quemnam ſcopum petit hæc ſagitta?

Philoth. Sagitta hæc lineas tantùm rectas cuſpide ſuâ deſcripſit, ſurſum deorſúmque pergens, in ipſo Aere. Veruntamen Telluris motu admiſſo oportet aliquâ ratione circularem ſive curvam lineam deſcripſiſſe.

Hyl. Ità planè oportet.

Philoth. Cæterùm ſi æſtûs ſubdialis adeò impatiens ſis, nihil neceſſe eſt, ut vel corpus vel imaginatio ex frigida hac pergula pedem efferat. Rotundum iſtum diſcum ligneum conſidera, ſuper quem ſtat calix. Brevis quidam Cylindrus eſt, quem pede uno longiorem ſingere potes ſi lubet.

Hyl. Facillimè, *Philothee.*

Philoth. Atque æquè facilè lineam ſingere à ſummitate Axis illius Cylindri in Peripheriam Baſis deductam.

Hyl. Omnino æquè facilè.

Philoth. Nunc ſuppone Cylindrum hunc ſuper axem ſuum ſupervolvi. Annon Linea iſta à ſummitate Axis ad Peripheriam Baſis ducta Conicum deſcribit unâ circumvolutione?

Hyl. Sic eſt, *Philothee.*

Philoth. Verùm nullam talem Figuram deſcribit in ipſo Cylindro ligneo: quemadmodum ſagitta in Aereo ſive Materiali Circulo Æquinoctiali, nullam lineam deſcribit præter rectam. In quo igitur ſubjecto deſcribunt altera putà *Circularem* lineam, altera ſuperficiem *Conicam?*

Hyl. Nè vivam, *Philothee*, ſi non quaſi fulgure ictus ſum ex hac inopinata conſideratione.

Philoth. Spero te, *Hylobares*, aliqua ex parte, novâ Illuminatione perculſum.

Hyl. Sic ſum.

Philoth. Teque certò perſuaſum eſſe, ſive tu vivas ſive ſecùs, Quòd ſemper fuit, eſt, & futurum eſt *Immobile quoddam extenſum à mobili Materia diſtinctum.*

Hyl. Hoc evidenter demonſtrat exiſtentiam antiqui Vacui *Democritici*, ſimúlque Extenſionem & Materiam non eſſe Terminos convertibiles, pro quo tamen *Carteſius* tantopere contendit. Hæc opinio *cuſpide* ſagittæ in immobili Æquinoctiali circulo lineam *curvam* deſcribentis penitus *confoſſa* expiravit. Et ſi unquam in cogitationibus meis in vitam inciperet rurſus *accendi*, *Conico* equidem uterer Cylindri circumvolutione deſcripto, tanquam *Extinctorio lucernali*, ad eam ſupprimendam vel extinguendam.

Philop. Quàm hilaris res eſt agnitio veritatis, quæ *Hylobarem* tam facetum fecit atque feſtivum?

XXVII.
Extenſum hoc à Materia diſtinctum non eſſe Imaginarium ſed Reale.

Cuph. Mihi verò videtur alis plaudere ante victoriam, vel manus dare antequam ſit victus. Poteſt enim hìc tempeſtivè ſuggeri, *Realem* eſſe Extenſionem ac *Materiam* qui Termini ſint convertibiles. Illam vero extenſionem in qua ſagittæ cuſpis lineam curvam deſcribit eſſe tantùm *imaginariam.*

Hyl. Eſt autem Extenſum iſtud ità imaginarium, ut nullius Hominis Ratio illud ex Imaginatione ſua poſſit expungere. Quod mihi certè haud obſcurum pignus videtur, eſſe aliquid in iſta extenſione plus quàm Imaginarium. Et antiqui quidem Philoſophi Atomici Vacuum hoc τὴν ἀναφῆ φύσιν, i. e. *intangibilem naturam* appellârunt, quod indicium eſt eos aliquid reale exiſtimâſſe. Quod porrò etiam apparet ex eo quòd hoc ipſum atque Atomos Res ſolas veras declarârunt, reliqua verò omnia meras eſſe Apparentias. Et *Ariſtoteles* alicubi in Phyſicis expreſſè narrat de *Pythagoreis*, eos nempe *vacuum tenuiſſe, ex infinito ſpiritu qui Cœlum ſive Univerſum pervadit*, quippe vivens reſpiránſq; illius beneficio. Diog. Laert. *in vita* Epicur.

Eviſt. Locum optimè memini. In libro quarto reperitur, Capite ſexto. Εἶναι δ' ἔφασαν καὶ οἱ Πυθαγόρειοι κενόν, καὶ ἐπεισιέναι αὐτὸ τῷ οὐρανῷ ἐκ τοῦ ἀπείρου πνεύματος ὡς ἂν ἀναπνέοντι.

Bath. Tanquam ſi *Pythagoricum* hoc Vacuum id eſſet Univerſo quod particularibus Animantibus eſt Aer, id ſcilicet in quo & per quod vivunt ac reſpirant. Unde manifeſtum eſt *Pythagoreos* ipſum, Imaginarium quoddam nequaquam tenuiſſe.

Hyl. Et poſtremò, O *Cuphophron*, niſi à Dictatis deficere velis tui, quem tantæ admirationi habes, *Carteſii*, cùm Vacuum hoc, Extenſum ſit, ac Menſurabile & ſimilia, Reale aliquid eſſe oportet, quoniam Non-Entis nulla eſt affectio, ex ipſis Ratiocinationibus adamati tui Magiſtri. Unde liquidò videtur conſtare, quòd ſubſtantia quædam ſit extenſa Corpore longè ſubtilior, quæ totam Univerſi Materiam pervadit.

Bath. Pulcherrimè argumentaris, O *Hylobares*. Evaſiſti profectò non diſcipulus ſolùm, ſed validus admodum Athleta pro exiſtentia rerum Immaterialium, ac proinde non procul abes à recta intelligentia Naturæ Dei. Cujus Eſſentiæ, ingenuè fateor, me ſemper proclivem fuiſſe ad cogitandum ſubtilem hanc Extenſionem (quam nemo imaginari poteſt quin neceſſariò ſit) obſcuriorem quandam eſſe Umbram aut Veſtigium, vel magis generalem & confuſam deprehenſionem Divinæ Amplitudinis. Hæc enim neceſſariò erit quantumvis univerſa Mundi Materia penitus annihilaretur. Quinimo hæc omnem antecedit Materiam, quandoquidem nulla Materia nec ulla res alia concipi poteſt exiſtere, niſi in hac. In hac neceſſariò omnia intelliguntur vivere, moveri ac ſubſiſtere.

Sophr. Domine, tu noſtrum Habitaculum fuiſti per omnia ſecula, Tu ante natos Montes, ante formatam Terram atque Orbem ab æterno in æternum Deus es. Pſal. 90. 1, 2.

Bath. Unde Cabbaliſtæ non temerè iſtos Titulos מקום & אדוני attribuerunt Deo, Qui immobilis Motor eſt, Receptaculum & Suſtentator rerum omnium. Quod illi conſentaneum eſt quod *Hylobares* notavit de opinione *Pythagoreorum*, qui magnam ſanè cognationem habent cum antiquis *Cabbaliſtis*.

Cuph. Quàm Myſtica commenta de eo fovet *Bathynous*, quod ad ſummum, non niſi merum Vacuum eſſe poteſt?

Bath. Extenſio eſt ab iſta Materiæ planè diſtincta, & in hac diſtincta ratione magis neceſſariò intelligenda & ſupponenda, quàm iſta Materiæ extenſio, ac proinde argumentum infinito certius Exiſtentiæ Spiritûs infiniti, quàm illa altera, indefinitæ Materiæ. Nam dum iſta Extenſio ſuper quam *Carteſius* ſuam vult extruere Materiam, concipitur mobilis, hic Spiritus neceſſariò ſupponitur in quo moveatur, quemadmodum apparet ex Inſtantiis *Philothei*. Adeò ut hæc ſola ſit extenſio, quam oporteat neceſſitatem implicare exiſtentiæ Entis alicujus realis ad quod pertineat. Quam igitur oportet coincidere cum Eſſentia Divina, nec poteſt non eſſe Spiritus, quippe quum pervadat Materiam Univerſi.

Cuph. Capacitas tantùm Materiæ eſt, *Bathynoe*.

Bath. Quid intelligis per Capacitatem, *Cuphophron*? Materiam in potentia?

Cuph. Ità quidem.

Bath. At verò nos hanc Extenſionem ab iſta Materiæ concipimus ſolutam & diſtinctam: cùm iſta Materiæ mobilis ſit, hæc eſt immobilis; iſta Materiæ diſcerpibilis, hæc indiſcerpibilis. Nam ſi diſcerpibilis eſſet, eſſet etiam mobilis, atque ſic eo ipſo ſeipſam diſtingueret ab Extenſione indiſcerpibili atque immobili. Ens potentiâ verò poſtquam Ens actu ſemel factum ſit, ſunt quidem una eadémque individua Eſſentia actu exiſtens, nec poſſibile eſt ut unum disjungatur ab altero, dum exiſtunt. Quemadmodum Metaphyſicum tuum Ingenium non poteſt quin facilè intelligat.

Cuph. Tam facilè intelligere hoc in loco non poſſum, *Bathynoe*, quippe quem oportet cum *Carteſio*, Extenſionem & Materiam facere reciprocas. Certus enim ſum mero Sophiſmate me illaqueari, cùm tam clarè deprehendam, ſi Deus perinde atque Materia è Mundo exterminaretur, quòd hæc Extenſio tamen deluſæ meæ Imaginationi neceſſariò videretur remanere. Verùm ſi nec Deus nec Materia eſſet, nihil omnino exiſteret. Quod manifeſtum indicium eſt hanc remanentem Extenſionem, Extenſionem eſſe nihili, ipſámque propterea nihil eſſe præter Imaginationem.

Bath.

Bath. Argutum profectò hoc Inventum eſt, O *Cuphophron.* Verùm ſi rectè rem perpendas, hoc Argutamentum quod contra me facere videtur, revera pro me facit. Ex eo enim quod agnoſcis dum Deum è Mundo exterminatum concipis, extenſionem tamen hanc nihilominus remanere, id omnino quod verum eſt indicat, conceptum ſcilicet Dei è Mundo exterminati contradictionem implicare, quod proculdubio facit. Nulla enim eſſentia exterminabilis poteſt eſſe Eſſentia Dei, quippe cujus Eſſentia neceſſariam implicat Exiſtentiam. Quamobrem Deus iſte quem tu exterminabas, proprii tui cerebri erat Figmentum; illa verò extenſio quæ tibi vel invito remanet, revera & identificè coincidens eſt cum Amplitudine Eſſentiæ Divinæ. Unde obſervare licet non inſulſitatem ſolùm ſed impietatem alterius poſitionis quæ præcipuam illam Dei Prærogativam, neceſſariam ſcilicet ejus Exiſtentiam, in Materiam vult transferre, ex prætextu quòd quicquid extenſum eſt, tale eſſe oporteat, & ſimul Deum neceſſariò ex Univerſo exterminare apud eos omnes qui nihil concipere poſſunt quod non ſit extenſum, hoc eſt, quod non aliqualem habeat Amplitudinem.

XXVIII. *De veritate hujus rei ad Rationem, Senſum & Imaginationem nova Provocatio.*

Hyl. Ac proinde fatum meum futurum fuiſſet inevitabile, in Atheiſmo deſidere, niſi *Philotheus* me tam fœliciter liberâſſet à ſcæva hac opinione per iſtas Inſtantias *Conici* & *Sagittæ*. Nam certiſſimè indè deprehendo Extenſionem eſſe diſtinctam ab illa Materiæ, quam licèt admitteremus imaginariam eſſe, hoc tamen ſaltem illinc promanabit, Extenſionem, cùm adeò neceſſariò applicabilis ſit Objectis imaginariis æquè ac realibus, *Logicam* potiùs Notionem eſſe quàm *Phyſicam*, & ex conſequenti applicari poſſe objectis omnibus, *Metaphyſicis* perinde atque *Phyſicis*.

Cuph. Phantaſticis ſive Imaginariis perinde atque Phyſicis oportet dixiſſe, O *Hylobares.* Nam ſi quid reale extenſum ſit, eſt ipſo facto Materia, quemadmodum Oraculum illud Philoſophiæ concluſit, *Renatum* intelligo *Carteſium.*

Hyl. Perversè iſtud rurſus interpoſitum eſt, *Cuphophron*, (licèt non omnino probatum) & tamen repugnanter tuo, quem adeò miraris Oraculo, qui declaravit, prout ſuprà monui, *Nihili nullam eſſe affectionem.* Quamobrem cùm ſit menſurabilis Extenſio à Materiæ extenſione diſtincta, eſt etiam ſubſtantia à Materia diſtincta, quam propterea oportet eſſe Immaterialem & ex conſequenti Metaphyſicam. Eſſe verò Extenſionem à Materia diſtinctam ex iſta Conici Inſtantia planè conſtat.

Cuph. Nulla eſt realis *Conici* deſcriptio, *Hylobares*, nec in ulla Extenſione præterquam ipſius Cylindri lignei. Hi ſunt Imaginationis ſolummodò fumi & vertigines, & tunc gravia Monita Theologica inferimus uſúſq; reprehenſionis, tanquam ſi à noſtra parte tota ſtaret Victoria.

Hyl. Cum patientia mihi reſpondeto, *Cuphophron*, & non dubito, quin citò tibi perſuaſurus ſim, majus quid quàm Imaginationem hiſce argumentationibus ſubeſſe. Ad rationem tuam provocabo, ad imaginationem atque ad tuum ſenſum. Quid igitur eſt, O *Cuphophron*, Figuram deſcribere, quemadmodum loquuntur Mathematici, niſi Extenſum aliquod illiúſve aliquod punctum per partes ducere alterius alicujus Extenſi, adeò ut tranſeatur per partes illius Extenſi in quo Figura dicitur deſcribi?

Cuph. Rectè, *Hylobares*, illud vel primo intuitu manifeſtò eſt verum.

Hyl. En igitur quod Rationi tuæ gratificetur. Cæterùm ut demulceamus porrò imaginationem tuam atque ſenſum, vitreum ſupponamus Cylindrum pro ligneo, cum linea in eo rubra pro Axe, & à ſummitate Axis alteram lineam rubram ad peripheriam Baſis deductam. Quæ lineæ oculis tuis per vitrum pellucidum erunt viſibiles.

Cuph. Bellum quidem Nugamentum cum quo ludas, *Hylobares!* Sed quid tum dein?

Hyl. Pervellem equidem, ut tu cum hoc Nugamento ludas, O *Cuphophron*, ſed tali modo, ut celeriter circumgyrari facias circa Axem. Nam ipſis oculis tuis apparebit rubrum Conicum, ad uſitatam formam Extinctorii lucernalis. Si linea cærulea eſſet, ipſum colore etiam aliquantulùm referret. Hoc, opinor, (ipſe enim nunquam expertus ſum, neque mihi unquam in mentem venit antehac) diſtinctè poſſis cernere in vitro.

Cuph. Pulchrum Spectaculum! Sed quid indè ſequitur?

Hyl. Quæro ex te in quo Extenſo hoc *Conicum* deſcriptum ſit.

Cuph. In eodem in quo cernitur, nempe in Vitro, *Hylobares.*

Hyl. Quod reſpondes impoſſibile eſt, O *Cuphophron*, eíque repugnat quod primùm conceſſeras. Linea enim rubra non tranſit per partes Vitri, ſed ſimul cum eis circumfertur, ac proinde in eo *Conicum* deſcribere non poteſt. Deſcribitur verò *Conicum* etiam aſpectui tuo manifeſtum. In quo igitur Extenſo deſcribitur?

Cuph. In Extenſo imaginario.

Hyl. Illud verò quod imaginarium eſt, ***Cuphophron***, Figmentum eſt ad libitum à nobis factum. Hoc autem Extenſum, quemadmodum ſuprà innui, non poſſumus quin vel inviti concipiamus exiſtere. Nulla enim Figura duci poteſt, niſi per partes alicujus Extenſi.

Cuph. Ad eadem Reſponſa cogor recurrere, quæ dedi antea. Eſt igitur Idea Extenſi poſſibilis, quod revera Cylindrus vitreus actu eſt.

Hyl. Hoc eſt, Particularis eſt ſive Individua Idea poſſibilis, illius Extenſi, quod Cylindrus vitreus eſt actu.

Cuph. Aut iſtud eſt, aut quid ſit (ingenuè fateor) neſcio. Animi mei ludificatio eſt. Eſt perquam moleſta, & perplexa Fallacia.

Hyl. Per poſſibilem verò illam Ideam, nullam Ideam in Cerebro noſtro intelligis. Nam rubra linea quæ *Conicum* deſcribit, in Vitro eſt non in Cerebro.

Cuph. Objectum igitur illius Ideæ intellectum volo.

Hyl. Actualis verò Figuræ deſcriptio in Extenſo merè poſſibili annon conſimiliter ſonat atque Actualis Epiſtolæ ſcriptio in Schedam chartaceam poſſibilem? Præterea, particularis hæc ſive individua poſſibilis Idea Extenſi quod Cylindrus hic particularis eſt actu, Extenſum eſt immobile, hic verò Cylindrus amoveri ab eo poteſt etiam dum exiſtit. Quomodo igitur eſſe poteſt particulare iſtud Extenſum potentiâ quod Cylindrus eſt actu? Suppone verò fieri poſſe, & amoveatur hic Cylindrus à poſſibili hoc Extenſo immobili, ſuccedátque alter Cylindrus ejuſdem magnitudinis in illius locum. Nunc ſecundus hic Cylindrus actu eſt illud particulare Extenſum quod etiamnum idem individuum poſſibile Extenſum eſt aut erat potentiâ. Atque ſic utrique Cylindri, primus & ſecundus, unus idémque Cylindrus eſt individuus. Una enim individua Poſſibilitas unam tantùm in rerum Natura individuam Actualitatem miniſtrat. Ac proinde unus idémque Cylindrus in duobus locis diſſitis eſt ſimul.

Sophr. Hoc certè facit ut ***Cuphophron*** tempora ſibi ſcalpat. Credo animi perplexum eſſe & conſternatum, in medio fervidi hujus & præcipitis curriculi quod ***Carteſii*** causâ denuò occepit. Permitte mihi paululum ei opitulari. Fieri poteſt ut immobile iſtud Cylindricum Extenſum poſſibile alterorum duorum Cylindrorum genus ſit, & ſi rectè memini, tale quid ipſe ***Carteſius*** alicubi innuit.

Princip. Philoſ. part. 2. ſect. 10, 11.

Hyl. Quî verò id fieri poteſt, O ***Sophron***, ut illud quod immobile eſt, genus ſit earum rerum quæ ſunt mobiles? Et ſupponemus porrò utroſque hos Cylindros à poſſibili hoc Extenſo Cylindrico amoveri, atque ſic Genus deſtituetur ſuis Speciebus & Species viciſſim ſuo Genere deſtituentur. Quod nulla pati poteſt Logica præter ***Cuphophronicam*** aut ***Carteſianam***. Quodſi per Genus intelligas Logicam tantùm Notionem, illa quidem in ſolo Cerebro eſt. Rubra autem linea illìc non eſt ſed in vitro.

Sophr. Equidem video neminem cum ***Hylobare*** tutò congredi poſſe, poſtquam acumen ejus ſemel ſit expergefactum. Ego ſanè ilico cogor receptui canere. Et tamen non pigebit unum adhuc jaculum in eum immittere antequam me dedero in fugam. Quid ſi dicerem ſpacium tantummodo eſſe imaginarium, ***Hylobares***?

Hyl. Tunc certè id diceres, quod bis jam reverà dixit ***Cuphophron***. Verùm dico tibi, ***Sophron***, Extenſionem illius ſpacii, quod tu imaginarium appellas, eſſe realem. Quicquid enim realis affectio eſt ſive Attributum ullibi, (probéque nôſti extenſionem ſic eſſe in Materia) ubique reale eſt ubi independenter à noſtra Imaginatione exiſtere deprehenditur. Quòd autem hæc Extenſio actualis ſit, neceſſaria & à noſtra independens Imaginatione, ex iſtis Inſtantiis *Sagittæ* & *Conici* manifeſtò conſtat.

Philoth. Egregios feciſti profectus, ***Hylobares***, qui res ad hunc modum tam fœliciter variare potes, adornare ac defendere, ex tam paucis & tenuibus ſubindicatiunculis. Nunquam meliori ſucceſſu in omni vita mea cum quoquam hiſce de rebus diſſerui.

XXIX.
Eſſentiales Proprietates Materiæ.

Hyl. Mirificè me levatum ſentio, ***Philothee***, poſtquam ab iſto me liberaveris præjudicio, Quòd quicquid eſt Extenſum ſit Materia: Unde nunc facilè poſſum admittere Spirituum exiſtentiam. Sed eò majorem concepi curioſitatem, méque otio jam bellè abundare ſentio, quò accuratiùs de eorum natura poſſim edoceri.

Philoth. Affirmare tibi auſim, ***Hylobares***, quòd ipſe ſatis ſis idoneus qui teipſum abundè hac in re erudias, ſi modò Notionem Materiæ diligenter primùm definiamus, cujus eſſentiam hiſce tribus præcipuè Attributis conſiſtere exiſtimo, ***Sui-diſunione***, ſi fas ſit ità loqui, ***Sui-impenetrabilitate***, & ***Sui-inactivitate***.

Hyl. Cupio autem, O ***Philothee***, ſenſum diſtinctum uniuſcujuſque horum Terminorum cognoſcere.

Philoth. Per ***Sui-diſunionem***, nihil ampliùs intelligo quàm quòd Materia nullam ex ſe vinculum habet quo contineatur ſive cohæreat, adeò ut ex ſeipſa quidem, in congeriem merarum *Monadum Phyſicarum* difflueret, hoc eſt, in tam exiguas ſolveretur particulas ut contradictionem implicet ut fiant minores.

Hyl. Notionem ſatìs intelligo. Quid autem eſt quòd *Diſunionem* Materiæ potiùs attribuas quàm firmam partium unionem, præſertim cùm eidem ſui-inactivitatem attribueris?

Philoth. Quia nullum Vinculum concipi poteſt in Materia quo partes contineantur. Nôſti enim impenetrabiles eſſe, ac proinde alias ab aliis tangi in lævibus quaſi ſuperficieculis. Quomodo igitur cohærere poſſunt? Quodnámve principium eſt unionis earum?

Cuph. Hem, iſtud valdè perſpicuum eſt, *Philothee.* Stupendum illud Ingenium *Carteſius* apertè nobis narrat, *Quietem* eſſe.

Philoth. Tu verò mihi narra, *Cuphophron*, quid ſit Quies.

Cuph. Id facilè intelligitur ex motu, quem *Carteſius* docet ſeparationem eſſe ſive tranſlationem unius partis Materiæ ab altera.

Philoth. Atque ſic *Quies* eſt *Vnio*, vel ſi ità loqui liceat, Inſeparatio unius partis Materiæ ab altera.

Cuph. Nihil profectò aliud per eam poſſum intelligere. Nam ſi integra Materiæ moles ſimul moveatur ut una maſſa continua ac dura, tota quidem movetur, partes verò reſpectu aliarum ad alias, cùm à ſe invicem non ſeparentur, dicuntur quieſcere. Atque ex hac ratione motus dicitur reciprocus, quia ſeparatio revera eſt talis, nempe reciproca.

Philoth. Tum *Quies* & *Inſeparatio* partium, idem omnino eſt.

Cuph. Ità mihi videtur.

Philoth. Et *Inſeparatio* & *Vnio* idem.

Cuph. Idem ipſum, quantum ego quidem judico.

Philoth. Et quidem tunc *Quies* & *Vnio* ſunt idem. Atque ſic principium *unionis* partium Materiæ eſt *unio* iſtarum partium.

Hyl. Hoc eſt, nullum omnino habent Unionis principium, ac proinde ex ſe, diſjunctæ manent ac ſolutæ.

Philoth. Et ſatìs gravis certè cauſa eſt cur nullum habeant, quandoquidem ſimul colligandæ ſunt ad iſtiuſmodi Formas ac Menſuras, quas Divinius aliquod Principium ordinaverit.

Cuph. Ni meus me fallit animus, ſic profectò eſt, *Philotheus* & *Hylobares* Conſpirationem inierunt contra illum principem Philoſophorum, noſtrum nunquam ſatìs admirandum *Carteſium.*

Hyl. *Philotheus* & ego in nulla re conſpiramus, O *Cuphophron*, niſi ob quam nobilis ille Philoſophus nos ipſe eſſet laudaturus, ob liberam utique veritatis Inveſtigationem. In qua, quantum ego quidem ſentio, nobis res haud infeliciter ſucceſſit. Ingenuè enim fateor me plenè perſuaſum eſſe, quòd primum hoc Materiæ attributum prout ipſum explicavit *Philotheus*, eſt verum. Et quod ad *Sui-impenetrabilitatem* attinet, nemo ferè nunc dierum eſt qui de Deo dubitat. Quid autem intelligis, *Philothee*, per *Sui-inactivitatem?*

Philoth. Materiam intelligo non moveri actuarive à ſeipſa, ſed excitari aut ſemper excitatam fuiſſe ab alio aliquo, nec modificare poſſe motum in quem excitata ſit, ſed ſic moveri omnino, quemadmodum primùm excitata eſt, niſi cauſa aliqua externa impediat.

Hyl. Hoc intelligo, nec quicquam dubito de illius veritate.

Cuph. Hoc certè nihil amplius eſt quàm quod ipſe *Carteſius* approbaverit.

Bath. Et jure optimo, O *Cuphophron*, iſtud quidem fecerit. Etenim cùm nullum Medium ſit inter *Sui-activitatem* & *Sui-inactivitatem*, nec inter *Sui-unionem* & *Sui-diſunionem*, nec Genus ullum immediatum hiſce diſtributionibus, quale eſt Cogitatio & Figura ſpeciebus ſive modis ſub ſe contentis, neceſſe eſt ut alterutrum, non autem ad utrumlibet indifferentia, innata proprietas ſit tam ſimplicis Eſſentiæ quàm ſit Materia: ac proinde ut *Sui-inactivitas* & *Sui-diſunio* illius ſint proprietates; quippe quæ Principium paſſivum eſt, & ab altero omnino regendum & modificandum.

Philoth. Rectè mones, *Bathynoe.* Atque ex his omnibus hoc promanabit Conſectarium: *Sympathian* ſcilicet ad Materiam immediatè non poſſe pertinere.

Hyl. Id quidem veriſimillimum eſt.

Philoth. Plenè igitur inter nos convenit, de vera notione ac natura Materiæ, *Hylobares.*

Hyl. Plenè convenit, *Philothee.*

Philoth. Poteſtne igitur te latere vera *Spiritûs* Notio?

XXX. *Vera Notio Spiritûs.*

Hyl. Equidem exiſtimo me poſſe definire, ex lege contrariorum. Nam ſi *Sui-diſunio*, *Sui-inactivitas*, & *Sui-impenetrabilitas* eſſentialia ſint Attributa *Materiæ* ſive Corporis, tunc Attributa oppoſitæ Speciei, *Spiritûs* ſcilicet, neceſſariò ſunt *Sui-unio*, *Sui-activitas*, & *Sui-penetrabilitas.*

Philoth. Oppidò quàm rectè. Annon habes verò æquè diſtinctam notionem uniuſcujuſque horum Attributorum, atque alterorum?

Hyl. Periculum faciam. Per *Sui-unionem* Spiritûs, Spiritum intelligo immediatè & eſſentialiter unum eſſe, nullóque indigere vinculo quo partes contineantur præter propriam ſuam Eſſentiam & Exiſtentiam: unde ex ſua propria natura eſt *Indiſcerpibilis.*

Philoth. Rectiſſimè definiviſti.

Hyl. Huc mea me ratio quidem ducit. Verùm Imaginatio mihi hîc videtur reſtitare paululùm aut reſilire, ſuſpicionémque injicit notionem eſſe rei impoſſibilis. Quomodo enim poteſt Subſtantia *extenſa* indiviſibilis eſſe vel indiſcerpibilis? Quatenus enim *extenſa* eſt, oportet eſſe *diviſibilem.*

Philoth. Concedo quidem *intellectualiter* Diviſibilem eſſe, ſed *Phyſicè* interim Indiſcerpibilem. Hæc igitur Fallacia eſt quam Imaginatio tua tibi imponit, quòd Indiviſibilitatem & Indiſcerpibilitatem idem facis. Quod *Intellectualiter* Diviſibile eſt, idem *Phyſicè* Indiviſibile eſſe poteſt ſive Indiſcerpibile: * Quemadmodum manifeſtum eſt in natura Dei, cujus ipſa Idea Indiſcerpibilitatem implicat, cùm Diſcerpibilitas tam manifeſta ſit imperfectio. Quicquid enim diſcerpibile eſt, eſt etiam mobile. Nihil autem mobile eſſe poteſt quin concipi oporteat, in tali Eſſentia quæ neceſſaria ſit & immobilis, & quæ neceſſariò futura ſit, quamvìs nihil aliud eſſet in Univerſo. Quam igitur oportet eſſe ſacram Dei Eſſentiam quemadmodum rectè jam notavit *Bathynous*, videtúrque in rerum τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον incidiſſe, quod *Ariſtoteles* ſupra cœlos quæſivit, *Bathynous* verò ubique eſſe fœliciter invenit. Quamobrem ut tandem concludamus, Si contradictionem implicat, *Hylobares*, ut Divina Extenſio ſit diſcerpibilis, Eſſentia extenſa quatenus extenſa non poteſt involvere *Phyſicam* Diviſibilitatem.

Hyl. Veriſſimum eſt, *Philothee.*

Philoth. Quid igitur impedit quò minùs *Spiritus* quatenus Spiritus ſecundùm veram illius Ideam, immediatè ſit & *eſſentialiter unus*, hoc eſt, *Indiſcerpibilis?* Quod enim immediatè & eſſentialiter unum eſt, & non Inſtrumentaliter, ſive unum beneficio alterius alicujus, neceſſariò & immutabiliter unum eſt, contradictionémque implicat ut ſit aliter, quamdiu eſt, ac proinde eſt *Indiſcerpibile.*

Cuph. Quid ergo, *Philothee*, Annon ipſius Dei Omnipotentia, Spiritum, ſi adeò ipſi volupe eſt, poteſt diſcerpere?

Philoth. Annihilare poteſt Spiritum ſi lubet. Quodſi Spiritus immediatè & eſſentialiter unus ſit, eum diſcerpere non magìs poteſt, quàm proprietatem iſtam à Triangulo rectangulo ſeparare, habendi Hypotenuſam æqualis potentiæ cum potentiis Baſis & Catheti ſimul ſumptis.

Cuph. Nôſti, *Philothee*, *Carteſium* aſſerere * Deum mutare potuiſſe proprietatem Trianguli rectanguli, ſi voluiſſet.

Philoth. Ità quidem aſſerit, ſed per modum occulti ſcommatis adversùs eorum ignorantiam, ut ille putat, qui non ſatis intelligunt Mechanicam, quam is ſupponit, neceſſitatem ex qua, mero Materiæ motu, omnia Mundi Phænomena oriuntur, quam nec Deus magìs mutare poteſt quàm rectanguli Trianguli proprietatem. Hanc Ironicam argutiolam ſubeſſe ſuſpicor huic Paradoxo magni illius Philoſophi. Utcunque, nolo hac in re tecum contendere, *Cuphophron.* Concede modò Spiritum non magìs diſcerpibilem eſſe quàm iſtam Trianguli rectanguli proprietatem ab eo ſeparabilem, & tunc bellè inter nos convenit.

Cuph. Equidem magnopere gaudeo quòd ſuper ulla re inter nos conveniat, quæ cum Dictatis nobiliſſimi *Carteſii* ſit conſentanea.

Philoth. Id quod præſtare auſim de nobis omnibus, O *Cuphophron.* Sed propoſitum exequi oportet cum *Hylobare.* Quid igitur per *Sui-activitatem* in Spiritu intelligis, *Hylobares?*

Hyl. Vim activam in Spiritu intelligo quâ aut ſeipſum ſecundùm ſuam naturam modificat, aut Materiam movet regulariter, ſecundùm certas quaſdam Modificationes ipſi impreſſas, Phyſicas uniendo Monadas in particulas talis magnitudinis & figuræ eáſq; in ejuſmodi motus dirigendo, qui Fini Spiritualis Agentis aut ab ipſo concepto, aut in eum incorporato ſive inſito reſpondeant. Unde, quod ſuprà dictum eſt, apparet Ratio, cur & *Diſunio* & *Inactivitas* ad Materiam pertineant.

Philoth. Admodum accuratè & ſuccinctè reſpondiſti, *Hylobares.* Ad haſce res tam promptus es ac paratus, ut mirum ſit ſanè, niſi de his Notionibus antehac multùm cogitaveris.

Hyl. Legi nonnihil hiſce de rebus. Verùm appoſita tua Attributorum Materiæ Definitio ſola ex ſe efficere potuit, ut paulò expeditiùs promptiúſque illa Spiritûs definirem, præſertim cùm nunc fidem exiſtentiæ ejus tam arctè amplecti valeam, quod nunquam animitùs facere potui antea. Et quantùm ad ultimum Attributum quod mihi viſum eſt omnium maximè perplexum, *Sui-penetrabilitatem* intelligo, nunc mihi æquè facilis eſt atque quævis alia Notio. Nec per eam quicquam ampliùs intelligo quàm quòd diverſi Spiritus in eodem ſpacio eſſe poſſint, aut unus idémque Extenſionem ſuam in minorem ambitum contrahere, ut ſic una pars illius Eſſentiæ in eodem ſpacio cum aliis aliquibus jaceat. Quæ ipſa vis eſt dilatandi ac contrahendi ſeipſum. Hanc facilè concipio proprietatem eſſe poſſe cujuſvis Spiritûs finiti & creati, quia nullius Spiritûs Extenſio eſt corporea.

Philoth. Verum narras. Cæterùm, annon obſervâſti, *Hylobares*, ut *Sympathiam* à Capacitate Materiæ amoverim?

Hyl. Obſervavi, *Philothee*, ac propterea non poſſum quin colligam ſedem habere in Natura incorporea ſive ſpirituali. Intelligo autem per hanc *Sympathiam* non meram *Compaſſivitatem* ſed potiùs *Co-activitatem* partium Spiritûs in quo reſidet. Cujus uſum eximium eſſe exiſtimo, in omnibus Spiritibus perceptivis. Nam virtute hujus Attributi quomodocunque aut quibuſcunque Circumſtantiis, in una parte affecti ſunt, ad eundem planè modum afficiuntur in omnibus. Adeò ut ſi Spiritus eſſet perceptivus infinitæ amplitudinis & infinitæ perinde Exaltationis ſive Vivacitatis *Sympatheticæ*, ubicunque ulla perceptiva in hoc infinito Spiritu emergit *energia*, ſubitò & neceſſariò emergit in reliquis partibus, ſi fas ſit ità loqui, univerſis ſimul. Ingenuè enim fateor, *Philothee*, me ſæpenumero de his notionibus antehac cogitâſſe, nunquam verò Spiritui attribuere potuiſſe, quoniam credere non potui ullam rem talem exiſtere qualis reverà eſt Spiritus, ex eo quòd omnis extenſio mihi videbatur corporea. Verùm Æquinoctialis tua ſagitta errorem hunc ex animo penitus excuſſit meo. Quanto enim diutiùs de eo cogito, tanto mihi ineluctabilius videtur, quòd extenſio in Æquinoctiali Circulo per quem Sagitta motu fertur curvilineari, non ſolùm extenſio eſt ab Aereo Circulo diſtincta, ſed Extenſio Entis alicujus realis & ab Imaginatione noſtra independentis: Quandoquidem Sagitta reverà fertur in tali linea curva, cúmque nos aliter concipere nequeamus, quin ità omnino ſit, parem profectò habemus hac de re atque ulla de re alia certitudinem. Æquè enim certò verum eſt, atque facultates noſtras eſſe veras. Nóſque nullam majorem habemus certitudinem quàm illam facultatum noſtrarum. Atque ſic ſolum Obſtaculum quod me impedivit quo minùs Spirituum Exiſtentiam admitterem, peritis *Philothei* aſſultibus demolitum eſt ſemel.

Philop. Atque ego magnopere indè gaudeo, *Hylobares*, gratiáſque *Philotheo*, ob operam ſuam tam gnaviter & fœliciter impenſam debeo quidem maximas. *Spiritualitas* igitur Dei nè vel minimo tibi impedimento eſt quò minùs illius credas exiſtentiam.

Hyl. Nè minimo quidem, *Philopoli.* Notio Spiritûs nunc mihi æquè facilis eſt & comprehenſibilis atque illa Materiæ, & Attributa Spiritûs infinito faciliora intellectu, quàm talium proprietatum competibilitas quales ii coguntur Materiæ attribuere qui omnem Spirituum exiſtentiam tollunt ex Univerſo.

Philop. Quidni igitur continuò procedas ad ultimum Dei Attributum à te propoſitum?

XXXI. *Attributum Omnipræſentiæ.* *Hyl.* Faciam, *Philopoli.* Erat autem *Omnipræſentia*, Eſſentialem intelligo Omnipræſentiam Dei. Etenim dum infinitæ Dei perfectioni attendo ſecundùm illius Ideam, non poſſum quin agnoſcam Eſſentiam illius infinitam, ac proinde eum eſſentialiter eſſe præſentem ubique. Et quantùm ad illos qui Eſſentiam Divinam circumſcribere volunt, rogare eos vellem quomodo eſſentiam finitam facere poſſint, & Attributa infinita, & quonam demum ambitu eum circumſcriptum putent. Puncto eum claudere valdè ridiculum eſſet. Si verò ſupponas amplificationem illius Eſſentiæ ultra illud, addituram quicquam illius Perfectioni, eo ipſo planè agnoſcis, quòd tollendo Eſſentialem ejus Omnipræſentiam, infinitam Imperfectionem ei attribuas. Quælibet enim Circumſcriptio infinitum defectum implicat. Hæ conſiderationes, O *Philothee*, cogunt me credere Deum eſſentialiter eſſe *omnipræſentem* pervaderéque omnia, uſque ad omne ſpacium infinitum imaginabile. Poſtquam verò ità apud me ſtatui, à ſententia rurſus admodum rudi & importunâ repulsâ ſentio me referri, quaſi ſcilicet hoc eſſet in cœnoſos lacus ac ſoveas & magìs fœtida loca Divinitatem deducere, & æquè inurbanos eſſe in cogitationibus noſtris erga verum Deum atque *Orpheus* olim erat in ſuis alloquiis ad *Jovem* Paganicum.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ.

Eviſt. Ipſiſſimus ille verſus eſt quem *Gregorius Nazianzenus* in ſua Oratione *Invectiva* citat contra *Julianum Apoſtatam*, ſeveritérque Poetam reprehendit, ob ſtyli ſui immunditiam & inurbanitatem.

Cuph. Et meritò quidem fecit, *Eviſtor.*

Eviſt. Sed quomodo redimemus Imaginationem noſtram ab hâc captivitate in hujuſmodi ſordida phantaſmata?

Cuph. Ego probè novi, *Eviſtor*, valdéque gaudeo, quòd hanc opportunitatem nactus ſim oſtendendi uſum peculiaris cujuſdam Notionis quam ipſe de Divina *Omnipræſentia* habeo, ad tales ſolvendas Difficultates qualis hæc *Hylobaris* eſt.

Hyl. Per amorem Veritatis te obteſtor, bone *Cuphophron*, narra quid ſit.

Cuph. At enim tam ſublime, tam ſubtile, & tam elevatum eſt, O *Hylobares*, (quanquam nihilo ob id minùs ſolidum) ut multùm dubitem an prudentiæ foret auribus haud ſatìs præparatis impertire.

Hyl. Quid? Annon vides, *Cuphophron*, quàm non omninò indocilis ſim rerum Metaphyſicarum Auditor, ex ſucceſſu quem *Philotheus* in me erudiendo habuit? Præterea, contra profeſſam Philoſophandi libertatem in his noſtris conventibus Admiſſum eſt, quicquam ſupprimere, eóque nunc magìs injurium quòd ſalivam oribus noſtris moviſti ex mentione tam præclaræ Notionis támque utilis ad ſolvendam præſentem hanc difficultatem de Divina Omnipræſentia.

Cuph. Age igitur, *Hylobares*, quoniam tam violenter mihi id extorques, judicium ſuper hac re diutiùs non ſupprimam meum.

Hyl. Quid igitur eſt, mi *Cuphophron*?

Cuph. Deum eſſe nullibi, ac proinde nec in cœnoſis lacubus, nec in paludibus limoſis, nec in ullis aliis locis ſordidis.

XXXII.
Cuphophronis *Paradoxon quòd Deus ſit nullibi.*

Hyl. * Ha, ha, he, *Cuphophron*, equidem ſolutio eſt egregiè ſubtilis, quæ ab eo proveniat quem exiſtimo Exiſtentiam Dei æquè firmiter tenere atque quenquam ex toto hoc noſtro conciliabulo. Si omnes Athei in *Italia*, in *Anglia*, in *Europa* hanc tuam piam ſolutionem inaudirent, proculdubio uno ore acclamarent, Amen, venerabilis *Cuphophron!*

Cuph. Mirum eſt, *Hylobares*, Atheos inventum iri tam univerſaliter religioſos.

Philop. Hæc ſolutio mihi videtur ipſis verbis ſacræ Scripturæ apertè contrariari. *Sive cœlum ſcandam, ibi tu es*; *ſive in Orco cubem, tu ades*; *ſive auroræ alas ſumens habitem in ultimo mari*, &c. Et rurſus, *In eo vivimus, movemur & ſubſiſtimus.* Si hæc omnia in eo habemus, nuſquam habemus, ſi quidem ille nuſquam eſt: nec certè nos ipſi uſquam ſumus.

Philoth. Puto *Cuphophronis* ſententiam eſſe, Deum nuſquam eſſe circumſcriptivè.

Cuph. Ego eum nuſquam eſſe eſſentialiter intelligo, *Philothee.*

Philoth. Monſtrum Opinionis!

Sophr. *Pythagorei* ac *Platonici*, omnéſque adeò Religiones Orbis, civilitate exculti, eſſentialem Dei Omnipræſentiam tenent. Solus *Ariſtoteles* in primo Mobili eum collocat, quem *Pomponatius*, *Cardanus* & *Vaninus* ſequuntur. Nec ullam aliam novi opinionem, nec plures imaginari potui circa Divinam Præſentiam, dogmatum Diviſiones, quàm aut eorum qui eum ſaltem alicubi collocatum volunt, aut horum qui ubique eſſe declarant. Nunc verò devenimus ab *Ubique* ad *Alicubi* & ab *Alicubi* ad *Nuſquam* omnino. Hoc ingenii ſpecimen eſt ſeu vena, huic, opinor, ſeculo peculiaris.

Cuph. Fieri poteſt, O *Sophron*; credo enim nullam Ætatem poſt homines natos intráve Hiſtoriæ memoriam magìs elevata produxiſſe ingenia quàm hoc præſens ſeculum.

Bath. Ego quidem ſuſpicor, O *Cuphophron*, novum hoc Commentum, quòd Deus ſit nullibi, lepidam eſſe ſuggeſtionem ſubdolorum quorundam ac clandeſtinorum Atheorum, (quo hominum genere præſens hoc ſeculum ſcatet) qui ſub prætextu *extollendi* Naturam Dei ſupra capacitatem tantæ depreſſionis ut præſens eſſe poſſit cum re ulla extenſa, omnes ingenii nervos ad ſummum contenderunt quò Divinum Numen tollerent ex Univerſo, dum illud inſinuant quod, ſuo ipſorum judicio, non poteſt quin id efficiat ſive inferat. Manifeſtum enim eſt, quod nuſquam eſt non omnino exiſtere. Quamobrem perjocoſam profectò ac ridiculam rerum Scenam eſſe oportet apud hæc elevata Ingenia, dum obſervant profana ſua ſcommata atque jocos pro ſelectiſſimis maximéque ſublimibus Theologiæ naturalis Theorematis ab ingenuis ſed minùs cautis rerum philoſophicarum contemplatoribus, tam pio devotóque animo excipi.

Eviſt. Annon à legibus Hoſpitalitatis abhorret, ut nos ***Cuphophronem*** in propria ſua Pergula univerſi ſimul ſic adoriamur?

Cuph. Nequaquam, ***Eviſtor.*** Nihil commiſſum eſt contra leges Hoſpitalitatis, ſed omnia ſecundùm illam libertatem tranſacta, quæ ſemper datur & ſæpenumero ſumitur, in hiſce noſtris conventibus Philoſophicis. Illi quidem nequaquam ſunt inciviles, quanquam tu interim præter modum urbanus es, O ***Eviſtor***, & forſan magìs candidus Æſtimator afflictatæ meæ opinionis, quàm reliqui.

Eviſt. Equidem fateor, ***Cuphophron***, perſonam tuam majoris me, æſtimare poſſe neminem. Aſſertio verò tua, Quòd ***Deus ſit nullibi***, maximè abſona & inopinata Aſſertio eſt quam unquam in omni vita audivi; & niſi tam bellè de pietate aliàs notus eſſes, exiſtimâſſem profectò vocem fuiſſe puri puti Athei. Condonabis mihi hanc libertatem, ***Cuphophron.***

Cuph. Annon vobis in principio dixi, ***Eviſtor***, Notionem fore præter modum ſubtilem ac ſublimem? Hujuſmodi res non uno intelliguntur momento.

XXXIII. *Hujus Paradoxi confutatio.*

Hyl. Immo verò ſpacio, quàm momenti ferè, minori demonſtrare quis poſſit Aſſertionem eſſe impoſſibilem, ſuppoſito quòd Deus ullam omnino habeat eſſentiam, prout ***Philotheus*** aut ***Bathynous***, citò, ſi velint, tibi evincere poſſint.

Philoth. Cauſa in manu admodum idonea eſt. Perge, obſecro, ***Hylobares.***

Hyl. Dic mihi igitur in primo loco, O ***Cuphophron***, annon Deus æquè eſſentialiter præſens ſit ubique atque ullibi?

Cuph. Id quidem negare nequeo, ***Hylobares.*** Eſt.

Hyl. Porrò, An Eſſentialia ejus Attributa in Eſſentia ipſius non ſint, non autem extra?

Cuph. Quis vel fingere poteſt contrarium?

Hyl. Et an Omnipotentia, in qua continetur potentia movendi Materiam, non ſit eſſentiale Attributum Dei?

Cuph. Illud apud omnes in confeſſo eſt.

Hyl. Et quod jam moveat, aut aliquando moverit, aliquam ſaltem partem Materiæ?

Cuph. Ipſe ***Carteſius*** hoc aſſerit, quicum certum eſt tandem experiri Fortunam.

Hyl. Quæro igitur, ſi poſſibile eſt, ut Materia moveatur à potentia Divina, niſi Divinæ potentiæ ad Materiam fiat applicatio?

Cuph. Non eſt poſſibile, ***Hylobares.***

Hyl. * Nec ut ***Potentia***, cùm in ***Eſſentia*** ſolùm ſit non autem extra, applicetur, ſine ***Applicatione***, ſive ***Præſentia Eſſentiæ*** ad eam partem Materiæ in quam potentia agit?

Cuph. Ex inopinato me captum ſentio.

Hyl. Ac proinde cùm neceſſitas ſit ut Eſſentia Dei præſens ſit alicui ſaltem parti Materiæ, etiam ex tuis conceſſis, præſens eſt univerſis.

Cuph. Atque ſic credo te velle inferre, ***Hylobares***, quòd Divina Eſſentia aliquo ſenſu ſit extenſa.

Hyl. Iſtud quidem, ***Cuphophron***, inferri poſſet, ſi opus eſſet, quòd aliqualis ſit Divinæ Eſſentiæ Amplitudo.

Bath. Poſſet; ſed hoc interim maximè opportunè notari, Quòd poſtquam Techna iſta Atheiſtica contra Exiſtentiam Dei ex audacula illa Aſſertione concinnata (Nullam eſſe poſſe Extenſionem ſive Amplitudinem, quin neceſſario ſit Materia) Notione Eſſentialis Omnipræſentiæ Dei eſſet deleta, ut magìs certa inniterentur fundamento, penitúſque veritatem ſubverterent, ſublime illud & elevatum figmentum extruxerunt, (quanquam contra communem omnium hominum mentis compotum opinionem, qui ubiquitatem Dei ſemper tenuerunt) quòd talis ſit illius Natura ut ***nuſquam*** eſſe poſſit: Abſque quo longè petito ſubterfugio eſſet, nunquam duas facies ſub uno cucullo gerere potuiſſent, Atheóſque & Deiſtas agere ſimul, profitendo Deum nuſquam eſſe & tamen eſſe.

Cuph. Eſtne hæc tua Sagacitas an profunda Melancholia, ***Bathynoe***, quæ facit ut tales ſuſpiceris conſpirationes contra Divinum Numen? Neque enim ego contra Deum magìs conſpiro, quàm contra Animam propriam, quam & Spiritum eſſe teneo, Deúmque nuſquam eſſe cenſeo, non quatenus Deus eſt, ſed quatenus Spiritus Intellectualis.

tellectualis. Ego enim de omnibus Spiritibus, quòd nuſquam ſint, conſtanter cenſeo.

Hyl. Conſpiratio igitur, ***Cuphophron***, ut videtur latiùs ſe extendit quàm putabamus, non ſolùm ad Deum exterminandum, ſed & omnes Spirituum Ordines, ex Univerſo.

Cuph. Quid tu velis per excluſionem ex Univerſo, ***Hylobares***, neſcio. Certus ſum interim, me nullam intelligere excluſionem ab Exiſtentia.

XXXIV. *Omnes Spiritus eſſe alicubi.*

Hyl. Benignè intelligis, O ***Cuphophron***. Nos verò eos exiſtere intelligere non poſſumus, ſi nullâ aliâ lege exiſtere poſſint, quàm ut nuſquam exiſtant. Et mirum quidem mihi videtur, quòd non facilè propriam Animam alicubi eſſe perſcentiſcas, ſiquidem eam omnino eſſe diſtinctè poſſis perſentiſcere.

Cuph. Admodum intimè diſtinctéque Animam ſive mentem meam exiſtere perſentiſco, méque ipſum eam eſſe, nec tamen uſquam eſſe omnino.

Hyl. Verùm annon potes etiam, ***Cuphophron***, cogitare de duabus rebus ſimul?

Cuph. Unuſquiſque id poteſt qui duas res duáſve Ideas comparare poteſt alteram cum altera. Nam niſi de ambabus ſimul cogitet, quomodo poteſt eas comparare?

Hyl. Hanc igitur perceptionem tui ipſius ſive Animæ tuæ noli amittere, ſed ſuſcita inſuper Ideam ſive memoriam indefinitè extenſæ Materiæ Univerſi, quæ nuſquam interrumpitur, ſed à teipſo in infinita ſpacia circumcirca extenditur, vel continuatur ab infinitis undique ſpaciis donec ad tuam cogitantem Ipſitatem pertingat. Potéſne omni hoc circundari & tamen nuſquam eſſe? diſtinctámve tuam ipſitatem cum immenſo hoc ambitu comparare, nec tamen concipere te eodem circundatum?

Cuph. Comparo illud quod nuſquam eſt cum illo quod ubique eſt, eáque ἀσύμβλητα reperio.

Hyl. Supponis priùs mentem tuam ſive Animam nuſquam eſſe, vel potiùs ſic dicis quamvìs concipere nequeas, & tunc exclamas Eam & Univerſum eſſe ἀσύμβλητα. De quo errore, ſi nullo laborares præjudicio, hæc conſideratio te convinceret, præſertim eo corroborata, quod tam palpabiliter cadit ſub ſenſum.

Cuph. Quid iſtud eſt, ***Hylobares***?

Hyl. Quòd Anima tangatur & quaſi transfigatur undique realibus Objectis ab extrà, ab infrà & deſuper & omni ex parte. Quod tibi inſigniter perceptibile eſſet, ſi volucris inſtar, inſidere poſſis ſummitati altæ alicujus Pyramidis.

Cuph. Tutius eſt experimentum ſupponere, quàm re ipſâ experiri. Sed quid tum demum, ***Hylobares***?

Hyl. Cùm ſupernè & ab infrà & omni ex parte circumcirca ab externis iſtis Objectis (viſûs putà) motus tranſmittatur ad ipſam Animam percipientem per aerem organáque ſui corporis, cúmque palpabiliter ſeipſam percipiat à rebus undique occurrentibus affectam, manifeſtum indè eſt, eam in medio eſſe earum, quemadmodum ſe eſſe planè perſentiſcit, & ex conſequenti, eam eſſe alicubi.

Cuph. Id quod nuſquam eſt, in nullarum rerum poteſt eſſe medio. Solum corpus eſt, quod in medio eſt iſtorum Objectorum, quæ hanc fallaciam animæ obtrudunt, dum cogitat ſe in illorum medio eſſe, cùm reverà non ſit.

Hyl. Cæterùm corpus cum omnibus ſuis Organis, illiſque exterioribus mediis inter corpus & Objecta non ſunt niſi Inſtrumenta quibus Anima Objecta undique occurrentia percipit. Quamobrem neceſſe eſt ut ipſa ſit ubi Lineæ motûs, per hæc continuata Inſtrumenta, ſuæ perceptionis quaſi in centro concurrunt. Quinimo tranſmiſſio ſingularis cujuſvis motûs per Materiam, quæ animam afficit, palpabile argumentum eſt quod ſit alicubi. Quomodo enim id quod alicubi eſt, ut ſunt ſanè Materia & Motus, ad illud pertingere poteſt quod nuſquam eſt? Quomodo illa ad iſtud penetrare poſſunt, aut iſtud ad illa? Ut præteream ***Carteſium*** ipſum expreſſim admittere illa Objecta quæ Anima videt, fugit aut proſequitur, extra eam eſſe. Quamobrem multa eorum in circulo poſita neceſſariò eam circundant. Ac proinde cùm extra eam ſint, illam oportet intra ea eſſe, ac proinde neceſſariò eſſe alicubi.

Princip. part. 1. Artic. 71.

Cuph. Philoſophus forſan in communem vulgi Opinionem inſcius dilabitur.

Hyl. Rurſus, ***Cuphophron***, ſi Animæ humanæ nuſquam ſunt, in hujus hominis corpore æquè ſunt atque in alterius, atque hujus hominis Anima æquè commodè alterius hominis corpus movere poteſt atque ſuum, & ad quamcunque diſtantiam ille alter à ſe ſit diſſitus. Quod impoſſibile videtur ut finitus quiſquam Spiritus faciat. Nec ulla extant exempla hujuſmodi Operationis.

Cuph. Ipſe rationem reddis, ***Hylobares***, cur ad quamlibet diſtantiam agere nequeant, nempe, quoniam Potentia earum eſt finita.

Hyl. Et tu, ***Cuphophron***, agnoſcis Animas propinquiores & remotiores eſſe ex eo quòd agnoſcis illas ad quamlibet diſtantiam non poſſe operari. Illud verò quod propinquius & remotius eſt, alicubi eſt, ſaltem definitivé.

Cuph. Et quòd hujus hominis Anima alterius corpus non moveat hinc eſt, quòd vitaliter cum uno tantùm uniatur.

Hyl. Unitúrne tunc interiori corporis parti, *Cuphophron*, an exteriori?

Cuph. Captioſa ſanè eſt quæſtio. Nam ſive interiori unitam dixero, ſive exteriori, ſtatim inferes Animam eſſe alicubi. Quod verò nuſquam eſt, neutri uniri poteſt.

Hyl. Ac proinde non eſt unita omnino.

Cuph. Hæ quidem res haud facilè ſub cujuſlibet captum cadunt.

Hyl. Rurſus, *Cuphophron*, * Unitúrne Anima corpori per eſſentiam ſuam, an per Eſſentiale aliquod Attributum Animæ?

Cuph. Hæc altera eſt Captio, *Hylobares.* Prævideo enim Technam Sophiſticam: Si dixero *Eſſentiam* Animæ unitam eſſe corpori, oportet tunc Animam eſſe ubi corpus eſt; ſi verò dixero per *Attributum eſſentiale*, oportet Animam eſſe ubi eſſentiale Attributum, & ex conſequenti ubi corpus eſt. Adeò ut eódem res recidat.

Hyl. Vel ſic, *Cuphophron:* Annon Anima movet corpus?

Cuph. Quid movet corpora Brutorum, *Hylobares?* An non Anima eorum merus motus eſt Mechanicus, ſecundùm ſententiam ſtupendi illius Philoſophi?

Hyl. Verùm hoc ex te quæro, Annon Anima rationalis ſuâ volendi Facultate movet corpus?

Cuph. Id quidem ni eſſet, nullum liberi arbitrii exercitium eſſet in externis Actionibus.

Hyl. Eſtne igitur poteſtas movendi corpus per ſuam voluntatem, in Anima an verò extra Animam?

Cuph. In Anima, *Hylobares.*

Hyl. Quomodo igitur exeri poteſt hæc poteſtas in corpus ad movendum ipſum, niſi eſſentialiter præſens ſit corpori, quò eam in ipſum exerat?

Cuph. Per certam quandam emanativam efficaciam quæ ab Anima promanat.

Hyl. Fluctuátque vexilli inſtar in Aere, Animam inter & corpus.

Cuph. In extenſionalia hæc phantaſmata ſemper excurris, *Hylobares*, quorum odioſas importunitates pari cum contemptu deſpicio, quando in ſublimitates meas Metaphyſicas raptus ſum, atque celeres huc illuc motitationes Formicarum, Forficularúmque flexus ac ſinuationes, ſuper extenſam Terræ ſuperficiem.

Hyl. Habes equidem Animam admodum elevatam, fateor, O *Cuphophron.* Verùm obſecro te, ut paulò preſſiùs in hanc emanativam energiam Animæ in corpus, deſpicere digneris, & à corpore ad illius fontem, Animam, proſequi. Ubi deſinit, *Cuphophron?*

Cuph. In ipſam Animam, *Hylobares.*

Hyl. Ubi verò tunc eſt Anima?

Cuph. Nuſquam.

Hyl. Quid igitur, Annon tunc deſinit nuſquam, & à nuſquam incepit?

Cuph. Id quidem neceſſe eſt fieri, quandoquidem Anima nuſquam eſt.

Hyl. Mirum verò hoc mihi videtur Myſterium, O *Cuphophron*, ut continua inter duas res ſit Emanatio, quarum altera alicubi ſit, altera verò nullibi, intermediâ Emanatione interim ad finitam tantùm diſtantiam procedente.

Cuph. Metaphyſica non eſſent Metaphyſica, *Hylobares*, niſi hujuſmodi Myſteriis abundarent.

Hyl. At enim, non multò conſultius foret, Immaterialem ſive Metaphyſicam Extenſionem cum *Philotheo* mecúmque admittere, quàm iſtiuſmodi incomprehenſibiles Notiones fovere, quæ tam difficulter ad omnium præterquam tui ipſius mentem quadrant?

Cuph. Ego in hac ſententia ſolus non ſum, *Hylobares.* Et quantùm ad *Philothei* opinionem atque tuam (ſiquidem eam tibi deſponſâſti) quid dictum ſit toto hoc tempore audivi, atque hæc iterum iterúmque mecum animo recolui, verùm omnes Ratiocinationes veſtræ nè tantillum quidem me movent.

XXXV.
Rationes Paradoxi Cuphophronis (quòd Spiritus nullibi ſint) in medium prolatæ & examinatæ.

Hyl. Dic mihi igitur, quæſo te *Cuphophron*, quæ ſit cauſa præcipua quæ ad amplectendam iſtam opinionem quam profiteris te moverit: Nullum utique Spiritum uſquam eſſe poſſe, vel, Animam humanam eſſe nullibi?

Cuph. Argumenta ſunt convincentiſſima hujus apparentis Paradoxi, O *Hylobares*, ſi animum offendunt eorum ſatìs capacem. Præcipua verò hæc duo ſunt. Primum, quòd Mens humana de iſtiuſmodi rebus cogitet, quæ nullibi ſunt, ut de multis Moralibus, Logicis, & Mathematicis Veritatibus, quæ cùm talis ſint naturæ ut ſint nullibi, Mentem quæ eas concipit, neceſſariò etiam nullibi eſſe oportet. Secundum, quòd Cogitatio eo ipſo quatenus Cogitatio, ab omni Extenſione eximitur ſive præſcinditur. Nam tametſi nos dubitemus an ſit Materia ulla, ulláve res extenſa in Univerſo, certi tamen interim ſumus, nos res eſſe Cogitantes. Quod oſtendit Cogitationem nihil commune habere cum extenſione nec ullam ad eam Applicabilitatem, quandoquidem noſmetipſos cogitare percipimus, cùm nè minima interim nobis occurrit de ulla re extenſa cogitatio. Quamobrem cùm cogitationes noſtræ nullam Relationem ſive Applicabilitatem habeant ad *Extenſionem*, nullam habent applicabilitatem ad *locum*, & ex conſequenti nec illæ nec mentes noſtræ uſquam ſunt.

Hyl. Ex parte intelligo quid velis, *Cuphophron*, ſed non tam plenè ut ullum omnino robur in tuis deprehendam Ratiociniis. Primi argumenti vacillantiam, hinc intelligere potes, Quòd perinde certò ſequetur, Animam ſive mentem humanam alicubi eſſe ex eo quòd de rebus cogitat quæ ſunt alicubi, atque nullibi eſſe ex eo quòd de rebus cogitat quæ ſunt nullibi. Præterea, Eæ ipſæ res quas nullibi eſſe dicis ſunt alicubi, Veritates ſcilicet *Morales*, *Logicæ*, atque *Mathematicæ*. Sunt enim in Mente ſive Anima. Animámque ſuprà credo me apud quemlibet Auditorem nullo præjudicio laborantem, demonſtrâſſe in corpore eſſe. Corpus verò negare non potes quin ſit alicubi. Concedo quidem fieri poſſe, ut nonnullæ ex iſtis Veritatibus, quatenus *Repræſentationes* ſunt, nec tempus nec locum reſpiciant; verùm quatenus ſunt *Operationes* ſive *Modi* Subjecti ſeu Subſtantiæ, non poſſunt non concipi in aliqua eſſe ſubſtantia. Cúmque nulla omnino ſubſtantia ſit quæ non eſſentialem ſaltem habeat Amplitudinem, ſunt in ſubſtantia quæ aliquo modo eſt extenſa, atque ſic virtute ſubjecti ſui neceſſariò concipiendæ ſunt eſſe alicubi. Modus enim rei à re ipſa non ſeparatur.

Cuph. Verùm hîc tibi id arripis, *Hylobares*, quod tibi non permittam aſſumere, Subſtantiam ſcilicet Mentis ſive Animæ eſſe à Cogitatione diſtinctam. * Dico enim Cogitationem ipſam, ipſam eſſe Animæ ſubſtantiam, ac proinde Animam æquè nullibi eſſe, ac ſi nullam omnino haberet Subſtantiam.

Hyl. Hoc verò nota, *Cuphophron*, quòd dum dicis Cogitationem ipſam, ipſam eſſe Animæ ſubſtantiam, affirmas eo ipſo Animam ſubſtantiam eſſe. Atque ſic Argumentum meum rurſus contra te recurrit, quanquam & iſta affirmatio, Quòd ipſa Operatio ſit Subſtantia, manifeſtò ſit falſa, Operationes enim Animæ ſpecificè diſtinctæ ſunt; cúmque iſtiuſmodi ſpecificè diſtinctæ Operationes ſuccedant aliæ aliis, debent certè ex tuis rationibus, tot ſpecificè eſſe ſubſtantiæ, aliæ aliis ſuccedentes. Adeò ut Anima tua non ſemper foret eadem ſpecifica ſubſtantia, nedum eadem Individua, quo quidem nihil eſſe poteſt magis veſanum atque abſonum. Rurſus Anima res permanens ab omnibus exiſtimatur; operationes verò illius in fluxu ſunt & ſucceſſione. Quomodo igitur poſſunt eſſe ipſa Anima? & quid fiet de Memoria? Eſt igitur, O *Cuphophron*, ſubſtantia Animæ ab Operationibus ſuis ſuccedentibúſve Cogitationibus diſtincta, quemadmodum Materia diſtincta eſt à figuris & motibus qui in ea ſuccedunt.

Cuph. De hoc haud adeò adhuc conſtat.

Hyl. Et nunc quantùm ad ſecundum Argumentum quod ex eo quòd certi ſumus nos cogitare, dum dubitamus utrùm ulla res ſit extenſa in Univerſo, vel forſan de nulla Extenſione cogitamus, concludere vult Mentes noſtras proinde nullam habere Relationem aut Applicabilitatem ad ullam Extenſionem qualemcunque; ineptitudinem hujus Ratiocinationis facilè detegere potes, ſi modò conſideres, Intentionem Caloris ſive Motûs conſiderari ſine ulla relatione ad Extenſionem, & tamen relationem habet ad Subjectum extenſum, putà ad candens Ferrum. Et cogitamus quidem nihil cogitantes de tempore curſúve Solis, & tamen cogitatio noſtra ad tempus applicari poteſt, & ex motu Solis definitivè dici, non ante iſtud horæ momentum incepiſſe, & in hoc momento ceſſaviſſe. Eadémque ratio eſt de loco atque de tempore, hoc eſt, Cogitationes cujuſpiam dici poſſunt definitivè in tali loco conceptæ fuiſſe perinde atque in tali tempore. Et ut ſummatim dicam, merum videtur Sophiſma, inferre à præciſione cogitationum noſtrarum quòd res ipſæ revera altera ab altera præſcindantur, & adhuc multò abſurdius concludere nullam habere relationem vel applicabilitatem, alteram ad alteram. Si adeò omni relatione deſtituerentur in pleno & adæquato conceptu earum tam circumſtantiali quàm eſſentiali, tunc fateor, Concluſio eſſe poſſit ſolida. Cæterùm quando mens Equuleo Metaphyſico ità diſtorquetur, ut eas res divellat, quæ conjunctæ inveniuntur in Natura, & tunc pronunciet nullam habere relationem ad ſe invicem, vel ſi quædam per inadvertentiam omittat quæ ex perfecta Idea hujus vel illius Entis excludi non poſſunt, omnes Concluſiones ex talibus Principiis oportet ipſis Principiis ſimiles eſſe, hoc eſt, mancas vel diſtortas. Et propterea cùm tam parùm mihi ſatisfactum ſit ex *Cuphophronis* ſolutione præſentis Difficultatis de Divina Omnipræſentia, facilè prævideo id honoris *Philotheo* ſoli fore, ut animum meum alleviet, ſtabiliátque in vera ac conſentanea intelligentia omnium Attributorum Dei.

Philoth. Illius operis honor ſoli Deo debetur, *Hylobares*, qui tam vividam celerémque tibi dedit intelligendi facultatem, & tam ſincerum amorem veritatis, ubicunque inveniatur.

Hyl. Illum honorem Deo, qui ipſi peculiariter debetur, ex animo reddo. Civilem tamen quandam gratitudinem etiam eis debitam exiſtimo quos Bonitatis ſuæ inſtrumenta facere dignatus eſt, quemadmodum hoc tempore te fecit, *Philothee.* Ac proinde cùm ſub tuis manibus res tam fœliciter hactenus ſucceſſerit, perge, precor, ad ſolutionem hujus ultimæ difficultatis, de Divina *Omnipræſentia.*

XXXVI. *Deum eſſentialiter eſſe præſentem ubique.*

Philoth. Pergam, *Hylobares*, credóque te inventurum unam ex facillimis omnium quas propoſuiſti, quanquam primo aſpectu, fateor, aliquantùm abſona videri poſſit, ut certè viſa eſt Criticis nonnullis celeberrimis, qui præcipuè ob hanc cauſam, quòd loca ſordida ac maleolentia inidonea Divinæ Præſentiæ ſint Receptacula, non dubitârunt Deum cœlis omnino includere. Quæ ipſorum opinio, *ſenſuum curioſitati* potiùs imputanda eſt, quàm *ſagacitati Ingeniorum.* Omnia enim illa quæ tam ſordida videntur ac ingrata in rerum Natura, revera in ſe talia non ſunt, ſed tantùm Relativé. Et quod uni Animali venenum eſt, oblectamentum alteri eſt atque pabulum; & quod inſtar mortis eſt uni, alteri eſt vita. Ità ut facilè intelligere poſſimus, quamvìs Deus percipiat quicquid eſt, nullam tamen eſſe neceſſitatem, ut malè afficiatur, offendatur, ullâve ratione moleſtetur ex eo quòd præſens ſit ulli rei. Quinimo potiùs impoſſible eſt ut ſic fiat, cùm nihil quod Imperfectionem ſonat, Divinæ Eſſentiæ poſſit competere. Adeò ut nihil opus ſit ut ſe ab ea re ſubducat, cùm nihil patiatur immediatè in ea reſidendo, non magìs certè quàm vulnerari poteſt à gladio, vel ſpinâ pungi. Et eadem ratio eſt de quolibet alio ſenſu ingrato. Omnia enim reſolvuntur in motum & figuram particularum Materiæ variis modis in corporum noſtrorum organa impreſſarum. Et quæ, obſecro, *Inſanctitas* abſolutáve *Pollutio* ulli ineſſe poteſt aut motui aut figuræ aut exilitati iſtiuſmodi particularum? Quamobrem formatio rerum omnium naturalium qualiumcunque, nullis omnino exceptis, non minùs inoffenſa eſt, non minùs ſancta, non minùs grata Æternæ Menti ac conſentanea, quàm lineamenta Picturæ ſive Statuæ ſunt Pictori aut Statuario, cujus nulla pars vel minimam ei affert nauſeam aut averſationem à materia quem ſic formaverit vel figuraverit. Nam Ars, Scientia, & Ratio per omnes partes percurrit. Unde conſtat hanc Objectionem contra *Omnipræſentiam* Dei nihil aliud eſſe niſi fallaciam Animo noſtro rebus haud ſatìs attento, impoſitam, dum Deum imaginamur eiſdem incommodis obnoxium, quibus nos ipſi ſumus propter infirmos noſtros ſenſus ac paſſibiles.

Philop. Hæc mihi quidem videtur, quanquam in Philoſophia minùs verſato, præſentis difficultatis admodum perſpicua, ſolida & intelligibilis ſolutio. *Cuphophronis* verò Hypotheſis eſt, meo quidem tardiori captui, immane quantum paradoxa, & ſi quid ego judico, admodum clarè ab *Hylobare* confutata, quanquam cum aliquibus circumſtantiis quæ mihi videbantur minùs decoræ erga virum tam ingenuum & à nobis omnibus optimè meritum, quàm hic noſter eſt *Cuphophron.*

XXXVII. *Arboriſtarum affectata libertas diſſentiendi inter ſe in Opinionibus non-neceſſariis, & illudendi aliorum in alios in conventibus ſuis Philoſophicis.*

Cuph. Gratias tibi ago, *Philopoli*, quòd adeò tibi cordi ſit mei honoris Incolumitas. Verùm in hujuſmodi altercationibus is utplurimum minùs honeſtè tractari judicatur, qui exiſtimatur victus. Præterea ſæpe uſu venire ſolet in his noſtris conventibus, éſtque id cui nos multùm aſſuefacti ſumus, inter quos tanta intercedit familiaritas, ut per ludum jocúmque alter alterum in veritatem deducat, oſtendendo quàm ridiculus ſit error, & ſubindicando à quali animi intemperie poſſit oriri. Subderiſoria enim hæc hilaritas tantum abeſt ut ulli offenſæ ſit nobis, quippe qui ſatìs nos nôrimus inter nos, ut jucundum potiùs ſit condimentum noſtræ converſationis, facítque ut ſeriæ noſtræ Diſſertationes minùs tædio nobis ipſis ſint, & aliquando, opinor, non ingratæ peregrinis, poſtquam intellexerint nè minimam quidem ei ſubeſſe inimicitiam.

Philoth. Iſtam ſolicitudinem, *Philopoli*, quam habere videris de excuſando *Hylobare*, nos è contrà, quantum ego quidem ſentio, habere debemus de *Cuphophrone* excuſando, qui nulla in parte defuit quantùm ad jocandi feſtivitatem lepidáque dicteria.

Cuph. Equidem fateor, modò eo ſenſu intelligas quem explicavi, *Philopoli.*

Philop. Mirifica quadam cum jucunditate & innocentia, O *Cuphophron*, tempus tranſigitis, cùm illæ res quæ labeculæ aliàs videri poſſint, apud vos reverà ſint virtutis benignæque indolis inſignia. Mirum verò mihi videtur, cùm tanta inter vos benevolentia ſit tantúſque animorum conſenſus, nequaquam tamen conſimilis ſit conſenſus opinionum.

Cuph. Iſta quidem res eſt, quam nè affectamus quidem, niſi eis in rebus quæ neceſſariæ ſunt ad profectum Virtutis ac Pietatis.

Philop. Súntne igitur opiniones iſtæ, Quòd Deus nuſquam ſit, & Quòd ſit alicubi vel potiùs ubique, ad Virtutem ac Pietatem perinde utiles?

Cuph. Immo, *Philopoli*, ſi rectè intelligantur. Is enim qui Deum dicit nuſquam eſſe, Providentiam tamen illius & præſentiam protectricem ubique eſſe interim tenet. Ità ut nulli obſtaculo ſit Virtuti veræque Pietati. Sic igitur res habet *Hylobarem* inter atque meipſum. Ille contra meam opinionem, Quòd Deus ſit nuſquam, ingentem zelum concepit, nè illinc continuò inferri poſſet, Deum omnino non eſſe. Parémque ego pro mea opinione zelum concepi, quoniam ſi agnoſcerem Deum alicubi eſſe, ſtatim agnoſcendum eſſet, eſſe extenſum. Apud me verò idem eſt agnoſcere Deum extenſum atque nullum Deum omnino. Quicquid enim extenſum eſt, aut Materia eſt, aut æquè cogitationis perceptioníſve incapax atque Materia ipſa. Nam ſi res ulla integra, ulla Forma aut Figura percipitur ab eo quod extenſum eſt, nihil in Percipiente extenſo rem integram percipit, ſed partem tantummodo. Quod indicio eſt proprias noſtras Animas non eſſe extenſas, multóque minùs Eſſentiam Dei. Sed nolo renovare Diſputationem.

Philop. Inopinatâ hâc *Cuphophronis* ſubtilitate inſciens opprimor; quomodo me ſic captum in libertatem aſſeres, *Hylobares*?

Hyl. Facillimé. Annon meminiſti Sympathiæ notionem, *Philopoli*, virtute cujus quicquid vel minimum punctum eſſentiæ *Perceptivæ* partis, Animæ putà, percipit, unumquodque punctum reale Perceptivæ neceſſariò percipit ſimul?

Philop. Ex parte intelligo, *Hylobares*. Verùm, quandoquidem harum Notionum te adeò expertum video, meæ domi de eis aliquando pleniùs diſſeremus. Intereà loci puto fieri non poſſe, quin *Philotheana* hujus ultimæ difficultatis circa Divinam *Omnipræſentiam* ſolutio, tibi plenè ſatisfecerit.

Hyl. Pleniſſimé.

Philop. Et mihi quidem abunde voluptatis eſt, dum conſidero, quòd tua & *Cuphophronis* Opiniones de *Omnipræſentia* Dei adeò immane quantum inter ſe differentes, conveniunt tamen viréſque firmiter conjungunt in uno communi zelo ac propoſito avertendi quicquid videri poſſit illius ſubvertere Exiſtentiam.

Hyl. Credo utrique noſtrûm magnæ perinde eſſe voluptati.

Philop. In nulla autem re tantopere triumpho, quàm quòd *Philotheus* tam penitùs tibi perſuaſerit, nihil ſupereſſe in univerſis Divinis Attributis tam intricatum ut tibi ulli impedimento ſit, quò minùs ex animo amplectaris Divinæ Exiſtentiæ Fidem. XXXVIII. *Concluſio.*

Hyl. Nihil eſt, gratias Deo ago & *Philotheo*, in univerſis illis Attributis quæ hactenus conſideravimus, quod non multò facilius videtur quàm ulla alia Hypotheſis quæ unquam mihi in mentem venit. Unum verò præcipuum Attributum ſupereſt, quæ *Bonitas* eſt Divina, cujus notio quanquam conceptu minimè ſit difficilis, efficere tamen ut *Phænomena* Mundana eventúſque Providentiæ conſtanter ad eam quadrent, grandem profectò difficultatem fore prævideo.

Philop. Hoc igitur ſecundum Obſtaculum eſt, *Hylobares*, cujus in principio feciſti mentionem. *Sect.* 14.

Hyl. Sic eſt.

Philoth. Vereórque nè iſtud copioſius ſit argumentum quàm quod hoc tempore aggredi debeamus.

Philop. Ità prorſus exiſtimo. Et præterea, Literæ mihi per Veredarium hac nocte mittendæ ſunt. Quod officium mihi minimè licet negligere. Internas enim cogitationes emendare poſſumus ſimulatque errorem deprehenderimus. Cæterùm, ſiquis error aut culpa in externis rebus commiſſa ſit, quamvis error detectus ſit, damnum tamen ſæpenumero reſarciri non poteſt, nec incommodum penſari.

Cuph. Id veriſſimum eſt. Verùm juxta antiquam conſuetudinem *Athenienſem*, ipſe jus habes, *Philopoli*, finem perinde imponendi atque exordiendi diſputationem.

Philop. Lex hæc, O *Cuphophron*, pro Civilitate proculdubio à Majoribus veſtris deſtinata eſt, ſed in his rerum circumſtantiis ego tanquam crudelitatis genus quoddam conſidero, quòd cogar mei ipſius quaſi eſſe carnifex, & proprio facto privare meipſum ingenuâ iſtâ converſatione, cujus voluptate perfrui ad lucis ortum lubens vellem.

Cuph. Commune noſtrî omnium damnum eſt, meum verò præter cæteros, qui nuſquam tam beatus ſum quàm in tam eximio hominum conſortio. In tua verò manu eſt, *Philopoli*, huic malo mederi. Ipſe enim Temporis quo rurſus conveniamus, præſtituendi jus habes, perinde atque dimittendi præſentem hunc Conventum.

Philop. Itáne habeo? Hoc, alterum ex ſolido compenſat Infortunium, quod reſarcire certum eſt maturiori temporis indictione. Continuo igitur hunc Conventum in horam quintam craſtini diei pomeridianam ſi *Philotheo* reliquíſque placet.

Philoth. Placet.

SCHOLIA

In DIALOGUM I. SECT. 22.

QUemadmodum obſervare eſt in Natura æternæ ſucceſſionis, quam eſſe quidem negare neutiquam poſſumus, *&c. Hoc certè ſatìs appoſitè à* Philotheo Hylobari *proponitur, ut qui adhuc ſupponitur nihil admittere quod non ſit corporeum. Unde neceſſe ei eſt agnoſcere rerum corporearum motarum ſucceſſionem æternam, ſive quæ nullum habuerit initium. Quod tamen impoſſibile eſſe alibi luculentè demonſtro,* Enchirid. Metaphyſ. cap. 10.

Sect. 30. Quemadmodum manifeſtum eſt in Natura Dei, *&c. Atque hìc obiter notatu quidem dignum eſt etiam creatos Spiritus indiſcerpibiles eſſe poſſe, Entiáve eſſe una per ſe & non per aliud, aut Deum nihil niſi Monadas Phyſicas vel Metaphyſicas creare poſſe. Nam ſi Ens aliquod unum per ſe vel minimo momento Monade majus poſſet creare, planè patet cujuſvis amplitudinis creare poſſe. Nullum verò unum Ens Monade Phyſicâ majus Deum poſſe creare riſu prorſus atq; ludo res digna eſt, adeò ab omni ratione abhorret; præſertim cùm pro confeſſo ſit, Monadas innumeras & quæ immenſum ferè occuparent ſpacium, eum creare poſſe, & revera creâſſe. Quid igitur abſurdius fingi poteſt quàm tam infinitam creandi potentiam nullum unum Ens (unum utique per ſe & non per aliud) Monade Phyſicâ majus poſſe creare? Impendiò enim minoris potentiæ eſt Ens unum per ſe moderatæ amplitudinis quàm innumeras immenſúmve quaſi ſpacium implentes Monadas creare. Et ſi Monade majus ſit, eſt neceſſariò extenſum quid creatum indiſcerpibile. A quo tamen quædam ingenia, ſatìs inſcitè quidem tantopere abhorrent.*

Deum mutare potuiſſe proprietatem Trianguli rectanguli ſi voluiſſet. *Eſt ſanè hæc aſſertio* Carteſii, *ſed non dubito quin per jocum ac feſtivitatem dicta, ut alibi etiam moneo,* Enchirid. Metaphyſ. Præfat. ſect. 6, 7. *Et tamen ſunt ex illius ſectatoribus qui ad hoc exemplum ſeriò philoſophantur. Ut* P. Poirettus, Cogitat. Rational. lib. 3. cap. 10. *ubi inter alia agnoſcit, Quòd Ternarius Numerus eſt major Binario & non continet bis duo, id libero dominio arbitrióque Divino acceptum eſſe referendum, aliter enim rem habere potuiſſe, niſi quòd ſic fieri Deus ſtatuerat, nempe ut Ternarius major ſit Binario nec bis duo in ſe contineat. Eandémque rationem apud ipſum eſſe oportet de reliquis Notionibus ſive Veritatibus tum Logicis tum Mathematicis, quas Orbis Literatus hactenus credidit æternas ac immutabiles. Quibus tamen mens humana nihil certius apud ſe reperire potuit. Neque poteſt ferè quiſquam mentis compos, dictas notiones concipere mutabiles, nempe Quòd pars major ſit toto, & Quæ uni tertio æquantur, non æquari inter ſe,* &c. *adeò ut ſi Deus introduci non poſſet, ſine harum certiſſimarum veritatum mutabilitate, (Quòd pars minor eſt toto, & Quæ uni tertio æquantur, æquantur inter ſe,* &c.) *vix reperietur qui majorem certitudinem circa iſtas veritates non exiſtimaturus ſit (aut parem ſaltem) quàm circa exiſtentiam Dei. Unde conſultius eſſet hujuſmodi monſtra opinionum ſilentio ſepelire quàm ad labefactationem Fidei tam temerè in lucem proferre. Obiter autem obſervare libet, Immutabiles iſtas rerum rationes quas nos tam certas in nobis experimur, ſic nobis neceſſariò videri, quatenus mentes noſtræ Divini Intellectûs ſunt quædam quaſi Apographa, quanquam valde compendioſa, nihilque in Divino Intellectu eſſe hujuſmodi Intelligentiæ ac certitudinis Rationum quod aliunde aſciſcit, ſed ab ipſa natura Divina neceſſariò & eſſentialiter emergere : Idémque fieri in mentibus noſtris pro ſuo modulo.*

Sect. 32. Ha, ha, he, Cuphophron, equidem ſolutio eſt egregiè ſubtilis, *&c. Quod tam alto hìc cachinno ab* Hylobare *excipitur, à* P. Poiretto *mordicùs tenetur, acritérque defenditur, quippe perquam ſedulo* Nullibiſmi *Patrono,* Cogitat. Rational. lib. 1. cap. 5. *Sed revera nihil ullius momenti pro ſua cauſa affert, præterquam quòd,* ſect. 8. *haud inſcitè, Quod ſpacium occuparet Deus, Mens Æterna, antequam creatum eſſet ab eo ſpacium? interrogat. Ego verò lubens agnoſco ante Mundum creatum,* *eum nullum* Ubi *habuiſſe præter ſeipſum, ſéq; intimum primúmq; locum eſſe & ſui & rerum omnium creatarum. Quantùm verò ad ſpacium imaginarium, id planè nihil eſſe, vel nuſquam niſi in imaginatione noſtra exiſtere. Eſſe verò infinitum quiddam Extenſum à Materia diſtinctum apertè demonſtravi in hoc Dialogo*, ſect. 26, 27, 28. *Ipſéq;* Poirettus *affirmat hoc in loco*, Quod extenſum eſt, non poſſe eſſe Nihil. *Cùm verò Reale quid ſit nec poſſit non eſſe, ut cuilibet attentiùs conſideranti patebit, independens quid planè eſſe oportet. Quicquam verò independens admittere præter Deum neminem decebit, ut verbis* Poiretti *utar*, qui Deum, ut par eſt, venerari conabitur. *Oportet igitur Infinitum hoc Extenſum Divinam eſſe Immenſitatem obſcurè à nobis perceptam. Ità autem comparatum eſt Divinum hoc Infinitum ut quanquam ipſum nuſquam ſit niſi in ſeipſo, nihil tamen poſtea aut ſpirituale aut corporeum creari poſſet, cui hoc Infinitum non eſſentialiter adeſſet, totúmque penetraret, non ut immenſum Mare Spongiam, quemadmodum aliquando craſsè imaginatus eſt S.* Auguſtinus, *fluido corpore in poroſum ſe inſinuante, ſed ut ſubſtantia perfectiſſimè una ac indiviſibilis ſive indiſcerpibilis, perfectiſſiméque penetrabilis, quæ res ſingulas integrè permeet; adeò ut certiſſimum ſit quicquid nuſquam immenſi hujus* Ubi *reperitur omnino non eſſe, ſive eſſe Nihil. Et quanquam hoc* Ubi, *quæ Divina eſt Immenſitas, non ſit de Eſſentia rei creatæ, ità ut hoc Axioma, Omnis res creata alicubi eſt hujus Immenſitatis, ſit* καθ' αὐτὸ, *eſt tamen* κατὰ παντὸς *verum. Rogare verò an Spiritus vel Mens, Divináve Immenſitas, an Meditatio, Judicium, Amor & ſimilia, palmis pedibúſve multis aut infinitis menſurari poſſint, Rhetoricus planè fumus eſt ac præſtigiæ quibus ſanæ opinioni invidiam apud imperitos conflare ſatagis, quaſi hoc indicaret Deum Mentémque ac illius operationes planè eſſe corporeas: quales tamen non magìs eſſe arguit, quàm eſſe ferreas aut ligneas, tréſve Hypoſtaſes Divinas, Divináve Attributa, quia calculis æneis numerari poſſunt, ipſas eſſe æneas. Extenſio ſive Amplitudo arguitur quidem utrobique, ſed non ejuſdem generis, cùm una* Metaphyſica *ſit ſive* Logica, *altera* Phyſica, *una partes habeat propriè dictas ſive* Phyſicas, *altera tantùm* Logicè *intellectas, & quæ optimè conſiſtant cum perfectiſſima unitate & indiſcerpibilitate. Quibus de rebus cùm ſatìs plenè & copioſè in* Enchiridio Metaphyſico *ejúſque Scholiis diſſeruerim, quicquam hìc amplius addere ſuperſedeo.*

Sect. 33. Nec ut potentia cùm in Eſſentia ſolùm ſit non autem extra, *&c. Vim hujus mei argumenti agnoſcit* Carteſius, *fatente ipſo* Poiretto. *Quippe quem reſpondere ait concedendo Dei eſſentiam debere ubique præſentem eſſe ut ejus potentia ibi ſe exercere poſſit, ſed non per modum rei extenſæ, rei utique corporeæ, quemadmodum proculdubio ille intelligit. Fatetur porrò* Forgium *in ſuo de Spiritu Hominis, Tractatu, aſſerere, Deum rebus omnibus eſſe præſentem, omnipotentiâ, præſentiâ, & ſubſtantiâ ſuâ, immo omnes Creaturas reſpondere certæ cuidam parti Immenſitatis Divinæ in qua omnes includuntur. Ubi non dubito quin* Forgius *partes Divinæ Immenſitatis meo ſenſu intellexerit, id eſt*, Logico *non* Phyſico. Wittichium *etiam agnoſcit in* Theologia pacifica *dicere, Deum eſſe præſentem omnibus eſſentiâ, eſſentialiter, ratione eſſentiæ, id omnes, quos vocant*, Carteſianos, *aſſerere. Quæ tam præclara Capita cur* Poirettus *deſerat, nullam cauſam video ſufficientem ab eo allatam. Neque enim indè ſequitur, ſi Deus ratione Eſſentiæ ſuæ præſens ſit Creaturæ, quòd continuò caperetur à Creatura. Nam de Divina* Immenſitate *manifeſtum eſt, eam à finita Creatura non poſſe capi. Et quantùm ad* vitales Perfectiones *Divini Numinis, illæ quidem, niſi quatenus Divinum Animæ Principium expergefactum ſit (quod in pleriſque dormit) & pro modulo illius expergefactionis, eſſentialique captu Creaturæ, percipi non poſſunt. Quod autem ait* Poirettus, Adeſſe quidem Deum, ſed effectu & operatione potentiæ illius quæ in ipſo ſolo eſt, non autem ipsâ potentiâ: *& non multò pòſt*, Eſſe operantem, non ſignificare nexum (*ſeu præſentiam*) eſſentiæ operantis cum opere, ſed nexum poſitionis voluntatis in operante potente, cum poſitione operis extra illum: *ſubtiliora iſta ſunt quàm ut ullam in eis veritatem ſoliditatémve deprehendam. Quanquam enim potentia Divina Deo ſoli inſit, per modum inhærentiæ, ſi ità fas ſit loqui; per modum tamen præſentiæ, Creaturæ etiam adeſſe poteſt. Et quomodo operatio à potentia diſſita ſit, nullo continuo interveniente Medio, nequaquam concipi poteſt. Idémque dicendum eſt de nexu illo, non quidem eſſentiæ Operantis ſed Voluntatis cum ipſo opere, quaſi nuda voluntas quicquam poſſet ſine potentia, aut potentia quicquam ubi non adſit aut pertingat. Perinde enim eſt ac ſi non eſſet omnino, quemadmodum cuivis patere poteſt qui rem attentè & ſine præjudicio perpenderit.*

Sect. 34. Unitúrne Anima corpori per Eſſentiam an per Eſſentiale aliquod Attri-

Cogitat. Rational. *lib.* 1. *cap.* 7.

butum, *&c. Vt vim hujus argumenti eludat acerrimus ille* Nullibiſmi *patronus* P. Poirettus, *is animam contendit nec per eſſentiam nec per attributa corpori conjungi, ſed illius præſentiam tantùm eſſe* Objectivam, *& eatenus tantùm cum corpore animam ſive mentem diu conjungi, quatenus concipiendo aut volendo aliquid quod ad corpus ſpectet ſequantur in corpore quædam operationes, vel ob motus quoſdam in corpore ſequantur in mente aliquæ perceptiones. Mutuas autem has operationum viciſſitudines, non oriri ex conjunctione Animi Mentiſve ac Corporis, quaſi illa ex ſua Natura ità in ſe invicem agerent, ſed ex liberrimo Supremæ Cauſæ placito. Ità ut creata Mens, corpori non ſit præſens niſi mediante Dei præſentiâ, quatenus nempe is operationes ſuas in mente & corpore ità voluit nectere. Quod mirum mihi videtur commentum & Sapientiæ Divinæ planè adverſum quæ heîc ex operibus Dei planè excluditur. Videtur enim ſupponere res alias in alias agere non ex ulla quidem ſuæ Naturæ aptitudine, quam concinnaverit Divina Sapientia, ſed ex mera Dei voluntate. Cùm proculdubio ut in arte factis aliud alii adaptatur, (ubi quod rotundum eſt ad ſcindendum non eligitur, nec quod cubicum ad rotandum) ità in Dei operibus alia aliis ex ſua natura accommodantur, & ad functiones ſuas adaptantur; quemadmodum videmus in Fabrica humani corporis, ubi partes pulchrâ quidem atque utili conformatione ac ſymmetriâ inter ſe concinnantur & propriis mutuiſve operationibus conſentaneâ. Non eſt autem credibile quin eadem Sapientia quæ corporis partes adaptavit inter ſe, etiam corpus animæ & animam corpori ad mutuas actiones, inſitis quibuſdam virtutibus, adaptaverit. Quod ni eſſet, perinde profectò foret, ſi lapis quivis aut truncus, meum corpus haberetur, atque quod nunc revera meum eſſe creditur, modò ſic Deus efficere vellet, ſuâ præſentiâ, ut affecto illo lapide vel trunco, mens mea afficiatur, & mente affectâ, afficiatur ille lapis vel truncus. Quo quidem nihil videri poteſt abſurdius. Quodſi corpus innatâ ſuâ aptitudine movet animam & vice verſâ, quî fieri poteſt ut corpus agat in animam, ſi anima non adſit corpori, niſi agendo, in corpora intermedia, quod perinde arguet Animam eſſe alicubi, nempe in altero extremo intermediorum corporum? Et par ferè ratio de Anima eſt. Adeò ut meritò quis mirari poſſit inveniri quenquam qui tam improbabilibus ſubtilitatibus indulgeat.*

Sect. 35. Dico enim cogitationem ipſam, ipſam eſſe Animæ ſubſtantiam, *&c. Hæc etiam eſt ipſiſſima opinio* Poiretti, Rational. Cogitat. *lib.* 2. *cap.* 3. *Quibus verò rationibus ſe expedire poſſit ab iſtis Incommodis quibus hanc Opinionem onerat* Hylobares, *ipſe viderit.*

Dialogus

Dialogus Secundus.

Philotheus, Bathynous, Sophron, Philopolis, Eviſtor, Hylobares, Cuphophron.

Philop. HEſterna tranſactio, O *Philothee*, memoriam illius Diei, hujus loci (hujus ſacræ Pergulæ in qua rurſus convenimus) tuíque præſertim ipſius, reliquíque hujus præſtantiſſimi cœtûs mihi in æternum conſecravit. Tantam voluptatem in tam paucis horis, nunquam in omni vita mea percepi. In qua tamen ſumma animi ſatisfactio erat, quòd amiciſſimo meo *Hylobari* de intricatiſſimis iſtis Speculationibus circa Naturam Dei illiúſque Attributa adeò ad plenum ſatisfactum ſit. Reliquum eſt, *Philothee*, ut mentem illius liberes multiplicibus iſtis ſcrupulis ac difficultatibus quibus onerari videtur, circa *Divinam Providentiam*.

I. *Introductio gratiarum actionem* Philopolis *complectens pro heſterna diſſertatione, cum ſtrictura obiter, de Inſpiratione & de difficultate præſentis Argumenti.*

Philoth. Humaniſſima tua acceptatio, *Philopoli*, candidáque operæ prioris interpretatio, haud vulgari modo me obligat, ut ſummis enitar viribus ad præſens hoc penſum fœliciter abſolvendum. Verùm omittere non poſſum quin notem, ut nimium tuum erga me ſtudium fecerit, ut minùs juſtus videaris erga alios, qui ſuas etiam partes egerunt in eis rebus quibuſcunque, quæ aut ad teipſum oblectandum contribuerint, aut ad ſatisfaciendum *Hylobari*. Neque ego certè ſolus hujus Diei Provinciam poſſum ſuſtinere, ſed aliorum opem implorari oportet, præſertim in Argumento tam vario ac copioſo.

Cuph. Rectè, *Philothee*, id jam ſupponitur. *Eviſtor*, *Bathynous*, reliquíque ſuum quiſque conferent ſymbolum. Nec ipſe quidem deero quin me ſubinde ingeram, quoties occaſio requiret, animúmq; meum eò moveri perſentiſcam.

Eviſt. Equidem *Cuphophron* ſic loquitur, ac ſi ſpes eſſet eum per Inſpirationem dicturum.

Hyl. Ità planè mihi videtur aliquando facere, *Eviſtor*. Cujus facultatis, quæ in heſterna Diſſertatione occurrebant nonnulla, recentiſſima ſunt exempla. Erat enim nonnunquam tam altè raptus, Divinitúſque inſpiratus, ut nullum, fateor, humanum Intellectum illius ſenſum aſſequi poſſe exiſtimem.

Sophr. Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia. Ità ego *Rationem* preſſam cautámque in tranquillo ac puro Spiritu optimam nunc dierum in rebus *contemplandis* Inſpirationem eſſe judico, perinde atque *Prudentiam* in rebus *agundis* communiſq; vitæ uſu.

Cuph. Nemo mortalium, O *Sophron*, Rationem illuminatam pluris æſtimat, quàm ego.

Hyl. Nec quàm ipſe æſtimo, O *Cuphophron*, modò *Illuminatio* tam rutila non ſit ac fulgida, ut omnem *Rationis* perceptibilitatem obſcuret aut extinguat.

Sophr. Ipſam *rectam Rationem* Illuminationem ſive lucem Animi ego ſemper exiſtimavi, omnem verò aliam lucem Oculi potiùs lucem eſſe quàm Intellectûs.

Hyl. *Cuphophron* id ſcilicet viderit, O *Sophron*. Cui incumbit ſui ſtyli magnificentiam defendere.

Philop. Intereà verò loci, *Hylobares*, placeat tibi juxta præſentis hujus conventûs propoſitum, difficultates tuas circa Divinam Providentiam *Philotheo* reliquóque huic literato Cœtui proponere.

Sophr. Quàm decorè *Philopolis* ſuo fungitur officio, opportunéque Opponentem & Reſpondentem inter ſe committit, ſicut bene exercitatus Moderator! *Philotheo* ſucceſſum exopto nihilo inferiorem heſterno. Verùm de hoc congreſſu tam bene ominari nequeo. Equidem vereor nè tanta Tempeſtas excitetur, ut univerſa in *Europa* Ingenia eam non valeant ſedare. Tam intricatæ, tam anfractuoſæ, tam inveſtigabiles ſunt viæ Providentiæ.

Cuph. Demiror equidem, unde *Sophron* malum hoc omen ſumpſerit, *Hylobares!*

Hyl. Ex noſtro duorum luſu, opinor, quem tanquam luſum duorum Vitulorum marinorum ante Tempeſtatem marinam, conſiderat.

Sophr. Utinam, *Hylobares*, te ſatìs Vitulum præſtes, nec ullas proferas Objectiones quibus aut *Philotheus* aut aliquis è nobis non plenè ſatisfacturus ſit.

Philop. Ego *Philotheo* facultatem ex animo opto, opémque Divinitùs, ut ad plenum poſſit ſatisfacere vel maximis difficultatibus, quas aut *Hylobares* aut quiſquam alius

&c. Vt vim hujus argumenti eludat acerrimus ille Nullibiſmi *patronus*
ettus, *is animam contendit nec per eſſentiam nec per attributa corpori con-*
ſed illius præſentiam tantùm eſſe Objectivam, *& eatenus tantùm cum cor-*
imam ſive mentem diu conjungi, quatenus concipiendo aut volendo ali-
od ad corpus ſpectet ſequantur in corpore quædam operationes, vel ob mo-
ſdam in corpore ſequantur in mente aliquæ perceptiones. Mutuas autem has
onum viciſſitudines, non oriri ex conjunctione Animi Mentiſve ac Corporis,
a ex ſua Natura ità in ſe invicem agerent, ſed ex liberrimo Supremæ Cauſæ
Ità ut creata Mens, corpori non ſit præſens niſi mediante Dei præſentiâ,
nempe is operationes ſuas in mente & corpore ità voluit nectere. Quod
mihi videtur commentum & Sapientiæ Divinæ planè adverſum quæ heic
ibus Dei planè excluditur. Videtur enim ſupponere res alias in alias agere
ulla quidem ſuæ Naturæ aptitudine, quam concinnaverit Divina Sapien-
l ex mera Dei voluntate. Cùm proculdubio ut in arte factis aliud alii
tur, (ubi quod rotundum eſt ad ſcindendum non eligitur, nec quod cubi-
l rotandum) ità in Dei operibus alia aliis ex ſua natura accommodan-
ad functiones ſuas adaptantur; quemadmodum videmus in Fabrica hu-
rporis, ubi partes pulchrâ quidem atque utili conformatione ac ſymmetriâ
ſe concinnantur & propriis mutuiſve operationibus conſentaneâ. Non eſt
redibile quin eadem Sapientia quæ corporis partes adaptavit inter ſe, etiam
animæ & animam corpori ad mutuas actiones, inſitis quibuſdam virtuti-
aptaverit. Quod ni eſſet, perinde profectò foret, ſi lapis quivis aut truncus,
corpus haberetur, atque quod nunc reverâ meum eſſe creditur, modò ſic Deus
vellet, ſuâ præſentiâ, ut affecto illo lapide vel trunco, mens mea afficia-
mente affectâ, afficiatur ille lapis vel truncus. Quo quidem nihil videri
abſurdius. Quodſi corpus innatâ ſuâ aptitudine movet animam & vice ver-
i fieri poteſt ut corpus agat in animam, ſi anima non adſit corpori, niſi
o, in corpora intermedia, quod perinde arguet Animam eſſe alicubi, nempe
extremo intermediorum corporum? Et par ferè ratio de Anima eſt.
ut meritò quis mirari poſſit inveniri quenquam qui tam improbabilibus ſub-
ibus indulgeat.

i. 35. Dico enim cogitationem ipſam, ipſam eſſe Animæ ſubſtantiam, *&c. Hæc*
eſt ipſiſſima opinio Poiretti, Rational. Cogitat. *lib. 2. cap. 3. Quibus verò ra-*
us ſe expedire poſſit ab iſtis Incommodis quibus hanc Opinionem onerat
ares, *ipſe viderit.*

Dialogus Secundus.

Philotheus, Bathynous, Sophron, Philopolis, Eviſtor, Hylobares, Cuphophron.

Philop. HEſterna tranſactio, O **Philothee**, memoriam illius Diei, hujus loci (hujus ſacræ Pergulæ in qua rurſus convenimus) tuíque præſertim ipſius, reliquíque hujus præſtantiſſimi cœtûs mihi in æternum conſecravit. Tantam voluptatem in tam paucis horis, nunquam in omni vita mea percepi. In qua tamen ſumma animi ſatisfactio erat, quòd amiciſſimo meo **Hylobari** de intricatiſſimis iſtis Speculationibus circa Naturam Dei illiúſque Attributa adeò ad plenum ſatisfactum ſit. Reliquum eſt, **Philothee**, ut mentem illius liberes multiplicibus iſtis ſcrupulis ac difficultatibus quibus onerari videtur, circa **Divinam Providentiam.**

I. *Introductio gratiarum actionem* Philopolis *complectens pro heſterna diſſertatione, cum ſtrictura obiter, de Inſpiratione & de difficultate præſentis Argumenti.*

Philoth. Humaniſſima tua acceptatio, **Philopoli**, candidáque operæ prioris interpretatio, haud vulgari modo me obligat, ut ſummis enitar viribus ad præſens hoc penſum fœliciter abſolvendum. Verùm omittere non poſſum quin notem, ut nimium tuum erga me ſtudium fecerit, ut minùs juſtus videaris erga alios, qui ſuas etiam partes egerunt in eis rebus quibuſcunque, quæ aut ad teipſum oblectandum contribuerint, aut ad ſatisfaciendum **Hylobari.** Neque ego certè ſolus hujus Diei Provinciam poſſum ſuſtinere, ſed aliorum opem implorari oportet, præſertim in Argumento tam vario ac copioſo.

Cuph. Rectè, **Philothee**, id jam ſupponitur. **Eviſtor**, **Bathynous**, reliquíque ſuum quiſque conferent ſymbolum. Nec ipſe quidem deero quin me ſubinde ingeram, quoties occaſio requiret, animúmq; meum eò moveri perſentiſcam.

Eviſt. Equidem **Cuphophron** ſic loquitur, ac ſi ſpes eſſet eum per Inſpirationem dicturum.

Hyl. Ità planè mihi videtur aliquando facere, **Eviſtor.** Cujus facultatis, quæ in heſterna Diſſertatione occurrebant nonnulla, recentiſſima ſunt exempla. Erat enim nonnunquam tam altè raptus, Divinitúſque inſpiratus, ut nullum, fateor, humanum Intellectum illius ſenſum aſſequi poſſe exiſtimem.

Sophr. Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia. Ità ego **Rationem** preſſam cautámque in tranquillo ac puro Spiritu optimam nunc dierum in rebus **contemplandis** Inſpirationem eſſe judico, perinde atque **Prudentiam** in rebus **agundis** communiſq; vitæ uſu.

Cuph. Nemo mortalium, O **Sophron**, Rationem illuminatam pluris æſtimat, quàm ego.

Hyl. Nec quàm ipſe æſtimo, O **Cuphophron**, modò **Illuminatio** tam rutila non ſit ac fulgida, ut omnem **Rationis** perceptibilitatem obſcuret aut extinguat.

Sophr. Ipſam **rectam Rationem** Illuminationem ſive lucem Animi ego ſemper exiſtimavi, omnem verò aliam lucem Oculi potiùs lucem eſſe quàm Intellectûs.

Hyl. **Cuphophron** id ſcilicet viderit, O **Sophron.** Cui incumbit ſui ſtyli magnificentiam defendere.

Philop. Intereà verò loci, **Hylobares**, placeat tibi juxta præſentis hujus conventûs propoſitum, difficultates tuas circa Divinam Providentiam **Philotheo** reliquóque huic literato Cœtui proponere.

Sophr. Quàm decorè **Philopolis** ſuo fungitur officio, opportunéque Opponentem & Reſpondentem inter ſe committit, ſicut bene exercitatus Moderator! **Philotheo** ſucceſſum exopto nihilo inferiorem heſterno. Verùm de hoc congreſſu tam bene ominari nequeo. Equidem vereor nè tanta Tempeſtas excitetur, ut univerſa in **Europa** Ingenia eam non valeant ſedare. Tam intricatæ, tam anfractuoſæ, tam inveſtigabiles ſunt viæ Providentiæ.

Cuph. Demiror equidem, unde **Sophron** malum hoc omen ſumpſerit, **Hylobares!**

Hyl. Ex noſtro duorum luſu, opinor, quem tanquam luſum duorum Vitulorum marinorum ante Tempeſtatem marinam, conſiderat.

Sophr. Utinam, **Hylobares**, te ſatìs Vitulum præſtes, nec ullas proferas Objectiones quibus aut **Philotheus** aut aliquis è nobis non plenè ſatisfacturus ſit.

Philop. Ego **Philotheo** facultatem ex animo opto, opémque Divinitùs, ut ad plenum poſſit ſatisfacere vel maximis difficultatibus, quas aut **Hylobares** aut quiſquam alius excogitare poteſt ac producere adversùs *Divinam Providentiam.*

Sophr. Id quidem è duobus longè exoptabilius eſt. Animúſque meus ac votum hac in re cum tuo ſimul conjunctum eſt, O *Philopoli.*

Philop. Incipe igitur, *Hylobares*, ſi placet.

Hyl. Tantam in Animo habeo turbam nubémque difficultatum, ut neſciam profectò unde exordiar aut ubi deſinam.

Sophr. Annon id tibi prædixi, *Philopoli?*

II.

Duo præcipua capita Objectionum adversùs Providentiam, cum certis quibuſdam legibus in diſputando de ea, obſervandis.

Hyl. Credo autem eas ſummatim ad hæc tria Capita, vel potiùs ſi malles, ad hæc duo generaliora reduci poſſe, ad Mala quæ in orbe ſunt, & ad defectum Boni. Poſtquam enim egregium, quoad poteris, Patronum te præſtiteris, *Philothee*, belléq; nobis perſuaſeris, omnia quæ in terrarum orbe inveniuntur mediocriter ſaltem ſe habere, nullúmque tale Malum reperiri quod primum rerum omnium Principium implicet haud ſupremam eſſe Bonitatem; hæc tamen ſupereſt difficultas, quì poſſit cum Divina Bonitate conſiſtere ut hæc rerum ſcena maturiùs non inciperet, nec extenderet ſe latiùs, hoc eſt, ut non plures ſint Terræ quàm una, vel ut hæc una non plures ante annos quàm ſexies mille, fuiſſet habitata.

Sophr. Hæc ipſa difficultas ultima, *Philopoli*, ſatìs eſt ſola quæ mortalem quemlibet ad incitas redigat.

Philoth. Noli animum adeò deſpondere, mi *Sophron!* ipſe auſim præſtare, nihil quod ſacrum ſanctúmve ſit, ullum ex hoc conflictu capturum eſſe detrimentum, poſtquam Leges pugnæ declaravero, & ad quæ arma reſtringendi ſumus, ad *Rationem* meram ſcilicet ac *Philoſophiam.* In quo campo tamen nihilominus ingenuè fateor me ſuſpicari *Hylobarem*, perquam ſtrenuum fore Athletam. Mirum verò eſt ſi omnes junctim eum debellare nequeamus. Cúmque apertè conſtet ex numeroſa Phænomenôn copia Principium exiſtere quod per ſapientiam agit & conſilium, quemadmodum abundè evictum eſt Diſſertatione heſternâ, & æquè promptè agnitum; expectabimus quidem, ſeveritérque exigemus ab *Hylobare*, nè falſas aut incertas opponat Hypotheſes, aut populares Errores & fictitias Hiſtoriolas, contra certam veritatem, talémque quæ quotidie ante oculos noſtros verſetur.

Philop. Hoc admodum æquum eſt & rationi conſentaneum.

Philoth. Et ſi manus abſtinere non poteſt à ſacra Scriptura, nè eam tam ineptè tractet, ut loquutiones ad vulgi captum accommodatas ad ſententiam Philoſophicam attrahat, negationémve inferat ex præteritione hujus vel illius rei.

Eviſt. Incredibile eſt, ut *Hylobares*, qui nomen ſuum inter Philoſophos profitetur, ad iſtiuſmodi nugas ſe reciperet, quæ ab ipſis Theologis exploſæ ſunt, qui nihilominus præcipuam ſuam operam ſacris Scripturis impendunt.

Hyl. Has leges, O *Philothee*, tanquam æquas juſtáſque accipio.

III.

Mala in genere quomodo cum Divina Bonitate conſiſtant.

Philoth. Et ſi obſerventur, *Hylobares*, quanquam ſtrenuus *Retiarius* es, nunquam tamen reti me capies tuo, ulliſve me illaqueabis intricationibus circa Divinam Providentiam. Quantùm enim ad id quod in genere propoſuiſti de Malis in Mundo occurrentibus, ſive ea ſint quæ magìs Tragica videntur ſive lapſus minores in humanis moribus aut Accidentibus Fortunæ, ſi tales res non eſſent, ubi Objecta Suſpiriorum & Lachrymarum forent, ubi ſubriſionis & cachinnorum? Adeò ut id ipſum, quod affers ut argumentum contra Providentiam, meo quidem judicio argumentum pro ea eſt valdè manifeſtum. Manifeſtum enim eſt eam Poteſtatem quæ Mundum creavit, prævidiſſe Mala in eo futura, ex eo quòd paſſiones eiſdem tam accuratè adaptaverit.

Hyl. Hoc ingenioſè illatum eſt, O *Philothee*, quouſque ſe extendere poteſt, nempe ad probandam Providentiam eſſe ſive Præſcientiam Divinam. Videris autem præcipuam Quæſtionem, quæ præ manibus eſt, obliviſci, quæ eſt, Utrùm Bonitas Divina illius Providentiæ ſit menſura, nec quicquam fieri ſoleat iſti Attributo contrarium. Tua verò conceſſio implicare videtur quòd ſciens prudénſque Malum in Orbem intulerit. Quod ideo magìs craſsè videtur illius Bonitati repugnare.

Sophr. Meâ quidem ſententiâ, amiciſſimi mei, uterque veſtrûm in re tanti momenti ſatìs bellè conveniſtis, nempe in aſſerenda Divina Providentia; & ſi ulla reliqua eſſet apud homines mortales modeſtia, nudâ illâ Recognitione deberent eſſe contenti, & à tam ſtrictè examinandis inveſtigandiſve legibus menſuræ illius, datâ operâ abſtinere, ſed ad legem vitæ quam Deus cordibus ſuis inſcripſit, aut in ſacris paginis manifeſtavit, animum applicare, ut bene eis ſit in die noviſſimo.

Philop. Admodum piè id ac prudenter abs te notatum eſt, O *Sophron.*

Bath. Ità ſanè eſt, O *Philopoli.* Sed tamen cum bona tua venia ſic ſentio, non ſemper eſſe pruritum ſcrutandi, ſed aliquando neceſſitatem magìs accuratè cognoſcendi veritatem Myſteriorum Dei, quæ animos hominum quorundam ad magìs preſſam anxiámque meditationem rerum tam profundarum impellit. Quemadmodum meritò hìc facere poteſt in quæſtione de Menſura Divinæ Providentiæ. Utrùm illius Menſura ſit pura Dei Bonitas, an mera illius Voluntas ac Dominatio. Nam ſi illius Bonitas ſit, libera Agentia omnia omni omnino ratione tenentur ad animos ſuos applicandos ad legem illam *Vitæ* quam *Sophron* memorabat, propterea quòd labor eorum non vanus erit in Domino, utì loquitur Apoſtolus. Verùm ſi Menſura illius Providentiæ ſit mera ejus Potentia, Voluntas aut Dominatio; Nemo mortalium præcognoſcere poteſt quid in fine ſit expectandum. Omnes veri Fideles in Infernum detrudi poterunt, & impii ſoli ac blaſphemi in beatas Regiones aſcendere. Quid enim huic malo ullum obicem ponere poteſt, niſi Juſtitia Divinà quæ Bonitatis illius ramulus eſt ſive modus?

Philop. Equidem ſic ego cenſeo, *Bathynoe*, veſtram utriuſque cauſam, & *Sophronis* & tuam non carere ratione, nec cupio ut *Philotheus* à præſenti argumento deſiſtat, quanquam nihil longius mihi videtur, fateor, quàm donec eum audivero de rebus *Regni Dei* diſſerentem.

Philoth. Id fiet opportuno tempore, *Philopoli.* Intereà loci auſim affirmare *Hylobari*, nulla eſſe mala in Univerſo, quæ Deus præviderit, (& omnia proculdubio prævidit quæ erant futura) quæ cum hoc Principio non conſiſtant, Quòd *Dei Bonitas ſit illius Providentiæ Menſura.* Ità enim Natura rerum comparata eſt, ut neceſſe ſit quædam *Particularia* ſive Individua patiantur, pro majori commodo *Totius*; ut taceam multiplices incompoſſibilitates ac lubricitates Materiæ quæ eaſdem commoditates & aptitudines in qualibet figura aut modificatione habere non poſſunt, nec ad quicquam idonea foret, ſi figuræ illius ac modificationes non eſſent quodammodo infinitè variabiles.

Hyl. Ex parte te intelligo, *Philothee*; perge igitur, obſecro.

Philoth. Quamobrem concludo, Divinæ Providentiæ menſuram etiamnum eſſe illius Bonitatem: quandoquidem iſtæ *Incompoſſibilitates* in Materia ſunt inevitabiles. Et quicquid mali aut deſtinati aut permiſſi videtur eſſe in Providentia, ſit in majus bonum, ac proinde nec propriè, poſt ſummarium rerum univerſi computum, malum reputandum; damnum in *particularibus* cùm tam ingens lucrum ſit rerum *Univerſitati.* Noſtra igitur Ignorantia eſt, O *Hylobares*, verarum legum Bonitatis (ut qui adeò in vita *Ipſeitatis* immerſi ſumus quæ abjecta illa Vita eſt Plantarum atque Pecudum) quæ nos tam inidoneos Judices facit, quid ſit & quid non ſit factum ſecundùm Legem illius Amoris ſive Bonitatis, quæ revera eſt Divina. Cujus Teneritudo ac Benignitas tanta erat ut ſuſpiria nobis ac lachrymas proſpexerit ad occurſus iſtorum particularium malorum quæ prævideràt in Orbe neceſſariò emerſura; Cujúſque Jocunditas ac Feſtivitas etiam tam conſpicua eſt in donando nos Paſſione ſive Proprietate ridendi, ad excipienda leviora illa mala lapſúſve ſive in Moribus ſive in Fortunis; ac ſi Providentia Hominem à ſe in Orbem introductum, tanquam ſpectatorem conſideraret Tragico-comœdiæ. Et tamen in hoc quod adeò ludicrum videtur, vide, *Hylobares*, quàm ſerium ſit in eo magni alicujus Boni propoſitum. Etenim Commiſeratio lachrymarum mater, non ſemper otioſa ſpectatrix eſt, ſed opitulatrix ſæpenumero in malis iſtis particularibus quæ in Orbe accidunt. Et lachrymæ viciſſim eorum qui patiuntur, Commiſerationis mater eſt in ſpectatoribus ipſorúmque opem extorquet. Et vel unius ridiculi lapſûs fama mille hominum ora hilaritudine riſúque implet. Cúmq; ſint adeò univerſim deriſioni obnoxii, id quidem facit ut quiſque eò diligentiùs mores ſuos inſpectet cautiúſque in rebus ſuis ſe gerat, præſertim ubi via magìs eſt lubrica.

Hyl. Ex hiſce Inceptis mirificum te præſtiturum auguror Divinæ Providentiæ Myſtam, O *Philothee.*

Sophr. Animitùs opto, *Philopoli*, ut *Philotheus* ex particularibus difficultatibus quæ proponendæ ſunt tam fœliciter ſe expediat quàm fecit in hac generali. Sunt enim innumeri inopinati griphi, quos veriſimile eſt, Ingenium acre atque agile, quale eſt *Hylobaris*, ſcævâ quâdam ac perverſâ ſolertiâ facilè inventurum.

IV. *Argumenta Lucretii adverſus Providentiam.*

Eviſt. Ecquos verò putas, O *Sophron*, majores aut difficiliores, quàm qui comprehenduntur elegantibus quidem illis quanquam impiis verſibus *Lucretii*?

Sophr. Quos verſus mihi narras, *Eviſtor*?

Eviſt. Iſtos in libro quinto de *Rerum Natura*, ubi hanc concluſionem ſibi demonſtrandam proponit, *viz.*

Nequaquam nobis Divinitus eſſe paratam
Naturam rerum——

Sophr. Et quibus, quæſo, argumentis prætendit tam impiam inferre concluſionem ?
Eviſt. Argumentum in genere eſt Naturæ culpabilitas,

———*Tantâ ſtat prædita culpâ.*

ac proinde quòd nequeat eſſe opus Dei. Et decem minimùm exempla hujus quam autumat culpabilitatis, ibidem producit.

Sophr. Tam præclarum Ingenium exiſtimatur *Lucretius*, ut operæ pretium foret, *Eviſtor*, (ni tibi aliter viſum ſit) ſi id oneris in te ſuſciperes, iſta utique recenſendi exempla.

Philop. Optimum Monitum, taléque, O *Sophron*, quo facilè conjectare poſſis an *Philotheus* Provinciam ſuſceperit tam deſperatam quàm ipſe cogitas. Veriſimile enim eſt, tam præclarum elegánſque Ingenium, quàm erat *Lucretius*, ex multis illis ſelectiſſimos quoſque maximéq; perplexos (quos vocas) griphos, quos cauſa Epicurea ſuppeditare potuit, eligere voluiſſe. Ac proinde ſi hæc, tam invicta Argumenta, contra Bonitatem Providentiæ non reperirentur, major ſpes erit nulla omnino talia fore.

Sophr. Rectè dicis, *Philopoli*, ídque mihi majus accendit deſiderium ea audiendi.

Eviſt. Quod fiet, *Sophron*, ſed hac lege ut tu ipſis reſpondeas.

Sophr. Aut ego aut *Philotheus*, aut aliquis è nobis, quoad poterimus, ſedulam navabimus operam.

Eviſt. Ipſos verſus non repetam, id enim nimis imperfectè mutiléq; facturus eſſem, credo tamen admodum pauca è particularibus exemplis eſſe quæ non firmiter meminerim : ut exempli cauſâ, Tantam Terræ nobis portionem ablatam eſſe, propter Montium Rupiúmq; ſterilitatem, propter Sylvas vaſtas & inacceſſas, à Feris inhabitatas, propter diffuſionem Marium, & propter immenſas denique Paludes. Præterea, Zonas, Torridam atque Frigidas non eſſe habitabiles, alteram ob caloris exceſſum, ob frigoris exceſſum alteras. Eam porrò Telluris partem quæ habitatur ab hominibus, tam perverſæ eſſe indolis, ut abſque humana eſſet induſtria ac duro labore, ſpinis ac vepribus univerſa eſſet obſita. Et poſtquam non ſine multo ſudore ſolum reddiderit fertile omniáque vireſcant & renideant, ſæpenumerò accidere ut omnis hæc ſpes aut exceſſu caloris & ſiccitatis, aut pluviæ tempeſtatúmque violentiâ, aut pruinarum denique acrimoniâ, penitus abſcindatur. Hiſce omnibus addit Ferarum infeſtationem, quæ Terrâ maríque humano generi tam noxiæ ſunt ac terribiles. Morbiditatem Tempeſtatum Anni, Mortíſque immaturæ crebritatem. Et poſtremò deplorabilitatem Infantiæ noſtræ primarúmq; circumſtantiarum introitûs noſtri in hanc vitam, quem ſanè tam Patheticè deſcribit, ut non poſſim quin vel invitus iſtorum verſuum meminerim.

Sophr. Equidem non dubito, quin optimi ſint, ſi quidem tibi adeò arrident, *Eviſtor*. Audiamus igitur obſecro, ni tibi moleſtum ſit eos repetere.

Eviſt. Non eſt moleſtum, O *Sophron*. Verſus itaque hi ſunt :

Tum porrò puer, ut ſævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitaï auxilio, cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit,
Vagitúque locum lugubri complet, ut æquum eſt,
Quoi tantum in vita reſtat tranſire malorum.

Cuph. Eſt certè vena Poeſios, admodum Pathetica, *Hylobares*. Equidem lubens me in lachrymas ac ploratus ſoluturus eram, dum eos repetebat *Eviſtor*. Eos probè memini. An verò non occurrit aliquid in ſubſequentibus verſibus de puerorum crepitaculis?

Hyl. Per amicitiam noſtram oro te, *Eviſtor*, ut verſus crepitacularios *Cuphophroni* repetas, ut ſuos ei ſic ſiſtas ploratus infantiles.

Eviſt. Hi ſunt quos indigitat *Cuphophron*, prioréſq; immediatè ſequuntur.

At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræque,
Nec crepitacula eis opu' ſunt, nec quoiquam adhibenda eſt
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela,
Nec varias quærunt veſtes pro tempore Cœli.

Quid de hiſce exemplis exiſtimas, O *Sophron* ?

Sophr. Ingenuè fateor ſi nulla fortiora contra Providentiam argumenta habet *Lucretius*

cretius quàm hæc, nec *Hylobares* quàm *Lucretius*, vis eorum non tam formidabilis mihi nunc videtur, quàm ſuſpicabar; verùm è contrà ſuſpicari debeo, utplurimum, admodum parva eſſe momenta quæ eos in Atheiſmum & Epicuriſmum præcipitant qui internam in ſeipſis illorſum habent propenſionem.

Philoth. Súntne hæc eadem Argumenta, *Hylobares*, quibus tu me adoriri cogitabas?

V. *Contra Providentiam diſputatur ex promiſcuo Pluviæ lapſu, & indiſcriminatis Fulminum exonerationibus.*

Hyl. Hoc unum tantùm eorum genus eſt, quæ ad malorum naturalium claſſem referri queunt, & ex eis quidem pauca ſolummodo. Sed ut dicam quod res eſt, *Philothee*, non tam dinumeratè articulatéque particularia argumenta adversùs te urgenda mecum recenſueram aut formaveram, quanquam Animum perſentiebam multifariis cogitationibus oneratum, illúdque in primum locum ſe protruſit quod noviſſima veſtigia in mente mea reliquit in itinere, quando huc equitabamus ad hanc Civitatem, poſtquam tam ingens Tempeſtas Tonitrui, Grandinis & impetuoſæ Pluviæ nos oppreſſerat ut ferè ad cutem uſque madefacti eſſemus. Incepi enim mecum cogitare, quomodo iſtiuſmodi Accidentia bene conſiſtere poſſent cum tam benigna accuratáq; Providentia quàm quidam ſibi fingunt. Viæ enim publicæ nullam dant meſſem, nec nos ipſi extrinſecùs irrigando creſcimus, ſed intrinſecùs; ut præteream madefactionem omnium veſtimentorum, periculúmque contrahendi Febrim. Quamobrem ſi Providentia adeò accurata eſſet, Pluvia ſemper dirigeretur ad talia loca quæ meliora ex ea fierent, non talibus autem quibus nihil commodi afferat, ſed noxam & moleſtiam eis qui illîc verſantur.

Philoth. Huc igitur propendet tua ſententia, *Hylobares*, labem eſſe in Providentia, quòd Pluvia non prohibeatur à cadendo in vias publicas. Verùm interim non animadvertis, quàm intolerabiliter pulverulentæ forent præſertim in æſtate & quàm conſtans id malum futurum eſſet, & tum Hominibus tum Equis moleſtum.

Hyl. Verùm in vias publicas pluit in Hyeme æquè atque in Æſtate, quantumvis profundè cœno ac humore jam madeant. Quod, quantum ego quidem judico, cum tam accurata Providentia quàm tu eſſe contendis, nequaquam poteſt conſiſtere.

Philoth. Atque hoc credo, *Hylobares*, argumentum te exiſtimare Achilleum, planéque inexpugnabile, quòd ipſum ſic in fronte aciei collocas. Cæterùm ſi ad imum uſq; exploretur, invenietur fundamento inniti non minùs ridiculo quàm Commentum iſtud Comicum, apud *Ariſtophanem*, de *Jove* mingente per cribrum quoties pluit, vel quod paulò mundior eſt & honeſtior comparatio, quòd deſcenſus Pluviæ ſit ad modum irrigationis Horti per Harpagium à liberis Agentibus, ubi Ambulacra Horti non irrigant ſed Pulvinos tantùm ſive Areolas in quibus Flores creſcunt. Quod maximè Idioticum maximéq; à Philoſophia alienum commentum eſt, *Hylobares*, quod in ullius hominis mentem, tanto ut tu es ingenio, unquam cadere potuit. Nam Naturalium quæ vocantur Phænomenôn motus omnes liberis Agentibus committere, penitus abolere eſſet univerſam Naturalem Philoſophiam, ipſámq; adeò, reipſa, Naturam, nec ullum Objectum Speculationis hiſce in rebus reliquum futurum eſſet, niſi aut *Metaphyſicum* aut *Morale*. Et eâdem ratione qua requiris ut Pluvia in iſtiuſmodi ſola Terræ loca cadat, quæ Gramini, Frumento, Arboribus & id genus reliquis deſtinata ſint, requirere etiam debes ut Sol non luceat in vias publicas nè pulvere nos infeſtet, & ut radios à vultibus divertat tenerarum ac delicatularum *Pulchritudinum*. Ut Umbra Terræ ſe ſubducat ab eis qui noctu itinerantur, ut Ignis non comburat aut ædificium utile aut Hominem innocentem, ut Aer illius vocem non tranſmittat qui mentiri aggreditur, nec Funis partes cohæreant, qui ſuffocaturus ſit Inſontem, nec violenti Hominis gladius, quàm acutiſſimus fuerit, carnem penetrare valeat Juſti. Hæ multáque alia millena millia hujuſmodi ſequelarum conſequerentur ad Analogiam tam temerarii Poſtulati.

Hyl. Equidem fateor, *Philothee*, iſta quæ urges, tantam in me feciſſe Impreſſionem, ut hujus primæ Inſtantiæ fermè me pudeat, quam tamen antea haud adeò contemnendam putabam. Cæterùm quanquam cum confidentia paululùm infracta, perſiſtere tamen debeo porróque quærere, ſi non accuratior futura eſſet Providentia, quàm nunc eſt, ſi omnia ſic fierent, quemadmodum mea Inſtantia innuit ea fieri oportere.

Philoth. Nequaquam, *Hylobares*. Nam Scena Mundi res tunc eſſet tam delumbis, tam jacens ac languida, ut dedecori foret *Dramatiſtæ* qui eam finxerit vel adinvenerit. Nullus enim futurus eſſet ullius Technæ aut conſilii ambitus ſive circuitus, ſed unumquodq; tam ſuperficiarium aut ſubitum, tam ſimplex & obvium, ut nullius Ingenium aut virtus ullam prædam certaménve inventura eſſent quo ſe exercerent. Atqui mihi crede, *Hylobares*, hunc unum è Fundamentalibus Divini Conſilii articulis eſſe, eundémq; profundè in illius Sapientia ac Bonitate depreſſum. Ut ſaltem in Scena hac

Terreſtri ſatìs ſit difficultatum rerúmq; durarum quibuſcum omnes ſenſitivæ & intellectuales Animantes conflictent & colluctentur, nè ignobilis putidulúſq; torpor corpora ſimul & animos occupet vitámq; languidam & facultates inutiles reddat, cùm nihil inveniant quo vitam hanc terreſtrem tranſigant, niſi edendo, bibendo ac dormiendo. Pauci enim ſunt qui contemplationi ſint dediti, multóq; pauciores quibus res illic fœliciter ſuccedat. Quod igitur contendo hoc eſt, In hiſce generalibus ſed conſtantibus ac pervicacibus Naturæ Lineamentis exactam ineſſe Dei Providentiam, ídque, quod tu Defectum putas, reverà Perfectionem eſſe certiúſque pignus Divinæ proſpicientiæ, quæ tam manifeſtò in rerum computatione aut inutiles aut noxias ſuperfluitates defalcat; ut hanc Pluviæ abductionem à viis publicis in Hyeme. Annon enim homini dedit ingenium & artem ad malum iſtud mitigandum Ocreis cerâ illitis, Tunicíſq; ac Cucullis oleatis, & Oculos capiti inſitos quibus viam ſibi deligat, ubi una pars potior ſit alterâ, vel ſi univerſa ſit intolerabilis, indolem Politicam ad condendas Leges & Decreta de viis publicis reficiendis lapidéve ſternendis? Sic enim homines ſe in honeſtis exercent laboribus ad ſuum pariter ac commune bonum. Ipſéque judices quàm ridicula res ſit ut Sol à facie unaquaque pulchra radios miraculosè avertat, cùm larvularum inventione idem ſcopus tam facilè attingitur; vel ut continuata Telluris umbra diſcinderetur ſubitis eruptionibus, ſive miraculoſis diſcluſionibus Lucis, ad prævertendam Artem & Officioſitatem Laternarum opificum, & puerorum Lychniferorum. Vel denique ut Aer mendacium ad aures non deferat, nec cuſpis gladii cutem penetret innocentis. Hæc enim Sapientiæ Divinæ exprobratio eſſet ac ſi perperam ſecum rationes putâſſet in creando Agentia libera, & ex poſt-inito conſilio ſtatuiſſet, adeò violentè ſemper antevertere liberas eorum operationes denegando ipſis ordinaria Naturæ auxilia. Hæc iſtiuſmodi violentia eſſet & obſtaculum contra vel primos impetus motionis, ut maximæ Animorum humanorum Explorationes, maximéque pompaticæ ſolennitates externæ hinc ſuffocarentur aut omnino anteverterentur, omníſque Politica Prudentia, Sagacitas, Juſtitia ac Fortitudo ſuis carerent Objectis. Quamobrem indifferens hæc & indiſcriminata Naturæ conſtantia debet eſſe, quippe cujus habita eſt ratio in iſtis facultatibus quibus Deus & homines & alia Animalia donavit, quarum beneficio, & magìs aſſuetis ſtabilitarum legum Naturæ commodis uti nôrunt, ſenſúmque habent & proſpicientiam ad declinandum aut ad præmuniendum ſe adverſùs omnes periculoſas earundem circumſtantias, ídque cum tanta ſaltem certitudine quanti æſtimanda eſt Incolumitas iſtiuſmodi individuarum Animantium quæ ſemper vivere nequeunt, nec deſtinatæ ſunt ad diu vivendum ſuper Terram.

Hyl. Ex parte intelligo quid velis, *Philothee*, quinimo & eouſque, ut fermè me tædeat quod reſiduum eſt tibi proponere Meditationum quæ mihi in Itinere occurrerunt de Grandine etiam & Tonitruo. Putabam enim Naturam nimis Novercam quæ pullum equinum recèns natum adeò magnis grandinibus tam ferociter impeteret, & adventum ejus in hunc Mundum tum durâ & abſonâ ſalutatione gratularetur.

Philoth. Phy, *Hylobares*, non niſi ludicrum id erat Naturæ geſtum, quo exploraret quàm firmum tinniénſque eſſet novum hoc ſuum opificium, quod, ſi exiguum illud talitrum pati non poſſet, indicio fuiſſet iſtius Machinæ compagulas admodum infirmiter putridéque cohæſiſſe. Quamobrem Natura accuratam opificiorum ſuorum rationem omnino oſtentat innumeris ea exponendo difficultatibus & aſperitatibus. Tenuis ſanè hic ſcrupulus eſt, *Hylobares*, verùm profundæ proculdubio aliquæ animum tuum occupârunt Meditationes de Tonitruo.

Hyl. Præcipuum hoc erat: Si Providentia tam accurata eſſet, quàm nonnulli contendunt, quòd iſtæ Tonitrui diſploſiones quæ cladem ullam inferant, deberent ſemper hominem aliquem inſigniter nequam eligere in quem edant exempla, & non Capream in jugo rupis paſcentem inſciam ferire, aut Quercum aliquam in ſaltu vetuſtam fulmine dilacerare.

Philoth. Hoc equidem fateor haud ità inſcitè urgeri. Verùm certúſne es, *Hylobares*, hanc perfectiſſimam eſſe rationem agendi, quam Natura ſibi proponere poſſit?

Hyl. Ità mihi videtur.

Philoth. Ex eo autem opinor, quòd hanc efficaciſſimam Methodum putes, quâ homines reduci poſſint ad bonam frugem.

Hyl. Quidni, *Philothee*?

Philoth. Verùm ſupponamus potentem, ſi non omnipotentem manum è nubibus, aures hominibus vellicantem, quoties inceperint peccare, annon iſtud multò foret efficacius?

Hyl. Veriſimillimum eſt ſic fore.

Philoth. Quamobrem, ex hac tua ratione etiam hoc requirere debes, *Hylobares.*

Hyl. Atenim iſtá nimis magna eſſet violentia in Agentia libera, *Philothee.*

Philoth. Atqui, unde nôſti, *Hylobares*, alterum illud remedium tuum tale non eſſe.

Hyl. Ingenuè fateor, *Philothee*, rem admodum difficilem eſſe definire quinam violentiæ modus à Providentia adhibendus ſit ad cohibendos homines à peccato.

Philoth. Ac proinde res temeraria, leges ſive rationes Providentiæ præſcribere in materia tam obſcura. Præterea, cùm tam multi ſint inſigniter impii, tanta futura eſſet Fulminum intonatio atque ſtrepitus, præſertim ſuper majores Civitates, ut nulla quies expectanda eſſet noctu aut interdiu. Et qui ictum effugerint, proni eſſent ad cogitandum ſeipſos ictûs fulminum immunes; alii verò nullum eſſe Judicium futurum, quia tam accurata vindicta ſumitur in hac vita. Ut taceam, quod oblitus videris, collineationes Naturæ non tam ad particularia quàm ad rerum ſpecies ferri, (Eſt enim Principium imperceptivum, nec pro re nata agere novit, aut ſeipſam ab agendo ſuſpendere;) Finémque Fulminum ac Tonitruorum eſſe, non quidem Diem Judicii anticipare ſed purgare Aerem, pinguéſque pluvias in Terræ gremium demittere.

Hyl. At verò lapides Fulminei, num iſti quicquam eò conducunt, *Philothee?*

Philoth. Illi rariùs fabricantur, *Hylobares*, nec inficias eo quin *Moralem* etiam ſuum uſum habere poſſint, optimum verò ſic moderatorum, ut videmus, non ſic vibratorum, quemadmodum tua vult curioſitas. Nam ſi homo quiſque perjurus inſigniterve impius Lapidibus fulmineis cœlitus eſt impetendus, vulgus eos Innocentes præſumet, quos contigerit nullâ conſpicuâ de eis ſumptâ vindictâ mori.

Hyl. Agedum, percipio tandem novas mihi Objectiones eſſe proferendas taléſque de quibus deliberatiùs cogitaverim. Haſce enim *Philotheus* facili negotio difflat.

VI. *Reſponſum ad argumenta Lucretii.*

Philop. Aliquod ſpacium tibi dabimus reſpirandi, *Hylobares*, ut porrò conſideres. Credo enim *Eviſtorem* ſuúmque *Lucretium*, ſe deſpectui eſſe putaturos, ſi nemo dignetur iſtis *Lucretianis* argumentis reſpondere.

Eviſt. Si *Philotheus* ſuis manibus ſatìs operæ aliàs incumbere cenſeat, quæſo, *Philopoli*, fac ut *Sophron Philotheum* agat, perinde atque ego egi *Hylobarem*.

Sophr. Equidem tales ſunt *Philothei* ſermones, ut facilè poſſint nos omnes efficere *Philotheos*. Et meâ quidem ſententiâ, non eſt res adeò ardua illius veſtigiis inſiſtenti, omnibus illis argumentis reſpondere *Lucretii*. Quorum nonnulla ipſe lubens aggrediar. Ut Querelam illam de Terra ſpinis vepribúſque obſita niſi homo ſuâ agriculturâ eam ſubigeret. Nam præterquam quòd Maledictionem iſtam novimus quæ *Adami* lapſum conſecuta eſt, par profectò eſt ut in hac vita aliquid habeamus quicum conflictemur, ad deſidiam abercendam, matrem omnium malorum. Quòd autem labores Agricolæ incommodo cœlo, nimio æſtu, aut humiditate & ſimilibus aliquando pereunt, indè docetur, ſuo Reti non ſacrificare, ſed pendere à Deo, laudémque ei tribuere, quoties res ſuæ rectè ſuccedunt, quemadmodum & frugalis eſſe & providus, aliquídque in annum ſterilem recondere. Quantùm verò ad iſtam imputationem quòd tam magna Terræ portio habitationi incommoda ſit propter exceſſum caloris aut frigoris, per experientiam invenimus maxima ex parte, quòd mera ſit in Naturam calumnia. Torrida enim Zona habitabilis eſt, & magna etiam pars Frigidæ, reliqua verò tam exigua eſt, ut nullius ferè ſit rationis. Et ut ſummatim dicam, Inclinatio Axis Telluris tam aptè proportionata eſt ad eam efficiendam, quoad fieri poteſt omni ex parte habitabilem, ut Ingenium humanum nullam aptiorem poſitionem unquam poſſit excogitare. Nunc verò quantùm ad iſtas Objectiones, quòd Rupes, Montes, Sylvæ atque Maria tantam partem occupent, quantacunque eſſe poſſit carminis *Lucretii* elegantia, Ratio Philoſophica iſtiuſmodi Objectionum, ſat ſcio, admodum eſt ſuperficiaria. Æquè enim imperitè contra Naturam objicitur quòd univerſa Terra non ſit mollis humus, ac ſi quis objiceret, totum Animal non eſſe carnem, ſed ſanguinem eſſe præterea atque oſſa. Rupes igitur, præter alios uſus deducendi Aquas ſubterraneas, inſervire porrò poſſunt Terræ conſolidandæ. Et manifeſtum eſt Montes utplurimùm Fluviorum Fontiúmque eſſe Promptuaria, quemadmodum Geographi infinitis exemplis demonſtrant. Ut omittam, qualis Theſaurus ſint Mineralium & Metallorum, & quàm ſalubria paſcua Ovibus, ut Rupes itidem gratæ ſunt Capreis & Cuniculis. Verùm Poeta tam imperitè videtur loqui ac ſi univerſam expectaret Terræ ſuperficiem nihil aliud fore, quàm viride luxuriánſque Pratum, cùm tamen Mare excludere non abſimile eſſet, atque Animal vitâ ſuâ atque ſanguine ſpoliare. Vel ſi res ità conſtitui poſſent, ut tota Telluris ſuperficies unum herboſum eſſet pratum, atque Orbis Terrarum hinc confertim habitaretur ab Hominibus, Aerem veriſimile eſt tam inſalubrem fore, ut Peſtilentia atque Mors omnia ſubinde vaſtarent. Quamobrem ſatìs ampli Tractus ſiccorum ſteriliúmq; locorum ſanitatis quâ fruimur conſervatio eſt ac ſecuritas. Quod majoris profectò momenti eſt quàm ut Terra Incolis adeò ſit conferta, & ut omnia ſubinde fœteant Immunditie, Peſtilentiâ ac Morte.

Bath. Et certè magna quæſtio eſt, *Sophron*, an iſta loca quæ tam vaſtæ ac vacuæ videntur ſolitudines à Creaturis non habitentur paris ſaltem dignitatis naturæ cum Hominibus.

Cuph. Diſpeream ſi *Bathynous* non Dæmonas aliquos ſive Spiritus Aereos indigitat.

Bath. Et quidni, *Cuphophron*?

Cuph. Quinimò, ſic eſto, *Bathynoe*, Ipſe nihil novi in contrarium.

Hyl. Ego verò novi.

Cuph. Quid iſtud eſt, *Hylobares*?

Hyl. Rogas? Dic mihi quæſo, *Cuphophron*, quomodo Spiritus, qui nuſquam eſt, in locis aridis & ſterilibus poſſit eſſe magìs quàm in viridibus pratis atque paſcuis?

Cuph. Apage, *Hylobares*, nimis lepidus congerro es, video te vel intentiſſimas cogitationes omittere poſſe, quotieſcunq; datur occaſio, virgâ tuâ cenſoriâ meos icendi pollices.

Evist. An vos ſeriò hæc an verò per jocum de Geniis Aereis in remotis ſolitudinibus philoſophemini, neſcio. De hoc verò ſatìs certus ſum, quòd præter vulgarem frequentémq; famam de *Elvarum* ſive *Fairiorum* Choreis in Sylvis locíſq; deſolatis, *Olaus* aliíq; Hiſtorici crebram harum rerum mentionem faciunt, eſſéq; Dæmonas Metallicos qui interiora Montium frequentant, conſpiciuntúrq; illîc operantes, dum homines in Fodinis laborant. Quos ludos etiam faciant in exterioribus vaſtorum ac remotorum Montium partibus una illa Hiſtoriola de Monte *Atho* exemplum nobis ſup-
Polyhiſtor. cap. 37. peditare poteſt, quemadmodum res deſcribitur apud *Solinum*. Illius Impreſſio quaſi recens adhuc uſque ad ipſa verba, memoriæ inhæret, quæ ſic ſe habent: *Silet per diem univerſus, nec ſine horrore ſecretus eſt; lucet nocturnis ignibus, choris Ægipanum undique perſonatur, audiuntur & cantus Tibiarum & tinnitus Cymbalorum per oram maritimam.* Sed adhuc magìs horrendâ ſpecie eſt iſtud deſertum à
Lib. 1. cap. 44. *Paulo Veneto* deſcriptum prope Civitatem *Lop*, ſi rectè memini, in regno magni *Chami*. Hoc Deſertum, ait ille, valde montoſum eſt atque ſterile, ac proinde nè ad feram ullam alendam idoneum, ſed tum interdiu tum præſertim noctu audiuntur videntúrque variæ Illuſiones & Impoſturæ impiorum Spirituum. Quam ob cauſam viatores oportet ſummopere cavere nè divagentur alii ab aliis, ſed ſimul itinerentur. Nam ſi quis fortè, ceſſando, à tergo relictus aſpectum comitum ſuorum inter rupes montéſq; amiſerit, è via evocabitur à ſedulis hiſce deceptoribus, qui eum proprio nomine ſalutantes, vocémq; alicujus è ſuis ſociis imitantes, qui anteceſſerint, in loca devia eum abducent eúmque miſerè perdent. Audiuntur etiam in hac ſolitudine aliquando Tympanorum ſonitus & Muſicorum Inſtrumentorum, non abſimiles nocturnis ſtrepitibus in Monte *Atho* à *Solino* deſcriptis. Quamobrem cùm hujuſmodi res tam frequenter apud Hiſtoricos occurrant, facit profectò ut Opinio *Bathynoi*, nihil abſoni omnino præ ſe gerat.

Sophr. Mentio quam Servator facit de ſpiritibus loca ſiticuloſa frequentantibus, aliquid etiam Autoritatis addit huic commento *Bathynoi*.

Evist. Quod facit inſuper ipſa Vox Hebraica שדים, cujus Notatio ab Agro deducitur. Cæterùm hos omnes lapſos ſpiritus proinde eſſe oportet.

Bath. Id quod æquè certum profectò eſt, atq; ipſos homines eſſe lapſos, quo quidem nihil certius eſt, *Eviſtor*.

Evist. Atq; ſic lapſi Spiritus & Homines lapſi Terram inter ſe dividunt. Et cur non Mare etiam, *Bathynoe*?

Bath. Aerem intelligis ſuper Maris planitiem. Mare enim ipſum à piſcibus ſatìs frequentatum eſt ac habitatum.

Evist. Verum narras.

Sophr. Ni hoc magìs Poeticum eſſet, quàm ipſius *Lucretii* poema, Argumenta profectò illius contra providentiam omni omninò carerent robore. Verùm hoc eſt introducere rurſus *Nereidas* & *Oreadas* Paganorum.

Evist. Atq; ſi id fiat, cur non *Hamadryades* etiam introducendæ ſunt, aliíq; Spiritus Sylveſtres, ut immenſæ illæ Sylvæ de quibus conqueritur *Lucretius*, ſolis Feris non relinquantur, non magìs quàm Mare piſcibus?

Sophr. Meo quidem judicio, magnâ argumentorum penuriâ adverſùs providentiam laborare videtur *Lucretius*, dum à Sylvis ea ſic arceſſere cogitur.

Cuph. Quia nulla argumenta à ſylvis peti poſſe putas, *Sophron*, quin eadem lignea ſint.

Sophr. Equidem non ità lepidus eram, *Cuphophron*, ſed quòd copioſa proſpectio Sylvarum ac Lignorum, tam ſolidum potiùs pignus ſit Divinæ Providentiæ, quippe à quibus maxima vitæ commoda dependent.

Eviſt. Id ſatìs ex ſe manifeſtum eſt, adeò ut nihil opus ſit ei inſiſtere. Nec tamen omni prorſus difficultate caret, eò quòd Sylvæ magnæ talia ſint latibula, in quibus immanes feræ ſe muniant.

Bath. Verùm non conſideras ſimul quàm bella habitacula ſint innocuis Avibus. Hæc verò Ignorantia eſt rudíſque Immoralitas *Lucretii* quòd ex puſillanimo illo anguſtóq; Sui-amore totum Orbem ſic homini creatum imaginatur ut nulla alia Creatura ſecum in eo participet, cùm tamen omnes Homines irregeniti æquè reverà bruta ſunt Animalia, atq; hæc ipſa Animalia, quæ iſti adeò vili pendunt ac contemnunt.

Sophr. Ago tibi gratias hac de Notione, *Bathynoe*. Hinc enim, ſi quid ego rectè judico, facilè formatur Reſponſum ad iſtam Objectionem, quòd homo factus ſit obnoxius infeſtationibus immanium horribiliúmque Beſtiarum. Nam ſi conſideres univerſum genus humanum iſtiuſmodi Armentum improborum Animalium, hoc eſt, Beſtiarum evaſiſſe, quomodo repugnare poteſt Providentiæ ut una Beſtia alteram invadat pro privato ſuo commodo? Verùm Providentia talia clandeſtina auxilia hiſce Beſtiis in humana forma miſit, quæ aliàs videbantur minùs probè munitæ ad pugnam quàm immanes earum hoſtes ſævis dentibus, aculeis, cornubus, ungulis, unguibúſque armati, (quod partim fecit talem eis tribuendo pedum pernicitatem, agilitatémq, corporis ad arbores ſcandendas, qualem Simii & Cercopitheci nunc habent, ſed præcipuè tantam eis indendo Ingenii & Aſtutiæ portionem, Politicæq; ſociabilitatis) ut *Lucretius* nullam habeat cauſam cur contra Naturam conqueratur, quòd talia produxerit Objecta quæ exercitatura ſint tantùm facultates hominum Politicas eorúmq; Fortitudinem, feliciſq; victoriæ opportunitatem datura, quemadmodum illam hodiéq; videmus per totum ferè Terrarum orbem eos obtinuiſſe. Et poſtremò quantùm ad lamentabilem iſtam Narratiunculam de circumſtantiis introitûs Infantium in hanc vitam, eſt planè καπνὸς ποιητικός, *Poeticus Fumus* ac vapor, qui etiam dum profertur ore, evaneſcit. Tantúmq; abeſt, ut idoneum argumentum ſit Querelarum Rhetoricarum *Lucretii* adversùs Providentiam, ut è contrà inſigne ſit exemplum accuratæ proſpectionis & bonitatis Providentiæ in Natura. Etenim cùm tantâ vi Ingenii, curæ & conſilii polleat humanum Genus, tum Mas tum Fœmina, infirma illa ac deſtituta Infantis conditio eò magìs gratum Objectum eſt circa quod tum peritia tum commiſeratio tenerioris iſtius ſexûs, Matris ſimul Obſtetricis & Nutricis aliarúmque aſſiſtentium occuparetur: quanquam major forſan debilitas in Natura ſupervenerit noſtrâ culpâ. Sed utcunque, illud corpus quod habitaculum futurum erat ſpiritui tam ſenſibili quàm eſt humana Anima, magìs tenerum eſſe debebat ac delicatum quàm illud Animantium brutorum, ſecundùm Aphoriſmum illum *Ariſtotelis* Phyſiognomonicum, οἱ μαλακόσαρκοι εὐφυεῖς. Nec tam præſagium eſt, Infantis vagitus, malorum vitæ futurorum, quàm adſtantium opis imploratio adversùs præſentia, per naturalem hanc Rhetoricam, quâ eum Providentia tam maturè inſtruxerat. Et quod ad Agnos attinet, & Vitulos catulóſque Vulpium, non tam propriè dicuntur non indigere crepitaculis, quàm eorum non eſſe capaces, cùm tam excellentem in ſe ſpiritum non habeant, ut cujuſquam rei admiratione capiantur, detineantúrve. Attonita enim illa & admirabunda Animi conſternatio in Infante ad ſonitum crepundiorum, omnino effectum eſt illius Paſſionis, quæ Rationis mater eſt omniſq; Philoſophiæ. Et quantùm ad illud omnium ultimum, quòd Gens humana pro Anni Tempeſtate variis veſtibus ſe induit, id profectò illorum privilegium eſt, nullus autem defectus. Nam ipſa bruta Animantia quando friget, lubenter ſe admovent ad Focum. Sed tam abſona ſunt & enervia utplurimum Ratiocinia eorum omnium, qui adeò efflictim cupiunt, nullum eſſe Deum.

Eviſt. Equidem, *Sophron*, admodum ſtrenuè te geſſiſti, meâ ſententiâ, & quanquam elegantiâ Poetæ non mediocriter capior, ingenuè tamen fateor non poſſum quin agnoſcam Ratiocinationes illius nimis quàm infirmas eſſe.

Sophr. Reſpondi ut potui, pro tenui mea facultate extemporanea, ſiquid verò prætermiſi Objectionum, *Hylobares*, ſi operæ pretium exiſtimaverit, eas reſumpturus eſt, & *Philotheo* propoſiturus, qui magis verſatus eſt in hiſce ſpeculationibus.

Philoth. Nemo major Artifex hoc in genere, *Sophron*, quàm ipſe tu. Nec poſſum quin laudem prudentiam tuam ac cautelam, quòd mones plenitudinem ſoliditatémq; cauſæ pro qua contendimus non æſtimandam eſſe ex eis quæ nos modo hoc extemporaneo in illius defenſionem afferimus, ac ſi nos momento quaſi, omnem illam Divinæ Sapientiæ opulentiam excutere valeamus, quæ in conformatione Naturæ, Mundique adminiſtratione recondita eſt. Sat nobis eſt quòd oſtendimus etiam præſentaneis noſtris cogitationibus tales occurrere rationes, quæ meritò os omnibus obſtruere poſſint, qui nullo partium ſtudio laborant, eámque prælibationem dare, quâ præſentiſcant, ſi rationes rerum ulteriùs ſine præjudicio perſcrutari velint, quòd inventuri ſint Naturam minùs culpabilem, vel potiùs magìs magìſq; perfectam, quantò penitiùs ſit introſpecta.

VII. *De Morte, quomodo conſiſtat cum Bonitate Providentiæ.*

Philop. Credo non ſine ſpeciali Providentia factum, *Hylobares*, quòd in ſocietatem incidiſti tot peritorum & fœliciſſimorum Patronorum Providentiæ, ac propterea te oro, ut perplexiſſimos maximóſve ſcrupulos qui unquam animum tuum ſolicitaverint, producas. Nam ſi uſquam, hìc certè inventurus es Remedium.

Hyl. Producam univerſos, *Philopòli*, & ex conſequenti, maximos & perplexiſſimos, ſed eo ordine, quo memoriæ occurrunt. Et in præſens hi ſunt qui in ſumma quaſi cogitationum ſuperficie natant primóſq; ſe dant in conſpectum: Morbi ſcilicet, Bella, Fames, Peſtilentia, Terræ-motus, ipſáque adeò Mors, funeſtum effectum tam horribilium cauſarum. Hæc meo quidem judicio, non tam bellè conveniunt cum illa benignitate Providentiæ pro qua contendit *Philotheus*.

Philoth. Sunt quidem hæc Nomina ſatìs Tragica & formidabilia, *Hylobares*. Spero autem me effecturum ut appareat, Mundum plus terroris quàm damni ab horrificis his Mormolyceis accipere. Ab eo exordiar quod omnium maximè horridum habetur, Mortem ipſam intelligo. Quid enim eſt quod humanum genus de hoc Dei Naturæq; decreto conqueratur, quod tam neceſſarium eſt atque juſtum? Quod non eò tantùm dico, quòd ſit lapsûs noſtri fructus, quo mortis pœnam incurrimus, ſed quòd mirè attemperata ſuavitas ſit in hac ipſa ſeveritate tum reſpectu *Animæ* ipſius quæ tam maturè ab hac Vanitatis ſervitute relaxatur, tum etiam reſpectu peccaminoſarum noſtrarum *terreſtrium Perſonalitatum* hìc degentium. Oeconomiam enim judico Divinâ Bonitate magìs dignam, ſuccedenti terreſtrium perſonarum ſeriei vitam communicare, quàm ut unus conſtans earum numerus, omnium commodorum hujus Orbis Monopolium occuparet, atque ſic vel ſufflaminaret vel anticiparet omnes ſuccedentes Generationes.

Hyl. Haud ſatìs id intelligo, *Philothee*. Cur non unus certus ac ſufficiens invariatorum hominum Numerus vel ampliſſimo cuilbet ſucceſſionis Numero uno aliquo ſeculo viventium æqualis æquè idoneum Objectum eſſe poſſit Divinæ Bonitatis, atque continua eorum ſucceſſio? Boni enim communicatio æqualis eſt utrobique, in altero caſu perinde atq; in altero.

Philoth. Si iſta ſit æqualitas, indifferentiam arguit utro modo fiat, ac proinde nulla in Providentia labecula eſt, utrocunque fiat modo. Et tamen dico hanc ipſam viam, quam ſibi delegit Natura, eſſe optimam. Quippe quòd in Terreſtri hac conditione, omnium commodorum Vitæ futura eſſet ſatietas. Ac proinde par eſt, ut tandem tanquam bene ſaturati convivæ à menſa lubentes recedamus.

Euiſt. Credo *Philotheum* ad iſtud *Lucretii* alludere ubi Naturam introducit, præclarè contra ineptas humani generis querelas declamantem:

Quid tibi tantopere eſt, mortalis, quòd nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?
Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta priórque,
Et non omnia, pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxère atque ingrata interière,
Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?

Philoth. Mei verò oculi in ſubſequentes verſus maximè defixi erant:

Nam tibi præterea quod machiner inveniámque
Quod placeat nihil eſt, eadem ſunt omnia ſemper;
Si tibi non annis corpus jam marcet & artus
Confecti languent, eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas vivendo vincere ſecla.

Unde concludere volo, plus gaudii ac voluptatis hominibus obvenire ex hac ratione ſucceſſionis humani generis, quàm ſi quot Tellus ſuſtinere poſſit omnes exiſterent ſimul, Mundíq; Theatrum meliùs variatur, magíſq; jucundum inviſibilibus illius ſpectatoribus redditur; quemadmodum & Hiſtoriarum monumenta, ipſa evolventibus. Res enim nimis torpida eſſet aut faſtidioſa eoſdem ſemper in Scena ſpectare Actores. Præterea varietates ætatum hominum perderentur, ac Paſſionum bellulitates, ſexuúmque differentia, quæ peculiares voluptates & oblectationes aliorum aliis creant. Eadémque ratio eſt de brutis, quæ & poſtquam mortua ſunt, quamvìs in altero ſtatu ſeipſa non deprehendant, ut nos facimus, non magìs tamen poſt mortem deſiderant ſeipſa, quàm ſeipſa quærebant antequam eſſent nata.

Hyl. Equidem fateor, *Philothee*, cauſam reddidiſti adeò ancipitem ſaltem, ut juſtam Actionem contra Providentiam ex hoc loco nemo poſſit inſtituere.

Philoth. Porrò, *Hylobares*, ipſi naturæ Terreſtrium Animalium inſitum videtur, ut ſint mortalia, nec ſine vi Miraculi in perpetuum queant durare. Ecquid igitur melius conſtituere potuit Providentia, quàm ut illorum Species continuâ Propagatione & Succeſſione efficeret immortales? Hic enim particularis *noſtræ* naturæ morbus eſt, deperire Individua. *Divina* autem Bonitas quæ eſt univerſalis, naturæ magìs largæ eſt ac relaxatæ, cúmque Individua futura ſint adeò caduca & mortalia, id illi tantùm curæ eſt ut certa ſit conſervatio Specierum. Quibus omnibus addere potes, niſi Terreſtrem hunc Orbem immunem præſtare poſſis à Peccato, ſenſúque doloris ac cruciatûs, Non poſſe mori, maximæ hominum parti Tyrannide aliorum & improbitate oppreſſorum & afflictorum, ſumma reperiretur Infelicitas quæ in eos cadere poſſet. Immortalitas, *Hylobares*, cum ſuperba & ambitione conjuncta Mundum ad hanc conditionem facilè perduceret. Atque Homines etiam nunc, quanquam mortales, immortales tamen Inimicitias alii adversùs alios gerunt.

VIII.
De Morbis.

Hyl. Oppidò quàm appoſitè hæc ſuggeris, *Philothee*. Cæterùm admiſſâ moriendi neceſſitate, quæ,obſecro, neceſſitas eſt aut convenientia frequentiæ Morborum? Qui locus eſt apud *Lucretium*, ad quem reſpondere oblitus eſt *Sophron*.

Philoth. Quantùm ad Morbos in genere, *Hylobares*, Terreſtris Naturæ æquè neceſſariæ ſequelæ ſunt atque ipſa Mors. Cæterùm, quemadmodum Mors tardiùs nos inviſura eſſet, ità & Morbi minùs ferociter ac frequenter, abſque propria noſtra Intemperantia eſſet paſſionibúſque irregularibus; quas accuſare debemus de eis quæ reperimus maximè intolerabilia, non autem Providentiam taxare quæ omnia in ſcopum optimum conſtituit, nec quicquam ratum fecit ſine matura deliberatione ac conſilio. Ipſi enim Morbi quanquam mortalis Conſtitutionis ſequelæ naturales, meritò à Divina Sapientia approbari poſſunt ob multas quidem cauſas. Ut primò, Dum infliguntur, animum ad majorem perfectionem perducunt in bonis, juſtáque omnino caſtigatio ſunt eorum qui ſunt mali. Et convaleſcentiæ voluptas utplurimum præteritam miſeriam pluſquam compenſat in utriſque. Tam parùm ſubeſt cauſæ apud utrumlibet, cur de Providentiæ neglectu conquerantur in hujuſmodi caſibus humanis.

Bath. Immò verò tam parùm cauſæ ſubeſſe exiſtimo cur Humanum genus conqueratur, ut ſummis potiùs rationibus obligentur ad admirandam & extollendam illam Providentiam, quæ tot externa mala, quæ vocantur, divagari patitur in orbe. Ubi enim contingunt, utplurimum in capacitatem nos conſtituunt ſeriò cogitandi de officiis virtutis ac pietatis, quæ nunquam nobis occurriſſet, quantumlibet de noſtro libero arbitrio gloriemur, niſi gravia hæc ſacomata in alteram lancem injicerentur, quæ propenſionibus noſtris ſequendi hujus vitæ voluptates ac libidines, communéſque Mundi illecebras, contraponderent.

Philoth. Præclarè admodum hoc abs te profectò obſervatum eſt, *Bathynoe*.

Hyl. Sed perge obſecro, *Philothee*.

Philoth. In ſecundo loco notaturus eram, quòd cùm Ægri ſpectaculo ſint eis qui bene valent, facit ſanè ut magìs ſapidè ſuam perſentiant ſalutem, debétque in eis condignam devotionem ac gratitudinem excitare erga Deum conſervatorem ſuum, obligaréque ad ſanitatem vireſque impendendum rebus optimis. Et poſtremò, quòd Morbi notabile Objectum ſunt humanæ Artis & Induſtriæ, peritiæque in Medicina. Quam quidem exercere, ſummopere gratificatur eis qui aut Humani generis amatores ſunt aut Pecuniæ? Id igitur quod naturaliter Terreſtrium Animantium conditioni tam arctè adhæret, quid eſt cur Deus ſuam interponat Omnipotentiam ad idem disjungendum avellendúmve, præſertim cùm ſecum afferat iſtiuſmodi commoda nequaquam contemnenda. Neque id iniquo animo ferendum eſt quòd morbi aliquando invincibiles reperiuntur. Hinc enim fit ut malum magìs formidabile ſit Ægro, abſque quo eſſet, non tam commoda efficáxque Animæ foret medela; & generalis ſucceſſus, Curationis æſtimationem minueret, voluptatémque effugiendi periculum morbi; multúmque pariter demeret de gaudio & congratulationibus Amicorum aliorúmque officioſorum Viſitantium. Omnino enim par eſt ut res ad animum noſtrum ejúſque paſſiones penetrent, ut voluptates indè excitatiores fiant majoréſque agant triumphos.

IX.
De Bello, Fame, Peſtilentia & Terræ-motibus.

Hyl. Læta profectò ſunt hæc ac fœlicia principia, *Philothee*, dum ſic in genere tuam inſtituis Apologiam, quodſi preſſiùs intueri libeat torvos truculentóſque vultus iſtorum magis horridorum malorum particularium humani generis, Belli putà, Famis, Peſtilentiæ & Terræ-motuum, quæ ſuprà propoſui, hæc quidem talia ſunt, quæ meritò quis judicet animum tibi labefactura.

Philoth. De hiſce, *Hylobares*, reſpondeo primùm, in genere, notatu dignum eſſe, quòd Divina Providentia ſic ſuos ſubduxerit calculos, ac ſi datâ operâ extraordinario huic humani ſanguinis vitæque proſpexerit diſpendio, cùm generationes hominum non magnopere quidem acciſæ ſunt aut diminutæ, quantumvis eis ſubinde quatuor illi avidi humani ſanguinis helluones inſæviant. Ac proinde conſiderare debemus, quàm præclarum perfectionis operum Dei in Natura, vel maximæ Mundi calamitates Teſtimonium ſint. Nam ſi iſtæ non apparerent, eum nullis crederemus obnoxium, ſed propriis innixum viribus, ſuis quaſi pedibus, quod dicitur, omnino inſiſtere. Nunc verò cùm eum videmus tantis malis obnoxium, & talibus tamen quæ perpetuò ab illa Sapientia Conſilióque Dei, quod tam pervicaciter per rerum Naturam percurrit, debellentur triumphentúrque, manifeſtò hinc de Providentia convicti ſumus ex eis etiam rebus quæ primo quidem aſpectu, ei maximè repugnare videbantur. Quibus addere potes ſingularem iſtum uſum Scenæ hujus rerum, ſi quidem ſic æſtimanda eſt, calamitoſæ, ſerium nempe ſtudium ſortem nobis acquirendi in illis Regionibus quæ hujuſmodi horridis calamitatibus non ſunt obnoxiæ, in ſedibus illis quietis, ut tuus appellat *Lucretius*, *Hylobares* ! & magìs religioſum illum Poetam *Homerum* imitando, eas perquam eleganter deſcribit. *Eviſtorem* credo verſus poſſe recitare.

Eviſt. Equidem probè eas memini, *Philothee.*

Apparet Divûm numen ſedéſque quietæ
Quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
Aſpergunt, neque nix acri concreta pruinâ
Cana cadens violat, ſempérque innubilus Æther
Integit & largè diffuſo lumine ridet.

Hyl. At enimvero, ego nolo iſtiuſmodi Næniâ eludi aut protelari, *Philothee.* Ego à te expecto rationem de quatuor iſtis malis particularibus horrendis quæ propoſui.

Philoth. Quid! Adeóne igitur iſta difficilis provincia eſt, *Hylobares* ? Quantùm enim ad *Bellum* illiúſque effecta, iſtud quidem malum in Deum rejiciendum non eſt, ſed in noſmetipſos, quorum indomitæ *libidines*, quippe qui Rationis jugum excuſſimus, faciunt, ut veſano modo Dominium Imperiúmque in alios affectemus, *faſtúſque* ac *ſuperbia*, ut vel minimæ contumeliæ aut injuriæ impatientes ſimus. Et quod ad *Famem* attinet, utplurimum Belli effectum potiùs eſt, quàm Soli defectûs aut intempeſtatis cœli. Quod tamen ſi eſſet, humana proſpicientia & frugalitas facilè prævenire poſſint magìs diras illius conſequentias, præſentéſque neceſſitates humanum Ingenium exercere. Eſt etiam illud commercium inter Gentes & Regiones, ut indè mutuò ferendi ſuppetias ſemper ferè detur in hujuſmodi anguſtiis occaſio. Equidem fateor, *Peſtis* & *Peſtilentia* viderentur majori jure in Deum conjiciendæ niſi nos in nos ipſos ob Inobedientiam noſtram tanquam meritâ flagellâ, cœlitus devocaremus. Et quanquam integræ Civitates aliquando eis deleantur, ut *Athenæ* & *Conſtantinopolis*, meminiſſe tamen oportet iſtiuſmodi morbos acutos, celeri ictu homines conficere. Quod & *Terræ-motus* ſimiliter magìs tolerabiles facit. Sive enim integræ Inſulæ ſint ſive Civitates, quæ ſic in Terram abſorbentur, aut ſubſidunt in Mare, præſentanea mors eſt & feſtinatior ſepultura. Ad hunc modum perierunt duæ iſtæ celeberrimæ urbes *Achaiæ*, *Helice* & *Buris*, utì & ſecundùm *Platonem* alióſque antiquos Inſula *Atlantica* ſic ſubſedit in mare. Quid autem mali pluſquam ordinarii interim accidit Incolis? Animæ enim bonorum relictis corporibus facilè ſibi viam inventuræ eſſent, & per rimas Terræ & per profunda Maris, atque ſic incolumes tranſirent ad ſedes illas Æthereas ac Domicilia Beatorum. Et quantùm ad malorum Animas, quid ad Athei cauſam facturum ſit de earum ſtatu inquirere, ego quidem neſcio. Niſi imaginatio igitur hominis ſubitò abripiatur, hæ res profectò nequaquam tam terribiles ſunt quàm primo aſpectu apparent. Quinimò tales ſunt, quas nos ultrò imitamur in pugnis Navalibus, quæ in Mare demerſerunt neſcio quot millia natitantium Inſularum confertim inhabitatarum, effulminationibus & quaſſitationibus ſæviſſimarum Bombardarum. Peritiæ autem eſt magni *Dramatiſtæ*, Orbis Terrarum Hiſtoriam hujuſmodi Tragicis tranſactionibus ditare. Niſi enim hæc cruenta prælia eſſent caréque emptæ victoriæ, miræ Mutationes ac Subverſiones Regnorum & Imperiorum, horrendæque Narrationes de Regionibus per voracem Peſtem & Famem depopulatis, de integris Civitatibus per inopinatos Terræ-motus abſorptis, latíſque Continentibus per ſubitas inundationes demerſis, terreſtris hujus Scenæ ſpectatores præ ſomniculoſitate nutarent, quippe quibus deeſſet aliquid non vulgare atque inſolens, quod illigare poſſit eorum attentionem eandémq; retinere. Quamobrem univerſa hæc minimè aliena ſunt, ut quæ adornandæ temporum Hiſtoriæ inſerviant, huícq; Mundi Theatro diligentibus commendando Naturæ Providentiæque contemplatoribus. Monumenta enim harum præteritarum miſeriarum in aliis ſeculis atque locis, pium timorem naturaliter probè affectis ingenerant, faciántq; ut omnes qui audiverint, majori cum ſenſibilitate fructus percipiant præſentis ſuæ tranquillitatis & fœlicitatis. Et, quod ſemper notandum eſt, inexhauſtus Univerſi theſaurus ſumptus facillimè feret harum adeò conſternantium pomparum ac ſolennitatum. Quæ proinde eò locupletius teſtimonium perhibent *Sapientiæ* ac *Potentiæ* Divini numinis.

Hyl. Nos verò quærimus magìs amplum Teſtimonium de illius *Bonitate*, O *Philothee*.

Philoth. Quid? annon una pars illius *Bonitatis* eſt nobis ante oculos ad hunc modum expandere *Sapientiam* ſuam ac *Potentiam*, ad perficiendas naturas noſtras & ad nos perducendos ad ſui admirationem & amorem? Vides enim omnia ſuos habere uſus, hoc eſt, utilitates reſpectu noſtrî. Deus enim nullâ re indiget.

X.
De malis accidentibus quæ brutis animantibus, quò vita earum miſera evadat, contingunt.

Hyl. Video te omnia evicturum, *Philothee*. Nec audeo tibi proponere Armentorum luem peſtiferam, Oviúmve tabem, cùm ea jam attuleris de hominum mortalitate quæ expectes os mihi obſtructura eſſe. Fateórq; addere te poſſe, aliquando ob improbitatem aut explorationem Dominorum ſuorum totos greges lue eſſe abreptos. Ac proinde nolo brutarum Animantium tam morti inſiſtere quàm eis Accidentibus quæ vitam earum nimis longâ exerceant miſeriâ. Cujuſmodi eſt membri luxatio, oſſifragium & ſimilia. Poteſtas enim illa inviſibilis quæ rebus omnibus invigilat, cur non talia Accidentia prævertit? Quippe quum ei qui ipſas creavit, æquè facile ſit eas à malo conſervare atque creare, ut qui omnia poteſt facere citra omnem ſui inquietationem aut moleſtiam, & tam bonus inſuper eſt & benignus ut nullas ex innocuis ſuis creaturis neglectui habeat & contemptui.

Philoth. Hoc ſanè ſatis appoſitè urges, *Hylobares*. Sed reſpondeo, Mundum hunc à Deo factum eſſe tanquam conſummatum quoddam *Automaton*, Machinámve quam proprio ſuo Elatere ac Rotulis moveri oportet ſine frequenti recurſu Artificis, hæc enim pudenda eſſet Atechnia. Quamobrem ut Divina Ars ſive Peritia Materiæ incorporata manifeſta fiat, abſoluta Potentia ſeipſam non interponit, ſed cujuſque rei conditio conſtituitur ſecundùm formationem optimam cujus terrena hæc materia ſit capax. Quapropter mala illa Accidentia quæ Animantibus contingunt, teſtificantur nihil, præter ordinarium Artificium Divinum materiam modificans, eſſe quod Creaturam in naturali ſua conditione ac fœlicitate ſuſtineat. Unde Sapientia Divina magìs clarè & mirificè nobis innoteſcit, eò quòd nihil obſtante Materiæ fragilitate, accurata partium Animantis organizatio ipſam adeò ab Infortuniis defendat ut rarò admodum in iſtiuſmodi malos caſus labatur, quos tu memorâſti. Quodſi immediata potentia extraordinaria & abſoluta ſemper ſe in Animantium incolumitatem interponeret, intellectualis illius Formationis Materiæ in talia organa ac partes efficacia ac vis neceſſariò à notitia noſtra abſconderetur, maximáq; voluptas naturalis Philoſophiæ in nihilum evaneſceret. Quæ tamen majoris momenti eſt, quàm membrorum uniuſcujuſque Beſtiæ perpetua ſecuritas, præſertim cùm tam rarò contingat ut ulla eorum luxentur aut frangantur, niſi nos ipſi in cauſa ſimus, & tunc Providentia eâ culpâ abſolvitur.

Hyl. Quomodo niſi nos in cauſa ſimus, *Philothee*? Hæc enim infortunia pluribus Animantibus incidunt quàm quibus nos vehimur, quáſve aratro, plauſtro aut curru alligamus.

Philoth. Ut exempli causâ, ſi quis ſclopetum in Columbarum gregem Anatúmve diſploderet, expectáſne ut Divina Providentia ità granedulam plumbeam dirigeret, ut nullas impetat quas non ſtatim occidat, nec ullas cum fracto crure dimittat? Certè pari ratione nec in noſtra poteſtate eſſe deberet, cruſculum Avi frangere, ſi in manu eſſet. Et quod majoris eſt momenti, Judex muteſcentiâ corripi debet ſtatim atque incipit ſententiam pronunciare adverſus innocentem; Gladium illius manui excidere oportet, qui injuſtam cauſam tuetur; labia Sacerdotis miraculoſè obſignari debent, ſimul atque inceperit falſam doctrinam proferre populúmve deludere mendaciis; & noxia Medicina aut imperiti aut improbi Medici viam nunquam invenire debet ad Ægri creduli os. Quæ omnia huc redeunt, ut Deus Hominem Agens liberum faceret, & tamen ſemper ad unam partem violentè eum determinaret. Quod ſanè varias Animæ facultates inutiles redderet, diverſitatémq; Ordinum hominum præverteret, ſeduliſque Actoribus in hac Terreſtri Scena ſilentium imperaret. Et palpabili denique hoc interpoſitu, Chriſtum ante tempus ad Judicium cœlitùs accerſeret. Atque ſic Ignorantia & Impatientia imperitorum ſpectatorum Theatrum priùs ſubvertere vellent, quàm dimidium Comœdiæ ſit tranſactum, intricatæ Fabulæ perplexitate ſpectaculum reddente odioſum eis qui non ſatìs eam intelligant. Verùm pro certo ſciat Atheus, fore aliquando θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, Chriſtum advenientem in Nubibus, qui ſolvet omnia & conſummabit, quem is tandem nolens volens videbit ad ſummum ſuum dolorem animíq; conſternationem.

Philop. Præclarè profectò dictum, *Philothee!*

Hyl. Et bene ſanè habet quòd ità præclarum ſit, *Philopoli*, nam ſi mediocre fuiſſet, planè eſſet intolerandum. Omnino enim repetit quæ ſuprà attulit, in Objectionem primam. Cæterùm δὶς ϗ τρὶς τὸ καλόν.

Philop. Tu verò quæſo perge, *Philothee.*

Philoth. Intereà loci Deus nos inexcuſabiles reliquit, quippe quibus miranda opera Naturæ dedit ſacráq; pariter Oracula quibus Fidem noſtram ac Rationem exerceamus. Tam frequentes verò ac palpabiles Interpellationes in rebus humanis utriuſq; uſum tollerent, violentéq; compellerent liberas Creaturas non autem perſuaderent. Atque ſic Intellectuales noſtræ facultates maximè propriam maximéque jucundam ſuam prædam ludúmve perderent, inveſtigationem utique Dei per veſtigia Creationis. Hoc enim eſſet ſeipſum nobis vel invitis obtrudere, non voluptatem dare & exercitium quærendi eum ex tractibus Naturæ, in quibus occurrit hoc mirificum oblectamentum, quòd, ſi in quicquam incidimus quod primo aſpectu minùs conſentaneum videatur, licèt vel ſummis ingenii viribus adnitamur ipſum in melius alterare, poſt factum periculum inveniemus ſanè nos in pejus potiùs mutâſſe, noſtris inſcitis attemperationibus. Adeò ut ſemper deprehendamus quicquid mali ſit in orbe in Creaturæ incapacitatem conjiciendum eſſe, non in invidiam ullam aut inſcitiam Creatoris. Nam ſi res à tali principio proficiſcerentur, quod careret aut Peritiâ aut Bonitate, iſtud non eſſet Deus.

XI.
De crudelitate & rapacitate Animalium.

Hyl. Iſtud apud utramq; partem ratum habetur. Verùm in hoc ſudamus & æſtuamus, quò efficere poſſimus ut Mundi Phænomena tam excellenti Principio reſpondeant. Cui, meâ quidem ſententiâ, nihil tam craſsè contrariatur, quàm Lex illa crudelitatis ac rapinæ, quam videtur Deus ipſe Naturæ inſeviſſe rapacium Avium ac Beſtiarum. Illìc enim ità res ſunt, quemadmodum ille conſtituit, & manifeſtum eſt ex unguibus, roſtris, pedibus, dentibúſq; harum animantium, quòd ad hæc Tragica facinora aptè ſint armata, ut prætercam jus homini datum eſſe in vitas univerſorum.

Cuph. Equidem vehementer gaudeo exultóque, quòd perplexam hanc objectionem video in medium proferri, non quòd Providentiæ cauſam quoquomodo intricari volo ullóve damno affici, ſed quòd hinc commoda detur opportunitas oſtendendi utilitatem incomparabilem (in maximis anguſtiis) Notionum peculiarium ſtupendi illius ingenii *R. Carteſii*, inter quas illa de Brutis, quòd meræ Machinæ ſint, valde notoria eſt.

Philop. Ità profectò eſt, O *Cuphophron.*

Cuph. Et utilitas hoc in loco perinde notoria. Tollit enim omnem illam aſperitatem ac miſeriam, quam brutæ Animantes ſubire putantur ſive ex rigido noſtro imperio in ipſas, ſive ex feroci ſua aliarum in alias crudelitate. Nova hæc Hypotheſis iſtas difficultates univerſas uno quaſi ictu abſcindit.

Hyl. Argutum ſanè hoc inventum eſt, *Cuphophron*, brutas Animantes omnes è vita ſemper excludere, nè unquam ceſſent vivere.

Cuph. Rem alioſum accipis atq; ego dixi, *Hylobares.* E vita eas ſemper excludo, nè unquam poſſint cum cruciatu mori.

Hyl. Quid ità, *Cuphophron?* pauciſſimi homines ſunt qui ſine dolore moriuntur. Et tamen vix quenquam invenies qui non operæ pretium duxerit vixiſſe, quamvis tandem moriendum ſit dictis circumſtantiis. Cúmque non tanta ſit Animadverſio, támq; comprehendens ac præſagiens anxietas præſénſve profunda perſenſatio in Brutis dum patiuntur, quàm in Animantibus ratione præditis, brevis ille dolor quem ſuſtinent dum alia ab aliis devorantur, nullius ferè rationis eſt, nec milleſima pars eſſe poteſt ad eas voluptates, quas in vita percepêre. Adeò ut millies præſtet, ut vitâ animentur ſenſitivâ, quàm ut meræ ſint *Machinæ.*

Philop. Equidem meo judicio, admodum demonſtrativè *Hylobares* adversùs te argumentatur, O *Cuphophron.* Hypotheſíſque proinde *Carteſiana* hoc in loco, tantum abeſt, ut ullam de Divina Providentia difficultatem ſolvat, ut maxima omnium profectò demonſtratio foret contra illius Bonitatem, ſi quidem eſſet vera: Quòd nempe tam infinitus Animantium numerus, ut vulgò appellamus, capacium utiq; quæ ſic reverà eſſent, fruendíque vitali fœlicitate, fierent tamen mera *Neuroſpaſta* Pupæve inſenſiles, omnium gaudiorum voluptatúmq; vitæ vacuæ.

Hyl. Melius à *Philotheo* reſponſum expecto, alioqui multum adhuc caliginis præſentem difficultatem involuturum eſt.

Philoth. Reſponſum meum breviter ſic eſt. Hunc ſcilicet eſſe ludum, quem Divina Sapientia Animis contemplativis in ſuorum operum ſpeculatione exhibet, quòd eas primo aſpectu perplexitates ipſis offundit ut ſeipſam Errati fermè alicujus ſuſpectam reddat, Admiſſive contra ſacroſanctam Dei Naturam, quæ ipſa *Bonitas* eſt ac *Juſtitia*, quod tamen poſtea accuratiùs examinando, illi ipſi Regulæ maximè omnium conſentaneum deprehendunt. Quemadmodum proculdubio hîc fit. Quid enim juſtius eſſe poteſt illo Scholæ Pythagoricæ Aphoriſmo, Τὸ χέρειον ἕνεκα τῶ βελτίονος, *Deterius melioris fit gratiâ?* Et quæ major ſapientia, quàm id efficere, ut res ità comparatæ ſint, ut fiat communis omnium felicitas quanta poteſt maxima? Quod igitur ſuprà dixi hîc repeto: Divinam Providentiam quantùm ad Generationes Piſcium, Avium, atque Beſtiarum, in Rationibus ſuis ſupernumerarios quoſdam ſupputâſſe, qui cibo eſſent reliquis. Debétque *Hylobares* probare, tot eorum individua naſci debere in Orbe & ſic in ſucceſſione continuare, ſi non minuenda eſſent hujus apparentis quidem crudelitatis lege, veſcendi aliorum aliis. Præterea multis Animantium ſpeciebus ſic videmus modo gratiſſimo jucundiſſimóque proſpectum. Quantæ enim eis voluptati ſit, per aſtutiam ſuam corporíſq; agilitatem, prædæ ſuæ fieri compotes, homines qui proprio ingenio, calliditate aut fortitudine fortunam ſibi fabricaverint, ipſi ſint judices. Ubi quid momenti alicujus proſequimur, venationis voluptatem magìs ſolidam reddit, facultates implet majori vigore & alacritate, majorémque victoriæ addit ſaporem ac valorem. Ut quando quis dicto pignore, curſu cum altero certat, facit profectò ut majori cum alacritate & celeritate pedes moveat, magíſque ſibi applaudat, quòd vicerit Antagoniſtam. Quamobrem *vita animalis* in Beſtiis atque Avibus, (nec ad quicquam altius iſtæ unquam ſunt deſtinatæ) hoc roboris ſui & aſtutiæ exercitio ſummopere oblectatur, ſpecieſq; interim Animantium omnium ſatìs copioſè conſervantur. Id verò conqueri quòd certi quidam numeri defalcandi ſint, quibus nihilominus tandem eſt moriendum, quíq; ſi viverent & propagarent ſine ullo iſtiuſmodi repagulo, oneri & telluri & ſibi ipſis forent, propter cibi penuriam; cavilla omnino eſt propriæ noſtræ mollitiei & effœminatæ ignorantiæ, nulla juſta adverſùs Deum aut Naturam accuſatio. Divina enim ſapientia poſtquam liberaliter ac benignè *Toti* quidem proſpexerit, non ſolet, ut homo, hoc vel illud *Particulare* nimis deperire, ſed lubenter iſta amittere, propter magìs ſolidum magíſque *Univerſale* Bonum. Et quod ad Oves attinet Bovéſque, uſitatiorem illum hominum cibum, quoties ad incitas redigitur Agricola in procurando eis gramine ac fœno? Quantum igitur malum eis illatura eſſet, inepta illa quæ eis ſemper pepercerit, commiſeratio? Tam denſè multiplicarentur, ut præ fame morituri eſſent pabulíq; penuria.

Hyl. Quod dicis, *Philothee*, fateor à re minimè eſſe alienum. Veruntamen, quantum ego quidem judico, ſpeciem admodum duram præ ſe fert ac crudelem ut Animantes altera alteram adoriatur & occidat cùm nulla illata ſit injuria.

Philoth. Quinimo, *Hylobares*, quanquam hanc tuam benignam indolem ſummopere laudo, non poſſum tamen quin tibi dicam, imaginationis tuæ idioticam eſſe intemperiem, quæ facit ut tantâ perplexitate hoc in loco labores. Bruta enim tanquam ſi homines eſſent, conſideras, cùm tamen nullam aliam legem habeant quàm communem Naturæ Legem, quæ Sui-amoris Lex eſt, cujus libidinibus ſatisfactura ſunt, quicquid incommodi aliis indè ſit eventurum. Ut Ignis arſurus eſt, poſtquam ſemel ſit accenſus, quanquam ad conſumptionem integræ ſylvæ, quanquam ſylva ignem nullâ unquam injuriâ affecerit quò tam crudeliter in ipſam inſæviret. Ità unumquodq; Animal proprio appetitui ſatisfacere non dubitabit, quamvìs faciendum ſit, totum devorando Univerſum. Hoc quilibet paſſerculus, hoc parus quilibet facturus eſſet, ac hirundo. Adeò ut, ſi imaginationi indulgendum ſit, omnia perinde improba ſunt, ac propterea haud ità durum videri debet, ſi devoratores ipſi etiam ſint devorandi. Veriſſima autem eſt maximéq; Philoſophica ſententia, nihilo plus improbitatis brutis voracibus imputare, quàm marinis voraginibus aut igni voraci.

XII.
De furore Elementorum, Serpentum veneno & ira Ferarum.

Hyl. Immo, id ipſum eſt, *Philothee*, quod proximo loco objecturus eram, Elementorum rabiem intelligo, perinde ac iram Ferarum, variáſque Animalium monſtroſitates quæ in Orbe occurrunt, ſive Species integræ ſive Individua. Etenim annon hæc malignitatem aliquam in rerum Naturæ Principiis indicant, & cum amabili illo ac benignò Autore quem nos quærimus haud ſatìs conſiſtentem?

Eviſt. Narrare tibi poſſum Hypotheſin, *Hylobares*, quæ huic Objectioni abunde ſatisfactura eſſet, modò ego atq; tu eam poſſimus amplecti.

Hyl. *Behmenicam* te credo indigitare, corruptum utique *Sal-nitrum* per Rebellionem *Luciferi* adversùs ſuum Creatorem. Has quidem res ad longinquam diſtantiam admiror, *Eviſtor*, ſed quod ipſe ais, eas nequaquam animitùs poſſum amplecti. Neque enim credere poſſum ullam eſſe vim aut conſilium quod valere poteſt adversùs Deum. Eúmve eouſq; hallucinari poſſe ut baculum, quod dicitur, è manu ſua det, ad iſtum quidem modum quo in illa Hypotheſi feciſſe dicitur. Quamobrem, *Philothee*, probabiliorem harum rerum rationem ex te audire cupio.

Philoth. Proponam tibi, *Hylobares*, ſuppoſitionem admodum facilem & intelligibilem.

Hyl. Quænam quæſo eſt iſta, *Philothee*? valde geſtio eam audire.

Philoth. Omnino hæc eſt. Scenam hanc *Terreſtrem* illiúſque Atmoſphæræ comprehenſionem, unam eſſe ex abjectiſſimis, ex minimè magnificis minimèq; fœlicibus manſionibus totius Creationis, poſſéq; Deum unam partem Creationis minùs nobilem creare quàm alteram, immo verò ſapientiam illius fortean requirere ut procedente tempore ità prorſus fiat. Ut Ars pingendi colores fuſcos perinde requirit atq; magìs nitidos ac floridos in picturis ritè delineatis. Quapropter dico naturam rerum etiam omnium, peccato ſolo excepto, minùs bonam tantummodò hìc eſſe, non reverà malam ſive malignam.

Hyl. Unde iſtud conſtat, *Philothee*?

Philoth. Manifeſtum eſt, exempli causâ, nullum talem eſſe calorem malignum, qualis in *Igne* ſupponitur, ſed totum ſalubrem eſſe atque ſanctum, ſi menſurâ debitâ debitiſq; circumſtantiis applicetur. Satìs enim notum eſt etiam mites benignóſq; Solis radios vitrorum artificio ità in unum punctum poſſe conſtringi, ut tam furioſo calore invaleſcant ut dura corpora metallica facilè liquefaciant. Nec dubitandum quidem eſt quin magna ſit in Natura, certarum quarundam particularum copia, figurâ longâ & flexili, quæ, poſtquam ordinarius Solis calor in vapores excitaverit ipſéque aut altius aliquod principium adhuc fortiùs agitaverit, ingentes *ventos* & *tempeſtates* moturæ ſunt, atque hæ tempeſtates mare vehementer jactaturæ effecturæq; ut obſæviat rugiátque. Quòd autem profectiones Marinæ indè magìs periculoſæ evadant, ingenium omninò id exercet obſervationémque humanam, occaſionémque dedit accuratiùs excolendi Artem navigatoriam. Et ſi quædam aliquando Navigia pereunt naufragio, ſemper pium vectorem facit, poſtquam ad terram appulerit, ut vota ſua ſolvat majori cum ſtudio ac religione erga Deum. Et quantùm ad *iram Ferarum*, nihilo plus ea in ſe habet diabolici, quàm cholera naturalis, igníſve flammæ, quæ majorem noxam non afferunt, quàm puri radii Solis per purum tranſeuntes vitrum, cujus ſola figura facit ut urant. Cæterùm Potentia quidem Divina magìs nudè videtur exponi in ferocibus iſtis Beſtiis prædæ, cujuſmodi ſunt Leo, Urſus & Tigris, & adhuc terribilior exiſtit in immanibus Draconibus ſquamoſis ac Serpentibus. Quodſi hæc genera Animantium ullam noxam venenúmve ſecum gerunt in dentibus, caudis totíſve corporibus, iſtud quidem venenum nihil aliud eſt præterquam maligna particularum incompetentia ad particulas noſtrorum aliorúmve corporum Animalium. Naturáque nos præmunivit cautione, fugâ & abhorrentiâ ab hujuſmodi horrendis ſpectaculis. Nos verò nequaquam oportet noſtram abhorrentiam menſuram conſtituere verúmq; Lydium lapidem Naturarum aliarum. Venenoſæ enim iſtæ Animantes ſui generis Animantibus venenoſæ non ſunt, quinimo tantum abeſt ut à ſe mutuò abhorreant, ut quàm arctiſſimo Amoris vinculo conjungantur, quò ſpeciem ſuam propagent. Quamobrem hæc Objecta quæ aſpectu tam terribilia ſunt, in ſe mala non ſunt, ſed cùm voluptatum Animalis vitæ perinde capacia ſint, atque ullæ aliæ Animantes, cúmque ad intuendum tam egregiè truculenta ſint tanquam viva ſymbola iſtius Attributi Potentiæ Bonitate minimè mitigatæ attemperatæve, jure optimo in exiſtentiam in hac Regione peccati emerſerunt tanquam parata inſtrumenta vindictæ Divinæ, notoria Theatri Orbis ornamenta & locupletiſſima acceſſio Hiſtoriæ Naturali. Nam rerum dulcium etiam varietas nauſeam creat, nec ullum reperitur tam idoneum Remedium, quàm admixtura acidi, amari atq; acerbi.

XIII. *De Monſtris in rerum Natura.* Ac propterea illæ magìs ſacræ congruæque Naturæ leges ex propria ſua Prærogativa aliquando violantur, prout manifeſtum eſt in partu Monſtrorum; quem quidem tanquam luſum quendam conſidero in rerum ordine, ut quando puer formoſus per laſcivientiam os ſibi diſtorquet, unde ſubita vultûs ſui compoſitio in formam naturalem eò amabilior videtur ac formoſior. Quantùm verò ad prodigioſas iſtas deviationes non ſunt multæ. Earum enim Raritas eſt quæ populum ad ſpectandum invitat. Nec obſcuro argumento eſt oblectari eos novis his ſpectaculis, quòd tam lubenter nummos ſolvunt, quò oculos ipſorum aſpectu paſcant. Etenim hæ Objectorum Diverſitates in Orbe animos hominum variis modis afficiunt, facultates ipſorum affectúſque varios pulſando ut peritus Muſicus clavos Organi pneumatici aut Clavicymbali. Illáque chorda quæ ex ſe diſcors eſt ſive diſcrepans, ſuccedentem Harmoniam reddit ſuaviorem. Atque ità omnino fit in fœdo deformíque defectu aut depravatione partium corporis Animalis, ſenſum acuit legitimæ illius formæ & elegantiæ quam in aliis Animantibus quotidie conſpicimus. Eſſe verò Gentes integras abſolutè monſtroſas ac deformes, cujuſmodi ſunt, ***Cynocephali***, ***Acephali***, ***Monoculi***, ***Monocoli***, &c. tempus tunc demum erit reſpondendi iſti difficultati poſtquam de veritate Hiſtoriæ conſtiterit. De cujus probabilitate ***Eviſtorem*** credo æquè idoneum Judicem atque alium quenquam, ut qui adeò ſpecialem voluptatem in evolvendis Hiſtoricis percipiat.

Eviſt. Quin ſit hujuſmodi monſtroſarum Gentium mentio apud Hiſtoricos facta, O ***Philothee***, nequaquam eſt diſſimulandum. Quod verò ad credibilitatem Hiſtoriæ attinet, illiúſque ad præſens argumentum accommodationem, ea quidem de re haud ità clarè conſtat. Nam meo quidem judicio Hiſtorici vanitatem ſuam egregiè produnt, ex ipſis circumſtantiis rerum quas narrant. Ut in ***Monocolis Tartariæ***, quos habere aiunt brachium unicum perinde atque unicum crus; addunt autem eos uno iſto pede manúque tam celeriter currere, ut Equus nullus eos currendi velocitate poſſit æquare. Quod tamen ſi verum eſſet, quid tantæ culpæ in Naturam impingi poteſt, quæ tam mirandam utilémque fabricam condiderit? Eſt etiam populus prope ***Californiam***, qui ***Enoticœti*** appellantur, quos aiunt prolixas habere aures ad humum uſque protenſas, támque latas tenuéſque ac vietas, ut largarum faſciarum inſtar antè ponéve pendeant, in quibus extenſis nocte humi dormiant, (ſi quis tam credulus ſit ut fidem habeat fabulæ) unde ***Enoticœti*** nuncupantur, ut qui aures habent pro lodicibus in quibus cubent. Adeò ut in Itinerationibus in utramque aurem eis liceat dormire, nec ab ullo ſibi metuere contagio, niſi quod ipſi ſecum gerant.

Cuph. Bellum profectò privilegium, ***Eviſtor.*** At verò ego me nollem ullo pacto tam obnoxium qui ultrò citróque auribus vellar, pro quantalibet illa lodicum ſalubrium ſecuritate.

Eviſt. Quod ad me attinet, equidem fateor me omnino pro fabula habere, ut & varias illas Hiſtoriolas de ***Monoculis***. Et ***Johannes*** profectò ***Mandevillus*** ut omnium qui ipſum anteceſſerint, Mendacitatem excederet, parùm id reputans gentes fingere cum unico oculo in capitibus, tales etiam commentus eſt quæ nullos omnino haberent, ſed duo tantùm foramina, ſcaporum inſtar candelabri vacuorum, in quibus lumina eſſent collocanda. Cæterùm ut meam conjecturam proferam, primam occaſionem fabulæ de ***Monoculis*** ex ***Scytharum Arimaſpis*** profectam exiſtimo, quos fama tanquam tales celebrâſſet, quíque nomen certè illinc nacti ſunt, quemadmodum ***Euſtathius*** notavit in ***Dionyſium Afrum***, 'Αρὶ γὰρ τὸ ἓν Σκυθιστί; μασπὸς δὲ ὁ ὀφθαλμός.

Philop. Quid iſtud eſt, ***Eviſtor?***

Eviſt. 'Αρὶ linguâ ***Scythicâ*** idem ſonat atque ***Unus***, & μασπὸς idem quod ***Oculus***. Ità ut ***Arimaſpus*** idem ſignificet quod ***Monoculus***, ſive unum oculum habens. Atque ***Æſchylus*** apud eundem Autorem eos μονῶπα στρατὸν appellat, ***exercitum monoculum***, ſive ***unoculum***, quippe qui Sagittarii erant exercitatiſſimi, quíque frequenti nictatione alterum oculorum adeò contraxerant ac minuerant, ut ipſius uſum ferè perdiderint. Credo rei ſummam omnino hanc eſſe, ægréque induci poſſum cum ***Euſtathio*** concludere, quòd procedente tempore liberos revera unoculos genuerint. Utut verò illud ſit, nullus ille Naturæ defectus erat, ſed propriæ ſuæ culpæ fructus. Verùm proculdubio, ab hujuſmodi levibus occaſiunculis potuerunt tot ſplendida Mendacia per orbem terrarum diſpergi. Et poſtquam ad unum oculum perduxerant, eum pro facili propriæ imaginationis ductu collocare poterant non ad alterum Naſi latus, ſed quemadmodum ***Plinius Arimaſporum*** oculos collocat, in Frontis ſcilicet medio.

Hiſtor. Natural. *lib.* 7. *cap.* 2.

Et quantùm ad ***Acephalos***, fieri poteſt, ut nihil aliud eſſent quàm populus valdè gibboſus ac robuſtus, qui cùm capita aliquantò humiliùs ſita haberent humeróſque paulò ſublimiùs, homines per jocum & deriſionem famigerare poterant, ora eos in pectoribus, & oculos in humeris geſtare. Amant enim homines iſtiuſmodi loquendi formulis uti, quæ maximam audientibus admirationem ſint excitaturæ.

Et poſtremò, quod ad ***Cynocephalos*** attinet, res incredibilis eſt, illiúſque falſitas ex ipſis Narrationis circumſtantiis detegitur. Cujuſmodi ſunt, quòd ex ſuis latratibus & ululatibus mutuò ſe intelligunt, partímque ex ſignis per manus digitóſque factis, quódque longas habent caudas canum inſtar, & quòd more canum coeunt, morem ve-

Hiſtor. Natur. *lib. 5. cap. 15.*

rò humanum ab ipſis profectò magìs dedecoroſum & inhoneſtum haberi. Credo veritatem exiſtentiæ iſtorum Simiorum qui *Cynocephali* appellantur, primam dediſſe occaſionem huic fabulæ amplificatæ, quam latiùs narratam apud *Euſebium Neirimbergium* legere licet, ſed etiam ab ipſo rejectam tanquam inane Figmentum.

Quemadmodum verò *Cynocephali* omnino Bruta ſunt, ità etiam terribiles iſtos homines cornutos, ultra *Cathaiam*, humanáſque illas Formas quæ in partibus montoſis Inſulæ *Borneo* vagantur, cum aliis luſoriis variationibus & deviationibus ab uſitata Figura humana, tot Satyrorum genera, Simiorum & Cercopithecorum fuiſſe exiſtimo qui mediæ ſint naturæ Homines inter atque Beſtias, prout ſunt varia genera *Plantanimalium*, inter Animalia & Plantas. Et quemadmodum perfectiſſima Plantanimalium quàm proximè ad abſolutum Animal accedunt, ut *Boranetz* v. c. haud procul à Mari *Caſpio* apud *Tartaros*; ità perfectiſſimi è Satyris & Simiis, facilè ad humanam ſimilitudinem tam propè vergere poſſunt, ut meritò ſuſpicionem movere queat an humanâ ſtirpe non ſint oriundi. Ut verò unquam ſic excoli poſſint ut ad perfectionem hominis illiúſve naturæ dignitatem perducantur, æquè parùm probabile judico quàm ut *Zoophyton* commutetur in perfectum *Animal*.

Philop. Mihi crede, *Hylobares*, præclarè ſtrenuéque ſe geſſit hac in re noſter *Eviſtor*.

Hyl. Ingenuè fateor, *Philopoli*, *Eviſtorem* tam probabiliter philoſophatum eſſe ſuper his Monſtroſitatum humanarum Narratiunculis ut planè me pudeat ex tam incertis rumoribus ullam Providentiæ, cujus artificium accuratum in rebus certis & compertis tam conſpicuum eſt, culpam impingere. Ac proinde nunc lubens ab hac Claſſe Malorum Naturalium tranſirem, niſi quòd tria ejuſdem generis, (ſi modò Naturalia appellanda ſint univerſa) me violentè detinerent. Sunt enim profectò iſtiuſmodi, quæ animum meum dejiciant magìs conturbéntque, quàm quicquam eorum quæ propoſui hactenus.

XIV.

De Fatuis, Maniacis, & de Hominibus obduratè improbis ab ipſa Nativitate.

Philoth. Quæ iſta quæſo ſunt, *Hylobares*?

Hyl. Triſte iſtud Spectaculum hominum *Fatuorum*, *Maniacorum*, & à pueritia uſque *immutabiliter Improborum*. Nullo pacto mecum comminiſci poſſum, quomodo talia Phænomena qualia hæc ſunt, cum tam benigna Providentia atque tu defendis, poſſint convenire. Mihi quidem, *Philothee*, maximè funeſta ſunt Spectacula, quæ in toto occurrunt Univerſo.

Philoth. Et ut ingenuè fatear quod res eſt, *Hylobares*, nihil eſt quod mihi æquè animum contriſtat perfunditque Melancholiâ, quàm talium Objectorum aſpectus aut recordatio. Veruntamen non poſſum nihilominùs quin concludam apud meipſum, hæc nequaquam obſtare, quin Deus accuratè benignus juſtúſque jure cenſeatur in tranſactionibus ſuis cum humano genere. Conſiderare enim debemus genus humanum lapſu ſuo in conditionem cecidiſſe cum brutis ferè parem, & ex eo quòd Terrenis hiſce veſtiti ſint Indumentis, eos in eadem incurrere pericula, quibus brutorum vita eſt obnoxia. Cujuſmodi ſunt non ſolùm morbi corporis, ſed & meliorum iſtarum facultatum mala, Perceptionis putà, & Imaginationis, Naturalis Ingenii & Sagacitatis, ingenitæque Indolis ac Temperamenti. Horum cujuſlibet Morbus aut Intemperies, ipſam Animam ſtatim opprimit, ſi tam incommodum ei corpus contigerit. Videmus enim aliquas Beſtias impendiò ſtupidiores tardioréſque reliquis ſui generis, impendióque maligniores & magìs immorigeros, quemadmodum notare eſt in Canibus atque Equis. Brutáque quamplurima Furoris capacia ſunt ſive Inſaniæ. Hæc mala terrenum hoc rerum fatum conſequuntur. A quibus nulli ſecuri eſſe poſſunt; niſi qui lutea hæc domicilia non inhabitant. Et quis novit, quin is qui natus ſit Fatuus, ſi naturali polluiſſet ingenio, purus putus futurus fuiſſet nebulo? Quæ ſexcenties deterior eſt conditio. Et capacem fuiſſe qui evaderet bonus, & tamen in omne genus Improbitatum evagari, magis horridum eſt quàm à nativitate uſque ſenſu perpetuo caruiſſe illius quod pium eſt atque honeſtum. Et quantùm ad *Maniacos*, notiſſimum eſt maximam illius mali cauſam eſſe utplurimum Immoralitatem, Superbiam, Fidei defectum in Deum vel inordinatum externi alicujus Objecti Amorem. Nulla verò *Inſania* niſi quæ morbus ſimpliciter ſit, Providentiæ eſt imputanda: pro qua eadem præſtò eſt Apologia, atque pro aliis morbis. Quos ſi concederemus non ſemper prodeſſe affectis, negari tamen non poteſt, quin naturaliter tendant ad commodum Spectatorum, quemadmodum fieri oportet in funeſto hoc Spectaculo *Maniacorum*. Homines enim reddere debet humiles ac modeſtos, ſuarúmque Paſſionum dominos, ſtudioſos Purificationis Animæ juxtà atque corporis, arctæque adhæſionis Deo, nè tam horrida intemperies eos unquam opprimat. Diligentiam porrò eorum excitare debet, quò deſiderii ferocitatem ſubdoment, totóſque ſe Divinæ voluntati dedant in rebus omnibus, nec ſeipſos magìs quærant, quàm ſi omnino non eſſent in rerum univerſitate, nec hominum encomia affectent, nec faſtum mundanum nec vitæ voluptates, ſed unicam hanc integrámque ſibi voluptatem ſtatuant, unius eſſe voluntatis cum ſuo Creatore, nec quicquam aliud velle quàm ejus voluntatis expletionem in rebus univerſis.

Hyl. Hæc *Divina Inſania*, præſtabis *Philothee*, quòd extinctura ſit omnem *naturalem Inſaniam*, ut pura Lux Solis omnem impurum terrenúmque Ignem ſolet extinguere.

Philoth. Hæc *Divina Sobrietas*, *Hylobares*, Spiritus noſtros animales ſobrios ſanóſque conſervabit.

Bath. Equidem, *Philothee*, non puto *Hylobarem*, præſtantiſſimum illum Animæ ſtatum, *Divinam Inſaniam*, per ullam contumeliam, appellâſſe, ſed propter ſolam Locutionis ſignificantiam. Inſania enim nihil aliud eſt præterquam Animæ ecſtaſis, ſive mentis emotio, ità ut homo dicatur haud ſui eſſe compos vel apud ſe. Quæ calamitas in naturali Inſania hæc eſt, quòd ex cardinibus ſic ejectus, huc illuc temerè vagatur prout ſors tulerit, aut in enormem aliquam Imaginationem affectúmve impactus obſeratur, cujus nullus ſcopus ſit aut certè haud bonus. *Divina* verò *Inſania* eſt, quando quis ſtudioſè devotéque ſeipſum à ſe ſuíſque animalibus Cupiditatibus expediens, ſic à ſeipſo ſolutus, à *Divino Spiritu* arctè prehenditur, qui fidele hoc ritéque adaptatum Inſtrumentum regit non quidem ſecundùm inſcitos vitioſóſque Mundi modos, ſed illius motus ad illam Muſicam attemperantur quæ verè ſancta eſt, Seraphica ac Divina, ad modulos utique ſolidæ Rationis, puríque Intellectûs.

Hyl. Id ipſum omnino, *Bathynoe*, quod ipſe innuis, intendi. Defenſionem verò adornâſti meâ causâ, magìs floridam ac Rhetoricam, quàm mea potuit tenuitas pro meipſo. Ac proinde hoc obſtaculo remoto, perge quæſo, *Philothee*, & quam auſpicatò exorſus es, circa difficultates Providentiæ quas poſtremò propoſui, fœliciter pertexe Apologiam.

Philoth. Has duas igitur ſuperaddam conſiderationes. Primò, quòd Vita hæc brevis eſt, quódque plus non requiritur ab his malè inſtructis hominibus quantùm ad Sapientiam ac Virtutem, quàm pro Talento ipſis concredito. Ità ut periculum eis diminuatur pro modo capacitatum diminuto. Secundò, quòd Imaginatio noſtra potiùs ſit quàm Ratio, quæ facit ut putemus hæc Objecta adeò impendiò magìs triſtia ac deploranda, quàm quod videmus in ordinario hominum genere. Nam quod paulò ſuprà dicturus eram, uter horum ſtatus eſt magìs deplorandus, ex *Fato* Fatuum eſſe, an *Electione*? Et verò annon omnia nugamenta ſunt & Fatuorum ludicra aut puerorum oblectamenta & Brutorum, excepto ſolo quod revera Morale eſt ac Intellectuale? Et quàm pauci, obſecro, è multis hominum millibus, ſeriò dant operam ulli rei, quæ quidem magni alicujus ſit momenti, aut *Morali* aut *Intellectuali*, ſed tempus æquè nugaciter fallunt atque iſti qui ſtramina decorticant, ſcirpóſve in nodos nectunt, in acceſſu delirii aut lunaticiſmi? Ingenia præſentis ſeculi hoc Paradoxon acriter defendunt, Beatitatem nihil aliud eſſe quàm eſſe contentum. Fatuorum autem fœlicitas eſt, quòd ſuum, contentum eſſe, faciliùs certiúſque aſſequantur quàm hæc ipſa præclara Ingenia. Atque hac quidem in re eadem ferè Ratio eſt de Maniacis atque Fatuis. Et quantum obſecro differt diverſicolorum Tunicarum Fatuorum luteus fulgor, à ſplendido veſtitu horum ipſorum Ingeniorum, niſi quòd præſentis modi autoritas alterum alteri prætulerit? Præterea, hoc etiam aliquantulum Providentiam excuſare poteſt, quòd vulgus hominum *Fatuos* & *Maniacos*, animi cauſâ, frequentes inſequuntur planéque ſe oſtendunt oblectari Spectaculo.

Bath. Ex eo forſan oblectantur, quòd quoſdam videant majori veſaniâ ac ſtupiditate laborare quàm ſeipſos, atque ſic ſibi congratulantur commoditatem ac præcellentiam, ut illi putant, propriæ ſuæ conditionis.

Hyl. Fieri etiam poteſt, ut accedant tanquam ad Specula allecti in quibus vultus ſuos adeò ad vivum repræſentatos contemplentur.

Philoth. Id profectò veriùs abs te dictum eſt, *Hylobares*, quàm putabas, niſi quòd plerique homines magìs ſtupidi ſunt ac inſani, quàm hæc Specula eos repræſentant. Nihil tam abſurdè dici poteſt quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum, dictum eſt *Ciceronis*. Et ſi *Philoſophi* tanti Fatui ſunt, quid fiet de *Plebeiis*? Ecquid unquam magìs ſtolidum aut veſanum in ullius mentem cadere potuit aut *Fatui* aut *Maniaci*, quàm quòd Æternus Deus corporeâ naturâ ſit ac figurâ? Quòd Mundus omnéſque illius partes, organizatis hominum ac beſtiarum corporibus non exceptis, effecta ſint cæcæ tumultuationis & colliſionis meræ Materiæ atque Motûs, ſine ullo alio Rectore? Quid inſanius quàm Figmentum Tranſubſtantiationis, & infallibilis Libidinis, Ambitionis & Avaritiæ? Quídve magìs furioſum dementiæ ſpecimen, quàm cædes & trucidatio hominum, quòd hujuſmodi commentis fidem habere nequeant? Fatuus quiſpiam exiſtimatur, qui Nugaculum ſuum auri marſupio prætulerit. Annon is verò millies magìs fatuus eſt qui auri marſupium, honoris auram, brevémque voluptatis guſtum æternis præfert divitiis gloriæ atque gaudiis Regni cœlorum? Nemo miratur, ſi ***Maniacus*** inconſultò alterum occidit; & ſi conſultò datáque operâ facit, & tamen ſine cauſa & ſine ullo ſuo commodo, nihilo minùs reputatur ***Maniacus.*** Quàm inſigniter igitur illi inſaniunt qui in æternam ſuam damnationem Regiones depopulantur, Civitates excidunt, ſubvertunt Regna, & non ſolùm corpora piorum juſtorúmque hominum Martyrio conficiunt, ſed & animas aliorum trucidant, quas per fraudem aut violentiam, impiis & idololatricis ſuis uſibus polluunt, ídque ſolummodò ſplendidi illius Ambitionis nugaculi gratiâ, ſublimíſq; commenti de uno univerſali ſpirituali Monarcha, quem potentiâ atque opibus abundare oporteat, & in omnibus carnalibus ac ſenſualibus præſentis vitæ voluptatibus volutare? Quamobrem, ***Hylobares***, ut liberè dicam quod ſentio, cùm futura utcunq; eſſet tanta Hominum ***Maniacorum***, ***Fatuorum***, & ***Improborum*** ſecundùm ordinarium Mundi modum multitudo, Providentiæ benignitatem non omnino dedecet, hanc ingruentem degenerationem in paucis aliquibus anticipare, efficiendo eos ***Fatuos*** & ***Maniacos***, naturâ aut fato; ut ſtultitiâ & inſaniâ ſub minùs uſitata forma Mortalibus repræſentatâ, eam probroſis clamoribus excipiendo, id juſtitiæ ſpecimen edant, ut eo ipſo ſibi ipſis convitientur, qui propriâ operâ ſumptúq; magìs turpiter improbi facti ſunt quàm quibus nulla unquam fuit capacitas (ſi quidem ulli tales ſunt in rerum natura) ut evaderent probi, immanioríq; modo inſaniunt, ſtupéntq; vecordiùs in conſpectu cujuſvis qui res rectè nôrit æſtimare, quàm ulli vel inſulſiſſimi Fatui, aut Gargythæi carcerones: vel potiùs, ut tempeſtivâ illâ Animadverſione utentes, quam alicubi commendat ***Plato***, ex obſervatione malorum morum alterius, μήπου ἄρ᾽ ἐγὼ τοιοῦτος; deprehendere poſſint ſeipſos, ex iſtiuſmodi Analogiis quas ſubindicavi, longè nequiores fatuos eſſe ac maniacos quàm qui clamoribus excipiuntur in plateis, atq; ſic præ pudore vitam ſuam corrigant tandémq; ſic evadant verè ſapientes ac probi. Quid enim efficacius eſſe poteſt ad ciendum horrorem & deteſtationem illius quod in nobis ipſis turpe eſt & inhoneſtum, quàm animadverſio, quod in aliis adeò abhorremus, in nobis ipſis plus ejus eſſe & quantùm ad gradus & quantùm ad alias circumſtantias, & cùm illi objectum commiſerationis meritò videri poſſint, nos interim demereri ſummam contumeliam & contemptum?

XV. *Optimus uſus funeſtiſſimæ rerum Scenæ in hoc Mundo.*

Adeò ut videre poſſis, ***Hylobares***, etiam ex hiſce Providentiæ partibus, quæ maximè deſolatæ videntur, maximè tenebricoſæ & deſperatæ, admodum lætam profectò rationem Divinæ Bonitatis ex inopinato emergere & elucere. Quæ in clariorem adhuc lucem adoleſceret, quanto nos plus haberemus otii ac facultatis ad hujuſmodi res accuratiùs explorandas. Verùm ſi oculum tuum continere non potes, quin eum in nigram Providentiæ partem potiùs defigas, quàm in candidam & nitentem, nec abſtinere quin de malis particularibus mediteris Morborum atque Peſtium, de Bello atque Fame, de voracibus Terræ motibus, de ſæva ac crudeli conſuetudine Volucrum, Beſtiarum atque Piſcium, aliorum aliis tanquam legitimâ prædâ veſcentium, quæ immaniſſima violentiæ & iniquitatis umbra eſt, quæ poteſt concipi; ſi imaginationem adeò lubet contriſtare recordatione gemituum aut ***Vulneratorum*** aut ***Ægrorum***, rapacium Ferarum horrore, & venenoſorum Serpentum, pernicialis rabiei Elementorum, rabidæq; violentiæ Maniacorum; aut deplorandam illam denique ſolitudinem animo recolas, deſolati iſtius habitaculi, ***corporis*** utiq; ***Fatui***, (quem ſæpenumero ob id ipſum, ***merum corpus*** appellamus) hæc etiam conſideratio uſum ſuum habet ſingularem, quippe quum par ſit, ut tam abjecta humani Generis conditio quàm eſt hæc vita terreſtris, tantâ gravetur Tragicorum ſpectaculorum copiâ, quanta factura eſt, ut homo quivis conſideratus ſeriò cogitet de meliori ſtatu, reputétq; apud ſeipſum ſi non in alieno conſtitutus ſit loco, à natali Patria divagatus, ac proinde (quemadmodum hortantur ***Platonici***, φεύγειν ἐνθένδε) ſi non debeat perquam ſeriò reditum meditari, maturéque huic mundo mori, ut morte tandem vincula hujus mortalis corporis excutiente, Anima evolet longè ſupra fumos hujus Regionis Miſeriæ ac Peccati. ***O præclarum Diem cùm ad Divinum illud Animorum concilium cœtúmque proficiſcar, cúmque ex hac turba & colluvione diſcedam!***

Eviſt. Præſtantiſſimi illius ſermonis pars eſt quem ***Cato*** habet cum ***Scipione*** ac ***Lælio.*** Quid nunc, ***Hylobares***, ad ***Philotheum*** reſpondes qui has tuas noviſſimas, perplexiſſimáſque ac intricatiſſimas difficultates circa mala Naturalia, tam fœliciter ſolvit?

XVI. *Quomodo Peccati introitus in Mundum cum Providentiæ Bonitate poſſit conſiſtere.*

Hyl. Reſpondeo, ***Eviſtor***, ***Philotheum*** præclarè quidem hiſce de rebus diſſeruiſſe, & planè ſic ut ſuperaverit meam expectationem. Neque negare poſſum, quin, cùm talis lapſus ſit humani Generis, Providentia ex hoc ſuppoſito, res perquam optimè, etiam in eis Phænomenis quæ mala naturalia vocantur, adminiſtret, nec melior earum, ſi plenam ipſarum comprehenſionem conſideramus, quantum ego intelligo, quàm nunc eſt, eſſe poſſit conditio. Cæterùm ſumma omnium adhuc ſupereſt difficultas de lapſu hoc peccaminoſo, (quæ ſecunda malorum claſſis eſt, quam apud me *Philotheo* proponere ſtatui) ut Providentia pateretur rem adeò abominandam, adeò diabolicam & exitialem, quàm eſt peccatum, in Univerſi Scena unquam comparere : Quod tam Tragicam miſeriarum ſeriem nobis invexit, quódque in ſeipſo tam deteſtabile eſt & inſenſum Deo juxtà atque hominibus. Equidem neſcio quomodo hæc poſſim inter ſe conciliare.

Cuph. Et ego certè medullitùs gaudeo & exulto, quòd video *Hylobarem* hâc difficultate adeò irretitum, cùm mihi opportunitatem det, cum bona *Philothei* venia, eum ad parem evehendi voluptatis gradum, ex congruentia ac perſpicuitate ſolutionis. Atque equidem ingentem quendam impetum animi perſentiſco, ad hoc benevolum officium *Hylobari* præſtandum.

Philoth. Perge igitur, obſecro, *Cuphophron*, ſpero ſucceſſum eò meliorem fore.

Cuph. Id quod faciam lubentiſſimè. Rem enim ſummi momenti eſſe exiſtimo, ut humanum genus benignè rectéque alii aliorum actiones moréſq; intelligant, & ut nolint eſſe nimis præcipites & temerarii adversùs ſe invicem cenſores, nec unumquodque tanquam Infernale ac Diabolicum æſtimare, quod eodem gradu bonum non ſit quo reliqua. Meum enim Inſtitutum eſt, O *Philopoli*, talia cum hominibus principia communicare confirmaréque, quæ paſſiones humanas dulcorare queant, *dulcéſve Affectus* in ipſis excitare, omnémq; iram, odium & indignationem adversùs mores mutuos omnino tollere, ut cùm obſervaverint tam parùm noxæ, aut fieri aut intendi, vitam, ut vicinos decet, inter ſe degant pacificam.

Philop. Præclarum profectò Inſtitutum, O *Cuphophron*, & nobis Irenarchis, quotquot nempe cupiunt ſibi quantum poſſunt temporis, ſtudiis philoſophicis utilioribus impendendum lucrari, gratiſſimum. Sed inſtitutum hoc tuum pleniùs intelligere volo.

Cuph. *Hylobarem* video, (quod egregii ſenſûs ſymptoma eſt, quem habet quidem virtutis) ità de illo quod vulgò *Peccatum* ſive *Improbitatem* appellamus, judicare, ac ſi iſtiuſmodi Eſſentiale ac Infernale venenum tartareámq; pravitatem in ſe haberet, adeò abominandam ac deteſtabilem, Divinæq; Naturæ adeò contrariam ac repugnantem, ut aperta videatur contradictio ut utræque ſimul exiſterent in Univerſo, nec Omnipotentis Ira fulmine percuſſerit, ſimulatq; caput extuliſſet, aut in ipſo partu ſuffocaverit tam horrendum monſtrum, non tantùm propter mala *Naturalia* quæ inevitabiliter ſecum introducit, ſed etiam propter *diabolicam* ſuam *deformitatem* ac deteſtabilitatem. Quod ad me verò attinet, amiciſſimi mei, Zelum illius pluris æſtimo quàm Judicium, qui Imaginationi, rationi nulli innixæ, tantoperè indulget.

Sophr. Utinam Judicium tuum, *Cuphophron*, ut qui tam audenter inceperis, tuum zelum tenuitate non exæquet. Tantus es *Paſſionum dulcium* Patronus, támque ex profeſſo iſtis acrioribus & ſeverioribus affectibus inimicus, ut verear ſanè quò majorem animi quietem illis valedicendo, aſſequamur, nè perſuadere nobis velis dextras jungere amicitiámq; colere cum peccato ipſo.

Cuph. Quid ego velim neſcis tu, *Sophron*, nec ipſe quidem novi ſatis. Eſt autem aliquid quo valdè gravidus ſum, veſtrámq; opem aut patientiam quò fœliciùs me exonerem, imploro.

Hyl. Eâ lege, ut eleganter id fiat *Cuphophron*, tranſmiſſúque mundo atque nitido.

XVII. Cuphophronis *Lunatica Apologia quâ extenuare velit immanitatem peccati.*

Cuph. Manu admodum ſiccâ mundâque fiet. Diſquiſitio enim ſolummodo erit de ipſa natura *Peccati* & *Improbitatis*, qua in re conſiſtat, unde certiſſimam æſtimationem facere poterimus, quantum illi inſit veneni; optóque ut oris mei ſpiritus æquè ſuavis futurus ſit gratúſq; veſtris auribus, atque vegeta hæc Aura veſpertina per latera pergulæ meæ trajecta & frigefacientibus Lunæ humidæ radiis intincta (cujus lumen per foliorum umbram percribratum, operâ tremulâ teſſellatâ menſam, veſtéſque noſtras ac vultus ornare incipit) delectabilis jucundáque eſt calefactis meis temporibus.

Philop. Noctеſcit jam multùm, *Cuphophron*, nec tamen eò minùs jucundum erit ſermonem continuare ad hunc teſſellatum Lunæ ſplendorem, præſertim cùm tantam de te excitâſti expectationem. Quamobrem quæſo te, porrò perge.

Cuph. Meo quidem judicio, nemo fœliciùs veram Improbitatis naturam indigitavit quàm *Mercurius Triſmegiſtus* in brevi iſto Elogio : Ἡ κακία σύμφυτος τοῖς θηρίοις. *Improbitas naturalis eſt ſive connata Beſtiis.* Quod tamen tantum abeſt, ut verum eſſe credam eo ſenſu quo verba ſonant, ut è contrà potiùs eam ipſis eo ſenſu competere poſſe non exiſtimem. Sed potiùs, quemadmodum eximium illud Sapientiæ exemplum *Moſes* in Lege ſua definivit, cùm Lepra totam cutem hominis occupaverit, nullâ parte intactâ, tum eum judicandum eſſe purum; ità Bruta, quæ ex ſolo ſenſu *affectibúſque Animalibus* conſtant, ſine participatione altioris alicujus Principii, peccati planè ſunt incapacia. Et ſi ulla Animalia rationalia eſſent, ſub quacunque forma, à conſpectu quorum mentis altius illud Principium fataliter ac naturaliter ſemper eſſet abſconditum, eâ conditione forent quâ Leproſus *Moſaicus*, vel quâ Brutum quodlibet ordinarium, & peccati & conſcientiæ expers ſimul, ſoláſq; *Animalis Vitæ* leges ſapiens: In quibus poſtquam, quantum Divinæ Sapientiæ ac Bonitatis inſit quæ ipſas condidêre, conſideraverimus, non adeò venenatam fovebimus opinionem de Creatione Dei, nec in *Manicheiſmum* aut *Gnoſticiſmum* conjiciemur imaginantes ſignum unguis Diaboli, aut ſulphur inferni olfacientes in re quaq; æquè rancidè atq; pedem Epiſcopi in lacte ad imum ollulæ aduſto.

Quinimo auſim dicere, Myſtica illa Satanæ profunda quæ Theoſophi tam diligenter detexerunt, cujuſmodi ſunt *Ipſeitas*, *Egoitas*, *Suitas*, nihil aliud eſſe præterquam ſupremum illud ac radicale principium in *Vita Animali*, qui *ſui-amor* dicitur. Qui ſi nulla in Natura neceſſitas ſit ut exiſtat, (ut videmus certè aliquando Animantium affectus ità ad alia efferri ut ſui ipſorum planè obliviſcantur) par tamen erat ut Divina Providentia hoc Principium inſigeret univerſis, ut unaquæq; Creatura ſe animitùs amaret, ſibiq; proſpiceret; quemadmodum radices Arborum ſine omni ſcrupulo omne alimentum ſibi attrahunt cujus ſint capaces, nihil interim curantes, quæ arbor marceſcat, modò ipſæ floreant & vegetentur, in qua tamen re nihil omnino eſt aut *Diaboli* aut *Peccati*.

Nunc verò Providentiam rectè admodum feciſſe tam acrem inſerendo cuique Animali Sui-amorem, manifeſtum eſt. Etenim inſigniores iſtæ *Animalis Vitæ* functiones, tales utique quæ à Robore & Agilitate, quæ ab aſtutia & ſagacitate dependent, ad ullum gradum vix exerceri poſſent ſine hoc principio. Corvus vix animum habiturus eſſet ad vermiculum roſtro impetendum, nec hirundo ad captandam muſcam. Eadémque ratio eſt de nobilioribus iſtis magíſque induſtriis inſidiationibus fortiorum aſtutiorúmque Animantium quæ prædam ſuam venantur. Propterea unumquodq; Animal reſpectu ſui ipſius aliquo ſenſu modóve Divini Attributi Omnipræſentiæ quædam quaſi imago eſt, nam ubicunq; fuerit ſeipſum à tergo relinquere nuſquam poteſt. Quamobrem omnino par eſt ut magno hoc *ſui-amore* atque curâ imbuatur, quippe quum magìs conſtanter præſtò ſit ad gratificandum, opitulandum, proſpiciendúmq; ſibi quàm alteri. Poſtremò, ejuſmodi quidem eſt quod nè fingi poſſit, niſi Bruta facultatibus intellectualibus prædita eſſent (& tunc ceſſarent eſſe Bruta) ut tam liberas cogitationes habere valerent ac reflexivas ut & incrementum quærerent & in ſenſu viverent boni publici. Et ſi cogitationes eorum & imaginationes occuparentur, vel evagarentur ad curam boni aliorum, vigor vitæ gaudiúmq; in ſingulis multùm diminueretur & obſcuraretur. Nam phantaſia multò debilior eſt quàm præſens corporis ſenſus. Et ſi aliquantò fortiorem fingere velis, quàm calamitoſæ futuræ ſunt Vitæ iſtorum Animalium, quæ mori oportet, vulnerari, noxámq; pati, quoties ulla ſuorum conſociorum Animalium, quicquam horum patiuntur? Quamobrem conducibilius eſt univerſis brutorum Animalium generationibus, ut unumquodq; ſeipſum amet atq; curet, quàm ut diſtrahantur univerſa & torqueantur inefficacibus cogitationibus de bono aliorum. Quapropter videmus, *Philopoli*, ſapientiam & benignitatem providentiæ, quæ hoc *Sui-amoris* principium, intemerati gaudii ſuíq; conſervationis radicem *Animali Vitæ* tam firmiter infixit. Unde etiam oritur in animantibus ſingularis ille erga fœtus ſuos amor, utì & benevolentia & manſuetudo erga eos qui pabulum ipſis miniſtrant. Et quantùm ad illas Paſſiones in Animalibus, quæ magìs infenſam infernalémq; ſpeciem præ ſe ferunt aut ſaltem aſpectu ſunt qui majorem nauſeam aut abhorrentiam moveat, cujuſmodi ſunt *ira*, *invidia*, *ſuperbia*, *libido*, & ſimilia, ramuli omninò ſunt ſive modificationes hujus unius primitivæ ac fundamentalis paſſionis *Sui-amoris*. Quid enim eſt *Ira* niſi *Sui-amor* irritatus & corroboratus ad malorum aſſultus amoliendos? Quid *Invidia* niſi *Sui-amor*, indigentiæ ſuæ ſenſu ſaucius, detectæ & aggravatæ ex plenitudinis obverſatione fortunarum alterius? Quid *Superbia* niſi *Sui-amor* partim adnitens cupiénſq; ut ſit, aut ſaltem habeatur omnium optimus, & partim triumphans gloriánſque quòd haud è minimis unus jam evaſerit? Et poſtremò, quid *libido*, niſi *Sui-amor* ſummam ſibi quærens voluptatem animíque ſatisfactionem in uſu Veneris?

Hi ſunt præcipui fœtus deformes, monſtroſi iſtius Cacodæmonis, profundáq; inferni latibula inhabitantis Draconis, *Sui-amoris*, quos ſi accuratiùs intueamur, inveniemus æquè utiles ac neceſſarios atque Parentem unde ſunt geniti. Quantùm enim ad *Iram* & *Aſtutiam* etiam, (cujus mentionem antea per oblivionem omiſi) manifeſtum eſt, æquè inculpabiles eſſe in Beſtiis atque Prudentiam & Fortitudinem in Hominibus. Et quod ad *Superbiam* attinet & Gloriationem, naturale omnino calcar eſt ad *facultates* excitandas *animales*, vel titillationis illius exæſtuatio ſenſûſve quem Animalia ex Perfectionibus quibus ea Natura ornavit, apud ſe conceperint, oſtendítque quàm mirificè ipſis oblectentur & quàm grati ſint Teſtes illius Bonitatis & Sapientiæ, quæ illa formavêre. Et quantùm ad Libidinem, quis eam reprehendere audet in brutis Animantibus, cùm Sexuum ſit diſtinctio, Organorum aptitudo, idoneáque Spirituum copia à Divina Sapientia in Natura ad eum finem parata? Ut præteream unam ex maximè utilibus aſſecutionibus, perinde atque maximo gaudio ac voluptate comitatam, quas *Animalis vita* producit; talem quidem tantíque momenti, ut abſque ea eſſet, generationes Animantium ceſſarent, & Sol atque Luna cogerentur rurſus ut olim, inani Terræ illucere, Arborúmque umbræ nihil integerent præter ſeipſas, aut vicinas Herbas atque Flores. Illa quæ maximè omnium hujus Fæturæ, Furiam refert, eſt *Invidia*. Quæ quantumlibet mala ſit, meo tamen judicio *Ariſtoteles* falſam ei calumniam inpingit, dum talem facit Paſſionem, quæ propriæ noſtræ indigentiæ ſenſu non excitetur, ſed ſimpliciter ex ſenſu boni alterius, ſine ullo reſpectu ad nos ipſos; quod, quantùm ad me, ego tale quidem monſtrum exiſtimo quale ſuſpicor, in ipſis Inferni Regionibus vix poſſe reperiri.

Philop. Miram profectò charitatem olet iſta tua opinio, *Cuphophron!*

Cuph. Illa verò Invidia, quæ revera exiſtit, *Philopoli*, genuinus *vitæ animalis* eſt fructus, & utplurimum in magis paſſibili Melancholicóque Spiritu ſitus. Eſtque dolor ex propriæ Indigentiæ ſenſu ortus, detectæ, utì dixi, magíſque pungenter repræſentatæ, per ſplendidiorem pleniorémque ſpeciem ante oculos obverſantem, Fœlicitatis alterius. Ut verò ulla major ſit improbitas in Dolore quàm in Gaudio, aut in cruciatibus quàm in voluptate, res eſt quæ meam omnino fugit intelligentiam. Nam pœnitentia ipſa hinc foret neceſſariò, peccatum.

Sophr. Bene habet, quòd tam candidè de ſeverioribus Paſſionibus ſentias, *Cuphophron*. Putabam te ſolorum *dulcium Affectuum* patronum fore.

Cuph. Virtute fit dulcium Affectuum, O *Sophron*, quòd tam benignè loquar de acerbioribus. Cæterùm, ut verum tibi dicam, malo ad diſtantiam bona verba eis largiri, quàm mihi in domum recipere ullámve cum eis intimiorem familiaritatem colere. Meo peculiari Temperamento duri ſunt & ingrati Hoſpites.

Sophr. Paulò intempeſtiviùs te interpellavi *Cuphophron*, perge porrò obſecro.

Cuph. Quamobrem concludimus, nullum ramulum *vitæ Animalis* ſimpliciter eſſe vitioſum, venenoſum aut diabolicum. Quippe quæ reverà formatiunculæ quædam ſunt boni ſapientiſque Dei in Fabrica Naturæ, aut ſaltem iſtiuſmodi formatiunculærum ſequelæ neceſſariæ. Ac proinde eos homines, qui inferioris hujus vitæ voluptatibus atque illecebris tam valdè illaqueantur, in illud potiùs quod minùs bonum eſt lapſos eſſe, quàm in eo detentos quod abſolutè eſt malum. Eſtque tantùm hallucinatio perpetua atque error dum rebus adeò parvis tam magnopere oblectantur & capiuntur, quippe qui in Puerorum, ut ità dicam, & Fatuorum conditione conſtituti ſunt, de quibus obſervatum eſt, *Res parvas eis ſatisfacere*. Quanquam in dubium vocari poteſt, an hæ res tam parvæ ſint & contemptibiles, ſi id verum ſit quod Philoſophorum Diviniſſimi aſſeverârunt: Univerſum utique Mundum illiúſque partes, omnino tot Symbola eſſe ac Sacramenta Divini Numinis, cùm unaquæque res ſit aut εἰκὼν, aut εἴδωλον, aut ἴχνος θεοῦ, aut perfectior aliqua *Imago*, aut *pictura* ſeu Umbra aliqua, aut aliquod *veſtigium* Dei. Quæ ſi oculos noſtros morantur affectúſve illaqueant, quemadmodum reale Teſtimonium eſt noſtræ approbationis excellentiæ Archetypi, ità aliquo quidem ſenſu religioſi hinc videmur, dum ad hunc modum adoramus ac deperimus has congruas gratificationes quas ab his particularibus umbris recipimus *perfecti* illius *Boni*, donec evocati fuerimus ad pleniorem illius participationem. Ut verò vel iſti qui Deum videntur fugere, eum aliquo modo quærant & conſectentur, manifeſtò neceſſarium eſt, cùm nihil præter ipſum ſit aut ab ipſo ſaltem profectum, in rerum Univerſitate; alioquin illud abſolutè perfectum *Bonum* eſſe non poſſet, cujus Bonitas, Sapientia ac Potentia omnia impleret. Nec ullas eſſe puto in rerum Natura Creaturas perceptivas à ſua Origine adeò alienatas quæ non aut conſectentur aut fruantur hiſce aut aliquo horum Attributorum in aliquo ordine ac menſura, ut quas tentare videamus & experiri quid poſſint in rebus, quæ aut ad *Voluptatem* ſpectent, aut ad *Ingenium*, aut *Dominium*. Et ſincera quidem & intemerata vel unius partis horum Fruitio mentes quorundam hominum ex nativo Temperamento talibus voluptatibus apprimè idoneorum tam magnopere occupavit, ut etiam Vitas ſuas, Libertates ac Fortunas levioribus hiſce ſubrutilatiunculis magni illius Numinis ſacrificaverint, quod ſic

impru-

imprudenter imperitéque geſtiunt adorare, atque ità aliquo modo religioſi evadunt Martyres pro Parte; quod, qui profeſſionem faciunt ſui amoris ac honoris erga integram Divinitatem, rarò perſuadentur ſuſtinere.

Jam verò cùm aliquid Dei ſit quod mentes omnium Spirituum (etiam eorum qui in aperta adversùs Deum Rebellione deprehenduntur) quærere videntur & conſectari, difficile eſt comminiſci, quî fieri poſſet, ut ſe ab hominibus vili habitum putet, cùm omnes Mortales aliquid ſaltem illius tantopere depereant, idem etiam præ vita ſua propria præferentes. Eſt enim tantùm ridicula ipſorum hallucinatio, quòd illi quod minoris ſit pretii ac momenti adhæreant, ac proinde riſum potiùs promerentur aut commiſerationem, quàm furorem & vindictam. Ut nè addam quàm puerile ſit & Idioticum, Deum imaginari, Seni alicui tetrico ſimilem, contumeliarum & injuriarum impatienti perinde atque eiſdem obnoxio, cùm nullæ reverà illi inferri poſſint, nec ullæ parentur. Verùm homines ex nimiùm abjecta modeſtia animíque ignavia, rebus magis puſillis contenti ſunt, cùm magis grati eſſe poſſent, ſi ad lautiorem menſam accedere vellent convivæ. Quæ ſolutio quemadmodum ***Hylobari*** meritò ſatisfacere poteſt de ſua quæſtione, cur omnipotens Deus, peccatum quamprimum in orbe apparuerat, ſulphureis Fulminibus non percuſſerit humíque proſtraverit; ità præſtantiſſimum eſſe poteſt Antidotum contra rabiem ***ferociorum*** ſeveriorúmque ***Paſſionum***, mitigare aſperitates variarum Offenſarum in humana vita, & converſationem hominum inter ſe mirum in modum dulcorare.

XVIII.
Ad antecedentem Apologiam Reſponſum ſolidum, licèt cum Proœmio aliquantùm ludicro introductum.

Hyl. Dulcis ***Cuphophron*** & melliflue, ***Neſtor*** alter ob eloquentiam, qui tam ſublimes Notiones concepiſti ex Auræ Veſpertinæ flatibus teſſellatóque Lunæ ſplendore; cujúſque lingua Magicis ità intincta eſt ſermonis illecebris ab ore roſcido Nectareíſque baſiis tuæ argentiformis Cynthiæ! Siccine verò noſtrum ſolidæ Rationis ſenſum te ſubmerſurum ſperas rapido Fluento Torrentéve turgidæ tuæ Eloquentiæ? Nequaquam, ***Cuphophron***, nequaquam. Vel una tactiuncula rectæ Rationis tumorem cerebelli tui percribratâ humidæ tuæ Dominæ Lunæ Influentiâ inflati ità punget & pertundet, ut eæ Notiones quæ nunc ſanè pulchram præ ſe ferunt ſpeciem ac ſucculentam, ſtatim apparituræ ſint æquè flaccidæ ac ſtrigoſæ atque vitulus qui matrem ſuxerit per cratem, omnéſque tuæ venditationes ac prætextus ſolidorum Ratiociniorum æquè vani reperientur & frivoli, quàm vel inaniſſimum Inſomnium ***Endymionis.***

Sophr. Deum immortalem! quid tibi in mentem venit, ***Hylobares***, ut tam ludicram & phantaſticam reſponſionem mediteris in cauſa tam ſeria?

Hyl. Annon ille ſic exorſus eſt, O ***Sophron?*** Ego tantùm Amico meo phantaſtico, ſecundùm ſuam rationem phantaſticam reſpondeo. Quod tamen me feciſſe obſervare potes admodum præruptè ac ſalebroſè, quippe cujus præter morem eſt ſic agere. Senſus verò admodum ſerius eſt ac momentoſus, nempe, ***Lunaticiſmum*** quendam eſſe non ***Rationem***, quæ in copioſa ***Cuphophronis*** oratione tam turgidè dominatur, hoc eſt, ut verbo rem abſolvam, Videtur mihi in hoc Raptu, à quacunque fiat Influentia, argutè & eloquenter inſanire.

Soph. Age igitur, ſi rem omnino ſic intelligis, bene habet, quamvìs conſultius fuiſſet, cùm ad multam jam noctem confabulati ſimus, breviùs egiſſe. Et quæſo te, ***Hylobares***, quandoquidem ***Cuphophronem*** inſanire putas, mentis compotem redde, detegendo ſibi ſuum delirium.

Hyl. Spero me breviter reliquis detecturum. Neſcio verò quantopere ille ſuæ indulgere poſſit dementiæ. Nullum eſſe Venenum Noxámve in ulla animalium Functionum ſive Paſſionum facilè concedo, minimam verò omnium in maximè dulcibus. Antea enim à ***Philotheo*** perſuaſus eram, Nihil eſſe ſubſtantialiter malum in Univerſo. At verò immenſè manifeſtum eſt, res illas quæ in ſe bonæ ſunt perperàm applicando & incongruenter, evadere poſſe modo intolerando malas. Ut in Inſtrumento Muſico cujus chordæ bonæ ſunt plectrúmque bonum, ſi tamen feriuntur nondum ſatìs inter ſe attemperatæ, quid durius eſt aut intolerabilius? Et ſimiliter quidem in Exercitio animalium Functionum ſive Paſſionum quanquam in ſeipſis bonarum, ſi tamen aut nimiùm intendantur, aut circa Objecta indebita exerceantur, aut in minùs idoneis circumſtantiis, vel ad nauſeam uſq; malæ evadunt. Sputum reddere una eſt ex Functionibus animalibus, bonúmque in ſe atque utile, ſputúmque Cani in os injicere & cervicem ei ſimul palmâ ſonorâ plaudere ad animandum, nec Homini indecorum eſt ut & Cani pergratum. Quodſi quis Sputum ***Cuphophroni*** in os injicere tentâſſet ſonoráve palmâ illius humeros plaudere, ad eum in illa raptuoſa quam fecit Oratione animandum, rem abſurdam proculdubio putâſſet & intolerandam & quæ nullo pacto ferri deberet.

Cuph. Quinimo, quantum ego video, ***Hylobares***, id futurum fuiſſet ſuperfluum, quippe quum ipſe mecum ſic egeris, ac ſi ſuppoſuiſſes Dominam Cynthiam, aliàs Dianam, mihi in os jam expuiſſe, humeróſque plauſiſſe ſtrenuè, tanquam uni ex canibus ſuis venaticis, atque ſic me in laxum hoc fervidúmque curriculum Rhetoricum exſolviſſe.

Hyl. Aliquid haud multùm abſimile, *Cuphophron*, fortean ſuppoſui. Nunc verò poſt emenſum tuum hoc curriculum, dic mihi ut arrideat tibi hoc exemplum exercendarum Functionum Animalium. Ut Viri ſcilicet atque Fœminæ urinam reddant alvúmque exonerent (Equarum Equorúmque more in Equili) in quodcunq; cubiculum, & quemcunq; hominum cœtum venerint? Parùm urbana, fateor, Quæſtio eſt, *Cuphophron*, ſed præſenti noſtro Inſtituto admodum appoſita.

Cuph. Phy, *Hylobares*, iſtud profectò fœtenter turpe eſt atq; fœdum.

Hyl. At verò etiam tunc animales tantùm exercent facultates. Et certè ſi vegetior ille ſenſus, in nobis expergefactus eſſet, quo bonum malúmque *Morale* diſcernimus, Adulterium, Ebrietas, Homicidium, Fraus, pauperum oppreſſio, Perfidia & ſimilia, omnia hæc fœtorem infinitò pejorem animabus noſtris emitterent, quàm hoc, quod tu tam fœtenter turpe eſſe aſſeris, noſtris emittit naribus. Et tamen hiſce omnibus nihil aliud ſubeſt, niſi uſus indebitus Animalium facultatum. Et certè, quandoquidem ordo & proportio rectáq; rerum congruentia, iſtæ res in Natura ſunt quæ maximè ſint Intellectuales ac Divinæ, harum quidem contemerationem & oppugnationem, maximam oportet eſſe oppugnationem & contrarietatem adversùs Divinum Intellectum æternúmq; Numen, quæ fieri poteſt aut fingi. Quanquam enim humanæ Animæ facultates gradu tantùm differunt quoad bonitatem, hoc eſt, quanquam aliæ aliis meliores ſunt, alteræ duntaxat minùs bonæ, incongruus tamen & malè proportionatus earum uſus congruenti ritéq; proportionato uſui ex diametro opponitur, maximámq; habent contrarietatem quæ inter Bonum & Malum eſſe poteſt, taléſq; reverà ſunt, alter bonus alter malus, non autem ſolummodo minùs bonus.

Sophr. Præclarè profectò argumentaris, *Hylobares.* Et perinde tempeſtivè ſub initium monuiſti, ſenſum ineſſe Homini, ſi quidem eſſet expergefactus, cui *Morales* hæ incongruitates æquè horridæ ſunt & ingratæ, quàm ullum Objectum incongruum, quantælibet ſit nauſeæ, externis eſt noſtris ſenſibus. Verùm merè Notionalis ſeu imaginaria harum *Moralium* congruitatum & incongruitatum conceptio & intelligentia, nunquam ad debitam iſtam Antipathiam nos perducit quam habere debemus adversùs improbitatem ac peccatum, quâque modo inſuper magìs vivido intelligimus quantopere Divinæ voluntati contrarientur ac repugnent. Cæterùm, præter hanc Fallaciam in genere, *Hylobares*, multæ erant particulares ſtricturæ, quæ meo quidem judicio, admodum temerariæ erant ac putridæ. Illa verò præ cæteris quæ inordinatam noſtram aliquibus Creationis partibus adhæſionem, Dei quaſi quendam cultum Religioſum facit & obſequium.

Bath. Equidem aliquam præ ſe ferre poſſunt arguti ingenii ſpeciem hujuſmodi commenta & locutiones. Veruntamen proculdubio, *Sophron*, enormes iſtiuſmodi Adhæſiones Creaturæ, tantum abeſt, ut debitus Dei cultus ſit, ut pura puta ſit, è contrà, Idololatria. Neque enim univerſa Creatura nec pars ulla ipſe Deus eſt. Ac proinde magìs efflictim eas amare, magíſq; devoto affectu erga eas quàm erga purum Numen ferri, hoc eſt eas maximè omnium amare, eſt certè illis eum deferre honorem qui ſoli debetur Deo. Quod eſt planè Idololatram agere.

Sophr. Id veriſſimum eſt, *Bathynoe*, idémq; quò Apoſtolus alludit, quando Avaritiam appellat Idololatriam.

Bath. Id etiam, O *Sophron*, admodum perversè à *Cuphophrone* factum eſt, & more minimè *Platonico*, quòd, cùm *Platonici* ex iſta de rebus Notione, quaſi aliquam ſimilitudinem aut ſaltem umbram aliquam Divinitatis in ſe haberent, abducere hominum mentes vellent à viliora deperiendo objecta, ut propiùs ad purum & eſſentialem harum minutiorum voluptatum fontem accedere poſſent, eíſq; illìc modo magìs pleno ac beatifico frui, is è contrà, mirâ ſuâ ac raptuoſâ Rhetoricâ perverſâq; Ratiocinatione ſic eos incantare ſatagit, ut præſenti harum puſillarum perfectionum fruitioni inhæreant, ad illúdq; defigantur, quod ſcabellum tantùm eſſe oportet cui inſiſtamus, dum manus expandimus porrigimúſq; ad longè ſublimiora.

Philop. Quanquam Ingenii & Eloquentiæ vis haud mediocris in *Cuphophronis* oratione apparuerit, veſtráque adeò diligens malignarum ſequelarum Enthuſiaſticæ illius Rhetoricæ oppugnatio valdè ſit laudanda: Hìc tamen non poſſum quin cum bona veſtra venia liberè profitear, me ſcilicet exiſtimare ſophiſmata illius adeò conſpicua eſſe, ut nihil opus ſit cuiquam ea operoſiùs ultrà confutare. Credo ſubitaneum tantùm Raptum fuiſſe, Afflatum cum veſpertina hac aura advectum, qui vento matutino rurſus difflabitur, exſiccabitúrq; penitùs hæc Lunæ Influentia, majori æſtu ac calore proximi Meridiani Solis.

Cuph. Equidem, *Philopoli*, admodum ſuavis afflatus erat, & qui mirificè olebat flores Periclymeni & Cynorrhodi folia. Verùm ſi vos haud ità ſalutiferum cenſetis, veſtris ſeverioribus judiciis ego me totum dedo.

XIX.
Inquiſitio magìs ſobria in iſtam difficultatem, quomodo peccati permiſſio in Mundo cum Divina conſiſtat bonitate.

Hyl. Intereà verò loci, ego ſolutione deſtituor maximæ quidem difficultatis quam adhuc propoſui. Quomodo ſcilicet conſiſtere poſſit cum Natura Dei, qui ipſa Bonitas eſt, Peccatum permittere in Univerſo, ſi Malum ſit adeò Reale, non autem duntaxat minus Bonum, quemadmodum *Cuphophronis* Muſa inſpirata, Avis inſtar *Athenienſis*, tam ſonorè nobis cecinit, Nocte hâc Lunâ illuſtri.

Philop. Obſecro te, *Hylobares*, *Philotheum* adito. Nôſti enim quanto hactenus egerit cum ſucceſſu.

Philoth. Si id tibi animum tranquillaret, *Hylobares*, eouſq; tibi morem gerere poſſem ut tibi permittam apud te ſtatuere, quamvìs peccatum in ſe abſolutè malum ſit (quippe quod Incongruitas ſive Improportionalitas ſolummodò eſt rerum inter ſe non autem res ipſæ, res enim omnes bonæ ſunt in ſuo genere & gradu) Incitamenta tamen, Fines aut Objecta peccaminoſarum Actionum eſſe ſaltem inferius aliquod Bonum. Quod per charitatem auguror omnino id eſſe quò collineabat *Cuphophron*, in Enthuſiaſtico illo Turbine quo correptus erat, & cui ſolùm ſtandum cenſebit, poſtquam aliquantò penſiculatiùs ſuper hac re apud ſe deliberaverit.

Cuph. Etiam, credo præter propter fore, die craſtino, poſtquam indormivero. Magnáſq; tibi gratias ago, *Philothee*, ob candidam tuam interpretationem.

Philoth. Cæterùm meo quidem judicio, quæſtio æquè ferè difficilis eſt, cur Deus patiatur ullam Creaturam Intellectualem, minus Bonum eligere pro majori, quàm cur permittat peccare. Hoc enim non videtur fieri ſecundùm accuratam Rationem Providentiæ modo perfectiſſimo benignæ.

Hyl. Rectè mones, *Philothee*. Ac proinde ſi hanc rem ritè extricare poteris, multum credo conferet ad omnia fœliciter extricanda.

Philoth. Quidni, *Hylobares*, cùm hic ſcrupulus de Animabus humanis idem ferè ſit (niſi quòd aliquantò ſit facilior) atque iſte de corporibus tum Hominum tum Beſtiarum. Omnipotentia enim Dei eos à morbis conſervare poſſet ab ipſáq; adeò morte ſi opus eſſet. Cur igitur morbis ſunt obnoxii, niſi quòd Sapientia Divina in concinnandis ipſorum corporibus omnino agere ſtatuerit ſecundùm Materiæ corporeæ capacitatem, intenderítq; Mundum fore tanquam *Automaton* Machinámq; ſeipſam moventem, cui ſeipſum perpetuò non immiſturus eſſet, per abſolutam ſuam potentiam, ſed res relicturus iſti curſui peragendo quem ille Naturæ inſevit. Etenim illius Operis perfectio eſt, ut aliquo modo Artifici ſuo ſimile ſit, nimirum, Independens. Quod præclarius eſt Sapientiæ illius ſpecimen.

XX.
Tentamen primum ſatisfaciendi huic difficultati à Stoicorum *dogmate de invincibili libertate humani arbitrii.*

Hyl. Verùm oportet etiam oſtendere Bonitatem ejus non excluſam fuiſſe à conſultatione, *Philothee*.

Philoth. Neque verò excluditur, quouſq; penetrandi ſe in res ulla datur capacitas, quantum quidem conjectando aſſequi poteſt humana Ratio, quæ nihil certò ſtatuere novit in contrarium. Permitte enim mihi primùm paululùm te irretire iſtâ opinione *Stoicorum*, Quòd Mens humana æquè libera eſt atque ipſe *Jupiter*, quemadmodum illi inſano ſuo loquendi modo gloriantur; quódq; voluntatem noſtram ad rem ullam compellere nequeat, ſed ad quodcunq; animum adjungimus, quòd idem à proprio noſtro principio libero proficiſci oporteat, cùm nihil apud nos valere poſſit ſine nobis ipſis. Ut quando quis in foveam lapſus eſt, ſi manum nolit ſocio porrigere, non poteſt eum extrahere è fovea. Nec videri forſan hoc poteſt magìs incongruum Divinæve Omnipotentiæ repugnans, quàm quòd Quadratum facere nequeat cujus linea Diagonalis lateri ſit Symmetra, Corpúſve finitum quod nullam omnino habeat figuram. Hæc enim aut ipſa eſſentia eſt rerum dictarum, aut eſſentiales ipſarum conſequentiæ, contradictionémq; implicat ut ſine iſtis exiſtant. Ità diſputandi causâ affirmabimus libertatem voluntatis, eſſentialem eſſe humanæ Animæ proprietatem, nec ab ea magìs quàm affectiones Geometricas à figuris poſſe auferri; priuſquam ſeipſam ſemel determinaverit, aut illaqueaverit Fato, quod niſi à ſeipſa facere non poteſt, aut ſeipſam ſtabiliverit ſupra Fatum, penitúſq; incorporata ſit cum ſimplici Bono. Nam ut *Pythagoricè* loquamur, Spiritus hominum omniúmque lapſorum Angelorum, ſunt ut Iſoſceles inter Iſopleuron & Scalenum, non quidem tam ordinata figura quàm alterum eſt, nec tam inordinata quàm alterum; Ità Spiritus hi Hominum & Angelorum medium quiddam ſunt inter magìs puros & Intellectuales Spiritus, lapſûſq; incapaces, & Animas Brutorum, incapaces aſſurgendi ad participationem Divinæ Fœlicitatis. Quamobrem ſi vertibile hoc principium in Homine tollas, eo ipſo alterius ſpeciei eum conſtitues, aut Beſtiam perfectam, aut purum Intellectum.

Hyl. Hæc Stoicorum opinio digna eſt quæ ultrà perpendatur. Interea verò, cur non fieri potuiſſet Homo primitùs pura Intelligentia?

Philoth. Cur ſic factum oportuit, *Hylobares?* cùm hujus medii Ordinis Creatio numeros purorum Intellectualium Ordinum nequaquam minuat. Ut præteream, æquè abſurdum eſſe quod rogas, ac ſi quæras, cur unaquæq; Muſca non ſit Hirundo, unaquæq; Hirundo Aquila, & unaquæq; Aquila Angelus, quia Angelus præſtantior eſt quibuſlibet reliquarum Animantium quas nominavi. Gradualis deſcenſus eſt Divinæ Fœcunditatis in Creatione Univerſi.

Hyl. Hoc notabile eſt, *Philothee*, & inopinatum. An verò non melius futurum fuiſſet ſi omnipotens Deus Individua hujus medii Ordinis vertibilis quem vocas annihilâſſet, quum primùm in peccatum lapſi eſſent, quàm ut tam fœdam pateretur deformitatem in Creatione emergere?

Philoth. Magni profectò hæc momenti eſt quæſtio, *Hylobares*, ſed talis à qua ſpero utroſq; noſtrì facilè liberatum iri, ſi conſideremus quàm dedeceret Divinam Sapientiam tam imperitè in condendo Univerſo rationes ſuas inſtituiſſe, ut ſubinde ſit cogendus ad partem aliquam illius annihilandam, (ac ſi ad incitas planè redactus eſſet, quid aliud conſilii caperet) & ſi omnes laberentur, ad annihilandos omnes.

Hyl. Quidni? cùm novos momento creare poſſit, *Philothee?*

Philoth. At verò utcunq; dura hæc forent ac violenta, quanquam brevia Chaſmata in ſtata Creatione Dei. Proprium tuum ſenſum appello ac conſcientiam, *Hylobares*, quàm bellam hoc præ ſe ſpeciem ferret?

Hyl. Neſcio quid ſtatuam, ſaltem pendulus hæreo. Præterea ſi id verum ſit pro quo quidam Philoſophi contendunt, Quòd tota ſcilicet Creatio, tam particulares Animæ atq; Spiritus quàm Materia univerſaliſq; Spiritus Mundi, à Deo ſint per emanationem neceſſariam, hic medius Ordo vertibilis nunquam è rerum Natura poteſt exterminari. Ut verò ſtabilitas Naturæ Actionúmq; Dei non ſit ſecundùm exquiſitiſſimam Sapientiam ac Bonitatem, mihi profectò foret Paradoxon omnium maximum.

Philoth. Quid ergo, quis novit quin eos exiſtere præſtet quanquam in hoc ſtatu lapſo, magiſq; uſui ſit Univerſo, ut ſic relinqui poſſint ad ludendum nocturnóſq; ducendum choros in obſcuriſſimis umbris Divinæ plenitudinis, quàm ut ſubitò annihilentur ad primum lapſum aut tranſgreſſionem? Nam minori bono capi & occupari præſtat quàm ex rerum Natura exulare, & nullo omnino frui bono.

Hyl. Quòd illis utilius ſit, manifeſtum eſt ſecundùm communem opinionem omnium Metaphyſicorum. Sed quomodo utilius eſt Univerſo, *Philothee?*

Philoth. Unde nôſti quin æquè utile ſit Univerſo, rectè undiq; ſubductis rationibus, ſi non magìs utile? Atq; hoc quidem ſatìs eſt. Homo enim Intellectuales Ordines inter atq; Beſtias, eſt ut Zoophyton inter Beſtias & Plantas. Quæro igitur, ſi aliqua ex Zoophytis in meras Plantas degenerarent dum alia in conditionem Animalium emergunt, atq; ſic aſcenſus deſcenſúſq; ſubinde fierent, quid magni mali hinc foret? Quæve Divinæ Bonitati hac in re Repugnantia?

Hyl. Equidem fateor, *Philothee*, me nullam magnam noxam hac in re deprehendere.

Philoth. Homo igitur cùm tam mixtæ ancipitiſve naturæ ſit & tam invictæ libertatis, ut ſe poſſit vel Angelis aſſociare, vel ad Simiorum, Cynocephalorum, Satyrorúmque ſylveſtrium conſortium ſe demittere, quid majoris noxæ eſt ſi ſic fecerit quàm quòd Simii & Cynocephali jam exiſtant in rerum Natura? Et quis præciſè novit, quot omnino debeant eſſe cujuſlibet iſtorum Ordinum? aut cur tot omnino Ordines eſſe debeant Simiorum aut Satyrorum, non autem plures?

Hyl. Fateor temerariam profectò fore adverſus Providentiam, Accuſationem ex hac parte, difficiléq; probatu, quin perinde ſit, quantùm ad Individua hujus vel illius Ordinis, ſive Numerus aliquot millibus augeatur ſive millibus aliquot diminuatur, immò fortean Myriadibus; cùm tamen Bonum Univerſi cum utrolibet Numero pariter conſiſtat. Eademq; ratio eſt de Numero ipſorum Ordinum. Hujuſmodi variationes, veriſimile eſt, non tanti eſſe momenti ut Deum cogant recipere ſe ad extremum illud Remedium, Annihilationem.

XXI.
Tentamen alterum ab immaniſſimis aliquibus abuſionibus libertatis vincibilis, uti etiam à natura hujus ipſius libertatis.

Philoth. Nunc verò in ſecundo loco, *Hylobares*, ſupponendo humanum genus libero Arbitrio vincibili, Vin' tu ut Deus *Philtrum* tam potens univerſis hominibus adminiſtret, ut affectus ipſorum vi impellat ad pretioſiores illas ſui ipſius Emanationes, qui ſenſu magìs proprio appellantur Divinæ, amplectendas?

Hyl. Immò, *Philothee*, hoc ipſum volo.

Philoth. Verùm quomodo hoc cum Divina Juſtitia conſiſtat, immenſa apud me quæſtio eſt. Incongruum enim planè judico ut *Divina Bonitas* ſemper agat ſecundùm

dùm propriæ ſuæ naturæ ſimplicitatem. Quemadmodum præter Naturam eſt ut radii Solis ad oculos noſtros à variis diverſorum corporum ſuperficiebus eàdem luminis formâ reverberentur, nec diverſorum colorum ſpecies induant, putà flavi, viridis, rubri, purpurei & ſimilium. Etenim ut variæ ſuperficies corporum talem puri luminis diverſificationem naturaliter producunt illúdque in formam hujus vel illius coloris tranſmutant; ità varietas Objectorum quæ Divina Bonitas contuetur, certam ſui ipſius jure merito requirit modificationem & figurationem in varias ſpecies formáſque, Vindictæ, Severitatis, Juſtitiæ, Miſericordiæ & ſimilium. Hoc igitur eſt quod contendo, Agentia libera, cujuſmodi homines ſunt atque Angeli, ità ſe gerere poſſe in conſpectu Dei ut talia evadant ſuæ Bonitatis Objecta, ut rectè juſtéque expectari non poſſit, eam ſecundùm puram ſuam propriámque formam benignam cum eis acturam eſſe, benignéque ac clementer omnique cum patientia ac manſuetudine tractaturam, ſed in aliqua iſtarum magis ferocium, (more humano loquor) ac truculentarum formarum neceſſariò prodituram, cujuſmodi ſunt Vindicta & Juſtitia. Et nunc caſum quendam proponam, propriis noſtris facultatibus valdè accommodatum. Supponamus piam quampiam pulchrámque Virginem, Regiâ ſtirpe oriundam, ornatúque Regio ſplendidam, in quam longiùs in Agrorum Sylvarúmve ſolitudinem evagatam agreſtis aliquis improbúſque Nebulo inciderit, qui poſtquam in eam beſtiali quâdam violentiâ, libidinem ſuam expleverit, barbarè eam poſtea ac contumelioſè tractaret, capillis illam huc illuc raptando, corpúſque ſacrum defœdando per foveas limoſas cœnoſáſque aquæ lacunas pertractum, tenerámque vepribus rubíſque lacerando cuticulam, dum Heros interim aliquis Homóve ſummi honoris ac virtutis (ſed tantæ inſuper benignitatis animi, quantam humanæ naturæ ſine unione Hypoſtatica Deus poteſt communicare) illàc iter tendit, attonitíſque oculis conſpicit horrendum hoc Spectaculum: Tuam conſcientiam nunc rationémque imploro, *Hylobares*, ſi ſat eſt huic Heroi malè tractatam hanc virginem è manibus hujus ſceleratiſſimi nebulonis eripere, eámque ab omni ulteriori injuria tutari, niſi addit inſuper exquiſitam aliquam torturam, ſuppliciúmque ignominioſum tam immani facinore dignam, juſtæque indignationi parem quam quilibet generoſus Animus concepturus eſſet contra tam deteſtabile crimen, quanquam nec perſona quæ injuriâ affecta eſt, nec quæ fecit injuriam, ullum indè capturæ ſint emolumentum?

Hyl. Quantum ad me attinet, *Philothee*, in tantam rabiem exæſtuaturus eſſem in Nebulonem, ſi ipſe fuiſſem Spectator, ut vix ſatìs mentis compos eſſem, ad deliberandum quo ſupplicio exquiſito tantóque ſcelere digno puniendus eſſet, ſed præſentaneo furore correptus in eum gladio involâſſem, carnémque æquè minutim atque olera ad ollam concidiſſem. Equidem totum in fruſtillula comminuiſſem, *Philothee*.

Philoth. Quamobrem, *Hylobares*, non potes quin fatearis Bonitatem ipſam aliquibus circumſtantiis & juſtè & decorè acui poſſe in vindictam: Quod adhuc eò minùs incongruum eſt, cùm vindicta læſæ Bonitatis causâ facta intelligatur, quamvìs illa nihil indè lucretur, niſi quòd ſuam ſic ulta ſit injuriam.

Eviſt. Huc illa pœnæ notio ſpectat quam Græci appellant τιμωρίαν, quemadmodum *Gellius* obſervat. Quæ nihil ad Reformationem morúmve emendationem perſonæ punitæ pertinet, ſed ad honorem ſolùm injuriâ affectæ.

Noct. Attic. *lib. 6. cap. 14.*

Philoth. Rectè mones, *Eviſtor*. Cæterùm intereà loci hinc manifeſtum eſt, quemadmodum illaturus eram apud *Hylobarem*, Divinam Bonitatem prodire poſſe in Ira & Vindicta, & tamen principium iſtiuſmodi Actionum etiamnum eſſe Bonitatem ipſam. Quam igitur contendimus (nihil obſtante malo illo quod in Mundo emergere videtur) eſſe adhuc Menſuram omnium operum Divinæ Providentiæ, etiam ubi peccatum peccato punitur, Hominéſque permittuntur in Cynocephalos degenerare atque Beſtias.

Hyl. Concedo, *Philothee*, hominem ſic ſe gerere poſſe, ut omnia quæ affirmas vera eſſe queant, & vel ſumma ſeveritas nullum alium fontem habere quàm Bonitatem. Verùm ubi Bonitas omnipotens eſt, quemadmodum fit in Deo, quomodo cum ea conſiſtere poteſt, ut omnes occaſiones ſeveritatis ac vindictæ prævertat, cuſtodiendo Creaturam ſuam intra Legum ſuarum limites & communicando univerſis Hominibus juxtà atque Angelis tam irreſiſtibilem Gratiæ menſuram, ut nunquam futurum fuiſſet in ipſorum poteſtate, ei non obedire?

Philoth. Ad hoc, *Hylobares*, reſpondeo, Quòd, poſtquam Deus liberam feciſſet Creaturam (& probatu impoſſibile eſt, eum ſic agendo perperam feciſſe) ipſa Omnipotentia (modò fas ſit ità loqui) non potis erat certos quoſdam & inevitabiles reſpectus vel congruitates, quas ad Divina Attributa gerat, amoliri vel protelare. Quemadmodum nè fingi quidem poteſt ut vel Æternus Dei Intellectus finitum queat Numerum producere qui certam rationem ad alterum aliquem finitum Numerum priùs datum non habeat. Hæc libera igitur Creatura nunc facta, varia Dei Attributa reſpectibus variis aſpicit. Et naturalis hæc in ea libertas à Sapientia ejus poſtulat, ut maximam adhibere velit peritiam ſic agendo cum libera Creatura, ut quàm minimam poteſt, illius Naturæ inferat violentiam. Quemadmodum Divinam Sapientiam feciſſe videmus circa Materiam, prout paulò antè notavi. Et tamen ritè organizatæ Materiæ deformatio æquè realis violatio eſt & oppugnatio illius quod Intellectuale eſt & Divinum (ipſas divinas intelligo Ideas) atque Vitium ac Immoralitas. Quemadmodum igitur Divina Sapientia Terreſtrem Materiam ad defendenda omnium Animalium corpora à morbis atque morte ultra naturalis ſuæ capacitatis limites non cogit, ità nec Divina Bonitas univerſim in omnibus liberis Creaturis debet propriæ ſuæ naturæ uſum antevertere. Ac proinde cùm liberæ ſint ſecundùm congruitatem ſuæ conditionis, explorari eas oportet quid velint agere. Et ſi lapſus ſit ex nimiùm validis Tentationibus & quæ majores eſſent quàm pro liberæ Creaturæ viribus, hic rerum ſtatus idoneum Objectum eſt Divinæ Miſericordiæ. Quodſi ſatis habet virium & ſæpe ſerióque monita ſit ad arctè adhærendum diligentérque proſequendum eas res quæ optimæ ſunt, & perpetuò tamen eas vilipendit inſuperque habens procraſtinat, perſona ſic peccans Objectum congruum eſt Divini contemptûs & deſpicientiæ, omninóque juſtum eſt ut talis homo relinquatur ad proprias explendas libidines, & ad fatum tale incurrendum, quale iſtiuſmodi enormes vivendi rationes ſolet comitari. Videtur enim inhoneſta quædam & dedecoroſa condeſcenſio Virtutem Divinámque gratiam, Manicæ alicujus quod dicitur, aciculâ innectere velle, nolentis. Perinde profectò indecorum, atque ſiquis opulentam, pulchram optiméque moratam Sponſam pauperi alicui fœdóque Colono nolenti volenti vellet obtrudere.

Hyl. Deus verò illis voluntatem indere poteſt.

Philoth. Hoc eſt, *Hylobares*, Philtrum Colono miniſtrare poteſt Virúſve Amatorium. At verò annon hoc ingens dedecus eſt Sponſæ? Quamobrem in genere par eſt ut Deus cum liberis Creaturis agat ſecundùm propriæ naturæ libertatem. At verò nè univerſum genus humanum collabaſcat, nullam video incongruitatem, quin Deus violentas quaſi manus aliquibus injicere poſſit & ex igne eos eripere, & potentia quidem quanquam non irreſiſtibilia eos Inſtrumenta efficere eripiendi indidem alios. Hæc eſt illa Electio Dei quam impoſſibile eſt ſuâ firmitate excidere, utì etiam moraliter impoſſibile eſt aliis qui ad debitum Divinæ vitæ gradum pervenêre. Cæterùm quod ad eos attinet qui voluntariò adhuc perſiſtunt in ſua rebellione adversùs Deum luménque ipſis ante oculos poſitum, tandémque adeò in ſua improbitate occalleſcunt ut profeſſi evadant hoſtes Dei omníſque bonæ frugi, Divinam rideant Providentiam, luxurientur & dominentur in rebus Mundanis, cum contemptu Religionis & eorum injuria & perſecutione qui eam profitentur, qui ex obfirmata cordium ſuorum cæcitate, Avaritiæ, Superbiæ & Senſualitati toti dediti horrendâ ſinceros Tyrannide & Crudelitate divexant affligántque, manifeſtum profectò credo hoſce admodum idoneum Divini Furoris ac Vindictæ Objectum eſſe in quod aſpera illa ac ſevera Divinæ Bonitatis modificatio meritò agat.

Hyl. Equidem hoc valdè concinnum eſt, *Philothee*, & appoſitum, ſi non demonſtrativum.

XXII.
Tentamen tertium & ultimum, ab Incertitudine an in totius Summæ computo, æquè magna utilitas in Univerſum non redundet ex Divina peccati permiſſione quàm redundatura eſſet, ſi per vim ſemper aberceretur.

Philoth. Verùm ultimò, *Hylobares*, etiamſi admitteremus totum Divinæ Providentiæ inſtitutum nihil aliud eſſe quàm meram exonerationem inundantis ſuæ Bonitatis in univerſam Creationem, nec eum Juſtitiæ conditionibus aut congruitatis ullorúmve iſtiuſmodi punctillulorum (quemadmodum quidam ſatis proclives erunt ad appellandum) tantopere moveri, ſed puram ſuam Bonitatem menſuram facere ſuarum tranſactionum cum Hominibus pariter atque Angelis; dico tamen nihil omninò repugnare quin Deus peccatum poſſit permittere in Orbe, quippe quum ei privilegium ſit educendi è tenebris Lucem, quúmque Natura rerum ità ſit comparata, ut diminutio fœlicitatis in uno ejuſdem in altero fiat augmentum. Quemadmodum contingit in motu corporum, Agitatio quam unum perdit transfertur in alterum: vel in Radiis Solaribus, qui ab hoc corpore reverberati recipiuntur in aliud nec quicquam omninò perit. Adeò ut in ſumma, Divina Bonitas æquè plenè derivari poſſit in Creationem, (licèt haud ità æqualiter Creaturis particularibus diſtributa) ex ejus permiſſione Peccati in Orbe, ac ſi vi contráque naturam liberarum Creaturarum ipſum perpetuò amoliretur aut exterminaret. Hoc igitur eſt quod notatum volo, Improborum vitia virtutes augere & exercere Juſtorum.

Quid fieret de illa generoſa animi indignatione quam viri ſancti contra homines improbos ac blaſphemos concipiunt, ſi nulla improbitas eſſet aut blaſphemia in rerum natura? Quid de amabiliſſimis iſtis fieret Virtutibus Humilitatis, Manſuetudinis, Patientiæ,

tientiæ, & Longanimitatis, ſi nullæ exiſterent injuriæ apud homines? Quid haberent Pii, in quod ingenii vires ac facultates impenderent, ſi nullos hoſtes haberent quibuſcum conflictentur? Quî probari poſſet fides eorum, ſi omnia heîc in terris gererentur in Pace & Juſtitia & cum Timore Dei? Quomodo charitas ipſorum & ſedulitas innoteſcere poſſet in navando operam lucrifaciendis hominibus veræ Dei notitiæ, ſi ſemper eâ imbuti eſſent ante admotam operi manum? Terreſtris Bonitas ſomniculoſa omnino evaderet & Lethargica, niſi acueretur & expergiſceretur Antiperiſtaſi communis Mundi malignitatis.

Nulli generoſi ſunt Animi quin geſtirent cum periculis & difficultatibus conflictari ad amorem ſuum teſtificandum eis perſonis quæ ipſis præter cæteras charæ ſunt. Magnáque gaudiis eorum fit acceſſio, ex eo quòd tantum earum causâ paſſi fuerint. Quodſi Mundus ad tempus generaliter non eſſet improbus, nulli humanæ Animæ ulla iſtiuſmodi occurreret periclitatio, Hiſtoriáque Seculorum jacens admodum profectò eſſet flaccidáque Fabula. Ipſa Dies ſuper hanc Terram faſtidioſa foret, ſi ſemper eſſet Dies, alacréſque iſtas perderemus ſalutationes emergentis Lucis, & refrigerantes auras amœnóſque aſpectus roſicoloris Auroræ. Victoriarum ac Triumphorum ſolennitates ac Jubila nunquam eſſe poſſent ſi hoſtes non eſſent quibuſcum congrediendum ſit, quóſque debellatos oporteat ac triumphatos. Et ſtupenda Servatoris humani Generis *Suſcepta* mirabiléſque Providentiæ Labyrinthi & anfractus in hoc ſuo operoſo Dramate quod à primis uſque mundi exordiis ſuper hanc Terreſtrem Scenam agitur, ſufflaminata fuiſſent aut anticipata univerſa niſi humanæ Animæ lapſæ fuiſſent in Peccatum. Et dulciſſimi maximéque Ecſtatici Muſicæ tactus ſuper Melancholiatos affectus (quantum ego quidem intelligo) Angelorum pariter atque Hominum, in univerſi Harmonia nunquam ſonuiſſent, ſi liberorum Agentium Ordines in nulla unquam oberrâſſent chorda.

Nihil igitur Divinæ Bonitatis videtur perditum, quandoquidem ipſa corruptio ejus, ut in grano Tritici in Terram injecti, ad illius facit incrementum, & quicquid ab aliis rejectum eſt, per Divinam Sapientiam adeò inevitabiliter derivatur in alios. Quòd autem optimum ſit ut omnes ex æquo Divinæ Bonitatis exuberantias participent, equidem non minùs difficile probatu exiſtimo, quàm quòd omnis dignitatum ac conditionum ſubordinatio in Orbe tollenda ſit, quódque Deus non debuiſſet viliora magíſque contemptibilia Animantium genera creare, cujuſmodi ſunt Vermiculi, Muſcæ, Ranæ, atque Mures. Quamobrem cùm tam immenſæ quæſtionis ſit annon ex ſe perinde commodum ſit, ut ii in Orbe exiſtant, qui rectè mali improbíve appellantur, atque ut viliora illa magíſque noxia in Terra reperiantur Animalcula, Temeritatis eſt inexcuſabilis concludere, permiſſionem peccati ullum firmum eſſe Argumentum contra Bonitatem illius Providentiæ quæ gubernat univerſa. Cur enim generaliter cogeret, certóve determinaret facultates hominum quæ naturaliter ſunt liberæ ut ſic perpetuò eos cohiberet à committendo peccato, cùm peccatum ipſum vi Juſtitiæ tanto cum Triumpho captivum ducitur & per mirandam Dei Sapientiam pari deſtinatæ ſuæ bonitatis incremento cogitur inſervire?

Hyl. Aut Ratio, aut fervida tua Eloquentia aut utræque conjunctim tam fortiter mentem meam feriunt, O *Philothee*, ut nolens volens eò perducar, ut nodum inextricabilem credam talémque quem nunquam ſperem ſolutum iri, An ſcilicet, comprehenſione rerum omnium ritè penſiculatâ, Divina peccati permiſſio, Bonitatem illius magìs deceat, an verò perpetua illius per vim amolitio aut anticipatio. Ac proinde cùm Divinæ Providentiæ Bonitas in rebus cæteris tam conſpicua ſit, equidem cenſeo me ob res adeò obſcuras in dubium eam vocare non debere, ſed optimè de ea præſumere.

Sophr. Præclara profectò Concluſio, *Hylobares.*

Hyl. Verùm duo adhuc ſuperſunt ſcrupuli de circumſtantiis hujus permiſſionis qui animum aliquantulùm obradunt meum, à quibus ſi me liberaveris, *Philothee*, molliorem hac nocte ſomnum capiam.

Philoth. Quinam ſunt iſti ſcrupuli, *Hylobares?*

XXIII.
Quàm conſiſtens ſit cum Bonitate Providentiæ, ut Deus homines ſubitò non efficiat ſanctos, ſtatim atque ſic fieri ſincerè deſiderant.

Hyl. Unus eſt, Cur, tametſi operæ pretium non ſit ut Divina Omnipotentia omne in Orbe peccatum, humanas facultates abſolutè determinando ad optima Objecta, antevertat, poſtquam tamen hæ facultates ad Objecta optima determinatæ ſint, magìs conſpicuum non appareret Divini Numinis auxilium, ad vias Religionis ac Pietatis magis faciles reddendas ac tolerabiles miſerè ſudantibus Mortalibus, qui in piis ſuis proſecutionibus adeò fatigantur & exercentur, ut non ſolùm corporis ſalutem ſed & mentis ſanitatem ſæpenumero perdant, & in miſeras aliquas ſtupiditates incidant aut inſanias. Alter ſcrupulus eſt, Juſtorum Adverſitas & Proſperitas Impiorum. In hoc enim Deus non videtur eo quo poteſt favore converſis hominum voluntatibus opitulari.

Philoth. Quòd difficile ſit nobis Mortalibus, qui in luteis hiſce domiciliis habitamus, ad ullum laudabilem Puritatis ac Bonitatis gradum pervenire, tam crebra teſtatur experientia, ut nequeat negari. Quòd verò hæc nulla realis ſit Benignitatis Providentiæ macula, ſi quis penitiùs in rei naturam introſpexerit, ex multis rationibus facilè ſibi poteſt ſatisfacere. Primùm enim, ſi ullâ imbueremur modeſtiâ, meritò ſuſpicari poſſemus dolorem & cruciatum quo torquemur in progreſſu Regenerationis, non niſi juſtam eſſe pœnam præteritorum peccatorum, in quibus qui diutiſſimè commorati ſint, cum maximo dolore & difficultate ex eiſdem evadunt. 2. Deinde, in aliis rebus haud indecorum exiſtimamus, ut quæ ſummi pretii ſunt, pari labore acquirantur. Ad quid enim dedit nobis varias facultates Deus, niſi ut ad proprium noſtrum emolumentum eas adhibeamus? 3. Rurſus, Ex eo quòd Deus ſecundùm noſtram naturam operetur, non ſecundùm ſuam abſolutam potentiam ratione aliquâ præpotenti & miraculoſâ, vitæ ſanctæ Acquiſitio Myſterium evadit, hominéſque, ad magnam ſuî invicem gratificationem, Methodum memoriæ mandant, & Artificialem, ut ità dicam, illius proceſſum. Id quod majoris profectò momenti eſt quàm nimiùm celebrati Elixiris inventio aut lapidis Philoſophorum. 4. Porrò, pugnæ tædium victoriam reddit magìs gratam ac jucundam, & continuatio conflictûs magìs profundam imprimit Animis noſtris adversùs peccatum Antipathiam, & difficultas quam experimur in extricando noſmetipſos ex ſervitute Improbitatis, firmiùs nos ſtabiliet in Regno virtutis. 5. Adhæc, Idonea Fidei noſtræ & Sinceritatis eſt exploratio, integriq; Amoris erga Deum. Etenim dum nos ipſos adhuc perſiſtere deprehendimus, univerſis hiſce conflictibus & moleſtiis nihil obſtantibus, certi apud nos hinc ſumus nos bonâ fide agere palmámq; reportaturos eſſe ſi non defatigamur. 6. Ac propterea quòd debemus potiùs propriam examinare ſinceritatem quàm providentiam accuſare. Nam ſi amor noſter erga Deum ſincerus ſit & non ignavus & imaginarius, perſiſtet cum Patientia, quæ Virtus exercetur augetúrque præſentibus hiſce Aſperitatibus. 7. Præterea, Debemus inſuper Fidem noſtram examinare & Æſtimationem Divinæ voluntatis ac potentiæ, an eum putemus æquè volentem eſſe ac potentem ad opitulandum eis omnibus qui ſincerè eum quærunt, quod eſſentialiter convenit Divinæ Naturæ ac Bonitati; & an credamus nos per illius potentiam capaces fieri poſſe debellandi omnes Enormitates *Vitæ Animalis*. Et certè ſi exiſtimamus Deum haud ità benignum eſſe Creaturis, conſideremus utrùm nos erga Creaturas ſic nos gerere poſſemus, ſi eſſemus Dei loco. Si poſſumus, propriæ noſtræ naturæ improbitas eſt quæ notionem Dei in nobis ità infecerit, atque ſic proprius noſter Spiritus Furia eſt aut Dæmon, qui tandem nos redacturus ſit ad inſaniam. Si verò nos ſic agere non poſſumus, quantæ ſtoliditatis eſt non ſtatim colligere, nos magìs benignos eſſe non poſſe quàm ipſum Deum, ac proinde nos ipſos omnino in culpa eſſe, quòd nondum evaſerimus meliores? Conſiderare porrò oportet claritatem Animi & ſerenitatem non obtineri poſſe ſine derelictione omnimodi peccati, & ſi aliter ſperamus, indicationem eſſe propriæ noſtræ Hypocriſios, ut qui fœdus ſancire velimus cum Luce & Tenebris ſimul. Ac proinde videmus quantùm ad religioſam dementiam ac deliria, nos ipſos eorum cauſas eſſe poſſe, eáque juſtum omnino exitum inſinceritatis. Quantùm verò ad craſſam inſaniam à Melancholia profectam naturalis morbus eſt, & ad Medicum potiùs ſpectat quàm ad Philoſophum aut Theologum. 8. Et poſtremò, Horrendæ derelictiones, Privationes tenebroſæ, deſperatæ Tentationes, debilitationes mentis juxtà atque corporis, aut quæcunque alia incommoda, prout videntur, quæ in hoc proceſſu ad debitum Regenerationis Novitatíſque vitæ gradum occurrunt, admodum ſanè efficaciter naturaliterq; conducunt ad illam maximè pretioſam maximéq; veram Pietatis partem, putà Humilitatem, quâ Anima ſic afficitur ut admodum vividè ſenſibiliterq; agnoſcat omne bonum quod aut ſcit aut facit, totum à Deo Creatore eſſe profectum, ſeque ex ſeipſa nihil eſſe. Quapropter juſta eſt erga Deum, omnia ei attribuendo, animóq; miti & benigno erga homines, etiam erga eos qui adhuc extra viam ſunt, ut quæ ſit ſibi conſcia, ſuarum viarum ordinationem à ſeipſa non eſſe, ſed Deum eſſe robur ſuum & ſemitarum ſuarum lumen. Quamobrem cùm tam genuina commoda ſint, in tardo hoc profectu eorum qui illud versùs moventur quod verè eſt bonum, cúmq; illa ſit facultatibus noſtris congruitas, naturæq; earum rerum quas quærimus, mihi æquè abſonum videtur ut Deus abſolutâ ſuâ Omnipotentiâ utatur in efficiendo Homines in momento bonos, ſtatim atq; ipſi ſic eſſe volunt, atq; ut expectemus eum efficere velle, ut Flores ſubitò è Terra *Hyeme* exiliant, Arboréſve fructibus Autumnalibus onerentur *Vere*.

XXIV.
Parabola Eremitæ atque Angeli.

Eviſt. Nihil eſt quantum video, quod Ratiociniorum *Philothei* vi obſiſtere poteſt.

teſt. Primum hoc Problema è duobus longè erat difficilius, & quàm facili tamen ipſum ſolvit negotio? Alterum quod magìs vulgare eſt, mihi nunquam vim ullam in ſe habere viſum eſt, poſtquam in Hiſtoriam de *Eremita* & *Angelo* incidiſſem.

Philop. Quæ obſecro eſt iſta Hiſtoria, *Eviſtor?*

Eviſt. Spero, *Philopoli*, nolle te ut *Philotheum* interpellem, eam recitando.

Philoth. Amabò te, *Eviſtor*, audiamus eam. Animo haud æquo proceſſurus ſum donec eam enarraveris. Saltem aliquod reſpirandi ſpacium mihi dabit, qui jam tam multum locutus ſum, & veriſimile eſt laboris ultrà procedendi in hoc argumento mihi facturam eſſe compendium.

Eviſt. Non narrabo tibi eam, *Philothee*, niſi hac lege ut poſtea pergas diſſerere æquè copiosè atque ſi ipſe nihil dixiſſem.

Philop. In me ſuſcipio eum ſic facturum, *Eviſtor*.

Eviſt. Hiſtoria igitur breviter ſic eſt. Eremita quidam cùm ingentes ſuſpiciones circa debitam Divinæ Providentiæ adminiſtrationem in externis Mundi Accidentibus apud ſe concepiſſet, in hac animi anxietate cellulam ſuam relinquere ſtatuit, peregréq; proficiſci ad propriis oculis conſpiciendum quomodo res paſſim ſe haberent per Orbem. Vix dimidium diei iter confecerat, cùm homo juvenis eum aſſecutus eſt, eique ſe adjunxit viæ comitem, itáq; ſe in familiaritatem Eremitæ ac amicitiam inſinuavit, ut ſe admodum fœlicem exiſtimaret qui tam idoneum nactus eſſet itineris ſocium. Quamobrem cùm ſuas unà experiri fortunas decreviſſent, in eadem ſemper ſimul pernoctabant domo. Pauci aliquot dies antè præterierant, quàm Eremita quicquam alicujus momenti notaverit. Tandem verò obſervavit ſuum viæ comitem, quicum tam intimam amicitiam contraxerat, in domo quadam ubi admodum humaniter & liberaliter tractati erant, deauratum poculum ſuffuratum eſſe, & ex ædibus ſecum deportâſſe. Eremita valdè attonitus ad hoc obſtupuit quod factum viderat à viro tam commodis aliàs moribus atque honeſtis ut ille exiſtimabat, ſed nondum putabat opportunum hominem alloqui, ſed ſic ſe potiùs gerere ac ſi nihil reſciviſſet. Quamobrem amicè iterum unà itinerantur ut antea, donec appetente nocte, coacti eſſent quærere Hoſpitium. Verùm in iſtiuſmodi domum inciderunt, quæ valde inhoſpitalem haberet Dominum, qui in externum Atrium eos excluſit, apertíq; Cœli injuriis expoſuit, quod tum contigit admodum eſſe pluvioſum. Eremitæ verò viæ-comes, præter expectationem illius malignam ſui Hoſpitis tractationem haud viliori quidem præmio, quàm deaurato poculo, quod à loco altero abſtulerat, compenſavit, per feneſtram ipſum intrudens, quando decedebant. Hoc quidem Eremita putabat perbellum quiddam eſſe, nec Avaritiam fuiſſe, ſed quandam potiùs ingenii Juvenis laſcivientiam quæ fecit ut à primo Domino ipſum auferret. Sequenti nocte, loco ubi hoſpitabantur, ſumma cum humanitate tractabantur ac benevolentia. Obſervavit autem *Eremita* cum horrore ſuum viæ-comitem, in malam profectò remunerationem, Infantem hujus ſui tam benigni Hoſpitis clandeſtinò in cunis ſuffocare. Hoc quidem miſelli Eremitæ animum valdè excruciabat, ſed cum dolore ac patientia ab alloquio adhuc abſtinens, alterius diei iter cum homine juvene conficere ſuſtinuit, flexóq; in veſperam die, in tale ſe ingerebant Hoſpitium, ubi plus humanitatis ac benignitatis experti ſunt, quàm in ullo hactenus loco. Et quia via per quam itinerandum erat mane proximo nimiùm anceps erat, non ſatis obvia ac directa, Paterfamilias uni ex famulis mandavit ut eos partem viæ comitaretur, & quà eundum commonſtraret; quem quidem Famulum, dum pontem lapideum tranſibant, manibus derepente per inguen corripuit Eremitæ ſocius & in Fluvium de ponte præcipitavit, ſubmerſitque. Hic Eremita diutiùs ſe continere non potuit, ſed hunc ſuum viæ-comitem dictis ob barbara hæc facinora perquam amarulentis inceſſivit, omnémq; ei renunciavit amicitiam, nec itinerari unà cum eo diutiùs voluit, aut illius ſocietatem ferre. Ad quem honeſtum Eremitæ zelum ſubridens Juvenis, mortalémque exuens larvam, ſic apparuit ut erat, in forma ac ſplendore Angeli Dei, narravítq; ei ut miſſus eſſet ad liberandum ejus animum ab ingenti illa anxietate qua onerabatur circa Divinam Providentiam. In qua, inquit ille, nihil occurrere poteſt magìs perplexum ac paradoxum, quàm ea ipſa quæ te tantopere offenderint à me facta ex quo nos duo unà ſumus itinerati. Et tamen tibi demonſtrabo, ait ille, me nihil omnino feciſſe, quod non ſit valdè juſtum atq; æquum.

Quantùm enim ad primum hominem, à quo deauratum poculum abſtuli, realis omnino erat illius Hoſpitalitatis compenſatio, quippe cùm poculum iſtud tam invincibilis eſſet boni illius viri Intemperantiæ occaſio, ſalutíſq; ac vitæ illius periclitatio. Quod immenſo damno foret ſuis vicinis pauperculis, cùm tam benigno is eſſet & benefico ingenio. In feneſtram verò intruſi hominis illius inhoſpitalis ac inhumani, qui nos tam malè tractavit, non quidem in præmium ſed in pœnam ejus ac perniciem, & in allevamentum

mentum oppreſſorum ſuorum vicinorum, ut in intemperantiam labatur, & morbos, ipſámq; adeò mortem. Probè enim novi iſtud eſſe illius poculi incantamentum, ut quicunq; ipſum poſſederit, iſtoc faſcino afficeretur. Et quantùm ad perurbanum iſtum hominem cujus Infantem in cunis ſuffocavi, ex ſincera id à me factum eſt erga eum benevolentiâ ac miſericordiâ, nulliq; damno Infanti erat, qui nunc eſt apud Deum. Quodſi Infans vixiſſet, cùm vir hic ingenuus vitam ſuam hactenus quidem piè, beneficè, religioſéq; tranſegerit, prævidi ſanè mentem illius in mundi amorem, ob amorem pueri, inevitabiliter lapſuram, quippe quum nullum hactenus habuiſſet, húncq; ipſum modo adeò immenſo deperiret. Ac proinde momentaneam corporis vitam Infanti eripui, ut anima Parentis viveret in æternum. Et quod ad ultimum hoc facinus attinet, quod tu tantopere abhorres, fideliſſimum profectò erat maximúmq; gratitudinis ſpecimen, quod erga quenquam edere potui, qui tam humaniter benignéque, atque ille, nos tractaverit. Hic enim Famulus, qui mandato Domini, tam officiosè nobis commonſtrabat viam, decreverat hac ipsâ nocte proximâ, Nebulonum Turbam in ædes domini intromittere ad ſpoliandum eum omnibus ſuis bonis, ſi non ad eum trucidandum cum tota ſua Familia. Cúmq; hæc dixiſſet, ex ejus conſpectu evanuit. Miſellus verò Eremita repentino gaudio & admiratione raptus, manus oculóſq; ad cœlum ſuſtulit, gloriámque dedit Deo, qui adeò præter expectationem, ab omni ulteriori anxietate circa vias ejus providentiæ animum ſuum liberaverat. Atq; ſic cum alacritate ad derelictam cellulam reverſus reliquos ſuæ vitæ dies cum pace tranſegit & pietate.

Philoth. Pulcherrima profectò Hiſtoria eſt, *Eviſtor*, adeóq; appoſita, ut planè ſupervacaneum ſit, de hoc argumento plura verba addere.

Philop. Credo tamen, *Philothee*, nec *Eviſtori*, nec *Hylobari* ſic ſatisfactum iri.

Eviſt. Quantùm ad me, omnino à te poſtulo ut fidem liberes, O *Philopoli*, & ut ea, quâ perductus ſum ad narrandam Hiſtoriam, mihi præſtetur conditio, nempe ut *Philotheus* nihilo futurus ſit brevior, ob meam hanc intempeſtivam parabolicæ hujus Hiſtoriæ interpoſitionem, in ſatisfaciendo *Hylobari.*

Hyl. Atq; ego quidem eâ ſum puerili moroſitate ut nullum potum tam bellè ſapiam, quàm quem hauriam ex aſſueto meo Aliſano. Ulterius igitur pabulum, *Philothee*, expecto ex tua magis nervoſa eloquentia.

Philop. Mea etiam Fides, *Philothee*, oppignerata periclitatur, niſi tua etiam ſenſa proferas ſuper hoc argumento.

Philoth. Intereà verò loci, *Philopoli*, mihi obſervatu perjucundum eſt quàm bellum ſenſum effetur *Hylobares*, in hoc ſuo adeò iniquo poſtulato, ac ſi cibus firmus Infantibus eſſet idoneus.

Hyl. Attamen vinum firmum eis eſſe poteſt idoneum, quidam enim id genus potûs recèns natis infantibus in os indunt.

Philop. Par pari profectò rettulit, *Philothee.* Conſultius fuiſſet, ſine omni mora ad rem te continuò accinxiſſe.

Philoth. Bene igitur, nunc faciam, *Philopoli*, quoniam eò me tantopere urges, quamvìs meo quidem judicio prorſus ſit ſupervacaneum. Difficultas quæ proponitur, mihi ſemper viſa eſt ſolutu omnium facillima, tametſi talis ſit, de qua frequentiſſima fiat hominum querela. Impunitatem intelligo ac Proſperitatem Improborum, & Afflictionem ac Adverſitatem Bonorum.

XXV.
Adverſitatem bonorum & proſperitatem & impunitatem improborum in hac vita nulla argumenta eſſe adverſus accuratam rationem Providentiæ.

Primùm enim, Quod affertur de impunitate improborum, non ſolùm falſum eſt, ſed & impoſſibile. Quomodo enim improbi ſupplicium effugere poſſunt cùm ſuppliciorum maximum ſit ipſa Improbitas? Quomodóve iſti dici poſſunt proſperi, quibus nihil ſuccedit, ſecundùm ſcopum ſuum ac inſtitutum? Unuſquiſque enim homo bonum ſibi proponit, quemadmodum ſapienter determinavit *Socrates*; perpetua verò infœlicitas eſt improbi, quòd id exequatur quod reverà malum eſt. Tanta illius ignorantia eſt & impotentia ut ſcopum ad quem collimat nequeat attingere, ſed optimè, ut & cæteri mortales, ſibi volens, reipſa nihilominus id proſequitur quod eſt peſſimum. Ac proinde apud *Sapientes* Invidiæ objectum eſſe non poteſt, ſed potiùs commiſerationis. Et certè omnino iniquum eſt ut ulla ſententia de Divina Providentia feratur, per ſuffragia *Stultorum.* Quando ebrius quiſpiam feneſtras vitreas confringit, fœminarum pudicitiam violat, viros in plateis confodit multáq; iſtiuſmodi facinora perpetrat, teipſum appello, *Hylobares*, quod Privilegium, quæve proſperitas hac in re ſit, (quamvìs nunquam puniendus eſſet à Magiſtratu) cùm iſtud fecerit cujus agendi nullus reverà ei erat animus, ſed quod deteſtatur etiam animitùs quando ſobrius eſt, atque abhorret? Hic eſt verus ſtatus omnium improborum quorumcunque in quantolibet Imperio ſint ac dominatu: ebriorum hominum inſtar, aut per ſomnum hallucinantium aut furentium, talia agunt quorum omnino pudebit ſimulatq; evigilaverint in ſobrietatem.

Sophr. Hæc eſt ipſa Philoſophia Apoſtoli, *Philothee*, *Quem verò tum fructum percipiebatis eorum, quorum nunc vos pudet?*

Philoth. Jam verò quemadmodum manifeſtum eſt, *Hylobares*, eos ſummæ illius jacturâ fœlicitatis puniri, quæ in pace gaudióque mentis puræ conſiſtit, in qua reſidet vera Dei Notitia, vivúſque ſenſus pulchritudinis & venuſtatis Gratiæ ac Virtutis, ità etiam internarum plagarum in ipſos ſenſus eſt inflictio. Quæ enim major tortura eſſe poteſt, quàm iſte equuleus Superbiæ, iſta ſcorpionalia Invidiæ verbera, inſatiabiles iſtæ flammæ adurentes, Furiarúmque tædæ, indomitæ libidines? Quàm ſuffocatrices Curæ, ſeveræque ſententiæ propriorum ipſorum præjudicantium maléve ominantium Timorum? Quod Barathrum magìs tetrum, horridum & funeſtum quàm ſuſpicioſa eorum Ignorantia, gravantiáque onera inopinati doloris ac Melancholiæ?

Rurſus, Manifeſtum eſt improbos puniri etiam in hac vita ex eo quòd mutuæ ſunt alii aliorum calamitates ac flagella, alternáſque in ſe invicem exercent Tortorum ac Carnificum vices. Omnis enim ille ſtrepitus ac querela de injuriis ac injuſtitia per Orbem, utplurimum nihil aliud eſt, quàm hominum improborum aliorum alios divexantium querimonia. Quamobrem cur expectetur ut Divina Providentia ſtatim vindictam ſumat de propriis ſuæ Juſtitiæ executoribus ac Miniſtris?

Quantùm verò ad paucos iſtos viros bonos juſtóſque qui in orbe reperiantur, meliores redduntur eis rebus, quæ homini imperito ac Idiotæ, ſola videntur mala, quibus Mortales ſint obnoxii. Verùm Infœlicitas *Piorum* utplurimum hæc eſt, quòd cum hominibus hujus mundi certatim eas res ſibi arripere volunt, quæ maximè propria Beatitas ſunt *Impiorum*. Nam contendentes ſic cum eis, ut cum gallis gallinaceis ſuper proprium ſterquilinium, minimè mirandum eſt, ſi vincantur. Nam hæc eorum hora eſt & tenebrarum poteſtas.

Tertiò, Manifeſtum eſt, pacem & impunitatem Improborum admodum utilem eſſe exercendis virtutibus Juſtorum, quò ſuam diſpiciant Sinceritatem aut Hypocriſin, deprehendántque an purus Pietatis Amor ſit qui eos tales conſtituerit, an verò laudis cupiditas gratiæque hominum captatio. An ipſorum *profeſſio* Fiduciæ in Deo, expectationíſque Fœlicitatis futuræ, *formalis* ſit an *realis*. Nam ſi realis ſit, quid eſt quod non poſſint ſuſtinere? Et quàm corroborans Cardiacum eis eſſe oportet, ſinceram habere fidem ac præſagium circa ingens illud præmium quod recepturi ſunt in vita futura? Ut omittam quàm immenſa Animæ humanæ voluptas ſit etiam in hac vita, conſtantis ſuæ ſinceritatis conſcientia. Quamobrem tumultuariæ Confuſionis ictus injuſtæque Inordinationis in Mundo Juſtos ferè omninò prætermittunt, eóſque graviter ſolummodo feriunt quos oportet, ipſos ſcilicet Injuſtos. Quicquid autem illos attingit qui magìs Juſti habentur, ipſa rei ratio poſtulat eorúmque itidem modeſtia, ut id aut tanquam ſupplicium pro vitiorum ſuorum reliquiis, aut tanquam virtutum ſuarum exercitium, ut Deus in eis glorificetur, conſiderent. Quamobrem ſi quid durius contingat viro bono, ſtatim ſeipſum examinabit an cor mundum ſit. Quod ſi non ſit, durum iſtum caſum tanquam ſupplicium æſtimare debet. Si verò ſit, tanquam Explorationem à Deo lubens patietur & amplectetur, occaſionémque quâ virtutem Dei in ſe glorificet. Quod quidem ni fecerit, indicium eſt cor ejus non eſſe mundum, ac proinde non eſt cur obmurmuret quòd puniatur.

Quartò, Quòd in Tyrannidem, Homicidium, Perjurium, Blaſphemiam enorméſque libidines in multis hominibus etiàm in hac vita, Divina quædam Nemeſis exempla notorio modo prætérque hominum expectationem ediderit, ità notum eſt in Hiſtoria ut nihil opus ſit proferre Inſtantias. Cæterùm ſingula Improbitatis monſtra præſentaneo ſupplicio in hac vita mactare, hominibus bonis reddendis non tam conduceret, quàm ad impediendum, nè homines improbi alii alios infeſtent ac caſtigent, & virtutes proborum exerceantur.

Quintò, Ex eo quòd Improbitas non tam conſtanter & adæquatè puniatur in hac vita, hoc etiam emergit Commodum, quòd haud leve hinc argumentum deduci poteſt, apud quemlibet æquum rerum æſtimatorem, qui Naturam Dei ejúſque Attributa rectè intellexerit, præmium pro operibus nos manere in vita futura.

Quibus omnibus poſtremò addam, res hujus Mundi conſimiles eſſe curioſæ, intricatóque artificio concinnatæ comœdiæ, nóſque minimè judicare poſſe quò tendant quæ jam acta ſunt aut in præſenti aguntur, antequam Actus ultimus inceperit qui Juſtitiam introducturus eſt cum Triumpho. Quæ tametſi multos violentiſſimos impetus ſuſtinuerit, admodúmque crudeliter ac contumelioſè hactenus tractata ſit in Orbe, tandem tamen ex voto noſtro res ſucceſſura eſt videbimúſque Equitem deviciſſe Gigantem. Atque tunc teipſum appello, *Hylobares*, annon omnia geſta fuerint ſecundùm naturalem guſtum propriarum tuarum Facultatum. Quid enim in cauſa eſt quòd tantopere oblectemur Hiſtoriis legendis Romanticis Fictionibúſque Poetarum, niſi quòd heîc, quemadmodum monet *Ariſtoteles*, res ſic deſcribuntur, ut eſſe debent; in vera autem Mundi Hiſtoria ità quidem commemorantur ut ſunt, attamen omnino teſtimonium eſt eas non ſic fuiſſe ut eſſe debent. Quamobrem in extremo rerum exitu ſi illud evenire videbimus quod nos tantopere in legendis maximè ingenioſis Comœdiis Poematíſque Heroicis delectat, quòd diu utique afflictata virtus tandem adipiſcitur Coronam, os omnium Infidelium in perpetuum illinc obturabitur. Et quantùm ad me, nullus equidem dubito, quin ſic eventurum ſit in extremo Seculorum exitu. Verùm præ impatientia in quodlibet enorme admiſſum, ante id tempus, vindictam inclamare, eſt tumultuariò Scenam ſubvertere ante Actum quintum inceptum, ex ignorantia ſcopi Comœdiæ, ſolennitatémque Diei generalis Judicii anticipare per magis puſillas particularéſque Executiones. Hæc ſunt breviter ſex illa Capitula, *Hylobares*, quibus inſiſtere potui, ad vindicandam Providentiam ab ultima hac Accuſatione, ſi ulla magna hac in re fuiſſet difficultas.

Hyl. Quod jam innuiſti, *Philothee*, ex hiſce ſex Capitulis, *Eviſtori*ſque bella Parabola ſuggeſſit, mihi tam abundè circa poſtremam hanc difficultatem ſatisfecit, ut fecerit quidem, ut omnem ferè difficultatis ſpeciem mihi nunc exuiſſe videatur.

Philop. Circa hanc poſtremam difficultatem, *Hylobares?* Illa verò una tantùm difficultas eſt. Cæterùm ingenuè, quæſo, effare, quàm vacuum ſcrupulis animum tuum invenias, circa reliquas difficultates quas propoſuiſti.

Hyl. Admodum profectò vacuum, mihi crede *Philopoli*, circa univerſas in præſens. Quæ verò caligines mentem meam rurſus obnubilaturæ ſint ante conventum proximum, equidem non poſſum divinare. Siquid verò occurrerit quod animum rurſus inquietet, certum eſt me vobiſcum communicaturum. Interim verò ſat certus ſum quòd meipſum perſentiſcam læto tranquillóque animi ſtatu conſtitutum.

Philop. Itaque tempeſtivè nunc hunc Conventum rejicere poſſumus, O *Cuphophron*, in horam ſextam diei craſtini pomeridianam.

XXVI. *Sobrium quidem ſed perquam feſtivum bibendi genus in* Cuphophronis *pergula arborea.*

Cuph. Tunc demum fœlix rurſus ero, *Philopoli*, in fruendo præſtantiſſimo hoc Amicorum conſortio. Interim, hem tibi obſequentiam meam in hoc vini calice. Credo enim nec te nec quenquam alium bibiſſe, ex quo huc venerunt, adeò intenti fuerunt præſenti Diſſertationi.

Philop. Omnino ſuperfluum eſt hâc æſtivâ tempeſtate, O *Cuphophron*.

Cuph. Multùm profectò conducibile eſt unum calicem bibere ad corrigendas cruditates nocturni Aeris ac Vaporum. Revera igitur Salutem tibi propinavi, *Philopoli*.

Philop. Bene! quandoquidem ſic vis, gratias tibi ago, *Cuphophron*.

Hyl. Quinimo, boni viri, ſi vos bibere incipitis, quidni ego incipiam Flagellettæ meæ inſibilare?

Cuph. Quid! Num Equos nos eſſe cenſes, quòd adſibilas nobis dum bibimus?

Hyl. Nequaquam; adſibilo ut poſſitis bibere, & totum hoc ſat parùm erit ad efficiendum ut *Philotheus*, *Bathynous* & *Sophron* ſuos ebibant calices.

Bath. Credo adſibilationem *Hylobaris* ſenſum habere poſſe aliquem magis ſymbolicum quàm nos ſomniamus, innueréque nobis edendi bibendíque functiones, Actus eſſe nobis cum brutis Animantibus communes.

Philop. Eſto, *Bathynoe.* Hi actus tamen aliquando hominibus etiam ſunt neceſſarii. Nec incommodum erit proximo meo *Philotheo* præbibere, non ſolùm ad muniendum eum adversùs nocturnos vapores, ſed ad reficiendos ejus Spiritus quos nimis profusè in copioſas ſuas & eruditas diſſertationes expenderit.

Philoth. Aura frigidiuſcula, *Philopoli*, radiorum Lunarium humore macerata, ut notavit *Cuphophron*, æquè ad hunc finem efficax eſt, ſi tantum ullum fuiſſet factum Spirituum meorum diſpendium.

Philop. Hic verò vini calix conducet, ad cruditatem iſtius humoris corrigendam. Quamobrem, hem! tibi ſalutem præbibo, *Philothee*.

Philoth. Gratias tibi animitùs ago, *Philopoli*, lubens accipio conditionem.

Philop. Vinum profectò optimum eſt.

Philoth. Eò lubentiùs *Bathynoo* ipſum commendabo, ad calefaciendam paululùm ac exhilarandam anxiam ſuam Melancholiam. Hem, tibi præbibo, *Bathynoe!*

Bath. Gratias tibi ago, *Philothee!*

Philoth. Equidem *Philopolin* video guſtum habere accuratiſſimum.

Bath. Utplurimum genuinus effectus eſt Temperantiæ ſic habere. Et tamen meus Palatus aliquantùm ſurdus eſt atque jacens. Utcunque periculum faciam. Mihi crede, ſiquid ego judico, admodum bonum eſt, *Philothee*, taléque cujus ipſe *Cato* non recuſaturus

ſaturus ſit Calicem. Quod facit ut majori cum fiducia meo proximo præbibam, etiam *Sophroni*, ad Animum exhilarandum, poſt multos ejus Metus ac Terrores de ſucceſſu hodiernæ Diſputationis de Providentia.

Sophr. Fœlix ſucceſſus, *Bathynoe*, plus me exhilarat quàm poteſt univerſum vinum in *Athenis*. Ac proinde non tam ut exhilarari poſſim quàm ex præſenti animi hilaritate, lubens unum acceptabo calicem. Sobrietas enim non in eo conſiſtit, quòd nullum Vinum bibimus, ſed quòd moderaté.

Bath. Rectè mones. Hem tibi unum igitur calicem, *Sophron*!

Sophr. Tibi eſt gratia, *Bathynoe*.

Eviſt. Veruntamen, niſi me mea fallit memoria, *Cato*, utut vir gravis erat, plures uno vini calices, uno tempore bibere non recuſavit.

Sophr. Neque verò ego moderatam bibendi rationem in uno calice conſiſtere exiſtimo, ſed in non bibendo plus quàm ad ſalutem Animæ pariter atque corporis conducat. Unúſque calix mihi hoc tempore ad iſtud ſufficit.

Eviſt. Definitio tua admodum tuta eſt atque utilis meâ quidem ſententiâ, O *Sophron*!

Sophr. Ac proinde, hem tibi ſingularem meam erga te benevolentiam, in ſingulari hoc vini calice, *Eviſtor*!

Cuph. Vide virtutem boni Vini Hiſpanici, cujus volatilium Atomorum ſola tenuia effluvia, *Sophronis* Imaginationem ità exaltârunt ut viſus ſit, neſcio quid tinnnientium jocorum antè edere, quàm calix illius labia attigerit.

Sophr. Vinum oppidò quàm bonum eſt. Mihi crede, *Eviſtor*, hoc memoriam tibi refricabit modo haud vulgari, ſi reminiſci quot calices gravis *Cato* uno tempore ebibere voluerit, nobis tutum præſtare poſſit plus ullo tempore bibere quàm opus ſit, aut ad ſanitatem conducat. Quæſo guſtando experire.

Eviſt. Tibi habeo gratias, *Sophron*, lubens acciperem, licèt ignobilior eſſet latex. Cuncti ſuum habuêre calicem præter *Hylobarem*, ſed tam bellos prætextus excogitârunt adoriendi hominem cui præbibere ſtatuiſſent, ut mihi ingenii perinde atque memoriæ refrictu opus eſſe videam quò facetum hoc continuare poſſim Inceptum.

Cuph. Annon obſervas, *Eviſtor*, quàm ſtudioſè *Hylobares* toto hoc tempore Fiſtulâ cantaverit? Arripe tibi illinc occaſiunculam.

Eviſt. *Hylobares!* ſi interpellare fas ſit, hem tibi vini Hiſpanici calicem, ad humectandam tibi fiſtulam.

Hyl. Oeſophagum intelligis an aſperam Arteriam? Perbenignè accipio, *Eviſtor*. Verùm profiteor me vix animadvertiſſe quid egerim, Fiſtulâve cantaverim necne.

XXVII. *Mirabilis in* Hylobare *conjunctio externæ levitatis & internæ ſobrietatis ſimul.*

Philop. Meo quidem judicio, iſta Modulamina, illúdque Inſtrumentum, *Hylobares*, leviora ſunt, quàm quæ Diſſertationi ſeriæ, quam ad tot horas continuas habuimus, congruant.

Hyl. Verùm, pro certo tibi affirmo, *Philopoli*, meas Cogitationes nunquam magis ſerias fuiſſe quàm dum faciles haſce modulationes cantabam meâ Flagellettâ. Sunt enim mihi adeò familiares, ut nihil opus eſſet ipſis attendere, & verò animus meus Objectis nupero noſtro argumento valdè conſentaneis totus occupabatur. Atque etiam tunc cùm leves has modulatiunculas cantabam, operam dedi quantum potui revocandæ in memoriam parti Cantici cujuſdam Philoſophici, quod olim memoriter tenueram (tum verba tum modulatum) quod non exiguam habet cum hodierna Diſſertatione cognationem.

Phylop. Multum eſt, *Hylobares*, quòd rebus adeò contrariis tam levibus & tam ſeriis, uno eodémque tempore poſſis attendere.

Hyl. Nihilo plus eſt, *Philopoli*, quàm quòd *Eviſtor* inter narrandam ſuam Hiſtoriam de Angelo & Eremita præſtitit. Myſtachiorum enim contortionem rem perinde levem ac trivialem exiſtimo, atque canere Flagellettâ. Et tamen ad minimum vicies credo eum Indice ac pollice ſic occupatum me conſpexiſſe dum præclaram illam Parabolam enarrabat, quanquam mentem vidi ſenſui rerum ac ponderi ità intentum, ut aſpectu appareret æquè compoſito ac religioſo, atque ipſe Eremita, qui præcipuum eſt Hiſtoriæ Argumentum.

Eviſt. Quæſo te, *Hylobares*, hunc vini calicem accipe, in præmium lepidæ tuæ in amicum tuum contumeliæ quò teipſum excuſes, & experire an ad memoriam refricandam tam commodum ſit quàm affirmat *Sophron*. Tunc enim ſpero nos te æquè *attento* animo cantantem, audituros, quàm Fiſtulæ inſibilâſti hactenus, *omiſſo*.

Hyl. Vinum admodum bonum eſt, *Eviſtor*, ſi perinde bonum ſit ad Memoriam. Credo verò me plures ex iſtis verſibus in memoriam revocâſſe, quàm par ſit hoc tempore repetere.

Philop. Obſecro te, *Hylobares*, eos ſaltem repete, quos jam in memoriam revocâſti. Etenim hujus inopinati experimenti tum ulterior erit confirmatio, tum totius hodiernæ Diſſertationis apta congruénſque Concluſio.

Hyl. Rogatus tuus, apud me, *Philopoli*, pro mandato eſt, ac proinde tuâ causâ periclitabitur honos & vocis & memoriæ ſimul.

XXVIII. *Seria illius Cantilena de Divina Providentia.*

Vbi nunc Objecta tui ſunt
Luctûs, Gemitûſque Metûſque?
Abiêre ut ſomnia vana
E fumis corporis orta.
Piceum O formidinis antrum!
Lemurum tenebroſa Caverna,
Animam quæ Noctis amaræ
Tetris perterritat Vmbris!
Quid Peſtis? Carcer? Amicûm
Jactura ac Bella Faméſque?
Quid Mors quæ cuncta reſorbet?
Nil ſunt niſi Mormolycæa
Mentis ratione carentis,
Cæcorum & Panicus horror.
Vnum te collige in Orbem
Lucis, terrámque relinque,
Animæ vaga ſenſa coerce
Latum peragrantia Mundum;
Sphæram ſic mens tua in unam
Lucentem pacta, Timores
(Vt Noctis inania Spectra
Surgens Aurora) fugabit.
Clarè tunc cernere poſſis
Teneris ut cuncta lacertis
Bonitas complectitur alma.
Quódque hæc non ſunt Mala vera
Mala quæ vulgò eſſe putantur,
Verùm opportuna Medela ac
Majorum Cura Malorum;
Anima ut Mortalia cuncta
Sublimi tranſvolet alâ;
Talem repetâtque ſtatum quo
Pedibus Fata omnia calcet.
Vis certò Secula Mundi
Quædam Divina creavit,
Sapientérque atque benignè
Etiamnum cuncta gubernat;
Sed noſtra Inſcitia caſus
Temerè cauſatur iniquos,
Cùm nemo fingere poſſit
Meliori tramite curſum
Primo quàm qui extitit uſque
Decurſo Solis ab Orbe.
Summi de vertice Cœli
Qui conſpicit omnia, novit
Meliùs quàm ego, quod ſit agendum.
Nec cùm meus ipſe ego non ſim,
Mea ſi fortè ille repoſcit,
Ægrè id reputo eſſe ferendum.
Cæcis tua pectora curis
Propriâque cupidine purga,
Mala nulla Deo eſſe profecta
Clarâ tunc luce videbis.
Totum rutilantibus Orbem
Radiis Bonitatis hic implet
Seſéque per omnia fundit.

Cuncta hic, ceu Lumen & Aura,
Pertranſit Spiritus, illis
Vitalis ut Halitus hauſtus,
Sibi queis non turpiter ultrò
Volupe eſt conſciſcere mortem.
Verùm quos occupat hujus
Vivæ Ignorantia Legis,
Hos ſemper ſollicitudo
Rerum de caſibus angit,
Miſeris perplexâque rodunt
Triſtes Præcordia Curæ.

Hæc carmina in mente mihi erant, *Philopoli*, quando Flagelletta mihi erat in ore.

Philop. Egregium in ſe habent ſenſum & ad hujus diei diſquiſitiones valdè appoſitum. Quæſo te, cujus verſus ſunt, *Hylobares*?

Hyl. Verſus ſunt certi cujuſdam Poetæ Philoſophici, qui ſtylo æquè impexo ferè ſcribit & ſalebroſo, atq; ipſe *Lucretius*. Verùm in aliquas hinc indè venas incidi, quæ mirificè me oblectârunt, veluti hæ, prout Animus diſponitur, inter cæteras. Nunquam verò tam ad vivum me tetigit ſenſûs earum pondus, quàm poſt hodiernum hoc cum *Philotheo* colloquium.

Philop. Euge *Hylobares*! ſi nihil hiſce deterius ruminaris, quoties Flagellettâ tuâ canis, inexcuſabilis in me culpa erit ſi unquam poſthac vili Muſicam tuam pependero.

XXIX.
Cœtûs ſolutio.

Eviſt. Equidem credo conducendum eſſe *Hylobarem*, qui præcinat nobis præeátq; ad Hoſpitia noſtra, alioqui nunquam ex *Cuphophronis* pergula exitum inventuri ſumus hac Nocte quantumlibet illuſtri.

Hyl. Id vel ultrò facere poſſem, *Eviſtor*, nullâ conductus mercede, tam gratum mihi oblectamentum eſt fiſtulâ canere ſub tranquillo Noctilucæ ſilentio.

Philop. Age, abruptè debemus tibi valedicere *Cuphophron*, fauſtámq; Noctem comprecari. *Hylobares* jam exiit ex pergula, Nóſq; omnes oportet ad illius Fiſtulam ſaltare.

Cuph. Equidem illud admodum juvenile pro tua ætate facinus foret, *Philopoli*.

Philop. Debemus utiq; ad illius præeuntis exemplum agere, & domum nos recipere. Ad multam enim Noctem jam conſedimus. Viſûſne erat deluſio, an vera ſtellæ cadentis trajectio, ut caput ex pergula protuli?

Bath. Si Stella Canicularis intra conſpectum fuiſſet, eam in diſcrimine quiſpiam putâſſet ob Fiſtulam *Hylobaris* incantatricem.

Eviſt. Nullæ Sagæ Theſſalicæ Cœleſtem Canem ex Æthere unquam deſibilare potuêre, *Bathynoe*.

Cuph. Quàm ſublimiter lepidus factus eſt *Eviſtor*, ex uno vini calice?

Eviſt. Proſperam tibi precor noctem, chariſſime *Cuphophron*.

Cuph. Quinimò, ego vos ad Hoſpitia veſtra comitabor.

Philop. Nullo pacto, *Cuphophron*. Domi te hîc relinquemus apud te, niſi hanc nobis creaturus ſis moleſtiam revertendi utiq; rurſus tecum ad tuam domum.

Cuph. Fœlicem igitur noctem vobis comprecor univerſis ſimul.

Philop. Bonam opto noctem *Cuphophroni*.

Dialogus Tertius.

Philotheus, Bathynous, Sophron, Philopolis, Eviſtor, Hylobares, Cuphophron.

I.

Conjecturæ de cauſis illius Hilaritatis quam quarundam perſonarum occurſus naturaliter in ſe mutuò excitat.

Sophr. QUodnam procerum eſt iſtud Inſtrumentum, O *Cuphophron*, quod adeò præter expectationem pergulæ tuæ inferendum curâſti?

Cuph. Ipſa proceritas ſatis indicat quale ſit, Theorba eſt. Cùm Sodalitatem hanc heſterno die obſervâſſem, Muſicæ quàm eſſet dedita, *Hylobaris* Fiſtulæ loco, (quâ magìs in more eſt coram Urſis canere & Caniculis ſaltatricibus, quàm coram Philoſophis, viriſque ingenuis & haud ignobili loco natis) procuravi hoc magìs auguſtum ac honeſtum Inſtrumentum eis, quibus animus ſit ipſum pulſare & ſimul canere, ut ſic poſſint ſecundùm morem *Pythagoricum*, peractis noſtris diſſertationibus Philoſophicis, poſt aliquod Melos Muſicum ſolennius nos cum ritè compoſitis mentibus, dimittere ad quietem.

Sophr. Omni genere civilitatum abundas, *Cuphophron!* Annon verò ipſe hoc Inſtrumento aliquando ludis?

Cuph. Nunquam, heu! iſtud vel tento quidem. Nimis procerum eſt. Digitíq; mei multò breviores quàm pro chordarum tranſverſarum intervallis. Aliquando tamen negligentiori ictu Fidiculam verro, méque ipſum oblecto iſtâ magìs facili Melodiâ.

Hyl. Et oblectaret profectò quemlibet, *Cuphophronem* videre perdecoro iſto exercitio occupatum, quemadmodum ipſe eum aliquoties deprehendi. Adeò ad vivum, Inſigne iſtud in altera plateæ extremitate ſuſpenſum refert.

Cuph. Diſpeream ni lepidum hoc caput *Hylobares*, Inſigne Simii & Fidiculæ indigitet. Hoc autem in vindictam fecit ob contumeliam quâ adamatam ſuam *Syringem* Nympham *Arcadicam* affeci.

Philop. *Hylobarem* Dominam habere nunquam antehac audivi.

Hyl. Nihil ampliùs eſt, *Philopoli*, quàm nimiùm elevata *Cuphophronis* Imaginatio ac locutio; Poetica eſt Flagellettæ meæ Periphraſis quam in contumeliam antea Fiſtulam appellaverat.

Philop. Tua verò Imaginatio par pari retulit & ampliùs, ſi rectè te interpretatur. Amabò te, *Hylobares!* leves iſtas & ludicras imaginationes ſupprime in conventu tam ſerio.

Hyl. In poſterum mandatis tuis adnitar obſequi, *Philopoli.* Suſpicor autem mirum eſſe aliquem fumum aut effluxum Atomorum vel Particularum,

(*Cuph.* Particularum, quoquo pacto, *Hylobares.* Iſte enim terminus eſt magìs *Carteſianus*)

Hyl. Quæ ex *Cuphophronis* corpore exhalant, Aerémque hilaritate inficiunt, licèt omnes ex æquo non ſint contagio obnoxii. Quantùm ad me, equidem profiteor, quòd ex ſola *Cuphophronis* præſentia me præter modum ad hilaritatem proclivem ſentio, etiam ad Ridiculoſitatem uſque.

Philop. Ut adoleſcentes ad virtutem & ſapientiam diſponebantur ex eo ſolo quòd cum *Socrate* adeſſent, quamvìs ille omnino ſileret.

Cuph. Et ipſe etiam ingenuè fateor, *Hylobarem* haud multùm imparem eſſe in viciſſitudine rependenda. Nunquam enim in eum incurro, quin ſtatim arrideam, córque intus ſecreto neſcio quo titilletur gaudio. Quod in majorem Philoſophiæ *Carteſianæ* exiſtimationem facilè fieri agnoſco ex mutuo recurſu ac mixtura exhalatarum Atomorum noſtrarum vel potiùs *particularum*, quemadmodum *Carteſius* majori cum judicio eas appellat. Hæ enim particulæ non ſunt indiviſibiles. Quidam etiam ſunt, qui primo occurſu ad pugnandum inter ſe invicem proni ſunt, perinde atq; *Hylobares* & ego ad nos mutuò exhilarandos. Nôſtiſq; liquores quoſdam Chymicos, quanquam quietos frigidóſq; ſeparatim, mixtos tamen in tam furioſa fermentatione fore, ut vitrum ad ipſum digitorum tactum incaleſcat.

Eviſt. Pereruditè profectò hæc à *Cuphophrone* diſceptata ſunt, ſed cum pace tanti Philoſophi, ſolutionem hujus Problematis ad Rationem potiùs reducerem Analogam iſti de ſeminibus quæ *Solinus Thraces* ait in epulis in ignem conjicere ſolere, quorum fumus eorum animos ità exhilarabat ut non minùs in lætitiam effuſi eſſent, quàm ſi de vinis generoſiſſimis liberaliter bibiſſent.

Polyhiſt. cap. 15.

Hyl. *Pomponius Mela* idem etiam de ipſis refert. Nihil autem meâ ſententiâ, naturam hujus Phænomeni meliùs illuſtrat, quàm experimentum certi cujuſdam Ptarmaci (ſemen

De ſitu orbis, lib. 2. cap. 2.

(ſemen an pulvis ſit haud ſatìs memini) quod ſecretò in ignem conjectum, ſternutationem repentinam ac inopinatam in omnibus præſentibus excitabit. Talia opinor arcana eſſe temperamenti *Cuphophronis* effluvia, quæ ridiculas haſce effrænis meæ Imaginationis coruſcationes tam ſubitò excitant, quibus meritò offendantur viri graves atque ſobrii. Quæ quidem Enormitas, fateor, tanto apud meipſum inexcuſabilior eſt, quanto Mens mea ex noviſſimo noſtro conventu, magìs onerata fuit Scenis rerum maximè Tragicis quæ in hoc Terreſtri Globo exhibentur, quæque nituntur contra omnes iſtas momentoſas rationes ſcitáſq; ſolutiones ac ſolida argumenta quæ *Philotheus* heſterno die pro Providentia tam peritè produxit.

Philop. Quid ità obſecro? Quænam tibi ſuperſunt difficultates, *Hylobares*, aut circa *Naturalia*, aut circa mala *Moralia* in Orbe?

II.
Hylobaris *in animi inquietudinem relapſus circa Providentiam cum illius rei cauſa.*

Hyl. De Malis *Naturalibus*, *Philopoli*, parùm ſupereſt ſcrupuli, & quantùm ad generalem reſpondendi rationem quam adhibuit *Philotheus*, circa Mala *Moralia*, ſolutiones illius mihi videbantur ſatìs firmæ. Poſtquam verò in ſolitudine magìs particulatim enormes deformitates & defectus quæ in Nationibus Terræ conſpiciuntur, mecum recoluiſſem, Imaginatio mea ſtatim dejecta eſt in diffidentiam ac ſuſpicionem quòd nulla talis ſit accurata Providentia (pro quali contendit *Philotheus*) quæ rebus humani generis invigilet.

Bath. Hoc eſt, *Hylobares*, poſt Animi hilaritatem pluſquam ordinariam in Spiritibus tuis excitatam, ex renovata notitia iſtarum multarum nobiliſſimarúmque veritatum quas tibi in mentem (ſapientiſſimis ſuis diſſertationibus) revocavit *Philotheus*, ad quas Anima humana, in primo rurſus ipſarum occurſu, æquè geſtit & exultat, atque cùm duo antiqui Amici ex inopinato in Terra peregrina ſibi mutuò eunt obviàm, quemadmodum alicubi notavit *Jamblichus*; poſt hanc inſolitam, inquam, gaudii exuberantiam Spiritus tui poſtmodùm ſubſederunt evaſerúntque flaccidi, unde Melancholia Imaginationi tuæ impoſuit. Cæterùm nihil omnino metuendum eſt, cùm res hactenus tam pulchrè ſucceſſerint, quin *Philotheus* te vivificaturus ſit, háſque nubes, quæ tuæ Melancholiâ laboranti Imaginationi tam tenebroſæ funeſtæque videntur, diſſipaturus.

Hyl. Credo te majori cum confidentia Melancholiæ imputaturum, *Bathynoe*, poſtquam intellexeris, quàm horridam in me perplexitatem creaverit, vel unius cujuſpiam reculæ conſideratio.

Bath. Quæſo te, *Hylobares*, propone eam *Philotheo*.

III.
Philoſophorum paucitas nulla labes in Divina Providentia.

Hyl. Age, faciam *Bathynoe*, & breviter hæc eſt, Quàm ſqualida res & deſolata mihi Mundus videretur ex eo quòd tam pauci in eo ſint Philoſophi. Reliquum enim humanum genus mihi parùm videbatur differre à Cynocephalis aliiſve Beſtiis.

Cuph. O *Hylobares*, quàm totus tibi poſſem ruere in amplexus ob hanc meditationem! Hæc eſt conſideratio ſecundùm proprii mei cordis ſenſum formata. Id ipſum eſt ob quod in ſecreto, Mundi ſtatum etiam lachrymis ubertim per genas delabentibus ſæpe deploravi, nempe ob paucitatem Philoſophorum, & præcipuè quòd ex his paucis tam admodum pauci reperiantur qui puri ſint & ex omni parte *Carteſiani*. Equidem hæ res animum meum valde afflixerunt in ſecreto.

Philoth. Bono animo, obſecro, ſis, *Cuphophron!* & tu *Hylobares* hanc rerum ſcenam noli tam Tragicam cenſere. Etenim utrùm Philoſophi non magìs ridiculi ſint, quàm qui nulli habentur, deplorabiles aut contemptibiles, immenſa eſt quæſtio. Præterea cur Providentiæ imputandum eſt, quòd tam pauci ſunt Philoſophi? Liber Naturæ apertus jacet ante omnium ex æquo oculos expoſitus, hominéſque plerique omnes ingenium habent ad obſervandum: Sed propria ipſorum culpa eſt quòd ſenſibus ſuis indulgere mallent, quàm ſuam exercere & expolire rationem. Conceſſo autem paucos ad Philoſophiam natos eſſe, omnes tamen ad id nati ſunt quod multò eſt præſtabilius, hoc eſt, in cujuſque poteſtate eſt ut ſit pius, juſtus & probus, ſalubribúſque *Animalis vitæ* voluptatibus fruatur modo Pietati & Rationi conſentaneo. Quamobrem cùm tantum ſit paſſim ad *Prudentiam* & *Religionem* viæ compendium, (modò homo fidelis ſit ac ſincerus) equidem non video quî ullus excludi poſſit à maximè ſolida fœlicitate quæ in humanam Naturam cadit. Quantùm verò ad alias ſcientias, ſi cujuſque eſſent, vix ullius forent decus aut oblectamentum. Verùm nunc rudis confidentia indoctorum, & inopinata Paradoxia peritorum, Scenam rerum aptiùs inſtruunt, plúſque faciunt ad luſum voluptatémque vitæ, & ad augendum pretium laboréſque compenſandos aut inveniendi aut addiſcendi magìs abſtruſa Theoremata in Philoſophia.

Verùm, peculiaris hæc fœlicitas Philoſophica, non niſi puſilla eſt ad Moralem fœlicitatem acceſſio, quæ omnibus hominibus, ni ſibi ipſis defuerint, eſt communis, nimirum

mirum, ut ſint Principi ſuo fideles; ut veraciter Religioni adhæreant, quouſque ipſa ſit vera; ut bonâ fide agant cum omnibus hominibus, & benignè cum Vicinis; ut oppreſſis opitulentur, & Deum univerſámque Creationem animitus diligant. Qui ſic affectus eſt, tantáque munitus prudentiâ, ut nec aſſerat aut neget quicquam ultra claram perceptionem, peritiámque cujus compos ſit, in rebus ſpeculativis, ſed admiretur adorétque ineffabilem Creatoris ſapientiam, hic, inquam, magis conſummatus homo eſt, magiſque perfectus & inculpatus, & magis ſolidè beatus, quàm ulli Philoſophi, quod ſciam, qui ſcripta ſua tanquam ſui Ingenii monumenta Orbi reliquêre, *Carteſio* ipſo non excepto. Cujus enormia errata (qualia ſunt quòd Bruta meras faciat Machinas, omnémque Extenſionem realiter eandem cum Materia, univerſáque affirmet Mundi Phænomena ex Cauſis merè Mechanicis profecta,) majori cum horrore ac inclamatione excipientur à poſteritate ſtudii partium neſcia, quàm ulla alia Ingenii Specimina in quæ inciderit, cum admiratione & applauſu. A quo periculo qui ſoli virtuti ac pietati adhærent, ſemper ſunt immunes.

Hyl. Quid tibi videtur de hoc reſponſo, *Cuphophron*?

Cuph. Cum pace *Philothei*, Philoſophiam *Carteſianam* nihilominus rem admodum bellam etiamnum exiſtimo. Quid tu exiſtimas, *Hylobares*?

Hyl. Equidem exiſtimo *Philotheum* quantùm ad ſummam rei locutum eſſe admodum ſolidè & appoſitè. Hominémque prudentem ac probum multò nobilius pulchriúſque eſſe Spectaculum quàm quemlibet Philoſophicum Equitem-Errantem cujuſmodicunque. Si pari facilitate reliquas quæ menti inſident caligines nubéſque difflare poſſit, ſpero me in poſterum omnino incapacem fore, vel minimum movendi ſcrupulum contra Divinam Providentiam.

Philop. Experire, *Hylobares*, quid poſſit *Philotheus*. Reliquas difficultates ipſi propone.

IV.
Rationes in genere de craſſa deformitate in Religionibus & Conſuetudinibus Barbararum Nationum, quemadmodum & de varietate hujus deformitatis, in moribus & conſuetudinibus.

Hyl. Reliquæ difficultates, *Philothee*, oriuntur ex conſpectu Morum & Religionum in Gentibus barbaris, quales apud Hiſtoricos deſcribuntur, & quæ tales revera ſunt, tam ſordidæ & ridiculæ, tam horridæ & enormes, ut vel invitam ſint hominis Imaginationem redacturæ ad ſuſpicionem quòd in hiſce Nationibus, Divina Providentia Terram penitùs reliquerit. Nam ſi oculos in eas conjiciat, cur non aut eas reformat, aut confundit prorſúſque deſtruit?

Philoth. Quòd in aliquibus Gentium præſertim barbararum partibus rerum facies admodum ſqualida ſit & funeſta, non poſſum quin agnoſcam. Cauſis verò indagatis ac repertis, ceſſare debet admiratio. Humanum enim genus in lapſa conditione eſſe conſtitutum non poteſt negari, magnámque Inviſibilium Poteſtatum partem in *vitam Animalem* cum ipſis pariter ſubſediſſe. Nunc verò illud quod ſupremum eſt & potentiſſimum in *Vita Animali* manûs prenſuram non laxabit, quamdiu poteſt inhærere. Unde maximè *activi* Spiritus in hac Regione Dominium obtinent in magis *Paſſivos*, Regnúmque Principis Aeris reperitur admodum longè latéque extenſum ſuper Nationes Terræ quippe tam profundè in *Animalem Naturam* lapſas & immerſas. Quamobrem cùm tam Principes quàm ſubditi è ſacra Luce Divináque Benignitate Naturæ Æthereæ ceciderint, expectare non poſſumus quin effecta illius Regiminis, Morúmque ratio crudelis ſit, ſqualida, deformis ac ridicula, quippe quum judicium ſenſúſque veræ pulchritudinis ac Decori in tam tenebroſo maléque temperato Temperamento reſidere nequeat, invidíque ipſorum Præſides Aerei id curent magis quò Tyrrannidem in ipſos exerceant miſeréque ludificentur, quàm ut eis parcant aut præſidio ſint, exemplóve eis præeant in ulla re bona. Summa igitur rei quò collineatum oportet, eſt mitigare quantum poſſumus funeſtum horrorem, veſanúmque aſpectum miri hujus Theatri quod Imaginationem tam fortiter duritérque ferit. Vulnus enim, quemadmodum ex ipſo modo proponendi difficultatem, *Hylobares*, ſatis percipio, ultra Imaginationem non pervadit, quod indicio eſt potiores Animæ partes adhuc manere ſanas. Eſtque aliud quiddam quod notavi quod ad curationem Imaginationis etiam adhibebo; Hanc ſqualidam ſcilicet rerum faciem in *Gentibus* duntaxat *Barbaris* reperiri. In quo tacita implicatur conceſſio magis Civiles orbis terrarum partes, eſſe ſaltem tolerabiles.

Hyl. Equidem fateor id ipſum videri implicari.

Philoth. Orbem verò Chriſtianum maximè omnium.

Hyl. Ità profectò facilè quis ſtatueret, *Philothee*.

Philoth. Quamobrem ad *Rationi* tuæ ſatisfaciendum perinde atque ad quietandam Imaginationem, ſi quis noſtrûm oſtenderit aut Noxam haud adeò magnam eſſe in iſtiuſmodi conſuetudinibus barbararum Gentium quæ nobis tam miræ videntur atq; abſonæ, aut nos ipſos habere aliquod ipſis Analogum, multum profectò hujus inopinati horroris & obſtupefactionis continuò tolletur.

Hyl. *Spero ſic fore.*

Philoth. Intereà loci, notatu dignum eſt in genere, cùm ſit quidem lapſus hic in genere humano, longè præſtabilius eſſe ut Obliquitates eorum ac Deformitates in moribus ac Religione multùm varientur, quàm ut unæ eædémq; ſint ubique. Id enim effecturum eſſet, ut peccatum ſpeciem ſibi indueret ſanctæ cujuſdam rataeq; Legis Vitæ, firmæque Rationis. Jam verò cùm libertas interni Spiritûs Humani, qui tam agilis eſt & animadverſivus, *Animalem vitam* in tot ineptiarum vanitatúmque varietates, ſive Nationales, ſeu Provinciales, perſonaléſve denique confregerit, mutuum hinc quidem evadimus alii aliis Theatrum, magíſq; capaces deprehendendi reprehendendíq; quod in nobis ipſis malum ſit, ſimile quid obſervando in aliis, cùm deformitates quas in aliis conſpicimus nihil aliud ſint, quàm Parabola reprehenſoria de nobis ipſis. Eſt enim univerſum genus humanum conſimile hominibus aliquibus ad focum conſidentibus altúmq; ibi dormientibus, quos lepidus aliquis nebulo fuliginoſis ſuis inunctiſque digitis denigraverit, qui poſtquam evigilaverint, quiſq; factitias barbas, alióſq; diſtortos fuliginis ductus in aliorum faciebus deridet, nihil interim reſciſcens cogitánſve de ſuis. Cùm interim admodum obvia ſit ipſi ſubindicatio, ut ſui ipſius meminerit, ſpeculúmque adeat, ad diſpiciendum annon ipſe quoque aliquâ fuliginis notâ ſit denigratus. Quamobrem cùm certè labes paſſim in Orbe eſſe oporteat, Rationi ac Providentiæ magis conſentaneum eſſe exiſtimo, ut earum fiat variatio, (licèt ipſa rei peregrinitas nos ſubinde ex improviſo attonitos reddat) quàm ut diſcors ſtrepitus in eadem ſemper audiatur chorda, ut ſtultitia & improbitas familiaris non ſit in quocunq; nobis obviàm eat loco, ſed ut reſilire aliquando poſſimus ad novum illius & inopinatum aſpectum in aliis, & occaſionem indè arripere examinandi nos ipſos, ecquid huic affine ſit in nobis. Hæc dici poſſunt in genere, *Hylobares*, ſed ad particularia nullum Reſponſum dari poteſt antequam propoſueris.

V.

De barbara conſuetudine incedendi nudos.

Hyl. Quod ſtatim facturus ſum prout memoriæ occurrerint. Sed *Eviſtoris* opem implorabo ubi aqua mihi hæſerit. Prima brutalis barbaráque conſuetudo quæ occurrit, hæc eſt, quòd Nudi incedant, quemadmodum quædam Gentes faciunt, niſi mea me fallit memoria.

Eviſt. *Indiæ Occidentalis* Incolæ ſic faciunt, ut *Americus Veſputius* refert. *Pauluſque Venetus* idem narrat de *Abraiamim* in regno *Lae*. Rurſus, in *Occidentali India* Virgines, particulatim *Veneſuellæ*, dicuntur æquè nudæ incedere atq; in hanc lucem editæ ſunt.

Philoth. Non nego quin aliquæ Gentes nudæ omnino incedant, ut proculdubio quamplurimæ eſſe poſſunt quæ parùm integumenti geſtent, præterquam quod pudenda integat. Quantùm verò ad hos poſteriores, quod hæc adeò magna ſit in Providentia labes, nequaquam profectò aſſequor. Nam Clementia Climatis ſub quo degunt hi populi, bona corporum ſtructura, vera partium figura & ſymmetria, mira eorum alacritas, robur & agilitas in currendo, natando & ſaltando, immunitas à cura procurandi moleſtiáq; induendi exuendíq; veſtimenta ſua, vitarum longinquitas, cuticulæ rarò rugoſæ, partus facilis, Mammæ virgineæ ac ſincera Venus, veſtitûs pulchri fuco & impoſturâ (perniciabilis condimenti inſtar) nunquam in illis gignente falſum appetitum occaſionémve adminiſtrante cogitationum laſcivarum; hæc, inquam, tam notabilia Adjuncta ſunt Nuditatis horum populorum, (quæ Hiſtorici ſimul commemorant) ut non ſolùm apologiæ eſſe poſſint pro hac apparente Barbaritate, ſed ſcrupulum etiam nobis injicere annon iſti meliori Ratione utantur aut Fortunâ, hac in re, quàm Nationes Civiles. Certus ſum, aliquas Civilis Orbis Sectas tantam exiſtimare perfectionem, ut ipſos in ea non tantùm imitentur, ſed excedant, ut *Adamitæ* & conſimiles. Atque iſtæ duæ ſeveriores ſectæ Philoſophorum, *Stoici* & *Cynici* hac in cauſa ab eorum partibus ſtabunt, qui contendunt nullam eſſe in re ulla turpitudinem præterquam in peccato. A quo lubenter abſolvunt opera Dei & Naturæ. Generalior iſte pudor in humano genere in magis inhoneſtis corporis partibus detegendis, Indicatio proculdubio eſt à Deo & Natura, quòd ad res ſublimiores excellentioréſq; nati ſumus, quàm corporeas haſce voluptates. Pudere verò *Nuditatis*, nec tamen ab iſtis peccatis contra quæ in obſtaculum pudor hic deſtinatus eſt, abſtinere, eſt certè veſtes in pallium Hypocriſios convertere ſimiúmq; vel Satyrum agere viridi tunicâ indutum. Hæc eorum quædam quaſi prælibatio eſt quæ de his inſolitis ſpectaculis dici poſſunt. Cæterùm penſum eſſet majus quàm pro meis viribus, *Hylobares*, ſingulis particulatim reſpondere quæ producere poteris. Cogitationes mallem, dum aliis ea proponis, inventioni impendere ſummarii alicujus Reſponſi ad univerſa poſt pleniorem Objectionum tuarum conſpectum, aut Narrationum *Eviſtoris*.

Philop. Æquam omnino, *Hylobares*, conditionem proponit *Philotheus*. Concede illi aliquod reſpirandi ſpacium. Et particularia interim cunctis in commune aut cuilibet qui paratus ſit ad reſpondendum, propone.

Cuph. Æquiſſimum eſt, quod petis, *Philopoli*.

VI.
De ridiculis ornatibus Barbarorum.

Hyl. Proxima igitur Objectio erit, O *Cuphophron*, de ridiculis Ornamentis ſive Decoramentis Barbarorum. Acupictura cuticularum ſuarum Floribus, Stellis, Avibus & id genus reliquis figuris amœnioribus, res certè eſt æquè honeſta ac innoxia atque conſimili operâ ornatus in tunicellis Fœminarum. Quòd autem cuticulas Serpentibus deformibúſq; Animantibus pingunt, quemadmodum *Virginiæ* Incolæ facere dicuntur, quàm turpem id præ ſe ferre ſpeciem neceſſe eſt?

Cuph. Nihil difficultatis ea res habet, *Hylobares*, ſi propoſitum conſideres, quod eſt aſpectum ſuum reddere magìs terribilem, id quod affectari videtur etiam in civilioribus Orbis partibus, cùm multæ quidem Familiæ Monſtra æquè venenoſa ac horrida in Scutis ſuis gentilitiis gerant. Ut omittam quàm generalis mos ſit apud homines *Poteſtatem* affectare magìs quàm *Bonitatem*, & *timeri* potiùs quàm *amari*.

Eviſt. Verùm quid exiſtimas, *Cuphophron*, de Nobilibus *Calecutiæ* qui aures ſuas ad humeros uſq; extendunt ac demittunt, ut ſatìs amplæ ſint & idoneæ quæ varietate onerentur gemmarum pretioſarum?

Hyl. Dico id non perinde forſan indecorum eſſe, *Eviſtor*, atque intutum, niſi ſtrenuo ſtipentur ſatellitio. Perbella invitatio eſt quò aures ſibi habeant pulchrè vellicatas ad periclitationem auricularum ſuarum & gemmarum ſimul.

Eviſt. Omnino juxtà tecum ſentio, *Cuphophron*. Quid verò exiſtimandum eſt de *Tartaris* & *Maldivis*, qui crinem ſuperioris labii totum abradunt?

Cuph. Quid? equidem optimam rationem eſſe cenſeo, ad potum mundiùs ebibendum, abſorbendúmq; juſculum.

Eviſt. Annon verò admodum ridiculum eſt in Incolis *Virginiæ*, quòd dimidium inferioris & ſuperioris barbæ abſcindunt, alterum verò dimidium intactum relinquunt?

Cuph. Haud ità, fateor, ſpecioſum eſt ac venuſtum. Quis autem novit quin aliqua utilitas ineſſe poſſit, ut in abſciſſione dextrarum mammillarum *Amazonum*, quò commodiùs poſſent ſagittam in Arcu aurem versùs retrahere? Fieri etiam poteſt ut quando Hyoſcyamum *Peruvianum* hauriunt, ſalivam per raſum menti latus demittant.

Eviſt. Cæterùm, O nigrorum dentium pulchritudinem! affectatum ornamentum Incolarum *Veneſuellæ!*

Cuph. Atque ſic eſſe poteſt, quantum ego intelligo, æquè venuſtum atque capilli nigri, nigrique oculi & ſupercilia. Duo nigri dentium ordines cum his perquam optimè congruerent. Quod ad me attinet, neſcio profectò Ebenúmne an Ebur amœniorem habeat aſpectum. Utrumlibet meâ quidem ſententiâ, pulchriorem præ ſe ſpeciem fert, quàm dentium ordo qui buxum flavedine adæquet, qui uſitatior dentium color eſt apud *Europæos*.

Eviſt. Mingendi verò leges apud *Indos Occidentales*, ſpurcitiæ gradus eſt, qui omnem *Cyniciſmum* ſuperat. Viri pariter atque fœminæ urinam ſuam emittere non dubitant etiam dum verba tecum faciunt.

Cuph. Hoc ab eis, *Eviſtor*, admodum conſequenter factum eſt ſimplici impudeſcentiæ de ſua Nuditate. Nam iſtæ potiùs partes ſunt, quàm ulla nauſea ex ipſo liquore qui indè emanat, (qui & ſalubris eſt ad bibendum in multis morbis, & ſæpenumero odoratu jucundus) quæ ſecretam illam requirant evacuationem. Plus igitur videtur judicii ineſſe huic conſuetudini, quàm ſtupiditatis, niſi etiam in altera exoneratione pari utantur incuriâ.

Eviſt. Illic cauti ſunt ſupra modum. Nè avariſſimus quiſquam ſuos ſtercoris ſacculos majori cum cura & clandeſtinitate recondit quàm illi conantur iſto Naturæ depoſito ſeipſos exonerare.

Cuph. Age igitur. Hoc, prius delictum compenſat. Facilè eos putavi diſcrimen odoraturos.

Hyl. Si rectè judico, *Eviſtor*, paululùm extra ordinem rogitas. Præſens argumentum eſt, Ornamenta Gentium barbararum. Verùm *Cuphophronem* vides ad omnia præclarè paratum.

Cuph. Univerſalizato ſpiritui, Animæ cum Oeconomia Univerſi penitus reconciliatæ pro nullo unquam deerit Apologia Phænomeno.

Eviſt. Hiſce longè difficiliora mox proponenda ſunt, O *Cuphophron!* Interim regreſſum paululùm permitte mihi facere de Ornamentis. Annon ornatus iſte quem *Americus Veſputius* commemorat in Navigatione ſua ad novum Orbem, admodum feralis eſt atque Tragicus? Ait enim multos ex iſtis Nationibus vultus ſuos prorſus deformâſſe

formâſſe magna perforando foramina in genis, in maxillis, in naribus, in labiis atque auribus, ſéque quendam hominem obſervâſſe, qui non pauciora quàm ſeptem foramina habuit in facie ſua, quæ Prunum Damaſcenum magnitudine ſingula æquarent. Hiſce imponebant Lapides cæruleos, Cryſtallum, Ebur, aliáque id genus Ornamenta. Cui narrationi eò faciliùs fidem habeo, quum ipſe cum eis locutus ſum qui *Americanos* conſpexerunt ligni inſculpti fragmina infixa genis geſtantes.

Sophr. *Cuphophron* caput ſibi ſcalpit, ac ſi heîc aliquantum hæreret. Interim, *Eviſtor*, donec aliquid melius excogitaverit *Cuphophron*, hoc accipe. Quod rarum eſt, novimus apud omnes Gentes in pretio eſſe, & quod pretioſum eſt, ſibi appropriare ſolere ſuúmque facere modo quàm perfectiſſimo poſſunt. Unde homines divites id ſæpenumero comedunt, non quidem quod ſaluberrimum eſt, ſed quod paratu eſt difficillimum. Ità ſi quid cariori conſtet quàm reliqua, corporibus ſuis id appendunt quamvìs ventriculis ingerere nequeant, cujuſmodi ſunt Inaures aliæque Gemmæ. Hi veri Barbari applicationis harum rerum pretioſarum curioſitate cæteros excedere videntur, cùm in ipſam carnem eas omnino inſerant tanquam ſi corporis ſui naturalis eſſent pars.

Hyl. Rectè, *Sophron*, verùm quàm rudes interim ſunt atque ſtupidi qui tam crudeliter miſella ſua corpora vulnerant ut ſuperbiæ ſuæ ac imaginationis vanitati ſatisfaciant?

Sophr. Attamen faciei perforationem & inciſionem Cuticulæ, longè tolerabiliorem puto repertum iri, quàm corroſionem Cordis ac confoſſionem curis & anxietatibus quas ſuperbia ac faſtus civiliorum Gentium procreat in hominibus elati animi, & humili fortunâ. Præterea, *Hylobares*, ex ignorantia noſtra forſan fit, quòd tantum doloris eos ſuſtinere opinemur, in his leviculis proſequendis vanitatibus. Hæc enim Foramina ac Inciſuræ in eorum corporibus fieri poſſunt, dum teneræ ſunt ætatis, inſtar Inciſionum in Arborum corticibus, teneríſve Peponibus factarum, quæ pro iſtarum Plantarum augmento, ipſæ etiam magnitudine augentur. Quàm tutò autem & innoxiè hujuſmodi rerum in ætatis teneræ pueris fieri poſſit periculum, caudarum catulorum circumtortarum abruptio, Infantúmque circumciſio à multis Gentibus uſurpata, ſatìs idonea ſunt exempla.

Cuph. Habeo tibi gratias pro hoc officiolo, *Sophron*. Conſimile aliquid ipſe meditabar, tu verò me antevertiſti. Perge, *Eviſtor*, vel *Hylobares*, utricunque veſtrûm placuerit.

Hyl. Quæſo, *Eviſtor*, propone *Cuphophroni* & confunde ſi potes quæſtionibus, de Politico Regimine Barbarorum.

VII.

Legum Carentia apud Barbaros craſſæque exorbitantiæ circa Matrimonium defenduntur à Cuphophrone Advocato generali Paynimorum.

Eviſt. Annon res tibi videtur admodum bruta, O *Cuphophron*, quòd in nonnullis locis nullum omnino habeant Regimen, ut in *Cuba* & Nova *Hiſpania*, quarum Incolæ nudi incedunt, nullum Dominum agnoſcunt, ſed in communi vivunt libertate, quemadmodum teſtantur Coſmographi?

Cuph. Adeóne abſona res eſt brutáve, *Eviſtor*, ut ii qui divitiarum onere non gravantur, Legum uſum negligerent, cùm præcipuæ inter homines Controverſiæ ex Honoribus & Opibus originem ducant, duobus iſtis inſignibus Incitamentis ad Injuſtitiam? Quapropter Barbari iſti, tantum abeſt, ut in hac re degenerâſſe videantur, ut primævam aurei ſeculi ſimplicitatem potiùs referant, quando nec Judex erat nec Ergaſtularius, ſed communis libertas omnem Injuriæ occaſionem antevertebat. Adulterium heîc reperiri impoſſibile erat cùm Sexuum ſolummodo eſſet differentia, nulla nuptorum innuptorúmque ſtatûs diſtinctio, appropriatióve ullius ſingularis fœminæ uni viro ſolitario. Quod quidam ex eminentiſſimis Græciæ Sapientibus (ut ſuffragium omittam aliquorum Spiritûs profeſſioni magìs addictorum Sectariorum hujus præſentis ſeculi) tanquam ſpecialem partem æſtimârunt perfectiſſimæ formæ Reipublicæ quam eorum Sapientia poſſet excogitare. Proculdubio vis Naturæ Auri neti inſtar ità attenuatur, per tam multas Ceremonias ac circumſtantias Parentelæ, Dotis & Affinitatis diducta, itáque poſtea religioſo Matrimonii ritu (ſive inter partes bellè conveniat ſive ſecùs) compedita & reſtricta reperitur, ut vigor illius multùm labefactatus ſit, Generationes hominum debilitatæ, Ætatéſque contractæ, in pleriſque Civilis Orbis partibus; cùm iſti *Tenentes in communi*, (ut loquuntur Juriſconſulti) quos narras, rarò ægrotant & utplurimum ad annum centeſimum quinquageſimum vivunt, quemadmodum legi apud Hiſtoricos. Adeò ut Legis Matrimonii reſtrictio in bonum Animæ inſtituta potiùs videatur, quàm in ſalutem robúrque Corporis. Externæ verò Leges cùm ad affectus adulteros non pertingant, civiliorum Nationum Hypocriſis effecit ut nimis ſæpe ſincero bono exciderint & *Gratiæ* & *Naturæ* ſimul.

Sophr. Satìs arguta quidem eſt hæc tua, *Cuphophron*, ſed veſana admodum &

inopinata Oratio, & quæ Poetam & Philoſophum magis condeceat quàm hominem Chriſtianum.

Cuph. Nihil hìc dictum eſt contra Sanctitatem Legum Chriſtianitatis quæ procul-dubio modis infinitis non ſolùm conditionem Legum expertem, ſed & Leges optimas aliarum Nationum ſuperant. Veruntamen quandoquidem meipſum Advocatum quaſi Generalem *Paynimorum* (Latiniùs *Paganorum*) conſtitutum reperio, cauſam eorum me oportet agere, eique ſpeciem quam poſſum optimam ſuperinduere.

Bath. Qua quidem in re, *Cuphophron*, Cauſidicos nimis ad vivum imitaris, (qui Clientes ſuffulciunt nullâ ratione habitâ veritatis) dum ſanitatem & longævitatem horum Barbarorum promiſcuæ Veneri potiùs imputas, quàm eorum evagationibus in apricos campos; quàm Jejuniis & Venationibus aliiſque vitæ aſperitatibus. Verùm *Eviſtorem* interpellavi.

Eviſt. Quæſo igitur, Domine Advocate, quid exiſtimas de conſuetudine *Indorum Occidentalium*, qui uxores ſuas ac filias peregrino comprimendas offerunt, in ſignum Amicitiæ & Hoſpitalitatis? Quid de Sponſo qui cum Sponſa, primâ nocte non concumbit, ſed alter aliquis ejuſdem ordinis? Quid de Rege *Calecutiæ* in *India Orientali* qui primâ Nocte cum Regina ſua non concumbit ſed unus è Sacerdotibus qui quingentos coronatos recipit pro mercede, quemadmodum videre eſt in Navigatione *Ludovici Patritii?* Quid de conſuetudine Provinciæ *Camul*, quæ ad magnum *Chamum* pertinet, ubi Paterfamilias, in inſigne exemplum Hoſpitalitatis, uxorem totámque Familiam peregrino committit, ut eâdem quâ ipſe libertate utatur, & ut magis integra fiat illius fruitio, domum relinquit, ut Peregrinus videatur nullum habere Rivalem, quemadmodum *Paulus Venetus* refert.

Cuph. Rem narras mirificè bellam, *Eviſtor*. Verùm conſuetudinem opinor hinc originem duxiſſe, quòd Matrimonium nullam Religionis partem putarent, ſed ſolius Naturæ, ſuáſque Uxores æſtimarent duntaxat tanquam optimum Catellum quod haberent, ac proinde in ſummum Amicitiæ ſpecimen amicis offerrent fruendum. In qua benigna Simplicitate *Camulitæ* videntur reliquos ſuperâſſe.

Eviſt. Quid verò cenſes de Sacerdote *Calecutiæ*, *Cuphophron?*

Cuph. Concubitum illius cum Regina primâ nocte ſpeciem præ ſe gerere exiſtimo auſpicatæ conſecrationis uteri illius ad futuram fœcunditatem, quingentóſque coronatos religioſi ſui officii præſtiti eſſe præmium.

Eviſt. Mirus verò Religionis actus eſt ut quis cum uxore alterius coeat.

Cuph. In directione Intentionis, *Eviſtor*, ſumma rei conſiſtit. Intentio Sacerdotis non eſt adulterium committere, ſed uterum conſecrare. Quæ verò iſta labes eſt in Providentia, quòd Paganorum Sacerdotes æquè callidi ſint atque quidam Chriſtianorum qui ſub obtentu *Spirituali* nimis ſæpe rem ſuam *Mundanam Carnalém*que pariter promovent, quemadmodum *Calecutenſes* hi Sacerdotes facere videntur, qui & voluptatem decerpunt concumbendi cum Regina, Rémque Sacerdotalem ſimul corroborant miſcendo unà cum Regio ſemine ſemen Sacerdotis, quippe quum veriſimillimum ſit, primogenitum Reginæ, Sacerdotis Filium perinde eſſe atque Hæredem Coronæ.

Philop. Equidem *Cuphophronem* tam dexterum Politicum non putabam.

Hyl. Zelus ejus, *Philopoli*, in *Paynimorum* ſuorum cauſa, mirum in modum illius ingenium acuit.

Eviſt. Quam verò apologiam excogitaturum eſt ejus Ingenium pro altero exceſſu circa Matrimonium, illud intelligo *Tartarorum*, qui Matrimonium rem adeò ſanctam exiſtimant ut Deum ſuum *Natagai* credant uxorem habere atque liberos, ac proinde ſi Filii Filiæve ante ætatem nubilem moriantur, nuptias tamen celebrant inter partes ſic defunctas, ut vir & uxor ſint in Mundo altero.

Cuph. Quòd Matrimonium rem adeò ſacramentalem faciant, non eſt cur nobis adeò mirum videatur. Quòd autem opinantur Deum uxorem habere atque liberos, iſtud non multò magis abſonum eſt, quàm opinio iſta *Anthropomorphitarum*, qui Deum Formâ humanâ imaginabantur; quod commentum tamen Monachi quidam *Ægyptii* adeò deperibant, ut Epiſcopum *Alexandrinum* ob vitæ ſuæ diſcrimen ei ſubſcribere cogerent.

VIII.
*De γυναικοχεαλημένοις Incoliſque Ar*cladamiæ *qui in Lecto puerperali decumbunt loco uxorum ſuarum.*

Eviſt. Nullas res leviuſculas, *Cuphophronis* Inventionem ad anguſtias redigere poſſe video. Ac proinde quanquam Γυναικοχεαλήμενοι viríque *Arcladamenſes* qui quadraginta dies in puerperio, uxorum loco, decumbunt, memoriæ meæ ſe obferunt, eos tamen miſſos faciam.

Cuph. Valde inſolens eſt de viris *Arcladamenſibus*, *Eviſtor*. Obſecro quid rei eſt?

Eviſt.

Euiſt. Mulier poſtquam pepererit, lectum relinquit quamprimum poteſt, & miniſteria domeſtica obit. Vir autem tot dies cubat, omniáque Matris officia Infanti præſtat, præter lactationem, vicinæq; fœminæ viſitationes ſuas nepotiarias viro ſic in lecto cubanti faciunt ut Mulieri ſolent in aliis Regionibus. Incolæq; *Arcladamiæ* hanc rationem pro hac conſuetudine reddunt, matrem ſcilicet ſat laboris ſuſtinuiſſe in geſtando Infantem eúmque pariendo, ac proinde par eſſe ut vir eam jam reliquo onere levet, communíſque curæ ſeipſum conſtituat participem, ut *Paulus Venetus* refert.

Cuph. Si viri iſtius Regionis lac in ſuis mammis habuiſſent, ut multi ſanè habuiſſe dicuntur, apud Scriptores fide dignos, Philoſophos, Medicos & Anatomicos, conſuetudo multò plauſibilior futura fuiſſet. Ut ut autem ſit, ſuâ ratione non caret, utì videtis, nec mera ſtupiditas erat quæ ipſos eò impulerit. Et quantùm ad Γυναικοκρατουμένης, ex eo quòd Fœminæ imperent, indicium eſt par eſſe ut imperent. Id enim fit virtute aut roboris earum aut ingenii aut pulchritudinis; nôſtis enim Iambicum iſtud,

Πρῶτον γὰρ εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Reges ſic olim pro formæ ſuæ pulchritudine electi ſunt, utì notavit *Lucretius*. Et cur obſecro viri fœminis imperant, niſi quòd aut robore aut ſapientiâ eas ſuperant? Ubi verò fœminæ imperant viris, argumento eſt plus eas habere aut roboris aut ingenii, ac propterea jus habere ad eis imperandum. Atque equidem ubinam gentium non imperant? adeò ut univerſus ferè Orbis ſint γυναικοκρατούμενοι. Tantum abeſt ut peculiaris inordinatio ſit apud Gentes barbaras, quales *Mela* & *Diodorus Siculus* commemorant.

Hyl. Magnas profectò Fœminæ tibi debent gratias, *Cuphophron*, qui tam benignum ſtrenuúmq; earum patronum te geſſeris.

Cuph. Ego genii ampli ſum, *Hylobares*, atq; liberi, méq; civiliter erga omnes ſectas, ſexus & perſonas gerere amo.

IX.
De Paganorum crudelitate in ſuos Inimicos & inhumana humanitate in Amicos ſuos.

Hyl. *Cuphophron* ſine omni difficultate deglutit univerſa. Verùm ſi rectè memini, diræ aliquæ Hiſtoriæ ſunt de crudelitate Paganorum adversùs Inimicos & de inhumana erga Amicos humanitate, quæ meo judicio, *Euiſtor*, haud paululùm ei nauſeam moturæ ſint.

Euiſt. Sunt ſanè admodum barbaræ conſuetudines apud *Pomponium Melam*, de *Eſſedonibus*, *Axiacis*, & *Gelonis* memoratæ. Quorum poſtremi ſeipſos Equóſque ſuos occiſorum hoſtium cutibus veſtiunt. Ex ea parte cutis quæ caput tegit pileum ſibi conficiunt, reliquâ Equos ſuos integunt. *Eſſedones* parentum ſuorum funera cum largis epulis magnâq; lætitia celebrant, carnem ipſorum fruſtillatim conciſam, cum ovilla mixtam comedentes (quæ ipſa eſt eorum ſepulturæ ratio.) Craniorum verò marginem auro incruſtantes pocula ex eis ſibi ad bibendum concinnant; quemadmodum *Axiacæ* ex interfectorum hoſtium capitibus bibunt, perinde atque ipſorum ſanguinem in campo epotant. In *Caſtella del Oro*, Incolæ etiam illic defunctos ſuos comedunt. In *Java* verò Inſula, ut *Ludovicus Patritius* refert, Liberi non quidem, ut *Eſſedones*, Parentes edunt, ſed poſtquam confecti ſint ſenio rebúſq; inidonei evaſerint, *Anthropophagis* divendunt, quemadmodum & Parentes viciſſim Liberos, ſi morbo deſperato & immedicabili ſecundùm ſententiam Medici, laborant. Nobiliſſimum enim ſepulturæ genus cenſent in humanum ventrem recondi, non autem manducari à vermibus. Quibus ſi quis cadaver defuncti amici exponat, crimen reputant nullo expiabile ſacrificio. Leges etiam *Sardoorum* ac *Berbiccarum*, quas *Ælianus* narrat, admodum barbaræ ſunt. Quarum alteræ filiis mandant ut occidant fuſtibus patres, poſtquam ad deliram ætatem pervenerint, alteræ prohibent nè quiſquam vivat ultrà Annum ſeptuageſimum.

Var. Hiſt. lib. 4. cap. 1.

Hyl. Siſte iſtic, *Euiſtor!* Audiamus qualem Apologiam *Paynimorum* Advocatus excogitaturus ſit pro his tam horridis conſuetudinibus.

Cuph. Equidem, *Hylobares*, hæ res non poſſunt quin duræ ac abſonæ appareant cuilibet homini civili, præſertim primo aſpectu. Cæterùm videtur, ſi penitiùs inquiramus, aliquid laudabile ſubeſſe aliquibus harum conſuetudinum. Parricidium enim iſtud quod committitur à *Sardois* & *Berbiccis* omnino oriri videtur ex commiſeratione Parentum, quippe qui tam triſte ſpectaculum ferre non poterant, quàm ad omnia inopem oneroſámq; ſenectam, morbum gravem & omni aliâ ratione incurabilem præterquam morte. Et quantùm ad *Javæ* incolas, quorum aut parentes, ægrotos liberos, aut liberi grandævos parentes *Anthropophagis* vendunt, fit quidem & ad liberandos nos à præſenti dolore & ad eis procurandam, ut illi exiſtimant, maximè honorificam ſepulturam. Nec parùm quidem gratiæ hiſce barbaris conſuetudinibus conciliat, quòd *Thomæ Mori Utopia* diſcruciantium ac immedicabilium morborum abbreviationem approbat per lene aliquod genus mortis. Quæ mihi quidem videtur altera quaſi Obſtetricatio ad partum Animæ facilitandum in Mundum alterum, ut Obſtetrices ſolent corporis ingreſſum promovere in hunc. Quæ cauſa etiam eſſe poteſt cur *Eſſedones* tam hilares ſunt in Funeribus Amicorum, quippe quæ tanquam Natalitia Animæ æſtimant, quibus in ſtatum alterum editur.

X.
De occiſione hominum in funeribus qui comitentur defunctum.

Eviſt. *Thraces* quidem ſic cenſent, ſi qua fides habenda ſit *Pomponio Melæ*, qui addit Uxores contendere quænam ex ipſis ſepeliendæ ſint cum Maritis defunctis. Quod & *Indorum* uxores faciunt. Refertq; *Acoſta*, *Peruvianis* Regibus, & Nobilibus *Mexicanis* in more fuiſſe ut Uxores, ſanguineq; proximi ac ſervi in Funeribus ſuis occiderentur, ut ipſos comitarentur in Mundum alterum.

Cuph. Durum hoc eſt, fateor, *Eviſtor*, & tamen fortean haud ità ſtolidum & à rationibus Politicis alienum. Hæc enim conſuetudo inſtitui potuit ad Maritorum Regúmq; incolumitatem, nè Uxores, ſanguinéve proximi aut ſervi eos occulto aliquo veneno interficerent.

De Region. Orient. lib. 1. cap. 54.

Eviſt. Sed enim quàm veſana erat iſta ſolennitas Funeris magni *Chami Tartarorum* quam *Paulus Venetus* deſcribit, quando corpus ejus ferebatur ad montem *Alchai*? Occidebant enim in quoſcunq; inciderint in via, Equos pariter atque Homines, hiſce verbis eos affando, *Ite & Domino noſtro Regi ſervite in altera vita.* Exiſtimantur haud minùs viginti millia hominum ex hac occaſione occiſa, in funere magni *Chami Mongu.* In hoc nè minima quidem videtur Calliditas, Aſtutiáve Politica, *Cuphophron*, ſed nuda barbaritas ac ſævitia.

Cuph. Admodum profectò immane eſt, *Eviſtor*, & inſanum. Opinio tamen Immortalitatis Animæ, perſonaliſque diſtinctionis defunctorum in altera vita, ſobria eſt, religioſa, ac Philoſophica, impreſſióq; iſtius perſuaſionis animis hominum ad res Politicas valdè utilis & ad ipſos efficiendos & bellicoſos & juſtos, atque hæc ipſa ſolennitas majorem vim habet ad hanc perſuaſionem imprimendam quàm cuncta ratiocinia ſubtilia Philoſophorum.

Eviſt. Sed tam immaniter crudelis eſt iſta ſolennitas, O *Cuphophron!*

Cuph. Quis novit, *Eviſtor*, quin horum hominum pars maxima, voluntariæ morti ſe addixiſſent, animúſq; eis eſſet ad ſerviendum magno *Chamo* in Mundo altero? Alioqui facilè ſibi cavere potuiſſent nè occurrerent in via. Ambitio autem vivorum Principum plures ad Orcum tranſmittit, quàm hæc ſuperſtitio circa defunctum *Chamum Tartarorum*, & meâ quidem ſententiâ in circumſtantiis magìs iniquis. Nam qui moritur inter ſerviendum vivo ſuo principi, relinquit cui ſervit; qui verò moritur ex amore erga defunctum *Chamum*, abit ad principem quem amat.

Eviſt. Bellè admodum & eleganter reſponſum eſt, *Cuphophron!*

Hyl. *Cuphophron* talis *Oedipus* eſt, ut in nullo hæſurus ſit ſolvendo Ænigmate.

XI.
Caraiamitæ ut homines bonos occidant quò virtutes eorum ſibi arripiant in prædam.

Eviſt. Unum verò ſupereſt, quod peritiam ejus haud vulgariter ſit exerciturum, eſt autem conſueta populi *Caraiamiæ* crudelitas, talis quidem quam difficile ſit ſtatuere, ridicula magìs ſit an truculenta ac barbara.

Cuph. Quæſo te, *Eviſtor*, quid rei eſt? Hujuſmodi enim Hiſtoriolis multùm ego oblector.

Eviſt. Supradictus Author nobis narrat de populo hujus Terræ, quando peregrinus è longinquis Regionibus apud ipſos hoſpitatur, quòd paterfamilias ſi peregrinum perceperit hominem eſſe optimis moribus & virtutem ſpirantibus, ſi prudentem ſobriúmque verbis juxtà atque actionibus & ſingulari bonitate & honeſtate præditum, non committet quin media de nocte ſurgat eúmq; occidat, ſperans eo pacto ſe prudentiam, virtutem & honeſtatem immo ipſam Animam hujus peregrini in ædibus ſuis ſemper detenturum, eúmq; ſic perpetuum illìc fore Inquilinum.

Bath. Certo certiùs, *Eviſtor* lepidum cum *Cuphophrone* agit congerronem, fingitq; Hiſtoriolas quas proponat.

Eviſt. Meâ fide, *Bathynoe*, nihil narro quod non ipſe legerim, quódq; alius quivis legere queat apud *M. Paulum Venetum* in Hiſtoria de Regionibus Orientalibus, libro ſecundo, capite quadrageſimo.

Cuph. Facilè quidem *Hylobarem* habere poſſem ſuſpectum lepidæ alicujus hujuſmodi verſutiæ, credo verò *Eviſtorem* bonâ fide mecum ſemper acturum, nec ullas technas adhibiturum, atque eapropter gaudeo ſanè *Hylobarem* ei hanc provinciam commiſiſſe. Quantùm verò ad Hiſtoriolam de *Caraiamiæ* incolis, non video profectò quòd Paganorum cauſa multum indè acceperit detrimenti. Pagani enim hi ut videtur, pari *Virtutis* fame urgebantur, atque civiliores Nationes, *pecuniæ*, qui dominum ejus ſæpenumero occidunt, ut ipſi eam continuò poſſideant. Iſti igitur majori ignorantiâ laborabant, hi verò majori improbitate. Quodnam verò ulterius Myſterium hac in re eſſe poſſit, haud tam facile eſt cognitu. Defunctum forſan deſtinabant in aliquem Larem familiarem, & religioſis aliquibus Ceremoniis Animam ejus propitiare, poſtquam in corpus adeò peccaverant, quod ex honore & amore erga ejus virtutes, trucidaverant, licèt cum benevolentia perquam exigua erga perſonam integram. An verò tolerabilius ſit hominem trucidare ex amore virtutum ejus, an ex earundem odio, nova diſquiſitio eſt, quam ſubtilioribus Caſuiſtis relinquo. Certus ſum Judæos nullam aliam habuiſſe cauſam cur Servatorem occiderent, quamvìs ſub Inſtitutis haud ignobilioris Legiſlatoris quàm ipſius *Moſis* vixerint, fuerintq; ſelectiſſima civilioris orbis pars.

XII. *De Anthropophagis ſive Cannibalis.*

Hyl. Ludis omnino cum *Cuphophrone.* Quæſo, *Eviſtor*, experire guſtum illius, ut *Cannibalûm* victus ei placeat.

Eviſt. Annon conſultius eſſet Provinciam tuam reſumere, *Hylobares*, ut ipſe eum adoriaris?

Hyl. In manu meliori eſſe non poteſt quàm tua, *Eviſtor*, qui tam particulatim Hiſtorias memineris. Præterea apud *Cuphophronem* nulla omnino ſuſpicio eſt, quaſi tu eum ludificaturus ſis, quod faciet, ut reſponſurus ſit cum majori alacritate & ſecuritate.

Eviſt. Age igitur, quandoquidem ſic ſtatuis, huic ſingulari exemplo de occidendis hominibus ut Animas eorum poſſideant, iſtud addam de trucidandis eis ut corporibus eorum veſcantur: Scelus, *Cuphophron*, quo de frequens mentio fit apud antiquos perinde atque modernos Hiſtoriographos. Veluti de *Anthropophagis* circa *Nyſſæos* montes in *India*, quos notavit *Euſtathius*, utì etiam de iſtis in *Scythia*, à *Pomponio Mela* notatis. Et *Solinus* quidem non hos ſolummodo *Scythiæ Anthropophagos* notat, ſed aliorum etiam mentionem facit in *Æthiopia*. Quarum rerum veritatem recentior experientia ratificat. *Chriſtophorus Columbus Cannibalos* nobis narrat, non procul ab Inſula *Hiſpaniola* qui carne humanâ veſcuntur, eam ſaliunt muriâque acidâ condiunt ut nos bovinam, porcinam & aprugnam. Quòd caſtrant etiam eos quos capiunt impuberes, ut nos capones, quò eſu ſint teneriores, Fœmináſq; vivas conſervant ad procreationem ut nos Gallinas ad ova excludenda. Hæc Inſula Cannibalûm vocatur *Inſula Crucis*, de qua plura legere licet in Navigatione *Columbi.* Viri *Zipangaiæ* (quæ ad *Tartaros* pertinet) ſi in peregrinum incidunt, niſi redimere ſe poſſit, occidunt eum & comedunt, invitantes Amicos & Conſanguineos ad convivium. In *Timaine* oppido in *Caſtella del Oro* humanam carnem in Macellis vendiderunt, ut referunt Coſmographi. Quemadmodum etiam *Braſilienſes* Feſta ſua celebrârunt poculis ſe invicem invitantes ſuper corpore pinguedinoſi alicujus hominis in ſegmenta conciſi. Hoſtéſque quos in bello capiunt ante ignem aſſant, choreas in circuitu agentes.

Cuph. Sufficit, *Eviſtor.* Stomachus meus plus ſatìs jam oneratus eſt. Nihil majorem mihi nauſeam movet, quàm vel harum rerum imaginatio. Nec comminiſci poſſum quid dicendum ſit quòd tam immanes Barbaritates emolliat. Notandum tantummodo eſt, funeſta hæc objecta plus vivos excruciare qui benigniori ingenio ſint, quàm nocere mortuis. Hominémque excoriare fortunis victúve, aut vitam ei eripere, longè ſæviorem eſſe crudelitatem patienti, nec tam Decori conſcientiam eſſe quàm ſtomachi faſtidioſitatem, quæ facit ut moderni *Europæi* ab inimicorum cadaveribus abſtineant. Præterea, utrum magìs barbarum eſt ex contemptu odióq; occidere homines ad paſcendos canes, quemadmodum *Hiſpani* in miſellos *Indos* fecerunt, an ex cupedioſo appetitu humanarum carnium honorificè intra propria viſcera eas ſepelire, quemadmodum fecerunt *Indi* aliíq; barbari? Quæ eſt funerea ſolennitas quâ aliqui eorum utuntur ultimúmq; reputant officium quod præſtare poſſunt defunctis Amicis. Quamobrem hanc ſolummodo inferre poſſumus deplorandam concluſionem, crudelitatem *Europæorum* non minorem eſſe ſed Hypocriſin majorem quàm Indorum civilitatem nondum aſſecutorum. Nam horror iſte quem profitentur & averſatio à carne hominum defunctorum (qui inſtinctus proculdubio à Deo & Natura nobis inditus eſt ut obſtaculo ſit ſævitiæ adversùs noſtrum proprium genus) non eos cohibet ab exercendo omnem realem crudelitatem quæ à Gentibus Barbaris committitur. Unde mihi videntur ἀυτοκατάκριτοι vel à ſeipſis damnati, qui minores iſtas crudelitates adeò abhorreant, cùm interim tam crebrò exerceant majores, percolantes culicem, (quod dicitur,) & camelum deglutientes.

Sophr. Mihi crede, *Cuphophron*, non putabam, te opus tam tolerabile ex materia adeò curva ac nodoſa fuiſſe effecturum. Hoc ſaltem verum eſſe arbitror, Quòd ii qui bellum adeò pro nihilo ducunt, ſanguiníſq; effuſionem & trucidationes hominum ut in poſſeſſiones ipſorum involent, quòd ii, inquam, quibus hæc magìs ſolida crudelitas videtur tolerabilis, id in Providentia intolerandum exiſtimare non debent quod iſtas leviores magíſque innocuas crudelitatis umbras permittat. Omnes enim hæ apparentes crudelitates nihil aliud ſunt, quàm flagellatio abſentis, tollúntque ac pro libitu utuntur eo ſolo quod ille reliquerit: Cædes verò & trucidatio hominis, præſens eſt illius tortura violentáque expulſio ex omnibus quæ habet. Quod in opprobrium Gentium civilium loquor, oſtendendo eas facinora frequenter perpetrare infinitò crudeliora magíſque barbara, quàm vel ea quæ ipſi judicant maximè horrida atque immania omnium quæ à barbaris Gentibus perpetrantur.

Cuph. Equidem gaudeo, ***Sophron***, quòd viri tam gravis judicium cum meo judicio videam conſentire.

Sophr. Ingenuè fateor, ***Cuphophron***, quòd bellam præ te ſpeciem prætuleris ac ſi aſperitates ***Secularis*** Barbaritatis ***Paynimorum*** quos vocas, mitigaveris, vereor autem ut dimidiam partem ſucceſsûs habiturus ſis in craſſis enormitatibus ***Religionis*** ipſorum palliandis.

Hyl. Eſtque id ipſum proximum, O ***Sophron***, quo ***Eviſtorem*** velim Dominì ***Advocati generalis*** acumen exercere.

Eviſt. Qua in re, ***Hylobares***?

Hyl. In excogitando ullam tolerabilem Apologiam pro craſſis eorum opinionibus de Deo, pro eorum Polytheiſmo, & Idololatria, pro Immolatione Hominum, Diabolorum cultu, Immolatione Hominum Diabolo, & ſimilibus.

XIII.
De Atheiſmo & Polytheiſmo Barbarorum.

Eviſt. Rem teneo, ***Hylobares***. Inſtantiáſque proinde ***Cuphophroni*** proponam. Primo igitur in loco, ***Cuphophron***, quæſo te, quid exiſtimas de ***Braſilienſibus***, qui dicuntur nullum omnino agnoſcere Deum, & tamen adeò addicti eſſe Divinandi ſtudio, ut ex eo ferè inſaniant?

Cuph. Ad hoc reſpondeo, ex eo quòd adeò addicti ſunt Divinationibus, ſuſpicioni eſſe quòd credunt eſſe Deum, quódque Atheiſmi contumelia eis impingi poteſt, propterea quòd nulla colunt Idola ullúmve viſibile Objectum.

Eviſt. Iſta charitati admodum conſentanea eſt ſuſpicio, ***Cuphophron***.

Cuph. Supponamus verò Atheos eſſe, Quot millia id genus pecudum ſunt etiam in maximè civilibus ***Europæ*** partibus?

Eviſt. Alii verò ***Indorum***, ***Cuphophron***, ut hoc damnum compenſent, plures uno Deos ſtatuunt. ***Novæ Angliæ*** Incolæ ***Keſan*** Bonum ſuum Deum colunt, & ***Diabolum*** præterea nè noceat.

Cuph. Atque ſic colendo Diabolum, duas ſummas Poteſtates ſive Principia agnoſcunt, alterum ***Bonum*** alterum ***Malum***. Qui quamvìs ingens ſit Error, talis tamen eſt in quem præclara Ingenia inciderunt. Nam ipſe S. ***Auguſtinus***, ***Manichæus*** antè erat quàm factus eſſet Chriſtianus. Et ***Plutarchus*** in libro de ***Iſide*** & ***Oſiride***, ***Platoni*** conſimilem errorem attribuit, οὐ μιᾷ ψυχῇ κινεῖσθαι τὸν κόσμον. Narrat etiam ***Zoroaſtrum*** ejuſdem fuiſſe opinionis; nominâſſe verò hæc duo diſtincta Principia ***Oromaſdem*** & ***Areimanium***, ***Ægyptiúm***que ***Oſirin*** & ***Typhonem*** eis reſpondere. Ità ut indicium non ſit adeò egregiæ ſtupiditatis quòd barbaræ Gentes ***Americanæ*** in abſurdum hunc errorem lapſæ eſſent.

Eviſt. Verùm ***Paynimi*** tui, O ***Cuphophron***, ſibi finxiſſe videntur non duos tantùm, ſed duo millia Deorum, quippe qui Solem colebant, Stellas, Beſtias & Plantas, Mare, Terram, Ventos, Tonitru, Cavernas, Montes, maximè proceras patuláſque Arbores, immo quamlibet Animantem quæ mane primùm ſibi occurrerit, ut quidam Valentinas eligunt, vel potiùs non eligunt, ſed primam quæ obviam eis iverit die ***Valentiniano***, eam amplexantur.

Cuph. Hoc negari non poteſt, ***Eviſtor***, quin Gentes barbaræ innumeris hoc genus Objectis cultum religioſum exhiberent, ſed non tanquam ſupremæ omnium Poteſtati, (quod primarium ultimúmve Objectum erat omnium ſuarum Adorationum) ſed potiùs tanquam Imaginibus ac ſymbolis ultimi illius Objecti. Et quàm magna obſecro pars Orbis Civilis, etiam ii qui Chriſtiani appellantur, contendunt cultum Imaginum in hoc ſenſu laudabilem eſſe atque licitum?

Eviſt. Equidem utrorumque conſuetudines exiſtimo perinde licitas & laudabiles.

Bath. Sæpenumero quidem hac de re mecum cogitavi, ídque omni ſepoſito partium ſtudio, perinde atque ſumma cum diligentia, nec poſſum tamen quamvìs id vellem maximè, ullam comminiſci apologiam pro Eccleſia Romana, quâ ab Idololatriæ crimine abſolvatur, quin eadem meliori jure afferri poſſit pro Paganis, ut qui nullam Legem ſcriptam haberent contra Imagines, quemadmodum Pontificii habent, qui Sacra Biblia Dei verbum agnoſcunt.

XIV. *De Hominum Immolationibus.* *Eviſt.* Id profectò valde appoſitum eſt. Quænam verò mitigatio adinveniri poteſt, O *Cuphophron*, pro horrido illo immaníque modo colendi hæc Objecta, ut pro illo *Scytharum* circa *Tauricam Cherſoneſum*, qui peregrinos *Dianæ* immolabant, hoc eſt, *Lunæ* ?

Cuph. Hoc valde durum eſt, fateor: Verùm permitte mihi vel unum hoc ex te quærere *Eviſtor*, Nemóne unquam in civilibus *Europæ* partibus morte multatus eſt ob id ſolum quòd alieno animo eſſet à certis quibuſdam *Lunaticiſmis* ad quos amplectendos crudeles & Tyrannici Obtruſores eum compellere vellent haud minori ſub pœna quam Mortis?

Eviſt. Equidem diſſimulare non poſſum, quin Hiſtoria exempla nobis ſuppeditet non tantùm multarum Hecatombarum ſed multorum millenorum Holocauſtorum carnis humanæ à ſanguinolenta illa Eccleſia Romana mactatorum, reíque ac honori magnæ ſuæ *Dianæ* immolatorum. Probè nôſti quid velim, *Cuphophron*.

Cuph. Novi. Et obſecro te, quanto hoc tolerabilius eſt quàm illa apud Paganos Immolatio hominum *Dianæ Tauricæ* ?

Eviſt. Utraque perinde execranda. Et tamen alia tibi propoſiturus ſum æquè execranda aut magis. Ut barbaram iſtam Conſuetudinem *Ammonitarum*, qui liberos ſuos Deo *Molech* ſive *Milchom* ſacrificabant, in valle *Tophet*, ſic appellata à Tympanis quæ illìc pulſabantur, ad obruenda lamenta & ejulatus occiſorum Infantum.

Cuph. Hoc fateor valdè barbarum eſſe, *Eviſtor*, vel unum filium crudeli iſti Idolo ſacrificare. Verùm, meo quidem judicio, multò exitialius eſt humano generi, ut ii qui aut ſunt aut eſſe debent Patres Patriæ (magnos Principes intelligo & Imperatores) nullis provocati injuriis ſed ex ſola Dominii Imperiíque cupidine, tam prodigi ſint ſuorum ſanguinis ſubditorum, ut adeò numeroſos eorum exercitus cædi exponant, celantes interim gemitus moribundorum mutilatorúmque militum, Tympanorum Tubarúmque ſonitu aliíſque inconditis belli ſtrepitibus, dum ad hunc modum crudeli Idolo Ambitionis, (ut *Ammonitæ* olim Deo *Milchom*, in valle *Tophet*) ſacrificant. Hiſtoria verò civiles Orbis partes, ab hac Barbaritatis ſpecie abſolvétne, *Eviſtor* ?

Eviſt. Magnus *Turcarum* Imperator, crudelis hujus Idololatriæ generis cumprimis eſt reus, utinámque in ipſo orbe Chriſtiano rariùs occurreret.

Cuph. Idem ipſe animitùs opto.

Eviſt. Sed Deo eſt gratia ab uno horrido Paganorum crimine adeò ſumus immunes ut nè vel minima illius umbra extet in Orbe Chriſtiano.

Cuph. Quodnam iſtud eſt, *Eviſtor* ?

XV. *De Cultu Diaboli apud ipſos.* *Eviſt.* Eſt ipſius Diaboli cultus ſive adoratio. Hoc autem Paganos perpetrâſſe manifeſtum eſt ex ipſorum Templis & Imaginibus, ex dementia ac furore Sacerdotum, & ex Sacrificiis. *Peruviani* duo colebant Idola, Caprum nigrum, immanémque Serpentem, utraque perfecta Satanæ Symbola, taliáque ſub quibus amet apparere. In Civitate *Goa*, Pagoda ſua ſive Idola tam deteſtabili ſunt formâ, ut nemo comminiſci poſſit quicquam turpius aut deformius. Hæc tamen conſulunt tanquam Oracula, Reſponſáque ope Diaboli ab ipſis accipiunt. *Chinenſes* etiam Idolum Diaboli, in alto aliquo ſed aliquantùm umbroſo Templorum ſuorum loco collocatum colunt, duo ingentia cornua in capite habens, cum truculentiſſimo vultu, acutis unguibus manuum loco atque pedum, & capite ex medio pectore deformiter extante, quemadmodum ipſum deſcribit *Gotardus*. Maximè verò horrenda Templi deſcriptio eſt illius quod Rex *Calecutiæ* frequentat, ubi Deum ſuum *Deumo* colit. Deum vero *Tamerani* minimè colit, quia, tametſi Mundum condidit, regimen tamen illius, ut illi credunt, Deo *Deumo* tradidit. Templum hoc introitum ſuum habet multis Diabolis, ex ligno artificioſè inſculptis tornatíſque ornatum. In medio ſacelli ſedes eſt inſtar Throni ænei, Diabolúſque æneus ipſi inſidet cum corona Romani Pontificis haud abſimili, (ut *Ludovicus Romanus* deſcribit) ex qua tria cornua prodeunt. Sunt etiam quatuor alia quæ introrſum tali modo incurvantur, ut caput ejus videantur ſuſtinere. Habet etiam quatuor dentes ex fœdo ſuo hiulcóque ore extantes, vultúmque torvum ac minacem, cum oculis terribiliter prominentibus, & manus cum unguibus ad uncorum ſimilitudinem incurvatis. Pedes autem à Galli pedibus non multùm abludunt. In ſingulis etiam Sacelli angulis æneus Diabolus collocatur, tali artificio ut videatur in mediis flammis verſari, in quibus Animæ dirum in modum aduruntur, quas Diabolus etiam interim devorat ori manu dextrâ unam admovens, dum ſiniſtram ſubter porrigit ad arripiendam ſibi alteram.

Cuph. Si Sacelli parietibus inſcriptum fuiſſet, *Primus in orbe Deos fecit timor* (quemadmodum Templis *Mahometanis* inſcriptum aiunt, *Non eſt niſi Deus unus*) res omnibus numeris futura fuiſſet abſoluta.

Eviſt. Ecquid eſſe poteſt huic affine, *Cuphophron*, in civilioribus hiſce noſtris *Europæ* partibus?

Cuph. Nihil, opinor, niſi Religio *Superlapſariorum*, cujus objectum eſt Infinita Poteſtas nullâ modificata Juſtitiâ aut Bonitate: Quod ipſiſſimum Idolum *Typhon* eſt ſive *Areimanius* quo de loquutus ſum. Hoc enim Commentum Omnipotentis Poteſtatis ac Voluntatis quæ nullâ Juſtitiæ Bonitatiſve ratione habitâ agat, *Idolum* omnino eſt, nihil autem *reale*. Quod ſi eſſet, magìs horrendum eſſet quàm *Indus* iſte *Deumo*, aut ullus Diabolus cujuſmodicunque. Deus autem neutiquam eſſe poſſet. Quia *Deus eſt Amor*, & unaquæque res operatur ſecundùm propriam ſuam Naturam.

Sophr. Optimè argumentaris, *Cuphophron.*

Philop. Multis quidem in rebus hodie videtur *Cuphophronis* ingenium fœliciori ſolito verticulo intendi.

Eviſt. Credo autem opus fore ut altiùs adhuc intendatur ipſi Ingenium, quàm hactenus intenſum ſit, ſi vel tolerabile Reſponſum, ei quod jam loquitur, prætenderit ſe poſſe dare.

Cuph. Quid ità, *Eviſtor*? Quid monſtri eſt quod jam ſequitur, obſecro?

XVI. *De Immolatione Hominum Diabolo.*

Eviſt. Immolatio Hominum Diabolo. *Peruviani* frequenter liberos ſuos ſacrificabant pro ſucceſſu rerum *Inguæ* ſui, pro Sanitate corporis, Victoria ac ſimilibus. Filius etiam crebrò immolabatur pro bona valetudine Patris. *Mexicani* conſuetudinem habuerunt ſacrificandi Captivos ſuos. Unde ſæpenumero Reges à Sacerdotibus inſtigabantur ad bellum inferendum Finitimis ad Captivos nanciſcendos qui Diabolo ſacrificarentur, dicentibus Deos ſuos præ inedia morituros eſſe, oportereque omnino eorum eſſe memores. Ipſe etiam Diabolus dicitur aliquando apparere in *Florida* & quantopere ſitiat queritari, ut humanus ſanguis ſtatim effundatur ad ſedandam illius ſitim.

Solennitas ſacrificandi Captivos Idolo *Vitziliputzli* in *Mexico* intra craniorum Vallum humanorum, dira eſt atque horrida. Ubi Pontifex maximus pectus captivi, acuto ſilice diſcindit, córque fumans manibus extrahit, quod primùm Soli oſtendit, cui offerebat, poſtmodum verò derepentè ad Idolum converſus illius faciei injicit, & ictu pedis cadaver ab aggere ubi ſtat, per Templi gradus ſanguine fœdè pollutos & commaculatos, deturbat. Hæc Sacrificia etiam comedebant, veſtiebántque ſeipſos pellibus mactatorum.

Cuph. Hæc *Americanorum* conſuetudo horribilis admodum eſt proculdubio & abominabilis, quòd tam crudeliter homines immolarent infenſiſſimo illi humani generis hoſti Diabolo. Ac proinde valde optabile eſt, ut nihil in civilioribus hiſce orbis partibus occurreret, quod vel leviſſimam ſimilitudinis umbram cum illa gerat.

Eviſt. Eſtne igitur quæſo quicquam quod gerat, *Cuphophron*?

Cuph. Quidni, *Eviſtor*? Dic enim quid ſit præcipuè in hac conſuetudine quod tanto te & tam ſubito horrore opprimit?

Eviſt. Ut verum tibi dicam, *Cuphophron*, meipſum tam ſubtilem diſtinctúmque Philoſophum non ſentio, ut explicitè tibi narrare queam quid ſit; ſuſpicor autem hoc eſſe: Primò, quòd Gens humana tam fœdum & execrabile Objectum colat atque Diabolum; deinde quòd tam præclaram nobilémque Creaturam quàm Humanum corpus, quod capax eſt ut Templum Spiritûs Sancti evadat, tam deteſtabili Idolo ſacrificet.

Cuph. Reſpondiſti, ſiquid ego intelligo, rectè & peritè, *Eviſtor*, ſi rectè ſcilicet intelligis, quid ſit quod Diabolum tam deteſtabilem reddit.

Eviſt. Illius Superbia, ni fallor, Crudelitas, Malignitáſque Naturæ, quódque omnis Amor ac Benevolentia in ipſo penitus ſint extincta, quæ ſi recuperare poſſet & in ſeipſo reſuſcitare, continuò Lucis Angelus fieret.

Bath. *Eviſtor* optimè reſpondit & tanquam ſi Myſticus eſſet Theologus.

Eviſt. Ut ingenuè tibi fatear quod res eſt, ex eis ſum mutuatus.

Cuph. At verò ſi rectè reſpondit, *Bathynoe*, funeſtum eſt cogitatu, nos in hiſce civilibus Orbis partibus eos habere qui magìs odioſam profitentur Religionem quàm *Mexicani* qui Homines immolant Diabolo, *Superlapſarios* intelligo. Nam Objectum cultûs eorum, Dei Idolum eſt à ſe fictum, qui omnino agit ſecundùm Voluntatem ſuam ac Potentiam ab omni Juſtitia & Bonitate ſeparatam, quemadmodum ſuprà notavi, quæ genuina eſt Idea Diaboli. Cui Idolo, non quidem ut *Mexicani* corpora ſolummodò ſacrificant, ſed & ipſas Animas, nec ab aliquo loco edito in Terram proculcant, ſed nutu arbitrario eas deturbant in puteum Infernalem, ibi ineffabili cruciatu torquendas in æternum, ob nullam aliam cauſam niſi quòd horrendum ipſorum Idolum ſic ſtatuerit. Ulláne eſſe poteſt Religio magìs horrida ac blaſphema quàm hæc?

Hyl. Exſiccari incipere, quaſi ferè exhauſtum, te video, *Cuphophron*, dum eandem adeò cogeris ferire chordam. Hic *Typhon* omnino tuus eſt atque *Areimanius*, quem paulò antè memorâſti. Expectabam profectò magìs proprium & adæquatum novis *Eviſtoris* Inſtantiis Paralleliſmum, præſertim huic de hominibus Idolo *Vitziliputzli* ſacrificandis.

Cuph. Putáſne igitur, *Hylobares*, rem adeò difficilem eſſe in orbe civili aliquid invenire deteſtandæ huic ceremoniæ magìs peculiariter cognatum? Quid exiſtimas de Romano Pontifice?

Hiſtor. Ind. lib. 5. cap. 14.

Eviſt. Quàm veſano modo rotata evagatur *Cuphophronis* imaginatio? Et tamen quàm fœliciter ſcopum attigiſſet ſi notius illud nomen, *Papa*, adhibuiſſet? Iſte enim etiam Titulus eſt ſummi ſacerdotis *Mexicani* qui homines Idolo *Vitziliputzli immolat*, ut *Joſephus Acoſta* refert.

Cuph. Habeo tibi gratias, *Eviſtor*, pro iſta ſubindicatiuncula. *Conſonantia* igitur videtur eſſe inter *Verbales* Titulos, perinde atque inter *res* ipſas *Analogia*.

Hyl. Ego verò lubens iſtam audire vellem Analogiam, *Cuphophron*. Non quòd mihi tantæ voluptati ſit *Papatum* invenire adeò obnoxium, ſed quòd me haud mediocriter oblectet verſatilis dexteritatis & inopinatorum artificiorum agilis tuæ imaginationis obſervatio.

Cuph. Nec mihi omnino cordi eſt eam narrare ob utramlibet cauſam, *Hylobares*, ſed ut Provinciam quam nactus ſum, in gratiam miſellorum *Paynimorum* ornem. Analogia igitur breviter ſic eſt: Quòd quemadmodum Pontifex maximus *Mexicanus* cum Miniſtris, captivi cor evulſit, ictúque pedis dejecit corpus Aſſiſtentibus qui carnem captivorum comedant, ſéque ipſos veſtiant eorum pellibus: Ità Pontifex *Romanus* per crudeles ſuos Inquiſitores confeſſionem veræ Religionis fidelium ſervorum Chriſti, quos Captivos detinet, vi ipſis extorquens, eos trucidavit, fortunáſq; eorum truculentis ſuis Miniſtris & Aſſiſtentibus pro præda dedit in cibum ac veſtitum. Annon hoc ſatìs crebrò occurrit in Hiſtoria, *Eviſtor*?

Eviſt. Equidem negari non poteſt, quin multa hominum millia ſic trucidati ſint.

Hyl. Sed cuinam immolati ſunt, *Cuphophron*? Omiſiſti terminum principalem quem occurrere oportuit in Analogia.

Cuph. Utinam noverim quid Vitziliputzli ſignificaret.

Hiſtor. Ind. lib. 5. cap. 9.

Eviſt. Si id in rem tuam quicquam facturum ſit, dicam tibi expreſſim ex *Joſepho Acoſta* quid ſignificet, viz. *Manum ſiniſtram ſplendeſcentis Plumæ*.

Cuph. Age, age. Mane igitur obſecro parumper. Sol quidem cur non facili ſignificatu Cœleſtem gloriam ſive gloriam Dei, & ſplendeſcens hæc pluma inanem ineptámq; pompam gloriámq; hujus Mundi, vitæve faſtum denotet?

Hyl. Id quidem haud multùm coactum eſt aut alienum *Cuphophron*, ſed quid tum dein?

Cuph. Quamobrem quemadmodum Pontifex maximus *Mexicanus* prætendit quidem *Soli* ſacrificare, cor captivi fumans ei oſtendens, ſimulatque evulſerit, ſed ſtatim vultum convertens, revera hominis immolati cor in Idolum *Vitziliputzli* conjicit: Ità Pontifex Romanus, quando juſtos ſanctóſq; homines (ſub prætextu Hæreſeos) ob negatas iſtiuſmodi Falſitates & Blaſphemias quæ retinentur tantummodò ad rem ſuffulciendam Papalis ſuprematûs ac ſublimitatis, occidit, hæc Homicidia, ad Dei gloriam ſacrificia & in ejus honoris vindicationem facta prætendit, cùm revera truculentæ Oblationes ſint, diráq; Holocauſta, iſti Idolo Abominationum *Vitæ Faſtui* oblata, *vanæ*que *Mundanæ Gloriæ* ac Pompæ *ſævæ*que *Tyrannidi* in animas hominum juxtà atque corpora: Qui adeò quinteſſentialis *Lucifer* eſt, ut id ipſum ſit quo ipſe *Lucifer* factus eſt diabolus.

Hyl. Hæc omnia à *Vitziliputzli* ſiniſtram ſplendeſcentis plumæ manum ſignificante. Ha, ha, hæ. Imaginatio & Ingenioſitas quò tandem prorupturæ eſtis! Quàm levi hilaríque animo eſt *Cuphophron*, qui cum pluma ſic ludere poteſt!

Sophr. Mihi crede, *Hylobares*. quamvìs Imaginatio *Cuphophronis* nimio plus ludibunda videri poſſit & levicula, id tamen quod indigitare nobis videtur, nimis deplorabiliter verum eſt. Multa nimirum inſontium Animarum millia, Luciferiano faſtui *Romanæ* Hierarchiæ ſic facta fuiſſe Holocauſta, filióſq; Dei (quod multò pejus eſt quàm apud *Mexicanos*) adeò crudeliter ac perfidè immolatos eſſe Primogenito Diaboli.

Eviſt. Verius profectò hoc eſt atque evidentius quàm ut quiſquam ei contradicat.

Hyl. Utinam ſic non eſſet. Interea verò credo nos nunquam *Cuphophronem* imparatum oppreſſuros.

Eviſt. Ità quidem videtur. Nec niſi unum mihi ſupereſt harum Tragicarum inſtantiarum genus quod ipſi proponam.

Cuph. Quodnam iſtud eſt, *Eviſtor ?*

XVII. *De Sui-ſacrificatoribus.*

Eviſt. In aliquibus Mundi partibus ſui ipſorum ſunt Carnifices. Incolæ *Narſingæ* & *Biſnagar* carnem ſuam in fruſta concidunt, eáque in faciem Idoli injiciunt, vel carnis ſuæ ſegmentum ſagittæ cuſpidi infigentes, in Aerem, ad Pagodorum ſuorum honorem, arcu emittunt, ut refert *Gotardus.* Quâ Ceremoniâ peractâ guttur ſibi diſcindunt, atque ſic ſeipſos ſacrificium Idolo ſuo mactant. Rex *Quilacariæ* ſuper ſpectaculum ſericis inſtratum, poſt ſolennes aliquot lotiones atque preces, naſo ſibi priùs abſciſſo, auribus, labiis aliiſque partibus; in conſpectu populi gulam ſibi concidit, atque ſic pro ſacrificio ſeipſum Idolo immolat. *Gotardus* ſi rectè memini addit, toto tempore Muſicis concentibus omnia perſtrepere. Hoc fit ſingulis Jubilæis.

Cuph. Utrùm Satanas ex contemptu odióq; humani generis ad hanc ſervitutem eos compulerit, an quòd tantopere ſibi placeat, in perſentiſcendo propriam ſuam poteſtatem, aut in contemplando ſingulare ſtudium & fidelitatem ſuorum Mancipiorum, (ut Meretrices imperioſæ in imperando amaſiis ſuis rem aliquam arduam ac periculoſam, quippe certius teſtimonium (ſi præſtiterint) pluſquam ordinariæ præcellentiæ in ſeipſis, quæ eos in tam abſolutam ſervitutem redegerint, multùm gloriantur) an denique ex his omnibus ſimul ſumptis hoc factum ſit, haud ità neceſſarium eſt ut diſceptemus.

Hyl. Rectè mones, *Cuphophron*, quippe quum tam parùm faciat ad præſens inſtitutum.

Cuph. Verùm properabam ad aliquod, quod cum præſenti inſtituto magìs eſt conjunctum. Proximè omnium nempe ad hos ſui-immolatores Satanæ, accedere triſtes eos certorum quorundam Myſtarum tenebroſæ quidem ac acerbæ Oeconomiæ diſcipulos, qui cùm nullam Divini Numinis notitiam habeant niſi quæ ipſam repræſentet ſub horrenda ſpecie Dæmonis *Indici* ſuprà deſcripti *Deumo* appellati, (hoc eſt Voluntatis & Potentiæ ab omni Juſtitia ac Bonitate disjunctæ,) præcordiis priùs per cogitationes cruciabiles anxiáſq; ſuſpiciones corroſis & ferè diſciſſis, tandem ſe aut ſuſpendunt aut in aquas ſubmergunt aut gulas ſibi denique concidunt, in dirum ſacrificium funeſto illi Idolo quod falſi eorum doctores in Imaginationibus ipſorum Melancholiâ obnubilatis erexerant. Nullum verò Amuletum eſt contra hujuſmodi diabolicas impoſturas quod cum Divino illo dicto S. *Johannis* ſit conferendum, *Deus Amor eſt, & qui in Amore manet, manet in Deo & Deus in ipſo.*

XVIII. *Quid ſibi velit Providentia in tam horridos permittendo uſus in orbe terrarum.*

Sophr. Id utiliter admodum & tempeſtivè notatum eſt, *Cuphophron* : Et quanquam haud ità curioſo ſim judicio, ut de accurata ratione applicationum tuarum perpetua, qua turpiora civilium partium Orbis delicta cum iſtis craſſioribus Barbarorum enormitatibus conferas, ſcitè peritéque Criticum agam; comparationes tamen tuæ in genere obſervationem illam *Philothei* animo meo admodum fortiter impreſſerunt, Quòd magìs externæ ſcilicet craſſæque enormitates quæ apud barbaras Nationes ſunt in uſu, ſatyræ quaſi ſunt invectoriæ contra magìs ſubtilem & hypocriticam improbitatem Regionum Civilium, ut peccatores hi *Civiles* agreſtiores iſtas exorbitantias abhorrentes, eo ipſo contra ſuam non minorem quidem Improbitatem, ſed externâ tantùm ſpecie minùs deformem, ſententiam ferant. Unde haud adeò mirum eſſe poteſt, quòd Providentia tam horridas conſuetudines in Orbe emergere patiatur, ut aſpectus peccati in aliquibus locis magìs horribilis, omnimodam illius ſpeciem aut ſimilitudinem ex aliis procul abigat.

Bath. Verum dicis, *Sophron.* Sed & hoc, opinor, hìc porrò addi poteſt, Quòd Divina Providentia, cùm plenum ambitum cunctarum periodorum ſeculorum ſcenarúmq; rerum in iſtis periodis ſuccedentium mente ſuâ complectatur, permiſit primitùs ac deinceps aliquas partes creationis in magìs palpabilem caliginem ſe immergere, ut eò glorioſior lux poſtmodum ſuccedat & emergat. Cujus Divinæ diſpenſationis ſplendor amabilis, ſpectatoris oculos tanto cum vigore non feriret, niſi eos etiam conjiceret in Regionem Tenebrarum ac Nigredinis, ſævæque Tyrannidis Diaboli in antecedentibus ſeculis in deluſum genus humanum, quemadmodum *Eviſtor* copioſè nobis enarravit. Hæc igitur omnia videntur permiſſa, cum propoſito promovendi Gloriam exornandíq; Triumphum promiſſi *Meſſiæ*, veri Filii Dei ac Servatoris Mundi.

Sophr. Id quidem veriſimillimum eſt, *Bathynoe.* Nec ulla eſt in Deo injuſtitia aut ſeveritas, ſi peccatorum impœnitentiâ ad meliores ſcopos abutatur, quàm quorum aut ipſi aut ſapientiores quidem homines ſæpenumero conſcii ſint. Verùm *Eviſtorem* interpellamus intempeſtivâ hâc noſtrâ de rebus *Cuphophronis* bene geſtis cenſura.

Eviſt.

XIX. *Inſania ſacerdotum Paganorum.*

Eviſt. Additurus duntaxat eram pauca de Paganicorum Sacerdotum dementia, tanquam ingenii Satanici Religionis ipſorum nota poſtrema. Sed vix videtur operæ pretium.

Cuph. Quinimò, quoquo pacto etiam eam nobis enarra, *Eviſtor*.

Eviſt. Quòd Mænades inſaniebant, quæ *Bacchi* Sacerdotes erant, ex ipſarum nomine apparet, cujus Notatio ab iſta eſt intemperie. Sacerdotes *Samadeorum*, populi Imperio *Muſcovitico* ſubditi, res ſuas ſacras cum ululatu inchoant, quem & continuant donec mente capti humi cadant, tanquam exanimes, poſtmodum ſacrificium ornant, & ſolennitatem perficiunt quam ſint aggreſſi. *Hoxiones* ſive Sacerdotes *Chinenſes* quando oracula ſciſcitantur, humi ſe proſternunt manus pedéſque extendentes, altero in libro legente, cui Reſponſa quædam fiunt ab aliquibus Aſſiſtentium qui canunt, ſtrepitúmque cient tintinnabulis & cymbalis. Interea Spiritus hominem humi proſtratum invadit, qui ſurgens, cum extantibus oculis vultúq; diſtorto, vaticinia effundit, eiſq; reſpondet Quæſtionibus quæ ab Aſſiſtentibus proponuntur.

Cuph. Veſani profectò hi modi ſunt Religionis, nec tamen minùs idoneæ Imagines æquè perniciabilis inſaniæ apud nimiùm multos Religioniſtas in partibus Orbis civilioribus.

Eviſt. Ululantes *Quakeros* indigitare te credo, quantumvis inciviles ſint. Iſtoc enim tono primùm inceperunt, humiq; ceciderunt tanquam Animi deliquio correpti, poſtea verò ſurgentes prophetabant, ex tumido turbatóque pectore admodum obſcura Oracula effundentes, contra omnem Ordinem & Ordinationes, denunciantes, omnémq; Rationem conculcantes tanquam opus carnis, Spiritúmq; prætendentes Rationi minimè ſubjectum, lucémq; internam quæ cuivis homini externo inviſibilis eſt niſi cui forte viſus ſpiritualis perierit. Nemo opinatur ſe eam videre, niſi qui aut cæcus ſit aut in tenebris.

Cuph. Magna quædam ſunt eáque pulchra, *Eviſtor*, quæ *Quakeri* profitentur, verùm ea contaminant polluúntq; adeò inſano profitendi modo, & certè in particularibus contradicere videntur ei quod tam canorâ voce in genere extollunt. Illa verò Inſania quam ego ſubindicavi magìs Epidemica eſt quàm hæc Secta, cùm multi ſint præter hos qui nunquam ſe ſatis Divinitus illuminatos credunt donec adeò exorbitanter inſaniant ut rationis oculus è capite eis penitus exiliiſſe videatur, & fumi ac phantaſmata ſola eſſe ipſorum linguæ gubernacula.

Soph. Credo te, *Cuphophron*, generalem iſtum morbum effrænis Enthuſiaſmi per Chriſtianum Orbem hinc indè diſperſi perſtringere. Et tamen aliud genus eſt Inſaniæ magìs latè diffuſum, nec minùs pernicioſum quàm hoc.

Cuph. Quodnam eſt iſtud quæſo, *Sophron?*

Sophr. Adeò fixa & ferox fides ſive fiducia in ſacerdotio infallibili, ut quod illi pro oraculo dictent, utut repugnans ſit omnibus noſtris ſenſibus externis, omnibúſq; noſtris facultatibus internis, imaginationi, rationi & intellectui, quantumlibet contrarium ſit cuicunque quod ſanctum eſt, honeſtum ac humanum, ſint tamen qui illud tam arctè amplectantur, eíque tanto cum zelo & fervore adhæreant, ut in ora involent gutturáque ſuccidant non eis ſolùm qui contradicant, ſed & eis etiam qui eoſdem abominandos errores non auſint cum ipſis profiteri. Si tam efferatus ardor ex adeò monſtroſis erroribus accenſus, ut nemo unquam Lunaticus quicquam repugnantius cogitare poſſet aut effari, cum æquè nefariis conjunctis flagitiis, quantùm ad omne genus cædium & crudelitatum, atque ullus unquam Maniacus committere poteſt, ſi hæc temperies ſive ſpiritus, Dementiæ ſpiritus non ſit ſive Inſaniæ, quæ ad ſobrietatis ſpiritum pertineant ego profectò neſcio.

Cuph. Certè magnum aliquod eſſe oportet quod tantopere moveat *Sophronem*, eúmque reddat ſui, qui aſſolet, adeò diſſimilem.

Sophr. Ut verum tibi dicam, oculum defixeram in *Artolatriam* Pontificiorum Articulúmq; de *Tranſubſtantiatione* cum omnibus veſanis illius ſequelis ſive immaniſſimarum falſitatum, ſive atrociſſimorum facinorum.

Cuph. Equidem in majus incidere non potuiſti Civilis Orbis dedecus & opprobrium. Profiteor tibi, *Sophron*, quanquam nemo ſit quì majorem meipſo habeat averſationem à deſpiciendo aut contumeliis inſectando illud quod alii amplectantur tanquam maximè ſacram ſolennémq; partem ſuæ Religionis, apud nos ipſos tamen non poſſum quin declarem hoc Tranſubſtantiationis figmentum talem in ſe comprehendere Barbaritatum faſciculum, & inauditarum abſurditatum ſævarúmq; crudelitatum, ut nulla una res ſit in univerſo Paganiſmo quæ ipſi ſit æquiparanda. Multiplices impoſturæ Sacerdotum Paganicorum, ipſorum ἀνθρωποφαγία, ſive eſus ſit carnis inimicorum, ſive cadaverum defunctorum amicorum in propriis ventribus ſepultura, ſive craſſa ſit ipſorum Idololatria in genere, ſive Hominum ſuis Idolis Immolatio, cunctæ hæ Abominationes in unum hunc Tranſubſtantiationis faſciculum quaſi conſarcinantur. Ecquis enim unquam ***Indus*** fuit qui ità à Sacerdotibus ſuis deluſus ſit, ut eos crederet facultatem habere per certam verborum formulam Collyridam Maizaceam commutandi in vivum Hominem, quinimo & Miraculum factum ab eis eſſe, quamvìs Collyrida Maizacea etiamnum Viſui, Tactui aliiſque ſenſibus æquè perfecta Collyrida Maizacea appareat atque antea? Quomodóve illi Indos ceu populum adeò barbarum æſtimare poſſunt ex eo quòd Inimicorum carne veſcantur, aut defunctos amicos in propria viſcera condant, cùm ipſi interim profiteantur ſe manducare dentibúſque conterere, non defuncti quidem ſed vivi hominis carnem, ídque non Inimici ſed chariſſimi ſui Amici & Servatoris? Ecquid eſt quod magìs barbarum eſſe poteſt quàm hoc? Et tum denique ad ſuffulciendum hoc Figmentum, (quod excogitatum ſolummodo videtur ad pompam inanémque gloriam Sacerdotis ut ſtupendus exiſtimetur Miraculorum Operator, Creatórque ſui Creatoris) ad hoc inquam Commentum tutandum, ut tot inſontium animarum millia trucidentur quæ ſe ſubmittere non potuerint Impoſturæ, quantum obſecro hoc abeſt ab Immolatione Captivorum Idolo ***Vitziliputzli***, quemadmodum ſuprà innui?

Sophr. Equidem gaudeo, quòd ***Cuphophronem*** videam, ad intolerandam nequitiam hujus partis Romanæ Religionis, tam fervidâ indignatione commoveri. Equidem te tam altivolum Philoſophum putavi, ut neutiquam dignatus eſſes, nè craſſiora quidem in Religionibus Mundi vitia notare. Quæ inexcuſabilis profectò futura fuiſſet rerum deſpicientia & incuria.

Cuph. Si altiùs volarem quàm volucres dicuntur temporibus Peſtilentialibus, vel maximè ſtrenuis alis præditæ, odor tamen noxius hujuſmodi ſceleratiſſimarum Actionum non poſſit quin nares meas vehementer feriret, oculóſque propterea moraretur.

Sophr. Equidem ſic eſt, ***Cuphophron***, quòd nullum Phænomenon in univerſa Providentia animum meum tam attonitum reddiderit obſtupefeceritve quàm hoc ipſum ***Tranſubſtantiationis*** cum omnibus ſuis Circumſtantiis. Si Sacerdotes ***Peruviani*** iſtis barbaris ſic impoſuiſſent, quantopere nos eorum vicem aut deploraturi fuiſſemus aut deriſuri? O miſellos ***Peruvianos!*** O ſtupidos excordéſque Paganos, omni ſenſu ac ratione deſtitutos, quibus tam pudendo modo impoſitum ſit à fallacibus ſuis Sacerdotibus! vel ſic, O miſerande popelle, quos oportet aut profiteri quod impoſſibile eſt ut quiſquam, qui mentis compos ſit, credat, aut à truculentis ***Inguæ*** Miniſtris trucidari, querelis extimulati, doloſi & ſanguinolenti Sacerdotii! Hæc verò in maximè civilibus Orbis partibus fieri!

Hyl. Immò verò hæc conſideratio hominem quemlibet ad profundiſſima compelleret ſuſpiria perinde atque teipſum, me verò præter cæteros. Annon hoc, O ***Sophron***, omnem penitus fidem de Divina Providentia ſubvertit?

Sophr. Abſit, ***Hylobares.*** Quinimo fortiùs eam confirmat, quandoquidem nihil omnino hîc contigit Orbi Chriſtiano degeneranti, præterquam quod expreſſim in ſacris Oraculis prædictum eſt, Quòd temporibus Hominis peccati Deus miſſurus eſſet eis qui veritatis amorem non admiſerint validas deluſiones, quò fidem haberent mendacio. Et indigitando particulatim pudendum hoc Tranſubſtantiationis Figmentum, dicitur de Beſtia quòd blaſphematura eſſet Tabernaculum Dei, quod proculdubio eſt corpus Chriſti, quod ad augendam Sacerdotis gloriam iſti tam fœdè conculcant contumeliiſque afficiunt.

2 Theſſ. 2. 11, 12.

Apoc. 13. 6.

Hyl. In hiſce rebus nec ***Cuphophron***, ut opinor, nec ipſe tam bene verſati ſumus, ut certò de eis poſſimus judicare; de tuo autem judicio & gravitate optimè præſumimus, O ***Sophron***, quod haud exiguam animis pacem in præſens conciliat.

Cuph. Interea autem, ***Hylobares***, ſpero te jam omnem jaculorum vim expendiſſe adversùs me meóſque ***Paynimos.***

XX.

De Religioſis vivendi Methodis in ordine ad futuram Fœlicitatem.

Hyl. Non omnem, ſed præcipuam, vel ut rectiùs dicam quodammodo omnem. Reliqua enim mea Adnotamenta in Gentes barbaras circa earum Religiones, leviora ſunt, taliáque quæ nimis obviam ſimilitudinem habeant cum notioribus erratis Chriſtiani Orbis. Cujuſmodi ſunt nimìs ſeveræ aut nimis remiſſæ vivendi Methodi, ad futuram Fœlicitatem aſſequendam. Exemplum poſterioris eſſe poteſt doctrina ***Bouziorum*** in Inſula ***Japan***, qui populum docent, modò ***Amidam*** precentur & ***Zacam***, duos viros ſanctos qui illìc vixerunt, & pro peccatis Mundi ſatisfecerunt, quamvìs & id quidem faciant negligenter omnino ac remiſsè, nunquam tamen fore, ut æternâ fœlicitate excidant.

Eviſt. ***Gotardus*** verò hos ***Bouzios*** tanquam religioſum Atheorum ordinem taxat.

Cuph. Et tamen multæ Sectæ in Chriſtiano Orbe quæ nolunt ſe Atheos haberi, ut ***Antinomi***, & ***Libertini***, aliique qui iſtis nominibus inſigniri paulò inclementiùs ferrent, majorem, quàm par eſt, cognationem habent cum hiſce ***Bouziis*** eorùmque ſectatoribus, in vita pariter ac doctrina. Verùm eis parco. Quænam verò habes exempla nimiùm ſeveræ Methodi, ***Eviſtor***?

Eviſt. Eſt certè quoddam abſonum exemplum ***Indorum Abdutorum*** qui ad tempus rigidam admodum ſeverámque vitæ rationem ſectantur, iſtâ verò Diſpenſatione ſemel peractâ, omnimodis voluptatibus vitæque ſpurcitiei ſe dedunt, ídque ſe jure facere opinantur.

Cuph. Hunc quidem ſtatum haud ità difficile eſt, cum quorundam ***Spiritualiſtarum*** conditione comparare, qui ſub prætextu quòd carnem auſteritatibus pluſquam ordinariis ſubdomaverint, perveneríntque ad ***Spiritûs libertatem***, ad craſſas rurſus relabuntur carnaléſque libidinoſitates, ad magnum dolorem ſcandalúmque magìs ſobriorum Religionis profeſſorum.

Eviſt. Caſti aliqui Votarii apud ***Turcas*** magnum annulum ferreum pudendo imponunt, ſeipſis utentes ut nos equabus, quas cum equis nolumus coire. ***Mexicani*** Votarii membrum iſtud diffindunt ad idem religioſum propoſitum.

Cuph. Iſtud quidem indicio eſt, illos caſtos Votarios rem ſeriò agere. At verò Votum Caſtitatis prætendere ſive Cœlibatûs, ferro fortius aut adamante, & tamen cum alienis uxoribus potiùs concumbere, quàm fidem frangere, adeò Myſticum Præſtigium eſt, ſecúmque repugnantis Hypocriſeos ſpecimen, ut illius vel ipſos Paganos puderet.

Eviſt. Et meritò quidem, ***Cuphophron***. Nec memoriæ occurrit quicquam ullius momenti in Paganiſmo, quod acerbiorem aliquam ſeveritatis ſpeciem præ ſe gerat, quin idem produci poſſit eiſdem planè terminis, in præſenti ***Romaniſmo***. Ut longæ & faſtidioſæ Peregrinationes, voluntariæ Flagellationes & Verberationes, immoderatæ Vigiliæ ac Jejunia, & ſimilia. Hæc eorum etiam exercitia ſunt qui Idolis ſerviunt Diabolúmque colunt, perinde atque illorum qui genuinos ſervos ſe eſſe prætendunt Domini Jeſu.

XXI. *Opiniones eorum de altero ſtatu.*

Hyl. Nihílne verò eſt obſervatu dignum circa eorum Opiniones de ſtatu altero, ad quem aſſequendum haſce ſuſtineant aſperitates?

Eviſt. Id certè notatu dignum eſt, quòd plerique ex gentibus barbaris ſubobſcuram aliquam notitiam ſuſpicionémve habeant de Animæ Immortalitate ejúſque ſtatu poſt hanc vitam. Sed ſæpenumero mixta eſt cum perquam bellis aliquibus imaginationibus. Ut ***Peruviani*** arbitrantur poſt mortem homines comedere & bibere levéſque aliquas laſcivias cum fœminis exercere.

Cuph. Quis novit, quin Myſticè id intelligant, ut ***Perſæ*** conſimilia loca exponunt in ***Mahometis*** Alcorano?

Bath. Præterea, ipſi ***Europæi***, utplurimum mihi quidem videntur aliquo modo ***Peruvianiſſare***, quòd putent pacto aut contractu, pecuniâ ſuâ ſe emere poſſe futuram fœlicitatem, ut nos agros emimus & hortos in hac vita, dum iſtud eos interim fugit, ſi Paradiſus intra nos non aperiatur virtute Regenerationis in Divinam vitam, quòd univerſa ***Indiarum*** opulentia non ſufficeret ad introitum nobis comparandum in æternam Paradiſum in cœlis.

Eviſt. ***Brachmanes*** etiam in ***India*** Orientali ridiculam opinionem habent de Tranſmigratione Animarum, Probæ ſcilicet Animæ eſſe præmium ut ex humano corpore tranſeat in corpus vaccinum.

Cuph. Iſtud valde ridiculum eſt, niſi locutio ſit ***Symbolica***, aliquídque notabilius ſubindicet, quàm nos opinemur. Nam quòd Animarum humanarum tranſmigratio in Beſtiarum corpora Myſticum Moralémve ſenſum habeat, & ***Plato*** ipſe & aliqui ex illius Sectatoribus ſatìs apertè innuerunt.

Eviſt. Et ***Gotardus*** expreſſim quidem ſcribit hos ***Brachmanas Pythagoræ*** notitiam habuiſſe illiúſque Philoſophiæ quâ nihil erat magìs Symbolicum. Unicum jam porrò proferam obſervandum, & tunc nec ***Cuphophroni*** nec mihi ipſi ulteriorem creabo moleſtiam. ***Cuphophron*** enim omnia cum ludo jocóque protelat.

Cuph. Nihil omnino adhuc protuliſti, ***Eviſtor***, quod arduum ſit aut moleſtum.

Eviſt. Neque certè nunc demum incipiam proferre. Eſt enim tantummodo, quòd S. ***Sebaſtiani de la Plata*** Incolæ nec Imaginem habent nec Idolum.

Cuph. Indicium eſt eos eò puriores eſſe Divini Numinis cultores.

Eviſt. Modò Athei non ſint. Id verò quod ego additurus eram, inepta iſta eſt eorum Imaginatio, quaſi poſt mortem in locum quendam amœnum profecturi eſſent quem ſomniàrunt ultra certos quoſdam Montes, in quos digitos intendere poterant, ſitum.

Cuph. Digna Quæſtio eſt quæ moveatur, Utrùm *Americanum* hoc *Elyſium*, an Scholaſticum *Empyreum*, probabilius ſit beatarum Animarum hâc vitâ defunctarum *Diribitorium*.

Hyl. Quæſo te, quid tu hac de re ſentis, *Cuphophron*?

Cuph. Cœlum *Empyreum* Scholarum puerile Figmentum eſſe ſentio. Quænam enim extat Ratio, cur primum Cœlum Cubicum ſit, niſi ut teneræ ætatis Formæ Angelicæ in area ejus lævi planâque turbines ſuos flagello torqueant? Quamobrem rudes *Indi*, quantum ego intelligo, ſcopum propiùs quidem attingere poſſunt quàm ſubtiles Scholaſtici, etiamſi mihi utrique ſatìs longè videantur aberrare à ſcopo.

Hyl. Verùm ego Scholaſticorum *Empyreum* potiùs approbo quàm Elyſium *Americanorum*. *Americanum* enim *Elyſium* eſt alicubi ultra Montes ſcilicet iſtos in quos S. *Sebaſtiani de la Plata* Incolæ digitos ſolebant intendere; *Empyreum* verò Scholarum ſi puerile omnino Figmentum eſt, nullibi eſt.

Cuph. O Præclaram rationem! Quî igitur, *Hylobares*, fieri poteſt, ut reale Diribitorium ſit Animarum ſeparatarum?

Hyl. Animæ ſeparatæ *Spiritus* ſunt, *Cuphophron*, Spiritus autem nullibi ſunt. Ubi igitur magìs commodè poni poteſt Diribitorium earum, quàm in Scholaſticorum *Empyreo*, quod ipſum etiam nullibi eſt?

Cuph. Malè tibi ſit, *Hylobares*, cum lepido iſtoc tuo Sophiſmate quo me rurſus illaqueare ſatagis. Hanccine mihi rependis gratiam ob tam ſtrenuè navatam operam, ad levandam ægram tuam imaginationem quæ adeò oppreſſa erat & onerata conſideratione funeſtæ rerum Scenæ in Paganico Orbe atque Seculis?

XXII. *Advocati* Cuphophronis *infelix adhuc ſucceſſus quantùm ad mitigationem perplexitatum* Hylobaris.

Hyl. Ob iſtud Humanitatis officium magnas tibi habeo gratias, *Cuphophron*, lubénſque fateor, in hoc tuo conatu egregium te dediſſe verſatilitatis Ingenii agilitatíſque Imaginationis ſpecimen, nec ſine admixtura aliquando aliquantillæ ſoliditatis. Quanto verò minus illius fuiſſet, tanto futurum fuiſſet melius.

Cuph. Paradoxon planè narras. Quid ità obſecro, *Hylobares*?

Hyl. Cùm enim ſtudium hoc tuum erat oſtendere perpetuò res æquè perperam ferè ſe habere in civilibus Orbis partibus atque apud Gentes barbaras, hoc quidem non erat animum perplexis cogitationibus levare, ſed augere onus, efficeréque ut viæ Providentiæ duplo funeſtiores mihi appareant quàm priùs.

Cuph. *Hylobari* huic animus eſt fatuum me ſiſtere, ridiculéque infelicem in omnibus meis ſuſceptis. Annon in ea ipſa via perſtiti quam *Philotheus* ipſe mihi indigitare viſus eſt, ut Imaginationem utique tuam à fallaciis, quas horribilis mirarum enormitatum ſpecies in Orbe Paganico ipſi offuderat, liberarem, inſinuando quòd Pagani, Gentibus civilibus, de quibus benigniorem opinionem conceperas, paulò admodum deteriores eſſent aut quoad dogmata aut quoad conſuetudines?

Hyl. Næ tu ſatìs ſcitè, *Cuphophron*, ſermones tuos ad Imaginationem meam accommodâſti. Sed ſedando ſic Imaginationem, Rationem expergefeciſti quæ mihi magìs durabilem & invincibilem datura eſt inquietudinem quàm quâ laboravi priùs. Ratio enim mihi dictat, ſi Mundus paſſim ferè perinde pravus ſit atque apud Nationes Barbaras, quòd minùs Providentiæ viis acquieſcere debeam quàm unquam hactenus.

Cuph. Eheu! *Hylobares*, equidem doleo quòd ulcus tuum efferatius reddiderim. Ad eum te conferas oportet, qui præſcripſit Emplaſtrum. *Philotheus* Medicus erat, ego tantùm Chirurgus ejus aut Pharmacopola, qui remedium ex illius præſcripto adminiſtrarem. Illius partes ſunt, pro majori ſua peritia ſanum te reddere.

Philoth. Effare mihi quæſo, liberè & ingenuè, *Hylobares*, Plúſne revera torqueris quàm antea, an fictitia querela eſt, lepidúſque tantùm ludus cum *Cuphophrone*?

Hyl. Ut apertè tecum agam, *Philothee*, mixtum quiddam eſt. Verum magnoperè adhuc fluctuo, ac proinde ulteriorem tuam opem imploro.

Philoth. Annon hæc conſideratio, *Hylobares*, & Imaginationem tuam levatura eſt & Rationi gratificatura ſimul, Quòd ex obſervatione ſcilicet, quòd aliquæ ſunt admodum abſurdæ Opiniones & Conſuetudines etiam in civilioribus Orbis partibus, ubi hilari aliàs ſplendidóque vultu renident univerſa, idem etiam concipere poſſimus de Nationibus barbaris, nec immergere defigeréque cogitationes noſtras in eas res ſolas, quæ adeò culpabiles & horribiles ſunt apud ipſas, ſed recordari, multum etiam illìc eſſe poſſe naturalis ſplendiditatis ac lætitiæ, nec tenebroſam iſtam Scenam omnia quidem tempora, loca ac perſonas occupare & obnubilare?

Hyl. Opportunè id ſuggeris, *Philothee*, ſatíſque accommodatum eſt ad alleviandam Melancholiam paululùm. Ac proinde, quandoquidem tam auſpicatò incepiſti, perge obſecro, nobíſque cogitationes tuas, quas proprium tuum toto hoc tempore ſilentium noſtráque colloquia menti tuæ per occaſionem indiderint, ad pleniorem perfectiorémq; præſentis mei morbi curationem, enarra. Neque enim plus eſt quàm ipſe pollicitus es, ſperóq; *Philopolin* effecturum ut ſerves fidem.

Philop. Nullâ aliâ opus eſſe obligatione, auſim affirmare, quo *Philotheus* illud humanitatis officium præſtet, quàm propriâ ſuâ Bonitate, ſinceróq; pro veritate zelo, fervidóq; deſiderio liberandi Animas à ſervitute ignorantiæ, dubitationúmq; & anxietatum equuleo, in rebus tanti momenti.

XXIII. *Variæ conſiderationes quæ efficere poſſint ut Mundi ſtatum ſperemus non tam perditum eſſe, quàm Melancholia aut Hiſtoria eum repræſentet.*

Philoth. Utinam par voluntati mihi eſſet facultas in hoc genere, *Philopoli*. Veruntamen navabo operam, ídque duobus modis. Primùm oſtendendo Mundum haud tam enormiter pravum eſſe quàm *Hylobaris* Melancholia ſuſpicatur; Deinde, Hypotheſin ſubindicando quæ, ſi admittatur, hoc planè ratum dabit, ſit quidem Mundus quantumlibet depravatus, ut Deus tamen ſic permittat, cum Divina Bonitate, (quam nos illius Providentiæ menſuram eſſe contendimus) nequaquam pugnare.

Hyl. Etiam, ſecundùm iſtud, *Philothee*, Remedium profectò foret revera eximium, taléque quod omnem futuram poſſibilitatem iſtiuſmodi diffidentiarum quibus ego laboro, penitùs ſit eradicaturum. Sed lubens te diſſerentem audiam primo in loco, de priore.

Philoth. Particularibus inſtantiis quas *Eviſtor* produxit, de deformatiſſimis barbararum Nationum conſuetudinibus, multa quidem cum ingenii dexteritate reſpondit *Cuphophron*. Ego tantùm brevia quædam capitula recenſebo quæ ad vim infringendam inſerviant talium argumentorum quæ aut alii obſerant aut ſponte cogitationibus noſtris occurrant, quibus enervari poſſe videatur tam exactæ Providentiæ fides, qualem nos defendimus, omninóque inferri, ſi Deus eſſet, hujuſmodi res in Mundo permitti non poſſe; quemadmodum initio ipſe conqueſtus es, *Hylobares*.

Hyl. Horrida iſta in Nationum barbararum conſuetudinibus ſqualiditas, ad iſtam concluſionem nimis violentè nos urget, *Philothee*, præſertim quando quis in Melancholiam immerſus eſt.

Philoth. Verùm ut in poſterum tam facilè tibi non imponatur, iſtas conſiderationes recordari te volo, quæ mihi ſubinde per totum tempus quo vos diſſeruiſtis, occurrêre. *Prima Conſideratio.* Prima eſt, Hiſtoricos ea ſcribere poſſe quæ falſa ſunt, ſive ſe oculatos rerum Teſtes eſſe prætendunt, ſive ex auditione ab aliis accepiſſe. Senes & peregrinatores mentiendi jus habent, quemadmodum vulgò dicitur in Proverbio. Quamobrem aut negligentior inquiſitio, aut vanitas quædam, réſque mirabiles narrandi affectatio, multis falſis Narrationibus Hiſtorias implere poteſt: Atque ſic tametſi *Eviſtor Cuphophronem* decipere minimè intenderit, fieri tamen poteſt ut ingenium ſuum exercuerit circa multa Objecta quæ nullam unquam habuêre exiſtentiam niſi in Paginis Hiſtoriographorum. Ac proinde non potui quin ſubriderem dum obſervabam quàm dextrè *Cuphophron* Politicam analyſin reddiderit, illius conſuetudinis, de ſummi Sacerdotis concubitu cum ſponſa Regis *Calecutiæ* primâ nocte, ac ſi eo conſilio factum eſſet, ut filius Sacerdotis Hæréſque Coronæ in unam concurrant perſonam; cùm filii tamen Regis in Regno non ſuccedant, ſed illius è Sorore Nepotes, quemadmodum nobis narrat in ſua Navigatione ad iſtas partes *Aloyſius Cadamuſtus*.

Philop. Mirum eſt quod dicis, *Philothee*. Quid obſecro in cauſa eſt ut ità fiat?

Philoth. Hoc is in cauſa eſſe ait, Quia Reginas *Calecutiæ* perpetuò comitantur Sacerdotes non pauciores quàm deni ſingulas, (nam ſecundùm eum duas Rex habet Reginas) ſæpéq; ab eis comprimuntur, Rege interim perſuaſo in honorem ſuum eſſe quòd ſic cum eis agatur. Miſcellaneam verò hanc prolem haud ità idoneam eſſe qui Hæredes ſuccedant coronæ.

Philop. Ingenioſas iſtas argutias quas de ſuppoſita hac conſuetudine tam dextrè adhibuit *Cuphophron*, hoc totas penitùs tollit, ſi *Aloyſius Cadamuſtus* Scriptor fide dignior ſit quàm *Ludovicus Patritius*.

Eviſt. Quod admodum difficile probatu eſt, *Philopoli*.

Philoth. Intereà verò loci, quandoquidem Hiſtoriographi alii aliis contradicunt, tantúmve diſſentiunt in ſuis narrationibus, hoc res adeò incertas reddit, ut nemo qui ſapit paſſurus ſit ſeipſum in ullas anxietates circa Providentiam ob ullas Hiſtoriolas, antequam de earum veritate conſtet, conjici deprimíque. Certus ſum Epicureos & Atheos valdè hac in re circumſpectos eſſe, diligentérq; cavere, nè ullis Hiſtoriis de *Strigibus* & *Apparitionibus* fidem habeant quantumlibet veris, nè mens ſibi inquietetur nimiùm violentis indè ſuſpicionibus de Exiſtentia Dei. Cur igitur ii qui Deum eſſe credunt à certiſſimis illius indiciis, in Anxietates conjiciuntur circa Providentiam, ab Hiſtoriis & famigerationibus quæ ſunt incertæ?

Hyl. Cautio eſt omnino Rationi conſentanea, *Philothee*: Perge obſecro.

Philoth.

Secunda Conſideratio.

Philoth. En tibi igitur alteram haud multùm abſimilem. Quòd quantùm ad Ceremonias Civiles perinde atque Religioſas & Opiniones potiſſimùm, conſiderare debemus, Narrationem tradi poſſe Symbolorum ſine ulla clave Mythologica eiſdem addita. Cujuſmodi, quantum ego intelligo, eſſe poteſt apud *Brachmanas* Animarum optimorum hominum in corpus vaccinum tranſmiſſio, id quod perinde veriſimile eſt atque *Jovem* in forma Tauri *Europam* in tergo per mare tranſportâſſe. Quod *Palæphatus* in ſolam Homonymiam verborum reſolvit, narrátque hominem quendam ex *Creta* fuiſſe, (Inſulâ *Jovi* peculiariter ſacrâ) cui nomen erat *Taurus*, qui *Europam* in *Cretam* ex *Tyro*, tranſportavit, quemadmodum multas alias Virgines illinc captivas antea tranſportaverat.

Hyl. Verùm quænam eſt hujus Hiſtoriæ de *Tauro*, cum illa de *Vacca*, quam *Brachmanes* memorant, cognatio?

Philoth. Cognatio ſatìs conſpicua eſt, *Hylobares.* Fateor enim me ea eſſe in ſententia, talem hìc omninò occurrere verborum Homonymiam, quippe quum eadem vox & Vaccam ſive Bovem, & *Cherub*, hoc eſt, Angelum, in linguis orientalibus ſignificet. Annon ità eſt, *Eviſtor?*

Eviſt. *Critici* aliquas iſtiuſmodi Etymologias memorant.

Philoth. Sapientiores igitur è *Brachmanibus*, niſi Cabbalam ſuam *Pythagoricam* perdiderint, hanc tranſmiſſionem Animarum bonorum Hominum in corpus Vaccinum, de aſſecutione corporis *Cherubici* ſive *Angelici* proculdubio intelligunt, quod probæ animæ præmium eſt quantum poteſt maximum, finíſque omnium purgationum *Pythagoricarum.*

Hyl. Mira hæc eſt & inopinata ratio iſtius, quæ adeò craſſa videbatur, Opinionis *Brachmanum Indorum.*

Cuph. Equidem Symbolicum aliquod ſubeſſe ipſe putabam.

Philoth. *Narſingæ* Incolæ Solis Lunæq; cultores ſunt.

Hyl. Fieri poteſt: cùm interim craſſa ſit ac ſtupida Religio.

Philoth. Habent autem hanc Traditionem, quoties alteruter eorum Eclipſin patitur, à cœleſti Dracone eos morderi.

Hyl. Diſpeream, niſi Sacerdotes eorum occulti quidam ſint Calendariorum concinnatores, & philoſophiam capitis & caudæ Draconis, quam vulgus non intelligit, in hanc ſuperſtitioſam Parabolam mutaverint.

Philoth. Vides igitur alteram ſolidam veritatem verborum Homonymiâ involutam, nullámq; eſſe Sacerdotum *Narſingæ* ſtupiditatem, ſed ignorantiam noſtram qui Mythologiam eorum non intelligimus. Quis igitur novit quin æquè ſubtiles eſſe poſſint in colendo Solem atq; Lunam, prætenderéq; ſe non eos quidem colere ſed Divinum Numen, quod in ipſis eſt & in rebus reliquis univerſis, quemadmodum *Europæi* ſuos Imaginum cultus defendunt, ſe Deum utiq; Chriſtúmve in eis colere?

Hyl. In hoc utriq; perinde eſſe poſſunt aut ſubtiles aut ſtupidi.

Eviſt. Fuítne verò ulla unquam opinio tam inepta quàm iſta quorundam *Americanorum* (quanquam oblitus ſum ubi habitent) qui hanc penès ſe traditionem habent, Deum ſcilicet magnam ſagittarum copiam in terram emiſiſſe, atq; hinc viros fœmináſq; originem duxiſſe, & ſic orbem terrarum Incolis fuiſſe habitatum?

Cuph. Ænigma forſan eſt περὶ μορίου γεννητικοῦ.

Hyl. Quàm juvenile commentum in Imaginationem tuam illapſum eſt, O *Cuphophron!*

Cuph. Satìs idoneum eſt quod attribuatur *Americanis.*

Hyl. Quid igitur tam derepente *Advocati generalis Paynimorum* officio te abdicas?

Cuph. Nullum ingenii ſpecimen foret eos in re tam nullius momenti defendere.

Bath. Author forſan primus illius Ænigmatis nullâ indiget Defenſione, cùm Parabola tam pulchram rationem habeat ad locum illum alicubi apud *Plotinum*, τὰς ψυχὰς εἶναι οἷον βολὰς Θεοῦ.

Cuph. Quid, putáſne igitur, *Bathynoe*, *Pythagoram* aut *Platonem* in *Americam* unquam peregrè fuiſſe profectos?

Bath. Nequaquam, ſapientes verò eſſe potuiſſe in omnibus terræ partibus, quantum ego intelligo, qui ſapientiæ ſuæ monumenta mentibus ac memoriæ rudis populi per Symbola ac Parabolas inſculpſerint, ut quidam in Nemoribus Lucíſve ſolitariis ambulantes nomina ſua in Arborum corticibus incidunt, quæ pro augmento arboris, cui inciſa ſunt, creſcunt. Cæterùm brevi temporis ſpacio fieri poteſt, ut homines perinde ignari ſint quid iſtæ parabolæ ſignificent, atque Trunci Corticéſve Arborum, quorum nomina gerant. Et ſi quis rudem populum de myſtico ſenſu ſuarum traditionalium

Allegoriarum moneret, ac ſi Hiſtoria ***Parabola*** eſſet, ***Myſterium*** autem ipſa ***Veritas***, equidem mentibus eorum æquè durum eſſet, atque ipſis arboribus, ſi ſenſum haberent, dolorificum, veras hominum effigies, quorum nomina gererent, loco nominum quæ jam genuit, & quæ creverunt, extenderúntq; ſe in corticibus pro arborum augmento, ſibi haberent ſculpendas. Parem eis pareret cruciatum ac ſi culter inciſorius vivam illorum carnem incideret. Ac proinde efficeret, ut cum furore ſe opponerent manifeſtationi veritatis.

Hyl. Quàm bellas & inopinatas inventiunculas habet cogitabunda mens ***Bathynoi!*** Verùm vehementer cupio, ut ***Philotheus*** pergat in ſua methodo propoſita.

Tertia Conſideratio. ***Philoth.*** Tertio igitur loco, ***Hylobares***, conſiderare debes, conſuetudinis præjudicium imaginationes noſtras ità inficere poſſe, ut quantùm ad corporis ornatus aliáſq; Civiles Ceremonias, eas taxare poſſimus imprudentes, quæ revera nihilo deteriores ſint noſtris. Magna eſt hiſce in rebus latitudo variántq; in partibus Orbis maximè civilibus ab uno extremo ad alterum, ídque ſæpenumero intra unum ſeculum: Habitúſque Patrum atque Avorum æquè peregrini nobis videntur atque iſti peregrinorum & extraneorum.

Hyl. Iſte ſcrupulùs minimè omnium me malè habet, ***Philothee.***

Quarta Conſideratio. ***Philoth.*** Quartò autem, Quantùm ad Morales Deformitates & Exorbitantias, ſuprà ſubindicatum eſt, cùm ***Stultitia*** & ***Improbitas*** totum Terrarum Orbem occupet, præſtare quidem ut hæc fiat illius variegatio, quàm ut ubique eodem veſtitu incedat, ut conſpicientes eam habitu magìs familiari exutam, illius deformitatem eò faciliùs diſcernamus magíſque ſtrenuè adversùs eam inclamemus, atque eam ſic tandem animitùs deteſtemur ſub quocunq; habitu appareat. Ità vanitas vilitáſq; deridentur & ſubſannantur etiam in ſuo proprio Theatro dum agunt, ſuóq; tandem tempore penitùs à ſcena exibilabuntur à ſpectatoribus; hoc eſt, pudebit perinde tenebroſa diráque Idola in imaginatione de Deo concipere, atq; Diabolum colere, viveréq; ac ſi nullus in Mundo eſſet Deus, atque apertè profiteri ſe nullum eſſe cenſere.

Sophr. Utinam Deus acceleret iſta tempora, ***Philothee!***

Philoth. Ità faxit, ex animo comprecor.

Quinta Conſideratio. ***Philoth.*** Quintò, conſiderare debes, ***Hylobares***, Globum hunc Terreſtrem ipſas fæces eſſe Univerſi, maximéq; propriam Regionem Mali, ac proinde de plenitudine Benignitatis Divinæ Providentiæ ex eis quæ hîc reperimus judicare, idem eſſet atque fœlicitatem celeberrimæ; florentiſſimæ optiméq; adminiſtratæ Civitatis, ex conditione metiri eorum qui in Noſocomiis vivunt & carceribus. Nam ſecundùm opinionem antiquorum philoſophorum, ***Philonis***, ***Platonis*** & aliorum multæ eſſe poſſunt Aereæ Æthereæque concamerationes ſupra hanc Terram inferiorémq; Aerem, beatis animabus ſpiritibúſve repletæ, talibus quæ ad iſtam conditionem pervenerint, quam ***Plutarchus*** hoc Ænigmate deſcribit. Cives utique eſſe illius Regionis, ubi Incolæ nec cibo veſcuntur, nec corpora eorum umbram projiciunt.

Hyl. Bona eſt iſta & conſolabilis conſideratio eis qui in bono univerſi magìs exultant quàm ſuo.

Sexta Conſideratio. ***Philoth.*** Et qui adeò curioſi ſunt Providentiæ exploratores, tali animo eſſe debent. Sed pergo. Sextò igitur conſidera, Quocunq; malo Mortales gravantur, idem in ipſorum capita per inobedientiam ſuam recidiſſe, defectúmq; à primo Bono, & præferendo omnimodam cupiditatum ***Animalis vitæ*** expletionem, ordinatis voluptatibus licitiſq; gaudiis ***Divinæ.***

Sophr. Ac proinde, ***Philothee***, majorem officii rationem nobis incumbere exiſtimo, ut miſericordiam Dei magnificemus, quoties triſtificum aliquod objectum in Orbe conſpicimus, quòd omnes non ſimus in tam miſera conditione conſtituti, (quanquam omnes nos ei reddiderimus obnoxios) quàm ut obmurmuremus adversùs Providentiam, quia quoſdam ſic conſtitutos videmus.

Philoth. Rectè admodum, ***Sophron.*** Addereque porrò poſſumus, valde paucos in orbe tam miſeros eſſe, quin inclementiſſimè ferrent, ſi quem intelligerent vitam ſibi eripere conari.

Septima Conſideratio. Quia, quod loco ſeptimo obſervandum eſt, lapſus hominis, quantùm ad fœlicitatem, eſt tantùm in minora Bona, ex Divina benedictione, (ut habet proverbium) in ſolem calidum, quippe qui ***bonum*** etiam tunc captat, ſiqua fides habenda ſit ***Socrati***, quando illud amplectitur, quod nos in iſtiuſmodi Defectûs aut Obliquitatis circumſtantiis appellare debemus nomine ***Mali.***

Sophr. Et maxima quidem cum ratione, ***Philothee.***

Octava Conſideratio. ***Philoth.*** Octavò, Notare etiam debemus, in partibus Orbis maximè incommodis poſſibilitatem eſſe emergendi ex ***Improbitate*** & ***Ignorantia*** loci, ſi homo ſit ſincerus.

Sin aliter, Hypocriſis illius ipſo facto punitur. Nam qui noviſſimo hoc Seculo Indos ad fidem convertere conati ſunt, admodum capaces reperêre, nec id ſolùm ſed & valde ingenioſos & acutos, nihilo ipſis civilibus Nationibus inferiores, quemadmodum ab eis accepi qui obſervationem fecêre. Nec dubito quin, ſi vellet *Eviſtor* rebus laudabilibus apud Nationes barbaras deſcribendis parem operam dare, atque eis quæ aſpectu maximè ſunt horrido aut propudioſo, Melancholicas *Hylobaris* de rebus opiniones multùm eſſet alleviaturus.

XXIV. *Præclara exempla Moralitatis etiam in Gentibus maximè barbaris.*

Eviſt. Equidem fateor, *Philothee*, talia Pacis & Juſtitiæ apud Barbaras Nationes ſic dictas ſpecimina occurrere, ut exoptabile ſit paria apud nos Chriſtianos poſſe reperiri. Ipſi barbari *Americani* futuram expectant fœlicitatem ex his principiis, palmam illam promittentes juſtis & pacificis; & injurioſos, crudeles & avaros, tenebroſæ, lubricæ & inconſolabili peregrinationi poſt hanc vitam adjudicantes, ubi pedes duris ſilicibus ſcindent, nullóque, ulla in re, ſolatio fruentur, animíve pace aut quiete. Quamobrem *Hathney* nobilis *Peruvianus* baptizari noluit, quoniam ad eundem locum noluit proficiſci ad quem crudeles avaríque *Hiſpani* proficiſcerentur, quanquam locum eum appellabant ſpecioſo nomine Cœli: Quod factum exiſtimo ex metu eandem experiendi conditionem poſt hanc vitam cum his ſanguinolentis Homicidis, perinde atque ex deteſtatione execrandæ eorum Societatis. Quorum inſatiabilis auri cupiditas eos effecit ſupra modum injurioſos ad totius Orbis Chriſtiani dedecus ac ignominiam, ac ſi nullum haberent Deum præter hunc ipſum, quemadmodum *Braſilienſis* quidam eis exprobravit, qui *Maſſam auream* attollens, dixit, *Ecce Deum Chriſtianorum.*

Sophr. Tam facilis profectò res eſt, ut unus Improbitatis filius convitietur alteri.

Eviſt. Quodſi deſcriptionem legeris Regionis *Mangi* in *India Orientali* Regiſque *Fakfur*, quemadmodum *Paulus Venetus* res denarrat, quanta cum Juſtitia, Pace & Benevolentia res ſuæ omnes adminiſtrentur, quantáque cum ſecuritate vitam degant, quámque tutò Peregrini nocte pariter atque die per omnes partes ampli illius Regni itinerentur, quomodóque Mercatores, tametſi officinas ſuas apertas noctu relinquant, nemo tamen ingrediatur ad quicquam ſuffurandum, meliorem Titulum hiſce ſanè attributurus eſſet, O *Sophron*, quàm modò attribuiſti *Braſilienſi* & *Hiſpano*.

Sophr. Meliorem videntur mereri, *Eviſtor*.

Eviſt. Conſimilem Characterem *Ludovicus Patritius* particulatim tradit de Civitate *Cambaia*, affirmans eos ex profeſſo Regiæ illi Legi adhærere, *Quod tibi fieri non vis alteri nè feceris.*

Hyl. Ubi verò ulla talia exempla reperis in *India* occidentali, *Eviſtor*? Iſta enim maximè notabilis Regio eſt Barbaritatis.

Eviſt. Id quidem negari non poteſt. Et tamen ex iſta Hiſtoriola de *Hathney Braſilienſi*, vides eos diſcrimen habere honeſti atque turpis. Atque etiam vel iſte populus quem in prima Navigatione *Americus Veſputius* deſcribat tanquam ab omni Civilitate, quam nos appellamus, remotum quàm poteſt maximè, ut qui ſine Regimine, ſine Legibus ac Veſtitu eſſent, Humanitas tamen inquam eorum ac benevolentia erga Peregrinos omnem dicitur excedere fidem, quippe qui eos, ubi primum terram tetigiſſent, omnimodis gaudii & lætitiæ ſignificationibus exceperunt, cum Cantilenis & Choreis, cum Sympoſiis & Bellariis, ſingula ipſis obferentes, quæ ſibi ipſis experti ſint jucunda, omnémque honorem eis deferentes qui concipi poteſt, per hanc ſuam humanitatem ac hoſpitalitatem non minùs octodecim leucas in patriam ſuam eos invitantes & de loco in locum tanquam gratos Convivas liberaliter tractantes per novem dies continuos. Et dum eos ſic comitabantur cum adeò numeroſis agminibus, ſi quos ex peregrinis laſſatos obſervâſſent, ultrò eos levabant, lectis ſuis penſilibus portando, *Hamocks* appellatis, mirificéque officioſi erant in trajiciendis eis trans flumina, optimis quibus poterant rationibus & artificiis, tum ad levamen eorum tum ad incolumitatem. Fœlicem ſe putabat quiſquis opportunitatem nactus eſſet benevolentiam ſuam oſtendendi erga quenquam, in tergum cervicémve eum attollendo, natandóque ſic cum eo trans Fluvium. Cum ſummis hiſce ſed naturalibus realis Civilitatis & Humanitatis ſpeciminibus, eos etiam ad Naves ſuas rurſus deduxerunt. Ubi poſtquam per diem integrum benignè ipſos accepiſſent, ſignificâſſentque poſtea ſe mane proximo eſſe abituros, Incolæ, ut qui ſatis in contemplanda admirandáque amplitudine & artificio Navium, jam ſe oblectâſſent, poſt peramicam ſalutationem, eos reliquerunt.

Cuph. Bellum profectò futurum fuiſſet experimentum Bombardas aliquas exonerâſſe, dum rudes hi ac miſelli Pagani in media rerum contemplatione & admiratione detinebantur.

Eviſt. Sic factum eſt, *Cuphophron*, ſed ex nullo conſilio experiendi quicquam, ſed tantùm bombardam unam & alteram diſploſerunt pro uſitato more ad hujuſmodi occaſiones. Verùm ridiculum habuit effectum.

Cuph. Dic obſecro qualem, *Eviſtor.*

Eviſt. Qui in Littore erant in mare deſiluerunt, demergentes ſe in aquam, ut Ranæ ad ſubitum aliquem ſtrepitum turbámve terrefactæ ex gramine & xyphiis ſuper ripam exſiliunt in fluvium.

Cuph. Suprà intellexi ſtrenuos eſſe Natatores.

Eviſt. Ad admirationem uſque, *Cuphophron.*

Sophr. Id verò haud ità humaniter factum eſt ab *Americo* ſuíſque ſociis quòd eos tam ſubito horrendóque ſtrepitu terrefacerent poſt tot ab ipſis accepta beneficia.

Eviſt. Terrefacti quidem ſunt, ſed ſtatim perceperunt Peregrinos nihil mali adversùs ipſos meditari aut moliri, nec ulla ſuberat cauſa cur injuriæ quicquam ab ipſis metuerent, ut qui ſibi conſcii eſſent, ſe adversùs eos nullam meditari, ſed omnia humanitatis officia eis præſtitiſſe quoad poterant.

Philoth. Vides igitur, *Hylobares*, quantum Legis, Rationis & Bonitatis inſitum ſit etiam hiſce Nationibus, quæ barbaræ ſunt, ut quæ maximé. Vides quàm ſint φιλάνθρωποι, humani generis amantes, ſive φιλόξεινοι.

Eviſt. Cur igitur addere non poſſumus id quod ſequitur apud *Homerum*,

——- Καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής.

Philoth. Iſta longè ſublimior eſt, *Eviſtor*, quàm pro iſtis locutio; verùm talis quæ haud incommodè optimo Chriſtianorum generi poſſit applicari. Noſtra enim Religio teſtificatur Deum Amorem eſſe, Amorémque Legis eſſe impletionem.

Hyl. Læta quidem conſideratio eſt, quòd tanta Boni emergentia ſit in populo qui in tam ſqualida deſolatáque conditione omníque prorſus ſpe deſtituta, videbatur conſtitutus.

Nona Conſideratio.

Philoth. Finge verò, *Hylobares*, Nationem ſive Regionem in conditione quàm voles maximè ſqualida & deſolata, hoc etiam, loco nono, Imaginationem tuam poſſit ſublevare, quod, tametſi ſucceſſio iſtiuſmodi Nationis per multas duret Ætates, particularium tamen Animarum, quæ hanc ſucceſſionem in tam infœlici ſtatu conſtituunt, mora brevis eſt, ſed ſubſiſtentia poſt hanc vitam ſempiterna. Adeò ut mora earum hoc in loco nihil ferè ſit, ſi cum futura duratione conferatur.

Hyl. Id certè nonnihil valeret, *Philothee*, ſi hujus vitæ derelictio, ab omnibus malis quæ eis hîc circumadhærent, eſſet relaxatio.

Philoth. Quis novit, *Hylobares*, quin præſentia incommoda, in majora commoda mutari poſſint ſinceris in altero ſtatu, & quanto fortiùs hîc ad malum viſi ſint impelli, ſpeciali Dei Providentiâ in diſſolutione Animæ à corpore, eo ſtrenuior & pervicacior reſilientia fieri poſſit ab hac ſordida Regione Miſeriæ ac Peccati?

Hyl. Si ità ſit, argumentum tuum ſuâ haud caret vi, nec novi quidem quî ipſum queam confutare. Prævideo enim te dicturum, quicquid boni hujuſmodi ſinceris animabus accedat, virtute meriti ac miraculoſæ Revelationis *Jeſu Chriſti* ipſis factæ eſſe acceſſurum.

Philoth. Rectè conjicis.

Hyl. Verùm quid exiſtimandum de iſtiuſmodi Barbaris gentibus in quibus nè mica quidem *Divinæ Vitæ* unquam emicuerit, ulláve *moralis* poſſibilitas eam acquirendi?

Decima Conſideratio.

Philoth. Hoc ſi eſſet, quod difficile eſt admiſſu, fateor me tam duram de Deo opinionem concipere non poſſe quàm ut ſupponam reddendam ab eis eſſe rationem pro eo Depoſito quod ipſorum manibus nunquam erat concreditum. Ac proinde tutiſſimum eſt ſtatuere, quod notari poteſt in loco decimo, (nec quicquam determinatius licet ſuper hac re definire) quòd iſtiuſmodi ſtatui poſt hanc vitam committendi ſint, qui maximè conſentaneus ſit & attemperatus tali Creaturæ.

Ultima Conſideratio.

Quibus addere potes, loco ultimo, Quòd in hac Scena Terreſtri, corpus penitus purificatum & ſubactum, quamvìs maximè idoneum habitaculum ſit in quo *Divina lux Vitâ*ve *cœleſtis* reſideat, ad fruendum tamen pleniori magíſque ſenſibili *Animalis* ſive *Beſtialis* vitæ dulcedine magìs eſt ineptum; quódque adeò reflexivus animadverſivúſve Spiritus quàm eſt Anima humana, voluptatibus *Animalis vitæ* totus deditus longè majorem oblectationem indè decerpit, ídque cum magìs accuratis pompæ apparatûſque circumſtantiis, quàm ulla Beſtia cujuſmodicunque. *Fili, memineris & te tuis bonis in vita tua & Lazarum malis eſſe defunctum*, &c.

Cuph. Partim intelligo quid velis, *Philothee*, nec poſſum quin ingenii tui fœlicitati, inventioniſque ubertati applaudam, ut qui in tam multas támque appoſitas conſiderationes incideris quibus mentem ***Hylobaris*** ſuffulcias, nè in ullam ſubſidat de Providentiæ Bonitate diffidentiam. Credo tamen me unam porrò conſiderationem, ad numerum efficiendum parem, addere poſſe, talémque quæ maximè efferatæ locutioni in ***Hylobaris*** querela obviatura ſit, ac ſi ſcilicet Deum oporteret Mundum potiùs ob ejus delicta, ſumma cum indignatione diſſolvere, quàm permittere tam veſano curſu ferri, quàm videtur, quantùm ad mores Religionéſque maximè barbarorum Paganorum. Meditatio mea, fateor, aliquantulum Metaphyſica eſt, ſed ſpero ſupra captum ***Hylobaris*** non fore quò minùs intelligat.

XXV. *Raptuoſæ* Cuphophronis *Rationes cur Deus Mundum licèt tam craſſis ſceleribus inquinatum, non diſſolvat, cum ſolidis* Hylobaris Sophroniſque *in eas Animadverſionibus.*

Philoth. Id optimè percepturus eſt, poſtquam eam propoſueris, ***Cuphophron.***

Cuph. Summa rei ad hunc ferè ſenſum eſt, (optóque mihi ſucceſſum meliorem quàm priùs, Infelix enim admodum in mente mea aperienda hactenus fui) Quòd Univerſale Objectum humanæ Intelligentiæ, Religionis ac Venerationis ſecundùm iſtam ferè Inſcriptionem eſt in Templo ***Iſidis***, ſive ***Minervæ***, in ***Sai*** antiqua ***Ægypti*** Civitate. Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, ϗ ὂν, ϗ ἐσόμενον, ϗ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. ***Ego ſum quicquid erat, eſt, aut futurum eſt, meúmque peplum nemo mortalium unquam aperuit.*** Hanc ego æterni Dei eſſentiam exiſtimo, qui eſt omnia, & à quo omnia ſic ſunt ut aliquo ſenſu etiamnum dici poſſint eſſe ipſe.

Hyl. Hoc Hypermetaphyſicum eſt, ***Cuphophron***, altè admodum turgidum atque Myſticum. Quid eſt quod tibi velis? Deum ſic Eſſentiam eſſe ac Subſtantiam rerum omnium, ut Accidentia tantùm ſint ab eo dependentia? Si nihil præter Materiam eſſet in Univerſo, Ænigma hoc facilè intelligi poſſet in hoc ſenſu, omniáque cuicuimodi Phænomena Modificationes tantummodo forent hujus unicæ Subſtantiæ. Quantùm verò ad me, ex primi diei diſſertatione abunde perſuaſus ſum, Immobilem quandam eſſe ſubſtantiam, à mobili materia diſtinctam; Quæ quidem diſtinctio tam palpabilis eſt, ut nihil Deus dici poſſit ullo ſenſu ſano, præter Deum ipſum, nedum res ulla Materialis.

Cuph. Mihi ferè excuſſiſti è cogitationibus, quod proximè eram narraturus, ***Hylobares.***

Philop. Re aliquâ magnâ plenus gravidúſque videtur ***Cuphophron***, permittite, quæſo, animum ſuum exonerare.

Cuph. Agite dum, habeo. Dico igitur, Quicquid Animæ repræſentatur, Deus ipſe non eſt, ſed exterior aliqua Manifeſtatio. Quodcunque verò eminentius eſt, magíſque extraordinarium, Natura à Religioſis Ingeniis venerationem erga ipſum extorſit, quippe ſenſibilem Apparentiam, viſibilémve motionem magni illius Numinis quod auguſtum hoc Mundi Templum inhabitat. Quamobrem cùm Deus ſacrúmque illius Templum omnia loca oppleat, vehementiores omnium Animantium affectus Cultûs Divini quoddam genus eſt, quippe quum ubique quærunt ſeſeque ei incurvant, quò Benedictionem aliquam ab eo accipiant, ejúſve laudes ovanti accentu reſonent, ecſtaticíſque ſignificationibus præſentium ſuorum gaudiorum: quibuſdam quidem vel totas ſuas vires in eam quam capiunt voluptatem expendentibus, quanquam in rebus magis puſillis quas ipſis contribuerit, vel potiùs capere permiſerit, tametſi meliorem interim eis exoptet delectum. Hæc verò quanquam in ſeipſis exigua, magna tamen eis videntur, qui illis oblectantur; minoribus hiſce incorporatarum excellentiarum Deitatis communicationibus puſillanimos eorum ſpiritus gaudio raptúque ſic implentibus, ut reliquorum omnium lubenter patiantur jacturam, Martyréſque fiant & Suiimmolatores his obſcuris omnino Umbris tenuibúſque ſimulachris primæ increatæ Perfectionis: cujus amabili Naturæ tam ſolidum perhibetur Teſtimonium ex tam prompta conſtantique profeſſione, (quanquam ſæpenumero cum funeſtis poſt-incommodis) & tam religioſa adhæſione adeò levibus evanidíſque illius emanationibus. Quos proinde Errores veriſimillimum eſt, commiſerationem potiùs quàm vindictam in Divino Numine moturos, quippe cujus vel minora dona tanto in pretio habentur, támque fervido devotóque accipiuntur animo. Quamobrem res humanæ quantumlibet deformes inordinatæque videantur, ***Hylobari*** tamen nulla ſuppetit ratio cur Divinam vindictam protinus in eorum capita effundendam exiſtimet, quandoquidem non tam Deum contumeliâ afficiunt, quàm ſeipſos decipiunt ſibíque fraudem creant, pravo ſuo delectu.

Hyl. Quid vobis videtur, viri prudentiſſimi, annon admodum raptuoſam ***Cuphophron*** in aures veſtras infudit orationem?

Sophr. Si plenum flumen Imaginationis ejus atque Eloquentiæ, illius judicium tranſverſum non egiſſet, & in locutiones adeò ſcandali plenas, perinde atque in reales errores abduxiſſet, verborum quidem concentus, meis auribus nullum futurum fuiſſet offenſaculum. Mihi verò videntur heſternæ Noctis delirii reliquiæ, in quod incidit, poſtquam veſpertinam Auram humidâ Lunæ influentiâ impprægnatam tam plenis imbibiſſet faucibus, quod, ut videtur, ſecundam hanc intoxicationem ei conciliavit. Verba enim tametſi per linguam admodum promptè devolvuntur, ſenſus tamen quorundam mihi videtur nimis quàm inſalubris, eſſéque potiùs veſanæ Ingenii ac Imaginationis inventiunculæ, quàm dictamina ſolidæ Rationis. Ut cùm ait, eos qui tanto cum affectu viliorum rerum bonarum, voluptatis putà, virtutis loco delectum faciunt, videri tamen gloriam religioſè dare Deo, ex eo quòd tanti æſtimant minuſculas haſce umbras illius plenitudinis & perfectionis quæ ipſi ineſt; cùm reverà in Deum contumelia ſit, ut eæ res quæ minimè ipſi ſimiles ſunt, ab Animante Rationali eis præferantur, quæ ipſi maximè ſint ſimiles, cujuſmodi proculdubio vera virtus *Divinâq; vita* ſunt. Hoc igitur commentum eſt, enormiter falſum, immanéque ſcandalum. Præterea ingens Omnipotentis contemptus eſt quum is rem unam nos eligere jubeat, nos eligamus alteram.

Hyl. Sat dixiſti, *Sophron*, ad difflanda omnia iſtiuſmodi levia Sophiſmata. Hi noctilucani conceptus *Cuphophronis* admodum abortivi ſunt, ſubitóque in tam clara luce evaneſcunt. Præterea huic altivolanti eloquentiæ ſi qua vis Rationis immixta eſſet, quid ad præcipuum faceret ſcopum, Quòd Providentiæ Regula ac Menſura ſit Divina Bonitas?

XXVI. Hylobari *nondum ſatisfactum eſſe de Bonitate Providentiæ propter funeſtam in Mundo rerum Scenam.*

Philop. Ultimam aciem multarum iſtarum conſiderationum quas *Philotheus* & *Cuphophron* conjunctim tibi obtulerunt, ferociſſimè adoriris, de toto autem corpore quid exiſtimas, *Hylobares*? Eſtne ſcepticiſmus tuus hac in re adhuc tam potens ut contra univerſas etiamnum poſſit reniti?

Hyl. Equidem fateor, *Philopoli*, multa à *Philotheo* allata eſſe, quæ haud exigui momenti ſint, apprimèque ad ſcopum quò collineant, appoſita: Opinionem autem iſtam adeò depereo, *Quòd Divina Bonitas illius Providentiæ ſit Menſura*, ut ipſum, quo flagro, deſiderium ut vera ſit, fortean faciat ut illius defenſio infirmior videatur quàm revera eſt. Ingenuè fateor me nondum animum meum tam perfectè ab omni ſcrupulo percipere immunem & in tranquillo poſitum; Argutæque *Cuphophronis* Animadverſiones circa Analogias in erroribus Nationum Civilium maximéq; Barbararum, quantùm ad Mores ac Religionem, exacerbârunt potiùs ulcus quàm ſanârunt effecerúntque magìs incurabile.

Cuph. Ecquis homo unquam tam infortunatus fuit quàm ego, in officiorum ſtudio, quo amicos devinciam, pro iſta mea ingenii tenuitate quâ me Deus donavit ac Natura? Quando argutè ratiocinor, hoc eſt, ſolidè, tunc ulcus exaſpero; quando argumenta mea naturaliter tendunt ad mollificationem, ad mitigandum ſedandúmq; dolorem ulceris, tum enerves ſunt, abortivi, & noctilucani conceptus. Video Fata totum honorem curandi morbum *Hylobaris* in *Philotheum* conjicere, optimúmq; illìc ei exopto ſucceſſum.

Philoth. Ago tibi gratias, *Cuphophron*. Statim verò deprehendam qualis meus ſucceſſus futurus ſit, proponendo *Hylobari* unam tantùm quæſtionem.

Hyl. Fac ità quæſo, *Philothee*: Ego reſpondebo omni cum libertate.

Philoth. Dic mihi igitur, *Hylobares*, Annon exiſtimas libera quædam Agentia, Spiritus putà Angelorum & Hominum, ſic ſe gerere poſſe, ut ſi eos videres in ſuffocantibus ſulphuris flammis ſe volutantes audiréſque ob extremum cruciatum ululantes, horridéque blaſphemantes Deum ex impœnitenti animi vexatione & diabolica obfirmatione in eo quod eſt malum, quippe ſtatui commiſſos Cacodæmonum atque Inferni; An, inquam, nihil obſtante Tragici hujus ſpectaculi horrore, facilè concipere non poſſis, talem rerum conditionem, quamvìs totius Terrarum Orbis faciem occuparet, cum *Juſtitia* ac *Bonitate Divina* poſſe conſiſtere?

Hyl. Eam partem Divinæ *Bonitatis* intelligis, *Philothee*, quam *Juſtitiam* appellamus?

Philoth. Sic eſto, *Hylobares*.

Hyl. Hac de re convictus eram herì, ex tua Parabola de vitiata Virgine, condignóque ſupplicio Nebulonis, qui eam violavit, modíſq; adeò barbaris tractavit; quòd utique in tali ſeveritate quæ ad emendationem puniti minimè tenderet, pœnæ tamen irrogatio originem ſuam ducere poſſit, rationéſque ac menſuras ſuas ſumere ab ipſa *Bonitate*.

Philoth. Potéſne huic dogmati ſine omni diffidentia adhærere, *Hylobares*?

Hyl. Non dubito quin poſſim, quippe quod tam apertè mihi videtur verum.

XXVII. *Hypotheſis quæ Bonitatem Pro-*

Philoth. Age igitur, *Hylobares*, unicum jam habeo Catholicon, quod ſi capere potes, penitus animum tuum expurgabit infimis, ultimis, minimíſq; fæcum diffidentiæ reliquiis,

quiis, quam circa Providentiæ bonitatem habere potes, quamvìs rerum ſcena per totum terrarum Orbem decuplo pejor eſſet quàm *Eviſtor* deſcripſerit.

videntiæ ſartam tectam conſervatura eſt, licèt rerum ſcenâ in terris, decuplo eſſet deterior.

Hyl. Ohe! Hoc revera aliquid eſt, *Philothee.* Hoc nimirum cogitationes meas plenè elucidabit, omnéſq; prorſus ſcrupulos animo eximet meo. Equidem magnum adhuc aliquod deeſſe ſuſpicabar, ad plenam animi tranquillitatem & quietem. Quæſo igitur ut mihi impertias, *Philothee.*

Philoth. Altera eſt è duabus celebratiſſimis *Providentiæ clavibus*, iſta utique aurea.

Hyl. Quid? ſúntne igitur claves omnino duæ?

Philoth. Duæ præcipuæ.

Hyl. Et ſi altera *Aurea* ſit, qualis quæſo eſt altera? *Argentea?*

Philoth. Sic appellitant.

Hyl. O quàm geſtio has claves tractare mihíq; in manus tradi! Quæſò, *Philothee*, producito eas.

Philoth. Non quidem quamdiu nobis adeſt *Bathynous.*

Hyl. Quid itá, *Philothee?* *Bathynous* unus mihi videtur è digniſſimis totius conventûs, qui eas recipiat.

Philoth. Equidem facilè ſic ſtatueres, ſi rem totam reſciſceres.

Hyl. Noli, obſecro, me celare quicquam.

Philoth. Is eſt qui primus eas recepit, ídque multos ante annos, quando tuam ætatem vix attigerat. Ac proinde nemo noſtrûm decorum exiſtimat, illo præſente, tantum ſibi aſſumere ut alteri cuipiam claves tradat, quippe quum iſtum honorem ei qui primus eas recepit, reſervamus.

Hyl. Pervenuſta quidem eſt Ceremonia. O ter fœlicem adoleſcentem cui illuſtris Sapientiæ vultus tam maturè illuxerit! Verùm, ubi obſecro has claves recepit, *Philothee?*

Philoth. In inſomnio.

Hyl. Quid? Totáne igitur expectatio mea evanuit in inſomnium?

Eviſt. Nôſti, *Hylobares*, quàm præclara Philoſophiæ ſpecimina & quàm profunda tradita ſint in Somnio *Scipionis.*

Hyl. Rectè mones, per jocum omnino dixi, nec minorem nunc expecto veritatem, minoríſve momenti quàm priús.

Eviſt. Quæſo, *Bathynoe*, quale inſomnium erat? Sunt enim quinque genera, ſecundùm *Macrobium*, nempe Ὄνειρος, Ὅραμα, Χρηματισμὸς, Ἐνύπνιον, Φάντασμα.

In Somn. Scip. lib. 1. cap. 3.

Bath. Equidem, *Eviſtor*, rem nondum unquam tam Criticè mecum expendi, ex quo ipſum recepi.

Eviſt. Poſſes tamen facilè mihi narrare, ſi naturas horum quinq; diverſorum generum inſomniorum tibi deſcriberem.

Hyl. O impertinens *Eviſtor!* qui moras adeò non neceſſarias injicere velis, intempeſtivam captando occaſionem, quo peritiam tuam oſtentes in Criticorum Nugis, dum ego interea ferè totus conſumor ac contabeſco, præ vehementia deſiderii Arcani adeò magni momenti mihi communicandi, ad mentem ſtabiliendam in grandi illa ac fundamentali veritate in quam tam acri ſtudio inquiro.

Eviſt. Maximopere te oro, *Bathynoe*, *Hylobarem* hoc dolore eximas, video enim eum omnis moræ impatientiſſimum.

Bath. Inſomnium eſt quod mihi adhuc adoleſcenti contigit, de Homine grandævo vultu geſtúq; venerabili, mecum in luco, colloquente.

Eviſt. Illa ipſa intimatio, iſtud Inſomnii genus eſſe oſtendit, quod *Græci* Χρηματισμὸν, *Latini* Oraculum vocant.

Hyl. Omen optimum, *Eviſtor*, ob quod gratias tibi ago maximas. Quinimò ob hanc unam rem omnes tuas Criticas Impertinentias in poſterum tibi condonabo.

Eviſt. Et ego unà tecum *Bathynoum* exorabo ut hoc ſuum nobis enarret Inſomnium. Etenim æquè ardenter ferè illud audire diſcupio atq; ipſe tu. Quippe qui videre pervellem quàm exquiſitum exemplum ſit illius generis Inſomnii, quod Oraculum appellamus.

Bath. Multùm profectò me pudet tantâ videri animi levitate ut inſomnia mea coram peregrinis enarrem, præſertim coram viro tam gravi ut eſt *Philopolis.*

Hyl. Nomen proprium, *Bathynoe*, Inſomnium non eſt, ſed Oraculum.

Bath. At verò multò magìs me pudet, itá præ me ferre ac ſi Oracula dare poſſem, quàm Inſomnia mea narrare.

Cuph. Ipſe non dediſti Oraculum, ſed Oraculum datum eſt tibi.

Bath. Verùm niſi ipſe dediſſem poſtea, *Cuphophron*, nemo veſtrûm ipſum unquam accepiſſet.

Philop. Inſomnium appelletur, an Oraculum, an Inſomnium Oraculare, perinde eſt, modò nos beare digneris illius auditione. Neque enim tam imperitus ſum aut moroſus, ut leviorem de quopiam opinionem concipiam quòd Inſomnium ſuum narraverit, præſertim in hiſce circumſtantiis. Quinimo, omninò cenſeo ſic eum facere oportere.

Bath. Age igitur, quandoquidem ſic faciendum eſt; ex *Philopolis* permiſſu & ob importunitatem *Hylobaris*, recitabo vobis Inſomnium meum, quàm accuratiſſimè breviſſiméque potero. Primùm igitur ſcias, *Philopoli*, quàm anxio & meditabundo ingenio fuerim ab ineunte uſque ætate & quàm profundum validúmque ſenſum habuerim de Exiſtentia Dei, quámque maturam Conſcientiam atque ſtudium mihi conciliandi illius gratiam: útque, poſtquam ad ætatem Rationi opportuniorem perveniſſem, levioribúſque aliquibus Philoſophiæ rudimentis imbutus eſſem, de Deo, craſſiori tantùm & generaliori modo meditari non eſſem contentus, ſed naturam ejus magis diſtinctè accuratéque conſiderare inceperim, & contemplari compararéque inter ſe illius Attributa; partímque ex naturalibus propriæ mentis ſenſationibus, partim ex evidentia & authoritate ſacræ Scripturæ audacter apud me ſtatuerim, infinitam *Potentiam*, *Sapientiam* ac *Bonitatem*, hæc tria principalia eſſe maximéque comprehenſiva Attributa Divinæ Naturæ, horum autem ſupremum eſſe illius *Bonitatem*, ſummitatem, ut ità loquar, atque florem Divinitatis, illúdque ſpeciatim quo Animi hominum evadunt *Divini*, cùm vel largiſſima reliquorum participatio ſine hoc, *Divinos* eos non conſtitutura eſſet, ſed *Diabolos*.

Intereà loci cùm in nulla naturali Philoſophia aut Metaphyſica verſatus eſſem præterquam vulgari, cúmque expectarem ut Leges externæ Creationis, ſive Viſibilis ſive Inviſibilis, cum præcellenti illa atque amabili Idea Divini Numinis quam affectu maximè ſerio devotóque in proprio pectore fovebam, convenirent, diu profectò mens mea onerabatur inextricabilibus perplexitatibus ac difficultatibus, quomodo Mundi Phænomena vulgaréſque hominum Opiniones ullâ tolerabili ratione conciliari poſſint aut conſentire cum illis duobus præcipuis Dei Attributis, *Sapientia* ejus atque *Bonitate*. Hæ Meditationes oculos meos ſingulis Veſpertinis clauſerunt, hæ ſingulis Matutinis meam primæ ſalutârunt memoriam. Hæ remotas meas ſolitariáſque deambulationes comitabantur, in Agros atque Sylvas, aliquando adeò multò mane, ut plerique mortalium in lecto tunc ſterterent.

XXVIII. Bathynoi *Inſomnium, de duabus Clavibus Providentiæ, ſuprà memoratam Hypotheſin complectens.*

Factum eſt igitur, O *Philopoli*, die quodam Æſtivo, ſummo mane cùm è lecto ſurrexiſſem, támque diu in certa quadam Sylva (quam aliquammultos ante annos frequentaveram) deambulaſſem, ut par eſſe putarem humi parumper conſidere, (ut qui partim ex diuturniori corporis motu, maximè verò ex Vigilia nimia, éxque nimis anxia & ſolicita Meditatione de talibus difficultatibus, quales *Hylobares* aut jam propoſuit aut quales primitùs prævidi veriſimile fore eum propoſiturum, ſpiritus diſſipaſſem) quòd laſſata membra inter graminia atque flores ad patulæ viridantíſque Quercûs pedem repoſui, ubi molli vividâque Aurâ matutinâ circa calefacta mea tempora in umbra, ludente, ſanguinémque ac ſpiritus ineffabili cum voluptate, refrigerante, induſtriíſque Apibus ſuper roſcida Trifolia aures meas, circumcurrente murmure, demulcentibus, cui proximiori ſonitui admiſcebantur è longinquo diſtantium cantillationum Avium garrularum Melodiæ ab omnibus Sylvæ partibus reverberatæ, hiſce Naturæ oblectamentis ſic conſpirantibus facilè conjectare potes, *Philopoli*, me quaſi incantamento quodam ſtatim præcipitatum iri in profundiſſimum ſomnum. Verùm evigilavit Anima tunc ut cùm maximè, &, ut videtur, modo admodum vivido ſomniavit me adhuc in ſylvis hiſce ſolitariis ambulare, cogitationibus etiam in aſſuetas circa Providentiam difficultates acriùs intentis quàm unquam antehac.

Verùm dum in magna hac Animi anxietate ac fervore verſabar, vehementibus devotíſque ſuſpiriis (quemadmodum mihi crebrò accidit vigilanti) ejaculationibúſque ad Deum comitato, derepentè mihi ad diſtantiam apparuit admodum gravis ac venerabilis Perſona, lento gradu incedens, & ad me tendens. Statura ejus major erat humanâ. Amictus erat Togâ laxâ colore purpureo, Togis Indicis, quæ nunc in uſu ſunt, haud multùm abſimili, niſi quòd Manicæ paulò laxiores eſſent ac prolixiores, & circa lumbos colligabatur Cingulo, quod vocant, Levitico, etiam purpureo, crepidáſque geſtabat holoſericas ejuſdem coloris; in capite verò pileum habebat campeſtrem ſive equeſtrem ex holoſerico nigro confectum, ac ſi Peregrinator eſſet, locíque Incola ſimul.

Cuph. Spiritus, mihi crede, erat alicujus è Majoribus nobilis illius Familiæ, ad quam Sylva pertinebat.

Hyl. Obliviſceris, *Cuphophron*, *Bathynoum* jam Inſomnium narrare, uti etiam, (jam tertium) Spiritus nullibi eſſe, ac proinde in ſylva ſe cuiquam obvios dare non poſſe.

Philop. Satìs ſupérque iſta inculcâſti, ***Hylobares.*** Perge, obſecro, ***Bathynoe***, ejúſque ætatem vultúmque deſcribe perinde atque veſtitum.

Hyl. Fac ità quæſo, ***Bathynoe***, maximopere enim oblector accuratis hujuſmodi rerum narrationibus.

Bath. Niſi genarum rubicunditas aſpectûſque vivacitas viderentur contradicere, ex nivea capillorum albedine promiſſáque barba, certíſque in vultu ſenilibus lineamentis, eum centum viginti ferè annos natum exiſtimarem.

Sophr. Nulla tanta eſt ea in re repugnantia, ***Bathynoe***, ***Moſes*** enim quando moriebatur, centum & viginti annos natus dicitur, & tamen nec oculis caligâſſe nec amiſiſſe viriditatem. Sed perge obſecro. Deut. 34. 7.

Bath. Dum ad aliquam à me diſtantiam aberat, intrepidus ſteti ac immotus, tantùm in honorem tam venerabilis Perſonæ, caput aperui, galerúmque tenui in manu. Poſtquam verò propiùs ad me acceſſiſſet, oculorum vividus fulgor, qui de ſubter umbram pilei nigri roſtrati penetranti radio emicabant, totáque faciei indoles auráve, quanquam cum mirificâ quadam manſuetudine & ſuavitate conjuncti, adeò me derepentè attonitum reddiderunt, ut ingenti tremore corriperer, nec pedibus quidem inſiſtere valuiſſem, niſi capiti meo manum impoſuiſſet, benigníſque verbis allocutus eſſet. Quod paterno ſanè more fecit, dicens, Deus tibi benedicat, mi fili. Bono animo es, nolique timere. Nuncius enim ſum tibi à Deo in bonum tuum miſſus. Seria tua Suſpiria & Anhelationes ad veram Creatoris tui notitiam viarúmque illius Providentiæ (quæ cujuſque rationalis Animantis maximè condigna eſt exercitatio) aſcenderunt in conſpectum Dei, mihíque in mandatis datum eſt duas Providentiæ Claves tibi in manus tradere, quibus Theſauros illius Sapientiæ aperire poſſis, quam tu tam anxiè & tamen tam piè pariter quæris. Quæ cùm dixiſſet, manum dextram in Manicam ſiniſtram immiſit, duáſque extraxit clarè ſplendentes Claves, ***Argenteam*** alteram, alteram ***Auream***, ſericâ faſciolâ coloris cærulei colligatas, & in manus meas tradidit, quas ab eo recepi, corpus incurvans, maximáſque ei pro tanto dono gratias agens.

Atque nunc quidem pluſquam ordinarium animi robur recuperaveram, quod percepi mirificâ quâdam ratione per manum ejus capiti meo impoſitam fuiſſe communicatum, adeò ut facilem quandam confidentiam & familiaritatem cum eo converſandi acquiſiviſſem, ac proinde, licèt cum debita honoris ſignificatione, citra omnem tamen timorem, putabam me eum ſic porrò alloqui. Clavium hoc pulchrum ſanè Par eſt, mi Pater, aſpectûque admodum amabile, ſed ubi eſt Theſaurus quem aperiant? Ad quod mihi ſubridens ſtatim reſpondit, Theſauri, fili mi, in ipſis Clavibus reconditi ſunt. Tunc ego, Ergo ſingulis Clavibus opus erit alterâ clave quâ aperiantur. Utraque Clavis, mi fili, aiebat ille, ſibi ipſi eſt Clavis; juſsítque me ſimul animadvertere protuberantes Literarum ſculpturas in Clave ***Argentea***, idémque artificium erat in Clave ***Aurea***. Quod cùm propiùs inſpexiſſem in utríſque, obſervavi ſcapos clavium ex multis conſiſtere annulis arctè affabréque inter ſe commiſſis, iſtóſque ſcapos totos aſperſos eſſe literis, ſed modo confuſo admodum & inordinato.

Literas in rectum ordinem redige, ait ille, ſcapúmque manu alterâ tenens, manubrium alterâ revelle, exibítque tibi Theſaurus. Sumpsíque Clavem ***argenteam***; Verùm tametſi ungues premendo in literas annulos truſatiles movere potui, in nullum tamen potui ordinem literas reducere, ità ut omnes in rectis lineis jacerent, nec ulli lineæ ullus inerat ſenſus verborúmve ſignificatio. Quod poſtquam grandæva illa perſona obſervâſſet, Oportet priùs ***Symbolum*** cognoſcere, mi fili, ait ille. Ipſius Clavis iſta eſt Clavicula. Obſecro igitur te, Pater mi, inquiebam ego, ut dicas mihi ***Symbolum***. Symbolum, ait ille, mi fili, hoc eſt: ***Claude feneſtras ut luceat domus.*** Poſtquam hoc Symbolum nactus eſſem, opus denuò aggredior, literíſque quæ Symbolum conſtituerent in lineam rectam reductis, manu ſiniſtrâ ſcapum Clavis tenens, Manubrium dextrâ revellebam exiitque Tubus argenteus, in quo tenue erat papyri volumen, ut ego quidem arbitrabar, ſed æquè firmum & tenax atque ulla charta Pergamena, & album ut puriſſima Nix.

Hoc volumen nactus ſine mora evolvere non dubitabam. Figura perfectè quadrata erat, cum æqualibus marginibus omni ex parte coloris cærulei lineis, modo admodum conſummato ac amabili deſcriptis. In medio Figura Solis auro flammante deſcripta eſt. Circa Solem ſex erant Circuli, ejuſdem cærulei coloris lineis deſcripti. Duo horum Circulorum corpori Solis valde erant propinqui. Reliqui quatuor magis remoti erant, & ab ipſo & à ſe invicem, quanquam haud æqualibus Intervallis.

In unoquoq; horum Circulorum figura erat, parva macula inſtar globi, ſed duorum diſtinctorum colorum; altera pars Solem versùs argenteo ſplendore lucebat, altera confuſaneo quodam nigrore obfuſcabatur. Circa exiguos iſtos Globos in tertio quintóq; circulo, minores etiam deſcripti ſunt circuli cærulei, unus circa tertium, & quatuor circa quintum, & in ſingulis hiſce circulis exigua etiam erat macula globoſa, magnitudinis iſtis in medio, minoris. Aliquid etiam circa globum ſexti circuli depictum eſt, quod tamen haud ità diſtinctè inhæret memoriæ. Ultra hos circulos innumeræ erant multitudines Figurarum aurearum Stelliformium, ejuſdem ſpeciei cum illa Solis, ſed multò minores, quæ neglectim diſperſæ inveniebantur quædam à margine aliquantùm diſſitæ, aliæ margini magìs propinquæ, aliæ verò à linea marginis cærulea biſectæ, ac ſi illinc intelligendum eſſet, plures porrò eſſe iſtiuſmodi Stellas aureas uſque ad extenſionem indefinitam. Schema hoc oculos meos paſcebat ad bonum temporis ſpacium. Tale enim nunquam videram antehac, lineáſq; mihi in memoriam perfectè imprimere mecum decrevi, ut eò promptiùs poſtea ſuper hac re cum perſona illa venerabili poſſem diſſerere. Scopum enim intellexi ex inſcriptione in ſuperiorem marginem, quæ hæc eſt : *Verum Mundi Syſtema*. Poſtquam mihi ipſi ad hunc modum ſatisfeceram, volumen denuo convolvi in Tubúmq; argenteum repoſui, & Tubum poſtea ipſum in ſcapum Clavis facilè immiſi, turbandóq; lineam literarum, quæ ſymbolum continebant, omnia tutò obſerata erant ut priús.

Cúmque meipſum aperiendo primum hunc Theſaurum tam pulchrè oblectâſſem, majori ardebam deſiderio adoriendi alterum; cúmq; probè noverim omnes conatus fruſtraneos fore ſine *ſymboli* ſive claviculæ clavis notitia, Divinum illum ſenem oravi ut eam mecum communicaret. Id perlubenter faciam, fili mi, ait ille, ſimúlq; moneo, ut eam ſpeciali attentione accipias; ſic autem eſt : *Amor Dei lux animæ*. Præſtantiſſimum ſymbolum, aiebam ego. Clavicula ipſa Theſaurus eſt. Utcunq; ad opus me accinxi ut priùs, literáſq; cùm ad talem ordinem reduxiſſem ut linea ex ipſis concinnata ſymbolum planè contineret, utramq; Aureæ clavis extremitatem manibus prehendens ac in diverſas partes revellens, quemadmodum in clave Argentea feci, Tubum aureum ad manubrium clavis continuatum extraxi, in quo tale papyri, ſi ità loqui licet, volumen erat, quale erat in altera, eximiè candidum ac purum, & quanquam admodum tenue, nequaquam tamen tranſparens. Scriptum etiam æqualibus marginibus omni ex parte terminabatur; hoc tantùm erat diſcrimen, quòd margines magìs ſplendidi erant, ut qui floſculis exornabantur, auro, minióq; ac cæruleo pigmento deſcriptis. Obſervavi autem duodecim ſententias totam aream impleviſſe, aureìs etiam literis depictas. Prima erat, Menſuram Providentiæ eſſe Divinam Bonitatem, quæ nullos limites novit præter ſeipſam, quæ eſt Infinita. 2. Filum temporis & expanſionem Univerſi eandem manum alterum extraxiſſe, & extendiſſe alteram. 3. Tenebras & Abyſſum fuiſſe ante lucem, Soléſq; ſive Stellas ante omnem opacitatem aut umbram. 4. Omnes Spiritus Intellectuales qui unquam fuerunt, ſunt, aut futuri ſunt, cum luce ortos eſſe ſimúlq; coram Deo jubilâſſe in Aurora Creationis. 5. In infinitis liberorum Agentium Myriadibus quæ propriarum ſuarum Fabricatrices forent Fortunarum, inſtar miraculi futurum fuiſſe ſi univerſæ eâdem ſemitâ inceſſiſſent, ac proinde peccatum in extremo exitu dextras conjunxiſſe cum opacitate. 6. Quantum Lux excedit umbras, tantum Fœlicitatis Regiones, regiones excedere miſeriæ ac peccati.

XXIX.
Quòd adeo ruditer ac violentè è tam Divino inſomnio expergefactus ſit, quomodo conſiſtat cum Divina Providentia.

Has ſex, *Philopoli*, diſtinctè memini, ſed curſim raptimq; oculos conjeceram in duodecim univerſas. Cæterùm poſtquam mentem ordine in eas defixiſſem, quò perfectè memoriter tenerem, (neque enim expectavi copiam mihi datum iri claves mecum auferendi domum) ſextum Aphoriſmum vixdum pertranſiveram, cùm duo Aſini, ponè me, ex ſylva advenerunt, qui, alter ex altero Arboris latere, ex altero verò alter conſiſtentes, tam ruditer rudere inceperunt ac ſonorè, ut me è ſomno non ſolùm excitarent, ſed tantùm non exterrerent in deprehenſionem, quòd toto hoc tempore verſatus eſſem in inſomnio. Grandævus enim ille ac venerandus ſenex, clavéſq; argentea & aurea, ſplendidáq; pergamena, omnes derepente evanuerant, méque ipſum, ad pedem ejuſdem quercûs ubi ſomnus me occupaverat, ſolum conſidentem reperi inter duos ruditer rudentes Aſellos.

Eviſt. Hæc ſunt aſſueta facinora, *Bathynoe*, hoc genus Animalium. Ad hunc planè modum, *Lotis* Nympha, cùm alto ſomno, in gramine conſopita, nocte quâdam Lunâ illuſtri, jaceret, ſonoro ruditu excitata eſt aſelli *Sileni*. Aſini ſunt quaſi Sylvarum Tubicines, *Bathynoe*, qui homines remiſſos rerúmq; ſuarum negligentes, ex profundis ſuis ſoporibus expergefaciunt.

Hyl. Niſi memoria imaginationem tuam longè excederet, *Eviſtor*, tam eximius Hiſtoricus qualem omnes te agnoſcunt, haudquaquam fores. Ruditus certè Aſini ad cornu Bubulci Subulcíve ſonitum propiùs accedit quàm ad clangorem Tubæ. Præterea ruditus aſini *Sileni* virginitatem Nymphæ incolumem ſervavit: Hoc verò, O *Eviſtor!* O *Bathynoe!* ecquod unquam cuiquam homini accidit, par huic, infortunium? Hæc Hiſtoria prorſus me peſſundedit. Fidem meam circa Providentiam truculentiùs vulneravit, quàm quicquam quod unquam obſervaverim hactenus. Ut Deus unquam permitteret duobus iſtiuſmodi ſtupidis Animalibus, tam Divinam, ut mihi videtur, interturbare Viſionem, útque tam Myſtica, tam Cœleſtis & Intellectualis voluptas, & tam certa momentoſiſſimarum veritatum communicatio, rudi halitu Aſini ad hunc modum diſſlaretur! Ad quam glorioſam rerum comprehenſionem hæc Scena proceſſura fuiſſet! Quàm accuratam Intelligentiam de Fabrica Univerſi, quàm diſtinctas ſolutiones cujuſq; nodi aut ſcrupuli circa Divinam Providentiam accipere potuiſſes in deſtinato tuo colloquio cum veneranda hac perſona, ſi impertinentia hæc Animalia Ecſtaticam tuam mentem intempeſtivo ſuo ruditu, in corpus iterum non devocâſſent, quod Divinis communicationibus æquè ineptum eſt atque ipſa!

Bath. Noli tam iniquo animo hoc infortunium ferre, *Hylobares*, nec tam temerarium te præbe Divinæ Providentiæ Cenſorem, nè in hoc quidem caſu quantumlibet Paradoxo. Unde enim nôſti quin totum illud quod reliquum fuiſſe ſupponis, plus futurum fuiſſet, quàm quod receptum oporteat ſemel? Utres veteres novo vino repleti rumpentur. Nimiſque ampla ſcientiæ Doſis ſpiritus ità elatos reddere poteſt, ut Cerebrum in diſcrimen adducat, vitam diſſipet, ſobrietatémq; ex Anima fuget ac Humilitatem.

Sophr. Hoc ſummo cum judicio abs te dictum eſt, *Bathynoe.* Annon ſic omnino eſt, *Hylobares?*

Hyl. Non poſſum quin veritatem agnoſcam ubicunq; occurrerit.

Bath. Verùm præterea, quamvis tam benignè ac candidè de me eâ ætate, *Hylobares*, judicares, ut totum id reliquum, (quod hoc caſu perditum putas) abſq; omni morum vitæq; internæ periculo, recipere potuiſſem; hoc tamen pro certo tibi affirmare poſſum, me caſum hunc qui tibi adeò videtur Paradoxus, ſpecialem exiſtimare gratiam ac beneficium à Providentia in me collatum, hócq; non aliter contigiſſe, quàm ipſe (ſi prævidere potuiſſem ut ſe res poſtea habituræ eſſent) etiam tunc fieri exoptâſſem, hoc eſt, majorem mihi factam gratificationem percepi poſtea, rebus ſic contingentibus, quàm ſi Divinum iſtud inſomnium, ſi ità appellare fas eſt, ſine omni interpellatione ad plenam ſuam periodum fuiſſet perductum. Hoc enim tantùm effecturum fuiſſet, Omnis illius veritatis mihi poſſeſſionem dediſſet ſemel, quam hujus partis inſomnii beneficio, cum ſæpiùs repetita longiúſq; producta voluptate, humanæq; Naturæ magìs congruenti, poſtea acquiſivi.

XXX. *Virum illum Divinum qui* Bathynoo *apparuit*, Pythagoriſmi *potiùs fautorem fuiſſe quàm* Carteſianiſmi.

Hyl. Equidem profiteor, *Bathynoe*, hoc non parùm ad rem facere quod attuliſti. Quinimò, tam multùm, ut agnoſcere cogar Objectionem meam contra Providentiam hoc in loco, nimium quantum debilitari minuíque. Cui autem uſui tibi eſſe potuit clavis argentea, cùm Divinus ille ſenex nihil ea de re tibi explicâſſet?

Bath. Vicem Indicis mihi præſtitit, digitum quaſi intendendo in eos Authores qui Mundi fabricam iſti ſchemati conformaverint; ut in *Nicolaum Copernicum*, alióſque qui iſtud ſyſtema amplectuntur. Nulla autem deſcriptio propiùs accedit ad elegantiam Papyri *Clavis argenteæ* quàm illa apud *Carteſium* in tertia parte principiorum.

Cuph. Id quod notatu digniſſimum eſt, *Bathynoe.* Hoc Divinum quoddam Teſtimonium eſt ad confirmanda univerſa *Carteſii* Principia.

Bath. Nequaquam, *Cuphophron*, nullo pacto id fieri poteſt. Nam in clavis aureæ papyro, dum curſim oculos conjiciebam in univerſas ſententias Aphoriſmóſve illìc contentos, inter reliquos unum notavi cujus pars literis majuſculis ad hunc ferè ſenſum ſcripta eſt. *Primordia* ſcilicet *Mundi non Mechanica eſſe*, *ſed ſpermatica ſive Vitalia.* Quod ex diametro fundamentaliterque *Carteſianæ* Philoſophiæ oppoſitum eſt.

Cuph. Inſomniorum mira eſt incertitudo.

Bath. Verùm ingenuè fateor me rem ipſam veram eſſe exiſtimare. Et ſi contigiſſet mihi, pleniori Divini illius ſenis frui colloquio, credo me reperturum fuiſſe illius Philoſophiam *Pythagoricam* magìs aut *Platonicam* (Naturalem ejus Philoſophiam intelligo, *Cuphophron*) quàm *Carteſianam*. De Mundi enim *Anima ſeminali*, quem *Spiritum Naturæ* moderni quidam Scriptores appellant, ibi facta eſt mentio.

Cuph. Quot homines, tot ſententiæ.

Bath. Cæterùm nullus dubito, quin ratione demonſtrari poſſit, primordia Univerſi non purè eſſe Mechanica.

Cuph. Quot homines, tot rationes, tot demonſtrationes.

Hyl. Hæc res, ni fallor, malè habet *Cuphophronem*, *Bathynoe*, quòd venerandus ille ſenex qui tibi obviàm ivit in ſylva, purus putus non eſſet *Carteſianus*. Aut ſic eſt, aut animo valde eſt ſceptico, qualem me eſſe neutiquam volo, præſertim in hiſce tanti momenti rebus quæ ſpectant Providentiam. Ac proinde *Bathynoum* exoratum velim ut ultimam difficultatem quam *Philotheo* propoſui, virtute clavis aureæ dignetur reſerare.

Bath. Excuſatum me hìc habeto, *Hylobares*. Nolo enim *Cuphophroni* eſſe tam injurius ut falſum eum redderem prophetam, qui ità expreſſim haud ità pridem prædixit, Fata ſoli *Philotheo* eum honorem aſſignâſſe.

Philoth. Atque mihi ut videtur, ex conſimili civilitate erga *Cuphophronem*, reſumendum rurſus eſt onus illud haud ingratum devinciendi *Hylobarem*, quod peritiâ præſtiturus ſum quantâ ego poſſum maximâ.

Philop. Fac ità, obſecro, *Philothee*. Maxima enim animo meo inſidet ambitio, ut omni ex parte ſanatum reddas *Hylobarem*.

Philoth. Operam dabo, *Philopoli*. Primùm verò libertas mihi ſumenda eſt frictu calefaciendi partes ſtupefactas, acritérq; objurgandi *Hylobarem* quòd nondum ſit ſanatus, nec ſatis perſenſerit claritatem illam argumentorum & evidentium pro irreprehenſibilitate Divinæ Providentiæ, quæ hactenus ſunt allata. Quæ ingenuè fateor, me talia eſſe exiſtimare, ut impoſſibile ſit quin omnes, quibus nulla peculiaris animi inclinatio eſt aut imaginatio, nec ullo propriæ *Idioſyncraſiæ* onere laborant, plenè eis acquieſcant, nec ſe recipiant ad tam tumidas altivoláſq; Hypotheſes quàm iſtud Mundi Syſtema in Clavis *argenteæ* papyro repræſentatum, aut ad Animarum præexiſtentiam quæ pars eſt *aureæ*. Adeò ut ulterior ulla præſentis difficultatis ſolutio, niſi *Hylobares* in culpa eſſet, illiúſque imaginationis quæ animum ejus adhuc inquietat, peculiaritas, omnino foret ſupervacanea. Quot conſideratorum prudentúmque hominum millibus de accurata Divinæ Providentiæ ratione abunde ſatisfactum eſt, ſine ullis hujuſmodi longè accerſitis adminiculis?

Sophr. Quod haud obſcuro indicio eſt, iſta argumenta, ab hiſce magìs aereis Hypotheſibus, ſcitéq; confictis imaginationibus diſtincta, eſſe magìs naturale robur, & quaſi brachia humani intellectûs, (quorum ictu jactûve in his profundis Myſteriis ſe ſuſtinet quò minùs in infidelitatem Atheiſmúmve ſubſidat) iſtas verò magìs vaſtas turgidáſque Hypotheſes, faſciculi inſtar eſſe juncorum aquaticorum, Paríſve veſicarum ſub axillis novitii alicujus ac imperiti Natatoris colligatarum.

Hyl. Et quantùm ad me, lubens me profiteor talem novitium imperitúmque Natatorem in his profunditatibus, ac propterea valdè cupio artificiali uſu harum veſicarum ſuſtineri, ut melancholia mea me in fundum nunquam demergat.

Cuph. Et laudo quidem aſtutiam tuam, *Hylobares*, quòd incolumitati tuæ tam bellè proſpexeris. Hoc enim auſim ſpondere, haſce veſicas tam amplas, tam tenaces ac tam leves eſſe, ut, ſi firmiter alligentur, Vacca aut Bos tutò cum eis tranare poſſint *Helleſpontum* vel potiùs ipſum Oceanum, ſine omni periculo ſubmergendi.

Hyl. Ago tibi gratias, *Cuphophron*, ob benevolam hanc tuam Animationem, ac proinde eò vehementiùs *Philotheum* orabo, ut omnem ſuam adhibere velit artem ac peritiam ut eas mihi alliget quàm firmiſſimè poteſt, (Præexiſtentiam præſertim cum omnibus ſuis uſibus ac rationibus) ut ligamina nunquam elabantur aut rumpantur, ipſéq; pericliter ſubmergi.

Philoth. Faciam, *Hylobares*, ſed hâc lege ut ſemper memineris, hoc quod tibi adeò firmiter alligo, locum Hypotheſeos tantùm habere, noliſq; tuis veſicis diutiùs uti, quàm donec abſq; eis tutò poſſis natare.

Hyl. Hoc ſanctiſſimè tibi promitto, *Philothee*, meámq; hominis ingenui oppignero fidem. Quamobrem ſine omni ulteriori mora aut impedimento perge.

XXXI. *Applicatio Hypotheſeos in* Aureæ *clavis membranula, ad ſolvendas omnes difficultates de Malis* Moralibus *in Mundo.*

Philoth. Ut telam igitur quam exorſus ſum pertexam. Adhæréſne etiamnum, *Hylobares*, iſti veritati, quòd libera Agentia tam facinoroſè ſe gerere poſſint ut etiam ſecundùm leges Divinæ *Bonitatis*, meritò detrudi queant in ſtatum Diabolorum ac inferni, ac propterea multò faciliùs in ſtatum minùs deplorandum?

Hyl. Iſtud dixi & etiamnum dico, mihi manifeſtò videri verum.

Philoth. Aſſumamus igitur ex Clavis *aureæ* membranula, illud quod tam apertè illìc continetur, Præexiſtentiam ſcilicet humanarum Animarum, omnéſq; nigræ hæ atq; tenebroſæ difficultates quæ mentem tuam adeò obnubilant, ilicò evaneſcent.

Hyl. Quid ità, *Philothee*?

Philoth. Quia, ſi ſupponamus humanas animas in Aurora Mundi creatas, earundémque tam innumeras Myriadas; ſat, ab inde, temporis elapſum eſt, quo tot pluréſve quàm Orbem Terrarum hactenus habitaverint, tam immaniter peccare potuiſſent ante ſuum in hanc Scenam introitum, ut juſtâ Nemeſi, cujus menſura modúſve ipſa Divina *Bonitas* ſit, dejiciendæ eſſent in peſſimas horridiſſimáſque Circumſtantias, in maximè ſqualidam incommodámque vivendi conditionem ac ſtatum cujus ullum *Eviſtor* exemplum inter vel maximè barbaras Nationes produxerit.

Hyl. Hoc penitus rem pertingit, *Philothee*, omnémque omnino prætextum, ad ultimum hunc maximúmque ſcrupulum, ſi certi eſſe poſſimus de veritate Hypotheſeos, radicitus evellit.

Philoth. Quid! Annon ipſe hoc *Bathynoi* Inſomnium, Divinum Inſomnium appellâſti, antequam ad hunc ſummi momenti uſum illius deſcendiſſem? Omne autem Inſomnium Divinum verax eſt Inſomnium. Sic verò mecum omnino agis ut *Cuphophron* egit cum *Bathynoo*. Dum inſervire videbatur ad cohoneſtandam *Carteſii* Philoſophiam, tam diu pro Divino habitum eſt Teſtimonio; poſtquam verò repertum eſſet contrarium, tum perpauxilla erat in Inſomniis certitudo: levitas quædam hæc videtur in utroque veſtrûm.

Hyl. In me verò, uti ſpero, eò excuſabilior eſt, O *Philothee*, quanto majoris momenti eſt ut cujuſvis Fidei ratio, circa Bonitatem Divinæ Providentiæ, ſolida ſit & inconcuſſa, quàm ut principia *Carteſiana* exiſtimentur adeò infallibilis Sapientiæ ſpecimina. Quòd *Cuphophron* Inſomnium vilipenderit, ex ſtudio partium factum eſt nimiáque Philoſophiæ *Carteſianæ* exiſtimatione; quòd ipſe autem ei diffidam, fit ex nimis avido deſiderio ut ſit verum. Fateor enim, quum primùm hoc dogma de Præexiſtentia mihi certò verum apparuerit, omnes meas dubitationes ac difficultates de malis Moralibus in Orbe ſubitò colliquatum iri in nihilum. Quinimo, ſi Inſomnium *Bathynoi*, Divinum eſſe Inſomnium credere poſſem, primus Aphoriſmus in Clavis aureæ membranula, omnibus noſtris Controverſiis finem imponit, quippe qui declarat, Menſuram Providentiæ Divinam eſſe Bonitatem, quæ nullos limites habet præter ſeipſam quæ eſt Infinita. Quamobrem caſus eſt maximè calamitoſus qui unquam Philoſophicæ Reipublicæ contingere potuerit, ut duo iſti infauſti Aſelli, *Bathynoi* cum venerando illo ſene colloquium tam ruditer abrumperent, qui, ut opinor, in deſtinata ſermocinatione, rationes ac fundamenta harum Concluſionum cum *Bathynoo* eſſet communicaturus. Vera enim Ratio res eſt adeò palpabilis, ac connaturalis homini, ut ſimulatque eam offenderit, plenè ſibi ſatisfactum eſſe perſentiſcat, eique acquieſcat.

Philoth. Cautelam iſtam in te, *Hylobares*, laudo, quòd magnificas concluſiones infirmis incertiſque Principiis ſuperſtructas nolis. Permitte mihi igitur cogitationibus tuis rem unam hanc obferre, de qua te, auguror, magis certum eſſe profeſſurum. Eſt autem *Præexiſtentiæ Animarum humanarum poſſibilitas.* Quæro ex te, an hac de re non admodum certus ſis?

Hyl. Omnino ſic ſum. Nullam prorſus in ea video repugnantiam.

Philoth. Igitur certus non es, quin Animæ humanæ præexiſtant.

Hyl. Fateor.

Philoth. Et incertus, eas non præexiſtere.

Hyl. Id quidem negari non poteſt; idem eſt, opinor, quod priùs conceſſeram.

Philoth. Quamobrem, *Hylobares*, obnoxium te reddidiſti, tum Providentiæ, tum mihi ipſi. Providentiæ quidem, quòd incertas contra eam Allegationes & Accuſationes affers ad dehoneſtandam pulchritudinem perfectionémque viarum illius, quæ adeò æquæ juſtæque agnoſcuntur ubi penitus ſunt cognitæ, dum imaginationes ſcilicet opponis & commenta, talia utique de quibus teipſum profiteris minimè certum: Mihi verò, quòd mecum initio pactus ſis, te nunquam incertas Hypotheſes, (qualem concedis Animarum Non-præexiſtentiam) contra compertam veritatem allaturum.

Hyl. Equidem hoc verum eſt, *Philothee*, facíſque ut Inconſtantiæ ferè me pudeat meæ. Verùm interim non reperio meipſum in ea animi pace ac tranquillitate conſtitutum, quam cupio, dum Præexiſtentia Animæ perinde atque illius Non-præexiſtentia incerta eſt Hypotheſis.

Philoth. Si Divinam Providentiam abſque ea perfectam invenire non potes, tu in culpa es, quòd, quantùm ad teipſum, ad ſuſtinendum te nè ſubmergaris, eâ tanquam verâ Hypotheſi nolis uti. Et quòd tam difficile invenias, Divinam Providentiam abſque ea comperire perfectam, id haud obſcuro profectò argumento eſt, Hypotheſin eſſe veram.

Hyl. Ingenuè fateor me exiſtimare, ſolidius eſſe argumentum, quàm unius *Bathynoi* ſingulare Inſomnium.

Philoth. Quinimo, *Hylobares*, Argumentum foret ſimpliciter ſolidum ſupponendo Providentiam aliter defendi non poſſe. Ut Hypotheſis *Copernicana* ex eo agnoſcitur vera, quòd nulla alia tolerabilem reddere poſſit rationem motûs Planetarum. Dicóque tibi porrò, *Hylobares*, hanc Hypotheſin de Animæ præexiſtentia non ſingulare eſſe unius *Bathynoi* in gramine dormientis Inſomnium, ſed viſionem veritatis, ab evigilantiſſimis animabus per totum terrarum orbem, fuiſſe exiſtimatam.

Hyl. Gratiſſimum id nuncium eſt, *Philothee*, ſingularitatem enim nequaquam affecto, aut meipſum reperire ſolitarium.

Philoth. Si Inſomnium dormientis *Bathynoi* merum ſit Inſomnium, celebratiſſimi Sapientum per omnes Mundi ætates, vigilantes ſomniavêre. Animas enim Humanas ante ingreſſum in corpus, præexiſtere, Inſomnium erat trium illorum inclytorum Philoſophorum, *Pythagoræ*, *Platonis* & *Ariſtotelis*; Inſomnium *Ægyptiorum Gymnoſophiſtarum*, *Indorum Brachmanum*, & *Magorum Perſiæ*; Inſomnium *Zoroaſtris*, *Epicharmi* & *Empedoclis*; Inſomnium *Cebetis*, *Euclidis* & *Euripidis*; Inſomnium *Plotini*, *Procli* & *Jamblichi*; Inſomnium *Marci Ciceronis*, *Virgilii*, *Pſelli* & *Boethii*; Inſomnium *Hippocratis*, *Galeni* & *Fernelii*; & poſtremò, conſtantiſſimum aſſeveratiſſimúmque Inſomnium *Philonis Judæi* & reliquorum maximè eruditorum è *Judæis*.

Cuph. Permitte mihi obſecro, unum ſuperadjicere exemplum, *Philothee*.

Philoth. Fac ità, quæſo, *Cuphophron*.

Cuph. Inſomnium Patriarchæ *Jacobi*, quando dormiebat in *Bethel*, ſomniavítque ſe videre Angelos deſcendentes & aſcendentes in Scala quæ à Terra ad Cœlum uſque pertingebat. Quâ figurabatur deſcenſus humanarum Animarum εἰς γένεσιν, reditúſque illinc ad Æthereas Regiones.

Hyl. O egregrium *Cuphophronem!* Inopinatam tuam Inventionem quantopere admiror! Hoc tuum ſomnium eſt, de Myſtico ſancti Patriarchæ Inſomnio.

Cuph. Et quis novit, quin fœlix admodum ſit & auſpicatum?

Hyl. Verùm dic mihi quæſo, *Philothee*, utrùm ulli ex antiquis Eccleſiæ Patribus ullum hujuſmodi ſomniaverint Inſomnium?

Sophr. Hoc amabile admodum ac laudabile Ingenium eſt *Hylobaris*, qui ſic in juvenilioribus annis judicium ſciſcitetur antiquorum Patrum Primitivæ Eccleſiæ ſuper re tanti momenti.

Cuph. Primitivæ iſtæ Ætates Eccleſiæ, illius quaſi adoleſcentia erat aut juventus, Ætates autem perſonarum eædem ferè quæ nunc dierum.

Hyl. Iſtam *Cuphophronis* argutiolam nihil moror. Perge igitur, quæſo, *Philothee*, & propoſitæ Quæſtioni reſponde.

Philoth. Hoc ſaltem, *Hylobares*, verum eſt: Patres primævos in maximè intemeratis ætatibus Eccleſiæ, nè minimum quidem malum ſomniâſſe de hoc *Præexiſtentiæ* Inſomnio; cùm Sapientia *Salomonis* quæ expreſſim eam aſſerit, ex eorum inſtituto legeretur in publicis ſuis Conventibus. Immò verò ipſe Servator, occaſionem maximè opportunam nactus errore eximendi Judæos hac in re, ſiquid falſi ſubfuiſſet aut periculoſi, nè minimam tamen offenſionem accepit ab Hypotheſi. Unde minùs miraberis S. *Auguſtinum*, *Baſilium* & *Gregorium Nazianzenum* paulò benigniùs de hac Opinione ſenſiſſe, & *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Syneſium*, *Arnobium*, & *Prudentium*, apertos illius fuiſſe Aſſertores.

Hyl. Equidem hoc, *Philothee*, in tantam me conjicit ſecuritatem ab omni noxa in hac Hypotheſi, ut ſi ſic pergas ut occepiſti, ſermonis tui vis me in idem Inſomnium inevitabiliter ſit incantatura.

Philoth. Summam igitur incommoditatem nôſti huc redituram, quòd mens tua perfectam quietem aſſequutura ſit quoad præſentem difficultatem de Providentia. Et ſi Teſtimonia adeò te delectant, pro certo ſcias nullum unquam fuiſſe Philoſophum qui Animam tenuit ſpiritualem eſſe & immortalem, quin idem eam tenuerit præexiſtere.

Hyl. Rem haud parvi momenti narras.

Philoth. An verò tu, *Hylobares*, Animam humanam non tenes ſubſtantiam incorpoream indiſcerpibilem, ſive Spiritum?

Hyl. Teneo, tibíque gratias ago quòd ſic teneam, *Philothee*.

Philoth. Quî igitur factum eſt, cùm ingenio adeò Philoſophico ſis, ut in Animæ præexiſtentiam non incideris? Quum enim nullæ aliæ opiniones ullius momenti in conſpectu hominum verſentur, præter *Creationem*, *Traductionem* & *Præexiſtentiam*, cúmque Creatio purarum Animarum earúmque Infuſio in impura corpora, & in circumſtantiis ità horridè impuris quemadmodum aliquando contingit, Dei puritati repugnet qui ſupponitur eas tunc creare, Traductio verò Spiritualitati & Indiſcerpibilitati ipſius Animæ derogatio ſit & contradictio; manet itaque neceſſariò, cùm hæ duæ opiniones adeò abſurdæ ſint, ut tertia palmam ferat, Animæque humanæ præexiſtant.

Hyl. O *Philothee*, venerandus ille ſenex in *Bathynoi* inſomnio, meliùs argumentari non potuiſſet, ſi ad res diſceptandas deſcendiſſet. Non ſomnio quidem, ſed apertis animi oculis in clara luce video quàm rationi conſentanea ſit hæc Hypotheſis, Animas humanas extitiſſe ante ingreſſum in hæc terrena corpora.

Philoth. Et in hac clara luce, *Hylobares*, omnes tuæ difficultates evanuerunt, circa illam Providentiæ partem quæ mala *Moralia* reſpicit, quorum ſpecies tam tetra tibi videbatur ex Hiſtoricis, & eorum permiſſio Divinæ Bonitati tam opprobrioſa.

Hyl. Evanuêre prorſus univerſæ, & iſtæ etiam circa mala *Naturalia*, quouſq; humanas Animas reſpiciant.

Philop. Gaudeo hæc audire. Infinitis modis nos tibi operâ tuâ devinxiſti, *Philothee.* Ullíne alii ſuperſunt ſcrupuli circa Divinam Providentiam, *Hylobares* ?

XXXII. *Ad varias Objectiones contra Providentiam à* Defectibus *accerſitas, partim ex Clavis* aureæ, *partim ex* argenteæ *membranula, reſpondetur.*

Hyl. Objectiones tantùm quædam à *Defectibus*, qui in Providentiæ adminiſtratione eſſe concipiuntur, arceſſitæ. Quanquam enim ſatis perſuaſi ſumus, omnia quæ ſunt, rectè inſtituta eſſe & ordinata, quæri tamen porrò poteſt, cur non ſint plura, cur non maturiùs ? & id genus reliqua.

Sophr. Equidem mihi videris, *Hylobares*, ſupra omnem modum curioſus in hujuſmodi inquiſitionibus. Annon univerſus Mundus Dei omnipotentis eſt Ptochotrophium, cujus condendi jus habet quando vult, & collocandi nos in eo clientes ſuos pauperculos, haud citiùs quidem quàm ipſi viſum fuerit ? In hac re tota omnino jure utitur ſuo. Et immanis profectò præſumptio eſt expectare ut ſecundùm propriam ſuam ſententiam ac voluntatem non agat, ſed ſecundùm temerarias amplificationes & expanſiones laſcivientium noſtrarum & luxuriantium imaginationum. Quando videmus res, quæ ſunt, probè rectéq; adminiſtrari & ſecundùm Leges Bonitatis ac Juſtitiæ, mira quædam eſt petulantia ac protervitas queritari, quòd hæ res cum irreprehenſibili ſua Oeconomia citiùs non inceperint, nec in laxiorem ambitum extendantur.

Bath. Magna profectò cum gravitate ac ſobrietate hæc abs te dicta ſunt, O *Sophron*, taliáque ſunt quæ admodum ſolidum intus ſenſum contineant, ſi rectè intelligantur. Nullam enim Deus habet à Creaturis obligationem, ut eas citiùs, aut plures, aut ampliores crearet. Adeò ut ſi mundum creâſſet non ampliorem quidem, quàm vulgus hominum eum imaginantur, paululum nempe ultra nubes extenſum, diſtuliſſétq; ejus Creationem uſque ad annum proximè exactum, vel nondum adhuc creâſſet nec creandum unquam ſtatuiſſet, in tota hac re omnino, utì tu loqueris, uſus fuiſſet jure ſuo. Cùm verò ampliorem multò creaverit multóq; maturiùs, cui præcipuo Divino Attributo id imputandum eſt, O *Sophron* ?

Sophr. Proculdubio meræ illius Bonitati, *Bathynoe.*

Bath. Agnoſcis igitur Bonitatem illius Attributum principale in Creatione Mundi. Sapientiam verò ac Potentiam, quicquid Voluntas ejus Bonitate actuata ſtatuerit, ritè formare atque exequi.

Sophr. Loquendo quidem more humano, itá omnino videtur.

Bath. Cæterùm hoc mihi prodigii inſtar videtur, ut, cùm Bonitas Divina infinita ſit, effecta illius tam anguſta ſint & finita, quàm homines vulgò opinantur, ſi nulla ſit in rebus ipſis incapacitas quæ eas ad hunc modum coanguſtet. Ut una exigua Divinæ Bonitatis portio actuoſa ſit, ſed infinitum illud reſiduum ejus, ut ſic loquar, ſilens & otioſum, Ænigma eſt ac Miraculum quod infinito modo me reddit attonitum.

Sophr. O *Bathynoe*, ipſa præcordia mihi corroduntur præ timore & anxietate, quando immergitis vos in tam profundas Diſquiſitiones, ex quibus nulla ſpes eſt unquam emergendi. Obſecro te, *Hylobares*, de hujuſmodi rebus modeſtiùs quære. Miror tibi de Providentia non plenè jam ſatisfactum eſſe, quemadmodum certus ſum factum eſſe mihi.

Hyl. Et mihi pariter, *Sophron*, ſic factum volo. Quod uni homini ſatisfacit, id non ſemper ſatisfacit alteri.

Philoth. Id admodum verum eſt, *Hylobares*, quod cùm percepiſſem, effecit ut tibi mentionem facerem de Providentiæ Clave *aurea.* Neque enim laſcivienter oſtentantérve has claves producimus, ſed in ſummo rerum diſcrimine, quando nulla alia Methodus ei ſatisfactura eſt, cujus mens anxia eſt & ſolicita circa vias Dei, ut per has Hypotheſes cor ſuum ſuffulcire queat nè concidat aut ſubſidat.

Hyl. Valde laudabilis conſuetudo eſt, *Philothee*, taliſque cujus ego utilitatem jam expertus ſum. Invenio enim ipſas primas difficultates hujus ultimi præſentíſq; capituli quas proponere decreveram, ſponte ſuâ evaneſcere lucis vi clavis *aureæ*, præexiſtentiæ ſcilicet eâ contentæ. Statui enim pro una Objectione contra Bonitatem Divinæ Providentiæ proponere, Quòd, cùm Anima vivere poſſet & ſubſiſtere extra hoc terrenum corpus (ſic enim facit poſt mortem) non creata fuiſſet ante hoc terreſtre domicilium, nec vitæ fructu freta eſſet ante ingreſſum in hoc corpus perinde atque poſtea. Præexiſtentiæ verò dogma hanc Objectionem omnino anticipavit. Alia etiam Objectio de Adventu Meſſiæ in Mundum tam ſerò, meâ quidem ſententiâ, ex hac Hypotheſi multùm enervatur. Quis enim novit quin Humanarum Animarum merita talia fuiſſent, ut ſatis conſentaneum Divinæ Bonitati eſſet, optimam Religionem Mundo non communicare ante illud tempus quo communicata eſt?

Philoth. Haud ità inepta eſt iſta, *Hylobares*, conſideratio. Et præterea mira ſanè præſumptio eſt determinare, quando tempus omnino idoneum ſit Providentiæ quo efficaciſſimâ ratione utatur ad reducendas vagulas Animas ad bonam frugem. Reducere enim ſimul atque erraverint, proximè abeſt à vi ipſas cohibendo nè unquam errent, quod idem eſt atq; impedire libera Agentia quò minùs unquam liberè agant. Quamobrem cùm Animas humanas uti ſuâ libertate oporteret, certæ quædam ſcenarum pompæ procedere debebant ex utralibet ſuppoſitione, ſive ſteterint ſive ceciderint, nec omnia ſtatim præpropere & ſine ordine tranſigi, uno quaſi temporis momento. Qualem autem lucem Providentia ex peccati tenebris educat, magìs particulatim tibi indicavi in heſterna diſſertatione.

Hyl. Probè memini, *Philothee*, eíque abunde acquieſco.

Philop. Expectare ut *Meſſias* in mundum veniret quum primùm Adamus lapſus eſſet, æquè incongruum eſt atque expectare, ut ſegetis meſſio fiat eodem die quo ejus ſata ſint ſemina, vel ut Ver & Autumnus in eoſdem Anni menſes contrudantur.

Hyl. Hoc abunde manifeſtum eſt. Aliáq; etiam difficultas quam proponere intendi de pluralitate Terrarum ſive Orbium, prorſus evaneſcit, dum paradigma mundani ſyſtematis in clavis *argenteæ* membranula contemplor, quod à latere ſiniſtro æquè ſtrenuè me ſuffulcit nè concidam, atq; altera Hypotheſis à dextro.

Bath. Annon vides, O *Sophron*, plus metûs hiſce rebus ineſſe quàm periculi aut noxæ? Annon obſervas, ingentes hæ & formidabiles difficultates quàm ſuâ ſponte in pulverem diffluant, poſtquam judicioſus oculus vel unum jactum fecerit in veritatem?

Sophr. Bene profectò habet, ſi ubiq; res tam fœliciter ſit ſucceſſura.

XXXIII. *Difficultates circa extenſionem Univerſi.*

Hyl. Superſunt verò pauxilli aliqui ſcrupuli, *Philothee*, partim de extenſione Univerſi, partim de habitabilitate Planetarum & Terrarum.

Sophr. Sic planè augurabar.

Philoth. Propone eos, ſi placet, *Hylobares.*

Hyl. Utrùm Univerſum finitum ſit an infinitum. Nam ſi finitum ſit, infinitè eſt defectuoſum, ſi poſſit eſſe infinitum.

Philoth. Rectè iſtud adjicis, ſi poſſit eſſe: Experire verò poſsítne necne, *Hylobares.*

Hyl. Quo tandem modo, *Philothee?*

Philoth. Finge quàm maximè potes infinitum.

Hyl. Abſolutè infinitum fingo.

Philoth. Tunc unaquæq; illius pars infinita eſt.

Hyl. Unamquamq; denominatam partem intelligis, *Philothee*, alioqui Numerus tantùm partium infinitus erit, non autem partes ipſæ.

Philoth. Intelligo partes denominatas, tertiam, quartam, quintam, *&c.* Pars verò tertia media extremis terminatur, ac proinde extremæ ipſæ ſunt terminabiles. Et ex conſequenti poſtquam Mundum infinitum quàm voles maximè finxeris, cogeris nihilominus adhuc concludere finitum.

Hyl. Ità videtur, niſi aliqua forſan ſubſit fallacia.

Philoth. Quamobrem ſi Mundi infiniti poſſibilitas nè concipi quidem poſſit, *Bonitati* Divinæ Providentiæ nihil derogabitur, ſi reperiatur finitus.

Hyl. Reperitúrne verò finitus, *Philothee?*

Philoth. Nulla Ars, nullum Oraculum, quod ſciam, ſic declaravit. Quòd non ſolùm Globus Terræ ſed illius ipſa Orbita, puncti inſtar ſit cum proximarum Stellarum fixarum circuitu comparata, infinitam Mundi vaſtitatem ſubindicat potiùs quàm ullam illius Terminationem. Quàm immenſo igitur intervallo diſtant exiguæ iſtæ Stellulæ fixæ quæ omnino inſtar pulveris ſcriptorii in nocte pruinoſa apparent? Quàm vaſtis ſpaciis aliæ ultra alias ſunt remotæ? *O Iſrael quàm ingens eſt Dei domus! quàm longè patet ejus poſſeſſionis locus! magnitudine infinitus, altitudine immenſus!* Verba ſunt prophetæ *Baruchi.*

Baruc. 3. 24, 25.

Hyl. Videtur igitur Infinitas Mundi declarari potiùs ab Oraculo quàm illius Finitudo.

Philoth. Adeò ingens eſt atque vaſtus, *Hylobares*, ut minimè dubium ſit, quin tam immenſus ſit quàm eſſe poteſt, atque illud ſufficit ad oſtendendum illius Dimenſiones à Divina *Bonitate* ſuos modos cepiſſe. Unde planè conſtat Providentiam hac in re eſſe irreprehenſibilem.

Hyl. Sic eſt.

Sophr. Parem *Philotheo* ſucceſſum exopto, in altera difficultate.

Philoth. Bono animo es, O *Sophron*, ſummam navabo operam, poſtquam *Hylobares* eam propoſuerit.

XXXIV. *Difficultates circa habitabilitatem & inhabitabilitatem Planetarum.*

Hyl. Quòd Clavis *argenteæ* Syſtema verum Mundi Syſtema ſit, ſatìs ſum perſuaſus, & ex conſequenti fruſtra objectum iri hujus unius Telluris in immenſo hoc Mundi ſpacio liquido natantis ſolitudinem, cùm hoc Syſtema plures alias tam apertè noſtro conſpectui exhibeat. Neque enim citiùs noſtram Terram Planetam eſſe deprehendere poſſumus, quàm eo ipſo inſuper detegamus reliquos Planetas tot eſſe Terras, quemadmodum *Pythagorei* Lunam expreſſim appellârunt Ἀντίχθονα noſtram, ſive Terram è regione oppoſitam. Difficultas verò quam ego propoſiturus ſum eſt de earum Habitabilitate, quam ſuppono nequaquam negatum iri. Eſt autem tunc hic laqueus quo irretiamur, quòd, ſi à brutis ſolùm inhabitatas ſtatuamus, defuturi ſint homines qui bono regimine ea coerceant, ſi verò ab homnibus etiam inhabitatæ ſint, neceſſaria his hominibus defutura ſit ſalutis ratio: Eſſe enim in ſtatu lapſo palàm eſt, ex eo quòd evaſerint terreſtria Animalia. Quorum utrumlibet cum exquiſitâ illa Dei bonitate, quæ hîc defenditur, minùs videtur conſiſtere.

Ariſt. de Cœlo, lib. 2. cap. 13.

Philoth. Nodoſum profectò iſtud Problema eſt, *Hylobares.*

Sophr. Quid ſubrides, *Philothee?* Mihi ſanè videtur Quæſtio admodum formidabilis.

Philoth. Ad quiddam ſubrideo, quod me certè præter modum oblectat.

Sophr. Quid iſtud eſt, obſecro, quod te tantopere oblectat, *Philothee?* Id cognoſcere vehementer aveo, ut ego ſimiliter ſocialitatis ergô ſubrideam.

Philoth. Honeſta eſt *Sophronis* ac ſobria circa præſentis difficultatis ſolutionem ſolicitudo, quæ ſeipſam tam decorè in ipſius vultûs tenore prodit, atque etiam tunc quando minimum eſt labendi periculum.

Sophr. Gratiſſimum id mihi foret nuncium, *Philothee*, ſi modò eſſet verum.

Philoth. Minor heîc eſt difficultas quàm circa ſalutem Incolarum Orbis recens cogniti in terris. *Americanos* intelligo qui nè minimum quidem rumuſculum aut de *Moſe* aut de *Chriſto*, ante ſeculum unum & alterum inaudivêre. In qua igitur Salutis capacitate per aliquot millenos annos continuos erant, O *Sophron*, qui tamen certiſſimè ex lapſa ſunt origine? cùm tamen an omnes Animæ craſſiora ingreſſæ vehicula in quacunque parte Univerſi, lapſæ ſint, ſit incertum. Nec inficiari poſſumus quin vaſta iſta Continens inhabitata ſit, ut & Inſulæ adjacentes, toto illo tempore, quamvìs æquè parùm de Chriſto audiverint, atque *Saturni* Incolæ & *Lunæ.*

Sophr. Id negari non poteſt, *Philothee.* Cæterùm nôſti aut teipſum aut è nobis aliquem huic ſcrupulo jam reſpondiſſe. Iſtis ſcilicet *Americanis*, qui ſincerè ſecundùm Lucem quam haberent, vixerint, Deum majorem impertire potuiſſe, & viâ demum aliquâ plus quàm ordinariâ notitiam Chriſti ad æternam eorum ſalutem ipſis communicare. Probè enim ſcis juſtum ac honeſtum Creditorem, ſi amicus aliquis debitam pecuniam ſolverit, quamvìs Debitorem id penitus lateat, ipſum liberaturum eſſe ab omnibus Dicarum impactionibus Actionibúſque forenſibus aliíſque omnibus moleſtationibus ac incommodis quibuſcunque quæ Debitorem comitantur cujus æs alienum non ſit perſolutum. Unde Paſſio & Propitiatio à Chriſto facta ſuum effectum habere potuit apud ſinceros *Americanos*, etiamſi nihil de illius Hiſtoria reſciverint. Ac proinde reconciliati Deo per mortem Chriſti, multò magìs reconciliati ſalvari poterant per illius vitam, quemadmodum monet Apoſtolus.

Rom. 5. 10.

Philoth. Pulchrè admodum argumentaris, atque piè, O *Sophron.*

Hyl. Ità prorſus & ipſe exiſtimo, *Philothee.*

Philoth. Annon ſatìs cauſæ igitur ſuberat cur *Sophronem* ſubriderem, quippe tam bellè inſtructum ad ſatisfaciendum majori difficultati, cùm interim viderem tantopere conſternatum in minori?

Hyl. Verùm quid eſt quòd hanc minorem cenſeas difficultatem, *Philothee?*

Philoth. Quoniam Reſponſa comminiſcendi laxius heîc datur ſpacium. Primùm enim, pone nos affirmare omnes Terras in Univerſo præter hanc noſtram, à ſolis brutis inhabitari, id nullum foret argumentum contra Divinam *Bonitatem*; non magìs certè quàm contra accuratam rationem Politicam magnæ alicujus Civitatis, quòd omnes Carceres videremus captivis deſtitutos eóſque ſoli poſſeſſioni relictos Veſpertilionum, Felium, Soricúmque ac Murium, aliorúmque id genus Animalculorum. Indicium potiùs eſſet magìs exquiſiti Regiminis bonæque Indolis populi quòd tam pauci inter eos invenirentur Malefactores. Et quantum ad iſtum prætextum attinet, ut aliquæ rationales Creaturæ inter iſtas Animantes eſſent, quæ bonum tuerentur Regimen, quæ obſecro Creaturæ rationales reperiuntur quæ bonum regimen tueantur inter ſquamigeras Gentes vaſti Oceani?

Hyl. Nullæ, quod ſciam, niſi Tritones ac Nymphæ marinæ.

Philoth. Pari jure fingere potes Faunos & Satyros alióſque ſylvaticos Genios has Terras, quæ ſupponuntur humano genere deſtitutas, pervagari, brutíſque hiſce Incolis in bonum eorum, quanquam ad remotiorem laxiorémque diſtantiam, ſuperintendere.

Hyl. Pari cum probabilitate atque Venatorem nigrum cum ſuis vocalibus ſed inviſibilibus canibus per Saltum de *Fountainbleau* diſcurrere.

Eviſt. Probè memini Hiſtoriam, quippe quæ in vita *Henrici* quarti Regis *Galliæ* occurrit.

Hyl. Cæterùm cùm adeò infinitus ſit Terrarum numerus quemadmodum & Stellarum ſive Solium, prorſus incredibile eſt, *Philothee*, ut hujus noſtræ terræ ſolius fatum ſit ab hominibus inhabitari.

Philoth. Unde autem nôſti, *Hylobares*, adeò infinitum Terrarum eſſe numerum? Nam initio mecum pactionem feciſti, commenta mera ac ſuſpiciones te non allaturum eſſe, quibus contumelioſè Providentiam oneres.

Hyl. Verùm, ſi innumeræ illæ Stellarum fixarum multitudines nullos habeant, circa ſe choreas agentes Planetas, id reale futurum eſt Providentiæ opprobrium, acſi Divina Bonitas hac in re infinitis modis ſuo deeſſet officio.

Philoth. Quinimo, auſpicatum potiùs indicium foret, *Hylobares*, Intellectuales Creaturarum Ordines non tam multùm aut tam univerſaliter lapſos eſſe, quàm homines opinentur, Divinámque Bonitatem magìs proſperum efficáxque imperium obtinere in Univerſum, quàm ipſe putaveris. Quantum enim lux excedit umbras, tantum excedunt Fœlicitatis Regiones regiones Miſeriæ ac Peccati, Aphoriſmus eſt in Clavis *aureæ* membranula deſcriptus.

Hyl. Paratum te video, quócunque me verterim, mihi obviare, *Philothee*.

Philoth. Communis eſt civilitatis ei obviam ire quem nobis euntem obviam conſpicimus,

Τὸν φιλέοντα φιλεῖν καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι.

Cæterùm ſecundo in loco, *Hylobares*, ſupponamus omnes Planetas Terráſve à rationalibus Animalibus inhabitari, Animalia tamen hæc rationalia æquè ſpecificè diſtincta eſſe poſſunt atque Terræ ſeu Planetæ quos inhabitant, & tamen in Rationalitate omnia convenire, ut variæ Canum ſpecies hìc in terris, in Latrabilitate conveniunt. Cùm igitur nullam ſpecificam habeant cum *Adami* filiis cognationem, quid iſtis rei eſt cum illa Religione, quâ *Adami* filii ſunt ſalvandi? Immò verò addo præterea, hæc varia Animalium rationalium genera in reliquis Planetis, quemadmodum omnia tum inter ſe tum nobiſcum in pura Ratione *naturali* conveniunt, ità poſſe à nobis omnia diſcrepare, in hac eſſentiali proprietate quâ veræ Religionis capaces evadimus, nullis proprietatibus præter iſtas aut *Animalis* aut *mediæ Vitæ* ad ipſa eſſentialiter pertinentibus. Quarum virtute boni eſſe poſſunt Naturæ Indagatores, boni Politici, boni Geometræ & Analytici, boni Architecti, quò Civitates condere & Reſpublicas formare queant, fratribúſque Brutis in eis Planetis imperare, eoſdémque uſus fructúſque ex eis capere, quos ipſi nos, ſed æquè interim *Divinæ Vitæ* incapacia eſſe aut evadendi boni Cœleſtis Regni Cives aut genuini Dei Filii, quàm ſunt ipſa Bruta quibus imperant.

Cuph. O quàm volaturientem me ſentio & geſtientem in familiaritatem venire hoc genus populi, *Hylobares!* Puros putos eſſe Philoſophos, vitam auſim oppignerare. O ſi ingenioſum illud Inventum Anſerum jugarium penitùs conſummatum eſſet, ut primam meam viſitationem inſtituere poſſim ad Vicinos noſtros in Luna.

Hyl. Bella interim res foret ſi Ars Teleſcopiorum euſque perfecta eſſet ut formas ipſorum perſonáſque diſtinctè cernere poſſemus, & ſic an operæ pretium ſit eos inviſere, merorúmque Simiorum Gens ſint necne deformiúmve Cercopithecorum dijudicare.

Cuph. Affirmare tibi auſim, *Hylobares*, ſi cernere poſſemus hos Simios aut Cynocephalos, aliquando offenderemus eos per ſuos Tubos æquè ſedulò in nos intuentes, atque nos intuemur in eos.

Hyl. Eximius profectò iſte foret caſus, ut filii Mechanicæ Philoſophiæ tam fœlici inter ſe luderent ἀλληλοψίᾳ, alterníſque per Tubos obtutibus mutuò ſe ad tantam inſpicerent diſtantiam. Si hoc nuncium unquam audivero, ſtatim iſta glaciei fragmina ex quibus *J. Metius* primus dicitur formâſſe Teleſcopia, è Luna ſuſpicabor eſſe delapſa.

Carteſ. Dioptric. cap. 1.

Cuph. Euge, euge, ***Hylobares***, tu, ut ſoles, irrides omnia, neſcis tamen quid pariat tempus.

Hyl. Ego verò, intereà temporis, ſeriò admodum ago in hoc meo colloquio cum ***Philotheo***, quod tui raptus ſic interrupêre. Cujus diſſertationis ſcopus ſuper hac re hic eſt, ut oſtendat utiq; fieri poſſe ut hæ reliquæ Terræ à nullis aliis Creaturis inhabitentur quàm quæ veræ Religionis eſſentialiter ſint incapaces, quanquam forſan conceſſurus ſit, talem eas venerationem poſſe adhibere (iſtas ſpeciatim in Luna) erga Terram noſtram, qualem Cercopitheci & Elephantes dicuntur adhibere erga Lunam, atq; naturalem ſic exercere poſſe Idololatriam, ídque fortean in Templis magnificè extructis, etiam in plena hac veræ Religionis & conſequenter ſalutis incapacitate, quippe quarum conditio quantùm ad hoc, brutorum conditioni omnino ſit par. Quâ Hypotheſi ſemel admiſsâ (talíſq; eſt quam difficile ſit falſam demonſtrare) præſens difficultas, fateor, penitùs evaneſcit. Cæterùm, quandoquidem ex conſuetudinis præjudicio & quotidiana experientia, quòd noſtra Terra ab hominibus inhabitetur propriè ſic dictis, tam invincibilem habemus propenſionem ad cogitandum idem contingere in reliquis omnibus Terris ſeu Planetis, obſecro te, ***Philothee***, ut cogitationes meas circa rationem ſalutis eorum, etiam in hoc ſtatu Quæſtionis ſi potes, allevies.

Philoth. Quicunq; ex eis ſalventur, eâdem ratione ſalvantur quâ *Americani* reliquúſq; Mundus Paganicus (qui nunquam opportunitatem habuerunt audiendi Hiſtoriam Chriſti) ſalvati ſunt aut ſalvandi. Redemptionis pretium in manum admodum juſtam perſolutum eſt, quæ debitum bis neutiquam eſt exactura, quemadmodum *Sophron* valdè ſobriè ſummóq; cum judicio nos jam monuit.

Cuph. Quis novit quin paſſio Chriſti reliquarum Terrarum incolis per miraculoſam Eclipſin quæ tunc contigit ſignificata ſit, Sole nictante reliquis Orbibus, ut longè latéq; notificaret, quid tunc tranſigeretur in hac particulari Terræ ſcena, in gratiam univerſorum?

Hyl. Bellarum imaginationum homo es, ***Cuphophron***. Quî igitur factum eſt, ut *Americani* iſtam opportunitatem non prenſarent? Nullam enim notitiam antè habuerunt de *Paſſione Meſſiæ*, quàm eis Chriſtiani illam attuliſſent, abſtuliſſéntque ſimul aurum.

Cuph. Nôſti noctem apud eos eſſe, ***Hylobares***, quando apud nos dies eſt, hinc eſt quòd Miraculum illud iſtis non innotuerit.

Hyl. At enim miraculoſam Lunæ Eclipſin facilè obſervare poterant, quæ perinde prodigioſa prorſus erat & conſpicua, cùm hæc duo luminaria in oppoſitione tunc eſſent, Chriſtúſq; ſub meridiem crucifixus.

Philoth. Commentum ***Cuphophronis*** ingenioſum eſt, ſed nimis leve & argutum in re tam gravi atque ſeria. Summa meæ ſolutionis in hac difficultate hæc eſt: Animæ lapſæ, ubicunq; ſunt, quæ in ſinceritatem recuperatæ ſint, ſic ſalvantur, ut nos ſalvamur, διὰ τ̃ ϑεανθρωπίαν, per Divinam Humanitatem, vel Humanam Divinitatem Filii Dei. Quod intimum eſt & profundiſſimum noſtræ Chriſtianæ Religionis Arcanum. Eſt autem Chriſtiani Orbis privilegium quòd Myſterium hoc tam planè diſtinctéq; per Evangelii prædicationem ſibi habeant communicatum. Efficacia verò dicti Myſterii etiam in eos derivari poteſt, qui illius ſonum externè hiſtoricéve ſuis auribus nunquam accepiſſent. Spiritus enim Domini per totum percurrit Univerſum, myſteriúmq; hoc omnibus Animabus ubicunq; ſunt, ad ipſum recipiendum idoneis, ratione magis occultâ ac miraculoſâ communicat, tali quidem quâ ipſi & quo tempore viſum ſit uti. Hanc ego maximè ſobriam præſentis difficultatis ſolutionem exiſtimo, ſuppoſito quòd ſint homines ulli propriè ſic dicti qui Planetas Terráſve de quibus loqueris, inhabitent. Quales ſint necne nobis incertum eſt. Ac proinde rerum iſtiuſmodi incertarum contra certa Teſtimonia pro exquiſita Bonitate Divinæ Providentiæ allegatio, prout ſæpe inculcavi, nullius pretii eſt æſtimanda.

XXXV.

Quanquam mundus non niſi ſex mille abhinc annis creatus eſſet, nos tamen neſcire quin quamprimum poſſet fuerit creatus.

Hyl. Id ingenuè fateor, ***Philothee***, veniámque oro. Verùm vel Impertinentias meas in meo tecum colloquio ſuum video habere uſum ac ſucceſſum. Permitte mihi unum tantùm ſcrupulum inſuper proponere, nullámque deinceps tibi creabo moleſtiam.

Sophr. Gaudeo tandem tam prope abeſſe, ut nos expediamus è vepribus.

Philoth. Quis eſt, quæſo, iſte ſcrupulus, ***Hylobares***?

Hyl. Eſt rurſus circa Animæ præexiſtentiam.

Sophr. Itáne veró? Si retrocedit, ***Philothee***, cave tibi, pugnam renovabit tam celeri curſu talémq; tibi infliget ictum qualem nunquam ſenſiſti hactenus.

Philoth. Iſtud evitari non poteſt, *Sophron*, meum eſt impetum excipere quàm commodè poſſim. Effare igitur, *Hylobares*, tuúmq; ſcrupulum mihi propone.

Hyl. Scrupulus meus hic omnino eſt: Quî conſiſtere queat cum infinita Dei Bonitate, quam illius Providentiæ ais menſuram eſſe, (cùm humanæ animæ præexiſtere poſſint vitæq; muniis ante ingreſſum in corpora hæc terrena fungi) ut citiùs creatæ non eſſent quàm cum Mundo condito, hoc eſt, vix ante ſex annorum millia, cùm tamen potuiſſent vitæ muniis, ante infinitas Annorum Myriadas, fungi.

Philoth. Si rectè Animæ naturam intelligamus, *Hylobares*, hoc haud ità difficile eſt problema. Notare enim debes eſſentialem Animæ proprietatem eſſe poſſe, aut vitaliter aliquod materiale vehiculum actuare, aut nihil agere omnino. Quamobrem res planè fruſtranea futura fuiſſet, Animas tam infinito temporis ſpatio ante corporeum Mundum conditum creâſſe, datâ utiq; hac Hypotheſi.

Hyl. Hoc verum, quoad ſciam, eſſe poteſt, *Philothee*. Sed enim, tametſi admitteremus, in parem tamen me conjiciet Animi perplexitatem, circa Divinam Bonitatem, ex eo quòd ipſi non viſum ſit maturiùs quàm ſex ferè mille abhinc Annis Mundum hunc corporeum condere, cùm creari potuiſſet infinito tempore antea, & ſic creari debuiſſet, ut humanæ Animæ tam maturè in lucem prodire poſſent, viveréq; atq; agere in ſuis quæq; vehiculis.

Philoth. Hoc equidem pondus aliquod habet, *Hylobares*.

Sophr. Annon iſtud tibi prædixi, *Philothee?* Navis noſtra, poſtquam Terram tantùm non attigeramus, in ipſo portu ſubſidit.

Philoth. Cor tuum ſubſidit, O *Sophron*. Bono ſis animo & experrecto! Eſtne hæc ſumma difficultatis, *Hylobares?*

Hyl. Eſt; Huic tantùm medere anxietati, *Philothee*, & declarabo meipſum tam ſanum quàm piſcem, perfectéque ab omnibus ſcrupulis circa Divinam Providentiam liberatum.

Philoth. Verùm oportet ut ipſe me adjuves in hac tui medicatione. Dic mihi igitur, *Hylobares*, cur putes Mundum creatum non fuiſſe niſi ante ſex mille circiter annos?

Hyl. Id planè conſtat ex Chronologia ſacrarum Scripturarum.

Philoth. Nullúmne verò aliud tibi ſuppetit argumentum, *Hylobares?*

Hyl. Nullum omnino quod ſciam, *Philothee*.

Philoth. Res igitur, *Hylobares*, ſic omninò ſe habet. Si ſincerè veritati Scripturæ adhæres, quemadmodum debes, ego te declarabo tam ſanum quàm piſcem, intricatámque hanc diſſertationem de Providentia futuram fuiſſe minùs neceſſariam. Quodſi ex Philoſophica quadam petulantia literam Scripturæ in hiſce Theorematis miſſam facere velis, ipſe te declarâſti tam ſanum quàm piſcem.

Hyl. Cepiſti me ceu piſcem in reti, *Philothee:* ſed liberè profiteor me meam nondum percipere ſanitatem, niſi tam inſanus eſſe velim, ut relinquam Scripturas.

Philoth. Id quod nunquam facies, ſi rectè eas intellexeris. Sunt enim certiſſimò, veritas Dei.

Hyl. Verùm quomodo hæc veritas cum illius Bonitate convenit, quippe quæ nobis declarat Mundum non perdurâſſe ultra ſex mille annos?

Philoth. Terra hæc atq; Cœlum in quæ olim actura eſt conflagratio, proculdubio maturiùs non incepêre, *Hylobares*. Verùm quæſo te, quàm maturè vis tu Mundi exordium incepiſſe & quo demum ordine, ut menſuram expleat illius Ideæ Bonitatis ad quam illius durationem velis extendi?

Hyl. Nolo maturiùs incepiſſe quàm eſſet poſſibile, quod tamen ante infinitas annorum myriadas eſt quàm revera incepit.

Philoth. Age igitur, *Hylobares*, exordium pone quàm voles maturum, & quo voles ordine, & vide quid indè fiat. Vos juvenes mirè præ cæteris ſapitis.

Cuph. O ſi mihi hæc *Hylobaris* Provincia contigiſſet, quàm bellè eam eſſem adminiſtraturus!

Hyl. Quæſo te, *Cuphophron*, accipe eam: Novi te dextrè & ingenioſè omnia tranſacturum.

Cuph. Sat *Carteſianicè*, fidem tibi meam do, *Hylobares*; eámq; me videbis minimè falſurum. Et in ipſo limine affirmabo acriter, Mundum incipere debuiſſe ſimulatque erat Deus, quippe cujus omnipotentia ſibi ipſi coæterna eſt. Ac proinde quicquid ullo momento producere potuit, potuit producere ſimulatque erat, hoc eſt, ab æterno. Quamobrem Materia creari potuit ab æterno, debitâq; motûs menſurâ ei communicatâ, potuit paulò pòſt in Vorticum Solûmq; formationes prolabi, ſecundùm deſcriptionem in Philoſophia *Carteſiana*, hoc eſt, *Mechanicè*; prout ego ſtatuo cum *Carteſio*, *Bathynous* autem *Spermaticè*, ex vetuſto *Pythagorico* Inſomnio in Sylva. Sed perinde hîc eſt utro modo fiat. Utrocunque enim modo, procedente tempore, poſtquam Soles hi per Univerſum luce liberâ transfluxiſſent, quidam ex eis maculis involuti perfectè opaci evaſerunt, abſorptiq; à vicinis Vorticibus Planetæ facti ſunt ſive Terræ.

Eviſt. Hi ſunt fortè *extincti* illi *Soles*, ſive *Soles frigidi*, quos *Parmenides Pythagoreus* tradidit; addens porrò homines ex Sole generatos eſſe, hos extinctos frigidóſve proculdubio indigitans qui converſi eſſent in Terras ſeu Planetas.

Diog. Laert. in vita Parmenid.

Cuph. Bella eſt iſta Obſervatio, *Eviſtor*.

Hyl. Immò verò, commodáque inſuper confirmatio Inſomnii *Bathynoani*, Mundi primordia nempe non merè *Mechanica* fuiſſe ſed *Spermatica* ſeu *Vitalia*, cùm *Parmenides* hic eſſet *Pythagoreus*. Hoc verò ad rem quæ præ manibus eſt, minùs pertinet. Redi quæſo ad Provinciam tuam, *Cuphophron*, réſque perduc ad concluſionem.

Cuph. Concluſio ex ſe manifeſta eſt. Si Mundus tam maturè non incepit quàm ego deſcripſi, quandoquidem poſſibile eſt ſic incepiſſe, (ſed infinitis annorum Myriadibus tardiùs) infinitam Dei Bonitatem non eſſe menſuram illius Providentiæ, ſed eam infinitò minùs quàm res tuliſſet, benignum fuiſſe erga Univerſum, humanáſque Animas ſi ultra ſex millia Annorum non duraverint.

Sophr. Hoc admodum acre eſt reverà, *Cuphophron*.

Cuph. Ego ſoleo, quicquid in me ſuſceperim, acriter agere, *Sophron*; hoc eſt, cum ſtimulo aliquo atque aculeo. Quid ad hoc reſpondes, *Philothee*?

Philoth. Reſpondeo, ſtrenuam te validámque impreſſionem feciſſe, *Cuphophron*, verùm efficiam ut impetus reſiliat in proprium tuum caput, modò liberè & ingenuè reſpondere velis ad ea quæ rogavero.

Cuph. Faciam, *Philothee*.

Philoth. Annon prima ſex Annorum millia durationis fuerunt ab initio Mundi, ſuppoſito quòd tam maturè inceperit quàm tu deſcripſiſti?

Cuph. Secundùm meam quidem Hypotheſin, ab æterno incepit, ac proinde Annorum Numeratio ab hoc præſenti tempore retrorſum, nullum habitura eſt exitum; nunquam perventuri ſumus ad prima ſex millia Annorum.

Philoth. Id quidem verum eſt, *Cuphophron*, ſed callidè interim reſpondes, & tamen planè ſimul innuis, eſſe prima ſex Annorum millia, licèt nos eò pervenire numerando non poſſimus. Hoc autem ex eo fit quòd ab inidonea extremitate incipiamus. Per eandem fallaciam concludere potes nulla poſtrema eſſe ſex Annorum Millia, ſi computum ineas, ab æterno, quemadmodum appellas, quoniam Numeratio porrò versùs nos nullum inventura eſt exitum. Et tamen ſumus, putà, in hoc ipſo momento in momento ultimo ultimorum ſenorum mille Annorum, & ſic ſemper erimus aliquorum ſenorum mille Annorum, aut fuimus ſaltem, in iſtiuſmodi Diviſionibus.

Cuph. Hoc negari non poteſt.

Philoth. Quamobrem, *Cuphophron*, animadverſionem defige in extremitatem idoneam, hoc eſt, in principium hujus infinitæ durationis, prout eam fingis, in illud, putà, temporis intervallum in quo totum Univerſum aut lucidum erat aut tranſparens, quippe quum nihil præter Soles tunc eſſent, ſecundùm *Carteſianam* tuam Hypotheſin, nullæ Terræ aut Planetæ. Illúdne temporis Intervallum erat infinitum?

Cuph. Ingenuè fateor mihi incredibile videri ſic fuiſſe. Meâ quidem ſententiâ intra minus ſpacium quàm infinitam temporis ſeriem aliqui Soles maculis involvi deberent, Cometæque fieri, ac poſtea Terræ ſeu Planetæ.

Philoth. Euge igitur, ſi iſtud temporis Intervallum finitum erat, finitum Numerum habebat ſenorum mille annorum.

Cuph. Senorum mille annorum, aliquoties putà repetitorum, *Philothee*.

Philoth. Sic intelligo, atque illinc inferre volo, manifeſtò proinde eſſe in iſthoc finito Intervallo prima ſena Annorum millia, perinde atque ultima.

Cuph. Impoſſibile videtur aliter fieri. Age verò, quid tum demum, *Philothee*?

Philoth. Supponamus nos ipſos, pauliſper, *Cuphophron*, aliquáſve alias rationales Creaturas, in fine primorum iſtorum ſenorum mille annorum Mundi initio quàm poteſt maximè maturo, immediatè ſuccedentium, (nam quàm altiſſimè poteras illius defixiſti principium) philoſophantes inter ſe, eâdémque diſſertatione qua nos ſe mutuò excipientes, annon illæ cum teipſo nihilominus concluderent Mundum creari potuiſſe infinitâ temporum ſerie maturiùs?

Cuph. Non ſi cognoviſſent, (quemadmodum nos ſupponimus) tam maturè creatum quàm fieri potuit.

Hyl. Bene admodum reſpondiſti, *Cuphophron*.

Sophr. Nimis bene reſponſum eſt. *Cuphophron* hic improbum habet ingenium ac infeſtum, quoties nervos illius ei viſum ſit intendere.

Cuph. Dixi tibi, *Sophron*, ſolere me omnia acriter agere & aculeatè.

Philoth. Sic age, quæſo, *Cuphophron*, dicque mihi porrò, an Antiquus dierum tunc non ampliùs ſex millia annorum perduraſſet. Iſtique diſputatores, quos memoravi, niſi moniti fuiſſent ex Divina aliqua Revelatione Mundum incepiſſe ſimul atque poſſibile eſſet, annon ſumma cum confidentia concluſuri fuiſſent infinitâ temporum ſerie maturiùs incipere potuiſſe? Et poſtremò, cùm per Divinam Revelationem nobis innotuerit, ante ſex ferè annorum millia Mundum creatum eſſe, annon poſſet nihilominus tam maturè tunc creari quàm eſſet poſſibile? Et Deus qui omnipotens eſt, potuit æquè maturè Planetas creare atque Soles ſive Stellas, omniáque ſic ordinare quemadmodum feciſſe dicitur in ſex diebus Creationis, nóſve ea reperimus hodiedum conſtituta.

Hyl. Reſponde, *Cuphophron*, cur hiante ore, exertíſque oculis ſic circumſpectas, capútque tibi ſcalpis ubi nihil prurit?

Cuph. Obſecro te, mi *Hylobares*, Provinciam tuam tibi reſume, ſi voles, ipſe eam adminiſtra. Sat mihi jam faceſſit negotii.

Hyl. Cur ità, quid quæſo res eſt, *Cuphophron*?

Cup. Ego omnino confundor.

Hyl. Ego planè convincor.

Cuph. Antè convinceris, ſi Deo placet, in omnem eventum, priuſquam *Philotheus* ullam deduxerit Concluſionem. Quid eſt quod hinc inferre velis, *Philothee*?

Philoth. Quòd tametſi cum ſacris Scripturis admittimus, quod omnes faciunt Orthodoxi, Mundum non fuiſſe creatum ante ſex milla circitèr abhinc annorum, tamen, quantum nos quidem novimus, creatum eſſe quum primùm poſſibile eſſet creari, ac proinde *Hylobaris* Allegationem, quòd Mundus infinitâ temporum ſerie maturiùs creari potuiſſet, nullam vim habere contra meam Aſſertionem de exquiſita Providentiæ Benignitate, pro qua hactenus tantopere contendi.

XXXVI. *Exceſſus gaudii apud* Hylobarem *ſummáq; Animi ſatisfactio ex Diſſertatione* Philothei.

Hyl. Immò, & tua eſt victoria, O mirande *Philothee*, meus autem Triumphus. Ὡς ἥδομαι, ϗ τέρπομαι, ϗ χαίρομαι, ϗ βούλομαι χορεῦσαι!

Philop. Quid novæ rei accidit *Hylobari*, quòd Græcum adeò raptim effundit præter morem? Quid eſt quod dicit *Eviſtor*?

Eviſt. Sententiæ fragmen eſt Barbari cujuſdam exultantis apud *Ariſtophanem*, *O quàm lætor, quàm oblector, quàm gaudeor, quámque tripudiare poſſim præ gaudio!*

Philop. Puto *Hylobarem* puriùs *Græcè* loqui quàm tu *Latinè*, alioqui perinde barbarè & imperitè loquitur atque ipſe Barbarus.

Eviſt. Intelligo quid velis, *Philopoli*. Ad Barbari iſtius Solœciſmum datâ operâ accommodavi. *Gaudeor* æquè legitima *Latinitas* eſt atque χαίρομαι *Græciſmus*, ſiqua fides habenda ſit Criticis.

Hyl. *Eviſtor* ad inſipidos ſuos Criticos rurſus ſe recipit, dum ego momentoſiſſimarum rerum atque notionum voluptate perfluo. O beate *Philopoli*, qui ad hoc colloquium me adduxiſti! O ter beate *Philothee*, qui tam Divinum donum nactus es, alleviandi mentes hominum ſeriorum in perplexis ſuis, circa res ſummi momenti, anxietatibus!

Philop. Gaudeo profectò *Philotheum* tam inſignem Curationem perfeciſſe.

Hyl. Curationem, *Philopoli*? Eſt pluſquam Curatio. Non tantùm ab omnibus addubitationibus circa Divinam Providentiam liberatus ſum, ſed in gaudio quodam ineffabili & quaſi Ecſtaſi conſtitutus, raptúſque in Paradiſum hìc in Terris, Muſicam audio cœleſtem, dum conſidero Harmoniam Dei, Rationis ac Univerſi tam pulchrè contemperatam peritâ voce *Philothei*. Quàm lætum eſt cor meum ex quo mea mens levata eſt hiſce perplexitatibus! quàm exultat mihi Animus, quàm triumphat & tripudiat, adeò ut vix me contineam quin ex cuticula exiliam præ gaudio!

Cuph. Si tam tripudianter hilaris es, *Hylobares*, rectè profectò feceris ſi exoratum aliquem velis, qui tibi fidibus canat: Ecce ego Inſtrumentum procuravi, altis tuis raptibus ferè par. Muſicâ huic emotioni additâ ad eximium te ſublatura eſt animi tonum.

Sophr. *Hylobares* nullis ſubſidiis indiget ad augendum ſuum gaudium, ſed potiùs ad moderandum. Meo enim judicio, in vehementi videtur mentis emotione verſari.

Philoth. Homines melancholici aliquando in talem conditionem conjiciuntur ex hujuſmodi occaſionibus. Quippe quum Veritas talis ſit mentis oculo, qualis Pulchritudo oculo corporis, admodum utique Ecſtatica.

Sophr. Credo cantionem aliquam ſolemnem atque gravem ad Theorbam animum ipſi pulchrè compoſituram, noviq; *Bathynoum* iſto inſtrumento didiciſſe ad illúdque ſcitè canere poſſe.

Philoth. Rectè mones, poteſt. Quæſo te, *Bathynoe*, peritiæ tuæ nobis ſpecimen ede.

Bath. Miſellus certè Muſicus ego ſum, qui canere auſim tali in conventu. Barbitum aliquando pulſo, faciléſque aliquas cantiones mihi ipſi in tenebris cano, nequaquam verò credo ullis aliis placere poſſe tam abjectum melos.

Cuph. Pulſare & canere hic etiam in tenebris potes, *Bathynoe*, ſi voles, Lunæ enim radii non tantâ copiâ ſe per pergulæ folia penetrant, ut detegere poſſint an erubeſcas, ſi memoria fortè te fallat aut digitus erret in chorda. En, tibi *Theorbam* porrigo.

Philop. Obſecro te, *Bathynoe*, audiamus quid in hoc genere poſſis. Novi admodum gratum fore *Hylobari*.

Hyl. Gratiſſimum mihi erit canticum quod elegerit *Bathynous*, ſcio enim quòd neutiquam futurum ſit à præſenti propoſito alienum.

Bath. Optima *Theorba* eſt, *Cuphophron*. Digna eſt quam manus magìs perita tangat quàm mea. Quàm dulcem & mollem, & tamen quàm ſimul auguſtum ſonum reddit?

Hyl. Levis illa & extemporanea prætentatio chordarum ac percurſio, O quàm Magico quaſi aliquo carmine ſenſus meos delinit! Manum habes fidibus pulſandis admodum doctam, *Bathynoe*.

Bath. Doctum tibi canticum canam, *Hylobares*, quanquam manum omnino indoctam habeo, & indoctiorem vocem. Erítque ex dilectiſſimo tuo Poeta, impexo licèt & ſalebroſo. Dicitur autem *Philoſophi Devotio*.

XXXVII. *Philoſophi Devotio.*

Hyl. Nulli iſtud eſt ſecundum. Audiamus obſecro.

Clarè hujus pangite laudes
Mundum qui condidit altum.
Cœlos ſine fine tetendit
Vivóſque hic pinſuit Orbes.
Hic celſi in vertice Olympi
Oculo vigili agmina paſcit;
Oculúmque hunc multiplicavit
Medio ut quôque agmine præſit.
Radio ſic ſingula recto
Circumcurrentia tangit.
Agili motu illa rotata
Formant Noctémque Diémque.
Æſtas, Autumnus Hyémſque
Prono horum inducitur Axe.
Nunquam circa ignea centra
Ceſſant agitare Choreas.
    Dum pulchro hoc ordine pergunt,
Jucundam motibus Echo
Vaſti per inania Cœli
Penetrantem molliter urgent.
Melos! almi quod Jovis *imum*
Læto cor mulcet Amore,
Vagulis, delinit & aures,
In ſphæris velificantûm.
Non ſermo, lingua nec ulla
Quò vox non ivit eorum.
    Deus eſt ſapiénſque bonúſque;
Teſtatur tota creata
Vis, linguáque quæque fatetur.
Unde orta, huc cuncta recurrunt,
Ut grata Flumina, Ponto,
Hinc quod ſumpsêre, rependunt.
    Totum nunc me, ecce, reſigno,
Tuus omnis ſum, accipe me omnem.
Propriâ Deus eripe flammâ.
Vera hæc mors, vera Gehenna.

Odium atrox, Livor & Ira
Gravis & Vindicta faceſſat,
Pia nec præcordia tentet
Quævis maleſana Cupido.
Liber, tua facta canendo,
Tremulas tunc pectine chordas
Feriam ictu vividiori.
O proles ſancta Sophiæ
Vanas qui Relligiones
Ritè excuſſiſtis, adeſte
Cantúſque adjungite veſtros.
Vos de procul, ecce, ſaluto,
Citharâ mihi dulce vibriſſans.
Seu vos Ægyptia *Tellus,*
Seu Græca, Aſiatica, *ſive*
Juga Carmeli Libaníve,
*Montiſ*ve cacumina *Lunæ*
(Pinguis nivea ubera Nili)
Aliúſve locus teneat, Nos
Omnes ſumus unus & idem,
Quanquam loca diſſita habemus,
Dum omnes communiter unâ
Vitali veſcimur Aurâ.
Unâ vice ſurgite, ſacra
Unà faciamus, Odores
Tangant ſuavi Æthera fumo.
O quàm bene molliter urit
Cæleſtis Fulgetra mentem
Myſteria ad ardua anhelam!
Subſtantia tota Animaï
In Nubes Thuris odoras
Cælum ſcandit reſoluta:
Scandat cælóſque ità tota,
Noſtri ut pars nulla ſuperſit
Præter vocémve manúmve,
(Neque enim his eſt pluribus uſus)
Operâ quas porrò teramus
Gratæ Citharæve Lyræve.
Clarè hujus pangite laudes
Mundum qui condidit altum.

Hyl. Judicium tuum admodum ſolidum erat, O *Sophron*, atque verum. Cantio hæc gravis ac ſolennis ad Theorbam, paſſionem gaudii, mihi non tam auctam reddidit, quàm regulatam, ſtabilitam atque fixam. Viſus ſum mihi in Cœlo tertio conſtitutus dum tam dulce inſtrumentum, tam vivam alacremq; vocem, & tam ſublimem Philoſophiam & Moralitatem in una Harmonia ſimul conjuncta auribus menteq; pariter percipiebam.

Cuph. Admodum longinquè hinc aberas, *Hylobares*, ſi cœlum tertium *Carteſianum* intelligis.

Hyl. Altius Myſterium intelligo, *Cuphophron!* Poteſt enim quis eſſe in cœlo tertio *Carteſiano*, & tamen æquè miſellus eſſe homuncio, atque ipſe eram ante hoc colloquium cum *Philotheo*.

Philop. Maximè raptuoſa eſtis & Ecſtatica hominum ſodalitas in quos unquam in omni mea vita incidi. Divina quædam inſania, quantum ego exiſtimo, inter vos dominatur, poteſtq; veſtri conſortii vis efficere ut alii vobiſcum ſocialitatis ergô inſaniant. Certò ſcio, poſtquam *Philotheus* ad meum pergratum argumentum pervenerit, ſi pari ſucceſſu tractaturus ſit atque hoc, me periclitaturum pari, internâ ſaltem animi emotione auferri atque *Hylobares*. Qua in re lubens facere vellem periculum, paulò maturiùs, die craſtino, poſt meridiem, horam inter tertiam quartámque. Quia Negotia mea die proximo, me ex oppido ſunt evocatura.

Philoth. Doleo te tam ſubitò abiturum, *Philopoli*. Verùm interim fidem non fallemus quin ſtato tempore, in hunc rurſus locum tecum convenerimus.

Sophr.

XXXVIII.
Periculum & ſucceſſus antecedentis diſſertationis.

Sophr. Speróq; tunc *Philotheum*, tuum argumentum, *Philopoli*, magis ſtabili ſecuróque ſucceſſu tractaturum quàm tractavit iſtud *Hylobaris*. Nam ut verum dicam, crebrum mihi veſtrâ causâ in ancipite hac diſſertatione obtigit cordolium, quippe cui audentia veſtra æquè culpabilis videbatur, atque eorum qui cùm vel in Terra poſſint ſtare incolumes, vel per pontem aliquem bene affabréq; extructum, tranſire, malunt tamen ſeipſos laceræ alicui cymbæ, ſæviente vento, fluctibúſq; in altum ſe attollentibus & tumultuantibus (aut ex incauta quadam animi laſcivientia, aut ambitione conflictandi cum periculo) committere. Equidem mihi ſubinde viſus ſum videre cymbam jamjam everſum iri, vóſque coactos, aut natando vitam redimere, aut ſubmergi.

Philop. Verùm Providentia mirificè ſuo adeò fervido Advocato opitulata eſt, O *Sophron*.

Sophr. Sic fecit, veſtrúmq; omnium incolumem ad terram appulſum vobis ex animo congratulor.

Cuph. Verùm hæc omnino arida eſt & inefficax congratulatio, O *Sophron*. Præbibe illis calicem boni vini Hiſpanici, ad reſocillanda gelida eorum corda poſt hoc naufragii periculum, & tempeſtatem marinam. Tene, ego utrem tibi aperiam.

XXXIX.
Intellectualis Gaudii præ illo quod ſenſuale eſt, prælatio.

Hyl. Siſte manum, O *Cuphophron*. Nemini enim cor itâ alget frigétve quemadmodum tu ſuſpicaris. Quantùm ad me certò, me perſentio totum calere gaudio, ſine ullo hujuſmodi laticum adminiculo.

Cuph. Fortaſſe plus ſatìs cales, *Hylobares*. Vinum Hiſpanicum conducit etiam Febribus, nec veridiſſimile eſt, quin unus calix te frigefacturus ſit.

Hyl. Omnis calor, quo hoc tempore ferveam, quantus quantus ſit, adeò ſacer eſt totus ac Divinus, ut nollem eum, vel minimo gradu, ex ullo prætextu, diminutum.

Philop. Quæſo te, *Cuphophron*, utrem tuum integrum in aliud tempus conſerva. Video nunc omnino ſuperfluum eſſe. Vinúmque tuum generoſius eſt quàm ut incaſſum prodigi debeat.

Philoth. Cuncti tanto gaudio perfluimus, O *Cuphophron*, quantum nullum vinum terreſtre procurare poteſt, aut augere, nec certè debet diminuere.

Eviſt. Credo quidem nos ſic facere, *Philothee*. Ego nollem nunc vel unum calicem vini Hiſpanici bibere, nè quadraginta quidem libris conductus.

Cuph. Fœlicitas mihi non contigit hoc tempore quicquam contribuendi ad gratificationem præſtantiſſimæ hujus ſodalitatis ulla in re; Cùm & ipſum vinum æquè rejectaneum ſit atq; ratiocinia mea.

Hyl. O dilectiſſime *Cuphophron!* Noli ſolicitus eſſe circa has res. Præclarè profectò tuo functus es officio, & condignè ingenio, magníſq; animi dotibus *Cuphophronis*.

Cuph. Ea res nonnihil habet ſolatii, quòd cenſura *Hylobaris* adeò favorabilis ſit, cui mos eſt in me vellicare omnia quæ vellicatu digna non ſunt, perinde atque quæ ſint digna. Verùm liberè tibi profiteor, *Hylobares*, Animum mihi nunquam in omni vita ità perplexum fuiſſe quàm in hac quæſtione, de Poſſibilitate Creationis Mundi ab æterno. Omninò animo meo inſidet hæc perplexitas ad hunc uſq; diem.

Hyl. Obſecro te, *Cuphophron*, quot horulæ, vel potiùs quot momenta effluxerunt, ex quo primùm hæc perplexitas animum tuum occupavit?

XL.
Semper-anticipativam eſſe Æternitatem & Amplitudinem inexterminabilem, quæ ſoli Deitati ſunt propriæ.

Cuph. Mens mea ità agitata eſt tempus inter & æternitatem, ut in neutro me ſentiam poſſe congruenter loqui. Quàm ſtupenda res eſt hæc, ut Deus, qui ſimulatque erat, erat Omnipotens, quiq; erat ab æterno creareq; potuit Soles atque Vortices proximo quaſi momento quàm erat Omnipotens, non poſſet tamen Mundum tam maturè creare, quin æternitas Durationis neceſſariò concipienda ſit ante Mundi Creationem?

Bath. Immò profectò, *Cuphophron*. Eſtque hæc mirificè *anticipans Æternitas* propria & neceſſaria *duratio* Dei, quam nulla res attingere poteſt aut exhaurire; quemadmodum intima illa *Extenſio* ſive *Amplitudo*, quæ neceſſariò manſura eſt, poſtquam omnem Materiam, aut quicquid præterea quod exterminabile ſit, amotum ſive exterminatum ſuppoſuerimus, conſideranda eſt ceu permanens *Expanſio* ſive *Amplitudo* radicalis *Eſſentialitatis Dei*.

Cuph. Hoc eſt obſcurum per obſcurius. Mihi verò interim minimè eſt obſcurum, ſi ſit iſtiuſmodi Mundum conditum antecedens, & ad quam nulla res creata pertingere poſſit, in Deo Æternitas, Deum in æternam quandam ſolitudinem neceſſariò fuiſſe conjectum.

Hyl. Equidem *Cuphophron* noſter Animalculum eſt adeò Societatis amans ut nè Deum quidem ipſum in ſolitudine beatum eſſe poſſe exiſtimet, contra dictum illud Sapientis, *Nemo minùs ſolus quàm cùm ſolus.*

Sophr. Immò verò, ***Hylobares***, vide an Deus ſolus fuerit ante Mundum conditum.

Cuph. Annon ille tum ſolus fuit cùm nihil præter ſeipſum adhuc creaviſſet?

XLI. *De Triunitate Divini Numinis quatenus ex humana ratione de ea licet philoſophari.*

Sophr. Sed generavit aliquid præter ſeipſum ab æterno. Et quemadmodum Filius ait, ***Solus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater***; ità Deus Pater ſemper potuit dicere, ***Solus non ſum, ſed ego & quem genui Filius***; ut taceam ***Spiritum ſanctum.*** Oblitus eras, O ***Cuphophron***, Platonicorum Πλατωνικώτατε, tres tuas Hypoſtaſes ***Platonicas.***

Cuph. Verum narras, O ***Sophron***, Theologorum θεολογώτατε. Sed etiamnum hìc mihi aqua hæret, cùm graviſſimi Theologi tres Hypoſtaſes tres Modos tantùm eſſe prædicent.

Evist. Et Cabbaliſtæ profectò, מדות appellant, hoc eſt, Modos, decémque eos faciunt.

Cuph. Et certè ſi decem numerant, quantum abſit ut ſint Hypoſtaſes, ipſe ***Sophron*** judicet. Et ſi non ſint Hypoſtaſes ſed meri Modi, æterna illa Divini Numinis ſolitudo ante Mundum conditum nequaquam hac ratione tollitur. Nam ſi Modi ſunt, aut ***Phyſici*** ſunt Modi aut ***Logici.*** Si ***Phyſici*** Modi ſunt, ſunt tantùm tres Modificationes Eſſentiæ Divinæ, * ut tres quælibet facultates Animæ meæ Modi ſeu Modificationes tres ſunt meæ Animæ, quæ pluralitatem Hypoſtaſeων in Anima non conſtituunt. Si Modi ***Logici*** ſunt, ſunt tres tantùm Rationes ſive Notiones ſecundæ juxta quas nos Divinum Numen concipimus. Quo ſenſu tres eſſe Hypoſtaſes ſive tres Perſonas idem eſſet atque tres eſſe Notiones Logicas. ***Perſona*** enim nihil aliud eſt quàm ***Species infima*** vel ***Individua*** rationalis. Quod Individuum vel Suppoſitum rationale appellant. Quam Notionem ***Secundam*** ſive ***Logicam*** ſingulari cuique rationali ſive intelligenti quatenus tali, applicamus, nempe quatenus eſt ***intelligens ſingulare.***

XLII. *Tres Hypoſtaſes non eſſe tantùm tres Notiones ſecundas, nec modos tantùm Phyſicos.*

Sophr. Nemini unquam in mentem venit tres Hypoſtaſes tres tantùm eſſe Notiones Logicas, cùm de ſecunda planè dicatur, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸς ἀληθινὸς ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, ***Lumen de Lumine, verus Deus de vero Deo***, in Symbolo ***Nicæno.*** Quomodo autem poteſt aut Lumen aut Deus eſſe notio tantùm ſecunda? ut taceam de ***Spiritu ſancto.*** Impoſſibile enim eſt ***Spiritum*** Notionem eſſe tantùm ***ſecundam.***

Cuph. Cùm igitur Modi ***Logici*** non ſunt, ſunt Modi ***Phyſici.***

Sophr. Nec id aſſero, ***Cuphophron.*** Quippe quòd nec recepta Symbola nec ſacra Scriptura ***Filium*** aut ***Spiritum***, nedum ipſum ***Patrem*** Modos eſſe aſſerit. Nec cur Modi appellentur ſatis cauſæ video, quandoquidem ea tribus Hypoſtaſibus tribuuntur, quæ Modis neutiquam competant.

Cuph. Quænam ſunt iſta, obſecro?

Sophr. Hoc unum ſufficiat, ***Cuphophron***, quòd nullus Modus percipit, ſed id cujus eſt Modus. Hypoſtaſis verò quæ Pater dicitur, percipit Filium, & Hypoſtaſis quæ Filius dicitur, Patrem; & eadem ratio eſt de Spiritu ſancto.

Eviſt. * Id quod apertè affirmat ***Cyprianus. Pater in Filio & Filius in Patre utrique ſe in ſe vident.***

XLIII. *Nec tres eſſe Subſtantias quamvis de ſingulis verè dicatur quod ſit Subſtantia.*

Cuph. At verò, O ***Sophron***, ſi Pater, Filius & Spiritus ſanctus non ſunt tres ***Modi***, nec ***Logici*** nec ***Phyſici***, neceſſariò ſequitur tres eſſe ***Subſtantias.***

Sophr. Nequaquam, O ***Cuphophron.*** Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus, annon?

Cuph. Ità apertè nos docet Symbolum ***Athanaſianum.***

Sophr. Nihil autem eſſe poteſt Deus quod non ſit ſubſtantia.

Cuph. Id certè veriſſimum eſt.

Sophr. Ergo Pater eſt ſubſtantia, Filius eſt ſubſtantia, & Spiritus ſanctus eſt ſubſtantia.

Cuph. Id profectò negari non poteſt, cùm unuſquiſque eorum ſit Deus. Sed interim non video quin ***tres*** futuræ ſint ***ſubſtantiæ.***

Sophr. Non magis ſanè quàm tres futuri ſunt Dii.

Cuph. Ità me Deus amet, non putabam hunc noſtrum ***Sophronem*** tam ſubtilem diſputatorem. Crux ingens ingenio meo erat & difficultas inſuperabilis, quì id quod ſubſtantia non eſſet, poſſet eſſe Hypoſtaſis ſive Perſona, cùm Perſona nihil aliud ſit quàm ſubſtantia ſingularis intelligens. Jam verò cùm de ſingulis Hypoſtaſibus in Divina Trinitate, rectè dici poſſit quòd ſit ſubſtantia, ſcrupulus totus eximitur. Et manifeſtum eſt non magìs ſequi tres eſſe ſubſtantias quàm tres eſſe Deos.

Eviſt. Nec quicquam heìc receſſit ***Sophron*** à ſolita ſua ſobrietate * quòd concluſerit ſingulas Hypoſtaſes eſſe ſubſtantiam, cùm frequenter id apud antiquos Patres affirmetur, quemadmodum quamplurimis exemplis confirmare poſſim.

Cuph. Facilè tibi credo, nec tempus permittit audire teſtimonia. Iſtud mallem audire, qui intelligi poſſit, ut ſingulæ Hypoſtaſes ſubſtantiæ ſint & tamen una tantùm Divina ſit ſubſtantia.

Evist. ***Tertullianus*** iſtud Myſterium ſic illuſtrat: ***Non dubitaverim,*** inquit, ***Filium dicere & Radicis Fruticem, & Fontis Fluvium, & Solis Radium, quia omnis origo parens eſt. Nec Frutex tamen à Radice nec Fluvius à Fonte nec Radius à Sole diſcernitur, ſicut nec à Deo Sermo.*** En ſubſtantiam & ſubſtantiam! ſed totam indiviſam; Radicem & Fruticem utraſque ſubſtantias! & tamen unam ſubſtantiam: & ſic de Fonte & Fluvio.

Cuph. Sed tamen dividi poſſunt & realiter ſeparari.

Bath. Frutex à Radice poteſt & Fluvius à Fonte, ſed Radius Solis à Sole nequaquam abſcindi poteſt aut diſcerpi.

Cuph. Illud igitur optimè omnium quadrare agnoſco.

Bath. Et tamen, en tibi ***Cuphophron!*** quod adhuc magìs aptè quadrabit, ſi rectè perpendas.

Cuph. Quid iſtud rei eſt, ***Bathynoe?***

Bath. Anima ipſa, quam non potes non agnoſcere ſubſtantiam totam eſſe, eámque perfectiſſimè unam planéque indiſcerpibilem.

Cuph. Sic quidem eſt ipſa Animæ Subſtantia ſive Eſſentia.

Bath. Id verò Animæ quod ejus τὸ πλαστικὸν dicitur & totum ferè corpus pervadit, annon ſubſtantia eſt?

Cuph. Concedo, alioqui in corpus agere non poſſet, ipſúmve formare & actuare.

Bath. Rectè quidem philoſopharis. Et certè ſi τὸ πλαστικὸν ſubſtantia eſt, multò magìs ſubſtantia eſt τὸ καταληπτικὸν Animæ, cujus tam nobiles ſubliméſque ſunt operationes, quódque τῷ πλαστικῷ quodammodo, ipſíque corpori imperat.

Cuph. Equidem inficias ire non audeo.

Bath. Quamobrem cùm τὸ πλαστικὸν ſit ſubſtantia & τὸ καταληπτικὸν ſubſtantia, utraque verò * non niſi una indiſcerpibilis Anima, manifeſtum eſt quòd non ſunt duæ Subſtantiæ ſed una Subſtantia, ac proinde quòd rationi minimè repugnat, Patrem eſſe Subſtantiam, Filium eſſe Subſtantiam, & Spiritum ſanctum eſſe Subſtantiam, nec tamen tres eſſe Subſtantias ſed unam Subſtantiam.

Cuph. Niſi præſtigiatorem agis, ***Bathynoe,*** hoc meridianâ luce clarius eſt, nec ullam eſſe repugnantiam Logicam quin tres Hypoſtaſes eſſe poſſint & unicum tamen Divinum Numen. Sed cur ſint tres Hypoſtaſes in uno Divino Numine, id efflictim, ***Bathynoe,*** ex te audire cupio.

XLIV.
Cur ſint plures Hypoſtaſes in Divino Numine.

Sophr. Nimiam tibi indulges curioſitatem, ***Cuphophron,*** qui iſtud à ***Bathynoo*** expetis. Annon ſatìs eſt, quòd Myſterium hoc ſacrarum Literarum teſtimonio perinde atque antiquæ Eccleſiæ ſuffragio confirmetur, nec interim Rationi omnino repugnet?

Cuph. Equidem fateor ſat eſſe pleriſque, mihi non item. Ità enim comparatum eſt Ingenium meum ut niſi profundiſſimis cujuſque rei rationibus indagatis atque erutis neſciam acquieſcere. Cúmque hæc Divini Numinis Triunitas non tantùm ut poſſibilis traditur, ſed tanquam res reverà exiſtens, vehementer edoceri cupio à ***Bathynoo*** quippe viro hujuſmodi difficultatum explicandarum, ſi quis alius, callentiſſimo, ecqua ex natura rei ratio ſe obſerat quæ fidem faciat huic Divinæ Numinis Triunitati.

Hyl. Obſecro te, ***Bathynoe,*** morem pauliſper ***Cuphophroni*** hac in re gere, cùm & mihi ipſi ſic haud mediocriter ſis gratificaturus.

Bath. Tuo juſſu faciam, ***Hylobares,*** & ſic quidem faciam, ut ſermo noſter ſenſui guſtuíve ***Cuphophronis*** attemperetur quàm poteſt maximè, quippe quem tanta ſolicitudo tenuit, nè Deus per tam immenſam Æternitatem ante Mundum conditum ſolus reperiretur. Rogo igitur ***Cuphophronem*** annon ex ipſa Idea Dei conſtet vitam ipſi competere perfectiſſimam & beatiſſimam?

Cuph. Omninò, ***Bathynoe.***

Bath. Potéſtne verò iſta vita eſſe beatiſſima quæ perfectiſſimâ ſolitudine clauditur?

Cuph. Nequaquam, ut opinor, ***Bathynoe.**** Atque ob id ipſum ego ſemper hactenus cenſui Mundum ab æterno extitiſſe, ſed à Deo creatum; nunc vero hæſito.

Bath. At verò, ***Cuphophron,*** licèt Mundus factus fuiſſet ab æterno, Deus adhuc in ſolitudine futurus fuiſſet, ut Homo inter pecora. Societas enim eſt inter pares, non inter eos, inter quos infinitò majus intervallum eſt, quàm inter pecora atque hominem.

Cuph. Neſcio profectò quid heìc reſpondeam, ***Bathynoe.*** Valde veriſimile eſt quod narras.

Bath. Ut igitur Deus beatiſſimâ ac perfectiſſimâ fruatur vitâ, neceſſe eſt ut ſocium habeat ſibi æqualem, idoneúmq; perfectionum ſuarum Teſtem & Congratulatorem. Qui cùm aliunde haberi non poſſit, (niſi Deum revera imperfectum fingere velimus) ex ſeipſo gignere oportet. Quem proinde nos Chriſtiani illius appellamus Filium unigenitum, qui paternarum perfectionum æternus eſt Teſtis, Congratulator atque Hæres. Audi, *Cuphophron*, & rectè rem accipe. Ità comparata eſt Divina Natura, ex ipſa Dei Idea, quod Ens abſolutè perfectum eſt, ut non poſſet nobile hoc ex ſeipſa ac Divinum germen ab æterno non germinare, non certè magìs quàm ipſa non exiſtere aut exiſtens non beatiſſima eſſe.

Cuph. O alatam Animam *Bathynoi!* O aciem mentis Aquilinam! O ſermonem dilucidum, ſuccinctum, vividum ac penetrantem! Rectè rectè rem teneo, *Bathynoe!* Deum utique ſine Filio ſuo beatum eſſe non poſſe, imperfectionem in eo non magìs arguere quàm ſic eſſe non poſſe ſine Juſtitia, ſine Sapientia & id genus reliquis. Satìs eſt ut ex ſe hæc omnia habeat non aliunde, nec poſſit non habere. Hinc conſummatiſſima eſt illius perfectio ac beatitudo.

Bath. Rectè rem tenes, *Cuphophron*, dignus jam videris qui iſtiuſmodi myſteria audias.

Sophr. Eſt igitur hoc germen, Paternæ gloriæ æternum ἀπαύγασμα, viváque illius Hypoſtaſeos Imago; Logos ille æternus æternáve Sapientia quæ deliciæ ſui Patris fuit ab initio, habuitq; συμβιῶσιν Θεῷ.

Eviſt. Eſt utique idem ille quem *Clemens Alexandrinus* Ἄνθρωπον ἀπαθῆ appellat, quò minus quis miretur Perſonam eſſe ſive Hypoſtaſin. Imaginémque Dei eodem loco affirmat, ut & hujus Imaginem eſſe mentem humanam.

Cuph. Bella quidem iſta ſunt, *Eviſtor*, & appoſita, ſi per temporis anguſtiam, ea nobis audire liceret. Ego verò cùm res tam fœliciter ſucceſſerit de *Filio*, vehementer jam cupio audire ex *Bathynoo*, quæ Philoſophica ratio ſit cur credamus eſſe *Spiritum ſanctum*, tertiam illam Hypoſtaſin.

XLV.
Quæ Philoſophica ſit ratio cur credamus tertiam eſſe Hypoſtaſin, nempe Spiritum ſanctum.

Eviſt. Annon meminiſti, *Cuphophron*, convivarum numerum apud *Varronem* tres ſaltem eſſe oportere ut nec excedere novem?

Cuph. Quid tu tam intempeſtivè te interponis, *Eviſtor*, cum multifaria tua lectione Philologica, cùm ego ſolis rationibus ſeveris ac Philoſophicis tam avidè totus jam inhio? Quas mihi ſolus *Bathynous* explicare potis eſt.

Bath. Nimium mihi tribuis, *Cuphophron*, nec id ſine injuria aliorum. Atque equidem haud ſcio an poſſim tuæ expectationi hac in re ſatisfacere. Operam tamen dabo quoad potero, ídque perquam breviter, quippe quia ad multam noctem jam diſputatum eſt. Dic igitur, *Cuphophron*, cùm Pater filium genuerit paternarum perfectionum tam idoneum Congratulatorem atque Teſtem, potéſtne Filius ſine infinita exultatione atq; gaudio paternas opes ac theſauros excutere & contemplari?

Cuph. Quos intelligis Theſauros?

Bath. Theſauros intelligo infinitæ Bonitatis, Sapientiæ & Potentiæ, ex quibus oritur ſcientia rerum omnium verarúmque Idearum earum comprehenſio, & Mundi cum univerſo ſuo ornatu nunc quidem conditi ſed olim condendi perfectiſſima Ratio.

Cuph. Nondum mentem tuam ſatìs percipio, *Bathynoe.*

Bath. Annon hæc omnia intuendo Patrem concipit Filius, ídque ſummo cum gaudio ac lætitia?

Cuph. Aliter profectò fieri non poteſt, quantum ego video, quin conceptus hic fiat in Filio & ſit ſimul, ſuprà quàm dici poteſt, lætiſſimus jucundiſſimúſque. Atque primus quidem ille ac æternus Divinus Amor, * quem multi *Platonici* pariter atque Chriſtiani tantopere celebrant.

Bath. Facilè igitur agnoſces conceptum hunc eſſe *Vitalem.*

Cuph. Immò vitaliſſimum, vel potiùs Vitam illam ipſam quâ nihil ſuavius aut jucundius fingi poteſt.

Sophr. Vide igitur, *Cuphophron*, annon ſit ea ipſa *Vita* quæ dicitur eſſe in *Logo*, (*Johan.* 1.) qui Filius eſt. * Ἐν αὐτῷ ἦν ἡ ζωὴ, *In ipſo erat vita.*

Cuph. Id quidem omnium facillimè, O *Sophron*, tibi concedam.

Sophr. Cùm verò iſtoc in loco Θεὸς ſit *Pater* & Logos *Filius*, annon neceſſe eſt ut tertium hoc ſit *Spiritus ſanctus* quem quidam è *Scholaſticis* Amorem eſſe definivêre?

Cuph. Equidem omnino ſic putarem niſi *Spiritus* Hypoſtaſin ac *ſubſtantiam* innueret; *Vita* verò operationem tantummodo aut *modificationem* alicujus ſubſtantiæ.

Eviſt. Fidem meam tibi do, mi *Cuphophron*, vocem Ζωὴ, etiam apud *Platonicos* tuos, ſubſtantiam aliquando ſignificare, cùm & ipſa ψυχὴ ζωὴ dicitur apud ipſos, & aliquando ζωὴ αὐτόζωος.

Cuph. Peropportunè profectò heîc *Eviſtor* peritiæ ſuæ Philologicæ ſpecimen dedit, ob quod gratias ei ago quàm poſſum maximas. * Sic enim ζωὴ hæc, quantum video, aptiſſimè reſpondebit τῇ θείᾳ ψυχῇ Platonicorum.

Soph. En tibi igitur quam quæris, *Hypoſtaſin* tertiam, *Spiritum ſanctum*, Amorem illum Divinum *Eſſentialem*, non *Operationem* ſed *Subſtantiam intelligentem*, ac proinde meritò dictam Hypoſtaſin.

Cuph. Ità quidem videtur ex genuina Interpretatione Divini Oraculi apud *Johannem*, & ſic credo. Sed nondum Philoſophicas ſuas Rationes mihi explicavit *Bathynous* cur ſic credam. Id verò eſt potiſſimum quod tantopere audire aveo.

Bath. Concedis, *Cuphophron*, æternum *Logon* paternas perfectiones ſive quæ immutabilem ſuam naturam ſpectent, propriámve Eſſentiam, ejúſq; pulchritudinem Bonitatémque Eſſentialem, ſive quæ ad perfectiones rerum creabilium Ideáſq; earum ac Rationes æternas pertineant, quæ Sapientiam creatricem ordinatricémque in Divina Natura reſpiciunt, non ſine ſumma, imò immenſa voluptate, amore atque gaudio, contemplari poſſe.

Cuph. Omnino concedo.

Bath. Rogo igitur te, *Cuphophron*, præſtabiliúſne ſit ut Amor hic, Voluptas aut Gaudium operatio tantùm ſit vel modificatio in *Æterno Logo*, ut quando nos gaudemus aut voluptate perfundimur; an verò ut concepta hæc voluptas Amórve ſit Eſſentia quædam ſive Subſtantia, cujus ipſa vitalis ac permanens operatio ſit in Divinis exultare perfectionibus omnibus, ſive ad propriam Divinæ Naturæ Eſſentiam, ſive ad Ideas rerum creandarum ordinandarúmque ſpectantibus: ità ut quemadmodum Pater reflexo in ſe conceptu generavit Filium ſive æternum *Logon*, ità *Logos* hic ex contemplatione paternarum perfectionum congratulatoria ζωὴν quandam αὐτόζωον (nè ipſe ſterilis aridúſve videatur) vivámve eſſentiam in ſe ſcaturire fecerit, quam vulgò vocamus Spiritum ſanctum, Amorémve Divinum eſſentialem?

Cuph. Equidem tantum lucis noſtris oculis offundis, *Bathynoe*, ut præ illius ſplendore ferè cæcutiam. Nec habeo quod ſubitò reſpondeam.

Bath. Adeóne difficile eſt determinatu, *Subſtantiáne* an *Accidens* præſtabilius ſit, & *Fœcunditáſne* an *Infœcunditas*, vel ſi malles *Ariditas* an *Scaturientia*?

Cuph. De priori parte ſatìs mihi conſtare fateor: ſed vereor nè dolus aliquis ſophiſticus ſubſit poſteriori.

Bath. Quid ità, *Cuphophron*?

Cuph. Quia plus probat, quàm ipſe velis (ni fallor) probatum iri. Nam ſic Spiritus ſanctus ſubſtantiam aliquam effundere debet, atque ità non *Trinitas* ſolùm ſed *Quaternitas* immò *Infinitas* futura eſt Hypoſtaſeôn ſive *Perſonarum*.

Bath. Non ſegniter profectò nec imperitè reſpondes quanquam aliquantulùm perversè meo quidem judicio, talíque modo qui animum vagum & inconſtantem magis condeceret quàm *Cuphophronem*, tam ſtrenuum liberúmque veritatis inveſtigatorem. Sunt enim qui difficultatibus, præſertim quas ipſi excogitaverint, irretiri malunt & incertitudine teneri, quàm ab eiſdem expediri, & in veritate confirmari; ſed eorum numero *Cuphophronem* nequaquam accenſeo.

Cuph. Et meritò ſic facis, *Bathynoe*. Expedi igitur mihi hanc difficultatem, & ipſe ſtatim experieris quàm tua de me, te minimè fefellerit opinio.

XLVI.
Nullam ſuppetere rationem cur plures tribus ſint Hypoſtaſes.

Bath. Oportet igitur attendas, O *Cuphophron*, ad ipſum Titulum Argumenti, quod Triunitatem Deitatis ex perfectione ipſius Naturæ Divinæ demonſtrare adnititur. Cùm verò Divina Perfectio ac Fœlicitas æquè abſoluta ſit, tribus Hypoſtaſibus ſuppoſitis, quàm millies millenis, vel ſi malles, infinitis, vagi ac temulenti ingenii mihi videtur ad has exorbitantias excurrere. Nam in hiſce tribus omnino conſiſtere debemus, cùm ſingulæ infinitæ ſint, adeò ut nihil opus ſit numeroſitate, ſed pluralitate tantùm ad evitandam ſolitudinem, juxta tuam ipſius ſententiam. Quamobrem tametſi Divinæ Naturæ perfectio requirit ut ſit quaſi quædam fœcunditas vel ſcaturientia in æterno *Logo*, quâ Ζωὴν illam αὐτόζωον ſive *Spiritum* in ſe promanantem habeat, tertiam utique illam Hypoſtaſin; nihil opus eſt tamen ut hæc Hypoſtaſis alteram Divinam Hypoſtaſin producat. Quippe quòd nullum in ea defectum arguit; quandoquidem nulla eſt in ea imperfectio, ità comparatam eſſe ut ea non habeat quæ nihil opus eſt habere.

Hyl. Præterea, *Cuphophron*, cùm adeò ſtudioſus ſis *Platonis* alumnus, cúmque *Platonici*, tres diſtinctos trium Hypoſtaſeôn Characteres eſſe doceant, *Bonum*, primam Hypoſtaſin, *Sapientiam*, alteram, tertiam *Animam* (quam & Mundi δημιουργὸν faciunt)

ciunt) appellitantes, híque Characteres ſummam Divinitatis complectantur, haud facilè profectò, *Cuphophron*, tuam pati debes Imaginationem ulteriùs prolabi.

Bath. Quibus omnibus addi poteſt, quandoquidem *Cuphophron*, ut nulla Hypoſtaſis infœcunda ſit, adeò eſt ſolicitus, etiam tertiam, ſuam habere fœcunditatem. Divinus enim hic Amor in *Logo* conceptus omnes paternarum Perfectionum divitias contemplante Ideáſque rerum creandarum omnium recognoſcente, horum omnium Divinæque adeò Sapientiæ, quâ Mundus creandus ac gubernandus erat, ab omni retro æternitate factus eſt compos, Mundum olim ipſe, quamprimum Creatura exiſtendi capax fuerit, ad illud exemplar creaturus, Monadúmque Abyſſum cum ſpiritu Naturæ, Animáſque Angelorum pariter atque hominum ad conſtituendam unam immenſam rerum Univerſitatem in lumen emiſſurus. Viden', *Cuphophron*, quàm infœcunda res ſit tertia Hypoſtaſis?

Cuph. Immò video, *Bathynoe*, quàm fœcunda ſit, Omniáque adeò ex animi ſententia ſucceſſiſſe vehementer gaudeo.

Sophr. Immò verò ad ſenſum ſacræ Scripturæ, *Cuphophron*, ſicut ſcriptum eſt, *Johan.* 16. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet quod renunciabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, Illum de meo accepturum quod renunciabit vobis.* Atque ſic omnia à Patre luminum per Filium refunduntur in Spiritum ſanctum qui Eccleſiæ ſinguliſque Eccleſiæ membris pro ſuo cujuſque captu gratiam & virtutem infundit.

Hyl. Et per ſpiritum Naturæ, omnem vitam motúmque omnibus Mundi partibus, quæ creduntur, inanimatis, impertit, ut Divinis Angelorum Hominúmque Animabus vitam planè Divinam cœleſtémque immediatè inſpirat.

Eviſt. Quæ profectò omnia, *Hylobares*, cum *Platonis* ſententia, apud *Macrobium*, apprimè conveniunt. *Deus qui prima cauſa eſt & vocatur, unus omnium quæque ſunt, quæque videntur eſſe, Princeps & Origo eſt. Hic ſuperabundanti Majeſtatis fœcunditate de ſe mentem creavit. Hæc Mens, quæ* νοῦς *vocatur, quà Patrem reſpicit, plenam ſimilitudinem ſervat Auctoris. Animam verò de ſe creat, poſteriora reſpiciens.*

Hyl. Immò quidem aliquo modo conveniunt, *Eviſtor*; an verò adeò per omnia, haud temerè ſtatuendum eſt.

Cuph. Minutiora iſta meæ ſagacitati permitte, *Hylobares*; nobilis erit profectò dignúſque meo ingenio ludus quem ſolus apud meipſum in hac mea pergula arborea proſequerer.

Philop. Vel ſuper pulvinar potiùs in Lecto, O *Cuphophron*, ad multum enim noctis, pergratum hoc colloquium perduximus inſcientes.

Cuph. Rectè mones, *Philopoli*, par profectò erit pulvinar, quod dicitur in proverbio, ſuper hac re conſulere, eíque indormire. Nam vel minutiora in rebus maximis paulò accuratiùs excutere & perpendere virum ſapientem decet.

Philop. Id tibi facilè aſſentior, *Cuphophron*; quanquam, quantùm ad me, ego profectò, abunde huic quæſtioni de Triunitate Divini Numinis ſatisfactum cenſui, quum primùm *Bathynous* & Eccleſiæ Scripturæque Autoritati conſentientem, nec rationi omnino repugnantem, eam ſententiam demonſtrâſſet. Sed tuâ causâ, *Cuphophron*, gaudeo, dum hanc diſputationem video ad tam fœlicem perductam exitum.

Cuph. Ego verò & tuâ, *Philopoli*, cùm jam ſecurus eſſe poſſis quod reliquum eſt temporis, tuis quæſtionibus ſatisfaciendis totum impenſum iri.

Philop. Ergo, Amiciſſimi mei, memores eritis horæ præſtitutæ die craſtino.

Philoth. Fiet, *Philopoli*. Nequaquam fallemus fidem.

SCHOLIA

In DIALOGUM III. *Sect.* 41.

UT tres quælibet facultates animæ meæ, modi ſive modificationes tres ſunt meæ Animæ. *Sic igitur ſtatuere planè* Sabellianiſmus *eſſet, quemadmodum ea Hæreſis deſcribitur apud* * Petavium *ex antiquis Patribus. Neque enim id ſolùm* Sabellianiſmus *eſt* τὸν αὐτὸν εἶναι *ſtatuere* πατέρα, τὸν αὐτὸν υἱὸν, τὸν αὐτὸν ἅγιον πνεῦμα, ὡς εἶναι ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, eundem ſtatuere eſſe Patrem & Filium & Spiritum

* De Trinitat. lib. 1. cap. 6.

Spiritum ſanctum, ut ſint in una Hypoſtaſi *tres appellationes, ut loquitur* Epiphanius: *vel ut* Baſilius, Ἓν πρᾶγμα πολυώνυμον εἶναι, Rem unam multinominem eſſe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; *ſed idem Pater, etiam ex eo* Sabellianos *deſcribit, Quòd,* ὅταν ὁμολογῶσι λόγον, τῷ ἐνδιαθέτῳ αὐτὸν παρεικάζουσι, cùm verbum confitentur, ipſum comparant cum interno. Sapientiam verò ſimilem eſſe dicunt habitui illi qui in eruditorum anima conſtituitur. *Et alibi*, Sapientiam in Deo exiſtimant eſſe ſicut in homine, ſapientiam humanam quâ ſapiens eſt, hoc eſt, eſſe ἀνυπόστατον. *Vel ut breviter* Petavius *ex Veteribus*, Talem in Deo ac Dei Sapientiam aut Verbum eſſe qualia in hominibus exiſtunt; *hoc eſt, Perſonæ ac Subſtantiæ jam completæ aliquod Accidens. Additque ex* Epiphanio, *Solis ſimilitudinem, in quo triplex ineſt* ἐνέργεια, *illuminandi vis, calefaciendi, & rotundæ Figuræ, quem diſcum Solis vocant. Ac vim quidem calefaciendi reſpondere Spiritui ſancto, illuminandi autem Filio, Patrem autem Formam eſſe totius Hypoſtaſis. Unde palàm eſt Filium Spiritúmque vel* Phyſicos *modos facere, conſpicuum eſſe* Sabellianiſmum, *multòque igitur magìs eos, Modos merè* Logicos *conſtituere, quòd idem ferè eſſet atque nuda facere Nomina, quemadmodum loquitur &* Baſilius *&* Epiphanius.

Jam verò cùm quid ſit Sabellianiſmus *ſatis intellexerimus, non abs re erit paucis monere quid ſit* Arianiſmus, *ut qui ſcopuli declinandi ſint in hoc Theoremate clariùs diſpiciamus, & quàm fœliciter hæc Diſſertatio tam Scyllam quàm Charybdin evitaverit faciliùs intelligamus. Natura autem illius generalis ſatis innoteſcit ex ſpeciebus. Quæ apud* Petavium *omnino tres ſunt. Prima* Anomœorum *qui apertè Filium* Creaturam *eſſe dicebant nec ullâ re Patri ſimilem, nedum parem aut æqualem, quæ* Arii *ipſiſſima fuit Hæreſis. Altera fuit* Semiarianorum, *qui ut minimè conſubſtantialem eſſe Patri Filium, hoc eſt,* ὁμοούσιον, *ità per omnia eſſe ſimilem adeòque Uſiâ & Subſtantiâ docebant. Tertia inter ambas interjecta nonnullorum extitit, qui neque conſubſtantialem Filium, neque ſubſtantiâ ſimilem, ſed tantummodò ſimilem ſtatuebant, & eandem Creaturam ex cæterarum ordine vel negabant, vel manifeſtò profiteri non audebant. Omnes igitur hæ* Arianiſmi *ſpecies in hoc conveniunt, quòd* τὸ ὁμοούσιον *in Divini Numinis Triunitate negant. Et in hoc ex diametro adverſantur* Sabellianiſmo *qui* τὸ μονοούσιον *vel* ταὐτοούσιον *in Trinitate ſtatuit, nec pluralitatem eſſe niſi* Qualitatum *aut* Nominum. *Qui igitur* τὸ ὁμοούσιον *Divinæ Triunitatis ſic contra* Arianos *tuetur ut non relabatur in* τὸ μονοούσιον *ſive* ταὐτοούσιον Sabellianorum, *næ is eſt qui rem acu tetigiſſe in hac controverſia meritò videatur. Quid autem à nobis præſtitum ſit in brevi hac Diſſertatione, penès Lectorem judicium eſto.*

De Trinitate lib. 1. cap. 10.

Sect. 42. Id quod apertè affirmat *Cyprianus*, &c. *Et* Epiphanius *quidem, de tribus Hypoſtaſibus univerſis expreſſim ait,* Ὃν γὰρ τρόπον οὐδεὶς ἔγνω τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱὸς, οὐδὲ τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ· οὕτω τολμῶ λέγειν ὅτι οὐδὲ τὸ πνεῦμα εἰ μὴ ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς, καὶ οὐδὲ τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *id eſt*, Quemadmodum nemo novit Patrem niſi Filius, nec Filium niſi Pater; ità non dubito affirmare, quod neque Spiritum niſi Pater & Filius, & neque Patrem & Filium niſi Spiritus ſanctus. *Unde omnes Divinas Hypoſtaſes ſe inter ſe noſcere ſecundùm hujus Patris ſententiam manifeſtum eſt. Sed rurſus ſigillatim: De Patre nullum dubium eſſe poteſt quin ſciat & intelligat. De Filio autem ſic philoſophatur* Gregorius Nazianzenus. Ὅτι τῶν αὐτῶν πραγμάτων τοὺς τύπους ἐνσημαίνεται μὲν ὁ πατὴρ, ἐπιτελεῖ δὲ ὁ λόγος οὐ δουλικῶς οὐδ᾽ ἀμαθῶς ἀλλ᾽ ἐπιστημονικῶς, καὶ οἰκειότερον εἰπεῖν, πατρικῶς, *hoc eſt, more paterno, ut qui perinde intelligens Hypoſtaſis ſit, atque ipſe Pater. Et Auctor Breviarii apud* Petavium *de Filio à Patre genito ſic ait.* Nec enim ſic docuit quaſi indoctum genuerit, ſed hoc eſt eum genuiſſe quod eſt doctum & ſcientem genuiſſe. *Et Auguſtinus*, Ità videt Filius Patrem, ut quo eum videt hoc ipſo ſit Filius. *Et Ambroſius*, Imago eſt inviſibilis Dei Filius. Videt ergo facientem Patrem & videt per ſecretum inviſibilis Naturæ. *Et* Cyrillus, Δίδωσι δὲ οὕτως ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ πάντα τὰ ἑαυτοῦ, ὥσπερ ἂν εἰ καὶ ἄνθρωπος τῷ ἐξ αὐτοῦ φύντι παιδὶ διδόναι νοοῖτο τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἴδια. *hoc eſt*, Ut Homo filio ſuo omnia naturæ humanæ propria dat, ità Deus omnia Naturæ Divinæ propria ſuo intelligitur dare filio: *ac proinde ut Pater intelligentiam habet in ſe, ità & Filius. Quod in alio loco expreſſiùs docet* Cyrillus. Δεικνύει δὲ πάλιν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ ἃ αὐτὸς ποιεῖ, οὐ καθάπερ ἐν πίνακι διαγεγραμμένα παρατιθεὶς, ἢ ὡς ἀγνοοῦντα διδάσκων, πάντα γὰρ οἶδεν ὡς θεὸς, ἀλλ᾽ ὅλον ἑαυτὸν ἐν τῇ τοῦ γεννήματος φύσει ζωγραφῶν καὶ τὰ ἰδίως ἑαυτῷ προσπεφυκότα δεικνύων ἐν αὐτῷ, ἵνα ἐξ ὧν αὐτὸς ὑπάρχει καὶ φαίνεται, ποδαπός τε καὶ τίς κατὰ φύσιν ἐστὶν εἰδείη τὸν γεννήτορα. *hoc eſt*, Monſtrat vero rurſus Pater Filio quæ ipſe facit, non quidem tanquam tabellâ deſcripta præbens, vel docens ignorantem, (ut Deus enim novit omnia) ſed ſe totum in natura Filii ad vivum depingens & quæ ſibi propriè & naturaliter inſunt in ipſo exhibens; ut ex eis, quæ ipſe eſt & apparet, quinam etiam & qualis ſit Genitor, agnoſcat. *Quæ quidem eò libentiùs deſcripſi, quia adeò conſona ſunt eis quæ* Bathynous *profert de Filio genito, tanquam paternæ pulchritudinis & opulentiæ æterno Teſte & Congratulatore. Atque hæc ſatìs ſupérque ſunt ad probandum* Filium *in ſe & ſua natura perceptionem habere & intelligentiam ad ſuam Hypoſtaſin pertinentem à Patris Hypoſtaſi diſtinctam. Addamus paucula de perceptione & intelligentia* Spiritûs ſancti.

Præter teſtimonium igitur Epiphanii *ſuprà allatum, ubi Spiritus ſanctus dicitur noſcere & Patrem & Filium, adjiciemus illud* Cyrilli; Δοξάζει τοιγαροῦν υἱὸν ὁ παράκλητος, τουτέστι τὸ ἴδιον αὐτοῦ πνεῦμα πάντα ἰσχύον καὶ πάντα εἰδός. *Et paulò pòſt, de Spiritu ait,* Ὅτι ὁμοούσιόν τι ἐστι τῷ υἱῷ καὶ πρόεισι θεοπρεπῶς ἐξ αὐτοῦ, πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἐφ' ἅπασι τελειοτάτην ἔχον ἐνέργειάν τε καὶ δύναμιν. Quòd Spiritus conſubſtantialis ſit Filio, ritúque Divino, vel ſic ut Deum deceat, ex eo procedit, omnem illius in omnibus efficientiam habens ac virtutem; *hoc eſt, non* μεταληπτικῶς *vel* κατὰ μέθεξιν, *ſed* οὐσιωδῶς. *Unde neceſſe eſt habere Intelligentiam. Et* Auguſtinus: Quia ergo non eſt à ſemetipſo ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt Eſſentia, ab illo Scientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud quàm ſcientia. *Et* Cyrillus *rurſus in alio loco,* Ἀεὶ γὰρ σοφὸν καὶ δυνατὸν τὸ πνεῦμά ἐστιν. Nam ſemper ſapiens & potens eſt Spiritus. *Plura huc ſpectantia occurrunt apud* Dionyſium Petavium, *ſed hæc ſufficiunt ad probandum diſtinctam eſſe percipiendi ac intelligendi vim in ſingulis Divinis Hypoſtaſibus ſecundùm ſententiam antiquorum Patrum, ac proinde tres Hypoſtaſes, tres jejunos tantummodo Modos eſſe non poſſe, ſed de ſingulis verè enunciari poſſe, quòd ſit* ſubſtantia.

Sect. 43. Quòd concluſerit ſingulas Hypoſtaſes eſſe ſubſtantiam, cùm frequenter id apud antiquos Patres affirmetur, *&c. Et certè omnes ex conſequenti id affirmant, qui Hypoſtaſes* ὁμοουσίους *non* μονοουσίους *eſſe contendunt. Atque equidem Hypoſtaſes* μονοούσιοι *dicendæ eſſent ni ſingulæ ſubſtantiæ dici poſſent. Nunc verò cùm* ὁμοούσιοι *dicuntur, illud & abſurdam* Arianorum *ſubſtantiæ ſectionem & inſulſum* Sabellianorum ταυτοούσιον *vel ſingularitatem excludit & Unitatem ſupponit, quæ ſeparationem ac divulſionem aliarum ab aliis prohibet, ut rectè monet* Petavius. *Nam voci* ὁμοῦ *in* ὁμοούσιον *hanc ſignificationem affigere velle videntur antiqui Patres, ut & ſimultatem exiſtendi, quemadmodum in* ὁμότροφοι *&* ὁμόπαιδες, *& identitatem naturæ ut in* ὁμότεχνοι, *denotet: In Divinis autem Hypoſtaſibus æternam ac neceſſariam coexiſtendi ſimultatem, & identitatem naturæ non tantùm* genericam, *quâ* ὁμογενεῖς *inter ſe intelligantur, ſed* individuam *planè ac prorſus indiſcerpibilem, quaſi vocis* ὁμοούσιον *ſignificationem non ſolùm ad* ὁμοφυΐαν, *(quatenus* συμφυΐαν *potiùs innuat, ſive concretionem quandam & conſitionem plurium in unum) extenderent, ſed ad abſolutiſſimam perfectiſſimámque Unitatem, naturam immediatè unam prorſúſque indiviſibilem & indiſcerpibilem conſtituentem. Atque hæc eſt illa ipſa ſententia in quam ego, nullâ Antiquorum autoritate ductus quippe quos nondum legeram, rationali ac Philoſophicâ libertate in* Athanaſiano Nicænó*que Symbolo interpretando uſus, ſponte meâ incidi, unam uniſſimam Divinam Eſſentiam ſive ſubſtantiam, (quanquam ſingulæ Hypoſtaſes ſubſtantiæ ſunt) & trium tamen Hypoſtaſeôn diſtinctionem diſtinctéque aliarum alias percipientium, apud meipſum concludens. Atque hæc eſt illa* Gregorii Nazianzeni, ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις ἡ θεότης, Individua illa in Dividuis Divinitas.

Antiquos autem Patres perinde atque ego, ſubſtantiam ſingulis perſonis attribuiſſe, affatim teſtimoniorum eſt apud Petavium. *Quin & ipſum Symbolum* Nicænum *planè id ſupponit, ubi affirmat ſecundam Hypoſtaſin* Deum eſſe de Deo, Lumen de Lumine, verum Deum de vero Deo. *Deus is qui dicitur de Deo Deus, immò de vero Deo verus Deus, potéſtne, inquam, is non eſſe ſubſtantia? Et de lumine intelligenti lumen, potéſtne eſſe cæcum ſive non intelligens nihilve percipiens lumen? Fideliter igitur heîc antiqui Patres Teſtimonium* S. Johannis *amplexi ſunt, qui de* Verbo *ſcribit ſive* Logo, *Eum* & fuiſſe apud Deum, *quod diſtinctam à Deo Patre Hypoſtaſin planè indicat,* ipſúmque fuiſſe Deum, *id eſt, Deum de Deo, verum Deum de vero Deo, & non per unionem cum Deo, ut Chriſtus propter unionem humanæ naturæ cum Divina Deus dicitur. Nam heîc de Deo & Logo terminis ſimplicibus agitur, non de complexo quopiam ex Deo & Logo conſiſtente, quod Deus dicatur. Quemadmodum igitur falſum & abſonum foret ſiquis orationem de Anima & corpore Chriſti ſic inſtitueret, In principio erat corpus & corpus erat conjunctum cum Anima, & Anima erat corpus, quaſi corpus Anima eſſet* *ob iſtam unionem; ità planè æquè abſurdum eſt Logon Deum dici poſſe contendere, quòd cum Deo unitus ſit. Ipſe enim Logos, niſi ſuâ naturâ Deus eſſet, unione cum Deo, Deus effici non poſſet, non magis quàm corpus Anima ob ſuam cum Anima unionem. Et de Logo agit Evangeliſta non de complexo quopiam ex Logo Deóque conſiſtente, quod eâ ratione Deus dici poſſet. Cùm igitur* Logos *ipſe Deus dicitur, manifeſtum eſt* Logon *Deum eſſe, Deum de Deo, verum Deum de vero Deo, nequaquam verò Creaturam Animámve creatam, & per totum Mundum extenſam ut quidam ſomniant. Vide quæ diximus in Scholiis* de Dſeir Anpin, *quem quidam* Logon *eſſe volunt, apud* Johannem, *memoratum. Æquè certum igitur eſt æternum* Logon *Deum eſſe ac proinde ſubſtantiam increatam, atque iſtud* S. Johannis *eſſe Evangelium, Oraculúmque Divinitùs inſpiratum. Sed longiùs prolapſus ſum quàm putâram. Ad rem redeo.*

Cùm igitur tam certum ſit ſingulas Hypoſtaſes ſubſtantias eſſe, minùs miraberis à ſanctis Patribus ſic appellari, nempe Eſſentias vel Subſtantias. Verba Petavii *ſunt de* Auguſtino : *Quamobrem viſio Filii vel auditio eſt generatione ipſa Divina communicata ſubſtantia. Nam non alia Viſio ejus, & alia Subſtantia, ait* Auguſtinus. *Et de* Athanaſio : Athanaſius, *inquit*, οὐσιώδη Λόγον καὶ σοφίαν *generatione illâ Filium exiſtere probat, quia utì ex Deo Deus eſt, & ex ſapienti ſapientia, &* ἐκ λογικοῦ λόγος, οὕτω ἐξ ὑποστάσεως ὑπόστατος, καὶ ἐξ οὐσίας οὐσιώδης καὶ ἐνούσιος, &c. ſic ex Hypoſtaſi ſubſiſtens eſt, & ex ſubſtantia ſubſtantialis & ſubſtantiam habens, *&c. Et rurſus, id quod ſuprà ex* Auguſtino *citatum eſt de Spiritu;* A quo illi eſt eſſentia, ab illo eſt ſcientia; *quo innuitur eſſentiam habere à Filio, ac proinde habere eſſentiam ſive ſubſtantiam.* Baſilius *etiam Spiritum ſanctum vocat* οὐσίαν ζῶσαν, ἁγιασμοῦ κυρίαν, Viventem ſubſtantiam ſanctificationis Dominam. Cyrillus *Filium*, ζῶσάν τε καὶ ἐνυπόστατον ἐνέργειαν καὶ δύναμιν τοῦ πατρός, vivam Patris energiam quæ ſit Hypoſtaſis. *Unde apparet* ἐνέργειαν *illîc* ſubſtantiam *ſonare, ut apud* Ariſtotelem, *ubi Deus dicitur* ἐνέργεια. *Et* Cyrillus *rurſus*, Ὁ υἱός ἐστιν ἡ ζῶσα καὶ οὐσιώδης ἐνέργεια τοῦ πατρός, Filius eſt viva & ſubſtantialis energia Patris. *Quo etiam ſenſu Spiritum itidem vocat* ἐνέργειάν τινα φυσικὴν καὶ ζῶσαν τοῦ υἱοῦ, *quo Spiritûs ſubindicat naturam ſive ſubſtantiam vivam & energeticam. Et* Manuel Calecas, Καὶ πολλαχοῦ, *inquit*, οἱ διδάσκαλοι φυσικὴν καὶ οὐσιώδη τοῦ υἱοῦ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον θεολογοῦσι. *Ubi voces* φυσικὴ καὶ οὐσιώδης ἐνέργεια *Spiritum non eſſe modum ſed* ſubſtantiam vivam *innuunt. Et* Cyrillus *iterum alio in loco, Spiritum quem miſit Filius* τῆς οὐσίας αὐτοῦ τὸ ἴδιον πνεῦμα *vocat*, Subſtantiæ Filii Spiritum proprium perinde atque ſubſtantiæ Patris. *Et* Didymus *de Spiritu ſancto*, Ex quo, *inquit*, intelligimus alterius eum eſſe ſubſtantiæ quàm ſunt omnes Creaturæ. *Et paulò pòſt*, Quia ſubintelligitur in ſancti Spiritûs ſubſtantia etiam plenitudo munerum Divinorum. *Et mox rurſus, cæteras ſubſtantias hanc ſubſtantiam ſanctificationis, (Spiritum nempe ſanctum) ait accipere. Et* Cyrillus *iterum*, Ἀλλ' εἰ τῆς οὐσίας τοῦ πνεύματος διεχοινισμένη τις ἦν ἡ δι' αὐτοῦ χάρις, &c. Sed ſi ab ſubſtantia Spiritûs disjuncta eſſet quæ per ipſum datur gratia, *&c. Et poſtremò, immenſum enim eſſet omnia enumerare,* Auguſtinus *de Spiritu ſic loquitur :* Adfuit ergo in hac die fidelibus ſuis, *inquit*, non jam per gratiam viſitationis & operationis, ſed per ipſam præſentiam Majeſtatis, atque in vaſa non jam odor Balſami ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit unguenti, *hoc eſt, ipſa ſubſtantia Spiritûs ſancti. Quæ eſt ipſius* Petavii *Interpretatio, qui hiſce verbis* ἐνέργειαν *effectúmq; Spiritûs ſancti ab ipſa ejus* ſubſtantia *diſcerni aſſerit.* Theolog. Dogmat. de Trinitate Tom. 2. lib. 8. cap. 5. ſect. 11. *Ex quo Volumine de Trinitate pleraq; hæc omnia deſumpſi. Quæ ſufficiunt ad probandum vocem ſubſtantiæ ſingulis Hypoſtaſibus apud antiquos Patres attribui.*

Non niſi una indiſcerpibilis Anima, *&c. Comparatio hæc hoc in loco allata, Divinæ Eſſentiæ unitatem &* ἀμερισίαν *verè quidem illuſtrat, quanquam haud uſque adeò plené. Nam* τὸ πλαστικὸν *&* τὸ καταληπτικὸν *Animæ, alterum extra alterum poſita ſunt. Divinæ verò Hypoſtaſes conſubſtantiales ſunt ubique ac modo immediatiſſimo maximéque indiviſibili ubique unitæ vel potiùs unæ, & non ſolùm potentiâ ſed & amplitudine æquales. Adeò ut nihil par aut ſimile fingi poſſit, quod perfectiſſimam Divinæ Eſſentiæ, (quam* τὸ θεῖον *poſſidet) unitatem &* ἀμερισίαν *ſatis plenè repræſentet.*

Eſt autem in hoc, ni fallor, quod hîc appoſui, vera ac genuina περιχωρήσεως ὑποστάσεων *apud antiquos (quam pleniùs* περιενχώρησιν *appellare poſſis,) hoc eſt, Circuminſeſſionis Perſonarum explicatio. Nec omnino abſimilis iſti* Damaſceni *apud* Petavium *De Trinitate*, Lib. 4. Cap. 16. ſect. 7. Ἑνοῦνται γὰρ οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι ἀλλήλων καὶ τὴν ἐν ἀλλήλαις περιχώρησιν ἔχουσι δίχα πάσης συναλοιφῆς καὶ συμφύρσεως· ȣ̓δὲ ἐξιςαμένων ἢ κατ' ȣ̓σίαν τεμνομένων κατὰ τὴν Ἀρείȣ διαίρεσιν. Ἀμέριςος γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης. *hoc eſt,* Uniuntur enim Hypoſtaſes non ità ut confundantur, ſed ut invicem hæreant & mutuam in ſe circuminſeſſionem habeant ſine ulla confuſione aut commixtione. Neque extra ſe conſiſtunt, aut ſecundùm ſubſtantiam ſecantur, cujuſmodi Diviſionem *Arius* inſtituit. Indiviſa quippe, in Diviſis, ut uno verbo dicam, eſt Divinitas.

Sect. 44. Atque ob id ipſum ego ſemper hactenus cenſui Mundum ab æterno extitiſſe, *&c. Quod tamen ſic fieri apud eos minùs neceſſarium videri debet qui Divini Numinis Triunitatem tenent, quemadmodum faciunt* Platonici. *Creatio enim hujus Mundi externi ab æterno, cùm impoſſibilis ſit, Generatio Filii ſive* Λόγȣ *ab æterno, Mundum creandum excellentiori modo in ſe continentis, jacturam iſtam pluſquam abundè compenſat. Quippe quum vivum illius Exemplum ſive Ideam* ἐν τῷ λόγῳ *ſive in Mente Divina, ab æterno extitiſſe, in confeſſo eſt. Qua de re* Boethius *præclarè ſatiſque* Platonicè,

———Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens ſimilíque ab imagine formans.

Vide igitur annon hæc etiam inter rationes Philoſophicas recenſeri poſſit cur ponenda ſit Divini Numinis Triunitas, ut Generatio τȣ̃ Λόγȣ *ab æterno æternique Spiritûs Proceſſio, damnum Increabilitatis externi Mundi ab æterno ejúſque Vitæ quæ in evolubilem conſumitur ſucceſſionem, compenſet, & eſſentialem Divinæ Naturæ fœcunditatem pariter illuſtret, nec ab æterno ſterilem eam fuiſſe conſtet, quanquam externum hunc Mundum ab æterno procreare non poſſet, non quidem ob ullum in ſeipſa defectum, ſed propter incapacitatem Creaturæ.*

Atque id præterea haud indignum videtur quod cautè anquiſitéque perveſtigemus, Cùm tam planè conſtet Animam noſtram, per nudas ſuas operationes propriam ſuam eſſentiam intueri non poſſe ac perſentiſcere, quanquam corpus, cum quo unitur alteráque Eſſentia eſt, ſatis palpabiliter ſentire videtur, annon generaliter verum eſſe poſſit, eſſentiam non niſi per eſſentiam plenè percipi. Quod ſi verum eſſet, cùm non niſi perfectiſſima maximéque eſſentialis ſit in Divino Numine ſui ipſius perceptio, conſiderare porrò annon per ſenſum quaſi quendam tactúmve Intellectualem ſeipſum percipere intelligendum ſit atque huic perceptionis perfectioni inſervire trium Hypoſtaſeôn diſtinctionem in Divinitate. Sed nihil temerè ſtatuendum eſt in tam profundo abditóque myſterio. Hoc autem certiſſimum eſt in Ente abſolutè perfecto, qualis eſt Deus, nihil fruſtrà contingere, ſed omnia ex abſolutiſſima ſuæ Naturæ perfectione illìc neceſſariò emergere, nihilque illìc deeſſe quod ad illius perfectionem faciat, nec adeſſe quod eò non tendat.

Sect. 45. Quem multi Platonici pariter atque Chriſtiani tantopere celebrant, *&c. De Platonicis alibi egimus. Quantùm verò ad Chriſtianos* Auguſtinus *apud* Petavium, *Spiritum ſanctum,* Charitatem ſubſtantialem & conſubſtantialem Patris ac Filii *vocat. Et abundè Teſtimoniorum huc facientium* lib. 7. *de Trinitate profert, quæ longum eſſet huc tranſcribere.*

Ἐν αὐτῷ ἦν ἡ ζωὴ, In ipſo erat vita, *&c. De hac vita, eſt iſtud in Hymno* Theodori Studitæ *de Spiritu ſancto ſic canentis.* Σὺ ζωὴ, ἔρως, φῶς, *apud* Petavium lib. 7. cap. 12. *ubi planè hæc* Vita *Amor dicitur, ut Spiritus ſanctus apud* Auguſtinum, Charitas ſubſtantialis.

Sic enim Ζωὴ hæc quantum video, *&c.* Baſilius *ſuprà,* Ζωὴν *hanc nempe Spiritum ſanctum* ȣ̓σίαν ζῶσαν, Subſtantiam vivam *vocat,* ȣ̓σίαν ζῶσαν ἁγιασμȣ̃ κυρίαν, Subſtantiam viventem ſanctificationis Dominam, *quò aptiùs* Platonicorum τῇ θείᾳ ψυχῇ *reſpondeat.*

FINIS.

Rerum ac Verborum Locorumque Scripturæ in hoc primo Voluminis Philoſophici Tomo contentorum Index.

A.

Abiturientia Aeris *in Tubo cum Valvula & obturaculo qualis ſit*, p. 221 l. 5

Abiturientiæ Aeris *argumentum haud inſcitum*, p. 409 l. 49 & p. 410 l. 24

Abſolutè optimum *quid ſit*, p. 15 l. 52

Abſolutè *& ſimpliciter* Optimum, *in Definitione Virtutis memoratum, explicatur & defenditur*, p. 17 l. 10

’Ακȣ́σιον *per ignorantiam fieri perinde atq; per violentiam*, p. 68 l. 35

Actum *&* Potentiam *apud* Ariſtotelem *aliquando ſubſtantiam ſignificare*, p. 155 l. 44

Actus *quâ ratione Ens aliquod dici poſſit*, p. 156 l. 2

Actûs, *ex comparatione cum aliis vocibus idem ſignificantibus, plenior explicatio*, p. 156 l. 7

Actus *omnium Actuum puriſſimus & actuoſiſſimus* Deus, ibid. l. 4 *&* l. 21

Adamus omnium primorum primus *Deus ſit an Creatura*, p. 451 l. 12 *&* p. 470 l. 40 *&* p. 471

Adami *nomen ad Angelos perinde pertinere atque ad Animas humanas*, p. 499 l. 31

Admirationis *definitio & in ſpecies diſtributio*, p. 29 l. 17

Admirationis *uſus & interpretatio*, p. 31 l. 33

Adnotamentorum *ſuorum qui ſint fructus & utilitas*, p. 404 l. 24

’Αδράστεια *ſeptima Sephirah* Pythagorica, *eadem quæ* Netzac, p. 442 l. 27

Adulatio *&* Blanditia *quomodo differant*, p. 56 l. 41

Æmulatio, p. 29 l. 29

Æolipylæ *ſimilitudinem generationi ventorum non quadrare*, p. 281 l. 21

Æonas Cabbaliſticos *ſucceſſivos eſſe conſtare ex fluvio* Chebar, p. 456 l. 52

Æquitatem *inter &* Juſtitiam *diſtinctio & cognatio*, p. 53 l. 46

Æquitatis *definitionem aliquid ſuâ naturâ juſtum eſſe planè arguere*, p. 53 l. 54

Aeris ſurſum ſuctio *in Experimento Tubi cum valvula, quomodo intelligenda*, p. 233 l. 49

Aeris Rarefactionem *nihil facere ad ſuſtentationem* Nubis *in Aere ſed contrà potiùs*, p. 286 l. 57 *&* p. 287

Aerem *conſtare ex particulis diverſæ tenuitatis quî demonſtretur*, p. 377 l. 1

Aeris compreſſi, *Gravitationem, nullam innatam Aeri Gravitatem arguere*, p. 380 l. 5.

Aeris *ſtatus* abituriens *ſive Abiturientia Aeris*, p. 382 l. 7 p. 383 l. 46 *&* p. 384

Aereæ Columnæ *liberæ vis* protruſiva *an quicquam addat* Elaſticæ, p. 401 l. 24 *&* p. 414 l. 41

Æſtûs marini *mutationum diurnarum rationis ex Hypotheſi* Galilaica *petitæ confutatio*, p. 238 l. 17 *Rationis mutationum menſtruarum confutatio*, ibid. l. 57 *&* p. 239

Æſtûs marini *cauſarum Explicationis* Carteſianæ *propoſitio & examinatio*, p. 240 l. 17 *uſq; ad* p. 247

Æſtûs marini *cauſas in Hypotheſi* Carteſiana *non eſſe purè Mechanicas*, p. 242 l. 33 p. 243, 244

Æſtûs marini *Hypotheſis* Carteſiana *quàm abſona & incredibilis*, p. 245 l. 38 *&* p. 246, 247

Æternitas *quid*, p. 148 l. 55

Æternitatis *Attributum*, p. 655, *&* p. 656

Æternum vinculum, p. 549 l. 7 *Angelorum & Hominum, quodnam ſit*, p. 553 l. 50

Affabilitas *quid*, p. 57 l. 11.

Affectum *cujuſque* proprium *non poſſe eſſe menſuram boni & mali*, p. 38 l. 18

Alata *cur dicantur* Ezechielis *Animalia*, p. 491 l. 3

Alberto Burg *quàm iniquè inſubidéque inſultet* Spinozius, p. 630 l. 9

Amicitiam *veram è genere virtutum eſſe*, p. 57 l. 24

Amicitiæ vulgaris *deſcriptio*, ibid.

Amicitiæ veræ *deſcriptio*, ibid. l. 30

Amicitiæ *fructus optimus idémque apud* Pythagoreos *&* Ariſtotelem *agnitus*, p. 57 l. 36

Amicitia *Hominúmq; favor quantum faciant ad Beatitatem*, p. 65 l. 9

Amicitiæ *quomodo colendæ*, p. 83 l. 33

Amicitiæ, *ſolam* Veritatem *è Virtutum Choro minùs aptam videri, cùm tamen nulla firma conſtánſque Amicitia eâ poſſit carere*, p. 90 l. 31

Amicitiis *conciliandis quàm idonea ſit Virtus*, p. 90 l. 16

Amor *quid ſit*, p. 29 l. 29

Amor Intellectualis *qui rectè Rationis Norma ac Modus eſt, quid*, p. 61 l. 50 *Ipſius Temperantiæ eum etiam menſuram eſſe*, p. 62 l. 10 *&* l. 44.

Amor *hic* Intellectualis *Paſſio ſit an Actio*, p. 62 l. 12

Amore *ſolo hoc* Intellectuali *Divinum nos aſſequi ſtatum*, p. 62 l. 26

Amoris Divini *ſive Intellectualis excellentia*, p. 86. l. 3

Amoris Divini *Procreatrices præcipuas & Conſervatrices eſſe* Humilitatem *&* Temperantiam, ibid. l. 8. *Quibus modis eliciendus ſit, ubi nondum eluxerit*, ibid. l. 17

Amorem *hunc* Divinum *Eccleſiæ* Philadelphianæ *ſupremam futuram eſſe legem & communem*

nem quaſi Teſſeram, ibid. l. 50 *Quali Temperantiâ & Humilitate ingenerandus ſit Animabus humanis*, ibid. l. 53
Amorem proximi *non totam noſtram complecti obedientiam, contra* Spinozium, *p.* 585 l. 14
Amor Dei Intellectualis *à* Spinozio *deſcriptus res quàm putidula ſit, ac ridicula*, p. 634 l. 3
Amplitudinem & Indiſcerpibilitatem *in eodem conſiſtere poſſe ſubjecto quomodo demonſtretur*, p. 5 l. 47 *Taléque ſubjectum à Deo poſſe creari*, ibid. *l.* 59 & p. 6 *Item* p. 10 l. 3 p. 325 l. 48
Ampullæ vitreæ *in mare demiſſæ experimentum*, p. 382 l. 32
Ampullæ Vitreæ *cum vitro calefacto bulboſo experimentum*, p. 390 l. 6
Ἀναισθησία *an Vitium ſit Temperantiæ oppoſitum*, p. 59 l. 31
Ἀνάγκην Pythagoricam, *neceſſitatem Indigentiæ non innuere ſed neceſſitatem perfectionis*, p. 454 l. 35
Analytica Pythagoreorum *Moralis*, p. 46 l. 13
Anaxagoræ νοῦς ἀμιγὴς *quâ methodo erutus*, p. 5 l. 9
Anaxagoræ *Mens & quomodo moveat*, p. 9 l. 36
Ἀγχίνοια *Prudentiæ pars*, p. 44 l. 45
Ἀνδραγαθία *quid*, p. 58 l. 35
Ἀνεικία, *Novenarius à* Pythagoreis *cur ſic dictus*, p. 516 l. 45
Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, p. 47 l. 3
Angelorum *Geniorúmve naturam captum humanum non prorſus excedere*, p. 142 l. 32 & p. 143
Angeli *cur priùs lapſi quàm Animæ humanæ*, p. 484 l. 8
Angelicæ Animæ *confirmatæ ab Anima* Meſſiæ, p. 486 l. 5
Angelicarum *Animarum in Mundum* Jetzirathicum *lapſus*, p. 486 l. 15
Angelicæ *Animæ in Mundum* Jetzirathicum *lapſæ* אלהים *dictæ*, p. 493, l. 8
Animam humanam *etiam in* Spiritum Naturæ *habere imperium*, p. 26 l. 60 & p. 27
Animæ *dira hîc paſſæ ob amorem Dei ac Virtutis, glorioſi in* patriam reditûs *deſcriptio*, p. 93 l. 13
Animæ Jeſu Nazareni, *initio Evangelii* Johannis, *cur in Incarnatione ejus, nulla facta ſit mentio*, p. 95 l. 48 *Vide &* p. 497 l. 60 & p. 498
Animam *eandem eſſe, nec minorem nec majorem* Infantis & Adulti, p. 326 l. 41
Anima Mundi *quomodo* δαίμων μέγας, p. 328 l. 45
Animæ humanæ *an ante* Angelicas *creatæ*, p. 459 l. 56 & p. 460
Animas *etiam in Mundo* Aziluthico *vehiculis indutas eſſe*, p. 438 l. 36
Animarum humanarum, *lapſorum Angelorum aſtu circumventarum in Mundum* Jetzirathicum *lapſus*, p. 486 l. 39
Animarum humanarum *Angelicarúmq; in Mundum* Aſiathicum *lapſus*, ibid. l. 58 & p. 487
Animas *in Homine* plures *unâ non eſſe*, p. 469 l. 5 & p. 470
Anima Meſſiæ *per* חשמל *ſignificata in Viſione* Ezechielis, p. 498 l. 25
Anima Divina *facta an* corpus *Divinum faciat*, p. 507 l. 45
Anima *an propagetur ut ſurculus ab arbore*, p. 552 l. 16
Animæ *aſperitatem in primis quatuor proprietatibus intelligi propriè de* Plaſtica, p. 552 l. 44
Anima Mundi *an Regiſtrum Dei*, p. 553. l. 9 & p. 555 l. 31
Animæ *eſſentialem proprietatem eſſe aut aliquid corpus actuare aut nihil omnino agere*, p. 758 l. 9
Animalium *ſtructuram partiúmque ad inſtinctus ipſorum naturales adaptationem Principium incorporeum arguere*, p. 292 l. 20
Animalium *Species ineptas Naturam olim procreâſſe quàm inſulſum figmentum*, p. 295 l. 19 *Eorum ſpecies non fuiſſe æternas*, ibid. l. 40
Animoſitatis *Species, Audacia & Æmulatio*, p. 29 l. 60 & p. 30
Animoſitatis & Audaciæ Interpretatio, p. 34 l. 42
Animus, *concretæ potentiæ alati Currûs atque Aurigæ apud* Platonem, *comparatus*, p. 80 l. 37, & l. 55
Anthropophagi, *ſive Cannibali*, p. 728 l. 12 & p. 729
Ἀντιπαθείας *Interpretatio*, p. 33 l. 62 & p. 34
Antliæ pneumaticæ *Experimentum triceſimum tertium, pro rerum incorporearum exiſtentia*, p. 195, 196, & *ſeq.*
Apocalypſis, *Cabbalæ* Mercaveæ *Propheticæ qualis Reſtitutio*, p. 514 l. 27

Apocalypſis.

Cap. 1, *v* 4, p. 424 l. 28 p. 459 l. 54
Cap. 3, *v.* 5, p. 459 l. 41
Cap. 12, *v.* 9, p. 514 l. 17
Cap. 19, *v.* 11, p. 517 l. 42, *v.* 12, p. 485 l. 24

Apoſtoli *an Prophetæ fuerint*, p. 580 l. 7
Apparitiones *quid ſint*, p. 302 l. 16
Apparitionum *examinandi Narrationes, Regulæ tres*, ibid. *l.* 24 *Narrationum ejuſmodi Capita quædam propoſita*, ibid. *l.* 35
Apparitiones *fieri vi Imaginationis Aerem in figuras transformantis ſtultum aliquorum Atheorum Inſomnium*, p. 303 l. 17 *Ut & ex effluviis Scholæ Epicureæ fieri*, p. 303 l. 35
Apparitiones *præliorum Aereorum non eſſe Reflexiones Terreſtrium*, p. 303 l. 58 & p. 304 *Hujuſmodi Phænomenôn ſolutio* Carteſiana *manca & incommoda*, p. 305 l. 1
Aqua *cur ſuſpendatur in* Antliis, p. 216 l. 43 *Cur in Vaſe Cornuformi ad eandem altitudinem in*

in utraq; parte aſſurgat, p.216 l. 60 & p.217
Aquæ *partes inter ſe gravitare nullo conſtare experimento*, p. 221 l. 5
Aquam *in fluida ſua conſiſtentia gravitare & quonam in ſenſu ſuper* Mercurium *refuſa*, &c. p. 361 l. 20
Aquæ Situlam *non eſſe corpus æquè continuum atq; Situlam Picis*, p.361 l.34
Aqua *an conſideranda tanquam corpus ſolidum & tanquam corpus fluidum*, p. 362 l. 13
Aqua *an continuum quid ſit an verò contiguum*, p. 362 l. 12
Aquæ *motum nullum fieri niſi ubi perperam collocatur*, p. 364 l. 33
Aquæ motûs directiones *omnes quantùm ad rationem primitivam & intrinſecam ejuſdem eſſe generis*, p. 365 l. 5
Aquæ prementis *vim ſecundùm* Altitudinem *fieri, non ſecundùm* Amplitudinem *quàm falſum apud Hydroſtaticos Principium*, p. 373 l. 9
Aqua *perperam collocari quando dicatur*, p. 373 l. 32
Aquæ tendentiam *actualem fieri poſſe in* partes oppoſitas *quomodo probet Author* D. N. p. 373 l. 43 & p. 374 l. 35 & p. 375
Aquæ *in* Antliis *elevatio & ſuſpenſio quomodo fiat*, p.400 l. 45 & p.401
Aqua *in* Antlia *eruditi Authoris cur ad guttam ultimam non exhauriatur*, p.414 l. 31
Aquearum *Particularum* Flexibilitatem *non eſſe Mechanicam*, p. 277 l. 17 & p. 278 l.46
Aquila *Mundi* Aziluthici *Symbolum*, p. 492 l. 26
Arianiſmus *quid ſit*, p. 769 l. 17
Arianiſmi *ſpecies omnes in hoc convenire, quòd* τὸ ὁμούσιον *in Divini Numinis Triunitate negant*, ibid. *l.* 28
Archæus *unde ſic dictus apud* Gliſſonium, *p.* 301 l. 57
Arich Anpin, *Color niger & Privatio dictus &* Aleph tenebroſum, *quòd Immobile ſit illud Extenſum à mobili materia diſtinctum*, p. 433 l.36
Arich Anpin *quo ſenſu peculiari*, Corona, ibid. l. 51, *Quòd eſſentialiter ſit* Kether, *cauſaliter* Cochmah & *Binah*, ibid. l. 60
Ariſtotelis Motor immobilis *quâ Methodo eruendus*, p. 5 l. 9
Ariſtotelis *errores*, p. 125 l. 28 p. 127, 128
Ariſtotelem *egregiè* Platoniſſare *in doctrina Trinitatis licèt ſtylo ſatis arido, jejuno, prærupto ac obſcuro*, p. 127 l. 3
Ariſtotelis *errores, circa locum* Galaxiæ & *Cometarum*, p. 128 l. 3 *circa cauſas* fontium & fluviorum & ſalſedinis Marinæ, Iridiſque ſecundariæ, *ibid.* l. 13 *circa* Terræmotus, Ventos & Tonitrua, *ibid.* l. 24 *circa* Halones & Parelios, *ibid.* l. 35 *circa* Cataclyſmos & Terræ ſenectutem *per partes*, ibid. l. 48 *circa* Terræ æternitatem Cœlorúm*que* Immutabilitatem, ibid. l. 58 & p. 129 *circa* calorem Solis Stellarúm*que*, ibid. l. 7
Ariſtotelis *errores omnes ab uno quodam* Carteſii *errore, pro ingenii illius magnitudine, magno, longè longéque ſuperari*, p. 129 l. 31
Ariſtotelicam *Philoſophiam* Spiritum Naturæ *ſupponere*, p. 394 l. 45
Ars *Præceptorum homogeneorum methodica comprehenſio*, p. 11 l. 6
Artolatria *Pontificiorum cum immaniſſimis ejus conſequentiis quàm ingens Orbis Chriſtiani Scandalum*, p. 734 l. 33 & p. 735
A-ſe-eſſe *majus quiddam eſſe quàm aliud quid minus ſeipſo creare poſſe*, p. 176 l. 26
Aſiathicus *Mundus qualis & quare ſic appellatus*, p. 487 l. 5
Aſylum *Ignaviæ & Ignorantiæ non eſſe omnem Formam ſubſtantialem ſed illas Peripateticorum*, p. 124 l. 8
Ἀσυμφυσία *quid ſit*, p. 154 l. 11
Atheiſmum φθειρίασιν *quaſi eſſe hujus præſentis Seculi Philoſophici ſive Morbum pedicularem*, p. 596 l. 32
Atheorum *ingenium quantopere à Miraculorum fide abhorreat*, p. 599 l. 34
Atheos modernos *Atomicam ſive Mechanicam Mundi condendi rationem jam explodere, referente* Cupero, p. 601 l. 45
Atheus *quàm vile abjectúmq; Spectaculum futurum ſit in ſeculis futuris*, p. 139 l. 40
Athos *Mons, ſtrepitúſque nocturni in eo facti*, p. 688 l. 24
Atmoſphæricorum Cylindrorum *ſive Columnarum Confutationes variæ apud Autorem* D.N. p. 387 l. 35 & p. 388, 389
Atomorum *durities quomodo Aerem tamen durum non faciat*, p. 346 l. 1
Attributa Divina *quæ* Privativa *videntur, omnino eſſe* Poſitiva, p. 170 l. 34
Attributum *aliquod* primum *in re qualibet eſſe à quo reliqua neceſſariò deducantur, lepidum tantùm eſſe commentum*, p 6 l. 21 & l. 34
Attributi *proprietas quæ ſit*, p. 153 l. 33
Aves Sandalphonis Metatronis & *Throni quæ ſint*, p. 491 l. 11
Αὐγοειδὲς σῶμα, *Vide Corpus luciforme.*
אור & אין־סוף *per Gematriam idem* p. 499 l. 14
Αὐστηρία *ſive Auſteritas quid*, p. 58 l. 49
Auſteritatis *laudes*, p 85 l. 7
Αὐτάρκεια *quid*, p. 58 l. 58
Αὐτεξούσιον & ἑκούσιον *quomodo differant*, p. 68 l. 14
Authorem *quid maximè impulerit ad* Enchiridium Ethicum *ſcribendum*, p. 2 l. 3
Authorem *de Dei Exiſtentia nunquam dubitâſſe, quique id factum ſit*, p. 136 l. 1
Authoris *in* Carteſium *laudes, & quo conſilio cum tantopere laudaverit*, p. 8 l. 5
Αὐτοζωΐαν *ſive* Αὐτοκινησίαν *ad Naturam* Spiritualem *tantùm pertinere*, p. 405 l.40

INDEX.

Axiomatum *Contingentia & Neceſſitas unde oriatur*, p. 147 l. 17

Aziluthicus *Mundus cur ſic dictus*, p. 484 l. 33

B.

Ballazar Gualterus *qualem virum* Jacobum Behmen *ſenſerit*, p. 534 l. 6

Barbararum Gentium *conſuetudo incedendi nudos*, p. 722 l. 27

Barbarorum *ornatus ridiculi*, p. 723 l. 5, & p. 724

Barbari *qui legibus carent, eorundémque exorbitantiæ circa Matrimonium*, p. 724 l. 36, & p. 725

Barbarorum *Atheiſmus & Polytheiſmus*, p. 729 l. 22

Barbarorum *Opiniones de* altero ſtatu, p. 736 l. 32

Barbaris *in gentibus præclara* Moralitatis *exempla*, p. 741 l. 8, & p. 742

Barbari *qui Diabolum colunt*, p. 730 l. 35 *Qui Homines immolant Diabolo*, p. 731 l. 18

Barbari *qui ſint ſui-ſacrificatores*, p. 733 l. 4

Barbarorum *uſus tam horridos permittendo quid ſibi velit Providentia*, p. 733 l. 35

Barometri *Mercurius cur cœlo humido aut pluvio deſcendat*, p. 355 l. 29

Baruc.

Cap. 3. v. 24 p. 512 l. 36 v. 26 p. 486 l. 30 v. 35 p. 512 l. 53 v. 36 ibid. l. 52 & p. 500 l. 63 v. 37 p. 512 l. 47 p. 586 l. 39

Beatitudo *quid ſit*, p. 11 l. 42 *Ad illius perfectionem etiam Bonorum externorum aliquam mediocritatem requiri*, ibid. & p. 13 l. 28

Beatitudinem *quandam eſſe* ſingulorum *Hominum, ut & ſanitas corporum, ſine relatione ad* Societatem, p. 21 l. 27 *Atque hanc Beatitudinem proprium eſſe* Ethices *Objectum*. ibid. l. 54

Beatitudinem *humanam qui fiat ut quidam externis utilitatibus metiantur*, p. 22 l. 9

Beatitudinem *viri probi nè in* Priamicis *quidem calamitatibus extingui*, p. 65 l. 33 & p. 66 *Si virtutis causâ patiatur, etiam accendi*, p. 66 l. 5 p. 93 l. 10

J. Behmenii *Admiratores immodici & injuſti Calumniatores*, p. 531 l. 17 *Spiritus in illius Scriptis apprimè Chriſtianus*, p. 532 l. 3 *Scripta illius ad quid utilia*, ibid. l. 25 & p. 535 l. 6 *Quantopere is à ſchiſmate abhorruerit*. p. 532 l. 25

J. Behmen *haud ita contemnendum ſcriptorem eſſe quibus ex argumentis pateat*, p. 533 l. 5

J. Behmen *quibus modis quendam exceperit qui eum Magnum ſuſpicatus eſt*, p. 534 l. 16 D^ris^ Meſneri *de ipſo opinio*, ibid. l. 26 *Atteſtatióque Divinitùs facta jam mortuo*, ibid. l. 34 *Mortis circumſtantias eum demonſtrâſſe cœleſtibus poteſtatibus charum*, ibid. l. 41 & p. 535

J. Behmen *an infallibiliter inſpiratus eſſet*, p. 536 l. 6 *Catalogus errorum ejus à* p. 537 l. 4 *ad* p. 540

J. Behmen *motum Telluris tenuiſſe ſitúmq; Solis in medio*, p. 537 l. 1, & p. 541 l. 60

J. Behmen *Errata egregia in interpretando ſcripturas & præſertim Apocalypſin*, p. 537 l. 32

J. Behmen *Deum feciſſe* corporeum *& diſcerpibilem*, p. 538 l. 6 *Non propriè* Maniacum *fuiſſe ſed* Enthuſiaſten, p. 540 l. 28 *Qui factum ut* inſpiratum *ſe putaverit*, p. 541 l. 11 *Aliique eum ſic eſſe crediderint*, ibid. l. 48 *Haud ità illiteratum fuiſſe quin* multos libros *evolverit*, ibid. l. 58 & p. 542 Occaſiones *præcipuorum* Errorum *ejus*, *à* p. 542 l. 20 *ad* p. 546 *Error ejus de* lingua Naturæ *unde profectus*, p. 544 l. 14 Tria *ejus* Principia, p. 545 l. 14 Generationem Dei *ſanctæq; Trinitatis eum quæſiviſſe in Phyſicarum* Monadum Abyſſo, p. 548 l. 29 & p. 549 *Quænam fuerint Animi ejus in quibuſdam errorum ſuorum*, parturientiæ, *à* p. 546 *ad* p. 555 *Tandem perveniſſe ad notitiam* Deitatis incorporeæ, p. 549 l. 31 & p. 550 Errorem *ſuum circa* Trinitatem *in* Aurora, *eum poſtea* agnoſcere *debuiſſe*, p. 550 l. 16

J. Behmen *Gemmam potiùs fuiſſe quàm Maculam in Divina Providentia, quanquam quoad opinionem de ſua* Inſpiratione *erat deceptus*, p. 555, 556, 557 *Surculum quendam fuiſſe è* Familia H. N. p. 557 l. 31, & p. 559 l. 47 Pythagoricum *Mundi* Syſtema *tenuiſſe Animarúmque* præexiſtentiam, p. 558 l. 7 & p. 561 l. 24 *In multis aliis ad veterem* Cabbalam *videri aſpirâſſe*, ibid. l. 39

J. Behmen *an bono aliquo Genio uſus ſit*, p. 558 l. 51 Prædictiones *illius*, *De reſtitutione doctrinæ de* motu Terræ *circa Solem*, p. 559 l. 4 *De dilucidatione* Apocalypſeos, ibid. l. 15 *De modo ulterioris* ruinæ Antichriſti, ibid. l. 22 *De* Reformatis Eccleſiis, & *de* Temporibus Lilii, p. 560 l. 38 & p. 561 *De* adventu Eliæ, p. 560 l. 16 *Quid demum de illius inſpirationibus ſtatuendum*, p. 560 l. 46

J. Behmen & Spinozii, *quanquam hic* Atheus *ille* Enthuſiaſtes, *in unica rerum conſtituenda ſubſtantia mira conſpiratio*, p. 619 l. 38

Benevolentia, *Amicitia & Devotio quomodo differant*, p. 29 l. 34

Binah *tertiæ* Sephiræ *cum* Platonicorum τῇ θείᾳ ψυχῇ *& Spiritu S. convenientia*, p. 432 l. 1

Binah *cum alluſione ad* Binnah, Platonicorum Νοῦς δημιουργὸς, p. 432 l. 22

Binah, *quæ habeat Cognomina Regnum Spiritûs Cabbaliſtarum indigitantia*, p. 434 l. 18

Biuſianiſmus *an* Mechaniſmus *abſurdius Paradoxon*, p. 608 l. 50

Boniformem *facultatem eundem ferè ordinem tenere in Anima quem* Τἀγαθὸν *in Divino Numine*, p. 12 l. 60

Boni-

Boniformis Facultas ὄμμα ψυχῆς, p. 15 l. 46

Bonorum & Beatorum *apud* Pythagoricos *diſtinctio*, p. 11 l. 17

Bonum abſolutè *& optimum abſolutè quid*, p. 15 l. 36

Bonum *rectè cum relatione ad* Vitam *definiri*, p. 20 l. 33

Bonum publicum *ſive* Politicum *verum*, *quale ſit*, p. 21 l. 60 p. 22

Bonum *aliquod dari* ſuâ naturâ *tale*, *quibúſq;* *id facultatibus percipiatur*, p. 24 l. 16

Bonum *omne* Morale, Intellectuale *eſſe ac* Divinum, ibid. l. 22 p. 38 l. 48

Bonum *aliquid eſſe* ſuâ naturâ, *perinde atque aliquid* ſuâ naturâ verum, p. 24 l. 50 & p. 25 l. 15

Boni mali*que Notiones quaſdam fixas eſſe vel Ideas*, *perinde atque* Figurarum *in Mathematicis*, p. 38 l. 44

Bona externa *latiſſimo ſenſu ſumpta quæ*, p. 63 l. 1

Bonis *illis* Animi externis, *Ingenii utique ſubtilitate*, p. 63 l. 22 *Memoriæ fidelitate & comprehenſione*, l. 32 *Scientiâ*, *Arte & Sapientiâ*, ibid. l. 46 & p. 64 *carere poteſt* Beatus: *Non autem Intelligentiâ*, p. 64 l. 16

Bonis Animi externis *acquirendis & conſervandis quantum inſerviat* virtus moralis, p. 87 l. 28 *Quantum acquiſitioni bonorum externorum*, *corporis putà*, *&c.* p. 87 l. 19 p. 88 l. 21

Boni illius (*ſive Beatitudinis*) *externi* ſummi, æterníq; *ad mentem Philoſophorum deſcriptio*, p. 90 l. 50, & p. 91

Bonum *quod quiſque poſſidet*, Depoſitum *eſſe*, *Divinitùs ei concreditum*, p. 646 l. 20.

Bos *Mundi* Aſiathici *Symbolum*, p. 493 l. 31

Bovinam *Figuram cur* Moſes *præ reliquis elegerit Arcæ ſuperimponendam*, p. 493 l. 36

Bovinos *vel Vitulinos pedes cur dicantur omnia Animalia habere in viſione* Ezechielis, p. 519 l. 25

Bovis *cultus*, (*qui* Apis *dicitur ſummúſq; Deus habetur*) *apud* Ægyptios *unde profectus*, ibid. l. 34

Brachio abſciſſo *quid fiat de illa Animæ parte quæ illud actuabat*, p. 326 l. 44

Brachmanum *opinio de Tranſmigratione Animæ probæ in* vaccam, p. 736 l. 45 *Quid per eum ſignificetur*, p. 739 l. 1

Briathicus *Mundus cur ſic dictus*, p. 484 l. 51

Bullæ vitreæ *fluitantes in Aquæ Tubulo cur infuſo poſteà oleo ſubſidant*, p. 217 l. 50

Butyri *experimentum contra vim Elaſticam Aeris*, p. 200 l. 33, & p. 205 l. 16, & p. 206 *Subterfugium quorundam circa hoc Experimentum*, p. 205 l. 35, & p. 206

C.

CAbbalam *antiquam* Moſaicam *Philoſophicam maxima ex parte periiſſe apud* Judæos, p. 452 l. 43 & p. 453 *Pauca tamen illius veſtigia & indicia remanere*, p. 453 l. 27

Cabbalæ Moſaicæ *nova Involucra cur adinventa*, p. 453 l. 31

Cabbala *quàm maturè corrupta eſſet Scholis Philoſophorum*, p. 454 l. 6

Cabbalæ, *quæ nunc eſt*, Judaicæ Novitas *unde pateat*, p. 468 l. 38

Cabbaliſticas Doctrinas *antiquas non fuiſſe* Symbolicas *ſed* veritates *apertas ac nndas*, p. 451 l. 49

Κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς *præclara* Ariſtotelis *ſententia*, *præclaræq; ejuſdem conſequentiæ*, p. 61. l. 10

Caligo *ingens inter* ſtellas *ſecundùm* J. B. *ubi Diabolus dominatur*, p. 537 l. 8

Candor *quid ſit*, p. 56 *Cui opponuntur* Moroſitas & Blanditia, ibid. l. 41

Candor *quare adhibendus ſit in congreſſibus*, p. 82 l. 46

Caraiamitæ *ut Homines bonos occiderint quò virtutes eorum ſibi in prædam arriperent*, p. 727 l 40

Caro *ſeu* corpus Chriſti *realiter edi & ſanguis realiter bibi quo ſenſu verè dici poſſint*, p. 504 l. 21 & p. 505, 506, 507

Carnis corporíſve *hujus effectus etiam extra* Cœnam Dominicam, p. 505 l. 43, & p. 506, 507

Carteſii *laudes*, *quibúſque in rebus* Ariſtoteli *præferendus*, *& in quibus poſtponendus*, p. 8 l. 41

Carteſii lapſus *ad tria ferè capita referri poſſe*, p. 107 l. 28 *Quòd* motum *fecerit* reciprocum, *brutas Animantes* Machinas, *cauſáſq;* finales *ex Philoſophia Naturali* ejecerit *ad ſecundum caput referri*, p. 107 l. 38, & p. 108 *Quòd autem* extenſionem & corpus *idem fecerit*, *omniáque* Mechanicis rationibus *deduci poſſe profeſſus ſit*, *eandémq;* motûs quantitatem *eſſe in Univerſo*, *referri poſſe ad tertium*, p. 108 l. 20 & p. 110

Carteſium *cauſas effectrices immediatas corporeas in multis rebus ſatìs fœliciter conjectâſſe*, p. 115 l. 53

Carteſium *quæ* Atheiſmi *ſuſpectum reddiderint*, p. 116 l. 47 & p. 117 *Multa allata quæ eam ſuſpicionem diluant*, p. 117 l. 17 & p. 118

Carteſii *Ingenium verè* Architectonicum; *Inventáque ejus maximè paradoxa cum nuperis Philoſophorum Obſervationibus arctiſſimè cohærere*, p. 119 l. 11 & p. 120, 121

Carteſium *ſuis Philoſophandi rationibus rebus Religionis perperàm conſuluiſſe*, p. 136 l. 11 & p. 137, 138

Carteſii ἀσύστατα *quædam malève mixta*, *notata*, p. 137 l. 42

Carteſium *magno quidem fuiſſe ingenio ſed feſtivo & occulto*, p. 138 l. 1

Carteſii *lapſus circa* Æſtum marinum, p. 241 l. 13 & p. 242

Carteſii *de ſolutionibus ſuis Mechanicis Phænomenôn Pluviæ, Nubium, Ventorum & Tonitrui nimis inepta Confidentia*, p. 277 l. 3

Carteſii *abſurda Subſtantiæ in* extenſam & cogitantem *diviſio unde profluxerit*, p. 311 l. 18

Carteſianæ *Philoſophiæ cum* Moſaica *Mundi* Creatione *conformitas*, p. 116 l. 3

Carteſianæ Philoſophiæ *Concluſiones duæ à quibus maximum Pietati impendet periculum*, p. 4 l. 31

Catonis *votum ac profeſſio*, p. 91 l. 6

Cauſarum Finalium *Indagationes ad* Naturalem *etiam pertinere Philoſophiam*, p. 7 l. 32

Cauſæ *rerum* generaliſſimæ *juxta quas earum omnium naturas exiſtentiáſque, nè Deo quidem excepto, examinamus*, p. 144 l. 22

Cauſarum *ad* quatuor *genera mentem humanam res ſingulas expendere quò perfectam earum ſcientiam adipiſcatur*, p. 155 l. 8 p. 144 l. 15

Cauſarum ſecundarum *ignorationem parere Atheiſmum*, p. 299 l. 39

Cebes *in ſua Tabula quo in loco ponat* externa Animi bona, p. 63 l. 51

Centrum punctúmve *Divinæ Eſſentiæ* Symbolum *quòd fecerint* Pythagorei, *id illius* Amplitudinem *non tollere ſed* Diviſibilitatem, p. 148 l. 43

Cerebrum *novâ ſignari Impreſſione quando Anima de rebus Imaginabilibus cogitat, ſecundùm* Carteſium, p. 118 l. 28

Chajah & Jachidah *non quartam quintámque Animam diſtinctam conſtituere nè apud* Cabbaliſtas *quidem*, p. 469 l. 37

Chami Tartarorum *Funus*, p. 727 l. 17 חשמל *per* Gematriam, אור־פיאל, p. 498 l. 39 & מלבוש ibid.

Cherub, *Angelus unde ſic dictus*, p. 491 l. 31

Chriſtum Hominem *ubique eſſe non poſſe niſi* Logos *ipſe dicendus ſit Homo*, p. 437 l. 17

Chriſti Incarnatio *deſcendentis ut* pluvia in vellus, *Pſalm 72. deſcripta*, p. 516 l. 22

Chriſto *cur* Deus *nuſquam dictus ſit* apparuiſſe *& locutus fuiſſe ſicut olim* Moſi, p. 566 l. 56 *Non ad legem ſolùm univerſalem documentáve Moralia docendum miſſum eſſe*, p. 572 l. 29

Cochmah *quàm aptè* Pater *dictus in Tabula* Cabbaliſtica, p. 432 l. 33 & p. 434 l. 5

Cochmah *an* Filius Dei *appelletur apud* Cabbaliſtas, p. 456 l. 11

Cochmah & Binah *cur diverſis à* Kether *(in Tabula Cabbaliſtica) diſtinguantur Circulis*, p. 434 l. 2

Cœlum totum *ex Hypotheſi* Carteſiana *tanquam* unam flammam *nobis apparere oportere*, p. 254 l. 2

Cogitationem *non eſſe ipſam Animæ ſubſtantiam*, p. 310 l. 44

Colorum *proximè ſitorum ſinceram diſtinctámque perceptionem leges Mechanicas excedere*, p. 266 l. 45 & p. 267

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1 v. 14 p. 513 l. 51 v. 15, 16 p. 437 l. 33 v. 19 p. 486 l. 10

Columnarum *duarum præcipuarum* Atheiſmi Spinoziani *ſubverſio*, p. 615 *ad* p. 631

Cometarum *incolumem Trajectionem Principium incorporeum arguere*, p. 257 l. 44

Comitas *quid*, p. 57 l. 9

Commiſeratio & Congratulatio *quid ſint*, p. 30 l. 31

Complacentiæ & Honoris *Interpretatio*, p. 33 l. 26

Conarii animati *cum Spirituum flatu conflictus quàm lepidum ſpectaculum*, p. 26 l. 23

Conceptus Formalis & *conceptus* Objectivus *quomodo ad Logicam reducendi*, p. 149 l. 52 & p. 150

Coni duplicis *uſus in diſcernendis Objectorum diſtantiis*, p. 272 l. 38 & p. 273, 274 l. 17 & p. 275 *Hujus uſum vix ad decem paſſuum aut minores diſtantias aſpirare ſtatuit* Keplerus, p. 276 l. 34

Conſcientia *vel in minimis nunquam violanda*, p. 76 l. 3

Conſtantia *quid*, p. 58 l 26

Conſtantia *quàm neceſſaria ſit*, p. 84 l. 28

Conſternatio *quid*, p. 30 l. 5

Conſternationis *Interpretatio*, p. 34 l. 62 & p. 35

Conſuetudo *quid*, p. 40 l. 31

Contemplationi *præcepta aliquot inſervientia*, p. 78 l. 3

Continentia & Tolerantia *partes* Patientiæ, p. 46 l. 47 *Præcipuas eſſe maximéque propriè virtutes*, p. 47 l. 5

Continentiæ & Tolerantiæ *demonſtrationes è quibus Noematis Moralibus petendæ*, p. 48 l. 36

Cordis *venarúmq; Artificium*, &c. p. 294 l. 44

I Corinth.

Cap. 10 v. 49 p. 518 l. 5

Cap. 12 v. 1, 8 p. 513 l. 14

Cap. 15 v. 24 p. 516 l. 55 & p. 517 v. 26 p. 516 l. 50 v. 44 p. 491 l. 19 & p. 503 l. 34 v. 54 p. 514 l. 34

II Corinth.

Cap. 3 v. 18 p. 438 l. 29 & p. 466 l. 14

Cap. 4 v. 6 p. 466 l. 12 v. 16 p. 503 l. 53

Cap. 5 v. 1 p. 504 l. 4 v. 5 p. 506 l. 47

Corporeæ *rerum* cauſæ effectrices *ubi rimandæ, ubi verò non*, p. 123 l. 40

Corpus circulariter motum *perpetuò tendere ut recedat à centro Circuli quem deſcribit*, p. 191 l. 25

Corporis definitio *in genere ejúſque explicatio*, p. 317 l. 46 & p. 318

Corporis *definitionem* perſpicuam, Definitionem Spiritûs *perinde* perſpicuam *neceſſariò arguere*, p. 318 l. 45

Corpora *ex particulis* Carteſianis *conſtare, quibus argumentis innoteſcat*, p. 342 l. 37
Corporis humani *ſtructura tuta & commoda*, p. 295 l. 1
Corporis Robur & Agilitas *quàm parùm faciant ad veram* Beatitudinem, *p.* 64 l. 20
Corporis pulchritudo *quàm parùm valeat ad* Beatitudinem, ibid. *l.* 27
Corporis Sanitas *quouſque ſit neceſſaria ad beatam vitam*, ibid. *l.* 27
Corpus *noſtrum* Mortale, Simulachrum Interni Hominis *ex ſubſtantia Rationali & immateriali corpore conſtituti, ſecundùm* Hieroclem, *p.* 80 l. 21
Corpus Luciforme, *p.* 80 l. 30
Corpori Luciformi *quâ ratione quinque illa attribuantur*, τὸ σῶμα, τὸ αὐγοειδὲς, τὸ ἄϋλον, ἡ ζωὴ, τὸ λεπτὸν ὄχημα, p. 81 l. 23
Corpus Luciforme *eàdem ferè figurâ eſse qua corpus terreſtre*, p. 81 l. 41
Corpus Mortale σῶμα προσφυὲς, *corpus verò Luciforme* σῶμα συμφυὲς, p. 81 l. 54
Corporis Agilitas *virtutis non ſolùm Alumna ſed genuina Filia*, p. 88 l. 26
Coruſcamen *lucidum &* Coruſcamen *igneum*, *apud* J. B. *p.* 538 l. 60 & *p.* 540 l. 5 *p.* 546 l. 5 *p.* 553 l. 15
Κοσμιότης *quid*, p. 58 l. 57
Creaturæ *immenſa à* Deo *diſtantia*, p. 179 l. 46
F. Cuperus *quas ob res à Naſutulo quopiam* Atheiſmi *poſſit eſſe ſuſpectus*, p. 596 l. 50 & p. 597, 598
Cuperi *horrendum dogma quo omne tollit diſcrimen honeſtorum & turpium*, p. 597 l. 16 *Scæva illius, loci cujuſdam apud* Spinozium, *ut &* Parabolæ *Servatoris* de injuſto Judice, *Interpretatio*, p. 597 l. 32 & p. 598 p. 604 l. 26 p. 613 l. 55 p. 614
Cuperi *ludicra & elumbia argumenta pro Dei exiſtentia*, p. 598 l. 41 & p. 599
Cuperum Spinozii *non tam Confutatorem quàm Explanatorem ſe geſſiſſe*, p. 599 l. 49
Cuperus *quæ duo potiſſimùm in ludicro ſuo ſcribendi genere inſinuare velle videatur*, p. 600 l. 31
Cuphophronis *Lunatica* Apologia *quâ extenuare velit immanitatem Peccati*, p. 701 l. 48 & p. 702, 703 & *ſeq.*
Ad Apologiam Reſponſum, *p.* 704 l. 21 & p. 705
Cupiditas *quid*, p. 29 l. 39
Cupiditas *quomodo regulanda*, p. 32 l. 44
Cultus Dei *in quibus conſiſtat*, p. 50 l. 24
Cultus Dei internus *ei omnium gratiſſimus*, p. 79 l. 2
Cultus *Dei* internus *quid ſit*, ibid.
Cylindri Atmoſphærici *uſus in ſalvando Phænomeno aſcensûs Emboli in Antlia Pneumatica, quàm irritus*, p. 203 l. 32 & p. 207 l. 48

D.

DAath *locus Scientiæ, cujus rei Symbolum*, p. 433 l. 15
Dæmonas *ſive Genios non eſſe purè corporeos quibus argumentis demonſtretur*, p. 305 l. 15 & p. 306
Dæmonas, *ſi ex meris Materiæ particulis conſiſterent, non Perſonas fore ſingulos, ſed innumerarum perſonarum cumulos*, ibid. l. 12
Δαίμων & ψυχὴ *apud Veteres, idem*, p. 42 l. 42
Decadum Sephirothicarum *infinitam in Decadas Diviſionem* σοφὸν *duntaxat eſſe* φάρμακον; *nec abſurditates Orbium* Sephirothicorum *tollere*, p. 461 l. 10 p. 468 l. 21
Decas Aziluthica *ſive Emanatoria, Figmentum loco* Spiritûs S. *poſitum*, p. 461 l. 33 p. 465 l. 33 *Operatio* Spiritûs S. *in cordibus Hominum quanto ei præferenda*, p. 466 l. 2. p. 471 l. 12
Decem Prædicamentorum *ad fontes purè* Logicos *reductio*, p. 146 l. 1
Decem Sephiroth *decem quaſi eſſe* Prædicamenta, p. 426 l. 20 *Non decem* Sphæroth *vel* Sphæras *aut Emanationes Divinas*, ibid. & p. 499 l. 57
Decorum *quid ſit*, p. 56 l. 52 Generale & Speciale, *ibid.* l. 56
Δεινότης & πανουργία, p. 44 l. 19
Deitatem, *ſecundùm* J. B. *nullam aliam ſubſtantiam eſſe præter ſuum corpus*, p. 538 l. 31
Deitatis *æterna* Generatio *ex ſeptem Spiritibus* Fontanis *ſecundùm* J. B. *p.* 538 l. 38
Deitatis Generationis *æternæ ratio ex modo noſtræ* Regenerationis *falsò collecta*, p. 542 l. 10
Democritus Platoniſſans, *ſive*, *De Mundorum Infinitate, Poema Anthoris*, p. 180 l. 20
Deſiderium *propriè dictum quid ſit*, p 30 l 46
Deſiderii *propriè ſic dicti uſus, peſſimúſque demum illius abuſus*, p. 37 l. 30
Devotionis *uſus & Interpretatio*, p. 33 l. 18
Deus Animal, *ſecundùm* Ariſtotelem, *cujus corpus ſit Cœlum*, p. 9 l. 10
Deum *verè ſinceréq;* amare *quid ſit*, p. 22 l. 2
Dei jura *quæ ſint*, p. 50 l. 24
Deus *Hominibus probis* Lex, *inſipientibus Voluptas*, p. 51 l. 10
Dei jus *unicum immutabile & æternum*, p. 51 l. 39
Deum, *non quatenus Subſtantia* Intellectualis, *nuſquam eſſe, ſed quatenus ſui ipſius aliarúmque rerum omnium* Locus primus *atque intimus*, p. 148 l. 18
Deum *eſſe*, οὗ ἡ οὐσία ἐστὶν ἐνέργεια *quomodo intelligendum*, p. 155 l. 16
Deum, *qui è Patribus* Corpus *dixerunt an non* σῶμα ἄϋλον *intellexerint*, p. 169 l. 39
Deum Locum *eſſe rerum ac* Spacium *apud* Arnobium, *p.* 170 l. 6

Deum Tabernaculum *noſtrum eſſe*, p. 170 l. 11
Deum *ſolum* æternum *eſſe* & amplitudine *abſolutè* infinitum, *p.* 182 l. 19
Dei exiſtentia *quàm certò colligatur ex* Infinito *illo extenſo* à Materia diſtincto, *p.* 330 l. 6
Deum *intelligere ſeipſum non quidem per* Speciem *ſed per* ſui ipſius præſentiam, *p.* 333 l. 15
Deus *an* pro re nata *aliquid percipiat*, p. 437 l. 53 & *p.* 438
Deus Pater *minimè omnium* Vallis Tenebrarum *contra* J. B. *p.* 334 l. 7
Deus Spiritum Naturæ *quàm immenſis Intervallis ſuperet*, p. 347 l. 35
Deus ἀῤῥενόθηλυς *ſecundùm* Cabbaliſtas & Syneſium, *p.* 436 l. 16
Deo *nihil competere præter* Eſſentiam *et* Operationes, *p.* 457 l. 4
Deus Iſraelis *in* Ezechielis *Viſione* Anima Meſſiæ *cum æterno* Logo *conjuncta*, p. 500 l. 45 & *p.* 501 *p.* 511 l. 21, *Quæ ſit hujus* Dei Iſraelis *gloria*, p. 501 l. 20
Deum *eſſe* omnia *ex Deóque omnia fieri ſenſu tantùm* Plotiniano *congruè poſſe dici*, p. 551 l. 10 *et* p. 555 l. 25
Deum, Moſen *audiiſſe loquentem oculiſq; aſpexiſſe quomodo intelligendum*, p. 566 l. 9
Deum *qui dicitur Patriarchis apparuiſſe*, Animam *fuiſſe* Meſſiæ, *cum æterno Logo unitam*, *Hypotheſin eſſe quâ pleræque* Spinozii *Cavillationes diſſlantur*, p. 569 l. 7 *p.* 584 l. 42 *p.* 586 l. 37 *p.* 591 l. 11
Dei directio *quæ ſit apud* Spinozium, *p.* 570 *l.* 11 *p.* 576 *l.* 8
Dei Cognitio & *Amor an ex certo Hiſtoriarum fide dari poſſit*, p. 571 l. 31
Deus *an eſſe poſſit* Legiſlator *Princépſve leges Hominibus præſcribens*, p. 571 l. 53 & *p.* 572 *et p.* 593 l. 38
Dei Voluntatem *et* Intellectum *non eſſe* idem, *p.* 571 l. 60 & *p.* 572
Dei Potentiam *et* Naturæ Potentiam *duas eſſe Potentias* Numero *diſtinctas*, p. 572 l. 58 *et p.* 573 *p.* 602 l. 30
Dei decreta, *ſecundùm* Spinozium, *omnia, æquè neceſſaria eſſe atque Triangulum tres angulos habere duobus rectis æquales*, p. 602 l. 55 *et* p. 603
Deus *an ſingulis momentis* denuò *omnia creet*, *p.* 603 l. 33 *et* p. 604
Deo Mentem *et univerſalium cognitionem non competere ſecundùm* Spinozium, *p.* 604 *l.* 16
Dei Exiſtentia *ex deſtinatis rerum ſubordinationibus in Phænomenis Naturæ demonſtrata*, p. 647 l. 22 *Variæ Inſtantiæ hujus argumenti*, ibid. *l* 54 & p. 648 *Demonſtratio à conſenſu Nationum, à Miraculis, Vaticiniis*, &c. *p.* 653 l. 28 & p. 654
Dei Spiritualitas, *ſive Deum eſſe non poſſe Materialem*, p. 661 l. 17
Deum *eſſe* nullibi *Paradoxon* Cuphophronis, p. 671 l. 28 & p. 672 *Ejuſdem Confutatio*, p. 672 l. 20
Deum *ubique eſſe* eſſentialiter *præſentem*, p. 676 l. 12

Deuteronomium.

Cap. 13, *v.* 8, p. 518 l. 12
Διάρθρωσις τοῦ παντὸς *ſexta* Sephirah Pythagorica, *eadem quæ* Tiphereth, *p.* 442 l. 18
Διάστημά τι χωρητὸν, Spacium *ſive* Vacuum, *p.* 159 l. 6 & p. 161 l. 25
Diligentia *quid*, p. 58 l. 27 *Quare colenda*, p. 84 l. 34
Dimenſionum Penetratio *à quibus urgeatur argumentis, cum Reſponſo*, p. 405 l 48 & p. 406, 407
Diſtantiæ *ſimplicis* perceptio *an vim legum Mechanicarum excedat*, p. 265 l. 33 & p. 266 p. 268 l. 32
Diſtantiam *Objecti per* duplicem *Pyramidem Conúmve percipi*, p. 272 l. 38 *Contra vim* duplicis *illius Coni Objectiones quinque cum Reſponſis*, p. 274 l. 17 & p. 275
Diſtantiarum perceptionem *in genere in Rationes* Plotinianas *reſolvi debere*, p. 276 l. 20
Diſtinctio Realis, Formalis, Modalis & Rationis, *quid ſint*, & *quò referendæ in* Logica, p. 152 l. 28 p. 153, 154
Diſtinctio Formalis triplex, Eſſentialis, Modalis & Attributorum, *p.* 152 l. 60
Diſtingui realiter *idem eſſe atque diſtingui* ſubjecto. *p.* 153 l. 54 *Diſtingui* Formaliter, λόγῳ, ibid.
Diverſa ſolâ ratione *diſſentire, quomodo intelligendum*, p. 154 l. 24
Divini *quâ ſolâ ratione* homines *evadant*, p. 746 l. 16
Divinitatem puram *materiæ Mundanæ non eſſe Motricem immediatam*, p. 347 l. 40
Divinum Amorem, *primum Morale eſſe Principium in quod omnis vera Moralitas reſolvitur*, p. 22 l. 28 *Ad hujus* Divini Amoris Legem & *illius* ſanctionem *omnia Noemata Moralia poſſe referri*, p. 23. l. 10 & p. 24
Divinæ Eſſentiæ *præſentiam quî ſit ut deprehendamus, illius vitâ interim non perceptâ*, p. 330 l. 36
Divinæ *Eſſentiæ* Unitas *quomodo cum Hypoſtaſeôn diſtinctione conſiſtat*, p. 331 l. 45 & p. 332 l. 31 & *p.* 333
Divinum *quoddam eſſe* Elementum Regenerationis *quibus argumentis evincatur*, p. 502 l. 7 & p. 503, 504 & *ſeq.*
Divinum *hoc* elementum *eſſe* corpus, & *quàm inſignes ac pacificos uſus habeat hoc de Divino Chriſti corpore Theorema*, *p.* 508 l. 61 & *p.* 507
Divinum Sal-nitrum *apud* J. B. *quid*, *p.* 538 *l.* 11
Divinæ *Naturæ* obſcuritas *Providentiæque* Intricatura

tricatura *quibus rationibus expediendæ*, p. 654 l. 38 *&* p. 655 *&* *ſeqq.*

Divitiis *acquirendis ut inſerviat virtus moralis*, p. 90 l. 3

Dolor, *acerrimus virtuti adverſarius*, p. 92 l. 2

Dolores *ſummos ſponte ſuſcipere ſupra humanæ Naturæ vires non eſſe quibus demonſtretur rationibus*, p. 92 l. 15

Dſeir Anpin *cur ſex tantùm* Sephiroth *in ſe contineat*, p. 435 l. 13

Dſeir Anpin *non eſſe Animam Meſſiæ per totum Mundum extenſam*, p. 437 l. 3 p. 438, 439

Dſeir Anpin *&* *Uxor* Dſeir Anpin *qui reverà ſint*, p. 438 l. 59 *&* p. 439 p. 489 l. 8

Dſeir Anpin *Uxorémq; ejus Divinitatem* Meſſiæ *illiúſque Regnum in* Idra Rabba *ænigmaticè adumbrare*, p. 453 l. 47

Dſeir Anpin *quòd* Meſſias *ſit* *&* Adam Kadmon, *p.* 455 l. 31 *&* p. 456

Dſeir Anpin *cur Dei filius apud* Cabbaliſtas *toties appellatus*, p. 456 l. 2 *Quòd ſit* Homo *ſuper Thronum* Sapphirinum *apud* Ezechielem, p. 455 l. 37 *Illius deſcriptionem à* Cochmah *incipere*, p. 456 l. 16

Durationi *ſucceſſionem non neceſſariò affigi*, p. 148 l. 53

Durationis differentias *ex ipſa natura rerum quibus attribuuntur oriri*, p. 157 l. 7

Durationis *in* permanentem *&* ſucceſſivam *diſtinguendæ ſolida demonſtratio*, p. 157 l. 12 *&* p. 182. l. 30

Durationis Antemundanæ, *&* Spacii, *immenſitates, quæ tanquam* Divinæ *Eſſentiæ* Concomitantia *concipiuntur, ſi ad ipſam Divinam Eſſentiam pertinere intelligerentur, quantis labyrinthis Mentes humanas expediret*, p. 172 l. 43

Duratio ſucceſſiva *qualis ſit* *&* *ex quibus partibus conſtet*, p. 178 l. 31

Durationem *ſucceſſivam* infinitam *non magìs dari poſſe, quàm* magnitudinem figuratam *infinitam*, p. 178 l. 58 *&* p. 179 l. 42

Durationem *nullam* ſucceſſivam *poſſe eſſe ab æterno cum illius concluſionis conſectariis*, p. 182 l. 49 *&* p. 183

Δύναμιν aliquando ſubſtantiam *ſignificare apud* Ariſtotelem, *materiámq; ſic vocari*, p. 155 l. 48 *Quouſque extendatur illius ſignificatio*, ibid. l. 50

E.

Eccleſiarum *in* Aſia *novus ſenſus* Cabbaliſticus, p. 459 l. 56

Eccleſiaſtes.

Cap. 7 v. 29 p. 486 l. 47

Cap. 8 v. 1 p. 515 l. 32

Ἕδρασμα *nona Sephirah Pythagorica, eadem quæ Jeſod*, p. 442 l. 38

Educatio, *Impreſſio utique corporea*, &c. *quid*, p. 40 l. 43

Εἶδος ἄνευ τῆς ὕλης, *ſive* Speciem Intentionalem *non eſſe in Materia globulorum, ſed in* Spiritu Mundano, p. 268 l. 21

Elaſtica *vis Aeris qualis* *&* *quàm incredibilis*, p. 199 l. 26 *&* p. 220 p. 204 l. 4

Elaſticitas Aeris *an eandem vim habeat in minori portione quàm in majori*, p. 402 l. 1

Elaſticitatem *illam* Aeris *immaniorem quomodò confutet Author* D. N. p. 390 l. 6 *Quomodò aliter confutetur*, p. 397 l. 36 *&* p. 402 l. 17 p. 403, 413 l. 1 414 l. 52 *&* p. 415

Elater Aeris *confutatur etiam* p. 207 l. 56 *&* p. 208 p. 209 l. 32

Electrum *in Viſione* Ezechielis *quid*, p. 489 l. 60 *&* p. 490 p. 498 l. 15 p. 502 l. 1

Elementum *primum* Carteſianum *initiò æquale ferè fuiſſe ſecundo, quantitate ſive copiâ*, p. 250 l. 34

Eliæ tempora *qualia futura*, p. 560 l. 16

Eloquentia Animalium *naturalis quàm efficax ſit ad conciliandam benevolentiam*, p. 32 l. 24

Ἔμφρων, σύμφρων, ὑπέρφρων, *quid ſint* *&* *tribus primitivis virtutibus quomodo reſpondeant*, p. 43 l. 2

Enchiridii Metaphyſici *pars ſecunda tertiáq; cur ſint omiſſæ*, p. 328 l. 27

Ἐνέργεια *&* ἐντελέχεια *præſertim, Forma ſubſtantialis quam Scholæ* Actum *vocant*, p. 155 l. 41

Ens *quatenus* Ens *aliquam* Materiam *in ſe complecti ac proinde amplitudinem*, p. 5 l. 33

Ens unum per ſe, *&* *non per aliud nè virtute quidem Divinâ poſſe diſcerpi*, p. 6 l. 3

Ens *quatenus* Ens Metaphyſicæ *Objectum non eſſe ſed* Logicæ, *p.* 143 l. 17

Ens *idem eſſe quod* Eſſentiatum, *ejúſque naturam ex primo illo fonte* Logico *cauſarum* *&* *effectuum optimè intelligi*, p. 144 l. 29

Ens omne, *quatenus Ens eſt*, unum *dici*, verum, bonum, quantum, quale, aliquando *&* alicubi, *p.* 144 l. 59 *&* p. 145 *quorum ſingula è fontibus* Logicis *explicantur*, ibid.

Ens ſimplex *eſſe unum per ſe* *&* *hujus generis ſolos eſſe Spiritus*, p. 145 l. 38

Ens *omne aut* ſubſtantia *aut ſubſtantiæ* modus, p. 145 l. 51

Ens *quatenus Ens Objectum* Logicæ, *quomodò intelligendum*, p. 147 l. 48

Ens à ſe *ſui quaſi habere efficientiam in ſeipſo*, p. 155 l. 16

Ens ab alio *propriè ſic dictum, ſic ab alio eſſe, ut licèt æternum eſſet ab æterno tamen potuiſſet non exiſtere*, p. 155 l. 25

Ens increatum *&* Ens à ſe *quomodo inter ſe differant*, p. 155 l. 29

Ens creatum *&* *Ens ab alio propriè ſic dictum idem eſſe*, p. 155 l. 31

Ens per eſſentiam *idem eſſe atque* Ens à ſe, ibid. l. 34

Ens dependens *&* Ens ab alio *quomodo differant*, ibid. l. 37

INDEX.

Ens in potentia *non eſſe Ens, apertè demonſtratum*, *p.* 156 l. 32

Ens neceſſarium *eſſe quod maximè immediatas habet cauſas ſuæ exiſtentiæ, idémque proinde eſſe quod* Ens à ſe, *vel* Ens per Eſſentiam, *p.* 156 l. 54 & *p.* 157

Ens infinitum *&* *Ens* abſolutè perfectum *idem eſſe*, *p.* 157 *l.* 31 & *l.* 48

Ens ipſum *quatenus Ens illiuſque proprietates & Diviſiones pertinere ad* Logicam, *p.* 157 l. 50 Ariſtotelémque *idem conſiteri*, ibid. *l.* 55

Ens ſummè perfectum, *cùm ſit quaſi Cauſa ſui, facilè intelligi, cauſam eſſe poſſe rerum aliarum*, *p.* 616 *l.* 22 & *p.* 618 *l.* 20

Ἐντπλεχείας *nominis ratio*, *p.* 176 *l.* 42

Enthuſiaſmus *quid*, *p.* 52 *l.* 1

Enthuſiaſmus J. B. *cum ſummorum Mathematicúmque demonſtrationem crepantium Ingeniorum ratiociniis, comparatus*, *p.* 540 *l.* 32 *&* *p.* 541

Enthuſiaſtæ Spirituales *qui Chriſtianam fidem in inanes difflant Allegorias, quales cenſendi*, *p.* 561 *l.* 14

Entia *quatenus* Entia *ſub generaliſſimis rationibus à capite ad calcem in Logica tractari, ac proinde* Ens *quatenus* Ens *illius eſſe Objectum non* Metaphyſicè, *p.* 143, 144 & *ſeq.* *p.* 147 *l.* 41

Entis *quatenus* Ens, *Principia duo incomplexa*, *p.* 5 *l.* 45 & *p.* 144 *l.* 58

Entis *diſtributio in* unum *et* multa *et* unius *rurſus in* unum per ſe *&* unum per aliud, *p.* 145 *l.* 30

Entis *diviſionem in* Subſtantiam *&* Accidens *ad* Logicam *pertinere*, *p.* 145 *l.* 56

Entis *Diviſio in* ſingulare et univerſale, *quàm inſulſa ſit*, *p.* 150 *l.* 10

Entis Diviſiones *generaliſſimas ad* Logicam *jure reduci*, *p.* 152 *l.* 16

Entis *Diviſiones in* Actum *&* Potentiam, *et in* Ens Actu *&* Ens Potentiâ *non eſſe legitimas*, *p.* 155 *l.* 41

Ἔπαινος ϗ μακαρισμὸς Pythagoreorum, *p.* 13 *l.* 40

Ad Epheſios,

Cap. 5 *v.* 32 *p.* 453 l. 57 *et* p. 466 l. 22

Ἐπιστήμη *ſecunda Sephirah* Pythagorica *eadem quæ* Cochmah, *p.* 441 l. 24 *cum illius Cognominibus, quibus Cognomina Hebraica reſpondent*, ibid.

Eremitæ *&* Angeli *Parabola*, p. 711 l. 60 *&* *p.* 712, 713

Eſaias.

Cap. 57 *v.* 15 p. 438 l. 9

Eſſentiæ mediæ *quid ſint & quotuplices*, p. 338 l. 5 *Quibus rebus Materiam excellant, quibúſque eâ ſint inferiores*, ibid. *l.* 14 *Quibus argumentis earum probetur exiſtentia*, ibid. *l.* 30 *et* p. 339

Eſſentiarum Mediarum *exiſtentia quintuplici argumento confutata*, p. 339 l. 18 & *p.* 340

Eſſentias medias Spiritui Naturæ *locum cedere oportere unde conſtet*, p. 340 l. 40 *et* p. 347 l. 45

Eſſentiæ *ex idea vera, concludi poſse de rei* exiſtentia *Principium etiam* Spinozianum, *p.* 615 *l.* 12 *p.* 626 *l.* 32 *et* p. 627

Ethicam *inter et* Politicam *idem ferè diſcrimen eſse quod inter* Etymologiam *et* Syntaxin, *p.* 21 *l.* 24

Ἐυαισθησία Pythagoreorum, *p.* 44 *l.* 53

Evangelii Johannis *Cap.* 1 *Verſuum primorum* 14 Analyſis, *p.* 94 *l.* 35

Εὐγένεια *et* Γενναιότης *ut differant*, p. 65 l. 1

Εὐστοχία, *apud* Ariſtotelem *quid*, p. 44 l. 38

Εὐτέλεια & Ἀπλότης *ut differant*, p. 58 l. 55

Εὐφυΐας *deſcriptio apud* Ariſtotelem, *p.* 70 *l.* 47

Εὐφυΐᾳ *hæc an omni ex parte aliqui deſtituantur, ardua Quæſtio*, p. 70 l. 60, *et* p. 71

Εὐψυχία *quid*, p. 58 l. 29

Exiſtentiam *rectè reduci ad doctrinam de cauſis et effectis*, p. 149 l. 10

Exiſtentiam *rei ex* Idea *illius certò concludi poſſe, aperta* Spinozii *conceſſio*, p. 626 l. 32 *et* p. 627, p. 615 l. 12

Exodus.

Cap. 6 *v.* 3 p. 584 l. 28

Cap. 19 *v.* 20 p. 566 l. 9 p. 575 l. 52 p. 576 l. 8. p. 586 l. 36

Cap. 33 *v.* 23 p. 566 l. 16

Experimentalis Philoſophiæ *commendatio, quantúmque ea valeat ad veritates Metaphyſicas eruendas*, p. 139 l. 30

Experimenti Situlæ *&* Orbiculi lignei *caſus duo, contrarius eorum effectus*, p. 223 l. 24

Experimentum Sturmianum Tubi *triginta pedes ampliùs longi*, &c. *p.* 228 *l.* 47

Experimentum Tubi *cum* Valvula *et* Obturaculo, p. 233 l 29 *Quale futurum ſit in Vacuo* Boyliano, ibid. *l.* 60 *Ejuſdem experimenti variatio per* Mercurium, *p.* 234 *l.* 10

Experimenta Antiſtropha *in Hydroſtaticis quenam appellata*, p. 408 l. 47 & *p.* 409 *p.* 416 *l.* 34 *p.* 418 *l.* 46

Experimentum Tubi *cum Valvula & Obturaculo*, p. 416 l. 37 *&* p. 417, 418

Extendi *aliquod poſſe quod nec poteſt tamen* diſcerpi, *p.* 169 l. 11

Extenſionem *aliis rebus Phyſicis competere præterquam Materiæ, ac proinde competere poſse Metaphyſicis*, p. 165 l. 63

Extenſionem umbræ *non competere nec motum, quatenus privationem ſignificat*, p. 171 l. 56 & *p.* 172

Extenſionem ſimplicem *et Mathematicam non* Phyſicam *in Amplitudine* Divina *virtualiter includi*, p. 172 l. 25

Extenſionem *eſse poſse ſine omni* Diviſibilitate, p. 314 l. 10 *et* p. 321 l. 43

Extenſionem *quà talis non* Diviſibilitatem *nec* Impe-

Impenetrabilitatem, *non* Indiviſibilitatem *nec* Penetrabilitatem *includere, ſed ad binas utraſlibet eſſe indifferentem*, p. 321 l. 16

Extenſionem *Spiritui facultatem* cogitandi *non eripere*, p. 322 l. 59 & p. 323

Extenſionem & Materiam *non eſſe reciprocas*, p. 662 l. 40 & p. 663

Extenſionem *aliquam eſſe* motui *intrinſecam*, p. 663 l. 9 & p. 664

Extenſum *infinitum* immobile *quo nexu neceſſario cum* Eſſentia Divina *ſit conjunctum*, p. 9 l. 3

Extenſum *quoddam eſſe præter* Materiam *quibus argumentis demonſtretur*, p. 158 l. 22 & p. 159, 160, 664, 665, 666, 667

Extenſum illud immobile *infinitum à mobili Materia diſtinctum*, imaginarium *quiddam non eſſe ſed* reale *ſaltem ſi non* Divinum, *p.* 165 l. 60 p. 166

Extenſum immobile *qui nihil eſſe autumant præter meram Vacuitatem, rudem imitari Plebeculam, qui Cœlum ventis & nubibus liberum, inane tantùm Concavum eſſe ſomniant*, p. 166 l. 23

Extenſo immobili *à Materia diſtincto plus minùs viginti competere* Attributa Divina, *p.* 167 *l.* 38 *Quòd Infinitum ſit* Anaxagoræ, *p.* 169 *l.* 57

Extenſum infinitum immobile *à Materia immobili diſtinctum non eſſe* Spiritum à Deo diſtinctum *contrà ac opinatus eſt Author Diſſertationis*, de Mole *ac* Fimbria Mundi, *p.* 173 *l.* 1

Extenſum omne *non eſſe* φανταστόν τι *ſive* imaginabile *quiddam*, p. 312 l. 12 & *p.* 320 l. 38

Extenſi Subſtantialis *partium* Separabilitatem *ex eo quòd ſunt ſubſtantiales falsò inferri*, p. 322 l. 3

Extenſum Infinitum *à Materia diſtinctum falsò à Veteribus vocari* κενὸν, *niſi per* κενὸν *intellexerint* ἀσώματον, p. 330 l. 41

Externas Actiones bonas *negligere donec ad* Internæ vitæ *ſtatum pervenerimus Hypocriſin ſapit, veræq; ſanctitati repugnat*, p. 87 l. 2

Ezechiel.

Capitis primi, partiſque Capitis decimi Paraphraſis, *p.* 475, 476 *Viſionis Explicatio* literalis, *à* p. 478 *ad* p. 481 *Expoſitio* Philoſophica, *à* p. 482 *ad* p. 508 *Hujus Viſionis* Ezechielis *Objectum adæquatum quid ſit*, p. 488 l. 52

Cap. 1 v. 4 p. 489 l. 19 v. 5 p. 490 l. 7 v. 6 ibid. l. 59 & *p.* 491 v. 7 ibid. l. 24 v. 8 ibid. l. 43 v. 9 ibid. *l.* 50 v. 10 *p.* 492 l. 5 v. 12 p. 493 l. 52 & p. 494 v. 13 ibid. l. 11 v. 14 ibid. l. 24 v. 15 p. 494 l. 50 & p. 495 v. 16 ibid. l. 20 v. 17 ibid. l. 34 v. 18 ibid. l. 49 v. 19 ibid. l. 60 & p. 496 v. 20 ibid. l. 7 v. 22 ibid. l. 20 v. 23, 24, 25 p. 494 l. 35 v. 26 p. 496 l. 25 v. 27 p. 498 l. 5 & p. 499 v. 28 ibid. l. 1

Cap. 10 v. 2, 6 p. 499 l. 39 v. 12 ibid. l. 42 v. 13 ibid. l. 53 & p. 500 v. 14 ibid. l. 8 v. 15, 20 ibid. l. 17 v. 19 ibid. l. 45

Cap. 20 v. 25 p. 591 l. 45

F.

H. Fabri *experimentum*, p. 385 l. 30

Faſtidium *quid ſit*, p. 30 l. 45

Faſtidii *utilitas quò referatur*, p. 37 l. 21

Fatuorum & *Maniacorum Spectaculo qui oblectantur, non ſatìs magni æſtimare mentis ſanitatem*, p. 35 l. 40

Felicitas, *virtutis uſus cum proſpera fortunâ, definiente* Archytâ, *illiúſque rei ab* Euthymemo *illuſtratio*, p. 11 l. 24

Felicitatem *non tam in* Intellectu *quàm in* Boniformi Facultate *ponendam eſſe*, p. 12 l. 40

Fidei definitionem Spinozianam *non eſſe veram, nè quatenus quidem ad Religionem naturalem refertur*, p. 585 l. 20

Fidem *inter* & Demonſtrationem *nulla realis Repugnantia*, p. 596 l. 61 & p. 597

Fidelitas *quid*, p. 56 l. 47

Figuram Solis *Stellarúmque* ſphæricam *Principium aliquod in Mundo arguere Incorporeum*, p. 254 l. 34 & p. 255

Filia *in Turri*, p. 492 l. 61 & p. 493 p. 497 l. 15 & p. 511 l. 43

Filium *fuiſſe qui* Moſi *locutus eſt*, p. 602 l. 9

Filum libræ *ſive Bilancis* Hydroſtaticæ *in Experimento* Torricelliano *quid*, p. 354 l. 43

Filo *hoc* firmitudinis conſiſtentiæ Aeris, *non actuali Gravitatione Cylindri* Atmoſphærici Mercurium *Tubo ſuſpendi, quomodo demonſtretur*, p. 354 l. 46

Fines *rerum in Naturæ Phænomenis expreſſim ab* Ariſtotele *urgeri*, p. 10 l. 8 & l. 31

Finalem Cauſam *in Phænomenis quomodo impugnet* Spinozius, *cum Reſponſo*, p. 623, 624, 625

Finalium Cauſarum *indagationes ad* Naturalem *etiam pertinere Philoſophiam*, p. 7 l. 32

Fluctuationis Animi *Interpretatio*, p. 34 l. 35

Fluida *gravitare non ſecundùm* Amplitudinem *ſed ſecundùm* Altitudinem *quàm fictitium ac lubricum Principium Hydroſtaticum*, p. 409 l. 9 *Et cui nec ipſe* Sturmius *confidat*, p. 223 l. 55 & p. 224

Fluidorum *partium* contruſionem *non tollere earum* Non-gravitationem *inter ſe*, p. 231 l. 10

Fluidorum & Solidorum *preſſuram pro pondere parem eſſe*, p. 231 l. 59 & p. 232

Fluidorum *partium* Contiguitas *unde colligatur*, p. 369 l. 32

Fluiditas *qua in re conſiſtat*, p. 361 l. 36

Fluvius Chebar *quid ſignificet in Viſione* Ezechielis, *p.* 500 *l.* 23

Foci in angulo *an* Cineres *in turbinem Nubis ſubſidentiâ contorqueantur*, p. 285 l. 32

Fontani Spiritus *ſeptem apud* J. B. *quales ſint*, p. 538 l. 53 & p. 539

Fontanos Spiritus *ſeptem, ſummam apud ipſum, eſſe* Deitatem, *p.* 539 l. 10

Formas ſubſtantiales *particulares nullas eſſe præter Animantium Animas*, p. 348 l. 13 & l. 46

Fortitudinis *virique fortis deſcriptio*, p. 54 l. 20 & p. 55

Fortitudo *quibus rationibus inculcanda*, p. 79 l. 40

Fortem *propriè eſſe qui circa mortem pulchram intrepidus eſt*, p. 54 l. 37

Fortunæ exceſſum *obeſſe magìs virtuti, quàm prodeſſe*, p. 13 l. 47

Fragoris *in* Tonitru *cauſa vera*, p. 287 l. 48

Fromondi *confidentia de Cauſalitate Lunæ in Æſtu marino*, p. 245 l. 14

Frugalitas *quid ſit*, p. 58 l. 40

Frugalitatem *rectè ad Temperantiam referri*, ibid. l. 43

Frugalitatis *commendatio*, p. 84 l. 50

Frugalitati *veræ honeſtam quandam animi magnitudinem ſubeſſe poſſe*, p. 84 l. 60 & p. 85

Fulgurationes *ſternutationibus Animalium comparatæ, quóque id jure*, p. 287 l. 46 & p. 289 l. 3

Fulminis *ac* Tonitrùi *natura undecim concluſionibus à* Carteſio *illuſtrata*, p. 284 l. 40 & p. 285 *Dictarum concluſionum* examinatio, p. 286 l. 4 & p. 287, 288

Fulminis *particulæ* Salinæ, *quæ gladium illæsâ vaginâ liquefaciunt, quàm mirabili motu ferantur*, p. 288 l. 4 & p. 289 l. 18

Fumi Peti *per Aquam in operto ſcypho ope duorum Tubuli Tabaccarii fragminum hauſti, experimentum*, p. 392 l. 7

Fundamenta *Cabbalæ* Aeto-pædo-meliſſææ, *p.* 523 l. 4 *Eorundem confutatio*, ibid. l. 42 & p. 524, 525

Fundamentalia Fidei *ſecundùm* Spinozium, *p.* 585 l. 3

Funeſtiſſimæ *rerum* ſcenæ *in hoc mundo uſus optimus*, p. 700 l. 31

Funiculus Lini *merum Figmentum*, p. 203 l. 23

Funiculi Lini *Hypotheſis quàm manifeſtò deprehenſa ſit falſa*, p. 416 l. 18

Futurarum rerum *per longas ſeculorum ſeries* prædictionem *Mechanicas Materiæ vires excedere*, p. 306 l. 37

Futuritas duplex *aut Temporis futuri exacti, aut Temporis futuri nondum exacti, hujúſq; diſtinctionis uſus*, p. 184 l. 35

G.

GAudium *quid*, p. 30 l. 26

Gaudii Intellectualis, *præ illo quod* ſenſuale *eſt, prælatio*, p. 763 l. 17

Geburah *Regni Meſſiæ quàm mirifica in ipſo & ejus Membris*, p. 513 l. 3

Gedulah, Cheſed & Geburah *ad* Arich Anpin *ſive* Kether *referri & quomodo*, p. 434 l. 38

Generica *è* natura *cujuſlibet ſpeciei non petendam eſſe ullam rationem conjunctionis* Differentiæ eſſentialis *cum ipſa*, p. 323 l. 26

Generoſitas *ſui-ipſius exiſtimationis ſpecies, ejúſque uſus & interpretatio*, p. 31 l. 50

Generoſitas *quomodo à* Magnanimitate *differat*, p. 58 l. 20

Generoſitatis *uſus eximius*, p. 84 l. 1 *Utilitas ejus ſpecialis apud Juvenes quos Natura ad virtutem propenſiores finxerit*, p. 84 l. 10

Geneſis.

Cap. 1 v. 20, 21, 24 p. 601 l. 4

Cap. 2 v. 7 p. 601 l. 2

Cap. 3 v. 5 p. 460 l. 1 & p. 493 l. 8

Genios *miniſteriis ſuis ſinceros adjuvare, leves autem & incertos Animos præterire, ut periti Artifices materiam ineptam & fatiſcentem*, p. 74 l. 11

Gentis Judaicæ *præ reliquis nullam fuiſſe à Deo electionem ſecundùm* Spinozium, *p.* 570 l. 11

Gentis Judaicæ *præ reliquis prælatio quæ revera fuerit*, ibid. l. 37 *An* Judæorum *Invidiæ indulſerit* Moſes *inculcando ipſis Deum eos præ reliquis Nationibus elegiſſe, &c.* ibid. l. 50 & p. 571

Georgii Sinclari *ad experimentum Butyri Reſponſio quàm irrita ſit*, p. 206 l. 7

Gigantum *pugna in Mundo* Jetzirathico, *p.* 486 l. 27

Glaciatarum *particularum* unionem *omnes vires Mechanicas excedere*, p. 278 l. 16

Gliſſoniana *Hypotheſis de* Natura *ſubſtantiæ* energetica *propoſita & examinata*, p. 300 l. 31 & p. 301

Gliſſonium, *quò* Behmeniſmum *maluerit quàm* Platoniſmum *amplecti, non ſatìs graves cauſas habuiſſe*, p. 300 l. 48

Gliſſoniana *Hypotheſis quibus præcipuè argumentis innitatur*, p. 604 l. 47 & p. 605 & *ſeqq.*

Gliſſonium *aut ſuam aut* Pythagoricam *Hypotheſin admittendam eſſe haud obſcurè inſinuare*, p. 605 l. 5

Gliſſoniana *pro Hypotheſi allatorum argumentorum confutatio*, p. 605 l. 48 & p. 606, 607, 608

Gliſſonianorum *argumentorum ipſe apex quis ſit, & quàm nihil tamen valeat*, p. 607 l. 55 & p. 608

Globulorum *vorticis* ſuperiorum *immenſam* Celeritatem, *præ reliquis, principium incorporeum arguere*, p. 256 l. 11 & p. 257

Globulorum *vorticis ſuperiorum immenſa illa* Celeritas *cui uſui inſerviat*, p. 258 l. 22

Globulorum *motus ac Rotationes in coloribus exhibendis non ſemper fieri modis merè Mechanicis*, p. 262 l. 29 & p. 263, 264

Globulorum *nullam eſſe* diſcurſitationem *quâ* Guttæ *pluviæ rotundentur*, p. 279 l. 12 & p. 280

Gloria Dei *eſſentialis & immutabilis*, p. 462 l. 2

Gloria Dei Iſraelis *apud* Ezechielem *quæ*, p. 501 l. 20

Γνώμη, *quæ Prudentiæ pars, quid ſit*, p. 44 l. 33

Gratitudo *quid*, p. 30 l. 41 p. 56 l. 25

Gratitudinis *præſtantia, monſtroſáque* Ingratitudinis *turpitudo*, p. 82 l. 39

Gravitatis *Principia* Carteſiana *propoſita & confutata*, p. 186 l. 17 & p. 187, 188 & *ſeqq.*

Gravitas & Gravitatio *quid*, p. 210 l. 6 p. 353 l. 11

Gravitatis *Hypotheſin* Carteſianam *experimento* Tubi *cum* Valvula *funditùs ſubverti*, p. 219 l. 34

Gravitas *corporum unde oriatur*, p. 342 l. 20

Gravitatem & *Gravitationem nihil aliud in genere eſſe quàm mobilitatem & motum actualem*, p. 357 l. 7

Gravitatem *non eſſe realem aliquam qualitatem unde conſtet*, p. 407 l. 25

Gravitas *aquæ intrinſeca quomodo intelligenda*, p. 361 l. 8

Gravitationis *corporum fluidorum in Mundo Terreſtri ex ſimpliciſſima Hypotheſi perſpicua explicatio*, p. 353 l. 15 p. 354

Gravitatio ſurſum *qualis ſit*, p. 354 l. 28 & p. 355 l. 3

Gravitationem *eſſe nullam niſi gravius fluidum nitatur in levius*, p. 355 l. 7

Gravitationis *ad* motum & Gravitationis ad pondus, *diſtinctio*, p. 378 l. 42

Gravitationem *ad* pondus *ſine* Gravitatione ad motum *ſine* Principio Hylarchico, *fieri non poſſe*, p. 379 l. 1

Gravitatio ſurſum *Mercurii in experimento* Torricelliano, *p.* 393 l. 12 & p. 394 l. 35

Gravitationem *partium aliarum in alias ſuâ* continuitate *non ſuſpendi*, p. 407 l. 25

Γυναικοκρατούμενοι & Arcladamenſes *qui in lecto puerperali decumbunt loco uxorum*, p. 725 l. 57 & p. 726

Guſtùs *tactus quidam etiam ſecundùm* Ariſtotelem, *p.* 111 l. 1

Guttarum pluviarum *rotunditatem ex ſolis cauſis Mechanicis non oriri*, p. 278 l. 1 p. 280 l. 9 & p. 281

Gyrinus *in Tubum Aquæ immiſſus cur ex fortiſſima Aquæ preſſione non lædatur*, p. 218 l. 11

H.

Harvæus *ad Notitiam* Spiritûs naturæ *quàm propè acceſſerit*, p. 411 l. 51 & p. 412

Hathney *Nobilis* Peruviani *Hiſtoriola*, p. 741 l. 13

Ad Hebræos.

Cap. 7 v. 25 p. 483 l. 39

Cap. 10 v. 5 p. 95 l. 51

Cap. 13 v. 8 p. 500 l. 54

Helmontius, *quî factum ſit ut in Paradoxon de* Eſſentiis Mediis *inciderit*, p. 338 l. 56. & p. 339

Hemiſphæriorum Magdeburgenſium *experimentum*, p. 398 l. 6

Heroes & *virtus* Heroïca *apud* Ariſtotelem *qualis*, p. 67 l. 25

Heroes, *quæ Animæ appellentur*, p. 484 l. 22 & p. 491 l. 7

Hilaritas *propriè quid ſit*, p. 30 l. 47

Hilaritatis *cauſæ quæ ſint quam quarundam perſonarum occurſus naturaliter in ſe mutuò excitet*, p. 719 l. 3

Hobbianæ *ſententiæ de Phænomeno* Gravitatis *declaratio*, p. 190 l. 22 *Ejuſdémq; confutatio* ibid. l. 33

Hobbianæ *de* Gravitate, *Hypotheſeos conſequentiæ perquam abſurdæ & ridiculæ*, p. 191 l. 1

Hod Sephirah *quales pompas contineat*, p. 514 l. 39 & p. 515

Holenmeriâ *in ſpiritibus conceſſâ, ſimplices tamen & Mathematicas dimenſiones eis competere poſſe*, p. 172 l. 34

Holenmeriani, *ob Logicæ defectum quàm abſurdè philoſophentur*, p. 151 l. 6 & p. 152

Holenmerianorum *opinio quæ ſit*, p. 307 l. 31 & p. 312 l. 54 *Opinionis eorum examinatio & confutatio*, p. 313 l. 14 & p. 314, 315

Holenmeriani *cur ſic dicti*, p. 307 l. 32

Holenmerianiſmum *ridiculam ſupponere totius ſpiritus in tot Totalitates diviſionem*, p. 314 l. 14 *Legibúſque perceptionis Animæ apertè repugnare*, p. 314 l. 36

Holenmerianiſmi *abſurditas detecta in apparitionibus Geniorum*, p. 315 l. 3

Holenmerianiſmi & Nullibiſmi *egregia falſitas, & ad omnes ferè fines Philoſophicos inutilitas*, p. 315 l. 22

Holenmerianos *cautiores cum Authore ferè conſentire*, p. 326 l. 14

Holenmerianiſmum ipſum *ſupponere*, *quòd aliquo modo extenſum eſt, non tamen ſtatim eſſe, niſi Logicè, diviſibile* p. 327 l. 1

Homines, *ut Deus ſubitò ſanctos non efficiat ſtatim atque ſic fieri ſincerè deſiderant, quàm conſiſtens ſit cum Bonitate Providentiæ*, p. 710 l. 55 & p. 711

Hominum *bonorum adverſitatem, & proſperitatem impunitatémq; improborum in hac vita, nulla argumenta eſſe contra accuratam rationem Providentiæ*, p. 713 l. 45 & p. 714, 715

Hominum Immolationes, *p.* 730 l. 2

Hominum *Immolationes* Diabolo, *p.* 731 l. 18

Homo Ezechielæus *ſuper Thronum* Sapphirinum *quòd ſit Anima* Meſſiæ *cum æterno* Logo *conjuncta, quàm eximia* Cabbalæ Judaicæ & *Clavis & Lima*, p. 456 l. 4 & p. 497 l. 33

Homo *Mundi* Briathici *ſymbolum*, p. 492 l. 44

Honores debitos *nemini per totum Terrarum Orbem certiùs deferri quàm* viro probo, *p.* 89 l. 53

R. Hookii *calumnia in Autorem quaſi principia Gravitatis* Carteſiana *fœda dixiſſet deliria*, p. 194 l. 50

Hookiana *Objectio quantilli momenti ſit, quam à deli-*

à delinendis doliis contra Spiritum Naturæ *depromſit*, p. 229 l. 51 *&* p. 230

Hookii *argumentum quo probare vult partes Fluidorum gravitare inter ſe, cum Reſponſo*, p. 230 l. 11

R. Hookii *Objectiones contra Hypotheſin* Carteſii *de Coloribus*, p. 261 l. 1 *cum Reſponſionibus Authoris*, ibid. *l.* 39 *&* p. 262 *Illius ineptæ calumniæ in Authorem*, p. 269 l. 1 *&* p. 271 l. 14 p. 272 l. 11

Hookius *quàm infirmis rationibus ſuas contra* Carteſium *Objectiones defendat*, p. 269 l. 56 *&* p. 270, 271

Hookii *falſa aſſertio, Quòd pellucidorum omnium eadem ſit contextura*, p. 270 l. 59

Hoſpitalitas *quid*, p. 57 l. 6

Hoſpitalitas *quibus rationibus commendanda*, p. 83 l. 26

Ὑλοειδὲς τῆς ψυχῆς, *deſcriptum & demonſtratum*, p. 327 l. 26 *&* p. 328

Ὑλοειδὲς *hoc Plaſticam eſſe Animæ, cujus beneficio, in unum Animal, cum corpore coaleſcit*, p. 328 l. 1

Humanitas *quid*, p. 57 l. 14

Humanitati *opponi non tantùm* Inhumanitatem, *ſed ſimulatitiæ cujuſdam Humanitatis* exceſſum, *pejorem ipſâ Inhumanitate*, p. 57 l. 16

Humanitas *cur colenda*, p. 83 l. 11

Humilitas *qualis ſit virtus*, p. 58 l. 45

Humilitatis meritiſſima Encomia, *p.* 85 *l.* 12 Lucretium *etiam eam graphicè deſpinxiſſe*, p. 85 l. 23

Ὑπέρφρων, *quid denotet*, p. 43 l. 30

Hydriarum Hydroſtaticarum *Helmontii* deſcriptio, *p* 371 *l.* 12 *Earum uſus*, ibid. *l.* 37 *& p.* 372

Hydroſtatica *quædam Axiomata*, p. 214 l. 54 *&* p. 215

Hydroſtaticorum *quorundam Experimentorum explicatio per dicta Axiomata*, p. 215 l. 37 *&* p. 216, 217

Hydroſtaticorum *Leges fictitiæ*, p. 220 l. 24 *&* l. 42

Hylarchicum *Principium ſive* Spiritus Naturæ, *quî efficere poſſit ut particulæ aqueæ dum Fundus Situlæ ab eis premitur, aliæ tamen ab aliis non premantur nec aſcenſum laminæ ligneæ impediant*, p. 222 l. 4

Hylarchicum *Principium quæ in ſe habeat peculiaria ſupra particulas Materiales etiam perceptione & libero arbitrio pollentes*, p. 222 l. 17 *&* p. 223

Hylarchicum *Principium à* Pythogora, Platone, Ariſtotele *ſed ſub aliis nominibus celebratum*, p. 224 l. 7 *&* p. 231 l 37

Hylarchicum *Principium ex libero arbitrio conſilióque non agere, ſed humanis artificiis facilè poſse irretiri & quaſi circumveniri*, p. 230 l. 45 & p. 231 & p. 235 l. 24

Hylarchicum *Principium Scientiæ Phyſicæ dignitati nihil derogare*, p. 236 l. 13

Hylarchici *Principii brevis & compendioſa demonſtratio*, p. 236 l. 27 *&* p. 237

Hylarchicum *Principium cum* Archæo *Chymicorum*, Spiritúſque Naturæ *cum* Natura Hippocratis *ut conveniant*, p. 301 l. 56

Hylolatria *quædam aliquorum abjectiſſima*, p. 114 l. 56 *vel* Hylomania, *p.* 115 l. 21

Hylopathia *Spirituum qualis*, p. 324 l. 27

Hylozoiciſmus *ſeu* Biuſianiſmus *quibus argumentis ſubvertatur*, p. 608 l. 47 *&* p. 609, 610

Hylozoicos *fruſtrà tam egregias* Materiæ *dotes affingere, cùm tam certò conſtet, Subſtantiam dari à Materia diſtinctam*, p. 611 l. 20

Hypoſtaſes tres *Divini Numinis apud* Ariſtotelem, Τὸ Νοητὸν, ὁ Νοῦς, ἡ Ζωὴ, p. 126 l. 39

Hypoſtaſin *nihil eſſe poſſe omni perceptione deſtitutam*, p. 331 l. 4 *&* l. 29

Hypoſtaſeôn diſtinctionem *ad Divinam perfectionem ſpectare*, p. 333 l. 15 *&* p. 334 l. 3

Hypoſtaſes *ut ſint, quæ ſic dicantur, in Divino Numine, quàm rationi conſentaneum*, ibid. *l.* 21

Hypoſtaſes *in Divino Numine cur ſint* plures, p. 765 l. 32

Hypoſtaſis *ſecunda*, ἄνθρωπος ἀπαθὴς Clementis Alexandrini, *p.* 766 *l.* 21

Hypoſtaſin *tertiam, quæ ratio ſuppetat Philoſophica, quò eſſe credamus*, ibid. *l.* 27 *&* p. 767

Hypoſtaſes *cur* tribus plures *ſint nullam ſuppetere rationem*, p. 767 l. 47

Hypoſtaſes *Divinas ſingulas percipere & intelligere*, p. 764 l. 37 p. 769 l. 36 p. 770

Hypoſtaſes *ſingulas eſſe Subſtantiam*, p. 764 l. 44 p. 770 l. 25 *&* p. 771

Hypotheſis, *quæ* Bonitatem Providentiæ *ſartam tectam conſervatura eſt, licèt rerum ſcena in terris decuplo eſſet deterior*, p. 744 l. 60 *&* p. 745, 746

I.

IDeas *Rationéſve rerum à* Fine *à quo &* bonæ *denominantur, eſſe petendas*, p. 6 l. 29 p. 10 l. 9

Ideæ *rerum in* Mente Divina *apud* Ariſtotelem *agnitæ*, p. 10 l. 17

Ideæ *connatæ à* Carteſio *agnitæ*, p. 117 l. 40

Ideæ *rerum ſingularum earúmque* Ideata, *quæ ſint apud* Spinozium, *p.* 613 l. 22

Ἰδιοπάθεια *quid*, p. 40 l. 61

Ἰδιοσυγκρασία *quid*, p. 40 l. 9

Jeſod *cognomina, quæ digitum intendunt in beata ſecula futura*, p. 435, l. 6

Jetzirathicus *Mundus cur ſic dictus*, p. 486 l. 27 p. 493 l. 20

Ignes duo *diſtinguendi in Viſione* Ezechielis, *p.* 498 l. 5

Ignis Paternus *Caput Imperceptibile cum* Enſoph *&* Arich Anpin, *p.* 499 l. 8

Imaginabile *nihil eſſe quod non ſit* ſenſibile, *p.* 312 l. 15

Imagi-

INDEX.

Imaginationes ordinatæ, aridæque Notiones *in quos errores animum ducant circa Beatitudinem*, p. 22 l. 9

Imaginatio, *Impreſſio utique corporea virtute corrigenda quid*, p. 39 l. 60

Imaginatio *corporea & incorporea quomodo differant*, p. 117 l. 34

Imaginis *viſio ponè ſpeculum an leges Mechanicas excedat*, p. 264 l. 41 & p. 265

Imago *ſpeculum intuentis cur altero tanto à ſe diſtare videatur quàm ipſe diſtet à ſpeculo*, p. 272 l. 54 & p. 273

Imaginis *ponè ſpeculum viſæ rationem non eſſe purè Mechanicam*, p. 275 l. 17 & p. 276

Immortalitatis præceptionem, *utplurimum, ſimul cum ipſa virtute, animæ ingenerari*, p. 75 l. 9

Immortalitatis doctrinam *ad Philoſophiam* moralem *etiam pertinere & quare*, p. 91 l. 20 *Firma de re* Socratis *perſuaſio*, ibid. l. 29

Immortalitatem Animæ *efficere ut res adverſæ bonorúmque externorum jacturæ, tanquam ſapientiſſimi Dei dona ſint cenſendæ*, p. 91 l. 36

Immortalitas Animæ *quàm obſcurè tradita ſit ab* Ariſtotele, *p.* 127 l. 31 & *nec* Rationi *nec veræ* Religioni *ſatis congruenter*, ibid. l. 49

Immutabilitatis *Attributum*, p. 658 l. 21 & p. 659

Impietatis *ſpecies quatuor*, Superſtitio, Profanitas, Enthuſiaſmus & Ritualitas, *p.* 51. l. 53

Incorporearum ſubſtantiarum *demonſtratio*, *Ab* Extenſo immobili *infinito à mobili materia diſtincto*, p. 158, 159 & *ſeqq.* *Ab* Exiſtentia Materiæ *partiúmque ejus coalitione & motu*, p. 173 l. 37 *A* ſucceſſiva *Mundi corporei* duratione, *p.* 178 l. 31 *A Phænomeno* Gravitatis, *p.* 192 l. 12 & p. 193 l. 32 & p. 194, 195 l. 9 *A triceſimo tertio* Experimento Antliæ Pneumaticæ, *p.* 196 l. 19 & p. 197, 198, & *ſeqq.* *A duobus* Marmoribus, *p.* 201 l. 19 *Ab aſcenſu* laminæ ligneæ *ab imo ad ſummum vaſis*, p. 210 & *à* Non-Gravitatione elementorum *in propriis locis*, ibid. & p. 211, 212, 213 l. 18 & p. 214 *Ab* æſtu marino, *p.* 237 l. 24 & p. 238 & *ſeqq.* *A mutuo corporum* Magneticorum *adhæſione*, p. 247 l. 30 & *ſeqq.* *A* Solis *ſtellarúmque* magnitudine, *p.* 250, 251 & *ſeqq.* *A* figura Solis & *ſtellarum*, p. 254 l. 32 *A celeritate* motus Cometarum, *p.* 256 l. 10 *A natura* Luminis & colorum, *p.* 258 l. 35 p. 259 & *ſeqq.* *A generatione* nubium, *Guttarum* pluviarum & Iridis, *p.* 279 *ad* p. 281 *A* Ventis, fulmine & Tonitruo *à* p. 281 *ad* p. 290 *A* ſtructura *corporum* Plantarum & Animalium, *à* p. 290 *ad* p. 295 *Ab* operationibus Animæ, *à* p. 296 *ad* p. 302 *ab* Apparitionibus & vaticiniis, *à* p. 302 *ad* p. 307

Incorporeas *res* demonſtrandi *modus* triplex, *p.* 300 l. 1

Indiſcerpibilitatem & amplitudinem *bene conſiſtere poſſe in eodem ſubjecto*, p. 5 l. 47 & p. 6. p. 10 l. 3 p. 325 l. 48 p. 169 l. 11

Individuationis *Principium quàm ridicula ſit Notio*, p. 150 l. 39

Indolentia *nulla pars Fortitudinis*, p. 54 l. 46

Indorum Abduti, *p.* 738 l. 8

Infernum *Mundúmve tenebroſum ubique eſſe ſecundùm* J. B. p. 539 l. 37

Infinitatem Divinam, *ſui generis eſſe infinitatem, contra* Spinozium, *p.* 628 l. 45 & p. 629

Infinitum *nullum rectè appellari poſſe* totum, p. 151 l. 45

Infinito *infinitum majus an detur*, p. 180 l. 83

Infinitúſne *mundus ſit an finitus*, p. 754 l. 30

Ingeniorum *ſummorum ſœlicitas, ut vel vitia eorum & errores aliquam virtutis ſpeciem habeant atque fructum*, p. 121 l. 53 p. 125 l. 18

Injuſtum *quod eſt* ſuâ naturâ, *nullâ externâ conſideratione juſtum fieri poſſe*, p. 50. l. 2

Inſomnium *Authoris quod nomen dedit* Cabbalæ Aeto-pædo-meliſſææ, *p.* 525 l. 25 & p. 526

Inſomniorum *genera quinque*, p. 745 l. 33

Inſomnium Bathynoi, *p.* 746 l. 6 & p. 747, 748

Inſtinctus Naturales *quò referendi*, p. 26 l. 44

Intelligentia *Prudentiæ pars, quid ſit*, p. 44 l. 11

Intelligentiæ *Orbium Motrices* Ariſtotelicæ, *p.* 125 l. 43

Intelligentias Ariſtotelicas *tot quaſi eſſe* Τριαδάρια *ſive* puſillas Trinitates, *p.* 126 l. 50

Intellectus Agentis & Patientis *officia apud* Ariſtotelem, *p.* 127 l. 19

Intellectus Agens *Divinus Intellectus ſecundùm quoſdam*, Patiens, *Anima ipſa*, ibid. l. 31

Intellectum Agentem, *Divinum non eſſe Intellectum ſed noſtrum*, *ſecundùm* Ariſtotelem, ibid. l. 37

Intellectualis *partis Animæ cum* Plaſtica *Conflictus, cui* Spiritus Naturæ, *ut illi* vis Divinior, *ſuccurrit*, p. 26 l. 48

Intemperantiæ *horrida turpitudo*, p. 79 l. 51 p. 81 l. 8

Internus *noſter* homo *ex vehiculo* Spirituali & Anima *conſtans*, p. 80 l. 12

Invidiæ *definitio*, p. 30 l. 32

Invidiæ *uſus & Interpretatio*, p. 35 l. 47

Invidiæ *quæ ſit genuina Notio, errórque* Ariſtotelis *circa eam notatus*, p. 703 l. 13

Job.

Cap. 32 v. 8 p. 469 l. 7

Jocandi *genus duplex apud* Ciceronem, *p.* 83 l. 1

Joci *aculeus quo improbus pungitur quomodo ab ipſo eluendus*, ibid. l. 6

Jod, Vau & ה *Notæ Circulorum* Arich Anpin, Dſeir Anpin & Malcuth *uxoris*, p. 436 l. 18 p. 439 l. 40

Johannis Evangel.

Capitis *primi quatuordecim primorum verſuum Analyſis*, p. 94 l. 35 & p. 95, 96

Cap. 1 v. 4 p. 512 l. 8 p. 766 l. 54 v. 9 p. 94

l. 3 p. 96 l. 24 v. 11 p. 501 l. 10 v. 14 p. 501 l. 6
Cap. 3 v. 5 p. 503 l. 25
Cap. 5 v. 17 p. 438 l. 1 p. 465 l. 39
Cap. 6 v. 33, 53 p. 505 l. 3 v. 33, 64 p. 504 l. 21
Cap. 8 v. 12 p. 94 l. 25
Cap. 9 v. 5 p. 94 l. 26
Cap. 12 v. 35, 46 p. 94 l. 23
Cap. 14 v. 1 p. 503 l. 8 v. 28 p. 458 l. 15
Cap. 16 v. 14 p. 432 l. 5 & p. 504 l. 21 p. 768 l. 15
Cap. 17 v. 5 p. 485 l. 38 p. 501 l. 22 p. 506 l. 47 & p. 515 l. 31
Jovem *propriè* mentem *Divinam eſſe*, p. 519 l. 4
Ira & Indignatio *ut differant*, p. 30 l. 42
Irriſio & Inſultatio *ut differant*, p. 30 l. 28
Irriſionis *utilitas*, p. 35 l. 23
Iridis *colorem cæruleum & viridem fieri contra leges Mechanicas*, p. 263 l. 45 vide & p. 281 l. 5
Iſaaco & Jacobo *Deum revelatum fuiſſe tantùm ut* El-ſhaddai, *quid ſignificet*, p. 584 l. 27
Judaica Gens, *vide* Gens Judaica.
Judæorum *convertendorum quæ ſit ſpes*, p. 426 l. 29 & p. 427 *Eorum opinio de Animarum deſcenſu*, ibid. l. 6 *Scrupuloſitas de ſubſiſtentia perſonarum in Trinitate*, ibid. l. 17
Judæi *converſi* Barbaricâ *ſuâ Philoſophiâ an* Græcanicâ *ſint uſuri*, p. 452 l. 25
Judæos *jam olim pro* Cabbala *ſua* Philoſophica *Hypotheſin* Ariſtotelicam *amplexos eſſe*, p. 463 l. 29
Judæorum Notaricon, Gematria & Temurah, *p.* 468 l. 39
Jura mutabilia *ex lege immutabili derivari*, p. 49 l. 53
Jus *quid ſit*, p. 49 l. 6
Jus *non intelligi ſine reſpectu ad* Legem *aliquam*, ibid. l. 13
Jus triplex *eſſe*, *uniuſcujuſq;* naturale, Civile, & ſummarum Poteſtatum, *p.* 588 l. 1 Juris naturalis *Principia principalia*, ibid. & p. 589
Jus *ex communiſſima Juris notione* legem *ſupponere*, *legem autem* Rationem, *p.* 588 l. 22
Jus *Civile* privatum *vel* publicum, *p.* 589 l. 21
Jus *Spinozii* naturale *quomodo cum mandato* Divino *conciliandum*, p. 589 l. 44
Jus Divinum *cum jure* ſummarum poteſtatum *quomodo conſiſtat*, p. 590 l. 16
Juſtitia *quid ſit*, p. 48 l. 59
Juſtitia diſtributiva & correctiva, *p.* 53 l. 4
Juſtitia univerſalis, *p.* 54 l. 16
Juſtitia *ad quæ* Noemata *Moralia reducatur*, p. 50 l. 14
Juſtitiam *duobus oppoſitis vitiis non ſtipari*, p. 59 l. 15
Juſtus *nemo eſt*, *niſi qui* remotus legibus *talis foret*, p. 79 l. 30

K.

KAdmon & Adam *omnibus primis prior quid ſit*, p. 447 l. 24 & p. 450 l. 8 *Originem unde duxerit iſtud Figmentum*, p. 456 l. 30 p. 458 l. 60 & p. 459
Kadmon, *quòd nec Eſſentia Dei ſit nec Operatio*, *ac proinde nihil*, p. 457 l. 13
Καρδιᾶτις *quinta* Sephirah Pythagorica, *cui reſpondet* Geburah, *p.* 442 l. 6 *Cur appelletur* ἀκρότης ἐλαχίστη τ̃ ζωότητος, ibid. l. 11
Kether, *primum in Divinitate cur ſic appellatum*, p. 431 l. 1
Kether *Platonicorum* Τ᾽ἀγαθὸν & τὸ Ἓν, ibid. l. 28 & p. 511 l. 28
Kether, *Stephane* Parmenidis, *ſive Ardoris lucidi* Corona, *unde & Tabulæ Cabbaliſticæ antiquitas innoteſcit*, p. 431 l. 32
Kether, *Deus pater*, p. 434. l. 15
Kether, *prima* Sephirah *cur ſic appellata*, p. 463 l. 60 & p. 464 *præcipua cauſa*, *cur ſic dicta ſit*, p. 464 l. 11 & p. 489 l. 2
Κόσμος, Sephirah *decima* Pythagorica, *cúrque non dicta ſit* Βασιλεία, *quò reſpondeat* τῇ Malcuth, *p.* 443 l. 1
Κρόνος & Attik Jomin *quàm bellè conveniant*, p. 511 l. 30 & p. 518 l. 47
Κρόνος *quaſi* Ἀχρόνους, p. 518 l. 47 & p. 519
Κτίσις, *quas ſignificationes habeat*, p. 513 l. 54

L.

LÆtitiæ *extremæ effectum* Lipothymia, *quid innuat*, p. 32 l. 36
Laminæ ligneæ *aſcenſus ab imo ad ſummum vaſis aquâ repleti experimentum*, p. 210, 211 *ſubterfugia Adverſariorum circa hoc experimentum*, p. 219 l. 50 & p. 220, 221
Laminæ æneæ *rotundæ perquam exiguo perforatæ foraminulo experimentum*, p. 418 l. 60 & p. 419
Lateralis *directio partium Arenæ an perpendicularem Gravitatem refringat*, p. 360 l. 18 & p. 366 l. 21
Laus *liberè factis an major debeatur*, *quàm quæ neceſſariò à nobis fiunt*, p. 67 l. 18 & p. 69 l. 20
Legem Naturæ *in* Animali *Regione regnantem confuſum quoddam eſſe quaſi murmur* Divinioris Legis *in* Regione Intellectuali, *p.* 38 l. 7 & l. 51
Legem *eſſe vel* Naturalem *vel* Poſitivam, *p.* 49 l. 15
Legem Naturalem *rectam eſſe Rationem Deo Hominibúſque communem*, *ſecundùm* Ciceronem & Zenonem, *p.* 49. l. 20
Legem *Principiúmve* Divinum *qui explodunt Humani generis peſtes eſſe & opprobria*, p. 71 l. 60 & p. 72
Legem vitæ moralem *Animæ humanæ* inſitam *eſſe ex Dicto* Paulino *demonſtratum contra*
Cupe-

Cuperum & Quakeros, *p.* 600 l. 31 & p. 601

Leges Mechanicas *à* Spiritu Naturæ *temperari tantùm aliquando, non ubique penitùs expungi*, p. 246 l. 22

Λῆμα *quid*, p. 58 l. 21

Lemmata *tria circa* Refractiones *ex quibus reſpondetur Cavillationibus* Micrographi, *p.* 269 l. 20

Lenitas *cur ad* Fortitudinem & Tolerantiam *revocetur*, p. 58 l. 12 M. Antonini *præclarum documentum de* Lenitate, ibid. l. 50

Lenitatis *laudes*, p. 84 l. 19

Leo *Symbolum Mundi* Jetzirathici, p. 492 l. 54

Levitationem *vel Gravitationem Ætheris & vulgarium Elementorum nullam eſſe in* propriis locis, *p.* 650 l. 8

Liber Druſchim; *Authoris de eo Sententia*, p. 423 l. 33

Libera in Republica *an unicuique & ſentire quæ velit & quæ ſentiat dicere liceat*, p. 595 l. 11

Liberalis *quis* & Prodigus, *p.* 56 l. 15

Libertáſ*ne an* Divitiæ *præſtent inter Bona* Suppoſiti, *p.* 64 l. 39 *Quomodóque* Inopia & Servitus *conſiſtant cum* Beatitudine, ibid. l. 50

Libertatem *tum privatorum Hominum tum Gentium integrarum deberi* virtuti, p. 89 l. 27

Libertatem *omnem viro probo nè incarcerationibus quidem adimi*, ibid. l. 36

Liberum arbitrium *diſcriménque honeſtorum & turpium ex quibus Paſſionibus indicatum*, p. 36 l. 4

Liberum arbitrium *quàm præclarum & penè Divinum ſit Privilegium*, p. 67 l. 44

Liberi arbitrii *oppugnatores de humano Genere peſſimè mereri*, p. 67 l. 60 & p. 68

Liberi arbitrii *opinio quantam vim habeat ad virtutem ac probitatem*, p. 68 l. 5

Liberum arbitrium *ſive Græcorum* αὐτεξούσιον *quid ſit*, p. 68 l. 14

Liberum arbitrium *ſtrictius quiddam eſſe ſignificatu quàm* voluntarium *aut ſpontaneum*, p. 68 l. 33 & l. 40

Liberum arbitrium *ſive Poteſtas agendi & non agendi quo ſenſu* perfectio, *quóque* imperfectio, *p.* 68 *l.* 45

Liberum arbitrium *quibus argumentis confirmetur*, p. 68 l. 52 & p. 69

Liberi arbitrii *ſtatum, ſtatum Animi* medium *dici poſſe, nequaquam* ſummum, *p.* 69 l. 31

Liberum arbitrium *nec Divinâ* Præſcientiâ, p. 70 l. 6 & p. 72 l. 10 *nec* neceſſariâ *voluntatis* propenſione *ad Bonum majus apparens, tolli*, p. 70 l. 22

Libero arbitrio *quales prædititi ſint*, p. 71 l. 3 *Quales non*, ibid. l. 13

Liberi *noſtri* arbitrii, *non niſi ex Conflictu duorum oppoſitorum Principiorum* Animalis & Divini, *rectè intelligitur natura & conditio*, p. 71 l. 21

Liberum arbitrium *quibus modis augeatur & corroboretur*, p. 73 l. 48

Linguæ Naturæ *peritiæ apud* J. B. *profeſſio quàm ridicula*, p. 537 l. 56 & p. 538

Liquidorum *conſiſtentia unde*, p. 353 l. 49 *Hanc* conſiſtentiam *eſſe poſſe, ſine ulla* Elaſticitate, ibid. l. 53 & p. 354

Loci *definitio* Ariſtotelica, *p.* 158 l. 40

Locum *ſive* Ubi *ſupra cœlos eſſe &* Stoicos & Platonem & Ariſtotelem *ipſum tenuiſſe*, p. 158 l. 40 & p. 159

Locum *eſſe* internum *ſive* Spacium *à corporibus realiter diſtinctum, argumentis* Apodicticis *probatum*, p. 159 l. 35

Locum internum *non eſſe* inadæquatum *conceptum* Materiæ, p. 164 l. 29 *Nec Materiæ tantùm* Poſſibilitatem, *p.* 164 l. 40 & *p.* 165 Pythagoreos, Democritum, *et* Epicurum *inter Entia realia eum numeràſſe*, p. 166 l. 33

Loci interni Realitas *duobus argumentis* Apodicticis *demonſtrata*, p. 166 l. 44 & p. 167

Loci interni *natura mirabilis notata ab* Ariſtotele, p. 168 l. 26

Logica *nomen unde ſortita ſit*, p. 147 l. 46

Logicæ *defectu viros aliàs doctos in fœdiſſimas Hallucinationes incidiſſe*, p. 152 l. 13

Logon Divinum *omnes homines illuminare dici aliter non poſse, quàm quatenus dicitur notiones Boni et Mali per Creationem inſeviſſe*, p. 96 l. 26

Logon incarnatum *non eſse* Animam Meſſiæ *per totum Mundum* extenſam, *p.* 437 l. 13 *Argumenta quibus Creatura probetur, diluuntur*, p. 437 l. 25 & p. 438 *An* Homo *dicendus et quomodo*, p. 437 l. 19 *et* p. 447 l. 28

Logon *eſse* verum Deum *de vero Deo, non Deum per unionem cum vero Deo*, p. 770 l. 54 & p. 771

Logos *an rectè dicatur* Modus *ſenſu Cabbaliſtico*, p. 436 l. 32

Λόγους *in* Artibus *non ſic tractari quin ipſe res ſingulares quarum ſunt Logi ſimul tractari ſubintelligantur*, p. 143 l. 42 & p. 144

Lop *Civitas, horrendúmque haud procul ab ea* Deſertum, *p.* 688 l. 30

Lucas.

Cap. 10 v. 22 p. 441 l. 32

Lucernam Dei *in Homine, ipſius Hominis eſſe Spiritum*, p. 600 l. 56

Lucis & colorum *naturæ obſcuritas unde*, p. 258 l. 36

Lucis colorúm*que Phænomena qualia futura eſſent ſine* Spiritu Mundano, p. 268 l. 51

Lucifer Naturæ *quid*, p. 547 l. 37

Lucretii *argumenta adversùs Providentiam*, p. 683 l. 55 & p. 684

Lucretii *argumentis reſpondetur*, p. 687 l. 26 & p. 688, 689

Lumen *ac* Colores *ἐνεργήματα quædam eſſe ſive φάσματα* Vitalia, *&c.* p. 275 l. 22

Lumine naturali verum *quid propriè dicendum*, p. 596 l. 50

Luminis *&* Colorum *Explicatio* Carteſiana *proponitur ac defenditur*, p. 259 l. 25 *&* p. 260

Lunam *è Cauſis* Æſtûs Marini *temerè inſcitéq; excludi*, p. 245 l. 13

M.

MAchiavelli *judicium de* Apparitionibus *in Aere viſis*, p. 303 l. 7

מקום *nomen Dei apud* Cabbaliſtas, *p.* 167 l. 50 p. 170 l. 6 p. 173 l. 27

מקום *Nomen Divinum Occaſionem dediſſe commento de Evacuatione* Or-Ha-enſoph, p. 462 l. 13

Magia *quid ſit motúſque Magicus & unde*, p. 9 l. 27

Magia Divina, *p.* 9 l. 40

Magiſtratui *parere in rebus adiaphoris bonum eſſe, quomodo intelligendum*, p. 20 l. 44 *&* p. 21

Magnanimi *deſcriptio apud* Ariſtotelem, p. 57 l. 51 & p. 58

Magnanimitas *cur ad* Fortitudinem *&* Tolerantiam *referatur*, p. 58 l. 9

Magnanimitatem *quæ commendent*, p. 83 l. 50

Magnificentia *quid & circa quæ propriè verſetur*, p. 56 l. 19

Magneticorum *Vorticum deſcriptio*, p. 247 l. 40

Magneticarum particularum *motum corporúmq; adhæſionem Magneticorum non eſſe Mechanicam*, p. 248 l. 19 *&* p. 249

Magnitudo Tranſcendentalis *& Metaphyſica*, Numero Tranſcendentali *& Metaphyſico apud* Thomam Aquinatem *reſpondens*, p. 148 l. 32

Magnitudinem *nullam eſſe niſi quæ dividi poteſt*, p. 313 l. 21 & p. 316 l. 24

Magnitudinis perceptio *an leges Mechanicas ſuperet*, p. 266 l. 24

Mala *quæ non niſi per* imaginationem *nos affligunt ferre non poſſe, inſignis defectûs virtutis indicium*, p. 92 l. 1

Mala *in genere quomodo cum* Divina Bonitate *conſiſtant*, p. 682 l. 38 *&* p. 683

Malum ſubſtantialiter *an quicquam ſit in Univerſo*, p. 704 l. 45 *&* p. 705

Malcuth *Uxor* Dſeir Anpin *quo ſenſu* Adonai, Elohim, *&c. dicatur*, p. 435 l. 25

Malcuth *non* Spiritum *ſed Regnum* Spiritûs S. *ſignificare*, p. 456 l. 22

Malcuth *ad Viſionem* Ezechielis *referri, eſſe Uxorem τοῦ* Dſeir Anpin, *húncq;* Dſeir Anpin *eſſe Animam* Meſſiæ, p. 489 l. 8

Malcuth *cur una è* Sephiris *& cur decima*, p. 511 l. 13 & p. 517 l. 11

Marcus.

Cap. 9 v 49 p. 502 l. 32

Marium *motûs* Voſſiani *primi tertiique ratio*, p. 246 l. 27

Marmorum *mutuò adhærentium experimentum contra vim Aeris* Elaſticam, *p.* 201 *l.* 19 *Marmoris & ſubjectæ Laminæ ligneæ*, ibid. l. 34 & p. 202 & p. 207 l. 18 & p. 208 l. 17 & p. 209

Marmorum *duorum cohæſionis Experimentum*, p. 397 l. 5

Materiæ Mundanæ *nullas ſpecificas eſſe differentias quomodo demonſtretur*, p. 111 l. 35 & p. 112

Materiam Mundanam *à* Spiritu Naturæ *cieri & gubernari, at ſic tamen ut nunquam quicquam contra duas iſtas adamantinas Materiæ Leges committat*, Mobilitatem *ſcilicet ejus &* Ἀντιτυπίαν, p. 123 l. 36 & p. 124 l. 8

Materiam Logicam *nihil niſi* Amplitudinem *eſſe*, Formam *verò Amplitudinis* Differentiam, p. 144 l. 40

Materiæ primæ *Definitio*, p. 173 l. 37 *ejúſque cum Materia* Ariſtotelica *&* Carteſiana *comparatio*, ibid. l. 47

Materiæ Mundanæ, *exiſtendi neceſſitatem, non competere*, p. 165 l. 32

Materiam *omnino* paſſivam *eſſe ſecundùm* Ariſtotelem, *p.* 175 l. 2

Materiam *à ſe non poſſe eſſe quomodo demonſtretur*, p. 176 l. 12

Materiæ *plus, cubo plumbi quàm Aeris non ineſſe*, p. 178 l. 3

Materiam Mundanam *finitam eſſe quibus probetur rationibus*, p. 179 l. 55 p. 180

Materiæ Mundanæ *realem* Terminabilitatem *facere, ut non poſſit eſſe abſolutè infinita*, p. 180 l. 39 & p. 181 l. 57 p. 182 l. 2

Materiam *etiam* vivam, percipientem *ſive* intelligentem, *non poſſe ſalvare omnia mundi mentiſque noſtræ Phænomena*, p. 158 l. 38 & p. 159, 160 & *ſeqq.* & p. 177 l. 7 p. 182 l. 50 p. 183 & *ſeqq.* p. 192 l. 60 & p. 193 p. 202 l. 16 & p. 203 p. 213 l. 32 p. 222 l. 55 p. 228 l. 13 p. 255 l. 18 p. 258 l. 16 p. 299 l. 4 p. 300 l. 28 p. 305 l. 38 p. 306 l. 12 p. 307 l. 7

Materiæ *partes non cogitare*, p. 296 l. 3

Materiæ *ſi perceptio competat, eam eo modo fieri quo ſtatuit* Hobbius, ibid. l. 15

Materiam *nec Memoriæ nec Imaginationis capacem eſſe*, p. 298 l. 16

Materiæ particulas *etiam* perceptione *præditas Animalium corpora non poſſe fabricare*, p. 299 l. 4 *Nec agere ſeundùm ullum conſtans Propoſitum*, ibid. l. 21

Materiam *non* poſſe cogitare *quæ vera demonſtrandi ſit Methodus*, p. 308 l. 40

Materiam *vel* Divinam *eſſe vel* Naturalem, p. 329 l. 39

Materiæ, *ſiqua ei omnino inſit, quàm imper-*

ſecta

fecta ſit cogitatio, p. 627 l. 34 & p. 626

Materiæ *proprietates eſſentiales*, p. 667 l. 52 & p. 668

Mathematicis ſtudiis *quàm utiles ſint iſtæ virtutes Morales* Manſuetudo & Patientia, *p.* 87 l. 45

Matthæus.

Cap. 5 v. 43, 44 p. 597 l. 56 & p. 598

Cap. 13 v. 42, 43 & c. 26 v. 29 p. 516 l. 52

Mechanicæ Philoſophiæ *vanitas incredibilis*, p. 138 l. 60 & p. 139

Mechanicæ puræ putæ *ex Orbe literato exploſionem nulli fore humano generi detrimento*, ibid. l. 8

Mechanica Credulitas *morbus hujus ſeculi Epidemicus*, p. 236 l. 24 p. 287 l. 4

Mediocritas *in qua virtus conſiſtit, quid ſit, quæque illius ſit menſura*, p. 59 l. 8

Meditatio *mortis* Platonica, *p.* 74 l. 56 & p. 75 *Non morbum eſſe ſic per Sapientiam mori*, p. 75 l. 5

Medium *quod quærit virtus, aliis circumſtantiis præter* Intentionem & Extenſionem, *determinari*, p. 60 l. 23

Μὴ ἐκθόρνυσθαι, μὴ ἀφαρπασθῆναι, p. 44 l. 27 p. 75 l. 61 & p. 76

Mens, Dei ἀπόσπασμα *juxta* M. Antoninum, *p.* 51 l. 34

Mentis cultum *qui negligunt, indicant ſe aut Deum non nôſſe aut Divinam Naturam non quanti debent æſtimare*, p. 50 l. 57

Mentem *cujuſque*, Deum *eſſe illincque effluxiſſe*, p. 51 l. 26

Mentis Statûs *poſt mortem deſcriptio* Spinoziana, *p.* 631 l. 37 & p. 632, 633

Mercavæ *intellectionem quarti Diei Operi inniti, unde* Tetractys *magis adhuc ſacra*, p. 482 l. 32

Mercurius *in* Tubo *cur ſuſpenditur* & Aqua *in* Antlia, *p.* 216 l. 43

Mercurii *in* Tubo *experimentum notabile apud Autorem* D. N. p. 384 l. 50 & p. 385

Mercurii ſuſpenſionem *in experimento* Torricelliano *non fieri per* Tenſionem *Effluviorum* Mercurialium, *p.* 391 l. 5 & p. 392, 393, 394

Mercurii ſuſpenſionem *fieri non ad conſervandam Univerſi* continuitatem, *ſed ad* Aerem tuendum *in debita ſua* Conſiſtentia, *p.* 395 l. 4

Mercurii deſcenſûs *in Tubo ad exhauſtionem Aeris in vitro quæ ſit vera cauſa*, p. 416 l. 23

Meſſiæ *Anima cum Æterno* Logo *in mundo* Aziluthico *unita*, p. 485 l. 11 & *princeps conſtituta quatuor Mundorum*, p. 485 l. 31

Meſſiæ Anima *cum* Logo *conjuncta qui* & Jehovah *Filius*, *Gentis* Judaicæ *olim* Angelus *præſes*, p. 518 l. 5

Metaphyſicæ *Finis quis ſit*, p. 135 l. 21

Metaphyſica *quid ſit, illiúſque Nominis ratio*, p. 141 l. 6 Σοφία & *Philoſophia prima cur dicta*, ibid. l. 19

Metaphyſica *quo ſenſu* Ars *dicatur quo* Scientia & Sapientia, *p.* 141 l. 45

Metaphyſica Theologia *quædam* Naturalis & *quouſque ſe extendat*, p. 142 l. 7

Metaphyſicæ *Objectum adæquatum* Subſtantia Incorporea, *p.* 158 l. 12

Metatron, *Principium* Hylarchicum, *p.* 435 l. 37

Methodus *res* contemplandì *generalis*, *vera ac genuina*, p. 146 l. 24

Μελετοπαθείας *præclara apud* Ciceronem *deſcriptio*, p. 27 l. 59 & p. 28

Μελετοπάθεια *in quo maximè conſiſtat*, p. 39 l. 17

Metus *quid*, p. 29 l. 55

Michaelis & Urielis *bellum contra* Luciferum *apud* J. B. *quomodo intelligendum*, p. 554 l. 13

בנלת ספר *Pſalm* 40. v. 8. *quomodo intelligendum*, p. 96 l. 8

Miraculorum *Fides quatuor modis à* Spinozio *impugnata*. p. 573 l. 9 & p. 574, 575

Miracula *an quicquam ad eſſentiam & exiſtentiam Dei ejúſque Providentiam intelligendam conducant*, p. 573 l. 56 & p. 574

Miriones *meri qui ſint*, p. 31 l. 35

Modus *qui* realis *eſt in uno quolibet* ſubjecto, *ubicunque reperitur, Subjectum arguit* reale, p. 145 l. 57

Modus *propriè dictus, quid*, p. 153 l. 6

Modus *ſenſu reſtrictivo non ſumptus quòd idem ſit quod* Attributum, *p.* 620 l. 11

Monades Phyſicæ *quid ſint*, p. 174 l. 5

Monadas Phyſicas *à ſe moveri non poſſe demonſtratum*, p. 175 l. 13

Moralis Philoſophiæ *ſcopus genuinus*, p. 2 l. 22

Moralitatis unum *aliquod* Principium *an ſit in quod* omnis *reſolvatur*, p. 21 l. 14 *Non eſſe* Socialitatem *aut* Boni publici ſtudium, *ibid.* l. 19 & p. 22 l. 19 *ſed verum ſincerúmque* Amorem Dei, *p.* 22 l. 28

Morbi *corporis utplurimùm* Vitiorum Animi *effectus*, p. 88 l. 41

Morbos parentum *ſimul cum Agris Titulíſque hæreditario quaſi jure in filios derivari*, ib. l. 42

Morbi, *quî conſiſtant cum Providentia*, p. 691 l. 20

Mors *quomodo conſiſtat cum Bonitate Providentiæ*, p. 690 l. 7 & p. 691

Mortem, *rerum memoriam in Anima non obliterare*, p. 127 l. 48

Morſus *Conſcientiæ quid*, p. 30 l. 37

Moſen *cur* J. B. *cenſuerit non ſcripſiſſe* Creationem, *p.* 544 l. 7

Motûs Localis *Definitio* Carteſiana *cum illius confutatione*, p. 161 l. 60 & p. 162, 163

Motûs localis *definitionem* Carteſianam *reverà definitionem eſſe* mutationis ſitûs, & *nil præterea*, ibid. l. 38

Motum actualem *corpori alicui ineſſe quibus ex rebus fas ſit concludere*, p. 358 l. 4

Motus deorſum *an ad* ſolida *corpora pertineat quatenus talia*, p. 358 l. 29

Motum Gravitatis *non minui per motum* per declive, *p.* 369 l. 6 & p. 375 l. 19

Motum per declive *partium* continuitate *tolli*, p. 369 l. 14

Mundum *exiſtere non potuiſſe ab æterno quomodo demonſtretur*. p. 179 l. 10 *Nè virtute quidem Divinâ*, ibid. l. 25 & p. 180 l. 51

Mundus *verum vivúmq;* Automaton, *p.* 224 l. 48

Mundus *nihil aliud niſi* Conceptus Divinus *extrorſum vergens*, p. 334 l. 18

Mundus Materialis *ingens quoddam* Zoophyton.

Mundum finitum *eſſe ex Tabula ſecunda* Cabbaliſtica *probatum*, p. 433 l. 25

Mundus *an creatus ut ulla indè* Deo *accedat* perfectio, *p.* 447 l. 8 & p. 454 l. 35 *An fieri potuiſſet citius aut ſerius quàm factus ſit*, p. 448 l. 7 p. 466 l. 17

Mundum emanationum *fruſtrà à* Cabbaliſtis *fingi*, p. 457 l. 34

Mundos tres *Nepheſh, Ruach & Neſchamah* propheticè *eſſe intelligendos*, p. 459 l. 19

Mundos *quatuor* Cabbaliſticos *unum reverà mundum eſſe, viz.* Mundum Animarum, *p.* 459 l. 41

Mundus Emanationis *quid reverà ſit*, p. 459 l. 44 p. 460 l. 10

Mundorum אבי״ע *nominis ratio*, p. 459 l. 47

Mundi Angelici *poſt Mundum Animarum creati figmentum, unde emerſerit*, p. 460 l. 1

Mundus *intra Terram* Carcer Spirituum malignorum, *p.* 467 l. 41 & p. 468

Mundorum *quatuor* אבי״ע *limites*, p. 483 l. 20

Mundi Aziluthici *ſtatus qualis*, p. 484 l. 29

Mundi Briathici *ſtatus*, ibid. l. 46 & p. 485

Mundi quatuor *omnes* ſingulis *quomodo inſint*, p. 487 l. 36

Mundum igneum *ſive Infernum non eſſe ubique*, p. 551 l. 57 & p. 552

Mundi tres *apud* J. B. Tenebroſus, Lucidus & Externus, *p.* 554 l. 13

Mundi ſtatum *non tam perditum eſſe quàm Melancholia aut Hiſtoria eum repræſentet, multas eſſe conſiderationes quæ faciunt, ut ſperemus*, p. 738 l. 8 p. 739 & *ſeqq.*

Mundus *an exiſtere potuerit* ab æterno, *p.* 758 l. 45 & p. 759, 760

Mundi Increabilitatis ab æterno *damnum æternâ* Filii *generatione proceſſionéque* Spiritûs *compenſari*, p. 772 l. 8

Muſculorum *ex totius corporis carne mirabilis Formatio*. p. 294 l. 18

Muſculi *perforati & perforantes*, ibid. l. 31

N.

NAturam *univerſam* Deo *plenam eſſe* boniſque Geniis, *p.* 74 l. 11

Naturæ ſcientiam puram putam, *etiam* Legum Spiritûs Naturæ peritiam *meritò haberi poſſe*, p. 124 l. 58

Naturam, *integrum eſſe corpus Dei ſecundùm* J. B. *p.* 538 l. 45

Naturæ productionem *factam eſſe in manifeſtationem Dei ſibi ipſi ſecundùm* J. B. *p.* 540 l. 14

Naturam *cogitatione quâdam infinitâ contineri, illiúſque eſſe* Ideatum, *juxta* Spinozium, *p.* 612 l. 25

Natura, Materia, Deus *apud* Spinozium *idem*, p. 612 l. 51

Naturalis Philoſophiæ *ſtudium quò tendere debeat*, p. 141 l. 34

Naves *ſub Æquatore cur cumulum illîc Aquarum celerius aſcendant*, p. 246 l. 44

Neceſſariam *cauſalitatem in* cæca Materia *æquè parùm poſſe in ordinatis Naturæ effectis edendis, quàm* fortuitas *illius* colliſiones, *p.* 649 l. 5

Neceſſariò *quicquid non exiſtit, non exiſtere* à ſe, *p.* 176 l. 1

Neceſſitatem exiſtendi *non* Materiæ *ſed alteri alicui* extenſioni *competere, ex motu Telluris annuo probatum*, p. 4 l. 38

Neceſſitatis Opinio, *quantum momentum habeat ad fœdiſſimas actiones ipſo fatente Hobbio*, p. 68 l. 2

Neminem *ex* Natura ſcire *ſe ullâ erga* Deum teneri obedientiâ *nec ſe antè teneri quàm pactum inierit externum, ſecundùm* Spinozium, *p.* 589 l. 45 & p. 590

Neminem *pietatem rectè colere Deóque obedire poſſe niſi* omnibus *ſummæ poteſtatis* Decretis *obtemperet, ſecundùm eundem*, p. 594 l. 31 & p. 595

Nepheſh, Ruach & Anima *in Numerationibus* Circularibus & Rectilineis *quomodo diſtinguantur*, p. 450 l. 31

Netzak, Hod, Jeſod & Malcuth *quomodo ad* Binah *tertiam Hypoſtaſin referantur*, p. 434 l. 54

Netzak *locus communis præliorum ac victoriarum Animæ* Meſſiæ & *ejus exercituum*, p. 514 l. 13

Nobilitatem *ad Beatitudinem minimè eſſe neceſſariam*, p. 64 l. 55 & p. 65

Nobilitatem *veriſſimam, ipſam eſſe virtutem, primúmque omnis Nobilitatis fontem*, p. 90 l. 13

Nobis non licere miſeris *eſſe propter internam legem externúmq; Judicem Deum*, p. 73 l. 43

Noemata Moralia, *p.* 18, 19, 20

Nominum *an ſint perinde atque* rerum Ideæ *in* Deo, *p.* 455 l. 6

Non-Gravitatio partium corporum fluidorum inter ſe *quàm neceſſaria in Natura, & quàm ridicula ſit rationum Mechanicarum apud eos affectatio, qui Animalium omnium corpora collidi malunt quàm ſe Phænomena Mechanicè poſſe explicare non videri*, p. 227 l. 31 p. 230 l. 28

Non-Gravitationem *particularum Aquæ in ſubjecta corpora nec à* Continuitate *earum proficiſci nec* Architectura, *p.* 362 l. 23 & p. 363 *Experimentum quod rationem utramque*

que penitùs tollit, p. 363 l. 42 & p. 364
Non-Gravitationis *corporum fluidorum*, &c. *Ratio* naturalis *ſive* Phyſica *ab Authore* D. N. *explicata*, p. 364 l. 43 *Eadem confutata*, p. 365 l. 39 p. 366 & 367
Noſce teipſum *quomodo explicetur à* Cicerone, p. 51 l. 19
Nos id ſolummodò eſſe, *quod in nobis* optimum eſt, p. 73 l. 12
Nos *eſſe* propriè τὸ αὐγοειδὲς σῶμα, p. 81 l. 51
Notiones ſecundas *Reactionis corporeæ modificationes eſſe non poſſe*, p. 298 l. 44
Notionum Animæ *quatenus* operationes *ſunt & quatenus* Repræſentationes, *quàm neceſſaria utiliſque ſit conſideratio ac diſtinctio*, p. 316 *l.* 9
Nubium ſuſpenſionem *in Aere à Solis cauſis* Mechanicis *effici non poſſe*, p. 278 l. 26
Numen nullum *præter* Naturam *ſive Materiam Mundanam æternam et* αὐτόζωον *exiſtere quibus & quàm multis argumentis queat confutari*, p. 601 l. 18
Numerum infinitum *non magis implicare contradictionem quàm* Magnitudinem infinitam, p. 185 l. 12
Numeri primi Pythagorici *Cognomina Cognominibus* Hebraicis *reſpondentia*, p. 441 l. 20
Nullibiſmi *confutatio*, p. 308 l. 10 & p. 309, 310
Nullibiſtarum *Opinio qualis*, p. 307 l. 23
Nullibiſtarum, Carteſius *Coryphæus, & quibus præcipuè conſiſtat dogmatis eorum vis*, p. 307 l. 39 & p. 308
Nullibiſtarum *Sophiſtica levitas notata*, p. 308 l. 20
Nullibiſtarum *cum ſeipſis repugnantia*, p. 309 l. 33 & p. 310
Nullibiſtarum *rationes etiam leviores examinatæ*, p. 310 l. 21 p. 311
Nullibiſtæ *Tubicinum clangentium coronâ cincti, quò ex veterno excitentur*, p. 312 l. 23
Nullibiſtarum *hallucinationes & Errores è quo fonte potiſſimùm profecti*, p. 315 l. 45
Nullibiſtas *ipſos pudere, Eſſentiam Divinam ad Atomi exiguitatem contrahere*, p. 316 l. 35
Nullibiſtarum *error Fundamentalis, quòd omne Extenſum Imaginationis Objectum putent*, p. 320 l. 38 & p. 321
Nullibiſtæ *quomodo ſuum etiam Calculum addant Extenſioni Spiritûs*, p. 326 l. 4
Nullibiſtarum *Interrogationes abſonæ & invidioſæ quot ulnas Deus hîc vel illîc pateat quomodo retundantur*, p. 327 l. 14

O.

OBjectum Ideæ *humanam mentem conſtituentis, ſecundùm* Spinozium, *eſſe* corpus, p. 613 l. 36
Obturaculum Tubi *in Aquam immerſi, prout plus minúſve immerſus ſit Tubus, cur Valvulæ excidat aut inhæreat*, p. 218 l. 44 & p. 219
Ὠκεανὸς *cur Cognomen nonæ* Sephiræ Pythagoricæ, p 442 l. 49
Oculi *quàm amabiles Virtutis Indices, obſervatum à* M. Antonino, p. 88 l. 61 & p. 89
Oculi Tauri & *Humeri* Orionis *colores ad viſum noſtrum tranſmiſſos omnem vim Legum Mechanicarum excedere*, p. 264 l. 12
Oculi Tauri *rubedo à Speculo in fundum oculi quomodo reflectatur*, p. 268 l. 26
Oculorum fabricæ *ſpeculatio quantam vim habeat ad Credulitatem Mechanicam extinguendam*, p. 293 l. 23 & p. 294
Oculum *mentem humanam referre, quippe aptam natam ad alias res potiùs contemplandas quàm ſeipſam*, p. 308 l. 29 & p. 311 l. 58
Oculus *in pede ſi eſſet, Animam viſurum eſſe in pede, falſum eſſe Axioma*, p. 314 l. 50
Odium *quid ſit*, p. 29 l. 32
Odium & Horror *ſive* Averſio *quomodo differant*, p. 29 l. 37
Officioſitas, p. 57 l. 13
Οἰκία ἀχειροποίητος *cur ſic dicta*, p. 504 l. 6.
Olam Hannekuddim *quid ſit*, p. 448 l. 1. p. 459 l. 10
Olam Hannekuddim *tertio loco poſitus poſt* Enſoph & Adam Cadmon, p. 460 l. 17
Oleum *in* Tubo *quare non exeat in* B. & *aſcendat in* C. *quæ ſit vera cauſa*, p. 379 l. 12
Oleum *Aquam &* Aqua *Mercurium cur in quibuſdam circumſtantiis ſurſum impellat*, p. 382 l. 47
[Omnia] *quid Logicè ſignificet*, p. 185 l. 11
Omnipræſentiæ *Attributum*, p. 670 l. 51 & p. 671
Omniſcientiæ *Attributum*, p. 659 l. 45 & p. 660, 661
Ὁμούσιον *quid indigitet apud Patres*, p. 770 l. 26
Operationes *Deitatis* ad extrà, p. 659 l. 24
Ophan *ſive* Sandalphon *an accenſendus ſit partibus Throni Animæ* Meſſiæ, p. 497 l. 7
Opulenti Viri *ac potentes an* Philoſophi *vacuâ plus veſcantur phantaſmatum aurâ*, p. 85 l. 41
Oraculi Reſponſum *de* Plotini *Animæ tranſitu ad ſtatum Beatitudinis*, p. 90 l. 60
Orbes Sephirothici *annon Inventum ex* Sephiroth & Sphæris Ariſtotelicis *concinnatum*, p. 449 l. 42 & p. 450
Orbiculi experimentum *in Vaſe perforato*, p. 381 l. 45 & p. 382
Orbiculi lignei *in Aqua* aſcendentis & non aſcendentis *Experimenta*, p. 408 l. 5
Orbium *ex linea ab* Or-Haenſoph *formatorum Commentum*, p. 449 l. 9
Orbium Sephirothicorum *aliorum alios involventium egregia abſurditas*, p. 449 l. 42 & p. 450

INDEX.

Or-Haenſoph *non latiùs extendi quàm* Cochmah *et* Binah, *p.* 448 l. 28

Or-Haenſoph *an ſe retrahere poſſit à puncto quò fiat Vacuum*, p. 448 l. 40 *et p.* 449

Or-Haenſoph *quàm abſurdè ſupponatur ſe ſubducere ut creetur Mundus*, p. 450 l. 52 & *p.* 451

Or-Haenſoph *ſive Infiniti, evacuati deſcriptio craſſa in* Emek Hammelech, *p.* 461 l. 47

Or-Haenſoph *ſive Infiniti Evacuationis Invento quænam data ſit occaſio*, p. 462 l. 13

Origo Formarum *quæ*, p. 339 l. 58

Οὐρανία Ἀφροδίτη ἡ θεία ψυχή, *tertia Hypoſtaſis in Triade* Platonica, p. 331 l. 18

Οὐρανία Ἀφροδίτη *et* Ἥρα *eadem*, ibid. l. 21

P.

Paganorum crudelitas *in ſuos* Inimicos, *et inhumana Humanitas in* Amicos, p. 726 l. 28 & p. 727

Paganorum Crudelitas *in occidendo Homines in funeribus qui comitentur defunctum*, p. 727 l. 8

Paganicorum Sacerdotum *Inſania*, p. 734 l. 3

Παναρμονία *octava* Sephirah Pythagorica, *cui reſpondet*, Hod. p. 442 l. 31

Particularum doctrina, *quibus Objectionibus impugnetur ab erudito Autore* D. N. p. 340 *l.* 49

Particularum *minutiſſimarum* exiſtentia *unde innoteſcat*, p. 343 l. 28

פרצוף *vox* Cabbaliſtica *unde*, p. 519 l. 9

Paſchaliani *Experimenti abuſus apud* Sturmium *ad enervandum Experimentum Situlæ et Orbiculi lignei*, p. 224 *l.* 60 & p. 225

Paſſiones *in genere, ſuâ naturâ* bonas *eſſe, Divinæque Providentiæ* ſcopum *in ipſarum uſu non minùs quàm in cujuſvis Animalis* organorum *corporis* ſtructura *deprehendi*, p. 25 l. 58 *&* p. 37 l. 51 & p. 38 l. 61 p. 39

Paſſiones *certiſſimus & ſolidiſſimus Animæ Theſaurus*, p. 27 l. 7

Paſſionum uſus *in æſtimando pretio quanto habeamus quæ* pulchra *ſunt &* honeſta, p. 27 l. 20 Vide & p. 36 l. 39

Paſſionum *regendarum* duæ Leges *obſervandæ*, Ὀρθοπάθεια & Μετριοπάθεια, p. 27 l. 39

Paſſiones exterminare *ut finiatur illa Rationis cum illis lucta quàm ridiculum Inſtitutum*, p. 27 l. 49

Paſſionis *Definitio*, p. 28 l. 17

Paſſiones *ad ſex Principalia genera revocari ſecundùm* Carteſium, p. 28 l. 27

Paſſiones *in corde reſidentes rectè reduci poſſe ad* Iraſcibile *&* Concupiſcibile, *p.* 28 l. 53 & *p.* 29

Paſſionum uſus *&* Interpretatio, *à* p. 31 *ad* p. 37 *Earundémque* Complicatio, ibid.

Paſſiones ingratas *Conſervationi Animalium perinde utiles eſſe atque magìs gratas*, p. 32 l. 20, Vide & p. 36 l. 35

Paſſiones *impetum quendam eſſe &* Enthuſiaſmum *illius Virtutis quæ à ſola Natura eſt*, p. 37 l. 61

Paſſiones *ad* Virtutem Duces *eſſe ſi rectè eas nôrimus interpretari*, p. 39 l. 2

Patientiæ *Definitio*, p. 46 l. 39 *Quàm neceſſe ſit ut adſit viro probo*, p. 47 l. 36

Patientiam *inter &* Stupiditatem, *&c. differentia*, p. 48 l. 25

Patientia *quibus rationibus corroboranda*, p. 78 l. 32

Patientiâ *qui caret nullam revera habere virtutem*, p. 92 l. 38

Patrisfamilias *Familiæque viciſſim officia*, p. 52 l. 46

Pavonis plumæ *mirandum Artificium*, p. 115 l. 44

Pavonis *ejúſque* Caudæ *contemplatio quantum valeat ad Mechanicum veternum excutiendum*, p. 292 l. 57 & p. 293

Peccati Introitus *in Mundum quomodo conſiſtat cum Providentia*, p. 700 l. 59 *&* p. 701 p. 706 l. 4 p. 707, 708, *& ſeqq.*

Penetrabilitatem Spiritûs *non tollere illius Capacitatem movendi materiam*, p. 324 l. 14 & p. 325

Perceptio *ſi ſit* Reactio *unius partis Materiæ in alteram*, diverſitates *perceptionum ex* diverſitate *Reactionum oriri*, p. 296 l. 31 *&* p. 297

Perceptio *ſi ſit* Materiæ Reactio, *cadavera etiam ſentire*, p. 297 l. 13

Perceptio *ubi eſt, ibi eſſe etiam* ipſam Animam, *ac proinde eſſe alicubi*, p. 312 l. 23

Perceptionis *in* ſimplicem *&* duplicatam, *diſtinctio* Gliſſoniana, *p.* 610 *l.* 14

Perceptio *ſi ulla ſit in Materia, eſt & hujus* Perceptionis perceptio, *p.* 610 l. 18

Perfectum *ad quos fontes* Logicos *referendum*, *p.* 149 *l.* 26

Περιχωρήσεως *ſive Circuminceſſionis Divinarum Hypoſtaſeôn plena veráque explicatio*, p. 771 l. 50 & *p.* 772

Perſonarum *admiratio, Philoſophiæ veritatiſq; ſtudio quantopere officiat*, p. 8 l. 24

P. Petiti *Conceſſio*, Spacium, *ſi ſit à* Materia *diſtinctum, eſſe etiam* Ens reale, *p.* 169 *l.* 42

1 Petri.

Cap. 1 v. 23 p. 504 l. 17

Phænomenon Naturæ *nullum eſſe merè* Mechanicum, *p.* 7 *l.* 14 *p.* 649 *l.* 38

Phænomenôn Naturæ *nè milleſimam quidem partem Mechanicè fieri*, p. 114 l. 23

Phænomena *Mundi* ſimpliciſſima *quantam & quàm peculiarem vim habeant ad redarguendam vanitatem Philoſophorum* Mechanicorum, *p.* 290 *l.* 34

Phænomena compoſitiora *quæ in re potiſſimùm excellant ad retundendam Atheorum audaciam*, ibid. *l.* 58 & *p.* 291

Phænomena Inanimata *non eſſe compages* Mechanicas *ſed* Symphymata *à* Spiritu Naturæ *genita*, p. 348 l. 53

Phænomenôn *quorundam* ſimplicium *exempla legibus Mechanicis prorſus contraria*, p. 651 l. 22

Phænomena *omnia* Mechanicè *explicandi affectatio liberè juſtéque perſtricta*, p. 652 l. 18 & p. 653

Ad Philippenſes.

Cap. 2 v. 6, 7, 8 p. 485 l. 43

Philippi Limbergii *de Animæ parte* Plaſtica & Perceptiva, *ingenioſa Quæſtio*, p. 316 l. 43 & p. 317

Philoſophandi *quæ ſit* veriſſima *ratio*, p. 349 l. 60 & p. 350

Philoſophandi *duas Methodos eſſe*, Cabbalámq; Aeto-pædo-meliſſæam *ex utriuſque commixtione eſſe ortam*, p. 527 l. 8 & p. 528 *Illius ſecum repugnantia*, p. 528 l. 30

Philoſophiam *non tam opprobrio afficere qui* nihil ſciri *poſſe conqueruntur quàm ſuam excuſare ignaviam*, p. 122 l. 19

Philoſophiam *ad* humanam vitam *qui nihil conferre exiſtimant apertè profiteri ſe degere* belluinam, *p.* 122 l. 41

Philoſophi veteres *quæ præclarè ſcripſerunt aut* antiquæ Cabbalæ *aut* æterno *Dei Filio*, Logo *deberi*, p. 93 l. 42

Philoſophorum *paucitas nulla labes in Divina Providentia*, p. 720 l. 34 & p. 721

Φρόνησις Sephirah *tertia* Pythagorica *cum cognominibus quibus* Hebraica *cognomina reſpondent*, p. 441 l. 35

Pietas, *Juſtitiæ pars*, p. 50 l. 22

Pietas *in quæ Noemata Moralia reſolvatur*, p. 52 l. 19

Pietas, *quomodo ingenuis Animis ingeneretur*, p. 78 l. 48

Pilei *ſive* Coni *Invento*, *præclaram noſtram Demonſtrationem* (*Enchirid. Metaphyſ. c.* 13. *ſect.* 4.) *nequaquam poſſe eludi*, p. 359 l. 5 & p. 360

Pilei Coníve Inventum *quatuor argumentis ſubverſum*, p. 360 l. 27 p. 381 l. 45

Planetarum, *Progreſſus, Regreſſus & Stationes aliáque Phænomena rationibus Mechanicis explicata*, p. 113 l. 15 & p. 114

Planetarum Habitabilitas *quibus laboret difficultatibus & quomodo ſint expediendæ*, p. 755 l. 8 & p. 756, 757

Planetarum Incolæ, *Lunæ præſertim quàm egregii* Philoſophi Mechanici, *p.* 756 l. 34

Plantarum formationem *ſpecierúmque invariatam propagationem ut & Alituram, pulchritudinem & utilitatem Principium arguere Intellectuale*, p. 291 l. 9. & p. 292

Plaſmata *ſe habere ad* Spiritum Naturæ *ut* Phantaſmata *ad Animam*, p. 329 l. 36

Plaſtica *pars* Animæ *an Rationis dicto ſit audiens*, p. 26 l. 21

Plaſticam *Animæ, ipſam* Plenitudinem Vitæ *eſſe ac quaſi ſubſtantiam*, p. 39 l. 24

Plaſtica *apud* Hieroclem *cur* σῶμα, *cur* σῶμα αὐγοειδὲς, *cur* ἄϋλον σῶμα, *cur* ζωὴ, & λεπτὸν ὄχημα *appelletur*, p. 81 l. 29

Plaſticam ipſam *ſuo modo* Deiformem *evadere, evadendo* Boniformem, *p.* 82 l. 2

Plaſtica *pars Animæ an* Perceptivâ *minùs nobilis ſit, quodnámque ſit illius ſpeciale Privilegium*, p. 317 l. 2

Plaſticam *habere omnes Animas nè* Angelicis *quidem exceptis*, p. 515 l. 19

Plaſticæ *partis Animæ* artificii *quî fiat ut nos non ſimus conſcii*, p. 611 l. 4

Platonicæ & Ariſtotelicæ *Philoſophiæ præ* Mechanica *præcellentia*, p. 10 l. 22

Plotini *de Objectorum* diſtantium perceptione *ſententia*, p. 268 l. 32

P. Poiretti *Paradoxa quædam abſurdiſſima*, p. 678 l. 29 & p. 679, 680

Politica *vera quæ ſit*, p. 22 l. 5 *Illiúſque ab* Ethica *diſtinctio*, ibid.

Populi *officium*, p. 52 l. 44

Potentia, *vide* Δύναμις.

Præexiſtentia *Animarum* Aureæ Clavis *Providentiæ pars*, p. 750 l. 50 p. 751, 752

Præexiſtentiæ Animarum *Demonſtratio*, p. 752 l. 53 & p. 753

Præexiſtentiæ *doctrinæ* utilitas, *p.* 753 l. 58 & p. 754

Preces ad Deum *quantum momentum habeant ad* virtutem acquirendam, *p.* 76 l. 19

Preces, quales eſſe oporteat, *quæ hanc vim habent*, p. 76 l. 49

Preſſionem Aquæ *in vaſe tantùm eſſe* deorſum, *p.* 214 l. 26

Preſſionem *eſſe poſſe* totius, partibus *inter ſe* non prementibus, *p.* 222 l. 47

Preſſura *Aeris* Mechanica *refutata*, p. 411 l. 6

Primordia *Mundi non* Mechanica *eſſe ſed* vitalia, *p.* 650 l. 40

Principium duplex *in pleriſque omnibus Hominibus*, Animale & Divinum, *p.* 71 l. 21

Principio Divino *qui deſtituuntur non majori gaudere libertate quàm ipſa Bruta*, p. 71 l. 18 & p. 72 l. 31

Principii Hylarchici *deſcriptio*, p. 362 l. 1

Probitas *illa Juſtitiæ pars, quâ hominibus quæ ſua ſunt, tribuimus*, p. 52 l. 30

Probitas *ad quæ* Noemata Moralia *referatur*, p. 54 l. 3

Probitas *quibus rationibus commendanda*, p. 79 l. 20

Profanitas *quid*, p. 51 l. 59

Prophetas *quomodo conſtet reverà inſpiratos fuiſſe*, p. 566 l. 4 *Quot modis ſe Deus eis revelet*, ibid. l. 29

Prophetarum certitudo *in quæ principia reſolvatur*, p. 567 l. 28

Prophetarum Autoritas *ſtatúſque quibus rationibus à* Spinozio *vellicetur, cum Reſponſo Autoris*, p. 567 l. 42 & p. 568, 569

INDEX.

Prophetas à Spinozio *tantopere contemni ex craſſa ſua* incredulitate *circa exiſtentiam* Angelorum *ſive* Spirituum, *p.* 569 l. 18

Prophetas prophetia *an unquam doctiores reddiderit*, p. 569 l. 30

Prophetiæ *vera definitio*, *contra* Spinozium, *p.* 565 l. 24

Prophetiæ *donum* naturale *eſſe quàm nullis adnitatur argumentis probare* Spinozius, *p.* 567 l. 3

Prophetiæ donum *an ſolis* Judæis *peculiare*, p. 569 l. 56 & p. 570

Proportio *Geometrica & Arithmetica*, *poſteriori ſque ad Juſtitiam* correctivam *obſcura Applicatio*, p. 53 l. 9 & 21

Proſopolepſia *quid*, p. 41 l. 21

Πρωτότοκος πάσης κτίσεως *quomodo apud* Paulum *intelligendum*, p. 513 l. 51

Lib. Proverbiorum.

Cap. 3 v. 19 p. 455 l. 41

Cap. 8 v. 22 p. 447 l. 27 v. 23 p. 437 l. 25

Cap. 20 v. 27 p. 600 l. 58 & p. 601

Providentia *impugnatur ex promiſcuo* Pluviæ *lapſu & indiſcriminatis* fulminum *ictibus*, p. 685 l. 6 & p. 686

Providentia *quomodo cum* Bello, Fame, *ac* Terræ-motibus *conſiſtat*, p. 691 l. 61 & p. 692 *Quomodo cum* malis Accidentibus *quæ Brutis*, *quo vita eorum miſera evadat*, *contingunt*, p. 693 l. 19 & p. 694 *Item cum* crudelitate & rapacitate *Animalium*, ibid. l. 29 & p. 695 *Cum* furore Elementorum, Serpentum veneno, & ira Ferarum, *ibid.* l. 58 & p. 696 *Cum* Monſtris, *ibid.* & *p.* 697, 698 *Cum* Fatuis *denique*, Maniacis, & Hominibus obduratè improbis *à* Nativitate, *p.* 698 l. 27 & p. 699, 700

Providentiæ Claves, *Aurea & Argentea*, p. 745 l. 9

Prudentia *quid ſit*, p. 44 l. 3

Prudentiâ *Morali* deſtituti *quàm inſulſi* Judices *de rebus turpibus & honeſtis*, p. 45 l. 16

Prudentiam, *nullam* particularem *eſſe rerum externarum ſcientiam*, p. 45 l. 24 & 37

Prudentiæ Definitio *ex quo* Noemate Morali *confirmanda*, p. 44 l. 6

Prudentia *quomodo acquirenda in Rebus* agendis, *p.* 77 l. 30 & p. 78 *in Rebus* contemplandis, *ibid.* l. 3

Lib. Pſalmorum.

Pſalm. 24 v. 2 p. 442 l. 5

Pſalm. 29 v. 4, 5 p. 289 l. 40 & p. 290

Pſalm. 33 v. 6 p. 494 l. 2

Pſalm. 40 v. 8 p. 96 l. 7

Pſalm. 72 v. 5 p. 485 l. 50 v. 5, 6, 7 p. 515 l. 42 & p. 516

Pſalm. 78 v. 25 p. 504 l. 50

Pſalm. 90 v. 1, 6, &c. p. 170 l. 10

Ψυχὴ, πνεῦμα, ζωὴ, *eadem ferè & in Logo*, p. 332 l. 16

Pudoris & Gloriæ *uſus excellentiſſimus*, p. 36 l. 48 *Eorundémq;* abuſus *peſſimus*, p. 37 l. 10

Pudoris *ac* Gloriæ *inſtinctum*, *Animas humanas in meliori olim fuiſſe ſtatu ſubindicare*, p. 37 l. 5

Pulchritudinis *ac* Deformitatis *diſcrimen à Natura indicatum*, p. 33 l. 26 & p. 34 l. 8

Pulchritudinis *corporeæ* Virtus *Mater pariter atque Nutrix*, p. 88 l. 53

Puſillanimitas *quid*, p. 30 l. 4 *A* Conſternatione *ut differat*, p. 30 l. 5

Pythagorica, *in Deum*, Mentis Recollectio, *p.* 8. l. 28

Pythagoreorum Θέμις, p. 514 l. 6

Pythagoreorum *Vacuum infinitum* Spiritus, *p.* 665 l. 5

Q.

QUadraticam & *Cubicam poteſtatem non competere niſi lineis finitis*, p. 181 l. 11

Quæſtiones *quinquaginta duæ de Viſione* Ezechielis *ſive* Mercava, *p.* 487 l. 60 & p. 488

Qualitas *quædam* ſubſtantialis *apud* Ariſtotelem, διαφορὰ τῆς οὐσίας, p. 150 l. 18

Quatuor *virtutes* Cardinales *quæ reverà ſint*, p. 43 l. 44

Quatuor *Animalia & Rotas apud* Ezechielem *eſſe quatuor Mundos* אבי״ע, p. 490 l. 14 p. 494 l. 51

Quatuor *Animalia cur* unum *dicta*, p. 500 l. 17

R.

RAdiorum Vitalium *deſcriptio*, p. 275 l. 22 & p. 276 l. 22

Raptuoſæ *Cuphophronis* Rationes *cur Deus Mundum licèt tam craſſis ſceleribus inquinatum non diſſolvat*, &c. p. 743 l. 11

Rarefactionis & Condenſationis *Modi tres*, Epicureus, Carteſianus & Ariſtotelicus, *p.* 340 l. 25

Rarefactio & Condenſatio Carteſiana *quibus rationibus impugnetur ab erudito Autore* D. N. p. 341 l. 12 *Reſponſio ad Objectiones*, p. 342 l. 57 & p. 343

Rarefactionem Carteſianam *à pulveris Pyrii impetu confirmari*, p. 343 l. 7

Rarefactionis & *Condenſationis* Ariſtotelicæ *poſſibilitas quibus rationibus ſtabiliatur ab erudito Autore* D. N. p. 344 l. 19

Rarefactionem & *Condenſationem* Ariſtotelicam *à differentia ponderis corporum perperam colligi*, p. 344 l. 40 & p. 345

Rarefactionis & *Condenſationis* Ariſtotelicæ *portenta*, p. 345 l. 15

Rarefactio & Tenſio, Condenſatio & Reſtitutio *Autoris* D. N. *propoſita & confutata*, p. 376 l. 28 & p. 377, 378

Ratio humana *quantillum valeat ſine Aſſiſtentia Divina*, p. 8. l. 28

Ratio recta, *communis Hominum ac Deorum Interpres*, p. 15 l. 50

Rationis

Rationis rectæ *explicatio, quidque ſit illius Menſura*, p. 15 l. 54 & *p.* 16, 17
Rationis rectæ *menſuram in Moralibus* Boniformem *eſſe Animæ* facultatem, *p.* 16 l. 26
Ratio recta *niſi inſita Animæ ſit & congenita, nullam veram eſſe poſſe virtutem*, p. 17 l. 39 *Quod* Lex *ea quædam ſit* Divina *cordibus noſtris inſcripta*, ibid. l. 44
Rationem rectam *Moralem eſſe quæ in Noema aliquod Morale reſolvitur*, p. 20 l. 27
Rationis rectæ *definitio cur omiſſa apud* Ariſtotelem, *alióſq; Philoſophos*, p. 45 l. 7.
Ratio ἔνοικός τις θεὸς, p. 73 l. 32
Ratio *Regnum Veritatis & Sapientiæ teneat*, Theologia *autem Pietatis & Obedientiæ*, *Dictum* Spinozii *inſulſum & impium*, p. 586 l. 53
Rectum *illud quod in ſingulis quærit*, Virtus τὸ ἴσον *etiam dici*, καὶ τὸ δέον, καὶ τὸ ἁρμόζον, p. 60 l. 33
Recti hujus *Menſuram*, rectam *eſſe Rationem*, *Rectæ Rationis Prudentiam*, p. 60 l. 42 *Circulus* Ariſtotelis *nugatorius definientis rectam Rationem per Prudentiam, & Prudentiam rurſus per rectam Rationem*, ibid. l. 51
Rectam *tamen* Rationem *in* Prudentiam *prout nos eam definivimus, commodè poſſe reſolvi*, ibid. *l.* 56 & p. 61
Refractionum *modus atque ratio Mechanica*, p. 269 l. 20
Regnum *Spiritûs, apud Cabbaliſtas*, p. 434 l. 60 & *p.* 435
Regulas *quaſdam, quas vocant*, Mechanicas, *reverà Regulas eſſe Legéſque* Spiritûs Naturæ, p. 349 l. 52
Reipublicæ Hebraicæ *deſcriptio apud* Spinozium, *p.* 590 *l.* 41 & *p.* 591
Religionis naturalis *ſumma in quo conſiſtat*, p. 51 l. 40
Religio *an vim* juris *accipiat ex ſolo ſummarum Poteſtatum decreto*, p. 592 l. 21 p. 523 l. 21 & p. 594
Religionis Interpretatio *an penès ſummas poteſtates ſit*, p. 594 l. 6
Religio *quàm* obnoxia *facta ſit* Atheis *propter ſcandala Orbis Chriſtiani in Doctrina atq; Moribus*, p. 630 l. 34 & p. 631
Religionum *& conſuetudinum Gentium* barbararum *quæ rationes ſint in genere*, p. 721 l. 26 & *p.* 722
Religioſæ *vivendi Methodi apud Barbaros in ordine ad futuram ſœlicitatem*, p. 735 l. 53 & *p.* 736
Regenerationem *ſive novam Nativitatem* realem *eſſe* Generationem, *p.* 502 l. 7 & *p.* 503 *& ſeqq.*
Regenerationis *ſive Novæ Nativitatis* ſubſtantialitas *multis* N. T. *locis conſentanea*, p. 503 l. 22 & *p.* 504
Regenerationem, *Hominis perfectionem eſſe infallibili* Inſpiratione *majorem*, p. 560 l. 59 & p. 561
Regnum Meſſiæ *incepiſſe in Mundo* Briathico *ante Terram conditam*, p. 485 l. 35
Regnum *Meſſiæ* Spirituale *repræſentari in Viſione* Ezechielis, *p.* 493 *l.* 56
Regni, *Dei* Iſraelis *præciſè ſic dicti, magnitudo ex Propheta* Baruc, p. 512 l. 36 *Membrorum Regni hujus Spiritualis* Vires, p. 513 l. 3
Regni Meſſiæ *permanentia tam à parte ante quàm à parte poſt, Pſalmo 72 deſcripta*, p. 515 l. 41 & p. 516
Regnum, *Patri poſtquam tradiderit, non tam finiri quàm conſummari*, p. 516 l. 49 & p. 517
Regnum Spiritûs *Cabbaliſticum*, p. 434 l. 18
רפאים *faſtuoſo titulo ſe appellâſſe*, אלהים, p. 460 l. 4
Rephaim & Methim *cujuſnam loci Incolæ*, p. 468 l. 8
Res *ſolâ diverſitate aut* Attributorum *aut* Affectionum *non diſtingui*, p. 617 l. 26
Revolutio Animarum *per quatuor Mundos* גלגול *apud Cabbaliſtas appellata*, p. 483 l. 48
Revolutionem Animarum *Angelicarum ad Mundi* Aſiathici *Atmoſphæram tantùm extendi*, p. 484 l. 2
Revolutio Animarum *quàm expreſsè continetur in* Rotarum *deſcriptione in Viſione* Ezechielis, *p.* 499 *l.* 42 & p. 500
Riſûs *objectum eſſe Malum minimè exitiale*, p. 35 l. 29 *Eſſe quaſi vocem Naturæ ſibi ipſi applaudentis*, ibid. l. 35
Ritualitas *quid*, p. 52 l. 4

Ad Romanos.

Cap. 2 v. 14, 15 p. 600 l. 37 & p. 601
Cap. 8 v. 9 p. 488 l. 59 v. 27 p. 437 l. 51 & p. 438 l. 16
Rota in medio Rotæ, *in Viſione* Ezechielis, *quomodo intelligendum*, p. 480 l. 13 p. 495 l. 20
Rotas quatuor *in Viſione* Ezechielis גלגול *ſignificare Animarum quatuor Mundorum*, אביע, p. 494 l. 50
Rota ſuper Terram, *Mundus* Aſiathicus, Ophan *etiam &* Sandalphon *dictus*, p. 495 l. 1
Rotis una ſimilitudo *cur dicta ineſſe*, ibid. l. 41
Rotarum Altitudo *horribilis quid denotet*, ibid. l. 49
Rotulæ ferreæ *in gyrum actæ & nihilominus armato magneti adhærentis experimentum, quàm malè cum glutino* Carteſiano (*Quiete ſcilicet*) *conſiſtat*, p. 249 l. 8
רוח החיה *reſpondere* τῇ ζωῇ ἐν τῷ Λόγῳ (Johan. *c.* 1 *v.* 4) p. 461 l. 30
Ruach *cur tribuatur* τῇ Tiphereth, *p.* 469 l. 16
Ruach, Nepheſh & Neſchamah *tres realiter diſtinctæ Animæ in Homine ſecundùm* Cabbaliſtas, *p.* 469 *l.* 22

רוח

רוח שניה R. Moſis Botril, *Spiritus Naturæ*, p. 494 l. 3

S.

SAbellianiſmus *quid ſit*, p. 768 l. 54 *Et qua in re* Arianiſmo *ex diametro oppoſitus*, p. 769 l. 0

Sagacitate *quâdam Animi* intimiore *qui deſtituuntur, in quàm immanes errores incidant*, p. 252 l. 43

Sal Divinus *quo quiſque ſaliendus*, p. 502 l. 32 p. 506 l. 16

Sanctitas *Divini* Numinis, *p.* 9 *l.* 23

Sandalphon, *quando* Spiritus Naturæ *ſic vocandus, quando* Metatron, *p.* 470 *l.* 12 *p.* 482 *l.* 40 & *p.* 483 *p.* 490 *l.* 30 & *l.* 35

Sandalphon, Ophan *dictus idémque qui Mundus* Aſiah, *p.* 490 *l.* 30 & *l.* 35

Sandalphon *cur ſic appellatus*, p. 501 l. 51

Sanitas *corporis Donum* virtutis *omnium maximè conſpicuum*, p. 88 l. 30

Sapientiam *ſive Diviniſſimorum Arcanorum Scientiam genuinum fructum eſſe* Temperantiæ Philoloſophicæ *ac* Prudentiæ, *p.* 87 l. 49 & *p.* 88

Sapientiam Divinam *in Deo conceptam per Divinitatis Privilegium, non* ſpeciem *eſſe nec Operationem, ſed* Hypoſtaſin, *p.* 334 *l.* 10

Lib. Sapientiæ.

Cap. 7 v. 22, 23, 27 p. 94 l. 56 & p. 95 p. 502 l. 36

Satisfactio *ſive* Acquieſcentia *in ſeipſo, quid ſit*, p. 30 l. 34

Satisfactionis *ſive Acquieſcentiæ in ſeipſo*, falſæ, *exemplum egregium*, *à* Carteſio *notatum*, p. 36 l. 12

Saturnus, *auſterus frigidúſque Sol*, *apud* J. B. p. 547 l. 4

Scaligeri *error circa tertiam Hypoſtaſin Triados* Platonicæ, *p.* 333 l. 44

Schematiſmos corporum *non* Mechaniſmi *ſed* Spiritûs Naturæ *eſſe effecta*, p. 606 l. 35

Scire rem plenè *quando Mens humana ſe exiſtimet*, p. 155 l. 8

Scripta *V. T. an ſint Autographa*, p. 578 l. 60 & p. 579, 580

Scripturas *interpretandi difficultates ineptè à* Spinozio *objectæ*, p. 576 l. 20 & p. 577, 578

Scripturas interpretandi *auxilia* ſupernaturalia *quàm inſulsè deridet* Spinozius, *p.* 578 l. 21

Scripturæ *uſus &* Autoritas *non obſtantibus Hyſterologiis*, *Mendis*, &c. *quomodo defendi poſſit*, p. 579 l. 46 & p. 580

Scriptura *cur appelletur* verbum Dei, *vera ac genuina Ratio contra* Spinozium, *p.* 582 l. 3.

Scripturam *verbum Dei eſſe negare in hoc perdito ſeculo quàm intempeſtivum & intolerandum*, p. 582 l. 14 & p. 583 l. 13 p. 600 l. 25

Scripturæ *ſenſus* Rationi *an verò* Ratio Scripturæ *accommodari debeat*, p. 586 l. 19 & p. 587

Scurræ *quinam ſint*, p. 56 l. 45

Seir Anpin, *vide* Dſeir Anpin.

Semper-anticipativam *eſſe* Æternitatem & Amplitudinem inexterminabilem *quæ ſoli Deitati ſint propriæ*, p. 763 l. 50

Senſatio, *quatenus* Impreſſio corporea, *virtute corrigenda, quid*, p. 39 l. 38

Senſibilitas Animi *quanta cum cura cuſtodienda & conſervanda*, p. 17 l. 55 *Unde oriatur*, p. 44 l. 60

Senſus Entheus, *illiúſque effectus*, p. 74 l. 45

Senſus *noſtros* externos *quæ afficiunt omnia, motus eſſe* corporeos, *p.* 110 l. 40 & p. 111 *ſed non purè* Mechanicos, *p.* 123 l. 8 & l. 18

Sephiræ *primæ* Pythagoricæ *cognomina* Cabbaliſticis *cognominibus reſpondentia*, p. 441 l. 14

Sephiræ *ſecundæ* Cabbaliſticæ *cum ſecundæ Triados* Platonicæ *Hypoſtaſi convenientia*, p. 431 l. 44

Sephiræ ſecundæ *Cognomina valde* Apocalyptica, *p.* 517 l. 42

Sephiroth *Denariúſque* Pythagoricus *unde originem duxerint*, p. 424 l. 3

Sephiroth *duûm fuiſſe generum* Phyſicas & Metaphyſicas, *ibid.* l. 12

Sephiroth, *decem tantùm eſſe aridas* Numerationes *non* Emanationes *Divinas*, p. 425 l. 1

Sephiroth ſeptem poſtremæ *Regno Dei interno applicandæ*, p. 425 *l.* 17

Sephirothis ſub ſeptem poſtremis, *de Regno Dei triplici externo inquirendi Formula*, p. 425 l. 26 & *p.* 426 *p.* 464 *l.* 37

Sephirotharum ſeptem poſtremarum *ordo & connexio*, p. 432 l. 52 & *p.* 433

Sephiroth *eaſdem, in* Dſeir Anpin *magìs abſtractè, in Uxore* Dſeir Anpin *magìs concretè conſiderari*, p. 435 l. 26 & p. 436 l. 18

Sephiroth ſeptem poſteriores מדות *duntaxat non* פרצופיך *appellari*, p. 456 l. 60

Sephirotharum *uſûs Catechiſtici compendioſior repræſentatio*, p. 517 l. 26

Septem Spirituum Fontanorum *Diagramma apud* J. B. *p.* 546 l. 40 *Quomodo concipi poſſint Diagrammate Cabbaliſtico includi*, *p.* 548 *l.* 58 & *p.* 549

Septenarius *cur* φυλακῖτις dictus, *p.* 424 *l.* 35

Severitatum *ſpecies acerbiores Pontificiorum cum Paganorum ſeveritatibus comparatæ*, p. 736 l. 15

Shiloh *Serpentem occidiſſe in* Mari, *in* Arida *& in* Cœlo, *p.* 493 *l.* 56

Simplicia Entia *Spiritus eſſe ſolos*, p. 145 l. 38

Simplifica teipſum, Antonini *Hortatio*, p. 46 l. 9

Sinceritas *quid*, p. 45 l. 46

Sinceritatis *pulchritudo*, p. 46 l. 2

Sinceritas *ſi deſit nullam eſſe virtutem*, p. 47 l. 27 Juſtitiæ, *inter quatuor virtutes cardinales, quomodo intelligatur reſpondere*, p. 48 l. 6

INDEX.

Sinceritatis ratio, *in qua* Noemata Moralia *ſit reſolvenda*, p. 47 l. 60 & p. 48

Sinceritas *erga* Deum *atque* Homines *quâ Trutinâ examinanda*, p. 78 l. 22

Sinceros *eſſe in* noſtra poteſtate *ſitum*, p. 74 l. 2 *ex Sinceritatis definitione probatum*, ibid.

Sinceros *ſpeciali Providentiâ cinctos eſſe*, ibid. l. 8

Sinceris *etiam intus ſe adjungit vis quædam humanâ major*, p. 74 l. 29

Sincero affectu *qui ad Virtutem anhelant à* Divino Spiritu *abripi, ut Homines in Animalem vitam immerſi, à* Spiritu Naturæ, *p.* 74 *l.* 30

Sinclari experimentum Cucurbitulæ *Urinatoris lateri applicatæ cum experimento Pyxidis dentatæ collatum*, p. 232 l. 44 & p. 233

Singulare *propria affectio Entis, ut* unum, *quomodóq; inter ſe differant*, p. 150 l. 48

Singulare *quicquid eſt, à capite ad calcem eſſe ſingulare*, p. 151 l. 4

Siphonis Vitrei *cum* Mercurio & Aqua experimentum *quo Authoris* D. N. Architectura *ſubvertitur*, p. 380 l. 36 & p. 381

Situlæ & Orbiculi lignei *experimentum omnis* Hydroſtaticæ *ſanioris limpida ſcaturigo & fons*, p. 225 l. 57

Socinum *Deum ſolâ revelatione ſupernaturali cognoſci poſſe, affirmare contra apertam* Pauli *ſententiam*, p. 600 l. 17

Solem *ex Hypotheſi* Carteſiana, *triplo tantùm minorem eſſe toto reliquo Vorticis ſpacio*, p. 251 l. 5 *Soliſque ſemidiametrum dimidio ſemidiametri Vorticis aliquanto eſſe majorem*, ibid. l. 23 *Nóſque Terræ Incolas, in Centro ferè Solis habitare*, p. 252 l. 32 Vide & p. 253, 254

Sol & Luna *cùm patiuntur Eclipſin, morderi à* Dracone, *apud* Narſingæ *Incolas quid ſignificet*, p. 739 l. 26

Soles *extincti ſive frigidi*, Parmenidis, *p.* 759 l. 6

Soliditatis & Gravitatis *naturæ explicantur*, p. 177 *l.* 50

Solidorum Corporum *partes cur aliæ in alias non gravitent*, p. 358 l. 42

Solitudine *qui gaudet eſſe* ἢ θηρίον ἢ θεὸν, p. 65 l. 33 *Virum probum vel in hoc ſtatu lætum eſſe ac beatum*, ibid.

Σῶμα Sephirah *quarta* Pythagorica *cui* Gedulah *reſpondet*, p. 441 l. 43

Σῶμα ψυχικὸν, *apud* Paulum, *quomodo intelligendum*, p. 491 l. 17

Sonos *motus eſſe quoſdam corporeos quomodo demonſtretur*, p. 111 l. 17

Σωφροσύνη *quaſi* σώζουσα τὴν φρόνησιν *ſic dicta apud* Ariſtotelem, *p.* 61 l. 6

Spacium *ſive locum internum* unitatem *tantùm* genericam *eſſe* corporis *quàm falſa ſit ſuppoſitio*, p. 163 l. 41 & 164

Spacium immenſum *à Materia realiter diſtinctum rudiorem quandam eſſe Divinæ Præſentiæ* ἀπογραφὴν, p. 169 l. 20

Spacium *non eſſe meram* Vacuitatem *quomodo demonſtretur*, p. 170 l. 50 & p. 171 *Nec* omninò Nihil, ibid. *Extenſionem illius nihil impedire quo minùs ſit Deus*, p. 171 l. 35 *aut* Holenmerianorum *ſententia ſit vera*, ibid. l. 53

Spacii Realitatem, *obſcuram ac dilutam realis Divinæ præſentiæ imaginem eſſe Illiúſq; quaſi in tenebris Viſionem*, p. 172 l. 23

Sphæræ *puræ* Divinitatis *à* Sphæra *univerſalis* Naturæ *religioſiſſimè diſtinguenda*, p. 547 l. 19 & p. 548 l. 14 p. 555 l. 11 & l. 25

Specierum intentionalium *Figmentum unde profluxum*, p. 258 l. 39 *Nullas dari*, ibid. & p. 259

Species Intentionales *rectè intellectæ unde pendeant*, p. 268 l. 1 *Nullam illas partem* Medii *ſuâ ſimilitudine inficere*, ibid. l 10

Spectacula & Pompæ *in Mundis* Superioribus, p. 514 l. 58 & p. 515

Spes *quid ſit*, p. 29 l. 54

Spinozius, Moſen, Chriſtúm*que quàm vafrè ſubdoléque irriſerit*, p. 566 l. 49

Spinozium, *præter ipſam rerum Naturam Materialem, nullum tenere Deum*, p. 570 l. 11 p. 571 l. 14 p. 573 l. 35 p. 602 l. 14 p. 611 l. 56 & p. 612, 613

Spinozii *fœda & inſulſa Blaſphemia in Scripturam*, p. 581 l. 26

Spinozium, *Deum fingere ſine mente*, p. 584 l. 44

Spinozii *rerum Politicarum ridicula peritiæ venditatio*, p. 591 l. 55 & p. 592

Spinozii *impium & furioſum dogma quo tollit omne diſcrimen honeſtorum & turpium*, p. 595 l. 23

Spinozius *à* Cupero *apertè Atheiſmi accuſatus*, p. 595 l. 52 & *p.* 596

Spinozium *pleraque ſua ex* Hobbii Leviathane *hauſiſſe*, p. 596 l. 23

Spinozium *Autorem fuiſſe* Tractatûs Theologico-politici *unde conſtet*, p. 602 l. 3 *p.* 603 l. 9 & l. 20 p. 611 l. 40

Spinozium *falsò antiquos* Hebræos *ſecum ſentire venditare*, p. 612 l. 9

Spinozium *poſtquam à* Moſe & Chriſto *deſecerat, ad* Familiſmum *ſe convertiſſe*, p. 614 l. 5

Spinozius *æquè craſſus Atheus atque quiſquam qui unquam extiterit*, p. 614 l. 42 *Ejus in ſenſum reprobum degeneratio circa diſcrimen Boni & Mali, Pulchri & Deformis*, &c. p. 625 l. 45 & *p.* 626

Spinozii *Cavillæ inſulſæ adversùs Religionem apud* Albertum Burg, *p.* 630 *l.* 9

Spinozii *inſignis dementia & inſcitia ex uno quodam Paragrapho demonſtrata*, p. 620 l. 26 & *p.* 621 *Inſulſa ejus Cauſarum Finalium exploſio*, p. 622 l. 40 *tanquam ſi omnia fierent neceſſitate Mechanicâ*, ibid. l. 60

INDEX.

Spinozii Athei *in fœda Chriſtiani Orbis ſcandala, nimìs juſta Inſultatio*, p. 630 l. 48 *& p.* 631

Spiritus *omnis*, Forma, *quomodóque* Efficientis *rationem induat, p.* 156 *l.* 17

Spiritum *omnem eſſe* extenſum, *p.* 169 l. 5

Spiritibus *partes, propriè dictas, nequaquam ineſſe*, p. 173 l. 21

Spiritus *quo ſenſu ſit* ἀμεγέθης ϗ ἀμερὴς, p. 313 l. 17

Spiritum, totum *propriè dici non poſſe cùm non habeat partes*, p. 313 l. 23

Spiritum *Animámve* totam *eſſe in qualibet ſubjecti parte quàm immanis ſit repugnantia*, p. 313 l. 32

Spiritûs veram notitiam *qui tam difficilem & imperſcrutabilem ſtatuunt, hoc non facere eò quòd acriori ſint cæteris judicio ſed quòd ingenio ſint magìs rudi ac plebeio*, p. 317 l. 20

Spiritûs *perfecta* definitio *plenáque illius naturæ per omnes gradus explicatio*, p. 318 l. 9 *contra hanc definitionem Objectiones quatuor*, p. 319 l. 1

Spiritûs extenſionem *non tollere illius* penetrabilitatem, *ibid.* l. 23

Spiritus extenſus *cur percipiat, potiùs quàm* Materia extenſa, *cauſas eſſe obvias*, p. 323 l. 42 & *p.* 324

Spirituum intelligentium, *qui toti mortales ſint, multitudo an detur*, p. 553 l. 33

Spiritûs notio falſa, *p.* 661 *l.* 57 *& p.* 662

Spiritûs notio vera, *p.* 669 *l.* 3 *& p.* 670

Spiritus *omnes eſſe* alicubi, *p.* 673 l. 7 & *p.* 674 *Rationes cur* nullibi *eſſent examinatæ & confutatæ*, ibid. *l.* 56 *& p.* 675

Spiritus *creatos eſſe poſſe* indiſcerpibiles, *p.* 678 l. 14

Spiritus ὑπερεντυγχάνων, Rom. *c.* 8. *an ſit* Spiritus S. *p.* 438 *l.* 16

Spiritûs *expectandi* prætextu *omnia bona officia externa negligere, donec advenerit, vafram quandam Hypocriſin ſapere, nullam Animi ſinceritatem*, p. 87 l. 2

Spiritus S. *eas tantùm Animas afflari quæ ſinceras ſe præſtiterint*. p. 96 l. 28

Spiritus, *Amor apud* Chriſtianos, *Cæleſtis* Venus *apud* Platonicos, *& cur* Binah *apud Cabbaliſtas appellatus*, p. 332 l. 23

Spiritus S. רוח חיה *in Viſione* Ezechielis, *p.* 493 l. 56

Spiritus S. οὐσία ζῶσα *apud* Baſilium, *p.* 771 l. 24

Spiritus S. *Subſtantiæ Filii Spiritus*, 771 l. 33

Spiritus S. *Charitas* ſubſtantialis, *p.* 772 *l.* 43

Spiritus ſeptem *ante Thronum ad ſeptem poſteriores* Sephiroth *alludere*, p. 424 l. 22 *p.* 435 *l.* 58 *& p.* 436

Spiritus Naturæ *univerſale principium* Plaſticum, p. 26 l. 34

Spiritûs N. affectus *cum motu materiæ ad* ſenſus *noſtros tranſmitti*, p. 123 l. 18

Spiritum N. *non tam obſiſtere neceſſariis motûs corporei legibus, quàm prævertere*, p. 123 l. 49

Spiritum N. *animam Mundi à* Carteſio *appellatum videri*, p. 124 l. 33

Spiritus N. Λόγος θεοῦ προφορικὸς, p. 289 l. 48 p. 290 *Ejúſque leges* Vitales, *quæ* Monadum Abyſſum, *ut Vox Aerem figurant, tot Sermones, quibus Æternus* Logos *Animam Philoſopham alloquitur*, p. 289 l. 51 p. 290 l. 10

Spiritus N. *cum* Platonicorum *Anima Mundi collatus*, p. 328 l. 47.

Spiritum N. *ſenſum tantùm quendam habere & qualem*, ibid. *l.* 58 *& p.* 329

Spiritûs N. *plenior accuratiórque Definitio*, p. 329 l. 25

Spiritum N. *Dei exiſtentiam arguere ut Materia exiſtentiam* Spiritûs N. *p.* 329 l. 47 & *p.* 330

Spiritus N. *novem objectionibus ab erudito Autore* D. N. *impetitus*, p. 346 l. 23 *p.* 347 *Quibus plenè reſpondetur*, p. 347 l. 31 *& p.* 348, 349, 350

Spiritum Naturæ *non eſſe commentum ad libidinem fictum, ſed firmis inniti experimentis*, p. 347 l. 55 *Non ſine neceſſitate in rerum univerſitatem introduci*, p. 348 l. 1. *Univerſam Materiam mundanam actuare*, p. 348 l. 61 *& p.* 349 *Conſilio & libero arbitrio deſtitui*, ibid. *l.* 15 *Nullis inſtrumentis* Mechanicis *indigere ad ordinandam Materiam Mundanam*, p. 349 l. 31 *In* Abyſſum Phyſicarum Monadum *agere virtute* vitæ *ſuæ* Idealis *ſive* Plaſticæ, ibid. l. 37 *Nunquam agere violentè niſi impediatur*, ibid. l. 45 *Ad* Spiritum N. *intra Naturæ limites recurrere non idem eſſe atque confugere ad occultas qualitates*, p. 350 l. 8

Spiritum N. *introducendi neceſſitas, ſi leges Naturæ non ſint Mechanicæ*, p. 396 l. 19

Spiritûs N. *notitiæ utilitas*, p. 404 l. 56 *& p.* 405

Spiritûs Naturæ *privilegia quinque in Experimento Situlæ & Orbiculi lignei notanda*, p. 222 l. 17 *Vide Hylarchicum Principium.*

Spirituales Eſſentiæ *quomodo delineentur ab* Ariſtotele, p. 156 l. 8

Spiritualem *aliquam* Subſtantiam *exiſtere in rerum Natura*, p. 662 l. 16 Vide *Incorpoream Subſtantiam*

Spiſſitudo Eſſentialis, *Dimenſio* quarta *Spiritibus propria*, p. 320 l. 8 *Ejus utilitas*, p. 326 l. 35

Spontaneitas *&* Libertas Moralis *inter ſe diſtinguendæ*, p. 72 l. 36

Στῆσον τὴν νευροσπαστίαν M. Antonini *dictum quò referendum*, p. 47 l. 12 p. 99 l. 19

Στοργῆς *Interpretatio*, p. 33 l. 44

Striatarum *particularum nec fabricam nec motum merè* Mechanicum *eſſe*, p. 108 l. 48 *&* p. 109, 110

Sturmii Collegium Experimentale *quâ occaſione Authori notum*, p. 204 l. 35

Stur-

Sturmius *ut eludere velit vim argumenti Authoris contra Elaſticitatem Aeris, ſubſtituendo particulas plumeas & lanugineas pro rigidis*, p. 205 l. 3

Sturmii *aſtutia, qui G.* Sinclari *verbis ad experimentum Butyri reſpondere mavult quàm ſuis*, p. 206 l. 5

Sturmii *Errores inſignes quatuor circa Spiritum Naturæ mundiq; condendi rationem*, p. 224 l. 26

Sturmii *Hallucinationes circa experimentum Tubi ac Valvulæ cum Obturaculo*, p. 226. l. 25 *&* p. 227

Sturmius, *quàm perperam intellexerit depravatéque deſcripſerit* Principium Hylarchicum, *p.* 228 l. 22 p. 236 l. 4 *&* l. 52

Sturmii *Objectiones tres contra Authoris Explicationem, Experimenti Tubi cum valvula, cum Authoris Reſponſis*, p. 334 l. 33 *&* p. 335

Sturmianæ *Objectiones contra argumentum à laminæ ligneæ aſcenſu in Aquæ Situla, deductum*, p. 221 l. 49 *&* p. 222

Sturmianam *Computationem Ponderis, Priſmatis Atmoſphærici, cujus baſis ſit pedalis, clarè evincere nullam eſſe Fluidorum partium preſſuram inter ſe*, p. 232 l. 13

Sturmium *morbo hujus Seculi Epidemico (Mechanicâ ſcilicet credulitate) laborare quæque ſit optima ei medendi ratio*, p. 236 l. 24

Sturmius, *cùm nulli ſectæ ſit addictus, magnam ſubeſſe ſpem, quòd ad* Hylarchici Principii *notiam tandem ſit perventurus*, p. 237 l. 10

Subſiſtentia, *Suppoſitalitas, Perſonalitas, Hypoſtaſis*, &c. *quomodo ad* Logicam *reducantur*, p. 150 l. 57

Subſiſtentia Modalis *apud* Gliſſonium *quid ſit*, p. 607 l. 3

Subſtantiæ definitionem *non probare, dari poſſe ſubſtantias omni amplitudine deſtitutas*, p. 5 l. 20

Subſtantiis *ejuſdem ſpeciei* ſimplicibus *eaſdem & genere & gradu ineſſe proprietates*, p. 117 l. 47 p. 125 l. 13

Subſtantiæ *diviſio in* primam *&* ſecundam *quàm inepta*, p. 150 l. 11

Subſtantia omnis *licèt* non percipiat, *omne tamen quod percipit eſſe ſubſtantiam*, p. 340 l. 1

Subſtantiam aliam *præter* Materiam *exiſtere quatuor argumentis demonſtratum contra* Spinozium, *p.* 626 l. 16 *&* p. 627, 628

Subſtantiæ *quatenus eſt ſubſtantia an competat Exiſtentia*, p. 615 l. 22 *&* p. 616, 617, 618

Subſtantiam *aliquam ab* alia produci *poſſe quomodo demonſtretur*, p. 616 l. 7

Succeſſionem Infinitam *Argumentum quod deſtruit, in quonam vis ejus* peculiaris *conſiſtat*, p. 181 l. 48

Succeſſionis Æternæ Impoſſibilitas *quæ præclara habeat conſectaria*, p. 182 l. 50

Succeſſionis Æternæ Impoſſibilitatis *Demonſtratio, ab* Hibernô *quodam Objectionibus impetita*, p. 183 l. 20 *&* p. 184 *Et à quodam* Carteſiano, *p.* 185 l. 5

Succeſſionis Infinitas *à* parte ante, *&* à parte poſt *quàm immani diſcrimine diſtinguantur*, p. 184 l. 58

Succeſſionem infinitam *eſſe poſſe hominum ſingularium viventium & morientium æquè repugnare atque* Globum *eſſe* Infinitum, *p.* 185 l. 37

Συμφρονεῖν τῷ πάντα περιέχοντι νοερῷ, *quid ſit*, p. 43 l. 12 p. 46 l. 25

Σύμφονες *&* θεοφόρητοι *ut differant*, p. 43 l. 26

Σύμφυσιν Monadum Phyſicarum *non eſſe* Mechanicam, *p.* 7 l. 27

Σύμφυσις *quid*, p. 279 l. 3

Σύνεσις *quid ſit*, p. 44 l. 11

Superſtitio *quid*, p. 51 l. 57

Supremum Bonum *Eſſentiâ ab* Intellectu *diſtinctum, apud* Ariſtotelem, *p.* 126 l. 13

Suſpenſio Mercurii *in Tubo &* Aquæ *in Antliis, unde*, p. 354 l. 6

T.

TAbulæ *tres* Cabbaliſticæ, *p.* 429, 430, 440

Τ'ἀγαθὸν Platonicorum *apud* Ariſtotelem *deſcriptum*, p. 9 l. 40

Τ'ἀγαθὸν *ſive prima Hypoſtaſis* Platonica *ab* Ariſtotele *agnita*, p. 125 l. 57 *&* p. 126

Tartarus Platonis *in* Phædone *quem fontem omnium Aquarum facit*, p. 128 l. 18

Telluris motus *circa Solem Mechanicè demonſtratus*, p. 113 l. 25

Tellurem *hanc quam calcamus olim fuiſſe* Solem *quæ potiſſimùm* Carteſio *eam opinionem commendaverint*, p. 120 l. 16 *&* p. 121

Tellurem *olim in Axe alicujus vorticis poſitam fuiſſe unde collegerit* Carteſius, p. 120 l. 57 *&* p. 121

Telluris *de* motu, *Theorematis Utilitas*, p. 186 l. 4

Temperantia *quid*, p. 55 l. 10

Temperantiam *particulam duntaxat eſſe* primitivæ *illius virtutis quæ* Continentia *dicitur, ut* Fortitudo Tolerantiæ, *p.* 55 l. 20

Temperantia *&* Fortitudo *ad quæ Noemata Moralia reducantur*, p. 55 l. 25

Temperantiæ Philoſophicæ *deſcriptio*, p. 80 l. 8 *&* l. 55 p. 81 l. 2

Temperantiæ Philoſophicæ *Apicem eſſe* cognatum *Animæ corpus ſive vehiculum* Luciforme *ſatis purum reddere*, p. 80 l. 48

Tempus *futurum* exactum *&* pluſquam exactum *apud Grammaticos & unde formentur*, p. 184 l. 37

Tenſionis *Hypotheſis in Phænomenis Antliæ confutata*, p. 399 l. 6 *&* p. 400

Tenſione *Hemiſphæria* Magdeburgenſia *non contineri quî conſtet*, p. 413 l. 13

Tenſione Mercurium *in experimento* Torricelliano *non ſuſpendi tribus demonſtratum argumentis*,

gumentis, p. 415 l. 22 & p. 416

Tenſorum corporum *tenuium* tenacitas *quàm nulla ſit*, p. 411 l. 39 p. 413 l. 19

Theagis *præclarum dictum de* Paſſionibus, *p.* 39 *l.* 7

Θεοκρασία Pythagoreorum, *p.* 22 l. 41

Θεοὶ *Parentes Parentúmque fratres* θεῖοι *apud Veteres appellati*, p. 52 l. 60

Theologia Rationi *an verò* Ratio Theologiæ *ancilletur*, p. 586 l. 17

Theoremata *Virtutis acquiſitioni inſervientia*, generalia, *p.* 72 l. 58 *p.* 73, 74, 75, 76

1 Theſſalonic.

Cap. 5, v. 23 p. 503 l. 56 & p. 504

Θεὸς πανταχοῦ ὅτι οὐδαμοῦ, Porphyrii *dictum quomodo intelligendum*, p. 148 l. 5

Thermometri *Fabrica* Regiana : *Aquæque aſcenſus ab illo condenſationi externi Aeris perperam aſcriptus*, p. 198 l. 50

Thomæ Lydiati *Hebdomadum* Danielis *Expoſitio*, p. 426 l. 32

Throno-Angeli *tres principales ſecundùm* J. B. p. 540 l. 17 p. 546 l. 19 & p. 554 l. 13

Thronum & Briam *idem ſignificare*, p. 485 l. 7 p. 490 l. 32 & l. 34

Thronus *Saphirinus in Viſione* Ezechielis, *p.* 495 *l.* 25

Tiphereth *ad* Cochmah *quomodo referatur*, p. 434 l. 50 *Quæ cognomina habeat quæ* Regnum Chriſti *ſecundùm* Spiritum *videantur ſubindicare*, p. 434 l. 60 & p. 435

Tiphereth Phyſica, *Spiritus Naturæ*, p. 435 l. 39

Tiphereth, *unde ei cognomina*, Homo Supernus, Adam cœleſtis, *&c.* p. 436 l. 60 & p. 437

Tiphereth *cur* Κόσμος *apud* Pythagoreos *appellata*, p. 514 l. 1

Τὸ ἀγαθοειδὲς τῆς ψυχῆς, *Illius defenſio & illuſtratio*, p. 14 l. 29

Τὸ ἄπειρον περαίνειν *quid ſit apud* Pythagoreos, *quidque* τὸ ἄπειρον & *quid* τὸ πέρας, p. 31 l. 23 p. 38 l. 38

Τὸ αὐγοειδὲς σῶμα *qua ratione* τὸ ἄϋλον σῶμα *appelletur*, p. 81 l. 22 *Vide Corpus* Luciforme

Τὸ εἶδος ἄνευ τῆς ὕλης *apud* Ariſtotelem, Speciéſve Intentionales ; *quænam ſit earum vera natura*, p. 267 l. 48 & p. 268

Τὸ ἴσον δίκαιον *quomodo intelligendum*, p. 53 l. 5

Τὸ κράτιστον καὶ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν *quid ſit*, p. 12 l. 47

Τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, Joan. 1. *v.* 9 *intelligendum eſſe de Anima* Meſſiæ *cum æterno Logo noſtráque demum carne unita*, p. 94 l. 15

Toga aurea *filiæ Regis in Turre*, p. 513 l. 23

Toga *hæc* מלבוש, *per* Gematriam *idem quod* חשמל. *Hácque Togâ* Eliam Jordanem *diviſiſſe*, p. 513 l. 28

Tonitrui Fragorem *fieri non poſſe lapſu unius Nubis in alteram*, p. 286 l. 13 & p. 287

Tonitru *cur frequentius* æſtate *quàm* hyeme, ibid. l. 33

Tonitru, *ſenſu quàm Philoſophico appelletur* Vox Dei, *p.* 288 *l.* 45 & *p.* 289 *l.* 39 & *p.* 290

Torricelliani *Experimenti deſcriptio*, p. 392 l. 41

Tres primas Sephiroth, *Immanationes rectiùs dici, quàm Emanationes, vel potiùs* ἐνεργείας *& quo ſenſu*, p. 432 l. 43

Tres Hypoſtaſes *non eſſe tantùm tres Notiones Logicas, nec Modos tantùm Phyſicos*, p. 764 l. 26

Tres Hypoſtaſes *non eſſe* tres *Subſtantias quamvis de ſingulis verè dicatur quòd ſit ſubſtantia*, p. 764 l. 42 & p. 765

Tria Principia Jacobi Behemen *quæ ſint*, p. 554 l. 21

Trinitatis Ariſtotelicæ *ſecundùm* Scaligerum *deſcriptio*, p. 330 l. 50 & p. 331 & *quàm propè coincidat cum* Platonica, ibid.

Trinitatem *nec* Platonicam *nec* Chriſtianam *conſiſtere poſſe ſine Hypoſtaſeôn diſtinctione*, p. 331 l. 35

Trinitatis Platonicæ & Ariſtotelicæ *Collatio*, *p.* 333 l. 9 & *p.* 334

Trinitatis Divinæ *Imago* Anima *qualis ſit*, & *quàm immenſùm ab Archetypo deficit*, p. 334 l. 3

Trinitatem Platonicam *non tria tantùm eſſe* Attributa *unde conſtet*, p. 344 l. 38

Trinitatem Divini Numinis *tribus primis* Sephirothis *contineri*, *p.* 424 l. 21 *p.* 425 l. 3 *p.* 432 *l.* 39 *p.* 433 *l.* 23 *p.* 434 *l.* 34 *p.* 436 *l.* 18 *p.* 512 *l.* 15

Trinitas Platonica *breviter deſcripta*, p. 448 l. 32

Trinitatem *veram* Cabbaliſticam *non eſſe* Cochmah, Tiphereth, Malcuth, *p.* 464 *l.* 23

Trinitas *ex Viſione* Ezechielis *eluceſcens*, p. 499 l. 24 p. 511 l. 39 & p. 512

Trinitas *pura* Divinitatis & Trinitas *Univerſalis* Naturæ, p. 547 l. 7

Trinitates duas *ſolas eſſe quæ ſint* Formæ univerſales *unde omnia oriuntur*, p. 550 l. 27

Triſtitia *quid ſit*, p. 30 l. 27

Trium Hypoſtaſeôn Platonicæ & Cabbaliſticæ *Trinitatis deſcriptio*, p. 331 l. 56 & *p.* 332

Triunitas Divini Numinis *apud* Johannem (*Cap.* 1 v. 1, 2, 3, 4,) *ſub nominibus* τοῦ θεοῦ, τοῦ λόγου, τῆς Ζωῆς, *memorata*, p. 94 l. 46 & p. 95

Triunitas Divini Numinis *apud* Ariſtotelem, *p.* 125 *l.* 53 & p. 126

Triunitatem *Deitatis etiam* Ariſtoteli *notam fuiſſe*, *ſecundùm* Scaligerum, *p.* 330 *l.* 48

Triunitas Divini Numinis *quatenus ex humana Ratione, de ea liceat philoſophari*, p. 764 l. 5

Tubi Vitrei *Aquâ repleti & in vas Aquæ immiſſi experimentum*, p. 383 l. 9

Tubi *cum* Valvula *in aquam immerſi*, *experimentum*, p. 212 l. 6 p. 383 l. 36 & p. 384

Tubi

Tubi *cum* Mercurio, Tubi *cum* Aqua, & Vitri *cum* Aqua *in* Mercurium & Aquam *immerſorum* Gravitatio conjuncta *quî ſiat*, p. 395 l. 29 & p. 396

Tubulos *in* vitreos exiles *admodum cur tam altè aſcendat Aqua*, p. 291 l. 38

V.

VAcuum & *Locus* ἡ ἀναφὴς φύσις *ab* Epicuro *appellatus*, p. 166 l. 42 *à* Proclo σῶμα ἄϋλον, p. 169 l. 37 *à* Pythagoreis *Spiritus*, ibid.

Vaporum aſcenſum *fieri contra Leges Mechanicas*, p. 277 l. 41 & p. 278 l. 55

Veneratio & dedignatio *quid*, p. 29 l. 23

Veneratio *paſſio ex Admiratione & Timore complicata*; *ejuſdémque uſus & Interpretatio*, p. 32 l. 4 & p. 33

Ventorum rapidos motus *rationes omnes* Mechanicas *excedere*, p. 282 l. 4 & p. 283 l. 25 p. 284 l. 3

Ventorum *de natura Problemata quædam à* Carteſio *propoſita cum eorundem ſolutionibus*, p. 282 l. 27 *Dictarum ſolutionum Examinatio*, p. 283 l. 5

Ventorum violenti Impetûs *vera cauſa quæ ſit*, p. 283 l. 5

Veracitas *quid*, p. 56 l. 27 *Ei Hypocriſin opponi*, *ibid.* l. 36 p. 82 l. 18

Verba pia *ſine omni ſenſu adhibere quempiam poſſe, exemplo patere* Spinozii, p. 586 l. 12

Verbum *ſive Legem mentibus noſtris* inſitam, *eatenus* noſtrum *potiùs eſſe verbum quàm* verbum Dei, *p.* 583 l. 37

Verbum Dei *in* Prophetis *cum ipſo verbo Dei in* nobis *loquente, omnino convenire, Dictum* Spinozii, *p.* 587 l. 31

Verecundia *quid*, *ejúſque laudes*, p. 56 l. 49 & p. 57

Veſicarum intumeſcentias *in Recipiente*, *Aere evacuato*, *Aeris* naturalem Elaterem *minimè probare*, p. 206 l. 59

Virtutis acquirendæ *efficaciſſima Ratio quæ ſit, juxta ſententiam Authoris*, p. 1 l. 12

Virtutis *quàm ſapidus ſanctúſque* ſenſus Ethnicorum *quorundam* Animis *inſederit*, p. 2 l. 57

Virtutem, Gratiam, & Divinam Vitam *re ipſa idem eſſe*. p. 3 l. 5

Virtutem, Vitam *quandam eſſe* intimam *ex qua vera voluptas naſcatur*, p. 13 l. 16 p. 14 l. 22

Virtutis definitio *cum illius explicatione*, p. 15 l. 3

Virtutes ſemiperfectæ & *ſemiperfecta vitia, quæ*, p. 15 l. 31

Virtutis *Divina* vis *an ad* Plaſticam *pertingat ex reſuſcitatione* σώματος αὐγοειδοῦς, p. 17 l. 35

Virtutes primitivæ *ut Paſſionibus Primitivis reſpondeant*, p. 42 l. 7

Virtutes primitivas *tres omnino eſſe veterum Teſtimoniis confirmatur*, p. 42 l. 13

Virtutibus tribus primitivis *omnem vim & eſſentiam omnium virtutum contineri*, p. 47 l. 16 p. 46 l. 41

Virtutem, *Divinum quoddam eſſe fuſè probatum*, p. 50 l. 58 & p. 51

Virtutes derivativæ *principales tres, quæ ſint*, p. 48 l. 52

Virtutes Reductitiæ, *p.* 55 l. 40 *Rationes ſingularum ex eiſdem Noematis petendas eſſe, quibus virtutum* Principalium *ad quas reducuntur*, ibid.

Virtutes Reductitiæ *quæ ad* Juſtitiam *reducuntur*, *ibid.* l. 43 *Ad* Fortitudinem, *ibid.* l. 50 *Quæ ad* Temperantiam, *ibid.* p. 56 l. 1

Virtutes Reductitias, *eas preſertim quæ ad* Juſtitiam *reducuntur, partes eſſe illius Juſtitiæ quam* Rhodius Ἐυγνωμοσύνην *vocat*, p. 56 l. 10

Virtutes *plurimas duorum* vitiorum in medio *non eſſe ſitas*, p. 59 l. 27

Virtutem *non eſſe* μεσότητά τινα, *contra* Ariſtotelem, *p.* 59 l. 44 *ſed* ἀκρότητα *potiùs*, ibid. l. 49

Virtutis *eſſe* τὸ μέσον εὑρίσκειν καὶ αἱρεῖσθαι, *etiam ſecundùm* Ariſtotelem, *p.* 60 l. 5

Virtus *an Naturâ Divinóve quodam Fato quibuſdam contingat*, p. 67 l. 12

Virtutis *Lex* rectæque Rationis *prorſus eadem*, p. 72 l. 62

Virtutem *nos* aſſequi poſſe *quibus argumentis demonſtretur*, p. 73 l. 55 & p. 74

Virtutis voluptas *ineffabilis*, p. 75 l. 12

Virtutis *vita*, *rerum omnium* Diviniſſima, *p.* 75 l. 25 & p. 77 l. 8

Virtutis bonæque Conſcientiæ *immania incommoda niſi forte ubi benigniori degitur ſub Climate*, p. 92 l. 47 *Omnia verò ſuperari poſſe* Patientiâ, *p.* 92 l. 15 & p. 93

Virtutis *ac* Certitudinis beatæ Immortalitatis *ante* præſentis vitæ *pompam ac voluptates*, *prælatio*, p. 643 l. 9

Viſibiles Species *motus eſſe quoſdam corporeos*, *p.* 111 *l.* 27

Viſio *cur* auditu *celerior*. p. 264 l. 16

Viſio *an fiat per lineam* Incidentiæ *perinde atq; per lineam* Reflexionis, *p.* 272 *l.* 27 Carteſium *videri ſic cenſuiſſe, ſed Objectum quaſi unà rectâ videri propter conſuetudinem*, p. 273 l. 38 & p. 274

Viſionem Materiæ *non competere*, p 297 l. 19 & p. 298

Viſionis Ezechielis *ſive* Mercavæ Expoſitio *Literalis*, p. 478 Unumquodque *Animal* unam ſpecialem *faciem habuiſſe quibus probetur argumentis*, p. 478 l. 27 & p. 479 *Animalia ſingula* ſenas *habuiſſe* Alas, *p.* 479 *l.* 54

Viſionis Ezechielis *ſive* Mercavæ *Objectum eſſe Regnum* Meſſiæ *Spirituale*, p. 488 l. 52 & p. 489

Viſionis *hujus Expoſitio* Philoſophica, *à* p. 488 *ad* p. 501

Viſio Ezechielis *Cabbalæ* Metaphyſicæ *Fodina pretioſiſſima*, p. 501 l. 36 *Hujuſce quam dedimus Expoſitio, quàm grata eſſe debeat* Chriſtianis *pariter ac* Judæis, p. 517 l. 59 & p. 518
Vitam noſtram *à Deo ſemper* repoſci *quoties eæ vivendi proponuntur conditiones, quæ cum ea obſervantia conſiſtere nequeant, quam ei debemus ac* Virtuti, *p.* 93 *l.* 8
Vitæ Plaſticæ *in* Spiritu Mundano *irritationes fieri poſſe ſine* perceptione, *p.* 289 *l* 27
Vitam *eſſe poſſe omni* appetitu & *perceptione deſtitutam*, p. 608 l. 36
Vitæ Divinioris ſenſus *quantum præſidium ſit, contra ſubtiles aſſultus vel* vaferrimæ Rationis, *p* 647 l. 6
Vita, *quòd Subſtantiam aliquando ſignificat viventem*, p. 766 l. 59 & p. 767
Vitrum Muſcoviticum *craſſum colores cur non reddat*, p. 271 l. 6
Vitro *ineſſe poros, contra Autorem* D.N. *p.* 386 *l.* 5 & p. 387
Vitziliputzli *Idolo Captivi quomodo ſacrificentur, cujúſque rei Symbolum ſit iſtud ſacrificium*, p. 731 l. 27 & p. 732
Unicam Animam *eſſe in Homine eámque* Nepheſh *appellari*, p. 469 l. 5 & p. 470 p. 490 l. 38
Unitatis, Veritatis, & Bonitatis *cujuſque rei è fontibus Logicis Explicatio*, p. 6 l. 29
Univerſale, *Similitudo Eſſentiarum communis, Intellectu repræſentata*, p. 150 l. 33
Univerſalia *omnia* λόγους *eſſe, univerſaliſſimos verò* Logicos, *p.* 143 *l.* 33
Univerſum *quo ſenſu apud* Plotinum Θεὸς, p. 548 l. 18
Voluntas *ut ad majus ſive excellentius bonum non ſemper feratur qui factum ſit*, p. 7 l. 46
Voluptatem *eſſentialem eſſe Beatitudini*, p. 12 l. 1
Voluptates *aliquas eſſe honeſtas*, p. 13 l. 7 & l. 54 p. 14 l. 1
Urbanitas *quid ſit*, p. 56 l. 47
Urbanitas *vitæ humanæ condimentum*, p. 82 l. 55
Urinatores, *ex eo quòd nullum pondus ſentiunt, manifeſtum eſſe, partes Aquæ non gravitare inter ſe*, p. 212 l. 56 & p. 213 p. 227 l. 13 & p. 228
J. Voſſii *hallucinatio circa curſum Lunæ ejúſque cauſalitatem in* Æſtibus Marinis, *p.* 245 l. 24
Vulgus *Scripturámque rectiùs philoſophari circa* Iridem & Tonitru *quàm ipſos Philoſophos* Mechanicos, *p.* 288 l 35
Vultûs pulchritudo & *deformitas Moralis quàm facilè notari poſſit ab elegantioribus Formarum Spectatoribus*, p. 89 l. 3
Uxor Dſeir Anpin *quæ ſit, & quæ habeat cognomina*, p 435 l. 16

Z.

Zacharias.

Cap. 3 v. 1, 2 p. 518 l. 5
Ζὰν Pythagoreorum, *cur ſic dictus*, p. 512 l. 9
Ζανὸς πύργος Sephirah *prima* Pythagorica *cum* Kether *collata*, p. 441 l. 6
Zaphon, Monadum Phyſicarum *in* Abyſſo *ſtatus qualis*, p. 489 l. 32
Zelotypia *quid*, p. 29 l. 58 *Ex quibus paſſionibus complicata*, p. 34 l. 27
Ζωὴ *apud* Hieroclem, *eſſentiam ſive ſubſtantiam ſignificare*, p. 81 l. 19
Ζωὴ *pro* οὐσία ζῶσα *apud* Johannem (*Cap.* 1.) p. 95 l. 2
Ζωὴ *non* ψυχὴ *cur* Johannes *poſuerit*, ibid, *l.* 5
Ζωὴ *tertia Hypoſtaſis etiam apud* Ariſtotelem, *p.* 126 l. 28
Ζωὴν *hanc apud* Ariſtotelem *idem valere atque* ψυχὴν *apud* Platonicos, *p.* 126 *l.* 41
Zoroaſtris *Oraculum de* Temperantia, *p.* 80 *l.* 5.

ERRATA Tom. I. ſic corrige.

EPiſt. Dedicator. p. 2. l. 16. *debeas*, p. 9. l. 31. *immerſam*, p. 33. l. 11. *Naturæ*, p. 35. l. 40. *Maniacorum*, p. 36. l. 4. *in ſe ipſo*, p. 57. l. 34. *perſpecta*, p. 60. l. 32. *ἀπλοιῶ τι*, p. 69. l. 37. *laudanda*, p. 78. l. 38. *animo nos ingeramus*, p. 86. l. 54. *manifeſtam inglu.* p. 94. l. 20. *ſub eo*, p. 95. l. 30. *erant*, p. 101. l. 24. *τις*, p. 123. l. 24. *lumen*, *col.* p. 139. l. 44. *nemo*, p. 165. l. 1. *agnoſcunt*, p. 187. l. 59. *Judicium*, p. 190. l. 10. *eſſe*, p. 191. l. 10. *vi ſcilicet*, p. 212. l. 49. *valvulam*, p. 221. l. 49. *Nunc ecquid*, p. 224. l. 58. *Tertio—ultimo*, p. 227. l. 50. *probant*, p. 228 l. 42. *hoc*, l. 61. dele *quòd*, p. 229. l. 14. dele *haud*, p. 230. l. 7. *inter ſe. Quod*, p. 235. l. 17. *ſugit*, p. 244. l. 11. *quam*, p. 294. l. 26. *de Reſpir.* p. 306. l. 51. *paſſiva*, l. 52. *ipſorum*, p. 307. l. 2. *claram*, p. 310. l. 16. *Nullibiſtæ*, p. 317. l. 62. *Animálve*, p. 343. l. 47. *debitam*, p. 347. l. 53. *exurgente*, p. 353. l. 6. *tibi*, p. 371. l. 31. *ſcapum*, p. 387. l. 47. *pauxillùmque*, p. 388. l. 43. *ſecundum*, p. 396. l. 1. *inquies*, p. 401. l. 54. *ſit à parte*, p. 406. l. 9. *altiùs evolet*, p. 412. l. 45. *perlectâ*, p. 416. l. 1. *ſurſum*, p. 424. l. 34. *Gedulah*, p. 426. l. 11. *Netzach*, p. 432. l. 29. *Binnah*, p. 442. l. 52. מים, p. 454. l. 12. *Uzziel*, p. 455 l. 1. *nominum*, l. 49. *ſusè*, p. 456. l. 6. *deduxiſſe*, l. 39. *quam rep.* p. 458. l. 61. *Talmude*, p. 463. l. 8. *Cabbaliſticæ*, l. 48. *ſuæ Cab.* p. 466. l. 53. *Num.* 2. p. 468. l. 1. *Milliaria*, l. 26. *Decades Concentricæ*, l. 27. *Decadas*, p. 498. l. 9. *infra: vidi*, p. 518. l. 20. *ἐνανθρωπωθεῖσα*, p. 526. l. 60. *propriè*, p. 527. l. 28. *ſupellex*, p. 552. l. 30. *matutina*, p. 558. l. 32. *humanæ*, p. 559. l. 54. atque, p. 578. l. 1. *Martinius*, l. 11. *tam fit*, p. 580. l. 24. *prophetiam ad præd.* p. 599. l. 56. *tantum*, p. 611. l. 13. *per ipſam*, p. 623. l. 11. *id ut*, p. 631. l. 6. *non videatur*, p. 635. l. 8. *addas: cum*, p. 644. l. 54. *Græciæ*, p. 668. l. 42. *de ea dubitat*, p. 676. l. 33. *quam*, p. 686. l. 39. *tam*, p. 692. l. 41. *merita flagella*, p. 700. l. 21. *Gyrgathæi*, p. 707. l. 59. *quæ*, p. 708. l. 53. *non prævertat*, p. 717. l. 51. *quid fit*, p. 724. l. 13. *Hi verò*, p. 726. l. 3. *repotiarias*, l. 60. *eos à*, p. 731. l. 15. *jam ſequitur*, p. 738. l. 14. *ſecundum*, p. 740. l. 4. *ſiam gerunt*, l. 5. *habere inſculpendas*, l. 29. *Philop.* p. 741. l. 30. *eſſes*, l. 39. *deſcribit*, p. 744. l. 13. *ut nos*, p. 746. l. 31. *multo*, p. 750. l. 17. *evidentiam.*

5

HENRICI MORI CANTABRIGIENSIS SCRIPTORUM PHILOSOPHICORUM

Tomus alter,

QUI SUAM
Variorum Scriptorum Philoſophicorum
COLLECTIONEM primitus dictam
complectitur:

Viz.
- *Antidotum adverſus Atheiſmum.*
- *Appendicem ad dictum Antidotum.*
- *Enthuſiaſmum Triumphatum.*
- *Epiſtolas ad Carteſium.*
- *Immortalitatem Animæ.*
- *Conjecturam Cabbaliſticam.*

Quibus acceſſêre Divinorum Dialogorum duo poſteriores, qui de Regno Dei tractant, & de Speciali illius Providentia per Chriſtum ſuper Eccleſiam à principio uſque ad finem ſæculorum.

Ariſtot. Ethic. lib. 10.

Εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον. Χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἀνθρώπους ὄντας, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν ἡμῖν.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby* ſub Inſignibus Campanæ, & Capitis Epiſcopi in Cœmeterio D. *Pauli*, 1679.

Præfatio Generalis.

I. Authoris Apologia pro Alterationibus quas fecerit in hac editione librorum ſuorum.

1. UT Scripta hæc, amice Lector, quæ in unum volumen compacta cernis, aliquâ communi ratione contineri ac cohærere videantur, non abs re fore putavi nonnulla te, per modum Generalis Præfationis, de univerſis præmonere. Ac proinde ſi tua te ſtimulaverit curioſitas ad ſciſcitandum quid in novis hiſce librorum meorum editionibus præſtiterim, hoc lubens tibi impertio, me eandem utique in hoc meo horto Intellectuali ſive Theoretico, quem propriâ manu plantavi, libertatem ſumpſiſſe, quam plerique omnes ſumere ſolent in hortis ſuis naturalibus. Libertatem nempe, ſerendi, evellendi, tranſplantandi & inoculandi ubi & quicquid ipſis placuerit. Atque ea propter, ſi ipſe quædam delevi, (quæ tamen perquam pauca ſunt) aliáque tranſpoſui, & interſerui denique alia; nemini, ſpero, injurius videbor, in ordinando culturámque adhibendo huic Philoſophicæ meæ Plantationi, pro arbitrio libitúque meo.

II. Generalis ſcopus totius hujus voluminis.

2. Verùm hæc perpuſilli momenti ſunt, víxque ulla quidem pars eorum, quæ dicturus eram. Magnum illud coagulum quod diverſos hos Tractatus in unum continet, eſt unus inſignis ſcopus, ad quem cuncti collineant, quique, credo, in confeſſo apud omnes fore quòd generoſus ſit & ſummi quidem momenti. Eſt autem Dei cognitio & veræ cum ea Beatitatis: quantum humana Ratio viam ſibi ſecare poteſt per caligines iſtas ac difficultates, quibus oneratur in hac vita. Quæ quanquam multæ ſunt magnæque, mentirer tamen contra opinionem ſenſúmque proprii mei ſucceſſûs ſi pronunciarem inſuperabiles, quemadmodum inſuper, ſi iſtoc ſenſu privarer, plurimarum voluptatum & oblectamentorum animi, quorum jam mihi conſcius ſum, jacturam facerem. Inter quæ, nulla profectò tanti momenti ſunt, quanti eſt iſta, quàm ſolidi fructus laborum horum meorum Religioni redundaturi ſint tacita apud meipſum ac perjucunda Recordatio. Ecqua enim major animi ſatiſfactio rationali Genio obvenire poteſt, quàm deprehendere, quàm tutò poſſit ad ſeveriſſimas Rationis ac Philoſophiæ Regulas provocare, ſi doctrinæ iſtæ de Dei exiſtentia & Animæ Immortalitate non ſunt veræ? Et quodnam obſecro majus eſſe poteſt Religionis ſtabilimentum, quàm hæc detectio, quòd duæ iſtæ grandes illius columnæ tam firmæ ſint atque ſtabiles, etiam ex eis ipſis rationibus quibus facultates naturaliter aſſentiuntur tanquam veris? Quod certè non poteſt quin multum honorem ac reverentiam Sacerdotio conciliet, óſque obturet Ingeniis ſuperficiariis ac profanis, qui adeò proclives ſunt ad æſtimandum quemlibet Sacerdotem, tanquam aut Fatuum aut Impoſtorem.

III. Præſtantia Rationis ac neceſſitas ad tuendam Chriſtianæ Religionis veritatem.

3. Neque tamen ſic accipi volo, ac ſi Religionis noſtræ Rationabilitatem ad hos duos præcipuos Articulos ſolos reſtringerem, reliquíque tales non eſſent. Chriſtianam enim Religionem per omnia rationabilem eſſe exiſtimo, idémque ſpero me probâſſe, in Magno meo Myſterio Pietatis. Quem Scopum fateor ſi non ſolum, præcipuum tamen fuiſſe diuturnæ meæ anxiæque inquiſitionis in Rationem ac Philoſophiam, & abſque quo fuiſſet, admodum remiſſus profectò & oſcitabundus rerum naturæ ſcrutator venatórve evaſiſſem. Multifariæ enim lectionis, Notionúmque atque Experimentorum, ſine ullo iſtiuſmodi nobili atque utili Propoſito, magnam copiam coacervâſſe, pro eo quidem mihi videbatur, atque ſi mentem memoriámque meam, mercium minutariarum officinam conſtituiſſem. Poſtquam verò tam præſtabilem ſcopum in conſpectu habuiſſem, generoſúmque iſtud Marci Ciceronis Inſtitutum amplexus eſſem, Rationem quò ea me cunque ducet, ſequar, tum demum me incepiſſe Spartam, quam nactus eram, ornare putabam, intérque alios ſacerdotales habitus, τὸ λόγιον ſive Rationale, Sacerdotalem utique Thoracem induiſſe, qui regionem iſtam quæ cordis ſedes eſt, optimo jure ſibi vendicat, quippe quòd ſimplicitas illius partis ac ſinceritas puriſſimæ ac ſolidiſſimæ Rationis fons ſit atque radix. Atque equidem nullam tam probabilem cauſam moralem, cur Aaronis veſtimenta, tam expreſſa eſſent Univerſi Repræſentatio (ἀπεικόνισμα ϗ μίμημά τι τȣ͂ παντὸς, quemadmodum * Philo appellat) facilè comminiſci poſſum, quàm quòd unuſquiſque Sacerdos pro captu & opportunitate operam dare debeat, quantum poteſt, ut evadat homo Rationis ac Philoſophiæ compos.

* Philo de Monarch.

6111 651 1679 g J.2

14816

pos. (Quam ipſam ob cauſam, Academiæ proculdubio primùm erectæ ſunt, & ad hunc uſque diem continuatæ) Philóque *ipſe aliquid ſubinnuit, quod huc ſpectat.* Βούλεται γὰρ τὸν Ἀρχιερέα εἰκόνα τοῦ παντὸς ἔχειν ἐμφερῆ, ἵνα ἐκ τῆς συνεχοῦς θέας ἄξιον παρέχῃ τὸν ἴδιον βίον τῆς τῶν ὅλων φύσεως. Ut Pontifex Maximus perpetuò habitum ſuum intuens qui Univerſum repræſentabat, moneri inde poſſet nec facere nec dicere quicquam quod illius legibus contrarietur, *reguliſve* æternæ Rationis *repugnet, qui perpetuus ille Pontifex Maximus eſt, quemadmodum* Philo * *alio in loco indigitat.* Δύο γὰρ ὡς ἔοικεν, ἱερὰ θεοῦ· ἓν μὲν ὅδε ὁ κόσμος ἐν ᾧ καὶ ἀρχιερεὺς ὁ πρωτόγονος αὐτοῦ, ὁ θεῖος λόγος· ἕτερον δὲ ἡ λογικὴ ψυχὴ, ἧς ἱερεὺς ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἄνθρωπος. Quòd duo Dei templa ſunt, unum, Univerſum ipſum, in quo primogenitus Dei, Divinus LOGOS æternáve Sapientia eſt Pontifex Maximus; alterum Anima rationalis cujus Sacerdos eſt ſive Pontifex homo verus, *id eſt,* Intellectus (*quemadmodum alicubi loquitur* Plotinus) *qui etiam Imago eſt* τοῦ θείου λόγου, *ſicut* * Clemens *expreſsè nos docet.* Εἰκὼν μὲν γὰρ θεοῦ λόγος θεῖος καὶ βασιλικὸς, ἄνθρωπος ἀπαθὴς, εἰκὼν δ᾽ εἰκόνος ἀνθρώπινος νοῦς. Imago Dei eſt Regius ille ac Divinus logos, Homo impaſſibilis; Imago verò hujus Imaginis eſt humanus Intellectus.

* In libro de Somniis.

* Stromat. lib. 5.

Quamobrem, tametſi Divina Ratio *ſive* Logos, *æternus ille ſit Pontifex Maximus qui ſuo tempore incarnandus erat, cujúſque* Aaron *in Sacerdotalibus ſuis veſtimentis, Typus duntaxat erat & Figura, Homo tamen cùm illius Imago ſit, & unuſquiſque Sacerdos modo magis ſpeciali, operam certè dare debet exornando ſuo animo iſtiuſmodi dotibus, quæ per ſplendida ac ſumptuoſa* Aaronis *veſtimenta ſignificentur; inter quæ* Rationale *præcipuum obtinet locum. Etenim quanquam ad* Logon æternum *ſolùm pertineat, ut ſit Mundi Creator, omnéſque illius partes ſuâ præſentiâ impleat, illóque quaſi vitali quodam modo amiciatur; Divino tamen beneficio cuilibet Sacerdoti Chriſtiano obtingere poteſt ut veſtiatur quodammodo, & ornetur notitiâ legum modulorúmque Creationis, rationéſque Naturæ ediſcat, cujus* Æternus logos *Creator eſt ac Gubernator. Quod quidem pulchrè convenit cum illo quod* Philo *ſcribit de* Rationali, *ſive de* Thorace Sacerdotali, *quem ait quadratum fuiſſe,* ὅτι χρὴ καὶ τὸν τῆς φύσεως λόγον καὶ τὸν τοῦ ἀνθρώπου βεβηκέναι πάντῃ, καὶ κατὰ μηδ᾽ ὁτιοῦν κραδαίνεσθαι. Quòd Rationem Univerſalis Naturæ atque Hominis ex omni parte firmam eſſe oportet, & nuſquam vacillare. *Quæ quidem res ut figuratæ ſunt in* Aarone *& modo quodam immenſo in Chriſto impletæ, ita certè pro modulo ſuo in Sacerdotio Chriſtiano ſunt implendæ. Nam ſi ſub lege cæcum aut claudum licitum non erat offerre Deo, neutrum profectò, Sacerdotem eſſe oportet ſub Evangelio, nec ipſum quidem populum, (quoad ejus fieri poteſt) quem is Deo præſentat.*

Rationem *igitur ſub quocunque Prætextu Fanatico tollere, eſt* Sacerdotem *deveſtire, ipſúmque* Thorace *ſuo ſpoliare, & quod peſſimè omnium cedit, ſpecialem illam Prærogativam quam præ reliquis omnibus in orbe Religionibus habet Chriſtianitas, ipſi eripere, nempe, quòd audet ad* Rationem *provocare. Cui, quotquot, quid maximè è re noſtræ Religionis ſit, rectè callent, non poterunt quin mordicus adhæreant, quippe cùm qui contrà faciunt, eam injuſtæ ſuſpicioni falſitatis produnt, ipſámque æquant cuilibet vaniſſimæ Impoſturæ. Tolle enim* Rationem, *omnéſque Religiones perinde veræ ſunt, ut amoto lumine, omnia ſtatim fiunt ejuſdem coloris. Quinimo, quod omnium peſſimum eſt, illa Religio quæ veriſſima eſt, in hiſce ſuperinductis tenebris falſiſſima apparebit, quippe quæ tam ſtrictè firmitérque declarat ſe ſolam eſſe veram. Quod nullo modo admittetur, ullóve pacto evinci poterit, ſub hoc meridie noctis, ſpiſſiſſimæque caliginis Regione, quæ facit ut omnia eandem præ ſe ſpeciem ferant.*

IV.

Apologia quòd *Platoniſmum* & *Carteſianiſmum* Scriptis ſuis tam frequenter intexuerit.

4. *Quæ ſeriæ quidem ac ponderoſæ conſiderationes cùm mihi ante oculos obverſarentur, ſtimulabant me ad res omni curâ ac diligentiâ ad fundum uſque rimandas perſcrutandáſque, nè cor mihi concideret animóve deficerem in die tentationis. Cujus Inveſtigationis fructus maxima ex parte in hoc præſenti volumine comprehenditur. In quo quemadmodum mihi ipſi non mediocrem animi ſatisfactionem, quantum ad iſta problemata, quibus ſolvendis inſudavi, lucratus ſum; ita perinde ſum ſolicitus ut nihil illîc occurrat, quod ullam in aliis offenſionem pariat. Et impoſſibile fore credo ut tale quicquam occurrat, ſi inſtitutum meum dignati fuerint ritè apud ſe penſitare. Quod quidem non eſt Theologum agere in Philoſophia, ſed Exotericum quoddam munimentum, vallúmve exterius circa Theologiam circumducere: ut extima hæc defendendo opera contra omnes præſidentis Athei impetus Giganteóſque illius aggeres Machináſque adverſus fidem de* exiſtentia Dei, Præmiiſque in vita futura *erectas, cum edocere poſſem, quantæ vanitatis homo ſit ac temeritatis dum ex ſuis perperam ſubductis rationibus, rem factu tam facilem ſibi fingit* Civitatem ſacram ac Sanctuarium *devincere & expilare, cùm adeò nullo negotio ab exterioribus ejus vallis propulſetur. Atque hic quidem verus eſt & genuinus ſcopus frequentis illius intertexturæ* Platoniſmi *&* Carteſianiſmi *in hiſce ſcriptis meis, quippe qui iſtis utor Hypotheſibus tan*

quam invictis propugnaculis contra verſutiſſimas maligniſſimáſque Impreſſiones Atheiſmi. Certus enim ſum, ſi ſuppoſitiones iſtas quas è duabus iſtis Philoſophiis ſelegi, ſumamus pro veris (& falſitatis eas adverſarii convincant ſi poſſint) nullam eſſe Objectionem quam Atheiſmus contra ſuprà dicta dogmata formare poteſt, quin plenam & irrefutabilem Reſponſionem ei reddere poſſim.

Unde equidem ſperandum eſt, quòd quemadmodum multos in fugam vertere poſſimus, ita reliqui ultrò ſe in manus noſtras dedituri ſint, vi rationis in veram rerum perſuaſionem quantum ad ſummam captivati; cúmque omnis ſpes futuræ Impunitatis ex tam clara Animæ Immortalitatis demonſtratione intercepta ſit, inventuri ſe obſtrictos, ad Chriſtianitatem in magis conſpicuis illius articulis ſincerè amplectendam, & ad manendum lubenter in exteriori Atrio, quanquam propter præſentem Oculorum debilitatem non ſunt adeò idonei, qui ad ſacratiorem Templi ſumum propiùs accedant. Quamobrem cùm tam fideliter, &, quantum ego quidem exiſtimo, tam utiliter in extimis hiſce, ſi fas ſit ita loqui, operibus *tuendis occuper, non imputabo certè, ne nimiùm præcipiti quidem Zelo, ſed malo meo duntaxat infortunio, ſi aliquibus Obloquii glandibus à tergo impetar, ab ignoto aliquo ſervo Sanctuarii; præſumóque ſi quid lædar, eorum dolorem maximum fore qui me læſerint, poſtquam animadverterint ſe verum fidelémque amicum vulnerâſſe, etiam tum cùm tantâ curâ & vigilantiâ occuparetur intrepidè aſpectando communem hoſtem, ejúſque motus obſervando.*

V.
Monita quædam ad utiliorem lectionem horum Scriptorum.

5. *Siquis expectet cupiátve generalem aliquam præceptionem aut præparationem ad utiliorem lectionem horum meorum Scriptorum, ingenuè fateor me nullam dare poſſe quæ ipſis ſit peculiaris, ſed talem duntaxat quæ libris omnibus cum judicii libertate ac ratione Scriptis conveniat. Atque hanc unam Regulam Regiam pro omnibus commendatam volo,* De veritate ullius propoſitionis ſententiam non priùs ferre, quàm fixum determinatúmque terminorum illius ſenſum ſatis ſimus aſſecuti. *Quæ lex tametſi tam neceſſaria ſit & indiſpenſabilis, nulla tamen frequentiùs violatur quàm iſta. Cujus rei effectum eſt quòd tam multi voluminoſorum Scriptorum acervi ineptarúmque Oppoſitionum ac Controverſiarum Orbem impleant. Quod impoſſibile eſt ut fieret, niſi habitum homines nacti eſſent verba vaga ac incerta committendi inter ſe, ſine ullius determinati ſenſûs notitia, atque ita concertarent, tot quaſi clavis* Herculeis *armati, ex charta craſſiuſcula concinnatis, qui ingentem quidem ſonitum edant ſuis ictibus, ſed nihil interim conficiunt, quo finiantur diſputationes. Quemadmodum enim nemo tam mentis exors eſt, ut Triangulum affirmet Quadrangulum eſſe, aut Quadratum, Circulum, dum diſtinctas iſtarum figurarum Ideas in animo poſſidet; ita perindè impoſſibile eſſet ut de ulla re alia falsò ac abſurdè pronunciaret, ſi perfectam haberet fixámque notionem earum rerum de quibus geſtit pronunciare. Dum verò primum hoc ac præcipuum Sapientiæ Principium negligitur, minimè mirandum eſt, quòd homines æquè ridiculè & ſine omni ratione inter ſe digladiantur, atque duo illi Ruſtici quibus parum aberat, quin à verbis ad manus verberáque deveniſſent, quòd alter* Lutheranum *ſe profiteretur, alter* Martiniſtam.

Sed & alterum monitum hìc addere poſſem, quod ad majus Controverſiarum compendium multùm contribuet, quódque aliàs ni fallor per occaſionem indigitavi. Nempe, Quod quidlibet probare poteſt, id reverà nihil probare. *Quæ quidem Regula ſi penitiùs conſideraretur, obſervaretúrque, non ſolùm ſatis præmunitum hominem redderet ad amoliendam apparentem innumerabilium abſonarum aggreſſurarum vim, ſed & ipſum retineret, ſiqua ei inſit ingenuitas, ab adoriendo, vel potius interturbando, interrumpendóve, tranquillitatem ac ſilentium Animi alterius, inani ſtrepitu tam infirmorum abſurdorúmque Argumentorum. Talia intelligo, quæ inferre aut tueri falſitatem perinde poſſint atque veritatem. Omnia enim iſtiuſmodi argumenta explodenda ſunt, præſertim in Philoſophia. Credóque equidem ſi omnia hujus generis tela omnino exoleviſſent, omnem contentionem brevì extinctum iri, talémque fore victoriam, de qua univerſi meritò triumphent.*

VI.
Divina Sagacitas Principium auſpicatæ Rationi Antecedaneum in rerum præſtantiſſimarum contemplationibus.

6. *Cæterùm tertiò atque ultimò (& quod hìc quidem ſum dicturus, quanquam ubique locum aliquem habere poteſt atque vim, magis tamen ſpeciatim requiritur in iſtiuſmodi Scriptis perlegendis, quæ argumenta noſtris conſimilia tractent) eis inquam, qui feliciter Philoſophari cupiunt, certi cujuſdam Principii fidem ſtudiúmque commendatum volo, nobilioris quidem magiſque interni, quàm ſit* Ratio, *& ſine quo ipſa* Ratio *vicillabit, aut ſaltem non niſi ad res magis abjectas frivoláſque pertinget. Auditu vereor ut hoc perinde intelligi poſſit atque ego ipſe cogitans ſentio, vix enim ſuppetit rei tam abſtruſæ intúſque abditæ nomen, niſi quis fortè auſit appellare* Divinam Sagacitatem, *quæ auſpicatioris Rationis origo prima eſt atque fons, in rebus præſertim ſummæ comprehenſionis ac momenti; & ſine qua ſe tanquam in ſylva aliqua invia eſſe quiſpiam experiri poteſt, inanique ſpe allectum infinities ferè tentare, nunquam verò exitum invenire, in apertam Planitiem, (τὸ πεδίον τ̃ ἀληθείας, ubi liberè quaquaverſum circumſpectare poteſt) ſine tuto ductu atque auſpiciis hujus* boni Genii.

Omnes quidem qui inter Philoſophos nomen ſuum profitentur, ſatis prompto animo Rationem *ad Ætherem uſque laudibus efferent, luménque cœli lubenter agnoſcent, verúmque Dei oraculum. Sed interim non conſiderant Oraculum Dei nuſquam audiri niſi in ſancto ſuo Templo, hoc eſt in probis ſanctíſque hominibus, penitúſque purificatis Spiritu, Animâ ac corpore. Eſt enim quædam vel ipſius etiam corporis Sanctitas, ac Temperamenti, qualem homines voluptatibus corporeis dediti nè ſomniant quidem.* Aaronis Rationale, Λόγιον *ejus ſive* Rationis Oraculum, *annon includebat in ſe* Urim *&* Thummim, Puritatem *&* Integritatem Voluntatis & Affectuum *perindè atque* lumen Intellectûs? *Annon iſte Thorax* quadratus *erat, non ſolùm ut imago ſit* firmitudinis Ratiocinationis, *quemadmodum* Philo *innuit, ſed etiam ut* Æquabilitatem *&* Rectitudinem *illius Spiritûs denotet qui in ſe ſuſceperit grandes enunciare veritates, quòd eſſe utique debeat, quemadmodum alicubi loquitur* Ariſtoteles, ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου· *idque non ſolùm ſecundùm menſuram* Civitatis *ſed &* Sanctuarii, *non modò in gradu virtutis* Politico, *ſed* Cathartico, *vel in eo virtutis gradu quem* * Plotinus *collocat* ἐν τῷ κεκαθάρθαι *Animámque ſupponit jam purgatam?*

* Ennead. 1. lib. 2.

Adornet ſe quiſpiam quantum poteſt, univerſæ Naturæ Hiſtoriâ, per talarem veſtem Sacerdotalem *repræſentatâ, ſi hic* Thorax *tamen cum* Urim *&* Thummim *ei deſit, qui huc uſque tantummodo* Sacerdotem *agere geſtiat, equidem neceſſe eſt ut eatenus omni ſpe excidat ſolidum ſe præſtandi* Philoſophum, *cùm ipſe ſaltem incapax ſit ulla edendi Oracula, nec niſi tenuem capacitatem habeat ea recipiendi quæ edantur ab altero. Nam ſi* Divina *hæc* Sagacitas *ei deſit propter impuritatem Animi, nec ipſe in probum rerum odoratum ſenſúmve ſponte incidere poteſt, nec facilè eum accipere ritéve proſequi, quando in illum ab altero conjicitur deducitúrve. Quæ opinio mea avia atque inſolens, quamvìs efficere poſſit, ut ii quidem qui contemptum* Moralitatis *unam ſuæ Philoſophiæ partem conſtituerunt, frendeant fremántque, nimiſque inciviliter ſecum agi exiſtiment, dum earum rerum Judices incompetentes pronunciantur, quas intra ingenii ſui ictum poſitas ſemper præſumpſerunt, celare tamen nequaquam potui tanti momenti veritatem, præſertim cùm ipſa ſit à Philoſophia neutiquam aliena.*

VII. Suprà dictum Principium ulteriùs illuſtratum & confirmatum ex Ariſtotele.

7. *Annon enim Dictum eſt illius, cui tam univerſim undique applauditur,* Ariſtotelis, Κινεῖ γὰρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον, λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος ἀλλά τι κρεῖττον; *Quis* Plato, *imò quis* Chryſoſtomus, *quis* Auguſtinus *linguam ſolvere potuit in voces magìs cæleſtes?* Scaliger *hujus Textûs conſpectu abreptus, in Encomiaſticam hanc Interrogationem erumpit.* * Quid ais, Divine vir? Eſtne in nobis aliquid Divinum quod ſit præſtantius ipſâ ratione? An tibi quoque noti fuerunt ipſi radii Spiritûs Sancti? &c. *Et nè partem ullam noſtri ipſorum hoc* τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον *arbitremur, apparet quidem ex eis quæ proximè antecedunt & ſubſequuntur, quòd ipſum Divinum Numen ſit: Nam propoſitâ priùs hâc quæſtione,* Τίς ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ; Quid ſit motûs principium in Anima? *Hæc plena ſequitur Reſponſio,* Δῆλον δή, ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ, θεός, καὶ πᾶν ἐκείνῳ. Κινεῖ γὰρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον· λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος ἀλλά τι κρεῖττον. Τί οὖν ἂν εἴη κρεῖττον καὶ ἐπιστήμης πλὴν θεός; Manifeſtum eſt, *inquit,* quòd ſit, quemadmodum in Univerſo, ipſe Deus, omnéque in eo. Nam & illud ipſum Numen quod in nobis eſt, aliquo ſaltem modo omnia movet: Principiúmque Rationis Ratio non eſt ſed quiddam præſtantius. Quid autem Scientiâ præſtantius eſſe poteſt, niſi Deus? *Argumentum Capitis, quæſtio eſt* περὶ εὐτυχίας, *de fœlici rerum ſucceſſu, Utrùm ſit* φύσει, νῷ, ἢ ἐπιτροπίᾳ τινί· *hoc eſt, utrùm ſit* Naturâ, Ratione, *an* procuratione Boni alicujus Genii, δαίμων ἀγαθὸς κυβερνήτης *ab ipſo appellatur* Ariſtotele. *Quæ verba eò lubentiùs cito, quia unicus locus eſt, quantum ego quidem ſcio, ubi tam expreſſa mentio fit Dæmonum, ſive Geniorum. Quam opinionem nec hic certè affirmat, ſed ex occaſione hujus argumenti, mens ejus altiùs extumeſcens eò uſque tandem aſſurrexit, ut Aphoriſmum iſtum à* Julio Scaligero *tantâ admiratione exceptum effunderet, nempe, Quòd aliquid ſit ipſâ ratione præſtantius & antiquius, unde ipſa* Ratio *primos motus impetúſve accipiat.*

* De ſubtil. Exercit. 307. ſect. 25.

Ariſtot. Moral. Eudem. lib. 7. cap. 14.

Quod tametſi Ariſtoteles *rebus externis præcipuè appropriat, ipſe tamen debeo (poſſúmque pari jure) ad mentis negotia, puræque Speculationis ſucceſſus transferre. Ubi* ἡ θεία εὐτυχία, *quemadmodum ille appellitat, longè veriſimilius eſt, ut continuetur, conſtánſque reperiatur, (propter naturalem veritatis cohæſionem cum Anima impolluta) quàm in externis rerum tranſigendarum rationibus.* Intellectualis *igitur hic ſucceſſus,* Divinæ Præſentiæ *eſt acceptus referendus, qui* κινεῖν πως πάντα, *movere quidem omnia aliquo modo intelligitur, ſed in Animo impolluto reſidens eum movere modo excellentiſſimo,* Divináque *illa* Sagacitate *de qua dixi eum imbuere, quæ magìs intima, compendioſa ac comprehenſiva Veritatis eſt* Præſenſatio, *illi Rationi, quæ in Theoriis maximi momenti poſt accuratiſſimam examinationem, ſolidiſſima, omnique ex parte perfectiſſima mox deprehenditur, ſemper*

per antecedanea, quæque reverà illa Sapientia eſt quæ peculiariter appellatur Donum Dei, *& in hominem neminem cadere poteſt qui purâ mente non ſit & incontaminatâ. Tanti profectò momenti eſt, ut quis omnes nervos intendat, quò ſanctus evadat atque bonus.*

VIII.
Authoris Apologia, quòd in Antidoto confutationem omiſerit argumentorum invalidorum quibus aliqui uſi ſint ad probandum Deum exiſtere.

8. *Hæc ferè ſunt, quæ* generaliori *modo præfari operæ pretium eſſe cenſui. In ſingulas jam præſentis voluminis partes breviter & quaſi in tranſcurſu oculos conjiciam, ſi quid fortè occurrat quod mihi incumbat aut excuſare, aut complere, aut luce denique aliquâ ulteriori donare. Ut eſſe quidem poſſunt, qui Omiſſionem in* Antidoto *opinentur, quòd lubrica mendoſéque concludentia Argumenta, quibus aliqui uſi ſunt ad probandam Dei exiſtentiam, non introduxerim & confutaverim. Verùm enimverò eum minimè dedecere exiſtimo, qui cauſæ illi fideliter adhæret, ſi nimiam diligentiam non adhibeat ad detegendam enervitatem talium argumentorum, quæ ab aliis deſtinata ſint ad fidem hominum mentibus ingenerandam illius veritatis, de qua, tanta neceſſitas támque immenſi momenti ſit, ut humanum genus perſuadeatur. Nam per charitatem facilè præſumo, qui iſtorum argumentorum primi Inventores erant, ea rectè concludere putaviſſe, alioqui ipſa non adhibuiſſent. Unde ſequitur, quòd etiamnum ſuam vim obtinere poſſint apud eos, qui pari tantùm polleant ingenio cum eis qui primùm illa propoſuerunt. Et qui rectè conjectat pergítque in itinere, ad locum deſtinatum æquè certò perveniet atque is qui perfectè noverit viam. Fateor equidem me in ſecundi tertiique argumenti* Carteſii *cenſura liberiùs egiſſe, ſed minus damni periculíve inde metuendum eſt, quòd iſta argumenta non ſint adeò popularia. Et præterea par erat ut in iſtis, quàm omni partium ſtudio liber ſim, oſtenderem, quippe qui tanta cum confidentia primi ſoliditatem deprædico. Quod quo magìs conſiderabam, eo ipſum inveniebam firmius, nec ad hunc uſque diem in ullum aut hominem incidi aut librum qui quicquam ullius momenti producere potuit ad illius confutationem.*

IX.
Illius Apologia, quòd de *Superſtitione* Tractatum iſti de *Enthuſiaſmo* Tractatui non addiderit.

9. *Quem defectum quiſpiam obſervaturus ſit in Tractatu meo de* Enthuſiaſmo *facilè præſagire non poſſum, nec ſecuritatem mihi polliceri quin ei, qui majori cum animi affectu, illius Tractatûs utilitatem conſideraverit, videri poſſim in hoc defuiſſe, quòd alterum non addiderim de* Superſtitione. *Sed naturæ quaſi ductu inſtinctúve cæco, prudenti illi Poetæ monito obſecutus ſum,*

------------ Et quæ
Deſperas tractata niteſcere poſſe relinque.

Etenim profiteor me iſtam materiam conſiderare tanquam meâ manu nequaquam perpolibilem, cùm argumentum ſit quod Rhetoricæ *magìs conveniat quàm* Philoſophiæ. *Ut taceam me animum meum nunquam ſatis depreſſum abjectúmve reperiſſe quo in ullum ſenſum perceptionémque illius* Diſpenſationis *ſubſidere poſſem, & per experientiam quid in illius fundo jaceat inveſtigare. Equidem ingenuè fatendum eſt nonnihil naturalis tincturæ* Enthuſiaſmi *meo temperamento ineſſe, ſed talis, Deo eſt gratia, qui non admodum effrænis eſſet, quémque tandem expertus ſim, perfectè poſſe ſubjugari. Virtute cujus victoriæ,* Enthuſiaſtis *quid inſit, rectiùs quàm ipſimet, calleo. Unde factum, ut ſatis habilis eſſem ad ſcribendum quæ ſcripſi cum quodam animi vigore ac judicio, & contributurus ſum hoc pacto haud pauxillum, ut ſpero, ad hujus Regni pacem & tranquillitatem.*

Cæterùm cùm talem Dei *notionem ab ineunte uſque ætate haberem, quæ eum tanquam Ens nobiliſſimum excellentiſſimúmque quod exiſtere poteſt, repræſentaret, nunquam animum inducere potui ut crederem aut omittendo aut præſtando ulla Trivialia ad nihilque utilia Obſequia, eum aut irritari poſſe aut propitiari, talia nimirum quæ nec humanam naturam perfectura ſint, nec fructus ſint genuini illius perfectionis. Ac proinde ſatis maturè perſuaſus ſum, quòd is Deum optimè colat, qui minimè invidus ſit, quique Mundo Carniſque voluptatibus minimè ſit deditus, qui communi bono totius Univerſi maximè oblectetur, quique firmiſſimam fiduciam habeat in Divina Benignitate ac Miſericordia, cujus, filius ejus Jeſus Chriſtus certiſſimum eſt pignus, quod mortalibus potuit exhibere. Quæ conſtans Animi temperies efficit, ut nè minimæ quidem prægustatiunculæ Superſtitionis eſſem capax. Eſt enim rerum meliorum ignoratio, quæ perplexitates iſtas animique conſternationes parit circa res minoris momenti.*

Religionis *Scopus Humana eſt fælicitas ac perfectio, quique ita* Deum *colit ut ſuis ullatenus eum indigere exiſtimet, pro honore profectò, eum afficit contumeliâ.* Superſtitionem *igitur ſemper comitatur* Ignorantia *aut* Hypocriſis. Ignorantia *quidem quando homines neſcientes quid reverà bonum ſit Deóque acceptum, quod eſt ſimilem ipſi evadere* (Τιμήσεις τὸν θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς, *ut docuit* Pythagoras) *zelum ſuum ac devotionem iſtiuſmodi rebus exprimunt quæ nec ſibi ipſis nec aliis quibuſcunque ſint utiles.* Hypocriſis *verò, quando eædem affaniæ Deo offeruntur, non tam ex rerum meliorum ignoratione quàm ex tacita quadam fraude, vafráque quaſi Dei circumventione, in paciſcendo* cum illo, *vel* illius *potiùs* ingratiis, *de tam iniqua permutatione. Per quas deluſiones quanquam ad tempus quidem falſa ſua corda ac conſcientias aliquo modo pacificare poſſint, interea tamen reverà Dei iram in ſe acuunt his ſacrificiis ſtultorum.*

Hæc ferè ſumma eſt eorum, quæ ipſe deprehendere valebam, de altero illo morbo Superſtitionis, quæ ſolis Rationis conſequentiis erui, quippe nullâ harum rerum imbutus experientiâ quæ ſtylum acuat, cogitationéſve expatiari faciat in hac materia. Credo verò me tutò hic, ut aliàs, affirmare poſſe, Superſtitionem *eſſe, (ſi non inanis gloria, Mundani commodi ſtudium, aut aliquid deterius) ubi homines nimiùm magnum Zelum pro vel contra iſtiuſmodi in Religione res exercent, quarum uſum aut omiſſionem Deus vel parvi vel nihili potiùs æſtimat. Quod quidem ſi homines ſeriò apud conſcientiam ſuam vellent perpendere, magnam profectò vim haberet ac momentum, ad ſedandas prævertendáſve uſitatiores Orbis Chriſtiani tempeſtates ac tumultus. Atque integri quidem ſcribendi voluminis fructus iſto melior eſſe non poteſt. Sed enimverò fatendum eſt, ſucceſſum Incrementúmque Eccleſiæ Arcanum eſſe, quod profundiùs in Providentia abditum jacet, quippe Myſterium* Vitæ *potiùs quàm* Externæ Rationis. Paulus *plantare poteſt &* Apollos *irrigare, Deus verò dat proventum.*

X.

Certæ Conſiderationes quæ ſimul collatæ omnes omnino Objectiones contra Spiritûs Extenſionem ſint præventuræ.

10. *Quantum ad Tractatum de* Animæ Immortalitate, *has duas tantùm notabo difficultates, quas, quoniam quibuſdam immanes videntur, quanquam mihi nunquam tales viſæ ſunt, nunc in medium proferam. Quarum prima hæc eſt,* Quòd *ſcilicet* extenſionem aliquam in Natura Spiritûs admiſerim; *Altera,* Quòd in *Spiritu Naturæ* nullam admiſerim perceptionem. *Quod ad priorem verò attinet, juſtam hanc pro me afferre poſſum Apologiam,* Neceſſitatem *ſcilicet* non habere legem: *&, ſi harum duarum Concluſionum evidentiam demonſtrabilem conſideraverint,* 1. *Quòd Immaterialis ſit ſubſtantia à corpore realiter & ſpecificè diſtincta;* 2. *Et quòd nulla realis Entitas ſit quæ aliquo ſenſu non extendatur; impoſſibile erit quin ipſi perinde atque nos concluſuri ſint,* Spiritum etiam aliquo modo eſſe extenſum. *Quamobrem admodum inſcitè inſtituta eſt querela, quæ illationem cavillatur ante examinationem roboris præmiſſarum. Quamobrem quemlibet hic æquum lectorem appello ſi prioris veritatem, tum in* Antidoto, *tum in Tractatu de* Animæ Immortalitate, *non Mathematicè demonſtravi.*

Et nunc quidem ut pleniùs illi ſatisfaciam, alteram accuratè demonſtrabo. Nempe quòd nec Anima nec quicquam aliud, poteſt eſſe totum in toto & totum in qualibet parte, *ſed quòd iſta Aſſertio (quemadmodum olim Amico ingenioſo per occaſionem ſcripſi) nihil aliud ſit, quàm* pulchrè tinniens Contradictio. *Quod ſic probavi: nempe, Quòd* totum, *omne quicquid ſit, cujuvis rei, ſenſu* poſitivo, *& conſequenter ſenſu* negativo *comprehendit: hoc eſt, ſi omne A ſit in B, nihil reliquum eſt quod ſit in C diſtanti à B. Perinde enim eſt ac ſiquis diceret, Nihil eſt τȣ͂ A niſi quod concluditur intra B, & tamen in eodem momento non ſolùm aliquid τȣ͂ A ſed omne vel totum A eſt etiam in C: Quod impoſſibile eſt in ulla ſingulari aut individua Eſſentia. Et quantum ad Univerſalia, ea quidem* Res *non ſunt, ſed* Notiones.

Quibus porrò addere poſſumus, quòd hæc Hypotheſis illud efficit, de quo affirmatur, æquè tenue ac minutum quàm quicquam quod in cogitationem noſtram cadere poteſt. Nam ſi totum ſit in ſingulis punctis, manifeſtum eſt amplitudinem hujus Totius majorem non eſſe puncto in quo eſt. Quod intolerandum *eſt, ſi Divino Numini applicetur, & in re qualibet alia* ridiculum.

Quamobrem cùm certitudine adeò Mathematicâ demonſtrabile ſit, quòd exiſtat illud quod propriè Spiritus *dicitur, quódque nullum omninò Ens in diſtantibus punctis partibúſve Materiæ totaliter ſimul præſens eſſe poteſt, ſequitur quidem neceſſitate ineluctabili,* Spiritum aliquo modo eſſe extenſum.

Cæterum ulteriùs Objicietis; Si Spiritus extenſus ſit perinde atque corpus, quomodo intelligemus Perceptionem Spiritui *magis competere, quàm* Corpori? *Ad quod breviter reſpondeo,* Perceptionem corpori *non competere me jam demonſtrâſſe, Quod idem ad efficiendum in* Spiritu, *quodlibet vel acerrimum Ingenium provoco: Porróque ab eis quæro, qui* Spiritum *in qualibet parte* Materiæ totaliter *præſentem imaginantur, an iſtoc pacto facultatis percipiendi, rationem* immediatam *meliùs intelligant; Eóſque rogo qui nec ut Punctum Mathematicum, nec totaliter præſentem, nec Extenſum fingunt, utrùm eum quicquam inde, Vitalis illius* Sympathiæ & Co-activitatis, *quæ objecta in debitis ſuis circumſtantiis ad* commune Percipiens *tranſmittit, capaciorem evaſiſſe deprehendant. Equidem auſim dicere, modò eloqui velint quod experiuntur, fieri non poſſe quin reſpondeant: quòd nè hilum quidem quantum ad* immediatam *rationem ſimplicis* Perceptionis, *vel ſupradictæ* Vitalis Sympathiæ *meliùs intelligendam, per ullas hujuſmodi ſuppoſitiones profecerint.*

Ac proinde, tertio in loco, mihi aſſumam confidentiam eos monendi, quòd veritas noni mei Axiomatis, quo quædam facultates ac proprietates, immediatè Subjecto ineſſe declarantur, *penſum meum jam plenè abſolverat. Cùm enim aliæ corpori proprietates ineſſent quæ percipiendi facultatem ei interceperant, neceſſariò hoc reſtabat, ut incorporea aliqua ſubſtantia immediatum ſit vis perceptivæ ſubjectum. Oportet enim immediatam eſſe facultatem alicujus ſubjecti quantum nos quidem intelligimus. Neque adæquatam illius cauſam ullam invenire poſſumus præter ipſum* ſubjectum, *ſecundùm quam præciſè aliquid ſit* Perceptivum. *Hoc quidem conſtat, nos nobiſmet ipſis conſcios eſſe, quòd illud quod* Perceptivum *eſt, debet etiam eſſe valdè* Unitivum, *ipſáque Ratio nos docet, quòd Unum eſſe excellentiori modo quàm materia ſit Una (quæ una tantùm eſt per* Juxtapoſitionem partium *) neceſſariò requiritur in eo, quod capax eſt muneris* Communis Percipientis, *ac propterea prius eſt ordine naturæ. Illud verò, quod unum eſt, quàm maximè citra repugnantiam fieri poteſt, hoc eſt, eò uſque unum, ut immediatè ex ſua natura habeat* vitalem Sympathiam, *partiúmque, ſi fas ſit ità loqui,* Co-activitatem, *perfectámque* Indiſcerpibilitatem, *non continuò tamen implicat vim* perceptivam *in ſe reſidentem. Omnem enim Spiritum tam* Unitivum *eſſe facilè exiſtimo, ſed minimè certus ſum omnem Spiritum habere* perceptionem, *ſed potius è contrà eam non omnem habere. Quamobrem tametſi quicquid* perceptivum *eſt, oportet eſſe* Spiritum ; *omnem tamen* Spiritum, *nihil neceſſe eſt, eſſe* perceptivum. *Unde* Perceptio *immediata debet eſſe facultas in eo ordine Spirituum qui ſunt* Perceptivi. *Ac proinde argumentum eſſe oportet haud exiguæ ἀπαιδευσίας ſive Imperitiæ poſtulare aut expectare rationem, cur ità ſit.*

Eſtque perinde impoſſibile rationem reddere vitalis *illius* Unitatis *in omni Spiritu, in* Sympathia *partiúmque* Co-activitate *conſiſtentis, niſi allegare vellemus, cùm Natura Spiritûs Materiæ naturæ oppoſita ſit, valdè conſentaneum eſſe, ut primæ & maximè immediatæ naturarum ſuarum conſequentiæ inter ſe etiam opponantur ; útque propterea, cùm Materia hîc agnoſcatur ſtupida eſſe, vitalique* Sympathiâ *&* Co-activitate *deſtituta, Spiritus* vitalis *eſſe debeat, & iſtiuſmodi præditus proprietatibus : velut, quemadmodum Materia quæ non habet illam eſſentialem Unitatem ex partium* Indiſcerpibilitate *conſiſtentem,* Vitali *hâc* Unitate *pariter deſtituitur ; ità* Spiritus, *qui hanc* Eſſentialem Unitatem *habet, ex conſequenti fruatur etiam* Vitali. *Cæterùm hæc dicta ſunt haud uſquequaque ſecundùm ſeverum iſtum ratiocinandi modum quem nos affectamus, quanquam argumentum interim nequaquam ſit contemnendum, ſi immediatam conſideremus duarum ſpecierum* Oppoſitionem, *quódque non niſi gradus primus maximéque* immediata Vitæ Emergentia *ſit pro qua in hac comparatione contendimus.*

Verùm operæ pretium minimè duxi iſtiuſmodi ratiociniis multùm immorari, cùm ſatis certus eſſem me rem jam confeciſſe demonſtrando ſolummodo, ea quæ aſſero Spiritui competere, in materiam ſive corpus cadere non poſſe ; ac proinde agnoſcendum eſſe Spiritum tum exiſtere, tum Subjectum eſſe iſtiuſmodi facultatum ac proprietatum, nempe Vitalis Sympathiæ & Co-activitatis *partium, & quod omnium caput eſt atque flos,* facultatis percipiendi. *Et quis in quæſtionem vocare poteſt, quin debito aſſignentur Subjecto?*

Neminem enim eſſe credo quin agniturus ſit generaliter in omnibus hominibus confuſum quoddam ineſſe præſagium aut magis determinatam notionem, quòd id quod hanc Sympathiæ *vim habet ac* Perceptionis, *res omnium* ſubtiliſſima *ſit maximéque* unitiva. *Nunc verò quemlibet appello ſi quicquam concipere poteſt magis* ſubtile *magiſve* unitivum *quàm ſit Eſſentialis Notio Spiritûs, quatenus immediatè à Materia diſtinguitur. Poteſtne enim quicquam eſſe magis* unum *quàm quod in partes prorſus ſit indiſcerpibile ? magiſve* ſubtile *quàm quod non ſolùm Materiam ſed & ſeipſum, aliáſve res ſui generis poſſit penetrare ? Spiritus enim Spiritum penetrare poteſt, quanquam Materia non poteſt Materiam. Quamobrem cùm nulla ἀντιτυπία ſit in Spiritu, neque quoad res ſui generis, nec quoad alias quaſcunque ; manifeſtum eſt rem omnium quæ extant eſſe ſubtiliſſimam. Ac proinde communicationem* Vitalium *Impreſſionum (omnéſque Impreſſiones hîc* Vitales *ſunt, quanquam non omnes* Perceptiones, *nec ulli quidem motus) ſuccuſſatione partiúmque contruſione non fieri, ſed per Spiritualem* Sympathiam, *quæ ab iſtis reſtrictionibus quæ in Materiæ legibus Mechanicis reperiuntur, magis relaxata eſt atque libera.*

Cujus naturale Conſectarium eſt, Quòd Phænomenon reſolvere in Sympathiam, *non eſt ſemper, (quod vulgò dicitur) ad Aſylum confugere Fatuorum. Eſt enim ſubtilis admodum ac operoſæ demonſtrationis fructus, certa rerum Spiritualium Exiſtentiæ Notitia. Quo ſemel conceſſo, natura quidem earum talis eſt, ut impoſſibile ſit quin quivis eas* *confiteatur propria ſubjecta eſſe* Sympathiæ *&* Perceptionis. *Ac proinde id concludere per* Sympathiam *fieri quod demonſtrare poſſumus non fieri per potentias merè Mechanicas, non eſt ad commune Ignorantiæ Perfugium ſe recipere, ſed proximam immediatámque Phænomeni cauſam enarrare. Quæ maximè eximia eſt Philoſophandi ratio.*

Ut breviter igitur concludamus: Cùm Evidentiâ planè Mathematicâ demonſtraverimus Subſtantias *eſſe* incorporeas, *omnémque ſubſtantiam aliquo modo eſſe* extenſam, *quippe quum nulla ſit ſubſtantia quæ non ſit, * aut ſaltem non eſſe poſſit, eſſentialiter præſens Materiæ; neceſſariò hinc ſequetur, quòd ſubſtantia incorporea ſit aliquo modo extenſa, & conſequenter quòd in Animam ſive Spiritum nulla alia* Unitas *cadere poſſit, quàm quæ in* Indiſcerpibilitate *conſiſtat & in* Vitali Co-activitate *&* Sympathia *partium. Ac propterea denique, quòd Phænomenôn quæ in nobiſmetipſis experiamur, aut in rebus aliis obſervemus, quæ meras Materiæ leges Mechanicas excedunt, in hanc* Vitalem Unionem (*quæ in* Co-activitate *partiúmque* Sympathia *conſiſtit*) *Reſolutio, nulla ſit inanis Tautologia, meráve rem ſic eſſe quia ſic eſt, affirmatio, ſed propriæ & immediatæ illius cauſæ diſtincta Indicatio. Quæ omnia ſi ritè conferantur, ſerióque conſiderentur, omnes objectiones quas quiſpiam aliàs comminiſci poſſit contra* Extenſionem Spiritûs, *facilè ſunt præventura.*

XI. Proprietates & Officia *Spiritûs Naturæ* ulteriùs illuſtrata & confirmata.

11. *Altera Difficultas eſt circa* Spiritum Naturæ, *quòd vim* Perceptionis *ipſi non aſſignaverim. Quòd ſit quidem* Spiritus Naturæ, *hoc eſt, Subſtantia incorporea quæ ſe generalioribus quibuſdam Mundi Phænomenis producendis intermiſcet, credo me tam evidenter demonſtràſſe, ut nihil in univerſa Philoſophia evidentiùs poſſit demonſtrari. Nec dubitare quiſquam poteſt quin Principium ſit Univerſale, ſi naturam Dei conſideret Divinámque fœcunditatem, hujúſque Spiritûs uſum, ubicunque ſit Materia, quæ in finem aliquem utilem, bonúmque publicum Creationis formari poſſit & regi. Ut taceam Teſtimonia illius Omnipræſentiæ, ſi fas ſit ità loqui, quippe quòd idem facit ad immenſa quidem Intervalla. Exempli cauſâ, Lapidem verſus Terræ Centrum remittit, quando Tellus eſt in* Ariete *perinde atque in* Libra, *Aquas coercet ab effluendo è Luna, Materiam Solis cohibet in figuram rotundam, quæ aliàs futura fuiſſet oblonga, cruſtatas Stellæ partes retinet nè fruſtatim diſſiliant in circumambientem Ætherem, amplas Regiones ſolutarum particularum tertii Elementi unà cum Cometis deducit in longis ſuis Peregrinationibus à Vortice ad Verticem, Atomóſque magneticas ubique in rectum ſuum tramitem dirigit, præter omnes uſus* Plaſticos *quibus inſervit tum in Plantis tum etiam Animalibus generandis.*

Hic igitur, cùm mutum ſit æterni Verbi (hoc eſt Divinæ Sapientiæ *quæ tota eſt ubique) Apographon, naturaliter in ſingulis partibus ità comparatus eſt, ut in optimos quorum capax ſit uſus materiam formet ſecundùm has vel illas Modificationes, & ſecundùm illud Exemplar, cujus ipſe Tranſcriptum tantùm ſit, ſecundùm comprehenſionem puta ac propoſitum earum rerum Idearum quæ ſunt in Æterno Dei Intellectu. Unde manifeſtum eſt, nihil neceſſe eſſe ut ulli alii* λόγοι σπερματικοὶ *ſint, ſive* Formæ ſeminales, *præter hanc unam, quæ virtualiter omnes ubique continet, ac proinde meritò nuncupatur,* Univerſalis Spiritus Naturæ: *quemadmodum etiam nihil opus eſſe, ut hic Spiritus ipſe ſit* perceptivus, *cùm naturale* Tranſcriptum *ſit illius, quod ſcientiâ pollet ac perceptione. Eſtque infima ſubſtantialis* 'Ενέργεια *Actúſve ab omniſciente Deo, certos quoſdam generales modos legéſve Naturæ in ſe complectens in bonum Univerſi. Oculus verò Providentiæ particularis hîc non invenitur. Alioqui cur factum ut tegula in caput hominis per Plateas incedentis perinde cadat, ſive ad Concionem audiendam ambulet, ſive ad Comœdiam? Undéque rudes iſtæ ac imperitæ formationes in monſtroſis fœtibus; Ineptáque illa ac ſibi repugnantia conamina Spiritûs hujus in Experimentis quibuſdam circa Exiſtentiam Vacui? quemadmodum particulatim notavi in ** Antidoto. *Quamobrem nec* Omnipotentia, *nec* Omniſcientia *operatur in iſtiuſmodi caſibus, ſed hic* imperceptivus Spiritus Naturæ. *Cujus* Imperceptivitas *nihilo magis Obſtaculo eſt naturalibus ſuis* Plaſticiſque *operationibus, quàm Animæ noſtræ impedimento ſit, quo minùs occaſionales* perceptiones *in ſe excitet, quòd nullam earum antè haberet Ideam actualem, quemadmodum jam monui in * Præfatione Tractatûs de* Animæ Immortalitate.

* Lib. 2. cap. 2. ſect. 8.

* Vid ſect. 11.

Conſectarium circa conductum Animorum per Spiritum Naturæ.

Quibus rebus ritè conſideratis atque conceſſis, ſpeciale illud Officium Spiritûs Naturæ *in deducendis Animabus in ſuo* ſtatu Silentii *ad præparatam materiam actuandam, atque iſtoc pacto ad excitanda Animalia in Vitam, facilè intelligetur munus eſſe quod eum, æquè ac reliqua, condeceat, & quod nihilo cæteris ſit difficilius. Utrum enim intellectu difficilius eſt, an ut* Spiritus Naturæ *ſilentem Animam, an ut inanimem lapidem ad debita ſua ac naturalia loca deferat? Nam Spiritus vitâ caſſus inanimiſque lapis æquè facilè prehendi poſſunt, cùm Spiritus Naturæ utroſque perinde penetret, corpúſque ſurſum*

&

& deorſum adeò de præfacili in hoc Spiritu Mundi perlabatur, ut nè cogitari quidem poſſit quòd ulla vis Mechanica, *ſed illa ſola quæ rectè dicitur* Sympathetica,*vinculum eſſe debeat, ubi ulla ſit prenſitatio & captura. Quod quidem vinculum illigat & relaxat ad directionem & tranſmiſſionem rerum ad ſedes ſuas proprias in variis Mundi partibus in bonum Univerſi ſecundùm Eſſentialem illam legem quæ ipſa Forma Vitáque eſt* Spiritûs Naturæ, *ultimúſque Idealis ſive omniformis Effluxus à Deo. Neque quicquam, quod jam dixi, magìs mirandum eſt, quòd vitæ expers Anima per hunc imperceptivum* Spiritum Naturæ *deferretur deduceretùrque ad ritè præparatam Materiam, quàm quòd lapis inanimis, inſenſatæve particulæ Magneticæ eodem gubernentur. Illud enim quo Anima tam mordicùs detinetur à particulari ſuo corpore, non eſt pars illius* perceptiva, *ſed* Plaſtica *ſive* Naturalis; *aliter abortâ aliquâ offenſiunculâ, facilè ſe è corpore ſubducere poſſet, tametſi ſe quiſpiam nec ſuſpendat, aut in aquam ſubmergat, conficiátve ſeſe pugione. Cur non igitur poteſt ille Spiritus qui ſubtiliores digitos habet quàm vel tenuiſſima Materia,* Spiritum *intelligo* Naturæ, *imperceptivam illam animæ partem prenſitare, animámve ipſam in* ſtatu ſilentii *ſive* Imperceptionis, *& per* Sympathiam *&* Co-activitatem *propriæ ſuæ Eſſentiæ eam auferre ad tales uſus ad quos aut ipſa auferri meruerit, aut neceſſitates requirant Univerſi? Quæ omnia tametſi nolo tanquam vera aſſerere, ea tamen auſim æquè intelligibilia pronunciare, atque eſt unio Animæ cum corpore, quam experientia facit ut intelligamus etiam inviti.*

XII. Antiquam Cabbalam Judaicam ex Platoniſmo & Carteſianiſmo nunc ſic dicto conſiſtere, è ſucceſſione Scholæ Pythagoricæ porrò confirmatum.

12. *Quantùm ad* Conjecturam Cabbaliſticam, *nihil illìc novi habeo quod notem, niſi id quod illic addidi de novo, quæ* Appendix *eſt ad* Defenſionem Cabbalæ Philoſophicæ. *In qua,* Cabbalam, *utì ſpero, ab omnibus omnino ullius momenti Objectionibus liberavi: interque alia manifeſtò probavi, non ſolùm* Platoniſmum, *ſed &, qui nunc non immeritò ità appellatur, propterea quòd* Carteſius *tam fæliciter eum in hominum conſpectum rurſus reduxerit,* Carteſianiſmum *antiquæ* Cabbalæ Judaicæ *partem fuiſſe, quippe quæ pars eſt Philoſophiæ* Pythagoricæ, *quam is (quemadmodum antiqui Scriptores abundè teſtantur) nactus eſt à* Judæis. *Omiſi Scholæ* Pythagoricæ *ſucceſſionis deſcriptionem, quæ tamen à ſcopo noſtro minimè fuiſſet aliena. Ac proinde hic ſupplementum ex* Diogene Laertio *ſubſtituam, qui iſtorum Philoſophorum ſeriem ſic recenſet; ſunt nempe,* Pherecydes, Pythagoras, Telauges, Xenophanes, Parmenides, Zeno Eleates, Leucippus *&* Democritus, *& tum multi alii, inter quos ſunt* Nauſiphanes *&* Naucydes. *Omniúmque ultimus* Epicurus.

Hæc Schola appellabatur Schola Italica. *Cujus Succeſſionis primus* Pherecydes *arcana quædam Scripta nactus dicitur à* Phœnicibus *ſive* Hebræis, *quemadmodum jam obſervavi ex** Heſychio: *Nec opus habeo hìc repetere ampla illa Teſtimonia, quæ* Pythagoram *(immediatum* Pherecydis *Succeſſorem) probant Philoſophiam ſuam accepiſſe à* Judæis; Cabbalámque *apud ipſum integram conſervatam fuiſſe & apud nonnullos ſuorum Succeſſorum, hoc eſt,* Phyſicam *ſive* Mechanicam *partem à* Theologica *ſive* Metaphyſica, *corpus ab Anima, nondum divulſum fuiſſe, quod tamen contigiſſe videtur apud* Leucippum *&* Democritum, *& denique cadaveroſam & malè olentem evaſiſſe apud* Epicurum *& quotquot illius veſtigiis inſtiterunt ad hunc uſque diem.*

* Append. ad Defenſ. Cab. Philoſ. cap. 7. ſect. 5.

XIII. Rationes particulares ex *Pherecyde, Parmenide* & *Ariſtotele* quæ cuivis perſuadere poſſint, totam Philoſophiam *Pythagoricam* tam Phyſicam quàm Metaphyſicam antiquam fuiſſe Sapientiam *Judæorum.*

13. *Ceterùm intereà loci non poſſum non notare quòd hæc illius Scholæ ſucceſſio, & Philoſophiam* Pythagoricam *antiquam* Judæorum *Sapientiam fuiſſe, & ſpeciatim* Atomicam *ſive* Mechanicam *Philoſophiam (talem ferè tantúmque quantum nos Textui* Moſaico *applicavimus) hujus ſapientiæ fuiſſe partem non mediocriter confirmet. Supervacaneum hìc eſſet repetere quæ jam attuli, ad evincendum, qualem cognationem* Pythagoriſmus *habuerit cum Textu* Moſaico. *Verùm præter illa quæ obſervavi ex mentione* Ophionei *apud* Pherecydem, *tanquam* Spirituum *Apoſtatarum perſuaſoris ac Ducis, Initium certè libri illius, quem* Laertius *memorat, è meo quidem judicio, ab Initio* Geneſeos *non multùm profectò abludit.* Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἰς ἀεὶ καὶ χθὼν ἦν· χθονὶ δὲ ὄνομα ἐγένετο γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζεὺς γέρας διδοῖ. *Cujus quidem ſenſus nativus eſt,* Deus & Tempus (*duratio utique ut opinor*) & ſolum æternò erant. Solum verò poſtquam Deus ipſum ornaverat, dicta eſt Terra. *Cujus ſententiæ partem poſteriorem ad tertii diei opus reſpexiſſe veriſimillimum eſt. * Pars verò prior quæ Solum æternum affirmat, primi diei opus reſpicit. Etenim hæc* χθὼν, *quam* ſolum *interpretatus ſum,* Hyle *eſt, quam* Plotinus ὑποβάθραν *vocat &* τὴν ἀρχαίαν φύσιν, ſolum *vel* fundamentum, *&* antiquam Naturam: *cùm* Hyle *ſive externæ Creationis Poſſibilitas æterna ſit, quæ tamen non eſt niſi genus quoddam* Non-Entitatis, *& tamen Actualis Eſſentiæ Baſis infima. Juxta quem ſenſum* Parmenides *etiam intelligendus eſt, (quintus in ſucceſſione* Italica) *ubi duo prima Principia facit Ignem & Terram, quemadmodum apparet ex* Ariſtotele. * Δύο τὰς ἀρχὰς τίθησι, θερμὸν καὶ ψυχρὸν, οἷον πῦρ καὶ γῆν λέγων. Τούτων δὲ τὸ μὲν κατὰ τὸ ὂν τὸ θερμὸν τάττει, θάτερον δὲ κατὰ τὸ μὴ ὄν. *Ubi eruditus* Stagirita *toto cælo errat in ſuo gloſſemate, tanquam*

* Ariſtot. Metaphyſ. lib. 1. c. 5.

ſi Parmenides *per Ignem ſuum & Terram nihil aliud quàm* Calidum *&* Frigidum *intelligeret, itáque duo Accidentia, prima rerum Principia conſtitueret. Cæterum interim ex hac occaſione per quam utilem nobis accommodavit lucem, ex eo quod de* Parmenide *teſtatus ſit, eum Terram Non-Entium ordini accenſuiſſe. Hinc enim manifeſtum eſt eum* Symbolicè *locutum eſſe, per eámque idem intellexiſſe quod* Pherecydes *per ſuam* χθόνα, *antiquam ſcilicet* Hylen. *Quis enim unquam diceret Terram hanc* Phyſicam, *quæ maximè craſſa eſt & palpabilis Entitas in rerum Univerſitate, Non-Entium ordini magis accenſendam eſſe quàm Ignem aut Aërem & ſimilia? Verùm* Ariſtoteles, *(quanquam præclara interdum effundit Oracula) ſæpenumero tamen in antiquorum Philoſophorum opiniones inſultat triumphátque ante ullam victoriam, propter ſuam ſcilicet illius rei ignorantiam, de qua tam expreſſè nos monet* * Clemens Alexandrinus, Ὅτι ὁ τρόπος παρ' αὐτοῖς τῆς φιλοσοφίας Ἑβραϊκὸς καὶ αἰνιγματώδης· Quòd modus Philoſophandi apud ipſos MOSAICUS eſſet & Symbolicus. *Cúmque tam manifeſtum ſit* Terram *apud* Parmenidem *ſignificare* Symbolicè, *minimè dubium eſſe poteſt quin Ignis etiam ità ſignificet, nihilque aliud ſit quàm* אור *ſive* οὐρανὸς *Æther; Lucique ſive Cœlo in primi Diei Creatione memorato, ſignificatu reſpondeat. Quod* Plaſticum *ſive* * Demiurgicum Parmenidis *Principium eſt (quale Ignis eſſe non poteſt) quemadmodum & Terra* Materiale. *Hujuſmodi quidem Indicationes* ‖ *attuli quibus probarem nexum aliquem eſſe ac cognationem Textum* Moſaicum *inter & Philoſophiam* Pythagoricam.

* Clem. Stromat. lib. 1.

* Diog. Laert. in vita Parmenidis.

‖ Vide Append. Defenſ. Cab. Philoſoph. cap. 7. ſect. 5.

* Vide Append. Defenſ. Cab. Philoſ. cap. 1. ſect. 8.

Quòd verò Philoſophia quam Pythagoras *accepit à* Judæis, *merè* Metaphyſica *non eſſet, ſed etiam* Phyſica *ſive* * Mechanica, *conſimiliſque aliquo modo* Carteſianæ, *non ſolùm Motus Telluris, quæ famigerata eſt* Pythagoræ *Opinio, quæque vorticem circa Solem implicat, ſed etiam confeſſa* Leucippi, Democriti *&* Epicuri, *qui è linea* Italica *fuerunt, Atomica Philoſophia pleniùs evincit: Quanquam ea quæ de vorticibus tradunt, aut corruptæ ſunt notiones illius Scholæ tum ſeneſcentis, aut obſcurè tantùm & confuſè ab Hiſtoricis deſcriptæ. Et tamen è vita* Parmenidis *ſelegi, quod adeò ad amuſſim Philoſophiæ* Carteſianæ *congruit, ut nihil poſſit ſuprà, quódque reverà eſt illius ipſum quaſi cor ac medulla, totámque quodammodo attingit & comprehendit. Quod apud* Laertii *Interpretem ſic quidem effertur:* * Solem ipſum frigidum eſſe & calidum. *Quod monſtroſum profectò* Parmenidis *eſt & enorme dictum, niſi hic tantùm ſenſus ſit, Solem eſſe vel* candentem *vel* extinctum: *alludendo ſcilicet ad* שמש *&* כוכב. *Nec verum eſſe poteſt illud quod proximè præcedit,* Homines nempe generatos eſſe ex Sole, *niſi quatenus ſit extinctus, Tellúſque ſive Planeta factus. Atque hactenus quidem definit Philoſophia* Carteſiana, *quòd Terra hæc, ex qua primùm factus eſt homo, iſtiuſmodi naturæ ſit, ac ſi olim Sol fuiſſet, nec ipſe auſim quicquam ulteriùs definire.*

* Vide Append. Defenſ. Cab. Philoſ. cap. 7. ſect. 5.

XIV.

Infœlix Phyſicæ partis Cabbalæ a Metaphyſica divortium in *Leucippo, Democrito & Epicuro*; cum ſerio Authoris ſtudio eas rurſus reuniendi.

14. *Eſt igitur mihi valdè manifeſtum quòd antiqua* Cabbala Pythagorica *ſive* Judaica *ex iſtis duobus conſtabat, quos* Platoniſmum *nunc &* Carteſianiſmum *appellamus, quorum poſterior quaſi Corpus, prior verò Anima erat illius Philoſophiæ. Quorum infelix divulſio magnum utriſque damnum intulit. Quippe quòd* Metaphyſici, *operam luſerint nugáſque planè egerint, Subtilitatum fila deducendo ſupervacuarum & inutilium, ridiculáſque contexendo falſitates de rebus Immaterialibus, propter defectum alterius alicujus Objecti facilioris, in quo rationem ſuam potuiſſent exercere; Philoſophi verò* Atomici *circa potentias Materiæ nimis creduli evaſerint, immo verò auſim dicere, nimis quàm impii & impudentes in explodendo rerum incorporearum fidem, & in contemnendo Regulas ac Principia Virtutum atque Morum; & inverecundè denique hominibus obtrudendo præfervidas ſuas Mechanicas Conjecturas, pro neceſſariis Demonſtrationibus, cùm, quæ ſic proponebant, falſa erant & impoſſibilia. Ac proinde haud parum quidem mihi ipſi applaudo, quòd gradum aliquem fecerim ad reſuſcitationem antiquæ illius ac venerabilis Sapientiæ rurſus in Vitam, & ad Reunitionem quaſi Corporis Animæque* Moſis, *quódque tam aptè ac decorè eum induerim ſive conveſtiverim perquam ſacro ſui Textûs Integumento.*

Quod quidem tametſi mihi videbatur facinus paulò audacius, nec multùm ab excitatione è mortuis membratim dilaniati Hippolyti *abludere; triſtis tamen Fati* Æſculapii *recordatio, me à tam præclaro Incepto non potuit abſterrere: quin & libera mea profeſſio* Tentamen *potiùs fuiſſe quàm* opus conſummatum *non exiguam mihi ſpem injecit, quòd ſatis tutò, à malignè contorto Zeli exardeſcentiſve Invidiæ fulmine eſſem præmunitus.*

XV.

Quæ Textui *Moſaico* applicat in Cabbala ſua Philoſophica rationi putat conſentanea, certóque novit, ea Textui accuratè congruere; de veritate autem eorum porrò apud ſe deliberat.

15. *Verùm enimverò nè diſſimulem quod celari non poteſt, illud è* Platoniſmo *&* Carteſianiſmo *quod Textui* Moſaico *applicavi, in ſeipſo, quantum ego quidem judico, rationi admodum conſentaneum eſt. Porroque id addendum cenſeo, quod celare non audeo aut diſſimulare, cùm è re & incolumitate Religionis ſit, apertè ſerioque illud profiteri, nempe, ea quæ applicavi, exquiſitè citráque omnem exceptionem aptè accommodata eſſe Textui à capite ad calcem, quemadmodum planè evici in* Defenſione *illius* Cabbalæ, *ejúſque* Appendice. *Quæ nulla profectò eſt à me ſponte prorumpens gloriatio, ſed ſeria profeſſio veritatis, mihi extorta*

extorta quidem ex debito ſenſu illius uſûs quem dignitati authoritatíque Eccleſiæ poſſit præſtare. Etenim cùm proprio judicio ſatìs perſuaſus eſſem, ea quæ applicavi, humanæ mentis facultatibus admodum eſſe conſentanea, reputánſque porrò apud meipſum, quos profectus illa Philoſophia jam feciſſet in Orbe Chriſtiano, & quàm facilè iſtæ victoriæ obtineantur, quæ in voluptatem cedunt & oblectamentum eis qui vincuntur (& talis equidem Veritas eſt animabus humanis) ut & quàm immenſo incommodo Religioni ac Theologiæ foret, tanto intervallo videri à tergo relinqui, illive Philoſophiæ adeò apparere infeſtas, quæ, prævidi probabile fore, ut ſit communis Philoſophia Literatorum; idcirco ut omnem contemptum ac cavillationem adverſus Sacroſanctitatem Chriſtianitatis prævenirem, ac ſi illa quicquam contra ſolida ac approbata Rationis ac Philoſophiæ principia teneret, partem duxi fidelitatis illius quam Eccleſiæ Chriſtianæ debeo neceſſariam ac inviolabilem, publicè declarare, Si quis ſit qui præſumat ſe poſt accuratam examinationem talia Carteſianiſmi *vel* Platoniſmi *Theoremata qualia ego literæ Moſaicæ applicavi, vera omninò inveniſſe, quod confidenter ipſi affirmare auſim, ſi ità ſint, veritates iſtas in Textu* Moſaico *ſemper latitâſſe, nullúmque Philoſophum vel minimum prætextum habere magnificandi ſe adverſùs Religionem & Eccleſiam Dei, in qua tam opulenti Scientiæ theſauri ſemper reconditi ſunt, quanquam homines per multa jam ſæcula otium non habuerunt aut opportunitatem eos reſerandi ad hunc uſque diem. Quæ quidem conſideratio, magni, meo quidem judicio, momenti eſt ad os obturandum Ingeniis Atheiſticis, & ad ineffabilem honorem conciliandum ac Reverentiam Religioni, & Eccleſiæ, apud eos qui ſcientiâ pollent & ingenuitate.*

Hoc igitur affirmatiſſimè contendo, ea quæ Textui Moſaico *applicavi, exquiſitè apta eſſe atque congrua, ſperóque me citra omnem violationem legum modeſtiæ addere poſſe, quòd ſint Rationi conſentanea. Verùm diuturnioris apud meipſum deliberationis exitus eſſe debet, ſi affirmem eſſe vera. Ingenuè enim fateor, quanquam clavem me in manu tenere deprehendo, cujus forma ac ſtructura ſingulis ſeræ Theſauri hujus* Moſaici *tricaturis accuratè ſit adaptata, quæque ſerando reſerandóque facili negotio hàc illàc contorqueatur, & inæſtimabiles, meâ quidem opinione, ſcientiæ divitias intus conſpicio; non audeo tamen fidem habere propriis oculis, ſtatueréve apud meipſum realiſne Viſio ſit, an Inſomnium. Neſcius an citra omne dubium hæc illa antiqua ſit Cabbalæ* clavis aurea, *an altera aliqua ex magìs degenere Metallo conflata. Atque equidem ſuſpicio hæc cuipiam majorem in modum augeri poteſt, ex eo quòd immediatè proſpectum aperiat in duo iſta mentis oculos perſtringentia Paradoxa, de Motu Telluris & præ-exiſtentia Animarum, quod ſatìs eſt ad efficiendum ut vel audaciſſimus ſpectator retrò reſiliat & in ſubitum conjiciatur ſtuporem, quo me fateor teneri ad hunc uſque diem. Quam meam Timiditatem nemo meritò mirari poteſt, qui perpenderit quàm averſo animo eſſent antiqui Patres à Globoſitate Terræ, & ab opinione Inhabitationis Antipodum: Quæ quidem olim* Pythagoræ *opinio erat, ſed noviſſimorum horum ſæculorum certa ſcientia.*

XVI.
Teſtimonia diverſorum ſanctorum virorum, qui Animæ Præ-exiſtentiam aut apertè aſſeruerunt, aut ſaltem eandem non improbârunt.

16. *Prætereà, liberè profitendum eſt, me nec plura ſcire nec meliora quæ pro* motu Telluris *aliiſque principalibus* Carteſianiſmi *Theorematis afferri poſſint, quàm quæ in Epiſtola mea ad V. C. comprehenduntur; nec quicquam quod* Animæ Præ-exiſtentiam *firmiùs concludat, quàm quod in Tractatu de illius* Immortalitate *produxi. Quæ quidem in medium protuli, (ut & quæcunque alia quæ quiſpiam in Scriptis meis putare poſſit à communi tramite aliquo modo deviare) ad amplificandum Objectum accuratioris judicii hominibus. Quod magnam profectò vim habet ad decidendum quid ſit verum. Nec quicquam animo occurrebat quod dignum videbatur ut poſteriori adderetur Argumento Præexiſtentiæ, niſi fortè (præterquam quòd indicaverim opinionem fuiſſe omnium Philoſophorum qui animam tenuerunt Immortalem, & magìs particulatim* Platonis, Ariſtotelis & Ciceronis, *Authorum qui per ipſa Univerſitatis ſtatuta nobis legendi proponuntur, quod ſatìs eſt ad exiſtimationem iſti dogmati conciliandam) notâſſem inſuper, quàm innocens illa Opinio, quámque omnis offenſionis expers eſſet, in purioribus magiſque intemeratis Eccleſiæ ſæculis.*

Clemens Alexandrinus.

Clementem *enim* Alexandrinum, *eam in multis locis deſcribentem reperio ſine vel minima improbationis ſignificatione. Ut in primo ſuorum Stromatôn, ubi de Barbaris ſcribens (quorum ſapientiam videtur, in gratiam fortean* Hebræorum, *ſapientiæ* Græcorum *præferre) ſic loquitur:* Δῆλοι δέ εἰσιν οἱ βάρβαροι διαφερόντως τιμήσαντες τοὺς αὐτῶν νομοθέτας τε καὶ διδασκάλους, θεοὺς προσειπόντες. Ψυχὰς γὰρ ἀγαθάς, κατὰ Πλάτωνα, καταλιπούσας τὸν ὑπερουράνιον τόπον ὑπομεῖναι ἐλθεῖν εἰς τόνδε τὸν Τάρταρον, καὶ σῶμα ἀναλαβούσας τῶν ἐν γενέσει κακῶν ἁπάντων μετασχεῖν ὑπολαμβάνουσι, κηδεμόνας τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, αἳ νόμους τε ἔθεσαν, καὶ φιλοσοφίαν ἐκήρυξαν, *id eſt,* Manifeſtum eſt Barbaros ſpeciali modo Legiſlatores ſuos ac Inſtitutores honorâſſe, Deos eoſdem appellantes. Supponunt enim cum *Platone,* Bonas aliquas animas loca ſua cœleſtia relinquentes in hunc Tartarum delabi ſuſtinuiſſe, & corpora reſumentes omnium malorum quæ Generationem comitantur fieri participes, utpote quibus commiſſa eſſet humani generis cura, cui propterea Legiſlatores facti ſunt, ac Philoſophiæ Præcones. *Quam opinionem tantum abeſt ut explodat, ut in genere, antequam ad hanc Diſſertationem de Philoſophia Gentium deſcendat, mirabilem hanc præmiſerit ſimilitudinem. Quòd quemadmodum partes Univerſi, licèt inter ſe diſcrepent, peculiarem tamen habent conſonantiam & conſenſum cum toto Mundo,* οὕτως ἥ τε βάρβαρος ἥ τε Ἑλληνικὴ φιλοσοφία τὴν ἀΐδιον ἀλήθειαν σπαραγμόν τινα τὸν τοῦ λόγου τοῦ ὄντος ἀεὶ θεολογίας ϖεποίηται. Ὁ δὲ τὰ διηρημένα συνθεὶς αὖθις καὶ ἑνοποιήσας τέλειον τὸν λόγον, ἀκινδύνως, εὖ ἴσθ', ὅτι κατόψεται τὴν ἀλήθειαν· Ità, *inquit ille,* Barbara Græcáque Philoſophia æternam fecerunt veritatem diſcerptionem quandam Theologiæ de *Logo in æternum permanente,* in partes diſperſas. Qui verò conjunxerit iſta quæ diviſa ſunt ac diſperſa, ac ſub unam perfectam rationem reduxerit, pro certo ſcias hunc hominem, ad fundum uſque veritatis inſpecturum eſſe. *Quod quidem eo lubentiùs recenſui, cùm aliquid hujus generis ipſe mihi videar tentâſſe, cùm diſcerptæ antiquorum ſapientiæ in unam* Moſaicam *Cabbalam compingendæ operam dabam.*

Rurſus in libro tertio, ubi contra Marcionitas *diſputat, multa ex* Platone *loca citat, quæ aut directò Animæ Præ-exiſtentiam affirmant, aut eò aliquâ ratione referuntur. Ut illud ex* Phædone *illius, Quòd ſit* ὁ ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος λόγος, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι· Quòd ſit arcanum quoddam traditum, Nos homines in hac vita cuſtodiâ quaſi quâdam teneri. *Et* Heraclito, Pythagoræ, Socrati *&* Platoni *ſimul ſapiens hoc dictum aſcribit,* Θάνατός ἐστιν ὁκόσα ἐγερθέντες ὁρέομεν, ὁκόσα δὲ εὕδοντες ὕπνος. *Id verò pleniſſimè rem attingit, quod ex* Philolao Pythagoreo *affert.* Μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ ϖαλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντεις ὡς διά τινας τιμωρίας ἁ ψυχὰ τῷ σώματι συνέζευκται καὶ καθάπερ ἐν τῷ σώματι τούτῳ τέθαπται· Antiqui Theologi ac Vates (Judæos *opinor præcipuè intelligit*) teſtantur Animam cum hoc terreno corpore per modum ſupplicii conjungi, & quatenus quidem in hoc corpore eſt, eatenus ſepeliri. *Contra quas* Platonicas *opiniones* Clemens *nè minimum oſtendit faſtidium, ſed* Marcionem *ob id tantùm reprehendit, quòd iſtis abuſus eſſet ad abſurdam ſuam doctrinam, quaſi Matrimonium eſſet illicitum; conqueritúrque quòd ingratè imperitéque à* Platone *occaſionem ſumpſiſſet depromendi abſonas ſuas ac perverſas opiniones.*

Et poſtea in eodem libro, quanquam non ſine zelo aliquo Julio Caſſiano *ſe opponit, quòd abdita illa membra quæ tam in Mare quàm Fœmina Deus formavit, tam contumelioſè reprehenderet; tamen in mentione opinionis illius de Animæ Præ-exiſtentia,* Ἡγεῖται, *inquit,* ὁ γενναῖος οὗτος Πλατωνικώτερον, θείαν οὖσαν τὴν ψυχὴν ἄνωθεν ἐπιθυμίᾳ θηλυνθεῖσαν δεῦρο ἥκειν εἰς γένεσιν καὶ φθοράν, * Nobilis hic Genius, (*inquit ille,* Caſſianum *intelligens*) more magìs *Platonico* Philoſophatur, cùm dicit Animam, Divinam deſuper Eſſentiam, cupiditate effœminatam huc deſcendere in generationem & corruptionem. *Et rurſus in eadem pagina, ubi* Caſſiani *opinionem producit, de Tunicis pelliceis quibus primos Parentes poſt lapſum veſtivit Deus,* (χιτῶνας δὲ δερματίνους ἡγεῖται Κασσιανὸς τὰ σώματα) *eam certè præterit, addito tantùm promiſſo dicam an comminatione dilatoriâ, quòd oſtenſurus ſit* Caſſianum *deceptum eſſe, poſtquam Tractatum ſuum de Hominis Generatione præparaverit ac perfecerit, ſed in præſens errorem pronunciare omninò detrectat. Et ſi unquam iſtiuſmodi Tractatum ſcripſit, manifeſtum eſt eum has Tunicas pelliceas non tam aſperiter tractâſſe, quin integræ tranſmiſſæ eſſent ad illum excellentiſſimum ejus diſcipulum* Origenem Adamantium, *iſtud Chriſtiani Orbis Miraculum, ſi deſcriptio vitæ illius ac virtutum vera ſit, quam reperimus apud* Euſebium. *Etenim profectò (ut ſtupendas animi dotes ac facultates taceamus, quas maximi illius Adverſarii nequeunt inficiari) valdè difficile erit par exemplum proferre, tam ſinceræ fervidæque adhæſionis cauſæ Chriſti, etiam ad contemptum mortis, Martyriique deſiderium. Quæ inconſiderata juvenilis ardoris excurſio in eo non erat, ſed fidelitas animique fortitudo permanens, cùm ſancto illi viro familiariſſimum erat omnibus Martyribus aſſiſtere eóſque animare ignotos perinde atque ſibi notiſſimos, comitari eos in conſpectu populi ad ſupplicium, eóſque amicè amplexari, ſummúmque quod potuit ſolatium ipſis adminiſtrare, cum frequenti periculo lapidationis ab incenſa multitudine.*

Origenes Adamantius Clementis diſcipulus.

Minoris momenti videbitur notare aſſiduam illius lectionem Sacræ Scripturæ ac Meditationem dies nocteſque, integrum Mundi neglectum ob voluptatem Divinæ contemplationis ac miniſterium Eccleſiæ Chriſti, effuſam charitatem & liberalitatem in egenos, jejunia frequentia & in humo diſcubationes, frigoris & nuditatis tolerantiam, nudatiſque pedibus per duros ſilices inceſſus, à vino abſtinentiam & ſingularem in omnibus Naturæ voluptatibus temperantiam. Cujus egregium in vita Aſcetica exemplum, multos lucrabatur diſcipulos Eccleſiæ, multóſque enutriebat inſtruebátque intrepidos Chriſtianæ fidei Athletas qui vitam lubenter depoſuerunt, propter amorem Domini Jeſu. Tales ex Schola Origenis fuerunt Plutarchus, *duo* Sereni, Heraclides, Heron, Rhais *&* Baſilides, *qui per inter-*

ceſſionem illuſtris illius Virginis Martyris Potamiænæ Martyrii coronam recepit. Quas verò diras calamitates ipſe Origenes in Deciana Perſecutione ſuſtinuerit, quæ vincula, quæ corporis tormenta, quas conjectiones in carceres & gurguſtia, quas membrorum diſtenſiones ac fidiculas, quos terrores Ignis ac Vivicomburii, cuivis licet perlegere in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis.

Hæc, aliáque hiſce conſimilia Specimina, cumulatè planam facient hujus venerandi Patris Integritatem ac Sanctitatem. Cæterùm ingenuè fateor ægrè me adduci poſſe ut obſidem me darem Veritatis omnium illarum Opinionum quæ illi imputantur. Ut, exempli gratiâ, ubi Solem, Lunam & Stellas Animalia facit vitâ, ac intelligentiâ prædita; quod indicio eſt meliorem eum fuiſſe Theologum, quàm Naturæ ſcrutatorem: Ubi affirmat potentiam Dei eſſe finitam, eúmque tot ſolummodo res creâſſe quot minimè repugnet à Providentia ſua ritè poſſe gubernari. Qui quidem Error (ſi Origenis erat) pro Apologia proculdubio deſtinabatur, quòd Deus Mundum non creâſſet infinitum; oſtenditque, majorem ſolicitudinem pro ſuprema Dei Bonitate quàm pro illius Potentia, Patrem reverendum inceſſiviſſe. Ubi Dæmonum ſupplicium Animarúmque damnatarum ſtatuit non eſſe æternum. A quo tamen Jacobus Merlinus eum abſolvit, per decem ad minimum diverſarum Citationum teſtimonium ex ſuis ipſius Scriptis. Ubi aſſerit corpora hominum in Reſurrectione reſuſcitatum iri in figura Orbiculari, quod eis planè repugnat, quæ * Methodius narrat de Origene, nempe, opinionem illius fuiſſe, quòd unuſquiſque omninò appariturus ſit in ſua particulari forma ac figura: quemadmodum rectè obſervatum eſt, in Epiſtola reſolutionis vulgo appellata, quicunque illius Author fuerit, profiteor enim me quis ſit neſcire, tantum abeſt ut ipſe ſim Author, contrà ac nonnulli, ſed ſine ratione conjectârunt. Ubi Servatoris * Animam affirmat eandem fuiſſe quæ erat in Adamo, Quod tamen impoſſibile eſt eum unquam aſſeruiſſe, cùm tam expreſsè declaret Meſſiæ Animam nunquam peccaviſſe. Et denique, ut alia multa miſſa faciam, ubi Animas humanas tranſmittit in corpora brutorum: quod nullus dubito quin facilè probare poſſim Pythagoræ perinde atque Origeni falsò imputari. Verùm leviculi quidam homunciones utriuſque quidem Sectatores, ſed Imaginationis ludibriis nimiùm quantùm dediti, inhoneſtas has affixerunt & ridiculas appendices; reputantes inane quodlibet additamentum, conſummatiorem reddere illam Doctrinam quæ humano generi antiquitùs eſt tradita. Atque hujuſmodi profectò fuit Præ-exiſtentiæ dogma in Eccleſia Judæorum, ubi nulla cum eo commixta erant deliria ac nugamenta. Et ſi ſic permanſiſſet apud Origeniſtas, proculdubio nunquam in publicam cenſuram incurriſſet. Quanquam culpam omnem in iſtos haud auſim transferre, cùm malevoli ipſorum Adverſarii libertatem ſibi aſſumpſerint Origenem onerandi iſtiuſmodi rebus, quarum famæ nullum ſolidum ſuberat argumentum. Hujus generis erat illa bellè formata Hiſtoriola de thuris injectione in altare Idoli, cùm hæc optio ipſi dabatur, aut illud facere, aut corporis uſuram Æthiopi permittere. Quæ mera * Fabula eſt Romantica, magnitudini Nominis virtutúmque Origenis ſuperſtructa. Cujus exiſtimatio quanquam per publicam iſtam Cenſuram in quinto Generali Concilio non parum læſa videatur, ille tamen qui condemnationis capitula, per eandem Poteſtatem quæ occaſionem ei dediſſet, ex Actis Concilii conſideraverit penitùs fuiſſe eraſa, facilè inveniet quod famam Origenis magna ex parte reſarcire poſſit, ſine ullo detrimento Authoritati allato, grandis illius Conventionis. In eorum enim injuriam factum eſt, non cum ipſorum culpa, quòd cauſa ad eos perperàm malignéque delata eſſet.

* Vide Phot. Bibliothec. Excerpt. 234.

* Phot. Bibliothec. Excerpt. 117.

* Vid. Epitom. Spondan. Ann. 253. ſect 19.

S. Baſilius etiam & Gregorius Nazianzenus quòd animo minimè infenſo erant adverſus opinionem de Animæ Præ-exiſtentia, ſed illius potiùs fautores, ex eo apparet, quòd tanto in pretio apud eos eſſet Origenes, & particulatim ex munuſculo illo quod Nazianzenus Theodoro Tyaneo obtulit, librum ſcilicet Excerptorum è Scriptis Origenis, à ſeipſo & S. Baſilio compoſitum, qui appellatur Ὠριγένους Φιλοκαλία. In quo multa loca ſunt quæ Præ-exiſtentiam Animæ planè implicant, eandémve directò affirmant.

S. Baſilius & Gregorius Nazianzenus.

Proximus Præ-exiſtentiæ Animæ Aſſertor ſtrenuus ac apertus eſt Syneſius, Cyrenes Epiſcopus, qui in Epiſtola ad fratrem ſuum ſeriò profitetur ſe honorificum illud officium ſibi oblatum acceptare non poſſe niſi permittatur ei libertas fruendi, immò verò profitendi certas quaſdam opiniones quæ ex ritè penſitatis rationibus altas jam diu in ipſo radices egerant, in quarum fronte hanc de Animæ Præ-exiſtentia collocat. * Ἀμέλει τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν. Nunquam profectò, inquit ille, abducar ut credam Animam exiſtentiâ poſteriorem eſſe quàm corpus ſive materiam; agitque adeò apertè hac in re ut fratri det in mandatis, Epiſtolam Scholaſticis, quemadmodum appellat, divulgare, ut impertiri poſſet Reverendo Patri qui hoc officium ei obtulerat. Quæ libertas nihilominus in profitendo opinionem nullum ponebat obicem Eccleſiaſticæ ſuæ Promotioni.

Syneſius Cyrenes Epiſcopus.

* Epiſt. 105.

Hiſce addere potes duorum Patrum Latinorum Authoritatem, Arnobii & Prudentii. Quorum prior expreſſim hac de re ſic ſcribit. Nonne Deo omnes debemus hoc ipſum

Arnobius.

primum, quòd ſumus, quòd eſſe homines dicimur, quòd ab eo vel miſſi vel lapſi cæcitate, hujus in corporis vinculis continemur? *Poſterior ſic, in Hymno ſuo in* Exequiis Defunctorum.

Patet, ecce, Fidelibus ampli
Via lucida jam Paradiſi:
Licet & nemus illud adire
Homini quod ademerat anguis.
Illîc, precor, optime Ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in ſede ſacrari,
Quam liquerat Exul & errans.

Qui verſiculus ultimus, verbis iſtis Syneſii *in* Hymnis *ſuis accuratè reſpondet, ubi Animam ſuam φυγάδα ἀλῆτιν appellat, propterea quòd cœlum relinquens in* Orbem *hunc inferiorem deerraverit.*

S. Auguſtinus.
* Lib. 1.
* Lib. 3.

Sanctus etiam Auguſtinus *de hac Opinione benignè loquitur, in Tractatu de* * Libero *Arbitrio. Ubi ſic ſcribit:* Utrùm ante conſortium hujus corporis aliâ quâdam vitâ vixerit animus, magna quæſtio eſt, magnum ſecretum. *Et dein in * altero loco ejuſdem Tractatûs, rurſus de Animæ præ-exiſtentia agens, liberè nobis narrat & ingenuè:* Si de Deo aliud ſenſerimus quàm eſt, intentio noſtra non in beatitatem ſed in vanitatem compellet. De Creatura verò ſiquid aliter quàm ſeſe habet ſenſerimus, dummodò non id pro cognito perceptóque teneamus, nullum periculum. *Et in loco tertio, in diſcutienda hac quadruplici quæſtione, utrùm nempe Animæ propagatæ ſint, creatæ à Deo, ex abdito aliquo* Repoſitorio *ubi præ-exiſterent, miſſæ, an huc ſponte ſuâ delapſæ,* Aut nondum iſta quæſtio, *inquit ille,* à Divinorum librorum Catholicis tractatoribus pro merito ſuæ obſcuritatis & perplexitatis evoluta atque illuſtrata eſt; aut, ſi jam factum eſt, nondum in manus noſtras ejuſmodi literæ pervenerunt. *Unde, meo quidem judicio, valdè manifeſtum eſt primæva Eccleſiæ ſæcula, de dogmate Præ-exiſtentiæ Animarum, nullam foviſſe ſiniſtram opinionem.*

Author libri Sapientiæ.
Lib. Sapient. c. 8. v. 19.
Lib. Sapient. c. 18. v. 24.
* Cap. 5 ſect. 3.

Quod ulteriùs è libro Sapientiæ *evinci poteſt, ubi Animæ Præ-exiſtentia æquè conſpicua eſt, atque Sol in medio firmamento; in hiſce utique verbis:* Eram enim puer ingenioſus bonæq; indolis, immò verò potiùs cùm bonus eſſem in corpus incontaminatum veni. *Eſtque ulterius certitudinis hujus Interpretationis pignus, maximè conſentanea illa conjectura eorum qui* Philonem Judæum *hujus libri Authorem concludunt, apud quem nulla opinio frequentiùs occurrit quàm hæc de* Præ-exiſtentia, *ut præteream alia quæ ipſe impreſſerit huic libro veſtigia, & iſtud præ reliquis de Stola* Aaronis, *ubi dicit* Univerſum Mundum in ea veſte talari fuiſſe, Deíque Majeſtatem in Diademate capitis illius. *Quæ ad amuſſim eis reſpondent, quæ ex ipſo attulimus ad verſus Sibyllinos explicandos, quos in ** Appendice Defenſionis Cabbalæ Philoſophicæ *citavi. Quamobrem cùm Eccleſia in iſtis primitivis temporibus hunc* librum Sapientiæ *tantopere approbaret, argumento quidem eſt illam opinionem quæ tam clarè in eo elucet, inoffenſam fuiſſe iſtis ſeculis.*

Beatus Servator.
Johan. 9.

Et poſtremò, ab iſta quæſtione ipſi Servatori à diſcipulis propoſita, (Domine quis peccavit, homo hic an parentes ejus, ut natus ſit cæcus?) *& ab ejus reprehenſionis eorum omiſſione, ulliúſve vel minimæ præ ſe geſtæ ſpeciei faſtidii hujus ſuppoſitionis Præ-exiſtentiæ, Judæis vulgò tunc notæ, & in quæſtione planè implicatæ, demonſtrationem inquam hinc quis arceſſere poteſt quòd nulla noxa opinioni inſit, nullum venenum aut periculum, alioqui Servator tam commodam opportunitatem nactus, illius detectionem nunquam fuiſſet omiſſurus.*

XVII.
Quòd nè minima quidem ſit digladiatio inter Præ-exiſtentiam & derivationem Originalis peccati ab *Adamo.*

17. *Quódque nè minima quidem noxa ſit leviſſimáve colliſio aut digladiatio inter hanc Hypotheſin ac ordinarium & literalem ſenſum Scripturæ & ab univerſis approbatum Fidei canonem, tam certus ſum quàm quòd pellucidus aer Solis lumen non excludat, ſed utraque in eodem ſpacio comprehendantur. Id quidem cui maximè repugnare videtur, eſt Originalis peccati derivatio ab* Adamo. *Qui vero Animæ Præ-exiſtentiam aſſerunt, iſtud Myſterium non rectè callent niſi ſupponunt omnes Animas quæ in hæc terreſtria Domicilia ſecundùm ordinem naturalem veniunt, fuiſſe priùs in* ſtatu Silentii. *Quod quidem eas iſtoc in loco conſtituit ac ſi nunquam antè fuiſſent, totáque rerum ſcena omninò ab* Adamo *exordium ſumpſiſſet. Cujus animam cùm Deus in iſtiuſmodi corpus Paradiſiacum incorporâſſet, quod mentem ejus naturaliter, benigno quodam quaſi incantamento in plenam non peccandi poſſibilitatem attemperaturum fuiſſet, (qui ſtatus eſt in quo Theologia vulgaris orthodoxa* Adamum *fuiſſe ſupponit) idémque privilegium, ſi ſtetiſſet, in poſteritatem illius derivandum,*

dum, deſtinâſſet: Equidem hinc admodum manifeſtum eſt, lapſum ejus cauſam fuiſſe illius, quod nos nunc dierum appellamus peccatum Originale, *hoc eſt, illius præponderantis pronitatis & ferè irreſiſtibilis Proclivitatis ad illud quod malum eſt. Tantum abeſt hæc Præ-exiſtentiæ Hypotheſis à digladiando cum derivatione peccati* Originalis *ab* Adamo.

Immò verò inſuper addo, illud quod in Scriptura dicitur de primo & ſecundo Adamo, *non tam commodè alias intelligi poſſe, quàm ex hac Hypotheſi* Præ-exiſtentiæ, *atque antecedenti lapſu animarum in altero ſtatu. Pervellem enim quemlibet ſepoſito omni præjudicio apud ſe ipſum perpendere, quis tam conſentaneus ſenſus eſſe poſſit iſtorum verborum* S. Pauli *ubi ait Adamum * figuram fuiſſe illius qui venturus erat, hoc eſt, Chriſti, quàm quòd officium* Adami *præludium quoddam erat atque Typus officii Chriſti. Quæ quidem admodum obſcura ac diluta foret ſimilitudo, ſi in hoc ſolo conſiſteret, quòd Perſona publica perinde erat atque ille, ſed talis, cui nullâ ratione redemptionis filiorum hominum cura incumberet. Quamobrem* Adami *officium erat, ſalubrem illam ac Paradiſiacam corporis temperiem ſemini ſuo tranſmittere, (eo planè modo quo vulgaris Theologia ſuper hac re ſtatuit) atque iſtoc pacto Servatorem quaſi eſſe ac Redemptorem ſuæ Poſteritatis, à malignis effectis prioris lapſûs in quem inciderant: Unde quidem accurata Figura erat illius qui erat venturus. Cùm verò terreſtris hic* Adamus *in hoc ſuo officio defeciſſet, Cæleſtis in illius locum ſurrogatus eſt, qui * ſummo perfectiſſimóque modo potens eſt ſervare. Quæ Hypotheſis meo quidem judicio,* S. Paulum *partémque hanc Myſterii noſtræ Religionis mirum in modum, facilem reddit & intelligibilem.*

* Rom. 5. 14.

* Hebr. 7. v. 25.

Hæc, aliáque his cognata offerri poſſunt in gratiam antiqui illius dogmatis Platonici, *Præ exiſtentiæ Animarum.*

XVIII.
Quòd Certitudo vel Mathematica in ſpeculationibus merè Philoſophicis nullius obligat conſcientiam ad earundem profeſſionem contra voluntatem Superiorum.

18. *Quantùm verò ad me, tametſi æquè certus eſſem de veritate* Platoniſmi *&* Carteſianiſmi *in omnibus partibus eorum quas in* Cabbala Philoſophica *Textui* Moſaico *applicavi, quàm de ulla Mathematica Demonſtratione, * me tamen nullatenus per conſcientiam obligatum ſentio, ad meam de iſtis opinionem profitendam ultrà quàm conſiſtat cum bona gratia & permiſſione Superiorum. Quanquam enim iſta Theoremata apud me tam certa eſſent, æquè tamen certus ſum ipſam Mathematicam certitudinem non eſſe abſolutam, Deúmque ſolum eſſe infallibilem.*

Cæterùm nè mihi ipſi injurius videar, nec offenſionem aliquam in aliis excitem, per hanc liberam meam profeſſionem, addere inſuper cogor, Quòd conſcientia cujuſque ſancti & ſinceri Chriſtiani æquè ſtrictè religata eſt in rebus Religionis planè expreſſéque per infallibilia Dei oracula determinatis, quàm eſt in Speculationibus Philoſophicis libera. Quòdque, tametſi ex amore privati otii, vel ex honore ac reverentia erga Eccleſiæ Authoritatem, (cujus proculdubio ingenuus quiſque Animus curam habet atque rationem,) magno teneri poſſit deſiderio loquendi, profitendi, agendique prout ipſi voluerint; in hiſce tamen rebus ubi imponitur aliquid contra planum expreſſúmque Divinorum iſtorum Scriptorum ſenſum, non poteſt quin hîc reſtrictum ſe ſentiat, certóque coactus erit τὰ τȣ͂ Θεȣ͂ πρεσβύτερα ποιέεσθαι ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων, *(quemadmodum* Lacedæmonii *feciſſe dicuntur quanquam in Errore religioſo) vel potiùs brevem illam ſed ſolidam Apoſtoli Apologiam adhibebit,* Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.

Herod. lib. 5. n. 63.

Act. 5. 29.

Hæ ſunt Leges Adamantinæ nexúſque Religionis contra quos nemo fremere poteſt, quin eo ipſo contra exiſtentiam Dei fremat, contráve indiſpenſabile illius jus, quo ipſi primo in loco ſerviatur, quóque conſcientiæ *noſtræ obligentur ad credendum* linguæque *ad profitendum quaſcunque veritates is modo quodam miraculoſo hominibus eâ lege communicaverit.* Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui eſt in cœlis. *In Philoſophicis verò ſpeculationibus, quales ſunt* Præ-exiſtentia Animæ, Motúſque Telluris, *& id genus aliæ, ubi Deus non requirit profeſſionem noſtram, nec æterna noſtra Salus periclitatur, nec illud quod dictat eſt infallibile, quamvìs cenſeremus nos apud noſmetipſos, ad Mathematicam Concluſionum certitudinem perveniſſe; ingenuè tamen fateor, quemadmodum ſuprà monui, nondum mihi conſtare, quòd quiſquam per conſcientiam obligetur ad eas aſſeverandas contra authoritatem Eccleſiæ ſub qua degit, ſi quando illa eaſdem improbaverit, ſed quòd religione quidem incolumi, Superioribus tanquam* Compromiſſariis *ſuis morem gerere poſſit, eorúmque loquendi formulis phraſibúſve in hujuſmodi rebus uti. Etenim ſi in ſancto illo ac venerabili Legiſlatore* Moſe *virtutis pars erat quòd tantâ prudentiâ paternâque ſuavitate ad vulgi captum ſe demitteret, ut mundi Creationem juxta* apparentias *rerum ipſis familiares deſcriberet; nobis certè vitio verti non poteſt, ſi ex humili quadam ſubmiſſione ac reverentia erga Eccleſiæ Gubernatores (qualiſcunque interim fuerit privata noſtra ſententia) definitos eorum modos formuláſque loquendi in iſtiuſmodi rebus in quibus Deus nos ad partem contrariam non reſtrinxerit, recipiamus atque uſurpemus.*

Matt. 10. 33.

XIX. Si Philoſophia quam Textui *Moſaico* applicavit vera ſit, quòd realis ſit Reſtauratio Cabbalæ *Moſaicæ*.

19. * *Sed enimverò ſi Tempus quod magna omnia gradatim tardâque Pompâ provehit, Philoſophiam tandem quam auſus ſum Textui* Moſaico *applicare, ſolidam eſſe tam univerſim ſit detecturum, ut æquè frequenter ac inoffenſè per os omnium percurſura ſit atque nunc dierum celebratur dogma* Antipodum, *quod olim tam monſtroſum Orbi Chriſtiano videbatur atque enorme: Equidem ægrè ſe intra modum continebit Approbatio, ſed cùm Theoremata pro veris accepta fuerint, neceſſariò etiam agnoſcentur illuſtria & glorioſa; nec defuturi tunc erunt, utì ſpero, qui in noſtram gratiam ipſos* Judæos *appellaturi ſint, ſi hæc noſtra Expoſitio non eſt realis* Moſaicæ Cabbalæ *Reſtauratio, ſique tam religioſè* Logon incarnatum *fruſtrà colimus, cùm ſolidæ Rationis Benedictio ſagaciſque Spiritûs, tam conſpicuè apud Chriſtianos reperiatur, devotos adoratores Domini JESU.*

SCHOLIA

In Præſat. General.

Sect. 4. S*Copus frequentis illius Intertexturæ Platoniſmi & Carteſianiſmi in hiſce, &c.* Quantùm ad Carteſianiſmum, intelligendum eſt, non quidem Univerſaliter (ut nec de Platoniſmo) ſed de ſelectioribus aliquibus Theorematis. Ea enim pars quæ inſinuat Mundum meris rationibus Mechanicis aut conditum aut conſiſtentem, apud me non ſolùm non admittitur, ſed exploditur, ut videre eſt in Enchiridio Metaphyſico, & in Epiſtola ad *V. C.*

Sect. 8. *Nec ad hunc uſque diem in ullum aut hominem incidi aut librum, qui quicquam, &c.* Cujus rei veritas ſatìs tibi innoteſcere poteſt ex eis quæ occurrunt in Scholiis Antid. contra Atheiſm. lib. 1. cap. 8. & in Appendice, cap. 4, 5, 6, 7.

Sect. 10. *Aut ſaltem non eſſe poſſit eſſentialiter præſens Materiæ, &c.* Nam quòd ad Nullibiſtarum opinionem attinet, quantum ſit delirium abundè demonſtravi in Enchiridio Metaphyſico, cap. 27.

Sect. 13. *Pars verò prior quæ Solum æternum affirmat, &c.* Si per Solum hoc intelligatur Potentialitas externæ Creationis futuræ, rectè dici poteſt æternum: Si verò per ipſum intelligatur Monadum Abyſſus ab æterno fuiſſe, nequaquam eſt probabile.

Sect. 16. *Nobilis hic Genius, inquit ille, &c.* Et certè minimè mirandum eſt Clementem tam benignè de Caſſiano loqui, cùm ipſe videatur eandem opinionem aſſerere in Protreptico ſuo, ubi de Chriſto loquens eum ait, αὖθις εἰς οὐρανοὺς ἀνακαλεῖσθαι τοὺς εἰς γῆν ἐῤῥιμμένους, rurſus in cœlos revocare qui in terram projecti eſſent.

Sect. 18. *Me tamen nullatenus per conſcientiam obligatum ſentio, &c.* Quod in hac Sectione de Cabbala Philoſophica vel potiùs Phyſica ſive de Interpretatione Bereſhith dicitur, idem intelligi volo de Mercava, ſive de Interpretatione Viſionis Ezechielis, quæ in hoc volumine occurrit. Eſt enim par utrobique Ratio.

Sect. 19. *Sed enimverò ſi tempus, quod magna omnia gradatim, &c.* Idémque hoc ad Expoſitionem meam Mercavæam perinde atque ad Bereſhith extendi volo.

ANTIDOTUS
Adverſùs
ATHEISMUM:
SIVE
Ad NATURALES Mentis Humanæ
FACULTATES
PROVOCATIO
Annon ſit DEUS.

Per *HENRICUM MORUM*
Cantabrigienſem.

Triſmegiſt.

Ἡ μεγάλη νόσος τῆς ψυχῆς ἡ ἀθεότης.

Ariſtot.

Οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς, καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
M DC LXXIX.

HONORATISSIMÆ DOMINÆ,

DOMINÆ ANNÆ

Vicecomitiſſæ de *Conway* & *Kilulta*.

M*Agna illa opinio, Honoratiſſima Domina, vel potiùs certa notitia, quam de ſingulari tuo* Ingenio *ac Virtutibus habeo, animavit me, vel ut rectiùs dicam, imperavit, ut neminem alium, præter teipſam, præſentis hujus Tractatûs Patronum eligerem. Nam præterquam quòd tibi debitum, perinde ac præſenti huic Seculo, & ſuccedenti Poſteritati officium præſto, dum tam eminentium* Perfectionum, *tranſcendentiſq;* Præcellentiæ *Orbi Teſtis ſum; non parùm mihi ipſi præterea placeo, dum apud me tacitè perſuaſiſſimus cogito, Myſticam illam ac profundam* Moralitatis *Imaginem à* Cebete *ſcriptam & in* Saturni *Templo ſuſpenſam, (quod in Divinum honorem factum eſt ſapientiæ illius Numinis) nec tutiùs nec congruentiùs collocatam fuiſſe, quàm accuratam hanc* Naturalis Theologiæ *ſive* Metaphyſicæ *Deſcriptionem quam ego tam Nobili, tam Sapienti tamq; piæ Perſonæ dedicavi. Et quantùm ad me, videtur profectò mihi æquè vera cultûs* Religioſi *pars Homines virtute præſtantes honorare, atque ſublevare egeſtate oppreſſos, quod Chriſtianitas* Sacrificium *appellare non dubitat. Nec quicquam ſanè hìc extat quod Hyperbolen ſapiat ſermonémve altum & exaggeratum, cùm apud omnes in confeſſo ſit, apud Prophetas, Apoſtolos, antiquoſq; Philoſophos, Homines ſanctos ac bonos* Templa eſſe viventis Dei. *Atq; equidem* Divinitatis *Reſidentia in illa* Heroica *nobilis tuæ Perſonæ* Pulchritudine *tam conſpicua eſt, ut* Plato, *ſi in vivis* eſſet, timidam ſuam Suppoſitionem in Actum, quod aiunt, reductam reperire poſſet, attonitaq; illius Anima, ſumma cum voluptate, Virtutem viſibilem factam, etiam externis ſuis oculis contemplari.

Ac ſanè lubens fateor, Honoratiſſima Domina, tam Divinam Conſtitutionem, quàm hæc tua eſt, nullo indigere Antidoto, quippe omnis Infectionis & vacuam & incapacem. Et ſi reliqui Mortales, vel ad minimum hujus ſanæ Complexionis, generoſiq; Mentis temperamenti gradum perveniſſent, quinimò ſi vel ad æquilibrem quandam Indifferentiam, ità ut neutrò propenderent, reducti eſſent, hoc eſt, ſi quotquot nullum Dei amorem habere ſupponuntur, ullámve Divinæ vitæ notitiam aut experientiam, ex cæco quodam ſerviliq; Timore eum non oderint, hoc meum, inquam, fateor Antidotum, aut ſuperfluum repertum iri ac ſupervacaneum, aut ſiqua occaſio illud requireret, Remedium præſentiſſimum. Etenim cùm hæc veritas de exiſtentia Dei æquè clarè demonſtrabilis ſit atq; ullum Theorema Mathematicum, fieri non poſſet quin æquè firmum & univerſalem extorqueret aſſenſum, niſi funeſtarum ſequelarum formido intellectus hominum corrumperet, ac Præjudicium Suiq; prætimeſcentia Incertitudinem & Obſcuritatem rei tam manifeſtæ prætexeret. Cæterùm ut ſunt tempora, non poſſum quin pronunciem, majori Antidotum meum uſui eſſe quàm optarem. Et certè ſi minori eſſet, vel ferè nulli, voluptas tamen, quæ in legendo hoc Tractatu percipiatur (etiam ab eis qui per ſanctam quandam Fidem Divinumq; ſenſum, Concluſioni ad quam collimo firmiter adhærent) operam quam ei ſcribendo impendi, abundè eſſet compenſatura. Quemadmodum enim oculi vegetiſſimi, & qui ad clariſſimam lucem minimè connivent, haud illubenter dorſum obvertunt Soli, quò pulchritudinem illius refractam in amœniſſimis Iridis coloribus contemplentur; ità perfectiſſimæ Mentes & quæ Divinæ Imaginis modo vivaciſſimo factæ ſint compotes, non poſſunt quin miro quodam gaudio ac voluptate perfundantur, dum glorioſam Dei Sapientiam ac Bonitatem tam pulchrè in externis Naturæ Objectis depictam obſervant & tam peritè variegatam.

Quæ quidem voluptas quanquam omnibus redundat, nullis tamen perinde atq; eis, qui Temperamenti ſint magis Philoſophici & Contemplativi. Ac proinde tibi præ cæteris omnibus, Honoratiſſima Domina, cujus Genium novi adeò Speculativum eſſe, ingeniiq; acumen in rerum Naturalium pariter ac Divinarum Scienti-

am adeò penetrans, ut non ſolùm tui Sexûs, ſed alterius etiam ea in re ſuperaveris univerſos, niſi quorum ætas ætatem tuam nimiùm quantum ſuperaverit. Et certè nunquam ſatìs laudari poteſt ſapientia tua ac judicium, quæ amplitudinem Fortunarum earum quibus Divina Providentia te locupletavit, ad uſus optimos applicas. Optimus enim Divitiarum fructus eſt, quantùm utique ad nos ipſos, quòd, cùm pulchrè jam nobis proſpectum eſſe deprehenderimus, plenam habeamus facultatem temporis impendendi ut volumus. Optima verò Temporis uſura eſt, contemplatio Dei & Naturæ. Qua in re ſi præſentes hæ lucubrationes meæ tam gratæ tibi reperiantur atque utiles quàm ipſe auſus ſim præſagire, equidem poſt lucrifactionem Animarum ab Atheiſmo ad Deum dulciſſimus erit fructus, quem illæ unquam poſſint reddere

Humillimo tuo ſervo
atque addictiſsimo,
HEN. MORO.

E Muſeo, Cantabrigiæ,
3. Kalend. April.
A. D. 1650.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

1. Authoris Apologia quòd hunc Tractatum ſcripſerit, cùm tam multi jam extent de eodem Argumento. 2. Quæ ſcripſit, propriæ ſuæ mentis eſſe Emanationes, peculiarémque ſuum Uſum habere poſſe, apud Homines ejuſdem Genii. 3. Se nec Rhetoricam affectare nec Philologiam, nec numeroſam Popularium Argumentorum Pompam, ſed Rationem ſolidam & inexpugnabilem cum Methodo perſpicua. 4. Se certò ac indubiè Divinam Exiſtentiam demonſtrâſſe hoc uno Poſtulato conceſſo, *Quòd Facultates noſtræ veræ ſint.* 5. Modus ejus peculiaris primum adhibendi argumentum *Carteſianum*; 6. Cauſæque cur reliqua rejecerit. 7. Cautio & ſelectus in adhibendis ejuſmodi argumentis, quæ à generalioribus Naturæ Phænomenis petantur: 8. Quemadmodum & in eis quæ ab Animalibus: 9. Cura ac ſelectus in iſtiuſmodi Hiſtoriis quæ ad *Spirituum* exiſtentiam probandam faciant. 10. Certitudo id genus Argumenti. 11. Ratio cur Hiſtoriarum miraculoſarum è Sacris Scripturis recitationem omiſerit. 12. Quanto ſtudio ad captum ſenſúmque Athei ſe demiſerit ſtylúmque attemperaverit, quo eum ab Atheiſmo ſuo liberaret.

1. *Quibus argumentis, amice* Lector, *ad publicandum hunc præſentem* Tractatum *inductus eſſem, quanquam tanta copia id genus Scriptorum jam extet, tuæ mallem perſpicacitati explorandum relinquere, quàm meipſum ad eam immodeſtiam compelli, ut quicquam eloquar, quod ullam ei præcellentiam tribuere videatur, præ eis qui jam venales proſtant ſuper eadem* Materia: *Hoc tantùm dicam, me datâ operâ ab omnibus hujus generis* Tractatibus *legendis abſtinuiſſe, ut eo magìs ſincerè & inturbatè faciles propriæ mentis emanationes deſcribere poſſem, nec ab eo abduci, quod ſponte ex meipſo enaſciturum eſſet, cogitationes præoccupando Inventis aliorum.*

2. *Scripſi igitur ſecundùm nullum Exemplare præter æternos humanæ mentis Characteres, notáque Naturæ Phænomena. Cúmque omnes homines hæc conſulant, qui congruenter ſcribere conantur, quanquam haud pari ubique ſucceſſu; equidem aliter evenire non potuit, quin eadem rerum Capita attingerem, quæ illi qui ante me ſcripſerunt. Qui tametſi haud mediocrem commendationem ob elucubrata ſua opera mereri poſſint, meos tamen conatus tales fuiſſe ſpero, ut licèt Rivales eſſe non affectent in eorum laudibus aut participes; non diffidam nihilominùs, pro ſua parte bonum illud publicum promoturos, ad quod hujuſmodi ſcripta vulgò collineare prætendunt.*

Id enim quod me ad præſentem hunc Tractatum *publicandum animavit, non erat, ut ſuprà monui, quòd propria mihi adblandiretur opinio, quaſi aliquanto ornatior aut plauſibilior eſſet quàm qui jam in manibus hominum verſentur, ſed quòd ſit diverſi generis, ſuáſque peculiares utilitates habeat atque commoda, ſeorſim, ab aliiſque diſtincta. Quorum proprias præcellentias de longè admirari quidem poteſt, minimè verò auſit ſe ad eos æquiparare. Adeò ut nihil Tautologiæ commiſſum ſit ex eo quòd quæ ſcripſi Lectioni publicæ commendaverim; nec quicquam aliorum laboribus derogatum, quòd hoſce obtulerim fructus meorum. Etenim cùm tam diverſa exiſtant hominum Ingenia ac Temperamenta, non omninò diffido, quin, quemadmodum quæ alii ſcripſerunt, multis fuerunt accepta & utilia, ità hoc meum nonnullis haud ingratum futurum ſit, nec fruſtrà propterea ſcriptum.*

3. *Quanquam enim Lectori polliceri non poſſum, me tam flexanima cum Eloquentia amœnáque Philologia eum excepturum eſſe, quàm ipſi fortean alibi obtingat; ſpero tamen eum agniturum, modò mens ejus nullo laboret præjudicio, luculentam Rationem ac ſolidam, Methodúmque facilem ac perſpicuam, ſe obviam ipſi dediſſe.*

Atque equidem, tametſi copioſâ illâ argumentorum varietate, quod alii ſolent, eum inſtruere haud valeam; frugalis tamen cura, tutáque ſelectûs diligentia quem feci, eorum paucitatem meritò videri poteſt compenſare.

Quemlibet enim Hominem appello, an talium argumentorum, quæ effugium facilè admiſſura ſint, propoſitio (quamvìs hoc peculiare privilegium habere poſſint, ut ad majorem *pompam faciant, & primo quidem aſpectu formidabilia videantur propter multitudinem) animos Atheo non addat, faciátque opinari, cùm horum aciem tam facilè obtundere queat, reliqua haud majorem prioribus habere ſoliditatem, quin & ea ſimiliter ſi luberet & liceret per otium, ſe facilè enervare poſſe Univerſa.*

4. *Quamobrem eis ſolis inſiſtendis operam dedi, quæ non ſolùm in ſe vera ſunt, ſed Adverſario inevitabilia, niſi clypeum abjicere velit, liberúmque naturalium Animi facultatum uſum abnegare, ac ſeipſum ſtupidum omninò Scepticum profiteri. Cæterùm modò nobiſcum admittere velit unum hoc Poſtulatum ſive Hypotheſin,* Quòd Facultates noſtræ veræ ſunt, *quamvìs paulò modeſtiùs in ipſo Tractatu locutus ſim, hic tamen credo me poſſe, citra omnem vanitatem aut jactantiam, liberè profiteri, me omninò demonſtrâſſe,* Deum exiſtere; *quantóque quis magìs ſeriò operam navaverit robori obſiſtendo meorum argumentorum, cum tanto fortiora ea eſſe inventurum, (quemadmodum ubi quis digitis debilibus contra parietem marmoreum obnititur) nullique ea levia apparitura eſſe niſi ei qui negligenter levitérque ea conſideraverit. Etenim è libris illa non ſum mutuatus, ſed ex ipſa rerum natura arceſſivi, & indelebilibus Humanæ Animæ Ideis.*

5. *Et certè hoc expertus ſum, cùm intra tam anguſtum ambitum me continerem, ut nulla Ratiocinia affectarem, niſi quæ admodum conſpicuam haberent affinitatem, & perquam arctam connexionem cum Argumento præ manibus, me naturaliter incidiſſe in quicquid magnoperè fecerit ad propoſitum: Atque ſic meis contentus nihil è copia recepi atque opulentia aliorum. Et ſi quid fortè ex aliis animo occurrebat, illud admittere non potui, ubi, proprio judicio, effugiis obnoxium cenſuiſſem. Neque enim mihi in animo erat imponere Atheo, ſed eum convincere. Ac proinde* Carteſium, *cujus Mechanicum Ingenium nunquam ſatìs admirari potui, tanquam* Metaphyſicorum *Magiſtrum heic ſequi nolui. Unde factum eſt, ut primo tantùm* ejus *argumento uſus ſim, niſi* Scholarum *potiùs cenſendum ſit, aut* meum ipſius *quàm ejus argumentum. Credo enim me tali modo ipſum adhibuiſſe, & omni ex parte tam firmiter ſuffulſiſſe & corroborâſſe, ut pari jure ipſum mihi vendicem atque quiſquam alius.*

6. *Quantùm verò ad reliqua Argumenta, * quæ* Objectivam Realitatem Ideæ *Dei, efficientiam humanæ Mentis excedere ſupponunt, mentémque humanam omnem illam perfectionem cujus Ideam habet, niſi ab alio extitiſſet, ſibi collaturam fuiſſe; & poſtremò, cùm nullam facultatem habeat conſervandi ſeipſam, cúmque præſens ac futurum tempus nullam alterum ab altero habeant dependentiam, eam perpetuò reproduci, hoc eſt, ab altiori aliqua Cauſa conſervari, quam neceſſe ſit eſſe Deum: Hæ rationes, inquam, cùm tam facilè ab Atheo eludi poſſint, non auſim eis confidere, niſi Authoris ingenium haberem quo defenderem, qui, quæ erat ejus dexteritas, quidlibet propugnare valuit. Mihi verò talibus ſuffugiis obnoxia videntur, quibus nequaquam via poſſit intercludi.*

Nam Mens humana, quemadmodum promptè reſponſurus eſt Atheus, ex ſe ipſa *talem efformare poteſt Ideam Dei qua de illìc diſputatur. Quæ Idea nihil aliud erit quàm præſens Mentis modificatio, quales ſunt reliquæ Notiones, Effectúmque eſſentiæ ejus ac potentiæ; illáque potentia eſſentiæ eſt proprietas radicalis. Ità ut nullus exceſſus ſit Effecti ſupra efficientiam Cauſæ, quanquam ultra Mentem ipſam cogitationes non extendamus. Hanc enim Notionem Dei æquè naturaliter format æquéque ſine ope ullius altioris Cauſæ, atque quicquam aliud agit cujuſmodicunque.*

Et quantùm ad contributionem ſibi ipſi iſtarum perfectionum, quarum Ideam in ſe habet Mens, ſi à ſeipſa extitiſſet, contradictionem implicat, inquiet Atheus, ſupponitque rem antequàm exiſtat, conſilium inire poſſe de rationibus maximè commodis ſuæ exiſtentiæ. Verùm enimverò ſi Mens ſit à ſeipſa, talis eſt qualem ſeipſam deprehendit, nec eſſe aliter ullo pacto poteſt.

Ac proinde poſtremò, ſi mens deprehendit ſe exiſtere, perimere ſeipſam pro libitu non magìs profectò poteſt, quàm ſeipſam producere, nec quoquam indiget ad perpetuandam ſuam Exiſtentiam, modò nihil in Natura ſit quod in eam agere poſſit, ità ut eam è rerum natura exterminet. Nam quicquid eſt, ſic eſſe continuat donec aliqua Cauſa ipſum mutaverit.

7. *Similiter in eis Argumentis quæ ab* externa Natura *petivi, perinde atque in illis quæ petuntur ab* innatis humanæ mentis proprietatibus, *cura mea ac ſolicitudo in eorum ſelectu, admodum amplas fecit defalcationes. Quippe cui viſum eſt eis potiùs rebus inſiſtere quæ aliter ſe habere poſſent, & tamen longè meliùs ſe habent ut ſunt, quàm eis quæ neceſſariæ eſſent, nec aliter poſſent ſe habere. Ut exempli gratiâ, quando diſtantiam Solis conſiderabam, equidem id Providentiam magnoperè arguere non putavi, quòd in tam humili loco non collocatus eſſet quàm Luna, nec in tam ſublimi quàm Stellæ fixæ, quoniam reſponderi poſſet, neceſſarium fuiſſe, ut inter duo iſta ſpacia ſitus eſſet, quippe quum Terra aliter non futura fuiſſet habitabilis, atque ſic humani Generis exiſtentia differenda fuiſſet donec*

Materiæ Agitatio res in magìs tolerabilem aptitudinem ac poſituram reduxiſſet, ipſorúmque productioni magìs convenientem.

Nec ſanè Annuus Solis Motus, *vel potiùs* Telluris, *ſimpliciter conſideratus ullum inſigne eſt Divinæ Providentiæ argumentum, quippe qui æquè neceſſarius eſt atque ligni in fluvio delatio, graminúmve circumlatio aquæ vortici injectorum. Leges verò ejus motûs tales ſunt, quæ Providentiam perquam manifeſtò arguant. Unde neceſſe habui prius argumentum miſſum facere, & copioſiùs inſiſtere poſteriori.*

Nec è re fore putabam Rhetorem agere proponendo ante oculos magnam rerum varietatem, aliarúmque præ aliis præcellentiam, ſed finem diligenter premere ac ſubordinationem unius rei ad alteram, oſtenderéque, cùm millies probabilius ſit, rudes Materiæ motus eam ſecùs diſpoſituros fuiſſe, productiones tamen rerum tales eſſe quales noſtra Ratio *non poteſt non approbare tanquam optimas, qualéſve nos ipſi, ſi in noſtra fuiſſet poteſtate, eas conſtituturi fuiſſemus.*

8. *Atque ſic in contemplatione* Animalium, *argumenta urgeo non tam ab eorum diverſitate & ſubſiſtentia (quanquam Materiæ formatio in nudam* Animalis *ſubſiſtentiam ignobilioris Cauſæ effectum eſſe non poteſt, quàm quæ aliquâ peritiâ polleat ac conſilio) ſed exquiſita partium eorum confirmatio eſt quam tantoperè inculco, quódque Structura ipſorum multo perfectior eſt, quàm quæ tantummodo nudæ ipſorum Exiſtentiæ perpetuationique in rerum natura poſſit inſervire. Quæ indubia quidem Demonſtratio eſt, ea* Sapientiæ *effectus eſſe, non* Fortunæ *fructus aut* Materiæ fermentatæ.

9. *Poſtremò, quando ad Hiſtoriam rerum miraculoſarum deſcendo & ſupra ordinarium Naturæ curſum poſitarum, ad probandam* Spirituum *Exiſtentiam, ut eo faciliùs Atheus induci poſſit ad credendam Exiſtentiam* Divinam; *tam cautè hìc ac circumſpectè me adhibeo, ut nullas Narrationes in medium proferam, quas aut* Sacerdotis *avaritia, aut Credulitas impoténſque Imaginatio hominum* Melancholicorum *reddiderit ſuſpectas.*

10. *Nec potui certè ab hoc argumento me abſtinere, cùm tam congruum eſſet támque cum præſenti meo Propoſito conjunctum: quanquam interim minimè me latet, quàm ridiculum eis quibuſcum mihi res eſt, videatur. Verùm præfidentiſſima ipſorum* Ignorantia *nunquam effectura eſt ut me pudeat certæ meæ firmitérque fundatæ* Scientiæ. *Neque enim indiligens harum rerum explorator fui, & à pueritia ad hunc uſque diem, in plures cauſas incidi cur Exiſtentiam Dei credam Divinámque Providentiam, quàm par ſit ut heîc particulatim profiterer.*

11. *In hac rerum miraculoſarum ſive ſupernaturalium Hiſtoria, recitare quidem potui Prodigia illa notabilia, quæ poſt Nativitatem, in Vita, & in Morte denique Chriſti contigerunt, ut Stellam, quæ Magos duxit ad recèns natum Infantem; Voces cœlitùs auditas, teſtificantes Chriſtum filium eſſe Dei; & poſtremò, miraculoſam Solis Eclipſin, factam quidem non per Interpoſitionem Lunæ (quippe quæ tunc erat in Oppoſitione) ſed propter Interpoſitionem, totalémve Involutionem ſi malles, ſpumoſarum iſtarum Macularum quæ ſubinde, plus minùs, ſuper faciem ejus extenduntur, nunc verò ad eam ſpiſſitudinem adeóque univerſim eum inundaverant, ut Dies repentè interceptus eſſet ab attonitis oculis Incolarum Terræ. Quibus diris Symptomatis, quamvìs Sol aliquammultis temporibus obnoxius fuerit, ut latitantes tamen hæ cauſæ tam ſubitò in Paſſione Meſſiæ exilirent ſolémque opprimerent, idque tam enormiter, is cujus mens caligine prodigioſiori quàm Sol tunc Eclipſi non laborat, haud poteſt quin primo intuitu agnoſcat, ſpeciale Divini Conſilii Providentiæve Effectum.*

Verùm nulli ſacræ Hiſtoriæ inſiſtendum putavi, partim, quòd tam plenè vulgóque jam nota ſit, ut planè futurum fuiſſet ſupervacaneum, ſed præcipuè, quia probè novi, quòd Atheus magìs reſulturus ſit ad quicquid à ſtabilita Religione allatum fuerit, ab eóque fugiturus, indomiti mannuli inſtar in paſcuis ad aſpectum fræni aut capiſtri, aërem per nares attrahens, dolúmque de longè odorans, quemadmodum ille imperitè imaginatur.

12. *Cæterùm ut à me minùs ſibi metueret, ad illius formam Geniúmque meipſum compoſui quantum potui ſine ejuſdem veſaniæ aut Impietatis contagio: comparuique ſub aperta ſpecie puri puti* Naturaliſtæ, *quò poſſem eum quoquomodo ab impuro ſuo craſſóque Atheiſmo liberare.*

Is enim qui manum porrigit alteri in foveam lapſò opitulaturus, oportet ipſum, quanquam non labi quidem, tamen incurvare ſe corpúſque inclinare. Et qui cum Barbaro ſermocinatur, eum ſuâ linguâ oportet alloqui; ſimiliter qui lucrifacere ſtudet magìs infirmas corporique immerſas mentes nimiùm quantum ſenſibus mancipatorum Mortalium, ad eorum captum ſe demittere debet, qui Veſpertilionum inſtar & Noctuarum, nuſquam clariùs vident, quàm in ſubobſcura malignáve Luce proprii ſui Crepuſculi.

SCHOLIA

In Præfat. Sect. 6.

QUÆ Objectivam Realitatem Ideæ Dei, &c. Per Realitatem Objectivam Ideæ intelligo entitatem rei repræſentatæ per Ideam quatenus eſt in Idea. Nam quæcunque percipimus tanquam in Idearum Objectis, ea ſunt in ipſis Ideis Objectivè. *Carteſ.* Reſponſ. ad Object. 2. Metaphyſ. Defin. 3.

ANTIDOTUS

ANTIDOTUS
Adverſùs
ATHEISMUM.

LIBRI PRIMI

CAP. I.

1. *Proclivitatem hominum in hiſce Mundi Seculis ad liberandum ſeipſos à metu atque onere* Superſtitionis *ſtudium reddere tempeſtivum, curſum ipſis detorquendi ab* Atheiſmo. 2. *Qui* Religioni *adhærent ex ſola* Superſtitioſa *Conſuetudine, illo vinculo ſemel diſrupto, facilè* Atheos *evadere.* 3. *Utilitas hujus præſentis Tractatûs etiam eis qui ſeriam Religioni dant operam.*

1. MAGNA illa Veritas cui demonſtrandæ operam heic inſumere ſtatuimus, eſt *Exiſtentia Dei.* Atque hoc quidem argumentum præ reliquis elegimus, tanquam temporibus & in quibus verſamur, & quæ mox ſucceſſura ſint, apprimè conſentaneum. In quibus cùm Divina Providentia mentes hominum à metu ac tyrannide merarum Superſtitioſarum Conſuetudinum magis univerſim relaxaverit, rerúmque Religionis recognitionem liberiorem permiſerit quàm in præteritis ſeculis, occaſionem arrepturus eſt *Tentator*, ubi poterit, homines captivos abducendi ex uno tenebroſo carcere in alterum, ex *Superſtitione* utique in ipſum *Atheiſmum.*

2. Id quod ipſi facile factu erit in iſtiuſmodi Hominibus, qui modo quodam tantùm *exteriori*, Religioni adhæſerint, nempe ut morem tantùm gerant *conſuetudini*, aut ex *cæca obedientia* authoritati alicujus *Eccleſiæ*. Nam ſimulatque externa hæc Cultûs fabrica cum fragore ac ſtrepitu corruerit, cùm reverà interim vero Dei timore & amore intùs vacui ſint, & propter corruptam ſuam naturam vitiiſque deditam uſu facultatum ſuarum magis libero omnibúſque præjudiciis exuto deſtituti, facilè profectò allicientur ad aſſenſum ei præbendum, quod è re ſua in præſens tantoperè fore videatur; atque ſic ex labefactione lapſúque illius quod illi præcipuam olim *Religionis* ſtructuram reputaverant, animati obfirmatíque, perlubenter tacitis ſuis cogitationibus etiam ipſum *Objectum* Religioſi illius Cultûs poſtea humi proſternent, concludéntque *nullum Deum* eſſe perinde atque nullam *Religionem*, hoc eſt, Nullum eſſe vehementer diſcupient, ut ab omnibus animi morſibus & contractiunculis immunes eſſe poſſint, moleſtiáque corrigendi mores ſuos, ac timore rationem reddendi vitæ heic tranſactæ pro magno illo Tribunali.

3. Quamobrem ad iſtos ad bonam frugem reducendos, ſi poſſibile eſſet, aut ſaltem ad ſuccurrendum, extricandúmque hos quorum cordibus Dei amor uberiorem in modum inhabitat, (qui obfuſcante aliquâ Melancholiæ nubeculâ, aut majori ſolito *Tentatoris* importunitate inquietari fortè animo poſſint, & cogitationibus ſuis circa hoc tanti ponderis argumentum irretiri) operæ pretium duxi ſtudium noſtrum ac conatus huic tam utili ac tempeſtivo Inſtituto impendere, quo demonſtremus, *Deum exiſtere.*

CAP.

CAP. II.

1. Nihil ſic demonſtrari poſſe, ut mens humana cum ratione concludere poſſit, quòd impoſſibile ſit rem aliter ſe habere. 2. Animam humanam plenum Aſſenſum ei præbere poſſe, quod tamen aliter ſe poteſt habere, multis probatum exemplis. 3. Conſimile Diſſenſûs exemplum. 4. Cauſa cur huic rei probandæ tam ſedulam navaverit operam. 5. Atheum nihil ſibi lucrari ex libera Authoris Confeſſione, quòd argumenta ſua non ſint adeò demonſtrativa quin locum relinquant poſſibilitati, *ut res aliter ſe habeat.*

1. CÆterùm quando loquor de *demonſtranda Dei Exiſtentia*, nolo me ſuſpectum tantæ vanitatis & oſtentationis, ac ſi inſinuare velim me nulla allaturum eſſe argumenta, niſi quæ ità demonſtrativa ſint, ut Intellectus humanus cogatur confiteri impoſſibile eſſe rem aliter ſe habere atque concluſerim. Etenim, quantùm ad me, equidem proclivis ſum ad credendum, nihil omninò ſic demonſtrari poſſe. Nam poſſibile eſt ipſam *Evidentiam Mathematicam*, conſtantem eſſe & indetectam deluſionem, cui natura noſtra neceſſariò ac perpetuò obnoxia ſit, fuiſſéque ſemper ab omnibus retrò ſeculis ſive fataliter ſive fortuitò iſtiuſmodi Animal, quem *Hominem* appellamus, cujus eſſentialis Proprietas ſit, tum falli maximè cùm rem omnium evidentiſſimè ſe percipere cogitat. Et cur obſecro, hoc non eſſe poteſt, perinde atque aliud quicquam, ſi omnia velis aut *fato* aut *caſu* evenire ſine Deo? Nullum enim frænum injici poteſt huic tam veſanæ Imaginationi, niſi ſupponamus noſmetipſos ab altiori Principio Originem duxiſſe, quod abſolutè *bonum* ſit atque *ſapiens*, quod idem eſt atque agnoſcere, *Quòd ſit Deus*.

2. Quamobrem quando profiteor me demonſtraturum quòd *Deus exiſtit*, non polliceor me ſemper iſtiuſmodi allaturum eſſe argumenta, quæ Lector agniturus ſit tam firma ut cogatur confiteri prorſus impoſſibile eſſe rem aliter ſe habere. Sed talia futura ſunt quæ *plenum* mereantur *Aſſenſum*, *plenùmque* extortura ſint *Aſſenſum* ab Hominibus nullo præjudicio laborantibus.

Nam in ea equidem ſum ſententia, quòd plenum illi aſſenſum præbere poſſumus, quod tamen nihilominus aliter ſe habere poteſt. Quod & multis exemplis illuſtrabo. Supponamus duos homines ad ſummitatem *Atho* montis aſcendiſſe, illícque lapidem in forma *Altaris* cum *cineribus* ipſi impoſitis, *veſtigiúſque hominum* cineribus impreſſis, *verbiſve* aliquibus, ſi malles, ut *Optimo Maximo*, vel τῷ ἀγνώστῳ θεῷ aut ſimilibus, inſcriptis exaratíſve ſuper cineres, dum attentiùs comtemplantur, alterum ſtatim exclamare, Certo certiùs homines hîc fuerunt, qui hæc effecerint; alterum verò ſcrupuloſiorem quidem quàm ſapientiorem continuò reſpondere, Immò verò *Poſſibile* eſt rem longè aliter ſe habere, lapis enim naturaliter in hanc ipſam formam creſcere potuit, & qui videntur cineres eſſe non eſſe cineres, hoc eſt, non eſſe reliquiæ ullorum lignorum illîc combuſtorum, ſed inexplicabiles aliqui & imperceptibiles Aeris motus, aliarúmve particularum hujus fluidæ Materiæ, quæ ubique admodùm actuoſa eſt, partes Materiæ in naturam ſpeciémque cinerum formare potuerunt, taléſque luſus gyróſque abſolvere, ut tandem in eiſdem intelligibiles iſtos characteres figuraverint. Sed enim, quiſquámne hominum eſt, qui non animi debilitatem ipſâ dementiâ haud inferiorem in illo altero æſtimaturus eſſet, ſi vel tantillulùm de priori ſententia recederet, nec æquè plenè ac priùs primo ſuo effato aſſentiret & adhæreſceret, nihil obſtante nudâ iſtâ *Poſſibilitate* quòd res aliter ſe habere queat?

Similiter de *Anchoris* quæ è terra effoſſæ ſint, ſive in camporum planitie ſive in locis montanis, utì etiam de *Romanorum Urnis*, cum cineribus & Inſcriptionibus ut *Severianus*, *Ful. Linus* & ſimilibus, vel de *Numiſmatis Romanis*, cum *Effigiebus Nominibúſque Cæſarum*, vel quod frequentiùs occurrit, de *Craniis humanis* in quolibet cœmeterio, ritè quidem figuratis, & cum omnibus iſtis neceſſariis perforationibus ad vaſa tranſmittenda, præter conſpicuas illas Cavitates oculis deſtinatas, dentiúmque ſeries, *Os Styloides* & *Ethmoides* & quid non? Siquis de iſtis dixerit, quòd motus particularum Materiæ, vel abdita aliqua vis *Spermatica* has & *Anchoras* & *Urnas* & *Numiſmata* & *Crania* generaverit, non aliud pronunciat, quàm quod Humana Ratio admittere debet tanquam poſſibile. Nec poteſt quiſquam *Numiſmata* iſta, *Anchoras* & *Urnas* hominum olim fuiſſe artificia, aut hoc vel illud *Cranium* partem vivi hominis, ità unquam demonſtrare, ut coacturus ſit quenquam agnoſcere impoſſibile eſſe ut aliter fiat. Et tamen minimè credo, quenquam fore, niſi manifeſtam ſuis facultatibus vim intulerit, qui aſſenſum ſuum ſuſpenſurus ſit, quò minùs hoc vel illud *Cranium* olim partem vivi alicujus hominis fuiſſe, háſque *Anchoras*, *Urnas*, & *Numiſmata* pro certo humanâ arte facta eſſe liberè plenéque ſit agniturus, non obſtante *poſſibilitate* quòd res aliter ſe queat habere.

3. Et quod dixi de *Aſſenſu*, de *Diſſenſu* perinde verum eſt. Nam mens humana, rationis adhuc compos nec magnis laborans præjudiciis, per naturalem ſuam ſagacitatem pleno æternóque diſſidio à quibuſdam rebus diſſentiet, quas tamen quanquam tam obfirmato miniméque fluctuanti animo rejicit, nullius vel ſubtiliſſimi hominis acumen demonſtrare poteſt impoſſibile eſſe ut ſint veræ. Ut ſi hujuſmodi figmentum comminiſceremur, *Archimedem* ſcilicet eo ipſo corpore, quod habebat cùm à milite occiſus eſt, ſub terra jam incolumem, figuris ſuis Geometricis prope centrum terræ eſſe intentum, procul à tumultu ſtrepitúque hujus Mundi qui meditationes ejus interpellare poſſint, animúmve à curioſis delineationibus quas virga in pulvere deſcribit, avocare: Equidem nemo mortalium demonſtrare poteſt hoc planè eſſe impoſſibile; Et tamen, qui non æquè inconciliabili diſſenſu à tali fabula abhorret, atque ab ulla falſitate quæ fingi poteſt, is homo profectò proximè abeſt à dementia & deliratione, aut enormem vim infert libero uſui ſuarum facultatum.

Quamobrem manifeſtum eſt firmum eſſe poſſe indubiſúmque *Aſſenſum* vel *Diſſenſum*, cùm tamen id cui ſic aſſentimus aliter ſe habere poſſit, aut id à quo tantoperè diſſentimus, demonſtrari non poſſit impoſſibile eſſe ut ſit verum.

4. Qua in re tam diu variéque luſimus, ut firmior fœliciórque Lectori illius fiat impreſſio, cùm haud exigui uſûs ſit aut momenti, tum ad eum monendum, quòd argumenta quæ allaturus ſum, tametſi oſtentatorio illo *Demonſtrationis* Titulo ea non exornem, æquè tamen efficacia eſſe poſſint ad extorquendum *firmum miniméque fluctuantem aſſenſum*, atque ſi iſte Titulus ſtrictiſſimè ſumptus ad ea pertineret; tum etiam ad revocandum ei in memoriam, quòd, ſi tam firma ſint támque commodè adaptata, mentíſque humanæ facultatibus adeò conſentanea, ut nihil habeat quod reſpondeat, niſi quòd nihilominus poſſibile adhuc ſit rem aliter ſe habere, *liberum plenúmque* debeat *aſſenſum* præbere concluſioni, & ſi non fecerit, quòd ſeipſum potiùs ſuſpectum habere debeat alicujus intemperiei, præjudicii, aut imbecillitatis, quàm argumenta, defectûs roboris.

5. Quòd ſi *Atheus* è contrà, hoc candore meo ac fidelitate abuſurus ſit, ad imaginandum ſe magnum quid lucratum eſſe ex hac libera mea Confeſſione, quòd argumenta, quibus uſurus ſum, non adeò demonſtrativa ſint, quin locum aliquem relinquant *Poſſibilitati* quòd res aliter ſe habere queat; addat modò in hiſce lucris ſuis fictitiis computandis *Limitationem* hujus *Poſſibilitatis*, (nempe quòd non magìs poſſibile ſit quàm quòd apertiſſima *Evidentia Mathematica* ſit falſa (quod impoſſibile eſt, ſi facultates noſtræ ſint veræ) vel in ſecundo loco, quàm quòd *Romanorum Urnæ* & *Numiſmata* ſuprà memorata *Naturæ* opificia reperiri poſſint non Artificia *Hominis*; quod facultates noſtræ tam parum probabilitatis habere admittunt, ut impoſſibile ſit quin plenum Aſſenſum præbeant parti contrariæ) & calculis demum rectè ſubductis, evidentiſſimum profectò erit, nihil præter craſſam ignorantiam in hoc genere Arithmeticæ fore quod ipſum animaturum ſit ad ſe *Lucratorem* ponendum non autem meipſum.

CAP. III.

1. *Quòd determinatam notionem habere debemus* Quid Deus ſit, *antequàm demonſtrationem aggrediamur*, Quòd ſit. 2. *Deſinitio Dei.* 3. *Quòd ſit* Idea Entis abſolutè perfecti *in Mente humana*, *ſive* Atheus Ideam Dei *agniturus ſit*, *ſive ſecùs*. 4. *Nullum damnum inferri* Naturalitati *hujus Ideæ*, *quod formari poſſit ab aliquibus occaſionibus ab extrá*.

1. Atque hiſce quidem ſic præmiſſis, propiùs jam ad præſens Inſtitutum accedam. In quo proſequendò, è re fore puto, definire antè, *Quid Deus ſit*, quàm ad demonſtrandum progrediar, *Quòd ſit*. Eſt enim humanæ Rationi obvium argumenta eruere, pro *Impoſſibilitate*, *Poſſibilitate*, *Probabilitate* vel *Neceſſitate Exiſtentiæ* alicujus rei, ab explicatione illius *Eſſentiæ*.

Atque nunc quidem, poſtquam huc perventum ſit, à quovis *Atheo* quæro, qui negat Deum eſſe, vel ab alio quolibet qui dubitat an ſit nécne, quam *Ideam Notionémve* formant illius rei quam aut negant, aut de qua dubitant? Si hîc tergiverſari volunt & delicias agere, profitendo ſe nullam iſtiuſmodi rerum *notionem* formare poſſe, perlubenter eos rogare vellem, cur igitur negent aut dubitent, de eo quod planè neſciunt? Etenim neceſſarium eſt ut is qui de re quapiam cum ratione dubitare eámve negare velit, determinatam notionem habeat illius rei de qua dubitat, aut quam negat. Quòd ſi profiteantur hanc ipſiſſimam eſſe cauſam cur negent, dubiténtve *an ſit Deus*, quòd nullam de ipſo *Notionem* poſſint formare; hoc obſtaculum è medio ſtatim tollam, talem ipſis obferendo *Notionem*, quæ æquè propria *Deo* ſit, atque quævis *Notio* ulli alii rei propria eſt per totam rerum Univerſitatem.

2. Sic igitur *Deum* definio: *Eſſentiam*, ſive *Ens ſummè & abſolutè perfectum*. Dico, *Summè & abſolutè perfectum*, ut à tali Perfectione diſtinguatur quæ non ſit *ſumma* & *abſoluta*, ſed perfectio hujus vel illius ſpeciei *rerum finitarum*, putà Leonis, Equi vel Arboris. Verùm *ſummè* & *abſolutè perfectum* eſſe eſt ſaltem tam perfectum eſſe quàm Mens humana quicquam concipere poteſt ſine contradictione. Quod verò conceptui noſtro planè repugnat, nihil attinet ad nos, quippe quos hîc nè latam quidem atomum recedere oportet à propriis facultatibus. Id verò quod ego propoſui tantum abeſt, ut facultates noſtras excedat, ut quemlibet *Atheum* appellare auſim, qui aliquem ad gradum ſenſûs rationíſque adhuc compos ſit, ſi non intellectu admodum facile eſt vel primo aſpectu; & dato quòd ſit Deus, ſi non talis à nobis exiſtimandus eſt, qualem hæc *Idea Notióve* eum repræſentat.

3. Quòd ſi obſtinatè negare vult hanc propriam Notionem eſſe *Dei*, ſuæ, per me licet, indulgeat moroſitati. Manet tamen interim indubium, quòd ſit in homine Idea *Entis abſolutè ſumméque perfecti*, quam formamus attribuendo illi omnem perfectionem quæ concipi poteſt ſine ullius Imperfectionis aut contradictionis implicatione. Eſtque hæc Notio naturalis & eſſentialis Animæ humanæ, & quæ indè nec elui poteſt, nec ullâ vi technâve ingenii humani qualicunque quóquam ablegari, quamdiu Mens ſui compos ſit, nec ordinario ſuarum facultatum uſu exciderit.

4. Neque quicquam huc facere reperietur, ſi quis objecerit, *Notionem hanc* non ità *connatam* & eſſentialem Animæ eſſe, propterea quòd eam formamus ab aliquibus Occaſionibus ab extrá. Etenim omnes eæ indubiæ Concluſiones in *Geometria*, quibus externum aliquod adminiculo eſſe potuit atque occaſioni, tam naturales nihilominùs ſunt & eſſentiales Animæ, ut animam æquè facilè à ſeipſa disjungere poſſis, quàm à perpetuo *aſſenſu* iſtis Mathematicis veritatibus diſtinere, ſuppoſito quòd nulla intemperies eam inceſſerit, nec vis ulla illata ſit facultatibus. Exempli gratiâ, non poteſt non agnoſcere apud ſemetipſam, diſtinctas illas Ideas quinque *Regularium Corporum*, & impoſſibile porrò eſſe, ut plura ſint quàm quinque. Et verò hæc *Idea Entis abſolutè perfecti* æquè diſtincta & indelebilis Idea eſt in Anima, atque Idea quinque *Regularium Corporum* ulláve alia Idea cujuſmodicunque.

Manet igitur firmum atque indubium, quòd inſeparabilis ſit *Idea Entis abſolutè perfecti* ſemper reſidens, quanquam non ſemper in actum ſe exerens, in Anima humana.

CAP. IV.

1. *Quæ Notiones magìs particulatim comprehendantur in* Idea Entis abſolutè perfecti. 2. *Difficultatem formandi* conceptum *alicujus rei, nullum argumentum eſſe contra illius* Exiſtentiam, *cùm natura Materiæ corporeæ adeò perplexa ſit & intricata, quam tamen omnes agnoſcunt exiſtere.* 3. *Ideam* Spiritûs *æquè facilem eſſe* Notionem *atque ullius alterius ſubſtantiæ cujuſmodicunque. Quæ facultates aut proprietates contineantur in* Notione Spiritûs. 4. Æternitatem *&* Infinitatem, *in aliud aliquod conjectum iri ſi Deus non exiſteret, adeò ut* Atheiſmus *mentem ab iſtiuſmodi intricamentis liberare nequeat.* 5. Bonitatem, Scientiam *&* Potentiam *notiones eſſe ſummæ perfectionis, ac proinde in Idea* Entis abſolutè perfecti *neceſſariò includi:* 6. *Quemadmodum &* Neceſſitatem, *quippe quæ majorem Perfectionem ſonat, quàm* Contingentia.

1. JAM verò ut magìs particulatim Perfectiones in hac Notione *Entis ſummè & abſolutè perfecti* comprehenſas explicemus atque evolvamus, equidem puto me haſce tutò recenſere poſſe: *A ſe Subſiſtentiam, Immaterialitatem, Infinitatem* tam

Durationis quàm *Eſſentiæ*, *Immenſitatem Bonitatis*, *Omniſcientiam*, *Omnipotentiam*, & *Neceſſitatem Exiſtentiæ*. Eſto igitur hæc Deſcriptio *Entis abſolutè perfecti*; Quòd ſit *Spiritus Æternus*, *Infinitus Eſſentiâ ac Bonitate*, *Omniſcius*, *Omnipotens*, *& à ſeipſo neceſſario exiſtens*. Quæ omnia *Attributa* cùm *Attributa* ſint *ſummæ Perfectionis* quam Intellectus humanus concipere poteſt, cúmque nullam ſibi intertextam Imperfectionem habeant, quæ quidem detegi poteſt; neceſſariò ad *illud* pertinere cenſenda ſunt, quod nos *abſolutè ſumméque perfectum* definimus. Quòd ſi quis hîc objecturus ſit, hoc nihil aliud planè eſſe quàm *Notionem* è propria Imaginatione concinnare, quam poſteà callidè inſinuare vellem *Notionem* eſſe *Dei*: Reſpondeo, Neminem hominem diſſerere poſſe aut ratiocinari ulla de re, niſi ad aliquas determinatas Notiones recurrat in propria mente delineatas; Hujuſmodíque Objectiones implicare repugnantiſſimas abſurditates quæ fingi poſſunt; quaſi utique ratiocinari deberemus ex iſtiuſmodi rebus, quæ in mentem noſtram nunquam veniſſent, aut facultatum noſtrarum captum prorſus excederent. Sed enimverò iſtiuſmodi leves futiléſque cavillationes nihil aliud produnt, quàm animum averſum à deprehendendo ſeipſos capaces ullum formandi conceptum de Deo, torpidámque propenſionem ad ſubſidendum in æternam illius oblivionem, quo æquè ſtupidi & inſenſati evadant in rebus Divinis atque ipſa pecora campi.

2. Alii verò, fortean, Notionem hanc neutiquam contemptui habituri ſunt, propter facilem ſuam Compoſitionem ex familiaribus mentis humanæ conceptibus in quos adeò frequenter ſe figurat, ſed rejecturi potiùs propter *terminos* aliquot duriuſculos minúſque intelligibiles, cujuſmodi ſunt *Spiritus*, *Æternitas*, & *Infinitas*! Apertè enim profitentur ſe nullam de *Spiritu* Notionem formare poſſe, & ut quicquam *Æternum* ſit aut *Infinitum*, neſcire ſe ità animum ſuum inſtituere ut ullo modo percipiant. Ac proinde quidam *Spiritum* omnem, tanquam *Chimæram*, è rerum Univerſitate nimis quàm præfidenter explodunt.

Cæterùm ſi difficultas formandi *conceptum* alicujus rei, ipſius rei *Exiſtentiam* tollere debet, equidem nè *Corpus* quidem ullum relinquetur in Univerſo. Et tunc aut *Spiritus* omnia erunt, aut nihil. Quis enim tam tutam ſibi formare poteſt corporis notionem, ut ab intricamentis ſe liberet & perplexitatibus, quas illius extenſio ſecum adducit? *Extenſa* enim hæc *Materia* aut conſiſtit ex punctis indiviſibilibus, aut ex particulis diviſibilibus in infinitum. Quorum duorum utrumcunque elegeris, (nec licet invenire tertium) in quàm maximè enormes abſurditates illaqueaberis. Nam ſi dixeris ex punctis conſiſtere, Ex hac poſitione, neceſſariò demonſtrabimus, quamlibet lanceam Pyramidémve, * aut quodcunque aliud oblongum corpus æquè craſſum eſſe atque longum; * maximè proceram Cedrum, non altiorem eſſe quàm humillimum Boletum, * Lunámque ac Terram tam propè ad ſe invicem accedere, ut nè manum quidem interponere poſſis. * Rotunda & Quadrata ejuſdem eſſe figuræ, * Numeróſque pares atque impares inter ſe æquari; & * Diem denique lucidiſſimum æquè tenebroſum eſſe atque nigerrimam Noctem. Et ſi alterum Disjunctionis membrum elegeris, nihilo molliùs aut quietiùs ſe habitura eſt tua Imaginatio. Nihil enim diviſibile eſt in partes quas non habet. Ac proinde ſi corpus diviſibile ſit in partes infinitas, partes infinitas habet extenſas; & ſi infinitum habet partium extenſarum Numerum, non poteſt quin admodum difficile videatur humanæ rationi myſterium, ut infinitæ numero partes extenſæ in unam integram infinitam extenſionem non evadant. Atque ſic granum ſinapis infinitè extenſum æquè foret, atque tota Materia Univerſi, & milleſima grani pars æquè ac ipſum granum. Quæ quidem res captum noſtrum magìs excedunt, quàm quicquam quod occurrit in *Notione Spiritûs*. Quamobrem, nullam Notionem propter difficultates & intricamenta in ipſa concipienda, quibus obnubilari poſſit & obfuſcari, rejicere debemus cum contemptu & faſtidio, cùm & illud de quo maximè certi videmur, intricatiſſimum conceptu ſit & perplexiſſimum omnium quæ humano Intellectui proponi poſſunt.

Verùm hîc reſpondebis, ſenſus utique noſtros tam manifeſtis Impreſſionibus à Materia feriri, ut quanquam illius *natura* difficilis ſit conceptu, *Exiſtentia* tamen nobis ſit palpabilis, propter ea quibus nos afficit. At enimverò, cùm ità ſit, hoc unicum peto, cùm te monuero de aliquibus Actionibus & Operationibus ad Senſûs Intellectûſque noſtri notitiam pervenientibus, quas, niſi vim facultatibus inferamus, *Materiæ* ſive *corpori* nunquam attribuere poſſumus, ut tunc tam delicatulo & averſo animo nolles eſſe ab admittendo talem ſubſtantiam quem *Spiritum* appellemus, quamvìs aliquid difficultatis in ipſo *concipiendo*, tibi occurrerit.

3. Quantùm verò ad me, equidem exiſtimo naturam *Spiritûs* conceptu definitúque æquè facilem eſſe atque ullius rei alterius cujuſmodicunque. Etenim quod ad

ipſam eſſentiam nudámve *ſubſtantiam* cujuſvis rei attinet, admodum profectò imperitum eſſe oportet in rebus ſpeculandis, qui eam non agnoverit prorſus incognoſcibilem. Quantùm verò ad *Eſſentiales* & Inſeparabiles Proprietates, æquè intelligibiles ſunt & explicabiles in *Spiritu* atque in ullo alio Subjecto quocunque. Ut exempli gratiâ, Integram Ideam *Spiritûs* in genere aut ſaltem omnium finitorum, creatorum, ſubordinatorúmque *Spirituum*, ex his diſtinctis facultatibus ſive proprietatibus conſiſtere autumo; nempe, *Sui-penetratione*, *Sui-motu*, *Sui-contractione* & *Dilatatione* & *Indiviſibilitate*. Atque hæ quidem ſunt, quas magìs abſolutas cenſeo. Addam etiam quæ ad aliud referuntur, ſuntque facultates *Penetrandi*, *Movendi* & *Alterandi* Materiam. Hæ proprietates ac virtutes ſimul ſumptæ *Notionem* & *Ideam Spiritûs* conſtituunt, quâ planè diſtinguitur à *Corpore*, cujus partes aliæ alias non poſſunt *penetrare*, non *movet ſeipſum*, nec *ſeipſum* poteſt *contrahere* & *dilatare*, *partes* verò habet alias ab aliis *diviſibiles* & *ſeparabiles*. Partes autem *Spiritûs*, quanquam dilatari quidem poſſunt, *ſeparari* tamen non magìs poſſunt quàm radii Solis forfice è cryſtallo pellucida confectâ abſcindi. Atque hoc quidem ſufficere poteſt ad definiendam *Notionem Spiritûs*. Ad hunc locum non ſpectat *exiſtentiæ* illius probatio. Ex hac deſcriptione interim manifeſtum eſt, *Spiritum* Notionem eſſe majoris perfectionis quàm *Corpus*, ac proinde magìs idoneum quàm corpus ad conſtituendum Attributum *Entis abſolutè perfecti*.

4. Jam verò quantùm ad duas illas alteras voces difficiles, *Æternitatem*, & *Infinitatem*, ſi quis ſe excuſatum velit ab aſſentiendo *Notioni Dei* propter *Incomprehenſibilitatem* iſtorum Attributorum, conſideret apud ſeipſum quòd vel invitus cogetur aliquid agnoſcere *Æternum*, aut *Deum* aut *Mundum*, & quòd par utrobique ſit intricatura. Et quanquam ſe expedire ſatagat à moleſtia concipiendi *Infinitam Deitatem*, quòd nunquam tamen ſe extricabit ab illaqueationibus *infiniti Spacii*. Quæ notio æquè arctè Animæ ſuæ adhærebit, atque ipſa facultas imaginationis.

5. Quòd verò *Bonitas*, *Scientia* & *Potentia*, quæ ſunt tria ſubſequentia Attributa, Attributa ſint *Perfectionis*, ſi quis proprias facultates conſulat, concludetur indubitatò verum. Nec quicquam certè aliud hìc ſcio quod conſulat. Hoc Reſponſum ſaltem accipiet tanquam certiſſimum, Quòd *Ens abſolutè perfectum* aut hæc omnia habet, aut quòd ea modo quodam ſupereminenti continet. Et quòd aut Scientia, aut aliquid conſimile in Deo ſit, ex eo manifeſtum eſt, quòd ſine Animadverſione, aliquo in ſenſu, impoſſibile ſit ut ſit *beatus*. Ut verò *Ens abſolutè Perfectum* ſit nec tamen *Beatum*, pariter eſt impoſſibile. *Scientia* autem ſine *Bonitate* non eſt niſi arida quædam ſubtilitas aut peſtifera Aſtutia. Et *Bonitas* & *Scientia* Potentiâ deſtitutæ, mutilæ ſunt & inefficaces. Quapropter quicquid *abſolutè perfectum* eſt, eſt *infinitè Bonum*, *Sapiens*, ac *Potens*.

6. Et poſtremò, majoris *Perfectionis* eſt, ut totum hoc *ſtabile* ſit, *Immutabile* ac *Neceſſarium*, quàm *Contingens* aut tantùm *Poſſibile*. Quamobrem Idea *Entis abſolutè perfecti* mentibus noſtris repræſentat, illud cujus eſt *Idea*, tanquam *neceſſariò exiſtens*. Id verò quod ex ſua natura *neceſſariò exiſtit*, nunquam poteſt non exiſtere. Utrùm verò *Atheus Ens* hoc *abſolutè perfectum Deum* appellaturus ſit an ſecùs, perinde eſt: Litem movere de verbis mihi minimè lubet. Alius verò quilibet, opinor, vel primo aſpectu agnoſcet, nos veram inveſtigâſſe *Ideam Dei*.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. 2.

AUT quodcunque aliud oblongum corpus æquè craſſum eſſe atque longum. *Hoc ex eo demonſtrari poteſt quod probavimus in Notis ad* Pſychathanaſian, Lib. 1. Cap. 2. *Poſito nempe quòd Linea ex punctis conſiſtit,* Scalenum *idem eſſe atque* Iſoſceles.



Areâ enim Scaleni ABC *Lineis rectæ* AC *parallelis oppletâ, cùm nulla Linea plùres duabus habeat extremitates, manifeſtum eſt crus* BC *tot habere puncta quot habet crus* AB, *ac proinde crura eſſe inter*

inter ſe æqualia, totámque figuram oblongam ABCD, *æquè latam eſſe atque longam, & ſi corpus eſſet, eſſe æquè craſſum.*

Maximè proceram Cedrum non altiorem eſſe, &c. *Eadem eſt demonſtrandi ratio, ſi lineam ſumas in baſi Cedri altitudine Boleti non majorem. Sed non eſt operæ pretium in re tam obvia immorari.*

Lunámque ac Terram tam propè ad ſe invicem accedere, &c. *Planè ſic erit ex eiſdem Principiis. Nam ſi in Diametro Terræ lineam ſumas craſſitiem manûs vix æquantem, ab ejúſque extremitatibus duas fingas parallelas ad diametrum Lunæ ductas, quæ ſint* AB, *&* DC. AD *linea ſumpta puta in diametro Terræ, æqualis erit lineæ* AB *diſtantiæ Lunæ à terra, ut ſuprá.*

Rotunda & Quadrata ejuſdem eſſe figuræ, &c. *Nam in Quadrato* ABCD, *omnes lineæ è centro* E *ductæ ſunt æquales, ut apparet in Scaleno* DEF, *ubi* DE *&* FE *æquantur, ut quæ ex æquali punctorum Numero conſiſtunt. Eadémque ratio eſt de reliquis Scalenis quæ totum Quadratum conſtituunt, & de infinitis aliis minoribus Scalenis, ex quibus Quadratum compoſitum ſupponi poteſt, ut* FEG, GEH, HEI, IEC. *Singula crura* EG, EH, EI, EC, *facilè demonſtrantur æqualia cruri* EF, *adeò ut omnes lineæ è centro* E *in perimetrum ductæ Quadrati* ABCD *demonſtrari poſſint eſſe æquales, ipſúmque adeò Quadratum Circulus eſſe.*

Tom. 2. P: 33



Numeróſque pares & impares inter ſe æquari, &c. *Ut in Triangulo rectangulo* Iſoſceli, *cujus* Hypotenuſa *conſiſtat ex punctis imparibus; manifeſtum eſt Quadratum punctorum* Hypotenuſæ *Numerum fore imparem: Quadrata verò crurum rectum includentium conjuncta numerum fore parem. Quibus tamen Quadratis ſimul ſumptis æquatur Quadratum* Hypotenuſæ, *impar utique Numerus pari.*

Et diem denique lucidiſſimum, &c. *Etenim cùm Sphæroides luminoſum majus ampliorem è propinquo partem opaci irradiet quàm è remoto, nec motus ullus fiat, qui non unam ſaltem ſpacii atomum pertranſeat, Sol autem in* Apogeo 52 *diametris terræ à terra diſtantior ſit quàm in* Perigeo, *manifeſtum eſt, ſi linea conſtet ex punctis Diem in Solis Apogeo ſuſpenſum iri in Æthere, aliquot millenis milliaribus à terra diſtantem. Vide dictas Notas in* Pſychathanaſian, lib. 1. Cant. 2. Enneaſtich. 57, 58.

CAP. V.

1. *Quid in cauſa fuerit cur multi Animam autumaverint* Abraſam *eſſe* Tabulam. 2. *Mentem humanam* Abraſam Tabulam *non eſſe, ſed actualem habere ſcientiam de ſuo, & quo ſenſu eam habeat.* 3. *Hujus Veritatis ulterior Illuſtratio.*

1. ET nunc quidem poſtquam hanc Ideam *Entis abſolutè perfecti* invenimus, ut uſus cui eam deſtinavimus, fœliciorem ſortiatur effectum, non abs re erit, ad præparandum Lectoris Animum, inſigne illud Problema Philoſophicum, utrùm Anima humana *Abraſa* ſit *Tabula* ſive *Pugillares in quibus nihil ſcriptum ſit*, an verò aliquas *innatas Notiones* in ſe habeat atque *Ideas*, breviter attingere. Ità enim ſe res habet; Cùm primam cogitandi occaſionem ab externis Objectis ſumpſerit, id quidem quorundam hominum judiciis ità impoſuit, ut exiſtimaverint Animam nullam ſcientiam notionémve habere, niſi quæ ipſi paſſivo quodam modo impreſſa ſit & ab Objectis ſenſûs in eam exarata; quippe qui non ſatìs cautè inter *Occaſiones* extrinſecas & *adæquatas principaléſve* rerum cauſas diſtinxerunt.

2. Mens verò humana à præjudiciis magìs libera & in preſſa anquiſitáque Naturæ operationúmque ſuarum obſervatione magìs exercitata, non poteſt quin deprehendat *activam* quandam *actualémque* Cognitionem in Homine eſſe, quam externa hæc Objecta excitant potiùs & in memoriam revocant, quàm eam ingenerant primúmve inſerunt. Quando verò *Actualem* appello Cognitionem, nolo ſic intellectum, ac ſi certus numerus eſſet *Idearum* in *Animadverſiva* facultate refulgentium ac rutilantium, inſtar tot tædarum, ſtellarúmve in Firmamento, aſpectui externo, ullæve Figuræ eſſent diſtincta ſua loca occupantes, legibilitérque deſcriptæ ut literæ rubricatæ, characteréſve Aſtronomici in Calendario: Verùm ſic intelligi volo, Quòd ſit *activa* in Animo *Sagacitas*, celeríſve quaſi Recollectio, quâ tenui aliquo intimamine dato,

ſtatim in clariorem ampliorémque, addo & accuratiorem, conceptum excurrit.

3. Rem fœliciùs aptiúſve deſcribere non poſſum, quàm ad hunc modum: Supponamus peritum Muſicum ſuper gramina in agris altè dormientem, nec eum toto hoc tempore, quicquam, quod ad Muſicam ſuam facultatem pertineat, vel omninò ſomniare, adeò ut in quodam quidem ſenſu, nulla actualis ſcientia Notióve nec ulla cujuſvis rei Muſicæ vel leviſſima Repræſentatio in ipſo ſit. Verùm Amicus ejus illi aſſidens, cantandi ipſe prorſus ignarus, cubitum ei concutit, & expergefacit, rogátque ut hanc vel illam cantilenam ſibi canat, duo triáve prima Cantilenæ verba ipſi recitans, quæ continuò poſtmodum, is ab ore illius ſumens, totam ex tam levi brevíque Intimatiuncula, canit Cantilenam. Ità Mens humana ab externorum Objectorum impulſibus percuſſa & expergefacta, in clariorem pleniorémque conceptum earum rerum ſuſcitatur, quæ ipſi ab externis occaſionibus non niſi imperfectè ſubindicabantur. * Atque hanc quidem facultatem non dubito *Actualem* appellare *Cognitionem* tali ſenſu, quo dormientis Muſici peritia, actualis peritia appellari poſſet, etiam tum cùm ipſe de ea nihil cogitaret nec ſomniaret quidem.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 3.

ATque hanc quidem facultatem non dubito Actualem appellare Cognitionem, &c. *Similitudo hac Sectione comprehenſa, & ſuprà dictis in proximè antecedente Sectione, addita, tam plenè diſtinctéque controverſiam de innatis Ideis deſcribit, ut meritò omnem litem in poſterum ſuper hac re prævertere debeat. Addo tamen ad ulteriorem illuſtrationem quod locum habere poteſt apud eos qui* Spiritum Naturæ *agnoſcunt: Animam nempe humanam non magìs eſſe* abraſam Tabulam, *quàm ſit* Spiritus Naturæ, *cujus* vitales Ideas (*quarum ſimulachra videmus in Materia ad ſimilitudinem iſtarum* Idearum *efformata*) *Materia* Spiritui iſti *non indit nec imprimit, ſed ipſæ in Materiam aliquo modo præparatam agunt occaſionaliter excitatæ, eámque in hoc vel illud* Plaſma *effigiant. Atque ſic ſe res habet in* Notionibus *Animæ actualibúſve* Ideis. *Non fiunt à rebus externis tanquam à menſura modulóve qui eas limitet & quaſi figuret determinétve; ſed à* radicalibus *Animæ* Ideis (*quæ Ideis* Vitalibus *in* Spiritu Naturæ *reſpondent*) *excitantur in certum aliquod* Phantaſma *ſecundùm iſtam radicalem* Ideam, *eámque* Intellectualem, *ut* Vitales Ideæ *in certum aliquod* Plaſma *à propria Idea ſic limitatum & articulatum.*

CAP. VI.

1. *Exempla varia* actualem Cognitionem *in Anima arguentia: Cujuſmodi ſunt, Quòd accuratiorem* Circuli *&* Trianguli Ideam *habeat, quàm* Materia *ipſi exhibere poſſit.* 2. *Quòd ex unius* Trianguli *contemplatione, certa ſit de* univerſali *Affectione omnium id genus* Triangulorum. 3. *Idem probatum à natura* Mathematicarum *&* Logicarum *Notionum quæ per ſenſus non introeunt, cùm nullæ* Phyſicæ *ſint affectiones* Materiæ; 4. *Quippe ſine ullo motu* Phyſico *in materiam producta;* 5. *Contrariáque earum genera in una eadémque parte Materiæ ſimul in ſolidum eſſe poſſunt.* 6. *Eſſe indubias quaſdam* Notiones *Mentis* complexas, *quæ ab ipſa ſenſui non ſint acceptæ referendæ.*

1. QUódque hæc Conditio ſit Animæ, ex plurimis obſervationibus pateſcere poteſt. Ut exempli cauſâ, Exhibeto Animæ per externos ſenſus figuram *Circuli*, agnoſcit continuò hoc unum genus eſſe Figuræ, addereque porrò poteſt, ſi perfectum ſit, lineas omnes ab uno aliquo puncto in perimetrum ductas, accuratè æquales neceſſariò eſſe debere. Similiter, oſtende ipſi *Triangulum*, ſtatim pronunciabit, ſi reverà iſta ſit Figura, ad cujus ſpeciem videtur accedere, *Angulos* in puncta *indiviſibilia* deſinere oportere. Hæc verò ratio accurata ſive in *Circulo* ſive in *Triangulo*, in nullo ſubjecto Materiali poteſt exhiberi. Conſtat igitur, quòd Anima pleniorem exquiſitiorémque rerum cognitionem in ſe habeat, quàm *materia* ipſi ante oculos poteſt exponere.

2. Etiam tertiam Inſtantiam in medium proferamus: Demonſtret quiſpiam nunc *Triangulum* hoc in *Materia* deſcriptum ſuos tres Angulos habere duobus rectis æquales. Exclamabit ſtatim Anima hoc certò verum eſſe, idque non ſolum in hoc particulari *Triangulo*, ſed in omnibus, univerſim, Triangulis planis quæ in Materia poſſunt deſcribi. Atque ſic vides Animam ex prima intimatiuncula totam quaſi decantare Cantilenam, quippe quæ eam noverit priùs.

3. Præterea, Multæ ſunt *Relativæ* Notiones ſive Ideæ in Mente humana, tam *Mathematicæ* quàm *Logicæ*, quas ſi probaverimus Impreſſiones eſſe non poſſe Objecti ullius Materialis *ab extrà*, neceſſariò ſequetur, ab ipſa Anima *intùs* profectas eſſe, & naturalem eſſe humani Intellectûs ſupellectilem. Cujuſmodi ſunt, *Cauſa*, *Effectum*; *Totum* & *Pars*, *Simile* & *Diſſimile* & id genus reliqua. Item, *Æqualitas* & *Inæqualitas*, Λόγος & Ἀναλογία, ſive *Ratio* & *Proportio*, *Symmetria* & *Aſymmetria*, & ſimilia; Quas omnes *Ideas Relativas* facilè probaturus ſum nullas eſſe *Impreſſiones materiales* in Anima ab extrà, ſed proprios ſuos *Conceptus activos* à ſe ipſa exertos dum externa Objecta contemplatur. Etenim quòd hæ Ideæ nullas Impreſſiones in externos ſenſus facere poſſint ex eo manifeſtum eſt, quòd nullæ ſint *ſenſibiles Phyſicæve* affectiones *Materiæ*. Et quomodo obſecro fieri poteſt, ut id quod nulla *Phyſica* Materiæ eſt Affectio, corporea noſtra ſenſûs organa afficiat?

4. Jam verò quòd *Relativæ* hæ *Ideæ*, ſive *Logicæ* ſive *Mathematicæ*, nullæ *Phyſicæ* affectiones *Materiæ* ſint, ex hiſce duobus argumentis conſtare poteſt. Primum eſt, Quòd produci poſſunt ubi nullus motus alteratióve *Phyſica* Subjecto ad quod pertineant, contigerit, immò verò ubi nihil omninò factum ſit Subjecto cui attribuuntur. Ut exempli gratiâ: Pone unum Cubiculi parietem dealbatum, intacto altero nihilque alterato; hic alter tamen hoc pacto *diſſimilis* factus eſt, Notionémque *Diſſimilis* neceſſariò ſibi aſciſcit, etiamſi nihil omnino in ipſo factum ſit aut immutatum. Similiter, duo pone plumbi pondo (quæ igitur duæ æquales ſunt iſtius metalli maſſulæ) alterique abſcinde dimidium, equidem pondo alterum, quamvìs nihil omnino in ipſo factum ſit, notionem *Æqualis* perdidit, novámque *Dupli* ad alterum acquiſivit. Neque huc facit quicquam ſi reſpondeas, Quòd tametſi nihil factum ſit in hoc plumbi pondo, factum tamen eſt in altero. Hoc enim argumentationem minimè enervat, ſed oſtendit potiùs Notionem *Subdupli*, quam plumbum, cui dimidium abſciſſum eſt, ſibi aſciverat, modum tantùm eſſe quo in rebus concipiendis utimur perinde atque alteram, nullam verò *Phyſicam* affectionem quæ corporea ſenſûs organa feriat, quemadmodum faciunt *Calidum* & *Frigidum*, *Durum* & *Molle*, *Album* & *Nigrum* & ſimilia. Quamobrem Ideæ *Æqualis* & *Inæqualis*, *Dupli* & *Subdupli*, *Similis* & *Diſſimilis*, & id genus reliqua, nullæ externæ Impreſſiones ſunt in ſenſus, ſed *activus* Animæ *modus* proprius eas res concipiendi contemplandíve quæ per externos ſenſus ipſi innoteſcunt.

5. Alterum argumentum eſt, Quòd una eadémque Materiæ pars eodem planè tempore, duarum contrariarum hujus generis Idearum, in ſolidum integrúmque ſit capax. Ut exempli cauſâ, Quævis pars Materiæ, quæ *Medium proportionale* ſit, inter duas alias partes, *Dupla* eſt, putà, & *Subdupla*, vel *Tripla* & *Subtripla* ſimul. Quod manifeſto indicio eſt, has *Ideas* non eſſe *Affectiones Materiæ*, ac proinde nec ſenſus noſtros afficere, alioquin affecturæ eſſent ſenſus brutorum, ipſáque itidem in peritos Geometras Arithmeticóſque poſſent evadere. Cum verò ſenſus noſtros non afficiant, manifeſtum eſt, nos aliquas habere Ideas, quæ ſenſibus noſtris non ſunt acceptæ referendæ, (ſed meræ ſunt ipſius mentis Exertiones occaſionaliter expergefactæ per appulſus Objectorum externorum;) Quas externi ſenſus non magìs nos docent, quàm is qui è ſomnio Muſicum ad cantandum ſuſcitavit, cantandi artem eum edocuit.

CAP. VII.

1. *Mens humana cùm* innata veritate *ſatìs ſit inſtructa, nos cum conſidentia debere naturalibus illius liberiſque Dictatis & Monitis attendere.* 2. *Animam quibuſdam Notionibus ac Veritatibus naturaliter & inevitabiliter aſſentiri, ſive* actualem *ex ſe* cognitionem *habeat, ſive non.* 3. *Hujuſmodi eſſe Definitionem* Entis abſolutè perfecti. 4. Ens *hoc* abſolutè perfectum *Deum eſſe Creatorem rerum omnium atque Opificem.* 5. *Certa ac determinata hujus Ideæ ratio.*

1. ATque nunc quidem poſtquam Animam ad veritatem nobis dictandam tam bellè inſtructam perſpeximus, quemlibet hominem rogo, cur ſub prætextu quòd nihil de ſuo habeat, ſed in aſſenſum poſſit cuilibet rei flecti, aut pro arbitrio fortuitóque varias Impreſſiones quas ab extrà receperit componere, adhuc tam delicatus ac timidus eſſe velit, ut propriis ſuis facultatibus aſſentiri reformidet, naturaléſve ſuæ Mentis Emanationes admittere, tanquam fideles viæ duces.

2. Cæterùm, ſi hoc videatur, quamvìs non ſit, nimis ſubtile pro quo contendo, Animam nempe *Actualem* in ſe habere cognitionem, eo ſenſu quo explicavi; hoc tamen ſaltem apud omnes in confeſſo erit, Quòd talis ſit Animæ natura, ut certò plenéque aſſenſura ſit quibuſdam Concluſionibus, quâcunque ratione ad earum notitiam pervenerit, niſi manifeſtam vim inferat propriis facultatibus. Quæ proinde veritates concludi debent non fortuitæ aut árbitrariæ, ſed ipſi Animæ naturales. Cujuſmodi ſunt quas jam nominavi. Ut, *Quemlibet Numerum finitum aut parem eſſe aut imparem, Si æqualia æqualibus addas, tota eſſe æqualia.* Item illæ quæ haud ità ſimplices ſunt, & tamen æquè arctè Animæ, ſemel intellectæ, adhæreſcunt. Quales ſunt, *Tres Angulos in Triangulo æquales eſſe duobus rectis, Quinque omnino eſſe corpora Regularia, non plura nec pauciora,* & id genus reliqua, quæ ex lumine Naturæ neceſſariò vera eſſe pronunciabimus.

3. Quamobrem ut jam reſumamus quod ad tempus miſſum fecimus, Ideam utique *Entis abſolutè perfecti* ſuprà propoſitam, equidem cùm tali modo exhibita ſit ut nemo mentem ſuam ab ea liberare poſſit, quin vel invitus cogatur agnoſcere reverà ejuſmodi Entis eſſe *Ideam,* planè hinc ſequetur, nullum *arbitrarium* aut *fortuitum* conceptum eſſe ſed *neceſſarium,* ac proinde animæ eſſe *naturalem* ſaltem, ſi non ſemper illic *actualis* ſit.

Quapropter manifeſtum eſt, ſi proprium *Lumen naturale* de Notione *Entis abſolutè perfecti* conſulamus, iſtud Oraculum hoc nobis Reſponſum dare, Quòd ſit *Subſtantia Spiritualis, Æterna, Infinita Eſſentiâ & Bonitate, Omnipotens, Omniſcia, & à ſe neceſſariò exiſtens.*

Hoc enim Reſponſum tale eſt, ut ſi ejus ſenſum intelligamus, nequeamus profectò illud negare, ac proinde verum eſt ſecundùm *Lumen Naturæ.*

4. Cæterùm manifeſtum eſt, illud, quod *A-ſe-ſubſiſtens, infinitè Bonum, Omniſcium* & *Omnipotens* eſt, *Radicem* & *Originem* eſſe rerum omnium. *Omnipotentia* enim Virtutem ſignificat facultatémve quodlibet efficiendi, quod nullam Repugnantiam implicat quo minùs efficiatur; Et verò *Creatio* nullam Repugnantiam implicat, ac proinde *Ens* hoc *perfectum* creare poteſt omnia. Quòd ſi Materiam reperiret aliáſve Subſtantias à ſe ipſis antè-exiſtentes, hæc *Omnipotentia* facultáſque creandi fruſtrà eſſet, immò verò *plena Omnipotentia* in hoc *abſolutè* Omnipotenti non foret; quod liberæ nullóque laborantes præjudicio humanæ mentis facultates nolunt admittere, ſed apertam cenſent Repugnantiam. Quamobrem naturalis Notio *Entis abſolutè perfecti* idem Ens planè arguit *Dominum* eſſe & *Creatorem Omnium.* Et ex ipſo Lumine Naturæ id quod tale eſt adorandum eſt & colendum ab omnibus cum omni humilitate & gratiarum actione, quibuſcunque illius cognitio enotuerit. Et quid, obſecro, hoc eſt, quàm *Deum* ab omnibus agnoſci?

5. Quamobrem abundè, ni fallor, demonſtravi, Notionem Ideámve *Dei,* æquè *naturalem* eſſe, *neceſſariam* & *eſſentialem* Animæ humanæ, atque ullam aliam Notionem Ideámve qualemcunque; nec magìs arbitrariam aut fictitiam eſſe, quàm Notionem *Cubi* aut *Tetraedri* ulliúſve alîus Regularis corporis *Geometrici.* Quæ non effinguntur ad libitum noſtrum; talia enim figmenta ac Chimæræ infinitæ ſunt; hæc verò demonſtrari poteſt, impoſſibile eſſe ut plura ſint quinque: Quod planè oſtendit Notionem ipſorum eſſe neceſſariam, non arbitrariam ſtructuram, ex rebus quibuſlibet ad voluntatem noſtram concinnatis.

Atque nunc quidem cùm tam plenè demonſtraverim Notionem Dei, *Quid ſit*; ad alteram partem jam pergam, demonſtrationem utique, *Quòd ſit*.

C A P. VIII.

1. *Ipſam* Ideam Dei *neceſſariam illius implicare* Exiſtentiam. 2. Exiſtentiam *illius non* Hypotheticè neceſſariam *eſſe, ſed* abſolutè; *Cum Occaſione notata lubricæ illius Evaſionis.* 3. *Agnoſcere Deum* Ens neceſſariò exiſtens *ſecundùm veram illius Notionem, & tamen affirmare eum poſſe non exiſtere, apertam eſſe Contradictionem.* 4. Neceſſitatem *eſſe terminum* Logicum, *nexúmque indiſſolubilem implicare inter* Subjectum *&* Prædicatum: *Unde rurſus Axioma hoc,* [Deus exiſtit] *neceſſariò æternóque eſſe verum.* 5. *Illius* Exiſtentiæ, *ex eo quòd nec* Contingentia *nec* Impoſſibilitas *ejus Naturæ Ideæve competat, ulterior demonſtratio.* 6. *Neceſſariam* A-ſe-exiſtentiam, *aut ad* Deum *pertinere aut ad* Materiam, *aut ad utrumque.* 7. *Magna Incommoda quæ* A-ſe-exiſtentis *Materiæ admiſſionem conſequuntur.* 8. *Reſponſum ad Evaſionem.* 9. *Multitudinem* à-ſe-exiſtentium *Deitatum, veri Dei exiſtentiam planè tollere.* 10. *Unica indubia Unitatis Divini Numinis demonſtratio.* 11. *Abſurditas in admittendo actualem* A-ſe-exiſtentiam *in Materia, eandémque negando in Deo.* 12. *Abſurditatem hanc minimè excuſari poſſe ex eo quòd Materia ſenſibilis ſit, cùm & ipſe* Atheus *quædam cogatur admittere, quæ non cadunt ſub ſenſum.* 13. *Quòd æquè ineptum ſit* Exiſtentiam Dei *rejicere, quòd immediatè non cadat ſub ſenſus, atque foret* Materiæ Exiſtentiam *rejicere, quòd Imaginationi adeò ſit incomprehenſibilis.* 14. *Factioſa* Athei *moroſitas, quippe aliarum Animæ facultatum parti addicti, alias verò rejicientis quanquam Judices perinde competentes.*

1. ATque nunc profectò, dum in veram *Ideam Dei*, quam inveſtigavimus, oculos conjicio, videor mihi majores hac in re feciſſe profectus quàm putabam. Nam ſi Idea hæc Notióve Dei vera ſit, quemadmodum certiſſimè probavi, equidem æquè certò verum eſt, *Quòd Deus exiſtit*. Etenim cùm hæc Idea Dei nullum arbitrarium Figmentum ſit, ad libitum noſtrum excogitatum, ſed neceſſaria & naturalis humanæ Mentis Emanatio, ſi nobis ſignificet Notionem *Naturámque* Dei neceſſariam in ſe involvere *Exiſtentiam*, quemadmodum oſtendimus, niſi oculos claudere velimus contra proprium Lumen naturale, ſine omni mora ſcrupulóve ſtatim agnoſcere debemus, *Quòd Deus exiſtit*.

2. Nec ſatìs cauſæ ſubeſt, cur Argumenti hujus robori diffidamus ex eo quòd Imaginatio noſtra nobis fortean frænum hoc poſſit injicere, inſinuando ſcilicet, *Ideam* hanc quidem *Dei*, ſuppoſito quòd exiſtit, indigitare nobis exiſtentiam illius eſſe neceſſariam, nequaquam verò nobis indigitare eum neceſſariò exiſtere. Etenim qui ſic reſpondet, non animadvertit ex quo præjudicio tam bellè inſtructus ſit ad tale formandum Reſponſum, quod hoc ipſum eſt; nempe cùm aliarum rerum omnium naturis Notionibúſve ſine exiſtentia concipiendis aſſuetus ſit, atque ità ſemper in ipſis *exiſtentiam* ſeparet ab *Eſſentia*, eandem hîc libertatem imprudens ſumit, Exiſtentiámque dividit etiam ab illa Eſſentia, cui ipſa Exiſtentia eſt Eſſentialis. Atque hæc eſt illa arguta fallacia quâ ſeipſum inſcientem illaqueavit.

3. Porrò, * Quando contendimus veram Dei Ideam eum repræſentare tanquam *Ens neceſſariò exiſtens*, eúmque propterea exiſtere, tu verò ut argumenti hujus vim aciémque eludas, reſpondes, Si quidem omninò exiſteret, hoc certè reſponſo, in manifeſtam contradictionem te involvis. Nam primùm, nobiſcum affirmas Talem eſſe Dei naturam, ut in ipſa Notione *neceſſariam Exiſtentiam* implicet, & dein continuò negas, innuendo, quòd tametſi hæc *Idea* ſive *Notio* vera ſit, Deus nihilominus poſſit non exiſtere, & nulla exiſtentia nedum neceſſaria ad eum pertinere. Atque ſic agnoſcis quòd *abſolutè neceſſarium* eſt ſecundùm liberas facultatum noſtrarum emanationes, aliter tamen fieri poſſe. Quæ aperta eſt Contradictio, quantum ad facultates noſtras ſpectat, & nos certè nihil habemus magìs intimum atque immediatum quàm hæ ſint, quibus curſum dirigamus.

4. Et ut hoc planius ſaltem ſi non firmius reddere poſſimus; Quando dicimus *Exiſtentiam* Dei eſſe *neceſſariam*, notare debemus *Neceſſitatem Terminum* eſſe *Logicum*, tam firmúmque ſignificare Nexum inter *Subjectum* & *Prædicatum*, quemadmodum appellitant, ut impoſſibile ſit ut ſeparentur, aut non conjungantur arctiſſiméque

cohæreant; ac proinde ſi alterum de altero affirmetur, *Axioma* efficere *neceſſarium* æternóve verum. Quamobrem cùm *nexus* ſit *neceſſarius* Deum inter atque Exiſtentiam, hoc Axioma, *Deus exiſtit*, Axioma neceſſarium eſt æternóque verum. Quod adhuc clariùs intelligemus ſi *Neceſſitatem* & *Contingentiam* inter ſe comparemus. Nam quemadmodum *Contingentia* non ſolùm Exiſtentiæ modum in eò quod *Contingens* eſt ſecundùm ſuam Ideam, ſignificat, ſed innuit porrò *Poſſibilitatem Actualis Exiſtentiæ*; ità, (ut veram expleamus facilémque Analogiam) *Neceſſitas* non modum duntaxat Exiſtentiæ ſignificat in eo quod *Neceſſarium* eſt, ſed etiam quod actu inſuper exiſtit, nec aliter unquam fieri potuit. Nam ἀναγκαῖον εἶναι, & ἀδύνατον μὴ εἶναι, *Neceſſitas* exiſtendi, & *Impoſſibilitas non* exiſtendi idem valent apud *Ariſtotelem* reliquóſque *Logicos*. Cæterùm *Atheus* & *Enthuſiaſtes* tam profeſſi ſunt, utplurimum, *Logicæ* Inimici, alter quidem quòd externo ſenſui adeò deliranter ſit addictus, alter quòd effræni ſuæ indomitæque Imaginationi nimiùm quantùm indulgeat, Officinæ utique iſti Myſteriorum bellarúmque Opinationum.

5. Tertiò, Huc adjicere poſſumus, Cùm neceſſe ſit, ut Ideæ Dei, aut *Contingentiam*, aut *Impoſſibilitatem*, aut *Neceſſitatem* actualis *Exiſtentiæ* attribuamus, (quippe quòd una aliqua ex iſtis ad quamlibet rei cujuſmodicunque Ideam reverà pertineat) cúmque *Contingentia* Ideæ *Entis abſolutè perfecti* nequaquam competat, multóque minùs *Impoſſibilitas*, propterea quòd Idea Dei ex nullis compoſita ſit Notionibus niſi quæ juxta Lumen Naturæ, ad quod provocamus, ſint poſſibiles; Reliquum planè eſſe, ut *Neceſſitas actualis Exiſtentiæ* inevitabiliter Ideæ Dei aſſignetur, *Deúſque* proinde *actu exiſtat*.

6. Verùm quartò & ultimò, Si hoc ſubtilius videatur, quanquam ob id ipſum, nequaquam cenſendum eſt minùs verum, proponam jam quod adeò palpabile eſt, ut nemo profectò qui mentis compos ſit, illud poſſit negare. Dico igitur, quòd aut Deus aut corporeus hic ſenſibilíſque Mundus à ſeipſo neceſſariò exiſtit. Vel ſic, Aut Deus, aut Materia, aut utrumque à ſeipſis neceſſariò exiſtunt. Si utrumque, habemus quod volumus, *Exiſtentiam* ſcilicet *Dei*.

7. Verùm enimvero, neceſſariam *A-ſe-exiſtentiam* in Materia agnoſcere, non uſque adeò congruum eſt luminíque Naturæ conſentaneum. Nam ſi quicquam à Deo independenter exiſtere poteſt, omnia poſſunt: Adeò ut non ſolùm Dei Omnipotentia fruſtranea eſſet, ſed porta prætereà aperiretur omnimodæ confuſioni & inordinationi, immò immani alicui Dæmoni pari Poteſtate & æquè amplo Imperio atque ipſe Deus, vel ſi malles, ſexies millenis Myriadibus iſtiuſmodi monſtroſorum *Spirituum Giganteorum*, variis peſtiferíſque paſſionibus refertorum perinde atque immenſâ armatorum potentiâ, qui aut præ ira aut petulantia aliqua, ingentibus apparentes formis ac ſtaturis Planetas in vaſtos ſuos pugnos arripere poſſint, eíſque alter alterum, ut pueri ſolent globis nivalibus, impetere. Quòd autem hoc nondum contigerit, in nullam aliam cauſam reſolvi poterit, niſi quòd ipſis adhuc non libitum ſit; veruntamen Mundi fabrica Naturáque rerum, hujuſmodi ruinæ ac inordinationi ſemper futura eſſet obnoxia. Tanti periculi eſt, naturales *Dependentias*, & *Correſpondentias* innatarum noſtrarum *Idearum*, & *Conceptuum*, vilipendere.

8. Neque ad hoc perfugium quiſpiam hîc ſe recipere poteſt, reſpondendo, Plenam perfectámque Divinæ Potentiæ Infinitudinem haſce ſexies millenas monſtrorum Myriadas facilè ſuperaturam eſſe manúſque ipſis cohibituram. Dico enim ſex aut pauciores infinitam Dei potentiam poſſe æquare. Nam ſi quicquam poſſit à ſeipſo exiſtere præter Deum, cur non poteſt Spiritus à ſe exiſtere, qui potentiam habeat, viréſve omninò ſextuplo minores Deo? * Atque tunc ſex iſtiuſmodi eum æquabunt, ſeptimúſque additus ipſi prævaliturus eſt.

9. Cæterùm hujuſmodi turba *à ſe exiſtentium* & à ſe invicem diviſarum Deitatum, non ſolùm Univerſi compagem in diſcrimen vocat fruſtatim divellendam, ſed & veri Dei Exiſtentiam planè tollit. Nam ſi ulla ſit Poteſtas aut Perfectio cujuſmodicunque, quæ originem duxerit à quoquam alio præterquam ipſo Deo; hoc manifeſtò demonſtrat Deum non eſſe Deum, hoc eſt, non eſſe *Ens ſummè & abſolutè perfectum*, quia aliquam videmus in Mundo Virtutem ac Poteſtatem, quæ ab ipſo non ſit profecta. Sed quod ab ipſo planè integréque profectum eſt, admodum verè propriéque illius dici poteſt, quemadmodum Mentis meæ cogitatio mentis potiùs eſt, quàm * ipſius cogitationis.

10. Atque hæc quidem unica Methodus eſt, quantum ego intelligo, quâ demonſtretur impoſſibile eſſe, ut plures uno Deo ſint in rerum Natura. Nam ſi alterum præter eum admiſerimus, alterum hunc etiam à ſeipſo exiſtere oportet, *atque ſic neuter quidem Deus foret. Nam Idea Dei in ſeipſam abſorbet omnem omninò

perfectionem quæ cogitari poteſt, ac proinde neceſſariò ſupponit, quicquid ullam habeat exiſtentiam ei acceptam referre.

11. Quòd ſi affirmaveris *Materiam* ſolam exiſtere, non autem *Deum*, tum Materia hæc neceſſariò à ſe exiſtit, itáque illud Attributum *Materiæ* tribuimus, quod à Lumine Naturali edocti ſumus in nullo eſſentiali conceptu ullius alterius rei contineri præterquam ſolius *Dei*. Quamobrem negare illud de Deo quod tam neceſſariò in vera illius Idea comprehenditur, idémque agnoſcere in eo in cujus Idea non omninò continetur, (Nam *neceſſaria Exiſtentia* in nullius rei Idea continetur niſi *Entis abſolutè perfecti*) equidem eſt pronunciare contra lumen Naturæ, manifeſtámque vim inferre facultatibus.

12. Neque excuſari hoc poteſt dicendo, quòd *Corporea Materia* nobis palpabilis ſit ac ſenſibilis, *Deus* verò non item; ac proinde quòd confidenter pronunciamus eam exiſtere, quanquam Deus non exiſtit; eámque porrò neceſſariò à ſe exiſtere, quandoquidem illud, quod ſine alterius ope exiſtit, neceſſariò æternóque exiſtere oportet.

Etenim, quoniam profitemini vos nulli rei fidem habere præterquam Senſui, quæro iccirco à vobis, quomodo Senſus veritatem iſtam ultimam quam agnoviſtis ſuppeditaverit; *Illud* utique *quod ſine ope alterius exiſtit, neceſſarium eſſe & æternum*: *Neceſſitas* enim & *Æternitas*, nullæ ſenſibiles ſunt qualitates, ac proinde nec ullius Senſûs Objecta. Et verò ſuprà, ſatìs copioſè probavi, aliam eſſe Cognitionem Perceptionémque in Anima à Senſûs perceptione diſtinctam. Quamobrem valdè abſonum eſt cùm alias habemus *facultates cognitivas* præter ſenſus, ut ſenſus ſolos conſulamus circa res cognoſcendas, eáſque facultates excludamus, quæ ultra ſenſus penetrant ac pertingunt. Id quod ipſi *Athei* profeſſi non faciunt, quando ipſis in animo eſt philoſophari. Nam ipſorum Atomi res ſunt quæ non cadunt ſub ſenſus, quemadmodum & *Lucretius* ſatìs fuſè profitetur.

13. Jam verò cùm manifeſtum ſit Animam humanam alias habere *facultates cognitivas* præter ſenſus (quod ſuprà luculentè demonſtravi) æquè abſurdum eſt negare Deum eſſe, quoniam Deus Objectum non eſt ad quod percipiendum Senſus apti nati ſint, atque eſſet negare Materiam Corpúſve exiſtere, quia Corpus vel Materia, quoad Notionem ſuam *imaginativam*, tam inadæquatè perplexéque ſe habet in phantaſia noſtra atque Ratione.

In qua contemplanda Intellectus noſter adeò incohærentes Repugnantias detegit, ut abſque eo eſſet, quòd Notio præſidentibus Senſûs dictatis ſuffulciretur, Ratio ad craſſiores iſtas Imaginationis Repræſentationes provocans, argutis ſuis Dilemmatis è rerum Univerſitate tollendam planè argueret, tanquam Phantaſma impoſſibile ac Chimæram. Ratio verò cùm ſatìs noverit Materiam corpoream proprium eſſe *facultatum ſenſitivarum* Objectum, Notitiæ ſenſuum intra proprium Orbem, plenam fidem adhibet, intricatas Objectiones perplexæ Imaginationis nè flocci quidem faciens, lubentérque admittit Exiſtentiam Materiæ, nihil obſtantibus Phantaſiæ illaqueamentis, quemadmodum & Exiſtentiam Dei, ex contemplatione Ideæ illius in Anima, Senſuum ea in re nihil obſtante ſilentio.

14. Etenim nunquam excuſanda eſſet ſtultitia ac dementia in quovis homine, cùm *cognitivas facultates* habeat quæ ad notitiam Dei pertingunt, certámque & inalterabilem Dei Ideam in anima ſua, quam nullo pacto delere poteſt, perinde atque ſenſuum notitiam, quæ ad Materiæ detectionem extenditur, ſi neceſſariam *A-ſe-exiſtentiam* Materiæ tribueret, nullâ omninò facultate eum ſic docente, & neceſſariam Exiſtentiam Deo eriperet, quanquam innata Dei notio in Anima, eum doceat contrariè; idque ex hoc ſolo prætextu, quòd Deus non immediatè cadat ſub notitiam ſenſuum. Atque ità factioſè uni tantùm parti facultatum Animæ ſe addiceret, cæteráſque omnes proſcriberet. Quod æquè moroſè ſtolidéque fit, ac ſi quis inter ipſos ſenſus factionem inſtituere velit, nolítque ulli rei fidem habere, quam oculis ſuis uſurpare nequeat, indéque confidenter pronunciet, nec elementum Aëris eſſe in rerum Natura, nec Ventos, nec ſonos Muſicos, nec Tonitruum. Eâ ſolâ, ſi placet, additâ ratione, quia nihil horum oculis ſuis videre poteſt; Eum verò unicum ſenſum eſſe, cui fidem habere ipſe decrevit.

SCHOLIA

In CAP. VIII. SECT. 3.

PORrò, quando contendimus veram Dei Ideam eum repræſentare tanquam Ens neceſſariò exiſtens, eúmque propterea exiſtere, &c. *Nota in iſtis verbis,* [*tanquam Ens neceſſariò exiſtens*] *vocem* Exiſtens *aliter ſignificare atque ubi ſubjungimus,* [*Eúmque propterea exiſtere*] *alioquin idem per idem meritò videri poſſim probare. Sed per Ens* neceſſariò exiſtens *intelligendum eſt tale Ens ad cujus naturam ſive eſſentiam pertineat* neceſſaria Exiſtentia: *vel cujus σχέσις ad* Exiſtentiam *ſit σχέσις* Neceſſitatis, *ut in aliis rebus ipſarum Eſſentia vel Natura innuit σχέσιν aut* Contingentiæ *aut* Impoſſibilitatis. *Hunc noſtræ Ratiocinationis ſenſum eſſe multis è locis probari poteſt. Quod ſi ultrò animadvertiſſet vir aliàs ingenioſus* S. P. *omnem occaſionem ſibi præripuiſſet tam bellè cavillandi adverſùs hoc argumentum, Tentam. Phyſico-Theolog. lib.* 1. *cap.* 5.

Quinimò eo in loco duplici ratione peccat. Primò, quòd me eorum hominum numero acconſeat qui duo illa argumenta Carteſii, *alterum in Meditatione tertia de prima Philoſophia, in quinta alterum, maximi tanquam* Archimedeas *demonſtrationes æſtiment, cùm ipſe ſanè ſemper parvi feci illud argumentum quod tertiâ Meditatione occurrit, ſecundóque loco ponitur in Princip. Philoſ. part.* 1. *artic.* 17. *quemadmodum videre eſt* Præfat. Antidot. adversùs Atheiſmum, *ſect.* 6. *Alterum verò quod primò in Principiis occurrit, ſemper (eo præſertim modo adhibitum quo ipſe adhibere ſoleo) firmum ſolidúmque judicavi.*

Deinde in eo peccat, quòd argumentum illud, quod ego ſemper amplexus ſum tanquam verum, modo adeò manco depravatóque proponat. Quod certè ſi ſic ſe haberet, ſophiſma eſſet, quemadmodum ille appellat, non legitimum argumentum. Sic enim proponit, hiſce ipſis in verbis. Haud aliter Eſſentiam ſummè Perfecti, (ad quam attinere omnes perfectiones per ſe notum eſt) Exiſtentia, utpote quæ perfectio eſt, conſtituit, ac Rationalitas Eſſentiam hominis. Sicut igitur impoſſibile agnoſcatur hominem non eſſe rationalem, ità & rem ſummè perfectam non exiſtere. Quoniam ut homo niſi rationalis, minimè talis eſſet (*nempe homo*) ità perfectum ni exiſteret, ſummè perfectum cenſeri non poſſet, quippe perfectius eſſet ſi exiſteret. *Et paulò pòſt,* Summè perfectum nullâ perfectione caret, quicquid autem non exiſtit, aliquâ perfectione deſtituitur ; qui igitur negat ſummè perfecto Exiſtentiam, negat ſimul ſummè perfectum eſſe ſummè perfectum, quæ ſecum pugnant ; quâ viâ ex natura ſummè perfecti colligitur illius exiſtentia. *Vix me abſtinere hìc poſſum quin eiſdem ad virum acutiſſimum verbis utar quibus ille ad* Carteſium, Facetè, lepidè, lautè, nihil ſuprá! *Meúmne obſecro te, hoc argumentum eſt, an tuum? Tuum credo, ſat ſcio non eſſe meum. Neque enim ego ab* Exiſtentia *Naturæ Entis ſummè perfecti, illius* Exiſtentiam *arguo; ſed ſimpliciter ex* Eſſentia *ſive* natura *Entis ſummè perfecti, illius* Exiſtentiam *eruo. Cùm enim ità comparata ſit natura* Entis ſummè perfecti *ut, cùm aliæ res in Ideis Naturíſve ſuis à mente noſtra perceptis ad exiſtentiam σχέσιν habeant aut* Contingentiæ *aut* Impoſſibilitatis, *illa verò ſola habeat σχέσιν* Neceſſitatis; *rectè profectò firmitérque concludimus (ſi facultates mentis noſtræ veræ ſint) ex hac σχέσει* neceſſaria ad exiſtentiam, Ens ſummè abſolutéque perfectum *reipſâ exiſtere. Quod non eſt probare* Exiſtentiam *ex* ſuppoſita Exiſtentia, *ſed ex* ſuppoſita Idea veráve Entis ſummè perfecti natura animo noſtro concepta, *illius* Exiſtentiam *patefacere.*

Audeóque heic, vel ipſiſſimam viri acutiſſimi conſcientiam ac judicium appellare, dato quòd Ens ſummè perfectum *exiſtit (ut Mathematici Problematis ſolutionem, ſupponendo ſolutum, aliquando inveniunt) annon ipſe ultrò agniturus eſſet non* contingenter *nec* fortuitò, *ſed ex* privilegio *ſive prærogativa* perfectiſſimæ ſuæ naturæ neceſſariò exiſtere, *utpote cujus* perfectiſſima natura *ratio ſufficiens immò neceſſaria ſit cur exiſtat. Jam verò pari ego ratione atque ille* cur *exiſtat jam exiſtens declarat, demonſtro planè* quòd *exiſtit. Nam ut ille ex* perfectiſſimæ ſuæ naturæ privilegio *rationem reddit* cur, *dato eum exiſtere, exiſtat; ità ego ab eodem fonte, nempe ex naturæ ſive eſſentiæ ſuæ perfectione demonſtro* quòd *exiſtit. Eſt enim perfectio illius Eſſentiæ æquè ſufficiens ratio* quòd *exiſtit, atque eſt* cur *exiſtat. Eſtque ratio utrobique ab Exiſtentia perinde diſtincta.*

Adde quòd nihil contingenter *exiſtere poteſt niſi detur* Agens liberum ; *& quod perperàm alibi adhibet* Hobbius, *hìc opportunè rectéque poteſt adhiberi. Nempe, cùm in eſſentia* Entis abſolutè perfecti *ratio* ſufficiens *ſit* cur *exiſtat, quòd eadem* neceſſaria *inſuper ſit ratio illius* Exiſtentiæ, *adeò ut* non poſſit non *exiſtere, ejúſve exiſtentia omninò* neceſſaria *non eſſe. Aſſerere verò omnia quæ exiſtunt* contingenter *exiſtere, perinde eſt ac ſi aſſeras eadem ſine ratione cauſáve* ſufficiente *exiſtere. Nam ſi* ſufficiens *eſſet, neceſſariò exiſterent ; ſi* inſufficiens, *non exiſterent omninò. Nihil igitur* à ſe exiſtere *poteſt, niſi quod* ſufficientem *in ſe rationem habet ſuæ Exiſtentiæ. Quod niſi omnes humanæ mentis facultates exuere velimus, nulli rei præterquam* Enti ſummè perfecto *competere poteſt, nec illi ſanè non competere. Hæc eſt vis ſenſúſque noſtræ argumentationis, non quem fingit vir facetus & argutus, quo umbratilem pugnam ineat, victoriámque partam ſimulet, ſine hoſte aut adverſario.*

Sed præter generalem hanc noſtræ demonſtrationis Defenſionem, particulares quaſdam argutias acutiſſimi Scriptoris notabo, quo clariùs pateat eas noſtram argumentationem nequaquam attingere. Malè fundatam ſtructuram quam ipſe erexit, duplici ſophiſmate fatiſcere conqueritur. Primum eſt, quod ſupponit, eſſe (*i. e. exiſtere*) Ens ſummè perfectum. *Etenim* cùm dico Ens ſummè perfectum, *ait ille,* Enti connectitur ſummè perfectum tanquam Attributum, *perinde ac ſi diceremus,* Ens quod eſt ſummè perfectum (*hoc eſt, quod exiſtit ſummè perfectum*) *ſic enim ille intelligit. Cùm proculdubio Ens quod eſt ſummè perfectum, nihil ampliùs hoc in loco ſignificet, quàm Ens ſummè perfectum, non* exiſtentiam *notans ſed* naturam *rei. Qui vulgatiſſimus eſt illius voculæ uſus. Ubi verò tam confidenter addit* pro rata certáque Regula firmandum eſſe, Complexum ſubjectum cujuſvis Propoſitionis, ſemper eſſe Aſſertionem Hypotheticam, *exemplúmque ſubjungit, ut,* Ens neceſſarium exiſtit, *i. e. inquit,* Si ſit Ens neceſſarium, exiſtit ; *heic iterùm niſi vocula*[*ſit*] Naturam *notat non* Exiſtentiam, *Propoſitio erit ludicra & nugatoria. Senſus enim planè erit, Si exiſtit Ens neceſſarium, exiſtit. Quis verò è* Dialecticis *nè dicam Plebeiis, talem illius effati ſenſum unquam cogitavit? Et quàm à Logicis auribus abhorret ut Ens neceſſarium, appelletur Subjectum complexum ſive Terminus complexus, cùm ſit* ἄνευ συμπλοκῆς, *ut loquitur* Ariſtoteles?

Sed apertiùs indicabit ſic eſſe ex illo ſophiſmate quemadmodum ille autumat, viz. Quicquid exiſtit eſt reale, ſed Hippogryps exiſtens exiſtit. *Unde abſurdam, quam reticet, ſtatim clamat concluſionem! Quæ tamen proculdubio aut hæc eſt aut nulla : Ergo, Hippogryps exiſtens eſt Ens reale. Quod verum eſt Axioma : Quippe quòd nec Exiſtentiam nec Realitatem affirmat de Hippogryphe, ſed tantùm affirmat Hippogryphem qui exiſtit eſſe Ens reale. Ut & Aſſumptio, Hippogryphem qui exiſtit exiſtere. Hippogryps verò qui exiſtit, cùm nihil affirmet aut neget, manifeſtum eſt non eſſe Terminum complexum, ſed incomplexum. Et quamvìs concedenda ſit concluſio, concedenti tamen integrum eſt negare quòd ſit Hippogryps qui exiſtit, neque enim illud affirmat concluſio.*

Hoc verò Sophiſma quod autumat, niſi planè ἀπροσδιόνυσον *ſit, ſic ad rem præſentem debet applicari. Quicquid exiſtit eſt Ens reale, Sed Ens ſummè perfectum exiſtens exiſtit, Ergo. Qui tam frivolus eſt argumentandi modus ut nè* Carteſianis *quidem impingi poſſit, nedum mihi ipſi, qui in principio tam perſpicuè oſtendi argumentum meum non exiſtentiam* per exiſtentiam, *ſed exiſtentiam per* eſſentiam *verè rectéque animo perceptam, demonſtrare. Tam parùm faciunt tortuoſæ hæ ac ſophiſticæ argutiæ ad vim enervandam noſtræ demonſtrationis. Addóque ad præſentem Captionem, Ens* abſolutè neceſſarium, *eo ipſo quòd eſt ſuâ naturâ Ens abſolutè neceſſarium, nempe rectè ſic perceptum à facultatibus noſtris, certiſſimè exiſtere ; nos ſcilicet habere certiſſimam illius Exiſtentiæ Notitiam, ſuppoſito quòd facultates noſtræ veræ ſint. Ens verò* ſummè perfectum *tale eſſe, pari claritate noſtris facultatibus pateſcit. Materiæ verò* χέσιν *hanc exiſtendi neceſſariam affingere, deſipere eſt, cùm Eſſentia illius tam vilis ſit & contemptibilis. Quæ igitur porrò addit in hoc primo Sophiſmate explicando de neceſſaria exiſtentia Materiæ adjungenda, quo neceſſariò exiſtat, tam delumbia ſunt omnia maléque, ceu ſcopæ diſſolutæ, cohærentia, ut operæ pretium minimè duxerim eis diutiùs immorari.*

Alterum Sophiſma, in hoc argumento ab Idea Entis ſummè perfecti deducto, ex ignorantia uſûs aut ſignificationis, Nominum, *ortum autumat, quippe quæ ſuâpte naturâ nihil præter nudam rei notionem denotant, nullâ verò* exiſtendi προσημασίᾳ *inſuper gaudent, ut nè ipſa quidem* actualis Exiſtentia, *quæ in formali ratione* Entis ſummè perfecti *includitur, illud reverà* exiſtere *indicet.* Itaque ex prædicta, *inquit,* argumentatione tantùm ſequitur, rei undequaque perfectæ notionem cogitari non poſſe niſi ſimul exiſtentiæ notio convolvatur : utrùm verò Notiones iſtæ re an ſolâ cogitatione exiſtant, adhuc ſupereſt probandum. *At verò videat heic vir acutus nè* Carteſianos *nimiùm ſtultos obtuſbſve ſibi fingat adverſarios, quaſi ex eo ſolo, quòd res ex omni parte perfecta cogitari non poſſit niſi reliquis Attributis ſuperaddatur etiam* exiſtentia, *vel quòd ex adjecta in Idea ad reliquum perfectionum cumulum hac exiſtentia, Ens ſummè perfectum indè* neceſſariò exiſtere *concluderent. Equidem ſic non argumentantur aut ſaltem ego non ſic argumentor, quemadmodum ſuprà oſtendi. Nam quod & ſuprà conqueſtus ſum,*

ſum, modo manco & depravato Carteſianorum *argumentum vir callidus proponit, quaſi ex eo quòd* actualis Exiſtentia *neceſſaria ſit ad Ens ſummè perfectum conſummandum (cùm ad follem aut forcipem conſummandum æquè eo ſenſu ſit neceſſaria) illud reipſâ concluderent exiſtere. Argumentum verò ab* Idea Entis ſummè perfecti *ritè diſpoſitum longè aliter ſe habet. Quippe quòd nihil jam præſumens quis de* actuali exiſtentia *quâ completum fiat Ens ſummè perfectum,* veram *duntaxat &* genuinam *Entis ſummè perfecti* Ideam *contemplando (dubitans adhuc an actu exiſtat, aſſenſúmve ſaltem ſuſpendens)* neceſſariámque *in ea obſervando σχέσιν ad* exiſtentiam, *(in reliquis verò Ideis* contingentem *tantùm aut* impoſſibilem *) ex hâc σχέσει poſtmodùm* neceſſitatis *ad Exiſtentiam, reverà illud exiſtere concludit. Quid enim obſecro exiſtat, ſi non illud quod ex ſua* natura *ſive Idea σχέσιν* Neceſſitatis *habet ad* Exiſtentiam, *non* Contingentiæ *aut* Impoſſibilitatis ?

Hic verò ſubtimeſcere nè fallacia lateat aut ſophiſma in argumentando ab Exiſtentia *ad* Exiſtere, *res puſilla profectò eſt & ridicula. Etenim ad quod jure (ſive* Metaphyſico *ſive* Logico *) eóque* inviolabili *&* ineluctabili *pertinet* Exiſtentia, *ad idem proculdubio pertinet* Exiſtere, *nec, ſi ad proprias animi noſtri facultates provocamus, eo poteſt excidere. Nimiſque id inſcitè à viro aliàs ſatìs acuto factum eſt, quòd in his ſuis argutationibus* Exiſtentiam & Eſſentiam *confundat, quæ modo diſtincto concipi debent ; non temerè, nè in Ente quidem ſummè perfecto commiſceri. Ipſa, inquam,* Exiſtentia, *in illius* Eſſentia *propriè ſic dicta, non continetur, ſed σχέσις tantùm* neceſſaria *ad* Exiſtentiam. *Quam quidem cùm ipſa præciſa Eſſentia* Entis ſummè perfecti *manifeſtò complectitur, indè certiſſimâ illatione concludimus ipſum* exiſtere. *Quod nec de folle nec forcipe nec de ulla re alia qualicunque concludi poteſt.*

Denique, ut nihil, quod ullius momenti videri poſſit, prætermittam, quantùm ad argumentum illud Anſelmi *contra Inſipientem qui dixit in corde ſuo non eſt Deus, nimirum,* Deus eſt id, quo majus cogitari non poteſt, quod qui bene intelligit utique intelligit id ipſum ſic eſſe ut nec cogitatione queat non eſſe. Qui ergo intelligit ſic eſſe Deum, nequit eum non eſſe cogitare. *Equidem fateor ſi candidè quis* Anſelmum *interpretari velit, illius animum tale quid parturiiſſe quale nos magìs operosè ac diſtinctè deſcripſimus, & à* præciſa Entis ſummè perfecti eſſentia *menti noſtræ repræſentata, illius* exiſtentiam *concludere voluiſſe. Sed ſtatim atque prodiit illud* Anſelmi *Argumentum, ait ille, à* viro quodam docto & acuto confutatum eſt, *ut refert* Carthuſianus, *& ſalsè ab ipſo irriſum, addente inter alia,* Neſcio an inſipientior ſit qui putat hoc ſequi, an Inſipiens qui dixit in corde ſuo non eſt Deus. Vocem *audio,* Acumen *non video. Sed effutiit ſanè, meo judicio, vir ille acutus, quæ virum doctum & acutum minimè decent. Equidem leviculum aliquem ac profanum Nebulonem fuiſſe oportet & ad Atheiſmum nimis propendentem qui ſanctum illum Divini pectoris* Anſelmi *ſenſum tam agreſti barbaróque ſcommate inceſſerit. Quanto verò acumine polleret iſte homuncio, teſtes ſint* Scotiſtæ *qui Scholaſticorum habiti ſunt omnium acutiſſimi, quique tamen* Anſelmi *argumentum contra hebetiores* Thomiſtas *invicto animo ſemper defendebant.*

Immò verò teſtis ſit hic ipſe S. P. *cujus in Tractatu cùm multa paſſim acutè & eruditè dicta occurrant, nuſquam tamen acutiora, & veriora, quàm quæ habentur lib. 2. cap. 4. de* Subſtantia *&* Eſſentia Divina, *pag. 306, 307. & ſeqq. Unde nonnulla huc tranſcribam mox notaturus quantoperè à profano prædicti nebulonis genio ſpurióque acumine abhorreant. Præterquam igitur quod pag.* 308. Neceſſitatem exiſtendi perfectionem omnium principem ſtatuit atque ſupremam, *additque præterea, eâdem paginâ,* Reliqua omnia præter Deum ipſum ſive Divinam Eſſentiam, utpote quæ ab intrinſeca Naturæ neceſſitate non ſubſiſtunt, talia eſſe ut causâ aliquâ indigeant cujus potentiâ & beneficio ſubſiſtant ; *idémque repetit ſequenti paginâ, nimirum* quæ vi & perfectione Eſſentiæ propriæ non exiſtunt, indigere reali aliunde influxu ut exiſtant, &c. *Præter hæc inquam, apertiùs & copioſiùs ſuper hac re Philoſophatur pag.* 306. *ubi aſſerit* tantam eſſe Divinæ Eſſentiæ Actualitatem, ut contradictio & impoſſibilitas ſit omnium maxima eam non eſſe ; *unde manifeſtum fieri,* Infinitudinem nudæ & ſolius Eſſentiæ Divinæ, reſectis omnibus Attributis, in abſolutiſſima eſſendi neceſſitate, qua utique infinitis intervallis à non eſſe removetur, poſitam eſſe. Id quod volunt Scholaſtici cùm Deum Actum purum eſſe docent, &c. *Et pag.* 307. At verò Eſſentia Divina tam innumerabilibus intervallis à non eſſe recedit & ità excludit omnimodam Potentialitatem, ut directè cum illa pugnet, &c.

Rurſùs, pag. 308. Etiamſi Deum eſſe à ſe negativè duntaxat dicimus, tamen illius Fundamentum poſitivum aſſignari neceſſe eſt ; ſcilicet Immenſitatem perfectionis Divinæ, Radicem, Cauſam, ſeu Fundamentum eſſe dicimus quod Cauſam non habeat : Ità licèt non ſe ipſe producat, tamen à ſola Perfectionis exuperantia eſt quòd non producatur. *Adáitque,* quanquam Deus propriè à ſe non ſit, tamen ſibi debere, quòd ab alio non ſit, nec ſit opis alienæ indigus, quatenus ab immenſa ſuæ perfectionis exuperantia fit ut cauſam non poſtulet qua produceretur. *Et pag.* 309. Quod enim tam immenſæ perfectionis eſt ut ſibi tam immenſam Eſſentiam dederit, (ſic loqui fas ſit) quanto magìs omnes alias quaſcunque perfectiones daret, quum nulla Attributa amplioris poſſunt eſſe perfectionis quàm ſit immenſa & inexhauſta Dei Eſſentia, &c. *Additque pag.* 310. Quæ ratio licèt ſolito ſubtilior videatur, neque idcirco vocibus plenè exprimi poſſit, eam tamen nullus dubito attentiùs perpendenti ſolidam viſum iri. *Et eâdem denique paginâ,* Quandoquidem igitur quicquid ad naturam Dei attinet, ſive per modum Eſſentiæ ſive per modum Attributi, à nulla cauſa dependeat, non video quo pacto ſibi ipſi certum Perfectionis modulum potuit præſcribere niſi etiam à ſeipſo produceretur, *&c.*

Quæ quidem loca ſingula ſi attentiùs conſideremus, diligentiúſque inter ſe comparemus, ſumma huc redit : Quòd Eſſentia Divina cùm omnibus numeris perfectiſſima ſit, vel illimitatæ ſive infinitæ perfectionis, quippe quæ à nulla re alia nec à ſeipſa quidem produci poteſt, immediatâ nudæ ſuæ ac ſolius Eſſentiæ vi ac perfectione, ſine ulla cauſa productrice, neceſſariò exiſtit. *Hoc nempe eſt quod tot verbis, quod tot ſententiis, tam operoſè támque copioſè in hoc capite inculcare velle videtur ; contrà ac fecit lib.* 1. *cap.* 5. *ubi ipſiſſimum illud argumentum convellere tantoperè conatus eſt.*

------------ Quantum mutatus ab illo
Hectore qui redit exuvias indutus Achillis !

Quàm diſſimilis illi S. P. *qui in priori libro quaſi debellatis proſtratiſque non ſolùm* Græcis, Platonicis *præſertim, ſed &* Carteſianis *omnibus ipſóque demum,* Carteſianis *antiquiori, ſanctiſſimo* Anſelmo, *magnificentiâ pluſquam Hectoreâ inſultavit, ac nimis quàm ſplendidè in eos ac glorioſè triumphavit ; hic verò mutatâ in melius ſententiâ, quod ipſi animitùs congratulor, ultrò tanquam ipſâ tandem rei evidentiâ victus manus ſubmittit, & nobili quodam & inopinato Enthuſiaſmo, lucidóque animi æſtu ad eam veritatem rapitur, quam non modò refugiſſe antea ſed ſubtiliſſimis quibuſque Sophiſticæ telis, longéque petitis argutiis conficere prorſus voluiſſe viſus eſt & confodere.* Ità ſcilicet ſolent magna Ingenia, malunt à ſeipſis quàm ab aliis doceri.

Intereà loci mihi perjucundum eſt Spectaculum, poſt tam acrem pugnam, infeſtáque acutiſſimi Ingenii ſpicula adverſùs Platonicos, Carteſianos, *eruditiſſimum* Stillingfleetum multiplici coronâ longè digniſſimum, *ac Reverendiſſimum Patrem* Anſelmum *Mitrâ Epiſcopali* Cantuarienſi *olim decoratum tam viriliter contorta, egregium hunc videre bellatorem arma tandem in ſe convertentem, & non ſolùm impugnantem ſeipſum ſtrenuè ſed & fœliciter expugnantem,*

(Ajacem quis enim potuit ſuperare niſi Ajax ?)

& nobiſcum omnibus planè conſentientem ex infinita Divinæ Eſſentiæ perfectione illius exiſtentiam poſſe demonſtrari. *Adeò ut tandem ſolus vapulet cum ſuis* Thomiſtis *acutus ille nebulo qui ſalſo iſto dicterio ſolidum illud venerandi* Anſelmi *argumentum tam inurbanè barbaréque irriſit, ipſe in poſterum ab omnibus verè acutis ſagacibúſque Ingeniis irridendus & exſibilandus. Hic eſt hujus Tragicocomœdiæ exitus exoptatiſſimus miniméque Tragicus. Veritati jam in vado res eſt, Plaudite.*

Sect. 8. Atque tunc ſex iſtiuſmodi eum æquabunt, &c. *Hæc Aſſertio huic innititur Hypotheſi, nempe, Cùm quælibet pars denominata ſive aliquota Infiniti ſit infinita, dari poſſe infinito infinitius, nè quis putet Spiritum ſextuplo minoris virtutis quàm ſit Deus, virtutem non habere infinitam. Eſt egregia hac in re ſubtilitas, quam ante multos annos ventilavi in Poëmate cujus Inſcriptio eſt,* Democritus Platoniſſans *ſive* Mundorum Infinitudo. *Quò Lectorem remitto ſi Anglicè calleat.*

Sect. 9. Mentis potiùs eſt quàm ipſius Cogitationis: *hoc eſt,* Cogitatio *mentis, mentis potiùs eſt quàm ſua.*

Sect. 10. Atque ſic neuter quidem Deus foret, &c. *Quippe quòd Deus Ens eſt ſummè & abſolutè perfectum, quale nullum Ens eſſe poteſt quod non omnia in ſe partim* formaliter *partim* effectivè *complectitur, ità ut quicquid ſit perfectionis in Univerſo (quod* τὸ πᾶν *à Græcis appellatur) hoc eſt in toto Entium omnium realium complexu, & quoad* Genera *& quoad ſingula* Individua, *aut ipſum hoc Ens abſolutè perfectum ſit, aut ſaltem ab ipſo profectum. Adeò ut æquè abſonum eſſet fingere abſolutiſſimum* τὸ πᾶν *quod res omnes & ſingulas ſingulávè Individua complectatur, & tamen interim agnoſcere aliquid præter ipſum extràve ipſum eſſe, quàm Ens ſupponere* abſolutè perfectum, *& tamen aliquid* *eſſe præter ipſum, nec dependens ab ipſo. Aliud eſt eſſe Equum ſummè perfectum, vel Hominem omnibus numeris abſolutum, aliud* Ens ſummè abſolutéque perfectum. *Nam iſtæ perfectiones ſunt finitæ & limitatæ, ac proinde plures iſtiuſmodi Equi Hominéſve concipi poſſunt. Nec argutum iſtud reſponſum* Æſopi, *qui poſtquam mancipium proximum, venale aſtans, interroganti cuidam quid facere poſſet, audiviſſet jactitare, ſe poſſe omnia, ipſe ſtatim eidem interroganti quid is poſſet, reſpondebat ſe poſſe nihil, nihil enim reliquum eſſe quod ipſe faceret, argutus, inquam, hic jocus locum heic habiturus non eſſet, quoniam tametſi ſpecificæ perfectiones rerum finitarum repeti poſſunt, pluribúſque ſubjectis communicari, in Ente tamen ſummè & abſolutè perfecto, nullâque reſtricto limitatione, Argutia profectò non eſſet ſed ſolida argumentatio, ſi quis ſtatim concluderet nihil reliquum eſſe quod ullum Ens aliud aut ſit aut poſſit independenter ab hoc Ente ſummè & abſolutè perfecto, quod quicquid eſt ſpecierum* Individuorúmve *vel concipi poteſt, aut* formaliter *aut* effectivè *in ſe continet. Unde agnoſcere quicquam independens ab ipſo, apertiſſima eſt contradictio. Tam certò concluditur Unitas Divini Numinis ex illius Natura ſeu Idea.*

CAP. IX.

1. *Exiſtentia Dei probata à Cauſa finali Ideæ Dei in animam humanam inſitæ.* 2. *Iſtius argumenti evaſio, ſupponendo omnia, talia fortuitò fieri qualia ſunt.* 3. *Evaſionem aut impoſſibilem eſſe aut* nudè poſſibilem, *ac nullius proinde momenti.* 4. *Nobis ei attendendum non eſſe quod* nudè poſſibile eſt, *ſed quod naturales facultates determinent.* 5. *Rurſus igitur urget cauſam* finalem *indelebilis Ideæ ſive Imaginis Dei in Anima, à Similitudine vim illius illuſtrans.* 6. *Suppoſito quòd Deus exiſtit, eum non aliter acturum fuiſſe nobiſcum ad ſeipſum nobis patefaciendum quàm de facto nobiſcum actum ſit, quod igitur rurſus probat eum exiſtere.*

1. ATque hactenus quidem argumenta deduxi à *naturali Notione* ſive *Idea Dei,* quatenus illud reſpicit cujus eſt *Idea* ſive *Notio.* Periculum jam faciam, quam vim habere poſſit, quatenus Animas noſtras reſpicit, *ſubjectum* utique illius in quo reſidet. Quæro igitur, Quis indelebilem hunc Dei characterem Animabus noſtris indidit? Cur & in quem finem illîc eſt?

2. Nolique putare quæſtionem ſic eludi poſſe, dicendo, Contentos nos eſſe debere eo rerum ſtatu in quo eas reperimus, nec in ullius rei cauſam *finalem* inquirere. Ex ſeipſis enim neceſſariò eſſe omnia qualia ſunt, quorum Regimen & Conſtructio à nullo Sapientiæ Conſiliíve Principio profecta eſt, ſed unaquæque Subſtantia nunc eſt fuítque ſemper iſtius naturæ & capacitatis quam habere deprehenditur, utpote quæ Originem ſuam non aliunde duxerit quàm à ſeipſa. Omnéſque illæ Mutationes ac varietates quam in Mundo conſpicimus, non ſunt niſi fructus æterni Conflictûs coordinatarum Cauſarum, enitentium quantum poſſunt, ad continuandas ſeipſas in præſenti ſtatu quo ſint conſtitutæ; cúmque ſic mutuò aliæ in alias agant viciſſímque patiantur, hinc rerum iſtæ varietates in Univerſo apparent, ſed unaquæque particularis ſubſtantia cum ſuis Eſſentialibus proprietatibus à ſe originem duxit, & eſt independens ab ulla alia.

3. Ad hoc enim reſpondeo, Quòd ſumma totius hujus Hypotheſeos, nihil ampliùs ſit quàm mera *nudáve Poſſibilitas,* immò verò * ſi proprias facultates conſulamus innatámque Dei Ideam, aperta *Impoſſibilitas.* Sed pone rem poſſibilem eſſe. Equidem *nuda* hæc *Poſſibilitas,* tam laxa eſt, tam invalida indeterminatáque conſideratio, ut nullam vim habere debeat ad mentem huc vel illuc impellendam, quæ vel mediocrem rationis ſuæ uſum adhuc retineat, non magìs ſanè quàm languida ſpiracula ſoluti Aëris ad concutiendum Montem Turrémve aheneam. Nam ſi *nuda Poſſibilitas* Aſſenſum Diſſenſúmve noſtrum in rebus irretire debet, nè abſurdiſſimæ quidem fabulæ apud *Æſopum* aut *Ovidium* fidem poſſumus abrogare, maximéve ridiculis Figmentis quæ excogitari poſſunt. Cujuſmodi ſunt, *Quòd Ariſtæ ſegetum, ventorum ſibilos Aviúmque minuritiones audiunt. Quòd lapides in plateis dolore conteruntur dum onuſta plauſtra tranſeuntia eos premunt. Quòd Heliotropium oculum in Solem intendit cúmque revera videt, perinde atque cum eo circumvertitur. Quòd Juglandis nucleus, utpote qui cerebri ſignaturam habet, Imaginatione pollet atque Ratione.* Nemo, inquam, plenè hiſce Ineptiis fidem abrogare poteſt, ſi *nuda Poſſibilitas* vel minimum momentum habeat, ad lances huc vel illuc impellendas. Nihil enim horum aliorúmque conſi-

milium millenorum, perfectam & palpabilem contradictionem implicat, ac proinde jus ſibi vendicabunt, æſtimandi *poſſibilia*.

4. Cæterùm, Nobis ei attendendum non eſt quod *ſimpliciter* ſit *poſſibile*, ſed ad quod naturales noſtræ facultates nos dirigant ac determinent. Exempli cauſâ, Pone quæſtionem eſſe, Utrùm lapides in plateis ſenſum habeant necne. Non debemus rem in medio relinquere tanquam dubiam, aut de qua utrolibet modo ſtatui poſſit, ex eo quòd poſſibile ſit, nec palpabilem implicet contradictionem, ut ſenſum habeant eúmque dolorificum; ſed naturales debemus conſulere facultates, diſpicereque quò illæ propendeant. Illæ verò planè controverſiam determinant, monendo nos, quòd illud quod ſenſum habet, doloríſque capax eſt, motum habere debet progreſſivum quo ſe ſubducat ab eo quod noxium eſt & dolorificum; id quod fieri videmus in rebus omnibus, quæ vel mediocrem ſenſûs portionem nactæ ſunt. Ipſéque *Ariſtoteles*, qui tamen Divinum Numen haud uſque adeò deperire viſus eſt, frequenter hoc principium aſſumit, Ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιεῖ, *Natura nihil facit fruſtrà*. Quæ Exiſtentiæ Dei aut agnitio eſt, aut ad *rationales* noſtras *facultates* provocatio. Et mihi quidem perinde eſt utra ſit; habeo enim quod volo, utrocunque modo ſit. Nam ſi ad naturales propriarum facultatum ſuggeſtiones provocemus, renunciabunt nobis proculdubio, quòd *Deus exiſtit*.

5. Rurſus igitur quæro, volóque reſponſum mihi dari ſemoto omni præjudicio, nullâque vi naturalibus noſtris facultatibus illatâ, Quem in finem eſt indelebilis hæc *Imago Ideáve Dei* in nobis, ſi nullus omninò Deus ſit in Univerſo? aut quis tam profundam illius characteris impreſſionem mentibus noſtris obſignando indidit?

Si in vaſto aliquo deſerto iter facientes, ubi nullus Homo aut Domus nobis occurriſſet, in pecorum armenta oviúmve greges fortè fortunâ incideremus, quorum corporibus certæ quædam Notæ Literæve inuſtæ eſſent; ſine mora proculdubio concluderemus, hæc omnia aliquando veniſſe ſub manus hominis alicujus qui ſuum Nomen ipſis impreſſerit. Atque equidem, quando Animabus noſtris Notis adeò legibilibus Nomen vel potiùs naturam Ideámve Dei inſcriptam videmus, annon puderet nos tam tardo averſóque animo eſſe, ab ejuſmodi adeò conſentaneam inferendo concluſionem? Certo certiùs, is, cujus character animabus noſtris impreſſus eſt, hîc adfuit, atque ad hunc modum nos ſignavit, ut & noſmetipſi aliíque omnes dignoſcant, ad quem pertineamus, Quòd *Is ſit à quo facti ſimus non à nobis ipſis, quòd ejus populus ſimus, ejúſque paſcui oves*. Atque omninò manifeſtum eſt ab *Idea* Dei, quæ *Omnipotentiam* in ſe includit, quòd à nullo alio præterquam ipſo formari poſſumus, quemadmodum* ſuprà demonſtravi. Ac proinde nulla præſtabilior via erat, quam noſtri ſignatio hâc ſuâ *Imagine*, quâ efficeret, ut nos ipſos agnoſcamus illius eſſe, eúmque cultum & adorationem ei præſtemus, quæ potenti noſtro *Genitori* ac *Creatori* debentur, hoc eſt, *benefico noſtro Deo*.

* Cap. 8. Sect. 7, 8, 9.

Quamobrem cùm omnia tam naturaliter faciléque unà concurrant eódemque conſpirent, ſecundùm liberas naturalium noſtrarum facultatum ſuggeſtiones, æquè perverſa profectò & coacta res eſt Aſſenſum heîc ſuſpendere, ac ſiquis dubitet utrùm *Romanæ* iſtæ *Urnæ* ac *Numiſmata* (quorum ſuprà facta eſt mentio) è terra effoſſa, *Naturæ opera* ſint an *Artificia Hominum*.

6. Cæterùm ſi adhuc hæreamus nec liberum dare poſſimus aſſenſum huic dogmati, Quòd *Deus exiſtit*, patiamur ſaltem pauliſper tanquam verum ſupponi. Rogo igitur, ſuppoſito quòd Deus exiſtit, ecquam mens humana excogitare poſſit rationem meliorem aut efficaciorem, quàm Deus hic adhibeat, quâ ſe tali Creaturæ, qualis homo eſt, talibúſque facultatibus præditæ, notum ſe faceret, quàm ſit ea ipſa quam jam adhibuit? Cùm enim Deus *Spiritus* ſit & infinitus, non poteſt ſeipſum unquam neceſſariò & adæquatè notum facere per ullam externis noſtris ſenſibus comparentiam. Nam ſi manifeſtaret ſeipſum ſub ullis externis figuris formíſve, benevolentiam irámve portendentibus, terrorémve aut protectionem, facultates noſtræ nos certos facere non poſſent, quòd hic Deus eſſet, & non particularis aliquis *Genius*, ſive bonus ſive malus: Et præterea tam præſtinguentes terrificæque externæ molitiones nec Divinam Naturam decent nec humanæ Animæ conditioni conveniunt, cujus melioribus facultatibus magíſque liberis Deus ſe immiſcet, non vim nobis infert attonitóſve reddit magìs craſſo ac violento in infirmos noſtros ſtupidóſque ſenſus Incurſu. Quid igitur reliquum eſt quàm ut ſeipſum *Homini* noſtro *interno* manifeſtet? Et quænam, quæſo, via excogitari poteſt aptior, quàm indelebilis hæc Impreſſio Ideæ ſui ipſius quæ eſt (non quidem *Divina vita* ac *ſenſus*, illud enim longè ſublimius eſt præmium, eis paratum qui capere poſſunt, ſed) naturalis Repræſentatio Divini Numinis, Notióque illius *Eſſentiæ*, quâ Anima humana non aliter eum concipit, quàm quòd ſit

Æternus Spiritus, Infinitus Bonitate, Omnipotens, Omniſcius & *neceſſariò à ſeipſo exiſtens?* Hoc verò in nobis jam factum eſſe, quemadmodum plenè demonſtravi, deprehendimus. Quamobrem cùm omni ex parte ità nobiſcum actum ſit, *ac ſi Deus exiſteret,* nec ulla facultas quicquam afferre poſſit in contrarium, quid obſecro obſtat, quin continuò concludamus, *Deum reverà exiſtere?*

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. 3.

SI proprias facultates conſulamus, innatámque Dei Ideam, aperta Impoſſibilitas, &c. *Idea enim Dei ſive Entis ſummè & abſolutè perfecti planè arguit illius Exiſtentiam. Ejúſque exiſtentia tollit prorſus aut prævertit exiſtentiam ullius rei quæ ab ipſo tanquam rerum omnium origine non dependeat.*

CAP. X.

1. *Affectiones aliæ variæ ſive Proprietates in Anima humana quæ Dei Exiſtentiam arguunt;* 2. *Ut naturalis* Conſcientia, 3. *Pia Spes ſeu Fiducia de rerum ſucceſſu, ex juſtis tranſactionibus cum Hominibus.* 4. *Reſponſum ad Objectionem, Quòd quidam hiſce Divinis ſenſibus ſint penitùs deſtituti.* 5. *Univerſalitatem* cultûs religioſi *probare, quòd Notitia exiſtentiæ Dei ſit à Lumine Naturæ.* 6. *Reſponſum ad Objectionem, Quòd nempe generalis hæc agnitio Exiſtentiæ Dei, eſſe poſſit univerſalis tantùm Traditio.* 7. *Alteri reſpondetur Objectioni, viz. Quod ab omnibus Nationibus receptum eſt poſſe nihilominus eſſe falſum.* 8. *Objectio ſumpta à generali falſitate ac perverſitate Religionum apud Gentes. Primum Reſponſum per modum Apologiæ.* 9. *Secundum Reſponſum, quod ſupponit Religiones Gentium, quantum voles, depravatas.* 10. *Ulterior Objectio à longa duratione harum falſarum Religionum & deſperatione unquam ex eis emergendi, cum brevi Reſponſo.*

1. HActenus argumentati ſumus pro Exiſtentia Divini Numinis à naturali *Idea* Dei, inſeparabiliter & immutabiliter reſidentis in Anima Humana. Sunt etiam alia Argumenta, quæ ab iſtiuſmodi affectionibus deduci poſſunt, quæ Naturæ humanæ quàm arctiſſimè adhærent; Taliſque eſt *naturalis Conſcientiæ morſus,* Timórque & inquietudo animi etiam ob iſtiuſmodi Admiſſa quæ ab humanis legibus non puniantur: ut & *Spes naturalis* de proſpero ſucceſſu in eis rebus peragendis quas probas eſſe judicaverimus atque juſtas; & poſtremò *Religioſa Veneratio Divinúſque cultus:* Qui omnes fructus ſunt qui facilè ſuâque quaſi ſponte ex humana Natura germinant. Et ſi rectè eos interpretari nôrimus, omnes nobis ſubindicant, *Deum exiſtere.*

2. Et primùm, de *Naturali Conſcientia* manifeſtum eſt, quòd timor ſit & conſternatio animi ex præſagitione alicujus mali orta quod Homini præter ordinarium Naturæ curſum uſitatóſve rerum caſus evenire poſſit, quòd in hac vel illa re perperàm ſe geſſerit. Non quòd quicquam quod ſupernaturale eſt aut abſolutè extraordinarium, neceſſariò ipſi ſit eventurum; ſed quòd ordinariæ ſaltem *Calamitates* ac *Infortunia,* quæ hominibus accidunt, dirigenda ſint in ipſum aliquo tempore & contorquenda, quòd hoc vel illud facinus commiſerit contra ſuam conſcientiam. Et ſanè homines naturaliter in gravi aliquo *Infortunio,* ingenti *Tempeſtate* in Mari, horrendóve in Terra *Tonitruo,* (quanquam hæc à naturalibus planè cauſis ſint) in ſeipſos deſcendunt, & ſe ſuáſque excutiunt actiones, & terrore corripiuntur, manéntve imperterriti, prout ſeipſos aut damnant aut abſolvunt in propriis ſuis conſcientiis. Atque hinc eſt illud magnificum juſti hominis Elogium apud Poëtam,

Nec fulminantis magna Jovis manus.

Quòd non terretur ad jaculatum Tonitrui & fulminis à cœlo intonantis. Metus verò hic quòd unus præ reliquis percutiendus ſit, aut hoc tempore potiùs quàm alio, ob id ipſum, quòd aliquod facinus perpetraverit, naturalis agnitio eſt, has res à ſapiente aliquo Principio gubernari ac dirigi, Quod idem eſt atque agnoſcere, *eſſe Deum.* Nec quicquam momenti habet quod quidam hîc objiciunt; Nautas ſcilicet Diris & Dejerationibus tum maximè perſtrepere, cùm Tempeſtas maximè ingruit; Ex eo enim fit quòd aſſuefactio iſtiuſmodi periculis periculi ſenſum eis ademit, non autem ſenſum Dei.

3. Illud etiam humanæ naturæ valdè conſentaneum eſt, ut is qui Dictata ſuæ Conſcientiæ ſincerè ſequitur, *bonâ ſpe* abundet multâque tranquillitate & ſecuritate quòd omnia domi foriſque ipſi proſperè ſint ſucceſſura, quanquam illius actiones ſinceríve animi motus in Naturam nihil agant Mundíve curſum atque ordinem quo ullo modo immutentur: Quamobrem ſupponit Principium aliquod ſuperintendens Naturæ ac materiali Mundi Fabricæ quod rebus ſic proſpicit, ut nihil eventurum ſit quod non conſiſtat cum proſperitate ac fœlicitate eorum hominum qui honeſtatem colunt bonámque conſcientiam. Et ſi res ipſis ſecundùm ſuam expectationem non ſuccedunt in *hac vita*, id naturaliter aditum aperit ad fidem *vitæ futuræ*.

4. Neque certè illud vim hujus argumenti quicquam enervat, quòd aliqui homines ſenſum diſcriminis bonum inter atque malum perdiderint; ſi qui ſunt, qui adeò uſque degeneraverint. Sed ſupponamus, Hic quidem homo monſtrum eſt, & ut ſuſpicor, ſuâpte operâ ſic factus. Hoc verò nihilo magìs obeſt cauſæ quam ego defendo, qui à *naturali* conſtitutione Hominis, Dei exiſtentiam arguo, quàm ſi, quòd *Democritus* oculos ſibi eruerit, alii nati ſint cæci, alii oculorum uſum ex nimiis compotationibus amiſerint, nec videre poſſint, idcirco concluderes, nec lumen eſſe nec colores in rerum natura, quippe, ſi eſſent, tum unuſquiſque eos viſurus eſſet; ſed *Democritus* cum nonnullis aliis eos non vident. Verùm in promptu ratio eſt, vis illata eſt *naturalibus* eorum *facultatibus*, viſúmque ſibi ipſis ademerunt.

Quamobrem ex *naturali Conſcientia* in homine, quæ in *Spem Metúmque* eum conjicit *Boni* & *Mali*, à rebus quas fecerit aut omiſerit, quanquam iſtæ actiones & omiſſiones nihil contribuunt ad mutandum Naturæ curſum ſtatúmve rerum Mundanarum, concludo, *Intelligens* aliquod eſſe *Principium* ſuper univerſam Naturam, quod Actiones humanas obſervat, hoc eſt, *Deum eſſe*; alioquin hæc naturalis facultas, falſa foret ac fruſtranea.

5. Jam verò quod ad *Adorationem* attinet *cultúmve Religioſum*, æquè univerſalis eſt atque Genus humanum, cùm nulla ſub cœlo Gens ſit quæ non alicui rei Divinum cultum præſtat, & per eam Deo, ut illi quidem arbitrantur. Quamobrem ſecundùm ordinarium Naturæ lumen quod omnibus hominibus ineſt, *Deus exiſtit*.

6. Nec eludi poteſt hujus argumenti vis, dicendo, quòd *univerſalis* tantùm *Traditio* eſt, quæ ex omni ætatum memoria per Gentes Orbis terrarum ſit diſſeminata: Nam ſi ità eſſet (quod tamen nequaquam probari poteſt) ex eo quòd univerſaliter recepta ſit, manifeſtum eſt, ex lumine Naturæ eſſe, quòd quis agnoſcit eſſe Deum. Etenim quod omnes tanquam verum admittunt, quamvìs ab alio aliquo proponatur, exiſtimandum eſt proculdubio verum, etiam ſecundùm lumen Naturæ. Quemadmodum aliquot centenæ Demonſtrationes Geometricæ quæ primùm Inventa unius alicujus hominis fuerint aut ſaltem pauciſſimorum, habitæ ſunt per omnia ſæcula ac loca pro indubiè veris ſecundùm lumen Naturæ, etiam apud eos qui ipſas tantùm edocti eſſent, neutiquam verò ſuopte Marte inveniſſent. Et ſufficit ſanè ad rem conſtituendam veram ſecundùm lumen Naturæ, quòd nemo, poſtquam quod propoſitum ſit ejúſque rationes (ſi primo intuitu manifeſtum non ſit ſed rationibus indigeat) perceperit, unquam dubitaturus ſit pro vero illud agnoſcere. Ac proinde, ſi ullæ Nationes eſſent, quæ notitiâ Dei deſtituerentur, quemadmodum fortean Rudimentis Geometriæ deſtitui poſſunt, modò admiſſuræ ſint cognitionem hujus perinde atque alterius, poſt debitam commodámque explicationem, Agnitio quidem Dei ſecundùm *lumen Naturæ* perinde dicenda eſt, atque ſcientia Geometrica, quam ſic recipiunt.

7. Quòd ſi hîc objiciatur, Rem univerſaliter recipi poſſe ab omnibus Nationibus, & tamen tantum abeſſe ut vera ſit ſecundùm lumen Naturæ, ut nullatenus quidem ſit vera; ut exempli causâ, Quòd Sol moveatur circa Terram, Terráque quieſcat, tanquam fixum Centrum Univerſi, quod Aſtronomorum præſtantiſſimi, ac profundiſſimi Philoſophorum falſum eſſe pronunciant: Reſpondeo, Quòd Terra aliquo ſenſu quieſcit, nempe ſi per motum intelligas corporis tranſlationem è vicinitate aliorum corporum. Sed ponamus non quieſcere, Hoc cauſam noſtram minimè attingit. Hoc enim non eſt niſi juſta Rationis victoria contra generalia ſenſûs præjudicia. Et nemo eſt qui non agnoſcat Rationem Senſûs Impreſſiones jure poſſe corrigere. Quod

ni eſſet, cum ‖ *Epicuro* & *Lucretio* admittere deberemus Solem Lunámque cribro haud eſſe latiores, Stellarúmque corpora majora non eſſe ordinariâ candelæ flammulâ. Hîc igitur vides digladiationem eſſe facultatum inter ſe, fortiorémque palmam reportare. Nulla verò facultas eſt quam prætendas digladiari cum *judicio Rationis* ac naturali *Sagacitate*, quæ tam facilè concludunt aut præſagiunt *Deum eſſe*. Quamobrem illud meritò pro vero haberi debet, ſecundùm Lumen Naturæ, quod univerſaliter ab Hominibus receptum eſt, quâcunque Facultate receperint, dum nulla interim Facultas comparet, quæ pro teſtimonio quicquam dictura ſit in contrarium. Atque hujuſmodi quidem eſt univerſalis agnitio quòd *Deus exiſtit*.

‖ *Vide Lucret. de Natura rerum, lib.* 5. & *Diog. Laert. Vitam Epicuri.*

8. Nec certè multò plus ad rem faceret, ſi regereres, Quòd tametſi cultus Religioſus exercetur quidem apud omnes Gentes, per totum terrarum orbem, * colunt tamen quamplurimæ tantùm Truncos Lapidéſque, aut ſpecialem aliquam Naturæ partem, Solem putà, Lunam, aut Stellas. Reſpondeo enim, Primò, Admodum difficile eſſe probatu eos ullam colere Imaginem Statuámve ſine reſpectu ad *Spiritum* ſaltem aliquem ſi non ad *omnipotentem Deum*. Unde hoc ſaltem hinc lucraturi ſumus, Eſſe utique in Univerſo magis ſubtiles aliquas & immateriales ſubſtantias quæ rebus humanis aliquo modo ſe immiſcent. Atque hoc quidem tardo *Atheo* perinde durum eſt & abſonum, atque credere eſſe *Deum*.

Et quantùm ad *Adorationem* illam quam nonnulli eorum Soli Lunæque exhibent, equidem mihi perſuadere non poſſum, eam ipſis exhibitam fuiſſe tanquam corporibus merè inanimatis; ſed exiſtimata fuiſſe *Eſſentiarum* quarundam *Intellectualium* habitacula; quemadmodum verſus ille nobis planè innuit:

Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει,

Sol qui audit & videt omnia. Atque hoc quidem quàm proximè accedit ad veram Dei Notionem.

9. Cæterùm qualiſcunque fuerit univerſalis hic cultus religioſus, quàm voles abſurdus & ridiculus, tamen non poteſt quin magnam profectò vim ac momentum habeat ad demonſtrandam *Dei exiſtentiam*. Nullæ enim in rebus facultates ſunt quæ non Objectum ſuum habeant in rerum natura. Ut ſunt putà, Cibus perinde atque Os & Ventriculus, Soni perinde atque Auditus, Colores perinde atque Viſus, & Pericula perinde atque Metus, & ſimilia. Atque ſic profectò pari ratione *Deus* eſſe debet perinde atque naturalis propenſio in hominibus ad *cultum Religioſum*, cùm Deus ſolus proprium ſit illius Objectum.

Nec argumenti hujus vim quicquam minuit, quòd hæc, quæ tam altas radices in homine agit, Religionis proprietas, ut perdi nequaquam poſſit aut aboleri, modis tam ineptis abſurdiſque in humano genere ſe prodat.

Nam ut pedum Canis in ſomno alterna motitatio, ac ſi præda aliqua ipſi ante oculos verſaretur, & Agnelli incurſatio antequam aut cornua habeat aut hoſtes quos impetat, in rerum natura non eſſent, niſi Lepus eſſet quem Canis aliquando proſequi poſſet, cornutúſque hoſtis, quem demum Agnus in Arietem adultus cornubus impeteret: ità nec tam univerſalis cultûs Religioſi uſus in orbe eſſet, quantumlibet ineptè ſtolidéque præſtetur, niſi reverà *debitum* hujus *Cultûs Objectum* eſſet capacitáſque in homine ritè illum præſtandi, quod fieri non poſſet niſi eſſet *Deus*.

Sed ut fateamur quod res eſt, Anima humana, in temulenta hac & ſomniculoſa conditione in qua conſtituta eſt, in corpore dormit, & ſomniantis inſtar Lecti-poſtes alloquitur, Cervical amplectitur loco Amaſii, aut Statuas procidit, cùm æternum inviſibilémque Deum adorare debeat, precéſque fundit Truncis ac Lapidibus, cùm eum alloqui teneatur, qui verbo ſuo creavit univerſa.

10. At verò urgebis, Agnellum tandem habiturum eſſe & arma & hoſtem quîcum congrediatur, Canémque ſomniantem & habuiſſe olim, & rurſus habiturum eſſe realem in conſpectu prædam; & ſimiliter eum qui in ſomno ſermocinatur, vigilantem aliquando cum hominibus ſermonem contuliſſe, idémque iterum facturum eſſe: ſed integras Gentes per multas ſeculorum ſucceſſiones * valdè ſtupidos fuiſſe Idololatras & ad hunc uſque diem tales manere. Cæterùm reſpondeo, quòd hoc de altero magno Myſterio potiùs nos monet quàm præſens Argumentum quoquam modo enervat, grandémve obſcurat veritatem pro qua contendimus. Hoc enim planè inſinuat humanum genus in ſtatu eſſe lapſo haud abſimile illi qui correptus ſit Epilepſiâ, cujus membra vi convulſionis admodum incompoſitè diſtortéque moventur; novimus tamen quòd is, qui in præſens membra corporis tam inconditè & fortuitò agitat, muſculorum uſum antea temperabat ad decorum exercitium progreſſivæ ſuæ facultatis, quódque Paroxyſmo ſoluto ac diſſipato, idem ſit facturus.

Hoc igitur potiùs ſupponit miſellas has Animas barbaras, olim veram Dei ejúſque Cultûs notitiam habuiſſe, & arcanâ aliquâ Providentiâ ad eam rurſus reſtitui poſſe, quàm propenſionem hanc ad *Cultum Religioſum*, quæ tam conſpicuè in eis apparet, omninò eſſe fruſtraneam: Qualis tamen foret tum in ipſis tum in reliquis omnibus, ſi nullus eſſet *Deus*.

SCHOLIA

In Cap. X. Sect. 8.

Colunt tamen quamplurimæ tantùm truncos lapidéſque, &c. *Id certè haud uſque adeò verum eſt, pleraſque gentes notitiâ unius ſummi Dei cœli terræque Creatoris caruiſſe. Quinimò, pleraſque omnes, ſi non univerſas, unum Deum Patrem omnium agnoviſſe duo eruditiſſimi viri,* Radulphus Cudworthius *&* Edvardus Stillingfleetus, *in nuperis ſuis Tractatibus ſolidè & copioſè demonſtraverunt.*

Sect. 10. Valdè ſtupidos fuiſſe Idololatras, &c. *Equidem id negari non poteſt. Nihil tamen obſtat quo minùs unius ſummi Dei à quo omnia ſint, notitiam retinuerint, quemadmodum duo ſuprà dicti viri celeberrimi cumulatè oſtenderunt in dictis Tractatibus.*

CAP. XI.

1. *Utiliſſima inquiſitio in naturam Animæ humanæ.* 2. *Animam non eſſe meram Corporis modificationem, cùm corpus incapax ſit talium operationem quæ vulgò Animæ attribuuntur; ut ſunt* Motus Spontaneus, Animadverſio, Memoria, Ratio. 3. *Spiritus incapaces eſſe* Memoriæ *& conſequenter* Rationis, Animadverſionis *&* Movendi corpus. 4. Cerebrum *Principium* motûs ſpontanei *eſſe non poſſe, cùm nec muſculos habeat nec ſenſum.* 5. Phantaſiam, Rationem *&* Animadverſionem *nec in poro ullo nec in ulla ſpeciali* Cerebri *parte reſidere, nec integrum* Cerebrum *in hunc vel illum conceptum figurari, nec ſingulas illius particulas.* 6. *Figurationem unius partis* Cerebri *in reliquas non reflecti, demonſtratum à ſitu rerum.* 7. Cerebrum *non habere ſenſum demonſtratum porrò ab Experimentis Anatomicis.* 8. *Quàm ridiculum ſit Operationes Animæ attribuere* Conario. 9. *Concluſio, Quòd impetus* ſpontanei motûs *nec ab* Animalibus Spiritibus *ſit, nec à* Cerebro. 10. *Animam non eſſe Subſtantiam corpoream ab Animalibus Spiritibus & Corpore diſtinctam;* 11. *Ac proinde Subſtantiam eſſe incorpoream.* 12. *Eſſentiæ Animæ detectio quanto uſui ſit ad faciliorem conceptionem Naturæ Dei.* 13. *Quódque Æterna Mens eſſe poſſit, quæ & intellectum habeat & vim movendi Materiam Univerſi.*

1. Omnes iſtas magis obvias humanæ Animæ facultates quæ naturaliter ad detegendam *Divini Numinis Exiſtentiam* tendunt, jam expedivimus. Breviter nunc, antequàm à nobis ipſis ſolvimus & in vaſtum Externorum *Phænomenôn Naturæ* Oceanum deducimur, conſideremus pauliſper *Eſſentiam ipſius Animæ*, qualis ſit, meráne corporis *Modificatio*, an *ſubſtantia* ab eo diſtincta; & tum demum Corporeáne an Incorporea. Etenim hac re ritè explicatâ, convincemur fortean, de *Spirituali Subſtantia* realiter diſtincta à *Materia*. Quod qui ſemel agnoverit, faciliùs animum inducturus eſt ut credat eſſe Deum.

2. Primùm igitur, ſi dicamus Animam meram eſſe *corporis Modificationem*, Anima tunc nihil aliud erit quàm una univerſalis corporis facultas, aut multæ facultates ſimul conjunctæ, illæque operationes quæ vulgò attribuuntur Animæ, neceſſariò attribuendæ ſunt Corpori. Quæro igitur quid ſit in Corpore cui *Motum ſpontaneum* attribuere velis? intelligo, Facultatem in nobis movendi ſiſtendíve pleraſque corporis partes, ut manum putà, minimúmve digitum. Si dixeris nihil eſſe aliud quàm immiſſionem Spirituum in certos quoſdam muſculos, perlubenter reſcire velim quid hos Spiritus immittat adeóque accuratè eos dirigat? Ipſíne, an *Cerebrum*, an ſpecialis illa Cerebri pars quam *Conarion* appellitant *Glandulámve Pinealem?* Quicquid ſit quod ad hunc modum eos immittit & dirigit, *Animadverſionem* habere oportet, & quod Animadverſionem habet, idem etiam habere oportet *Memoriam* ac *Rationem.*

Jam pervellem reſcire an ipſi Spiritus capaces ſint *Animadverſionis*, *Memoriæ* ac *Rationis*; videtur enim omninò impoſſibile. Nam *Spiritus* hi *Animales* nihil aliud ſunt quàm materia admodum tenuis & liquida, cujus natura in hoc conſiſtit, quòd omnes particulæ in motu ſint, ſolutæque aliæ ab aliis ultrò citróque diſcurrant ludántque ad menſuram modúmque agitationis quæ ſit in ipſis.

3. Quæro igitur nunc, quænam ex multis iſtis particulis ſolutè aliis inter alias motis *Animadverſionem* in ſe habet? Si dixeris omnes ſimul ſumptas habere, Eum ipſum appello qui ſic reſponderit, quàm veri diſſimile ſit ut illud *Animadverſionem* habeat quod adeò Memoriæ prorſus incapax eſt, & conſequenter *Rationis*. Eſt enim conceptu æquè impoſſibile ut *Memoria* tali ſubjecto competat, atque ut quis Characteres permanentes aquæ rapidæ ventóve inſcribat.

4. Si *Cerebrum* dixeris hoſce Spiritus immittere & dirigere, Quomodo, quæſo, id aut ſeipſum aut aliud movere poteſt, quod nullos habet muſculos? Præterea *Anatomici* narrant, tametſi *Cerebrum* inſtrumentum ſit ſenſûs, ipſum tamen ex ſe nullo gaudere ſenſu. Quomodo igitur id quod nullum habet ſenſum, tam ſpontaneè & arbitrariè poteſt *animales Spiritus* in quamlibet corporis partem dirigere? quippe quæ actio eſt, quæ determinatum ſenſum & perceptionem requirit. Cæterùm Anatomici concludant ut volent, ſpero me tantùm non demonſtraturum *Cerebrum* non habere ſenſum. Eadem enim Res in nobis quæ ſenſum habet, habet etiam *Animadverſionem*, & quod Animadverſionem habet in nobis, habet etiam facultatem liberæ atque arbitrariæ *Imaginationis* & *Rationis*.

5. Conſideremus jam naturam *Cerebri* & diſpiciamus an fieri poſſit, ut illæ operationes & facultates tali ſubjecto competant. Equidem ſi rectè examinemus laxum hoc *alburnum* vel *medullam* potiùs in capite humano, nec ſenſus quidem nec intellectus quicquam in hac ſubſtantia deprehendere poteſt, quod tam nobiles operationes quàm ſit Imaginatio libera, ſagáxque Rationis collectio, magìs ſibi vendicet, quàm quod cernere poſſumus in libo ſebaceo, cyathóve lactis coagulati. Nam tenera hæc pulpa quæ intra Cranium ſic convoluta eſt, corpus omninò eſt ſpongioſum & poroſum, nec *animalibus Spiritibus* tantùm pervium ſed & craſſiori ſucco ac liquori, alioqui commodè nutriri non poſſet, ſaltem non adeò molle ac madidum, ut intellectum ineptum ad ſuas operationes ſtupidúmque reddat, ex luxu & ebrietate evadere.

Jam igitur quæro, In molli hac ſubſtantia quam *Cerebrum* appellamus, (cujus mollities ipſum aliquo modo liquidum eſſe planè indicat, ut & liquiditas diſtinctos ſolutarum partium motus) qua in parte illius, *Imaginatio*, *Ratio*, & *Animadverſio* reſideant? In laxa hac conſiſtentia quæ ad modum Retis in aqua, in cumulum jacet, quo in nodo, qua in macula aut intervallo illius, facultas hæc liberæ *Imaginationis* erectæque *Rationis* habitat? Credo equidem pudere, ullam unam aſſignare partem.

Quòd ſi dixeris, in univerſis ſimul, neceſſe erit porrò affirmare integrum *Cerebrum* in hanc vel illam Repræſentationem configurari. Quod *Memoriam* cancellaturum eſſet, effecturúmque ut nullum ſpacium relinqueretur ullis Notis diſtinctis locíſque, quibus variæ rerum Species illîc repræſententur.

Verùm ſi dicturus ſis, facultatem hanc *Animadverſionis* & *Imaginationis* ſingulis *Cerebri* partibus ineſſe, meminiſſe oportet *Cerebrum* eſſe aliquo modo corpus liquidum, debemúſque inquirere quomodo ſolutæ hæ partes, diſtinctas *Animadverſiones* & *Notiones* intelligere poſſint aliæ aliarum: Quod quidem ſi poſſent, (quod tamen conceptu valdè eſt difficile) poſſéntque indè aliquid ad immittendos dirigendóſque *Animales Spiritus* in certas corporis partes, notandum eſt, ità fieri oportere (ex mutua voluntatum notitia) ac ſi conjuncto roboris nixu eódem contenderent. Quemadmodum fit quando multi homines ſimul, ſigno dato, corpus aliquod grande ac ponderoſum quod vis ſingulorum ſeparatim movere nequeat, conjunctis viribus levant trahúntve. Hoc verò eſſet ſingulas *Cerebri* Particulas tot Perſonas individuas fingere, Id quod riſum potiùs meretur, quàm vel minimam apud quoſvis mentis ſatìs compotes, fidem.

6. Præterea, Quî fit ut multæ hæ Animadverſiones, nobis una tantùm videatur, cùm Mens noſtra hæ ipſæ ſint, quemdadmodum ſupponitur? Vel potiùs, ſi Figuratio unius partis *Cerebri* reliquis communicetur, cur non idem Objectum videtur ſitum & ante nos & pone nos, ſuprà & infrà, ad dextram & ſiniſtram, & ad omnem partem prout Objecti impreſſio in omnes Cerebri partes reflectitur? Nobis verò cùm *unica* appareat *Animadverſio* nec niſi *unus* rerum *ſitus*, argumento eſt ſatìs valido unicam eſſe; aut ſi plures ſint, partes alias aliis, eas mutuò non communicare, ac proinde nullum iſtiuſmodi nixum conjunctum eſſe poſſe ad eundem ſcopum. Unde manife-

ſtum eſt, *Cerebrum Animales Spiritus* immittere & dirigere non poſſe in quas corporis partes ipſi libuerit.

7. Porrò, *Cerebrum* non habere ſenſum, atque ideo nec ullum *motum ſpontaneum Spiritibus animalibus* imprimere poſſe, non leve certè argumentum eſt, quòd quidam diſſecti reperti ſunt ſine *Cerebro.* Et *Fontanus* de puero narrat *Amſterodamenſi,* quòd loco *Cerebri,* nihil in capite præter Aquam limpidam habebat: Cerebrúmque communiter in aqueam conſiſtentiam diſſolvitur. Quod optimè cum eo quod ſuprà tradidimus, convenit. Jam æquum quemlibet Judicem appello, quàm veriſimile ſit, ut liquidæ hæ particulæ illius naturæ & facultatis reperiantur, ut erigendo & compingendo ſe ſimul, ad temporis momentum ità enitantur, ut conjunctâ virium contentione *Spiritus* in hanc vel illam determinatam corporis partem ablegare valeant. Hujuſce verò rei abſurditatem ſatìs ſuprà inſinuavimus.

Poſtremò, *Nervi,* Medullam ipſorum intelligo, quæ ejuſdem ſubſtantiæ eſt cum Cerebro, nullum habent ſenſum, quemadmodum demonſtrari poteſt à *Catalepſi* vel *Catocho.* Sed nolo argumenta accumulare in re tam perſpicua.

8. Quantum ad puſillam iſtam attinet & erectam, ac ſi Obeliſcum deglutiiſſet, *Cerebri* portiunculam, quam *Conarion* vocant, ut hæc ea ipſa ſubſtantia eſſet, cujus naturalis facultas ſit ſeipſam movere ſuíſque motibus ac nutibus *Spirituum curſum* in hanc vel illam corporis partem determinare, mihi profectò non minùs fatuum ac fabuloſum videtur quàm hiſtoriola de iſto qui ex inclinato in hanc vel illam capitis partem pileo, ventum mutare noviſſe dicitur.

Equidem ſi audiretis magnificas illas fabulas quæ de parvo hoc latitante narrantur Boleto; ut non ſolùm audit vidétque, ſed imaginatur, ratiocinatur, totíque corporis fabricæ magìs dextrè quàm puer Indus Elephanti, imperat regítque, quàm acutus Dialecticus, ſubtilis Geometra, prudens Politicus, peritus Medicus, profundúſque Philoſophus ſit; & tum poſtea diſſecando, hunc Miraculorum Operatorem nihil ampliùs eſſe quàm miſellum quendam ac contemptibilem Nodum ſive Tuberculum deprehenderitis, ex tenui membrana pauxillóque materiæ pulpoſæ conſiſtens, ejuſdem ferè naturæ cum reliquo cerebro;

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Annon citiùs commentum irriſuri eſſetis, quàm idem confutaturi! Et certè mihi meliori jure irridere licet, quippe qui jam ipſum, in eis quæ ſuprà diſſerui de reliquo cerebro, confutavi.

9. Concludere igitur minimè dubitabo, impreſſionem *Spontanei motûs* nec ab *Animalibus Spiritibus* eſſe nec à *Cerebro,* ac proinde illas operationes quæ vulgò attribuuntur Animæ, reverà nulli corporis parti competere poſſe; & ex conſequenti Animam non eſſe meram *Corporis Modificationem,* ſed *Subſtantiam* ab eo diſtinctam.

10. Jam verò reſtat inquirendum, an Subſtantia hæc, ab eo quod communiter corpus vocamus, diſtincta, ipſa etiam ſit ſubſtantia *Corporea,* an verò *Incorporea.* Si dixeris *Corpoream* eſſe *Subſtantiam,* nihil aliud intelligere potes quàm Materiam magìs ſubtilem atque tenuem, quàm ſint ipſi *Spiritus Animales* & cum eiſdem mixtam, & per vaſa poróſque corporis diſſeminatam. Neque enim eſſe poteſt Dimenſionum Penetratio. Sed nullis novis opus eſt argumentis ad ineptum hoc Commentum confutandum. Nam quæ de Spiritibus Animalibus ſuprà diximus, admodum facilè aptéque præſenti cauſæ applicari poſſunt. Et ſufficiat quidem me iſtud monuiſſe, ut ab eiſdem rebus rurſum repetendis ſic poſſim liberari.

11. Reſtat igitur ut concludamus, illud quod *motum Spontaneum* corpori imprimit, aut magìs immediatè *Spiritibus Animalibus,* illud quod *imaginatur, recordatur,* & *ratiocinatur, Immaterialem* eſſe *Subſtantiam* à corpore diſtinctam, quæ *Spiritibus animalibus Cerebróque* tanquam Inſtrumentis ad ſuas operationes utitur. Atque ſic Notione propriâ & ſignificatione *Spiritum* invenimus, qui manifeſtò has facultates in ſe habet; poteſt & *intelligere,* & *Corpoream Materiam movere.*

12. Atque nunc quidem hæc quam reportavimus palma, ad Inſtitutum noſtrum magni reperietur momenti. Obſervatu enim hîc obvium eſt, Animam humanam eſſe quaſi ἄγαλμα Θεοῦ, *Statuam Divini Numinis* compendiariam, & *Subſtantiam* illius, quaſi *ſolidam Effigiem Dei.* Ac proinde quemadmodum ſubſtantiam motúmque immenſorum Cœlorum facilè in Sphæra parva Globóve conſideramus; ità pari quidem facilitate naturam *Omnipotentis* in parva hac Dei Imaguncula, Anima humana, contemplamur, in infinitum illud extendentes quod in nobis ipſis obſervamus, quando referimus ad Deum; ſicut iſtos Circulos quos in Globo intuemur, infinito ferè majores fingimus dum in ipſis Cœlis eos deſcriptos imaginamur.

13. Quamobrem cùm certò perſuaſi ſimus, *Spiritualem* in nobis ipſis eſſe *Subſtantiam* in qua hæ ambæ Proprietates reſident, *Intelligendi* ſcilicet & *Movendi Materiam* corpoream, mentes modò noſtras ità laxare velimus ut concipiamus quàm diſtinctè poſſumus, *Subſtantiam Spiritualem* quæ movere valet & actuare omnem omninò materiam per quantacunque ſpacia extenſam, ídque quacunqe ratione modóve quo ipſi placuerit, quæque notitiam habet non ſolùm hujus vel illius rei particularis, ſed diſtinctam plenámque cognitionem rerum omnium, & habebimus profectò competentem *Notionem* naturæ *Æterni* atque *Inviſibilis Dei*, qui animæ humanæ inſtar ſub ſenſus quidem non cadit, ſed ubique ſic operatur ut Præſentia ejus facilè colligi poſſit, ex eis rebus quæ externis noſtris ſenſibus pateſcunt.

ANTIDOTUS

ANTIDOTUS
Adverſùs
ATHEISMUM.

LIBRI SECUNDI
CAP. I.

1. Phænomena *externæ Naturæ magìs generalia* Exiſtentiam *Dei arguere.* 2. *Materiam, ſi à ſe moveatur, vel in hæc* Phænomena *ſe formare non poſſe*: 3. *Multòque minùs ſi ex ſe quieſcat.* 4. *Materiam tametſi partim ſe moveret, partim ex ſe quieſceret, producere non poſſe aut* Solem *aut* Stellas, *eâ figurâ quâ reperiuntur.* 5. *Leges* Motûs Telluris *non contingentes eſſe ſive fortuitos.* 6. *Divinam eſſe Providentiam quæ ſaltem* approbat, *ſi non* dirigit, *omnes Materiæ motus. Cum adjecta Ratione, cur permittat Motûs Materiæ* merè Mechanici *effecta valere ubique quouſque poſſint.*

1. POſtrema rerum earum quibus immoratus ſum, Natura erat humanæ Animæ ſpecifica, ut ſit ſubſtantia immaterialis duabus illis eximiis facultatibus *Intelligendi, materiámque* corpoream *movendi* prædita. Quam veritatem tam ſedulò in eum finem enucleavi, ut poſtquam tales motus rerúmque formationes in Materia Univerſi longè latéque extenſa detexerimus, quæ *Sapientiam* ac *Providentiam* implicent, faciliùs animum inducere poſſimus ad agnoſcendum æternam illam *Spiritualem Eſſentiam,* quæ cœlum terrámque fabricavit, Authórque eſt atque opifex rerum omnium tam Viſibilium quàm Inviſibilium.

Quamobrem cùm tam pulchrè ad iter ſimus inſtructi, pervellem equidem *Atheum* mecum in navem conſcendere, & ſolventem à *Particulari* hac internæ noſtræ Naturæ ſpeculatione, in vaſtum quod dixi externorum *Phænomenôn Univerſalis Naturæ* Occeanum curſum tendere, aut deambulare mecum paulliſper in hoc lato externi Mundi Theatro, diligentérque animum intendere multis iſtis maximéque manifeſtis ſignis & indiciis in *externa* hac rerum fabrica, quæ ipſi oſtenſurus ſim, quæ naturaliter nobis ſignificant, *quòd ſit Deus.*

Et jam, primò, ut ab eo quod generaliſſimum eſt exordium ſumamus, dico *Phænomena Diei* & *Noctis, Hyemis* & *Æſtatis, Veris* atque *Meſſis,* Rationem *Ortûs* & *Occaſûs Solis, Lunæ* atque *Syderum,* omnia hæc nobis ſigna eſſe atque indicamenta, *quòd ſit Deus*: hoc eſt, res ità eſſe comparatas, ut naturaliter innuant principium *Sapientiæ* & *Conſilii* in earum Authore. Et certè ſi talis ſit externæ Naturæ *Author,* eſt proculdubio *Deus.*

2. Verùm hîc reſpondebis, merum *univerſalis Materiæ motum* tandem ipſam in iſtas magìs rudes ac generales Naturæ delineationes quæ in circuitibus *Solis, Lunæ* ac *Stellarum,* eorúmque generalibus fructibus & effectis obſervantur, eſſe attriturum. Quòd ſi mens cujuſpiam eò audaciæ proruperit, ut tale quicquam apud ſeipſum ſtatuat, facultates ſuas examinet, quid ipſæ naturaliter de motu materiæ concipiant. Atque equidem ‖ magnus ille *Mechanicæ Hypotheſeos* Magiſter nec ſupponit nec admit-

‖ *Vide Carteſ. Princip. Philoſ. Part.* 2. *Artic.* 22, 23.

tit ullam ſpecificam in *Univerſali* hac *Materia* Differentiam, ex qua externa hujus Mundi Fabrica originem duxerit. Nec alius quiſquam, opinor, facilè imaginaturus eſt, quin omnis *Materia* Mundi *naturalis*, unius generis ſit, quantùm ad ipſam ſubſtantiam ejus ſive Eſſentiam.

Jam igitur quæro, de hac *univerſali Materia uniformi, Motúſne* an *Quies* ad eam naturaliter pertineat? Si Motus, cùm uniformis ſupponatur, eodem modo moveri debet in unaquaque parte, minimáve ejus particula quæ fingi poteſt. Etenim, cùm motus hic naturalis & eſſentialis ſit Materiæ, idem conſimiliſve in ea eſt ubique, ac proinde unamquamque illius Atomum, ad tenuitatem quantam poteſt maximam diſſolvit, adeò ut ſingulæ Particulæ conſimiles ſint conſimilitérque motæ: Et propterea cùm nulla omninò ſit prævalentia in ulla una Atomo præ reliquis in magnitudine aut motu, manifeſtùm eſt univerſalem hanc Materiam, cui motus adeò eſſentialis eſt atque intrinſecus, inefficacem fore ad ullam producendam *varietatem Apparentiarum* in Natura, atque ſic nec *Soles*, nec *Stellas*, nec *Terras*, nec *Vortices* ex hac infinitè tenui ſteriliſque Materia naſci unquam poſſe, quam ſic æternùm manere oporteret à ſenſibus noſtris imperceptam, licèt ſenſus noſtri decies millies millenis mille vicibus ſubtiliores eſſent, quàm reverà ſunt. Quinimò nè extiturus quidem omninò eſſet aut Homo aut Senſus in rerum Univerſitate. At verò Materiam ſub variis apparentiis ad magnam quidem copiam nobis ſeipſam exhibentem cernimus, ac proinde aliud eſſe oportet principium præter Materiam, quod illius motum ità temperet, ut has *rerum varietates* faciat apparere. Et quis obſecro hic futurus eſt niſi *Deus?*

3. Quòd ſi dixeris Materiam ex propria natura non moveri (ut certè eſt intellectu difficile ſic fieri ſi Materia ſupponatur homogenea) ſed ex ſe inertem eſſe atque ſtupidam, tum ab alio aliquo moveri debet, atque ſic neceſſariò in Deum incidemus, aut ſaltem in *Spiritualem ſubſtantiam* Materiam actuantem, à qua Athei æquè miſerè ſibi metuunt atque pueri à Spectris & Lemuribus, aut ipſo quidem à Deo.

4. Homines verò qui multùm à ſui ordinis dignitate degeneraverint, naturales propriæ mentis Emanationes neſciunt, ſed omnia modo quodam confuſo concipiunt, ac proinde non dubitabunt fortean affirmare quòd partes Materiæ aut *ſpecificè differunt*, aut, ſi id non fiat, quòd aliæ tamen ex ſe *moventur*, aliæ ex ſua natura *quieſcunt*, quódque ſic ſemper fuit; Sic enim contigiſſe, quanquam nulla ratio, cur ità eſſet, in re ipſa apparet. Quod quidem facultatibus noſtris tam hiulcum vulnus infligit, ut poſthac quodlibet intromiſſuræ ſint, vel potiùs omnem prætextum Scientiæ ejuſdémque principiorum ſibi ſint abdicaturæ.

Sed ut pugnam paululum cum eis tumultuariam ineamus, & cùm ipſis in tenebroſis ſuis Cavernis digladiemur. Eſto quidem Materia *Chaos* confuſum & heterogeneum, variíſque modis motum prout contigerit, dico non eſſe veriſimile ut veſanus hic motus ad tam peritam rerum ordinationem aſſurgat; quàm quæ vel in *generalibus* Naturæ delineationibus cernitur. Quinimò, nè ad naturalem quidem Apparentiam illius quod conſpicimus quotidie, quódque omnium facillimè hoc modo eventurum ſit, *Rotundum* intelligo *Solem, Lunam* ac *Terram*. Magnoperè enim ſuſpicandum eſt, ſi nullum *ſuperintendens* principium, motibus Æthereorum iſtorum Vorticum, quos Philoſophia *Gallicana* ſupponit, præeſſet, quòd forma Solis reliquarúmque Stellarum oblonga foret non rotunda, quoniam Materia à toto axe Vorticis perinde atque ab illius centro recedit, & propterea ſpacium quod tenuiſſimo & ſubtiliſſimo omnium elemento relinquitur, ex quo Sol Stellæque conſiſtunt, naturaliter oblongum erit non rotundum. Quamobrem rotunda hæc figura, ſub qua eos conſpicimus, à ſublimiori Principio proficiſci debet, quàm ſit mera Materiæ Agitatio. * Utrùm verò ſimpliciter *Spermatico* an *Senſitivo* etiam atque *Intellectuali*, eis diſquirendum relinquo, quibus per otium vacat iſtiuſmodi curioſitatibus indulgere.

5. Id quod mihi probandum incumbit, hoc eſt: Admiſſo eo, quod præclari hi Phyſiologi ſibi concedi expectant, *Tellurem nempe circa Solem moveri*, dico leges illius motûs tales eſſe ut, ſi humanâ ratione & conſilio ipſi impoſitæ fuiſſent, non aliæ fuiſſent futuræ, quàm quæ jam ſunt. Ità ut ad proprias provocando facultates, debeamus confiteri motum Solis & Stellarum, vel Telluris, ut volunt Phyſiologi noſtri, à *ſapiente Principio* eſſe profectum, aut ſaltem talis Principii examinationem ſubiiſſe, ab eóque approbatum eſſe.

Nam quemadmodum Ars quod Natura ad ejus ſcopum ſuppeditat, lubens accipit, reliquúmque ipſa adjicit opúſque conſummat; ità Æterna Mens (quæ univerſam Materiam in motum ciet, quemadmodum maximè probabile autumo, vel ſi Materia confuſo quodam modo à ſeipſa moveatur, ut obſtinatè contendit *Atheus*) hæc æterna, inquam, Mens faciles ac naturales fructus hujus Impreſſionis motûs, ubi ad ſcopum faciunt, ſumit, ubi verò ſecùs fit, eos corrigit & perficit.

6. Atque equidem, impendio magìs rationi eſt conſentaneum, cùm Deus Materiam talem fecerit quæ mero motu aliquid producere poſſit, ut pergat ſanè quouſque ſimplex illud privilegium eam naturaliter ferre valeat; ut Hominis indè Ingenium, quem Deus fecit ad contemplanda Naturæ Phænomena, aptius Objectum habere poſſit in quo ſe exerceat. Eſt enim humano Intellectui res gratiſſima, quoties Opera Dei ipſorúmque productionis ratio, per naturalem rerum aliarum ab aliis deductionem ipſi explicantur, quod fieri non potuiſſet, ſi Deus datâ operâ declinaviſſet quicquid Materia motu ſuo naturaliter obferat, * legéſque illius ubique cancellâſſet. Præterea alteràſſe quicquámve porrò addidiſſe, ubi nihil opus eſſet, *Entia*, quod dicitur, fuiſſet *multiplicare ſine neceſſitate*.

Sic igitur ſe res habet, quantùm ad Divinam Providentiam, Quicquid ſimplex illa motûs Impreſſio in Univerſi materiam obferat, quod utile ſit atque bonum, approbat & aſſumit; in quo verò labi potuiſſet vel ad quod non valuiſſet pertingere, id quidem dirigit, illiúſve defectum ſupplet. * Ut in minutioribus arboris fragminibus, inſtar cubiti humani naturaliter incurvatis, Sculptor quidem curvaturam non tollit, ſed in alterutra extremitate manum humanam exſculpit, atque ità lignum in perfectam humani brachii figuram efformat.

Quod igitur contendo hoc eſt, Quòd, quomodocunque moveatur Materia, Apparentiæ rerum tales ſunt, ut manifeſtò indicent, ſe aut conſtitutas eſſe omnes aut ſaltem approbatas ab *Univerſali Principio*, cui *Sapientia* & *Conſilium* inſit.

SCHOLIA

In Cap. I. Sect. 4.

UTrùm verò ſimpliciter Spermatico an Senſitivo etiam atque Intellectuali, *&c.* Spiritum Naturæ *ſive* Spiritum Mundi Spermaticum *ſenſu omni carere difficiliùs eſt probare. Quòd verò Intellectu careat liberóque arbitrio, in* Enchiridio Metaphyſico *abunde demonſtravimus.*

Sect. 6. Legéſque illius ubique cancellâſſet. *Has verò Materiæ leges pauciores reperi poſtea, quàm cùm hæc ſcriberem. Neque enim Unionem partium Materiæ, ad illius quietem referri debere cenſeo, ſed ad* Spiritûs Naturæ *conſtrictionem* vitalem. *Duo verò reliqui ſunt fontes Legum Materiæ Mechanicarum, quos è re fore puto hîc notare,* Impenetrabilitas *ſcilicet, ejúſque ab* externo *corporum* impulſu Mobilitas, *ut nemo miretur* Terram *in Vortice poſitam circa* Solem *ferri.*

Ut in minutioribus arboris fragminibus naturaliter incurvatis, &c. *Quando hæc ſcripſi, ut paulò antè monui, Philoſophiæ* Carteſianæ *præjudicia animo meo nimis arctè adhærebant. Hiſce verò excuſſis tenebris ſtatim perſpexi Motum Mundanum nequaquam eſſe* Mechanicum, *nedum* partium *Materiæ* unionem, *ſed* vitales *utroſque. Nec per unam aliquam univerſalem motûs Impreſſionem ſimul factam, Mundi* Phænomena *producta eſſe, ſed per* vitalem *quandam* ἐνέργειαν Spiritûs Naturæ *ab Ideis* vitalibus *à Deo ipſi inſitis, ad hunc uſque diem perpetuatam. Vide* Præfat. Enchirid. Ethic. *Sect.* 14, 15, 16. *& ſeqq.*

CAP. II.

1. *Perpetuum Axis terræ Parallelismum manifeſtum eſſe argumentum Divinæ Providentiæ.* 2. *Magna Incommoda quæ ſecutura fuiſſent, ſi parallelus hic Axis perpendicularis fuiſſet ad Planum* Eclipticæ; 3. *Aut coincidiſſet cum dicto Plano.* 4. *Inſignia privilegia Poſituræ, quam habet, inclinatæ, & quàm manifeſta ſit Divinæ Providentiæ demonſtratio.* 5. *Idem Argumentum ex Hypotheſi* Ptolemaica *urgetur.* 6. *Axis Terræ ulterior conſideratio, Lunæque lineam ſecantis* Æquinoctialem. 7. *Demonſtratio è Phænomeno* Gravitatis, *quòd Principium ſit à Materia diſtinctum.* 8. *Nec Aerem nec ullam ſubtiliorem Materiam in Aere ſcientiâ ullâ liberóve arbitrio præditam eſſe.* 9. *Demonſtratio eximia ab embolo* Antliæ Pneumaticæ *tam grande pondus ſurſum attrahente, quòd ſubſtantia ſit in Mundo à Materia diſtincta.* 10. *Phænomenon hoc in vim Aeris* Elaſticam *reſolvi non poſſe ex ipſo Phænomeno demonſtratur.* 11. *Reſponſio ad Evaſionem.* 12. *Altera anticipatur Evaſio.* 13. *Pervicacem hanc Naturæ vim adverſùs primas Motûs Mechanici leges manifeſto eſſe argumento, ubi res commodè contingunt, eundem illic adeſſe Gubernatorem* immaterialem, *licèt vis in Materiam derivata haud ità ſit conſpicua.* 14. *Ridiculum Athei ſophiſma, qui ex puſillis aliquibus meri Motûs Materiæ effectis, nullum altius eſſe Principium vult inferre, planè detectum, meritóque deriſum.* 15. Providentia *concluditur è Legibus* Diei *&* Noctis, Æſtatis *&* Hyemis, *&c.*

1. NUnc igitur ut admittamus *Telluris Motum* & apud audentiores hoſce Naturæ ſcrutatores propriâ ipſorum dialecto utamur, quæro, annon præſtat, ut *Axis* Terræ *ſtabilis* ſit ſibíque perpetuò parallelus, quàm ut negligenter oſcillet nutétque huc illuc, prout contigerit, aut ſaltem variè admodum & intricaté? Nec poteſtis quin reſpondeatis, præſtare ut ſit *ſtabilis* ſibíque *parallelus*. Nam hîc poſitum eſt neceſſarium illud fundamentum Artis navigandi & deſcribendi *Scioterica*. Quippe ſtabilis ille particularum fluxus qui *Axem* terræ ſibi *parallelum* ſervare ſupponitur, Nautæ *Cynoſuram* & *Pyxidem ſuam* ſuppeditat; & tum Magnes tum Stella Magnetica hinc dependent, & *Gnomonice* quidem ſine hoc omnino conſiſtere non poſſet. Sed utræque hæ Artes perquam jucundæ ſunt, unáque ex ipſis præſertim quàm maximi momenti humano generi. Nam ordinata hinc temporis menſura eſt rebus domeſticis, opportunitáſque Mercaturam exercendi foris, cum remotiſſimis Terræ Gentibus: atque ità fit variarum Mercium omnibus Regionibus mutua ſuppeditatio. Ut diffuſam taceam ſcientiam quæ menti accedit, quam ex ampla hauſura ſit tum Hominum tum rerum experientia. Quamobrem ſi Ratio noſtra conſulenda eſſet, utrùm Axis Terræ *ſtabilis* teneri debeat ſibíque parallelus, an caſui fortunæve relinqui, concluſuri eſſemus proculdubio, Quòd *ſtabilis* eſſe debeat, atque ſic reipſa eſſe reperimus, quamvìs Terra moveatur fluitans quaſi in liquido Æthere. Adeò ut ad proprias facultates provocando, affirmare planè debeamus, conſtantem Axis Terræ directionem à principio *Sapientiæ Conſiliique* compote * ſtabilitam fuiſſe aut ſaltem approbatam.

2. Rurſus, Cùm diverſæ poſituræ ſint *ſtabilis* hujus Directionis Axis Terræ, nempe aut *Perpendicularis* ad Planum quod per centrum Solis tranſit, aut *Co-incidens*, aut *Inclinata*; quæro quam ex iſtis omnibus electura ſit Ratio ſolida ac Scientia? Non quidem poſituram *Perpendicularem*: Nam & jucunda varietas magnáque utilitas viciſſitudinis Æſtatis atque Hyemis, Veris atque Autumni, ſic tollerentur, & acceſſione Solis ſublatâ iſtæ Terræ partes quæ nunc fructus ferunt, & habitabiles fiunt, fructûs ferendi prorſus redderentur incapaces, & ex conſequenti nullos Incolas poſſent enutrire; & illæ quidem partes quas plenus Solis calor attingere poſſet, cùm eaſdem radiis quaſi perpetuò verberaturus eſſet, ſine ulla annua receſſione aut intermiſſione, exhauſtæ tandem fatiſcerent. Et præterea, proprias conſulendo facultates obſervamus ordinatam rerum viciſſitudinem nobis magìs jucundam eſſe, magíſque gratificari contemplativæ facultati in homine.

3. Et nunc in ſecundo loco; * Nec *Co-incidentem* Axis Terræ poſituram electura quidem eſſet noſtra Ratio. Nam ſi *Axis* in Plano ſic jaceret, quod tranſit per Solis centrum, *Ecliptica* ad inſtar *Coluri*, aut alicujus *Meridiani*, per Polos Terræ pertranſiret. Quod Orbis terrarum Incolas in miſera conditione conſtituturum eſſet. Quippe quòd ii in Zona temperata quibuſcum clementiſſimè actum fuerit, admodum longa-

rum Noctium tædio onerandi eſſent, quadraginta dierum ſpacium excedentium. Illique quibus Noctes nunc viginti quatuor horas nunquam excedunt, ut in *Friſlandia*, *Iſlandia*, & in remotioribus partibus *Ruſſiæ* & *Norvegiæ*, ſole deprivandi eſſent per centum triginta dies continuos. Nóſque ipſi in *Anglia*, reliquíque in eodem Climate, tenebris claudendi eſſemus, non minùs centum vel octoginta continuos Dies, atque ſic de reliquis pro rata ſua parte tum intra tum extra Zonas temperatas. Et quantùm ad *Æſtatem* & *Hyemem*, quanquam iſtæ quidem viciſſitudines futuræ eſſent, tamen fieri non poſſet, quin cauſæ futuræ ſint ſævientiſſimorum Morborum, ex eo quòd Sol tamdiu immoraturus ſit parvulis ſuis circulis deſcribendis circa Polos, tantúmque æſtum ſuperinducturus Incolis, qui in tam diuturno exceſſu Tenebrarum ac Frigoris antea eſſent verſati.

4. Reſtat igitur ut poſitura Axis Terræ *Inclinata* ſit, non *Co-incidens* aut *Perpendicularis* ad dictum Planum. Et certè non ſolùm *inclinata* eſt ſed tam debitâ proportione, ut nulla aptior excogitari poſſit ad terram efficiendam amœnam pariter atque habitabilem. Nam tametſi Solis curſus intra Tropicorum ambitum cohibeatur, itáque partes iſtas admodum calidas faciat; conſtantes tamen ventorum auræ quæ ab Oriente ſpirant, (ut naturam taceam longitudinémque commodam Noctium) Zonam torridam non habitabilem ſolùm reddunt, ſed & delectabilem.

Jam verò optimam hanc Poſituram quam Ratio noſtra electura fuiſſet, à Natura videmus reverà ſtabilitam, ac proinde niſi nimis quàm protervi eſſe velimus atque obſtinati, inferre debemus ſtabilitam fuiſſe à Principio *conſilio ſcientiâque* prædito, non à cæca fortuitáque colliſione partium Materiæ in ſe invicem, præſertim cùm in nobis ipſis *ſpiritualem ſubſtantiam* cognitivis facultatibus præditam deprehenderimus, quæ etiam capax eſt movendi alterandíque Materiam. Quamobrem dico, quòd impendio magìs proclive ſit concludere tale aliquod *Principium univerſale ſapientiſſimum* eſſe quod vim habeat movendi & dirigendi *Materiam Univerſi*, quàm imaginari, quòd confuſanea partium ejus tumultuatio & agitatio ipſas in tali conditione conſtituiſſent ac ſi conſilio ac ratione pollerent, ſéque ipſás poſſent dirigere. Cæterùm hoc *dirigens Principium* quid aliud eſſe poteſt niſi Deus?

5. Verùm ut eandem rem aliquanto breviùs urgeamus, & tamen paulo intelligibiliùs, eis utique qui Hypotheſin *Ptolemaicam* tantùm noverint; dico, cùm contingere potuiſſet ut Annuus Solis curſus per Mundi polos peragendus eſſet, cœlorúmque Axis admodum turbatè inordinatéque movendus, unde omnia illa incommoda orirentur quæ ſuprà memoravi, & tamen res ſic ſe non habeant, ſed eo modo ordinatæ ſint, quem Ratio noſtra non poteſt non optimum judicare; equidem admodum conſentaneum eſt ut Mens humana concludat reverà ordinatas fuiſſe à Principio *Rationis* compote ac *Conſilii*, hoc eſt, ab *Omniſcio* ac *Omnipotente Deo*.

6. Unum aut alterum duntaxat addam de *Axe Telluris* curſúque *Lunæ* notandum, & pergam poſtmodum ad reliqua.

Non poteſt quiſpiam quin agnoſcat ſi Axis Terræ perpendicularis eſſet ad Planum Eclipticæ Solis, motum illius futurum eſſe magìs facilem ac naturalem; & tamen propter commoda ſuprà memorata, videmus eum ſitu *inclinato* poſitum: Similiter omninò probabile eſt facilius fore magíſque naturale iſti Telluris ancillæ, *Lunæ*, ſi curſus ſuos menſtruos in circulo *Æquinoctiali* perageret; videmus autem eam, ad exemplum *Solis*, ipſum ſecare, & expatiari aliquot gradus ultrà quàm ipſe Sol, ut lumen ejus exaltatum majori ſolatio eſſe poſſit *Borealioribus* Terræ Incolis intra circulum *Arcticum* præſertim habitantibus, dum longæ iſtæ eis producuntur Noctes.

Quamobrem concludo, tametſi poſſibile eſſet ut confuſa partium Materiæ Agitatio Maſſam aliquam duram & rotundam Terræ conſimilem, poſſet efficere, corporáque magìs tenuia & liquida quæ Ætherem Solémque referant, Terráque natare poſſet in liquido hoc Æthere ut Pomum toſtatum in ingenti vini cyatho, circumferríque ſtraminum inſtar aut graminum in vorticem conjectorum; ut tamen motus ejus & poſitura eodem planè modo dirigeretur & attemperaretur, quo nos ipſi qui rationis participes ſumus ex deliberatione ac conſilio fieri vellemus, nec hoc ab eo quod Scientiæ Rationíſque aliquo modo compos ſit, profectum eſſet, noſtris quidem facultatibus, ſi quid omninò judicant, æquè abſonum eſt & abſurdum atque quicquam quod excogitari poteſt. Nam cùm facilius factu fuiſſet aliter habere, cur obſecro ſic eſſet, niſi aliqua Cauſa ſuperintendens adeſſet, motúſque Materiæ dirigeret, nihil illìc approbans, niſi quod Ratio noſtra confeſſura ſit è re fore Univerſi?

7. Quódque præcedentia Phænomena caſu fortunâve non fiunt, ſed modò dictæ Superintendentiæ directione & efficaciâ, adhuc manifeſtiùs confirmabitur, ſi duorum aliorum Naturæ Phænomenôn conſiderationem adjiciamus, quæ admodum perſpicua

ſunt & ſimplicia, ſed merè Mechanicis Materiæ potentiis immane quantum contraria. Horum alterum, Phænomenon eſt *Gravitatis* Deſcenſúſve corporum gravium Terram verſús. Alterum verò, quod vulgò vocant *Fugam vacui.* Qua in re talem Inſtantiam producturus ſum ex Experimentis quæ habet Vir nobiliſſimus & ingenioſiſſimus in libro de *Antlia Pneumatica,* quæ planè demonſtratura ſit neceſſe eſſe, ut ſit Eſſentia aliqua Immaterialis quæ *directoriam* ſuam virtutem in Mundi Materiam exerceat. Cæterùm recurram priùs, naturámque *Gravitatis* breviter attingam.

Quòd Terra, ſuppoſito quòd circuitum abſolvat viginti quatuor horarum ſpacio, rejectura ſit violentè omnia quæ in ea jaceant (niſi ſit alia aliqua ſubſtantia à Materia diſtincta quæ Mechanicis illius potentiis reſiſtat) perſpicuè & copioſè demonſtravi, in ‖ Tractatu de *Animæ Immortalitate.* Et ſi magìs particulatim conſideremus, quanto impetu magnus Globus, plumbeus putà aut æneus, neceſſariò avellatur (ſecundùm principem illam legem Mechanicam Motûs in linea recta perſiſtentis) quo à Terræ ſuperficie recedat, cùm Globus tantam in Motûs celeritatem cieatur, quæ quindecim milliaria uno horæ minuto expediat, non poteſt non eſſe manifeſtum mirificam quandam vim requiri ad eum cohibendum, regendum, remittendúmve ipſum ad terram, illícque detinendum, contra fortem illam primæ Mechanicæ legis Materiæ reluctantiam quæ ipſum urgeat ad recedendum. Ex quo patefit non ſolùm mirabilis illa vis *Unitatis* & *Indiſcerpibilitatis* in *Spiritu Naturæ,* ſed quòd pervicax etiam ſit potènſque Omniſcii cujuſdam Æterníque Conſilii Executio ad ordinandum regendúmque Materiæ motum in Univerſo ad finem quemque optimum. Atque hoc *Phænomenon Gravitatis* in tam bonum uſum ordinatur atque neceſſarium, ut nec Terra nec Orbis Terrarum Incolæ, ut nunc res ſunt, ſine eo ſubſiſtere poſſent.

‖ *Lib.* 3. *cap.* 13.

Quantùm verò ad *Aerem,* ſive quis adeò delirus eſſe velit ut eum imaginetur perceptione volendíque libertate ad reſiſtendum prout libuerit, præditum eſſe univerſum, ſive interſperſum ſubtiliori aliquâ Materiâ iſtis dotibus ditatâ, quam oporteret, ſed perquam ridiculè quidem, aut *disjunctam* aut *ſpongioſam perforatámve* facere *Deitatem,* omnis quidem Obſiſtentia, quam laxum hoc ac diſſolutum Elementum, *Naturale* dixeris ſive *Divinum,* (nulla enim verborum vis eſt) facere poſſet, non magìs certè valeret ad detinendum ſuprà dictum Globum nè à Terra recedat, quàm exercitus exiguarum muſcarum ad ſiſtendum globum plumbeum è Tormento bellico exploſum & in Aëre volantem ; vi quàm volent maximâ obnitantur, neutra certè nè hilum quidem proficient. Tam perſpicua demonſtratio eſt hoc Phænomenon *Gravitatis,* quòd ſit *Spiritus Naturæ,* quæ Vicaria vis Dei ſit in motum Materiæ Univerſi.

8. Quòd verò nec Aer ipſe ullam iſtiuſmodi in ſe habeat vim, ſcientiam, volendíve libertatem, nec ullæ tales Divinæ particulæ quæ eis dotibus gaudeant, in Aëre interſperſæ ſint, meâ quidem ſententiâ admodum manifeſtum eſt ex ſecundo & triceſimo ſecundo Experimento ſuprà memorati ‖ *Tractatûs* viri nobiliſſimi & eruditiſſimi. Etenim cùm in primo iſtorum Experimentorum Clavis ænea ſive obturaculum Operculi Recipientis, poſtquam Recipiens Aëre probè ſit evacuatum, non niſi valdè difficulter attollatur ; & in altero ſi valvam æneam turbinatam inferiori ramo Epiſtomii *Recipientis* probè, ut priùs, aëre evacuati applicaveris & verticillum Epiſtomii verteris, externus Aer violenti fluminis inſtar ut intret, in valvam irruentis, ſubitò valvam claudat, clauſámque ità firmiter detineat, ut decem librarum pondus ſibi annexum ſit ſuſtentatura (Quæ argumenta ſunt evidentia intentiſſimi conatûs in Natura ad *Recipiens* rurſus Aëre replendum, quanquam hic motus quo tam fortiter molitur ingreſſum, accuratiùs eum excludat) hinc planè, inquam, conſtat nec Aërem ipſum, nec ullam magìs ſubtilem Divinámque Materiam (quæ confertiùs congregata ſit in *Recipiente* poſt evacuatum Aërem) ullam volendi libertatem habere ullámve perceptionem aut peritiam circa res agendas, quippe qui adeò confunduntur, támque ſtolidè ac præpoſterè ſe gerunt in ſuis conatibus ad *Recipiens* rurſus Aëre replendum.

‖ *In tractatu qui inſcribitur,* Nova experimenta Phyſico-Mechanica circa Aërem.

Nam ſi externus Aer illáque Materia ſubtilior in *Recipiente* ſcientes liberíque Agentes fuiſſent, iſtiuſmodi mutua inter ipſos futura fuiſſet conſpiratio conſiliorúmque quaſi communicatio, ut exterior Aer ſuſpenſurus fuiſſet aut ſubducturus ſuam preſſuram ad extrà, ſubtiliſque ac Divina Materia intus motum ſuum directura in valvæ Obturaculum ad intromittendum Aërem, ſecundùm Intentionem Naturæ. Vel ſi nihil præter corpus illud ſubtile liberum ſit & ſcientiâ præditum, vel illud ſolum per mutuam conſpirationem (dum pars foris in Aëre preſſuram externi aëris in Recipiens interciperet, pars verò intus contra obturaculum valvæ obniteretur) intromiſſurum fuiſſet Aërem, juxta ſerium fervidúmque Naturæ propoſitum. Cæterùm cùm actiones ipſorum ſcopo deſtinato tam apertè contrarientur conatúſque tam ſint inepti, (cùm tamen res factu facilis foret ſi vel Aer vel ulla alia ſubtilior Materia ſcientiâ gauderet liberóque arbitrio) equidem demonſtratio eſt, Impetum motûs in omni materia cæcum eſſe ac neceſſarium, nullámque omninò materiam eſſe ſcientem & liberam, ſed moveri agerèque ex ſeipſa (niſi aliquod aliud Principium immateriale ipſam dirigat) ſecundùm leges motûs merè Mechanicas.

9. Secundùm quas notabile illud Phænomenon, quod nunc tandem aggrediar, produci non poteſt: nempe, ut Embolus *Antliæ Pneumaticæ*, poſt Cylindrum aëre probè evacuatum, centum librarum pondus appenſum & ampliùs, ſurſum traheret, ſponte quaſi aſcendens. Nam quemadmodum ingenioſus Experimentator in tertio experimento obſervavit, violentus hic conatus ſubingreſſionis Aëris non eſt à preſſura ambientis Aëris tanquam exhauſti Aëris acceſſione corroborati, quia tunc is qui Antliam exercet, majorem Aëris reſiſtentiam, prout Embolus inferiùs deprimitur, eſſet reperturus. Quod tamen non obſervatur. Cui opportunè addere potes, cùm Aer nihil aliud ſit quàm corpus tenue ſive particularum exiguarum perpetuò motarum congeries, quod exhauritur, naturaliter ſe diffuſurum eſſe ad talem diſtantiam, quâ liberiùs ſe poſſet movere, hoc eſt, ad talia Intervalla, in quibus Aer ſit tenuior, itâ ut uno quaſi momento univerſus Aer ejuſdem evadat conſiſtentiæ. Ac proinde nulla nova preſſura (propter majorem Aëris Antliæ proximi conſpiſſationem) ad hujuſce caſûs computum adjici poteſt.

10. Probabiliſſima igitur hujus Phænomeni ſolutio Mechanica quæ dari poteſt, eſt Hypotheſis iſta quâ & ipſe præſtantiſſimus Author uſus eſt, & quæ univerſim Aëri, quanquam in naturali ſua temperie conſtituto, convenit; nempe, Quòd vis quædam *Elaſtica* inſit Aëri, ſive eam ad modum *Carteſii* explicaveris, per luſus ſcilicet ac gyrationes ſingularum illius particularum, quæ conantur latius ſibi ſpacium occupare, ſive iſtiuſmodi particularum compreſſio ſit, quæ in Lanæ pilis reperiatur, quæ ſeipſam expanſura eſt, recedente eo quod illam paulo fortiùs conſtrinxiſſet.

Cæterùm, de vi hac *Elaſtica* ſtatuant ut volent, ſolutio interim quanquam primo quidem aſpectu ſatìs adblandiatur, nec parum ſpei præ ſe ferat, ingenuè tamen fateor (niſi penetrantiora Judicia ſecùs ſtatuerint) Effectum quod Hypotheſi in hoc Experimento tribuitur, mihi Demonſtrationem videri contra ipſam Hypotheſin. Etenim vis hæc *Elaſtica* ſecundùm hoc Experimentum, non minorem habet preſſuram, quàm quæ centum librarum pondus aut ampliùs ſit exæquatura: Quæ preſſura (ut fit in omnibus corporibus flexilibus vi aliquâ *Elaſticâ* præditis) perpetua eſt & ubique in Aëre, ſi quidem illîc omninò ſit. Ac proinde quivis Aëris cylindrus ejuſdem altitudinis à terra, ejuſdémque diametri cum Embolo Antliæ, pari vi preſſurus eſt atque centum librarum pondus.

Jam ſupponamus Butyri maſſam bilanci ligneæ impoſitam, ejuſdem diametri cum Embolo Antliæ: Manifeſtum eſt, Butyrum preſſuræ ducentarum librarum ponderis vi preſſum iri, cùm cylindrus Aëris ab infrà, altérque deſuper, vi centum librarum ponderis, ſinguli premant. Hoc neceſſariò ſecuturum eſſet, ſi vis hæc *Elaſtica* ineſſet Aëri. At verò Butyrum non omninò premitur, quemadmodum ex eo apparet, quòd nullus humor ſeroſus eliditur, nec dilatatur expanditúrve ullâ iſtiuſmodi compreſſione, quanquam ducentarum librarum ponderis vis illud comprimat, juxta hanc quidem vis *Elaſticæ* Aeris Hypotheſin.

11. Nec ullum poſſumus excogitare ſubterfugium contra hanc Demonſtrationem, niſi fortè ſit, quòd, cùm *Elater* Aeris contra latera Butyri perinde atque contra fundum & ſummitatem obnitatur, id ſcilicet impedit quo minùs dilatetur. Sed in promptu Reſponſum eſt; nempe, Non impedire tamen quo minùs undique allidat, & allidendo lacteum ſeroſúmque humorem è Butyro exprimat, ſi ulla talis eſſet preſſura, qualis ſupponitur. Quibus porrò addere potes, ſi Butyri maſſa ad figuram Diſci putà lignei reducatur, cujus margo duorum laterum areis centies ducentiéſve ſit minor, collocetúrque inter duos tenues levéſque diſcos ad eam latitudinem aptatos, filíſque ſuſpendatur in aere libero tanquam in lance, ità ut vis preſſuræ ab infrà ac deſuper eam quæ contra rotundum Butyri marginem fit, centies ducentiéſve ſit exceſſura; Butyrum tamen nihiloſecius *Elatere* Aeris nullatenus arctiùs comprimetur, neque aliter affectum erit atque erat priùs, quamvìs adeò molle ſit tactuíque cedens, ut vel minima vis manûs ipſum inter duos diſcos ſit compreſſura.

12. Quod tamen ex eo non fit, quòd vis impreſſionis noſtræ, vi *Elateris* Aeris ſuperadditur. Exceſſus enim vis *Elateris* Aeris in latera diſcorum ſupra eam quæ fit in rotundum marginem Butyri, multo major eſt quàm vis preſſuræ manûs vi *Elateris* Aeris contra latera diſcorum, adjecta, nec tamen novum ullum apparebat effectum.

Et præterea ubi hic Aeris *Elater* non pertingit, nempe, intra latera Mulctralis aquâ repleti in quod Butyri maſſulam poſſis imponere, Butyrum illic æquè facilè manûs preſſuræ cedet, atque in ipſo Aere. Adeò ut manifeſtiſſimum ſit, nullum eſſe talem Aeris *Elaterem*, qualem viri nonnulli eruditi ſupponunt, multóque minùs tam fortem, ut centum librarum pondus ſuperet, quemadmodum fingitur in notabili hoc *Antliæ Pneumaticæ* experimento.

13. Cæterùm, quemadmodum Phænomenon *Gravitatis*, ipſis primis Mechanicis Motûs legibus omninò contrariatur ac repugnat; quæ tamen Lex Univerſalis eſt corporum terreſtrium, ab illo quod non ſolùm non *Terreſtre* eſt ſed & *Immateriale*, ipſis impoſita: ità Aſcenſus hic Emboli *Antliæ Pneumaticæ* cum appenſo plus centum librarum pondere * æquè perverſa eſt & enormis univerſalis Legis *Gravitatis* violatio, eáque tam pervicax, ut liquidò conſtet Principium eſſe naturam atque vim Materiæ longè ſuperans, ad cujus arbitrium omnia regantur, cujúſque ad nutum ſingulæ materiæ partes prorſum, retrorſum, omnibúſque modis, etiam contrariis, moveantur, ad ſcopos iſtiuſmodi generales qui maximè cedant in bonum Univerſi. Nec minus quidem Bonum quàm ſit vita & reſpiratio Animalium, in partibus Aeris tam obſtinato ſtudio ac induſtriâ inter ſe continendis intenditur, quemadmodum rectè obſervavit virtute judicióque præluſtris Author in Experimento quadrageſimo primo.

Quamobrem cùm tam planè conſtet quòd Principium ſit in rerum Natura, * quod tam ſtrenuè obſtinatéque contra leges Materiæ Mechanicas luctatur, quódque tam fortiter obſiſtit, ſilentiúmve imperat uni communi legi Naturæ ad tempeſtiviorem executionem alterius; hoc, inquam, certiſſimo pignori eſt atque indicio, res, ubi congruenter fiunt, tametſi haud cum iſta viſibili pervicacitate & violentia, effecta tamen eſſe ejuſdem Principii *Immaterialis*, (*Spiritum Naturæ* vocaveris ſive quicquid aliud voles) quæ vis vicaria Dei ſit in ingens hoc *Automaton*, Univerſum.

14. Sed enim ex eo quòd tot globuli in pileo ſimul agitati in talem determinatam figuram ſe conſtituturi ſint, vel quòd pruina ventúſque in Januis Feneſtríſque bella quædam & inopinata lineamenta aliquando deſcribunt plumas referentia, aliáſve nugas quæ nulli humanæ vitæ uſui inſerviunt; hinc concludere, omnes formationes in Natura, etiam corporum, tum Hominum tum Brutorum, fabricas, à nullo alio Principio quàm tumultuario Materiæ motu profectas eſſe, ac propterea quod hìc aliquid naturaliter efficit, cauſam eſſe rerum omnium, equidem mihi ratiocinatio videtur in eodem Modo ac Figura, quibus erat Nundinatoris iſtius ſapientis, qui per montem deſcendens caſeóſque ſub axillis geſtans, uno ex eis fortè fortunâ elapſo, celeritérque ſe per declive montis rotante, reliquos poſt ipſum dimiſit, imperans univerſis, * ut ſe *Gothamiæ* apud domum ſuam conveniant, nihil dubitans quin cùm tam auſpicatò inceperint, pari fœlicitate totum iter eſſent expedituri. Vel haud abſimiliter alteri ejuſdem villæ Incolæ, qui cùm obſervâſſet Tripodem ferreum quem emerat, tres habere pedes & ſtare poſſe, expectabat etiam ut ambularet, ſéque portandi onere levaret. Ità ſanè profundi noſtri *Athei* & *Epicurei* ad eundem Sapientiæ gradum & exemplum, ex eo quòd confuſus hic partium Materiæ motus ad rudem delineationem * *Duri* & *Mollis*, *Rigidi* & *Fluidi* & conſimilium poſſit aſſurgere, non dubitant indè ſtatim concludere, eum porrò pergere poſſe, ſéque extendere ad diſpoſitionem Materiæ in talem ordinem, qui naturaliter Principium ſupponat, quod aliquo modo in ſe complectatur accuratam *Sapientiam* & *Conſilium*. Opinio profectò, quæ * ſuprà memoratos Sapientes magìs condeceret, quàm quemvis, qui mentis omnino Rationíſque ſit compos.

15. Quamobrem cùm abunde detexerimus ridiculam præſentis Sophiſmatis ſtoliditatem, naturalibus emanationibus Rationis liberæ diligenter attendentes, concludamus, *Ortum* & *Occaſum* luminarium cœleſtium, *Diei* & *Noctis* viciſſitudines, *Hyemem* & *Æſtatem*, cùm ità ordinata attemperatáque ſint, ac ſi per exquiſitiſſimam conſultationem perfectiſſimámque ſapientiam eſſent conſtituta, ea omnia proinde à ſciente Principio fuiſſe profecta, talíque quod movere, alterare, regeréque Materiam valeat, ad ſuam voluntatem atque libitum, hoc eſt, uno verbo, *Eſſe Deum*.

Et profectò nullus dubitò, quin evidenter detecturus ſim viſibilia hujus *Divini Conſilii* ac *Providentiæ* veſtigia, etiam in rebus omnibus quæ in Univerſo conſpiciuntur. Quas tamen omnes percurram quàm leviter breviterque potero.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. 1.

STabilitam ſuiſſe aut ſaltem approbatam. *Hoc à me additum eſt quòd tunc ſuſpicarer multa meris Mechanicis rationibus in Natura fieri poſſe ex generali iſta motûs impreſſione. Nunc verò omnia quæ in Natura non impeditâ fiunt, non ſolùm approbari à Divinâ Sapientia cenſeo, ſed eorum leges* Spiritui Naturæ *datâ operâ à Deo fuiſſe inſitas.*

Sect. 3. Nec co-incidentem Axis terræ poſituram, &c. *Situm intellige* co incidentem, *ſibi perpetuò parallelum. Paralleliſmus enim in ſingulis trium Poſitionum intelligitur. Utque incommoda hujus ſecundi ſitûs faciliùs intelligantur, Schema in quo Tellus circa Solem movetur in hoc ſitu ſubjungendum curavi.*

Tom:2.

p. 61.



Ubi AB *eſt Axis Terræ perpetuò ſibi parallelus, jacenſque in Plano Ecliptica* CDEF. B *eſt Polus Borealis,* A *Auſtralis. In* C *verò &* E *Æquinoctium eſt per univerſam Terram. Ut verò pergit Terra à* C *verſùs* D, *Umbræ Hemiſphæricum* AKLMB *circa Polum Auſtralem* A *recedit paulatim ab* A *ad* K, *& circa Borealem accedit tantundem à* B *ad* G, *& dein à* K *ad* L *& à* G *ad* H; *& denique ab* L *ad* M *& ab* H *ad* I: *ubi umbræ Hemiſphæricum lineâ Æquinoctiali ferè terminatur. Unde planè apparet, quod diximus, qui Circulo Arctico degunt Noctem habere dies ampliùs* 130 *longam. Sunt enim gradus* 67 *inter* G *&* I, *per quos Umbræ Hemiſphæricum tranſit dum pergit à* G *ad* I; *quos gradus remetitur dum recedit ab* M *ad* H *& ab* H *ad* G, *& tandem ad* B. *Quemadmodum fit in* E *ubi Terra eſt in altero puncto Æquinoctiali. Eadémque ratio eſt de reliquis Terræ Incolis inter* G *&* H, *immò inter* H *&* I, *niſi quòd Noctem habent pro minori ab Æquatore diſtantia, pauciores dies continentem. Cætera quæ innuimus aut de* co-incidenti *hac Poſitura aut de Perpendiculari, ex intuitu Schematis facilè intelliguntur ità ut nihil opus ſit eis immorari.*

Sect. 13. Æquè perverſa eſt & enormis univerſalis Legis Gravitatis violatio, &c. *Gravitatis enim eſt corpus deferre deorſum. Quando autem fingitur, in corporibus liquidis hac deorſum preſſurâ attollere partes liquidi ſubjectas, putà orificio Ampullæ inverſo, obturatæ & in mare immiſſæ. Quod exemplum non multùm ab hoc Experimento Emboli* Antliæ Pneumaticæ *abludit, quippe Antlia cum Embolo Ampullæ cum* Obturaculo, *externus Aer Aquæ marinæ, Aërque Ampullâ incluſus ſubtili Materiæ in Antliâ reſpondet. Impoſſibile tamen eſt ut hoc fiat ſine partium in partes gravitatione, ſi vel ſic fieri poſſet. Cùm verò actualis hæc partium in partes Gravitatio non ſolùm Rationi ſed & communi ſenſui & experientiæ repugnet, manifeſtum eſt hoc Phænomenon Mechanicè non fieri, hoc eſt, partium in partes protruſione, ſed vitali* Spiritûs Naturæ *ductu ſive diſpoſitu.*

Quod tam ſtrenuè obſtinatèque contra leges Materiæ Mechanicas luctatur, &c. *Ità certè non abs re erat loqui, ad diſtinctiorem rerum perceptionem & intelligentiam. Verùm ſi magìs ſeriò & accuratè philoſophari velimus, meminiſſe debemus* Spiritum Naturæ *non tam colluctari cum legibus Materiæ Mechanicis quàm eas antevertere, motúmque Materiæ* Mundanæ *niſi ex accidenti, nuſquam* Mechanicum *eſſe ſed* Vitalem.

Sect. 14. Ut ſe Gothamiæ apud domum ſuam conveniant, &c. Gothamia *oppidum eſt in* Anglia *ob fabulas de egregiis Incolarum hallucinationibus & deliriis celeberrimum. Inter quas recenſentur hæ duæ de Caſeis & Tripode ferreo.*

Duri & Mollis, Rigidi & Fluidi, &c. *Quod nec ipſum tamen ſimplex motus Mechanicus & Materia præſtare poſſunt, quod ſæpiùs inculcavi in hiſce Scholiis. Quoniam partes Materiæ, quod tamen neceſſarium eſt ad ſenſibilem Fluiditatem, ſine* Spiritu Naturæ *non poſſunt cohærere.*

Suprà memoratos Sapientes, &c. *Sic enim vulgò appellantur ſuprà dicti Fatui, Sapientes ſcilicet* Gothamienſes.

CAP. III.

1. *Nihil in Natura eſſe quod ſcientis Principii Approbationem non ſubierit.* 2. *Magna Collium Montiúmque Utilitas.* 3. *Hominis conditio in ordine reſpectúque ad Creationem reliquam.* 4. *Deſignata utilitas Lapidum-Fodinarum, Lignorum, Metallorum & Mineralium.* 5. *Ut ex his dependeat gloria & magnificentia tum Belli tum Pacis;* 6. *Et Hominum itidem Defenſio adverſus Beſtias.*

1. V*alles* igitur *Montéſque* celeriter tranſcurramus, exploremus *Maris* profunditatem, *Sylvas ſaltuſque* vagando pervadamus, & in *Terræ viſcera* fodiamus, dicátque mihi *Atheus*, quiſnam ex locis iſtis omnibus ſileat, nullámque mentionem faciat de Deo. Equidem qui maximè muti ſunt, compromiſſum ſaltem cum reliquis facient, omnia ductu fieri & determinatione (Materia moveatur ut volet) aut ſaltem conſenſu & approbatione *ſcientis* cujuſpiam *Principii.* Ut Cæmentarius qui murum condit, incidit aliquando in lapidem qui nullâ indigeat reciſione, atque ſic eum approbans tantùm, nihil autem immutans, in murum collocat: Et contingere quidem poteſt ut lignum eo ipſo in loco fatiſcat ubi Carpentarius fiſſurus fuiſſet, nec opus ſit ut ipſum conſolidet primùm & compingat, ut idem poſtea diffindat. Quamobrem ſi merus motus Materiæ rude quicquam ac generale ullius momenti efficere poteſt, maneat tanquam approbandum: ſed enimvero ea etiam inventuri ſumus quæ tam manifeſtò proſpectionem conſiliúmque innuunt, ut non poſſimus quidem naturaliter aſſenſum cohibere quin apertè agnoſcamus, *Deum exiſtere.*

2. Nunc igitur conferamus nos ad ſcrutinium, & videamus annon omnia talia ſunt, qualia Ratio noſtra ea eſſe exoptet. Et ut à ſummo primùm incipiamus, etiam iſtos neglectim diſſeminatos *Montes*, qui non niſi tot quaſi Strumæ videntur & præternaturalia Tubercula in facie Terræ, ſi conſideraveris quanti momenti ſint, hoc pacto quidem in gratiam cum eis rediens, ornamento profectò ea eſſe reputabis perinde atque utilia.

Hæc enim ſunt Naturæ *Diſtillatoria*, in quorum Cavernis aſcendentes vapores in Univerſalem iſtam congelantur *Aquam-vitæ*, in ſalubres iſtos latices vitæque liquores qui omnes per orbem Terrarum Animantes ſuſtinent, flexuoſis Rivulorum Fluviorúmque canalibus per omnes Telluris partes deducti. Geographia hoc prolixâ Inductione demonſtratura eſſet. Nos tribus quatuórve exemplis erimus contenti. *Ana* & *Tagus* ab *Oroſpeda* decurrunt in *Hiſpania*, *Rhenus*, *Padus* & *Rhodanus* ab *Alpibus*, *Tanais* à *Riphæis*, *Garumna* à *Pyrenæis* montibus, *Achelous* à *Pindo*, *Tigris* à *Niphate*, *Orontes* à *Libano*, & *Euphrates* à montibus *Armeniæ*, & ſic de reliquis. Sed hiſce non immorabor. Ad ea jam me conferam quæ luculentiùs Providentiæ oculum oſtendant, dirigentis & determinantis perinde atque approbantis effectus Agitationis, quæ ſupponitur, partium Materiæ.

3. Et ut vim argumentorum meorum pleniùs ſentire poſſis, breviter primùm conſideremus *Hominis* naturam, quas habeat facultates & quem ordinem teneat & reſpectum ad reliquas Creaturas. Et ſanè, tametſi corpus ejus infirmum ſit atque inerme, internæ tamen Animi dotes, Ratio putà, réſque varias inveniendi artéque concinnandi dexteritas, admirabiles ſunt. Speculationibus multùm addictus eſt,

contemplandóque Mundi hujus Theatro, Quæſtibus etiam faciendis, miſcendiſque Commerciis cum Gentibus extraneis, Ædibus porrò ædificandis atque Navigiis, concinniſque conficiendis Inſtrumentis ex Argento, Ære & Chalybe, & ſimilibus: In ſummo, Flos eſt atque Caput omnium operum Naturæ ſuper hunc Orbem Terræ. Jam igitur ſi oſtendero talia conſilia etiam de infimis viliſſimiſque Naturæ effectis inita eſſe quæ Hominem omnium Principem reſpiciant, inficias profectò ire non potes quin ſit *oculus Providentiæ*, qui rebus omnibus intentus ſit, celeriterque à ſummo ad imum decurrens ſapienter diſponit Univerſa.

4. Quamobrem nunc quæro, cùm Homo talis naturæ ſit, annon nobiles hæ facultates illius incaſſum forent & fruſtraneæ, ſi ſubjectum deeſſet in quod eas exerceret. Et in ſecundo quidem loco reſcire vellem, an rudis & confuſa particularum Materiæ agitatio certò productura ſit ullum tale Subjectum quod idoneum ſit in quod Homo ſuam poſſet exercere peritiam, necne: hoc eſt, Ecqua eſſet neceſſitas quæ infallibiliter *Lapidum Fodinas* in Terra produceret, cùm tamen ii præcipua Materia ſint ex qua omnes magnificæ Ædificiorum ſtructuræ fiunt per orbem Terrarum. Idémque dicendum eſt de *Ferro* & *Chalybe*, ſine quibus horum etiam lapidum nulla futura fuiſſet utilitas: Et tum dein de *Carbonibus foſſilibus* aliiſque neceſſariis Ignis fomitibus, qui utiles ſint ad colliquanda temperandáque Metalla: Item de *Lignis* ad ædificandum. Fieri enim potuiſſet ut Terra nihil præter frutices & quaſi ſarmenta emitteret, & tunc certè nulla futura fuiſſent commoda Navigia, quicquid factum fuiſſet de reliquis Ædificiis. Similiter de *Magnete*, egregio illo ad Navigandum adminiculo, annon tam profundè in terram abditus jacere potuiſſet ut humana Induſtria eum nunquam fuiſſet eruitura? Idémque dici poteſt de aliis *Lapidibus* & *Metallis*, cùm graviſſima ſint, ea locos infimos maximè naturaliter fuiſſe occupatura. Proculdubio, Materia agitata, niſi ſpecialis aliquis præpotenſque Gubernator præfuiſſet, res haſce omnes neceſſarias atque utiles æquè facilè prætermittere potuiſſet atque in eas incidere. Quòd ſi nulla talis Creatura fuiſſet qualis eſt Homo, hæ ipſæ res inutiles fuiſſent. Nulla enim brutorum Animalium hujuſmodi rebus utuntur. Quamobrem niſi immanem vim facultatibus tuis inferre velis, concludere debes Præordinationem eſſe *Providentiæ* & *Conſilii* in hiſce rebus omnibus quod à principio ad finem extenditur diſponítque omnia ſuaviter; Providentiámque cùm prævidiſſet qualem Creaturam Hominem conſtitutura eſſet, Materias ipſi præparâſſe ex quibus poſſet & præſens ſuum ornare, Hiſtoriæque monumenta ſuppeditare egregiorum facinorum tum *Artis* tum *Virtutis Martiæ*.

5. Abſque verò prædictarum Materiarum præparatione eſſet, Gloria Pompáque tum *Belli* tum *Pacis* perdita fuiſſet. Etenim Homines loco magnificorum illorum Ædificiorum quæ in Orbe conſpiciuntur, haud meliora domiciliorum genera habituri fuiſſent quàm majuſcula quaſi quædam Alvearia Nidóſve Avium, ex viliſſimis ſarmentis, ſtraminibus limoſóque cæmento confectos. Et verò vice uſitatioris pompæ ſplendoriſque *Belli*, ubi audiri ſolet auguſtus raucarum Tubarum ſonitus, animoſus Tympanorum pulſus, Hinnitus, ſuperbúſque Equorum pedes glomerantium inceſſus, Armorum ſtrepitus, & horrenda Tormentorum bellicorum Tonitrua, ut taceam Gladiorum Haſtarúmque coruſcationes, fluctuationes vibrationéſque explicatorum Signorum, alacres Equitum ex bene curatis morigeriſque equis in hoſtium equitatum fulminationes & ſimilia; abſque prædicto, inquam, paratu eſſet, Ferri, Chalybis & Æris aliarúmque id genus neceſſariarum Materiarum, loco hujus omnis ſplendoris ac celebritatis, nihil præter ululatus & clamores miſellorum hominum nudorum, aliorum alios nodoſis ſtipitibus certatim fuſtigantium, pugniſve inertiùs ſe mutuò impetentium futurum fuiſſet, quo Mundi ſcena ſeculorúmque decurſus exornarentur.

6. Præterea, cùm Beſtiæ naturaliter armatæ ſint, homines verò nullâ re muniti præterquam Ratione ſuâ, cúmque Ratio inefficax ſit, materiâ, in quam operetur, deſtituta; manifeſtum eſt, illud quod *Homines, Beſtias & Metalla fecit*, probè noviſſe quid egerit, nec per oblivionem commiſiſſe ut hominem naturali armaturâ deſtitutum relinqueret, cùm Materiam parâſſet, ingeniúmque indidiſſet & peritiam quâ ſeipſum indè armaret, itáque poſſet ſeipſum defendere, contra ferociſſimas fortiſſimáſque omnium Animantium cujuſmodicunque. Immò verò datâ operâ inermum eum reliquit, ut ſeipſum armare poſſet, atque ſic exercere naturale ſuum ingenium & induſtriam.

CAP. IV.

1. *Diſtinctionem* Terræ & Maris *ſine* Providentia *non factam eſſe*: 2. *Ut nec Conſiſtentiam* Aquæ Marinæ *quâ Navigia queat ſuſtinere.* 3. *Utilitas magna ac voluptas* Navigationis. 4. *Miranda catena aptiſſimarum proviſionum ad humano Ingenio gratificandum in re tanti momenti.*

1. POſtquam *Montes* pertranſivimus & per *Sylvas* caváque *Telluris viſcera*, contemplemur jam *latum Mare*, videamúſque annon & illud etiam de Divina exiſtentia nos moneat, hoc eſt, annon omnia illîc ità conſtituta ſint, ac ſi *Principium* aliquod *Rationis particeps*, ea aut ordinaverit aut approbaverit, cùm tamen nihilominùs aliter ſe habere potuiſſent. Atque nunc quidem dum verſantur nobis ante oculos *Campi illi natantes*, quemadmodum appellat *Lucretius*, vaſta illa *Aquæ Planities*, *Oceanus*, quæro primùm annon vaſtior latiórve eſſe potuiſſet, eo uſque ut univerſam Terræ faciem inundâſſet, itáque habitationem Hominum Beſtiarúmque prævertiſſet. Particulæ enim liquidæ facilè cum aridis miſceri potuiſſent, atque ſic totum in unam ingentem *Paludem* limoſam, tremulam ac malefidam abiiſſe.

2. Porrò, Diſtinctione *Terræ Mariſque* jam factâ, quæro, annon elementum hoc aqueum tam tenuis conſiſtentiæ eſſe potuiſſet, ut ad Navigia ſuſtinenda inidoneum eſſet. Hoc enim tantum abeſt ut ſit impoſſibile, ut tales in rerum Natura reipſa ſint Aquæ, ut Fluvius *Silas*, exempli causâ, in *India*. Atque aquæ *Boryſthenis* tam tenues ſunt & leves, ut fluitare dicantur in ſummitate fluenti *Hypanis* Fluvii. Et notiſſimum eſt aliqua ligni genera tam gravia eſſe, ut in aqua qualibet vulgari ſubſidant.

Ad cujuſvis igitur Rationem provoco, annon multò præſtet ut ſit *Terræ Mariſque diſtinctio*, quàm ut totum Limus ſit aut Aqua: magíſque commodum ſit ut Sylvæ Materiam ſuppeditent tam levem ut ſuper Aquam fluitare poſſet, Aquáve tam gravis ſit ut Lignum poſſit ſuſtentare, quàm vice versâ. Quod igitur aliter fieri potuit, & tamen planè ad votum ſententiámque noſtram eſt conſtitutum, qui Rationis ſcientiæque participes ſumus, à nobis profectò æſtimari debet tanquam à Ratione Conſilióque ſancitum.

3. Et quanto quidem penitiùs hanc rem inſpiciamus, tanto in ea evidentiùs *Providentiæ* veſtigia deprehendemus. Etenim cùm duæ præcipuæ Hominis proprietates ſint, *Contemplatio* & *Sociabilitas*, Amórve Commercii, nihil eſt quod tantoperè illius naturæ gratificaturum eſſet quàm poteſtas Navigandi, quâ marinorum fluctuum dorſo inequitans *Mirabilia* conſpicit *Profundi*, & propter illius elementi glabritiem & lubricitatem tempore, pro itinere quidem, mediocri veritatem ſagacium iſtarum ſuggeſtionum propriæ mentis poteſt explorare, an Terra nempe undiquaque rotunda ſit, & an ſint *Antipodes*, & ſimilia; lineámque ſecans *Æquinoctialem*, illam Controverſiam de *Zonæ Torridæ* habitabilitate ſimul decidere, vel potiùs maculam iſtam, quaſi tanta Orbis Terrarum portio propter habitationem incommodam, fruſtrà facta eſſet, Divinæ Providentiæ injectam abſtergere.

Prætereà, Ad peregrinas oras appulſus, Hominúmque detectio tantâ morum à nobis ipſis diverſitate, non poteſt quin res ſit immenſæ cujuſdam voluptatis & utilitatis, ad laxandas ampliandáſque cogitationes noſtras, ex eis quæ obſervemus in eorum Converſatione, Artibus ingenuis, & re Politica. Hiſce adde varias Naturæ Raritates, Mercéſque diverſis Regionibus proprias, quibus qui domi manent per eorum itinerationes frui poſſunt qui peregrè proficiſcuntur, ipſíque qui peregrinantur ex propriis expeditionibus diteſcere.

4. Nunc igitur cùm Navigatio tantum momentum faciat ad voluptatem humanæ vitæ atque utilitatem, cúmque ſat ſit in Homine ingenii & audaciæ ad *Maria* periclitanda modò Materiâ aliiſque rebus requiſitis ſatìs eſſet inſtructus; equidem cùm videamus tam commodè in hunc finem ipſi proſpectum eſſe, in *Lignis* amplis ad ædificandas *Naves*, in *Aqua* marina tam *craſſa* ut ad Naves ſuſtinendas etiam onuſtas idonea ſit, in *Magnete* ad ſuam *Pyxidem Nauticam*, & in ſtabili ac *parallela Axis Telluris directione*, ad *Cynoſuram*; & tum dein obſervemus naturale illius Ingenium animúmque intrepidum ad hiſce utendum, útque ingenitum ſcientiæ & commercii deſiderium, augendíque proprias *Animi* perinde atque *Fortunæ* dotes eum ad nobile hoc Inceptum ſit inſtigaturum; non poſſumus profectò quin concludamus à tali Cauſarum ſerie tam aptè & congruenter conſpirantium, quòd reverà Conſilium eſſet *Uni-*

verſalis cujuſpiam ac *Æternæ Mentis*, quæ toti Naturæ fabricæ proſpicit ac gubernat, quæ has cauſas tam providè ſapientérque connexuit, hoc eſt, non poſſumus quin concludamus *Quòd ſit Deus*.

Et ſanè ſi ad tantam hujus veritatis certitudinem jam pervenimus ex conſideratione iſtiuſmodi Phænomenôn in Univerſo quæ rudiora videantur & generaliora ; quid magìs ſpecialium magíſque politarum elaboratarúmque Naturæ partium, in *Vegetabilibus*, *Animalibus* & in *Humano corpore*, effectura eſt contemplatio?

CAP. V.

1. Formam & Pulchritudinem, Semen & Signaturam Plantarum *Argumenta eſſe* Providentiæ. 2. *Quamvìs merus Materiæ Motus Meteora quædam producere poſſet, ut* Grandinem, Nivem, Glaciem, &c. *non ſequi tamen eundem adæquatam eſſe cauſam* Animalium & Plantarum. 3. *Haud magnum quidem* Aſſumentum *fore aut* Hiatum, *ſi rudiora Phænomena, Motûs merè Mechanici Materiæ fructus agnoſcerentur.* 4. Formam & *pulchritudinem* Florum & Plantarum *ab* altiori Principio *proficiſci.* 5. Pulchritudinem *reale quid eſſe,* & Intellectualium *noſtrarum facultatum Objectum.* 6. *Indéque ſequi, quòd Formæ* pulchræ *ac Figuræ* Plantarum & Animalium *effecta ſint Principii* Intellectualis.

1. HActenus rudiora tantùm & negligentiora, ſi fas ſit ità loqui, Divinæ Providentiæ Lineamenta in Orbe conſideravimus, in amplioribus illis deſcripta Phænomenis *Diei* & *Noctis*, *Æſtatis* & *Hyemis*, *Terræ* & *Maris*, *Fluviorum*, *Montium*, *Metallorum* & ſimilium ; ad preſſiorem jam accedimus conſpectum Dei & Naturæ in *Vegetabilibus*, *Animalibus* & *Homine*.

Et primùm de *Vegetabilibus*, ubi quatuor hæc tantùm capita attingemus, *Formam* nempe eorum & pulchritudinem, *Semen*, *Signaturas*, magnámque eorum *Utilitatem* ad *Medicinam* perinde atque *Cibos*. Et ut meliùs intelligamus hujus preſſioris operum Naturæ Contemplationis præcellentiam ac privilegium, notare primùm debemus conditionem illius ſubſtantiæ, quam *Materiam* appellamus, quàm fluida ſit & lubrica & ex ſe indeterminata, vel ſi dura, quàm inepta ut in aliud quicquam mutetur, ac proinde omnia in madorem quendam antè putreſiunt quàm quicquam ex eis generari poſſit, ut ſolemus ceram priùs emollire quàm ſigillum imponamus.

2. Nunc igitur, niſi adeò ſtolidi eſſe velimus, ut, quia uniformis Aëris Motus, ſubtilioríſve alicujus Elementi corporei, * tam æqualiter comprimere poſſit, obnitíve contra partes pauxilli Humoris vaporoſi, ut ipſum formet in guttas rotundas (quemadmodum quidam ſtatuunt de rore aliíſque experimentis) indéque, quia rudior hic & generalior Motus aliquid præſtare poteſt, concludere non dubitemus eum poſſe omnia ; omnino conſentaneum eſt, ut confiteamur *Æternam* eſſe *Mentem*, cujus ope Materia tam commodè utilitérque formetur atque immutetur.

Verùm ut merus Motus, rudis omníſque expers regiminis, quia naturaliter aliquos effectus habiturus eſt, idcirco ad tales extendi poſſit qui ſapientem quandam præordinationem & conſilium planè implicant, Sophiſma adeò ridiculum eſt, quemadmodum ſuprà notavi, ut magìs dignum ſit quod inconſideratis animis Fatuorum & Infantum imponat quàm hominum maturæ Rationis, benéque in rebus Philoſophicis verſatorum. Pone *Pluviam* & *Nivem* & *Ventos* & *Grandinem* & *Glaciem*, aliáque id genus Meteora effectus eſſe poſſe *Caloris* & *Frigoris*, *Motúſve* & *Quietis* certarum quarundam tenuium particularum Materiæ ; ut tamen utiles pulchræque formationes ramorum, florum, fructuúmque Plantarum tales etiam ſint, (ut taceam interim de corporibus *Avium*, *Piſcium*, *Beſtiarum* & *Hominum*) æquè ridicula eſt & oſcitabunda Illatio, ac ſiquis inferret, quia merus *Calor* & *Frigus* emollit & indurat Ceram & in aliquam ſaltem figuram eam tranſmutat, quòd proinde merus hic *Calor* & *Frigus*, *Motúſve* ac *Quies* ſine ulla Arte aut directione, argenteum etiam Sigillum formaverit, ſcutúmque ipſi artificioſè inſculpſerit, vel formam alicujus Avis vel Beſtiæ, ut Aquilæ, Leonis & ſimilium. Immò verò hæc Illatio multò tolerabilior eſt quàm altera, cùm hæc *Artis Effecta* longè faciliora ſint, minúſque nobilia, quàm altera illa *Naturæ*.

3. * Nec Aſſumentum quidem ullum eſt aut Hiatus in operibus Naturæ, ut quædam particularia Phænomena non ſint niſi faciles & ſpontanei quaſi fructus generalis

illius Motûs qui à Deo communicatus eſt Materiæ, alia verò effectus magìs curioſæ concinnaturæ, *Divinæve Artis* ſeu *Rationis* (* tales enim ſunt λόγοι σπερματικοὶ, i. e. *Rationes Seminales*) in Materiam incorporatæ, præſertim cùm ipſa Materia aliquo modo ſit *vitalis*, alioqui motum non continuatura eſſet in quem per occaſionem hàc vel illàc excitata ſit: Et præterea, cùm *Natura Divina* perfectiſſima ſit vitæ plenitudo quæ concipi poteſt, valdè conſentaneum eſt ut ultima hæc & remotiſſima ipſius Umbra ſit aliquo modo, licèt non niſi ſubobſcurè, *Vitalis*. Quamobrem cùm res à ſumma perfectione quaſi gradatim deficiant, minimè profectò impar maléve proportionatus gradus erit, ſi deſcendendo à culmine hujus externæ Creationis, *Homine*, in quo principium eſt magìs ſubtilis & in ſe reflexæ *Rationis*, quæ adhæreſcit, quanquam non eodem modo, perfectioribus brutorum generibus, quemadmodum & ſenſus, intra nimis anguſtum ambitum nolens coerceri, aliquibus *Plantarum* generibus ſeſe ingerit, cujuſmodi ſunt variæ *Zoophytorum* ſpecies, in cæteris verò nulla Animadverſivæ facultatis in ipſis reſidentis reliqua reperiuntur veſtigia, quanquam effecta eis inſunt Formæ animadverſione carentis, (λόγȣ ἐνύλȣ) materiatæ ſive incorporatæ Artis Rationíſve ſeminalis: non erit, inquam, ullus impar delapſus ſi deſcendas à magìs ſubleſtis obſcuríſque *vitæ Spermaticæ* exemplis ad notabiliora effecta generalis Motûs in *Mineralibus*, *Metallis* variiſque *Meteoris*, cujus faciles rudéſque formationes nullo fortean indigeant *vitæ Principio*, Formáve *Spermaticâ* à *Quiete Motúque* particularum Materiæ diſtinctâ.

4. Eſt verò ea formæ ac pulchritudinis curioſitas in nobilioribus plantarum generibus, talem habens congruentiam cum defæcatiori ſenſu & ſagacitate humanæ Animæ atque Harmoniam, ut non poſſit (quippe quum Tactus ejus *Intellectualis* tam ſuaviter eo oblectetur quod in iſtiuſmodi objectis deprehendit) quin agnoſcat abditam aliquam Cauſam propriæ Naturæ admodum congenerem, hoc eſt, *Intellectualem* concinnatricem fuiſſe & perfectricem horum jucundorum Spectaculorum in Univerſo.

5. Nec quicquam valiturum eſt ſiquis hìc objecerit, quantum ad *pulchritudinem* attinet proportioníſque venuſtatem, rem eam totam in imaginatione ſitam eſſe, quippe cùm ſint qui nihil tale agnoſcunt, ſibique omnia perinde pulchra videri profitentur, qui tamen oculorum ſuorum uſu gaudent æquè atque cæteri mortales. Reſpondeo enim, quòd hoc magìs id confirmat quod volumus, *Pulchritudinem* nempe tranſmitti quidem per externos ſenſus in Animam, magìs *Intellectualem* tamen facultatem eſſe quæ ipſam ſapiat: quemadmodum Schema *Geometricum* intrat quidem per oculos, Demonſtratio verò à ſola *Ratione* percipitur. Ac proinde magìs conſentaneum eſt affirmare *Intellectuale* aliquod Principium hujus *Pulchritudinis* rerum Authorem fuiſſe, quàm ut ſic formatæ ſint ſine ope ejuſmodi Principii.

Et verò, aſſerere, nullam omnino eſſe *Pulchritudinem*, quia quorundam Hominum Animæ tam tardæ ſunt atque ſtupidæ, ut quantùm ad eam quidem rationem, omnia ipſis perinde ſint; æquè abſurdum eſt & à ratione alienum, ac ſi concludas nullam omnino in rebus *Rationem* eſſe aut *Demonſtrationem*, quia bardus homo atque fatuus eò pertingere non poteſt. Quòd verò pulchritudo ſit, quódque ab omnibus gentibus agnoſcatur *Arboribus* ineſſe, & *Floribus* atque *Fructibus*, ædificiorum ornatus per omnia ſecula amplum eſt & irrefragabile Teſtimonium. Quid enim apud ipſos magìs in more eſt, quàm florum fructuúmque ſculpturas picturáſve adhibere in exornandis ſuis operibus? Præterea, Hominem quemlibet appello, qui in tam miſerum degenerationis gradum non ſit delapſus, ut æquè ſtupidus ad hujuſmodi res evaſerit quàm ſint viliſſimæ Beſtiæ, an exempli causâ, ritè exſculptum *Tetraedrum*, *Cubus* vel *Icoſaedrum* majorem non habeant pulchritudinem quàm rude quodlibet lapidis fragmen in agris viiſve publicis jacens; vel ut alias figuras ſolidas nominemus, (quæ licèt *Regulares* non ſint, propriè ſic dictæ, determinatam tamen habent Ideam ac Naturam) ut *Conum*, *Sphæram* & *Cylindrum*, an horum aſpectus humanæ menti non magìs gratificetur, majorémque formæ elegantiam præ ſe gerat, quàm rudia illa Secamenta vel Aſſulæ lapidum, quæ à manibus Lapidarii deſiliunt, nec ulli rei inſerviunt niſi ad medium Muri explendum, ut ſic ab oculis hominum abſcondantur propter ſuam deformitatem.

Eſtque obſervatu dignum, ſi Natura quicquam efformet, quod ad accuratam hanc rationem Geometricam propiùs accedat, quòd ipſum contemplamur cum multa quidem animi oblectatione ac voluptate: ut ſi vel Rotundum exactè ſit, (cujuſmodi lapidum magna reperitur copia inter duos montes in *Cuba*, Inſula *Americana*) vel ordinatim *Quinquangulare*, aut latera *Parallela* habeat, licèt anguli ſint inæquales, quemadmodum in exiguis quibuſdam lapidibus videre eſt, & in quodam Alabaſtri genere, repertis hîc in *Anglia*; hi lapides, inquam, aſpectui noſtro gratificantur, ut qui majorem habent cum humana Anima cognationem, quæ *Rationalis* eſt & *Intellectualis*, ac proinde gaudet ſtatim atque in ullum externum Objectum incidit, quod cum congenitis illis Ideis, quibus propria ipſius natura inſtructa eſt, quadret & conveniat. Nam *Symmetria*, *Æqualitas*, partiúmque *Reſpondentia*, ut & *Aſymmetria* & *Inæqualitas*, *Rationis diſcernicula* ſunt, non autem *Objecta Senſûs*, quemadmodum alibi probavimus.

6. Jam igitur cùm manifeſtum ſit quòd ſit, quam *Pulchritudinem* appellamus, *Symmetriam*, proportioníſque venuſtatem, (ut jucundam *Colorum mixturam* taceam) quódque hoc proprium Objectum ſit *Intellectûs* ac Rationis (hæc enim minimè cordi ſunt Beſtiis) equidem exiſtimo tutò me concludere poſſe, Id quod prima & principalis cauſa eſt mutandi fluidam & indeterminatam Materiam in *Formas* tam *pulchras* probéque proportionatas, quàm quas videmus in *Floribus* & *Arboribus*, *intelligens* eſſe *Principium*, noſceréque tum Hominis naturam tum naturam eorum Objectorum quæ conſpectui illius offert in Mundo hoc externo ac viſibili. Hæc enim caſu fieri non poſſunt multifariíſve partium Materiæ molitionibus inter ſeipſas, tunc enim veriſimile eſſet ſpecies rerum, licèt nonnullæ rectè ſe habere poſſent, pleraſque tamen mancas fore & ridiculas. Nunc verò nulla ineptitudo ulla in re extat, quod indicio eſt, fluiditatem Materiæ gubernari & determinari à præpotente conſilio *Æternæ Mentis*, ſive *Dei*.

Niſi ſupervacaneum eſſet, in medium hîc proferre poſſem pro exemplis, varia genera *Florum*, *Herbarum* atque *Arborum*. Hæc verò Objecta cùm tam obvia ſint, cúmque cujuſque phantaſia recordatione variegetur, *Roſarum*, *Caltharum*, *Liliorum*, *Pæoniarum*, *Tuliparum*, *Violarum tricolorum*, *Garyophyllorum*, *foliorum Vitis ac racemorum*, aliorúmque id genus millenorum, de quibus omnibus nemo eſt quin fateatur, ipſis ineſſe *Pulchritudinem*, & *Symmetriam* gratámque proportionem, ſuperfluum exiſtimo prolixiori Inductione memoriam Lectoris onerare, tranſiturus nunc ad reliquas tres conſiderationes de *Semine*, *Signaturis*, & *Utilitate*, & quidem perquam breviter per eas pertranſiturus, cùm quæ obſervanda ſint admodum ſint vulgaria faciliáque intellectu.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 2.

TAM æqualiter comprimere poſſit obnitíve, &c. *Quàm parùm verò valeat hæc conjectura etiam in his ſimplicibus Phænomenis videre potes, Enchirid. Metaphyſ. Cap. 20.*

Sect. 3. Nec Aſſumentum quidem ullum eſt, aut Hiatus, &c. *Quòd ità hic philoſopharer nimia fecit* Carteſianæ *Philoſophiæ apud me Exiſtimatio. Quas verò ob cauſas ſententiam mutaverim, vide Præfat. Enchirid. Ethic. Sect. 16. & Enchirid. Metaphyſ. Cap. 9. Sect. 6. & 12.*

Tales enim ſunt λόγοι σπερματικοὶ, *i. e.* Rationes Seminales, &c. *De his Rationibus Seminalibus, an diſtinctæ ſint ſubſtantiæ particulares, an unus communis ſit Spiritus Naturæ, vide Tractatum de Animæ Immortalitate, lib. 3. cap. 12. & 13.*

CAP. VI.

1. *Providentia à* Seminibus *Plantarum arguitur.* 2. *Reſponſum ad Objectionem de* Herbis noxiis *ac fœtidis, Plantiſque* venenoſis. 3. *Plantarum* Signatura *argumentum Providentiæ.* 4. *Exempla quædam* Signaturarum. 5. *Reſponſio ad Objectionem de iſtiuſmodi* Signaturis *in Plantis quæ non referantur ad* Medicinam.

1. Dico igitur, quòd *Plantæ* ſingulæ *Semen* ſuum habeant, evidens eſſe indicium Divinæ Providentiæ. Etenim cùm nullus neceſſarius effectus ſit Motûs Materiæ, quemadmodum nec integra *Plantæ Formatio* illius eſt fructus, cúmque tanti momenti ſit ut ſemen habeant ad continuandas propagandáſque proprias ſuas ſpecies, & ad gratificandum etiam Humanæ Arti, Induſtriæ, ac neceſſitatibus vitæ (multum enim *Agriculturæ* & *rei Hortenſis* hiſce innititur) fieri non poteſt quin ex *Conſilio* factum ſit quòd varia Plantarum genera propriis *ſeminibus* ſint locupletata; præſertim cùm Terra iſtiuſmodi naturæ ſit ut, licèt primùm omnia *Plantarum* genera aliquandiu pareret, (quemadmodum eam nonnulli volunt omnia Animalium genera peperiſſe) tandem tamen languida futura eſſet & effæta, adeò ut ſine adminiculo exiguorum iſtorum ac compendiariorum Principiorum Generationis, *ſeminum granula* intelligo, nullos iſtiuſmodi editura eſſet partus, non certè magìs quàm Antlia jam arida, aquam ullam redditura eſt, niſi priùs aquæ pauxillum ipſi infuderis, & tunc pro uno pollubro multa aquæ dolia indè haurire poteris.

2. Nec multùm refert, ſiquis heîc objecerit, Etiam *Herbas fœtidas* & noxias Plantáſque venenoſas ſemen habere perinde atque maximè amœnas, maximéque utiles. Nam & iſtæ ipſæ *noxiæ* quas vocant, fœtidæque *Herbæ* ſuam etiam habent utilitatem. Etenim primò, Humana induſtria in eis, ubi damno ſint, eruncandis exercetur. Quæ Ratio ſi leviuſcula videtur, conſideremus tantummodo, ſi humana Induſtria nihil haberet cum quo confligat & colluctetur, quòd ille Spiritûs humani Igniculus ferè extinctus foret in carne, & tunc agnoſcemus cauſam à me indicatam nec invalidam eſſe nec vilipendendam.

Deinde, Quis certò novit, quin ità ſe res habere poſſit in venenoſis hiſce Plantis, quemadmodum vulgò fingitur de Bufonibus aliiſque venenoſis Serpentibus, quòd venenum è terra elingunt? Similiter Plantæ venenoſæ meritò exiſtimari poſſunt omnem malignum ſuccum ac nutrimentum ſibi ipſis attrahere ut reliquæ eo puriores fiant magíſque defæcatæ: ut Receptacula ſunt in humano corpore, & Emunctoria, ad ſuperfluam Choleram derivandam, Melancholiam, & ſimilia.

Poſtremò, notiſſimum eſt omnibus qui Naturæ reíque Medicæ non ſint prorſus ignari, quòd iſtæ Herbæ quas rudis & imperitus vulgus Herbas erraticas noxiáſve appellare ſolent, elementa ſunt efficaciſſimarum *Medicinarum*. Quòd *Aconitum Hyemale*, quod aliàs venenum præſentaneum eſt, dicitur multùm valere contra Viperarum morſus & Scorpionum, cui aſſentitur etiam *Crollius*. Quódque illa Planta, quæ mortem in ipſo nomine gerit, *Solanum* nempe *lethiferum*, ſomnum conciliando mortem prævertit, ſi ritè adhibeatur in Febri. Nec certè eæ res inutiles habendæ ſunt quarum uſus nondum nobis enotuerit. Omnia enim haud noſcenda ſunt ſimul, ut ſuccedentia ſecula ſemper aliquid habere poſſint cujus inventione ſibi gratificentur.

3. Venimus jam ad Plantarum *Signaturas*, quæ non minus videntur Argumentum quòd ſuprema operum Naturæ Origo, *Intelligens* aliquod ſit *Principium*, quàm fuerit iſta tum provida *ſeminum* ipſarum proſpectio. Immò verò hoc magìs propriè & adæquatè nos reſpicit, quàm illud alterum; & certa quædam Clavis eſt ad intromittendum hominem ad primam Theſaurorum Naturæ notitiam atque uſum. Quæro igitur, annon admodum facilis ſit & genuinus ratiocinandi modus, ex obſervatione quòd variæ Herbæ ſigno aliquo aut charactere notantur, qui virtutem ipſarum indicet ad quid valeant, quódque talis Creatura in Orbe eſt, qualis eſt Homo qui hæc ſigna & characteres legere poteſt & intelligere, hinc continuò concludere, Authorem tum *Hominis* tum dictarum *Plantarum ſignatarum*, naturam utrorumque præcognoviſſe. Neque enim abſimile eſt Inſcriptionibus Pyxidum Pharmacopolarum, quas Officinæ magiſter inſcribit ut à Tyrone ſervulo legantur. Immò verò hîc meliùs ſe res habet; quippe non mera Nomina, ſed ipſa Natura uſúſque in has ſignatas Herbas inſcribuntur. Neque ulla eſt neceſſitas ut omnia ad hunc modum ſignentur,

quamvis quædam ſic ſint. Nam ipſa rei raritas eſt, quæ cedit in oblectamentum: alioqui ſatietatem pareret & faſtidium, eandem quaſi ſemper ſic ferire chordam. Ac præterea, Divinæ Providentiæ conſilium erat prima tantùm initia ac rudimenta utilis Theſaurorum ſuorum Notitiæ humano generi ſubindicare, reliquum induſtriæ noſtræ exercendæ permittens, ut otio ac deſidiâ ætatem nequaquam conteramus, Mundi enim hujus Theatrum humani Ingenii exercitium eſt, non ignava *Polyanthea* librive *locorum communium*. Ac proinde omnia ad aliquem certè modum obſcura ſunt & intricata, ut ſedulitas Divinæ illius Scintillæ, Animæ utique humanæ, habeat quod vincat & de quo triumphet, poſtquam præclarè ſe geſſerit, ſuo adjuvante cœptiſque aſpirante Deo.

4. Cæterùm quòd aliquæ ſunt Plantæ, quæ admodum evidentem Naturæ uſûſque ſui ſignaturam præ ſe gerunt, hiſce ſubſequentibus exemplis ſatìs plenè indicabo.

Capillus Veneris, Trichomanes ſive *Polytrichon*; Lixivium in quo coquitur, vel infunditur, capiti lavando utile eſt, & capillis augendis reſtituendíſve eis in locis unde defluxerint.

Et Decoctum *Cydoniorum*, qui fructus ſunt lanuginoſi ac piloſi, valere cenſetur plurimùm ad capillos recuperandos ob luem veneream deciduos.

Folium *Meliſſophylli* & *Alleluja* ſive *Trifolii Acetoſi*, ut & Radices *Anthoræ* Cor figurâ repræſentant, ſuntque ſimiliter Cardiaca.

Juglandes integram habent Capitis *ſignaturam*, Cortex exterior herbaceus *Pericranio* reſpondet, & Sal quidem ex eo confectus virtutem eximiam habet ad vulnera ea in parte ſananda. Ut & nucleus *cerebro* quod refert, conducere dicitur.

Umbilicus Veneris ad libidinem excitandam valet, ut *Dioſcorides* affirmat; quemadmodum & varia genera *Satyriorum*, quæ manifeſtam partium genitalium Imaginem præ ſe gerunt. ‖ *Aron* verò præ cæteris, omnéſque *Orchides* quæ ab aliquibus Beſtiis nomen ſortitæ ſint, ut *Cynoſorchis, Tragorchis* & ſimilia. Quorum ultimus ob odorem etiam Hircinum notabilis, ſpirilliſque caprillam barbam mentiens, ut Hircus omnium Animalium luxurioſiſſimus eſt, ità ad inflammandum ad Venerem omnium bulborum eſt valentiſſimus.

‖ *Sunt qui putant verum Paracelſi Satyrion eſſe Aron. Croll. de Signaturis rerum internis.*

Folium *Hyperici* confertim parvulis diſpungitur perforatúrve foraminulis, unde & *Perforata* iſta Herba dicitur, & ſingularis Vulneraria eſt, & ad deobſtruendos corporis poros apprimè utilis.

Scorpioides ſive *Echium*, caudam incurvatam Scorpionis refert, & *Ophiogloſſon* manifeſtam perfectámque ſimilitudinem linguæ ſerpentis gerit, ut & *Ophioſcorodon* integri capitis ſuperiorúmque partium corporis; atque hæc omnia utilia habentur ad expellendum venenum, & ad Serpentum morſus valere. Et univerſim omnes iſtiuſmodi Plantæ quæ maculis, cutis viperarum inſtar, aliorúmque venenoſorum Animalium interſperguntur, contra ipſorum ictus morſúſve valere obſervantur, & efficacia eſſe adverſùs venenum Remedia.

Ità quidem *Divina Providentia* per naturalia hæc *Hieroglyphica* breves Lectiones Medicas rudi Hominis Ingenio prælegit, ut poſtquam paululum initiatus eſſet, eóque illigatus, proprio reliquum ſtudio & induſtriâ inveſtigare poſſet atque eruere: quippe quum valdè conſentaneum eſſet, alias etiam Herbas, quæ nullas tales haberent ſignaturas, uſibus Medicis optimè inſervire poſſe, perinde atque eas quæ habent.

5. Siquis verò hîc objecturus ſit, quaſdam Herbas talium rerum ſimilitudinem gerere, quas minimè veriſimile ſit ad rem Medicam referri poſſe, cujuſmodi ſunt *Geranium, Cruciata, Burſa Paſtoris, Orchis, Myodes, Orchis Arachnitis* & ſimilia; equidem ipſa Objectio propoſita Reſponſionem in ſe involutam Objectori ſubindicat. Hoc enim indicio eſt quòd in ludicra tantùm Naturæ ornamenta deſtinatæ eſſent, emblematum inſtar circa literam majuſculam deſcriptorum, quæ nihil ſignificant, ſed ad oblectandos oculos tantùm adjiciuntur. Hoc autem tantum abeſt ut in ullum incommodum cederet primis noſtris Progenitoribus, ſicubi hæc ſignaturarum ſubindicatio eos fefellerit, ut majorem in modum eos animaturum eſſet ad earum etiam Herbarum virtutem explorandam, quæ nullas prorſus iſtiuſmodi haberent Signaturas; cùm eis obvium eſſet ità ſecum ratiocinari, Cur non iſtæ Herbæ, quæ *Signaturis* carent, vim Medicinalem in ſe continere poſſint, perinde atque illæ, quæ *Signaturas* habent, nullam habent virtutem ſignaturis quas gerunt, reſpondentem? Quæ prioris Concluſionis ipſis ulterior erat confirmatio; & major adhuc ipſorum induſtriæ provocatio, ſi in ſignaturas contrarii Effectûs aliquando inciderent.

Et ſatìs profectò erat, quòd iſtæ, quæ tam præſenti uſui eíque tanti momenti inſervirent ut Antidota ſint adverſùs venenum (quod tam velociter exterminaturum fuiſſet rudem nudámque Antiquitatem) aut adminicula ſint ad augenda prima iſta humani generis primordia excitando inſtigandóque phlegmaticas ipſorum naturas ad frequentiorem efficaciorémque Veneris uſum ; (eorum enim longævitas temperiem indicat minimè fuiſſe igneam) ſatìs, inquam, erat, quòd hoc genus Herbæ & tam obviæ eſſent & tam legibilibus characteribus ſignatæ, qui utilitates ac virtutes ipſarum tam manifeſtò indigitarent ; ut in *Satyriis* apparet, *Ophiogloſſo* & ſimilibus. Sed nimis quàm diu huic argumento immoratus ſum. Ad quæ ſequuntur jam feſtinabo, quæ majorem magíſque ineluctabilem vim habitura ſunt ad pervicaces convincendos.

CAP. VII.

1. Utilitatem *Plantarum Providentiæ indicium eſſe, earum præſertim quæ* Materiam *ſuppeditant:* 2. *Quemadmodum & iſtiuſmodi Herbarum Plantarúmque quæ in* Medicinam *Hominibus atque Beſtiis inſerviant.* 3. *De* Plantis *ad* cibum *idoneis.* 4. *De* colore Graminis *& Herbarum, & de* fructibus Arborum. 5. *De notabili Naturæ proſpectione in* Re ruſtica *&* Agricultura ; *Cum univerſali utilitate* Cannabis *atque* Lini. 6. *Miranda utilitas* Nucis Indicæ.

1. PErvenimus tandem ad quartam ultimámque conſiderationem circa Plantas; earum intelligo *Utilitatem*. Nihil heîc dicturi ſumus de majoribus illis Arboribus, quæ neceſſariam *Materiam* ſuppeditant ad Naves Domóſque magnificas ædificandas, quibus Terra adornetur, vitáque Humana magìs ſplendida & delectabilis evadat, quemadmodum & ad erigendas ſacras illas Structuras *Divino cultui* conſecratas. Inter quas minimè obliviſci debemus celeberrimum illud Ædificium, ſplendidiſſimum illud Templum *Hieroſolomitanum*, magno Cœli Terræque Deo conſecratum. Atque equidem omnino par erat ut is cujus ductus ac Providentia virtutem Telluris, in ſabulo exiguíſque lapillulis gignendis vice Lapidicinarum, & in rubis ac fruticibus emittendis Pinorum loco Cedrorúmque ac Quercuum, totam inſumi non permiſit; ut Is, inquam, habiturus eſſet aliquando maximè ſplendida ac magnifica Templa ſibi erecta, quæ Humanum Ingenium atque Induſtria optimæque ex iſtoc genere Materiarum poſſint conſtituere, quippe qui congruentiſſimus foret gratitudinem ſuam ſignificandi modus qui poſſit excogitari. Eſtque ipſiſſima illa ratio quæ pium Regem *Davidem* movit ad deſignandam Templi ædificationem *Deo Iſraelis: Vidéſne*, inquit ille, *quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium*? Cæterùm, quod dixi, nihil heîc hiſce de rebus ſuperaddam, eis contentus quæ ſuprà curſim attigimus.

2. Nunc igitur Plantarum *utilitatem* quantùm ad *Medicinam* ac *Cibum*, poſtquam breviter notaverimus, ad conſiderationem *Animalium* pertranſibimus. Ad *Medicinales* verò uſus quod attinet, ampla illa Scripta *Botanica* ſive *Phytologica*, quæ paſſim extant, tam luculentum huic rei teſtimonium perhibent, ut ſatis ſit eorum mentionem hîc injeciſſe, Lectoríque revocâſſe in memoriam. Quod hîc notatu maximè dignum, hoc eſt, Bruta nempe Animantia earum virtutibus aliqua ex parte adjuvari perinde atque Homines. *Bufo* enim *Araneæ* veneno malè affectus, in pugna, ut vulgò creditur, ad *Plantaginis* folium recurrit. *Muſtela* cùm ipſi dimicandum eſt cum Serpente, *Rutâ* ſe præmunit. *Canis*, quoties conturbatur ventriculus, Medicinam novit, ad *gramen* ſuum properat, comedit, evomit, & continuò convaleſcit. *Hirundo Chelidonio*, *Carduelis Euphragiâ* ad oculos reficiendos utitur: Atque *Aſinus* quando Melancholiâ gravatur, herbam *Aſplenium* comedit, atque ità ſeipſum tumefacti Splenis dolore levat. Narrátque *Virgilius* de *Dictamno Cretenſi*, *Capras* ſylveſtres, quando jaculis ſagittíſve ictæ ſunt, ipſum comedere ; quippe quòd Herba iſta virtutem habet ſagittas è corpore exigendi paulatim, ſanandíque vulnus.

-----Non illa feris incognita Capris
Gramina, cùm tergo volucres hæſere ſagittæ.

Quas quidem res haud obſcura *Providentiæ* indicia judico: Nam cùm id faciunt bruta iſta Animantia Naturæ ductu atque inſtinctu quod Homines qui liberâ Ratione præditi ſunt, non poſſunt quin agnoſcant valdè congruum eſſe & conſentaneum, immò, mò, quod Medicorum peritiſſimi approbaturi eſſent eidémque aſſenſuri, cùm tamen hæc Animantia rationem hujuſmodi nullam habeant aut peritiam, quâ ipſa Medici evadant; neceſſariò concludendum eſt, quòd ad hæc agenda apta nata ſunt beneficio illius Principii, quod ipſa formavit, eámque ipſis indolem indidit quam habent, atque proinde illud ipſum *Principium* neceſſariò habere debere peritiam atque ſcientiam, hoc eſt, oportere eſſe *Deum*.

3. Pervenimus jam ad *Plantarum* conſiderationem quatenus *cibum* tum *Hominibus* tum *Beſtiis* ſuppeditant. Atque hîc obſervare poſſumus, quòd quemadmodum generalis Aquæ proviſio facta eſt delinendo Montes atque colles, unde per ſcaturigines continuatóſque Rivulos ſimul collectos, (qui in ingentes tandem Fluvios per longos flexuoſóſque ramos retrò-extenſos, coeunt) omnes Terræ Animantes ſitim extinguunt; ità Divina Providentia Menſam ſuam ubique inſtravit, non quidem Tapeto viridi exſucco, ſed ſucculentis oluſculis nutritióque Gramine, quo pleraque Campi pecora paſcuntur; & quæ eo non paſcuntur, eis veſcuntur quæ paſcuntur illo, atque ſic omnium Generationes perpetuantur.

4. Hoc verò cùm neceſſarium potiùs videatur quàm ex delectu, ipſi diutiùs non immorabor. Fateor enim *Conſilium* maximè propriè illîc implicari ubi mediorum varietatem cernimus rémque aliis atque aliis modis effici poſſe; id verò quod optimum eſt præ cæteris eligi. Hoc igitur tantùm monebo, Quòd tametſi neceſſarium erat, ut gramen aliquódve gramini conſimile aut analogon procrearetur, ſi quidem talia Animalia in orbem eſſent emittenda; nihilominus tamen neceſſarium omninò non erat, ut Gramen Herbæque eum colorem habituræ eſſent quem nunc habent, potuerunt enim eſſe aut rubra aut alba candidáve, aut conſimili aliquo colore vegeto & rutilante, qui viſui futurus fuiſſet noxius admodum ac moleſtus. Sed nolo hiſce inſiſtere.

Conſideremus jam *Fructus Arborum*; ubi manifeſtò appariturum credo, quòd unus idémque Creator atque opifex ipſorum pariter atque Hominum fuerit, quódque probè proculdubio noverit, quando eos fecit, quid machinaturus eſſet. Etenim potuerúntne *Poma* & *Aurantia*, & *Uvæ*, & *Mala Armeniaca*, aliíque id genus fructus Beſtiis deſtinari, quæ pronæ terram ſpectant, víxque ea ſuſpicere poſſunt, multóque minùs ſciunt quî poſſint ea decerpere? Quando Cibaria Canibus afferimus, Patinam quadrámve humi ponimus, non autem ſuper Menſam. Verùm reſpondebis fructus hoſce tandem ſponte in terram caſuros eſſe, & opiparum tunc Epulum Beſtiis ſuppeditaturos. At verò meminiſſe oportet, paucas eſſe quæ iſta capiant, atque ſic futurum eſſe ut aut dum humi jacent, antè putrefiant quàm abſumantur, aut uno quaſi temporis momento omnia ſimul abliguriantur, quemadmodum facilè accidere poteſt in Plantarum omnium pretioſiſſima, *Vite*. Cæterùm Homo, qui Uvam rectè æſtimare novit, eam novit pariter in tempus longinquum conſervare (nam & editur & bibitur annis aliquot poſt vindemiam) ut & reliquos Terræ fructus colligere ac recondere & in ſuum & in pecorum ſuorum uſum. Quamobrem omnino manifeſtum eſt, quòd *Homo* in hunc Mundum venerit nec *Caſu* factum eſſe nec *Neceſſitate*, ſed ex *Conſilio*, ut quando idonei *Convivæ* introducuntur ad Menſam opimis dapibus inſtructam.

5. Et quod tanquam eximium quiddam de *Vite* monui, pari vel potiori jure obſervari debet in communibus Frumentorum generibus, ut in *Tritico*, in *Hordeo*, & ſimilibus, quæ etiam ſimiliter atque Vinum, in Eſculenta aut Poculenta abeunt prout Humana Ars inſtituerit atque Induſtria. Cæterùm nec iſtud eſt quod hîc præcipuè obſervari volo. Id quò potiſſimùm nunc collineo, hoc eſt; Quòd *Frumentum*, quod Agriculturæ beneficio tam amplos proventus reddit, vix ſine ipſa omnino ſubſiſteret. Nam quod ſponte naſcitur inter alia gramina, nihil valet. Sed enim, cùm tam ſalubris Cibus ſit atque corroborans, & tam uberem proventum reddat, ſed non ſine humana Arte & Induſtria, planè hoc nobis innuit; *Divinam* eſſe *Providentiam* quæ humanum decreverit Ingenium Agriculturâ exercere. Qua de re firmiorem adhuc fidem nobis facturum eſt, ſi huc addamus providam Inſtrumentorum proſpectionem tam accuratè huic vitæ Inſtituto adaptatorum, laborioſum ſcilicet *Bovem*, ſtrenuum ſed non difficulter domabilem *Equum*, *Ferrum* pro Ligone *Funéſque* pro Helcio, quibus Equi vehicula trahant. Atque admodum profectò opportunum eſt poſtremum hoc notare, cùm ad hanc conſiderationem de *Utilitate* Plantarum pertineat.

Atque equidem hominem quemlibet appello, modò pauliſper ſecum perpendere voluerit quanti in rebus humanis momenti ſit *res Funaria*, annon conſpicuum eſſet Providentiæ opus tales è Terra Plantas emittere quæ *funibus* materiam ſuppeditarent.

Neque enim ullam in Natura neceſſitatem detegere poſſumus, ut planè nequeat quin tales Plantas procreet, quales *Linum* ſunt atque *Cannabis*. Quamobrem ſi facilem volumus liberæ Rationis ductum ſequi ac ſuggeſtionem, ad *Providentiam* referre debemus, quæ tale humano Generi adminiculum proſpexit, à quo res haud minores dependeant, quàm omnia *Navigiorum* Armamenta, *Vela* ac *Rudentes*, & quid non? Et ex conſequenti tota Mercatura extranea, ut & Lignorum Lapidúmque tranſportatio aliorúmque Materiarum neceſſariarum ad ædificia, aut vectitatio per terram in plauſtris ac vehiculis: ut taceam vulgarem uſum *Trochlearum* aliarúmque Machinarum, ad tanta pondera elevanda, quæ vires humanæ ſine his auxiliis non facilè ſuperaturæ eſſent. Atque ea denique quæ ſuprà monui de rei *Funariæ utilitate* in *Agricultura*, in arando domúmque convehendo fruges Terræ. Equidem uſus prædictarum *Plantarum* tam univerſalis eſt, adeóque in omnibus rebus humanis locum habet, ut ſi jocis liceret paululum, in argumento tam ſerio, indulgere, non ineptè hîc uſurpari poſſet ille verſus Poetæ, de hoc tam generali vitæ humanæ Inſtrumento,

Omnia ſunt homini tenui pendentia filo;

Quòd omnia ferè humana Negotia magna ex parte dependent è longis iſtis exiguíſque Filamentis *Cannabis* atque *Lini*. Vel ſi contenderis aliquam, quanquam magìs difficilem ac ineptam, rationem ad eoſdem uſus excogitari poſſe, ut in longis Catenis ferreis, in Velis laneis & ſimilibus; tamen cùm infinito meliùs nobis proſpectum eſſe videamus, equidem meritò judicare debemus, hoc à nulla alia cauſa profectum eſſe quàm *Divina Providentia*.

6. Poſſim ad *Plantas exoticas* jam expatiari. Cujuſmodi ſunt *Cinamomum* & *Balſamum* arbores, Arbórque quæ *Nucem* gerit *Myriſticam* *Macere* involutam, & celeberrima *Nux Indica* quæ una omnia ferè vitæ neceſſaria ſimul ſuppeditat. Nam ſi ramuſculos veſperi ſcindas, copioſus jucundúſque ſuccus exit, quem utribus excipiunt, & loco vini ipſum bibunt, & ex quo talem *Aquam Vitæ* extrahunt, quæ ad omnimodos morbos maximè valeat. Ex Ramis atque frondibus ædificia ſibi condunt; Truncúmque arboris, cùm intus admodum ſpongioſa ſit, quanquam extrinſecùs ſatìs dura, facilè formant in fabricam uſúmque navigiorum ſuorum quæ *Canoes* appellant. Nucleus nucis ipſis in Panem inſervit atque opſonium, Corticéſque in calices ad bibendum; quinimò nec vacui profectò calices ſunt, nam lac in eis reperitur refrigerans ac delectabile. Præterea *Cannabis* quoddam genus eſt quod Nucem involutam includit ex quo funiculos ac Rudentes conficiunt, & ſubtiliſſima pars ipſius velis inſervit ad Navigia. Folia etiam tam dura ſunt firmitérque aculeata, ut acus ex eis atque ſubulas facilè fabricent ad vela conſuenda & ad alios uſus neceſſarios. Atque equidem ut Providentia ſe *benignam* perinde præbere poſſit atque *ſapientem*, hæc tam notabilis Planta ad unam orbis Regionem non reſtringitur, ut ad *Indiam* putà *Orientalem*, ſed reperitur etiam in aliquibus partibus *Africæ*, & in omnibus *Inſulis Indiæ Orientalis*, ut in *Hiſpaniola*, *Cuba*, utì etiam in Continente *Carthagenæ*, in *Panama*, *Norembega*, & in multis aliis partibus Orbis recens cogniti.

Cæterùm hiſce rebus inſiſtere par eſſe non cenſui, ſed meipſum intra talium Objectorum ambitum continere quæ magìs familiaria ſint frequentiúſque nobis ante oculos verſentur, ut occaſionem indè opportuniùs arriperemus Illi gratias agendi, qui Author eſt beneficus omnium adminiculorum vitæ.

CAP. VIII.

1. Animalium utilitas *Homini deſtinata, ut* Canum *ſpeciatim atque* Ovium; 2. *Quemadmodum &* Boum *aliorúmque Animalium.* 3. *Ut* Homo Animantes *reliquas ſibi ſubjugaverit.* 4. *De Animantibus nondum ſubdomitis.* 5. Equi *utilitas præſtabilis.* 6. Utilitas *quorundam Animalium quæ* inſitas *habent* Inimicitias *cum iſtiuſmodi Animalibus quæ exoſa noxiáque ſint Homini.*

1. Venimus jam ad conſiderationem contemplationémque naturæ *Animalium*: In quibus quidem contemplandis eâdem ferè Methodo uſuri ſumus, quam adhibuimus in *Plantis*. Nam in his etiam conſiderabimus *Pulchritudinem* ipſorum, *Generationem*, *Corporis fabricam*, & *Utilitatem* quam Homini afferant. Et ut poſtre-

mum hoc primò expediamus: Admodum profectò facile eſt conceptu atque obvium, quòd, quemadmodum omnia ferè aliquo modo ad humanos uſus formata ſunt, ità quædam præ cæteris ità inſigniter & evidenter, ut niſi vim facultatibus inferre velimus, neutiquam poſſimus inficiari. In eis rebus exemplum proferemus quæ maximè obviæ ſunt. Quando in Agrorum ſolitudine *Paſtorem* conſpicimus & *Gregem* illius, atque *Canem*, obſervamúſque quàm bellè aſſocientur mutuóque coaptentur: Quando oſtium pulſamus Colono, primúſque qui reſponſum reddiderit; ſit pervigil *Moloſſus*, qui ob uſum & officium ſuum frequentiſſimè appellatur Phylax ſive Cuſtos; (& memini quidem *Theophraſtum* in Charactere περὶ ἀγροικίας, narrare, ut Dominus ejus, poſtquam advenam intromiſerit, ἐπιλαβόμενος τοῦ ῥύγχους, *Canem roſtro tenens* longas ſoleat nectere fabulas de utilitate ejus atque opera quam præſtat Domui ac Domeſticis omnibus, οὗτος φυλάσσει τὸ χωρίον καὶ τὴν οἰκίαν καὶ τοὺς ἔνδον, Hic eſt ille qui cuſtodit agellum, & Domum & qui intùs ſunt) poſtremò, quando in aperto campo duos veloces intuemur *Leporarios*, leporem ſtrenuum ſpiritúmque liberè trahentem perſequentes, odorámve Canum venaticorum bellè contemperatis latratibus concinentium in agros effuſorum vim, & Venatores equis inſidentes atque cum voluptate & alacritate prædam inſequentes, audimúſve prope ſylvam cornua inflantes, adeò ut tota ſylva à Muſici concentûs Echo reboet, hilaríſque gannitûs acrium Canum; ut taceam de *Anatis* venatura, *Vulpis* atque *Lutræ*, & de centenis aliis iſtiuſmodi ludis & oblectamentis, quæ peraguntur uno hoc genere Animalis; Dum conſideramus, inquam, hanc tam multifariam congruitatem rerúmque aptitudinem ratione ad nos ipſos habitâ, quomodo nos abſtinere poſſumus quin concludamus, illud quod *Canes*, & *Anates*, & *Lepores*, & *Oves* fecit, noſtri causâ feciſſe, probéque cognoviſſe quid acturus eſſet, quando eos fecit?

Et certè, licèt poſſibile ſit ut res aliter ſe habeat, eſt tamen vadè improbabile quin *Caro ovina* hominibus deſtinata ſit in cibum, *Canéſque* qui Animantes ſunt Homini adeò familiares atque domeſticæ, inter alia bella officiola quæ ipſi præſtant ſint præſtituti ad vices etiam explendas famuli Menſarii, qui oſſa auferat & fragmenta, ut in nulla re fiat diſpendium. Atque equidem niſi expectare volumus, ut Natura efficeret ut femoralia & colobia ex terra creſcerent, quid melius præſtare potuit quàm quod jam fecit proſpiciendo nobis tam idoneam materiam ad *pannos* conficiendos quàm ſit *lana ovina*, quippe quum homini Ingenium inſit atque Ars ad eâdem utendum? Ut de *Bombyce* taceam, quæ in nullum alium finem nata videtur, quàm ut Hominem veſtitu ſumptuoſiori locupletare poſſet, propriáque viſcera nendo conſumere, ut ipſum extrinſecùs decoraret.

2. Rurſùs, Quando ampla Boum corpora contemplamur, cui rei ea aptiùs aſſimilare poſſumus quàm tot doliis ſalitoriis, vivis atque ambulantibus, quippe qui Animam habent pro Sale, (quemadmodum *Philo* de piſcibus loquitur) quo à fætore & putredine conſerventur, donec eis uſus nobis fuerit in cibum? Præterea, Tergora eorum, corium ſuppeditant in Calceos & Ocreas, ut pelles etiam aliarum Beſtiarum aliis uſibus inſerviunt. Et videtur profectò Homo in Orbem introductus, eo conſilio, ut reliquæ Creationis utilitates atque commoda ad ſummum perduci poſſint, omnibúſque ex partibus innoteſcere. Etenim annon multo melius eſt ut Beſtiarum pelles atque caro tam honeſtis uſibus inſervirent quàm cibandis veſtiendíſque hominibus, quàm ut putreſcant ſuper terram, tetrum odorem exhalantes, nobilíque illo privilegio excidant, quò humano ingenio exercendo Materia fiant, neceſſariáque vitæ commoda ei ſuppeditent? Nam ſi homo has Animantes in hos uſus non adhiberet, aut ipsâ ſenectâ confectæ emorerentur, aut à crudelioribus Dominis dilaniarentur. Quamobrem clarè videmus *Rationis* opus fuiſſe atque *Conſilii*, Hominem feciſſe, ut reliquæ Creationis eſſe poſſet Dominus, qui ex æquo bonóque cæteris moderaretur.

3. Cúmque idonea Materia ipſi parata eſſet ad arma ſibi fabricanda, perinde atque ingenita ſolertia animíque magnitudo, vel ferociſſima Animalium ad pugnam provocabat, & aut fugavit in ſolitudines & Deſerta, aut ſuo Dominio ſubjugavit, legéſque ipſis impoſuit, ſub quibus vitam agunt magìs pacificè, meliúſque ſe habent atque lautiùs (aut ſaltem ſic ſe habere poſſent, modò Homines boni eſſent) quàm ſe habitura fuiſſent, *Leonis*, *Urſi* & *Tigridis* clementiæ relicta. Et quid ſi quædam ex ipſis ex occaſione, & ordinatè ſibi in cibum occidat? Mors ipſis velociſſima eſt, atque ità minùs dolorifica quàm unguis *Urſi* aut dens *Leonis*, aut faſtidioſa *Melancholia* ac Triſtitia *Senectutis*, quæ ea primùm excruciatura eſſet, & tum demum occiſura, cadaveráque relictura ſuper Terram fœtida & inutilia.

Præterea, Omne Acumen & Philoſophia quæ uſquam Gentium exiſtit, nunquam demonſtrare poteſt, occiſionem mactationémve Beſtiæ multò aliter ſe habere, quàm ſi Rubum bacillo ferires ubi Nidus Avis conditus ſit, * ex quo *Avem* fugas, *vacuúmque* poſtmodùm *Nidum* invadis. Adeò ut, ſi ad ultimam rerum Cataſtrophen penetrare poſſemus, res tota fortean apparitura omninò eſſet *Tragico-Comœdia*.

4. Quantùm verò ad perduelles iſtos qui in montes ac Deſerta fugâ ſe recepiſſent, equidem perjucundum nobis ſunt Naturalis Hiſtoriæ argumentum. Præterea, ipſos ad uſus noſtros quantum quidem opus fuerit, noſtrúmque inſtitutum requiſiverit, ſubinde attrahimus, nec ornamento ſolùm orbi ſunt, ſed perpetuum humanæ ſolertiæ atque fortitudinis exercitium, quoties libuerit cum eis congredi. Expectare verò aut diſcupere ut nullum Animantium genus in rerum Natura exiſteret, niſi quod tam cicur eſſet atque torpidum, ut nec ungue nec ore quenquam impeteret, æquè abſonum eſſet atque puerile, quàm exoptare, ut nulla Cholera eſſet in Humano corpore, Ignísve in rerum Univerſitate.

5. Belli totius hujus eventui narrando inſiſtere non poſſum, nec prætermittere quidem, ut generoſum illud Animal, *Equus*, tandem eò uſque ſibi ſaperet, ut captivum ſe dederet in ſuum magnum commodum perinde atque noſtrum. Atque equidem ad uſus noſtros ità aptus natus eſt, ut eum jure merito nobis præ cæteris animantibus, in peculium noſtrum vendicare poſſemus. Quando patientiam illius atque operam obſervamus in Aratro, in Plauſtro, aut ſub Clitella, velocitatem per vias publicas in rebus majoris momenti, docilitatem ejus, gloriæque ac laudis cupidinem, & ex conſequenti præclara in bello facinora, ubi haſtas dentibus diffringit & ſeſſoris ſui hoſtem evellit ex ephippio, & tum poſtea ut hæc omnia præſtare poſſit majori cum facilitate, quòd ungulæ ejus ità idoneæ ſint quibus Ars Ferrarii opitulari poſſit, rotundámque illam ferri armaturam eis affigere; admodum profectò difficile eſt non agnoſcere, quòd hæc tam congrua rerum proſpectio reverà fuerit à Principio *Sapientiæ* & *Conſilii*.

6. Eſt verò & alia Animalium conſideratio eorúmque *Utilitatis*, in eis malis amoliendis quibus propter aliorum noxiorum Animalium copiam, infeſtemur; cujuſmodi ſunt *Mures* & *Sorices* & ſimilia. Atque huic quidem uſui commodè inſervit *Felis*. Eſtque in *India Occidentali* Beſtia formâ urſinâ, quem *Urſum Formicarium Cardanus* appellat, cujus planè officium eſt Formicas devorare, quibus quædam partes iſtius Regionis Orbis mirum in modum abundant.

Addere hîc etiam poſſumus varia exempla Animantium quæ non ſolùm ſingularem benevolentiam habent erga genus humanum, ſed & inſitas gerunt inimicitias & internecinas cum eis Animalibus quæ Homini noxia ſunt ac crudelia. Taliſque eſt *Lacerta* Serpenti inimica, *Delphinus* Crocodilo, *Equus* Urſo, & *Elephas* Draconi, &c. Sed hiſce rebus immorari minimè lubet. Ad reliqua feſtinamus.

SCHOLIA

In CAP. VIII. SECT. 3.

EX quo Avem fugas, vacuúmque poſtmodùm Nidum invadis, &c. *Quæ quidem ſic intelligi volo, ut Homines ferociores nequaquam animent ad liberiorem Animalium brutorum occiſionem, ſed ut magis ingenuos ac benignos animos conſolentur, dolorémque ex iſtiuſmodi nimis frequentibus ſpectaculis conceptum leniant, Divinæque Providentiæ Sacroſanctitatem à temerariorum hominum iniquis ſuſpicionibus & contumeliis ſartam tectam conſervent.*

CAP. IX.

1. Pulchritudo *variorum* brutorum *Animalium.* 2. *Magnifica* Equi *& decora ſuperbia.* 3. *Animalium* Pulchritudinem, *ea ab* Intelligenti Principio *creata fuiſſe, indicare.* 4. *A* diſcrimine Sexuum *Providentiam demonſtrari.* 5. *Diſcrimen hoc caſu non factum eſſe.* 6. *Reſponſum Objectioni de* Anguillis. 7. *Reſponſum alteri Objectioni, ab eadem provida* diſcriminis Sexuum *proſpectione in vilioribus Animalculis deſumptæ.* 8. *De* Piſcium *atque* Avium *partu* Oviparo. 9. *De* Nidificatione Avium, *earúmque* Ovis incubatione. 10. *Objectioni Reſponſum de* Struthiocamelo. 11. Homogeneitatem cryſtallini *illius* liquoris *quæ proxima Materia eſt generationis Animalium, ſubſtantiam implicare* Immaterialem *ſive incorpoream in Animalibus ſic generatis.* 12. *Reſponſum ad eluſionem antecedentis Argumenti.*

1. REdeo jam ad illud quod primo in loco propoſui, *Pulchritudinem* ſcilicet *Animantium.* Quam tametſi craſſus *Athei* Genius non dignaturus ſit reſpicere; quippe qui nihil ſapit præter illa quæ *Tyrannidi* aut *libidini* ſuæ inſerviant; ego tamen certiſſimum eſſe exiſtimo, quòd venuſta ſit *Symmetria* ac *Pulchritudo* in multis *Animantibus*, tolerabilis ac utilis partium proportio in univerſis. Neque enim omnes viri atque mulieres accuratâ præditi ſunt pulchritudine, quinimò admodum pauci, ut illi qui ſic ſunt, majorem in hominum animis admirationem excitare poſſint, ingeniíque robur acuere ad præclara Incepta ſuſcipienda ſive ad *Martem* ſive ad *Muſas* ſpectantia. Quantûm verò ad bruta Animalia, quanquam quædam inviſo quidem ſint aſpectu, ut *Bufo*, *Sus* & *Sorex*, non abſimiliter tamen ſe habent atque Diſcordantiæ in Muſica, quæ ſuccedentibus chordis majorem dulcedinem conciliant; quemadmodum profectò pleraque humanæ vitæ incommoda quæ occurrunt, videntur quaſi condimenta quædam quæ appetitum acuant vímque addant futuris voluptatibus.

2. Sed enim, minimè difficile eſt quamplurimas Animantes invenire, quæ ſint aut καλὰ χρήματα aut ἀρεῖα, quemadmodum Philoſophus diſtinguit, quæ formâ ſint *ſpectabili* atque *pulchrâ*, aut ſaltem *bellâ* & *eleganti.* Quales pleræque *Aves* ſunt. Quod verò ad *Superbiam* ac *Majeſtatem* pertinet, ecquid cum *Equo* occurrit conferendum? ſive eum ſolum intuearis, cum juba caudáque in vento fluctuantibus, obſervéſque curſitantem & hinnientem in paſcuis, ſive eum conſpicias cum fortiſſimo aliquo *Heroe* dorſo inſidente, & cum gratia & venuſtate geſtus utiles poſitúráſque repetente, & exercente aut imitante munia geſtáque belli; quis ſe abſtinere poteſt quin ſtatim concludat *Divinam* quandam *Providentiam* fuiſſe quæ hos duos convenire fecerit, qui tam commodè alter alteri adaptati ſunt, ut videantur unum completum Naturæ ſpectaculum? Quod impoſuit olim rudi populo prope *Theſſaliam*, occaſionémque dedit fabulæ *Centaurorum*, ac ſi unum Animal fuiſſent ex Equo & Homine compoſitum.

3. Id quò collineo hoc eſt, Cùm ea *formæ Spectabilitas* ſit in corporibus Animantium, ut in *Bove*, *Leporario* & *Cervo*, vel *Majeſtas* ac *Superbia*, ut in *Leone*, *Equo*, *Aquila* & *Gallo*, *magnificáve* aſpectûs *Gravitas*, ut in nobiliori genere *Moloſſorum*, aut *Elegantia* & *Bellitudo*, ut in minoribus Caniculis & in pleriſque Avium generibus (qui omnes diverſimodi ſunt *Pulchritudinis*) cúmque ipſa pulchritudo Objectum *Intellectuale* ſit, qualis eſt *ſymmetria* partiúmve proportio (quemadmodum abundè probavi ex eis quæ de Plantarum pulchritudine attuli) id quod naturaliter ex hiſce omnibus deducitur hoc eſſe, Quòd *Author* & *Origo* harum Creaturarum quæ *pulchræ* habentur ipſe debet eſſe *Intelligens*, quippe quòd tam grata Objecta proſpexerit humanæ *Menti* ſive *Intellectui.*

4. Poſt Pulchritudinem, Generationem ipſorum propagandíque modum paucis attingamus. Atque hîc quemlibet appello, ſi *Maris* ac *Fœminæ* in Animantibus *formatio*, non eſt genuinus *Sapientiæ* & *Conſilii* effectus. Eſt enim admodum obvium atque conſpicuum quòd hi alter alterius cauſâ creati ſunt ambóque perpetuandæ ſpeciei gratiâ. Quanquam enim admitteremus cum *Cardano* aliiſque *Naturæ Myſtis* Terram primùm omne genus produxiſſe *Animantium* perinde atque *Plantarum*, eáſque per umbilicum Telluri communi omnium matri ut nunc fœminæ in utero, affigi potuiſſe; videmus tamen eam nunc ſterilem evaſiſſe atque effætam, partúſque illius animales nullius ferè jam momenti pretiíve eſſe. Unde igitur niſi ex Providentia

fieri potuit, ut dum pariebat, *mares* ac *fœminas* pepererit, ut poſtquam propria ſua virtus prolifica exoleviſſet, poſſet tamen nihilominus vicem præſtare ſiccæ *nutricis*, officioſæve Aviæ millenis Generationibus? Et *Providentia*, inquam, eſt, non *Caſus*, nec *Neceſſitas*. Quid enim obſecro in partibus Materiæ fingi poteſt, quo *neceſſariò* in fabricam cujuſvis Animalis coeant? quantum igitur abeſt, ut ad perpetuandam eorum propagationem in tam providam *ſexuum* etiam *diſcriminationis* proſpectionem conſpirent?

5. Neque profectò crebrò repetita motæ materiæ conamina erant, quæ primùm in Animalium formationes inciderent, quæ perpetuò ob defectum diſcriminis ſexuum citò extinguerentur, ſed eadem poſtea *caſu* ſexus diſcriminarent, unde ipſorum genera ad hunc uſque diem conſervata ſunt. Nam quod *perpetuum* eſt, non fit *caſu*. Partúſque jam qui ex putrefactione fiunt, perpetuum eſſe demonſtrant. Terra enim etiamnum conſtanter *Marem* ac *Fœminam* parit.

Vide Plin. Natural. Hiſtor. lib. 9. cap. 68. & Ariſtot. Hiſtor. Animal. lib. 6. cap. 14. & 16. item lib. 4. cap. 11. & lib. 9. cap. 30.

6. Nec quicquam contra ſcopum noſtrum facit Reſponſum iſtud (ſi cui adeò volupe eſt à terra deſilire in aquam ad Objectiones expiſcandas) quòd *Anguilla*, ſecundùm *Plinium* & *Ariſtotelem*, quamvìs ſit ζῶον ἔναιμον, Animal perfectum ſanguinéque præditum, nullam tamen habet *Sexuum differentiam*: Etenim ſi non habet, optima tamen ratio ſubeſt, cùm iſtud Animal ex tali materia generetur, quæ generationem nunquam ſit defectura. Talis enim futurus eſt limus qui huic inſtituto inſerviat, quamdiu futuri ſint Fluvii, & diutiùs ſanè, & Fluvii nunquam defuturi ſunt donec deſinat eſſe Oceanus. Quamobrem hoc potiùs facit pro *diſcriminante Providentia*, quæ antè noverit naturam rerum atque ordinem, ipsíſque perinde proſpexerit, nihil incaſſum faciens aut ſupervacaneum.

7. In aliis verò Generationibus, de quibus aliquantulum periculi eſſe poſſit nè deficerent, quanquam interdum ex putrefactione fiunt, *mares* tamen fecit & *fœminas*; quemadmodum videre eſt in *Ranis* atque *Muribus*. Nec certè nos offendi oportet quòd tam ſolicitè proſpectum ſit iſtiuſmodi contemptibilibus Animalculis quemadmodum ea nos exiſtimamus. Hoc enim tantum fit præ ſuperbia & ignorantia, turgidáque præſumptione, quia invitamur ad credendum omnia hominis gratiâ aliquo modo creata eſſe, quòd idcirco non omninò creata ſunt ſuâ. Is verò qui ſic ſtatuit, & Naturæ Dei & rerum notitiâ planè deſtitutus eſt. Nam ſi vir bonus etiam erga jumentum ſuum benignus eſt, tunc proculdubio bonus benignúſque Deus magnopere ſe oblectat, quòd Creaturæ ſuæ, quæ vitâ ſenſúque præditæ ſunt, bene ſe habeant voluptatúmque vitæ ſint capaces. Adeò ut agminibus exiguorum Animalculorum, ut *muſcarum* & innumerabilium id genus Animantium minutarum, ortum ipſis in dias luminis oras congratulari potiùs debeamus, quàm vultuoſè faſtuoſéque contra ipſorum exiſtentiam murmurare. Alimentum enim in Orbe inveniunt, quod fruſtrà foret, ſi ipſa non exiſterent, eáque rurſus commodum aliis alimentum ſuppeditant, quibus quotidianæ ſint prædæ.

Et præterea, Cùm vita in tam infinitas multitudines *individuata* ſit, quæ diſtinctos ſenſus habent & voluptates, abundéque voluptatibus ſibi aptis propriíſque fruantur, equidem hæ minutæ Animulæ par ferè momentum faciunt ad hauriendam ſecúmque auferendam inundantem primæ rerum omnium Originis benignitatem ac munificentiam, atque *Bos*, *Elephas*, aut *Cetus*. *Senſus* enim non *Moles* eſt, qui res efficit voluptatum percipiendarum capaces.

Quamobrem valdè conſentaneum erat ut tam ſolicitè proſpectum ſit propagationi & perpetuationi omnium generum Animantium, non ſolùm earum quæ *bonæ* ſunt, ſed illarum etiam quas nos temerè & inconſideratè *malas* appellamus. Nam ad hoc ſaltem bonæ ſunt, ad lautè ſcilicet ſeipſas curandas, & ad participandam munificentiam ſui Creatoris. Quodſi noxiæ nobis ac moleſtæ evadant, equidem facultatem habemus atque jus eas coërcendi. Neque enim dubitari poteſt, quin nos iſtis digniores ſimus, pluríſque eis æſtimandi, ullíſve ex brutis Animantibus.

8. Cæterùm, ut ad rem quæ præ manibus eſt, redeamus. Sunt & alia manifeſta *Providentiæ* veſtigia quæ *Animantium Generatio* nobis detectura ſit: ut exempli causâ, Procreationis modus *Piſcium* atque *Avium*. Cùm enim notabile illud inter Animalia diſcrimen ſit, ut alia *Ovipara* ſint, alia *Vivipara*; ut τὰ νηκτὰ (quemadmodum *Philo* generali illâ voce ea complectitur) *Piſces Avéſque Ovipari* eſſent, manifeſtum indicium eſt *Conſilii* ac *Providentiæ*. Quanquam enim concedi poteſt, ſpecies ipſorum perpetuari potuiſſe & ſubſiſtere tametſi *Viviparæ* fuiſſent, *Individua* tamen ad exiguos admodum numeros fuiſſet reducturum.

Quantùm enim ad *Piſces*, cùm Gramina atque Herbæ, nulli fructus ſint maris, neceſſitas erat, ut alii aliis veſcerentur, ac proinde ut in valdè magnam copiam multiplicarentur,

tiplicarentur, quod nunquam ad eam omninò plenitudinem fieri potuiſſet ad quam nunc fit, ſi fuiſſent *Vivipari*, ſicut ſunt Quadrupedes. Jam verò cùm *Ovipari* ſint, ipſæque minutiorum Species tam numeroſæ eſſent in principio, cùmque adeò infinitas *Ovorum* multitudines emittant, Generationes ipſorum nec extinguuntur nec diminuuntur quidem, ſed æquè magna eorum copia eſt atque terreſtrium Animantium.

Et cauſa cur Volucres ſint *Oviparæ*, ováve ponant, non *vivos* pariant *fœtus*, eadem eſt, ut major utique etiam ipſarum copia eſſe poſſit, & ut nec *Aves* rapaces, nec *Serpens* aut *Auceps*, earum Generationes nimiùm diminuere valeant. Nam ſi *viviparæ* fuiſſent, uteri onus, ſi vel mediocrem pullorum numerum unâ vice parerent, tam grande futurum fuiſſet atque grave, ut alæ ipſis ſuſtentandis in volatu non ſuffeciſſent, atque ſic in cujuſlibet poteſtate futurum fuiſſet, *vetulam*, quod dicitur, *capere Aviculam.* Vel ſi unum tantummodo binóſve unâ vice parerent, totus ipſis annus inſumendus eſſet curæ atque tædio aut alendi pullos ſuos aut in utero eos geſtandi. Ut taceam neceſſitatem nimiùm frequentis Veneris, quæ magnum quidem damnum ſiccis ipſarum corporibus fuiſſet allatura. Admodum igitur conſentaneum erat, ut Volucres *ova* ponendo ſpecies ſuas propagarent.

9. Sed nec hic totus fructus eſt quem ex hac conſideratione licet decerpere. Quæro porrò, Quid eſt quod volucrem faciat tanto cum Artificio ſibi *Nidum* præparare, *Ovis incubare* poſtquam poſuerit, ipſáque ab inutilibus ſuis excrementis diſtinguere? Num mater hac in re ipſi exemplo præivit, eámque imitatur, & non potiùs neſcit quid agat, dum tamen id agit, quod ex decreto *Sapientiæ exquiſitiſſimæ* fieri oportet? Aliud igitur pro ipſa ſcientiam habet, qui Creator Formatórque eſt rerum omnium, *omniſcius* & omnipotens *Deus*.

Et quamvìs regerere poſſis, *hanc Ovis intubationem* neceſſariam eſſe, cùm alioqui Generationes ipſarum ceſſarent; reſpondeo tamen, omnes circumſtantias & curioſitates Incubationis minimè eſſe neceſſarias: Contentæ enim eſſe potuiſſent humili Gramine in terra, nec ſibi concinnâſſe tam tutos affabréque factos nidos in Rubis & Arboribus. Præterea ſi omnia *Caſui Fortunæque* relinquerentur, conceptu longè facilius eſt, nullas omninò volucres futuras fuiſſe quàm ut cæca Materia in tam fœlices inſtinctus unquam incideret, quàm vel iſti ſint, qui videntur omninò neceſſarii.

10. Sed objicies, *Struthiocamelum* ova ponere nec eis tamen incubare, adeò ut hæc omnia ad *Caſum* potiùs referenda ſint quàm ad *Providentiam.* At enim hoc magìs exquiſitam magíſque *diſcriminantem Providentiam* potiùs arguit, quàm ullam argumenti vim habet adverſùs Providentiam. Calor enim ſoli, (ut furni iſti *Ægyptiaci* quos memorat *Diodorus*) in quo ova ponit, efficax reperitur ad excludendos pullos. Atque hinc eſt quòd Natura Fœminam huic curæ atque tædio non alligat ubi nihil neceſſe eſt nec uſus requirit. Quam legem etiam obſervat in *Piſcibus*, qui poſtquam ova pepererint, ab omni ulteriori moleſtia liberantur. Quæ manifeſta detectio eſt, admodum intenti vigilíſque *Oculi Providentiæ*, quæ nihil ineptè fruſtráve fieri permittit.

11. Unicum jam ultrà ex hac partûs Animalium ſpeculatione argumentum eruam, & ad reliqua tunc pergam. Obſervatum eſt ab eis qui accuratiùs diligentiúſque Naturæ operibus invigilant, quòd Fœtus ab *Homogeneo* quodam liquore ſive Humore efformatur, cui nulla ineſt partium Materiæ varietas quæ in oſſa carnémque concinnari poſſent: Sed, quemadmodum in ovo, verbi gratiâ, circa diem tertium quàm Gallina ei incubuerit, illa in parte ubi Natura ſuum efformationis opus aggreditur, omnis in proximo materia in ſubſtantiam liquidam Cryſtallinam convertitur, uti & varia Inſecta ex guttulis roris exiguis naſcuntur; ità in omnibus præterea Generationibus ii ſupponunt, * Naturam pugillares priùs diligenter quaſi abſtergere & emundare, & tum demum quicquid ipſi viſum fuerit ſtylo exarare. Atque ſanè ſi hic illius mos ſit ſubjectam materiam in quam perfectiſſimam poteſt formæ privationem corrumpere, efficeréque, ut maximè poteſt, homogeneam, ſed liquidam ſuæque Arti ac Scientiæ obſequentem & flexilem; equidem mihi valdè probabile videtur ſi non neceſſarium ut aliquid exiſtat præter hanc fluidam materiam, quod ipſam mutet, alteret dirigátque in peritam iſtam partium conformationem in qua poſtea eam conſtitutam reperimus. Quî enim fieri poteſt ut partes hujus liquidæ Materiæ ex ſeipſis in tam exquiſitam Fabricam coëant? Atque hoc quidem quemlibet Atheum convincere poteſt, quòd ſit *ſubſtantia* præter *Materiam corpoream*; quod is æquè tamen gravatim admiſſurus eſt, quàm quòd ſit *Deus*.

Etenim, cùm quicquid in rerum Natura eſt, aut *ſubſtantia* ſit aut *modus*, cùmque hæc facultas liquidam mutandi materiam in eum ordinem formámque in qua eam conſpicimus, * ipſi Materiæ liquidæ non competat; *Modum* profectò eſſe oportet alte-

tius

rius alicujus ſubſtantiæ in Materia fluida latitantis, & realiter ab ipſa diſtinctæ, quæ aut ipſa *Anima* eſt, aut *Seminalis* aliqua *Forma* ſive *Archeus*, ut *Chymici* appellitant. Uter verò ſit, mihi heîc perinde eſt, quippe qui nunc ſubſtantiæ præter materiam in lucem eruendæ tantùm operam do, ut *Atheus* indè animum faciliùs inducere poſſet ad credendum quòd ſit Deus.

12. Neque poteſt argumenti hujus vis eludi, dicendo Materiam tactam fuiſſe & quaſi infectam vitâ Fœminæ dum *Ovum* geſtabat, Phantaſiámve in uterum deſcendiſſe.

Quámnam enim *Vitam* habet aut *Phantaſiam* Tellus, quæ, ut illi prædicant, omnia Animalia in principio generavit ut nonnulla etiamnum generat? Et quænam ſimilitudo eſt *Apem* inter atque *Bovem*, aut inter *Veſpam* & *Equum*, quo iſta *Inſecta* ex corporibus putrefactis horum Animantium naſcantur? Non eſt niſi rudis aliqua ac generalis *vitalis* præparationis congruitas quæ facit ut hic *Archeus* operetur potiùs quàm alter. Ut mera Cholera Imaginationem Inſomniis de Bombardis diſplodendis & Pyrobolis, exercituúmque conflictibus illigat. Sanguis phantaſiam figurat in repræſentationem bellularum Fœminarum, pulchrorúmque Infantum. Pituita eam in Aquam transformat atque Piſces. Obfuſcatáque Melancholia, in colluctationes cum Sagis vetulis & Lemuribus conjicit, ipſámque terrefacit cadaveroſis defunctorum hominum vultibus, in tenebris. Cæterùm huic argumento diutiùs immoratus ſum quàm inſtitui.

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. 10.

UT Furni iſti *Ægyptiaci*, quos memorat *Diodorus*, *Bibliothec. Hiſtor. lib.* 1. *pag.* 47. *ubi induſtriam artémque laudans* Ὀρνιθοτρόφων καὶ χηνοβοσκῶν *Ægypti*, οὐ γὰρ ἐπωνάζουσιν, *ait*, διὰ τῶν ὀρνίθων, ἀλλ' αὐτοὶ παραδόξως χειρουργοῦντες τῇ συνέσει καὶ φιλοτεχνίᾳ τῆς φυσικῆς ἐνεργείας οὐκ ἀπολείπονται. *Equidem hîc nulla furnorum mentio, ſed credo me intellexiſſe* Diodorum, *ex eis quæ occurrunt apud* Julium Scaligerum *de* Subtil. *Exercit.* 23. *In* Ægypto *namque ad* Cairum *furnos conſtruunt, alii alto multiplici fornice impoſito, in quorum tholi ſupremi medio foramen eſt; per quod caloris vis, quæ immodica poſſet officere, ſubit atque exhalat; In imo ignem accendunt temperatum. Ovorum multas centurias in fornicum ſuperiore planitie diſponunt. Statis diebus erumpit turba; quos illi non numero ſed menſurâ venales habent. Modiolum ſtatuunt ſine fundo, quem ut complerunt, tollunt. Neque hæc fabula eſt, ſed fabulæ illi ipſi qui negant.* Diodorum *igitur ex* Scaligero *interpretandum eſſe curſim me heic innuiſſe exiſtimo. Vide &* Cardanum, *de Subtil. lib.* 12.

Sect. 11. Naturam pugillares priùs diligenter quaſi abſtergere, &c. *Nihil inculcatius apud eximium iſtum venatorem Naturæ Phyſicum* G. Harvæum, *quàm hæc Obſervatio. In* Tractatu de Generatione Animalium, *Exercit.* 15. *partem illam Ovi quam* Oculum *appellat &* Colliquamentum candidum *ex quo Pullus formatur, & in quo Punctum ſaliens primò conſpicitur, deſcribit ceu* liquorem clariſſimè refulgentem *&* quovis cryſtallino humore puriorem. *Hoc autem contingit non ſolùm in* Oviparis *Animalibus ſed &* Viviparis. *Nam Exercitationem illam claudit bellâ hâc Hiſtoriolâ.* Fœtum jampridem, *inquit*, magnitudine phaſeoli, ex utero Cervæ exemptum omnibúſque ſuis membris perfectum Regi noſtro sereniſſimo Reginæque intuendum exhibui. Gratum profectò Naturæ ſpectaculum. Natabat politus & conſummatus fœtus in ejuſmodi candido, lucido, & cryſtallino liquore (tanquam in vaſe puriſſimo) qui ovum columbinum magnitudine æquabat, & propriâ tunicâ pellucidâ inveſtiebatur. *Quem liquorem nutrimentum fœtûs eſſe aſſerit. Nam quod fœtum inchoat ex maſſa pura & homogenea, opus ex conſimili materia perficit & abſolvit.* Hoc humidum primogenium *ſtatuit,* (Exercitat. 71.) *nempe* Colliquamentum Cryſtallinum *ex quo ut Fœtus fit, ità eo nutritur ad extremam uſque ſenectam, i. e. rore hoc (quemadmodum* Arabes *apud* Harvæum *appellant) quo omnes corporis partes madeſcunt & irrorantur, nec alimentum quod ſumitur nutrit antequam in* homogeneum *hunc liquorem convertitur. Adeò neceſſaria eſt ſemper Materiæ* homogeneitas *ac Fluor, ut vis Animæ* Plaſtica, *quæ in conſervando vivo corpore æquè cernitur atque in eo fabricando, partes ſuas dextrè & ſincerè peragat.*

Quod haud obſcuro argumento eſt conceptum non fieri in Animalium Generatione è ſemine ex particulis ab omnibus partibus Animalis profluentibus conflato; tum quòd incredibile ſit, quin humor fuſcus foret potiùs ac turbidus quàm clarus ac pellucidas, tum etiam quòd defuturæ eſſent particulæ, quæ partes mari *proprias conſtituerent, quippe quòd juxta* Harvæum *maris coitus cum fœmina nihil materiale conferat ad conceptum fœtúmve; ſed* vivificum *ſolummodò quoddam* contagium. *Pro certo enim ſtatuit ſemen galli quod effundit nunquam intrare in uterum gallinæ, nec cervorum in cervarum uteris manere, ſed totum evaneſcere ante conceptum.*

Ipſi materiæ liquidæ non competat, &c. *Contrà ac ſentit eruditus* Gliſſonius, *cujus opinio à me examinatur in Scholiis Enchirid. Metaphyſ. Cap. 25. Sect. 8.*

CAP. X.

1. *Quòd fabrica corporis Animalium, Dei arguit exiſtentiam: Ut* numerus *putà,* ſitúſque Oculorum *atque* Aurium; 2. *Quemadmodum &* Crurum. 3. Armatura Beſtiarum, *ipſarúmque eâ utendi ratio.* 4. *De generali* ſtructura Volucrum *atque* Piſcium. 5. *Mirabilis* Talpæ *fabrica.* 6. Cardani *raptus ex illius conſideratione.* 7. *De* Lepore *ac* Leporario. 8. *De ſtructura corporis* Cameli.

1. VEnio nunc ad poſtremam Animalium conſiderationem, externam ſcilicet corporis figuram atque fabricam. Quæ poſtquam oſtendero aliter fabricari potuiſſe, & tamen facta eſſe ad exquiſitiſſimum gradum modúmve Rationis, qui ab humano ingenio excogitari poteſt, naturaliter hinc ſequetur, quòd revera opera ſint *Sapientiæ* ac *Providentiæ*, ac proinde quòd ſit *Deus*. Atque equidem primùm in genere quæro, de omnibus illis Animalibus quæ *Oculos* habent atque *Aures*, annon fieri potuiſſet, ut *unicum Oculum*, unicámque *Aurem* ſingula haberent, & ut Hypotheſis tolerabilior fiat, Oculum in dextra putà capitis parte, Aurem in ſiniſtra, aurémve in vertice capitis, oculum in fronte? Vivere enim ſic potuerunt atque ſubſiſtere, licèt meliori ratione ipſis proſpectum non fuiſſet quàm iſtâ. Veruntamen manifeſtum eſt, *binos* habere *oculos bináſque aures* ſic collocatos ut ſunt, & tutius eſſe & venuſtius & utilius. Quamobrem cùm tam conſtanti delectu illud ſemper adhibeatur, quod noſtra Ratio optimum eſſe judicat, debemus profectò inferre delectum hunc à *Ratione* & *Conſilio* profectum eſſe.

2. Porrò, perlubentur ſcire vellem, cur nulla exiſtant Animalia *Tripedia*, (quando ſic loquor monſtra non intelligo, ſed conſtans aliquod genus Animalium) nam iſtiuſmodi Animal modum aliquem, licèt magìs mancum claudúmque, quo vivat ſeſéque ſuſtineat, inventurum eſſet, perinde atque *Quadrupedia:* Vel cur aliquæ Beſtiæ plures *quaternis* non habeant pedes, *ſenos* putà, binóſque medios reliquis breviores & ad morem crurum Equitis ab utroque equi latere pendentes? Neque enim difficilius eſt Naturæ tales corporum fabricas facere, quàm alias quæ elegantiores ſint & utiliores. Sed enimverò, cùm *Naturæ* opera nec inutilia ſint nec inepta, equidem aut *ipſam* ſapientem eſſe oportet, aut ab aliquo altiori *Principio intelligente*, quod ſapiens ſit, regi. Ut ille Homo qui per totam vitam nihil ſtolidè aut inconſideratè facit, aut ipſe ſapit, aut cum eis qui ſapiunt ſua participat conſilia.

3. Præterea, quantùm ad *Beſtiarum Armaturam*, quis eas edocuit armorum ſuorum uſum? *Leo calcitrando* neminem ferit, *caudâ* verò tam fortem ictum infligit, ut dorſum ei fracturus ſit, qui auſit cum eo congredi. *Equus caudâ* ſuâ non utitur niſi ad importunas abigendas muſcas, *pedibus* verò adverſarium tam ſtrenuè impetit, ut humi ſtatim proſternat. *Taurus* & *Aries* uſum nôrunt *cornuum* ſuorum, perinde atque Equus *ungularum*. Ità *Apis* ac *Serpens* vim aculeorum, & *Urſus* uſum ſuorum *unguium*. Quæ tamen omnia ex ſolo inſtinctu naturali noſcunt, ut *Mas uſum Fœminæ*. Neque enim peritiam hanc ex obſervatione & experientia acquirunt, ſed ità eorum natura comparata eſt, ut eò ferè inſcientes ferantur. Ut planè liquet in *Agnellis*, qui antè arietant quàm gerant cornua. Quamobrem altior aliqua *Providentia* eſt, quæ tales eos formavit, quales reperimus. Atque hoc ſimiliter liquet in Volucribus, quæ alas quaſi vibrare tentant, cùm non niſi exigua lanugo eas inveſtit, ipſæque adhuc prorſus inidoneæ ſunt ad volatum.

4. Et verò nunc, quandoquidem in mentionem incidi hujus generis Animantium, operæ pretium hîc cenſeo monere, quid ad cauſam noſtram, ex generali corporum

ipſarum ſtructura poſſit obſervari. Figura *capitis* ipſarum paulo anguſtior eſt & acutior, ut faciliùs Aërem ſcindere poſſint in veloci ſuo volatu. Caudarúmque expanſio *Horizonti* parallela eſt, ut corpora commodiùs ſuſtineantur; potuerunt enim perpendiculariter expandi, inſtar caudarum *Piſcium* in Aqua. Nec quicquam cauſæ noſtræ officit, quòd *Noctua* tam lato vultu ſit, quippe cujus volatus non tam velox eſt aut tam frequens.

Et quantùm quidem ad *Piſces*, ut taceam quàm aptè branchiæ eorum Pulmonum locum ſuppleant, paríque venarum & arteriarum copiâ repletæ ſint, ut ſanguis aquâ refrigeretur, quemadmodum per pulmones in aliis Animantibus refrigeratur Aëre, magìs obvias ac vulgares conſiderationes hîc notabimus. Veſicam aëre refertam, quæ in ipſorum corporibus reperitur, quis auſit aſſeverare *caſu* illuc delatam eſſe, & non potiùs *conſilio* formatam, ad faciliorem natationem? Eſtque par ratio de *pinnis*, quæ ex multitudine cartilagineorum oſſiculorum conſiſtunt, oblongorum & gracilium, acuum inſtar & ſpinularum, & cute membranâve interjectâ, quo earum ratio exactior ſit, & ad tenuem latámque remorum formam propiùs accedat. Quod artificium accuratúſque formationis modus omitti potuiſſet, nec tamen natandi, ſeſéque, licèt minùs gnaviter, ultro citróque in aqua movendi facultas ipſis auferri.

Cæterùm, in argumentum incidi infinitum & inexhauſtum, ac proinde nè nimius ſim, paucis aliquibus obſervationibus de Beſtiis Avibúſque ordinariis ſermonem circumſcribam (quippe quòd id quod notiſſimum eſt maximéque obvium, ad noſtrùm ſcopum pariter eſt accommodatiſſimum) & tum demum ad Hominis Contemplationem progrediar.

5. Atque equidem, quidnam magìs obvium eſt & ordinarium, quàm *Talpa?* Et tamen quid magìs conſpicuum *Providentiæ* Argumentum quàm iſte? Membra corporis adeò examuſſim ſuæ naturæ adaptata ſunt vivendíque modo. Nam cùm habitatio illius ſub terra ſit, ubi nihil cerni poteſt, Natura adeò obſcurè oculos ei accommodavit, ut vixdum conſenſum ſit apud Phyſiologos ullúmne viſum habeat necne. Sed ut reſarciatur hoc damnum, ea quidem, quorum capax ſit, ad ſe tuendum, notitiámque hauriendum de inſtanti periculo, modo admodum eximio in ipſum ſunt collata. Eſt enim *auditu* ſolertiſſimo. Et tum dein; Cauda brevis, breviáque crura; ſed pedes lati acutíſque armati unguibus, ex eventu in quem finem facti ſint planè deprehendimus, cùm tam celeri operâ ſe ſub humum induat, ſibíque viam in terram tam velociter ſecet, ut qui ſpectantes adſtant, motum ejus non poſſint non admirari. Crura igitur illius brevia ſunt, ut ipſi nihil opus ſit plus terræ diffodere, quàm ferè pro ſpacio quod ejus corpus occupet; pedéſque anteriores lati, ut multum terræ ſingulis vicibus rutello quaſi dimoveat. Parum verò aut nihil caudæ habet, quoniam ſuper ſolum non curſitat, ſicut ſorex atque mus, ex quorum genere eſſe videtur, ſed ſub terra degit, cogitúrque illîc ſibi excavare habitaculum: cúmque viam ſibi aperiat per tam craſſum elementum, quod non facilè ceſſurum eſt, ſicut Aer atque Aqua, plena periculi res futura fuiſſet tam prolixum à tergo ſyrma traxiſſe; quippe quum hoſtis eum à tergo aggredi poſſit & in apricum è latibulo retrahere, antequam conſummaverit plenéve poſſederit ſua *Opera.*

6. *Cardanus* hac contemplatione tam mirificè capitur, ut, tametſi eum ſæpenumerò fluctuantem video, hîc tamen admodum plenè firmitérque profitetur formationem rerum omnium à *Sapientia Conſilióque* eſſe profectam. Verba ejus tam generoſa ſunt ſenſúque plena, ut digna cenſeam quæ tranſcribantur. *Palàm eſt igitur,* ait ille, *Naturam in cunctis ſolicitam mirum in modum fuiſſe, nec obiter ſed ex ſententia omnia prævidiſſe; hominéſque, quibus hoc beneficium Deus largitus eſt, ut cauſam rerum primam inveniant, participes eſſe illius primæ Naturæ; neque alterius eſſe generis Naturam quæ hæc conſtituit, ab illorum mente qui cauſam eorum cur ità facta ſint, plenè aſſequi potuerunt.* Tanto ſcilicet impetu debita Naturæ contemplatio *Cardanum* extra Naturam ac ſeipſum abſtulit, effecítque ut ſcriberet hominis inſtar in Divinam Ecſtaſin rapti.

7. Cæterùm æquè manifeſta ſunt Divinæ Providentiæ veſtigia in aliis Animantibus atque in *Talpa:* ut verbi gratiâ, in *Lepore,* cujus indoles corporíſque fabrica ex *conſilio* planè adaptantur ſuæ conditioni.

Cur enim tam multo *timore* imbutus eſt & *vigilantiâ,* in *pedes* ſubinde ſe erigens & *aures* arrigens auſcultánſque dum inter ſegetes paſcitur? Cúrque *pede* tam *celeri* eſt & oculis adeò *prominentibus*, itáque collocatis, ut à tergo meliùs cernat quàm antrorſum? niſi quòd incolumitas ejus in ſola fuga ſita ſit, neceſſariúmque ei eſſet inſequentem à tergo inimicum perpetuò reſpectare, quem ſe ſiſtens pugnâ nunquam audet excipere, quippe nullâ re armatus quâ ſe defendat, niſi longis ſuis ac mollibus vietíſque auriculis. Quamobrem qui *Leporem* fecit, idem pariter fecit *Canem*, illúmque ab hoc acerrimo ſuo hoſte hiſce proprietatibus præmunivit, nè nimiùm facilis ipſi præda foret, atque ſic nunquam illius fauces poſſet effugere, ludúmve ullum notabilem ſpectatori exhibere. Et nè *Lepus* ſemper è faucibus *Leporarii* ſe eriperet, vide quàm exquiſitè illius forma adaptata ſit curſitationibus : Partes enim *oblongæ* fiunt *graciléſque* ad velocitatem ; & prolixa illa, quæ ſuperflua videatur corporis appendix, *Cauda*, in *Gubernaculum* facta eſt quò agiliùs curſum inflectat.

8. Sunt etiam & aliæ Animantes quarum ſpecialis corporis fabrica Providentiæ conſiliíque effectum manifeſtò apparet, quanquam Phyſiologi non inter ſe conſenſerint, an ipſius *Beſtiæ* gratiâ ſic facta ſit, an verò *Hominis*. Atque tale profectò iſtud eſt Animal, licèt exoticum, quod vulgò notum eſt ſub nomine *Cameli*. Cur enim Gibbæ iſtæ ſunt in tergo niſi ut Clitellarum vices ſuppleant, quibus onera excipiantur ? Et cur quatuor Genua habet, & poſteriora Crura antrorſum inflexa, ut & Tuber ſub pectore cui incumbat, niſi ut, cùm procerum ſit Animal, facilè procumbere poſſit in genua magíſque commodè ſic onus excipere ?

Cardanus verò hoc nequaquam Naturæ conſilium heîc eſſe contendit, ſed quòd hæc corporis *Cameli* fabrica ſic facta ſit proprii commodi cauſâ. Quippe cùm Animal ſit quod vitam ducit paſtúmque quærit in vaſtis aridíſque Deſertis, Gibbas iſtas redundantis Humoris receptacula eſſe ſtatuit, ex quibus in reliquum corpus derivandus ſit temporibus durioris ſitis & inediæ. Cúmque Crura tam valde longa ſint, in poſterioribus eum Genua habere debere Tubérque ſub pectore, in quæ recumbens, membra laſſus, in deſerto quieſcat, ſedendo ſcilicet procumbendóve in iſtâ quâ ſolet poſiturâ. Neque enim ſe humi proſternere commodè poteſt, ut Equi & Aſini aliáque Animalia. Quantùm verò ad me, ego certè neutri cauſarum ſoli aſcriptum volo, ſed utraſque ſimul ſumi, ut uberius ampliúſque *Providentiæ* conſilium indè innoteſcat, quæ hac fabricâ atque artificio tam bellè proſpexit commodis *Cameli* pariter atque *Domini ſui*.

CAP. XI.

1. *Generalia quædam obſervanda de* Avibus. 2. *De* Gallo. 3. *De* Gallo-pavone *ſive* Gallo Indico. 4. *De* Cygno, *&* Ardea, *aliiſque id genus Aquatilibus.* 5. *De* γαμψωνύχοις *&* πληκτροφόροις, *& de peculiari* Viſûs *formatione in Avibus* rapacibus. 6. *Deſcriptio* Avis Paradiſi, *ſecundùm* Cardanum. 7. *Suffragia* Scaligeri Hernandis, *&* Nierembergii. 8. Aldrovandi *Objectio de paſtu illius ex ſolo rore, & quid ab altera parte probabiliter reſponderi poſſit.* 9. *Objectiones ejus contra modum* Incubationis, *cum conſimili Reſponſo.* 10. *Proprietates de quibus hi quinque omninò conſentiunt.* 11. *Qua in re* Pighafetta *&* Cluſius *ab iis omnibus diſſentiant, cum Authoris conditionali Inclinatione ad ipſorum ſententiam.* 12. *Præcipua Notanda in Hiſtoria* Avis Paradiſi. 13. *Supplementum ex ordinariis notiſque exemplis, quod æquè ſi non magìs evidenter* Providentiam *accuratam evincit.*

1. PErgimus jam ad conſiderationem *Avium* ſive *Volucrum*. Ubi prætermiſſis iſtis generalioribus proprietatibus, nempe quòd *duos* habent *Ventriculos*, ſublatóſque roſtro Lapillos in ſecundum Ventriculum tranſmittunt (quæ proſpectio & inſtinctus Dentium vices ipſis præſtat) quódque nullas habent papillas, quippe quarum fœtus tam diu intra teſtam aluntur, ut ſtatim idonei ſint qui ore cibentur parentum, & inidonei ſanè ad ſugendum propter roſtrorum figuram ac duritiem, (quæ obſervationes planè indicant Naturam nihil ineptè ſtolidéque facere, ac proinde eſſe *Providentiam* ;) hiſce inquam prætermiſſis, externam tantùm fabricam paucorum aliquot ex hoc genere Animantium, quæ quotidie viſui noſtro occurrunt, contentus ero notare. Cujuſmodi ſunt, *Gallus*, *Anas*, *Cygnus*, & ſimilia.

2. Quæro igitur de *Gallo*, cur omnino habeat calcaria, vel cùm habeat, quî factum ſit ut in loco tam commodo collocentur ? Potuit enim nulla habere, vel tam perperam ſita, ut nulli prorſus uſui futura fuiſſent ; atque ſic Animoſitas illius pugnandíque pruritus planè forent fruſtrà : Cùm nec criſta nec καλλαιον ſive palearia fruſtra temeréve capiti ſint addita, quippe quæ ornamenta ſunt quæ Martium ſuum Ingenium magnopere condeceant : quinimò & Armatura ; nam horum vellicatio utiliores capitis partes à noxa ſæpenumerò eximit. Tam aptè profectò gratificatur

Natura omnibus Animantibus, per rerum accommodationes ipſorum Ingeniis attemperatarum, adeò ut nihil omninò factum ſit fruſtrà.

3. Nec certè cavillari debemus adverſùs rubrum illud ac rugoſum *Gallo-pavonis*, ſive *Galli Indici* Capitium, & longam iſtam *excreſcentiam* quæ quoties præ ira intumeſcit aut ſuperbia, ſuper roſtrum ſatìs prolixè propendet: Poteſt enim calefacti ſanguinis eſſe Receptaculum, qui tam liberum habeat ad caput recurſum. Vel ſeipſum fortean hoc nugamento oblectare poteſt, ut rudes *Indi* ſuis monilibus à naſo deorſum pendentibus. Et certè ſi Avi placeat, ut nobis diſpliceat minimè fas eſt; ſempérque memores eſſe debemus, Animantia ad propriis voluptatibus indulgendum perinde atque uſibus noſtris inſerviendum eſſe nata. Eſtque apertæ *Ruſticitatis* atque *Ignorantiæ* aliter ſentire.

4. Jam verò quantùm ad *Cygnos* atque *Anates*, & iſtiuſmodi Aves *Aquatiles*, notatu obvium eſt, quàm aptè inſtructæ ſint ad hoc vitæ genus. Pedes enim illarum quæ natant, ad Remorum formam conſtructi ſunt, unguibus ſatìs latâ membranâ interjectâ connexis. Colla autem ſunt longa, ut caput ſatìs profundè in aquam immittere valeant: Quemadmodum & collum *Ardeæ*, atque aliarum id genus Volucrum quæ piſcibus veſcuntur, atque illud proinde elementum coguntur frequentare, quæ altis etiam grallis ſubnixæ incedunt, ad inſtar populi qui loca paludoſa incolunt. Ungues verò, tales non habent membranas, impedimento enim huic volucrum generi futuræ fuiſſent, quæ *vadant* tantùm in aqua, neſciunt autem *natare*.

Haud inſacetè profectò *Ariſtoteles* longa harum Volucrum aquatilium colla * *Arundini piſcatoriæ*, longáque roſtra *Lineæ* & *Hamo* comparat. Alterámque addit Obſervationem de Cruribus, quòd Caudæ ſcilicet eò fiunt breviores. Quanquam hujuſce rei rationem quam affert, non magnopere admiror. Ait enim ſic factas eſſe ob Materiæ defectum, quæ in crura eſſet abſumpta. Vera autem cauſa eſt, quia Aves ſunt minùs volaces. Et præterea, longorum crurum poſitura retrò jactorum extenſorúmve dum volant, vicem præſtat amplioris orrhopygii. Atque ſic crura adminiculo ſunt ad volandum, cùm aliàs oneri forent & impedimento. Quamobrem, quod dixi, caudæ tam breves ſunt, non ex eo quòd materia in crura abſumpta eſſet, ſed quia crura caudæ vicem ſupplent, juxta præſtantiſſimum iſtum *Ariſtotelis* Aphoriſmum, οὔτε περίεργον οὐδὲν οὔτε μάτην ἡ φύσις ποιεῖ, *Natura nihil facit quod fruſtrà eſt aut ſupervacaneum.*

Ariſtot. de Part. Animal. lib.4.cap.13.

Quæ quidem cauſa eſt, cur *Piſces* cruribus careant, quippe quæ *pinnas* habent; cúrque *Torpedo* nec pinnas habeat, ad latera rotundi ſui corporis, ſed tantùm ad latera caudæ; quippe cujus corporis amplitudo & planities ipſi inſervit, loco anteriorum pinnarum ad natandum. Cæterùm ſpeculatio hæc circa *Aves Aquatiles*, diutiùs me inter piſces detinuit, quàm deſtinaveram.

5. Redibo jam ad *Aves*, cum eis paululùm moraturus, Martias iſtas intelligo Avéſve rapaces ſive prædatrices. In quibus Philoſophus cervicem brevem robori accommodam eſſe maximè, obſervat, nulláque γαμψώνυχα, i. e. Aves aduncis unguibus præditas, longas habere cervices, roſtráve plana & recta ſed adunca; omnéſque Aves *Carnivoras* quæ prædam venari coguntur, tales eſſe. Γαμψὸν δὲ τὸ ὠμοφάγον· χρήσιμον γὰρ πρὸς τὸ κρατεῖν τὸ τοιοῦτο. Τὴν δὲ τροφὴν ἀναγκαῖον ἀπὸ ζώων πορίζεσθαι. Ac proinde ungues adunci idonei ſunt ad prehendendam firmitérque retinendam Prædam vivam, quæ alioqui torquendo ſe ac motitando poſſit elabi, roſtráque adunca ad tenacem carnem (acutis quaſi hamis) diſcerpendam; quæ roſtro plano tam facilè in fruſta dilaniari non poſſet. Roſtra verò *Anſerum* & *Anatum* aliâ prorſus formâ ſunt, ſed ſatìs idoneâ quidem ad humum limúmque evertendum, ſcindendúmque herbas atque gramina, & ad omnem id genus facilem paſtum.

Ariſtot. de Part. Animal. lib.4.cap.12.

Id etiam ingenioſè ab *Ariſtotele* obſervatum eſt de Avibus γαμψωνύχοις, Corpora quidem pro Alis parva eſſe, quippe quibus in alis ſuis maximum ineſt robur ac præſidium, ſi quando inceſſuntur. *Avibus* verò grandioribus majoríſve pro alis magnitudinis aliter ad ſuam defenſionem proſpectum eſſe, nempe aut per *calcaria* cruribus adnaſcentia, aut per ſingularis alicujus unguis in pede robur atque aciem. Quemadmodum notavi in Ave *Emen*. Cæterùm pro Aphoriſmo tradit, Eaſdem Aves nunquam γαμψωνύχους eſſe & πληκτροφόρους, nunquam *aduncos* habere *ungues* & *calcaria ſimul*. Armatura enim *calcarium* iſtiuſmodi tantùm Avibus idonea eſt, quæ in terra pugnent. Aves verò unguibus aduncis præditæ, pedes vix ſatìs commodos habent ad ei inſiſtendum; ac proinde nullæ ex *Avibus ponderoſiora corpora habentibus* ungues habent aduncos.

Cæterùm id quod maximè omnium in Natura notatu dignum eſt, de hiſce Avibus rapacibus, mirabilis eſt ipſorum viſûs ratio. Nam ex peculiari oculorum ſuorum fabrica, capaces fiunt de ſublimi in Aëre ſuam proſpiciendi prædam, optiméque cernunt ad iſtam diſtantiam, cominùs verò admodum difficulter quicquam vident. Adeò ut & ſagittarius & ſagitta pariter ſint, è longinquo ad ſcopum collineantes, & tum poſtmodum ad optatam metam ſeipſas quaſi ſagittantes, prædam occupant quam percuſſerint. Providentiæ opera infinita ſunt. Concludam cum deſcriptione mirabilis illius *Avis Paradiſi*: Ipſa enim rei mirabilitas notiſſimam fecit univerſis.

6. Avis eſt quæ ex Aëre mortua decidit (& invenitur aliquando in *Moluchis* Inſulis) pedibus prorſus deſtituta. Magnitudo Corporis ac Roſtri quemadmodum & forma ipſorum ad Hirundinis formam magnitudinémque quàm proximè accedit. Alarum vero expanſio Caudæque, Aquilinarum expanſioni quoad ambitum, nihil cedit. In Aëre alitur fœtificátque, neque ad terram venit niſi in ſepulturam. Nam amplitudo levitáſque Alarum atque Caudæ eam ſuſtentant ſine laſſitudine. Fœmináque ova ponit, eiſque incubat in dorſo Maris, quod cavum eſt, ut & pectus Fœminæ ad faciliorem Incubationem. Porrò duo fila ex poſterioribus Maſculi partibus exeunt, eis non abſimilia, quibus cerdones crepidas conſuunt. Hiſce exiſtimatur firmiùs fœminæ alligari dum ovis ea incubat in cavitate illius dorſi. Ros cœli eis in cibum aſſignatur, cùm Regio ipſarum nimis remota ſit ab acceſſu Muſcarum, aliiſque id genus Inſectorum, quibus veſcantur.

Hæc integra Hiſtoriola eſt de hac Ave mirabili apud *Cardanum*, ejúſque ſuper ea Philoſophatio, qui ſe eam haud minùs ter vidiſſe profitetur, eámque proinde deſcripſiſſe. Cujus quidem partium corporis conformationes rerúmque aptitudines, ſi de veritate narrationis conſtaret, æquè evidentia Divinæ Providentiæ argumenta eſſent * atque Annulus ille cupreus, cum Græca Inſcriptione, indubium fuit monumentum Artificii humani.

Cardan. de ſubtil. lib. 10.

7. Cæterùm nè credulitatis nimiæ opprobrium ſolius *Cardani* humeris incumbat; *Scaliger*, perpetuò ei inſidians obſervánſque ſiqua in re vel ſyllabam peccâſſet, ei exprobraturus, cum nulla tamen re in univerſa narratione cavillatur, præter alarum amplitudinem, coporíſque parvitatem, quos errores corrigere in ſe ſuſcipit, ex Avicula quam dono ei miſerat è *Java Orveſanus*. Immò verò confirmat quæ ab Adverſario ſcripta ſunt, partim ex Hiſtoria, partim Ratione. Affirmat enim ſe in horto ſuo duas reperiſſe Aviculas cum alis membranaceis, pedibúſque prorſus deſtitutas, quarum forma ad veſpertilionis proximè accedebat. Nec à fide eum deterret perpetua *Manucodiatæ* volitatio, cùm tamen pennarum pinnulæ diſſitæ ſint nec cohæreant, aërémque proinde facilè tranſmittant, quo corpus tam commodè nequeant ſuſtinere; ſed rem probabilem reddere conatur ex eis quæ obſervavit de milvis in aëre pendentibus, ad horam integram, ut refert, alis non jactatis. Notavítque quomodo ſomnum capere poſſit in Aëre ad exemplum Piſcium, quos vidit in aqua dormientes neque pondere tamen in profundum ferri, nec mutare locum, ſed immobiles quaſi inſtar trunci, pinnulis tantùm neſcio quid motiunculæ meditari, pari incuriâ & inadvertentiâ, atque Equi dum dormiunt aures motitant ad abigendas inſidentes muſcas. Quamobrem *Scaliger* cùm perpetuum volatum aliſve Innixum in *Manucodiata* admittat, neceſſariò etiam iſtam Incubationis rationem, quam deſcripſit *Cardanus*, ſimul admittere debet, alioqui generationes ipſarum nequaquam poſſent perpetuari.

Jul. Scalig. de ſubtil. exercit. 228. ſect. 2. & 229. ſect. 2.

Franciſcus Hernandes expreſſim ex omni parte idem affirmat cum *Cardano*: quemadmodum & *Euſebius Nierembergius*, qui hujus Avis hiſtoriâ itâ capitur, ut abſtinere ſe non poſſet à celebrando mirandas illius proprietates, brevi quidem ſed eleganti carmine, idémque poſtea quanquam ſumma cum confidentia oppugnatus, quantùm ad ſummam rei, in ſoluta oratione affirmat.

8. Hujuſmodi ſunt *Cardani*, *Scaligeri*, *Hernandis*, & *Nierembergii* ſuffragia. *Aldrovandus* verò fabulam de paſtu ejus ex rore, Incubationéque Fœminæ in dorſo maris, multo cum ſupercilio & indignatione rejicit. Et quantùm quidem ad prius, Rationes quas affert nequaquam ſunt contemnendæ; quippe qui objicit Rorem prope terram eſſe, nec per omnes Anni tempeſtates, nec niſi diebus ſerenis, ídque tantùm manè, addítque perpetuum Avis volatum neceſſariò ſpiritus ejus exhauſturum eſſe; poſtremò Rorem corpus eſſe haud ſatis perfectè mixtum, ſatíſve Heterogeneum, ad alimentum, nec durum Avis roſtrum factum eſſe ad tam faciles uſus, quàm ſit iſtiuſmodi mollis humoris pitiſſatio.

Ad quæ profectò neſcio quid *Cardanus* reliquíque reſponſuri ſint niſi hujuſmodi quid; ſe ſcilicet per Rorem intelligere magis unguinoſum Aëris humorem, qui, ut ubique pari forſan copiâ non ſit, itâ Aves has naturali ſagacitate præditas eſſe poſſe inveſtigandi ubi ſit. Rorem hoc ſenſu noctu pariter atque interdiu eſſe, perinde atque manè, & per omnes Anni tempeſtates, ac proinde conſtans humoris ac ſpirituum ſupplementum perpetuo ipſarum volatui adminiſtrari, quos eò copioſiùs imbibant propter hoc alarum exercitium: Craſſiores hujus humoris partes cohærentes in carnem mutari, plumarúmque levitatem tantam eſſe, ut ſuſtinendo ſeipſas haud valdè laborent. Quod aſpectui noſtro ſimplex eſt & homogeneum, ſatìs idoneum eſſe ad rudimenta Generationis (cùm omnia Animalia generentur ex liquore quodam puro & cryſtallino) ac proinde ſic eſſe poſſe ad Nutritionem. *Craſſulam* & *Semper-vivum Marinum* nutriri creſcerèque in aëre ſuſpenſum; *Lentémque paluſtrem* radices non altiùs immittere quàm paulò infra Aquæ ſuperficiem. Et poſtremò, Roſtra harum Avium commodiori inſervire volatui, aërem ſcindendo, ornatuíque inſuper meliori: etiam reſtitutioni plumarum turbatarum in debitos ſitus rectúmque ordinem dum in Aëre natant, pari facilitate atque Cycni ſuas roſtro plumas diſponunt dum natant in Fluviis.

9. Ad magnam illius inclementiam adversùs opinionem de *Incubationis* modo, hoc fortean reſponſuri eſſent; Rationem non uſque adeò ridiculam eſſe, ſed fortaſſis neceſſariam potiùs, ex eo quòd *Aldrovandus* ipſe non ſolùm admittit, ſed veram eſſe contendit, *Manucodiatas* nempe nullos prorſus habere pedes. Hinc enim manifeſtum eſt eas ad terram deſcendere eíque inſiſtere non poſſe, nec uſquam alibi ventribus incumbere & in volatum ſe rurſus erigere, quippe quæ nequeunt ex rupium foraminibus erepere, (ut faciunt Cypſeli nigri, aliíque id genus Apodes ob crurum brevitatem ſic dicti) cùm nullos hæ omnino habeant pedes quibus repant. Præterea, quemadmodum rectè argumentatur *Ariſtoteles* de longis cruribus Avium quarundam Aquatilium, quòd adeò longa facta ſint, quia ad *vadandum* in aqua ad piſces capiendos deſtinatæ eſſent, addens præſtantiſſimum iſtum Aphoriſmum, *De Part. Animal. lib 4. cap. 12.* Τὰ γὰρ ὄργανα πρὸς τὸ ἔργον ἡ φύσις ποιεῖ, ἀλλ᾽ οὐ τὸ ἔργον πρὸς τὰ ὄργανα· ità nos ſimiliter, inquient illi, cum ratione concludere poſſumus, ut longa crura harum volucrum aquaticarum eas deſtinatas innuunt ad Aquam frequentandam, ità crurum carentiam in hiſce *Manucodiatis* planè indicare eis nunquam deſcendendum eſſe in terram, quippe quæ illîc nec ſtare poſſunt, nec ambulare, nec ab ea rurſus avolando recedere. Et certè ſi nunquam ad Terram deſcendant, ullúmve locum alium ubi quieſcant, ubi, obſecro, poni poſſunt ova, eorúmve fieri Incubatio, niſi in dorſo Maris?

Ut præteream quantopere *Cardanus* hâc, in Natura rerum, ἀντιφωνίᾳ ſe oblectet: quòd utique, quemadmodum *Struthiocamelus* Avis eſt, quæ tamen nunquam in Aëre volat, ità hæc *Avis Paradiſi* ſemper degat in Aëre nec unquam ſuper Terram quieſcat. Et quantùm ad *Aldrovandi* præſumptionem à quinque diverſis Manucodiatis quas vidiſſet exortam, in quibus nullam ejuſmodi partium figurationem obſervare potuit quæ aptitudinem innueret ad talem Incubationis modum, *Cardanus* reſponſurus eſt, Meipſum ſcilicet tres unámque inſuper *Scaligerum* vidiſſe, nóſque ambos contra unum *Aldrovandum* conſentire.

10. Utut eſt, vides interim & *Cardanum* & *Aldrovandum* reliquóſque omnes uno conſenſu ſtatuere, *Manucodiatam* nullos omninò habere pedes, duo verò fila à cauda utrinque pendentia pari ſententiarum conſpiratione eam habere concludunt. Quod *Aldrovandus* in fœmina perinde atque Mare obſervari contendit, tametſi *Cardani* experientia eò nondum pertigiſſet.

11. Cæterùm *Pighafetta* & *Cluſius* grandi huic controverſiæ *Cardanum* inter atque *Aldrovandum* finem facilè impoſituri ſunt ſi verum ſit quod illi referunt, & de eodem genere Avium Paradiſi loquantur. Uterque enim pedes habere palmum longos affirmant, ídque cum confidentia, quantâ poteſt maximâ. Sed *Nierembergius* è contrà aſſerit, teſtem quendam oculatum qui unam harum avium de terra recens mortuam ſuſtuliſſet, ei narrâſſe nullos habere pedes. *Johnſtonus* etiam *Nierembergio* hac in re accedit, quanquam Incubationis modum explodit cum *Aldrovando.*

Sed enim, niſi Aves hæ ſe erigere poſſint de terra, rigiditate aliquarum pennarum in Alis, vel potiùs duorum iſtorum nervoſorum filorum beneficio, quæ, dum vivæ ſunt, ſpirituum influxu roborare poſſint, efficeréque ut inſerviant crurum loco, ad erigendum ſe de terra, perinde atque ad pendendum ab arboribus (cùm minimum quodvis momentum ad elevandum ſuſtinendúmque ipſarum leve ac plumoſum corpus in aëre valeat, ut exiguum quodlibet viminulum ad nos ſuſtinendos in Aqua) ipſe profectò ad teſtimonium *Pighafettæ* atque *Cluſii* inclinarem potiùs, quàm ad ſententiam reliquorum. Nautíſque iſtis haberem fidem, qui ei narrârant, crura per eos avulſa fuiſſe qui cepiſſent, & exenterare ſoleant & in Sole exſiccare vel ad proprios uſus, vel ut ipſas reddant venales.

Hiſtor. Animal. lib. 1. cap. 1. Quæ ſola concluſio honorem *Ariſtotelis* ſartum tectum conſervare poteſt qui tam confidenter jam olim pronunciavit, Ὅτι πτηνὸν μόνον οὐδέν ἐϛιν, ὥσπερ νευϛικὸν μόνον ἐϛιν θεῖν ἰχθὺς, * *Nullam eſſe Avem quæ volet ſolùm, ut Piſcis ſolùm natat.*

12. Atqui ſic hæc Avis Paradiſi è viſu prorſus avolavit evanuítque in Figmentum merum atque Fabulam. Quòd ſi quis fortè jacturam doleat tam demonſtrativi Argumenti pro Providentia quæ res alias aliis adaptet & ad ſcopum conſpicuum connectat, non me abſtinebo hîc quin liberè eum moneam, niſi majori admiratione Novitatis capiatur quàm indiſſolubilium rerum concatenationum diligentiori indagine, quòd ea ex hoc genere meditationibus ipſius ſuggeſturus ſim quæ æquè firmiter concludant; additurus inſuper in proprium dedecus ipſi ceſſurum eſſe, ſi æquè perſpicuam Illationem à vulgari veritate elicere nequeat, atque ab hiſtoria aut incerta aut conficta. Atque ob hanc quidem cauſam meritò quis me haud temerè feciſſe exiſtimaverit, quòd dubiam hanc Narrationem in medium protulerim, cùm tam ſeriam pariter ac jocundam monitionem caſtigationémque ſecum ferat.

Manucodiatæ paſtus ex rore, nulla pars eſt argumenti pro Providentia in hac Hiſtoria: ſed cùm tam eximiis Alis plumíſque inſtructa ſit, tantâ levitatis ſupellectile exornata, (ut loquitur *Nierembergius*) ut difficilius ei videri poſſit deorſum ſubſidere, ut ille autumat, quàm in aëre ſuſtineri; ut Avis iſti Regioni ità adaptata, nulla haberet crura quibus in terram inſiſtat, hæc profectò notabilis eſſet diſcriminantis Providentiæ indicatio, quæ datâ operâ omnia quæ inutilia ſunt & ſuperflua evitet rejiciátve.

Alterum notandum, quod certè admodum eſt notorium, Cavitas eſt in dorſo Maris & ſub pectore Fœminæ ad *Incubationem*.

Et tertium ac ultimum, uſus iſtorum Pilorum, ut *Cardanus* quidem exiſtimat, ad Aves commodiùs continendas in hac Incubatione.

Si hæ conſiderationes in miranda hac Hiſtoria tantopere te movent ad credendum *Divinam Providentiam*, moroſitati tuæ imputa non judicio, ſi eæ, quas in iſtarum locum ſubſtituturus ſum, nec ſunt niſi obviæ ac vulgares, eandem apud te vim non habuerint.

13. Etenim quòd *Piſces pedibus careant* (quemadmodum ſuprà notavimus) cùm abunde ipſis ſufficiant Pinnæ in tam craſſo Elemento quàm ſit Aqua, annon æquè luculentum hinc duci poteſt pro *Providentia* Argumentum, atque ex eo quòd Avis tam levis *pedibus careat* in tenuiori illo elemento Aëris, quippe cujus ſumma ſupellectilis levitas tenuitati illius elementi ſit approportionata? Et annon eadem Providentia cernitur ídque æquè conſpicuè, in aſſignando adeò *brevia crura* iſtis avibus quæ tum apud *Plinium* tum apud *Ariſtotelem* Apodes appellantur, (quippe quibus tam amplas fortéſque alas donavit, facultatémque tam diu volandi ac velociter) atque in *nulla omninò* donando crura *Manucodiatæ*, quæ adhuc majorem ad volandum vim habet, majorémque corporis levitatem?

Et quantùm ad *Cavitates* in *dorſo Maris* & ſub *pectore Fœminæ*, éſtne iſtud Naturæ propoſitum quicquam certius evidentiúſve quàm illud in Genitalibus partibus Maris atque Fœminæ in omnibus generibus Animantium? Quodnam majus argumentum Conſilii propoſitíque rem aliam alii adaptandi iſtoc uſquam eſſe poteſt? Et ſi interiorem velimus inſtituere indagationem de iſtarum partium Conformatione in qualibet Gallina, & conſiderare quonam modo aut quâ vi Ovum quod ad tantam molem accreverit ab Ovario per Infundibulum in proceſſus uteri tranſmitti poſſit (cùm membranæ adeò tenues ſint meatúſque adeò ſupra modum anguſtus & exiguus) *Principium* profectò illius motûs non poteſt quin æſtimetur planè *Divinum*. Et poſtquam *protuberantes mammas* papilláſque in fœminis Animantium cum *cavitate* ſub pectore fœminæ *Manucodiatæ* comparaveris, dic, quæſo, utrum ex iſtis Providentiæ *intelligentis* omniáque conſilio ordinantis luculentius pignus putes?

Et poſtremò, Quantùm ad fila, quæ exiſtimantur Marem fœminámque in ſua Incubatione continere, quantum profectò Nugamentum eſt ſi cum inviſibilibus iſtis funiculis nodíſque qui vulgares Aves ovorum ſuorum Incubationi illigant, conferatur; quippe quæ nullas viſibiles illecebras habent, quæ ipſas in tam faſtidioſo detineant miniſterio?

SCHOLIA

In CAP. XI. SECT. 4.

ARundini piſcatoriæ, longáque roſtra lineæ & hamo, &c. *Verba Ariſtotelis ſunt,* Καὶ γίνεται τοῖς τοιούτοις ὁ μὲν αὐχὴν καθάπερ ἀλιευτικὸς κάλαμος, τὸ δὲ ῥύγχος οἷον ὁρμιὰ καὶ τὸ ἄγκιστρον. *Itaque ſit, ut collo quaſi arundine piſcatoriâ, roſtro verò veluti lineâ & hamo utantur, quemadmodum reddit* Theodorus Gaza, Ariſtot. *de Part. Animal. lib.* 4. *cap.* 12.

Sect. 6. Atque annulus ille cupreus cum Græca Inſcriptione. *Rem totam ex* Geſnero *ſic habe. Lucius piſcis anno Salutis* M CCCC XCVII. *captus eſt in ſtagno circa* Haylprun, *Imperialem* Sueviæ *urbem : & repertus in eo annulus ex ære Cyprio in branchiis ſub cute, modicâ parte ſplendere viſus. Cujus Inſcriptio ſic erat,* Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς ταύτῃ λίμνῃ πάντοπρωτος ἐπιτεθεὶς διὰ τοῦ κοσμητοῦ Φεδηρίκου β. τὰς χεῖρας ἐν τῇ ε. ἡμέρᾳ τοῦ Ὀκτωβρίου, α. σ. λ. *Latinè ſonant (ſicuti* Johannes Dalburgus, Vuormacienſis *Epiſcopus interpretatus eſt) Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus per Mundi rectoris Federici ſecundi manus, die quinto Octobris (Anno Domini)* M CC XXX. Geſner. Nomenclat. Aquatil. Animal. *Part.* 4. *Huc alluſum eſt ; de Hiſtoria penès Authorem ſit fides.*

Sect. 11. Nullam eſſe Avem quæ volet ſolùm ut Piſcis ſolùm natat. *Nec dubito ſanè quin rectè hac in re conjectaverit* Ariſtoteles. *Nihil enim conjecturæ illius obeſt celebratiſſima* Manucodiatæ *fabula, quam ſic eſſe, aliquot poſt annos quàm poſteriorem hanc Antidoti editionem publicaviſſem, planè deprehendi. Nam Amicus quidam meus,* J. Mallettus *vir ſanè ingenioſus ac perhumanus, qui non paucas in* Indiam Orientalem *navigationes fecerat,* Avem Paradiſi *mihi dono dedit inter reliquas quas vocant Raritates exoticas, idémque ferè mihi narravit quod Nautæ dicuntur narrâſſe* Cluſio *ac* Pighafettæ, *crura nempe utplurimum ab eis qui capiunt, ſolere avelli. Mihi verò Avem integram cum cruribus exhibuit donavítque, per omnia illi quam deſcribit* Cardanus, *ſimilem. Excepto quòd nullam Cavitatem habeat, qualem fingit Cardanus (quam abeſſe nec ipſe miraturus eſſet ſi pedes conſpiceret unum palmum longos, quales profectò habet hæc mea Avis) nec unicum ſed duo fila, eáque non è cauda, quod ille ait, ſed è tergo enaſcentia, ſed eâdem ferè quâ ille deſcribit longitudine. Ille igitur vir probus atque ingenuus is fuit qui me plenè à vulgari iſto errore de* Manucodiatarum ἀποδίᾳ *primus liberavit. Cujus ideo nomen gratitudinis ergô hîc memorandum cenſui.*

CAP. XII.

1. *Non eſſe locupletius* Providentiæ *teſtimonium quàm* humani corporis ſtructuram. 2. *Quàm munita ſit* oculi *fabrica.* 3. *Exquiſitiſſima ipſius ad uſum ſuum adaptatio.* 4. Muſculorum *utilitas* Oculo *ſuperaddita.* 5. *Mirabilis* muſculorum *formatio per totum corpus.* 6. Cordis venarúmque *fabrica.* 7. *De* Dentibus *& de* Articulis brachiorum *&* crurum. 8. *De* poſterioribus *corporis* partibus *& de* Capite, Vertebris, Unguibus, Oſſibus, &c. 9. *Quòd eadem ex* Anatomia *omnium corporum, pro ipſorum conditione, evidentia eſt* Providentiæ *atque ex corporis humani.* 10. *Eorum ſtupiditas, qui ex his conſiderationibus non convincuntur.* 11. *De* Paſſionibus *in* Homine, *& particulatim de* Religione *ſive* Devotione. 12. *De* Paſſionibus Animalium *& quàm ipſis ſint utiles* ; 13. *Utì &* Homini *etiam. De ridicula* Antipathia *inter* Simium *&* Teſtudinem. 14. *Quàm inepta & fruſtranea Paſſio foret in Homine* Religio, *ſi nullus eſſet* Deus *aut* Spiritus *in Univerſo.* 15. *Enormis Naturæ error quo* Religionis *ſenſum* Humanis animis *inſeverit, ſi* non *ſit* Deus. 16. *Neceſſaria cauſa inordinationis in Natura humana.* 17. *Exquitiſſima Congruitas, ut talis in terris Creatura ſit, qualis eſt* Homo. 18. Totam Creationem *ſinguláſque illius* partes *irrefragabilem eſſe Demonſtrationem* Divinæ Exiſtentiæ.

1. CÆterùm nihil neceſſe erat tam longè in Naturæ operibus expatiari, & peregrè quaſi evagari ad quærendum argumenta pro Divina exiſtentia, cùm tam copioſè nobis domi ſuppetat, quod inveſtigatum ivimus foras. Neque enim locuple-

tius eſſe poteſt teſtimonium pro Deo ac Providentia, quàm ſit proprii corporis ſtructura atque fabrica. Mirando cujus artificio *Galenus*, quanquam naturali ſolo lumine imbutus, adeò captus eſt, ut non poſſet * quin Hymni honorem ſapientiſſimo illius Creatori adjudicaret. Formatio totius ſingularúmque partium tam evidens eſt exquiſitiſſimæ Opificis peritiæ argumentum, ut ſi omnia vellem proſequi quæ huc factura eſſent, equidem in integrum volumen excreſcerent. Pauca igitur tantùm ſubindicabo, cætera relinquens ab Anatomicis ſupplenda. Atque equidem neminem eſſe puto qui iſtius Artis peritus ſit, quin lubens profeſſurus ſit, quanto diligentiùs & accuratiùs corporis noſtri fabrica examinetur, tanto eam exquiſitiùs inventum iri Rationi noſtræ, judicio, votóque conſonam ac conformem: Ità ut, ſuppoſitâ eâdem Materiâ ex qua corpora noſtra facta ſunt, ſi in noſtra poteſtate fuiſſet nos ipſos feciſſe, nos non alios quàm quales nunc ſumus, formaturi fuiſſemus.

2. Qua de re ut exempla pauca particularia proferamus. Ut de *Oculis* putà. Eorum *Numerus*, *Situs*, & *Fabrica* talis eſt, ut nihil excogitare poſſimus addendum aut alterandum, quo aut pulchriores aut munitiores aut magìs utiles evadant. Quantùm verò ad ipſorum pulchritudinem, relinquere eam malo delicatis Ingeniis calamíſque Poetarum hominúmque amoribus deditorum, quàm argumentum tam molle atque tenerum violare ſtylo meo ſeveriori. Notabo tantummodò quàm tutò communiti ſint, aptéque formati ad eos uſus quibus deſtinantur. Frons & Naſus eos à gravioribus ictibus defendit. Cæterùm, cùm Oculus pars ſit adeò delicata, talíſque proinde neceſſariò cui res minutiores noxam afferre poſſint, ſudor frontis duobus iſtis pilorum *arcuatis ſertulis*, quæ *ſupercilia* vocamus, repellitur. *Palpebræque* præmuniuntur parvis quibuſdam rigidíſque ſetulis, tanquam præacutis ſudibus (in munimentis vallorum) contra culicum muſcarúmque impetus aliorúmque id genus Animalculorum. Præterea, *Superior Palpebra* ſubitò decidit, quippe æquè commodum munimentum atque Pons demiſſorius ſive Cataracta adverſùs Hoſtis importunitatem. Quod ſingulis etiam fit noctibus, ſive ad portas adſit inſtétque Hoſtis ſive ſecús. Tanquam ſi Natura in hac humani corporis Acropoli, Capite ſcilicet, Præſidium collocâſſet, expectarétque ut tales leges à Militibus Præſidiariis conſtanter obſervarentur, quæ ad publicam Incolumitatem, totius nempe Hominis ſalutem, maximè facerent.

3. Nunc verò, quantùm ad *uſum Oculi*, qui Viſus eſt, * manifeſtum eſt hoc Organon tam exquiſitè in hunc finem formatum eſſe, ut nè rem minimam addere noverit cujuſvis curioſitas. Nam, primùm, *Humores* & *Tunicæ* ſunt puri ac pellucidi, ad lumen intromittendum & colores impollutos miniméque adulterandos ullâ internâ in oculo tincturâ. Deinde, *partes* Oculi *convexæ* fiunt, ut multi illi radii ab uno Objecti puncto venientes in unum ſimiliter punctum in Oculi fundo dirigantur ibidémque coeant. In quem uſum *Humor cryſtallinus* magni momenti eſt, & abſque quo eſſet viſio admodum foret obſcura atque debilis. Tertiò, *Tunica Uvea* muſcularem habet facultatem, potéſtque dilatare & contrahere rotundum illud foramen in eo ſitum quam *Pupillam* Oculi vocamus, ad commodiorem moderationem tranſmiſſionémque luminis. Quartò, interna *Uvea* ſuperficies denigrata eſt inſtar parietum Sphæriſterii, nè Radii in *Retinam* incidentes, indè in *Uveam* reverberatæ, ab *Uvea* rurſus in *Retinam* reflecterentur; quia tales Repercuſſiones viſum magìs confuſum eſſent reddituræ. Quintò, Tunica *Arachnoides* quæ *Humorem Cryſtallinum* involvit, *Proceſſuum* ſuorum *Ciliarium* beneficio, protrudere poteſt vel retrahere pretioſam illam maximéque utilem Oculi partem, prout propinquitas diſtantiáve Objecti requiſiverit. Sextò & ultimò, Tunica *Retina* alba eſt, ad commodiorem ſinceriorémque ſpecierum quas vocant *Intentionalium* receptionem, ut charta alba maximè idonea eſt ad iſtiuſmodi Imagines per foramen recipiendas in Cubiculo obtenebrato. Si Ingenio humano facultas data fuiſſet hoc organon pro ſeipſo formandi fabricandíve, quid eſt quod excogitare potuiſſet magìs accuratum? Quamobrem merum motum Materiæ, aliámve ullam Cauſam cæcam ſupponere in tam accuratas rerum fabricas incidere potuiſſe, (Animantes enim ſubſiſtere potuiſſent licèt tam exquiſitis rationibus proſpectum ipſis non fuiſſet) equidem aut inſanire eſt aut ſtipitis inſtar ſtupere.

4. Atque *Oculus* profectò adeò jam perfectus eſt, ut credam Humanam Rationem facilè hìc ſubſtituram fuiſſe, propriúmque Artificium admiraturam: cùm enim facultatem haberet totum ſuum caput movendi ſurſum deorſum & in dextram ſiniſtrámque, potuit certè per imprudentiam putare abundè ſibi jam proſpectum eſſe. Natura verò, quippe Humanâ Ratione longè ſagacior, *muſculos* etiam *Oculis* addidit, ut nulla deeſſe poſſet perfectio. Frequens enim occurrit occaſio movendi oculos, Capite interim immoto, ut in legendo, accuratiúſve contemplando Objectum quodlibet ante

oculos poſitum. Atque ut hoc faciliùs magíſque exquiſitè fiat, hoc Organum non paucioribus quàm ſex diſtinctis muſculis inſtruxit.

5. Eſtque profectò hæc *Muſculorum*, non in Oculis ſolùm ſed in toto corpore, formatio res mirabilis. Etenim annon res mira eſt, ut caro noſtra ferè univerſa tam affabrè in partes diſtinctas formaretur, quarum Origines ac Inſertiones tam commodè diſpoſitæ ſint, ut alicui corporis parti cum facilitate movendæ inſerviant; útque partes corporis non ſolùm tam convenienter moverentur quàm ad deambulandum ſufficiat vitámque ſuſtentandam, ſed ſeipſas movere poſſint omnibus omninò rationibus quas comminiſci quis poteſt utilitatibus noſtris inſervituras? Poſſumus enim crura brachiáque jactare ſurſum & deorſum, antrorſum, retrorſum & in circuitum, ut illi qui ad Rotulam nere cernuntur Talparúmve grumos pedibus diſpergere. Ut taceam de Reſpiratione, de conſtrictione Diaphragmatis ad deprimenda Inteſtina, ampliandúmque iſtoc pacto Thoracem ut Pulmones ſatìs ſpacii habeant ad movendum, & de adminiculo internorum Muſculorum Intercoſtalium in profundis ſuſpirationibus, quando largiores Aëris hauſtus captamus ad refrigerandum Cor aut Amoris aut Doloris onere nimis gravatum; & de artificioſa Laryngis fabrica, muſculis tam bellè inſtructa ad vocis modulationem, ad ſermonem flexibilem auribúſque attemperatum, & ad molliſſimas ſuaviſſimáſque cantillationes. Et poſtremò de Natura adeò datâ operâ * Tendines ſecundorum Articulorum digitorum tum manuum tum pedum perforante, tantáque cum cura atque ſtudio, tertiorum Articulorum tendines per dicta foramina tranſmittente.

6. * Hiſce addere potes notabilem cordis formationem, duos illius ventriculos variáſque valvulas, ità factas ſitáſque, quemadmodum maximè conducat ad receptionem Sanguinis ejúſque tranſmiſſionem, qui per cor circuit, indéque calens tranſmittitur ad vivificandum fovendúmque reliquum corpus. In quem finem venarum etiam valvulæ factæ ſunt, ut ſanguis eò faciliùs ſurſum aſcendat.

7. Sed enim, eis potiùs rebus inſiſtam, quæ magìs faciles ſunt & vel ipſis Idiotis intelligibiles, qui, modò manuum articulos numerare poſſint, uſúmve noverint ſuorum dentium, facilè deprehendere poſſunt conſilium fuiſſe non caſum qui ipſos creavit. Cur enim tres Articulos in *Cruribus Brachiiſque* habemus, niſi quòd multo magìs è re noſtra foret ſic eſſe, quàm ut duos tantùm haberemus, aut quatuor? Et cur *dentes anteriores* inſtar ſcalpri ad incidendum acuti ſunt, ſed interiores lati ad conterendum, niſi quòd multò præſtet quàm ut omnes habeamus aut acutos aut latos, vel anteriores latos, interiores verò acutos? Et tamen vitam in deteriori iſta conditione, quanquam duriuſculè, ducere potuiſſemus. Porrò, Cur dentes tam convenienter collocati ſunt, vel potiùs cur non ſunt dentes in aliis oſſibus perinde atque in maxillis? Potuiſſent enim & alia oſſa dentium fieri capacia. Sed in promptu cauſa eſt: Nihil ineptè fit & fruſtrà, hoc eſt, Divina Providentia eſt quæ omnia rectè diſponit. Prætereà, ut internum prætermittam *Auris* artificium, cur extet illa externa illius fabrica, niſi quòd certò cognitum ſit ipſáque nos doceat experientia, eam ad commodiorem conducere Auditum?

8. His adjicere poſſim, Naturam *poſticas* corporis noſtri *partes* quibus inſidemus, maximè carnoſas feciſſe, ut allevamento noſtro ſic proſpiceret, naturaléque quaſi pulvinar nobis ſubſterneret, perinde atque Inſtrumenta pararet *Crurum* motibus atque *Tibiarum*. In *Capite*, *Occipitium* firmius craſſiúſque fecit, quippe quod aliis deſtitutum eſt præſidiis contra Caſuras aliáque Infortunia. *Spinam Dorſi* ex variis *vertebris* compoſuit, quò aptior fiat ad inflectendum, magíſque tenax ſit, & fracturis minùs obnoxia, quàm ſi ex uno oſſe continuo facta fuiſſet, ſine his cartilagineis juncturis. *Digitos* manuum pedúmque *unguibus* præmunivit, cùm tamen iſtam ſubſtantiam in extremitatibus primorum ſecundorúmque Articulorum emittere potuiſſet; quod futurum fuiſſet nec tam venuſtum, nec tam utile, quinimò moleſtum potiùs atque noxium. Et poſtremò, oſſa omnia ſenſu privavit, quippe quæ & ſui ipſorum & totius corporis onus ſuſtinere deberent. Ac proinde ſi ſenſum habuiſſent, vita certè noſtra ærumnoſa futura fuiſſet ac dolorifica.

9. Et quod noſtrâ cauſâ fecit, idem in formatione omnium aliorum Animantium pro ipſorum conditione eam ſimiliter feciſſe notiſſimum eſt. Adeò ut manifeſtum ſit *Divinam Providentiam* per omnium rerum ordines percurrere & quoquoverſum penetrare.

10. Ac proinde, cùm Res tam exquiſito artificio ac curioſitate formatæ ſint, ac ſi Sapientia vigilantiſſima quæ concipi poteſt, eis animum intenderet, eas ſic factas affirmare ſine ope ullius hujuſmodi *Principii intelligentis*, ſuámve exiſtentiam Caſui aliive alicui cæcæ Origini acceptam referre, eſt certè rem protervè ac moroſè aſſerere,

quia volumus aſſerere, & ſub prætextu evitandi *ſuperſtitionem*, in illud incidere quæ ſola res eſt quæ ſuperſtitionem ipſam inviſam reddit aut ridiculam, obſtinata nempe pervicáxque adhæſio opinioni, ſine omni Rationis adminiculo.

11. Et nunc quidem, poſtquam aptitudinem *partium* humani corporis ad bonum *totius* conſideravi, liceat tantùm pauliſper aptitudinem *Paſſionum* illius Animi ſive propriarum ſive ipſi cum reliquis Animantibus communium conſiderare, ut & *totius Hominis* aptitudinem quatenus eſt *pars Univerſi*, & tunc concludam.

Et certè manifeſtum eſt quòd *Ira* ità ſpiritus acuit animúmque accendit & *Hominibus* & *Beſtiis*, ut majori eos cum facilitate per iſtas difficultates quæ occurrunt, faciat perrumpere. *Timor* etiam periculis deſtinatur evitandis, *Spéſque* jucunda quædam præmeditatio eſt futuræ fruitionis & quaſi prælibatio, ut cùm Canis expectat donec Dominus ceſſaverit ab opilando deglubendóve ulteriùs Oſſiculum. Sed nulla eſt *Spes*, nec *Timor*, nec *Odium*, nec ulla peculiaris Paſſio ſive *Inſtinctus* in Brutis, qui ſit fruſtrá. Cur igitur exiſtimemus Naturam in *nobis* à ſcopo magìs erraſſe, quàm in ullis *aliis* Animantibus, aut tam ſolertem fuiſſe in fabricando *Corpore* noſtro, & tam omiſſo tamen animo aut ſucceſſu infelici in formandis *Animæ facultatibus*, ut ille *Timor* qui Naturæ noſtræ proprius eſt & peculiaris, *Divini* nempe *Numinis Metus*, fruſtrà eſſet; & jucunda illa *Spes* & *cæleſtia* Animi *gaudia* quorum Homo naturaliter capax eſt, cum ſeria mentis ſuæ *ſuſpiratione ad Deum*, nullum reale haberet Objectum in Univerſo; atque ſic Religioſus Affectus, quem Natura tam apertè Humanæ animæ inſevit, nulli uſui inſerviret, niſi ad ridiculum eum reddendum aut miſerum?

12. Neque enim de nihilo eſt, quòd *Lepus* adeò ſibi metuat à *Cane*, *Oviſque* à *Lupo*. Et ſi ſit ullus aut *Timor*, aut *Inimicitia* in aliquibus Animantibus, quarum nos ipſorum reſpectu rationem ullam haud facilè deprehendere poſſumus, meritò tamen eas noſtri fortean reſpectu tanquam rationi conſentaneas approbare teneamur, & tanquam bonis uſibus inſervientes. Cæterùm manifeſtum interim exiſtimo, *Sympathiam* & *Antipathiam*, *Amorem* & *Inimicitias*, *Averſationem*, *Timorem* & ſimilia, Cotes quaſi eſſe & Stimulos *Spiritûs vitæ* in *omnibus* Animantibus, & ex eo quidem quòd periculis & congreſſibus obnoxiæ ſint, *vires vitales* firmiùs indè preſſiúſque conſtringi, fieríque ut lautiori ſenſu præſentem ſapiant Incolumitatem, majoríque perfundantur voluptate, quòd tandem effugerint, quàm ſi nunquam incidiſſent in periculum. Quæ quidem res mihi præordinatæ videntur, etiam horum ipſorum Animantium cauſâ, ut calor illorum vitalis atque humor, non ſemper uno continuo inerti tenore ſubſibilans leniter bulliat, ſed exæſtuet aliquando majori cum murmure & inundet, *Igni vitali* præter ſolitum inflammato ex aliqua occaſione quæ emerſerit.

13. Cæterùm extra controverſiam eſt, ex iſtis peculiaribus Animalium *Paſſionibus* multas Homini utiles eſſe, (ut *Lacertarum inimicitiæ* cum *Serpentibus*) univerſas verò contemplativæ illius facultati magnopere gratificari, aliquas datâ operâ Animalibus inſitas videri ad riſum movendum *ſuæ Amplitudini*. Quid enim aliud *Natura* intendere potuit * in iſta inter *Simium* & *Teſtudinem* Antipathia; ut iſtud nempe Animal quod tam audacter videtur propter externam ſpeciei ſimilitudinem jus cognationis cum Homine ſibi vendicare, tam parum Ingenio animóque valeret, ut præ formidine ſe à *Teſtudine* fugâ proriperet, & vultu ærumnoſo admodum atque timido ſubinde reſpectaret, metuens nè inſequeretur, quemadmodum *Eraſmus* magìs fuſè facetéque totam denarrat Hiſtoriam.

14. Ut verò Natura *Homini* tam vehementem inſereret propenſionem ad *Religionem*, quæ eſt *Divini Numinis Reverentia*, nullo aut *Deo*, aut *Angelo* aut *Spiritu* in Univerſo exiſtente, tam fœda in ipſa foret Macula Admiſſúmve tam abſonum, ut nulla pro eo ſuppeteret Apologia. Nam ſi ſuperior aliqua rerum ſpecies eſſet, quibus, ut nobis Simia, ità nos ipſis riſum moveamus, aliquanto tolerabilius videri poſſet. Nunc verò nullus finis eſſe poteſt nec ludicrus nec ſerius hujus *Religioſi affectûs* in Homine, niſi aliquid ipſo *Divinius* in rerum Natura exiſtat. Quamobrem cùm *Religio* nulli alii rerum ſpeciei præter hominem quicquam commodi afferat, certè ipſi ſaltem aliquo modo conducere debet: Et tamen niſi Deus exiſtat, nihil homini magìs noxium eſſe poſſet, quàm ipſa ſit Religio.

15. Etenim ſive *externa* illius *Effecta* reſpicimus, cujuſmodi ſunt cruentæ Interneciones, Perturbationes, ſubverſionéſque Rerumpublicarum, Regnorum & Imperiorum, ſæviſſimæ hominum particularium Excruciationes ac Torturæ, Gentium integrarum extirpationes, exturbationéſve è juſtis ſuis poſſeſſionibus, quemadmodum in *America* contigit ubi truculenti *Hiſpani*, prætextu melioris Religionis in qua educati eſſent, præſtantioriſque *Americanâ*, miſellos Incolas tam vili pendebant, ut pro nihilo haberent cerebrum eis elidere fuſtibus, in eum ſolummodo finem, ut canes

ſuos carnibus ipſorum paſcerent, cum multis aliis inauditis id genus Immanitatibus: ſive *magnam* illam *afflictionem* conſideramus, quam ſevera iſta vitæ humanæ Gubernatrix *illis Animabus* affert quas occupaverit, territando utique eas Conſcientiæ horroribus, intricando infatuandóque quantùm ad liberum Rationis ſuæ uſum, & obicem ponendo amplioribus inquiſitionibus in jucunda Naturæ Arcana, anxias eis ſolicitudines immittendo, & inquietantes Timores circa ſtatum ſuum in vita futura, coercendo à fruendis naturalibus congruiſque præſentis vitæ oblectamentis, & fel immiſcendo omnibus mundanis gaudiis ac voluptatibus per aliquos Conſcientiæ ſcrupulos ac ſuſpiciones, quòd aliquid nunc perpetrent cujus eis æternùm poſtea ſit pœnitendum: ut præteream ineffabiles illos animi angores & conflictus quos ii ſubeunt, qui ad generoſiorem Religionis modum aſpirant, & ad *Divinæ naturæ* participationem anhelant, contenti quidem, quanquam cum infando profectò dolore, à ſeipſis quaſi divelli, ut uni fiant cum *Univerſali illo Spiritu*, cujus jus eſt omnia regere & gubernare; & præ inſatiabili deſiderio perveniendi ad juſtum illum decorúmque Animi affectum (*quo omnis Arrogantia in nobis penitùs ceſſat, omnéque quod Deo debetur, hoc eſt, omne quod nos aut habemus aut poſſumus, modo quodam* vivo ac ſenſibili *Deo attribuimus, nóſque plenè corditúſque nos ipſos nihil prorſus eſſe agnoſcimus, hoc eſt, æquè parum elati ſumus, propriámve gloriam hominúmque encomia non magìs ſapimus, quàm ſi nihil omnino feciſſemus, uſquámve exiſteremus in rerum Natura*) ſeipſos in tam torpidas Animi conſopitiones, vitæque quaſi extinctiones induunt, ut vel vivos ſepeliri longè minor cruciatus foret quàm iſtiuſmodi tenebroſis omnium gaudiorum vitæ privationibus, quàm iſtiuſmodi animum gravantibus, córque in neſcio quam caliginoſam Abyſſum deprimentibus mortificationibus onerari: ſive conſideramus, inquam, hos *internos Animæ angores*, ſive Atrocitates *externas* Religionis ergò perpetratas (Et certè *Religioſus Prætextus* homines ad iſtiuſmodi Immanitates animaturus eſt, quas nuda Ratio, ſimpliceſque Animi Paſſiones, quibus *Superſtitionis furor* non ſit ſuccenturiatus, nunquam auſuræ ſint aggredi) manifeſtum eſt, ſi nullus eſſet *Deus*, nec *Spiritus* nec *Vita futura*, longè conducibilius fore, ut nullæ tales propenſiones *Religioſæ* Humano generi ineſſent, quales ubique terrarum eſſe cernimus.

Nam Civilis *Magiſtratûs formido*, *mutuæ operæ* & auxilii *utilitas*, naturaliſque *morborum pœna* ac ſupplicium homines iſtiuſmodi *Juſtitiæ*, *Humanitatis* & *Temperantiæ* limitibus contenturæ eſſent, ut magìs ſinceram & imperturbatam fœlicitatem eis conciliaturæ ſint quàm cujus nunc ſint capaces, ab ullo Religionis commodo, quod aut Reipublicæ aut privato cuilibet homini indè accedat, ſuppoſito *quòd non ſit Deus*.

Quamobrem *Religioſus* hic *Affectus* quem *Natura* nobis inſevit, quiſque æquè altas radices in *Homine* agit quàm *Mortis timor amórve mulierum*, maximè enormis lapſus foret fœdiſſimáve ἀτεχνία quam illa poſſet committere; adeò ut tam turpiter in ultimo, quod aiunt, actu deficeret in hac humanæ naturæ formatione, ut plauſûs loco, digna eſſet quæ exſibiletur è Scena & ab omnibus explodatur, niſi *ſit Deus*.

16. Cùm verò cætera omnia tam ſapienter adminiſtraverit, propriam noſtram *Ignorantiam* potiùs ſuſpectemus, quàm immeritis iſtam afficiamus contumeliis, illúdque expectemus, quod receptum eſt in ſatìs probatis comœdiis, θεὸν utique ἀπὸ μηχανῆς. Nihil enim hunc nodum ſolvere poteſt præter *Divinum* aliquod *Numen*. Et tum demum agnoſcentes *Hominem* habitare quaſi in *Confiniis* Mundi *Spiritualis* & *Materialis*, (eſt enim *utriuſque Mundi Nexus*, ſicut rectè eum appellat *Scaliger*) tales eſſe vellicationes taléſque huc illuc, ſurſum deorſúmque diſtractiones confuſáſque rerum inordinationes minimè mirabimur, quippe qui in Confiniis duorum Regnorum degunt inquietationibus atque turbis maximè ſunt obnoxii. Atque hæc hactenus de *Paſſionibus* Animi humani, de eis perinde quæ eum corpori devinciunt deorſúmque deprimunt, atque de eis quæ ipſum elevant attollúntque versùs Deum. Nunc breviter de *toto Homine* agam quatenùs eſt *pars Univerſi*.

17. Equidem verum eſſe fateor, ſi nunquam in Orbe extitiſſemus, quòd nec unquam nos ipſos fuiſſemus deſideraturi. Nunc verò cùm inveniamus nos ipſos in Rerum Natura, cauſáſque ac rationes rerum examinandi capaces, non poſſumus quin concludamus Creationem noſtram opus fuiſſe *exquiſitiſſimæ Rationis* atque *Conſilii*. Etenim cùm tot notabilia Objecta ſint in Mundo, quæ facultates iſtas *Rationis* & ſolertis cujuſdam atque indagativæ *Admirationis* poſſint exercere, tale profectò eſſe debet membrum hujus *viſibilis Creationis* qualis eſt *Homo*, nè res iſtæ factæ videri poſſint fruſtrà. Et certè ſi *Homo* abeſſet, quis tunc ſupereſſet, qui *Cœlorum faciem* contempletur, qui miretur *tranſcurſus Cometarum*, qui *Tabulas* conficiat *motuum* Planetarum Stellarúmque fixarum, *altitudinéſque* earum ac *diſtantias* capiat Inſtrumentis *Mathematicis*,

maticis, qui commodos excogitet *Cyclos* ad computationem Temporum, variáſque *Annorum formas* conſideret, qui *Directiones, Stationes, Repedationeſque* Erraticorum Luminarium obſervet, atque indè luculentiſſimè ſeipſum edoceat de amœniſſimo illo ac veriſſimo Paradoxo, *Motu Telluris Annuo*, qui *aſperitates Lunæ* per Tubum *Dioptricum* intueatur, & ex umbrarum projectione *Montium* illius magnitudinem conjectet, qui pulchritudinem *Iridis* ſuſpiciat, *Halonem*, *Parelios* aliáque Meteora? Qui cauſas inveſtiget *Fluxûs* & *Refluxûs* Maris virtutúmque abditarum *Magnetis*, qui inquirat in Plantarum uſum, notétque varietatem *Sapientiæ* Primæ Cauſæ, in formando corpora, diverſóſque indendo Inſtinctus *Piſcibus*, *Volucribus* & *Beſtiis*? Et poſtremò, cum particulares *Sacerdotes* ſint inter Homines, ità, quandoquidem univerſum Genus Humanum ratione præditum eſt facultatéque inveſtigandi Deum, unus adhuc reſtat idémque eximius Creationis illius finis nobis detegendus, ut nempe ſit *Sacerdos* in hoc auguſto Mundi Templo, Precéſque ac Laudes magno rerum Creatori pro ſeipſo reliquíſque Creaturis effundat. Atque ſic omnia completa eſſe cernimus, aptáque ac ordinatim, ſine defectu ullo hiatúve, aut inutili ſuperfluitate, connexa.

18. Quamobrem cùm *tota Creatio* in genere, *ſingulæque* illius *partes* ità comparatæ ſint, ac ſi exquiſitiſſima *Ratio* ac *Scientia* eas formaverit, equidem æquè proclive eſt & conſentaneum concludere totum hoc *ſapientiſſimi Dei* opus eſſe, quàm primo aſpectu agnoſcere, inſcriptas iſtas *Urnas* ac *Numiſmata* ex terra effoſſas, non quidem *inſcientiæ Naturæ* effecta fuiſſe, ſed *Artificii humani.*

SCHOLIA

In CAP. XII. SECT. 1.

QUin Hymni honorem illius ſapientiſſimo Creatori adjudicaret. *Non quòd Carmen aliquod aut Hymnum Poeticum* Galenus *compoſuiſſet, ſed quòd Diſſertationem ſuam de* Uſu partium *Hymno comparet ad Aram cantato. Verba* Galeni *hæc ferè ſunt*; Ὥσπερ παρὰ τοῖς μελικοῖς ποιηταῖς στροφή τις ἐστὶ καὶ ἀντίστροφος, οὕτω καὶ τρίτος ἐπῳδὸς, ὃν ἱστάμενος πρὸ τῶν βωμῶν ᾖδεν, ὥς φασιν, ὑμνῶν θεούς. Ἐκείνῳ τοίνυν εἰκάσας τὸν λόγον τόνδε, τὴν προσηγορίαν αὐτοῦ μετήνεγκα. *Epodo hic planè ad Deorum aras cantato ſermonem ſuum de* Uſu partium *in humano corpore aſſimilat.*

Sect. 3. Manifeſtum eſt, hoc Organon tam exquiſitè in hunc finem formatum eſſe, &c. *Vide figuram Oculi illiúſque illuſtrationem, Enchirid. Metaphyſ. Cap.* 24. *Sect.* 9.

Sect. 5. Tendines ſecundorum Articulorum digitorum tum manuum tum pedum perforante, &c. *Vide rurſus Enchirid. Metaphyſ. Cap.* 24. *Sect.* 10.

Sect. 6. Hiſce addere potes notabilem cordis formationem, &c. *Fabricam Cordis etiam in Enchiridio Metaphyſico Valvularúmque ejus pariter atque Venarum breviter memoravimus, ſed nullis adhibitis figuris, quas igitur hîc ſubſtituemus. Eſto igitur Cor tranſverſim inciſum* A A. *in quo appareat dexter ventriculus* B B. *ſiniſter* C C. *Septum Cordis* D D. *Vena Cava cum ſua Auricula* E F. *Vena arterioſa* G. *Arteria Venoſa cum ſua Auricula* H. *Aorta* I. *Sit porrò Vena Cava cum ventriculo dextro diſſecta* K. *ubi valvulæ Tricuſpides* L. *Vena verò Arterioſa ſit diſſecta cum dicto ventriculo* M. *& valvulæ Sigmoides* N. *Arteria magna ſive Aorta cum ſiniſtro cordis ventriculo diſſecta* O. *valvulæ Semilunares* P. *denique Arteria venoſa cum dicto ventriculo diſſecta* Q. *valvulæ duæ Mitrales* R. *Quibus omnibus adde Venæ figuram* S. *cum ſuis valvulis tum unis ut in* T. *tum geminis ut in* U. *Quæ ità fabricantur ut ſanguinem è corpore verſus Cor aſcendentem tranſmittere poſſint, impedire verò nè relabatur. Omnis igitur ſanguis è corporis partibus tandem per oſtium venæ Cavæ in dextrum Cordis ventriculum* B. *immittitur, nec relabitur propter Valvulas Tricuſpides* L L L. *quæ in cordis ventriculum ſpectantes ſanguinem facilè intromittunt, ſed eidem prohibent regreſſum: egreditur igitur per oſti-*

um



um Venæ arterioſæ in Pulmones, nec in eundem ventriculum regurgitat, propter valvulas Sigmoides NNN *foras ſpectantes, quæ illius impediunt regreſſum. Pergit igitur per pulmones in ventriculum Cordis ſiniſtrum quem Valvæ Mitrales* R R *eò facilè tranſmittunt, nec ſinunt eum relabi, quippe quæ foris intrò vergunt. Igitur ex ſiniſtro Cordis ventriculo per oſtium Aortæ in corpus tandem refunditur, nec regurgitat quidem ob ſemilunarium valvularum fabricam* PPP. *quæ è ſiniſtro ventriculo foras ſpectant. Hoc ſcilicet Naturæ Artificio Circulatio Sanguinis perficitur.*

Sect. 13. In iſta inter Simium & Teſtudinem Antipathia, &c. *Rem totam, quam hîc moneo, copioſâ feſtivitate narrat* Eraſmus. *Et* Johnſtonus *quidem eandem Hiſtoriam ſed breviter & quaſi obiter narrat, addens, Si* Limacum *Corona Simio circumponatur, quòd eos nec comprimere nec attingere audeat. Unde videri poteſt Teſtudinem capiti pueri impoſitam, quod narrat etiam* Eraſmus, *de Cochlea intellexiſſe; ſed probabilius eſt Eraſmum Teſtudinem intellexiſſe propriè ſic dictam, quippe quam catenæ alligatam Simium dicit averſum poſterioribus pedibus tentâſſe depellere. Nec obſtat, quòd Teſtudinem ait puero in verticem impoſitam pileo tectam fuiſſe, ſunt enim Teſtudines tam parvæ ut facilè pileo poſſint tegi. Et Antipathia ſanè ſatis ridicula eſt licèt de Teſtudine narratio accipiatur non autem de Cochlea; mihi verò perinde eſt utro modo res intelligatur. Vide* Eraſmi Amicitiam, *&* Johnſtonum *Hiſtor. Natur. de Quadruped. lib.* 3. *Titul.* 2. *cap.* 2.

ANTIDOTUS
Adverſùs
ATHEISMUM.

LIBRI TERTII
CAP. I.

1. Quando cum viris bonis non optimè agitur in hac vita, inſigniora Divinæ Vindictæ Exempla in impios homines ac blaſphemos parùm valere ad convincendum Atheum *obſtinatum. 2. Irreligioſa Scommata & Sacrilegia* Dionyſii Syracuſani. *3. Incredulitatis* Atheorum *circa res Supernaturales & Miraculoſas occaſio. 4. Vera* Miracula *in Orbe fuiſſe perinde atque falſa: 5. Queque ratio optima ſit & certiſſima diſtinguendi altera ab alteris.*

1. HActenus iſtiuſmodi argumentis inſtitimus ad probandam *Divinam Exiſtentiam*, quæ ab ordinariis notíſque Naturæ Phænomenis deſumpta ſint. Talis enim eſt Hiſtoria *Plantarum*, *Animalium*, & *Hominis*. Ad iſtiuſmodi Effecta jam venio in Orbe reperta, quæ *Naturalia* non habentur ſed extraordinaria & *miraculoſa*. Inopinatas non intelligo Homicidiorum detectiones, vindictámve conſpicuam in homines ſuperbos ac blaſphemos, quales erant *Nicanor*, *Antiochus*, *Herodes*, & ſimiles, cujuſmodi exemplis omnes Hiſtoriæ tam ſacræ quàm profanæ refertæ ſunt, tendúntque omnia ad firmiùs humanis animis imprimendum Divinum illud Poëtæ præceptum,

Diſcite juſtitiam moniti & non temnere Divos:

Quanquam enim hæc exempla non poſſunt non eos movere qui nullo laborant præjudicio, ad agnoſcendam Divinam Providentiam, Poteſtatémque Materiâ ſuperiorem ab eáque diſtinctam; mihi tamen cùm nunc res ſit cum contumaci obſtinatóque *Atheo*, qui contemptor licèt Divini Numinis obduratus, ſeipſum incolumem eſſe fœlicíque frui otio obſervat, is certè facilè hæc omnia amolietur atque eludet, talem afferendo quæſtionem qualem olim iſte cui cùm *Neptuni* Sacerdos multa illa donaria à votorum damnatis naufragióque ereptis in Templo ſuo ſuſpenſa oſtendiſſet, multúmque proinde de illius Dei poteſtate ac tutela gloriatus eſſet, *Ubi verò ſunt iſti*, ait ille, *qui tametſi Neptuno vota perinde feciſſent, nihilominùs tamen perierunt?* Ità, inquàm, *Atheus* ad evadendam hujus argumenti vim apud ſeipſum ſubmuſſitabit, At verò *quàm multi ſuperbi blaſphemique Athei mihi ipſi ſimiles, tulerunt impunè, quámque multi qui boni viri ſunt habiti, violentâ morte perempti ſunt*?

Quales erant *Æſopus* & *Socrates*, *Prophetæ*, *Apoſtoli*, & *Martyres*, cum multis aliis ſapientibus boníſque viris per omnia ſecula ac loca, qui cùm haud ſatìs ingenium callerent malignum atque contumax hujus impii Mundi, cujus meritò ſe profeſſi ſunt non *cives* ſed *hoſpites* atque advenas, maxima quidem mala paſſi ſunt quæ in humanam cadunt naturam ex innocentibus ſuis conſiliis & interpoſitionibus in *aliena Republica.*

publica. Quippe quum ità, utplurimum, factum ſit, ut longè eſſet tutius cautè aſtutèque honorem Dei ſubruere, quàm apertè ſincerèque ea moliri quæ in bonum publicum hominúmque ſalutem cedant.

2. Quinimò, atroces contumeliæ in Religionem datâ operâ editæ, urgebit porrò *Atheus*, non tantùm plauſu apud homines exceptæ ſunt, ſed & per Divinæ Juſtitiæ conniventiam manſerunt impunitæ: Quemadmodum notiſſimum eſt de ſacrilego illo Ingenio, *Dionyſio Syracuſano*, qui *Jovi Olympio* pretioſum pallium auro rigidum admodum & ponderoſum detraxit, ſcomma hoc apologeticum ſuo addens ſacrilegio, Aureum iſtud veſtimentum nimis grave eſſe æſtate, hyeme verò nimis frigidum, laneum verò ad utramque anni tempeſtatem eſſe accommodatius.

Ità *Epidauri* auream barbam *Æſculapio* abſcindi juſſit & auferri, affirmans, nequaquam par eſſe ut filius barbam habeat, cùm illius Pater *Apollo* haberet nullam.

Atque equidem nec iſtud ulli reliquorum ſuorum ſcommatum ſacrilegorum feſtivitate cedit, ubi *victorias aureas* & pateras & coronas ſimulachrorum Deorum manibus porrectas auferens, dixit, ad facti excuſationem, ſe non niſi ea recipere, quæ ipſi ultrò ſibi offerebant; addens porrò, ſummæ fore ſtultitiæ, quando omnia bona à Diis immortalibus petimus, nolle accipere cùm propriis manibus ſponte nobis ea porrigunt.

Hæc atque hiſce ſimilia facinora irreligioſa perpetravit iſte *Dionyſius*, cui tamen nihil ſecùs contigit atque maximè modeſtis & innocentibus, quippe qui nullam aliam mortem oppetiit, quàm quæ frequenter accidit cæteris mortalibus; tanquam ſi iſtis in ſeculis magna fuiſſet *ingenii*, ut olim heic in *Anglia*, *Latinitatis* penuria, atque ſic ſeveriorem effugiſſet ſententiam beneficio *Clericatûs*. Alii verò exiſtimant eum * ſatis ſeverè atque acerbiter punitum fuiſſe in filio qui ſucceſſit. Cæterùm, id, reſponſurus eſt Atheus, non abſimile eſt atque flagellare abſentem, quod *Ariſtoteles* argutè, apud quendam qui ipſi narrabat quempiam de eo abſenti peſſimè loqui, uſurpavit.

Quamobrem conſultius duxi talia argumenta prætermittere, quæ nos adeò infinitis altercationibus illigare poſſint; eáque ſolùm afferre, quæ in nullas cauſas naturales ſolvi queant, aut exiſtimari caſu contingere, ſed adeò miraculoſa ſint ut præſentiam implicent alicujus liberæ, ſubtilis intelligentíſque ſubſtantiæ à bruta Materia ordinariáque Naturæ potentia diſtinctæ.

3. Atque hæc *miraculoſa* certè *Effecta* quod attinet, quemadmodum nihil eſt quod magìs cogat, ſi fidem apud homines obtinere poſſent, ità nihil eſt iſtis apud *Atheum* creditu difficilius. Etenim cùm *Religioniſtæ* in pios uſus, ut ipſi quidem prætendunt, miracula falſa tam multa finxerint ad decipiendum ſpoliandúmque credulum populum, eo ipſo profectò apud *Atheum* omnem fidem etiam eis quæ vera ſunt abrogârunt. Et puerilis ac ſuperſtitioſus *Dæmonum* metus in hominibus *Melancholicis* qui mira monſtra & terribiles Apparitiones ſibi ipſis in tenebris creant, ulterius etiam perfugium eis ſubminiſtravit quo omnia iſtiuſmodi ſpectra Apparitionéſque inſolitas *meræ Melancholiæ* turbatæque *Imaginationi* imputent.

4. Sed enim verò, ut tam univerſalis fama ſit ac formido illius quod nunquam fuit, nec eſt, nec futurum eſt unquam in rerum natura, equidem mihi miraculum omnium maximum eſt.

Etenim niſi aliquando *vera* fuiſſent *miracula* (quemadmodum certè fieri oportet, niſi humani Animi facultates, qui aurem iſtiuſmodi rebus pronam præbet approbátque, ſint fruſtrà) valde improbabile eſt ſacerdotes callidóſque populi deceptores, tam facilè ipſis imponere potuiſſe per *falſa*. Ut *Alchymiſta Metalla* nunquam adulteraturus eſſet, ac pro vero poſtmodum puróque auro & argento venditurus, niſi notiſſimum eſſet & apud omnes in confeſſo, quòd ſit *verum* Aurum & Argentum in rerum Natura. Pari igitur ratione ut eſt ſtudium conatúſque deludendi populum per *falſa* miracula, ità certè indicium eſt fuiſſe aliquando & eſſe poſſe *vera*.

5. Cæterùm regeres, *Lydium* quidem eſſe *lapidem*, quo metallorum puritatem exploremus, nihil verò ſuppetere quo veritatem dignoſcamus miraculorum paſſim apud Hiſtoricos memoratorum. Sed reſpondeo, ſuppetere, atque hoc ipſum eſſe.

Primò, Si quod memoriæ proditum eſt, à talibus hominibus atteſtatum erat, quorum nihil intererat * quíve nullam ſibi utilitatem quærebant in iſtiuſmodi rebus atteſtandis.

Secundò, Si multi ejuſdem rei teſtes oculati fuerunt.

Tertiò & ultimò, Si res iſtæ quæ adeò inſolitæ ſunt atque miraculoſæ, * ſenſibilia aliqua effecta poſt ſe relinquant.

Quanquam omnes iſtas Narrationes quæ hiſce conditionibus careant, falſas eſſe nolo agnoſcere, hoc tamen audacter affirmo, meram eſſe moroſitatem animíque obſtinationem ſiquis earum veritatem negaverit, quæ dictas conditiones habeant. Idem enim eſt atque ſi nulli rei fidem adhibere vellet, niſi quam propriis oculis ipſe vidiſſet. Unde ſequetur eum nullas Hiſtorias legere debere, neque enim ulli voluptati uſuíve ſibi eas fore, ſi nullam mereantur fidem.

SCHOLIA

In Cap. I. Sect. 2.

Satìs ſeverè & acerbiter punitum fuiſſe in filio, &c. *Sic enim* Valerius Maximus; *Qui tametſi, inquit, debita ſupplicia non exolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Filius enim poſt ſaginam corporis ex nimia luxuria, oculorúmque valetudinem, adeò ut non ſolem, non pulverem, non denique ſplendorem ipſius lucis ferre poſſet,* Syracuſis *pulſus regnóque exutus ſordidiſſimum vitæ genus degit, puerôſque docuit Ludimagiſtrum ſe profeſſus quo ſuam inediam levaret. Qua de re* Ovidius;

Ille Syracuſia modò formidatus in Urbe
Vix humili diram reppulit arte famem.

Cujus abjectiſſima conditio ſi patrem mortuum non latebat, quod quidem fieri poteſt, non multùm abnuente ipſo Ariſtotele, *ni malè memini, in* Ethicis *ad* Nicomachum, *anima* Dionyſii *calamitatibus filii torqueri potuit. Sed cùm hoc animorum Immortalitatem ſupponat, argumentum fateor huic loco haud ità eſſe proprium.*

Sect. 4. Quíve nullam ſibi utilitatem quærebant, &c. *Adde, nec ſubornati ſunt ab eis qui talem aliquem finem ſibi propoſuerint.*

Senſibilia aliqua effecta poſt ſe relinquunt. *Adde, Et certum ſit hæc effecta à Narratore non ficta eſſe, aut ab ipſo aliòve quæpiam facta &* Dæmoni Spirituíve *imputata. Quod in hujuſmodi putà exemplo fieri non poteſt. Puer effaſcinatus fœminam ſagam ſubitò clamat ſe videre ad parietem, digitum in ipſum locum intendens, è præſentibus quiſpiam cultro iſtum locum percutit, Puer ſtatim exclamat manum fœminæ ſauciatam eſſe viderique cruentam; qui præſentes erant, domum adeunt dictæ fœminæ, eámque deprehendunt ea ipſa in parte recèns vulneratam. Hoc effectum nec fictum eſſe nec ab ipſa ſaga factum manifeſtum eſt.*

CAP. II.

1. *Motus cribri per carmen* Magicum, Coſcinomantia. 2. *Equi curatio* Magica. 3. *Incantatio* Serpentum. 4. *Mirum exemplum cujuſpiam* Morte-icti *ſive* ſiderati, *dum in Plateis ambulabat.* 5. *Hiſtoriola de vento repentino, quo propè abſuit ut* Patibulum *corrueret, in ſuſpenſione duarum Sagarum.*

1. Atque his quidem præmiſſis, pauca aliquot ex multis illis miraculoſis eventis, quæ apud Scriptores occurrunt, breviter nunc recitabimus, incipiendo primùm à nudis ſimplicibúſque *Spirituum* (quemadmodum ea in anteceſſum appellare non dubitabo) effectis, & tum poſtea ad ipſorum *Spirituum Apparitiones* pergemus.

Et ex *nudis* iſtis *effectis* ea primùm non abſtinebimus nominare quæ leviſſima videantur. *Bodinus* refert ſe in domo clariſſima vidiſſe adoleſcentem, qui intactum cribrum ſine alio naturali & latente modo, præſentibus multis honeſtis viris agitavit, enunciatis ſolummodò & reiteratis ſæpiùs voculis aliquot *Gallicis*, quas reticendas *Bodinus* putavit. Et quantùm ad vulgarem iſtam *Divinandi* rationem quam *Coſcinomantiam* (ſive artem cognoſcendi quis hanc vel illam rem clàm ſurripuerit, aut violaverit, per *cribrum & forficem*) appellant, *Pictorius Vigillanus* ter eâ ſe uſum eſſe profitetur & cum ſucceſſu.

Mag. Dæmonoman. lib. 2. cap. 1.

De Speciebus Magiæ Ceremonialis. c. 21.

2. Amicus quidam meus hanc Hiſtoriolam de Incantamentis mihi narravit. Se equum ſcilicet habuiſſe, qui ſi prorſus ſanus fuiſſet, magno futurus fuiſſet pretio. Famulos hunc ad multos Hippocomos adduxiſſe, neminem verò eâ fuiſſe peritiâ ut ipſum ſanaret. Tandem, Domino inſciente, ad Hippiatrum deduxerunt, qui ut videtur technas aliquot haud ità vulgares callebat, quippe qui in *Carminibus Magicis* aliiſque id genus Ceremoniis verſatus eſt, quarum virtute equo ſanitatem reſtituit. Dominus ejus poſtquam obſervaverat quàm bellè equus ſe haberet, rogavit ſervos quonam modo curatus ſit. A quibus cùm rem totam accepiſſet, obſervâſſetque inſuper, literam S. cluni ipſius inuſtam, (quam ille *Satanam* ſignificare arbitratus eſt) ſervos ſatis ſeverè objurgabat, quippe qui feciſſent quod illicitum eſſet atque impium. Poſt apertam hanc ac profeſſam facti improbationem, equus continuò in priſtinum morbum relabitur, adeò ut cùm nulli uſui eſſet, coactus ſit Dominus in libera paſcua relegare. Cæterùm cùm paulo pòſt Affinis quidam illius eum domi inviſeret, equúmque fortè fortuna in paſcuis conſpexiſſet, pactus de pretio equum ſibi cepit, magnopere gaudens, ſe tam pulchrum Animantem tam vili pretio emiſſe. Equus ſtatim atque Dominum mutaverat, mutavit ſimul corporis habitum, & æquè ſanus ſponte factus eſt, atque unquam antehac fuerat.

De Præſtig. Dæmon. lib. 2. c. 4.

3. *Serpentum* etiam *Incantatio* ſupra vires Naturæ eſt. Et *Wierus* hiſtoriam narrat de Incantatore *Saltzburgi*, poſtquam in conſpectu populi omnes Serpentes in vicinia ad milliaris diſtantiam in foveam *carmine* perduxiſſet, ibíque occidiſſet, quòd immanis tandem ſerpens longè major reliquis in eum inſiliret, & cinguli inſtar circa corpus ejus ſeipſum torquens, in foveam traheret eúmque ſic ibidem poſtremò enecaret.

4. Illud etiam non dubitabo ad *Dæmonum* ſive *Spirituum* Effecta referre, quod haud ità pridem à muliere quadam *Weſtmonaſterienſi* * cui nomen erat *Darkia*, de proprio ſuo Marito accepi, qui in flore ætatis, corpore ſano & integro, animóque hilari, cùm ex ædibus manè exiiſſet, cum propoſito domum redeundi ad prandium, dum in plateis ambulabat, ſenſibiliter percuſſus eſt in crure à manu inviſibili, (neminem enim prope ſe vidit qui eum percuteret.) Domum quidem rediit, ut decreverat, circa tempus prandii, ſed nihil comedere potuit, tantùm conqueſtus eſt de gravi Infortunio quod ipſi acciderat, incepitque continuò tam lethaliter ægrotare, ut intra triduum moreretur. Poſtquam defunctus eſſet, reperta eſt in loco ubi percuſſus eſt, perfecta manûs humanæ figura, cum quatuor digitis, palma ac pollice, atra & in carnem profundè impreſſa, ac ſi quis manum expanſam in maſſam farinariam imprimeret.

Atque hactenus quidem nihil narratum eſt quod non accuratiſſimam examinationem ferre poſſit, & ab omni ſuſpicione aut *fraudis* aut *melancholiæ* abſolvi. Sed res mirabiliores jam propoſiturus ſum, & tamen tales quæ ab iſta ſuſpicione æquè immunes ſint atque priores.

De gentibus Septentrional. lib. 3. ſub Tit. De Magis & maleficis Finnorum.

5. Et ut Ventos taceam Mercatoribus à Sagis *Laplandiæ* venditos, & periculum ſolvendi nodum tertium (qui mos admodum frequens erat, ut refert *Olaus* antequam iſtæ Orbis partes ad Chriſtianitatem eſſent converſæ) hâc verâ in præſens contentus ero Hiſtoriolâ de hiſce Ventis præternaturalibus, quam à teſte oculato accepi. *Cantabrigiæ*, anno neſcio quo *Elizabethæ*, duæ ſagæ Mater & Filia, extremo ſupplicio plectendæ erant. Mater quando eam hortabantur ut pœnitentiam ageret & deſereret Diabolum, reſpondit, Id minimè æquum eſſe, cùm enim ille per ſexaginta annos continuos ipſi fidelem ſe præſtiterit, affirmabat ſe talem illi præſtare velle quamdiu vixerit; atque in hac perverſa animi obſtinatione moriebatur. Illâ verò de patibulo ſic ſuſpenſâ, filia cùm aliter affecta eſſet, diabolo renunciavit, ſedulámque dabat operam pœnitentiæ ac precibus. Quod quidem populus, ex effectu, Diabolum arbitratus eſt admodum inclementer tuliſſe, quippe tam repentinus venti impetus ingruit, (cùm cœlum omnino tranquillum erat antea) ut matris corpus in ſcalam tam violenter impulerit, ut parum abeſſet quin eam ſubverteret, patibulúmque tantâ vi quaſſaverit, ut populus cogeretur accurrere ad poſtes patibuli tenendos præ metu nè omnia humi corruerent.

SCHOLIA

In Cap. II. Sect. 4.

CUI nomen *Darkia*, de proprio ſuo marito accepi, &c. *Nec ipſa ſola mihi narrabat hanc Hiſtoriolam, ſed duæ aliæ præterea Teſtes oculatæ (filia ni fallor & ancilla) idem affirmabant.*

CAP. III.

1. Ventos *&* Tempeſtates *ex ſolis Ceremoniis verborúmve formulis cieri.* 2. *Quàm parùm rationi conſentanea ſit* Wieri *de Dæmonum poteſtate in Meteora Aeris, dubitatio.* 3. *Poteſtatis illorum exempla in* Pluvia *&* Tonitruo. 4. Margaretta Warina *in quercum cum fulminis fragore diſploſa.* 5. Amantius *&* Rotarius *è nube in ædium culmina præcipites dejecti.* 6. *Venefica* Conſtantiæ *in Aere equitare à paſtoribus viſa.* 7. *Multa alia exempla ſe addere poſſe mirandorum Effectorum Dæmonum inviſibilium.* 8. *Quorum loco compendiaria factorum notabiliorum* Dæmonis Matiſconenſis *ſubſtituitur Recitatio.* 9. *Rationes cur ſibi hujus Recitationis negotium faceſſerit.*

1. W*ierus*, induſtrius ille Lamiarum advocatus, multas enumerat Ceremonias quibus utuntur ad ciendas tempeſtates, agnoſcitque Tempeſtates poſt peractas iſtiuſmodi Ceremonias ſolere ſequi; ſed futuras nihilominus fuiſſe contendit, quamvìs iſtæ Ceremoniæ non fuiſſent adhibitæ. Diabolum verò futuras prævidentem, deluſas inſtigare vetulas ad iſtis Magicis ritibus utendum, ut majorem de illius poteſtate opinionem indè poſſint concipere. Sed enim an ulla ſit cauſalis connexio inter Ceremonias & inſequentes Tempeſtates nolo nimis curioſè decidere. Connexionem verò earum eſſe ſupernaturalem manifeſtum eſt vel primo intuitu. Quid enim valet ſilicum poſt tergum, Occidentem verſùs, projectio, Arenæve aquæ torrentis in Aërem diſſeminatio? Quid ſcopæ in Aquam intinctio cœlúmque verſùs aſperſio? Quid lotii aquæve in foſſulam factam infuſæ digito commotio, ſetarúmve denique porcinarum coctio in olla? Quid, inquam, iſta nugamenta valent ad cogendas nubes & ad cooperiendum Cœlum caligine, quo Terra poſtmodum fumet à caſu impetuoſo Pluviæ atque Grandinis, Aërque terribilis reddatur præ crebris Fulgurationibus & Tonitruis? Nihil certè omninò. Ac proinde inſequentes Tempeſtates, poſt tales Ceremonias peractas, ipſarum utique Inſecutionem, aut ex præviſione Diaboli, (quemadmodum vult *Wierus*) fieri oportet, qui Sagas huic operi illigaverit, aut etiam ab ipſa Diaboli poteſtate qui Regnum ſuum habet in Aëre.

Wier. de Præſtig. Dæmon. lib.3.cap.16.

2. Admodúmque equidem demiror, quòd *Wierus* de hac poteſtate dubitet, cùm majorem illi tribuit. Quid enim eſt vaporum tranſvectio in unúmve locum coactio, ſi cum deportatione hominum pecorúmque in Aëre conferatur; (quod tamen ille fieri præſidenter aſſerit) niſi fortè aut majores Dæmones aut major Dæmonum numerus ad hoc opus requiratur? Et quòd ſufficientes numeri *Spirituum* ſint, cuivis æquè credibile videbitur, quàm quòd ſint ulli omninò. Jam verò quantùm ad hujuſce rei veritatem, quòd certæ quædam voculæ aut Ceremoniæ *videntur* ſaltem alterationem in Aëre efficere & ciere Tempeſtates, *Remigius* ſcribit ſibi atteſtatum fuiſſe liberis confeſſionibus hominum ferè ducentorum, quos examinavit. Ubi Hiſtoriolam unam & alteram addit, quas, cùm nullius aut *fraudis* aut *Melancholiæ* meritò ſuſpectæ eſſe poſſint, dignas cenſui quæ hìc memorentur.

De Præſtig: Dæmon. lib.3. c.12. l.4. c.19. Vide & Bodin: Mag. Dæmon. lib.2. c.4.

3. Una eſt de Venefica, quæ ad ſatisfaciendum curioſitati eorum, penès quos erat eam punire, è vinculis liberata eſt ut ſpecimen ederet illius poteſtatis quam profitebatur, in excitandis tempeſtatibus. Manumiſſa igitur ſtatim in locum arboribus confertum ſe recipit, ubi propriis digitis ſcrobem ſibi effodit, implétque lotio, quod digito in orbem movere non ceſſavit, donec craſſam ac caliginoſam Nubem produxiſſet, fulgure & fulmine oneratam, maximo cum aſpectantium terrore ac formidine. Juſſit verò illa, bono animo eſſe, Faciam enim, inquit, ut nubes, in quem ipſi voletis locum, ſe exoneret, quod & præſtitit in conſpectu omnium qui adfuerunt.

Remig. Dæmonolatr. l. 1. c. 25.

Altera Hiſtoria eſt de puella annos octo nata, quæ ut patri gratificaretur de anni ſiccitate conquerenti, ductu & auxilio peſſimi ſui *Magiſtelli* cui mater eam devoverat conſecraverátque, tantam nubem excitavit, quanta paterno agro irrigando ſufficeret, eámque in ipſum effundendam curavit, reliquis interim quaquaverſum perinde atque antea ſitientibus.

4. Hiſce addamus illam de *Cunino*, & *Margaretta Warina*. *Cuninus* hic dum in agris fœno vertendo intentus erat, repentinum obortum eſt Fulmen ac Tonitruum, quod fecit ut relicto opere domum feſtinaret. Viderat enim ſex quercus proximè ſe ictu fulminis radicitùs everſas, ſeptimámque totam ceu unguibus laceratam ac diſcerptam; pileum præ feſtinatione, furcámque & raſtrum è manibus elapſa amiſit.

Vide Remig. Dæmonolatr. lib.1. cap.29.

Nec tamen curſum ità acceleravit, quin alter de integro fulminis fragor ipſius auribus circumſtreperet, cum quo fragore *Margaretam Warinam*, ſuſpectam Veneficam, in ſummitate Quercûs hærentem ſtatim aſpexit, quam incepit objurgare verbiſque acerbioribus increpare. Illa verò eum vehementer obteſtata eſt ut rem celatam haberet, promittens, ſi fecerit, nullum damnum injuriámve ipſi à ſe unquam illatum iri.

Ac nè quis de iſtis addubitet, inquit *Remigius*, ſciat non modò eſſe comprobata *Cunini* illius teſtatione, quam jurejurando apud Quæſtorem ſanctiſſimè firmavit, ſed etiam ipſius *Warinæ* agnitione, & extra tormenta, ſæpiùs repetitâ & in ipſo vitæ ultimæ momento multis audientibus confirmatâ. *Remigius* eam in ſummitatem Quercûs * cum ultimo fulminis fragore diſploſam putat, ibique inter ramos hæſiſſe, ad ſic credendum aliis duabus Hiſtoriis inductus, quas poſtea narrat.

5. Prior ſic eſt: Coortâ cum magno fragore tonitribúſque tempeſtate qui armenta reliquóſque pecorum greges in collis *Alemanni* jugo cuſtodiebant, ſe ut in operto eſſent, iu proximas ſylvas abdiderant: Ecce verò illis ex improviſo viſi ſunt Ruſtici duo ſummis arborum, quæ proximè ſtabant, ramis hærentes, ac velut implicati, adeóque animis conſternati ut facilè indicarent illuc non conſilio ſed caſu atque inauſpicato aliquo impetu perveniſſe. Tum autem veſtitûs fœditas ac depravatio quaſi per lutum ſentéſque omnes fuiſſent raptati, ſuſpicionem adaugebat eò loci à *Magiſtello* ſuo ejectos detruſóſque fuiſſe, poſtquam is illos hâc atque illâc more ſuo traxiſſet. Confirmabatur & id eò magìs, quòd cùm illîc tanto temporis ſpacio conſediſſent, quantum ſatìs eſſet ad probandam aſſerendámque oculorum fidem, momento tamen advertentéque nemine dilapſi apparere deſiiſſent. Famam hujus rei Armentarii diſſeminârant. Illius verò certitudo non multò pòſt plenè cognita eſt. Nam liberæ horum duorum hominum, quos tunc viderunt, confeſſiones cùm tam accuratè cum eis quæ Armentarii narraverant, conſentirent, rem totam manifeſtam id reddidit & indubiam.

Poſterior igitur Hiſtoria eſt de eiſdem perſonis, quarum & ipſa nomina ex narratione apud *Remigium* mox innoteſcent. Quæ ſic eſt; Eſt villa, inquit, quæ ſe *Bellemonte Vitellium* contendentibus ſiniſtrorſum oſtendit: In ejus ſummum tectum cùm fortè & iidem è proceſſoſa nube præcipites decidiſſent, magnâque difficultate *Rotarius* (id erat eorum alteri nomen) afficeretur, quemadmodum ex ità arduo loco ſe incolumes poſſent in terram demittere; nam & earum rerum adhuc erat rudis & inſolens; *Amantius* qui à prima pubertate in Dæmonis ſervitutem à parentibus abductus maturè ſe eis aſſuefecerat, ridens ibi infit, *Bono animo es, ſtulte: Nam qui nos habet ſuâ poteſtate ad difficiliora habilis atque idoneus magiſter, hoc etiam negotium facilè ac ſine periculo expediet.* Nec dictum res diutiùs morata eſt; nam ſubito turbine unà correpti ſine ulla noxa in terram ſunt depoſiti, ipſâ totâ ſic contremiſcente domo ut à fundamentis revelli videretur. Hócque ipſi, diverſi, totidem tamen verbis recenſuerunt. Imò & cum villaticis commiſſi, de die déque tumultu ac trepidatione domi inter eos liberè & conſtanter convenit. Hæc eſt narratio *Remigii* verbatim ex eo deſumpta.

Bodin. Mag. Dæmonoman. lib. 2. cap. 8.

6. Unicam tantùm inſuper hoc genus narrationem addam ex *Bodino*, de Saga agri *Conſtantienſis*, quæ cùm videret omnes ſui pagi incolas in nuptiis convivari & ſaltare, ægrè ferens quòd non fuiſſet eò vocata, ſe per diabolum clarâ luce ſpectantibúſque paſtoribus curavit in collem exportari propinquum pago; & quia aquam non habebat quam in ſcrobem à ſe effoſſam injiceret, ut cieret tempeſtatem (nam hunc ritum ſaſſa eſt obſervari) emiſit lotium, & illud in ſcrobe movens ſermones quoſdam pronunciavit: mox cœlo, quod ſudum ſerenúmque fuerat, obſcurato, grando vehementiſſima ſolummodo in pagum & in ſaltantes irruit, Saga verò in pagum reverſa eſt; eâ itaque viſâ, tempeſtatem ab ipſa accitam fuiſſe crediderunt omnes, eâque captâ Paſtores pro teſtimonio dixerunt ſe vidiſſe cùm in aere tranſveheretur: quod illa accuſata evictâque agnovit, & viva igni fuit tradita.

7. Equidem abundare poſſem hoc genus exemplis, (ſupernaturalia intelligo effecta *Apparitionibus* miraculoſis incomitata) ſi omnia in medium proferre vellem quæ mihi narrata ſunt, aut ab ipſis teſtibus oculatis, aut ab eis qui narrationes immediatè ab ipſis acceperant. Ut verbi gratiâ, De lateribus circa conclave circumgeſtis, ſine ulla manu viſibili. De multitudine lapidum ſtatis diei horis à tecto in pavimentum dejectorum per aliquot menſes continuos, omni illius loci populo ſpectante & admirante. De ollis à foco ſublatis, rurſúſque igni impoſitis, nemine interim manum admovente. De celeri ac violenta operculi Arcæ reciprocatione, nemine ipſum tangente. De ſublatione linteorum, dum inſolabantur, tam altè in Aërem, ut mappæ

& lodices ſudariorum inſtar viderentur, idque tunc cùm nullus erat ventus, ſed cœlum tranquillum & ſerenum. De feneſtris tantâ vi noctu percuſſis, ac ſi omnes in fruſtula diſſilirent, fragmentorum vitreorum tinnitu per totam cubiculi aream diſcurrente, idque ad quadrantem horæ continuum, cùm tamen feneſtræ ſolidæ repertæ ſint mané. * De ciſtis diligenter obſeratis, ſeipſáſque ſponte reſerantibus, linúmque ex ſe emittentibus. De pane ultrò ſe à ſedili deturbante. De Calopodiis muliebribus de pavimento ſponte inſurgentibus, & in adſtantem populum involantibus. De pectine in feneſtra in duas partes ultrò diſſiliente, fragmentis in facies hominum involantibus. De cultri etiam inſurrectione ab eodem loco, cum manubrio antrorſum projecto. De lapidibus etiam in domo ultrò citróque projectis, ſed neminem quem tetigerint lædentibus, cum multis aliis rebus quas nimis prolixum eſſet, cum debitis ſuis circumſtantiis repetere, minúſque neceſſarium, cùm jam publicè extent tales Narrationes quæ abundè hujuſmodi exemplorum nobis ſint ſuppeditaturæ.

8. Inter quas Hiſtoria illa *Franciſci Perreandi* de impuro *Spiritu*, qui ædes ſuas *Matiſconæ* in *Burgundia* infeſtavit, tum propter rerum varietatem, tum propter certitudinem Narrationis, * ad noſtrum quidem ſcopum apprimè utilis eſt. Etenim, tametſi *Dæmon* ſub viſibili forma adſtantium aſpectui nunquam apparebat, præſentia tamen ejus rationibus admodum palpabilibus deprehendi potuit, propter varias petulantias luſúſque quos exhibuit. Ut in diducendis retrahendíſve noctu lecti cortinis, & avellendis periſtromatis. In januis obtrudendis detinendíſve contra alterum egreſſum molientem, & in volvendis craſſioribus lignis. In pulſationibus rerúmque projectionibus in Parietis laquear. In modulationibus cantillationibúſque avium imitandis, & in cantilenis canendis obſcœnis ac profanis. In repetenda, altâ voce, oratione Dominica & ſymbolo Apoſtolico. In ſimulandis vocibus ac dialectis variarum Perſonarum, ut & clamoribus Venatorum, Ranarum coaxationibus, ſermonibúſque Præſtigiatorum & Agyrtarum. In ſcommatis & irriſionibus ſaliúmque aſperſionibus, cujuſmodi eſt iſte de *Valleſia*, ubi dixit, perpulchra fieri *ſupercarbonamenta* ex veneficarum carnibus, ad quod ſtatim admodum altos ſuſtulit cachinnos. In ſalutationibus impertiendis nomine Amicorum longinquè habitantium, & in Hiſtoriis narrandis de præliis atque cædibus. In rebus apud ipſos detegendis qui occultò eas perpetraverant. In exprobranda venerabili Theologo, turpi cantilenâ, quam cantaverat in Oenopolio.

In jactando verſandóve panni quinquaginta ulnarum volumento. In turbandis filorum laneorum alabratorum foraginibus, vellendíſque hominibus operæ intentis per tunicas retrorſum. In projiciendo cuipiam in faciem pileo ſuo dum domi ſedebat dormiens, & in eripiendo candelabro è manu ancillæ. In rebus intricandis talibúſque nodis connectendis quos impoſſibile eſſet cuiquam ſolvere, cùm tamen ipſe quaſi momento eos ſolvit. In exturbanda culcitra, ſtatim atque lectus conſtructus eſſet, in mediam cubiculi Aream, & in tollendo libros de cuneis in Muſeo. In ſtrepitu excitando inſtar multorum ſclopetariorum ſimul explodentium, & in ſonitu imitando Comptorum Cannabis quaternorum ſimul pulſantium. In componendis ſonis Muſicis per duas Campanulas quas inter rubiginoſa ferri fragmenta in ædibus repererat, quibus non ſolùm illic uſus eſt, ſed in multis aliis locis, quarúmque ſonitus quaſi in Aëre prætereuntium à multis auditus eſt quanquam nihil interim videbant. In occultandis Gemmis Inſtrumentíſque Aurifabri ad tempus, & demittendis poſtmodum ex Aëre in menſam. In lapidibus projiciendis ultrò citróque in domo, * ſed ſine ullius noxa, ut in priori Narratione. In verberanda in lecto Ancilla recens conducta, & aqua ipſi in caput effundenda donec ex domo eam abegiſſet. Et poſtremò, in trahendo Leguleio quodam per brachium in medium Conclavis, illícque celeriter circumtorquendo in ſummum pedis digitum, & dejiciendo poſtmodùm violenter in terram.

Hæc eſt brevis Epitome notabiliorum facinuſculorum inviſibilis iſtius *Dæmonis Matiſconenſis*. Nam, quantum memini, nè ſemel quidem viſus eſt ſub ulla forma toto hoc tempore, niſi is fuerit in quem *Lullierus* & *Kepayus* in Plateæ angulo inciderunt, habitu fœminæ Ruſticæ, fuſúmque ad lumen Lunæ torquentem, quæ ſtatim atque illi appropinquaverant, ex ipſorum conſpectu evanuit.

9. Negotium hoc mihi faceſſi haſce res tranſcribendi, partim quia ad detegendam hoc genus ſpirituum naturam tantopere conducunt (quippe quum hæc effecta ſuſpicionem ſubminiſtrant, quaſi is haud multùm à ſcopo aberraverit, qui eos *Homines Aereos* auſus ſit appellare) & partim propter tum copiam tum congruentiam Hiſtoriæ cum præſenti argumento ; ſed præcipuè denique propter veritatem ac certitudinem Narrationis omni exceptione immunem. Quippe quum factorum horum inſolitorum

rum obſervatio * ab una perſona ſolitaria facta non ſit ſed à multis ſimul, nec à perſona ſuſpectæ integritatis, ſed ſingularis gravitatis, innocentiæque vitæ, ídque non remiſſo animo atque credulo, ſed cautè & diligenter, explorando utique ſingulos ædium angulos, omnibúſque oſtiis ac feneſtris obices peſſulóſque apponendo, ipſáque felium foramina obturando, ut nullus relinquatur locus ſuſpicioni Impoſturæ. Adde, candelam noctibus ſingulis per totam noctem arſiſſe, locáque interdiu, unde vox venerit, explorata fuiſſe omniáque inibi jacentia ídque à diverſis perſonis. Ex quibus locis cùm *Simeon* quidam *Meſſonier* inter alia utrem ſecum abſtuliſſet, Dæmon ſtatim altâ voce hominem riſit, quòd ſe adeò *ſtolidum* putaret, ut ſe in utrem indueret, quippe qui ſic illius pollice facilè poſſet illìc incarcerari. Et poſtremò, harum rerum experientiam habitam fuiſſe non ſemel atque iterum, ſed ſerè quotidie per tres minimùm menſes continuos.

Veritati mirabilis hujus Narrationis *Canis* etiam *ſilentium*, ulterius perhibet teſtimonium, quippe qui, cùm aliàs admodum vigil eſſet, promptúſque ad latrandum ad leviſſimum quemlibet ſtrepitum, ad canoras tamen loquelas vocéſque ac ſtrepitus immanes *Dæmonis* nunquam latravit. Quod & ipſe profanus *Lemur* notavit, perquam petulanter affirmans, ſic factum eſſe, quòd *ſigno crucis* caput ejus ſignaverit, nam totus tunc in hilaritatem effuſus erat jocíſque ac ſcommatis multùm ſcatebat.

Quibus omnibus porrò addere potes, *Reverendi* ac eruditi viri *P. Du-Moulin*, Patris Doctoris *Du-Moulin*, acutámque ac ſolidam filii ſui excultiſſimi ratiocinationem, in ſua Præfatione ad *Franciſci Perreandi* Narrationem, nempe, *Quòd familiaris hæc Dæmonis converſatio in Angulo non erat aut in Deſerto (ubi Veneficarum Melancholia ſupponitur efficere ut imaginentur ſe cum ipſo converſari) ſed in medio magnæ Civitatis, & in domo in qua magnus quotidie hominum concurſus erat quo eum audiant loquentem, & in qua homines contrariarum Religionum convenerunt, quorum pronitas mutuò inurendi aliquam dedecoris notam parti diſſentienti, occaſionem dedit rem exquiſitiùs examinandi pleniúſque confirmandi illius veritatem, tum per Magiſtratum tum per illius loci Diœcetam.*

Et poſtremò, Ut nihil deſit quo Increduli convincantur, Teſtimonium adjungemus eruditiſſimi illius nobiliſſimíque viri *R. Boylii*, qui cum ipſo *Perreando Genevæ* converſatus eſt, ubi ab ipſo libri ſui nondum impreſſi exemplar accepit, ubique opportunitatem habuit accuratiùs inquirendi tum in Scriptorem ipſum tum in multa libri ejus loca. Atque equidem adeò abundè ſibi ſatisfactum eſt, ut profiteatur omnem illam obſtinatam, ad fidem adhibendam rebus mirabilibus ac inſolitis tarditatem, ſpeciali hac demonſtratione fuiſſe ſuperatam.

SCHOLIA

In Cap. III. Sect. 4.

CUM ultimo fulminis fragore diſploſam putat, &c. *Verba* Remigii *ſunt:* Ecce de integro, audito fulminis fragore, illi viſa eſt in ſumma quercu, quæ in propinquo erat, hærere mulier, quâ (ut credibile eſt) nubes ſe eo impetu exoneraverat. *Quod tamen non ſic accipiendum eſt acſi nubes eam violenter ejeciſſet terram verſùs, ſed quòd Dæmon aliquis eam ad fragorem fulminis eò detuliſſet. Nam in ipſius Capitis titulo eſt,* Sortilegos à Dæmonibus per Aërem deferri, demúmque in terram innoxio caſu, ac qualis ſolet Avium, lapſione placidâ quietâve deponi.

Sect. 7. De ciſtis diligenter obſeratis ſeipſáſque ſponte reſerantibus, &c. *Hoc & ſubſequentia Eventa cum aliis nonnullis, diligentiſſimè examinata per virum eruditum & prudentem hujuſmodique rerum valde incredulum, eum adeò perſuaſum reddiderunt de* Dæmonum *exiſtentia ac* Sagarum, *ut abſtinere ſe non potuerit quin idem agnoſceret per literas apud Amicum propriâ ſcriptas manu.*

Sect. 8. Ad noſtrum quidem ſcopum apprimè utilis eſt. *Nec certè minùs utilis eſt, huic quippe valde affinis, de* Dæmone Tedworthienſi *Narratio, quam vir ingenioſus pariter atque doctus harúmque rerum haud indiligens explorator* Joſ. Glanvillus, *ipſe aliquot petulantiarum quas iſte Dæmon commiſit teſtis oculatus, haud ità pridem literis mandavit publicavitque. Vix enim unquam apparuit ſub viſibili forma iſte Dæmon, quanquam multa eáque evidentiſſima ſuæ præſentiæ dedit indicia ut* Dæmon Matiſconenſis. *Sed non erat adeò loquax. At verò Tympani ſtrepitu (unde &* Tympaniſta Tedworthienſis *vulgò dictus eſt) totas ædes frequentiſſimè opplebat. Ut oſtiorum & parietum præteream pulſationes,*

tiones, ſonóſque cavos ac turbinoſos ſupra ædes in Aere, Tinnitus nummorum paſſim in ædibus, Felium purritus, Togarum ſericarum, incedentis quaſi Matronæ alicujus, crepitatiunculas, Ambulantium in areis conclavium ſtrepitus, ut & per ſcalarum gradus aſcendentium, Canis etiam admodum fortiter crebritérque anhelantis, & Ferrarii ſoleas equi pedibus affigentis, & naſum cuidam in Lecto cubanti forcipe ſubinde prenſitare tentantem imitantis. Adde denique culcitrarum tanquam ferreis unguibus ſcalptarum ſonitus, modulatóſque pulſus Tympani in aerem paulatim ſublati. Hi ſoni ſtrepitúſque facti ſunt nemine apparente qui faceret.

Quin & motus viſibiles miri erant & inſoliti. Fulcrorum ſpondarúmque Lectorum ac Feneſtrarum Cubiculorum conquaſſationes, Oſtiorum apertiones ſubitaneæ, & cubantium in lecto, ſimul cum culcitris, elevationes, Tabularum etiam Reciprocationes ſpontaneæ & deambulationes Cathedrarum, calceorúmque puellarum ſupra capita jactationes, & capillorum vellicationes, omniúmque mobilium in ædibus ultrò citróque trajectiones. Hiſce adjice de gladio colluctationem, in diverſúmque tractionem, Bacillum lecticarium cuidam è manu extortum, & in terram violenter projectum, Candelas abreptas & etiamnum ardentes per caminum in aerem ſublatas, Flammulas, lampadum inſtar, per cubicula diſcurrentes, effuſáſque in lectos matulas cineréſque aſperſos, & ferri fragmenta acuta, cultróſque ibidem injectos. Hæc fuere indicia præſentiæ Dæmonis Tedworthienſis, *quanquam ipſe ſub nulla forma viſibili apparuit in ædibus præterquam ſemel, idque ſubobſcurè quantùm ad corporis figuram, mole autem immani erat, & duobus oculis amplis & rubris igneíſque terribilis.*

Atque hæc pauca quidem abſtinere me non potui quin curſim brevitérque excerperem è dicta Narratione, quippe quâ nihil magìs certam magíſve atteſtatum exploratúmque in rebus humanis reperiri poſſe cenſeo, adeò ut dum hæ turbæ fiebant, (& durabant certè ad biennium & ampliùs) robuſta, *uti appellari amant,* Ingenia *meminerim coactos fateri, eſſe quidem quoſdam quaſi* Homines Aereos, *ſed nullam ſubſtantiam immaterialem ipſorum corporibus ſubeſſe. Paucos verò poſt annos quàm hi tumultus Dæmoniaci deſiiſſent, illi malè ſibi metuentes ab* Hominibus *hiſce* Aereis *nè Spirituum propriè dictorum notitiam neceſſariò ſecum inferrent, conſultiùs putàrunt rem totam præſidenter negare, addiderúntque ipſum* J. Mompeſſonium *(is eſt in cujus ædibus turbæ hæ Magicæ contigerunt) Impoſturam fuiſſe faſſum eſſe,* Joſephúmque Glanvillum *in eadem jam omninò eſſe ſententia. Quæ tamen utraque falſiſſima ſunt; quemadmodum ſatìs conſtat ex literis* Mompeſſonis *ad* Glanvillum *miſſis. Tantúmque abeſt ut* Glanvillus *de hiſce Turbis ſententiam mutaverit, ut publicè nuper profeſſus ſit novam ſe moliri Narrationis ſuæ editionem. Ut taceam res ipſas tales eſſe ut earum veritatem ſupprimere non poſſent, ſi vellent, aut in dubium jam vocare. Ut ſatìs cuivis conſtare poteſt, qui Narrationem* Glanvilli *attentiùs legerit, ſuámque ad me Epiſtolam eidem ſubnexam. Ubi omnes Objectiones quas aut alii aut ipſe excogitaveram, ingenioſè ſolidéque diluit. Quas nimis prolixum eſſet hîc in medium proferre, cùm & longiùs jam excurrerim quam putàram.*

Sed ſine ullius noxa ut in priori Narratione, &c. *Quod idem factum eſt etiam à* Dæmone Tedworthienſi: *Nam baculum Lecticarium in Miniſtrum ſic projecit, ut in ſuram incidentis ictum non magìs ſenſerit quàm ſi floccus lanæ in eam delapſus fuiſſet. Nec lapſus quoquoverſum ſe revolvit, ſed continuò ſubſtitit. Quod indicio eſt, eò potiùs perlatum à* Dæmone *quàm projectum fuiſſe.*

Sect. 9. Ab una perſona ſolitaria facta non ſit, &c. *Nec ab uno quidem calamo ſcripta; Nam* Marcellinus *Concionator* Matiſconæ *eandem Hiſtoriam literis mandavit.* Tornúſque *Teſtis oculatus, ſpectatórque aſſiduus ludorum hujus Dæmonis, Narrationem ſcripſit propriâ manu ſignatam, quam* Perreandus *penès ſe cuſtodiebat.*

Canis etiam ſilentium ulterius perhibet teſtimonium, &c. *Idem etiam obſervatum eſt in turbis* Tedworthianis, *cùm ſtrepitus maximè ſonorus erat, ingrueràtque cum maximè ſubitanea ac inopinata violentia, nullus tamen* Canis *linguam movit.*

CAP.

CAP. IV.

1. *Supernaturalia effecta obſervata in liberis effaſcinatis Dominæ* Throgmorton, *&* *Dominæ* Muſchamp. 2. *Quæ potiſſimùm in utriſque communiter notatu ſint digna.* 3. *De* Dæmoniacis *Monialibus* Uuerteti, Heſſimonte, &c. 4. *Famoſæ illius Abbatiſſæ* Magdalenæ Cruciæ *Hiſtoria*; *Inutilia ejus ac ludicra* miracula. 5. *Veneficam eam fuiſſe, & per triginta annos Diabolo nuptam.* 6. *Hiſtoriam illius nec* Sacerdotum *figmentum fuiſſe nec* Melancholiæ *deluſionem.*

1. TRanſibimus jam ad iſta Effecta ſupernaturalia quæ obſervantur in perſonis effaſcinatis vel obſeſſis. Atque hujuſmodi ſunt Rerum futurarum prædictiones: Enarrationes, quid hi vel illi agant ac loquantur, æquè perfectæ, ac ſi perſona obſeſſa juxta ipſos eſſet, cùm tamen in una oppidi extremitate ſit, domi reſidens, iſti verò qui ſic agunt & colloquuntur, in altera. Capacem eſſe videndi quoſdam, alios verò non. Chartis ludere cum una certa perſona, neminémque interim aſſidentium apud menſam præter eam cernere valere. Agere ac ſermocinari, & ultrò citróque deambulare, narraréque de rebus quid futurum ſit, quídque in eis ipſis obſeſſionis paroxyſmis contingat; & tum poſtmodum, ſtatim atque obſeſſus ſive effaſcinatus ex eis emerſit, non recordari quicquam omninò, ſed de eorum ſalute, tanquam abſentium, interrogare, quorum facies jam modò videbatur intueri, cùm paroxyſmo detinebatur. Quæ quidem omnia nullius rei præterea ſymptomata eſſe poſſunt aut ſigna, quàm quòd Dæmon in corpus hominis ingreſſus ſit, omnéſque Animæ ejus operationes ſuſpendat, ut ſic ipſe agat, loquatur, ludátque pro libitu in miſello domicilio in quod ſe intruſit, corporis organis utens pro ſuo arbitratu ad iſtiuſmodi facinuſcula ludóſque exhibendos qui captum, robur & agilitatem hominis effaſcinati obſeſſive longè excedant.

Hæc quidem omnia ad plenum confirmantur prolixis ac faſtidioſis Obſervationibus in Detectione Veneficarum *Warboiſenſium*, in agro *Huntingtonienſi*, recitatis, Anno 1594. Quarum rerum memoria etiamnum recens conſervatur Concione Anniverſariâ *Huntingtoniæ* quotannis habitâ per unum aliquem è Sociis *Collegii Reginalis* in *Cantabrigia*.

Nuperrimè etiam in lucem prodiit Narratio, quomodo Dominæ *Muſchampiæ* liberi exercitati ſint, ac vexati veneficiis, in *Cumberlandia*, quæ huic de liberis Dominæ *Throgmorton Warboiſenſis* valde ſimilis eſt.

2. Quod communiter in utriſque notatu maximè dignum videtur, hoc eſt, Quòd nempe in *Paroxyſmis* ità affecti ſunt tanquam ſi nullam in corporibus Animam haberent, quicquid verò *operationis, Senſûs, Rationis Motûſve* in ipſis ineſſe videatur, ad illos omninò non pertinet, * ſed Inquilini illius eſt totum, qui in iſtos ſe induit. Nam ſtatim atque Paroxyſmus præterivit, ità fit ac ſi tam altùm dormiviſſent, ut de nulla omninò re ſomniarent, ac proinde nihil eorum recordantur quæ dixerint aut fecerint, aut ubi fuerint; quemadmodum manifeſtum eſt ex infinito exemplorum numero in prædictis Narrationibus.

Vide Wier. de Præſtig. Dæmon. lib.4.cap. 10.

3. De veritate quarum rerum heic domi, cùm tam liquidò nobis conſtet, majori cum ſecuritate eis rebus fidem adhibere poſſumus quæ geſtæ ſunt foris. Exempli gratiâ, Obſeſſioni *Dæmoniacarum* Virginum *Uuerteti* occluſarum, earúmque in *Heſſimonte*, & aliarum porrò non procul à *Xanctis*, & in aliis adhuc locis. Ubi abundè Teſtium oculatorum erat qui obſervarent, quàm miris modis eſſent exercitatæ, quippe quæ ſupra hominis caput de terra evehebantur, & in humum viciſſim delabebantur ſine noxa; In arbores conſcendebant pari agilitate atque feles, in earúmque ramis hærebant; Carnes ſibi avulſas habebant ſine ulla manu inſtrumentóve viſibili: cum multis aliis veſanis ludis, quos haud ità fas eſt nominare; cui verò libuerit, eos ſatis fusè memoratos legere poterit apud *Johannem Wierum*.

De Præſtig. Dæmon. lib.6. c.6.

4. Ad alia Veneficii Effecta tranſire vellem, cujuſmodi ſunt Cultrorum, Sphærularum, Capillorum, & Clavorum in faſcinatorum corpora immiſſiones, niſi harum *Monialium* mentio mihi in memoriam revocâſſet celebratiſſimam iſtam Hiſtoriam apud *Wierum* de *Magdalena Crucia*, primùm *Moniali*, deinde *Abbatiſſa* Monaſterii *Cordubæ* in *Hiſpania*. Res potiſſimùm in ea mirandæ hæ ferè ſunt: Quòd ad quamlibet ferè diſtantiam, quomodo ſe in Orbe res haberent, reſciſcere ac narrare potuit. Quæ conſultationes rerúmve tranſactiones eſſent apud omnes Gentes Chriſtianas;

unde exiſtimationem ſibi nacta eſt fœminæ admodum *ſanctæ* præclaræque *Prophetiſſæ*. Cæterùm & res aliæ ab ipſa aut ipſius gratiâ factæ ſunt non minùs inſolentes ac miraculoſæ, veluti, quòd in celebranda ſancta Euchariſtia Sacerdos ſemper unum ex conſecratis panis orbiculis deſiderabat, qui ſecretò ad *Magdalenam* Angelorum miniſterio, ut creditum eſt, perlatus erat, quem illa in os recipiens comedebat in conſpectu populi, ad magnam ipſorum conſternationem, ſummámque *Sanctæ* reverentiam. In Hoſtiæ miſſalis elevatione, *Magdalena* cùm in propinquo eſſet, ſed interpoſito tamen pariete, paries dehiſcere viſus eſt, *Magdalenámque* exhibere eorum conſpectui qui erant in ſacello, pane conſecrato hoc pacto ſe cibantem. Cùm Abbatiſſa hæc in Sacellum feſto aliquo die ipſa veniebat, diei ſolennitatem notabili aliquo ac conſpicuo miraculo celebrare ſolita eſt. Nam aliquando de terra attollebatur in altum ad tres quatuórve cubitos, aliquando verò Chriſti ſimulachrum in ulnis geſtans ubertímque flens, capillitium ad eam longitudinem amplitudinémque augebat ut ad imos talos extenderetur, & ſeipſam totam Chriſtíque ſimulachrum in ulnis cooperiebat; quod tamen mox ad juſtam ſuam ſolitámque menſuram ſponte ſe contrahebat; cum multis aliis id genus ludicris & inutilibus miraculis.

5. Cæterùm reſpondebis Narrationem harum rerum non eſſe veram, ſed in rem *Romanæ Religionis* fictam, & ex uſu Eccleſiæ fuiſſe, hæc commenta literis mandare credulæque tranſmittere poſteritati. Equidem qui ægrè ſupernaturale quicquam admiſſurus eſt, facilè generalibus hujuſmodi evaſionibus ac ſubterfugiis acquieſcet. Poſtquam verò pervenerimus ad Cataſtrophen Hiſtoriæ, rem longè aliter ſe habere reperturus eſt. Hæc enim *Sancta* incepit tandem ſuſpecta eſſe *Sortilegii*, utì creditum eſt; ipſáque cùm ſibi criminis eſſet conſcia, ut vitam ſervaret, Viſitatoribus Ordinis qui appellantur, ſponte faſſa eſt ſcelus: Se per triginta ſcilicet annos nuptam fuiſſe Dæmoni, in forma *Æthiopis*, alterúmque Dæmonem hujus famulum, cùm Dominus ejus in cellula cum ipſa voluptuariis ludibriis indulgebat, vices ejus geſſiſſe inter Moniales in choro, in Templo aliíſque locis publicis: ſe virtute contractûs cum hoc *Dæmone* omnia feciſſe quæ fecit miracula. Poſt hanc confeſſionem juſſa eſt in carcerem includi; dum verò erat in cuſtodia, apparuit tamen flexis genubus in Sacello ut anteà ſtatis precum temporibus. Quod cùm Viſitatoribus per Moniales nunciatum eſſet, magìs arctâ tenebatur cuſtodiâ nè exiret. Nihilominus tamen in Sacello apparuit ut antea, quanquam revera erat in carcere.

6. * Quid nunc exiſtimationis commodíve ex hâc Hiſtoria *Romanæ Religioni* accedere poſſit, quivis judicet. Quamobrem nec *Sacerdotum* figmentum, nec ullarum *Perſonarum Religioſarum*, aut *Melancholiæ* effectum, nec id genus aliud quicquam, (quomodo enim tam multi ſpectatores *Melancholiâ* ſimul deludi poterant?) ſed vera omnino Hiſtoria cenſeri debet. Cúmque hæc *Magdalena Crucia* in duobus diverſis locis ſimul apparuit, manifeſtum eſt *Spirituum* ſive *Dæmonum* apparitiones eſſe. Verùm mihi in præſens abſtinendum eſt ab attingendo iſtoc argumento, cùm nondum quod propoſui, de evomitionibus clavorum, de immiſſionibus cultrorum fragminúmque lignorum in hominum corpora, & id genus reliqua expediverim. Quæ quidem res tam palpabiles ſunt omníſque deluſionis immunes, ut operæ pretium duxerim eis parumper inſiſtere.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. 2.

SED inquilini illius eſt totum, qui in eos ſe induit, &c. *Ex ſuprà memoratis exemplis in priori Sectione facilè intelligere eſt, quomodo quis pro re nata linguis poſſit loqui exoticis quanquam eas ipſe non calleat, nec meminerit poſtea peracto colloquio. Eadémque ratio eſt in ſcriptis exoticis legendis & interpretandis. Hæc utique fiunt ope aliquorum Geniorum, nec ulli facultati Animi ipſius Hominis ſunt imputanda.*

Sect. *6.* Quid nunc exiſtimationis commodíve, &c. *Equidem tantum abeſt ut ullum honorem gratiámve* Romanæ Religioni *conciliet, ut eam ſuſpectam potiùs reddat de reliquis quæ jactitant miraculis, nè, ſiquid veri ſubſit Hiſtoriæ, opera ſint deluſoria Diaboli, quibus craſſam ſuperſtitionem* Romanam *animis populi firmiùs infigat.*

CAP. V.

1. *Caltri, Ligna, Ferri fragmina, Capillorum glomus in corpore* Ulrici Neuſeſſer. 2. *Evomitio panni aciculis conſiti, Clavorum, & Acuum, item Ferri, Vitri & Capillorum per* Wieri *Ægros, & amicum quendam* Cardani. 3. Wieri *Narratio de triginta pueris obſeſſis* Amſtelodami. 4. *Harum Narrationum convincens evidentia.* 5. *Ad Objectiones contra convincentem earum evidentiam, Reſponſio.* 6. *De puella Dæmoniaca Græcè loquente. Et de miraculoſa manuum alterius colligatione per* Poteſtatem inviſibilem.

1. INcipiam à memorabili illa veráque Hiſtoria quam *Langius* de *Ulrico Neuſeſſero* narrat, qui cùm graviter dolore in Hypochondrio excruciaretur, ſubitò ſub illæſa cute clavum ferreum manu deprehendit, quemadmodum ille putabat, quod & verum repertum eſt poſtquam *Chirurgus* ipſum excidiſſet. At verò nihilominus ingentia illius tormenta adhuc perdurabant, quæ indies incrudeſcentia ad tantam eum adegerunt impatientiam, ut cultro ſibi guttur diſcinderet. Die tertio, cùm mortuus efferebatur ad ſepulturam, *Eucharius Roſenbader* & *Johannes* ab *Ettenſtet*, magnâ hominum circumſtante turbâ, corpus defuncti diſſecuerunt, ventriculúmque incidentes reperiebant Lignum teres & oblongum, quatuórque Cultros chalybeos, alios læves & acutos, alios ſerræ inſtar dentatos, cum duobus Ferramentis aſperis, quorum ſingula ſpithamæ longitudinem adæquabant ſaltem ſi non ſuperabant. Erat etiam Capillorum, quaſi glomi, involucrum. Hoc accidit in *Fugenſtallia*, Anno 1539.

De Præſtig. Dæmon. lib. 4. c. 2, 3.

2. Narrat etiam *Wierus* de obſeſſo quodam, cujus & ipſe Teſtis erat oculatus, qui panni lacinias cui Aciculæ infixæ erant, Clavos, Acus, & id genus alia, evomuit. Quæ ille contendit è ventriculo non venire, ſed ratione aliquâ præſtigioſâ à Dæmone in os injici tantùm.

De varietate rerum, lib. 15. cap. 80.

Cardanúſque conſimile quid de Ruſtico quodam viro probo ſuóque amico refert, quòd nempe morbo quodam laboraverat evomendi Vitrum, Ferrum, Clavos & Capillos, quódque eo ipſo tempore, cùm hoc narravit *Cardano*, à morbo non tam plenè liberatus eſſet, quin aliquid in ventre interdum perſentiſceret talem ſonum edere, ac ſi quis confracti vitri ſaccum concuteret.

Opportunè hîc addere poſſem, quod tanta cum fide refertur de filio Dominæ *Muſchamp*, eum ſcilicet viſum eſſe ligni fragmina evomuiſſe, quibus aciculæ erant infixæ.

Wier. de Præſtig. Dæmon. lib. 4. cap. 8.

3. Veruntamen concludam cum Hiſtoria de triginta pueris qui tam miros in modos exercitati ſunt & exagitati *Amſtelodami*, Anno 1566. De cujus rei veritate *Wierus* ſe profitetur oppidò quàm certum. Etenim veluti maniâ aut furore ſubitò correpti torquebantur, & ad horam ferè aut dimidiam in terram proſtrati jacebant. Unde mox ſurgentes, nullius prorſus meminère tormenti aut rerum tum actarum, verùm ſe ſolummodò dormiiſſe putabant. Ad medendum huic malo accerſiti ſunt *Medici*, *Magi* & *Exorciſtæ*, ſed ſine ſucceſſu. Tantùm hoc obſervatum eſt, dum lectiones adhiberentur, pueros Acus plurimas Aciculáſque, Digitalia etiam, panni lacinias, Ollarum fruſta, Vitra, Crines, & id genus alia vomitu rejeciſſe.

4. Jam verò harum Narrationum uſus præcipuus præſentíque ſcopo maximè accommodus hic eſt, Quòd extraordinaria hæc & ſupernaturalia Effecta, cùm tam palpabilia ſint ac permanentia, non tam obnoxia ſunt eis ſubterfugiis ad quæ *Athei* utplurimum ſe recipere ſolent, cujuſmodi eſt *Melancholiæ* & *Imaginationis* conturbatio in eis qui iſtiuſmodi res miras ſe vidiſſe profitentur, aut *Fraus* denique & *Impoſtura* in eis qui agunt.

5. Quicquid cum ulla rationis ſpecie contrà afferri poteſt, omninò hoc eſt: Quòd hujuſmodi perſonæ dum iſtis animi alienationibus detinentur, eas res deglutire poſſunt, quas poſtea evomunt, aut ſaltem ori ſuo indere. Cæterùm qui adſtant id facilè deprehendere poſſent, quippe quòd qui mente alienati ſunt omnia apertè faciunt & incuſtoditè. Atque hæc quidem eis, qui ſic exercitantur, invitis ipſis contingunt. Et quemadmodum hujuſmodi res ipſi non obſervantur facere, ità neque ſe feciſſe confitentur, poſtquam ad ſe redierint. Et utplurimum reperitur aliqua mulier, quæ veneficio artéve aliquâ Magicâ facti author fuerit.

Præterea, manifeſtum eſt nullum ſubeſſe poſſe errorem in aliquibus horum Accidentium. Quomodo enim *Clavus ferreus* ſe ingerere poteſt cutem inter atque carnem, cute omninò intactâ atque illæſâ? Quomodóque fieri poteſt ut quis cultros deglutiat, & ferramenta ſpithamam, ad minimum, longa? Quod præter Hiſtoriam de *Ulrico Neuſeſſero,* confirmatur porrò per alteram de Puella, quæ poſtquam cultro calceos emundaverat, cultrúmque repoſuerat in ſinu, mox eum ſtudiosè quærens nuſquam potuit invenire, donec tandem ſeipſum prodere cœperit per tumorem in latere puellæ ſiniſtro, * exſectúſque eſt poſtea per Chirurgum. Totam Narrationem perlegere potes apud *Wierum.* Factum eſt in pago *Levenſteet* ſub Duce *Brunvicenſi,* Anno 1562. Vetula quædam manè ad domum venerat; & Canis quidam peregrinus niger horribili ſpecie ventri incubans ſub menſa repertus eſt.

De Præſtig. Dæmon. lib. 4. cap. 13.

6. Sunt etiam & alia miraculoſa & ſupernaturalia effecta. Ut in puella iſta è *Saxonia,* * quæ *Græcè* loquebatur; & in altera quam ſe vidiſſe profitetur *Cælius Rhodiginus,* audiviſſéque Reſponſa dantem è pudendis. Tertia erat *Lutetiæ Pariſiorum,* quam Doctor *Picardus* aliíque Theologi à Dæmonis obſeſſione liberare conati ſunt, ridente *Hollerio* Medico, tanquam nihil iſti rei ſubeſſet, præter fœminæ Melancholiam, iſtorúmque ignorantiam Theologorum: Verùm mutavit ſententiam, ſtatim atque puellam obſervavit inter duas tréſve mulieres ſtantem exclamare, & illicò ſic vinciri ambabus manibus ut ſolvi non poſſet vinculum ac opus eſſet ſecari. Malignum ſpiritum continuò confeſſus eſt. Nemini apparebat quicquam, ſola puella albam videbat nubem, cùm *Spiritus* vincturus accederet. Hæc *Bodinus.*

Vide Bodin. Mag. Dæmonoman. lib. 2. cap. 3.

SCHOLIA

In CAP. V. SECT. 5.

EXſectúſque eſt poſtea per Chirurgum. *Formam cultri & longitudinem videre eſt apud* Wierum *depicti. Unde conſtat ſeptem uncias fuiſſe longum. Impoſſibile igitur eſt ut puella naturaliter eum deglutiret, minúſque adhuc poſſibile ut faceret inſcienter, cùm difficultas & dolor effecturi fuiſſent, ut animadverteret quid ageret.*

Sect. 6. Quæ Græcè loquebatur. *Quî id fieri poſſit suprà ſubindicavimus, Schol. in cap.* 4. *ſect.* 2. *Plura verò exempla occurrunt apud* Fernelium, Pſellum, *alióſque.*

CAP. VI.

1. *Apparitio* Eckerken. 2. Tibicinis omnicoloris *Hiſtoria.* 3. Triton, *ſive Deus marinus in* Rubiconis *ripa viſus.* 4. *De* Sagarum Dæmunculis *ſive* Magiſtellis, *& an vetullæ iſtæ tam deliræ ſint quàm* Athei *eas arbitrantur.* 5. *Talia eas inter &* Magiſtellos *ſuos tranſigi quæ* Melancholiæ *nullo pacto imputari queant.* 6. *Examinatio* Johannis Winnick Moleſworthienſis. 7. *Ratio obſignationis pactorum cum Diabolo.*

1. SED enim jamdudum tempus eſt ut obſcuriorem hanc magíſque nebuloſam *Spirituum* detectionem, in magìs diſtinctas articulatáſque *Apparitiones* prout initio propoſuimus, elucidemus. Atque has quidem in duo genera dividemus: Sunt enim vel tales quæ prope nos in *terra* ſpectentur, vel quæ eminus in *ſublimi Aere* appareant. Atque hîc rurſus à rebus minoribus exordium capiemus. Prope *Elten* pagum milliare medium ab *Embrica,* in *Ducatu Clivenſi,* diſſitum circa viam Regiam loco Ericæo *Dæmonium* viatores miris variíſque exercebat modis, cædens, ab equis dejiciens, vehicula ſubvertens. Nec aliud unquam videbatur, quàm *manus effigies. Eckerken* huic nomen indebatur. Hæc Imaginatio eſſe non potuit, cùm tam realia ſubſecuta ſint effecta.

Wier. de Præſtig. Dæmon. lib. 6. cap. 15.

2. Hiſtoria *Tibicinis multicoloris,* qui primùm Tibiâ omnes mures ſoricéſque convocavit & in fluvium demerſit, & poſtea præmio fraudatus quod cives ipſi promiſerant datum iri ſimul atque ipſos à peſte iſtorum Animalculorum liberâſſet, occaſionem cepit pueros oppidi per eandem Tibiam poſt ſe trahendi in collem qui os aperuit & omnes vivos conſepelivit, * tam manifeſtam habet demonſtrationem in oppido *Hammelæ* ut fides ipſi nullo modo abrogari debeat. Facti enim memoria religioſè in Archivis *Hammelæ* cuſtoditur, pictúmque in Templi vitris conſpicitur; éſtque

De Præſtig. Dæm lib. 1. cap. 16.

Epoche cum Anno Domini conjuncta in publicis Codicillis, *Anno Chriſti, &c.* & *Exitûs puerorum Anno, &c.*

3. Id etiam mihi videtur citra omnem exceptionem & evaſionem, quod *Suetonius* refert de Spectro quod apparuit in ripis *Rubiconis* fluvii. Quod ſic erat: *Julius Cæſar* poſtquam cum exercitu perrexiſſet ad hunc fluvium, qui *Galliam citeriorem* ab *Italia* dividit, illícque paulùm ſubſtitiſſet, valdè dubitabundus in *Italiam* tranſiret necne, quidam eximiâ magnitudine & formâ in ripa fluminis apparuit, arundine canens. Mirabilis perſonæ illius aſpectus, perinde atque cantûs amœnitas multos Paſtores ad ſe attraxerat & milites etiam è ſtationibus quamplurimos, intérque eos & Æneatores; quod hic *Triton* (quemadmodum *Melanchthon* eum appellat) ſive Deus marinus poſtquam obſervâſſet, raptâ ſubitò tubâ ab uno adſtantium proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Quo facto, *Cæſar* omen accipit, deſinítque ulteriùs ſecum deliberare, exercitum transfert, *Italiam* intrat, ſecurus de ſucceſſu à tam manifeſtis indiciis gratiæ ac patrocinii Deorum.

4. Ad confirmandum hoc dogma de *Apparitionibus* ſi liberas Sagarum confeſſiones admittere velimus de *Magiſtellis* ſive *Dæmunculis* ſuis (quos *Familiares* vulgò vocant,) quos quidem non ſolùm vident frequenter, ſed cum eis ſermocinantur, ſuis nominibus compellant, cultúmque eis exhibent, hæc res extra omnem controverſiam omninò poſita foret, teſtimoniáque earum tam multa futura eſſent, ut nullum unum volumen eis continendis ſufficeret. At verò profectò omnes hæ vetulæ Melancholicæ cenſendæ ſunt, quæ delirant & in vitæ diſcrimen ſe adducunt propriis ſuis Commentis & Imaginationibus. Sed enimverò eas non dilirare multò ſum certior quàm quòd ii non delirant, qui eas delirare dicunt. Nam ut propriæ curioſitati ſatisfacerem multas ex ipſis examinavi, eáſque expertus ſum æquè cautè callidéque ſermocinantes, atque quaſvis alias mulieres ſui ordinis & educationis. Verùm ex eis quæ legi & obſervavi, deprehendi planè eas perfido ſervire Magiſtro, qui technas ſæpenumerò comminiſcitur quibus ipſas prodat. Sed hoc tantùm obiter dictum eſto.

5. Quæro jam de his Sagis qui contractum ſuum confitentur frequentémque converſationem cum Diabolo, quædam cum eo ſub una forma, aliæ ſub alia, an *mera Melancholia* & Imaginatio, *Pulveres*, *Virgas*, *Unguenta* & ſimilia ipſis in manus tradere poſſint uſúmque eorum illis porrò narrare, Notáſque corporibus imprimere tam profundè ut omnis ſenſatio iſtoc in loco tollatur, immò Argentum Aurúmque manibus indere, quæ poſteà utplurimùm calculi tantùm, aut folia, aut conchulæ aut res aliæ id genus inutiles reperta ſunt. Effecta hæc realia ex mera Melancholia non poſſunt proficiſci. Nam ſiquis in manum quicquam recipit, cuicuimodi ſit, aliquis erat qui dedit. Ac proinde cùm Saga aliquid reverà ab hoc vel illo Spectro quod ipſi apparebat, acceperit, equidem indicio eſt manifeſto, rem fuiſſe aliquam externam quam vidit, non meram figurationem propriæ Imaginationis melancholicæ. Exempla hujus generis ſunt innumera. Cùm verò res adeò obvia ſit & vulgaris, non opus eſt ut multa particularia exempla in medium proferamus. Unico hoc contentus ero, in quo apparitio eſt trium *Spirituum* ſive *Dæmonum*.

6. *Johannes Winnick*, *Moleſworthiæ* incola, in Agro *Huntingtonienſi*, examinatus April. 11. 1646. confeſſus eſt quæ ſequuntur. Cùm crumenam ſcilicet cum ſeptem ſolidis perdidiſſet, qua de re unum è familia ubi vivebat ſuſpectum habuit, die quodam Veneris, dum fœni faſciculis conſtringendis operam in Fœnili dabat, & dejerationibus Diríſque atque rabidæ iræ indulgebat, exoptans ut *Magus* ſaltem aliquis crumenam cum pecunia ſibi reſtituendam curaret, ipſi apparuiſſe *Spiritum* ſive *Dæmonem* ſub forma *Urſi*, ſed qui vix æquabat magnitudinem *Cuniculi*, qui pollicitus eſt, eâ lege ut in genua procideret eúmque coleret, ſe crumenam ipſi reſtituendam curaturum eſſe. Aſſenſit *Johannes*, Dæmónque ei dixit, Die craſtino circa hanc horam, eum in area ubi faſciculos colligabat, crumenam ſuam inventurum, ſéque ipſum eo tempore adventurum. Quod perinde factum eſt. Cúmque ſic tempore præſtituto crumenam recuperaverat, in genua procidit coram *Dæmone*, dixitque, *Domine Deus mi, gratias tibi ago.* Hic *Dæmon* adduxerat tunc ſecum duos alios *Dæmonas*, unum *Felis* formâ, *Cuniculi* alterum, quibus ad juſſum *Urſo-Dæmonis*, cultum ſimiliter exhibuit. *Urſo-Dæmon* ei dixit; Animam ejus poſtquam ex hac vita exceſſerit, ſe habere oportere, ipſiúſque corpus interim ſugere, atque jam ſanguinem ex eo elicere ad pactum obſignandum. Quibus omnibus aſſenſit. Atque ſic *Urſo-Dæmon* in humerum exiliens, capitis cutem incîdit, ſanguinémque indè accepit. Poſtea evanuerunt omnes tres: ſed ſemper ex eo tempore ſingulis diebus ad eum venerunt, corpúſque ſuxerunt eò loci ubi notæ ſignáve reperiuntur. Hoc autem feciſſe ait,

quotidie per annos viginti novem continuos. Hæc eſt *Johannis Winwickii* confeſſio: Quòd verò hæc omnia merum Inſomnium eſſent, commentum eſt levius atque futilius, quàm quodvis vel vaniſſimum Inſomnium. Crumenæ enim Recuperatio, pignus eſt ſatìs palpabile atque ſenſibile veritatis reliquorum geſtorum. Atque omninò incredibile eſt ut talis circumſtantiarum ſeries, viginti novem annorum experientiâ, tum viſitationis tum ſucturæ quotidianæ (aliquando interdiu ſed utplurimùm nocte) ab hiſce tribus Dæmunculus, corroborata nihil aliud eſſet niſi tot melancholicorum commentorum phantaſmatúmve fortuita concatenatio.

7. Neque certè pactorum obſignatio, per ſanguinémque ſcriptio, hujuſmodi Hiſtorias reddere debet magìs ſuſpectas. Neque enim omninò abſonum eſt ut tales Ceremoniæ peragantur inter *Dæmonem* atque *Hominem*, cùm conſimiles Ritus palpabiles adhibeantur ad homines firmiùs divinciendos Deo. Quicquid enim craſſum eſt & externum fortiorem in Imaginatione relinquit Impreſſuram, ejúſque Recordatio mentem ferit majori cum efficacia. Adeò ut proculdubio *Dæmon* firmiori nexu Animam Sagæ Magíve, qui perſuaſi ſint contractum modis iſtiuſmodi craſſis ac ſenſibilibus perficere, ſibi alligaverit, arctiúſque devinxerit nè à ſe deficiat, quàm ſi verbis ſolis pacti fuiſſent.

SCHOLIA

In CAP. VI. SECT. 2.

TAM manifeſtam habet demonſtrationem in oppido Hammelæ, &c. *Ad majorem rei fidem faciendam:* Wierus *certè non ſolùm Annum, milleſimum ſcilicet ducenteſimum octuageſimum quartum, ſed & diem, viceſimum ſextum Julii memorat, immò verò & horam, ſeptimam nempe circitèr matutinam; nec oppidum ſolùm,* Hammelam Brunſwicorum, *ſed & plateam per quam egreſſi ſunt pueri. In qua, ad perpetuam rei geſtæ memoriam, Tympani ſonitum nunquam admitti ait, ſi fortè iſtinc aliqua educitur ſponſa, donec ex illa exierit, nec Choreas in eadem duci. Plateámque hinc nomen conſecutam eſſe* Burgeloſeſtraſs. *Nec mirum eum tam accuratè narrâſſe omnia, quippe qui* Hammelæ *hoſpitans paulo anquiſitiùs Oppidanos ſuper hac re ſciſcitatus ſit. Sic enim ſcribit:* Hæc ità in Annalibus conſcripta, Hammelæ in Archivis religioſè cuſtodiuntur: leguntur & in libris Templi ſacris, atque in ejuſdem vitris picta conſpiciuntur: Cujus rei oculatus equidem teſtis ſum. *Immò verò ſibi oſtenſam ait exiguam colliculi foveam in qua omnes pueri evanuerunt, addens hoc Epiphonema,* En diabolum Tibicinem ſanguinarium! *Hæc ille. Quæ ipſe huc tranſcripſi nè quis me temere tam miram Hiſtoriam attuliſſe cenſeat.*

CAP. VII.

1. *Hiſtoria* Annæ Bodenham *Veneficæ extremo affectæ ſupplicio* Salisburiæ, *Anno* 1653. *Quàm accuratè ſuper ea re Author certior factus ſit.* 2. *Modus ac circumſtantiæ primæ ſuæ* Evocationis Dæmonum. 3. *Reſponſio ad Objectionem contra hujus veritatem.* 4. *Plenior ad Objectionem Reſponſio ex ſecunda* Evocatione. 5. *Reſponſio ad Objectionem contra ſecundam hanc* Evocationem, *porrò illuſtrata ex circumſtantiis tertiæ.* 6. *Quarta & ultima* Evocatio *à Venefica facta, in qua* Anna Styleſia *contractum fecit cum Diabolo.* 7. *Has Tranſactiones nulla inſomnia eſſe potuiſſe aut Imaginationes* Annæ Styleſiæ, *nec ipſam ſcienter perjuratam, in eis jure jurando affirmandis.* 8. *Quod porrò confirmatur ex illius Confeſſione omni omninò partium ſtudio immuni.* 9, 10. *Ex ejus contractu cum diabolo, ab effectis realibus manifeſtato.* 11. *Ex geſtu ejus ac moribus in Comitiis, quando ſuum dedit teſtimonium.* 12. *Reſponſio ad quaſdam Objectiones.* 13. *Multæ Indicationes quòd* Anna Bodenham *Saga erat ſive Venefica.* 14. *Concluſio ſummaria, ſuprà dictas ſcilicet* Evocationes Magicas, *nullas fuiſſe* Annæ Styleſiæ *fictiones, ſed reales per* Annam Bodenham *Tranſactiones.*

1, HUic de *Johanne Winnickio* Hiſtoriæ non abs re erit recentiorem notabiliorémque Narrationem addere de *Anna Bodenham* Venefica quæ vixit in *Fiſberton-Anger* Pago ad novam *Sarum* Civitatem adjacente, in Agro *Wiltonienſi*, quæ pro Tribunali adducta eſt, damnata extremóque affecta ſupplicio *Salisburiæ*, Anno 1653. Si cui libuerit Hiſtoriam pleniùs fuſiúſque ſcriptam perlegere, *Edmondum Bowerum* adeat, qui & oculatus auritúſque Teſtis erat multarum ex eis rebus quas memoraturus ſum. Ego verò ſolummodò ea hîc ſcribam quæ ad ſcopum noſtrum maximè pertineant, ídque partim ex eo, partim verò ex alio quodam qui & juridicis Comitiis interfuit, & privata Colloquia habuit cum Saga, & cum ancilla etiam, quæ adverſùs eam teſtimonium dedit, collocutus eſt.

Hæc *Anna Bodenham*, ut videtur, ſuam peritiam non celebat in rebus futuris prædicendis, Boníſque ſuffuratis domino recuperandis, aliíſque id genus facinuſculis, quorum notabilius Magorum Sagarúmque genus ſe compotes profiteri dicuntur ſeſéque adeuntibus ſolere præſtare.

2. Inter alios qui eam adierunt, *Anna* quædam *Styleſia* fuit *Richardi Goddardi* Armigeri è Clauſtro Novæ *Sarum*, Ancilla, à D. *Maſono* hujus *Goddardi* privigno (quippe qui in animo habuit Actionem inſtituere adverſùs ſuum vitricum) ad Sagam ſciſcitandam miſſa, qui futurus ſit iſtius litis eventus. Quæ interrogata ab Ancilla, (quæ tres ſolidos ei pro opera ſolvendos in parato habuit) *baculum* cepit, illícque per domi aream traxit ad deſcribendum quaſi circulum, *librúmque* poſtea ſumpſit, manúque trans circulum geſtavit, *vitrúmque viride* accipiens ſuper librum poſuit, & in medio circuli *patellam* carbonum vivorum fictilem collocavit, in quam aliquod injecit, quod accenſum, fœtorem teterrimum reddidit, monuítque ancillam nè ſibi metueret à ſpectaculo quod continuò viſura eſſet, nunc enim veniunt (ipſa verba ſunt quibus uſa eſt Saga) atque ſic eâ invocante, *Belzebub, Tormentator, Satan atque Lucifer apparetote*, ſubitò ingens ventus ingruit, quæ ipſam domum contremiſcere fecit, ſtatímque vi repentinâ ac quaſi ſpontaneâ poſticis ſe pandentibus foribus, quinque intraverunt *Spiritus*, ut Ancilla quidem putabat, in ſimilitudine puerorum pannis obſitorum, alii aliis majores, diſcurrebántque in domo intra locum quem Saga baculo deſcripſerat, Sagáque *micas panis* ipſis in terram projecit, quas *Spiritus* colligentes in os indiderunt, ſubindéque ſupra carbonum patellam tranſilierunt, quam in medio circuli collocaverat, Caníſque ac Felis Veneficæ cum ipſis ſaltaverunt: Et poſt pauxillam moram Saga iterum in librum inſpexit, & *ſemina* quædam magna albáque in terram projecit, quæ dicti *Spiritus* ſimiliter collegerunt. Atque ſic brevì tempore ventus ceſſavit, Sagâque per poſticas fores egreſſâ *Spiritus* diſparuerunt. Quibus peractis Saga ancillæ dixit, oportere D. *Maſonum* mille quingentas libras à D. *Goddardo* poſtulare, & centenas quinquagenas per Annum, quam conditionem ſi recuſaverit, actionem adverſùs ipſum inſtituere eum debere, à vitrico ſuo decedere, atque tunc litem eum ablaturum eſſe. Cum quo nuncio Ancilla rediit & cum D. *Maſono* communicavit.

3. At verò hîc forſan objicietur, fuiſſe hos pauperculos aliquos pueros pannoſos qui ex pacto *Annæ Bodenham* adeſſe ſolebant, quando ex prætextu Dæmonas evocandi

prædicendíque eventus futuros, populo operam dabat ſuis emungendo pecuniis, cùm reverà nihil aliud erat quàm Impoſtura, quæ vulgaris cujuſvis Ingenii improbi ac verſuti facultates minimè excederet. Sed enim venti ſtrepitus tempeſtuoſus, violentáque ædium concuſſio verba Ritúſque Magicos ſtatim conſecuta, facilè reſpondere, vel potiùs difflare pænitùs hujuſmodi frivola perfugia poteſt.

4. Quòd ſi fortè in opinione ſua perſtiturus ſit Objector, cirumſtantias ſecundæ evocationis per Sagam factæ velim perlegat. Eâdem enim Ancillâ ad eam ab eodem viro miſsâ ad ſciſcitandum in qua parte ædium venenum eſſet quod Dominæ ſuæ erat paratum, Saga *Baculum* cepit, ut antea, *Circulúmque* eâ deſcribente, ſubitò obortus eſt ventus: Tunc ſcopas ſumens everrit circulum, fecítque alterum, & in librum vitrúmque (ut ſuprà) inſpiciens, verbáque aliqua ſecum ſubmurmurans, in circulo ſtetit, dixítque, *Belzebub, Tormentator, Lucifer atque Satan apparetote.* Apparuit primùm *Spiritus* in forma pueri puſilli, ut illa opinabatur, qui tunc deinde in aliam ſpeciem mutatus eſt, angui non abſimilem, & poſtremò in formam villoſi, cum grandibus oculis, canis, qui intra circulum circumambulabat: Et in circulo patellam carbonum fictilem poſuit, in quam aliquid injecit quod arſit tetrúmque ſimul dedit fœtorem, quo facto *Spiritus* diſparuit. Poſteà verò Venefica librum rurſus vitrúmque ſumpſit oſtendítque Ancillæ in vitro, D. *Saræ Goddardæ* cubiculum, colorémque cortinarum, lectum inverſum, & ſub iſta parte lecti ubi cervical jacebat, oſtendit *venenum* chartâ albâ incluſum. Ancilla poſthæc domum rediit, & D. *Roſwellæ*, quod Saga ipſi in vitro oſtenderat, impertiit, venenum nempe ſub D. *Saræ* lecto jacere, rogavítque ut unà ſecum iret ad illud auferendum.

Transformatio pueri in Anguem, illiúſque Anguis in villoſum cum oculis extantibus Canem, facinuſculum eſt ſupra omnem humanam artem ingeniúmve poſitum.

5. Nec certè concipi poteſt, quòd *Melancholia* mentem Ancillæ ità conturbaverat, ut ſua Inſomnia & Imaginationes, pro externis Tranſactionibus ſenſibilibus enarraret. Etenim illius opera ab aliis accita eſt in reali negotiatione ipſos inter atque Sagam, & reſponſa ſemper retulit ad eos, etiam res quaſdam, ope laceroſorum iſtorum puerorum Sagâ evocatorum ab ea recepit, quemadmodum conſtat ex *evocatione* tertia, quando Ancilla iterum miſſa erat, ad dirum aliquod ſupplicium procurandum duabus D. *Goddardæ* filiis, quæ tamen immeritò, ut videtur, mortem Novercæ ſuæ per venenum moliendi ſuſpicione aſperſæ ſunt. Saga poſtquam ab ancilla nuncium accepiſſet, circulum fecit, ut ſuprà, intráque eum carbonum patellam collocavit, aliquódque adolevit quod peſſimum emiſit odorem, ſumpſítque *librum* atque *vitrum*, ſicut ſuprà narratum eſt, dixítque, *Belzebub, Tormentator, Lucifer atque Satan apparetote.* Et apparuerunt quinque *Spiritus*, utì illa opinabatur, ſub formis puſillorum puerorum pannis obſitorum, quos Saga juſſit apparere & cum ancilla ad pratum quoddam prope *Wiltoniam* proficiſci, quod Saga oſtendit in vitro, ad *verbenam* colligendam atque *anethum*. Puerique continuò laceroſi currebant ante ancillam ipſáque eos ſecuta eſt ad dictum pratum: Et poſtquam illuc veniſſent, pueri laceroſi, ultrò citróque diſcurrentes, Herbas exquirebant, nivémque in duobus tribúſve locis antè amoverunt quàm ullas poſſent invenire, tandem verò aliquas invenerunt, ſecúmque attulerunt, & tunc Ancilla atque pueri ad Sagam redierunt invenerúntque in Circulo ungues ſibi præſecantem. Accepit igitur dictas herbas eaſdémque exſiccavit, & pulverem ex eis confecit, aliarúmque arefecit folia, panémque projecit pueris, qui comederunt, ſaltârúntque ut priús. Quibus peractis, Sagâ in libro legente, diſparuerunt. Sagáque ancillæ tradidit, in una charta pulverem, folia in altera, & in tertia unguium ſuorum præſegmina, quæ omnia Ancilla Dominæ ſuæ juſſa eſt tradere: *Pulverem,* qui indendus ſit nobilium adoleſcentularum, D. *Saræ* & D. *Annæ Goddardæ* potui atque juſculo, quò Inteſtina putreſcant in ventribus ſuis; *Folia,* quæ poculorum marginibus adfricentur, quò dentes mandibulis excidant; & *unguium* denique *præſegmina* ad eas intoxicandas uſque ad inſaniam. Poſtquam verò Ancilla domum rediiſſet Dominæque omnia tradidiſſet, eámque pulveris ac reliquorum edocuiſſet effecta, riſit Domina dixítque, Rem eſſe admodum bellam. Noluit tamen, quæ erat ejus prudentia, eiſdem uti.

6. Hic *pulvis* oſtenſus eſt in *Comitiis provincialibus* (ità ut mera Imaginatio eſſe non poſſet aut Inſomnium) unà cum *nummo* quem à *ſpiritibus* acceperat, quem unus eorum primùm admordit Sagæque tradidit, Saga verò tradidit ancillæ. *Foramen* etiam in *digito* tunc oſtenſum eſt, ex quo ſanguis compreſſus eſt ad ſubſcribendum pacto cum diabolo, ut videre eſt in quarta atque ultima *evocatione* per Sagam facta coram Ancilla. Nam cùm monita eſſet à D. *Goddardi* familia ut *Londinum* proficiſceretur,

Sagam priùs adiit quàm iſtas partes relinqueret. Quæ igitur cùm eam iter facturam cognoviſſet, rogavit *ſupráne* an *infrà Londinum* ire vellet. Ad quod reſpondit, Quorſum iſta dicis? non intelligo quid velis. Ad quæ Venefica, Si *ſuprà* velis ire, tranſveheris inquit *Londinum* in aëre, & duarum horarum ſpacio iſtuc pervenies. Quòd ſi *infrà* ire lubeat, in ipſo introitu Oppidi *Suttoniæ* capieris, & antè, niſi aliquod ſuperadvenerit auxilium. Cæterùm antequam deceſſiſſet, Saga vehementer ab ipſa efflagitavit ut ſecum viveret; dixítque, id ſi vellet, ſe talia eam edocturam facere, qualia ipſa facit, eámque nunquam captum iri. Rogavítque eam Ancilla, quid ipſa poſſet facere. Reſpondit Saga, Statim id cognoſces. Apparuítque continuò in forma *Felis* magnæ nigræ: jacebâtque ante focum proſtrata. Ad quod cùm ancilla valdè terrefacta eſſet, ad propriam formam rediit, dixítque ei, Expavere te video, animúmque habere abeundi; narravítque, ſi ſic eſſet, eam apertè debere profiteri, nec propriæ contradicere conſcientiæ. Reſpondítque Ancilla, ſe lubenter abituram eſſe, nec cum ea velle habitare. Dixítque Venefica, eam corpore ſanguinéque ſuo ſibi obſignare debere ſe eam non eſſe detecturam. Quod cùm ſe facturam promiſiſſet, ſtatim circulum, ſicut ſuprà fecerit, deſcripſit, & in librum inſpiciens, invocavit; *Belzebub, Tormentator, Lucifer atque Satan apparetote.* Tum apparuerunt duo Spiritus in ſimilitudine duorum magnorum puerorum, cum capillitiis prolixis ac villoſis: ipſíque adſtiterunt ſupra humeros ejus ſpectantes: accepítque Venefica ancillæ digitum dextræ manûs indicem, in ſuam manum, punxítque aciculâ, ſanguinémque per foramen expreſſit, eúmque calamo indidit, calamúmque deinde manui ancillæ, manúmque ejus dirigens tenuit quo in magnum librum ſcriberet, unúſque *Spirituum* ſuam manum ſive unguem veneficæ manui impoſuit dum ancilla ſcribebat; & poſtquam ſcriptionem finiviſſet, manibus adhuc conjunctis, Venefica dixit *Amen*, fecítque ut Ancilla diceret *Amen*, & Spiritus dixerunt *Amen, Amen.* Manúmque *Spiritûs* frigidam ſenſit Ancilla, cùm illius manum tangebat, dum manus veneficæ cum eorum manibus erat conjuncta. Tunc *Spiritus* nummum argenteum (quem admordit priùs) Veneficæ dedit, quæ eundem dedit Ancillæ. Duas aciculas ille porrò linteo ancillæ capitio infixit, juſsítque eas cuſtodire, atque ſic abire: dixítque inſuper *nobiles adoleſcentulas pulchrè exercebo*, quemadmodum egi cum homine in Vivario *Claringtonienſi*, quem deambulare feci in ſtagno cum paxillorum faſciculo humeris impoſito per totam noctem, nec deponere eos potuit donec manè proximum illuxiſſet.

7. Hæc omnia Ancilla jurejurando ſanctè confirmavit, & certè nunc citra omnem controverſiam manifeſtum eſſe exiſtimo, quòd, niſi ſcienter pejeraverit, univerſa indubitatè ſint vera. Neque enim imputari poſſunt ulli ſomnitationi, Imaginationi aut Melancholiæ. Jam verò quòd Ancilla ſcienter non pejeraverit, Narrationéſve haſce, quas juramento confirmavit, ex proprio finxerit cerebro, multa occurrunt argumenta ad nos convincendos.

Ut primò, Quòd veri omninò diſſimile ſit, puellam pauperculam, quæ literas neſciebat, nec legere ſcriberéve potuit, excogitare potuiſſe iſtiuſmodi verborum formulas Ceremoniáſque Magicas, cum omnibus effectorum earum circumſtantiis, eáſque tam accuratè enarrare, niſi reverà factas ante oculos ſuos conſpexiſſet.

Deinde, ſi comminiſcendorum mendaciorum tam perita fuiſſet, non potuiſſet quin tantum haberet ingenii ut in rem ſuam & eorum etiam qui operâ illius uſi ſunt, ea meliùs effingeret, tantúmve ſolummodo veritatis evulgaret quantum nulli noxæ aut ſibi ipſi futurum eſſet aut ulli alii, quòd ſit divulgatum.

8. Nam breviter, ſic ſe res habuit: Domina illius concepit aut ſaltem ſe concepiſſe ſimulavit ſuſpicionem, quòd duæ ſuæ privignæ D. *Sara* & D. *Anna Goddarda* conſpirarent ad interimendam ſe veneno. Hinc ancilla hæc *Anna Styleſia* miſſa eſt ad Sagam ſub prætextu ſciſcitandi quando hoc venenum miniſtrandum ſit, & quâ ratione præverti poſſet; & ſecundo tempore quo Ancilla eam conſuluit, Saga eam ad Pharmacopolas miſit ad albi *Arſenici* aliquantum emendum & ad ſe afferendum, quod cùm Saga accepiſſet, dixit ſe illud combuſturam eſſe, quò veneni malum à Domina ſua averruncet prævertátve. Hujus *Arſenici* emptio maxima occaſio fuit quòd Ancilla in fugam ſe daret. Etenim cùm duæ ſorores reſciviſſent ſe mortem novercæ ſuæ per venenum moliendi ſuſpectas eſſe, in vulgúſque ſpargi ſe in hunc finem à Pharmacopolis nuper *Arſenici* emiſſe unciam ac ſemiſſem, illæ ad liberandas ſeipſas ab hac ſuſpicione, diligentiſſimam fecerunt inquiſitionem per omnia *Saliſburiæ* Pharmacopolia, tandémque invenerunt ubi venenum erat emptum. Hinc Ancilla à Domina ſua perſuaſa eſt ut diſcederet, ſibique proſpiceret, ad moleſtiam illam ac ignominiam evitandam, quæ aliàs ipſis accidere poſſint ſi maneret & examinationem ſubiret coram

ram aliquo Juſtitiario. Dum erat in Itinere D. *Chandlerus* D. *Goddardi* gener, cùm audiviſſet ſocrum ſuam propter veneni in eam molitionem de vita periclitari, quódque quædam illius ancilla, quæ venenum emerat, ſe in fugam dederit; ipſe ſtatim cum homine altero, eam inſecuti ſunt, & prope *Suttoniam* aſſecuti, duxerunt in Diverſorium: ubi confeſſa eſt quod ſuprà eſt narratum. Quæ confeſſio, inquam, figmentum nullum eſſe poteſt, fabuláve excogitata, ſed certa indubiáque veritas, cùm in rem ancillæ nihil faciat, eorúmve qui illius operâ uſi ſunt, ſed potiùs contra eos, maximéque contra ſeipſam: cùm è contrà ſi emptionem *Arſenici* tantùm confeſſa fuiſſet cum propoſito veneni malum à Domina ſua amoliendi ope ac peritiâ Sagæ, *fœminæve*, quam vocant, *ſagacis*, cenſeri certè potuiſſet tolerabile ſtultitiæ ſpecimen, non autem tam criminale atque execrandum, quàm alia illa facinora, exiſtimari. Nihil igitur præter mentem facti conſciam, veritatíſque vim, ſinceriſſimam hanc confeſſionem ipſi extorſit, quæ undequaque ex æquo amicos ſuos, ſeipſam atque Sagam attingit.

9. Tertiò, Pactum illius cum diabolo, fabulam non fuiſſe ſed certam veritatem (& ſi illud verum ſit, nulla de reliquis dubitandi ſupereſt ratio) abundè demonſtratum eſt à realibus illius effectis. Poſtquam enim nummum ſuprà memoratum duáſque aciculas D. *Chandlero* tradidiſſet, dixit ſe moleſtatum iri quòd has res ſilentio non celaret. Diabolum enim ipſi dixiſſe, quamdiu has res ſecum clàm habuerit, nunquam eam moleſtatum iri; nunc verò cùm ipſas revelaverim, ait illa, vereor nè à Dæmone ſim moleſtanda. Quódque iſtæ graviſſimæ moleſtationes atque agoniæ in quibus poſtea deprehenſa eſt, nulla erant propriæ ſuæ Imaginationis conturbatæ ludibria, ſed Tyrannicæ *Satanæ* exagitationes, ex multis conſtabit circumſtantiis.

Nam in ſua emerſione ex primo Paroxyſmo in quem inciderat, (quod *Stockbrigiæ* accidit) & D. *Chandlerus* & *Gulielmus Atwoodus* alter ille qui eum comitatus eſt, umbram atram ex ea exeuntem conſpexerunt, quo facto ſtatim ad ſe rediit.

Porrò, In paroxyſmis tam robuſta erat, ut ſex pluréſve homines eam detinere non valerent. Et quodam tempore dum eam tenebant, ad eam altitudinem ſublata eſt, ut pedes pectora ipſorum tangerent, quod in carcere accidit *Salisburiæ*. Alteróque tempore circa mediam Noctem, cùm miſerè excruciata eſſet, exclamarétque, *Diabolus me abrepturus eſt*, ab eis qui eam tenebant avulſa eſt, & à lecto inferiori, ubi jacebat, in ſummitatem lecti ſuperioris jacta, cum veſtitu ab humeris dilacerato, cutíſque parte dilaniata, candela etiam ſuper menſam poſita in cubiculo, dejecta eſt & extincta; quo tempore cùm puer adeſſet parvulus, ſomno aliquantulùm gravatus, ſtrepitu ità perterritus eſt, ut facultas ei deeſſet exeundi cum reliquis è cubiculo, ſed ibi manſit, vidítque *Spiritum* ſub ſpecie hominis nigri ac proceri, ſed ſine capite, cum Ancilla colluctantem, qui eam cepit & in cathedram poſuit, dixítque, ipſi ſecum abeundum eſſe, ſe enim adveniſſe ut animam ejus ſecum auferret, quam illa ipſi dederat. Reſpondit verò Ancilla, Animam non ſuam eſſe quam ipſi daret, Sanguinémque jam eum ſibi elicuiſſe, quantùm verò ad Animam, ut eam haberet ſe nunquam eſſe permiſſuram. Poſtquam verò aliquandiu revolutâſſet jactâſſetque Ancillam, diſparuit.

Id verò quod puer audiit vidítque, non fuiſſe proprii cerebri phantaſma ſed reale ſenſuum Objectum, Veneficæ conditio eodem tempore in altero cubiculo, haud obſcurè arguit. In vinculis enim veſtibus exuta inſano modo diſcurrere viſa eſt. Rogatáque cur in cubiculo ità diſcurreret, reſpondit, in lecto ſeipſam ſe continere non poſſe, quippe violentâ manu illinc avulſam. Rogatáque rurſus quî id factum ſit, Obſecro vos, inquit, quid turbarum in veſtro cubiculo agitur? Nihil, reſponderunt illi, niſi quòd puer malè ſe habeat. Ad quod illa, Nolite mihi mentiri, ait, Ego enim quid iſtuc rei ſit æquè certò ſcio atque vos.

10. Sed ut ad ancillam redeamus, à qua alia porrò argumenta deducere poſſumus, quæ Veneficam etiam reſpiciant. Cujuſmodi eſt, quòd, cùm ancilla multos dies noctéſque inſomnes tranſegiſſet, eſſétque tunc ſub graviſſimis vexationibus corporíſque torturis, Veneficâ in cubiculum introductâ ubi jacebat (tum propoſito, tum etiam tempore Introitûs clam ancillam habito) ſtatim atque unum pedem venefica in cubiculum intulit, admodum horribilem oculorum jactum fecit, eóſque continuò occluſit, momento quaſi in ſomnum lapſa, dormivítque tres horas tam firmiter, ut, cùm eam è ſomno excitare voluerunt, id nullâ arte aut violentiâ efficere poſſent, ut reſpirationem putà ipſi intercipiendo, réſque ingerendo naribus, erectam eam tenendo, illámque percutiendo, & ſimilibus. Venefica etiam declaravit quàm ingrata ſibi futura eſſet illius expergefactio: exclamans, *Ancillam nequaquam expergefacite, obſecro; nam ſi illa expergiſceretur, ego membratim dilanianda eſſem, Diabolúſque me*

in corpore hinc vivam abriperet. Et ulteriori argumento eſt ſomnum ancillæ à Venefica aliquo modo pependiſſe, quòd ſimul atque venefica è cubiculo ubi illa erat exiiſſet, Ancilla ultrò evigilavit, & ſtatim atque Ancilla evigilaverat, erátque libera à moleſtationibus, (Diabolo, ut illa dixit, ex ventriculo illius egreſſo, nullámque illi inferente violentiam, niſi quòd corpus fecerit aliquantum contremiſcere) Venefica incepit rugire & exclamare, *Diabolus me membratim diſcerpet.* Hæc legere potes magìs plenè ac particulatim in Narratione *Edmondi Boweri,* qui eorum teſtis erat oculatus. Quæ verò illinc tranſcripſi, ad quemlibet hominem qui nullo laborat præjudicio convincendum ſufficere cenſeo, illud quod ancillæ poſt arcanorum ſibi concreditorum revelationem accidit fictitium non fuiſſe ſed *reale,* quinimo tutò addere poſſim, *ſupernaturalè.*

11. Quartò & ultimò, mores ejus geſtúſque in *Comitiis provincialibus,* ſive *Conſeſſibus Juridicis,* tam fervidi erant ac ſerii, eo cum animi robore, liberíſque ac confidentibus ſubinde provocationibus ad veneficam factis, ut quemadmodum ab eis edoctus ſum qui hujus Tranſactionis ſpectatores fuerunt, hoc ipſum ſatìs argumenti futurum fuiſſet apud hominem quemlibet præjudiciis immunem, eam nihil juràſſe niſi quod certiſſimè eſſet verum. Flumina illa porrò lacrymarum acerbíque fletus poſt latam adversùs Veneficam ſententiam, lamentationéſque ſuper propriam ſuam Impietatem ac veſaniam, profeſſionéſque quàm gratum ſibi futurum eſſet, ſi citra peccatum fieri poſſet, ut Venefica damnata ampliaretur, ipſíque deſerretur ſupplicium, ulterius adhuc momentum addit ad omnem diluendam ſuſpicionem fraudis aut malitiæ.

12. Nec poteſt *Veneficæ* inficiatio (uſque ad extremum vitæ diem) de eis quæ juraverat Ancilla, illius enervare teſtimonium. Ancilla enim rem totam narrat ſicuti erat, ità ut propriam ſuam vitam in diſcrimen vocaret: Quam Narrationem Venefica quidem negat, ſed ut vitam conſervet ſuam. Neque profectò omnino mirum eſt, eam quæ Carnifici, quum ab ipſa petiit ut ſe condonaret, luem, in ipſo ferè mortis articulo, ipſi precata eſt, audacter mentitam eſſe, impudentérque quodlibet negare voluiſſe quo *propriam* conſervaret *vitam.*

Cæterùm objicies, Quòd Venefica hæc ſic reputata, ſatìs improba quidem eſſe poteſt, ſatíſque ad quodlibet facinus proclivis; ſed cùm Improbitatis illius vis ac facultas ad talia facta non pertingat qualia Ancilla adversùs eam atteſtata eſt, *illi* meritò potiùs quàm Ancillæ fidem habere debemus. Senſus cujus Objectionis, ſi quid ego intelligo, alius eſſe non poteſt quàm hic: Quòd aut *Anna Bodenham* Venefica non erat, aut quòd facta adversùs eam atteſtata, erant prorſus impoſſibilia. Cujus partis poſterioris ſenſus proculdubio eſt, quòd impoſſibile eſt ut quiſquam Magus ſit aut Veneficus, quippe quòd Spiritus nulli ſunt ſive Dæmones qui ab ipſo evocentur. Quod quidem *Præmiſſas* eſt nimis imperitè aut nimis callidè miſſas facere quippe nimiùm firmas, & cavillari cum *Concluſione.*

13. Quòd ſi ſenſus ſit (conceſſo quòd ſint veneficæ) eam tamen veneficam non fuiſſe, equidem ſentio evidenter evinci poſſe eam fuiſſe, ex eis quæ certò conſtat eam *egiſſe & dixiſſe:* Ut exempli cauſâ ex eo, quòd multarum perſonarum abſentium effigies Ancillæ oſtenderit in *Vitro,* actionéſque earum ac geſtus in diverſis cubiculis ædium domini ſui; ad quas poſtquam rediiſſet à Venefica, narravit eis accuratè quid egerint in abſentia ſua, quod fecit ut *Elizabetha Roſwella* una è familia profiteretur ſe D. *Bodenham* ſentire aut *Veneficam* eſſe aut *viram Dei.* Præterea, Quæ illi contigerunt cum relatione ad Ancillæ paroxyſmos, quibus jam ſatìs immorati ſumus, non levem creant ſuſpicionem, eam fuiſſe *Veneficam.* Quemadmodum & illud de quo apud D. *Tuckeri* amanuenſem gloriata eſt, de marſupio nempe funiculo viridi à cervice ſua ſuſpenſo, quo multa ludicra ſe exhibere poſſe jactabat, dixítque, ſi ſex pocula Cerviſiæ ipſi vellet dare, ſe effecturam ut bufo ex eo exiliret. Adde confeſſionem illius apud D. *Langleium Saliſburienſem,* quòd in domo vixerat Doctoris *Lamb,* edoctáque eſt artem ab ipſo ciendi *Spiritus* ſive *Dæmonas* evocandi: quod etiam confeſſa eſt apud *Edmondum Bower,* apud quem porrò agnovit ſe peritiam habere curandi morbos per carmina vocéſve *Magicas,* Bonáque furto ablata detegendi ubi eſſent, oſtendendíque furem cuilibet in vitro. Rogatáque ab ipſo de *libro rubro,* cujus dimidium ſanguine ſcriptum erat, quippe Catalogum eorum qui obſignaverant Diabolo continenti; notitiam quidem illius libri minimè celavit, dixit verò penès quempiam eſſe in agro *Hamptonienſi.* Profeſſa eſt etiam ſe multas adhibere ſolere bonas preculas, ſymbolúmque Apoſtolicum prorſum retrorſúmque repetere, *Jovémque Planetam* invocare, morborum ſanandorum cauſâ.

Agnovit porrò librum ſe habere, quo *Spiritus* evocabat, librum eum appellans, *librum Carminum Magicorum*, dixítque plus millenis aliis libris valere, eſſéque in eo Carmen particulare, ad Theſaurum inveſtigandum à ſeniore Comite *Pembrokienſi* abſconditum in parte ſeptentrionali horti *Wiltonienſis*.

Alteri cuidam, ab eo interrogata, ullíne eſſent Spiritus, reſpondit ſe certam eſſe quòd ſint, confirmavítque apud ipſum ex multis nuperis eventis, & particulatim ex eo, * quòd quidam coactus erat per totam noctem deambulare in ſtagno, cum paxillorum faſciculo dorſo impoſito. Cujus mentio facta eſt in fine quartæ Evocationis ſuprà recitatæ. Summis etiam apud ipſum laudibus ſuam artem extulit, à terminis vocibúſve Aſtrologicis minimè abſtinens, populíque ignorantiam magnopere contempſit culpavítque, affirmans apud ipſum, cum omni animi contentione ac confidentia, nullam eſſe noxam ab his Spiritibus, verùm omnia bona officia ipſi præſtituros eſſe, eúmque comitaturos, & ab omni malo cuſtodituros per omnes dies vitæ ſuæ.

Sed enimverò, *laceroſi* illius *Pueri*, tales non erant. Quippe qui Ancillam à cuſtodiendis Dei præceptis liberare voluerunt, dicentes ei, ſe meliorem viam ipſi oſtenſuros eſſe, quemadmodum & ipſa apud eundem hominem confeſſa eſt.

Hiſce omnibus adde, *Annam* hanc *Bodenham*, Veneficæ explorationem ſubiiſſe, inventámque eſſe in humero illius certam quandam Notam, ſive Uberculum, accedens ferè ad longitudinem & amplitudinem papillæ in mamma muliebri, cavúmque ac molle ut papilla, cum foramine in illius ſummitate.

14. Quamobrem ut concludamus, Cùm in ea inventa ſint, cùm ab ea facta dictáque ſint talia, quæ evidenter eam Veneficam fuiſſe indigitent, facultatémque habuiſſe evocandi *Spiritus* ſive *Dæmonas*, cúmque à tali, evocationis dæmonum accuſata ſit, quam minimè veriſimile eſt ullas iſtiuſmodi Formas *Magicas*, Effecta, aut circumſtantias quæ ſuprà memoratæ ſint, excogitare potuiſſe, quæque rem geſtam, adeò ſine omni partium ſtudio recitat ut ſeipſam ferè ex æquo cum Venefica attingat, quæ pactum agnovit cum diabolo de rebus geſtis ſilentio celandis, quæque poſt detectionem ſceleris ità tractata eſt ut manifeſtum eſſet, ſupra omnis morbi leges modóſve fuiſſe, qui fingi poteſt, ut ſic afficeretur; Hæc, inquam, non poſſunt, quin apud quemlibet hominem, quem præjudicium animúſque obſtinatus non penitùs occæcaverint, plenum obtineant aſſenſum, ea utique quæ Ancilla confeſſa eſt de ſeipſa ac Venefica, * veriſſima fuiſſe atque certiſſima.

SCHOLIA

In CAP. VII. SECT. 13.

QUòd quidam coactus erat per totam noctem deambulare in ſtagno cum paxillorum, &c. *Atque equidem ad iſtum Magum qui hoc effecit, ut ſciſcitanti de* Spiritibus *ſatisfaceret Saga, eum ultrò invitavit ut proficiſceretur, ſuóque nomine rogaret ut Spiritum ipſi oſtenderet, quod pro certo affirmavit eum effecturum eſſe ſuâ gratiâ, noménque Magi dixit, & locum ubi habitabat. Sed ſciſcitator non minùs pius quàm curioſus, iſtiuſmodi oblata officia repudiavit. Hic Magus aliquot poſt annos cumulatiſſimis convictus teſtimoniis, eiſque evidentiſſimis, ipſe etiam extremo affectus eſt ſupplicio. Tam firmiter cohærent omnia ad fidem faciendam narrationi* Annæ Styleſiæ *de* Anna Bodenham.

Sect. 14. Veriſſima fuiſſe atque certiſſima. *Et tamen paucos poſt annos quàm ſuſpenſa eſſet* A. B. *Medicus neſcio quis è Comitatu* Salisburienſi, (*quæ erat ejus impudentia*) *totam ferè narrationem tanquam falſam traduxit; cùm tamen vix ulla major evidentia reperiri poſſit aut optari in rebus humanis. Quod quidem efficere debet ut viri prudentes, narrationibus tam authenticis támque maturè publicatis, propter leviculorum hominum vellicationes, inſubidáſque irriſiones, poſtquam omnis examinandi opportunitas præterierit, caveant ut ſtatim imminuant fidem. Sed ſolent profectò iſtiuſmodi homunciones, qui aut Athei ſunt, aut ſic videri volunt, ut eo Naturæ peritiores exiſtimari poſſint, ſine ullo aut veræ ſcientiæ aut conſcientiæ momento quidlibet effutire, quod in rem ſuam ceſſurum ſperent. Quin & ii qui reverà Athei ſunt, aut immane quantum eò propenſi, mundaniſque interim voluptatibus toti dediti, hujuſmodi narrationes falſas eſſe efflictim cupiunt. Unde tantum iſtud rerum geſtarum non modò* Annæ Bodenham, *ſed &* Dæmonis Tedworthienſis *memoriam extinguendi apud diſcinctos Nepotes ſtudium; quaſi extincta* Dæmonis *memoriâ* Dæmon *ipſe extinctus eſſet aut defunctus, tutòque ſic in* Oenopoliis *cantilenam illam* debacchatoriam *alacri boatu cantare poſſent.*

Eho Dæmon mortuus eſt, mi parve *Johannelle*,
Da tubulum alterum, da alterum poculum, & tunc erit
admodum bellè.

Quemadmodum habet Rythmus ille vulgaris Anglicanus *quem ut potui Latinè ſum imitatus. Intereà loci dum iſti tam ſoliciti ſunt, ut id genus omnia ſint falſa, nè fidem rerum majoris momenti ipſis ingenerent aut reſuſcitent; viri omnes prudentes ac ſobrii, uſum hujuſmodi certiſſimarum narrationum facilè hinc intelligent, obſervabúntque quàm miram habeant vim, ipſis etiam Atheis judicibus, ad fidem confirmandam* Immortalitatis Animæ *ac* vitæ futuræ, *veritatiſque adeò* Chriſtianæ *Religionis univerſæ.*

CAP. VIII.

1. *Duæ memorabiles Hiſtoriæ cum earum Credibilitate.* 2. *Prima de Sutore* Vratiſlavienſi *qui jugulum ſibi concidit.* 3. *Illius apparitio poſt mortem in ſuo ſolito habitu, moleſtæque totius oppidi per eum Infeſtationes.* 4. *Effoſſo corpore, poſtquam octo menſes ſepultum jacuiſſet, carnem illius integram fuiſſe atque floridam articulóſque laxos ac flexibiles.* 5. *Eodem combuſto Apparitionem ceſſaviſſe.* 6. *Quod etiam accidit in quadam illius ancilla poſtquam populum vexâſſet moleſtâſſétque per Menſem integrum.* 7. *Hiſtoriæ Narratorem in oppido vixiſſe eodem tempore quo hæc acciderunt.*

1. ANtecedenti Narrationi tam diu immorati ſumus, partim quia adeò recens erat, ità ut quivis certam notitiam de illius veritate ſibi exquirere poſſet, qui de hujuſmodi rebus dubitaverit; & partim quoniam ità notoria eſt, ut vix quicquam earum omnium quæ apud Scriptores occurrunt, penſitatis omnibus circumſtantiis, ad eam poſſit æquiparari. Et tamen ſi æquè recentes eſſent, neſcio profectò an iſtæ Narrationes *Martini Weinrichii* Medici ac Philoſophi *Sileſii*, (quæ per modum Præfationis, *Pici Mirandulani* Strigi (ſive *De Ludificatione Dæmonum*) præfiguntur) videri non poſſint ad homines convincendos perinde idoneæ.

Hiſtoriæ duæ ſunt, admodúmque memorabiles, atque eò magìs credibiles quòd res in Narratoris ætate contigerunt, paucis aliquot annis quàm eas ſcripſerit, & in propria denique patria, affirmátque cum confidentia quanta poteſt maxima, eas certiſſimè eſſe veras. Harum prior hæc eſt.

Sutor quidam in uno ex præcipuis Oppidis *Sileſiæ*, Anno 1591. Septembr. 20. Die Veneris ſummo manè in remotioribus ædium ſuarum partibus, quibus adjacebat Hortulus, cultello ſutorio ſuum ſibi jugulum ſuccîdit. Familia, ad celandam facti turpitudinem, & ut nulla ignominia in ejus viduam derivaretur, in vulgus ſparſerunt eum ex Apoplexia mortuum eſſe, declinârunt omnes amicorum vicinorúmque viſitationes, lavandum interim curârunt, linteáque ipſi tam commodè circumjecerunt ut etiam ii qui eum poſtea viderunt, ut Paſtor Parœciæ & alii nonnulli, nè minimam conciperent ſuſpicionem quin ex iſto morbo mortuus eſſet. Atque ſic honeſtam obtinuit ſepulturam cum concione funebri aliiſque circumſtantiis quæ hominem illius ordinis atque exiſtimationis condecerent. Sex ſeptimanæ non præterierant, cùm rumor vehemens prorupit, eum nullo ex morbo mortuum eſſe, ſed vim ſibi ipſi intuliſſe, adeò ut Magiſtratus oppidi non potuerint quin omnes eos qui corpus defuncti viderant ſub ſtrictam examinationem convocarent. Rem verò illi declinârunt primùm quàm dextrè poterant, bellas adhibentes Apologias quamplurimas pro defuncto ad amoliendam omnem ſuſpicionem tam nefarii facinoris. At verò tandem poſtquam ipſorum conſcientias urgentiùs implorâſſent Magiſtratus, apertè eum confeſſi ſunt violentâ morte interemptum, ſed obnixè eos orârunt ut favorem ac clementiam exhiberent erga viduam atque liberos, quippe qui omni culpâ immunes erant, addentes porrò, incertum eſſe, quin externo aliquo caſu occîdi poſſet, & quidem ſi à ſeipſo, ex ineluctabili tamen aliqua mentis emotione ac veſania id fieri potuiſſe.

His dictis, Senatus deliberavit, quidnam eſſet agendum. Quod cùm vidua audiviſſet, metuerétque nè quid ſtatuerent quod durum foret, & quod in ſuam maritíque tenderet ignominiam, ingentem (eò ardelionibus quibuſdam ſtimulata) querelam detulit adverſus eos qui iſtam famam de marito ſuo excitârant, decrevítque litem eis intendere, vehementer interim contendens ab omni ratione alienum eſſe ut ex meris rumoribus levibúſque defamationibus malevoli populi corpus mariti effoderetur, itáve tractaretur ac ſi Magus fuiſſet aut *Suicida*. Quæ confidentia fœminæ atque pervicacitas, quanquam poſt facti confeſſionem, aliquem tamen, apud Senatum, ſortita eſt effectum, aliquámque moram ſuis conſiliis injecit.

3. Cæterùm dum hæ res agitantur, ad ſtupefactionem totius oppidi, apparuit *Spectrum* ſub perfecta ſpecie habitúque defuncti, ídque non ſolùm noctu ſed & meridie. Qui dormiebant horribilibus viſionibus terrefecit ; qui vigilabant, eos percutere ſolitus eſt, vellicare, aut opprimere, cum pondere eis incumbendo, ad inſtar *Ephialtis* ; adeò ut perpetuæ eſſent querelæ unoquoque manè, de proximæ noctis Inquiete per totum oppidum. Sed quanto plures ludos hoc ſpectrum feciſſet, tanto diligentiores fuerunt amici defuncti in ſupprimendis eorum rumoribus, aut ſaltem in impediendis eorundem rumorum effectis. Ac proinde ad Præſidem ſe contulerunt, conquerentes quàm injuſtum eſſet, ut tantum tribueretur famæ levi, cæcæque ſuſpicioni ; ac propterea eum orârunt ut Senatum inhiberet ab effodiendo corpore defuncti, & ab omne tractatione ignominioſa ; addentes porrò, ſibi in animo eſſe ad Curiam *Cæſaream* provocare, ut ipſorum potiùs ſapientia controverſiam dirimere poſſet, quàm ut cauſa hîc determinaretur, ex levibus conjecturis malignorum hominum.

Sed enim, dum hac ratione res adhuc procraſtinabatur, tales turbæ erant ac tumultus per totum oppidum, ut vix enarrari poſſint aut deſcribi. Etenim ſtatim atque Sol caput ſuum abſconderat, hoc Spectrum non deſiit certò efferre ſuum, adeò ut unuſquiſque coactus eſſet circumſpicere ſuæque cuſtoditè proſpicere ſaluti. Quod magnæ profectò eis moleſtiæ erat, quos labores ſui diurni, nocturnæ Inquietis impatientiores reddidiſſent. Nam terribilis hæc apparitio ad ſpondas lectorum ſtabat, aliquando in medios lectos ſe conjiciebat, preſſè adjacebat, miſeréque homines ſuffocabat. Itáque eos percutiebat ac digitis comprimebat, ut non ſolùm maculæ lividæ, ſed manifeſtæ digitorum impreſſuræ in multis corporum partibus manè conſpicerentur. Quinimo, tanta erat violentia atque impetuoſitas hujus *Lemuris* ut, cùm lectos homines dereliquiſſent & intra cœnacula ſe continerent (accenſis luminaribus) ídque multi ſimul, quò meliùs ſe ſecuros redderent à timore atque turbis, ipſis nihilominus ſic congregatis apparuerit, nonnullos ex ipſis infeſtans, quanquam tam pulchrè viſi ſunt ſibi proſpexiſſe. In ſumma, tam moleſtus erat atque turbulentus, ut populus ædes ſuas deſerturus eſſet, aliáque domicilia quæſiturus ; Magiſtratúſque ità expergefacti ex perpetuis populi querelis, ut ſtatuerent tandem, Præſide conſentiente, corpus eſſe effodiendum.

4. Jacuerat in ſepulchro, octo ferè menſes, nempe à Sept. 22. Anni 1591. ad April. 18. Anni 1592. Poſtquam effoſus eſſet, quod factum eſt Magiſtratibus Oppidi præſentibus, corpus ejus repertum eſt integrum, & nullatenus putrefactum, nulláque erat circa eum maleolentia, præterquam muciditatis linteaminum ſepulchralium. Articuli laxi erant & flexibiles, ut in hominibus vivis, Cutis tantùm flaccida erat, ſub qua tamen, illius loco, altera magìs vivida ac florida enata eſt. Vulnus gutturis hiulcum, ſed nulla ſanies aut pus in eo inventum. Obſervata eſt etiam Nota Magica in dextri pedis pollice, Excreſcentia ſcilicet Roſæ formam referens. Corpus extra terram ab April. 18. ad 24. ſervatum eſt. Quo tempore multi, tum ex eodem oppido tum aliunde ad ipſum viſendum quotidie confluxerunt. Turbæ tamen hæ interim atque inquietationes minimè ceſſârunt, quas poſtea ſedare tentabant corpus ſepeliendo ſub patibulo ; ſed fruſtrá. Æquè enim ingruebant atque unquam, ſi non magìs, cùm nè propriæ quidem familiæ tunc parceret ; adeò ut ipſius vidua tandem Magiſtratus adiret, dixerítque eis ſe diutiùs quidem non gravaturam eſſe, ſi ipſis viſum fuerit aliquid ſeverius ſtatuere de marito ſuo.

5. Quamobrem Maii ſeptimo iterum effoſſus eſt, obſervatúmque quòd manifeſtò carnoſior factus ſit ex ultima ſua ſepultura. Ac nè multa, caput abſciderunt, & brachia cruráque cadaveris, & dorſum aperientes cor exemerunt, quod vividum erat atque integrum, veluti vituli recèns mactati. Hæc ſimul cum corpore in unam lignorum ſtruem impoſuerunt, concremârúntque in cineres, quos diligenter converrentes & in ſaccum (nè quiſpiam eorum quicquam in malos uſus auferret) immittentes, in fluvium effuderunt, quo facto ſpectrum nunquam poſtea viſum eſt.

6. Quemadmodum & contigit in ancilla ejus, quæ poſt eum mortem obiit, * quæque intra octiduum poſt mortem ſuam conſervæ ſuæ apparuit, eíque tam gravi pondere incubuit, ut grandem oculorum intumeſcentiam ipſi conciliaret. Tam miſerè Infantem in Cunis tractavit ut niſi nutrix veniſſet in ſubſidium, infans ferè enectus fuiſſet ;

fuiſſet; illâ verò ſignante ſe ſigno crucis & nomen Jeſu invocante, ſpectrum evanuit. Nocte proximâ apparuit ſub ſpecie Gallinæ, quam cùm una ex ancillis domeſticis talem reverâ autumaret, eámque inſequeretur, Gallina in immanem magnitudinem excrevit, ſtatímque jugulum Ancillæ impetivit, fecítque intumeſcere, adeò ut ad aliquantum pòſt temporis commodè nequiret aut edere aut bibere.

Ad menſem integrum has turbas perpetuabat, alapas aliis tam ſtrenuè impingens, ut ictus auditi eſſent ab adſtantibus, lectum verò ſubtrahens aliis, & nunc ſub una forma apparens nunc ſub alia, ut fœminæ, canis, felis & capreæ. Tandem verò corpore effoſſo & combuſto, apparitio nunquam poſtea eſt viſa.

7. Hæc facta ſunt *Vratiſlaviæ* (*Breſlaw* vulgò dictæ) in *Sileſia*, ubi hic *Weinrichius* tunc vixit: quod eo majus Narrationi momentum addit. Quòd perſonarum nomina celaverit, id Civilitatis ergô factum credo, adversûs defunctum ſuum Co-oppidanum Co-oppidanámque viduam atque ipſorum Familiam.

SCHOLIA

In Cap. VIII. Sect. 6.

QUæque intra octiduum poſt mortem ſuam conſervæ ſuæ apparuit, &c. *Anima igitur (ſi hæc anima famulæ fuit) non tamdiu inhæret corpori poſt mortem quàm quidam autumant. Immo ſi vera ſunt quæ audivi, Anima aliquando aut inter efflandum Spiritum, aut ſtatim poſt efflatum, viſa eſt ſub eadem ſpecie, quâ homo erat vivus, vel aliquando ut tenuis albáque umbra. Quibus de rebus nihil opus eſt hîc expatiari.*

CAP. IX.

1. *Altera Hiſtoria de* Cuntio *quodam, cujus primus Scriptor non ſolùm in oppido vixit, ſed res diras in iſta Tragædia paſſus eſt.* 2. *Qualitas* Cuntii, *ictúſque fatalis ab equo ſuo, deſperatáque Animi afflictio.* 3. *Prodigia mortem ejus comitantia.* 4. *Spiritus* Incubus *ſub illius Specie, cum aliis turbis.* 5. *Turbæ immaniores, ut & illius apparitio compatri filii ſui in ipſius gratiam.* 6. *Varia effecta miſera ex Apparitione illius in perſonis variis.* 7. *Quàm malè ab eo tractatus ſit Paſtor Paræciæ cum ſua Familia, qui Hiſtoriam ipſe ſcripſit.* 8. *Multorum aliorum veſanorum ludorum hujus Spectri brevis recitatio.* 9. *Accidens memorabile in* Lapide Sepulchrali. 10. Cuntii *habitus corporis floridus, poſtquam anni dimidium ſepultus jacuiſſet; útque baculum manu prehenderit, déque motu oculorum atque ſanguinis.* 11. *Prodigioſum corporis pondus;* 12. *Illiúſque* Incombuſtibilitas. 13. *Quàm difficile futurum ſit* Atheo *perfugium invenire contra hanc Hiſtoriam.*

1. ALterius Hiſtoriæ, quam deſcripſit, ipſe quidem non primus eſt ſcriptor (quanquam ſuis temporibus res geſtæ erant &, ut opinor, aliquanto poſt eas quæ ſuprà memoratæ ſunt, quemadmodum locus quidam in Narratione videtur inſinuare) ex quodam verò tranſcripſit qui non ſolùm vixit in oppido, ſed ſæpe infeſtatus eſt à noxiis occurſionibus turbulenti illius *Lemuris* qui tam multa mala oppido in quo habitabat, intulit. Narratio aliquanto prolixior eſt. Ego verò in ambitum quam potero breviſſimum compingam.

2. * *Johannes Cuntius* Civis oppidi *Pentſch*, in *Sileſia*, ſexaginta ferè annos natus, unúſque ex Senatoribus Civitatis, moribus certè probis, ad hominum quidem opinionem, inculpatíſque per totum vitæ curriculum, cùm accerſitus eſſet ad domum *Prætoris*, (quippe vir admodum prudens rerúmque agundarum gnarus) ad dirimendas aliquas controverſias, Aurigas inter & Mercatorem *Pannoniæ*, iſtis rebus peractis, à *Prætore* invitatur ad cœnam: Impetratâ autem veniâ, domum priùs redit ad res aliquas illîc expediendas, hanc poſt ſe relinquens ſententiam, *Conſultiſſimum eſt hilarem eſſe dum licet, ſatìs citò enim ingruunt mala quotidie.*

Hic *Cuntius* Equos quinque generoſos in Equili ſuo habuit, quorum unum juſſit educi, cúmque ſolea illi laxa eſſet, alligandum curavit palo proximo. Dominus ejus cum ſervo cruri attollendo operam dederunt, quo ungulam ejus inſpicerent. Equus verò, quippe ferox & ſtomachoſus, utroſque humi proſtravit, *Cuntius* autem ictûs partem maximam excepit. Quidam qui adſtabat, utroſque rurſus in pedes erexit. *Cuntius* ſtatim atque ſurrexerat ſéque ipſum recollegerat, *Hei mihi*, inquit vociferans, *quàm ardeo, quàm totus flammis incendor.* Quod idem is ſæpe repetiit. Partes verò, de quibus maximè conqueſtus eſt, mulieribus è conclavi emiſſis, poſtquam exploratæ eſſent, nulla ictûs ullius noxæve in eis inventa ſunt veſtigia. Ac nè multa, Æger omninò decumbit, mentéque miſerè afflictus, altâ voce conqueritur ſua peccata talia eſſe, ut nullam prorſus admitterent condonationem, minimámque eorum partem majorem eſſe peccatis omnibus totius Univerſi. Sed nullum paſſus eſt Theologum ad ſe venire, nec particulatim ea cuiquam eſt confeſſus. Multi quidem ſpargebantur rumores ac ſi unum ex filiis vendidiſſet, ſed quando & cui incertum erat, pactúmque feciſſet cum diabolo, & ſimilia. Cæterùm obſervatum erat certóque cognitum, eum præter omnem expectationem opulentum evaſiſſe, & quatriduo quàm hoc malum accidiſſet, cùm compater cuidam Infanti eſſet, dixiſſe hunc ultimum eſſe pro quo ipſe ſit reſponſurus.

3. Nocte, qua è vita diſceſſit, filiorum natu maximus cum illo vigilabat. Circa tertiam noctis horam Spiritum efflavit, quo tempore felis nigra feneſtram aperiens unguibus (clauſa enim erat) ad lectum ejus cucurrit, faciémque ac cervical tam violentè ſcalpſit, ac ſi conaretur è loco quo jacebat eum amovere. Subitò verò poſtea felis abiit, ſtatímque ut illa abiit, *Cuntius* extremum emiſit halitum. Pulchra quæ Paſtori Parœciæ narraretur concinnata eſt fabula, oppidíque Magiſtratibus annuentibus, ſepultus eſt ad dextrum latus Altaris, amicis ejus ea de re haud exiguam ſummam ſolventibus. *Cuntius* verò vixdum vitam exhalaverat, cùm ingens coorta eſt tempeſtas, quæ in ipſo funere maximè ſæviebat, ubi tam violenti erant turbines venti atque nivis, ut corpora hominum facerent contremiſcere, dentéſque præ algore crepitare in capitibus. Cæterùm ſimul atque ſepultus eſt, ſumma ſubitò ſubſecuta eſt aëris tranquillitas.

4. * Vix diem unum & alterum defunctus erat, cùm varii rumores per oppidum ſpargebantur de *Spiritu Incubo*, ſive *Ephialte*, in ſpecie *Cuntii*, qui fœminam violare tentaverat. Hoc antè accidit, quàm ſepultus eſſet. Poſt ſepulturam idem *Spectrum* è ſomno quempiam excitavit in cœnaculo ſuo dormientem, dicens, *Vix me abſtineo quin ad mortem uſque te verberem.* Vox, *Cuntii* voci omnino ſimilis erat. Vigiles etiam oppidi affirmârunt ſe ſingulis noctibus magnas audiviſſe turbas in ædibus *Cuntii*, caſus projectúſque rerum ultro citróque, foréſque ejus quotidie ſummo manè ſe vidiſſe patentes, quantocunque ſtudio atque curâ ſub noctem fuiſſent clauſæ. Equos etiam valde inquietos fuiſſe in Equili, tanquam ſi calcitrarent morderéntque ſe invicem; necnon inuſitatos latratus per totum oppidum ululatúſque canum. Cæterùm hæc tantùm ſuſpicionum præludia erant, quæ evidentioribus indiciis præirent, quæ quàm breviter potero, nunc percurram.

5. Famula cujuſdam ex Civibus oppidi *Pentſch* (dum hæ Tragœdiæ turbæque tam frequenter excitabantur in oppido) audivit cum aliis quibuſdam, in lectis ſuis jacentibus, ſtrepitus greſſúſque cujuſpiam circa ædes equitantis, qui tandem contra parietes eâ violentiâ irruit, ut tota domus ità concuteretur ac ſi ſublapſura eſſet, feneſtræque omnes luminis coruſcationibus erant oppletæ. Pater-familias cùm ea de re monitus eſſet foràs prodiit manè ad viſendum quid factum eſſet, vidítque in nive impreſſuras pedum prorſus inſolitorum, quales nec equorum pedes ſunt, nec vaccarum, nec porcorum, nec ullorum aliorum Animalium quæ ipſe noverit.

Alio tempore circa horam, noctis, ſeptimam, *Cuntius* cuidam ex amicis, qui pro uno è liberis ſuis ſponſor fuerat, apparuit, ipſúmque alloquens, * bono animo eſſe juſſit, ſe enim illuc veniſſe dixit in eum tantùm finem, ut rem magni momenti ei impertiret. Reliqui, inquit, filium meum natu minimum *Jacobum*, cujus tu compater es; nunc verò apud filium meum natu maximum *Stephanum* Civem *Jegerdorfenſem*, eſt certa quædam arcula cui quadringentos quindecim Florenos impoſui. Hoc tibi enarro, nè filius tuus luſtricus eorum aliquibus defraudaretur, tuúmque officium eſt illud curare; quod ſi neglexeris, *væ cuticulæ tuæ*. Poſtquam hoc dixiſſet, Spectrum diſceſſit, abiitque in ſuperiora domi Conclavia, * ubi tam ſtrenuè firmitérque ambulavit, ut omnia inde reſonarent, ipſúmque tectum vacillaret à ponderoſis pedum impreſſibus. Hoc Amicus *Cuntii* Parœciæ Paſtori pro certo affirmavit poſtridie triduóve quàm factum eſſet.

6. Cæterùm ſunt & alia multa hujus *Cuntii* facta notoria. Qualia ſunt frequentia ad ancillam, cum Domina ſua *Cuntii* vidua in eodem lecto concumbentem, alloquia, jubentis ipſi locum cedere, ſuum enim jus eſſe, quod ni fecerit, ſe cervicem ei retrorſum contorturum.

Celeres ejus ultrò citróque in propriæ domûs atrio equitationes; Quemadmodum & ſæpenumerò viſus eſt equitare non ſolùm in plateis, ſed & in camporum vallibus, montiúmque jugis, idque greſſu tam forti ſuccuſſatorio, ut ignis ſub eo è ſolo exiliret.

Contuſio corporis Infantis fabri cujuſdam, quo oſſa ejus adeò mollia reddidit, ut in cumulum corpus facilè quis convolvere poſſet, ad morem Chirothecæ.

Infeſta ejus per totam noctem colluctatio cum *Judæo*, qui in oppidi hoſpitabatur diverſorio, quem ultrò citróque jactavit in cubiculo ubi pernoctabatur.

Horrendus illius congreſſus cum Auriga, amico ſuo veteri, dum ſuis rebus intentus erat in Equili, contra quem ignem evomuit ad terrorem ei incutiendum, pedémque illius tam immaniter momordit, ut claudum indè redderet.

7. Quæ ſequuntur, prout ſuprà monui, ad ipſum Narratorem ſpectant; qui Paſtor erat Parœciæ, quem hic *Lemur* adeò colliſit preſſítque dum dormiebat, ut expergefactus repererit ſe totum languidum laſſúmque, viréſque penitùs exhauſtas, cujus tamen cauſam neutiquam potuit comminiſci. Dum verò jacebat, ſecum reputans quid hoc rei eſſet, *Spectrum* ad eum redit, totúmque tam firmiter detinens, ut nè digitum quidem movere poſſet, volvit revolvítque in lecto, multis continuis vicibus. Quod idem uxori etiam ſuæ contigit alio tempore; quam *Cuntius*, per feneſtram ingreſſus puſilli homunculi formâ, currens ad lectum ejus ità conſtrinxit vellicavítque ac ſi jugulum ipſi eliſurus fuiſſet, niſi duæ illius filiæ ei veniſſent in ſubſidium. Labia etiam unius ex filiis hujus Theologi ità compreſſit, ut ægrè poſſent rurſus disjungi.

Domus ejus tam frequenter ab inquieto hoc Dæmone infeſtata eſt, ut famuli coacti eſſent ſingulis noctibus in uno cubiculo ſimul manere, aggreſſúſque, in ſtramine jacentes, expectare hujus turbulenti *Lemuris*. Cæterùm famula quædam cæteris animoſior, quadam nocte lectum petere cùm omninò decreviſſet, ſocióſque ſuos deſerere, *Cuntius* eam ſolam reperiens, ſtatim adoritur, lectum ipſi ſubtrahit, ipſámque ſecum auferre anniſus eſt; illa verò è manibus ejus ægrè elapſa ad reliquos è Familia confugit, ubi eum prope candelam adſtantem vidit, & paulò pòſt diſparentem.

Alio tempore, in Domini ejus cubiculum intravit, ſtrepitum imitans Porci fabarum ſiliquas avidè comedentis maxilliſque increpantis, ac grunnientis perquam ſonoré. Alloquendo eum fugare non potuerunt, ſed ſimulatque candela accenſa eſſet, diſparuit.

Atque alio tempore ſub veſperam, quando Theologus hic cum uxore liberiſque ſedebat, Muſicam, ut illius mos erat, exercens, graviſſimus ſubitò ſubortus eſt fœtor, qui paulatim in omnes angulos conclavis ſe diffudit. Hinc ſeipſum ſuámque familiam Deo precibus commendat. Fœtor nihilominus tamen accrevit, evaſítque ſupra modum peſtiferè noxius, adeò ut coactus eſſet in cubiculum aſcendere. Ipſe cum uxore horæ quadrantem vix jacuerant, cùm eundem fœtorem in cubiculo offendunt, de quo dum alter apud alterum conqueruntur, *Spectrum* à pariete tacitè prodit, prorepénſque ad lecti ſpondam, halitum in Theologum ſpirat admodum frigidum, ſed tam intolerandi maligníque fœtoris, ut omnem Imaginationem ſermoníſque explicationem excedat. Unde Theologus, bonus vir, peſſimè ſe habuit, coactúſque eſt decumbere, facie ejus, ventre & inteſtinis intumeſcentibus ac ſi venenum hauſiſſet. Hinc etiam factum, ut Dyſpnœâ laboraret, putridâque oculorum inflammatione, adeò ut uſum eorum ad bene longum tempus perdiderit.

8. Sed bonam Theologo valetudinem precati, ſi redire velimus eáque quæ omiſimus recitare, equidem eorum numerum exceſſura eſſent quæ jam recitavimus. Qualia ſunt, exempli cauſâ, Tremor Sudórque Equi *Cuntii*, à quo immunis erat neque noctu nec interdiu. Flammæ candelarum luridæ factæ appropinquante Umbrâ *Cuntii*. Lac ab ipſo è vaſis abſorptum, ſtercúſque in ea injectum, lac etiam aliquando in ſanguinem converſum. Palorum per ipſum evulſio, licèt profundè in terram infixorum, támque gravium ut duo bajuli eis portandis vix ſufficerent. Colloquia illius cum multis hominibus de rebus Aurigarum. Suffocatio Senum, Cunarum Infantum detentio, eorúmque ex cunis ereptio. Frequentes illius conatus conſtuprandi fœminas. Aquæ coinquinatio in Baptiſterio, linteíque in Altari (ea in parte quæ prope illius ſepulchrum propendebat) maculis lutulentis & ſanguineis conſpurcatio. Canum abreptio in plateis, cerebríque in terram alliſio. Vaccarum exſuctio, caudarúmque ad modum caudæ equinæ plexus & ligatio. Gallinarum devoratio, caprearúmque conſtrictarum in præſepia injectio. Equi ad dolium vacuum avenarium alligatio in Equili ad ſtrepitum ultro citroque faciendum, pediſque alterius equi ad caput per proprium capiſtrum adſtrictio. E feneſtra humilis Turris proſpectio, ſubitáque

quæ tunc ſui ipſius in oblongi baculi formam commutatio. Increpatio Matronæ quòd paſſa ſit famulas patinas lavare die Jovis, quo tempore manum ipſi impoſuit, dixítque frigidorem ipſi viſam eſſe omni glacie. Impetitio unius è fœminis qui cadaver ejus lavârunt tam violenta cum glebis, ut glebarum impreſſuræ in eam jactarum videri poſſent in pariete. Adniſus ejus conſtuprandi alteram, quæ cùm ſe excuſaret, dicens, *Mi Cunti, ipſe vides quàm annoſa, rugoſa & deformis ſim, & quàm omni ex parte ad iſtiuſmodi ludos inidonea,* altum is continuò cachinnum ſuſtulit & diſparuit.

9. Cæterùm hiſce in rebus nobis non eſt immorandum, addemus tantummodo unicum inſuper factum, quod quidem notatu haud indignum eſt. Lapis ejus ſepulchralis paululùm everſus eſt in latus alterum decliviter, multáque conſpecta ſunt in terra foramina, ad magnitudinem eorum quæ mures habitant, quæ ad ipſius capulum pertigerunt, quæ quantocunque ſtudio ſub noctem terrâ oppleta eſſent & complanata, manè proximo aperta rurſus certò erant conſpicienda.

Nimio tædio eſſet omnia ad plenum enarrare, Hiſtoriámque proſequi in ſingulis his circumſtantiis. Ut concludamus igitur; Calamitas eorum à frequentibus hujus inquietæ Furiæ occurſionibus tanta erat, ut nulli eſſent quin eos aut commiſerarentur aut haberent deſpicatui, nulli in eorum oppido pernoctari voluerunt, Mercatura oboleverat, Civéſque perpetuis turbis ac tumultibus hujus infeſti *Lemuris* ad extremam paupertatem redacti ſunt.

10. Et certè, quamvìs *Atheus* forſan eos deriſurus ſit, tanquam homines propriâ ſuâ Melancholiâ vaníſque imaginationibus, aut malorum aliquorum vicinorum technis ludicris ac petulantiâ, peſſundatos; tamen ſi ſeriò apud ſe quæ jam narrata ſunt perpendere velit, multa equidem effecta obſervabit, quæ in iſtiuſmodi cauſas reſolvi non poſſunt; quæ verò jam narraturus ſum, veri omninò diſſimile reddent, eorum ulla eſſe reſolvenda.

Breviter igitur; Cùm nullam requiem à malis præſentibus invenire poſſent, nec melius excogitare remedium, corpus *Cuntii* effodiunt, cum multorum aliorum, tum ante tum poſt eum ſepultorum. Ii verò tum ante tum poſt eum ſepulti, adeò putrefacti corruptíque erant, craniis fractis, ſuturíſque hiantibus, ut à forma ſpeciéve omnino non eſſent dignoſcendi, quippe in rudem terræ maſſam lutúmque quodammodo converſi. Res verò longè aliter ſe habuit in *Cuntio:* Cutis ejus tenera erat & florida, Articuli minimè rigidi, ſed laxi & mobiles, * baculóque in manum ejus impoſito, admodum firmiter eum digitis comprenſabat. Oculi etiam ſponte ſe nunc aperiebant, nunc claudebant. Inciderunt venam in crure, ſanguiſque exiliit æquè floridus atque in hominibus vivis. Naſus integer erat & quaſi rotundus, non acutus, quemadmodum fit in eis qui aut lethaliter ægrotant, aut planè mortui ſunt: Et tamen corpus *Cuntii* in ſepulchro jacuerat à Febr. 8. ad Jul. 20. quod Anni ferè dimidium eſt.

11. Facilè jam dignoſci potuit ubi horum malorum eſſet origo. Utcunque nihil temerè ſtatutum eſt, ſed Judicibus conſtitutis, ſententiam in *Cuntii* cadaver tulerunt, quod, eò animati à ſucceſſu in caſu conſimili ante paucos annos in hac ipſa *Sileſiæ* provincia, (*Vratiſlaviam* indigitari exiſtimo, ubi Sutoris cadaver combuſtum eſt) igni adjudicârunt.

Quamobrem Cæmentarii accerſiti ſunt, qui in pariete prope Altare foramen perfoderent, per quod corpus illius poſſet trahi. Quod cùm fune traheretur, adeò ſupra modum grave repertum eſt, ut funis diſrumperetur, cadavérque vel tantillum dimovere vix valerent. Poſtquam verò ipſum pertraxiſſent, carróque foris impoſuiſſent, quod equo *Cuntii,* qui eum percuſſerat (qui robuſtus animoſúſque erat *Caballus*) trahendum erat, equidem vires illius ità tamen exercebantur, ut ſubinde ferè ſublapſurus eſſet præ labore, totúſque factus anhelus enitendo tam intolerandum onus ſecum auferre. Qui tamen ſtatim poſtea duos homines eidem carro impoſitos nullo negotio, curſu celerrimo avexit, quippe quorum pondus nullius ferè erat momenti cum illius robore comparatum.

12. Corpus ejus poſtquam ad ignem allatum eſſet, eíque impoſitum, combuſtionem repertum eſt æquè gravatim ferre atque pertractionem, adeò ut carnifex uncis ipſum ex igne extrahere coactus eſſet & in fruſta diſcindere, quò comburi poſſet. Quod dum faciebat, ſanguis tam purus repertus eſt & ſpirituoſus ut in illius faciem dum diſſecabat, exiliret: tandem verò, nec ſine ducentorum ſexdecim magnorum lignorum impenſa, totum converſum eſt in cineres. Quos diligenter converrentes, (ut in antecedente Hiſtoria) poſtquam in fluvium conjeciſſent, Spectrum nunquam deinceps apparuit.

13. * Equidem fateor me tam tardo eſſe ingenio, ut comminiſci planè nequeam, quid hîc Atheus excogitaturus ſit in ſubterfugium ſibi ac latibulum, contra tam manifeſtas evidentéſque demonſtrationes.

Hactenus de Veneficiis aliiſque devotis *Satanæ* vaſallis *ſigillatim*; Ipſorum *Cœtus* jam ac *Conventicula* conſiderabimus, ulteriora argumenta pro *Spiritibus* & *Apparitionibus* indè deducturi.

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. 2.

Johannes Cuntius Civis Oppidi Pentſch, &c. *In Tabulis* Ortelianis Bentſch *dicitur. Sunt verò* P. *&* B. *literæ & ſono & figurâ ſatìs cognatæ.* Bentſch *verò ſive* Pentſch *oppidum eſt* Sileſiæ *quatuor ferè milliaribus diſtans à* Jegerſdorf, *cujus mentio fit Sect. 5.*

Sect. 4. Vix diem unum & alterum defunctus erat, &c. *Hoc porrò confirmat quod in præcedenti capite notavimus, Non diu eſſe quàm Anima laxetur ſolvatúrve à corpore poſt mortem, præſertim ſi pura ſit & purgata, corpúſve morbo tabefactum & confectum, quippe quum tam fœda anima è tam robuſto corpore ac vegeto tam citò exierit.*

Sect. 5. Bono animo eſſe juſſit, &c. Dæmonis *alicujus hæc vox ſit an Animæ* Cuntii *alii judicent. Perſonam ipſius* Cuntii *hic uſurpari manifeſtiſſimum eſt.*

Ubi tam ſtrenuè firmitérque ambulavit, &c. *Hæc certè ità ſonant ac ſi corpus rurſus aſſumpſiſſet. Sed vis animæ* Statica *ſive* Syſtaltica *in vehiculo Aereo, omnem impetum, pondus, terrenámque ſoliditatem imitari poteſt & planè exæquare. Quid venti queant in ædibus concutiendis nulla vi* Staticâ *compacti ſed ſoluti magìs ac diffluentes, notius eſt quàm ut opus ſit monere.*

Sect. 10. Baculóque in manum ejus impoſito admodum firmiter eum digitis comprenſabat. *Sive hìc anima* Cuntii *ſit ſive* Dæmon, *exemplo tamen eſſe poteſt, quomodo Dæmon (cùm Anima ſeparata Dæmon quodammodo ſit) corpus humanum vivum occupare, & ad tempus actuare poſſit.*

Sect. 13. Equidem fateor me tam tardo eſſe ingenio ut comminiſci planè nequeam, quid hîc Atheus excogitaturus ſit, &c. *Eſt verò ſcriptor quidam novus qui ex* Veneficarum *ſuſcepto* Patrocinio *famam ſibi aucupari velle videtur non Atheus exiſtimari, qui cùm nodum hunc ſolvere nequeat gladio ſuo plumbeo, per vim quaſi conatur diſſecare, negando ſcilicet haſce hiſtorias de Sutore* Vratiſlavienſi *&* Johanne Cuntio *eſſe* poſſibiles: *credo eo nomine præcipuè quòd & Sutor &* Cuntius *ſupponantur pactum feciſſe cum Diabolo, cùm novus hic noſter ſcriptor & juratus* Veneficarum Patronus *Magis & Veneficis, nihilo plus negotii eſſe cum Diabolo, quàm aliis hominibus peccatoribus contendit, ſed quicquid rerum mirandarum ab iis fit, per cauſas naturales effici. Quo conſilio ſic philoſophetur, ipſe viderit; an ad movendum populo ſuſpicionem ſe* Magum *quidem eſſe ſed non* Cacomagum, *& nihil rei habere cum Diabolo cùm nè ipſæ* Veneficæ *habeant; an verò quòd apud ſuos Boreales* magna illa Naturæ virtus *exiſtimari velit, ut* Simon Magus *olim apud* Samaritanos magna illa Dei virtus *habebatur; an denique quemadmodum* Montanus *impiè, verus* Paracletus *exiſtimari voluit, ità hic titulum affectet* Sagarum Lamiarúmve Paracleti: *quodnam ex iſtis in cauſa ſit, ego quidem neſcio; aut quem in finem, in me meáque tam cæco ſtolidóque impetu irruat, nuſquam quod ſciam à me laceſſitus niſi fortè hinc fiat, quòd ſordidus ſit (ut Lamiarum Spiritus Familiares) alienæ Invidiæ miniſter.*

Quòd autem demirari *ſe ait quòd ego* homo grandævus, qui tot annos in Academia florentiſſima tranſegerim, hiſtoriis hiſce de Sutore & *Cuntio* fidem haberem, *ſciat hic ſciolus me non fruſtrà in tam florenti Academia ætatem contriviſſe, ſed otium hoc quod per Divinam Providentiam nactus ſum, rationi excolendæ firmiſſimiſque argumentis earum veritatum, quas noſtrâ maximi intereſt cognoſcere, indagandis operam fideliter impendiſſe; & poſt liberam pariter atque anxiam rerum examinationem talia principia támque certò explorata & digitis quaſi, non corporis quidem aut imaginationis, ſed mentis ſive intellectûs contrectata, Deo cœptis aſpirante, inveniſſe, ut nullus Philoſophus quantumvis exercitatus, nedum petulans quiſquam & audaculus* Theologo-*medicaſter unquam ſit labefactaturus. Certóque novi ex iſtis principiis nihil in illis duabus Narrationibus ſanæ rationi veræque Philoſophiæ repugnare, ſi rectè ſingula accipiantur. Neque enim exiſtimandum eſt corpus* Cuntii *majoris ponderis fuiſſe quàm quod ſtrenuus ille* Cuntii *equus trahere potuerit, Sect. 11. Nec Lac converſum fuiſſe in verum ſanguinem, Sect. 8. aut* Cuntium *ſe vertiſſe in longum baculum, & ſiqua ſunt id genus alia; ſed Dæmonum fuiſſe ſive* Lemurum ludibria ac præſtigias. Qui dum currum in quo corpus Cuntii erat vi tantâ detinebant, ut vires equi ſuperaret, ponderi id imputabatur corporis Cuntii. Et ſimiliter aut Lactis loco ſanguis ſubſtituebatur, aut tingebatur fortè colore rubro aliquâ arte Lac, atque ideo ob colorem ſanguis vocabatur. Et cùm Cuntii loco, baculi ſpecies exhiberetur, hinc dixerunt Cuntium in baculum ſe vertiſſe. Si hæc cautio adhibeatur in interpretandis hiſce hiſtoriis, certo certius eſt, nihil illîc occurrere quod ſanæ Philoſophiæ repugnat. Ipſéque, ut ingenuè fatear quod res eſt, non tam demiror quàm derideo ſupercilioſam hujus Theologo-medicaſtri ignorantiam ac ſtupiditatem quòd hiſtorias haſce putat impoſſibiles.

Et ni per totum librum, dum evolvebam, nullâ eum obſervaverim pollere ratione aut judicio, non demirarer ſolùm ſed ſtuperem cùm aliorum credulitati adeò inſultat, quòd opiniones tam incredibiles, imò planè impoſſibiles aliquando, amplectatur. Cujuſmodi eſt abſurdiſſimum illud figmentum de Spiritu Aſtrali corporeo mortali ſenſû & memoriâ prædito, (de quo alibi.) Et ridiculæ iſtæ Fabulæ de Spectris ſimulachriſque humanis ex humano ſanguine diſtillato apparentibus & nonnunquam vociferantibus. Opinio de Diabolo, quaſi nihil agere poſſit vi propriâ ſuâ perſonali in ullam materiam, niſi per materiam aliunde aſcitam. Et quòd anima humana longè latéque extra ſuum corpus extenditur. Quibus adde Dæmonas, etſi Gaderenorum porcos in Mare præcipites egerunt, Serpentes tamen in unum cogere non poſſe. Carmina quæ vocantur Magica ſuâ vi naturali operari, præſertim ſi ſub idoneis Stellarum configurationibus, verborum fiat compoſitio. Idem de Imaginibus & Characteribus ſtatuit. Tandémque eò veſaniæ prorumpit ut cum Paracelſo ejuſdémque verbis concludat, Syderibus nota eſſe omnia quæ in Natura exiſtunt, unde ſapientem dominaturum eſſe Aſtris, eum ſcilicet ſapientem qui virtutes illas ad ſui obedientiam cogere poteſt. Cujuſmodi affirmat ſapientes fuiſſe Magos Ægyptios qui Moſi reſtiterunt, & nullâ Arte diabolicâ ſed Magiâ naturali, Laminis ſcilicet ſplendidis, ſic enim exponit כלהטיהם ſub certis quibuſdam Conſtellationibus factis, certíſque figuris inſculptis, mirabilia patrâſſe, feciſſéque ut Formæ ſive ſimulachra rerum ante oculos apparerent. Poſtremò, infinitum enim eſſet omnia corradere, hiſce addas, Nolam ſive campanulam ex Electro Paracelſi ritè confectam, quæ inſcriptis internæ ſuperficiei quibuſdam verbis & characteribus poſtea pulſata varias Spirituum Viſiones ſive Apparitiones naturaliter exhiberet, vel prout voluerit Magus, Spectra & Spiritus, quinimò Homines & Beſtias ſuo pulſatu procul abigeret. Atque hæc omnia naturali tantùm Magiâ, nullâ Dæmonum ope. Quid hiſce, obſecro, apud homines prudentes rerúmque gnaros incredibilius exiſtimari poteſt? Sed qui vera, ſolida ac utilia repudiant, juſtiſſimâ Nemeſi occæcantur quò fabulis pluſquam Anilibus Figmentiſque omnium abſurdiſſimis adjungant fidem. Res geſtæ & à totis oppidis perceptæ & à viro gravi eóque Medico naturæ ſatis conſulto literis mandatæ, ut impoſſibiles rejiciuntur, dum ineptiſſima interim hæc commenta & ab omni ratione alieniſſima tanquam oracula admittuntur.

Nihil autem ullius momenti contra haſce hiſtorias profert, præterquam quòd Martini Weinrichii vita non ſcripta ſit à Melchiore Adamo, qui Germanorum Medicorum qui à ſeculo ſuperiori & quod excurrit claruerunt, Vitas ſcripſit ad annum uſque 1620. deductas. Quaſi verò nemini Medico niſi qui libris ſcriptis aut munere Profeſſoris publico inclaruerit, etiam eis in rebus quas pro compertiſſimis aſſeveraverit, adhibenda ſit fides. Et præterea (quod planè oſtendit quàm ſupino ac omiſſo animo ſcriptor ſit hic Sagarum Patronus) cùm vitæ Medicorum Germanorum ad annum tantum 1620. deductæ ſint, nec cujuſquam vita ante ſuam mortem ab Adamo ſcripta, veriſimillimum eſt Weinrichii vitam omiſſam fuiſſe, quòd tunc adhuc eſſet in vivis. Sutoris enim Vratiſlavienſis Tragædia acta non erat ante Annum 1591. inter quem annum & annum 1620. vix triginta anni intercedunt. Et juvenis eſſe potuit Weinrichius quando turbæ illæ Dæmoniacæ fiebant Vratiſlaviæ, vitámque ab eo tempore ad quadraginta annos & ultra producere. Adeò ut argumentum à Lamiarum Paracleto hinc deductum, nullum omninò ſit. Ut ſunt certè ubique in hac cauſa argumenta illius omnia admodum delumbia atque frivola, omníque omninò robore & aculeo (niſi malevolentiæ) deſtituta. Quicquid autem iſte de Martino Weinrichio ſentiat, equidem eum credo non ſolùm Medicinæ ſed Philoſophiæ naturalis fuiſſe peritiſſimum, ex illiúſque conſilio factum eſſe quòd Sutoris Vratiſlavienſis corpus crematum eſſet, quippe qui illius oppidi Medicus erat & incola. Quod exemplum Pentſchienſes poſtea ſecuti ſunt in cremando corpore Cuntii.

Cæterùm cùm ad Melchioris Adami Tribunal de Medicorum præcellentia provocat importunus hic Lamiarum Paracletus, cúmque ſuperſtitiones Magicas, ut Laminas ſub certis cœli configurationibus factas & characteribus inſculptas aliáſque id genus Magorum quiſquilias authoritate potiſſimùm Paracelſi tanquam vi naturali agentes commendatas tam avidè amplectitur, vitam Paracelſi à Melchiore Adamo ſcriptam eum perlegere volo, dicátque mihi quid ſibi velit iſta quæ tam crebrò apud Paracelſum occurrit ſententia; Chriſtiano homini *ſcilicet* citra pietatis injuriam Dæmonis tanquam latronis (*id eſt* Lateronis *ſive δαίμονος παρέδρου*) ope, operâ, conſilio uti divinitus permiſſum eſſe. *Hoc eum in ſcriptis ſuis paſſim aſſerere affirmat* Melchior Adamus. *Quemadmodum &, cùm* Baſileæ *doceret, de Incantationibus quoque & Exorciſmis morborum Magicis egiſſe, eámque rem ægrè ferentibus viris doctis atque piis, hæc in verba prorupiſſe:* Si Deus opitulari nolit, opituletur Diabolus. *Atque huic conſentanea ſunt quæ* Oporinus *ejus Amanuenſis ibidem narrat, ſæpe ſcilicet* eum vino madidum noctu ſtricto gladio per dimidium horæ ferè cum larvis depugnare, non abſque metu & periculo ipſius qui accubabat Amanuenſis, ſolitum; inde hunc ad dictata accipienda excitâſſe, quæ tam expeditè recitaret, ut Dæmonum inſtinctu ea ſuggeri dubium non fuerit. *Hæc* Oporinus. *Et certè mihi ſemper viſus eſt* Paracelſus *ſic Philoſopari acſi aut* Dæmoniacus *eſſet aut* Maniacus. *Quod ad medicinas verò attinet, agnoſco, &* Vetulas, *&* Dæmonas *poſſe habere bonas. Quid autem hoc ad Philoſophiam? Quæ quàm delira eſſe poſſit apud eos qui bonorum tamen medicamentorum ſint Domini, ex unius* Paracelſi *exemplo copioſè demonſtro in* Enthuſiaſmo Triumphato, *Sect.* 45. *Intereà loci manifeſtum eſt* Paracelſum *ab impurorum Dæmonum commercio non abhorruiſſe; ac proinde ſiquid ſe per* Laminas *ſuas* Magicas *profiteatur revera effeciſſe, quis niſi mente captus Aſtrorum virtutibus imputet, & non miniſterio potiùs Dæmoniorum quorum laqueis fuiſſet implicatus? Quàm autem iniquè à* Lamiarum Paracleto *factum ſit, ut viro gravi ac ſobrio, qualem veriſimillimum eſt fuiſſe hunc* Martinum Weinrichium, *ac Medicinæ veræque Philoſophiæ perito, de rebus certis ac perceptis & apud omnes gentes ac per omnia ſæcula repertis fidem deroget, & homini interim ebrioſo, Maniaco, aut Dæmoniaco de rebus phantaſticis & commentitiis, nullâque certâ experientiâ compertis, nè dicam impiis inſuper & religioni noxiis, ſupinâ quadam aut ſuperſtitioſâ oſcitantiâ tam plenam fidem adhibeat, cuilibet æſtimandum relinquo. Sed quod ſuprà dixi, Qui rebus utilibus, ſolidis ac compertis non credunt, digni ſunt qui credant maximè ridiculis figmentis ac mendaciis.*

Cæterùm non Weinrichium *ſolum, quòd nihil ab ipſo præter duas iſtas narrationes de Sutore &* Cuntio *ſcriptum ſit, vilipendit, ſed & duos eruditiſſimos viros ſcriptiſque omni literarum genere refertis celebres,* Johannem Bodinum *&* Nicolaum Remigium *pari petulantiâ ac impudentiâ proculcat, longéque infra alios qui de ejuſmodi rebus ſcripſerint, detrudit. Quod ex craſſiſſima ignorantia factum oportet, aut ex odio aliquo concepto: Adverſùs* Bodinum *fortaſſis quòd in Præfatione ad* Dæmonomaniam *narret* Petrum de Apono *Medicum perſuadere ſolitum eſſe, nullos eſſe Spiritus, cùm tamen poſtea comprobatum fuerit, eum fuiſſe Magorum omnium quos habebat* Italia *facilè principem. Et Theologum quendam* Guilielmum *Linenſem Magum, ex pacto ſuo cum Diabolo obligatum fuiſſe, ut ipſe faſſus eſt, publicè concionari (quod hic noſtras Theologo-medicaſter ſcripto publico fecit)* quicquid de Magis Sagiſve prædicetur, fabulam eſſe, non poſſe fieri, &c. *Cùm certè non ſit cur hic noſter tam inclementer hæc ferat, quandoquidem nemo, quòd ſciam, pro* Conjuratore, *ut verbum habet* Anglicanum, *eum unquam hactenus habuerit; quanquam Magi* Paracelſiani *nomen ex hoc ipſo ſcripto, licèt perquam ridiculis rationibus affectare poſſe, quemadmodum ſuprà innui, videatur, ut labeſcentem ſuam exiſtimationem hiſce phantaſticis machinis aliquatenus ſuffulciat aut attollat. Adverſùs* Remigium *verò, quòd adamatarum ſuarum Vetularum Veneficii accuſatarum per integrum quindecennium in* Lotharingia *cauſarum Cognitor ſederit aut Judex. Demiror equidem quempiam niſi admodum perfrictæ frontis hoſce duos viros tum eruditione tum experientiâ rerum inſtructiſſimos, tanquam non idoneos hac in cauſa Authores, poſſe repudiare.*

Quantùm enim ad Bodinum, *ut ipſum librum omittam, Præfatio ſola &* Wieri *Confutatio eum demonſtrant, ut eruditionem taceam, fuiſſe, quemadmodum lepido ac liberali ingenio, ità & ſingulari acumine & acerrimo judicio virum, nec temerè & ex auditione tantùm ſed ex rebus compertis ac confeſſis, utì conſtat ex judicio contra* Johannam Havilleriam, *Magam, ad quod ſe vocatum fuiſſe ait pridie Calendas Maias,* 1578. *ſuas de rebus opiniones concepiſſe. Et certè ſi hic* Lamiarum Paracletus *legiſſet* Wieri *Confutationem* Bodini Dæmonomaniæ *annexam, puduiſſet profectò ſuſcepti Sagarum Patrocinii, cùm nullas argutias in earum gratiam attulerit, quas non priùs adhibuerit* Wierus, *quâſque eâ Confutatione* Bodinus *non penitus profligaverit ac difflaverit; ità ut homo mihi videatur hic* Lamiarum Paracletus, *aut nullo omnino judicio, aut nullâ conſcientiâ præditus, & cæcâ quâdam ac temerariâ levitate, de eis rebus & perſonis quas planè ignoraverit, impudenti ore pronunciare. Circa nullam rem credulitatis crimen* Bodino *jure impingi poſſe videtur, niſi circa Transformationem hominum in lupos aliáque animalia. Sed enim non ignaviter nec imperitè etiam hac in cauſa ſe defendit. Quid autem ego hac de re exiſtimem, in Scholiis Cap.* 11. *Lib.* 3. *ante editum* Lamiarum Paracleti *librum, declaraveram.*

At verò Remigius *judicio ità prænimis cauto & ſuppreſſo eſt, ut non ſolùm hominum* Transformationi, *ſed & Animarum humanarum è corporibus per ecſtaſin* Emigrationi, *omnem deroget fidem. Et tamen homo tam cautus conſideratúſque ab inurbano hoc agreſtique vetularum Veneficarum patrono omninò vili penditur, nihilóque plus negotii cum Diabolo Sagis eſſe quàm aliis peccatoribus ac peccatricibus obfirmato animo contendit. Cùm tamen* Remigius *per quindecim annorum ſpatium hiſce in rebus verſatus non dubitet in ſua Præfatione palàm ſic profiteri: ϖαϱαδοξολόγον, inquit, & ματαιολόγον* dicent me nonnulli, qui Sagas loquor Nimbos molientes, Aëra perrumpentes, anguſtos aditus permeantes, cum Dæmonibus comeſſantes, ſaltantes, concumbentes, ac prodigioſa portentoſáque id genus pleraque edentes: *Sed* ſciant velim, me primum hîc non rumore diſperſa ſed multorum ſeparatis conſentientibúſque teſtimoniis comperta narrare. *Et in calce Præfationis,* Mihi bene conſcius ſum, *inquit,* nihil certandi ſcripſiſſe ſtudio, nihil quo ex argumenti novitate admirationem moverem, gratiam captarem, ſed tantùm in eum veritatis ſcopum, quò multi alii, quorum tamen minùs inſtructa eſſet jaculis pharetra quàm noſtra nunc eſt, collimâſſe atque oculorum aciem direxiſſe. *Addam etiam quod occurrit* Libr. 1. *Cap.* 14. *de hiſtoria quam ipſe per compendium tranſcripſi, de* Nicolea Langbernhard*:* Ecce rem geſtam, *inquit,* non ſomnio viſam, oculis ipſis perceptam non auditu intellectam, diverſorum conſentientibus verbis affirmatam, non unius excogitatâ fictâque oratione evulgatam. Cui ſiquis parvam fidem habeat, nihil equidem moror, quò minùs in contraria opinione hæreat, modò ſciat me nihil hîc fingere ac comminiſci, ſed potiùs hujus argumenti exempla plurima omittere quæ neglecta cùm à me legerentur in Veneficorum quæſtionibus capitalibus, intercepit oblivio.

Quis igitur, obſecro, poteſt hiſce in rebus magìs idoneus eſſe Author ad quem provocemus quàm hic Remigius, *homo vegeto arrectóque animo, ſummâque fide ac integritate, & ejuſmodi cauſarum innumerarum per integrum quindecennium in* Lotharingia *Cognitor publicus? Cui experientiarum toties repetita certitudo ità de veritate harum rerum judicium confirmavit, ut tametſi averſiſſimus eſſet ab opinione* Transformationis *hominum in lupos aliáſque beſtias, apertè tamen affirmat* Lib. 2. *Cap.* 4. *Catharinam Metenſem, Hennezelium* adoleſcentem, *Jacobum Weher, Gaſpar Haffner, Margaretam Jeninam, Margaretam Luodman, Sennel Armentariam,* ac ferè omnes ejus criminis reos in *Germania* quæ eſt ditionis *Lotharingicæ,* deprehenſos concorditer aſſeverare eam ſibi à Dæmonibus (modò iis per aliquot annos fuerint operati) penetrandarum ædium facultatem eſſe tributam, ut ſcilicet per quaſvis anguſtias nullo negotio viam ſibi faciant, in mures, feles, locuſtas & alia hujuſmodi puſilla animantia, prout uſus poſtulat, contracti, intromiſſóſque, denuò priori formæ, ſi velint, reſtitui, &c. *Et quanquam contendit nullam* realem *fieri poſſe (in capite nempe proximo) hominis in beſtias* Tranſmutationem, *ſolido tamen cum judicio affirmat,* reale *hîc adeſſe præſtigioſorum Dæmonum* miniſterium; *quandoquidem qui ſic tranſmutari videntur (de Lupis & Felibus loquitur)* illa in currendo velocitas, in ſuperando robur ac firmitas, in dilaniando feritas, in vorando aviditas, in penetrando facilitas, & id genus alia, quæ vulgò præter hominum conſuetas *vires ſint, eis inſunt.* Quæ, non eſt, *inquit,* quòd quis meras putet captiones eſſe ac præſtigias, cùm eorum omnium poſt ipſam actionem reſtent veſtigia, atque documenta, videlicet ipſa graſſantium in facto deprehenſio, fuga, aſſecutio, vulneratio, damnorúmque quæ dederunt manifeſta injuria, iíſque omnibus conſentanea ac ſæpe voluntaria Facti confeſſio, ut verius ſit dicere hæc quidem ità utì apparent reipſa eveniſſe, ſed adminiſtro Dæmone, &c. *Vide quò certitudo rerum compertarum eum vel invitum & ferè contra ſuam opinionem tandem propulerit!*

Quod quidem evidentiam repetitæ experientiæ magnopere confirmat, planéque evincit, & apparere iſtiuſmodi transformationes, & Dæmonem illic cum Saga Magóve reverà adeſſe. Fierique id poſſe in Terreſtri eorum corpore in campis lociſque apertis, Dæmone & corpus reverà actuante & præſtigioſam ſpeciem ipſi circumfundente aut aliquo modo adnectente, quâ ſpectatorum oculi, acſi lupus eſſet aut felis, illuderentur. In Vehiculis verò animarum Sagæ Magíve è corporibus terreſtribus egreſſarum, vera *poteſt corporis aerii (ut in ipſorum Dæmonum vehiculis) momentanea fieri transfiguratio, vi Dæmonis ipſum actuantis, & conſpirante interim voluntate & imaginatione egreſſæ animæ Sagæ Magíve; alioquin enim dimenſionum penetratio fieret, niſi per anguſta ædium foramina ſagarum animæ vehiculis aereis non terrenis corporibus, penetrarent. Quam animæ emigrationem temporaneam, cùm ipſe* Remigius *neget, nihil niſi evidentia teſtimoniorum rerúmque compertarum eum cogere potuit ut hujuſmodi factis adhiberet fidem. Unde omni ex parte videmus, ut ſupra omnes, quos ſciam, idoneus Author ſit hic* Remigius *in eis rebus, quæ ad Sagarum facinora pertinent, Lamiarúmque Paracletum adverſùs perſonam illius eo tantùm* *nomine cavillari, quòd res quas ille compertiſſimas habet ipſius non arrident palato, ſive id fiat ingenii illius ſtupiditate, ſive ex eo quòd gratiam inire ſtudet apud* robuſta *præſentis ætatis, quæ vocantur,* Ingenia, *& ſi lubet per me licet, chalybea, quæ vix Deum eſſe credunt, nedum Angelos Spiritúſve aut Sagas, quorum exempla imitando in poſtrema hac parte, ſperare forſan poteſt* Lamiarum Paracletus, *ſe, ſi non* chalybeum *quidem,* firmum *ſaltem habitum iri* Ingenium, *&, ex querno quaſi ſtipite, ligneum. Quem honorem ei minimè invideo, quippe tam ſordido hujus ſeculi Somatiſtici Paraſito.*

Poſtremò, & quod in hujus Remigii *gratiam notabo; Ex hiſce quæ dicta ſunt obſervare poterit Lector, quàm multis ſplendidiſque* Mendaciis *aut* Æquivocationibus *exornatum ſit Libri hujus Sagarum Patroni* Frontiſpicium, *dum in ipſo Titulo profitetur,* 1. *Præter* Melancholiam *&* Imaginationem *& aſtutas quaſdam Nebulonum* Colluſiones, *in tota re Sagarum Magorúmque nihil prorſus reperiri.* 2. *Nullum* Pactum *iniri inter Diabolum atque Sagam.* 3. *Nullos fieri* Concubitus. 4. *Nullas in Sagarum corporibus* Suctiones. 5. *Nullam in Feles Canéſve* Transformationem. 6. *Nullam excitationem* Tempeſtatum. 7. *Ineſſe verò* magicis Carminibus *vim naturalem, darique* Spiritus Aſtrales.

Primum autem ab omni ratione & experientia adeò alienum eſt, ut illius Lamiarum Compatronum Wierum *omninò puderet id aſſerere, imò expreſſè paſſim affirmat, Dæmonem ſpeciali modo Sagarum rebus ſe immiſcere.* 2. *Præter innumera exempla quæ* Remigius *noverit* contractuum, *idem ille Lamiarum Patronus* Wierus *contractum agnoſcit* Magdalenam Cruciam *inter atque Dæmonem* Æthiopem, *Hiſtoriámque illam* memorabilem *quam vocat, ab* Hiſpanis *non malæ fidei & inſigniter doctis porrò ſibi confirmatam, nulla omninò ex parte vellicat aut in dubium vocat.* 3. Concubitus *etiam, quò* Remigii *authoritas hac in re confirmetur, res adeò nota eſt, ut* Wierus *eundem* voluptuaria ludibria *modeſtè vocans, in* Magdalena Crucia *cum ſuo* Æthiope *agnoſcat. Multáque alia horum obſcœnorum ludibriorum Dæmonum cum mulieribus apud iſtum Authorem occurrunt exempla: nempe ſic ſe gerere Dæmonem admotu ſui corporis ſive vehiculi, quod vi ſuâ* Syſtalticâ *tangibile & palpabile efficere poteſt, ut obſcœnam mulierculis voluptatem irritare valeat, & aliquando fortean dolorem. Quòd autem hic concubitus dici non poſſit, quia nec carnem habet Dæmon nec ſemen, miſera eſt æquivocatio & tergiverſatio.* 4. *Nulláſque* ſuctiones *eſſe quia labia carnea non habent Dæmones, æquivocatio poteſt eſſe altera. At verò cùm ſe in Formas Animales vertere poſſint vehiculúmque efficere vi ſuâ* Staticâ *ſive* Syſtalticâ *palpabile & prenſativum, ore illo temporaneo cuti vetulæ admoto, haurire ſuctu aut infundere, quod ipſis viſum ſit, queunt: ipſéque harum rerum ante multos annos haud incurioſus, firmiter memini me audiviſſe ab ancilla Sagæ* Cantabrigienſis, *quæ hîc ſummo ſupplicio affecta eſt, ſe nempe vidiſſe Spiritum Familiarem, heræ ſuæ nudum ſugentem crus; crebróque ſic fieri veneficas ipſas fateri, ipſe non auſus eſt negare* Lamiarum Paracletus. *Ut omittam omnes Spiritus non ſolùm* Plaſticam *habere, ſed* Plaſticam *illam, figuram etiam in Spiritibus Rationalibus naturaliter habere* humanam, *opinionem eſſe admodum probabilem, & in minorem molem ac minorem contrahi poſſe, & in quamlibet ferè figuram animalem pro libitu Spiritûs ad tempus transformari. In nulla verò deerit os quo fiat ſuctio in corporibus Sagarum.* 5. *Quantùm ad* Transformationem *in Feles, Canes & Lupos, hac quidem in re* Remigius *cum* Lamiarum Paracleto *conſentit, quòd transformatio ſcilicet non ſit realis; ſed à Dæmone interim cum Saga Magóve tunc præſente, ſpeciem exhiberi præſtigioſam oculis ſpectantium, conſtantiſſimè affirmat; quod* Lamiarum Paracletus *tamen negat, quippe qui ſanctis ſuis Vetulis nihil peculiaris omninò commercii eſſe cum Diabolo, aut inſcienter aut impudenter contendit. Addam verò ego ex rebus compertiſſimis apud* Remigium, *Transformationem aliquando* realem *fieri poſſe (imò agnoſci debere) temporaneam, in Animarum Magorum Sagarúmque è terrenis corporibus egreſſarum, vehiculis aereis.* 6. *Et* Tempeſtates *à Sagis non cieri, etiam hîc æquivocatio latere poteſt, nempe, ceremoniarum ſuarum vi non fieri, quod veriſſimum eſt, ad ceremonias autem fieri aut præcognitione aut operatione Diaboli nè ipſe quidem* Wierus *ſuus Lamiarum fideliſſimus Compatronus negat, quemadmodum & Sagas in aerem corporaliter à Dæmone poſſe exportari. Hic verò Sagarum Patronus eſt omnium in quos unquam incidi importuniſſimus & impudentiſſimus.* 7. *Et denique quanquam hic* Carminibus Magicis *naturalem vim ineſſe contendit, nè ſanctiſſimarum ſuarum vetularum rebus Diabolus putetur ſe unquam ingerere,* Wierus *tamen harum, ſiquis alius, rerum peritiſſimus nihil ſuâ vi efficere poſſe apertè profitetur. In commento illo de* Spiritu Aſtrali, *quantus ſit error & inſcitia, alibi moneo. Breviter tantùm ac ſummatim concludam, In omnibus iſtis Titulis quibus libri ſui* Frontiſpicium *miniatum quaſi ac exornatum voluit, in eis, inquam, defendendis aut probandis, expertus loquor, meras omninò argutias adhibuit* Johannes Webſterus *ac puerilia planè ſophiſmata, ità ut profeſſione licèt* Medico-theologus, *reverà nullum alium ſe præſti-*

terit in hoc ſuo Sagarum Patrocinio quàm perpetuum Telarum aranearum, *ex nominis auſpicio,* Textorem.

Quantùm ad me, ut in aliis rebus omnibus, ità in hac, ſummam profectò adhibui diligentiam, ut nihil niſi quod certum ſit & exploratum ſcriberem, nec niſi poſt diligentem multarum Sagarum examinationem ſcripſi, quæ ultrò faſſæ ſunt non ſolùm ſe Spiritus *habere* Familiares, *ſed occaſionem aſciſcendi, formas porrò eorum ac nomina, intervallàque quibus ſe inviſebant, aliáſque circumſtantias tam firmiter diſtinctéque mihi narrabant, idque ſine vel minima umbra ſpecieve delirii, juvenculæ pariter atque vetulæ, ut certè nequeam quin eos omnes qui nihil præter* Melancholicam Imaginationem, *nebulonúmve* Colluſiones *in rebus Sagarum eſſe contendunt, homines aut craſſo pinguique ingenio, aut judicio ſuperficiario ac leviculo, aut* Petros *denique* De Apono, Guilielmóſque Linenſes *exiſtimem.* Webſterúmque *hunc amicè moneo, qui vetularum ſuarum halitu quaſi* ceritus *in viros pietate pariter ac eruditione celebratiſſimos inurbanas ſuas contumelias tam rabido ore expumavit, ut honeſtioribus rationibus exiſtimationem ſuam reſarcire ſtudeat, animúmque ad Chriſtianam humilitatem componat, nè in laqueos incidat Diaboli, & in eandem execrabilem quam verè doctéque* Bodinus *ac* Remigius *deſcripſerunt, cum ſuis vetulis abripiatur* Δαιμονομανίαν.

CAP. X.

1. *Nocturna* Sagarum Conventicula: *Duo hujus rei exempla apud* Paulum Grillandum. 2. *De Saga* Lochienſi, *cum nota de vi irrefragabili iſtiuſmodi Inſtantiarum ad probandam* Spirituum *exiſtentiam.* 3. *Fiſtulatio* Johannis *ab* Hembach *in Conventiculo* Sagarum. 4. *Saltatio virorum, fæminarum & biſulcorum* Satyrorum *ſub Meridiem.* 5. Johannis Michaelis *Muſica muta ſuper pedum ſuum à ramo quercûs in Saltatione illa Mimica ſive geſticulatoria.* 6. *Impreſſura* Circuli *cum* Ungulis bifidis *in terra ubi ſaltârunt.*

1. P*aulus Grillandus* quendam narrat, qui non procul à *Roma* habitabat, uxoris ſuaſu poſtquam ſe unxiſſet, quemadmodum ipſa ante eum fecerat, exportatum fuiſſe in Aëre ad ingentem Cœtum *Magorum* atque *Sagarum*, ubi ſub Nuce epulabantur. Verùm hoſpes hic cùm cibum ſine ſale non ſatìs ſaperet, ſale tandem allato, eóque illa de re *gratias agente Deo,* ad *nomen illud* totus cœtus ſubitò diſparuit, atque is, miſellus homo, ſolus relictus eſt in loco centum milliaria diſſito à propria domo. Ad quam cùm rediiſſet, uxorem accuſavit; ipſa factum confeſſa eſt, ſocias etiam ſuas indicans, quæ ſimul cum ea adjudicatæ ſunt vivicomburio.

Idem Author etiam conſimile quid de puella ſcribit annos tredecim nata, in *Ducatu Spalatenſi*, quæ in iſtiuſmodi Conventum introducta, reíque novitatem demirans, exclamánſque *Deus bone*, quid rerum hîc agitur! effecit, ut totus Cœtus diſpareret, ipsáque in agro ſola relicta, ut ultrò citróque deerrans à Ruſtico quodam inventa eſt, cui rem totam narravit.

2. Ità Maritus Sagæ *Lochienſis*, quem illa in talem Cœtum introduxerat, dicendo, *Deus mi ubi jam ſumus*, fecit ut omnes diſparerent, & ſeipſum ſolum reperit nudúmque in agro qui quindecim dierum itineris ſpatio à domo ſua diſtabat.

Bodin. Mag. Dæmonoman. lib. 2. cap. 4.

Multæ aliæ Narrationes, quæ huc ſpectant, apud *Bodinum* memorantur, quas ſenſibilia hæc effecta, ubi quis ſe tam procul à domo ſua reperit, nudúmque in agris, planè oſtendunt nullos eſſe Melancholiæ ludos ſed certam veritatem. Diabolum verò in hiſce epulis apparere ſuis hoſpitibus in forma *Satyri, Hirci nigri,* vel aliquando ſub ſpecie *viri alicujus atri* ac *deformis*, communis eſt *Sagarum* confeſſio, hiſce de rebus indicatarum & convictarum.

3. Addam tantummodo unam & alteram Hiſtoriam ex *Remigio* de hoc genere *Conventiculorum*, & tunc ad alia argumenta progrediar.

Johannes ab *Hembach* à Matre ſua, quippe quæ Saga erat, ad hujuſmodi deductus eſt *Conventiculum*, cúmque tibiis ſciret, ab ea juſſus eſt artem ſuam exercere, & in arborem aſcendere, quò commodiùs eum Tibiâ canentem audirent. Quod cùm feciſſet, & ſaltantium choreas interim adſpectaret, quàm monſtroſi & ridiculi motus eorum eſſent atque geſtus, admiratione ad rei novitatem perculſus, in has voces ſubitò prorupit, *Deus bone, quàm dementem hic habemus turbam!* Víxque hæc dixerat *Johannes*, cùm in terram prolapſus cum tibia, opémque adſtantium inclamans, ob

Vide Remig. Dæmonolatr. lib. 1. cap. 14.

læſum ex caſu humerum, ſolum ſe invenit, reliquóſque omnes diſparuiſſe. *Johannes* ab *Hembach* divulgavit quod contigerat; Populus verò quid ea de re ſentirent neſciverunt, donec quædam ex amenti iſta turba quæ ad illius Tibiam ſaltârant, ob alias ſortilegii ſuſpiciones comprehenſæ eſſent, ut *Catharina Prævotia, Kelvers Otilla*, aliæque, quæ quicquid *Johannes* narraverat, ad amuſſim confirmaverunt, (quamvìs ipſæ nihil eorum ab eo narratorum reſciviſſent) addentes etiam magìs particulatim, loco, ubi tibiâ ipſis canebat, nomen fuiſſe *Maybuch*.

Dæmonolatr. lib. 1. cap. 14. 4. Altera Hiſtoria memorabilis quam ex *Remigio* recitaturus ſum, hæc eſt, *Nicolæa* quædam *Langhernbarda*, dum *Aſſenuncuriam* versùs ſecundùm ſepem ſylveſtrem proficiſcebatur, advertit, ídque ſub meridiem, in proximo arvo chorum virorum ac fœminarum in orbem ſaltantium; cúmque corporum geſtus admodum præpoſteri eſſent & inſoliti, effecit ut attentiùs oculos ſuos in eos defigeret, quo deprehendit aliquos ex ipſis ungulas habere bifidas boum inſtar & caprarum, (laſcivorum Satyrorum formâ Dæmonas fuiſſe credibile eſt.) Attonita igitur & præ metu penè emortua, exclamavit ſtatim, *Bone Jeſu, fer opem, & fac ut domum redeam ſalva & incolumis.* Quod vix dixerat, quum omnes præter unum *Petrum Groſpetter*, diſparuerunt, quem paulò pòſt in aërem raptum vidit, & penicillum (lignum ſcilicet, quo furni area antequam panes in eum condantur, extergi ſolet) ſublati manibus excidere; ipſa etiam eodem vento tam violentè correpta fuit, ut anhelitum ducere vix poſſet. Domum reverſa triduum integrum decubuit.

Hoc *Petrus*, (quanquam primùm, litem *Nicolæa* intendere voluit ob calumniationem, tamen) poſtea ſponte confeſſus eſt, alióſque facti ſocios indicavit, ut *Barbeliam Johannis Latomi* uxorem, & *Mayettam* uxorem *Laurentii Supermajoris*, quæ faſſa eſt ſe cum biſulcis iſtis Animantibus, quo tempore *Petrus* etiam interfuit, ſaltâſſe. Et ad majorem rei fidem faciendam, *Johannes Michael* Armentarius confeſſus eſt, ſe, dum iſti ſaltabant, pedum ori admotum numeroſis alternatorum digitorum motibus pulſâſſe, (ac ſi Tibicinis officio fungeretur) ſedentem in alto quercûs ramo, & ſimul atque *Nicolæa* nomen *Jeſu* invocâſſet, præcipitem in terram eſſe prolapſum, ſed ſtatim turbine in aërem ſublatum, in pratum nomine *Weiler* deportatum fuiſſe, ubi paulò antè armenta reliquerat.

6. Hiſce omnibus adde, repertum fuiſſe in loco, ubi ſaltaverant, *Circum* impreſſum, (qualem habent *Hippodromi*, ubi in gyrum aguntur equi) poſtridie quàm *Nicolæa* rem narraverat; qui interſtinctus ungularum caprinarum bubularúmque recentibus veſtigiis fuit. Quæ conſpicienda manſerunt, donec ſequente brumâ aratrum ea deleviſſet exſcidiſſétve. Hæc contigerunt A. D. 1590.

CAP. XI.

1. *De* Fairiorum Elvarúmve Circulis. 2. *Quæſtiones propoſitæ de* Sagis *an* corpora *ſua* relinquant, *& in* Beſtiarum formas *aliquando transformentur.* 3. *Argumenta* Wieri *&* Remigii *contra realem Transformationem, omnino eſſe invalida.* 4. *Argumenta probabilia pro reali Transformatione.* 5. *Argumentatio, cur cenſeri poſſint corpora relinquere in ſuis Ecſtaſibus.* 6. *Quando Anima ſic relinquit corpus, non eſſe mortem, nec ejus ad corpus reditum, propriè dictum miraculum.* 7. *In aliquibus caſibus maximè proclive eſſe ac naturale eas agnoſcere corpora ſua relinquere; cum exemplo apud* Wierum, *quod huc facit.* 8. *Authoris Scepticiſmus hac in re, cum candida interpretatione exorbitantiarum temperamentis propriarum* Bodini *&* Carteſii.

1. ADmodum hîc opportunum foret ex antecedente Hiſtoria in naturam inquirere amplorum iſtorum *Annulorum* ſubnigrorum in gramine quos *Fairio-Circulos* vulgò appellitant, an *Sagarum* ſint *Diribitoria*, an verò *Saltatoria* puſillorum iſtorum *Dæmunculorum* quos *Fairios Elváſque* vocitant. Verùm haſce curioſitates argutioribus ingeniis lubens relinquo, quippe nunc inſtituto ſoli intentus probandi *Spirituum exiſtentiam*. Qua in re haud mediocres profectus me jam feciſſe autumo, taléſque Narrationes in medium protuliſſe, quæ non poſſint quin fidem obtineant apud eos, qui perversâ obfirmatâque incredulitate non laborent.

2. Solet certè alia magìs utilis quæſtio hîc moveri, ſi rectè decidi poſſet, de nocturnis Sagarum choreis, annon aliquando illîc ſint corporibus domi relictis. Ut

ſunt ſanè multæ Narrationes quæ iſti opinioni favere videntur. ‖ *Bodinus* rem affirmat, è contrà verò negat * *Remigius.*

‖ *Bodin. Dæmonom. lib. 2. cap. 5.*
* *Remig. Dæmonolatr. lib. 1. cap. 14.*

Eadémque ferè quæſtio eſt, Quando Sagæ Magíve ſe profitentur narraturos quid agatur intra tot milliarium ambitum, & poſtmodum ut artis ſpecimen edant, corpora ſua primùm ungunt, & mox tanquam mortui in terram lapſi, ad aliquod tempus ſine ſenſu proſtrati jacent, an Animæ, inquam, è corporibus egrediantur, an verò ſoli imaginationi ipſorum repræſententur omnia.

Etiam tertiam addere poſſumus, quæ reliquis duabus decidendis aliquid fortean conferre poteſt. Atque hæc quidem eſt circa Λυκανθρώπους (quos *Germani Were-wolff, Galli Loups garous* appellant) *Homines in Lupos converſos:* Eſtque par ferè ratio in aliis Transformationibus. * Nullum lectori creabo faſtidium Hiſtorias recitando, quamvìs multas quidem proferre poſſem. Sed enim illi perinde qui deluſionem putant diaboli, meráſque in ſomno Tragœdias, atque hi qui reales tranſactiones eſſe aſſerunt, agnoſcunt utrique, eos homines, qui faſſi ſint ſeipſos ſic fuiſſe transformatos, feſſos ſe reperire currendo, pedibúſque & toto ferè corpore contuſos, interdum etiam vulneratos, & ſimilia. *Bodinus* hîc etiam deſeritur à *Remigio*, qui eâdem ſententiâ eſt cum *Wiero* vaſro illo blandóque Medico, ac fideli *Sagarum* patrono, qui non dubitabit diabolum onerare quantum poteſt, (quippe cujus humeri valentiores ſunt ad ſuſtinendam ſarcinam) quò veneficas onere levaret.

* *Bodin. Magor. Dæmon. lib. 2. cap. 6.*

3. Quantùm verò ad me, quanquam nolo tantum mihi aſſumere, ut controverſiam decidam, non abs re tamen fore puto declarare, quòd *Bodinus* haud incommodè poſſit, quicquid iſti in contrarium dixerint, cauſam ſuam tueri. Illa enim quæ *Wierus* & *Remigius* tantopere urgere videntur, majorem ſcilicet eſſe facultatem quàm quæ Diabolo, majorémque indignitatem quàm quæ Homini competeret, ut Diabolus eum ſic valeret transformare, ſunt meo quidem judicio, leves tantummodo Rhetoricationes, non ſolida argumenta.

De Præſtig. Dæm. lib. 3. c. 10. l. 1. c. 24. l. 2. c. 8. l 4 c. 20. Remig. Dæmonolatr. lib. 2. c. 5.

Quid enim eſt externa illa corporis transformatio ad internam animæ deformitatem comparata, quam tamen ille inſigniter promovet? Cúmque iſti adeò totos ſe ei dediderint, cur non ſic eos tractare poſſit in hac vita, quos pejùs tractaturus eſt in futura? Et quod ad ſpecies rerum mutandas attinet, ſi iſta facultas major ſit quàm quæ Diabolo concedi debeat, hîc tamen non magìs fit quando *Hominem* in *lupum* tranſformat, quàm quando *ſeipſum* transformat in *ſpeciem Hominis*. Hic enim *Lupus* adhuc *Homo* eſt, & iſte *Homo* adhuc *Dæmon*. Itâ enim res habet, quemadmodum Poeta factum ait in Sociis *Ulyſſis*, quos *Circe* in *Porcos* converterat, caput, vocem, corpus ſetáſque porcorum habuerunt,

--------- Αὐτὰρ ὁ νοῦς ἦν ἔμπεδος ὡς τὸ πάροσπερ.

Intellectus verò *firmus* manſit & *immutatus*, *mentem* & memoriam habuerunt *Hominis* ut priùs. Quemadmodum *Petrus Bourgotus* profeſſus eſt, poſtquam illius ſocius *Michael Verdung* corpus ei unxiſſet & in lupum transformâſſet, ſe, dum pedes ſuos hirſutos conſpiciebat, à ſeipſo ſibi metuiſſe.

4. Nunc igitur cùm manifeſtum ſit, nihil ullius momenti in contrarium afferri, hominéſque confeſſos eſſe ſe in *lupos* fuiſſe converſos, agnoviſſéque ſævas crudelitates quas in pueros, fœminas ovéſque commiſerant, * reperiſſe ſe admodum laſſos & aliquando vulneratos, * equidem eos reverà ſic transformatos fuiſſe magìs proclive eſt concludere magíſque conſentaneum, quàm meram fuiſſe Imaginationis deluſionem.

Diabolum enim in ipſorum corpus ſubingredi, & ſubtili ſuâ ſubſtantiâ, penetrabili magìs atque energeticâ quàm ſit quivis ignis aut putrefaciens liquor, compagem corporis flexibilem * ad talem conſiſtentiam ſolvere ac laxare conjicio, tantámque illius partem, quæ illius ſcopo conveniat, morigerámque reddat ſuæ Imaginationi. Atque tum quidem, ipſi æquè facile eſt eam in quam voluerit, ſpeciem effingere, atque Aërem ipſum, quem communiter in tales formas figuráſque concinnare creditur. * Nec certè illi difficilius opus eſt *emollire* quod *durum* eſt, quàm *indurare* quod tam *molle* eſt & fluidum quàm Aër.

5. Et qui hanc profectò facultatem habet, * illam ei negare non poſſumus quæ multò ſit minor; Edocendi nempe homines, qui poſſint *ad tempus corpora* ſua *relinquere*, & in ea *denuo redire*. Poteſtne enim difficile eſſe illi qui ſic laxare poteſt, minutímque particulas corporis diſſolvere, exercere perinde peritiam ac facultatem laxandi *ſolvendive Animam à corpore*, quippe ſubſtantiam pariter ab ipſo realiter diſtinctam ac ſeparabilem; quod tandem fit ex facili Naturæ curſu, in finali illa Animæ

corporiſque diſſolutione, quam *mortem* appellamus? Nullus verò Naturæ curſus corpus hominis in Lupi ſpeciem unquam transformat. Adeò ut hoc difficilius ſit, & ab ordine Naturæ magìs elongatum quàm alterum.

6. Cæterùm objicies, immenſitatem & incredibilitatem miraculi hanc eſſe, ut ſit actualis *ſeparatio Animæ* atque corporis, nec tamen ulla *mors*. Sed enim hoc minimè mirum eſt, ſi conſideremus, quòd mors propriè ſic dicta, ſit Animæ corporiſque, ex eo quòd corpus ad animam hoſpitio excipiendam, *diutiùs non ſit idoneum*, diſſolutio. Quæ quidem corporis ineptitudo aut ex vehementia morborum, aut externa aliqua violentia, aut ex ætatis ingraveſcentia oriri poteſt. Et certè ſi diabolus iſtiuſmodi corpora in vitam reſtituere poſſet, reverà miraculum eſſet. Hoc verò tale miraculum non eſt, nec eſt *corpus* propriè *mortuum*, licèt anima ex eo *exiverit*. Vita enim corporis nihil aliud eſt, quàm aptitudo quò ab anima actuetur. Cujus aptitudinis conſervatio promovetur, opinor, per corporis unctionem ante Ecſtaſin. Quod unguentum poros opplens frigus excludit, calorémque ac ſpiritus evolaturos coercet, ut tenor temperamentúmque corporis idoneum permaneat ad excipiendam rurſus animam in ſuo reditu. Atque ſic vitalibus cadaveris halitibus nondum exhauſtis, priſtinæ vitæ operationes ſubitò rurſus accenduntur. Quemadmodum candela recèns extincta & adhuc vaporans ignem continuò concipit à flamma alterius, etiam ad diſtantiam aliquam, luce ſecundùm fumum celeriter delabente.

7. Quamobrem cùm nihil ſit in ipſa rei natura quod nos reddat incredulos, cúmque veneficæ hæ certis temporibus ſe extra ſua corpora fuiſſe tam confidenter affirment, & vidiſſe egiſſéque certas res, alias cum aliis congreſſas eſſe, nuncia reportâſſe, ſecreta detexiſſe & ſimilia; equidem proclive magìs eſt naturæque conſentaneum, concludere eas extra ſua corpora quàm intra tunc fuiſſe. Quod faciliùs credituri eſſemus, ſi fidem habere poſſemus Narrationi quam *Wierus* de milite narrat; cujus ex ore dum dormiebat viſa eſt beſtiola quædam Muſtelæ ſimilis exire, quæ ultrò citróque feſtinans in gramine tandémque ad Rivuli ripam perveniens, cùm admodum ſolicitè tentaret pertranſire nec tamen valeret, quidam ex adſtantibus qui hoc obſervaverat, pontem ipſi ex evaginato gladio ſtruxit, per quem ſtatim tranſivit, quo etiam in reditu ſuo rurſus eſt uſa, & tum demum in os patulum dormientis militis denuò ingreſſa, multis adſpectantibus. Poſtquam expergefactus erat miles narravit ſe per ſomnum tranſiviſſe per pontem ferreum, & id genus alia, quæ adſtantes Muſtelam feciſſe antè obſervaverant. *Wierus* Narrationis veritatem agnoſcit, ſed diabolum fuiſſe non animam hominis ſummoperè contendit. Quod in Sagarum gratiam tam ſtudioſè facit, nè ex hujuſmodi re geſta magìs obnoxiæ fiant ſuſpicioni, earum Ecſtaſes non mera eſſe Inſomnia ac ludibria diaboli, ſed realibus effectis ſolere comitari.

De Præſtig. Dæmon. lib. 1. cap. 14.

8. Nolo in me tam ancipitis controverſiæ deciſionem ſuſcipere, huc uſque tantùm me immiſcere auſim, quò pronunciem *Bodini* opinionem viro intelligenti ac ſagace minimè eſſe indignam: & tametſi ex eo quòd hujuſmodi ſpeculationibus nimis quàm addictus eſſet, quædam effecta naturalia *Spirituum* miniſterio attribuere poſſet, ubi nihil eſſet opus; judicium tamen ejus in aliis id genus rebus non magìs ob id vilipendendum eſſe, quàm *Carteſii*, ſtupendi illius Ingenii Mechanici, rejiciendum * in præſtantiſſimis iſtis Inventionibus cauſarum Phænomenôn Naturæ generaliorum, quia propter ſucceſſum in his animatus eſt ad Principia ſua longiùs extendenda quàm par erat, & ad aſſerendum ipſa *Animalia* bruta, *meras* eſſe *Machinas*: Ad morem *Ariſtoxeni* Muſici, qui Animam nihil ampliùs quàm *Harmoniam* eſſe voluit, de quo feſtiviter notavit *Cicero*, *Quòd non receſſit ab arte ſua.*

Unuſquiſque *Genius* ſive *Temperamentum*, ut varia Animantium genera, proprium ſuum habet *excrementum*; & ſapientis quidem eſt, id ipſum notare, & eligere quod utile ſit, perinde atque illud quod ſit inutile & excrementitium, procul ablegare.

SCHOLIA

In Cap. XI. Sect. 2.

Nullum Lectori creabo faſtidium Hiſtorias recitando, &c. *Vide verò Hiſtoriam* Olai Magni *de* Gentibus Septentrionalibus, *lib.* 18. *cap.* 45 *&* 46. Bodin. Dæmonoman. *lib.* 2. *cap.* 6. Wierum *de* Præſtig. Dæm. *lib.* 6. *cap.* 13. Henning. Groſ. Mag. *de* Spectris, *lib.* 1. *ſect.* 220. 295, 296, 297, 298, 299.

Sect. 5. Reperiſſe ſe admodum laſſos & aliquando vulneratos, &c. *Hic verò porrò diſquiri poteſt, an hoc non poſſit contingere corporibus domi manentibus, & Animabus ſive Spiritibus ſolis foras evagantibus. Neque enim credibile eſt ipſam* Janam Brooks *veneficam ad parietem in corpore adfuiſſe, quam puer faſcinatus illic ſe videre dixit, cùm alii adſtantes eam non viderent; & tamen loco, ubi viſa eſt puero ſtare ad parietem, à* Gibſono *cultro percuſſo, manúque Spectri vulneratâ & cruentatâ, quemadmodum puer factum eſſe continuò poſt ictum, exclamavit, pro certo compertum eſt ipſam mulierem eodem tempore in eadem corporis parte fuiſſe vulneratam, prout rem abunde atteſtatam narrat vir doctus & intelligens* Joſephus Glanvillus *in ſuo,* Dæmone Tedworthienſi. *Permulta alia ſunt hujus generis exempla, quæ miſſa facio, ſolo hoc, quippe recentiſſimo, contentus. Vide tamen Groſium, de Spectris, lib. 1. ſect. 298, 299. In quas verò cauſas hoc Phænomenon reſolvi debeat, vide* Tractatum *de* Animæ Immortalitate, *lib. 3. cap. 12. ſect. 4.*

Equidem eos reverà ſic transformatos fuiſſe, &c. *Scilicet aut in ipſis corporibus* terreſtribus, *aut in vehiculis* aereis, *corporibus domi ſemianimis jacentibus, ſed propter* Spiritum Naturæ *vitam* Plaſticam *retinentibus, & cum vehiculo aereo, quicquid ipſi acciderit, compatientibus.*

Ad talem conſiſtentiam ſolvere ac laxare, &c. *Hoc certè fieri poſſe in iſtiuſmodi transformationibus, ubi Animal in quod Saga transformatur, non multo minus eſt ipſâ Sagâ, majúſve, haud ità uſquequaque eſt abſonum. Ut verò vetulæ corpus in corpus felis convertatur, quod factum narratur in* Anna Bodenham *coram* Anna Styleſia, *hujuſmodi quidem narrationibus nihil in univerſa Sagarum Hiſtoria videtur magìs incredibile. Non quòd dubitem quin ità factum appareret* Annæ Styleſiæ, *ſed quòd per præſtigias tantùm factum autumem, viſúſque deceptionem. Neque enim videtur probabile ut tota illa vetula etiam cum veſtibus in formam molémque juſtam, majuſculæ licèt felis conſtringi poſſet; vel ut pars tantùm ſumpta eſſet, reliquo corpore cum veſtibus in Aerem inviſibilem mutatis. Multóque minùs credibile eſt ut hoc fiat in vetulis in lepores converſis, itáque ſe venatui Canum equitúmque per ſatìs ampla camporum ſpacia, exponentibus. Durum enim videtur ac ridiculum ut partem corporis Vetulæ in leporem converſam pars altera in aerem inviſibilem mutata, perpetua itineris fiat comes. In iſtiuſmodi igitur venationibus* leporem *eſſe* Animam Sagæ *cum vehiculo Aereo in iſtam formam mutatæ multò eſt credibilius, niſi accidat ut ipſa vetula, circumvallata tandem à Canibus, laſſa & anhela reperiatur in Dumetis: quod factum fateor me aliquando accepiſſe. Etenim tunc indicio eſt* Sagam ipſam *ejúſque corpus hoc celeri curſu à* Dæmone *vectum fuiſſe, ſed per præſtigias à Venatorum viſu celatum, ejúſque loco ſpeciem* leporis *exhibitam, aut ex aereo Dæmonis vehiculo effigiatam & conſtipatam, aut internæ imaginationi Canum ac Venatorum, ope Dæmonum, impreſſam.*

Nec certè illi difficilius eſt opus emollire quod durum eſt, &c. *In eo certè minor eſt difficultas. Sed poſtquam maxima pars corporis Sagæ in laxum aerem converſa ſit, ut in firmam denuò humani corporis permanentémque compagem poſſit reſtitui, magìs incredibile videtur. Ut taceam de veſtibus, ubi major adhuc profectò apparet difficultas, quippe quum ſint res artificiales. Nam pars iſta corporis ad firmitudinem compagis priſtinam reſtituta (præſertim ſi concedatur* ſpecifica *aliqua etiam in ipſo corpore ad tempus permanens* vitalitas *) ut partim ab Animæ plaſtica, partim à* Spiritu Naturæ *eo in ſtatu retineri poſſit, aliquam præ ſe fert veriſimilitudinem.*

Sect. 5. Illam ei negare non poſſumus quæ multo ſit minor, &c. *Hoc igitur eis dictum volo, qui* transformationem *agnoſcunt* realem, *& tamen iſtam realem negant Animæ ſeparationem à corpore; quæ tamen aliquibus Transformationibus, quæ narrantur, longè quidem facilior eſt cenſenda.*

Sect. 8. In præſtantiſſimis iſtis inventionibus cauſarum Phænomenôn Naturæ generaliorum, &c. *Cauſas intellige* materiales *immediatas, figuras ſcilicet particularum commodas. Figuras verò iſtas dum motu merè Mechanico factas fuiſſe contendit, motúque etiamnum iſtiuſmodi, non* vitali *moveri, equidem ea in re eum magnopere hallucinatum eſſe exiſtimo.*

CAP. XII.

1. *Frigiditas corporum in quibus* Spiritus *apparent experentiâ* Cardani *&* Bourgoti *confirmata.* 2. *Hujus* Frigiditatis *cauſa naturalis.* 3. Dæmonas *reverà cum* Veneficis *concumbere.* 4. *Ipſam* Spirituum *ſubſtantiam non eſſe ignem.* 5. *Spectrum* Epheſinum. 6. Spiritus *in terra* præliantes. 7, 8. *Prælia* Campeſtria *&* Navalia *in Aere viſa.*

1. CÆterùm, ut redeamus in viam; Alias Hiſtorias hîc adjicere poſſem, de *Dæmonibus Metallicis*, de *Geniis Tutelaribus*, qualis ille erat *Socratis*, altérque iſte de quo *Bodinus* tam amplam pertexit narrationem, quam ipſe ab eo accepit qui ope & ſocietate talis *Angeli* ſive *Genii* fruebatur. Cui quidem narrationi ego æquè firmam habeo fidem atque ullis rebus geſtis apud *Livium* vel *Plutarchum* memoratis. De *Laribus* denique *familiaribus*, utì & de eis etiam qui Familias vexant infeſtántque, qui multis apparuerunt, effectáque admodum ſenſibilia reliquerunt ſuæ apparitionis. Sed nolo tantum creare tædium aut mihi ipſi aut Lectori. Nominabo potiùs unam & alteram Hiſtoriam quàm recitabo. Ut illam ſcilicet de *Facio Cardano* qui narrat, (ut videre eſt apud *Cardanum* filium) *Spiritum* quendam, qui familiariter in ædibus verſabatur amici ſui quem inviſit, nocte quadam manum ſuæ fronti impoſuiſſe, ſéque eam ſenſiſſe intoleranter frigidam. Atque ſic *Petrus Bourgotus* confeſſus eſt cùm Diabolus manum ipſi porrexiſſet oſculandam, ſe eam frigidam ſenſiſſe. Aliáque quamplurima exempla ſunt quæ huc ſpectant.

Vide Cardan. de rerum varietate, lib. 16. cap. 93.

Wier. de Præſtig. Dæm. lib. 6. c. 13.

2. Atque certè rationi valdè conſentaneum eſt, ut corpora *Dæmonum*, cùm nihil ſint aliud quàm *Aer coagulatus*, frigida ſint, perinde atque *Aqua coagulata*, quæ nix eſt aut glacies; & ut *coagulatus* hic *Aer* frigore valeat magìs mordaci & penetrabili, quippe ex ſubtilioribus conſiſtens particulis quàm Aqua, ac proinde ad inſinuandum magìs idoneis, magíſque accuratè & pungenter afficiendum tangendúmque Nervos.

3. Quamobrem cùm *Veneficæ* tam frequenter confiteantur, Diabolum cum eis concumbere, conquerantúrque ſimul de ingrata ejus ac moleſta frigiditate; haud obſcurum profectò indicium eſt, eum reverà cum eis concumbere, nec merum eſſe Inſomnium, quemadmodum *Wierus* ipſarum patronus contendit.

4. Hinc etiam vanitatem illius opinionis detegere poſſumus, quæ ipſam Eſſentiam Spirituum *Ignem* eſſe aſſerit. Quàm ineptus enim ille foret ad coagulandum Aërem manifeſtum eſt vel primo intuitu. Colliquefacturus potiùs eſſet & diſſoluturus iſtiuſmodi conſiſtentias, quàm eaſdem conſtricturus, quodámve modo congelaturus. Hinc verò potiùs manifeſtum eſt eſſentiam *Spirituum* ſubſtantiam eſſe ab omni cujuſmodicunque materia corporea diſtinctam. Cæterùm non eſt præſentis noſtri inſtituti de *natura Spirituum* Philoſophari, ſed eorum tantùm demonſtrare *exiſtentiam*.

5. Cujus quidem, *Spectrum Epheſinum* ulterius eſſe poteſt argumentum. Nam ſenex ille quem *Apollonius Epheſiis* dixit ambulantem eſſe Civitatis peſtem, poſtquam eum lapidâſſent, lapidúmque cumulum mox disjeciſſent, ſub ſpecie apparuit ingentis canis nigri, qui vel maximum Leonem magnitudine æquaret. Hæc *Melancholiæ* Impoſtura eſſe non potuit nec ullius *Sacerdotis* fraus. Eruditúſque *Grotius*, homo ab omni levitate vanâque credulitate perquam longè remotus, adeò perſuaſus eſt de miraculis *Apollonii Tyanei*, ut impudentem eum nominare non dubitaverit, qui ea auſus ſit negare.

Vide Myſter. Pietat. lib. 6. cap. 2. ſect. 5.

6. Chronica noſtra *Anglicana* Apparitiones etiam memorant, Homines armatos præliantes in terra, tum in *Septentrionalibus* partibus *Angliæ*, tum etiam in *Hibernia*, per multas continuas veſperas ab aliquot centenis hominibus ſimul conſpectos, ipſúmque gramen conculcatum detritúmque eſſe in locis ubi viſi ſunt prælia miſcere. Quod optimè convenit cum narratione *Nicolææ Langbernhardæ* de ſaltatoribus biſulcis, qui ungularum ſuarum veſtigia *Circo conculcato* impreſſa ad bene longum tempus reliquere.

7. Cæterùm hæc in terris prælia, de ultima argumenti parte me monent, jubéntque ſurſum aſpicere in Aerem. Ubi prætermiſſis omnibus aliis prodigiis, ea tantùm notabo quæ maximè notoria ſunt, & de quibus nulla alia omnino ratio reddi poteſt, quàm quòd ſint effecta *ſpirituum*. Atque hæc quidem eſt armatorum hominum apparitio præliantium & aliorum in alios incurſantium in aëre. Horum Prodigiorum

tam multa apud Hiſtoricos exempla ſunt, ut ſupervacaneum videri poſſit in medium ulla proferre. Iſtud ante ingentem cædem hominum non minùs octogies mille per *Antiochum* factam in ſecundo *Machabæorum* libro memoratum capite quinto, celebratiſſimum eſt. Hiſtoriographus illic ſic ſcribit; *Contigit autem per univerſam Hieroſolymorum Civitatem videri diebus quadraginta per aerem equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, & curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus & aureorum armorum ſplendorem omniſque generis loricarum.* *Joſephus* conſimilia deſcribit prodigia, quæ ante excidium Urbis per *Titum* contigerunt, præfatus primùm incredibilia eſſe, niſi quòd ab eis narrata eſſent qui eorum oculati teſtes fuere.

8. Tales etiam Apparitiones viſæ ſunt ante bella civilia *Marii* atque *Syllæ*. Affirmátque *Melanchthon* abundè iſtiuſmodi prodigiorum viſum fuiſſe per totam *Germaniam* ab anno 1524. ad annum 1548. *Snellius*, inter alia loca, *Amortsfortium* recenſet, ubi hæc prælia viſa ſunt non multò ſupra ædium culmina; quemadmodum & *Amſterodamum*, ubi prælium navale in Aëre apparuit per duas ferè horas continuas, multis millibus hominum conſpicientibus. Et ut taceam quæ haud ità pridem in *Anglia* viſa ſunt, accurata nuper allata eſt Narratio de pugna Navali à quibuſdam *Hollandis* conſpecta. Verùm Leo cùm ſolus in fine apparitionis conſpectus ſit, quanquam narratio vera, quoad ſciam, nihilominus eſſe poſſit, obnoxiam tamen eam reddit ſuſpicionibus ac ſubterfugiis, ideóque noſtro ſcopo inidoneam. Hujus verò generis *Phænomena*, quorum narratio nulli fini politico inſervire meritò exiſtimari poſſit, par profectò eſt & conſentaneum ut pro veris habeantur, quando multi ſunt qui profitentur ſe oculatos eorum teſtes eſſe. Cúmque in nullas cauſas *naturales* reſolvi poſſint, manifeſtum eſt *ſupernaturales* nos agnoſcere debere, cujuſmodi ſunt *Spiritus*, *Intelligentiæ*, ſive *Angeli*, aut quocunque alio nomine eos libuerit appellare.

CAP. XIII.

1. *Cauſa præcipua cur* Spiritus boni *rarò ſe conſocient cum hominibus.* 2. *Qualis* Magia *fuerit quâ* Bodini *amicus uſus eſt, ad aſciſcendam ſibi magìs ſenſibilem Aſſiſtentiam boni* Genii. 3. *Senſibilis Converſationis hujus* Genii *modus.* 4. *Pietas perſonæ ingeniique illius Character.* 5. *Periculorum evitationes ex* boni *ſui* Genii *monitis.* 6. *Quantopere à Vocali cum ipſo Converſatione* Genius *abhorruerit.* 7. *Utilis ejus per alia ſigna* Opitulatio. 8. *Modus quo ipſi apparuit vigilanti, & ſemel dormitanti.*

1. Finiviſſem jam omnes meas Hiſtoriolas, niſi hîc ad propoſitam methodum tranſiliendam pellectus ſim, memorabili illâ Hiſtoriâ apud *Bodinum*. Nominabam tantùm obiter in antecedente Capite, paulo fuſiùs hîc eandem enarrabo. Quod eò lubentiùs facturus ſum, quòd iſtiuſmodi exempla conſociationis *Spirituum bonorum* cum Hominibus admodum rarò apud ſcriptores occurrunt. Cujus cauſam præcipuam eſſe opinor, quòd tam pauci admodum homines ſincerè animitúſque boni ſunt. Narratio eò majoris eſt momenti, quòd is qui ſcripſit ab eo acceperat, cui res ipſæ contigerant & ad quem pertinebant. Eſt autem hujuſmodi.

2. Hæc quidem perſona, vir ſanctus atque pius, ut videtur, & unus ex *Bodini* amicis familiaribus, apertè illi dixit, ſe *Spiritum* quendam habere, qui eum perpetuò comitaretur, quod tunc primùm deprehendit, cùm annos ferè triginta ſeptem natus eſſet: ſe verò cenſere eundem Spiritum ſecum præſentem fuiſſe per totum vitæ curriculum, quemadmodum ex monitoriis quibuſdam *Inſomniis* ac *Viſionibus*, quibus præmonitus fuit de variis periculis perinde atque vitiis, collegerat. Spiritum verò hunc ipſi ſe notum feciſſe, poſtquam per annum integrum Deum fervidè oráſſet ut bonum Angelum ipſi mitteret, qui Dux eſſet ac Gubernator vitæ ſuæ atque actionum; addidítque porrò, ſe & ante & poſt preces, binas ternáſve horas in meditando & legendo ſacras Scripturas ſolitum eſſe inſumere, diligentérque apud ſeipſum inquirere, quæ inter multas illas in orbe controverſas Religiones ſit optima, Deúmque orare ut dignaretur ipſum eò dirigere; neque enim ſe eorum viam approbare poſſe, qui Deum utcunque orant ut eos in illa opinione confirment quam jam præconceperint ſive bona ſit ſive ſecùs. Dum verò de rebus Religionis tam ſolicitus eſſet, ſe incidiſſe in locum *Philonis Judæi*, in libro *De Sacrificiis*, ubi ait, *Bonum ſanctúmque virum, ma-*

jus gratiúſque Deo ſacrificium quàm ſui ipſius offerre non poſſe, ac proinde *Philonis* conſilio obſecutum, ſe *animam ſuam obtuliſſe Deo.* Atque poſthæc inter alias multas Divinas Viſiones atque Inſomnia, ſe viſum eſſe ſemel in ſomno vocem Dei audire dicentis, *Servabo animam tuam, Ego ſum qui antè apparui tibi.* Poſteáque *Spiritum* quotidie circa horam tertiam quartámvè matutinam oſtium pulsâſſe, quamvìs ſurgens oſtiúmque aperiens neminem adſtantem inveniret. *Spiritum* verò ab hac conſuetudine non deſtitiſſe, & niſi ultrò ſurrexiſſet, hoc eum modo è lecto excitâſſe.

3. Hæc turba ac violentia effecit, ut ſuſpicari inciperet, malignum aliquem eſſe *Spiritum* qui ſic eum infeſtaret. Ac propterea quotidie Deum obnixè oravit, ut dignaretur *bonum* illi mittere *Angelum*; ſæpéque Pſalmos cecinit, quippe qui quamplurimos memoriter tenebat.

Quamobrem Spiritus deinceps magìs leniter oſtium pulſabat, & quodam die vigilanti ſe illi patefecit, ubi primùm ſenſu eum eſſe certò percepit. Nam ſæpe tetigit movítque vitreum Baucalium, quod ſuper menſam ſtabat in Cubiculo; ad quod haud parùm attonitus fuit.

Biduo pòſt, cùm cœnâ exciperet amicum quendam ſuum, Regis Secretarium, erubuiſſe illum ut audivit *Spiritum* ſcamnum ferientem quod adſtabat, metúque fuiſſe percuſſum. Juſſit verò bono animo eſſe, nihil enim noxæ hinc ipſi fore. Et quò meliùs eum confirmaret, totius rei veritatem ipſi explicavit.

Ab eo igitur tempore, inquit *Bodinus,* affirmabat hunc *Spiritum* ſe perpetuò comitatum eſſe, & ſigno aliquo ſenſibili eum de rebus commonefeciſſe, ut *dextram* feriendo aurem, ſi quid *malè* faceret, *ſiniſtram* verò ſi *ſecùs.* Siquis eum ad circumveniendum accederet, *dextram aurem* percuti ſolere; *ſiniſtram* verò ſi vir bonus bonóque cum propoſito eum conveniret. Si bibiturus eſſet aliquid aut comeſurus quod noxam afferret, vel inſtitueret quicquam agere quod malè ſucceſſurum eſſet, ſigno ſe inhibitum fuiſſe; & ſi cunctaretur ea aggredi quæ agenda erant, ſe incitatum fuiſſe ſigno aliquo dato.

Cùm incipiebat Pſalmis Deum laudare, ejúſque facta mirabilia declarare, ſe vi quadam *ſpirituali* ac *ſupernaturali* auctum corroboratúmque ſenſiſſe.

4. Se quotidie Deum orâſſe, ut doceret ipſum voluntatem ſuam, legem ſuam ac veritatem, diémque unum ſingulis ſeptimanis ſeligere ſe ſolere, ac deſtinare ſcripturarum lectioni ac meditationi, Deíque laudationi cum Pſalmis; nec foras ſe prodire ſolere per totum illum Diem. In reliquis verò vitæ actionibus ſatìs læto hilaríque animo eſſe. Atque huc dictum illud retulit, *Vidi facies ſanctorum lætas.* Quòd ſi in colloquiis ſuis cum aliis, temerè quicquam aut imprudenter effutiiſſet, ſtatáſve Deum precandi horas intermiſiſſet, ſtatim ea de re commonefactum fuiſſe per inſomnium. Monitum etiam fuiſſe ut ſummo manè ſurgeret, vocémque dormienti ſæpenumero, circa horam quartam, in aures inſonuiſſe, dicentem, *Quis primus ſurget oraturus?*

5. Narrabat, porrò, *Bodino,* ſæpe ſe commonefactum fuiſſe de eroganda eleemoſyna, & quò plus erogaret, eò ſecundiores ſuarum rerum ſucceſſus percepiſſe. Cùm inimici appetentes vitam ipſius aquâ vectum iri cognoviſſent, Patrem ſibi per ſomnium fuiſſe viſum, adducentem equos duos, *ruffum* & *album,* ideóque curaviſſe, ut duo equi conducerentur, & quamvìs de colore nihil indixiſſet, famulum duos illos *ruffum* & *album* adduxiſſe.

In omnibus difficultatibus, itineribus, inſtitutis, quæ aggreſſurus erat, ſe conſilium à Deo petiiſſe, & quadam nocte cùm benedictionem à Deo ſibi donari poſtulâſſet, viſionem dormienti fuiſſe oblatam, in qua ipſi benedicebat Pater.

Alio tempore, cùm in gravi verſaretur periculo, ſtatim atque cubitum iviſſet, à *Spiritu* impeditum eſſe, qui non ceſſaret, donec è lecto ſurrexiſſet, inſomnem itaque totam noctem in precibus conſumpſiſſe: poſtridie ſe mirabili ratione & incredibili carnificum manus effugiſſe; hoc facto, ſe dormientem audiviſſe cùm inclamaret vox, Jam dicendum eſt, *Qui ſedet in latibulo Altiſſimi.*

6. Multas alias res geſtas narrabat hic homo *Bodino,* tam multas ſanè, ut infinitum fore putaret recitare univerſas. Quæ verò ſuperſunt ex eis quas recitavit, eiſdem huc tranſcribendis non gravabor operam impendere.

Roganti *Bodino,* Quid non apertè Spiritum compellaret? Hoc quidem à ſe reſpondit ſemel poſtulatum eſſe, repentè verò *Spiritum* tanquam malleo vehementer fores pepuliſſe, ut iſtud ſibi ingratum eſſe oſtenderet.

7. Cæterùm tametſi *Spiritus* cum eo colloqui nollet, uti tamen illius judicio potuit in libris legendis ſuíſque ſtudiis moderandis. Si librum malum in manus ſumpſiſſet eum lecturus, librum à *Spiritu* percuſſum fuiſſe ut eum deponeret; & ſæpenumerò qua-

leſcunque libri fuerint à nimium legendo ſcribendóque ſe impediri ſolere, ut quieſcat animus & meditetur ſolus. Addidit inſuper, perſæpe ad ipſiùs vigilantis aures ſubtiliſſimam quandam vocem & ἄναρθρον perveniſſe.

8. Quærenti denique *Bodino*, An formam *Spiritûs* vidiſſet unquam; reſpondit ſe dum vigilaret, nihil vidiſſe unquam, præter lumen quoddam valdè clarum, in orbem ductum. Semel autem cùm in extremo agens vitæ diſcrimine, Deum oráſſet ex animo, placeret ipſius ſaluti conſulere, & ſub diluculum dormitaret: ſuper lecto cui incumbebat, animadvertiſſe puerum veſte albâ in purpureum inclinante, vultu formâque admirabili: hoc ille plurimùm *Bodino* confirmabat. Ex quo hæc omnia ſuis utplurimùm verbis huc tranſcripſi.

CAP. XIV.

1. *Diſquiſitiones quædam ex antecedente Narratione; ut, Qui ſint hi* Genii Tutelares: 2. *Unúſne an plures ſingulis hominibus aſſignati ſint, an verò aliquibus nulli.* 3. *Quid in cauſa ſit cur Spiritus tam raró appareant;* 4. *Et an formam ullam habeant determinatam necne.* 5. *Quonam hominibus modo aſſiſtant aut precantibus aut vaticinantibus.* 6. *An cujuſque temperamentum capax ſit ſocietatis* Boni Genii. 7. *Et denique an licitum ſit homini Deum precari ut talem* Genium Angelúmve *ſibi mitteret.* 8. *Quænam efficaciſſima ſit maximéque* Divina Magia.

1. EQuidem præter præſentem ſcopum eſt, quemadmodum jam profeſſus ſum, in ullas magìs minutas curioſáſque diſquiſitiones de natura *Spirituum* me induere; quippe cujus inſtitutum nunc eſt demonſtrare tantùm eorum *exiſtentiam* ex iſtis mirabilibus effectis quæ paſſim apud Hiſtoricos memorantur. Hæc poſtrema verò Narratio adeò præ reliquis egregia ac notabilis eſt, ut minoris eam quàm par ſit, æſtimare meritò videremur, ſi eam dimitteremus ſine omni inquiſitione, in talia ſaltem problemata, quæ naturaliter noſtræ conſiderationi occurrant; quanquam interim fateor ſupra humani Ingenii facultates, legéſque modeſtiæ jure videri poſſe, quicquam hac in re determinare.

Primùm igitur, Animus humanus non poteſt quin valdè laboret in comminiſcendo qui demum hi *Spiritus* officioſi ſint qui ſe in conſociationem cum homine adeò ſponte ac lubenter ſe offerunt. Utrùm *Angeli* eſſe poſſint, incorporationis in humana corpora incapaces, quæ vulgaris eſt opinio; An Animæ defunctorum, quippe quæ majorem cum mortalitate humanáque fragilitate cognationem habent quàm reliqui, atque ſic faciliùs neceſſitatum ac infirmitatum noſtrarum ſenſu tanguntur, ut qui eaſdem ipſi aliquando percepiſſent; id quod pro cauſa Incarnationis Chriſti per Authorem ad *Hebræos* affertur. Quæ opinio non minoris nominis fautores habet, quàm *Plutarchum*, *Maximum Tyrium*, alióſque *Platonicos*: An verò denique ſint ex utroque genere. Etenim Animæ ſeparatæ cùm ſint ἰσάγγελοι, conditionis Angelorum haud abſimilis, facilè intelligi poteſt, quàm commodè eiſdem cum ipſis poſſint officiis fungi.

2. Secundò, Invitamur ad inquirendum, An unuſquiſque homo ſuum habeat *Tutelarem Genium* necne. Veneficas plures habere, licèt miſellos ſanè, ex ipſarum confeſſionibus conſtat. *Pythagoreorum* opinio erat, *binos* unumquemque habere *Genios*, alterum *Bonum*, *Malum* alterum. Quod & *Mahometes* in ſuam Religionem aſſumpſit, addens inſuper, eos humeris hominum inſidere cum codicillis in manibus, alterúmque omnia *bona* opera quæ homo fecerit ſcriptis mandare, alterum omnia *mala*. Verùm iſtis vocibus ſymbolicum ſubeſſe ſenſum potiùs exiſtimo quàm naturalem. Magíſque rationi conſentaneum cenſeo, homine temperiem Animi mutante *Genium* ſimul mutari; vel potiùs niſi quis admodum ſincerus ſit ſimpléxque corde, eum communi Providentiæ relinqui; perinde atque, niſi quis immaniter improbus ſit perditéve miſer, ægrè ullum particularem Spiritum malignum interponere offerréve ſeipſum perpetuum in rebus fortuníſque ſuis promovendis adjutorem.

Summa verò paupertas, Senectus oneroſa, Amicorum penuria, Contemptus, Injuria & malorum Vicinorum pluſquam lapidea Inhumanitas in animam operantes altè corpori immerſam Divinâque vitâ prorſus deſtitutam, accendunt aliquandò tam mordacem, tam acrem, ac penetrantem ultionis ac vindictæ cupidinem ut exclamationes hominum dum à latronibus in propriis ædibus interficiuntur, nocturnus lupi in agris ululatus, ejulatúſve ac rugitus beſtiarum excarnificatarum, non ſibi certiùs accerſunt qui ſui ſint generis, ſinguli, quàm potens hæc *Magia* Animæ admodum mœſtæ atque querulæ in amaritudine afflictionis ſuæ opem auxiliúmque horum nimis quàm officioſorum *Spirituum* ad ſe attrahit. Adeò ut probabiliſſimum ſit eos qui maximè prompti ſunt ad *veneficas* extremo ſupplicio afficiendas, primos fuiſſe qui eas creaverint, quíque haud plus bonitatis veræque pietatis habent quàm ipſæ quas tam lubenter capite plecti volunt, ſed perinde ſunt improbi atque iſtæ, quanquam meliori cum ſucceſſu, ac majori cum prudentia ſive calliditate, quippe qui nolunt ultrà peccare quàm lex ipſis permiſerit, ac proinde hominem pauperculum & amicorum inopem fame enecant impunè, magno interim cum juſtitiæ ſtrepitu porci ſui vaccæve mortem ulturi.

3. Tertiò, Diſquiſitu dignum eſt, cur Spiritus tam rarò nunc dierum appareant, ii præſertim qui ſunt *boni*; An ſit præſentis ſeculi improbitas, quemadmodum jam innui; an generale hominum præjudicium de *Spiritibus* qui apparent, quaſi omnes malos *Dæmonas* continuò eſſe oporteat; an verò humanæ naturæ fragilitas, quæ utpurimùm apparitionem *Spiritûs* ægrè ſuſtinet, quemadmodum etiam fit in aliis *Animantibus*. Nam in quantas animi conſternationes Equi Canéſque ad eorum appropinquationem conjiciantur, in omnium ferè ore verſatur, éſtque circumſtantia commoda ad diſtinguendam realem *Apparitionem* à propriis noſtris *Immaginationibus*. An denique ipſorum Spirituum conditio in cauſa ſit, quos credibile eſt ſine aliqua vi ſuæ naturæ illata non poſſe fieri viſibiles; quippe quum ipſis fortean æquè moleſtum ſit ſe in una firma ſtabilíque *conſiſtentia* tenere in Aëre, atque Urinatoribus ſpiritum continere in aqua.

4. Quartò, Nec intempeſtiva profectò hîc moveri poteſt quæſtio, ullámne determinatam habeant formam ſpeciémve. *Angeli* ad puerorum ſimilitudinem cum bene rotundis roſeíſque genis utplurimùm pinguntur. Quod minùs mirandum eſt, cùm Deum omnipotentem in forma *ſenis grandævi* depingere non dubitaverit Artificum audacia. Utrobique res fit, ad *libitum*, quod dicitur, *Pictoris*. Hæc verò Hiſtoria eorum opinioni magìs favere videtur qui *Angelos* aſſerunt *Animáſque ſeparatas* nullam habere formam determinatam niſi in quam ipſi ex data occaſione, per propriæ imaginationis vim ſe induerint. *Ficinus*, ſi rectè memini, *Stellas Aereas* eos alicubi appellat. Atque equidem *boni Genii* mihi inſtar benignorum oculorum Dei videntur ultrò citróque per orbem diſcurrentium, & cum amore & miſereſcentia ſincerorum ſimpliciúmque hominum ſtudia conatúſque intuentium, ad benefaciendum ipſis atque opitulandum ſemper paratorum.

Quod ipſe de ſeparatis Animabus *Spiritibúſque* concipio, meliùs enarrare non poſſum, quàm jam feci in Poemate de *Præexiſtentia Animæ*. Quod proinde haud abs re fore puto in hoc loco repetere, donatum *Latinitate*.

Ut ferrugineo laternæ cortice clauſa
Lux, timidos regimus noctis, quâ, tempore greſſus,
Canales ut vitemus pluviáſque lacunas,
Pauxillos mittit radios de culmine nigro;
Per latus at plures fundit reſerata Feneſtra
Cornea: verùm ubi jam poſt cæca pericla viaï
Et perducta domum nigricanti exutáque Thecâ,
Nuda, ô quàm claro Lampas tunc lumine fulget
Æſtivos referens ſplendoribus æmula Soles!

Terreſtri ſic mens concluſa in corpore, dum iſtis
Anguſtis claudíſque aſtringitur Inſtrumentis,
Segniùs heu! proprios profert ac parciùs actus;
Hic parit auditum, viſum parit ille meatus,
Guſtum alii olfactúmque: Exuta at corpore toto,
Ut Lampas quam nulla tegit nigra Stannea Turris,
Integra fit ſenſûs ac vita lucida ſphæra,
Conſpicit atque ſemel quicquid tenet ejus Horizon;
Aerea eſt jam tota Auris, jam totus Ocellus.

Et quæ hîc dixi de conditione Animæ extra corpus, * facilè, opinor, applicari poſſunt ad alios *Genios* ſive *Spiritus*.

5. Quinta inquiſitio eſſe poteſt, Quomodo *boni* hi *Genii* hominibus poſſint aſſiſtere, in accendendo eorum Devotiones, aut ad vaticinationes incitando. An ullâ aliâ ratione fieri poſſit quàm deſcendendo in eorum corpora, & cor atque cerebrum poſſidendo. Etenim *Euchitæ* qui donum Prophetiæ per familiaritatem malignorum *Spirituum* affectabant, τὰ πατρικὰ σύμβολα, *Bonitatis honeſtatíſque Principia* in animabus ſuis obliterârunt (ut videre eſt apud *Pſellum* in libro περὶ ἐνεργείας δαιμόνων) ut *maligni Spiritus* in eorum corpora introire poſſent, quos illæ virtutis ſcintillæ, ut illi dixerunt, eſſent abacturæ. Hiſce verò extinctis, eos in ſe ingredi poſſe & ad vaticinandum reddere idoneos. Quódque *Veneficarum Spiritus familiares* aliquando in ipſarum corpora deſcendunt, perinde atque in eorum ad quos eos ipſæ miſerint, ex hiſtoria Veneficarum *Warboiſenſium* eſt manifeſtum. Eſtque porrò ſententia *Triſmegiſti*, Spiritus hoſce in venas arteriáſque ſe inſinuare tum *Hominum* tum *Brutorum*.

Quamobrem, quòd ad *Inſomnia* ac *Viſiones* viri hujus ſancti attinet, qui tam liberè quæ ſibi acciderant, *Bodino* impertivit, conſentaneum profectò videri poteſt, *Bonum* illum *Genium* ſe in ipſius corpus inſinuâſſe, perinde atque malos inſinuare ſe in corpora impiorum: cúmque in cerebro ejus reſideret, illúdque, cogitando de hoc vel illo objecto, figuraret, ſicut & nos de re aliqua cogitantes ipſum figuramus, figurationes iſtas, externis ſenſibus prorſus conſopitis, communi ſenſui facilè repræſentatas fuiſſe; cúmque in earum memoriam rediret expergefactus, fieri non potuiſſe quin aliis Inſomniis conſimilia ipſi viderentur, excepto quòd præſtabiliora eſſent, aliquídque haud parvi momenti ipſi ſignificarent.

Raptus verò iſti *Devotionales* interdiu à *Spiritu* fieri poterant, accendendo puriorem quandam Amoris flammam perinde atque corroborando & excitando Imaginationem. Et quàm longè ultra ſe per duplicatam hanc in ſe animam quis auferri poſſet, nemo, opinor, rectè poteſt concipere, niſi qui rem ipſam aliquando expertus ſit.

6. Et certè ſi hic ſit modus communionis, meritò inquírere poſſumus in ſexto loco, An omnes homines capaces ſint conſociationis cum hiſce *bonis Geniis*. *Cardanus* alicubi innuit, acceſſus eorum deprehendi poſſe nonnunquam per ſuaveolentes quoſdam odores ab ipſis diffuſos. Unde probabile videri poteſt, iſta corpora quæ bene ipſa olent, modò mens minimè fœteat præ ſuperbia atque hypocriſi, naturalem aliquam habere præcellentiam præ cæteris, atque aptitudinem ad aſciſcendam ſibi *bonorum Geniorum* ſocietatem. Quòd ſi ulla peculiaris corporis temperies naturalíſve conditio requiratur, minus ſpei ſupererit, ut quilibet in eorum ſe inſinuet familiaritatem. Veruntamen Regeneratio poſtquam ad debitum gradum perveniſſet, (quanquam id ſine multo labore animíque angore fieri nequeat) omnem Naturæ impuritatem facilè poteſt corrigere. Adeò ut nequaquam par ſit ullum eximiè bonum ſincerúmque hominem de ipſorum familiaritate deſperare. * Etenim qui tam magna in gratia eſt apud Principem, minimè mirum eſt eundem ab *Aulicis* ejus paulò crebriùs ac benigniùs ſalutari.

7. Ultima verò maximíque momenti quæſtio eſt, Utrùm licitum ſit Deum orare ut talem *bonum Genium Angelúmve* nobis mittat. Nam exemplum in antecedente Hiſtoria videtur id nobis abundè confirmare. Sed enimverò, ſiquid ego judico, Fidem & Deſiderium plenis velis ferri oportet, ut fauſta fiat atque proſpera talis expeditio, & ſcopum porrò noſtrum ac propoſitum purum eſſe & ſincerum. Quòd ſi ſuperbia, ſui-exiſtimatio, peculiaríſque alicujus privilegii præ reliquis mortalibus affectatio, hominem ad iſtiuſmodi Inceptum ſtimulaverit, preces illius haud plus valituræ ſunt aut apud *Deum* aut apud *bonos Genios*, quàm queribunda vox mendici ſimulatitii ad miſerationem commovendam apud eos qui prudentiæ perinde atque charitatis nomine celebrantur. Quinimò magna hæc præſumptio aliquos reales *cacodæmonas* invitare poteſt ad pejorem ludum in eum comminiſcendum quàm in laceroſum iſtum Nebulonem *Guzmannum* per *Mimodæmonas* quoſdam inventus eſt, ob impudentem ſuam cognationis jactationem, audacémque ſui ipſius intruſionem in notitiam & familiaritatem cum Nobilibus *Genuenſibus*.

8. Tutiſſima verò *Magia* eſt ſincera animæ Deo conſecratio, ad nihilúmque anhelatio præterquam ad tam profundum Humilitatis gradum ut nobis ipſis conſcii ſimus nos laudibus hominum atque encomiis nullatenus tangi, & ad tam liberum ac univerſalem charitatis ſenſum, ut alterius fœlicitate perinde gaudeamus atque propriâ. Qui in hæc ſola oculos intentos habent, ſibi obvenire experientur, quicquid cor ipſorum exoptaverit. Qui verò manum porrigunt ad res ſublimes, ut illi opinantur, captandas, dum interim hæc negligunt, evadunt tandem ſibi ipſis mala crux, & univerſo Mundo ludibrium.

Hæ ſunt variæ Meditationes quas antecedens Narratio naturaliter generatura eſt in animis curioſorum. Verùm mihi audire videor *Atheum* ad hæc omnia reſpondentem, me longas pertexuiſſe ſpeculatiunculas ſuper fundamentis incertis, & rogantem non ſine aliqua ſanè deſpicientia & indignatione, an huic tam multifariæ fabulæ, quam ex *Bodino* recitavi, & ſuper qua tam multùm argutatus ſum, ipſe ullam habeam fidem! Ad quod regero, Me nolle ſanctè jurare, facta vel veriſimillima quæ apud *Plutarchum* in *Vitis*, aut in *Livii Hiſtoria* occurrunt, certò eſſe vera. Veruntamen intereà me minimè pudere profiteri, meo proprio quidem judicio, æquè firmiter perſuaſum eſſe de *exiſtentia Spirituum*, quàm quòd homines convenerim in *Aula Weſtmonaſterienſi*, pecoráve viderim in *foro Londinenſi boario*.

SCHOLIA

In CAP. XIV. SECT. 4.

FAcilè, opinor, applicari poſſunt ad alios *Genios* ſive *Spiritus*. Animam *terreſtri* corpore exutam *ipſóſque* Genios *ſive* Angelos *magnam inter ſe habere ſimilitudinem in confeſſo eſt apud omnes ferè Philoſophos qui Animæ Immortalitatem tenuerunt. De utriſque verò an formâ humanâ ſint naturaliter, an verò nullâ certâ ſed pro libitu, hîc in diverſas partes abierunt. Sed enimverò cùm ex Philoſophia conſtet, partem Animæ eſſe* Plaſticam, *cámque ab illa inſeparabilem, atque Animas beatas ex fide Chriſtiana cæleſtia corpora humanâ formâ prædita tandem habituras, & ipſum denique Servatorem affirmâſſe homines in Reſurrectione fore ἰσαγγέλοι; etiam* Angelis *&* Plaſticam *&* Formam humanam *naturaliter ineſſe credibilius exiſtimo. Quam & veteris* Cabbalæ *doctrinam fuiſſe ex viſione* Ezechielis *conjicio.*

Sect. 6. Etenim qui tam magna in gratia eſt apud Principem, &c. *Id quod ipſe Servator innuere videtur in Epiſtola ad Eccleſiam* Sardianam, *Apoc. cap. 3. verſ. 5.* Καὶ ὁμολογήσω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ πατρός μου, ϗ ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ.

CAP. XV.

1. *Argumenta à* Structura corporis *humani & ab* Apparitionibus *maximam vim habere ad convincendum* Atheum. 2. *Quomodo prioris vim evadat prætendendo nunquam fuiſſe quin viri fœminæque eſſent aliæque ſpecies in Orbe.* 3. *Authoris Reſponſum ad hoc effugium. Primò, Unumquemque hominem fuiſſe* mortalem *ac proinde aut* creatum, *aut mediatè vel immediatè* è Terra ortum. 4. *Secundò, Etiam in infinita ſucceſſione aliquid* ordine Naturæ Primum eſſe, *illúdque* Primum *aut* creatum *fuiſſe, aut* è Terra ortum. 5. *Tertiò, Si ſemper homines in Orbe fuerint, & unuſquiſque homo è fœmina natus, aliquem &* Patrem *&* Filium, Virum *&* Infantem *ſimul fuiſſe.* 6. *Cæcis meræ Materiæ legibus contrariari ut homo ex ea cum adultis ſuis perfectionibus ſimul exiſtat.* 7. *Secundum* Athei *effugium, ſpecies ſcilicet rerum à multifariis motûs Materiæ tentaminibus originem duxiſſe, cum triplici Reſponſo.* 8. *Reſponſi ultimi Evaſio, de accuratis fabricis corporum omnium Animantium conſtanter perpetuatis, cum triplici Reſponſo ad dictam evaſionem.* 9. *Hujus Reſponſi utilitas ulterior ad primam* Athei *evaſionem funditùs tollendam.*

1. ATque ſic permulta illa ac multifaria Effecta ſenſibus noſtris in amplo hoc Mundi Theatro repræſentata percurrimus: Quorum ſubleſta maximè atque obſcura, ſatìs plena ſunt argumenta ad probandam *exiſtentiam Dei*. Cæterùm cùm alia aliis ſint magìs palpabilia, magíſque accommodata ad ſtimulandam excitandámque ſtupidam tardámque *Athei* fidem in agnitionem *exiſtentiæ Divinæ*, equidem operæ pretium fore puto, notare quæ effugia hîc quærat, quò ſeipſum ex eis extricet quibus ſe potiſſimùm irretiri ſibi ſit conſcius, quæque apud ſe perſentiat, fortiſſimè ſibi intercludere fugam. Atque hujuſmodi ſunt iſta duo præſertim ultima, quibus immoratus ſum, nempe, *Accurata humani corporis fabrica*, & *Apparitiones*.

2. Atque vim quidem prioris argumenti nonnulli ſic evadere conantur: Semper ſcilicet viros atque fœminas, aliáſque ſpecies in Orbe fuiſſe, atque ſic minimè mi-

randum eſſe, quòd ſimilia à ſimilibus propagarentur, ac proinde nihil opus eſſe ullâ aliâ *inviſibili*, aut *materiali* cauſâ præter *ſpecies* rerum *ipſas*; ac propterea has admirabiles partium conſormationes nullam *Divinam Sapientiam* & Conſilium, aut quicquam id genus aliud implicare.

3. Sed enim hîc quæro, An ullus unquam homo fuerit qui non eſſet mortalis, ullúſque *Mortalis* qui *non* haberet *principium*. Et certè ſi habuit, habuiſſe oportet aut per *Generationem*, aut per *Creationem*. Si per *Creationem*, eſt certè Deus: Si per æquivocam *Generationem*, ut oriendo ſcilicet è terra, Argumentum noſtrum etiamnum valiturum eſt contra hoc perfugium. Quòd ſi dixeris, neminem unquam hominem extitiſſe qui è fœmina non ſit natus, ſumma hujus dicti omninò huc redit; fuiſſe utique infinitas numero ſucceſſiones Generationum. Si quicquam amplius intelligatur, *nullus probus ſuberit ſenſus*.

4. Quanquam enim Imaginatio noſtra per infinitas effectorum ſeries percurrere non poteſt, Ratio tamen noſtra certò nobis perſuadet, nullum Effectum eſſe poſſe ſine Cauſa; & ſit certè progreſſus cauſarum & effectorum quantumlibet infinitus, tamen naturaliter tandem eum in aliquod *Primum* reſolvimus. Et qui hoc quidem negat, videtur obfirmato animo oculos contra Naturæ lumen claudere, & vim inferre propriæ mentis facultatibus. Ac proinde neceſſe eſt unum ſaltem virum unámque fœminam primam eſſe, * qui primi ſint *ordine Naturæ*, quanquam temporis Infinitas à præſenti numerationem ordientibus, confuſionem nobis & obſcuritatem in mente gignit. Atque ſic hi qui *ordine Naturæ* ſive *cauſalitate* primi ſunt, debent itidem neceſſariò *priùs* exiſtere *quàm* ulli alii viri fœminæve fuerint in rerum Natura. Ac proinde de his primis, cùm manifeſtum ſit è nullis prognatos eſſe parentibus, ſequitur eos aut *creatos* fuiſſe aut è *terra oriundos*. Atque ſic fruſtrà erit effugium.

5. Præterea, ſi affirmaveris nullum unquam hominem extitiſſe qui non natus ſit è muliere, atque ſic gradatim ad ſtaturam virilem pervenerit; alicui profectò obtinget eſſe & *Infantem* & *Virum* ſimul, aut tùm *Patrem* tum *Filium* eſſe ſui ipſius. Nam ſtatim atque Genus humanum erat (ſit licèt ab omni æternitate, & ultra illam æternitatem nihil eſt) qui tunc extiterunt ab aliquo parente geniti ſunt; nihil autem ante eos extitit, quod ipſos gigneret; quocirca ſeipſos genuerunt.

6. Cæterùm, ut ſimulatque extiterint homines adulti eſſent, cùm tamen ipſorum corpora ex materia conſiſterent alterabili & paſſibili, quæ diverſimodè ſubigitur & gradatim in eam formam quam habet, ex perpetuo Naturæ Teſtimonio, æquè temerè dictum eſt, acſi nobis narrarent, * Ocreas & Calceos & Tibialia, & Artocreata & Palas & Furnos ſimul extitiſſe ab omni æternitate. Cùm è contrà manifeſtum ſit oportere Intervallum temporis ordinatum priùs eſſe, quàm hæc poſſent fieri, in quo ſcilicet præcedere debet Boum mactatio, eorúmque excoriatio quemadmodum & Ovium; Coriorum etiam lixivio elaboratio, Nendi etiam opera & ſecandi, & multæ id genus actiones. Adeò ut valdè ridiculum ſit affirmare Genus humanum in his ipſis circumſtantiis, adultum ſcilicet ſimul atque extiterit, ab omni æternitate eſſe potuiſſe, niſi Divina aliqua Omnipotentia, quæ poteſt quicquid nos concipere poſſumus & ſupra, ſuo irreſiſtibili *Fiat*, tale quid efficeret eodem momento quo ipſe fuerit, hoc eſt ab æterno; * nec unquam illi defuit aut *potentia* aut *peritia* efficiendi.

Ut verò fluida cæcáque Materia ab omni retro æternitate in tam perfectas rerum ſpecies excitata fuiſſet, admodum temerarium eſt dictu & ab omni ratione alienum. Ut tale quicquam, inquam, in rerum natura unquam extiterit, ut eſt homo à ſeipſo in hac forma corporea quam videmus, ſimul exiſtens, qui nihilominùs poſtea, ut reliqui mortales, diem obierit, Fabula eſt ſupra omnia Figmenta Poetica qualiacunque fabuloſa, magiſque incredibilis quàm inſulſiſſimum commentum *Legendarium* quod ulla unquam Religio *Atheis* credendum propoſuerit.

7. Alii igitur hanc evadendi rationem relinquentes, ad aliam ſe conferunt, quæ, tametſi primo quidem aſpectu paulò plauſibilior videatur, eſt tamen revera perinde futilis atque frivola. Aiunt enim, Omnes rerum ſpecies, *ipſo Homine* non excepto, ex terra per omnifaria particularum materiæ aliarum in alias tentamina, prognatas fuiſſe, quippe quæ tandem in fœlicem eam corporum Animantium conſtructionem atque fabricam, quam videmus, incidiſſent; cúmque infinitam temporis ſeriem habuerint ad omnia pertentanda, eas neceſſariò ad has compages quas cernimus ad poſtremum fuiſſe perventuras.

Verùm reſpondeo, has particulas, infinitas in ictibus motibúſque ſuis committere potuiſſe tautologias, ac proinde nullam talem omninò fuiſſe neceſſitatem ut in has formas ſpeciéſque rerum quæ in Mundo apparent unquam coaleſcerent.

Præterea, eſt quidem tam præſtabilis, in corpore, putà humano, partium conformatio, quemadmodum ſuprà monuimus, ut non poſſit quin ſit effectum admodum accuratæ Peritiæ atque Conſilii.

Et poſtremò, Hic Atomorum concurſus, cùm omni Duce deſtitutæ ſint, miraculum eſt ſupra omnem humani ingenii captum, ut nullas ineptas rerum ſpecies produceret, tales quæ ex ſua natura tres tantùm pedes haberent, & unum oculum, unámque duntaxat aurem, ſeries dentium ſecundùm ſpinæ dorſi longitudinem conſitorum & ſimilia, quemadmodum ſuprà notavi; Quandoquidem multò facilius eſt in hujuſmodi ineptitudines, quàm in tam accuratas atque irreprehenſibiles *Animantium* fabricas incidere.

8. Sed ad eludendam vim hujus argumenti contra fortuitum Atomorum concurſum, veſanum hoc excogitabunt ſubterfugium. Naturam primùm quidem iſtiuſmodi deformia perperámque conſtructa Monſtra peperiſſe, perinde atque ea Animalia quæ exquiſitiori ſint fabricâ; perfectiora verò altera illa adorta eſſe eáque occidiſſe ac devorâſſe, cùm ipſis nec quoad artus nec quoad ſenſus tam commodè proſpectum eſſet, atque ſic nunquam ſatìs celeriter ab eis ſaltitare potuiſſent, aut ſatìs maturè pericula quæ ipſis ſubinde imminerent, prævidere. Cæterùm injuſta hæc audáxque calumnia in *Deum Naturámque* conjecta, facilè profectò manifeſta fiet falſimoniæ, modò conſideremus;

Primùm, Quòd *Arbores, Herbæ* atque *Flores,* qui à locis ſuis non recedunt, nec alii in alios ullam iſtiuſmodi immanem crudelitatem exercent, ſint omnes, in ſuo quiſque genere, pulchri & elegantes, nec ullam in ſe habent ineptitudinem aut defectum.

Secundò, Quòd omnia Animantia ex putrefactione nata, ut *Mures* atque *Ranæ* & ſimilia, utì & multa illa centena *Inſectorum* genera, cujuſmodi ſunt *Cicadæ, Muſcæ, Araneæ,* & id genus alia, quòd, inquam, hæc etiam accuratiſſimam partium conformationem habent, quódque nihil temerè in ipſorum fabrica ineptève factum eſt.

Poſtremò, in perfectioribus Animantibus, * ut in *Scoticis Barnaculis,* quas Hiſtorici memorant, de quibus ſi ulla ſubeſſet dubitatio, *Gerardus* tamen ex propria experientia (quod æquè mirabile eſt, paríſque ad ſcopum noſtrum momenti) genus quoddam volucrum eſſe narrat in agro *Lancaſtrienſi* qui *Anſeres Xylogoni,* i. e. *è lignis geniti,* appellantur. Gignuntur autem ex fragmentis naufragorum Navigiorum putrefactis, arborúmve truncis in parvam Inſulam in *Lancaſtriæ* comitatu, conjectis, quæ *Anglicè* appellatur *Pile of Foulders.* Idem Author aſſerit ſe hoc genus reperiſſe in aliis etiam hujus Regni partibus. Iſtæ volucres, omni ex parte, quanquam ex putrefactione ſic natæ (quódque ſic naſcuntur indubiè verum eſt, quemadmodum quivis cui libuerit, facilè ſe certiorem facere poteſt, conſulendo *Gerardum,* in *Hiſtoriæ Plantarum* ipſa pagina ultima) æquè exactâ corporis fabricâ ſunt atque æquè aptè ad vitales functiones talis generis Animantis conformatâ, atque eæ quæ per propagationem producuntur. Quinimò, etiam hoc genus volucres ipſæ ſpeciem coitu propagant: quod levitati nonnullorum impoſuit ut negarent alterum illum generationis modum; cùm una generandi ratio alteram non excludat, * quemadmodum obſervare licet in *Ranis* atque *Muribus.*

Quamobrem cùm hæc Genimina ex terra & putrefactione tam ex omni parte perfecta ſint & accurata perinde atque altera, manifeſto eſt indicio, Naturam nullas unquam rerum ſpecies ineptè imperitève efformâſſe, ac proinde eam conſilio ac providentiâ ſemper ductam fuiſſe; hoc eſt, Naturam ipſam effectum eſſe *omniſcientis Dei.*

9. Atque hæc certè conſideratio, non ſolùm præſens effugium tollit, ſed & modo quodam magìs palpabili ac intelligibili prius etiam enervat. Quid enim eis prodeſt ad infinitam *Individuorum* in eadem æterna ſpecie, (quemadmodum illi fingunt) propagationem confugere, ut cauſam ſemper poſſint effecto aſſignare parem, cùm hujuſmodi ſint effecta Geniminâque *Putrefactionis* in quibus *Sapientia* & *Conſilium* æquè reverà conſpicua ſint, atque in illis alteris? Namque ſic nihilominus neceſſariò illo etiamnum illaqueantur incommodo, è quo expedire ſe poſſe ſperabant tam argutâ ſubtilitate.

SCHOLIA

SCHOLIA

In CAP. XV. SECT. 4.

QUI primi ſint ordine naturæ, quanquam temporis Infinitas, &c. *Habet certè hoc argumentum vim inexpugnabilem apud viros omnes cordatos. Sed & ipſum tempus infinitum eſſe non poſſe abunde demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico, *Cap.* 10.

Sect. *6.* Ocreas & Calceos & Tibialia, &c. *Et certè eos rogare vellem qui ſpeciem humanam ab æterno fuiſſe volunt, an exiſtiment* Ocreas, calceos & tibialia fuiſſe ab æterno? *Quòd ſi non fuerint, dicant quantum temporis elapſum ſit ante eorum inventionem, quótve milleni anni effluxerint ante artes iſtas inventas; multos certè non interfluxiſſe ante iſta aliáque id genus Inventa manifeſtiſſimum eſt, ac proinde manifeſtum, aliquando fuiſſe cùm mundus ſpeciéſque humana non multos millenos annos durâſſet. Vide* Enchir. Metaphyſ. *Cap.* 10. *Sect.* 4.

Nec unquam illi defuit aut potentia aut peritia efficiendi, &c. *Atque ſic fateor nihil defuiſſe ex parte Dei quò minùs mundus potuiſſet eſſe ab æterno, ſed ipſa mundi natura ità comparata eſt ſecundùm veram illius Ideam, ut tantæ perfectionis capax eſſe omninò nequeat. Vide* Enchirid. Metaphyſ. *Cap.* 10. *Sect.* 5.

Sect. 8. Ut in Scoticis Barnaculis, &c. *Malui enim* Barnaculas *ex* Anglicana *origine, quàm* Chelonolopices *aliáve id genus nominum monſtra, appellare.*

Quemadmodum obſervare licet in Ranis atque Muribus. *Quinimò his exemplis potiùs liquet, quàm conſtans ipſa ſibi ſit Natura. Quæ ut in principio, ità ſemper quoties è terra parit Animalia,* mares & fœminas *parit. Quoniam ſic meliùs conſulitur perpetuæ ſpecierum propagationi.*

CAP. XVI.

1. *Atheorum contra* Apparitiones *perfugia: ut primùm, quòd meræ ſint* Imaginationes.

2. *Deinde, quòd tametſi Entia realia ſint* externa, *vi tamen* Imaginationis *produci poſſint; cum confutatione harum opinionum.* 3. *Inſulſum ipſorum commentum, quòd prælia in Aere ab* exuvialibus *rerum* effluviis *fiant, cum ejus confutatione.* 4. *Copioſa confutatio ultimi ſubterfugii, (quòd hæ ſcilicet Dimicationes Reflexiones ſint Præliorum in Terra) à* Diſtantia, *&* debilitate *Reflexionis;* 5. *A* rudi *Nubium* Politura; 6. *Ab earum incapacitate ad reflectendam vel* Stellæ Imaginem, *quod multò facilius eſſet. Primùm, propter imminutam ipſius magnitudinem;* 7. *Deinde, propter Lucis puritatem;* 8. *Tertiò, propter poſituram oculi in umbra Terræ;* 9. *Poſtremò, propter earum Diſperſionem, quò ab omnibus Cæli partibus reflecti poſſint, ſi Nubes ullam talem reflectendi vim in ſe haberent.* 10. *Si ullam vim habeant prælia repræſentandi tanto intervallo diſtantia,* ſupernaturali *aliquo artificio id fieri;* 11. Artificium *tamen hoc* legibus limitari. 12. *Unde quaſdam ſaltem harum Aerearum dimicationum à Terra Reflexiones eſſe, videri impoſſibile.* 13. Machiavelli *opinio de his Dimicationibus in Aere.* 14. *Nihil in Philoſophia demonſtrabilius eſſe, quàm* quòd ſit Deus. 15. *Pædaneæ iſtius affectationis* Atheiſmi *quænam ſit probabilis* Origo. 16. *Veræ cauſæ cur quis reverà ad* Atheiſmum *ſit proclivis.* 17. *Neminem oportere meros* Temperamenti *ſui ſenſus contra Principia* Rationis Teſtimoniáque Naturæ *atque* Hiſtoriæ *opponere.*

18. *Apologia Authoris, quòd tam copioſus fuerit in* Spirituum *Hiſtoriis recitandis.*

1. JAM verò quantùm ad *Atheorum* ſuffugia, quibus vim argumenti à *Spiritibus* & *Apparitionibus* deducti eludere volunt, tam infirma ſunt & inepta, ut nemo ferè dubitare poſſit, quin certò perſuaſi eſſent apud conſcientias ſuas de iſtiuſmodi Hiſtoriarum veritate, cùm alioqui multo conſultius fuiſſet apertè negâſſe, quàm tam vanas earum & inſulſas rationes excogitâſſe.

Primùm enim, aiunt, nihil eſſe præterquam *Imaginationes*, nec reale quicquam extra nos iſtiuſmodi *Apparitionibus* ſubeſſe.

2. Verùm dein, à levi hoc ſubterfugio depulſi, quippe quòd multos eandem rem ſimul contueri notiſſimum ſit, ad tam mirificam *Imaginationis vim* continuò ſe recipiunt, acſi aerem in realem aliquam ſpeciem formámve mutare valeret, ità ut alii eam

conſpicere poſſint, perinde atque is qui *Imaginationis ſuæ vi* ipſam formaverit.

Nunc verò appello quemlibet, annon magìs arduum Myſterium hoc ſit magíſque ſupra captum mentis humanæ poſitum, quàm omnes *Magicæ Metamorphoſes Dæmonum* ac *Sagarum*. Intellectu enim longè facilius eſt, ut res aliqua cognitione prædita in Aere, Aerem in hanc vel illam formam tranſmutet, in ea ipſa Aeris parte exiſtens quam ſic transformat, quàm ut *Imaginatio* hominis, quæ *propriæ mentis* tantùm eſt *modificatio*, eum tranſmutare in tales *Apparitiones* ad tantam diſtantiam valeret. Cæterùm conceſſo quòd poſſit, potéſtne *Aerem animare* quem ſic tranſmutaverit, efficeréque ut *loquatur* & quæſtionibus reſpondeat, réſque hominum manibus imponat & ſimilia? O deliram *Atheiſmi* credulitatem! Quàm inebriati & intoxicati ſunt in cogitationibus ſuis! quippe qui corporis voluptatibus penitus dediti ſunt, liberúmque naturalium Animi facultatum uſum perdiderunt!

Nunquid verò hæc *Imaginationis vis* ad ipſas Cœli nubes etiam pertinget? efficiétque ut Homines prælia miſceant in Aëre, incurſantes impetúmque facientes alii in alios?

Dialog. 51. de Apparitionibus.

3. Hîc idem præfidens *Ingenii* profeſſor atque *Philoſophiæ Cæſar Vaninus* (qui ex qualibet occaſione callidè ac præſtigioſè *Atheiſmi* venenum Lectoris animo infundere ſatagit) ad veteres iſtos pannos ejectitios Scholæ *Epicuri*, *exuvialia* rerum *Effluvia* recurrit, rationémque hujuſmodi Phænomenôn ſic reddere conatur: Quòd vapores corporum humanorum, & equinorum etiam, ut videtur, attolluntur in Aerem, & in certam quandam proportionatam partium poſituram cadunt, atque ſic figuras hominum equorúmque in ſublimi imitantur inter nubes.

Cæterùm hîc quæro, quomodo *Equorum* vapores, vapores *Seſſorum* offendunt? & quando & quandiu eſt, quòd unà conveniunt? Et annon antè apparent, quàm ulli ſint in campis exercitus qui tales vapores ſurſum mittant? etiam an Arma Teláque vapores ſimiliter emittant, ut *Gladii*, *Lanceæ*, & *Clypei*? Et quî fit ut tam commodè in manus horum *Aereorum Militum* illabantur, præſertim cùm vapores *Metallorum*, ſi quos habent, veriſimillimum ſit graviores fore fumis Equorum atque Hominum? Et poſtremò, Quî fit ut incurſent alii in alios atque pugnent, cùm vitâ animâque prorſus deſtituantur? Quinimò, an ſoni etiam ſuas habent exuvias quæ ad hujuſmodi pompas bellicoſas reſerventur? Nam ad *Alborough* in *Suffolcia* Anno 1642. auditi ſunt immanes *Tympanorum* pulſatus, diſploſiones *Sclopetorum*, & Machinarum bellicarum; quemadmodum & in aliis id genus Prodigiis auditi ſunt *Tubarum* ſonitus, ut *Snellius* refert. Et *Plinius* ſimiliter Tubæ ſonitus & armorum crepitus tum in bellis *Cimbricis* tum priùs & poſtea è cœlis perſtrepentes memorat. Hîc verò ad *Alborough* omnino concluſum eſt cum canora Muſicorum Inſtrumentorum Melodia.

Hiſtor. Natural. lib.2.c.57.

Fidiculæ, ut videtur, ſuas etiam habent *exuvias* quæ ſurſum in Aërem volent. An verò Accentus iſti Muſici ad tempus illîc congelati erant, & ad æſtus & effulminationes *Bombardarum* Aëre laxato & degelato, evaſerunt tam Harmonicè vocales? Quàm vanis inſulſiſque cogitationibus intoxicantur homines, qui datâ operâ contra lumen Naturæ connivent, & à vera cognitione alienati ſunt piáque agnitione Dei!

4. Cæterùm, eſt & aliud effugium, quo idem ſedulus *Atheiſmi* Inſinuator uti volet, ſi hoc repertum fuerit minùs firmum, quod quidem magìs ſobrium videtur, licèt non minùs falſum. Eſt autem hujuſmodi: Quòd hæc prælia ſcilicet ac dimicationes in *Aere*, ſint tantùm *Reflexiones* alicujus pugnæ in *Terra*. Hoc verò in Natura planè impoſſibile eſt. Etenim cùm hi Exercitus ſic pugnantes neceſſariò ad eam à ſpectatoribus diſtantiam ſiti ſint, ut nè fama quidem pugnæ ad aures ipſorum unquam perveniat, oculi ſanè eam nunquam intueri poſſunt per ullam à nubibus *Reflexionem*. Nam præterquam quòd *Reflexio*, rerum imagines magìs obſcuras reddit quàm *Viſio directa*; talis profectò diſtantia ab exercitu ad nubes, & dein à nubibus ad oculum, ſpecies ità ſupra modum minuet, ut nequaquam futuræ ſint viſibiles.

5. Vel ſi fingere velis eam aliquando eſſe poſſe figuræ nubium aptitudinem, quæ huic ſpecierum contractioni aliquo modo mederi queat, ſuperficies tamen earum politurâ tam valdè rudi lævigantur, ut *reflexio* (quæ, quod dixi, ſemper ex ſeipſa ſatìs obſcura eſt) hîc ità ſupra modum imperfecta ſit, ut nunquam per Naturæ vires Terreſtrium Objectorum ſpecies ad viſum noſtrum reflectere potuerint; quippe quum adeò manifeſtum ſit eas illud quod multò facilius foret efficere non poſſe. Nunquam enim eas reperimus Imaginem Stellæ reflectentes, cùm tamen non ſolùm vitrum, ſed & quodlibet ſtagnum turbidum cœnoſáve lacuna in viis publicis id frequentiſſimè faciat.

6. Quòd verò longè facilius ſit ut Stella, quàm ut ulla horum Objectorum in Terra ad oculos noſtros per rudia illa *ſpecula naturalia* inter Nubes ſita, reflectantur, multa quidem Argumenta abunde nobis confirmabunt.

Nam primùm, Solitam ſuam magnitudinem, ſub qua uſualiter nobis apparent *Stellæ*, per hanc *reflexionem* nequaquam minuunt, differentiâ multarum centenarum Leucarum nullam magnitudinis differentiam in eis gignente, quippe quum nè diſtantia quidem *Orbitæ Telluris* ullam gignit, quemadmodum ii omnes agnoſcere debent qui annuum ejus motum admittunt. Sed milliaria admodum pauca uſualem ſpecierum *Hominis Equíve* magnitudinem contrahunt ad eam uſque parvitudinem ut inviſibiles evadant. Quid igitur fiet de *gladio, clypeo* vel *lancea?* Et in hiſce caſibus de quibus nunc loquimur, quàm magna ſpecierum Itineratio ſit à terra ad nubem quæ eas *reflectat*, ſuprà jam monui.

7. Secundò, Manifeſtum eſt *Stellam*, hoc præ terreſtribus Objectis privilegium habere, quòd ſit *Lux* æquè pura atque Sol, licèt non æquè magna; iſta verò *opaca* tantùm *corpora* colorata; ac proinde quòd illorum imagines cum ſpeciei *Stellæ* vigore atque robore nequaquam ſint conferendæ.

8. Tertiò, Cùm oculus noctu ſitus ſit in *umbra terræ*, iſtæ *Stellæ Reflexiones* adhuc faciliùs erunt viſibiles; cùm è contra ingens Solis lumen *interdiu* has reflexas Objectorum Terreſtrium Imagines multùm neceſſariò ſit debilitaturum, illius Radiis oculos noſtros tam forti vibratione ferientibus.

9. Quartò & ultimò, Cùm Stellæ ità per totum firmamentum diſperſæ ſint, ut videmus, videretur profectò centies facilius, ut Naturales Cauſæ in *Paraſterem* vel *Paraſtron* (permittat enim mihi Analogia, hæc rarò aut nunquam viſa Phænomena ſic appellare, Imaginem nempe aut *Stellæ ſingularis* aut totius *Conſtellationis* à nubibus reflexam) incidant, quàm in *Parelion* aut *Paraſelenem*. Jam verò horum Hiſtoria plus centies frequentior eſt, quàm illa *Paraſteris*. Tam raró enim obſervatur ut dubium ſit an in rerum natura exiſtat, vel agnoſcatur planè non exiſtere. Cujus rei nulla cauſa eſſe poteſt, niſi quòd nubes tam perperam ſint politæ, ut nè tantum quidem lumen quantum eſt Stellæ reflectere valeant. Unde tutò ſanè credo nos colligere poſſe, quòd impoſſibile propterea ſit, ut tam debiles ſpecies, quàm ſint colores figuræque Beſtiarum atque hominum, reflectant, * ídque tam accuratè, ut videre poſſimus *gladios* ipſorum, *galeas*, *clypeos*, haſtas & ſimilia.

10. Quamobrem manifeſtum eſt has *Apparitiones* in ſublimi Aëre, non eſſe *Reflexiones* objectorum in Terra. Vel ſi ſic eſſe concipi poſſint, cauſam aliquam *ſupernaturalem*, conglaciandis poliendíſque nubium ſuperficiebus modo tam accurato atque extraordinario & quoad *figuram* & quoad *lævitatem*, quàm quæ ad adeò prodigioſas *Reflexiones* ſufficiant, ſuam operam adhibere oportere.

Quòd verò hi *Spiritus* qui in Aëre degunt in materias illîc occurrentes agant, perinde ac *Homines* hîc in terra in illius partes operantur, quemadmodum & in vicina Elementa, quouſque ipſorum vires pertingunt, formantes, perficientes, ac dirigentes omnia pro ſuo inſtituto atque libitu, nullam profectò rationem in Natura ac Philoſophia invenio, cur quiſquam inficietur. Nam aliquorum officioſorum Geniorum operam hujuſmodi prodigiis exhibendis impendi, *tempeſtivitas* exhibitionis haud contemnendum videtur argumentum; quippe quæ, juxta Hiſtoriographorum obſervationem, motuum ac mutationum in omnibus Regnis & Rebuſpublicis præcurſores ſunt atque prænuncii. Id quod ipſe *Vaninus* in *Dialogis* ſuis agnoſcit. *Dialog. 51.*

11. Veruntamen nihilominùs quàm bonos eos Artifices ſuppoſuerim, cùm in Naturam operentur, Naturæ legibus eos oportet circumſcribi; & *Reflexio* ſuos habitura eſt limites perinde atque *Refractio*, ſive ad ſpecies proferendas ſive ad accendendum calorem. Cujus leges atque limites cùm acutum illud Ingenium *Carteſius* rectè calleret, generoſè ſanè ac peritè pronunciavit; *Speculum comburens, cujus foci diſtantia à ſpeculo non minorem habeat rationem ad illius diametrum quàm diſtantia Terræ à Sole ad diametrum Solis, vehementiùs non uſturum eſſe quàm directi Solis radii ſine eo eſſent facturi, quanquam aliàs ſpeculum hoc tam exactè figuratum eſſet ac curioſè politum quàm à manu Angeli poſſit expectari.*

12. Quamobrem ſuppoſito, nubium ſuperficies quantumlibet affabrè politas eſſe, adaptatáſque ad *Reflexionem*, etiamnum manifeſtum eſt aliquas harum Apparitionum tales eſſe non poſſe quæ meræ exercituum in terra præliantium ſint *Reflexiones*. Illæ enim quæ obſervantur * determinatè ſupra hanc vel illam Civitatem dimicare, ſi meræ ſint tantùm præliorum *Reflexiones*, neceſſe eſt ut ab aliquibus exercitibus non procul diſſitis fiant; quod ſi ſit, non poſſent quin celeri ſaltem famâ, civibus innoteſcerent. Unde planè conſtat iſtiuſmodi prælia in nubibus reales eſſe congreſſus, non autem Imagines *Reflexionéſve* præliorum in Terra. Et certè ſi meminerimus fuiſſe hujuſmodi realia præliorum in terra Prodigia, Aëreis hiſce equitibus etiam illîc concurrentibus & dimicantibus, quemadmodum ſuprà notavi; rationi profectò conſentaneum *Cap. 12. ſect. 6.*

taneum eſt, concludere pleraque reliquorum horum prodigioſorum præliorum, quamvis determinatè ſuper hanc vel illam civitatem non conſpiciantur, reverà in Aëre ſive nubibus eſſe, non autem umbras *Reflexionéſve* eſſe Armatorum inter ſe concurrentium in terra.

Cæterùm hujuſmodi Armatorum congreſſus ſuper certas Civitates conſpectos fuiſſe facile eſſet ex Hiſtoria abundè confirmare. Narrationem illam *Snellianam* tantùm in medium proferam, de oppido *Amortsfort* ubi iſtiuſmodi prælia viſa eſſe affirmat, in Aëre, ídque prope ipſa Ædium tecta. Cui affine eſt quod *Machiavellus* refert de *Aretio*, agnoſcens iſtiuſmodi prodigia crebrò occurrere in Hiſtoria, certóſque eſſe prænuncios motuum ac conturbationum illius Reipublicæ ac Regionis ubi apparent.

13. Verba ejus tam libera ſunt & ingenua, judiciúmque tam egregium, (quamvìs Philoſophum ſe nolit profiteri) de cauſis horum adeò mirabilium ſpectaculorum, ut operæ pretium duxerim huc tranſcribere. *Hujuſmodi*, ait, *rerum cauſas ab iis explicari poſſe credo qui rerum naturalium ac ſupernaturalium cognitione inſignes ſunt, à qua me alienum eſſe fateor: niſi fortè cum Philoſophis quibuſdam pronunciandum cenſeamus, aerem plenum* Spiritibus *&* Intelligentiis *eſſe, quæ res futuras prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuncient, ut ſe adverſùs eas tempeſtiviùs præparare & communire queant. Utut ſe res habeat, experientiâ certè compertum habemus talia ſigna ſequi ſolere magnos aliquos motus.*

Diſput. de Republica. lib. 1. cap. 56.

14. Præſentem hunc *Tractatum* adversùs *Atheiſmum* quoad omnes ſuas partes jam conſummavi. In quem dum oculos conjicio, clarámque & irrefutabilem cauſæ quam ſuſcepi evidentiam conſidero, & quàm fideliter congruentérque *externæ* rerum in Orbe *apparentiæ* indubitatis *innatorum Principiorum* Animæ dictatis reſpondeant, porróque confirment, non poſſum profectò quin confidenter affirmem, nullum unum præceptum in univerſa Philoſophia magìs certum eſſe magíſque demonſtrabile, quàm *quòd ſit Deus*.

Atque equidem credo me omnes angulos cujuſque Philoſophiæ, quæ ullum habere momentum in hac controverſia putanda ſit, tantâ diligentiâ excuſſiſſe, ut tutò poſſim pronunciare, brutalem quandam omninò *Ignorantiam* eſſe aut *Impudentiam*, nullam verò *Naturæ peritiam* rerúmve cognitionem, quæ animare quenquam queat ad *Atheiſmum* profitendum, aut ad eundem amplectendum ab alio quocunque, qui ipſum profiteatur, propoſitum.

15. Sic autem eveniſſe autumo; Cùm initio quidam homines ob rerum ſcientiam celebres, nec zelo tam præpoſtero ac ſuperſtitioſo quàm reliqui mortales, ab Idiotis *Athei* reputati eſſent, eóque nomine per ora hominum traducti; factum eſt poſtea, ut ſemper ſubinde extiterit aliquis ſtultulus inanium gloriolarum captator, qui affectaret, quantum cum ſua incolumitate conſiſteret, *Atheus* videri, ut iſtoc pacto, ſi placet, tanto doctior haberetur, Naturæque *Myſta* profundior.

16. Cæterùm cuivis auſim affirmare, ſi in fundum hujus enormis morbi Animæ, utì *Triſmegiſtus* eum rectè appellat, inquirere velit, nullam aliam ejus cauſam inventum iri, præter levitatem quandam Animi ac vanitatem, indomitúmque deſiderium ſuam explendi voluntatem in omnibus, Conſcientiam obnoxiam, abjectúmque Divinæ vindictæ timorem, Ignorantiam defectûs & Inſufficientiæ cauſarum ſecundarum, ſpirituum tumultum turbidum ac fæculentum propter perpetuam Intemperantiam ac Luxuriam, aut ſtupidam fuſcámque melancholiam quæ vim Animæ perceptricem, in rebus præſertim Divinis, adeò quaſi enecat extinguítque, ut hominem ad illiuſmodi Contemplationes æquè ineptum reddat, quàm ſi cranium luto frigido refertum eſſet pulveréve ſepulchrali.

17. Atque hujuſmodi quidem tardis Ingeniis, non mirabor profectò ſi, quemadmodum prima pars Diſſertationis meæ neceſſariò videbitur mirificè ſubtilis, ità & ultima ab eiſdem perquam ridiculè incredibilis exiſtimabitur. Verùm eos meminiſſe oportet me ad nullas quidem Ἰδιοσυγκρασίας peculiaréſve hominum ſenſus qui ex temperamento corporis oriantur, ſed ad notas & immutabiles mentis humanæ Ideas, ad Naturæ Phænomena Hiſtoriæque monumenta hîc provocare.

18. Quorum ultimo * ſi aliquanto copioſiùs inſtitiſſe videar, nulli meæ credulitati profectò imputandum eſt, aut quòd in portentoſis Hiſtoriis enarrandis ſingularem aliquam voluptatem caperem, ſed quòd par eſſe putârim, ut corroborarem, quantum poſſem, & confirmarem aliorum fidem; quippe certò perſuaſus, ſuperciliosſam circa tales Narrationes de *Spiritibus* Incredulitatem, periculoſum præludium eſſe ad *Atheiſmum* ipſum, aut magìs occultam callidámque ejuſdem profeſſionem atque Inſinuationem. Procul enim dubio, Dictum illud in *Politicis* non magìs verum eſt,

Nullus Epiſcopus, nullus Rex, quàm hoc in *Metaphyſicis, Nullus Spiritus, nullus Deus.*

SCHOLIA

In Cap. XVI. Sect. 9.

IDque tam accuratè ut videre poſſimus gladios, &c. *Viſa hæc tam diſtincta eſſe & ex omni parte articulata, ab oculatis teſtibus, fidéque, ut mihi videbatur, ſatis dignis accepi, eiſque pluribus. Sed nihil neceſſe eſt hîc plura exempla proferre.*

Sect. 12. Determinatè ſupra hanc vel illam Civitatem dimicare, &c. *Vide* Enchirid. Metaphyſ. *Cap. 26. ſect. 6.*

Sect. 18. Si aliquanto copioſiùs inſtitiſſe videar, &c. *Quod quidem cùm feciſſem, plurium Hiſtoriarum narrationes in* Scholiis *conſultò omiſi, cùm & tædio futuræ fuiſſent eis quorum Genius ab hujuſmodi rebus abhorret, nec multùm utiles aliis, cùm tot jam in ipſo Tractatu allatæ eſſent, ut apud æquos rerum æſtimatores certò ſint cauſam obtenturæ.*

ANTECEDENTIS ANTIDOTI

Adverſùs

ATHEISMUM APPENDIX,

In qua continetur

AD OBJECTIONES QUASDAM

Contra aliquot ejuſdem loca factas

RESPONSIO.

Per *HENRICUM MORUM*
Cantabrigienſem.

Ariſtot.

Πρὸς τὸν ἔξω λόγον ἀεὶ ἔστιν ἐνστῆσαι, πρὸς δὲ τὸν ἔσω λόγον οὐκ ἀεί.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
M DC LXXIX.

Antecedentis ANTIDOTI Adverſùs ATHEISMUM APPENDIX.

CAP. I.

1. *Ratio cur Author hanc* Appendicem *ſuo Antidoto addiderit.* 2. *Præcipuarum Objectionum contra librum primum factarum enumeratio.*

1. SUSPECTA *Innocentia* & in dubium vocata *Veritas* majorem ſibi exiſtimationem aſciſcere non poſſunt, quàm ex ſeveriſſima examinatione. Hoc pacto enim homines pleniùs perſuadentur de *Inculpabilitate* unius, & de alterius *Soliditate*, quàm unquam fieri poſſit ſine publica hujuſmodi Exploratione. Quamobrem nè tantum deeſſet Acceſſorium grandi illi cauſæ quæ præ manibus eſt, equidem contentus non eram, talia tantùm argumenta proponere, quæ proprio judicio firma putaverim & irrefutabilia; ſed ut ipſorum firmitas magìs conſpicuè omnibus hominibus appareret, præcipuas in medium protuli maximíque momenti Objectiones quas corradere undecunque valui, ſive ab eis excogitatæ ſint qui ſuâ ſponte argumentum ullum quo ſim uſus conati ſunt vellicare, ſive ab his qui invitati ſunt ad perſcrutandum indicandúmque ubi poſſent, quaſcunque enervitates inconſequentiáſve in ullis Argumentationibus quas per totum iſtum *Tractatum* invenerint. Potiſſimæque Objectiones contra librum primum hujuſmodi ferè ſunt.

2. Primò, Fundamentum noſtræ demonſtrationis *Exiſtentiæ Dei* ab ipſius *Idea*, Quòd inuatæ ſcilicet ſint Ideæ in mente humana, falſum eſſe.

Secundò, Nullam eſſe omninò iſtiuſmodi Dei *Ideam*, quam ego deſcripſerim, nec innatam nec acquiſititiam ſive tranſcriptitiam, quia in ſe involvit notionem *Spiritûs*; quæ rurſus ex iſtiuſmodi particularibus notionibus conſiſtit, quæ nullo modo concipi poſſint.

Tertiò, *Exiſtentiam* non eſſe vocem ſive terminum *Perfectionis*, ac proinde in Notione *Entis abſolutè perfecti*, ſive *Dei* non adeò inſeparabiliter involvi.

Quartò, Quanquam *Exiſtentia neceſſaria* in *Idea* Dei includitur, indè tamen inferre, quòd Exiſtit, ſophiſma eſſe; quippe quòd Ens abſolutè *malum*, perinde atque Ens abſolutè *perfectum*, *neceſſariam Exiſtentiam* in ſua *Idea* includit.

Quintò, Si ſit Ens ullum *neceſſariò Exiſtens*, manifeſtum eſſe quòd ſit *Materia*, quam nos temerè & inconſultò *Spacium* appellamus, quod imaginari non poſſumus, quin neceſſariò ſemper extiterit, ſempérque neceſſariò ſit extiturum.

Sextò, Deum ipſum hanc ſui *Ideam* menti humanæ non indidiſſe, ſed aſtutiores quoſdam *Politicos*, qui Religione tanquam mero Reipublicæ adminiſtrandæ Inſtrumento ſemper uſi ſunt.

Septimò, *Timorem* atque *ſpem naturalis Conſcientiæ* reverâ nihil eſſe aliud, quàm has ipſas Paſſiones, Divini numinis excitatas opinione quam homines Educatione aut Traditione imbiberint.

Poſtremò, Ea argumenta quibus humanæ animæ *Incorporeitatem* probamus, concludere perinde *Incorporeitatem* animæ bruti, ac proinde eſſe ſophiſtica.

Hiſce omnibus ordine reſpondebo, quàm minimâ poſſum verborum pompâ & luxuriantiâ, & cum claritate perſpicuitateque quantâ poteſt maximâ in argumento tam ſubtili atque difficili.

CAP. II.

1. *Vim ſui Argumenti pro* Exiſtentia *Dei ab illius* Idea *deducti, in hoc non verti, quòd* innatæ *ſint* Ideæ *in mente humana.* 2. *Vim argumentandi ab* Idea *alicujus rei, ſive* innata *ſit ſive* non innata, *eandem eſſe, multis probatur exemplis.* 3. *Ratio cur pro* innatis Ideis *tantopere contendat.* 4. *Accuratam Trianguli apparentiam ad ſenſum externum minimè probare, quin exacta illius* Idea *ab ipſa Anima ſit profecta.* 5. *Si ſint* innatæ Ideæ, *nequaquam indè ſequi quòd cæcus quis natus, de coloribus poſſit diſſerere.* 6. *Bruta Logicarum aut Mathematicarum Notionum nullam habere notitiam.* 7. *Cur* Zenonis *aſinus ad fœni faſciculum lineâ rectâ incedat.* 8. *Actiones iſtas ac motus in rebus, qui ſecundùm Rationem aut Principia Mathematica fiunt, non neceſſariò probare Logicas ullas aut Mathematicas Notiones rebus ineſſe, quæ ſic agunt aut moventur.*

1. QUòd nonnulli cum noſtra Demonſtratione *Exiſtentiæ Dei* ab illius *Idea* petita, eò cavillati ſint, quòd huic Principio innixam putarent, Quòd nempe *innatæ Ideæ* ſunt in Anima humana, non tam ignorantiæ eorum quàm incogitantiæ imputandum cenſeo. Nullius enim Animi facultates tam abjectæ eſſe poſſunt atque debiles, quin ſi ad ea quæ ſcripſi attenderit, neceſſariò planè deprehenſurus ſit vim argumenti noſtri in eo non verſari, quòd *innatæ* ſint *Ideæ*, ſed in iſta confeſſa apud omnes veritate, Quòd quædam tam manifeſta ſunt, ut quocunque modo anima ad eorum notitiam pervenerit, non poſſit quin ipſis aſſenſum præbeat, agnoſcàtque indubiè eſſe vera.

Vid. lib. 1. *cap.* 7. *ſect.* 2, 3.

2. Nunc verò *Idea Entis abſolutè perfecti* cùm talis ſit, ut neceſſariò agnoſcenda ſit ſecundùm *lumen Naturæ* vera omninò iſtiuſmodi Entis Idea, Innatam appellaveris ſive ſecùs, perinde eſt, Demonſtratio æquè inevitabiliter concludet, atque ſi agnoſceretur *innata Idea*: quemadmodum manifeſtiùs deprehendemus, ſi aliarum Idearum exempla proferamus; ut, v. g. Ideæ Trianguli, Corporis Geometrici regularis, & Solidi denique rotundi. Nam natura harum Idearum talis eſt ut mens humana negare nequeat, quin tales ſint determinatæ diſtinctæque Ideæ, taléſque determinatæ affectiones ad eas pertineant. Ut exempli causâ, Quòd omne Triangulum aut *Iſopleuron* ſit, aut *Iſoſceles*, aut *Scalenum*: Ità ut tria omnino eorum genera ſint, quantùm ad latera, non plura, nec pauciora. Quòd quinque omninò ſunt corpora *Regularia Geometrica*, viz. *Cubus*, *Tetraedrum*, *Octaedrum*, *Dodecaedrum*, & *Icoſaedrum*. Quòd unicum ſolummodò genus ſit *Solidi rotundi*, nempe *Sphæra* ſive *Globus*. Atque ſimiliter contemplando *Ideam Entis abſolutè perfecti* (innata ſit ſive non innata perinde eſt) non poſſumus non concludere, quòd non niſi unum numero tale eſſe poſſit, quódque unum illud non poſſit quin exiſtat, quemadmodum fusè demonſtravimus.

3. Sed enimverò tametſi nullo tali principio, quale iſtud eſt innatarum Idearum, ad ſtatuminandam hanc noſtram Demonſtrationem indigeamus; tamen cùm verum eſſe cenſerem, nec exigui momenti ad animandum Lectorem ad notiones propriæ ſuæ mentis attendendas, ad rectéque æſtimandam præcellentiam illius Judicis ad quem oportet provocare, huic aliquantulum inſiſtere haud alienum putavi. Atque equidem paratus ſum porrò confirmare, verum eſſe ſolidúmque Principium, nihil obſtante quicquid contra ipſum allatum hactenus invenerim.

4. Id enim pro quo in ſexto capite primi hujus libri contendo, quòd exactæ Ideæ *Circuli* vel *Trianguli* leviter potiùs imperfectéque nobis per eas in materia deſcriptas

ſubindicantur, quàm ad amuſſim docentur pleneve oſtenduntur, adhuc verum eſt ; nihil obſtante iſtâ Objectione, quòd nempe apparent exactæ externis noſtris ſenſibus negligenter eas uſurpantibus, quamvis reverâ ita non ſint. Etenim poſtea planè noſmetipſos corrigimus, non ſolùm per occaſionem figuræ, quam ſemper obſervare poſſumus eſſe imperfectam, ſed per innatam noſtram rerum notitiam quæ nos monet, quòd externi ſenſus exactum *Triangulum* percipere non poſſunt, quippe quòd indiviſibile punctum, in quod Anguli terminantur, externo ſenſui omninò ſit inviſibile.

Præterea conſiderandum eſt, quòd, tametſi admitteremus Triangulum ſic deſcribi poſſe, ut ad ſenſum externum, quàm preſſiſſimè volumus & attentiſſimè, etiam per Microſcopia, ipſum intueri, exactum ſit appariturum ; Illi tamen qui nullam iſtiuſmodi accuratam delineationem viderunt aut obſervârunt, ipſi ſuâ ſponte ex levi rudioris cujuſlibet deſcriptionis intimatiuncula exactam ſibi formant Trianguli Ideam, quam cùm à nullo externo objecto didicerint, neceſſe eſt ut interna ſit propriæ ipſorum mentis Repræſentatio.

5. Quantùm verò ad reliquas Objectiones, Quòd homo cæcus diſputare poſſet de coloribus, ſi *innatæ* in Anima eſſent *Ideæ*, Reſpondeo non omninò ſequi, quippe quòd Ideæ, quas in Anima eſſe contendo, ſenſibiles non ſunt, ſed Intellectuales, cujuſmodi innumeræ illæ ſunt *Logicæ*, *Metaphyſicæ*, *Mathematicæ* & nonnullæ *Morales* Notiones. Quibus omnibus, tanquam propriis noſtris modis conſiderandi Objecta ſenſibilia, utimur. Neutiquam verò ſunt Objecta ſenſibilia ipſa, quorum nullam habemus Ideam, ſed capacitatem duntaxat, propter organa corporis, ut per ea afficiamur. Ratio igitur cur Homo cæcus de coloribus differere non poſſit, hinc tantummodò eſt, quòd nullum Subſtratum, ſive Phantaſma habeat ſubjecti de quo ſit differendum, circa quod aliàs uſurus eſſet hiſce innatis modis formâve Notionum, quæ menti ipſius naturaliter inſunt, quibúſque in ſpeculatione multorum aliorum ſenſibilium Objectorum uti poteſt.

Vid. lib. 1. cap. 6. ſect. 3.

6. Et quando ulteriùs objicitur, quòd Notiones iſtæ *Logicæ* & *Mathematicæ* per ſenſus in Animum intrant, quippe quòd bruta earundem notitiam habeant, quibus tamen aſſignare nolumus tam opulentam ſupellectilem internam, quàm ſint innatæ Ideæ ; reſpondeo, Bruta non habere notitiam ullarum iſtiuſmodi Notionum, ſed quod agunt, à mera ſenſibilium Phantaſmatum concatenatione res gratas vel ingratas ſenſui repræſentantium proficiſci ; Ut ex eis ipſis quæ objiciuntur exemplis conſtare poteſt ; ut ubi Canis ad unum ſtrepitum latrat, putà ad pulſationem oſtii, non autem ad alterum, ad caſum putà Cathedræ, Patinæve è ſuſpenſa menſula ; ubi unum odoramen, leporis putà, inſequitur, alterum negligit & ſimilia ; hæc quidem omnia fiunt, non quòd ullam notionem habet *Effectûs* & *Cauſæ*, ſed per meram phantaſmatum concatenationem, res tanquam gratas vel ingratas, vel neque gratas nec ingratas ejus ſenſui repræſentantium, quo in caſu non movetur omninò. Et ſi Canis buccam majorem faucibus impetit, ex eo non fit, quòd notionem *Inæqualitatis* conſideraverit, ſed quòd majus illud ſenſibile Objectum, appetitum fortiùs exciter. Itâ ſi pergat per unicum latus Trianguli ut ad eum angulum perveniat, ubi panis fruſtum ſit collocatum, non fit ex eo, quòd apud ſe conſideraverit, *lineam rectam breviſſimam eſſe intra ſuos terminos*, ſed ſenſu quodam palpabili percipit quòd directò in illud tendendo, citiùs ad ipſum perventurus ſit, quàm ſi per ullos ambitus aut anfractus iter faceret ; quemadmodum *Zeno* haud incommodè exemplum Aſini inducit in uno agri angulo, & fœni in altero, quòd directò perrecturus ſit ad eum angulum ubi eſt fœnum ; qui admodum ſalſus, utì is putabat, jocus erat in *Euclidis* demonſtrationem, *Quòd quælibet duo latera Trianguli majora ſint tertio*, quippe quæ veritas tam conſpicua eſt, ut nè Aſinum quidem latere poſſit.

7. Cæterùm cum bona Philoſophi tam Critici venia, meritò ſuſpicari poſſumus, quòd nec Canis nec Aſinus qui ad ullum tendit Objectum, directò ad ipſum in linea recta pergit, , quòd apud ſe conſideraverit curvam per longiores ambages eum eſſe ducturam, ſed quia linea viſualis rectà eum ducit ad Objectum quod aſpicit, in qua æquè naturaliter pergit, ſine ulla Notionum Mathematicarum conſideratione, atque lapis è funda ejectus curſum ultrò continuare conatur motu rectilineari : quem, cùm nè ſenſum quidem habeat, nullo modo ſuſpicari poſſumus capacem eſſe vel rudiſſimæ notionis in Geometria.

8. Quamobrem purum putum ſophiſma eſt, ſiquis inferre velit Bruta, quia talia agunt quæ Rationi artíque Mathematicæ conſentanea ſint, ideò ex Notionibus *Logicis* artéque *Mathematica* eadem agere ; cùm in Creaturis inanimatis omníque cogitatione deſtitutis (in motibus, inquam, ipſarum ac figurationibus) *Rationis* & *Geometriæ* veſtigia poſſimus obſervare. Ut in guttis pluviis quæ directò formâ grandi-

num in terram decidunt, & in pulchritudine ac ſymmetria foliorum ac florum Herbarum ac Plantarum. Quæ *objecta* dum contemplamur, innatos modos propriæ mentis eis applicamus, quibus illa utitur in ſpeculatione earum etiam rerum quæ ipſæ omni vitâ caſſæ ſint & cogitatione.

CAP. III.

1. *Cùm Anima humana in* Materiam *lapſa ſit, minimè mirandum eſſe ſi in ſpeculatione rerum* immaterialium *aquæ ipſi hæreat.* 2. *Omnem* Extenſionem, Diviſibilitatem Phyſicam *partiúmve* ſeparabilitatem *nequaquam implicare.* 3. Emanationem *ſubſtantiæ* ſecundariæ è Centrali *in Spiritu, non eſſe propriè* Creationem. 4. *Qui fiat ut Anima à dolore ſeipſam ſubducere nequeat per facultatem* ſui-contractivam. 5. Extenſionem *Animæ tot Voluntates ac Intellectiones, quot ſint partes imaginariæ, neutiquam implicare, propter ſpecialem* Unitatem *&* Indiviſibilitatem *ſuæ ſubſtantiæ.* 6. *Exempla varia* Imaginationis, *in certis Senſûs ac Rationis Concluſionibus intricatæ.* 7. *Modus firmæ* Unionis *quarundam partium Materiæ inter ſe, quàm ſit incomprehenſibilis.* 8. *Quid per* Hylopathiam *intelligatur, quomodóque* Spiritus, *quanquam non ſit impenetrabilis, Materiam poſſit impellere.* 9. *Difficultatem explicandi quomodo Spiritus moveat Materiam, non valentiori eſſe argumento contra rem ipſam, quàm difficultas concipiendi quomodo Globi motus in Plano lineam producat, ſit contra ipſius mobilitatem.* 10. *Quòd robur ultimi hujus Reſponſi in certitudine conſiſtat Exiſtentiæ talium Phænomenôn in Univerſo, quæ potentias meræ Materiæ prorſus excedant; quorum exempla varia ex antecedenti Tractatu ſubindicantur.*

1. QUòd humanæ Animæ, cùm Intellectualium Ordinum infima quaſi fæx ſint, in rerum Spiritualium & Intellectualium ſpeculatione magìs preſſa & accurata confundantur & in luto quaſi hæreant, rationi omninò eſt conſentaneum; præſertim ſi conſideremus vel Materiam ipſam, in qua ſe verſant & volutant, quam manibus palpant, omnibúſque ſuis ſenſibus uſurpant, ſi eam ſemel modo intellectuali ac rationali contemplari aggrediantur, (quippe quarum Imaginationes per tenebroſum hunc in hæc terreſtria corpora incarcerationis ſtatum obnubilatæ ſint) incomprehenſibililem ipſi eſſe variiſque repugnantiis ſcatere videri, ‖ quemadmodum ſatìs copioſè jam oſtendimus.

‖ *Antidot. cap. 4. ſect. 2.*

Quòd verò notio Spiritûs, quæ perſpicuitatem *Ideæ Dei* adeò obſcurare videtur, non ſit tam inconſiſtens & incomprehenſibilis Notio, quàm quidam ſibi fingere volunt, ſpero me ſatìs clarè evicturum poſtquam perverſiſſimis, ut puto, Objectionibus quæ contra eam formari poſſint, reſpondero.

2. * Quamobrem cùm *Spiritum* definiverim (Spiritum intelligo præcipuè creatum) ab *abſolutis* illis perinde potentiis ſe *contrahendi* & *dilatandi*, atque ab iſtis *relativis* facultatibus *penetrandi*, *movendi* & *alterandi* Materiam, Objectiones jam proponemus contra utraſque.

Et contra primas quidem objicitur, Quòd impoſſibile ſit ut mens humana ullam imaginetur ſubſtantiam facultate ſe dilatandi & contrahendi præditam, eſſe *inextenſam*, aut *extenſionem* concipiat ſine *diverſitate partium*, aut diverſitatem partium, ſine *poſſibilitate Diviſionis* ſive ſeparationis à ſe invicem. Quippe quòd partium diverſitas in qualibet ſubſtantia, diverſitatem ſubſtantiarum ſupponit, ſubſtantiarúmque diverſitas mutuam ſupponit independentiam. Unde continuò ſequitur, Quòd *Indiviſibilitas* Spiritui neutiquam competat, quam nihilominus in illius definitione addidimus.

Equidem fateor objectionem ſatìs ingenioſam eſſe ſcopúmque premere, verùm difficultatem nihilominus facilè dilui poſſe cenſeo, ſi tale quid naturæ Spiritûs ineſſe agnoſcamus, quale in natura *ſpecierum Intentionalium* milleni quidem Philoſophi agnoverunt. Spiritûs igitur proprietatem hoc ſymbolo ſive Hieroglyphico repræſentabimus.

* Supponamus igitur Punctum lucidum è quo Orbis luminoſus, ſecundùm nota *Optices* principia, eradiet. Orbis hic lucidus ad naturam atque imaginem Spiritûs, qui diffuſus & extenſus, tamen indiviſibilis eſt, perquam propè quidem accedit. Nam ſupponemus in hoc ſpiritu *Centrum vitæ* indiviſibile eſſe, & tamen diffundere ſeipſum circumſcriptâ quâdam quaſi Omnipræſentiâ, quemadmodum *punctum lucis*

in unoquoque ſphæræ luminoſæ puncto cerni intelligitur. Et tamen ſuppoſito, *punctum* illud lucidum *Centrale* indiviſibile eſſe, nihil diviſibile eſt in univerſa illa ſphæra lucis. Eſt enim cogitatu planè ridiculum, quòd ullâ machinâ artéve qualicunque Radii luminoſi à *Centro lucido* ſeparari poſſint & ſeparati ſeorſim conſervari, quemadmodum quivis agniturus eſt, qui naturam rei qua de loquimur, attentè apud ſeipſum conſideraverit.

Jam verò nulla difficultas eſt, quin hujuſmodi Orbem, *ſubſtantiam* perinde concipere poſſimus, atque *qualitatem*. Et certè hæc ipſa ſphæra lucis, cùm nulli ſubjecto inhæreat, in ſpacio quod occupat, ad *ſubſtantiæ* ſimilitudinem propiùs accedit quàm *accidentis*. Et quod inconſultò temeréque concipimus luci ac coloribus accidere, quòd quodlibet ipſorum punctum modo hoc orbiculari eradiet, majori cum ratione in ſubſtantiis ſpiritualibus eſt admittendum, quarum *Eſſentia centralis* in ſubſtantiam ſecundariam extenditur, quemadmodum Radii luminoſi concipiuntur è puncto lucido emitti. Unde abundè inſtructi ſumus ad reddendum Reſponſum Difficultati maximæ in antecedenti Objectione, nempe quòd partes quæ in Spiritu concipiuntur, inſeparabilem dependentiam habent à *Centrali* ſua *Eſſentia*, à qua fluunt & in qua radicaliter continentur. Ac proinde tametſi extenſio ſit integræ potentiæ ſubſtantialis, una tamen pars ab altera diſcerpi non poteſt, ſed tota ſubſtantia, tam *ſecundaria* quàm *primaria* ſive *Centralis*, eſt indiviſibilis.

3. Cæterùm oculos rurſus in punctum hoc lucidum, Orbémque radioſum quem illuſtrationis gratiâ adhibuimus, conjiciamus. Manifeſtum eſt nihil neceſſe eſſe ut Radii iſti, qui impediuntur quò minùs eò uſque quò emanaturi eſſent, pertingant, vim ſuam eſſentiámve perdant, ſed ut reflectantur tantùm versùs *Centrum lucidum*, remotóque obſtaculo, ad juſtam rurſus longitudinem poſſent excurrere. Adeò ut nulla novorum radiorum ſit generatio, ſed emiſſio tantùm eorum qui antè exiſtebant. Unde bene muniti ſumus ad alteram objectionem retundendam, quæ inſinuare vult, hanc emanationem ſive effluxum *ſecundariæ* ſubſtantiæ è *Centrali*, *Creationem* eſſe propriè ſic dictam, quæ nulli Creaturæ competere vulgò judicatur.

Verùm reſpondemus, tum *Centralem* tum *Secundariam* ſubſtantiam Spiritûs ſimul creatas fuiſſe à Deo, Spiritúſque hos libertate volendi agendíque præditos, facultatem tantùm in ſe habere contrahendi ac dilatandi *vitales* ſuos radios, non autem annihilandi eos aut creandi. Etenim addidimus inſuper in Definitione Spiritûs, *ſui-penetrationem*, vel *partium*, ſi partes appellare fas ſit, *aliarum in alias ingreſſionem*. Atque hoc quidem Reſponſum tam ſolidum eſſe exiſtimo, ut ſupervacaneum omnino ſentiam *Durandi* opinionem hìc allegare qui contendit Creationem Creaturæ poſſe competere, modò fieri agnoſcatur virtute donationis à primo Creatore, & cum inevitabili obſervantia legum Illius. Addubitare etiam porrò poſſumus * an ulla Emanatio propriè dici poſſit Creatio. Sed ſatis jam dictum eſt ad diluendam hanc objectionem.

4. Cæterùm ulteriùs adhuc urgemur de hac *Sui-contractione* & *Dilatatione*; Quæritur enim, cur Anima hominis, quam agnoſcimus ſpiritum eſſe, non contrahat ſive ſubducat ſeipſam ab iſtis partibus quibus dolet, cúrve ſeipſam non dilatet ultra limites corporis? Ad quod reſpondetur, *Plantalem* ſive *Vegetativam* Animæ facultatem, quâ unitur huic terreſtri corpori, non eſſe *Arbitrariam*, ſed *Fatalem* ſive *Naturalem*. Quæ unio diſſolvi non poteſt niſi ſoluto vitæ vinculo, & niſi vitalis illa congruitas (quæ in corpore eſt, animámque illìc neceſſariò detinet) * aut impediatur ad tempus, aut penitùs aboleatur.

5. Ultima Objectio contra *Sui-extenſionem* in Spiritu eſt, Quòd tot futuræ eſſent Voluntates & Intellectiones, quot ſint partes. Verùm, in iſta ſymbolica Repræſentatione quam adhibui, ità repræſentavi Spiritûs *Extenſionem*, ut ſimul agnoſcendus ſit *indiviſibilis*. Unde Objectio non citiùs proponitur quàm diluitur. Cùm in parato ſit illa machina ad omnes iſtiuſmodi impetus excipiendos.

6. Jam verò quantùm ad Objectiones contra *Relativas* facultates Spiritûs, potentias ſcilicet *penetrandi*, *movendi* & *alterandi* materiam, hæc unica præcipuè eſt, Quòd nempe Materia *alterari* non poteſt niſi per *Motum*, nec motus communicari niſi per *Impulſum*, nec impulſus ſine *Impenetrabilitate* in Impulſore, quódque propterea, quomodo Spiritus Materiam quam penetrat, movere poſſit, nequeat intelligi.

Verùm reſpondeo, Primò, Illud in quo aſſequendo Imaginatio noſtra fruſtrà eſt & fatiſcit, aut externi ſenſus aut interna Ratio ſæpenumerò probat eſſe verum. Ut exempli gratiâ, Ratio noſtra dum ad naturam attendit Globi accurati atque Plani, indubitanter pronunciabit, mutuò ſe tactura eſſe in puncto, unúmque ſuper alterum poſſe moveri: Imaginatio verò noſtra non poteſt quin hanc Objectionem ſuggerat, Quòd Globus ſuper Planum ſic tractus lineam deſcripturus ſit quæ neceſſariò conſiſtit ex punctis, quippe puncto punctum immediatè perpetuò ſequente, in tota deſcriptione; quod admiſſu quàm monſtroſum ſit, jam in antecedente ‖ Tractatu ſatìs inſinuavi.

‖ Lib. 1. cap. 4. ſect. 2.

Similiter Angulum contactûs inter Peripheriam incluſum & Perpendicularem, in extremum diametri Circuli cadentem, Geometræ ratione minorem quovis acuto Angulo demonſtrant, adeò ut nè linea quidem inter Peripheriam & Perpendicularem cadere poſſit; unde Imaginatio non poteſt quin concipiat Angulum eſſe indiviſibilem; quæ perfecta repugnantia eſt, contráque definitionem Anguli, qui non eſt Coincidentia ſed Inclinatio duarum linearum. Præterea in minori Circulo majori inſcripto adeò ut tangant in uno puncto, per quod ducatur communis utriuſque diameter, demittatur dein perpendicularis in extremum diametri ubi circuli tangunt; manifeſtum erit quòd alter angulus contactûs major ſit altero, cùm tamen utrique ſint indiviſibiles, prout Imaginatio noſtra antea agnoverat. Adeò ut unus idémque Angulus & diviſibilis ſit & indiviſibilis, quæ manifeſta rurſus eſt contradictio.

Et quemadmodum Imaginationi hæret aqua in rebus de quibus Rationis beneficio certi ſumus, ità etiam in rebus de quibus certi ſumus beneficio ſenſûs. Quis enim cauſam ſatìs ſolidam comminiſci poteſt, * cur imaginem noſtram ponè ſpeculum videamus? Imaginatu enim facilius eſt facies noſtras vel in ipſa ſpeculi ſuperficie, vel ſaltem in loco ipſo ubi ſunt deprehenſum iri. Nam ſi radii reflexi Imagini repræſentandæ ſufficerent, diſtantiam Imaginis inveniremus ſpeculi diſtantiâ nihilo majorem; quòd ſi directis etiam radiis afficimur, veriſimilius videtur, nos ad primum locum unde venerint ipſorum ope deductum iri, faciéſque noſtras deprehenſuros in eo ipſo ſitu in quo ſunt.

7. Sed ut iſtiuſmodi exempla proſeramus, quæ rem, quæ præ manibus eſt, propiùs attingant. In quibuſdam Materiæ generibus, invictam ferè videmus partium unionem, ut in Chalybe, Adamante & ſimilibus; Quid igitur eſt illud quod eas tam firmiter continet & conſtringit? Si reſpondes, Forma aliqua ſubſtantialis interna; habemus quod volumus, ſubſtantiam ſcilicet à materia diſtinctam. Si reſpondes, Duritiei qualitatem eſſe in materia, quæ eam tam duram reddit; pro eo quidem habendum eſt acſi diceres, Rem ſic eſſe quia ſic eſt. Si reſpondes quietem eſſe partium juxta ſe poſitarum majorem quàm ſit in alia Materia; ſequidem ſi id verum ſit, eſt tamen conceptu omnium difficillimum. Exempli gratiâ * ut in Materia aliqua exactè plana, magìs plana ac ſolida quàm Menſa marmorea, ſiquis parvum Cubum impoſuerit conſimiliter planum atque ſolidum, ut Cubus hic tactu ſolo Menſæ immediato æquè firmam cum ipſa haberet unionem atque partes Cubi cum ſe invicem, iſtiuſmodi eſt quod Imaginatio humana admittere neſciat. Supponamus enim primùm, cubum ſuper menſam trahi, quod facillimo fieret negotio, cùm utriuſque ſuperficies adeò ſint læves, & dein à trahendo ceſſari; ut hæc duo lævia corpora ſtatim tam firmiter cohæreſcant ut ſcalpro & malleo vix ſeparanda ſint, res profectò eſt, quæ omnem prorſus excedit Imaginationem.

Quamobrem cùm partium materiæ unio tam firma ſit, & tamen ſupra omnem Imaginationis vim concipere quî id fiat; cur non admitteremus æquè firmam ſi non firmiorem unionem inter corpus & ſpiritum, quamvìs phantaſia ſuggerat, eum eſſe perlapſurum, perinde ac neceſſariò fore ut duo corpora lævia, ſoluta alterum ſuper alterum jaceant, niſi aliquod coagulum intercedat quo conglutinentur? Atque equidem hâc unione ſemel admiſſâ, cùm adeò in proclivi ſit, ut Motus, Activitas, & Agitatio, Spiritûs proprietas agnoſcatur, æquè facilè ac naturaliter ſequetur, eum Materiam moturum ſive agitaturum, cum qua ſic unitus ſit.

8. Sed rurſus, ut magìs preſſè reſpondeam, dico præſentem hanc Objectionem nihil aliud eſſe quàm ſophiſma Imaginationis, quæ *Spiritum* concipit ut corpus per foramen aliquod pervium meatúmve tranſiens juſto laxiorem patentiorémve, in quo proinde hærere non poteſt, firmitérve infigi. Cui phantaſmati opponimus, Quòd tametſi Spiritus corpora penetrant, eos tamen reculas non eſſe adeò tenues ac vietas ut neceſſariò perlapſuri ſint, nec capaces ſint ipſa prenſitandi, aut uniendi cum ipſis, ſed potiùs quòd corporis capacitatem implere poſſint à ſpiritibus penetrabilis. Quæ corporis ſive Materiæ penetrabilitas, poſtquam ſatiata ſit, ille Spiritus qui eam ad hunc modum implet, fortiùs depactus eſt unitúſve cum corpore ſive materia, quàm una materiæ pars uniri poteſt cum altera.

Ac proinde aliis unam hanc ſpecialem *Spiritûs* facultatem accenſebimus, quam poſt penetrationem aut naturaliter aut pro arbitrio exerat, * quâque *Receptivitatem* ſive *Capacitatem* corporis ſeu Materiæ eatenus impleat, quatenus *Animæ* ſeu *Spiritûs* receptiva ſit ſive capax.

Atque hanc affectionem Spiritûs, majoris compendii gratiâ, uno Græco vocabulo appellabimus, ὑλοπάθειαν. Quam, nè ſuſpicio ſubſit ullius fraudis aut nugacitatis in verbis, quàm perſpicuè poſſumus, definiemus ad hunc modum: *Facultas Spiritûs, quâ tam prope ſe exerat in Emanationem corpoream è centro vitæ, * ut adeò perfectè impleturus ſit Receptivitatem materiæ in quam penetraverit, ut admodum difficile foret aut impoſſibile, ut alius ullus ſpiritus eandem poſſideat; quâque proinde tam firmiter arctèque cum corpore uniatur, ut & ipſum actuet & quodammodo ab ipſo actuetur, ut afficiat ipſum & ab ipſo afficiatur viciſſim.*

Et nunc quidem vel Imaginationem ipſam appellamus, ſi Materia non æquè arctè ſi non arctiùs Spiritui adhæreſcit, quàm ulla una pars materiæ adhæreſcit alteri. Hîc enim unio per omnia pervadit, illîc verò conjunctio eſt in una communi tantùm ſuperficie, quemadmodum vulgò fingitur & agnoſcitur. Atque hanc *Hylopathiam* quam ſic ſupponimus in Spiritu finito ſive Anima, addo porrò optimâ Analogiâ reſpondere poſſe illi poteſtati creandi Materiam, quæ neceſſariò includitur in *Idea* Dei.

9. Cæterùm poſtremò, Si modus quo Spiritus agat in corpus, aut afficiatur à corpore, ità intricatus videatur ut relinquendus ſit pro inexplicabili: tamen quemadmodum Mobilitas exacti Globi ſuper Planum tanquam evidens & indubitata illius proprietas ab Intellectu admittitur, quanquam imaginari non poſſumus, quomodo ſemper tangens in puncto poſſit ſuo motu lineam continuam deſcribere (idémque dici poteſt de reliquis ſubſequentibus Intricationis & Perplexitatis exemplis;) ità ſupponendo iſtiuſmodi manifeſtas in Natura operationes quas Ratio demonſtrare poſſit à materia non proficiſci, neceſſariò agnoſcere debemus aliam aliquam ſubſtantiam exiſtere præter materiam, quæ in ipſam agat, quæque ſpiritualis ſit, quamvìs neſciamus quomodo motus materiæ communicari poſſit à Spiritu.

10. Atque tertii quidem hujus ultimíque noſtri Reſponſi robur in hoc conſiſtit, quòd reverâ ſint multæ iſtiuſmodi operationes quæ apertè materiæ potentiam tranſcendant. Quarum capita hîc tantùm breviter repetemus, quippe de quibus in antecedenti Tractatu pleniùs diſſeruimus.

Et primam quidem Inſtantiam dabimus in eo quod generalius eſt, quódque ab ipſo *Carteſio* agnoſcitur, qui tamen Materiæ legibus ſumma effecta quæ quivis mentis compos attribuere poſſit, attribuit. Eſt autem hoc, Quòd Materia, ex qua omnia fiunt, ex ſeipſa uniformis eſt & unius omninò generis. Unde concludo, quòd ex ſeipſa, omnis aut quieſcit aut movetur. Si omnis quieſcit, Aliquid eſſe oportet præter materiam quod ipſam moveat, quod neceſſariò Spiritus eſt. Si omnis movetur, impoſſibile eſt, ut ullarum rerum fieret coalitio, ſed unaquæque minima quæ fingi poteſt particula, actu ſeparata ſolutáve eſſet ab altera. Quamobrem ſubſtantia requiritur præter Materiam, quæ ea colliget quæ fixa reperimus & colligata.

Altera Inſtantia eſt, in admirabili illa ſapientia quæ in omnibus Naturæ operibus detegitur, de quibus copioſè in libro ſecundo diſſeruimus, quæque manifeſtò evincunt omnia facta eſſe à ſapienti Principio. * Quis verò niſi ipſe inſipiens ſit Materiam ſapere dixerit? Et tamen ex putridis ipſius terræ partibus, ut & ex guttis roris, fruſtiſque ligni putrefactis Animalium corpora oriuntur tam artificioſè exquiſitéque formata, ut Humana Ratio contemplari ea non poſſit ſine ſumma voluptate & admiratione.

Tertiò, Multæ illæ ac indubitatæ Apparitionum Hiſtoriæ clarè evincunt, quòd Intellectus aliquis inſit in variis corporibus aereis, cùm prorſus impoſſibile ſit ut Aer adeò arbitrariò in figuras mutetur, & tamen tanquam unum actuatum vitæ vehiculum interim contineatur, niſi aliquid ineſſet præter ipſum Aërem, quod ad hunc modum eum poſſideat, eum moderetur, dilatet, contrahat, & pro ſuo libitu regat: alioqui nihilo elegantiùs figuraretur nec contineretur firmiùs quàm ex hauſtu Peti redditæ nubeculæ fumúſve caminorum.

Quartò & ultimò, Manifeſtum eſt illud quod in nobis intelligit, recordatur, & percipit, movere etiam corpora noſtrâ, iſtáſque facultates cognitivas, nullas nudæ Materiæ modificationes eſſe poſſe. Unde planè conſtat, Intellectualem in corporibus noſtris Spiritum eſſe, qui ipſa pro arbitrio moveat, quemadmodum abunde probavî in ultimo capite primi libri Antidoti, & adhuc ulteriùs confirmabo, poſtquam ad allatas Objectiones pervenero.

SCHOLIA

In Cap. III. Sect. 2.

Quamobrem cùm Spiritum definiverim, (Spiritum intelligo præcipuè creatum,) &c. *Hîc non tam Spiritûs in genere quàm Spiritûs creati notionem defendimus, tum quòd incredulitas circa exiſtentiam Spirituum creatorum potiſſimùm in cauſa ſit quòd nullum omnino Spiritum quidam eſſe credant; tum etiam quòd nulla ſit in notione Spiritûs in genere difficultas, quæ in defenſione notionis Spiritûs creati non occurrat, quippe quæ nodos, qui ad Spiritum in genere propriè ſpectant, perinde atque qui ad ſpeciem, ſolvit atque diluit, quemadmodum apparebit cuilibet, qui omnes ſolutiones percurrerit.*

Supponamus igitur punctum lucidum è quo Orbis luminoſus, &c. *Hoc non ità à me dictum exiſtimari volo, acſi putarem ipſam Eſſentiam Animæ illiúſque Indiviſibilitatem hiſce rationibus conſtare; ſed ut viam aperirem faciliùs concipiendi in genere quòd extenſio conſiſtere poſſit cum Indiviſibilitate, Qua de re fuſiùs diſſeremus in Scholiis in Tractatum de Animæ Immortalitate.*

Sect. 3. An ulla Emanatio propriè dici poſſit Creatio, &c. *Videtur enim nulla propriè dici poſſe Creatio niſi ubi Creans & Creatum realiter inter ſe differunt, ità ut prius eſſe poſſit ſine poſteriori. Unde planè conſtat nec Filium nec Spiritum ſanctum eſſe Creaturas.*

Sect. 4. Aut impediatur ad tempus, &c. *Quemadmodum fit in realibus, ſi quando fiunt, ἀφαιρεσίαις Sagarum ac Magorum. Qua de re plura in Tractatu de Animæ Immortalitate.*

Sect. 5. Quòd tot futuræ eſſent Voluntates & Intellectiones quot ſint partes, &c. *Vide Tractatum de Immortalitate Animæ, lib. 2. cap. 11. ſect. 10. & lib. 3. cap. 2. ſect. 3, 4. & hanc ipſam Appendicem, cap. 10. ſect. 9, 10.*

Sect. 6. Cur Imaginem noſtram ponè ſpeculum videamus, &c. *Certè hoc mihi ſemper viſum eſt difficile problema, cùm nec ipſe* Carteſius *mihi hac in re ſatisfecerit. Sed cùm tam multa ſuper hac difficultate in* Enchiridio Metaphyſico *ejúſque Scholiis diſſeruerim, hîc quicquam ampliùs addere planè eſſet ſupervacaneum.*

Sect. 7. Ut in Materia aliqua exactè plana, &c. *Vide* Enchirid. Metaphyſ. *cap. 28. ſect. 18. & Tract. de Animæ Immortalitate, lib. 1. cap. 7. ſect. 5.*

Sect. 8. Quâque Receptivitatem ſive Capacitatem Corporis ſeu Materiæ eatenus impleat, &c. *Hæc verò Impletio capacitatis gradualis eſſe poteſt. Nec unus aliquis Spiritus corpus ullum ità implet ut omnes alios Spiritus excludat. Deus enim & Spiritus Naturæ univerſam permeat mundi Materiam præter Animas ſingulorum corporum animatorum, quæ propria ſua corpora pervadunt. Ut verò corpus præter propriam alias ullas particulares Animas Inquilinas admittat, niſi in Hominibus Magis ac Dæmoniacis, mihi haud ità videtur veriſimile.*

Ut adeò perfectè impleturus ſit Receptivitatem Materiæ, &c. Vitalem *nempe* Receptivitatem, *quatenus coaleſcit cum una aliquâ Anima tam arctâ conjunctione, ut nulla alia Anima ità cum illa conjungi poſſit ut unum conſtituant compoſitum ſive ſuppoſitum. Vel in voluntaria exertione hujus ὑλοπαθείας, ſupponere poſſumus eam aliquando ad eum gradum fieri ut admodum difficile ſit ulli alii Spiritui in eandem Materiam ſe ingerere quam alius tam plenâ ὁλοπαθείᾳ poſſederit. Quòd verò ὑλοπάθειαν hanc tanquam emanationem è centro vitæ definio, fit cum reſpectu ad deſcriptionem* Spiritûs, (*Sectione ſecundâ*) *per Punctum lucidum radios in orbem emittentis. Qua de re plura in Tractatu de* Animæ Immortalitate *ediſſeram. Intereà loci obiter monendum cenſeo, non contemnendum eſſe uſum hujus facultatis in Spiritibus, ut congeries Animarum in generatione in unum corpus non influant, nec ſpiritus ſeparati mutuo vehicula penetrent & poſſideant. An verò in ipſis nudis ſpiritibus arbitraria quædam impenetrabilitas hujus facultatis Hylopatheticæ pars eſſe non poſſit, aliis diſcutiendum relinquo.*

Sect. 10. Quis verò, niſi ipſe inſipiens ſit, Materiam ſapere dixerit, &c. *Et tamen omnes ſic dicunt qui omnem negant ſubſtantiam ſpiritualem. Nam infinita ſunt in Mundo Phænomena quæ manifeſta videntur Conſilii Sapientiæque Effecta. Omniſque Philoſophia Materiæ ſolius fructus eſt ſi nullus eſt ſpiritus. Quantilla autem ſuppetat ratio cur perceptionem ſapientiámque Materiæ tribuamus, in Scholiis* Enchiridii Metaphyſici, *ubi* Gliſſoniana *examinatur* Hypotheſis, *ſatìs indicavimus.*

CAP. IV.

1. Exiſtentiam *Perfectionem eſſe, vulgaribus exemplis probatum*; 2. *Idem porrò confirmatum ex Principiis* Metaphyſicis. 3. *Provocatio ad communem Rationem.* 4. *Quòd ſaltem* Neceſſaria Exiſtentia *Perfectio ſit, ſi nuda* Exiſtentia *non ſit.* 5. *Ultimæ Concluſionis Illuſtratio.*

1. AD evitandam neceſſitatem & evidentiam noſtræ demonſtrationis *Exiſtentiæ* Dei, ab inſeparabili notionis illius connexione cum ejus Idea, petitæ, (quippe qui urgemus fieri non poſſe quin *Exiſtentia neceſſaria* in Idea includatur *Entis abſolutè perfecti*) nonnulli ſunt qui non dubitant affirmare *Exiſtentiam* nullam eſſe vocem terminúmve *perfectionis* in ulla omnino re. Pone enim, inquiunt illi, duas auri maſſulas, pondere, puritate omnibúſque aliis rationibus præter ſolam durationem exiſtentiæve neceſſitatem, æquales; jure non poſſumus, niſi imaginationi argutandique libidini indulgere velimus, præeminentiam alteri præ altera tribuere. Ad quod reſpondeo, Quòd quemadmodum duæ auri maſſulæ meliores ſunt alterutrâ ſolâ, itâ una auri maſſula, quæ bis tanto diutiùs duratura ſit quàm altera, eâdem alterâ bis tanto (aut ſaltem multo) eſt melior. Quod adeò evidens eſſe exiſtimo ut ulteriori confirmatione non indigeat.

Cæterùm, porrò, ne diluendis Objectionibus ſolummodo operam demus, ſed præſentem veritatem, *Exiſtentiam* ſcilicet eſſe *Perfectionem*, omninò confirmemus: Primò, Hoc admodum quidem manifeſtum eſt ex notiſſimo illo Salomonis Aphoriſmo, *Melior eſt vivus Canis Leone mortuo.*

2. Sed & rurſus, ut generaliori modo argumentemur, *Metaphyſici*, quemadmodum ſatis notum eſt, *Exiſtentiam* conſiderant tanquam *formalem* & *actualem* Entis partem; *Forma* verò ſive *Actus* nobilius *perfectiúſque* Principium agnoſcitur in quâlibet Eſſentia. Ac proinde ſi diſtingui poſſunt in Deo, illîc etiam ſic eſt. Si non poſſunt, eo ipſo in confeſſo eſt, nos Ideam Dei concipere non poſſe, quin indè continuò moneamur eum exiſtere. Atque equidem Criticorum *Hebræorum* indagini commendo, an הוה unde eſt יְהוָה, *Exiſtentiam* non ſignificet potiùs quàm *Eſſentiam.*

3. Tertiò, *Metaphyſici* concludant ut volent, manifeſtum interim eſt communi Rationi, ſi unus conceptus altero præſtantior ſit, nec ullam in ſe Imperfectionem implicet, in illud conjici debeat, quod eſt maximê perfectum: Sed *Exiſtentia* præſtantior eſt quàm *Non-exiſtentia*, nec ullam in ſe implicat Imperfectionem: Ac proinde in Ideam *Entis abſolutè perfecti* eſt conferenda.

4. Verùm, quartò & ultimò, Quamvis poſſibile eſſet, ut quis cavillas excogitet contra ſimplicem *Exiſtentiæ* notionem, quaſi nec *Perfectionem* nec *Imperfectionem* argueret, nec pertineret ad utramlibet; ne vel minima tamen Objectionis ſpecies contra ſummum perfectiſſimúmque exiſtentiæ modum afferri poteſt, quo minùs is naturaliter & indubitatè includatur in Idea *Entis abſolutè perfecti*, optimóque omninò jure nos contendamus *neceſſariam Exiſtentiam* inſeparabiliter contineri in Notione Dei.

5. Etenim exempli causâ, Quemadmodum, dum in confeſſo eſt Materiam finitam eſſe, nec aliter quidem eſſe poſſe, quòd corpus figuratum ſit, nec *perfectionem* implicat nec *imperfectionem*, ſed naturalis eſt ac neceſſaria illius affectio; quòd tamen *ordinatè* ſit figuratum, indubitata eſt corporis *perfectio*: itâ eodem planè modo, quanquam in confeſſo eſſet meram *Exiſtentiam* nec perfectionem eſſe nec imperfectionem, tam nobilis tamen illius modus, ut quid *neceſſariò* exiſtat, agnoſci debet ſine omni tergiverſatione notio *Perfectionis*, ac proinde Ideæ *Entis abſolutè perfecti* quàm arctiſſimè adhæreſcere.

CAP.

CAP. V.

1. *Immane quantum intereſſe, à diſtortis Imaginationis figmentis, an à naturalibus Mentis noſtræ Ideis fiat argumentatio.* 2. *Quòd* Idea Entis abſolutè Mali *neceſſariam Exiſtentiam non implicat, ſive* Ens abſolutè Imperfectum *ſignificet,* 3. *Sive* abſolutè Improbum, 4. *Sive* abſolutè Miſerum, 5. *Seu denique* abſolutè Peſtiferum. 6. *Si per* Ens abſolutè Peſtiferum *intelligatur tantummodò Infinita potentia nocendi, Deum hunc eſſe, cujus abſoluta Benignitas illius executionem prævertit.* 7. *Quòd recta Methodus noſtrâ utendi ratione ſit, à manifeſtis minimèque ſuſpectis ad magis ſuſpecta & obſcura procedere.* 8. *Quòd ſecundùm hanc methodum, cùm de* Entis abſolutè perfecti *exiſtentia certi ſimus ab illius Idea, ſatis inde ſimul inſtructi ſumus ad reſponſionem reddendam, quòd* Impoſſibilitas Exiſtentiæ *ad Ens pertineat, ſive* abſolutè Miſerum *ſive* abſolutè Peſtiferum. 9. *Quòd Naturæ Phænomena ulteriùs probant Impoſſibilitatem Exiſtentiæ* Entis abſolutè Peſtiferi. 10. *Quódque conſilia operáque Dei per vanas hominum Opiniones non ſunt menſuranda.*

1. QUantùm ad eos qui admittunt in *Entis abſolutè perfecti Idea* neceſſariam Exiſtentiam includi, ſed oſtendere ſatagunt noſtram illinc Illationem, nempe quòd Ens hoc perfectum exiſtit, falſam eſſe & ſophiſticam, quia neceſſaria Exiſtentia in Idea *Entis abſolutè mali* continetur, quod nihilominus nullo pacto exiſtere, concedere volumus, (illud enim, inquiunt illi, quod *abſolutè malum eſt,* immutabiliter & inevitabiliter ſemper eſt tale, nec aliter eſſe poteſt, ac proinde fieri non poteſt quin exiſtat, ſempérque extiterit:) Hiſce quidem reſpondemus, Nos immane diſcrimen inter arbitraria diſtortáve *Imaginationis figmenta,* cujuſmodi hoc eſt, & *naturales* probéque conſiſtentes Mentis noſtræ *Ideas,* facilè detecturos eſſe, poſtquam magìs anquiſitè ſolicitéque in hanc quam auſi ſunt Objectionem proponere, inſpexerimus, & quid ipſi intelligant, aut neceſſariò intelligendum ſit per hanc Ideam *Entis abſolutè mali,* quam adeò perversè finxerunt, diſquiſiverimus.

2. Per Ideam *Entis abſolutè mali,* neceſſariò intelligenda eſt, aut Idea Entis *abſolutè Imperfecti,* aut *abſolutè Improbi,* aut *abſolutè Miſeri,* aut Entis denique *abſolutè Peſtiferi.*

Jam verò Idea illius quod *abſolutè Imperfectum* eſt, ab ipſo removet quicquid ſonat Perfectionem. Ut, ſi omnis perfectio contineretur Numero millenario, hæc Idea removeret ab hoc Ente *abſolutè imperfecto* unamquamque unitatem hujus millenarii, nè unicam quidem unitatem unitatíſve fractionem, immo nec earum quidem poſſibilitatem, huic Enti, ſi fas ſit ità loqui, adeò *abſolutè imperfecto,* permittens. Ità ut, quod *abſolutè imperfectum eſt,* impoſſibile ſit ut exiſtat. *Exiſtentiam* verò *neceſſariam,* vocem ſive terminum eſſe *perfectionis,* ſuprà clarè demonſtratum eſt.

3. Idea Entis *abſolutè Improbi,* ab ipſo removet omnimodam Bonitatem, Æquitatem, Decorum atque Juſtitiam, firmámque ac immutabilem voluntatis averſationem ab omnibus iſtis in ſe implicat, & fixum atque conſtans propoſitum agendi omnia improbè; ſed nihil interim inſinuat, aut de *neceſſitate* aut *contingentia exiſtentiæ* ſubſtantiæ hujus Entis, cùm iſta nihil omnino pertineant ad *Moralem* illius deformitatem, quemadmodum vel primo intuitu manifeſtum eſt.

4. Idea Entis *abſolutè Miſeri,* Idea eſt Entis quod cruciatus ſuſtinet pleniſſimos & conſummatiſſimos qui concipi poſſunt. Atque hoc quidem in ſubjecto cognitivo, paſſivo, & animadverſivo fieri debet. Nunc igitur dico, cùm cruciatus hic oriatur, partim à ſenſu præſentis doloris, & partim ex animadverſione ſive recordatione quid jam paſſum ſit, plenáque perſuaſione quòd ità paſſurum ſit in æternum, Miſerum hoc Ens quanquam mera Creatura, æquè perfectè cruciatur, ac cruciari poſſet ſi à ſe neceſſariò exiſteret. Nam ſi ſemper exiſteret, quanquam contingenter tantùm ac dependenter ab alio, cruciatus tamen æqualis foret: Ac proinde *neceſſaria* Exiſtentia in illius Idea non includitur.

Rurſus, Qui ſic objicit, probare debet, Ens omninò Immateriale ullos pati poſſe cruciatus; quod donec effecerit, cùm rationi magìs conſentaneum videatur non poſſe, ipſum poſſe apertè nego: ac proinde aſſero, *Ens cruciabile* Spiritum eſſe incorporatum; affirmóque porrò, quòd longè probabiliſſimum ſit, Spiritum hunc, ſi ingenti dolore premeretur, tali utique ut omninò non exiſtere quàm in eo perſiſtere ſatius eſſet, præ angoris continuatione & incremento (dolore infinitè vitali vigori prævalente, fruitionibúſque præponderante vitæ atque ſenſûs) moriturum eſſe corpori in quo ad hunc modum cruciatur. Quòd ſi in tam miſera conditione non ſit collocatus, ut ſtatum conjunctionis exuat, ſed cruciatus reperiatur tolerabilis, tum *neceſſaria exiſtentia* nulla pars eſſet illius miſeriæ, ſed pars quædam potiùs felicitatis ejus; ità ut nullum omnino iſtiuſmodi Ens eſſe poſſit in rerum natura quod *abſolutè* ſit *Miſerum.* * Nam Miſeria ad ſummum uſque gradum intenſa effectura eſt ut res deſinat eſſe: Ut nec poſſumus dicere Triangulum abſolutè magnum; nam Circulus illo ſemper futurus eſt major. Vel potiùs nulla Figura abſolutè magna eſſe poteſt, quippe cujus Natura eſt ut ſit limitata.

Tertiò, Idea *Entis abſolutè perfecti* ex notionibus componitur ejuſdem Denominationis, univerſis ex ſe perfectionem abſolutam innuentibus: Idea verò *Entis abſolutè Miſeri* non concinnatur ex Notionibus quæ ex ſe abſolutam miſeriam ſonant. Quæ enim Miſeria, & non Bonum potiùs, *Exiſtentiæ neceſſariæ* ineſt? Quamobrem ſi contendere velimus argumentationem ab Idea alicujus rei ad illius neceſſariam Exiſtentiam illìc tantùm valere ubi Idea conſiſtit ex notionibus unius Denominationis, Adverſarius debet hanc tollere diſtinctionem.

Vel, ut apertiùs dicamus, *Abſolutè neceſſaria Exiſtentia* & *A-ſe-exiſtentia,* una eadémque Notio eſt: Verùm *A-ſe-exiſtentia* ſummus eſt & perfectiſſimus exiſtendi modus qui poteſt concipi, ac proinde illi *Enti,* quod *abſolutè perfectum* eſt, proprius. Quamobrem *A-ſe-exiſtentiam* ad tam miſellam Ideam, quàm ſit Idea *Entis abſolutè Miſeri,* transferre, æquè abſonum eſt atque monſtroſum, acſi caput Leoninum Limacis corpori agglutinare velimus. Immò verò multo videtur repugnantius, cùm illa corporis tantùm ac figuræ mala ſit collocatio, hæc verò internæ proprietatis in ſubjectum indebitum, immò proprietatum infinitis modis contrariarum, in idem ſubjectum inſitio.

5. Quartò & ultimò, Quantùm ad *Ens abſolutè peſtiferum,* videtur ſanè neceſſariam & inevitabilem Exiſtentiam perinde atque Omnipotentiam atque Omniſcientiam in ſe includere; alioqui Natura hæc ſuprema peſtifera non tam plena eſſet ac abſoluta, quàm mente noſtrâ concipi poteſt. Hæc addita obfirmato ac immutabili deſiderio ac voluntati mala omnimoda, ipſius mali gratiâ, perpetrandi, notionem hujus *Entis abſolutè peſtiferi,* omnibus numeris reddunt perfectam.

Sed quàm ſpuria & impropria hæc Idea ſit, ex eo manifeſtum eſt, quòd notiones naturæ prorſus contrariæ, modo quodam coacto ac præternaturali rurſus colliget, maximam *Perfectionem* cum ſummis *Imperfectionibus*; jungens quidem incommunicabilia Dei attributa, cum eo, quod magis fortean nefarium eſt, quàm quis quicquam demonſtrare poſſit ipſi ineſſe Diabolo; immò quod repugnans videtur, ut ſit in ullo cuicuimodi ſubjecto.

Quamobrem, quemadmodum ſuprà monui, ſi quis argumentum noſtrum prætendat ſophiſma eſſe, ipſúmque imitando ejus fallaciam velit in alia aliqua materia detegere, illius leges exactè obſervare debet in ſua Imitatione, Ideámque ex Notionibus conſtituere quæ uni eidémque Titulo conveniant, quemadmodum examuſſim fit in Idea *Entis abſolutè perfecti.* Nulla enim illìc notio eſt, quæ non ſummam ſonet perfectionem.

Verùm in hac Idea *Entis abſolutè peſtiferi,* nihil eſt quod ex ſua natura peſtem perniciémve ſignificet, præter improbum illud ac malignum deſiderium, malum patrandi, ipſius mali gratiâ. Qui gradus eſt Imperfectionis vel infra Inconſiſtentiæ ſive Repugnantiæ confinia depreſſus. Et tamen ut quid valeat omne cujuſmodicunque Bonum accuratè abolere ac diſperdere, Omnipotentiam rurſus ſupponit, & Omniſcientiam. Quod verò omnipotenter & abſolutè peſtiferum eſt, ſeipſum etiam oportet ut deſtruat ac diſperdat; quemadmodum Triangulum infinitè magnum, omnino Triangulum non eſſe planè implicat. Adeò ut hujus Ideæ conceptus, à multifariarum Repugnantiarum illaqueationibus minimè ſit liber.

6. Cæterùm ſi per *Ens abſolutè peſtiferum* intelligatur Ens quod potentiam habet ac peritiam perpetrandi omne malum quod excogitari poteſt, immò & longè ſupra omnem Imaginationem cogitationémve humanam, idque tam efficaciter & univerſim, ut nihil ullo modo ipſum poſſet prævertere; equidem hic reverà æternus eſt Deus, qui neceſſariò à ſeipſo exiſtit, omnéſque res prævenit, & à nullo in actionibus ſuis præterquam ſeipſo poteſt limitari. Cùm verò is abſolutum illud & immutabile Bonum ſit, & plena ac pura Perfectio, non poteſt quin in Idea ſua pretioſum illud Benignitatis Attributum includat; ac proinde, cùm ſecundùm integram ſuam Naturam agat, non ſolùm ipſe *Veneficus* eſt, ſed ex prærogativa propriæ ſuæ Eſſentiæ, iſtiuſmodi *peſtiferos Principatus,* quorum cauſa hîc verſata ſit, prohibet, nè ullam unquam exiſtentiam obtineant in rerum Univerſitate.

7. Quamobrem ut res tandem redigatur in ſummam, Dico quòd naturali illâ methodo in hac ſpeculatione uti debemus, quam homines qui facultatum ſuarum uſum nôrint, in aliis obſervant; illi ſcilicet primùm aſſentiri debemus, quod maximè ſimplex eſt, facile ac manifeſtum, & de quo nullum dubium eſſe poſſit quin Notio congrua ſit probèque ſibi conſiſtens. Atque ejuſmodi equidem eſt Idea *Entis abſolutè perfecti*, non arbitrarium figmentum aut fortuitum, coactáve Notionum compactio, quæ inter ſe digladiantur, meritóve ſuſpectæ haberi ſi non demonſtrari poſſunt, malè cohærere intérque ſe pugnare, cujuſmodi putà foret *Arbor ambulans*, aut *Lapis intelligens*, & ſimilia; ſed tale in quo Notiones naturaliter & neceſſariò unà conveniant, ad conſummandum conceptum unius alicujus ſimplicis Tituli, tanquam ipſi eſſentiales & Homogeneæ.

8. Atque tunc quidem id pro quo tantopere contendo, hoc eſt, quòd attendendo ad naturalem hanc Dei Ideam, ſive *Entis abſolutè perfecti*, neceſſitatem actualis exiſtentiæ tanquam ab eo inſeparabilis vel inviti detegimus, cùm neceſſariò in hac Idea abſolutæ Perfectionis includatur. Quod ratione adhuc evidentiori premitur in ultima Argumenti mei poſitura; ubi urgeo, quòd aut *Impoſſibilitas*, aut *Contingentia*, aut *Neceſſitas* actualis exiſtentiæ neceſſariò ad Ens *abſolutè perfectum* pertinet: Sed nec *Impoſſibilitas*, nec *Contingentia*: Ergo, *Neceſſitas* actualis Exiſtentiæ ad ipſum pertinet.

Ac proinde cùm de hac veritate adeò certi ſimus, ab Adverſario poſtulo ut ſuum Argumentum ad poſtremam hanc maximéque perſpicuam formam reducat, útque ipſe etiam urgeat, quòd aut *Impoſſibilitas*, aut *Contingentia*, aut *Neceſſitas* actualis Exiſtentiæ ad Ens *abſolutè Miſerum*, vel ad Ens *abſolutè Peſtiferum* pertinet. Et voce fidenti reſpondebo, *Impoſſibilitatem Exiſtentiæ* ad ea pertinere; addámque porrò hanc rationem, præter eam quàm priùs de Incongruitate Notionum inter ſe ſubinnui, quòd & Exiſtentiæ Dei repugnat, quem, abſque omni hæſitatione aut ſcrupulo, attendendo ad naturales & incoactas propriarum noſtrarum facultatum ſuggeſtiones, demonſtravimus jam exiſtere.

9. Et ut adhuc firmiorem reddamus hanc noſtram Reſponſionem de Ente *abſolutè Peſtifero*, Evidentiſſimum eſt ipſum non exiſtere; ac proinde cùm à ſeipſo eſſe oporteat, ſi omninò ſit, impoſſibile eſt ipſum eſſe. Ipſum verò non eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quòd ſi eſſet omnia tum infinito pejus ſe haberent quàm nunc ſe habent, vel non exiſterent omninò; cùm equidem auſim dicere, ea æquè bene ſe nunc habere, quàm par ſit aut poſſibile, ſi nos eâ ſapientiâ prædita eſſemus ut integrum poſſemus concipere vel comprehendere Divinæ Providentiæ conſilium atque propoſitum, claréque cognoſceremus & particulatim, quid præteritum ſit & quid futurum.

10. Sed ſi ex propria cæcitate aut temeritate iſtiuſmodi Principia de Dei Providentia nobis ponamus, quæ cum illius Idea malè conveniant, (cujuſmodi eſt Cœlorum Syſtema *Ptolemaicum*, quod, (ut quidam aiunt) *Alphonſus* æſtimavit (quanquam alii de Montibus quibuſdam in Terra malè collocatis hiſtoriam narrant) *ἀτεχνίαν* adeò rudem ac perplexam, ut zelo quodam contra tam ineptam Hypotheſin abreptus, nimis quàm præſidenter & ſcommaticè profeſſus ſit, ſi ipſe Deo præſens, quando Mundum condebat, adfuiſſet, meliorem illius fabricam ſe comminiſci potuiſſe) occaſio quidem nobis dabitur cavillandi, ſed nec cum Conſiliis Dei nec illius Operibus, ſed potiùs cum Opinionibus imperitorum miſeréque hallucinantium Hominum.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 4.

NAM Miſeria ad ſummum uſque gradum intenſa, &c. *Præterea cùm hæc Miſeria ac intolerabilis dolor, nulli (quod & jam innui) ſubjecto ineſſe poſſit, niſi ex Spiritu corporéque compoſito (juxta Galenicum illud, ſi rectè memini, apud* Macrobium, *Εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐκ ἂν ἤλγεεν, ἀλγεῖ δὲ οὐκ ἄρα ἓν ἐστιν) cúmque non aliter dolor oriatur, quàm ex incommoda adverſáque particularum motione, aut ſaltem non ſine iſta, nec ea quidem motio, quippe ſucceſſiva, poſſit eſſe æterna; hinc etiam conſtat nihil eſſe poſſe ſummè abſolutéque miſerum, id eſt, infinitè, cùm infinita duratio à parte antè ipſi non competat; nec proinde exiſtentia neceſſaria, ſed è contrà, ſic exiſtere, planè repugnet.*

CAP. VI.

1. *Senſum ſui Argumenti ab Idea Dei petiti*, *in* prima *ſua* poſitura, *non eſſe ſimpliciter, Quòd Idea ſit vera, quódque, ſi Deus eſſet, Exiſtentia illius foret neceſſaria; ſed quòd hæc Idea, cùm vera ſit, neceſſariam Exiſtentiam, tanquam ad Eum abſolutè pertinentem, menti noſtræ exhibeat.* 2. *Quòd Idea Dei* Manicheorum, *exiſtentiam neceſſariam in ſe non includit.* 3. *Quòd aſſerere, Exiſtentiam neceſſariam in Idea* Entis abſolutè perfecti *incluſam eſſe duntaxat conditionalem, aperta ſit Repugnantia.* 4. Secunda *Argumenti* poſitura *confirmata, quódque illius forma Exiſtentiam Dei* Manicheorum *nequaquam concludit.* 5. *Invicta evidentia* tertiæ poſituræ *ſui Argumenti, etiam è judicio ſui Adverſarii.* 6. *Vim ſui Argumenti in* quarta ultimáque poſitura, *non eſſe, Quòd Ideam Materiæ ſine neceſſaria Exiſtentia concipimus, ſed quòd, inſpiciamus quàm attentiſſimè volumus, nullam neceſſariam Exiſtentiam in ea incluſam invenimus; contrà ac ſit in Idea Dei.* 7. *Facultates Animi ad quas perpetuò provocat*, ſupponendas *non* probandas *eſſe veras.*

1. ATque nunc quidem cùm tam cumulatè ſatisfactum ſit Objectioni ab Idea *Entis abſolutè mali* petitæ, facile erit aciem retundere cujuſlibet id genus argumenti quantacunque cum peritia ac calliditate contra nos ſit contortum. Quale eſt illud quod à viro quodam ingenioſo mihi propoſitum eſt; quod cùm *mihi ipſi* ſatis argutum videatur perinde atque *Objicienti* invincibile, propriis illius verbis hîc proponam, quorum quidem tenor ſic eſt:

Si veram Ideam ſive Notionem habere poſſumus illius quod non eſt, immò verò illius quod non eſt & tamen ſi eſſet neceſſariò foret, tunc Argumentum tuum pro Dei Exiſtentia, à neceſſaria Exiſtentia in illius Idea ſive Notione comprehenſa deductum, mendoſè concludit. Quomodo hoc argumentum, ait ille, *negare poſſis, nullo modo intelligere poſſum; quippe quòd medulla primi tui argumenti, in prima ſua poſitura, ab Idea Dei deducti, in eo contineatur.*

Sed veram Notionem habere poſſumus illius quod non eſt, immo verò illius quod non eſt & tamen ſi eſſet neceſſariò foret, ut exempli gratiâ mali Dei Manicheorum.

Sed breviter reſpondeo ad Propoſitionem ſic; Quòd cauſam præſentem non attingit: Quoniam Deum exiſtere arguimus, non quidem ex eo quòd illius Idea vera eſt, & ſi exiſteret, neceſſariò exiſteret; nam neceſſaria Exiſtentia *conditionalis*, quippe quæ minùs perfecta eſt quàm Exiſtentia *abſolutè neceſſaria*, ad *Ens abſolutè perfectum* pertinere non poteſt: ſed quòd hæc vera Idea ſine ulla omnino conditione naturalibus animi facultatibus ſuggerit, (cùm neceſſaria Exiſtentia involvatur in ſua ſolius Idea, nec idem contingat in ulla Idea præterea) Quòd ſine omni mora, ex ſeipſo continuò abſolutè & realiter exiſtit. *Antidot. lib. 1. cap. 8. ſect. 1, 2.*

Ad Aſſumptionem reſpondeo, Quòd Deus *Manicheorum* ſi omnino poſſet exiſtere, exiſteret neceſſariò; cujus hæc eſt ratio, Quòd Deus tam fœdum monſtrum nunquam eſſet creaturus.

2. Quòd ſi ulteriùs urgeas quòd Idea hujus mali Dei *Manicheorum* neceſſariam Exiſtentiam in ſe includit, utpote quæ Notio ſit Dei, & tamen non exiſtit; quódque propterea verus Deus ex eo, exiſtere demonſtrari non poteſt, quòd neceſſaria Exiſtentia in illius Idea involvitur: Reſpondeo porrò, Quòd Notio Dei *Manicheorum* neceſſariam Exiſtentiam in ſe naturaliter non includit, quippe quæ non eſt Notio *Entis abſolutè perfecti*; quódque Notio mali Dei, coactum omninò eſt aut fortuitum figmentum, ſenſúſque nihilo congruentior quàm ſit Deus ligneus, cujus Idea non quidem *neceſſariam Exiſtentiam*, ſed illius *Impoſſibilitatem* implicat.

3. Sed pergit Adverſarius, nóſque illius motus obſervare oportet; tantùm, antequam ad *ſecundam* Argumenti noſtri *poſituram* accedit, illud obiter notat, quòd eos omnes accuſem quaſi ſibi ipſis contradicerent, qui agnoſcunt neceſſariam Exiſtentiam in Idea Dei ſive *Entis abſolutè perfecti* contineri, per eámque ſignificari quòd neceſſaria Exiſtentia ad eum pertinet, & tamen idem rurſus inficiantur, addendo, ſi omninò exiſteret. Sed reſpondeo Accuſationem veram eſſe; Etenim aſſerere, neceſſariam Exiſtentiam ad Ens aliquod pertinere, quod tamen profitemur nihilominus poſſe non exiſtere, eſt planè contradictionem admittere. Nam hoc pacto una eademque res à facultatibus noſtris agnoſcetur & neceſſaria & contingens ſimul, hoc eſt, quòd non poſſit non exiſtere, & tamen quòd poſſit non exiſtere. Quæ ſanè hîc *Antidot. lib. 1. cap. 8. ſect. 3.*

ſi non ſit contradictio, neſcio quæ ſit: Nihil enim infra Exiſtentiam *abſolutè neceſſariam* in Idea Entis *abſolutè perfecti* debet comprehendi.

Antidot.lib.1. cap.8.ſect.4. 4. Cæterùm argumentum adhuc evidentius apparebit in *ſecunda ſua poſitura.* Etenim ſiqua fraus ſubſit aut fallacia, in iſto termino, *Neceſſaria*, delitеſcit, quem verè explicavi, nec negari poteſt, quicquam aliud ſignificare quàm nexum inſeparabilem inter *Subjectum* & *Prædicatum*. Quamobrem cùm Exiſtentia inſeparabilem habeat connexionem cum Deo, neceſſariò ſtatim ſequitur, hoc Axioma, *Deus exiſtit*, eſſe æternò ac immutabiliter verum. Hic verò regerere, ſi exiſteret, equidem eſt inſinuare quòd hoc non obſtante poſſet non exiſtere; quod perinde eſt acſi dixeris, illud quod immutabiliter verum eſt, non eſt immutabiliter verum. Quæ evidentiſſima eſt contradictio.

Verùm hìc ſe Adverſarius recipit ad Aſylum Dei *Manicheorum*, rogàtque, ut *Manicheorum* Deum in locum illius Dei ponere vellem, cujus Exiſtentiam demonſtrare tantopere ſatago, ut ſic proprium meum Sophiſma poſſem deprehendere. Age igitur, collocemus, ſi nulla ſubſit Idololatria, in illius locum. Atat quam contracta recula ſit, ad eúmque locum implendum inidonea, intelligi poteſt ex eis quæ ſuprà diximus: Quòd Deus *Manicheorum* in ſua Notione neceſſariam Exiſtentiam non magìs implicat, quàm Deus ligneus, immò verò implicat potiùs *Impoſſibilitatem* Exiſtentiæ. Quippe quòd Notio Dei eadem eſt, hoc eſt, *Entis abſolutè perfecti*, quæ neceſſariò in ſe involvit *Bonitatem abſolutiſſimam.* In conſpectum jam producatur Deus *Manicheorum*, illiúſque intueamur Inſcriptionem. Eſt certè, *Malum perquam abſolutè bonum.* Quod, quemadmodum ſuprà dixi, ſenſus eſt longè, meo quidem judicio, incongruentior quàm *Deus ligneus*: Ac proinde *Impoſſibilitas*, non autem *neceſſitas* Exiſtentiæ in illius Idea continetur.

Antidot.lib.1. cap.8.ſect.5. 5. *Tertia* Argumenti *poſitura* formidabilis eſt ipſi etiam Adverſario: Nam, ubi urgeo, Quòd aut *Impoſſibilitas*, aut *Contingentia*, aut *Neceſſitas* actualis Exiſtentiæ ad *Ens abſolutè perfectum* pertinet; heîc quidem confitetur, *Manicheorum* Deum ſibi diutiùs ſuccurrere non poſſe, ſed ut homo ad incitas redactus, durum eſſe admodum conqueritur & iniquum, ut aut compellatur ad probandum Exiſtentiam Dei *impoſſibilem* eſſe, aut cogatur aliter admittere, quòd *exiſtit.* Mox verò, poſtquam rem paulò accuratiùs apud ſeipſum penſitaverat, animadvertit impoſſibile eſſe, ſi Deus non ſit, eum unquam fore. Ac propterea, inquam ego, omnino æquum eſt, ut ab eo expectemus, qui negat eum eſſe, ut Exiſtentiam illius probet eſſe *impoſſibilem*, præſertim cùm vis argumenti noſtri eum tam neceſſariò eò impellat. Verùm meo quidem judicio conſultius ei foret, hujus operæ compendium ſibi facere, quàm tam fruſtraneum aggredi Inceptum. Recordari enim poteſt, quòd Idea hujus *Entis abſolutè perfecti* ità formata ſit, ut è judicio cujuſvis hominis, qui facultatum ſuarum uſum adhuc retinet, nulla *Inconſiſtentia* ſive *Incompoſſibilitas* ei inſit, nec vel minima umbra ſuſpicioni relicta aut meticuloſitati. Et præterea, cùm *Impoſſibilitas* exiſtendi, maximè imperfecta σχέσις ſit quàm Ens ullum gerere poteſt ad Exiſtentiam, immanem profectò oportet eſſe Incongruitatem, eam *Enti abſolutè perfecto attribuere*, cùm adeò naturaliter & indubitanter ad *Ens abſolutè imperfectum* pertineat, quemadmodum ‖ ſuprà notavimus.

‖ Cap.5.ſect.2.

Quamobrem ſi vel dubius vel obduratus Atheus dixerit Exiſtentiam Dei eſſe *impoſſibilem*, illud nullam enervitatem vanitatémve in meo argumento arguet, ſed præfidentem temeritatem cæcámque Impudentiam in eo, qui tam abſonum Reſponſum reddiderit.

Antidot.lib.1. cap.8. ſect.6,7, 8,9,10,11. 6. Cæterùm Objector jam ad *quartam* & *ultimam* Argumenti noſtri *Poſituram* pervenit, cujus hanc omninò ſummam eſſe autumat. Quòd ſcilicet aut Deus eſt, aut Materia exiſtit à ſeipſa; ſed Materia non exiſtit à ſeipſa, quia neceſſaria Exiſtentia non includitur in illius Idea. Contra quod hoc affert, quòd, quemadmodum ſunt, qui Ideam habent Trianguli, nec tamen notitiam ullam habent illius proprietatis quæ in eo demonſtratur, quòd tres ejus Anguli æquales ſint duobus rectis; ità Ideam Materiæ quiſpiam habere poteſt, nec reſcire tamen quicquam de neceſſitate illius Exiſtentiæ, quamvìs eam in ſe proprietatem habeat.

Sed reſpondeo, Hoc ad Argumenti noſtri vim non attingit. Inſpice enim in Ideam Materiæ, quàm gnaviter ac curioſè voles, in ea tamen nunquam deteges ullam iſtiuſmodi proprietatem, cujuſmodi eſt *Neceſſitas Exiſtentiæ*. Et tum poſtea, pondus meæ argumentationis huc potiſſimùm incumbit, quum Neceſſitas A-ſe-Exiſtentiæ tam manifeſtò & inevitabiliter detegatur in Idea *Entis abſolutè perfecti*, ſed in Idea Materiæ non deprehendatur omninò, quòd apertam vim inſerimus facultatibus dum *A-ſe-exiſtentiam* in materia agnoſcimus, nullâ facultate nobis id innuente, &

eandem in Deo negamus, Ideâ Dei tam conſpicuè nobis demonſtrante, quòd neceſſaria *A-ſe-exiſtentia* ad ipſum pertinet. Adeò ut rei ſumma, pro qua tantopere contendo, hæc ſit, Quòd is ſcilicet qui negat Deum eſſe, contraire planè videtur lumini naturalium ſuarum facultatum, ad quas ego perpetuò provoco.

7. Quòd ſi adhuc dixeris, Facultates noſtras fortean falſas eſſe poſſe, equidem libenter annuo, ſic fieri poſſe, ſi nullus eſſet Deus per quem ſimus creati. Tunc enim tales omnino ſumus quales noſmetipſos reperimus, nec poſſumus ulteriùs inquirere, nec certò ſcire quin ejuſmodi naturæ eſſe poſſimus, ut tunc fallamur maximè, cùm nos certiſſimos eſſe exiſtimemus, ídque poſtquam cautione & circumſpectione, quantâ poteſt maximâ, uſi ſimus ad evitandum errorem. Sed nobis quidem ſufficit, nos haud plus poſtulare, quàm quod eis conceditur qui maximè indubias demonſtrandi methodos profitentur, * quódque ipſa *Geometria* probare non poteſt, ſed ſupponit, nimirum, *Facultates noſtras veras eſſe.*

SCHOLIA

In Cap. VI. Sect. 7.

Quódque ipſa Geometria probare non poteſt ſed ſupponit, nempe Facultates noſtras veras eſſe, &c. *Siquis verò hæc ſe perſentiſcere apud ſeipſum putet Notiones Mathematicas aliáſque id genus nonnullas certas eſſe nec aliter fieri poſſe, ſic faciat per me quidem licet, modò meminerit ipſam hanc internam* Perſentiſcentiam *unam eſſe è noſtris Facultatibus. Et ſi porrò perſentiſcat eam* Perſentiſcentiam *veram eſſe ac certam & ineluctabilem etiam hanc ſecundam* Perſentiſcentiam *talem eſſe ; quam propterea veram certámque oporteat* ſupponere, *& ſic in infinitum ; nullam autem Mentem præter ipſam Divinam, quæ prima eſt ſive Prototypa veritas eáque eſſentialis & increata, abſolutè & ſimpliciter certam eſſe ; verùm internam hanc humanæ mentis Perſentiſcentiam, Divinam illam ac increatam certitudinem aliquo modo, licèt intervallo longè diſſito, imitari : ſed ità tamen ut niſi vim inferamus Facultatibus, delirare planè putandi ſint* Carteſiani, *& inter reliquos* Spinozius *&* Poirettus, *qui omnes veritates, etiam Notiones communes apud Mathematicos, ut* Totum majus eſt ſuâ parte, &c. *non à mente Divina ſed à voluntate pendere, adeò ut ſi Deus voluiſſet, iſtud æquè verum eſſe potuiſſet,* Partem majorem eſſe Toto, &c. *Iſtiuſmodi ſanè Figmenta, ſi propriarum facultatum dictamini ſtare velimus, ridicula ſunt & impoſſibilia.*

CAP. VII.

1. *Neceſſitatem Exiſtentiæ, quæ videtur in Idea* Spacii *includi, eandem omninò eſſe quæ menti noſtræ ſe obfert in illa pleniori ac perfectiori Idea Dei*; 2. *Parémque eſſe rationem de æterna Duratione, cujus immediatum ſubjectum Deus eſt, non Materia.* 3. *Spacium eſſe duntaxat* Poſſibilitatem Materiæ *eo modo tantùm* Menſurabilem, *quo tot diverſæ poſſibiles rerum ſpecies ſunt* Numerabiles. 4. *Diſtantiam non eſſe* Phyſicam *ullius rei Affectionem, ſed tantùm* Notionalem. 5. *Diſtantiam corporum,* privationem *duntaxat eſſe tactualis Unionis per* partes *menſurabilem, ut aliæ privationes qualitatum per* gradus. 6. *Si Diſtantia Spacii, remotâ Materiâ, quicquam reale ſit, Ens illud neceſſarium oportet eſſe, per Ideam Dei repræſentatum.* 7. A-ſe-Exiſtentiam *&* Contingentiam *terminos eſſe inter ſe pugnantes.*

1. Alii ſunt qui videntur ſcopum propiùs attingere, dum contra *quartam* argumenti noſtri *poſituram* objiciunt, Quòd neceſſaria Exiſtentia planè involvitur in Idea Materiæ. Non poteſt enim quiſquam, aiunt illi, quin imaginetur *ſpacium* in infinitum quaquaverſum excurrens, ſive Deus exiſtat ſive non. Cúmque hoc *ſpacium* ad hunc modum extenſum ſit, & menſurabile per ulnas, perticas & ſimilia, neceſſe eſt ut aliquid reale ſit, ex eo quod ad hunc modum extenſum ſit & menſurabile. Non-Ens enim nullam habere poteſt proprietatem aut affectionem. Quòd ſi Ens ſit, quid aliud eſſe poteſt quàm Materia corporea? *Antidot. lib. 1. cap. 8. ſect. 11.*

Sed reſpondeo, Si nulla exiſteret Materia, ſed ſola Immenſitas Divinæ Eſſentiæ, ſuâ ubiquitate omnia occupans, quòd *Reduplicatio*, ſi ità fas ſit loqui, ejus indiviſibilis ſubſtantiæ, qua ſe integrè præſentem præbet ubique, ſubjectum foret illius *Diffuſionis* & *Menſurabilitatis*. Addóque porrò, Quòd perpetua hæc infinitæ hujus Amplitudinis & Menſurabilitatis Obverſatio, quam imaginatione noſtrâ non poſſumus concipere quin neceſſariò fuerit, magìs rudis ac obſcura Notio eſſe poteſt menti noſtræ oblata, neceſſariæ illius & à ſe exiſtentis Eſſentiæ, quam Idea Dei pleniùs ac diſtinctiùs nobis repræſentat. Manifeſtum enim eſt, nè Imaginationem quidem noſtram illigari ad appropriandam hanc Ideam *ſpacii*, Materiæ corporeæ, quippe quòd nullam naturaliter in illius Notione concipit *Impenetrabilitatem* aut *Tangibilitatem*. Ac proinde ad Spiritum aliquem æquè commodè referri poteſt atque ad corpus. Unde, quemadmodum ſuprà monui, cùm Idea Dei talis ſit qualem deprehendimus, rudiorem hanc *ſpacii* notionem meritò ac neceſſariò, * in Infinitum illum & æternum, qui Deus eſt, Spiritum conjiciet.

2. Atque eadem profectò ratio eſt de *Tempore* (per Tempus intelligo *Durationem*) quæ eſt de *Spacio*. Non poſſumus enim concipere quin iſtiuſmodi Duratio fuerit quæ nullum poſſit aut principium habere aut interruptionem. Et quivis ſanè agniturus eſt, planè repugnare ut ſit hujuſmodi Duratio neceſſaria, cùm interim nulla realis Eſſentia exiſtat, quam ità à ſe ſemper exiſtere oporteat, & ità in æternum durare. Quid aut quis igitur eſt, ad quem æterna hæc & nunquam interpellanda nunquámque deficiens Duratio neceſſariò pertineat? Nullus equidem Philoſophus magìs appoſitè hîc reſpondere poteſt, quàm ſanctus *Pſalmiſta, Ab æterno in æternum tu es Deus*. Quamobrem dico inevitabiles iſtas Imaginationes neceſſitatis *Infiniti*, quod vocant, *Spacii*, & *Æternæ Durationis* nulla eſſe argumenta à ſe exiſtentis Materiæ, ſed potiùs obſcuras ſubindicationes *neceſſariæ Exiſtentiæ Dei*.

3. Cæterùm eſt & alter modus reſpondendi huic Objectioni, qui hic eſt: Hanc imaginationem ſcilicet *Spacii* nullius Entis realis Imaginationem eſſe * ſed amplæ tantùm ac immenſæ extenſionis *Potentialitatis Materiæ*, à qua Mentes noſtras liberare non poſſumus, quin neceſſariò agnoſcamus reverà eſſe iſtiuſmodi *Materiæ Poſſibilitatem* menſurandam ſurſum, deorſum & quaquaverſum in infinitum, ſive hæc corporea Materia exiſteret ſive ſecùs. Atque etiamſi hæc *Materiæ Potentialitas* ſive *Spacium*, menſurabile ſit per ſtadia, milliaria & ſimilia, eam nullam tamen eſſentiam realem magìs implicare, quàm, quando quis tot ordines ſive genera rerum *poſſibilium* recenſet, earum computus ſive numerus realitatem exiſtentiæ earum infert.

4. Quòd ſi in nos ulterius urgeant, Realem fore Diſtantiam etiam in ſpatio omni materiâ deſtituto; ut exempli causâ, ſi tres ſphærulæ æneæ vel chalybeæ conjungerentur in hoc ſpacio vacuo, nullo pacto concipi poteſt quin futura ſit diſtantia triangularis in medio earum; reſponderi poteſt, * Quòd diſtantia, nulla *realis* ſit ſive *Phyſica* ullius rei proprietas, ſed tantùm *Notionalis*, quippe quòd major minórve illius menſura alicui rei contingere poteſt, cùm tamen nihil omnino in eam rem actum ſit cui contingit. Ut putà, ſi altera ſphærularum modò dictarum, primùm quidem unicâ unciâ diſtaret ab altera, hæc diſtantia inter eas in multa milliaria diduci poteſt, alterâ tamen nè tactâ quidem nedum è loco motâ, quanquam æquè diſtans ſit atque altera.

5. Cæterùm ſi ulteriùs adhuc in nos urgeant contendántque, Diſtantiam hanc neceſſariò fore aliquid reale, quippe quæ iſtas ſphærulas ità alias ab aliis diſtinet, ut, ſi duæ earum in ſpacio *vacuo* duobus milliaribus à ſe invicem diſtarent, tertiáque in medio jaceret intervallo, iſtáque duobus milliaribus diſtans æquè citò ad alteram pervenire deberet atque illa quæ unico tantùm milliari diſtat, duplam habere debeat motûs celeritatem, ad abſolvendum ſuum pari tempore curriculum; breviter reſpondeo, * Quòd diſtantia nihil aliud ſit quàm *tactualis unionis privatio*, quantóque major diſtantia, eo major privatio, quantóque privatio major eſt, tanto eſt difficilius in priorem conditionem *poſitivam* reſtitui; quódque hæc tactualis unionis privatio menſuratur per *partes*, ut aliæ qualitatum privationes per *gradus*; Notionéſque iſtiuſmodi, quòd ipſæ non ſunt *Entia realia* ullibi, ſed modi juxta quos ea concipimus, quóſque propterea attribuere poſſumus *Non-Entibus* perinde atque *Entibus*, quemadmodum alibi fusè declaravimus.

6. Quòd ſi hoc non ſatisfecerit, noſtræ quidem causæ nullum detrimentum affert. Nam ſi remotâ ex univerſo Materiâ corporeâ, remanebit adhuc Spacium & Diſtantia, in qua etiam hæc ipſa materia, dum illîc erat, jacere concipiebatur, nec fieri poteſt quin diſtans hoc Spacium aliquid ſit reale, nec tamen corporeum, cùm nec *impenetrabile* ſit nec *tangibile*; neceſſe planè eſt, ut ſubſtantia ſit Incorporea, neceſſariò & æternò à ſe ipſa exiſtens: Quam magis clara Idea *Entis abſolutè perfecti* pleniùs nos diſtinctiùſque edocebit, ipſum eſſe à-ſe-ſubſiſtentem Deum.

7. Cæterùm ut nihil prætermittamus quod dignum videatur reſponſu. Sunt qui conantur argumenti noſtri in *tertia quartâque* illius *poſitura* ictum declinare, dicendo * *Contingentiam* nec Deo incompetibilem eſſe nec ulli alii rei cujuſmodicunque. Omnia enim quæ in rerum univerſitate exiſtunt, contigiſſe ut ſic exiſtant, quanquam ipſis aliter evenire potuiſſet. Sed nemo profectò mortalium ſic reſponderet, qui aut ad id quod reponit attenderet, aut ad propriæ Rationis lumen, quæ rectiùs eum doctura eſſet. Nam ſi Materia, putà, *à ſe* exiſteret, manifeſtum eſt eam *neceſſariò* exiſtere, nec unquam fieri potuiſſe quin exiſteret. Etenim *A-ſe-exiſtentia*, omnia cuicuimodi prævenit impedimenta, quibus res quælibet periclitari poſſe videatur de ſua aſſequenda actuali Exiſtentia.

Et quantùm ad Deum, evidentiſſimum eſt, quòd aut *Impoſſibile* ſit eum eſſe, aut quòd ſit *à ſeipſo*; & ſi ſit à ſeipſo, exiſtentia illius neceſſaria eſt & quæ non poteſt præverti; quemadmodum cuilibet neceſſariò agnoſcendum eſt qui terminos intelligit quos auſus ſit effari.

SCHOLIA

In CAP. VII. SECT. I.

IN infinitum illum & æternum, qui Deus eſt, Spiritum conjiciet, &c. *Quàm autem hoc conſentaneum ſit, fuse in Enchiridio Metaphyſico demonſtravi, quò remitto Lectorem, Cap. 6, 7 & 8.*

Sect. 3. Sed amplæ tantùm ac immenſæ Extenſionis Potentialitatis Materiæ, &c. *Quòd hoc Reſponſum non uſque adeò ſolidum ſit, in modò dicto Tractatu ſatis oſtendi, quem conſule, cap. 7. ſect. 12, 13, 14.*

Sect. 4. Quòd diſtantia nulla realis ſit ſive Phyſica ullius rei proprietas, ſed tantùm Notionalis, &c. *Verùm hic rectè opponi poteſt quod in Enchiridio Metaphyſico attuli, Quanquam diſtantia Notionalis tantùm proprietas ſit, quatenus rerum diſſitarum mutua ſit relatio; Fundamentum tamen Ens reale eſt, Extenſum utique interjacens, quod facit ut diſtent. Vide Enchirid. Metaphyſ. cap. 8. ſect. 5.*

Sect. 5. Quòd diſtantia nihil aliud ſit quàm tactualis unionis privatio, &c. *Ipſa quidem Diſtantia ſic eſſe poteſt quatenus eſt mutua rerum diſtantium relatio, hoc eſt, mutua unionis cum ſe invicem carentia ſive privatio, quæ major minorve eſſe poteſt, pro ſpacio majori minorive quo ſint diſſitæ. Hoc verò minimè probat Spacium ipſum non eſſe reale quid, vel poſſe eſſe non reale, non magìs quàm perticam eſſe poſſe non realem, ad cujus menſuram, duorum murorum ſit diſtantia.*

Sect. 7. Contingentiam nec Deo incompetibilem eſſe nec ulli alii rei cujuſmodicunque, &c. *Nempe ut à ſeipſis exiſtant contingenter, vel ſic à ſeipſis exiſtant, ut potuiſſent non exiſtere. Quod quàm abſurdum ſit ſuprà indicavi. Quippe quòd, quicquid à ſe exiſtere dicitur, aut habet in ſe ſive in ſua natura rationem ſufficientem cur exiſtat, aut non habet ſufficientem in ſe rationem cur exiſtat. Si non habet, impoſſibile eſt ut unquam exiſtat, ſi proprias animæ facultates conſulere velimus ſepoſito omni præjudicio; ſi habet, nunquam non poteſt exiſtere, ac proinde neceſſariò exiſtit, non contingenter. Rationem verò ſufficientem in ſe ut ſic exiſtat, nihil habet præter unum Deum.*

CAP.

CAP. VIII.

1. *Ideam Dei, notionem eſſe in humana Anima naturalem & indelebilem.* 2. *Quamvìs exigua aliqua eſſet obſcuritas in hac Notione, id nihil tamen impedire quò minùs naturalis eſſe poſſit.* 3. *Abuſum Notionis Dei & Religionis apud* Politicos, *non magìs arguere eam ipſorum eſſe commentum, quàm ſit naturalis Affectio, & Honoris & Libertatis Amor, quibus ad eundem modum abutuntur.* 4. *Duplex Reſponſum ad Objectionem, contra aſſertionem, Quòd Deus ſui Ideam ex certo inſtituto ac conſilio noſtris animis inſeverit.*

1. Ideam *Entis abſolutè perfecti* Notionem eſſe Animæ naturalem, talémque quam negare nequeat quin Ens iſtiuſmodi accuratè repræſentet ſine ulla partium diſcrepantia inter ſe ſive repugnantia, cùm omnia illius Attributa generali Perfectionis Titulo ad quem pertinent homogenea ſint atque conſentanea, res equidem eſt tam manifeſta ut hominem quemlibet appellare auſim, qui facultatum ſuarum uſu pollet, ſi non eſt indubiè & immutabiliter verum.

Neque certè id quod objicitur, facere poteſt, ut ſuſpectum ſit falſitatis: Etenim quando ſupponitur, Atheum oppoſiturum eſſe, nè milleſimam quidem hominum partem, ullam unquam habuiſſe iſtiuſmodi Ideam, eóſque qui habuerint eam ex animis ſuis obliteráſſe, & qui profundiſſimè inſculptam habent de ea haud æquè certò perſuaſos eſſe, quàm quòd bis duo faciunt quatuor; breviter reſpondeo, Quòd omnes homines ſemper habuerunt & etiamnum habent hanc Ideam in ſuis animabus, nec in eorum eſt poteſtate eam obliterare, non magìs certè, quàm communem Solem follis efflatu extinguere. Mundana utilitas, Mentis in res alias derivatio, Intemperies corporis ex carnalibus voluptatibus aut ex melancholia profecta, impedire quidem contemplationem detectionémve hujus Ideæ in animo, actualem poſſunt, nequaquam tamen poſſunt radicitus eam evellere.

2. Quantùm verò ad Objectionis partem ultimam, Non æquè ſcilicet perſpicuam eſſe, quàm quòd *bis duo faciunt quatuor*; pone id verum eſſe, hoc tamen nequaquam Aſſertionem noſtram enervat, veritatem nempe hanc pro qua contendimus, naturalem eſſe atque indubiam. Multæ enim veritates infra iſtam facilitatem ſaltem ſi non claritatem, fieri non poteſt quin agnoſcantur naturaliter & indubitatò veræ.

3. Jam verò ut propiùs ad rem ipſam accedamus grandémque illam Atheorum ſuſpicionem, Quòd hæc Dei notio nihil aliud ſit quàm Figmentum callidum *Politicorum*, quo populum poſſint in obedientia continere, quódque ii ipſi ſunt, qui ſuâ aſtutiâ ac poteſtate hunc characterem humanis mentibus impreſſerunt; Reſpondeo, Quod naturaliter homini jam ineſt, eos non poſſe ipſi inſerere. Poſſunt quidem ad uſus politicos trahere, fateor, ut certè non tam verum eſt quàm & tremendum ac deteſtandum, quòd viris merè *Politicis*, res vel maximè ſacras vilibus ſuis abjectíſque propoſitis proſtituere, nulla ſit religio. Hinc verò concludere velle, nullam eſſe omninò Religionem aut Deum, quia iſti Notitiâ illâ apud homines in confeſſo habitâ, ad fines Politicos tam horridè abutantur, perinde abſonum eſt, acſi vellent contendere nullum eſſe naturaliter Sui-amorem, Amorémve Uxoris ac Liberorum, aut Libertatis, Divitiarum Honoríſque cupidinem, niſi quam homines *Politici* & Reipublicæ adminiſtrandæ gnari animabus humanis indiderint; quippe qui peritè ſe adhibendo circa iſtos affectus, populum pro libitu circumducunt & contorquent, & acri ac vehementi incitatione animos eorum per plauſibiles ſuas orationes inflammando, præcipitant illos ſæpenumero in periculum perdendi ipſam capacitatem eis rebus fruendi, quarum ſpem tam plenè atque fulgidè ante ipſorum oculos expanderant.

4. Objectio validiſſima, quam ego fieri poſſe auguror contra ſecundum noſtrum Argumentum ab Idea Dei, quatenus in Anima noſtra ſubjectatur, hæc eſt: Quòd hæc Idea adeò plana & conſpicua veritas eſt, ut non poſſit quin Intellectuali inſit ſubjecto, ac proinde quòd non poſſumus rectè argumentari eo modo quo argumentamur in libri primi capite nono, Quòd hæc Idea animabus noſtris indita ſit ut ad Creatoris notitiam perveniamus. Eſt enim illîc neceſſariò, & quod neceſſarium eſt non fit ex certo aliquo inſtituto aut conſilio.

Verùm ad hoc reſpondeo, Primùm, Quòd corpora noſtra ità comparata eſſe potuerint, ut mentes iſtoc pacto ſemper impeditæ fuiſſent ac averſæ ab attendendo ad hanc Ideam, quamvìs non poſſet illîc non eſſe.

Et tum dein, Quòd nihil nobis incommodi ſit ſi agnoſcamus Ideam Dei talem eſſe, ut nulla Intellectualis Natura ſine ea concipi poſſit, hoc eſt, fingi poſſit eſſe Intellectualis, nec tamen, re modo debito propoſitâ, neceſſariò agnoſcere, quòd hæc Idea indubiè ſit vera. Hoc enim pacto evidentius eſt, quàm abſurdo & enormi ingenio illi ſint, qui dum Rationis & Intellectûs alumnos ſe profitentur, gratiam tamen ſibi fieri petunt agnoſcendi tam perſpicuam veritatem.

CAP. IX.

1. *Conſcientiæ naturam atque ingenium tale eſſe ut timores iſtiuſmodi atque ſpes ſuggerat; quæ planè implicent Deum eſſe.* 2. *Multarum Religionum formam ridiculam, nulli eſſe argumento, quòd ſenſus Religionis non ſit innata animæ humanæ facultas.*

1. VIS Argumenti à *naturali Conſcientia* petiti hæc eſt: Quòd homines naturaliter Infortunia metuunt, proſperóſque ſperant ſucceſſus, prout ſeſe geſſerint. Verùm ingenuè fateor hoc argumentum maximè lubricum eſſe atque indefenſum eorum omnium quibus ſim uſus, cùm adeò obnoxium ſit iſti cavillæ ſive ſubterfugio, Quòd timores atque ſpes conſcientiæ, à naturali Dei notitia non proficiſcuntur, ſed à vi Educationis, quæ eſt altera Natura.

Jam verò cùm nulla ferè Natio ſit, quæ per aliqua ſaltem Religionis rudimenta, Numinis formidinem liberis ſuis non incuſſerit, non poſſumus quidem ſincerum proferre exemplum, quod argumenti noſtri validitatem ſatìs aptè illuſtret: nec certè ſcimus quomodo noſmetipſos hîc poſſimus expedire, niſi ſumptâ quadam ſuppoſitione.

Supponemus igitur hominem indolis ordinariæ (etenim profiteor aliquos homines adeò enormi deformitate natos quantùm ad ingenium internámve naturam, ut quæ ſit Intellectualis Moralíſve hominis proprietas ex eis quis non magìs judicare poſſit, quàm quæ ſit genuina corporis illius figura ex Mola Monſtróve) cui nulla inculcata ſint Principia Religionis, ulláve explicita ſive Catechiſtica doctrina de Deo, ſed qui ità tantummodo comparatus ſit, (ſive per naturam ſive per educationem perinde eſt) ut quaſdam res æquas juſtáſque factu cenſeat, alias iniquas & injuſtas. Nam quid juſtum ſit & injuſtum, bonum & malum, pulchrum & turpe, magìs manifeſtum eſt & perſpicuum, juxta quorundam quidem ſententiam, quàm ipſa Dei Exiſtentia. Supponamus, inquam, hujuſmodi hominem, quædam admiſiſſe, quæ ipſe cenſuerit nefaria & execranda crimina, ut paternum maternúmve Parricidium, Inceſtum cum ſorore, amicorum fideliſſimorum proditionem & ſimilia, eundémque poſtea manu Magiſtratûs non punitum iri, (quippe qui hæc omnia tam callidè occultéque perpetraverit, ut notitiam illius omnino fugeret) ſed ſtatim poſt perpetrata hæc facinora, infortunatum perpetuò evaſurum eſſe, horrea frugúmque ſtrues fulmine accenſum iri cœlitùs immiſſo, pecora in agris rapidâ morte moritura, ipſúmque poſtmodum fœdiſſimis graviſſimiſque morbis excruciatum iri, quæ tamen multis ex ordinario Naturæ curſu contingunt; quemlibet appello ſi omninò probabile exiſtimare poteſt, quin futurum ſit, ut hic homo naturaliter & inevitabiliter tali conſcientiæ morſu tangatur, ut ſuſpicaturus ſit, hæc Infortunia, ab aliqua poteſtate inviſibili manûve Divina, quæ juſtè omnia adminiſtrat, tanquam ſupplicium meritum ſibi accidiſſe.

2. Quod affertur contra Argumentum noſtrum pro *Univerſitate Venerationis Religioſæ*, Multifariæ utique Religiones ridiculæ in orbe terrarum, unde concluſum volunt, mentem humanam nullum innatum Religionis Principium in ſe habere, quum in quemlibet fingi poſſit modum formámve Religioſi cultûs, quem viſum fuerit ſupremæ Poteſtati in quacunque Regione ſtatuere; Ad hoc reſpondeo,

Primò, Si unuſquiſque Religioniſta Religiones extraneas eâdem veneratione ac candore, & reverentiali ſobrietate contemplari vellet quâ ſolet ſuam, eas certè inveniret dignas potiùs quas propter errorem ac falſitatem miſeraretur, quàm propter ſpeciem ſuam ridiculam derideret aut contemneret. Sed omnes Religiones falſas eſſe ex eo quòd multæ ità ſunt, non magìs ſequitur, quàm nullas opiniones Philoſophicas veras eſſe, ex eo quòd tam multæ ſunt falſæ.

Et deinde, Multitudo variarum & ſi velis ineptarum Religionum per Orbem terrarum, in quam Gentes formentur, quo magìs ridicula eſt, eo ſanè ad ſcopum noſtrum nihilo indè eſt ineptior, qui Religionem contendimus naturalem eſſe hominis proprietatem. Adhærentiæ enim illius cum natura noſtra neceſſitas manifeſtiùs indè demonſtratur, qui ſine Religione magìs eſſe non poſſumus quàm materia ſine figura, quanquam paucæ quidem partes illius tam fœlici ſorte ſint, ut in regularem formentur ſive ordinatam, ullámve habeant pulchritudinem aut proportionem in ſua figuratione. Et tamen * materiam frange ut voles, in aliqua neceſſariò reperietur figura.

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. 2.

MAteriam frange, ut voles, in aliqua neceſſariò reperietur figura, &c. *Et certè qualibuſcunque Idololatriis & ſuperſtitionibus inquinata ſit Religio Gentium per totum Terrarum orbem fœdéque oblarvata, nuſquam tamen unius veri Dei notitia ità obſcurata eſt aut extincta, quin aliqua veſtigia illius in animis hominum in unaquaque gente remanſerint, quemadmodum videre eſt ex duobus iſtis elucubratiſſimis Tractatibus duorum illorum doctiſſimorum virorum* D.R. Cudworthi, *&* D.E. Stillingfleeti, *quos adire velim lectorem ſiquid ſuper hac re dubitet.*

CAP. X.

1. Conarion, *quanquam ſedes* Senſûs communis *eſſe poteſt, non poſſe tamen eſſe* commune Percipiens; 2. *Quippe incapax* Senſationis, 3. Memoriæ, 4. Imaginationis, 5. Rationis, 6. *&* Motûs ſpontanei. 7. *Argumenta hæc non æquè probare ſubſtantiam incorpoream in Brutis, nec ſi ità facerent, eorum animas indè continuò fore immortales.* 8. Perceptionem *in Materia perinde ac* Diviſibilitatem, *ex prætextu quòd non major in una perplexitas ſit quàm in altera, admitti non poſſe, quippe quòd & Senſus & Ratio alterum confirmant, nulla verò facultas teſtimonium perhibet alteri.* 9. *Quo ſenſu Anima ſit &* diviſibilis *&* extenſa. 10. *Repræſentatio Symbolica, quomodo illa multitudines diſtinctarum figurationum in unum indiviſibile Perceptionis Principium poſſit recipere.* 11. *Ex eo quòd* Materia *tam manifeſtò incapax ſit functionum* Animæ, *nos certos eſſe poſſe illius* Exiſtentiæ, *quantumlibet perplexa ſit ejus* Eſſentiæ *ſpeculatio.*

1. IN primi libri capite ultimo, ſatìs copiosè atque evidenter demonſtravimus, nec *Spiritus Animales* nec ipſum *Cerebrum* primum in nobis eſſe *Motûs ſpontanei* Principium. *Conarion* etiam in tranſcurſu breviter attigimus; Sed enim cùm Adverſarii noſtri tam levi negotio non ſint convincendi, hîc plenè magìs ac particulatim oſtendemus, quàm impoſſibile ſit ut illa pars reperiatur ullum hujuſmodi motûs Principium, quanquam non diffiteor, quin ſedem eſſe poſſe *Communis ſenſûs* Organicam, ſpeciem præ ſe gerat ſatìs probabilem, quippe quod prope centrum Cerebri tam commodè ſit collocatum; Et ſi motuum tranſmiſſio qui in Organa agunt unam aliquam ejuſmodi partem non haberet in quam terminetur, imaginantur quidem nonnulli, (* ſed magìs ingeniosè opinor quàm ſolidè) cùm externa hæc ſenſuum Organa bina ſint, Objecta etiam bina apparitura; quod tamen experientiæ repugnat.

Cæterùm, tametſi *Conarion*, multarum diverſarúmque perceptionum ab Objectis corporeis Organum eſſe poteſt, & quaſi Tentorium ſive Tabernaculum in quo Anima principaliter reſidet, omninò tamen negamus ſine Immateriali Incola, motum hunc arbitrarium, cujus nobiſmetipſis conſcii ſumus, in nobis aut per nos poſſe produci. Nam ſi ad naturæ propriæ conditionem attendimus, non poſſumus non agnoſcere, illud, quod corpus noſtrum adeò pro arbitrio movet, non ſolùm Objecta ſenſibilia percipere ſed recordari etiam, facultatémque habere Imaginationis liberæ ac Rationis.

2. Et ut à primo ordiamur; Mera, inquam, *Objectorum ſenſibilium Perceptio Conario* equidem planè incompetibilis videtur. Nam cùm ejuſdem naturæ ſit cum reliquo Cerebro, non tantùm diviſibile eſt, ſed & partes habet actu quodammodo alias

ab aliis diviſas, alioqui non ità molle eſſet, quanquam fateor, aliquanto durius eſſe reliquo cerebro. Jam verò dico, Objectorum ſenſibilium Imagines, cùm in ſpacium aliquod ſe extendant in *Conarii* ſuperficie in quam impingunt, una pars Conarii habitura eſt perceptionem putà capitis Hominis, altera cruris, tertia brachii, & quarta denique pectoris; ac proinde tametſi concederemus unamquamque particulam talis ſpacii Conarii percipere poſſe talem hominis partem, nihil tamen eſt quod integrum Hominem percipiat, niſi omnes aſſerueris perceptiones ſuas inter ſe communicare. Sed enim communicatio hæc videtur impoſſibilis. Nam ſi perceptio fiat per Impreſſionem ab externo objecto, nulla in Conario particula ullam objecti partem perceptura eſt, niſi à qua impreſſionem receperit. Verùm ſi adhuc urgeas, omnes partes objecti in ſingulas Conarii particulas ſuas facere impreſſiones, ubi Imago eſt, omninò impoſſibile erit, quin tota Imago confuſa ſit, Colorúmque diſtinctio penitùs perdita.

3. Jam verò quantùm ad facultatem *recordandi*, in *Conario* eam eſſe non poſſe ſic probamus: Etenim, quòd *Memoria*, quæ eſt ſigillum ſtabile, permanénſve Objectorum externorum Impreſſio, hîc non ſit, manifeſtum eſt, quippe ſi adeſſet, rerum præſentium repræſentationem labefactaret, vel potiùs Objecta poſteriora Impreſſiones omnes priores qualeſcunque neceſſariò delerent ſemper & obliterarent. Quòd ſi dixeris, *Memoriam* eſſe in Cerebro, *Reminiſcentiam* verò in *Conario*; Reſpondeo has Impreſſiones ſive ſignaturas ab externis Objectis in Cerebro factas, ſuperadvenientibus impreſſionibus, neceſſariò itidem obliteratum iri. Nam hæ Imagines vel Impreſſiones ſive in certa quadam poſitura, ſive in motu plicatilium fibrarum vel filamentorum ſubtilium ex quibus Cerebrum componitur, conſiſtant, manifeſtum eſt fieri non poſſe, quin cancellentur & obliterentur per occaſionem millenorum objectorum quæ quotidie ſenſus noſtros invadunt, quæ neceſſe eſt ut ipſas loco dimoveant, novóſque motus imprimant, à prioribus planè diverſos.

Cæterùm ſupponamus *Memoriam* ad hunc modum, ſigillo quaſi Cerebro impreſſam, ſuámque tranſmittere Imaginem ad Conarion per *Animales Spiritus* in ventriculis ut externum Objectum Species ſuas per Aërem ad oculum tranſmittit; cùm *Perceptio* per *Impreſſionem* fiat, *Impreſſióque* perdita ſit in *Conario*, licèt in *Cerebro* retenta; quomodo poterit unquam *Conarium* affirmare, quòd ullam iſtiuſmodi impreſſionem habuerit priùs? Nam Impreſſione ſemel deletâ eodem modo ſe habet, atque ſi nunquam ullam habuiſſet, ac proinde nec recordari poteſt ſe unquam habuiſſe. Præterea hujus Imaginis in *Cerebro* perceptio, æquè incompetibilis eſt *Conario*, atque eſt perceptio ullius externi Objecti, qua in re jam ſatis inſtitimus.

4. Tertiò, Quantùm ad *liberæ Imaginationis* facultatem, quâ *Conarion* ſupponitur excogitare varias formas figuráſve rerum, quas nunquam viderat; quæro an tenuis membrana ſit, an verò interna & aliquantulum mollis ac ſpongioſa pulpa quam continet, quæ arbitraria hæc Figmenta ac Chimæras excitet ſibíque repræſentet; & tum dein, quæ pars vel particula utriuſlibet earum, hos tam bellos exhibeat luſus, &, (quod caput rei eſt) cùm iſtæ Repræſentationes ſint corporeæ, annon ſit neceſſe, ut *Conarium* eodem modo afficiatur & Impreſſuris ſignetur, atque in Objectis externis corporeis: Atque tunc porrò quæro, quomodo paſſiva hæc molliſque ſubſtantia ſeipſam poſſit impreſſuris ſignare, unáve pars hujus corporis in alteram agere, in hunc finem; cúmque *memoria* ſit etiam harum Impreſſionum fictitiarum, quomodo imprimi poſſint in *Cerebrum*, Memoriæ ſedem. Conceſſo enim, quòd *Conarion* in concinnandis fictitiis ſuis Imaginibus, externorum Objectorum Impreſſionem imitetur, quando has Imagines in Cerebrum imprimit, non abſimile erit atque ſi ſigilli impreſſurâ in Materiam aliquam duriuſculam factâ uteremur ad ſignandam materiam aliquam molliorem. Quo in caſu duæ Impreſſiones inſigniter quidem different, quippe quum iſtæ partes quæ in una protuberant vel extant, in altera cavæ forent & conciduæ.

5. Quartò, quod ad *Rationem* attinet, præterquam quòd manifeſtum eſt quando eâ utimur, quòd Imagines ſive phantaſmata rerum non ſolùm differentium ſed contrariarum in eadem parte ſive particula *Conarii* comprehendimus (nam ſi in partibus differentibus ſint, quid de eis judicabit?) veluti cùm, exempli gratiâ, *calidum* concludimus non eſſe *frigidum*, vel lineam *obliquam* non eſſe *rectam*, quæ ſine utriuſque confuſione concipi non poſſunt; eſt præterea & altera conſideratio Notionum prorſus Immaterialium, quæ ſe in Conarion non imprimunt nec in ullam *Cerebri* partem nec in externa Organa ab Objectis ſenſibilibus veniant, ſed innati noſtri ſunt in rerum ſpeculatione conceptus: Atque hujuſmodi ſunt variæ *Logicæ*, *Metaphyſicæ* & *Mathematicæ* Notiones, quemadmodum alibi probavi. Quamobrem videtur prorſus incredibile

credibile ut *Conarion*, cùm corpus adeò craſſum ſit & palpabile, ullas hujuſmodi habeat Notiones ſive conceptus qui non ſint corporei nec ab Objectis Materialibus ab extrà ad ipſum derivati.

6. Quintò & ultimò, Admodum difficile eſt intellectu, quomodo *Conarion*, etiamſi *ſenſûs* ac *perceptionis* capax eſſet, cùm merus ſit pulpoſus ac protuberans Nodus, Animales Spiritus nutibus ſuis ac motiunculis tam accuratè dirigeret, ut non aberrent à clavicula quæ ad motum vel minimi corporis articuli ducit, impelleretve adeò rapidè fortitérque ut valeamus tam ſtrenuos infligere ictus, quàm vulgo fieri videmus, præſertim cùm *Spiritus Animales* tam tenues ſint ac fluidi, ipſúmque *Conarion* tam latum atque obtuſum. Quorum unum mentibus noſtris ſuggerit, quòd Spiritus, cùm tam languidè, quàm probabile eſt, à *Conario* feriantur, certúmque eſt aliquando ſic feriri, lentè in circulum per Cerebri ventriculos rotabuntur, nec ad ullam determinabuntur Claviculam quæ ad hujus vel illius particularis articuli corporis muſculum deducit; Alterum verò, ſi hic *Conarii* impulſus ſatìs fortiter ſpiritus in ventriculis Cerebri propulſurus ſit, quòd iſte ventus aperturus ſit plura oſtia quàm unum, cùm tamen percipiamus nos ſatìs magnâ vi manûs pedíſve digitum movere poſſe, immoto reliquo corpore. Addere porrò poſſumus, difficile eſſe conceptu quomodo hæc *Glandula pinealis* ſeipſam adeò ſpontaneè movere poſſit ſine muſculis & ſpiritibus, aut conſimili aliquâ ratione Mechanicâ; quod ſi facit, quorſum tendit iſta tanta Naturæ cura ac ſolicitudo, ut Animalium compages muſculis & ſpiritibus ubique inſtruantur? Si non facit, quærimus porrò de Origine hujus motûs, rogamúſque quid ſit quod *Animales Spiritus* movet, qui ſupponuntur movere Conarion? De motu enim corporeo notiſſimum eſt Axioma, *Quicquid movetur movetur ab altero.* Adeò undequaque demonſtrabile eſt, quòd primum ſpontanei motûs Principium in nulla corporis noſtri parte eſſe poteſt, ſed in ſubſtantia realiter ab ipſo diſtincta, quæ vulgò *Anima* appellatur.

7. Nec iſtud quidem à quibuſdam allatum, quòd Argumenta noſtra Sophiſtica ſunt, quippe quæ ſubſtantiam incorpoream *Beſtiis* perinde ineſſe atque *Hominibus* concludunt, demonſtrationis noſtræ vim quicquam enervat.

Reſpondeo enim, Primò, Quòd de hominibus abſolutè concludunt, Incorpoream Animam ipſis ineſſe, quia certi ſumus iſtiuſmodi eis ineſſe operationes quæ talem naturam evidenter arguant; de Beſtiis verò non ſumus adeò certi. Hominéſque rerum philoſophicarum ſatìs gnari, ſed ingenio magìs Mechanico, dubitârunt ſaltem, an Beſtiæ ullam habeant cogitationem, quanquam intereà loci ſe certos profeſſi ſunt, ſi habent, fieri non poſſe quin Animas itidem habeant immateriales, à corporibus ſuis realiter diſtinctas.

Secundò, Conceſſo quidem quòd Argumenta noſtra Animas probant etiam in Brutis, à corporibus ſuis realiter diſtinctas, ecquid aliud eſt quàm quod omnes Philoſophi ac Scholaſtici, qui *Formas ſubſtantiales* tenuerint, aut expreſſim aut implicitè verum eſſe agnoverunt? Verùm ſi incorporeæ ſunt, inquiunt illi, erunt etiam immortales, quod eſſet ridiculum. Si per *Immortale* intelligunt, quòd penitus non perit, quemadmodum contingit in Materia, cur non ſic eſſent perinde atque Materia, cùm hæc activa Animæ ſubſtantia, licet bruti duntaxat, Eſſentia nobilior ſit, & de Creatoris perfectionibus plus participet, quàm ſtupida ac diſſipabilis Materia? Quòd ſi per *Immortalitatem* intelligant, *Vitæ æternæ ac fœlicitatis capacitatem* poſt corporum diſſolutionem, illa profectò ridicula ſequela eſt de ſuo excogitata, cujus Authoribus liberè eam permittimus deridere quantum volent. Ad nos præſénſque noſtrum Argumentum nihil omninò pertinet. Nos enim ſentimus Animam bruti *talem eſſe poſſe, quæ ſolo terreſtri corpore vitaliter afficiatur, extra verò illud, nullius rei habeat ſenſum aut perceptionem, ità ut quantum ad ſeipſam penitus pereat.

8. Illa quidem majoris momenti videtur Objectio, Cùm proprietates ſint, quæ non poſſunt non agnoſci ineſſe corpori ſive Materiæ, quæque tamen tales ſunt quæ miras repugnantias ſuo conceptu implicent, (ut putà perplexa illa *Diviſibilitatis* proprietas, quæ aut in puncta ſit aut in infinitum, quorum utrumlibet imaginationem noſtram confundit quoties de eis cogitat) cur non agnoſcamus, corpus etiam ſenſum habere poſſe atque Intellectum, quantumlibet repugnans videatur dum preſſiùs attentiúſque animum in eam rem defigimus? Sed reſpondeo, Hanc Argumentationem eſſe valdè Sophiſticam, quippe quòd pari ratione admittere deberemus caput Cepæ intelligere ac percipere perinde atque *Conarion* in Homine. Majus enim Argumentum contra iſtud afferri non poteſt, quàm quòd contradictionem implicet, repugnétque ſic eſſe. Verùm reſpondebis, Quòd clarè percipimus aliquam partem corporis humani ſenſum in ſe habere debere & intellectum, nil tale verò in *Cepa* deprehendimus. At enim

rogo, Quâ facultate hoc deprehendimus? Si reſpondes, Senſus noſter certos nos facit: Dico, Senſum noſtrum, ſi illum non corrigimus, confidenter nobis ſuggeſturum eſſe, Quòd digitus ſentit, Oculúſque ipſe videt, quum tamen manifeſtum ſit, hoc non fieri, propterea quòd eadem res quæ ſentit videtve corpus etiam movet, ſed nec oculus nec digitus corpus noſtrum movent, ac proinde nec ſentiunt nec vident.

Et tamen ſine oculo videre non poſſumus in hoc ſtatu conjunctionis, quemadmodum ſine debita modificatione ac temperie Cerebri nec poſſumus intelligere: Sed non magìs indè ſequitur quòd *Cerebrum* intelligit & non aliquid ab eo diſtinctum, quàm quòd *Oculus* videt. Quamobrem planè conſtat nullam in nobis eſſe facultatem quæ clarè nos edoceat ullam corporis partem ſenſu & intelligentiâ præditam eſſe.

Unde videre licet ingentem diſparitatem inter admiſſionem *Diviſibilitatis* in Materia, (quantumlibet perplexa notio ſit) & *Senſûs* atque *Intelligentiæ* in corpore, (quæ majorem quidem perplexitatem ſecum adducit quàm altera, ſi in eam admodum accuratè introſpiciamus;) quippe quòd in plenum per *Senſum* & fortean per *Rationem* etiam certiores facti ſumus quòd Materia ſit diviſibilis, nulla verò facultas nos certiores facere poteſt quòd *Corpus* aut *Senſûs* aut *Rationis* ſit capax.

9. Cæterùm videtur adhuc inſuperabilior Objectio reſtare, quæ hujuſmodi eſt; Quòd tametſi evidenter probavimus, impoſſibile eſſe ut ſit aut Senſus aut Intelligentia, Motúſve ſpontaneus in Materia ſive *corpore*, nos oleum tamen ac operam perdidiſſe, quippe quòd conſimiles difficultates urgeri poſſunt contra Senſum & Intelligentiam in *Spiritu*, quum fieri non poſſit quin Spiritus extenſus ſit, nec poſſit eſſe extenſus quin ſit diviſibilis, nec diviſibilis quin incapax Senſûs & Intelligentiæ, quemadmodum ſuprà argumentati ſumus contra Materiam.

Sed ad hoc reſpondeo; Si per *Extenſionem* intelligatur partium *Juxta-poſitio*, quemadmodum fit in Materia, nego omninò *Spiritum* hoc ſenſu ullatenùs eſſe extenſum. Quòd ſi intelligas tantùm certam quandam præſentiæ amplitudinem, quòd ſingulis utique partibus tantæ molis Materiæ ſimul adeſſe poſſit, agnoſco eſſe *extenſum*, ſed hoc genus *Extenſionis* nullam implicare *Diviſibilitatem* in ſubſtantia ſic *extenſa*. Partium enim *Juxta-poſitionem*, *Impenetrabilitatem*, & *Diviſibilitatem* neceſſariâ quadam & adæquatâ ſequelâ cohærere, ac proinde ubi duæ priores deſunt, *Extenſionem* non implicare tertiam.

Cæterùm, quando loquor de *Indiviſibilitate*, nè Imaginatio novas ſibi creet moleſtias, non talem intelligo *Indiviſibilitatem* qualis in puncto Mathematico fingitur, ſed qualem concipimus in ſphæra lucis ab uno puncto lucido Centri radiantis facta. * Illa enim ſphæra ſive Orbis lucis quamvìs ſenſu quodam *extenſus* ſit, eſt tamen reverà *indiviſibilis*, ſuppoſito quòd centrum tale ſit. Nulla enim machina excogitari poteſt, quâ ullus unus radius hujus orbis diſcerpi poſſit aut ſeparari, itáque ſeparatus à Centro, ſeorſim conſervari.

10. * Jam verò ut proprietatem hujus Orbis luminoſi paululùm invertamus, dum *Animæ* eum applicamus ſive *Spiritui*; quemadmodum nulla poteſt eſſe alteratio in *Centro radioſo* quin ſimul neceſſariò ſit in ſingulis Orbis partibus, ut putà ſi magìs rubrum eſſet, omnia magìs rubra forent, ſi magìs fuſcum, omnia magìs fuſca, & ſimilia; ità etiam eſt ea *Indiviſibilitas* atque *Unitas* exteriorum partium, ſi ità fas ſit loqui, *Spiritûs* ſive *Animæ* cum intimo ſuo Centro, ut ſi qua earum afficiatur, *Centrum vitæ* indè ſimiliter affici neceſſe ſit: Cùmque exteriores illæ Animæ partes afficiantur à partibus Objecti eis circumſtantiis in quibus ſunt, *Centrum internum* omnia recipit ità circumſtantiata, ut neceſſariò integras habeat & inconfuſas rerum externarum Imagines, quamvìs in tam exiguum deriventur ſpacium, ipſique Centro hujus ſubſtantiæ ſpiritualis inſint.

Hanc *Symbolicam Repræſentationem* ſuprà adhibuimus, nec quicquam poſſum excogitare quod naturam *Spiritûs* meliùs illuſtret. In quo implicatur facultas recipiendi multitudines particularium Figurationum in unum *indiviſibile Senſûs principium*, ubi omnia exactè uniuntur in unum ſubjectum, & tamen diſtinctè repræſentantur. Quod profectò ab ipſo *Conario* nequaquam præſtari poteſt, quemadmodum demonſtravimus, ac proinde reliquum eſt ut ad *Animam* referatur, cujus ſedes principalis illic fortean eſſe poteſt, quantùm ad actum *Perceptionis*.

11. Quòd ſi quis hoc noſtro ſtudio abuſurus ſit propenſâque voluntate opitulandi illius Imaginationi, ſive ſaltem gratificandi, per hanc *Symbolicam Repræſentationem* quam adhibuimus, hoc Animæ centrum perperam æſtimando tanquam aliquod diviſibile duntaxat ſtupidúmque Materiæ punctum, nec majoris efficaciæ; déque *vitali* vel *arbitraria* illius *extenſione* ità craſsè cogitando acſi neceſſariò argueret æquè realem *Diviſibilitatem* & ſeparabilitatem partium quàm ſit in corpore; ut omnem iſti-

uſmodi cavillis occaſionem præſcindamus, iſtas ſpinoſitates de *Extenſione* & *Indiviſibilitate Animæ* ſive *Spiritûs* miſſas faciemus, brevitérque concludemus ſic:

Quòd multifariæ Incompetentiæ & Repugnantiæ quas in natura Materiæ invenimus quò minùs idonea ſit ad cogitandum ad ſpontéve ſeſe movendum, nos certos omninò faciunt, iſtas operationes ad eam non pertinere ſed ad aliam aliquam ſubſtantiam: Quamobrem cùm iſtas operationes in nobis deprehendamus, manifeſtum eſt nos immaterialem eſſentiam in nobis habere à corpore realiter diſtinctam; quam vulgò Animam appellamus. Cujus nudæ Eſſentiæ ſpeculatio, quamvìs facilè nos irretire poſſit atque intricare, iſtæ tamen proprietates quas corpori incompetibiles eſſe deprehendimus, abunde nobis demonſtrant differentem illius Naturam. Manifeſtum enim eſt eam eſſe ſubſtantiam facultate cogitandi præditam, (i. e. percipiendi & meditandi de Objectis) utì etiam penetrandi ſpontaneéque movendi corpus: quæ proprietates æquè immediatæ *ipſi* ſunt, atque Impenetrabilitas & Separabilitas partium *Materiæ*, nec cauſas quidem unius magìs quærere debemus quàm alterius.

SCHOLIA

In Cap. X. Sect. I.

SED magìs ingenioſè opinor quàm ſolidè, &c. *Quanquam enim Oculi duo ſunt, modò duæ iſtæ Objecti Repræſentationes ipſum in eodem loco repræſentent, objectum neceſſariò unum apparebit, quippe quum in eiſdem circumſtantiis quibus repræſentatur in oculis, vitali vi Animæ, non autem ratione Mechanicâ, ad ipſius perceptivam deferatur.*

Sect. 7. Talem eſſe poſſe quæ ſolo Terreſtri corpore vitaliter afficiatur, &c. *Sic quidem eſſe poteſt. Et in iſtoc ſtatu Animarum brutorum, nihil magìs abſurdi accideret, quàm ut forent tanquam tot chordæ in Lyra ad præſens ſilentes dum aliæ percutiuntur ac ſonant, mox tamen ſuis vicibus percutiendæ, ſonúmque edituræ. An verò omnes Regiones Aereæ reliquis omnibus Animalibus præter rationalia, deſtituantur, otio abundantibus diſcutiendum relinquo.*

Sect. 9. Illa enim Sphæra ſive Orbis lucis, &c. *Hoc ſymbolo rei illuſtrandæ causâ uſus ſum, poſſibilitatis nempe extenſionis indiviſibilis: ſed ſeveriùs accuratiúſque in Enchiridio Metaphyſico Philoſophamur, ubi propriis terminis ac Philoſophicis Spiritum deſcribimus, docemúſque Ens eſſe unum per ſe & non per aliud, & id genus alia, quæ nihil neceſſe eſt hîc repetere. Vide Enchirid. Metaphyſ. cap. 2. ſect. 11. & cap. 28. ſect. 3.*

Sect. 10. Jam verò ut proprietatem hujus Orbis luminoſi paululùm invertamus, &c. *Neque enim corporeum quicquam plenè & perfectè Animæ naturam poteſt repræſentare, quæ tota vita eſt & ſecundùm vitales quaſdam leges agit non Mechanicas, quemadmodum fit in diffuſione Luminis. Ex perfectâ igitur Animæ unitate ac conſenſu vitæ fit, ut quod patitur exteriores partes Animæ in Organis corporis ad illius Perceptivam, in eiſdem circumſtantiis, penetret. Et ſiquis hiſce ſymbolicis noſtris Repræſentationibus vult abuti, ſciat velim, nos ſine parabolis philoſophatos eſſe in Enchiridio Metaphyſico de natura Spiritûs, quò igitur eum rurſus relego.*

CAP.

CAP. XI.

1. *Quòd ſubtilitas minimè inconſiſtens ſit cum firmiſſima veritate.* 2. *Subordinatam rerum Utilitatem in Mundo rebus ipſis ineſſe, non ſolummodò noſtræ Imaginationi.* 3. *Difficultatem obtinendi iſtiuſmodi res utiles argumentum potiùs eſſe pro Providentia quàm contra ipſam.* 4. *Pulchritudinem non eſſe effectum Motûs merè Mechanici Materiæ.* 5. *Quòd ſit Objectum Intellectuale nec à brutis obſervatum.* 6. *Quòd Animalia alia aliis ſint prædæ optimè conſiſtere cum Bonitate primæ Cauſæ:* 7. *Ut & noxiorum Animalium Creatio, cùm Repagula ſint & Impedimenta eorum Incremento.* 8. *Immediatam Fætûs materiam eſſe Homogeneam.* 9. *Notionem* Archeorum *ſive* Formarum Seminalium *haud ità intricatam eſſe ſpeculationem.*

1. PErcurrimus jam omnes Objectiones contra primum librum *Antidoti* factas, contra quem, ſi pinguiori ingenio homines ut etiamnum aliquid habere videantur quod porrò objiciant, per deriſionem cavillaturi ſint, acſi in argumentis noſtris aſtruendis nimiâ uſi ſimus ſubtilitate, hoc tantùm eos monendos cenſeo, Quòd ſubtilitas æquè conſiſtens ſit cum veritate, atque craſſiſſimæ quævis Theoriæ: quemadmodum manifeſtum eſt in multifariis ſpeculationibus Mathematicis, quibus tamen nihil magìs certum eſt, magíſve indubitatum Rationi humanæ. Ut verò Notionum cohærentia quæ in ſeipſis ſubtiles ſunt, æquè facili negotio plana fiat & conſpicua, atque craſſa ſenſuum Objecta, imaginatio admodum incongrua eſt, nec ullorum expectatio eſſe poteſt, niſi eorum qui in hujuſmodi contemplationibus hoſpites planè ſunt & peregrini.

Defenſio autem ſecundi libri non ſolùm brevior erit ſed minùs obſcura, cùm Argumenta ibi adhibita maxima ex parte ejuſmodi ſint, de quibus homines etiam illiterati poſſint judicare, nec niſi pauca quin tam evidentia, ut nequeat quicquam ullius momenti contra ipſa afferri. Verùm Objectiones cuicuimodi ſunt, breviter jam proponam eíſque reſpondebo.

2. Prima verò fit contra Argumentationes noſtras pro *Providentia* à præſtabili utilitate *Lapidum, Lignorum, Metallorum, Magnetis,* &c. petitas. Nam prolixæ iſtæ & ſubordinatæ concatenationes adeò idoneæ *Inſtrumentalitatis* talium rerum, aiunt illi, noſtra ſola Imaginatio eſt, nullum Primæ ullius Cauſæ propoſitum. Et quàm facile eſt, addunt illi, humano ingenio, quæ differentis in ſe naturæ ſunt, longéque diſſitæ in unum trahere, multáſque imaginari Mediorum Finiúmque ſeries in rebus quæ nullam habent aliæ ab aliis dependentiam, niſi quam ipſe finxerit? Verùm reſpondeo, quòd varias variarum id genus materiarum perquam utiles dependentias reperimus tantùm, non facimus nec fingimus. Quippe quòd, ſive nos de eo cogitemus ſive non, manifeſtum eſt, exempli gratiâ, quòd Arborum rami truncíque utiles ſunt ad continuandum ignem, Ignis ad colliquanda metalla, Metalla ad Inſtrumenta conficienda quibus Naves Ædéſque condantur, & ſic in cæteris. Quamobrem cùm verum ſit talem eſſe ſubordinatam utilitatem in rebus ipſis quæ præſtò ſunt præ manibus ſine ulla noſtra opera factæ, omnino rationi conſentaneum eſt, ut *tali Cauſæ* imputemus quæ uſus ac commoditates ſuorum operum præviderit.

3. Nec cavillari debemus, quòd res hujuſmodi utiles, quales ſunt Lapides, Metalla, Carbones, & ſimilia, tanto cum labore ſint acquirendæ, quaſi multo ſatius eſſet ſi homines liberarentur ab omni hoc genus ſervitute, ut plus temporis Mundo contemplando, inquirendo Deo, nobilioribúſque humanæ Naturæ facultatibus exercendis poſſent impendere: videmus enim planè lapſam Hominis conditionem talem eſſe ut otium nullum calcare ſit Virtuti aut Pietati, ſed nutrix potiùs omnimodæ beſtialitatis ac libidinis. Præterea, paucorum quidem Mentes ingenio ſunt adeò ſpeculativo, ut cum aliqua magna voluptate iſtiuſmodi meditationibus attendere poſſint, quæ dignæ reperiantur quarum gratiâ relinquenda ſit vita magìs practica ac laborioſa, quæ nihil prohibet quò minùs homines pii ſint atque honeſti, ut certè nulla omnino vocatio id facit. Quamobrem quòd hominibus pleriſque omnibus res utiles difficiles ſint acquiſitu, argumentum potiùs eſt pro *Providentia*, quippe quod planè indicat, Cauſam illam quæ Terrarum orbem formavit, probè præſciviſſe, qualis futura eſſet terreſtris hominis temperies atque ingenium.

4. Secunda Objectio fit contra Argumentum pro *Pulchritudine Plantarum,* quam Originem ſuam ab Intellectuali cauſa trahere contendo, cùm ipſa Pulchritudo Ob-

jectum ſit adeò Intellectuale. Contra hoc verò duo objiciuntur: Primùm, Quòd Pulchritudo effectus ſit Motûs merè Mechanici Materiæ. Deinde quòd nullum ſit Objectum Intellectuale, quia fœminæ ac pueri eâ magìs oblectari videntur quàm viri, brutáque Animalia perinde atque utrilibet.

Prius ſic probare conantur: Quòd *color*, quæ una pars pulchritudinis eſt, meræ Materiæ effectus ſit, manifeſtum eſt, aiunt illi, ex *Iride*, quæ proculdubio merus eſt iſtiuſmodi naturalis effectus. Et quod ad *Symmetriam* attinet, quæ pulchritudinis pars altera eſt, & in *Plantis* in eo conſiſtit, quòd folia ramíque modo parallelo ſibi invicem reſpondeant, ut & variæ ejuſdem ſolii partes, naturalis, inquiunt illi, neceſſitas eſt, ut hujuſmodi uniformis ſit in his ramis foliíſque correſpondentia, quia nutrimentum neceſſariò ſequitur vaſorum tractum in ſemine, quæ cùm regularia ſint in prima conformatione, rami foliáque, quæ germinant, neceſſe erit ut ſint regularia. Jam verò regularis hæc ſeminis conformatio, ab uniformi particularum motu in Planta primordiali profecta eſt, & poſtremò Planta primordialis cujuſcunque generis, à regulari motu Materiæ.

Sed reſpondeo, Quòd, tametſi poſitura perinde atque ipſi * colores *Iridis*, neceſſarii Effectus ſint meræ Materiæ, nec quicquam ſint aliud niſi reflexio & refractio luminis Solis in guttis Nubis roridæ rotundis, quemadmodum *Carteſius* clarè demonſtravit, quódque nihil ulteriùs huc requiratur præter ſitum oculi in linea à Sole ducta & ad nubem roridam continuata, ità quidem extenſam ut circulus coloratus pro radio ſuo habere poſſit gradus aut quadraginta ferè duos, aut quinquaginta unum, tunc enim Effectum hoc neceſſariò eſt ſecuturum; Et ſi nubes hæc roſcida ità ſe quaquaversùm extendat, ut futura ſit ad quinquaginta unum gradus perinde atque ad quadraginta duos, rorida hæc Aëris temperies, duæ Irides ſimul neceſſariò apparebunt, quemadmodum frequenter factum eſt; atque ſimiliter fateor, quibuſdam rebus poſitis colores florum neceſſarius futuri ſunt effectus Materiæ in tali motu ac poſitura: Nihilominùs tamen, varietas collocationis horum colorum in Floribus, non poteſt quin oſtendat rem eſſe aut *fortuitam* aut *arbitrariam*; cùm verò ſemper ſpectatoris oculos aliquo modo oblectent, indicio eſt *Fortuitum* non eſſe, ac proinde neceſſe eſſe ut ſit *Arbitrarium*, & ab aliquo conſilio quo ſic ſtatutum fuerit, profectum.

Id verò in quo maximè inſiſto contendóque ab Intellectuali principio proficiſci, ipſarum eſt *ſymmetria*, contra quam Objectio videtur admodum invalida, quippe cujus ratio hujuſmodi eſt, quemadmodum planè videre licet, Quòd regularis motus Materiæ primam cujuſque generis plantam formaverit. Quærimus enim porrò, quid Materiæ motum ità regulaverit ut eam duceret ad formandam ſeipſam in talem ſpeciem, ut tandem admodum jucundum ſpectaculum Intellectuale appareat, valdéque difficile (ſi non impoſſibile) formatu, ſine aliquo Directore à cæca Materia diſtincto. Quemadmodum facilè quis crediturus eſt, * ſi non tam truncos ramóſque arborum (quarum quidem pullulationes ex terra, ramorúmque rurſus ex trunco, ipſorúmque denuò in multos ramuſculos luxuriantes divaricationes, res eſt haud ità difficilis conceptu) ſi non tam truncos, inquam, quàm flores, fructus ac folia contempletur. Ut Quercûs folium atque Agrifolii, multáque alia folia Herbarum, earúmque flores, * qualis eſt Cucullus Monachi, * flos caput draconis maxillis increpantis referens, variáque genera * Florum muſciformium, ut Flos muſciformis propriè ſic dictus, utrumque Satyrion * alterum Papilionis, alterum Culicis formam præ ſe gerens. Quibus adde Orchidem Veſpiformem, & Orchidem quæ Apis ſpeciem præ ſe fert, * aliáque id genus multa. Materia in tam difficiles & regulares tamen Figuras nunquam incidiſſet, ſi ab alio aliquo præter ſeipſam ipſa regulata non fuiſſet. Concinnitas quarum figurarum cùm nobis qui ratione præditi ſumus gratificetur, omninò par eſt ut concludamus à *Principio Intellectuali* eſſe profectam.

5. Cæterùm objiciebatur ſecundo in loco, *Pulchritudinem* nullum eſſe Objectum Intellectuale, quia fœminæ atque pueri majorem in modum eâ capiuntur, quàm viri, Beſtiæ verò perinde atque utrivis. Ad quod reſpondeo, Pueros non tam *ſymmetriâ* capi quàm nitore colorum, in rebus quæ vulgo pulchræ habentur, ut Alaudæ magnopere oblectantur ſplendore Vitri, quod *Alaudiceps* aſpectui ipſarum exponit. Quòd ſi poſſent etiam ſymmetriæ partiúmque competentiæ defectum detegere, putà in Flore, qui aliquot folia ſibi habeat abſcerpta, cùm Spiritus, qui in ipſis eſt, ſit Intellectualis, ſi in hujuſmodi facilibus Objectis maturè ſe exerceat, à præſenti ſua conditione minimè eſt diſſentaneum. Sed quòd ipſi, fœminæque externâ pulchritudine magìs capiuntur quàm viri, hinc fit, quòd viri intellectuales ſuas vires penſis difficilioribus ut plurimùm impendant, itáque rebus hiſce magìs puſillis, animum nequeant attendere. Alioqui non eſt dubium, ſi ab aliis curis ac cogitationibus va-

care poſſent, æquè devoti pulchritudinis admiratores forent atque ipſæ Fœminæ, ipſarúmque pulchritudine ſiquam fortè habeant, æquè caperentur, atque eâ ipſas videmus capi.

Quantùm verò ad Bruta, nego ea ullum habere ſenſum tam nobilis Objecti, illúdve quod in pulchritudine maximè requiritur, ullo modo animadvertere, *Symmetriam* ſcilicet, partiúmque concinnitatem, ullúmve colorum ordinem, ſed ipſos tantummodo colores. Et certè minimè mirum eſt, quemadmodum rubrorum tibialium aſpectus Galli Africani animum irâ inflammat, aſpectúſque ſanguinis Uvarum aut Mororum Elephantem ad pugnam provocat, ut alii ſimiliter colores vividi variorum generum, multorum Animalium ſpiritus mulcere aut exhilarare poſſint, quod lux in pleriſque omnibus facit. Atque eapropter, ſi Equum ſplendidis ac rutilantibus Ephippiis ornatum elatè ſe gerere videmus,

Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos,

à nulla alia cauſa fit, niſi ea quam declaravimus. Et ſi canis Mendicum magis allatrat pannis anníſque obſitum, quàm Nobilem quempiam honeſtè veſtitum, inquirendum porrò eſt, an Mendici canicula Nobilem quemlibet magis non ſit allatratura quàm Mendicum, pulchritudinis ſenſu nec demulcente nec irritante hoc Animal, ſed Objecto inſueto bilem illi movente. Et ſi Aves plumas componunt, id ex eo non fit quòd ulla venuſtatis aut condecentiæ ſtudio ducuntur, ſed ut ab iſto magis duro inſuetóque ſenſu quem ex mala plumarum turbatarum diſpoſitura in cuticulis percipiant, ſeipſas liberent. Et ſimiliter quantùm ad Conjugum electionem, ſive in Avibus ſive in Beſtiis ad coitum, difficile eſt probare, quòd tam viſu ducuntur quàm odoratu ; & certè ſi viſu, *colorem* non eſſe potiùs, quàm accuratam partium *Symmetriam*, quæ ipſas moveat.

Et poſtremò, Si admitteremus Bruta aliquando magis oblectari Objecto pulchro, (intelligendo pulchritudinem juxta integram ſuam notionem) quàm minùs pulchro Objecto, confuſanea tantùm voluptas eſt, nec eam plus quidem, tanquam Intellectualem, ſapiunt, quàm pueri qui utplurimùm Inſtrumentorum Geometricorum ex ære aut ebore aut conſimili materia confectorum conſpectu oblectantur, accuratas inciſuras ſapiunt atque inſculpturas characterum & linearum eis inſcriptarum, quatenus rationibus Mathematicis inſerviunt. Ac proinde meritò concludere poſſumus, pulchritudinem corporum naturaliter Brutis non magis deſignatum eſſe, quàm iſtiuſmodi Inſtrumenta Mathematica pueris ſive Infantibus, ſed omnia id genus Objecta Creaturis Intellectualibus deſtinata eſſe ab Æterno illo Intellectuali Principio quod ipſa creavit.

6. Tertia Objectio fit contra prædaturam Animalium aliorum in alia, Hominiſque in omnia. Hoc enim, inquiunt illi, minimè conſiſtit cum *æterna* illa *Bonitate* quam profitemur res omnes creaſſe atque ordinâſſe. Ad quod reſpondeo, Hæc neutiquam inter ſe pugnare : Natura enim illius *abſolutè Univerſalis* ac *Æternæ Bonitatis*, non eſt ità comparata ut *unum aliquod particulare* depereat, (quemadmodum apud nos fit, quorum temperies fortean ad majorem ſolito commiſerationem nos movere poſſit (quanquam plerique homines, fateor, minùs quàm par eſt naturalis hujus benignitatis retinent) viſúſque contractior in rei cujuſque præſentis ſenſum nimiùm demergere) ſed plenum liberúmque in capacitates fœlicitatis hujuſmodi Animantium, proſpectum habens, talem earum conditionem conſtituit, quæ ad bonum communitatis maximè conduceret, quamvis neceſſitas rerum atque *Incompoſſibilitas* non poſſet quin aliquas particulares Animantes majoribus oneraret incommodis quàm reliquas.

Ac proinde, ut varia Terreſtrium Animalium genera modo perfectiori beata eſſent quantùm ad naturam ſuam Animalem, *Suprema* hæc *Bonitas* ſic fieri permiſit ut aliquid, quod animali ſenſui Tragicum neceſſariò appariturum ſit ac calamitoſum, paucis aliquibus ſubinde contingeret ; Speciebus rerum interim ad ſatis magnam copiam conſervatis, & ſecundùm diſtinctas ſuas ſucceſſiones in auguſto hoc Mundi Theatro, tutâ pompâ incedentibus.

Jam verò manifeſtum eſt præcipuas *animalis Vitæ* facultates, eſſe naturalem *aſtutiam*, corporíſque *agilitatem* atque *robur*, Acquiſitúmque quodlibet harum ope, multo jucundius fore Animanti, quàm quod facilè ſine ipſarum ope eis obtingit. Quamobrem quid gratius eſſe poteſt terreſtri Animanti quàm prædam venari eámque arte quadam corporíſque agilitate atque robore eam obtinere ? Omnia verò Animantium genera ſpecialis hujus fœlicitatis non ſunt capacia. Quædam igitur apta nata ſunt ad veſcendum fructibus terræ, ut hoc pacto non ſolùm ſuis indulgeant voluptatibus, ſed etiam per occaſionem ludum pariter atque alimentum aliis Animalibus miniſtrent. Qua tamen in re *Sapientia* Dei perinde atque illius *Bonitas* eluceſcit, propterea quòd dum hunc in modum alia aliis ludo ſunt atque prædæ, abunde tamen conſervantur in diſtinctis ſuis Generationibus. Cæterùm de omnibus hujuſmodi ſcrupulis adverſùs *Providentiam* * in noſtra *Inquiſitione in Cauſas & Occaſiones Atheiſmi* tam plenè ac methodicè tractavimus, ut brevi hac Reſponſi ſubindicatiunculâ hoc in loco contenti fuerimus.

Addemus tantùm, ſi Brutorum animæ ſint immortales (à qua opinione Philoſophorum præſtantiſſimi nequaquam fuerunt averſi) Tragœdia adhuc minùs horrenda eſt futura. Quod tamen nos animare minimè debet ad eas temerè & petulanter ex hoſpitiis ſuis expellendas, quippe qui neſcimus quàm diu futurum ſit, donec opportunitatem nacta fuerint ad alia ſibi concinnanda corpora, iſtáque temporis intercapedo ipſis quidem perfectæ inſtar eſt mortis, in qua nullius rei ſenſum habent aut fruitionem. Et quantùm ad me, equidem exiſtimo, qui vitam & incolumitatem Bruti Animalis pro nihilo ducit, eum naturaliter ità injuſtum eſſe, ut niſi Leges externæ prohibuerint, æquè crudelis futurus eſſet in Homines.

7. Quarta Objectio fit contra Argumentum noſtrum pro Divina *Providentia* à conſideratione deductum opportunæ illius *mitigationis moleſtationis atque noxæ quorundam Animalium per alia quæ ipſis ſint inimica*, quæque eis tanquam prædâ veſcuntur, ut felis, exempli gratiâ, muribus. Heîc, inquiunt illi, magìs accuratum Providentiæ indicium foret ſi nulla omninò eſſent iſtiuſmodi Animalia noxia in Univerſo, quæ nos moleſtent, quàm ut hæc moleſtatio priùs fiat creando hujuſmodi Animalia, & dein tollatur aut minuatur alia creando quæ noxam ſequuturam corrigant.

Verùm enimverò, nemo profectò ſic argumentaretur, niſi nimis temerè ac oſcitanter falſum illud imbibiſſet Principium, Mundum ſcilicet ſolius hominis gratiâ conditum eſſe, cùm proculdubio Beatus Benignúſque rerum omnium Creator apud ſe conſtituerit ut aliæ etiam Animantes perinde atque Homines, vitæ muneribus fruantur, quod tamen, niſi exiſterent, fieri non poſſet. Quamobrem *Providentia* eò accuratior eſt, quòd benignitatem ſuam ulteriùs extendere poſſit, etiam eò uſque ut inferiores Animantium ordines ſuis fruantur voluptatibus, ſine ullo magno incommodo nobilioribus ac ſuperioribus.

Præterea, omnia hæc Animalcula quæ prædæ fiunt aliis, in ludum ipſis cedunt atque alimentum, atque ità aliis morte ſuâ gratificantur, perinde atque ipſa dum in vivis ſunt, & ab inimicis ſuis libera, propriis indulgent voluptatibus. Ut taceam utraque aliquo modo homini ipſi eſſe utilia, ac proinde aliquando deſideratum iri ſi abeſſent.

8. Quinta & ultima Objectio fit contra Concluſionem noſtram, ex *Homogeneitate* immediatæ illius Materiæ *Cryſtallinæ* ex quo *fœtus formatur*, putà in Ovo, quemadmodum & in aliis obſervatur generationibus, deductam, Quòd utique *ſubſtantia ſit à corpore realiter diſtincta.* Ad vim cujus Argumenti eludendam, negant ullam iſtiuſmodi eſſe partium *Homogeneitatem*, ſed multas particulas *Heterogeneas*, licèt nobis inviſibiles, eſſe contendunt, quibus in motum, calore Gallinæ aut alio aliquo conſimili excitatis, particulas homogeneas ad particulas ſui generis compelli, atque iſtoc modo pullum efformari. Ullum verò alium *Archeum* agnoſcere, inextricabiles ſecum adducere difficultates. Ubi enim erant, inquiunt illi, omnes iſti *Archei* qui ex Equi cadavere Veſpas efformârunt? Súntne partes Animæ Equinæ, an novi hoſpites, qui in veteris ejecti locum ſe ingeſſerint? Si prius, tum Anima Equi eſt diviſibilis, & ex conſequenti Materialis &, ſi malles, pura puta Materia: ſi poſterius, ubi erant puſilli iſti Caducarii antehac? An verò tot germina ſunt vel ramuſculi communis Animæ Mundi? Quod ſi fiat, cur non unum habent doloris ac voluptatis ſenſum communem inter ſe? Sed ad hæc omnia ordine reſpondeo.

Et ad primam partem hujus Objectionis, Dico non poſſe quin firma ſit præſumptio, Naturam, accuratam intendere Materiæ Homogeneitatem antequam opus ordiatur efformationis; quippe quæ eam adeò conſtanter ad tam perfectam Homogeneitatem perducit, quàm quæ externis ſenſibus percipi poteſt. Cúmque in partium *Heterogeneitate* nullum omninò commodum excogitari poſſit, concluſionem equidem minimè temerariam eſſe exiſtimo, ſi aſſeveremus, immediatam materiam *Efformationis Fœtûs* aut accuratè *Homogeneam* eſſe, aut ſiqua fortè inſit partium *Heterogeneitas*, eſſe tantùm per accidens, nec plus conducere ad primum opus Efformationis, ſive Organizationis Materiæ, quàm Atomi iſtæ ſive pulviſculi qui Pictoris coloribus inciderint, ad meliorem faciunt Picturæ delineationem. Etenim affirmare, quòd diverſa iſta particularum genera externo calore in motum excitata virtute mutuæ inter ſe ſimilitudinis, in unum congregentur, rem equidem eſt aſſeverare ſine omni Ratione, contra ſolidiſſima Rationis Principia.

In quo enim poteſt ſimilitudo hæc partium conſiſtere, niſi quòd aut figurâ ſimiles ſint, aut æquales agitatione vel magnitudine? Nunc verò corpora conſimilis figuræ in motum excitata curſum ſuum verſus ſe invicem nihilo magis dirigent propter hanc mutuam ſimilitudinem. Corpora quidem conſimilis figuræ, & æqualis agitationis & magnitudinis in motu confuſo admodum probabile eſt unà aliquò latum iri, quod factum videmus (ubi tamen certi eſſe non poſſumus tam accuratam figurarum particulis ineſſe ſimilitudinem) in tenuioribus liquorum diſtillatorum Spiritibus qui omnes ſurſum aſcendunt, in Vini partibus Tartareis, quæ extrorſum verſus vaſorum latera aguntur, * in fæcibus Urinæ, quæ ad fundum Vitri ſubſidunt, & in ſubſidentia fæculentæ hujus partis Univerſi, nempe Telluris, ſi modò tam propriè ſubſidere dici poteſt ad fundum, quàm in puriorum ſubtiliorúmque elementorum medio collocari. Atque ſimiliter, illa Materiæ Fermentatio quæ Animalis efformationem præcedit, talem aliquem rudem effectum fortean edere poteſt, qualis in ſuprà dictis exemplis cernitur, nunquam tamen eò pervenire, ut iſtiuſmodi artificialem Organorum formationem conficiat, qualis in Animalibus univerſis reperitur.

Quòd ſi per partium ſimilitudinem intelligant tantummodò partium aptitudinem quoad figuram & motum, quippe quæ ità formatæ ac moderatæ ſint, ut ex calore aliquo externo, ipſarum agitatio neceſſariò effectura ſit ut inuncatæ ſint inter ſe, & in admirabilem hanc utilémque corporis Animalis fabricam mutuò connexæ; Hoc quidem Artificium adeò exquiſitè minutímque ſcitum ac curioſum eſſet ut prorſus ſit impoſſibile, quin aut *Aſſiſtentiam*, aut primam ſaltem *Inventionem* & *Conſilium* implicet Intellectualis alicujus Principii, quod Materiam in ſtupendum hunc ordinem redegerit, quo poſſit per iſtiuſmodi præciſas Figuræ Motûſque leges tam nobilia Objecta Intellectui pariter atque Senſui noſtro exhibere. * Atque ſic quidem Adverſarii noſtri parum lucraturi ſunt ex hac Hypotheſi.

Sed enim, quanquam hoc videri poteſt ſimpliciter poſſibile, admodum tamen improbabile exiſtimo, ut tam infinitus particularum numerus, quæ ad fœtum concinnandum debent concurrere, tam particularem haberent figurationem motûſque legem unicuique earum impreſſam, quo poſſit debitam ſuam ſtationem poſituràmve in Animalis ſtructura occupare. Hoc enim, ſi quid ego rectè judico, ambagibus eſſet & circuitione nimiâ uti, cùm via magis compendioſa foret Immaterialem aliquam creare ſubſtantiam quales eſſe ſupponuntur *Formæ Seminales* Plantarum atque Animalium, ſive *Archei*, quemadmodum alii appellitant. Nam hæc *Forma* ſive *Archeus* res magis ſimplex eſt & perſpicua, quæque magis ſimplicem ac perſpicuam qualificationem ſubjecti requirit in quod operetur, nempe quòd *Homogeneum* ſit atque ductile, facileque teneris cedat impreſſionibus ſubſtantialis iſtius vis *Vitæ* quæ in ipſo reſidet.

9. Neque profectò opinio hæc de *Archeis Formiſve Seminalibus* ullis iſtiuſmodi intricatur difficultatibus, ex quibus non poſſit facilè expediri.

Nam quantùm ad iſtas quæ prætenduntur difficultates in Inſtantia Efformationis *Veſparum* è cadavere equino, dico, quòd *Archei*, qui ipſas formaverunt, partes nullæ ſunt Animæ Equi defuncti, * ſed diverſi diſtinctíve *Archei*, qui cum materia corporis ad hunc modum putreſcendo præparati ſe æquè naturaliter conjungunt, atque Corvi feſtinant ad devorandam illius carnem.

Sed quæres porrò, ubi hi *Archei* antea fuerint? Ad quod reſpondeo, Poteſtne deeſſe ſpacium tam minutis *Spiritualitatis* portiunculis in tam vaſto Univerſitatis complexu atque ambitu? Ac proinde ipſe potiùs rogito; Ubi non fuerunt? Cùm *Mundus Vitæ* ex nullo excludatur loco, variaque Animarum genera illìc æquè numeroſa ſint & obvia atque particulæ iſtæ Magneticæ in Mundo hoc corporeo; & certè vix ullo loco Magnetem atque Ferrum collocare potes, quin ipſarum præſentiam ex effectis ſenſibilibus continuò ſis deprehenſurus. Vel ſi craſſiorem malles ſimilitudinem, æquè copioſi ſunt atque obvii, quàm pulviſculi per aërem volitantes in Æſtate ſicca ac ventoſa.

Ad ultimam difficultatem propoſitam, * Utrùm hi *Archei* tot ſint germina communis *Animæ Mundi*, an ſubſtantiæ *particulares* per ſe ſubſiſtentes, haud ità magnum incommodum eſt utrocunque modo res definiatur. Neque enim ſequitur ſi tot ſint ramuſculi diſtinctíve Radii magnæ Animæ Univerſi, quòd iccircò ea ipſa Anima ſint; & quidem ſi non ſint, voluptates ſuas ac dolores habere poſſunt alii ab aliis diſtinctos. Et quòd ipſis dolor eſt aut voluptas, Origini ſuæ neutrum fortean eſſe poteſt, quippe quæ eam non magis moveant, quàm Tettigoniæ minuritus eos qui pleno Tubarum concentui animum attenderint, morſúſve pulicis hominem fidiculis diſtentum in Equuleo.

Pone verò nos reſpondere, Quòd tot ſint ſubſtantiæ æquè independentes ab *Anima Mundi* atque ipſa Materia (quanquam omnes dependent à Deo) neque in illa quidem Aſſertione quicquam eſt difficultatis aut incommodi, nec quicquam opus eſt ut ſoliciti ſimus ubi ſint, aut quid de ipſis fiat, ſive ante actuationem hujus vel illius partis Materiæ, ſive poſtquam eam actuare deſiverint, non magìs certè quàm de ipſis partibus Materiæ quas actuaverint. Nam quemadmodum unaquæque Materiæ particula ſervatur incolumis intra *Mundi corporei* ambitum, ſive ab Anima *Archeóve* ullo actuetur ſive non; ità unuſquiſque *Archeus* ſeu *Anima*, perinde incolumis eſt in *Mundo Vitæ*, atque æquè ſecurus ab omni exterminatione ex univerſitate rerum Immaterialium, ſive agat in ullam Mundi Materialis partem ſive non. Nam ſubſtantia, qualiſcunque ſit illius natura, ſine miraculo penitus interire non poteſt. Et cur Deus illud annihilet, * quod ſuccedente tempore rurſus opportunitatem nanciſci poſſit ſuas agendi partes, Mundíque utilitatibus inſerviendi, nemo, opinor, ullam rationem poteſt excogitare.

SCHOLIA

In Cap. XI. Sect. 4.

Colores Iridis neceſſarii effectus ſint meræ Materiæ, &c. *Quàm cum grano ſalis iſta accipienda ſint, in* Enchiridio Metaphyſico *abundè indicavi. Vide Cap.* 21.

Si non tam truncos ramóſque arborum, &c. *Immò verò quanto cum artificio ipſi Arborum Plantarúmve Trunci ramique formati ſint, hujus ſeculi Philoſophi laudabili ſanè induſtriâ oſtenderunt. Theophraſtus quidem olim aliíque partes Plantarum enumerârunt,* ῥίζαν, καυλὸν, ἀκρέμονα, κλάδον, *quas omnes ex his tribus conſiſtere docuerunt,* ἐκ φλοιοῦ, μήτρας (*quæ & καρδία & μυελὸς appellatur*) καὶ ξύλου *atque haſce rurſus* ἐξ ὑγροῦ, ἰνὸς, φλεβὸς, σαρκός. *Quin & τῆς τῶν φυτῶν ὑγρότητος καὶ θερμότητος, tanquam innato Humido Calidóque Animalium, analogarum meminerunt, ſed ab tam certâ diſtinctâque cognitione quàm moderni Philoſophi, haud auſim aſſeverare, qui non ſolùm ſuccifera ſed & Aerifera vaſa in Plantis notârunt, hiſce τὴν θερμότητα, illis τὴν ὑγρότητα plantarum aſſignantes; ut alias formationes organicas cum earum uſibus taceam. An verò φλέβες & ἶνες Theophraſti, alteræ humoris, caloris alteræ vehicula eſſe poſſint, ſtatuant alii, mihi non ſatìs conſtat. Vide Theophraſtum de Plantis, Cap.* 1. *& ingenioſum illum Phytologum,* N. Grew, *in ſua* Truncorum Anatomia comparativa.

Qualis eſt cucullus Monachi, &c. *Sic nos è voce Anglicana* Monkſhood, *Latinè vertimus. Eſt autem Aconiti quoddam genus quod cucullum Monachi galeámve Militis refert.*

Flos caput Draconis maxillis increpantis, &c. *Hæc rurſus Deſcriptio eſt è vocabulo Anglicano,* Snapdragon, *Antirrhinon apud Herbarios dicitur.*

Alterum Papilionis, alterum Culicis, &c. *Quæ* σατύριον ψυχῶδες *& ni fallor* σατύριον κωνωπῶδες *apud Græcos Herbarios appellantur. Noſtrum verò erat non Græcè ſed Latinè noſtra vertere: alioqui Orchis Veſpiformis, & Orchis quæ apis ſpeciem præ ſe fert, Orchis Sphegodes, & Orchis Melittias dici potuerunt, quemadmodum ſit apud Herbarios.*

Aliáque id genus multa, &c. *Ut Orchis Arachnitis, Batrachitis, Ornithophora, præter varia prædictarum genera.*

Sect. 6. In noſtra Inquiſitione in Cauſas & Occaſiones Atheiſmi, &c. *Fateor equidem me iſtiuſmodi Tractatûs prima ſaltem Lineamenta duxiſſe, partem verò in* Myſterium Pietatis, *partem in* Dialogos Divinos *excreviſſe, quod reliquum verò erat, flammis me tandem commiſiſſe.*

Sect. 8. In fæcibus Urinæ quæ ad fundum Vitri ſubſidunt, &c. *Cæterùm quòd nec hæc quidem ſiunt ſine ope* Spiritûs Naturæ, *abundè in* Enchiridio Metaphyſico *&* Adnotamentis, *ut alia loca præteream, demonſtravi.*

Atque ſic quidem Adverſarii noſtri parùm lucraturi ſunt ex hac Hypotheſi. *Ità certè eſt, ſi vel ſic eſſet. Nunc verò cùm tam clarè conſtet vel ſimpliciſſima Naturæ Phænomena rationibus Mechanicis non produci, ſed vi* Spiritûs Naturæ, *quemadmodum in ſuprà dictis Tractatibus ſatìs fuſè demonſtravi, planè incredibile eſt diſpoſitionem partium Materiæ in Formatione Fœtûs motu Mechanico ſieri, & non vi* Plasticâ *potiùs particu-*

laris alicujus Archei, *aut* Archei *Univerſi, aut denique utriuſque: Cùm omnia in iſtiuſmodi Animalium Rudimentis tam mollia ſint ac laxa, ut immateriali aliquo Rectore & Counitore meritò indigere videantur. Vide Tract. de* Animæ Immortalitate, *lib.* 3. *cap.* 12 *&* 13.

Sect. 9. Sed diverſi diſtinctivè Archei, &c. *hoc eſt, Diſtinctæ Animæ vi Plaſticâ præditæ. Nullos enim Archeos ab Univerſi Archeo diſtinctos eſſe credo, præter Animas particulares. Quæ Animæ magis propriè quàm Archei appellandæ ſunt, quippe quæ, præter* Plaſticam *facultate etiam* Perceptivâ *gaudent.*

Utrùm hi Archei tot ſint germina communis Animæ Mundi, &c. *Equidem id mihi nequaquam veriſimile videtur, viderint alii ut poſſint defendere, ſeque extricare ex eis difficultatibus quas lib.* 3. *cap.* 16. *de* Animæ Immortalitate, *propono.*

Quod ſuccedente tempore rurſus opportunitatem nanciſci poſſit ſuas agendi partes, &c. *Perinde enim eſt acſi Fidicen aliquis omnes eas chordas, quarum in præſenti cantilena nihil uſus ſit, ſed intactæ ſileant, lyræ ſuæ abſcindi poſtulet, novâſque pro ſingulis novis cantilenis adnecti. Vide quæ diximus in cap.* 10. *ſect.* 7.

CAP. XII.

1. *Objectiones contra Hiſtorias de Incantatore* Saltzburgenſi; 2. *Et de pueris faſcinatis* Amſtelodamienſibus: 3 *Ut & contra Narrationem de* Johanne *ab* Hembach, *&* Johanne Michael, *qui Tibicines egerunt inter ridiculas Choreas geſticulatorias Dæmonum:* 4. *Item contra Sagarum Conventiculi diſparentiam ad nomen Dei prolatum;* 5. *Et contra loca quædam Hiſtoriæ illius quam* Bodinus *de* Genio tutelari *narrat.*

1. LOca quæ in tertio libro vellicantur, aut *Hiſtorica* ſunt aut *Philoſophica. Hiſtorica* præcipuè hæc ſunt. Primò contra Narrationem de Incantatore *Saltzburgenſi* objicitur, Fieri poſſe, ut ultimus maximúſque Serpens Diabolus non eſſet ſed merus ſerpens. Ad quod reſpondeo, Admodum probabile eſſe, quòd iſte Serpens (cùm ſe in locum poſtremum reſervâſſet, & tam dirum fatum Incantatori attulerit, tanquam ſi mortis tot ſui generis animantium vindictam vellet imitari, malignóve conſilio gloriam ac victoriam ſui penè jam triumphantis Inimici, commaculare) plus in ſe conditum habuit, quàm vulgarem naturalémve Serpentem; hoc eſt, aut Diabolus erat ſic transformatus, aut ſerpens aliquis actuatus ab ipſo & gubernatus. Quod eo faciliùs credemus, ſi conſideremus, totum myſterium incantandi nullam in ſe habere poſſe vim naturalem, ſed efficaciam potiùs ſupernaturalem, ſi ullum omninò effectum ſortiatur.

2. Secunda Objectio fit contra iſtas narrationes de multis malo aliquo dæmone obſeſſis, qui res miras viſi ſunt è ventriculis ſuis evomere; quaſi ſcilicet hoc fieri poſſet aſtu aliquo ac artificio, ad populum emungendum argento. Ad quod ut liberè reſpondeam, equidem ingenuè fateor, quòd ità uſu venire ſolet, ut nulla ferè ſint realia Effecta ſive Eventa mirabilia, quin aliqui ſint, ſi ſit poſſibile, qui aut ex ſpe lucri, aut per ludum jocúmque eorundem imitationem aggrediantur. Sed hæc fraus facilè per prudentes ſpectatores detegi poſſet. Quales ſuppono fuiſſe duos illos Medicos præclaros, *Cardanum* & *Wierum*, qui, ſi nihil hiſce rebus ſubfuiſſet præter agilis præſtigiatoris dolos, iſtiuſmodi levibus Impoſturis nunquam fuiſſent decepti.

Et quantùm ad pueros *Amſtelodamienſes* attinet, ſpectaculum adeò miſerandum erat, & cruciatus, ut fertur, tam grandis, perſonæque obſeſſæ tam multæ, omniáque Conamina ſive Artis ſive Religionis tam fruſtranea, ut prorſus incredibile videatur ullam fuiſſe in hac re aut fraudem aut nugalitatem. Et quantùm ad puellam è *Saxonia*, quæ *Græcè* locuta eſt, perridiculum profectò eſſet, iſtud tanquam aliquid ſupernaturale æſtimare, niſi notum fuiſſet eam à nemine linguam iſtam didiciſſe. Ac proinde in hujuſmodi rebus judicium & ſagacitas primi Narratoris eſt ſupponenda; ut in iſta Hiſtoriola quam de Dæmoniaco quodam qui *Græcè* locutus eſt ſuis temporibus, ipſe *Fernelius* narrat, immò verò Medicorum ſecreta detexit, ipſorúmque deriſit ignorantiam, eò quòd Medicinas ſuas adhibendo hominem ferè enecâſſent, falsò opinantes morbum eſſe naturalem.

Vide Fernel. de Abditis rerum cauſis, lib. 2. *cap.* 16.

3. Tertia Objectio fit contra Jocunditatem quarundam Hiſtoriolarum quæ commemoratæ ſunt; cujuſmodi ſunt illæ de *Johanne* ab *Hembach*, & *Johanne Michael* Tibicinibus. Verùm enimverò, hæ Narratiunculæ non minùs credibiles videri de-

bent propter caſus iſtos, qui occurrunt, ridiculos, ſi conſideremus Spiritus iſtos Apoſtatas qui inferiorem hanc Aëris Terræque Regionem frequentant, variis modis in enormem ſenſum amorémque *vitæ Animalis* lapſos eſſe, penitúſque in ſe extinxiſſe Divinam; taléſque in ipſis paſſiones eſſe atque affectus quales in hominibus improbis reperiuntur atque Beſtiis, aliquóſque præſertim ex ipſis eandem rationem habere ad Angelos non-lapſos quam habent Simii & Cercopitheci, ad hominem probum atque ſobrium; atque etiam eos qui magìs tetrici ſunt ac feroces ſi quando ſe in ludos jocóſque relaxant, admodum ſtolidè diſtortos luſus edere ac deformes, quemadmodum manifeſtum eſt ex Hiſtoriolis nocturnarum ſuarum Chorearum & debacchationum. Occultum enim infeſtúmque odium habent contra quicquid venuſtum eſt aut decorum, & in perpetuum illius contemptum * omnes ſuas actiones in oppoſitum modum diſtorquent, in libertate ſola illimitata ſibi applaudentes, & faciendi quicquid aut fatua aut fœda ipſorum Imaginatio ſibi ſit ſuggeſtura, nihil affectantes præter propriarum voluntatum libidinem, & facultatem incutiendi hominibus admirationem & terrorem.

4. Quarta Objectio fit contra nocturnorum Conventiculorum Sagarum diſparentiam ad nomen Dei, Jeſûve, prolatum. Nam Diaboli, inquiunt illi, hiſce Nominibus non omninò territantur, ſed & ipſi per modum contemptûs & contumeliæ ea pronunciare poſſunt, propriíſque ſuis perſonis applicare. Verùm difficultati facilè ſatisfit, ſi modò diſtinguamus inter intentiones voces haſce pronunciantium. Dico igitur nequaquam ſequi, ex eo quòd horum verborum pronunciationem inter ſe ſuſtinere poſſunt, quòd idem poſſunt quando cum puro corde debitáque religione pronunciantur ab aliis.

Præterea, minimè à ratione alienum eſt exiſtimare (quamvìs horum nominum vi reſiſtere poſſent, eorúmque Religioni qui eis utantur) quòd Ceremonia apud ipſos eſſe poſſit indiſpenſabilis, conventicula ſua non continuare, ſiquis in proximo ſit præſénſve, qui apertam ſeriámque Timoris Dei profeſſionem fecerit. Atque equidem manifeſtum eſt, præſentia viri verè religioſi quàm oneroſa ſit hominibus improbis, præſertim eo tempore quo liberiùs ſuæ improbitati indulgere ſtatuerint.

5. Quinta & ultima Objectio fit contra Viſionem ſive Inſomnium, in quo is qui per tot annos *Genii Tutelaris* ſive *Boni Angeli* ſocietate uſus erat, viſus eſt hæc audire verba, *Servabo animam tuam, ego is ſum qui priùs apparebam tibi*: tanquam ſi hic *Genius* ſive *Angelus* ipſe æternus fuiſſet Deus. Cæterùm nihil opus eſt ut hoc cuiquam ſcrupulo ſit. Nam, primò, cùm forma nullius perſonæ in hac Viſione ipſi repræſentata eſſet, pro Divino oraculo, ſeu voce Spiritûs Dei meritò haberi poteſt, certiorem eum facientis de amore ſuo ac providentia ſuper ipſum, quemadmodum antehac fecerat in conſimilibus Viſionibus ſive Inſomniis.

Et tum dein, ſi admitteremus Angelum cum eo allocutum eſſe, Angelus in hiſce circumſtantiis non propriè dicitur loqui ut perſona, ſed ut Inſtrumentum, quemadmodum Lingua hominis loquitur, cùm tamen Anima hominis ipſéve Homo magìs propriè loquitur quàm Lingua. Quamobrem ſi Deus omnes potentias ac facultates Angeli tam plenè poſſideat atque occupet, ut ad tempus propriæ ſuæ Perſonalitatis ſenſum perdat Inſtrumentúmque merè paſſivum Divini Numinis evadat, tanquam os, oculúſve Dei factus, quicquid in his circumſtantiis loquitur, de Deo intelligendum eſt non de ipſo.

Atque ſic, ut ſpero, ſatisfeci difficultatibus circa *Hiſtorica* hujus tertii libri loca, quæ etiamnum in eo remanent. Fateor enim me nonnulla expunxiſſe, quæ poſt preſſiorem inſpectionem, cum regulis iſtis quas mihi propoſueram, haud adeò accuratè videbantur convenire. Non quòd ipſe quicquam reſciverim, quo illa falſa eſſe detegere poſſem, ſed quia, cùm iſtâ conformitate deſtituta eſſent, apud me agnoſci debebant haud ità demonſtrativè vera.

SCHOLIA

In Cap. XII. Sect. 3.

OMnes ſuas actiones in oppoſitum modum diſtorquent, &c. *Atque ſic hi quidem Dæmones ſtatûs lapſi* Jetzirathici *egregia ſunt exempla. Cujus quidem ordinis multæ ſunt etiam Animæ incarnatæ, diſtortis ingeniis & deriſoriis, quæ ſolidiſſimas rationes perverſis longéque accerſitis cavillationibus & ſophiſmatis malunt eludere, argutúmque* *venditare Scepticiſmum, quàm cum mente ſobria in ſalutarem Veritatis* Lucem *emergere. Vide Explicationem* Mercavæam.

CAP. XIII.

1. *Transformationem humani corporis in aliam formam fieri poſſe ſine dolore.* 2. *Actualem poſſe fieri ſeparationem* Animæ *atque* Corporis, *ſine* Morte *propriè ſic dicta.* 3. *Spirituum corpora* calida *eſſe poſſe, vel* frigida, *vel denique* tepida, *& quomodo id poſſit fieri.* 4. *Quo ſenſu agnoſcere poſſimus* Primum, *in infinita ſucceſſione generationum.* 5. *Narrationem de* Anſeribus arboreis *apud* Gerardum *certò eſſe veram.* 6. *Neceſſe eſſe ut Deus Spiritus ſit propriè dictus.* 7. *Spiritus vulgò ſic dictos nec* Ignem *eſſe nec* Aërem, *ſed Eſſentias propriè Spirituales, demonſtratum à ſoluta* Arenoſitate (*ſi fas ſit ità loqui*) Aëris *atque* Ignis. 8. *Quòd* Solutilitas *hac efficit ut hæ compages* Aëreæ *incapaces ſint* Perſonalitatis, Motûs ſpontanei, *&* ſenſationis; 9. *Quemadmodum &* transformandi vehicula *ſua in perfectas illas formas Animalium in quibus apparent;* 10. *Eadémque* continendi *in ventis & tempeſtatibus*; 11. *Et poſtremò,* tranſportandi *homines atque pecora* per Aërem. 12. *Si* Spiritus *ſive* Dæmones *nihil aliud ſint niſi mera* Aërearum *vel* Ignearum *Atomorum congeries, ſingulos Diabolos multas Myriadas eſſe Diabolorum.* 13. *Præſtantia argumentorum ab Hiſtoria* Spirituum *deductorum, præ iſtis quæ ab operationibus Animæ in corpore petuntur, ad probandam ſubſtantiam* Immaterialem.

1. PRima Objectio *Philoſophica* fit contra Transformationem humani corporis in formam putà Lupi, aut alterius alicujus id genus Animalis. Opinantur enim id fieri non poſſe ſine magno transformati cruciatu ac dolore. Ad quod reſpondeo, Quòd tametſi hæc Transformatio brevi tempore fit, peragi tamen poteſt ſine omni omninò cruciatu. Illam enim partem capitis, quæ ſedes eſt *Senſûs communis*, admodum exiguam eſſe exiſtimo (pone *Conarion* eſſe, & non eſt valdè magna :) Quamobrem Diabolus, poſtquam ſe in corpus hominis inſinuaverit, eámque partem cum reliquis poſſederit, intercipere poteſt vel prohibere omnes motûs tranſmiſſiones ab aliis corporis partibus, adeò ut, quomodocunque eas tractaverit, homo nullum omninò ſenſurus ſit dolorem. Unde emollire poteſt reliquas omnes corporis partes in quam ipſe voluerit *conſiſtentiam*, & ſubigere in quamlibet earum formarum in quas poteſt aëreum *ſuum vehiculum*, nec homo tamen per totum hoc tempus perſentiſcere quid agat. Eſtque par ratio reducendi rurſum corpus in propriam ſuam formam, quod ſine omni dolore hominis fit, qui iſtud patitur. Neque ullum certè imminet periculum, quaſi corpus ſemel ſic ſolutum ſemper poſtea permanſurum ſit in hac ſoluta & liqueſcenti conditione. Conceditur enim etiam apud eos qui ſe *Bodino* opponunt, cujus cauſam defendo, * Spiritum poſſe corpus ſiſtere ac fixare perinde atque illud movere. Quapropter dico, poſtquam Diabolus corpus rurſum fixaverit in formam priſtinam, * quòd ſecundùm indubias Naturæ leges in eo ſtatu permanſurum ſit, in quo ipſum reliquerit, donec potentius aliquid à ſtatu iſto illud dimoverit, ac permutaverit: Quódque corpus unumquodque tandem debelletur, omnéſque ſemel oporteat manus dare morti.

2. Secunda Ojectio fit contra opinionem noſtram, Quòd actualis fieri poſſit *Animæ corporíſque ſeparatio* ſine morte, cùm tamen Mors propriè ſit, quemadmodum definimus, disjunctio *corporis* atque *animæ*, propterea quòd corpus ineptum ſit ad animam diutiùs retinendam. Quod contingere poteſt, vel ex *morborum* ferocitate, vel *externâ violentiâ*, vel *extremâ* denique *ſenectute*. Hîc igitur, rogant illi, Quid violentia eſſe poſſit, ſi hoc non ſit, ut Diabolus animam è corpore ſuo eripiat? Sed Reſponſum in præfacili eſt. Quamlibet ſcilicet *ſeparationem per vim* non eſſe *mortem*, ſed cùm talis ſit violentia in ſeparatione quæ corpus ineptum reddat ad Animam retinendam, vel rurſus excipiendam. Quemadmodum fit in nimis larga ſanguinis emiſſione per vulnus corpori inflictum, vel in præpedito Spirituum curſu per ſuffocationem ſive aquâ ſive funiculo factam, & in ſimilibus. Nam tale corpus in vitam revocare verum profectò futurum eſſet miraculum, quippe quòd in hujuſmodi circumſtantiis, mors proprio ac genuino ſenſu corpus ſic affectum occupat. Neque quiſquam præter ſolum Deum ità occidere poteſt, occiſóſque in vitam revocare.

3. Tertia Objectio fit contra præſignem illam in corporibus Dæmonum *frigiditatem*. Nam in celebri illa Sagarum Examinatione in Comitiis Provincialibus in *S. Edmundi* Fano habitis Menſe Auguſto, Ann. 1645. quaſdam ex eis publicè ante Tribunal confitentes audivi, ait Objector, Diabolum, quando cum ipſis concumbebat, moderatè fuiſſe calidum. Ad quod reſpondere poſſem, ſi in animo eſſet prævaricari potiùs quàm Objectionibus quæ contra ea quæ ſcripſimus factæ ſunt, præcisè ſatisfacere, fieri poſſe ut calidus aliquis Juvenis in frigidi Dæmonis locum ſe ingeſſiſſet. Quis enim ſatis novit, qui in hujuſmodi rebus ludi fuerint ac præſtigiæ?

Cæterùm ut propiùs preſſiúſque rem propoſitam attingamus. Fateor corpora Dæmonum eſſe poſſe non *tepida* ſolùm vel moderatè *calida*, ſed uſtulanter *fervida*, quemadmodum in eo Dæmone factum eſt, qui cognatam *Melanchthonis* manu prehendit, itáque eam uſtulavit, ut characterem inuſtum gereret uſque ad diem mortis. Exempla verò frigidorum Dæmonum magìs obvia ſunt, ut in iſta famoſa Hiſtoria de ‖ *Cuntio*, qui cùm brachium cujuſdam fœminæ in Civitate *Pentſch*, dum in lecto jacebat, tetigiſſet, viſus eſt æquè *frigidus* atque ipſa glacies. Quod ſimiliter contigit ‖ *Annæ Styleſiæ*, ungue Dæmonis illius manui impoſito. Multæque aliæ ſunt id genus Narratiunculæ. Nolo autem negare quin corpora ipſorum etiam *calida* eſſe poſſint, alioqui nequeat intelligi, quomodo duo iſti execrandi Magi tam ineffabilem voluptatem, quàm ſe percepiſſe profitentur, alter à ſua *Armellina*, alter à *Florina* ſua, perceperint, quemadmodum narrat in Dialogo quodam *Franciſcus Picus*, *Strix* appellato, ſive *De Ludificatione Dæmonum*. Pro certóque affirmat in Epiſtola præfixa veram eſſe Hiſtoriam, nulláque alia ſe enarràſſe quàm quæ aut propriis oculis viderit, aut ab ipſarum Sagarum confeſſione acceperit.

‖ *Antidot. lib. 3. cap. 9. ſect. 8.*

‖ *Antidot. lib. 3. cap. 7. ſect. 6.*

Vis igitur Objectionis contra id contorquetur, quod nos nequaquam aſſerimus, corpora nempe Dæmonum *frigida* ſolùm reperiri. Cæterùm id quod nos inſinuare volumus, hoc tantummodo eſt, nempe cùm ipſorum corpora nihil aliud ſit quàm coagulatus ſive conſtrictus Aer, quoties vehicula ſua ſic modificant ut ea tota longè majorem in modum conſtringant, quàm ſingulas ipſorum agitant particulas, tunc ea viſum iri non tantùm inſtar aquæ congelatæ frigida, ſed magìs penetranti ac pungenti frigiditate acui propter partium ſubtilitatem.

Verùm quando non tantùm totum vehiculum fortiter conſtringunt, ſed & ſingulas ipſius particulas vehementer agitant, corpus quidem eorum evadet *uſtulanter calidum*, aliquóque modo æs aut ferrum candefactum imitabitur, in quibus particulæ perquam arctè conjunguntur, & tamen ſingulæ in ſeipſis motu acerrimo vibrantur. Quemadmodum manifeſtum eſt, ſi ſputum injiciamus in ea metalla iſtoc modo calefacta, faciet enim ſalivam injectam ſibilare & bullire, particulis metallorum motum ſuum ſalivæ communicantibus, mutabúntque omnem liquorem in vapores, quemadmodum uſu venire videmus in Aceto adolendo Aquáque Roſacea in Conclavi, ad locum ſuffumigandum. Quid enim eſt hæc ſuffumigatio, niſi *ſeparabilium* partium aquearum Liquoris tam fortis in motum excitatio, ut in aërem eleventur & per vehementem agitationem partium *inſeparabilium* calefactæ Focariæ in vagum diſſipentur fumum?

Et poſtremò, ſi Spiritus *agitativâ* ſuâ facultate utatur quidem moderatè, *conſtrictivâ* verò ſatis fortiter ad efficiendum ut ſolidus ſentiatur & palpabilis illi viro fœminæve quibuſcum rem habet; poteſt certè non ſolùm calidus videri, ſed magìs jucundè gratéque calidus, quàm ullum corpus terreſtre carneúmve quod exiſtit. Nam Materiæ ſubtilitas magìs accuratè attinget potentiúſque ſenſûs organa feriet, magíſque exquiſitè & exultabundè movebit nervos quàm ullum corpus terrenum poteſt. Sed enim intereà loci *Spiritus* ipſe neque fervidus eſt, nec calidus nec frigidus, nec quicquam eorum quæ ad corpus pertinent, ſed ſubſtantia ab omni cuicuimodi Materia corporea ſpecificè diſtincta, ſicut jam monui ‖ eo ipſo in loco quem heîc defendo.

‖ *Antidot. lib. 3. cap. 12. ſect. 2, 3, 4*

4. Quarta Objectio fit contra iſtam noſtram ſententiam quâ declaramus incongruam eſſe ſibique repugnantem Aſſertionem, affirmare, ‖ nunquam fuiſſe hominem quenquam qui è fœmina non ſit natus, quamvìs admitteremus Humani generis ſucceſſiones fuiſſe infinitas. Nam Repugnantia, inquiunt illi, tantùm eſt, ſi *primum* invenire poſſis. Sed in infinita ſucceſſione non poteſt eſſe *Primum*, ullo quidem in ſenſu. Nam ſi *Primum*, tunc *Secundum* & ſic deinceps ad noſtra uſque tempora. Atque ſic ſeries numerabilis foret, & ex conſequenti finita; quæ Repugnantia eſt, quia ſic ſucceſſio eſſet & infinita & finita ſimul.

‖ *Vide Antidot. lib. 3. cap. 15. ſect. 5.*

Verùm reſpondeo, Primò, quòd demonſtrare poſſum, eſſe *Primum* in infinita ſucceſſione, ex iſtiuſmodi quidem Principiis quæ ipſe Atheus aut concedat aut debeat ſaltem neceſſariò concedere. Cujuſmodi eſt, Materiam eſſe ab Æterno, aliquámque ſaltem illius partem motam fuiſſe ab æterno. Jam verò manifeſtum eſt hanc Materiam motam ab Æterno aut à ſeipſa motam fuiſſe aut ab alio. Si poſterius, tunc habemus *Primum* in infinita motuum ſucceſſione. Nam id quod Materiam hanc movit ab æterno motam, *Primum* eſt in *ordine Cauſalitatis*. Quod indubitatò verum cuilibet apparebit, qui mentem noſtram intellexerit.

Sed affirmabis hanc Materiam ab Æterno motam à ſeipſa motam fuiſſe. Eſto; Nulla tamen illius pars ſe movere poteſt in pleno hoc Materiæ Oceano, qui ex nullo excluditur ſpacio, quin in aliam aliquam Materiæ partem impingat ſimulatque ſe moveat, eáque in aliam, & ſic deinceps. Atque ſic eſſe poſſet motuum ſucceſſio ab æterno ſive infinita, & tamen *Primum* in *ordine Cauſalitatis*. * Nam ille *Primordialis* Materiæ *Motus* manifeſtò primus eſt & *Cauſa* reliquorum. Nec acquieſcere poteſt mens noſtra donec penetraverit ad tale aliquod *Primum* in *ordine Cauſarum*.

Et tum deinde, Ad ſubtilem iſtam Argumentationem, quæ probare vult hanc infinitam ſucceſſionem & finitam & infinitam fore, reſpondeo, Merum eſſe Sophiſma ab ambigua voce, *Primum*, quæ ſignificat aut *Prioritatem Succeſſionis*, aut *Prioritatem Cauſalitatis*. Si primo in ſenſu admittamus *Primum*, ſucceſſio finita erit ſi proprias appellemus facultates, non poſſumus enim quin ultrà excurramus, quandoquidem ſucceſſionem in *Primo illo* limitatam deprehendimus. * Sed in altero ſenſu *Primum* nullos ponit limites ſucceſſioni, ſed liberam illam relinquit & infinitam.

Vel ſic reſpondere poſſumus, Quòd incipientes ab hoc momento & pergentes ad *Primum* Motum *Primordialem*, appellantéſque præſens hoc momentum *Primum*, proximéque præcedens *Secundum*, aſcenſuri ſimus ad Numerum revera Infinitum, niſi quòd Intellectus noſter exitum nunquam ſit inventurus: Veruntamen quòd Intellectus Divinus exitum heîc invenerit, nequaquam ex eo ſequi Numerum fore finitum, quoniam Mens infinita, infinitum Numerum poſſe comprehendere rectè cenſeri poteſt. Quantùm verò ad nos qui captu tantùm finito gaudemus, ſiquis auſit Primum in Infinita ſucceſſione nominare, appellare quidem debet τό πρῶτον ἀπειροστόν, *Primum infiniteſimum*, ingenuéque fateri ſe ad exitum nunquam pervenire poſſe, quippe cujus Intellectus eſt finitus.

5. Quinta & ultima Objectio ſit contra Narrationem illam de *Anſeribus arboreis* in Inſula, *Pile of Foulders* Anglicè dicta, ex *Gerardo* allatam. Objicitur enim à quodam qui loci illius accolas eà de re ſciſcitatus eſt, eam narrationem ab eis ſibi non fuiſſe confirmatam, ſed eos dixiſſe tantùm, locum anni tempeſtate ob Avium Nidos valdè eſſe notabilem, & vix deambulare poſſe quempiam in Inſula quin quocunque pedem inferret ſtatim ovorum nidum ſit conculcaturus. Verùm ad hoc reſponderi poteſt, aut quos conſuluit, homines fuiſſe quibus parùm cordi eſſent hujuſmodi curioſitates, aut putrida Navigiorum fragmenta truncóſve arborum, qui maris alluvie huc adacti eſſent, jamdudum ejuſdem æſtu fuiſſe ablatos, atque ſic cùm exempla rerum hujus raritudinis recenter non eſſent renovata, earum memoriam facilè extingui poſſe apud quamplurimos Finitimorum. Nam ſexaginta ferè anni elapſi ſunt ex quo *Gerardus* ſcripſit; & dum in vivis erat, ultrò in ſe ſuſcepit narrationis confirmationem per teſtes idoneos, profitetúrque ſe nihil declarare, quàm quod oculis viderat, propriiſque contrectaverat manibus.

Additque inſuper Hiſtoriam de altero gerere Anſerum arboreorum, quos conchis ſuis incluſos ex vetuſta arbore putrefacta collegit in littore Anglicano, *Dubrim* inter & *Rumneiam*. Horum multos ſecum adduxit *Londinum*, concháſque aperiendo, quæ à Mytilorum Imagine non multùm abludebant, Aves haſce reperit in variis Maturationis gradibus, in quibuſdam conchis, informes tantùm maſſulas, in aliis Aves formatas quidem ſed nudas, in aliis eaſdem formas ac ſpecies, & lanugine etiam obductas, conchâque hiante, elapſuris ſimiles.

Poſſum & tertium genus adjicere, à Nobili quodam ex *Hibernia*, mihi deſcriptum, quos ſæpenumerò in iſtis littoribus obſervaverat, ſed non multùm refert iſtorum deſcriptioni heîc inſiſtere. Summa quò collineo hæc eſt: Quòd fama de avibus ex putrefactione genitis admodum eſt certa. Qua de re ipſe equidem, per Nobilis illius literas perinde atque per *Gerardi* narrationes tam firmiter ſum perſuaſus, ut fatear ingenuè me nullo modo de ea poſſe dubitare. Et meritò quidem meam credulitatem excuſare poſſet, ſi juſtè heîc illius culpæ poſſem eſſe ſuſpectus, quòd ipſi, qui hæc objecit, poſt diligentiorem inquiſitionem, plenè tandem de eadem veritate ſatisfactum ſit.

6. Reſpondimus jam omnibus Objectionibus tam *Philoſophicis* quàm *Hiſtoricis* contra loca illa particularia libri tertii factis. Reſtat tantùm una, eáque naturæ ma-

gis univerſalis, tantíque ſanè momenti, ut niſi illi ſatisfecero, Inſtitutum præcipuum univerſi Libri tertii contra *Atheiſmum* (in quo id maximè ſatago, ut per Hiſtoriam de *Spiritibus* ad Exiſtentiæ *Dei* fidem homines perducam) penitùs ſit ſubverſura. Conceſſo enim omnes iſtas Hiſtoriolas veras eſſe, minimè tamen indè ſequi aiunt, quòd *Spiritus* ſint, eo ſenſu quo ego *Spiritus* definio, talíve ſignificatione quæ in noſtra explicatione Ideæ Dei intelligenda occurrit, nempe, quòd ſit ſubſtantia immaterialis ſive incorporea quæ Materiam penetret atque actuet. Ipſi enim nihil aliud ſunt quàm tenuius quoddam corporis genus, cujuſmodi eſt *Aer* vel *Ignis*, aut tale quodvis ſubtile Elementum, non autem purus *ſpiritus*, juxta noſtram *Spiritûs* definitionem.

Si hoc verum eſſet, fateor equidem ultimum noſtrum Librum adversùs Atheiſmum vis nullius fore, nec vel minimum momentum facere ad eum ſcopum cui eſt deſtinatus. Nam ſi Deus ſit, neceſſe eſt ut *Spiritus* ſit propriè ſic dictus, alioqui Infinitus eſſe nequeat. Nec poteſt eſſe univerſa hæc Mundi Materia licèt infinita ſupponeretur, quia tunc nihilominus non poſſet eſſe *Perfectus*. Sed eſſentia eſſe debet à qua hæc Materia dependet, & in qua eſt, penetrans poſſidénſque omnia. Quod quilibet facilè crediturus eſt, qui certò ſit perſuaſus particulares eſſe *Spiritus* qui actuant penetrántque hanc vel illam partem Materiæ, quod contendo eas narrationes quas attuli evidenter evincere.

7. Appello enim quemlibet qui noverit quid ſit *Ignis* atque *Aer*, annon mera ſolutarum particularum Materiæ congeries æquè reverà ſint, atque quivis cumulus *arenularum*. Hoc ſolummodo intereſt, quòd particulæ tam tenues ſunt, ut ſint inviſibiles nec diſtinctè à ſenſu percipi poſſint; ſed æquè verè ſunt disjunctæ Atomi, (ſi ſic appellare fas ſit, quod adhuc eſt diviſibile) quàm *arenæ granula* ſuprà dicta.

8. Jam verò hoc ſuppoſito, quod nemo niſi rerum Philoſophicarum ignarus poteſt negare, planè inveniemus res iſtiuſmodi à *Spiritibus* præſtari quemadmodum vulgò appellitantur, quæ nullo modo compagi cuiquam horum tenuium granulorum, Atomorúmve Materiæ ex quibus *Aer* & *Ignis* conſiſtunt, competere poſſunt. Primò enim, Aut omnia hæc Granula Atomíve Materiæ Senſum in ſe habent, Imaginationem & Intellectum, aut pauca tantùm, aut unum denique ſolummodo. Si omnia vel pauca aliqua, manifeſtum eſt tot eſſe Res diſtinctas intelligentes. Res verò diſtincta intelligens *Perſona* eſt, ità ut una hæc *Perſona* multæ *Perſonæ* ſint. Quod admodum repugnans eſt, aut ſaltem immane quantum ridiculum. Quod ſi Sensûs, Imaginationis & Intellectûs ſedes ſit in uno tantùm, quî fieri poteſt, ut unum iſtud granulum atomúſve reliquas omnes motu ſpontaneo valeat promovere? Et par profectò ratio foret ſi ſenſum & rationem in paucis aliquibus Atomis internis collocaremus. Quomodo enim eas quæ ponè ſunt ſitæ, ſecum ducere poſſunt, ſecúmve trahere quæ ſunt ad latera, aut ante ſe propellere, ità ut non ſeparentur ab internis iſtis Atomis nec à tergo relinquantur? Et tamen admodum probabile eſt, quòd ſedes ſensûs ac perceptiònis, perexiguo aliquo ſpacio in vehiculo *Spiritûs*, circumſcribitur, quippe quum ità fiat in corpore humano. Nam * ni hoc ità eſſet, ſed unaquæque pars vehiculi ſenſum in ſe haberet, Objectum externum in neſcio quot locis eodem tempore appareret, rerúmque imagines aut omninò confunderentur; aut Atomi, poſtquam agmine compoſito incedere inceperint, à ſcopo aberrarent, propriúmque directò ſenſum ſingulæ ſequentes neceſſariò à ſe invicem ſepararentur, compagémque integram diſſiparent.

9. Deinde, Manifeſtum eſt, illud, quod in Spiritibus facultatem habet *ſentiendi*, *reminiſcendi* etiam facultatem habere, alioquin Objecta ſensûs in memoriam revocare minimè valerent, ſi unum idémque in ipſis non eſſet, quod & *ſenſu* pollet & *memoriâ*. Illud verò quod *reminiſcitur*, etiam *imaginatur*, & quod imaginatur, per ſuæ Imaginationis vim, vehiculum transformat in varias formas ac figuras, illícque continet in tali forma, quamdiu ſibi viſum fuerit.

Jam igitur quæro, quî hoc fieri poteſt per unicam vel paucas particulas Atomóſve in ulla vehiculi parte reſidentes? Quomodo reliquas aut continere poſſunt, aut prehendere, quò eas reſtringant conſtringántve in hanc vel illam formam, putà *Canis*, *Pulli equini*, aut *Hominis?* Dicere verò Imaginationem eſſe in unaquaque parte vehiculi, itáque admittere iſtas particulas imaginari quæ nè ſenſum quidem habent (ut certè maxima earum pars non habere videtur, ex eis quæ modò dicta ſunt) ab omni ratione eſt alieniſſimum.

10. Tertiò, Illud quod à *Lucretio* affertur adversùs Animæ Immortalitatem, ſuppoſito quòd talis congeries parvarum Atomorum ſit, quales Spiritus heîc ſupponuntur, æquè validum argumentum eſt adversùs Exiſtentiam id genus Spirituum. Nam ventorum flatu ut lucerna extinguerentur, aut diſcerperentur tempeſtatibus, & in vagos diſſiparentur fumos acnubeculas.

11. Quartò & ultimò, *Tranſportatio pecorum* per *Aerem*, ipſarúmque Sagarum ad Nocturna ſua conventicula, ſi *Spiritus* ſive *Dæmones* nihil aliud ſint quàm ſubtilium Atomorum *Aereorum* vel *Igneorum* congeries, ſine ullo interno Principio immateriali quod facultatem habeat particulas firmiter in unum continendi, res factu planè eſſet impoſſibilis. Manifeſtum enim eſt Hominem Beſtiámve pondere ſuo degravatam per aërem eſſe perlapſuros, nec ceſſaturos unquam donec terram attigerint; atque ità profectò perlapſuri eſſent per *vehiculum Spiritûs*, quod æquè ſubtile eſt, fluidum atque mobile quàm ipſe Aër, ni aliqua ineſſet Eſſentia interna ac Principium quod conſtringere valeat & in unum continere fluidum hoc corpus ſive vehiculum Spiritûs, atque ſic efficere ut pondus ſuſtineat. Nam omnia corpora ſive dura ſive fluida, perindè impenetrabilia ſunt; ac propterea ſi vis aliqua ità Aërem in unum contineret ut in eundem ferè ambitum ſive ſpacium reſtringeret, nec mutaret tamen naturalem ejus conſiſtentiam, Aëri in veſicam incluſo haud abſimilis eſſet, poſſétque quiſpiam æquè tutò ei incumbere, atque molli lecto, nec periculum erit nè perlabatur.

Cæterùm in hac *ſolutili* Atomorum congerie, præter quas nihil omninò aliud Spiritui ineſſe contendunt, (quamvìs admitteremus quidem ridiculam illam ſuppoſitionem, quòd unaquæque Atomus imaginari poteſt ſeſéque adjungere ad commune Inſtitutum arctè omnia continendi in unum) difficile tamen eſt intelligere, quin actualis hæc Diviſio totius in tot tenues, ſubtiles inviſibiléſque particulas ità debilitatura ſit nixus ſpontaneos ad onus ſuſtinendum ac deportandum, ut earum ſtudia ſemper reperirentur fruſtranea.

12. Sed nihil opus eſt in eo inſiſtere * quòd fortean videri poteſt aliquanto magìs lubricum, cùm illud quod magìs conſpicuè incongruum eſt noſtro conſpectui ſe offert. Etenim cùm hæc aërearum vel ignearum particularum ſtrues ſola ſit ſubſtantia quæ in Spiritu eſſe agnoſcitur, cúmque unaquæque atomus imaginatione & ratione prædita ſit, quo unum aliquod opus conjunctim promovere poſſint, equidem neceſſe eſt, quemadmodum ſuprà monui, ut æquè propriè dicendæ ſint tot diſtinctæ *perſonæ*, atque Arenæ granula tot diſtincta *Individua* Materiæ, ac proinde unuſquiſque Dæmon eſt reverà 5000 Myriades Dæmonum & ampliùs, id quod longè abeſt ut quiſquam ſomniet unquam vel admittat quicquam eſſe niſi inſomnium, ſi de eo vigilans fortè cogitaverit. Quòd ſi res hujuſmodi non agnoſcentur abſurdæ, ſed perfrictâ fronte admittentur, & ſine maſticatione deglutientur tanquam primo aſpectu veræ, equidem fateor nullam valere demonſtrationem contra impudentiam ac pertinacitatem, nec apud iſtiuſmodi homines me poſſe probare, aut Bruta Animalia vitam habere, aut pulviſculos qui in radiis ſolaribus per foramen ingreſſis luſitant, ſenſu ac ratione deſtitui.

13. Horum Argumentorum materiam, quemadmodum meminiſſe poteſt Lector, aliàs adhibui, quò probarem incorporeum aliquod Principium in humano corpore reſidere atque agere; verùm eorum forma atque applicatio in hoc loco non parum differt, ipſorúmque vis longè magìs conſpicua eſt ac manifeſta, quippe quòd fixa conſiſtentia Mechanicáque fabrica humani corporis multa præſtare valeat quæ fluidum & inorganizatum Ignis Aëríſque vehiculum nullo pacto poſſit, niſi admittamus Eſſentiam Immaterialem ipſi ineſſe, totúmque penitus ità poſſidere, ut poteſtatem habeat conſtringendi ipſum atque transformandi in varias iſtas formas in quibus apparet. Ac propterea quanquam Argumentationes noſtræ pro immateriali Anima in corpore Humano, ſolidæ ſint ac irrefutabiles; tamen cùm veritas modo magìs palpabili atque indubio demonſtrabilis ſit in Igneis Aëreíſque *Spirituum* quos vulgò vocant vehiculis, equidem *Tertium* Librum noſtrum *adverſus Atheiſmum* admodum utilem eſſe exiſtimo, ſi non neceſſarium, nequaquam autem ſuperfluum aut ſupervacaneum.

SCHOLIA

In Cap. XIII. Sect. I.

Spiritum poſſe corpus ſiſtere ac fixare perinde atque illud movere, &c. *Sed diſpiciendum porrò eſt, an iſta fixatio manſura ſit poſtquam Spiritus ſe ſubduxerit. Et ſi maneat, an id non potiùs virtute Plaſticæ fiat Animæ Sagæ Magíve, aut vi Spiritûs Naturæ aut utriuſque,* (*idque tunc ſolùm quando Transformatio debitam Temperiem particularum corporis non corruperit*) *quàm ſolâ Dæmonis fixatione, qui potiùs temporaneâ conſtrictione* *partes in unum continere videri poteſt, quàm per permanentem aliquam* σύμφυσιν, *(quæ aut Archei proprii, aut Univerſi opus eſt peculiare,) eas conglutinare.*

Quod ſecundùm indubias Naturæ leges in eo ſtatu permanſurum ſit, &c. *Equidem ſic foret ſi verâ Symphyſi Dæmon partes coünire poſſet; ſed ſi tantùm conſtringit, fieri poteſt ut iſtâ conſtrictione ceſſante, partes corporis non magìs cohæreant quàm manipuli Arenæ granula pugno conſtricta, quæ expanſâ manu diffluunt ac ſolvuntur. Sic credo fore, niſi* Archeus *proprius* Spiritûſque Naturæ *ſuas etiam partes hic agant, nec naturalis partium temperies ſit corrupta. Unde credibile eſt veram ipſius corporis transformationem vix fieri poſſe (nam de vehiculis aereis alia eſt ratio,) niſi non magna ſit inter naturalem, & aſcititiam ſpeciem formámve, ſtaturæ inæqualitas.*

Sect. 4. Nam ille primordialis Materiæ motus manifeſtò primus eſt, &c. *Equidem hoc manifeſtum videtur ſi eſſet hujuſmodi infinita motuum ſucceſſio, Materiáque innatâ vi atque inſitâ ſe moviſſet. Fuiſſet enim proculdubiò motus ordine Cauſalitatis omnium primus. Sed ut ſit æterna ſucceſſio, impoſſibile eſſe abundè demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico. *Adeò ut nullus locus omnino reliquus ſit Adverſariorum ſubterfugiis, ſed omni ex parte Objectiones eorum vacillent.*

Sed in altero ſenſu *Primum* nullos ponit limites ſucceſſioni, &c. *Nempe quando Primum ſignificat prioritatem tantùm Cauſalitatis. Nam niſi hoc eſſet, impoſſibile foret ut Mundus ſit ab æterno, ſive à Deo ſive à ſeipſo extiterit. Sed hac de re minùs nunc ſolicitos nos eſſe oportet, cùm in* Enchiridio Metaphyſico *tam clarè demonſtraverim nullam Durationem ſucceſſivam eſſe poſſe ab æterno. Quas demonſtrationes ſi negaverit Atheus, tamen hæc ipſa quæ hîc ſunt præ manibus, talia ſunt ex quibus ſe nunquam ſit extricaturus. Ut nihil dicam de Generationibus ſpontaneis, ſive ex putrefactione, & de Cometis in Planetas converſis, quos ab aliquibus Animalibus habitari, opinio eſt à qua moderni Philoſophi haud ità abhorrent.*

Sect. 12. Quod fortean videri poteſt aliquanto magìs lubricum, &c. *Ex eo utique quòd venti aliquando conſpiciuntur ſatìs magna onera attollere. An verò tunc ipſi non moveantur & corroborentur à Spiritu Naturæ controverſia eſt Ingenio Philoſophico non indigna.*

Sect. 13. Equidem tertium librum noſtrum adversùs Atheiſmum admodum utilem eſſe, &c. *Atque hinc conſtare poteſt quàm præſtabilis uſus foret Hiſtoriæ Pneumatologicæ, ſi cautè ſanctéque hoc opus perficeretur, nulláque congererentur exempla niſi quæ meritò fide digna videantur. Sed pauca hæc interim, quæ ipſe congeſſi, præſenti Inſtituto abundè ſpero ſatisfactura.*

ENTHUSIASMUS TRIUMPHATUS:

Sive De
NATURA, CAUSIS, GENERIBUS
&
CURATIONE

ENTHUSIASMI
Brevis Diſſertatio.

Per *HENRICUM MORUM*
Cantabrigienſem.

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
M.DC LXXIX.

DE
NATURA, CAUSIS, GENERIBUS
&
CURATIONE
ENTHUSIASMI
Brevis Diſſertatio.

SECTIO I.

Quàm magna Affinitas ſit & Confœderatio Enthuſiaſmum *inter &* Atheiſmum.

A*Theiſmus* & *Enthuſiaſmus* etiamſi adeò ex diametro alter alteri oppoſiti videantur, in multis tamen rebus quàm arctiſſimè conſentiunt. Nam ut præteream unanimem ipſorum conſpirationem contra veram Dei Notitiam ac Religionem, hoſpitantur utplurimum, quanquam per vices, in eodem corporis Temperamento. Illa enim Temperies quæ hominem inclinat ad auſcultandum Magiſterialibus præpotentis *Imaginationis* dictatis magìs quàm tranquillis cautiſque liberæ *Rationis* Inſinuationibus, Diverſorium eſt ad quod hi nefarii Hoſpites alternis vicibus facilè ſe recipiunt.

Nam ut *Inſomnia Imaginationes* ſunt *dormientium*, ità *Imaginationes* nihil aliud ſunt niſi *Inſomnia Vigilantium*. Atque hæ *Imaginationes* quidem interdiu, ut iſta *Inſomnia* noctu, variabunt cum cœlo, præſentíque corporis temperamento mutato commutabuntur: Adeò ut, qui ad igneam tantùm atque *Enthuſiaſticam* Dei agnitionem pervenerunt, victûs alteratio, fæculenta ſenectus, præſénſve fuliginoſæ *Melancholiæ* ſuffocatio, pari cum confidentia *Imaginationi* ipſorum repræſentatura ſit, Deum non eſſe, quàm unquam ipſis repræſentatum ſit, eſſe Deum. Atque tunc quidem, poſtquam nobiliorum, *Rationis Intellectûſque*, facultatum uſum perdiderint, ex neceſſario Naturalium Cauſarum nexu ac ſequela, æquè audaces *Athei* jam erunt, atque antea fuerant præfidentes *Enthuſiaſtæ*.

Neque certè hi duo turbulenti hoſpites unam eandémque Perſonam ſibi ſuíſque uſibus alternatim tantùm poſſident, ſed mutuas alter alteri ſuppetias ferunt, etiam dum in diverſis perſonis hoſpitantur. Nam *Atheus* dum acumen rationémque naturalem tantopere crepat, (quanquam profectò animi illius immunditia efficit, ut ineptè admodùm & allucinanter iſtis dotibus utatur) facit omninò ut *Enthuſiaſtes* pro perſuaſiſſimo habeat, *Rationem* haud idoneam eſſe Ducem ad Deum: Et *Enthuſiaſtes* viciſſim dum vaga tumultuariæ ſuæ *Imaginationis* deliria pro indubitatis Divinæ Sapientiæ Principiis dictat, *Atheo* quidem confirmat, totam rem Religionis Notioníſque Dei nihil aliud eſſe quàm moleſtum nimis ſolicitæ *Melancholiæ* Paroxyſmum.

Quamobrem cùm hujuſmodi arcta ſit affinitas, mutuáque inter has duas enormes Animi Intemperies, *Atheiſmum* & *Enthuſiaſmum*, ſocietas & confœderatio, valdè conſentaneum exiſtimo, poſtquam de priori ſatìs copioſè egerim, brevem hanc de *Natura*, *Cauſis*, *Generibus atque Curatione* poſterioris hujus morbi, *Diſſertationem* hîc addere.

SECT. II.

Quid ſit Inſpiratio *&* *quid* Enthuſiaſmus.

ETymologiam & varietatem ſignificationum hujus vocis, *Enthuſiaſmus,* Criticis relinquo atque Grammaticis. Quid verò nos per eam heîc intelligamus pleniùs percipies, poſtquam quid *Inſpiratio* ſit, definiverimus. Nam *Enthuſiaſmus* nihil aliud eſt quàm falſa cujuſvis de ſe opinio, quòd ſit *Inſpiratus.* Jam verò *Inſpirari,* eſt modo quodam extraordinario moveri per vim Divinam Deíve Spiritum, ad agendum, loquendum, cogitandúmve quod ſanctum eſt, juſtum atque verum. Atque hinc facilè intelligitur quid ſit *Enthuſiaſmus,* nimirum Plena ſed falſa perſuaſio in homine quopiam, quòd ſit *Inſpiratus.*

SECT. III.

Inveſtigatio Cauſarum Enthuſiaſmi *in facultatibus Animæ.*

INquiremus jam in *Cauſas* hujus Intemperiei, quî fiat ut quis in rebus ſuis penſitandis tam planè fatuus atque demens evadat. Atque equidem niſi magìs jejunam rei explicandæ rationem adhibere velimus, quàm cujus ipſa capax ſit, non ſolùm hîc nobis tractandum eſt de *Melancholia,* ſed de facultatibus Animæ humanæ, quò meliùs intelligi poſſit unde fiat obnoxia iſtiuſmodi *Melancholiæ* perturbationibus, in quibus judicium ſuum ac libertatem prorſus perdiderit, quippe quæ nec proprias ſuas *Imaginationes* à ſolidis *Veritatibus* diſtinguere poſſit, nec eaſdem à ſeipſa abarcere.

SECT. IV.

Diſtincti gradus naturæque ſuarum facultatum.

DIverſos igitur facultatum Animæ notare debemus gradus ac naturas, quarum infimas quidem exercet ſine omni perceptione vel animadverſione ſuarum actionum. Atque hæ Operationes *fatales* ac *naturales* ei ſunt quamdiu manet in corpore. Et quantùm quidem ad has, *homo* perpauxillùm differt à *Planta*; quas proinde *Vegetativas* ſive *Plantales* Animæ facultates meritò poteris appellare.

Infimæ iſtarum facultatum quarum præſentis Operationis ullam habemus perceptionem, ſunt *ſenſus externi,* qui poſtquam Objecta ad Organon ſenſitivum pertigerint, non poſſunt non operari, hoc eſt, Anima non poteſt quin ipſis afficiatur, nec in illius poteſtate eſt, aut ſaltem admodum ægrè, ſuam perceptionem ſuſpendere.

Unde manifeſtum eſt, Animam humanam ità comparatam eſſe ut neceſſariò ac fataliter expergefieri queat in *Phantaſmata* ac *Perceptiones* ſine omni conſenſu ſuæ voluntatis.

Quod verum etiam reperitur in *Imaginatione,* quamvìs iſta facultas liberior ſit priori. *Inſomnia* enim quid aliud ſunt quàm *Imaginationes* & *Perceptiones* dormientis? Quæ tamen Animam dormientis obrepunt aut ex illa oriuntur ſine ullo juſſu aut conſenſu ſuo. Quemadmodum maximè omnium manifeſtum eſt in iſtiuſmodi inſomniis quæ dolorem inſerunt, vehementíque cruciatu nos exercent donec ex eis experrecti ſimus.

Et conſimiles quidem obreptationes atque importunæ & inevitabiles cogitationum ſuggeſtiones quæ ſe animo obferunt & obtrudunt, obſervari etiam poſſunt interdiu ſecundùm naturam ſive vim temperamenti corporum noſtrorum; quanquam quomodo corpus cogitationibus vel Imaginationibus mentem illiget maximè manifeſtum ſit in *ſomno.* Etenim prout *Cholera, Sanguis, Pituita,* aut *Melancholia* prædominatur, ità erit *Inſomniorum* noſtrorum ſcena, ídque ſine ullo addubitationis fræno aut repagulo, de veritate aut exiſtentia earum rerum quæ tunc apparent.

Cujus quidem rei nullam aliam rationem comminiſci poſſumus, præter hanc ipſam, nimirùm, Quòd intima ſenſûs ſedes admodum plenè ac vividè afficitur, eo ferè modo quo ab Objectis interdiu. De quorum reali Exiſtentia certitudo ordinaria eſt, quòd tam fortiter feriunt afficiúntque facultatem ſenſitivam; quæ in externis Organis

nis non reſidet: non magìs ſanè quàm peritia artificis in Inſtrumentis ſuis, ſed in interioribus aliquibus receſſibus Cerebri. Ac proinde cùm vera ac realis Sensûs ſedes afficiatur in *ſomno* perinde atque dum vigilamus, minùs profectò mirandum eſt, ſi Anima *inſomnia* ſua, dum adhuc ſomniat, inſomnia non eſſe, ſed veras rerum tranſactiones autumat.

SECT. V.

Cur Inſomnia, donec evigilaverimus, veræ rerum videantur tranſactiones.

JAM verò quòd ſenſus internus in hiſce *Inſomniis* tam vividè afficitur, hinc proficiſci exiſtimo, Quoniam Cerebrum, Spiritus Animales, vel quicquid ſit in quod Anima, inter Operationes ſuas *Imaginativas*, agit, non magnoperè quidem moventur, alterantur aut agitantur ab ullo motu externo, ſed figurationem iſtam ſive modificationem in quam Anima neceſſariò ac naturaliter in *ſomno* ipſa formaverit, plenè integréque conſervant: Adeò ut opinio veritatis illius quod nobis repræſentatur in *Inſomniis* noſtris hinc oriatur, quòd Imaginatio tunc temporis (hoc eſt, interna Cerebri ſive Spirituum in hanc vel illam Repræſentationem figuratio) multo fortior ſit quàm ullus motus ſive agitatio *ab extrà*, quæ vigilantibus internam Imaginationem obfuſcat atque obſcurat, ut lumen Solis Lucernæ lumen in Conclavi. Et tamen etiam in hiſce circumſtantiis, Imaginatio ſecundùm *Ariſtotelem* eſt αἴσθησις τις ἀσθενὴς, *Senſationis quoddam genus, licèt debilius atque infirmius.*

Sed enimverò ſi *tam fortis* eſſet, ut contra omnes *externorum* Objectorum occurſus atque impulſus ità obniti poſſet, ut minimè frangatur aut debilitetur, ſed integram ſe conſervet, & in pari ſplendore ac vigore cum eis quæ repræſentantur *ab extrà*, ídque non *arbitrariò* ſed *neceſſariò & inevitabiliter*, quemadmodum jam monuimus; is qui ſic afficitur, non poſſet quin propriam ſuam *Imaginationem* pro *reali Senſûs objecto* accipiat: Quemadmodum cuidam contigit, cujus mentionem *Carteſius* facit (ſúntque alia multa id genus exempla) cujus brachium cùm amputatum eſſet, ipſéque adhuc maneret capite obnuptus, de dolore in hoc & illo digito conqueſtus eſt, cùm totum tamen brachium amiſiſſet.

Atque alia huc adjici poſſunt exempla in hominibus *Maniacis* ſive *Melancholicis*, qui confidenter affirmârunt ſe *Dæmoni* occurriſſe, aut cum *Angelis* collocutos eſſe, cùm tamen nihil aliud fuerit quàm cum propria Imaginatione congreſſus & colloquium.

SECT. VI.

Enormem vim Imaginationis *cauſam eſſe* Enthuſiaſmi.

QUamobrem enormis vis eſt *Imaginationis* (quæ tamen Animæ debilitas eſt atque impotentia quâ in phantaſmata eouſque ſubſidit depreſſa ut ad liberiorum ſuarum facultatum *Rationis* putà atque *Intellectûs* uſum ſe recipere nequeat) quæ tam pertinaciter hominem illigat ad fidem adhibendam *Mendacio*.

Atque equidem ſi tam fortis ſit ut perſuaſiſſimos nos reddat de alicujus *Objecti externi* præſentia, quod tamen non adeſt, cur non æquè efficax eſſe poteſt ad fidem ingenerandam interiorum aliquarum cogitationum quales referuntur de Hominibus *Maniacis* atque *Fanaticis*, qui tam firmiter atque conſtanter crediderunt ſeipſos, *Deum Patrem, Meſſiam, Spiritum Sanctum, Angelum Gabrielem, Poſtremum atque ſummum Prophetam* quem Deus miſſurus eſſet in hunc Mundum, & ſimilia?

Conceptus enim eorum non tam puri ſunt ſive immateriales, nec tam ſolidi Rationíve conſentanei, quin fortè aliquod *Phantaſma*, exuberánſve *Imaginatio* iſta verba apud ipſos ſemper concomitetur; Cujus exuberantia atque claritas, ut in exemplis modò allatis, fidem naturaliter Animæ obtrudit veritatis atque exiſtentiæ illius rei quam tam vividè percipit; cúmque tam plenè integréque immerſa ſit in hoc commentum falsámve perceptionem, & tam vehementer eâdem affecta, aut patientiam non habebit perpendendi quicquam quod contra ipſam allatum fuerit, aut ſi perpendat reperiátque ſe irretiri atque implicari, tanquam humanum aliquod ſophiſma conſiderabit, propriámque Infallibilitatem vel Infallibilitatem Spiritûs, omnibus cujuſmodicunque *carnalibus Ratiociniis* præponet; ut illi quorum imaginationes, longo uſu & educatione, in aliquo falſæ Religionis articulo abſurdo corroboratæ ſunt & confirmatæ,

firmatæ, quanquam in aliis fortaſſe rebus ſatìs ſapiunt, firmiter Concluſioni adhærebunt, Demonſtrationes quantumvis clariſſimæ adducantur in contrarium.

Jam verò, quod Conſuetudo & Educatio gradatim faciunt, idem efficere poteſt breviori tempore maleſana *Imaginatio*. Res verò ſic ſe habet utrobique quemadmodum in *Inſomniis*, ubi illud quod repræſentatur neceſſariò accipitur pro vero, quia nihil fortius adeſt, quod enervet perceptionem. Nam quemadmodum *externorum* Organorum ſenſûs ligatio, iſtiuſmodi fluctuationes undulationéſque motûs externi prohibet, quæ has in ſomno occurrentes Repræſentationes frangant obſcuréntve; ità præjudicium obfirmatáque in opinione confidentia, etiam tum cùm vigilat quiſpiam, fatuam illius Imaginationem ab omnibus Rationis aggreſſuris, quæ ullam dubitationem incutere poſſint, vegetam ſartámque tectam conſervant.

Nec magìs mirandum eſt quòd mens in reliquis ſana ſit, quanquam in una aliqua re adeò deliret, quàm quòd is qui in Nemore Dæmonem ſe videre putat, non omninò aberret in loci circumſtantia, ſed eandem ipſam ſemitam conſpiciat, flores atque gramina, quæ alter mentis compos ibi conſpicit perinde atque ipſe.

In ſumma igitur, Origo iſtiuſmodi pertinacium deluſionum quibus gens humana obnoxia eſt, *Imaginationis* vis eſt enormis atque vigor. Quæ quidem facultas quamvìs aliquatenus in noſtra poteſtate ſit, utì & *Reſpiratio*, operatur tamen etiam injuſſu inconſultúque noſtro. Atque hinc homines vel inviti *Maniaci* fiunt & *Fanatici*.

SECT. VII.

Cauſæ variæ naturales ac corporeæ quæ neceſſariò in Imaginationem *agunt.*

JAM verò quid illud in nobis ſit quod *Imaginationem* noſtram adeò teneat captivam, támque longè extra ictum auditúmve liberioris illius ac ſuperioris facultatis *Rationis* abducat, difficile eſt ſpeciatim definire. Multas verò res eſſe *Materiales* quæ certiſſimè mentem Imaginationémve mutant, ipſa experientia abundè teſtatur.

Imaginatio enim alteratur ad ſanguinis alterationem atque ſpirituum, (quemadmodum ſuprà monuimus, eóque *Inſomniorum* exemplum adduximus) & certè res admodum exiguæ eos alterabunt etiam tum cùm vigilamus, ipſa Cœli mutatio, variæque Aëris temperies, Fumi paululum, ſive ſuffumigationis; quemadmodum factum eſt in iſtis Seminibus, quorum mentionem facit ‖ *Pomponius Mela*, quæ *Thraces* quibus Vini uſus nondum innotuerat, in Feſtis ſolebant Foco injicere, quibus inebriabantur ad æquè altum hilaritatis gradum atque iſti qui liberiùs uvarum ſanguinem bibunt. Cujus tamen vis tanta eſt, ut, quemadmodum loquitur ‖ *Joſephus*, novam videatur in bibente animam creare. Μεταποιεῖ γὰρ καὶ μεταγεννᾷ τὰς ψυχὰς ἐν αὐταῖς γενόμενος, *Transformat ac regenerat animam in novam naturam poſtquam introiverit.*

‖ *De ſitu Orbis, lib.* 2. *cap.* 2.

‖ *Antiquitat. Judaic. lib.* 11. *cap.* 4.

At enim pro certo novam cogitationum ſcenam utplurimum in mentes eorum introducit, quibus liberiùs ipſum bibendi data ſit occaſio. Quod in cauſa erat cur *Perſæ* nullum grande negotium aggredi nec ullam magni alicujus momenti pactionem conficere voluerint, niſi rem priùs perpendiſſent, tum *bene madidi*, quod dicitur, tum *ſobrii*. Nam ſi per omnes iſtas repræſentationes ſpecieſve quas duæ illæ contrariæ Temperies mentibus ipſorum exhibuiſſent, rem approbabant, certos ſe exiſtimârunt quòd tutò progredi poſſent & cum ſucceſſu.

Et tamen *Vinum* non ſemper tam mutat cogitationes temperiémque alterat, quàm ad gradum altiorem elevat, adeò ut effectum aliquando contrarium reperiatur, propter ſolam ingenii hominum diverſitatem; quippe quum inebriati, alii plorant, alii rident, alii in majorem emolleſcunt benignitatem, alii ad iram fiunt propenſiores. Non abſimiliter atque contingit eis qui à *Tarantula* icti ſunt; Alii perpetuò rident, alii canunt, alii plorant, &c. quemadmodum ‖ *Sennertus* notat ex *Matthiolo.* Quod verò utrique maximè admirari videntur, hoc eſt, nempe quòd *Tarantulatorum* phantaſia Muſicâ tantopere capiatur; Neque enim dolorem tantummodò obliviſcuntur, ſed inceſſanter etiam ſaltant. Qua de re *Epiphanius Ferdinandus* de ſene quodam nonageſimum & quartum ætatis annum agente memorabilem Hiſtoriolam narrat, quippe qui cùm ſcipioni innixus vix prorepere poſſet, ictus tamen à *Tarantula* ad auditos Muſicos concentus ſtatim proſiliebat ſubſultabátque ad inſtar Hœdiculi.

‖ *Medicin. Practic. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 17.

Huic affine eſt illud Inſaniæ genus quod S. *Viti* tripudium appellitant, quem morbum *Sennertus* rectè affirmat à maligno quodam humore in corpore genito & Veneno *Tarantulæ* admodum conſimili proficiſci. Quod adminiculo nobis erit ad explicandas cauſas mirabiliorum operationum in phantaſiam, quàm hactenus commemoravimus.

vimus. Cujuſmodi, exempli cauſâ, ſunt λυκανθρωπία, γαλεανθρωπία, & κυνανθρωπία, quæ mentis intemperies ſunt quibus homines ſe imaginantur *Lupos*, *Feles* vel *Canes*.

Sect. VIII.

Ciborum vis & efficacia ad mutandam Imaginationem.

MUltæ ſunt Narrationes in ſuprà dicto ‖ Authore de viribus quas alimentum habeat ad operandum in *Imaginationem*, & ad mutandum hominis Ingenium in naturam illius Animalis cujus ſanguine lactéve nutriatur.

‖ *Inſtitut. Medic. lib. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 4.*

Puella *Breſlavenſis* cùm Epilepſiâ affecta eſſet, à conſpectu Capitis Malefactoris per carnificem amputati, poſtquam multa alia Remedia nihil profeciſſent, id tandem ei perſuaſum eſt à quibuſdam ut Felis ſanguinem biberet; quo facto, non multò pòſt puella in naturam proprietatémque illius Animalis degenerat, felis vocem ſaltúmque imitatur, mures venatur pari ſilentio ac vigilantiâ quâ illæ ſolent, eos perſequens quàm proximè poſſet, ad parva uſque eorum latibula. Hæc Narratio tranſcribitur ex *Weinrichio*.

Brevitérque alteram apud eundem Scriptorem narrationem attingit, de quodam, qui poſtquam ſanguine ſuillo diu enutritus eſſet, in præcipuis oblectamentis habebat ſe in cœno verſare ac volutare; quemadmodum & de puella altera, quæ cùm diu in cibum lacte caprino uſa eſſet, capræ inſtar ſaltare viſa eſt, frondéſque arborum, ut capræ ſolent, depaſci.

Poſſumus & quartam addere Narratiunculam de quodam qui comedendo Urſi cerebrum ad urſini acceſſit ingenii ſimilitudinem. Sed minoribus hiſce effectorum exemplis diutiùs non immorabimur.

Sect. IX.

Baptiſtæ Portæ *potio quæ in Imaginationem operatur.*

B*Aptiſta Porta* rem longè inſignioribus exemplis illuſtrat, quippe qui profitetur ſibi familiaritatem fuiſſe cum quodam, qui quoties volebat, hominis imaginationem ità alterare potuit, ut eum faceret ſeipſum imaginari hanc vel illam Avem, Beſtiam, aut Piſcem, hominémque in hoc delirio ſic deluſum movere velle corpus ſuum, ad eum quàm proximè poſſet modum, quo id genus Animalia ſolent, & ſi vocalia erant, voces etiam ipſorum imitari.

Magiæ Natural. lib. 7. cap. 2.

Potio hæc intoxicatoria ex certarum quarundam Herbarum Extractis componitur, ut *Solani Manici*, *Mandragoræ* aliarúmque, unà cum corde, cerebro aliíſque partibus hujus vel illius Animalis cujus imagine hominis phantaſiam inficere volunt. Affirmátque de propria Experientia, poſtquam hujus rei periculum feciſſet in aliquibus ſuorum familiarium, cùm juvenis eſſet, unum ex iſtis, qui multum bovillæ voraverat, poſt ſumptam potionem, fortiter imaginatum fuiſſe ſe Tauris eſſe circundatum, qui eum cornibus ſuis ſubinde impeterent.

Sect. X.

Morborum vis in Imaginationem.

QUod heìc in hiſce rebus evenit, quarum cauſas perveſtigare poſſumus, idem nonnunquam illìc contingit ubi rationem tam plenè directéque eruere minimè valemus. Medici enim iſtiuſmodi Inſaniæ genera commemorant quæ efficiant ut homines confidenter ſeipſos imaginentur *Canes*, *Lupos*, ac *Feles*, cùm tamen nec carnem ederint, nec biberint ſanguinem ullius Felis, Canis, aut Lupi, nec ullam iſtiuſmodi hauſerint potionem artificialem quam modò narraverimus, quò in tales morbos præcipitentur.

De cauſis hujuſce mali nemo fœliciùs divinare poteſt, quàm fecit ipſe *Sennertus* circa S. *Viti* tripudium. Etenim quemadmodum illìc corpus intelligitur ab aliquo maligno humore infeſtari, veneno *Tarantulæ* admodum congenere; ità in his morbis meritò concludere poſſumus tales fumos vaporéſve ex aliqua corporis immunditie in cerebrum aſcendere (quanquam cauſas particulares non ſatìs intelligimus) qui maximam habeant affinitatem cum noxiis humoribus ſive exhalationibus qui huc & illuc feruntur & imaginationem impetunt eorum, qui Felis ſanguinem biberint, aut enutriti fuerint lacte ſuprà dictorum Animalium, aut Potionem intoxicatoriam hauſerint à *Baptiſta Porta* deſcriptam.

Sect. XI.

De vi Melancholiæ, *& quomodo ſæpenumero unam aliquam abſurdam cogitationem menti imprimat cùm homo in reliquis rebus ſatis ſanus ſit.*

MUlta attulimus exempla magnæ illius vis quæ in cauſis naturalibus cernitur ad mutandum inevitabiliter *Imaginationem*, in eámque efficaciter operandum. Aliquid generalius nunc memorabimus, cujus tamen natura tam varia eſt & *Vertumno* ſimilis, ut omnium ferè particularium vicem ſit ſuppleturum. Eſt autem *Melancholia*. De qua teſtatur *Ariſtoteles*, quòd ſecundùm varios illius gradus ac temperies mirum in modum variantur hominum Ingenia. Quippe quæ quoſdam tardos ac ſtupidos facit, alios efferatos, ingenioſos, amori deditos, ad iram ac libidinem proclives, alios facit eloquentes, ſermoníſque nimios, alios denique ad Veſaniam uſque & Enthuſiaſmum elevat. Exemplúmque profert in *Maraco* quodam Poëta *Syracuſano*, qui nunquam fœliciùs verſificavit, quàm cùm mente planè emotus eſſet, ipſiſque furoris teneretur paroxyſmis. *Ariſtot. Problem.ſect.*30.

Sed quod maximè obſervatu dignum eſt in Melancholia poſtquam ad morbi naturam acceſſerit, hoc eſt, Quòd unam aliquam abſurdam Imaginationem menti tam firmiter inurit, ut nulla Rationis evidentia in contrarium, eam delere poſſit aut evellere. Quanquam homines qui ſic afficiuntur, in aliis rebus perinde ſapiunt mentíſque compotes ſunt atque cæteri mortales. Atque hoc quidem tam celebre eſt atque frequens, ut *Aretæus*, *Sennertus* aliíque Medici ab hoc ipſo effectu *Melancholiam* definiverint. *Sennert. Medicin. Practic. lib.*1.*part.*2. *cap.*8.

Sect. XII.

Antecedentis Obſervationis Exempla varia.

A*Riſtoteles* nullà hoc genus exempla nobis ſuppeditat, quæ aliunde igitur ſunt petenda. *Democritus junior*, quemadmodum ipſe ſe appellari vult, multas recenſet Hiſtoriolas ad hunc ſcopum pertinentes. Ut ex *Laurentio* unam de quodam Poëta *Gallico*, qui cùm unguento populeo in febri, ad tempora inungenda, quò ſomnum conciliaret, uſus eſſet, unguenti illius odorem adeò averſabatur, ut poſt multos annos imaginatus eſſet unumquemque qui ad ipſum acceſſerit dictum unguentum olere, ac propterea neminem niſi à longinquo permiſit ſecum colloqui, nec novis ſe induere veſtibus voluit, quoniam idem eas unguentum olere putabat. Sed in aliis rebus omnibus ſatìs ſanus erat atque prudens, ſermoníſque æquè compoſiti & cohærentis atque reliqui homines.

Habet etiam & alteram, de Generoſo quodam *Limoſinenſi* (ex *Antonio Verdeur*) qui credebat ſe unum tantùm habere crus, in iſtam opinionem terrefactus, ex ictu Apri ſylveſtris in eam partem, cùm homo alioquin eſſet mentis ſatìs compos.

Etiam tertiam adhibet ex *Platero*, de quodam ſuo conterraneo, qui fortè fortunâ cùm in puteum incidiſſet, ubi ranæ ranarúmque ova erant, paululúmque aquæ deglutiviſſet, tam plenè poſtea perſuaſus erat ſe ranunculos in ventre ſuo habere, ut per multos annos hunc errorem corrigere nequiret. Medicinæ ſtudio per integrum ſeptennium operam dedit, quò remedium morbo inveſtigaret. Profectúſque eſt in *Italiam*, *Galliam* & *Germaniam*, ut Medicos ea de re conveniret, & poſtquam in *Platerum* incidiſſet, ipſum inter reliquos conſuluit. Imaginabatur crocitum Inteſtinorum, Ranarum eſſe coaxationem ; cúmque *Platerus* eum decipere voluiſſet vivas imponendo excrementis Ranas, ut ſic eas ſe egeſſiſſe exiſtimare poſſet eſſéque ſanatum, ejus in Medicina peritia fecit ut iſta techna nullum ſortiretur effectum. Exceptâ enim unicâ hâc ineptâ imaginatione, homo erat, ut ille refert, prudens perinde atque doctus.

Quartam tantummodo addemus ex *Laurentio*, de Nobili quodam ſuis temporibus, homine quidem in rebus reliquis omnibus prudenti mentíſque compote, tantùm ſe-ipſum imaginabatur ex vitro conflatum; cúmque ipſi pergratum eſſet ab amicis ſuis viſitari, in hoc tamen maximam adhibuit curam & cautionem, ut nimis propè ad ſe non accederent, nè fortè ab ipſis confringeretur.

Huic non multùm abſimilis eſt illa narratio de Piſtore *Ferrarienſi*, qui putabat ſe ex butyro compoſitum, & propterea in Sole ſedere noluit, nec ad Focum appropinquare præ formidine colliquationis.

Immenſum eſſet hîc omnia pro rerum ubertate atque copia deſcribere. *Sennertus* aliquas nobis dedit varietatis hujus morbi ſubindicationes, ad *Schenckium* nos remittens, *Marcell. Donatum*, *Foreſtum* alióſque, unde pleniores hauriamus Narrationes. Quidam, inquit ille, vexantur torquentúrque timore mortis, crimen ſe putantes aliquod feciſſe, quod tamen nunquam fecerunt. Alii imaginantur ſe æternùm damnatos, immò conqueruntur ſe jam Infernali igne torreri. Alii ſe tanquam moribundos ſpectant, alii putant ſe penitus emortuos, ac proinde nolunt cibum ſumere. Alii cœlos in ſe ruituros metuunt. Alii manus contrahere non audent, nè Mundum pugnis collidant. Quidam gallos ſe imaginantur, alii Luſcinias, quidam unum Animal, alii alterum. Nonnulli verò cum Deo ejúſve Angelis colloquuntur, alii faſcinatos ſe arbitrantur, nigrúmque aliquem Hominem aut Dæmonem perpetuò ſe comitari. Quidam de paupertate ſua queritantur, alii ſe honorificas perſonas credunt, Duces, Principes, Reges, Pontifices & quid non. Multa ad hunc ſenſum invenies apud *Sennertum*, ſed plura apud *Democritum juniorem*.

Sect. XIII.

Antecedentium Exemplorum ad enervandam præſidentium Enthuſiaſtarum *authoritatem opportuna Applicatio.*

Cæterùm quod obſervatu maximè dignum eſt & materiæ quæ præ manibus eſt accommodatiſſimum, hoc ipſum eſt, Quòd utique tametſi adeò enormis in una aliqua re *Imaginationis judiciique* ſit lapſus, in reliquis tamen omnibus homo ſanâ ſit mente, pro captu quidem ſuo, naturaliúmque menſura facultatum. Quod omnes Medici verum eſſe agnoſcunt, paratíque ſunt exemplis innumeris confirmare. Quod magni profectò momenti eſſe cenſeo, ut penitiùs conſideretur.

Non quidem quomodo fieri poſſit, (illud enim jam declaravimus) ſed quàm præſtabili poſſit eſſe uſui, ad prævertendum facile illud ac vulgare ſophiſma quod quamplurimis ſolet imponere, Qui, ſi *Enthuſiaſtes* facundè ornatéque loquitur, & conſentaneè fortean atque piè (pro certo habeas, fervidè ſatis atque vehementer, & cum confidentia quanta poteſt maxima) tam creduli ſunt, ut propter viſibilem hanc ac laudabilem exteriorum facultatum ornatum, fidem ei habituri ſint etiam in eis rebus quæ non ſolùm minimè probabiles ſunt, ſed vanæ atque ineptæ, immò interdum admodum noxiæ creditu atque impiæ: ut, Quòd homo hic immediatè & extraordinariè à Deo inſpiratus ſit; quòd ſit ſpecialis ab ipſo Nuncius, Ultimus optimúſque Propheta, Spiritus Sanctus incarnatus, cum aliis id genus deliriis. Qualia propagandi ſingulis ferè ſeculis apud aliquos *Enthuſiaſtas* ſtudium ſubinde emicuit.

Inter quos non inficias eo, quin nonnulli ſint, qui quantùm ad præcipuam Chriſtianitatis practicæ Lucem judicio æquè conſiſtenti polleant atque ſuprà dicti *Melancholici* circa res Mundanas quæ ordinariâ adminiſtrantur prudentiâ. Quantùm verò ad hoc unum, quòd *ſupranaturaliter* inſpiratus ſit, quòd *ultimus ſit Propheta, Tuba ultima, Angelus in medio Cœlo* cum æterno Evangelio in manu ſua, *Spiritus ſanctus incorporatus, Deus veniens ad Judicium, & ſimilia*, hoc certè in tali homine, æquè verum ſed longè deterius delirium eſt, quàm ſiquis ſeipſum *Gallum Taurúmve* imaginaretur, cùm tamen omnium mortalium ſenſibus manifeſtum ſit, eum eſſe *Hominem*.

SECT. XIV.

Cauſalitatem Melancholiæ *in hoc* Enthuſiaſmi *morbo facilius quàm in aliis Deliriis indagari atque detegi.*

SED enimverò, cùm tanti momenti ſit, generaliori hâc explicandi cauſas *Enthuſiaſmi* ratione contentus non ero, quòd nempe commodè in eam *Melancholiæ* proprietatem reſolvi poſſet, quâ homines deliri evadunt in una aliqua re, judicio in reliquis intacto & intemerato. Nam de præfacili demonſtrabo porrò ipſam naturam *Melancholiæ* talem eſſe ut multò blandiùs & plauſibiliùs hominem illicere poſſet in perſuaſionem de *Inſpiratione* ac *ſupernaturali* lumine à Deo, quàm ullo pacto queat in illas longè abſurdiores *Imaginationes*, quibus quis ſe *Vitrum*, *Butyrum*, *Avem*, *Beſtiam* ullámve aliam rem ejuſmodi factum eſſe credit.

SECT. XV.

Melancholiam *Religioſum eſſe Temperamentum atque pertinax.*

NAM præter hoc, quod omnium generaliſſimum eſt, *Melancholiam* ſcilicet hominem inclinare ad fidem admodum fortiter ac pertinaciter rei alicui adhibendam aut adimendam (quemadmodum manifeſtum eſt in iſta paſſione *Suſpicionis* & *Zelotypiæ*, quæ ex nulla aut leviſſima occaſione tam plenum ab animo extorquet aſſenſum, ut hominem ad æquè gnaviter agendum impellat, atque ſi certus eſſet ea quæ ſuſpicatur, eſſe vera) notiſſimum eſt præterea, hoc Temperamentum omnium eſſe *Religioſiſſimum*, atque æquè naturaliter ſe rebus Divinis immiſcere (quanquam ſub nulla auſpicatiori Luce quàm ſua propria) atque Simii & Cercopitheci mores actionéſque hominum imitantur.

Neque certè ulla eſt vera gratia Spiritualis à Deo, quin hæc merè naturalis conſtitutio, ſecundùm varias illius temperies ac operationes, eam non ſolùm referre ſed & interdum, propter furorem illius & vehementiam, excedere videatur, idque non ſolùm in *Actionibus*, ſed ſæpenumero in *Sermonis* illecebris viribúſque eloquentiæ, tanquam ſi heîc omninò cernendus eſſet vividus ille rerum Divinarum ſenſus atque intelligentia, aut ſaltem nullus alius ſtatus iſti eſſet æquiparandus.

Cujus rei neceſſarius hic erit eventus, niſi ingens veræ gratiæ Divinæ menſura interveniat, ut hujuſmodi *Melancholicus* admodum inflatus elatúſque evadat, ſéque crediturus ſit non ſolùm *Inſpiratum* à Deo, ſed tam ſingulare Lucis ac Sanctitatis exemplum Divinitùs ad homines miſſum, ut in ſe ſuſcepturus ſit *Reformationem* vel potiùs *abrogationem Legis* ac *Religionis* ſub qua natus ſit, ſéque ipſum æſtimaturus nihilo inferiorem aut *Moſe* aut *Chriſto*, quanquam nec *Rationem* ſolidam nec ullum viſibile *Miraculum* habeat quibus extorqueat hominibus fidem.

SECT. XVI.

Homines proclives eſſe ad ſuſpicandum ſingularem aliquam Dei Poteſtatiſve alicujus ſupernaturalis præſentiam ineſſe rei cuilibet grandi *aut* vehementi.

CÆterùm hoc adhuc nimis generale eſt ; Hujus Impoſturæ cauſas etiam magìs particulatim indigitabimus. Quæ *grandia* ſunt aut *vehementia*, Populus valdè proclivis eſt ad ſuſpicandum à ſupernaturali cauſa proficiſci. Adeò ut Ventus paulo ſolito violentior eſſe non poſſit, quin vulgus proclivis ſit ad imaginandum, eum à *Dæmone* fuiſſe excitatum ; nec Peſtis aliqua gravior morbúſve, quin *Deum* modo quodam extraordinario *illius Authorem* eſſe autument.

Ità rudis Antiquitas in re fermè qualibet, quæ *præter modum magna* eſſet, *Divinitatem* quandam ineſſe exiſtimabat. Unde quidam Arbores admodum proceras coluerunt, alii amplos Fluvios, nonnulli Saxa ingentia ſive Rupes, alii Montes vaſtos atque excelſos ; unde Græci, *magnum* & *ſacrum* uno illo vocabulo ἱερὸς ſignificant, & *Hebræi* per *Cedros Dei*, per *Montes Dei*, per *Spiritum Dei*, Cedros *altas*, Montes *permagnos*, & Spiritum ſive Ventum *vehementem* intelligunt. Huc etiam adjicere poſſumus quod valdè vulgare eſt, Aniculas ſcilicet & Nutrices puellulis, quando de

Luna rogitant intentis in eam digitis, reſpondere ſolere, quòd ſit *Dei candela*, quoniam tam *ingens* eſt noctu lumen ſive fax. Quæ omnia argumenta ſunt nec obſcuræ ſubindicationes humanam Naturam valdè pronam eſſe ad ſuſpicandum *ſpecialem* aliquam *Dei Præſentiam* rei cuilibet *grandi* aut *vehementi* ineſſe.

Unde importuna profectò tentatio eſt apud *Melancholicum*, quando Tempeſtatem ſentit Devotionis atque Zeli, venti vehementis inſtar in ſe ingruentem, Cor ſuum affectu plenum, Capútque claris & ſenſibilibus Repræſentationibus refertum, Os aptiſſimis quibuſque ac potentiſſimis ſermonis eloquiis exundans, talibus quidem, quæ vulgares Auditores attonitos redderent, importuna, inquam, apud eum foret Tentatio ad opinandum, ipſum Dei Spiritum eſſe, qui tunc in eo ſupernaturaliter operetur; cùm tamen omnis hic zeli affectûſque exceſſus verborúmque ubertas atque copia * reſolvi planè poſſit in vim *Melancholiæ* quæ naturale quoddam genus eſt Inebriationis.

Quódque nihil majus Diviniúſve Naturâ hîc ſubſit manifeſtum eſt, tum à bonorum prudentúmque hominum experientia, qui zelum ſuum, devotionem, atque eloquentiam mirificè variari obſervaverint, prout *Melancholia* magìs minúſve in ipſis prædominata ſit; tum etiam ab eo quod omnes obſervare poſſunt in iſtiuſmodi hominibus, qui cùm improbi eſſent, maniaci, ac blaſphemi, reliquos tamen mortales miro quodam (ſed adulterino) orandi dono longè ſuperaverint. Quod notiſſimum eſt in *Hacketto*, qui ità infatuatus eſt opinione zeli ſui atque eloquentiæ, ut imaginatus ſit ſeipſum *Spiritum Sanctum*.

SECT. XVII.

Error circa fervefactam Melancholiam, *quaſi ſanctus Zelus eſſet, ipſéque Dei Spiritus.*

ET certè quando in ore hominum Spiritûs mentio tam frequens eſt, ſi preſſiùs obſervent quid per eum utplurimùm intelligant, nihil aliud eſt quàm motus quidam fortis atque impetus quo cum zelo ac fervore feruntur in rebus Religionis, adeò ut Fervor, Zelus & Spiritus idem reverà ſint. Jam verò nullum Temperamentum tam calidum eſt quàm *Melancholia*, poſtquam fervefacta ſit, quippe quæ ad efferveſcentis aquæ imaginem accedit, quemadmodum notat *Ariſtoteles* (Ἐὰν ἰκανῶς θερμανθῇ, οἷον τὸ ζέον, &c.) adeò ut ignis flammam excedat; nec multùm à lapide ferróque candefacto abludit, tunc enim longè calidiora ſunt quovis vivo carbone. Omittemus hîc Grammaticum agere & notare quàm bellè τὸ ζέον *Ariſtotelis*, cum ipſa voce *Zelus* de quo loquimur, conveniat. Sed in res ipſas oculos diligentiùs conjiciemus, & illud quem *Spiritum* illi appellitant, cum eis quæ idem Philoſophus in *Melancholia* contineri affirmat, comparabimus. Ὅ,τε χυμὸς ϗ ἡ κρᾶσις ἡ τῆς μελαίνης χολῆς πνευματικά ἐστι.

Ariſtot. Problem ſect. 30.

Spiritus igitur qui tam mirum in modum alas addit *Enthuſiaſtæ*, nihil aliud eſt quàm *Flatuoſitas* iſta quæ reperitur in Temperamento *Melancholico*, quæque ex humoribus *Hypochondriacis* ex aliqua occaſione calefactis oritur, ut Ventus ex *Æolipyla* igni applicata. Qui halitus in caput aſcendens, poſtquam primùm actuatus animatúſque & aliquantulum calore cordis purificatus ſit, variis Imaginationibus mentem implet, itáque inventionem acuit & amplificat, ut *Enthuſiaſten* ad admirationem uſque facundum reddat & eloquentem. Quippe qui quaſi inebriatus ſit Vino novo, è proprio Cellario ſive Hypogeo, quod in infima corporis regione jacet, deprompto, quanquam id ipſe minimè animadvertat, ſed purum putum Nectar reputet vitæque aquas perennes Divinitùs ſcaturientes. *Ariſtoteles* prolixum inter naturam effectûſque *Vini* & *Melancholiæ* paralleliſmum deducit, ad quem tum *Fernelius* tum *Sennertus* ſuos Lectores remittunt.

SECT. XVIII.

Fluxus *ac* Refluxus *Melancholiæ ulterior Enthuſiaſmi cauſa.*

CÆterùm hoc totam vim non exhaurit quam contribuit *Melancholia* ad *Enthuſiaſmum*, nempe quòd adeò derepente & ex inopinato tam vehementibus Zeli paroxyſmis, iſtiuſmodi fluminibus Eloquentiæ ac torrentibus ſive in exhortando alios ad pietatem, ſive in precibus effundendis ad Deum mentem *Enthuſiaſtæ* occupet; ſed majus adhuc fidei momentum addit, quòd ſupernaturale aliquid ſubſit hac in re, ex eo quòd idem Temperamentum ipſis, qui ei ſubjecti ſint, ſeipſum in effectibus adeò *contrariis* prodat.

Nam quemadmodum adeò vehementer calidum eſt, ità viciſſim æquè ſtupidè eſt frigidum. Unde *Melancholicus* omni fide omníque ſpe exutus, & excors planè mentíſque inops quaſi evadit. Qui quidem Temperamenti ſui *Refluxus* ſive *Salacia* non poteſt quin efficiat ut *Affluxus* ipſi videatur magìs miraculoſus ac ſupernaturalis. Frigidi verò illi torpidíque morbi acceſſus, qui animo adeò abjecto eum faciunt, faciunt eum pariter Oratorem blandum ſimul ac penetrantem, & qui auditorum animos mirificè moveat, quoties de ſtatu Animæ ſuæ deſolatorio, de Humilitate, Mortificatione, & ſimilibus apud populum perorat, acſi verè ac voluntariò res iſtiuſmodi ſubiiſſet, cùm fatalis tantùm Temperamenti ſui neceſſitas nolentem volentem eum per meras iſtiuſmodi rerum imagines atque umbras violenter pertraxerit.

Poſtea verò, cùm ſe repererit præter ſpem omnem præſenſationémve ac præſagium ullius in ſe virtutis in ſublime rurſus tolli, minimè dubitat concludere nullam inferiorem cauſam eſſe poſſe hujus tam inopinati gaudii ac Triumphi quàm immediatum Dei brachium de cœlo, qui eum ad hunc modum exaltaverit, cùm tamen interim nihil ſit aliud quàm *Melancholiæ* Paroxyſmus qui non abſimilis eſt eruptioni flammæ poſt longam fumationem ac vaporationem ſarmentorum recentium in focum conjectorum. Sed quoniam hujuſmodi acceſſus ſtatis non fiunt temporibus, nec ægrotare hominem faciunt ſed exhilarant potiùs, aliquid *Divini* ſubeſſe putat, nec à cauſis naturalibus proficiſci.

SECT. XIX.

Notabilis Melancholiæ *illuſio quantùm ad Divinum Amorem.*

EST & altera notabilis Illuſio in hoc Temperamento, *Naturâ* præſidenter pro *Deo* ſe gerente, quem Apoſtolus *Amorem* appellat, tanquam ſi ipſa eſſet illius Eſſentia. Cùm tamen heîc nihil aliud ſit quàm *Melancholia*, quæ ſibi induerit veſtimenta Angeli lucis.

Equidem nihil verius eſt quàm quòd *Amor* ſit legis Impletio, ſummáque *Perfectio* quæ in animam humanam cadere poteſt; quódque perinde planum ſit atque irrefragabile, quòd quis gradu haud mediocri Maniacus eſſe poſſit, & firmum tamen huic veritati præbere aſſenſum. Quinimò, auſim dicere, ipſam *Melancholiam* ei monitricem fore & in memoriam revocaturam, ſi fieri poſſet ut ei unquam obreperet tam manifeſtæ ac palpabilis veritatis oblivio.

Amoris enim ſenſus in genere perquam eminenter in ipſa *Melancholici* temperie comprehenditur, cùm inter *Vini* naturam ac *Melancholiæ* tanta affinitas intercedat.
Ariſtot. Problem. ſect. 30. Ποιεῖ δὲ φιλητικοὺς ὁ οἶνος. *Vinum* verò efficit ut amori dediti ſint homines. Quod ex eo demonſtrat Philoſophus, quòd inter pocula quiſpiam *Vino* animatus tales perſonas oſculaturus ſit, quales vix quiſquam ſobrius, vel è longinquo, forcipe tacturus eſſet propter ſenectam ac deformitatem. Et proculdubio fumi erant *Melancholiæ*, qui haud ità pridem novo cuidam novitio *Religioniſtæ* imaginationem infatuaverant, cùm tam amicè ac familiariter ſub ſepe cum Erroniſſa *Ægyptiaca*, ut vulgò vocantur, ſedebat, manúmque ſinui ejus inſerebat, non ſine affectu aliquo Religioſo, gloriatúſque eſt poſtea tanquam de facinore admodum pio ac meritorio.

SECT. XX.

Melancholiam *ad naturam* Vini *quàm proximè accedere, & à quo Temperamento* Poëtæ *fiant &* Enthuſiaſtæ, *& quodnam ſit inter ipſos diſcrimen.*

JAM verò quòd *Melancholia* ad Vini naturam quàm proximè accedat ex eo ille evincit, quòd ſit adeò *ſpirituoſus*; adeò ſpirituoſum verò eſſe, ex eo quòd ità *ſpumeus* ſit. Quòd autem *Melancholia flatulenta* ſit ac *ſpirituoſa*, heîc ipſos Medicos
Problem. ſect. 30. appellat, οἱ τὰ πνευματώδη πάθη καὶ ὑποχόνδρια μελαγχολικὰ φασιν εἶναι.

Quamobrem Philoſophus alterum comitem *Veneri* aſſignat, præter ſucculentum illum juvenem *Bacchum* quem Poetæ ei adjunxerunt, quæ quanquam externâ ſpecie vultúque ad triſtitiam ac ſeveritatem magìs compoſito videatur, æquè fidelis tamen reperietur aſſecla atque ille alter. Eſt autem *Melancholia*. Καὶ οἱ μελαγχολικοὶ οἱ πλεῖστοι λάγνοι εἰσίν· ὅ,τε γὰρ ἀφροδισιασμὸς πνευματώδης.

Jam verò præter *flatuoſitatem* hanc quæ ad libidinem ſolicitat, poteſt eſſe inſuper tam rectè attemperata ſanguinis huic *Melancholiæ* affuſio, ut temperies fiat quæ ſtupendas exhibeat oblectationes. Nam iners ille & quaſi torpidus ſanguinis dulcor aliquando ità acuetur, animabitúrque humoris *Melancholici* puncturâ & acrimoniâ (utì nimis ſatura illa ſacchari dulcedo, aciditate limonum) ut longè ſenſibiliores allaturus ſit voluptates, omnéſque Amoris Imaginationes cujuſcunque generis multò futuræ ſint vividiores & vegetiores, multò penetrantiores, magíſque in rapturam auferentes, quàm in ipſo *ſanguine* ſolo unquam poſſit evenire.

Ex hoc Temperamento *Poetæ* oriuntur, & qui maximè ſublimia prætendunt, *Enthuſiaſtæ*. Inter quos hoc inſigne eſt diſcrimen, Quòd *Poeta* ſit *Enthuſiaſtes jocarius*, *Enthuſiaſtes* verò *Poeta ſerius*. Quippe apud quem *Melancholia* tantopere invaluerit, ut ſuos Poeticis nihilo meliores animi æſtus & Imaginationes pro *Divina Inſpiratione* accipiat ſolidáque veritate.

SECT. XXI.

Certam quandam Sanguinis *portionem cum* Melancholia *mixtam Spiritum eſſe quo utplurimum inſpirentur* Enthuſiaſtæ, *ſatìs largâ Exemplorum Inductione probatum*.

NIhil verò aliud eſſe præter merè naturalem Temperiem, *flatulentam* & *ſpirituoſam* cum portione *ſanguinis* ipſorum *Melancholiæ* addita, non purum *Dei ſpiritum* qui eos ſic actuet, non ſolùm ex eorum loquela, quæ dulcis admodum eſt & liquata, acſi *prunæ ſaccharitica* linguis ipſorum ſubjacerent, detegi poteſt, ſed ex notoriis *vitæ* eorum circumſtantiis. Et meo quidem judicio ſufficiens futurum eſt hujus veritatis pignus, ſi eos qui de *Spiritûs inſtinctu* afflatúque maximè gloriati ſint, maximámque vim ac facultatem nacti ſint ſeducendi populum, ante oculos noſtros ponamus.

Etenim quòd faſtus ille, animíque tumor quo inſtigantur ad adeò confidenter profitendam perinde atque concipiendam tam magnificam de ſeipſis opinionem, ut non minori Titulo ſe dignentur, quàm cujuſmodi ſint *Deus, Spiritus ſanctus*, ſive *Paracletus, Meſſias, ultimus ac præcipuus Propheta, Judex vivorum & mortuorum*, & ſimilia ; totum hoc à *Melancholia* profectum eſſe, ex *inferiori* quodam operationis genere in hoc Temperamento, manifeſtiſſimum eſt.

Nam ut à primo horum Impoſtorum ordiamur ; *Simon Magus* qui ſe *Deum Patrem* eſſe pervulgavit, detectus eſt homo eſſe *Veneri* & *libidini* deditus, ex illa ſua ſocia inſeparabili *Helena*, quam is *Selenen* appellabat, affirmabátque unam eſſe è *Divinis Virtutibus*, quum nullo tamen meliori loco eſſet quàm improba ac impudica *Meretrix*.

Erat etiam quidam *Menander Samaritanus*, qui ſe Mundi Servatorem venditabat, author ac patronus earundem licentioſarum & impurarum opinionum, quarum ipſe *Simon*.

Montanus profeſſus eſt ſe *Spritum Dei* eſſe : *Spiritum* verò Melancholiæ fuiſſe qui eum infatuaverat, duo iſta ſcorta ſua, *Priſca* & *Maximilla* ſatìs evidenter declarant, quæ proprios maritos reliquiſſe dicuntur ut eum ſequerentur. Tertiam huc adjicere poſſumus nempe *Quintillam*, nihilo melioris famæ fœminam, ſummâ familiaritate & neceſſitudine alteris duabus conjunctiſſimam. Unde & *Montaniſtæ Quintilliani* etiam vocabantur.

Manes etiam ſe verum *Paracletum* jactitabat ; ſed ſectam poſt ſe reliquit omnibus licentioſis ſpurcíſque Principiis imbutam.

Mahometes, cui omnium fœliciſſimus datus eſt ſucceſſus, ultimus ſummúſque Prophetarum qui venerunt in Mundum, (ſi ipſi fidem habeas) quòd *Melancholicus* eſſet, acceſſus *Epileptici*, unum argumentum eſt ; conceſſáque pluralitas uxorum & concubinarum, laſcivæque Cœli ſive Paradiſi voluptatum deſcriptiones, alterum.

Verùm ingenuè fateor me multùm dubitare utrùm ipſe ſe Prophetam exiſtimaverit necne. Videtur enim mihi potiùs homo facetus ac naſutus, rerúmque politicarum gnarus quàm merus *Enthuſiaſtes*, & tam prudens, ut nec fidem ſuam nec ſucceſſum in diſcrimen dare vellet ullis meris commentis quæ ipſe excogitaverit, innixus, ſed ſolidiſſimis diligentiſſiméque exploratis Religionis *Judæorum* pariter ac *Chriſtianorum* Principiis. Cujuſmodi ſunt, Deum Creatorem eſſe & Gubernatorem Mundi, Angelos eſſe atque Spiritus, Animam humanam eſſe immortalem, Futurum eſſe Judicium, æternúmque præmium poſt obitum. Adeò ut *Mahometiſmus* reverà nihil aliud videatur, quàm certorum quorundam Principiorum è Doctrina *Moſis* atque *Chriſti*, ad inſtitutum Politicum abuſus, ac proinde in ſeipſo vanis ac futilibus *Davidis Georgii* Enthuſiaſmis longè præferendus, qui tamen de ſuis illuminationibus tam magnificè elatéque ſentiebat, ut haud mediocrem ſpem concepiſſet fruſtrà habendi *Mahometem*; ſeipſum divulgans *ultimum ſummúmque Prophetam*, cùm tamen propriæ ſuæ *Melancholiæ ſanguiniſque* intoxicationibus relictus nec *Cœlum* nec *Infernum*, nec *Præmium* nec *Supplicium* poſt hanc Vitam, nec *Dæmonem* nec *Angelum*, nec *Animæ Immortalitatem* credebat, ſed quanquam natus Chriſtianus in hoc tamen *Mahometem* imitatus eſt, quòd & pluralitati uxorum indulgebat.

Equidem videtur, quòd adeò tenebroſi dulcoroſique *ſanguinis* portio mixta erat cum illius *Melancholia*, ut tametſi altera effecit ut ſe *Prophetam* jactitaret, altera tamen eum non permiſit vel minimum admittere *præſagium ullius rei* poſt hanc mortalem vitam *futuræ*.

Vide Myſter. Pietat. lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 17.

Ille etiam qui ejus veſtigiis inſiſtere dicitur, & adeò magnificè de ſe loquitur, acſi ipſe is eſſet qui veniſſet ad judicandos vivos atque mortuos, Interpretationes comminiſcendo diſtortas ac coactas & ab omni ratione ac judicio alienas, iſtiuſmodi perſpicuorum ſolidorúmque locorum Scripturæ, quæ certos nos faciant de *Angelorum Spirituúmque* Exiſtentia & de *Vita futura*, ſuam ipſe præ ſe gerit condemnationem, Mundóque univerſo renunciat ſe *Veneris* potiùs *Sacerdotem* eſſe merúmve ex dulcedine & præpollentia naturalis ſui Temperamenti *Præconem Sydereum* quàm *verum Dei Prophetam*, amicúmve Myſtici illius ſponſi *Jeſu Chriſti*. Cujus ipſius Perſonæ tanquam Domino ſuo atque Principi, ejus ſponſa Eccleſia omnem debet Reverentiam, Amorem atque Honorem.

Sed hujuſmodi inflati elatique *Enthuſiaſtæ*, qui propriæ ſuæ perfectionis internæ opinione ità turgent & intumeſcunt, parum quidem ipſis circa hoc officium ineſt aut ſenſûs aut fidei, ſed ſeipſos aut æquales Chriſto imaginantur aut ſuperiores: Quem tamen Deus declaravit ſupremum *Hominum Angelorúmque Principem*. Et tamen iſti eum è Throno deturbare ſatagunt, & ſeipſos in eundem ſubvehere, quanquam nullum Titulum producere poſſunt, præter inſalubre quoddam popularis Eloquentiæ genus, leviculorum molliúmque verborum Rhapſodiam, volubiles fluentéſque Tautologias, quibus ſi quando ullus verus inſit ſenſus, non alius eſt quàm quem vulgaris quivis Chriſtianus antea cognoverit. Quod verò obiter ſæpenumero inſinuant, miſerè falſum eſt, æquè certò ſanè atque ipſa Chriſtianitas eſt vera.

Et tamen hujuſmodi inaniæ atque affaniæ res perquam pulchræ videntur hominibus puſillanimis & inconſideratis. At enimvero, pro certo Chriſtus *Spiritum* adeò perſpicacem ſagacémque in Eccleſia ſua excitaturus eſt, ut *Rationis* vi ac evidentiâ, non externæ violentiâ poteſtatis, hujuſmodi Mimo-prophetæ falſíque Meſſiæ malam apud omnes inituri ſint gratiam, quippe qui è ſcena exſibilabuntur, nec quiſquam erit qui ſe Chriſtianum agnoverit, qui eos ſit excepturus.

SECT. XXII.

Exempla plura eòdem ſpectantia.

SUfficienti ſpero nos Inductione conditionem & cauſas myſticæ hujus deluſionis *Enthuſiaſtici* Amoris in maximè ſublimibus illius operationibus detexiſſe, oſtendiſſéque, quòd reverà nihil aliud ſit quàm Temperamentum Naturale, qualis ſæpenumero *Zelus* religioſus in genere eſſe reperitur. Quod & obſervari poteſt in *Anabaptiſtis* tumultuantibus in *Germania*. Nam inter cætera pro quibus tantopere contendebant, hoc non minimum erat, *Libertas utique plures ducendi uxores.* Adeò ut videri poſſit, quòd, utplurimum, fervor hic *Religioſus* in Hominibus, quatenus à *ſola Natura* oritur, ad Auri fulminantis inſtar ſit, quod tametſi aliquatenus ſurſum tendit, maxima tamen illius vis reperitur ferri deorſum.

Atque hinc quidem factum eſt, ut religioſa illa Secta *Beguardorum* crimen reputarent oſculari fœminam, minimè verò turpe eſſe cum illa concumbere. Idem effecit, ut duo iſti ſuis temporibus importuni Sectarii, *Carpocrates* & *Apelles*, alter *Marcellinam* ſuam, *Philumenam* alter, quibuſcum libidinem ſuam explerent, ſibi aſciſcerent.

Sect. XXIII.

De Gaudio Enthuſiaſtico.

SED de his hactenus: *Enthuſiaſticæ* huic paſſioni *Amoris* finitimum eſt *Gaudium* illud Animíque *Ovatio*, quibus ſæpenumero *Enthuſiaſtæ* ad ingentem ſui admirationem, agitantur & abripiuntur. Sed quàm arcta intercedat Affinitas *Melancholiam* inter atque *Vinum*, quod *cor Dei atque hominis exhilarat*, quemadmodum dicitur in Parabola, ſatìs ſuprà inſinuavimus. Et certè *Melancholia*, quæ primùm in corde ſanguinéque jacet fumans vaporánſque, poſtquam acrior quidam calor eam ſuperaverit (quippe quæ ex tam ſolidis conſiſtit particulis, quæ tum in motum & agitationem excitantur) fortior eſt & vegetior quàm aliud quicquam quod in *ſanguine* movetur & *ſpiritibus*, proximéque accedit ad naturam ſummorum *Cardiacorum* quæ ſumuntur. Quod & *Ariſtoteles* teſtatur, ubi aſſerit *Melancholiam*, dum frigida eſt, Triſtitiam parere animíque deſpondentiam, ſed ſemel fervefactam, ἐκςάσεις ϗ τὰς μετ᾽ ᾠδῆς εὐθυμίας, *Ecſtaſes raptúſve Animi, cum exultanti gaudio & cantatione.*

Sect. XXIV.

De Myſticis Enthuſiaſtarum Allegoriis.

TRes adhuc ſuperſunt *Deluſiones*, de quibus, cùm mihi in memoriam recurrant, non omittam hîc agere, viz. De *Myſticis Interpretationibus*, de *Trepidationibus* ſive *Contremiſcentiis*, & de *Viſionibus*. Quæ omnia facilè reſolvuntur in effecta *Melancholiæ*. Quantùm enim ad primam, jam oſtendimus, quòd *Melancholia* perinde atque *Vinum* hominem reddat ad Rhetoricam & Poeſin proclivem; quantúmque iſte Genius *Imaginationibus* indulgeat, quámque plenus ſit Alluſionibus & Metaphoris belliſque repræſentationibus, nemo eſt qui ignorat. Et quid magni intereſt utrùm *moralem* ac *ſpiritualem* ſenſum applices *Bibliorum Hiſtoriæ*, an *Hiſtoriæ Naturæ*? Nullus autem Rhetor aut Poeta eſt, qui hoc non facit perpetuò. Utrúmve facilius eſt *Hiſtoriam* fingere ad *ſenſum* illuſtrandum *moralem*, an ſenſum applicare *moralem* iſtiuſmodi *Hiſtoriis* quæ jam apud homines extent? Et quantùm ad prius, *Æſopus* eâ facultate omnes mortales antecelluit, abſque ulla ſuſpicione *Inſpirationis*: & quantùm quidem ad poſterius, *Verulamius* noſtras illius artis mirabilia edidit ſpecimina in *ſapientia Veterum*, ſine ullo ſpeciali vel extraordinario *Divini Spiritûs* illapſu; id quod auſim dicere, eum nè ſomniâſſe quidem, neminémque eſſe credo, qui deguſtâſſet hominem, quin perlubenter ſe præbiturus ſit hac in re illius Compurgatorem.

Sect. XXV.

De Contremiſcentia *&* Contremiſcentibus.

ET quantùm ad *Contremiſcentiam*, ſive *Trepidationem*, quod deluſæ Animæ adeò infallibile ſignum autumant *Divini Spiritûs* ipſas actuantis, quòd effectum eſſe poſſit duntaxat *Melancholiæ*, manifeſtum eſt. Nullorum enim Paſſiones tam vehementes ſunt quàm *Melancholicorum*. Quódque *Timor*, *Amor*, vel *Veneratio* ſummo in gradu, *Tremorem* producere ſoleat, nemo poteſt inficiari. Atque hiſce quidem Paſſionibus nulli ullo modo tam obnoxii ſunt quàm qui ſint ingenio *Melancholico*, quippe qui omnia adeò profundè perſentiſcunt & ad vivum percipiunt.

Quòd *Timor* tremorem pariat, nihil profectò ea re magìs obvium eſt. Atque æquè verum eſt de *Amore*. Quod & ipſe *Comœdus* cum judicio obſervâſſe videtur in illo loco, ubi *Phædria* ad aſpectum *Thaidis*, *Parmenonem* alloquens, *Totus tremo*, inquit ille, *horreóque poſtquam aſpexi hanc.*

Et quod ad *Venerationem* attinet, quæ ex hiſce ferè duobus ſimul mixtis conſiſtere videtur, Paſſio eſt in quam homines *Melancholici* mirum in modum nolentes volentes immerguntur; quoties perſonam aliquam honore ac dignitate præſtantem accedere debent, aut ſolenni aliquo majoríſque ſolito momenti officio publicè fungi, contremiſcent trepidabúntque folii populei inſtar. Quidam conſternati obmutuerunt, alii delapſi ſunt in humum.

Quódque *Imaginatio* in aliis etiam circumſtantiis operari poſſit in ſpiritus, ac tumultuoſas inordinatáſque in ipſis commotiones producere, itáve cor ſuffocare ut motus prorſus ferè extinctus ſit, homóque exanimis in terram decidat, res ſunt tam vulgò notæ, ut ſatìs ſit eas tantùm nominâſſe.

Quamobrem minimè mirum eſt, cùm *Enthuſiaſtes* naturales hos Paroxyſmos quibus occupari ſolet, extraordinarias imaginetur *Divini Numinis* viſitationes, *ſanctique Spiritûs* in animam ſuam illapſus, quos igitur tunc nequit quin ſummâ, quæ fingi poteſt, veneratione recipiat; minimè, inquam, mirum eſt, ſi *Timor*, *Gaudium*, & *Amor* talem in ſpiritibus ſuis confuſionem excitet, ut in Paroxyſmum eum conjiciat tremoris & trepidationis. Quo quidem in caſu ſpirituum fervor calórque Imaginationis ad eum gradum intendi poſſunt, ut in perfectam Epilepſiam evadat. Quemadmodum aliquando accidit in illa Secta, quos *Trementes* ſive *Quakeros* vulgò vocant, qui proculdubio Secta ſunt maximè *Melancholica*, quæ adhuc unquam extitit in rerum natura.

Sect. XXVI.

Melancholiam *homines ad* Apoplexias *&* Epilepſias *inclinare.*

Quódque ipſa Melancholia hominem ad *Apoplexias* & *Epilepſias* inclinat, & à Philoſophis & à Medicis agnoſcitur. Quicquid enim *Narcoticum* eſt motúmque ſpirituum ſufflaminat, ſi majori gradu tale ſit, reperitur etiam *Apoplecticum*. Præterea, vapores craſſi Arterias *Carotidas* plexúmque *Choroidem* obſtruentes, atque ità ſpirituum recurſum & affluxum impedientes, idem efficere poſſunt. Nonnulli rem à fumis carbonis lignarii ſive per uſtulationem parati, illuſtrant, qui ſæpe homines ità ſuffocârunt ut in terram pro mortuis deciderent. Cæterùm ſive horum unum aliquod, ſive cuncta ſimul ſumpſeris, Melancholia æquè idonea eſt ad hujuſmodi noxios vapores ſuppeditandos atque ullum aliud Temperamentum cujuſmodicunque. Quódque Epilepſia à conſimilibus cauſis oriri poſſit, cùm inter hos duos morbos tanta intercedat affinitas, quemadmodum notat *Galenus*, rationi valdè eſt conſentaneum; quódque Materia morbifica ſit, πνευματική τις οὐσία ὥσπερ αὔρα, ut *Pelops* ipſius magiſter loquitur, hinc manifeſtum eſt, quòd Paroxyſmus tam derepente támque facilè diſcutitur.

Sennert. Inſtitut. Medic. lib. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 6.

Sect. XXVII.

De natura Enthuſiaſticarum Revelationum *&* Viſionum.

Cæterùm cùm in utroque horum morborum ligatio ſit externorum ſenſuum, quicquid tunc menti repræſentatur naturam induit *Inſomnii*. Cùm verò hi Paroxyſmi non ſint tam ordinarii quàm ſomnus naturalis, temerarii homines & imperiti proclives ſunt ad cenſendum *Inſomnia* iſta *Repræſentationes* eſſe *extraordinarias* ac *ſupernaturales*, quas *Revelationes* ac *Viſiones* appellant. De quibus nulla omnino eſſe poteſt certitudo, non magìs quidem quàm de *Inſomniis*.

Sect. XXVIII.

De Ecſtaſi *illiúſque natura atque cauſis.*

Inſomniorum mentio mihi in memoriam revocat aliud *Melancholiæ* ſymptoma, quam *Ecſtaſin* Medici vocant. Quæ nihil aliud eſt quàm *ſomnus præter naturam profundus*. Cujus quidem cauſæ nullæ aliæ ſunt quàm quæ *ſomni naturalis*, ſed tantùm magìs intenſæ ac immoderatæ. Effectus verò eſt deliratio hominis poſtquam evigilaverit, quippe qui *Inſomnia* ſua pro rerum verè geſtarum *Hiſtoriis* accipit.

Cujus rei cauſam eſſe exiſtimo, extraordinariam Repræſentationum in *ſomno* claritatem ac plenitudinem, à perfectiori omnis communicationis cum Mundo hoc *externo* privatione profectam. Ac proinde cùm nullæ ſint motuum à corpore tam profundo ſomno obruto & conſopito cancellationes aut intertrigines, quod *Imaginatio* ſponte tunc exſerit æquè clarum eſt atque innubis Dies; Animæque perceptio ad minimum æquè fortis eſt atque vegeta, quàm ſit unquam in rebus externis contemplandis dum vigilat, & memoria propterea æquè penitus eò ſigillata & inuſta quàm à ſenſu ullius objecti externi.

Harum *Viſionum* vigor atque claritas ab eis quæ in *ſomno* ordinario accidunt tantum differt, quantum vivida Imaginum vis in cameram accuratè clauſam & obtenebratam, artificialiter immiſſarum, ab eis differt, quæ in cubiculum immittuntur negligentiùs clauſum & obſcuratum, rimis quibuſdam vel foraminulis lumen, ubi incommodum eſt, intromittentibus.

Sed *Perceptionis vigor* nullum ſolidum eſt *veritatis fundamentum*. Atque hujuſmodi quidem *Viſiones*, quantumlibet claræ ſint, nondum tamen exuerunt naturam *Inſomniorum*. Et *qui inſomnia obſervat ſimilis eſt illi qui umbram captat proſequitúrque ventum*, uti monet *Siracides*.

Sect. XXIX.

Utrùm in Hominis poteſtate ſit ſeipſum in Apoplexiam, Epilepſiam, *aut* Ecſtaſin Enthuſiaſticam *conjicere*.

UTrùm in hominis poteſtate ſit in hujuſmodi *Epilepſias*, *Apoplexias* aut *Ecſtaſes* pro libitu ſuo collabi, quæſtio eſt nec inutilis nec in deſperato habenda. Probabilem enim ſolutionem invenire poſſumus ex eis quæ jam dicta ſunt.

Enthuſiaſtes enim in aliquo *Melancholico* Paroxyſmo, (quem ſolemni ſilentio intenſâque ac ſeriâ meditatione accelerare poteſt) dum ſe ſupra ſeipſum tanto intervallò ſublatum ſentit, ſenſibilem Dei præſentiam & ſupernaturalem Divinæ Majeſtatis manifeſtationem facilè imaginabitur, quod non poteſt quin paſſionem illam excitet *Venerationis* ac vehementiſſimæ *Devotionis*, quæ ex *Amore*, *Timore* & *Gaudio* conſiſtit. Quæ paſſiones ſingulæ vim habuerunt enecandi homines aut conjiciendi eos in Animi deliquium. Quomodo igitur fieri poteſt quin conjunctæ (ſi per Imaginationem probè fomententur deſideriúmque in *Enthuſiaſte*, arctioris unionis cum hoc interno lumine) eum conjecturæ ſint in *Trepidationes*, *Convulſiones*, *Apoplexias*, *Ecſtaſes* & quid non? cùm *Melancholia* adeò ex præfacili mutabilis ſit in hæc ſymptomata? Atque equidem valdè probabile eſt hanc eſſe conditionem quorundam eorum qui appellantur *Quakeri* ſive *Trementes*.

Quantùm verò ad S. *Auguſtini* Presbyterum *Africanum* (cui nomen erat *Reſtitutus*) qui voce lamentabili lugubríque tono in talem *Ecſtaſin* conjici ſolebat; Is quidem hac in re exemplum repertus eſt ſolitarium, atque ægrè imitabile, quippe quod ortum ſit ex aliqua propria ac peculiari corporis ſui indolíſve conſtitutione.

Quod *Hieronymus Cardanus*, *Faciúſque* Pater illius ſe quoties volebant, in *Ecſtaſin* conjicere potuerunt, æquè facilè credere poſſum atque *Livonas* idem potuiſſe. Et ex propria quidem ſententia utrumque ad unam eandémque cauſam refero. Quam ‖ *Sennertus Cardanum* alicubi de Patre ſuò innuere, notat, quòd utique δαίμονα πάρεδρον habebat. Quam certè conditionem eſſe ſuſpicor deterioris generis *Trementium*. Sed non tam ad hanc *Enthuſiaſmi* ſpeciem quàm ad eam quæ *Naturalis* eſt, noſtra collineat Diſſertatio.

‖ *Inſtitut. Medic. lib. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 4. Vide & Bodin. Magor. Dæmon. lib. 2. cap. 5.*

Quod ad viſiones iſtas attinet, quas *Enthuſiaſtæ* vigilantes vident, cauſas illarum ad vim iſtam *Imaginationis* quæ in Ingenio *Melancholico* viget, jam retulimus.

Sect. XXX.

De Prophetia Enthuſiaſtica.

ET quod ad fervorem illum Animi æſtúmque attinet, quo feruntur tanta cum confidentia ad prædicenda futura, quòd nihil ſupernaturale ei rei ſubſit, hinc evinci poteſt, quòd aut rationes aliquæ probabiles, quas prudentia ordinaria detexerit, movere eos poſſint ad hoc vel illud augurandum, (vehementiâ *Melancholiæ*, confidentiam illam præſagitioni ſuperaddente, acſi ipſe Deus eorum animo eam indidiſſet) aut ex eo, quòd præſagia ipſorum tam frequenter ſint falſa. Ac proinde quando vera prædicunt, Fortunæ meritò imputatur. Ut in homine, qui ſingulis ferè noctibus ſomniat, equidem durum eſt, ſi per tot annorum decurſum nunquam incidat in ullas εὐθυονειρίας, quemadmodum appellantur, in Inſomnia quæ planè directéque ſunt vera; καθάπερ οἱ πολλὰ βάλλοντες ἐπιτυγχάνουσι πολλάκις, ut qui multa emittunt jacula, ſcopum aliquando attingunt (ut *Plutarchus* loquitur) ſed ex caſu ſit potiùs quàm ulla certa peritia.

Sect. XXXI.

De præſagio proprii cordis hominis ab impulſu ſupernaturali, ipſi quidem perceptibili, aliis verò inexplicabili, ubi locum habere poſſit, quòdque non ſit Enthuſiaſmus *propriè dictus.*

ET tamen bona cum venia ſic cenſeo, ſperóque me id facere poſſe ſine omni ſuſpicione vel minimæ tincturæ *Fanaticiſmi*, quòd eſſe poſſit in animo hominis qui in rebus ſummi momenti || quoad ſeipſum, & multò magìs ſi quoad * publicum, verſatur, tale præſagium, qui dux certus ac fidelis ei ſit futurus, præſertim ſi conſtanter ſincerus maneat juſtúſque ac pius. Neque enim omninò improbabile eſt quin tales qui in rebus momenti admodum publici verſentur, quibus Dei Providentia ſpeciali modo ſe immiſcet, cùm illius rem agant, ejúſque conſilium inſtitutúmque promoveant, ſpecialiora ab ipſo ſubſidia & animationes recipere poſſint. Cujus rei cùm alii nullum ſenſum habeant, ità nec modum ejus apud ſeipſos animo poſſunt figurare. Atque hic caſus iſte eſt, opinor, in quo verum reperitur illud *Siracidæ, Quòd cor hominis plus ei revelaturum ſit, quàm ſeptem vigiles in turre excelſa collocati.* Verùm hic *Enthuſiaſmus* eſt in meliori ſenſu, ac proinde à noſtra *Diſſertatione* paulò alienior, quippe qui non de eo *Enthuſiaſmo* hìc agimus qui verus eſt, ſed de eo in quo erratur. Cujus *Cauſas* cùm tam plenè expoſuerimus, *Genera* illius jam tractabimus, ſed breviter, & eatenus tantùm, quatenus cum præſenti noſtro ſcopo Inſtitutóque conveniat.

|| *Vide Epiſt. Carteſ. ad Princip. Elizab. où il eſt parlé du Genie de Socrate.*
* *Pro.* 16. 10. & 21. 1.

Quamobrem ut rationes accuratiores miſſas faciamus, contenti erimus, à conditione Perſonarum in quibus reſidet, *Enthuſiaſmum* diſtribuere in *Politicum* & *Philoſophicum*. Nam *Enthuſiaſmus* utplurimum operatur ſecundùm Genium Naturámque Hominis quem invaſerit.

Sect. XXXII.

Enthuſiaſmi Politici *Exempla varia.*

ILli igitur, quorum Ingenium ad res Politicas maximè inclinat, qui Honorem & Imperium affectant, fortíque ſenſu Jurum Civilium tanguntur, propriâ Melancholiâ incaleſcentes, & inflammati, magnos ſe Principes eſſe imaginantur (ſaltem Divino decreto) & liberatores populi à Deo miſſos. Cujuſmodi veriſimillimum eſt fuiſſe falſos *Meſſias*, qui populum *Judæorum* deceperunt, ut *Theudas*, & *Ægyptius* ille Impoſtor, etiam *Barchocab*, *Jonathas*, *Doſitheus*, multíque alii, qui, ut videtur, cùm pervagata fama eſſet apud Judæos, *Meſſiam* liberatorem circa ea tempora adventurum eſſe, præ fervore ac præcipitantiâ ſuæ *Melancholiæ*, ſe eum eſſe ſinguli ſunt opinati. Quod eò facilius eſt creditu, cùm multa ſint apud Hiſtoricos exempla eorum, qui imaginati ſunt ſeipſos *Monarchas*, *Papas* ac *Imperatores*, cùm tamen reverà eſſent Pediſſequi, Agaſones, ac Miniſtri menſarii.

Annon tantundem *Improbitatis* atque *Melancholiæ* in quibuſdam illorum falſorum Meſſiarum ineſſe potuiſſet, ſi quiſpiam dubitat, difficile eſſe fateor tollere ſuſpicionem. Sed *Germanus* erat, quem pro exemplo tutiùs proferre poſſumus, haud multos ante annos heìc in Anglia; qui ſeipſum *Bellatorem Dei, Davidem ſecundum* nominabat, intimâque commiſeratione affectus ob Patriæ ſuæ calamitates ac miſerias, paucas hìc copias comparare voluit quas trajicere poſſet, quibus ſe confiſus eſt Hoſti ſilentium imperare poſſe, totíque *Germaniæ* pacem reſtituere.

Equidem homo videbatur admodum pius, & acerrimus exoſor Tyrannidis & oppreſſionis, mentíſque probè compos quantùm ad reliqua omnia; hoc tantùm morbo laborabat, quòd eum *Davidem* ſe imaginabatur quem Prophetæ prædixerunt pacificum illum fore Principem inſignémque *Judæorum* liberatorem. Scriptum breve publicavit, cujus legendi mihi data eſt opportunitas, quódque zelo plenum inveni & eloquentiâ Scripturali. Vidi illius perſonam *Londini*, ſi is qui mihi illum oſtendebat, minimè ſit allucinatus. Homo erat procerâ ſtaturâ, benéque ætate provectus, ſed vultu admodum pallido, tabido & melancholico.

In alterum etiam aliquanto recentiùs fortè fortunâ incidi, cujus ſermo quidem non ſolùm gravis erat ac cohærens ſed & pius, videbatúrque ſatìs undequaque mentis compos, nec vel minimum indicium obſervare potui in contrarium, in hoc unico delirabat, quòd putabat ſe *quintum* illum *Monarcham* de quo tantus hac ætate rumor inceſſerat, à Deo conſtitutum. Quæ Imaginatio eum adeò totum poſſederat, ut famulum juberet aliquando menſam patinis quadríſque argenteis inſtruere, ſibíque genu innixum poculum miniſtrare, quemadmodum amicus quidam meus vir doctus atque pius mihi poſtea narrabat.

SECT. XXXIII.

Davidis Georgii *Vaticinium de ſua Reſurrectione è mortuis, & quàm abſono modo ſit impletum.*

QUamobrem hunc hominem non tam ſobrium eſſe exiſtimo quàm priorem, neutrúmque cum illo *Davide* conferendum qui natus *Delphiæ*, in inferiori *Germania* primùm vixit cum ſuis Gregalibus, poſtea verò *Baſiliam* profectus eſt Anno 1544, atque illîc diem obiit Anno 1556, & effoſſus eſt denuo è ſepulchro Anno 1559. Qua in re ſuum de ſeipſo Vaticinium modo quodam infami atque abſono impletum eſt, qui, ad retinendos fluctuantes Gregalium ſuorum animos quibus perſuadere voluit ſe eſſe immortalem, prædixit eis ſub obitum ſe anno tertio rurſus eſſe reſurrecturum, de ſeipſo illud præſagiens, quod negabat in ullo alio unquam eventurum.

SECT. XXXIV.

Deſcriptio Perſonæ, Morum, ac Doctrinæ Davidis Georgii.

HIC *David Georgius* homo ex admodum obſcura Familia natus, erat tamen, etiam inimicis ipſius judicibus, vir eximiis Ingenii dotibus, vultu pervenuſto, & aſpectu venerabili ac decoro. Fuit porrò corpore quadrato benéque compacto ac robuſto, barbâ rufâ, oculis cæſiis, ſplendidis & micantibus, ſermone gravi ac ſedato; & ut ſummatim dicam, omnes illius motus, geſtus atque mores adeò urbani erant & ingenui, acſi totus eſſet ad Honeſtatem ac Pietatem compoſitus ac comparatus. Vixit quidem ſplendidè & magnificè in ſuis ædibus, ſed ſine omni turba atque ſtrepitu. Templum religioſè frequentavit, liberalis fuit pauperum ſublevator, conſolabundus viſitator ægrotorum, Magiſtratui morigerus, perbenignus comíſque verſùs omnes homines, in rebus omnibus quidem prudens, & in aliquibus admodum aſtutus, ut in eo quòd adeò clàm habuerit diligentérque celaverit doctrinam ſuam à *Baſileenſibus* ubi vixit, quibus nè unam ſyllabam apicémve communicavit, & tamen ſedulò interim in remotioribus *Germaniæ* partibus eam diſſeminavit, tum per libros tum per literas ſuas. Cujus præcipua Capita hæc ſunt quæ ſequuntur.

1. Quòd Doctrina hactenus per *Moſen*, *Prophetas*, ipſúmque *Chriſtum* ejúſque *Apoſtolos* tradita, manca eſt & imperfecta, divulgata tantùm ad populos in puerili quadam obedientia ad tempus retinendos donec plenitudo ac perfectio Doctrinæ *Davidis Georgii* communicanda eſſet hominibus, quæ ſola Doctrina eſt quæ humanum genus beatum efficere poteſt veràque Dei notitiâ eos replere.

2. Quòd *David Georgius verus* eſt ille *Chriſtus* ac *Meſſias*, unigenitus Dei filius, non quidem ex carne natus ſed ex Spiritu ſancto, Chriſtíque Spiritu, quem Deus in loco ſecreto reſervaverat, corpore illius ad nihilum reducto, totúmque in Animam *Davidis Georgii* infudit.

3. Quòd hujus *Davidis Meſſiæ* eſt, inſtaurare domum *Iſraelis*, & Dei Tabernaculum rurſus erigere, non quidem per Crucem, afflictiones & mortem, quemadmodum factum eſt in altero *Meſſia*, ſed per dulcedinem illam, Amorem atque Gratiam, quæ ipſi data ſit à ſuo Patre.

4. Quòd poteſtas Remiſſionis peccatorum data eſt huic *Davidi Georgio*, quódque is eſt, qui jam advenit ad mundum judicandum ultimo judicio.

5. Quòd Scripturæ ſacræ, Dicta, ac Teſtimonia Prophetarum, Chriſti ejúſque Apoſtolorum, ſi rectè intelligantur & ſecundùm verum ipſorum Myſterium, in glorioſum *Davidis Georgii* adventum digitum intendunt univerſa, qui ipſo Chriſto major eſt, ut qui ex *ſpiritu* natus ſit non autem ex *carne*.

6. Quòd omne Peccatum & Blaſphemia adversùs *Patrem Filiúmve* remitti poſſunt aut condonari; Peccatum verò adversùs *Spiritum ſanctum*, hoc eſt, adversùs *Davidem Georgium*, nunquam eſt remittendum.

7. Quòd Reſurrectio Chriſti è Sepulchro & Reſurrectio mortuorum merum eſt Myſterium ſive Allegoria.

8. Quòd Angeli & Diaboli ſunt tantùm Homines boni & mali, vel eorum Virtutes & Vitia.

9. Quòd Matrimonium liberum eſt, omnis expers obligationis, quódque nemo ad unam aliquam mulierem reſtringitur, ſed liberorum procreatio promiſcua erit ſive in communi, omnibus eis qui Renati fuerint, ſive *Davidis Georgii* Spiritu Regenerati.

Hæc omnia traduntur in libro de *Vita* ac *Doctrina Davidis Georgii* per Rectorem & Univerſitatem *Baſileenſem* publicato Anno 1559.

SECT. XXXV.

Sermonis vis ac facultas in Davide Georgio *ex quibus cauſis ſit orta.*

QUantùm ad propria illius ſcripta, quæ magno in pretio ac admiratione habentur apud nonnullos, flexanimam illius Eloquentiam, & acerrimas animationes ad magna Pietatis officia, equidem iſtiuſmodi Principia naturalia jam tradidimus in quæ facilè poſſint reſolvi, adeò ut nihil opus ſit ad Spiritum ullum ſupernaturalem recurrere. Homo enim illiteratus, qualis is erat, ſed eximiis ingenii dotibus, ex conſtanti Bibliorum lectione, vim ſermonis plauſibiliorem prævalentiorémque naturaliter contracturus eſt, quàm ii qui literis pleniùs ſint imbuti; quippe quòd linguarum locutionúmque Artificialium mixtura facit ut ſtylus eorum in deterius degeneret, moréque magìs humano ſonet, quanquam utplurimum plus Dei in eo ſubeſſe poſſit, quàm in ſtylo *Enthuſiaſtarum.*

SECT. XXXVI.

Apparentium quorundam Chariſmatum ratio in Davide Georgio.

POne eum cum zelo quodam animíque commotione Lectori ſuo commendare poſſe *Patientiam*, *Pacis ſtudium*, *Manſuetudinem*, *Amorem fraternum*, *Æquitatem*, *Prudentiam*, *Sui-abnegationem*, *Mortificationem*, & ſimilia, in hiſce omnibus nihil ſubeſt, quod illa ſua à *ſanguine* denominata temperies ſine ulla *Divinitùs Inſpiratione* non poſſit ſuggerere.

Etenim nulla eſt *Chriſtiana Virtus* quæ ad mores ſpectet, nominanda, quin *Temperies naturalis* ſpuriam aliquam illius imitationem ſuppeditet, ac proinde cùm altera alteri tam propinquâ ſimilitudine reſpondeat, facilè profectò erit iſta *Mimo-chariſmata* locutionibus Scripturalibus deaurare: Adeò ut is qui hiſce *Complexionalibus*, ſi fas ſit ità loqui, Virtutibus ſtylum Scripturalem addiderit, apud minùs peritos ſe pro Apoſtolo vel Propheta gerere poſſet; apud rudem verò multitudinem, quem libuerit ſe venditare, ſine omni ſuſpicione aut oppugnantia.

Omnium harum imitationum difficillima videtur *Sui-abnegatio*, quippe quam veriſimillimum eſt à *ſanguinea Temperie* magnopere abhorrere. Verùm *Enthuſiaſmus* ſuâ non caret mixturâ *Melancholiæ*, nóſque hìc de *Enthuſiaſtico ſanguine* loquimur, in quo ferociores etiam Paſſiones hoſpitantur. Ac propterea hæc *Sui-abnegatio* & *Mortificatio* poteſt nihil aliud eſſe quàm *ſanguinis conflictus* & victoria de aſperiori & ferociori *Melancholia*.

Et quòd *ſanguinis Regnum* ſit, non *Regimen Spiritûs*, innoteſcere poteſt tum ex Temperamento Capitis hujus Sectæ, tum etiam ex generali Indole ſuorum Gregalium & ex obſequio & indulgentia chariſſimarum ſuarum cuticularum, qui nolunt (auſim dicere) vel minimum ſibi digitum dolere per modum externi Martyrii, ullius Religionis gratiâ. Ac proinde prudentia ipſorum ingeniíque dexteritas in eo maximè conſiſtit, quòd verborum utantur præſtigiis, æquivocationibus, leviculíſque tergiverſationibus, & pacificâ cum rebus quibuſlibet conſenſione, potiùs quàm ut quicquam patiantur in corpore ſuo aut fortunis ac poſſeſſionibus. Quod naturale dictamen eſt *ſanguinis triumphantis.*

Quod tamen *Dominium* multò præſtabilius videtur *Choleræ* Tyrannide & *Melancholiæ*, cujus ferocitas actuoſa & nimis ſolicita acerbitas, nec bona ſibi eſſe poteſt nec aliis juſta, quippe quæ tam proclivis ſit ad imponendum & æquè præceps ad vindicandam rejectionem cujuſlibet frivoli inutiliſque Nugamenti, horridæve falſitatis, per inhumanas crudeléſque perſecutiones.

SECT. XXXVII.

Quòd David Georgius *homo fuerit temperie ſanguineâ.*

JAM verò quòd *David Georgius* temperie fuerit ſanguineâ, ſuprà dicta Perſonæ illius Deſcriptio probabiliter cuivis Phyſiognomoni indicabit. Difficile enim eſt invenire corpus robuſtum atque ſanum, idémque pulchrum ac venuſtum, quin idem reperiatur *Veneri* ac *libidini* immane quantum deditum. Multa in medium proferre poſſemus exempla virorum pariter atque fœminarum, ut *Helenæ*, *Laidis*, *Fauſtinæ*, *Alcibiadis*, *Iſmaelis Sophi Perſiæ*, & *Demetrii*, qui formâ fuiſſe dicitur mirabili, aſpectûque Majeſtate pleno atque dignitate, cum gravitate quadam & benignitate attemperata; quin & ſummâ etiam clementiâ, juſtitiâ, pietate & liberalitate; ſed libidini ac voluptati adeò deditus, ut nullus unquam Rex fuerit, qui cum eo ſit conferendus.

Vide Jo. Baptiſt. Port. de Human. Phyſiogn. lib. 2. cap. 13.

SECT. XXXVIII.

Plura certioráque Argumenta quibus David Georgius *probetur* ſanguineâ *fuiſſe* temperie.

CÆterùm duo certiora ſigna ſuperſunt naturalis conſtitutionis hujus Prophetæ, quorum alterum eſt, Quòd *Vitam futuram Angelorúmque* ac *Spirituum* exiſtentiam negaverit; alterum, Quòd *pluralitatem* approbaverit, ſive *communitatem Uxorum*.

Quorum prius ingenuè fateor me nulli rei perinde imputare poſſe atque cuidam magis dulcoroſæ ſaturæque *ſanguinis* mixturæ in Temperamento ſuo *Enthuſiaſtico*. Nihil enim deſiderium in homine æquè conſopit, fidémve extinguit illius magis Spiritualis & Immaterialis ſtatûs & conditionis, quàm *dulcoroſa hæc ſanguinis ſaturitas*, quæ ſpiritus adeò incraſſat obnubilátque, ut Mens imaginari nequeat aut præſagire quicquam ultra præſens emolumentum hujus mortalis corporis.

Et de poſteriori, credo apud omnes concedi, quòd nulla tam genuina cauſa aſſignari poteſt quàm hæc ipſa *Temperies ſanguinea*, quæ homines ad amorem mulierum adeò fortiter inclinet.

SECT. XXXIX.

Fuſcum ſaturúmque Sanguinem *fuiſſe, qui magnorum promiſſorum Evangelii veritatem ab oculis ejus abſconderit.*

QUamobrem *Enthuſiaſtes* hic, cùm propriæ ſuæ conſtitutionis vi in Incredulitatem circa magna illa æternæ vitæ promiſſa in Scripturis indicata depreſſus eſſet, ſacroſanctos illarum Scriptores aut erráſſe arbitratus eſt aut in Allegorias tantùm ea quæ ſcripſerunt deſtináſſe. Et Fervore illo, quem in ſe expertus eſt ad *Amorem*, *Pacem* & *Æquitatem*, & ſimilia, eò uſque exæſtuante, ut ad perſuaſionem eum impelleret, quòd *Divinitùs* eſſet *inſpiratus*, Incredulitatem ſuam circa pretioſa illa promiſſa *Immortalitatis* ac *Gloriæ* in cœlis, ſpecialem quandam Illuminationem etiam imaginatus eſt; & mortuorum *Reſurrectionem* nihil eſſe aliud, quàm ad conſimilem exuſcitari ardorem erga eaſdem res cum ſeipſo, & ad parem cum illo *Incredulitatem* circa cœleſtem illam Coronam quam Apoſtolus omnibus Fidelibus proponit. Atque eapropter, cùm mentem ſuam per fidem ad cœlum elevare non poſſet, is Cœlum ad Terram deduxit, per vanam ſuam Imaginationem. Quod minoris profectò laboris erat, quàm cepit *Mahometes*, qui ad montem ambulare coactus eſt, poſtquam vidiſſet montem ad ſe nolle accedere.

SECT. XL.

Accurata ſimilitudo Davidem Georgium *inter & patrem modernorum* Nicolaitarum, *cum Authoris cenſura de utriſque.*

De *Davide Georgio* hæc brevis eſt Narratio. Cujus errorem modernorum *Nicolaitarum* Pater tam diligenter imbibit, quàm ſi ægrè laturus fuiſſet, ſi vel una guttula præterlapſa eſſet. Nuſquam illius quod apud *Salomonem* occurrit, exemplum illuſtrius extitit quàm in his duobus, *Ut facies reſpondet faciei, ſic cor hominis homini.*

Quamobrem de utriſque audacter pronuncio, quòd, tametſi Chriſto ſeipſos æquiparabant, ſimulabántque ſe *Judices vivorum ac mortuorum,* omni tamen vero judicio circa res Religionis magìs erant deſtituti quàm vel minimus ſincerorum Chriſtianorum. Et quanquam adeò à capite ad calcem ſpecioſis illis *Deificationis Divinitatiſve* titulis ſeipſos deaurârunt, fictitiiſque ac adulterinis coloribus & tumidorum vanorúmque verborum pigmentis incruſtârunt ſe quaſi atque oblarvârunt ad attonitum populum decipiendum, fuerunt tamen reverà *meri Homunciones,* ſuperficiario ingenio, corporéque intercutibus vitiis madente variiſque libidinibus colliqueſcente, qui præſentis vitæ dulcedinem adeò ſapiebant, ut omnis ſpes ac deſiderium melioris illius vitæ quæ nos manet in cœlis, in ipſis penitùs eſſent extincta. Ac propterea obfirmata ipſorum & radicata Ignorantia effecit, ut confidentiâ adeò Enthuſiaſticâ propriis erroribus adhærerent.

SECT. XLI.

Opportuna monitio in eorum gratiam qui hujuſmodi Scriptoribus capiuntur inſcientes, ut & confirmatio ulterior quòd Inſania Enthuſiaſtica *cum ſana mente in aliis rebus poſſit conſiſtere.*

Cæterùm ut zelus meus pro veritate in nullius hominis injuriam cedat, hoc monitum omittere non poſſum; Quòd venenum hoc de quo loquimur tam ſubtiliter inſinuatur, ſilentérque ſupponitur in hiſce ſcriptis legendis, ut bonus profectò veríſque Chriſtianus facilè in eorum approbationem abripi poſſit, ſine ulla ab ipſis *Infectione,* (quippe qui non animadverterit, quid implicent aut ſubinſinuent) aut *defectione* à præcipuis Rudimentis Chriſtianitatis. Atque equidem quanto ardor major videtur erga ſummam ſanctitatis perfectionem, eo lector ſecurior redditur de ſcriptoris integritate quantùm ad Eſſentialia Religionis Chriſtianæ Principia, quamvìs res longè aliter ſe habeat, ſi deſcenderis ad Imum.

Inſania enim & *Melancholia,* ſumma omnia petunt, multiſque probavimus exemplis hominem ridiculè abſurdéque in una aliqua re delirare poſſe, & mente tamen ſanâ eſſe ac compoſitâ in reliquis. Quemadmodum *Gazæus* rem feſtivâ & eleganti illuſtrat hiſtoriolâ de ſene quodam, qui ſe imaginatus eſt *Deum Patrem.* Et Acoſta quidem verum exemplum producit, cujus & ipſe certiſſimam notitiam habuit, de docto quodam ac venerabili Theologiæ Profeſſore in Regno *Peruviano,* quem affirmat æquè mentis compotem fuiſſe, quantùm ad ullum Cerebri ſymptoma, quàm ipſe erat quando ſcripſit Narrationem. Quæ cùm aliquantulum prolixa ſit, tantum ſolummodo tranſcribam, quantum præciſè ad præſentem ſcopum facturum ſit.

Hic Doctor *Peruvianus* ſanctè ſerióque affirmare ſolebat, aliquando fore ut ipſe *Rex* ſit, quinimo & *Papa* etiam, ſede Apoſtolicâ in iſtas partes tranſlatâ. Porrò ſanctitatem ipſi conceſſam eſſe ſupra omnes Angelos cœleſtéſque cohortes, & ſupra omnes Apoſtolos; immò unionem *Hypoſtaticam* Deum ipſi donare voluiſſe, ſe verò eam noluiſſe acceptare. Denique, quòd ille Mundi Redemptor conſtitutus eſſet quoad *Efficaciam,* cùm Chriſtus, quod ille dixit, conſtitutus tantùm fuiſſet quoad *Sufficientiam.* Quòd totus ſtatus Eccleſiaſticus abrogandus eſſet, ipſéque leges novas eſſet conditurus perſpicuas atque faciles, quibus Clericorum à Matrimonio prohibitio tolleretur, & pluralitas permitteretur Uxorum, omníſque Confeſſionis neceſſitas aboleretur. Quas quidem res, tanta cum animi contentione & confidentia, tam multis támque prolixis citationibus è Prophetis, Pſalmis, Apocalypſi aliiſque libris, adeóque inopinatis Applicationibus Allegoricíſque eorum interpretationibus coram Inquiſitionis Judicibus defendebat, ut Auditorium neſciret Imaginationem illius riderent magìs, an admirarentur memoriam. Ipſe verò de ſumma rei tam certò perſuaſus erat, ut nihil præter mortem eum liberare poſſet à delirio. Martyrium enim paſſus eſt ob hoc veſaniæ ſuæ ſpecimen, ad æternam Judicum ejus Infamiam, qui aut adeò rerum imperiti erant ut neſcirent *Melancholiam* efficere poſſe ut quis in una aliqua re deliret, dum mente ſatìs ſanâ ſit in reliquis, aut tam crudeles ac barbari ut nihil penſi haberent hominem miſellum mentiſque malè compotem occidere. Hiſtoriam fuſiùs deductam legere licet in Tractatu de *Enthuſiaſmo* recèns edito, & à *Meric. Caſaubono* eruditè ſcripto, cap. 3.

Atque hæc quidem huc tranſcripſi, ut evidentia illius veritatis apud Medicos, qui affirmant *Melancholiam* mentem hominis in una aliqua re infatuare poſſe & ſatìs ſanam relinquere in reliquis, magìs innoteſcat; útque porrò confirmem, quod ſuprà notavi, *Enthuſiaſtas* nempe utplurimum vaporibus ab inferiore corporis regione intoxicari, ut *Pythiæ* olim inſpiratæ fuiſſe creduntur certarum quarundam exhalationum vi è Cavernis in quibus ſuum habuerunt receſſum. Unde enim audax iſtud propoſitum novam ferendi legem apud Chriſtianos pro pluralitate Uxorum, niſi ex eo quòd judicium illius obnubilatum eſſet Venereis aliquibus fumis ac vaporibus?

Sect. XLII.

De Enthuſiaſmo Philoſophico.

Alterum *Enthuſiaſmi* genus quod propoſui, *Philoſophicum* erat, quippe quod in iſtiuſmodi hominibus reperitur qui magìs *ſpeculativò* ingenio ſint ac *Philoſophico*. Cúmque Melancholia heîc ad Religionem ac Devotionem perinde atque ad curioſam rerum contemplationem homines pronos faciat, hi motus naturales affectúſque versùs Deum eos in perſuaſionem rapere poſſunt, quòd is ipſos viciſſim majori ſolito affectu amplectatur, quódque tam ſpecialem Aſſiſtentiam conductúmque ab eo nacti ſint, immò tam myſticam ſed itidem intimam ac realem cum ipſo unionem, ut quamlibet bellam cogitationem ſive Imaginationem quæ in mentes ipſorum obrepſerit, tanquam eximium Divini favoris pignus, ſingularémque à Deo ipſo Illuminationem, ſe exiſtiment æſtimare oportere.

Qua quidem in re *Elionoræ Meliorinæ*, Generoſæ *Mantuanæ* veſaniam imitari mihi videntur, quæ cùm plenè perſuaſa eſſet ſe Regi cuidam nupſiſſe, ſolebat in genua ſe provolvere & cum eo colloqui, acſi præſens eſſet cum ſuo comitatu; & ſi fortè fortunâ aliquod vitri fragmen in ſterquilinio inveniſſet, incidiſſet in concham oſtreaceam, ſtanni fruſtulum, aliúdve quodlibet, quod in Sole ſplendeat atque rutilet, dicere ſolebat Gemmam eſſe à Domino maritóque ſuo ad ſe miſſam, atque hâc ratione capſulam ſuam variis hujuſmodi quiſquiliis replebat.

Haud abſimili modo inſpirati hi *Melancholici*, vagulis quibuſlibet ac flammitantibus Imaginatiunculis quas ipſis *Melancholia* ſuggeſſerit, capita ſcriptáque ſua refereiunt, tanquam ſi magni pretii veritates eſſent, ab ipſo Spiritu ſancto eis communicatæ; & inopinatos morbi ſui naturalis Paroxyſmos pari excipiunt devotione & reverentiâ, acſi ipſius Dei vis & præſentia animas ipſorum occupâſſet.

Sect. XLIII.

Multi Chymici *ac* Theoſophi *huic morbo obnoxii.*

Huic morbo multi *Chymicorum* & *Theoſophorum*, ſi quid ego rectè judico, admodum videntur obnoxii, qui ſua commenta & Imaginationes itá magiſterialiter atque imperioſè dictitant, acſi Nuncii Authentici eſſent à Deo omnipotente miſſi. Quòd verò *Mimotheoſophi* ſunt, hoc eſt *Enthuſiaſtæ*, non autem Homines infallibiliter illuminati, craſſæ Ineptiæ quas ipſis excidiſſe in ſcriptis eorum obſervavimus, eis omnibus abundè demonſtrant qui non aliquo modo eodem quo ipſi veſaniæ morbo laborant. Pauca heîc producemus exempla, quanquam Authorum nomina reticebimus, quippe quæ apud quoſdam tanto in pretio ſunt atque exiſtimatione.

SECT. XLIV.

Abſonorum Commentorum Collectio promiſcua è variis Theoſophis *&* Chymicis.

ARrigite igitur aures & adeſte cum ſilentio, nam ſtupenda planè Myſteria vobis jam enarrabo. Virtutes Planetarum non aſcendunt ſed deſcendunt. Nimirum, ex *Venere* ſive *Cupro* non fit *Mars* ſeu *Ferrum*, ſed ex *Marte* fit *Venus*, quippe cujus inferior eſt ſphæra. Ità *Jupiter* ſive *Stannum* facilè mutatur in *Mercurium* ſive *Argentum vivum*, quia *Jupiter* ſecundus eſt à Firmamento, & *Mercurius* ſecundus à Terra. *Saturnus* primus à Cœlo & *Luna* prima à Terra. *Sol* cum omnibus ſe miſcet, ſed nunquam melioratur ab inferioribus. Nunc verò ſcias magnum eſſe conſenſum *Saturnum* ſeu *Plumbum* inter & *Lunam* ſive *Argentum*, *Jovem* inter & *Mercurium*, & inter *Martem* & *Venerem*, quoniam Sol in horum medio eſt ſitus.

Quid obſecro eſſe poteſt niſi altè ſurgens Hypochondriorum intumeſcentia quod mentem ad tam ſublimes comparationes ab Hypotheſi tam falſa ac fatua petitas attollat? Sed de *Chymicis* & *Theoſophis* generatim obſervavi, ut de aliis quoque hominibus pinguiori adhuc inſaniâ correptis, quòd ipſorum cogitationes validè ad *Aſtrologiam* rapiuntur, utpote quæ ars ſit perquam leviculis innixa fundamentis; nec dubito quidem quin Reliquiæ ſint antiquæ rudiorum Ethnicorum ſuperſtitionis & Idololatriæ, quâ aut propria Melancholia aut aliquid deterius ipſos imbuiſſet.

Sunt & aliæ bellæ imaginationes apud hos Scriptores de cœleſtibus illis corporibus; ut, *Stellas* ac *Planetas*, *Lunâ* ipſâ non exceptâ, eſſe ejuſdem naturæ quâ lapides pretioſi qui adeò fulgent heîc in Terra; & quanquam nihil agunt, ità tamen eas eſſe comparatas ut vagabundi *Spiritus* aëris in ipſis tanquam in ſpeculo res cernant futuras, atque hinc eis ineſſe facultatem vaticinandi.

Stellas factas eſſe ex *Sole*, & tamen *Solem* eas illuminare.

Oculos noſtros ſuam traxiſſe originem à *Stellis*, atque id ipſum in cauſa eſſe cur Stellas videre valeamus.

Oculos noſtros agere in omnia quæ vident, perinde atque quæ vident in eos agunt ſive operantur. Illud etiam egregium Myſterium eſt dignúmque ore viri divinitùs inſpirati, Quòd Aurora & Veſpera tantùm ſint ſub *Sole*.

Stellas calorem ubique in hoc Mundo accendere ad Generationem, Differentiámque *Stellarum*, Creaturarum differentiam producere.

Si calor *Soli* adimeretur, eum unam cum Deo lucem fore.

* Omnia eſſe ipſum Deum.

* Hominem quemlibet Deum ipſum fore modò ſanctè vivat.

Deum nihil aliud eſſe præter Dilectionem ſinceram, benignum Aſpectum amicúmve Intuitum, ſuavem Odorem, jucundum Saporem, gratam Contrectationem, & Oſculationem amorabundam, &c. Nec ille Spiritus, inquam ego, qui hoc myſterium inſpirat, quicquam aliud præter *Melancholiam* atque *Sanguinem*.

Deum Patrem in ſeipſo eſſe *Vallem tenebrarum*, ſed illuminari omnino à Filio ſuo.

Deum Rebellionem *Luciferi* comprimere non valuiſſe, quia bellum erat, non quidem inter Deum & Beſtiam, vel Deum & Hominem, ſed inter Deum & Deum, quippe quum *Lucifer* tanta ſuæ eſſentiæ eſſet portio.

Naturam eſſe *corpus Dei*, immò *Deum Patrem*, qui etiam Mundus eſt & quicquid ullo modo eſt ſenſibile aut perceptibile.

Stellares poteſtates eſſe Naturam, *Orbitámque Stellarem* matrem rerum omnium, à qua omnia ſunt, ſubſiſtunt & moventur.

Aquas hujus Mundi inſanire, atque hinc fieri, ut tantopere obſæviant & ultro citróque curſitent in Canalibus terræ.

Orbem cæruleum Aquas eſſe ſupra firmamentum.

Duo eſſe *ignium* genera, alterum *frigidum*, alterum *calidum*, mortémque eſſe *ignem frigidum*.

Adamum fuiſſe Hermaphroditum.

Quòd *Ignis* non ureret nec ullæ futuræ fuiſſent Tenebræ niſi propter lapſum *Adami*.

Rem valdè probabilem eſſe, quòd *Saturnus* ante lapſum erat ubi jam *Mercurius*, & *Mercurius* ubi *Saturnus*.

* Tres *Animas* eſſe in Homine, *Animalem*, *Angelicam* & *Divinam*, Animámque *animalem* poſt mortem in ſepulchro jacere, *Angelicam* in ſinu *Abrahami* eſſe, *Divinam* verò in Paradiſo.

Deum oculos habere, aures, naſum, aliáque corporis membra.

Unamquamque rem ſenſum habere, imaginationem & fiducialem Dei cognitionem, Metallis, Meteoris Plantiſque non exceptis.

In centro Terræ *Ignem* eſſe *Infernalem* qui producitur accenditúrque à *primo mobili* Influentiiſque Stellarum.

Polum *Arcticum* Aquas haurire per Axem, quæ poſtquam ingreſſæ ſint, erumpere rurſus per Axem *Antarctici.*

Lunam perinde atque *Stellas* fieri ex minùs puro genere Ignis cum Aëre mixti.

Purum in Homine *ſanguinem* reſpondere elemento Ignis in Mundo magno, Cor ejus Terræ, Os Polo *Arctico,* orificiúmque oppoſitum Polo *Antarctico.*

Propriam *Mentis* ſive Intellectûs *ſedem* eſſe aut in ore *Ventriculi* aut circa *Lienem.*

Terræ motus ac Tonitrua non fieri à Cauſis naturalibus ſed ab Angelis Dæmonibúſve.

Ante Diluvium *Noachi* nullam fuiſſe Iridem.

Lunam eſſe ſubſtantiam conglaciatam, lumen frigidum de ſuo habentem, quo lumen Solis quod recipit & in nos conjicit, adeò frigidum evadit.

SECT. XLV.

Particularis ex Paracelſo *Collectio.*

HActenus Collectiones noſtræ promiſcuæ fuerunt. Quod ſequitur ex *Paracelſo* ſolo excerpitur. Ut exempli gratiâ:

Diverſitates Altitudinis Solis non efficere *Æſtatem* atque *Hyemem,* quoniam Sol eundem calorem habet, ſive altior ſit ſive humilior; ſed eſſe *Æſtivas* quaſdam & *Hyemales* Stellas, quæ præcipuæ cauſæ ſint iſtarum Tempeſtatum. *Paracelſ. de Meteor. cap.* 3.

Abſentiam Solis non eſſe cauſam Noctis, quippe cujus lux tam magna eſt, ut totam Terram pari, aperto diei, ſplendore ſimul illuminet; ſed Noctem *tenebroſarum Stellarum* influentiâ introduci, quæ tenebras eradiant & caliginem Terræ offundunt, ut Sol lumen.

Gnomos, Nymphas, Lemures & Penates, Spiritus Intellectu perinde atque homines præditos, in totum tamen mortales eſſe, & nè Animam quidem in ſe immortalem continere. *Paracelſ. de Meteor. cap.* 4.

Stellas eſſe quaſi phialas ſive cucurbitas, in quibus *Sal* Meteoricum, *Sulphúrque* ac *Mercurius* continentur; Ventóſque, qui ex his fiunt, per *Æthereos Vulcanos* ex his Emunctoriis efflari, ut quando quis ore ſuo halitus reddit reſpiràtve. *De Meteoris cap.*5.

Stellas eſſe quaſi ollas ſive urceos in quibus *Archeus* ſive *cæleſtis Vulcanus* materiam pluviam præparat, quæ indè exhalata primùm in forma nubium apparet, deinde condenſatur in pluviam. *De Meteoris cap.*6.

Grandinem Nivémque eſſe etiam fructus Stellarum, quæ ab ipſis ut flores germináque ab Herbis Arboribúſque, proveniunt. *De Meteoris cap.*7.

Tonitruum à *Penatibus* fieri, qui poſtquam Æthereum *Sulphur, Sal-nitrum,* & *Mercurium* ſumpſerint, & in ſuum *Aludel,* hoc eſt, in *Stellam* ſuam impoſuerint, poſt ſufficientem illìc præparationem, Stella tandem in Aërem ipſa effundit, atque ſic *Tonitrui* materia evadunt, cujus ſonus tam vaſtus eſt & terribilis quippe qui à Cœli Teſtudine repercutitur, ut quando Bombarda ſub fornice aliqua concava exploditur. *De Meteoris cap.*8.

Fulgura ſine Tonitruo, eſſe quaſi deciduos *Stellarum Æſtivarum* flores. *De Meteoris cap.*9.

Stellas & comedere & nutriri, ac proinde alvum nonnunquam exonerare; iſtáſque Stellas cadentes, ut quidam appellitant, quæ ſuper terram, in tremulæ *Gelatinæ* forma reperiuntur, earum eſſe excrementum. *De Meteoris cap.*10.

Meteora iſta, quæ *Dracones volantes* nominantur, ſtupidiorem quendam Intellectum in ſe habere atque ſenſum.

Parelios & *Paraſelenas* per *Penates* fieri tanquam per Artifices, qui formam figurámve Poculorum argenteorum in Metallo adulterato imitantur.

Humanam omnem ac naturalem Intelligentiam *Stellis* ineſſe indéque in hominem derivari, & ab eis illam exugere ipſum oportere ad animam ſuam nutriendam, ut cibum ſumit ad alendum corpus. *Vide Paracelſi Scientiam Aſtronomicam.*

Divinationis rationem in hoc conſiſtere, Quòd Homo præter terreſtre, ſydereum etiam corpus habeat cum *Aſtris* conjunctum; atque hinc fieri, dum corpus hoc ſydereum ab Elementis (quod fit in ſomno) magìs liberum evadit, quò cum Aſtris poſſit confabulari, ut Mens indè moneatur de rebus futuris.

Stellas appropinquantis cujuſlibet hominis mortis terrore horroréque percuti, ideóque neminem ferè mori ſine ſigno aliquo ab ipſis dato, ut mortuorum hominum choreis, ſtrepitúve aliquo in ædibus, & ſimilibus.

Quemadmodum per *Divinam Fidem*, mortui exuſcitantur, montéſque conjiciuntur in medium mare; ità per *fidem Naturæ*, Influentiam *Stellarum*, quæ omnia Naturæ ſecreta cognoſcunt, ad nutum obtineri poſſe, quo naturaliter quiſpiam præſcire poteſt quid ſit futurum.

Gigantes, *Nymphas*, *Gnomos* & *Pygmæos* conceptus fuiſſe fœtúſque *Imaginativæ* Potentiæ & Influentiæ *Stellarum* in materiam ab ipſis præparatam, nulláſque habuiſſe Animas; quemadmodum & veriſimillimum eſſe, quòd remotiorum partium Orbis terrarum Incolæ nullas habeant, ut qui non ſint progenies *Adami*.

Aucipem, beneficio ſui *Aſtri*, nihil opus habere ut Volucres proſequatur, cùm ad ipſum ultrò ſint volaturæ, Piſcéſque itidem ad Piſcatorem adnataturi, Feráque Venatorem ſecuturæ propter eandem *Aſtrorum* rationem.

Separationem Orbis terrarum in tres partes, *Europam*, *Aſiam*, *Africam*, Imaginem quandam eſſe ſive Repræſentationem trium Principiorum Chymicorum *Salis*, *Sulphuris*, & *Mercurii*, ex quibus tribus univerſus Mundus eſt conſtitutus.

Paracelſ. de Natura rerum, lib. 1.

Artificialem quandam rationem eſſe producendi *Homunculum*; *Elváſque* Sylvarum, *Nymphas*, ipſóſque adeò *Gigantes*, hujuſmodi aliquam habuiſſe Originem; hóſque *Homunculos* ſic factos, noſcituros eſſe omnimoda ſecreta, artiúmque myſteria, quippe qui ipſi vitam, corpus, carnem, os, & ſanguinem ab artificiali Principio recepêre.

SECT. XLVI.

Paracelſum *occaſionem dediſſe maximè veſanis* Enthuſiaſmis Philoſophicis *qui unquam extitêre*.

HÆ ſunt immanes deliræque Imaginationes iſtius ampulloſiſſimi totius Europæ Oſtentatoris, *Aureoli Paracelſi*, cujus effrænis phantaſia, & audaciſſima præfidentiſſimáque abſonorum ſuorum ſupinorúmque Inventorum hominibus credulis obtruſio, *Enthuſiaſmis Philoſophicis* occaſionem dedit maximè veſanis, auſim dicere, & abſurdis quos ullus unquam aut *Chriſtianus* aut Ethnicus humano generi propinavit. Ultimum illud ipſius Commentum quidam conati ſunt in Allegoriam convertere, ut *Perſæ* Alcoranum, cùm eos craſſi illius ſenſûs adeò pudeat; ſed meo quidem judicio, ità frigidè & incongruè, ut confirmatiorem quemlibet redderet, literalem ſenſum tantummodo intendi; & ſi cum eis quæ de *Nymphis* ſcribit, *Gigantibus* atque *Elvis*, in ſua *Scientia Aſtronomica*, comparaverit, nullus ei relinquetur ulteriùs dubitandi locus.

SECT. XLVII.

Philoſophiam Paracelſi *quamvis ipſe minimè intenderit, unum è tutiſſimis Aſylis eſſe Atheo, ipſúmque fulcrum antiqui Paganiſmi.*

EST ſanè, fateor, aliqua Religionis affectatio in ſcriptis illius, multóque major in illius Sectatoribus, qui ſe à Deo edoctos arbitrantur, cùm clarè interim videam, cerebrum eorum omninò calefactum infectúmque inſalubri aurâ, vehementíque ſpiritu phantaſtico, qui in *Paracelſi* libris ſpirat.

Equidem benè novi minimam eſſe prudentiæ partem, illos vili pendere, quos alii tantopere admirantur. *Aſtutia* verò eſt non *Prudentia* quæ infidum ſilentium imperat. Neque ſcio profectò quî probus quiſquam conſcientiam ſuam exonerare poſſit, callidè connivendo ad tales falſitates quibus hominum mentes illaqueari viderit, eáſque non ſolùm ineptis ridiculiſque figmentis deturpari, ſed inſinuari etiam iſtiuſmodi periculoſas noxiáſque opiniones, quæ ipſa Religionis Chriſtianæ Fundamenta ſupplantaturæ ſint atque ſubverſuræ.

Ad quemlibet enim Judicem provoco, An quicquam ad antiquum Paganiſmum propiùs accedat, quàm quæ audaculus hic ſcriptor de *Stellis* pronunciavit? Ullúmque Aſylum tam opportunum tutúmque ſit Atheis qui omnem Religionem derident atque eludunt, quàm ſit miraculoſa illa Cœlorum Influentia, quam *Paracelſus* in *Sci-*

entia ſua *Aſtronomica* deſcribit? Quamobrem attonitus planè ſtarem ad veſaniam & Inconſtantiam tum ipſius tum Sectatorum ejus, qui Philoſophiam *Paganicam* ſatis acriter ſubinde perſtringunt, cùm ipſi tamen in ſua ſcripta ipſas fæces illius admittant, craſſa utique Principia antiquæ Paganicæ Superſtitionis & Idololatriæ, niſi quòd meminerim, eos *Enthuſiaſtas* eſſe, nec *Rationis* ductum, ſed vim *Imaginationis* ſequi.

Jupiter eſt quodcunque vides, &c.

Hoc ſenſu pinguiori ſumptum, nullus dubito, quin Principium primarium fuerit, unde tot varietates impuritatéſque Paganicæ ſuperſtitionis effluxêre, cùm in quolibet ſenſuum ſuorum Objecto, Deum ſibi obviàm factum putarent. Et certè hi enormes Enthuſiaſtæ profitentur, * *Rem quamlibet Deum eſſe aut in Amore, aut in Ira.* Quod quidem, ſiquid ego intelligo, nihil differt ab Atheiſmo. Planè enim implicat Deum nihil aliud eſſe præter univerſam Mundi materiam, in varias formas figuráſve concinnatam, variiſque qualitatibus ſive proprietatibus imbutam, gratis aliis, aliis ingratis, quibuſdam ſanctis, aliis profanis, nonnullis intelligentibus, aliis inſenſatis, his fortibus ac vegetis, illis rurſus infirmis ac repentibus, & ſic in cæteris. Sed Deum in tot partes diſcindere, idem eſt atque eum vulnerare, imò verò trucidare nullúmque omninò Deum conſtituere.

SECT. XLVIII.

Philoſophiam Paracelſicam *Aſtrorum cultui apud Ethnicos patrocinari, Authoritati Miraculorum Servatoris derogare, & inefficax reddere Evangelium ad fidem unius Dei ſtabiliendam particulariſque Providentiæ, profeſſóque iſti Atheo* Vanino *gratificari, etiam in eo de quo maximè triumphat, utpote quod ipſi commodiſſimè inſerviat ad omnem omninò Religionem eludendam.*

Rurſus, ut patrocinatur *Paracelſus* Stellarum cultui apud Ethnicos, dum eas tam ſcientes, tam potentes ac commiſerantes rerum humanarum facit ſpectatrices? Et cur obſecro ipſis preces fundere ad eas non liceret, quemadmodum *Anna Bodenham* Venefica ad Planetam *Jovem*, ſi tantam potentiam habeant & ſcientiam, ut homines in hac inferiori Regione generare valeant, donáque ipſis conferre? Neque enim multùm abſimile eſt atque ſi quiſpiam à Patre compatréve benedictionem peteret. Nam ſi concedatur vel unam Gentem ab *Aſtris* procreatam fuiſſe, Atheus pro certo aſſumet, omnes ſic fuiſſe genitas.

Porrò, quomodo damnum reſarciemus, noxámque Miraculorum ſemper Beati Servatoris authoritati factam? Quibus non ſola Chriſtianitas ſed prima omnis veræ Religionis fundamenta eminenti modo ſtabiliuntur, *ſpecialis* ſcilicet ac *particularis Dei Providentia*, & *Spes vitæ futuræ*. Nam ſi Aſtra iſtiuſmodi Animantes, quæ ſenſu intellectúque polleant, ex materia præparata producere poſſunt, quæque tamen immortalem Animam nequaquam habeant, ſed in ſtupidam iterum materiam penitus convertantur; quî fit ut res ità ſe non habeat apud homines perinde atque apud ipſas? Et ſi contribuere poſſunt vim ac peritiam iſtiuſmodi miracula edendi quæ *Moſes* fecerit & *Chriſtus*, aut quæ ab ipſis haud multùm abluſerint; quæ reſtant argumenti veſtigia, quo probemus Deum exiſtere ullóſve Spiritus? Omnia enim ſic reſolvi poſſint in vim *Aſtrorum*. Id quod præfervidus ille atque induſtrius Atheus *Cæſar Vaninus* ſummopere triumphat, in ſuo *Amphitheatro æternæ Providentiæ*, ubi multa dicta Aſtrologica affert ex *Cardano*, ſub ſpecie refellendi, quibus Originem trium illorum eximiorum Legiſlatorum *Moſis*, *Chriſti* & *Mahometis*, ab Aſtrorum Influentia arceſſit.

Lex *Moſis* à *Saturno* eſt, inquit *Cardanus*, Chriſti à *Jove* & *Mercurio*, *Mahometis* à *Sole* & *Marte*. Lex verò Idololatrarum à *Luna* & *Marte*.

Et in alio loco *Cardanus* dulcedinem illam, & manſuetudinem & Sapientiam atque Eloquentiam quæ repertæ ſunt in Servatore, unde capax erat diſputandi in Templo annos tantùm duodecim jam natus, *Jovis* influentiæ imputat.

Pomponatius etiam Sapientiam & Miracula Chriſti agnoſcit, ſed ad Stellas omnia refert, quippe æquè longè in *Atheiſmum* prolapſus, ut opinor, atque ipſe *Vaninus*. Adeò ut hæ veſanæ Enthuſiaſtarum Imaginationes reverà præcipua ſint fulcra ac perfugia Atheorum, quibus ſeipſos ſuſtentare ſolent ac defendere. ‖ Sed quàm phantaſtica conturbatáque *Aſtrologiæ* ſit ratio, cuilibet qui vel mediocri patientiâ, ingenio, animíque ſobrietate præditus ſit, judicandum relinquo.

‖ *Vide Myſter. Pietat. lib. 7. cap. 15, 16, 17.*

SECT. XLIX.

Nec Paracelſum *nec Sectatores illius Atheiſticos fuiſſe aut Diabolicos, & unde fiat ut* Chymicus *utplurimum tam miſellus ſit Philoſophus.*

CÆterùm hæc non ità loquor acſi putarem aut *Paracelſum* ipſum aut illius Sectatores adeò Atheiſticos, ſed ut oſtendam phantaſticam ipſorum & Enthuſiaſticam ſcribendi rationem, qui cùm tam præfervido ſtudio ad res Religionis & Chriſtianitatis ferri videantur, admodum craſſo tamen inſcitóque modo eas tractant, quamlibet magnificam ineptiam quæ ipſis in mentem venerit, effutientes, quantumvis analogiæ Fidei omnino contrarietur, nec ulli ſolido Rationis fundamento innitatur; quaſi id ſolùm agerent ut homines reddant attonitos, omniúmque oculos & admirationem in ſe attrahant.

Rei verò eventum ſic eſt; Ut quidam eos admirantur, ità profectò alii è contrà illos execrantur, tanquam homines * qui *impio* agantur Spiritu planéque *diabolico*. Quam fateor, meo quidem judicio, nimis duram eſſe cenſuram, quippe quum homines animis bene ſinceris, obnoxii eſſe poſſint *Melancholiæ* & *Phreneſi* perinde atque *Febribus* & *Cauſonibus*. Veruntamen tantum abeſſe oportet, ut quis veritatem aliquam à *Spiritu Enthuſiaſtico* detectam in majori pretio habeat, ut ob eam ipſam cauſam magìs ſuſpecta eſſe debeat, quoniam iſtud Temperamentum quod homines ad *Enthuſiaſmum* inclinat, Rationi maximè eſt inimicum, ut quod magìs craſſum ſit & fæculentum, ac proinde ſemel calefactum, *Vini muſti* inſtar inebriet, magíſque idoneum ſit ad cerebrum abſonis aliquibus *imaginationibus* quàm ullis *veris* Philoſophiæ *notionibus* opplendum.

Homines verò ſanguine puriori tenuioribúſque ſpiritibus, huic morbo non ſunt adeò obnoxii. Hæc enim maximè nativa eſt Rationis ſublimioris ſedes; cùm è contrà *Genius* ille magìs *Mechanicus*, qui in materia verſari amat varióſque in eam ludos edere (quæ *Experimenta* appellitant) poſtquam ſcientiæ deſiderium eouſque eum inflammaverit, ut pro *Genio Architectonico* ſe gerere velit, ſupráque propriam ſuam ſphæram evolare, veſaniſſimas profectò allucinationes admittit quæ ullo modo fingi poſſunt, *materiali* hâc & *corporeâ Phantaſiâ* circa ſpeculationes magìs ſubtiles ac ſpirituales egregiè delirante.

Atque hoc quidem eſt quod *Chymicum*, utplurimum, tam miſellum facit Philoſophum, qui ab anguſta Inſpectione paucorum Nugamentorum in ſua Arte, ſeipſum putat ſatìs inſtructum ad rationem reddendam rerum omnium tum *Divinarum* tum *Naturalium*. Id quod æquè ridiculum Inſtitutum eſt, è meo quidem judicio, atque iſtud cujuſdam hominis, qui cùm in littore Remi aliquod fragmentum inveniſſet, omnes ingenii nervos huc intendit ut integram ex eo conficeret Navem.

SECT. L.

Hujus Diſſertationis Scriptorem nec Theoſopho *nec* Chymico *inimicum eſſe, tantùm id petere, ut gratia ſibi fiat nimia credulitatis circa partem utramlibet.*

QUicquid hactenus diſſerui ſic intellectum volo, tanquam ab eo profectum, qui nec animum minimè malum ſincerúmve *Theoſophi* contemnat, nec *Chymici* improbet Induſtriam. Veruntamen hanc veniam ſemper mihi datum iri ſpero, ut neutri plus fidei adhibeam, quàm quod aut illuſtre aliquod *Miraculum*, aut præcellentiſſimum aliquod *Medicamentum*, aut *Demonſtratio* denique ſolidáve Ratio mihi extorſerit.

SECT. LI.

De Curatione *Enthuſiaſmi per* Temperantiam, Humilitatem *&* Rationem.

DE *Generibus Enthuſiaſmi* jam egimus, quatenus præſenti noſtro Inſtituto convenire cenſuimus. *Curationem* hujus morbi breviter nunc attingemus. Ubi omnem ſcientiæ *Medicæ*, notitiæque *Pharmacopolii* affectationem miſſam facientes, ea tantùm notabimus quæ ſub rationem *Moralem* cadunt aut *Theologicam*, talia ſolummodò præcepta tradentes quæ ad humanæ vitæ regimen pertineant, quantùm ad grandem hunc errorem *Enthuſiaſmi*: de quo quidem, vir ſobrius haud facilè apud ſe ſtatuerit, magiſne ridiculus habendus ſit, an deplorandus atque noxius.

Jam verò *Medicamentum* maximè *præſentaneum* quod ego quidem noverim, adverſùs hunc morbum, eſt hoc *Diatrion*, ſive *Compoſitio* ex tribus præſtantiſſimis *Ingredientibus*, nempe, *Temperantia*, *Humilitate* & *Ratione*. Quod ut non deſpero, quin eos etiam ſanaturum ſit, qui aliquanto longiùs in morbum *Enthuſiaſticum* ſint prolapſi; ità ſanè omninò confido, fieri non poſſe quin eum prævertat in aliis, qui non niſi paululùm admodum eo adhuc ſint infecti.

Sect. LII.

Quid intelligendum per Temperantiam.

PER *Temperantiam* intelligo moderatam *Abſtinentiam* ab omnibus calidis & inflammantibus *Eſculentis* & *Poculentis*, ut etiam ab omnibus venereis voluptatibus, tactualibúſque corporis oblectamentis, ab omni mollitie ac muliebritate; conſtantem pertinacémque *adhæſionem* perfectiſſimo gradui *Caſtitatis* in Cœlibatu, & *Continentiæ* in Matrimonio, ad quem quis pervenire poteſt. Nam manifeſtum eſt ex variis *Enthuſiaſmi* exemplis ſuprà allatis, magìs abditos ac latitantes libidinis vapores atque fumos imaginationem ipſorum infeciſſe, qui tamen de *Prophetia* ac *Inſpiratione* tantopere gloriabantur.

Addemus inſuper hiſce, moderatum *corporis exercitium*, tempeſtivos auræ refrigerantis hauſtus, debitum peritúmque Devotionis uſum, quo ſanguis ventiletur, & à tenebroſis purgetur gravantibúſque vaporibus. Quem *cibus temperatus*, ſi non *jejunium*, debet concomitari, alioqui quanto fervidiores vehementioréſve acceſſus apud Deum fuerint, eò veriſimilius erit, grande aliquod malum in capita noſtra indè ruiturum, quippe qui *Intemperantiæ* noſtræ fæcem in nobiliores corporis partes, in *cerebrum* ſcilicet *ſpiritúſque animales* excitaturi ſint, atque ità mentem intoxicaturi furore ac veſaniâ.

Sect. LIII.

Quid intelligendum per Humilitatem, *quantúmque conferat ad ſapientiam verámque rerum cognitionem.*

PER *Humilitatem* intelligo integram propriæ voluntatis ſubmiſſionem voluntati Divinæ in rebus omnibus, *Inſenſibilitatem* quantùm ad omnem *Sui-excellentiam*, præeminentiámve præter cæteros, perfectam *Privationem* omnis deſiderii *ſingularitatis*, attrahendíve oculos hominum in perſonam propriam; laudem hominum Mundíve gloriam non magìs ſapere, quàm ſi nondum in eum natus eſſet, ſed hâc unicâ re contentum eſſe, quòd id agit, ut ſua voluntas Divinæ voluntati plenè ſubjiciatur, quódque cum gratiarum actione debitâque Reverentia recipit quicquid Divina Providentia in ipſum conjecerit; dulce ſit an acerbum, ſecundum an adverſum, ipſi perindè eſt. Nam quod evitare non poteſt, donum tamen à Deo eſſe meminit in bonum Univerſi datum.

Cæterùm heìc fateor, qui ſic affectus eſt, ut nullam ſcientiam, quâ ſibi placeat, quærit; ità fieri non poteſt, quin idem evadat omnium mortalium ſcientiſſimus. Quippe qui luce Divinæ ſapientiæ, ut in imum depreſſa Tellus, Stellarum radiis circundatur. Illiúſque altè demiſſa profundéve humiliata Anima, centrum quaſi eſt omnium cœleſtium Illuminationum, ut parvus hic Terræ globus ætherearum iſtarum Influentiarum. Equidem planè obſtupeſco dum ineffabile mentis, Divinæ voluntati penitus ſubmiſſæ, privilegium contemplor, quàm tranquilla, quàm omnium perceptionum compos, quàm acuta ac ſenſibilis, quàm libera, quàm ſagax, quàm tenero tactu exquiſitóque judicio ſit in rebus univerſis. Cùm *ſuberbia* è contrà effræneque deſiderium mentem adeò in fluctuum aſperitudines æſtúſque tumultuarios corruget, ut *æterna Rationis lux*, ſive circa *Vitam* ſive circa *Naturam*, perfectam diſtinctámque ſuam Imaginem ſive characterem illi nequeat imprimere; Neque poſſunt tam ſubtiles ac delicati motus ac figurationes, ſenſibiles fieri *Intellectui*, tam violentâ tempeſtate conturbato & agitato.

Ille igitur qui ſubmiſſam hanc humilémque Animi Temperiem aſſecutus eſt, quæ tam magni momenti eſt ad omnimodam ſapientiam acquirendam, *Naturalem* perinde atque *Divinam*, non poteſt adeò fatuus eſſe ut in eo ipſo peccet, qui genuinus fructus eſt Temperamenti contrarii. Et hujuſmodi eſt *Enthuſiaſmus*, qui homines inflat eóſque in opinionem attollit, quaſi extraordinariam quandam Influentiam à Deo hauſerint, qui in ipſorum animos agat, ſpecialíque decreto eos deſtinâſſet in *novos Prophetas*, *novos* Legiſlatores, *novos Davides*, *novos Meſſias*, & quid non? cùm nihil aliud ſit quàm *veteris hominis* effectus, Fanatico quodam modo in ipſis operantis.

SECT. LIV.

Quid intelligendum per Rationem, *quantúmque periculi ſit in deſerendo iſtam ducem: Error porrò eorum notatur qui expectant ut* Spiritus *ſuggerat quæ* Rationi *minimè ſint conſentanea.*

PER *Rationem* intelligo tam ſedatam cautámque Animi temperiem ut ſuſpectam habitura ſit omnem altivolam præfervidámque *Imaginationem* quæ mentem in aſſenſum conetur abripere ante deliberatam examinationem; quippe quæ minimè patiatur *vigore* ac *ſplendore* Repræſentationis ſe decipi, nec illius onere aut pondere obrui, ſed patienter ac manſuetè eam explorabit per notiſſimas Animæ facultates; cujuſmodi ſunt *Communes Notiones*, in quibus omnes omnino homines mentis quidem compotes conſentiunt, aut per externorum *ſenſuum evidentiam*, aut per *claram diſtinctámque* ab iſtis *deductionem*.

Quicquid horum trium cuilibet repugnaverit, *Imaginatio* eſt, quæ teſtificari quicquam nequit de ullius rei veritate ſive exiſtentia, ac proinde non debet nec poteſt quidem aſſenſum elicere, niſi apud homines *maniacos* aut *fatuos*.

Atque illi quidem qui tam canorè vociferantur de ſublimiori quodam Principio, quem *Spiritum* appellitant, cum horum interim excluſione, propriam *Ignorantiam* produnt. Et dum veſanâ ſuâ eloquentiâ homines ab uſu rationalium facultatum diſſuadere ſatagunt ſub prætextu magìs eminentis magíſque glorioſi luminis, æquè vecorditer agunt, meo quidem judicio, acſi, multitudine hominum cum lychnis, tædis & laternis noctu itinerante, furioſus aliquis inter ipſos Orator mirifico quodam facundiæ genere ità eos infatuet in præſentis conditionis faſtidium ac contemptum, comparando eam cum grato hilaríque Auroræ ac Diei ſplendore, ut eos impellat per impatientiam ac indignationem, ad lychnos ſtatim tædáſque extinguendas, & ad confringendas laternas, allidendo eas in humum, ut ſic eligant potiùs per tenebras iter facere cum periculo Naſos impingendi trunco arboris cujuſque proximæ, aut in proximam decidendi foveam, quàm ut uſum continuent utiliſſimorum Luminarium, quæ dum mentis compotes erant, optimo conſilio ad Itineris incolumitatem paraverant.

Euthuſiaſtarum verò error non ſolùm in eo conſiſtit quòd præſentem ducem deſerant antequam meliorem nacti ſint, ſed in hoc etiam, quòd falſam de eo notionem, quem expectant, conceperint. Nam proculdubio *Spiritus* ille *Illuminationis* qui in animabus Fidelium reſidet, Principium eſt *defæcatiſſimæ Rationis* quæ humanæ Naturæ communicari poteſt. Et quicquid hic *Spiritus* habet, habet ſanè à Chriſto (ut Chriſtus ipſe teſtificatur) qui æternus eſt λόγος, illa omnia complectens Sapientia ac *Ratio Dei*, in qua naturas Ideáſque rerum omnium, cum omnibus earum relationibus *Dependentiæ* & *Independentiæ*, *Congruitatis* & *Incongruitatis*, aut cujuſcunque Habitudinis quam altera ad alteram habeant, uno continuo oculi ictu ſimul perluſtrat atque pervidet.

Quicquid *Intellectualis* luminis nobis communicatur, derivatur ab hoc fonte. Et in nobis eſt *Ratio particularis*, ſive *Ratio* in *ſucceſſione*, ſeu per partes. Neque quicquam eſt quod *Spiritus ſanctus* cuiquam homini unquam ſuggeſſit, quin ei conſenſerit ſaltem, ſi non & demonſtrari poſſet ab eo quod nos *Rationem* appellamus. Atque ſic quidem perſuaderi, quàm potens Repagulum ſit exorbitantibus Impreſſionibus motibúſque *Enthuſiaſmi* & *Melancholiæ*, penès quemlibet eſto Judicium.

Sect. LV.

Plura ſubſidia adverſus Enthuſiaſmum.

TRibus hiſce inſignioribus generalioribúſque ſubſidiis particulares aliquot rationes inſuper addere poſſumus, quibus *Enthuſiaſticam* hanc pertinacitatem à nobis amoliri valeamus, aut eam in aliis, ſi quando eos invaſerit, detegere. Ut exempli causâ; ſiquis prætenderit ſe aliquam veritatem per Inſpirationem aſſecutum eſſe, quæ tamen nulli uſui aut emolumento futura ſit Eccleſiæ Dei, equidem apud me parum abeſt à Demonſtratione, quin hic homo *Fanaticus* ſit mentéve captus. Et ſi falſitates accumulat perinde atque veritates, & in omnibus pariter ſe inſpiratum eſſe aſſeveraverit, maniſeſto profectò mihi indicio eſt, eum in nullis iſtorum myſteriorum quæ hominibus obtrudere ſatagit, eſſe inſpiratum.

Sect. LVI.

De ſermone alto & exaggerato Enthuſiaſtarum, *& de eis quæ modo extraordinario ore ipſorum exciderint.*

SUnt etiam certa quædam privilegia, quibus gaudent *Enthuſiaſtæ,* quæ hìc notanda ſunt, quorum beneficio, multis quidem impoſuerunt. Nimirùm, Quòd in ſermones ſublimes Divinóſque aliquando proruperint; Quod certiſſimum eſt non paucis hominibus paulò antè contigiſſe, quàm in abſolutiſſimam mentis alienationem inciderent atque inſaniam. Et ſiquid ipſis haud vulgare nec è medio petitum occurrere poſſet, id non ſatìs firmum pignus eſt veritatis reliquorum.

Nam inquietus hic & tumultuoſus *Melancholiæ* Spiritus, cùm totam corporis fabricam concutiat, terræ-motûs inſtar eſt, homini contingentis in carcerem caliginóſum incluſo, qui ad paululum temporis ipſos carceris muros facit hiare ac dehiſcere, atque ſic lumen ad breve tempus per fiſſuras iſtas intromittit, ſed derepente omnia rurſus perquam arctè clauduntur, ſpontéque quaſi compinguntur, captivúſque continuò in priſtinis Tenebris detinetur. Hic igitur in *Natura* caſus erat, non autem benigna ac ſalutaris *Divini Spiritûs* viſitatio.

Sect. LVII.

De Prophetia Enthuſiaſtica *quæ utplurimum hominibus* fatuis *ac* maniacis *contingit, ratióque cur id fiat, cúrque* Ecſtatici *futura prævideant, & de incertitudine ejuſmodi Prædictionum.*

HUC adjicere potes, *Vaticinandi fortunium,* ſive per *ſomnum* ſive per *vigiliam*; hujuſmodi enim res contigerunt hominibus *maniacis* atque *fatuis.* Et *Ariſtoteles* quidem bellam molitur rationem quæ ad utroſque perinde pertingat. Ἡ γὰρ διάνοια τῶν τοιούτων οὐ φροντιστική, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἔρημος καὶ κενὴ πάντων, καὶ κινηθεῖσα κατὰ τὸ κινοῦν ἄγεται. Quibus etiam addit, cur Homines *Ecſtatici* res futuras prævideant. Ὅτι αἱ οἰκεῖαι κινήσεις οὐκ ἐνοχλοῦσιν, ἀλλ᾽ ἀπορραπίζονται, τῶν ξενικῶν οὖν μάλιστα αἰσθάνονται. Quæ omnia huc redeunt. *Quòd mentis alienatio, quiéſque ſive ceſſatio à propriis motibus idoneos nos reddit ad Impreſſiones recipiendas aliunde profectas; atque ſic celeri vividóque ſenſu atque tactu moneri poſſumus per motûs communicationem à Spiritu Univerſi, quid ad Intervalla ſatìs diſſita fiat, quæve cauſæ conſpirent ad hoc vel illud efficiendum,* quæ tamen ſe aliò divertentes, faciunt ut *Prædictio* ſit falſa. Omnia enim quæ in Exiſtentiam prodituri ſunt, non ſemper in actualem Exiſtentiam prodeunt. Quamobrem hujuſmodi Præſagia omnia non ſunt θεόπεμπτα, ſed eſſe poſſunt tantummodò δαιμόνια. Ἡ γὰρ φύσις δαιμονία οὐ θεία. Verba ſunt *Ariſtotelis,* * ſed talia quæ peritus aliquis *Platonicus* omnium facillimè ſit explanaturus.

Summa, quò collineo, hæc eſt: *Prophetiam* de citra puram ac infallibilem Deitatem oriri poſſe, noſtrúmque eſſe errorem qui exiſtimamus *Prædictiones* quæ veræ reperiuntur, à *Prædicente* certò præcognoſci. Etenim præſens Cauſarum conſpiratio quæ in mentem vacantem emicant, corrumpi poteſt & alterari, diſſlaríque adinſtar nubium, quæ primùm quidem firmiter polliceri videbantur Agricolæ ſubſecuturam Pluviam.

SECT. LVIII.

Quanquam Enthuſiaſtes *morbum aliquem curaret tactu contrectatúve Ægroti, poſſe tamen non verum eſſe Miraculum.*

CÆterùm fortior adhuc ſupereſt illecebra quàm ſit *Prophetia*, quæ homines in fraudem illiciat, fidémque conciliet *Enthuſiaſtæ*. Eſtque quædam edendi miraculi ſpecies atque aſſimulatio. Ut in curando morbo aliquo deſperato, quemadmodum haud ità pridem accidit in hac Natione. Ab authoribus enim fide dignis mihi narratum eſt, (nec poteſt, opinor, à quoquam negari) quòd quidam contrectando manúve demulcendo hominis brachium cujus, quippe aridi atque inanimi, uſus ipſi perierat, in vitam priſtinúmque vigorem reſtituit. Quod quidem poſtquam acceperam, paucáſque ſcripti cujuſdam hujus mirifici Medici paginas perlegeram, curationem Naturalem ſtatim eſſe judicavi, ſed Medici ſanguinem ſpiritúſque àd eum gradum incaluiſſe, ut periclitaretur ei cerebrum. Quod verum repertum eſt. Nam haud multò pòſt, in ſummam incidit Inſaniam.

* Poteſt quidem *Sanativum* ac *Medicinale Contagium* eſſe, perinde ac *morbidum* & *venenoſum*: Spiritúſque hominum *Melancholicorum* quippe qui tam ſolidi ſunt ac ponderoſi, poſtquam adeò ad ſummum purificati, & pluſquam ordinario calore vigoréque corporis actuati ſint, in fortiſſimum *Elixir* abire; *Naturâ* hac in re *Chymicorum artificia* immane quantum excedente.

SECT. LIX.

De Enthuſiaſtarum *ad patiendum prolubio, ac Tolerantia.*

PRolubium etiam ad *patiendum* & in ſuſtinendis rebus aſperis invicta *Tolerantia* extraordinarium videri poteſt perhibere Teſtimonium quibuſdam *Enthuſiaſtis*, acſi *Divinum* aliquid & ſupernaturale eis ineſſet. Verùm ſi conſideremus, quantâ cum animi averſatione quidam à voluptatis ſenſu, tanquam à ſummo malo, ſic quidem apud eos habito, abhorreant, noſtra minuetur admiratio. Ob quod Paradoxon *Antiſthenes* notatur apud ‖ *Aulum Gellium*, quemadmodum etiam ob dictum illud huic ſuæ ſententiæ conſentaneum, Μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην, acſi ſumma Inſania tolerabilior eſſet voluptate corporeâ. Alii etiam ſunt qui ex ipſo corporis temperamento, cum moleſtiis ac periculis conflictari amant. Cujuſmodi ſunt ii, qui militiam colunt, marináque expediunt itinera cum naturali quadam animi oblectatione. Alii ſummam dant operam (& in eo quidem magnopere gloriantur) quò dolorum inſenſiles evadant, itáve ferant acſi eis non omninò eſſent affecti; adeò ut hæc conditio in vocabulum Artis, apud *Stoicos* abierit, qui hanc facultatem Ἀπάθειαν & Ἀναλγησίαν appellant.

‖ *Noct. Attic. lib.* 9. *cap.* 5.

Eſt autem hoc nihil aliud niſi *Spartana* quædam animi obfirmatio, pudoris ſenſu, gloriæ cupiditate, conſcientiæve propriæ ſuæ Fortitudinis ac Tolerantiæ voluptate corroborata. Cujus quidem rei exemplum eximium eſt puer ille *Lacedæmonius*, qui cùm ſub tunica vulpem celaret, vulpéſque ipſa viſcera ei corroderet, noluit tamen exclamare.

Anaxarchi dolor quamvìs minùs acutus videatur, fortitudo tamen ejus æquè illuſtris apparet, ex eo quòd, dum per crudelitatem *Archelai* tundebatur in Mortario, tam liberè potùit Philoſophari, quippe qui inter medios ipſorum pulſus atque ictus exclamavit, ‖ Πτίσσε, πτίσσε Ἀναξάρχου θύλακον, οὐ γὰρ πτίσσεις τὸν Ἀνάξαρχον· ſuperaddens Philoſophiæ ſuæ ſermonis feſtivitatem, corpúſque comparans ſacculo, Animámque ſupponens tanquam abſentem, ſacculúmque eſſe vacuum, ex ſua profeſſa ictuum inſenſilitate, minimáque ſolicitudine quid de ſuo corpore fiat. Quod tamen, exceptâ illius naturali ac pervicaci, de Immortalitate Animæ ſuſpicione, nihil aliud erat, præter obſtinatum inconſideratúmque *Stoiciſmum*. Corpus enim tunc potiori jure ictus ipſorum vilipendere potuit quàm anima, quippe quæ ſola capax erat ſensûs ac doloris. Adeò ut præcipuum animi illius fulcrum nihil eſſet præter inveteratum *Imaginationis* errorem.

‖ *Vide Nonnum in Synagog. Hiſtor. in Greg. Nazianzeni Invect. contra Julianum Apoſtatam.*

* Quantum etiam *Ira* & *Indignatio* animum ſuffulciat contra metum ac dolorem, videre eſt in brevi illo *Theanûs* exemplo, quæ cùm violentè urgeretur ad ſecreta ſuæ patriæ conſilia prodenda, dentibus linguam abſcidit eámque expuit in faciem Tyranni.

ni. Satìs ampla hæc ſunt exempla virtutis illius *Indolentiæ*, quam non ſolùm affectârunt ipſi Ethnici, ſed interdum haud mediocrem quidem ad gradum obtinuerunt.

Quid verò illud nominem, quod de Gladiatore quodam *Cæſaris* narrat *Gellius*, quem ridere ſolere ait, quando ejus vulnera exiccabantur & emundabantur, equidem neſcio. Videtur enim plus quàm ſimplex Ἀναλγησία ſive *Indolentia*. Cæterùm ex hiſce exemplis ac rationibus abunde patet, nullam tantam ſubeſſe *Divinitatem* ſanctitatémve ſupernaturalem, in ſtrenuè pertinacitérque ferendo dolorem, nec ullam hac in re *Divinæ Aſſiſtentiæ* neceſſitatem. Aut ſimplex animi obſtinatio, aut celatæ alicujus paſſionis vis ex Dogmate aliquo imbibito, hominem rebus omnibus efficere poteſt ſubnixu forti ſuſtinendis parem.

Noct. Attic. lib. 12. cap. 5.

Et tamen hæc levioris momenti ſunt, ſi cum eis, quibus *Enthuſiaſtes* propter peculiarem ſuam conditionem munitus ſit, conſerantur. Nam præterquam quòd ipſum Ingenium corporíſque Temperamentum efficit, ut rigidus ſit, inflexibilis & nuſquam ferè cedens, (nulla enim extat Temperies tam præfracta atque pervicax, quàm ſit *Melancholia*, etiam in rebus diſpenſabilibus quibúſque nulla ſubſit Religionis ratio) vis altera præterea huc adjecta eſt, ex vehementi opinione quòd divinitùs ſit inſpiratus, & ex conſequenti quòd cauſa illius citra omne dubium juſta ſit ac ſolida. Hoc enim naturaliter tendit ad eum invictum reddendum, in eis quæ patiatur, cùm ipſe ſibi conſcius ſit tum firmitudinis probitatíſque Cauſæ, ut ille opinatur, tum etiam officii quo indiſpenſabili modo ſe teneri putat, ad dictæ cauſæ adhærendum. Quibus addere potes certam futuræ gloriæ & fœlicitatis ex hoc ſuo Martyrio expectationem. Adeò undique manifeſtum eſt nihil neceſſe eſſe ut quicquam hac in re ſupernaturale aut miraculoſum ſubeſſe agnoſcatur.

SECT. LX.

Rerum aſperarum obſtinatas perpeſſiones ob errores in Religione, nullum argumentum eſſe contra veritatem omnis Religionis.

EQuidem fateor levem vulgarémve animadverſionem in obſtinatas haſce, uſque ad extrema quæque, perpeſſiones, in hominibus qui in eis ipſis rebus pro quibus patiuntur, errant, non poſſe quin iſtiuſmodi qui ad Atheiſmum propenſi ſint, inclinent ad cogitandum, nullam omninò in Religione ineſſe Veritatem aut Certitudinem. Cùm & in illo, de quo homines ſibi tam certi videntur, ut ſuper eo vitam ſuam deponere audeant, immò verò reverà deponant, tam craſsè turpitérque hallucinentur. Sic autem eſſe manifeſtum eſt, ex eo quòd homines contrariarum perſuaſionum extrema quæque pari cum confidentia patiuntur, eligentes magìs vitam deſerere quàm partem ſuam atque opiniones. Quod in *Judæis*, *Mahometanis*, *Papiſtis* verum perinde reperitur atque in *Proteſtantibus*.

Hoc quidem primo aſpectu non exiguam rationis ſpeciem præ ſe fert, ſed ſi penitiùs introſpiciatur, deprehendetur infirmum miſellúmque ſophiſma. Nam ſi hæc Ratiocinatio ſolida eſſet, ſequeretur nihil verum fore nè in univerſa quidem Philoſophia. Nam proculdubio homines contrariarum circa res eaſdem ſententiarum æquè firmiter illìc perſuaſi ſunt, atque in rebus Religionis, nec tamen partes unâ plures poſſunt eſſe veræ. Quòd verò de rebus adeò perſuaſi non ſint, ut vitam pro eis ſint depoſituri, indè non fit, quòd philoſophicas ſuas opiniones æquè firmiter non credant, ſed quòd nulla Conſcientiæ obligatio æternæve fœlicitatis ſpes in eis fundata ſit, contrà ac fit in Religione. Alioqui ſi ad conſcientiam & Religionem pertingeret, *Copernicanum* eſſe, *Tychoniſtam* aut *Ariſtotelicum*, quantùm ad Mundani ſyſtematis rationem, equidem nullus dubito quin Martyres pro ſingulis iſtis Hypotheſibus in ſcenam prodituri eſſent, aut ſaltem pro duabus, quippe quarum altera *Rationi* tam exquiſitè conſentanea ſit, altera *externo Senſui* tam craſsè accommodata.

Præterea, præterire non poſſum quin notem, quàm abjectum ſit & Philoſopho indignum, in hiſce, quæ ſe venditant, Ingeniis Atheiſticis, circa hæc nobiliſſima Theoremata de *Exiſtentia Dei*, & *Religionis veritate* ad tam puſillum incertúmque Tribunal quàm ſit merum Teſtimonium Humanum, provocare. Nam tale profectò in argumentationibus ſuis faciunt Martyrum oppoſitarum Religionum perpeſſiones; propriíque ſanguinis vitæque profuſionem tantùm ut quandam majori depoſito pignore certationem conſiderant. Quod quidem Topicum nonnulli, ſatìs profectò ſarcaſticè, *Argumentum* appellaverunt *Fatuorum*.

Quicquid verò momenti *Humanum Teſtimonium* in hujuſmodi cauſis habere poſſit, tantum abeſt ut Athei ſcopo inſerviat, ut planè contra ipſum faciat. Pone enim hos *Anti-Martyres*, (ut ſic loquar) alterum contra alterum ſigillatim teſtimonium perhibere, uterque tamen conjunctim ſuum contra Atheum perhibent Teſtimonium, ſanguine ſuo ipſum obſignantes confirmantéſque, *Deum* utique *eſſe Vitámque futuram.* Quod quidem ego non ſolius educationis effectum eſſe autumo, ſed naturalis ſagacitatis in fœlicioris ingenii hominibus inſitæque proclivitatis ad ſic ſentiendum: Quæ Religionis inſtitutis porrò corroborata, præſertim tam perſpicuæ atque demonſtrativæ quàm ſit Chriſtianitas, facilè conſcientiam hominis illigare poteſt ad vitam deponendam etiam pro iſtiuſmodi rebus quas mera *Educatio* menti ipſius impreſſerit, aut *Melancholica* aliqua Imaginatio. Fundus verò firmus & fulcrum omnium, illúdque abſque quo eſſet, pro nulla omnino opinione pati vellent, ſincera eſt atque inconcuſſa fides *Deum eſſe fœlicémque ſtatum expectandum poſt hanc vitam.* Ex quibus fit, cùm conſcientia ſcrupulis pungatur, nec agere audeat nec aſſentire iſtiuſmodi rebus, quas forſan ſuſpicetur tantùm vehementiùs, malas eſſe aut falſas, ut tutiorem viam eligat, quò ſumma rerum ſuarum ſarta tecta conſervetur, malítque pati quàm peccare.

Adeò ut non tam ſit firma earum rerum pro quibus patiuntur fides, (putà in *Papiſta* aut *Proteſtante*) quàm cura ac ſolicitudo nihil agendi quod ſuſpectum ſit aut peccaminoſum, quæ eos adigit ad ſubeundum Martyrium.

Unde ipſum Fundamentum hujus Paralogiſmi Atheiſtici invalidum deprehenditur. Neque enim conſtat ex perpeſſionibus, quòd adeò firmam determinatámque fidem falſis illis opinionibus adhibeant pro quibus videntur pati. Pone verò *Enthuſiaſten* tam firmam eis adhibere fidem; *Fanaticiſmus* morbus quidem eſt Religionis, nec magìs implicat nullam eſſe Religionem, quàm *Dementia* Rationem eſſe nullam, morbúſve corporis, nullam eſſe ſanitatem, corpúſve humanum, in rerum Univerſitate.

SECT. LXI.

De longè petitis Notionibus, ſtylo myſtico, flexanimáque Eloquentia Enthuſiaſtarum.

Quicquid fidei *Enthuſiaſtes* ſibi conciliare poteſt ex *flexanima* ſua *eloquentia, ſtylo myſtico,* & *inopinatis longéque accerſitis Notionibus,* facilè reſolvuntur ea omnia in iſtud *Melancholiæ* Principium ſuprà memoratum. Cujus quidem *Temperamenti* ſenſa tam profunda ſunt ac vegeta, ut fieri non poſſit quin linguam abunde inſtructam reddant ad ſermocinandum mirificâ quadam cum ſuavitate, animíque contentione & affectu. *Imaginatio* verò adeò exorbitans eſt atque vagula ut multò facilius ipſi ſit peregrè palari, & diſtortum aliquod abſonúmque commentum è longinquo obſcuróque angulo arceſſere, quàm incidere in illud quod in proximo eſt, & ad commune judicium popularémque intelligentiam magìs accommodatum.

Cæterùm hæc omnia tam plenè planéque in *Cauſis* iſtis generalibus *Enthuſiaſmi,* quas jam declaravimus, comprehenduntur, præter illa, quæ magìs particulatim ſuprà attigimus, ut operæ pretium nequaquam futurum exiſtimem iſtis hîc diutiùs immorari. Poſtquam ſcrupulo uni & alteri, circa ea quæ de *Melancholia* & *Enthuſiaſmo* tradidi, ſatisfecero, ſpero me nihil omiſſurum fuiſſe quod ad præſentem ſpeculationem magnopere pertineat.

SECT. LXII.

Quomodo diſtinguendum ſit inter puram Religionem *&* Temperamentum.

PRimúſque ſcrupulus hic eſt, quomodo diſtinguere poſſimus *Religionem* inter & *Melancholiam,* quippe quum iſti tam notabilia effecta attribuerimus. Alter, Annon convitiati ſimus vilíque pependerimus omnem *Enthuſiaſmum* cujuſmodicunque, hominéſque invitaverimus ad frigidam quandam jejunámque ſtupiditatem Pharaiſaicam, & ad res peragendas juxta externam tantummodo literam, abſque omni *interno vitæ Teſtimonio.*

Senſus primi ſcrupuli reſtringendus eſt ad iſtiuſmodi res, quæ in externis ſuis rationibus laudabiles ſint & approbandæ. An tales ſcilicet à *Divino* an à *Naturali* Principio profectæ ſint, à *Deo*, an à *Temperamento*. Nam quantùm ad ea quæ vel primo aſpectu culpabilia deprehenduntur, manifeſtum eſt illa à Deo non proficiſci.

Reſpondeo igitur, Tria præcipua diſcrimina eſſe inter *Spiritum* & *Temperamentum* ſpecioſiſſimum. Primum eſt, quòd illa Pietas Bonitáſve, quæ à *Divino Spiritu* proficiſcitur, eſt *Univerſalis*, * omne extirpans vitium, & nihil non in ſe complectens quod reverà ſit virtus Divina.

Alterum eſt, Firma iſtorum ſanctorum Oraculorum in Vetere Novóque Teſtamento comprehenſorum, rectéque interpretatorum fides, & illius præſertim Articuli, *Quòd Jeſus Chriſtus, * etiam ille qui paſſus eſt in Cruce Hieroſolymis inter duos latrones, eſt Dei Filius Princépſque Hominum & Angelorum, quódque is in propria perſona rurſus adventurus eſt ad judicandos vivos atque mortuos.*

Tertium & ultimum, *Prudentia* eſt *univerſalis*, quâ quis nec admittit nec agit quicquam, niſi quod ſolidæ rationi, ſi penitiùs exploretur, ſit conſentaneum, cujúſque cauſas ſatìs laudabiles & honeſtas afferre poſſit, qualiſcunque fuerit ſucceſſus. Qui ſic ſe affectum deprehendit, certò concludere poteſt *Dei Spiritum* eſſe, non *Temperamenti vim aut Naturam*, ſub cujus ſit Regimine. Hic verò Homo apud alios, ſi increduli ſunt, & adeò rudes & imparati ut veram Rationem admittere neſciant, nihil valere poteſt, niſi & Miraculum edere valeat. Quàm inanis igitur Nugator eſt *Enthuſiaſtes*, qui ambobus hiſce deſtituitur? Verùm antiqua illa Miraculorum in Chriſtianitatis gratiam factorum monumenta, noſtræ Religionis veritati ſufficiens Teſtimonium perhibent apud eos, quorum corda ritè diſpoſita ſunt ad eam recipiendam.

SECT. LXIII.

Pium Enthuſiaſmum *ſanctarum ſincerarúmque Animarum, per totam hanc Diſſertationem nè minima quidem ex parte fuiſſe perſtrictum.*

AD ſecundum ſcrupulum reſpondeo,* nè unum quidem verbulum per totum hoc tempus contra verum illum probatúmque piarum ſanctarúmque Animarum *Enthuſiaſmum*, quæ adeò mirificè, vehementi illo Amore quem erga Deum conceperunt, & ineffabili illo Gaudio atque Pace quam in eo inveniunt, abripiuntur, eſſe prolatum. Nam ſatìs modeſti ſobriíque ſunt in hiſce omnibus, neque quicquam coram hominibus teſtificantur quàm quod ipſi in ſe experiri poſſunt, quódque in ſacris Scripturis manifeſtò eſt revelatum, *Regnum* utique *Dei* * *Juſtitiam eſſe & Pacem & Gaudium in Spiritu ſancto.*

Sed in nihilo horum omnium prætendunt ſe Chriſto æquiparandos, quem Deus exaltavit ſupra Homines & Angelos, ſed vim illius Spiritûs & efficaciam in ſeipſis profitentur, ad laudem & gloriam Dei, & ad animationem & ſolatium prætimidi languidíque ſui proximi. Quod verò hoc excedit, niſi evidens adſit *Ratio* aut *Miraculum*, à nulla ſupernaturali Aſſiſtentia, ſed ab Hypochondriaca aliqua Intemperie meritò provenire judicatur.

Atque equidem, quod in Chriſtianorum gratiam dixi, Divinioribus illis Philoſophis, cujuſmodi *Plato* erat & *Plotinus*, aliquo etiam modo competit, quos obſervare poteris, ex ſenſibilioribus ſolito Divini Amoris ac Pulchritudinis in exultantes prægeſtientéſque ipſorum animas illabentis viſitationibus haud minorem in modum ſe moveri profiteri, quàm cui ſubſequentium locutionum ſenſus conveniat, putà ἀνακινεῖν, ἐκβακχεύεσθαι, ἐνθουσιᾷν vel ἐνθουσιάζειν. Hujuſmodi quidem *Enthuſiaſmo*, (qui nihil aliud eſt, quàm humanæ Animæ, Divinæ Vitæ ſenſu ac deliciis, (quæ omnis ſanctæ ſapientiæ ac virtutis Radix & Origo eſt) quaſi inebriatæ exultatio & triumphus) nequeo profectò quin meipſum æquè *Amicum* denunciem, quàm iſti vulgari ac *Fanatico Enthuſiaſmo* profeſſum *Inimicum*. Et Æternum dedecus atque ignominia os illi obturet, qui auſit inficiari, Dei pulchritudiníſque virtutis Amorem fervidum, plus gaudii & triumphi humano animo allaturum eſſe, quàm unquam guſtatum ſit in ullis corporeis voluptatibus & libidinibus, quas impurorum Ingeniorum calamus tam magnificis encomiis tum Metricâ tum Proſaicâ oratione celebravit.

Sect. LXIV.

Fomitem Devotionis *etiam in probato ſinceróque* Enthuſiaſmo *utplurimum eſſe* Melancholiam.

Porrò, quantùm ad *Ecſtaticos* iſtos & *Enthuſiaſticos* affectus, etiam in eis qui verè boni ſunt atque pii, negari non poteſt quin fomes ipſorum utplurimum ſit aut naturalis aut contracta *Melancholia* ; quod quivis qui ſeriò religioſus eſt, percipere poteſt, niſi Anima cum corpore commixta ſit, omniúmque ſimul fiat confuſio. Quemadmodum contingit in allucinantibus *Enthuſiaſtis*, qui illud *Deo* imputant quod *Naturæ* eſt proprium.

* Verùm *Melancholia* utplurimum diſponit, mens verò perficit actionem per vim *Spiritûs*. Et vir ſapiens atque ſanctus, foro uti probè novit, nec iſtiuſmodi opportunitates ſinit præterlabi, quippe moniti iſtius Apoſtoli memor, *Triſtatur aliquis veſtrum? oret: Animo eſt hilari? pſallat.*

Jacob. cap. 5. ver. 13.

Sect. LXV.

Peculiarem vim eſſe in Melancholia *ad* Divinas Speculationes, *cum anticipatione Objectionis Atheorum indè petitæ.*

CÆterùm peculiaris quædam vis eſt ac momentum in *Melancholia* ad *Divinas* etiam *ſpeculationes* : Et tamen *Myſteria* quæ indè proficiſcuntur non magìs ſuſpecta haberi debent quaſi meræ reperiendæ ſint *Imaginationes*, propterea quòd à tali *Conſtitutione* per occaſionem oriri poſſint, quàm *Veritates* debeant *Mathematicæ*, quæ ſuam originem ducant à *Temperamento Mathematico*, quod æquè verè Temperamentum eſt atque Temperamentum *Religioſum*. Et tamen nemo qui mentis compos ſit, veritatem ejus Theorematum negaverit. Et quemadmodum res fatua foret & abſurda affirmare tale *Temperamentum* nos artes Mathematicas docere ; ità profectò perinde abſonum eſſet aſſerere *Melancholiam* ſolam, eſſe Religionis matrem.

Sect. LXVI.

Quî factum ſit ut homines tam dexteri ſint atque habiles ad quaſdam res inveniendas, & tam hebetes tardique ad alias ; quódque Athei ſtupiditas & hebetudo in rebus Divinis percipiendis, nullum argumentum ſit contra veritatem Religionis.

CÆterùm certiſſimum eſt, ipſáque obſervatio illius veritatem confirmabit. Animas humanas dum in his mortalibus corporibus detinentur, eſſe quaſi tot *captivos* in diverſos *Carceres* incluſos, cum anguſtis ſuis *feneſtellis* ſingularibus ſingulos & in diverſas Mundi plagas ſpectantibus, ac proinde ultrà pronunciare non poſſe, quàm proprius eorum *proſpectus* ipſis permiſerit. Similiter varia humanorum corporum Temperamenta inclinant eos invitántve ad facilem ſœlicémque rerum quarundam detectionem, cùm tamen nihilominus, de aliis rebus, ſi fortè cum ipſis ſermonem habeas, quæ intra *proſpectum* ſuum naturaliſque ſui *Genii* limites non jacent, cogentur profectò aut *Ignorantiam* ſuam fateri, aut ſi judicium ſuum interponere volunt, (quod frequentiùs uſu venire ſolet) abundè tibi detegent *errorem* ſuum & *allucinationem*.

Quæ aliquando tam craſſa videtur & invincibilis, ut meritò quis ſuſpicari poſſit, eis deeſſe non ſolùm *patientiam*, ſed ipſam quorundam Objectorum contemplandi *capacitatem*, quippe qui nè conceptum quidem ullum formare poſſunt illius rei de qua, requiritur, ut cogitent : Atque hujuſmodi ſunt illi ingenio magìs ſtupido Athei qui notionem *Spiritûs*, & ex conſequenti ipſius *Dei*, rerum inconſiſtentium, & ſub captum humanum minimè cadentium ordini accenſent. Qua in re quanquam id maximè agunt, ut *Religionem* contumeliâ afficiant, reverà tamen mihi videntur ſeipſos interim ſummo inceſſere opprobrio, cùm ipſorum *Atheiſmus* adeò de præfacili hac quidem ratione ipſi *Enthuſiaſmo* æquiparandus ſit. Nam quemadmodum aliqui *Enthuſiaſtæ*, cùm in una aliqua re planè deliri reperti eſſent, in reliquis tamen mentis ſatìs compotes ſe præſtiterunt ; ità hi *Athei* tametſi tolerabile ingenium & acumen in aliis rebus oſtendunt, ſeipſos nihilominus præbent abundè tardos hebetéſque in hac, * & confidentiâ quaſi quâdam Fanaticâ obfirmatos.

Sect. LXVII.

Enthuſiaſten, *quamvis neceſſario à proprio* Temperamento *impetatur, non tamen irreſiſtibiliter impeti, reatúmque propterea ſuarum exorbitantiarum ad proprias fores debere devolvi.*

ATque jam quidem quantâ potuimus brevitate, per *Naturam, Cauſas, Genera,* & *Curationem Enthuſiaſmi* pertranſivimus, & retroſpicientes tandem, dum totum decurſum ſtadium attentiùs conſideramus, ſingulos profectò greſſus cenſemus perfectos, niſi in illa parte quæ ad *Cauſas* hujus Morbi ſpectat, quarum enumeratio manca ex eo videri poteſt, quòd *Diaboli* hac in re actuoſitatem *voluntariámque mentis Humanæ improbitatem* omiſerimus, omniáque in nativam reſolverimus Indolem præſentémve Temperiem, vel potiùs Intemperiem corporis *Enthuſiaſtæ*, à naturalibus cauſis neceſſariò in ipſum agentibus profectam. Unde quis judicare poſſit hanc meam *Diſſertationem* Apologiam pro hoc *Enthuſiaſmi* morbo, perinde atque illius *Detectionem*.

Sed reſpondeo, Quanquam hæ *cauſæ* neceſſariò agant in corpus, corpúſque neceſſariò in mentem, non agant tamen *irreſiſtibiliter*, niſi quis ſuâ culpâ in talem impotentiam ſe conjecerit; ut is qui propter *intemperantiam* ſuam febri ſit correptus, qui tunc quidem fataliter illius legibus ſubjicitur. Et quamvìs *Diabolus* per ſe multum poſſit, plus tamen non poteſt quàm ipſi Deus permiſerit, qui non ſinet hominem tentari ſuprà quàm ferre valeat, modò ſincerus ſit ac fidelis, nec ſe motibus *Fanaticis* dedat aut per ſuperbiam, aut in mundanum aliquod commodum quod hâc technâ ſibi aucupetur. Nam hujuſmodi hominibus *Enthuſiaſmus* reperiri poteſt *balneum Diaboli*, quemadmodum vulgò dicitur de *Melancholia*, cùm è contrà *Lavacrum Regenerationis* eis fieri poſſit qui Deum ſincerè amant timéntque, ſedulámque dant operam ut ſimplici rectóque corde ſe præſtent in rebus omnibus. Adeò omni excuſatione carent ii qui præ morbo hoc *Fanatico* in re qualibet inſigniter peccaverint.

Porrò, quantùm ad *defectum* in numeratione *Cauſarum* Enthuſiaſmi, quòd *Diaboli* actuoſitatem hiſce in rebus omiſerim, reſpondeo ejus *Cauſalitatem* magìs vagam eſſe magíſque laxam & generalem quàm ut heîc inſeri debeat, ubi ſcopus erat magìs proprias tantùm conſtantéſque iſtius morbi cauſas indigitare: Addere inſuper poſſim, minùs *Philoſophicam* quàm pro præſenti hac indagine, quæ in naturalia ſola Principia hujus morbi erat inſtituenda. Et quod ad *vitioſitatem* humanæ *voluntatis* attinet, in ‖ præſcripta *Enthuſiaſmi Curatione* manifeſtò ſupponitur. Cujus neglectus cuilibet homini meritò vitio vertitur. Nam illius culpâ fit, quòd non ſit *Temperatus, Humilis,* & ad *Rationem attentus*. Ad quas virtutes neceſſarias & indiſpenſabiles niſi recurrat, ‖ ab immunditia & impuritate *Aſtralis Spiritûs* (qui intimum Hoſpitium eſt ſeu Latibulum omnium fallacium *Phantaſmatum* & *Enthuſiaſticorum* Inſomniorum) nunquam liberabitur, nec ad illum ſecurum animæ ſtatum unquam perveniet, ubi importunæ ſolicitationes doloſarum *Imaginationum* ſemper declinantur & eludantur tuto ductu & regimine *Intellectualium Poteſtatum*.

‖ *Sect.* 51, 52, 53, 54.

‖ *Vide Myſter.*] *Pietat. lib.* 6. *cap.* 13. *ſect.* 7.

SCHOLIA

SCHOLIA

In Enthuſiaſmum Triumphatum.

SECT. 16.

Reſolvi planè poſſit in vim Melancholiæ, &c. *Hæc & cætera in hac Sectione à me eò dicta ſunt ut nemo temerè ſe credat inſpiratum, propter ullos hujuſmodi effectus, cùm naturales eſſe poſſint, & proculdubio ſunt, niſi vera illos comitetur Humilitas, Charitas atque Puritas. Vide Myſter. Pietat. lib. 2. cap.* 11.

Sect. 44. Omnia eſſe ipſum Deum, Hominem quemlibet Deum ipſum fore modò ſanctè vivat. *Hæc ſunt dogmata egregii illius Enthuſiaſtæ* J. B. *Qui quidem, quanquam aliàs vir pius videatur, occaſionem tamen dedit noſtræ Gentis Enthuſiaſtis in nupera Anarchia, in fœdiſſimos prolabendi errores actionéſque abſurdiſſimas. Ex hoc enim fonte & Familiſtarum venditatione, quòd ſui Seniores Illuminati, homines Deificati eſſent, hoc eſt, Dei facti cum Deo, & Chriſti cum Chriſto, duæ enormes extiterunt Sectæ, altera* Ecbaccheuticorum, *vulgò* Ranters *dictorum, altera* Trementium *ſive* Quakerorum *(è quibus nonnullos tamen ad ſaniorem mentem rediiſſe ſpero) quorum utroſque non dubito primitùs ex* Behemeniſmo *&* Familiſmo *ſuam traxiſſe originem. Utrique verò cùm Divinitatem quandam affectarent, intellexerintque omnia & ſingula ipſum Deum eſſe aut in* Amore *aut in* Ira *conſtitutum,* Ecbaccheutici *quidem licentioſam quandam & effrænem ſectati ſunt Divinitatem, omnimodis enormitatibus ſecurè indulgentes, quippe qui nôrint quâcunque formâ ſe induerint, ſe etiamnum Deum eſſe ſive Deos, Divinitatiſque ſuæ jure ac privilegio ſibi uti licere, nec apud ipſos peccatum eſſe ullum, cùm perſuaſi eſſent ſe ſuo tantùm jure uti, apud alios verò eſſe peccatum, propter ipſorum ignorantiam. Meliores verò è* Trementibus *ſanctam quandam affectârunt Divinitatem, juxta illud* J. B. Quòd quiſque qui ſanctè vivit, Deus ipſe eſt, multóque magìs ipſe Chriſtus. *Hâc igitur opinione turgidi perſonam Chriſti contempſerunt omniáque illius officia, nec Animam Chriſti cum æterno* Logo *conjunctam Pontificem noſtrum ac Mediatorem in Cœlis apud Patrem agnoverunt, aut ullum alium Chriſtum, quàm qui in ipſis ſit, quóque ipſi Chriſti Deique evadant, & Divinorum honorum æquè capaces eſſe poſſint ac Chriſtus ille in Judæa crucifixus, voluerunt admittere. Quicquid ſit præter ipſum qui ineſt omnibus hominibus, merum Typum eſſe atque umbram, utì & quæ ad externum iſtum Chriſtum pertineant, univerſa. Superbiam igitur ſuo Pietatis ſtudio conjunxerunt planè Luciferianam, quæ eò uſque prorupit in* Jacobo Naylor, *ſuo tempore* Trementium *facilè Principe, ut Divinos honores acceptaret, tanquam ſi (quod* Familiſtæ *de ſummo Seniore ſuæ Familiæ jactitant) Chriſtus eſſet jam de Cœlo profectus ad judicandos vivos atque mortuos. Nam dum* Briſtoliam *intrabat, Fœminæ duæ equum fræno duxerunt modo Triumphali, laborioſè per lutum ambulantes, Fanaticis ſuis comitibus interim repetitò acclamantibus, Sancte, Sancte, Sancte, & Hoſanna. Sternebant etiam aliquibus in locis, viam veſtimentis. En fructus Enthuſiaſticæ doctrinæ ac furoris, quo docetur,* Quiſque qui ſanctè vivit, ipſe Chriſtus eſt ipſéque adeò Deus. *Unde cuilibet conſtare poteſt, me bonas horas non malè collocâſſe in detegendis hujuſmodi veſaniis ac Impoſturis Enthuſiaſmi in hoc Tractatu.*

Tres Animas eſſe in Homine, &c. *Credo Enthuſiaſten heic in Libros aliquos* Cabbaliſticos *incidiſſe. Tres enim pluréſve Animas in humano corpore eſſe, dogma eſt* Judaicum. Apud MOSEN CORDUERUM de Anima, *cap.* 2. Congreſſi ſunt OPHAN, (ASIAH ob SENDALPHON qui dicitur OPHAN) & ANGELUS, (METATRON ſeu Mundus JETZIRAH) & THRONUS (ſeu Mundus BRIAH) atque dixerunt Faciamus hominem. Nam & in Compoſitione noſtra NESCHAMAH ex THRONO, & RUACH ex ANGELO, & NEPHESH ex OPHAN, &c. *Et in* Emek Hammelek *ſive* Valle Regia, *quinque memorantur Perſonæ Animæ.* In TETRAGRAMMATO quinque partes eſſe, quatuor Literas & Apicem Jod, ex quibus venire *Nepheſh, Ruach, Neſchamah, Chajah & Jachidah* quinque perſonas Animæ: déque his dici, Iſtæ generationes ſunt Cœli & Terræ, *& Prov.* 20. 27. Lucerna יהוה anima hominis; & hanc eſſe Lucernam quæ ardet ſuper capite Infantis in viſceribus matris ſuæ. *Quam ſi unam ſtatuiſſent, mox poſt* προυπογραφὰς Spiritûs Naturæ *ingreſſuram,*

greſſuram, majori cum probabilitate philoſophati fuiſſent. Interim Animarum pluralitatem in uno homine dogma eſſe Judaicum *ſatis conſtat.*

Sect. 47. Rem quamlibet Deum eſſe aut in Amore aut in Ira. *Ex hac Opinione, (quæ in ſanctitatem Divinæ Eſſentiæ tam atrociter peccat) quàm inſulſi, quàm inflati & elati evadant homines, ſuprà adnotavi ; quàm falſa autem ſit, omnia ea argumenta demonſtrant quæ Dei demonſtrant Animarúmque noſtrarum Immaterialitatem. Cujuſmodi multa in ſcriptis meis paſſim occurrunt.*

Sect. 49. Qui impio agantur Spiritu & planè Diabolico, &c. *Certè quòd ad ipſum* Paracelſum *attinet, ſuſpicionem meritò augere poſſunt, quæ reperiuntur in illius Vita à* Melchiore Adamo *ſcripta, tam lubrica nempe cum ac veſana principia (quæ in Scholiis in* Antidotum adversùs Atheiſmum *obiter memoro) amplexum eſſe, ut facilè ſe indè, inſciens licèt, reddere potuerit obnoxium illuſionibus Diaboli.*

Sect. 57. Sed talia quæ peritus aliquis *Platonicus* omnium facillimè ſit explanaturus. *Fateor verò meam peritiam eò vix pertingere ut certum ſenſum illius loci apud* Ariſtotelem *eruere valeam. Conjecturas interim depromam.* Ἡ γὰρ φύσις δαιμονία οὐ θεία. *Ipſam materiam Cælorum* Ariſtoteles *in libris* de Cœlo, τὸ θεῖον σῶμα *appellat, nec dubito quin omnes illius Incolas Deos propriè appellandos ſtatuerit. Per* φύσιν *igitur* δαιμονίαν *quidni totam Regionem ſublunarem intelligat, eámve partem* Spiritûs Naturæ, *quæ* Sandalphon *apud* Cabbaliſtas, *ni fallor, nuncupatur, Spiritus etiam Aereos inibi vagantes comprehendentem, quos Græci* δαίμονας *vocant? Dæmonas verò hos, quanquam Dii infallibiles ſint, falli aliquando poſſe ac decipi atque ſic alios decipere, videtur innuere* Ariſtoteles. *Diſquiri etiam porrò poteſt an per* φύσιν, *non ipſum* Spiritum Naturæ *per ſublunarem Regionem extenſum intellexerit Philoſophus, qui per vitalem conſenſum viſa quædam vacantibus animis & ad propria nihil attendentibus aliquando immittat. Mira enim fiunt in Natura per hujus Spiritûs* συνέργειαν & συμπάθειαν. Δαιμονία *verò heìc dicitur hæc* φύσις *ſive Spiritus, non quòd propriè ſit* μέγας εἷς δαίμων, *ſed, (cùm vitâ gaudeat & aliquali forſan ſenſu, omni tamen intellectu ac conſilio careat, nec proinde* θεία *vocari poſſit) quòd proximo utendum cenſuerit vocabulo laxè & impropriè ſumpto, atque ſic* δαιμονίαν *appellaverit, cùm non poſſet appellare* θείαν. *Et certè licèt merè* Plaſticus *eſſet hic Spiritus, minimè mirandum foret, ſi vivis tamen ſimulachris Imaginationem noſtram impleret, cùm proculdubio propria Animæ* Plaſtica *ipſius* Perceptivæ *iſtiuſmodi ſimulachra & in ſomnis & in vigilia tranſmittat. Signa autem iſta quando fallibilia eſſe poſſint, in ipſa Sectione ſubinnuimus.*

Sect. 58. Poteſt quidem Sanativum ac Medicinale Contagium eſſe perinde ac Morbidum, &c. *Hunc ipſum locum præſtantiſſimo viro, D.* R. Boylio, Londini, *cùm in officina Bibliopolæ unà cum ipſo eſſem, rogatus ab ipſo quid ſentirem de ſanationibus* Valentini Gretrakes, *quarum famâ omnia tunc perſtrepebant, oſtendi, dicens meam ſententiam de illius curationibus aliquot antè Annis extitiſſe quàm eæ factæ ſint. Quippe quòd* Cokerus, *(id enim nomen erat ei cujus memorabilis Curationis hîc mentionem facio) levi manûs frictione decem antè, ſi rectè memini, annis, morbos curavit, quàm* Gretrakeſius, *ſed non tam multos varióſque. Curabat enim hic Cancros, Scrofulam, Surditatem, Strumas, Epilepſiam, Febres, etiam Quartanas, Lepram, Paralyſin, Tympaniten, Cephalalgiam, Clauditatem, membrorúmque Stuporem, Calculum, Contuſiones, Phthiſin, Iſchiadem, Ulcera, doloréſque corporis, immo Cæcos denique & Mutos aliqua ex parte, & neſcio an & Arthriticos. De quibus Curationibus cùm ipſe* Gretrakeſius *librum ſcripſerit cum Teſtimoniis facti fide dignis, brevitatis gratiâ eò lectorem relego. In genere autem obſervandum eſt, quanquam omnes iſtos morbos curaverit, non tamen in omnibus quos aggreſſus ſit, nec Curationes ſemper perduraſſe. Porrò non Manum ſolùm hanc ſanativam vim habuiſſe ſed & Sputum illius & Urinam, quò faciliùs ad corporis temperamentum curationes referendas eſſe poſſis deprehendere. Quin & corpus ipſius perinde ac manum & Urinam aliquando herbaceum quiddam & Aromaticum oleviſſe compertum eſt, quanquam id ſanativæ virtutis haud ità certum ſit indicium. Nam & mihi ipſi, præſertim cùm admodum juvenis eſſem, pectus ferè quotidie, cùm diploidem aperiebam cubitum iturus, herbaceos quoſdam & aromaticos odores emittebat, ſinguliſque ferè annis poſteà ſub finem Hyemis, ſive appetente vere, ſuaves quoſdam & herbaceos odores in naribus ſubinde percipere ſolebam, nullo objecto externo occurrente unde profluerent. Quin & urina mihi violaceum quiddam olebat, quod fecit ut mirarer lapſum iſtum præclari illius Medici ac Philoſophi* Henrici Regii, *cùm apud eum legiſſem, Nemini urinam ſuave olere niſi ex aliquo ſumpto Medica-*

mento, cùm contrà aliquando contingere ipſe certò cognoſcerem. Memini etiam ante quadraginta ampliùs annos, cùm hyeme ante focum ſoccos pedibus meis exutos igni exponerem, contubernalem meum fortè fortunâ tunc in cameram intrantem ſtatim exclamâſſe, quàm vaſtus hîc odor eſt Moſchi aut Zibethi! Ad quod ego ſubridens, poſtquam rogâſſem ut propiùs accederet naréſque admoveret ſoccis, ſuavitatem odoris, præ vehementia, mutatam perſenſit in ſpeciem ingrati. Sed neſcio quomodo in hanc περιαυτολογίαν *inſciens prolapſus ſim. Ad* Gretrakeſium *redeamus illiúſque curationes, quas intra limites Naturæ contineri, (quanquam Religionis beneficio non mediocriter fortean depuratæ ac defæcatæ) ex eo liquet, quòd Naturam oppreſſam tantùm ſublevare potuit, deficientem verò nequaquam reſtituere. Id verò præ cæteris mirabile videtur, quòd materia morbifica ſubtilis, quam manus admota volatilem fecerit, & à ſede exturbaverit, è loco nempe ubi dolor erat, in varias corporis partes à manu ſua fulguris inſtar profugit, donec in extremam aliquam partem, digitos putà manûs, & præſertim pedis, naſúmve aut linguam propuliſſet, in quas partes cùm adacta eſſet, eaſdem frigidas & inſenſiles effecit, ità ut nè profundam quidem aciculæ puncturam Ægroti ſenſerint; ſtatim verò atque manus ejus illas partes contrectaverat, levitérve compreſſerat, totus morbus exiit vitáque & ſenſus ſubitò in eas etiam partes rediit. Tam ſubtilis res eſt & tamen tam ſtupida ac feralis, & tanquam quædam mortis primitiæ, plerorumque omnium morborum materia.*

Quantùm verò ad indolem hujus mirifici Medici, cùm Cokerus *ille ingenio eſſet admodum Melancholico, quemadmodum ab eis accepi qui cum eo verſati ſunt, hic* Gretrakeſius *è contrà Temperamento erat magìs ſanguineo, & ingenio ſanè perhumano & benigno ac revera pio ſine omni acerbitate aut ſuperſtitione. (Nam & ipſe cum eo, cùm Ragleiæ eſſet, apud illuſtriſſimum Dominum D. Vicecomitem* Conway *ſæpe verſatus ſum) Unde ex accenſione ſanguinis & ſpirituum minùs cerebro periculi impendiſſe augurabar, nec mea me fefellit Divinatio.*

Hæc autem quæ à me de hujuſmodi curationibus dictæ ſunt, non ſic intelligi volo, acſi ea planè vilipenderem. Poſſunt enim eſſe ſpeciale donum Dei in Natura, præſertim renovata. Cujuſmodi credibile eſt fuiſſe haſce Gretrakeſii: *quemadmodum quis meritò colligere poteſt ex ratione vitæ ſuæ anteactæ, quippe qui ſerio Pietatis ſtudio operam dederat, ſinceræque mortificationi, omnimodáque Chriſtianæ indolis ſpecimina edidit, per totum huc uſque vitæ curriculum. Quinimo præter privatæ vitæ innocentiam, effuſiſſimámque charitatem & humanitatem, in publicis etiam muniis obeundis, ſive militaribus ſive civilibus (erat enim homo non ſolùm honeſtè piéque & liberaliter educatus, ſed nec deſpicabili fortunâ & ingenio ad res gerendas habili) nihil agebat quod non ſpiraret Juſtitiam, Æquitatem, communémque erga omnes benevolentiam, adeò ut cùm ipſe Religionem Reformatam arctiſſimè & ex animo amplecteretur, nullam tamen ſectam, nè Pontificiam quidem, ídque in Hibernia, ubi per crudelitatem & perfidiam tam horrendas Proteſtantium ſtrages fecerant, Religionis ergô perſequeretur. Hæc certè aliáque hujuſmodi faciunt, ut illius donum curandi morbos non ſimplici ſed renovatæ potiùs Naturæ imputem, cùm tam multa ac manifeſta Hominis Regeniti in ipſo invenerim veſtigia, nec faſtuoſum quicquam aut immorigerum ſive erga ſecularem ſive ſpiritualem Magiſtratum in eo repererim. Videtúrque mihi tale exemplum candidæ ſinceræque Chriſtianitatis, ſine omni faſtu, fraude, acerbitate aut ſuperſtitione, addo & mirabilium ſaltem ſi non propriè dictorum miraculorum Patratoris, quale nullum pro ſua Religione per ulla ſecula producere poteſt Eccleſia Pontificia. Quæ enim fecit* Gretrakeſius, *in luce hominum facta ſunt, & ab oculatiſſimis Medicis, Philoſophis ac Theologis iiſque judicii acerrimi ac liberrimi obſervata & atteſtata. Quales verò præſtigiæ ſuperſtitionis ac ludibria, Romanæ Eccleſiæ miracula ſint, notius eſt quàm ut fraudibus eorum detegendis ullam hîc operam impendam.*

Sect. 59. Quantum etiam Ira & Indignatio animum ſuffulciat, &c. *Idémque facilè præſtat inveteratum odium, obfirmatúſque contemptus Miniſtrorum ac Magiſtratuum apud quoſdam Fanaticos, qui dum fingunt ſe Orbis Terrarum Judices, tribunal interim conſcientiarum ipſorum appello annon hoc ipſum ſit quod patientiæ ipſorum fulcrum ſit præcipuum, non autem Chriſtiana illa humilitas ac manſuetudo ſpiritúſque ſinceritas quæ Temporibus Apoſtolicis viguit.*

Sect. 62. Omne extirpans vitium & nihil non in ſe complectens, &c. *Regeneratio enim non Monſtrum gignit,*

Semibovémque virum, ſemivirúmque bovem,

ſed Animal unum ſive Uniforme, omnibus ex partibus Divinum, vide Sect. 37. Si membrum aliquod alterius ſpeciei maneat, pro certo ſcias, virtutes quæ videantur, non eſſe Regenerationis fructus ſed Temperamenti corporis. Tam difficile eſt per anguſtam portam intrare,

trare, totúmque veterem hominem preſſurâ iſtâ à tergo relinquere, penitus avulſum.

Etiam ille qui paſſus eſt in Cruce Hieroſolymis inter duos latrones, &c. *Equidem qui ab hac fide exciderunt, crepent quàm volent ſuas illuminationes & inſpirationes, miſera ſanè Animalcula ſunt & omni Talpâ cæciores, perfrictâque fronte dum ſpiritum venditant, Oraculis à Spiritu ſancto reverà dictatis apertiſſimè contradicunt. Videant igitur hic quàm bellè ſe expedire poſſint nonnulli ex Quakeris & Familiſtis. Fruſtrà enim præ ſe ferunt acſi mortem Chriſti pro ſacrificio propitiatorio agnoſcant, dum æternum Chriſti, hoc eſt, Animæ* Meſſiæ *cum* Logo *conjunctæ Pontificatum & Interceſſionem apud Patrem illiúſque Principatum in Homines Angelóſque, ſub prætextu interni Chriſti, negant & explodunt; Enthuſiaſticâ quâdam, hac in re, Infidelitate elati & turgidi, tanquam hoc ipſo nomine reliquis mortalibus longè eſſent ſapientiores, quos tanquam umbrarum Typorúmque Sectatores, O impudentem Cæcitatem & execrabilem! contemnunt, diríſque devovent.*

Sect. 63. Nè unum quidem verbulum ---- contra verum illum Enthuſiaſmum, &c. *Plerique in extrema excurrunt, nos mediâ incedimus viâ. Atque equidem de Religione Chriſtiana peſſimè merentur qui jejunæ cuidam aridæque Rationi ità indulgent, ut omnem omninò excludant Enthuſiaſmum. Sed enim indicio eſt eos in Myſteriis* Regenerationis *peregrinos planè eſſe atque hoſpites.* Nova *enim illa* vita *per Chriſti ſpiritum in nobis genita, ſua gaudia, ſuos triumphos, ſuas delicias ac amœnitates habet, perinde atque vita* Naturalis. *Quæ uno tenore non ſemper labitur, ſed aliquando exturgeſcit & exæſtuat. Nemo tam ſtipes eſt quin hoc perſenſerit in vita Naturali. Et ſtipitem profectò eſſe oportet non Hominem regenitum verúmque Dei filium, qui non expertus ſit in vita ſupernaturali ac Divina. Qui verum hunc Enthuſiaſmum negant, Homines Fanaticos ac deliros in falſo ſuo Enthuſiaſmo confirmant, ſuámque Religionis profeſſionem deriſioni & contemptui exponunt.*

Juſtitiam eſſe & pacem & gaudium in Spiritu ſancto. *Hic eſt verus ille & innocuus Enthuſiaſmus, cui Homo Chriſtianus tutò indulgere poteſt. Hoc eſt æternum illud & inconcuſſum Juſtitiæ Regnum, in quod qui intraverit, omne verum ſervitutis jugum conſcientiæ ſuæ cervicibus excuſſit, Deòque promptè morem gerit, publicóque, in rebus adiaphoris, Magiſtratui, nec ineptis ſcrupulis & ſuperſtitionibus irretitur, nè offendat in iis officiis præſtandis, quæ & Naturæ lumen & ſacra Oracula ab eo poſtulant, quaſi cujuſvis conſcientia ab eis abhorrere poſſet, ductu afflatúque Spiritûs Divini, qui expreſsè jubet, ut omnes honoremus, multóque magìs Magiſtratui debitam exhibeamus reverentiam, & præ reliquis omnibus ſummo illi hominum Angelorúmque Principi Jeſu Chriſto. Ac proinde confidenter enuncio, iſtum ſpiritum qui hiſce rebus adverſatur ſpiritum eſſe antiqui Serpentis, ipſiúſque adeò Luciferi, qui uſque à Principio Animæ Meſſiæ Principatum invidit, ejúſque ſubruere conatus eſt Imperium; nec ullum afflatum Divinum in eis eſſe, qui ſic affecti ſunt, qualeſcunque virtutum ſpecies præ ſe ferant, ſed planè Dæmoniacum, & per Diaboli invidiam, eos in tranſverſum agi. Quiſquis ſe Jeſu Chriſto in Cruce Hieroſolymis crucifixo æquaverit, execratiſſimus eſt Impoſtor, & quicunque ipſi fidem habuerint Infernalis caliginis Mancipia.*

Sect. 64. Verùm Melancholia utplurimum diſponit, mens verò perficit, &c. *Admodum igitur inconſultò ab eis fieri ſolet, qui omnibus artificiis, ludis, compotationibus, & id genus reliquis, Melancholiam tanquam infenſiſſimum hoſtem procul à ſe propellere conantur. Quanquam enim multa ac magnifica de libero Animæ humanæ arbitrio paſſim deprædicantur, parum tamen apud pleroſque valiturum exiſtimo, niſi ſeverâ diſciplinâ & afflictionibus, aut aliquâ ſaltem vi ac preſſurâ ab ipſa anima diſtincta voluntas ejus ad æquilibrium quaſi reducatur. Unde calamitates ipſæ & Infortunia apud homines prudentes & gnaros pro magnis Dei donis ſummæque illius fidelitatis ac benevolentiæ ſymbolis acceptanda ſunt. Et tamen quod illa faciunt, minori cum rerum jactura ac diſpendio facit Melancholia. Animam enim à ſomno ac veterno exuſcitat, docétque ſtatum ſuum ſuſpectum habere, mores vitámque accuratiùs explorare, ab omni ſpecie peccati ſibi cavere, nec in inanem lætitiam facilè diffluere, ſed circumſpectè ac cuſtoditè ſe habere in actionibus univerſis. Tam utiles fructus ſunt Melancholiæ ſi mens attendere velit illius ſuggeſtionibus & accuſationibus, interimque anhelare ad Deum. Quanquam enim omnis Triſtitia ſalutaris non eſt ſupernaturalis, vi tamen vel Luminis conſcientiæ naturalis, niſi nobiſmetipſis deeſſe velimus, rectà nos ducet ad Deum, cùm lumen naturalis conſcientiæ Dei ipſius ſit Lex, etiam ante Regenerationem, adeò ut hæc Melancholia & Lex Naturalis prævias quaſi vices ſupplere poſſint Spiritûs Divinique corporis in Regenitis. Ut nemo tam ſubitò ſe propriè inſpiratum ſomniet, antequam in hac exteriori diſciplina probè verſatus ſit & exploratus. Fidelibus verò ac morigeris Alumnis introitus hic eſt ad veram* Regenerationem *& Inſpirationem,*

tionem, hoc eſt, ad reales Influxus & operationes Spiritûs ſancti quò Divinam naturam novámve Nativitatem aſſequamur. Omnem autem Animi acrimoniam, æſtum, Zelum, conſcientiæque ſcrupulum Divino Regenerationis ſemini ſanctóve Spiritui attribuere valde intutum eſt, & intolerandæ ἀταξίας in Eccleſia apud homines Fanaticos infelix origo atque fomes. Cæterùm intereà loci non diſſimulandum eſt, quin naturalis conſcientiæ lumen (quæ Dei etiam lex eſt inviolabilis) ex Melancholiæ acrimonia magìs vividum vegetúmque factum, craſſiorúmque peccatorum in lumen naturæ magìs impatiens, quemadmodum in eo qui ſic afficitur, nequaquam inſuper habendum eſt, ità ab aliis in quos ob vitæ ſcandala depravatóſque mores exæſtuet acerbiſque Increpationibus inundet, nullo modo eſt contemnendum, quippe qui ſe contra lumen naturale peccantes, hujuſmodi reprehenſoribus obnoxios reddiderunt; qui tametſi jus nullum habeant Propheticum ſic involandi in homines eóſque increpandi, ex Lege tamen illa humana communi quâ quiſque, certò impendens periculum à proximi capite, quantum poteſt, amoliri tenetur, de certis & conſpicuis vitæ erroribus, licèt reverà inſpirati non ſint, devios monere, jus fáſque ipſis eſſe omninò videatur. Nihil enim adverſùs eos urgent præter confeſſas Dei Leges ac Decreta. Quod quoties ſit, quinimò quantumvis aliquid animi haud ſatìs ſani aut emoti admixtum videatur, ubicunque tamen Lex Dei in auribus noſtris ſonat, noſtrum eſt Deo gloriam dare, eique obtemperare, infirmorúmque Inſtrumentorum miſereſcere potiùs quàm contemnere eiſve ſuccenſere. Nè quis verò hìc temerè exclamet, O fælicem Melancholiam! O ſanctam Intemperiem! quæ circa indiſpenſabiles vitæ morúmque leges majorem videtur gerere curam ac ſolicitudinem quàm univerſa humana prudentia & literatura, meminiſſe oportet illam in omnibus eum non ſortiri effectum, quin & Cynicum quendam faſtum morúmque inſolentiam progignere in univerſis. Solus Spiritus à communi humani generis Mediatore Chriſto verè credentibus promiſſus, Mannáque cæleſte, Materia illa Divina, verum novæ Nativitatis ſemen, non Melancholia luménque naturale hominem in integrum reſtituere poteſt; Reliqua, tantùm ut externa aliqua adminicula, Divinæ Regenerationi inſerviunt. Hoc eſt purum illud ſanctúmque ſemen, totum ſanctum totúmque purum, ex quo niſi quis renatus ſit, nunquam ad perfectam abſolutámque vitæ morúmque integritatem eſt perventurus, nec viſurus regnum Cælorum.

Sect. 66. Et Confidentiâ quaſi quâdam Fanaticâ obfirmatos. *Quæ quidem Confidentia, cùm omni Ratione deſtituta ſit, & tamen in quibuſdam præſertim tam pertinax & fervida, meritò Fanaticiſmus quidam ſordidus ac veſanus habendus eſt, & ab impuræ Complexionis habitûſve corporis ſi non maligni alicujus Dæmonis afflatu oriundus. Eadémque ferè Ratio eſt de turgidulorum quorundam Ingeniorum cæca præſidentique Incredulitate circa veritatem Chriſtianam. Quæ quidem Incredulitas cùm omni ſolidâ ratione careat & tamen adeò ſit obfirmata, æquè ridicula eſt ſed impendio deteſtabilior omni vulgari Enthuſiaſmo, quem inflata hæc & excelſa, ut ſibi videntur, Ingenia, tam ſalsè ſolent irridere.*

HENRICI MORI
Cantabrigienſis
EPISTOLÆ
QUATUOR
AD
RENATUM DES-CARTES:
CUM
Reſponſis Clariſsimi Philoſophi ad duas Priores, cúmque aliis aliquot Epiſtolis, quarum Occaſiones, Argumenta, Ordinem verſa Pagina tibi commonſtrabit.

Ariſtot.

Τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου ἐστὶ τὸ διαπορῆσαι καλῶς.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
M DC LXXIX.

CONTINENTUR
in hac parte

1. E*Piſtola* Claudii Clerſelier *ad* H. Morum, *quâ veniam ab eo petit publicandi Literas ejus ad* Carteſium.
2. *Reſponſum* H. Mori.
3. *Epiſtola prima* H. Mori *ad* R. Des-Cartes, *ubi præcipuè agitur de Natura Corporis & Vacui, de Mundi extenſione, déque ſenſu Brutorum.*
4. *Reſponſum* R. Carteſii.
5. *Epiſtola ſecunda* H. Mori *ad* R. Carteſium, *ubi Reſponſa ad priores Objectiones novis, utplurimum, Inſtantiis diluit, variáſque proponit Quæſtiones de Mundi extenſione, de natura Motûs, de particulis ſtriatis, de Animæ unione cum Corpore, ipſiúſque in corpus Imperio, de Converſione globulorum Æthereorum in Elementum primum, de Flexibilitate particularum Aquearum, & de Materiæ denique* ἀυτοκινησίᾳ.
6. *Reſponſum* Carteſii *ad dictas Inſtantias & Quæſtiones.*
7. H. Mori *Epiſtola tertia ad* R. Carteſium *quâ quæ hactenus diſputata ſunt breviter recognoſcit, dein varia è* Principiis Philoſophiæ *nunc probanda, nunc explicanda proponit.*
8. H. Mori *Epiſtola quarta ad* Carteſium, *quæ varia itidem tum è* Dioptrice *tum è* Meteoris *proponit aut probanda aut dilucidanda.*
9. *Fragmentum Reſponſi* R. Des-Cartes *ad Epiſtolam tertiam* H. Mori, *ubi agitur de Senſu Angelorum Mentíſque ſeparatæ, de Contractione & Dilatatione Spiritûs, de Dei Amplitudine, de Quiete Motúque Materiæ, &c.*
10. *Reſponſum* H. Mori *ad dictum Fragmentum.*

Clariſsimo

Clariſſimo Viro

HENRICO MORO.

LEGI, vir eximie, & perlegi ſumma cum voluptate tuas ad D. *Carteſium* difficultates, quas ei tertio Idus Decembris 1648. tertio nonas Martii, 10. Calendas Auguſti, & duodecimo Calendas Novembris 1649. propoſuiſti; miratúſque ſum ingenium tuum, & ſummam humanitatem, quâ fretus auſus ſum hæc ad te confidenter reſcribere, ut de iis quæ facere inſtituo te certiorem faciam, & à te impetrem ea quæ mihi neceſſaria ſunt, ut opus quod ſuſcepi ad finem perducam. Scies igitur me habere præ manibus præcipua Autographa quæ incomparabilis Philoſophus *D. Carteſius*, *D. Chanuto*, olim apud Sereniſſimam *Sueciæ* Reginam, nunc verò apud *Batavos* legato meritiſſimo, affini meo, apud quem *Sueciæ* vitâ functus eſt, reliquit: Inter quæ ſunt & illa literarum quas pluribus ex amicis ſuis reſcripſit, ex quibus præcipuas colligo, quæ vel Philoſophiam ſuam tangunt, vel ea quæ perficienda ſuſceperat reſpiciunt, vel difficultates à pleriſque ſummis viris, inter quos non minimum tenes locum, ipſi propoſitas ſolvunt, ut eas omnes publici juris faciam, quod ſpero me brevi peracturum. Sed quia literæ illæ quæ difficultatibus reſpondent vix poſſunt intelligi, niſi etiam eæ quæ occaſionem ipſi dederunt tale quid reſpondendi ſimul in lucem edantur, nec tamen mihi honeſtum viſum fuerit hoc exequi abſque venia & licentia eorum qui ipſi reſcripſerunt, à quibuſdam petii, & impetravi, ut illud mihi concederent, quod etiam ſpero à te, pro ſumma tua humanitate & incredibili erga *Carteſium* ſtudio, mihi conceſſum iri. Sed præterea cuperem ut mihi exemplaria mitteres earum omnium quas à *D. Carteſio* accepiſti epiſtolarum; duas enim tantùm præ manibus habeo, quarum prior reſpondet tuis tertio Idus Decembris datis; altera, iis quæ tertio nonas Martii ſcriptæ ſunt. Supereſt igitur tertia, quæ mihi deeſt, quæque tuis 10. Calendas Auguſti & 12. Calendas Novembris datis ſatisfacere debet: quæ profectò non poteſt non eſſe pulcherrima, & continere plura ſcitu digniſſima, cùm tot tuis tantíſque difficultatibus & quæſtionibus, cùm ex principiis Philoſophiæ tum ex Dioptrice excerptis, reſpondere debeat, cujus tamen duas duntaxat paginas inveni; quæ tantùm inſtantiis tuis ſatisfacere tentant, nec ullum verbum ad quæſita tua ſuper *Principiis* & *Dioptrice* continent. Quare ſummopere exopto & enixè precor, ut & mihi licentiam concedas literas tuas ſimul cum reſponſis imprimendi, & ut ſimul ad me mittas quas habes à *D. Carteſio*, ut & poſteritatis utilitati, & Amici noſtri famæ ac memoriæ conſulamus. Præter hæc autem literarum Autographa, plura adhuc habeo celeberrimi Viri præclara monumenta, quæ ſingula ſuo tempore lucem videbunt, & quæ non parùm jucunditatis puto tibi fore allatura, utpote qui in evolvendis *Carteſianis* ſcriptis tam impiger videris. Si mihi vernaculâ linguâ uti licuiſſet, aptiùs atque ornatiùs ſententiam meam explicuiſſem: ſed nè in varios errores inciderem, ſtylum contraxi, &, ut potui, non ut volui, mentem meam tibi aperui; quod rogo ut mihi condones, & ſcias me tuæ ſemper humanitatis & ſapientiæ laudatorem & cultorem fore.

Pariſiis 12. *Dec.*
1654.

CLAUDIUS CLERSELIER.

Reſponſio

HENRICI MORI.

Literæ tuæ, Vir Clariſſime, datæ *Lutetiæ Pariſiorum* pridie Idus Decembris, anno 1654. non pervenerunt ad manus meas ante decimum ſeptimum Calendarum Maii. Miror tantum temporis interfluxiſſe. *Granthamiæ* tunc agebam in agro *Lincolnienſi.* Rus enim conceſſeram cùm aliis de cauſis tum ad confirmandam valetudinem. Vehementer equidem gaudebam poſtquam intellexi præclarum tuum inſtitutum edendi omnia *Carteſii* ſcripta quæ apud te ſunt, quo non ſolùm nobiliſſimi Philoſophi famæ ac memoriæ, verùm etiam communi omnium literatorum utilitati optimè conſules. In neminem enim aptiùs quadrat, quàm in divinum illum virum, *Horatianum* illud,

------ *Qui nil molitur ineptè.*

Quam ob cauſam ſi ego tibi à conſiliis eſſem, nihil quicquam eorum ſupprimeretur quæ vel ille tentavit ullo modo in rebus Philoſophicis, vel feliciter ad exitum perduxit; ſed lucem viderent omnia, in majus Reipub. Literariæ commodum. Ac proinde, ut nullum impedimentum eſſet tam utili ac generoſo propoſito, vel ultrò tibi concederem copiam edendi primas meas ſecundáſque literas ad *Carteſium* conſcriptas; quippe quòd abſque eis, ut rectè mones, reſponſa ejus tam commodè intelligi non poſſint: nec multùm abs re fore diffiteor, ſi tertias meas ſimul edideris, cùm per eas reſponſum ſit alteris illis *Carteſianis.* Sed cùm quartæ meæ nullis illius literis reſpondeant, nec illis ab ipſo reſponſum ſit quicquam, utpote inopinatâ morte prærepto, de iis aliquantùm hæſito an publici juris facerem. Cæterùm omnem ſcrupulum eximeret, ſi quis ex amicis ipſius aut familiaribus, qui frequentiùs eum inviſerunt, & collocuti ſunt, vel cum eo vixerunt conjunctiùs, reſpondendi vices ſuppleret; tunc enim parùm dubito quin operæ eſſet pretium illas etiam in lucem dare. Quòd ſi hoc in præſens impetrari non poſſit, modò probabile eſſet quòd literæ illæ meæ, tertiæ quartæque, editæ allicerent aliquem ex peritioribus Philoſophiæ *Carteſianæ* ſectatoribus ad reſpondendum omnibus difficultatibus inibi *Carteſio* ipſi propoſitis, ex illa ſaltem ſpe faciliùs animum inducerem ut jus tibi concedam eas in publicum proferendi. Quid autem futurum ſit in hac re ipſe forſan opportuniùs quàm ego conjecturam capies. Nè multis igitur te morer, totum hoc negotium judicio tuo ac candori permitto, ut, quod facto opus ſit, facias. Incredibile eſt quanto mœrore ſum affectus, audito præmaturo *Carteſii* fato, quippe qui ingenium virtutéſque incomparabilis viri impensè amavi & miratus ſum. Præterea, acceſſit ingens deſiderium perlegendi reſponſa ejus, quæ expectavi, ad tertias quartáſque meas literas, quæ univerſam illius Philoſophiam percurrunt. Inchoâſſe integrum reſponſum ad meas datas 10. Cal. Aug. ex te intelligo. Quod fragmentum ſcripſiſſe eum conjicio cùm *Egmundæ* eſſet in *Hollandia.* Deſtitit autem, ut per amicos ſuos certiorem me fecit, ab incepto, quòd animus occupatiſſimus paratu ad iter *Suecicum* non potuit vacare tam ſubtilibus tantíque, utì ipſe dixit, momenti difficultatibus & diſquiſitionibus; ſed conſtanter pollicitus eſt ſuis, ſe proximo vere reverſurum, & tunc mihi copiosè & perſpicuè omnia explicaturum. Sed cùm invida mors cætera nobis præripuerit, nollem vel illud Fragmentum duarum paginarum, quarum mentionem facis, interire. Quod ad ſolidiora illa *Carteſii* monumenta attinet, quæ profiteris te habere, quæque, utì promittis, lucem viſura ſunt ſuo tempore, geſtit profectò animus ad tam lætum gratúmque nuncium; avidéque interim cupio, ſi tibi non ſit moleſtum, ut argumenta titulóſve ſingulorum librorum recenſeas in proximis tuis literis. Revixit enim in me, ex quo nuperas tuas accepi, priſtinus ille ardor erga Philoſophiam *Carteſianam,* qui aliquantulùm ab obitu deſideratiſſimi noſtri Amici deferbuerat, cùm nova legendi materies non ſuppeteret. Sed, ut ingenuè fatear quod res eſt, illud ſolum in cauſa non fuit, ſed peculiaria quædam ſtudia quæ aliò animum avocârant. Eſt enim illud rerum pondus, veritatis pulchritudo, amplitudo ingenii & acumen, Theorematum denique omnium admirabilis ille ordo & conſenſus in ſcriptis *Carteſianis,* ut vel millies lecta non ſordeſcant: non magìs quàm lux Solis, cujus ortum ſingulis diebus aves, pecudes, ipſíque adeò homines gratulabundi contemplantur.

Nec certè ſolùm lectu jucunda eſt hæc *Carteſiana* Philoſophia, ſed apprimè utilis, quicquid aut muſſitent aut deblaterent alii, ad ſummum illum omnis Philoſophiæ finem, putà Religionem. Cùm enim *Peripatetici* formas quaſdam contendunt eſſe ſubſtantiales, quæ è potentia materiæ oriuntur, quæque cum materia ità coaleſcunt, ut abſque illa ſubſiſtere non poſſint, ac proinde neceſſariò demum redeunt in potentiam materiæ (cui ordini accenſent viventium ferè omnium animas, etiam eas quibus ſenſum cogitationémque tribuunt;) *Epicurei* autem, exploſis illis ſubſtantialibus formis, ipſi materiæ vim ſentiendi cogitandíque ineſſe ſtatuunt; ſolus, quod ſcio, inter Phyſiologos extitit *Carteſius*, qui ſubſtantiales illas formas, animáſve materiâ exortas, è Philoſophia ſuſtulit, materiámque ipſam omni ſentiendi cogitandíque facultate planè ſpoliavit. Unde, ſi principiis ſtaretur *Carteſianis*, certiſſima eſſet ratio ac Methodus demonſtrandi, & quòd Deus ſit, & quòd anima humana mortalis eſſe non poſſit. Quæ ſunt illa duo ſolidiſſima fundamenta ac fulcra omnis veræ Religionis. Hæc breviter noto, cùm poſſim & alia bene multa huc adjicere, quæ eòdem ſpectant. Sed ſummatim dicam, nullam extare Philoſophiam, niſi *Platonicam* fortè exceperis, quæ tam firmiter Atheis viam præcludit ad perverſas iſtas cavillas & ſubterfugia quò ſe ſolent recipere, quàm hæc *Carteſiana*, ſi penitiùs intelligatur. Unde ſpero, quòd omnes boni clementiùs ferent ampliſſimas illas laudes quibus incomparabilem Virum cumulo, in iis quas ad eum ſcripſi literis; credóque, quicquid hæc præſens ætas ſenſerit de *Carteſio* (nam ut nunquam vivis, ità rarò recenti defunctorum memoriæ parcit invidia) quòd poſteritas eum omni cum laude & veneratione ſit exceptura, optimúmque illius Philoſophiæ uſum ſit agnitura. Quod lubentiùs prædico, ut majorem in modum tibi animos accendam ad pergendum in nobili illo inſtituto, edendi omnia quæ habes *Carteſii* ſcripta Philoſophica; quo pacto cùm alios multos, tum me præter cæteros, devincies, qui in illis evolvendis tantam percipere ſoleo voluptatem.

Si tibi viſum fuerit meas ad *Carteſium* literas publicare, vehementer hoc abs te efflagito, ut nè fiat juxta illa exemplaria quæ jam habes, quia multò correctiora tibi paro. Deprehendi enim, poſtquam attentiùs legeram, non pauca corrigenda, quæ imprudenti mihi exciderunt præ nimio animi fervore ac feſtinatione cùm ad *Carteſium* ſcriberem. Expunxi etiam quædam ex Quæſitis in tertiis quartíſque meis literis; ſed primæ ſecundæque integræ ſunt.

Quòd menſis ferè jam elapſus eſt ex quo tuas accepi literas, nec tamen ad te reſcripſi, id profectò factum eſt per nullam negligentiam aut incuriam. Non poſſum enim non magni te æſtimare, tum propter eximium tuum ingenium, ad omnem, quod ſatis ex literis tuis perſpexi, æquitatem & humanitatem compoſitum ac conformatum, tum propter honorificam Clariſſimi fratris tui *Chanuti*, olim apud *Suevos*, nunc verò, uti narras, apud *Batavos* Legati meritiſſimi, in *Carteſium* defunctum pietatem. Sed totum id temporis quod effluxit partim negotiis, quibus eram ruri diſtrictus, partim meis ad *Carteſium* literis caſtigandis tranſcribendiſque, poſtquam ad Academiam rediiſſem, impenſum eſt; nec putabam fore operæ pretium ad te reſcribere, priùs quàm iſta perfeciſſem. Jam verò in parato ſunt omnia, tam mearum quàm *Carteſianarum* literarum exemplaria: neutra tamen ad te mitto hâc vice, quippe quòd experiundum putavi priùs, quàm tutò hæ, quas jam ſcripſi, literæ ad manus tuas pervenerint: poſtquam id intellexerim, mittam ad te continuò. Perlubenter interim ex te audire vellem, quò uſque deveneris in nobili illo negotio quod ſcribis te ſuſcepiſſe. Rem ſanè mihi pergratam præſtabis, ſi per proximas tuas literas eâ de re certiorem me feceris. Vale, Vir Clariſſime, & generoſum illud opus quod moliris feliciter exequere. Sic optat

Tibi Carteſianiſque
omnibus addictiſſimus
HENRICUS MORUS.

Cantabrigiæ, è *Collegio* Chriſti,
pridie Idus Maii, 1655.

Clariſſimo Viro

RENATO DES-CARTES

HENRICUS MORUS ANGLUS.

Quantâ voluptate perfuſus eſt animus meus, Vir Clariſſime, in ſcriptis tuis legendis, nemo quiſquam præter te unum poteſt conjectare.

Equidem auſim aſſeverare me haud minùs exultâſſe in recognoſcendis intelligendíſque præclaris tuis Theorematis, quàm ipſe in inveniendis, æquéque charos habere atque deamare pulcherrimos illos ingenii tui fœtus, acſi proprius eos enixus eſſet animus. Quod & certè feciſſe aliquo modo mihi videtur, exerendo ſeſe atque expediendo in eoſdem ſenſus ac cogitationes, quos generoſa tua mens præconcepit & præmonſtravit. Qui ſanè quemadmodum iſtiuſmodi ſunt, ut, cùm intellectui judicióque meo adeò ſint congeneres, ut non ſperem fore ut incidam in quicquam conjunctum magìs ac conſanguineum, ità ſanè à nullius ingenio alieni eſſe poſſint, cujus itidem ingenium non ſit à recta ratione alienum.

Liberè dicam quod ſentio : Omnes quotquot exſtiterunt, aut etiamnum exiſtunt, Arcanorum Naturæ Antiſtites, ſi ad Magnificam tuam indolem comparentur, Pumilos planè videri ac Pygmæos : méque, cùm vel unicâ vice evolviſſem Lucubrationes tuas Philoſophicas, ſuſpicatum eſſe, illuſtriſſimam tuam diſcipulam, Sereniſſimam Principem *Elizabetham*, univerſis *Europæis*, non fœminis ſolùm, ſed viris, etiam Philoſophis, longè evaſiſſe ſapientiorem. Quod mox evidentiùs deprehendi, cùm inceperim ſcripta tua paulò penitiùs rimari & intelligere.

Tandem enim clarè mihi affulſit *Carteſiana* Lux, (i. e.) libera, diſtincta, ſibíque conſtans Ratio, quæ Naturam pariter ac paginas tuas mirificè colluſtravit ; ità ut aut nullæ aut pauciſſimæ ſuperſint latebræ, & loci quos non patefecit nobilis illa fax, aut ſaltem vel leviſſimo negotio, mihi cùm libitum fuerit, mox non ſit patefactura. Omnia profectò tam concinna in tuis Philoſophiæ *Principiis*, *Dioptricis* & *Meteoris*, támque pulchrè ſibi ipſis Naturæque conſona ſunt, ut mens Ratióque humana jucundius vix optaret lætiúſve ſpectaculum.

In Methodo tua, luſorio quodam, ſed eleganti ſanè, modeſtiæ genere, talem te exhibes virum ut nihil indole genióque tuo ſuavius & amabilius, nihil excelſius & generoſius vel fingi poſſit, vel expeti.

Quorſum autem hæc ? Non quòd putarem, Vir Clariſſime, aut tuâ intereſſe aut Reipublicæ Literariæ ut hæc conſcriberem ; ſed quòd mirabilis illius voluptatis ac fructûs quem ex ſcriptis tuis percepi conſcientia extorqueret hoc qualecunque eſt animi in te grati teſtimonium. Præterea, ut certum te facerem, etiam apud Anglos eſſe qui te tuáque magni æſtimant, divináſque animi tui dotes vehementer ſuſpiciunt & admirantur : Neminem autem hominem meipſo impenſiùs te amare poſſe, eximiámque tuam Philoſophiam arctiùs amplexari.

Sed revera, illuſtriſſime *Carteſi*, ut nihil diſſimulem ; quamvìs pulcherrimum illud Philoſophiæ tuæ corpus ac eſſentiam valde depeream, fateor tamen paucula excidiſſe in ſecunda Principiorum parte, quæ certè animus meus aut paulò hebetior eſt quàm ut capiat, aut ut admittat, averſatior.

Sed præclaræ tuæ Philoſophiæ Summa nihil indè periclitatur, cùm hujuſmodi iſta ſint, ut quemadmodum aut falſa meritò aut incerta judicari poſſint, ità nihil ad eſſentiam Philoſophiæ tuæ ac fundamenta pertinere, illáque ſine iſtis optimè poſſe conſtare. Quæ verò ea ſint, ſi tibi non ſit tædio, breviter nunc exponam.

Difficultas Prima. Primò, definitionem Materiæ ſeu Corporis inſtituis multò quàm par eſt latiorem. Res enim extenſa Deus videtur eſſe, atque Angelus, imò verò res quælibet per ſe ſubſiſtens ; ità ut eiſdem finibus claudi videatur extenſio atque eſſentia rerum abſoluta, quæ tamen variari poteſt pro eſſentiarum ipſarum varietate. Atque equidem quòd Deus extenditur ſuo modo, hinc arbitror patere, nempe quòd ſit omnipræſens, & univerſam mundi machinam ſinguláſque ejus particulas intimè occupet. Quomodo enim motum imprimeret materiæ, quod feciſſe aliquando, & etiamnum facere, ipſe fateris, niſi proximè quaſi attingeret materiam univerſi, aut ſaltem aliquando attigiſſet ? Quod certè nunquam feciſſet niſi adfuiſſet ubique, ſinguláſque plagas occupaviſſet. Deus igitur ſuo modo extenditur atque expanditur, ac proinde eſt res extenſa.

Neque tamen ille corpus iſtud eſt, ſive materia, quam ingenioſa illa Artifex, Mens ſcilicet tua, in globulos ſtriatáſque particulas tam affabrè tornavit. Quamobrem res extenſa latior corpore eſt.

Animúmque mihi ulteriùs addit ut à te hac in re diſſentiam, quòd ad confirmationem hujuſce tuæ definitionis *tam ſcævum adhibes argumentum, & ferme Sophiſticum.* Quòd utique corpus poſſit eſſe corpus ſine mollitie, vel duritie, vel pondere, vel levitate, &c. illis enim aliíſque omnibus qualitatibus quæ in materia corporea ſentiuntur ex ea ſublatis, ipſam integram remanere. Quod perinde eſt acſi dixeris, libram Ceræ, cùm poſſit eſſe libra ceræ, quamvìs ſpolietur figurâ ſphæricâ, vel cubicâ, vel pyramidali, &c. ſub nulla figura poſſe remanere integram ceræ libram. Quod tamen impoſſibile eſt. Quamvìs enim hæc vel illa figura non tam arctè cohæreat cum cera quin illam exuere poſſit, ut tamen cera ſemper ſit figurata neceſſitas ſumma eſt & arctiſſima. Ità quamvìs materia non ſit neceſſariò mollis, nec dura, nec calida, nec frigida, ut tamen ſit *ſenſibilis* eſt ſummè neceſſarium; vel, ſi malles, *tangibilis*, prout optimè definit Lucretius,

Tangere enim, & tangi, niſi corpus nulla poteſt res.

Quæ certè notio minùs debet à tua mente abhorrere, cùm Philoſophia tua omnem ſenſum, cum antiquis illis apud Theophraſtum περὶ αἰσθήσεως, tactum planiſſimè conſtituat. Quod vero verius eſſe ipſe facillimè admittam. Sed ſi minùs placet *corpus definire ab habitudine ad ſenſus noſtros*, Tangibilitas hæc latior ſit ac diffuſior, & ſignificet mutuum illum contactum tangendíque potentiam inter corpora quælibet, ſive animata ſive inanimata fuerint, eſtóque ſuperficierum duorum pluriúmve corporum immediata juxtapoſitio. Quod & aliam innuit materiæ ſive corporis conditionem, quam appellare poteris *impenetrabilitatem*; nempe quòd nec penetrare alia corpora, nec ab illis penetrari poſſit. Unde manifeſtiſſimum eſt diſcrimen inter Naturam divinam ac corpoream, cùm illa hanc penetrare, hæc verò ſeipſam penetrare non poſſit. Unde ſanè feliciùs mihi videtur cum *Platonicis* ſuis *Virgilius* philoſophari, quàm *Carteſius* ipſe, cùm ex illorum ſententia ſic cecinerit,

--------*Totámque infuſa per artus*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Mitto alias inſigniores Divinæ extenſionis conditiones, cùm non opus ſit hoc loco explicare. Vel hæc pauca ſuffecerint ad demonſtrandum multò tutius fuiſſe materiam definiviſſe ſubſtantiam *tangibilem*, vel modo ſuprà explicato *impenetrabilem*, quàm Rem extenſam. Dicta enim vel *Tangibilitas*, vel *Impenetrabilitas*, competit corpori adæquatè; tua autem definitio peccat in legem καθόλου πρῶτον, neque enim eſt reciproca cum definito.

Difficultas Secunda.

Secundò, Quando innuis *nè virtute quidem divinâ fieri poſſe ut propriè dictum exiſtat vacuum*, &, ſi omne corpus ex vaſe tolleretur, quòd latera neceſſariò coirent; iſta profectò mihi videntur non ſolùm falſa, ſed minùs conſona antecedentibus. Si enim Deus motum materiæ imprimit, quod ſuprà docuiſti, annon ille poteſt contrà obniti, & inhibere nè coeant vaſis latera? Sed contradictio eſt diſtare vaſis latera, & tamen nihil interjacere. Idem non ſenſit literata Antiquitas, *Epicurus*, *Democritus*, *Lucretius*, aliíque. Sed ut leviuſculum illud argumenti genus miſſum faciam; divinam contendo interjacere extenſionem, tuúmque hîc ſuppoſitum eſſe infirmum, materiam ſolummodo extendi: Latera tamen ut antea coitura non neceſſitate Logicâ ſed naturali; Deúmque ſolum hanc coitionem inhibere poſſe. Cùm enim particulæ, primi præſertim ſecundíque Elementi, tam furibundo motu agitentur, neceſſe eſt quà ceditur, eò ruant præcipites, aliáſque ſibi contiguas ſecum abripiant.

Infeliciter igitur ſucceſſit, quòd tam bellum Theorema de modo Rarefactionis & Condenſationis, quod certè ego aliis de cauſis veriſſimum eſſe cenſeo, tam lubrico ſuffulcias fundamento.

Difficultas Tertia.

Tertiò. Singularem illam ſubtilitatem non capio, quâ atomos, id eſt particulas ſuâ naturâ indiviſibiles, non dari evincas. Ut enim, inquis, effecerit Deus eas particulas à nullis creaturis dividi poſſe, non certè ſibi ipſi eaſdem dividendi facultatem potuit adimere, quia fieri non poteſt ut propriam ſuam potentiam imminuat. Eodem argumento probaveris, Deum nunquam feciſſe ut heſternus oriretur Sol, quoniam am potentia ejus jam efficere non poteſt ut Sol heſternus non eſſet ortus; nec viliſſimam poſſe muſcam occidere,

Si modò qui periit, non periiſſe poteſt,

quod ſcitè de ſeipſo *Ovidius*; aut materiam non creâſſe, cùm ſit diviſibilis in ſemper diviſibilia, ac proinde Deus nunquam poſſet abſolvere ac perficere hanc diviſionem. Pars enim reſtat indiviſa, quamvìs diviſibilis, atque ità perpetuò eluditur potentia divina, nec plenè ſe exerere poteſt, finémque ſortiri.

Difficultas Quarta.

Quartò, Indefinitam tuam mundi extenſionem non intelligo. Extenſio enim illa indefinita vel ſimpliciter infinita eſt, vel tantùm quoad nos. Si intelligis extenſionem infinitam ſimpliciter, cur mentem tuam obſcuras vocabulis nimiùm ſuppreſſis ac modeſtis? Si tantùm quoad nos infinitam, revera erit finita extenſio; neque enim mens noſtra aut rerum aut veritatis menſura eſt. Ac proinde, cùm alia ſit ſimpliciter infinita expanſio, divinæ utique eſſentiæ, materia tuorum vorticum à centris ſuis recedet, totáque mundi machina in diſſipatas atomos vagóſque abibit pulviſculos.

Atque ſanè eò magìs hîc admiror modeſtiam tuam atque metum, quòd adeò tibi caves à materiæ infinitudine, cùm particulas actu & infinitas & diviſas ipſe agnoveris Art. 34, & 35. Quod certè ſi non feciſſes, extorqueri tamen poſſe videtur hoc modo. * Nam cùm quantum ſit in infinitum diviſibile, partes actu infinitas habere oportet. Ut enim cultello alióve quovis inſtrumento corpus in partes palpabiles, quæ non actu ſunt tales, mechanicè diſſecare prorſus eſt ἀμήχανον, ſive impoſſibile; ità vel mente quantitatem dividere in partes toti realiter actúque non inexiſtentes, planè ἄλογον eſt ac rationi abſonum.

Quibus inſuper adjungi poteſt, hypotheſin hanc, * quòd mundus ſimpliciter ac revera ſit infinitus, æqualem vim habere ad explicandam juxtà ac confirmandam rationem rarefactionis & condenſationis, quam ſuprà propoſuiſti Art. 6, 7. atque iſtud principium, *ſolius corporis eſſe extenſionem*, &, *nihilum non poſſe extendi*. Quod enim ibi præſtat Logica ſeu contradictoria neceſſitas, idem hîc neceſſitas Phyſica vel mechanica certiſſimè præſtabit.

Cùm enim omnia in infinitum uſque materiâ ſeu corporibus ſint plena ac referta, penetrationis lex impediet nè fiat ulla diſtantia in rarefactione corporibus nuda, aut acceſſio partium ad ſe invicem in condenſatione, ſine interjacentium particularum expulſione.

Atque hactenus quæ à me dicta ſunt rationi mentíque meæ maximè videntur perſpicua, tuíſque placitis longè longéque certiora.

Difficultas Quinta & Ultima.

Cæterùm à nulla tuarum opinionum animus meus, pro ea quâ eſt mollitie ac teneritudine, æquè abhorret, ac ab internecina illa & jugulatrice ſententia, quam in Methodo tuliſti, brutis omnibus vitam ſenſúmque eripiens, dicam, an potiùs præripiens? neque enim vixiſſe unquam pateris. Hîc non tam ſuſpicio rutilantem tui ingenii aciem, quàm reformido, utpote de animantium fato ſollicitus, acuménque tuum non ſubtile ſolùm agnoſco, ſed chalybis inſtar rigidum ac crudele, quod uno quaſi ictu univerſum ferme animantium genus vitâ auſit ſenſúque ſpoliare, in marmora & machinas vertendo.

Sed videamus obſecro quid in cauſa eſt quòd in brutas animantes quicquam tam ſeveriter ſtatuas. Loqui utique non poſſunt, cauſámque ſuam apud judicem dicere, &, quod crimen aggravat, cùm ad loquelam organis ſatìs ſint inſtructæ, utì patet in Picis & Pſittacis. Hinc vitâ ſenſúque mulctandæ ſunt.

Verùm enimvero quomodo fieri poſſit ut aut Pſittaci aut Picæ voces noſtras imitentur, niſi audirent, ſenſúque perciperent quid loquimur? Sed non intelligunt, inquis, quid ſibi volunt iſtæ voces quas effutiunt imitando. Quidni tamen ipſi quid volunt ſatìs intelligant, cibum ſcilicet quem à Dominis hoc artificio acquirunt? putant igitur ſe cibum mendicare, quòd iſtâ loquacitate toties voti compotes fiunt. Et quorſum, quæſo, illa attentio eſt & auſcultatio in avibus cantatoriis, quam præ ſe ferunt, ſi nullus ſit in ipſis ſenſus nec animadverſio? Unde illa vulpium canúmque aſtutia & ſagacitas? Quî fit ut minæ & verba ferocientes cohibeant belluas? Canis famelicus cùm furtim quid abſtulit, cur quaſi facti conſcius clàm ſe ſurripit, & meticuloſè ac diffidenter incedens nemini occurſanti gratulatur, ſed averſo pronóque roſtro ſuam ad diſtans pergit viam, ſuſpicioſè cautus nè ob patratum ſcelus pœnas luat? Quomodo iſta fieri poſſunt ſine interna facti conſcientia? Copioſa iſta hiſtoriolarum congeries, quibus nonnulli conantur demonſtrare rationem ineſſe animalibus brutis, hoc ſaltem evincet, ſenſum ipſis memoriámque ineſſe. Sed infinitum eſſet tales narratiunculas hîc attexere. E quibus ſcio bene multas iſtius modi eſſe, ut earum vim vel ſubtiliſſimum acumen haud poſſit eludere.

Sed video planè quid te huc adegit, ut bruta pro machinis habeas; Immortalitatis utique animarum noſtrarum demonſtrandæ ratio, quæ cùm ſupponat corpus nullo modo cogitare poſſe, concludit, ubicumque eſt cogitatio, ſubſtantiam à corpore realiter diſtinctam adeſſe oportere, adeóque immortalem. Unde ſequitur, bruta ſi cogitent, ſubſtantias immortales ſibi annexas habere.

Atqui obſecro te, Vir perſpicaciſſime, cùm ex iſta demonſtrandi ratione neceſſe eſſet bruta animantia aut ſenſu ſpoliare, aut donare immortalitate, cur ipſa malles inanimes machinas ſtatuere quàm corpora animabus immortalibus actuata? præſertim cùm illud ut naturæ phænomenis minimè conſonum, ità planè ſit inauditum hactenus; hoc verò apud ſapientiſſimos veterum ratum ſit ac comprobatum, *Pythagoram* putà, *Platonem*, alióſque. Et certè animos hoc adderet *Platonicis* omnibus perſiſtendi in ſua de brutorum immortalitate ſententia, cùm tam inſigne ingenium eò anguſtiarum redactum ſit, ut ſi animas brutorum immortales eſſe non concedatur, univerſa bruta inſenſatas machinas neceſſariò ſtatuat.

Hæc ſunt paucula illa (magne *Carteſi*) in quibus mihi fas eſſe putabam à te diſſentire. Cætera mihi adeò arrident atque adblandiuntur, ut nihil illis habeam magìs in deliciis; adeóque intimis animi mei ſenſibus conſona ſunt atque cognata, ut non ſolùm tardioribus commodè explicare, ſed etiam contra pugnaciſſimos quoſque feliciter, ſi opus eſſet, defendere me poſſe confidam.

Quod reliquum eſt, exorandus es, Vir illuſtriſſime, ut hæc noſtra boni conſulas, nec me ullius levitatis vanæque ambitionis ſuſpectum habeas, quaſi affectarem Clariſſimorum virorum familiaritates ac amicitias, cùm & ipſe ſi poſſem, haud cuperem, inclareſcere, rem turbulentam famam judicans, privatóque otio valde inimicam.

Neque profectò quamvìs animo ſim in te admodum prono ac proclivi, id unquam tibi ſignificâſſem, niſi ab aliis inſtigatus; ſed te tuáque amore latenti tacitâque veneratione proſequi contentus fuiſſem.

Nec obnixè à te efflagito ut reſcribas, utpote quem contemplationibus ſummè arduis, vel experimentis faciundis maximè utilibus pariter ac difficilibus, occupatiſſimum autumo.

Permitto igitur hîc tibi tuo jure uti, nè ſim in publicum injurius. Quòd ſi tamen hæc noſtra, qualia qualia fuerint, reſponſione quâlibetcunque cohoneſtare dignatus fueris, rem ſanè non ingratam præſtabis

Singularis tuæ ſapientiæ
cultori devotiſſimo,
HENRICO MORO.

Cantabrigiæ, è Collegio *Chriſti*,
Idus *Decembris*, anno 1648.

SCHOLIA

In Epiſt. I. *H. Mori.*

D*Ifficult.* 4. Nam cùm quantum ſit in infinitum diviſibile, &c. *Satìs argutus equidem hic griphus eſt, ſed minùs ſolidus. Facilè enim extricare te poteris ſi negaveris quantum Phyſicè eſſe diviſibile in infinitum, partéſve infinitas Phyſicas toti realiter actúque inexiſtere, ſed Materiam contenderis interim ex Monadibus, quas vocant, Phyſicis conſtare, in eáſque Divinâ Virtute poſſe diſſolvi; nec mente in has partes jure dividi, niſi Divinâ ſaltem virtute ſic poſſent diſpeſci. Mathematicam verò Diviſibilitatem, quæ ad has Monadas etiam pertinere poſſit, ad hunc locum non ſpectare.*

Doctiſſimo & Humaniſſimo Viro

HENRICO MORO

RENATUS DES-CARTES.

Laudes quas in me congeris, Vir humaniſſime, non tam ullius mei meriti, utpote quòd eas æquare nullum poteſt, quàm tuæ erga me benevolentiæ teſtes ſunt. Benevolentia autem ex ſola ſcriptorum meorum lectione contracta candorem & generoſitatem animi tui tam apertè oſtendit, ut totum me tibi, quamvìs antehac non noto, devinciat. Ideóque perlibenter iis quæ ex me quæris reſpondebo.

Difficultas Prima.

1. Primum eſt, cur ad corpus definiendum dicam illud eſſe ſubſtantiam extenſam potiùs quàm ſenſibilem, tangibilem, vel impenetrabilem. At res te monet, ſi dicatur ſubſtantia ſenſibilis, tunc *definiri ab habitudine ad ſenſus noſtros*, quâ ratione quædam ejus proprietas duntaxat explicatur, non integra natura, quæ cùm poſſit exiſtere, *quamvìs nulli homines exiſtant*, certè à ſenſibus noſtris non pendet. Nec proinde video cur dicas, eſſe ſummè neceſſarium ut omnis materia ſit ſenſibilis. Nam contrà, nulla eſt quæ non ſit planè inſenſibilis, ſi tantùm in partes *nervorum noſtrorum particulis multò minores*, & ſingulas ſeorſim ſatis celeriter agitatas, ſit diviſa.

Meúmque illud argumentum quod ſcævum & ferme Sophiſticum appellas, adhibui tantùm ad eorum opinionem refutandam, qui tecum exiſtimant omne corpus eſſe ſenſibile, quam, meo judicio, apertè & demonſtrativè refutat. Poteſt enim corpus retinere omnem ſuam corporis naturam, *quamvìs non ſit ad ſenſum molle*, nec durum, nec frigidum, nec calidum, nec denique habeat ullam ſenſibilem qualitatem.

Ut verò inciderem in eum errorem quem videris mihi velle tribuere, per comparationem ceræ, quæ quamvìs poſſit non eſſe quadrata, nec rotunda, non poteſt tamen non habere aliquam figuram, debuiſſem, ex eo quòd juxta mea principia omnes ſenſibiles qualitates in eo ſolo conſiſtant quòd particulæ corporis certis modis moveantur, vel quieſcant, debuiſſem, inquam, concludere, corpus poſſe exiſtere, quamvìs nullæ ejus particulæ moveantur, nec quieſcant; quod mihi nunquam in mentem venit. Corpus itaque non rectè definitur ſubſtantia ſenſibilis.

Videamus nunc an fortè aptiùs dici poſſit ſubſtantia impenetrabilis, vel tangibilis, eo ſenſu quem explicuiſti.

Sed rurſus iſta tangibilitas & impenetrabilitas in corpore, eſt tantùm *ut in homine Riſibilitas, proprium quarto modo*, juxta vulgares Logicæ leges, non vera & eſſentialis differentia, quam in extenſione conſiſtere contendo; atque idcirco, ut homo non definitur animal riſibile, ſed rationale, ità corpus non definivi per impenetrabilitatem, ſed per extenſionem. Quod confirmatur ex eo, quòd tangibilitas & impenetrabilitas habeant relationem ad partes, & præſupponant conceptum diviſionis vel terminationis. Poſſimus autem concipere corpus continuum indeterminatæ magnitudinis, ſive indefinitum, in quo nihil præter extenſionem conſideretur.

Sed, inquis, Deus etiam & Angelus, réſque alia quælibet per ſe ſubſiſtens eſt extenſa, ideóque latiùs patet definitio tua quàm definitum. Ego verò non ſoleo quidem de nominibus diſputare, atque ideo * ſi ex eo quòd Deus ſit ubique, dicat aliquis eum eſſe quodammodo extenſum, per me licet. *Atqui nego veram extenſionem*, qualis ab omnibus vulgò concipitur, vel in Deo, vel in Angelis, vel in mente noſtra, vel denique in ulla ſubſtantia quæ non ſit corpus, reperiri. Quippe per ens extenſum, communiter omnes intelligunt aliquid imaginabile, (ſive ſit ens rationis, ſive reale, hoc enim jam in medium relinquo ;) atqui in hoc ente varias partes determinatæ magnitudinis & figuræ, quarum una nullo modo alia ſit, poſſunt imaginatione diſtinguere, unáſque in locum aliarum poſſunt etiam imaginatione transferre, ſed non duas ſimul in uno & eodem loco imaginari: Atqui de Deo, ac etiam de mente noſtra, nihil tale dicere licet; neque enim eſt imaginabilis, ſed intelligibilis duntaxat, nec etiam in partes diſtinguibilis, præſertim in partes quæ habeant determinatas magnitudines & figuras. Denique, facilè intelligimus & mentem humanam, & Deum, & ſimul plures Angelos in uno & eodem loco eſſe poſſe. Unde manifeſtè concluditur, * nullas ſubſtantias incorporeas propriè eſſe extenſas: ſed eas intelligo tanquam virtutes aut vires quaſdam, quæ quamvìs ſe applicent rebus extenſis, non idcirco ſunt extenſæ; ut quamvìs in ferro candenti ſit ignis, non ideo ignis ille eſt ferrum. Quòd verò nonnulli ſubſtantiæ notionem cum rei extenſæ notione confundant, hoc fit ex falſo præjudicio, quia nihil putant exiſtere, vel *eſſe intelligibile, niſi ſit etiam imaginabile*, ac revera nihil ſub imaginationem cadit, quod non ſit aliquo modo extenſum. Jam verò quemadmodum dicere licet ſanitatem ſoli homini competere, quamvìs per analogiam & Medicina, & aër temperatus, & alia multa dicantur etiam ſana; ità illud ſolum quod eſt imaginabile, ut habens partes extra partes, quæ ſint determinatæ magnitudinis & figuræ, dico eſſe extenſum, quamvìs alia per analogiam etiam extenſa dicantur.

Difficultas Secunda.

2. Ut autem tranſeamus ad ſecundam tuam difficultatem; ſi examinemus quodnam ſit ens extenſum à me deſcriptum, inveniemus planè idem eſſe cum ſpatio, quod vulgus aliquando plenum, aliquando vacuum, aliquando reale, aliquando imaginarium eſſe putat. In ſpatio enim, quantumvìs imaginario & vacuo, facilè omnes imaginantur varias partes determinatæ magnitudinis & figuræ, poſſùntque *unas in locum aliarum imaginatione transferre*; ſed nullo modo duas ſimul ſe mutuò penetrantes in uno & eodem loco concipere, quoniam implicat contradictionem ut hoc fiat, & ſpatii pars nulla tollatur. Cùm autem egò conſiderarem tam reales proprietates non niſi in reali corpore eſſe poſſe, auſus ſum affirmare, nullum dari ſpatium prorſus vacuum, atque omne ens extenſum eſſe verum corpus: nec *dubitavi à magnis viris, Epicuro, Democrito, Lucretio* hac in re diſſentire; vidi enim illos non firmam aliquam rationem eſſe ſecutos, ſed falſum præjudicium, quo omnes ab ineunte ætate fuimus imbuti. Quippe quamvìs ſenſus noſtri non ſemper nobis exhibeant corpora externa qualia ſunt omni ex parte, ſed tantùm quatenus ad nos referuntur, & prodeſſe poſſunt aut nocere, ut in Art. 3. partis 2. præmonui; judicavimus tamen omnes, cùm eſſemus adhuc pueri, nihil aliud in mundo eſſe quàm quod à ſenſibus exhibebatur, ac proinde nullum eſſe corpus niſi ſenſibile, locáque omnia in quibus nihil ſentiebamus vacua eſſe. Quod præjudicium cùm ab *Epicuro, Democrito, Lucretio* non fuerit unquam rejectum, illorum authoritatem ſequi non debeo.

Miror autem virum cætera perſpicaciſſimum, cùm videat ſe negare non poſſe *quin aliqua in omni ſpatio ſubſtantia ſit*, quoniam in eo omnes proprietates extenſionis revera reperiuntur, * malle tamen dicere divinam extenſionem implere ſpatium in quo nullum eſt corpus, quàm fateri nullum omnino ſpatium ſine corpore eſſe poſſe. Etenim, ut jam dixi, prætenſa illa Dei extenſio nullo modo ſubjectum eſſe poteſt verarum proprietatum, quas in omni ſpatio diſtinctiſſimè percipimus. Neque enim Deus eſt imaginabilis, nec in partes diſtinguibilis quæ ſint menſurabiles & figuratæ.

Sed facilè admittis nullum vacuum naturaliter dari. Solicitus es de potentia divina, quam putas tollere poſſe id omne quod eſt in aliquo vaſe, ſimùlque impedire nè coëant vaſis latera. Ego verò cùm ſciam meum Intellectum eſſe finitum, & Dei potentiam infinitam, nihil unquam de hac determino; ſed conſidero duntaxat quid poſſit à me percipi vel non percipi, & caveo diligenter nè judicium ullum meum à perceptione diſſentiat. Quapropter audacter affirmo, Deum poſſe id omne quod poſſibile eſſe percipio; non autem è contrà audacter nego, illum poſſe id quod conceptui meo repugnat, ſed dico tantùm implicare contradictionem. Sic quia video conceptui meo repugnare ut omne corpus ex aliquo vaſe tollatur, * & in ipſo remaneat extenſio, non aliter à me concepta quàm priùs concipiebatur corpus in eo contentum; *dico implicare contradictionem, ut talis extenſio* ibi remaneat poſt ſublatum corpus, ideóque debere vaſis latera coire: Quod omnino conſonum eſt meis cæteris opinionibus. Dico enim alibi *nullum motum dari niſi quodammodo circularem*; unde ſequitur non intelligi diſtinctè, Deum aliquod corpus ex vaſe tollere, quin ſimul intelligatur, in ejus locum aliud corpus, vel ipſa vaſis latera motu circulari ſuccedere.

Difficultas Tertia.

3. Eodem modo etiam dico implicare contradictionem, ut aliquæ dentur atomi, *quæ concipiantur extenſæ ac ſimul indiviſibiles*; quia quamvìs Deus eas tales efficere potuerit ut à nulla creatura dividantur, certè non poſſumus intelligere ipſum ſe facultate eas dividendi privare potuiſſe. Nec valet tua comparatio de iis quæ facta ſunt, quòd nequeant infecta eſſe. Neque enim pro nota impotentiæ ſumimus, quòd quis non poſſit facere id quod non intelligimus eſſe poſſibile; ſed tantùm quòd non poſſit aliquid facere ex iis quæ tanquam poſſibilia diſtinctè percipimus. At ſanè percipimus eſſe poſſibile ut atomus dividatur, quandoquidem eam extenſam eſſe ſupponimus; atque ideo ſi judicemus eam à Deo dividi non poſſe, judicabimus Deum aliquid non poſſe facere, quod tamen poſſibile eſſe percipimus. Non autem eodem modo percipimus fieri poſſe, ut quod factum eſt ſit infectum, ſed è contrà, percipimus hoc fieri planè non poſſe; ac proinde non eſſe ullum potentiæ defectum in Deo, quòd

iſtud non faciat. Quantùm autem ad diviſibilitatem materiæ, non eadem ratio eſt: etſi enim non poſſim numerare omnes partes in quas eſt diviſibilis, earúmque idcirco numerum dicam eſſe indefinitum; non tamen poſſum affirmare illarum diviſionem à Deo nunquam abſolvi, quia ſcio Deum plura poſſe facere quàm ego cogitatione meâ complecti; atque iſtam indefinitam quarundam partium materiæ diviſionem revera fieri ſolere in Artic. 34. conceſſi.

Difficultas Quarta.

4. Neque verò affectatæ modeſtiæ eſt, ſed cautelæ, meo judicio, neceſſariæ, quòd quædam dicam eſſe indefinita potiùs quàm infinita; * ſolus enim Deus eſt quem poſitivè intelligo eſſe infinitum: de reliquis, ut de mundi extenſione, de numero partium in quas materia eſt diviſibilis, & ſimilibus, *an ſint ſimpliciter infinita nécne, profiteor me neſcire*; ſcio tantùm me in illis nullum finem agnoſcere, atque idcirco reſpectu mei dico eſſe indefinita.

Et quamvìs mens noſtra non ſit rerum vel veritatis menſura, certè debet eſſe menſura eorum quæ affirmamus aut negamus. Quid enim eſt abſurdius, quid inconſideratius, quàm velle judicium ferre de iis ad quorum perceptionem mentem noſtram attingere non poſſe confitemur?

Miror autem te non modò id velle facere videri, cùm ais, *ſi tantùm quoad nos ſit infinita, revera erit finita* extenſio, &c; ſed præterea etiam divinam quandam extenſionem imaginari, quæ latiùs pateat quàm corporum extenſio, *atque ità ſupponere Deum partes habere extra partes, & eſſe diviſibilem, omnémque prorſus rei corporeæ eſſentiam illi tribuere.*

Nè verò quis ſcrupulus hîc ſuperſit; Cùm dico extenſionem materiæ eſſe indefinitam, ſufficere hoc puto ad impediendum nè quis extra illam locus fingi queat, in quem meorum vorticum particulæ abire poſſint. *Ubicumque enim locus ille concipiatur, ibi*, jam juxta meam opinionem, *aliqua materia eſt*; quia dicendo eam eſſe indefinitè extenſam, * dico ipſam latiùs extendi quàm omne id quod ab homine concipi poteſt.

Sed nihilominus exiſtimo maximam eſſe differentiam inter amplitudinem iſtius corporeæ extenſionis, & amplitudinem divinæ, non dicam extenſionis, utpote quæ propriè loquendo nulla eſt, ſed ſubſtantiæ vel eſſentiæ; ideóque hanc ſimpliciter infinitam, illam autem indefinitam appello.

Cæterùm non admitto quod pro ſingulari tua humanitate concedis, nempe reliquas meas opiniones poſſe conſtare, quamvìs id quod de materiæ extenſione ſcripſi refutetur: *unum enim eſt ex præcipuis, meóque judicio certiſſimis, Phyſicæ meæ fundamentis*, profiteórque mihi nullas rationes ſatisfacere in ipſa Phyſica, niſi quæ neceſſitatem illam, quam vocas Logicam ſive contradictoriam, involvant; modò tantùm ea excipias quæ per ſolam experientiam cognoſci poſſunt, ut quòd circa hanc terram unicus ſit Sol vel unica Luna, & ſimilia. Cúmque in reliquis à meo ſenſu non abhorreas, ſpero etiam his te facilè aſſenſurum, ſi modò conſideres præjudicium eſſe quòd multi exiſtiment ens extenſum, in quo nihil eſt quod moveat ſenſus, non eſſe veram ſubſtantiam corpoream, ſed ſpatium vacuum duntaxat; quódque nullum ſit corpus niſi ſenſibile, atque nulla ſubſtantia niſi quæ ſub imaginationem cadat, ac proinde ſit extenſa.

Difficultas Quinta & Ultima.

5. *Sed nulli præjudicio magìs omnes aſſuevimus* quàm ei, quod nobis ab ineunte ætate perſuaſit bruta animantia cogitare. Quippe nulla ratio nos movit ad hoc credendum, niſi quòd videntes pleraque brutorum membra in figura externa & motibus à noſtris non multùm differre, unicúmque in nobis eſſe credentes iſtorum motuum principium, animam ſcilicet, quæ eadem moveret corpus & cogitaret, non dubitavimus quin aliqua talis anima in illis reperiretur.

Poſtquam autem ego advertiſſem diſtinguenda eſſe duo diverſa motuum noſtrorum principia, unum ſcilicet planè mechanicum & corporeum, quod à ſola ſpirituum vi & membrorum conformatione dependet, potéſtque *anima corporea* appellari; aliud incorporeum, *mentem* ſcilicet, ſive animam illam quam definis ſubſtantiam cogitantem; quæſivi diligentiùs an ab his duobus principiis orirentur animalium motus, an ab uno duntaxat. Cúmque clarè perſpexerim poſſe omnes oriri ab eo ſolo quod coporeum eſt & mechanicum, pro certo ac demonſtrato habui, nullo pacto à nobis probari poſſe, aliquam eſſe in brutis animam cogitantem. Nec moror aſtutias & ſagacitates canum & vulpium, nec quæcunque alia quæ propter cibum, venerem, vel metum à brutis fiunt. *Profiteor enim me poſſe perfacilè illa omnia ut à ſola membrorum conformatione profecta explicare.*

Quamvìs autem pro demonſtrato habeam, probari non poſſe aliquam eſſe in brutis cogitationem; non ideo puto poſſe demonſtrari nullam eſſe, quia mens humana illorum

rum corda non pervadit. Sed examinando quidnam ſit hac de re maximè probabile, nullam video rationem pro brutorum cogitatione militare *præter hanc unam, quòd cùm habeant oculos, aures, linguam,* & reliqua ſenſuum organa ſicut nos, veriſimile ſit illa ſentire ſicut nos; & quia in noſtro ſentiendi modo cogitatio includitur, ſimilem etiam illis cogitationem eſſe tribuendam. Quæ ratio cùm ſit maximè obvia, mentes omnium hominum à prima ætate occupavit. Sunt autem aliæ rationes multò plures & fortiores, ſed non omnibus ità obviæ, quæ contrarium planè perſuadent. Inter quas ſuum quidem locum obtinet, *quòd non ſit tam probabile omnes vermes, culices, erucas,* & reliqua animalia immortali animâ prædita eſſe, quàm machinarum inſtar ſe movere.

Primò, quia certum eſt in corporibus animalium, ut etiam in noſtris, eſſe oſſa, nervos, muſculos, ſanguinem, ſpiritus animales, & reliqua organa ità diſpoſita, ut ſe ſolis abſque ulla cogitatione omnes motus quos in brutis obſervamus ciere poſſint. Quod patet in convulſionibus, cùm mente invitâ machinamentum corporis vehementiùs ſæpe ac magìs diverſis modis ſolum ſe movet, quàm ope voluntatis ſoleat moveri.

Deinde, quia rationi conſentaneum videtur, cùm ars ſit naturæ imitatrix, poſſíntque homines varia fabricare automata in quibus ſine ulla cogitatione eſt motus, ut Natura etiam ſua automata, ſed arte factis longè præſtantiora, nempe bruta omnia, producat, præſertim cùm nullam agnoſcamus rationem propter quam, ubi eſt talis membrorum conformatio qualem in animalibus videmus, cogitatio etiam debeat adeſſe; atque ideo majori admiratione dignum ſit, quòd mens aliqua reperiatur in unoquoque humano corpore, quàm quòd nulla ſit in ullis brutis.

Sed rationum omnium quæ beſtias cogitatione deſtitutas eſſe perſuadent meo judicio præcipua eſt, quòd quamvìs inter illas unæ aliis ejuſdem ſpeciei ſint perfectiores, non ſecùs quàm inter homines, ut videre licet in equis & canibus, quorum aliqui cæteris multò feliciùs quæ docentur addiſcunt; & quamvìs omnes perfacilè nobis impetus ſuos naturales, ut iras, metus, famem, & ſimilia, voce vel aliis corporis motibus ſignificent; numquam tamen hactenus fuerit obſervatum, ullum brutum animal eò perfectionis deveniſſe ut verâ loquelâ uteretur, hoc eſt, *ut aliquid vel voce vel nutibus indicaret,* quod ad ſolam cogitationem, non autem ad impetum naturalem, poſſet referri. Hæc enim loquela unicum eſt cogitationis in corpore latentis ſignum certum, atque ipsâ utuntur omnes homines, etiam *quàm maximè ſtupidi & mente capti,* & linguâ vocíſque organis deſtituti, *non autem ullum brutum*; eámque idcirco pro vera inter homines & bruta differentia ſumere licet.

Reliquas rationes cogitationem brutis adimentes brevitatis causâ hîc omitto. Velim tamen notari me loqui de cogitatione, non de vita vel ſenſu: vitam enim nulli animali denego, utpote quam in ſolo cordis calore conſiſtere ſtatuo; nec denego etiam ſenſum quatenus ab organo corporeo dependet. Sícque hæc mea opinio non tam crudelis eſt erga belluas, quàm pia erga homines, *Pythagoreorum* ſuperſtitioni non addictos, quos nempe à criminis ſuſpicione abſolvit quoties animalia comedunt vel occîdunt.

Hæc autem omnia fortaſſe prolixiùs ſcripſi quàm acumen ingenii tui requirebat; volui enim hoc pacto teſtari pauciſſimorum objectiones mihi hactenus æquè gratas fuiſſe ac tuas, humanitatémque & candorem tuum maximè tibi devinxiſſe.

Omnium veræ ſapientiæ ſtudioſorum
cultorem obſervantiſſimum,
RENATUM DES-CARTES.

Egmondæ prope *Alchmariam,*
Nonis *Februarii* 1649.

SCHOLIA

In Reſponſ. ad Epiſt. I.

D*ifficult.* I. Si ex eo quòd Deus ſit ubique, dicat aliquis eum eſſe quodammodo extenſum, per me licet. Atqui nego veram extenſionem qualis ab omnibus vulgò concipitur, &c. *Hoc in loco manifeſtum eſt* Carteſium *talem ſolummodo extenſionem de Deo negare qualem omnes concipiunt in corpore, hoc eſt, corpoream. Metaphyſicam verò Extenſionem, qualem in noſtro* Enchiridio *deſcripſimus, nequaquam repudiare.*

Unde obſervare licet quantum Carteſiani Nullibiſtæ *ab Authore ſuo* Carteſio *degeneraverint, qui Deum & ubique agnoſcit, & aliquo modo extenſum, dum illi è contrà nec extenſum nec ullibi eſſe contendunt.*

Nullas ſubſtantias incorporeas propriè eſſe extenſas, ſed eas intelligo tanquam *virtutes* aut *vires* quaſdam quæ quamvìs ſe applicent rebus extenſis, non iccircò ſunt extenſæ ; ut quamvìs in ferro candenti ſit ignis, non ideo ignis ille eſt ferrum. *At verò per ferrum ignis extenſus eſt tamen. Quod mihi ſatìs eſt. Sed ingenuè fateor locum hunc eſſe paulo obſcuriorem, nec ſat ſcio quid hîc ſubinſinuare velit Philoſophus ubi ait,* ſed eas intelligo tanquam *virtutes* ac *vires* quaſdam, *cùm Ignis non ſolùm per ferrum extenſus ſit, ſed illius etiam ſit Modificatio. Nollem enim id ſubindicari quod tam apertè profitetur in* Poſthumis *ſuis* Operibus, *ille* Carteſii *diſcipulus* Spinozius, *Deum nempe, Angelos, Mentes humanas omnéſque, quæ vulgò putantur, ſubſtantias incorporeas nihil aliud eſſe niſi virtutes viréſve Materiæ Mundanæ, quippe unicæ illius in univerſo ſubſtantiæ.*

Difficult. 2. Malle tamen dicere Divinam Extenſionem implere ſpacium in quo nullum eſt corpus, &c. *Equidem illud optimo jure dico, ubicunque ſcilicet imaginarium ſpacium eſſe fingitur, illìc reverà eſſe Divinam Amplitudinem, nóſque in Enchiridio Metaphyſico, evidentiâ, ſi fieri poteſt, pluſquam Mathematicâ, Immobile quoddam Extenſum à mobili Materia diſtinctum demonſtravimus.*

Et in ipſo remaneat Extenſio non aliter à me concepta quàm priùs concipiebatur corpus in eo contentum, &c. *At enim falſam hanc eſſe conceptionem ex eis quæ in dicto* Enchiridio *occurrunt clarè conſtat, ubi demonſtratur Extenſum quoddam Immobile à mobili Materia diſtinctum & cui Attributa competunt Materiæ Attributis contraria. Vide* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 6, 7, 8.

Difficult. 4. Solus enim Deus eſt, quem poſitivè intelligo eſſe infinitum, &c. *Hac de re, modò ſeriò hîc agat* Carteſius, *optimè inter nos convenit. Et certè mihi videor in dicto* Enchiridio *Mundum, quantumlibet indefinitus ſit, ſatìs ſolidè demonſtrâſſe non poſſe eſſe Infinitum, adeò ut nuda Divinitas extra Mundi limites (ut corpus* Aaronis *extra Stolam ſacerdotalem, quantùm ad caput, manus pedéſque) extendatur. Vide* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 10. *ſect.* 8, 9, *&c.*

Dico ipſam latiùs extendi quàm omne id quod ab homine concipi poteſt, &c. *Et paulò pòſt, Amplitudinem Divinæ Eſſentiæ* ſimpliciter Infinitam, *corpoream autem extenſionem* Indefinitam *appellat. Quæ quidem indefinita Mundi corporei Extenſio ſi ſic intelligatur acſi Imaginatio humana eam exhaurire vel comprehendere non poſſit, rationi ſatìs conſentanea eſt. Ratio verò recta neceſſariò nobis dictabit Divinam Amplitudinem infinitò eam excedere & circumcingere quaſi vel coronare ; unde &* Kether *apud Cabbaliſtas dicitur.*

Clariſſimo Viro, Nobiliſſimoq́ Philoſopho,

RENATO DES-CARTES,

HENRICUS MORUS ANGLUS.

OPinionis quam de te concepi, nuperíſque meis literis apud te teſtatus ſum, quanta quanta ſit (Vir illuſtriſſime) me non pœnitet, nec unquam, ſat ſcio, poterit pœnitere. Quin & adauget plurimùm tui apud me exiſtimationem, quòd ad ſtupendam illam mentis tuæ amplitudinem divinúmque acumen, ſuavitas tanta morum acceſſerit & humanitas. Quam certè ut nunquam ſuſpectam habui, ità nunc ſanè eruditiſſimas tuas literas habeo pro certiſſimo illius argumento. Cæterùm nè tanti favoris te pœniteat, quaſi in ſervum caput collati, néve vileſcat meum erga te ſtudium, atque amor, tanquam ab abjecto jacentíque animo profectus, quo tandem modo reſponſa tua mihi ſatisfecerint, palàm, utì hominem liberum decet, apertéque profitebor. Quod tamen nè nimium tibi vel mihi ipſi negotium faceſſat, fuſiores orationis texturas miſſas faciens, rem totam in Inſtantias quaſdam breves, aut ſaltem notatiunculas ſuper ſingulis reſponſorum tuorum particulis, compingam.

Ad Reſponſum circa primam Difficultatem

Inſtantia I.

Definiri ab habitudine ad ſenſus noſtros, &c.

Hîc regeri poteſt; Cùm radix rerum omnium ac eſſentia in æternas defoſſa lateat tenebras, rem quamlibet neceſſariò definiri ab habitudine aliqua. Quæ habitudo proprietas dici poteſt in ſubſtantiis, cùm non ſit ſubſtantia; quamvìs agnoſcam libenter *proprietates alias aliis eſſe priores*; hoc autem tantùm me voluiſſe, Satius nimirum eſſe per adæquatam quamlibet proprietatem, quàm per formam, quam vocant, definito latiorem, rem definiviſſe. Porrò, cùm ipſe corpus definis rem extenſam, ipſam illam extenſionem inſuper adnoto conſiſtere in habitudine quadam partium ad ſe invicem, quatenus aliæ extra alias productæ ſunt. Quam habitudinem non eſſe rem abſolutam manifeſtum eſt.

II.

Quamvìs nulli homines exiſtant.

Si omnes mortales conniverent, Sol tamen non exueret ſuam videndi aptitudinem, quamprimùm oculos aperuerint denuò; ut neque ſecuris, ſecandi, quamprimùm ligna aut lapides oblati fuerint.

III.

Nervorum noſtrorum particulis multò minores.

Deum tamen artificem adaptare poſſe credo nervos ſatìs exiguos exiguis iſtis materiæ particulis, ac proinde ſenſibilitatem materiæ hoc modo comminutæ integram manere. Porrò, hæ particulæ à motu ceſſare poſſunt, atque coaleſcere, noſtriſque hoc modo nervis ſenſibiles denuò evadere; quod de ſubſtantia incorporea nullo modo verum eſt.

IV.

Quamvìs non ſit ad ſenſum molle, &c.

Certum eſt aut ad nervos noſtros ſenſorios durum fore vel molle, &c. aut ſaltem ad iſtiuſmodi nervos, quales, ſi vellet, Deus fabricare poterit, ut modò monuimus; atque hoc ſatìs eſt, quamvìs Deus nunquam fabricaturus ſit iſtiuſmodi nervos. Ut revera partes terræ versùs centrum ſunt ex ſe viſibiles, quamvìs nunquam extrahendæ ſint in Solis conſpectum, nec eò deſcenſurus ſit quiſquam cum lychno vel lampade.

V.

Eſt tantùm, ut in homine Riſibilitas, proprium quarto modo.

Quòd ſi ratio etiam aliis competeret animalibus, rectiùs definiretur homo animal riſibile quàm rationale. *Nondum autem* à quopiam *demonſtratum eſt tangibilitatem aut impenetrabilitatem proprias eſſe ſubſtantiæ extenſæ affectiones*, quamvìs corporis eſſe meritò quivis agnoverit. * Equidem poſſum clarè concipere ſubſtantiam extenſam quæ nullam ullo modo habeat tangibilitatem vel impenetrabilitatem. Igitur tangibilitas vel impenetrabilitas non immediatè ſubſtantiam extenſam conſequitur, quatenus extenſa eſt.

VI.

Atqui nego veram extenſionem, &c.

Per veram extenſionem intelligis quam tangibilitas & impenetrabilitas comitatur. Hanc ipſe etiam nego in Deo, nudíſve vel mente vel Angelo reperiri. Interea tamen *aſſero aliam eſſe extenſionem æquè veram*, quamvìs non æquè vulgarem Scholíſque tritam, quæ in Angelis mentéque humana ut terminos, ità & figuram habet, ſed pro imperio Angeli mentíſque variabilem; Mentéſque ſive animas noſtras atque Angelos, eâdem prorſus manente ſubſtantiâ, contrahere ſe poſſe, & certos denuò ad limites ſe expandere.

VII.

Nihil eſſe intelligibile niſi ſit etiam imaginabile, &c.

Equidem aliquantò ſum pronior in illam Ariſtotelis ſententiam, ὅτι ἄνευ τῶν φαντασμάτων οὐκ ἔστι νοῆσαι. Sed hîc quiſque mentis ſuæ vires experiatur.

Ad Reſponſum circa ſecundam Difficultatem

Inſtantia I.

Unas in locum aliarum imaginatione transferre.

Mea quidem imaginatio non poteſt, nec concipere ſi transferantur, quin *unæ vacui ſpatii partes abſorbeant alteras*, penitúſque coincidant & penetrent ſe invicem.

II.

Nec dubitari à magnis viris, Epicuro, Democrito, &c.

Nullus dubito quin optimo jure diſſentias, cùm non ſolùm iſtis, ſed univerſis Naturæ interpretibus longè major ſis (meâ ſententiâ) longéque auguſtior.

III.

Quin aliqua in omni ſpatio ſubſtantia ſit, &c.

Id ſanè conceſſi pacis ergô. Sed clarè mihi non conſtat. Nam ſi Deus hanc mundi univerſitatem annihilaret, & multò poſt aliam crearet de nihilo, * *Intermundium illud*, ſeu abſentia mundi, *ſuam haberet durationem* quam tot dies, anni, vel ſecula menſurâſſent. Non exiſtentis igitur eſt duratio, quæ extenſio quædam eſt. Ac proinde Amplitudo Nihili, putà Vacui, per ulnas vel orgyas menſurari poteſt, ut Non-exiſtentis in ſua non exiſtentia duratio per horas, dies menſéſque menſuratur. * Sed concedo, quamvìs nondum vi coactus, in omni ſpatio aliquam ſubſtantiam ineſſe; neque tamen ſequi eam eſſe corpoream, cùm extenſio ſive præſentia divina poſſit eſſe ſubjectum menſurabilitatis. v. g. Præſentiam ſive extenſionem divinam occupare aſſero unam alterámque orgyam in hoc vel illo vacuo; nec tamen omnino ſequi Deum eſſe corporeum, ut patet ex ſuprà dictis, Inſtantiâ 5. Sed ſuper hac re eſt agendum alibi.

IV.

Dico implicare contradictionem, ut talis extenſio, &c.

Sed hîc libenter quærerem, numquid neceſſe ſit ut aut talis extenſio ſit qualem in corpore concipis, aut nulla. Deinde, cùm & alias res præter corpora extendi ſuo modo conceſſeris, annon analogica illa extenſio, quam vocas, vices obeat extenſionis corporeæ atque ità illam vim contradictoriam retundat. Præſertim cùm analogica hæc extenſio ad propriè dictam tam propè accedat, ut ſit menſurabilis, certóſque pedum ulnarúmve numeros occupet.

V.

Nullum motum dari, niſi quodammodo circularem.

Hoc neceſſariò conſequi concedo, neceſſitate putà Phyſicâ, ſupponendo duntaxat omnia corporibus plena, nullámque extenſionem aliam integram mundi extenſionem excedere: * qua in parte ego ſatìs ſum ſecurus; ſed inexpugnabilem hanc contradictionis vim fateor me nondum ſatìs deprehendiſſe.

Ad Reſponſum circa tertiam Difficultatem

Quæ concipiantur extenſæ ac ſimul indiviſibiles.

Cùm mentem tuam ſic explicueris, nulla inter nos eſt controverſia.

Ad Reſponſum circa quartam Difficultatem

Inſtantia I.

An ſint ſimpliciter infinita nécne, profiteor me neſcire.

Haud tamen latere te poteſt, quin ſint vel ſimpliciter infinita, vel revera finita, quamvìs utrum horum ſint tam facilè ſtatuere non poſſis. Quòd autem vortices tui non diſrumpantur & fatiſcant, * non obſcurum videatur indicium mundum revera eſſe infinitum. Ipſe tamen interea liberè profiteor, quamvìs audacter poſſim aſſentire huic axiomati, *Mundus finitus eſt, aut non finitus*, vel, quod idem hîc eſt, *infinitus*, me tàmen non poſſe plenè animo complecti rei cujuſvis infinitudinem; ſed illud imaginationi meæ hîc accidere, quod *Julius Scaliger* alicubi ſcribit de dilatatione &

contractione Angelorum, non poſſe ſcilicet ſe in infinitum extendere, nec in puncti οὐδενότητα coanguſtare. Qui autem *Deum poſitivè infinitum agnoſcit (i. e. ubique exiſtentem*) quod tu meritò facis, non video, ſi liberæ rationi permittatur, quòd hæſitet, quin continuò etiam admittat nullibi otioſum, ſed eodem jure, eâdémque facilitate quâ hanc noſtram, ubi nos degimus, vel quouſque oculi, animúſque noſter pervadit, * materiam ubique produxiſſe. Sed fuſiùs acturus eram quàm inſtitui; hunc impetum ſupprimo, nè tibi ſim moleſtior.

II.

Cùm ais, ſi tantùm quoad nos ſit infinita, revera erit finita.

Aio, addóque inſuper conſequentiam eſſe manifeſtiſſimam, quoniam particula (*tantùm*) planè excludit omnem infinitatem à re quæ tantùm quoad nos dicitur infinita, ac proinde revera erit finita extenſio; Mentem autem meam hîc attingere ea de quibus pronuncio, cùm planiſſimè mihi conſtet, mundum aut finitum eſſe aut infinitum, ut paulò antè inſinuavi.

III.

Atque ità ſupponere Deum habere partes extra partes, & eſſe diviſibilem, omnémque prorſus rei corporeæ eſſentiam illi tribuere.

Nullam tribuo. Nego enim extenſionem corpori competere quatenus corpus eſt, ſed quatenus ens, aut ſaltem ſubſtantia eſt. * Præterea cùm Deus, quantum mens humana Deum capit, ſit totus ubique, integráque ſua eſſentia omnibus locis ſive ſpatiis ſpatiorúmque punctis adſit, non ſequitur quòd partes haberet extra partes, aut, quod conſequens eſt, quòd ſit diviſibilis, quamvìs arctè confertímque loca omnia occupet, nullis relictis intervallis. Unde præſentiam, ſeu amplitudinem, ut ipſe vocas, divinam, menſurabilem agnoſcam, Deum autem ipſum diviſibilem nullo modo.

Quòd autem Deus ſingula mundi puncta occupet, fatentur ad unum omnes tam Idiotæ quàm Philoſophi, ipſéque clarè & diſtinctè animo percipio & complector. Jam verò eodem modo ſe habet eſſentia divina intra atque extra mundum, ità ut ſi fingamus mundum claudi cœlo ſtellato viſibili, centrum divinæ eſſentiæ, totalíſque ejus præſentia, eodem modo repeteretur extra cœlum ſtellatum, quo intra clarè concipimus repeti atque reiterari. Hanc autem repetitionem centri divini, quæ mundum occupat, ulteriùs productam, infinita par eſt extra cœlum viſibile ſpatia ſecum expandere; quam niſi comitetur materia tua indefinita, actum erit de tuis vorticibus. Atque ut hæc molliora videantur, experiamur aſſenſus noſtros in ſucceſſiva Dei duratione.

Deus eſt æternus, h. e. vita divina omnes ſeculorum evolutiones rerúmque rationes, præteritarum, futurarum & præſentium, ſimul comprehendit. Hæc tamen vita æterna ſingulis etiam temporis inſidet quaſi atque inequitat momentis; ità ut rectè veréque dicamus Deum per tot dies, menſes, horáſve ſuâ æternitate fretum. Exempli causâ ſi ſupponamus mundum ante centum annos conditum, annon integra illa omniáque complectens Dei æternitas per horas, dies, menſes & annos (putà centum) ſuccedentes ad hunc uſque diem duravit? At verò nihilo aliter eſt Deus à mundo condito ac fuit ante mundum conditum.

Manifeſtum igitur eſt, * præter æternitatem infinitam, in Deum etiam cadere durationis ſucceſſionem. Quod ſi admittimus, cur non extenſionem etiam infinita ſpatia adimplentem pariter ac infinitam durationis ſucceſſionem illi tribuamus?

Imò verò quoties altiùs & anquiſitiùs iſtis de rebus mecum cogito, ea ſum in ſententia, quòd utraque extenſio, tam ſpatii quàm temporis, Non-entibus juxtà atque Entibus competere poſſit; ſuſpicórque æquè ex præjudicio fieri poſſe, cùm omnia ea quæ ſenſu manibúſque uſurpamus, utpote craſſa & corporea, ſemper ſint extenſa, quòd è contrà omnia extenſa protinus concludimus corporea, quàm quòd ullum ſenſûs præjudicium facit ut putemus aliqua quæ non ſunt corporea extendi.

Quòd autem extenſio cadat in non-ens, ex eo conjecturam capimus, quòd *extendi* nihil aliud innuit niſi *partes extare extra partes*. *Pars* autem & *totum*, *ſubjectum* & *adjunctum*, *cauſa* & *effectum*, *adverſa* & *relata*, *contradicentia* & *privantia*, & id genus univerſa, * notiones Logicæ ſunt, eáſque tam non-entibus quàm entibus applicamus: Unde non ſequitur, quòd quicquid concipimus partes habere extra partes, ens ſit reale concipiendum.

Sed quoties hîc colluctantur mentes humanæ cum propriis umbris, aut, laſcivientium catulorum inſtar, propriis ludunt cum caudis? Nam iſtiuſmodi profectò pugnæ atque luſus ſibi inſtituuntur à mente noſtra, dum rationes modóſque Logicos, juxta quos res externas conſiderat, non advertit ſuos duntaxat eſſe cogitandi modos, ſed putans eos eſſe aliquid in rebus ipſis à ſe diſtinctum, ſuam captando quaſi caudam, ad laſſitudinem uſque luditur miſeréque illaqueatur. Sed plura quàm vellem imprudens hîc effutii: Ad reliqua propero.

IV.

Ubicumque enim lotus ille concipiatur, ibi aliqua materia eſt.

Næ tu hîc cautus homo es, & eleganter modeſtus; admittis tamen tandem mundum eſſe infinitum, ſi Ariſtoteles infinitum rectè definivit, Phyſ. l. 3. οὗ ἀεί τι ἔξω ἐστὶν, *cujus aliquid ſemper eſt extrá.* Nihil nunc eſt ulteriùs quòd diſſideamus.

V.

Sed nihilominus exiſtimo maximam eſſe differentiam inter amplitudinem iſtius corporeæ extenſionis, &c.

Et ipſe pariter exiſtimo * immane quantum differre divinam amplitudinem & corpoream. Primò, quòd illa ſub ſenſum cadere non poſſit, hæc poſſit ſub ſenſum cadere. Deinde, quòd illa ſit increata & independens, hæc dependens & creata. Illa porrò penetrabilis, per omnia pervadens, hæc craſſa & impenetrabilis. Denique, quòd illa ex totalis & integræ eſſentiæ repetitione ubiquitaria, hæc ab externa, ſed immediata, partium applicatione & juxtapoſitione orta ſit; ità ut nemo, niſi plumbeus planè ſit atque inſigniter hebes, ſuſpicari poſſit,

Impia nos rationis inire elementa, viámque
Indogredi ſceleris, (ut & ille loquitur.)

Præſertim cùm ex Theologis ſint, iíſque aliàs fortaſſe ſat ſcrupuloſis, qui tamen agnoſcunt Deum, ſi voluiſſet, potuiſſe mundum ab æterno creare. Et tamen æquè abſurdum videtur infinitam durationem, ac magnitudinem infinitam mundo tribuere.

VI.

Unum enim eſt ex præcipuis, meóque judicio certiſſimis, Phyſicæ meæ fundamentis.

Quòd ſit materia indefinitè ſaltem extenſa, nullúmque vacuum, fundamentum eſſe Phyſicæ tuæ apprimè neceſſarium ſat intelligo, * & certè nullus dubito quin verum ſit; ſed an veram demonſtrandi rationem inſequutus ſis, id equidem ambigo: Cùm principium illius demonſtrationis ſit, *omne extenſum eſſe reale ac corporeum*; quod mihi fateor nondum conſtare, ob rationes à me ſuprà datas. Imò verò, ut ingenuè fatear quod mihi jam in mentem venit, ſi neque nudum ſpatium, prout poſtulat tua demonſtratio, nec Deus omnino extenditur, nè indefinitâ quidem materiâ opus eſt tuæ Philoſophiæ, *certus finitúſque ſtadiorum numerus ſuffecerit.* Mundi enim hujus finiti latera non habebunt quò recedant, nec dehiſcere poterunt medii vortices, nè intermedium ſpatium extendatur, nováſque non-ens induat dimenſiones. Sed tamen naturalis impetus aliò me præcipitat, in hanc utique fidem, fœcunditatem nempe divinam, cùm nullibi ſit otioſa, ubique locorum materiam produxiſſe, nullis vel anguſtiſſimis prætermiſſis intervallis.

Quæ tam facilè cùm admitto, Philoſophia tua apud me non corruet ob defectum dicti fundamenti. Planéque video Phyſices tuæ veritatem non tam apertè & oſtenſivè ſe exerere in hoc vel illo articulo, quàm ex univerſo omnium filo & textura eluceſcere, ut ipſe rectiſſimè mones Part. 4. Artic. 225. Quòd ſi quis integram tuæ Philoſophiæ faciem ſimul contuetur, tam concinna eſt, ſibíque juxtà ac rerum phænomenis conſona, ut meritò imaginetur, ſe Naturam ipſam opificem vidiſſe ab hoc polito ſpeculo enitentem.

Ad Reſponſum circa Difficultatem ultimam

Inſtantia I.

Sed nulli præjudicio magìs omnes aſſuevimus, &c.

Quod mihi de me ipſo conſtat plùs quàm ſatìs, ab hujuſce enim præjudicii laqueis ſentio me expediri non poſſe ullo modo.

II.

Profiteor enim me poſſe perfacilè illa omnia ut à ſola membrorum conformatione profecta explicare.

Læta ſanè & jucunda Provincia! *Hoc ſi præſtiteris,* (& credo quantum ingenium humanum poterit te hac in re præſtiturum in quinta ſextâve parte Phyſices tuæ; quas, ut audio ferè à te perfectas jam eſſe & abſolutas, ità avidè expecto efflictímque rogo, ut quamprimùm poſſit fieri lucem videant, vel potiùs ut nos in ipſis ulteriorem naturæ lucem videamus: ſed ad rem redeo) Hoc, inquam, ſi præſtiteris, agnoſco te demonſtrâſſe in brutis animantibus ineſſe animam, neminem demonſtrare poſſe: Sed intereà loci, quod & ipſe ſubmones, quòd non ſit anima in brutis, te necdum demonſtrâſſe, nec demonſtrare poſſe ullo modo.

III.

Præter hanc unam, quòd cùm habeant oculos, aures, &c.

Maximum, meo judicio, argumentum eſt, quòd tam ſubtiliter ſibi præcaveant & proſpiciant; ut narratiunculis veris pariter ac mirandis, ſi otium eſſet, demonſtrare poſſem. Sed credo te in conſimiles hiſtorias incidiſſe, meæ autem in nullis extant libris.

IV.

Quòd non ſit tàm probabile omnes vermes, culices, erucas, &c.

Niſi fortè imaginemur iſtiuſmodi animas, *Mundi Vitæ,* quem appellat *Ficinus,* arenam quaſi eſſe ac pulverem, & infinita ferè ex iſto penario animarum agmina fatali quodam impetu in præparatam materiam ſemper prolabi. Sed concedo hæc citiùs dici poſſe quàm demonſtrari.

V.

Ut aliquid vote vel nutibus indicaret, &c.

Annon canes annuunt caudis, ut nos capitibus? annon brevibus latratibus cibum ſæpius ad menſam mendicant? Imò verò aliquando Domini cubitum pede, qua poſſunt cum reverentia, tangentes, quaſi ſui oblitum, blando hoc eum ſigno commonefaciunt.

VI.

Quàm maximè ſtupidi ac mente capti, &c. ***non autem ullum brutum,*** &c.

Nec infantes ulli per aliquàm-multa ſaltem menſium ſpatia, quamvìs plorent, rideant, iraſcantur, &c. Nec diffidis tamen, opinor, quin infantes ſint animati, animámque habeant cogitantem.

Reſponſa hæc ſunt (Vir Illuſtriſſime) quæ tuis præclaris Reſponſis mihi viſum eſt reponere. Quæ an æquè grata futura ſint ac nuperæ meæ objectiones, ſanè præſagire non poſſum.

Humanitas tua quam verſus iſtas perſpexi, & diuturnior cum ſcriptis tuis conſuetudo, audentiorem me fecerunt; vereor nè fuerim prolixus nimiùm ac moleſtus.

Equidem ferme oblitus eram potiſſimi mei inſtituti, quod non fuit æternas tecum altercationes reciprocare; ſed cùm hanc opportunitatem ſim nactus, tanti viri de rebus quæ ſe obtulerint Philoſophicis judicium placidè experiri, & præcipuè ſi qua difficultas emerſerit inter legendos tuos libros, teipſum audire interpretantem. Quam profectò gratiam ſi lubens faciliſque conceſſeris, ſummopere me tibi devincies.

Et ſanè quàm lubenter eximiæ tuæ artis ac peritiæ mihi copiam feceris, certum eſt jam nunc in paucis quibuſdam periculum facere.

Primò igitur quæro, An à Deo ità ſtatui, aut alio quovis modo fieri potuiſſet, ut mundus eſſet finitus, id eſt certo aliquo milliarium numero circumſcriptus. Non leve enim argumentum videtur mundum poſſe eſſe finitum, quòd plerique omnes impoſſibile putent eſſe infinitum.

Secundò, Siquis mundi hujus finibus propè aſſideret, quæro an poſſit gladium per mundi latera ad capulum uſque tranſmittere, ità ut totus ferè gladius extra mundi mœnia emineret. Quòd enim nihil extra mundum ſit quod reſiſtat, videtur factu facile; quòd autem nihil extenſum ſit extra mundum quod recipiat, videtur ex ea parte impoſſibile.

Tertiò (ad Artic. 29. Part. 2.) Si A B corpus transferatur à corpore C D, quæro quî conſtat tranſlationem eſſe reciprocam. Putemus enim C D turrim eſſe, & A B ventum occidentalem per latera turris tranſeuntem. Turris C D aut quieſcit, aut ſaltem non recedit à vento A B. Si recedit, vel, quod ais, motu transfertur, utique verſùs occidentem movetur. Sed non fertur verſùs occidentem, cùm & terra

& ventus ferantur verſus orientem. Videtur igitur reſpectu venti quieſcere, cùm nullum motum ab ipſo ſuſcipiat. Dicis tamen tranſlationem (quæ quidem tranſlatio motus eſt) ipſius turris & venti eſſe reciprocam. Turris igitur reſpectu ejuſdem venti & moveretur & quieſceret, quod proximè abeſt à contradictione. Signum autem eſt, cùm ille qui à me ſedente receſſit ambulando, putà mille paſſus, rubuerit vel laſſus fuerit, ego verò ſedens nec ruborem contraxerim nec laſſitudinem, illum ſolum motum fuiſſe, me verò per id temporis quieviſſe. Notionalem igitur duntaxat variatæ diſtantiæ reſpectum illius motu ſuſcipio, nullum motum realem & Phyſicum.

Quartò, Artic. 149. Part. 3. *Sicque etiam efficiet ut terra circa ſuum axem gyret, &c.* Quomodo efficiet Luna ut terra uno die gyros ſuos abſolvat, cùm ipſa 30 ferè dies in ſuas abſumat periodos ? Quæ verò ſcribuntur Artic. 151. hanc quæſtionem, opinor, non attingunt.

Quintò, de particulis iſtis contortis, quas ſtriatas vocas, Quomodo ità contorqueri potuerunt, & eo ipſo in infinita fragmina & atomos non disjungi ? Quem lentorem, quam tenacitatem in prima illa materia, ſibi ubique ſimili & homogenea, imaginari poſſumus ? Unde molleſcebant iſtæ particulæ primùm, indéque obduruerunt ?

Sextò, Artic. 189. Part. 4. *animam ſive mentem intimè cerebro conjunctam.* Perlubenter equidem hîc audirem ſententiam tuam de conjunctione animæ cum corpore: An cum toto corpore conjungatur, an cum cerebro ſolo, an verò in ſolum conarium, tanquam in parvulum aliquod ergaſtulum, compingatur. Id enim ſedem ſenſûs communem, animæque ἀκρόπολιν, à te monitus agnoſco. Dubito tamen annon per univerſum corpus anima pervadat. Deinde quæro ex te, cùm anima nullas habeat nec ramoſas nec hamatas particulas, quomodo tam arctè unitur cum corpore. Sciſcitórque ſubindè, annon aliquid exerit ſe in natura, cujus nulla ratio Mechanica reddi poteſt. Illud αὐτεξούσιον, cujus in nobis conſcii ſumus, quo oritur modo ? Quæque ratio ſit imperii animæ noſtræ in ſpiritus animales, quâ poteſt eos amandare in quamlibet corporis partem ? Quomodo ſagarum ſpiritus, quos vocant familiares, materiam tam aptè ſibi adaptant atque conſtringunt, ut viſibiles & palpabiles ſe exhibeant execrandis vetulis? Hoc autem fieri non ſolùm vetulæ, ſed juvenes ſagæ, nullâ vi coactæ, ſponte mihi faſſæ ſunt non paucæ. Porro, annon & ipſi hoc ipſum aliquo modo in animabus noſtris experimur, dum pro arbitrio noſtro ſpiritus noſtros animales ciere & ſiſtere, exerere & revocare poſſumus ? Quæro igitur, numquid dedeceret hominem Philoſophum in rerum univerſitate ſubſtantiam aliquam agnoſcere incorpoream, quæ tamen poſſit aut omnes, aut ſaltem plurimas, affectiones corporeas, non ſecùs ac ipſa corpora in ſe mutuò, in corpus aliquod imprimere, quales ſunt motus, figura, ſitus partium ? &c. Imò verò, cùm ferme conſtet de motu ; ſine mora ſuperaddere etiam quæ motûs conſequentia ſunt, ut dividere, conjungere, diſſipare, vincire, figurare particulas, figuratas diſponere, diſpoſitas rotare, vel quovis modo movere, rotatas continere, & id genus alia ; unde lumen, colores, & reliqua ſenſûs objecta prodire neceſſe eſt, juxta eximiam tuam Philoſophiam.

Præterea, cùm nihil nec corporeum neque incorporeum poteſt agere in aliud niſi per applicationem ſuæ eſſentiæ, neceſſe inſuper ducere, ut, ſive Angelus ſit, ſive Dæmon, ſive anima, ſive Deus, qui agat prædictis modis in materiam, eſſentia cujuſlibet inequitet quaſi illis materiæ partibus in quas agit, aut aliquibus aliis quæ in has ipſas agant per motûs tranſmiſſionem, imò ut integræ aliquando adſit materiæ quam gubernat & modificat ; ut conſtat in Geniis, ſive bonis ſive malignis, qui ſe humanis oculis patefecerunt : Aliter enim quî poterant conſtringere materiam, & in hac vel illa figura continere ?

Poſtremò, Cùm tam ſtupendam virtutem habeat ſubſtantia incorporea, ut per nudam ſui applicationem, ſine funiculis aut uncis, ſine fundis aut cuneis, materiam conſtringat, explicet, dividat, projiciat, & ſimul retineat, annon veriſimile videatur ut in ſeipſam ſe poſſit colligere, cùm nulla obſtet impenetrabilitas, & diffundere ſe denuò, & ſimilia ?

Hæc abs te peto, Vir doctiſſime, quantum per otium licebit, ut digneris exponere, utpote quem ſcio tam intima quàm extima Naturæ myſteria rimatum eſſe, commodéque interpretari poſſe.

Septimò, de globulis æthereis quæro, Si Deus mundum ab æterno condidiſſet, annon multis abhinc annis comminuti & confracti fuiſſent iſti globuli in partes indefinitè ſubtiles, mutuis colliſionibus vel attritionibus, primíque Elementi faciem jam olim induiſſent, ità ut univerſus mundus in unam immenſam flammam multa antè ſecula abiiſſet ?

Octavò, de particulis tuis aqueis, longis, teretibus, & flexibilibus, Numquid habent poros? Id ſanè mihi non videtur probabile, cùm ſint ſimplicia corpora, particulæque primæ ex nullis aliis particulis complicatæ, ſed fragmina ex integra primâque materia eliſa, ac proinde planè homogenea. Hinc dubito, quî poterunt flecti ſine penetratione dimenſionum. Putemus enim aliquando ad annuli inſtar incurvari; Superficies concava minor erit convexâ, &c. Rem probè tenes. Non eſt quòd hîc immorer.

Nec tamen ſi poros habere contenderes, quod nunquam opinor facies, difficultatem tollet. Quippe quòd quæſtio tùnc inſtituetùr de pororum labris vel lateribus: Neceſſariò enim aliquid flectetur quod non habet poros.

Atque hæc difficultas pertinet non ſolùm ad oblongas tuas particulas, ſed etiam ad ramoſas illas, aliáſque ferme omnes, quas flecti neceſſe eſt, & tamen non diſrumpi.

Nonò, & ultimò, Utrùm materia, ſive æternam fingamus ſive heſterno die creatam, ſibi liberè permiſſa, nullúmque aliunde impulſum ſuſcipiens, moveretur, an quieſceret. Deinde, an quies ſit modus corporis privativus, an verò poſitivus. Et ſive poſitivum malles ſive privativum, unde conſtet utrumlibet. An denique ulla res affectionem ullam habere poſſit naturaliter & à ſe, quâ penitus poteſt deſtitui, vel quam aliunde poteſt adſciſcere.

Hactenus ferè circa generalia præclaræ tuæ Phyſices fundamenta luſi, dicam, an potiùs laboravi? progreſſurus poſthac ad ſpecialiora, ſi facilitas tua atque comitas eò me invitaverit, aut ſaltem permiſerit. Et æquiori ſanè animo feres, cùm hîc de primis agatur principiis, ſi ſuperſtitiosè omnia examinavi, viámque quaſi palpando, ſinguláque curioſiùs contrectando, lentè me promovi & teſtudineo gradu. Video enim ingenium humanum ità comparatum eſſe, ut faciliùs longè quid conſequens ſit diſpiciat, quàm quid in natura primò verum; noſtrámque omnium conditionem non multùm abludere ab illa Archimedis, *δὸς πȣ̃ ςῶ, ϗ κινήσω τ̃ γῆν.* Ubi primùm figamus pedem invenire multò magìs ſatagimus, quàm ubi invenimus ulteriùs progredi.

Quod ad mirificas illas ſtructuras attinet quas ex illis principiis generalibus erexiſti, quamvìs primâ fronte adeò ſublimes & ab aſpectu noſtro remotæ viderentur, ut omnia apparerent nubibus tenebríſque obvoluta, dies tamen difficultates comminuit, paulatímque evanuerunt iſtæ obſcuritates, adeò ut perpaucæ, præ quod tum factum eſt, in conſpectum jam veniant.

Hoc autem neceſſe duxi ut profiterer, nè æternum à me expectes tibi creatum iri negotium, ſed lubentiùs mihi reſcribas, paríque humanitate haſce ſciſcitationes meas accipias quâ primas quas miſi objectiones. Quod ſi feceris (clariſſime Carteſi) ſuprà quàm dici poteſt tibi obſtrictum dabis

Cantabrigiæ, è *Chriſti* Collegio,
3. Nonarum *Martii*, 1649.

Humanitatis tuæ ac Sapientiæ
admiratorem religioſiſſimum,

HEN. MORUM.

SCHOLIA

In Epiſt. 2. H. Mori.

Difficult. 1. *Inſtant.* 5. Equidem poſſum clarè concipere ſubſtantiam extenſam, &c. *Immò verò neceſſariò & inevitabiliter talem concipio dum mentis aciem conjicio in Immobile illud extenſum à mobili materia diſtinctum, quod ſimul concipio nullam habere tangibilitatem aut Impenetrabilitatem.*

Difficult. 2. *Inſtant.* 3. Intermundium illud ſive Abſentia Mundi ſuam haberet durationem, &c. *Multò rectiùs concluditur Durationem illam quam non poſſumus non concipere exiſtere, ut & Amplitudinem immenſam æternámque ac neceſſariam, ad Divinam Eſſentiam eſſe referendam, (quemadmodum in Scholiis in Enchiridium Metaphyſicum monuimus) Illiúſque Axiomatis Authoritatem ubique ſartam tectam eſſe conſervandam; Nihili nullam eſſe affectionem.*

Sed concedo, quamvìs nondum vi coactus, in omni ſpacio aliquam ſubſtantiam ineſſe, &c. *Immò ipſum illud quod vulgus Philoſophorum, ſpacium imaginarium eſſe fin-*

gunt, in Enchiridio Metaphyſico *ſubſtantiam incorpoream eſſe demonſtro, cap.* 6, 7, 8.

Inſtant. 5. Qua in parte ego ſatìs ſum ſecurus, &c. *Equidem tunc fui hac in parte nimis quàm ſecurus. Quæ autem rationes hanc mihi ſecuritatem excuſſerint, Vide* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 10. *ſect.* 6, 7, *&c.*

Difficult. 4. *Inſtant.* 1. Non obſcurum videatur indicium Mundum reverà eſſe infinitum, &c. *Sic certè videretur ſi motus Materiæ Mundanæ eſſet* Mechanicus, *nunc verò cùm* Vitalis *ſit & à* Spiritu Naturæ *profectus, Mundus licèt finitus ſit, Vortices non diſrumpentur nec fatiſcent.*

Materiam ubique produxiſſe. *Id quod valdè rationi conſentaneum eſt dum Divinam Omnipotentiam & Fæcunditatem reſpicimus; naturam verò Creaturæ dum conſideramus, & hujus Infinitudinis quàm incapax ſit, admodum abſonum videtur & ab omni ratione alienum: quemadmodum videre eſt in dicto* Enchiridio, *cap.* 10.

Inſtant. 3. Præterea cùm Deus, quantum mens humana Deum capit, ſit totus ubique, &c. *Sic certè ſolet Philoſophorum vulgus loqui. Quantùm verò ad me, cùm Deus partes Phyſicas & propriè dictas non habeat, equidem valde impropriè exiſtimo Deum dici poſſe totum eſſe ubique: ſed præſentiam illius agnoſco ubique æquè efficacem eſſe acſi totus intelligatur ubique adeſſe. Et quæ mox occurrit Centri Divini Repetitio ſymbolicè tantùm intelligenda eſt & negativè, quatenus Eſſentiam Divinam innuit ubique homogeneam eſſe & αὐτοφυῆ, nec aliunde derivatam, ſed unam quaſi infinitam eſſe Lucem ſive Solem.*

Præter Æternitatem infinitam in Deum etiam cadere Durationis ſucceſſionem, &c. *Non quòd ſucceſſiva Duratio formaliter Deo competat, ſed quòd eminenter in illius ſtabili Duratione contineatur; qua de re vide Dialogos Divinos, Dialog.* 1. *Sect.* 15, 16, 17. *Ut verò Æternitas Divina ſingulis cujuſvis Durationis ſucceſſivæ momentis præſens eſt, ità & infinita Divina Eſſentiæ plenitudo & Exuberantia ſingulis cujuſvis corporeæ Extenſionis punctis adeſſe intelligitur.*

Quòd utraque Extenſio tam Spacii quàm Temporis Non-Entibus juxtà atque Entibus competere poſſit, &c. *Multo verò nunc conſultius exiſtimo, quod & ſuprà innui, Spacium illud immenſum & Tempus infinitum, quæ mentibus noſtris tam importunè obverſantur, ad Divinam Eſſentiam & Æternitatem, tanquam umbras quaſdam earum obſcuriuſculas, referre. Vide Scholia in* Enchiridium Metaphyſicum.

Notiones Logicæ ſunt, eáſque tam Non-Entibus quàm Entibus applicamus, &c. *Eſto, ſed applicando eas Non-Entibus, eadem Entia non efficimus. Adeò ut, quando Non-Enti alicui partes attribuimus, cùm partes iſtæ etiamnum Non-Entia ſunt, aut Non-Entibus tribui poſſunt, Non-Ens cui iſtæ attribuuntur, adhuc reverà nullas partes habeat, ac proinde reverà ſit Non-Extenſum; nec hinc conſtare poſſit, Extenſionem cadere in Non-Ens.*

Inſtant. 5. Immane quantum differre Divinam Amplitudinem & corpoream. *Hìc tantùm obiter, contra* Carteſianos Nullibiſtas *Divinæ Eſſentiæ Amplitudinem à ſuo* Carteſio *admitti, quamvìs Extenſio repudietur, ut videre eſt hoc in loco illius Epiſtolæ.*

Inſtant. 6. Et certè nullus dubito quin verum ſit, &c. *Vide quæ diximus in Inſtantiam primam.*

Fœcunditatem nempe Divinam, cùm nullibi otioſa ſit, ubique locorum Materiam produxiſſe, &c. *Vide quæ notavimus in Inſtantiam primam eodem in loco.*

Clariſſimo Doctiſſimoq; Viro,

HENRICO MORO,

RENATUS DES-CARTES.

VIR clariſſime, gratiſſimas tuas literas 3. Non. Mart. datas eo tempore accipio quo tam multis aliis occupationibus diſtrahor, ut cogar vel hâc ipsâ horâ feſtinantiſſimè reſcribere, vel reſponſum in multas hebdomadas differre. Sed vincet ea pars quæ feſtinationem perſuadet; malo enim minùs peritus quàm minùs officioſus videri.

Ad Inſtantias primas.

Proprietates alias aliis eſſe priores, &c. Senſibilitas nihil mihi videtur eſſe in re ſenſibili, niſi denominatio extrinſeca. Nec etiam rei eſt adæquata: nam ſi referatur ad ſenſus noſtros, non convenit tenuiſſimis materiæ particulis: ſi ad alios imaginarios, quales vis à Dei poſſe fabricari, forſan etiam Angelis & Animabus conveniet; non enim faciliùs intelligo nervos ſenſorios adeò ſubtiles, ut à quàm minutiſſimis materiæ particulis moveri poſſint, quàm aliquam facultatem cujus ope mens noſtra poſſit alias mentes immediatè ſentire ſive percipere. Quamvis autem in extenſione habitudinem partium ad invicem facilè comprehendamus, videor tamen extenſionem optimè percipere, quamvìs de habitudine partium ad invicem planè non cogitem: Quod debes etiam potiori jure quàm ego admittere, quia extenſionem ità concipis ut Deo conveniat, & tamen in eo nullas partes admittis.

Nondum demonſtratum Tangibilitatem aut Impenetrabilitatem proprias eſſe ſubſtantiæ extenſæ affectiones. Si concipis extenſionem per habitudinem partium ad invicem, non videris negare poſſe quin unaquæque ejus pars alias vicinas tangat, hæcque tangibilitas eſt vera proprietas, & rei intrinſeca, non autem ea quæ à ſenſu tactûs denominatur.

Non poteſt etiam intelligi unam partem rei extenſæ aliam ſibi æqualem penetrare, quin hoc ipſo intelligatur mediam partem ejus extenſionis tolli vel annihilari; quod autem annihilatur aliud non penetrat: * ſicque meo judicio demonſtratur impenetrabilitatem ad eſſentiam extenſionis, non autem ullius alterius rei, pertinere.

Aſſero aliam eſſe extenſionem æquè veram. Tandem igitur de re convenimus, ſupereſt quæſtio de nomine, an hæc poſterior extenſio æquè vera ſit dicenda. Quantùm autem ad me, nullam intelligo nec in Deo nec in Angelis vel mente noſtra extenſionem ſubſtantiæ, ſed potentiæ duntaxat; ità ſcilicet ut poſſit Angelus potentiam ſuam exerere nunc in majorem, nunc in minorem ſubſtantiæ corporeæ partem: nam ſi nullum eſſet corpus, nullum etiam ſpatium intelligerem cui Angelus vel Deus eſſet coëxtenſus. * Quòd autem quis extenſionem, quæ ſolius potentiæ eſt, tribuat ſubſtantiæ, ejus præjudicii eſſe puto, quo omnem ſubſtantiam, & ipſum Deum, ſupponit imaginabilem.

Ad ſecundas Inſtantias.

Unæ vacui ſpatii partes abſorbeant alteras, &c. Hîc repeto, ſi abſorbeantur, ergò media pars ſpatii tollitur & eſſe deſinit; quod autem eſſe deſinit aliud non penetrat; ergò impenetrabilitas in omni ſpatio eſt admittenda.

Intermundium illud ſuam haberet durationem, &c. Puto implicare contradictionem, ut concipiamus aliquam durationem intercedere inter deſtructionem prioris mundi & novi creationem. Nam ſi durationem iſtam ad ſucceſſionem cogitationum divinarum vel quid ſimile referamus, erit error intellectûs, non vera ullius rei perceptio. Ad ſequentia jam reſpondi, notando * extenſionem quæ rebus incorporeis tribuitur eſſe potentiæ duntaxat, non ſubſtantiæ; quæ potentia cùm ſit tantùm modus in re ad quam applicatur, ſublato extenſo cui coëxiſtat, non poteſt intelligi eſſe extenſa.

Ad penultimas Inſtantias.

Deum poſitivè infinitum, id eſt, ubique exiſtentem, &c. * Hoc *ubique* non admitto. Videris enim hîc infinitatem Dei in eo ponere, quòd ubique exiſtat: cui opinioni non aſſentior; ſed puto Deum ratione ſuæ potentiæ ubique eſſe, ratione autem ſuæ eſſentiæ nullam planè habere relationem ad locum. Cùm autem in Deo potentia & eſſentia non diſtinguantur, ſatius eſſe puto in talibus de mente noſtra vel Angelis, tanquam perceptioni noſtræ magìs adæquatis, quàm de Deo, ratiocinari. Sequentes difficultates ex eo præjudicio mihi videntur omnes ortæ, quòd nimis aſſueverimus quaſlibet ſubſtantias, etiam eas quas corpora eſſe negamus, tanquam extenſas imaginari, & de entibus rationis intemperanter Philoſophari, *entis* ſive *rei* proprietates *non enti* tribuendo. Sed rectè meminiſſe oportet, non entis nulla eſſe poſſe vera attributa, nec de eo poſſe ullo modo intelligi *partem* & *totum*, *ſubjectum*, *adjunctum*,

&c.

&c. Ideóque optimè concludis cum propriis umbris mentem ludere, cùm entia Logica conſiderat.

Certus finitúſque ſtadiorum numerus ſuffecerit, &c. Sed repugnat meo conceptui ut mundo aliquem terminum tribuam, nec aliam habeo menſuram eorum quæ affirmare debeo vel negare quàm propriam perceptionem. Dico idcirco mundum eſſe indeterminatum vel indefinitum, quia nullos in eo terminos agnoſco; ſed non auſim vocare infinitum, quia percipio Deum eſſe mundo majorem, non ratione extenſionis, quam, ut ſæpe dixi, nullam propriam in Deo intelligo, ſed ratione perfectionis.

Ad ultimas Inſtantias.

Hoc ſi præſtiteris, &c. Non certus ſum meæ Philoſophiæ continuationem unquam in lucem prodituram, quia pendet à multis experimentis, quorum faciendorum neſcio an copiam ſim unquam habiturus; ſed ſpero me hâc æſtate brevem tractatum de Affectibus editurum, ex quo apparebit quo pacto in nobis ipſis omnes motus membrorum, qui affectus noſtros comitantur, non ab anima, ſed à ſola corporis machinatione peragi exiſtimem. Quòd autem *Canes annuant caudis*, &c. Sunt tantùm motus qui comitantur affectus, eóſque accuratè diſtinguendos puto à loquela, quæ ſola cogitationem in corpore latentem demonſtrat. *Nec infantes ulli*, &c. Diſpar eſt ratio infantum & brutorum: Nec judicarem infantes eſſe mente præditos, niſi viderem eos eſſe ejuſdem naturæ cum adultis: bruta autem eouſque nunquam adoleſcunt, ut aliqua in iis cogitationis nota certa deprehendatur.

Ad Quæſtiones.

Ad primam. Repugnat conceptui meo, ſive, quod idem eſt, puto implicare contradictionem, ut mundus ſit finitus vel terminatus, * quia non poſſum non concipere ſpatium ultra quoſlibet præſuppoſitos mundi fines; tale autem ſpatium apud me eſt verum corpus: nec moror quòd ab aliis imaginarium vocetur, & ideo mundus finitus exiſtimetur; novi enim ex quibus præjudiciis error iſte profectus ſit.

Ad ſecundam. Imaginando gladium trajici ultra mundi fines, oſtendis te etiam non concipere mundum finitum, omnem enim locum ad quem gladius pertingit revera concipis ut mundi partem, quamvìs illud quod concipis vacuum voces.

Ad tertiam. Non meliùs poſſum explicare vim reciprocam in mutua duorum corporum ab invicem ſeparatione, quàm ſi tibi ponam ob oculos navigiolum aliquod hærens in luto juxta fluminis ripam, & duos homines, quorum unus ſtans in ripa navigiolum manibus pellat, ut illud à terra removeat, eodémque prorſus modo alius ſtans in navigio ripam manibus pellat, ut illud idem à terra removeat. Si enim horum hominum vires ſint æquales, conatus ejus qui terræ inſiſtit, terræque idcirco conjunctus eſt, non minùs confert ad motum navigii quàm conatus alterius qui cum navigio transfertur. Unde patet actionem quâ navigium à terra recedit non minorem eſſe in ipſa terra quàm in navigio. Nec eſt difficultas de eo qui à te ſedente receſſit; cùm enim de tranſlatione hîc loquor, intelligo tantùm eam quæ fit per ſeparationem duorum corporum ſe immediatè tangentium.

Ad quartum. Motus Lunæ determinat materiam cœleſtem, & ex conſequenti etiam terram in ea contentam, ut versùs unam partem potiùs quàm versùs aliam, nempe in figura ibi poſita, ut ab A versùs B, potiùs quàm versùs D, flectatur; non autem dat ei celeritatem motûs: & quia hæc celeritas pendet à materia cœleſti, quæ præter propter eadem eſt juxta Terram ac juxta Lunam, deberet Terra duplo celeriùs convolvi quàm convolvitur, ut circiter ſexagies circulum ~~ſuum~~ abſolveret eo tempore quo Luna ſemel percurrit ſuum ſexagies majorem, niſi obſtaret magnitudo, ut in Artic. 151. p. 3. dictum eſt.

Ad quintam. Nullum ſuppono eſſe lentorem nullámque tenacitatem in minimis materiæ particulis, niſi quemadmodum in ſenſibilibus & magnis, quæ nempe ex motu & quiete partium dependet. Sed notandum eſt, ipſas particulas ſtriatas formari ex materia ſubtiliſſima, & diviſa in minutias innumerabiles vel numero indefinitas, quæ ad ipſas componendas ſimul junguntur, adeò ut plures diverſas minutias in unaquaque particula ſtriata concipiam quàm vulgus hominum in aliis corporibus valde magnis.

Ad ſextam. Conatus ſum explicare maximam partem eorum quæ hîc petis in tractatu de affectibus. Addo tantùm, nihil mihi hactenus occurriſſe circa naturam rerum materialium cujus rationem mechanicam non facillimè poſſim excogitare. Atque ut non dedecet hominem Philoſophum putare Deum poſſe corpus movere, quamvìs non putet Deum eſſe corporeum; ità etiam eum nòn dedecet aliquid ſimile de aliis ſubſtantiis incorporeis judicare. Et quamvìs exiſtimem nullum agendi modum Deo & creaturis univocè convenire; fateor tamen me nullam in mente mea ideam reperire quæ repræſentet modum quo Deus vel Angelus materiam poteſt movere, diverſam ab ea quæ mihi exhibet modum quo ego per meam cogitationem corpus meum movere me poſſe mihi conſcius ſum.

Nec verò mens mea poteſt ſe modò extendere, modò colligere, in ordine ad locum, ratione ſubſtantiæ ſuæ, ſed tantùm ratione potentiæ quam poteſt ad majora vel minora corpora applicare.

Ad ſeptimam. Si mundus ab æterno fuiſſet, proculdubio hæc Terra non manſiſſet ab æterno, ſed aliæ alibi productæ fuiſſent, nec omnis materia abiiſſet in primum Elementum: ut enim quædam ejus partes uno in loco comminuuntur, ità aliæ in alio loco ſimul coaleſcunt; nec plus eſt motûs ſive agitationis in tota rerum univerſitate uno tempore quàm alio.

Ad octavam. Particulas aquæ, aliaſque omnes quæ ſunt in terra, poros habere ſequitur evidenter ex modo quo terræ productionem deſcripſi, nempe à particulis materiæ primi elementi ſimul coaleſcentibus: cùm enim hoc primum Elementum nullis conſtet particulis niſi indefinitè diviſis, hinc ſequitur concipiendos eſſe poros uſque ad ultimam poſſibilem diviſionem in omnibus corporibus ex eo conflatis.

Ad nonam. Ex iis quæ paulò antè dixi de duobus hominibus, quorum unus movetur unà cum navigio, alius in ripa ſtat immotus, ſatìs oſtendi me putare nihil eſſe in unius motu magìs poſitivum quàm in alterius quiete.

Quid ſibi velint hæc tua ultima verba, *An ulla res affectionem habere poteſt naturaliter & à ſe, quâ penitus poteſt deſtitui, vel quam aliunde poteſt adſciſcere*, non ſatìs percipio.

Cæterùm velim ut pro certo exiſtimes mihi ſemper fore gratiſſimum ea accipere quæ de ſcriptis meis vel quæres vel objicies, & pro viribus reſponſurum eſſe

Tibi addictiſſimum

Egmundæ, 17. Kalendis
Maii, 1649.

Renatum Des-Cartes.

SCHOLIA

In Reſponſ. ad Epiſt. 2.

Inſtant. 1. Sicque meo judicio demonſtratur Impenetrabilitatem ad Eſſentiam Extenſionis, &c. *Quia ſcilicet illa pars Extenſionis quæ penetrat, tolleretur vel annihilaretur. At nulla pars ſubſtantiæ extenſæ hac penetratione perit. Alioquin omnes Spiritus, qui Spiritum Univerſi putà, penetrant, eo ipſo perirent. Ipſaque Materia extenſa in Extenſo immobili aut periret, aut Extenſi immobilis partes eis in locis ubi eſt, annihilaret. Si verò ſit Eſſentia in Eſſentia, manifeſtum eſt eſſe Extenſionem in Extenſione, cùm omnis Eſſentia ſit aliquo modo extenſa. Vide* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 28. *ſect.* 6, 7.

Quòd autem quis extenſionem quæ ſolius potentiæ eſt, &c. *Quòd ſolas potentias ſubſtantiarum Incorporearum extenſas aſſerit* Carteſius, *hinc* Nullibiſtis *rurſus favere non immeritò cenſeri poteſt eorúmque eſſe Coryphæus.*

Inſtant. 2. Extenſionem quæ rebus incorporeis tribuitur, eſſe Potentiæ duntaxat non Subſtantiæ; Quæ Potentia cùm ſit tantùm Modus in re ad quam applicatur, ſublato extenſo cui coexiſtit, non poteſt intelligi eſſe coextenſa. *Quod modò fecit, expreſſiùs profectò hîc facit, apertiùs ſcilicet* Nullibiſmo *favet; quinimò & nullitati forteæn rerum incorporearum, dum potentiam quam nos ſupponimus in Spiritibus, Materiæ extenſæ modum eſſe ſubinſinuat, quemadmodum facit* Spinozius. *Vide quæ adnotavimus in Scholiis in Reſponſ. ad Epiſt.* 1. *Difficult.* 1.

Inſtant. 4. Hoc ubique non admitto. Videris enim hîc Infinitatem Dei in eo ponere quòd ubique exiſtit, cui opinioni non aſſentior; ſed puto Deum ratione ſuæ potentiæ ubique eſſe, ratione autem ſuæ eſſentiæ nullam planè habere relationem ad locum. *Expreſſiſſimus hic Nullibiſmus eſt ; unde me non immeritò* Carteſium Nullibiſtarum *Principem agnoviſſe,* Enchirid. Metaphyſ. *cap. 27. ſatìs manifeſtum eſt. Sed malè interim ſibi conſtare videtur, ſi hæc cum eis comparaveris quæ occurrunt in Reſponſo ad Epiſtolam meam primam Difficult. 1. Vide Scholia, eum in locum.*

Quæſt. 1. Quia non poſſem non concipere ſpacium ultra quoſlibet præſuppoſitos Mundi fines. Tale autem ſpacium apud me eſt verum corpus, &c. *Id verò quod non poſſumus non concipere quin exiſtat, neceſſariò, ſi proprias conſulamus facultates, exiſtit. Cùm autem neceſſariò & à ſe ſic concipitur exiſtere, (neque enim illius Idea cum cujuſquam alius rei Idea in hac conceptione conjungitur) hac conceptio ſi in corpus deſinit, Exiſtentiam Entis abſolutè perfecti planè ſubvertit. Qua de re conqueſtus ſum in Præfatione ad* Enchiridium Metaphyſicum, *Sect.* 4.

Illuſtriſſimo viro, Principique Philoſopho,

RENATO DES-CARTES,

HENRICUS MORUS.

VIX me abſtinebam (Vir Clariſſime) quin ab acceptis tuis literis continuò ad te reſcriberem: quamvìs profectò id à me factum fuiſſet inciviliùs; quippe quòd ſatìs ex iiſdem intelligerem te per ſeptimanas bene multas negotiis fore diſtrictiſſimum. Quin & mihi ipſi tunc temporis à patris obitu acciderunt multa quæ me aliò avocârunt, impediverúntque adeò ut quod voluiſſem maximè præſtare, haud commodè potuiſſem. Jam verò ad te tuáque reverſus, ſatíſque nactus otii, reſcribo, gratiáſque ago maximas, quòd quærendi de tuis ſcriptis quod lubet objiciendíque plenum mihi jus tam liberè benignéque conceſſeris.

Cæterùm, nè abuti videar hâc ſummâ humanitate tuâ ad prolixiores altercationes (nam hactenus eo in loco Philoſophiæ verſati ſumus qui λογομαχίαις lubricíſque ſubtilitatibus opportunior extitit, in confiniis utique Phyſices, Metaphyſicæ & Logicæ) ad ea propero quæ certum magìs firmúmque judicium capiunt.

Obiter tantùm notabo, atque primò ad Reſponſionem ad Inſtantias primas; Quantùm ad Angelos animáſque ſeparatas, ſi immediatè ſuas invicem deprehendant eſſentias, *id non dici poſſe ſenſum propriè, ſi ipſos fingas penitus incorporeos.* Me verò lubentem cum *Platonicis,* antiquis Patribus, Magíſque ferme omnibus, & animas & genios omnes, tam bonos quàm malos, planè corporeos agnoſcere, ac proinde ſenſum habere propriè dictum (i. e.) mediante corpore, quo induuntur, exortum. Et profectò cùm nihil non magnum de tuo ingenio mihi pollicear, perquam gratiſſimum eſſet ſi conjecturas tuas, quas credo pro ea qua polles ſagacitate ac acumine fore ingenioſiſſimas, mecum breviter communices ſuper hac re. Nam quòd quidam magnificè ſe efferunt in non admittendo ſubſtantias ullas quas vocant ſeparatas, ut dæmonas, Angelos, animáſque poſt mortem ſuperſtites, & maximopere hîc ſibi applaudunt, quaſi re bene geſtâ, & tanquam eo ipſo longè ſapientiores evaſiſſent cæteris mortalibus, id ego non hujus æſtimo. Nam quod ſæpius obſervavi, hi ſunt, ut plurimùm, aut Taurini ſanguinis homines, perditéque melancholici, aut immane quantum ſenſibus & voluptatibus dediti, Athei denique, ſaltem ſi permitteret religio, quâ ſolâ ſuperſtitiosè freti Deum eſſe agnoſcunt. Me verò non pudet palàm profiteri, me vel ſemoto omni Religionis imperio, meâ ſponte agnoſcere genios eſſe atque Deum ; nec ullum alium tamen me poſſe admittere, niſi qualem optimus quiſque ac ſapientiſſimus exoptaret, ſi deeſſet, exiſtere. Unde ſemper ſuſpicatus ſum, profligatiſſimæ improbitatis ſummæque ſtupiditatis triumphum eſſe Atheiſmum; Atheorúmque gloriationem perinde eſſe acſi ſtultiſſimus populus de ſapientiſſimi benigniſſimíque Principis cæde ovarent inter ſe & gratularentur. Sed neſcio quo impetu huc excurſum eſt. Redeo.

Secundò, Quod ad demonſtrationem illam tuam attinet, quâ concludis omnem ſubſtantiam extenſam eſſe tangibilem & impenetrabilem; videor mihi hæc poſſe regerere: in aliqua ſcilicet ſubſtantia extenſa partes extra partes eſſe poſſe, ſine ulla αντιτυπία, ſeu mutua reſiſtentia ; atque hinc perit propriè dicta Tangibilitas. Deinde,

inde, extenſionem ſimul cum ſubſtantia in reliquam replicari extenſionem & ſubſtantiam, nec deperdi magìs quàm illam ſubſtantiæ partem quæ retrahitur in alteram; atque hinc cadit illa Impenetrabilitas: quæ profiteor me clarè & diſtinctè animo concipere. Quòd autem *aliquod reale claudi poſſit* (ſine ulla ſui diminutione) *minoribus majoribúſque terminis, conſtat in motu,* ex tuis ipſius principiis. Nam idem numero motus nunc majus nunc minus ſubjectum occupat, juxta tuam etiam ſententiam. Ego verò pari facilitate & perſpicuitate concipio dari poſſe ſubſtantiam quæ ſine ulla ſui imminutione dilatari & contrahi poſſit, ſive per ſe id fiat, ſive aliunde.

Poſtremò igitur; Et demiror equidem quòd nè in intellectum tuum cadere poſſit, quòd aut mens humana aut Angelus hoc ferme modo ſint extenſi, quaſi implicaret contradictionem. Cùm ego potiùs putarem implicare contradictionem quòd potentia mentis ſit extenſa, cùm mens ipſa non ſit extenſa ullo modo. Cùm enim potentia mentis ſit modus mentis intrinſecus, non eſt extra mentem ipſam, ut patet. Et conſimilis ratio eſt de Deo: unde me conſimilis ferit admiratio, quòd in Reſponſione ad penultimas Inſtantias *concedis eum ubique eſſe ratione potentiæ, non ratione eſſentiæ*; quaſi potentia Divina, quæ Dei modus eſt, extra Deum eſſet ſita, cùm modus realis quilibet intimè ſemper inſit rei cujus eſt modus: Unde neceſſe eſt Deum eſſe ubique, ſi potentia ejus ubique ſit.

Neque ſuſpicari poſſum per potentiam Dei intelligi te velle effectum in materiam tranſmiſſum. Quòd ſi hoc intelligas, non video tamen quin eódem res recidat. Nam hic effectus non tranſmittitur niſi per potentiam Divinam, quæ attingit materiam ſuſcipientem, hoc eſt, modo aliquo reali unitur cum ea, ac proinde extenditur; nec tamen interea ſeparatur ab ipſa Divina Eſſentia. Videtur enim, ut dixi, conſpicua contradictio. Sed hiſce ſtatui non immorandum.

Ad Quæſtiones tranſvolo, poſtquam monuerim, quàm contriſtat animum continuationis tuæ Philoſophiæ deſperatio: Sed æquè refocillat tamen certa ſpes Tractatûs illius deſideratiſſimi quem hæc æſtas parturit; citò & feliciter in lucem prodeat exopto.

Ad Reſponſ. ad Quæſtiones.

Ad primam & ſecundam reſpondes ſanè conſtanter & convenienter tuis principiis, quod à quolibet, niſi ſententia vicerit melior, & expecto, & laudo.

Ad tertiam; Ex navigiolo illo tuo has mihi comparavi merces. 1. *In motu eſſe mutuum eorum quæ moveri dicuntur renixum.* 2. *Quietem eſſe actionem, nempe renixum quendam, ſive reſiſtentiam.* 3. *Moveri duo corpora, eſſe immediatè ſeparari.* 4. *Immediatam illam ſeparationem eſſe motum illum, ſive tranſlationem, præciſe ſumptum.*

Cùm verò duo corpora ſe expediunt à ſe invicem, niſi vim in utroque expeditricem & avulſoriam adjeceris notioni tranſlationis, ſeu motûs, *motus hic erit extrinſecus tantùm reſpectus, aut aliquid fortaſſe levius.* Separari enim vel ſignificat, ſuperficies corporum quæ ſe modò mutuò tangebant diſtare à ſe invicem, (diſtantia autem corporum extrinſecus tantùm eſt reſpectus;) vel ſignificat non tangere quæ modò tangebant, quæ privatio duntaxat eſt, vel negatio. Certè de ſententia tua hac in re non ſatìs clarè mihi conſtat.

Ego verò, ſi mihi ipſi permitterer, judicarem motum eſſe vim illam vel actionem quâ ſe à ſe invicem mutuò expediunt corpora quæ dicis moveri; immediatam autem illam ſeparationem eorundem eſſe effectum dictorum motuum, quamvis ſit vel nudus duntaxat reſpectus, vel privatio. Sed aliter tibi viſum eſt Philoſophari in explicatione definitionis Motûs, Artic. 25. Part. 2. ubi equidem mentem tuam non plenè capio.

Ad reliquas Quæſtiones omnes quas propoſui reſpondiſti perſpicuè & appoſitè. Sed ad pleniorem intelligentiam eorum quæ ad ſextam accumulavi, expecto dum prodeat exoptatiſſimus tuus libellus de Affectibus.

Cæterùm, quantùm ad verba illa mea ultima, *An ulla res,* &c. parturibat profectò mihi mens evanidam aliquam ſubtilitatem, quæ jam effugit, nec meâ intereſt revocare.

Hoc tantùm quæram denuò, *Utrùm materia ſibi liberè permiſſa,* i. e. *nullum aliundè impulſum ſuſcipiens, moveretur, an quieſceret.* Si movetur à ſe naturaliter, cùm materia ſit homogenea, & ea propter motus ubique eſſet æqualis, ſequitur quòd tota materia ſimulac fuerit, disjiceretur in partes tam infinitè exiles, ut nihil ullo modo ulteriùs abradi poſſet ab ulla particula. Quicquid enim abradendum imaginaris, jam disjectum eſt ac diſſolutum, ob intimam vim motûs per univerſam materiam pervadentis,

dentis, vel, ſi malles, inſiti. Nec partium aliæ aliis magìs mutuò adhæreſcent, alióve curſum flectent quàm aliæ, cùm ſint omnes prorſus conſimiles juxta quamlibet rationem imaginabilem. Nulla enim figuræ aſperitas vel anguloſitas fingi poteſt, quæ non jam contuſa ſit ad ultimum quod motus poterit præſtare; nec ulla motûs inæqualitas in ullis particulis ponenda eſt, cùm materia ſupponatur perfectè homogenea. Si naturaliter igitur moveretur materia, nec Sol, nec Cœlum, nec Terra eſſet, nec vortices ulli, nec heterogeneum quicquam, ſive ſenſibile ſive imaginabile, in rerum natura. Ideóque periret tuum condendi cœlos terráſque, cæteráque ſenſibilia, mirificum artificium.

Quòd ſi materiam quieſcere dicis ex ſe niſi aliunde movetur, quódque hæc quies ſit poſitivum quid, vim indè materia æternùm pateretur, & affectio naturalis deſtrueretur in perpetuum, ut contraria dominaretur: quod videtur duriuſculum. Nec tamen tutius forſan eſſet quietem ſtatuere motûs privationem, ſive negationem; caderet enim omnis reſiſtendi actio in materia quieſcente, quam tamen agnoſcis: Quamvìs & id ipſum intellectui meo nonnihil negotii faceſſat. Dum enim quietem actionem ſtatuis materiæ, motum etiam eandem eſſe ſtatuas neceſſe eſt; ſiquidem materia non agit niſi movendo, aut ſaltem conando motum. Malè profectò me habent iſti ſcrupuli, quos quàm primùm eximere mihi poteris, obſecro ut eximas.

Quinetiam adeò ſuperſtitiosè hæc prima principia penſito, ut nova jam mihi ingeratur difficultas de natura motûs. *Cùm ſcilicet motus corporis modus ſit*, ut figura, ſitus partium, &c. *quî fieri poſſet*, ut *tranſeat ab uno corpore in aliud, magìs quàm alii modi corporei?* Et univerſim imaginatio mea non capit, quî poſſit fieri ut quicquam quod extra ſubjectum eſſe non poteſt (cujuſmodi ſunt modi omnes) in aliud migret ſubjectum. Deinde quæram, cùm unum corpus in aliud minus, ſed quieſcens, impingit, ſecúmque defert, annon quies quieſcentis corporis ſimiliter tranſmigrat in deferens, æquè ac motus moventis in quieſcens? Videtur enim quies res adeò otioſa ac pigra, ut eam tæderet itineris. Cùm tamen æquè realis ſit ac motus, ratio coget eam tranſire. Poſtremò, obſtupeſco planè, dum conſidero quòd tam levicula ac vilis res ac motus, ſolubilis etiam à ſubjecto & tranſmigrabilis, adeóque debilis ac evanidæ naturæ ut periret protinus niſi ſuſtentaretur à ſubjecto, tam potenter tamen contorqueret ſubjectum, & hàc vel illàc tam fortiter impelleret. Equidem pronior ſum in hanc ſententiam, quòd nullus prorſum ſit motuum tranſitus, ſed quòd ex impulſu unius corporis aliud corpus in motum quaſi expergiſcatur, ut anima in cogitationem ex hac vel illa occaſione; quódque corpus non tam ſuſcipiat motum, quàm ſe in motum exerat à corpore alio commonefactum; &, quod paulò antè dixi, eodem modo ſe habere motum ad corpus ac cogitatio ſe habet ad mentem, nimirum neutrum recipi, ſed oriri utroſque ex ſubjecto in quo inveniuntur; atque omne hoc quod corpus dicitur, *ſtupidè & temulentè eſſe vivum, utpote quod ultimam infimámque Divinæ eſſentiæ*, quam perfectiſſimam vitam autumo, *umbram eſſe ſtatuo* ac idolum, veruntamen ſenſu ac animadverſione deſtitutam.

Cæterùm tranſitus ille tuus motuum à ſubjecto in ſubjectum, idque à majori in minus, & viciſſim, ut ſuprà monui, optimè repræſentat naturam meorum Spirituum extenſorum, qui contrahere ſe poſſunt, & rurſus expandere; penetrare facillimè materiam, & non implere; agitare quovis modo ac movere, & tamen ſine machinis ullis & uncorum nexu. Verùm diutiùs in hoc loco hæſi quàm putâram: ſed ad inſtitutum propero, hoc eſt, ad novas Quæſtiones proponendas, ſuper ſingulis illis Articulis Principiorum tuæ Philoſophiæ, quorum vim nondum ſatìs intelligo.

Ad Partis primæ Artic. 8.

Perſpicuè videmus, &c. Nec perſpicuè videmus extenſionem, figuram, & motum localem, ad naturam noſtram pertinere, nec videmus perſpicuè non pertinere. Utinam hìc breviter demonſtres, nullum corpus poſſe cogitare.

Ad Artic. 37.

Annon major perfectio eſt id ſolum velle poſſe hominem quod ſibi optimum eſſet, quàm poſſe etiam contrarium; cùm melius ſit ſemper felicem eſſe quàm vel ſummis aliquando efferri laudibus, vel etiam ſemper?

Ad Artic. 54.

Hîc rurſus repeto, quòd oportebat demonſtrare, nihil extenſum cogitare, aut, quod videbitur facilius, nullum corpus poſſe cogitare. Eſt enim dignum ingenio tuo argumentum.

Ad Artic. 60.

Quamvis mens poſſit contemplari ſeipſam ut rem cogitantem, excluſâ omni corporeâ extenſione in hoc conceptu, non tamen evincit quicquam aliud niſi quòd mens poſſit eſſe corporea vel incorporea; non quòd ſit de facto incorporea. Iterum igitur rogandus es ut demonſtres, ex aliquibus operationibus mentis humanæ quæ corporeæ naturæ competere non poſſunt, hanc mentem noſtram eſſe incorpoream.

Ad Partis ſecundæ Artic. 25.

Non vim vel actionem quæ transfert, ut oſtendam illum ſemper eſſe in mobili, &c. Annon igitur vis ipſa atque actio motûs eſt in re mota?

Ad Artic. 26.

Eſtne igitur in quieſcentibus perpetua quædam vis ſtatoria, vel actio ſiſtendi ſe, & corroborandi contra impetus omnes, quibus partes eorum divelli poſſint & disjici, vel totum corpus aliò abripi & transferri? Adeò ut Quies rectè definiri poſſit, Vis quædam vel actio interna corporis, quâ corporis partes arctè conſtringuntur ad ſe invicem & comprimuntur, adeóque à diviſione vel dimotione per impulſum alieni corporis defenduntur? Hinc enim illud conſurgeret, quod à meo intellectu minimè alienum eſt, Materiam utique vitam eſſe quandam obſcuram (utpote quam ultimam Dei umbram exiſtimo) nec in ſola extenſione partium conſiſtere, ſed in aliquali ſemper actione, hoc eſt, vel in quiete vel in motu, quorum utrumque revera actionem eſſe ipſe concedis.

Ad Artic. 30.

Hic articulus videtur continere demonſtrationem evidentiſſimam, quòd tranſlatio ſive motus localis (niſi extrinſecus ſit corporum reſpectus duntaxat) non ſit reciprocus ullo modo.

Ad Artic. 36.

Quæro, annon mens humana dum ſpiritus accendit attentiùs diutiúſque cogitando corpúſque inſuper ipſum calefacit, motum auget univerſi?

Ad Artic. 55.

Numquid igitur cubus perfectè durus perfectéque planus motus ſuper menſa, puta perfectè dura perfectéque plana, eo ipſo inſtanti quo à motu ſiſtitur æquè firmiter coaleſcit cum menſa ac cubi vel menſæ partes cum ſeipſis; an manet diviſus à menſa ſemper, aut ad tempus ſaltem, poſt quietem? Nulla enim eſt compreſſura cubi in menſam, cùm hunc motum tanquam in vacuo factum imaginemur ſuper menſam extra mundi parietes, ſi fieri poſſet, ſitam, (ac proinde ubi nullus locus eſt gravitati vel levitati) motúmque ſiſti ex ea parte ad quam tendit cubus. Videntur igitur ex lege naturæ, cùm jam diviſa ſint cubus & menſa, & nulla actio realis detur quâ conjungantur, manſura ſemper actu diviſa.

Ad Artic. 56, & 57.

Non video quî ſit opus ut tam amplos particularum gyros ac luſus circa corpus B deſcribas. Videtur enim ſatis, ſi putemus ſingulas aquæ particulas ſimili impetu moveri

veri à materia ſubtili, & æquales eſſe particularum magnitudines. Hinc enim, cùm B à quolibet latere breviſſimis gyris vel ſemigyris (vel aliâ quacumque ratione) motûs proximè adjacentium particularum contunditur, neceſſariò quieſcet, nec in unam partem magìs quàm in aliam promovebitur.

Ad Artic. 57. lineâ 19.

Nec incedent per lineas tam rectas, &c. Quid? quòd jam ad circularem magìs accedunt, cùm antea ovalem magìs referebant figuram? Non plenè capio.

Ad Artic. 60.

Sed ipſas quatenus celeriùs aguntur in quaſlibet alias partes ferri. Poſſúntne igitur celeritas motûs & ejuſdem determinatio divortium pati? Perinde enim videtur acſi fingamus viatorem currentem, curſum quidem dirigere *Londinum* versùs, ſed celeritatem cursûs nihilominus ferri *Cantabrigiam* versùs, vel *Oxonium*. Subtilitas quam neutra Univerſitas capiet, niſi fortè intelligas per *ferri*, motum moliri, vel niti ut aliquorſum fiat motus.

Ad Partis tertiæ Articulum 16.

Annon juxta *Ptolemaicam* hypotheſin Veneris lumen, ad modum Lunæ, nunc decreſceret, nunc creſceret, quamvìs non eiſdem menſuris & legibus?

Ad Artic. 35.

Quî fit ut Planetæ omnes in eodem non circumgyrentur Plano, videlicet in Plano Eclipticæ, maculæque adeò Solares; aut ſaltem in planis Eclipticæ parallelis, ipſáque Luna; aut in Æquatore, aut in Plano Æquatori parallelo, cùm à nulla interna vi dirigantur, ſed externo tantùm ferantur impetu?

Ad Artic. 36, 37.

Vellem etiam mihi ſubindices rationem Apheliorum & Periheliorum Planetarum, & quam ob cauſam locum ſubindè mutent ſingula: tum maximè, cùm in eodem ſint vortice omnia, cur non iiſdem in locis inveniuntur Planetarum omnium Primariorum Aphelia & Perihelia? Præceſſio etiam Æquinoctiorum quomodo ex tuis oriatur principiis? Hîc enim tu veras & naturales horum Phænomenων cauſas explicare poteris, cùm alii fictitias tantùm exponant Hypotheſes.

Ad Artic. 55.

Quæ in orbem aguntur. Sed quomodo primùm inceperunt tam immenſa materiæ ſpatia in gyros convolvi, verticéſque fieri?

Ad Artic. 57.

Ejus partem quæ à funda impeditur, &c. Videtur perceptu difficilius, quòd lapis A impediatur à motu in D, cùm nec de facto illuc unquam feratur, nec ſi impedimentum tolleretur illuc naturaliter pergeret; pergeret enim omnino versùs C.

Ad Artic. 59.

Novam vim motûs acquiri, & tamen conatum renovari hîc dicis: Neſcio quàm bene cohærent. Nam ſi nova vis acquiritur & ſuperadditur, non eſt renovatio motûs, ſed augmentatio. Quòd ſi globulus A movendo motum auget in eodem puncto baculi exiſtens, (nam vorticis globulos hoc exemplum reſpicit) cur non ſemper motus ſeipſum movendo accendit & auget? Hoc autem modo jam pridem omnia in flammam abiiſſent.

Ad Artic. 62.

Hîc quæro, cùm conatus globulorum, in quo lux & lumen conſiſtit, fiat per integram vorticis amplitudinem, ità ut baſis trianguli B F D multò major eſſe poſſit quàm D B, & ab utriſque productæ diametri D B, decies putà vel centies majoris factæ, extremitatibus globuli obliquo conatu in cuſpidem aliquam ad F, oculum cujuſlibet intuentis, reprimantur, cur lux, putà Solis, non major videtur quàm quæ ſit intra circulum D C B?

Ad Artic. 72.

Non penitus hoc artificium contorquendi materiam primi elementi in ſpirales ſive cochleares formas intelligo; præſertim in locis ab axe paulò remotioribus. Niſi hoc fiat, non tam quòd globuli torqueantur circa particulas primi elementi, quàm quòd ipſum primum elementum, ab ipſis fortaſſe globulis leviter in gyrationem determinatum, ſeipſum inter triangularia illa ſpatia contorqueat, lineáſque ſpirales in ſe deſcribat. Oro te, ut hîc mentem pleniùs explices. Sed & alia ſubindè hîc oritur dubitatio. Cùm particulæ hæ contortæ conſtent ex minutiſſimis particulis & rapidiſſimè agitatis, quomodo illæ minutiſſimæ particulæ in ullam formam vel magnitudinem majorem coaleſcant, præſertim cùm in formandis hiſce particulis ſtriatis diſtortio illa ſit motûſque obliquitas.

Ad Artic. 82.

Tam ſupremi quàm infimi, &c. Prodigii inſtar mihi videtur rapidus hic globulorum ſupremorum curſus, (præſertim ſi cum mediorum comparetur) & qui cauſas quas in ſubſequenti Articulo profers longè excedat. Si quid ulteriùs adinvenire poſſis, quo mollius hoc dogma reddatur, gratum profectò eſſet audire.

Ad Artic. 84.

Cur cometarum caudæ, &c. Primam quamque impatienter tibi obtrudo occaſionem explicandi quodlibet: Rogo ut hanc rem etiam hoc in loco breviter expedias.

Ad Artic. 108.

Per partes vicinas Eclipticæ Q H in cælum abire cogantur. Quî fit ut non omnes ferè illuc abeant, potiùs quàm à polo ad polum migrando vorticem, quem vocas, componant?

Ad Artic. 121. lineâ ultimâ.

A variis cauſis aſſiduè poteſt mutari, &c. A quibus?

Ad Artic. 129. lin. 15.

Non prius apparere quàm, &c. Cur circumfluxus illius materiæ, cùm ſit adeò tranſparens, impedit Cometam nè videatur? Circumfluens enim materia Jovem Planetam non abdit ab oculis noſtris. Et cur neceſſe eſt ut non niſi obvolutus materiâ relicti vorticis Cometa indè egrediatur?

Ad Artic. 130. lineâ 21.

Minuitur quidem, &c. Cur non deletur penitus, ſi vortex A E I O fortiùs, vel æquè fortiter, urget vicinos vortices, quàm ille ab ipſis urgetur?

Ad Artic. 149.

Brevi accedet ad A, &c. Cur non ad F uſque pergit, impingitque in ipſam terram?

Quia ſic à recta linea minùs deflectet. Non ſolùm conſtat lineam N A continuatam cum A B, lineam magìs rectam conſtituere quàm eandem N A cum A D continuatam; ſed cùm Luna à centro S recedat ad modum globulorum cœleſtium, magìs naturaliter videtur conſurgere versùs B, quàm versùs D deſcendere.

Ad Partis quartæ Artic. 22.

Nec Terra proprio motu cieatur, &c. Non video quid refert unde ſit motus ille circularis, modò ſit in Terra; nec deprehendo quin illi celerrimi gyri Telluris impoſita omnia rejicerent versùs cœlos, quamvìs motus non eſſet proprius, ſed ab interna materia cœleſti profectus, niſi agitatio circumjacentis ætheris, quam ſupponis multò celeriorem, fatum illud præverteret. Nec videtur Terra habere rationem corporis quieſcentis, quoad conatum partium recedendi à centro; (Videtur enim illud neceſſarium in omni corpore circulariter moto:) ſed quòd ſimul circumvolvitur cum ambiente æthere, nec ſeparantur ſuperficies, hâc forſan ratione dicatur Terra quieſcere. Hæc autem dico ut ex te intelligam, annon ratio quòd partes Terræ non diſſiliant ad ſolam celeritatem motûs particularum Ætheris referenda ſit.

Ad Artic. 25.

Propter ſuarum particularum motum ineſt levitas. Quid igitur exiſtimas de frigido & candenti ferro? Utrum præponderat? Præterea, quomodo moles aquæ levior fit ob motum partium, cùm motus harum partium tandem à globulis determinatur deorſum. Hinc enim videtur magìs accelerari deſcenſus corporis, unde major æſtimabitur gravitas. Atque hoc modo aqua auro præponderabit.

Ad Artic. 27.

Niſi fortè aliqua exterior cauſa, &c. Quænam ſint illæ cauſæ, paucis obſecro ut innuas.

Ad Artic. 133. lin. 12.

Axi parallelos. Parallelismi mentio hîc me monet de difficultatibus quibuſdam ferè inextricabilibus. Primò, Cur tui vortices non fiant in modum columnæ, ſeu cylindri, potiùs quam ellipſis, cùm quodlibet punctum axis ſit quaſi centrum à quo materia cœleſtis recedat, &, quantum video, æquali prorſus impetu. Deinde, Primum elementum (cùm ubique ab axe oporteat globulos æquali vi recedere) cur non æqualiter per axem totum in cylindri formam productum jacet, ſed in ſphæricam figuram congeſtum ad medium ferè axis relegatur? Nam occurſus hujus elementi primi ab utroque polo vorticis nihil impedit quo minùs totus axis productâ flammâ luceret. Cùm enim ubique cujuſlibet axis æquali vi recedant globuli, faciliùs præterlabentur ſe invicem, rectâque pergent ad oppoſitos polos Materiæ ſubtiliſſimæ irruentia fluenta, quàm excavabunt vel diſtundent ſibi in aliqua axis parte ſpatium majus quàm præſens & æquabilis vorticis circumvolutio lubens admitteret, vel ſponte ſuâ offerret. Tertiò denique, Cùm globuli cœleſtes circa axem vorticis ferantur παραλλήλως & axi & ſibi invicem, nec parallelismum perdant dum locum aliquatenus inter ſeipſos mutant, impoſſibile videtur ut ulla omnino fiat particularum ſtriatarum intortio, niſi ipſæ particulæ ſtriatæ in triangularibus illis ſpatiis circa proprios axes circumrotentur; quod quàm commodè fieri poſſit non video, quemadmodum ſuprà monui.

Ad Artic. 187.

Nulla ſympathiæ vel antipathiæ miracula, &c. Utinam igitur hîc explices, ſi breviter fieri poſſit, quâ ratione mechanicâ evenit ut in duabus chordis, etiam diverſorum inſtrumentorum, vel uniſonis, vel ad illud intervallum Muſicum quod διαπασῶν dicitur attemperatis, ſi una percutiatur, altera in altero inſtrumento ſubſiliat, cùm quæ propiores & laxiores etiam ſint, imò & in eodem inſtrumento in quo chorda percuſſa tenſæ, non omnino moveantur. Experimentum vulgare eſt & notiſſimum. Nulla verò ſympathia mihi videtur magìs rationes mechanicas fugere quàm hic chordarum conſenſus.

Ad Artic. 188.

Ac ſextam de homine eſſem, &c. Perge, Divine Vir, in iſthoc opere excolendo & perficiendo. Pro certiſſimo enim habeo, nihil unquam Reipub. literariæ aut gratius aut utilius in lucem proditurum. Nec eſt quod experimentorum defectum hîc cauſeris. Nam quantùm ad corpus noſtrum, accepi à dignis fide authoribus, te, quæ ad humani corporis Anatomen ſpectant, accuratiſſimè univerſa exploràſſe. Quod autem ad animam, cùm talem ipſe nactus ſis, quæ in maximè ſublimes ampliſſimáſque operationes evigilavit, ſpiritúſque habeas agillimos & ſubtiliſſimos, generoſa tua mens, innatâ ſuâ vi cœleſtíque vigore, tanquam igni Chymicorum aliquo, freta, ità excutiet ſe, variáſque in formas tranſmutabit, ut ipſa ſibi facilè eſſe poſſit infinitorum experimentorum officina.

Ad Artic. 195.

Et Meteoris explicui, &c. Pulcherrimam ſanè colorum rationem in Meteoris explicuiſti. Eſt tamen ea de re improba quædam difficultas, quæ magnum imaginationi meæ negotium faceſſit. Quippe quòd cùm colorum varietatem ſtatuas ex proportione quam habet globulorum motus circularis ad rectilinearem oriri, eveniet neceſſariò ut aliquando etiam in iiſdem globulis & motus circularis rectilinearem, & rectilinearis circularem eodem tempore ſuperet. Verbi gratiâ, In duobus parietibus oppoſitis, quorum unus rubro, alter cæruleo colore obductus eſt, interjacentes globuli ob rubrum parietem celeriùs movebuntur in circulum quàm in lineam rectam, ob parietem tamen cæruleum celeriùs in lineam rectam movebuntur quàm in circulum, & eodem prorſus tempore; quæ ſunt planè ἀσύστατα. Vel ſic, In eodem pariete cujus pars, putà dextra, rubet, media nigra eſt, ſiniſtra cærulea, cùm ad oculum ſemper fiat decuſſatio, omnes globuli ob radiorum concurſum ſingulorum globulorum motûs proportionem, circularis nimirum ad rectum, ſuſcipient; adeò ut neceſſe ſit colores omnes in imo oculi permiſceri & confundi. Neque ullam rationem ſolvendi hunc nodum excogitare poſſum, niſi fortè ſupponendum ſit, motum hunc circularem eſſe duntaxat breves quoſdam & celeres conatus ad circulationem, non plenum motum, ut revera fit in motu recto dictorum globulorum. Et ad pleraſque omnes alias difficultates quas tibi jam propoſui, aliquales ſaltem ſolutiones vel proprio marte eruere forſan potuero. Sed cùm humanitas tua hanc veniam mihi conceſſerit, cúmque ſingularis tua dexteritas in ſolvendis hujuſmodi nodis, quam in nuperis tuis literis perſpexi, me inſuper invitaverit, (quamvìs enim breviter, pro anguſtiis temporis in quas conjectus tunc eras, egiſſe te video; tam plenè tamen mihi ſatisfacis, támque fortiter animi ſenſus mihi moves, acſi præſens digitum digito premeres;) cùm denique majorem præ ſe laturæ ſint authoritatem elucidationes tuæ, tum apud me ipſum, tum apud alios, ſi uſus fuerit; è re noſtra putavi fore, haſce omnes difficultates tibi ipſi proponere, quas cùm ſolveris, niſi magnopere fallor, penitiſſimè tuæ Philoſophiæ Principia intelligam univerſa. Quod equidem quanti facio vix credibile eſt. Hoſce autem præſentes gryphos mihi cùm expediveris (quod quantò citiùs fit, propter impotentem illum amorem quo in tua rapior, eò gratius futurum eſt) quæſtiones alias è *Dioptrice* tua petitas mox accipies à

Philoſophiæ tuæ ſtudioſiſſimo

HEN. MORO.

Clariſſimo Viro, ſummóque Philoſopho,

RENATO DES-CARTES,

HENRICUS MORUS.

EQuidem impensè doleo, Vir Clariſſime, quòd tam ſubitò à vicinia noſtra abreptus ſis, & in tam longinquas abductus oras. Habeo tamen, ut nihil diſſimulem, quo hanc animi ægritudinem ac moleſtiam mitigare poſſim, méque ipſum conſolari. Et certè non minimum eſt, quòd is honor tibi optimè merenti habitus ſit, etiam apud gentes remotiſſimas, nominíſque tui claritudo ad Septentrionales uſque ſpiſſitudines craſſáſque nebulas tam potenter penetraverit; neque (id quod caput rei eſt) fruſtrà: cùm tantus literarum & literatorum amor generoſum pectus Illuſtriſſimæ Heroinæ, Sereniſſimæ Reginæ *Suecorum*, inceſſerit, ut ſamâ libríſque tuis non contenta, à ſcribendo ad te, ut eam inviſeres, nunquam deſtiterit, donec voti facta ſit compos. Quod ceſſurum credo in magnum illius regni commodum & ornamentum. Quas ob cauſas fateor me minùs inclementer tuliſſe tuum ab hiſce regionibus noſtris abſceſſum, jacturámque itidem exoptatiſſimæ illius Epiſtolæ quam, prout promiſiſti, ante abitum tuum à te expectabam: cujus jam recuperandæ ſpem omnem tantum abeſt ut abjiciam, ut è contrà fortiter confidam te non ſolùm illis quas antè ſcripſi, ſed & præſentibus literis, cùm ad manus tuas pervenerint, brevi reſponſurum. Quâ fretus confidentiâ ad *Dioptricen* tuam pergo; mox ad *Meteora*, ſi quid fortè ibi occurrerit difficultatis, profecturus; ut tandem animam meam iis omnibus exonerare poſſim quæ in rem noſtram putabam fore tibi pleniùs proponere. Spero enim hoc modo me, cùm omnia ex mea parte perfecta ſint quæ præſtare oportebat, molliorem animæ meæ conciliaturum quietem, minúſque in poſterum me anxiè habiturum.

Ad Dioptrices Cap. 2. Artic. 4. lin. 21.

Nullo modo illi oppoſitum. Linteum C E videtur opponi B pilæ, aliquo ſaltem modo, etiam quatenus pila dextrorſum fertur. Quod ſic patebit.



Nam G H plenè opponitur pilæ B, perfectéque impedit curſum ejus, tam versùs H E quàm versùs C E, ſeu deorſum. Cùm igitur tam propè accedat C E ad poſituram G H, ut deſit tantùm angulus H B E, ſive G B C, ad perfectam oppoſitionem tendentiæ versùs H E, C E etiam ſuam ſervans poſituram, aliquatenus opponetur pilæ B, etiam quatenus curſum tendit versùs H E. Quod inſuper manifeſtiùs apparebit, ſi fingamus C E udæ argillæ planitiem, & pilam, putà æneam, ab A ferri ad B, ubi aliquò uſque penetrabit, ſed ſtatim ſuffocabitur vis curſûs tam versùs H E quàm versùs C E; quod tamen non fieret, ſi pila ferretur ſecundùm lineam C B E, ſed ſine impedimento pergeret versùs H E, præſertim ſi nulla ineſſet pilæ gravitas: unde patet planitiem C E opponi pilæ B deſcendenti ab A, etiam quatenus fertur versùs H E, quod oportebat demonſtrare.

Dimidiam ſuæ velocitatis partem amittat, lin. 27. Partem hîc aliquam velocitatis amiſſam eſſe lubens concedam; ſed quòd & in hoc Articulo & in proximè ſequenti ſupponis hanc partem velocitatis deperdi tantùm versùs C E, non versùs F E, nullus capio. Cùm enim unicus realis motus ſit pilæ, (quamvìs varias imaginari poſſimus pro libitu tendentias hujus motûs, ſive metas;) ſi minuitur hic motus, quácunque pergere fingis pilam, tardiùs incedet quàm ante motum minutum. Cauſa igitur tendentiæ pilæ ad I potiùs quàm ad D, non petenda eſt à tarditate vel celeritate motûs, ſed à reſiſtentia magni illius anguli C B D, & à debilitate minoris illius anguli E B D, cujus acies ob exilitatem ſuam & materiæ fluiditatem faciliùs cedet pilæ projectæ quàm obtuſus angulus C B D. Alioqui ſi cauſa referenda eſſet ad celeritatem vel tarditatem, pila deſcendens ab H in B curſum etiam deflecteret. Hîc ſchema tuum conſule, ſi opus eſt, pag. 84.

Ad Artic. 6. lin. 7.

Tam obliquè incumbat, ut linea F E *ducta*, &c. Perpetua hæc tua demonſtrandi ratio, quò pila profectura ſit, lepidam profectò in ſe habet ſubtilitatem, ſed quæ cauſam rei non videtur attingere. Vera enim & realis cauſa intelligenda eſt ex amplitudine anguli C B D, & exilitate E B D anguli, & ex magnitudine etiam pilæ, quæ quò major eſt, eò minorem depreſſionem lineæ A B versùs C E requirit, ad reſiliendum verſus aërem L. Major enim pila non tam commodè levat atque aperit cuſpidem acutioris anguli, quo intret in ipſam putà aquam, ſed contundendo potiùs tranſvolat reflexa.

Quod vim ejus motûs augeat, lin. 22. Augmentum motûs nihil efficiet ad detorquendum curſum pilæ inceptum, niſi ſit poſitura alicujus corporis quod dictum curſum pilæ versùs partem aliam determinet. Quod ego hoc modo fieri auguror in mediis illis quæ tu fingis radium faciliùs admittere, qualia ſunt cryſtallus, vitrum, &c. Nempe cùm acies anguli E B D in iſtiuſmodi ſubſtantiis adeò dura ſit & pervicax, ut nihil cedat, radius impingens in conſtipam & inclinantem anguli aciem nonnihil avertitur ab incepto curſu, & introrsùm perpendiculum versùs abigitur. Utraque igitur refractio reflexio quædam mihi videtur, vel ſaltem reflexionis quædam inchoatio. Atque quemadmodum in plena & libera reflexione determinatio tollebatur ſine ulla retardatione cursûs pilæ, ità hîc ad minuendam vel mutandam determinationem nova tarditas vel celeritas non videtur neceſſaria. Sola igitur determinatio minuta vel aucta ſufficit ad utramvis refractionem. Neque enim A cùm ad C E ſuperficiem pervenerit, quatenus celerior vel tardior curſum flectit, ſed quatenus impingit in corpus determinationem mutans. Alioqui, ſi nuda duntaxat acceſſerit celeritas vel tarditas, A ſemper pergeret à B in D.

In priori igitur refractione, videlicet à perpendiculo, determinatio deorſum minuitur neceſſariò, pila autem retardatur per accidens, ob mollitiem curſum immutantis. In poſteriori determinatio deorſum augetur ; pila autem ſi acceleratur, acceleratur per accidens, ob novi medii faciliorem tranſitum. Determinationis igitur mutatio ejúſque cauſa ad refractiones juxtà ac reflectionem ſunt planè neceſſariæ ; velocitas & tarditas ipſius motûs ſunt duntaxat acceſſoriæ, vel potiùs planè ſupervacaneæ. Imò verò, novam quod pilæ ſeu globuli accelerationem attinet in medio faciliori, videtur quidem illa perceptu perquam difficilis ; propterea quòd novum illud medium non ſuppeditat novos gradus motûs, ſed tantùm permittit pilæ quos etiamnum habet ſuperſtites ſine ulteriori ulla diminutione integros poſſidere, cùm nullos ad ſe arripiat, vel imbibat. Æquéque abſurdum videtur, novos, vel, ſi malles, priſtinos motûs gradus reſtitui pilæ medium faciliùs intranti, ac concedere in puncto reflectionis pilam aliquo momento hærere priuſquam reſiliat, quod meritò explodis Art. 2. hujus cap.

Caput 6. Ad Artic. 9.

Sed ex ſolo ſitu exiguarum partium cerebri, &c. Suntne igitur iſtiuſmodi in cerebri diſſectione particulæ viſibiles, an ratione duntaxat colligis iſtiuſmodi eſſe oportere in hunc uſum deſtinatas? Mihi verò nihil opus harum eſſe videtur, ſed eadem organa quæ motum tranſmittunt, animam etiam commonefacere neceſſariò, unde illa fiat motûs tranſmiſſio, ſi nullum interjacet impedimentum.

Ad Artic. 13.

Similem illi, quâ Geometræ per duas ſtationes, &c. Duriuſcula hæc videtur obſcuriórque comparatio, in nihilóque conſentiens, niſi quòd utrobique binæ ſumuntur ſtationes. Geometræ enim, vel, ſi malles, Geodætæ, ſtationes ſumunt, in linea ab arbore putà vel turri rectà producta ; Oculus locum mutans in linea tranſverſa, & ferme objecto parallela, ſi rectè rem capio.

Ad Artic. 16.

Ex cognitione ſeu opinione quam de diſtantia habemus, &c. Adæquatas fortaſſe cauſas apparentis corporum magnitudinis explicare perquam difficile eſſet. Sed in uno hoc maximè conſiſtere opinor, nimirum in magnitudine & parvitate decuſſationis anguli. Ille enim quò major eſt, major apparebit ejuſdem corporis magnitudo; quò minor, minor. Deinde, quod obſervatu digniſſimum eſt, cùm objectum aliquod, pollicem putà tuum, intra grani unius diſtantiam oculo admoveris, hic decuſſationis angulus quater aut quinquies major erit quàm ille qui fit ad oculum à pollice diſtantem decem ferme grana; & ſi adhuc amovebitur pollex ab oculo per aliquot dena grana, ſemper anguſtior reddetur angulus decuſſationis, ſed minori ſemper proportione, per dena quæque grana, & minori; ſemper tamen aliquantò anguſtior evadit quàm antea, donec tandem fiat tam anguſtus, ut rationem unius lineæ rectæ habere intelligatur. Hinc nemo mirabitur, ſi multò majorem pollicem deprehendat unico grano ab oculo diſtantem, quàm cùm decem abeſt ab oculo, & poſtea per multa dena grana remotum, ad ſingula grana dena, non multùm magnitudinis deperdere; tam longinquè tamen removeri poſſe, ut prorſus deſinat ulteriùs apparere. Diſtantia enim crurum interni diſcuſſationis anguli minor eſſe poterit quàm unius capillamenti nervi optici diameter. Quid autem hîc facit opinio de diſtantia cum imaginis magnitudine comparata, parùm intelligo. Neque certò ſcio quomodo aut oculus aut anima iſtam comparationem ſecum inſtituat. Deprehenſionem autem magnitudinis ex dicto angulo quo modo oriri concipio, ſic videor mihi poſſe explicare.

Fig. 56.



H I & K L ſint fundi duorum oculorum, majoris ſcilicet & minoris. C D ſit objectum majus & remotius, E F objectum minus, ſed propinquius, E G F vel K G L Angulus decuſſationis.

Primùm, hîc ſtatuo eſſe niſum quendam, ſeu tranſmiſſionem motûs ab E in L & à D in K. Et animadverſionem meam rectà excurrentem per lineam K G F D offendere unam extremitatem objecti C D, videlicet D, eo revera quo ineſt loco, & per lineam L G E C offendere alteram extremitatem objecti C D, videlicet C, in ſuo itidem loco; & ſic de cæteris partibus tam extimis quàm intermediis objecti C D. Recto igitur excurſu hoc animadverſionis meæ, obverſam objecti magnitudinem deprehendo, cujus diametri apparentis menſura eſt angulus E G F. Servatis igitur eiſdem rectis lineis per quas excurrat mea animadverſio, & eâdem anguli magnitudine in oculo H I, quæ modò in K L, dico objectum D C æquè magnum apparere ac in oculo K L. Unde poſtea colligo, magnitudinem objecti apparentem ad anguli decuſſationis magnitudinem, non ad magnitudinem imaginis, referri. Poſtremò, ut magnitudo apparens objecti non fit ex magnitudine imaginis in oculi fundo (uti porrò patet ex eo, quòd eadem ſit imaginis magnitudo objecti minoris E F quæ majoris C D, tam in H I oculo quàm in K L) ità neque ſimpliciter ex magnitudine anguli decuſſationis: alioquin objectum E F æquè magnum appareret ac objectum C D, cùm idem ſit decuſſationis angulus. Sed amoto E F minore objecto, objectum C D revera multò majus apparebit quàm apparebat modò objectum E F, cùm tamen utraque cernerentur ſub eodem decuſſationis angulo. Unde meritò concludi poteſt, apparentem cujuſque objecti magnitudinem partim ex anguli decuſſationis, partimque ex reali corporis magnitudine oriri. Neque mirum eſt animadverſionem meam per lineas rectas niſûs illius ſive motûs tranſmiſſi pergentem eò uſque penetrare, ibique ſe ſiſtere ubi motus hic primùm incipit, videlicet ad C & D; ut neque eas (cùm revera magìs diſtant quàm E F, nec ſub minori angulo videntur) apparere

rere etiam magis diſtantes quàm E & F, totúmque adeò objectum C D majus ſimpliciter apparere quàm objectum totum E F.

Ad Artic. 19.

Quoniam ſumus aſſueti judicare, &c. Quid igitur cenſes de cæco illo à nativitate ſua quem ſanavit Chriſtus, ſi ſpeculum planum ipſi objectum fuiſſet antequam conſuetudo judicium depravâſſet? Numquid ille vultum ſuum citra ſpeculum, non ultra, vel pone ſpeculum, deprehendiſſet? Mirificè torſit & fatigavit imaginationem meam hic imaginis pone ſpeculum luſus, cujus cauſas nondum me ſatis percepiſſe fateor. Neque enim mihi ullo modo ſatisfacit hæc depravata judicandi conſuetudo. Si rationes reales magis magíſque mechanicas excogitare poteris, & nobiſcum communicare, rem ſanè gratiſſimam præſtabis.

Ad Artic. 20. lin. ultimâ.

Indè ſequitur diametrum illorum, &c. Cur non diameter Solis vel Lunæ videatur pedalis vel bipedalis, ob angulum decuſſatorium ad eam rationem diminutum, quæ apta ſit corpora ejuſdem realis magnitudinis, cujus ſunt Sol & Luna, ſub hanc pedalem vel bipedalem magnitudinem apparentem, ad iſtas diſtantias, repræſentare?

Ad Artic. 21.

Quia tam verſus Horizontem quàm verſùs verticem, &c. Igitur majores Sol & Luna ad Horizontem apparent quàm pro diſtantia oportet apparere. Et ea potiùs eſt dicenda vera magnitudo apparens, ſive non fallax, quæ certæ legi ſubjicitur, quàm quæ externis aliquibus adjunctis alteratur.

Ad Caput 7. Artic. 22.

Quâ arte ob alias cauſas, &c. Quam invertendi artem hîc intelligis? Et quas ob cauſas ab ipſa abſtines?

Ad Caput 8. Artic. 20.

Aut diverſis partibus parallelos. Quid ſibi hinc velint radii diverſis partibus paralleli, nullo modo intelligo. Nihil enim hujuſmodi quicquam exhibetur in ſchemate hoc, pag. 172. depicto. Ut mentem hîc apertiùs explices oro. Obſcuriſſimum etiam illud eſt, niſi ego ſim tardiſſimus, quod habetur ad calcem hujus Articuli, de decuſſatione radiorum duo vitra convexa, D B Q & d b q, permeantium. Sed ad marginem hujus loci in editione tua Gallica relegas nos ad paginam 108. id eſt, ad figuram illam quæ in Latina editione habetur paginâ 164. Ego verò ibi in vitris illis nullam omnino video radiorum decuſſationem, ſed tantùm inter vitra, ad communem focum I. Nulli enim ibi radii apparent niſi paralleli, qui parallelismum ſervant donec ad convexitates vitrorum B D, & b d, pervenerint, ubi demum ità incipiunt inflecti, ut omnium tandem fiat decuſſatio in foco I, non alibi. Hîc autem dicis radios etiam in illis vitris D B Q, & d b q, primò decuſſari in ſuperficie prioris, putà D B Q, deinde in altera poſterioris, putà d b q. Quam autem intelligis ſuperficiem? Planam, an convexam, & an eandem in utraque? Pergis porrò, *Ii ſaltem qui ex diverſis partibus allabuntur.* Quid eſt *ex diverſis partibus allabi?* Numquid intelligis ex adverſis ſive oppoſitis? Nam paralleli etiam qui ab eodem objecto emanant rectè dici poſſunt allabi ex diverſis partibus. Hîc prorſus in luto hæreo.

Ad Caput 9. Artic. 5. pag. 185. lin. 10.

Quò magis hæc perſpicilla objectorum imagines augent, eò pauciora ſimul repræſentant. Cùm perfectiora hæc perſpicilla aperturam vitri exterioris majorem habent, eáque plures proinde parallelos radios ab objecto ſuſcipit quàm imperfectiorum minor apertura, omnéſque illi radii ad fundum oculi à convexa dicti vitri ſuperficie contorquentur, cur non plura etiam objecta, æquè ac majores imagines, in oculo poterunt depingere?

Ad Caput 10. Artic. 4. lin. 17.

Hyperbole omnino ſimilis & æqualis priori deprehendetur. Supponis igitur Hyperbolas omnes, quarum foci æquidiſtant à verticibus, quamvìs hæ per conum, illæ per funem & regulam deſcribantur, per ἐφαρμογὴν *coincidere:* quod ut falſum non video, ità puto tamen veritatem illius, cùm fundamentum ſit totius quam mox expoſiturus es machinæ, fuiſſe operæ pretium demonſtrâſſe, aut ſaltem rationem levi aliquo indicio innuiſſe.

Ad Artic. 6. pag. 202. lin. 27.

Habebit enim & aciem & cuſpidem. Aciem habeat, ſed quam cuſpidem habere poterit non video, præſertim cùm acies hujus inſtrumenti fabricanda ſit recta, non concava, ſic enim eſſet ſphærica; quæ ſi contingat extremos circulos latitudinis Rotæ, ad interiores tamen non adaptabitur; major enim erit quàm ut cum illis conveniat. Unde nec tanget inſtrumenti hujus cuſpis circumductam Rotam in mediis latititudinis ſpatiis.

Ad Artic. 7. lineâ 17.

Tantam eſſe debere ut ejus ſemidiameter, diſtantiâ quæ erit inter lineas 12 *&* 55, &c. Hujuſce rei rationem autumo, quòd tunc concava vitri ſuperficies ſphærica fieret, non Hyperbolica.

Ad Artic. 10.

Ut nonnullos ex maximè induſtriis & curioſis, &c. Lubenter ex te audirem numquis ex peritioribus illis artificibus periculum fecerit adhuc in ingenioſiſſimo hoc tuo invento, & quo ſucceſſu. Nam quod quidam hîc muſſitant, aliquos tentâſſe, operámque luſiſſe, id aut falſum arbitror, aut opifices illos qui tentârunt ex peritioribus non fuiſſe.

Quod ad Meteora attinet, difficultates quæ ibi occurrunt pauciores ſunt, & levioris, opinor, momenti. Quales autem ſint mox audies.

Meteorum Cap. 1. Artic. 4. pag. 210. lin. 7.

Et denique prope terram quàm prope nubes. Hoc aſſeris de radiis tam rectis quàm reflexis. Quî autem fieri poſſit ut recti, niſi quatenus reflectuntur & replicantur iterum in ſe prope Terram, vim caloris augeant, non video. Tum verò non ſunt ſimpliciter recti, ſed recti cum reflexis conjuncti. Imò verò potiùs minui videtur vis caloris in aëre terræ vicino, cùm nonnihil ſui motûs ætherei globuli communicent cum particulis terreſtribus, unde prope terram tardior erit motus eorum & languentior quàm in ſuperioribus aëris regionibus. Non igitur abs re eſſet ſi hîc explices, cur caleſcat aër prope Terram magìs quàm prope nubes. Et annon fieri poſſit, ut quamvìs motus minor ſit prope Terram quàm in ſupernis aëris partibus, major tamen calor ſentiatur, ob inæqualitatem hujuſce motûs.

Caput 7. Artic. 6. pag. 283. lin. 4.

Sed etiam inferiores adeò raras atque extenſas, &c. At cùm tam raræ ſint, quî poſſunt alias in ſe cadentes nubes excipere, ibíque ſiſtere? Videntur potiùs præ ſua tenuitate ad Terram tranſmiſſuræ, ſi eò, aliàs, profecturæ eſſent.

Ad Artic. 7. lin. 2.

Ob aeris circumquaque poſiti reſonantiam, &c. Ità ſanè fingit *Paracelſus* tonitru tam immaniter boare & mugire, ob arcuata cœli templa, non abſimili ratione atque ſi quis æneam machinam nitrato pulvere onuſtam diſploderet ſub Tecto teſtudineato. Tu verò, ſat ſcio, nullis laquearibus ætherem claudi ſuſtines, ac proinde videatur veriſimilius, quòd quò magis ictus diſtat à Terra, eò debilior futurus ſit ſonitus; cùm nec tam commodè fiat reſonantia, quòd quò reverberetur ſonus, tam longè abſit ab alliſis corporibus.

Caput 9. Artic. 2. lin. 19.

Pauci quippe tantummodo radii, &c. Numquid igitur radiorum paucitas cæruleum colorem generat? Videtur hoc haud ità conſonum præcedentibus. Quippe quòd cùm ſuprà ſtatueris, colores oriri ex varia proportione rotationis ſphærularum ad motum earundem rectum, & particulatim cæruleum ex rotatione minore quàm progreſſu proficiſci, quaſi in eo ipſo conſtaret ipſa cærulei coloris ratio; nunc tamen cauſam refers non tam ad rotationis defectum, quàm paucitatem radiorum reſilientium à ſuperficie maris. Hîc igitur quæro utrùm ſentias nullam aliam eſſe colorum rationem præter eam quam ipſe tam ſubtiliter & ingenioſè expoſuiſti; an & aliis modis colores oriri poſſint, nullâ habitâ ratione rotationis globulorum motûſque rectilinei: præſertim cùm & ipſe innuis aquam marinam cæruleam videri ob paucitatem duntaxat radiorum. Et certè explicatu haud facile eſt, cùm globuli in æquoris ſuperficiem impingunt, cur non aut albeſcat mare aut rubeſcat, cùm fortiùs impingunt, aut illis reſiſtitur fortiùs in ſuperficie maris, quàm in cœlo præ vaporibus albeſcente.

Propoſui jam omnia quæ in ſcriptis tuis Phyſicis mihi viſa ſunt aut intellectu difficilia, aut intellectu difficulter vera. In quibus legendis mirari non immeritò tibi ſubeat ingenii mei conditionem & fatum; qui cùm profiteri auſim me cætera omnia in tuis ſcriptis ſatis intimè intelligere, (ubi plurima tamen reperiuntur, quæ multò difficiliora videri poſſint quàm de quibus ſæpius hæſito) iſta tamen quæ tibi propoſui explicanda aut munienda, non æquè ac illa cætera intelligerem. Ego verò hanc naturam meam atque indolem, quam à puero uſque in me ipſo obſervavi, (quâ nempe maxima ſæpenumero feliciter vinco, victus interim à minimis) ad hunc uſque diem emendare non potui. Humanitatis tuæ erit ignoſcere quod nefas eſt corrigere, nullóque pacto aut affectatæ ignorantiæ aut diſputandi prurigini imputare, quòd tam multa congeſſerim. Feci enim non ex effræni aliquo diſputandi deſiderio, ſed potiùs ex religioſo quodam erga tua ſtudio,

Non tam certandi cupidus, quàm propter amorem,
Quòd te imitari aveo:

Quod ſcitè quidem ille; Ego verò hac in cauſa veriſſimè. Quod reliquum eſt, Clariſſime Carteſi, exorandus es, ut iſta omnia quæ ſcripſi æqui boníque conſulas, & cum primo tuo otio reſcribas. Quod ſi dignatus fueris, peritiſſimum illum tandem efficies, qui ſemper fuit hactenus

Cantabrigæ, è Collegio *Chriſti*,
12. Kalend. *Novemb.* 1649.

Philoſophiæ tuæ ſtudioſiſſimus,

HEN. MORUS.

Ce qui ſuit a eſté trouvé parmy les Papiers de Monſieur Des-Cartes, *comme un projet ou commencement de la réponſe qu'il préparoit aux deux précedentes Lettres de Monſieur* More.

CUM tuam Epiſtolam decimo Calendas Auguſti datam accepi, parabam me ad navigandum *Sueciam* versùs, &c.

1. *An ſenſus Angelorum ſit propriè dictus, & an ſint corporei, necne.*

Reſp. Mentes humanas à corpore ſeparatas ſenſum propriè dictum non habere; de Angelis autem non conſtare ex ſola ratione naturali an creati ſint inſtar mentium à corpore diſtinctarum, an verò inſtar earundem corpori unitarum; nec me unquam de iis de quibus nullam habeo certam rationem quicquam determinare, & conjecturis locum dare. Quòd Deum dicas non eſſe conſiderandum niſi qualem omnes boni eſſe cuperent, ſi deeſſet, probo.

2. Ingenioſa inſtantia eſt de acceleratione motûs, ad probandam eandem ſubſtantiam nunc majorem nunc minorem locum poſſe occupare; ſed tamen eſt magna diſparitas, in eo quòd motus non ſit ſubſtantia, ſed modus, & quidem talis modus, ut intimè concipiamus quo pacto minui vel augeri poſſit in eodem loco. Singulorum autem entium quædam ſunt propriæ notiones, de quibus ex iis ipſis tantùm, non autem ex comparatione aliorum, eſt judicandum: Ità figuræ non competit quod motui, nec utrique quod rei extenſæ. * Qui autem ſemel bene perſpexit nihili nullas eſſe proprietates, atque ideo illud quod vulgò vocatur ſpatium vacuum non eſſe nihil, ſed verum corpus, omnibus ſuis accidentibus (ſive iis quæ poſſunt adeſſe & abeſſe ſine ſubjecti corruptione) exutum, notaverítque quomodo unaquæque pars iſtius ſive ſpatii ſive corporis ſit ab omnibus aliis diverſa & impenetrabilis, facilè percipiet nulli alteri rei eandem diviſibilitatem, & tangibilitatem, & impenetrabilitatem, poſſe competere.

3. Dixi Deum extenſum ratione Potentiæ, quòd ſcilicet illa Potentia ſe exſerat, vel exſerere poſſit, in re extenſa. * Certúmque eſt Dei eſſentiam debere ubique eſſe præſentem, ut ejus potentia ibi poſſit ſe exſerere; ſed nego illam ibi eſſe per modum rei extenſæ, hoc eſt, eo modo quo paulò antè rem extenſam deſcripſi.

4. Inter merces quas ais te ex navigiolo meo tibi comparâſſe, duæ mihi videntur adulteratæ. Una eſt, quòd quies ſit actio ſive renixus quidam; etſi enim res quieſcens, ex hoc ipſo quòd quieſcat, habeat illum renixum, non ideo ille renixus eſt quies. Altera eſt, quòd moveri duo corpora ſit immediatè ſeparari; ſæpe enim ex iis quæ ità ſeparantur unum dicitur moveri, & aliud quieſcere, ut in Art. 25, & 30. partis 2. explicui.

5. Tranſlatio illa, quam motum voco, non eſt res minoris entitatis quàm ſit figura, nempe eſt modus in corpore. Vis autem movens poteſt eſſe ipſius Dei conſervantis tantumdem tranſlationis in materia, quantum à primo creationis momento in ea poſuit; vel etiam ſubſtantiæ creatæ, ut mentis noſtræ; vel cujuſvis alterius rei, cui vim dederit corpus movendi. Et quidem illa vis in ſubſtantia creata eſt ejus modus, non autem in Deo; quod quia non ità facilè ab omnibus poteſt intelligi, nolui de iſta re in ſcriptis meis agere, * nè viderer favere eorum ſententiæ qui Deum tanquam animam mundi materiæ unitam conſiderant.

6. Conſidero materiam ſibi liberè permiſſam, & nullum aliunde impulſum ſuſcipientem, ut planè quieſcentem; illa autem impellitur à Deo, tantumdem motûs ſive tranſlationis in ea conſervante quantum ab initio poſuit; neque iſta tranſlatio magìs violenta eſt materiæ quàm quies: Quippe nomen violenti non refertur niſi ad noſtram voluntatem, quæ vim pati dicitur, cùm aliquid fit quod ei repugnat. In natura autem nihil eſt violentum, ſed æquè naturale eſt corporibus quòd ſe mutuò impellant, vel elidant, quando ità contingit, quàm quòd quieſcant. Tibi autem puto ea in re parare difficultatem, quòd concipias vim quandam in corpore quieſcente per quam motui reſiſtit, tanquam ſi vis illa eſſet poſitivum quid, nempe actio quædam, ab ipſa quiete diſtinctum; cùm tamen nihil planè ſit à modali entitate diverſum.

7. Rectè advertis motum, quatenus eſt modus corporis, non poſſe tranſire ex uno in aliud: ſed neque etiam hoc ſcripſi; quinimo puto motum, quatenus eſt talis modus, aſſiduè mutari. Alius eſt enim modus in primo puncto corporis A, quòd à primo puncto corporis B ſeparetur, & alius quòd ſeparetur à ſecundo puncto, & alius quòd à tertio, &c. Cùm autem dixi tantumdem motûs in materia ſemper manere, hoc intellexi de vi ejus partes impellente, quæ vis nunc ad unas partes materiæ, nunc ad alias ſe applicat, juxta leges in Artic. 45. & ſequentibus partis ſecundæ propoſitas. Non itaque opus eſt ut ſis ſollicitus de tranſmigratione quietis ex uno ſubjecto in aliud, cùm nè quidem motus, quatenus eſt modus quieti oppoſitus, ità tranſmigret.

8. Quæ addis, nempe tibi videri corpus ſtupidè & temulentè eſſe vivum, &c. tanquam ſuavia conſidero: & pro libertate quam mihi concedis, hîc ſemel dicam, nihil magìs nos à veritate invenienda revocare, quàm ſi quædam vera eſſe ſtatuamus, quæ nulla poſitiva ratio, ſed ſola voluntas noſtra, nobis perſuadet, quando ſcilicet aliquid commentati ſive imaginati ſumus, & poſtea nobis Commentum placet; ut tibi, de Angelis corporeis, de umbra Divinæ eſſentiæ, & ſimilibus; quale nihil quiſquam debet amplecti, quia hoc ipſo viam ad veritatem ſibi præcludat.

SCHOLIA

In Fragment. Reſponſ. R. C.

SEct. 2. Qui autem ſemel verè perſpexit Nihili nullas eſſe proprietates, atque ideo illud quod vulgò vocatur Spacium vacuum non eſſe nihil, &c. *Certè ſi hiſce Principiis ſtetur apud* Carteſianos, *ut apud ipſum* Spinozium *inculcatiſſimum eſt, Nihili utique nullam eſſe proprietatem ſive affectionem, ſubſtantiam eſſe Incorpoream à Materia diſtinctam eámque aliquo modo extenſam manifeſtò poteſt demonſtrari: Quemadmodum abunde probavi in* Enchiridio Metaphyſico, *Cap.* 6, 7, 8.

Sect. 3. Certúmque eſt Dei Eſſentiam debere ubique eſſe præſentem ut ejus potentia ibi poſſit ſe exerere, &c. *Et tamen in ſuo Reſponſo ad Epiſtolam meam ſecundam apertè ait* (*Inſtant.* 1.) Hoc ubique non admitto, &c. *Sed ſi ſententiam, utì ſpero, mutaverit, gaudeo.* Carteſiani *interim priori illius ſententiæ adhærent, quò eum* Nullibiſmi *ſui conſtituant Authorem, ac* Nullibiſtarum *Principem,*

Sect. 5. Nè viderer favere eorum ſententiæ qui Deum tanquam Animam Mundi Materiæ unitam conſiderant. *Si ſubſtantiam aliquam creatam, cujus vi Materia Mundana moveretur, agnoſceret, nihil indè periculi impendere video, nè videatur Deum tanquam Animam Mundi Materiæ unitam conſiderare, ſed potiùs illud Incommodum à ſe amoliretur, ſi ſubſtantiam creatam Mundanæ Materiæ motricem, qualem Spiritum Naturæ ſuppono, vellet admittere. Equidem admodum obſcurus eſt hic locus, nec quid ſibi velit heic* Carteſius, *ſatìs video.*

Reſponſio ad Fragmentum Carteſii, *ex Epiſtola* Henrici Mori *ad* Claudium Clerſelier.

QUòd tantopere tibi placuerunt nuperæ meæ literæ (Vir Clariſſime) id profectò nulli earum lepori aut acumini, ſed ſingulari tuæ humanitati imputandum eſt. Cujus & locupletius adhuc argumentum dediſti, quòd ad me nec rogantem nec exſpectantem gratiſſimum illud miſiſti Epiſtolæ *Carteſianæ* Fragmentum; ultróque nonnullis earum difficultatum quas *Carteſio* propoſui, ipſe tam benignè tentâſti ſatisfacere. Quod quidem officium aut hâc aut nullâ poſſum ratione compenſare, nempe ſi eis omnibus quæ uterque veſtrûm ſcripſiſtis breviter reſpondeam.

1. Primò igitur, quantùm ad *Carteſiana* illa attinet; De animarum ſeparatarum angelorúmque ſenſu, dum omni penitus corpore deſtituuntur, inter nos convenit, neutros nempe habere ſenſum propriè dictum. Quòd verò Angeli ſubtiliſſimis ſemper corporibus induti fuerint, indicio eſt, quòd nonnulli ex ipſis propriâ voluntate mali evaſerunt. Spiritus autem purè ac perfectè immaterialis nulli labi aut lapſui obnoxius eſſe videtur; non eſt enim, cùm adeò ſimplex ſit, unde poſſit tentari ſtationémque ſuam deſerere.

2. Nullo modo eludi poteſt inſtantia mea de eodem numero motu qui nunc majus nunc minus ſubjectum occupat, ni malè mentem explicaverit ſuam, aut ſententiam à me monitus retrectaverit. Nam motum à corpore in corpus transferri ipſe docet diſertis verbis, diſcipulúſque ejus ac interpres || *Henricus Regius* eodem modo tranſire affirmat ac hæreditas à *Sticho* pervenit ad *Seium*. Nec diſparitas illa quicquam huc facit, quòd motus ſit tantùm modus, ſpiritus autem ſubſtantia, cùm utrumque quid reale ſit; imò verò cauſæ noſtræ magìs favet, cùm impoſſibile ſit ut idem numero modus nunc hoc, nunc illud ſubjectum, ſubjectìve partem occupet, idem autem numero ſpiritus ſat commodè poſſit. Miror igitur inſelicitatem *Regiani* ingenii, qui cùm eundem numero motum tam liberè à corpore ad corpus vagari paſſus ſit, animam tamen humanam fœtulento cadaveri tam inhumaniter incarceraverit, nec exeſis ſive abſumptis Naturæ vinculis foràs evolare permiſerit. Quod ad ideam ſpatii attinet, illúmque toties inculcatum Aphoriſmum, *Nihili nullam eſſe affectionem*, tam fusè & copioſè ad iſta reſpondi in ſuperioribus meis literis ad *Carteſium*, ut planè ſupervacaneum ducam quicquam hîc adjicere.

|| *Philoſ. natural. lib.* 1. *cap.* 5.

3. De Dei etiam, quam vocant, Omnipræſentia nullum ſupereſt inter nos diſſidium, cùm ubique eum eſſe agnoſcat, vímque ſuam in ſubjectam materiam exerere; extenſionem porrò aliqualem ei competere, ſed longè diverſam ab ea quæ diviſibili ac impenetrabili corpori competit.

4. Nullas ego merces in *Carteſiano* navigio adulteravi; nam quòd conqueritur me ità permiſcere ac confundere illum corporis quieſcentis renixum cum quiete, ut nullam inter ipſa diſtinctionem admittam, id contendo optimo jure eſſe factum. Quid enim eſt, ſi non ſit quies, quo ſe corpus quieſcens ab abreptione ſeu tranſlatione, quam ille motum vocat, defendit? Eſt igitur renixus ille nihil aliud niſi ipſiſſima quies, rem quieſcentem conſervans in ſtatu quietis; hoc eſt, res perſeverat in eo ſtatu quo eſt juxta leges Naturæ, donec fortior aliqua cauſa eum mutaverit. Quòd ſi renixus hic, ſive conſtantia, quietis actio aliqua eſſet, cùm omnis actio corporea ſit motus, quietis etiam motus aliquis eſſet; quod videtur valde rationi abſonum. Ego igitur potiùs ſuſpicor incomparabilem Philoſophum aliorum culpâ, qui ſatìs pro imperio omnia agunt, rationem motûs adulterâſſe, nè videretur, quod ſuperſtitioſa Peripateticorum ſchola pro piaculo ferè habet, telluris motum aſſerere, dum eam in communi omnium Planetarum vortice agnoſcit circa Solem circumferri.

Pari etiam facilitate adulteratio illa altera diluitur. Nam cùm ipſe *Carteſius* motum ſeu tranſlationem reciprocam eſſe ſtatuat, nec tamen eam vim ullam eſſe vel actionem in corporibus divulſis ac tranſlatis, quid, quæſo, poteſt eſſe niſi immediata corporum ſeparatio? Quòd ſi motus ſit immediata corporum ſeparatio, continuò ſequitur, quòd moveri duo corpora ſit immediatè ſeparari. Quòd autem unum ex iſtis ſæpius dicatur quieſcere, id profectò gratìs dictum eſt, cùm ſit impoſſibile. At verò niſi quieſcat terra EFGH, dum corpus AB transfertur ab E versùs F, ac CD ab H versùs G, terra uno eodémque tempore in contrarias partes movebitur. Unde iterum conſtat ipſum *Carteſium* genuinam motûs notionem adulterâſſe. Vide Part. 2. Art. 30.

5. Videtur Tranſlatio minus habere entitatis quàm Figura, quoniam hæc eſt magìs abſoluta affectio corporis in quo eſt, illa ad aliud duntaxat relatio. Quod ad vim motricem ſpectat, ſive in Deo ſive in Mente Divina ſive in Anima Mundi cum *Platonicis* ſtatuat; præclarè tamen factum eſt quòd tam egregius Philoſophus hanc virtutem materiæ ipſi non tribuerit, ſed alii alicui ſubjecto, quod proinde non poteſt non eſſe immateriale ſeu incorporeum. Videbat enim proculdubio Vir perſpicaciſſimus, niſi quis licentiam ſibi arriperet quidlibet temerè & precariò affirmandi vel negandi, quòd neceſſe eſſet agnoſcere univerſam materiam ſuâ naturâ eſſe homogeneam, juxta ideam ejus animo noſtro obverſantem, præſertim cùm nulla cauſa fingi poſſit ullius in ea diverſitatis. Hinc ſequitur mundanam materiam totam ſuâ naturâ aut moveri aut quieſcere. Quòd ſi tota per ſe moveatur, nullius rei eſſet, nè ad momentum quidem, permanens compages, diffluentibus ſtatim ſuâ ſponte à ſe invicem particulis, vel potiùs nunquam in unum coaleſcentibus; quod abunde ſatìs probavi in Literis meis ad *Carteſium*.

6. Apertè igitur profitetur *Carteſius* ſe, cum *Ficino* reliquíſque *Platonicis*, materiam ſibi liberè permiſſam, nullúmque aliunde impulſum ſuſcipientem, conſiderare ut planè quieſcentem. Quòd verò impulſus hic ipſi non ſit violentus, juxtà cum illo ſentio: non ſolùm quòd nomen violenti propriè non referatur niſi ad noſtram voluntatem, quæ vim pati dicitur cùm aliquid fit quod ei repugnat; ſed quòd materia quodammodo motu hoc vel impulſu perficiatur. Nec quicquam obſtat renixus ille qui fingitur in materia quieſcente, cùm non propriè actio ſit, ſed tantùm rei quieſcentis in ſua quiete perſiſtentia, ut ipſe innuit hoc in loco *Carteſius*.

7. Rectè me hìc dicit advertere motum, quatenus eſt modus corporis, non poſſe tranſire ex uno in aliud, neque ſe ullubi hoc ſcripſiſſe. *Regius* verò datâ operâ rem ſic explicat acſi error eſſet aliter ſentire, prout ſuprà monui. Quin & ipſius *Carteſii* verba hunc ſenſum præ ſe planiſſimè ferre videntur, Part. 2. Art. 40. ubi aſſerit corpus majorem vim habens ad pergendum alterum corpus ſecum movere, ac quantum ei dat de ſuo motu tantundem perdere. Imò verò & vis illa qua de hìc agit idem mihi videtur atque motus iſte. Sed cuilibet Authori ſua ſcripta interpretandi jus eſto.

8. Mea illa *ſuavia* quæ vocat ſi miſcerentur cum ejus ſeveris, optimum crederem indè factum iri temperamentum. Ego tamen interim venuſtum *Carteſiani* ingenii rigorem non retrectanter ſuavior ac deoſculor, quamvìs hoc ſæpius notaverim, nempe eos qui Mathematicam certitudinem in rebus omnibus tam pertinaciter affectant, infeliciſſimè omnium in quibuſdam vacillâſſe. Ea enim argumentandi ratio quæ demonſtrationis ſpeciem præ ſe fert, ſimul atque deprehenſa ſit non eſſe legitima demonſtratio, nullius loci argumentum meritò judicatur.

Præterea, in adhibendo alluſiones quaſdam & ſimilitudines nulla fraus ſubeſſe poteſt, modò meminerimus res propriis nominibus non appellari, ſed tralatitiis; nec materiam ſive univerſum mundi corpus ideo eſſe umbram, quòd quaſi umbram eſſe divinæ eſſentiæ indigitaverim. Hæc enim alluſio non docet corpus revera eſſe umbram, ſed à Deo pendere ut umbra à corpore. Deinde, ut umbra aliqualem corporis imaginem refert, ſed obſcuriſſimam maximéque degenerem; ſic in corpore ſive materia cæca quædam ac evanida eſſe Divinæ eſſentiæ veſtigia, quæ cùm, utì dixi, vita ſit perfectiſſima, ipſa analogia poſtulat, ut omni prorſus vitæ imagine materia non deſtituatur. Aliqualem autem vitæ ſpeciem mentitur in eo, quòd dum duo corpora occurrunt, ità motus eorum attemperari poſſit, ut mutuò quaſi monita, alterum de acceleratione motûs, de retardatione alterum, utraque tandem in eundem motûs tenorem conſpirent. Eadémque eſt ratio in reliquis tranſlationis legibus. Nam motum illum qui in uno corpore eſt tranſire in aliud, ipſe vix audet affirmare *Carteſius*.

Quòd verò addit externam aliquam eſſe vim, ſive à Deo ſit, ſive à ſubſtantia aliqua incorporea à Deo creata, quâ materia in motum excitatur, id etiam laudo, cùm proculdubio in genere ſit veriſſimum. Quòd ſi ità rem intellexerit acſi Divina illa vis ſingula corpora immediatè impelleret quæ moventur, magna erit difficultas; fruſtrà enim eſſent mutui corporum impulſus. Experientiâ autem conſtat unum corpus alterum impellere, ut videre eſt in projectis manu lapidibus, globíſque ferreis è machina bellica exploſis. Quòd ſi quaſdam materiæ partes exuſcitet illa vis, alias verò immediatè non exuſcitet, partes illæ divinitùs excitatæ alias impulſu ſuo in motum excitabunt. Cùm verò nullus motus tranſeat ab uno corpore in aliud, manifeſtum eſt, unum alterum quaſi è ſomno expergefacere, atque hoc pacto expergefacta corpora de loco in locum ſe ſuâ vi transferre; quam corporis proprietatem ego tanquam umbram vitæ aliquam ac imaginem conſidero. Quamobrem tandem liquet caſſas nos non captare umbras, ſed quæ uſum ſuum habent, optiméque veritatem illuſtrant ſeveriori argumentandi genere demonſtrabilem.

Alterum illud *ſuave* quod ſpectat, Angelos ſcilicet corporeos; eorum ſanè exiſtentiam teſtantur ſexcentæ ampliùs non fabulæ, ſed veriſſimæ de Dæmonibus hiſtoriæ. Vanos autem illos vagulóſque genios corporeos eſſe oportere, hoc eſt, vehiculis indui corporeis, ipſe mihi videor ſatis ſuprà demonſtraſſe.

3. De Dei etiam, quam vocant, Omnipræſentia nullum ſupereſt inter nos diſſidium, cùm ubique eum eſſe agnoſcat, vímque ſuam in ſubjectam materiam exerere; extenſionem porrò aliqualem ei competere, ſed longè diverſam ab ea quæ diviſibili ac impenetrabili corpori competit.

4. Nullas ego merces in *Carteſiano* navigio adulteravi; nam quòd conqueritur me ità permiſcere ac confundere illum corporis quieſcentis renixum cum quiete, ut nullam inter ipſa diſtinctionem admittam, id contendo optimo jure eſſe factum. Quid enim eſt, ſi non ſit quies, quo ſe corpus quieſcens ab abreptione ſeu tranſlatione, quam ille motum vocat, defendit? Eſt igitur renixus ille nihil aliud niſi ipſiſſima quies, rem quieſcentem conſervans in ſtatu quietis; hoc eſt, res perſeverat in eo ſtatu quo eſt juxta leges Naturæ, donec fortior aliqua cauſa eum mutaverit. Quòd ſi renixus hic, ſive conſtantia, quietis actio aliqua eſſet, cùm omnis actio corporea ſit motus, quietis etiam motus aliquis eſſet; quod videtur valde rationi abſonum. Ego igitur potiùs ſuſpicor incomparabilem Philoſophum aliorum culpâ, qui ſatìs pro imperio omnia agunt, rationem motûs adulteràſſe, nè videretur, quod ſuperſtitioſa Peripateticorum ſchola pro piaculo ferè habet, telluris motum aſſerere, dum eam in communi omnium Planetarum vortice agnoſcit circa Solem circumferri.

Pari etiam facilitate adulteratio illa altera diluitur. Nam cùm ipſe *Carteſius* motum ſeu tranſlationem reciprocam eſſe ſtatuat, nec tamen eam vim ullam eſſe vel actionem in corporibus divulſis ac tranſlatis, quid, quæſo, poteſt eſſe niſi immediata corporum ſeparatio? Quòd ſi motus ſit immediata corporum ſeparatio, continuò ſequitur, quòd moveri duo corpora ſit immediatè ſeparari. Quòd autem unum ex iſtis ſæpius dicatur quieſcere, id profectò gratìs dictum eſt, cùm ſit impoſſibile. At verò niſi quieſcat terra EFGH, dum corpus AB transfertur ab E versùs F, ac CD ab H versùs G, terra uno eodémque tempore in contrarias partes movebitur. Unde iterum conſtat ipſum *Carteſium* genuinam motûs notionem adulteràſſe. Vide Part. 2. Art. 30.

5. Videtur Tranſlatio minus habere entitatis quàm Figura, quoniam hæc eſt magìs abſoluta affectio corporis in quo eſt, illa ad aliud duntaxat relatio. Quod ad vim motricem ſpectat, ſive in Deo ſive in Mente Divina ſive in Anima Mundi cum *Platonicis* ſtatuat; præclarè tamen factum eſt quòd tam egregius Philoſophus hanc virtutem materiæ ipſi non tribuerit, ſed alii alicui ſubjecto, quod proinde non poteſt non eſſe immateriale ſeu incorporeum. Videbat enim proculdubio Vir perſpicaciſſimus, niſi quis licentiam ſibi arriperet quidlibet temerè & precariò affirmandi vel negandi, quòd neceſſe eſſet agnoſcere univerſam materiam ſuâ naturâ eſſe homogeneam, juxta ideam ejus animo noſtro obverſantem, præſertim cùm nulla cauſa fingi poſſit ullius in ea diverſitatis. Hinc ſequitur mundanam materiam totam ſuâ naturâ aut moveri aut quieſcere. Quòd ſi tota per ſe moveatur, nullius rei eſſet, nè ad momentum quidem, permanens compages, diffluentibus ſtatim ſuâ ſponte à ſe invicem particulis, vel potiùs nunquam in unum coaleſcentibus; quod abunde ſatìs probavi in Literis meis ad *Carteſium*.

6. Apertè igitur profitetur *Carteſius* ſe, cum *Ficino* reliquíſque *Platonicis*, materiam ſibi liberè permiſſam, nullúmque aliunde impulſum ſuſcipientem, conſiderare ut planè quieſcentem. Quòd verò impulſus hic ipſi non ſit violentus, juxtà cum illo ſentio: non ſolùm quòd nomen violenti propriè non referatur niſi ad noſtram voluntatem, quæ vim pati dicitur cùm aliquid fit quod ei repugnat; ſed quòd materia quodammodo motu hoc vel impulſu perficiatur. Nec quicquam obſtat renixus ille qui fingitur in materia quieſcente, cùm non propriè actio ſit, ſed tantùm rei quieſcentis in ſua quiete perſiſtentia, ut ipſe innuit hoc in loco *Carteſius*.

7. Rectè me hìc dicit advertere motum, quatenus eſt modus corporis, non poſſe tranſire ex uno in aliud, neque ſe ullubi hoc ſcripſiſſe. *Regius* verò datâ operâ rem ſic explicat acſi error eſſet aliter ſentire, prout ſuprà monui. Quin & ipſius *Carteſii* verba hunc ſenſum præ ſe planiſſimè ferre videntur, Part. 2. Art. 40. ubi aſſerit corpus majorem vim habens ad pergendum alterum corpus ſecum movere, ac quantum ei dat de ſuo motu tantundem perdere. Imò verò & vis illa qua de hìc agit idem mihi videtur atque motus iſte. Sed cuilibet Authori ſua ſcripta interpretandi jus eſto.

8. Mea illa *ſuavia* quæ vocat ſi miſcerentur cum ejus ſeveris, optimum crederem indè factum iri temperamentum. Ego tamen interim venuſtum *Carteſiani* ingenii rigorem non retractanter ſuavior ac deoſculor, quamvìs hoc ſæpius notaverim, nempe eos qui Mathematicam certitudinem in rebus omnibus tam pertinaciter affectant, infeliciſſimè omnium in quibuſdam vacillàſſe. Ea enim argumentandi ratio quæ demonſtrationis ſpeciem præ ſe fert, ſimul atque deprehenſa ſit non eſſe legitima demonſtratio, nullius loci argumentum meritò judicatur.

Præterea, in adhibendo alluſiones quaſdam & ſimilitudines nulla fraus ſubeſſe poteſt, modò meminerimus res propriis nominibus non appellari, ſed tralatitiis; nec materiam ſive univerſum mundi corpus ideo eſſe umbram, quòd quaſi umbram eſſe divinæ eſſentiæ indigitaverim. Hæc enim alluſio non docet corpus revera eſſe umbram, ſed à Deo pendere ut umbra à corpore. Deinde, ut umbra aliqualem corporis imaginem refert, ſed obſcuriſſimam maximéque degenerem; ſic in corpore ſive materia cæca quædam ac evanida eſſe Divinæ eſſentiæ veſtigia, quæ cùm, utì dixi, vita ſit perfectiſſima, ipſa analogia poſtulat, ut omni prorſus vitæ imagine materia non deſtituatur. Aliqualem autem vitæ ſpeciem mentitur in eo, quòd dum duo corpora occurrunt, ità motus eorum attemperari poſſit, ut mutuò quaſi monita, alterum de acceleratione motûs, de retardatione alterum, utraque tandem in eundem motûs tenorem conſpirent. Eadémque eſt ratio in reliquis tranſlationis legibus. Nam motum illum qui in uno corpore eſt tranſire in aliud, ipſe vix audet affirmare *Carteſius*.

Quòd verò addit externam aliquam eſſe vim, ſive à Deo ſit, ſive à ſubſtantia aliqua incorporea à Deo creata, quâ materia in motum excitatur, id etiam laudo, cùm proculdubio in genere ſit veriſſimum. Quòd ſi ità rem intellexerit acſi Divina illa vis ſingula corpora immediatè impelleret quæ moventur, magna erit difficultas; fruſtrà enim eſſent mutui corporum impulſus. Experientiâ autem conſtat unum corpus alterum impellere, ut videre eſt in projectis manu lapidibus, globíſque ferreis è machina bellica exploſis. Quòd ſi quaſdam materiæ partes exuſcitet illa vis, alias verò immediatè non exuſcitet, partes illæ divinitùs excitatæ alias impulſu ſuo in motum excitabunt. Cùm verò nullus motus tranſeat ab uno corpore in aliud, manifeſtum eſt, unum alterum quaſi è ſomno expergefacere, atque hoc pacto expergefacta corpora de loco in locum ſe ſuâ vi transferre; quam corporis proprietatem ego tanquam umbram vitæ aliquam ac imaginem conſidero. Quamobrem tandem liquet caſſas nos non captare umbras, ſed quæ uſum ſuum habent, optiméque veritatem illuſtrant ſeveriori argumentandi genere demonſtrabilem.

Alterum illud *ſuave* quod ſpectat, Angelos ſcilicet corporeos; eorum ſanè exiſtentiam teſtantur ſexcentæ ampliùs non fabulæ, ſed veriſſimæ de Dæmonibus hiſtoriæ. Vanos autem illos vagulóſque genios corporeos eſſe oportere, hoc eſt, vehiculis indui corporeis, ipſe mihi videor ſatis ſuprà demonſtraſſe.

IMMORTALITAS ANIMÆ,

Quatenus ex Cognitione
NATURÆ RATIONISQUE
Lumine eſt Demonſtrabilis.

Per *HENRICUM MORUM*
Cantabrigienſem.

Pythag.

Πάντα τὸν ἀέρα ἔμπλεον εἶναι ψυχῶν, καὶ τούτους δαίμονάς τε καὶ ἥρωας νομίζεσθαι.

Cardanus.

Quid jucundius quàm ſcire quid ſimus, quid fuerimus, quid erimus; atque cum his etiam Divina atque ſuprema illa poſt obitum Mundíque viciſſitudines?

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
M DC LXXIX.

Honoratiſsimo Domino, Domino
EDVARDO
Vicecomiti de
CONWAY & KILULTA,
Baroni RAGLEIÆ, &c.

Honoratiſſime Domine,

Quanquam me minimè latet, quanta tua ſit ab omnibus hoc genus Interpellationibus averſatio (ſive inde factum ſit quòd Amplitudo tua aſſuetam ſtudii eorum qui libros dedicant vanitatem in Patronos ſuos nimiùm prolixis Encomiis exornando & demerendo notaverit, talibuſq; quæ illius merita quem laudaverint, immane quantum excedant, ſive ex naturali quadam ſit modeſtia, quæ nè juſtam quidem virtutum laudumq; tuarum commemorationem ferre poteſt, ſeu deniq; ex veriſſima ſanè obſervatione, quòd admodum pauci ſcribantur Tractatus, qui quicquam ampliùs ſunt quàm meræ Tranſcriptiones vel Collectiones ex aliis Authoribus, quorum Scripta Nomini ac Memoriæ aliorum præclarorum Virorum jam diu defunctorum fuerint conſecrata, adeò ut quodammodo mortuos expilent quò ſpolia donáve parent offerenda viventibus) nihil obſtante tamen hac tuâ averſatione, aut quibuſcunq; illius quas conjectare licuerit, rationibus, non potui me abſtinere à præſenti hac Dedicatione.

Non tam profectò ut tuæ Amplitudini gratificer (quanquam id fateor, paulo inurbaniùs à me dictum) quàm ut animo obſequar meo. Quippe qui nullam majorem ulla in re voluptatem capio quàm in ſenſu & conſcientia congruitatis & condecentiæ propriarum mearum Actionum; inter quas nullam reperio magis examuſſin juſtam ac decoram quàm hanc ipſam, quandoquidem tam multæ occurrunt Rationes quæ jus tibi peculiare atque titulum ad præſentis hujus Tractatûs Patrocinium dant. Nam ut taceam tuam in Philoſophia peritiam ſincerumq; Religionis ſenſum, quæ duæ tales ſunt Animi dotes quæ rarò ſimul inveniantur (præſertim in ſummi loci hominibus) & tamen ſine quibus *res hujuſmodi nec legi poſſint ulla cum voluptate, nec facilè intelligi, ſunt alia præterea magìs peculiaria & quæ naturaliter me ad hunc quem feci delectum dirigunt & determinant.*

Etenim ſive multiplices Benevolentiæ tuæ & conjunctiſſimorum tuorum, (Conjugis præſertim tuæ illuſtriſſimæ omniq; virtute ornatiſſimæ, de qua nunquam ſine admiratione cogito, nec mentionem facio ſine ſummo honore) fructus quos percepi conſidero: ſive primam occaſionem mecum recolo cogitationes exercendi in hoc Argumento, quod tunc primùm contigit, cùm is honos mihi datus eſt ac voluptas ut Carteſii *Tractatum de Paſſionibus in Horto* Luxenburgenſi *ad fallendum tempus tecum legerem. (In quo Libro quanquam nihil occurrit quod non ſcitum ſit & ingenioſum, univerſa tamen haud ità omni ex parte certa mihi videbantur ac ſolida, quin in rebus aliquibus præcipuis cogerer certitudinem iſtam quam illîc expectabam proprio Marte, quoad potui, apud meipſum eruere) ſive deniq; in memoriam revoco, amœniſſimum illum Receſſum quo* Ragleiæ *fruebar dum apud te manebam, perbenignam exceptionem à perfecto illo ac conſummato verè nobilis ac Chriſtianæ Heroinæ Exemplare, honoratiſſima Domina Matre tua, gratam ſilentis undiq; loci ſolemnitatem, umbroſa illa Ambulacra, illos Montes denſaq; Nemora, in quibus poſtquam, quod ſæpe ſolitus ſum, reliqui Mundi aſpectum perdidiſſem, Munduſq; Mei, in illa quidem recondita ſolitudine præcipua ſequentis Tractatûs Theoremata inveni; ſive, inquam, univerſas haſce circumſtantias ſimul conſiderabam, ſive aliquas ſolas, non potui non cenſere eas plus ſatìs momenti habere ad delectum meum determinandum ad tam dignum idoneumq; Patronum.*

Nec potuerunt ſuprà memoratæ conſiderationes me ab Inſtituto meo revellere, ut quæ ad præſentem cauſam non pertingerent. Etenim quantùm ad me, tanto veritatis amore ducor tamq; exiguâ teneor admiratione vulgaris Eloquentiæ, ut nec ullius Mundani commodi præſagium efficere unquam potuerit ut me eò uſq; demitterem ut meipſum Adulatoris agendi inuſtæ infamiæ aut ſuſpicioni obnoxium redderem, aut plauſûs inaniſq; gloriæ ſenſus & titillatio ut ventoſum nomen Titulùmve affectarem Oratoris. Adeò ut ſecura eſſe potuerit Amplitudo tua quantùm ad primum hoc periculum.

Et verò quantùm ad ſecundum, quanquam fateor me animo minimè averſo eſſe à veram delineando juſtamq; virtutum perfectionumq; tuarum adumbrationem, earum tamen dum magnitudinem *mecum conſiderabam, meamq; ipſius in re Oratoria tenuitatem, nè in poteſtate profectò mea poſitum reperi, ſi voluiſſem, modeſtiam tuam hac in parte violare. Ac proinde id negotii calamo peritiori relinquere cogor, qui vel tuis ingratiis juſtum hoc & tibi & toti Orbi præſtet officium.*

Deniq; quod ad ſcrupulum illum attinet, de furto ſive ſacrilegio quaſi quodam puſillo aliquorum Plagiariorum, qui mortuorum videntur monumenta ſpoliare quò exornent viventes, id unicum eſt, quod ſine omni vanitate profiteri poſſum, Illud quod tibi offero, meum omnino eſſe, hoc eſt, Inventionem, Applicationem, & Diſpoſitionem Rationum Argumentorumq; in hoc Libro contentorum genuinos eſſe anxiæ meæ mentis ac cogitabundæ fructus, nulla ſcruta attrita, ſuffurata aut mutuata ab aliis Scriptoribus. Quæ autem ſit veritas ac ſoliditas in meis Principiis & Ratiociniis, nimiæ profectò foret Arrogantiæ, ſi ipſe prædefinirem. Iſtud relinquendum eſt judiciis talium liberorum perſpicaciumq; Ingeniorum qualis es ipſe tu. Apud quos ſi quod ſcripſi acceptum fuerit, cenſuramq; favorabilem obtinuerit, eò majori obligationi erit & animationi,

Honoratiſsime Domine,

Servo tuo humillimo

& addictiſsimo,

HENRICO MORO.

Dat. è Muſeo *Cantabrigiæ*,
4. Kalend. *April.*
Anno 1659.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Titulus Diſſertationis, quomodo intelligendus.

1. UT *præſens hic Tractatus magìs liberè acceptéque per manus hominum tranſeat, ſine omni offenſione aut ſcrupulo bonis piiſque, ullâve reali exceptione plauſibilive Cavillo apud eos qui plus ſibi tribuunt in* Ratione *ac* Philoſophia *quàm* Religione; *operam dabo in hac* Præfatione *quò eos prævertam; in medium proferendo pleniúſque explicando & dilucidando quicquid obnoxium exiſtimaverim perverſis eorum Interpretationibus & Obloquiis.*

Et ſanè haud ſatìs ſecurus ſum quin ipſe Diſſertationis Titulus *vel utrorumque reprehenſionibus expoſitus pateat. Alterorum quidem, ut qui tam confidenter contrariæ concluſioni adhærent, ac proinde ſecuri ſunt, quòd illud verum eſſe demonſtrari nequeat quod ipſi jamdudum judicaverant haud dignum quod in rerum probabilium numero recenſeatur, immò verò fortean, nec poſſibilium quidem: Alterorum verò, ut qui jam perſuaſi ſunt de veritate noſtræ Concluſionis ex aliis, iiſque melioribus Principiis; quæ meliora non forent ſi naturale Rationis Lumen* demonſtrationem *in hoc Argumento poſſet ſuppeditare. Ac propterea forſan objecturi ſunt, quòd tam* ambitioſus *Titulus cum ſumma illa Chriſtianitatis Prærogativa, qua* vitam in lucem produxit & immortalitatem, *videatur digladiari.*

Sed à prioribus quæro, per quam facultatem tam firmiter perſuaſi ſint, ſe totos eſſe mortales? Etenim niſi ridiculè *ſe* inſpiratos *volunt fingere, (cùm interim æquè parum ferè credant aut Deum eſſe aut Spiritum, atque ſe Animam habere Immortalem) aut ad Senſûs experientiam provocandum eſt, aut ad Rationis perſpicuitatem. Quorum prius impoſſibile eſt; quoniam audaculi hi Immortalitatis Animæ abnegatores nondum experti ſunt ipſine poſt mortem ſubſiſtant necne. Quòd ſi nos credere volunt ſe ex principiis rationalibus hoc concluſiſſe, ipſos auſim appellare ſi fortiora ulla argumenta pro ſua cauſa producere poſſunt quàm ‖ ego pro eis deſcripſi, & ſi non plenè ac fundamentaliter eis reſpondi. Si dixerint confidentiam ſuam ex infirmis ratiocinationibus adverſæ partis proficiſci; reſpondeo, iniquè temeréque ab eis factum eſſe (cùm ipſorum argumenta æquè imbecillia ſint, quàm Adverſariorum fingere poſſint) tam ſecuros eſſe, veritatem è ſua parte ſtare, potiùs quàm eorum. Hoc verò ad iſtiuſmodi tantùm hujus Cauſæ tractationes pertinere poteſt, quas ipſi jam viderint, & de eis ſententiam tulerint. Id autem ad me nihil attinet qui nunquam putare potui me tutò firmitérque, niſi pedibus propriis, inſiſtere. Hoc igitur tantùm ab eis peto ut antè legant quod ſcripſi, quàm ſententiam velint de eo ferre. Et poſtquam perlegerint, ſi declarare volunt me cauſam quam ſuſcepi non demonſtrâſſe, par eſſe æquúmque cenſeo, ut præciſè oſtendant in qua parte, articulòve Demonſtrationis tam infirmam deprehendant cohærentiam, ut animentur ad diſſentiendum à Concluſione.*

‖ Lib.3.cap. 14.

Ad alteros verò majori cum modeſtia & ſubmiſſione reſpondeo, Quòd Libri Titulus *nullum neceſſariò tam plenè perfectéque Demonſtrationis premiſſum implicat, ut nihil addi poſſit ad confirmatiorem certitudinem veritatis; ſed tantùm quòd expectanda ſit tam clara confirmatio, quàm* Naturalis Ratio *nobis ſuppeditet. Unde inferre potiùs deberent, me ulteriorem agnoſcere magiſque palpabilem evidentiam in Chriſtiana* Religione *comprehendi, & magìs intelligibilem & convincentem apud vulgus hominum, qui nec otium habent, nec ullam propenſionem ad immiſcendum ſe ſpinoſitatibus & anxietatibus humanæ* Rationis *ac Philoſophiæ. Eo autem argumento utendi occaſionem ſciens prudénſque hoc tempore omiſi, partim quòd deſtinâſſem uberiùs de eo diſſerere in Tractatu ‖ Myſterii Chriſtianæ Religionis; & partim quòd præſenti Titulo planè eſſet incongruum, qui Materiam tractare profitetur, intra limites tantummodo* Luminis Naturalis *nullâ miraculoſâ Revelatione adjuti ac gubernati.*

‖ Lib.cap.1,2 & 3.lib.6.cap. 11.ſect.13. & lib.8.cap.17.

Submiſſio totius Diſſertationis infallibili Regulæ ſacræ Scripturæ.

2. *Quod jucundum eis futurum eſt ſpectaculum qui Genium hujuſmodi Contemplationibus aptum habent, & ſine omni omninò periculo. Quippe quum ſemper memores ſint vocem eſſe Rationis ac Naturæ (quæ cùm corruptioni nimis obnoxiæ ſint, meritò in rebus aliquibus defectuoſæ aut erroneæ cenſeri poſſunt) ac proinde earum Dictatis & ſuggeſtionibus fidem nunquam habentes ubi cum Divinis Oraculis diſcrepant, neceſſariò tuti erunt ab omni ſeductione. Quanquam fateor, nihil eſt quod ſciam, in hoc Tractatu à me affirmatum, quod eis ullo modo repugnet. Quòd ſi meipſo oculatior quiſpiam quicquam detexerit quod cum illa Regula minus conſentiat, occaſio profectò eſſe poteſt demiſſæ gratitudinis erga Deum pro magno illo Privilegio, quòd nobis naſci contigerit ſub altiori exactiorique Luce: cujus beneficio, illi qui in eâ perfectiùs exercitati ſint, facultatem adipiſcuntur rectificandi perinde quod perverſum eſt, atque ſupplendi, in lumine Naturæ quod ſit defectuoſum. Quod utrumque à me liberè eis facere permittitur per totam ſubſequentem Diſſertationem. Atque hoc ſufficiat pro Defenſione in genere. Verùm nè quid heîc deſit, deſcendam porrò ad Particularia quædam confirmanda, quotquot ſcilicet cujuſquam momenti fuerint, ulteriùs dilucidare & confirmare.*

Perſpicua & compendioſa demonſtratio, quod Materia conſtet ex partibus indiſcerpibilibus.

3. *In Libro primo hæc duo tantùm occurrunt, quantum ego quidem memini. Alterum de* Centro Spiritûs particularis, *cujus Ideam deſcripſi & demonſtravi eſſe poſſibilem. Alterum verò de Demonſtratione, Quòd impoſſibile ſit ut Sol quicquam cernat ſuper Terram, ſi omnino ſit corporeus. In probando priore, non dubitabam aſſerere quòd Materia conſtat ex partibus* indiſcerpibilibus, *intelligendo per partes indiſcerpibiles, particulas, quæ realem quidem habeant Extenſionem, ſed tam exiguam, ut minorem habere nequeant, & aliquid adhuc omnino eſſe, ac proinde nec actu dividi poſſint. Quam minutam extenſionem, ſi lubet,* Eſſentialem *appellare potes (ut quæ talis ſit ut ſine iſtac ejus portione, ipſa eſſentia Materiæ nequeat conſervari) quemadmodum & extenſionem ullius Materiæ ex his compoſitæ, potes, ſi lubet, nuncupare* Integralem, *cùm partes hujus Materiæ compoſitæ, actu ac reverà aliæ ab aliis poſſint ſeparari. Aſſertio, fateor, non poteſt quin primâ ſpecie videatur paradoxa, etiam ingenioſis ſanóque judicio præditis. Veruntamen quòd ſunt iſtiuſmodi* indiſcerpibiles *particulæ in quas Materia ſit diviſibilis, tales utique quæ* Eſſentialem *habeant extenſionem & partes tamen habeant prorſus inſeparabiles, luculentè compendioſéque (præter illa quæ in ipſo Tractatu attuli) per brevem hunc Syllogiſmum heîc demonſtrabo.*

Illud quod actu diviſibile eſt quouſque actualis Diviſio fieri poteſt, diviſibile eſt in partes indiſcerpibiles.

Sed Materia (Materiam Integralem *intelligo ſive* Compoſitam *) actu diviſibilis eſt quouſque actualis Diviſio fieri poteſt.*

Stultitiæ profectò heîc eſſet, probationem aggredi aut Propoſitionis aut Aſſumptionis, cùm utræque tam manifeſtæ ſint, ut nulla communis notio apud Euclidem, *in quam Demonſtrationes Mathematicæ reſolvuntur, ſit manifeſtior.*

Non poteſt igitur quin in confeſſo ſit, Quòd Materia ex particulis indiſcerpibilibus *conſiſtit, quódque Phyſicè ac reverà non ſit diviſibilis in infinitum, quanquam partes quæ* Indiſcerpibilem *particulam conſtituunt, reales ſunt, ſed diviſibiles tantùm* intellectualiter, *quippe quum de ipſa eſſentia cujuſque ſit quod exiſtit, partes habere ſive extenſionem ad aliquam ſaltem menſuram. Omnem enim tollere extenſionem eſt rem reducere ad punctum tantùm Mathematicum, quod nihil ampliùs eſt quàm pura Negatio ſive Non-Entitas: cúmque nullum medium ſit intèr* Extenſum & Non-Extenſum, *non magìs quidem quàm inter* Entitatem & Non-Entitatem, *manifeſtum eſt ſi res omnino ſit, neceſſe eſſe ut ſit extenſa. Ac propterea* Eſſentialis *extenſio eſt quæ ad has indiſcerpibiles Materiæ particulas pertinet; quæ altera Proprietas eſt quam oportebat demonſtrare.*

Sat ſcio, effrænem Imaginationem miras heîc Tragœdias ac clamores contra concluſionem, excitaturam eſſe, tanquam impoſſibilem. Nam finita Extenſio, inquiet illa, neceſſariò habitura eſt figuram, & Figura extuberantiam partium ad talem diſtantiam ut non poſſimus quin concipiamus adhuc actu diviſibilem. Sed reſpondeo, Materia, poſtquam ſemel diviſa ſit quouſque actu dividi poſſit, apertam eſſe contradictionem ut ulteriùs dividatur; quemadmodum etiam eſt, ut actu dividi nequeat, quouſque actu queat dividi. Et nulla fortior Demonſtratio quàm hæc contra ipſos, contra nos afferri poteſt aut ab Imaginatione aut Ratione. Ac proinde ſupponendo nos in argumentationibus noſtris eſſe omnino pares, ſatìs hoc eſt quo palmam reportem, qui pro rei poſſibilitate tantùm contendo. Nam ſi æquè firmam Demonſtrationem affero quòd res ſit, quàm alter quilibet, quòd non ſit, nemo poteſt quin ex noſtra parte pronunciet, rem eſſe poſſibilem.

*Cæterùm ut reſpondeamus ſuprà allato argumento, quanquam illi nunquam poterunt reſpondere noſtro; * Dico indiſcerpibiles iſtas Materiæ particulas, nullam omnino habere Figuram. Quemadmodum Magnitudo infinita nullam habet Figuram, ità etiam nec Infinita Parvitas.*

Parvitas. Et Cubus infinitè parvus ſenſu maximè præciſo, æquè aperta Contradictio eſt, atque Cubus infinitè magnus, in eodem ſenſu Infinitatis. Anguli enim æquales forent magnitudine Hedris ipſius. Præterea, viri quidem ſapientes, de multis rebus certò perſuaſi ſunt, in quibus tamen imaginatio eorum non poteſt quin ludos ipſis faciat; ut in Infinitate Durationis & * Materiæ aut ſaltem Spacii. De cujus veritate quantumlibet certi ſint, tamen ſi infinitam hanc Materiam, Spacium aut Durationem, ut diviſam in tres putà æquales partes conſiderant (quarum ſingulas infinitas eſſe oportet, cùm totum aliàs non foret infinitum) media cujuſque pars, & infinita videbitur & finita, quippe ex utraque parte terminata. Cæterùm unaquæque res duas anſas habet, ut notat Epictetus, & Fatuus planè eſt qui digitos urit admovendo anſæ ignitæ, cùm alteram prenſare poſſit quæ magìs frigida eſt & tractabilis.

4. Quantùm ad Demonſtrationem meam, Quòd impoſſibile ſit ut Sol ceu Spectator, rebus particularibus in Terra geſtis ſuperintendat, unica hæc adversùs eam ſit Objectio. Quòd tametſi Sol quidem propter magnam illius diſtantiam nullas res particulares in Terra cernere valeret ſi ſemper in illa ordinaria figura contineretur, in qua ſi ſenſu deſtitutus eſſet, ſemper eum ſupponeremus contineri; cùm tamen vitam habeat ac perceptionem, poteſt aliquam ſui corporis partem (ut nos oculum contrahendo ac dilatando pupillam ejus) in tam commodam figuram mutare, ut effecturus ſit, ut tanta ſibi Terra, quantam ipſe volet, appareat.

Reſponſio ad Objectionem contra ſuam Demonſtrationem, Quòd Sol rebus terreſtribus non ſuperintendat.

Quanquam aliqui procliviores heìc eſſent ad ridendum, quàm ad reſpondendum commento tam inopinato atque abſono, quod Solem ſupponit nictantem & tam curiosè ſubinde tanquam per Teleſcopium in res noſtras inſpectantem; cùm tamen per modum argumentationis affertur, negotium mihi faceſſam ei ſerium reddendi Reſponſum.

Primùm, Quòd Objectio hæc nullam omnino vim habere poteſt, niſi corpus Solis, noſtri inſtar, eſſet organicum, cùm nihil aliud revera ſit quàm fluida Lux. Adeò ut niſi ſubſtantiam ſpiritualem in ſe habeat, cujus lux hæc tantummodo vehiculum eſſet, arbitraria hæc fluidæ hujus Materiæ figuratio effici non poſſit. Concedere autem ullam talem eſſe in Sole ſubſtantiam incorpoream, eſt planè ultrò mihi id largiri, pro quo tantopere contendo, Eſſe ſcilicet ſubſtantias immateriales in Univerſo.

Quòd autem nullum tale Divinum ei inſit Principium quo aut nos cernere queat, aut productionem moliri ullius Apparitionis in Terra per operationem illius Spiritûs in eo, noſtri cujuſquam gratiâ, manifeſtum eſt ex ſpuma maculíſque quæ in eo jacent. Quod æquè validum argumentum eſt quòd nulla talis ei inſit Divinitas qualem quidam illi attribuunt, (ut Pomponatius, Cardanus, Vaninus, & alii) atque ſtercus Noctuarum atque Paſſerum, quod reperitur ſuper facies humeróſque Idolorum in Templis, manifeſtum indicium eſt eas Imagines inanimas eſſe, non veras Deitates.

Denique, quanquam Solem ſupponeremus particularem in ſe habere ſentientem intelligentémque Spiritum, Telluris tamen vaſtæ ab ipſo diſtantiæ, ſpiſſitudiniſq; Atmoſphæræ, cum aliis quæ in ipſo Tractatu jam memoravi incommodis, conſideratio, incredibile planè facit ut corpus ſuum in ullam Figuram tam exquiſitam formare queat, ut has inſuperabiles difficultates compenſet.

5. In ſecundo Libro, prima objectio eſt contra Axioma viceſimum, quod aiunt me non demonſtrâſſe, ſed Hobbii duntaxat teſtimonium attuliſſe quo confirmetur, quod igitur idoneum me tantùm reddit ad diſputandum cum eo ex ſuis ipſius Principiis, quæ alii ad ſe nihil attinere exiſtimabunt. Verùm reſpondeo primò, Ad omnes ſuos ſectatores attinere perinde atque ad ipſum; adeò ut minimè contemnenda victoria ſit, contra omnes illos adeò confidentes ſubſtantiarum Immaterialium exploſores demonſtrâſſe, quòd vel propria ipſorum principia quæ agnoſcunt, neceſſariò earum exiſtentiam inferunt in Univerſo. Verùm in ſecundo loco, Non difficile erit irrefragabilia producere argumenta ad evincendam veritatem ſuprà dicti Axiomatis, Quòd Senſus nempe & Perceptio in Materia, ſuppoſito nihil præter Materiam in Mundo exiſtere, idem eſt realiter quod corporeus Motus & Reactio.

Hobbianæ opinionis confirmatio, Quòd Perceptio realiter idem eſt quod Corporeus Motus & Re-actio, ſi nihil præter Materiam in Mundo exiſtit.

Manifeſtum enim eſt in Senſatione, cùm ſemper externus motus ſit ab Objectis quando ſenſus noſtri afficiuntur. Quódque interna Cogitatio ſic perficitur, ex calore patet quem qui attentiùs cogitant, in ſeipſis excitant. Quamobrem omnem cogitationem univerſim, aliquis motus corporeus comitatur. Et ſi nihil præter corpus materiámve ſit in Univerſo, ipſa cogitatio realiter idem eſt quod motus corporeus.

Præterea, quemadmodum in ſenſatione, Motus corporeus prior eſt, & Perceptio ſequitur; ità neceſſarium eſt, ut univerſim in omnibus internis etiam Cogitationibus certi quidam motus corporei immediatè præcedant iſtas perceptiones, quanquam admitteremus Materiam à ſeipſa moveri. Nullus enim ſenſus indè oriretur, ſine reſiſtentia alterius alicujus in quod alterum quaſi impingat. Adeò ut vel ſubtiliſſima Materia, niſi in ea reſiſtentia ſit in eámque impreſſio, non magìs capax eſſet cogitationis, quàm Rhombus plumbeus Linguláve aurea. Ac proinde modò fateri velimus (quod nemo niſi mente captus unquam eſt negatu-

rus) quòd Rhombus plumbeus Linguláve *aurea nullam omnino habet cogitationem aut perceptionem ſine aliquo ictu aut alliſione pro illorum magnitudine & ſoliditate, ſubtiliſſima Materia ſimiliter neceſſariò nullam habet, ſine aliqua proportionali impreſſione aut reſiſtentia. Unde manifeſtum eſt, quòd corporea Re-actio ſive Colliſio præcedit Perceptionem, quódque omnis Perceptio, quaſi tactus quidam eſt ſeu palpatio, quæ tamdiu durat quamdiu durat Reſiſtentia hæc motúſve Impreſſio; illâ verò ceſſante extinguitur, Materiâ evadente æquè ſtupidâ atque Rhombus plumbeus. Quódque proinde quemadmodum in genere ſemper motus corporeus eſt, ubi eſt cogitatio, ità diverſificatio motûs hujus & colliſionis cogitationum diverſificationem parit, atque ſic quaſi junctis manibus unà perpetuò incedunt, altero nunquam introducto ſine ductu alterius, nec durante diutiùs quàm alterum durat. Verùm prout calor deperditur (qui haud mediocrem ſupponit alicujus admodum ſubtilis Materiæ motum ſive agitationem) ità Intellectus noſter & Imaginatio langueſcunt, ipſique Senſus deficiunt, ut qui moveri nequeant ab impreſſione externorum Objectorum, aut in debito liquiditatis & agilitatis gradu non conſtituantur, ac proinde corpora in morte æquè inſenſilia evadunt, atque maſſa lutea.*

Omnis igitur Senſatio & Perceptio revera idem eſt quod Motus & Re-actio Materiæ, ſi nihil ſit præter Materiam in Univerſo.

Et quòd unaquæque pars Materiæ percipere debet prout ipſa omnino movetur, ſive à ſeipſa (ſi id poſſibile ſit) ſive per corpoream impreſſionem ab aliis partibus, ex eo manifeſtum eſt, quòd Materia nullos ſubtiles habet radios ullámve vim ſive effluxum extra ſe emanantem, inſtar ſpecierum, quas Scholæ vocant, Intentionalium, nec ullam magis Myſticam unionem, quàm ſimplicem partium Juxta-poſitionem.

Hinc enim manifeſtum eſt nullam eſſe poſſe communicationem ullius Impreſſionis quam una pars Materiæ receperit quâve affecta ſit ab altera, ad diſtantiam, quin fieri oporteat per pulſum obtruſionémve partium interjacentium. Adeò ut undiquaque Motus corporeus & Re-actio cum ſufficienti tenuitate partium debitâque duratione, agnoſcenda ſit cauſa adæquata omnis perceptionis, ſi nihil ſit præter Materiam in Univerſo. Hoc ſufficere cenſeo ad perſuadendum quemlibet æquo judicio hominem de veritate hujus partis Aſſertionis Hobbianæ, *ſi ipſe alteram partem poſſit evincere, Quòd nihil in rerum Natura exiſtit quod non ſit purè corporeum. Cæterùm ex priori parte quod confeſſum illius Principium eſt, irrefragabiliter demonſtravi, Quòd aliquod ſit.*

Apologia pro Vehiculis Dæmonum & Animarum ſeparatarum.

6. Altera Objectio eſt contra opinionem quam amplecti videor de Vehiculis Dæmonum & Animarum ſeparatarum, acſi heic contra Scholarum Authoritatem peccaverim. Atque hoc profectò totum eſt prorſus, quantum ego augurari poſſum, quod objicere queunt adverſùs hanc meam Aſſertionem. Meminiſſe verò poſſunt, ſi volunt, Scholas adverſùs antiquiorem ſeipſis peccâſſe Authoritatem, hoc eſt, adverſus Pythagoreos, Platonicos, *Judæorum* Doctores, *antiquóſque Eccleſiæ Patres, qui omnes tenent vel puriſſimos Angelos Vehicula habere corporea. Difficile autem erit Scholis, ullam antiquam Authoritatem pro ſua opinione proferre.* * Ariſtoteles *enim magnum eorum oraculum in hac materia prorſus ſilet, ut qui nè credit quidem exiſtentiam Dæmonum in Mundo (quemadmodum* Pomponatius & Vaninus *jurati illius Diſcipuli cum egregia animi ſatisfactione notârunt :) Ac propterea jejunis ſuis aridíſque ſubtilitatibus relicti, omnes Eſſentias Intellectuales, quæ non ſint craſsè terreſtres, ut Homo, fecerunt purè Immateriales. Quo pacto admodum horrendum Chaſma Hiatúmve faciunt in rerum Ordine, qualem nullum moderatum Judicium unquam approbaturum eſt, & Atheiſticorum Ingeniorum telis ſe obnoxios reddiderunt, qui ſatis periti ac parati ſunt ad abſurdas deducendum conſequentias quæ in falſis ſuppoſitionibus latent, quod &* Vaninus *facit in hac. Colligit enim, nec id ſtolidè quidem, ex ſuppoſita pura Dæmonum Immaterialitate, quòd nullam notitiam habent ullarum particularium rerum in Terris ; * cùm Eſſentiæ tam purè Incorporeæ, Impreſſionis ab objectis corporeis omnino ſint incapaces, ac proinde nec ſpeciem ullius rei corporeæ particularis in ſua mente habeant. Unde concludit omnes Apparitiones, Vaticinia, Prodigia, & quicquid miraculoſum in antiqua Hiſtoria memoratur, hiſce attribuendum non eſſe ſed Influentiis Stellarum, adeóque nec ullos quidem Dæmonas Angelóſve in rerum Natura exiſtere.*

Quo ratiocinandi modo facile eſt etiam Pſychopannychitis ſuam opinionem de Animæ ſomno defendere. Anima enim cùm ab omni prorſus reſcindatur quod eſt corporeum, nullámque omnino cum eo habeat unionem vitalem, proclives erunt ad inferendum, impoſſibile eſſe ut quicquam cognoſcat ad extrà, quinimò fortean ut vel dormiat. Fieri enim poſſe ut nè illa quidem facultas ei competat in tali ſtatu quippe quum adeò eſſentialem habeat aptitudinem ad vitalem unionem cum Materia. Tanti momenti eſt aliquando Scholarum opinionem deſerere, quando aliquid nobis ſe offert magis tutum, magis utile, magíſque rationi conſentaneum.

7. *Hæ ſunt præcipuæ Objectiones quibus primus ſecundúſque Liber videntur expoſiti. Ultimum non poſſum quin ſuſpicer magìs eſſe obnoxium. Maximè communem verò Objectionem prævideo fore, Quòd tantum mihi aſſumpſi ut ſtatum Mundi alterius tam accuratè ac particulariter deſcriberem, acſi nuper ipſe revera illìc fuiſſem. Nimis exquiſita enim rei tractandæ ratio, artem videri poteſt olere atque fraudem. Atque equidem ut diffidentia ſæpenumero in nobis oboritur quando audimus aliquid quod efflictim cupimus ſic contigiſſe, quippe quòd tum maximè proclives ſumus ad cogitandum lætius eſſe Nuncium quàm ut ſit verum; ità etiam in Notionibus, quæ nimis accuratè videntur facultatibus noſtris Intellectualibus adaptari, maximéque naturaliter cum eis conſentiunt, ſæpe * proni ſumus ad ſuſpicandum eas faciliores eſſe quàm ut ſint veræ, præſertim in rebus quæ primò nobis videbantur admodum obſcuræ & intricatæ. Quam ob cauſam valdè veriſimile eſt, quòd Notio Spiritûs particularis, quam adeò accuratè deſcripſi in ‖ Libro primo, minùs probabilis quibuſdam videatur, * quoniam tam clarè jam ſit intelligibilis, quippe qui omnino incredibile putant eas res quæ ſemper habitæ ſunt adeò perplexæ & inextricabiles, tam derepente manifeſtæ fiant ac familiares cuilibet, qui vel mediocrem patientiam habet, & intelligentiam ad examinandum Theorema.*

Utì & quòd tam accuratè ſtatum alterius Vitæ deſcripſerit támq; curioſè definiverit particularis Spiritûs naturam.

‖ Cap.5,6,7.

Quod ad me verò attinet, non tantum mihi aſſumam ut abſolutè affirmem Indiſcerpibilitatem Spiritûs eâ ratione oriri, quam ipſe deſcripſi, hoc eſt, Deum Spiritum particularem omnino ſic feciſſe quemadmodum ego delineavi. Illius enim ſapientia infinita eſt. Ac proinde impiæ profectò audaciæ foret eum ad unam certam rationem formandi naturam rei reſtringere, hoc eſt, talia ei inſerendi Attributa quæ ipſi ſint eſſentialia, utì Indiſcerpibilitas eſt Animæ humanæ. Veruntamen dixiſſe tantùm in genere, poſſibile eſſe ut particularis ſit Eſſentia ex immediata ſua natura penetrabilis & indiſcerpibilis, modum autem particulatim non deſcripſiſſe quo ſic fiat, leve aliquibus videri poterat nec ſatìs ſolidum, Dolo latente in univerſalibus, ut habet Proverbium. Ac proinde ad pleniorem partis adverſæ convictionem operæ pretium cenſui accuratam aggredi deſcriptionem unius alicujus modi quo Anima Hominis aut Dæmonis concipi poſſit neceſſariò indiſcerpibilis licèt dilatabilis, non admodum interim ſolicitus eo omnino modo fiat necne, & tamen ſatìs certò perſuaſus aut eo modo fieri aut alio aliquo meliori. Verùm unus hic rem oſtendit poſſibilem in genere (ut vile illud Indorum Navigium Canoa *dictum poſſibilitatem probare potuit Navigationis.) Atque id omnino erat quò me collineare oportebat illo in loco; niſi quòd & ſtudio quodam tenebar honoris tuendi* Platonicorum, *quorum imaginativa Præſagia ſæpe expertus ſum fidelem habere congruentiam cum ſeveriſſima Ratione. Speróque me hìc demonſtràſſe Imaginationem eorum à Ratione minimè alienam eſſe, ubi tam frequenter* Formam *ſive* Spiritum *cum* radianti Luce *comparant.*

Sic in deſcribendo ſtatum Mundi alterius, equidem haud ità ſolicitus ſum eóne planè modo res ſint quo ipſe deſcripſi; ſed quia aliqui homines, quia nullum particularem conceptum formare poſſunt de ſocialitatibus & ſolennitatibus Aereorum iſtorum Incolarum, quales ſint, quomodóve tempus tranſigant, cum multis aliis difficultatibus, quibus hæc Speculatio involvitur, omnem omnino rei adimunt fidem, magnum profectò putavi habiturum momentum ad amoliendam hanc Objectionem adverſus Vitam futuram (Neminem ſcilicet concipere poſſe qualis ſit, ac propterea omnino non eſſe, quæ vulgaris etiam contra exiſtentiam omnium Subſtantiarum Incorporearum eſt Objectio) ſi accuratam rationalémque Deſcriptionem hujus futuri ſtatûs conficerem. Quam orbi literato tanquam intelligibilem Hypotheſin exhibeo, talémque quæ probabiliter exiſtere poſſit, etiam ſecundùm propriarum noſtrarum facultatum dictamina, certò interim perſuaſus, quòd res aut ſic ſunt, aut meliori & accuratiori ordine. Sed, quod dixi, viam aliquam particularem probabilem proponere haud mediocrem vim habiturum eſſe exiſtimavi apud eos, qui hiſce rebus omnibus omnem omnino fidem abrogant, ob eam potiſſimum rationem quòd tales ſunt, de quibus nulla humano Intellectui fieri poſſit rationalis Repræſentatio.

8. *Cæterum ſunt & Objectiones particulares. Quarum prima fit adverſus* Elyſia *noſtra Aerea & Ætherea, quæ profectò, quò contumeliam reddant argutiorem, cum* Mahometana *Paradiſo comparant. Verùm, præterquam quòd in ipſo loco ubi hiſce de rebus tracto, poſt eorum deſcriptionem, proprium ſuſpendo aſſenſum; nihil in illorum deſcriptione obſertur, quod, ſi aſſenſus ei præberetur, vel puriſſimum defæcatiſſimúmque Animum non deceret. Nihil enim magìs certum eſt, quàm quòd Amor Dei & Proximi ſumma Fœlicitas ſit quò pervenire poſſumus, aut in hac Vita aut in futura. Et quæcunque illìc deſcribuntur, aut cauſæ ſunt aut effecta aut concomitantia nobilis illius ac Divinæ Paſſionis. Nec Externa illorſum Incitamenta quæ illic commemoro, jure cenſeri poſſunt* Senſualia, *ſed* Intellectualia. *Nam & talis eſt etiam ſenſibilis Pulchritudo, ſive oſtendat ſe in vultûs corporíſque lineamentis, ſive in concentu Muſico aut quibuſcunque gratis geſtibus, venuſtiſque ac decoris actionibus, quemadmodum rectè definivit* Plotinus. *Atque eæ quidem res*

Elyſia quæ deſcribit non omnino ſenſualia eſſe ſed Divina.

quæ propriè Intellectuales non ſunt, putà Odores & Sapores, talis tamen illinc transfundi poteſt Spiritus in horum Aereorum Incolarum Vehicula, qui modo extraordinario Intellectuales facultates in actum poſſit excitare. Quod is qui obſervaverit, ut cogitationes noſtræ & Inclinattones, immediatè à certa quadam ſubtili materia in corporibus dependeant, non dubitabit ſtatim agnoſcere eſſe verum. Ac propterea cuicuimodi Elyſia *noſtra temerariis videantur & judicio deſtitutis, nihil aliud reverà ſunt, quàm* puræ Paradiſi *Voluptatis Intellectualis, quum Divinus Amor & Immaculata Amicitia iſtorum locorum ſolæ deliciæ ſint.*

Quòd ſtatum Impiorum nimis tolerabilem eis non fecit, in Mundo alteró.

9. *Proxima objectio eſt de Statu impiorum, acſi eorum conditionem nimis tolerabilem eis feciſſem, in Mundo altero. Sed ab hoc errore quilibet arceri poſſet, ſi conſiderare vellet, me Conſcientiæ Equuleum feciſſe, morte perpetuo-repetitâ deteriorem. Quod nimis quàm credibile eſt illic eventurum, quum experimur quantum dolorem Paſſiones excitent etiam in hac Vita: Tyranni* Siculi *magìs exquiſitum Tormentum non invenêre. Et quantùm ad iſtas Animas quæ omnem Conſcientiæ ſenſum perdiderint, ſi quæ ſint tales, alia ſupplicia illis aſſignavi, quæ omnino ſunt corporea, paulóque quidem mitiora igne magni illius Inferni, quod Prophetæ comminantur tanquam portionem Diabolorum Hominúmque damnatorum in Die noviſſimo. Quo tamen neque tunc nec antè excruciari poſſent (ſi ad Humanam Rationem provocamus, quam ſolam in hoc Tractatu appellamus Judicem) niſi cum Vehiculis corporeis vitaliter unirentur.*

Unam univerſalem Animam non eſſe quæ audit, videt & ratiocinatur in ſingulis Hominibus ex operationibus Memoriæ, demonſtratum.
‖ Lib. 3. cap. 16.
‖ Cap. 16. ſect. 4.

10. *Duæ poſtremæ Objectiones ſunt, altera de Anima Mundi, altera de Spiritu Naturæ. Prima ſit contra noſtram nimis favorabilem Opinionis eorum Repræſentationem qui unam tantùm Animam faciunt in toto Univerſo, eandémque Senſu, Ratione & Intellectu imbuunt. Quam Animam in omnibus operari volunt Animantibus, Dæmonibus ipſis non exceptis. In quibus omnibus, aiunt illi, una eſt eadémque univerſalis Anima, quæ audit, videt, ratiocinatur, intelligit, &c. Hanc Opinionem credo me in Libro hoc tertio ſive ultimo æquè ſolidè ‖ confutâſſe, atque ullus unus error confutari poteſt in univerſa Naturali Philoſophia. Atque ea quidem ‖ favorabilis Repræſentatio quam de ea feci, id in ſe habet, quo, niſi quis nimis omiſſo ſit animo & oſcitanti, facilè demonſtrare poſſit ſuppoſitionis falſitatem. Quanquam enim ſatìs facilè imaginari poſſumus, ſi corpus non mutetur, Animáque Univerſi eadem prorſus ſit ubique, licèt quis locum mutet & in alteram Animæ Mundi partem recedat, eum eaſdem Opiniones, Imaginationes & Ratiocinationes retinere poſſe, quatenus quidem à Memoria non dependeant (cùm univerſalis hæc Anima in eaſdem cogitationes ex occaſionibus eiſdem ſeipſam excitet) Memoria tamen ſive Reminiſcentia illi parti competere non poteſt quæ Perceptionem antea non habuerit illius rei quæ revocatur in Memoriam. Neceſſariò enim in Memoria comprehenditur ſenſus ſive perceptio quòd perceptionem habuimus ſive ſenſum antecedentem illius rei, quam nos reminiſci ſentimus.*

Ut breviter igitur agam atque hanc opinionem uno quaſi ictu conficiam; Qui dicunt unam tantùm Animam eſſe in Univerſo, cujus perceptiva facultas eſt ubique, neceſſariò debent aſſerere, aut, quicquid una illius pars percipit, reliquas omnes percipere, aut Perceptiones in Dæmonibus, Hominibus ac Brutis ad illam partem hujus Animæ quæ in ipſis eſt, dum hoc vel illud percipiunt, reſtringi. Si prius, ſenſus ipſe & experientia eos confutat. Quanquam enim omnia Animalia macerata quaſi jacent in ſubtili illa Materia, quæ pervadit omnia, quæque immediatum Inſtrumentum eſt ſenſûs & perceptionis; nos tamen cogitationum mutuò alii aliorum non ſumus conſcii, nec dolores invicem aliorum alii perſentiſcimus, nec dolores ac voluptates brutorum, quando vel ſummo gradu eis afficiuntur. Nec Dæmones quidem mutuos perſentiſcunt affectus, mutuóve alter alterius neceſſariò aſſentiuntur opinionibus, quamvis Vehicula eorum admodum pervia ſint; alioquin omnes forent Avenroiſtæ, *perinde atque illi qui* Facio Cardano *apparuerunt, ſuppoſito quòd aliqui eſſent. Quamobrem univerſim concludere poſſumus, ſi eſſet iſtiuſmodi univerſalis Anima, quòd particulares tamen illius Perceptiones, ad hanc vel illam partem in qua fiunt, reſtringerentur: Quod tamen unitati Animæ adverſatur, quemadmodum jam monui ſuo in loco.*

Lib. 3. cap. 16. ſect. 2.

Sed rem admittamus (nam & demonſtravimus ſic eſſe, ſi talis utique univerſalis ſit Anima, & nulla alia præterea) tunc inſignis illa Abſurditas ſi ingeret, de qua antè monui, Quòd ſcilicet illa pars Animæ Mundi quæ rem nunquam perceperat, eam nihilominus reminiſcetur, hoc eſt, percipiet ſe id percepiſſe, quod tamen nunquam perceperat. Et certum tamen eſt, quempiam in Aurea *putà* Cherſoneſo *Conterraneum illuc appellentem quem ante viginti annos non viderat, ſtatim reminiſci poſſe. Quinimò, quod magìs ad rem facit, Telluris motu ſuppoſito, quod jam ſcribo, Terrâ verſante in principio* Arietis, *reminiſcar me ſcripſiſſe cùm fuerit in principio* Libræ, *quanquam illa pars Animæ Mundi quod corpus meum tunc poſſeſſura eſt, duplo diſtantior erit ab illa parte quæ manum meam nunc regit ſcribentem, quam Terra à Sole.*

Nec poteſt hujus Demonſtrationis perſpicuitas ullâ qualicunque evaſione eludi. Nam primùm ſi admitteremus certas quaſdam Notas in Cerebro ſignatas eſſe, dum videmus vel conſideramus aliquod Objectum, *quibus Anima memoriam illius ſibi profundiùs imprimeret; reminiſcendi indè vis in hoc omninò conſiſteret, quòd Cogitationem ſive Repræſentationem cum tali Impreſſura ſive Nota ſemel junxiſſet, alioqui nihil valeret. Quamobrem Anima Mundi in* B *putà cùm talem Repræſentationem cum tali Nota in Cerebro non junxerit quemadmodum fecit in* A, *nihil hinc poteſt reminiſci. Neque enim omnino concipi poteſt qui Figuratio ulla motûſve qualiſcunque in Cerebro repræſentare poſſit Animæ perceptionem tanquam antehac perceptam, ſi ipſa Anima nunquam antehac ullam talem perceptionem habuerit. Etenim nulla Baſis eſſe poteſt actui huic reflexivo & comparativo præterquam antecedens perceptio illius cujus adhuc Anima ſit conſcia, cujus conſcia eſſe non poteſt, ſi nunquam illud perceperit. Unde manifeſtum eſt, has, quæ ſupponuntur, Notas nullam in ſe vim habere ad imponendum Animæ Mundi in* B *ità ut credat ſe perceptionem rei habuiſſe, cùm revera eam nunquam percepiſſet.*

Præterea, Admodum evidens eſt, reminiſcendi vim in iſtiuſmodi Notis vel Figuris in Cerebro, ullâve vibratione aut motu illìc permanente, nequaquam conſiſtere, quemadmodum abunde probavi in ſequenti || Tractatu. *Quod ulteriorem fidem facit, Memoriam in ipſa Anima eſſe totam, eámque ſolum eſſe Repoſitorium omnium Perceptionum quas habuerit, ac proinde Animam Mundi non poſſe percipere ſe rem percepiſſe, quam nunquam tamen perceperit.*

|| Lib. 2. cap. 5. ſect 7. & cap. 11. ſect. 4, 5, 6.

Et tertiò ac ultimò, Hinc etiam manifeſtum eſt, (à Memoria nempe in ipſa tantùm Anima reſidente, quippe quæ in hac ut in reliquis ſuis functionibus, virtute debiti tenoris Spirituum, idoneique Cerebri temperamenti operatur) corpore locum mutante ab A *ad* B, *quòd illa Animæ Mundi pars in eo ad* B *memoriam habebit rerum quæ nunquam perceptæ ſint in* A, *& obliviſcetur, vel potiùs nullam habebit notitiam earum rerum quas Anima illìc perceperit; quódque propterea mutando locum fortè fieri poteſt ut momento quiſpiam præſtantiſſimus evadat Medicus, Mathematicus, &c. aut derepente ſtupidus fiat* Idiota, *ſuámque omnem perdat eruditionem; quod è duobus veriſimilius eſt. Fructus enim illius Meditationis atque ſtudii ſtatim pereunt, poſtquam corpus illam Animæ Mundi partem quæ bonis artibus ac meditationi ſedulam dedit operam, ſemel reliquerit. Adeò impoſſibile eſt, quin unuſquiſque particularem animam habeat de ſuo.*

Nec poteſt Erroris hujus in Anima Mundi, quo percipit ſe percepiſſe quod nunquam percepit, poſſibilitas argui, ex adhærentia perpetui illius, ut cenſetur, erroris in externis noſtris ſenſibus, Quòd ſcilicet dolorem ſentimus in digito putà, aut albedinem in Pariete, cùm nec albedo in uno ſit nec in altero dolor, ſed tantùm in Communi noſtro Percipiente, quod intra Cerebrum clauditur. Manifeſtum enim eſt, ſi hic error ſit, illius conſpicuum eſſe ac neceſſarium Fundamentum.

Etenim, quemadmodum quando baculum in humum protrudimus, differentes neceſſariò ſenſationes percipimus, aliam quando in ſabulum, aliam quando in lapidem, & aliam denique quando in Lutum *limúmve, eaſdémque ad Baculi diſtantiam perſentimus:* Ità *etiam fit in coloribus, cùm Medium, Objectum inter & Oculum, inſtar baculi ſit, varietáſque ad extremitatem Baculi inſtar varietatis colorum; cujus in varietate ſuperficierum Objectorum neceſſaria eſt Cauſalitas, quam Commune Percipiens neceſſariò percipit, & ad talem diſtantiam ad quam Medium determinet, quemadmodum antè factum eſt in longitudine Baculi. Adeò ut tales percipere differentias ad eam diſtantiam quâ ſunt, quâque cauſaliter exiſtunt, non tam error eſt quàm veritas. Eadémque ratio eſt in titillationibus & puncturis, in quavis corporis parte. Verum enim eſt quòd illæ differentiæ cauſaliter illìc exiſtunt, ac proindè quòd Perceptio noſtra illuc meritò defertur.* Illìc *enim eſt illa aſperitas & incongruitas Naturæ quam Anima ſine aſpera ac doloroſa perceptione ſentire non poteſt, non ſolùm propter ſuum incommodum, vitalémque cum corpore unionem, ſed etiam propter ſpecialem naturam ipſius Perceptionis.*

Adeò ut paulo durior mihi videatur Cenſura, in hiſce Perceptionibus Animam dicere errare: Et ſanè ſi aliquo modo erret, cauſam tamen neceſſariam & determinatam, eámque valde palpabilem valdéque intelligibilem hîc poſſumus inveſtigare. Quantùm verò ad hunc Errorem Animæ Mundi, quæ percipit putà in B *ſe percepiſſe id quod tamen nunquam percepit, res omnino alia eſt, integérque Error ac apertus, cujus nulla fingi cauſa poteſt quæ ipſam in eum inducat. Unde planè ſequitur ipſam in eum nunquam induci. Ac proinde reflexivus Actus Memoriæ, qui nos tam firmiter perſuaſos reddit de antecedente Perceptione (nullâ aliâ facultate ullam habente vim aut prætextum demonſtrandi quicquam in contrarium) neceſſariò arguit unumquemque hominem Particularem Animam habere de ſuo, talémque univerſalem Animam qualem fingunt* Avenroiſtæ, *omnia Phænomena non poſſe ſolvere.*

Et tamen non dubito affirmare, veſanam hanc opinionem faciliùs defendi poſſe quàm eorum, qui nihil præter Materiam in Univerſo eſſe ſtatuunt. Verùm operæ pretium eſſe duxi, omni ſtudio & diligentiâ utraſque confutare, cùm tolerabilior earum non ſit niſi argutius quoddam Atheiſmi genus, quod ad ſubverſionem tendit omnium Fundamentorum Religionis ac Pietatis apud Homines.

De Spiritu Naturæ, quòd nec obſcurum Principium ſit nec intempeſtivè introductum.

11. Quod ad Spiritum Naturæ attinet, potiſſimæ Objectiones ſunt, quòd obſcurum introduxerim Principium, quò Ignorantia & Pigrities ſe recipiant tanquam ad Aſylum, atque ſic enervaverim laxaverímve utiles curioſorum Ingeniorum conatus & expectatum impediverim progreſſum qui fieri poſſit in Mechanica Philoſophia; ídque, ad majorem criminis exaggerationem, antequam ſufficiens factum ſit ſcrutinium, quid Mechanicæ potentiæ Materiæ efficere poſſint. Etenim quæ ſolutiones Mechanicæ præſentem fugerint antecedentéſve ætates, quidni ſuccedentes in eas incidant? ac proinde intempeſtivum adhuc eſſe ullum tale introducere Principium in Naturalem Philoſophiam.

Ad quæ reſpondeo, Principium de quo loquimur nec obſcurum eſſe nec intempeſtivum, nec tam à me introductum, quàm mihi ipſi obtruſum inevitabili evidentiâ Rationis. Quòd obſcurum Principium non ſit, clara illa ejus deſcriptio quam in hoc Tractatu dedi, ſatìs probabit. Contra quam nulla, quod ſciam, fingi poteſt Exceptio, niſi fortè cuipiam durum videri poſſit, ut Subſtantia omni ſenſu ac perceptione deſtituta, ac proinde omnis præmeditati artificii incapax, idonea ſupponeretur ad formandam Materiam in tam exquiſitas Organizationes. Hæc verò nemini ulla difficultas videri poteſt qui ſatìs conſideraverit, quod Phantaſma eſt Animæ noſtræ, id Plaſma eſſe ſive Fabricam in Spiritu Naturæ: Et quemadmodum noſtrorum ‖ Spirituum tenor (qui nihil ſunt quàm Materia quædam ſubtilis) efficit ut Anima immediatè ſe exerat in hanc vel illam Imaginationem nullâ cognitione aut præmeditatione intercedente; ità certam aliquam præparationem ſive prædiſpoſitionem Materiæ Mundanæ, efficere poſſe ut Spiritus Naturæ hoc vel illud fabricationis ſive organizationis genus moliatur, nullâ perceptione aut conſultatione interpoſitâ.

Lib. 3. cap. 12.

‖ Vide Antidot. lib. 2. cap. 10. ſect. 12.

Qui prætendunt introductionem hujus Principii eſſe intempeſtivam, quæro ex eis quandònam ipſi ſenſuri ſint tempeſtivam fore? Simplex enim Præſumptio, quòd, licèt omnes Mechanicæ ſolutiones quorundam Phænomenôn, quæ hactenus oblatæ ſint Orbi literato, demonſtrari poſſint falſæ eſſe, futuræ tamen Ætates in eas incidere poſſunt quæ ſint veræ, apud homines cordatos nihil aliud cenſeri poteſt quàm pudendum timidarum Animarum ſubterfugium quæ admodum ægrè pati poſſunt ut ulla tam terrifica Notio quàm Immaterialis ſive Spiritualis ſubſtantia introducatur in rerum Naturam, verentes ſcilicet nè proximus gradus qui faciendus eſt, aperta ſit agnitio Dei, à quo ſe abſcondere tantopere ſatagunt, miſero hoc obtentu & precario. Dico autem, ſi Introductio hujus Principii nunc tempeſtiva non ſit, eam nunquam tempeſtivam fore. Mirabilem enim illum Magiſtrum Mechanicum Carteſium, auſim affirmare, viam hanc ad ſummum perduxiſſe quò humanum Ingenium pertingere poteſt, in eis quidem Phænomenis quorum cauſas conatus eſt explicare. Ut verò multis in locis ſcopo ſuo exciderit, tum in ſuprà dicto Capite tum in ſequenti, ut & alibi, expreſsè notavi. Inſtantiam heîc dabo tantùm in Phænomeno Gravitatis, in quo credo me perfectè demonſtrâſſe & ipſum & Hobbium toto cælo errare, cauſáſque quas aſſignant eſſe planè falſas. Quòd autem aliorum opiniones qui hanc viam ſectantur, non commemoraverim, id ſolummodo in cauſa erat, quòd eas minoris momenti putarem.

Illius Exiſtentiam ſe abſolutè demonſtráſſe.

12. Verùm dices, quamvìs hi omnes erraverint, non ſequi tamen, quin tam fœlicia Ingenia in poſterum ſuppullulaſcere poſſint, ut veram hujus Problematis ſolutionem Mechanicam ſint reddituri. Sed reſpondeo, Me non tantùm eorum rationes confutâſſe, ſed etiam à Principiis Mechanicis in confeſſo apud omnes & per experientiam confirmatis demonſtrâſſe, deſcenſum, putà Lapidis aut globi plumbei, aliúſve cujuſvis corporis gravis, legibus Mechanicis enormiter contrariari, eáque ſecundùm illas, neceſſariò, ſi ſoluta jaceant, à Terra receſſura eſſe, & ex conſpectu noſtro ablatum iri in extremas Aeris partes, niſi vis aliqua Mechanicâ major motum inhiberet, & deorſum terram verſùs retraheret. Adeò ut manifeſtum ſit, nos haud arbitrariò Principium introduxiſſe, ſed obtruſum nobis potiùs eſſe per irrefragabilem Demonſtrationis Evidentiam. Cui aſſenſum ſuſpendere donec Ætates venturæ Mechanicam Philoſophiam ad altiorem gradum provexerint, æquè ridiculum eſt ac de veritate unius alicujus perſpicuæ faciliſque Demonſtrationis in primo libri Euclidis dubitare, donec immenſum ſtudiorum Mathematicorum campum totum peragraverimus.

Nihil opus eſſe ut hujus Principii admiſſio Philoſophiæ Mechanicæ progreſſum impediat.

13. Nec denique quicquam opus eſt, ut hujus Principii admiſſio, conatus noſtros in ſcrutandis Mechanicis Phænomenôn Naturæ cauſis, uſpiam ſufflaminet, ſed circumſpectos nos potiùs reddat in diſtinguendo * quid merarum Potentiarum Mechanicarum Materiæ atque Motûs effectum ſit, & quid altioris alicujus Principii. Etenim, proculdubio ſecura hæc Præſumptio in aliquibus, Quòd nihil in rerum Natura exiſtit præter Materiam, ipſos animavit ad amplectendas venditandáſque ſolutiones Mechanicas ubi nullum habebant locum,

quippe tam firmiter perſuaſos nullas ſolutiones niſi ex hoc genere, obtineri eruive poſſe.

14. *Ut omittam Rationi ac Religioni deditos duplicem comitari voluptatem, quæ eos in hac Philoſophandi methodo prolectet atque provehat: Alteram, ex obſervatione quouſque in re quaque Mechanicarum Cauſarum Concatenatio pertingat, quod mirificè gratificaturum eſt Rationi eorum; Alteram, à diſtincta deprehenſione, ubi neceſſe ſit abrumpi, ut quæ ſolæ non valeant totum exhaurire effectum: Quod neceſſariò eos ducet ad magis confirmatam detectionem illius Principii pro quo nos contendimus,* Spiritûs *ſcilicet* Naturæ, *qui Dei Potentia Vicaria eſt in Materiam, * primúſque gradus ad maximè abſtruſa Myſteria in Naturali Theologia; quod neceſſariò ſummopere eis gratificaturum eſt in rebus Religionis.*

Magna voluptas iſtius ſtudii piis ac rationi deditis.

15. *Atque ob hanc profectò cauſam, maximè ſobrium exiſtimo ac fideliſſimum conſilium quod cum Chriſtiano orbe communicari poteſt, * ut* Carteſii *Lectionem in omnibus Scholis publicis ſive Academiis commendarent; Ut Studentes in Philoſophia penitiſſimè gnari ſint juſtorum limitum Mechanicarum Potentiarum Materiæ, quouſque pertingant, & ubi deficiant. Quod optimum ſanè ſubſidium futurum eſt, quod Religioni afferre poteſt Ratio Notitiáque Naturæ. Hoc enim pacto qui Eccleſiæ Miniſterio deſtinati ſunt, maturè munientur ſufficienti robore ad colluctandum cum maximè ſuperbis eorum deriſoribus & oppugnatoribus. Cùm hujus rei defectu, videmus eos quàm obnoxii ſint contemptui, ac proculcationi cujuſlibet audaculi, quamvìs imperiti, Philoſophiæ Mechanicæ jactatoris.*

Quanti momenti foret ſi *Carteſius* prælegeretur in omnibus Chriſtiani orbis Academiis.

16. *Hæc ſunt loca præcipua quæ quoquam modo putabam obnoxia fore exceptionibus in ſequenti Tractatu: Quæ tamen in ſe tam innocua ſunt atque firma, & cum adeò commodis circumſtantiis, ubi reperiuntur, tradita, ut verear nè lector judicium meum ſuſpectum habiturus ſit ac prudentiam, quòd mihi ipſi negotium faceſſerim ſcribendi, & illi legendi tam prolixam ac ſuperfluam Præfationem. Qui quidem Error quanquam ullius magni Ingenii argumentum eſſe non poſſit, multæ tamen indicium eſſe poteſt Humanitatis, fervidíque ſtudii ſerviendi Publico, ſine cujuſquam hominis offenſione qui vel mediocrem Rationem retinuerit & Ingenuitatem. Quantùm verò ad eos qui utriſque valedixerint omnémque veritatem ſuâ moroſâ Imaginatione metiuntur, pro derediculo habentes quicquid cum ſuis inſcitis conceptionibus non conſentiat, neminem credo hominem ſerium obligatum ſe tenere, ut perverſas eorum Interpretationes praváſque rerum Repræſentationes vel leviter attendat, curétve, non magìs quidem quàm religioſus Eremita, Devotúſve Peregrinator fœdos rictus diſtortáque ora Simiorum & Cercopithecorum, in quos fortè fortunâ incidere poſſit in laborioſa ſua itineratione per Deſertum.*

Apologia pro Præfationis prolixitate ex fervido ſuo ſtudio gratificandi Publico ſine ullius ingenui Animi Offenſione.

SCHOLIA

In Præfat. Sect. 3.

D*ico indiſcerpibiles iſtas Materiæ particulas nullam omnino habere figuram. Quemadmodum magnitudo Infinita nullam habet Figuram, ità etiam, &c.* In hunc locum quatuor objiciuntur. Primò, Etiam infinitam Parvitudinem, cùm ſit extenſa, nec tamen in infinitum, extenſionis ſuæ terminationem habere, terminationem verò extenſionis neceſſariò eſſe figuram. Secundò, Particulas has indiſcerpibiles, niſi puncta Mathematica ſint, non poſſe eſſe infinitè parvas, quoniam minores ipſis adhuc concipimus, cùm & ipſas intellectualiter diviſibiles etiamnum agnoſcimus. Tertiò, Si infinitè parvæ ſint, infinito earum numero opus foret ad conſtituendum corpus hujus vel illius magnitudinis. Unde corpora & ex atomis ſive indiviſibilibus conſtarent, & ſimul diviſibilia eſſent in infinitum. Quæ mira foret duarum iſtarum oppoſitarum opinionum conciliatio. Quartò denique, Cùm hæ particulæ *indiſcerpibiles* dicuntur eſſentialem duntaxat habere extenſionem non *integralem*, extenſionem nempe non majorem quàm quæ neceſſaria ſit ad conſervandam ſuam eſſentiam, nè deſinant eſſe Materia, aut omnino exiſtere, omnis verò extenſio concipiatur diviſibilis, Deúſque poſſe, quicquid nos concipimus, quæritur hìc, ſi Deus unam harum particularum divideret, an Annihilatio particulæ indè fieret necne. Abſurdum enim videri ut mera Diviſio materiam annihilaret; & niſi annihilaretur, manifeſtum eſſe dictam extenſionem non fuiſſe *eſſentialem* cùm ſubſiſtere poſſit ſub minori. Et certè non inelegans harum eſt Objectionum ſubtilitas, ſed haud ſatis ſolidas eſſe, ex Reſponſo ſpero palàm fore.

Ad primam igitur reſpondeo: Negandum eſſe, omnem Extenſionem Materialem terminatam eſſe figuratam, ſed tantùm integralem. Id verò quod *eſſentialiter* tantùm extenſum eſt, palàm eſt non poſſe eſſe *figuratum*, cùm nec gibbum eſſe poſſit nec planum, nec globus nec cubus, ſed perinde omnia, ac proinde nullum omnino ex omnibus figuratis corporibus cujuſmodicunque, quemadmodum nec infinita magnitudo, ad ullum genus corporum figuratorum referri poſſet.

Ad ſecundam: Perinde eſſe acſi objiceres, rem niſi ad nihilum redigatur non eſſe poſſe infinitè parvam. Nam quantùm ad puncta Mathematica, ea omnino tanquam *Non-Entia*, ſive *Terminos negativos* conſidero. Intellectualis verò illa Diviſibilitas in his particulis indiſcerpibilibus non omnino arguit revera adhuc fieri poſſe minores. Neque enim hæc Diviſibilitas Intellectualis, quanquam extenſionem ſupponit, Diviſibilitatem ſemper ſupponit realem.

Ad tertiam: Non omnino ſequi ex eo quòd infinitè parvæ ſunt, infinito earum numero opus eſſe ad conſtituendum corpus quodlibet: Nam in hoc ſolo conſiſtit infinita Parvitas realis, ut tam parva ſit ut minor eſſe non poſſit, omnémque prorſus figuram determinatam propter exilitatem ſuam exuerit, ut corpus infinitè magnum propter ſuam immenſitatem. Ut autem quælibet Materiæ portio ad hunc ſtatum reducatur nego infinitis diviſionibus opus eſſe, ſed finitis à Deo rem poſſe perfici contendo.

Ad ultimam denique breviter reſpondeo. Poſtquam Deus materiam ità diſſolverit, ut in has particulas *indiſcerpibiles* diviſa ſit, harum ullam à quoquam ulteriùs dividi poſſe planè repugnare. Deus quidem eas annihilare poteſt, dividere verò omnino non poteſt, cùm jam diviſerit quouſque poſſunt dividi realiter. *Intellectualem* verò Diviſibilitatem non ſemper ſupponere *realem* ſuprà monuimus.

Materiæ aut ſaltem Spacii, &c. Rectè iſta adjicitur Correctio. Neque enim adeò veriſimile eſt, Materiam eſſe infinitam, quemadmodum in *Enchiridio Metaphyſico* ſatìs luculentè probavimus, *Cap.* 10.

Sect. 6. *Ariſtoteles enim magnum eorum Oraculum in hac Materia, &c.* Equidem rarò admodum valdéque obſcurè exiſtentiam Dæmonum ſive Geniorum ſubinnuit. Duo loca potiſſima ſunt quorum nos mentionem fecimus. Prioris quidem, *Præfat. Collect. Philoſ.* Sect. 7. Poſterioris, in *Enthuſiaſmo Triumphato*, Sect. 57. De quibus ipſe Lector judicet, quantillum faciant ad evincendam doctrinam Geniorum apud *Ariſtotelem*, niſi eum admodum candidè interpretemur. Feci verò quod potui in ſecundo illo loco. Nec tamen magnopere mihi illìc ſatisfacio.

Cùm Eſſentiæ tam purè incorporeæ, impreſſionis ab Objectis corporeis omnino ſint incapaces, &c. Ac proinde cùm nec virtute præcellentiæ ſuæ eſſentiæ Ideas ipſorum ſcenáſque omnium variationum complectantur, nec tam arcta ſit, quemadmodum cum Creatore omnium Deo, inter ſe connexio, neceſſe eſt ut iſta omnia earum notitiam fugiant.

Sect. 7. *Proni ſumus ad ſuſpicandum eas faciliores eſſe quàm ut ſint veræ, &c.* Quod quidem in cauſa eſt cur apud aliquos Demonſtratio illa Exiſtentiæ Dei ab Idea illius petita ſuſpecta ſit falſitatis, (cùm nihil tamen illâ ſit ſolidius) nempe quòd tam facili negotio rem conficiat, & tam ſubitò ac quaſi ex improviſo animum occupare & in aſſenſum rapere velle videatur.

Quoniam tam clarè jam ſit intelligibilis, &c. Idea nempe *poſſibilis* ſubſtantiæ incorporeæ ſive Spiritûs particularis. Quam tamen tanquam *poſſibilem* tantùm affirmo, quemadmodum fuſiùs in hac ipſa ſectione declaro. Quæ verò ſit in genere vera Spiritûs ſive Eſſentiæ incorporeæ Idea, in *Enchiridio Metaphyſico* ſatìs diſtinctè edocui, quæque ſit animæ noſtræ, in Scholiis in hunc Tractatum mox accuratiùs edocebo.

Sect. 13. *Quid merarum Potentiarum Mechanicarum Materiæ atque Motûs effectum ſit, &c.* Non quòd ullum integrum Phænomenon ſit quod ex meris rationibus Mechanicis conſiſtat, ſed quòd in ſingulis ferè ſit, quod, quantùm ad ſuam naturam, merè ſit Mechanicum. Ut figura particularum ſalinarum quâ pungunt, &c.

Sect. 14. *Primúſque gradus ad maximè abſtruſa Myſteria in Naturali Theologia, &c.* Nam hinc Deum non ſolùm eſſe ſed immaterialem eſſe certò cognoſcimus, & per hanc *Externi Sermonis* Immaterialis Creationem (*Spiritum* intelligo *Naturæ*) *Interni Sermonis*, qui *Logos* dicitur, æternam generationem faciliùs intelligimus, pérque operationem hujus *Spiritûs Naturæ* in Mundanam Materiam naturalem, *Spiritûs Sancti* operationem in *Mundum Divinum*, *Divinúmque Elementum* in vehiculis Animarum ſanctarum & Angelorum.

Sect. 15. *Ut Carteſii Lectionem in omnibus Scholis publicis ſive Academiis commendarent, &c.* Modò nempe eâ fiat fide ac diligentiâ ut Philoſophia illius Mechanicâ diſtinctiſſimè penitiſſiméque intelligatur. Qui enim ſic intelligunt, deprehendent proculdubio illius inſignem defectum, aliúdque principium præter Materiam Motúmque Mechanicum ad explicanda Naturæ Phænomena neceſſariò eſſe aſciſcendum. Quòd ſi verò, per deſidem quandam & ignavam egregii Philoſophi admirationem Scripta illius commendentur tantùm Juvenibus Academicis aut perfunctoriè prælegantur, ad Atheiſmum plus conferet Religioníſque contemptum quàm ad ullam ſolidam Dei Naturæve cognitionem. Vide *Præfat. Enchirid. Ethic. Sect.* 17, 18, 19, *&c.* uſque ad finem Præfationis.

IMMORTALITAS ANIMÆ.

LIBRI PRIMI

CAP. I.

1. Præſentis Speculationis utilitas ad Providentiam rectiùs intelligendam, vitámque inſtituendam ad ſummam noſtram felicitatem. 2. Ad moderatè ferendum mortem & infortunia amicorum. 3. Ad ingenerandum nobis veram magnanimitatem, 4. Pacem item & Tranquillitatem animi. 5. Speculationem tanti momenti non perfunctoriè tractandam eſſe.

1. Speculationum omnium quibus Anima humana oblectare ſe poteſt, nulla gravior eſt propiúſve ad ipſam pertinet, quàm hæc ipſa de ſua ipſius *Immortalitate*, à *terreſtríque* hoc *corpore Independentia*. Eâ enim non ſolùm ardua & perplexa *Providentiæ* faciliora animæ ac planiora fiunt; ipſáque valet, glomum hunc evolvendo prorſus, ire & redire liberè per Labyrinthum iſtum, ubi multi, & anxii & negligentes homines in inexplicabilem ſeſe errorem induêre: verùm etiam (id quod ipſius propriè intereſt) in ſcientiam perſuaſionémque certam Concluſionis tam gravis, tanquam in ſpeculam, ſublata, proſpectare poteſt indè certiſſimam breviſſimámque viam ad ſuam ipſius felicitatem; quæ ſcilicet hæc eſt, modicè diligere quicquid ſe tentat, quamdiu hîc perigrinetur, & ſummo ſe ſtudio in futuram conditionem ſuam adornare, præclaris factis, egregiíſque eis animi dotibus, quæ acceptiſſimam ſe patriæ ſuæ ſint redditura.

2. Quæ perſuaſio ejus ac propoſitum efficiet ut omnino nè poſſit quidem vitæ vel fortunæ acerbiſſimorum inimicorum invidere, nec morti aut infortuniis chariſſimorum amicorum immodicè indolere; quippe quæ nullos amicos habet qui iidem non ſunt amici Dei & virtutis, quorúmque mala multùm ipſis profutura ſunt ad poſteram ſuam felicitatem, & exceſſus è vita ad præſentem poſſeſſionem ejus aditus futurus eſt.

3. Anima igitur in hac tam magna támque ad ſe prorſus pertinente perſuaſione firmiter ſtabilita, ab humilibus abjectíſque cunctis cogitationibus & conſiliis liberatur; nec hilo plus admiratur eum, qui ſive induſtriâ, ſive fortunâ, ſive animi denique verſutiâ, terrenarum opum plurimum corraſerit, quàm vir prudens & gravis ſuſpicit lucella puerorum; quippe cujâ perparum refert, quis nucibus vicerit, quíſve domum retulerit ſacculum quadrantibus onuſtiorem.

4. Nullâ ergo tangitur æmulatione, præterquam benefaciendi, ſuperandíque, ſi fieri poteſt, exempla hujus & præteriti temporis nobiliſſima; nec ullam contentionem ſuſcipit, niſi ſecum, quòd ad id quò tendit majorem non ſecerit progreſſum: nec quicquam ſpectans quod homines largiri poſſunt, ſummam rem fortiter aggreditur; atque indies ſibi lucíque auxiliatrici fidelior evadens, primitias demum futuræ meſſis ſuæ prælibat, & pluſquam præſagit magnam felicitatem illam ſibi tandem obventu-

Ad primam igitur reſpondeo: Negandum eſſe, omnem Extenſionem Materialem terminatam eſſe figuratam, ſed tantùm integralem. Id verò quod *eſſentialiter* tantùm extenſum eſt, palàm eſt non poſſe eſſe *figuratum*, cùm nec gibbum eſſe poſſit nec planum, nec globus nec cubus, ſed perinde omnia, ac proinde nullum omnino ex omnibus figuratis corporibus cujuſmodicunque, quemadmodum nec infinita magnitudo, ad ullum genus corporum figuratorum referri poſſet.

Ad ſecundam: Perinde eſſe acſi objiceres, rem niſi ad nihilum redigatur non eſſe poſſe infinitè parvam. Nam quantùm ad puncta Mathematica, ea omnino tanquam *Non-Entia*, ſive *Terminos negativos* conſidero. Intellectualis verò illa Diviſibilitas in his particulis indiſcerpibilibus non omnino arguit revera adhuc fieri poſſe minores. Neque enim hæc Diviſibilitas Intellectualis, quanquam extenſionem ſupponit, Diviſibilitatem ſemper ſupponit realem.

Ad tertiam: Non omnino ſequi ex eo quòd infinitè parvæ ſunt, infinito earum numero opus eſſe ad conſtituendum corpus quodlibet: Nam in hoc ſolo conſiſtit infinita Parvitas realis, ut tam parva ſit ut minor eſſe non poſſit, omnémque prorſus figuram determinatam propter exilitatem ſuam exuerit, ut corpus infinitè magnum propter ſuam immenſitatem. Ut autem quælibet Materiæ portio ad hunc ſtatum reducatur nego infinitis diviſionibus opus eſſe, ſed finitis à Deo rem poſſe perfici contendo.

Ad ultimam denique breviter reſpondeo. Poſtquam Deus materiam ità diſſolverit, ut in has particulas *indiſcerpibiles* diviſa ſit, harum ullam à quoquam ulteriùs dividi poſſe planè repugnare. Deus quidem eas annihilare poteſt, dividere verò omnino non poteſt, cùm jam diviſerit quouſque poſſunt dividi realiter. *Intellectualem* verò Diviſibilitatem non ſemper ſupponere *realem* ſuprà monuimus.

Materiæ aut ſaltem Spacii, &c. Rectè iſta adjicitur Correctio. Neque enim adeò veriſimile eſt, Materiam eſſe infinitam, quemadmodum in *Enchiridio Metaphyſico* ſatìs luculentè probavimus, *Cap.* 10.

Sect. 6. *Ariſtoteles enim magnum eorum Oraculum in hac Materia, &c.* Equidem rarò admodum valdéque obſcurè exiſtentiam Dæmonum ſive Geniorum ſubinnuit. Duo loca potiſſima ſunt quorum nos mentionem fecimus. Prioris quidem, *Præfat. Collect. Philoſ.* Sect. 7. Poſterioris, in *Enthuſiaſmo Triumphato*, Sect. 57. De quibus ipſe Lector judicet, quantillum faciant ad evincendam doctrinam Geniorum apud *Ariſtotelem*, niſi eum admodum candidè interpretemur. Feci verò quod potui in ſecundo illo loco. Nec tamen magnopere mihi illìc ſatisfacio.

Cùm Eſſentiæ tam purè incorporeæ, impreſſionis ab Objectis corporeis omnino ſint incapaces, &c. Ac proinde cùm nec virtute præcellentiæ ſuæ eſſentiæ Ideas ipſorum ſcenáſque omnium variationum complectantur, nec tam arcta ſit, quemadmodum cum Creatore omnium Deo, inter ſe connexio, neceſſe eſt ut iſta omnia earum notitiam fugiant.

Sect. 7. *Proni ſumus ad ſuſpicandum eas faciliores eſſe quàm ut ſint veræ, &c.* Quod quidem in cauſa eſt cur apud aliquos Demonſtratio illa Exiſtentiæ Dei ab Idea illius petita ſuſpecta ſit falſitatis, (cùm nihil tamen illâ ſit ſolidius) nempe quòd tam facili negotio rem conficiat, & tam ſubitò ac quaſi ex improviſo animum occupare & in aſſenſum rapere velle videatur.

Quoniam tam clarè jam ſit intelligibilis, &c. Idea nempe *poſſibilis* ſubſtantiæ incorporeæ ſive Spiritûs particularis. Quam tamen tanquam *poſſibilem* tantùm affirmo, quemadmodum fuſiùs in hac ipſa ſectione declaro. Quæ verò ſit in genere vera Spiritûs ſive Eſſentiæ incorporeæ Idea, in *Enchiridio Metaphyſico* ſatis diſtinctè edocui, quæque ſit animæ noſtræ, in Scholiis in hunc Tractatum mox accuratiùs edocebo.

Sect. 13. *Quid merarum Potentiarum Mechanicarum Materiæ atque Motûs effectum ſit, &c.* Non quòd ullum integrum Phænomenon ſit quod ex meris rationibus Mechanicis conſiſtat, ſed quòd in ſingulis ferè ſit, quod, quantùm ad ſuam naturam, merè ſit Mechanicum. Ut figura particularum ſalinarum quâ pungunt, &c.

Sect. 14. *Primúſque gradus ad maximè abſtruſa Myſteria in Naturali Theologia, &c.* Nam hinc Deum non ſolùm eſſe ſed immaterialem eſſe certò cognoſcimus, & per hanc *Externi Sermonis* Immaterialis Creationem (*Spiritum* intelligo *Naturæ*) *Interni Sermonis*, qui *Logos* dicitur, æternam generationem faciliùs intelligimus, pérque operationem hujus *Spiritûs Naturæ* in Mundanam Materiam naturalem, *Spiritûs Sancti* operationem in *Mundum Divinum, Divinúmque Elementum* in vehiculis Animarum ſanctarum & Angelorum.

Sect. 15. *Ut Carteſii Lectionem in omnibus Scholis publicis ſive Academiis commendarent, &c.* Modò nempe eâ fiat fide ac diligentiâ ut Philoſophia illius Mechanica diſtinctiſſimè penitiſſiméque intelligatur. Qui enim ſic intelligunt, deprehendent proculdubio illius inſignem defectum, aliúdque principium præter Materiam Motúmque Mechanicum ad explicanda Naturæ Phænomena neceſſariò eſſe aſciſcendum. Quòd ſi verò, per deſidem quandam & ignavam egregii Philoſophi admirationem Scripta illius commendentur tantùm Juvenibus Academicis aut perfunctoriè prælegantur, ad Atheiſmum plus conferet Religioniſque contemptum quàm ad ullam ſolidam Dei Naturæve cognitionem. Vide *Præfat. Enchirid. Ethic. Sect.* 17, 18, 19, *&c.* uſque ad finem Præfationis.

IMMORTALITAS ANIMÆ.

LIBRI PRIMI

CAP. I.

1. Præſentis Speculationis utilitas ad Providentiam rectiùs intelligendam, vitámque inſtituendam ad ſummam noſtram felicitatem. 2. Ad moderatè ferendum mortem & infortunia amicorum. 3. Ad ingenerandum nobis veram magnanimitatem, 4. Pacem item & Tranquillitatem animi. 5. Speculationem tanti momenti non perfunctoriè tractandam eſſe.

1. Speculationum omnium quibus Anima humana oblectare ſe poteſt, nulla gravior eſt propiúſve ad ipſam pertinet, quàm hæc ipſa de ſua ipſius *Immortalitate*, à *terreſtrique* hoc *corpore Independentia*. Eâ enim non ſolùm ardua & perplexa *Providentiæ* faciliora animæ ac planiora fiunt; ipſáque valet, glomum hunc evolvendo prorſus, ire & redire liberè per Labyrinthum iſtum, ubi multi, & anxii & negligentes homines in inexplicabilem ſeſe errorem induêre: verùm etiam (id quod ipſius propriè intereſt) in ſcientiam perſuaſionémque certam Concluſionis tam gravis, tanquam in ſpeculam, ſublata, proſpectare poteſt indè certiſſimam breviſſimámque viam ad ſuam ipſius felicitatem; quæ ſcilicet hæc eſt, modicè diligere quicquid ſe tentat, quamdiu hîc perigrinetur, & ſummo ſe ſtudio in futuram conditionem ſuam adornare, præclaris factis, egregiiſque eis animi dotibus, quæ acceptiſſimam ſe patriæ ſuæ ſint redditura.

2. Quæ perſuaſio ejus ac propoſitum efficiet ut omnino nè poſſit quidem vitæ vel fortunæ acerbiſſimorum inimicorum invidere, nec morti aut infortuniis chariſſimorum amicorum immodicè indolere; quippe quæ nullos amicos habet qui iidem non ſunt amici Dei & virtutis, quorúmque mala multùm ipſis profutura ſunt ad poſteram ſuam felicitatem, & exceſſus è vita ad præſentem poſſeſſionem ejus aditus futurus eſt.

3. Anima igitur in hac tam magna támque ad ſe prorſus pertinente perſuaſione firmiter ſtabilita, ab humilibus abjectiſque cunctis cogitationibus & conſiliis liberatur; nec hilo plus admiratur eum, qui ſive induſtriâ, ſive fortunâ, ſive animi denique verſutiâ, terrenarum opum plurimum corraſerit, quàm vir prudens & gravis ſuſpicit lucella puerorum; quippe cujâ perparum refert, quis nucibus vicerit, quiſve domum retulerit ſacculum quadrantibus onuſtiorem.

4. Nullâ ergo tangitur æmulatione, præterquam benefaciendi, ſuperandíque, ſi fieri poteſt, exempla hujus & præteriti temporis nobiliſſima; nec ullam contentionem ſuſcipit, niſi ſecum, quòd ad id quò tendit majorem non fecerit progreſſum: nec quicquam ſpectans quod homines largiri poſſunt, ſummam rem fortiter aggreditur; atque indies ſibi lucíque auxiliatrici fidelior evadens, primitias demum futuræ meſſis ſuæ prælibat, & pluſquam præſagit magnam felicitatem illam ſibi tandem

obventuram. Atque ità moleſtiis ſolicitiſque curis præſentis mundi libera, commoratur in eo æquo animo & tranquillo, & relinquit tandem cum gaudio.

5. Quapropter cùm cognitio fideſque Immortalitatis Animæ tanti momenti ſit, noſtrum eſt doctrinam tam gravem diligentiùs tractare atque accuratiùs: quod non verbis temerè profuſis, ſed parcè & frugaliter diſpenſatis efficiendum erit; ut nè quid calamo noſtro excidere patiamur, niſi quod ad rem propiùs faciat, nec quicquam omittamus quod pondus habeat ad veritatem ejus evincendam.

CAP. II.

1. *Immortalitatem Animæ, methodo Authoris, demonſtrabilem eſſe omnibus niſi merè Scepticis.* 2. *Illuſtratio Axiomatis primi.* 3. *Confirmatio & exemplum ſecundi.* 4. *Explicatio tertii.* 5. *Explicatio & probatio quarti.* 6. *Probatio quinti.* 7. *Probatio ſexti.* 8. *Exemplum ſeptimi.* 9. *Confirmatio veritatis octavi.* 10. *Demonſtratio & exemplum noni.* 11. Penetrabilitas *immediata proprietas ſubſtantiæ* Incorporeæ; 12. *Ut &* Indiſcerpibilitas. 13. *Probatio & Illuſtratio Axiomatis decimi.*

1. ET ut omnia præcludam, nè quà homines ingenii confuſi & captioſi effugiant aut elabantur, pauca quædam Axiomata præmittam, ità plana & perſpicua, ut ſanum quemque pudeat ea negare, ſi quid omnino concedat eſſe verum. Perfectus autem *Scepticiſmus* inſanabilis eſt morbus, res miſeranda aut ridenda potiùs, quàm ſeriò oppugnanda. Nam cùm quis adeò incertus ſit & deſultorius, ut ſuarum ipſius facultatum ſententiæ ſtare nolit, ei non magìs affigere quicquam potes, quàm in aqua ſcribere, aut ventum in nodos nectere. Qui verò non uſque adeò deſpondent animum, quin ſe jam ſcire aliquid, & plura poſſe diſcere, exiſtiment; haud dubito quin ii, ad paucas has regulas aliáſque ſuo loco tradendas, cùm opus eſt, recurrentes, ſi non coacti, perſuaſi certè erunt *Immortalitatem Animæ* in illis Veritatibus numerare, quæ certiſſimæ videri debent omnibus, quibus ingenium & otium ſuppetit, ad accuratè examinandum penitúſque intelligendum ea, quæ ego hîc ſcripſi ad eam demonſtrandam.

AXIOMA I.

Qualeſcunque res in ſe ipſæ ſint, id noſtrâ non refert ampliùs, quàm ex animi noſtri facultatibus innoteſcant.

2. HOC Axioma eſt per ſe ſtatim manifeſtum. Quemadmodum enim res nulla v. c. ad *viſivam* potentiam pertinet, niſi quatenus eadem eſt *viſibilis*; ità in univerſum potentias *cognitivas* nihil afficit ullatenus, nedum determinat, niſi quatenus idem eſt *cognoſcibile*.

AXIOMA II.

Quod planè eſt incognitum, vel ut poſſibile tantùm cognitum, id nos quòquam determinare non debet, nec ſuſpenſos reddere; præſenti verò mentis lumini planæque facultatum ſententiæ inhærendum eſt.

V. Antidot. lib. 1. cap. 2, & 9.

3. HOC manifeſtum eſt conſectarium ſuperioris Axiomatis. Cujus enim exiſtentia eſt merè poſſibilis, id actu exiſtere prorſus neſcimus; nec quicquam proinde ponderis ad concluſionem ullam infirmandam habere debet, niſi ad æternum noſmet Scepticiſmum damnare velimus. Ex c. Cùm quis ab arte ſumma & conſilio in fabrica corporis terreſtrium omnium animantium conſpicuo, Deum eſſe & Providentiam evicerit; ſi opponeret aliquis, Ut ut hîc ſit, poſſe nihilominus in Saturno, Jove, aliôve ex Planetis, animantes eſſe ineptiſſimè fabricatas; Equos, putà, tres tantùm habentes pedes, aurem atque oculum unicum, ambóſque ad idem capitis latus, oculum quoque ubi aurem eſſe oportuit; Tauros & Arietes cum cornubus de tergo enatis, & ſimilia: Hujuſmodi quæ ſunt exceptiones, ſecundùm hoc Axioma, nequaquam valere debent ad Concluſionem infirmandam.

AXIOMA III.

Non omnes Facultates noſtræ ſuffragandi jus habent ad veritatem determinandam, ſed Notiones Communes duntaxat, Externus Senſus, & Deductiones Rationis irrefragabiles.

4. PER *Notiones communes* intelligo quicquid eſt *Noematicè* verum, i. e. quod ſenſu terminorum clarè percepto, omnibus non prorſus amentibus, abſque omni ratiocinio verum eſſe conſtat. * In *ſenſu externo Memoriam* etiam comprehendo, quatenus ſenſata fideliter conſervat. Per *irrefragabilem deductionem rationis*, intelligo talem collectionem veritatum alius ex alia, in qua nil deprehendi queat quod malè cohæreat.

AXIOMA IV.

Quod nec his omnibus, nec alicui ſaltem earum eſt conſonum, mera eſt Imaginatio, & nihil ſeu vigore ſeu perplexabilitate ſuâ valet ad veritatem aut falſitatem evincendam.

5. MEram *Imaginationem* dico, ut eam à repræſentationibus illis diſtinguam, quæ, quamvìs objecti cujuſpiam realis impreſſiones puræ non ſint, ex his tamen, vel ex Notionibus communibus, vel ex utriſque, per *Deductionem rationalem* oriuntur. Quæ non his rationibus formantur phantaſmata, meras *Imaginationes* appello; quas nihil valere dico in veritate judicanda. Nam ſi *Imaginationis* vigor ad probandam veritatem ſufficeret, amentium inſomnia pro oraculis habenda ſunt: aut ſi propter *perplexabilitatem* ejus retineamus aſſenſum, demonſtrationibus Mathematicis ipſis non habenda eſt fides; & 16. Propoſit. 3. Lib. *Euclidis* contradictionem in ſe continere audacter affirmabitur.

V. Antidot. lib. 1. cap. 4. ſect. 2.

AXIOMA V.

Quod alicui harum Facultatum clarè patet, reliquis nihil habentibus quod contrà opponant, ei ſine ulla dubitatione aſſentiendum eſt.

6. ALioquin nemo de Objecto ullo ſenſibili quid certum haberet, nec poſſet aſſenſum præbere firmum his aliiſve hujuſmodi effatis, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; Quicquid ſit, aut finitum eſt aut infinitum.*

AXIOMA VI.

Quod una Facultas reſpuit, nec cæterarum ulla teſtimonio ſuo favet, id falſum eſt habendum.

7. ALiter pro veris admittentur, ſaltem annon vera ſint dubitabitur, hæc atque hujuſmodi Impoſſibilia; *Pars eſt major toto; Eſt aliquid, quod neque finitum eſt, neque infinitum*; Socrates *eſt inviſibilis.*

AXIOMA VII.

Quod clarè & manifeſtò concluditur, irrefragabile haberi debet, ſi eæ duntaxat contrà afferantur difficultates, quibus & aliæ Concluſiones laborare agnoſcuntur, quæ ab omnibus nihilominus veriſſimæ exiſtimantur.

8. SI cui, ex. c. qui graviſſimis argumentis, *Materiam infinitam eſſe poſſe*, vel *Spatium reverà infinitum eſſe*, probaverat, hoc tantùm objiciatur, decimam tunc partem iſtius materiæ infinitam fore; cùm certiſſimum ſit * alicujus rei in natura rerum exiſtentis durationem infinitam eſſe, partémque decimam item durationis iſtius infinitam; ſuperior concluſio nihilominùs firma manet: utpote quæ non graviore oneratur incommodo, quàm quod cum veritate irrefragabili conſiſtere agnoſcitur.

AXIOMA VIII.

Subjectum, ſeu nuda Eſſentia ſubſtantiáve rei, à nulla noſtrarum facultatum concipi poteſt.

9. AD hujus veritatem evincendam, non aliâ re opus eſt, niſi ut mentem quiſque ſuam tacitus interroget, annon ità ſe res habeat; an item conceptus ſuus de ſubjecto, aptitudinibus, operationibus, proprietatibus, modificationibúſque omnibus orbato, * quicquam aliud ſit niſi Idea ſubſtantiæ meræ omníque omnino diverſitate carentis; ità ut una ſubſtantia ab alia diſtingui tunc non poſſit, niſi per *Accidentia* & *Modos*, quæ propriè ſubſiſtentiam non habent.

AXIOMA IX.

Proprietates, Potentiæ, & Operationes quædam ſunt, quæ immediatè ad Rem pertinent; quæ cur ità faciant, ut ratio afferri non poteſt, ità nec quæri debet; nec via & ratio, quâ attributa illa & ſubjecta cohæreant inter ſe, intelligi ullo modo poteſt.

10. VEritas hujus Axiomatis patet à ſuperiori. Nam ſi *nuda ſubſtantia* rei tam prorſus incomprehenſibilis ſit, nihil in ea reperiri poteſt quod illam primáſque proprietates ejus connectat. Hujus generis ſunt *actualis diviſibilitas* & *impenetrabilitas* materiæ. Per *actualem diviſibilitatem* intelligo *diſcerpibilitatem*, rudem illam craſſámque dilacerationem diſciſſionémve partium. Hæ ſunt immediatæ proprietates *materiæ*; quæ cur in ea potiùs ſint quàm in alio ſubjecto, tam inſolenter faciet, qui rationem pollicetur ipſe, quàm inſcienter, qui eam petit abs alio. *Attributa* enim *immediata* ſunt indemonſtrabilia; aliter non eſſent *immediata*.

11. Sic *Spiritûs* ſeu *ſubſtantiæ immaterialis* proprietates immediatæ ſunt *Penetrabilitas* & *Indiſcerpibilitas*. Quarum cum ſubjecto ſuo cohæſio neceſſaria, non magìs, quàm ſuperior illa, demonſtrari poteſt. Poſito enim, quod & manifeſtò verum affirmare auſim, nullam non ſubſtantiam aliquo modo eſſe trinâ dimenſione præditam; ſubſtantia ea, quam *materiam* dicimus, tam potuit *penetrabilis* eſſe quàm *impenetrabilis*, nec interim ſubſtantia eſſe deſiiſſe: quòd verò partes ſuas tam firmè ac invictè prohibeat nè alias aliæ penetrent, rem ità quidem eſſe videmus, quamobrem verò prorſus ignoramus. Nulla enim connexio neceſſaria cernitur inter ſubſtantiam trinæ dimenſionis & *Impenetrabilitatem*. Quod quidam dicunt contrà, repugnare prorſus ut ſubſtantiæ extenſæ pars una in alteram penetret, quòd ità pars extenſionis proindéque ſubſtantiæ ipſius, periret: hoc, infirmum eſſe dico, ſi propiùs inſpiciatur. Nam non magìs hìc perit ſubſtantia, quàm de filo aliquid perditur in ſe ſæpiùs replicato, vel de cera ſi ex longa feceris rotundam: dimenſio quidem longitudinis quodammodo periit, ſalvâ tamen atque integrâ totâ ceræ ſubſtantia. Eodem modo cùm ſubſtantiæ extenſæ pars alia in aliam penetrat, aliquid quidem & longitudinis, & latitudinis, & profunditatis pereat, & tamen ſalva adhuc maneat tota ſubſtantia; ſimiliter ut in cera longitudo quidem periit abſque ullo ſubſtantiæ detrimento.

Et quemadmodum quod de *longitudine* ceræ diminutum erat, id compenſabat aucta *latitudo* vel *profunditas*; ità quicquid hìc omnibus aut duabus quibuſvis dimenſionibus perit, id totum ſalvum manet in *Eſſentiali ſpiſſitudine*: ità appellare libet modum ſeu proprietatem ſubſtantiæ illius, cujus una pars aliam in ſe poteſt recipere. Qui quidem modus quartus tam facilis eſt támque familiaris meo intellectui, quàm notiſſimus ille trinarum dimenſionum, ſenſui ſeu imaginationi. Nam per *ſpiſſitudinem* nil aliud intelligo, præterquam replicationem contractionémve ſubſtantiæ, minus in ſpatium quàm quod aliàs occupat. Cui affinis eſt, duarum ſubſtantiarum, diverſi generis, in eodem loco coexiſtentia.

Modis his utriſque competunt *Reduplicatio* & *Saturatio*: * illa, cùm ſubſtantia ſemel tantùm in ſe aut in aliam replicatur; hæc, cùm toties, ut, niſi difficillimè, amplius non capiat. Plures autem extenſiones eidem loco, eodem tempore, commenſurabiles eſſe, perſpicuum eſt; quòd motus, qui certè non eſt nihil, ſubjecto ſuo, & utrumque ſpatio, coextenditur. Duæ res igitur eidem ſunt ſpatio ſimul commenſurabiles.

12. Cùm ergo ſubſtantia extenſa (& omnes ſubſtantiæ ſunt extenſæ) per ſe ſit indifferens ad *penetrabilitatem* & *impenetrabilitatem*; & cùm genus unum ſubſtantiæ tam impenetrabile cernamus, ut una pars ejus in aliam nequaquam penetrare queat,

quas partes tamen pari ratione expectâſſemus futuras fuiſſe tam invictè inter ſe unitas, ut nulla vis eas ſeparare valeret (nam *Indiſcerpibilitas* tam bene cum ſubſtantia connectitur, quàm cum eadem *Impenetrabilitas* connexa eſt ; neutrâ earum, quòd *attributa immediata* ſuorum ſubjectorum ſunt, ſub judicium rationis vel demonſtrationis cadente. Ex eo enim quòd ſubſtantia ſit extenſa, nemo rectè inferre poteſt eam etiam eſſe *diſcerpibilem* potiùs quàm penetrabilem ; cùm extenſio peræquè ſit ad utrumque apta & propenſa) hinc, inquam, tam facilè admitti debere exiſtimo, poſſe ſubſtantiam aliquam per ſe eſſe *indiſcerpibilem*, quàm aliam quandam *impenetrabilem* ; atque ut genus unum ſubſtantiæ exiſtit, naturâ ſuâ *impenetrabile* & *diſcerpibile* ; ità & alterum quoque exiſtere poſſe, *indiſcerpibile* & *penetrabile*. Quorum neutrius ulla reddi poteſt ratio, præter unam hanc, quòd utrumque proprietates immediatas habet talis ſubjecti.

AXIOMA X.

Potentia, Proprietas, aut Operatio quædam reperta, certò alicui ſubjecto non competens, certiſſimum eſt argumentum Exiſtentiæ alterius, cui competere debebit.

13. UT cùm *Neſſus* fluvius *Pythagoram* trajicientem nominatim compellabat ; & Arbor, *Theſpeſionis* Gymnoſophiſtarum principis juſſu, *Apollonium* voce diſtinctâ, articulatâ, & muliebri ſalutabat : manifeſtum eſt ſubfuiſſe aliquid præter Fluvium & Arborem (neutro eorum aut ratione aut ſermone prædito) cui ſalutationes iſtæ tribuendæ ſunt.

Iamblich. de vita Pythag. cap. 18. Philoſtrat. de vita Apollonii, lib. 6.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. 4.

IN Senſu externo Memoriam etiam comprehendo, &c. *Nec non Hiſtoriam quidem, quatenus Rationi conſtare poſſit eam eſſe veram.*

Sect. 8. Alicujus rei ----- exiſtentis Durationem Infinitam, &c. *Cùm hæc ſcriberem ſuſpicor me iſtam in integrum non exuiſſe opinionem, Quòd omnis duratio ſit ſucceſſiva, quam nunc credo falſam, ſatiſque demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico. *Exemplum igitur commodius eſſet, ipſum Spacium, quicquid ſit, ſi quis nullam contra infinitam Materiam Objectionem afferre poſſet, quin eadem fiat contra Spacium, &c. Materiam autem reverà finitam eſſe, in dicto* Enchiridio, *quibus potui argumentis, demonſtravi.*

Sect. 9. Quicquam aliud ſit niſi Idea ſubſtantiæ meræ omníque omnino diverſitate carentis, &c. *Qui hinc colligere volunt ſubſtantiam corporis ac Spiritûs eandem eſſe, ſepoſitis eorum proprietatibus,* Diſcerpibilitatis *putà &* Indiſcerpibilitatis, Impenetrabilitatis *&* Penetrabilitatis, *admodum imperitè profectò inſulſéque id faciunt. Genuinus enim hujus loci ſenſus eſt, Nullius ſubſtantiæ ſpecificæ plenam diſtinctámque, ipſius nempe ſubſtantiæ, nos habere poſſe Ideam, ſecluſis proprietatibus, quanquam certâ ratione colligimus, ubi iſta diverſitas vel potiùs contrarietas proprietatum reperitur, eáque permanens & eſſentialis, tametſi nos illius ſubjecti diſtinctam Ideam formare non poſſumus, diſtinctam tamen ſubeſſe iſtis proprietatibus ſubſtantiam. Ità ut nemo niſi impensè ſtupidus, ſi exiſtat ſubſtantia aliqua ex ſe* penetrabilis *&* indiſcerpibilis, *dubitabit unquam, quin ipſa ſubſtantia ejus, à qua proprietates profluunt, à ſubſtantia corporea ſit ſpecificè diſtincta ; & ſi exiſtat ſubſtantia ſpecificè à corpore diſtincta, (quod multis & inexpugnabilibus argumentis in ſcriptis meis demonſtravi,) quin ſubſtantia hæc ſit* penetrabilis *&* indiſcerpibilis, *quippe Corpori immediatè & ſpecificè oppoſita. Quod dictum volo ad vellicationes miſeri illius Philoſophaſtri* J. W. *in ſuo* Lamiarum Patrocinio, *cap.* 10. *quibus profectò nunquam in quicquam inſcitius incidi aut inſulſius.*

Sect. 11. Illa, cùm Subſtantia ſemel tantùm in ſe aut in aliam, &c. *Heic non ſic intelligi volo aſi per* Reduplicationem *ſignificem tantùm Duplicationem, vel Subſtantiam in Subſtantiam ſemel tantummodo ductam ; ſed & duplicationem ſæpiùs repetitam, modò eouſque non fiat, ut ſubſtantia ſubſtantiam ulteriùs non admittat : tùnc enim* Saturatio *eſt nuncupanda ;* Reduplicatio *verò vel à prima Duplicatione ad hanc uſque* Saturationem. *Hinc eſt quod dico, quando vel ſemel ſubſtantia in ſe aliàmve duplicatur, appellandam eſſe* Reduplicationem.

CAP. III.

1. *Notiones* Corporis *&* Spiritûs *generales.* 2. *Notionem* Spiritûs *peræquè intelligibilem eſſe ac* Corporis. 3. *An ſit aliqua ſubſtantia, mediæ inter* Corpus *&* Spiritum *naturæ.*

1. OMnium verò maximè obſtat, quo minùs Anima credatur immortalis, confidentiſſima nonnullorum opinio, notionem *Spiritûs* abſurdiſſimam affirmantium, rationi incongruam & planè repugnantem. Quapropter ut ad ſummam rem noſtram gradatim perveniamus, atque ut operis fundamenta alta & firma jaciantur; primò ante oculos ponemus genuinam notionem *Spiritûs* generatim ſumpti; deinde ſingularum ſpecierum: ut ſic conſtet omnibus, quàm iniqua ſit iſta in ſubſtantias incorporeas calumnia, quaſi, ſcilicet, eſſent meræ abſurditates & repugnantiæ. *Spiritum* itaque in genere definio, * *Subſtantiam penetrabilem & indiſcerpibilem.* Quæ definitio quàm apta ſit & congrua meliùs intelligetur, ſi ſubſtantiam in genere dividamus in primas ſuas ſpecies, *Corpus* & *Spiritum*, & tunc *corpus* definiamus *Subſtantiam impenetrabilem & diſcerpibilem*; Unde ſpecies huic contraria aptiſſimè definiri videbitur, *Subſtantia penetrabilis & diſcerpibilis.*

2. Ad quemvis hominem nunc provoco, qui, præjudiciis depoſitis, liberum facultatum ſuarum uſum habet, annon termini quique in definitione *Spiritûs* æquè ſint intelligibiles & rationi congruentes, ac ii qui ſunt in definitione *corporis.* Nam præciſa notio ſubſtantiæ eadem eſt in utroque; in qua comprehendi puto *Extenſionem & Activitatem*, ſeu *connatam* eam, ſeu *communicatam.* Materia enim mota ipſa, aliam materiam movere poteſt. Et quid *penetrabile* ſignificet tam facile eſt intellectu, quàm quid *impenetrabile*; quid *indiſcerpibile* ſit, quàm *diſcerpibile*: & cùm *penetrabilitas* & *indiſcerpibilitas* tam immediatè *Spiritui* cohæreant, quàm *impenetrabilitas* & *diſcerpibilitas* corpori, par erit ratio attributorum utriuſque, Axiom. 9. Porrò, cùm ſubſtantia, in præciſa ipſius Notione, *Impenetrabilitatem* non complectatur magìs, quàm *Indiſcerpibilitatem*; ex æquo mirandum erit, quî fiat, ut una ſubſtantia tam firmiter invictèque alteram arceat & excludat (id quod materiæ partibus accidit inter ipſas) ac cur partes alterius ſubſtantiæ tam arctè ſibi mutuò adhæreant, ut nullâ vi diſcerpi queant; ut ſuprà innuimus. Itaque, quandoquidem illius prohibitio & excluſio tam difficilis eſt intellectu, quàm hujus unio & adhæſio; notioni *Spiritûs* hoc fraudi eſſe non debet. Firmiſſima enim eſſe poteſt unio, cujus cauſam tamen imaginari non poſſumus; ut cernitur in corporibus valde duris; quorum partes quid adeò firmiter connectat, nemo quiſquam animo concipere poteſt. Et cùm hîc gravior difficultas non ſit, quàm quòd imaginari non poſſumus, quid Spiritûs partes connectat; ſequitur, Axiom. 7. notionem *Spiritûs* reſpuendam non eſſe tanquam incongruam, verùm admittendam ut notionem rei quæ revera exiſtere poteſt.

3. Dubitare licet, poſſintne & aliæ Eſſentiæ exiſtere, mediæ inter *corporeas* & *incorporeas*, quas deſcripſimus, conditionis & naturæ; eæque duorum generum: alteræ, *impenetrabiles* & *indiſcerpibiles*; alteræ, *penetrabiles* & *diſcerpibiles.* Primum genus quod attinet, ſi *impenetrabilitas* iſta * reſpectum habeat ad materiam, manifeſtum eſt, iſtiuſmodi Eſſentiam exiſtere non poſſe; ſin ad partes ſuas, etiamſi tum videatur Idea rei poſſibilis, nulla tamen exiſtentiæ ejus veſtigia extant in natura: hominum dæmonúmque animabus contractionem & dilatationem notione ſuâ complectentibus.

Poſterius autem genus, primùm, nihilo plus valebit quàm materia ipſa, aut modus aliquis materiæ. Nam cùm talis ſubſtantia *diſcerpibilis* ſit, manifeſtum eſt unionem ejus fieri per juxtapoſitionem partium; & quo *penetrabilior* eſt, eo minùs ſenſum motúmque ad aliquod intervallum tranſmittere poſſe. Deinde, hypotheſis hujus ſequela planè ridicula eſt; ſic enim innumerabilibus animarum ſpirituúmque * ſegmentis compleretur mundus ac laciniis in nullum uſum aut ordinem unquam redigendis. Poſtremò, cùm propria notio ſubſtantiæ *incorporeæ*, quà maximè corporeæ oppoſita eſt, tam validam atque indiſſolubilem unionem partium in ſe neceſſariò includat, ut prorſus ſit indiſcerpibilis; nullo interim in generali hac notione incluſo ſenſu aut cogitatione: maximè conſentaneum eſt ut exiſtimemus, ſubſtantiam illam in qua inſunt, ſtrictiſſimâ quidem acceptione vocis *Incorpoream* eſſe debere. Cogitatio enim ſenſúſque communicatio, perfectiorem unionis gradum arguit, quàm quæ in merâ *Indiſcerpibilitate* partium reperiatur.

Verùm ego incaſſum tam ſcrupuloſè ago. Pro certo enim exiſtimo, neminem fore ità perverſè tergiverſationi deditum, quin, ubicunque ſubſtantiam eſſe probavero à materia diſtinctam, eam *incorpoream* eſſe ſenſu pleniſſimo maximéque proprio conceſſurus ſit.

SCHOLIA

In CAP. III. SECT. I.

SUbſtantiam penetrabilem & indiſcerpibilem, &c. *Nemo eorum qui partium impenetrabilitatem materiæ tribuunt, modò mentis compos ſit, hanc noſtram* Spiritûs *definitionem negare poteſt. Qui autem ſpecies* Intentionales *& Imagines in ſpeculis corpora eſſe putant indiſcerpibilia, non tam* Reſponſo *indigent, quàm* Helleboro, *ut qui delirant planè miſeréque hallucinantur. Cùm igitur omnis ſubſtantia corporea* impenetrabilis *ſit &* diſcerpibilis, *neceſſariò ſequitur ut ſubſtantia quæ* penetrabilis *ſit &* indiſcerpibilis, *ſit ſubſtantia incorporea, hoc eſt,* Spiritus. *Quis niſi plumbeo planè cerebro hæc non videt, aut niſi fronte metallinâ auſit inficiari?*

Illud paulò peritiùs urgetur ab iis qui partium penetrabilitatem *materiæ aſſignant. Nam ſi illud verum eſſet, definitio hæc noſtra* Spiritûs, *fateor, vacillaret. Sed pauciſſimi nunc dierum ex melioris notæ philoſophis exiſtunt qui rationem condenſationis & rarefactionis* Ariſtotelicam *non explodunt.* Carteſianam *omnes ferè uno ore profitentur. Et certè doctiſſimus ille Medicus* Johannes Baptiſta Van-helmont *ingenuè fatetur nullâ vi artéve* humanâ *penetrationem corporum effici poſſe, in Diſſertatione* de Injectis Materialibus. *Quòd autem aut* Naturæ *ipſius vi in operationibus* Seminalibus *& in* Injectis tranſmittendis, *aut Magicâ ſive Diabolicâ effici poſſe contendit, nulla quæ profert exempla, licèt vera ſint quæ narrat, mihi id ſatìs probare videntur.*

Quantùm enim ad ea quæ majora ſunt quàm pro meatu Faucium *& Ani, cujuſmodi fuit* Equuleus ille *& fruſtum* Bombardæ æneæ, *non dubito, cum* Wyero *in caſibus conſimilibus, affirmare ea non exiiſſe per fauces aut per anum, ſed ludibria Dæmonum eſſe, & per eorum præſtigias videri ſic fieri. Quod idem de corio bubulo volam manûs æquante per cutem integram à Saga (* Brugis *poſtea cremata) ut ipſa faſſa eſt, injecto, ſentio. Per Dæmonem ſcilicet præſtigioſè inter aperiendum Apoſtema fuiſſe injectum, non per cutem ſanam atque integram ante Apoſtema aut factum aut apertum. Aut concrementum aliquod fuiſſe in Apoſtemate corio bubulo haud abſimile illîc genitum ab* Archeo *Univerſi hominiſve proprio aut utriſque ſimul, Univerſi* Archeo *ſive* Spiritu Naturæ *vi priùs imaginationis alicujus Magicâ in eam vitalem ſeminalémve* Ideam *excitato. Ut fit in ſignaturis gravidarum. Eſt enim illîc imaginationis gravidæ ea vis Magica ut* Spiritum Naturæ *in conſenſum rapiat. Vetulam autem aliquam improbam cujus anima in terrenum hoc corpus adeò immerſa eſt, eâ imaginationis vi pollere, ut hujuſmodi* ideas vitales *in* Spiritu Naturæ *ad diſtans pro libitu excitet, mihi nequaquam veriſimile videtur. Veriſimilius eſt fieri ope Diaboli qui præſens ſit &* imaginatione *&* operâ, *Materiámque aliquam ſubtilem* Seminalem *quam præparare noverit, per poros cutis inſenſibiliter tranſmittat, unde iſtiuſmodi portenta generentur. Adeò nihil opus eſt ut corium iſtud bubulum per illæſam cutem unquam penetraverit.*

Quantùm verò ad Injectorum *ſolidorum quæ caſu tantummodo, nullâ malâ arte, in corpus per os injecta ſint, quod, inquam, ad eorum per Stomachum, Inteſtina, Uterum, Omentum, Abdomen, Pleuram, Veſicam, per membranas nempe haſce (illæſis omnino membranis vel integris interim & continuis manentibus) penetrationem attinet, id quidem fieri omnino nego, ſed per foramina non vi mechanicâ, ſed miniſterio proprii corporis* Plaſticæ *ac* Spiritûs Naturæ *facta, tali ferè modo, quo ovum ab ovario per Infundibulum in proceſſus uteri tranſmittitur, præterquam quòd hîc admodum exiguum foraminulum ſit, illîc verò nullum niſi quod pro re nata à* Spiritu Naturæ *fiat. In quo faciendo cùm ſuis planè paſſibus procedat, vi ſuâ Plaſticâ ac ſanativâ tempeſtivè conglutinat quod diruperat, ut in exemplo teſtarum conchyliorum ad fœtum per uterum tranſmiſſarum. Quod longè longéque credibilius eſt quàm fieri per penetrationem dimenſionum. Et quod* deſiderium *aut* gaudium *facit in gravida, idem præſtare poteſt dolor & anxietas in reliquis pleriſque inſtantiis quas profert* Helmontius. *Caput autem, manus ac brachium tribus Fœtibus vi imaginationis matrum ſubito terrore conſternatarum, ablata & nuſquam in partu apparentia, penetrationem dimenſionum non probant, ſed dictarum partium vi* Spiritûs Naturæ, *ab imaginatione matrum excitati, in ſubtiliſſimam materiam inviſibilem, comminutionem vel diſſolutionem.*

Denique nec illa ſuppoſitio Helmontii *vera eſt, Quòd in rerum* ſeminibus *ſit iſtiuſmodi corporum mutuò penetrandi energia. Quod ſic probare tamen adnititur.* Nam multa, *inquit*, ſunt corpora pluries ponderoſa quàm materia unde conflantur. Et neceſſe eſſe *aſſerit* concidere partes plus quindecim aquæ in unum, ut unica pars auri indè fiat. Etenim pondus non fit ex nihilo. Ergo Aqua naturaliter toties penetrat ſuum corpus quoties aurum aquæ præponderat. *Hoc equidem argumentum, ſi Gravitas innata materiæ eſſet ſive intrinſeca proprietas, eique competeret quatenus tali, vim ſuam habiturum eſſet; nunc verò cùm ab altera moveatur ſubſtantia à ſe diſtincta, partéſque ejus ab eo Principio ſecundùm ſuam majorem minorémque ſoliditatem, ſenſu* Carteſiano, *diſponantur, argumentum parum valet.* Carteſiani *autem illud corpus minùs ſolidum ſtatuunt, cujus particulæ ſunt tenuiores, poroſiores, & ſuperficioſiores, ipſarúmque particularum unio laxior; ex quo* Soliditatis *ratio facilè intelligitur.* Spiritus *autem* Naturæ *pro gradibus ſoliditatis Materiæ eam fortiùs deorſum urget: unde conſtare poteſt pondus non eſſe ex nihilo vel potiùs à nihilo ſed à* ſoliditate *Materiæ &* Spiritûs Naturæ *impulſu. Quòd autem Aqua quindecies hoc ſenſu non ſit auro minùs ſolida, nullis quod ſciam argumentis quiſquam poteſt demonſtrare. Ex quibus omnibus efficitur, nihil ſolidi afferri contra* Spiritûs *definitionem, quem ex* Penetrabilitate *partium perinde atque ex earundem* Indiſcerpibilitate *definivimus. Adeò nihil hîc egit* Webſterus *contra hanc noſtram definitionem frivolis ſuis Cavillationibus.*

Sect. 3. Reſpectum habeat ad Materiam, manifeſtum eſt iſtiuſmodi Eſſentiam exiſtere non poſſe, &c. *Nimirum, Eſſentia indiſcerpibilis perinde ac impenetrabilis. Omnia enim corpora quæ in rerum Natura occurrunt, ſatìs conſtat dividi poſſe & in partes diſcerpi. De Atomis vero figuratis Epicureorum quarum partes indiſcerpibiles eſſe volunt, nihil ſum ſolicitus, cùm huc non pertineant, & de iis alibi dictum ſit ſatis.*

Segmentis compleretur Mundus ac Laciniis, &c. *Nam ſic quidem habendæ ſunt, nempe congeries Spirituum, ſi Vitales ſunt & tamen diſcerpi poſſunt, ac proinde non mediæ naturæ, ſed naturæ verè Spiritualis. Si verò vitales non ſunt, ſed ſolâ penetrabilitate à Materia naturali differunt, adeò ad rem omnem inutiles ſunt, ut incredibile ſit in rerum Natura exiſtere. Ex hac ſpuria igitur ſpecie Divinam Materiam effingere valde temerarium eſſet, ut & alteram corpus, non Spiritum appellare ſatìs abſonum.*

C A P. IV.

1. *Notiones ſingularum ſpecierum Entium* Immaterialium *nullam habere repugnantiam nec incongruitatem.* 2. *Naturam* Dei *æquè intelligibilem eſſe ac naturam Entis cujuſlibet.* 3. *Vera notio* Ubiquitatis *ejus, & quàm intelligibilis ſit.* 4. *De* Unione *Eſſentiæ Divinæ.* 5. *De Potentia ejus* Creatrice.

1. NOtionem *Spiritûs* in genere nè omnino incongruam nec impoſſibilem eſſe oſtendimus. Neque ſecùs eſt in ſingulis ſpeciebus; *Deo, Angelis, Animabus* hominum & Brutorum, λόγοις denique σπερματικοῖς ſeu *ſeminalibus* rerum formis.

2. Notionis *Dei* cognitio quamvìs per confuſionem ſtupiditatémque animi & ſuperſtitioſorum & impiorum hominum plurimùm incommodetur, qui utrique mirè ſibi placent fuſiùs rhetoricando, quàm prorſus Deus * omnem intellectum & comprehenſionem fugiat; illi, pio quidem animi motu, ad excellentiam naturæ ejus ſuper omnia efferendam; hi autem, ad perſuaſionem exiſtentiæ ejus ridiculam faciendam, tum ad vafrè perverſéque innuendum omnino Deum non eſſe, cujus conceptus ipſe non aliud eſſe apparet, quàm farrago rerum ſecum pugnantium & impoſſibilium: Ego tamen affirmare non dubito, * Ideam Notionémve ejus æquè facilem eſſe ac quamvis aliam, de illóque tantum, quantum de ulla re alia, ſciri poſſe. Etenim nullius rei Eſſentia ipſa nudáve ſubſtantia ſciri poteſt, Axiom. 8. Attributa verò ejus tam ſunt manifeſta & explorata, quàm cujuſlibet alterius ſubjecti aut ſubſtantiæ. Quare ſic illum definire licet; *Deus eſt Spiritus, æternus, eſſentiâ & bonitate infinitus, omniſcius, omnipotens, & per ſe neceſſariò exiſtens.* Quod *Spiritum* attinet, is ſuprà definitur & explicatur. Per *æternum*, nihil hîc intelligo niſi Durationem ſine fine & principio: per *infinitatem eſſentiæ*, eſſentiam ſeu ſubſtantiam ejus terminos non habere magìs, quàm durationem ipſius: per *infinitum bonitate*, benignam Dei voluntatem intelligo, quæ in immenſa & innumerabilia fertur beneficia: per *omniſcientiam*

&

& *omnipotentiam*, facultatem ſciendi & agendi quicquid ſine manifeſta contradictione concipi poteſt: per *exiſtentiam per ſe*, eum à nulla re alia exiſtentiam ſuam habere: denique per exiſtentiam neceſſariam, eum non poſſe non eſſe. Quinam cujuſvis definitionis termini ſint magìs perſpicui? quódve ſubjectum definiri queat accuratiús? Nudum enim ſubjectum ſeu ſubſtantia rei cujuſvis, niſi hoc modo, ſciri nequit. Et qui cognitioni Dei ſpeculativæ inhiant aliunde, quàm ex attributis ejus & operationibus; ut fortè capita atque ora ſua poſſint ferventioribus phantaſmatibus verbíſque replere, tempeſtatéque imaginationis ſuæ ad inſaniam ferè adigi; tamen, quod ſit ſobriè verum, nunquam aſſequentur.

3. Itaque perquam explicitam atque intelligibilem notionem tradidi naturæ Dei; quam breviùs quoque definire poſſem, *Eſſentiam abſolutè perfectam*; ubi omnes ſuperioris definitionis termini comprehenduntur, etiam plures quàm in illa nominabam, aut nominari opus erat; nempe, *potentia creandi*, & *omnipræſentia* vel *ubiquitas*, quæ in Idea perfectionis abſolutæ neceſſariò continentur. Quarum poſteriorem cùm veteres quidam Philoſophi exprimere vellent, Deum definiebant, *Circulum, cujus centrum ubique eſt, circumferentia nuſquam.* Quæ certè deſcriptio nihil aliud vult, niſi, Eſſentiam divinam ubique præſentem eſſe, unà cum omnibus adorandis attributis ejus, infinitâ abſolutéque perfectâ bonitate, ſcientiâ, & potentiâ, in illo ſenſu intellectis juxta quem ea ſingula modò explicavi. Hæc autem *ubiquitas* vel *omnipræſentia* Dei tam eſt intelligibilis, * quàm ipſius materiæ per omnia loca diffuſio.

4. Sed ſi quis hìc quærit, quomodo partes, ut ità dicam, amplitudinis divinæ cohæreant, cùm materia tam diſcerpibilis ſit; eum ſatìs eſſet monere eorum quæ dicta ſunt ſuprà de notione *Spiritûs* generali. Verùm adhæc, peculiaris hujus rei ratio reddi poteſt, quòd repugnat planè ut Eſſentia abſolutè perfecta, * aut in præſentia ſua limitetur, aut locum, ſive univerſa ſive per partes, mutet. Hæc enim manifeſta ſunt effecta vel indicia imperfectionis, quæ cum natura Dei nullatenus conſtare poteſt. Atque profectò nullius rei melior aut firmior afferri poteſt ratio, quàm quòd repugnat ut ſit aliter.

5. Arctiſſimâ quoque connexione junguntur inter ſe, *Potentia res ex nihilo creandi*, & Idea Dei vel Entis abſolutè perfecti. Nam Ens illud, virtute creativâ carens, non id eſſet quod concipitur eſſe; ideóque hoc attributum cum ſubjecto ſuo non minùs cohæret, quàm quòd contradictionem planè implicet ut in eo non ſit; quod antè de *Indiſcerpibilitate* notavimus. Dicere autem, imaginatione fingi non poſſe quemadmodum Deus aliquid ex nihilo crearet, nec quomodo Eſſentia divina arctè adeò atque invictè cohæreat, hominis eſt in 3, 4, 5 Axiomata peccantis, & facultatem appellantis quæ in hac cauſa decernendi jus non habet.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. 2.

Omnem Intellectum & comprehenſionem fugiat, &c. *Aliorſum hæc accipiuntur à quibuſdam atque ego dixi: per* comprehendere *enim hìc ego nihil amplius intelligo, quàm* deprehendere, *percipere, vel concipere. Nec uſus vocabuli eum ſenſum refugit. Qui verò me ex hoc loco* Incomprehenſibilitatem Deitatis *Scholaſtico ſive Theologico ſenſu intellectam negare volunt, pinguiùs ſanè & inſubidiùs ſe gerunt, quàm aut mores candidos aut judicium limatum deceat.*

Ideam Notionémve ejus æquè facilem eſſe ac quamvis aliam, &c. *Quantùm ſcilicet ad* apprehenſionem, *quamvìs non quantùm ad* comprehenſionem, *propriè ſic dictam, vel quantùm ad* ſpeciem, *licèt non quantùm ad* gradus, *hoc eſt, Perfectiones ac Proprietates Divinæ Naturæ facilè percipi poſſunt & intelligi, quanquam pro immenſa illarum dignitate ac infinitudine, nequaquam comprehendi.*

Sect. 3. Quàm ipſius Materiæ per omnia loca diffuſio, &c. ------ *Atque certè opportunè hìc occurrit hoc exemplum. Quod apprimè valere debet apud eos qui Materiam profitentur infinitam, quippe qui inficiari non poſſunt quin naturam Materiæ ſatìs percipiant intelligántve, quamvìs interea non ſatìs comprehendant illius Infinitatem. Sed exemplum magìs firmum appoſitúmque erit apud alios ſi pro* materia *poſueris Spacium. Cujus* Infinitatem *nos* apprehendere *planiſſimè nec tamen* comprehendere, *uno quaſi halitu cogimur profiteri.*

Sect. 4. Aut in præſentia ſua limitetur, aut locum ſive univerſa ſive per partes, &c. *Atque hujuſmoai neceſſariò deprehenditur* Immobile *iſtud* Extenſum *à* mobili Materia *diſtinctum in* Enchiridio Metaphyſico. *Quâ quidem ratione, inter alias multas,* Immobile *iſtud* Extenſum *cum Idea* Entis ſummè abſolutéque perfecti *convenit. Vide Cap.* 8. *Sect.* 12.

CAP. V.

1. *Definitio finitorum & creatorum* Spirituum *omnium communis.* 2. *De* Indiſcerpibilitate, *& repræſentatione ejuſdem ſymbolica.* 3. *Reſpondetur ad objectionem contra repræſentationem iſtam factam.*

1. INfiniti atque Increati *Spiritûs* illius, quem **Deum** dicimus, notione explicatâ, ad creatos & finitos nunc deſcendimus; cujus generis ſunt Angelorum, Hominum, & Brutorum Spiritus: quibus adjicere lubet (etſi fortè Mundus iis non ‖ egeat) Formas *Seminales*, vel *Archeos*, ut *Chymici* appellare malunt. Proprietates Spiritûs, in notione horum omnium communi, recenſui olim in Antidoto, *Motum per ſe, ſui-penetrationem, ſui-contractionem & dilatationem,* ac *indiviſibilitatem,* i. e. *indiſcerpibilitatem:* quibus addebam *vim penetrandi, movendi, alterandíque materiam.* Hoc igitur Spiritûs genus de quo nunc loquimur ſic definire liceat, *Subſtantiam indiſcerpibilem, quæ movere, penetrare, contrahere, & dilatare ſe poteſt, materiam item penetrare, movere, & alterare.* Singulos nunc terminos hujus definitionis examinabimus; atque indè apparebit, eam tam eſſe congruam ac intelligibilem, quàm aliarum rerum definitiones, quarum exiſtentiam omnes lubenter agnoſcunt.

‖ *Vide lib.* 3. *cap.* 12 & 13.

Lib. 1. *cap.* 4. *ſect.* 3.

2. *Indiſcerpibilitatem* Spiritûs quod attinet, jam ſuprà allatis rationibus probavimus eam impoſſibilem non eſſe; quippe quæ immediatum ejus eſt attributum, ſicuti *impenetrabilitas*, Corporis: & æquè bene mens noſtra percipit aut imaginatur, ſubſtantiam aliquam ſuâ naturâ partes ſuas invictè continere poſſe, ut disjungi aut ſeparari nequeant; ac aliam tam fortiter prohibere poſſe ſubſtantiam alteram, nè in idem ſecum ſpatium ingrediatur. Etenim hæc ἀντιτυπία vel *impenetrabilitas*, ut jam docui, in præciſo ſubſtantiæ conceptu omnino non continetur.

Præterquam verò quòd rem ità eſſe poſſe Intellectus haud difficulter apprehendat, imaginationi, ipſíque forſan rationi, aliquantulum gratificabor, modum ipſum oſtendendo quo ità ſit, in hoc genere ſpirituum de quo nunc verba facimus. Antiqua illa notio *lucis* ſpecierúmque *intentionalium*, adeò non eſt manifeſta impoſſibilitas, ut antehac ferè omnibus, atque etiamnum multis, videatur vera; ſcilicet, *Lucem* & *Colorem* ità radiare ut in Philoſophia *Peripatetica* docetur. Jam verò in *Luce* obſervare licet, eam prope fontem ſuum vigere maximè, exinde verò ſenſim langueſcere. In unum autem punctum lucidum contractam ſupponemus; punctum illud, ſecundùm confeſſa *Opticæ* principia, radiis ſuis luminoſis aliquam ſpatii latitudinem replebit: qui quidem radii, corpore opaco interpoſito, versùs centrum ſuum reverberari poſſunt, & ſic orbis iſte luminoſus contrahi; ſemper verò, per hypotheſin *Ariſtotelicam*, impoſſibile exiſtimabatur ut de puncto lucido abſcinderentur, & ſeparatim ſervarentur. ‖ Quibus ſeverior ratio non ſatisfacit, phantaſiam ſuam poſſint, ſi ità videatur, hac imagine oblectare; quæ fortè mentis anxiæ importunitatem levabit aliquantulum, cùm ea acriùs modum comprehendere vellet, quo *Spiritus* hic, de quo loquimur, *indiſcerpibilis* eſſe dicatur. Quilibet enim *orbis* hujus *luminoſi radius* oſtendit ſatìs imaginationi, quomodo *extenſio* & *indiſcerpibilitas* ſimul conſtare poſſint.

‖ *Vide Antidot. lib.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 3. *Append. cap.* 3 & 10.

3. Si quis autem objiciat, Orbis hujus *centrum lucidum*, ſeu, ut ‖ alibi appello, *ſubſtantiam primariam*, vel diviſibilem eſſe vel prorſus indiviſibilem; ſi diviſibilis ſit, tum ſimilitudinem illam noſtram, quoad *penitiſſimum illud* Spiritûs, nihil valere ad naturam ejus explicandam, quod non oſtendit quo modo partes ejus adeò *indiſcerpibiliter* cohæreant; ſi verò prorſus indiviſibilis, planè nihil id eſſe videri: Ad hoc reſpondeo, id quod *Scaliger* alicubi notavit, *Quod infinitò vel magnum vel parvum eſt, in eo percipiendo imaginationem humanam magnopere laborare.* Quæ certè ratio eſt, cur tam perplexum ſit problema illud de materia, conſtétne ex punctis, an ex particulis in infinitum diviſibilibus.

‖ *Append. cap.* 13. *ſect.* 2.

Sed ut rem propiùs attingam, dico porrò, tametſi *intimum* vitæ *centrum*, vel primum ipſum punctum, ut ità loquar, ſubſtantiæ *primariæ* (nam *primaria* ſubſtantia quodammodo gradualis eſt) indiviſibile prorſus agnoſceremus, non tamen indè ſequi, nè ipſâ quidem imaginatione judice, id planè nihil eſſe. Fingamus enim planum perfectiſſimum, & ſuper illud æquè perfectum globum; concipere non poſſumus quin globus iſte planum tangat, idque in eo, quod punctum dicere ſolemus; alioquin ille non eſſet globus, aut non hoc planum. Fieri autem non poteſt, ut corpora ſe mutuò tangant, in nihilo verò tangant. Itaque *centrum* hoc vitæ *intimum* eſt aliquid, & aliquid ità vigoris virtutiſque eſſentialis plenum, ut quamvìs gradatim minuitur, certam tamen ſpatii ſphæram præſentiâ & activitate ſuâ complere poſſit; ſicuti ſcintilla lucis obſcurum aërem illuſtrat.

Cùm ergo major non ſit vel perplexabilitas vel ſubtilitas in hoc *centro vitæ*, ſeu *Penitiſſimo Spiritûs*, contemplando, quàm quæ in Atomis materiæ reperitur; rectè licet concludere, Axiom. 7. nihil ineſſe notioni *Indiſcerpibilitatis*, quod exiſtentiam ſubjecti ejus ad quod attinet impoſſibilem faciat.

CAP. VI.

1. *Axiomata per quæ demonſtratur* Centrum *ſeu Punctum primum* primariæ *Spiritûs ſubſtantiæ indiſcerpibile eſſe poſſe.* 2. *Axiomata alia quæ demonſtrant ſubſtantiam Spiritûs* ſecundariam *indiſcerpibilem eſſe poſſe.* 3. *Principiorum illorum applicatio.* 4. *De unione ſubſtantiæ* ſecundariæ *tranſverſim ſpectata.* 5. *Notionem* Spiritûs *minus difficultatis habere, quàm Notionem* Materiæ. 6. *Reſponſum ad Objectionem à Ratione factam.* 7. *Reſponſa ad Objectiones à Phantaſia ſuggeſtas.* 8. *Ratio magìs compendiaria de notione* Spiritûs.

1. DE *Extenſione* & *Indiſcerpibilitate* Spiritûs, curioſorum hominum *Imaginationi* percommodè gratificati ſumus. Nunc altiùs gradiemur; & notionis hujus poſſibilitatem, ex his quæ ſequuntur Principiis, *Rationi* ipſi demonſtrabimus.

AXIOMA XI.

Globus tangit Planum in aliquo, licèt in minimo quod concipiatur eſſe reale.

AXIOMA XII.

Minimum quod concipi poteſt, ità exiguum eſt, ut concipi nequeat in minora diſcerpibile.

AXIOMA XIII.

Quantulumcunque id ſit, idem repetitum bene magnas quantitates conficiet.

EX. c. Globus ille ſuper planum ductus generat lineam; Cylindrus ſuper Planum motus, vel eadem ipſa linea à Globo deſcripta ſi in ſe ducatur, ſuperficiem conſtituit, &c. Nemo hoc negare poteſt; quin, quo magìs id cogitat, eo verius inveniet.

AXIOMA XIV.

Magnitudo è meris non-magnitudinibus oriri non poteſt.

NAM Nihil millies millieſque multiplicatum efficit nihil. Præterea, ſi id in quo Globus Planum tangit, plus quàm indiſcerpibile eſſet, i. e. purè indiviſibile; manifeſtum eſt, lineam ex punctis Mathematicè ſic dictis, id eſt, purè indiviſibilibus compoſitum iri; quo nihil in Philoſophia abſurdius eſſe poteſt, nec repugnantius cogitari.

AXIOMA

AXIOMA XV.

Una eadémque res propter ſummam ſuam exiguitatem indiſcerpibilis prorſus eſſe poteſt, & intellectualiter tamen diviſibilis.

MAnifeſtò hoc oritur è principiis ſuperioribus: nam omnis quantitas eſt *intellectualiter* diviſibilis; ſuprà autem demonſtratur, aliquod *Indiſcerpibile* quantitatem eſſe, proindéque diviſibile; alioquin magnitudo ex punctis mathematicis conſtaret. Notionem ergo poſſibilem inveni *Centri Spiritûs*; quod non eſt punctum mathematicum, ſed ſubſtantia, magnitudine quidem tam exiguâ, ut *indiſcerpibilis* ſit; virtute verò tam excellens, ut peramplam ſphæram ſubſtantiæ *ſecundariæ*, (ità eam dicam) emittere de ſe poſſit, quæ magnam materiæ vim actuare valeat; totâ hâc interim *vitæ activitatiſque ſphærâ* omnino indiſcerpibili exiſtente.

2. Hoc quidem dixi, nunc autem probaturus ſum; paucis priùs adjectis principiis, iiſque tam certis & perſpicuis, ut ea vel rigidiſſima ratio negare non potuerit.

AXIOMA XVI.

Cauſa emanativa eſt notio rei poſſibilis.

PER cauſam *emanativam* intelligitur cauſa illa, quæ eo ſolummodo quòd ſit, nullâ aliâ vi aut cauſalitate mediante, producit effectum. Poſſibilem hanc eſſe clarè conſtat, quòd demonſtrari poſſit hujuſmodi cauſam de facto exiſtere. Aliquid enim ſeipſum movere oportet; ſi Spiritus autem non exiſtit, materia ſe ipſa moveat neceſſe eſt: ubi alia activitas aut cauſalitas fingi non poteſt, præter nudam materiæ eſſentiam, unde motus iſte proveniat. Nam ſi prior motus aliquis hujus cauſa ponatur, pari ratione & alius illo antiquior illius cauſa ponendus eſt, & ſic in infinitum.

Vide Append. Antid. cap. 13. ſect. 4.

AXIOMA XVII.

Effectus emanativus ſubſtantiæ ipſi cauſæ ſuæ coexiſtit.

HOC verum eſſe oportet; quoniam illa ipſa ſubſtantia, quæ cauſa dicitur, adæquata & immediata cauſa eſt, nec ullâ re indiget præter nudam ſuam ipſius eſſentiam ad effectum producendum: * quâ ergo ratione effectus unquam eſt, eâdem ſemper ſit oportet, vel quoad ſubſtantia illa exiſtit.

AXIOMA XVIII.

* *Nullus effectus emanativus, vires cauſæ non excedens, Impoſſibilis dici poteſt qui ab ea producatur.*

HOC ità manifeſtum eſt, ut nihil addi debeat, quo aut explicetur aut probetur.

AXIOMA XIX.

* *Subſtantia eſſe poteſt tantâ virtute & excellentiâ prædita, quæ cauſalitate emanativâ ſubſtantiam alteram producere valeat, modò ſubſtantia producta juſtis gradibus inferior ſit producente.*

PAtet hoc ex principio præcedenti. Neutiquam enim repugnat aut impoſſibile eſt, ut cauſa producat effectum ſe minorem; ſic enim certiores ſumus eam vires ſuas non excedere: neque incongruum eſt ut aliqua ſubſtantia quidpiam aliud producat, quod ſubſtantiam quodammodo dicamus, at *ſecundariam* tantùm vel *emanatoriam*; *primariam* quidem ſubſtantiam adæquatiùs eſſe divinæ creationis objectum agnoſcentes, *ſecundariam* autem ad *primariam* etiam eſſe relatione cauſali referendam. Fac enim Deum creâſſe materiam immediatâ potentiâ ſe movendi præditam, Deus utique cauſa prima eſt tam motûs quàm materiæ, materia tamen verè dicitur movere ſe. Denique, ſubſtantia illa *ſecundaria* vel *emanatoria* rectè dicitur ſubſtantia, quia ſubjectum eſt certis viribus potentiiſque præditum, neque alteri ſubſtantiæ aut materiæ accidentis more inhæret, quin (ſi *primaria* ſubſtantia ejus ſalva maneat) locum ſuum tueri poſſet, quamvìs omnis omnino materia & alia quæcunque ſubſtantia ex ſpatio per quod extenditur amoveretur.

3. Per quatuor hæc Principia jam addita, rationalem perceptionem habere licet iſtius partis Spiritûs, quam ſubſtantiam ejus *ſecundariam* appellamus. Cujus extenſio cùm gradatim emanet de eſſentia prima & principali, *centro Spiritûs* dicta, (quæ poſſibilis eſt hypotheſis Axiom. 16, 18 & 19.) non poſſumus non agnoſcere perfectam *indiſcerpibilitatem* partium, licèt non intellectualem *indiviſibilitatem*, Axiom. 17. Nam planè repugnat ut effectus *emanativus* à cauſa ſua & origine disjungatur.

4. Itáque oſtendi quemadmodum Spiritus, quod ad lineamenta ejus (ut ità dicam) à centro ad circumferentiam ſpectat, omnino *indiſcerpibilis* ſit. Si quis autem adeò curioſus ſit, ut quærat adhuc quomodo illæ ejus partes cohæreant, quæ iſtas à centro ductas decuſſant, (nam imaginatio fortaſſe ſuſpicabitur eas ſolutas jacere;) Reſpondeo, conjecturam hanc Imaginationis partim veram eſſe, partim falſam; vel veram aut falſam, prout eam interpreteris. Nam ſi per ſolutas velit re ipſa disjunctas, hoc falſum eſt & ridiculum: ſin ità tantùm diſcerpibiles, ut una pars poſſit ab alia disjungi, id non modò verum eſſe poteſt, * ſed ſi fortè radii eſſentiales non ſatìs reduplicentur intus, planè neceſſarium: alioqui Spiritus nequiret unam ſui partem contrahere, alteram extendere; quæ tamen hypotheſis eſt neceſſariò admittenda. Quamobrem hæc Objectio adeò non labefactat Notionis hujus poſſibilitatem, ut cauſam afferat concinnitatem ejus accuratam pleniùs exponendi.

Breviter igitur, Spiritus à centro ad circumferentiam omnino eſt indiſcerpibilis, in lineis autem tranſverſis arctè quidem cohæret ſed non indiſcerpibiliter neceſſariò; quæ cohæſio conſiſtere poteſt * in immediata harum partium unione, in tranſverſáque penetratione & tranſcurſione ſubſtantiæ ſecundariæ per univerſam hanc vitæ ſphæram, quam Spiritum dicimus.

Nec mirari debemus quòd tam plenus orbis ex tam ſubtili & exiguo puncto, quale *Spiritûs Centrum* ſupponitur, excreſcat. Εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ μικρὸν ἐστι, δυνάμει καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων, ut loquitur *Ariſtoteles* de mente humana. Quid? quòd id ipſum oculus videt quodammodo in luce accidere, cujus ſcintilla exigua peramplam ſphæram aëris illuminabit. *Ethic. ad Nicom. lib. 10. cap. 7.*

5. * Pura hæc eſt & ſimplex Idea creati Spiritûs in genere; de quo ſiqua adhuc reſtat cavillatio, ea certè alia non erit quàm quæ materiæ cum ipſo communis ſit; quòd, ſcilicet, puncta minimáſque particulas imaginari non poſſumus, nec quomodo, quod diſcerpibile aut diviſibile eſt, cohærere poſſit: ſed cùm hoc non impediat quo minùs materia actu exiſtat, ad impoſſibilitatem exiſtentiæ Spiritûs inferendam valere omnino non debet.

Immo verò hypotheſis omnium quibus hìc utimur incertiſſima, non tam prorſus implicata eſt, quàm ſunt difficultates illæ, quæ materiam involvunt. Hoc enim conceſſo, in quo nihil abſurdi video, materiæ particulam adeò exiguam eſſe poſſe, ut minor fieri omnino nequeat; perſpicuum erit unam eandémque rem, *intellectualiter* quidem *diviſibilem*, *realiter* autem *indiſcerpibilem* fore. Quod non tantùm poſſibile eſt, verùm etiam videtur neceſſariò verum: nam licèt materiam ſtatueremus eſſe diviſibilem in infinitum, ſi tamen ponamus cauſam perceptione infinitè diſtinctâ & infinitâ potentiâ præditam, (qualis certè Deus eſt) poterit profectò cauſa hujuſmodi infinitam materiæ diſcerpibilitatem in actum reducere, hoc eſt, ſimul & ſemel eam in tot particulas re ipsâ diſcerpere, in quot diſcerpi poteſt. Unde ſequetur, unamquamlibet ex particulis iſtis in extremam parvitudinem ſic redactis, *indiſcerpibilem* eſſe prorſus, *intellectualiter* tamen *diviſibilem*; alioqui magnitudo conſtaret ex punctis meris, quod contradictionem implicat.

Ratione ergo dilucidè demonſtravimus materiam conſtare ex partibus indiſcerpibilibus; cúmque nulla alia facultas in contrariam partem ſententiam ferat, (neque enim ſenſus nec ulla communis notio facere hoc poteſt) relinquitur, Axiom. 5. ut concluſio ſit vera.

6. Quod nonnulli tanquam ex Ratione objiciunt, perfectas has *parvitudines*, cùm intellectualiter diviſibiles agnoſcantur, partes adhuc habere oportere in quas diviſibiles ſint, itáque adhuc diſcerpibiles eſſe; Reſpondeo, *diviſionem* in partes nullam inferre *diſcerpibilitatem*; quia partes unius ex his *minimis Corporalibus* (ut ità dicam) *eſſentiales* aut *formales* potiùs ſunt, quàm *integrales*, nihilóque magìs actu ſeparari queunt, quàm Senſus & Ratio ab anima humana. Etenim de ipſa Eſſentia eſt Materiæ, *diviſibilem* eſſe; nequaquam verò in Eſſentia ejus includitur *diſcerpibilem* eſſe: itaque *diſcerpibilitate* deficiente, ut *diviſibilitas* etiam deficiat non neceſſe eſt. Vide Præfat. Sect. 3.

7. Quod ſpurias imagines illas attinet quas Phantaſia ſibi fingit, quaſi nempe perfectæ hæ *Parvitudines* eſſent corpora rotunda, proindéque inter illas triangularia intervalla omni materiâ vacua intereſſent; nihil iſtæ in hac cauſa valent, quòd Phantaſia pro indiſcerpibili magnitudine diſcerpibilem ſibi ſemper contemplandam exhibet. Quamobrem cùm teſtimonium ab illa dictum falſum ſit, non eſt admittendum; immo ſi cauſam multo involutiorem reddere potuerit, audienda tamen non eſſet, Axiom. 4.

Quandoquidem igitur Phantaſia objectum quod conſideramus, pro dignitate ejus, exhibere non valet; haud ſcimus annon tam confertæ jaceant perfectæ hæ *parvitudines*, ut nulla planè ſint inter eas interſtitia: immo verò, ità rem eſſe videtur neceſſarium. Nam ſi forent ejuſmodi interſtitia, capacia eſſent particularum minimis his minorum; quod planè repugnat, & prorſus eſt impoſſibile.

Atque ſi Phantaſiæ inſervientes intervalla iſta concedamus, quid indè ſequeretur abſurdi? id ſcilicet, inſenſile tum vacuum admittendum eſſe; id quod profectò nulla unquam facultas refutare poterit. * Veruntamen rationi congruentius eſt nullum admittere, idémque magìs conſonum ſententiæ noſtræ de minimis his *Corporalibus*, utì ea appellabam, quorum modus, eſt minimus tactus realis Globi & Plani, vel Coni & Plani, vel Globi & Globi: & ſi quem minorem his tactum realem cogitare poſſis, ea menſura ſit *minutarum* harum *realitatum* materiæ. Hinc ſequitur integrum eas latus ſimul tacturas, ideóque nulla intervalla vacua relicturas.

Nec anguloſitates eminentiáſve rotundas ullas in quantitate infinitè parva cogitare plus poſſumus, quàm in infinitè magna; utì jam docui in Præfatione. Equidem fatendum eſt Rationem noſtram in hac ſpeculatione longè ſe ſupra imaginationem efferre; verùm hoc concluſioni præſenti fraudi eſſe non debet, Axiom. 4 & 7, cùm theoremata ſint, eáque ab omnibus veriſſima habita, hoc multò intricatiora.

8. * Plenam nunc & diſtinctam notionem Spiritûs explicavimus, itáque dilucidè & accuratè, ut eam poſthac Ratio nec impoſſibilem dixerit nec incomprehenſibilem. Si verò hominibus parum patienti ingenio hæc ſpeculatio videatur operoſior & tædii plena, deſcriptióque ejus, quia graphicè facta, eo magìs dubiâ fide exiſtimetur; tanquam ſi mentis noſtræ facultates ſuperaret tam præciſam concluſionem in materia adeò obſcura facere: poſſint iſti intellectum ſuum levare, ſi contenti eſſe velint iis, quæ ſuprà diximus Cap. 2. Sect. 11, 12. Meminerint etiam velim, ſapientem potentémque Deum, qui fecit omnia, poſſe quam vult ipſe naturam rebus donare; nec majori operâ facere, ut una creatura naturâ ſuâ penetrabilis & indiſcerpibilis, aliiſque quibuſlibet ſit ornata dotibus, ſi ità ipſi viſum fuerit; quàm ut altera ſit impenetrabilis & diſcerpibilis: * quæ dotes cùm immediatè cum ſubjecto cui inſunt uniantur, Ratio ultrà quærere non debet, quomodo illìc inſint, Axiom. 9.

SCHOLIA

In Cap. VI. Sect. 2.

Quâ ergo ratione effectus unquam eſt, eâdem ſemper ſit oportet, &c. *Hoc quidem veriſſimum eſt in Cauſis* emanativis *Creatis & cum tempore incipientibus. Deus verò ſi Creationis cauſa* Emanativa *eſſet propriè dicta, hoc Axioma illìc locum non haberet, quoniam ipſi naturæ Mundi repugnat ut fiat ab æterno, ſive per* Emanationem *ſive quocunque alio modo, prout fuſè demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico, *Cap.* 10.

Axioma 18 & 19. *Contra hæc duo Axiomata objicitur, Quòd videntur probare æquè poſſibile eſſe ut Parentis Anima filii Animam ſine omni ſuæ diviſione producat, atque ut primaria Animæ ſubſtantia producat ſecundariam. Primò enim quæ hic dicuntur de cauſis & effectis* Emanativis, *vera eſſe de omnibus cauſis & effectis in genere. Deinde ſi ſubſtantia eſſe poſſit quæ alteram producat ſubſtantiam debito gradu productrice inferiorem, non eſſe impoſſibile ut producat ſibi æqualem; atque ſic Anima Parentis filii animam producere poſſet, hoc eſt creare, cùm tamen Creatio creaturæ nequaquam competat.*

Ad primam verò partem reſpondeo, Me non aſſerere ſubſtantiam ullam creatam tantæ eſſe poſſe virtutis & excellentiæ ut alteram ſubſtantiam producat, niſi cauſalitate Emanativâ; *ipſúmque Objectorem tantùm affirmare non probare verum eſſe in aliis cauſis & effectis non* Emanativis.

Ad alteram reſpondeo, Si ſubſtantia creata alteram ſubſtantiam debito gradu inferiorem producere poſſet, nequaquam ſequi, poſſe æqualem. A minori enim ad majus valdè infirmam *eſſe conſequentiam. Quibus omnibus adde, Immane diſcrimen eſſe inter* Emanationem *&* Creationem. *In* Emanatione *enim,* Emanatum, *ſi fas ſit ità loqui, idem eſſe realiter cum cauſa* emanativa ; *in* Creatione *verò* Creans *&* creatum *realiter diſtingui, quippe quum prius eſſe poſſit ſine poſteriori. Effectum igitur* emanativum *eſt realiter ipſa cauſa emanans, fuſiùs ſibi à ſeipſa explicata, nec niſi una eadémque ſubſtantia eſt, quemadmodum fit in Divina Trinitate, nec repetita ſed una permanens: cùm è contrà ſi parentis anima filii animam produceret, eam & realiter à ſe diſtinctam produceret & ſæpiùs repetitam. Poteſt enim quis habere plures liberos, decem putà, quindecim immò viginti, qui cùm ſinguli animas habituri ſint, Parentis animæ æquales, omnes ſimul ſumptæ paternâ animâ vigecuplo majores eſſent vel præſtantiores. Repugnat verò ut vel ipſe Deus, qui perfectiſſimam creandi facultatem habet, unam pluréſve ſubſtantias realiter à ſe diſtinctas ſeipſo majores vel præſtantiores creare poſſit, nedum ut poſſit Creatura. Unde immane quantum, quod dixi, intereſſe inter* Emanationem *&* Creationem *manifeſtiſſimum eſt, Objectionémque hanc contra hæc Axiomata noſtra, planè vacillare.*

Sect. 4. Sed ſi fortè radii Eſſentiales non ſatìs reduplicentur intus, &c. *Locus hic paulo difficilior eſt explicatu. Faciam verò quod potero, ut plenè intelligatur. Radii eſſentiales ſunt ipſa Eſſentia* ſecundaria *quæ radioſa fingitur, quia ex uno quaſi centro emanare ſupponitur. Hîc verò hæc radioſa quæ dicitur Eſſentia, non ex innumeris radiis conſtare intelligitur, quaſi tot filis ſolutilibus tramâ trajectâ mox connectendis, ſed immediatè quaquaverſum jam eſſe connexa vel potiùs ſimpliciter una, ſed multo plus ſubſtantiæ ſive Eſſentiæ continere quàm pro ſpatio quod occupat, quam* eſſentialem ſpiſſitudinem *alibi appello, & per* ſatìs plenam Reduplicationem *hìc ſubindico. Nam quemadmodum in Circulo papyraceo aut panneo ſimplici, fimbria ſive circumferentia à certa parte verſùs centrum retrahi non poteſt, quin reliquæ vicinæ partes ſimul retrahantur ; putà in Circulo* B C D, *pars* C *retrahi non poteſt verſùs centrum* A, *quin partes inter* C B *&* C D *ſimul ſubducantur, ſi circulus* B C D *ex ſimplici panno papyrove conſtet. Verùm ſi cum ſatìs multis ampliſque rugis ſive plicaturis formetur, facilè intelligitur partem* C *ſubduci poſſe verſùs Centrum* A, *& tamen omnes partes inter* C B *&* D C *non ſimul ſubduci retrahìve, ſed propendere adhuc angulúmque relinquere ſimilem Angulo* e A f. *Quod autem faciunt hæ Plicaturæ in Circulo, idem præſtat* Spiſſitudo *hæc* Eſſentialis *ſatìſve plena Reduplicatio in Orbe ſive Sphæra Vitæ & Eſſentiæ in Spiritu. Hujus enim beneficio poteſt ſe ad quamlibet formam accommodare, ut nemo miretur hiatum corporis Animæque inter crura, inter latera & brachia, & inter digitos manuum. Ex ſatìs plena, inquam, hac Eſſentiæ radioſæ Reduplicatione, hoc facilè fieri poteſt. Sublatâ verò hâc reduplicatâ Eſſentiæ Plenitudine, niſi Animam humanâ formâ eſſe volumus (qua de re mox plura) neceſſe eſt ut ſupponamus eam* tranſverſim *eſſe* diſcerpibilem. *Qui genuinus apertúſque ſenſus eſt hujus loci.*



In immediata harum partium unione, &c. *Non quòd immediatè & ex ſe unæ ſunt, tunc enim dividi non poſſent, ſed ſine ullo tertio coagulo ſive vinculo. Eſt tamen earum inter ſe tam arcta intimáque cohæſio, (quanquam interim vi naturæ pro re nata facilè ſolvi poſſint) ut infinitis ferè modis quàm ullarum materiæ partium inter ſe, perfectior ſit unio. Quod eò dico, nè cui ob partium ſolutilitatem deſpicatui ſit hæc noſtra Spiritûs Idea.*

Sect. 5. Pura hæc eſt & ſimplex Idea creati Spiritûs in genere, &c. *Eſt equidem poſſibilis Idea Spiritûs creati* particularis *in genere. Spiritûs verò Naturæ Ideam minimè commodam eſſe cenſeo.*

Sect. 7. Veruntamen Rationi congruentius eſt nullum, &c. *Nullum nempe admittere tanquam Effectum figurationis* minimorum Corporalium. *Veruntamen nullâ omnino ratione vacuum vel minimum admitti poſſe, mihi haud ità videtur conſentaneum.*

Sect. 8. Plenam nunc & diſtinctam Notionem Spiritûs explicavimus, &c. *Spiritûs ſcilicet creati* particularis *Ideam, quod modò monui, adde, & poſſibilem. Sæpiùs enim jam profeſſus ſum me poſſibilis tantùm Ideæ Spiritûs delineationem moliri vel meditari, eorum tantùm gratiâ qui* omnem *Spiritûs* notionem *impoſſibilem toties clamitant. Quòd verò hanc præ reliquis omnibus Ideam elegerim, hinc factum eſt, quòd nondum præjudicia omnia* Carteſiana *nedum* Platonica *exuiſſem.* Platonici *enim cùm ſubſtantias Spirituales* Luci *tam frequenter comparent, ob eam etiam cauſam Ideam hanc ſpecioſiorem ac probabiliorem apparituram eſſe ſperabam, quippe* punctum lucidum *tam bellè imitantem.* Carteſius *verò cum ſuis, cùm unum quid affectent in quolibet ſubjecto ad quod reliqua omnia per modum neceſſariæ cujuſdam ſequelæ referant, ut in Materia ad Extenſionem, ex* *qua neceſſariò & adæquatè ſequi autumant, Diviſionem, Mobilitatem, Figuram & Impenetrabilitatem, ego ad iſtud exemplum, Ideam Spiritûs concinnavi, ubi* puncto ſubſtantiati emanativo *poſito, reliqua planè ad votum ſponte conſequuntur.*

Verùm enimvero, quid de hac Philoſophandi ratione ſentiam tam appoſitè explicitèque in Præfatione Enchiridii Ethici *declaravi,* Attributa ſcilicet cujuſque ſubjecti eſſentialia non unius alicujus Attributi vi in eodem ſubjecto tam arctè cohærere ſed immediatâ virtute ipſius Eſſentiæ juxta Ideam in mente Divina conceptam creatæ, &c. *ut ſupervacaneum prorſus ſit hic quicquam ſuperaddere. Ad Præfationem igitur iſtam remitto Lectorem, Sect. 13. Qui interim ſi ſcire geſtiat qualem reverà ipſe ſentiam eſſe veram particularis Spiritûs, Animæ putà humanæ, Ideam, equidem, ſepoſitis omnibus iſtis* Centri Radiorúmque *ſimilitudinibus & ambagibus, rotundè reſpondeo,* Subſtantiam eſſe unam per ſe & non per aliud, ac proinde partes omnes immediatiſſimâ ratione unas vel unum quid potiùs dici poſſe quàm uniri. Quemadmodum partes in Deo quæ finguntur unæ ſunt. *Animas verò humanas ad ſui ſimilitudinem creavit, poteſt enim quicquid nullam implicat contradictionem. Eſt igitur Anima humana ſubſtantia una per ſe virtute tum* Plaſticâ, *tum* Perceptivâ *ſenſum* Rationémque *complectente, prædita.*

Cùm verò omnis omnino res aliquo modo extenſa ſit ſpeciatimque Anima ipſa, (quemadmodum in Enchiridio Metaphyſico *copiosè demonſtravi) nec tamen in infinitum extendatur, neceſſariò ſequitur aliquam habere figuram, cùm figura nihil aliud ſit quàm finitæ extenſionis certa quædam terminatio, ſive regularis ſive irregularis perinde eſt. Jam verò cùm neceſſe ſit ut Anima aliquam habeat figuram, aptáque nata ſit ad informandum actuandúmve corpus humanum, perridiculum mihi videtur valdéque abſonum, ut, ſi figuram aliquam naturalem habeat, non haberet humanam. Nam hanc præ reliquis omnibus utilem eſſe omnibus omninò Philoſophis teſtatur præſens Animæ ſtatus temporaneus, Chriſtianis verò etiam ſtatus Reſurrectionis æternus, ubi* ἰσάγγελοι *erimus, quod & animas noſtras humanâ figurâ eſſe certiſſimè arguit, & fortean Angelicas. Quæ enim certa ac naturalis Animæ figura eſſe poteſt, ſi non illa, in qua manſura ſit in æternum cum corpore glorificato? Atque hanc eſſe illam ipſam Imaginem ſuſpicor, quam* Cabbaliſtæ Zel, *vel* Zelem *appellant,* quam & parari *aiunt* homini antequam exeat in Mundum, cúmque prodit, in illa Imagine adoleſcere & in illa ambulare. Antequam verò Imago hæc accedit, quam demiſit Dominus ſuper caput ejus, non procreari hominem. *Quæ mira vox eſt, niſi quandam* προϋπογραφὴν *humani corporis à* Spiritu Naturæ *fieri ſupponamus. Alioqui quomodo haberet homo caput, cui* Zelem, *ſive* Plaſtica *propria immineret? Denique* Zelem *hanc, ut antecedit conformationem partium perfectam,* ſic quoque abſcedere ante conſummatam mortem. *Quæ niſi candidè interpretemur valdè ſunt ridicula. Animam verò cum ſua* Forma *ſive* Plaſtica, *exire poſſe in ipſa lucta Mortis non eſt fortean adeò impoſſibile, corpore adhuc aliquam ſpeciem vitæ exhibente vi* Spiritûs Naturæ. *Eſſe verò ullam* Formam Imaginémve *Animæ ab ipſa Anima illiúſve* Plaſtica *diſtinctam, inſomnium mihi videtur recentiorum* Cabbaliſtarum.

Non temerè igitur ſancti illi Patres, Irenæus & Origenes *aliique Animam ipſam humanâ figurâ ſtatuerunt. Sic enim verba iſta ſonant,* ὁμοιειδῆ εἶναι τὴν ψυχὴν τῷ σώματι, Animam ejuſdem formæ eſſe cum corpore, *apud* Photium *in Excerptis è libro S.* Methodii. *Eòque ſaniora & ſolidiora hæc videri debent, cùm tam clarè conſtet, maximam Animæ partem eſſe* Plaſticam, *quæ extendendo ſe paulatim materiam in corporis humani membra organáque format & extendit. Tam conſentanea undique eſt hæc de figura Animæ opinio. Quam quidem* Plaſticam *apud* Photium *iſtis verbis indigitari exiſtimo.* Τὸ εἶδος τὸ τὴν σάρκα καὶ νῦν χαρακτηρίζον, ſpecies carnem etiam nunc effigians: *& rurſus,* Τὸ εἶδος τὸ χαρακτηρίζον τὴν μορφὴν ὑφ' οὗ καὶ συγκρατεῖται τὸ σχῆμα, ſpecies formam effigians à qua & Figura continetur. *Quæ quidem valdè graphica eſt* Plaſticæ *deſcriptio. Eſt enim vis Animæ* Plaſtica *quæ corpus in Figura humana continet, nè diffluat quemadmodum fit poſt mortem. Denique huc etiam ſpectant iſta verba,* Τὸ εἶδος τὸ τὴν ταυτότητα τῶν μελῶν ἐν τῷ χαρακτῆρι τῆς μορφῆς ἑκάστου ἐμφαῖνον, ſpecies Identitatem membrorum in formæ cujuſque effigie exhibens. *Hoc utique eſt officium* Plaſticæ, *in* Perſonalibus *characteribus viſibilibus Angelorum pariter atque hominum tuendis conſervandíſque conſtitutum. Atque hæc de vera Idea particularium iſtorum Spirituum quæ Animæ humanæ appellantur, de quibus nos maximè ſolicitos eſſe debere ipſe Titulus Tractatûs indicat.*

Sect. 12. Quæ dotes cùm immediatè cum ſubjecto cui inſunt uniantur, Ratio ultrà quærere non debet, &c. *Hæc eis quæ ſuprà diximus valdè ſunt conſentanea. Vide Præfationem Enchiridii Ethici, Sect. 13.*

CAP.

CAP. VII.

1. De Spiritûs motu per ſe. 2. De penetratione ſui. 3. De contractione & dilatatione ſui. 4. Potentia penetrandi materiam. 5. Potentia movendi, 6. Et alterandi Materiam.

1. I*Ndiſcerpibilitatem* Spiritûs tam in *Centro* quàm *circumferentia*, tam in *primaria* quàm *ſecundaria* ſubſtantia, notionem eſſe probavimus bene conſiſtentem & congruentem. Proxima huic proprietas eſt motio per ſe, quæ neceſſariò eſt alicujus rei attributum; nam per Motionem ſui nihil intelligo niſi Activitatem per ſe, quæ ad ſubjectum per ſe activum pertinere debet. * Jam quicquid ſimpliciter & per ſe activum eſt, non magìs activum eſſe deſinet, quàm eſſe; quod indicat materiam activam per ſe non eſſe, * quoniam ad quietem redigi poteſt: atque hoc argumento eſt, non modò Activitatem per ſe pertinere ad ſpiritum, verùm etiam ſpiritum in natura rerum exiſtere, unde activitas materiæ impertiatur. Enimvero ſi materia per ſe ipſa motum haberet, nihil cohæreret; ſed ſilices, adamas, æs, ferrum, immo & terra univerſa in ſubſtantiam Aëre ipſo tenuiorem ſtatim liqueſceret, vel potiùs in eam quam nunc habet conſiſtentiam nunquam concreviſſet. Atenim hoc præoccupare eſt futurum inſtitutum meum, probandi ſcilicet Spirituum exiſtentiam: hoc loco ſatìs fuerat affirmâſſe, Motum vel Activitatem per ſe tam rectè concipi ad Spiritum quàm ad Corpus attinere; quod primo aſpectu manifeſtum eſt homini facultates ſuas conſulenti. Nec difficilis quis eſſe debet ad concedendum, aliquid ſe movere; quòd adverſariis noſtris, rem omnem præter materiam è mundo tollentibus, neceſſariò fatendum eſt (quamvìs perquam incongruum ſit ità facere) materiam hanc ſuam movere ſe.

2. Congruitas poſſibilitáſque *penetrationis ſui* in Spiritu creato intelligi poteſt, partim ex ſubjecti ipſius *limitatione*, partim ex attributis ſuprà expoſitis, *Indiſcerpibilitate* & *Motu per ſe*. Etenim penetratio ſui ad Deum pertinere non poteſt; quòd impoſſibile eſt ut quicquam ad eum pertineat quod imperfectionem ſignificat, penetratio autem ſui fieri nequit, niſi præſentia rei quæ ità ſe penetrat diminuatur, & partes ejus non ſatìs rectè ſe habeant; quod planè repugnat Eſſentiæ rei abſolutè perfectæ. Ex attributis *Indiſcerpibilitatis* & *Motionis-ſui* (quibus etiam *penetrabilitatem* adjicias è communi ſpiritûs notione deſumptam) manifeſtum eſt, ſpiritum illum quem hîc definimus, cùm in univerſam Eſſentiam ſuam movendi vim poteſtatémque habeat, poſſe motum hunc pro naturæ ſuæ proprietate determinare: itaque ſi partium exteriorum motum determinet introrſum, redibunt illæ introrſum ad centrum verſus potentiæ eſſentialis; quod quidem facilè poterunt abſque ulla reſiſtentia, cùm ſubjectum totum penetrabile ſit, & ſine ullo ſuo damno, cùm ſit item indiſcerpibile.

3. A penetratione ſui, non facilè modò, verùm neceſſariò, *Contractionem Dilatationémque* ſui oriri intelligimus. Quippe hæc ſe-movens ſubſtantia, quem ſpiritum dicimus, penetrare ſe non poteſt quin eo ipſo contrahat ſeſe; nec ſe rurſus in ſtatum ſuum priſtinum reſtituere, quin ſe eo dilatet: quare his terminis immorari non eſt opus.

4. *Materiam penetrandi* vim facilè comprehendemus, ſi ſpiritum conſideremus tantùm ut ſubſtantiam, cujus immediata proprietas eſt *Activitas*. Tum enim nihilo difficilius erit imaginatione aſſequi, quemadmodum hæc ſubſtantia partem aliquam materiæ pervadat, quàm concipere motum per eandem materiam pervadentem.

5. Maximè omnium verò imaginatio hîc hæret, quomodo ſpiritus, qui incorporeus eſt, quamvìs in materia inſit, eam tamen movere poſſit. Ità ſubtilis enim res videtur, ut materiam tranſiturus ſit nullis ſui magìs in ea relictis veſtigiis, quàm à fulmine ſolet in vagina, licèt hoc fortaſſe gladium liquet propter reſiſtentiam. Spiritui autem nullibi reſiſtitur, propterea quòd vel denſiſſima materia facilè penetrabilis eſt & pervia ſubſtantiæ Incorporeæ. Difficultatis hujus fundamentum in hoc poſitum eſt, quòd concipi nequit, ut ulla fiat unio inter materiam & ſubſtantiam eam quæ tam facilè materiam pertranſire poteſt. Nam ſi ſemel imaginari poterimus Unionem inter Materiam & Spiritum, non ultrà dubitandum eſſet quin Spiritûs Activitas aliquid in Materiam valeret, vel ad generandum, vel ad augendum, vel denique ad determinandum motum ejus.

Veruntamen *Penetrabilitate tranſitionéque* iſtâ facillimâ ſpiritûs per materiam non obſtante, firmiſſima inter eos Unio eſſe poteſt, eáque æquè intelligibilis, ac quæ inter partes ipſas materiæ reperitur. Ecquod enim gluten aut cæmentum vincit partes materiæ lapideæ aut metallicæ, vel ſi mavis, abſolutè duræ, quæ poris & particulis caret, quæque unum continuum perfectéque homogeneum eſt Corpus, non ad ſenſum duntaxat, ſed etiam ad accuratiſſimam Ideam rationis? quo cæmento, inquam, colligantur talis corporis partes? Non alio profectò niſi immediatâ unione & quiete. Unionem quod attinet, ea quæ eſt materiæ cum materia, conferenda non eſt cum unione Spiritûs cum Materia. Illa enim ſuperficiaria duntaxat, in hac autem interiores partes ipſæ punctum puncto penitus uniuntur. Nec quòd facultatem pertranſeundi Spiritus habet, idcirco metuendum eſt nè non apprehendat. Nam in hoc corpore abſolutè duro, v. c. A, in quo porrò ſupponamus interiorem aliquam ſuperficiem, putà E A C, hæc ſuperficies tam lævis eſt ut nihil lævius cogitari queat: quî fit igitur ut pars ſuperior E D C, minimo motu adhibito, non labatur ſuper inferiorem E F C; præcipuè ſi E F C manu retineri ſupponatur, alterâ pulſâ? Ergo cùm facilis hic lapſus corporum unius ſuper alterum, ſine ulla adhæſione, imaginationi noſtræ tam neceſſarius videatur, quàm Spiritûs tranſitio per omnia corpora ſine ulla eorum apprehenſione; patet Axiom. 7. perfirmam unionem Spiritûs & Materiæ poſſibilem eſſe, etiamſi modum ejus concipere nequimus.

Fig. 74.



Dein verò quietem quod ſpectat, ea conjunctioni Materiæ cum Spiritu peræquè convenit, ac materiæ cum materia. Suppone totum corpus A in omni ſui parte æquali celeritate moveri; partes A, * in illo ſenſu Quietis quo adhæſionem partium materiæ inter ſe explicant, verè quieſcunt. Ego itidem dico, in unione materiæ & ſpiritûs, partibus materiæ à ſpiritu recipientibus eandem planè motûs velocitatem quam Spiritus exerit, nec quicquam ampliùs, utrumque firmâ inter ſe unione quieſcere. Quod ſanè accidit, ubi multo minùs immediata eſt unio, quàm hæc de qua loquimur. Libro enim manui impoſito, ſi nec manus celeriori motu feratur quàm ipſa libro impertit, nec viciſſim liber velociùs manu propellatur; liber & manus proculdubio, unione ſervatâ, pari paſſu procedent. Tam facilè intelligitur ut Spiritus Corpus movere poſſit; idque non majore aut contradictione aut difficultate, quàm in unione motúque ipſius Materiæ partium reperitur. Vide *Appendicem Antidoti*. *Cap.3.Sect.7,8.

6. Terminus ultimus definitionis Spiritûs eſt *potentia materiam alterandi*; quæ ex potentia movendi eam, vel motum ejus dirigendi, ſequetur neceſſarió. Etenim alteratio nihil aliud eſt quàm variatio, vel figurarum, vel ſituum, vel graduum motûs particularum; quæ omnia non ſunt aliud quàm Effecta motûs localis. Itaque jam clarè oſtendimus, quàm intelligibiles, quámque poſſibiles ſint termini omnes definitionis ſeu notionis *creati Spiritûs in genere*; ſaltem ſpirituum eorum, qui ullorum in mundo Phænomenôn viſibilium cum ratione cauſæ exiſtimentur. Ad ſpecies eorum præcipuas definiendas nunc deſcendimus.

SCHOLIA

In Cap. VII. Sect. I.

JAM quicquid ſimpliciter & per ſe, &c. *Id ſimpliciter ex ſe activum eſſe intelligo, quod nullâ aliâ re indiget, quæ occaſionem det agendi exerendive ſuam activitatem. Quando autem omnes Spiritus ex ſe activos eſſe aſſero, non ſic intelligi volo, acſi omnes ſimpliciter ex ſe activos eſſe contenderem. Sic enim nè Animæ quidem brutorum unquam forent in ſtatu ſilentii. Hîc igitur obiter diverto à generali notione ad ſpecialem, qua Spirituum exiſtentiam demonſtrem. Quod aliquantulum præpoſterè à me factum fateor.*

Quoniam ad quietem redigi poteſt, &c. *Hinc planè liquet ſimpliciter ex ſe activam non eſſe, cùm tamen aliquid in rerum natura ſic eſſe neceſſe ſit, ac proinde aliquam ſubſtantiam eſſe à Materia diſtinctam. Ad hunc ſenſum reliqua in hoc Paragrapho proſequere.*

Sect. 5. In illo ſenſu quietis quo adhæſionem partium Materiæ inter ſe explicant, &c. *Hoc certè ſatis validum argumentum eſſe debet apud* Carteſianos. *Quod ad me verò attinet, hanc rem veriùs perinde atque operoſius me explicâſſe arbitror in* Antidoti Appendice, *Cap.* 3. *Sect.* 8.

CAP. VIII.

1. *Quatuor ſpecies præcipuæ Spirituum.* 2. *Quomodo definiendæ ſint.* 3. *Definitio Formæ ſeminalis*; 4. *Animæ Bruti*; 5. *Animæ Humanæ.* 6. *Differentia inter Animam Angelicam & Humanam.* 7. *Definitio Animæ Angelicæ.* 8. Νόες & Ἑνάδες Platonicorum. 9. Carteſianam *demonſtrationem exiſtentiæ Animæ humanæ poſſibilitatem ſaltem Spiritûs concludere.*

1. QUatuor Spirituum genera enumeravimus, λόγȣς σπερματικȣ̀ς, id eſt, *Formas ſeminales*, Animas Brutorum, Animam Humanam, & Animam illam ſeu Spiritum, qui Angelorum vehicula actuat aut informat: mihi enim Angeli tam verè & propriè ſunt Entia compoſita, ex anima & corpore conflata, quàm homines ipſi aut Bruta. Ad exiſtentiam eorum nunc probandam non aggrediemur, quippe quod alterius eſt loci. Hîc mihi propoſitum eſt exponere duntaxat aut definire harum rerum notiones, quantum opus videbitur ad evincendum Ideas vel Notiones rerum eſſe, quæ nullam contradictionem aut impoſſibilitatem in conceptu ſuo implicant; quod quidem facile factu erit: Præcipua enim difficultas in generaliori notione Spiritûs conſiſtit, quam plenè in ſuperioribus capitibus explicavimus.

2. Jam verò generalis hæc notio per alias differentias in ſpecies contrahi non poteſt, quàm per eas, quæ peculiares potentiæ proprietatéſve dicantur, ad unum Spiritum pertinentes, excluſæ ab alio, Axiom. 8. Hinc ſequitur, ſi ſpecies ſingulas Spirituum immediatis intrinſecíſque proprietatibus deſcribamus, nos tam veras támque legitimas definitiones earum tradituros, quàm quis poteſt alterius rei cujuſlibet.

3. Incipiemus ab eo quod ſimplicius eſt, *Seminalibus Formis* rerum, quas in præſentia, nihil de exiſtentia earum ſtatuentes, ità ſecundùm Ideam ſuam poſſibilem definimus, *Forma ſeminalis eſt Spiritus creatus, materiam ritè præparatam organizans in vitam vegetationémque certi generis plantarum propriam.* Planè non video quid in hac definitione reprehendi poſſit, cùm nihil contineat quod non bene cohæret & intelligi poteſt. Nam quòd *Spiritus* eſt, materiam intrinſecè movere, ſaltem motum ejus dirigere poteſt: quòd autem Spiritus omnipotens non eſt, ſed finitus & creatus, potentia ejus, & illa quæ unionem vitalem,& illa quæ motum reſpicit, rectè ad materiam rite præparatam reſtringitur: Spirituum horum particularium conditore facultatem vitalis unionis eorum pro diverſitate præparationis materiæ variante, itáque genus eorum univerſum limitante, ut nullus ex iis cum materia qualibetcunque uniri poſſit: atque idem ille Author primáque omnium rerum cauſa, qui dat iis facultatem cum materia rite præparata uniendi movendíque illam, leges etiam eas motui iſti ferre poteſt, ut quando in idoneam incidit materiam, certam plantam producturus ſit; id eſt, materiam in talem figuram, colorem, aliáſque proprietates effecturus, quales in Plantis ſenſus noſtri deprehendunt.

4. Particularis vitæ gradus primus hic eſt; ‖ ſiqua fortè ſit ulla particularis hujus duntaxat gradûs. ‖ *Vide lib. 3. cap. 12, 13.* Jam Eſſentiæ rerum, ut *Ariſtoteles* alicubi notavit, ſunt ſicut numeri, quorum ſpecies mutantur additâ vel detractâ unitate: ſi ergo *vegetationi* adjicias potentiam alteram intrinſecam, nempe *ſenſationem*, habes *Animam Bruti.* Enimvero nuda ipſa ſubſtantia in cognitione explicita non eſt computanda, ut quæ nequaquam concipi poteſt; idcirco potentiarum duntaxat rationem habebimus. Itaque ſubjectum unde *vegetatio* & *ſenſatio* dimanant, *generalis eſt Notio *Animæ Bruti.* Hoc in quamplurimas diſpertitur ſpecies, effectúmque cujuſque potentiæ intrinſecæ cernitur in conſtanti forma certíſque proprietatibus ſpecierum ſingularum.

5. Ad *vegetationem* & *ſenſationem* ſi *Rationem* addis propriè ſic dictam, exiſtet * certa determinatáque notio *Animæ humanæ*; quam perfectiùs ſic definire licet: *Spiritum creatum, ſenſu & ratione præditum, potentiâ item formandi terreſtrem materiam, per vitalem cum ea unionem, in ſpeciem humanam.*

6. Et hoc unum, ut ego reor, inter Spiritum Animámve Angelicam (liceat mihi animam appellare, quicquid facultatem habet vitaliter actuandi materiam) & humanam intereſt; Angelica vitaliter actuare poteſt corpus aëreum vel æthereum, * ſed non in hunc mundum naſci terreſtri induta.

7. Ut ergo definitiones noſtras tandem concludam: *Anima angelica* ſic commodè deſcribitur; Spiritus creatus, ratione, ſenſu, facultate vitaliter uniendi cum aëreo æthereóve corpore duntaxat, actuandíque illud, præditus. Quæ poteſtas in aëreum

vel æthereum corpus, ex generali notione Spiritûs ſuperioribus capitibus expoſita, facilè intelligi poteſt. Ibi enim probavimus, uniri cum materia non eſſe Spiritu alienum, nec conſequenter movere eam, nec denique id genus motûs in Spiritu, quod contractionem & dilatationem diximus; quæ potentiæ, diligentiùs animadverſæ, neceſſariò efficient ut poſſibile videatur, ut Animæ Angelicæ corpus aëreum vel æthereum actuent & cum eo uniantur.

8. Ordines alii Spirituum vel ſubſtantiarum immaterialium memorantur à *Platonicis*, * utì Νόες & Ἑνάδες. Verùm cùm hujuſmodi ſpeculationum ſubtilitas major ſit, quàm vel utilitas vel certitudo, illas in præſentia omittam; cùm jam ſupra omnem refutationem, opinor, demonſtrârim, nullam nec incongruitatem nec incompoſſibilitatem in notione *Spiritûs* ſeu *incorporeæ ſubſtantiæ* comprehendi.

9. Supereſt & alia ratio idem inferendi; ſcilicet argumentum illud quo *Carteſius* concludere voluit, eſſe de facto in nobis ſubſtantiam à materia diſtinctam, nempe Mentem noſtram. Nam cùm omnis realis affectio aut proprietas modus ſit alicujus ſubſtantiæ, cúmque reales modi concipi nequeant ſine ſubjecto ſuo; hinc infert, quandoquidem dubitare poſſumus ſítne corpus in natura rerum, (quâ dubitatione cogitationem à corpore ſecludimus) ſubſtantiam aliam diſtinctam à corpore eſſe oportere, ad quam Cogitatio pertineat.

Verùm fatendum eſt, *Carteſium*, hoc ſuo argumento, non id eſſe aſſecutum quod voluit. Nam cùm modi eſſe poſſint plurium ſubjectorum communes, in quo numero cogitationem eſſe, * eámque tam corporeæ quàm incorporeæ ſubſtantiæ competere, aliquis fortaſſe dixerit; ſine utralibet concipi quidem poteſt, ſine utraque verò nequaquam. Atque igitur argumentum ejus non probat, illud noſtrî quod cogitat aut percipit, ſubſtantiam eſſe à corpore diſtinctam; ſed hoc tantùm, ſubſtantiam eſſe poſſe, cogitandi percipiendíve facultate præditam, quæ non ſit corpus. Nam cùm fieri nequeat ut ſit modus ullus realis qui in nullo ſubjecto inſit, cúmque clarè concipiamus * cogitationem independentem, quoad exiſtentiam ejus, à ſubſtantia corporea; neceſſarium eſt ut alia ſubſtantia eſſe poſſit, à qua dependeat; quæ neceſſariò erit ſubſtantia incorporea.

SCHOLIA

In Cap. VIII. Sect. 4.

GEneralis eſt Notio Animæ Bruti, &c. *Si igitur ſenſus aliquis perinde atque Vita plaſtica in Spiritu Naturæ agnoſcendus ſit, ſcrupulus eſſe poteſt an Spiritus hic Anima Bruti ſit appellandus, ipſéque adeò Mundus Brutum. Equidem ſive ad Animalia particularia eam vocem reſtringi volunt, ſive ad ipſum extendi, mihi perinde eſt, jure hîc utantur ſuo. Nec ſi Brutum appelletur, multùm abhorreo, cùm facere poſſit, ut eos pudeat, qui Spiritu Mundano nimis captivantur, dum obſervent, eo etiam nomine ſe non immeritò, mera quaſi æſtimandos eſſe bruta ſive pecora.*

Sect. 5. Certa determinatáque Notio Animæ humanæ, &c. *Niſi ſignificatio vocis* Homo *latiùs extendatur ità ut* Angelos *includat (quemadmodum Naturæ ſimilitudo eò ſe quodammodo extendit) hæc non eſt adæquata hominis Notio, quippe quum ad Angelicos uſque ordines utcunque pertingat, qui proculdubio ratione imbuuntur. Humanæ verò Animæ propriè ſic dictæ definitio in verbis proximis ſequitur.*

Sect. *6.* Sed non in hunc Mundum naſci terreſtri induta, &c. *Sunt è Cabbaliſtis qui aliter ſentiunt. Ego verò nullam rationem video cur hac in re mutem ſententiam. Vide* Myſterium Pietatis, *lib. 5. cap. 6. ſect. 4.*

Sect. 8. Utì Νόες & Ἑνάδες, &c. *Vide* Procli Inſtitutiones Theologicas; *Locus ille eſt inſignis, cap. 21.* Μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄρα τὸ πρῶτον, ἑνάδες, ϗ μετὰ τὸν νοῦν τὸν πρῶτον νόες, ϗ μετὰ τὴν ψυχὴν τὴν πρώτην ψυχαὶ, ϗ μετὰ τὴν ὅλην φύσιν φύσεις. Poſt igitur illud primum *Unum* ſunt *Unitates*, & poſt illam primam *Mentem*, *Mentes*, & poſt illam primam Animam, Animæ, *& poſt illam* Univerſalem Naturam, Naturæ. *Ubi per illam Univerſalem Naturam,* Spiritus Naturæ *rectè intelligi poteſt: per* φύσεις, Rationes Seminales particulares *ſi quæ eſſent; ipſe enim nullas eſſe cenſeo præter* Plaſticas *Animarum particularium. Quantùm verò ad* ἑνάδας ϗ νόας *paſſim apud* Proclum *occurrunt in iſtoc Tractatu, vocantúrque* πλῆθος ἑνάδων ϗ πλῆθος νόων, Multitudo *Unitatum* & Multitudo *mentium. Eſſe verò has* Unitates *perinde atque* Mentes, *Eſſentias quaſdam, non operationes aut affectiones, planè patet, ex cap. 62. ubi ait,* ὅτι πλείους μὲν αἱ σωματικαὶ φύσεις τῶν ψυχῶν, πλείους δὲ αὐταὶ τῶν νοερῶν, οἱ δὲ νόες τῶν θείων ἑνάδων. *Ubi ex comparatione* Animarum, Mentium *&* Unitatum *inter ſe, univerſas* Eſſentias *eſſe* Spirituales *manifeſtum eſt. Cujus quidem generis Unitates* αὐτοτελεῖς ἑνάδας, *Mentéſque* νόας οὐσιώδεις *cap. 64. appellat. Et cap. 14.* Πᾶς θεὸς ἑνάς ἐστιν αὐτοτελής, καὶ πᾶσα αὐτοτελὴς ἑνὰς θεός. *Vide etiam cap.* 111. *Cui conſimile eſt quod occurrit, cap.* 133. Πᾶς μὲν θεὸς ἑνάς ἐστιν ἀγαθουργὸς ἢ ἀγαθότης ἑνοποιός, *&c. quaſi perinde eſſet ſive* ἑνάδας *ſive* ἀγαθότητας *has ſimpliciſſimas Eſſentias quæ* τῷ πρώτῳ ἑνὶ, *ſive* τ' ἀγαθῷ *reſpondent, appellaveris.*

Sect. 9. Eámque tam corporeæ quàm incorporeæ ſubſtantiæ competere, &c. *Atque æquè pulchro profectò ſophiſmate ille multi ac celebrati nominis homo* Carteſius *cogitationem corporeæ ſubſtantiæ competere probare potuit atque eam probavit competere incorporeæ: Adeò ut vix ſatìs demirari poſſim illius in rebus* Religionis *ſpeculationibúſque Metaphyſicis aut oſcitantiam aut malam fidem. Quis enim tam omiſſo animo & conniventi eſſe poteſt, ut non videat argumenti parem vim eſſe ad concludendum nec Spiritui eandem competere; quippe quòd plures de exiſtentia Spiritûs ſive Subſtantiæ Incorporeæ dubitare reperiuntur, quàm de exiſtentia Materiæ, unde Materiæ cogitationem competere conſequens eſſet. Sed hæ ſunt* Carteſianæ *Philoſophiæ in hiſce maximi momenti rebus, nugæ ac ludibria. Quemadmodum nulli non apparere poteſt, qui ſeriò judicatòque de hujuſmodi controverſiis pronunciare voluerit.*

Cogitationem independentem, quoad exiſtentiam ejus à ſubſtantia corporea, &c. *Nempe ſic ut Animalis Natura independens eſt à Natura Bruti, quippe quæ conſervari poſſet in Natura humana, quamvìs nulla Bruta exiſterent.*

CAP. IX.

1. *Haud parum refert probâſſe Poſſibilitatem exiſtentiæ Spiritûs.* 2. *Neceſſitas examinandi rationes* Hobbii *in contrarium.* 3. *Excerptio prima ex* Hobbio. 4. *Excerptio ſecunda,* 5. *Tertia,* 6. *Quarta,* 7. *Quinta,* 8. *Sexta,* 9. *Septima.* 10. *Excerptio octava & ultima.*

1. FUI, credo, ad admirationem uſque curioſus & anxius in aſtruenda poſſibili exiſtentia Spiritûs ſeu ſubſtantiæ incorporeæ. Verùm non eſt cur quis miretur quòd tantum operæ conſumpſerim in tantillo profectu faciendo; qualis fortaſſe videatur, rem ad nudam tantùm poſſibilitatem deduxiſſe: nam quamvìs non multùm mihimet ipſi peperiſſe videar, adverſariis tamen inſignem cladem attuli; quorum munitiſſimum præſidium videtur inconcuſſa hæc perſuaſio, Notionem ipſam Spiritûs ſeu incorporeæ ſubſtantiæ abſurdam planè eſſe, & meram repugnantiam. Unde innuuntur, en! quales conſequentiæ! Impoſſibile eſt ut ſit Deus, aut Anima, aut Angelus ſive bonus ſive malus, aut Immortalitas vel futura vita. Religio nulla eſt, nulla pietas nec impietas, nulla virtus nec vitium, juſtitia nulla neque injuſtitia præter eam, quam vis & potentia conſtituit. Denique nulla voluntatis libertas, proindéque rationalis morſus conſcientiæ nullus; ſed quicquid ſit, mera eſt materia motúſque corporeus; ideóque vitæ humanæ ductus omnis perinde neceſſarius eſt, ac tractus fulguris fulminíſque jactus: cæco impetu materiæ eâdem certâ ac determinatâ neceſſitate ubique aut perrumpente, aut impedito, quâ torrentis curſus poſt ingentes pluvias & tempeſtates.

2. Atque profectò dum cogito quàm immenſi interſit, triſtem illam ſtupidámque opinionem eradicare, quam nonnulli temerè amplexi ſunt de ſubſtantia incorporea, quaſi contradictio ſcilicet in ipſis terminis ejus involveretur; tam gravi me cauſæ defuturum exiſtimo, ſi recenſione ſimplici rationum contentus quibus ego poſſibilem eam probo, non proferam & argumenta iſtorum, qui ad contrariam ſententiam defendendam videntur maximè idonei. Nec adhuc ſanè in quenquam incidiſſe me memini, quem quis facilè putaret ad hanc provinciam tuendam idoneum magis, quàm noſtratem *Hobbium*; invicta cujus fiducia veritatis concluſionis meritò quenquam certum faciet, qui excellens ingenium ejus, animíque dotes rectè æſtimat, eum optimis & evidentiſſimis argumentis quæ humana inventio excogitare poteſt, ad cauſam ſuam evincendam uſum eſſe.

3. Et nè in ſuſpicionem incurram vel ſententiam ejus non rectè capiendi, vel vim rationum ejus malâ fide exponendi, illas eiſdem ipſis verbis, quibus Author ipſe in ſcriptis ſuis, deſcribam; ut omnes judicent an ego ullam illi injuriam faciam. Quod

primum

Cap. 34. primùm animadvertam extat in *Leviathane.* Corpus *in generaliſſima acceptione id ſignificat, quod ſpatium certum ſeu locum deſignatum implet aut occupat; nec dependet ab imaginatione noſtra, ſed realis pars eſt ejus quod vocamus Univerſum. Nam cùm Univerſum* corporum *omnium Aggregatum ſit, nulla pars eſt ejus realis, quæ non item* corpus *eſt; nec quicquam propriè* corpus, *quod non etiam pars eſt Univerſi,* corporum *omnium Aggregati. Idem etiam, quòd corpora mutationi obnoxia ſunt, hoc eſt, varietati apparendi ſenſibus animantium, dicitur* ſubſtantia, *id eſt, ſubjectum variis* accidentibus; *utì aliquando moveri, aliquando quieſcere, & ſenſibus noſtris videri modò calidum, modò frigidum, nunc hujus coloris, odoris, ſaporis, aut ſoni, aliàs alterius. Atque hanc apparendi diverſitatem (à diverſitate operationis corporum in organa ſenſuum ortam) corporum operantium alterationibus attribuimus, eorúmque* Accidentia *vocamus. Secundùm hanc acceptionem vocis,* ſubſtantia & corpus *idem ſignificant; proindéque* ſubſtantia Incorporea *voces ſunt quæ ſimul junctæ ſe mutuò deſtruunt, quaſi quis diceret* Corpus Incorporeum.

Part. 4. cap. 25. Art. 9. 4. Secundum extat in *Phyſicis. Obſervandum autem eſt ſomnia quædam, præſertim ex iis quæ ſemiſopitis accidunt, & ea quæ contingunt hominibus naturæ ſomniorum imperitis, iiſdémque ſuperſtitioſis, non fuiſſe olim, nec eſſe nunc pro ſomniis habita. Putabantur enim ſpectra vocéſque in ſomnis audiri viſæ, non phantaſmata, ſed ipſa per ſe fuiſſe in rebus extra ſomniantes ſubſiſtentia objecta. Nam in aliquibus metus ipſe, non modò dormientibus, ſed etiam vigilantibus, præſertim verò ſceleris conſciis, & noctu, & in locis conſecratis, & adjutus aliquantum talium apparitionum hiſtoriis, phantaſmata horribilia in animo excitavit; quæ ſpectrorum & ſubſtantiarum incorporearum nomina, pro veris rebus, impoſuère & imponunt.*

Part. 1. Cap. 5. Art. 4. 5. Tertium addemus ex eodem libro. *Cùm enim ſpectra, ſpecies viſibiles, ſoni, umbra, lux, color, ſpatium, &c. ſomniantibus non minùs adſint quàm vigilantibus, non ſunt eæ res externæ, ſed animi imaginantis phantaſmata.*

Cap. 11. Art. 4. 6. Quartum ex *Humana Natura. Spiritus ſupernaturales ſignificant vulgò ſubſtantiam aliquam dimenſionis expertem; quæ duo planè ſibi mutuò contradicunt.* Et Artic. 5. *Nec puto vocem hanc,* Incorporeum, *ullibi in* Bibliis *reperiri; de* Spiritu *autem dicitur, eum in hominibus manere, in iis habitare, in eos venire, deſcendere, ire, rediréque; & Spiritus Angelos eſſe, hoc eſt, nuntios: quæ dicta omnia localitatem ſignificant, localitas autem dimenſio eſt, quicquid verò dimenſionem habet eſt corpus, quantumvis ſubtile fuerit;*

Cap. 12. 7. Excerptum quintum rurſus è *Leviathane. Quod ad materiam vel ſubſtantiam agentium illorum inviſibilium attinet, haud aliam eam eſſe naturali quidem cogitatione concipere potuère, ac ſubſtantiam animæ humanæ, animámque humanam ejuſdem eſſe ſubſtantiæ ac id, quicquid ſit, quod in ſomnio apparet dormienti, aut in ſpeculo vigilanti: quæ homines, non intelligentes ejuſmodi apparitiones nihil aliud eſſe quàm phantaſmata, ſubſtantias reales externáſque eſſe putant, &* Spectra *vocant, quemadmodum* Latini, *Imagines & Umbras appellabant;* Spiritus *etiam eſſe exiſtimabant, id eſt, tenuia & aerea corpora; quibus ſimilia credebant Agentia illa inviſibilia, quæ metuebant, niſi quòd hæc apparent & evaneſcunt pro libitu ſuo. Cæterùm perſuaſio iſta,* Spiritus *hujuſmodi incorporeos vel immateriales eſſe, nullius hominis* mentem *naturaliter ingredi potuit; nam licèt homines conjungere poſſint voces contradictoriæ ſignificationis, veluti* Spiritum & Incorporeum, *imaginationem tamen alicujus rei vocibus iſtis reſpondentis habere nunquam poſſunt.*

Cap. 11. Art. 5. Quibus addemus quæ in eandem ſententiam habet in *Nat. Hum. Scire, hoc eſt, naturalem evidentiam habere, Spiritum eſſe, eſt impoſſibile. Omnis enim evidentia conceptus eſt, omnis conceptus imaginatio, & à ſenſu oritur: Spiritus verò ſupponimus tales ſubſtantias eſſe quæ non agunt in ſenſum, nec propterea concipi poſſunt.*

Cap. 45. 8. Excerptio ſexta ex eodem *Leviath.* ubi hæc habet. *Quæ viſionis natura cùm ab iis nunquam reperta fuerit, qui olim Naturalis ſcientiæ myſtæ haberi vellent, nedum ab iis qui non conſiderant res ità remotas (ut eſt iſta ſcientia) à præſenti uſu ſuo & commodo; ægrè homines de imaginibus illis in phantaſia & ſenſu aliter conceperunt, atque de rebus realiter extra nos exiſtentibus. Quas quidam (quòd evaneſcunt neſciunt quò nec quomodo) omnino* Incorporeas *eſſe volunt, id eſt,* Immateriales, *vel Formas ſine materia, Colorem & Figuram ſine ullo colorato aut figurato corpore, & corpora aerea (tanquam veſtimenta) induere poſſe, quo corporeis oculis noſtris viſibiles ſe reddant; Alii eas Corpora & Animantia eſſe dicunt, ſed ex aere vel ſubtiliori aliquâ materiâ facta, quæ, cùm videri ſe volunt, condenſatur. Utrique verò communi nomine eas vocant,* Dæmonas. *Quaſi ſcilicet Defuncti quos ſomniant, non ſui ipſorum cerebri, ſed aeris, vel cæli, aut inferni incolæ eſſent, non* phantaſmata, *ſed* Spiritus; *non minùs ineptè quàm ſi quis diceret ſe Spiritum*

ritum ſuum in ſpeculo, vel ſyderum Spiritus in aqua vidiſſe, aut uſitatam ſolis phaſin, pedali circiter magnitudine, appellaret Dæmonem *vel* Spiritum *magni illius Solis univerſum mundum viſibilem illuminantis.*

Leviath. cap. 46.

9. Excerptum ſeptimum ex proximè ſequenti capite ejuſdem libri. Ubi ineptiloquium illud, utì vocat, abſtractarum Eſſentiarum Formarúmque ſubſtantialium iterum exagitans, ſic ſcribit : *Mundus (non terram ſolam dico ſed Univerſum, i. e. univerſam molem rerum quotquot ſint omnium) corporeus eſt, hoc eſt, corpus, & dimenſiones magnitudinis habet, longitudinem, latitudinem, & profunditatem ; & omnis pars corporis, corpus item eſt, eaſdémque dimenſiones habet ; proinde omnis pars Univerſi corpus eſt ; quod autem corpus non eſt, non eſt pars Univerſi ; & quoniam Univerſum eſt totum quod ſit, quod pars ejus non eſt nihil eſt, & propterea nuſquam.*

10. Octavum & ultimum ex eodem capite habemus paulo infrà, in hæc verba. *In errorem hunc de* Eſſentiis ſeparatis *lapſi, multis aliis abſurditatibus eum conſequentibus neceſſariò implicantur. Quandoquidem enim Formas haſce reales eſſe volunt, locum iis aliquem tenentur aſſignare : at quia* Incorporeas *ſtatuunt, omni quantitatis dimenſione carentes, & omnes nôrint locum dimenſionem eſſe, nec niſi à corporeo implendum, exiſtimationem ſuam diſtinctione tueri coguntur,* ſcilicet, *ullibi quidem* circumſcriptivè *non eſſe, eſſe verò* definitivè. *Qui termini, cùm mera verba ſint, & in hac re nihil ſignificent, Latinè tantùm efferuntur, quò vanitas eorum meliùs lateat. Etenim* circumſcriptio *rei nihil aliud eſt præterquam determinatio vel definitio loci ejus, itaque ambo diſtinctionis termini ſunt idem. Speciatim autem de Eſſentia hominis, quam Animam ejus eſſe aiunt, affirmant eam totam eſſe in minimo digito, totámque etiam in alia quaque (quantulacunque ſit) parte corporis ejus, non plus animæ tamen in toto corpore quàm in qualibet harum partium. Quiſquámne putet Deum coli abſurditatibus hujuſmodi? Attamen totum hoc illis neceſſariò credendum eſt, qui animæ incorporeæ à corpore ſeparatæ exiſtentiam credere volent.*

CAP. X.

1. *Reſponſio ad Excerptum primum,* 2. *Ad ſecundum,* 3. *Ad tertium,* 4. *Ad quartum,* 5. *Ad quintum,* 6. *Ad ſextum,* 7. *Ad ſeptimum,* 8. *Ad octavum & ultimum.* 9. *Ante-dictorum omnium brevis Recapitulatio.*

1. QUÆ præcipua loca ſint ſuper hac re in ſcriptis *Hobbii,* confidentiſſimi illius ſubſtantiarum immaterialium è mundi finibus exploſoris, protulimus. Reſtat nunc ut ea examinando videamus, an argumentorum robur firmitudini perſuaſionis ejus reſpondeat. Atque primâ *Excerptione* longis ſuis verborum ambagibus nudatâ, & in ſimpliciorem breviorémque ratiocinandi formam redactâ, argumentum ità ſe habet. *Cùm res omnis in Univerſo corpus ſit (Univerſum enim nihil eſt niſi corporum Aggregatum) Corpus & ſubſtantia nomina ſunt unius ejuſdémque rei ; quæ* corpus *dicitur quatenus locum replet,* ſubſtantia *quatenus ſubjectum eſt variarum alterationum & accidentium. Quamobrem cùm* Corpus *&* Subſtantia *idem ſint,* Subſtantia incorporea *non minùs abſurdè dicitur quàm* Incorporeum corpus ; *quod contradictio eſt in ipſis terminis.* Verùm enimvero manifeſtum eſt omnibus, hoc non eſſe probare, ſed ſumere quod probandum erat, Univerſum nihil eſſe præterquam corporum Aggregatum. Hoc probato, ſequelam concedemus ; intereà temporis nihil probavit, ideóque hæc prima argumentatio planè otioſa eſt.

2. Secundæ vim itaque excutiamus ; quæ, ſiqua ulla, hæc erit certiſſimè : *Quod originem ſuam debet Inſomniis, Timoribus, ſuperſtitioſiſque imaginationibus, id realem in Natura exiſtentiam non habet ;* Subſtantiæ *autem* Incorporeæ *originem aliunde non habent.* Propoſitio quidem indubitatæ eſt veritatis, Aſſumptio verò tam infirma quàm firma eſt propoſitio ; ſive de reali origine ſubſtantiarum ipſarum, ſive de principiis cognoſcendi noſtris quòd ſint, eam intellexeris. Quæquæ autem ſit earum origo, ea noſtrâ ſanè ulteriùs non refert, quàm quatenus nobis eſt cognoſcibilis, Axiom. 1. Ubi ergo ait eas haud aliunde quàm ex Imaginatione noſtra habere originem, intelligendus eſt affirmare nullum aliud principium eſſe earum exiſtentiam cognoſcendi, quàm quòd temere imaginamur illas eſſe ; quod manifeſtò falſum eſt.

Non enim ex ſomniis & terroribus melancholicorum & ſuperſtitioſorum hominum exiſtentiam *Spirituum* ſubſtaniarúmque immaterialium probârunt Philoſophi & Chriſtia-

‖ *V. Antidot. lib. 2. totum.*

Chriſtiani; ſed ex ‖ externis ſenſûs objectis, hoc eſt, ordinariis naturæ phænomenis, in quibus tanta ſapientia & conſilium cernitur, ut non potuerint non indè concludere ordinem rerum in Natura à nobiliori fuiſſe Principio, quàm cæcis motibus & concurſionibus materiæ rerúmque merè corporearum.

‖ *V. Antidot. lib. 3. totum.*

‖ *Antidot. lib. 1. cap. 11.*

Accedunt & quas vulgò ‖ *Apparitiones* vocant, quæ adeò non ſunt ſomnia & Imaginationes ſuperſtitioſorum, ut ab illis ipſis agnoſcantur qui apud omnes ferè nimiûm Athei audiunt, *Pomponatium* dico & *Cardanum*, immo & à *Vanino* ipſo, qui tamen ità Atheiſmo addictus & devotus erat, ut furibundo planè zelo in cauſam iſtam deſpicatiſſimam mortem oppetere non recusârit. Mitto operationes ‖ Animæ, quæ ſeculorum omnium ſapientiſſimis tam excelsâ conditione ſemper viſæ ſunt, ut à Principio tam humili, quàm merum corpus eſt aut materia, oriri illas potuiſſe nunquam judicaverint. Quare his omnibus diſſimulatis, ſola Inſomnia & Imaginationes proferre tanquam cauſas ob quas univerſa ferè gens humana ſubſtantias Incorporeas exiſtere crediderit, quid aliud eſt quàm Lectorem ſuum fatuum fingere, & palàm profiteri ſe ei imponere velle?

3. Tertia argumentatio ità ſe habet: *Quod nobis tam dormientibus quàm vigilantibus apparet, id extra nos nihil eſt: ſed Spectra, id eſt, ſubſtantiæ immateriales tam dormientibus nobis quàm vigilantibus apparent.* Hoc argumentum longè imbecillius eſt ſuperioribus: falſæ enim ſunt & propoſitio & aſſumptio. Nam ſi propoſitio vera eſſet, Sol, Luna, Sydera, nubes, flumina, prata, viri, fœminæ, cæteráque animantia nihil extra nos eſſent; hæc enim omnia nobis tam dormientibus quàm vigilantibus apparent. Subſtantiæ autem immateriales non ità nobis apparent tam dormientibus quàm vigilantibus. Adeò enim pura & ſubtilis eſt notio ſubſtantiæ Incorporeæ, ut repræſentatio ejus, quæ minimam aut nullam in Phantaſia impreſſionem relinquit, liberâ ratione duntaxat ſuſtentetur, quæ rarò per ſomnum ſe exercet præterquam in phantaſmata facilè-imaginabilia.

‖ *Lib. 1. cap. 2 & 3.*

4. Vis quarti Argumenti compendio hæc eſt. *Omnis ſubſtantia dimenſiones habet; Spiritus autem dimenſiones nullas habet.* Aſſumptionem fidenter nego. Corporis enim nota characteriſtica non eſt *dimenſiones* habere, ſed *impenetrabile* eſſe. Omnis equidem ſubſtantia dimenſiones habet, id eſt, longitudinem, latitudinem, & profunditatem: non omnis verò impenetrabilitatem. Vide Literas meas ad *Carteſium*; quæque præterea in hoc ‖ ipſo Tractatu ſcripſi.

5. In Excerptionibus quintis hæc Argumenta continentur. 1. *Non aliud cognoſcendi principium habere nos* Entis Immaterialis, *quàm quod Inſomnium aut Speculum nobis ſuppeditet.* 2. *Vocem* Spiritûs *ſeu* Incorporei *contradictionem implicare, neque concipi poſſe Intellectu naturali.* 3. *Nihil intellectu concipi niſi quod per ſenſus ingrediatur; Spiritus ergo, quòd non agunt in ſenſus, incognitos & inconceptos relinqui oportere.*

Ad primum horum jam reſpondimus in reſponſo noſtro ad excerptionem ſecundam.

Ad ſecundum ità reſpondeo, Spiritum ſeu Incorporeum nullam implicare contradictionem, cùm per illud nihil intelligatur niſi ſubſtantia *extenſa* unà cum *activitate* & *indiſcerpibilitate*, omiſsâ *impenetrabilitate*: quam ſuprà demonſtravi notionem eſſe rei poſſibilis, nec repetere hîc opus eſt quæ jam dixerim.

‖ *Antidot lib. 1. cap. 6. Append. cap. 2 ſect. 4, 5, 6, &c.*

* *Lib. 2. cap. 2. ſect. 9, 10, 11.*

Ad tertium reſpondeo, Spiritus reverà agere in ſenſus, agendo in materiam quæ ſenſus afficit; & cùm aliquæ ex his operationibus tales ſint, quæ materiæ ſoli tribui non debeant, Ratio ex renunciatione ſenſuum concludit aliud eſſe Principium nobilius à materia diſtinctum. Quod partem illam argumenti ſpectat quæ aſſerit nihil in intellectu eſſe quod non per ſenſus ingrediatur, & demonſtravi ‖ pridem, atque iterum * ſuo loco falſiſſimam eſſe demonſtrabo.

Intereà tamen temporis concludo, cùm cujuſque rei ſubſtantia intellectum prorſus fugiat, Axiom. 8. cùm per immediatas proprietates duntaxat res omnis concipiatur, cúmque *Penetrabilitas* & *Indiſcerpibilitas* proprietates ſint tam conceptu faciles quàm *diſcerpibilitas* & *impenetrabilitas*, vis item & poteſtas communicandi motum materiæ æquè facilis atque receptio ejuſdem à Materia, denique & Unio Materiæ cum Spiritu ac Materiæ cum Materia; hinc, inquam, concludo Notionem *Spiritûs* tam naturaliter concipi poſſe quàm Notionem *corporis*.

6. In Excerptione ſexta multus quidem eſt in ſubſannando ridiculámque faciendo ſententiam de *Spectris* & *Dæmonibus*; vis autem argumenti ejus, ſi quam habet, hæc tantùm eſt: *Si ſint* Spectra *aut* Dæmones, *tum (ad eorum mentem qui hanc opinionem tuentur) vel Imagines ſunt ab aqua aut ſpeculis reflexæ, aereis ſe veſtibus induentes atque ità huc illuc paſſim vagantes; vel animantes, ex Aere ſolo aut ſubtiliori aliqua & Ætherea materia facta.* Quem non ſtupor inceſſeret videntem tam levem futilémque argumentationem in Philoſopho tam gravi, niſi priùs nôrit ſingularem excellentiam ejus,

quod ipſe alicubi profitetur, in *Politicis* ſitam eſſe, cui rerum generi præſtigiæ & jactationes Eloquentiæ, præſertim apud rudes & ſimplices, perquam efficax & utiliſſimum ſunt inſtrumentum? Et profectò iſtiuſmodi rhetoricationes eorum tantùm gratiâ inſtituuntur, qui tardiſſimo ſunt ingenio.

Commenta illa duo ineptiſſima, quæ ſobriis Spirituum Dæmonúmque aſſertoribus obtrudere velit, illorum non ſunt, ſed cerebri ſui germana proles. Et ſanè prius eorum ipſi ut primo Authori rectiſſimè adjudicatur; quippe cùm tam novum rarúmque ſit, ut nec ego, nec (auſim dicere) quiſquam alius, niſi in *Hobbii* ſcriptis, id uſquam viderit. Poſterius autem non modò non conatur hìc refutare, verùm in ſpeciem approbat *Leviath.* Cap. 34. nè S. Scripturæ fidem derogare videretur. At qui Spirituum exiſtentiam aſſerunt, non *Hobbii* authoritati permittent quemadmodum definiendi ſint, ſed ſuam ipſorum rationem & judicium adhibebunt ad Notionem tanti momenti ſtabiliendam.

7. In Excerpto ſeptimo idem ac in primo reperitur argumentum; veruntamen, ut ex æquo & candido agam, meliùs hìc confirmatum. Illìc enim non probat ſed ſupponit præcipuum Argumenti fundamentum; hìc verò probationem offert, his verbis, ut opinor, comprehenſam [*& dimenſiones magnitudinis habet, longitudinem, latitudinem, & profunditatem*] hinc enim inferret, totum Univerſum *corporeum* eſſe, id eſt, unamquamque rem in Univerſo; quia nihil eſt quin longitudinem, latitudinem, & profunditatem habeat. Hoc ergo ultimum eſt in quod argumentum ejus reſolvi poteſt. Quàm infirmum verò ſit antè ſignificavi; quippe non trina dimenſio, ſed Impenetrabilitas Corpus conſtituit.

8. Excerptio ultima majoris videtur momenti quàm quævis è prioribus, immò quàm omnes ſimul junctæ: argumentorum verò in ea comprehenſorum pondere diligenter perpenſo, tam parùm hæc quàm cætera ad concluſionem probandam valere invenientur. Argumentum primum ſic eſt; *Quicquid eſt reale, locum aliquem habere debet: Spiritus autem locum habere nequeunt.* Verùm ad hoc facillimè reſpondetur. Nam ſi per locum nihil intelligitur præter ſpatium imaginarium, Spiritus & Corpora in eodem ſpatio imaginario eſſe poſſunt; & ſic falſa eſt Aſſumptio. Sin per locum intelligatur concava ſuperficies Corporis corpus alterum immediatè ambientis, ſic ut de formali ratione loci putetur, immediatè ambire corpoream ſuperficiem ſubſtantiæ illius quæ locata dicitur; impoſſibile tunc erit ut Spiritus propriè dicatur eſſe in loco, atque ità Propoſitio falſa erit. Quapropter cùm loci acceptio duplex ſit, diſtinctio illa locationis *circumſcriptivæ* & *definitivæ* legitima eſt diſtinctio, neque neceſſe eſt ut termini ejus unum idémque ſignificent. Si verò cum *Hobbio* notionem loci ad ſpacium imaginarium reſtringimus (nec video quid indè incommodi ſecuturum ſit) diſtinctio hæc Scholarum otioſa hìc erit, & ſimpliciter aſſerere licebit, *Spiritus* tam verè in loco eſſe quàm *corpora* ipſa.

Argumentum ejus ſecundum ducitur à Scholaſtico illo Ænigmate, quod ad profundam ſcilicet repugnantiam accedere videri libens agnoſco, viz. Animam humanam *totam eſſe in toto, totam item in qualibet parte corporis.* Tinnulum hoc effatum *Hobbium*, ut videtur, ità aliquando terruit, ut ex illo tempore nunquam ſuſtinuerit ad notionem Spiritûs accedere, nè quidem adeò ut conſideraret Mormóne mera eſſet, an res vera & realis. At ſi præſtantiores facultates ejus paſſio non occupâſſet, intellexiſſe potuit effatum illud verum certúmque habuiſſe ſenſum, ſecluſis tamen veſanis difficultatibus illis quibus id Scholæ incautæ videntur implicuiſſe: immediatæ enim proprietates Spiritûs ſat commodè intelligi poſſunt ſine ulla iſtiuſmodi pompa ænigmatica, viz. Spiritum ſubſtantiam eſſe *penetrabilem & indiſcerpibilem*, ut jam fusè oſtendi.

Neque griphus ille Scholaſticus iis omnibus neceſſariò credendus, qui animæ incorporeæ exiſtentiam credunt; nec *Hobbianam* interpretationem ejus adeò neceſſariam eſſe puto. Et certè æquum erat, ut antè certus fuiſſet ipſe Scholas tam manifeſtam contradictionem aſſeruiſſe, quàm fidem ejus pronunciâſſet neceſſariam iis, qui animam humanam exiſtimant ſubſtantiam immaterialem eſſe, à corpore ſeparabilem. Non aliud illæ fortaſſis intelligunt ac *Plato* per ſuum μεριςὴν ϗ ἀμέριςον ȣ̓σίαν, ex quibus animam conſtare facit; nec *Plato* aliud per *diviſibilem* & *indiviſibilem* ſubſtantiam, quàm Eſſentiam *intellectualiter diviſibilem*, *realiter* autem *indiſcerpibilem*.

9. Notionem *Spiritûs* nullam contradictionem aut *incompoſſibilitatem* includere, quinimo notionem ſeu Ideam eſſe rei poſſibilis, ſatìs nunc firmiter probavimus. Quod adeò accuratè diſtinctéque feci, ut ſingulas etiam ſpecies *Incorporeæ ſubſtantiæ* de objecta ſeu obſcuritate ſeu inconſiſtentia purgârim. Et nè cauſam earum vafrè nimis dicere viderer, adverſâ parte non comparente in judicio, ultro accerſivi & ad-

eſſe volui Patronum ſtrenuiſſimum confidentiſſimúmque quem adhuc unquam mihi videre contigit; & quemvis nunc æquum judicem appellare auſim, annon Allegationes ejus omnes infirmas & inanes eſſe demonſtraverim. Quapropter Spiritûs exiſtentiâ poſſibili clarè evictâ, nunc ultrà progrediemur; & non poſſibilem tantùm, ſed & reipſâ atque actu in Natura exiſtentem rem eſſe probabimus.

CAP. XI.

1. *Demonſtratio exiſtentiæ ſubſtantiæ* Immaterialis *tribus fundamentis innititur; quorum primum eſt,* ipſa Natura Dei. 2. *Secundum, phænomenon* Motûs *in Univerſo.* 3. *Materiam non eſſe mobilem per ſe.* 4. *Objicitur Materiam partim movere ſe poſſe, partim non.* 5. *Reſponſio prima ad objectionem iſtam.* 6. *Reſponſio ſecunda.* 7. *Alia effugia diluuntur.* 8. *Poſtremum effugium tollitur.* 9. *Concluditur, materiam nullam moveri per ſe, ſed certam quantitatem motûs à prima creatione ejus à Deo impreſſam fuiſſe.*

1. RAtiones præcipuæ tres ſunt ob quas certi eſſe poſſumus de *Spiritualis* aut immaterialis ſubſtantiæ exiſtentia. Quarum prima eſt conſideratio ſummæ excellentiæ Naturæ Dei; qui cùm ſecundùm veram ipſius Ideam Eſſentia abſolutè perfecta ſit, non poteſt eſſe *Corpus*, ac proinde quid *Incorporeum* eſſe debet: cúmque porrò nulla ſit contradictio in Notione *Spiritûs* in genere, nec cujuſvis ex ſpeciebus illis quas ſuprà definivimus, (in quibus etiam Dei notio explicabatur) cùm denique in ipſâ Notione ejus ſuæ ipſius exiſtentiæ ratio contineatur, ut videre licet ampliùs in ‖ Antidoto; profectò ſi quid omnino inveniamus eſſe, illum multo magìs exiſtere concludendum erit. Etenim præter Deum nihil eſt, cujus exiſtentiæ ratio reddi poteſt, niſi is Author ejus ſupponatur. Quapropter quamvìs Deus nec viſibilis nec tangibilis ſit, cùm tamen ipſa ejus Idea rationem exiſtentiæ ipſius neceſſariam repræſentet facultatibus noſtris intellectualibus, debemus Axiom. 5. (omni licèt argumento à ſenſibus petito deſtituti) certò concludere Deum eſſe.

‖ *Lib.* 1. *cap.* 7, 8.

2. Altera ratio ſunt ordinaria Naturæ phænomena, quorum communiſſimum eſt *Motus*. Hinc, ut mihi quidem videtur, demonſtrari poteſt, Ens aliquod in Natura rerum exiſtere à materia diſtinctum. * Nam cùm Materia ſimplici & homogeneâ naturâ ſit, nec per differentias ſpecificas (ut loquuntur Scholæ) diſtingui poſſit, eſſentiales proprietates eaſdem ubique habere illam oportet; proindéque eam univerſam per ſe futuram aut motûs expertem aut ſe-moventem, ídque certo tenore modóve motûs; quippe cùm ratio nulla fingi poſſit, quare pars una materiæ minùs quàm altera per ſe moveatur; quòd ſi ità ſit, ab externo impedimento duntaxat diverſitas iſta oriri debebit.

3. Aio igitur, ſi materia per ſe prorſus expers ſit motûs, manifeſtum eſt eam motum ſuum abs alia ſubſtantia habere, quæ neceſſariò ſubſtantia erit quæ materia non eſt, hoc eſt, ſubſtantia *incorporea*. Sin per ſe moveatur, certóque modo aut gradu, cùm effectus hic ſit emanativus, non poteſt non eſſe ubicunque Materia fuerit, Axiom. 17. præſertim ſi impedimentum extrinſecum non ponatur: & nihil quidem impedit quo minùs partes terreſtres activitatem recuperent propè æqualem æthereis, vel veriùs eam nunquam perdidiſſent. Nam ſi Planetæ ex æquo participes fierent totius ſummæ motûs, qui inter ipſos, Solem, Stellas, æthereámque materiam diſpertitur (materiâ Planetarum præ Solis, Stellarum, ætheriſque materia, perquam exiguâ exiſtente) quæ illis motûs quantitas jure obtingeret, longè ſuperaret eam quam nunc habent. Perinde enim res eſſet, ut ſi in opulenta frequentíque civitate bonorum æquationem conſtitutura, quatuor aut quinque pauperculi, pro re ſua tenuiſſima in publicum data, reliquorum civium parem ſortirentur. Omnis itaque Planeta non potuit non liquare ſe in ſubſtantiam puriſſimo æthere paulo inferiorem. Quod cùm factum non ſit, indicio eſt illos non à ſe motum ſuum aut agitationem habere, illóque proinde contentos eſſe qui ſibi extrinſecus acceſſit, plus minùſve fuerit.

4. At pugnaces homines, quò dilemmatis noſtri declinent ictum, nihil non tentabunt; & quamvìs ſuis ipſorum facultatibus repugnent, affirmabunt tamen, immo neceſſe eſt ut affirment, partem materiæ ſe-moventem eſſe, partem alteram verò per ſe expertem motûs.

5. Ad hoc autem reſpondeo, primò, Effugium illud non adeò conſentire experientiæ; quin, quouſque ſenſus aut ratio noſtra pertingat, eandem ubique materiam eſſe. Cogites enim materiæ partes ſubtiliſſimas quæ hîc infrà deprehendi poſſint, propter ſubtilitatem ſuam inviſibiles, propter activitatem admirabiles, illas dico particulas, quæ vehementem agitationem illam efficiunt quæ ſentitur in ventis: hæ non ità multo pòſt motum amittunt, conſiſtentiâ vaporosâ & viſibili fiunt, vertuntur in nubes, dein in nivem aut pluviam, poſtea fortaſſis in glaciem ipſam; contrà verò progreſſu temporis, in aquam primùm liqueſcentes, tum poſtea in vapores converſæ, tandem vehementiùs agitatæ, denuo ventus fiunt. Et nè putemus reciprocationes haſce motûs & quietis in terreſtribus tantùm particulis habere locum, Cometæ noſtrum in vorticem ejecti, & maculæ ſpumâque in faciem Solis perpetuò extruſæ manifeſtum faciunt, ipſos etiam cœlos ex eadem planè materia conſtare.

6. Secundò verò, ut quod acriùs urgeat, reſpondeam. Materia hæc à ſe mota, alii materiæ imprimendo motum, aut aliquid ſui motûs perdit, aut eum totum ac integrum ſervat. Si prius, motu ſuo omni privari poteſt: itâque res illa, cujus immediata natura eſt moveri, quieſcet; ſalvâ interim manente integrâ motûs ſui causâ, nempe ſeipsâ: quod manifeſtò repugnat Axiom. 17. Si poſterius, en! quale ſequetur incommodum; Mundum univerſum ſcilicet in purum ætherem, ſi minùs flammam meram, jam verſum fuiſſe, vel olim ſaltem verſum iri, in extremam omnium concretionum corporearum ruinam & perniciem. Nam res ipſa indicat particulas illas ſe-moventes bene magno eſſe numero; utpote quæ jamdiu mundum ferè univerſum in Soles, Sydera, & Ætherem liquefecerint, nec quicquam præter Planetas Cometâſque diſſolvendum maneat: qui cuncti ſimul ſumpti vix tantam proportionem habent ad reliquam Univerſi materiam, quantam arenæ granulum ad totum Telluris globum. Quamobrem tam potenti motûs causâ novum ſubinde motum materiæ addente, motûque ſemel communicato nunquam pereunte (nam juxta leges motûs nullum corpus plus motûs amittit ipſum, quàm communicat alteri) planè ſequitur aut mundum antehac concrematum fuiſſe, aut ſaltem fore ſpatio temporis infinitò brevioris eo quod jam duravit, immo, planè dixero, tempore breviſſimo, nunquam iterum in ullam rerum fabricam coiturum: quod quamvìs fieri poſſit, nemo niſi inſanus ſit affirmabit, Axiom. 2. Et quòd nondum ab ultima rerum memoria mundus combuſtus fuerit, demonſtrare videtur ſecundam hanc hypotheſin eſſe falſam.

7. Effugia unum atque alterum ſuperſunt, quibus demptis nulla vel minima dubitatio in hoc argumento erit reliqua. Primum eorum hoc eſt, univerſam materiam homogeneam eſſe, ejuſdémque ubique naturæ, communem ei omni eſſe proprietatem, indifferentem per ſe eſſe ad motum & quietem; atque ideo non mirandum, ſi aliqua pars ejus moveatur, alia verò pars quieſcat aut minùs moveatur. Ad hoc reſpondeo, *indifferentiam* hanc materiæ ad motum vel quietem dupliciter intelligi poſſe; vel *privativè*, i. e. Materiam, realem ſeu activam propenſionem ad quietem plùs quàm ad motum non habere, & vice verſâ, ſed merè paſſivam ſuſceptivámque eſſe *motûs* vel *fixationis*, quam aliud aliquod Agens in eam conferat, & modificationem illam præciſè ac perpetuò ſervare donec eam alterum Agens immutaverit (& in hoc ſenſu Aſſertionem veram agnoſco; ità verò non contra nos, ſed pro nobis facit, quippe quæ manifeſtò ſignificat exiſtentiam ſubſtantiæ incorporeæ à materia diſtinctæ, unde materia moveri debeat:) vel intelligenda eſt hæc *Indifferentia poſitivè*, i. e. Materiam, realem activámque propenſionem habere & ad *motum* & ad *quietem*, ſic ut immediatâ ſuâ Naturâ moveat ſiſtâtque ſeipſam. Duo hinc ſequuntur abſurdiſſima, Unum, proprietates duas adverſiſſimas in uno ſimplici ſubjecto immediatè reſidere; quo nihil facultatibus noſtris *Logicis* durius & inconcinnius videri poteſt, niſi fortè alterum, nimirum, cùm *motus* & *quies* emanativi ſupponantur effectus unius ſimplicis ſubjecti, Materiam & moveri & quieſcere ſimul; vel, ſi per quietem non intelligunt fixationem, ſed meram motûs abſentiam, & moveri & non moveri ſimul. Quicquid enim cuiquam ſubjecto immediatum eſt, non deſinet eſſe, ſubjecto ſalvo, Axiom. 17.

Neque adeò multùm promovebunt fingendo, Materiam immediatas potentias ſeu proprietates illas Motûs & Quietis utraſque ſimul exerentem neceſſariò, ad certum ſe determinatúmque modum gradúmve moturam. Hæc enim poſitio eadem eſt cum poſteriori membro dilemmatis Sect. 3. hujus capitis; idem proinde argumentum valebit utrobique.

Effugium alterum fit ſupponendo partem materiæ ſe moventem, partem verò ſe ſiſtentem aut ſe-fixantem: hoc in ea ſpeciatim intenditur quæ diſputavimus Sect. *6.*

Sic enim declinare velint celerem illam communémque conflagrationem quam in eo loco inſerebam. Falſam autem & hanc ſuppoſitionem eſſe, manifeſtum facit experientia. Si enim ullibi ſint iſtiuſmodi ſe-figentes Materiæ partes, in auro certè & plumbo & hujuſmodi Metallis ſunt; at conſtat hìc non eſſe. Quod enim ſe-fixans eſt, ſimul ac externa vis amovetur, continuò reducetur ad quietem, Axiom. 17. Unde ſequetur, Materiæ partes iſtas ſe-figentes, quamvìs abs alia ferantur materia quoad illi connexæ ſint, liberas tamen factas continuò quieturas; utpote quæ immediatam fixationis cauſam in ſe ipſæ habent. Nec dubitare quis poteſt quin ità ſubita futura ſit hæc mutatio, qui reputat quàm ſubito externa vis in motum cieat materiam. Aurea autem plumbeáve pila ſic in motum excitata, ſeu celerem eum ſeu tardum, non ſtatim ſe refert in quietem. Hinc perſpicuum eſt alterum hoc effugium experientiæ adverſari, proindéque in ſuperiora argumenta noſtra non valere.

8. Effugium ultimum quod mens hominis omnino excogitare poteſt, eſt figmentum illud Materiæ cujuſdam Divinæ per Mundum univerſum diſperſæ, quam Numen ejus unicum eſſe nonnulli opinantur, cujúſque motus non neceſſarios ſed voluntarios faciunt; quo declinarent * immane illud incommodum in ſexta hujus Capitis Sectione memoratum. Hæc autem ſententia dura mihi admodum & prodigioſa videtur ob rationes ſequentes.

Primò, abſurdiſſimum videtur Hanc mundi Numen ſeu Deum ipſum exiſtimare, cùm Perſonalitati Numiniſque unitati prorſus repugnet ex infinito Atomorum numero per materiam mundi interſperſarum conflari: Hoc enim unus Deus nequaquam eſſe poteſt; nec ſingularis atomus Divina, Numen integrum. Ex quo ſequeretur nullum omnino eſſe Deum.

Tum ſecundò, homines iſti Materiam *Divinam*, materiam tamen eſſe agnoſcentes, agnoſcunt ſimul impenetrabilitatem & juxta-poſitionem partium, item figuræ diverſitatem, &, ubi nulli omnino pori ſunt, ſoliditatem duritiémque perfectam. Hinc patet, quæcunque ratiocinationes contra *communem* materiam, à Natura & Idea ejus ductæ, valent quo minùs ea perceptionis liberæque actionis capax habeatur, illas æquè valere contra hanc ipſam, quam titulo *Divinæ* cohoneſtârunt.

Tertiò denique, nullam iſtiuſmodi Materiam *Divinam*, quæ liberè & ſcienter agere poteſt, per Materiam ſubtilem Univerſi interſperſam eſſe, luculentè declarant effecta & experimenta, ut abundè notavi in ‖ Antidoto contra Atheiſmum.

‖ *Vide Lib.* 2. *Cap.* 2. *Sect.* 8.

9. Quapropter rationi magìs conſentaneum eſt ut concludamus, Materiam nullam quamcunque Naturâ ſuâ principium activum ullum Motûs habere, ſit licèt ejus aliunde recipiendi capax, * Deum autem, cùm creabat eam, certam definitámque quantitatem motûs indidiſſe, cujus tantundem ferè in ea tota manet adhuc, tametſi ſingulæ partes ejus ob varias inter ſe occurſiones eandem ſemper quantitatem non habeant. Nec magìs neceſſarium eſt ut Deus hanc ſuam impreſſionem motûs in materiam creatam iteret, quàm ut ipſam Materiam perpetuò creet. Neque ejuſdem quantitatis motûs conſervatio repetitionem aut augmentationem ejus magìs ſignificat, quàm materiæ conſervatio novæ materiæ additionem. Profectò haud alio opus eſt quàm ut materiam conſervet, & materia ſic conſervata fideliter retinebit, in cunctis ſui ſimul partibus, univerſam ſummam Motûs, quæ ſibi ab initio communicata eſt, parvis quibuſdam momentis exceptis quæ hìc non ſunt memoratu digna.

SCHOLIA

IN CAP. XI. SECT. 2.

NAM cùm Materia ſimplici & homogeneâ Naturâ ſit, &c. *Ità profectò uno ore profitentur* Carteſiani *omnes, quanquam non memini ex eis quenquam rem demonſtrâſſe, eive demonſtrandæ operam dediſſe. Ego verò de univerſa Materia Mundana naturali verum eſſe facilè agnoſcam. Qua tamen de re haud adeò opus eſt ut admodum ſoliciti ſimus, cùm ea quæ in hoc capite attulimus, cuilibet Hypotheſi quantumlibet tergiverſatoriæ ſatìs commodè obviare poſſint.*

Sect. 8. Immane illud incommodum in ſexta hujus Capitis Sectione memoratum, &c. *Ingens illud Incommodum, Planetarum eſt Tellurúmve in tenuem Ætherem comminutio. Voluntarii igitur motus hujus Divinæ Materiæ ità ab ipſa attemperari poſſunt, prout illi ſupponunt, ut hoc malum prævertatur. Talem verò Materiam Divinam nullam eſſe in rerum Natura ſatìs clarè in hac Sectione demonſtro. Quod verò ad alîus generis* *materiam Divinam attinet quæ* Ariſtotelis τῷ πέμπτῳ στοιχείῳ, *vel* τῇ πέμπτῃ οὐσίᾳ *aliquo modo reſpondere poſſit, cùm in ſe nec motum localem habeat, nec fixationem, ſed tranſmiſſorium tantùm ſupponatur operationum* τῆς θείας ψυχῆς, *& quaſi ſpeculum irradiationum illius, rationes noſtras de motu Materiæ Mundanæ naturalis nè minima quidem ex parte turbat confunditve.*

Sect. 9. Deum autem cùm creabat eam, certam definitámque quantitatem motûs indidiſſe, &c. *Hoc, more* Carteſiano, *dictum eſt. Quaſi quodam modo, à Mechanico impulſu non multùm abludente, motum Materiæ Deus olim impreſſerit, idque immediatè eſſet factum; cùm multò veriſimilius ſit, Deum, motum, eúmque non* Mechanicum *ſed* Vitalem, Spiritui Naturæ *immediatè impertiviſſe, vitámque hanc cum* Spiritu Naturæ *à Deo creatam & inditam, Materiam Mundanum tam pulchris ordinatíſque modis ab initio moviſſe, ac quaſi vivificâſſe.*

CAP. XII.

1. *Ordinem & Naturam rerum Univerſi arguere Eſſentiam* Spiritualem *ſive* Incorpoream. 2. *Effugium hujus argumenti.* 3. *Apparatus ex* Hobbio *quo ad effugium illud reſpondeatur.* 4. *Reſponſio prima.* 5. *Reſponſio ſecunda.* 6. *Hallucinatio* Hobbii, *ignorantiam cauſarum ſecundarum unicum Religionis ſemen facientis.*

1. E Simpliciſſimo *Motûs* phænomeno, neceſſitatem exiſtentiæ alicujus ſubſtantiæ *Incorporeæ* à *Materia* diſtinctæ oſtendimus. Cujus rei veritas plus adhuc confirmatur à perſpecto ordine effectúque verè admirabili, quem motus hic in mundo genuit. Materia ſe movet; eſto: potuítne propterea mera materia cum ſui-motione, ſapientiſſimam illam dare rebus fabricam, quam in iis cum admiratione conſpicimus? cæcus impetus, poteſt is tales effectus producere, tam accuratè támque conſtanter, ut quo quis ſolertior, hoc certior ſit ſapientiam nullam addere, demere, nec alterare quicquam poſſe in operibus Naturæ, unde emendari queant? quî igitur poteſt id, quod nè ſenſum quidem habet, ad effectus eos aſſurgere, qui rationem atque intelligentiam ſummam ſapiunt? Sed de hac re tam copioſè tantáque cum evidentia diſſeruimus Lib. 2. *Antid.* ut ſupervacanea iteratio foret ſuper eadem materia hîc ultrà pergere.

2. Quod unum Effugium, quantum ego video, adverſarii noſtri uſurpare hîc poſſunt, hoc eſt: Materiam eſſe ſenſûs capacem, puriſſimam & tenuiſſimam ſubtiliſſimi ſenſûs, & conſequenter imaginationis etiam, immo forſitan ipſius rationis & intelligentiæ. Nam cùm ſenſus, ut quidam opinantur, non aliud ſit niſi motus, vel potiùs reactio corporis abs altero corpore preſſi, ſequetur omnem omnino materiam in mundo univerſo habere quodammodo ſentiendi vim.

3. Age videamus quorſum hæc Aſſertio evadat. Qui ſic motum & ſenſationem realiter idem faciunt, agnoſcant neceſſariò oportet, ſublato motu tolli etiam ſenſationem, (quod *Hobbius* in ‖ Elementis ſuis Philoſophiæ ingenuè confeſſus eſt) & motum ſeu reactionem quamque novam fore ſenſationem, pariter ac quamque ceſſationem reactionis, ceſſationem ſenſationis. ‖ *Cap.* 25.

4. Largiamur ergo inquietis materiæ particulis, quæ quaquaverſus feruntur ludibundæ, auxilium atque opportunitatem ſenſûs, & videamus an poſſint vel conſociatis conſiliis Anatomicam fabricam cujuſlibet animantis excogitare. Profectò ſupputatis omnibus quæ etiam fingi poſſint, non conſtabit tamen ratio quam confectam velint. Rogo enim, particulæ iſtæ quæ ad animalis corpus fabricandum aliquid conferre debent, ſingulæne habeant totam inſtituti operis formam per phantaſma ſibi impreſſum, an ſingulæ ſingulas partes ejus, ſicuti ſingula habent miniſteria? Si prius, cùm certiſſimum ſit, etiam ad eorum ſententiam quos hîc oppugnamus, nullam omnino cognitionem ſeu perceptionem in materia eſſe poſſe, quæ non oriatur è reactione unius partis ejus in alteram, quî concipi poteſt ut una aliqua particula vel plures ſimul (nullo adhuc animali in Natura rerum exiſtente) Ideam animalis fabricandi impreſſam habeat? Sin una aut aliquot particulæ unius partis animalis ſenſum habent (quod facilius videtur, quia partes longè ſimpliciores ſunt quàm tota compages atque fabrica) aliæ aliarum; quâ obſecro voce, quo ſermone poſſint inter ſe conferre, & conſilia ſua mutuò communicare? Ut illæ ergo in tali incepto ſibi mutuò inſerviant, impoſſibilius eſt, quàm ut homines aliquot abs primo ſuo ortu cæci mutíque operas

& ingenia conferrent ad condendam arcem aut ſculpendam ſtatuam animantis, de quo nihil amplius nôrint ſinguli quàm minimam ejus particulam, quam rationem verò illa ad totum habeat penitus ignorarent.

5. Præterea, quando ſenſus re ipſâ idem eſt ac corporeus motus, mutetur is oportet mutatâ impreſſione motûs; quare particula aliqua, ſenſu duce, in certa linea mota, ſi fortè per viam contrarium ictum excipiat, impreſſionem ſenſúmque planè diverſum acquiret, & quod antè cogitabat obliviſcetur, alióque divertetur. Immo tametſi in itinere ſuo non impeditur, cùm ſenſus ſit reactio, amoto eo in quod renititur, ſenſus continuò deſinet, ſuccedet oblivio. Non poſſunt enim hæ particulæ, ſicuti portatilis horologii elater aut intenta baliſta, eandem reactionem proindéque eundem ſenſum diutiùs retinere. Et ſi poſſent, nihil tamen ad rem faciet. Qualis enim cunque ſit earum ſenſus, motus certè neceſſarius eſt, utpote merè corporeus, ideóque effectus earum motûs non poteſt ab ulla omnino cognitione oriri. Præit enim corporeus motus, qui ſentitur tantùm, non ſenſu dirigitur. Quare ſeu ſenſum habeat, ſeu non habeat Materia, quod ex illa exiſtit, haud aliud erit ac quod è cæcis confuſionibus & colliſionibus partium ejus inter ipſas ſine ullo propoſito, conſilio, aut directione oriatur. At cùm ordinaria Naturæ phænomena ad exquiſitiſſimam ſapientiam dirigantur, perſpicuum eſt ea non meri motûs materiæ, ſed Principii Immaterialis effectus eſſe, Axiom. 10.

6. Quapropter cauſarum ſecundarum ignoratio non tam verè dicitur Religionis ſemen, (quod vult *Hobbius*) quàm Impietatis atque Atheiſmi. Nam ſi in earum Naturas accuratiùs ſubtiliúſque anquireremus, quàm ſint impares effectibus iis quos in mundo cernimus clarè perſpiceremus. At cùm Naturas rerum corporearum quàm poſſumus diligentiſſimè attentiſſiméque perluſtravimus, nec vim ullam tamen earum invenimus tantam, quæ effectis illis ſatìs reſpondeat & par ſit; noſmet adhuc potiùs ignorantiæ, quàm materiam motúmque corporeum impotentiæ arguere, eſt animi tantùm causâ tueri dogma, & in Axiom. 1 & 2. peccare.

CAP. XIII.

1. *Poſtremam argumentum ſabſtantiarum* Incorporearum, *ab* Apparitionibus *deſumptum.* 2. *Ratio prior declinandi vim argumentorum hujus generis.* 3. *Reſponſio ad rationem iſtam.* 4. *Altera effugiendi ratio.* 5. *Rationis hujus ſecundæ genus prius.* 6. *Deſcriptio ex* Virgilio *ingenii ejus quod placita ſuggerit Philoſophiæ* Epicureæ. 7. *Plenior & ſubtilior ſenſus iſtius Philoſophiæ hodie.* 8. *Magna vis Syderum (quæ ex motu ſolo & materia conſtare ſupponunt) ad producendum omne rerum genus in Univerſo.*

1. TErtia atque ultima ratio unde ſubſtantiarum *Incorporearum* exiſtentia evinci poſſit, ſunt effectus extraordinarii ii, quorum cauſas naturales eſſe ſuſpicari meritò non poſſumus, ſed certè liberas aut ſpontaneas, cùm tamen nec homines nec beſtias eſſe certiſſimum ſit. Hujus generis ſunt locutiones, pulſationes, apertiones forûm firmiter occluſarum, ſplendores ſublimè undantes mediis in conclavibus repentè viſi, tum poſtea tranſeuntes & evaneſcentes; item hominum, variorúmque generum brutorum animantium formæ, quæ à ſermone & colloquio habito ſubitò diſparuerunt. Hi multíque alii hujuſcemodi effectus extraordinarii (quos uno communi nomine appelles, ſi lubet, *Apparitiones*) irrefragabile mihi videntur argumentum *Spirituum* ſeu ſubſtantiarum *Incorporearum* exiſtentiæ; & ſequelam demonſtravi neceſſariam in ultimo capite *Appendicis Tractatûs mei de Atheiſmo*; & in tertio ejuſdem *Tractatûs* libro tot narrationes *Apparitionum* produxi quarum fides nullo modo convelli poteſt, ut ſupervacaneum ducam quicquam iſtius generis hîc addere, ut qui majorem capio voluptatem in exercenda ratione quàm in hiſtoriis conſcribendis. Quid? quòd tam conſultum támque anxium tum feci delectum, ut deſperem planè alias reperire poſſe, quæ magìs appoſitæ futuræ ſint, aut convincant magìs; quippe quòd deſcripſi nullas, quas non priùs ad ſeveras illas leges exegiſſem, quas primo dicti libri capite mihimet ipſe ſtatui, quò tergiverſationibus effugiíſque contradicentium omnibus anteverterem.

2. Satìs verò certus ſum, cùm per ea quæ ipſe obſervavi, tum quæ abs aliis fando accepi, duabus omnino rationibus homines iſtos fidiſſimarum narrationum illiuſmodi

vim declinatum ire. Altera, eſt pertinax perſuaſio, Notionem ipſam Spiritûs ſeu ſubſtantiæ immaterialis impoſſibilem eſſe, & in ipſis terminis repugnantem. Quamobrem hiſtoriis hujuſmodi id ſignificantibus, quod iſti impoſſibile præjudicârunt, narratio ſimul ac audita eſt falſa exiſtimetur neceſſe eſt; ideóque magis conſentaneum putant, omnes illos qui hujuſmodi res miras & prodigioſas vidiſſe ſe profitentur, inſanos habere vel impoſtores, quàm ut ei rei adjungant fidem quæ mera eſt repugnantia.

3. Verùm hoc effugium prorſus jam ſuſtuli, clarè demonſtrando notionem *Spiritûs* nihilo magis contradictionem implicare, quàm notionem *Materiæ*; attributáque ejus æquè intelligibilia eſſe, atque attributa Materiæ: quare nemo, utì ſpero, hâc unquam in poſterum ſubterfugere valebit.

4. Altera evadendi ratio non tam veritatis narrationum de *Apparitionibus* effugium eſt, quàm illationis noſtræ indè factæ. Libenter enim agnoſcunt *Apparitiones* & *Prodigia* hiſtoriis prodita, negant autem argumenta eſſe ſubſtantiæ verè ſpiritualis & incorporeæ diſtinctæ à materia in formam illam mutata, quæ ambulare, loqui, &c. poteſt; & ſingulares effectus tantùm eſſe volunt influxûs ejus, quem cœleſtia corpora noſtræ huic generationis corruptioniſque regioni impertiunt.

5. Qui ſic reſpondent duorum generum ſunt. Alteri ad *Ariſtotelem Averroëmque* proximè accedunt, qui non ut ſubſtantias merè corporeas ſpectant cœleſtia corpora, ſed ut informata *Intelligentiis*, quæ *Eſſentiæ* ſunt *ſeparatæ* atque *immateriales*. Hæc autem hypotheſis inſtituto noſtro præſenti nihil nocet; id ipſum enim concedit quod contendo, nempe Subſtantiam *Incorpoream*; & in hunc tantùm finem excogitata erat, ut per eam declinentur utcunque argumenta omnia ab *Apparitionibus* ſumpta ad probandum animas humanas morti ſuperfuturas, vel exiſtere *Dæmonas Genióſve* Naturâ permanenti & immortali. Verùm hanc hypotheſin facilè refelli poſſe puto, ſi operæ pretium eſſet eam oppugnare.

Illa *Sadducæorum* multò firmior eſt, qui ἀπορροίας ſuas faciunt efficaciſſimam præſentiam Dei, materiam in *Apparitionem* aliquam alterantis; tanquam ſi una duntaxat eſſet omnium rerum anima, quæ Deus ſit variè operans in materia. Cæterùm hoc dudum refutavi in *Poemat.* meis *Philoſophicis*, atque iterum in hoc ipſo ‖ Tractatu refutabo.

‖ *Lib.3.cap.16.*

6. Alteri *Influentiarii* eandem planè virtutem, quam iſti, cœlis tribuunt; & quamvìs non adeò nobile Principium in illis eſſe ſupponunt, putant tamen & ſuum phænomenis omnibus ſublunaribus, tum ordinariis tum extraordinariis, ſalvandis ſufficere. Verendum ſcilicet Arcanum! nec niſi abs aliquo ſene *Sileno* in obſcuro antro ſuo jacente evulgandum; neque id quidem, niſi cùm omnia commodè ſe habeant, ipſéque commodior ſit, inflatis vino venis, ſertóque per oſcitantem ſomnolentiam capiti delapſo: ſi tunc *Chromis* & *Mnaſylus*, pulchrâ præſertim & audaculâ Ægle ſe ſociam adjungente, quæ digitos ſuos mororum ſanguine tinctos per vetuli ſatyri frontem & tempora laſciviâ amatoriâ leviter ducat, ipſo interim ſimulante ſomnum, nè ſi videre videatur tactûs ſui deliciis privetur; tunc, inquam, ſi lepidi hi pueri ſatìs acriter inſtant, clariùs & alacriùs cantabit vetus illud de Philoſophia *Epicurea* canticum; quod profectò, niſi ut refellam, vel recitare abhorrerem, adeò monſtroſum eſt & impium. At quoniam celatum vulnus ſanari nequit, etiam hæc hypotheſis in medium eſt proferenda, quam hoc compendio complexus eſt Poëta.

> *Namque canebat, utì magnum per inane coacta*
> *Semina terrarúmque animæque mariſque fuiſſent,*
> *Et liquidi ſimul ignis; ut his exordia primis*
> *Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.*

Virgil. Eglog. 6.

7. Quæ his diebus pleniorem & ſubtiliorem hunc habent intellectum; Materiam & Motum omnium omnino rerum eſſe principia; per motúmque atomos ſeu particulas alias aliis ſubtiliores eſſe, & majori agilitate & activitate. Motum unius corporis in alterum ſenſum ubique neceſſariò producere, ut qui non aliud eſt ac reactio partium materiæ. Quo ſubtilior materia, eo ſenſum etiam eſſe ſubtiliorem. Materiam quæ Solem & Stellas conſtituit omnium eſſe ſubtiliſſimam, illas proinde ſenſum habere puriſſimum ſubtiliſſimúmque. Quod perfectiſſimum habet ſenſum, habere etiam imaginationem memoriámque perfectiſſimam, propterea quòd imaginatio & memoria idem re ipsâ ſunt atque ſenſus, cujus ſunt modi. Quod perfectiſſimam habet imaginationem, habere ſummam rationem & providentiam; quippe quæ nihil aliud ſunt quàm phantaſmatum, ſenſationum, & imaginationum ſeries ordinatior. *Solem*

igitur & *Stellas* eſſe entium quotquot in mundo ſunt omnium intelligentiſſima, & in illis eſſe ſcientiam, conſilium, & ſapientiam eam, quâ res omnes ſublunares & fiunt & gubernantur.

8. Variis hæc ſuis impreſſionibus & imprægnationibus univerſam implevêre terram vitali motu, unde florum, herbarum, arborúmque genera innumera prognata ſunt. Hæc etiam ſingula animantium genera procreârunt; hæc maria piſcibus, agros beſtiis, aërem volucribus complevêre: terreſtris enim materia, impreſſione ſolaris ſydereæque imaginationis potentiſſimâ, tam facilè fingitur in viventes animalium formas, quàm facilè in utero ſignatur embryo validâ geſtantis matris phantaſiâ. Cùm itaque cœleſtes illæ Poteſtates imaginationis ſuæ vi valeant animatas figuras ex terreſtri materia fabricare, quanto faciliùs vaporoſum aërem in ſimiles figurationes fingent?

Ut veræ igitur habeantur narrationes omnes *Apparitionum* quæ uſquam ſcriptis mandatæ ſunt, hoc tamen argumento non erit, Principium ullum *Incorporeum* in mundo exiſtere. Acutiſſima enim illuſtrium horum corporum, *Solis* & *Stellarum*, providentia poteſt quaſcunque libet *Apparitiones* & *Prodigia* excitare, ad ortus & interitus clariſſimorum virorum prænunciandos; quarum rerum exempla multa veriſſima & in Græcis & in Latinis monumentis extare, concedit ipſe *Pomponatius*. Profundiſſimum Arcanum hoc eſt quod potuit unquam ſenex *Silenus* canere, ad aures atque animos facilis ſimplicíſque juventutis illaqueandum. Et verè quidem eſt φρικτὸν μυστήριον, in partem ſanè peſſimam, horrendum myſterium & periculi plenum; niſi quòd non levis ſpes eſt ut nè ſit verum. Id ergo jam examinemus.

De Immort. Animæ, cap. 14.

CAP. XIV.

1. *Splendorem corporum cœleſtium non probare ea* Providentiam *ullam aut* Imperium *in nos habere.* 2. Stellas *nullam noſtrî notitiam habere poſſe, mathematicè demonſtratur.* 3. *Eadem ipſa concluſio demonſtrata ſimpliciori modo.* 4. Stellas *cogitata communicare non poſſe, nec cum* Sole *nec inter ſe.* 5. Solem *nullam noſtrarum rerum notitiam habere.* 6. *Principia poſita ad concluſionem illam inferendam.* 7. *Demonſtratur illum nos* cernere *non poſſe.* 8. *Illum nullum* aliud genus notitiæ *noſtrî, neque fabricæ cujuſquam in terris Animantis habere poſſe.* 9. *Etiamſi* Sol *notitiam haberet perfectæ Animalis fabricæ, non potuiſſe tamen eam tranſmittere in materiam terreſtrem.* 10. *Reſpondetur ad exemplum illud* Signaturæ *in fœtu.* 11, 12. *Ad idem porrò reſpondetur.* 13. *Brevis reprehenſio confidentiſſimorum iſtorum hominum, qui ſubſtantiam* Incorpoream *è natura rerum explodunt.*

1. Lucem rem eſſe glorioſam, fulgorem Syderum viſu amœnum, corpus item Solare tanto ſplendore majeſtatéque coruſcare, ut ſine adulatione profiteri liceat coactos nos eſſe obliquare oculos tanto fulgori ſuſtinendo impares; verum & certum eſt ut quod maximè: atenim quaſi tot oculos eſſe cœli, terræ invigilantes, tot benevolos diligentéſque ſpectatores & curatores rerum humanarum, ut ‖ *Paracelſus* vaniſſimus ille Chymicus opinatur, qui non modò Principes & Magnates, & excellentes viros, verùm etiam quemque ferè hominem, ſub exitum ſuum, ſignum aliquod inſtantis ſui fati prænuncium, (ut ſonitus in ædibus factos, defunctorum choreas, & hujuſmodi) à proviſoribus his miſerantiſſimis miſſum, habere prædicat; næ ego non tam paganicè ſuperſtitioſus ſum, ut vel minimo harum rerum apiculo fidem habeam: immo rem totam merum figmentum eſſe, demonſtrari poſſe puto; ſtante maximè quam nunc examinamus hypotheſi, videlicet, Principium nullum immateriale in Sole Stelliſque reſidere, ſed meram materiam eſſe, & ex particulis ejus ſubtiliſſimis maximéque agitatis conſtare. Sic enim certi ſimus, nil quidquam in illis eſſe divinius, quàm quod in aliis rebus quæ luceant in tenebris, ligno putrido, cicendelâ, lucernæ junceæ flammâ deprehenditur.

‖ Vid. Enthuſiaſm. Triumph. Sect. 45.

2. Saltem hoc demonſtrabimus, quamcunque rerum aliarum cognitionem habeant Sol & Sydera, noſtrî noſtrarúmque rerum nullam omnino habitura; quod prorſus tollet hoc ultimum effugium. Et de *Stellis* primò manifeſtum eſt, illas noſtrî cognitionem nullam habere poſſe: nam cùm magnus Orbis terræ punctum duntaxat ſit ad diſtantiam eam, quæ inter illum & Stellam fixam interjacet, hoc eſt, cùm angulus qui à Stella ductus, & ab Orbis magni diametro ſubtenſus concipitur, ſenſui

non ſit angulus, ſed mera quaſi linea; quantilla erit tellus ipſa? quámque prorſus Stellæ inviſibilis, cùm diameter ejus, orbis ſui magni diametro undecies centenis vicibus minor ſit? Ex quo conſtat impoſſibile planè eſſe, ut *Stellæ*, quamvìs viſu præditæ, videant vel terram ipſam, nedum incolas ejus, quo ſpectatrices aut curatrices rerum ſint eorum ſeu bono ſeu malo; & cùm Principium nullum ſuperius exiſtat, quod iis harum rerum cognitionem inſpiret, Stellas earum prorſus inſcias eſſe manifeſtum eſt.

3. At ſi hæc demonſtratio, quanquam in ſe veriſſima, non adeò tamen patet omnibus, addi poteſt id, quod facilius eſt & magìs obvium, viz. cùm Stellæ lucida corpora ſint, & quæ primæ ſunt magnitudinis centies ferè excedant terram, tantillæ tamen nobis appareant; facilè quivis hinc colligat, opacam terram vel prorſus inviſibilem futuram, vel ſaltem tam exiguam apparituram Stellis, ut fieri non poſſit ut Regiones ejus diſcernant, nedum Urbes, ædes, incolas.

4. Frequentiſſimum hunc ergo cœleſtium Senatorum cœtum omni planè poteſtate exuimus de rebus hominum deliberandi aut quovis modo procurandi eas; nictent igitur quàm volent cogitabundis ſimiles, exploratiſſimum habemus, quando nullam noſtrî habent notitiam, nullum illos de noſtro vel bono vel malo conſilium ſecum agitare. Nec ſi agitarent, poterant id cum *Sole* communicare, ſummo illo, ut creditur, mundi Principe, cui tam ſunt ſemper inviſibiles ipſi, quàm nobis interdiu. Una enim lux ejus eſt, quæ abs adeò imbecillis objectis cernendis nos prohibet; quæ prohibitio in hoc uno ſita eſt, quòd motus is qui radiis ejus efficitur in organo, ità acer & vehemens eſt, ut placida vibratio luminis Stellarum nequeat illum ſubigere; immo verò nec ullam ferè proportionem ad illum habet: quid ergo faciet ad Solis corpus ipſum, cujus materia rapidiſſimè omnium rerum agitatur?

5. Nihil itaque nunc reſtat præter *Solem*, quod cognitionem ullam aut moderamen habere rerum terreſtrium exiſtimari poſſit. Quàm impar verò & ipſe ſit huic muneri, haud difficile demonſtratu puto. Unde manifeſtò patebit, *Apparitiones* ſive in Aëre ſive in Terram viſas (quæ rectè habentur argumentum *Providentiæ* atque exiſtentiæ alicujus Entis *Incorporei*) non potentiæ aut proviſioni *Solis*, ſi purè corporeus ſit, tribui debere.

6. Hoc enim inter omnes convenit, *meram Materiam connatas Ideas* non habere rerum earum quas in mundo cernimus; ſed tantùm, ex reactione unius partis ejus ab alia parte motæ, oriri ſenſum quendam ſeu perceptionem. Quæ quidem ſententia, ut in ſe rationi maximè conſentanea, (ſi ſenſum ullum habet Materia) ità & experientiæ optimè conſona; nam planè videmus ſenſum ſemper fieri per corporeum motum extrinſecùs illapſum in organa, quæ itidem ſunt corporea. Lucem enim à corporeo motu exiſtere, ex radiorum ejus reflexione conſtat; nec auditur ſonus ullus, niſi per motum aëris vel alterius cujuſpiam corporis intermedii; nulla vox editur, linguâ priùs non motâ; muſica modulatio nulla, niſi vel ventus inſpiretur, vel fides pulſentur, aut aliquid his analogum: idem fit in cæteris ſenſibus.

Quamobrem ſi nihil in Natura rerum ſit præter Corpus, perſpicuum eſt oriri ſenſum à ſolo motu unius partis Materiæ in aliam, & motum præire ſemper, perceptionem ſequi, & perceptionem proinde legibus motûs aſtringi; poſtremò nullum *Percipiens* quidquam amplius concipere poſſe, quàm quod per motum corporeum tranſmittatur. Ex his autem principiis facilè probari poteſt, etiamſi percipiendi facultatem largiamur *Soli*, tantam tamen non fore, ut per eam fiat aut *Spectator* aut *Gubernator* rerum hîc in terris noſtrarum.

7. *Sol* juxta ſupputationes Aſtronomorum, etiam eorum qui parciùs loquuntur, centum & quinquaginta vicibus excedit terram. Quàm exiguus verò nobis appareat, oculi omnium æſtimare poſſunt. Illi ergo terra quantilla apparere debet? Si omnino videat eam, tantum tamen aberit ut ſingulares homines aut familias animadvertat, ut nec vicos, nec urbes, immo non agros, non regiones diſtinctè cernere valeat; ſed plagæ integræ, quamvìs latiſſimæ, ità hîc erunt inconſpicuæ, ut latifundium *Alcibiadis* in charta terrarum orbis evanuit, quam *Socrates* beatulo juveni ad ſuperbiam ejus reprimendam oſtendebat. Terram *Soli* multò minorem apparere oportet, quàm nobis *Lunam*, quia *Sol* videtur nobis minor Lunâ. Facilè demonſtrari poſſet, diſcum ejus *Soli* appariturum triginta ferè vicibus minorem, quàm *Luna* apparet nobis, immo verò ſexaginta, juxta ſupputationem *Lansbergii*.

Cogita jam quantulum id ſit, quod nos in latiore objecto illo, *Lunâ*, cùm proxima eſt, cernimus, etiamſi in obſcuro, ſub umbra terræ collocati, quâ re viſus plus patitur, plúſque cedit impreſſionibus. Igneus igitur oculus *Cyclopis* illius, *Solis*, qui totus eſt lux & flamma, quantillum diſcernet is in minori hoc objecto, Terrâ, cùm vigor motúſque ipſius tam ſit invictus & cedere neſcius? Quid *Soli* hac in re eventurum ſit, de nobis ipſi poſſumus utcunque conjecturam capere. Quamvìs enim organum noſtrum radiis ejus reflexis duntaxat moveatur aut agitetur, ægrè tamen *Lunam* ſupra Horizontem exiſtentem cernimus interdiu: quid ergo impreſſionis *Terra*, quæ illi minus eſt objectum quàm *Luna* nobis, in *Solem* efficere poterit, cujus corpus ità furit æſtu, ut ipſe ſit quaſi ignis ebulliens, ſi ità loqui liceat, & maculæ ipſius tanquam vaporantis illius lebetis ſpuma?

Præterea, Atmoſphæra tanto ſcilicet intervallo tam craſſum nobis tegumentum eſt, ut nullius planè rei conſpectus futurus ſit, præterquam albicantis nebulæ circumtegentis omnia, & ad inſtar nubis lucidæ candentis. Quapropter Solem nos videre non poſſe, tam eſt rationi perſpicuum; quàm ſenſui manifeſtum, nos videre Solem: proindéque non poſſe noſtrarum actionum vel *Inſpectorem* vel *Curatorem* eſſe.

8. Atenim forſitan ſubjicies, quamvìs *Sol* terram non videat, ſenſum tamen & perceptionem eam in ſe habere poteſt (ſcilicet bellè micans res eſt, & magnum aliquid de illo quoquo pacto credi debet) quæ in oppidò quàm amplam *intelligentiæ, præſcientiæ, potentiæque* ſphæram evadat. Verùm vaniſſima ſuſpicatio eſt, quæque nullâ facultatum noſtrarum confirmari poteſt: quinimò ex principiis illis de quibus jam convenit, contrarium poteſt demonſtrari. Nullæ enim *Ideæ connatæ* ſunt in Materia; ideóque ex colliſione ac agitatione particularum ſolarium, nil aliud quidquam in *Sole* effectum iri cum ratione expectandum ſit, quàm quod nos in noſtris ipſorum oculis percuſſis experimur, unde plerumque ſequitur confuſi luminis aut flammæ ſenſus. Itaque ſi *Sol* ſenſum ullum per ſe habet, lucis vehementioris aut ignis perceptionem eſſe oportebit; quæ cùm una eadémque perpetuò ſit repræſentatio, incertum eſt an is eam ſentiat magìs, quàm nos oſſa noſtra ſentimus, quæ, propter ſuetum & continuum ſenſum noſtrum eorum, non percipimus; ut *Hobbius* in materia ſimili ingenioſè conjicit.

Si perceptionem autem eſſe dixeris concuſſûs aut colliſûs, aut ſi quis alius tactus vel affrictus ſit particularum *Solarium* inter ipſas, cùm corpus *Solis* liquidiſſimum ſit, & particulæ ejus proinde nunquam quieſcant, ſed hâc illâc temerè motæ aliæ in alias impingant fortuitò; quæ hinc oriuntur perceptiones tam erunt variæ & fortuitæ, tam celeres brevéſque, tam parum conſtantes & permanentes, ut ſi quis mortalis ità affectus eſſet, ut *Sol*, juxta hanc hypotheſin, neceſſariò afficitur, & eſſet & videretur omnibus mente captus; adeò levis, incertus, & deſultorius eſſet, támque impotenti temeritate ageret, diceret, cogitaret omnia.

Breviter, ut Sol, atomorum ſuarum ignearum agitatione tumultuoſâ, incideret in rationabilem ſolertémque fabricationem, verámve Ideam cujuſvis animalium eorum, quæ in terris videmus, pariter eſt intellectu difficile, atque ut particulæ terreſtres ipſæ in eaſdem fabricas formáſque rerum concurſarent; quod ſatìs ‖ jam refelli.

‖ Cap. 12. Sect. 4, 5.

9. Et ſi incideret veram in fabricam formámque animalis, vel in initia debita aut delineationem ejuſdem, quî tamen eam poterit in terram hanc, generationis regionem, tranſmittere; partim quòd terra tam longè diſtat, eíque planè inviſibilis eſt; partim quòd cùm altiſſimum Principium hîc ſit tantummodo merus motus, auſpiciis præſtantioris carens, Imaginatio iſta ſolaris in terram agens ſimpliciter-rectilinearis impreſſio tantùm futura eſt, quæ internam ſolidámque organizationem partium Animantium nunquam efficiet; nec Spectra aut *Apparitiones aerias* certiori diuturnioríve formâ continebit, quàm quâ fumarii pætive fumus continetur.

10. Exemplum illud potentiæ quam imaginatio materna in fœtum utero incluſum habet, mera eſt pompa; tanta enim eſt rerum diſparitas, ut argumentum indè petitum nihil omnino probet. Nam mater explicitam habet Ideam fœtûs & ſingularum ejus partium; *Sol* autem & *Stellæ* omnino non habent diſtinctam Ideam partium terræ; quinimò auſim dicere, quæ ſuprà attigimus, demonſtrare, ſydera, etiamſi ſenſum haberent, nè ſcire quidem ſítne terra hæc, in qua degimus, in Natura rerum.

11. Præterea, Notæ fœtui impreſſæ conceptum clarum vividúmque mater habet; fabricam verò bellam & ſolertem eam, quæ in Idea animantium comprehenditur, concurſionibus ignearum particularum ſeu *Solis* ſeu *Stellarum* fortuitis neutiquam competere poſſe demonſtravi.

12. Poſtremò, impreſſio quæ in Fœtu fit valde ſimplex eſt & levis, & rarò tam affabrè facta, atque impreſſiones annulorum in ceram; quæ ſuperficiei duntaxat ſunt modificationes: ſuppoſita autem hæc impreſſio imaginationis Solaris vel Sydereæ eſt plus quàm ſolida ſtatua, plus quàm accuratiſſimum automaton quod unquam hominis

nis ſolertia excogitaverit; nec potuit proinde abs impreſſione rectilineari Solaris imaginationis, primùm in ætherem factâ, deinceps in terram propagatâ exoriri; nè quidem ſi *Sol* animâ intelligenti actuari fingeretur, modò terra totúmque ſpatium inter eam Solémque medium inanima eſſent. Nec directionem ſignaturæ certam in fœtûs partem (quod tamen infinitò levius eſt) matris imaginatione perfici potuiſſe puto, quanquam multùm ad hoc confert organizatio corporis, niſi & ipſa & fœtus ejus animati eſſent.

13. Ex Univerſi ergo phænomenis, ultra omne effugium, demonſtravimus, ſubſtantiam *Incorpoream* neceſſariò in mundo eſſe oportere; inclament & derideant eam puſilli Philoſophaſtri, quantum *Fatuitatibus* ſuis videbitur.

IMMORTALITAS ANIMÆ.

LIBRI SECUNDI

CAP. I.

1. *Axiomata alia adjiciuntur ad demonſtrandum Eſſe in homine* Spiritum *ſeu* Subſtantiam Immaterialem. 2. *Primi eorum veritas confirmatur teſtimonio* Hobbii; *item demonſtratur in* Præfatione. 3, 4. *Illa demonſtratio clarior adhuc & firmior redditur reſpondendo ad effugium quoddam.* 5. *Probatio Axiomatis ſecundi.* 6. *Probatio tertii.* 7. *Confirmatur quartum tum teſtimonio* Hobbii, *tum* Ratione. 8. *Explicatio & probatio quinti.* 9. *Veritas ejus probatur porró.* 10. *Reſponſio ad effugium.* 11. *Reſponſio ad effugium alterum.* 12. *Prima illa reſponſio ultrà tractatur.* 13. *Reſponſio ſecunda.* 14. *Reſponſio tertia, quâ continetur maximè confirmatio Reſponſionis primæ ad effugium ſecundum.* 15. *Evidentia Axiomatis ſexti.* 16. *Probatio ſeptimi.*

1. NUllam eſſe repugnantiam in notione *Spiritûs*, quo minùs in Natura exiſtat, quinimò & de facto *Subſtantias Incorporeas* in Mundo exiſtere, demonſtravimus. Huc uſque igitur munitâ viâ, ad ſummam rem noſtram jam propiùs accedemus; & in *Homine* ineſſe *Subſtantiam* ejuſmodi *Immaterialem*, inſuper demonſtrabimus; quæ, propter potentiam eam quâ corpus actuare & regere exiſtimatur, *Anima* vulgò dicitur. Hoc verum eſſe primùm generaliùs, non eo tamen invalidiùs, aſtruemus, evincendo Facultates atque Operationes illas, quarum in nobiſmet ipſi ſumus nobis conſcii, *Materiæ latè ſumptæ* ſine omni ſingulari *Organizatione* neutiquam competere poſſe. Deinde *Corpus humanum*, & unamquamque in ejus fabrica opportunitatem ad operationes illas peragendas, quas in nobiſmet ſentimus, diligentiùs perſcrutabimur. Quò verò clariùs hoc fiat atque firmiùs, adjiciemus ſuperioribus hæc quæ ſequuntur Axiomata.

AXIOMA XX.

Motus *vel* Reactio *partium* Materiæ *aliarum in alias, juſta ſaltem ejus mora, una eadémque planè res eſt ac* Senſus *&* Perceptio, *ſi quis Senſus aut Perceptio ſit in Materia.*

2. HOC Axioma ut per ſe ſatìs eſt manifeſtum, (ſuppoſito præter corpus nihil quicquam in Mundo exiſtere) ità & *Hobbii*, confidentiſſimi potentiſſimíque adverſarii noſtri, teſtimonio juvatur in ‖ Element. Philoſoph. Cujùs ego judicium in cauſis hujuſmodi magni ſanè facio, tam ratione quàm charitate perſuaſus, hominem tam parùm videntem in Natura *ſpirituum*, defectum illum ſuum compenſâſſe ſingulari perſpicaciâ optimas maximéque probabiles rationes diſcernendi, per quas omnia Phænomena ex notis & probatis proprietatibus *Materiæ* ſalvari poſſint. Haud alienum igitur duco in hujuſmodi rebus teſtimonium ejus in medium proferre; utpote quòd demonſtrationes meæ eo commendatiores fiunt hominibus idem cum illo ſentientibus.

‖ *Cap.* 25. *Art.* 2.

tientibus. Verùm cùm propoſitum mihi non ſit de certo hominum genere victoriam quærere, ſed veritatem ſimpliciter ſtabilire; nulla fundamenta ponam quæ ſint ad hominem tantùm argumenta, ſed qualia perſuaſus ſum (ex hac ſcilicet hypotheſi, *Nihil eſſe in Univerſo præter Corpus*) evidentiſſima cuivis fore, qui de illis mediocriter judicare valet. Et hujus ipſius Axiomatis demonſtratio extat in Præfat. Sect. 5.

3. Contra quam nullum omnino effugium excogitare queo, niſi quis fortè putaret agitationem materiæ communem ſufficere ad exciendum particulas ejus ad cogitandum, & illas ſic excitas in alias deinceps cogitationes & phantaſmata excurrere poſſe præterquam quæ ab impreſſo motu præcisè oriantur.

Sed ad hoc breviter reſpondere licet, primò, cùm ex agitatione colliſúque particularum iſtarum Senſus exiſtat neceſſe ſit, (nam quia ejuſdem ferè ſunt magnitudinis, agent in ſe invicem efficaciter) Animadverſionem particularum adeò occupatum & defixum iri in perceptionibus ſuis ſenſilibus, ut quamvìs alioquin facultatem habeant liberè cogitandi, ſemper tamen in ſenſibilibus his phantaſmatibus neceſſariò detinerentur.

Secundò, quicquid percipitur, in commune percipi ab eo quod naturâ ſuâ aptum eſt ut ſit Percipiens. At nihil, non reipsâ idem atque motus corporeus, vel effectus ejus proximus & adæquatus, particulis alicujus materiæ communibus communicari poteſt. Hinc ergo conſtat nullam Materiæ congeriem in liberas cogitationes, ſeu phantaſmata craſſiora ſeu Notiones ſecundas, excurrere, propterea quòd particulæ nequeunt cogitationes illas inter ſe mutuò communicare; id quod ‖ ſuo in loco diſtinctiùs demonſtravi.

‖ *Cap.6. ſect. 4, 5,6.*

Tertiò denique, ſenſu & experientiâ ſatìs conſtat *Materiam* eſſe Principium omnino *paſſivum*, neque aliter moveri nec modificari ac quidpiam aliud eam moveat & modificet, ſeipſam verò neutiquam movere poſſe. Quod iis maximè demonſtrabile eſt, qui Materiam ſentire & percipere volunt ac contendunt. Nam ſi ullam hujuſmodi *Perceptionem* habeat, motûs ſui ſpontanei vi ſubduceret ſe malleorum ictibus ignîſve furori, & ſponte ſuâ ad ea accederet quæ grata ſibi ſunt maximè & jucunda; ídque ſine muſculorum ope, utpote quæ per ſe & immediatè prædita eſt ſe-movendi facultate. Cùm ergo Materia adeò ſit ſtupida ut illâ facultate careat, quî poteſt haberi ſubjectum idoneum cui Potentia & activitas infinitò divinior inhæreat, hoc eſt, *libera in Cogitationes varias evagatio*, Inventionis, Judicii, Memoriæ uſus & exercitium, ídque in Objectis iis quæ ſupponuntur non eſſe impreſſiones ipſæ motûs particularum aliarum in alias?

Nec eſt cur quis me verſutum & fallacem idcirco putet quòd Materiam craſſam & ponderoſam nominans, qualis contundi malleo aut ſecuri cædi ſolet, exinde concludo nullam omnino materiam, nè ſubtiliſſimam quidem, movere ſe: enimvero ſui-motio non minùs competit ponderoſo Materiæ fruſto quàm particulæ ejus minutiſſimæ; ſicut enim magnitudo ad magnitudinem, itâ ad vim vis erit; & proinde ut portio quæque Materiæ maximam habet molem, itâ validiſſimè ac invictiſſimè movebit ſe. Hinc patet minutiſſimam corporis ingentis particulam abs eo ſeparatam nè hilo quidem indè aptiorem evadere ad movendam ſe, ſed minùs invictam duntaxat in iſta ſui-motione futuram.

4. Nec proficies quicquam relabendo ad figmentum illud Materiæ ſpecificè ab ea diſtinctæ quæ vulgò ſic dicitur & intelligitur (quam titulo *Divinæ* ‖ nonnulli inſigniunt, tanquam ſi ea eſſet ſummi Numinis ſubſtantia:) Nam ſi contemplemur pauliſper bene magnam *Divinæ* hujuſce materiæ quantitatem, globum, putà, aliquot unciarum in diametro & perfectè ſolidum, i. e. cujus partes immediatè ſine poris ſeu intervallis uniuntur; & deinde conſideremus globum iſtum neceſſariò futurum eſſe duriorem maſſâ illâ Plumbi aut Auri, cujus mentionem facio in Axiomate hoc demonſtrando, nec minùs opacum quàm quod opaciſſimum: conſtabit hinc liquidò Materiæ huic *Divinæ* tam minimè competere motum ſpontaneum, cogitationes liberas, & perceptiones non à motu corporeo impreſſas, quàm *plumbeæ* & *aureæ* Maſſis illîc memoratis; & propterea figmentum illud ludibrium merum eſſe verborum, tam perperam junctorum ut ſi *Divinam* maſſam *plumbi* vel *auri* dixeris.

‖ *V. Lib.1. cap. 11 ſect.8.*

Et quod dixi de globo univerſo, valebit pariter in qualibet particula ejuſdem naturæ cum toto; quæ nihilo magìs erit liberæ cogitationis capax, quàm particulæ materiæ ejus ex qua aurum aut plumbum conflatur. Si enim ulla perceptio eſt, ex reactione corporea oriri eam in utriſque dicendum eſt, ſi ad mentis noſtræ ſententiam æquo animo attendamus. Et utcunque id ſit, certè liberarum perceptionum *communicatio* in neutris poſſibilis erit; Diviniſſimâ quæ cogitari poteſt Materiâ nullam aliam unionem habente niſi juxta-poſitionem partium, ut adverſarii noſtri ipſi libenter agnoſcunt.

Veracibus his noſtræ ipſorum mentis præſagiis, certiſque rationis concluſionibus, addas licèt poſtremò ipſius Naturæ ſuffragium Experimentis editum; quæ certiſſimam fidem faciunt, nullam iſtiuſmodi Materiam *Divinam*, liberè cogitandi liberéque agendi facultate præditam, intermiſceri vel interſpergi communi Materiæ Univerſi: * quod in ‖ *Antidoto* clariſſimè demonſtravi. Itaque concludam nullam qualemcunque materiam perceptionem ullam habere, ſi quam habet omnino, aliter aut ad alias leges ac *Hobbius* definivit, ipſéque in hoc ipſo axiomate expoſui.

‖ *Lib.* 2. *cap.* 1. *ſect.* 8.

AXIOMA XXI.

Quouſque continuata hæc reactio pertineat, Senſus *eouſque aut* Perceptio *pertinet, nec quicquam ultrà.*

5. HOC Axioma tam de *duratione* temporis quàm de *extenſione* ſubjecti intelligendum eſt, viz. *Senſum* & *Perceptionem* non ampliùs diffundi per Materiam quàm diffunditur *reactio*; nec diutiùs durare quàm eadem *reactio* durat. Hujus veritas abundè patet ex axiomate præcedente.

AXIOMA XXII.

Quicquid diverſitatis *ſit* Senſus *aut* Perceptionis, *id oritur neceſſariò ex* diverſitate *magnitudinis, figuræ, ſitûs, vigoris directioniſque motûs in partibus Materiæ.*

6. Hujus etiam veritas ex Axiom. XX. manifeſta eſt. Nam cùm *perceptio* unum idémque re ſit ac *reactio* partium Materiæ inter ſe, cúmque ſit *perceptionis diverſitas*, diverſam ſimul modificationem *reactionis* ea inferat neceſſe eſt; & cùm *reactio* nihil aliud ſit niſi motus in materia, non niſi per eas variationes variari poteſt quæ materiæ conveniant; quales ſunt magnitudo, figura, ſitus, motus localis, in quo continetur omnis ad eum *conatus*, uti etiam *directio* iſtius ſive liberi motûs ſive conatûs cohibiti, ejuſdémque vigor; quem ſi ad gradus infimos deducis, ad quietem tandem deveniendum erit, quæ eapropter ad illum aliquatenus referri poteſt, quemadmodum ad *magnitudinem parvitas* eſt referenda. Hæc ea ſunt quæ primò concipiuntur in materia; ab his igitur *perceptionis diverſitas* neceſſariò oriri debet.

AXIOMA XXIII.

Materia, *in innumeris illis variiſque quas ſentit* Perceptionibus, *nullas habet quæ non à corporeis motibus ipſi imprimuntur,* i. e. *quæ non* Perceptiones *ſunt actionum aut modificatarum impreſſionum partium* Materiæ *aliarum aliis obnitentium.*

7. Hujus Axiomatis veritatem *Hobbius* libentiſſimo vel veriùs cupidiſſimo animo comprobat & confirmat; idem faciunt & diſcipuli ejus; quippe qui omnes acriter contendunt, nullius nos rei *perceptionem* habere niſi *phantaſmatum* objectorum materialium, & *verborum* notarúmve ſenſibilium, per quas hæc vel illa objecta ſignificari volumus. Quod ſanè veriſſimum eſſet, ſi præter materiam nihil in mundo exiſteret; quare convenientiſſimè principiis ſuis loquuntur: non autem in iſta Schola tantùm veriſſimum dico, verùm etiam per ſe rationi conſentaneum, ſi nihil præter materiam eſſet in Natura, atque una eadémque res eſſent *Perceptio* & *Reactio*. Nam cùm *reactio* illa in brutis pariter ſit atque in hominibus, non per perceptionem alterius planè generis, ſed per extrinſecam rationem perceptiones communicandi, diſcrimen omne conſtitui oportet. Diſtinctio proinde inter *homines* & *beſtias* in hoc uno ſita eſſe debet, quòd illi de *communi* quadam *nota*, ſive *vocum* ea ſit ſive *characterum*, convenire poſſunt ad perceptiones ſuas exprimendas, hæ non poſſunt; perceptiones autem ipſæ unius generis eſſe debent in utriſque: neutris aliud quicquam percipientibus præter impreſſiones corporeas, quas per adverſos obnixus partium materiæ inter ſe ſentiunt.

AXIOMA XXIV.

Diſtincta impreſſio Materiæ *variegatæ & mediocriter latæ recipi non poteſt à mero Materiæ puncto.*

Lib.1.cap.6.

8. PER *merum punctum Materiæ* non intelligo *punctum* purè *mathematicum*, ſed perfectam *parvitudinem*, vel *minimum reale* Materiæ; de quo jam dixi. Cùm minima hæc ſit quantitas ex qua materia diſcerpibilis conſtare poteſt, nulla materiæ particula minor ipſâ poteſt eam contingere. Hæc itaque *parvitudo* quæ tam exigua eſt ut partes integrales, realiter diſtinguendas, propriè non habeat, quî poteſt eſſe ſubjectum diſtinctè receptivum aſpectûs, putà, dimidiati *horizontis* ſimul? quæ viſio efficitur reali diſtinctóque motu à realibus diſtinctíſque partibus objecti viſi prodeunte. Cùm autem hoc *perfecte-parvum* minutiſſima ſit quantitas in quam Materia diviſibilis ſit, una duntaxat realis linea motûs in illud dirigi poteſt, reliquæ præterferentur. Præterea, ſi hæc tam perfecta *parvitas* diſtinctè percipere poteſt objecta variegata, mira omnia ſunt ni itidem Aëris & Atmoſphæræ particulas, luminis globulos, & ſubtiliſſimam quamque texturam partium corporum opacorum percipere poſſit.

‖ Cap.8.Art. 4,5,6,7,8.

9. Ad hæc, objectum illud de quo loquimur iis coloribus variari poteſt, ut repugnet planè ut una eadémque particula (perexigua, putà, rotunda, quæ pyramidis ſeu coni viſualis cuſpis ſit) illos omnes ſimul recipiat; quoniam ſpecies eorum oppoſitæ non aliter communicari poſſunt rotundæ iſti particulæ quàm per contrarios motus, vel (quæ æquè ſunt contraria) per quietem & motum; * quod ex inſigni illo theoremate de coloribus in ‖ Meteor. *Carteſii* perſpicuum eſt. Quòd ſi id falſum eſſe poteſt, hoc tamen veriſſimum, cùm motus viſionis cauſa ſit, contrarietatem colorum quæ in objectis cernitur è contrariis modificationibus motûs in rotunda hac particula oriri debere, quæ objectum immediatè communicat Sentienti: motus autem contrarii eodem tempore & intra eandem ſuperficiem adæquati loci ſui, corpori nequaquam competere poſſunt.

10. Nec quidquam valet effugium illud, Nullam contrarietatem realis motûs, ſed conatum tantùm ad motum hîc reperiri: enimvero conatum tam realem eſſe quàm motum ipſum, támque contrarium, manifeſtum eſt, quòd is viſum realiter afficit, & ad modum contrarium. Quinetiam conatus ad motum eſt motus ipſe, quanquam minimi progreſſûs: quàm voles verò parvus ſit, non minùs repugnat ut Globus A circa idem centrum & eandem intra ſuperficiem (quæ locus ejus eſt adæquatus juxta notionis illius intellectum apud Scholam *Ariſtotelis*) pauxillulùm volvatur ſimul à C versùs B & à B ad C, quàm ut ad eundem iſtum modum, integrum orbem perficiat. Accedit ad hæc, Colores quoſdam hinc motum, illinc quietem, ſignificare; ſi globus autem in ulla ſui parte quieſcit, quieſcit in omnibus. Hinc ſequitur, fieri non poſſe ut rubrum & nigrum ſimul videamus.



11. Hoc itaque effugio ſublato, alterum ſubſtituunt, viz. Diſtinctas objecti partes non ſimul agere in rotundam hanc particulam, viſualis pyramidis cuſpidem, ſed ſucceſſivè, ità verò celeriter, ut objectum ſimul & ſemel repræſentetur; ut cùm ligniculum alterâ extremitate ignitum celerrimè circumrotatur, unus continuus circulus igneus videtur. At hanc inſtantiam parùm ad rem facere inveniemus, ſi modò conſideremus, ligniculum illud circumrotatum circulum eum, quem in oculi fundo deſcribit, non in uno ejus puncto deſcribere, ſed in mediocri ſpatii latitudine; & nervum opticum, vel ſpiritus in eo, tangi ſucceſſivè, & à tactione prima quaſi tremere aut vibrare, (ut fit in teſtudine pulſata) donec motus, circulo ſuo peracto, ad eundem locum rediens eum denuo tangat, ídque tantâ celeritate, ut nervum adhuc vegetè motum inveniat: verùm cùm hîc unica ſit particula tangenda, eadem ferè recurrent incommoda quæ ſuprà notavi.

12. Quemadmodum enim antè demonſtravi, colores quoſdam uni eidémque rotundæ particulæ materiæ communicari ſimul non poſſe; ità ex eo hîc ſequetur, talibus coloribus ſibi invicem ſuccedentibus, alterum alterius impreſſionem continuò deleturum; unde colores illos varios, qui in bene magno cernuntur objecto, videre ſimul non poterimus. Nam niſi impreſſio aliquantiſper in eo moretur à quo recipitur, nulla fit ſenſatio; ſic digitum ità celeriter agitare poſſumus, ut vix cerni queat:

&

& ſi juſtam moram facit v. c. objectum magnum diverſiſſimis coloribus varium, fieri tam non poſſet ut teſſellatum illud opus tam amplè, ut facimus, ſimul & ſemel videamus, ſed per partes duntaxat, quæ abirent rediréntque celeritate quidem haud exiguâ, facilè tamen diſcernendâ.

13. Deinde, ſi ullo modo imaginari poſſemus viciſſitudines impreſſionum à diſtinctis partibus baſis viſualis coni ad cuſpidem ejus, quam ſupponemus globulum eſſe perexiguum, quales quantíque ſunt illi ex quibus Elementum ſecundum *Carteſianum* conſtat; globulo hoc ſic per vices preſſo, ità planè res erit ut in adjuncto Schemate deſcripſi; ubi C A eſt objectum, G H materia ſentiens, I globulus, qui ab E ad F versùs rectà premetur, ubi in minima realitate materiæ ſentientis certus color recipietur; ab A verò feretur versùs B, & breviuſculâ rotatione alteram realitatem tanget longiùs fortaſſe diſtantem ab F, & quem colorem ab A acceperat τῷ B aut diſtantiori realitati imprimet; idem fit à C in D: hinc etiam perſpicuum eſt, nullam unam perfectam *parvitudinem* totum objectum C E A recipere.



14. Poſtremò, celeris hæc viciſſitudo impulsûs aut impreſſionis colores omnes contaminaret, totúmque objectum redderet uno quaſi indiſtincto colore, ut in *rota picta* videre licet. Quid enim, niſi celeris impreſſio unius coloris in eandem partem nervi optici in quam jam facta erat impreſſio alterius, facit ut rota tota uno confuſo colore videatur? Verùm nè cuiquam fraudem faciam, exemplum rotæ ſingulari ſuâ opportunitate gaudet, ſuprà quàm præſens hypotheſis habet, ità confundendi omnia, quòd colores rotæ non ſolùm in unam eandémque partem nervi, ſed etiam in una eadémque linea veniunt ab objecto, ità ut hoc nomine inſtantia minùs ſit accommodata. Attamen nimis eſt probabile, fluidam materiam *perceptivam*, propter inſtabilitatem iſtius particulæ in quam abs cunctis objecti partibus ſucceſſivè fit impetus, colores hîc etiam per objectum univerſum, propinquum præſertim & perexiguum, alios ab aliis aliquo modo infectos reperturam. Exemplum hoc rotæ ſaltem erit certiſſima confirmatio primæ demonſtrationis noſtræ, in qua ex neceſſitate juſtæ moræ in materiam percipientem faciendæ, & ex eo quòd ſenſatio fieri non poteſt niſi motus ſenſiferus aliquantiſper inhæſerit antequam deleatur, effugii ſecundi invaliditatem fecimus perſpicuam. His addi potuit, objectum ipſum, quod premit organum, moram debitam facere oportere, etiamſi nulla nova impreſſio priorem ſtatim excipiat & expungat; quod in orbem celeriter agendo glandem pictam filo appenſam experiri licet; quódque pleniùs id confirmabit quod volumus. Satìs verò ſupérque jam dictum eſt ad aſtruendam veritatem Axiom. 24; quod tam per ſe manifeſtum eſt, ut pauciſſimos fore putem, quibus non primo intuitu certiſſimum apparebit.

AXIOMA XXV.

Quæcunque impreſſio aut cujuſcunque impreſſionis partes abs hac perfecta parvitudine *ſeu* reali *materiæ* puncto *non recipiantur, omnino non abs ea percipiuntur.*

15. HOC per ſe planius eſt quàm ut vel explicatione vel probatione indigeat.

AXIOMA XXVI.

Quicquid Senſûs *aut* Motûs *in* Materia *nunc inſit, eſt neceſſaria impreſſio ab alia parte* Materiæ *facta, & neceſſariò illîc manet donec* Materiæ *pars aliqua illud indè extruſerit.*

16. QUI motus cunque ſit in ulla parte Materiæ, in ea neceſſariò & eſſe & manere donec pars altera Materiæ eum vel mutet vel diminuat, ex legibus motûs, à *Carteſio* in ‖ *Princip. Philoſoph.* expoſitis, perſpicuum eſt. Eandémque rationem eſſe *Senſûs* ſeu *Perceptionis*, (ſi nihil præter Materiam in Natura rerum exiſtit) ex *Axiom.* 20, quod *Motum* & *Senſum* ſeu *Perceptionem* idem re facit, pariter eſt perſpicuum.

‖ *Part.* 1. *Art.* 37.

SCHOLIA

In Cap. I. Sect. 4.

Quod in Antidoto clariſſimè demonſtravi, &c. *Et in* Enchiridio Metaphyſico, *pluribus in locis, Cap. 9. Sect. 14, 15. Cap. 11. Sect. 15. Cap. 12. Sect. 16, 17. & alibi.*

Sect. 9. Quod ex inſigni illo Theoremate de Coloribus in Meteor. Carteſii perſpicuum eſt, &c. *Equidem Theorema ingenioſum eſt mirámque veriſimilitudinem primo aſpectu præ ſe fert. Et certè valdè credibile eſt particulas Luminis eâ figurâ eſſe quâ eas ſupponit* Carteſius. *Motus verò earum eſſe merè Mechanicos, quàm ob omni ratione alienum ſit aſſeverare, cumulatè planum feci, in* Enchiridio Metaphyſico, *Cap. 19. Sect. 8.*

CAP. II.

1. *Si* Senſatio *cadit in* Materiam, *cadere item in res* Inanimas: Hobbium *hic vacillare.* 2. *Enumeratio plurium in nobis Facultatum quæ neutiquam prorſus cadunt in* Materiam. 3. Materiam *quomodocunque temperatam ſentire non poſſe.* 4. *Nullum unum* Materiæ *punctum* Senſorium commune *eſſe poſſe.* 5. *Nec multitudinem iſtiuſmodi punctorum quorum ſingula quæque recipiunt totam objecti imaginem.* 6. *Neque quæ ſingula partes ſingulas, tota verò congeries totam imaginem.* 7. Memoriam *non competere Materiæ.* 8. Materiam *capere non poſſe notas quarundam Objecti circumſtantiarum quarum recordamur.* 9. Materiam *non poſſe ſedem eſſe* Notionum ſecundarum. 10. *Effugium* Hobbianum *demonſtrationis ſuperioris clarè refutatum.* 11. *Libertas voluntatis evincit ineſſe nobis ſubſtantiam à* Materia *diſtinctam.* 12. *Idcirco* Hobbium *profiteri actiones noſtras omnes eſſe neceſſarias.*

1. Ea jam Axiomata adjecimus, quæ ad præſens inſtitutum noſtrum ſunt maximè accommodata. Age ergo, videamus, juxta ordinem propoſitum, antequam corporis fabricam conſideramus atque organizationem, an tales operationes quales in nobiſmet experimur, materiæ generaliùs ſpectatæ convenire poſſint. Materiam naturâ ſuâ ſenſûs eſſe incapacem, ex Axiom. 20 & 21. planè conſtat. *Motus* enim & *Senſus* cùm ſint idem realiter, ſequetur neceſſariò, ubicunque *motus* ſit, præſertim aliquam magna duratio ejus, ibi quoque *ſenſum* & *perceptionem* eſſe oportere: cujus tamen contrarium videmus in *Catocho*, & in *cadaveribus* quotidie experimur; quorum in utroque, etiamſi *reactio* ſit, ſenſus tamen non eſt.

Dicam verbo, Si ulla materia ſenſum habet, omnis pariter ex *reactione* habebit, & *campana* inter pulſandum, *arcus* dum tenſus eſt, & *neuroſpaſtum* illud puerorum (Anglicè *Jack-in-a-box*) dum operculo premente ab exiliendo prohibetur, erunt *animalia* aut *res ſentientes*. Quod tam fatuum eſt & frivolum, ut nominâſſe tantùm, ſatìs ſit prudentioribus refellere.

V. Element. Philoſoph. cap. 25. Art. 5. Equidem ipſum *Hobbium*, etiamſi ſenſum in meram *reactionem* materiæ reſolvat, harum tamen abſurdarum conſequentiarum pudet, & ægerrimè ſe inter illos philoſophos (quanquam, ut ait, viros doctos) recenſeri velit, qui omnia corpora ſenſu prædita eſſe ſuſtinuerunt; ipſe tamen vix ſibi temperare poteſt quo minùs idem affirmet. Delicias quidem facit memoriam iis largiri; hanc autem habebunt velit nolit ipſe, ſi modò ſenſum largiatur. In *campana* ex. c. pulſanda, ab omni ictu durat in illa aliquamdiu tremor quidam, qui langueſcens erit (ſecundùm ‖ ejus Philoſophiam) *imaginatio*, & reſpectu habito ad priorem ictum *Memoria*; & ſi ictus novus ante memoriam hanc deſitam ſuperveniat, quid impedit quo minùs diſcriminatio & judicium ſequatur? Sanè concluſio ſatìs convenit abſurdiſſimo huic principio, Nihil eſſe in Univerſo præter materiam, eámque perceptionis capacem eſſe.

‖ *Cap. 25. Art. 7, 8.*

2. Unam hanc autem fœdiſſimam audacis aſſertionis abſurditatem pateſeciſſe non contenti, ultrà conabimur demonſtrare falſam eſſe hypotheſin, materiámque ineptam prorſus eſſe ad operationes eas, quas ipſi in nobiſmet ſentimus, proindéque immateriale ſeu incorporeum aliquid in nobis ineſſe. Nam planè conſcii ſumus unam eandémque rem & audire, & videre, & guſtare, &, ut uno verbo dicam, objecta om-

nia percipere, quæcunque nobis Natura exhibeat. Ea itaque materiæ pars, cui *communis ſenſorii* munus aſſignandum eſt, cùm ſenſus aliud non ſit niſi impreſſio motûs corporei ab externis objectis prodeuntis, omnem illam diverſitatem impulſionum ab objectis neceſſariò recipere debet; debet etiam *imaginari*, *meminiſſe*, *ratiocinari*, fons eſſe *motûs ſpontanei*, ſedes item illius quod Græci vocant αὐτεξούσιον, i. e. *liberum arbitrium:* verùm hanc hypotheſin difficultatibus illis involvi inveniemus, unde nemo ſe expedire poterit.

3. Nam primò, nullam Materiæ portionem concipere poſſumus, quin vel *dura* ea ſit, vel *mollis*, neceſſe ſit. *Duram* omnes rejiciunt, utpote quam cognitivis illis facultatibus ornari, quarum nobis conſcii ſumus, omnino eſt veri diſſimillimum. Quæ *mollis*, aut opaca, aut pellucida, aut denique lucida erit. Si *opaca*, videre non poteſt; exteriore ſuperficie lumen à partibus interioribus arcente. Si *pellucida*, ut aër & aqua, in ſe quidem penitus admittet eas particulas eúmque motum qui *colorum* ſenſum diſtinctionémque invehit, *ſonus* etiam penetrabit; ſed quoniam hujuſmodi materia eſt heterogenea, id eſt, ex partibus conſtans quæ diverſâ ſunt naturâ & officio, *Aere* v. c. ſonis proprio, *rotundis* particulis, quas *Carteſius* deſcribit, colori & lumini; perceptio horum objectorum non in uno ſed pluribus ſubjectis reſidebit: at in nobis *unum quiddam* ineſt quod percipit utrumque. Denique ſi *lucida*, idem ferè hîc foret incommodum, quod erat in *opaca*; quippe cùm item *ignea* ſit, mitiorem externarum impreſſionum appulſum à ſe prohiberet: aut ſi adeò *placida* ſit ac tenuis, ut ſit quodammodo *diaphana*, eadem recurrent incommoda quæ in *pellucida* deprehendebantur.

Breviter, omnis materia *liquida* ità multa particularum genera in ſe continet, ut ſi ea univerſa (ut oportet, cùm ſit *commune ſenſorium*) impreſſione ullâ extrinſecus afficiatur, partes ejùs variæ variè afficientur, & objectum nullum videbitur homogeneum, utì conſtat ex Axiom. 22. Quod pleniùs illuſtrabo, non adeò quidem eleganti, attamen aptâ ſatìs ſimilitudine. Fac igitur plumas, glandes ſclopetarias, ſtimulóſque calcarium unà in pyxidem includi, ità ut alia aliis intermixta, at conferta, jaceant: concuſſâ pyxide evidentiſſimum eſt (ſi quibus farta eſt ſenſum habent) ea ſingula modis ſingulis & diverſis affectum iri; ſi ergo *ſenſorium commune* eſſet tale, nullum planè objectum videretur homogeneum. Vel ſaltem ſingulæ hæ particulæ ſingulos recipient motus extrinſecus qui unius generis ſunt, *Aer* nimirum *ſonos*, *Globuli Carteſiani lucem* & *colores*. Quod autem omnes motus illos recipiat, atque ità de iis omnibus judicare poſſit, id hîc, ut priùs, deſideramus: niſi id eſſe fingamus *puriſſimam* quandam *ſubtiliſſimámque materiam*, adeò *levem* ac *tenuem* ut ſe ipſa non ſentiat, tam ceſſilem verò & paſſivam ut aliorum corporum impetus & impreſſiones in ſe ſentiat facillimè; quod tamen ſignificat *hanc* duntaxat *materiam* eſſe ſentientem, cæteras non item; atque ità conceſſum erit, non omnem materiam, nè quidem in corporibus fluidis, habere ſenſum.

Materia iſtiuſmodi temperie perquam ſimilis eſt *ſpiritibus animalibus* in homine, qui, ſi materia potuit eſſe anima, eſſent ſine dubio anima humani corporis, & *commune Percipiens* omnium undecunde motuum; tum quia tam tenues ſunt & patibiles, tum quia tam propè homogenei & (fortaſſis) imperceptivi mutationis aut alterationis cujuſvis à tenuibus levibúſque particulis ſuis molliter inter ſe luſitantibus; & proinde omnibus omnino impreſſionibus aliarum rerum recipiendis maximè idonei. Unde certò liceat inferre, materiam aliquam ſubtilem ejuſmodi vel *Animam* ipſam eſſe, vel *immediatum* animæ *inſtrumentum* in omnibus ejus perceptionibus. Poſterius verum eſſe ſuo loco probabo. Prius eſſe falſum jam nunc demonſtraturus ſum, preſſiùs probando nullam omnino materiam, cujuſcunque demum generis, ſenſûs ac perceptionis ejus capacem eſſe, cujus ipſi ſumus nobis conſcii.

4. Nam de parte illa *Materiæ* quæ *Commune* eſt *Senſorium*, quæro, an *unum* aliquod *punctum* ejus *totam* objecti imaginem recipiat, an *ſingula totam*, an denique totum *ſenſorium* imaginem totam per partes expaſſas, hâc nempe parte *ſenſorii* hanc partem imaginis, illâ illam recipiente. Si primum, cùm quod in nobis percipit objectum externum, idem etiam corpus moveat, ſequetur, *unum punctulum Materiæ* motum ei rei impertiturum, quæ innumeris planè vicibus major eſt ipſo; cujus exemplum nullum in Natura inveniri neque animo fingi poteſt.

5. Si ſecundum, hæc difficultas ſtatim ſe offert, quæ in priorem etiam ſententiam reſpicit, quî punctulum illud de quo loquimur, objectorum ingentium aut variorum imagines ſine obliteratione aut confuſione ſimul & ſemel reciperet; rem profectò impoſſibilem! ut patet ex Axiom. 24. Si illas autem non recipit, percipere non poteſt per Axiom. 25. Quòd ſi *punctum* ſeu particula quæque hujus materiæ *totam* imaginem

nem recipiat, dic quænam ex innumeris particulis imaginem integram recipientibus exiſtimanda ſit *Ipſe ego* qui imaginem percipio? At ſi ego omnia illa puncta ſim, fiet, præcipuè in objecto parvo & propinquo, ut linea impulſûs in diverſa & diſtantia puncta deſinens, è diverſis locis prodire videatur, atque ità objectum unum neceſſariò videbitur quaſi racemus objectorum. Et ſi *ipſe* unum duntaxat ex illis punctis ſim, de cæteris quid fiet? aut *quinam* illa ſunt?

6. Tertium jam ſolum reliquum eſt, viz. Partes imaginis objecti à partibus hujus Materiæ, quæ *commune ſenſorium* habetur, recipi. Verùm hoc planè cum experientia pugnat; clarè enim ipſi ſentimus totum nos objectum percipere; at in iſto caſu nihil objectum totum perciperet, parte ſingulâ ſingulam duntaxat ſibi partem percipiente; idcirco nihil quidquam eſſet quod de toto judicare poſſit: non equidem magìs, quàm ſi tres homines canticum trium vocum concinerent, cujus nullus unus plus quàm partem ſuam audit, unus quivis eorum poſſet de totius concentu judicare.



7. Sedem *imaginationis* & *memoriæ*, præcipuè *memoriæ*, quod ſpectat, quod tandem genus *materiæ* reperiri poteſt par huic muneri futurum? Si *fluidum*, imagines objectorum ad evaneſcendum brevi tempore atque etiam ad invertendum proclives erunt. C, v. c. particula fluidæ materiæ, impreſſionem à B recipiens, ſentire eam debet ut venientem à B; leviter autem ultro citróque voluta, ut ſolent particulæ materiæ fluidæ, obvertit fortè latus E F, quod impreſſionem à B receperat, ad L, quare ſentiet acſi impreſſio fuiſſet abs L; nam ſentiat eam oportet tanquam à loco ſibi è regione oppoſito (ſi eam ſentire poteſt omnino, poſtquam præſens objectum, in quod reactio fit, amoveatur:) atque eadem planè ratio erit in reliquis materiæ hujus fluidæ particulis; quod multum præpoſteræ confuſionis, & phantaſiæ & memoriæ obtrudat neceſſe eſt. Si *durum*, ad quietem ſtatim redigetur, ut fit in *campana*, cujus tremor brevì ceſſat; nos autem quamplurimarum rerum recordamur multis annis continuis, etiamſi res illæ intercurrente tempore cogitationi noſtræ nunquam ſubiiſſent. Si *viſcidum*, idem erit incommodum, quinimo *hujus generis materia* eſt omnium maximè inidonea vel recipiendo vel conſervando motui, quæ proinde ut ſit vel *Phantaſiæ* vel *Memoriæ* ſedes, veri eſt diſſimillimum. Nam ſi motus ſeu *reactio* & *ſenſus*, ſive internus ſive externus, idem ſunt, ceſſante motu ceſſabit ſimul memoria, Axiom. 21. Nec ſi eodem quo antè modo moveatur iterum, eo quicquam magìs meminerit, quàm lapis aut plumbum in aërem projecta eam ob rem fiunt leviora aut ad aſcendendum procliviora, ubi ſemel à motu ceſſaverint; ità planè utraque nunc ſunt, acſi nunquam fuiſſent mota.



8. Poſtremò, quarundam rerum meminimus, quarum nullæ in Materia ſignaturæ eſſe poſſunt quæ illas repræſentent; * ex. c. *latitudinis* & *diſtantiæ*. Etenim, ut utrumque ſimul complectar, nulla nota in materia E effici poteſt per lineas ductas ab objectis his binis A B & C D, quâ differentia diſtantiæ A E ſupra C E, aut latitudinis A B ſupra C D diſcernatur; utrumque enim objectum in materia E facit unam eandémque ſignaturam.

9. Quæ vulgò vocantur *Notiones Secundæ*, quæ neque ſunt objecta ipſa ſenſibilia, nec objectorum ſenſibilium phantaſmata, ſed noſtri modi tantùm ea conſiderandi, aut de iis ratiocinandi, in quibus *Logici* & *Mathematici* termini omnes comprehenduntur; hæc, inquam, nunquam per ſenſus intrârunt; utpote quæ non ſunt impreſſiones motûs corporei, quæ in nobis, ſimiliter atque in canibus & aliis brutis, ſonorum, colorum, calidi, frigidi, hiſque ſimilium tantùm ſenſum excitant. Quandoquidem ergo materia *perceptione* nullâ afficitur niſi impreſſionis corporeæ, per *renixum* unius corporis in alterum; perſpicuum eſt ex Axiom. 23. *Secundas* has *Notiones*, conceptus *Logicos* & *Mathematicos*, non poſſe ſedem ſuam habere in materia, in alia ergo ſubſtantia à materia diſtincta eam habituras, Axiom. 10.

10. *Hobbius*, quò demonſtrationis hujus vim declinaret, lepidiſſimum ſcilicet commentum excogitavit, & deluſis ſuis ſectatoribus perſuadere vult, omnino nullas eſſe *notiones ſecundas* à *nominibus* illis *vocibúſque* diſtinctas quibus ſignificari dicuntur, nul-

lámque in nobis eſſe *perceptionem* præterquam iſtiuſmodi phantaſmatum quæ ab externis objectis imprimuntur, quæ beſtiis nobiſcum ſunt communia: *nominum* autem quæ his damus, aut *phantaſmatum* eorum, eandem eſſe rationem ac aliarum notarum, literarum, aut characterum; quæ omnia cùm per ſenſus intrent, confidenter ſumit ipſe & ſuis vult obtrudere, ceu rem certam & manifeſtam, nullius nos rei perceptionem habere quæ non ab externis objectis imprimatur.. Quàm ridiculum autem ſit hoc effugium, facilè patebit, ſi conſideremus, Notiones *Logicæ* & *Mathematicæ*, de quibus loquimur, ſi nihil aliud ſunt niſi *Nomina*, veritates *Logicas* & *Mathematicas* non apud omnes gentes futuras eaſdem, quia non eadem habent *nomina*. Ex. gr. ſimilitudo & ὁμοιότης, ἀναλογία & proportio, λόγος & ratio, plurimùm inter ſe differunt *Græca* hæc *Latinàque* nomina; attamen nec *Græci*, nec *Latini*, nec alia gens ulla in animi ſui conceptibus differunt, qui nominibus his diverſis ſubjecti ſunt: manifeſtum itaque eſt, certam eſſe notionem atque invariabilem, tam abs his *verbis* & *nominibus*, quàm à *phantaſmatibus* iſtis corporeis, diſtinctam; quod erat demonſtrandum.

11. Denique conſcii nobis ſumus *facultatis ejus* quam *Græci* vocant αὐτεξούσιον, ſeu *poteſtatis inſitæ*, vel virtuti honeſtatíque adhærendi, vel voluptatibus aliíſque indigniſſimis commoditatibus cedendi, contra impreſſiones externas omnes & tentationes importuniſſimas. Nos hanc *libertatem* habere, bonúmque reſpuere & eligere malum, cùm aliter feciſſe potuimus, naturalis ſenſus *morſûs conſcientiæ* evidenter teſtatur ac certiſſimò. Ubi enim quis malè fecerit, quem in ſe dolorem, ægritudinem, aut indignationem ipſe excitat, vel aliunde invectum ſentit, longè is eſt diverſi generis ab illo, quem calamitates & contumeliæ non vitandæ pariunt. Et quod nos adeò torquet & affligit hoc eſt, quòd conſcii nobis ſumus tantum nos malum nobiſmet ipſis importâſſe, cùm penès nos erat effugiſſe. Si autem nullus in nobis ſenſus ineſt, nulla perceptio, quæ non ex *reactione* partium materiæ inter ſe oriatur; in quamcunque repræſentationem rerum, in quamcunque deliberationem aut determinationem incidimus, erit omnino neceſſaria: nam ex hac hypotheſi, in deliberando aut ſententiam ferendo libertas major non eſt, quàm in *libra* reperitur, quæ eâdem tandem neceſſitate quieſcit, quâ antè motabatur. Quamobrem manifeſtum eſt, hanc facultatem, quod liberum arbitrium dicimus, non in *materia*, ſed in *alia* ſubſtantia reperiendam eſſe, Axiom. 10.

12. Idcirco *Hobbius*, ut homini ſuum reddam, principiis ſuis ſatis convenienter, actiones noſtras omnes neceſſarias eſſe firmiſſimè aſſeverat. At enim contrario à me probato, per facultatem illam quam *Internum ſenſum* vel *Notitiam communem* appellare liceat, in omnibus omnino hominibus repertam qui non vim naturæ ſuæ intulerint; illa noſtra concluſio certiſſima haberi debet, niſi ipſe, per aliam aliquam facultatem probatam, contrarium oſtendere poſſit, Axiom. 5. Præ ſe fert itaque, demonſtrationem *Rationis*, *Senſûs* hujus *interni* dictato opponendam; quam quidem examinare haud erit alienum, quò ſophiſticas hominis argutias detegamus.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. 3.

ET fortaſſis imperceptivi mutationis aut alterationis cujuſvis à tenuibus, &c. *At enimvero quî hoc fieri non poſſit, haud obſcura argumenta indicavimus in Capite antecedente Sectione tertiâ.*

Sect. 8. Exempli causâ, latitudinis & diſtantiæ, &c. *De perceptione Amplitudinis & Diſtantiæ ſatis accuratè egimus in* Enchiridio Metaphyſico; *In* Scholiis *præſertim, ubi obſervandum eſt utut ſit aliqua non contemnenda rationis ſpecies à curvaturis commiſſuræ binorum conorum à ſingulis Objecti punctis, trajectione per pupillam factorum acceſſita, cur, dum Objectum* præſens *eſt, ad talem diſtantiam talique amplitudine appareat; poſtquam tamen evanuerint iſtæ curvaturæ, Objecto remoto, ubi ulla certæ diſtantiæ amplitudiniſque maneant ſigna aut veſtigia, in ulla Cerebri parte, difficile profectò videtur comminiſci.*

C A P. III.

1. *Argumenta* Hobbii *quibus actiones noſtras omnes neceſſarias probare vult. Primum ejus argumentum.* 2. *Argumentum ſecundum.* 3. *Argumentum tertium.* 4. *Argumentum quartum.* 5. *Qua mens ſit horum verborum,* Nihil à ſe ſumit initium, *in primo* Hobbii *Argumento.* 6. *Plenior & diſtinctior explicatio verborum ſuperiorum, quorum hunc eſſe ſenſum clarè evincitur,* Eſſentiam nullam per ſe poſſe modificationem ſuam variare. 7. *Hoc dictum tantùm non probatum à* Hobbio; *cum plena refutatione aſſertionis ejus.* 8. Hobbius *ſuo ipſe ſophiſmate captus.* 9. *Unam partem primi hujus argumenti precariam eſſe, alteram ſophiſticam.* 10. *Argumentum ſimpliciter proponitur, unde infirmitas ejus & captio plenius apparet.* 11. *Reſponſio ad Argumentum ſecundum.* 12. *Reſponſio ad tertium.* 13. *Reſponſio ad difficultatem de Veritate & Falſitate propoſitionum enunciantium de Futuro.* 14. *Reſponſio ad Argumentum quartum* Hobbii, *quod, quanquam ab ipſo nullo loco habitum, eſt tamen omnium validiſſimum.* 15. *Difficultas conciliandi liberum Arbitrium cum Præſcientia divina & Prophetiis.* 16. *Liberi arbitrii facultatem rarò exerceri.* 17. *Uſum ejus cerni propriè in lucta Morali.* 18. *Neque in ea quidem Animam eſſe invictam.* 19. *Decreta divina aut invenire aut facere Inſtrumenta idonea.* 20. *Quò perfectiorem facimus Præſcientiam divinam, ad comprehenſionem uſque rei cujuſlibet quæ per ſe non repugnat ut comprehendatur, eò manifeſtius eſt voluntatem humanam aliquando liberam eſſe poſſe.* 13. *Quod ſatìs eſt ad tuendam vim argumenti mei ultimi, contra* Hobbium.

1. PRimum argumentum ejus ſic eſt, (in ipſis ejus verbis hoc & cætera argumenta repetam, planè ut extant in *Tractatu* de *Libertate* & *Neceſſitate*) *Cenſeo,* inquit, *rem nullam à ſe ſumere initium, ſed ex actione alterius Agentis proximi extra ipſam poſiti; ideóque cùm primùm quis appetitum aut voluntatem habet ad aliquid, ad quod proximè antè appetitum aut voluntatem non habuit, cauſam voluntatis ejus non eſſe voluntatem ipſam, ſed aliud aliquid quod penès volentem non eſt: quandoquidem igitur extra controverſiam eſt, voluntatem eſſe cauſam neceſſariam actionum voluntariarum, & ex jam dictis voluntas cauſatur abs aliis rebus qua in poteſtate ejus non ſunt, ſequitur, actiones voluntarias univerſas habere cauſas neceſſarias, ac proinde neceſſitari.*

2. Secundum ità ſe habet; *Sufficientem cauſam eam eſſe cenſeo, cui nihil deeſt ad effectum producendum neceſſarium; eadem ipſa eſt etiam cauſa neceſſaria. Nam ſi fieri poteſt ut cauſa ſufficiens effectum non producat, deeſt aliquid ad eum producendum neceſſarium, & ſic cauſa non erat ſufficiens; ſin fieri non poteſt ut cauſa ſufficiens non producat effectum, cauſa ſufficiens eſt cauſa neceſſaria; illud enim effectum neceſſariò producere dicitur, quod non poteſt non producere. Perſpicuum hinc eſt, quicquid producitur, produci neceſſariò. Quicquid enim productum eſt ſufficientem cauſam habuit ad ipſum producendum, aliter non fuiſſet productum.* Quæ deinceps habet, aut eadem ſunt aut tam propè his connexa, ut ea addere opus non ſit.

3. Tertium ergo Argumentum ejus id erit quod à Futuris disjunctis urget. Exemplum, ſi vultis, ponatur in tempeſtate cœli, Neceſſe eſt ut cras pluat aut non pluat; *Si ergo* (inquit) *neceſſarium non eſt ut pluat, neceſſarium eſt ut non pluat; alioquin neceſſe non eſt ut hæc propoſitio,* Aut pluet aut non pluet, *ſit vera.*

4. Quartum hoc eſt, *Negationem neceſſitatis, tollere & decreta & præſcientiam Dei omnipotentis. Quicquid enim Deus per hominem, ut inſtrumentum, efficere decrevit, aut futurum prævidet, id homo, ſi libertatem habet à neceſſitatione, fruſtrari potuit, & efficere nè fiat; & ſic Deus illud aut non præſciret & non decerneret, aut futura præſciret quæ futura non ſunt, & decerneret quod nunquam fiet.*

5. In primum argumentum ejus ingreſſus ſubobſcurus eſt & anceps, *Res nulla à ſe ſumit initium*: Ego verò quàm poſſum maximè candidus & fidus interpres ero. Si per *initium* vult initium exiſtendi, veriſſimum eſt, nullam ſubſtantiam, nullámque modificationem ſubſtantiæ, à ſe ſumere initium; at hoc concluſionem quam cogitat non inferet. Sin, *rem nullam à ſe ſumere initium,* intelligat de τῷ affici aut modificari aliter atque antè affecta aut modificata erat; per *rem nullam* intelligat oportet vel *nullam eſſentiam,* nec *Spiritum* nec *Corpus,* vel *nullam* Eſſentiæ *modificationem. Spiritum* intelligere non poteſt, utpote quem ex complexu rerum univerſo exegerit. Si *Corpus,* non id indè inſeretur quod vult, niſi nihil quidquam ſit in Univerſo præter corpus; quod quidem ipſius eſt Principium, at omnino precarium, quod ut admit-

tant credulos is ſectatores ſuos ſuppliciter ubique orat, ſed probat nullibi, ut ſuprà notavi. Si per *modificationem* intelligit modificationem materiæ ſeu corporis, in idem recidit Principium, Nihil eſſe in mundo niſi corpus, proindéque nihil probat niſi ex hypotheſi emendicata eáque falſiſſima, ut alibi demonſtravi. Æquiſſima ergo, quam poſſim ego facere, interpretatio hæc eſt, illum per *rem nullam* intelligere *nullam eſſentiam* nec *eſſentiæ modificationem*; hypotheſin ſuam chariſſimam, *Nihil eſſe in Univerſo præter Corpus*, ſub tam generalibus incertíſque terminis occultare cupientem.

6. Cùm ergo voces illæ in ſuperioribus acceptionibus nè vel ſpeciem habeant quidquam concludendi, age, videamus quantùm in hac poſtrema valeant, *rem nullam* interpretando *nullam eſſentiam*, vel *nullam modificationem eſſentiæ*, vel, quod rem præſentem propiùs attingit, *nullam eſſentiæ facultatem*. Et ex hoc duplici verborum intellectu, duas propoſitiones indè oriundas examinemus, viz. *Nullam eſſentiæ cujuſquam facultatem præſentem ſuam operationem variare poſſe, niſi ex actione alterius Agentis immediati extra ſe poſiti*; vel, *Nullam Eſſentiam per ſe poſſe modificationem operationémve ſuam variare, niſi per actionem alterius Agentis immediati extra ipſam.* Poſterior harum propoſitionum aptiùs & luculentiùs deſcribitur. Nam duriuſculè, &, ſi res preſſiùs inſpiceretur, falſiſſimò dicitur Modus aut Facultas cujuſquam Eſſentiæ mutare ſe; Ipſa enim Eſſentia eſt quæ in varios modos ſe exerit, niſi ſi Agens externum ſit harum mutationum cauſa. Et *Hobbius*, Agens externum opponens huic Rei quam dicit ſe non mutare, planè ſignificat, non Facultates ſed Subſtantias eſſe utraque illa de quibus loquitur.

7. Poſterior itaque propoſitio duntaxat expendenda reſtat, *Nullam Eſſentiam per ſe poſſe modificationem ſuam variare.* Eſſentiam aliquam vim motricem habuiſſe ex eo manifeſtum eſt, quòd eſt motus in mundo, quem certè ſubſtantiæ alicujus effectum eſſe oportet. Motum autem, laxiùs ſumptum pro mutatione & alteratione, ab illa ipſa Eſſentia in qua reperitur promanare poſſe, noſtra ipſorum experientia confirmat: eſt enim in nobis Eſſentia quædam, quocunque demum nomine eam appellemus, proprietate illâ prædita; ut hinc conſtat, quòd ea varias perceptiones habet, Mathematicas, Logicas, addam etiam Morales, quæ impreſſiones non ſunt neque veſtigia motûs corporei, ut ſuprà demonſtravi: poteſt etiam in ſeipſo quiſque obſervare, & in legendis aliorum ſcriptis clarè cernere, ut mens ex alia in aliam harum perceptionum tranſierit per longiſſimè deductam demonſtrationem; quæ item tranquillitas motûs corporei requiratur ad tales rationum ſeries excogitandas, ubi non alio ſitu nec in alium motum ſpiritus diſponere ſe debent, niſi in quem mens ipſa, in qua immateriales illæ ac intellectuales notiones dominantur, eos dirigat. Præterea, craſſiorum etiam phantaſmatum, quæ in cerebro impreſſa ſupponuntur, compoſitio, diſcluſio, variáque diſpoſitio, manifeſtò eſt actus arbitrarius, & eſſentiam ſignificat quæ poteſt pro libitu ſuo varia illa phantaſmata in ſe excitare, quæ ab objectis externis antè accepiſſet, eáque mutare & tranſponere prout ipſi viſum erit. At quid ego tam diligenter enitor fundamentum hoc *Hobbii* convellere? Satìs eſt ſignificare, affirmare eum tantùm nullam eſſentiam per ſe poſſe modificationes ſuas mutare, nequaquam verò probare; idcirco quicquid hinc inferre velit, emendicato prorſus principio niti.

8. Et tamen à precario iſto principio infert, quandocunque nos voluntatem ad aliquid habeamus, voluntatem ipſam non eſſe hujus volitionis cauſam, ſed aliud quidpiam quod in noſtra poteſtate non eſt; cujus dicti intellectus hic eſt, quandocunque volumus, impreſſionem aliquam corpoream, quam vitare non poſſumus, ad id nos adigere. Atenim illatio tam eſt infirma, quàm eſt audax & temeraria; quippe nullo fundamento nixa, ut jam oſtendi. Hoc unum animadvertam, *Hobbium*, quanquam Scholarum authoritate ſe liberârit, ipſéque ludum aperire avet, nondum ſe tamen illarum ineptiis expediiſſe, qui ſic verba facit de *Facultatibus* & *Operationibus* (eadem planè eſt abſurditas in utriſque) tanquam ſeparatis & diſtinctis ab Eſſentia ad quam pertinent; quæ res profectò magnam incertitudinem atque obſcuritatem rebus contemplandis infert. Hoc à me jam dictum ad illa ejus verba ſpectat, *Voluntas eſt cauſa volendi*; *Eſt cauſa neceſſaria actionum voluntariarum*, *Res quæ in ipſius poteſtate non ſunt.* Ubi ſi quis propriè loqui vellet, & intelligi ſe cuperet, diceret, *Subjectum in quo ineſt hæc Facultas actúſve volendi (ſive id hominem ſive animam hominis appellare malis) cauſam eſſe hujus illiúſve actionis voluntariæ.* Verùm apertus hic ac ſimplex loquendi modus detexiſſet planè Sophiſma ejus, quo fortaſſis ipſe ſe cepit atque irretivit, viz. *Quidpiam quod penès voluntatem non eſt neceſſariò cauſat voluntatem*; *Voluntas cauſata eſt neceſſaria cauſa actionum voluntariarum*; *omnes ergo actiones voluntariæ neceſſitantur.*

9. Præterquam quòd prima pars hujus argumentationis nullo nititur ſundamento, ut jam innui, ſecunda eſt ſophiſtica, quæ affirmat *Voluntatem cauſam eſſe neceſſariam actionum voluntariarum*: nam per *neceſſariam* intelligi poteſt vel *neceſſitata*, adacta ad agendum, nolens volens; vel ſignificare poteſt, voluntatem, *requiſitam* cauſam eſſe actionum voluntariarum, ſic ut abſque illa actiones voluntariæ exiſtere nequeant. Hoc utcunque verum eſſe poteſt, illud omnino falſum eſt. Concluſione itaque ab ejuſmodi aſſertionibus illatâ, quarum altera caret omni fundamento, altera eſt ſophiſtica, illatio non poteſt non eſſe ridiculè quidem infirma atque deſpicabilis. Quòd ſi non in *abſtracto*, quod facit, ſed in *concreto* locutus eſſet, ſophiſma multò craſſius fuiſſet multóque manifeſtius; vel potiùs ipſa ratiocinationis ſeries, languida & contemnenda. Omittamus ergo de voluntate dicere ſeparatim, quæ per ſe tantùm eſt potentia aut operatio cæca, & de Eſſentia loquamur illa, quæ Voluntate, Senſu, Ratione, aliiſque facultatibus prædita eſt, & quam tum faciem hæc ejus argumentatio habitura ſit videamus.

10. *Externum aliquod Agens atque irreſiſtibile ſemper neceſſariò facit, ut Eſſentia illa* (animam an aliud quidlibet dixeris non refert) *voluntate & intellectu prædita velit: Eſſentia illa, facultate prædita exerendi ſeſe in volendi actum, neceſſaria cauſa eſt actionum voluntariarum: Ergo omnes actiones voluntariæ neceſſitantur.* Prima aſſertio jam ſtatim cernitur craſſiſſima falſitas; quippe quòd anima tam intellectu prædita eſt quàm voluntate, neque proinde neceſſariò ad volendum determinatur impreſſionibus externis, ſed notionibus ac perceptionibus quibuſdam explicandis quas in ſe excitat, quæ omnino ſunt intellectuales. Secunda autem, Sophiſma frigidum & jejunum. Aſſertionem utramque rationes meæ ſuprà allatæ tam facilè támque manifeſtò attingunt, ut opus non ſit ut plura addam, ſed ad ſecundum argumentum ejus ut me continuò recipiam; quod in breviorem formam redactum ſic ſe habet.

11. *Omnis cauſa eſt cauſa ſufficiens, alioquin effectum ſuum producere nequiret*; *Omnis cauſa ſufficiens eſt cauſa neceſſaria, hoc eſt, effectum certiſſimò producet, aliter aliquid ei defuit, & ſufficiens cauſa non fuit: Ergo omnis cauſa eſt neceſſaria cauſa, atque omnis proinde effectus & actio, & jam illæ ipſæ quæ vocantur voluntariæ, neceſſitantur.* Equidem hæc argumentatio primâ facie videtur acris & arguta; propiùs verò accedentes miſerum ſophiſma inveniemus, quod diſtinguendo ſolummodo ambiguitatem iſtius propoſitionis, *Omnis cauſa ſufficiens eſt cauſa neceſſaria*, facilè detegitur. Vis enim non tam in eo ponitur quòd *ſufficiens*, quàm quòd *cauſa* dicitur; quæ ſi ſit, neceſſe eſt ut habeat effectum, ſive ſufficiens ſit ſive inſufficiens; quod prodit ſophiſma. Hi enim termini relativi, Cauſa & Effectus, ſe mutuò neceſſariò ſignificant. Veruntamen *Ens omne* quod ſufficiens eſt ad hoc vel illud agendum ſi velit, atque ità ut fiat cauſa ejus, non ſtatim tamen agit, nec ab agendo abſtinet, neceſſarió. * Itaque ſi agit, ad ſufficientiam potentiæ voluntatem adjungit; quòd ſi non agit, non idcirco hoc fit quòd non ſufficientem potentiam habet, ſed quòd eâ uti non vult. Clarè igitur videmus, non omnem cauſam *ſufficientem*, rectè intellectam & ſine captione, cauſam eſſe neceſſariam, nec effectum certiſſimò producturam; & quamvìs adſit *ſufficientia potentiæ*, quidpiam tamen adhuc deeſſe poſſe, exertionem nimirum *voluntatis*; quo fiat, ut quod potuit egiſſe ſi voluiſſet, non ageret: ſi autem ageret, voluntate additâ ſufficienti potentiæ, non alio ſenſu neceſſarium dici poſſe, ac noto illo Axiomatis Metaphyſici, *Quicquid eſt, quamdiu eſt, neceſſe eſt eſſe*: cujus ratio eſt, quòd fieri non poteſt ut quid ſit & non ſit ſimul. Antè verò quàm agebat, in poteſtate ipſius erat ageret an non ageret; ſe verùm ipſum determinavit. Et in hoc ſenſu dicendum eſt Agens liberum, non autem neceſſarium. Quare perſpicuum eſt, etiamſi perverſa quædam ingenioſitas in formando hoc argumento appareat, re tamen vera id in imo haud firmum eſſe.

12. Id quod de tertio argumento ejus non minùs verum. At in hoc, fateor, non tam artis technarúmque ſophiſticarum, quàm ignorationis canonum Logicorum arguendus eſt; apertè enim affirmat, neceſſitatem veritatis propoſitionis illîc memoratæ neceſſitate niti veritatis partium ejus; quo non craſſior error in arte ratiocinandi admitti poteſt. Perinde enim dicere potuit, neceſſitatem veritatis axiomatis connexi neceſſitate veritatis partium niti. Connexum autem axioma neceſſariò verum eſt, ubi partes ambæ non modò falſæ ſunt ſed & impoſſibiles. Ex. c. Si *Bucephalus* eſt homo, humanâ ratione præditus eſt. Hoc axioma eſt *neceſſariò verum*, partes tamen ſunt *impoſſibiles*. Namque *Alexandri* equus nec homo eſſe poteſt, nec humanâ ratione præditus, vel radicaliter vel actualiter. Neceſſitas itaque connexioni duntaxat partium, non ipſis partibus inſidet. Sic cùm dico, Aut pluet cras, aut non pluet, disjuncta hæc propoſitio eſt itidem neceſſaria, neceſſitas autem in *disjunctione par-*

tium, non in partibus ipſis ſita eſt: nam cùm immediatè disjungantur, planè neceſſarium eſt ut altera earum, nequaquam verò ut hæc potiùs quàm illa determinetur. Sicuti cùm quis in cuſtodiam datus duarum tantùm conclavium uſuram habet, quanquam neceſſe eſt ut in earum altera inveniatur, nequaquam tamen in alterutram concluditur. Ut brevis autem ſim, & frivolis iſtis tum reſponſionibus tum replicationibus antevertam quæ apud *Hobbium* ſequuntur in hoc argumento proſequendo, aio, Quemadmodum neceſſitas hujus axiomatis disjuncti nititur disjunctione ipsâ, itâ & veritatem, cujus hæc neceſſitas modus eſt, ibidem niti oportere; quippe non partes ipſæ ſed partium disjunctio affirmatur, quod quiſque vel mediocriter ſanus fateri debet.

13. Eſt & altera ratio veritati, ut videtur, gravior, quam *Hobbius* majore quidem exiſtimatione ſuâ, haud tamen meliore ſucceſſu, iniiſſe potuit, viz. Conſideratio axiomatis ſimplicis quod de futuro contingenti pronunciat, quale hoc eſt, *Cras* Socrates *diſputabit*. Nam cùm omne axioma verè pronunciet aut falsò, ut inter omnes convenit, ſi hoc axioma hodie verum eſt, fieri non poteſt ut *Socrates* cras non diſputet; quòd ſi nunc falſum, ut diſputet eſt impoſſibile: & ſic actio diſputandi ejus vel omiſſio ejuſdem erit neceſſaria; nam propoſitio vera & falſa ſimul eſſe non poteſt. Sunt qui plurimùm laborant hoc ex nodo expedire ſe; at ſi in ſenſum propoſitionis accuratiùs inquiramus, difficultas faceſſet. Qui *Socratem* affirmat cras diſputaturum (ut utar futurorum diſtinctione quam *Ariſtoteles* alicubi ſuggerit) vel ut τὸ μέλλον affirmat vel τὸ ἐσόμενον, hoc eſt, quod aut veriſimile eſt ut ſit, poteſt tamen non eſſe, vel quod certò fiet. Si poſterius, falſum eſt axioma; ſin prius, verum: itáque libertas actionis *Socratis*, & effectuum omnium hujuſmodi contingentium, è grypho hoc ſophiſtico eximitur. Nam de axiomate Futuro non magìs judicium fieri poteſt, ſenſu ejus per alterum prædictorum modorum non priùs determinato, quàm de axiomate indefinito, antequam notæ vel *univerſalitatis* vel *particularitatis* cogitatione mentis apponantur; nec poteſt alterutrum verum aut falſum dici, donec ſenſus ejus perficiatur & determinetur.

14. Quartum argumentum ſuum diffidenter & gravatè proponit, quaſi parum Logicè factum exiſtimârit (ità ipſe loquitur) eo uti, & cæteris addere. Ego equidem non poſſum hoc in homine non probare, quòd judicium ejus ſibi conſtat, & cum reliqua Philoſophia ejus bene convenit; nam ſi nihil præter corpus aut materiam in univerſitate rerum ſit, tale Numen invenire quod rei alicujus notitiam aut præſcientiam habeat, opus erit difficillimum: propterea ſuſpicor extremum hoc adjectum eſſe tanquam argumentum ad hominem, quo ſcrupulum iis injiceret, qui nondum tam profundè ſe immerſerint in ſcientiam naturalem, ut nullum in Univerſo Deum eſſe jam ſe reperiſſe opinentur.

15. Quàm volet verò vilipendat, hoc unum profectò argumentum abs eo allatum eſt, quod quidquam ſenſûs tolerabilis aut ſoliditatis habet; atque omnes omnium ætatum viros doctos exercuit, humanæ voluntatis libertatem cum decretis & præſcientia Dei conciliare. Animi verò mei libertas & moderatio materiam hanc mihi, utì ſpero, faciliorem reddet, quàm plerumque fit illis qui eam tractant. Sic itaque breviter reſpondeo;

16. Primò, Quanquam in humana anima ſit facultas iſta liberi arbitrii, animam tamen non ſemper in illo ſtatu eſſe, ubi convenienter huic facultati agere poſſit. Aut enim eouſque degenerare poteſt, ut tam certò ſciri queat quid illa datâ occaſione factura ſit, quàm quid facturus eſt canis famelicus objectâ offâ; quæ communis eſt omnium ferè hominum conditio in plurimis vitæ ſuæ negotiis: Aut tam eximiè bona eſſe poteſt, quanquam hoc pauciſſimis accidit, ut quid his illiſve rebus propoſitis aut accidentibus actura paſſuráque ſit, tam certò ac priùs compertum ſit atque exploratum: & in his caſibus ceſſat liberi arbitrii uſus.

17. Secundò, Ibi propriè cerni liberi arbitrii uſum, ubi ità noſmet propè æquis utrinque ponderibus libratos ſentimus, hinc virtutis ſenſu, hinc commoditate aut voluptate actionis malæ affecti, ut nobis conſcii ſimus debere nos, &, ſi vellemus modò, poſſe hanc abs nobis rejicere, illam verò amplecti eíque adhærere.

18. Tertiò, Animæ in hoc ſuo certamine non adeò integrum eſſe ad alterutram ſe actionem determinare, quin tentatio vel divinum auxilium eam certiſſimò poſſit hàc vel illàc impellere; ità ut uti non valeat illâ libertate ſuâ utralibet eundi indifferenter.

19. Quartò, Decreta divina homines aut invenire aut facere idoneos ad exequendum quicquid abſolutè de illis ſtatuitur vel prædicitur.

20. Quintò, Præſcientiam Dei tantam eſſe, támque mentis noſtræ comprehenſionem longiſſimè ſuperare, ut de ea hoc tantùm tutò dici poſſit, nimirum, Scientiam eſſe perfectiſſimam atque exquiſitiſſimam, naturas, facultates, & proprietates rerum quas præſcit, accuratiſſimè exprimentem. Unde ſequetur, ſiqua ſit creatura libera ac indeterminata, & quæ certis in circumſtantiis certóque tempore certo modo agere aut non agere poſſit, perfectam hanc præſcientiam ab omni æternitate cernere debere, creaturam iſtam in iſtis circumſtantiis certo illo modo agere vel non agere poſſe. Et ad præſcientiæ & omniſcientiæ divinæ perfectionem magis adhuc declarandam, dico porrò, quemadmodum Dei omnipotentia eò ſe extendere debet, ut facere valeat quicquid fieri non repugnet; itâ præſcientiam ejus & omniſcientiam eò ſe extendere oportere, ut plenè & determinatè ſciat quicquid non repugnet ſciri.

Quamobrem ut concludam breviter; præſciri liberos ſeu contingentes effectus, vel implicat contradictionem, vel non implicat. Si implicat, objectum non ſunt omniſcientiæ Dei; neque proinde ulla dicendi cauſa eſt præſcientiam ejus illos determinare, nec ulla viciſſim arguendi illos ab eadem determinari. Si non implicat, quid hoc aliud eſt niſi concedere, illos & præſcientiam divinam bene conſtare poſſe? Utrinque igitur actiones hominum erunt liberæ, non obſtante divinâ omniſcientiâ.

21. Dictorum ſumma huc redit; Actiones humanas aliquando liberas eſſe, aliquando non eſſe; quòd autem unquam liberæ ſunt, demonſtrare eam nobis ineſſe facultatem, quæ meræ materiæ competere non poteſt: quod ſatis eſt inſtituto noſtro.

SCHOLIA

In Cap. III. Sect. 2.

Itaque ſi agit ad ſufficientiam potentiæ voluntatem adjungit, &c. *Hæc argumentatio igitur* Hobbii *in Agentibus non liberis acumine non caret & ſoliditate. Quia in eis non requiritur voluntatis acceſſio. Sed præſtò eſt quicquid aptum natum eſt effectum producere, ídque modo ſufficienti. Unde rectè concludit effectum eſſe neceſſarium. Et viciſſim omne Effectum ab Agente non libero, aut ſaltem non quatenus libero profectum, eam ſufficientem Cauſam arguit, à qua exiſtit, alioqui non extitiſſet propter cauſæ inſufficientiam. Quæ quidem ſpeculatio viam aperit ad veritatem haud levis momenti faciliùs intelligendam. Nihil nempe à ſe exiſtere niſi ſufficientem rationem ſuæ exiſtentiæ in ſua natura contineat, cùm ſi* inſufficientem *haberet non exiſteret. Nunc verò ſi* ſufficientem *habet, exiſtit neceſſarió. Unde quicquam à ſe* contingenter *exiſtere rationi repugnare rectè colligitur: quemadmodum alibi notavimus contra eos, qui dicunt, ſi Deus ſit,* contingere *nihilominus eum eſſe, quod certè ſic eſſet, niſi* ſufficientem, *ac proinde* neceſſariam *ſuæ exiſtentiæ rationem in natura ſua contineret.*

CAP. IV.

1. *Enumeratio plurium ſententiarum de ſede Senſûs communis.* 2. Hoc ſuppoſito nos nihil eſſe præter meram materiam, Totum corpus non poſſe *Senſorium* eſſe *Commune*; 3. *Nec orificium Ventriculi*; 4. *Nec Cor*; 5. *Nec Cerebrum*; 6. *Nec Membranas*; 7. *Nec Septum lucidum*; 8. *Nec exiguam & ſolidiſſimam particulam* Regii. 9. *Quàm veriſimile ſit* Conarion *eſſe communem ſedem Senſûs.*

1. NEC Facultates puriores magíſque intellectuales, *Voluntatem* & *Rationem*, nec minùs puras minúſque nobiles, *Memoriam* & *Imaginationem*, corporibus meris convenire, evidentiſſimè probavi. Quod ideo certius & exploratius habere debemus, quoniam tam firmè demonſtrârim, nè vel ‖ *externum Senſum* iiſdem convenire: quæ omnia à nobis de materia generatim ſpectata concluſa ſunt.

‖ *Vide Cap.* 1. *Sect.* 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14. *& Cap.* 2. *Sect.* 3, 4, 5, 6.

Quoniam autem nonnullis, de virtutibus corporis nimiùm credulis, inſidere poſſit ſuſpicio, organizationem præclara neſcio quæ facturam facinora, (quæ tamen eorum ſuſpicio perinde eſt inepta, acſi exiſtimarent, quanquam nec Argentum, nec Chalybs, nec Ferrum, nec Fidis, Senſum habeant ſingula, cuncta tamen ſimul rite inter ſe apta & compoſita ad horologium portatile conficiendum, ſenſum habere poſſe, ſe, hoc eſt, horologium poſſe eſſe *animans*, licèt partes ſingulæ nec vitam habeant nec ſenſum) horum hominum gratiâ particulariùs agam, & ſententias omnes de ſede *communis ſenſûs*, quas ego cunque vel fando vel legendo acceperim, recenſebo; tum poſtea periculum faciam ecquænam ex illis hypotheſibus vera haberi debeat, hoc ſuppoſito ex alia re nulla conſtare nos homines niſi ex modificata & organizata materia.

Primùm ſententias ipſas recenſebo, expendam deinceps quid quæque valeat; ſententiæ ſunt hæ. 1. Univerſum corpus ſedes eſt ſenſûs communis. 2. Os ventriculi, 3. Cor. 4. Cerebrum. 5. Membranæ. 6. Septum lucidum. 7. Exigua quædam & perfecte-ſolida particula in corpore. 8. Conarion. 9. Concurſus nervorum circa quartum cerebri ventriculum. 10. Spiritus in ventriculo quarto.

2. Primam falſam eſſe hinc conſtat, quòd, ſuppoſito nos nihil eſſe niſi meram materiam, ſi *totum corpus* concedimus unum eſſe *commune ſenſorium*, omnium objectorum percipiens, fiet, ut qui motus oculo vel auri imprimitur, is in omnes partes corporis tranſmitti debeat. Senſus enim idem re eſt ac communicatio motûs, Axiom. 20. Et cùm varietas ſentiendi ex modificatione motûs oriatur, quem variè modificari variâ partium corporis temperie neceſſe eſt, Axiom. 22. manifeſtò ſequitur, oculum motu lucis aliter affectum iri ac partes reliquas, ad quas idem motus tranſmittatur. Quamobrem ſi corpus univerſum percipit, percipiet objectum in quaque ejus parte diverſimodè ſimul modificatum; quod omni experientiæ adverſatur. Veriſimile etiam eſt, objectum diverſis locis ſimul appariturum, propter multos anfractus & diverticula quæ motus tranſmiſſus ſubire debet, quæ quaſi tot refractiones aut reflectiones futura ſunt.

3. *Os ventriculi* non poſſe ſedem eſſe communis ſenſûs ex eo conſtat, quòd *Sentiens commune* non modò percipit objecta omnia, verùm etiam vi corporis movendi pollet. Præterquam autem quòd nulla in ore ventriculi organizatio cernitur, quæ argumentorum noſtrorum ſuperioribus capitibus expoſitorum vim eludat, quæ omnem in univerſum facultatem percipiendi materiæ jure adimunt; nulla omnino ratio mechanica in corpore reperiri poteſt, propter quam videatur poſſibile ut *os ventriculi*, ut fuerit *commune* omnium objectorum *Percipiens*, reliqua membra corporis tamen movere poſſit; quod aliquid in nobis facere ſenſus docet. Verùm hoc ità manifeſtum eſt, ut plura in id verba impendere opus non ſit.

4. Idem etiam de *Corde* dici poteſt. Ecquis enim imaginari poteſt, ſi *Cor* fuerit *Commune Percipiens*, eam connexionem mechanicam inter illud cæteráſque corporis partes intercedere, ut *Cor*, certâ perceptione, motum pedi aut digitulo imperare poſſit? Præterea, in ſyſtole diaſtoléque ſua peragenda penitus occupatum videtur; quæ tantam ſitûs diverſitatem cordi alternis inferunt, ut ſi ſedes eſſet in quam omnium objectorum ſenſus coeat, rem nullam fixo obtutu contemplari poſſemus, nec viſum noſtrum in eodem loco defigere.

5. Quàm inidoneum *cerebrum*, ut tam vegetum ſit motûs principium, quale in nobiſmet ſentimus, viſciditas ejus certiſſimò indicat. Quinetiam medici experientiâ invenêre, *cerebrum* adeò non eſſe *communem* omnium *ſenſuum ſedem*, ut nullum omnino ipſum habeat. Et *Arabes*, qui habere dicunt, in tot diverſa munia diſpertierunt illud, *imaginationem*, *memoriam*, *ſenſum communem*, &c. ut unam aliquam materiæ partem deſideremus adhuc, quæ horum omnium *Percipiens commune* futura ſit. Verùm in *Antid. adverſùs Atheiſmum* tam perſpicuè demonſtravi fieri non poſſe ut ea munia cerebrum obire valeat, quæ ad illud verè attinent quod vulgò *Animam* dicimus, ut ſatìs ſit lectorem eò remittere.

Vide Lib. 1. Cap. 11. Sect. 5, 6, 7.

6. *Membranas*, ſive univerſas, ſive certam aliquam, ejúſve partem, *Senſûs communis ſedem* opinemur, eædem hîc difficultates occurrent, quæ jam memoratæ ſunt. Si *univerſas*, earum diverſitas ſitúſque faciem ſitúmque objecti variabit, ſic ut eædem res nobis appariture ſint ſub diverſis ſpeciebus & in diverſis locis ſimul; quod facilè oſtendi poteſt ex Axiom. 22. Si *certam* quampiam *membranam* aut *partem ejus*, nulla ratio mechanica excogitari poterit, quâ ſingularis illa membrana aut quævis pars ejus ità tum validè tum determinatè ſingulas partes corporis pro re nata movere poſſit.

7. Atque illa ipſa de cauſa *Septum lucidum* non poteſt eſſe *commune Percipiens*; omnem enim animi cogitationem fugit, quî id vim haberet tam fortiter & diſtinctè externa noſtra membra ac artus movendi.

8. Quod novum & mirificum *Henrici Regii* commentum attinet, Materiæ *particulam abſolute-ſolidam* perquámque exiguam *perceptionis communis ſedem* eſſe poſſe; præterquam quòd non minùs temerè aſſeritur duram iſtiuſmodi particulam habere ſenſum, quàm ferri & chalybis limaturam habere, nequit eſſe origo motûs: quî enim parvula hæc atomus corpus totum moveat, niſi movendo ſeipſam? Cùm autem

Philoſoph. Natur. Lib. 5. Cap. 1.

tem extremâ aciculâ ſubtilior ſit, in motum ſe exerens, præſertim in contentas impulſiones illas quibus interdum utimur, corpus ea pertranſeat & deſerat neceſſe eſt.

9. Inventorum omnium mechanicorum pulcherrimum eſt illud de *Conarii uſu* à ‖ *Carteſio* propoſitum; quod unà cum quibuſdam aliis organizationibus corporis ſpectatum & conjunctum, proximè omnium quæ ego unquam viderim, vel fortè viſurus ſim, accedit ad paſſiones proprietatéſque animantium in merum motum corporeum reſolvendas. Quapropter expedit ut eidem explicando pauliſper inſiſtam, quò poſſim accuratiùs illos refellere qui inventis ejus mechanicis ad omne principium incorporeum tum ex homine tum beſtia excludendum abuti vellent.

‖ *Dioptr. Cap. 5. Art. 13. & de Paſſion. Part. 1. Art. 11, 12, 13, 14, 15, 16.*

CAP. V.

1. *Quemadmodum objectorum externorum Perceptio, Motus ſpontaneus, Memoria, & Imaginatio, fieri dicantur per* Conarion, Spiritus, *&* Muſculos, *ſine Anima.* 2. Conarion, *expers animæ, non eſſe* Percipiens commune, *ex ipſo* Carteſio *demonſtratur.* 3. Conarion, *cum* Spiritibus *&* Organizatione *partium Corporis, non eſſe ſufficiens Principium* Motûs ſpontanei, *ſine Anima.* 4. *Deſcriptio uſûs* valvularum *in nervis muſculorum ad Motum ſpontaneum.* 5. *Hæc fabricatio ad rem illam efficiendam non valet.* 6. *Idem porrò demonſtratur*; *unde clarè evincitur Bruta habere Animas.* 7. Memoriam *ſalvari non poſſe ratione ſuprà deſcriptâ*; 8. *Neque* Imaginationem. 9. *Diſtributio functionum noſtrarum ex* Carteſio, *aliarum Corporis, aliarum Animæ, propriarum.* 10. Authoris obſervationes ſuper ea.

1. SUmma hujus abuſûs breviter hæc eſt; *Glandulam pinealem commune Sentiens* ſeu *Percipiens* eſſe objectorum omnium, & ſine Anima poſſe, ſpirituum operâ & organizationis corporis, ea omnia efficere, quæ animæ & corpori conjunctis tribuere ſolemus. Nam glandulâ hac *ſingulari*, cùm reliqua ſenſûs organa *bina* ſunt, itáque *commodè collocatâ*, ut cum ſpiritibus tum anteriorum tum poſteriorum cerebri cavitatum communicet, eorum operâ motus omnes Nervorum (cùm eorum qui externorum objectorum, tum qui internorum corporis affectuum, famis, ſitis, & ſimilium, ſenſum tranſmittunt) ad illam facillimè perferuntur; quæ variè mota variè ſpirituum curſum in Muſculos hos illos dirigit, atque eo ipſo corpus movet.

Præterea, motum ab objecto per Nervos tranſmiſſum in interiora cerebri concava, & ſic ad *Conarion*, certos poros cerebri certo ordine atque modo aperire, qui tanquam tractus & veſtigia præſentiæ illorum objectorum manent, poſtquam abierint ipſa. Hos tractus vel ſignaturas in hoc præcipuè conſiſtere, quòd Spiritus per illos poros faciliùs quàm per alias cerebri partes tranſituri ſint. Hinc *Memoriam* oriri, quando Spiritus, ex inclinatione *Conarii*, ad illam partem cerebri determinantur ubi tractus iſti reperiuntur; eodem enim tum modo, quanquam imbecilliùs, movent *Conarion*, quo, præſente objecto, movebatur.

A ſpiritibus in tractus eos incidentibus *Imaginationis* naturam duci & explicari; quam inter & *Memoriam* minimum intereſt, niſi quòd reflexio in tempus ut præteritum, quando hoc vel illud objectum vidimus aut percepimus, in *Imaginatione* prorſus omittitur. Verùm non omnes hæ ſunt operationes quarum nobiſmet ipſi ſumus conſcii; plures hæ tamen quàm quæ ex hac hypotheſi ſatis explicari poſſint, viz. Perceptionem objectorum, motum ſpontaneum, memoriam, & imaginationem, operâ hujus glandulæ, ſpirituum animalium, & meræ organizationis corporis, omnes perfici poſſe; id quod apertè conſtabit, etiamſi rem non adeò ſeverè expendamus.

2. Ex ipſa enim deſcriptione quam *Carteſius* facit tranſmiſſionis imaginis per oculum, putà, ad *cerebrum*, indè ad *Conarion*, demonſtrari poteſt, *Conarion* expers animæ nullam ullius objecti perceptionem habere. Nam ex iis quæ habet in *Tractatu* ſuo *de Paſſionibus Animæ*, planè conſtat, imaginem ab objecto ad *Conarion* propagatam per aliquam ſpatii latitudinem in illud imprimi. Unde manifeſtò patet, *Conarion* objectum integrum nec percipere nec percipere poſſe, etſi partes ejus ſingulas ſingularum partium perceptionem habere conceſſeris. At aliquid noſtrî totum percipit, quod idcirco non poteſt eſſe *Conarion*.

Part. 1. Art. 35.

Vid. Lib. 2. Cap. 2. Sect. 6.

Et quòd externum objectum non percipimus duplex, non adeò eſt quoniam imago in Senſûs communis organo unitur, quàm quòd ità lineæ ab objecto veniunt ad oculos ambos, ut uno in loco ſentiatur; alioqui ſi objectum propinquum ſit, oculorum verò directio non ad propinquitatem illam aptetur, illud nihilominus duplex videbitur. Quod etiam demonſtrat ambobus nos oculis ſimul cernere poſſe. Ego profectò certus ſum, quæ procul ſunt, me meliùs videre cùm ambobus quàm cùm uno duntaxat, utor.

3. Quod *motum ſpontaneum* attinet, *Conarion* unà cum ſpiritibus atque organizatione aliarum partium corporis principium ejus ſufficiens eſſe non poſſe, quanquam commodam id eſſe ſenſûs communis ſedem largiremur, facilè patebit, ſi modò conſideremus, rem tam imbecillam támque exiguam ut glandulam iſtam, omnino non videri Spiritus vi illâ ac impetu determinare poſſe, quâ eos in currendo, feriendo, impellendo, & ſimilibus, determinari videmus; fore item nonnunquam, ut vix milleſima *Conarii* pars tanti impetûs directrix ſit; nempe cùm objectum viſûs, putà, tam eſt exiguum quàm extrema acicula, aut cùm quis acu pungitur, impreſſiones hæ æquè minutæ in glandula atque in externo ſenſu eſſe debent.

Vid. Append. Antidot. Cap. 10. Sect. 6.

Fac autem *Conarion* totum ſemper agere in motu ſpirituum determinando in aliquem muſculum; fieri tamen non poteſt ut ità fluida materia quales ſunt ſpiritus, qui proclinante conario facilè retrocedant, curſum ſuum unquam determinarent vi illâ ac impetu quo ſolent.

Atenim fortaſſe reſpondebitur, *Spirituum* curſum, corporum ſubtilium & fluidorum & ad motum quoquoverſus ſemper paratorum, minimum quidque determinaturum; & muſculos ipſos ſpiritibus repletos, & valvulis inſtructos, quæ ſpiritus de cerebro facilè intromittunt, quæque iis patent ex uno muſculo in oppoſitum fluentibus, minimâ factâ in alterutro redundantiâ, & ſic eos concludunt, mechanico hoc artificio, inquient, vim eam quæ in motu ſpontaneo cernitur, commodè ſalvari poſſe.

4. Quò liqueat reſponſionis hujus invaliditas, accuratiùs contemplemur artificium in ſequenti Schemate; quod certè haud diſſimile ejus eſſe debet, quod ‖ *Regius* in ſua Philoſophia tentavit, quódque faciet ad faciliorem intellectum eorum quæ in Libro de *Paſſionibus* ſcripſit ‖ *Carteſius.* B, C, ſunt duo muſculi oppoſiti, indubitata inſtrumenta motûs ſpontanei; K pars corporis movenda; DE & FG nervi per quos ſpiritus à cerebro in dictos muſculos tranſmittuntur; D & F duæ valvulæ quæ ſpiritibus liberum tranſitum præbent è cerebro in muſculos, reditum verò ex illis in cerebrum præcludunt; G valvula per quam Spiritus è muſculo C tranſeunt in B; E altera valvula per quam viciſſim è B in C. Mechanici hujus artificii ſumma hæc eſt, Spiritibus à Conario determinatis vel minimo copioſiùs in B quàm in C, qui in C ſunt per valvulam G tranſituros in B, eámque ob rem B intumeſcentem, & proinde breviorem factum, membrum K neceſſariò adducturum.

‖ *Philoſ. Natur. lib. 4. cap. 16.*

‖ *Part. 1. Artic. 11.*

Tom. 2. p.343



5. Non hìc contrà dicemus hanc rem totam commentitiam eſſe poſſe, cùm à nullo dum Anatomico compertum ſit valvulas iſtas nervorum partem eſſe organizationis corporis animalis cujuſcunque; ſed potiùs oſtendemus, ſi admitterentur, non tamen effecturas quod cogitatur. Nam primùm, non liquet Spiritus plùs feſtinaturos è C in B, quàm preſſura in B facta per determinationem ſpirituum à Conario, cogit. Cùm enim loca omnia perinde iis ſint ad motuum ſuorum luſus agitandos, non ultrà progredientur quàm aguntur aut premuntur; quemadmodum aër in veſica. Quomodo autem Conarion ageret aut premeret Spiritus in B, ità ut faciat B premere eos qui ſunt in C, atque adeò exprimere tam celeri & acri impetu qualis in quibuſdam actionibus cernitur, nequaquam intelligi poteſt.

6. Verùm eſto, Conarion Spiritus in B vi tantâ determinare poſſit, ut illi ità impulſi alios Spiritus qui in C ſunt per valvulam G ad ſe venire faciant, cùm tamen adſit valvula E per quam rurſus in C remittantur, impoſſibile eſt quin decima pars vis ejus, quam adhibere ſolemus ad explicandam hominis repugnantis manum, eam facilè, velit nolit, explicaret. Vis enim non magna movens K à B versùs C ità premet Spiritus qui in B, ut certiſſimò per E in C tranſituri ſint; ſi corpus noſtrum nihil eſt niſi materia mechanicè organizata. Ergo merum eſt animæ imperium, quod ſpiritus in hunc potiùs muſculum quàm in illum determinat, inibíque detinet, vis externæ ingratiis. Unde liquidum eſt bruta etiam animantia animas habere oportere.

7. Quod ad *Memoriam* & *Imaginationem* attinet, *Carteſii* rationes Mechanicas ad has Facultates explicandas non pertingere clarè intelligemus, ſi conſideramus apertionem facilem pororum cerebri eorum, qui præſente objecto aperiebantur, non ſufficere ad objectum idem repræſentandum, poſtquam *Conarion* ſe eò inclinando ſpirituum curſum eoſdem in poros determinârit. Hoc enim *figuram* duntaxat non *colores* etiam exhiberet. Præterea, ſi centum objecta ante oculos ad idem intervallum omnia exponantur, oculis interim eundem ſitum accuratè ſervantibus, ità ut neceſſarium ſit ut hæ imagines eundem planè locum cerebri occupent, diſtincta tamen erit omnium recordatio; quod impoſſibile eſt, niſi nobis ineſſet anima à materia diſtincta. Idem dici poteſt de Nominibus vel Vocibus collineatis, ſi vis, per tubum in aurem, nè minimùm quidem ſitum ſuum intereà temporis mutantem, ſic ut ſonus eaſdem partes organi feriat perpetuò, ſi quingentæ eſſent numero voces, diſtincta tamen ſingularum *memoria* eſſe poteſt; quæ vis certè meræ materiæ fines longè tranſcendit, alioquin omnium confuſio neceſſariò inferretur.

De Paſſion. Part. 1. Art. 42.

8. Poſtremò, quod ad illas *imaginationes* ſeu repræſentationes ſpectat, quæ nullius objecti ſingularis ſunt quod unquam vidimus, ſed ex pluribus objectis contexuntur quæ loca ſua ſingula per cerebrum inſederant, hæc antè, illa retro, quî poteſt *Conarion* ea conjungere quocunque libet conjunctionis modo? Vel potiùs in uno eodémque objecto, hoc homine, putà, aut domo illâ, quod recto ac debito ſitu videmus, quódque etiam eam ſignaturam aut figuram in cerebro reliquerat quæ in eodem iſto ſitu id repræſentet, quî poteſt *Conarion* imaginis ſitum invertere, facereque ut repræſentet hominem aut ædes ſitu planè contrario? Accedit difficultas repræſentandæ diſtantiæ aut latitudinis objecti, de quo ‖ jam diximus. Fieri non poteſt ut *Conarion*, ſi mera materia ſit, operationes ullas hujuſmodi perageret. Oporteret enim motus in ſe excitare, qui non ullâ alterius corporis impreſſione neceſſariò advehuntur, quod apertè adverſatur Axiom. 26.

Vide Carteſ. de Paſſion Part. 1. Art. 43.

‖ *Cap. 2. Sect. 8.*

9. * Quamobrem *Carteſius*, author graviſſimus ſummóque judicio pollens, potentiam organizationis mechanicæ eouſque extendere non auſus eſt, ſed apertè confitetur, quemadmodum quædam functiones ſint quæ ad *corpus* ſolum pertineant, ità & alias eſſe ad *animam* pertinentes, quas Cogitationes vocat, quæque ſecundùm illum duûm ſunt generum, alteræ *Actiones*, *Paſſiones* alteræ. *Actiones* ſunt omnes operationes *Voluntatis*, utì & quodammodo *Perceptiones* omnes *Actiones* dici poſſunt. Et hæ *Actiones voluntatis* ſunt vel meræ *Intellectuales* operationes & in Anima ipſa terminantur, quales ſunt ſui ipſius excitationes ad amandum Deum aut ad contemplandum objectum aliquod immateriale; vel quæ in *corpus* vim habent, ut cùm jubente voluntate ad eundum aliquò noſmet incitamus.

Carteſ. de Paſſion. Part. 1. Art. 17, 18.

Perceptiones item noſtras in duas ſpecies diſtinguit, quarum alteræ *animam* pro cauſa habent, alteræ *corpus*. Quæ *corpus*, eæ maxima ex parte ſunt quæ à *nervis* dependent. Præter has autem referri etiam huc debet genus unum imaginationum, quæque pro cauſa ſua propriè corpus habent, illæ nimirum ‖ imaginationes quæ ex eo tantùm oriuntur quòd ſpiritus animales in imaginum veſtigia impingunt quas externa objecta in cerebro reliquiſſent, itàque illas *Conario* repræſentant; id quod tam poteſt interdiu accidere cùm imaginatio vagatur negligenter, nec animum datâ operâ rei cuipiam advertimus, quàm noctu per ſomnum ſolet. Quæ perceptiones nervorum operâ perveniunt ad animam, hoc differunt inter ſe, quòd aliæ ad *objecta externa* quæ ſenſus feriunt, aliæ ad *corpus*, ut fames, ſitis, dolor, &c. aliæ denique, ut triſtitia, gaudium, timor, &c. ad ipſam *animam* referuntur.

Carteſ. de Paſſion. Part. 1. Art. 19, 20.

‖ *De Paſſion. Part. 1. Art. 21.*

Art. 22, 23, 24, 25.

Perceptiones quæ *Animam* pro cauſa habent, ſunt vel ſuarum ipſius *volitionum*, vel ſpeculationum rerum purè *intelligibilium*, vel imaginationum ad *arbitrium fictarum*, vel denique *reminiſcentiæ* perceptiones, cùm quid anima indagat quod è memoria ſibi excidiſſet.

Art. 19, 20, 42.

10. In hac diſtributione hoc præcipuè obſervandum eſt, omnes illas cogitationes quas vocat *actiones*, illas item perceptiones quas ad *Animam* tanquam ad cauſam refert, per ſe (ipſo etiam fatente) tales eſſe, quas nullum animal per meram corporis ſui organizationem imitari queat. Cæteras autem exprimi poſſe putat, imò perſuaſum nobis vult reipſa exprimi in corporibus brutorum, quæ, ut ait, meræ ſunt machinæ, hoc eſt, per meram corporis illorum fabricam mechanicam, externa ſenſûs objecta ità poros cerebri aperire poſſe, ut eo ipſo determinent ſpiritus animales in certos muſculos ad motum ſpontaneum faciendum: curſum etiam ſpirituum in nervos inteſtinorum, ventriculi, lienis, cordis, hepatis, aliarúmque partium derivatum, eoſdem ipſos effectus paſſionis, v. c. amoris, odii, lætitiæ, triſtitiæ, in brutis illis machinis producturum, quos ipſi in corporibus noſtris ſentimus; quamvìs illæ in-

Diſſert. de Meth. Art. 5. & de Paſſion. Part. 1. Art. 16.

ſenſiles non perſentiſcant eos: & porrò, vellicationem certarum tunicarum fibrarúmque ventriculi & faucium corpora brutorum ſimiliter afficere poſſe, ac noſtrum in ſenſu famis ſitíſque affectum eſt: denique, Spiritus in tractus cerebri incidentes quos externa objecta impreſſerant, ità in eorum corpora agere poſſe, quemadmodum in noſtrum agunt in imaginatione & memoria.

Ad hanc jam machinam *Carteſii* ſi præterea addas ſentiendi percipiendíque vim in Materia, (cujus tamen incapacem eam eſſe demonſtravi) nihil eo amplius *Hobbius* ipſe expectârit à mero corpore oriturum; nam cùm motus ejus omnes ſint purè mechanici, perceptiones & propenſiones erunt fatales, neceſſariæ, & inevitabiles, quod is vult cupidiſſimè.

At cùm nullæ cogitationes quas *Carteſius actiones* vocat, nullæ item *perceptiones* quarum *animam* cauſam eſſe agnoſcit, in artificium mechanicum ullum reſolvi queant, * has animadvertere licet tanquam peculiare argumentorum genus, ídque ejuſmodi, ut quanquam largiremur brutorum animas nihil aliud eſſe niſi materiam ſentientem, ſequeretur tamen, ſubſtantiam excellentioris naturæ veréque immaterialem, operationum illarum præſtantiorum, quas in nobiſmet reperimus, Principium eſſe oportere; ut conſtat ex Axiom. 20 & 26.

SCHOLIA

In CAP. V. SECT. 9.

QUamobrem *Carteſius* Author graviſſimus ſummóque judicio pollens potentiam organizationis Mechanicæ eouſque extendere, &c. *Equidem nuſquam* Carteſius *hiſce in rebus propiùs ad imaginem ſimilitudinémve rectè ſapientium accedit quàm hoc in loco, ubi profectò ſi animitùs Philoſophatur, majorem in modum demirari meritò poſſumus quî factum ſit, ut omiſſis hiſce ſolidioribus argumentis diſtinctionis Animæ à corpore, totum rei momentum in leviculo iſto ſuprà memorato Sophiſmate poſuerit, nullibique diſtinctè enucleatéque Materiæ incapacitatem ad iſtiuſmodi actiones & perceptiones quas ſoli Animæ hîc attribuit, demonſtrare conatus ſit, ſed totum ſtudium operámque viribus Organizationis Mechanicis ad omnes vitæ functiones, quæ in brutis Animalibus cernuntur, obeundas, illuſtrandis probandíſque impenderit. Certè ut per* Animam, *nullius partis corporis organizati vim cunctarúmve competentiam ſe intellexiſſe liquere potuiſſet, Materiam quomodocunque modificatam iſtiuſmodi actionum perceptionúmque, quas ſoli Animæ competere ait, incapacem eſſe datâ operâ demonſtrare debuit, non ſimplici affirmatione argutóve ſophiſmate rem tanti momenti videri velle ſuffulcire.*

Sect. 10. Has animadvertere licet tanquam peculiare argumentorum genus, &c. *Hujuſmodi ſunt* actiones Voluntatis, *earúmque* Perceptiones, Speculationes *rerum purè* Intelligibilium, Imaginationes *pro* libitu *factæ, &* Reminiſcentia *denique. Qui brutorum Animas Materiam tantùm ſentientem percipientémve exiſtimant, humanam Animam interim immaterialem eſſe ex prædictis Actionibus ac Perceptionibus, quarum conſcii ſumus, convincendi ſunt. Quæ provincia digna fuiſſet ingenio* Carteſii, *atque ſic aliorum argumentorum, quæ Mechanicis ſuis commentis enervâſſe penitúſve abſtuliſſe videri poteſt, jacturam aliquo modo compenſâſſet.*

CAP. VI.

1. *Partem nullam medullæ ſpinalis* commune Senſorium *eſſe poſſe citra animam in corpore exiſtentem.* 2. *Veriſimilius videtur* Spiritus animales *eſſe* Percipiens *illud* commune. 3. *Demonſtrabile tamen eſt eos non eſſe*; 4. *Utpote qui nè ſentire quidem poſſunt*; 5. *Nec motum in Muſculos dirigere*; 6. *Nedum imaginari & Inventa rationis excogitare*; 7. *Nec recordari.* 8. *Reſponſio ad effugium.* 9. *Authoris ratio, cur tam ſpeciatim refutârit hypotheſes omnes* de Sede Senſûs communis, *cùm paucæ ex iis aſſertæ ſuerint excluſâ animâ.*

1. DUÆ omnino ſententiæ adhuc expendendæ reſtant; altera, locus iſte *ſpinalis medullæ*, ubi omnes corporis nervos proximè concurrere putant Anatomici; altera, *Spiritus animales* in quarto ventriculo cerebri. De priore, viz. iſta *ſpinalis medullæ* parte in qua nervorum concurſus eſſe putatur, quod in re ſimili jam reſpondi, idem hîc denuo repeto; præterquam quòd demonſtrârim materiam eſſe ſenſûs incapacem, & quòd nulla ejus modificatio in medulla ſpinali cernitur, propter quam veriſimilius ſit hanc facultate illâ eſſe præditam, quàm medullam ſambuci aut coagulum lactis; animadvertendum eſt præterea, eam ad motum prorſus inhabilem eſſe, neque intelligi poſſe quomodo iſta pars ejus, vel quævis alia, quæ cogitationum noſtrarum omnium, omniúmque objectorum *Percipiens commune* conſtituitur, (quod item vim membra noſtra movendi habere debet) cùm tam parum agitationis habeat ipſa, nil niſi mollicula pulpa, tam validè tamen atque agiliter noſtri corporis partes movere poſſit.

2. Atque eo nomine *Spiritus animales* ad id muneris obeundum aptiores videntur; & quos craſſæ ſuæ ipſorum mentis importunitas cogit animam ſtatuere corpoream, ii tamen ferè ſubtilem aliquam tenuémque materiam requirunt ad naturam & eſſentiam ejus conſtituendam: quam propterea vel aërem, vel ignem, vel lucem, vel aliquod conſimile corpus eſſe putant; quibuſcum *Spiritus animales* haud parvam habent neceſſitudinem.

3. Hæc autem ſententia, etſi primâ quidem fronte videatur plauſibilis, difficultatibus illis tamen implicatur quæ ſuperari nequeunt. Perſpicuum enim eſt argumenta omnia ‖ ſuprà allata hîc etiam integris viribus valitura. Nulla enim materia tam prorſus liquida quàm *Spiritus animales*, quin conſtet ex particulis inter ſe tantùm contiguis, & actu moventibus atque inter ſe colluſitantibus, atomorum more per radios ſolares ultro citróque commeantium. Videamus ergo, an theſaurus ille *Spirituum* puriſſimorum, quarto in ventriculo cerebri conditus, ſuſtinendo par ſit tam præſtanti muneri ac eſt illud *communis* in humano corpore *Percipientis*; cujus functio, ut ſæpiùs dixi, adeò multiplex eſt, ut non modò externorum objectorum perceptionem, ſed etiam motum, imaginationem, rationem, & memoriam complectatur.

‖ *Cap.* 2. *Sect.* 3, 4, 5, 6, 7, &c.

4. Jam primo in limine, objecti imago in turbam iſtam particularum tranſmiſſa non poteſt non diverſimodè in eas incidere, nec propterea omnes unam eandémque perceptionem habituræ erunt, ſed pars fortè partem tantùm objecti, pars totum, pars plus quàm totum percipient; item aliæ in alio loco poſitum. At cùm *Percipiens* quod in nobis ineſt nullam iſtiuſmodi confuſionem turbatúmque ordinem nobis in objectis contemplandis exhibeat, manifeſtò conſtat *Spiritus animales* ipſum non eſſe.

5. Deinde, quod tam perturbatum eſt *Percipiens*, quî poteſt id eſſe idoneum principium motûs in muſculos dirigendi? Nam præter confuſionem eam quæ ex diverſiſſima objectorum præſentium repræſentatione functioni huic accidere poteſt, cùm in iiſdem ſpiritibus animalibus inſit etiam cogitandi, excogitandi, deliberandíque facultas (nec tamen, niſi ſuâ inter ipſos arietatione, quoquam modo quidquam inter ſe communicare poſſint; quod perinde eſt acſi homines capita colliderent, quò ſe mutuò cogitatis ſuis impertiant) planè ſequitur, eos perceptiones, inventiones, deliberationéſque ſuas, ſeparatim habituros; quas cùm executioni mandant, mirum quas turbas corpori daturi ſint, aliis aliò partes ejus agentibus: quòd ſi factiones eorum in multas partes atque ſtudia dividantur ſubdividantúrque, tam erunt imbecillæ ſingulæ, ut nulla earum corpus aliquò imperare valuerit. Nos autem nullam in nobis luctam iſtiuſmodi juſſúmve contrarium ſentimus, quod corpus noſtrum aliò ferret quàm quò velimus ipſi; ut ſi cùm quis ſcripturus erat

Μῆνιν ἄειδε θεὰ ------

aliud quid in eo valentius, cujus cogitationum conſcius non eſt, manum ejus uſurparet, & pro illo ſcriberet

Arma virúmque cano -------

Quod idem etiam de omni alio motu ſpontaneo dici poteſt; qui cùm penès animi noſtri conſilium & juſſum perpetuò ſit, clarè evincit non *Spiritus animales*, rem lubricam, incertam, & disjunctiſſimam, ſed aliquid magìs & perfectiùs *unum* ac *indiviſibile*, cauſam ejus eſſe.

6. Non opus eſt ut quid ampliùs dicamus de *Inveniendi* ac *Ratiocinandi* facultate, ut particula quæque ſpirituum animalium copiam habet ſola & per ſe cogitandi, ſecúmque ſola conſultandi, pariter ac ſe movendi ab aliis ſejuncta, útque nullo modo poteſt altera alteram cogitationis ſuæ participem facere, niſi, ut dixi, colliſione mutuâ: atqui hoc pacto motum duntaxat, non ipſam cogitationem ſuam communicabunt; ni fortè in earum rerum formas de quibus cogitant, figurare ſe fingerentur hæ particulæ; quod fieri non poteſt per Axiom. 26. Fac autem fieri poſſe, ut una particula ſe figuret, v. c. in *Georgium Equitem haſtatum*, altera in *Arcem magicam*; *Georgius* Eques incurrat in arcem oportet, ad ſimilitudinem formámque ſui arci imprimendam. Quid tum poſtea? infeliciſſimus profectò erit congreſſus: nam *D. Georgius* facilè quidem haſtam ſuam frangat, fieri autem nequit, ut is, in particulam, *Arcem*, ruendo, integram ſui equíque formam eo pacto tranſderet, qualem planè conſcii ſumus imaginatione nos fingere poſſe de homine inſidente equo. Quod quidem eſt non minùs demonſtrabile, quàm Theorema quodvis Mathematicum; per ſe autem adeò manifeſtum, ut non opus habeam, ad id magìs confirmandum, longiuſculæ demonſtrationis pompam ducere.

Nec cum ullo plauſibili colore nova effugiendi tentatur via, quaſi ſcilicet hâc particulâ in *arcem* ſe transformante, illâ in *Equitem*, cæteræ omnes utramque, & utraque alteram intueretur. Nam quâ luce cernerentur, & quantillæ apparerent, & quàm diverſis in locis, pro diverſo ſitu particularum ſpirituum, & quàm diverſâ facie, aliis aliam partem videntibus?

Neque hæc ſola difficultas, eſt etiam altera; quòd licèt repræſentationes iſtiuſmodi ſenſibiles, abs alia in aliam particulam incurſionibus colliſionibúſque corporeis, vel ratione illâ proximè allatâ, transferri poſſint; certè Notiones *Logicæ* & *Mathematicæ* non poſſunt. Quamobrem quidam *Spiritus animales* unam demonſtrationem Mathematicam, unámve partem ejus, meditari poſſunt, alii aliam: ità ut dum *Mathematicus* de ſententia horum ſpirituum aliquid ſcripturus ſit, illi manum ejus ſibi rapere, & ad aliud ſcribendum abuti poſſint, quorum is cogitationum & conſilii non erat conſcius; nec quidquam rei omnino ſcire valet, donec id illi deſcripſerint. Quæ quidem abſurditates tam ſunt mentis omnis modíque vacuæ, ut nemo vel ſtylum ſuum eas memorando commacularet, niſi ut hominibus iſtis, qui tam magnificè ſentiunt de potentia materiæ, ut putent eam per ſe omnibus Univerſi Phænomenis ſufficere, meritum pudorem fatui Principii ſui incuteret atque averſationem.

7. Poſtremo jam loco facultatem *Memoriæ* conſiderabo, quæ unà cum cæteris in communi *Percipiente* neceſſariò conjungitur; cujus muneris, non modò partium ſuarum fluiditas, ſed etiam diſſipabilitas, facit ſpiritus animales penitus incapaces. Etenim profectò ſpiritus, propter ſubtilitatem & activitatem ſuam, ſunt valdè diſſipabiles, nec, ut veriſimillimum eſt, iidem manent diebus ſeptem continuis; res illæ tamen, de quibus, multis antè annis, nihil cogitavimus, tam animum recentes ſubibunt, acſi herì primùm extitiſſent.

8. Quod unum effugium excogitare hîc poſſunt, hoc eſt; quemadmodum perpetua ſuppeditatio eſt ſpirituum ſenſim facta, ſic eos in ipſo ingreſſu imbui, fermentari, tingi, notionibus, perceptionibus, ac propenſionibus iiſdem, quas habent ſpiritus illi quos iſtic offendunt. Bella quidem verba! at quæ nihil ſignificant niſi hoc, Spiritus eos, qui jam aliquamdiu in cerebro ſunt, quas notiones & perceptiones habeant ipſi, eas novitiis iſtis communicare; quod id ipſum eſt, quod, in ſuperioribus ſectionibus, impoſſibile probaverim. Atque proinde eſt impoſſibile, ut Spiritus animales commune illud *Percipiens* ſit, quod audit, videt, movet, recordatur, intelligit, cæteráſque vitæ functiones obit, quas in nobis aut à nobis præſtitas ſentimus.

9. Nec corpus univerſum, nec ex partibus aſſignatis ullam, animâ ſeu ſubſtantiâ immateriali excluſâ, communis ſenſus ſedem eſſe poſſe, ſingulatim evicimus. Quod

factum meum non ità intelligi vellem, tanquam ſi eo ſignificaretur, iſtarum partium nullam eſſe, quam non aliquis affirmaverit *commune ſenſorium* eſſe potuiſſe, etiamſi nullam nos animam haberemus: ſed quoniam non defuêre, qui partes iſtas ſingulas, poſitâ animâ, *communis ſenſûs ſedem* eſſe contenderunt; idcirco nequa omnino dubitatio ſcrupulúſque cujuſquam in animo relinqueretur, dedi operam ut accuratè & ſigillatim probarem, nullam earum abſque anima *ſenſûs communis ſedem* eſſe poſſe.

Atque eâdem operâ, quod mihi conſilium primum ac præcipuum erat, id planè perfeci; viz. Animam ſeu immaterialem ſubſtantiam à corpore diſtinctam in nobis ineſſe demonſtravi. At non hîc me curámque meam ſtitero; ſed quò pleniùs naturam ejus atque facultates aperiam, progrediar ultrà & exquiram, primò, *quæ ſit ſedes ejus in corpore præcipua*, ubi & unde functiones ſuas exercet præſtantiſſimas; dein, *iſtâmne in partem unam concluſa, an per membra omnia diffuſa ſit*, inquiram; poſtremò, diſpiciam *quemadmodum videat, audiat, imaginetur, recordetur, ratiocinetur, & moveat corpus.* Præterquam enim quòd hæc omnia quæſita & inventa ad ulterioris conſilii utilitatem transferam, per ſe ipſum jucundiſſimum eſt, rationabilem ac cohærentem explicationem, certam etiam atque definitam hujuſcemodi rerum notionem, in promptu habere ſemper ac paratam.

CAP. VII.

1. *Inſtituitur inquiſitio de* ſede Senſûs communis *ex Hypotheſi* Animæ in corpore exiſtentis. 2. *Singularem aliquam partem corporis ſedem eſſe Senſûs communis.* 3. *Generalis diviſio ſententiarum de loco communis Senſûs.* 4. *Qui eum extra Caput collocârunt duorum ſunt generum.* 5. *Invaliditas rationum quibus* Helmontius *probaret* Orificium ventriculi *ſedem eſſe Animæ principalem.* 6. *Reſponſio ad ea quæ* Helmontius *in eam rem narrat.* 7. Helmontii *ſententia ulteriùs refutatur ex ipſius conceſſis.* 8. *Confutatur ſententia* Hobbii, *quæ* Cor *facit communis Senſûs ſedem.* 9. *Ea porrò refellitur ex experientia.* 10. *Senſum communem alicubi in Capite collocari.* 11. *Monitio de delectu ipſius loci ſingularis.* 12. *Totum cerebrum locum non eſſe*; 13. *Nec particulam ſolidam* Regii; 14. *Nec Membranam externam quamlibet, nec Septum lucidum.* 15. *Tria loca ſpecioſiſſima.* 16. *Objectiones contra ſententiam* Carteſii *de Conario ſolutæ.* 17. Conarion *ſedem non eſſe Senſûs communis*; 18. *Nec partem illam* Medullæ ſpinalis, *ubi Nervi convenire putantur, ſed* Spiritus in quarto ventriculo Cerebri.

1. ERit igitur neceſſarium ut ſententias ſuprà memoratas in manus iterum ſumamus, hypotheſi mutatâ; & quænam ex iis rationi congruentior ſit, immateriali ſubſtantiâ ſive animâ in homine poſitâ, examinemus.

2. *Singularem* aliquam & definitam eſſe *ſenſûs communis ſedem*, inter omnes ferè Philoſophos ac Medicos convenit. Apud quos hæc frequentiſſimè occurrit ſimilitudo, Senſus externos & *communem ſenſum* ſimul ſpectatos inſtar eſſe circuli è cujus centro radii quinque ducuntur ad circumferentiam. Quocirca ut obvium iis erat ſingularia ſenſuum externorum organa invenire, ſic etiam diſtinctam aliquam partem corporis, quæ *ſenſûs communis* foret organum, aſſignare conati ſunt; hoc eſt, ut invenerunt viſum ſedem ſuam habere in oculo, auditum in aure, odoratum in naribus, &c. ità partem aliquam corporis fuiſſe, in qua viſus, auditus, cæteræque perceptiones omnes coeant, utì in centro radii circuli, inibíque *animam* etiam judicare, & diſcernere objectorum ſenſuum externorum differentias, exiſtimârunt. Externis itaque omnibus corporis partibus facultatem omnem, vel minimam quidem, abrogârunt tam commune officium ſubeundi, utpote quæ in penſo magìs ſingulari accurando occupantur omnes, in hoc ſcilicet, ut ſint organa alicujus de quinque ſenſibus externis, nec ut aliâ re ullâ afficiantur niſi quæ ipſis imprimatur, ídque præcipuè abs propriis ſuis objectis: quorum quinque ſenſuum, tactus, propriè ſic dictus, ampliſſimas partes obtinet; ut qui tam latè ſe extendit, quàm quæ circumtegit nos cutis, tam altéque penetrat, quàm membrana quævis & nervus in artubus truncóque corporis, præter exteriores omnes partes capitis. Quæ omnia nihilo plùs videre, quàm oculus audire, aut auris olfacere poteſt.

3. Ad hæc, argumenta ea omnia, quæ clarè evincunt communis ſenſûs ſedem eſſe alicubi in capite, planum faciunt, corpus univerſum eam eſſe non poſſe; quæ autem

ſint hæc argumenta, mox docebo. Nam cùm omnes ſententiæ, quæ ſingularem partem aliquam faciunt *ſenſûs communis* ſedem, in duo genera dividendæ ſint, unum earum, quæ ſedem illam in corpore, alterum, quæ in capite aſſignant, idcirco hunc ordinem dicendi perſequemur: primùm illos, qui partem ullam in *communis ſenſûs* ſedem deſumpſerint extra caput, refellemus; deinde commune ſenſorium in aliqua parte capitis eſſe debere, generatim oſtendemus; poſtremò, multas inter ſententias de parte capitis conſtituenda quæ *commune ſenſorium* eſſe debeat, rejectis iis omnibus quæ minùs conſentaneæ videntur, illam tandem deſignabimus, quam minimè redargui poſſe exiſtimemus.

4. Qui ſenſorium commune extra caput deſumpſerint, ii vel in ſuperiore ventriculi orificio, vel in corde id poſuêre; illa ‖ *Helmontii* ſententia eſt, hæc *Hobbii.*

‖ *Helmont. de ſede Animæ.*

5. Ad *Helmontium* quod attinet, nihil ille profectò pro ſententia ſua affert, quod non facilè dilui poteſt. Quod illum maximè in errorem impulit, erat magna ejus partis *ſenſibilitas*, quæ ità à Natura comparata eſt, nè quid in ventriculum intromittat, tanquam fidus & ſagax janitor, quod corpori pernicioſum aut moleſtum futurum eſſet. Propter tenerrimam hanc *ſenſibilitatem*, non mirum eſt ſi offenſiones graviores ei illatæ, deliquia, apoplexias, ſenſûſque ceſſationem pariant. Sed timor etiam, & gaudium, & triſtitia, quoſdam è veſtigio ſuſtulit, cùm tamen per aurem vel oculum, ex acerbiſſimo nuntio audito vel horridiſſimo ſpectaculo viſo, lethalis ictus primùm introierit. Et durior ulceris efferati contrectatio, aut clavi in pedis digito gravior compreſſio, facilè nonnullos in lipothymiam conjicit; nemo tamen ſanus propterea putaverit ſedem *communis ſenſûs* in pede eſſe poſitam. Ad ſummam, non eſt quamobrem *commune ſenſorium* in ſuperiori ventriculi ore poni magìs exiſtimemus, propter commotiones ſenſibiliores ibi perceptas, quàm cur idem in Stellis poſitum cenſeamus, propterea quòd earum lucem clarè percipimus, ut bene ‖ *Carteſius* in re ſimili reſpondit. Neque phrenitis & mania, etſi ortum indè ſuum nonnunquam ducere deprehendantur, quicquam magìs tamen probant eam ſedem eſſe *communis ſenſûs*, quàm furor uterinus, apoplexiæ, epilepſiæ, & ſyncopæ abs utero ortæ, *ſenſorium commune* mulierum iſtac in parte collocari arguunt.

‖ *De Paſſion. Part. 1. Art. 33.*

6. Et ſi magnam ſympathiam *orificium* inter *ventriculi* & *Cor* conſideremus, quorum pathemata adeò ſimilia & connexa ſunt, ut nomen idem veteres utrique partì impoſuerint, utramque communiter καρδίαν, & ventriculi dolores καρδιαλγίας & καρδιωγμοὺς appellantes; ſi porrò meminerimus *Cor* partem illam eſſe unde vitæ ſupplementa ſuppeditentur, cujus ideo pulſu ceſſante vita haud diu ſuperſtes ſit futura, propter caloris ſpirituúmque inopiam; liquidam hinc rationem habebimus, quî fiat, ut vulnus ori ventriculi inflictum celeriùs hominem perimat, quàm quod capiti infligitur, utroque lethifero poſito, etiamſi *ſedes animæ ſentientis præcipua* in dicto orificio non ſit. Partim enim naturalis ſympathia inter *os ventriculi* & *Cor*, partim horror & dolor abs anima in communi ſenſorio, quod in capite eſſe ſupponemus, perceptus, cor adeò labefactat, ut, quemadmodum in improviſis paſſionibus ſuprà memoratis, ordinarias functiones vitæ exequi deſinat, proindéque de pulſu ſenſúque, & ſi quid aliud eſt, brevì conclamatum ſit. Capite autem lethaliter vulnerato, perceptio eo ipſo ità minuitur, ut cor paſſionis iſtius lethiferæ vim minùs ſentiat, & pulſum propterea, quanquam ſenſus periit, diutiùs continuare poſſit: quod plenum ac perfectum eſt reſponſum ad narrationes omnes ab *Helmontio* in *ſede Animæ*, recitatas.

7. Adde quòd ipſe in extremo Tractatu concedit, vim motricem, voluntatem, memoriam, & imaginationem, in cerebro eſſe; niſi ergo temerè ait negátque quidlibet, communem item ſenſum illìc eſſe dicere oportebit.

8. *Hobbii* ‖ ſententia majorem fidem atque authoritatem habere videtur; quippe quæ olim à Philoſophis magni nominis, *Epicuro*, ‖ Ariſtotele, totáque Stoicorum Scholâ aſſerta fuerit: at ſi eam propiùs intueamur, nihilo alterâ veriorem inveniemus; præſertim ad mentem ejus, qui, præter materiam organizatam, nullam in homine ineſſe animam affirmat. Exponat enim ipſe, ſi poteſt, rationem ullam mechanicam, quâ cor digitum movere poterit. Verùm ex hac hypotheſi hanc ſententiam jam refutavi. Faciliùs equidem aſtruitur, animâ conceſſâ, *Cor* ſedem ejus eſſe præcipuam, *ſenſûſque communis* locum, ut *Ariſtoteles* & alii volunt, item fontem motûs ſpontanei. Veruntamen improbabile eſt, ut pars ea, quæ naturali motu contrahendi dilatandíque ſui perpetuò occupatur, ſedes ſit Principii ejus, cujus juſſu liberi ac ſpontanei fiunt progreſſus: quinetiam eadem compreſſa laxatáque alternis perceptiones miſerè diſturbaret. Neque in eodem loco apparerent objecta, ſaltem in eandem objecti partem viſus noſter non defigeretur, corde adducto & remiſſo, ut ſuprà innui: tum ingens ejus calor prohiberet nè placidis objectorum ſenſibilium motibus

‖ *Elem. Phil. Part 4. cap. 25. Art. 4.*

‖ *De Juvent. & Senect. cap. 3.*

bus afficeretur; quippe quòd in eo ſanguis eſt ferventiſſimus. Et ad hunc ſenſum intelligendus eſt aphoriſmus *Ariſtotelis*, τὸ μέσον κριτικὸν, quod impreſſiones externas multas & varias recipere debet, immodicè affectum aut agitatum ipſum eſſe non debet.

9. Quapropter temerarium eſt Cor ſedem *communis ſenſûs* affirmare, niſi maniſeſto experimento aliquo ità rem eſſe convinceretur; at reverà haud pauca contrà memorantur. Ut in *nervo ligato*, ſenſus atque motus manebit inter *ligaturam* & *cerebrum*, non autem inter *Cor* & *ligaturam*. *Crocodilus*, corde exſecto, aliquamdiu tamen vivet, atque adeò pugnabit, ſéque defendet. Idem obſervatur de teſtudine marina, & de rupicapra, ut *Calcidius* refert. His addi poteſt quod *Galenus* memorat de beſtiis mactatis, nimirum illas, cordibus exemptis aræque impoſitis, non ſpirâſſe tantùm claréque boâſſe viſas, ſed etiam aufugiſſe, donec præ exhauſto ſanguine ceciderint. Quæ mihi narrationes eò magìs credibiles ſunt, quòd ipſe his oculis vidi *ranam* penitus exenteratam, corde, ventriculo, ac inteſtinis evulſis, abs amico quodam meo ingenioſo ſimul & peritiſſimo Anatomico, quæ nihilominus cernebat, & abs objectis rebus avertebat ſe, ſaltabátque huc illuc, ídque diu, non minùs agilis ac alacris, quàm cùm erat integra. Leve autem vulnuſculum capiti inflictum vitam omnem & motum è veſtigio ſuſtulit. Ex quo manifeſtum eſt, ſenſum motúmque ſpontaneum non è corde derivari. Nam ſi motus inter *cerebrum* & *Cor* intercipiatur, ipſo ‖ *Hobbio* fatente, nulla erit objecti perceptio. Atque eadem planè eſt ratio de *ore ventriculi*; hoc unum igitur experimentum evincit clarè ſententiam utramque erroneam eſſe.

De Placit. Hippocr. & Plat. lib. 2.

‖ *Element. Philoſ. Part.* 4. *cap.* 25. *Art.* 4.

10. Et nè quis poſthac aliam partem quamlibet in trunco corporis inauſpicatò eligat, nos jam rationes eas proponemus, quæ, ſpero, manifeſtò probaturæ ſint, *commune ſenſorium* in capite eſſe oportere; vel potiùs repetemus: quædam enim ex iis, quibus *Cor* non eſſe *ſedem communis ſenſûs* probavimus, clarè convincent Caput eſſe. Ut illud è *Laurentio*, nervo ligato, ſenſum & motum ſupra ligaturam caput versùs manere ſalvum, infra eam autem perire. Experimentum etiam ranæ, cujus cerebrum ſi ſtylo penetres, ea omni ſtatim ſenſu motúque deſtituitur, quanquam inteſtinis exſectis, ultrò citróque ſaltitabit, ſenſúſque ut antè exercebit. Quod aperto indicio eſt motum ſenſúmque à capite eſſe derivatos; & nullo jam prætextu motus ullus ad ulteriorem fontem perſequendus eſt, cùm cordi (unde nervos ortos *Ariſtoteles* exiſtimavit, unde verò venæ & arteriæ procul omni dubio, quemadmodum ex Anatomia apparet, oriuntur) munus illud meritiſſimò abrogetur.

Hiſtor. Anatom. lib. 4. *quæſt.* 7.

Quibus dein addi poſſint morbi, qui functiones animales ſimul omnes invadunt, quales ſunt Lethargia, Apoplexia, Epilepſia, & ejuſmodi, quorum cauſas Medici deprehendunt in capite, eíque propterea applicant remedia. Quod apertum facit, *ſedem Animæ*, quod ad animales facultates attinet, eſſe præcipuè in capite. Idem dicendum eſt de phrenitide, & melancholia, cæteriſque hujus generis ſymptomatibus, quæ imaginationem & judicium depravant; in his ſemper aliquid malè affectum intra cranium decernunt medici.

Denique ſi nihil aliud eſſet præter hoc, quòd ſenſus externi commodè & opportunè præſtò ſunt & circumſtant animam, in capite collocati, hoc unum, ni grave aliquod argumentum ſuadeat contrarium, ſufficeret ad cuivis homini non præoccupato perſuadendum, ſenſûs communis, intelligentiæ, imperandíque motûs ſedem, ibi quoque collocari.

11. Jam autem præcipua difficultas erit, qua in parte capitis collocanda ſit, definire. Ubi certè, niſi nimiùm temerè ac negligenter rem aggrediamur, habenda eſt ratio congruitatis mechanicæ; nec ſumendum quidlibet, quod, per hanc hypotheſin, *Eſſe animam in homine*, poſſibile videatur; verùm id præ aliis eligi debet, quod maximè concinnum ſit ac aptum.

12. Cerebrum univerſum non eſſe communis ſenſûs ſedem, è vulneribus & plagis ei, ſalvâ illâ facultate, inflictis, eſt perſpicuum; ſenſum enim & motum non tollent, *Galeno* Authore, niſi altiùs penetrent aduſque cerebri ventriculos.

13. Neque in exigua ſolidáque particula *Regii* ſedes illa quærenda eſt. Nè dicam enim non eſſe veroſimile, ut perceptionis centrum adeò minutum ſit, nimiùm præterea abſurdum eſt id ponere in corpore omnino ſolido, marmore ferróque ipſo duriore. Verùm cùm hoc novum, atque antè inauditum planè commentum luſúſque ſit petulantiſſimi ingenii hominis, turbellas & confuſionem ſpeculationibus *Carteſii* Metaphyſicis inferre ambitioſulè aventis (quamobrem lepidum hoc figmentum excogitavit, quo oſtenderet, etiamſi anima nihil aliud eſſet niſi materia, incorruptibilem tamen & immortalem eſſe potuiſſe) idcirco operæ pretium non erat nominare illud in

hac hypotheſi, quam demonſtravimus veriſſimam, viz. Eſſe animam in corpore naturâ ſuâ immaterialem ſive incorpoream.

14. Et nihilo quidem magìs *commune ſenſorium* ſunt membranæ capitis; neve quæ cerebrum ambiunt, (nam lucem videre poterant per foramen à terebello ſive trepano factum, etſi is, cujus caput terebratur, conniveret; nè quid dicam de nervorum ductu, organorum externi ſenſûs, qui ultra membranas exteriores penetrant, proindéque locum aliquem interiorem indigitant, qui impreſſiones ſuas omnes recipere debeat) neve membrana quævis interna, non *Septum lucidum*, quæ omnium aptiſſima videtur, utpote in medio ſuperioris ventriculi conſtituta. Nam ſi motuum omnium per externos ſenſus collineatio accuratiùs exploretur, alii infrà, alii in parallela diſtanti, dirigi invenientur; ità ut membrana iſta non cunctis noſtrorum ſenſuum objectis percuſſa erit. Adde quòd ineptum ac ridiculum videtur, ut perceptionis centrum ità vel in laminas procuderetur, vel in cavo-convexa panderetur, id quod fieri debet, ſi aut externas aut internas cerebri membranas communis ſenſûs ſedem faciamus.

15. Locus omnium commodiſſimus videtur aliquis eorum, quos tres ultimæ ſententiæ deſignant, viz. vel *Conarion*, vel *concurſus nervorum in quarto ventriculo*, vel *Spiritus animales in eodem*.

16. Prima eſt *Carteſii* ſententia, nec temerè repudianda; ego ſanè nondum ulla viderim argumenta, quæ eam labefactare valent. Quæ è *Bartholino* recitata, à doctiſſimo ‖ Authore *Adenographiæ* probantur, meo quidem judicio eam non convellunt. Ea primùm recenſebimus, tum poſtea excutiemus. ‖ *Wharton. Adenograph. cap.* 23.

Primum ſic eſt, Glandulam hanc exilius corpus eſſe, quàm ut Species rerum omnium repræſentet, quæ Animæ exhibeantur.

Secundum, Externos nervos non ad *Glandulam* pertingere, Species propterea Objectorum ſenſilium illam recipere non poſſe.

Tertium, Poſitam eſſe in excrementorum loco; unde rerum ſpecies inquinarentur.

Quartum, Species rerum ibi ſentiri, quò à Nervis deferantur. Nervi autem concurrunt ad principium ſeu caput *Medullæ ſpinalis*, locum nobiliorem multo atque ampliorem *Glandulâ pineali*.

Reſpondeo ad primum, amplitudinem loci ejus in Medulla ſpinali, ubi nervi concurrunt, non ſatìs amplam eſſe ipſam, diſtinctis impreſſionibus objectorum omnium capiendis, quorum mens memoriam ſervat. (Nè dicam quòd reliquæ partes cerebri tam poſſunt ei rei inſervire, quàm ulla poteſt.) Ipſa anima ſola ſit oportet, quæ adeò diſtinctas atque perfectas rerum repræſentationes retinere debet, etiamſi concederetur, eam obiter uti notis quibuſdam occultis, quas cerebro impreſſiſſet; quæ tamen fortè nequaquam referunt, nec ullatenus ad modum & magnitudinem accedunt earum rerum, quas memoriâ cuſtoditas vellet; non magìs quàm vocabula *Arx* & *Atomus* rebus per illa ſignificatis, vel ſimilitudine vel magnitudine, reſpondent.

Ad ſecundum, quanquam nulla ſit nervorum continuatio aduſque *Conarion*, eſt tamen *Spirituum*; qui impreſſiones motûs ab externo objecto ad Conarion perinde tranſmittere valent, ac aër & æther impreſſionem ſyderum ad oculum.

Ad tertium, *Glandula* ſatìs commodè collocatur, quoad ſanum ſit corpus; nam tum nulli humores excrementitii eam inundabunt aut oblinent. Cùm faciunt autem, Apoplexiæ, Catalepſiæ, & ejuſmodi generantur morbi, quos incidere videmus, ubicunque ſit *ſedes communis ſenſûs*.

Ad ultimum reſpondeo, nervos altiùs ingreſſos in cerebrum carere tunicis, adeóque molles & ſpongioſos eſſe, ut per eos Spiritus eant facilè redeántque, proindéque per latera eorum radiantes motum ſuum aduſque *Conarion* continuare poſſint, quócunque extremitates eorum ſpectare videantur.

17. Quanquam autem hæc argumenta non ſatìs refellant *Carteſii* ſententiam, ego tamen ei non adeò addictus ſum, quin putem aliud quid reperiri poſſe, quod minùs reprehendi queat; præſertim, cùm valdè ſuſpicandum ſit, non omnia animalia hoc *Conarion* habere; tum dein quod *Carteſio* in hoc ſuo invento adeò placuit, erat, quòd id lepidiſſimum inſtrumentum ad ſpiritus animales in certos poros cerebri pellendos fore exiſtimabat; cui rei ego, propter rationes ſuprà allatas, nequaquam aſſentiri queo. Præterea, lapilli nonnunquam in hac Glandula inventi ſunt, & manifeſtum eſt eam venarum atque arteriarum reti circundari; quæ res planè indicant partem eſſe viliori muneri deſtinatam. Inauditam tamen damnare haud æquum fuerat.

18. Quapropter ſententia Authoris modò laudati, qui ſedem *communis Senſûs* in ea parte *medullæ ſpinalis* ponit, ubi nervi convenire exiſtimantur, utì ſimplicior eſt *Adenograph. cap.* 23.

ac facilior, ità minùs refutari poterit, ſi quidem centrum perceptionis animæ (quo non modò cuncta ſenſuum externorum objecta apprehendit, verùm etiam imaginatur, ratiocinatur, & ſpiritus in quam partem cunque vult corporis liberè imperat ac determinat) in tam lenta támque inerti materia medulloſa commodè collocari poſſet; quam rem ſanè ad meum guſtum non eſſe, non poſſum non profiteri: hanc ideo ſententiam miſſam etiam faciens, non verebor pronunciare, ſedem animæ præcipuam, ubi omnia objecta percipit, imaginatur, ratiocinatur, excogitat, & unde cunctas partes corporis imperio moderatur, eſſe puriſſimos illos *Spiritus animales in quarto cerebri ventriculo.*

CAP. VIII.

1. *Sententiæ Authoris ratio prima, Situs aptus horum Spirituum.* 2. *Ratio ſecunda, quòd Spiritus immediatum ſunt inſtrumentum animæ in operationibus ejus omnibus.* 3. *Rationis ſecundæ probatio ab authoritate Philoſophorum communi, &* Hippocratis *ſpeciatim*; 4. *A conſenſione noſtra cum mutationibus aeris*; 5. *A celeritate motûs & cogitationis*; 6. *Ex eo quod in univerſum obſervatur in generatione rerum*; 7. *Ex* Regii *experimento de limace in phiala vitrea*; 8. *A circumgyratione imaginum in* vertigine; 9. *A natura Oculi, & motu Spirituum in eo*; 10. *A dependentia operationum animæ à corpore, cùm in contemplando, tum in motu corporeo*; 11. *A recuperatione motûs & ſenſûs in membro ſtupefacto*; 12. *Poſtremò, ex iis quæ in animi deliquiis obſervantur, pallore faciei, acri vultu,* &c. 13. *Ex his omnibus efficitur, Spiritus in ventriculo quarto ſedem eſſe Senſûs communis, & præcipuum uſum Cerebri & Nervorum eſſe ad Spiritus conſervandos.*

1. Cur ego hanc præcipuè ſententiam ſequar, cauſæ hæ ſunt; Primò, ſitus hic *ſenſorii communis*, inter caput truncúmque corporis medius, aptiſſimus omnium eſt ad impreſſiones objectorum ab utroque recipiendas, item ad motum muſculis tum capitis tum reliqui corporis impertiendum. Qua in re, ſententiam ultimò memoratam æquare, cæteras verò longè ſuperare, mihi videtur. Nam in hanc nihil poteſt objici, ad quod non antè reſponſum fuit, in objectione ultima, in *Carteſium* facta, diluenda.

2. Secundò, (& in hac re nunc dicenda, hæc mea ſanè ſententia inſigniter excellit quas ego cunque novi univerſas) maximè conſentaneum eſt, ut quæ *materia proximum inſtrumentum* eſt animalium omnium animæ functionum, ea etiam *præcipua ſedes* ſit, unde, & ubi, functiones illas exerceat; & ſi quis locus eſt ubi id genus materiæ copioſius, ut in illo *anima* præcipuè reſideat. Proximum autem functionum animæ inſtrumentum eſt *tenuior illa materia*, quæ vulgò dicitur *Spiritus animales*, qui tum puriſſimi tum copioſiſſimi inveniuntur in *quarto Cerebri ventriculo*. Unde ſequitur, pretioſiſſimam lectiſſimámque animæ partem, quod *perceptionis centrum* appellavimus, illo in ventriculo collocandam eſſe; non dico in medulla, loco iſti contigua, ſed in iis ipſis ſpiritibus mediis. Hic ſitus enim commodiſſimus eſt, cùm ad eos in partes capitis atque trunci imperandos, tum domi & apud ſe, in omni genere cogitationum atque inventionum perſequendo, ſubtiliùs uſurpandos.

3. *Tenuem* hanc *ſpirituoſámque* materiam proximum organum eſſe animæ in cunctis ejus operationibus, communis ferè omnium eſt Philoſophorum ſententia. Etiam illi, qui *commune ſenſorium* in Corde poſuerunt, hanc ſuam opinionem idcirco pro explorata habuêre, quòd minimè dubitabant, quin ſiniſter ventriculus ejus fons eſſet puriſſimorum ſpirituum; & multùm ſibi in hoc placent, quòd Oraculum Medicorum, graviſſimum ſapientiſſimúmque *Hippocratem*, ſententiam ſuam plenè & luculenter his verbis confirmâſſe putant. Γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ· τρέφεται δ' οὔτε σιτίοισιν οὔτε ποτοῖσιν ἀπὸ τῆς νηδύος, ἀλλὰ καθαρῇ καὶ φωτοειδεῖ περιουσίᾳ γεγονυίῃ ἐκ τῆς διακρίσεως τοῦ αἵματος. i. e. *Mens hominis in ſiniſtro verſatur Cordis ventriculo, non nutritur autem vel eſculentis vel potulentis quæ à ventre ſunt, ſed purâ lucidáque ſubſtantiâ, quæ è ſeparatione ſanguinis nata eſt:* id quod in cerebro accidit planiſſimè. Nam qui ſpiritus ibi ſunt, nihil aliud niſi puriores & ſubtiliores ſunt partes ſanguinis, quarum tenuitas ac agitatio facit, ut à reliqua maſſa ejus ſe ſeparent, atque ità cerebri ventriculos repleant.

Hippocr. in libro de Corde.

4. Quòd præterea, cum affectionibus cœli, ipſi quoque ità manifeſtò afficimur, teſte *Hippocrate*, ut aëre puro, cogitationes noſtræ ſimul puræ, nubilo, nubilæ ſint, haud levi indicio eſt, quod ſenſum, cogitationes, & affectus, ad animam immediatè perfert, tenuiſſimum ac puriſſimum eſſe, & aëri, quicum tam facilè mutatur, congener.

5. Inſignis etiam motuum & cogitationum agilitas, quam in nobiſmet ipſi experimur, homines tardiſſimo ingenio, támque ſupra modum pingues ut animam *corpoream* cenſuerint, coegit tamen iſtos materiam eligere, unde illa conflaretur, ſolutiſſimam, ſubtiliſſimam, & actuoſiſſimam, quam poterant ipſi animo excogitare. *Lucretius* ergo, *Epicureorum* confidentiſſimus, rem acu tetigiſſe ſibi videtur, ubi ait, *De Nat. Rerum. lib. 3.*

Nunc igitur quoniam eſt animi natura reperta
Mobilis egregiè, perquam conſtare neceſſe eſt
Corporibus parvis & lævibus atque rotundis:

Cujus ego teſtimonium hac in cauſa eò melius duco, quò craſſiùs Philoſophari ſolet; hinc enim dilucidè conſtat quàm neceſſe ſit, ut illæ particulæ, quæ corpus humanum pervadere debent, ſint tenuiſſimæ, cùm nè iſtos quidem hoc fugerit, quorum oculi caligant maximè.

6. Verùm altiùs aſcendemus ad argumenta validiora; in quibus hoc, puto, locum aliquem habere poſſit, Nullam nos nullius *animæ* operationem immediatam uſquam deprehendere, quam non ea primùm in materiam exerit majorem in modum puritatis partiúmque tenuitatis participem, quæ ſequax ſit & ductilis; quod in omnibus omnino generationibus obſervari poteſt; * ubi corpus ſemper è tenui fluidóque liquore organizatur, qui *Plaſticæ* virtuti animæ cedit facillimè. Nec dubito quin ea imprimis moveat, quippe ad movendum opportuniſſimas, partes ſubtiliſſimas, quales ſunt illæ primi ſecundíque elementi *Carteſiani*, quæ ex iſtiuſmodi ſubſtantia humida ac tenui nunquam excluduntur: quæ ejus elementa, ſunt illa verè cœleſtis ſeu ætheria materia, quæ ubique eſt, ut *Ficinus* alicubi affirmat de cœlo, & ignis ille, quem *Triſmegiſtus* ait intimum eſſe mentis vehiculum, ac inſtrumentum quo Deus uſus eſt in mundo fabricando, * quóque Animam mundi, ubicunque quid agat, etiamnum uti certiſſimum eſt. *Pœmand. cap. 10. ſive Clavis.*

7. Et ut adhuc gradum ultrà promoveamus, Ocularis iſta demonſtratio, quam affert *Henricus Regius*, mihi quidem ingenioſa ſimul & ſolida videtur: illam dico de limace phialâ vitreâ incluſa; quamprimùm ea prorepere incipit, bullas quaſdam videre licet à cauda ad caput propulſas; ſimul atque verò quieſcat limax, bullæ è veſtigio conquieſcunt & abeunt. Hinc ille colligit, quendam quaſi ventulum ſpirituum, à capite per tergum ad caudam, atque indè per ventrem ad caput circulantium, cauſam eſſe progreſſionis limacis. *Philoſ. Natur. lib. 4. cap. 16.*

8. Liquidos hos Spiritus proxima eſſe ſenſûs inſtrumenta, conſtat etiam à vertigine. Etenim cerebrum ipſum non ità fluida eſt ſubſtantia, ut in orbem circumageretur, facerétque ut externa objecta ſimiliter circumacta videantur. Hoc itaque indicio eſt, Spiritus in Cerebro immediata eſſe inſtrumenta corporea imaginum rerum perferendarum.

9. Eoſdem hos Spiritus præcipuum eſſe *viſionis* inſtrumentum, exteriores oculi partes planum faciunt: nam facilè cerni poteſt, quàm plenæ ſint καθαρᾶς iſtius ϗ φωτοειδοῦς οὐσίας, de qua loquitur *Hippocrates*, quanquam eam, ubi non oportuit, collocaverit; útque Spiritus, pro animi affectibus, fluant refluántque in oculo, alitérque mirum quàm ſignificanter modificentur; adeò ut per eos anima quaſi loquì videatur, tacitam illam angelorum loquelam, quam ſignis duntaxat fieri opinantur nonnulli, || ego verò nequaquam aſſentior. Præterea manifeſtum eſt, oculorum caliginem ab inopia ſpirituum provenire, partibus oculi aliàs rectè & integrè ſe habentibus. Diductior etiam apertio pupillæ oculi unius, ex altero clauſo facta, clarè indicat majorem fluxum & copiam ſpirituum, ut *Galenus* ingenioſè quidem colligit. || *Vide Antidot. li. 3. cap. 3. ſect. 8.*

10. Adde quòd in præſtantioribus mentis operationibus, cùm varia theoremata meditatur & excogitat, vel ea tunc aliquâ parte corporis utitur ut inſtrumento, vel liberè agit & à corpore independenter. Poſterius falſum eſſe hinc patet, quòd tum cœli mutatio, aut adverſa valetudo, ei non obeſſet in operationibus ipſius inventivis puréque intellectualibus; obeſſe verò conſtat, utì etiam mentem noſtram aliàs plùs aliàs minùs eſſe nubilam, & aliter alia in regione affectam, unde proverbiale dictum illud,

Bœotûm craſſo jurares aere natum.

Si quâ autem parte corporis utitur, vel ſpiritus animales, vel cerebrum ſit oportet. Cerebrum non eſſe, ipſa conſiſtentia ejus viſcoſa & iners evidentiſſimè demonſtrat.

Quod magìs adhuc valebit, ſi porrò cogitemus, quod equidem eſt veriſſimum, animam, vel omnino nullam, vel quàm minimam habere vim movendi materiam; * peculiarem verò virtutem ejus in materiam aliunde motam determinando eſſe poſitam; quæ, quò ſubtilior eſt magìſque agitata, eò faciliùs propter mobilitatem ejus abs anima determinatur. Etenim ſi immediata eſſet animæ facultas motum materiæ cuilibet impertiendi, quæque propterea non magìs deficere vel diminui poſſet, quàm poteſt anima ipſa, non video quî nos unquam movendo defatigaremur. Quin & agiles illæ *Mænades* ſeu ſacerdotes *Bacchi*, aliæque loci virgines, quas *Dionyſius* inducit per florea *Mæandri Cayſtrique* prata choreas agitantes, ad hodiernum uſque diem, ſi vita & membra ſuppeterent, lætæ & laſcivæ ut hinnuli (* ſic enim agilitatem earum deſcribit) illîc tripudiâſſe potuerint, ídque ſine ulla omnino laſſitudine. Illa enim animæ immediata facultas motrix motum de integro ſemper corpori univerſo impertire valeret, &, calefaciendo atque agitando, id citiùs in aërem aut cineres redigeret, quàm aut ipſa ſe laſſam, aut ut corpus videatur laſſum, efficeret.

Liquidò ergo conſtat, quicquid motûs vel caloris anima in corpus ſponte ſuâ conferat, eam id omne ſpirituum operâ conferre, quos illa, ut inter ſe huc illuc leviter motitantur, in exteriora membra abs ſe amandat, & ſic eadem agitat movétque: quoniam autem ſubtiles ſunt & diſſipabiles, eos anima, dum utitur, abſumit; multùm verò abſumptis, ægrè anima corpus diutiùs movere valet, cujus rei ſenſum laſſitudinem vocamus. Hæc ſunt τὰ ὁρμῶντα vel ὀνορμῶντα illa *Hippocratis*, animæque *Epidem. lib. 6.* proxima motûs machina per omnes partes corporis.

11. Quod itidem ſunt ſenſûs, in remotioribus corporis partibus, pariter ac in capite, ut pulchrè innuit *Spigelius* ex notiſſimo illo exemplo cruris compreſſione ſtupefacti, *De Hum Corp. fabric lib. 7. cap. 1.* vel alio quovis impedimento, per quod Spiritus in partem eam propagari nequeant. Nam ut ſenſus & motus reſtituitur, ſentias aliquid in crus irrepere, quod formicarum more, ut is ait, mordet & urit; quod aliud eſſe non poteſt, niſi Spiritus vi ſibi viam in partem iſtam facientes. Et quod ipſi patiuntur, id anima ſentit, cui proximum ſunt vitæ ſenſûſque vehiculum.

12. Denique in deliquiis animi, motu ac ſenſu deficientibus, partes extimæ pallent & concidunt, facies macrior & acrior viſu; cujus mutationis hæc unica cauſa, quòd benignior aura vitalis aëris, qui partes antea inflaverat, abs iis corripuit ſe & planè abiit; i. e. fluidi ſpiritus, ſine quibus nullus ſenſus, nullus motus, exiſtere poteſt, ſe receperunt: ex quo perſpicuum eſt, illos immediatum inſtrumentum eſſe utriuſque.

13. *Spiritus animales* immediatum eſſe animæ organum in ſenſu motúque, demonſtravi. Si quis ergo locus, ubi hi ſpiritus & copioſiſſimi & puriſſimi ſunt, tum ſitu opportuniſſimo ad functiones animales peragendas, is profectò ſumma ſedes atque *Acropolis* animæ ſtatui debet. Jam verò ſpiritus in *medio* cerebri ventriculo, neque tam ſunt indifferenter ad utrumque tum caput tum truncum collocati, neque tam puri, quàm qui verſantur in *quarto*. Superioribus ventriculis binis id muneris malè convenit, quod adeò unum eſt & ſingulare. Præterea infra illos cadent impreſſiones motûs ſenſiferæ quæ per oculos mittuntur; nè dicam Spiritus hîc etiam minùs eſſe defœcatos quàm in ventriculo quarto.

Quapropter cùm ſit & copia ſufficiens, & puritas maxima, & commodiſſimus ſitus, ſpirituum in hoc *quarto ventriculo*, ſequitur, in iis *perceptionis centrum* collocari, eóſque eſſe *commune* animæ *ſenſorium*: & ut Cor perpetuò è ſe ſanguinem ejiciens univerſo corpori nutrimentum ſuppeditat, quò ædificii hujus molem, in commodam habitationem animæ, ſartam tectam tueatur, quò item, de ſubtiliſſimis agillimíſque partibus ejus, cerebrum ac nervos ſpiritibus repleat, (proximo inſtrumento animæ ad ſenſum motúmque;) ſic etiam manifeſtum eſt, præcipuum *cerebri & nervorum* uſum in prohibendis ſubtilibus ſpiritibus illis, nè ocyùs quàm par ſit diſſipentur, conſiſtere; & cerebrum, cum ſuis cavitatibus, non niſi unum ingentem eſſe nervum rotundum, quemadmodum & nervos, cum poris ſuis inconſpicuis, nihil aliud ac tot minores productiones aut exiliores prolongationes cerebri; & ſic cuncta ſimul nihil eſſe præterquam unum continuum receptaculum aut integumentum immediati inſtrumenti motuum ſenſiferorum, *animalium nempe ſpirituum*, ubi condi etiam occultum vitæ vehiculum animæ in hoc mortali corpore.

SCHOLIA

In Cap. VIII. Sect. *6.*

UBI corpus ſemper è tenui fluidóque liquore organizatur, &c. *Quem ſimilarem & homogeneum eſſe rectè judicat* Harvæus *de* Generatione Animalium, *Exercit.* 71. Primum corporis rudimentum eſt ſimilare duntaxat & molle gluten Spermatico concremento non abſimile, ex quo (procedente Generationis lege) mutato, ſimúlque ſecto, & in plura diviſo, ceu *Effato Divino,* ut diximus (fiat hîc os, illîc muſculus aut nervus, hîc viſcera, illîc excrementorum receptacula, &c.) ex inorganico fit organicum, ex ſimilari diſſimilare, ex uno ejuſdémque naturæ, plura eáque diverſa & contraria, &c. *Vid. Scholia* Antidoti adversùs Atheiſmum, *Lib.* 2. *Cap.* 9. *Sect.* 11. *Cæterùm quòd omnis Generatio ex tenui ſit colliquamento, paſſim in dicta Diſſertatione atteſtatur Naturæ conſultiſſimus,* Guilielmus Harvæus, *calculúmque adjicit ipſe* Ariſtoteles, *qui Conceptum definit,* Humorem in Membrana tenui contentum, in Viviparis ſcilicet, perinde acſi Ovi teſtam detraxeris. *Unde rectè enunciat* Harvæus, *Ovum eſſe conceptum foris expoſitum, unde Pullus procreatur ; Conceptum, ovum intus manens, donec fœtus debitam in eo perfectionem acquiſiverit. De pelluciditate verò, ac liquiditate Materiæ quam in Ovo* Harvæus *Colliquamentum* Oculúmve Ovi *appellat, eadem utrobique eſt ratio. Nam in uteris Damarum iſtam materiam colliquatam, tranſparentem & cryſtallinam tenui tunicâ & orbiculari contentam ſe obſervâſſe ait. Vide Exercit.* 62 *&* 68.

Quóque Animam Mundi ubicunque quid agat etiamnum uti, &c. *Per Animam Mundi intellige* Spiritum Naturæ, *non talem Animam Mundi qualem utplurimum fingunt* Platonici.

Sect. 10. Peculiarem verò virtutem ejus in Materiam aliunde motam determinando, &c. *Motus quem habet univerſa Mundi materia vitalis eſt à* Spiritu Naturæ *profectus & ab eo gubernatus, niſi quantum particularibus animabus permittitur, quæ hunc materiæ motum in ſuos ſcopos dirigere poſſint, ſed non quantum volunt, in ea excitare, quemadmodum patet ab exemplo in hac Sectione allato.*

Sic enim agilitatem earum deſcribit, &c. *Deſcriptio apud* Dionyſium, *harum fœminarum ſaltantium prope* Mæandrum *&* Cayſtrum *in* Aſia minori, *ſic eſt.*

Οὐ μὰν οὐδὲ γυναῖκας ὀνόσσεαι αἳ περὶ κεῖνο
Θεῖον ἔδος, χρυσοῖο κατ' ἰξύος ἅμμα βαλοῦσαι
Ὀρχεῦνται, θηητὸν ἑλισσόμεναι περὶ κύκλον,
Εὖτε Διωνύσοιο χορεστασίας τελέοιεν,
Σὺν καὶ παρθενικαί, νεοθηλέες οἷά τε νεβροὶ
Σκαίρουσιν· τῇσιν δὲ περὶ σμαραγεῦντες ἀῆται
Ἱμερτοὺς δονέουσιν ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνας.

Hoc eſt,

Nè mulieres quidem vituperabis quæ in illo
Divino ſolo, aureo per lumbos ilia vinculo cinctæ
Tripudiant, mirificum ſe flectentes circum Orbem,
Quando *Bacchi* choreas celebrant,
Simul quoque virgines, recèns ablactati velut Hinnuli
Saltant, quibus circumſtrepentes venti
Elegantes agitant in pectoribus veſtes.

CAP. IX.

1. *Objectiones aliquot contra Spiritus animales.* 2. *Reſponſio ad objectionem primam de poroſitate nervorum.* 3. *Ad ſecundam & tertiam, ab extravaſatione Spirituum & ab excrementis pituitoſis in cerebro repertis.* 4. *Ad quartam, ab incredibili celeritate motûs ſpirituum petitam.* 5. *Ad ultimam, à ligatione.* 6. *Irrefragabiliter demonſtratur eſſe* Spiritus animales *in ventriculis cerebri.*

V. Cap. 6 ſect. 9.

1. AD reliquas duas Inquiſitiones ſuprà propoſitas antequam aggrediamur, ſubſiſtendum eſt pauliſper, auréſque accommodandæ objectionibus nonnullis Authorum quorundam nuperorum, quos, contra omnium omnino Philoſophorum, Medicorum, Anatomicorum conſenſum, affirmare non pudet, nullos eſſe Spiritus in corpore, ſaltem nullos in *cerebri ventriculis*. Nam nervi, inquiunt, *poros* aut cavitates *non habent*, quibus eos recipiant; præterea, quicquid fluidi in nervis inſit, *ſuccus lacteus* eſt duntaxat, utì conſtat ex nervo puncto. Quod ad cerebri ventriculos attinet, nimis amplæ ſunt cavitates iſtæ; in quas ſi Spiritus exeant, quaſi *ſanguis extravaſatus* erunt, unde corrumpantur neceſſe eſt. Per eaſdem quoque vias *evaporabunt*, per quas mucoſa & pituitoſa excrementa de cerebro exeunt. Quæ quòd illic reperiuntur, magno eſt, inquiunt, argumento, ventriculos illos in *receptacula* & canales tantùm fuiſſe factos *humorum* iſtiuſmodi *excrementitiorum*, quibus ſe cerebrum exonerat. Poſtremò, ſi motus ſpontaneus ſpirituum operâ fieret, tam ſupra modum *ſubitus*, ut eſt, eſſe nequiit; nam dicto citiùs digitum vibrare poſſumus, motus autem corporeus tam velox eſſe non poteſt. Et ſi Spiritus à capite ad digitum v. c. continuentur, *ligato* nervo, ſenſus eſſet à ligatura ad extremum digitum, quod experientiæ repugnare aiunt. Hæ præcipuæ ſunt objectiones quas in *Hoſmanno* ac aliis lego; quas verò facillimè dilui poſſe puto: quinimo quodammodo inter ſe pugnant, ſéque mutuò tollunt.

2. Quî enim per nervos ſuccus derivari poteſt, ſi poros non habeant, nec vel tenuiſſimis his ſpiritibus, de quibus loquimur, pervii ſint? Aut unde rectiùs ſuccus iſte naſci putetur, quàm ex ipſis his ſpiritibus agitationem ponentibus, & in craſſiorem habitum obtorpeſcentibus?

3. Neque Spiritus in *cerebri ventriculis* magìs extravaſati habendi ſunt, quàm ſanguis in *auriculis ventriculiſve cordis*. Nec metuendum eſt nè per infundibulum delabantur, cùm excrementa pituitoſa ipſa viam illàc non habeant, niſi quam ſibi ſuo pondere faciunt, ſicut etiam inſinuante humiditate, quâ partes illæ ſemper oblitæ, leviſſimis ſpiritibus fiunt imperviæ, quorum agilitas etiam, & cum externo aëre æquilibritas, facit nè unquam ſponte ſuâ cavitates eas ubi ſunt poſſint relinquere.

Ex pituitoſo excremento in ventriculis deprehenſo probare velle, eos in receptaculum duntaxat inutilis iſtius purgamenti fuiſſe factos, perinde ineptum eſt, ut ſi quis ex eo, quod in inteſtino recto reperitur, inferret, ventriculum cæteráque inteſtina omnia idcirco fuiſſe facta, ut eſſent cloaca excrementi ſtercorei. Spiritus in ventriculis cerebri circumvolitantes, in cavitatúmque ſuarum latera impingentes, agitationem ſuam paulatim ponent, imprimis partes craſſiores; quo ipſo neceſſariò fient impuriore conſiſtentiâ, & in udum ejuſmodi ſedimentum, quale in ventriculorum fundo cernitur, ſubſident; quod naturâ, per idoneas vias, amandante, Spiritus evadunt puriores. Propterea verò, quòd hæ fæces neceſſariæ in cavitatibus iſtis reperiuntur, eum unicum eſſe earum uſum concludere, tam eſt ridiculè factum, ac ſi quis, quia per os expuo & nares emungo, præcipuum hunc eſſe finem atque uſum duarum harum corporis partium, vel oculos meos, non ad cernendum, ſed ad lachrymandum factos, colligeret.

4. Celeritas motûs in Spiritibus ejuſdem ferè eſt naturæ & conditionis cum luce, quæ itidem corpus eſt. Non autem lucida materia Solis, ſupra horizontem emergentis, neſcio quot millia milliariûm, puncto temporis, antè tranſmittit, quàm noſtros attingat oculos; ſed motus à Sole ad oculum, per materiam ætheriam intermediam, tantùm non ſimul & ſemel propagatur. Vel finge, ſi vis, per tubum quantumvis longum mitti Spiritum; quo temporis puncto in unam extremitatem ejus ſpiretur, eodem in altera ſentietur motus, ídque tam deorſum quàm ſurſum, eodémque opere; quo frivolæ objectioni alii *Hoſmanni* occurratur, quaſi ſcilicet oppidò quàm ardua res eſſet, ut Spiritus in nervos deorſum mitterentur. Verùm enimvero

qui antiquam hanc ſimul & ſolidam opinionem oppugnant, mirè ſunt inepti atque oſcitantes.

5. Illud de *ligatura* nihil probat. Quamvìs enim nervus inter ligaturam & digitum Spiritibus ſatìs abundet, quia tamen perceptionis centrum illìc non eſt, & Spirituum à ligatura ad *commune ſenſorium* continuatorum, abs Spiritibus cis ligaturam, ſeparatio fit & interruptio; non magìs mirandum eſt nos nihil cis ligaturam ſentire, quàm nihil in vicini noſtri hortis videre, maceriâ interjectâ, etiamſi Sol hinc atque hinc clarè luceat.

6. Argumenta hominum iſtorum, in receptiſſimam hanc omnium ferè tum Medicorum tum Philoſophorum ſententiam, quàm ſint invalida, ſatìs jam videmus: non opus eſt ut ego viciſſim ulla proferam ad eam confirmandam, cùm quæ jam produxi ad probandum Spiritus eſſe proximum animæ inſtrumentum, ea pæne omnia æquè valeant ad evincendam eorundem in corpore exiſtentiam.

Attamen breve monitum de pulmonum uſu, tanquam mantiſſam, injicere non gravabor, quem Medici Anatomicíque præſtantiſſimi, in præparato aëre ad Cor tranſmittendo, imprimis conſiſtere cenſuêre; utì etiam de reti mirabili & plexu choroidi, quorum uſum ſitus ipſe indicat, nempe ad copioſiùs mittendum in ventriculos cerebri ſanguinis partes puriores atque agiliores.

Præterea, cerebri *diaſtole*, eundem cum pulſante corde rythmum obſervans, oſtendit maniſeſtò, quanto cum vapore *Spiritus*, per rectam brevémque viam arteriarum *Carotidum*, eò perferantur. Quæ enim cunque pars ſanguinis magìs ignea & ſubtilior eſt reliquis, ea certiſſimò attinget caput. Unde, cùm propter ſpongioſitatem laxitatémque cerebri, tum tenuitatem tunicarum arteriolarum, quæ ibi ſparſæ ſunt, neceſſitate planè mechanicâ ſequetur, ventriculos ejus illâ καθαρᾷ καὶ φωτοειδεῖ περιουσίᾳ ἐκ διακρίσεως τοῦ αἵματος, quam *Hippocrates* aptiſſimè quidem deſcribit, at non ità rectè collocat, repletum iri.

Cùm autem puriſſimi horum Spirituum in quartò ventriculo inſint, ut *Bartholinus* aliíque ſummo cum judicio ſtatuerunt, ex ſuprà dictis & probatis clarè ſequitur, in mediis his Spiritibus *quarti ventriculi* cerebri puriſſimis *commune ſenſorium* collocandum eſſe.

Inſtit. Anatom. lib. 3. cap. 4.

CAP. X.

1. *Animam non contludi in* Senſorio communi. 2. *Argumentum primum à* Plaſtica *animæ potentia.* 3. *Quod confirmatur à dignitate graduali facultatum animæ, quarum infima eſt* Plaſtica; 4. *Proximè ſuperior,* Senſus externus; 5. *Tum* Imaginatio, *&* Ratio *ſuprema.* 6. *Argumentum ſecundum à paſſionibus & ſympathiis animalium.* 7. *Illuſtratur ratio* Magiæ *naturalis.* 8. *Argumentum tertium à perceptione doloris in partibus corporis exterioribus.* 9. *Quartum & ultimum à natura viſionis.*

1. NObis jam tandem vacat quæſtiones duas reliquas in manus ſumere; quarum prior eſt, itáne anima ſit in quarto ventriculo, ut alibi eſſentialiter omnino nè ſit, an per cuncta ſe membra corporis diffundat. Eam *Regius* in Conarion contruderet, quod *commune ſenſorium* eſſe putat; in quartum proinde ventriculum concludi, nec eo latiùs explicare ſe deberet, ſi ea *ſedes* ſit *communis* ſenſûs. *Regianæ* opinionis ratio hæc eſt, quòd, quicquid in reliquo corpore fiat, potentiis merè *mechanicis* fieri poteſt, qua in re ſuperſtitioſè quidem *Carteſii*, magiſtri ſui, veſtigiis inſiſtit. Ego verò, qui in neutro eorum ſufficiens ullum fundamentum videam novitii dogmatis, quin potiùs rationes manifeſtas quæ contrarium ſuadeant, nequeo quin diſſentiam.

Philoſ. Natur. lib. 5. c. 2.

2. Et primam quidem peto de *Fabrica corporis*, cujus ut anima ipſa ſingulari modo opifex ſit, (neque enim in univerſum rejicio ſententiam *Plotini*) útque vis *Plaſtica* tum in illa tum in brutorum animantium anima reſideat, ut doctiſſimi graviſſimíque authores ſtatuêre, rationi magìs conſentaneum arbitror. *Corporis fabricam* ex atomorum concurſu eſſe natam, gratìs dicitur, ſine ullo aut fundamento aut ratione. Neque enim ſenſus id patefacit, quia prima initia vitæ ex liquida ſunt materia & homogenea; & ‖ rationi repugnat, ut atomorum ſeu particularum corporearum motus temerarius exquiſitiſſimas animalium fabricas produceret, in quibus acutiſſimum ingenium nihil quicquam inepti deprehendere poteſt, ſed è contrario omnia accuratiſſimè facta, ubicunque non ſordes & impuritas materiæ in culpa fuiſſet.

‖ *Vide Antidot. lib. 2. cap. 12. ſect. 2, 3, 4, &c.*

Deum autem hæc corpora immediatè non condere, ipſorum vitia & aberrationes demonſtrant. Nulla enim materia adeò perverſa & pervicax eſt, quam non Dei omnipotentia domare poſſet; quare nulli defectus eſſent, nullæ omnino monſtroſitates, in generatione animalium.

Neque adeò congruum videtur, ut facultas plaſtica *Animæ mundi* ſola & per ſe architectetur ſingulorum animantium domicilia, (non negaverim tamen quin illa * primas quaſi lineas ducat, futuræ efformationi prævias) ſed rectiùs dicendum eſt, omnis *Mundi particularis*, præcipuè qualis homo ſit, ſuam ipſius animam peculiarem opificem eſſe, opúſque maximè perficere, quemadmodum & *Univerſi*, animam ſuam. Etenim fabricatio vitalis non ſimilis conditionis eſt ac architectura artificialis, ubi externus homo in materiam agit; verùm propiorem magíſque particularem unionem ſignificat cum materia illa, quæ per eam intrinſecùs efformanda eſt atque organizanda. Ecquid autem magìs ſingularem arctiorémque unionem cum corpore noſtro habere debeat, quàm ipſa anima noſtra?

Ego itaque ſic cenſeo, Animam, quæ Spiritus eſt proindéque contractilis & dilatabilis, anguſtioribus initio finibus organizationem præparatæ materiæ auſpicari, & eundem operandi tenorem perpetuò ſervare, donec corpus in juſtam molem ſuam excreverit; animámque ſe unà dilatare cum dilatato corpore, adeóque id univerſum & ſingula ejus membra comprehendere & poſſidere.

Enthuſ. Triump.ſect. 3, 4, 5.

Philoſ. Natur. lib. 4. *cap.* 16.

3. Quàm congrua item ſit hujus rei veritas patebit manifeſtiùs, ſi facultatum animæ naturam conſideremus, (qua de re plura videre licet in *Enthuſiaſmo Triumphato*) quàm naturali gradatione exurgant, donec ad liberrimam omnium perventum ſit. Infima eſt vis *Plaſtica*, de qua jam diximus, virtute cujus *ſyſtole diaſtoléque* cordis perpetua continuatur, (ut ego potiùs crediderim, quàm motum hunc merè mechanicum eſſe) illa item reſpiratio, quæ voluntatis noſtræ injuſſu peragitur: nam libratio vel reciprocatio Spirituum in tenſilibus muſculis non ità, ut eſt, eſſet perpetua, ſed brevi tempore periret, niſi principium aliquod, omni merè mechanico μυστικώτερον, adferret opem; ut quiſque facilè intelliget, qui modò animadvertit quàm ſint ineptæ ac impares machinæ iſtæ, quas *Henricus Regius* pro cauſis iſtiuſmodi motionum corporis adæquatis propoſuit. Has *primas* eſſe animæ *facultates* autumo, quæ communi hâc nota ſignari & finiri poſſunt, nempe, *Actionem* earum, nè vel *perceptionem* noſtram omnino ſignificare, vel implicare.

4. Proxima his *Senſatio* objecti cujuſvis externi; v. c. auditus, viſus, tactus, &c. Qui omnes *perceptionem* includunt, eámque irreſiſtibiliter neceſſariam, ſi modò objectum coràm adſit, nec obex externus ullus interponatur.

5. *Imaginatio* liberior eſt, cujus repræſentationes nos ipſi, ſine cujuſvis externi ope, magna ex parte evitare poſſumus; ea tamen aliquantùm citra *voluntatem* & *rationem* ſubſiſtit, quibus phantaſmata non probata corrigimus atque adeò ſupprimimus. Itaque perſpicimus quomodo facultates animæ gradatim aſcendant; quo facilius adhuc & credibilius efficitur, tam omnium infimam, quàm ſummam & præſtantiſſimam, ei competere poſſe.

‖ *Vide Carteſ. de Paſſion. Part.* 1. *Art.* 36.

‖ *Paſſion. Part.* 1. *Art.* 13.

6. Ad hæc, *paſſiones* & *ſympathiæ* faciliùs, meo judicio, in hanc hypotheſin Animæ corpus univerſum pervadentis reſolvi poſſunt, quàm in aliam ullam, quæ præſentiam ejus eſſentialem in certam partem aliquam concludit. ‖ Credere enim, in objecto aliquo horrendo, putà, urſo aut tigride, motum abs eo per oculos animalis tranſmiſſum ad Conarion, ità indè reflexum iri, ut Spiritus in nervos illos determinet, qui cordis orificium anguſtabunt, pulſum minuent, cæteráque omnia metûs ſymptomata inducent; parum abeſt, ut mihi videtur, à *credulitate mechanica.* Nam motus illi, qui rerum ſpecies repræſentant, vertuntur huc illuc ſine ullo iſtiuſmodi impetu materiæ, qui præclara illa facta edere poſſet, quorum meminit *Carteſius* in libro de Paſſionibus. Et quod ille tanquam pignus offert veritatis rei, tam falſum eſt ipſùm, ut eò fidentiùs in animum inducam theorema eſſe falſiſſimum. ‖ Jactatio enim manûs ob oculos amici, non ſatìs probat objecta externa, neceſſariò & mechanicè, Spiritus in muſculos determinatura, nullâ animæ facultate ſe operámque ſuam interponente. Nam ſi quis animum obfirmet, vel potiùs ſi ab omni metu mali, à manu ante oculos jactatâ inferendi, eximere ſe poteſt, à claudendis iis facilè abſtinebit: ſin metus eum occupet, actio iſta animæ, non ſoli mechaniſmo corporis, tribuenda eſt. Quapropter hoc non probat, phænomena paſſionum quæque eas conſequuntur, in brutis animantibus, rationibus merè mechanicis ſalvari poſſe; neque ergo in homine.

Conſtat autem illas in nobis excitas eſſe nolentibus & averſantibus. Ecquis enim ferret timorum ſuſpicionúmque tormenta, ſi penès ipſum eſſet non ferre? Non ergo anima Spiritus ſic ſuo malo & cruce mittit aut determinat, quà in *capite* verſatur. Ex quo perſpicuum eſt, id ejus effectum eſſe, quatenus in Corde & ventriculo; quæ, propter ſummam ſecum animæ unitatem, & continuitatem Spirituum in corpore, neceſſarii inſtrumenti functionum animæ omnium, horrendâ repræſentatione, quæ in *ſenſorio communi* eſt, ſimul ipſa afficiuntur. Et magnopere æquum eſt, ut *Cor* & *ventriculus* adeò afficiantur, quippe quæ ſummæ ſunt ſedes facultatum earum, quæ vitam corporis ſuſtentant; cujus diſcrimen, objectum præcipuum metûs eſt in omni animanti.

7. Ex eodem hoc Principio, non tantùm ſympathiam partium unius ſingularis ſubjecti, ſed etiam diverſorum & diſtantium, intelligi poſſe puto: qualis eſt conſenſus iſte inter hominem vulneratum & cultellum ſeu gladium, quo vulnerabatur, unguento armario illitum, ſi, nè immodicè vel calidus, vel frigidus ſit, caveatur: quæ certè conſenſio purè *mechanica* non eſt, ſed *Magica*, ſenſu vocis verò bono & licito; hoc volo, non in meram materiam, cujuſcunque demum tenuitatis & ſubtilitatis, ſed in unitatem *Animæ Univerſi*, * quæ Plaſticis potentiis omnibus eſt ‖ conjunctiſſima, & in continuitatem materiæ ſubtilis, quæ Spiritibus noſtris animalibus reſpondet, reſolvi & poteſt & debet. Et in hunc ſenſum *Plotinus* ait Mundum eſſe τὸν *μέγαν γόητα, magnum illum Magum aut Incantatorem.* Quo uno, *Spiritu familiari* nullo in ſocietatem aſſumpto, mira multa miniméque vulgaria facinora, tam noxia quàm benefica, fieri poſſe nullus dubito. Nam *Spiritus* hic *Univerſi* facultates habet, quæ non liberè ſuóque arbitratu operantur, ſed *fati* ſive *naturæ* lege, ut quamplurima *Gamaieu* quæ vocant, ſubobſcurè indicare videntur. De hoc autem Principio pleniùs ‖ ſuo loco diſſeremus.

‖ *Vide lib. 3. cap. 6. ſect. 7, 8, 9.*

‖ *Lib. 3. cap. 12 & 13.*

8. Animam autem noſtram in partem aliquam capitis concluſam non eſſe, ſed per univerſum corpus verſari idémque occupare, clariùs adhuc indicat dolor in ejus partibus perceptus: nam planè fieri nequit, ut dolor iſte acerbiſſimus, qualis vel aciculæ punctiunculâ ſentiatur, ratione ullâ merè mechanicâ perceptionis centro communicetur. Sive enim medulla nervorum, quod *Carteſius* vult, ſive *Spiritus*, quod veriſſimum eſt, proximum ſit ſenſûs inſtrumentum; utrobique ſanè ridiculum eſt exiſtimare, violentâ ſeparatione eorum quæ conjuncta quieſcebant (eâdem ipſâ divulſione, neque *ſpiritibus*, neque *medullæ nervorum*, à puncturæ loco ad ipſam communis ſenſûs ſedem, communicatâ) animam hîc collocatam tam acrem dolorem ſenſuram fuiſſe, niſi ipſa ejus eſſentia ad partem uſque, ubi dolor ſentiri videtur, protenderetur. Tunc enim, quæ cauſa ſit hujus effectûs, palàm erit; unitas nimirum animæ per totum corpus diffuſæ, unà cum ſpirituum continuitate.

Nec mirum eſſe debet, cùm Spiritus continuati, modóque naturæ congruo compoſiti, quies ſit animæ & tranquillitas, eoſdem vi disjunctos, & contuſos, & quaſi abs anima avulſos, ſenſum ingratiſſimum cruciatûſque plenum in perceptionis centro efficere. Hoc argumentum vim ſummam atque evidentiam præ ſe ferre videbitur, ſi modò conſideremus ſpongioſitatem medullæ nervorum, & fluiditatem ſpirituum, quàm parúmque acicula tantilla mollem liquidámve materiam contrudet aut anguſtabit. Cujus rei conſideratio ſcrupuloſitatem eorum funditus eximere debet, qui nimis anxiè mirantur, quî noxæ corporis fiant dolores animæ, corpore interea doloris nihil ſentiente. Hoc enim longè faciliùs intelligi poteſt, quàm ut pars aliqua materiæ in capite dolorem ſentiret ex punctione digito inflicta, quâ tamen punctione neutiquam incommodatur certè, ſi vel leviſſimè moveatur; & tamen perceptionem in capite duntaxat fieri, abunde ſatìs demonſtratum fuit.

9. Poſtremò, niſi ipſa animæ eſſentia à *communi ſenſorio* ad oculos pertingat, difficillimum erit intellectu quî diſtincta repræſentatio fieret objecti cujuſvis viſibilis. Nam quî non confundentur colores? magnitudo objecti non diminuetur? & imago quidem ipſa non penitus antè diſperdetur, quàm pervenerit ad animam, ſi ea in communi ſenſorio duntaxat inſit? Manifeſtum enim eſt, idémque experientia demonſtrabit, perfectiſſimam eſſe objecti imaginem in oculi fundo, decuſſatione linearum motûs ab objecto factam; hoc modo: Linea A B ab objecto A C premit punctum B in fundo oculi, & linea C D punctum D; quo ipſo C & A in locis ſuis ſentiuntur, tantúmque diſtantia quantùm in objecto C A diſtant: quod idem verum eſt de reliquis lineis omnibus ab objecto C A in fundum oculi de-



venientibus. Unde tantâ longitudine & latitudine ſentitur objectum, quantâ ſentiri poteſt in tanto ab oculo intervallo. Et quemadmodum motus ab A ad B & à C ad D perlatus ſentitur illìc; ità & modificatio ejus, quâ objectum in partibus illis videatur rubrum, flavum, viride, vel alio quovis colore tinctum, illìc etiam ſentitur. Unde conſtat, exquiſitiſſimam impreſſionem, ad objecti circumſtantias omnes, futuram in oculi fundo: quare ſi eam anima ibi recipiat, exindéque ad ſuum perceptionis centrum transferat, circumſtantiis prorſus invariatis, repræſentatio perfecta erit & abſoluta.

Sin ibi anima non ſit, ſed tranſmiſſio legibus materiæ duntaxat permittatur, imago multùm pervertetur, aut peribit, priuſquam ad commune ſenſorium pertingere poſſit. Etenim motus hic propagari debet à B & D, donec ad foramen E veniat, & per illud nervum opticum ingrediatur, ad cerebrum perferendus, deinceps ad ſedem ſenſûs communis: ſedenim inter B & E vel D & E multi ac varii fortè depinguntur colores, unde F colore D, & G coloribus D & F infici neceſſe erit; & ſic de reliquis lineis ab objecto ad oculum ductis: ità ut omnes earum colores mirum quantùm commiſcerentur, antequam ad E pervenirent. Jam verò ad duriuſculam flexuram illam in E, ubi linea viſualis tam eſt curva quàm B E R, latitudo & longitudo objecti, juxta experimenta reflexionis & refractionis, perirent prorſus. Quod enim in reflexionibus refractionibúſque fit, ubi objectum illa in linea apparet, quæ ſenſum ejus immediatè perfert, idem hîc fieri expectandum erit; puncta propterea C & A apparebunt ad Q, & objectum in tantùm non nihilum contrahetur.

Quòd ſi fortè nihilominus aliquantâ latitudine apparere poſſet, cùm tamen cerebrum opaca ſit ſubſtantia, motus ſimul ac eò pervenerit, ità vel mutaretur, vel diſſiparetur, ut imago, nè vel modico quovis ſplendore & integritate ſervatâ, opacitatem ejus pertranſire valeret. Quamobrem non dubito quin imago, quam anima percipit, illa ipſa ſit quæ eſt in oculo, non ulla alia ab oculo ad interiora cerebri ratione *corporeâ* producta & propagata, (ubi color & figura, niſi obliterarentur penitus, vehementer certè depravarentur ;) hoc volo, in lucidorum ſpirituum, in fundo oculi, concurſu, cum externo lumine per humores ejus tranſmiſſo (quæ commodiſſima interpretatio eſt συναυγείας *Platonicæ*, de qua *Plutarchus*) magnum illud viſionis myſterium conſiſtit.

SCHOLIA

In Cap. X. Sect. 2.

PRimas quaſi lineas ducat futuræ efformationi prævias, &c. Plotinus *hæc prima delineamenta, rudimentáque vitæ,* προϋπογραφὴν ϗ προδρόμους ἐλλάμψεις εἰς ὕλην, primæ manûs quaſi delineationem, præviámve adumbrationem irradiationéſque prodromas in Materiam, appellat. *Ennead. 6. lib. 7. cap. 7. Fieri verò ab* Anima Mundi *ſive* Spiritu Naturæ *prima illa lineamenta argumento haud obſcuro eſt, quòd in Ovis, ubi Anima matris non adeſt, hæc prima lineamenta fiunt, ante adventum Animæ pulli, quippe nondum organizati. Animæ verò particulares ſunt actus corporis organici, juxta* Ariſtotelem. Punctum *verò* saliens *ſenſum non proprium in retrahendo ſe ad tactum aliquem incommodum prodit ſed vitam duntaxat, ut neque* Zoophyta, *quæ propriâ animâ vivere haud ſentio, ſed* Spiritu Naturæ, *qui aut nullum ſenſum habet aut valdè obſcurum.*

Sect. 7. Quæ Plaſticis potentiis omnibus eſt conjunctiſſima, &c. *Univerſalis enim Materiæ præparatio eſt à* Spiritu Naturæ, *eodémque modo quo primis vitæ exordiis in Generatione Animalium aſſiſtit, ipſis etiam augendis, perficiendis conſervandiſque ſuam opem fert, etiam ad ſatìs diſſita Intervalla.*

Mundum eſſe τὸν μέγαν γόητα, &c. *Sic enim* Plotinus, *Ennead.* 4. *lib.* 4. *cap.* 40. Ἡ ἀληθινὴ Μαγεία ἡ ἐν τῷ παντὶ φιλία ϗ τὸ νεῖκος αὖ, ϗ ὁ γόης ὁ πρῶτος, ϗ ὁ φαρμακεὺς, οὗτός ἐστιν. Vera *Magia* eſt illa in Mundo ſive Univerſo Concordia ſeu conſenſus, ac Diſcordia, atque primus ille *Magus* ac Incantator hic eſt.

CAP. XI.

1. *Nec* Animam *ſine* Spiritibus, *nec* Spiritus *ſine præſenti* Anima *in organo, ſufficientem eſſe cauſam* Senſationis. 2. *Brevis declaratio quomodo* ſenſatio *fiat;* 3. *Quomodo* Imaginatio. 4. *De* Ratione *&* Memoria, *& an ſint Notæ aliquæ in cerebro.* 5. *Spiritus immediatum animæ inſtrumentum eſſe etiam in* Memoria; *& quomodo* Memoria *exiſtat;* 6. *Et quomodo* Oblivio. 7. *Quemadmodum* Motus ſpontaneus *fiat.* 8. *Quemadmodum ambulemus, voce aut fidibus canamus, aliud tamen interea cogitantes.* 9. *Quanquam Spiritus ubique non ſint æquali tenuitate, impreſſionem tamen* ſenſiferam *ad* Senſorium Commune *perventuram eſſe.* 10. Heterogeneitatem *eſſe in anima ipſa; & quid in illa id ſit, quod* Radicem, *centrum, &* Oculum *vocamus; quid id, quod* Radios *&* Ramos. 11. *Sobria & probabilis diſtributio animæ in partes, eſt in* Perceptivam *&* Plaſticam.

1. HOC jam à nobis probato, animam non in *ſenſorium commune* concludi, ſed ad cuncta corporis organa eſſentialiter pertingere; quæ ſit natura *ſenſationis* aliarúmque operationum, quas memoravimus, decernere, longè erit facilius; quod eſt tertium eorum, quæ ſuprà propoſuimus. Jam enim hæc duo præcipua demonſtravimus, viz. *Neque Spiritus per ſe functionibus hiſce eſſe pares; Neque per ſe Animam, ſine Spirituum ope:* utì manifeſtum eſt in interceptione vel disjunctione Spirituum per *ligaturam* aut obſtructionem; & hinc eſt ut cæcitas nonnunquam ideo duntaxat accidat, quòd *nervus opticus* obſtruatur. *Vide Cap. 6. ſect. 9.*

2. Ut itaque ‖ tertiam Quæſtionem noſtram paucis expediam, generatim dico, *ſenſationem* fieri per motûs ab objecto ad organum pertingentiam; ubi talis omnino recipitur, qualem eſſe percipimus, indéque transfertur per animam ibi præſentem ſpiritibúſque, proximo ipſius inſtrumento, adjutam, quorum continuitate cum ſpiritibus aliis in *ſenſorio communi*, imago vel impreſſio objecti cujuſque eò fideliter tranſmittitur. ‖ *Cap. 6. ſect. 9.*

3. Ad *Imaginationem* quod attinet, ea functio haud dubiè in principali animæ ſede, purioribus ſpiritibus in quarto cerebri ventriculo, præcipuè peragitur. De illa maximè Imaginatione loquor quæ liberrima eſt, quali utimur in commentationibus Heroicis, vel qualis ſeverioribus meditationibus & diſquiſitionibus Philoſophicis, aliíſve quibuſlibet intellectûs oblectamentis, ſemper ſolet adeſſe. Nam jejunium, purior aër, & vinum modicè ſumptum, tum quicquid confert ad idoneam ſuppeditationem vel depurationem ſpirituum, id omne cogitationes noſtras liberiores, ſubtiliores, & clariores facit.

4. *Ratio* ità cum *Imaginatione* conjuncta eſt & connexa, ut de illa quidquam ſeparatim dicere opus non ſit. *Memoria* quidem facultas eſt peculiari conſideratione digna; & ſi ullius potentiæ animi operationibus contribuit quicquam medulla cerebri, (plùs quàm conſervando *Spiritus animales*) hujus certè facit. Verùm ut cerebrum diſtinctis & expreſſis rerum imaginibus refertum ſit (ſive eæ in ſuppoſitarum fibrillarum flexuris, ſive in ordinata pororum punctura, ſeu denique in continuato motu partium ejus, aliarum aliter modificato, conſiſtunt) id quidem nè omnino fieri poſſe, jam ſuprà ‖ probavi. ‖ *Vide Cap. 5. ſect. 7. & cap. 2. ſect. 7, 8.*

Si quæ ſunt in eo Notæ, quaſi brachygraphia quædam eſſe debet, apiculi quidam ſparſim poſiti ad ſeriem rerum in memoriam revocandam, quæ fortè, in longum deſcriptæ, ſexcentas paginas implerent. Planè ut ſi quis amici ſui digito filum ligaret, quod eum mandati cujuſpiam commonefaciat, cui plenè docendo diei colloquium vix ſufficiebat. Unde perſpicuum eſt, *Memoriam* in anima eſſe, non in cerebro. Et ſi quas illa notas iſtiuſmodi facit, cùm perceptionem earum non habeat ab iſtarum rerum notitia diſtinctam, quarum ſe debent commonefacere, non ullâ potentiâ cognitivâ faciat illas oportet, ſed aliquâ facultati ſuæ *Plaſticæ* analogâ, quâ clam ſe corpus organizat.

5. An verò anima ità in cerebrum agat an non agat, res eſt incertiſſimi judicii, nec ullo experimento, quod ſcio, demonſtrabilis. Quapropter ſi ſpirituum intra vires conſiſtimus, quos proximum inſtrumentum animæ in omnibus ejus operationibus eſſe toties affirmavi, minùs hæc aſſertio reprehendi poterit. Et ego ſanè non intelligo, quin ii unà cum anima *memoriæ* functiones omnes, quarum conſcii ſimus, præſtare valeant.

Itaque in hoc *Memoriam* conſiſtere ſtatuo; Animam majorem ſibi promptitudinem comparâſſe ad cogitandum de certo aliquo phantaſmate, (unà cum circumſtantiis ejus,) quod ex occaſione aliqua in ipſa exciebatur. Quæ promptitudo acquiritur, vel crebriori phantaſmatis ejuſdem repræſentatione, vel vividiore ejus impreſſione propter novitatem, aut excellentiam, aut pernicioſitatem, aut aliquam hujuſmodi conditionem, quæ ſemel, ſenſu vehementiſſimo, animam afficiet; vel denique voluntariâ attentione, quando anima, ſummo ſtudio atque operâ datâ, Ideam in ſenſum ſuum internum quàm poteſt altiſſimè imprimit. Hæc promptitudo ad cogitandum de certa aliqua Idea tempore vaneſcet, tandémque ità prorſus abſumetur, ut anima, illâ ipſâ Ideâ denuo exhibitâ, unquámne eam antè viderit, ignoret.

Antè verò quàm abſumpta planè ſit hæc pronitas in conceptum eundem cum circumſtantiis ejus redeundi, relativus ſenſus eum antea habuiſſe, (quam *Memoriam* vocamus) ad novam quamque objecti repræſentationem, neceſſariò emergit.

6. *Oblivio* autem naſcitur, vel ex mera deſuetudine cogitandi de tali objecto, aut aliis ei connexis, eâ ſerie ac ordine qui velut præteritum id repræſentaret, adeóque proprium objectum *Memoriæ* faceret; vel quòd Spiritus, quibus anima in omnibus ſuis operationibus utitur, in debita temperie non ſint; quod ex nimia frigiditate aut aquoſitate capitis, cui uni *oblivionem* imputat *Sennertus*, oriri poteſt.

Inſtitut. Medicin. lib. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 4.

7. *Motus ſpontaneus* poſtremò conſiderandus venit; quem per Spiritus à ſede *communis Senſûs* ad muſculos, craſſam illam motûs machinam, continuatos peragi, extra dubium eſt. Rationem quâ peragitur ſentimus utcunque ac intuemur; hoc eſt, in nobiſmet ipſi facultatem ſentimus membrum quodvis ſponte noſtrâ movendi vi ſummâ ac impetu, & muſculum, qui membrum movet, intumeſcere videmus; quod palàm indicat influxum ſpirituum, aut eò directorum, aut ibi gubernatorum, ſolo arbitrio noſtro: res verè admirabilis, & attentiſſimâ meditatione digna.

Directionem hanc impreſſionis motûs, merâ volitione & imaginatione eam faciendi, eſſe factam, tam intimè perſentiſcimus, ut nullius planè rei certiores eſſe poſſimus. Fluidam aliquam ſubtilémque materiam, quam vulgò Spiritus appellamus, dirigi in muſculum qui membrum movet, intumeſcentia ejus ipſis oculis facit teſtatiſſimum; tum etiam quòd experimur, moderatum vini uſum, quod abunde Spiritus ſuppeditat, motum hunc facere validiorem.

An verò ſint an nè ſint *valvulæ* in *nervo*, oppoſitorum muſculorum communi, in iis etiam qui ſingulorum proprii ſunt, parum refert. Inſigne hoc animæ privilegium ità motum materiæ dirigendi, in utravis hypotheſi, oppidò mirum eſt. Ego verò fibroſas partes muſculi præcipuam motûs machinam eſſe arbitror; quas anima, ſubtiliſſimo liquore ſpirituum animalium humectans, inflat & contrahit, fidium more in cœlo pluvio: & in hoc imprimis conſiſtit magnum illud artuum noſtrorum robur & vis in motu ſpontaneo. *Valvulæ* verò iſtæ ſuppoſitæ, quas nec dum experientia detexit, nec ſufficiens ratio confirmat, expectent uſque licet admiſſionem, dum liquida & legitima exiſtentiæ ſuæ argumenta attulerint. Etenim animalium Spirituum in fibroſa carne præſentia, cum anima motum imperante, phænomenis id genus omnibus ſalvandis ſufficiunt. Ex *volitione* enim in *communi ſenſorio* concepta, ea pars animæ quæ in muſculis reſidet, virtute affini illi quâ corpus organáque ejus fabricavit, Spiritus in eos poros partéſque dirigit, prout uſui excellentiſſimæ hujus fabricæ oſtendendo maximè expediat.

8. Et per aliquam hujuſmodi potentiam fit, ut tam facilè inſcientes ambulemus; ut ſpiremus, cantemus, & inſtrumentum muſicum pulſemus, mente noſtrâ interea rebus aliis occupatâ. Nam conſuetudo eſt altera natura: & licèt Spiritus animales, * utpote merè corporei, habituum capaces eſſe non poſſint, * poteſt tamen anima, etiam in ea parte ipſius quæ cognitiva non eſt; proindéque corpus movere poteſt, tametſi cogitatio ceſſârit, modò membra ſpiritibus ſatìs ſint repleta; quorum vim ac opem in naturalibus motionibus animalium tantam eſſe apparet, ut capitibus reſectis, reliquum tamen corpus, ut antè ſolebat, diu ſeſe moveat: ut refert *Chalcidius* de veſpis & crabronibus, qui decollati magnam nihilominus horæ partem ultro citróque volitabunt: quod animæ adhuc in iis verſanti, * ac ſpiritibus animalibus idcirco integris, quòd per eorum corpora cruſtacea ægrè exhalantur, tribuendum eſt.

Rudis enim & vulgaris eſt opinio, animam, capite reſciſſo, tanquam avem è corbula ſublato operculo, evolare continuò oportere. Mundus enim univerſus tam eſt ubique corporibus confertus, quàm ubi ipſa eſt; & vinculum ſpirituum nondum diſſolutum potentiùs eam allicit ut illîc maneat, quàm ut aliò quovis emigret. Idcirco motum hunc veſpæ, tam perfectum, támque diuturnum, *vitalem* eſſe cenſeo; ille verò membrorum animantium truncatorum, quæ minùs perfecta ſunt, *mechanicus* plerumque eſſe poteſt & ſolet.

9. Naturam & functiones animæ, quantùm inſtitutum noſtrum poſtulat, conſideravimus, ipsámque clarè demonſtravimus ſubſtantiam eſſe à corpore diſtinctam, ejúſque eſſentiam ipſam per cuncta corporis organa permeare: tum etiam *Spiritus ſubtiles* operationum ejus omnium inſtrumentum eſſe commune; qui quanquam eâdem & copiâ & puritate ubique non ſint, corpus univerſum tamen tam pervium faciunt objectorum in externa organa impreſſionibus, ut hæ fulguris inſtar penetrent ad *commune ſenſorium.* Namque ut medium æquè purum ſit & tenue ac materia in qua primùm incipit motus ſubtiliſſimus, non eſt neceſſe. Hinc lux tum aërem tum aquam pertranſit, tametſi aër ſolus motui lucis non ſufficiat, aqua autem tantùm non impar prorſus quæ ſedes ſit fontis ejus. Quod faciet ad illuſtrandum ſenſûs tranſitum à membranis (quáve aliâ cunque in ſede Spiritus ſunt ſubtiliſſimi lucidiſſimíque) per craſſiora loca corporis ad ipſum perceptionis centrum.

10. Poſtremò, *Heterogeneitatem* quandam in anima invenimus, nec illam æquè pollere ubique. Nam *perceptionis centrum* in quartum cerebri ventriculum concluditur, quò ſi motus *ſenſiferi* fideliter non perferantur, nullam prorſus objecti notitiam habemus. Ea pars animæ propterea pretioſiſſima eſt habenda; cúmque diſſoluta moles, ut materia, non ſit, * ſed alia pars ejus ex alia profluat, quæ omnium præſtantiſſima, cæterarum cauſa meritò cenſenda eſt. Quamobrem, ut Deum, à quo pendent omnia, ῥιζῶν ῥίζαν vocat *Syneſius*, ſic ego partem hanc *radicem* animæ appellandam judico.

Quæ noſtra ſententia minùs inſolens videbitur, ſi modò cogitemus, à *ſuprema vita*, viz. divino Numine, id quod nullam omnino vitam nec ſenſum habeat, inertem ſtupidámque Materiam, emanare. Quapropter analogiâ minimè repugnante admitti poteſt, pretioſiſſimam illam animæ partem, cui *perceptio*, *ſenſus*, & *intelligentia* ineſt, talem emanationem eſſentialem emittere de ſe poſſe, quæ omnis omnino *ſenſûs* & *perceptionis* expers ſit; quam, ſi vultis, *exteriores animæ ramos* appellare liceat; vel, ſi nobiliorem illam diviniorémque particulam, *centrum* dicere mavultis, *radios* animæ; quod etiam *oculus* animæ meritò nuncupetur, * quandoquidem reliquæ partes omnes abſque illo, ſunt meræ tenebræ. Qua in re, velut alter *Cyclops*, mundum hunc, in quo vivimus, bene referet, cujus oculus unicus omnibus eſt conſpicuus, qui lucem intuentur.

11. Miſſis autem luſoriis his conſiderationibus, quæ imaginationem potiùs delectant, quam ſeverioribus animi facultatibus ſatisfaciunt, à duabus potentiis illis notiſſimis & planè diverſiſſimis, quas Philoſophi in Anima agnoſcunt, *Perceptione* nimirum & *Organizatione*, * partem illam unam nobiliorem, quæ *communi ſenſorio* ineſt, *Perceptivam*, cæteras omnes *Plaſticam* partem animæ, nobis deinceps vocitare ſufficiet.

SCHOLIA

In Cap. XI. Sect. 8.

Utpote merè corporei habituum capaces eſſe non poſſint, &c. *Per habitum heîc intelligo facilitatem ac promptitudinem per crebros actus acquiſitam agendi denuò aliquid ex datis occaſionibus, poſtquam ab agendo ad tempus aliquod, ceſſatum ſit. In lapide igitur projecto, quanquam movetur, motus tamen iſte non dicitur habitus (eadémque ratio eſt in omni re corporea) quoniam perpetuò agit non denuò, nec ſi centies ſic projiceretur, poſtquam ceſſaverit moveri, faciliùs promptiúſve moveretur.*

Poteſt tamen Anima etiam in ea parte ipſius quæ cognitiva non eſt, &c. *Heîc ſunt qui objiciunt, ipſam Materiam corpúſve æquè capax eſſe habituum atque ſubſtantiam quamlibet incorpoream perceptione & cognitione deſtitutam. Ex eo enim ſolo fieri quòd Materia habituum incapax ſit quòd agere denuò nequeat ſine novo impulſu externo; eandem verò eſſe rationem in ſubſtantia incorporea omnis perceptionis experte, quippe quæ agere nequit niſi impulſu externo denuò impreſſo, ſi quando ab agendo ceſſaverit. Adeò ut aut novo opus ſit impulſu ab extrà, aut neceſſe ut actionem nunquam intermittat. Quod* Incommodum *etiam in* Spiritu Naturæ *fingunt, quem niſi ſciat quid agit, pro re nata agere poſſe audacter negant; hoc eſt, Nullam* vitam *eſſe poſſe ſtatuunt præter* cognitivam.

Quod falſiſſimum eſſe abunde patere poteſt ex eis quæ occurrunt in hoc ipſo Tractatu, ubi demonſtro animam per totum corpus vitámque cum ipſa extendi, Perceptivam *tamen eſſe in capite ſolo; Reliquámque ideo partem Animæ, ſi fas ſit ità loqui, eſſe non quidem* Perceptivam *ſed* Plaſticam, *vitâve* Plaſticâ *ſolâ præditam, qualis totus eſſe poteſt* Spiritus Naturæ. *Cùm verò, ut* Plaſtica *Animæ, itá* Spiritus Naturæ *ſit ſubſtantia vitalis, cui* Vita *intimè & eſſentialiter ineſt, & talis tamen quæ aliter atque aliter à Materia variè diſpoſita afficiatur, ſtatim pro natura Materiæ alias atque alias operationes exerit ſecundùm certas quaſdam leges ſibi inſitas. Nunquam verò otiatur ille Spiritus ſed in omnem Materiam certo, quamquam cæco, inſtinctu,* vitalíque *non* intellectuali *agit, ídque ſemper in genere quod optimum ſit. Non agit indifferenter & promiſcuè, quemadmodum hi volunt, ſed pro diſpoſitione Materiæ, nec varia tentat ſed idem ſemper eiſdem datis circumſtantiis, nec fruſtrà, cùm ſecundùm rerum naturam agat, nec conſilio eget aut ratione, cùm ex propria ſua* vita *tantùm agat Divini conſilii ac ſapientiæ Ectypo.*

Quod minùs mirari debemus cùm & nos non per præviam perceptionem *Phantaſmata excitamus, ſed per* vitam *quandam Animæ noſtræ intimam, hujuſmodíque operationibus præviam, excitata percipimus: Ut in Inſomniis præſertim patet, ubi ipſa Animæ ſubſtantia* vitalis *aut cholerâ, aut ſanguine aut melancholico humore affecta, non* conſilio *ſed* vitaliter *ac* neceſſariò *ſine omni prævia perceptione, congeneres rerum ſcenas excitat, & ſic excitatas percipit. Cur igitur Mundi* Spiritus Vitalis *non æquè commodè concipi poteſt ſine ulla prævia perceptione* Plaſmata *erigere, aut ſecundùm certas leges Materiam movere ac diſponere, atque Anima noſtra ſine ulla* prævia *perceptione excitare* Phantaſmata: *equidem niſi quis nimiùm peregrinus ſit in recognoſcendis animi proprii facultatibus, non poteſt quin hæc ipſi valdè ſint manifeſta.*

Sed ut ad Plaſticam *propriam redeamus, cùm ſit* vita *quamvìs non* perceptiva, *minimè profectò ab ea alienum videtur ut uſu & conſuetudine ad res alias præ aliis excitatior & evigilatior, itáque habituum capax evadat, perinde atque* pars *Animæ* perceptiva. *Quæ in habitibus quidem Intellectualibus utendis vi potiùs* Vitali intellectuali *notiones rerum atque intelligentias promptè producit quàm* perceptione. *Neque enim antè percipit quàm produxerit, nec* præviâ perceptione *tunc producit ſed* immediatâ *Animæ* vi Vitali intellectuali: *alioqui proceſſus fieret in infinitum. In Eſſentia* vitali *igitur radicatur habitus ſive* Intellectuali *ſive* Plaſticâ, *cùm Materia interim, quippe ex ſe omnis* vitæ *expers, habituum nequaquam ſit capax.*

Ac Spiritibus animalibus idcirco integris, &c. *Adde & Aſſuetudinem movendi in parte Animæ* Plaſtica, *quanquam abſciſſo capite Animadverſio ceſſet.*

Sect. 10. Sed alia pars ejus ex alia profluat, &c. *Hoc ipſum & quæ hìc ſequuntur, dicta ſunt cum reſpectu ad deſcriptionem illam Spiritûs ſive Animæ poſſibilem, lib. 1. cap. 6. Quæ autem veriſſima particularis Spiritûs ſive Animæ mihi videtur notio ſive Idea, in Scholiis illìc ſatìs apertè declaravi, ut nihil opus ſit hìc repetere.*

Quandoquidem reliquæ partes omnes abſque illo meræ ſunt tenebræ, &c. *Equidem Anima parte* Perceptivâ, *quem* Oculum *appello, deſtituta, eſſet inſtar hominis cæci in luce Solis,* Plaſticâ *verò deſtituta, inſtar hominis viſu quidem præditi, ſed Meridianis poſiti in Tenebris. Virtute enim* Plaſticæ *Mundum quemcunque exteriorem percipimus, immo omnem cuicuimodi* vitam *per eam haurimus, ſive* Divinam *ſive* Naturalem. *Tanti momenti eſt ut* Plaſtica *rectè ſe habeat, & per ſinceram Devotionem & Temperantiam ad Regenerationem præparetur. Quicquid enim in* Perceptiva *tantùm peragitur, ex arida & jejuna Ratione & Imaginatione quantumvis ordinata,* umbræ *ſunt &* imagines, *non vera* vita *ac* ſubſtantia.

Sect. 11. Partem illam unam nobiliorem quæ communi ſenſorio ineſt, *Perceptivam,* cæteras omnes *Plaſticam* partem Animæ, &c. *Hoc quidem omnium conſultiſſimum eſt, & operoſam illam Animæ Ideam poſſibilem, lib. 1. cap. 6. deſcriptam, miſſam facere, Eſſentiámque Animæ tanquam Ens unum per ſe conſiderare, cujus partes, ſi fas eſt itá loqui, non tam ſubordinentur quàm coordinentur, juxta Ideam Intellectu Divino conceptam, nec unicum eſſe centrum ut in Circulo, ſed duos quaſi focos coordinatos,* Plaſticum *alterum, alterum* Perceptivum.

CAP. XII.

1. *Reſponſio ad objectionem, Argumenta noſtra tam animarum brutorum quàm hominum immortalitatem probatura.* 2. *Objectio altera,* Præexiſtentiam *animarum brutorum, & conſequenter noſtrarum, inferens.* 3. *Reſponſio prima ad objectionem.* 4. *Reſponſio ſecunda, quatuor ex partibus conſtans.* 5. *Prima, Hypotheſin* præexiſtentiæ *rationi magìs eſſe conſentaneam, quàm aliam quamlibet hypotheſin;* 6. *Quinimo in ſe valde ſolidam.* 7. *Sapientiam bonitatémque Dei veritatem ejus arguere;* 8. *Utì etiam faciem* Providentiæ *in rebus conſpicuam.* 9. *Pars ſecunda reſponſionis ſecundæ, Philoſophos omnes omnium ſæculorum, qui animam incorpoream ſtatuère,* Præexiſtentiæ *ejus ſuffragatos eſſe.* 10. Gymnoſophiſtas Ægypti, Brachmanes Indiæ, Magos Perſiæ, *& doctos omnes è* Judæis, *hujus ſententiæ fuiſſe.* 11. *Catalogus clarorum virorum qui eandem tenuerunt.* 12. *Ità quoque ſenſiſſe* Ariſtotelem. 13. *Locus alter luculentior ex* Ariſtotele *eòdem faciens, unà cum interpretatione* Sennerti. 14. *Reſponſio ad effugium interpretationis ejus.* 15. *Locus ultimus & luculentiſſimus è ſcriptis* Ariſtotelis.

1. NAturam animæ, eámque *ſubſtantiam eſſe à corpore diſtinctam,* cùm jam ſatìs oſtenderimus; continuò poſt hæc de *ſeparatione ejus à corpore* diſſererem, niſi quòd objectionem invidioſam è via priùs amoliri debere me putem; quâ quidam nobis perſuadere vellent, argumenta noſtra, revera demonſtrationes, eſſe tamen mera ſophiſmata, quòd quædam eorum, eáque non infirmiſſima, id probent quod abſurdum eſt & falſum; viz. *Animas brutorum* etiam *ſubſtantias* eſſe *incorporeas,* à corpore diſtinctas; unde ſequetur illas item *immortales* eſſe. Ad hoc autem jam reſpondimus in *Appendice* ad *Antidotum,* ubi breviter concluſimus, eas propriè nihilo *Cap.10. ſect. 7.* magìs immortales eſſe quàm ſtupidam Materiam, quæ incorruptibilis eſt, nec fortè, extra terreſtre corpus, ſentire magìs, quàm corpus ipſum. Hæc enim omnia, utì primo eorum conditori placuit, ità ſe habent.

2. Hìc autem perversè ac importunè ſubjiciunt; Si brutorum animæ ſuperſint morti, brutæ verò & inertes, neceſſariò ſequetur eas iterum in corpus venturas. Etenim perridiculum eſt exiſtimare, animas haſce, in rerum natura etiamnum exiſtentes, & nullius rei ad iterum vivendum indigentes niſi materiæ rite præparatæ, ſemper tamen neglectas fore, nec unquam in ſcenam reduci, ſed novas quotidie in earum locum ſucceſſuras creari: innumerabiles enim myriades animarum inutiles prorſus jacerent in Univerſo, numero earum creſcente perpetuò in infinitum. Sin iterum in corpus veniant, *præexiſtere* manifeſtum eſt: & ſi *brutorum,* tum certè *hominum* animæ etiam *præexiſtunt.* Quæ tam vecors eſt opinio & prodigioſa, ut diductum os, altúſque cachinnus, (fatuorum argumenta) refellere eam & explodere valeant. Nemo certè cordatus homo ſententiam illam amplectetur unquam, quam ſtultiſſimus quiſque, memoriam ſuam conſulendo tantùm, refutare poteſt. Nam certiſſimus eſt, ſi *præextitiſſet,* ſe aliquid de vita ſua anteacta meminiſſe poſſe. Quid? quòd animarum harum *præexiſtentium* Acceſſus, & in materiam ab iis actuandam Ingreſſus, intelligi nequeat.

3. Ad hæc duo reſponderi poſſunt. Primùm, etſi quidem negari haud poteſt, quin animarum brutorum *præexiſtentia* conceſſa pulchrè viam ſternat ad humanarum etiam animarum *præexiſtentiam* inferendam, * ſequelam tamen non eſſe neceſſariam, ſed alteram ſine altera conſtare poſſe.

4. Secundum ſic eſt, etiamſi ſequela concederetur, nihil indè tamen abſurdi, quoad rationem, poſſe detegi, ſi inſtitutionis præjudicia, alienarúmque facultatum, quæ ſuffragandi jus hìc non habent, ſuggeſtiones cæcæ deponantur. Sed ut explicatiùs dicam, aio, Conſequens ipſum, *animarum humanarum præexiſtentiam,* rationi congruentius eſſe aliâ quavis hypotheſi; tum receptum fuiſſe à doctiſſimis omnium ætatum Philoſophis, quorum vix unus animam humanam immortalem cenſuit naturæ rationíſque lumine, qui non itidem *præexiſtentiam* ejus aſſeruit; dein *Memoriam* non eſſe judicem idoneum cui cauſa hæc permittatur; denique *Traductionem* & *Creationem* æquè involutas eſſe & incomprehenſibiles atque hanc opinionem oppugnatam.

5. Quatuor has mei reſponſi partes ſuo quamque ordine confirmabo. Primæ veritas conſtabit, ſi cum ſententiis competitricibus eam conferamus; duæ omnino ſunt memoratu dignæ. Altera eorum, qui animam *ex traduce* naſci affirmant; altera,

qui pro re nata *creari.* Prior ſententia notioni animæ manifeſtò repugnat, quæ *Spiritus* eſt, ideóque indiviſibili, i. e. *indiſcerpibili* eſſentiâ. Secunda tum contumeliam ſupremi numinis majeſtati infert (nam per eam Deus principalis fit adjutor & actor, ídque ſummo, liberrimo, maximéque particulari agendi modo, quo is agere concipiatur, in execrandis flagitiis ſtupri, adulterii, inceſti, immo & turpiſſimæ cum beſtiis conſuetudinis, nefandis his omnibus conjunctionibus animas ſuppeditando, tum primùm, & hanc ipſam ob rem, creatas) tum etiam infert ipſis animabus injuriam; quòd illæ ſic ſubinde, ut fert occaſio, creatæ proindéque puræ, omni noxâ & labe vacuæ, in impura tamen, morbida, atque effrænata corpora compinguntur, ubi plures earum itâ fataliter ſuperatæ & in ſervitutem redactæ videntur, itáque prorſus incapaces quod bonum & honeſtum ſit amplectendi, ut diro illi infortunio neceſſariò addicendæ ſint, quod omnes Dei obliviſcentes manet. Quapropter cùm duæ hæ ſententiæ adeò ſint incongruæ, ecqua alia reliqua eſt, quæ probabilis videatur, præterquam animæ *præexiſtentia*?

6. Quàm rationi verò conſentanea ſit hæc opinio, non ex collatione duntaxat, eam inter atque alias inſtituta, demonſtrare contendam, ſed etiam ex ſua ipſius concinnitate. Quemadmodum enim nihilo magìs mirandum eſt, ſingularium omnium hominum in terris degentium animas à mundo condito fuiſſe, quàm particularem materiam illam ex qua corpora eorundem conſtant (quæ fortè multas myriadas alterationum & modificationum ſubiit, antequam in talem coierit contextum unde corpus integrum fieret hominis cujuſquam ſingularis, verſata etiam fuit in locis immenſo intervallo diſſitis, percolata fortaſſe per tot vorticum interſtitia triangularia, quot in innubi gelidáque nocte videmus ſtellas, fulsítque olim inſtar ſolis, quod de tellure univerſa vult hypotheſis *Carteſiana*, ità ut edamus, bibamus, nóſquemet ipſi eo veſtiamus, quod quondam lux pura & flamma fuerat) ità de facto fuiſſe mundo condito coævas, inevitabilis certitudo *præexiſtentiæ animarum brutorum* (adverſariis ipſis fatentibus) pulchrè quidem innuit.

7. Adhæc autem, cùm attributa Dei, tum quæ in Univerſo ſunt rerum facies, unde Providentia ejus excludi non debet, idem rationi non præoccupatæ firmè & luculenter demonſtrat. Nam primò, ſi bonum ſit animabus humanis eſſe omnino, quo maturiùs ſunt, eo ipſis erit melius. Certiſſimi autem ſumus, ſapientiam bonitatémque *Divinam* id facturam quod ſit optimum; idcirco ſi ſe frui poſſint antequam in hæc veniant corpora terreſtria, (cùm illis melius ſit ſe frui quàm ſecùs) eas priùs eſſe oportet, quàm in hæc corpora veniant; hoc eſt, extra iſta vitâ frui potuiſſe per longas temporis periodos oportet, antequam in certa aliqua ætate mundi hîc comparuerint. Nihil enim prohibet quin tam vivant antequam in corpus veniunt, quàm poſtquam indè emigrârint: poſterius autem hoc ab ipſis agnoſcitur qui *præexiſtentiam* negant.

* *Præexiſtentia animarum* igitur neceſſariò conſequitur ex ſapientia & bonitate Dei, qui non magìs poteſt quod optimum ſit non facere, quàm poteſt idem non intelligere: alioquin ſapientia benignitatem ejus ſuperaret; immo nec tanta bonitatis Dei fiducia habenda eſſet, quanta beneficentiæ viri boni & benigni, quem certi ſimus nullam ſibi datam benefaciendi facultatem omiſſurum, præſertim ſi nihil indè ſibi vel damni vel moleſtiæ accedat; quæ utraque obſtacula à ſummo Numine ſunt prorſus aliena.

8. Deinde, ea hîc cernitur Providentiæ facies, quæ in hanc ſententiam optimè quadrare videtur; nulla enim tam naturalis támque facilis reddi poteſt ratio eorum, quæ in rebus humanis videntur duriſſima, quàm quæ ex hac ſumitur hypotheſi, *Animas humanas in alio ſtatu vixiſſe olim, ubi multis modis variiſque gradibus de Creatoris ſui gratia, ſuâ culpâ, exciderint. Propterea illas ex* Nemeſi *juſtiſſima, quam ille & conſtitutioni Univerſi & ipſarum naturæ intertexuit, varias calamitates acerbitatéſque fortunæ, gravéſque fati ſervitutes ſubire, vel ut pœnam inflictam, vel ut morbum contractum ex variis defectionis ſuæ obliquitatibus.* Quæ quidem clavis non illud modò reconditum myſterium reſerare poteſt, quî nempe fiat ut certi quidam homines ab omni religione & virtute pæne fataliter averſi ſint, quî à pueris ſint ad illas res ſtupidi, inſenſati, atque invincibiliter tardi, quî tantâ in omnia vitiorum genera proclivitate, quæ nullâ arte aut inſtitutione corrigi unquam potuit; verùm etiam & alterum illud arcanum aperit, ſqualidæ nimirum miſeriæ, brutæ agreſtiſque barbariæ, quâ gentes integræ multis ſæculis continuis laborârunt, multæque ad hodiernum uſque diem laborant. Quæ triſtis rerum facies Divinæ Providentiæ rationes vehementer equidem obſcurabit, faciétque omnino nè intelligi poſſint, niſi ex hac, de qua loquimur, hypotheſi, lucis aliquid immittatur.

Eſt itaque perſpicuum, rationes graviſſimas adinveniri poſſe unde *Præexiſtentia animarum* concludatur; ideóque cùm hæc opinio abs ea Facultate adeò demonſtrabilis ſit, nec ulla alia contradicat, (nam ſententiam memoriæ nihil in hac cauſa valere mox probabo) lumine naturæ certò concludendum eſt, *Animas humanas præexiſtere*; Axiom. 5.

9. Utque hæc hypotheſis in ſe eſt rationi conſentanea, ità & Philoſophorum omnium ætatum, alicujus nominis, ſuffragia meruit, qui modò animam humanam incorpoream & immortalem affirmârunt. Ego idcirco parùm curo quid vel *Epicurei* vel *Stoici* ſuper hac re opinati fuerint; quandoquidem hæc lis inter eos duntaxat diſceptatur, inter quos convenit *Animam eſſe ſubſtantiam immaterialem*. Qui autem Philoſophorum talem ſuſtinuerunt, ii uno animo ac ore *præexiſtere illam* aſſerunt. Quod adeò manifeſtum eſt, ut palàm id dixiſſe ſufficiat; quiſque inquirendo de dicti veritate facilè ſibi ſatisfaciet. Addam tantùm, in majorem rei gratiam & honeſtationem, exempla aliquot, velut arrham veritatis ejus quod in univerſum pronunciavi. Quocunque gentium igitur oculos convertas, ubi modò ſapientia bonæque literæ floruêre, ſapientiſſimos illîc habitos ſtatim reperies hujus dogmatis aſſertores.

10. Apud ſapientes *Ægypti*, priſcæ nutricis ſcientiarum omnium reconditarum, id obtinuiſſe, fragmenta *Triſmegiſti* teſtatiſſimum faciunt. Quanquam enim multa in illo libro, ad Chriſtianam religionem ſpectantia, fraudis & interpolationis ſuſpecta eſſe poſſint; hoc tamen dogma *Præexiſtentiæ* animæ, quod non adeò ſuâ intereſſe putabat *Chriſtianiſmus*, propter teſtimonium quod ei perhibent hæc ſcripta, pars ſapientiæ gentis illius meritò cenſendum eſt. Neque *Gymnoſophiſtæ* tantùm aliíque ſapientes *Ægypti* ità ſentiebant, ſed *Brachmanes* etiam *Indiæ*, *Magique Babylonis* & *Perſiæ*; ut in Oraculis illis videre eſt, quæ *Magica* & *Chaldaica* appellantur, in quæ *Pſellus* & *Pletho* commentarios ſcripsêre. Quibus addi poteſt occulta Philoſophia *Judæorum*, quam *Cabbalam* vocant, cujus non minima pars eſt *præexiſtentia animæ*, uti docti omnes è *Judæis* fatentur. Quàm aptè autem & luculenter hæc ſpeculatio primis tribus myſticis illis *Geneſeos* capitibus accommodetur, ego, in *Conjectura* mea *Cabbaliſtica*, ſpero, non contemnendo ſucceſſu oſtendere conatus ſum.

11. Et ſi nominatim recenſerem eos qui in hac ſententia fuêre, profectò tales ſunt, támque celebres profundæ intelligentiæ reconditiſſimæque ſcientiæ famâ, ut teſtimonium eorum ſolum ſufficeret quemvis hominem non nimis contumacem cogere ut aſſenſum ſuum præbeat ipſorum doctrinæ. Et ea *Moſi* imprimis tribuenda eſt, ſi *Cabbala Judæorum* ſit fide digna, maximo certè Philoſopho qui unquam extitit; huic addas licet *Zoroaſtrum*, *Pythagoram*, *Epicharmum*, *Empedoclem*, *Cebetem*, *Euripidem*, *Platonem*, *Euclidem*, *Philonem*, *Virgilium*, *Ciceronem*, *Plotinum*, *Iamblychum*, *Proclum*, *Boethium*, *Pſellum*, alióſque quamplurimos quos longum eſſet enumerare. * Et ſi ad Philoſophos, *Patres* adnumerare expediret, in eandem nomenclaturam referre poſſemus *Syneſium* & *Origenem*: quorum hic ſanè maximum erat primævi Chriſtianiſmi lumen & propugnaculum; quíque procul ab ea levitate & vanitate abfuit, ut opinionem amplecteretur, quam cæteri homines parvipenderunt vulgò & neglexerunt, niſi magni aliquid in ea perſpexiſſet: idem de reliquis dicendum eſt qui Chriſtiani erant, *Boethio*, *Pſello*, &, qui non ità pridem vixit, *Marſilio Ficino* doctiſſimo. Nondum autem finitus eſt Catalogus: *Johannes Fernelius*, eximius Medicus, in eadem quoque ſententia eſt; neque contentus ipſe in ea eſſe ſolus, *Hippocratem* & *Galenum*, magnum illud par Magiſtrorum medicinæ, juxtà ſecum ſenſiſſe oſtendit; ut videre eſt in ‖ De abditis rerum cauſis. * *Cardanus* etiam, celeberrimus ſui temporis Philoſophus, diſertè concludit Animam rationalem & diſtinctum Ens eſſe ab Anima mundi, & corpori quo ſe hîc induit præextitiſſe: Denique *Pomponatius*, Immortalitati Animæ iniquior, nequit tamen quin fateatur, optimam tutiſſimámque rationem tuendi opinionem illam eſſe *Præexiſtentiam Animæ* ſimul agnoſcere.

‖ *Lib.2.cap 4.*

* *De Animor. Immort. ſub titulo,* Ariſtotelis *de animorum immortalitate opinio. pag.* 235, 236, 237 &c. *uſque ad* 239.

12. Et nè quid deſit ad oſtendendum quàm frivola ſit hæc pars Objectionis, evincemus porrò *Ariſtotelem* ipſum, cui datum eſt ut plùs credatur quàm ſcriptor ferè quilibet, idem ſenſiſſe in *Tractatu* ‖ *de Anima*. Ubi de neceſſitate diſpoſitionis in corpore abs anima actuando loquens, & reprehendens eos qui conſiderationem illam omittunt, ait, illos ità rem illam negligere, ac ſi fieri potuerit, ut, juxta fabulas *Pythagoricas*, quævis anima in quodvis ingrederetur corpus; cùm tamen omne animal, ut propriam ſuam ſpeciem habet, ità & formam peculiarem habere debet. Qui ſecùs autem ſtatuunt, παραπλήσιον λέγειν, ait, ὥσπερ εἴτις φαίη τὴν τεκτονικὴν εἰς αὐλοὺς ἐνδύεσθαι· δεῖ γὰρ τὴν τέχνην χρῆσθαι τοῖς ὀργάνοις, τὴν δὲ ψυχὴν τῷ σώματι, i.e. *Perinde dicere, ac ſi quis artem fabrilem fiſtulas ingredi affirmaret*; * *etenim artem omnem inſtrumentis ſuis, & animam omnem ſuo corpore uti oportet*. Ubi *Ariſtoteles* (quod *Cardanus* etiam obſervavit)

‖ *Lib.1.cap.3.*

De Animor. Immortal. pag. 237.

vavit) non reprehendit opinionem de Animæ ex alio in aliud corpus tranſitu, (quod *præexiſtentiam* ejus ſimul ſignificat;) ſed ut anima bruti corpus humanum, & hominis anima corpus bruti ſubiret, hoc eſt abſurdum illud quod *Ariſtoteles*, & meritò quidem, coarguit; alteram illam opinionem tacitè approbare videtur.

Lib. 3. cap. 11. 13. Apertiùs autem loquitur in de *Generat. Animal. Generantur*, inquit, *in terra humoréque ejus animalia & plantæ; quoniam in terra humor, in humore ſpiritus, & in Univerſo toto calor animalis ineſt;* ὥστε τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη, *adeò ut modo quodam omnia ſint Animarum plena*, ut *Sennertus* hunc locum interpretatur: *Ariſtotele* per ψυχὴν idem hîc intelligente quod infrà per ψυχικὴν ἀρχὴν, *Principium illud* quod Animam dicimus, pro cujus excellentia animalia plùs minúſque nobilia aſſerit, quæ proinde aſſertio tam ad humanas animas quàm brutorum pertinet.

14. Et ſi quis adeò iniquus foret *Ariſtoteli*, ut, propterea quòd ψυχῆς non ψυχῶν dicit, eum idcirco unicam in Univerſo Animam aſſerere velit, non tamen hic textus eludi ſic poteſt; quandoquidem enim *Sennerti* expoſitionem pariter ac hanc alteram capit, utra magìs rationi congruat, ea Philoſopho attribuenda eſt. Jam ſi ſenſus ejus eſſet, unam duntaxat animam in mundo eſſe, omnia permeantem, Univerſúmque conſtituentem unum ingens animal, quorſum dicit omnia *quodam modo* plena eſſe hujus animæ, & non potiùs *omnino* plena? quemadmodum corpus noſtrum *totum* abs anima ſua actuatur. Hunc itaque ſenſum eſſe oportet, loca quidem omnia eſſe *quodammodo* animarum plena: non quòd opportunitatem habeant actuandi materiam, præſentiámque ſuam operationibus vitalibus oſtendendi; ſed illîc tantiſper dormiant, quoad omnem actionem viſibilem, donec eas præparata materia in actiones conſpicuas proliciat.

De Generat. Animal. lib. 2. cap 3. 15. Tertium locum eúmque clariorem addemus ex eodem Tractatu, ubi hanc ipſam quæſtionem *Præexiſtentiæ* Animarum movet, præſertim animæ ſentientis & rationalis; περὶ αἰσθητικῆς ψυχῆς καὶ περὶ νοητικῆς, an utrumque genus προϋπάρχει, hoc eſt *præexiſtit*, an rationale duntaxat; atque ità concludit, Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια, i. e. *Relinquitur igitur ut rationalis ſeu intellectualis anima ſola extrinſecus accedat, utpote quæ ſola divina eſt, cujus cum actionibus craſſi hujus corporis actiones nihil habent commercii.* Qua in re concludit quidem, ut ſe diſcipulum decet, ad mentem planè & diſciplinam *Platonis*, excellentiſſimi ſui præceptoris; cujus veſtigiis quo propiùs inſiſtit, eo ſemper minùs à veritate aberrat. Hîc enim luculenter affirmat, quod multi illum tam apertè feciſſe nolunt, * animam humanam immortalem eſſe, & functiones ſuas proprias ſine terreſtris corporis miniſterio peragere poſſe.

Et ſic partes duas priores, opinor, reſponſionis meæ ad objectionem propoſitam confirmavi, claréque demonſtravi *Præexiſtentiam animæ* opinionem eſſe quæ cùm cæteris ſuper hac materia rationi congruentior eſt, tum ſuffragia meruit clariſſimorum omnis memoriæ Philoſophorum; proindéque hanc ſequelam ex argumentis noſtris pro Immortalitate Animæ ductam, nullius ea arguere fallaciæ.

SCHOLIA

In Cap. XII. Sect. 3.

Sequelam tamen non eſſe neceſſariam, &c. *Quippe quum Animæ humanæ intelliguntur ità comparatæ ut vitæ muneribus fungi poſſint etiam exuto hoc terreno vehiculo, quod contrà fieri in animabus brutorum plerique omnes conſentiunt.*

Sect. 7. Præexiſtentia Animarum igitur neceſſariò conſequitur ex Sapientia & Bonitate Dei, &c. *Heîc igitur quidam ut hujus argumenti vim eludant, negant Bonitatem Dei actionum illius eſſe menſuram, dum interim ultro fatentur eum nihil contra Juſtitiam ſuam facere poſſe, quicquámve quod minùs juſtum ſit committere. Quaſi verò Bonitas Divina non æquè ſaltem ſacroſanctum Dei Attributum & inviolabile eſſet atque illius Juſtitia. Sed videant illi qui ſic Philoſophantur an non in* Anthropomorphitiſmum *quendam ſubtiliorem ſe paſſi ſint incidere, non quidem externam Dei perſonam ad figuram propriam fingentes, hoc eſt, humanam, ſed ingenium, ſi fas ſit ità loqui, Naturámque Divinam formantes ad imaginem animi ſui. Qui pro privilegio reputantes quòd quædam facere poſſint animi cauſâ ac pro libitu laſcivienti ac fortuito, quorum nulla ſolida ratio dari poſſit, ſuas vacillationes, levitates & imperfectiones perfectiſſimæ Divinitati affingunt quæ ſecundùm certam & immutabilem perfectiſſimæ ſuæ naturæ rectitudinem omnia conſtituit.*

Sect. 11. Et ſi ad Philoſophos Patres adnumerare expediret, &c. *Vide* Præfat. General. *Sect.* 18. *Loca ſacræ Scripturæ huc etiam adjici poſſunt: Sed malo hîc obiter notare quàm nullam vim habeat ille locus* S. Pauli, *contra hoc dogma de* præexiſtentia. *Ad Rom. cap.* 9. Nondum enim natis pueris, cùm nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei quod eſt ſecundùm electionem, non ex operibus ſed ex vocante maneret, &c. *Hinc enim concludere volunt, cùm nihil unquam feciſſent pueri ante Nativitatem in hunc Mundum, eorum Animas non* præextitiſſe. *Quod non abſimile eſt atque ſi quis ex iſtoc loco* Salomonis, *Eccleſiaſt. cap.* 9. [Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus nec operatio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud Inferos, quò tu properas] *concludere vellet animam non* ſubſiſtere poſt mortem. *Qui locus profectò æquè validè probat Animam non* ſubſiſtere *poſt mortem, atque prior, ante Nativitatem non* præexiſtere. *Sed utrobique oportet Titulum reſpicere, ſenſúmque reſtringere ad actiones hujus vitæ terreſtris. Juxta quem ſenſum multa alia loca ſacræ Scripturæ exponenda ſunt, ni velimus Animam eſſe mortalem.*

Sect. 12. Etenim Artem omnem inſtrumentis ſuis & animam omnem ſuo corpore uti, &c. *Multo cautiùs & caſtigatiùs hîc loquitur* Ariſtoteles *quàm nonnulli* Platonicorum, *qui humanas Animas etiam in brutorum corpora tranſire concedunt, immò in ſtupidas plantas migrare, quaſi humanæ Animæ* Plaſtica, *ut meliori jure Homo* Microcoſmus *appelletur, omnes formas in ſe contineret quæ cernuntur in Univerſo. Sed enim quivis vir prudens ac ſobrius ſentiet potiùs cum* Timæo Locro, *antiquo* Pythagorico, *qui hujuſmodi fictiones ceu fabulas Poeticas conſiderat, in Terrorem vulgi excogitatas, qui mendaciis utplurimum faciliùs à malis moribus arcentur, quàm veritate.* Ὡς γὰρ τὰ σώματα νοσώδεσι πόκα ὑγιάζομες εἴκα μὴ εἴκῃ τοῖς ὑγιεινοτάτοις, οὕτω τὰς ψυχὰς ἀπείργομες ψευδέσι λόγοις, εἴκα μὴ ἄγηται ἀληθέσιν. Quemadmodum enim corpora morbidis aliquando ſanamus, ſi non cedant ſaluberrimis, itâ & animas falſis ſermonibus prohibemus, ſi eas ducere non liceat veris. *Indè agnoſcit neceſſariò introduci* τιμωρίας ξένας, ſupplicia peregrina, *vel potiùs ab omni Philoſophia ſolidâque ratione* aliena. *Quæ ſunt præpoſteræ iſta atque abſurdæ* μετεμψυχώσεις. *Quæ tamen ſpeciem aliquam probabilitatis præ ſe ferunt ad vulgus; nimirum ut* Timidorum Animæ in Muliebria corpora, Libidinoſorum in Suum vel Aprorum, Homicidarum in Ferarum, Leviculorum in Avium corpora abeant, &c. *Quæ quidem mihi minimè veriſimilia videntur, ſed longè infra naturalem Animorum humanorum dignitatem poſita. Præterea durum planè eſt commentum nullas admittere brutorum animas præter humanas quæ ipſorum corpora actuent & informent; ſatiſque abſurdum, partem animabus humanis, partem brutorum propriis informari, cùm nullum omnino appareat diſcrimen in effectis. Denique cùm plurima ſaltem ex brutis Spiritus animales habeant æquè tenues & claros (quemadmodum ex oculis deprehendere licet) atque plerique homines, mirum profectò eſt ea liberioris cujuſdam rationis manifeſta non edere ſpecimina; &, cùm loqui poſſint, quod factum videmus in Pſittacis & Picis aliiſque id genus alitibus, pro re nata tamen aptè & appoſitè vocibus non poſſe uti. Equidem ſi humanæ Animæ eſſent, hoc eſt, ex intima eſſentia rationales, cùm tam puros agileſque Spiritus habeant, incredibile eſt quin ſuæ Rationis fructus ſatis conſpicuos interdum, quinimò frequenter, ederent.*

Plaſtica igitur Animæ humanæ non eſt omniformis, *ut* Spiritus Naturæ, *ſed* Hominiformis *tantùm. Quemadmodum verò* Spiritus Naturæ *omnes formas Mundanas ſingularúmque partes ſingulas in ſingulis ſui punctis* vitaliter *complectitur* (Spiritûs *enim* Naturæ *vita omniformis,* Divino Intellectui, *quantùm ad Mundum,* omniformi *reſpondet*) *itâ ſanè Animæ humanæ* Plaſtica *& totam humanam formam ad juſtam amplitudinem explicatam, omnéſque illius gradus partéſque ac particulas, in ſingulis quaſi ſui punctis* vitaliter *continet: Ut deſinat quis mirari aut* Spiritum Naturæ *aut Humanæ Animæ* Plaſticam *per totam fœtûs formationem omnéſque Incrementi gradus munere ſuo* Plaſtico *poſſe fungi.* Hominiformis *enim illa* vita *ſecundùm omnes illius partes ac gradus, ubique Animæ* Plaſticæ *inexiſtens pro re nata exeritur, contractæque partes in ſe eòdem omnes conſpirant, eandémque, per totum proceſſum, formam Materiæ imprimunt, ſed majorem in ſingulis partibus pro corporis incremento ac majorem, donec ad juſtam ſtaturam perventum ſit. Qui* Spiritûs Naturæ *operationem rectè intellexerit, in Animæ* Plaſtica *nullam inventurus eſt difficultatem.*

Sect. 15. Animam humanam immortalem eſſe, &c. *Non ſolùm illius Intellectum quem* Ariſtoteles, *τὸν νοῦν appellat, Animam nempe quatenus Intellectualis eſt, ſed totam Animam. Ipſam enim facultatem intelligere ridiculum eſſet, cùm modus tantùm ſit, nec poſſet ſeparari à ſubjecto & ſeorſim eſſe immortalis, nec* Intellectualis *pars Animæ ſine* Plaſtica *exiſtere, cùm Anima ſit indiſcerpibilis. Tota igitur Anima Immortalis eſt agereque poteſt exuto Terreſtri vehiculo.*

CAP. XIII.

1. *Pars tertia Reſponſionis ſecundæ, Statûs priſtini oblivionem haud firmum eſſe argumentum contra Animæ Præexiſtentiam.* 2. *Quæ ſint* Oblivionis *cauſæ præcipuæ.* 3. *Eas omnes conſpirare, idque gradu ſummo, ad* memoriam alterius Statûs *abolendam.* 4. *Caſus & morbos ademiſſe prorſus memoriam rerum in hac vita.* 5. *Extra miraculum fieri non poſſe ut Anima ſuperioris ſuæ conditionis recordetur.* 6. *Pars quarta Reſponſionis ſecundæ, Animæ præexiſtentis introitum in corpus æquè commodè intelligi poſſe ac vel* Creationem *vel* Traductionem.

1. QUod ad reliquas difficultates duas attinet, *Animæ recordationem prioris ſui Statûs, & corpus ſubingrediendi rationem,* his etiam, priore maximè, nullo negotio, ſpero, memet expediam. Nam ſi conſideremus quæ res illæ ſint, quæ memoriam noſtram in hac vita vel prorſus tollunt, vel vehementer debilitant, inveniemus earundem rerum omnium conſpirationem, eámque gradu majori, & à fortioribus cauſis, contineri in deſcenſione noſtra in terreſtre corpus, quàm quæ hîc uſpiam exiſtant; cùm nulla earum tam violenter agat, ut nos è corpore exturbet.

2. Quæ memoriam noſtram hîc tollunt, præcipuè hæc ſunt; primò, quòd nulla nobis oblata eſt occaſio per quam rei alicujus commoneamur; id quod multis uſu venit, qui ſurgentes bene certi ſe nocte ſuperiore ſine ullis inſomniis quieviſſe, priùs tamen quàm ad lectum ſe rurſus recipiant, longam atque integram ſeriem ſibi ſuperiori quiete viſorum, per quidpiam de die accidens recuperârunt; abſque quo eſſet inſomnium ſuum nunquam in mentem revocâſſent. Secundò, deſuetudo de re aliqua cogitandi; quâ re fit, ut, quod pueri in ludo verſantes diligentiſſimè meditati ſumus, elaboravimus, noſtríſque ipſorum manibus deſcripſimus, id adultiores jam facti pro noſtro agnoſcere non poſſemus, niſi quòd nomen noſtrum commentationi ſubſcriptum videamus. Poſtremò, magna aliqua mutatio in conformatione & temperamento corporis, ſive externo caſu, ſive graviore morbo, ſive ſenectute, quæ ipſa ſatìs gravis eſt morbus, ea inferatur: hæc memoriam ſæpenumero vehementer debilitant, ſi non prorſus tollunt, tametſi anima in eodem adhuc corpore permaneat.

3. Hæ verò cunctæ oblivionis cauſæ, Commonefacientis carentia, Deſuetudo cogitandi, & Gravior corporis mutatio, in deſcenſu animæ in terreſtres hos carceres eminentiùs cernuntur, quàm, dum in illis verſetur, accidere aut aliquamdiu durare queant. Eſt enim admodum veriſimile, inter illam rerum ſcenam, quas anima extra corpus & quas in corpore videt, plus intereſſe, quàm inter ea quæ dormiens videt, & quæ vigilans: & ingens illa rerum negotiorúmque præſentis vitæ turba, quæ menti perpetuò occurrunt & occupant, deſuetudinem de priore cogitandi longiſſimam faciunt. Nè memorem quàm probabile ſit Animas vix unquam huc deſcendere niſi è Statu *ſilentii* & *Inactivitatis,* in quo myriades earum, ut hujus dogmatis aſſertores obtendent, propter innumeras periodorum vitæ Aëriæ expirationes, proptérque anguſtiores leges terreſtrem materiam præparandi, multis fortè ſæculis detineri poſſunt. Denique, * deſcenſus Animæ in terreſtre corpus major eſt mutatio & perniciosior ad recordationem earum rerum penitus delendam, quarum antè notitiam habuiſſet, quàm caſus ullus aut morbus eſſe poteſt ad iſtarum rerum oblivionem inducendam, quas in hac vita cognôſſet.

4. Morbos tamen varióſque caſus memoriam omnem funditus ſuſtuliſſe, hiſtoriæ monumentis abunde proditur. *Meſſalla Corvinus* ſui ipſius nominis oblitus eſt; quidam ictu lapidis, quicquid habuit literarum; alter, excuſſus equo, matris & cognatorum nomina. Studioſus quidam *Monſpeſſulanus,* vulnere accepto, eouſque memoriam deperdidit, ut prima elementa de novo diſcere coactus eſſet. Idem accidit *Franciſcano* à febre. Refert etiam *Thucydides* quoſdam à dira illa peſte *Athenienſi* convaleſcentes, non tantùm nominis vultúſque amicorum oblitos eſſe, verùm & ſui ipſorum, ipſi qui eſſent, quóve nomine appellati, planè ignorantes:

> *Atque etiam quoſdam cepiſſe oblivia rerum*
> *Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi;*

De Nat Rer. lib. 6.

ut *Lucretius,* in lue iſta exitiabili è laudato Hiſtorico deſcribenda, dolenter memorat.

5. Quapropter ſine miraculo fieri non poteſt, ut anima ſingularem circumſtantiam ullam prioris conditionis ſuæ recordetur, etiamſi revera *præextiterit*, atque agere potuerit, antequam corpus hocce ingrederetur, (potuiſſe autem apertè agnoſcit *Ariſtoteles*) quoniam deſcendendo in corpus longè majorem mutationem ſubiit, quàm quanta ei unquam in illo verſanti accidere poteſt. Quod fortè nobis adhuc exploratius erit, cùm de ratione deſcenſionis ejus diſſeruerimus, in quo ultima difficultas objecta continetur.

6. Hanc ego controverſiam facilè declinare poſſem, dicendo, *Præexiſtentis* animæ ingreſſum in corpus æquè intelligibilem eſſe ac *Creatæ* aut *Traductæ*. Nemo enim mortalis ſcit quomodo noviter-creata anima infundatur à Deo; neque, ſi à parentibus traducitur, quomodo ambæ animæ ad novam conflandam conferant. Etenim ſi de maris anima pars aliqua deciditur, cùm in matricem fœminæ ſemen ſuum injicit, pars item de anima fœminæ, quæ cum maris parte conjungatur; præterquam quòd hæc de animabus partium deciſio animam facit eſſentiam *diſcerpibilem*, intelligi non poteſt quomodo hæ duæ partes unam animam conficiant infanti: res ſanè vel primo aſpectu ridicula. Sin nulla ſit partium animæ deciſio, & tamen anima parentis ſit animæ infantis cauſa, eſt omnino *creatio*; quod ſani omnes negant creaturæ ulli particulari competere poſſe. Conſtat ergo intelligi non poſſe, quo modo ulla anima à parentibus tranſeat in ſemineum rudimentum fœtûs, ad illud actuandum & informandum: quod Opponentis ori opprimendo ſufficiat, qui *præexiſtentium* animarum in ſua corpora ingreſſum neſcio quantis tenebris involvi clamitat.

SCHOLIA

In CAP. XIII. SECT. 3.

DEſcenſus Animæ in terreſtre corpus major eſt mutatio & pernicioſior ad recordationem earum rerum penitus delendam, &c. *Objicitur hìc à viro quodam ingenioſo hanc rationem ab eis quæ occurrunt cap.* 15. *ſect.* 7 *&* 8. *haud parùm enervari. Nam ſi animæ eorum qui in Ecſtaſi ſunt vel in perfecta potiùs* αφαιρεσίᾳ, *è corpore per Aerem evagantur, facta hominum in locis longè diſſitis contemplantur, & memoriâ fideliter retinent, narrántque quæ conſpexerint, poſtquam in corpora denuò ſint ingreſſæ; quemadmodum* Cornelii *ſacerdotis Anima fertur, corpore* Patavii *in* Italia *jacente, pugnam inter* Cæſarem *&* Pompeium *in Campis* Pharſalicis *conſpexiſſe, omnéſque illius circumſtantias,* Cæſariſque *victoriam prænarrâſſe, nec prælii tantùm exitum, ſed omnes quoque pugnandi reciprocas vices accuratè deſcripſiſſe, poſtquam in corpus rediiſſet; nec memoria utique Animarum humanarum, ſi præexiſtant, vitámque antè egerint in vehiculis aereis, rectè cenſeri poteſt ingreſſu in terreſtria corpora extingui, quo minùs anteactæ vitæ rerúmque in ea geſtarum queant recordari. Nolo hìc urgere rem apud* A. Gellium *ſic narrari ac ſi ſimplex ecſtaſis eſſet, non perfecta* ἀφαιρεσία. *Nam & ipſe ſuſpicor* A. Gellium *rem aliter accepiſſe atque facta ſit,* Marſilióque Ficino *potiùs accedo qui perfectis* ἀφαιρεσίαις, *ſi rectè memini, accenſet. Reſpondeo verò virum ingenioſum obſervare potuiſſe rationem inter hujuſmodi* ἀφαιρεσίας, *& deſcenſus animarum in terreſtria corpora, longè eſſe diſparem. Neque enim* ἀφαιρεσία *à ſimplici Ecſtaſi profundiorive ſomno, quantùm ad ullam corporis mutationem, multùm differt, ſed temperies,* Spiritûs Naturæ *miniſterio, quaſi integra conſervatur, Animáque poſt regreſſum omnino ità ſe habet ac ſi egreſſa non fuiſſet, niſi quòd memoriæ illius impreſſa ſit rerum in locis longinquis viſarum ſcena, quas, ingreſſus in corpus, cùm ſit aſſuetâ temperie, non magìs extinguit, quàm ſi viſæ fuiſſent in corpore. Impreſſiones enim ſpecierum in ipſam Animam fiunt, nec ſubitò delentur non mutatâ in pejus corporis temperie. Quod hìc non accidit. Longè verò ſecùs ſe res habet in deſcenſu Animæ è vehiculo Aereo in corpus terrenum, ubi inter madores uteri plantæ potiùs vitam agit, quàm Animalis; ut omittam ſtatum ſilentii. Cùm in* ἀφαιρεσίᾳ *nulla ſit cogitationum intermiſſio, ſed functiones vitæ etiam* Intellectualis *adhuc vegetæ conſervantur. Tam parùm valet hæc objectio contra* Præexiſtentiam *Animarum.*

CAP. XIV.

1. *Differentiæ* Vehiculorum, *&* unionis animæ *cum eis cognitio, neceſſaria eſt ad intelligendum quemadmodum illa Corpus hoc terreſtre ſubeat.* 2. *Quanquam nomen* Vehiculi *in* Ariſtotele *non ſit, eſt tamen res ipſa.* 3. Ariſtotelis *Notio Vehiculi illuſtratur ex Philoſophia* Carteſiana. 4. *Plena interpretatio textûs ejus.* 5. Ariſtotelem *duo duntaxat vehicula ſtatuere,* Terreſtre *&* Ætherium; quod plus ſatis eſt ad probandam animæ oblivionem ſtatûs ſui priſtini. 6. Vehiculum *animæ poſt mortem uſitatè* Aërium *eſſe.* 7. *Duratio animæ in ſingulis ſuis* Vehiculis. 8. Unionem *animæ cum* Vehiculo *ſuo non conſiſtere in congruitate* mechanica *ſed* vitali. 9. *In quo ſita ſit* vitalis congruitas *materiæ.* 10. *In quo* vitalis congruitas *Animæ*; *& quomodo, eâ mutatâ, anima libera eſſe poſſit à Vehiculo ſuo* Aërio, *ſine violenta præcipitatione ſui ex illo.* 11. *De modo deſcenſûs Animarum in Corpora terreſtria.* 12. *Tam parum abſurditatis eſſe in Animarum* præexiſtentia, *ut conceſſio ejus paulum admodum detrimenti allatura ſit demonſtrationibus noſtris Immortalitatis earum.*

1. Utiliùs autem me tempus ac operam poſiturum arbitror in ſententia, quam hîc defendo, illuſtranda, quàm in intricanda altera, quæ per ſe adeò abſurda eſt, ut nemo eam vel poſſibilem ſit conceſſurus, qui naturam animæ penitus perſpexerit: quò meliùs itaque concipiatur, quomodo *præexiſtens* anima terreſtre corpus ſubeat, in res duas inquirendum eſt; *Differentiam Vehiculorum* animarum, & *Cauſam unionis* animarum cum vehiculis. * Tria vehiculorum genera præcipuè memorant *Platonici, Ætherium, Aerium,* & *Terreſtre*; in quibus ſingulis multi puritatis & impuritatis gradus eſſe poſſunt, ſpecie non mutatâ.

2. *Vehiculorum* notio & doctrina, quanquam ſæpiùs in *Platonis* Schola memoretur, non prorſus tamen ab *Ariſtotele* prætermittitur, utì videre licet in de *Generat. Animal.* ubi, nomine quidem non uſus, rem ipſam tamen clarè agnoſcit: affirmat enim manifeſtò, Animam unamquamque participare corpus à terreſtri corpore organizato diſtinctum, & *divinius* iis quæ elementa vulgò vocantur; & quo quæque anima nobilior, nobilius divini hujus corporis genus ſortiri; quod tamen illi non aliud eſt quàm calor in ſemine, τὸ ἐν τῷ σπέρματι καλούμενον θερμὸν, qui non ignis eſt, ſed ſpiritus ſpumoſo in ſemine contentus, & in hoc ſpiritu Natura *elemento Stellarum analoga.* *Lib.2.cap.3.*

3. Cujus quidem rei nec ipſe *Ariſtoteles* habuit, nec quiſquam alius adeò explicitam notionem habere poteſt, ac ii qui primum ſecundúmque elementum *Carteſii* intelligunt, quæ ſubtiliſſima atque actuoſiſſima ſunt omnium corporum, & ejuſdem planè naturæ cujus ſunt *Cœlum* & *Stellæ*, i. e. ſunt ipſum corpus lucis, (quod de primo elemento præcipuè intelligi debet) ità verò cum alia materia hîc commiſtum ut non luceat, baſis tamen eſt nativi caloris omnis qui in cunctis generationibus cernitur, & proximum inſtrumentum animæ materiam quamlibet organizantis in formam animalem; id quod ‖ alibi innui, cùm *Spiritus immediatum animæ inſtrumentum in omnibus vitalibus animalibúſque functionibus eſſe probârim.* Quibus in ſpiritibus neceſſariò continetur cœleſtis hæc ſubſtantia, quæ nè concreſcant prohibet; quod item facit in cunctis aliis corporibus liquidis, quorum in poris non poteſt non ineſſe, cùm nullum vacuum ſit in natura univerſa. ‖ *Lib.2.cap.8.*

4. Plenum ergo atque expreſſum textûs *Ariſtotelis* ſenſum hunc eſſe oportet; in ſpumeo ac aqueo aut terreno ſeminis humore contineri corpus ſpirituoſiori ſeu aëriâ conſiſtentiâ, & in hoc φύσιν ἀνάλογον οὖσαν τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, * *naturam Stellarum elemento ſimilem,* per ſe ſcilicet *ætheriam* & *lucidam.*

5. Et in hoc vehiculo *Ariſtoteles* animam ſeparatam agere videtur aſſerere; tanquam ſi illa ſemper eſſet aut in *terreſtri* aut in *ætherio* corpore: quod ſi verum ſit, ingens hæc mutatio recordationem ſuperioris ſuæ conditionis omnem obliteret neceſſe eſt, ubi ſemel in terreſtrem hunc carcerem detruſa ſit. Mihi verò non adeò veriſimile videtur, ut Natura tantum admitteret hiatum; nec opus eſt, ad hanc rem explicandam, ut eum ſupponeremus: deſcenſio enim animæ ex aërio vehiculo in terreſtre corpus udáque rudimenta vitæ, quibus fœdè oblinitur, plùs ſatìs eam conſopiet in ſempiternam rerum omnium oblivionem, quæ ipſi in altera conditione ſua acciderint; nè quid dicam de longo illo *Silentii* & *Inactivitatis* ſtatu quem antè paſſura eſt, quàm vices ſuæ redeant in terreſtri corpore reviviſcendi.

6. Quamobrem *Platonicorum* opinioni antè memoratæ, quæ ordinis naturæ obſervantior eſt, ego adhuc inhærens non verebor aſſerere, animam in *aerio* corpore pariter ac in *atherio* poſſe vivere & agere; & pauciſſimos homines adeò beari, ut à *terreſtri* dimiſſo *cæleſte vehiculum* continuò ſortiantur; * curru illo cœleſti nos neceſſariò ad fœlicitatem vehente ſummam quam capere poteſt humana anima: quæ tam malis quàm bonis promiſcuè accideret, ſi *terreſtri* corpori exuto *cæleſte* ſtatim ſuccederet. Animæ itaque humanæ, non ſummâ atque heroicâ virtute præditæ, in finibus aëris caliginoſi *Nemeſi* juſtiſſimâ concludentur; quod & ipſa monet ratio, & *Platonici* unanimiter ſtatuêre.

7. Trium horum generum *vehiculorum* differentiam quoad puritatem & conſiſtentiam mediocriter deſcripſimus. Addunt *Platonici* & durationis diſcrimen, per quod fit ut alia aliis diutiùs recipiendis animabus ſuâ naturâ apta ſint. Breviſſima omnium duratio eſt *vehiculi terreſtris*. In *aerio* multis ſæculis, ut illi definiunt, habitare poteſt anima, in *ætherio* in perpetuum.

8. Atqui parum hoc facit ad illuſtrandam rationem deſcenſûs animarum εἰς γένεσιν, quæ certè aliunde meliùs intelligi non poteſt, quàm conſiderando *unionem* earum cum corpore generato, imò cum corpore quocunque ubi anima vinculis tenetur, & unde imaginationis ſuæ voluntatíſque ſponte eximere ſe nequit. Quæ enim eſſe poteſt cohæſionis hujus cauſa, cùm ipſa eſſentia animæ materiam tam facilè penetrare valeat, omníſque omnino materiæ dimenſiones ubique ſint peræquè penetrabiles? Nam cùm nihilo plus ſit corporis ſeu materiæ in vaſe quod plumbo, quàm in eodem quod aquâ plenum eſt, nec plus cùm aquâ, quàm cùm aëre alióve quocunque ſubtiliore corpore impletur; perſpicuum eſt craſſitiem materiæ ubique parem eſſe, & animæ pariter perviam & penetrabilem. Atque ideo concipi non poteſt quo modo anima ità cum ulla ejus parte uniatur, ut penès ipſam non ſit, quandocunque viſum erit, huc illuc per eam univerſam perlabi.

Conſtat igitur *unionem animæ cum materia* non craſſam & *mechanicam* illam eſſe quæ in duobus corporibus cernitur, propter lentam viſcoſitatem arctámve partium commiſſuram, ſibi mutuò inhærentibus; ſed ex congruitate quadam diverſi planè generis oriri, quam ego, quia nihil aptius occurrit, vitalem dicerem: *congruitas* hæc *vitalis* potiſſimùm eſt in *anima* ipſa, Principio vitæ præſtantiſſimo; eſt item in *materia*, ubi nihil aliud eſt quàm talis ejus modificatio, quæ *Plaſticæ* parti animæ congruat, & in actum eam provocet.

9. Non quòd ulla *vita* ſit in *Materia* quîcum vita in anima ſympathiâ quadam uniatur; ſed *vitalis* propterea dicitur, quòd materia per eam ſubjectum fit idoneum, in quo anima reſidere vitæque functiones exercere queat. Quod enim vitam non habet ipſum, illud quod habet alligare ſibi poteſt. Quemadmodum dentibus aut auribus teneri dicuntur, qui voluptate detinentur eâ, quam ex ſuavitatibus aut muſicis aut cupidinariis percipiunt. Quod tamen edunt vitæ expers eſt, utì & illud quod harmoniam facit, ſive inſtrumentum, ſive aër qui ſonum perfert. Nihil enim in his verſatur præter meram materiam & corporeum motum, vitales tamen functiones noſtræ ab iis afficiuntur. Jam ut perceptivam partem animæ * *vitaliter* affici videmus eo, quod vitæ expers eſt, ità conſentaneum eſt *Plaſticam* partem ejus ſimiliter affici poſſe, & harmoniam quandam eſſe poſſe inter materiam certo modo modificatam, & facultatem illam quam *Plaſticam* vocamus, quæ omni perceptione caret. Et in hoc uno conſiſtit id quod diximus *vitalem* congruitatem materiæ præparatæ, ſive formandæ, ſive jam formatæ, in perfectam animalis formam.

10. *Vitalis congruitas* ea quæ eſt in anima, *Plaſticam* partem animæ intelligo, analoga eſt voluptati illi quæ à ſenſu percipitur, vel potiùs facultati voluptatem illam capiendi, cùm ſenſus motibus jucundis aut extrinſecus allatis aut in ipſo corpore excitis vehementer delinitur, animi ingratiis. Motus enim nonnulli ſunt perceptu jucundi, velit nolit judicium noſtrum. Quod hæc congruitas materiæ eſt *perceptivæ* parti animæ, idem altera *plaſticæ*. Irreſiſtibilis igitur ac imperceptibilis eſt voluptas, ſi ità eam appellare liceat, ex congruitate materiæ ad *plaſticam* animæ facultatem orta, quæ animam certámque materiam ſimul connectit: quâ mutuâ congruitate utrinque manente, unio, ut minimum dicam, perinde neceſſaria erit ac comeſtionis potationíſque continuatio, ubi fames ſitíſque adhuc durent, & cibus potúſque grati ſint & ſalubres. Quòd ſi aut ſatietas ventriculum capiat, aut ſapor ingratus corrumpat cibum, congruitas ex utravis parte peribit, & tum actio intercidet cum voluptate ejus. Atque hanc ipſam ob cauſam anima *vehiculum* ſuum *aerium*, intra certam ſæculorum periodum, dimittere intelligatur, id quod *Platonici* affirmant, ſine ulla ſui ex eo præcipitatione.

11. Qui *funes* aut *vincula* animam ad Corpus aut aliud quodcunque *vehiculum* deligent, quàm potui luculenter explicavi. Unde deſcenſûs ejus ratio facilè intelligetur. Nam certè qui *funes* illam ibi deligant, iidem & illuc adducere poſſunt: *ubicunque enim cadaver ſit, illuc congregabuntur aquilæ.* Non quòd opus ſit ut facultate ſuâ *perceptivâ* in deſcenſu utatur, quemadmodum accipitres & milvi, viſu aut odoratu duce, ad prædam rectà contendunt: ſed cùm intra generationis atmoſphæram (ut ità loquar) ſit poſita, & facultas ejus *plaſtica* vapore inviſibili afficiatur, (ut aves carnivoræ quæ cibum ſuum eminus ſubodorantur) fataliter rapi poteſt, perceptionibus omnibus conſopitis, ad materiam illam, quæ tam eſt idonea ſedes & ſubjectum, in quod vim ſuam efformatricem exerceat. Etenim virtus Sphæræ hujus *Magicæ*, ut ità dicam, quæ animas in terreſtria corpora deducendi vim habet, quo centro propior eo fortior eſt; anima idcirco non antè ſubſiſtet, quàm in ipſam materiam illam delapſa ſit, quæ radios aut fumos illos illices ſubtiliſſimos exhalabat.

Ex quo facilè intelligitur, animas brutorum etiam, quanquam extra *terreſtre* corpus *perceptivam* facultatem ſuam exercere non valeant, in lucem tamen iterum certiſſimò redire poſſe, quotieſcunque materia rite ad generationem præparata ſit. Hæc una hypotheſis eſt, eáque illis maximè intelligibilis, quibus tantopere placet opinio permagnarum ſphærarum, quas cogitant, atomorum emiſſariarum.

Eſt etiam altera, Vis nimirum & Activitas *Spiritûs Naturæ* vel inferioris Animæ Mundi, quæ certè non minùs idonea eſt nec minùs valet ad animas ſingulares tranſvehendas, quàm ad partes materiæ movendas. Sed de hoc ‖ infrá.

‖ *Lib. 3. cap. 13. ſect. 9.*

12. Quæ jam dicta ſint ſufficiunt in præſentia ad illuſtrandam obſcuritatem & incomprehenſibilitatem huic myſterio non rectè imputatam. Plenè itaque jam confirmavi quatuor partes reſponſi ad Objectionem illam, quæ argumentorum meorum firmiſſimorum pro immortalitate animæ vim labefactatum ibat, claréque probavi, tametſi hæc ſequela, *Animas & hominum & brutorum præexiſtere*, ex iis neceſſariò proflueret, nihil tamen in hoc dogmate vel abſurdi vel incommodi ineſſe, ratione æquâ & liberâ rem judicante. Quare hunc obicem amolitus, ad *actualem ſeparationem Animæ à Corpore* demonſtrandam alacriùs progrediar.

SCHOLIA

In Cap. XIV. Sect. 1.

TRia Vehiculorum genera præcipuè memorant Platonici, &c. *De his tribus vehiculis plura occurrunt in capite proximè ſequenti ubi agitur de triplici* congruitate vitali.

Sect. 4. Naturam Stellarum elemento ſimilem, &c. *Hic locus ſæpiùs occurrit apud* Harvæum *in Tractatu de* Generatione Animalium, *Exercit. 29. Semen autem, Conceptus atque Ovum ejuſdem generis ſunt, & quod fæcundum facit in eis omnibus idem aut conſimilis Naturæ, ídque* Divinum, *analogon Cælo, Arti,* Intellectui *ac Providentiæ. Ad eundem ferè ſenſum loquitur Exercitat. 46. Ubi Principium illud quod fætum efformat, tanquam incorporeum quid & extrinſecus adveniens conſiderat, quod (ut Ars vel Mens) cum intellectu & providentia fætum effigiet, omniáque illîc in finem & ad melius eſſe inſtituat atque ordinet, quod Principium eodem* Ariſtotelis *loco ſubindicari innuit. Quòd autem heîc* Harvæus *Divinum quid ſubeſſe autumet in iſtis vocibus [Natura analoga elemento aſtrorum] indè fieri cenſeo, quòd* Ariſtoteles, *intelligens Principium veréque Divinum in ſolis Cælis conſtituerit; atque proinde efficaciam hujuſmodi Principii huc etiam pertingere indigitat. Nos autem* Spiritum Naturæ *omniformem, non Cælo aut Aſtris ſed Divino* Intellectui *reſpondentem, in iſtiuſmodi Animalium efformationibus agere contendimus. Eſtque hoc illud Divinæ Sapientiæ Ectypum, quod rerum naturalium ſolertiſſimus* Harvæus *palpando quaſi aſſequi conatus eſt, & à cujus tamen diſtinctiori quidem Notitia excidit.*

Sect. 6. Curru illo cœleſti nos neceſſariò ad felicitatem, &c. *Nam currus hic cæleſtis nunquam* Divino elemento *deſtituitur in Animabus humanis* Regenitis.

Sect. 9. Vitaliter affici videmus eo quòd vitæ expers eſt, &c. *Ità certè nobis videtur. An verò ſic afficeretur ſine* Spiritu Naturæ, *nova eſt controverſia. Attamen licèt non ſine concurſu* Spiritûs Naturæ, *modò cum ejuſdem Spiritûs concurſu à Materia, cum qua unitur, afficiatur, par utrobique eſt ratio.*

CAP. XV.

1. *Quid per Animæ* ſeparationem *intelligendum ſit ; cum refutatione* Regii, *qui in Corpore mortuo eam detinere vellet.* 2. *Reſpondetur illis, qui neſcire ſe prorſus profitentur, quomodo anima è corpore expedire ſe queat.* 3. *Triplicem* Congruitatem vitalem *reperiri poſſe in ſubjectis tribus diverſis.* 4. *Triplicem hanc* Congruitatem *etiam uni ſubjecto competere, viz. Animæ humanæ.* 5. *Qua ex hypotheſi optimè intelligi poteſt, quemadmodum Anima Corpus relinquat.* 6. Unionem *animæ cum vehiculo* Aëreo *admodum ſubitò & quaſi momento perfici poſſe.* 7. *Actu ſeparari à corpore Animam, aut* Hiſtoriâ *aut* Ratione *probari oportere. Exempla prioris generis è* Plinio, Herodoto, Ficino. 8. *Utrùm Sagarum* ecſtaſis *probet actualem animæ ſeparationem à corpore.* 9. *Realem hanc animæ* ſeparationem *in* ecſtaſi *admodùm poſſibilem eſſe.* 10. *Quomodo anima ſoluta ſit & exeat de corpore, & tamen illuc iterum redeat.* 11. *Quanquam* Ratio *&* Voluntas *in hac vita Animam corpore relaxare nequeant, poſſe tamen* Paſſionem; *atque ità tamen ut ea revertatur denuo.* 12. *Singularis vis* Deſiderii *in hanc rem.* 13. *De ecſtaſibus* Cardani, *& veneficarum unguento, & quid de earum confeſſionibus ſentiendum ſit.*

1. Actualem ſive localem ſeparationem animæ à corpore quum dico, manifeſtò conſtat eam de *terreſtri* hoc corpore intelligi debere. Nam in ſtatu ſeparato eſſe iſtiuſmodi, ubi corpus nullum ſit, materia nulla, næ hoc eſt extra mundum eſſe: tota enim rerum univerſitas ità materiâ ſeu corporibus obſidetur, ut nulla planè in ea vacuitas reperiri poſſit. Mens igitur quæſtionis hæc eſt, an anima à morte obita è cadavere ſe aliò recipere poſſit. *Henricus Regius* eam illîc detinere velle videtur *Philoſoph. Natur. lib. 5. cap. 1. pag. 351, 352.* communi illâ lege naturæ, lege *immutabilitatis* dictâ; quâ quidque in eo ſtatu manet in quo ſit, donec indè ab alio deturbetur. Verùm hac in cauſa iniquiſſima eſt legis applicatio. Nam, ut ſuprà innui, unio animæ cum corpore ſub certis eſt conditionibus; nec quæque materiæ pars idonea quacum anima quæque uniatur, ut olim ſolidè quidem ſtatuit *Ariſtoteles.* Quamobrem certâ illâ conditione materiæ non ſervatâ, anima non diutiùs aſtringitur corpori. Quod hîc habet ad ſententiam ſuam confirmandam, tam eſt arbitrarium, puerile, & ridiculum, ut ſine reſponſo, quo dignum non eſt, præterire libeat.

2. Sunt alii quorum imaginatio hîc hæret, quî queat ſcilicet anima è corpore exire, in quo tanquam arcta in cuſtodia tenetur & obſeratur. Verùm hi tum naturæ ipſius animæ, tum tenuitatis vehiculi ejus, tum etiam corporis anatomiæ, immemores eſſe videntur. Nam cùm anima ſuâ naturâ materiam penetrare poſſit, cúmque materia peræquè ſit penetrabilis ubique, illa ſolidum ferrum & marmor, perinde ac mollem aërem aut æthera pertranſire valebit; quare corporis ſui denſitas neutiquam impedimento futura eſt animæ exeunti. Præterea, eâ tenuitate eſt vehiculum ejus *Aſtrale*, ut hoc ipſum æquè valeat minimos corporis poros pervadere, ac lux vitrum, aut fulmen enſis vaginam ſine omni aut diſciſſione aut uſtulatione. Denique ſive principem ſedem virtutis *plaſticæ*, Cor, ſive *perceptivæ*, Cerebrum ſpectemus, anima hominis morientis ſéque ſpirituúmque quod reliquum eſt (qui ei fortè in novo vehiculo inchoando inſerviant) vel in Cor colligere poteſt, unde facilis eſt tranſitus in pulmones, atque indè per os in liberum aërem exitus; vel in Caput, unde plures patent fores quàm mihi nunc numerare vacat. Hæc oppidò quidem facilia ſunt intellectu, tametſi æquè inviſibilia ac aër ipſe, in cujus ditione fiunt.

3. Quò tamen pleniùs adhuc intelligantur, Facultatem illam in *Plaſtica* parte animæ, quam *congruitatem vitalem* dicimus, denuo conſiderabo. * Quam, pro numero *vehiculorum*, triplicem ſtatuemus, *terreſtrem, aeream*, & *æthercam* ſive *cœleſtem*. *Congruitates* has *vitales* omnes, aliam aliis, ſpiritibus ineſſe, liquidiſſimò conſtat. *Terreſtrem* enim & in brutorum & in noſtris animabus ineſſe, eſt extra controverſiam poſitum; utì etiam *aeream* in illis eſſe, quos Δαίμονας vocitârunt veteres; *cœleſtem* denique ſeu *æthercam* in ſpiritibus iis, quos propriè Θεὺς appellârunt, utpote cœli incolas. Eſſe autem iſtiuſmodi entia *aerea* & *etherea*, quæ terreſtribus animalibus analoga ſint, luculentiſſimè demonſtrabitur, ſi naturam Dei cum mundi phænomenis conferamus.

Nam tellus hæc animantibus referta, immo adde ſi vis Planetas omnes quotquot ſint in mundo, hóſque etiam habitatos finge, non tamen omnes conjuncti tantam habent proportionem ad reliquam materiam liquidam Univerſi, (quæ hoc nomine aptior eſt ut fiat vitæ vehiculum) quantam ſingulare ſemen cumini ad telluris globum. Quàm ridiculum verò foret, reliquâ terrâ omni neglectâ, unicam partem ejus coli & habitari, nihilo cæteris meliorem, nec majorem ſemine minutiſſimo? Quod idem de aëris ambitu dici poteſt; quamobrem neceſſe eſt ut fines rerum ultrà proferamus, & tam *ætherea* quàm *terreſtria aereáque* animalia exiſtere fidenter affirmemus.

4. Liquet ergo *tres* illas *congruitates* ſingulas in ſingulis ſubjectis reperiri poſſe; at enim in uno eas omnes ſimul reperire, ídque in anima humana, hoc eſt quod ad rem noſtram inprimis facit. Et commodam quidem ac facilem deprehendendæ rei anſam dabit, conſiderare quàm immane inter eas facultates interſit, quas *perceptivæ* parti animæ ineſſe certò comperimus, útque pro re nata emergant, ex aliarúmque conſopitione aliæ expergefiant. Neque enim majus ſummam inter ac infimam *Congruitatum vitalium* in *Plaſtica* diſcrimen eſſe poteſt, quàm inter ſummam atque infimam facultatum cernitur de *Perceptiva* emanantium. Etenim perceptiones quædam eædem ipſæ ſunt quas & *Beſtiæ* habent; aliæ verò haud multò inferiores perceptionibus *Angelorum* quos dicimus; aliæ planè *brutales*, aliæ *divinæ* prorſus: quidni ergo donetur *Plaſtica* pars animæ tantâ facultatum latitudine, ut *tres* illas *congruitates vitales* omnes in ſe unà complectatur, quâ re fiet ut tam cum *cœleſti* & *aereo* quàm cum *terreſtri* iſto corpore *vitaliter* uniri queat? Immo verò tam libera eſt támque multifaria natura humana, ut convitium Providentiæ facere videretur, qui in ſingulis hiſce vehiculis vivendi facultatem negaverit; quia abſque hoc manca foret divina illa *Nemeſis* quæ mundum gubernare creditur.

Procul omni verò dubio quod optimum eſt, id abs æterna ſapientia & juſtitia proviſum eſt atque conſtitutum: & niſi nihil planè dicere velimus, dicendum eſt profectò nobis, qui nil præter facultates noſtras animi habemus quo quid judicemus, proviſionem talem eſſe, qualem nos ipſi ex diligentiſſima indagatione optimam exiſtimemus. Nam cùm invidia nulla ſit in Deo, ut *Plato* alicubi dixit, putandum non eſt quin is ità noſtras facultates comparârit, ut, cùm rite noſmet ad earum uſum paravimus, illæ examuſſim rebus congruerint, quæ ipſis contemplandæ exhibeantur.

Et profectò ſi hoc loco rem diſpicere vacaret, non dubito quin oſtendi poſſet ſummè conſentaneum, ut *amphibion* ejuſmodi, qualis eſt anima humana, exiſtere debeat, elementi ſui mutandi facultate donatum, (ut ſunt animantes modò in aquis modò in terram degentes) & poſt moram aliquam in *terreſtri* vehiculo inter homines beſtiáſque conſumptam, ad cœtus *Geniorum Aereorum* in vehiculo aereo aſcendendi.

5. *Triplici* ergo *congruitate vitali* in anima humana ſuppoſitâ, facilè intelligetur quomodo ex hoc corpore emigrare poſſit. Debitâ enim corporis temperie ad retinendam animam per mortem deperditâ, *congruitas vitalis* infima objectum ſuum perdidit, & propterea abs operatione ceſſat. Idcirco ut in *perceptiva* parte animæ unius cogitationis dimiſſio alteram continuò ſubinfert, ſic & unius *congruitatis vitalis* ceſſatio alterius eſt expergefactio, ſi modò objectum aut ſubjectum adſit, quod eam ſtatim excipiat & occupet; ut adeſt certiſſimò tum in corpore, tum extra corpus potiſſimùm. Eſt enim *vitalis aura*, univerſum hunc mundum inferiorem pervadens, quæ cum vita rerum omnium conjuncta eſt & continuata, præcipuúmque ejuſdem Principium & ſuſtentaculum. Hinc *Theon* in Scholiis ſuis in *Aratum* hemiſtichium illud

-------------- Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν,

interpretatur, ſenſu verò ſecundario, de aëre, quem vocat τὸν Δία ſeu τὸν Ζῆνα τὸν φυσικὸν, *Jovem phyſicum*, in quo dicamur utcunque vivere, moveri, & eſſe: nam ſine aëre nec piſces, nec aves, nec beſtiæ ſuſtentare ſe queunt, ut qui illis omnibus proximam vitæ materiam ſuppeditat, ſpiritus animales alendo fovendóque.

Quapropter ad ceſſationem *congruitatis vitalis* infimæ, aëreâ in actum expergefactâ, & undique reperiente materiam idoneam in qua occupari poſſit, anima non poteſt non corpus derelinquere, vel ſuæ imaginationis voluntatíſque arbitrio, vel ſaltem (ut incommodiſſimum acciderit) *naturali* quadam attractione tranſvectionéve, ſi fortè attonita & perculſa, ut inter moriendum fieri ſolet, nullius planè rei tum temporis ſenſum habeat.

Quandoquidem enim Aër qui foris, ſalubrior & vitalior eſt eo qui in putidis corporis demortui cavernis ſtagnat, & tamen hic illi continuatus, tam facilè intelligi poteſt quomodo anima (*Plaſticæ* ſuæ facultate uniendi cum aëre excitatâ) ſponte naturæ è corpore in liberum aërem elabatur, quàm ut ignis aſcendat ſurſum, vel lapis deorſum cadat: neuter enim horum motuum merè mechanicus eſt, ſed *vitalis* ſeu *magicus*, in meram materiam non reſolvendus, ut in libro tertio demonſtrabo. *Cap.13.ſect.6.*

6. In immenſum autem illum vitæ oceanum, *Spiritum Univerſi* ſenſibilem, vivifico balſamo refertum, provecta anima, quid mirum ſi *Perceptivæ* ſuæ facultatis uſum ſubitò recuperet, cùm per tam auſpicatum concurſum ritè præparatæ materiæ, quîcum ſua *Plaſtica* vitaliter uniatur, in naturalem vitæ motûſque facultatem quaſi in momento regeneretur? Generationes enim hâc multò craſſiores tantillo ferè tempore perficiuntur, ſi vera ſunt, quæ de oleribus extemporaneis referuntur, non multis antè horis ſatis & decerptis quàm in menſa apponantur; ſi vera item, quæ de repentina generatione ranunculorum, ſtatim ab imbre, narrantur; quorum magna aliquando examina, tunc primùm exiſtentium, & formam & vivacitatem integram & perfectam nacta ſint, dimidiatâ pòſt horâ quàm guttæ aliquæ unctuoſiores in aridam humum decidiſſent; quod non modò è *Fallopio*, ‖ *Scaligero*, aliiſque relatum invenio, verùm ipſe fando accepi à viris fide dignis, oculatis facti teſtibus; quod item *Vaninus* accepiſſe ſe profitetur ab amico ſuo *Johanne Ginochio*, certiſſimò confirmante ſe ſuis oculis vidiſſe, menſe Julio, imbris guttam in ranam ſubitò converſam. Exemplis hujuſmodi manifeſtum fit, lentitudinem tantùm materiæ, in quam vis *Plaſtica* operatur, in cauſa eſſe, quòd in *terreſtribus* generationibus tam tardè procedat opus perficiendæ vitæ. Anima idcirco, ubi primùm cum aëre unita eſt, ictu ferè oculi certiſſimò valebit *perceptivas* functiones omnes exercere denuo, ſi fortè illas, mortis horroribus attonita, intermiſiſſet.

‖ *De Subtil. Exercit.* 323.

7. Ex jam dictis facilè intelligitur quemadmodum anima ſeparata à corpore vivere & agere poſſit. De facto autem vivere illam & agere, duobus omnino modis probari poteſt, *Hiſtoriâ* & *Ratione*. Quod ad hiſtoriam attinet, ea vel hominum eſt planè *demortuorum*, vel *ecſtaſi* obnoxiorum, ſeu potiùs illi affectûs ejus gradui qui propriè dicitur ἀφαιρεσία, cùm anima re verâ à corpore abſcedit, ad illud tamen poſtea ſe recipit. Poſterioris hujus generis exemplum eſt, quod *Plinius* refert de *Hermotimo Clazomenio*, cujus anima ſæpiùs relicto corpore paſſim vagabatur, multáſque & veras hiſtorias rerum à ſe disjunctionis ſuæ ſpatio viſarum, reverſa memorabat. Idem de *Ariſtæo Proconneſio* prodidêre *Maximus Tyrius* & ‖ *Herodotus*. Tanquam affinem his addit ‖ *Marſilius Ficinus* narrationem illam ex *Aulo Gellio*, de *Cornelio* quodam ſacerdote, qui ecſtaſi correptus, corpore tum temporis *Patavii* agente, vidit tamen prælium *Cæſarem* inter & *Pompeium* in *Theſſalia* depugnatum, & poſtquam ad ſe rediiſſet, diem, ordinem, exitúmque pugnæ accuratiſſimè retulit. Luculentius eſt exemplum illud in *Wiero* de muſtela ex ore militis dormientis prorepente: quod ſi verum eſſet, faceret nè Columba *Ariſtæi* tam fabuloſa videatur, quàm ‖ *Plinius* vult. Plurima his ſimilia inter homines vulgò memorantur, quæ, qui animam à corpore inſeparabilem putant, altè & fortiter deridet; immo & iis etiam perridicula videri ſolent, qui ſeparabilem quidem exiſtimant, credunt autem firmiſſimè, niſi in morte, nec ſeparari unquam nec ſeparari poſſe.

Hiſtor. Natur. lib 7. *cap.* 52.

‖ *Hiſtor. lib.* 4.

‖ *Theol Platon. lib.* 13 *cap.* 2.

Noct. Attic. lib. 15. *cap.* 18.

V. Antidot. lib. 3. *cap.* 11. *ſect.* 7.

‖ *Hiſtor. Natur. lib.* 7. *cap.* 52.

8. Quantum verò cunque aliis hoc incredibile videatur, *Bodinus* ſanè magnopere verum eſſe cupit, quia perſpicuè evicturum animarum immortalitatem. Et ille quidem veritatem rei ex innumeris exemplis Ecſtaſeon *Sagarum* patere exiſtimat: quas cum illo libentiſſimè agnoſcimus non eſſe naturales; perfectas verò eſſe ἀφαιρεσίας ſeu abreptiones animæ è corpore, vividus ſenſus conveniendi, ſaltandi, diabolum adorandi, convenientiúmque mutua inter ipſas recordatio & recognitio, non ‖ demonſtrabunt neceſſariò; nec ſagas ipſas revera interfuiſſe, dum corpora domi in lectulo jacerent. Confeſſionum de uno eodémque conventiculo conſenſio non niſi valde probabile argumentum eſt, ſi modò hæc corporum ſuorum derelictio ratione aliquâ poſſibilis oſtendi poſſet.

‖ *Vide Enthuſ. Triumph. ſect.* 5. *ad* 28.

Corporibus enim exutæ, ſic ferè ſunt ut alii Spiritus, & quamcunque libet formam imitari poſſunt; ità ut plurimæ ex transformationibus iſtis in lupos & feles, &c. tam veriſimiliter ipſius animæ, corpore exutæ, eſſe poſſint, quàm fieri à diabolo, corpus occupante ídque ipſo per ſe transfigurante. Et quicquid feles aut lupi iſti aërei patiuntur, ſive artuum truncationem, ſive dorſifragium, vel aliud quodvis malum hujuſmodi, ut id ipſum ſaga domi lecto cubans patiatur, hoc commodè provenire poteſt ex *Magica ſympathia*, quæ in unitate *Spiritûs Mundani*, ſubtiliſque materiæ per omnia ſparſæ continuitate fundatur: Univerſum enim quodammodo eſt, ut *Stoici Platonicique* definiunt, * unum ingens integrum Animal.

9. Jam veram hanc & realem ſeparationem animæ in quibuſdam ecſtaſibus accidere poſſe haud ægrè concedetur, ſi animadvertamus, animam ſuâ naturâ ſeparabilem eſſe à corpore, utpote ſubſtantiam realiter ab eo diſtinctam; tum omnia corpora peræquè illi eſſe penetrabilia & pervia, quippe quæ prorſus expers eſt proprietatis iſtius corporalis quam ἀντιτυπίαν vocitant, ac proinde per omne genus materiæ liberè per-

labi poteſt, nec impingens nec impedita; denique animam non tam propriè calorem motúmque corpori impertire, quàm organizationem: quamobrem ſi corpus rite organizetur, & ſanguis debitam ſuam habeat temperiem, Cor & arteriæ quadantenus pulſabunt, cerebrum, & per cerebrum corpus univerſum ſpiritibus replebitur, etiamſi anima emigrâſſet. Corpus ſic conſtitutum eſſet planè (niſi quòd *ſpiritus Naturæ* indè excludi non poſſit) machina *Carteſiana* omnis ſenſûs expers, quanquam in ſpeciem perinde vivens ac quodvis animans alto ſepultum ſomno. Unde liquet, ſi omnino anima corpus relinquere poſſet, id illam ad quoddam tempus facturam fuiſſe ſine ullo ejus detrimento, quamdiu ſcilicet ſine paſtu commodè vivi poſſet. Quâre planè hominum iſtorum timori occurritur, qui, ſimul atque anima è corpore exierit, perfectam mortem neceſſariò conſecuturam, & omnem omnino reditum præcluſum iri opinantur.

10. Præcipua verò difficultas in hoc vertitur, quo pacto anima ſolvi poſſit à corpore, apto adhuc manente ad eam retinendam. Profectò hoc oppidò quàm difficile, & omni potentiæ, niſi ſupernaturali, ferè impoſſibile. Non adeò tamen intellectu arduum, vitalem corporis aptitudinem vel morbo naturali, vel arte, mutari poſſe. Quidni enim certa aliqua in corpore fermentatio ità ſanguinem & ſpiritus alterare queat, ut facultates *plaſticæ* partis animæ idcirco operari deſinant, quemadmodum *perceptivæ* facultates ſolent in *Catalepſi*, *Apoplexia*, & ſimilibus ſymptomatibus? Quapropter hæc animæ è corpore migratio, inter dormiendum aut in ecſtaſi, nonnunquam morbus quidam eſſe poteſt, ſicuti affectus νυκτοβατῶν ſeu *noctambulorum*.

Jam ſi fortè intemperies hujuſmodi corpori accideret, quæ *vitalem* ejus *congruitatem* ad tempus aliquod inſigniter pervertat, ſíque homini iſthoc in paroxyſmo conſtituto alter ille morbus *noctambulorum* ſuperveniret; mirúmne animam, in tam laxata conditione poſitam, à ſuâque imaginatione ad aliquò ambulandum incitatam, corpus relinquere poſſe, & per aërem ferri planè ut cæteros iſtius elementi incolas, & ſeparatorum ſpirituum partes agere, eáque *Perceptivæ* facultatis exercere opera, quæ ſolent illi qui à terreſtri materia penitus liberantur? Hoc tantùm intereſt, quòd tetro illo afflatu in corpore, qui unionem animæ relaxabat, conſumpto, anima, naturali magiâ illâ, quam aliquoties attigi, certiſſimò redibit ad corpus, & cum eo arctiſſimè ut antea reunietur. Nemo autem, cùm vult ipſe, ſic è corpore exire poteſt ſolo voluntatis juſſu, non certè magìs quàm pro arbitrio noctambulare: altiùs enim hæc facultas in infimam vitam animæ depreſſa jacet; quò nec liberum arbitrium, nec imaginatio libera poteſt pertingere.

11. Affectum hac in re valiturum potiùs quàm alterutram jam memoratarum facultatum veriſimile eſt; quoniam paſſiones primam ſuam ſedem habent in Corde, arce & propugnaculo præcipuo infimarum facultatum, proindéque ob propinquitatem in prima *vitalis unionis* Principia faciliùs agere poſſunt. Quarum vis tanta extitit, ut animam prorſus è corpore exegerint, ut multæ nos docent hiſtoriæ. Nam *Sophocles* & *Dionyſius Siciliæ* tyrannus accepto Tragicæ victoriæ nuntio ſubitò interiêre; *Polycrita* nobilis fœmina de *Naxo* inſula, *Philippides* poëta, & *Diagoras Rhodius*, vehementiori ſimiliter gaudio perierunt. Exempla ſubiti *metûs* & *doloris* attexere liceret ſi opus eſſet.

Verùm confeſſa res eſt & manifeſta, *Paſſionem* in vitalem corporis temperiem valere tantum, ut incommodum id animæ domicilium reddat; quo facto disjunctio neceſſariò conſequetur. Si paſſio ergo tam inſigniter pervertere poteſt ſanguinis ſpirituúmque *eucraſian*, ut animam à corpore perfectâ morte liberet; quidni vis ejus aliquando citrà conſiſtat, & talem duntaxat intemperiem inducat ex qua corpus convaleſcat, & animam conſequenter ad ſe reconciliet, mundanæ illius ſympathiæ vi quam toties memoravi?

12. Jam omnium omnino *Paſſionum*, vehemens Deſiderium aptiſſimum videtur ad innocuam hanc momentaneámque ablegationem animæ à corpore efficiendam; quoniam vehementia ejus adeò corroboratur cogitatione eundi eò ubi eſſe deſideratur, ut in disjunctione non planè mortifera, vis phantaſiæ animam rapere poſſit ad locum exoptatum; quæ voti compos facta & reverſa vitam in corpore reſuſcitare poteſt, qualem planè & quantam antè habuit, quàm ab hoc importuno deſiderio infeſtabatur. Hâc re profectò, ſi quâ aliâ, factum eſt, ut nonnulli jam animam agentes amicos ſuos longè disjunctos inviſerint, corporibus ſuis interim lecto affixis; & ut alii bene valentes idem officium præſtiterint amicis decumbentibus, quorum ſalutem ſollicito nimis animo diſcupiebant. Eſt enim hæc *ecſtaſis* revera ipſius animæ, non ſanguinis aut ſpirituum, quorum neutrum ſenſum ullum omnino aut perceptionem habet. In hoc itaque principium referri debet quod *Martinus Delrio* narrat de puero quodam,

Vide Helmont. *de Magnet. vulner. curat. paragr.* 74, 75, 76.

qui attentiſſimâ cogitatione & deſiderio patris ſui videndi, incidit in ecſtaſin ; & poſteaquam ad ſe rediiſſet, aſſeverabat ſe eum vidiſſe, & certiſſima conventi patris indicia afferebat.

13. A graviſſimis cordatiſſimíſque ſcriptoribus proditur & creditur, *Cardanum* & alios, cùm ipſis viſum erat, ecſtaſi corripi potuiſſe, vi ſuæ imaginationis flagrantíque deſiderio in affectum hunc incidendi : ad perfectam autem uſque ἀφαιρεσίαν ſeu localem ſeparationem animæ à corpore, id eos facere quiviſſe, nemo, quod ſciam, affirmare auſit ; iſtiuſmodi enim eventus ex natura & temperamento potiùs incidunt, velut in noctambulis, quàm voluntatis propoſito efficiuntur. Non certò tamen ſtatuere poſſumus, quin ars poteſtati noſtræ & arbitrio id ipſum ſubjicere poſſit, quod nobis nonnunquam nolentibus obtrudunt cauſæ naturales. An verò famoſa unguenta *Veneficarum* id valeant, Spiritúſve iſti impuri, quibuſcum commercium habent, immediatâ præſentiâ ſuâ in earum corporibus, ità ad tempus ſupprimant vel alterent *vitalem* corporis aptitudinem, eo certo modo qui laxandæ animæ ſufficiat, hoc ego aliis relinquo rem curioſiùs exploraturis. Mihi ſatìs eſt rationem demonſtrâſſe, eámque intellectu facilem, quâ fiat actualis ſeparatio citra mortem propriè ſic dictam.

Quâ re efficitur, ut obſtinatæ confeſſiones Sagarum, conſentiénſque narratio ſingularum, tam earum quæ corporaliter, quàm quæ ſine corpore aderant, præſertim cùm quid domum referant, indicium permanens futurum, ſe dicto loco interfuiſſe, habendæ ſint (tametſi fieri poteſt ut hæc omnia ſint dæmonum ſuorum familiarium præſtigiæ) pro argumento haud contemnendæ veriſimilitudinis, illas revera interfuiſſe, ubi interfuiſſe ſe prædicant. Certiora enim indicia non capiunt res humanæ : & nihil adeò homines deterruit nè rem ipſam veram eſſe crederent, ac quia impoſſibilis præjudicabatur.

SCHOLIA

In Cap. XV. Sect. 3.

QUam pro numero Vehiculorum triplicem ſtatuemus, Terreſtrem, Aëream, Æthercam, &c. *Adæquata hæc videtur Vitalis Congruitatis diſtributio, ſi loca Univerſi reſpiciamus. Nullus enim locus videtur eſſe in Univerſo qui non ſit aut* Terreſtris *(ſi Terra debitâ latitudine ſumatur) aut* Aëreus *aut* Cœleſtis. *Sunt verò præterea duæ Congruitates quæ non tam* locorum *diſtinctionem innuunt, quàm* conditionis *&* dignitatis, *quippe quæ cum qualibet trium iſtarum congruitatum conjungi poſſunt, quanquam profectò difficile ſit ſtatuere, quibus nominibus ſint appellandæ. Prior verò congruitas eſt quâ* Plaſtica *Animæ ità præparatur ut cum* Divino ſemine *in unum queat coaleſcere, ut* Novus Homo *procreari poſſit, veróque* Manna cœleſti, *quod idem eſt, paſci, itáque nutriri, ut in hominem perfectum adoleſcat. In hoc conſiſtit Myſterium* Regenerationis. *De qua alibi plura, neque enim eſt hujus loci. Altera congruitas eſt, quâ humana Anima corpúſque ſimul, in unum cum* Divino Logo, *ut corpus cum Anima, coaleſcant. Atque hæc quidem* Monadica *quædam eſt & ſolitaria* Congruitas *quæ ſoli Animæ* Meſſiæ, *nullis autem animabus illius* Regimini *ſubditis, competat. Prior quidem propter* Divinum ſemen, Divina *aliquo modo appellari poteſt, hæc verò neſcio quo demum nomine ſit appellanda. Et certè Religio eſt ullum nomen illi imponere velle, cùm facinus perinde audax videatur atque temeraria illa & infauſta* Bethſhemitarum *in Arcam inſpectio. Expreſſímque de mirabili atque adorabili hoc Complexo in Apocalypſi dicitur, quòd* nomen habet ſcriptum quod nemo novit niſi ipſe. *Conſultiſſimum igitur eſt nullo hanc Congruitatem inſignire nomine, cùm nullum nobis cognitum ſit, niſi fortè tutò apud Homines nuncupari poſſit, Congruitas* Anonyma, *ſive* ineffabilis.

Obiter verò, operæ pretium duxi, heìc notare, cùm nomen Chriſti in dicto loco Apocalypſeos tale ſit, ut nemo (quanquam tota cohors Animarum regenitarum byſſo albâ & purâ veſtitarum eum ſequebatur) noverit præter ipſum, indicio hoc eſſe manifeſto, iſtam κοινωνίαν τῆς θείας φύσεως, *quæ aliis etiam ſanctis animabus competit, non eſſe ejuſdem generis cum iſta quâ Chriſtus dicitur Deus, hoc eſt cum illa unione quâ anima Chriſti unitur cum Divinitate, alioquin iſtud nomen non ſoli Chriſto, ſed aliis etiam cognitum eſſet. Quod obſervatum volo contra tumidos iſtos Enthuſiaſtas, qui ſe etiam eodem genere licèt non gradu unionis cum Divinitate unitos, quo Chriſtus ipſe, gloriantur.*

Cæterùm ut ad rem redeam. Ex harum quinque Vitalium Congruitatum *doctrina apud* Judæos, *ut opinor, antiquiſſima, immane illud quinque Animarum realiter diſtinctarum*

ctarum in homine apud recentiores Cabbaliſtas *commentum ſuam duxit originem. Nam tribus primis Animabus* Nepheſh, Ruach, Neſchamah, *tres iſtas primas conditiones Animæ, quatenus eſt in Vehiculo aut* Terreſtri, *aut* Aëreo, *aut* Cœleſti *ſeu* Æthereo, *occaſionem dediſſe non temerè quis ariolari poteſt, cùm revera eadem Anima dicta ſit* Nepheſh *quatenus eſt in vehiculo* Terreſtri, Ruach *quatenus eſt in* Aëreo, *&* Neſchamah *quatenus eſt in* Cœleſti. *Duæ verò poſtremæ hinc ortæ videntur, nempe* Chajah *&* Jachidah, *ob duas alias conditiones ſuperadditas, quarum una eſt Animæ cum* Divino Semine *coalitio* Vitalis, *unde* Divinos *ſenſus vitámque* Divinam *aſſequitur, in quo ut alibi moneo, latet Myſterium veræ* Regenerationis. Jachidah *verò, cùm nuſquam occurrat iſta appellatio, niſi* Pſalm. 22. 21. *ubi indigitatur apertiſſimè ipſa Anima* Meſſiæ, *manifeſtum eſt, eam, ad Congruitatem illam* Monadicam *& ſolitariam, modò memoratam pertinere; cùm tamen* Cabbaliſtæ, *quæ eſt illorum ignorantia, eam conditionem tanquam multis communem deſcribunt. Ex quo quidem Pſalmi loco an iſta* congruitas Anonyma, *etiam* Jachidæa *appellari poſſit, Criticis Theologiſque per otium diſcutiendum relinquo.*

Intereà loci dum obſcuriùs aut timidiùs Cabbaliſtæ *duas has poſtremas, diſtinctas eſſe Animas aſſerunt, eo confidentiùs tres primas, conditionem tantùm triplicem unius ejuſdémque Animæ, pro triplici vehiculi ſtatu meritò quis concludere poteſt; Quanquam* Cabbaliſtæ *interim eas, Animas adeò diſtinctas fingunt ut una in* Sepulchro, *altera in* Sinu Abrahæ, *tertia in* Paradiſo, *eodem in tempore eſſe poſſint; quin & concurrere aliquando in unum locum & de rebus ſuis in commune conſilia capere ac ſi planè perſonæ eſſent tres diſtinctæ, perquam ridiculè fabulantur. Hæc autem omnia deliria, ex doctrina antiqua de triplici Animarum Vitali Congruitate perperam intellectâ, aut ferè jam ſitu obliteratâ, profecta eſſe exiſtimo. Viderint qui magìs verſati ſunt in Libris* Cabbaliſtarum.

Interim præterire non poſſum R. Simeonem Ben-Jochai, *apud* R. Moſen Corduerum, *de Anima, ſic tradere.* Sublato homine, habitaculum τοῦ *Nepheſh* eſſe in Sepulchro, τοῦ *Ruach* in Paradiſo inferiori, & *Neſchamæ* in Paradiſo ſuperiori. *Pardeſ. Sect.* 31. *Præfat. Et Cap.* 2. *Quando Mundus opus habet miſericordiâ, viventes abire idque notum facere* Nepheſchin *Juſtorum, fleréque ſuper ſepulchris eorum; tunc excitari* Nepheſchin *juſtorum, ſumptíſque alis volitare ad dormientes in* Chebron, *illíſque Mundi afflictionem aperire; omnes dein* τοῖς Ruchim *notificare, in* Horto Edenis, *&* Ruchim Neſchamis, *&* Neſchamas *S. J. B. proponere. Et tamen Cap.* 1. *ſtatuerat formam Hominis in tres partes dividi,* Nepheſh, Ruach, *&* Neſchamah. *Et Cap.* 4. *addit,* Imaginem *rem aliquam quartam eſſe quæ nec eſt* Nepheſh, *nec* Ruach, *nec* Neſchamah, *dici autem* Zelem, *de qua plura dixi ſuprà: Cùm tamen proculdubio non ſit niſi una Anima* Nepheſh, *cujus pars Plaſtica ab ipſa inſeparabilis, eſt* Zelem. Ruach *verò &* Neſchamah *duo tantùm ſtatus illius,* Jetzirathicus *putà &* Briathicus, *ut &* Chajah, Azeluthicus. *Una autem eadémque Anima, in ſtatu* Aſiathico, Nepheſh *dicitur, in ſtatu* Jetzirathico Ruach, *in* Briathico Neſchamah, *& in* Azeluthico, Chajah. *De quibus quatuor ſtatibus noſtram* Viſionis Ezechielis *ſive* Mercavæ *conſule* expoſitionem.

Sect. 8. Unum ingens integrum Animal, &c. *Eſt certè aut unum ingens Animal, aut una immanis Planta, ſi omni nempe ſenſu careat. Quo quidem carere cùm nulla certa ſuppetant indicia, ſiquis Animal appellare auſit, per me quidem licet.*

C A P. XVI.

1. *Animas ſeparatas impertire ſomnia.* 2. *Exempla* Apparitionis *animarum ſeparatarum.* 3. *De* Apparitionibus *in locis ubi infeſtæ acies concurrêre; item de* Apparitionibus *in cæmeteriis, aliiſque in locis vaporoſis.* 4. *Spiſſitudinem aeris rectè conducere poſſe ad* Apparitionem *Spirituum Spectrorúmque faciliorem.* 5. *Quod porrò probatur ex aliquot exemplis.* 6. *De Apparitione* Marſilii Ficini *poſt mortem.* 7. *Apud quod hominum genus exempla hujuſmodi parum valeant.* 8. *Rationes ad perſuadendum iis qui à præjudiciis liberi ſunt,* Apparitiones *formam & perſonam defunctorum gerentes, ferè eſſe eorundem Animas revera.*

1. ALterius generis exempla, viz. Spirituum defunctorum poſt mortem apparentium, tam numeroſa ſunt támque in ſermone omnium verſantur, ut eorum aliqua referre ſupervacaneum videatur. Hæc *Apparitio* vel per *ſomnium* fit, vel per claram *Viſionem*. Per *ſomnium*, ut illa quæ *Avenzoari Albumaroni* oblata eſt, medico *Arabi*, cui per quietem amicus recèns defunctus ægrorum oculorum remedium ſuggerebat

V. Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 16. *cap* 5.

rebat efficaciſſimum. Cui ſimile eſt quod habet || *Diodorus* de *Iſide Ægypti* regina, quam refert *Ægyptiis* in ſomnis impertiiſſe remedia jam defunctam, ut antè ſolebat cùm in vivis eſſet. Hujus etiam generis eſt memorabilis illa hiſtoria || *Poſidonii Stoici* de duobus *Arcadibus*, qui iter unà facientes *Megaram* venerunt; ubi altero eorum ad hoſpitem ſe conferente, altero in tabernam meritoriam divertente, qui apud hoſpitem erat ſomniavit comitem ſuum orare ſe, ut ſibi cauponis inſidiis circumvento ſubveniret, & imminenti mortis periculo ſe ſubtraheret. Quo viſo excitatur quidem, at inane ſomnium reputans ſomnum repetiit. Tunc verò ſecundùm ei ſe offert amicus jam ſaucius, obſecrans, ut qui auxilium vitæ ſuæ ferre neglexiſſet, neci ſaltem ultionem non negaret; indicans etiam, corpus ſuum plauſtro ſtercorario impoſitum, ex urbis porta efferendum, quò ſi ſummo mane pergens expectaret, eum hoc indicio cædem patefacturum. Fecit quod monitus erat, & ſic cauponem ad capitale ſupplicium perduxit. Neque primum inſomnium facit nè ſecundum ad rem noſtram pertineat: nam ut illud eſſe potuit ab intentiori imaginatione auxiliique efflagitatione in *Arcade* oppreſſo, *Spiritui mundano* impreſſâ indéque amico dormienti tranſmiſſâ, (quæ certè conditio opportuniſſima eſt ad communicationes hujuſmodi;) ità manifeſtum eſt hoc poſt mortem omnino fieri nequiiſſe, * ſi anima interfecti vel eſſe vel agere deſiiſſet. Clarè itaque liquet, eam tum fuiſſe tum operatam eſſe, inſomniúmque hoc ad cædem vindicandam ſuggeſſiſſe. Cujus quidem generis, cædium dico per ſomnia indicatarum, exempla extant innumera; animâ hominis occiſi alicui in quiete offerre ſe viſâ, & de vi illata conqueri.

|| *Biblioth. Hiſtoric. lib.* 1. *pag.* 15.
|| *Marſil. Ficin. Theol. Platon. c. lib.* 16. *cap.* 5

Ego verò, ſuperiori exemplo vindictæ, exemplum gratitudinis addere contentus ero. *Simonidi* corpus inhumatum in littore offendenti, & humanitatis ſenſu ac officio ſepulturæ mandanti, relata eſt gratia per inſomnium, quo vita ejus ſervabatur. Admonitus enim ab anima defuncti nè navigaret, ut conſtituerat, quòd iter adeò periculoſum futurum fuerit, ut in vitæ diſcrimen vectores adduceret, paruit viſo & ſervatus eſt; cæteri ſolventes naufragium fecerunt.

Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 16. *cap.* 5.

2. Unum aut alterum addemus exemplum alterius generis viſorum, quæ vocantur vulgò *Apparitiones* mortuorum. Quale illud eſt quod fusè perſcribit *Plinius* in Epiſtola ad *Suram*; ædes *Athenis*, ſpectro infeſtatas, liberatas fuiſſe ab *Athenodoro* Philoſopho, ſpectri corpore effoſſo & ritè condito. Veriſimile eſt ædes hujuſmodi infames maximam partem infeſtari ab animabus defunctorum, qui violentâ cæde perempti, aut injuriam aliquam paſſi eſſent, aut defoſſam pecuniam indicare vellent, &c. Nec ædes duntaxat, ſed etiam homines ipſi ob ſimiles cauſas infeſtantur, quemadmodum *Neroni* accidit cùm matrem ſuam interfeciſſet; *Otho* ſimiliter de lecto trahebatur abs anima *Galbæ*. Hujuſcemodi exempla infinita ſunt; utì etiam ſunt illa, ubi animæ amicorum, putà, Patris, Matris, Mariti, ſe ſuis obtulerunt, ut conſilium darent, & docerent quis exitus futurus eſſet maximarum vitæ rationum. Amantium item animæ, cùm in vivis eſſe deſiiſſent, amaſiis tamen ſuis adhæreſcere dicuntur; omnem captantes occaſionem ut obvias ſe dent illis ſolitariis, ſive interdiu ſive noctu.

3. Sunt & alii Spirituum vitâ functorum occurſus magìs fortuiti; cujus rei ratio dari non poteſt, niſi facilius iis ſit tum temporis præbere ſe conſpiciendos: ut in iis locis fortaſſis eſſe poſſit, ubi recèns concurrerint infeſtæ acies magnâ editâ ſtrage; in publicis item cœmeteriis. Quanquam non deſunt qui ridiculè nimis *Apparitiones* illas eludere vellent, quaſi nihil eſſent niſi fumus aut vapor cadaverum, quem in eandem formam ſtaturámque corporis diſpoſiturum ſe opinantur, quâ fuiſſet is unde exhalatur: qua in re ineptit *Cardanus* etiam, pariter ac *Vaninus* & || alii; quod item facit in reddenda cauſa ſpectrorum quæ in || *Iſelandia* apparent frequentiſſimè; ubi incolæ amicis ſuis defunctis ſæpe obviàm facti ſunt, tam planè eâdem quâ fuiſſent formâ, ut ſalutent eos & amplectantur quaſi iidem ipſi eſſent; nec mortuos eſſe quicquam ſuſpicantur, niſi ſubitò coràm evaneſcant, aut ipſi pòſt reſciſcant eos tunc mortem obiiſſe. Hoc ille partim aëris ſpiſſitudini tribuit, partim impuris cibis craſſiſque ſpiritibus *Iſlandorum*: Cùm tamen innuit eos imaginatione adeò pollere, ut craſſum vaporoſúmque aërem in imaginem familiarium ſuorum abſentium & mortuorum perfectiſſimam convertere valeant, & ſic ſibi perſuadeant ſe illos videre & unà colloqui; cùm revera nil aliud coràm adſit præter aëreum ſimulacrum, quod phantaſiæ vis ex rudimentis informibus paſſim volitantium vaporum conſarcinavit; planè ut in nubibus in lacinias temerè abruptis ſpecies rerum fingere ſolemus; Næ longè præſtiterat rem ipſam, tanquam falſam, ſimpliciter rejeciſſe, quàm tam futilem támque improbabilem cauſam ejus afferre. Neque enim vaporoſæ concretiones hujuſmodi viſibiles, & ad humani corporis molem accedentes, moventur juxta terram; nec, ſi tam propè moventur, poterant homines tam propinquum objectum hallucinari.

|| *Gaffar. Inaudit. Curioſ. Part.* 2. *cap.* 5. *Antidot. lib.* 3. *cap.* 16 *ſect.* 2, 3.
|| *V. Card. de Subtilit. lib.* 18.

4. Spiſſitudinem aëris in iſthac regione aliquid huc facere ut ſpectra illa frequentiùs viſantur, ſatis conſentaneum eſt. Nam quò craſſior eſt, eò faciliùs in conſiſtentiam viſibilem reducitur: formari autem debet, non à phantaſia ſpectantis, (tanta enim vis, prodigii ſimilis eſſet) ſed ab *imaginatione Spiritûs* vehiculum ſuum ex craſſo illo aere actuantis. Atque eam ob rem fortaſſis aliis in locis hæc ſpectra ſæpiùs apparent de nocte quàm de die; aëre lentiore craſſioréque facto poſt Solem aliquamdiu occaſum, quàm ante. Cui conſentire videtur mos quidam *Lapporum*, *Scandiæ* populi, quos, ut *Caſpar Peucerus* refert, defunctorum amicorum ſpectra plurimùm infeſtant. A quo malo ſibi cavent hoc unico remedio, illos ſubter focum ſepeliendo. Hic ritus certè nihil in lemures iſtos vi naturali valebit, niſi per eum coacti ſint in calidiore proindéque & rariore verſari aëre, quàm ſi alibi ſepelirentur. Vel potiùs hoc ideo faciunt, quòd corpora eorum foco calido citiùs putreſcent, alioquin propter rigorem cœli diutiùs permanſura integra, * & propterea idonea, ad quæ defunctorum animæ ſe recipiant, vehiculúmque ſuum tali inde cambio aut humore glutinoſo repleant, qui faciet ut faciliùs id juſſu animæ mutetur in viſibilem conſiſtentiam.

Vid. Magica de Spectris edit. ab Henningo Groſio, *lib.* 1. *ſect.* 140.

5. Ob hoc ipſum illas faciliùs ſe dare nobis in conſpectum, ex eo manifeſtum eſt, quòd *ſpiritus infeſti* ſubinde ſe ſoleant ad ſua corpora mortua recipere: ut liquidò patet ex hiſtoria *Cuntii*, quam fusè deſcripſi in *Antidoto*, *ſutoris* etiam *Sileſiani*, & *famulæ ejus*. Quibus addere licet quæ refert ‖ *Agrippa* annalibus *Creticis*, viz. *Catechanes*, i. e. defunctorum virorum animas, magnopere vexâſſe uxores ſuas, & ad concubitum ſollicitâſſe, quamdiu illis ad ſua corpora patebat aditus. Quod malum lege cavebatur, ut ſiqua fœmina ſic infeſtaretur, reliquo corpore viri combuſto, cor ejus palo tranſadigeretur. Quod ipſum ſtatim finem impoſuit turbis illis & tragœdiis, quas *Cuntii* aliorúmque animæ *Pentſchii* & *Uratiſlaviæ* in *Sileſia* excitârunt.

Lib 3. *cap.* 8 & 9.

‖ *De Occult. Philoſoph. lib.* 3. *cap* 41.

Similes inquietationes *Trautenaviæ*, urbis *Bohemiæ*, accidiſſe dicuntur anno 1567. per quendam *Stephanum Hubener*, qui mirum in modum divitiis auctus, ſicuti *Cuntius Pentſchianus*, & pariter ac ille ſuis civibus poſt obitum pernicioſus erat. Nam ſæpiùs apparere ſolebat eâdem indutus formâ, quâ fuiſſet cùm inter homines viveret, & obvium quemque tam ſtrictis brachiis ſalutabat, ut multi in morbum inciderint, nonnulli planè interierint, infeſtis ejus amplexationibus. Urbs autem, corpore cremato, à pericoloſis inſenſiſſimæ larvæ occurſibus liberata eſt.

Vide Magic. de Spectris Henning. Groſii, *lib.* 1 *ſect.* 184.

Quæ exempla omnia non modò probant animas apparere poſteaquam ex hac vita emigrâſſent, verùm etiam materiam aliquam incraſſantem, qualis vel è corporibus vivis, vel nuperrimè mortuis, ſeu quæ æquè integra ſunt ac recèns mortua, (ſicuti corpus *Hubeneri* fuit, tametſi quinque jam menſes in ſepulchro jacuiſſet) vel qualis denique à craſſo & vaporoſo aëre ſumi poſſit, apparitionem earum faciliorem reddere, & ſic eas ad ludos ſuos ludendos invitare, cùm tam nullo negotio id facere poſſunt; quanquam nihil indè fortaſſe quærant, niſi ut ingenio ſuo, ſeu petulanti, ſeu feroci, gratificentur.

6. Privatorum verò hominum omnium qui poſt mortem apparuêre certo animi conſilio, nemo ſanè quiſquam nobiliori id fecit, quàm *Marſilius Ficinus*, egregius ille *Platonicus*; qui, poſt ſubfervidam diſputationem de immortalitate Animæ, pactus (ut refert *Baronius*) cum *Michaele Mercato* condiſcipulo, fide utrinque ſolenniter datâ, ut uter prior diem ſuum obiiſſet alteri appareret, certóque eum doceret de veritate rei diſceptatæ; & prior fato functus ipſe, neque adeò multùm pòſt quàm ſic conventum fuiſſet, memor erat fidei datæ jam corpore exutus. Namque *Mercatus* bene manè ſtudiis intentus, audivit equum quaſi celerrimè prætervecturum, ſubſtitiſſe tamen ſubitò ad feneſtram ſuam; ſimúlque vocem agnovit amici ſui *Ficini* clamantis, *O Michael, Michael, vera, vera ſunt illa.* Ille feneſtram illico apparuit, & *Marſilium* videns equo candido inſidentem, inclamavit eum; verùm is ſe ſpectante evanuit. Extemplo igitur *Florentiam* miſit ſciſcitatum quid ageret *Marſilius*, & intellexit eum illâ circiter horâ obiiſſe, quâ ſe ad feneſtram compellâſſet, ut ſuam cæterorúmque hominum immortalitatem confirmaret.

7. Separabilitate animarum à corpore, & ipſarum facultate vitaliter uniendi cum *vehiculo aereo*, clarè à me demonſtratis ſuprà; quæ hîc protuli exempla apparitionis earum à morte obita, nequeunt quin vim ſuam argumentativam apud illos habeant, qui præoccupati non ſunt. Quorum mens autem caliginoſâ Atheiſmi nebulâ obducta eſt, apud illos plus valebit ignava illa ac melancholica ſententia, quæ oſcitanti calamo *Cardani*, inconſtantiſſimi ſcriptoris, exciderit, *Orbis magnus eſt, & ævum longum, & error ac timor multùm in hominibus poſſunt*, quàm Apparitionum hiſtoriæ omnes abs illo ipſo *Cardano* relatæ, aut quæcunque ab alio quovis his addi poſſint. Et qui rebus hujus generis fidem adhibent, præjudicia ab inſtitutione hauſta, nempe,

De Subtil. lib. 18.

Animam hac vitâ defunctam vel ſtatim abripi in cœlum empyreum, vel ad centrum terræ præcipitari, faciunt ut *Apparitiones* animarum humanarum, etiam his, incredibiles prorſus videantur; qui proinde in earum locum Angelum aliquem aut Dæmonem ſemper ſubſtituunt, qui perſonam earum ſuſtineat, ipſis non vacantibus ſuas per ſe partes agere.

8. At quamvìs *Falſa opinio* & *Præjudicium* impedire poſſint, nè argumentum vim ſuam habeat apud eos qui ità impliciti ſint, *Ratio* certè non poteſt non obtinere apud liberos. Ad hos ergo provocare auſim, annon (cùm *vehicula aerea* animabus cum aliis Geniis communia ſint, ità ut illæ per ſe efficere poſſint, quicquid hi earum vice facere dicuntur; & cùm plùs conveniat, ut quorum maximè interſit, ii, quando penès ipſos ſit, res ſuas agerent, v. c. interfectorem indicarent, opes ſuas diſponerent; teſtamenti executores iniquos increparent, uxoribus liberíſque conſilium darent, à certíſque vitæ rationibus cavere præmonerent, &c. * porrò, cùm Spiritus ſic apparens profiteatur ſe animam eſſe certi cujuſpiam hominis, dictúmque hominem vultu referat; cúmque res ipſæ, tanto molimine agitatæ, juſtiſſimæ ſint & graviſſimæ; quas à dæmonio tantâ ſolicitudine & benevolentiâ promoveri neutiquam convenit, neque ſanè à bono Genio, eò quòd præſtanti adeò Naturâ indignum prorſus ſit mentiri, præſertim ubi ſine mendacio negotium perinde poteſt confici) ad quenquam, inquam, hominem provocare auſim, annon, his omnibus in unum collectis ritéque expenſis, præjudicio libram neutrò deprimente, victura ſit cauſa hîc orata; annon etiam æquus judex omnis, ſi quæ de animabus hominum apparentibus ubique & per omnia ſæcula memorantur vera ſunt, hoc quoque verum eſſe ſtatuere debeat, eorum animas ipſas eſſe revera, proindéque Animas humanas & ſupereſſe & agere poſtquam terreſtria hæc corpora deſeruiſſent.

SCHOLIA

In Cap. XVI. Sect. I.

SI Anima interfecti vel eſſe vel agere deſiiſſet, &c. Spiritus *enim* Naturæ *ut tam diſtincta & ex omni parte veridica inſomnia immittat, non eſt probabile.*

Sect. 4. Ac propterea idonea ad quæ defunctorum animæ ſe recipiant, &c. *Cùm verò perpauxillum ſit, quod hi Lemures à cadavere abradunt aut delibant, craſſificum quoddam contagium meritò videri poteſt potiùs quàm juſta craſſiuſculæ materiæ copia, ex qua viſibilia corpora Lemures iſti ſibi componant, & iſtiuſmodi quidem contagium quod propriam vim habere poſſit in* Plaſticam *Animæ defuncti.*

Sect. 8. Porro cùm Spiritus ſic apparens profiteatur ſe animam eſſe certi cujuſpiam hominis, dictúmque hominem, &c. *Ultimum hunc paragraphum de Animabus poſt mortem apparentibus ſugillat vellicátque, ut nonnulla alia Scriptorum meorum loca quanquam admodum profectò imperitè & inſulsè, nuperus quidam* Sagarum Patronus & Hyperaſpiſtes. *Verùm quæ is importunâ futilitate per ignorantiam aut malevolentiam in mea deblateravit, Reſponſóque omnino indigna, facilè prætereo, & vel ob unam illam hiſtoriolam quam profert condono; quæ apud me pluris æſtimatur quàm totus ejus Tractatus reliquus. Quippe qui mera videtur (deficiunt me Latina quibus compendiosè vanitatem illius & inutilitatem depingam)* ϑεολογοφιλοσοφικοφλυαρία. *Hiſtoriolam autem illam cùm huic loco tam opportuna ſit & appoſita, dignam ſentio quæ formâ quàm poteſt contractiſſimâ huc tranſcribatur. Eſt autem breviter ſic. Anno circiter* 1631. *Fæmina adoleſcentula* Walkeri *cujuſdam Vidui coloni ſatìs opulenti cognata, cum eo prope* Condercum *vixit (oppidum* Dunelmum *inter &* Neocaſtrum *ſitum) réſque ejus domeſticas curavit. Ab eo verò compreſſa gravidáque facta, quò res celari poſſit, cum* Marco *quodam* Sharpio *carbonum effoſſore die veſperaſcente clàm dimiſſa eſt. Cùm verò diu jam deſiderata eſſet,* Jacobo *cuidam* Grahamo *molitori ſub mediam noctem in molendino ſuo ab ædibus* Walkeri *duobus ferè milliaribus diſſito, capillis paſſis & cruentatis cum quinque vulneribus in capite conſpicuis apparuit. Attonitus Spectro molitor rogavit quis eſſet. Ad quod reſpondet Spectrum, Ego ſum Spiritus Fæminæ illius quæ cum* Walkero *vixit. Qui poſtquam me gravidam feciſſet, optimè me tractatum iri pollicitus donec è puerperio convaluerim, méque tunc rurſus ad res ſuas domeſticas adminiſtrandas ſe admiſſurum, clàm dimiſit veſperi cum* Marco Sharpio *Carbonario ad locum privatum ubi dies puerperii conficerem. Is verò in via, in Ericeto (loco molitori ſatìs cognito) marrâ ſuâ (quâ carbones effodere ſolebat) me occîdit, & hæc quinque vulnera capiti inflixit, & Corpus in Carboni-fodinam proximam injecit, marrámque cum calceis* ſuis & tibialibus, quippe quibus ſanguinem eluere nequiret, in aggerem ſimul abſcondit. Imperavítque Spectrum Molitori rem cum Magiſtratu communicare, quod ni fecerit ſe eum perpetuò eſſe infeſtaturam. Aliquandiu abſtinuit molitor, ſed crebris illius apparitionibus laſſus ac perterritus tandem rem cum Magiſtratu communicavit. Omniáque ſic facta comperiebantur poſt diligentem inquiſitionem quemadmodum Spectrum narraverat. Corpus Fœminæ occiſæ cum quinque vulneribus in capite repertum eſt in Carboni-fodina, & marra ſimul cum calceis & tibialibus cruentatis in Aggere. Et nè plura, Walkerus & Sharpius apprehenſi ſunt, in carcerem conjecti, & proximis Comitiis Provincialibus morti adjudicati.

Hoc pro compertiſſimo narratur à ſupradicto Scriptore, cui & ipſe quamquam aliàs circa ejuſmodi narrationes ſatìs incredulus plenam adhibet fidem. Qui igitur cùm tam expreſsè negat Diabolum unquam ſe immiſcere rebus juſtis ac honeſtis, quemlibet æquum appello Judicem quiſnam alius hic Spiritus eſſe potuerit præterquam anima Fœminæ occiſæ. Neque enim boni Angeli nedum Deus ipſe noſtri cujuſquam cauſâ mentietur dicendo, Ego ſum Spiritus hujus vel illius fœminæ, cùm aut Deus ipſe ſit aut bonus aliquis Angelus.

Spiritum verò Aſtralem fœminæ agnoſcere, corporeum & mortalem, ſenſu tantùm & memoriâ præditum, non autem animam ipſam fuiſſe rationalem, nihil profectò eſſe poteſt iſtoc commento inſcitius aut à vera Philoſophia ac ratione alienius. Qui ſic ſtatuit, rerum materialium naturam facultatúmque ſentiendi & reminiſcendi, quarum materia incapax eſt, planè ignorat. Stupidóque prorſus animo eſſe oportet aut valde omiſſo & deſultorio qui idem in ſe eſſe quod ſentit, reminiſcitur & ratiocinatur, intimè non perſenſerit. Adeò ut nihil magìs monſtroſum eſſe poſſit quàm duas animas in homine, alteram ſenſitivam alteram rationalem fingere à ſe invicem realiter diſtinctas, priorique nomen Spiritûs Aſtralis tribuere, cùm nullus Spiritus Aſtralis ſit homini præter ipſam animæ Plaſticam à Rationali inſeparabilem. Quæ nec ullam aliam ob cauſam Aſtralis dici poteſt niſi quatenus temperamento illi corporeo quod ab Aſtris vel potiùs à cauſis Naturalibus in genere proficiſcitur ſit obnoxia, quippe Divino cum corpore virtutum divinarum vehiculo nondum ſatìs unita.

Eandem autem animam eſſe quæ ſentit & intelligit vel ille textus Moſaicus nobis porrò confirmat, ubi anima illa quæ Adamo inſpirata eſt à Deo, quæque rationem proculdubio in ſe complectitur נשמת חיים dicitur, ut quæ vitam ſenſitivam perinde in ſe continet ac rationalem. Senſitivam autem in ſe continere ex eo porrò manifeſtum eſt quòd Adamus tanquam Statua lutea exhibetur ante infuſionem hujus נשמה. Poſt infuſam verò ſenſum habuiſſe nemo qui mentis compos ſit negaverit, præſertim cùm ipſe textus aſſerat ex hac inſpiratione Adamum factum fuiſſe לנפש חיה, quod nomen etiam Brutis animantibus apud || Moſen tribuitur. Sed hiſce hìc immorari minùs opus eſt cùm de eis alibi diſſeruerimus. Manifeſtum eſt igitur partim ex ipſis adverſarii conceſſis, partim ex Philoſophia & Scripturis Spiritum qui molitori apparuit, animam ipſam rationalem ſimul & ſenſitivam (quæ una eadémque realiter anima eſt) occiſæ fœminæ fuiſſe, non autem Spiritum ejus Aſtralem. Quod merum hominum phantaſticorum læſæque rationis figmentum eſt, nullum verum in mundo phænomenon.

|| Geneſ. cap. 1.

Atque hæc quidem in Philoſophationem ſuper Hiſtoria ſuprà memorata, dicta ſunto. Verùm non abs re erit ad majorem Hiſtoriæ confirmationem addere porrò, me per amicum quendam meum virum prudentem ac doctum harúmque rerum haud indiligentem, ex Authoribus fide digniſſimis & qui ſuprà dictis Comitiis interfuêre, D. Guilielmo ſcilicet Lumleio, Walkeri Vicino proximo, & D. Jacobo Smart Dunelmenſi, rem certiſſimam eſſe, intellexiſſe, nè res tanti momenti, unius Webſteri, qui Comitiis non interfuit, innitatur fide; nam etiam datâ operâ alios prætereo quamplurimos, qui rem famâ tantùm audiverint. Additur autem à D. Lumleio, fœminæ occiſæ nomen Anna Walkera, Spectrúmque Molitorem adeò infeſtâſſe ut ſtragula ſingulis ferè noctibus ei detraheret, donec rem patefeciſſet. A. D. Smartio verò, Fairhairium quendam in publicis Comitiis juramento confirmâſſe quòd videret ſimilitudinem pueruli, humeris Walkeri inſidentem dum Cauſa illa diſceptabatur: quo tempore valdè conſternatum fuiſſe Judicem obſervavit idem Smartius, & eâ ipſâ nocte, qua agitabatur cauſa, ſententiam tuliſſe; id quod Dunelmi, nunquam antea factum fuiſſe ait, nec poſtea quidem. Credo pueruli illius apparitionem in humeris Walkeri occaſionem dediſſe famæ, quòd Fœminæ ipſius Spectrum in publicis iſtis Comitiis apparuit: cujus etiam mentionem facit Webſterus, ſed tanquam de re de qua minùs certus eſſet, de cæteris interim certiſſimus. An illa Pueruli Similitudo, Infantis in utero ſimul cum matre occiſi umbra eſſet, aliis diſquirendum relinquo.

De adultorum verò deſunctorum umbris tot recentiſſimæ memoriæ ſuppetunt exempla partim hìc in Anglia, partim in Hibernia, ut nimis faſtidioſus eſſem ſi ſingula referrem. Primum eſt D. Bretonnæ, quæ poſt obitum, famulæ ſuæ apparuit, eique in mandatis dedit ut fratrem ſuum de reſtituendo pauperibus agro moneret. Quod fecit cum ſigno tam certo *ſui cum Domina ſua defuncta colloquii, ut Ager ſtatim reſtitutus eſſet, quo & pauperes ad hunc diem fruuntur. Ante viginti enim ferè annos hoc contigit. Alterum eſt, occiſi cujuſdam qui eo quo erat vulneratus modo, apparuit (quemadmodum molitori fecit* Anna Walkera*) & Uxori ſuæ & Filio diverſis in locis, ſed eâdem ferè diei horâ, uxorique indicavit & Homicidam, & locum ubi corpus ſuum poſuerat. Tertium, de Filia Patri continuò poſt obitum apparente, quippe quæ cum Patre pacta erat uter eorum priùs mortuus eſſet, ut alteri ſi poſſet, appareret. Ex hac autem apparitione Filiæ, eam quanquam in loco multis milliaribus diſſito mortuam novit, biduòque antè Famulæ indicavit, quàm venit nuncius. Quartum, de Anima ex corpore recèns egreſſa & in duos brachiis junctos proximéque murum ambulantes irruente & proſternente utroſque in terram. Ex eorum altero rem accepi, qui hunc caſum experti ſunt. Quintum, de fratre defuncto, fratrem dum cubitum ibat, monente de ſolvenda quam amico promiſerat pecunia. Sextum de quodam qui ſeptennio poſtquam mortuus eſſet, & re & conſilio opem cuidam obtulit qui lemuribus malè agitatus erat. Larvatum autem illum ſuper humeros hominum in Aerem vectum vidit is ipſe, homo quidem fide dignus, qui mihi cum aliis apud menſam, rem totam narravit. Septimum denique de* Haddoco *quodam qui alteri equitanti primùm apparuit ſub Equitis forma, eúmque rogavit nunquid eum noſceret, ſe enim cum eo tali in loco compotâſſe. Mox ille alter* Haddocum *eſſe agnovit, ſed ſimul addidit eundum eſſe mortuum. Mortuus autem ille res quaſdam cum eo communicavit, quas niſi impertiret uxori ſuæ aliiſque quorum intereſſet cognoſcere, eum ſe ſemper moleſtaturum; quod certè ſub variis formis fecit, donec alter mandata executus eſſet. De hiſce ferè omnibus plenas narrationes penès me habeo, ſed huc tranſcribere nimio profectò foret, & mihi ipſi & lectori forſan tædio ac faſtidio. Tales autem ſunt quæ apertè doceant, Animas defunctorum aliquando apparere poſt mortem, Animas, inquam, ipſas, non Spiritus* Aſtrales; *figmentum, quod nullos niſi* Ceritos *animos aut* Sideratos *deceat.*

CAP. XVII.

1. *Argumentorum à* Ratione *ductorum excellentia ſuper* Hiſtorica. 2. *Gradus primus ad demonſtrandum* ratione *Animam extra corpus agere, Quòd ſubſtantia immaterialis ſit à corpore ſuo ſeparabilis.* 3. *Secundus, Spiritus quoſdam ſubtiles & tenues immediata inſtrumenta eſſe ſenſûs, motûs, & organizationis corporis.* 4. Anima *in corpore &* Genii Aërii *inter ſe conferuntur.* 5. *De natura Dæmonum ex* Marco Eremita; *animámque ſtatim à relicto corpore talem evadere.* 6. *Objectio de Brutorum animabus: ad quam reſpondetur, primùm, per modum Conceſſionis;* 7. *Tum per refutationem argumentorum pro conceſſione iſta.* 8. *Dubitationem* Rationis *nullam eſſe de Animæ humanæ activitate poſt mortem.* 9. *Activitas ejus extra corpus arguitur porrò ex colluctationibus ipſius cum corpore dum in eo verſetur.* 10. *Ex communi item ſpe & fide omnium gentium hominum, ſe morti ſuperſtites fore.*

1. AD ea verò nunc progredimur, quæ non adeò effugiis perverſíſque interpretationibus hominum, vel profanorum vel ſuperſtitioſorum, obnoxia ſunt. Nulli enim, qui non mera ſe bruta profiteri volent, decreta & concluſiones *Philoſophiæ* ac *Rationis* rejicere poſſunt; quanquam in his rebus, ingenti ſibi plauſu atque famâ, repudiare ſe poſſe putant ſenſuum teſtimonia, non aliorum hominum duntaxat, ſed & ſuorum etiam: quippe quibus apparitiones omnes nihil aliud ſunt, niſi Melancholiæ & Imaginationis oppreſſio fortior. At nequeunt tam facilè támve plauſibiliter ſilentium indicere deductionibus *Rationis*, fallaciam clamando, niſi, ubi ea lateat, oſtendere valeant; quod certè non poſſunt, ubi nulla ſit.

2. Ut ergo præſens argumentum *ratione* proſequamur, & gradatim; conſiderandum eſt primò, Eſſe in nobis ſubſtantiam, (ut clarè ‖ ſuprà demonſtratum eſt) animam vulgò dictam, realiter diſtinctam à corpore, (quî enim aliter ſubſtantia eſſe poſſit?) itáque realiter & localiter à corpore ſeparabilem. Primus hic gradus eſto; neque ſanè exiguus ad id quò contendimus. ‖ *Cap.* 2, 4, 5, 6.

3. Proximo loco animadvertendum eſt, tenues atque aëreas particulas illas, quæ ‖ *Spiritus* vocantur, *immédiatum* eſſe *animæ inſtrumentum*; per eos illam audire, videre, imaginari, recordari, ratiocinari, & vel movendo eos, vel ſaltem motum eorum dirigendo, corpus movere; eoſdémque, aut ſimilem materiam ſubtilem, uſurpando, ſi minùs perficit, conferre certè aliquid ad corporis organizationem. Animam ‖ *Cap.* 8, 9.

mam enim ipſam *vitalem* domicilii ſui *opificem* eſſe debere, non leviter arguit arcta illa connexio quam cum eo habitura ſit, certáque & ſtabilis ejus poſſeſſio ſibi propria, & abs alterius cujuſvis animæ particularis invaſione tuta. Veruntamen non idcirco à ratione alienum videtur, animam, cùm facultatem illam ſuam exercet, unionem aut implicationem plùs quàm vulgarem cum *Spiritu Naturæ* ſeu *Animâ mundi*, quà *plaſtica* eſt, habere poſſe: quod ipſum, ut à *Plotino* aſſeritur, ità & verum eſſe meritò quis ſuſpicetur, qui ad immanes illos effectus & prodigii ſimiles animum attendit, qui abs imaginatione matris in fœtum dimanant; quos nonnunquam tantos eſſe cernimus, ut ni illa *Spiritum Naturæ* in conſenſum excitaret, cujuſvis cauſæ vires ſuperare meritò viderentur. Exempla differam in locum ſuum; interea tamen excuſabor, uti ſpero, omni de temeritate in hîc aſſignando cauſam multarum variarúmque in Natura ſignaturarum, quæ apertè ſatìs ſignificant Principii illius exiſtentiam, quod ‖ ſuprà innui.

‖ Cap. 10. ſect. 7.

4. Sed ad præſens argumentum ut revertamur; à duabus iſtis concluſionibus præcedentibus conſtat inter Animam, quà proximè induta eſt tenuiori hâc materiâ qua de loquimur, quæ internum eſt ipſius vehiculum, & Genios aëreos paulo plùs intereſſe, quàm inter hominem incarceratum & liberum intereſt. Ille niſi per clathros carceris proſpicere, aut aërem ducere non poteſt, graveſque odores tetróſque halitus ſqualidi iſtius loci fert vel ingratiis; hic autem ſpatiatur puráſque trahit auras, ubicunque jucundiores & ſalubriores ſpirant.

Hoc *Genii* & *Anima* incorporata differunt. Quemadmodum homo in profundum puteum delapſus non meliori aquâ aut aëre, nec diuturniore præſentiâ Solis, lucis, caloríſve ejus frui poteſt, quàm modus & conditio putei patitur; ſic anima corpore circundata non melioribus ſpiritibus, (quibus omnis vita ejus ſolatiúmque continetur) quàm conſtitutio corporis poſt certos coctionis circuitus ſuppeditare poteſt. At *Genii* aëris, qui non ità durâ conditione vehicula ſua poſſident, niſi ſi ipſi in culpa ſint, vi mentis ſuæ comparare ſibi poſſunt puriorem & defæcatiorem materiam, quæque nobiliſſimis diviniſſimíſque animi ſui functionibus aptiùs & proniùs inſervibit.

Verbo dicam; ſi res rectè æſtimemus, non poſſumus non vehementer ſuſpicari, nihilo plùs diſtare *Animam* ab *aereo Genio*, quàm gladium vaginâ tectum à nudo & diſtricto; Animámque Genium eſſe in corpore, Genium animam extra corpus; id quod etiam veteres ſtatuerint, idem tam nomen quàm naturam utrique cummuniter tribuentes, utroſque Δαίμονας appellantes, ut alibi notavi.

‖ *Vide Pſel.* περὶ ἐνεργείας δαιμόνων.

5. Hoc valde conſonum eſt iis, quæ ‖ *Michael Pſellus* accepta prodidit à *Marco* Eremita, homine hujuſcemodi rerum peritiſſimo; is ità Δαιμόνων naturam deſcribit, quaſi per ſe totos ſint Spiritus & Aër; unde audiunt, vident, ſentiunt in omni ſui corporis parte. Quod etiam hâc ratione confirmat, miratus hominum inſcitiam qui non eam animadvertunt, viz. τὸ μὴ ἐπί τινος ὀστῶν ἢ νεύρων εἶναι τὸ αἰσθανόμενον, ἀλλὰ τὸ ἐν τούτοις ἐνυπάρχον πνεῦμα· *nec oſſa, nec nervos, nec craſſam aliquam ſeu viſibilem partem corporis organíve ejus cujuſlibet eſſe, per quod anima immediatè ſenſûs obit munia; Spiritus verò in his operationibus proximum & intimum inſtrumentum ejus eſſe:* quibus corpus deſtitutum, omni planè ſenſu ſimul deſtitui, tametſi craſſa ejus organa membráque ſolitam ſuam retineant conſiſtentiam, ut in Syncopis & Apoplexia videmus. Quod manifeſtò oſtendit, *Spiritus immediatum* eſſe *vitæ vehiculum*, animæque cum corpore conjunctionem per eos fieri; quemadmodum Medici doctiſſimi uno animo cenſuêre. Unde ſequetur, animam, rupto hoc vinculo, liberam à corpore futuram eſſe, & tam ſponte naturæ è putiſcente cadavere, nullum nunc ampliùs ſecum conſenſum habente, in elementum ſibi magìs congener, vitalem aërem, exituram, quàm ignis aſcendit ſurſum, ut ‖ jam dixi. Unde principiis vitæ plenè in hoc tenuiori vehiculo accenſis, tam apta & inſtructa ad ſenſationem & actionem evadet anima, quàm quivis alii aërearum regionum incolæ.

‖ Cap. 15. ſect. 5.

6. In hoc tam aptè támque luculentè concluſum, hæc una pugnat objectio perverſa; Fore, nimirum, ex iſta argumentatione, ut animæ brutorum etiam, eorum præſertim quæ perfectiora ſint, non modò ſubſiſtant, (nam hæc difficultas probè jam concocta eſt) ſed etiam vivant, ſéque poſt mortem fruantur. Ad hoc intrepidè reſpondere auſim, millies eſſe rationi congruentius brutorum animas poſt interitum vivere, quàm hominum non vivere. Veruntamen illas vivere, aut non vivere, nolo confidenter aſſerere; ſed leviter expendam utramque hypotheſin. Et primò, conceſſione fictâ, vivere affirmabimus, & rationes proferemus eas ob quas ità quis in animum inducat ſuum. Quarum duæ præcipuæ in objectione ipſa continentur; Brutorum animas poſt mortem ſubſiſtere, &, In brutis pariter ac in homine Spiritus immediatum inſtrumentum eſſe functionum vitalium. His addi poteſt, Bruta hominéſque

que in præſentia idem elementum, terram, unà incolere, eiſdémque calamitatibus ignis, deluviorum, terræ motuum, pariter eſſe obnoxios. Improbabile eſſe ut immenſum aëris ætheríſque ſpatium, animantibus habitandum, unius tantùm generis haberet, nempe Angelos ſeu Genios, bonos malóſque. Non minor enim hæc foret ſolitudo, quàm ſi Homines ſoli incolerent terram, aut Sirenes mare. Congruitatis vitalis periodos ab æterna ſapientia, rerum omnium creatrice, in animabus brutorum conglomeratas, longiores vel breviores eſſe poſſe, prout eſſentiæ proprietas & reſpectus ad Univerſum poſtulabit; unde & deſcenſus earum reditúſque juxtà vel celeriores vel tardiores fore. Bonitati divinæ convenientius eſſe ut res ità ſit quàm ſecus, ſi natura brutorum patiatur; fruſtráque illa extitura ſi vitalibus operationibus priventur, dum eas commodè habere & exercere queant. Nihilo magìs capacia fore *Salutis* in altero ſtatu, quàm *Converſionis* in hoc. Cùm intellectuales aëris incolæ externum corporeúmque ſenſum habeant, objectorum varietatem non minùs illîc gratam futuram fuiſſe, quàm hîc apud nos terreſtres. * Hiſtorias etiam innuere videri, eſſe revera apud illos animalia aërea, Canes, videlicet, Equos, & ſimilia. Ergo ut concludam; Rationem nullam eſſe præter *immoralitatem*, ignorantiæ matrem, (hoc eſt, anguſtum animum è nimio amore ſui & rerum aliarum deſpicientia natum) quæ faciat ut tam confidenter & pertinaciter cenſeamus, Brutorum animas vivere deſinere ſimul ac abs hoc corpore ſeparentur.

7. Plauſibilem equidem ſpeciem præ ſe fert hæc ſententia, adeò ut ſi quem objectionis vis cogeret veram illam habere, parum aut nihil eſſe videretur cur illum ejus pudeat. At non adeò facilè dirimitur hæc controverſia. Quanquam enim manifeſtum ſit, animas brutorum ſubſtantias eſſe realiter à corporibus ſuis ſeparabiles, ſi tamen unicam duntaxat congruitatem vitalem, nempe terreſtrem, habeant, vitam in aëre recuperare nequeunt. Unam autem an plures habeant *congruitates vitales*, abs ejus unius ſapientia & conſilio pendet, qui fecit omnia. Præterea, animæ brutorum naturâ magìs paſſivâ eſſe videntur, quàm ut hâc mortis evaſione uti fruíque valeant: quippe quòd *imaginatio* libera illa ac dominatrix, ſicut etiam *reminiſcentia*, noſtrî ſunt duntaxat; bruta autem non niſi *paſſivam* imaginationem habent, ſimplicémque memoriam; quâ ea, ut veroſimile eſt, deſtituente in corporis naufragio, etiamſi in aëre vivere potuerint, vitam tamen planè de integro auſpicarentur, quod parum abeſt ab interitu: ità ut hoc nomine rectè habeantur mortalia. Quòd idem elementum, terram, unà incolamus, nihil probat: nam iſthâc ratione efficeretur ut vermiculi & pulices extra ſua corpora vivere debeant, piſces nequaquam, qui tamen, figurâ forſan ſuâ paululùm mutatâ, (neque enim neceſſe eſt ut animantes in vehiculis ſuis aëreis eandem planè formam habeant, quam in terreſtribus habuiſſent) agere & degere poſſint in humidioribus aëris plagis.

Solitudinem quod attinet illam quæ in aëre futura ſupponitur, id hanc rem non attingit. Nam inferioribus ejus regionibus ſufficient varia terræ maríſque objecta. Plurium circuituum *congruitatis vitalis* in animabus brutorum conglomeratio, ingenioſum equidem commentum videtur, réſque ipſa poſſibilis; verùm, ut Scholæ rectè, *A poſſe ad eſſe non valet conſequentia*. Ad argumentum à Divina Bonitate ſumptum dicendum eſt, cùm Bonitas illa non excludat Sapientiam, quæ naturæ rerum accommodare ſe ſolet, cúmque naturam animarum brutorum non tam perſpectam, quàm noſtram ipſorum habeamus, non indè nos ſatis certos fieri poſſe, quid de brutis cenſendum ſit. Non omnes nervos ſimul pulſat muſicus; nec expectari debet ut quidque quoque tempore agat: vice autem ſuâ ſi pulſetur, ſonum ſuum edet, intereà temporis ſilet. Atque ità fortaſſis cum brutorum animabus ad quoddam tempus agitur, tum maximè cùm vitalis temperies terræ, aëris, maríſque interciderit; immo & aliàs quoque, ſi *Spiritus* nulli præter *intellectuales* ad aërea vehicula regenda idonei ſint & habiles.

Fateor equidem ad brutorum animas *Salutem* nihilo plùs pertinere poſſe, quam *Converſionem*; id autem non minùs verum eſt de animabus plantarum, (ſiquam habent aliam à communi *Spiritu Naturæ*) & tamen non probat vegetabilium animas victuras acturáſque in aëreis vehiculis, cùm hîc herba aut arbor mortua eſt & putruit. Ad illud de commoditate, quam objectorum varietas eſſet allatura aëreis incolis, jam reſpondi. Apparitiones equorum, canum, & hujuſmodi, ſunt forſan ipſi Genii Aërei in formas iſtas ſe tranſmutantes: quod quanquam indicio quidem ſit, illos ab hujuſmodi animantium aërearum uſu & ſocietate abhorrere noluiſſe, ſi haberent; æquiùs tamen iis carere poſſunt, cùm per ſe ipſi earum vicem præſtare valeant.

Breviter itaque concludam, mero lumine rationis certò demonſtrari non poſſe, animas brutorum non poſt interitum vivere, vel incongruum eſſe principiis naturæ vivere illas affirmare. Quod ſatis eſt Ojectioni præſenti enervandæ.

8. Utcunque verò de *brutis* ſit; *humanarum animarum* vita & activitas extra hoc corpus procedit quaſi ſecundo flumine, nullâ remorâ, nullo impedimento objecto. Quandoquidem enim compertum eſt, *Genios aereos* facultatum cognatione proximè nos homines contingere, ut qui utrique pariter ſumus animantes intellectuales, utrique eodem utimur *immediato inſtrumento ſenſûs & perceptionis, ſpiritibus aereis*, adeò ut vix quidquam aliud diſcriminis noſtri inter nos reperire detur, quàm quod hominem nudum inter & amictum pingui veſtimento intereſt; quid aptiùs, quid luculentiùs inferri hinc poteſt, quàm nos ſeparatos à corpore & ſolo aëre indutos, illis ſimillimos futuros, & eandem quam habent illi vitam & activitatem habituros? Nam quamvìs brutum animans amplam ſortem illam non aſſequatur, ſpem noſtram id labefactare non debet; quoniam facultates intellectuales majorem cognationem habent cum *aereo* aut *æthereo vehiculo*, quàm hæc eadem vehicula cum potentiis illis inferioribus ſenſualibúſque, quæ nobis cum beſtiis communes ſunt. Experimur etiam, in aëre puro ſpatiantes, quo Spiritus noſtri tenuiores & puriores ſint, hoc cogitationes noſtras nobiliores & diviniores fieri, ſimpliciúſque intellectuales.

Neque enormior eſt gradûs ſurſum quàm deorſum: nam cùm quod in nobis tam *divinum* ſit & *angelicum*, uniri tamen poſſit cum corpore bruti, (nam ità planè eſt *terreſtre* hoc indumentum) quidni anima, non obſtante *terreſtri* ejus *congruitate vitæ*, (quæ, novis occaſionibus oblatis, feriari facilè intelligitur) cum *Vehiculo Angeli* uniatur? Quamobrem de *Anima humana* planum eſt & expeditum, illam confeſtim à morte in ſocietatem aereorum incolarum, *Geniorum* aut *Angelorum*, ſe conferre poſſe.

9. Cujus rei certiores adhuc eſſe poſſumus, conſiderando, iis nos facultatibus eſſe præditos, quas anima impeditas & vinctas, obnubilatas & obſcuratas ſentit, fatali ſuâ in hoc carcere corporis commoratione; adeò ut ſuccenſeat ei, quoad fas eſt, propter gravia illa incommoda, quæ firmiſſima valetudo brutalis importare ſibi ſolet: Si conſideremus præterea, ut voluntas ipſius impuritati ſpirituum obluctetur quæ beſtiales excitat affectus, (ſummum illum florem & delicias aliorum animantium) útque univerſa vita ejus in terra ſæpe nihil aliud ſit quàm perpetuum bellum in motus illos, qui ex unione ejus cum terrena hac mole oriuntur, quæ uſque adeò ſimilis eſt aliis terreſtribus animalibus. Quibus ex rebus manifeſtum eſt, animam aliâ quàm oportuit conditione ſe nunc eſſe deprehendere, & ad meliorem purioremque ſortem atque ſtatum creatam fuiſſe; quem tamen ſtatum aſſequi non poteſt, niſi extra corpus vivat: id quod facit aliquatenus in ecſtaſibus divinitus miſſis & inſomniis; ubi non corporis organis, ſed purioribus ſpiritibus quarti ventriculi cerebri utens, agit quaſi ſolâ & per ſe, præexercitamenta quædam edit iis affinia, quæ in aereo ſuo vehiculo peractura eſt.

10. Adde quòd animæ immortalitas communis eſt, ideóque naturalis ſpes & expectatio omnium gentium; pauciſſimis, ſiqua ulla, tam barbaris, quin eam veram agnoſcant: quanquam fortè, ut in aliis rebus cernitur, nonnihil ridiculè rem ipſam explicent; ut, poſt mortem homines ſeceſſuros in lucum aliquem aut ſylvam, trans montem certum, aut in certam inſulam, qualis erat Δρόμος Ἀχιλλέως, ubi *Achillis* Umbra errare putabatur, & *Inſulæ fortunatæ*, celebre illud *Elyſium* veterum. Et tamen ſi his verba faceremus de cœlo *empyreo*, & quàm altum id ſit putaremus, quantúmque à terra diſſitum, quótque orbes ſolidos perrumpi priùs oporteat, quàm eò perveniat anima; ſimplices iſti Barbari Scholaſticorum ſententiam fortè non minùs ineptam judicaturi eſſent, quàm nos ſuam judicamus: & quiſpiam fortaſſe ſapientior & naſutior utroſque pariter ridebit.

Satìs eſſe debet gentes omnes de ſumma re ferè conveniſſe, Immortalitatem nimirum expectandam eſſe, perinde ac Numen aliquod colendum; tametſi circumſtantiarum ignoratio facit, ut religiones immanè inter ſe differant, diverſis mundi plagis. At cùm religio, & religionis præmium, beata poſt mortem conditio, ab omnibus ubique terrarum orbis incolis agnoſcatur, hoc manifeſto eſt argumento, rem veram eſſe naturæ lumine. Et non tantùm quia ità credunt, ſed quoniam eam vel tam ſeriò exoptant, vel tanto mentis horrore deprecantur, ſi contra conſcientiam ſuam graviter deliquerint: quæ proprietates non adeò univerſè hominibus ineſſent, ſi objecta in rerum natura non eſſent, quæ facultatibus iſtis reſpondeant; ut ipſe alibi in ſimili materia argumentatus ſum. *Antidot. lib. 1. cap. 10. ſect. 9.*

SCHOLIA

SCHOLIA

In Cap. XVII. Sect. *6.*

HIſtorias etiam innuere videri eſſe revera apud illos Animalia Aerea, Canes videlicet,&c. *De curribus Aereis,& Equitibus præſertim tot Hiſtoriæ tum ſcriptis tum famâ ſunt proditæ, ut infinitum eſſet recenſere. Canum verò ingentem vim per aerem ferri compertum fuiſſe ante* Byzantii *excidium per* Turcas, *apud* Comum *citerioris* Galliæ *urbem vergente ad occaſum die, ex* Alexandro *refert* Henningus Groſius *de* Spectris, *Lib.*1. *Sect.* 18. *Nigrum verò Venatorem in Saltu de* Fountainbleau, *ſtaturâ magnâ ac procerâ cum Canibus ſuis Venaticis, (cujus etiam meminit qui vitam* Henrici *quarti ſcripſit, Regis* Galliæ, *Magni cognominati) tanquam rem frequentiſſimam & compertiſſimam iſtis temporibus, illius loci atteſtati ſunt Ruſtici & Saltuarii. Nihil verò mihi mirabilius videtur, quàm quod mihi narravit vir quidam integræ fidei, mihi ſatis notus, aliiſque multis ob probitatem celebratiſſimus. Quippe qui ſummo mane,* Londini *per plateas incedens & in crumenam auro refertam incidens, ab ebrio aliquo & oblivioſo ſervulo ſuper menſam officinæ exteriorem ubi dormiverat, relictam, non ſibi in prædam ſervavit, quanquam id tutò & impunè potuit, ſed per publici Præconis vocem rem notam fecit, ut ad proprium Dominum aurum rediret. Hic, inquam, vir integerrimus & judicio perinde illibato atque fide pro certo mihi aliiſque multis narravit, Equum quem domi reliquerat, cùm abfuiſſet dies aliquot, redeunti, in Agro à domo ſua milliaribus aliquot diſſito, ei obviàm veniſſe, ut putabat, ſeque ſuum agnoviſſe, niſi quòd, cùm propiùs acceſſiſſet, flammeo igneòve quaſi fulgore aſperſus videretur aut ſaltem interſperſus. Quod cùm miraretur, poſtquam domum veniſſet, equum eâ ipſâ horâ animam efflâſſe intellexit quâ Equus ille ſubigneus illius formâ apparuerat. An is qui tam ſolidâ erat probitate ut aurum repertum ad dominum remittendum tam ſedulò curaret, tantâ eſſe poſſet vanitate ut gratìs mendacium fingeret, quilibet judicet. Quod ſi figmentum non ſit, quid ſignificet judicent Philoſophi.*

CAP. XVIII.

1. *Animas humanas tum quoad* Facultates, *tum quoad* immediatum inſtrumentum *ſuum, Spiritus, tam propinquâ ſimilitudine Dæmonas attingere, ut conſentaneum videatur, niſi Deus de induſtria impediat, illas certiſſimò extra* terreſtre *corpus acturas fuiſſe.* 2. *Sin minùs, Potentiam Sapientiámque Divinam duplicem triplicémve* Congruitatem Vitalem *earum eſſentiæ facilè inſerere potuiſſe.* 3. *Præſens veritas porrò demonſtratur à Dei Veracitate.* 4. *Reſpondetur ad Objectionem in ſuperius argumentum.* 5. *Alia demonſtratio à Juſtitia divina.* 6. *Reſpondetur ad objectionem.* 7. *Ad objectionem alteram reſpondetur.* 8. *Argumentum alterum à Juſtitia Dei.* 9. *Reſponſio ad objectionem.* 10. *Demonſtratio Immortalitatis Animæ invicta à Bonitate Divina.* 11. *Diſtinctiùs urgetur idem argumentum ; & quinam ſint apud quos vim minimam habiturum eſt.* 12. *Animum generoſiſſimum virtutéque maximè præditum de Animæ Immortalitate eſſe certiſſimum.*

1. POſtremùm verò, quò rem certam firmámque faciamus, contemplemur *naturam Dei*, rerum omnium Authoris & Conditoris, cujus bonitate, ſapientiâ, & potentiâ, cuncta creata ſunt & perpetuò gubernantur ; diligenter etiam animadvertamus, quot gradus ad hancce immortalitatem, qua de nunc agitur, in ipſam naturam animæ impreſſi jam ſint ; tum ſeriâ mente cogitemus, fierine queat ut ſupremum numen ibi ſe ſiſteret, nec ultrà pergeret, cùm tam graves rationes ſuadeant, ſi quid nos intelligimus, ut expectata noſtra perficiat. Nam clarè jam demonſtravimus, Animam humanam ſubſtantiam eſſe actu ‖ ſeparabilem à corpore, & operationes functioneſque ejus omnes, non iis partibus corporis peragi quæ *terreſtri* craſſáque ſint conſiſtentiâ, ſed materiâ magìs *aereâ* vel *athereâ*, vitalibus ‖ animalibúſque ſpiritibus, *vehiculis Angelorum* ſeu *Geniorum* admodùm cognatis: adeò ut ſi divina potentia permitteret Naturæ, ut ipſa per ſe ageret quantum poteſt, mira oppidò res foret, niſi ex divinis & intellectualibus facultatibus iis, quæ nobis inſunt, quæque tam propè accedunt ad eſſentias aut animas Angelorum, quàm propè ſpiritus animales noſtri

‖ *Cap.*2,3.4.5.6.

‖ *Cap.* 8,9.

ſtri ad eorum vehicula, mirum, inquam, ſi ex iſthac naturæ noſtræ prærogativa non oriretur neceſſariò fructus hic & ſequela, ut animæ noſtræ ſeparatæ à corpore extemplò agerent, aërémque ubi ſint actuarent, eâdem quâ alii Genii facilitate, cùm tantillum inter naturam utrorumque interſit.

2. Aut ſi ſimplex vis *Plaſtica* ſubjecti aëreo populo adeò cognati non ſufficiet utrique ſtatui, minimo profectò additamento opus erit ad ſupplendum quod deeſt: æternæ autem Sapientiæ quàm facile eſt, duplicem triplicémve *congruitatem vitalem, aeream* ſcilicet & *æthereum* pariter ac *terreſtrem*, eſſentiæ illi inſerere, quæ facultatibus & proprietatibus ſuis puriores incolas ætheris aëríſque tam manifeſtò refert?

3. At non hîc concludimus; alia ſuperſunt quæ in hac cauſa dicamus. Enimverò ſi quid habet ſummum Numen præ cæteris pretioſum, dabitur id nobis in certum & infallibile pignus hujus Veritatis, viz. *Animas noſtras certiſſimò futuras immortales.* Quod ad me attinet, nihil ego profectò in Deo agnoſco, Veracitate, Juſtitiâ, & Bonitate ejus pretioſius; hæc tria autem certos nos facient & ſecuros, nihil nos damni aut detrimenti capturos, neve in *vita*, neve in *eſſentia*, ex corporum terreſtrium derelictione. Summum enim eſſet convitium Attributo Dei illi, quam *Veracitatem* dicimus, ſi nulla revera beatitudo ſit poſt hanc vitam expectanda; cùm is eam cunctis orbis terrarum gentibus, ubicunque ulla religio cernitur, apertiſſimè & universè polliceatur. Non enim errorem, ſi error eſt, diſſimulat tantùm, publicè contra eum non proteſtando, (quod æquus quiſque faceret, ſi quis, illo præſente & audiente, diceret aliis, illum iis dona aliqua aut reditus largiri voluiſſe, cùm nihil horum cogitaret:) verùm etiam, quaſi datâ operâ, quoſdam homines egregiis animi dotibus & virtutibus inſtruxit, ad opinionem hanc per terrarum orbem propagandam. Namque *Prophetæ* & *Miraculorum Effectores* omnes qui uſquam extitêre, momentoſæ Veritatis hujus fidem modo aliquo humano generi fecerunt; quíque per omnia ſæcula excellentis animi virtutíſque laude claruerunt maximè, ad credendam eam procliviſſimi fuêre: ídque non tam ex intuitu commodi indè ſibi redituri, quàm quòd purus ille lucidúſque mentis habitus, qui amori & admirationi Dei & Virtutis, cunctíſque divinis dotibus illis, quas ii etiam qui nunquam eas aſſecuti ſunt, magnopere probârunt tamen, eſt conjunctiſſimus, quòd, inquam, defæcatus hic mentis habitus per ſe ipſe parit, ſi minùs neceſſitatem, mirificam certè pronitatem credendi veram hanc eſſe, quam ſuademus, opinionem; ut quiſque fatebitur, qui hujuſmodi rerum unquam experientiâ beatus fuerit. Quapropter ſi vera non ſit, doloſas plagas Deus in Natura diſpoſuit, ut optimi pientiſſimíque viri omnium certiſſimò incidant in fraudem & errorem: quod cum *Veracitate* ejus pugnat è diametro.

4. Nec eludi poteſt vis argumenti, dicendo, ut parentes liberos ſuos, ità Deum homines ipſorum bono fallere poſſe; proindéque ſapientiam ejus errorem hujuſmodi naturalem inducere poſſe, qui hominum ſocietatibus & politiis utilis ſit ad populum terrendum, eóque ipſo fideliorem eum tractabiliorémque efficiendum. Fateor equidem ex divino hoc veriſſimóque dogmate utilitatem eam oriri obiter, ad reſpublicas meliùs continendas: exiſtimare autem eum eſſe præcipuum dogmatis uſum, nec ad amplius aliquid ſpectare illud, tam vulgaris eſt & puerilis animi, ac ſi quis ex eo, quòd ſydera exigua quædam nobis noctu præſtant beneficia, colligeret, ad id unum ea fuiſſe facta.

Præterea, pater nullus mendacium filio ſuo diceret, ſi quod vult vero æquè efficere potuerit; & ſi quid dixerit, quod verè bonum juxtà ac expetendum filio futurum eſſet, quo illum ad obſequium flecteret, promiſſum ſuum, ſi penès ſe eſſet, certiſſimò præſtaret. At penès Deum eſt, quicquid in præmium promiſit, præſtare; nec opus eſt ut hac in re mendacio abutatur. Quapropter ſi faciat, minùs ille verax eſſet, quàm quivis homo mediocriter bonus & æquus; quod & blaſphemum eſt, & naturæ Dei repugnantiſſimum.

5. Quinetiam Deus *Juſtitiæ* nomine tenebatur naturam ordinémque rerum ità conſtituere, ut animæ humanæ poſt mortem ſuperſint, & ut cum iis ità agatur, prout hîc in terris ſe geſſiſſent. Deus enim, ut ait Philoſophus, Νόμος eſt ἰσοκλινὴς, & juſtitiam tum præmiorum tum pœnarum immutabiliter & inevitabiliter mundo diſtribuit. Quàm arduum autem ſit bonum eſſe & ſecundùm virtutem vivere, communis vita & querelæ hominum nimis teſtatum faciunt; atque difficillimum eſt cuiquam perſuadere vim eam naturæ ſuæ inferre, ut ad juſtum gradum rectúmque ſenſum virtutis enitatur; (nam fraus & callida prudentia, ut & alia, quæ contrariis vitiis oppoſita virtutes eſſe videntur at non ſunt, facilia ſatís:) quæ autem verè ſunt perſuadere, difficillimum, inquam, ſi non impoſſibile, ni ſpes ea maxima inculcetur, nempe ſtatus animæ poſt mortem, & præmium quod vitam ex virtute actam

illîc manet. Quâ ſpe ſi excidimus, mortalitate animæ, ipſi præmio noſtro, & Deus juſtitiæ ſuæ laude & gloriâ fraudabitur.

6. Nec poterit vim hujus argumenti enervare, neque grandiloquum illud *Stoiciſmi*, Virtutem ipſam per ſe ſibi ſufficiens eſſe præmium; neque lenius illud aliorum, Spem ipſam immortalitatis, quam tantum gaudium, tranquillitas, & jucunditas animi comitatur, dolorem omnem & moleſtias, vel in acquirendo virtutem, vel acquiſitæ inhærendo, exantlatas compenſaturam. Quod ad primum attinet, aliud eſt magna loqui, aliud facere. Et meâ quidem ſententiâ, *Epicurus*, qui ſummum bonum in voluptate poſuit, ſolidiùs, quod ad ſummam rei, Philoſophatus eſt, quàm paradoxi *Stoici*. Nam proculdubio Voluptas ea res eſt ad quam omnes ferri debent, ſi notionem ejus veram haberent, & in quo collocanda ſit ſcirent, & ad puriſſimam probatiſſimámque fruitionem ejus pervenire poſſent. Voluptas autem nulla eſſe poteſt (ſine miraculo) ubi Animi noſtri perturbantur & depravantur ſordidâ vilíque egeſtate, incarcerationibus, morbis, cruciatibus, pravo victu, aliíſque innumeris calamitatibus, quibus illi præcipuè per omnia ſæcula obnoxii fuêre, qui virtutem egregiam coluerunt maximè. Accedunt ad hæc, cura & ſolicitudo perpetuò pro ſalute ſua excubandi, acres aculei calumniæ & obtrectationis, continuus angor animi videntium illiberalia ac flagitioſa hominum ingenia, & pravas obliquáſque adminiſtrationes rerum. Quæ mentis inquietudines haud alio vitari poſſunt remedio, ac quod morbum ipſum aut æquat aut eo deterius eſt, utpote magnanimitate verè heroicâ alieniſſimum, *apathiam* dico *Stoicam*; de qua non ampliùs habes dicere, quàm conſtantem quandam tutámque contumaciam eſſe, eâdem nos conditione collocantem quâ illi ſunt, qui æquâ manu à luſu diſcedunt, indolentes, illætantes: adeò exiguum ſibi præmium eſt afflicta virtus, demptâ futuræ fœlicitatis ſpe.

7. Spem autem ejus ſolam ſine fruitione qui dicit ſufficientem eſſe compenſationem, ludificationem imitatur illam quâ *Dionyſius*, ut refert *Plutarchus*, uſus eſt erga Fidicinem; quem ſibi canere juſſum mercede promiſſâ, & locatæ operæ mercedem petentem repulit, vel potiùs repræſentâſſe ſe reſpondit, miſerum hoc joco eludens, Ὅσον χρόνον εὔφραινες ἄδων, τοσοῦτον ἔχαιρες ἐλπίζων, i. e. quamdiu me oblectâſti canendo, tamdiu tute ipſe gaviſus es mercedem ſperando; mercedem ergo jam accepiſti. Quæ iniqua feſtivitas ferri quidem poteſt in re ludicra, & à tyranno, quem loci & fortunæ dignitas ſuperbum, ſui obliviſcentem, aliorúmque præ ſe contemnentem facere ſolet: at in re graviſſima, quæ non hanc tantùm vitam perituram ſpectat, ſed durationem animæ ſempiternam, omnis iniquitas foret ſuprà quàm dici poteſt atrox & acerba; atque eo durior & indecentior, quòd non à miſello aliquo è terræ Magnatibus committitur, (quem honoris eminentia humiliorum tum rerum tum hominum negligentem reddat) ſed à ſummo Deo cœlorum Domino, qui quantillâ operâ & negotio unum quodpiam, omnia curare & adminiſtrare poteſt, quíque ſummè & immutabiliter juſtus, nihil quidquam vel facit vel omittit animi cauſâ, ut in vanis hominibus uſu venit, ſed pro ſumma ſuæ naturæ excellentia & ſanctitate cuncta ſemper agit.

8. Nec ad remunerandum modò tenetur *Juſtitia Divina*, ſed etiam ad puniendum; quod tamen fieri nequit, niſi Animæ Humanæ poſt mortem ſubſiſtant. Sunt enim ſine dubio multa hominum millia, qui atrociſſima ſcelera perpetrârunt, afflictârunt bonos, fortunis everterunt, libertate vitâque ipſâ ſpoliârunt, ídque aliquando cum diris cruciatibus & contumeliis; & immanibus his factis omnibus, ſuæ vel avaritiæ, vel ambitioni, vel vindictæ libidini, imò fortè & beſtiali animorum ſuorum ferocitati, magnopere gratificati ſunt; quibus vehementer adlubuit verè piis & ſanctis infamiam conflare; quíque honeſtas actiones omnes riſerunt, velut inſcitiæ & ſtultitiæ fructus: & tamen hi ſcelera hominum placidè tandem animas in lectulo exhalârunt, poſtquam eorum vita tam affluxiſſet cunctis ſenſûs bonis & commodis, honoribus, divitiis, & voluptatibus, quàm flagrat memoria fraudibus, rapinis, cædibus, ſacrilegiis, & quæ alia cunque ſint flagitia, quæ impia ſceleroſorum hominum audacia deſignare amat.

9. Atque his ſimilia in ſingulis hominum ordinibus evenire ſolent, alia alio modo & proportione. Neque ſatìs eſt ad hæc contrà dicere, Suas ipſorum conſcientias, quaſi tot Furias, flagellare & urere illos in hac vita: nam de inveterata & fortunata impietate loquimur, ubi conſcientia conſopitur; aut ſi quando expergiſci & clamare cœpit, rerum mundanarum ſtrepitus, negotiorum tumultus, officia continua amicorum & adulatorum inviſentium, doctrinæ falſæ avarorum Sacerdotum & Philoſophorum mercenariorum (qui naturæ lumen religioníſque ſenſum lucri cauſâ impudentiſſidentiſſimè corrumpent & pervertent) clamoſus, inquam, harum rerum ſtrepitus fœliciter-improborum aures ità obſidebit, nè conſcientiæ vox in hoc perpetuo tumultu audiri plùs queat, quàm vagitus *Jovis* infantis inter inconditos motus ſaltationéſque *Corybantum*, inter tinnitus crepitantéſque ſcutorum æneorum colliſiones. Si ergo non ſit futura vita, maxima fœlicitatis portio obvenit nequiſſimis; quippe quibus obtigit affectibus ſuis & cupiditatibus animi perpetuò gratificari, atque adeò explere rebus iis, quæ, ut gratiſſimæ, ità, in debitis circumſtantiis, permiſſæ ſunt naturæ humanæ: cujus generis ſunt, ſuavis recordatio exoptati ſucceſſûs ex ſolerti noſtra rerum humanarum adminiſtratione, honor & obſervantia ab omnibus delata ob ſummam prudentiam noſtram & ſolertiam, &, quæ earum ſunt ampliſſimum teſtimonium, potentia & opes acquiſitæ, tum magna illa voluptas inimicos noſtros vincendi & vi evertendi, amicos contrà utiles futuros promerendi & nobis confirmandi, denique multiplex illa amœnitas & oblectatio, quam Muſica, Vinum, Mulieres, mortalibus afferre poſſunt.

10. Tertiò & ultimò, Mortalitas animæ non modò cum *Veracitate* & *Juſtitia* Dei conſtare non poteſt, ſed nec cum ejus *Bonitate*, ſummo & ſanctiſſimo Numinis attributo; quæ per ſe ſatìs eſt ad demonſtrandum, Animam humanam non poſſe morte interire. Fac enim Deum nullum nobis promiſſum, neque per Prophetam extraordinarium, neque naturalium noſtrarum facultatum ſuggeſtione, immortalitatis noſtræ feciſſe; fac item nullum in hac vita locum eſſe vel merito vel demerito; adeò ut omnis argumentatio à divina *veracitate* & *juſtitia* ſumenda ſic penitus tollatur: una *Bonitas* ejus (præſertim ſi conſideremus quàm capax ſit anima ſubſiſtendi deinceps) certiſſimam fidem facit, nos fato hîc noſtro ſupervicturos. Non potuit enim aliter conſtitui à ſuprema illa *Bonitate*, cui ſemper adeſt omnipotens Scientia; eò quòd infinitò congruentius eſt immenſæ liberalitati ejus ſic conſtituere, quàm ſecus: hoc dicere volo, mundum, cùm primùm eum creavit, ità integrum perfectúmque efficere, ut in exiſtentiæ lucem ſimul & ſemel proferret, non modò univerſam ſubſtantiam corpoream, (quod feciſſe eum confitentur omnes) verùm etiam ſubſtantias omnes immateriales ſeu incorporeas; tum quotquot earum vitam participare, ſéque atque Univerſo frui poterant, eas ad opus faciundum vitámque exercendam cunctis in locis ac elementis admovere, in quibus operari aptæ natæ ſint; proindéque inter alia Ordinis Intellectualis entia, decernere, ut humanæ quoque animæ, quocunque in loco ſint, aut futuræ eſſent, niſi per ipſas ſteterit, copiam haberent vitæ motûſque, & ut nulla alia *Nemeſis* illas inſequeretur, quàm cujus ipſæ cauſas præſtruant, eáque non urgeret illas ad *annihilationem* uſque, ſed caſtigaret ſolummodo & puniret: & quoniam adeò multiplici naturâ ſunt, ut facultates habeant, tam quæ brutorum facultatibus affines ſunt, quàm quæ *Genios aereos* cœleſtéſque Angelos proximâ quidem cognatione contingunt, ut vitalis congruitas earum æquè multiplex eſſet, ipſæque unionis vitalis cum *cæleſti, aereo, terreſtrique* vehiculo capaces fierent; útque denique unius horum derelictio eſſet alterius occupatio, quamdiu elementa nativam ſuam temperiem ſervent, quamprimúmque generationis leges permittant.

11. Hæc, aliorúmque his ſimilium longa ſeries illorum oculis ſe ſubjicit, quibus datum eſt, ut ſecretiores *Divinæ benignitatis* gazas contemplentur. Cæterùm plura cùm ſint, quàm præſens cauſa poſtulat, iis contentus ero quæ rem ipſam, quæ præ manibus eſt, proximè attingunt, viz. Cùm Anima humana tam apta nata ſit ad agendum poſt hanc vitam in *aereo vehiculo*, quàm hîc in *terreſtri*; cùm illam vivere atque agere præſtet, quàm vitæ & activitatis omnis jacere caſſam; cúmque abs arbitrio Dei duntaxat pendeat, utrum eorum futurum ſit: Ille, qui naturas rerum certiſſimè adminiſtrat ex optimo, humanas animas poſt mortem vivere & agere decernat neceſſe eſt. Hæc rationis deductio irrefragabilis eſt iis, qui Dei exiſtentiam agnoſcunt, & egregium illud naturæ divinæ attributum rectè ſapiunt. Nam qui verum ſenſum ejus habent, tam ægrè poterunt concluſionis hujus veritatem negare, quàm Dei exiſtentiam. Nec unquam perſuaderi poſſunt, illum naturâ ſuâ abſolutè bonum, & cui ipſi ſincero obſequio & ſtudioſiſſimo cultu tamdiu adhæſerant, ſe ſic feciſſe, ut cùm ſperant ſe illo fruituros maximè, nec illo, nec ullâ re aliâ frui potuerint; utpote qui agere nequeunt niſi *terreſtri* corpore induti. At qui merè *animales* ſunt *homines*, nec cujuſvis amoris guſtum habent niſi ſui & commodorum ſuorum, & neminem

hominem reſpiciunt qui non in ſe officioſus ſit ac utilis, ii, ad Deum judicandum ſuo ex ingenio viliſſimo proni, temere exiſtimabunt, tantam Deo curam charitatémque noſtrî eſſe, quantum ex nobis fructum capit; qui planè nullus.

12. Quocirca hoc argumentum imprimis, uti etiam priora duo, quanquam certiſſimæ ſint demonſtrationes, quoniam tamen juſtum moralium rerum ſenſum, i. e. *Veracitatis, Juſtitiæ, & Bonitatis,* poſtulant in illo, qui abs iis perſuadendus ſit; ſequetur, ut quorum mens vitiis occæcatur & eviluit maximè, ii eorum vim minimè ſint ſenſuri; & nobiliſſimus ac generoſiſſimus quiſque, Immortalitatis Animæ certiſſimus ſit futurus.

IMMORTALITAS ANIMÆ.

LIBRI TERTII

CAP. I.

1. *Cur Author diſſerat de ſtatu Animæ poſt mortem, & quâ methodo.* 2. *Argumenta ad probandum Animam ſemper vitaliter uniri cum aliqua materia.* 3. *Rationes aliæ quæ porrò idem evincant.* 4. Aëreum *&* Æthereum *corpus pariter ac* Terreſtre *animæ competere.* 5. *Ex* terreſtri *in* aëreum vehiculum *Animam ſemper ferè tranſire primùm.* 6. *In vehiculo ſuo* aëreo Sentire *poſſe,* Dolore *item &* Voluptate *affici.* 7. *Præcipuam vim ejus in vehiculum ſuum* aëreum *eſſe Directionem motûs in particulis ejus.* 8. *In* æthereo *verò motum addere & minuere poſſe.* 9. *Puritatem vehiculi ad acriorem Senſum Cognitionémque conducere.* 10. *De vi Animæ ad mutandam temperiem Vehiculi ſui* Aërei ; 11. *Utì etiam formam ejus.* 12. *Perſpicuitas Axiomatis ultimi.*

1. IMmortalitatem Animæ evidentiſſimè, utì ſpero, demonſtravi omnibus, qui nec tarditate ingenii, nec improbitate morum inidonei ſunt, qui de veritate hujuſmodi demonſtrationum judicent ; eóque ipſo præcipuè mihi propoſitum jam perfeci. Verùm mea ipſius curioſitas, & voluntas aliis inſerviendi, qui ſpeculationibus hujus generis oblectantur, paulò longiùs me provocant ; ſi non & ipſa materiæ dignitas idem jure poſtulet : quod tum rectiùs videbitur, cùm eam abſolvero. Res quam exordior hæc eſt ; *ſtatus Animæ poſt mortem hîc obitam qui qualíſque ſit.* Qua in re perſequenda, quanquam fortaſſe non ità firmè potero pedem figere, ac in ſuperiori parte tractatûs hujus feci ; quicquid tamen hîc ponam, ſi minùs demonſtrabile, rationi certè conſentaneum videri debebit, & multo majoris monenti iis, quæcunque contrà allegari poſſint ; ídque ordine & methodo ità perſpicuâ, ut ſi quæ dicturus ſum convincere non valeant, certè nec fallere nec intricare lectorem perplexabilitate aut obſcuritate potuerint : idcirco ſimul exponam præcipua ea Principia, quibus orationis meæ quod reliquum eſt innitetur.

AXIOMA XXVII.

Anima à terreſtri *hoc corpore ſeparata non ab omni vitali unione cum materia liberatur.*

2. HÆC communis eſt ſententia *Platonicorum*. Diſſentit quidem *Plotinus*, præſertim in animabus divinioribus, quaſi hæ tandem omni omnino materiâ denudarentur, cum nulláque re niſi Deo ipſo unirentur : quod commentum ejus ex eadem illa mentis inæquabilitate ortum puto, unde ſuſpicabatur è diverſo, Animas maximè degeneres in corporibus arborum demum obdormiſcere, nec niſi in *plantalem* vitam explicare ſeſe. Hujuſmodi figmenta hominum impotenti imaginatione

depravârunt multùm antiquam *Cabbalam* doctrinámque ſacram, quam *Platonici* ipſi θεοπαράδοτον affirmant, Traditionem ſanctam ex ore ipſius Dei vel Angelorum exceptam. Utcunque tamen, *Plotinus* ipſe non negat quin anima, donec ſummum illum purificationis gradum attigerit, aut in *aereo* aut in *cæleſti* corpore agat.

Nunquam autem illam ità prorſus ab omni materia, quantumcunque pura & tenui, liberari, conditio operandi ejus in hac vita certiùs indicat, quàm eam unquam liberari probet quidquam petitum aliunde. Nam manifeſtò comperimus ſubtiliſſimas & maximè intellectuales operationes ejus ex apta temperie ſpirituum pendere; & puritatem tenuitatémque eorum id eſſe, quo anima invitatur & quo valet amare & perſequi objecta *divina* atque *intellectualia:* quod motuum genus ſi ipſa propriâ ſuâ vi & eſſentiâ immediatè exerere potuit, quid impediret quo minùs ea, quandocunque id velit, effectum daret? quod tamen eam non poſſe experimur, niſi *Spiritus* rectè ſe habeant. Atqui indebitâ temperie ſpirituum anima, ut dixi, in his actibus impediri non poteſt, ſi ii naturâ eâ ſunt, ut ad nudam ipſam eſſentiam animæ, ab omni cum materia unione præciſæ, pertinerent. Sic enim animæ, quoad illos actus, perinde eſſet, ubi i. e. in qua materia ſit, (at in aliqua eſſe debet, quoniam Univerſum ubique confertum eſt materiâ) tollatúrne in puriſſimas regiones aëris, an in fœdiſſimos terræ aquæque ſinus demergatur; nam intellectuales operationes ejus utrobique forent ſimiles: quippe quòd * hæc cum corpore conjunctio *Plaſticam, Sentientémque* Facultates ſolas prendere & tenere videtur, etiam tum cùm anima *vitaliter* cum materia unitur. Quid ergo in corpore fingi poſſit, quod eam in operationibus nobilioribus præpediat?

Quare manifeſtum eſt ſic eſſe animam, ut niſi per materiam agere non poſſit, tum operationes ejus indè ſemper aliquâ ratione modificari. Itaque ſi anima omnino poſt mortem agit, (agere autem demonſtravimus) perſpicuum eſt illam non ab omni vitali unione, cum omni omnino genere materiæ, liberari: quod non *Platonici* tantùm, ſed *Ariſtoteles* etiam cenſuit, utì facilè colligere eſt ex iis, quæ ex illo ſuprà citavimus.

Lib. 2. cap. 14. ſect 4, 5.

3. Præterea, immanis in Natura rerum ſaltus videtur, ut anima, quæ modò in imum materiæ lutum adeò demerſa jacuit ut cum beſtiis verſaretur, craſſiſſimæ carni ac oſſibus vitaliter unita, tantum illico mutaretur, ut nulli prorſus materiæ adhæreat, ſed in ἀϋλότητα aſcendat, uni forſan Deo competentem, niſi ſi fortè ejuſmodi creaturæ exiſtant, quas Νόας aut *Intellectus ſimplices* nuncupant *Platonici.* Homini æquo durum & incongruum hoc videatur neceſſe eſt, maximè ſi animadvertatur, quàm præclara Entia ſint infra Νόυς aut Νοας, quæ Philoſophi omnes, qui de iis ſcripſerint, *vitaliter* uniri aiunt cum aëreis aut æthereis *vehiculis.* Nam hujus ſortis ſunt omnes *Genii* vel *Angeli.*

Satìs ergo eſſe debet, ut anima nunquam iſtorum Ordinum *immaterialitatem* tranſcendat; quorum infimos vitaliter conjungi *Vehiculis aereis*, inſcitia ſua Naturæ manifeſtò prodit. Facile enim fuiſſet & ad famam ſuam conſultius, ſectatores ſuos docuiſſe rectiùs Naturæ myſteria, niſi quòd ipſi ea ignorabant; quæ tamen ignorâſſe non poterant, ſi non *aereis corporibus* illigati eſſent. Alioquin enim coacti non forent cum univerſi aëris curſu ſimul ferri; ſed immoti perſiſtentes, quippe nulli materiæ vitaliter connexi, * puncto temporis perſentiſcere potuiſſent & *diurnum* & *annuum telluris motum*, & ſectatorum ſuorum exiſtimationi, hoc illis theorema communicando, pepercilſſent; quæ jam propter hujus rei ignorationem eviluit apud eos, qui ſyſtema mundi, quàm ipſi, meliùs intelligunt; quanquam Philoſophiam ſuam tantopere jactitent, velut à ſummis Angelis dictatam.

AXIOMA XXVIII.

Triplex eſt in anima congruitas vitalis, *Ætherea, Aerea,* & *Terreſtris.*

‖ *Lib. 2. cap. 14. ſect. 1.*

4. COmmunem hanc eſſe *Platonicorum* ſententiam ſignificavi ‖ ſuprá. Veram quoque per ſe eſſe, patet è ſuperiore Axiomate. De congruitate *terreſtri* nulla eſt dubitatio; nulla itidem quin duarum reliquarum altera ſaltem concedi debeat; anima alioquin poſt mortem ab omni cum materia unione *vitali* liberaretur. Quare vitalem habet aptitudinem uniendi ſaltem cum *aere: Aer* autem commune receptaculum eſt omnium cùm malorum tum bonorum ſpirituum, (ut terra omnium generum hominum & brutorum) immo quidem eorum qui ſunt aliquo modo mali, potiùs quàm bonorum, ſicut in terra fit. At anima humana perexcelſæ purificationis capax eſt, ad conditionem uſque ſimpliciter Angelicam. Unde Ratio æquum judicat,

cat, & in eandem ſententiam cenſuit omnis antiquitas, humanas animas illas, quæ ad juſtum puritatis culmen pervenerint, cœleſtia vehicula aliquando conſequi debere.

AXIOMA XXIX.

Uſitato Naturæ more, Anima in congruitates vitales *illas ordine expergiſcitur, non abs extremo in extremum tranſiliens ſine ulla mora in medio.*

5. HOC axioma, præterquam quòd vel primo intuitu non poteſt non videri admodum conſentaneum, ex nota illa regula, *Natura non facit ſaltum*; ita ſi ulteriùs examinetur, ſoliditas ejus pleniùs conſtabit. Nam cùm omnium ferè hominum animæ, etiam eorum qui viri boni & honeſti habentur vulgò, perexiguum puritatis gradum in hac vita adipiſci ſoleant; clarè ſequitur, quàm pauciſſimas *æthereum* ſuum *vehiculum* ſtatim à terreſtri corpore relicto conſecuturas; privilegio hoc non niſi præclaris & verè *heroicis* animis conceſſo, quo in numero pauciſſimos memorant hiſtoriæ. At negari non debet, quin varii ſint puritatis & excellentiæ gradus in *Aereis corporibus*; juſta *Nemeſis* ergo quemque poſt mortem inveniet.

AXIOMA XXX.

Anima in aëreo vehiculo *ſuo capax eſt* ſenſûs *propriè ſic dicti, ideòque* voluptatis *&* doloris.

6. HOC liquet ex Axiomat. 27 & 28. Senſus enim oritur neceſſariò è *vitali unione animæ* cum *corpore* quocunque: & meminiſſe licet, (quod ſuprà probavimus) ſpiritus, etiam in hoc *terreſtri* corpore, immediatum eſſe inſtrumentum *ſenſûs*: quare nulla omnino Veritatis hujus dubitatio eſſe poteſt. Et cùm *Voluptas* & *Dolor* propriæ ſint modificationes *ſenſûs*, nullúmque corpus exiſtat quod paſſibile non ſit, evidentiſſimum eſt *vehicula aerea* tam *dolori* eſſe obnoxia quàm *voluptati*, in regione illa, ubi mala verſentur pariter ac bona.

AXIOMA XXXI.

Anima vehiculi *ſui* aërei *materiæ nec addere nec demere poteſt aliquantum motûs gradum; particulas tamen jam motas voluntatis ſuæ imperio dirigere poteſt quòcunque viſum erit.*

7. VEritas hujus axiomatis evinci poteſt partim è ſuperiori; quandoquidem enim partes aëris ſenticoſæ & anguloſæ ſunt, vehementior earum motus vel quies coarctatior meritò animæ videatur moleſta, tactuíque ejus dura & aſpera: tum partim ex eo quod experiri nobis licet in hoc corpore, cujus ſpiritus dirigere tantùm poſſumus, non autem augere nec minuere eorum motum imaginatione aut voluntate noſtrâ, (nemo enim imaginando aut volendo ut ſpiritus ſui celeriùs vel tardiùs moveantur, calorem vel frigus, certiſſimos effectus motûs & quietis inſolentioris, inferre ſibi valet; ſpiritus autem in organa motûs ſpontanei dirigere poteſt, partéſque corporis craſſiores ſic movendo, per directionem illam eos conſumere, in iiſque conſumendis partes calefacere poteſt; tantum eſt quod nos poſſumus:) partim denique ex Divina illa Providentia quæ cuncta condidit, & creaturarum vires & facultates pro ſua ſapientia & conſilio diſpenſat, quæ propterea ſtatum illum animæ, qui malis boniſque ſimul communis eſt, durioribus legibus adſtrinxit.

AXIOMA XXXII.

Quanquam Anima nec addere nec demere poteſt aliquantum gradum motûs de materia Vehiculi *ſui* Aërei, *nihil tamen obſtat quo minùs utrumque faciat in* Æthereo.

8. RAtio eſt, quia particulæ vehiculi ætherei ſunt partim læves globuli, partim materia tenuiſſima, tam inſigniter liquida, ut ad quidlibet ſe facilè accommodet: aër contrà, ut in Sclopetis pneumaticis cernere eſt, partes habet tam contumaces & rigidas, ut licèt eouſque compreſſæ ſint ut tubus machinæ indè caleat, non tamen figuras ſuas neque vires perdant; ſed elaſtri chalybei inſtar, facultate datâ, redeant ad naturalem ſuum ſitum eâ violentiâ, ut glandem explodant pari impetu ac pulvis ipſe nitratus. Præterea, ſummi Numinis bonitas, à quo pendent omnia, jure

merito exiſtimetur *æthereæ congruitati vitæ* (quæ in obedientiſſimis duntaxat animabus ejúſque Imperio fideliſſimis expergiſcitur) ampliorem poteſtatem indulſiſſe quàm alteri ; ſubjecto exiſtente capaci. Perinde enim intellectu eſt facile, Deum animam donare poſſe potentiâ *movendi ſiſtendíque* materiam, ac motus ejus determinandi.

AXIOMA XXXIII.

Quo purius vehiculum, eo vegetiores perfectioréſque ſunt perceptivæ *facultates animæ.*

9. Hujus axiomatis veritatem experiri quodammodo licet in hac vita, ubi vegetam vim audiendi, cernendi, olfaciendi, guſtandi, agilitatem reminiſcentiæ, rationis, cæterarúmque omnium facultatum *perceptivarum*, intendi aut remitti comperimus, claritate vel impuritate tarditatéque ſpirituum corporis ; oblivionem item & ſtupiditatem ex eorum ſeu terreno, ſeu aqueo, ſeu alio quocunque habitu craſſo oriri : quo malo affectu depulſo, & corpore ſpiritibus debitâ cùm copiâ tum puritate repleto, mens vigorem ſuum recuperat, quod excidiſſet revocat, intelligit nunc quod antè non potuit, videt audítque longinquiùs ; & ſic de cæteris.

AXIOMA XXXIV.

Mirificam vim habet Anima ad mutandam non modò temperiem *ſed etiam externam* formam vehiculi *ſui* Aërei.

10. Primæ partis hujus axiomatis veritas è quotidiana experientia conſtat ; ſæpiùs enim obſervare licet, quàm mirum in modum paſſiones animi in ſpiritus noſtros hîc agant ; ut ira, ægritudo, invidentia, (reliquos affectus ut taceam) corpus alterent. At profectò corpus, quo purius, eo mutabilius eſt hoc ipſo nomine : quare paſſiones animi non poſſunt non magnam habere vim in *aereum* animæ *vehiculum* ; quod quanquam in aliud atque aërem mutare nequeunt, hunc tamen aërem in habitus variare poſſunt tam immanè inter ſe diſtantes, quàm diſtet virtus à vitio, invaletudo à ſanitate, dolor à voluptate, lux à tenebris, & fœtor carceris abs aromaticis odoribus virentis paradiſi.

11. Poſterioris partis veritas demonſtrari poteſt ex extremo Axiomate 31. Poſitâ enim in anima facultate dirigendi motum particularum fluidi ſui vehiculi, neceſſariò ſequetur eam habituram item potentiam illud aliquatenus figurandi ſponte ſuâ & pro arbitrio. Cui addi poteſt, ut non contemnendum indicium veritatis rei, id quod in hoc genere fit in hac vita à voluntate & cogitatione noſtra : nimirum, eam ſolùm ob rem quòd volo & cogito oris, pedis, digitorum motum, ea movere valeo, modò ſpiritus adſint, quos in hunc motum dirigam. Signaturæ etiam fœtui in utero impreſſæ, per matris deſiderium & imaginationem, multùm faciunt ad hujus rei veritatem evincendam : ſed de hoc ſuo loco dicam uberiús.

AXIOMA XXXV.

Quemadmodum quædam facultates in morte aut poſt mortem ſopiuntur, ità expergefieri alias, quæ illi ſtatui magìs conveniant, eſt rationi conſentaneum.

12. Hujus axiomatis veritas hinc liquet, quòd animæ noſtræ non temerè aut fortuitò fiunt, ſed abs Deo omniſcienti proveniunt, qui cunctos earum ſtatus providens, *excitationem conſopitionémque* potentiarum & facultatum convenienter ſingulis iſtis ſtatibus inſtituit & comparavit.

AXIOMA XXXVI.

Sive vitalis congruitas *Animæ deſinat, periodo ejus prorſus evolutâ, ſive Materiæ deleatur, eſſentiali aliquâ diſſidentiâ,* vitalis unio *perit continuò.*

13. Ultimum hoc axioma per ſe ſatis eſt manifeſtum ; qui ſit uſus ejus, attingetur poſtea ſuo loco.

Hæc ſunt effata illa, ad quæ recurram, vel quæ ſaltem ſupponam, in diſquiſitionibus ſequentibus : cætera opportuniùs tradentur ſermonis noſtri progreſſu.

SCHOLIA

SCHOLIA

IN CAP. I. SECT. 2.

HÆC cum corpore conjunctio Plaſticam ſentientémque facultates ſolas prendere & tenere, &c. *Equidem ſi Anima operari poteſt omni omninò corpore exuta, admodum veriſimile eſt, partem animæ* Intellectualem *liberam fore in operationibus ſuis, quanquam in ſtatu unionis cum corpore qualicunque. Quoniam Anima ſecundùm* Plaſticam *tantùm corpori uniri poſſe videtur. Nam ſi intellectu & voluntate uniremur, unionem pro arbitrio diſſolvere poſſemus. Jam verò cùm pro qualitate corporis intellectuales operationes impediuntur, eaſdem à Plaſtica aliquo modo dependere, cujus commodus ſtatus à qualitate vehiculi dependet, conſentaneum eſt, Animámque corpore, niſi in ſtatu ſilentii, nunquam deſtitui.*

Sect. 3. Puncto temporis perſentiſcere potuiſſent & Diurnum & Annuum Telluris motum, &c. *Certè admodum pauxillo tempore non ſolùm in alio Horizonte raptu Telluris* diurno, *ſe conſtitutos deprehenſuri fuiſſent, ſed motu illius* Annuo, *qui triplo ferè celerior eſt, etiam extra Atmoſphæram omnino poſitos.*

CAP. II.

1. *De* dimenſionibus *animæ nudè & per ſe ſpectatæ.* 2. *De* figura dimenſionum *animæ.* 3. *De* heterogeneitate *eſſentiæ ejus.* 4. *Ipſam quoque* Plaſticam *animæ partem heterogeneam eſſe.* 5. *Modus agendi partis* plaſticæ *in vehiculo fingendo.* 6. *Excellentia Philoſophiæ* Carteſianæ. 7. *Vehicula* Spirituum *tantum ſubſtantiæ ſolide-corporeæ in ſe habere, quantum Corpora* Hominum. 8. *Stultitia ſententiæ contrariæ evincitur.* 9. *Conditio animæ in altero illo ſtatu melior, quoad Corpus, quàm in hoc.*

1. QUO jam clariorem & determinatiorem habeamus conceptum naturæ ac conditionis animæ *extra corpus*, videamus paulisper primùm, Quid ipſa ſit in eſſentia ſua, *citra reſpectum omnem ad corpus quodlibet*; & hîc illam comperiemus ſubſtantiam eſſe *extenſam* & *indiſcerpibilem*, ut facilè colligere eſt ex iis quæ ſuprà diximus. Atque opportuna contemplatio eſt hoc in loco, (ubi animam conſideramus ut *Lib.1.cap.3,5, 8.& lib.2.cap. 1,2.* jam exutam *terreſtri corpore*) illam nempe ipſam habere de ſuo æquè amplas ſaltem, ſi non ampliores, *dimenſiones*, quàm quæ viſibiles ſint in corpore relicto. Quod obſervatu dignum duco, ad os illis obturandum, qui, nec ſine ratione, derident incomprehenſibilia & ridicula commenta Scholaſticorum; qui primùm *extenſionem* omnem *Spiritibus*, ſive animabus ſive angelis, negantes, poſtmodum diſputant quot ex illis in extrema acicula ſimul tripudiare poſſint. Ineptiæ magnopere derogantes veritati! & quæ perceptionem noſtram tantam in anguſtiam & exilitatem comprimunt, ut nihil planè quicquam de eſſentia noſtra imaginari poſſimus; quòd ſi facimus, in deſperationem tamen, aut noſtrîmet ipſorum deſpicientiam proni incidimus, atomos nihili noſmet fingendo.

2. Ut autem manifeſtum eſt animam *dimenſiones* habere, nec tamen eas infinitas, proindéque illam aliquâ *figurâ* definiri; itá perincertum eſt certáne ſit figura illi naturalis, *animali formæ* reſpondens, an per ſe ipſa ſit figurâ *rotundâ* aut *ovali*, variet verò eam pro re nata. In qua quæſtione hoc tantùm definiri refert; cùm in *terreſtri* materia operatur anima, plaſticam partem ejus determinari ad organizandum corpus in formam humanam; in *aerea* verò aut *ætherea*, nihilo plùs minúſve ad formam ullam determinari, quàm Genios aut Angelos; quorum vehicula ſi libentiùs eant in certam aliquam figuram, animæ quoque vehiculum eodem planè modo habere ſe: quocirca in vehiculo ſuo viſibili * communem formam angelorum geret, eundem vultum, amictum ſimilem.

3. Quod pluris refert, facilius definitu arbitror; nempe, utrùm anima una *homogenea* ſubſtantia ſit, an quodammodo *heterogenea*. Poſterius horum utcunque verum eſſe, conſtat ex alibi dictis; *Perceptivam* nimirum facultatem per univerſam animam *Lib.2 cap.11. ſect.10,11.* non diffundi, ſed in certam partem concludi, quam *Centrum* & *Oculum* animæ, & *Perceptivam* partem ejus appellavimus; reliquam omnem verò *Plaſticam*. Cæterùm

altera hîc dubitatio ſuboritur, annon item *heterogeneitas* ſit in ipſa *Plaſtica* parte animæ. Ariſtotelei videntur certi non eſſe, affirmántque ſi oculus digito pedis inſertus eſſet, digitum viſurum pariter ac caput. Qua de re ego multùm quidem dubito: namque hinc ſequeretur, quaſdam res animantes malignam lucem undique ſenſuras fuiſſe, utpote totas ferè tranſparentes; atque homines nonnullos tenui puróque corporis habitu, lucem fortaſſe percepturos quà imæ partes digitorum connectuntur, pellucidum enim aliquatenus eſt id quod connectit; quare vitâ & ſpiritibus continuatis indè, ut ſunt, ad conarion, vel quartum ventriculum cerebri, ſequeretur animam lucem indè ſubſenſuram, quod foret videre illîc ſimul & tactu ſentire.

4. Quapropter magìs conſentaneum videtur, ut in *Plaſtica* quoque parte animæ *heterogeneitatem* ponamus, nec quamque partem animæ à ſede *communis ſenſûs* diſſitam, i. e. non circulum quemque centrum animæ ambientem, eiſdem finibus virtutis & potentiæ gaudere, nec quoad *numerum*, nec quoad *ſpatium*: verùm, quod ad *numerum*, gradualem eſſe declinationem ab excellentia *primaria*, quæ eſt pars animæ *Perceptiva*; cui proximum circulum eſſe partem illam *Plaſticæ*, quæ objecta *Viſûs* tranſmittere valet, pariter ac tactûs, & auditûs, & quicquid ſit ſenſuum aliorum in anima. Circulum huic ſuccedentem *Auditum* eſſe ſine *Viſu*, at non ſine *Tactu*: etenim tactus per omnia ſe fundit, at in extrema regione ſua, quæ eſt longè maxima, nullorum objectorum perceptiones diſtinctas & definitas tranſmittit niſi tactilium; aliis omnibus eſt medium iners & inanimum; quemadmodum & *circulus auditorius* merè paſſivum medium eſt objectis *viſûs*. Quare ſi imaginationem noſtram oblectare velimus, & Animam, cum *Ficino*, Stellam fingamus, accuratiùs id fiet, ſi cogitemus illam circulis ſuis velut *Halone* circumcinctam: nam anima non magìs homogenea eſt *rationi*, quàm viſum illud *oculo*.

5. Quòd ſi animam in formam aliquam perſonalem propendere ſemper exiſtimemus, *Plaſticorum* tum radiorum directio ad *organizationem* quandam tendere debet, qualis ſcilicet præſenti ſtatui animæ conveniat, ſive in *aereo* ſive in *æthereo vehiculo*. *Plaſticam* vim enim vel omittere, vel variare actionem, prout eam proliciat ingenium materiæ in quam agit, in *terreſtri* hoc corpore organizando elucet. Nam veriſimillimum eſt, animam in ſe ipſâ eſſe ex æquo utriuſque ſexûs; unde illa nonnunquam materiam ſignat utroque, at rariſſimó: liquet ergo eam, alterâ parte virtutis ſuæ *Plaſticæ* feriante, uſurpare alteram in omnibus ferè fœtûs efformationibus.

Unde obvium eſt inferre, ſi vis *Plaſtica æthereum aereúmve* vehiculum naturaliter effingit in *animalem formam*, eam ità tamen virtutem ſuam efformatricem temperare poſſe, ut nulla alia lineamenta ducat, niſi quæ apta ſint, & quæ deceant naturam *Angelicam*.

At enim ſecundùm hanc hypotheſin forſan objecta ſenſûs omnia * ab omni horizontis plaga ad centrum animæ non pertingent; nè quidem ſi hæc organizatio non eſſet naturalis, ſed planè arbitraria. Cæterùm ſive anima ſic in *animalem formam* componi putetur, ſive ſolutior exeat negligentiùs in figuram quamlibet orbiformem, prout radii ejus explicârint ſeſe in *aereo æthereóve vehiculo*, viſionis ſedes utrobique commodè reſtringetur; quæ quidem conſideratio eſt haud exigui momenti.

6. Hæc dixiſſe ſufficiat in genere de ipſa *natura* animæ ipſius, *extenſione* & *heterogeneitate* ejus. His addam unicum ídque obſervatu dignum, de *vehiculo* ejus *aereo* & *æthereo*, tum poſtea ad diſquiſitiones magìs particulares deſcendam. Sunt qui temeritate ingenii, & falſis deductionibus ab experimentis pravè intellectis nixi, fidenter nimis affirmant, eſſe vacuum in Natura, & quo quodque corpus levius ſit, hoc minus ſubſtantiæ in ſe habere. Rem ſanè vel primâ fronte ineptam & abſurdam iis omnibus, qui mediocriter modò verſati ſunt in incomparabili Philoſophia *Renati Carteſii*; cujus ſolers ingenium, & accurata perſpicientia naturæ legúmque materiæ, ità rationes perfecit phænomenôn eorum, quibus expediendis *Democritus*, *Epicurus*, * *Lucretius*, alii, miſerâ at caſſâ anxietate inſudârunt, ut nihil jam, quod ad illam Philoſophandi rationem attinet, deſiderari videatur, præter patientiam liberúmque judicium in iis perlegendis, quæ abs illo ſcripta ſint.

7. Juxta hanc ergo Philoſophiam, atque adeò veritatem ipſam, tantundem ſemper eſt materiæ ſeu corporis in una conſiſtentia ac in alia; ex.gr. tantum materiæ in calice aëris pleno, quantum in eodem impleto aquâ, & tantum in hoc, quantum foret in eodem calice ſi plumbo aut argento vivo repleretur. Quod hîc ideo noto, ut animos hominum liberem vulgari illo errore & idiotico quo imbuti ſint de *Spiritibus apparentibus*, quaſi ſcilicet tam eſſent evanidi, támque expertes ſubſtantiæ, ac ſunt umbræ ipſæ noſtrorum corporum in parietem projectæ, aut imagines noſtræ ab aqua vel ſpeculo reflexæ: & convenienter huic ſuæ allucinationi nomen iis impoſuerunt, animas

hominum ſeſe offerentes ipſis εἴδωλα ſeu *imagines*, & *Umbras* appellantes. Quas quo magìs viſibiles ſunt, eo magìs ſubſtantiales eſſe putant; aërémque ità condenſari opinantur, ut non modò plus aëris, verùm etiam ſimpliciter plus ſit materiæ ſeu ſubſtantiæ, cùm viſibilis apparet, quàm erat antè in eodem ſpatio. Quamobrem nequeunt quin exiſtiment ad minimum miſerandúmque entitatis modulum morte nos eſſe redactos, ſubſtantiam noſtram tantùm non periiſſe, nihílque noſtrî præter tenuiſſimum fumum ſupereſſe, qui ad molem quâ nunc ſumus non magìs accedit, quàm vapor iſte quem ſudans equus poſt ſe relinquit, mane gelido celerrimè incitatus. Quæ certè cogitatio illis luctuoſiſſima ſit oportet, qui craſſum hoc & habitius, quod circumferunt, corpus amant, multúmque ſibi placent reputando quot libris pondo vicino ſuo propenſiores erant, cùm proximè lancibus oppoſitis pendebantur.

8. At ſi dubia quædam pelluciditas defectum arguit corporeæ ſubſtantiæ, columna cryſtallina minus habebit ſubſtantiæ, quàm ea quæ facta eſt ex pæti fumo; illam autem, quanquam ità dubium atque evanidum objectum ſit oculo, manu ſi probemus, rem admodum ſolidam oſtendet ſe: id quod Spectra illa, quæ dubiâ hâc ſpecie apparere dicuntur, fecerunt iis, qui illa tetigiſſent, aut qui ab illis tacti eſſent. Ridiculum enim eſt & Philoſopho indignum, corporeæ materiæ modum aut quantitatem æſtimare ex illa ejus ſpecie, quam ad viſum habet; nam ità Aër planè nihil eſſet: aut ex eo, quod nobis manu tractantibus vel ponderantibus videtur; ſic enim * poculum plenum Mercurio videretur quidem infinito plus materiæ continere, quàm idem aëre ſolo plenum; & hydria minus, cùm ſubter aquam mergitur, quàm cùm portetur per aërem. Sed enim meminiſſe oportet, quâcunque conſiſtentiâ materia ſit, quantumvìs tenuis & pura, ipſius flammæ æmula, non minus tamen in ea eſſe ſubſtantiæ corporeæ, quàm in argento, plumbo, auro, tantundem ſpatii occupantibus.

9. Quare non eſt cur miſeremur ſtrigoſam defunctorum ſortem, quaſi omni ferè ſubſtantiâ corporeâ exutorum, nimiúmque tenuiter amictorum, quàm ut ullo ſe ſenſûs objecto oblectarent. Non enim minus corporis habent quàm noſmetipſi; tantùm hoc corpus eorum multò *actuoſius* eſt noſtro, utpote *ſpiritualius* factum, id eſt, pluribus motûs gradibus impertitum; quem quidem motum univerſa materia mundi abs Ente aliquo ſpirituali recipit, & hoc ipſo nomine Ens illud ſpirituale eò magìs referre dicatur, quò plus motûs ei communicetur: quod item facit in ea re, quæ motûs eſt effectus, tenuitate & ſubtilitate partium, per quam valet imitari quadantenus proprium *Spirituum* privilegium, qui omnia omnino corpora penetrant. Atque hæc animæ vehicula, propter tenuitatem ſuarum partium, materiam illam facilè pertranſire poſſint, quæ nobis impervia videtur, licèt ipſis re non ſit. Materia enim in fluidam ſubtilitatem eam particularum redacta, quæ ſint inviſibiles, haud ægrè aditum inveniet per poros inconſpicuos.

Quibus ex rebus manifeſtum eſt, animam, phyſicè loquendo, nil morte perdituram, imò bene magnum lucrum facturam. Nam non modò tantum corporis, quantum priùs, poſſidet, ſed etiam hoc amplius accedit, corpus illud vitâ motúque plùs quàm antè vigere. Quam quidem conſiderationem non potui non hîc attingere, ut per eam funditus delerem falſam iſtam ſuſpicionem de evanida & ſtrigoſa conditione futuri ſtatûs, quæ in animis hominum plerorumque inſidet.

SCHOLIA

In CAP. II. SECT. 2.

COmmunem formam Angelorum geret, &c. Plaſticas *verò cùm habeant Angeli, quippe qui vehicula habent* Aërea *aut* Ætherea, *humanam etiam habere formam rationi eſt maximè conſentaneum. Quod apud ipſos ratiſſimum haberi debet qui nullâ omninò re Animas ſive Spiritus Angelicos ab Animabus humanis differre volunt. Ut omittam* Viſionem Ezechielis *huic Hypotheſi valdè favere.*

Sect. 5. Ab omni Horizontis plaga ad centrum Animæ non pertingent, &c. *Ad Centrum nempe* perceptivum. *Hoc enim ſi fieret, Organizatio iſta meritò videri poſſet fruſtranea, vel ſupervacanea. Cæterùm, quum Organizatio hæc non ſit, niſi cùm Anima Angelúſve ad viſibilem reducitur formam ac Perſonalitatem, nec Formæ viſibilitas aliter oriri poſſit niſi ex aliqua opacitate, quæ lumen reflectat; hinc ſatìs facilè intelligitur, omnes meatus, niſi per oculorum Organa ſpecierum viſibilium ingreſſui occludi. Ipſámque* Plaſticam *intùs huic concinnitati proſpicere inſpiſſando paululùm Materiam, ubi commodum eſt, nemo, qui rem rectè penſitaverit, eſt dubitaturus.*

Sect. 6. Lucretius, alii miſerâ & caſſâ anxietate ſudârunt, &c. *Equidem pingui admodum craſſóque modo iſti omnes mihi hiſce in rebus Philoſophari viſi ſunt cum* Carteſio *comparati. Sed in hoc egregiè falſus eſt* Carteſius, *quòd penetrâſſe ad maximè probabiles cauſas rerum immediatas Materiales non contentus vires Materiæ motu Mechanico inſtructæ ità amplificavit, ac ſi ipſa ſe in omnia Mundi Phænomena, nullo Principio* immateriali *eam regente ac moderante, poſſit expedire. Quo nullum immanius aut veſanius commentum eſſe poteſt, quemadmodum copiosè alibi, ac præſertim in* Enchiridio Metaphyſico *demonſtravimus.*

Sect. 8. Poculum plenum Mercurio videretur quidem infinito plus Materiæ continere, &c. *Quæ quidem obſervatio ſilentium eis imperare debet qui condenſationem* Ariſtotelicam *ex ponderum differentia in corporibus ejuſdem magnitudinis tanto cum ſtrepitu ſe demonſtrare venditant. Nam hac ratione calix Mercurii infinito majorem Materiæ copiam in ſe haberet quàm idem calix Aere repletus, (Aer enim in Aere nihil pendet) quod valde videtur abſurdum.*

CAP. III.

1. Aër *eſt naturalis ſedes Animæ poſt mortem obitam.* 2. *E regionibus* aëreis *Animam excedere non poſſe, donec* Ætherea Congruitas *vitæ in illa excitetur.* 3. *Non omnes Animas in eadem regione* aëris *verſari.* 4. *Commentum* Cardani *Dæmonas omnes in Regione ſumma collocantis.* 5. *Commenti iſtius uſus ad rationem reddendam raræ eorum Apparitionis.* 6. *Salvari hoc phænomenon hypotheſi rationi magìs conſentaneâ.* 7. *Opinio* Cardani *ampliùs refellitur.* 8. *Plura eòdem ſpectantia.* 9. *Origo erroris* Cardani *de* Dæmonum *operationibus è longinquo.* 10. *Objicitur, fieri non poſſe, ut* Dæmones *&* Animæ *ſeparatæ in inferiore hac Regione verſentur, ubi Venti & Tempeſtates adeò frequentes ſunt.* 11. *Apparatus ad Reſponſionem ex conſideratione naturæ Ventorum.* 12. *Reſponſiones particulares ad Objectionem.* 13. *Reſponſio altera à natura* Staticæ *facultatis Animæ.* 14. *Alia ab ejus vi ſubitò actuandi* Vehiculum *ſuum.* 15. *Quænam incommoda Anima à grandine, pluvia, &c. patiatur.*

1. HIS jam dictis in genere, ad argumenta particularia, quæ dixi, venio; ea ad pauca hæc Inquirendi Capita reduci poſſunt, Quis ſit *Animæ locus & ſedes poſt mortem,* Quæ *actio vitæ,* Quæ denique *conditio ejus moralis. Aerem* ſedem ejus eſſe decernunt conſtantiſſimè veteres tum Philoſophi tum Theologi naturales, elementum illud unanimiter facientes Animarum ſeparatarum receptaculum: quod *ᾅδην,* i. e. *ἀΐδην,* idcirco nominârunt, quòd defuncti ſunt in ſtatu *inviſibilitatis,* quemadmodum & locus, in quo concluduntur, elementum eſt ſuâ naturâ prorſus inviſibile, obſitum præterea caliginoſis nebulis, & per vices umbrâ telluris involutum. Veritas hujus ipſorum ſententiæ liquidò demonſtrari poteſt ex Axiomat. 29 & 31. Naturâ enim *ſaltus enormes* non faciente, neceſſariò ſequetur, Animas ſeparatas manſionem ſuam primam in *aere* habituras, propterea quòd *vitalis congruitas* ea, quæ *aereo vehiculo* convenit, ſuâ vice expergiſcitur continuò à terreſtri corpore derelicto.

2. Anima ergo ſic vitaliter unita cum corpore ſeu *vehiculo aereo,* è regionibus aëreis vehi nullo modo poteſt: quoniam ità planè ſunt motus ejus, ut vehiculi ſui natura feret; cujus conſiſtentiam mutare non valet in ſubtiliorem puriorémque habitum quàm capit Aër, ſpecie non mutatâ. Aërem conſpiſſare quidem poteſt, motum ejus introrſum versùs ſe dirigendo, & eo pacto bene magnam partem primi ſecundíque elementi exprimens, plus aëris ſolito retinere: non tamen aërem ità prorſus abs ſe amandare poteſt, ut duo elementa illa ſola, aut aliquammagnam eorum vim actuet, quoniam *Ætherea Congruitas* adhuc planè ſopita jacet; nec penès animam eſt eam pro libitu excitare: quocirca *aeream* materiam omnem abs ſe amolitum ire, cruciatus ſummus & mortis inſtar eſſet. Præterea ad hoc efficiendum requiritur ea vis, quæ, præter directionem, ſignificaret & additionem motûs novi ad aërem ſic ablegatum; quò aliis aëris partibus, anguſtationem omnem ægrè ferentibus, obniti valeret: quod quanquam fortè fieri utcunque poteſt, attamen ut anima hâc vi ſuâ directrice integrum ſibi comparet vehiculum æthereum, videtur admodum improbabile; ut patet ex Axiom. 31.

3. Neceſſe eſt igitur ut Anima hinc profecta in aliqua regione aeris conſiſtat, nequaquam verò ut omnes Animæ eandem habitarent. Proinde enim ut Animæ, cùm è corpore excedunt, aliæ ſunt aliis puriores, ità purior *congruitatis vitalis* gradus in illis expergeſiet: unde divinâ illâ *Nemeſi,* quæ pervadit omnia, ad ea loca naturaliter perducentur, & ad eos cœtus Animarum aggregabuntur, prout cujuſque indoli magìs congruat; & æternâ illâ juſtitiâ, quam Deus eſſentiali ipſi mundi compagi penitùs inſeverit, tam erunt diſtinctè diſtributæ, quàm homines hìc ſunt humanis legibus, quæ alios in carceres, alios ad noſocomia, alios ad Prytaneum mitti jubent.

4. Animabus ergo nonnullis, ut veriſimillimum eſt, obveniet, ut in hac infima regione aëris fataliter, quaſi compedibus vinctæ, conſideant; quod item de multis aliis Spiritibus verum eſſe non dubito; tametſi *Cardanus* multùm ſibi placet in hoc ſuo peculiari commento, viz. Supremam aëris regionem habitaculum unicum eſſe omnium Dæmonum ſeu Spirituum quorumcunque, & deſcenſionem eorum ad nos tam eſſe raram, quàm urinationem hominum ad imum maris fundum, támque ferè difficilem; craſſo hoc aëre ſcilicet, in quo nos degimus, tam malè congruente tenui illorum conſiſtentiæ, quàm nobis aqua; in qua ſpiritum retinere cogimur, proindéque breviſſimam in ea moram facere.

De rerum variet. lib. 16. cap. 93. pag. 1139.

Fingit præterea mediæ regionis tranſitum illis, ob frigus, moleſtiſſimum; quam propterea quaſi ſepimentum eſſe ait, illos inter & nos poſitum, ut mare inter nos & piſces; quos quamvìs ingenio & induſtriâ multùm vincimus, & capere & occidere vehementer cupimus, pauciſſimos tamen in manus noſtras devenire, præ qui non veniunt: ità *Dæmonas* iſtos, quanquam non adeò bene nobis velint, neminem tamen noſtrûm lædere poſſe impreſſione corporali, (ut quos difficulter admodum adire valent) neque ità multos arte & induſtriâ.

Opinatur enim iſte impotenti imaginatione Philoſophus, quemadmodum nos piſces petimus eſcis, naſſis, fuſcinis, & id genus machinis in imam aquam jactis; ità *Genios* illos *aereos,* ſupernè in tertia regione aëris conſiſtentes, (ut nos in ripam, aut in navicula, cùm piſcamur) ſomniis & viſis demiſſis homines nonnullos ità irretire poſſe, ut per terrores mentíſque perturbationes, tanto licèt intervallo, illis tandem perniciem & exitium afferant.

5. Quam quidem Hypotheſin is ideo, ut reor, ſic contexuit, ut rationem redderet, cur Genii rariùs appareant, cúrque tam pauca ab illis inferantur mala. Hinc enim in promptu foret reſponſum, infimum hunc aërem inidoneum eſſe elementum, in quo ii commorentur: & qui *Spiritus* idcirco eſſe negant, quòd rariſſimò conſpiciuntur, tam ineptè arguere, ac ſi piſces, ſermone ac ratione mutæ ſuæ genti conceſſis, concluderent universè, homines aut equos non eſſe, quòd rariſſimò à ſe videantur; & piſces illos, quibus videre contigit, à ſe viſos fuiſſe affirmantes, contemnerent & riderent velut fanaticos & cerritos & mentis impotes; aut illos ejus nimiùm compotes politico aliquo conſilio hæc finxiſſe dicerent.

6. Quæ eadem parabola conſtabit, aliis autem fundamentis, ſi modò pro diſtantia loci, conditionis differentiam ſubſtituas; & quæ illìc adhibebatur ſimilitudo, hìc erit æquè apta & appoſita. Etenim ut Spiritus vehiculum ſuum condenſet ad terreſtrem pænè craſſitiem & viſibilitatem, tam eſt rarum ac inſolens, &, ut veriſimile eſt, æquè arduum, quàm ut animalia terreſtria ad fundum maris urinando deſcendant: & ſic pariter obvia eſt ratio, quare tam pauci ex iis videantur, & eorum exiſtentiæ confidens negatio pariter temeraria ac ſtulta in illis, qui non eos ſuis oculis viderint. Ità enim ſe res habet ut ſi piſces inter ſe contenderent de exiſtentia hominum, eorúmque urinatione, & an loca ulla eſſent in mari abs illis infeſtata; quo nomine ea certè loca forent celebratiſſima, unde homines margaritas expiſcantur, aut quæ frequentioribus naufragiis infamia ſunt, aut natationi amœniſſima. Atque inſignis aliqua occaſio, calamitas, aut gravius conſilium, qualia rariùs incidunt, rationabiles cauſæ & invitamenta unica Geniis exiſtimari debent, quam ob rem ſe nobis in conſpectum præbeant.

7. Quòd tam parùm mali ab illis inferatur hominibus, in *habitationis diſtantiam* referri non opus eſt, quin potiùs in *Legem Univerſi,* cujus vis per omnes Entium Ordines permeat. Præterea, triviale eſt & idioticum, & Philoſopho minimè dignum, exiſtimare, *Spiritus Aereos* omnes adeò infenſos eſſe hominum generi, ut eorum pernicie ſimpliciter propter ipſam delectentur. Namque homines non oderunt piſces, quòd in alio elemento vitam agitant; ſed amore ſui duntaxat capiunt illos, lucri aut victûs cauſâ: neutrum autem horum ſpectare poſſunt Genii in exitio nobis parando. At malum gratìs facere, mali ipſius cauſâ, adeò immodica eſt malitia, ut dubitent nonnulli an Enti ulli intellectuali competat. Quare id primùm probâſſe debuit *Car-*

danus: tum etiam, ſi qui ſint tam maximè degeneres, multos eſſe tales, vel potiùs ità multos, ut coerceri nequeant à cæteris minùs depravatis. Videre enim apud nos licet, homines, cætera ſatìs malos, magnopere tamen ab iis rebus abhorrere, quæ immaniter gratíſque exitioſæ ſunt aut homini aut beſtiæ; tum opem operámque ſuam libenter conferre ad exſcindendos, plectendos, aut ſaltem prohibendos immanium iſtiuſmodi atrociúmque injuriarum deſignatores, quæ per nullam cauſam aut rationis ſpeciem fiunt, ſed purum putum ſunt exercitium ſævitiæ atque vexationis alienæ.

Debuit porrò demonſtrâſſe, genus humanum univerſum non eſſe peculium aliquorum Spirituum, nec ullos eſſe Gubernatores inviſibiles nationum, civitatum, familiarum, nonnunquam & ſingulorum hominum; tum *Politicam* ſaltem bonitatem, quæ hominum ipſorum & quæ ſunt hominum, ſaluti ſufficit, non etiam in regnis *Aereis* longè magìs obtinere, quàm craſſam injuſtitiam. Nam totum hoc infra *Vitam Divinam* ſubſiſtet; adeò ut metuendum non ſit, nè populi aërei, ex hac ſuppoſitione, nimiùm perfecti fiant. Breviter, probâſſe debuit ordinem *Politicum*, cum plena ejus adminiſtratione, non à cœlo ad terram pertingere, & in ipſas etiam regiones ſubterraneas penetrare, ſi quæ fortè hîc ſint creaturæ intellectuales. Hoc enim ſufficiet ad rationem reddendam, quamobrem tam parum mali mortalibus inferatur, licèt *aereorum ſpirituum* plena ſint omnia.

8. Adde quòd quanquam non permittuntur ipſi atrocem aliquam injuriam facere, nec pro ſuo libitu homines ſine ipſorum conſenſu occidere, illis tamen animos addant in iis vitæ rationibus, aut ad ea inſtituta pelliciant, quæ tandem exitium allatura ſint: at forſan non infenſiori conſilio, quàm quo nos canes ad pugnam incitamus, gallos committimus, urſis tauríſque moloſſos immittimus, equos ad curſûs certamina producimus, & ſimilia; ubi ſæpe, per nos hortantes & animantes, affectibus ſuis vitæ diſpendio obſequuntur.

At quamvìs canem aut gallum ſic neci dedere non multùm moramur; nemo tamen adeò immanis eſt, ut eam ob rem tantùm quia ità vult, animantes illas trucidet. *Genii* ſimiliter deteriores, ſuo quiſque pro ingenio, adſint fortaſſis & aſſectentur quoſdam homines in certa vitia pronos, & ad ea pro virili ſua perſequenda urgeant illos, vel ut contendentes cum aliis, vel animo ſuo duntaxat obſecundantes; quorum partibus faventes, oblectent ſe faciendo ut alter alterum vincat ſingulari certamine, ſtrenuè bibendo, fraudibus & inſidiis, venere, divitiis congerendis, honoribus affectandis, & ſimilibus. In quibus rebus omnibus ludus Geniis iſtis eſſe poteſt, vires & fortunam hominis cui favent periclitari; qui ſi per tentationum ac hortationum inſtantem vim pereat, tam erit fortè præter eorum conſilium hic caſus, quàm eſt præter voluntatem ejus, qui gallum in arenam producit, ut cervices ejus transfoderentur: cæterùm ſi ſic accidit, par eſt utrobique dolor.

Satìs ergo noxarum facere poſſint hi Spiritus, impellendo homines qui faciunt; licèt aliis conditionibus mala perpetrare fortaſſe nec volunt, nec, ſi velint, poſſunt per tot vigiles oculos ipſis imminentes. Etenim *Legiones Aereæ* tam capaces ſunt civilis probitatis, támque imo ſenſu ejus tangi poſſunt, fortean majori, quàm *Terræ* populi.

9. At ſi tam procul à nobis eſſent, quàm procul eos eſſe vult *Cardanus*, non video quî quid rei nobiſcum habere potuerint, ad boni vel mali quidquam nobis pariundum. Nam quòd *Viſa* & *Inſomnia* allegare poſſint tanto ex intervallo, næ id ipſum ſomnium eſt, à primo errore illo Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* ortum, qui Deum & Intelligentias à cœleſtibus orbibus agere facit, & ſic omnes effectus Naturæ hîc infrà producere; qui tamen, niſi à præſenti Numine Spiritúque vitæ permeante omnia, fieri nequeunt.

10. Hoc ergo commentum ejus non obſtabit, quo minùs concludamus, infimam hanc quoque regionem aëris *Dæmonibus* frequentem eſſe. Quod ſi ſit, probabile erit Animas impuriores ibidem etiam loci pervagari; quanquam ego hac in re diligenter elaboravi, ad plus adhuc negotii mihimet faceſſendum. Nam ex facili erit objicere illud, quod injecit olim *Lucretius*, nimirum cùm iſta regio ità pateat ventis & tempeſtatibus, Animas *vehicula* ſua *aerea* ſtrictè ſatìs continere non poſſe, nè procellis importunis diſſipentur. At facilè eximemur hâc ſolicitudine, ſi naturam ventorum ac vehiculorum, & *Staticam* vim animæ contemplemur. Etenim dicere illas tam commodè ſe hîc expedituras ac *Genii*, non ſatisfaciet; quoniam libenter ſcire velimus, quomodo non & *Genii* ipſi eidem ſint incommodo obnoxii. Quare reſponſum meum ad utroſque pertinebit.

11. Ventos nihil aliud eſſe niſi particulas aquæ maximè agitatas, *Carteſius* in *Meteoris* ſuis eleganter quidem demonſtravit: id genus autem particulæ non tam propellunt aërem quàm pertranſeunt, ſagittarum inſtar aut imbrium grandinis vel pluviæ. Quare non una pars aëris abs alia abripitur; ſed ità ſe res habet, ut ſi quis animo fingeret tot pilos breviuſculos circa medium ſuum punctum hàc illàc rotatos, ut ludii rudes ſuas jactare ſolent, itáque per aërem tranſeuntes; motus hic liberè procederet, aëre non ſimul abrepto. Cùm hæc ſit ergo natura venti, aër abs eo non lacerabitur, licèt impetum ejus in nos acti ſentimus, quia non tam facilè noſtra corpora penetrare poteſt.

12. *Geniorum* autem & *Animarum* hominum defunctorum vehicula ejuſdem ferè ſunt naturæ ac Aër; quare planè fieri non poteſt, ut ventus ampliùs in ea valeat, quàm in reliquum aërem; ideóque quæ minima cogitari poteſt vis cunctas eorum partes continebit. Quod verum eſſet etiamſi ventus aërem ſecum ferret: nam ſic vehicula *Geniorum*, quâ ruit ventus, ſecundo quaſi flumine deferrentur, nec ullam, aut exiguam tantùm, vim paterentur, niſi ipſi contrà obniti vellent. Id quod ut faciant neceſſe non eſt; immo neque ut eum omnino, ſaltem non diu, ſubeant; ſed defendere ſe poſſint, * ut alia animantia ſolent, tectis aut maceriis ſuccedentes, in ſylvis, vallibus, ſpeluncis, ſub ſaxa, aliíſque locis idoneis; ídque ſatìs maturè, quòd mutationes aëris, tempeſtatúmque ſigna, terreſtri quovis animanti certiùs præſentire valent.

13. Et tamen non eſt cur adeò ſibi à periculo caveant, cùm vim habeant, quâ tutò id aggredi poſſint, quantumvis fuerit; facultatem ſuam *Staticam* dico, è vi directrice motûs particularum *vehiculi* oriundam. Hâc enim vi præditos motum particularum dirigendi quâ volunt, Axiom. 31. neceſſariò ſequitur, illos curſum earum introrſum ſeu centrum versùs determinare poſſe; quâ directione fiet, ut omnes arctè ſibi mutuò cohæreant, firmæ & compactæ: & hanc ego vim nuncupo *Staticam* potentiam Animæ. Quæ ſi univerſam agitationem particularum vehiculi, tam primi & ſecundi elementi particularum, quàm *aerearum*, dirigere valet, ídque partim versùs centrum, partim contra tempeſtatis impetum, vis hæc & firmitas longè ſuperabit ventos validiſſimos, quos unquam Anima ſubire poteſt.

14. Quapropter vehiculum animæ neutiquam periclitatur à ventorum rabie, certè nulla indè metuenda erit interruptio vitæ. Nam ventus unam partem aëris eripiendo alteram apponit, quæ continuò ab anima præſenti actuetur; quanquam opus non eſt, ut ad tam laxam hypotheſin confugiamus. Equidem probabilius eſt, Animam cum certa parte aëris uniri præcipuè, nec niſi ſenſim dimittere vehiculum ſuum, quemadmodum ſpiritus noſtri paulatim abeunt per inſenſilem perſpirationem.

15. Videmus ergo quàm parum *Vehiculo* Animæ incommodent ventorum tempeſtates; & multò adhuc minùs pluvia, grando, nix, & tonitrua. Hæc enim per vehiculum ut per reliquum aërem pertranſeunt, * qui continuò coit, nullâ vel plagâ vel cicatrice relictâ. Quare meteora hæc omnia, ſi modica, voluptatem & recreationem, ſi vehementia, non longum dolorem, ſi furentia, nullam omnino vitæ intermiſſionem Animæ parient. Unde tutò licet concludere, non modò ſupremam regionem Aëris, ſed hanc infimam etiam, tum *defunctorum* hominum *animabus*, tum *Dæmonibus* inhabitari poſſe.

SCHOLIA

In CAP. III. SECT. 12.

UT alia Animantia ſolent, tectis aut maceriis ſuccedentes, &c. *Nullis hic locus diſplicere poteſt niſi abjecto animo hominibus ac ſuperſtitioſis, qui quoſlibet Dæmonas ut Deos ſuſpiciunt, omnéque intelligens Animal præter Hominem Divinum quoddam Animal ſtatim fingunt ac tantùm non omnipotens. Sic autem ſolent Superſtitionis & Ignorantiæ mancipia, veræ Philoſophiæ neſcia ac Religionis. Utræque verò docent Dæmonas non pati tantùm poſſe, ſed miſerum in modum corporaliter torqueri. Quod neceſſe eſt ſi ſenſum habent, ut ſi ſenſum, habere etiam vehicula tenuia & Aerea ventis etiam obnoxia, &c. Sed iſtinſmodi inſubidis frivoliſque cavillis hominum agreſtium ac ſtupidorum amoliendis non eſt operæ pretium immorari.*

Sect. 15. Qui continuò coit nullâ vel plagâ, &c. *Quæ quidem conditio ſi minùs quibuſdam placeat, equidem hi Genii* ſtaticâ *ſuâ virtute ità vehicula conſtringere poſſunt, ut* *nec Guttæ pluviæ nec grandines queant penetrare, ſed ut à cutibus noſtris reſilient, humíque tandem decident.*

CAP. IV.

1. Animam *corpore* terreſtri *relicto* Dæmonem *fieri.* 2. *De* ſenſibus externis *Animæ ſeparatæ, de numero & finibus eorum in vehiculo.* 3. *De Viſu in vehiculo* organizato *& non-*organizato. 4. *Quomodo* Dæmones *& Animæ ſeparatæ audiant videántque ad ingens intervallum: & unde fiat, ut illis nos facilè audientibus & videntibus, nos illos viciſſim nec videre nec audire poſſimus.* 5. *Illos* Auditum *habere pariter ac* Viſum. 6. *De* Tactu, Olfactu, Guſtu, *&* Nutritione Dæmonum. 7. *Quas occupationes externas* Genii *& Animæ defunctorum habere poſſint extra Corpus.* 8. *Actiones Animarum ſeparatarum*, quoad nos, *conformes ferè vitæ ſuæ in terris eſſe.* 9. *Quænam ſint occupationes earum* quoad ſe. 10. *Diſtinctio Ordinum* Dæmonum *pro locis in quibus maximè verſantur.*

1. QUæſtioni primæ jam abſolutæ ſuccedit altera, Quæ ſit Animæ ſeparatæ actio vitæ, quibus in rebus ſe occupet, & ævum ſuum tranſigat, vel *ſola*, vel in *cœtibus*, vel ut pars eſt & membrum communitatis *Politicæ*. De quibus omnibus generatim affirmare licet, ità cum Anima eſſe ut cum cæteris *Geniis* aëreis; ἡ γὰρ ψυχὴ ἀποδυσαμένη τὸ σῶμα δαιμόνιον ἐστι, *Anima enim, quæ terreſtre hoc Corpus ſemel exuit, Genius evadit*; ut *Maximus Tyrius, Xenocrates, Philo*, & alii cenſuerunt. Cæterùm hæc diſtinctiùs diſpiciemus.

Max.Tyr.Diſſert.27.

2. Quæ Animam occupent & oblectent *ſolam*, ſunt vel *ſenſûs externi*, vel *internæ mentis* objecta. De ſuperioribus illis ſanè facilius eſt quæſtiones movere quàm diſſolvere; in quibus hæc una ſit, An tot numero ſenſus habeat Anima, quot in hac vita habuiſſet. *Auditu, Viſu,* & *Tactu* eſſe præditam, extra controverſiam poſitum arbitror; quoniam hi ſenſus in illa inerunt neceſſariò, ſive vehiculum ejus organizetur ſive non; & ex his *viſus* & *tactus* omnium certiſſimé. Quandoquidem enim objectorum viſibilium ſenſatio in nobis fit à motu per particulas ſphæricas eas tranſmiſſo, quarum ſeries ab objecto per aërem continuata ad ipſum viſûs organum pertinet, (quod videt tantùm propter particulas illas animæ vitaliter conjunctas) iiſdem * illis particulis totum vehiculum animæ permeantibus, fieri non poteſt quin illa videat. Verùm quæritur præcipuè, an in quaque parte vehiculi videat. Ad quod reſpondendum eſt, non in omni parte videre: partim ex eo quod || ſuprà diſſerui de *heterogeneitate Plaſticæ*, partim ex gravi incommodo aliter conſecuturo. Nam ſi in omni parte vehiculi ſui animam cernere concederemus, objectum omne propinquum, non duplum tantùm, ſed centuplum, aut millecuplum videretur; quæ quidem res *Viſum* inſigniter fœdaret & corrumperet. Quare *viſivam facultatem* animæ in ſtatu *ſeparato*, pariter ac in *terreſtri* corpore, non ſine gravi cauſa limitavimus.

* *Cap.2. ſect.3, 4.*

3. Verùm hoc non obſtat quò minùs Anima, cùm in unum *homogeneum* orbem *aereum*, nullâ *organizatione* diſtinctum, colligitur, circumcircà videat, antè, ponè, ſuprà, infrà, undiquaque. Quòd ſi vehiculum ſuum organizet, tum fortè reſtringetur viſus, velut in nobis, qui à tergo cernere non poſſumus. Quam rem || antè attigimus.

* *Cap.2. ſect.5.*

4. Itaque manifeſtum eſt *Spiritus Aereos* non poſſe non videre nos, licèt illos videre nos non poſſumus; ídque fortaſſe permagno ex intervallo, ſi *vehiculum* ſuum, vel *viſûs organum* in aliquam ejuſcemodi figuram idoneam transformare valeant, qualis in lentibus dioptricis cernitur. Quæ vis longiſſimè ſuperabit contractionem dilatationémque pupillæ, qui debilior quidem & imperfectior conatus eſt ad ſummam hanc de qua loquimur facultatem: quam tamen eſſe poſſibilem in Spiritibus, ſuadent axiomata 31 & 34. Quod idem de eorum *Auditu* dici poteſt. Per eandem enim facultatem fabricare ſibi valeant organa ad excipiendos ſonos majore artificio & excellentiâ, quàm accuratiſſimum *Acouſticon* quod unquam factum legimus, aut excogitare poſſumus.

Quare valde puerilis eſt allucinatio exiſtimare, quia nos Spirituum neque formam videmus, neque ſermonem audimus, illos idcirco nec audire nec vidêre nos. Nam mollia corpora imprimuntur duris, non vice verſâ; quemadmodum cera liquefacta ſignum annuli excipiet, annulus nequaquam impreſſus eſt cerâ. Ad eundem modum

dum corpus ſolidum curſum aëris ſiſtet, non autem aër corporis ſolidi; & terreſtris concretio quævis reflectet lucem, lux verò vix ullum terreſtre corpus de loco movet, ſed abs eo reverberatur. Tenuiſſimum ergo & liquidiſſimum quidque eſt maximè paſſivum, proindéque ſi vehiculum fit ſenſûs, maxime ſenſile.

Unde ſequitur, cùm lux ab objectis reflexa organa noſtra, quæ non adeò tenuia ſunt, movere valeat, eam *Geniorum* ſenſoria certiùs & longiori ex intervallo permoturam. Eorum autem corporibus ex diaphano aëre conflatis, fieri non poteſt ut nos ea videamus, niſi laborem ſuſcipere velint cogendi ea in craſſiorem habitum, quo lumen reflectere poſſint. Neque nos *Geniorum* ſermonem communem facilè audire poſſumus, tum quòd lenior motus aëris ſufficiet ad eorum vehicula ferienda, tum quòd fortè tenuiorem puriorémque iſtius elementi portionem in hoc opere adhibeant, quæ non ſatìs apta ſit ad ſenſum noſtrum permovendum. Itaque niſi datâ operâ audiri ſe volent, (cujus rei *Dæmon Matiſconenſis* luculentum eſt exemplum) quæ aëris percuſſio fit in eorum ſermone uſitato, ſenſorium noſtrum ferire non poteſt.

Vide Antidot. lib.3.cap.3. ſect.8.

5. Et nè gratìs hæc omnia dixiſſe videamur, conſtat ex eo quod ‖ ſuprà innui, *Auditum* Genios pariter ac *Viſum* habituros; nam, ut ibi docui, hæc quoque facultas, ſimiliter ut viſus, ſedem ac ordinem ſuum habet in vehiculo prope *ſenſorium commune*; quapropter *vehiculo* univerſo ex *aere* facto, quæ percuſſiones ejus ſenſum ſoni efficiant in nobis, eæ in *Geniis* eundem neceſſariò ſunt effecturæ; at accuratiùs fortaſſe, ſi *vehiculum* ſuum aptè ad eam rem organizent; id quod reſpondebit arrectioni aurium in animalibus, ad meliorem intromiſſionem ſoni.

‖ *Cap.2.ſect.4.*

6. *Tactu* eſſe præditos, certo certius eſt; quî enim aliter ſentirent reſiſtentiam, quæ in mutuo corporum occurſu neceſſaria eſt, propter impenetrabilitatem? Et ut liberè dicam quod ſentio, ſi quis illis porrò largiretur *Odoratum* quendam & *Guſtum*, ſenſus *tactui* admodum affines, haud facilè refelli potuerit. Fumi enim & odores aërem facillimè pertranſeuntes, in eorum vehicula naturaliter ſeſe inſinuabunt: qui fumi, ſi craſſiores & humectantes, variationem *tactûs* illam efficiant, quam nos mortales *Guſtationem*, ſi ſubtiliores & ſicciores, quam *Olfactionem* vocitamus. Quæ ſi admitteremus, modeſti adhuc præ aliis videamur; nam ‖ *Cardanus* affirmat planè *Genios Aereos* nutriri, & aliquos eorum in animantium corpora inſinuare ſe, quo ſanguine & ſpiritibus eorum delibuti madeſcant & quaſi pinguefiant. Quod idem à *Marco Eremita* in ‖ *Pſello* confirmatur, referente, Genios puriores ali aëre hauſto, ut ſpiritus noſtri in nervis & arteriis; impuriores verò humorem imbibere, non ore, utì nos facimus, ſed ut ſpongia aquam. Refert item ‖ *Moſes Ægyptius*, *Zabios* idcirco ſanguinem hoſtiæ delibâſſe, quòd eum *Dæmonum* quos colebant cibum exiſtimârint, quódque per eum participatum aptiores ſe factos crediderint ad communionem cum illis habendam. Quæ ſi credi potuerint, facerent nè problema illud de *Paredris* ſagarum, cur illi nempe eas ſugant, difficile videatur. Verùm περίεργα hujuſmodi, parum ad rem noſtram facientia, libens omitto.

‖ *De rerum varie. lib.16.cap. 93.*

‖ Περὶ ἐνεργείας δαιμόνων.

‖ *In More Nevochim, part.3. cap.46.*

7. Summa eorum quæ dicta ſunt huc redit, *Genios* proindéque hominum defunctorum *Animas*, quæ ipſo facto ſunt ejuſdem ordinis ac *Genii*, *Viſum*, *Auditum*, & *Tactum* habere certiſſimè, *Odoratum* & *Guſtum* probabiliter. Quibus facultatibus conceſſis, non erit cur inopiâ conſilii magnopere laborent, quo modo quibúſque in rebus tempus tererent, fuerit id faciendum duntaxat in *objectis externis*; cœli terræque apparatu univerſo longè latéque coràm explicato. Quem nos Solem Lunámque cernimus, cernunt & ipſi; homines ipſos hominúmque cœtus & congreſſus intuentur, & niſi ſpeciali lege aliter cautum ſit, oppidatim vagentur, urbes aliam ex alia inviſant, ſicut & *Heſiodus* innuit.

Ἠέρα ἑσσάμενοι πᾶσαν φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν.

Nullâ re planè fruimur ipſi, de qua non pars aliqua illis, ſi velint, obveniet; latis agris, ſylvis magnis & inviis, amœnis hortis, altis ſalubribúſque montibus, ubi puriſſimæ ſpirant auræ, liquidis fluviis, muſcoſis fontibus, magnificis conviviis, theatri pompis & ſpectaculis, publicis privatíſque colloquiis, religionis exercitiis, in templis, privatis ædibus, abditíſve cellis celebratis.

Poſſint etiam ſpectare, nec fortè ſine ſtudio alterutrius partis, glorioſa ſimul & pernicioſa pericula belli, terrâ maríve geſti; mollia item iſta tacitáque, tametſi aliquando non minùs periculoſa, prælia in caſtris *Cupidinis* depugnata; ſexcentáque alia, quæ longum eſſet recenſere, in quibus omnibus non ſpectatores tantùm ſed fortaſſis etiam fautores adſunt, ut *Plutarchus* ait: quemadmodum ſenes, qui per ætatem emeriti luctari, jactare pondera, aut rudibus batuere ipſi ampliùs non valent, aderunt tamen viculi ſui juventuti in ruſticis illis agonibus, favore plauſúque proſequentes. Animæ hominum defunctorum ſimiliter, quanquam cum corpore exuerint ſimul facultatem communium functionum vitæ humanæ peragendarum, iis tamen favere & adjuvare poſſunt & conſilium aliquod ſuum per eas proſequi, ídque vel in malum vel bonum, proinde ut ipſæ in corpore affectæ fuiſſent.

8. Breviter, qui mos cunque fuerit, quíque affectus Animæ in hac vita, idem illi hæret in futura; & certiſſimò, quoad ſua fert natura, aut edet ipſa actiones mori & affectui iſti congruentes, aut ſaltem ſpectatrix fautrixque erit earundem,

> -------- *Quæ gratia currûm*
> *Armorúmque fuit vivis, quæ cura nitentes*
> *Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repôſtos.*

Diſſert. 27. *de Deo Socrat.*

Quod rectè intellectum, non Poëticum figmentum eſt, ſed decretum Philoſophiæ *Platonicæ.* Et diſertè affirmat *Maximus Tyrius* etiam de melioribus Animabus, quæ, corpore relicto, τῷ αὐτῷ χρόνῳ ϗ νόμῳ δαίμονες ἀντ᾽ ἀνθρώπων, i. e. *ipſo facto* Genii *ex hominibus fiunt*; de his, inquam, Animabus ſeu *Geniis* affirmat, illos, præter fœlicitatem propriam indè ſibi perceptam, conſtitui à Deo rerum humanarum Curatores: non ità verò ut *Genius* quiſque quæque obeat munia, ſed pro ſuo quiſque ingenio vitæque inſtituto in hac vita, congruas res tractet in altera. Itaque ſecundùm illum *Æſculapius* etiamnum medicinam facit, *Hercules* vires ſuas exercet, vaticinatur *Amphilochus*, *Caſtor* & *Pollux* navigant, *Minos* jus dicit, *Achilles* belligeratur. Quam ſententiam in malis æquè ac in bonis Animabus obtinere veriſimile eſt; unde ſequetur, impiorum animas id agere ut favorem & operam ſuam commodent vitiis iſtis perpetrandis, quibus ipſæ hac in vita eſſent deditæ præcipuè, & ut homines ad ea pelliciant & hortentur. Hinc rurſus ſequetur, cùm per ſeparatum ſtatum ſuum *Dæmones* fiant, ut ſuprà dictum eſt, ſi etiam ad malum tentent, à meris illas *Diabolis* minimo abfuturas.

9. At præter noſtrî curam, intellectualibus contemplationibus, *Phyſicis*, *Mathematicis*, aut *Metaphyſicis*, jucundiſſimè occupare ſe poſſint. Nam proculdubio in ſtatu iſto ſeparato non adeò obvia & parabilis res eſt Scientia, quin *Genii* exercitatione & meditatione ulteriores in eâ progreſſus faciant. Et cùm deſuetudine obliviſci poſſint, nova ipſis erit voluptas, ſpeculationes jam pæne obliteratas in mentem revocare. Et qui ex illis delectantur impenſiùs jucundis ſenſûs motibus, quàm agitationibus mentis, cùm tanta ſit varietas Naturæ, tam variíque aëris cæterorúmque inferiorum elementorum habitus, qui corpora eorum aërea jucundiùs ingratiúſque neceſſariò afficient; hoc omne faciet nè hi otioſi ſint, & ad recreationes voluptatéſque eas conquirendas ciebit, quas Natura præſagitionibus & deſideriis multifariis mobilium vehiculorum ſuppeditabit.

10. Ità verò tamen ut generali alicui propenſioni conſtanter inhæreant; quod ipſum jam olim diſtribuerit *errones* hoſce *Aereos* in tot *Ordines* aut *Tribus*; antiqui enim Philoſophi, & Poetæ, Philoſophorum antiquiſſimi, ſuum cuique ordini locum aſſignârunt: uni mare, flumina, & fontes; montes & lucos aliis, & ſic de cæteris. Indè etiam nomina illa dederunt *Nereidum*, *Naiadum*, *Oreadum*, *Dryadum*, & ſimilium: quibus addas licet Deos *tutelares* urbium & regionum, illos item, qui ædium focos & ſimplicem hominum convictum amant, *Lares familiares* appellatos. Qui omnes, aliíque plurimi, quos recenſere non attinet, unicam licèt propenſionem naturalem ſequantur ſemper, propter tantam tamen varietatem rerum occaſionúmque propenſioni iſti plùs minúſve gratificandi, animi ſui cogitationes occupare poſſint in quærendis augendíſque voluptatibus iis, quæ naturæ ſuæ maximè ſunt congruæ. Quæ omnia ſigillatim percurrere, tam eſſet longum quàm inutile.

Quæ hîc breviter attigi ſufficiant ad docendum, *Genios* & *Animas ſeparatas* abundè rerum quas agant habituras, etiam in ſolitudine: ſic enim cenſeri debet & commoratio earum apud nos, cùm non coràm nobiſcum præſentes præſentibus converſantur.

SCHOLIA

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. 2.

ILlis particulis totum vehiculum Animæ permeantibus fieri non poteſt quin illa videat, &c. *Niſi etiam in hoc ſtatu ſeparato requiratur collectio radiorum ab uno puncto venientium in alterum rurſus punctum. Cùm verò per admodum exiguum foraminulum laminæ alicujus oculo applicatæ objecta ſatìs clarè & diſtinctè videmus etiam in hoc craſſo corpore, quidni vel radiis ſingularibus & non counitis in tam tenero vehiculo tenuique; Objecta diſtinctè conſpicere valeamus, niſi quæ fortè ſit difficultas de diſtantia?*

CAP. V.

1. *Animam ſeparatam non omne tempus ſuum in* Solitudine *conſumere.* 2. *Congreſſum ejus nobiſcum intelligibiliorem videri quàm cum* Geniis. 3. *Quomodo* Genii *ſibi invicem viſibiles eſſe queant, etiamſi nobis ſint inviſibiles.* 4. *De acceſſu eorum mutuo, & de finibus velocitatis motûs eorundem:* 5. *Multùm itèm illos ſuperare nos celeritate.* 6. *De figura aut forma vehiculorum, & de ſeceſſu eorum, cùm inviſibiles eſſe volunt.* 7. *Inter ſe congredi haud poſſe formâ ſimpliciter-orbiculari.* 8. *Congredi* Genios *formâ humanâ, præſtantiores ſaltèm.* 9. *Utrùm forma eorum ex mero imperio* Voluntatis *&* Phantaſiæ *oriatur,* an ad Characterem naturalem *Plaſticæ* partis Animæ dirigatur. 10. *Formam perſonalem* Animæ *vel* Genii *partim à* Voluntate *eſſe, partim à potentia* Plaſtica. 11. Cùm Anima Fœtum in utero organizet, & membra noſtra pro arbitrio moveat, mirum eſſet ni *Spiritus,* ità ut vulgò creditur, *vehiculis* ſuis imperitarent. 12. *Quod porrò arguitur ex immani vi & virtute quam nonnulli* Imaginationi *tribuëre.*

1. VErùm ſtatûs ſeparati lex & conditio non damnat Animam ad hanc *Solitudinem*; nam in Ordinem *Genialem* aſcripta, communi jure iiſdémque privilegiis utitur; quæ hæc ſunt ſcilicet, cum populo *Aëreo* præſens præſenti congredi, & per occaſionem cum incolis *terræ,* quanquam hoc facit longè difficiliùs.

2. Congreſſus ejus & conſuetudo cum *Geniis Aereis,* Animabúſque aliis ſeparatis, multò admodum frequentior, quàm cum Hominibus, omnino exiſtimari debet, hæc tamen quodammodo meliùs intelligi poteſt; quoniam certum eſt illam cernere nos mortales, lumine abs opaco noſtro corpore in ipſius ſenſum reflexo, & conſpiſſando *vehiculum* ſuum poſſe ſe nobis reddere viſibilem. At cùm vehicula *Geniorum* & Animarum nativâ ſuâ conſiſtentiâ ſint prorſus *aerea,* aërque ſit corpus tranſparens, lucem penitùs tranſmittent; itáque reflectione nullâ factâ ab *aereis* iſtis corporibus, altera alterius præſentiam non ſentiet, nec ullum proinde inter ſe congreſſum aut colloquium inſtituere poſſunt.

3. Ingens hæc equidem difficultas primâ fronte videtur. At facilè tollitur, ſi conſideremus Aërem quamplurimos gradus raritatis denſitatíſque ſuſcepturum, in iis tamen omnibus æquè inviſibilem nobis futurum; utì in Thermometris obſervare licet. Verùm in rem præſentem plùs conveniret experimentum Sclopeti Pneumatici, in quo aër in denſitatem comprimitur plurimis gradibus majorem eâ, quam fert ſtatus ejus naturalis; quorum in multis, ſi non & in extremo ipſo, nobis eſt ſine dubio prorſus inviſibilis. At profectò dubitandum non eſt, quin dum hæc condenſatio procedit, & major majórque fit, aër, ſi in vitreo tubo includeretur, antè *Geniis,* ob ſenſûs ipſorum teneritudinem, eſſet viſibilis, quàm nobis.

Hinc ſequitur, *Geniorum vehicula* conſiſtentiam habere poſſe diverſam ab Aëre, eámque ſuis ipſorum oculis mutuò perceptibilem, tametſi noſtram aciem tam planè fugiat, quàm reliquus aër. Sicuti luſcitioſus glaciem in aqua merſam ab aqua ipſa forſan viſu diſcernere non valeret, licèt tactu poſſet. Aut ſi è contrario *Geniorum* vehicula ſupponantur puriora & tenuiora cætero aëre, hàc etiam ipſorum præſentia ſibi invicem innoteſceret. Nam in hac vaporoſa regione Aëris, confuſam reflexionem lucis undiquaque fieri dubium non eſt; haud multò aliter ac in nebula cernitur, aut cùm Solis ſplendor aqueus eſt & dilutus pluviáſque prænunciat: cùm autem repercuſſiones

cuſſiones lucis iſtæ ſint *Geniis*, quàm nobis, longè ſenſiliores, diminutio earundem item ſenſilior erit, proindéque imminuta reflectio à vehiculis eorum ſufficiet ad indicandam alteri alterius præſentiam: ad hanc autem illuſtrandam hypotheſin, experimentum Thermometri magìs pertinet.

* Verùm ſuperiorem hypotheſin veroſimiliorem exiſtimo; & quemadmodum animalia aquatilia craſſiore ſunt habitu corporis, quàm eſt elementum id in quo moventur, ità & aëris Incolas ſuo, ſed cum minore multò diſcrimine.

4. Itaque manifeſtum eſt, *Genios* Animáſque *ſeparatas* eſſe ſibi invicem viſibiles: at non omni ex intervallo; quare ad ſe invicem accedere neceſſe eſt in mutuos congreſſus & colloquia: aliquid igitur dicendum eſt de eorum motu locali. Qui motus nec pinnis nec alis fit, ut in piſcibus & avibus, qui inſtrumentis hiſce opus habent ad librandum ſeſe, alioquin in imum elementum ſuum præcipites ruituros: ſed dirigendo tantùm agitationem particularum vehiculi eò quò cogitant; ídque celeriùs vel tardiùs, proinde ut ipſis viſum eſt ipſorúmque naturæ convenit. Etenim velociùs ire non queunt, quàm univerſa agitatio particularum vehiculi tantum materiæ, quanto conſtat vehiculum, aſportare poſſit; nec tam velociter quidem; * nam ſic vehiculum eorum verteretur in corpus omnino durum, ut æs, ferrum, & ſiquid durius, & in terram neceſſariò rueret tam caſſum vitâ quàm lapis ipſe. Ergo ineptiſſima eſt iſtorum hominum opinio, qui tam immanem agilitatem tribuunt Spiritibus, tanquam ſi hîc, illîc, ubique, ſimul adeſſe poſſent, ab uno mundi polo ad alterum, hinc in terram, uno momento proſilire: cùm revera celeriùs ferri non poſſunt quàm pro directione tantæ agitationis particularum vehiculi, quantâ toti ſubductâ, ſuperſit adhuc quod ejus ſatìs erit ad conſervandum vehiculo fluiditatem illam, quæ ſit aëri neceſſaria.

5. Atque uno hoc efficietur, ut ii nobis vigore & celeritate plurimùm antecellant. Vehiculum enim eorum univerſum fortean tam tenue atque mobile eſt, quàm ſunt ſpiritus noſtri animales, qui perpauci ſunt ad ſarcinam hanc terreſtris corporis quam ſecum agunt. Corpora autem *Geniorum* ſpiritualia nil præter ſeipſa agendum habent; ideóque expeditiora atque agiliora ſunt, ſi nobis compares, quàm generoſus equus, qui ſeſſorem excuſſerit, cum clitellario collatus ſacco ſalis oppreſſo.

6. Quod proximè diſpiciendum venit in congreſſibus *Aereorum Geniorum* inter ſe, *forma* eſt quâ ſibi invicem apparent, quæ ſit ejus *figura*, utrúmque figura ſit *naturalis*, an *arbitraria*, an *mixta*. Ut enim in aliqua appareant neceſſe eſt, quoniam *vehicula* eorum extenſione non ſunt infinitâ. Figuram nullam certam iis naturaliter attribui receptiſſima opinio eſt, niſi quæ figura ſit omnium figurarum ſimpliciſſima effectúque facillima, etiam externâ ope, nempe per aërem æqualiter prementem vehiculum circumquaque, quo fit ut guttulæ roris & pluviæ, glandéſque grandineæ, in formam iſtam ordinariò fingantur. Quæ figura item naturæ Animæ pulchriùs conveniet, * ſi modò illa, ut deſcripſi ſuprà, è *centrali* & *radiali* eſſentia conſtat, ſíque *commune ſenſorium* in medio collocatur. Anima hâc figurâ prædita in aëre verſari poteſt, ſéque fortaſſis, vehiculum ſuum intelligo, in liquiditatem ſolvere tam proximè æqualem aëri contiguo, ut hoc referat quodammodo ſeceſſionem noſtram è conſpectu hominum, cùm ſoli eſſe cupimus.

7. Poteſt autem ſi vult, ídque faciliùs, ut videtur, corpus ſuum *Aereum* ità condenſare, ut dubio quodam modo ſe prodat, quo modo ambiguo produnt ſe nobis piſces nonnunquam ex aqua, & viſibiliorem adhuc facere ſe poteſt *Congeniis*, ſervatâ ſimplici hâc formâ orbiculari. Quæ converſatio autem eſſe poſſit inter duas hujuſmodi moles *animati aeris*, planè neſcio. Affectus quidem poſſint inter ſe communicare, ſimiliter ut in oculo fit, ubi motus ſpirituum paſſiones animi indicat manifeſtó: quare poſſibile videatur, ut, in ſimplici iſta figura, ſignificent gaudium ſuum aut dolorem, pacatum aut infenſum animum, amorem aut averſationem, per motum ſpirituum vehiculorum ſuorum variè modificatum. * Verùm ut intellectualis ulla communicatio inſtitui poſſit ſine ulteriore vehiculi organizatione, profiteor me non intelligere.

8. Quæcunque ergo ſit *Geniorum* atque *Animarum* forma cùm ſunt ſolæ, operoſiorem protectò magíſque articulatam ſpeciem induunt, quando in congreſſum mutuum venire velint. Figuram enim ſuam ferè pro arbitrio mutare poſſunt, Axiom. 34. Quam ſuam potentiam adhibebunt, ut opinor, non modò ad uſus neceſſarios, ſed ad ornatum etiam & pulchritudinem. Humana autem pulchritudo, qualis ea cernitur in exemplis utriuſlibet ſexûs præſtantiſſimis, eſt ſine dubio inculpatiſſima, longéque antecellit cæterarum animantium formam; quæ non hominum duntaxat eſt ſententia, ſed & ejus etiam qui homines fecit. Nam præcipuo ex animantibus terreſtribus

dare certè voluit digniſſimam formam & figuram; quæ quanquam lapſu noſtro infœlici non paulùm obſcuretur, tanta tamen non eſt deformatio ejus, quin etiamnum conjecturâ propè conſequamur, quæ qualiſque fuiſſet olim. Quapropter maximè conſentaneum eſt ut exiſtimemus, *Genios Aereos*, ſaltèm præſtantiores illos, inter ſe congredi in humana ſpecie.

9. Sed enim quæſtio hîc oritur, humana ſpecies ea in quam Anima fingit *vehiculum* ſuum, ſimpléxne ſit effectus arbitrii imperiique Voluntatis ſuæ in materiam illam quam actuat, an vis item *Plaſtica*, ſe ſimul exerens, limitet aliquatenus & circumſcribat *Voluntatem* in effectu iſto; * ſic ut quod *Voluntas* efficiat ſit tantùm generale quid, forma nempe animalis, quòd autem forma iſta ſit præterea *humana*, naturæ ſponte & proclivitate oriatur à virtute *Plaſtica*, unà cum *voluntate* in actum ſe exerente: naturæ ſponte & proclivitate dico; nam vehementior cupido figuram mutandi aliam in ſpeciem efficere poteſt, ut ea aliud animal referat: at nihil coactum eſt diuturnum.

Forma igitur facilis illa atque naturalis, in qua *Genii*, meliores ſaltem, apparent, eſt *humana*: quo conceſſo, æquè erit probabile certam aliquam humanæ formæ ſpeciem faciliorem magíſque naturalem quavis aliâ futuram, animámque, cùm in perſonali forma conſpici ſe vult, in eandem ſemper ſpeciem *vehiculum* ſuum efficturam, niſi ſi vultum ſuum de induſtria diſſimulet. Hoc volo, Vis *Plaſtica* omnis Animæ, ſive *Humanæ* ſive *Genialis*, naturaliter ſe explicat in peculiarem formæ *humanæ* modum, qui ſit proprius character perſonæ cujuſque ſingularis: qui quanquam in generatione variet aliquantulùm, parentum imaginatione aut ſeminis ingenio, anima tamen à corpore quod hîc nacta eſt liberata, antiquam formam ſuam integram & expreſſam recuperabit.

10. Non quòd virtus *Plaſtica*, voluntatis juſſu excitata, eadem omnia lineamenta refinget, quæ in *terreſtri* hoc corpore antè duxerat, (multa enim eorum inutilia ſunt, quæ propterea, Providentiâ ſic volente, in formatione *Aerea* ſupprimentur, & illa ſola comparebunt, quæ ſtatui ſeparato conveniant; cujus generis ea ſunt præcipuè, quæ ad viſibilem formam Perſonæ perficiendam requiruntur, ad largiendúmque illi partes omnes, quæ vel ornamento, vel uſui ſint ad intellectualis conſuetudinis jucunditatem;) nec quòd vis illa *efformatrix* ſpeciem univerſam ſola perficit, (nam *Spiritus Aerei* variè ornati apparent, alii pulcherrimarum inſtar virginum, fortiſſimorum bellatorum alii cum criſtata galea, quâ ſpecie *Achillem* ab *Apollonio* viſum refert *Philoſtratus*:) ſed mixta eſt & actio & effectus; partim abs *voluntate* imaginationéque libera, partim è naturali proclivitate Virtutis *Plaſticæ* ad vehiculum certam in formam perſonalem fingendum oriundus.

11. Quæ quidem Animæ facultas ità pro arbitrio fingendi *vehiculum* ſuum, tametſi oppidò quàm mira videatur nobis, qui neque rem ipſam coràm factam videmus, nec ejuſcemodi res animo ſæpiùs cogitamus; haud multò tamen mirabilius eſt, quàm quòd ea fœtum in utero organizat, vel quòd ipſi corporis noſtri membra voluntate & imaginatione ſolâ movere valemus. *Spiritus* autem *Aereos* hæc talia efficere poſſe, vehicula ſua ſic fingere, & varias formæ ſpecies induere, novis hîc exemplis oſtendere non opus eſt. Quas narrationes enim memoravimus in libro tertio contra *Atheiſmum*, ex veritatem rei luculenter confirmant. Enimvero *Imaginationi* à Philoſophis omnibus tribuitur tanta vis, ut nil magìs mirandum videretur, quàm *Spiritus* hoſce *Aereos* non habere hanc poteſtatem in *vehicula* ſua, ut fingant ea refingántque pro arbitrio.

12. Sunt enim, iíque magni nominis, qui tam mirificos effectus tribuunt iſti facultati, Confidentiâ armatæ & Fide, (quò Metus quodammodo referri poteſt, utpote validiſſima Fides impendentis certiſſimóque venturi mali; quò etiam vehemens deſiderium, quippe cui magna fiducia rem cupitam aſſequendi adeſt, alioqui deſiderium non adeò flagrans eſſet) tam mirificam vim, inquam, imaginationi tribuunt, ut affirment eam non modò proprium cujuſque corpus alteraturam, verùm & in alienum acturam, idque ex loci intervallo; immiſſuram morbos ſanis, ægrotos ſanaturam; grandinem, nives, ventos creaturam; equum aut camelum proſtraturam, quíque iis inſident in foſſam projecturam; mirabilia facinora veneficii omnia effecturam, &, quod in iis maximum eſt, *Umbras* & *Spiritus* evocatos imitaturam, proximum aërem mutando in formam hominis, qui non modò tractari cernique poſſit, ſed etiam audiri verba faciens; audiri, inquam, non ab iis duntaxat, quorum imaginatio aëreum hoc ſpectrum creârit, verùm ab aliis etiam aſſiſtentibus, qui ad exiſtentiam ejus nihil contulerint. En! quò vim ac virtutem imaginationis humanæ extulerint *Avicenna*, *Algazel*, *Paracelſus*, *Pomponatius*, *Vaninus*, alii: quæ ſi vera ſint,

tranſitransfiguratio vehiculorum *Animarum* ſeparatarum & *Geniorum* res nihili præ his haberi deberet.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 3.

VErùm ſuperiorem Hypotheſin veriſimiliorem exiſtimo, &c. *Longè profectò longéque probabilior videtur Opinio. Nam ſi Aereorum* Geniorum *vehicula tenuiora eſſent Aere ipſo, nimiâ violentiâ ab eodem comprimerentur, qui juxta leges Naturæ vehiculum Genii inundare & opplere perpetuò conaretur. Ità ut neceſſe ſit Conſiſtentiam Vehiculi aut æquè craſſam eſſe atque Aeris, aut craſſiorem.*

Sect. 4. Nam ſic vehiculum eorum verteretur in corpus omnino durum, &c. *Hoc certè conſequeretur ex Principiis Philoſophiæ* Carteſianæ, *quæ quietem & unionem partium idem facit. Nos verò, omnibus tandem rectè penſitatis, unionem partium materiæ ad* Principium Spirituale *referendam eſſe cenſemus, ut & motum materiæ Mundanæ eſſe* vitalem. *Adeò ut nihil metuendum ſit à lapidea hac duritie quamvìs omnem motum vehiculi Genius quiſpiam ad tendentiam progreſſivam in aliquam partem dirigeret.* Limitatas *verò motuum progreſſivorum celeritates adhuc fore ex ſumma motûs vehiculi limitata, ſatìs apparet.*

Sect. 6. Si modò illa, ut deſcripſi ſuprà, è centrali & radiali eſſentia, &c. *Iſtam verò Hypotheſin minùs veriſimilem eſſe apertè in Scholiis in eum ipſum locum declaravi. Vide lib.* 1. *cap.* 6. *ubi iſta ſit deſcriptio.*

Sect. 7. Verùm ut intellectualis ulla communicatio inſtitui poſſit ſine ulteriore, &c. *Atque hoc quidem inter alia non contemnendum argumentum eſt, quòd* Plaſticæ *Geniorum ſunt* Hominiformes, *cùm ſociabiles ſint ex eo ipſo quòd ſint rationales. Aliquam igitur* Perſonalem *formam habere debent. Ecqua verò dignior eſt humanâ?*

Sect. 9. Sic ut quod voluntas efficiat ſit tantùm generale quid, forma nempe Animalis, &c. *Id certè veriſimillimum videtur, cùm ipſa* Plaſtica *ſuâ naturâ ſit* Hominiformis *ut ſuprà monuimus. Quicquid verò ſuperadditur, vel quoties hæc forma immutatur, quomodo id fiat, aliis rationibus eſt explicandum.*

CAP. VI.

1. *Effectuum* imaginationis *exempla credibiliora.* 2. *Exemplum ſingulare in* ſignaturis fœtûs. 3. *Quod concedit* Fienus, *qui vires Imaginationis cautiſſimè finivit, ſatìs eſſe ad rem præſentem.* 4. *Exempla à* Fieno *probata.* 5. *Exempla quædam ab illo rejecta, probata tamen à* Fernelio *&* Sennerto. 6. *Narrationes tres illuſtres ex* Helmontio *de maternæ imaginationis vi in fœtum.* 7. *Illatio conjecturalis ex narrationibus iſtis de influxu* Spiritûs Naturæ *in operationes omnes* Plaſticas. 8. *Confirmatur ea conjectura à* ſignaturis fœtui *impreſſis.* 9. *Et applicatur ad* vehiculorum Dæmonum *transfigurationem.*

1. NOſtra autem fides intra modeſtiores fines conſiſtet; cui enim rei authores graviſſimi aſſenſi ſunt, ea res noſtro ſufficit propoſito; imaginationis vis nimirum in noſtra ipſorum corpora, quódque in iis continetur, Fœtum parentis utero incluſum. Realium ſenſibiliúmque effectuum cauſam Imaginationem eſſe hinc conſtat, quòd morbos nonnulli accerſiverunt ſibi, imaginationem ſuam in iis pertinaciùs defigendo; amara acerbáve imaginando, illos ipſos ſapores in ore excitârunt; fœdæ cujuſpiam rei recordatione, continuò vomuêre; Potionem cogitando, alvum ſtatim exonerârunt; & plura ſunt hujus generis. In quibus & illud, præſtituere tibimet quotâ velis horâ expergiſci manè, haud alio quovis minùs eſt admirabile. Quas ſpirituum alterationes efficere, ad producendum qualitates & effectus hujuſcemodi, omnino æquè arduum eſt, ac ſpiritus in figuras ſitúſque novos diſponere.

Omnium verò difficillimum eſt tam determinatè activos reddere ſpiritus, ut conformationem corporis ii immutent, & tubercula, cornuum inſtar, extrudant, quemadmodum *Cyppo* accidit; qua de re loquitur *Agrippa* in Occult. Philoſoph. Quam *Lib.* 1. *cap.* 64.

ego rem hîc non retuliſſem, niſi confirmatum mihi eſſet recentius exemplum ſimilis quidem effectûs imaginationis, non ex tam apta verò occaſione nati. Metum quoſdam interemiſſe, canos alios feciſſe, hæc item ad imaginationem referri debent: quorum exemplorum poſterius * indicat, *Plaſticam* animæ potentiam habere vim aliquam in ipſos capillos: quo minùs mirum erit ut animæ vehiculum in expreſſam hominis effigiem mutetur, nè pilo quidem uno omiſſo, qui neceſſarius ſit ad ſpeciem ejus perficiendam; liberâ imaginatione, in ſtatu illo futuro, vim *Plaſticam* adjuvante, incœptúmque ejus abſolvente.

2. Omnium autem exemplorum, rem noſtram proximè attingunt *Signaturæ* illæ, quas *Fœtui* imprimit matris imaginatio. Nam facilè intelligitur, quemadmodum *Plaſtica* facultas *Fœtûs*, phantaſiæ maternæ vi dirigitur aut ſeducitur; ità & *Animarum* ſeparatarum *Geniorúmque* virtutem efformatricem ſuâ ipſorum imaginatione regi, aut perverti poſſe: idque tanto certiùs, quanto arctior eſt unio inter *Imaginationem Animæ* ſuámque ipſius *Plaſticam*, quàm inter *Animam* & *Plaſticam alienam*; quantóque ſequax vehiculum aëreum proclivius eſt ad mutandum, quàm rudimenta embryonis craſſiora.

3. Et tamen quæ matris imaginatio efficit in *ſignando fœtu*, admodum ſunt admirabilia, pænéque iis incredibilia, qui res hujuſcemodi contemplari non ſolent. Veruntamen vera eſſe conſentiunt unanimiter doctiſſimi tum *Medici* tum *Philoſophi, Empedocles, Ariſtoteles, Plinius, Hippocrates, Galenus*; recentiores item Medici omnes, quotidianâ experientiâ convicti. Namque *Signaturæ* minùs aberrantes & enormes ſæpe accidunt, quales ſunt ſimilitudo ceraſi, mori, vini rubri in gravidam effuſi, cum multis aliis hujus generis. Et ſi iis duntaxat ſtetur, quæ ſuper hac re cenſuit *Fienus*, qui quàm cautiſſimè ac moderatiſſimè, ut ego arbitror, in ea ſe geſſit, plura requirenda non erunt ad certum id faciendum quod intendimus. Ille enim agnoſcit, Imaginationem matris ità figuram fœtûs mutare poſſe, ut is ferat ſimilitudinem, non uſquequaque verò perfectam illam, *ſimiæ, porcelli, canis*, & cujuſvis hujuſmodi animalium. Idem quoque ſentit de *coloribus, pilis, excreſcentiis* multorum generum: poſſe item imaginationem producere, quod ſimillimum ſit, rationémque habeat *cornuum & ungularum*; magnitudinem etiam numerúmque membrorum corporis augere.

Fien. de virib. imagin. quæſt. 22.

4. Et licèt ex exemplis iis, quæ ex aliis authoribus refert, multa repudiet, quæ tamen eorum ipſe probat ſatis ſignificant, quid in *Animæ* ſeparatæ aut *Dæmonis* vehiculo factum iri exiſtimandum ſit. Quorum primum ſit, puella piloſa ex *Marco Damaſceno*; ſecundum, infans qui cute & unguibus urſum referebat, ex *Gulielmo Paradino*; tertium, natus quidam cum carneis excreſcentiis multis, ejuſdem coloris & figuræ cujus ſunt illæ in gallo Numidico, ex *Balduino Ronſæo*; quartum, natus quidam capite ranæ capitis ſimili, ex *Paræo*; poſtremum ex *Avicenna*, pulli gallinacei capite aquilino. Quæ cunctæ aberrationes facultatis *Plaſticæ* ab Imaginationis fœminarum vi natæ ſunt, vel cùm concipiebant, vel poſtea dum geſtarent uterum.

Fien. de virib. Imagin. quæſt. 13. *exempl.* 5, 7, 18, 19, 27. & *quæſt.* 22.

5. Exemplis autem aliis aſſenſum præbere dubitat, quibus tamen ſcriptores doctiſſimi aſſenſi ſunt. Cujus generis eſt illud nigrorum infantium à parentibus candidis, alborum rurſus ab atris procreatorum, per occaſionem tabulæ in qua *Æthiops* aut *Europæus* pictus erat: quod quidem exemplum *Fernelius* & *Sennertus*, celebre par Medicorum, recipiunt. Rejicit & illud ex *Cornelio Gemma* de infante nato fronte ſauciâ & ſtillante ſanguinem, ex eo quòd vir gravidæ uxori mortem aut vulnera minatus ſit enſe diſtricto frontíque mulieris intentato. Quæ certè narratio non adeò incredibilis videbitur, ſi *Sennertum* audiamus, rem ſibi bene cognitam referentem; viz. fœminam quandam prægnantem, intuentem lanium dum caput ſuillum ſecuri diffindebat, infantem peperiſſe ſuperiori maxillâ, palato, labio item ſuperiori ad naſum uſque ſciſſis.

Fien. de virib. Imagin. quæſt. 13. *exempl.* 14.

Sennert. de virib. Imag. cap. 14.

6. Luculentiſſima verò exempla hujus generis ea ſunt, quæ *Helmontius* habet in *De injectis materialibus*. Unum eſt uxoris ſutoris veſtiarii *Machlinienſis*, quæ, obortâ rixâ, in eáque manu militis abſciſſâ, dum mulier fortè pro foribus ſuis ſtabat, horrore ſpectaculi perculſa illico parturivit, infantémque peperit unimanum, brachio altero, cui manus defuit, fundente ſanguinem, quo ex vulnere exhauſtóque ſanguine infans interiit. Altera fœmina, uxor *Marci de Vogeler* mercatoris *Antuerpiani*, viſo milite mendicante, qui in obſidione *Oſtendæ* brachium dextrum perdidiſſet, & reliquias ejus cruentas adhuc populo monſtrabat, incidit in dolores continuò, & filiam peperit altero brachio carentem, niſi quod ejus ſupererat truncum & ſaucium, Chirurgi fidem & peritiam implorans: fœminam hanc nuptam poſtea *Hoochamero* cuidam, mercatori *Amſtelodamenſi*, & ſuperſtitem adhuc anno 1638. refert idem *Helmontius*.

montius. Tertium addit exemplum de mercatoris item uxore ſibi notâ, quæ, audito hominum aliquot decollationem futuram, (res accidit *Antuerpiæ* ſub *Duce Albano*) ſupplicium ſpectare voluit. Quamobrem locum idoneum nacta apud mulierculam familiarem, in foro habitantem, triſti ſpectaculo interfuit ; quo viſo ſtatim parturibat, infantémque enixa eſt, cætera quidem perfectè formatum, capite verò carentem collóque cruentum, ut erant miſerorum corpora, quos ſecuri percuſſos ſpectaverat. Et quod rem, per ſe ſatìs miram, magìs adhuc admirandam facit, *manus*, *brachium*, *caput* horum infantium, nuſquam reperiebantur. Unde corporearum dimenſionum penetrationem inferre vult *Helmontius* ; quàm temerè autem hoc, non libet hîc diſſerere.

7. Si hæ, quas memorat, hiſtoriæ veræ ſint, (& ego profectò haud ſcio quo pacto earum fidem convellam, ità cum honeſtis ac credibilibus narrantur circumſtantiis) argumenta erunt virium *Imaginationis* illuſtria, quæque non ſibi ſolùm fidem concilient, ſed & aliis à *Fieno* rejectis, tam ad hanc rem ſpectantibus in qua nunc ſumus, nempe *vulnerationem* corporis *infantis*, quàm ad *monſtroſiorem* partium *conformationem* ; qua de re unum aut alterum exemplum infrà afferemus.

Interea verò temporis, dum diligentiùs contemplor ſtupendam hanc vim virtutémque animæ matris, cujus tanta non eſt aut purificatio aut ſublimitas, ut talia *miracula*, veriùs dixeris, quàm effecta *naturalia*, edere valeat ; non poſſum quin proclivior ad exiſtimandum ſim, non *plaſticam* facultatem animæ infantis, quicquídve ab imaginatione matris accedere putetur, adæquatam cauſam eſſe formandi fœtûs : id quod obiter innuit alicubi *Plotinus*, ut ‖ ſuprà notavi, viz *Animam mundi ſeu Spiritum Naturæ aliquid ad id operis efficiendum conferre*. Quod ſi verum ſit, habemus cauſam effectui tam ſtupendo parem. Nam facilè intelligitur, matris animum vehementiori affectu flagrantem, in conſenſionem ſecum rapere *Spiritum Naturæ* : quem *Spiritum* ſanè omnium animantium efformationi adeſſe, plantarúmque univerſarum fortean unicum formatorem eſſe, rationi conſentaneum eſt.

‖ *Lib. 2. cap. 10. ſect. 2.*

Quo efficiendi genere utatúrne is aliis in elementis præter terram & aquam, nil ampliùs ſtatuam, quàm ità fieri poſſe in regionibus aëris æthériſque tranquillioribus. Cui conjecturæ rectiùs intelligendæ lucem aliquam dabit id, quod ſuprà diximus de viſibilitate & conſiſtentia *Dæmonum Aereorum* ſibi mutuò occurrentium.

8. Sed non uno hoc inducimur argumento ad exiſtimandum, *Spiritum Naturæ* immiſcere ſe formationi fœtûs. Etenim ſignaturæ illæ, quæ ab Imaginatione matris in conceptione ipſa derivantur in infantem, ſine hac hypotheſi commodè intelligi nequeunt. Quid enim hujus ſignaturæ ſubjectum eſſe poteſt? non *Plaſtica* pars animæ parentis ; quia matris anima embryonem non format, ut ingenioſè colligit *Sennertus* ex pullorum avium efformatione, quæ perficitur in ovis, extra fœminam poſitis ; quíque ſine incubante fœmina perinde excludi poſſint, quod apud *Ægyptios* ſolenne eſt ; nec embryonis corpus, nondum enim corpus habet ; neque anima ejus, quæ, *Ariſtotele* authore, nondum adeſt. *Spiritus* autem *Naturæ* ubique præſens eſt, * qui maternæ imaginationis vi raptus in conſenſum, acceptam Notam ſervat, infantíſque corpori imprimet certiſſimò.

De form. Origin. cap. 9.

Nam in prima illa rudíque adhuc adumbratione, quam *Anima Mundi* inchoârit in materia fœtûs, comprehenditur & hæc *ſignatura*, quæ poſtea abſolvitur à propria ipſius infantis anima, præſente, & ad *animæ mundi* exemplar cooperante, ejúſque veſtigiis inſiſtente ; quæ *Anima Mundi*, quam ſemel inceptionem operis tentaverit, eam ubivis proſequi perinde valet, utpote ubique ſimilis ſui, vel potiùs eadem. Quemadmodum enim anima noſtra, quæ una eſt, pro varia tamen ſpirituum indole in varias ſe cogitationes & conceptus explicet ; ità *Mundi Animam*, omnino eandem ubique, non poſſe non vim ſuam efformatricem eodem planè modo exerere, ubicunque materia ſit prorſus eadem.

Quapropter mirum non eſſet, ſi pulli gallinacei ſuprà memorati capite aquilino excluſi fuiſſent centum millibus paſſuum à gallina, cujus imaginatio inter concipiendum conturbabatur: quoniam Anima Mundi adumbrâſſet opus, quod ipſa ubique tam neceſſariò proſecutura erat, quàm certò novit *Geometra* circulum ducere per tria puncta data.

9. Hæc ergo *Plotini* ſententia * de *Anima Mundi* interponente ac inſinuante ſeſe in generationem rerum, materiâ adhuc fluidâ & ſequaci, neque rationi diſſona, neque non mente aſſequenda. Quod quidem quenquam ad credendum adduceret, otioſam eam non eſſe in transfigurandis *Dæmonum* vehiculis, ſed imaginationem & deſideria eorum adjuvare, * & ſic operam commodare ad veſtiendos ornandóſque illos, ità ut ornari ſe volunt : & fortè aliquando aliter atque volunt ; quemadmodum importuna phantaſia obtrudit matri monſtroſum fœtum.

SCHOLIA

In CAP. VI. SECT. 1.

INdicat Plaſticam Animæ potentiam habere vim aliquam in ipſos capillos, &c. *Eſt enim* Plaſtica *in qua propria ſedes eſt Paſſionum. Et cùm vis* Spiritûs Naturæ *in primis Formationis Animalium Rudimentis maximè cernatur,* Plaſticam *Animæ propriam, poſtea ſaltem, ſe cum operationibus* Spiritûs Naturæ *miſcere ad producendos capillos non eſt à ratione alienum. Eſt autem in Operationibus Vitalibus ferè omnibus arcta quidem ac mirifica* Spiritûs Naturæ *&* Plaſticæ *Animarum* propriæ *unio & conjunctio.*

Sect. 8. Qui maternæ Imaginationis vi raptus in conſenſum acceptam notam, &c. *Non quòd Nota iſta in illam* Spiritûs Naturæ *partem quaſi inuratur ut ſic maneat in Spiritu, iſtoc quaſi in loco, ſed quòd Notam ſic à ſe inchoatam* Spiritus Naturæ *ubicunque materia conceptûs fuerit, promovet ac perficit, cùm ſibi ipſi idem ſit iſte Spiritus ubique, idémque facturus ac ſi materia conceptûs in eodem permanſiſſet loco, quemadmodum uberiùs explicatur in hac ipſa Sectione.*

Sect. 9. De Anima Mundi interponente, &c. *Immò verò videtur neceſſarium in primis fœtuum efformandorum Rudimentis cùm Anima particularis nondum advenerit, dum corpus adhuc manet inorganizatum.*

Et ſic operam commodare ad veſtiendos ornandóſque illos, &c. *Nam cùm Vehicula Dæmonum tenera ſunt ac tenuia, ipſorúmque imaginatio fortis ac vehemens, quid obſtat quo minùs* Spiritus Naturæ *heîc rapi poſſit in conſenſum, quemadmodum ſit in fœtuum* Signaturis?

CAP. VII.

1. Signaturarum *exempla tria memorabilia, à* Fieno *repudiata: 2. Eatenus tamen ab eo probata, quatenus res noſtra poſcit. 3. Ceraſum* Helmontii *& Cancrum* Liceti *haud parum probare,* Animam Mundanam *immiſcere ſeſe efformationibus omnibus &* Animantium *&* Plantarum. 4. *Exemplum* ſignaturæ *accuratiſſimæ & expreſſiſſimæ è* Kirchero: 5. *Et quid ille de eadem cenſuit.* 6. *Exemplum alterum ex* Kirchero *de infante cano.* 7. *Applicatio antè dictorum, de* ſignaturis *fœtûs, ad transfigurationem* vehiculorum *aereorum* Animarum *ſeparatarum &* Dæmonum. 8. *De transformatione eorundem in ſpeciem perſonalem nobis viſibilem.*

1. REliquorum exemplorum fœtûs abs matris Imaginatione ſignati, quæ rejicit *Fienus,* primum eſt ex *Wiero,* de homine quodam, qui uxori ſuæ gravidæ convitia faciens, Diabolum eam in utero geſtare, ſéque illum interfecturum minitabundus dixit: mulier non longo pòſt tempore peperit infantem, à medio corpore deorſum rectè formatum, ſupernè verò nigris rubríſque maculis varium, oculis in fronte poſitis, ore ſatyri, caninis auribus, & cornibus in capite flexis caprarum inſtar. Alterum exemplum è *Ludovico Vive* de hiſtrione, qui domum à ſcena reverſus in perſona Diaboli, quem illîc egerat, cum uxore rem habuit, ut erat, Diabolum ex illa geniturum ſe cavillans, & gravidam illam fecit monſtro, formâ planè *diabolicâ.* Exemplum tertium maximéque inſigne ex *Peramato* eſt, de monſtro S. *Laurentii* in *India Occidentali nato* anno 1573. hiſtoriam rei accepit Dux *Medinæ Sidoniæ* à viris ſummâ fide. Infantem natum fuiſſe loco & tempore memoratis, qui præter os, aures, naſum, horrendum in modum deformia, caput habuit bicorne ut capella, corpus villis longis veſtitum, medium corporis carneo cingulo, iterum replicato, circundatum, unde dependebat marſupium carneum, ſiniſtrâ manu tenuit carneum tintinnabulum, quali utuntur *Indi* ſaltantes, tibiæ indutæ ſunt carneis ocreis candidis & reflexis: breviter, horrida & diabolica erat forma univerſa, & à terrore aliquo orta credebatur, quo perculſa fuiſſet mater inter incondita *Indorum* tripudia, in quibus *Diabolus* ipſe nonnunquam apparere ſolet.

Wier. de Præſtig. Dæmon. lib.4.cap.18.

Fien. de virib. Imagin. quæſt. 15. exempl.8.

Fien. quæſt.13. exempl.9.

2. Narrationes haſce rejicit *Fienus,* non ut falſas, ſed aut res ipſas virtute plùs quàm naturali extitiſſe, aut deſcriptiones ſaltèm veritatem rerum ſuperare cauſatur. Hoc interim concedit libenter, Imaginationis unius vi excreſcere ea poſſe, quæ ſpeci-

De virib. Imagin. quæſt. 22.

em aliquam habeant rerum ibi commemoratarum; portenta verùm iſta diabolica vera cornua, ungulas, caudam, aliámve partem quamlibet ab humana natura ſpecificè diſtinctam, nec habere nec habere potuiſſe. Quod autem ipſe largitur, ad rem noſtram ſatìs eſt.

Licet. de Monſtr. cauſ. & different. lib. 2. cap. 66.

3. Benignior autem eſt *Fortunius Licetus*, qui non modò agnoſcit mulierum fœtus in aliquibus ſuis partibus accuratiſſimè deformari poſſe in ſimilitudinem beſtiarum, verùm concedit etiam inſolentia ſomniorum viſa id æquè effectura, ac cogitationes aut externa objecta vigilantibus occurrentia. Poſterioris hujus generis exemplum afſert, ſuprà quàm propoſitum noſtrum exigit, magnum & memorabile, de matrona *Sicilienſi*, quæ caſu conſpicata in manibus piſcatoris cancrum recèns captum & inſolitæ magnitudinis, cancrùm unà cum infante peperit, cancris marinis omnino ſimilem. Accepit hoc *Licetus* ab homine magnâ fide, qui & fœminam novit, & cancrum, quem enixa eſt, viderat.

Demens Idea paragr. 37. Magnet. vulner. Curat. parag. 133. Vis Magnetica. Tractat. Animæ, parag. 7. & alibi.

Ceraſum toties memoratum ab *Helmontio*, quod viride, pallidum, flavum, rubrum fuit, iiſdem ipſis anni tempeſtatibus, quibus alia ceraſa colores ſic variant, ſuperiori exemplo affine eſt; id eſt, ad perfectam propè ſpeciem ceraſi accedit, ut cancer ille cancri naturam attingebat; in hoc enim aliqua ex parte inerat *plantalis* vita Ceraſi, ut in illo *Animalis* omnino. Quod confirmat id quod ſuprà diximus, vehemens deſiderium atque imaginationem poſſe in conſenſum rapere *Spiritum Naturæ*, & ad agendum ciere: qui ab incœpto opere non deſiſtit, modò nè deſtituat eum materia idonea; quíque omnibus locis exiſtens idem, agit idem in eandem materiam, in iiſdémque circumſtantiis. Radix enim atque Anima omnis vegetabilis eſt *Spiritus Naturæ*; vi cujus & virtute viguit & maturuit hoc ceraſum, pro anni tempeſtatibus propriis loci ubi degebat homo, cui impreſſa erat viva hæc ſignatura.

Duo hæc exempla graviter arguunt *Spiritum Naturæ* immiſcere ſe omnium cùm plantarum tum animantium efformationi. Nam nec infantis nec matris anima potuit, ut videtur, cancrum illum fabricari, tametſi mater mirificâ deſiderii ac imaginationis vi potuit excitare *Mundanum Spiritum*, qui nullam non materiam, generandis rebus aptam, aliquo modo tentat, ut ex ea aliquid efficiat; quíque à mulieris phantaſia determinatus, materiam humidam in utero congeſtam imagine ſignârit illâ, quæ menti ejus inhærebat.

‖ *De Arte Magnet. lib. 3. part. 7. cap. 7.*

4. Quapropter ſi *Fienus* perſpexiſſet quibus quámque potentibus ex cauſis oriri poſſint *ſignaturæ*, non adeò difficilis fuiſſet in credenda ſumma illa exquiſitáque ſimilitudine, quam nonnullæ earum habere dicuntur: neque ſi forte fortunâ incidiſſet in tam illuſtre ejus rei exemplum, quale oblatum ſibi profitetur ‖ *Kircherus*. Narrat enim, hominem quendam adiiſſe ſe, ſciſcitatum quidnam portenderet ſignatura quædam admirabilis, brachio ejus impreſſa à nativitate; eum ſuper illa & *Aſtrologos* & *Cabbaliſtas* conſuluiſſe; dignitates & honores pollicitos eſſe utroſque, illis virtuti ſyderum, his favori Sigillantis Ordinis Angelorum rem ipſam tribuentibus. Nolebat autem *Kircherus* de re verbo tenus cognita judicium facere; quanquam quid erat, homo ſatìs planè illum docuiſſet, nempe Papa ſolio inſidens, cum Dracone ſub pedibus ejus, & Angelo coronam capiti imponente.

Homo igitur ingentes ſpes iſtas, quas ex aliorum bene ominantium conjecturis conceperat, plùs adhuc confirmatas audire cupiens tam docti viri ſuffragio, diploidem exuere, nudúmque brachium oſtendere *Kirchero* non recuſabat: qui quantâ maximâ potuit diligentiâ rem contemplatus, affirmat ſignaturam tam fuiſſe perfectam, ut artis potiùs, quàm naturæ aberrantis opus videretur; ex indiciis tamen nonnullis ſe ſatìs eſſe certum, opus *Naturæ* fuiſſe non *Artis*, quanquam arte factum quidem id erat, quod natura hîc imitata eſt; viz. Effigies *Gregorii* XIII. PP, qui ità nonnunquam pingitur, ut hæc ſignatura graphicè expreſſit, nempe ſolio ſedens, draconem habens ſub pedibus, alterâ manu innixâ ſellæ, alterâ extentâ benedicendi more, Angelo velum diducente, capitíque ejus coronam admovente.

5. Itaque ſuperſtitionibus ac ineptiis *Pſeudo-Cabbaliſtarum* & *Aſtrologorum* miſſis, quod res erat reſpondebat *Kircherus*, nequaquam verò ità gratum ſciſcitanti futurum, ac fuiſſent eorum palpa & mendacia; viz. Signaturam hanc nec ſyderum influxu, nec Angelorum ſigillis impreſſam, ſed Imaginationis matris ejus effectum fuiſſe; quæ in ſacello aliquo aliòve in loco, ubi divinæ rei vacabat, intuita Papæ hujus effigiem, ardentiori amoris motu in eum ferebatur, brachiúmque ſimul ſuum fortè contrectans, fœtûs ſui brachio (quod in his rebus ferè accidit) imaginem illam impreſſit. Quæ ſine dubio vera eſt hujus myſterii explicatio.

‖ *De Arte Magnet. lib. 3. part. 7. cap. 7.*

6. Refert idem ‖ Author, abs amico ſe fuiſſe vocatum ad oſtentum alterum & miraculum contemplandum, (ità enim eſſe opinatus eſt is, qui vocavit) ut de eo judi-

cium ferret. Quod nihil aliud erat quàm expoſitus infans, quatuordecim circiter dies natus, cano capite & ciliis. Hoc amicus ejus, pharmacopola, pro magno portento habuit, donec cauſam rei didiciſſet: matrem ſcilicet homini vetulo caniſque conſperſo fuiſſe nuptam, veritámque nimis nè à viro ſuo cano deprehenderetur in ſtupro manifeſto, canitiem ſimilem in magno illo metu impreſſiſſe fœtui. Quam quidem hiſtoriam ideo præterire nolui, quòd luculenter indicat quantum ad ἀκρίβειαν operetur phantaſia in formanda modificandáque materia, ut nè vel in colore pilorum aberret; ut ſuprà notavi aliquid in eandem ſententiam.

7. Ut finiam jam tandem, & relinquam copioſiſſimum hoc argumentum: ſeu vis imaginationis rapiat in conſenſum *Spiritum Naturæ*, ſeu animam infantis, ſive utrumque; hoc certò conſtat, effecta ipſa magna eſſe & inſignia, & nonnunquam accuratiſſimè conformia prægnantis Ideæ, in humidam ductilémque materiam in utero contentam derivatæ: quæ cùm materia nequaquam tam ceſſilis ſit ac mollis aër, cúmque anima matris adeò una non ſit cum anima infantis, ac ſeparata anima eſt ſecum, nec ità præcipuè uniatur corpori infantis ut eadem anima ſeparata vehiculo ſuo, neque ullum denique propius interiúſque commercium habeat cum *Spiritu Naturæ*, quàm rurſus eadem anima ſeparata tum habet, cùm *Plaſtica* pars ejus, Voluntatis ac Imaginationis juſſu, vehiculum organizatura eſt in certam formam & figuram, qui quaſi *partus momentaneus eſt* propriæ & ſingularis Perſonæ, vel *Animæ ſeparatæ*, vel alius *Dæmonis* cujuſcunque; efficitur ut certi ſimus, in Geniis Animabúſque ſeparatis vim illam ineſſe, quâ facilè & accuratè tranſmutare ſe poſſint in eas formas ac figuras, quæ ſuo cujuſque ingenio & naturæ congruentes ſint.

8. Quæ à me omnia ſuper hac re adhuc dicta, ad viſibiles eorum congreſſus *inter ſe* explicandos ſpectare velim. Sunt autem aliquando *nobis* etiam viſibiles ſub animali forma, quod illis proculdubio longè difficilius eſt. Poſſibile verò & hoc, multò licèt infrequentius, utpote magis præter naturam. Etenim poſſibile eſt ità per artem conſtringere aërem, ut, globulis expreſſis, opacitatem viſibilem acquirat; id quod à nonnullis factum fuit, & ſpeciatim ab amico *Carteſii*, quem hoc experimentum feciſſe memorat in literis ſuis. Quam quidem compreſſionem aëris etiamſi Animæ ſeparatæ Geniíque, directivâ facultate illâ (qua de in Axiom. 31.) efficere poſſint, at certè non ſine magno ſuo cruciatu. Nam primo elemento nudato, ni ſimul aër arctiſſimè conſtringatur, moleſtiſſimus orietur calor; ſi verò ſic conſtringitur, non ferendum frigus; & tam parvulum momentum faciet ut elementum primum plus minúſve juſto ſit, ut perquam difficile fortè ſit, inferioribus ſaltèm ſpiritibus, mediocritatem debitam conſtanter tenere. Quare veriſimile eſt, illos apparituros vehicula ſua * vaporoſo glutinoſóve humore aliquo madefacere, quò minori operâ & impenſâ nobis ſe præbeant conſpiciendos.

SCHOLIA

In CAP. VII. SECT. 8.

VAporoſo glutinoſóve humore aliquo madefacere, &c. *Immo verò videtur quodammodo neceſſarium, cùm tanti moliminis ſit ipſum Aerem ad opacitatem uſque comprimere & condenſare. Poſtquam verò madorem aliquem in vehiculum imbiberint, opacum jam fieri poſſe quod pellucidum erat, ex documento Chymicorum liquorum pellucidorum, quæ mixta opaca fiunt, aliquo modo intelligi poteſt. Et* Cuntii *Hiſtoria, aliæque id genus multæ ſic eſſe fidem videntur facere. Vide* Cornel. Agrippam *de* Occulta Philoſophia, *lib. 3. cap. 42.*

CAP. VIII.

1. Genios *præſtantiores converſari inter ſe formâ* Humanâ, *humiliores nonnunquam* Beſtiali. 2. *Unde propenſiores ſint ad induendum alii aliarum beſtiarum formas.* 3. *Quomodo fiant ἀυγαὶ πυρώδεις, ſplendores ignei* Dæmonum, de quibus *Pſellus.* 4. Geniorum *Pulchritudinem externam eſſe pro Virtute interna animi.* 5. *Non neceſſe eſſe ut forma eorum aerea ſit tranſparens prorſus, ſed ſubtiliùs opaca, & colorata.* 6. *Diſcrimen eſſe Pulchritudinis Maſculinæ & Fæmininæ in figurationibus* Geniorum *perſonalibus.*

1. ABſolutâ jam tandem hâc digreſſione, quâ rationem facilem figurandi vehicula *Geniorum* in formam *Perſonalem* oſtendere volui, nunc illuc redeo unde huc diverti: De familiari Geniorum Animarúmque ſeparatarum conſortio & conſuetudine diſſerebam, quâque ſub ſpecie congrediantur inter ſe inquirebam; humanam eam eſſe ſtatui, præſertim in præſtantiori genere *Spirituum.* Deterius quoque genus *humanâ* formâ plerumque uti putârim, aliquibus verò fœditatis notis deturpatâ; nonnunquam tamen & *beſtiarum* ſpeciem induere; proclive enim illis eſt vehiculum ſuum in quamcunque velint formam tranſmutare, & tam dextri imitari ſciunt brutorum animantium figuras, ac homines quidam voces ſolent, quos audiamus coccyzantes, cucubantes, mugientes, baubantes, grunnientes, cujuſcunque demum ſeu volucris ſeu beſtiæ vocem propriam exprimentes. Nec omnino difficilius eſt *Geniis* iſtis inferioribus, eorundem animantium omnium figuras referre; in quibus etiam apparent ſæpenumero viſibiles iis, quibuſcum habent familiaritatem, nonnunquam & illis, qui in eos non incidiſſe mallent.

Cap. 5 ſect. 8, 9.

2. Neque improbabile eſt quin propria ſua quemque turpitudo animi procliviorem faciat ad certam formam beſtialem præcipuè induendam; velut invidentem, vel admirantem, vel aliquo modo probantem certarum quarundam beſtiarum conditionem & naturam: quemadmodum caprarii ſui libidinem feſtivè deſcribit *Theocritus,*

> Ὡ 'πολος ὄκχ' ἐσορῇ τὰς μηκάδας οἷα βατεῦνται,
> Τάκεται ὀφθαλμὼς, ὅτι οὐ τράγος αὐτὸς ἔγεντο.

Tanquam ſi hircis ſuam fœlicitatem invideret, ſéque in eorum loco eſſe vellet cùm capras ineunt. Ità *Dæmones,* prout beſtiæ cujuſque proprietates ſui ipſorum ingenii vitia & impuritates referunt, illius formam lubentiùs affectent, & ad inſitæ ſuæ turpitudinis genus atque modum appareant deformati.

Περὶ ἐνεργείας δαιμόνων.

3. * Ut etiam veriſimile eſt, θεοπτίας illas ſeu *ἀυγὰς πυρώδεις, ſplendores igneos* quos *Pſellus* memorat, (finem atque ſcopum nefariarum ceremoniarum, quas ſæpe uſurpârunt homines ſceleſtiſſimi quos deſcribit) aliàs aliter coloratos fuiſſe, pro diverſa fæculentia vehiculi *Dæmonis,* cui ad iſtum modum apparere libuit; viz. non formam ullam induendo *perſonalem,* ſed ſpectatorum cultorúmque ſui deteſtandorum oculis *lumen quoddam* exhibendo: quod lumen, ut arbitror, in ipſo vehiculo ſuo ſuſcitavit; voluntatis ac imaginationis ſuæ vi & imperio efficiens, Axiom. 31. ut craſſiores aëris particulæ terreſtréſque vapores, cum globulis ſimul, ab uno certo puncto recederent circumquaque ad definitum intervallum, non magnum verò illud, proindéque facilius factu. Quo facto elementum primum aliquo modo nudatum, non poteſt, pro activitate ſua, non in ſe quaſi lambendo attrahere proximas quaſque vehiculi particulas, & propterea lucem exhibere, non puram quidem illam & ſydeream, (quod tum fieret, ſi primum elementum ſic nudatum, in puróque aëre conſtitutum, à materia aliena omni diſcretum eſſet ipſum) ſed propter fæculentiam particularum quas abradit & depaſcitur, propterque impuritatem ambientis vehiculi per quod fulget, ſpeciem rubram & igneam, *horizontalis* inſtar *Solis* per denſam vaporum ſeriem conſpecti.

Igneus hic ſplendor aut delabi tantùm in medios homines poteſt, & præterire ſine mora, ad motum vehiculi *Dæmonis,* quod præcipuè velle videtur *Pſellus*; aut etiam commorari & ſermocinari cum iis ad quos accedit, quod narrationes nonnullæ, quas audivi, teſtatum faciunt. Lucidorum horum phaſmatum ratio cùm ex Philoſophia *Carteſiana* optimè intelligatur, neceſſe non eſt ut exiſtimemus ea non aliud eſſe quàm præſtigioſas phantaſiæ illuſiones, non realia objecta, quod *Pſellus* vult: etenim * nihilo magìs alienum eſt *Dæmoni* lucem hujuſcemodi in vehiculo ſuo ſuſcitare, immo &

puriorem quàm ego hîc deſcripſi, quàm homini improbo quovis ex igniario lucernam accendere.

4. Quod autem jam diximus de puritate impuritatéque iſtius Luminis, monet (niſi rei ipſius dignitas & congruitas potiùs moneret) ut diſſeramus etiam de ſplendore ac pulchritudine perſonalis formæ in *Geniis* præſtantioribus. Qui certè ſplendor major minórve eſt, pro virtutis affectuúmque *moralium* modo atque gradu. Etenim in hoc corpore, quod non adeò viribus animi obſecundat, obſervare tamen licet, pro variante hominum indole vultum etiam variare plurimùm; & flagitioſam vitam, internam animæ pulchritudinem vitiando, externam ſimul formam ipſam demutare fœdam in ſpeciem ac abhorrendam.

Quod equidem in futuro ſtatu majorem in modum neceſſariò obtinebit, ubi forma externa fingitur omnino abs interno animi imperio: qui quo purior eſt ipſe, eo inculpatiorem pulchritudinem in externa ſpecie habitúque corporis efficiet, tum quoad ſymmetriam partium, vigorem florémque vultûs, tum etiam quoad veſtium reliquæque decorationis ornatum. Nam in intimo ſenſu Animæ indiſſolubiliter inter ſe connectuntur hæc tria, *Virtus*, *Amor*, *Pulchritudo*; quorum omnium ipſa eſt prima radix & origo, maximéque in ſeparato ſtatu, externæ pulchritudinis ipſius. Optimorum propterea conſuetudo, non ſermonibus modò doctis & Philoſophicis, ſed etiam aſpectu ipſo obvio ſummam voluptatem pariet. Nam ſi *Virtus* & *Vitium* externis oculis unquam cerni queant, cernentur profectò in *Vehiculis Aereis*, quæ tam facilè cedunt *Voluntati* ac *Animo* in quo boni purique vigent affectus, ut per illa Anima tranſluceat, amabilémque ſuam pulchritudinem in omnibus effloreſcentiis ejus ſpectandam præbeat, ad ineffabilem ſpectatoris jucunditatem.

5. Non quòd *Geniorum* vehiculum ſit inſtar ſtatuæ è cryſtallo liquido, ſed quòd Pulchritudo & Ornatus tam fidè támque vividè exprimentur juxta dictata interni ſenſûs imaginationíſque Animæ, ut ſi eam ipſam cerneremus, nihil de illa amplius cognoſcere poſſemus, quàm quod ipſa oculo ſic notum facit. Et figuratio hæc perſonalis in extimis ejus partibus, quæ corpus, os, veſtéſque repræſentant, ad tam ſubtilem opacitatem redigi poteſt, ut vividiores indè reflectantur colores quàm ab ullo *terreſtri* corpore, univerſum tamen vehiculum ità pondere careat, ut ſtationem ſuam in aëre neceſſariò ſervet. Quod quidem neutiquam mirandum erit, ſi cogitemus nubes ibi eſſe ſuſpenſas, quæ multò minùs aëreæ ſunt: nè quid dicam de Apparitionibus aëreis inter nubes viſis, iiſdem planè coloribus figuríſque quales hîc infrà videntur, quæ tamen reflectiones non ſunt à terreſtribus objectis, ut in tertio contra *Atheiſmum* libro probavimus. *Antidot. lib. 3. cap. 16. ſect. 4, 5, 6, 7, &c.*

6. Breviſſima ſimul & commodiſſima ratio definiendi ſummam formæ veſtitúſque pulchritudinem & decôrem Incolarum *Aereorum*, à deſcriptionibus rerum iſtiuſmodi poëticis petenda eſt: & quicquid granditas aut elegantia ingenii poëtici excogitârit, hic titulus ei ſubdendus eſt, *Obſcura ſubindicatio excellentiſſimæ Geniorum Aereorum pulchritudinis*, ſeu *Nympharum*, ſeu *Heroum*. Quamvìs enim nec libido nec ſexûs diverſitas in iis reperiatur, (unde animi motus benigniſſimi nil aliud erunt niſi exercitium amoris *intellectualis*, cujus objectum eſt *Virtus* & *Pulchritudo*) probabile tamen eſt pulchritudinem illam, generalibus quibuſdam lineamentis, in *maſculinam* & *fœmininam* diſcriminari: partim quòd ipſa temperies vehiculi in certum pulchritudinis genus propendeat; partim etiam quòd multi è *Spiritibus* hiſce *Aereis* differentiam ſexûs ſuſtinuerint in hac vita, ubi *Mares* alii, alii fuerint *Fœminæ*: itaque cùm eorum hiſtoria ex illo tempore continuari debeat, quo hinc exceſſerint, notam aliquam & characterem, generalem ſaltem, qui qualéſque hîc fuiſſent, retinere debent. Durum enim eſt imaginari *Æneam* in altero mundo occurrentem *Didoni* in alia forma ac Fœminea: levior hinc habitûs criníſque diſtinctio ſequetur neceſſarió. Quod genus ornatûs, ut etiam illud Marium, voluntatis imaginationíſque vi utriſque facilè comparatur: ut patet ex narratione *Peramati* de monſtro *Indico* nato cum carneis ocreis, cingulo, marſupio, aliiſque rebus, quæ partes hominis non ſunt, ſed veſtitus aut inſtrumenta; ídque duntaxat vi phantaſiæ matris, territæ & turbatæ ſpectro aliquo horrido, quod monſtroſus ille partus referebat.

SCHOLIA

In CAP. VIII. SECT. 3.

Ut etiam veriſimile eſt θεοπτίας illas ſeu αὐγὰς πυρώδεις, &c. *Harum deſcriptio apud* Pſellum *ſic eſt*; Ἀφικνῦνται μὲν γὰρ ἀπ' αὐτῶν ἐπὶ τοὺς θρησκεύοντας αὐγαὶ πυρώδεις, οἷαι δή τινες αἱ τῶν διαττόντων ὑποδρομαί· ἃς θεοπτίας οἱ μεμηνότες ἀξιοῦσι καλεῖν, οὐδὲν ἐχούσας ἀληθὲς, οὐδ' ἑστηκὸς, οὐδὲ βέβαιον. Τί γὰρ ἂν δαίμοσιν ἐζοφωμένοις ἔστι φωτοειδές; *&c. hoc eſt:* Ab iis enim in eos à quibus coluntur ignei quidam fulgores deſcendunt ſicut ſcintillarum (*quæ* διάττοντες *à* Græcis, *Stellæque cadentes vulgo dicuntur*) excurſus ſubſultantes. Quos quidem fulgores Inſani θεοπτίας, ſeu *Dei apparitiones* vocitare audent, quibus nihil veri, nihil certi, nihil firmi ſibíque conſtantis; Quid enim lucis in tenebroſis Dæmonibus? &c. *Ex quibus & quæ ſequuntur apud* Pſellum, *planè innuitur ac ſi veræ Luces non eſſent ſed Præſtigiæ & Imaginationis ludificationes. Sed quàm nihil opus ſit huc confugere, Rationes Philoſophicæ in hac Sectione allatæ ſatìs evincunt. Sed ut* Marci *Eremitæ malos Dæmonas (ſic enim omnes ſunt qui cultum acceptant ab hominibus) apud* Pſellum *miſſos faciamus; quantùm ad Hiſtorias, de certis quibuſdam fulgoribus, ſeu Luminibus, in aliquibus ſaltem* Geniis *aut* Animabus, *quos nullo cultu allecti, ſed potiùs contra aliorum forſan voluntatem ſuâ ſponte exhibent, præter eas quæ apud Scriptores occurrunt, tot à fide dignis authoribus audivi, ut plenam, fateor, apud me faciant fidem: Una verò præ reliquis, quam recens admodum à Chirurgo ac Medico* Hiberno, *viro ſanè probo ac prudenti, eodémque Teſte oculato accepi; Qui non unum iſtiuſmodi Lumen, ſed tria ſimul, etiam quarto quintóque, quanquam rariùs, ſe immiſcentibus, ad dimidium horæ aut ampliùs in Monte* Fairiorum *ſeu* Elvarum *dicto, in* Hibernia, *ſaltantia, cum multis aliis qui adfuerunt, conſpexit. Saltabant autem ac ſi ſepem tribus depactis paxillis intertexere vellent. Quod ſaltandi genus apud Anglos dicitur* The Hey. *Aliquando verò dicta Lumina in unum Lumen coaleſcebant, & ſic conjuncta ſteterunt immobilia, mox tamen ſaltationem rurſus renovabant.*

Geniorum *fuiſſe Luſum, non malè feriatorum hominum ipſæ circumſtantiæ manifeſtò arguunt. Dixit enim mihi ille curioſus ac diligens Tripudii Spectator motum ſaltantium tam celerem fuiſſe, ut nulli homines eum imitari poſſent. Porrò ſingula Lumina non ſolùm flammâ fuiſſe vividâ, ſed formâ pyramidali erectâ, quod impoſſibile eſt in motu lampadis per Aerem, cujus flamma neceſſariò retrorſum agitur, & in motu celeriori, in plano jacet Horizonti ferè parallelo. Adde quòd, licèt ab ipſo conſpectum non eſſet, ab uno tamen è domeſticis oculato teſte ei erat narratum, Ignem Luménve hoc quod in tres partes ſe diviſit in monte* Fairiorum, *viſum fuiſſe in Atrio Domûs à monte non multùm diſſitæ, è Terra quaſi ſurgere & ſupra murum tranſire montémque rectà petere, neminem verò viſum fuiſſe qui ipſum geſtaret quamvìs Nox ſatìs clara eſſet, Lunâ pleno orbe lucente. Re denique Matriſfamilias, Heroinæ pientiſſimæ, quæ tunc de morbo decumbebat, nunciatâ, eam reſpondiſſe iſtiuſmodi fulgorem ante obitum fratris ſui illic apparuiſſe. Moriebatur autem non ſolùm ipſa, ſed & duo illius filii optimæ ſpei adoleſcentes, præmaturo fato, intra unius ferè anni ſpacium. Hæc ſigna appetentis Fati* Paracelſus, *præſciorum Aſtrorum de rebus noſtris ſolicitudini imputat, Ego verò præſciis* Spiritibus *ſive* Geniis, *qui longè aliam, ut videtur, de morte opinionem habent quàm vulgus mortalium, qui bonorum obitum appropinquantem, Luminibus celebrant ac choreis. Hæc verò mihi narrata ſunt ante eventum conſummatum, ſignúmque futurorum, qui narrabant, aut aliqui ſaltem qui narrationi interfuerunt, ſuſpicabantur.*

Nihilo magìs alienum eſt Dæmoni Lucem hujuſcemodi in vehiculo ſuo ſuſcitare, &c. *Præſertim ſi artem aliquam Naturæve adminicula adhibeant. Quod neſcio certè an non factum ſit ab hiſce ſaltatoribus* Geniis. *Chirurgus enim ille, ut erat homo diligens ac ſolers, locum luſtrabat mane proximo, ubi hi* Genii *ſaltaverant, obſervabátque gramen herbáſve ſtillicidiis hinc inde tenuioribus quaſi ſebaceis conſperſas, quæ alba ſtillicidia collegit & experiundi cauſâ, in ignem conjecit, illúcque immiſſa flammam dediſſe aiebat. Quod profectò mihi minimè abſonum videbatur, cùm perinde veriſimile ſit hoſce* Genios *ad lumen flammámve faciliùs exhibendam, oleoſos quoſdam ac ſebaceos liquores colligere & adhibere, quàm alios madores adſpeciem exhibendam opacam. Quod fieri ſolere capitis præcedentis Sectione octavâ notavimus.*

CAP. IX.

1. *Generalis ratio congreſſuum colloquiorúmque* Geniorum *inter ſe.* 2. *De ſermonibus eorundem* Philoſophicis *&* Politicis. 3. *De exercitiis eorum* Religioſis. 4. *De innocuis luſibus & recreationibus meliorum* Geniorum. 5. *Confirmatio ejuſdem à Conventiculis Sagarum.* 6. *Utrùm puriores* Dæmones *ſua habeant tempora refectionis necne.* 7. *Unde mali* Genii *cibum ſuum habeant.* 8. *De cibo epuliſque meliorum* Geniorum.

1. SAtis nunc accuratè definivimus quâ formâ quóque habitu *Genii Aerei inter ſe* congrediantur. Reliquum eſt videamus, quâ ratione inter ſe verſentur *tempúſque* ſuum *traducant.* Quod quidem illis ſat obvium eſt & conceptu facile, qui non devii aguntur in cæcum labyrinthum illum, quo plerique homines detinentur, *qui deſcriptionem ſtatûs* Geniorum *nullam putant eſſe veram, quæ non adeò intricata ſit ac incomprehenſibilis, ut nemo illam poſſit non abſurdam exiſtimare, niſi internos mentis oculos claudat, & rationalibus facultatibus ſuis ſilentium indicat.* Sedenim ſi ſecum cogitare vellet, ſpiritus immediatum eſſe Animæ inſtrumentum in hac vita, eoſdémque congeneres eſſe corpori Angelico, cunctáſque paſſiones & conceptus noſtros aut ſuggeri ab iis, aut in eos imprimi; non magnopere profectò dubitaret, quin facultates ſuæ omnes *Rationis, Imaginationis, & Affectuum,* in altero ſtatu ferè futuræ ſint, quales in hoc fuiſſent; ſéque *Amoris, Gaudii, Ægritudinis, Iræ* capacem fore; poſſe item *imaginari, ratiocinari, recordari,* cæteráſque operationes peragere, quæ propriæ non ſunt *terreſtris* corporis, mortis generationíſque officinæ.

2. Hinc ſequitur, Animas hominum defunctorum, reliquóſque *Dæmonas* Aereos, familiaribus inter ipſos habitis ſermonibus de natura rerum *Moralium, Phyſicarum, Metaphyſicarúmque,* ingentem ſibi invicem delectationem afferre poſſe. Quod enim terreni corporis derelictio *omniſcios* nos faciat, fabula eſt nunquam ſatis ridenda. Et *Socrates,* alicubi in *Platone,* præſagit, veterem ſe morem ſuum vitæque inſtitutum, convincendi confundendíque ineptos glorioſóſque *Sophiſtas,* futuro in mundo ſervaturum. Pari ratione *Platonicos, Ariſtoteleos, Stoicos, Epicureos,* quæque aliæ hominum Sectæ & Ingenia in terra ſint, illîc quoque repertum iri veriſimile eſt, quoad ſtatus ille permittat; licèt omnibus de rebus dubitare non poſſint, de quibus nos hîc dubitamus. Namque *Aerei* hi *Spiritus* ſeſe exiſtere, & Animas hominum poſt mortem ſupereſſe & agere certò ſciunt, niſi ſi qui *Averroiſmo* altiùs imbuantur. Cæterùm an in æternum duraturæ, an mundo conflagrante perituræ ſint, quod *Stoici* ſentiunt, de hoc quidem dubitare poſſunt.

Diſceptare itidem inter ſe queunt, utra de motu terræ hypotheſis, *Pythagoræa,* an *Ptolemaica* verior ſit; an Stellæque tantæ ſint, quantæ à quibuſdam cenſentur. *Dæmones* enim inferiores meliora, quàm nos ipſi, adjumenta non habent, ad certam harum opinionum notitiam aſſequendam. Conſabulari præterea poſſunt de famis rumoribúſque rerum tam in terra quàm in Aere geſtarum. Nam incolæ aërei proculdubio non ſunt terreſtribus inertiores, nec indiligentiores vel in exercitiis ſolennibus celebrandis, vel ſtudiis partium inter ſe, privatarum publicarúmque, ſectandis; quarum rerum omnium eventus Regiones aëreas complebunt celerrimâ geſtorum famâ. Mitto conjecturas ſagaces de ſucceſſibus futuris, aliáque innumera colloquiorum genera, quæ longum eſſet recenſere, iis ipſis autem ſimillima, quibus hîc homines tempus conterunt.

3. Omnium verò voluptatum maximæ & jucundiſſimæ ſunt illæ, quæ ex Officiis Religionis Pietatíſque inter ſe colendis oriuntur. Nam cùm eorum corpora tenuitate & puritate noſtris tantopere præſtent, aptius erunt quaſi Solum, unde cogitationes diviniores, puriores item ardentioréſque in Deum affectus proveniant: qui ſi affectus plùs adhuc excitentur hymnis, canticíſque ſacris itâ modulatis, ut æmulentur omninóque exprimant ſuaviſſimos tenerrimóſque pii animi ſenſus, liquefacient profectò illorum animas in amorem divinum, cœleſtíque gaudio inundabunt. Verùm enimvero cùm hujuſcemodi Exercitia adeò *ecſtatica* ſint, adeóque *Genios* extra ſe ordinarióſque naturæ ſuæ terminos rapiant, exiſtimandum non eſt ea nimiùm frequenter uſurpari; ſed ad inſtar apparitioris convivii, à quo diu ſe meliùs habituri ſint.

4. Alia ergo ſuppetunt oblectamenta, quæ quanquam his proximè memoratis longè cedant, maximam tamen voluptatem gaudiáque præſentis hujus ſtatûs quamplurimùm

plurimùm ſuperant. Nam cùm *animalis vita* æquè eſſentialis ſit Animæ, ac ipſa cum corpore conjunctio, unde nunquam liberatur; æquum eſt, ut in altero etiam mundo paretur aliquid, quod vitæ illi gratum ſit atque commodum. Nihil autem cogitari poteſt gratius & jucundius familiari conſortio & oblectatione perſonali, non modò propter ſermones doctos & eruditos, quod Ingenio *Philoſophico* acceptiſſimum, verùm etiam innocuos luſus, quibus Indoles *Muſica* & *Amatoria* recreentur. Tres enim affectiones iſtæ flos ſunt cæterarum omnium, ut alicubi notavit *Plotinus:* cujus ipſius in mundum illum alterum receptio iſtiuſmodi circumſtantiis deſcribitur ab oraculo.

-------- Μεθ' ὁμήγυριν ἔρχεαι ἤδη
Δαιμονίην ἐρατοῖσιν ἀναπνείουσαν ἀήταις·
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἔνι δ' ἵμερος ἁβρὸς ἰδέσθαι
Εὐφροσύνης πλείων καθαρῆς πληρούμενος αἰὲν
Ἀμβροσίων ὀχετῶν θεόθεν· ὅθεν ἐστὶν ἐρώτων
Γείσματα καὶ γλυκερὴ πνοιὴ καὶ νήνεμος αἰθήρ.

---------- *Ad cætum jam venis almum*
Heroum blandis ſpirantem leniter auris;
Heîc ubi Amicitia eſt, ubi molli fronte Cupido
Lætitiâ replens liquidâ, pariterque repletus
Semper ab Ambroſiis fæcundo è Numine rivis.
Unde ſerena quies caſtorum & dulcis Amorum
Illecebra, ac placidi ſuaviſſima flamina venti.

Recenſet deinceps beatum illum cœtum quîcum anima *Plotini* convictura erat, viz. *Pythagoram, Platonem,* aurei ſæculi *Heroas,* & quotquot *Amoris Amicitiaque* immortalis chorum conſtituêre.

Hi cantant, ludunt, choreas agitant, ipſiúſque *animalis vitæ* voluptatibus licitis largiùs multò perfruuntur, quàm nos mortales hoc in mundo capere poſſimus. Hîc enim omnia vas, quod aiunt, redolent, & impuri aliquid conjunctum habent. Suaves ſpirituum motus in Amore prohibentur ægrè, nè ad pudendum libidinis ſenſum juſto propiùs accedant; namque *terreſtris* corporis fabrica & conſtitutio tantùm non neceſſariò illos adigit ad iſtam aberrationem. Delicatior auris non poteſt non ſentire fuſcum ligni bombum, reſinæ ſtridorem, rauci aliquid, aut aſperi, aut malè conſoni, in lectiſſimis organorum vocúmve concentibus. Oculus item elegantior nequit non deprehendere vitium aliquod vel proportionis, vel coloris, vel vultûs ipſius, in formoſiſſimis utriuſvis ſexûs: nè quid dicam de geſtûs veſtitûſque inconcinnitate. Verùm in altero illo ſtatu, ubi Imaginatio primum pulchritudinis exemplar, *intellectualem Amorem* & *Virtutem,* conſulit, & corpus ipſum informationi mentis prorſus obſecundat, ad omnémque vel minimum apicem cedit impreſſionibus exemplaris interni, nil vitioſi reperietur. Quî enim fieri poteſt? cùm vis illa pulchritudinis delineatrix itâ arte & judicio polleat, per mediúmque itâ ſubtile ac purum eandem tranſmittat. In admirationem ergo alter alterius animum neceſſariò rapiet, dum exquiſitiſſimam pulchritudinem vultûs, decentes corporis motus, elegantéſque tripudiandi modos contemplentur invicem, ſeséque mutuò audiant voce fidibúſque canentes tam ſuavibus mollibúſque accentibus, ac ſi Aër per ſe ipſe cantus componeret muſicóſque ſonos funderet abſque ullo terreſtri Inſtrumento. Hæc atque hujuſmodi oblectamenta, aliqua beatitudinis pars eſt *Geniorum* præſtantiorum.

5. Cujus rei certiores eſſe poſſumus ex iis, quæ inter *Dæmonas* inferiores fieri certò ſcimus. Nam admodùm probabile eſt horum conventicula, in quæ Sagæ Magíque ſunt admiſſi, prava quædam imitamenta eſſe amicorum cœtuum *Geniorum* ſuperiorum. Quàm autem iſtîc cantibus, ſaltationibus, epulationibúſque perſonent omnia, cùm perditorum iſtorum confeſſiones ſpontaneæ, tum aliorum nec opinatus interventus, ubique gentium teſtatiſſimum fecit; viz. pulchritudinem *humanam angelicámque* in *beſtialem* fœditatem deformari, principibus ipſis conventiculi in *Satyrorum, Simiarum, hircorum,* aliorúmque iſtiuſmodi turpium beſtiarum ſpecie apparentibus; decorum corporis motum ſtatúmque in geſticulationes ridiculas, pravos membrorum ſitus, mimicáſque ſaltatiunculas detorqueri; poſtremò *amorem innocuum* caſtámque amicitiam in *brutalem* libidinem deteſtandámque obſcœnitatem degenerare: ſed de his rebus plura hîc non addam, cùm de iis in *Append. Antidot.* ſatis jam dixerim. Cap. 12. ſect. 3.

6. Ad rem magìs eſt hîc conſiderare, an, ut *cantus* & *ſaltationes* inferiorum graviúſque lapſorum Dæmonum æmulantur, ſed pravè, quod ſuperiores purioréſque in regionibus ſuis faciunt; ità & iſtorum *comeſſationes* horum convivia perversè referant: hoc volo, inquiſitu dignum eſſe, annon tam hi quàm iſti edant bibántque. *Divitibus* enim apud nos perinde refectione opus eſt ac *pauperibus*, paſcuntur & *Principes* æquè ac *captivi*, lautiùs verò illi & ſalubriús. Fateor quidem lubens, difficultatis haud parum utrobique reperiri, unde ſcilicet *Genii* & boni & mali cibum ſuum habeant; quanquam facilè ſatis intelligitur, utroſque vehicula ſua paſcere & recreare poſſe.

Nam ſi ſingularem quandam Aëris portionem, quam ſecum agunt ferúntque, quæque certæ eſt magnitudinis, vitaliter actuent, liquidò concipitur illos partim motu locali, partim cogitationum activitate, vehiculi ſui particulas aliquas plùs ſolito agitaturos, eáſque ſic agitatas avolaturas; vehiculum idcirco ſic aliquatenus diminutum reparationem poſcere: quæ efficienda eſt vel vero cibo ſumpto, vel crudo aëre tantùm attracto, quod fortean ſufficiat; at cùm aër adeò ſimilis ſibi ſemper futurus ſit, languidior erit voluptas. Quapropter improbabile non eſt, quin utrique ſua habeant *Refectionis* tempora, voluptatis ſaltem, ſi non neceſſitatis cauſâ; quod & *bonorum* commoditates amplificabit, & calamitates *malorum* augebit, qui in hoc quoque genere multari poſſint.

7. Sed, ut dixi, maxima difficultas eſt, ratione aliquâ probabili declarare, unde mali *Genii*, in epulationibus ſuis execrandis, cibum habeant, tam affabrè per patinas ſtructum & diſpoſitum. Vaporoſum aërem materiam ejus eſſe, manifeſtum eſt tum ex languore & jejunitate convivarum, tum ex eo quòd ſalis uſus interdicitur, cujus tam proprium eſt ſubſtantias aqueas reſolvere, quàm congelationem earum impedire. Quomodo autem in formam & conſiſtentiam illam effingatur aër, difficillimum eſt intellectu: ſive hoc fiat vi ſolâ imaginationis *Geniorum* in ſua propria vehicula, antè verò madefacta humidis quibuſdam, propoſito ſuo aptiſſimis, quæ cùm in eduliorum formas mutârint, certámque figuram, colorem, conſiſtentiam, cum aliquantillo ſaporis debiti, fictis illis cibariis impertierint, mox ſe ſubducunt: ſive datum ſit *Aereis* his *Animantibus*, vehementi deſiderio acríque imaginatione, *Spiritum Naturæ* excitare, & adigere ad optata ſua quaſi in momento perficiendum, in tali verò materia qualem ipſorum elementum ſuppeditat, i. e. in crudo aëre & vaporoſo. Quamobrem cibum eorum dilutum admodum & inſipidum eſſe oportet, ludibrium potiùs, quàm verè ſatiantem & delectantem.

8. *Dæmones* autem *ſuperiores*, regionum aëris Incolæ earum, quò nulla pertingit procella nec tempeſtas, non habent opus iſtiuſmodi artificiis, quanquam æquè dextri fortaſſis in iis ſint ac alii. Nam in ſuperioribus regionibus tranquilliſſimis, *Spiritus Naturæ*, promus-condus Univerſi, integros hortos & pomaria florum fructuúmque delectabilium tacitus proferre poteſt, aëri in quo naſcuntur, æquilibres, quorum formæ & coloribus ſua ipſorum pelluciditas præcipuum nitorem addat, ut in gemmis fieri videmus. *Chymici* ſanè non antè quieſcunt, quàm terram ferventi ſuâ imaginatione calcinârint, in cryſtallinámque pelluciditatem vitrificârint; bellam rem quidem tunc fore ipſam, & quicquid ex illa genitum ſit, opinantes: quo pulchro ſpectaculo illi fortè perfectiùs fruentur, cùm in ſuperiores regiones aëris admiſſi fuerint.

Nam tum ſubjectum ſolum ipſum tranſparens erit, in quo radices ipſas arborum ſuperioris hujus paradiſi oculis conſectari poſſunt, per idémque, pace ipſorum dixerim, opacam hanc tellurem cernere, pallidè languidéque ſplendentem Lunæ inſtar, cum illa luminis diverſitate, quæ ex terræ maríſque diſcrimine oriatur; & ſi palata ſua recreare velint, fructus illos deguſtare poſſunt, nativus quorum ſuccus cum *Extractis Quinteſſentiiſque* ſuis nobiliſſimis certabit. Talis enim illîc futurus eſt profectò Uvæ ſanguis, Ceraſorum rubeorum, Prunorúmque nectareorum liquor.

Si denique, ad conſummandam habitaculorum horum amœnitatem, & nè ſolitudinis mœſtæ & ſilentis ſpeciem gerant, ſi fortè beſtias avéſque offendant, formâ & coloribus admirabiles, voce item tam ſuavi & liquidâ, ut vel ſimplices ſoni demulceant aurem, flexus autem & variatio harmoniam efficiat, per nobis gratum quidem facerent, ſi de harum rerum certitudine renuntient, & totum hoc reddant plùs quàm *Philoſophicam Conjecturam*.

Cibos autem eſſe & Epulas celebrari in ſupernis Aëris regionibus, hoc *Platonicis* minùs dubium; quamobrem Animam, corpore liberatam, *θρέμμα αἰθέριον* nuncupat *Maximus Tyrius*, & *Apollinis* oraculum ſuprà citatum, Chori immortalium Amatorum, quos memorat, fœlicitatem deſcribit à convivando cum *Geniis* beatis,

------Ὅσοις κέαρ ἐν θαλίῃσιν
Αἰὲν εὐφροσύνῃσιν ἰαίνεται----

Quare Poëtarum *Nectar* & *Ambroſia* fortaſſe non ſunt mera fabula. *Spiritus* enim *Naturæ*, immediatum Dei inſtrumentum, Aërearum paradiſorum fructus eo liquore ditare poteſt, qui à purioribus ſumptus *Dæmonibus* pérque vehicula eorum diditus, motus ità jucundos, guſtui noſtro ſimiles, in illis efficiat, itáque majorem ſolito vigorem in animo, benignámque alacritatem excitet, ut lautiſſimas dapes, quas unquam gulæ ſtudioſiſſimi hîc excogitârint, longè longéque ſuperet; ídque ſine ulla ſatietate aut gravatione, ſiquidem illos non niſi divino amore, lætitiâ, & devotione repleat.

CAP. X.

1. *Quàm arduum ſit definire aliquid de* Aëreis Æthereíſque Elyſiiis. 2. *Civilem ordinem eſſe atque* Leges *apud* Dæmonas Aëreos. 3. *Catenam hanc Politicam à ſummis* Æthereis Poteſtatibus *per* Dæmonas Aëreos *ad ipſos uſque terræ Incolas pertingere.* 4. Quantâ indè fruamur incolumitate. 5. *Quàm facilè detegantur & puniantur Spiritus facinoroſi à tribulibus ſuis.* 6. *Rationes aliæ incolumitatis noſtræ à gravioribus malorum Spirituum infeſtationibus.* 7. *Quæ ſuppliciorum genera* Officiarii Aërei *inferant maleficis.*

1. MUltò equidem longior & copioſior eſſe poſſem ſuper hac materia, ſi Aëreorum Æthereorúmque Elyſiorum multiplices concamerationes deſcriberem, illáſque porrò cum ſua omni ornamentorum varietate depingerem: ſed enim prudentis non eſt verba profundere in re tam lubrica & conjecturali; cujus vel ſimplicis exiſtentiæ hoc unum habemus argumentum, quòd infinitò maxima pars Univerſi atque nobiliſſima jaceret alioqui quaſi inculta, Deſerti inſtar arenoſi, ubi nec Planta nec Animans ulla cerni poſſit. Quod quanquam tam alienum videatur, ac ſi Natura in talpæ grumulum unum contuliſſet omnem, quam in lucem proferre voluit, varietatem rerum, reliquámque terram univerſam feciſſet unius ejuſdémque faciei, argilloſæ ſcilicet aut ſaxoſæ, unde nè vel unum graminis foliolum, nedum flos ullus aut arbor naſceretur, nec avis aut beſtia ulla ſua unquam in eam veſtigia poneret: attamen cùm animi noſtri mortalium timidiores ſint, quàm ut ad objecta tam vaſta complectenda aggrediantur, ignorantia vel ἐποχὴ hac in re æquo nobis eſt animo ferenda.

2. Conſideremus itaque quod mente noſtrâ faciliùs comprehendetur, Aëreorum Dæmonum *Politiam*. Nam aliquam inter illos vigere *Politiam*, cùm certiſſimum in ſe, tum nobis utiliſſimum eſt ità perſuaderi: quæ autem ſpeciatim apud eos obtineant inſtituta & conſuetudines, inutiliùs quæritur. Coerceri verò imperio, non modò decretum eſt *Pythagoreorum*, (qui grammaticâ quidem ſubtilitate aſſignârunt diverſa nomina Legi, cui ſubjecta ſunt hæc tria diverſa Entium genera, ἄνθρωποι, δαίμονες, θεοὶ, unam νόμον, alteram δίκην, tertiam θέμιν appellantes) verùm etiam obvia & communis ratio concludit ità eſſe oportere, præſertim in infimis aëris regionibus; quarum Incolæ cùm promiſcua turba bonorum, malorum, prudentium, inſipientium ſint, ad eundem planè modum & ſenſum, quo terræ Incolæ tales ſint & dicantur; idcirco neceſſariò ſubjicientur regimini legéſque accipient, planè ut homines faciunt, & ob eaſdem rationes. Alioquin enim mediocriter ſe ſuſtentare nequirent, nec iis commodis frui, quæ jure ſaltèm aliquo ſua ſunt.

Nam cùm *Animæ hominum defunctorum* & *Dæmones* corporeo ſint ſenſu præditi, ideóque voluptatis doloríſque capaces, & conſequenter injuriis & pœnis obnoxii, manifeſtum eſt illos, ratione utentes, in aliquam *politiæ* formam coituros, tum in gentes & provincias diſpertitum iri, habituros etiam *Officiarios* Statûs, à Principe ſummo ad infimos ſacerrimóſque lictores & carnifices.

3. Quod regimen inviſibile non intra regionum aërearum oras continetur, ſed ad *terreſtres* etiam Incolas pertinet; quemadmodum regimen *humanum* ad *bruta* quædam animantia: * Poteſtates item *Æthereæ* jus & exercitium dominii habent in *Aereas*. Quâ re fiet, ut nihil uſquam perpetrari queat contra ſanctiores Univerſi leges, quin pœna graviſſima & inevitabilis certiſſimò ſubſequatur: omnis gens enim, urbs, familia,

milia, & ſingularis homo, modo aliquo peculium eſt, proindéque in fide & tutelâ *Poteſtatis* alicujus *inviſibilis*, ut ſuprà ſignificavi.

Cap. 3. ſect. 7.

4. Et quæ maleficia ſint contra leges illas admiſſa, quarum obſervatione Mundus ipſe continetur, ea certi ſimus vindicari cruciatu intolerabili, infinitóque ſuperante id, quicquid eſt, voluptatis, quod capere exiſtimentur *Genii*, ex malo vel ſuo ordini, vel nobis mortalibus conficiendo. Unde conſtat æquè nos eſſe tutos ab injuriis eorum atrocioribus, (quales ſint ædium incenſio, gemmarum, utiliorúmve vitæ inſtrumentorum ablatio, occiſio noſtrî aut liberorum, pecoris, frumenti, aliarúmque hujuſmodi rerum interemptio aut corruptio) ac ſi non eſſent in rerum natura. Niſi ſi ſpecialem agendi facultatem conceſſam habeant, nóſve, temerè ac imprudenter commercium aliquod cum illis inſtituendo, copiam faciamus ipſi, vel denique patiamur à malitia alicujus hominis, qui cum iis fœderatus ſit. Et poſtremâ hâc ratione maximam ſuam libertatem habent malefaciendi; quæ tamen multùm ex eo acciſa eſt, quòd cuncta hæc maleficia conſenſionem priùs obtinere debeant viſibilis perſonæ, quæ nec difficulter in actionibus iſtis impiis deprehenditur, & facilè punitur legibus humanis.

5. Nec majori operâ *Genii Aerei* alii de aliis ſumere ſupplicium poſſunt, quàm nos mortales comprehendimus, in cuſtodiam damus, plectimúſque demum illos, qui noſtras leges violârint. Quanquam enim *Dæmones* inviſibiles ſint nobis, ſuo tamen Ordini non ſunt: nec poſſunt mali induſtriâ & ſolertiâ vincere bonos cives & reipublicæ ſtudioſos, qui vim authoritatémque legum tuentur diligentiùs, quàm apud nos homines fieri ſolet. Nec variæ transfigurationes formæ celare magis queunt, quinam revera ipſi ſint, quàm ficti vultus & habitus id poſſint, ab hominibus fraudulentis uſurpati. * Illi enim æquè ſolertes ſunt ad internoſcendum fictum à vero & genuino inter ipſos, ac nos ſumus inter nos. Et cùm Spiritus omnis Aërius alicujus gentis ſit & provinciæ, difficile non erit, à ſcelere perpetrato, indagare eum qui perpetravit; quippe quòd nullus *Dæmon* itâ ſeſe transfigurare poterit, quin juſſus cogatur apparere formâ ſuâ naturali ac uſitatâ, nec audebit interrogatus non edere gentem ſuam & provinciam. Quare facilis patefactio facinorum, & diri cruciatûs expectatio certa, defendent mundum ab omni illa perturbatione, quam meticuloſi quidam homines abs hoc genere animantium, ſi exiſterent, exorituram ſuſpicantur.

6. His addere licet, res noſtras eſſe *Dæmonibus* inutiles, nec veroſimile eſſe, multa Entia rationalia adeò degenerâſſe, ut delectentur malo nihil ipſis profuturo. Dictum illud *Socratis*, Πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἀγνοεῖ, magna ex parte verum eſſe in altero mundo, haud ſecus ac in hoc. Spiritus malos nil aliud fortè velle, quàm ut nos in eundem defectionis à Deo gradum ſecum ruamus, conſortéſque ſimus ejuſdem falſæ libertatis; quemadmodum in hac vita homines profligati proſelytos facere, & ab alumnis nequitiæ ſuis officioſè coli amant. Sunt & aliæ multæ rationes quæ faciunt ad tollendum *Panicum* hunc terrorem de incurſationibus ac moleſtationibus *Aereorum* Incolarum, quæque ſuſpicacem Atheum magìs adhuc comprimerent; ſed illas libens omitto, quippe qui hac de re plus ſatìs ſuprà dixerim.

Cap. 3. ſect. 7, 8.

7. Si quis curioſior roget, quæ ſuppliciorum genera Populus Aëreus facinoroſis ſuis inferat, mallem eum ad conjecturas *Cornelii Agrippæ* remittere, quàm deſcendendo ad minuta iſta memet deridendum propinare. Ille inter alia recenſet incarcerationem, ſeu incluſionem eorum, tanquam in cuſtodias, in fœda & ſqualida habitacula. Luculenta ipſius verba ponam: *Accedunt etiam viliſſimorum ac teterrimorum locorum habitacula, ubi* Ætnæi *ignes, aquarum ingluvies, fulgurum & tonitruorum concuſſus, terrarum voragines, ubi Regio lucis inops, nec radiorum Solis capax, ignaráque ſplendoris ſiderum, perpetuis tenebris & noctis ſpecie caligat.* Unde nobis perſuadere vult, cava ſubterranea pro barathris uſurpari, ubi improbi *Dæmones* pœnas luant: quaſi montes *Vulcanii*, ut *Ætna*, *Veſuvius*, *Hecla*, & alii multi, in *America* præcipuè, tot carceres eſſent aut ergaſtula *Geniorum inſolentiorum*.

De occulta Philoſoph. lib. 3. Cap. 41.

Arctâ illos cuſtodiâ, à flagitio commiſſo, aſſervari, ſummâ ſuâ moleſtiâ & dolore intolerabili, indubium eſt; quippe cùm corporeo ſint ſenſu præditi, eóque noſtris ſenſibus acriore magíſque paſſivo, graviore propterea cruciatu vexari poterunt. Quare non modò incarcerando cuſtodiendóque in montium ignivomorum cavernis, quarum æſtus & ſulphureus vapor illos graviſſimè excruciabit, verùm etiam in alia terræ cava quamplurima, fumis vaporibúſque variis peſtilentia, relegando, torquere poſſint ii, penès quos ſit, Dæmonas torquere maleficos aliis atque aliis modis & gradibus, plenè exæquantibus ſcelus quod maximum ab illis committi queat, longéque ſuprà quàm acerbiſſima tyrannis hîc aut nocentes aut innocentes unquam afflictaverit. Quo modo autem, quibúſque aggravationibus & relaxationibus adminiſtrentur

ſtrentur Incluſiones iſtæ & Cruciatus, nec definitu facile, nec intellectu neceſſarium.

Quapropter tam inutilem materiam ultrà proſequi deſinemus, ad tertiúmque generale Caput progrediemur, viz. Quæ ſit Animæ conditio *Moralis*, ubi ex hoc Corpore exceſſerit.

SCHOLIA

In Cap. X. Sect. 3.

POteſtates item Æthereæ jus & exercitium Dominii habent in Aëreas, &c. *Summum autem in omnes Principatum obtinet* Jeſus Chriſtus *ſive Anima* Meſſiæ *cum* Æterno Logo *unita, quemadmodum manifeſtum eſt in Viſione* Ezechielis *ſive* Mercava. *Quæ nihil aliud eſt quàm immenſæ hujuſmodi Politiæ Imperiique Chriſti à ſupremis Regionibus* Æthereis *ſive à Mundo* Azeluthico *quem appellant* Cabbaliſtæ, *ad mundum hunc* Aſiathicum *adeóque* Terreſtrem *extenſi Repræſentatio, quemadmodum copioſè in illius Viſionis Explicatione & in* Catechiſmo Cabbaliſtico *enarravimus.*

Sect. 5. Illi enim æquè ſolertes ſunt ad internoſcendum fictum à vero, &c. *Quod minimè mirum eſt, cùm idem quodammodo fiat in brutis Animalibus, in Canibus præſertim venaticis. Canes enim veterani voces quas edunt juniores poſtquam verum prædæ odorem hauſerint, ab inanibus & irritis facilè diſtinguunt, quas nihil morantur, ad alteras verò ſtatim accurrunt & inſequuntur. Præterea, cùm* Plaſtica *cujuſque Animæ ſit non tantùm* Hominiformis *ſed tali formâ ſive ſpecie* individuâ *quæ à reliquis omnibus formis* Individuis *differat, hinc facilius ſit ut quivis vel vaferrimus* Dæmon Vertumníque *artium callentiſſimus facili negotio quis ſit, dignoſcatur.*

CAP. XI.

1. *Tria priùs conſideranda, quàm veniamus ad* Moralem *conditionem Animæ poſt mortem: nempe,* Recordatio *ejus rerum actionúmque hujus vitæ.* 2. *Peculiaris forma propriúſque character* Vehiculi Aërei. 3. Nominis *ejuſdem conſervatio.* 4. *Miſeriam Animæ poſthac ità futuram, prout hìc malè ſe geſſerit.* 5. *Ineffabiles angores* Conſcientiæ, *morte graviores, nec effugiendi moriendo.* 6. *Diræ cruciationes* externi ſenſûs *eorum, quorum mens occruſtata non ſenſura videatur* Conſcientiæ *verbera.* 7. *De ſtatu Animæ* Paganorum *eorum, qui innocentiùs & ex recta Conſcientia vixerant.* 8. *De naturalibus accrementis poſteræ fælicitatis eorum, qui hac in vita boni probique fuiſſent.* 9. *Quem fructum Anima in futura vita percipiat ex rebus illis quas hìc vel egit vel paſſa eſt pro Cauſis optimis & graviſſimis.* 10. *Rationem eandem obtinere & in levioribus pro portione rerum.* 11. *Quantam ſibi homines perniciem accerſere poſſint in altero mundo præfervidis ſuis allucinationibus in hoc.* 12. *Etiamſi nulla eſſet poſt mortem* Memoria, *ratio tamen hujus vitæ agendæ quaſi ſemen jaceret futuræ aut fælicitatis aut miſeriæ Animarum.*

1. AD quam quæſtionem rectiùs diſſolvendam, hæc altera priùs determinari debet, *Nunquid hujus vitæ Anima poſt mortem recordetur.* Nam *Ariſtoteles* & *Cardanus* videntur negare; ſed ratio nulla in utrovis mihi nunc ſuccurrit, quæ eorum ſententiam confirmare valeat. Contrariam autem eſſe veram conſtat ex iis, quæ ſuprà in ſecundo libro probavimus, viz. Animam ipſam immediatum eſſe *Memoriæ* ſubjectum, cunctáque phantaſmata cum eorum circumſtantiis in illa ipſa, non in Spiritibus, (quod ‖ *Vaninus* ipſe non poteſt negare) nec in ulla parte corporis reſervari. Spiritus autem neceſſarium tantùm *inſtrumentum* eſſe per quod Anima operetur; qui cùm frigidiores, craſſiores, aquoſioréſque ſunt, *Oblivionem* obrepere animæ & ingraveſcere pro eo ut ſpiritus malè ſint affecti; morbo verò depulſo ſpirituúmque temperie emendatâ, animam, ut in meliore activitatis ſtatu, illarum rerum *memoriam*, quæ priùs ægrè ſuccurrebant, illicò recuperare. Unde ſequetur, Axiom. 33. *Memoriam* ejus perfectiorem potiùs poſt mortem fore, & *Conſcientiam* ad excuſandum aut accuſandum de hìc factis expeditiorem.

Cap. 11. ſect. 4, 5, 6.

‖ *In Dialog. 60.*

2. Nec prorſus alienum eſt animadvertere præterea, naturalem uſitatámque *figuram aerei* Animæ *vehiculi* ſimilitudinem gerere formæ ejus, quam quis in hac vita habuiſſet; quippe quòd proclivius eſt *Plaſticæ* (voluntate formam perſonalem ei imperante) tam propè ad hujus vitæ formam accedere, quàm patitur ſtatus novus. In quo actu fortè concurrit *Spiritus Naturæ*, quemadmodum in fœtu figurando; intra illos autem fines qui conveniant *aereæ congruitati vitæ*, qua de re jam diximus: uti Cap 9,10. etiam ſignificavimus, propriam cujuſque animæ *Ideam* ſeu *Figuram*, etiamſi per maternæ imaginationis vim in conceptione vel geſtandi tempore deflectat aliquantùm, redituram tamen poſthac, tanquam in viam, ad peculiarem ſuam ſpeciem, itáque futuram notam *individualitatis* incelabilem.

3. Addemus his, hominem *aereum* idem quod hîc habuiſſet retinere *nomen*, niſi ſingularis cauſa ſit cur mutetur: quo fiet ut eorum Perſonæ tam ſpeciatim diſtinguantur & circumſcribantur, quàm quivis noſtrûm in hac vita. Quæ omnia ut ſuâ & naturæ ſponte ſic eventura admodum eſt probabile, ità juri reddendo ordiníque ſervando in altero ſtatu conducunt plurimùm.

4. His itaque præmiſſis, haud difficulter intelligitur quomodo conditio animæ futura à *morali* hujus vitæ traductione pendeat. *Memoriâ* enim non intercidente, *Conſcientia*, ut veroſimile eſt, acrior quàm unquam fuerat exurget; quippe quòd Mens perſpicacior judex malè factorum præteritorum futura ſit, quàm eſſe potuit dum in Carne verſabatur, ubi multæ & validæ circumſtantiæ concurſúſque rerum opportunitatem omnem ad examen ſe revocandi, vitæque ſuæ turpitudinem perſpiciendi ademerint; quæ nunc omnia ſublata ſunt. Præterea, cùm ea ſit inter Terram & Aërem communicatio, ut fama ſaltem rerum ad eorum notitiam perveniat, qui ex hac vita abierunt; incœptorum improborum, actionúmque iniquarum ſucceſſus adverſus, novis flagris, novis aculeis armabit ultricem defunctorum *conſcientiam*, cùm vel audiant, vel ſuis oculis cernant, quicquid injuſtè moliti eſſent cum ignominia funditus corruere, conſilia ſua omnia in nihilum recidere, famámque in terris quaſi ſyderatam penitus exaruiſſe.

5. Hæc eſt conditio Animarum earum, quibus actiones ſuæ præteritæ diſplicere poſſunt: quod ipſum magnum ſatìs ſupplicium per ſe videatur ei, qui ſecum cogitat, quantam vim Mens habeat in Vehiculum ſuum, quámque à ſe ipſa ſit vulnerabilis. Hæ igitur *Paſſiones* Animæ, malæ *Conſcientiæ* comites, corpus ejus Aëreum in languores graviſſimos, morte ipſâ graviores, neceſſariò conjicient. Mori tamen nequit ſi vel maximè cupiat, nec igne, nec enſe, nec aliâ re ullâ; non ſi in fumantis *Ætnæ* flammas ſeſe præcipitaret. Nam etiamſi tamdiu illîc durare poſſet, donec ſulphureus ignis loci *congruitatem vitalem* vehiculi ſui cruciatu horribili exediſſet; indè tamen emiſſa vitam illico in Aëre reciperet, & præter noviſſimum hunc moriendi dolorem, ſuperiores omnes angores & ærumnæ reverterentur. Rediret enim *memoria*, *conſcientia mala*, & *inordinati affectus*, *furiæ* illæ inquietæ quæ eam inſectari ſolent. Atque ità res eſſet, ſi Anima millies atque millies ſeſe occideret; dolore quidem & ſupplicio afficere ſe poſſet, non autem exitio dare.

6. Cæterùm ſi aliquorum hominum *Conſcientiam* ſupponeremus in futuro etiam ſtatu æquè cauteriatam ac in hoc, (ſunt enim proculdubio qui id agunt ut ex animi ſui ſenſu obliterent diſcrimen omne turpis & honeſti, qui egregium ingenii ſpecimen ducunt, (quæ revera beſtialis eſt ſtupiditas) Vitium nihil, Virtutem itidem nihil eſſe exiſtimare, præcipuámque perfectionis partem eſſe cenſent ità degeneráſſe, ut ex flagitioſo principio iſto agant, animo nè minimùm quidem repugnante) hi homines profectò inſigni privilegio donati in altero mundo videantur, ſiquidem jaculis igneis domeſtici ſui Diaboli ſunt adeò impenetrabiles: quaſi profligatiſſimum fuiſſe in hac vita, maximam in altera præſtaret incolumitatem.

Sedenim ex ratione mera ac Philoſophia oſtendi poteſt, importuniſſima hæc & impudentiſſima Scelera hominum, qui ſenſum omnem Boni Malíque internum hîc ultro abjecerunt, externo tamen ſenſu plagas ut ſentiant & nolentes ſufferant, illîc cogi poſſe. Etenim divina *Nemeſis* nullâ Univerſi parte excluditur; *Bonitas* etiam & *Juſtitia* quas hîc contemnunt, ſuperbéque à ſe repellunt, rationis aliquid cum illis in altero ſtatu habituræ ſunt, velint nolint. De impuriſſimis iſtis loquor, qui homicidia, perjuria, expilationes, adulteria, nefandam venerem, aliáque ejuſmodi ſcelera & flagitia ſine ullo vel minimo faſtidio devorare poſſunt, & jus ſe habere putant ad libidinem explendam ſuam, cum alterius maxima injuria. Si homines iſti impune hæc ferrent, nulla eſt profectò Providentia, ipſique veraciſſimi prophetæ fideliſſimíque ſunt humani generis magiſtri, dum lectiſſimum quod habent Arcanum divulgent, nempe, *Nullum eſſe Deum*.

De Immortal. Anim. Object. 31.

Verùm enimvero longè aliter ſe res habet. Nam ſive quòd quos in hac vita affeciſſent injuriâ, illos poſthac offendant, inſtantérque vindictam expoſcant, quod *Cardanus*, in *Tractatu* hac ipſa de re, objiciens ſuggerit; ſive quòd ab omnibus omnino alterius Mundi, qui defendere valeant, deſerantur; (nam quæ monſtra hominum deſcribo, longè forſitan pauciores ſunt pro multitudine alterius ſtatûs, quàm eorum ſimiles hîc ſunt pro numero hominum hîc viventium) tradentur in manus certiſſimò torvis iſtis & inexorabilibus Juſtitiæ Miniſtris, qui tam ab omni Boni ſenſu alieni ſunt ipſi, quàm quos puniunt. Itaque pœna illorum inferetur ab iis, qui ejuſdem animi ſunt ejuſdémque ſecum ſententiæ, qui prædæ hujuſmodi avidè inhiantes, eam cùm capiant, pro multifaria animi ſui libidine malè multant; & plaudentes placentéſque ſibi maximè in faciendo ſpectandóque miſeros, involant in prædam acres atque alacres, velut impaſti leones in hominem damnatum, multò verò majori ferociâ ac inſultatione. Nam cùm ingenii plus habeant, minus autem bonitatis, ſi fieri poteſt, quàm Anima quam ſic invadunt, laſcivientem ſuam crudelitatem ſatiant cunctis quæ excogitare poſſint generibus contumeliarum & cruciatuum, tantiſper modò ut reſpiret Anima permittentes, dum ea vires colligat ad nova eorum inventa recentiori diſtinctiórique dolore perpetienda. Nec ratio vel Suada ulla, nulla expoſtulatio, ſupplicatio, aut ſubmiſſio, quicquam apud illos valebit. Quorſum enim de injuria & vi cum illis expoſtuletur, quibus palmarius Ingenii fructus videtur, unum hoc ídque ſummum Principium intelligere, *Suam cujuſque libidinem, cùm impunè licet agere, ſanctiſſimam eſſe atque ſupremam legem*? Ecquid ſupplicationes aut ſubmiſſiones efficiant apud eos, qui deſpicatiſſimæ facilitatis & fatuitatis eſſe putant exorari, ut de utilitate ſua & commodo decedatur? Illi autem Virtutem & Vitium non agnoſcentes, commodum ſuum in hoc uno ponunt, ut ſibi placeant in omnibus quæ cupiditatibus ſuis grata ſint & jucunda; placet autem illis maximopere, excruciare & vexare, quàm exquiſitiſſimis modis poſſint, quotquot fors & occaſio in manus ſibi & poteſtatem tradat. Videmus ergo ut arrogans & elatus Atheus, in futura vita, dira incommoda cùm factorum tum doctrinæ ſuæ tandem aliquando ſentiat. Qui ipſi enim placebant ſibi in provehendo illo, dum in vivis erat, ad ſummum hoc impietatis culmen, ii parem fortaſſe voluptatem capient, cùm defunctum eum à torvis illis carnificibus multari videant. Ad inſtar jocoſæ crudelitatis ejus, qui, ut in hiſtoria proditur, *Veſtales Virgines* primùm violari curavit, pòſt ob illatum ſtuprum interfici.

7. Verùm odioſum nimis, nimíſque funeſtum evaderet hoc argumentum, ſi ei longiùs inſiſteremus. Convertamus ergo oculos ad objectum lætius, ſtatum nempe Animæ ejus, quæ, pro ea quam habuit facultate diſcendi quod rectum ſit, ex virtute & bona *Conſcientia* vixerit, ubicunque terrarum & quocunque in ſæculo. Nam quanquam *Moralis* Innocentia *Paganorum* citra id ſubſiſtat, quod Chriſtiana Religio *ſalutem* dicit, non poteſt tamen non illis eſſe utilis in altero ſtatu, pro variis ejus gradibus; hominibus iſtis magìs minúſve beatis aut miſeris futuris, prout magìs minúſve virtutem in hac vita coluiſſent. Intelligi enim non poteſt, cur Deus durior iis eſſet in altero illo Mundo quàm in hoc, cùm nihil accidiſſet novi ad voluntatem ejus alienandam præter mortem, quam tamen evitare penès ipſos non erat, quæque pœnæ ſpeciem habet potiùs quàm culpæ: revera autem neutrum eſt homini ſimplici & probo, qui non monita ſalubria luminis naturalis ex profeſſo contemnit, ſed *humanitatem* & *virtutem* diligit. Hujuſmodi hominibus aditus eſt duntaxat in aliam vitam,

------------ *Ad amœna vireta*
Fortunatorum nemorum, ſedéſque beatas.

Quam veritatem ideo celare non potui, quòd grave præjudicium affert Providentiæ Divinæ, ſentire contrà. Liberè enim judicantibus, viæ ejus & agendi rationes perinde obſcuræ videbuntur in puniendo ſimplices ſupra modum, ac in non remunerando inculpatiores atque illuminatiores. Et ſi in alterutro peccetur, utrumque in dubium vocabunt, & omnem omnino providentiam tollent.

8. Rata ſint igitur ubique Animabus in alterum ſtatum tranſeuntibus jura præcipua ac privilegia *Probitatis* & *Virtutis*. Etenim niſi Deus de induſtria obſiſtat, ſponte Naturæ fiet, ut cùm *Memoria* poſt mortem nil ſuggerat quod *Conſcientia* non probat, magna animi tranquillitas indè exiſtat, & ſanitas quædam & pulchritudo *Vehiculi Aerei*, convictus item melior, conſuetudo jucundior, habitandi denique tractus & regiones amœniores. Nam quod *Plotinus* dicit de gradibus extremis, verum eſt etiam de intermediis; alioqui manca eſſet Juſtitia Divina. *Cùm quis*, inquit, *pravum animi habitum proprium & conjunctiſſimum ſibi fecerit, probè cognoſcitur qui qualiſque*

Ennead.4.lib. 4.cap.45.

que ſit, & pro natura ſua, tum hîc, tum hinc profectus, ad id propellitur, quò ipſe ex ſe propendeat, & ſic tractione Naturæ in locum congruum adducetur. Viri autem boni Receptiones & Communicationes aliuſmodi erunt, tractione quaſi funiculorum quorundam occultorum, quos Natura ſuis ipſius digitis tranſponit & adducit. Adeò admirabilis eſt vis atque ordo Univerſi, in quo adminiſtrantur omnia tacitâ quidem ratione Juſtitiæ, quam nemo tamen effugere valet, quámque improbus nec ſentit nec intelligit, ſed trahitur inſcius & imprudens in quam partem Univerſi ferri eum par eſt. Vir bonus autem & novit & it quò oportet, & intelligit, antequam hinc abeat, ubi ſibi habitandum ſit, & ſpei plenus eſt, cum Diis futurum. Longus hic ex *Plotino* paragraphus aliquantulum veritatis habet, ſi rectè explicetur; at non videtur attingere cunctas circumſtantias atque additamenta fœlicitatis Animæ in altero ſtatu, quæ illam ex actis hujus vitæ naturaliter conſequentur.

9. Nam proculdubio pro diverſo gradu benignitatis animi, ſtudiiſque humano generi benefaciendi in hac vita, próque ampliori facultate id ipſum præſtandi, alterius mundi beatitudo redundat in Animam & reduplicatur; ſiquidem tam certum eſt inter utrumque mundum commercium & communicatio. Quapropter qui vel agunt vel patiuntur graviùs in iis cauſis, quas Deus in mundo tueri vult, quæque penitus ſunt juſtæ & ſanctæ, (& profectò ſunt res aliquæ & doctrinæ immutabiliter tales, quibus fidem & authoritatem conciliavit Providentia miraculis, ſuffragiis ſapientiſſimorum virorum in cunctis ſæculis, & communi Naturæ voce;) qui harum rerum fautores & propagatores fortiſſimi erant in hac vita, majorem indè naturaliter capient in poſterum delectationem; quippe qui ſibi conſcii ſunt, ſe magnopere & ſeriò opitulatos eſſe rebus illis quas Deus nunquam deſeret, magnámque veritatem eſſe & tandem prævalituram; cujus rei certiores nunc ſunt, quàm cùm erant in corpore.

10. Quod genus incrementi fœlicitatis proprium non eſt illi operæ noſtræ duntaxat, quâ promovemus id quod momenti maximi ſit, & in ſumma ratione haberi debeat, verùm pro portione pertinet etiam ad acta omnia & conſilia, quæ ex virtute benevolentiáque emanent; quorum varii gradus ſunt; in quibus haud minima habenda ea ſunt, quæ ad Populi univerſi bonum ſpectent. Itaque qui naturali animi magnitudine, proſperáque in bello virtute, patriam ſuam à ſervitute liberârunt, aut prudentiâ rerúmque civilium peritiâ ſalubres leges conſcripſerunt ad majorem populi fœlicitatem & ſolatium; ii, quamdiu hic populus exiſtit & floret, fœlicitatis incrementum indè capient proculdubio, niſi minùs generoſos & bonos illos exiſtimaremus in altero mundo, ubi opportunitatem habent meliores evadendi. Et quod dixi in inſigniori hoc exemplo, verum eſt pro rata in levioris momenti rebus, quas infinitum eſſet enumerare. Sed Nationes integræ cum Legibus ſuis, Ordinibus, & Familiis hominum deſinere poſſunt, proindéque acceſſiones iſtæ abſcindi: qui autem hac in vita operam ſuam collocat in rebus illis promovendis, quæ locum obtinebunt quamdiu Mundus ipſe duraverit, & tandem aliquando glorioſè triumphabunt; is profectò rationem init ſempiterni emolumenti in altero Mundo comparandi, quæ contra fluctuationes converſionéſque cunctas inſtabilis fortunæ, effectum certiſſimò ſortietur.

11. *Judicium* verò hæc res poſtulat pariter ac *Calorem* & *Impetum*. *Ignorantia* enim actuoſior, etiam cum aliqua mentis ſinceritate ſimplicitatéque conjuncta, eas res tamen inter homines incœptare, eáſque ſeu falſas, ſeu alienas & intempeſtivas doctrinas memoriæ mandare poteſt, quæ, hominum abuſu, in perniciem cauſæ illi vertant quam adjutam velis; quod authoribus in altero ſtatu luctuoſiſſimum ſpectaculum futurum erit. Quanquam enim eorum inſcitia veniâ digna ſit, effectum tamen hallucinationis ſuæ gravem ſibi & acerbum experientur. Ut qui pro inimico amicum occidit, conſcientiam quidem ſuam facilè placet, effugere tamen non poteſt pudoris & doloris ſenſum, qui tam exitiabilem errorem ſequi ſolet.

12. Hæc atque hujuſmodi augmenta alterius Mundi Bonis accedere poſſunt, à perdurantibus rerum veſtigiis earum, quas in hoc rectè fecimus, ſi quam nos rerum *memoriam* poſt mortem habeamus; habere autem ſuperiùs demonſtravi. Verùm ut non haberemus, & *Ariſtotelis Cardanique* opinio eſſet vera, tamen *Virtus* & *Pietas* non in præſentem ſtatum duntaxat erunt utiles. Quoniam pro ratione hîc vivendi, occultâ cauſarum concatenatione trahemur poſthac in conditionem puritati impuritatíve Animæ in hac vita congruentem: tacitâ illâ *Nemeſi*, quæ per univerſam Mundi compagem permeat, in talem nos uſque ſtatum fataliter inducente, quali noſmetipſos dignos fecimus actionibus vitæ uſitatis. Tanti eſt momenti, dum tempus ſuppetit, ad optima aſpirare.

CAP.

CAP. XII.

1. *Quid ſit* Spiritus Naturæ. 2. *Experimenta quæ probant ejus exiſtentiam; cujuſmodi eſt illud chordarum duarum uniſonarum.* 3. *Sanationes cruciationéſque ſympatheticæ.* 4. Sympathia Terreſtre *inter &* Aſtrale *corpus.* 5. *Fœtus monſtroſi.* 6. *Attractio Magnetis, globoſitas Solis & Stellarum.*

1. TRactatum hunc noſtrum omnino jam finiiſſemus, niſi quòd expedire arbitrer ut duabus in rebus Lectoris expectationi ſatisfaciam. Unâ, de *Spiritu Naturæ*, alterâ de proferendo in medium, quicquid eſt *Objectionum* adverſùs aſſertam, jámque à nobis concluſam, Immortalitatem Animæ. Quod ad primum illud attinet, facilè ego quidem in animum induco, Lectorem rectè poſtulaturum rationem Principii illius, ad quod ſæpiùs recurri, accuratiorem quàm adhuc reddiderim, æquúmque exiſtimaturum ut pleniùs alicubi explicarem, quid per ipſos terminos intelligam, & ut argumenta mea præcipua oſtenderem, cur Ens ejuſcemodi in rerum natura eſſe judicem. Itaque nè illum longiùs ſuſpenſum habeam, utrumque faciam hoc ipſo in loco. *Spiritus Naturæ*, ut ego intelligo, *eſt ſubſtantia incorporea* * *ſenſûs ac animadverſionis expers, materiam Univerſi totam pervadens, & vim plaſticam in ea exercens pro variis præparationibus occaſionibúſque partium earum in quas agit, ea item excitans Phænomena in Mundo, partes materiæ motúmque earum dirigendo, quæ in mechanicas potentias ſolas reſolvi nequeant.* Rudis hæc deſcriptio ſufficit ad conceptum naturæ rei ſatìs certum & definitum legenti communicandum. Meram autem *Notionem* non eſſe, ſed *Ens reale*, præter ea quæ ſuprà per occaſionem innuerim (quæ hîc denuo novis exemplis confirmabo) multa alia ſunt quæ ſuadeant.

2. Primum eorum petatur ab experimentis ſympatheticorum, quos vocant, dolorum, ſedationum, ſanationúmque; quorum multa extant exempla, ab iis ipſis probata, qui moroſiſſimam præ ſe ferunt mentis ſobrietatem & judicium; quæ omnia ex aliqua ejuſcemodi potentia ſeu cauſa provenire ſuſpicor, quæ facit ut duarum chordarum uniſonarum (etiam in diverſis inſtrumentis) alterâ percuſſâ tremat altera & clarè ſe moveat, ſic ut feſtucam, aut aciculam, aut aliud quid leviuſculum impoſitum rejiciat. Quod in Principium nullum Mechanicum reſolvi poteſt, licèt nonnulli ingenioſè tentârint. At priùs quàm aggrederentur rationem reddere, cur chorda non uniſona chordæ percuſſæ non ſaliat ac moveat, utì facit uniſona, demonſtrâſſe oportet uniſonam ſolâ aëris vibratione ità moveri poſſe; nam ſi poſſet, certè vibrationes illæ moverent alia corpora longè mobiliora chordâ ſic motâ. Ut ſi juxta chordam percuſſam liberè ſuſpenderetur filamentum ſerici aut capillamentum cui res aliqua levicula eſt appenſa, ea neceſſariò reciperent vibrationes reciprocas quæ Uniſonæ longiùs diſtanti communicantur, ſi merus motus Aëris materialis efficeret Uniſonæ ſubſultationem: quod tamen experientiæ repugnat.

Præterea, ſi mera aëris vibratio cauſa eſſet tremoris hujus in chorda uniſona, effectus ferè nullus foret niſi utraque chorda in eodem proximè plano jaceret, & vibratio percuſſæ chordæ fieret in illo ipſo plano in quo jacent. Percutiatur autem chorda ſic ut itu reditúque ſuo ſecet illud planum perpendiculariter, vel ſint chordæ ſingulæ in ſingulis planis altero ſupra alterum ad aliquantum intervallum, eventus ferè idem eſt, tametſi aër ultro citróque vibrare non rectè concipiatur, niſi in ipſis proximè planis in quibus moventur chordæ.

Hæc omnia clarè demonſtrant cauſas merè corporeas Effectum hunc producere non poſſe: proindéque ſupponendum eſſe, chordam utramque cum Ente aliquo Incorporeo uniri, quod Unitatem Activitatémque habet diverſam quidem à materia, *Sympathiam* tamen cum ea; materiámque certo modo afficientem alicubi Ens illud Immateriale, efficere ut id viciſſim materiam alibi eodem modo afficiat, ubi nempe hæc materia cum illa altera conſentit in affectione aliqua aut qualitate; conſentiunt autem hæ duæ chordæ in eo quòd altera alteri uniſona ſit: idque facit ſine tranſmiſſione ullarum particularum ad materiam illam in quam ſic agit; ſicuti cogitatione movendi digiti pedis intra cerebrum repræſentatâ, ipſius Animæ meæ vi & virtute digitum movere poſſum pro libitu, (nullis interim ſpiritibus in digitum demiſſis, iis duntaxat adhibitis qui jam illîc inſunt) propter unitatem & activitatem illam quæ propria eſt Animæ ut ſubſtantiæ ſpirituali totum Corpus meum pervadenti. Et hinc etiam concluderem tale Principium eſſe, quem *Spiritum Naturæ*, ſeu inferiorem

Animam Mundi dicimus, in quod hujuſmodi Phænomena reſolvi debeant.

3. In quibus etiam numero *Sympatheticas* Sanationes, Dolores, dolorúmque Levationes. Ex. gr. quòd Magneticorum, quæ vocant nonnulli, remediorum uſu, vulnus moleſtiſſimè calidum aut frigidum fiat ex longinquo, quòd rurſus omnino leniatur, non ſit virtute ullâ Atomorum emiſſariarum. Nam calidæ atomi, inter eundum ad hominem vulneratum per frigidum aerem, nimiùm & ipſæ frigeſcerent; & frigidæ atomi, ſi adeò activæ ſunt ut tam procul ire pergant, ſatis tamen caleſcerent eundo per æſtivum ſolem. Inflammatio item uberis vaccæ ex lacte ſuperbulliente & defluente in ignem, inteſtinorum humanorum peruſtio ad diſtans ex ſtercore in ignem conjecto, hæc & alia multa facinora hujuſmodi rectè & ex ratione referri nequeunt in hominum boúmque ſpiritus, domi ſe unà cum igneis atomis recipientes, & ſic junctim ingredientes partes affectas; quoniam atomorum harum exiguitas arguit celerem earum extinctionem, ut in filis metallicis candefactis uſu venit, tenuiſſima citiſſimè frigeſcunt.

His addi poteſt, ſi fortè verum ſit, inſigne illud exemplum Vini fermenteſcentis cùm vites florent, vites ſcilicet regionis ejus unde æſtuans vinum allatum eſt; quibus ſi effectus hic ſympatheticus attribuatur, exhalationes iſtæ vinearum tam procul propagari debent, quàm procul diſtat *Anglia* ab *Hiſpania Canariiſque Inſulis*, & ob eandem rationem æquè procul à *Canariis* circumquaque dilatari, præter iter earum ſurſum in Aërem. Quare hemiſphærium atomorum vinealium futurum eſt incredibilis ambitûs, niſi in ſingulares ſe ſeries diſpertiant, in eáque tantùm loca tendant, quò vina ſua aſportantur. At quæ cauſa corporea illas eò ducat? Quod idem quæri poteſt & de aliis ejuſdem generis phænomenis. Unde rurſus neceſſum erit Principium hoc, quod infero, admittere, etiamſi effecta per tranſmiſſas Atomos producerentur.

4. *Mundanæ* hujus *Sympathiæ* exempla luculentiſſima extant in hiſtoriis magìs incertæ fidei & obſcuri nominis, quæ quanquam credibiliter mihi confirmata, tamen, quod jam ſuprà declaravi, ut poſſibilia tantùm præſtare auſim, viz. Animas humanas corporibus ſuis egreſſas in felium, columbarum, muſtelarum, aliquando & humanâ ſpecie apparere, & quicquid noxæ illis accidat * in corporibus hiſce *Aſtralibus*, ut *Paracelſiani* loqui amant, idem in *Terreſtria redundare*, in lecto aut humi intereà temporis jacentia. Ut ſi corpora *Aſtralia* ferventi aquâ perfundantur, vulnerentur, exdorſuentur, idem planè & *Terreſtria* pati certiſſimò.

Quæ ſi vera ſunt, in Principium hoc, de quo loquimur, reſolvi debere veroſimillimum eſt, * & *Spiritum Naturæ* in conſenſionem abripi cum imaginatione Animarum, *Aſtralibus* his corporibus ſeu *Vehiculis Aereis* indutarum. Quem imaginandi actum prævalidum eſſe oportet, ſiquidem imprimitur & corroboratur tam vivido atque acri dolore & trepidatione, quæ in perfuſionibus, vulnerationibus, atque ictibus iſtis neceſſariò accidunt; quippe ejuſmodi aliquid hîc evenit ut in mulieribus gravidis, quarum Imaginatio, ſubito metu exacuta, brachia immo & capita fœtibus ſuis detruncârit, ut conſtat, præter eas quas ex ‖ *Helmontio* citavimus, ex duabus luculentis narrationibus D. *Digbæi* in Diſcurſu ejus ingenioſo & diſerto de *Sanatione vulnerum per pulverem Sympatheticum*.

‖ *Cap.6.ſect.6.*

5. Quos quidem effectus vim omnem & virtutem humanæ Phantaſiæ, potentiori Agente non adjutæ, ſuperare puto; utì illum etiam quem refert partum prodigioſum fœminæ *Carcaſſonenſis*, quæ colluſitando nimiúmque oblectando ſe Simio, dum in utero geſtabat, monſtrum peperit omnino ſimiiforme. Et ſi cum docto & nobili viro concluderemus veram Simiam fuiſſe, mirabilius non eſt, nec tam mirabile quidem, quàm *Cancri* ſeu *Locuſtæ* partus quem ſuprà memoravimus ex *Fortunio Liceto*; potuimus & alios memorâſſe fœtus, uſitatiores quidem, nihilo tamen minùs monſtroſos, quos uterus muliebris geſtaret pareretque. Quorum ut parentis Anima cauſa ſit, ſuſpicari non licet; quippe quæ nè vel ſui ipſius fœtûs eſt efformatrix, ut ſtatuit *Harvæus*, magni ille judicii Phyſicus. Et ſi matris anima fœtum efformare poſſet, Virtus ejus *Plaſtica*, ut videtur, ſemper foret ſingularis & ſpecifica, quemadmodum Anima ipſa eſt ſingularis.

Quid igitur ſupereſt quod mirifica hæc facta edat, niſi *Univerſalis Anima Mundi* ſeu *Spiritus Naturæ*? qui, *Vertumni* inſtar, ſemper paratus eſt ad ſuam ipſius activitatem ceſſilémque materiam mutandam in omnem modum & figuram prout occaſio invitet, itáque ad præparandum domicilium, ſaltem ad primas ejus quaſi lineas ducendum, ſpecificæ Animæ cuicunque, & quocunque in loco materia operationi ejus ceſſura ſit. Quo tempore autem primùm eò appellat ſingularis hoſpes illa cui deſtinatur, quanquam dicere non poſſimus, certi tamen ſumus ſeriùs non eſſe claris indiciis tam ſenſationis quàm vegetationis organizationiſque materiæ.

6. Attractio Magnetis affine quiddam his Inſtantiis Sympathiæ habere videtur. Quod quidem Naturæ Myſterium ſolertiâ admirabili explicavit *Carteſius*, quod ad immediatas cauſas ejus corporeas attinet, particulas ſcilicet *ſtriatas* illas, quas per poros quoſdam cochleares in magnete ſimul & in ferro permeare facit. Particularum autem harum efformationem vires omnes merè mechanicas materiæ ſuperare, eaſdem etiam vires excedere motûs earum directionem exquiſitiſſimam, quâ peculiarem vorticem illum, ab Authore deſcriptum, circa terram à polo ad polum faciunt, Stellámque incruſtatam filatim trajiciunt, tantum viæ quanta eſt Stellæ diameter ità rectâ pergentes, ut neutram in partem rejiciantur; cuncta hæc, inquam, materiæ vires ſuperare, plenè ſatìs ego jam olim declaravi & probavi in Epiſtola longiuſcula ad *V. C.* propterea nè actum agam, plura de eadem re hoc loco dicere ſuperſedebo. Adde his, merum motum materiæ corporeum, ſine ullo alio rectore, nè quidem Solem Stellámve rotundam effecturum; quam figuram tamen cœleſtia hæc corpora habere, agnoſcit ultro *Carteſius*. Rationes autem ob quas id effici non poſſe puto, in Literis meis ad præclarum Philoſophum ſingulatim poſui.

Epiſt. ad V. C. ſect. 5.

Epiſt. 3. ad R. Carteſ.

SCHOLIA

In CAP. XII. SECT. 1.

SEnſus & Animadverſionis expers, &c. *Vitam habere* Spiritum Naturæ *eámque* Plaſticam *atque* omniformem *haud hæſitanter pronunciare audeo, de ſenſu & animadverſione quicquam ſtatuere aut affirmando aut negando, magìs temerarium exiſtimo; Ratione verò ac libero arbitrio carere apud me ratiſſimum eſt. Sed cùm hac de re agendi aliis in locis mihi data ſit occaſio, nec novi quicquam occurrat quod dictis locis non expoſuerim, plura heìc verba facere ſupervacaneum cenſeo.*

Sect. 4. In corporibus hiſce Aſtralibus ut Paracelſiani loqui amant, &c. *Quorum loquendi formulâ quanquam hìc utor, meo tamen ſenſu intelligi volo, qui per* Aſtrale *corpus nihil aliud quàm corpus tenue meréque naturale intelligo* Aſtrorum *vel potiùs* Naturæ *legibus ſubditum. Nam quod plerique per ignorantiam* Aſtris, *potiori jure* Spiritui Naturæ *tribuendum eſt, iiſque Materiæ circumſtantiis quibus illius vis ſuſcitatur.*

Et Spiritum Naturæ in conſenſionem abripi cum Imaginatione Animarum Aſtralibus his corporibus, &c. *Quantùm ad veritatem hujuſmodi Phænomenôn recens illud exemplum* Janæ Brookes, *cujus Umbræ ſive Spiritûs* Aſtralis *manu cultro percuſſâ manus eadem corporis ejus* terreſtris *eo ipſo ſauciata eſt, (quemadmodum in Scholiis in Antidotum adverſùs Atheiſmum ex* J. Glanvillo *memoravi) eximium eſt argumentum, cùm tam manifeſtò conſtaret de facto: Quantùm verò ad cauſam quæ hìc inſinuatur, certè videtur maximè probabilis, cùm* Spiritus Naturæ *tam certò ſe immiſceat omnibus* Efformationibus animalibus *&* corruptionibus *partium, nempe ejuſdem corporis, longo intervallo diſſitarum; ut in Naſis artificialibus ex aliena carne factis, & id genus aliis multis, quæ pro veris habentur. Mortuo enim ac putreſcente illo homine ad quem partes illæ pertinent, ſtatim eæ putreſcunt fœténtque, quod proculdubio fit vi communionis* Spiritûs Naturæ. *Quidni igitur, dum* Aſtrale *corpus alicujus Animæ ſubito ictu ſauciatur, ſubito etiam vulnere lædatur corpus ejuſdem Animæ* Terreſtre, *propter communionem* Spiritûs Naturæ, *ejúſque raptum in conſenſum cum* Plaſtica *dictæ Animæ particularis? Nam* Spiritus Naturæ *omnia corpora quodammodo actuat & informat, unde facilè intelligatur hæc vitæ communio atque conſenſus, realíſque συμπάθεια, ut hoc patiente, aliud ad diſtans idem compatiatur propter ejuſdem Spiritûs communionem. Equidem hoc concinnius eſt quàm Dæmonem fingere aliquem, qui* Aſtrali *corpore vulnerato,* terreſtri *conſimile vulnus ſtatim infligat. Quis enim Dæmon in iſtis Hiſtoriolis* Helmontianis, *Cap. 6. Sect. 6. commemoratis, caput, manumve, brachium tribus iſtis miſellis fœtibus abtruncavit abſciditve?*

CAP. XIII.

1. *Deſcenſum Gravium arguere exiſtentiam* Spiritûs Naturæ; *aliter enim vel penderent in Aere planè utì poſita ſint,* 2. *Vel deflecterent à perpendiculari cadentia juxta laminam metallinam obliquè poſitam.* 3. *Conatum ætheris aut aeris à centro ad circumferentiam non eſſe Gravitatis cauſam, contra* Hobbium. 4. *Plena confutatio opinionis* Hobbianæ. 5. *Sequela ejus abſurda demonſtratur ad oculum.* 6. *Demonſtratur universè, Gravitatem non poſſe effectum eſſe Potentiarum merè Mechanicarum.* 7. *Latitudo operationum* Spiritûs Naturæ, *quanta ſit & ubinam terminetur.* 8. *Ratio nominis.* 9. *De* Inſtinctu, *an ſit, & quid ſit.* 10. *Munus* Spiritûs Naturæ *præcipuum eſſe, tranſmittere Animas in Materiam rite præparatam.*

1. QUA in re, quibúſque in rationibus me non allucinari, confirmat porrò id quod in terra quotidie experimur, Deſcenſus gravium, quæ vocant, corporum. * De quorum motu ego quidem cum *Carteſio* conſentio in cauſa corporea proxima aſſignanda, materia nempe cœleſti, quæ tam copioſa eſt in aëre præut in corporibus craſſioribus; ſed vehementer ſimul ſuſpicor, immaterialem cauſam aliquam eſſe oportere, qualem *Spiritum Naturæ* ſeu *inferiorem Animam Mundi* dicimus, quæ ætherearum particularum motum dirigere debeat, quo in craſſiora corpora agant ad ea terram verſùs depellenda. Nam quod agitationis habent globuli ætherei, plus quàm impendant in terram circumrotandam, id, fatente ipſo, in omnes partes fertur indifferenter; quo motu * liquorum guttas rotundas effici, ingenioſè quidem concludit. Unde patet pilam ferream, argenteam, aut auream in aëre poſitam, æquè impeti undique particulis æthereis, proptereáque nihilo magìs deorſum quàm ſurſum impulſam in æquilibrio ſuſpenſum iri; quemadmodum ſuber, quod aqueæ particulæ æqualiter alluunt undiquaque, quieſcit prorſus ſuper ea aqua, quam nec ventus agitat, nec curſus ſuus defert aliquó.

Carteſ. Princip. Philoſ. Part.4. Art.15,16,18,19,20.

2. Neque intelligi poteſt, quomodo elementi hujus ætherei, fluidiſſimi corporis, in terram incurſio faciat, ut conetur ſe tollere de terra ad mediam uſque regionem aëris & ultrá. Præterea, hanc non eſſe cauſam deſcenſûs gravium hinc conſtat, quòd tum lamina ex ſolidiſſimo metallo latiuſcula & accuratiſſimè expolita, quæ particulas æthereas efficaciſſimè reflectere valeret, ſi obliquè collocetur, mutaret curſum corporum deſcendentium, faceretque nè Plano Horizontis ſed ſibi perpendiculariter cadant; ex. c. non ab A ad B, ſed ab A ad C: quod experientiæ repugnat. Nam corpus grave ſemper cadet ab A ad B, quamvìs æthereæ materiæ receſſio, juxta hanc hypotheſin, neceſſariò futura ſit à C ad A.

Carteſ. Princip. Philoſoph. Part.4. Art. 22,23.

Fg. 6.



3. Neque locum hîc habere poteſt materiæ cœleſtis conatus à centro ad circumferentiam. Præterquam enim quòd *Carteſius*, ſolertiſſimus Mechanicæ Magiſter, rationem illam declinavit, (quam tamen amplexus eſt ‖ *Hobbius*) ſequeretur ut juxta telluris Polos nullus omnino futurus eſſet gravium deſcenſus, & in noſtro climate nullus perpendicularis. Nè dicam quòd hæc ratio non ſalvabit unionem magnæ illius Aquæ, quæ Lunæ corpori adhæret.

‖ *Element. Philoſoph. Part.4. Cap.30. Art.4.*

4. Sed ut certiſſimâ probatione confirmem, corpora gravia in ipſo noſtro climate non deſcenſura perpendiculariter ad terram, ſi ſolutio *Hobbiana* phænomeni gravitatis eſſet vera; clarè demonſtrabimus & ad oculum & ad rationem, quâ proportione à perpendiculo declinabunt in data Elevatione Poli. In circulo A B D, Æquator ſit B D, à puncto C duc lineam ad E, parallelam B D: linea C E ſecabit circulum in F, putà, grad. 60 à B. Finge nunc corpus grave ad E; ſecundùm *Hobbianam* ſolutionem problematis de Gravitate, cadet ad terram in linea Æquatori parallela, viz. in E F; quam declinare aio à linea H F, perpendiculari Horizonti L K, $\frac{2}{3}$ anguli recti, hoc eſt, grad. 60. Nam angulus



E F H æqualis eſt G F R, qui æqualis alterno B G F, qui $\frac{2}{3}$ recti ex theſi. Unde manifeſtum eſt E F non minùs à perpendiculo declinare quàm grad. 60. Eâdem ratione ſi Schema fuiſſet factum pro Elevatione grad. 50, quæ noſtro climate auſtralior eſt, demonſtrari poſſet, deſcenſum gravium declinare à perpendiculo ad Horizontem grad. 50, ſeu $\frac{5}{9}$ recti, & ſic de cæteris. Unde ſequetur, non poſſe homines incedere rectos, ſed proclinatos, in elevatione putà 60 grad. tam propè ad terram, quàm eſt E F ad F L, & multo propiùs in plagis Borealioribus, ut in *Norvegia, Ruſſia, Friſlandia, Iſlandia, Scricfinnia, Grænlandia*, & aliis; atque eadem eſt ratio pro portione in aliis climatibus non adeò Septentrionalibus. Quare non erat cur ad Polos nos ableget *Hobbius* ad experimentum faciendum.

5. Nam ſi Schema deſcribamus v. c. pro parallelo ſub quo nos vivimus, 52 circiter grad. elevat. oculo ipſi verè exhiberi poſſit, quo ſitu corporis incederent homines *Londini* aut *Cantabrigiæ*, ſecundùm ſententiam *Hobbianam* de cauſis Gravitatis. Conſtat enim ex ſuprà demonſtratis, naturalem corporis ipſorum ſitum ſuper Horizontem L K futurum fuiſſe in linea E F, è qua ſi vi & nixu ſuſtollere ſe vellent versùs perpendiculum H F, magnopere eſſet laborioſum, nec in linea H F collocare ſe poſſent, ut non præcipites deſerantur in terram, & in Horizontem F K proſternantur; aëre, aut ſubtilioribus in eo elementis quibuſcunque, prementibus in lineis ad E F parallelis, & propterea deprimentibus quicquid ſolutum ponitur in linea H F, ut aſpectu primo eſt omnibus manifeſtum.



At cùm nihil hujuſmodi accidere experiamur, perſpicuum eſt ſolutionem *Hobbii* eſſe falſam; immo dicam ampliùs, nè poſſibilem quidem cauſam reddidiſſe illum phænomeni hujus ordinarii. Quod multùm quidem in homine miſerandum, qui phænomena Univerſitatis rerum omnia in corporeas cauſas ſolas reſolvi poſſe obtendens, inimitabili confidentiâ, nec prorſus illepidè, deriſit, & è mundo exploſit ſubſtantiam omnem immaterialem; cùm interim proferre nequeat ipſe vel poſſibiles tantùm cauſas corporeas effectuum Naturæ vulgatiſſimorum. Cæterùm *Hobbio* ſibi permiſſo, redeamus ad *Carteſium*.

6. Adde his, ſi corporum craſſiorum motus fieret ad leges merè mechanicas, globulus plumbeus, putà, vel aureus in aërem projectus nunquam rurſus deſcenderet, ſed motu rectilineo uſque ire pergeret. Etenim cùm multò ſit ſolidior tanto aëre & æthere ſimul ſumpto quantus locum ejus impleret, cúmque eâdem celeritate moveatur quâ circumfertur terra viginti quatuor horis, erumpet neceſſariò rectâ lineâ per aërem tenuem, nec unquam rurſus revertetur ad terram, ſed proripiet ſe velut è Vortice Cometa. Et de facto quidem glandem tormentariam tam fuiſſe altè exploſam ut in terram rurſus non reciderit, pro experimento vero atque explorato admittit *Carteſius*. Cujus ego profectò rei rationem omnino probabilem aliam reperire nequeo, quàm quòd *Spiritus Naturæ* ad diſtantiam certam motum materiæ quadantenus permittit ſolis legibus Mechanicæ, in aliis autem finibus eum cohibet; quo fit ut aqua non ex Luna effluat.

7. Jam ſi vis merè Mechanica in materia motúque corporeo non valeat ad tam ſimplex phænomenon efficiendum, (nam ità planè eſt lapidis deſcenſus) ecquid ſpei eſt eam cauſam fore adæquatam multorum generum plantarum, rerúmque aliarum, quæ longè plus artificii ac curioſitatis præ ſe ferunt, quàm rectus lapidis deſcenſus ad terram?

Neque tamen propterea recidimus in delicia *Scholaſticorum*, qui omni ferè Senſuum objecto formam ſuam ſubſtantialem tribuunt, & tum poſtea ſe ſine fine ſcrupulis de generatione, corruptione, mixtionéque illarum perplexantur. Aſſero enim cum *Carteſio*, nihil ſenſus noſtros afficere præter eas materiæ variationes, quæ per diverſitatem motûs, figuræ, ſitûs partium, &c. fiunt; in hoc autem diſſentio, quòd non merum purúmque motum mechanicum eſſe arbitrer, qui cunctas haſce in materia modificationes efficiat, * ſed quòd ſæpiùs director ejus immediatus ſit *Spiritus Naturæ*, unus idémque ubique, ac idem ſemper agens in iiſdem occaſionibus; ſicuti vir perſpicax & ſolido judicio eandem ſemper ſententiam fert in eiſdem circumſtantiis.

Cap. 6 ſect. 7, 8. cap. 7. ſect. 3.

Nam cùm *ſpiritus* iſte *Naturæ* efformando fœtui animantium immiſceat ſe, (quod jam aliquoties oſtendi) ubi non adeò tamen opus eſſe videtur, eò quòd particularius Agens ad eam rem præſtandam adſit; conſentaneum admodum eſt, ut cunctæ plantæ floréſque univerſi (quibus ineſſe animam particularem nullo argumento conſtat) effecta ſint *Univerſalis Animæ Mundi.* Quæ quidem Hypotheſis cùm per ſe rationi maximè congrua, ſecundùm tritum illud Axioma, Fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora, tum facit plurimùm ad præcidendum multa eáque ardua problemata de diviſibilitate Animæ Plantarum, de earum tranſmutatione in ſpecies alias, de ſurculorum propagatione, atque hujuſmodi. Una enim eſt Anima ubique prompta ad proſequendum materiæ præparatæ opportunitates. Qui communis atque adeò unus eſt λόγος σπερματικὸς *plantalium* omnium, aliorúmque quorumcunque ac qualiumcunque phænomenôn, quæ materiæ vires purè mechanicas excedunt. Homines & Beſtias duntaxat excipimus, qui cùm bonis atque commodis aliquibus frui poſſint omnes, æquum erat ut particulares Animas haberent, ad multiplicandum ſenſum fructuum eorum, quos ſumma Creatoris omnium ſapientia excogitârit.

8. Explicui nunc ſatìs quid ego per *Spiritum Naturæ* intelligam, ſatìs etiam probavi exiſtentiam ejus. Ex dictis facilè concipitur cur illi *nomen* hoc indidi, quippe quòd Principium eſt ingentis virtutis & activitatis in *Naſcentia*, ut ità dicam, & *coaleſcentia* rerum: idque non modò in productione *Plantarum*, cum aliis omnibus concretionibus, inferioris quidem generis, at ſuperantibus tamen materiæ leges merè mechanicas; verùm etiam in *Animalium* fœtibus, quibus & præparando & cooperando adeſt.

Atque haud ſcio an ei attribuam etiam regimen animantium in præcipuis actionum earum, quas *naturali Inſtinctui* vulgò aſſignamus. In quibus nulla adeò inſignis eſt ac *Avium nidificatio*, ſpeciatim cypſelorum nidi fabrica artificioſa illa, quæ in ſacris ædibus ſub feneſtrarum fornicibus conſpicitur. Qua in re cùm tam gravis ſit finis ipſis incognitus, támque exigua præſentis ſenſûs voluptas, abs alio quopiam agitari videntur, afflari & abripi à *Spiritu Naturæ* ad agendum illud, cujus ipſæ quidem conſciæ non ſunt, at quod revera tamen neceſſarius eſt apparatus & commoditas pariendis ovis & incubandis pullis, quorum efformationi Inferior hæc Anima Mundi ſumma cum ratione exiſtimatur adeſſe & immiſcere ſe: quapropter & eadem Anima rectiùs ſupponatur imperitare phantaſiæ, & abuti membris avium ad commoda iſta receptacula extruenda, in quibus tanquam in *Officinis* reponatur materia, quam illa fingere & formare cogitat, ova ſcilicet avium, quas ità regit in nidis ſuis conſtruendis.

9. Nullo enim rationis fundamento is nititur, qui avium nidificationem non ab *Inſtinctu Naturali*, ſed ab arte acquiſita ac obſervatione, aut inſtitutione parentum provenire velit. Nam quòd actiones earum ad tam utilem tendant finem, argumento non eſt illas eum ſciſſe, aut unquam de eo conſultâſſe; non ſanè magìs, quàm quia hedera aut convolvulus plantam proximam, quæ ſe ſuſtentare poteſt, circumplectitur, idcirco antè ſecum reputet, quæ ſeu neceſſitas, ſeu commoditas ſit, arctarum hujuſmodi amplexationum. Nec quià juniores aves vidiſſe poterant ſeniores nidos ſuos facientes, priuſquam idem opus auſpicentur ipſæ, ideo ſequitur actu vidiſſe vel animadvertiſſe. Ecquis vel unum exemplum proferre poteſt parentis avis pullos ſuos erudientis docentiſque hoc architecturæ genus? vel animadvertit unquam pullum ſponte ſuâ animum applicantem ad artem illam diſcendam ex ipſo parentis opere? Pari, immo majore, ratione argui poteſt avium cantus non ab Inſtinctu, ſed à diſciplina & arte propterea eſſe, quoniam parentes ſuas coram ſe canere aliquando fortè audierint: cùm tamen ſuâ & naturæ ſponte canendi modos ſpeciei ſuæ proprios arripient, etiamſi parentem nunquam audiverint præcinentem. Quare non ab ullo fundamento rationis, ſed ab inani prorſus & leviſſima ſuſpicatione oritur, ut putet quis Architecturam avium in nidis ſuis fabricandis non eſſe ab *inſtinctu* inſito, ſed acquiſitâ *arte* atque imitatione.

Cæterùm ex adverſo, planæ ac certæ rationes ſunt, quæ evincant hanc Avium architecturam ab *Inſtinctu* eſſe, non facultatem acquiſitam. Primò, quòd in univerſum ità comparata eſt brutorum animantium natura, ut careant liberâ illâ & reflexivâ ratione, quæ ad artem acquirendam & conſultationem inſtituendam requiritur. Nam ſi tali Principio eſſent prædita, eorum aliqua loqui valerent. Cujus facultatis carentia ſuſpicio unica plauſibilis eſt, quamobrem illa Machinas eſſe comminiſcebatur *Carteſius.* Quod quanquam non valet ad tam immane paradoxum probandum, jure tamen meritóque valeat ad abjudicandum Brutis rationem liberam illam, quæ apta & idonea ea faciat ad deliberandum, & ad artes atque opificia perdiſcendum.

Secundò, cùm *ovorum incubatio* ex mero ſit *Inſtinctu*, non conſilio & prudentiâ, æquum eſt ut exiſtimemus *nidificationem*, quæ incubationi ſubſervit tantùm, merum etiam Inſtinctum eſſe.

Tertiò, quod ſpecificum eſt non acquiritur, ſed à Natura aut *Inſtinctu* oritur; certo autem modo atque formâ nidum facere ſpecificum eſt certæ avium ſpeciei, quemadmodum & canere, & propterea planè naturale.

Hiſtor. Natur. lib. 10. cap. 45. & 33.

Quartò, peculiaris indocilitas avium earum, quæ ingenioſiſſimè tamen nidos ſuos architectantur, planè indicat, non liberam Rationem ſed *Inſtinctum* illas ducere. Et de hirundine notat *Plinius*, quàm indocilis ſit, quàm mirificè tamen luteam ſuam caſulam fabricetur.

Quintò, hanc Architecturam non eſſe doctrinam quandam à parentibus quaſi per manus traditam poſteris, ſed immediatum Naturæ effectum, magìs adhuc conſtat ex eo, quòd idem genus avium ejuſdem generis nidos ubique terrarum faciat; cùm tamen rectè ſupponi nequeat alias ab aliis avibus longinquis hoc didiciſſe, quas immenſa maria à congreſſu mutuo diſterminabant.

Plin. Hiſt. Nat. lib. 11. cap. 10, 11, 22, 24. Card. de Subt. lib. 14. Nieremb. Hiſt. Nat. lib. 3. cap. 28.

Sextò atque ultimò, haud temere quiſquam cogitare aut diſſerere poteſt de naturalis architecturæ exemplis, quin *cypſeli* nidus, *apum* favi, *araneorum* telæ, & *bombycum* folliculi ſe mutuò inferant, utpote congenera prorſus ejuſdémque naturæ. Quod *Plinium*, *Cardanum*, *Nierembergium* facit hæc omnia, tanquam exempla ejuſdem generis, in eundem Catalogum referre, & rectè adducere nos poteſt ad concludendum ea adeò cognata eſſe, ut ſi unum eorum *Inſtinctûs* naturalis effectum ſit, cætera omnia conditionis ejuſdem eſſe debeant. Et argumentum noſtrum proximè ſuperius immane quantum valet in poſterioribus tribus exemplis. Nam certo certius, quicquid uſpiam eſt *apum* non ex eodem alveari prodiiſſe, nec proinde peritiam ſuam Architectonicam ab eiſdem doctoribus hauſiſſe; omnes tamen favos ſuos fingunt eodem, ut ità dicam, artificio, eadémque ἀκρίβεια Geometricâ. Quod ad *araneas* attinet, manifeſtum eſt eas eſſe τῶν αὐτομάτως γενομένων, ut *Ariſtoteles* loqui amat, & ex meris ſordibus putríque materia generari. Hæc tamen Inſecta, ut primùm nata ſunt, quaſi officinam aperiunt, textrinæque incumbunt, nullo monſtrante aut inſtituente.

Nobiliſſimum autem atque ad rem appoſitiſſimum eſt *Bombycis* exemplum, qui tam clàm & tectè intra folliculum ſuum opus facit, ac ſi vel invideret ſociis, per ſe ſatìs luſcitioſis, peritiæ ſuæ communicationem, vel infamiam homini iſti conflare cuperet, qui amens auſit naturalem *Inſtinctum* animalculorum hujuſmodi, diſciplinæ & imitationi tribuere. Multùm tamen affines inter ſe ſunt *Avium* nidificatio & *Bombycis* filamentorum conglomeratio: non modò ratione figuræ iſtorum ſerici glomorum, ut ità dicam, qui non adeò abſimiles ſunt nidis avium, verùm etiam finis & uſûs utrorumque. Qui non eò ſpectat ut commodiùs ſe habeat *Individuum*, ſed ad *Speciem* propagandam. *Bombyx* enim cùm varias mutationes atque nomina percurrerit, nempe, ‖ σκώληκα, κάμπην, βομβύλιον, χρυσαλίδα, νύμφην, νεκύδαλον, ψυχήν, in hoc ultimo nomine & mutatione claudit omnia, numeroſâ ſatìs ſobole editâ ad ſpeciem continuandam. Nam cùm ad tertiam mutationem, quâ βομβύλιος vocatur, pervenerit, ex ore ſuo pedibus anterioribus fingit folliculum illum ſeu glomum ſerici ſuprà dictum, ſepulchrum ſic ſibi ſtruens, quod idem tamen & uterus eſt aut incunabulum ipſius, cùm ſtatu χρυσαλίδος exacto (in quo ἀκινητίζει, ut loquitur *Ariſtoteles*, & accedit propè ad ovi formam & naturam) pòſt emergit propiorémque gradum facit ad animantis lineamenta deſtinata, & νύμφη appellatur; mox majorem adhuc vitæ motúſque gradum adepta dicitur ‖ νεκύδαλος, tanquam ſi corpus ejus demortuum vitalem ignem denuo arripuiſſet. In hoc ſtatu non ſoluta jacet, ſed adhæret rurſus cavitati glomi, quem cùm adoleverit perrumpens in *papilionis* forma perfecta viſendam ſe præbet. Quò cùm pervenerit perfectionis, breviſſimam pòſt vitæ uſuram habet. Nam poſt tres quatuórve dies in deliciis Veneris conſumptos, *mas* continuò excedit vitâ; quem *fæmina* brevi pòſt ſequitur; ità verò tamen ut priùs relinquat centena aliquot ova, ad milii modum exigua, numeroſa pignora & inſtrumenta ſpeciei continuandæ. Parens ergo ſobolem ſuam nendi texendíve artem docere quî unquam poteſt?

‖ i.e. *Vermem, erucam, bombycem, aureliam, nympham, necydalum, papilionem. v. Ariſtot.* Hiſtor. Anim. lib. 5. cap. 19.

‖ *An quòd ex campe mortua velut accendatur? νέκυς mortuus, δαίω accendo, unde δαλὸς titio. Martin.*

Hiſtor. Animal. l. 9. c. 7.

‖ *Lib. 2. c. 9. ſect. 9.*

Hiſt. Natur. l. 10. c. 45.

Et tamen *Bombycis* folliculus tam magni eſt artificii tam magníque conſilii, vel potiùs ejuſdem, ac *Hirundinis* aut *Cypſeli* nidus. Cujus fabricam *Ariſtoteles* μίμημα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, imitamentum humanæ rationis nuncupat; quam cùm aves ipſæ non habeant, Agens aliquod ab ipſis diverſum in effectibus iſtis dux iis eſſe debet: quare rectè in ‖ Antidoto concluſi, tam nidificationem avium quàm incubationem earundem haud obſcurum argumentum eſſe Divinæ Providentiæ. Quod de nidorum ſtructura præcipuè intelligi velim; quanquam & loci delectus ad nidificandum fortaſſe non ſit tantùm à levitate corporum, & ab ædium, arborum, fruticúmque frequentatione; verùm & aliquid à dictamine Inſtinctûs ejus, qui ubique illis ſuggerit quod ad ſalutem maximè faciat, & ſæpenumero ſupra captum noſtrum ſagaces eas reddit. Ut ex eo manifeſtum eſt quod *Plinius* refert de hirundinum genere, quæ juxta Copton in *Ægypto* nidificare ſolent, quæ aut non faciunt nidos, aut factos multis antè diebus deſerunt, ſi futurum eſt ut auctus amnis attingat.

Brutis ergo animantibus *Inſtinctum* ineſſe manifeſtum cenſeo, hoc eſt, Inſtigationem aut Impetum ea ſine conſilio, deliberatione, acquiſitáve ſcientia faciendi, quæ nos pro ratione noſtra graviſſimáque conſultatione non poſſumus non probare ut factu commodiſſima. Quod quidem Principium *Scaliger* universè *afflatui divino* aſſimilare videtur. *Inſtinctus dicitur à Natura, ſicut à Diis Afflatio.* Tutiùs verò multò & inculpatiùs hoc dici & applicari arbitror, ubi *Inſtinctus* non tam ſalutem *Individui* quàm commune bonum *Speciei* reſpicit. Nam ſi Impulſus aliquis fiat ab externo Principio in Animantem quampiam ſingularem, tum fit maximè, cùm Animal illud à propria ſua commoditate ſectanda abducitur ad fini publico deſerviendum. Unde enim rectiùs proveniat hæc motio, quàm ab eo, quod non eſt *Ens Particulare*, verùm tale in cujus Eſſentia vitaliter comprehendatur ſcopus & propoſitum communis boni Univerſi omniúmque in eo Specierum rerum, quódque propterea communi illâ Lege Eſſentiali, quæ ipſum eſt, *Individua* cuncta unà colliget & pro re nata impellat ad eas actiones & miniſteria, (ſeu ſupra captum ſeu contra privata illorum commoda) quæ ad conſervationem *Totius* plurimùm conducunt? Hoc illud eſt, quem *Spiritum Naturæ* appellavimus, qui permeat adjuvátque Entia omnia corporea, quíque Vicaria vis Dei eſt (Νόμου ἰσοκλινοῦς, ut Philoſophus Numen vocat) in univerſam mundi materiam. Hic *Araneo* imaginationem ſuggerit nendi texendíque telam, hic *Api* fingendi favos, idem hic maximè *Bombyci* convolvendi ſuum funebrem ſimul & natalem glomum, *Avibus* denique conſtruendi nidos ovíſque ſuis diligentiſſimè incubandi. Sed nimiùm diu inſiſto huic argumento.

Exercit. 307. n. 4.

10. Ex muniis autem multis illis & variis, quæ *Spiritui Naturæ* attribui poſſint, præcipuum, ídque nomini ipſius convenientiſſimum, eſt *Tranſlatio Animarum Brutorum* in materiam iis congruentem; quippe ille communis eſt proxeneta & conciliator naturalium omnium Deſponſationum conjugiorúmque *Formarum & Materiæ*, ſi nobis juxtà cum *Ariſtotele* metaphoricè loqui licet, cujus dictum hoc celebratur, *Materia appetit formam ut fœmina virum.*

Hic *Spiritus* ergo non tantùm valeat motum materiæ cominus dirigere, ſed etiam ſingulares Animas ac Spiritus, ſilentes & inertes, ad materiam eam tranſportare, unde illi apti nati ſunt vitam rurſus recipere. Quæ *tranſportatio* ſeu *tranſmiſſio* ad immenſa ſanè intervalla fieri poteſt; ſiquidem hujus ipſius *ſympathiæ* & *ſynenergiæ* effectus tantus támque longinquus cernitur in vinis æſtuantibus, ut ſuprà notatùm eſt, re minoris multo momenti, vel potiùs (quæ Inſtantia minùs eſt exceptioni obnoxia) in particulis magneticis ab uno Telluris polo ad alterum dirigendis.

Ad ſummam ergo, *Spiritum* hunc *Naturæ* exiſtimare licet quaſi *Præfectum* Hoſpitiis ſupremum Providentiæ divinæ; ità verò ſupremum, ut qui ſolus & ſine ſubminiſtrorum opera, Animæ omni, ubi corpus reliquerit, Manſionem aut Sedem pro dignitate ac merito aſſignare nôrit: & utiliſſimam hypotheſin ſuppeditaret illis, qui Animarum humanarum præexiſtentiæ favent, ad explicandum quomodo eæ huc in corpora transferantur è quacunque longinquitate; quo item modo fortè ſic paretur materia, * ut Animæ præſtantiſſimæ è puriſſimis ætheris regionibus in corpus humanum deducantur, nullâ vivendi morâ factâ in aëre intermedio: poſtremò quemadmodum & Brutorum Animæ non jaceant in æternum inutiles Univerſo, etiamſi terra inidonea prorſus fieret ad Animantis cujuſquam vitam ſuſtentandam.

At enim ſpeculationum hujuſmodi tam vaſta eſt comprehenſio, támque impenetrabilis obſcuritas, ut præ verecundia non auſim his longiùs immorari; præſertim cùm nec inſtitutum noſtrum rectè attingant, & digniores ſint quæ volumen juſtum impleant ipſæ, quàm ut in anguſtis finibus Tractatûs noſtri, jam penè finiti, comprehendantur.

SCHOLIA

In Cap. XIII. Sect. I.

De quorum motu ego quidem cum Carteſio conſentio, &c. *Religio mihi hîc erat, ut videtur, Philoſophiæ* Carteſianæ *in totum valedicere. Nunc verò, ut ingenuè fatear quod res eſt, Ætherea iſta Materia non magìs immediata cauſa materialis eſt deſcenſûs lapidis, quàm lapis ipſe eſt immediata cauſa materialis, aſcenſûs Materiæ Ætheræ, ſed eſt contemporanea ſive ſimultanea actio* Spiritûs Naturæ *in* Lapidem *&* *Materiam* Æthercam *ſimul. Nam Spiritus ille cùm omnia penetret, nuſquam otiatur.*

Liquorum guttas rotundas effici ingenioſè quidem concludit, &c. *Ingenioſum quidem Commentum eſſe poteſt, ſed quàm non ſit ſolidum, intelligere potes ex eis quæ dixi,* Enchirid. Metaphyſ. *cap.* 21.

Sect. 7. Sed quòd ſæpiùs director ejus immediatus ſit Spiritus Naturæ, &c. *Immò verò potiùs ſemper. Cùm univerſus Materiæ Mundanæ motus* Vitalis *ſit, non* Mechanicus *niſi ex Accidenti.*

Sect. 10. Ut Animæ præſtantiſſimæ è puriſſimis Ætheris Regionibus in corpus humanum deducantur, &c. *Id quod prorſus impoſſibile eſſe non exiſtimo. Sed ſuppoſito Animarum deſcenſu graduali è Mundo* Aziluthico *in* Briathicum, *ut loquuntur* Cabbaliſtæ, *&* è Briathico *in* Jetzirathicum, *&* è Jetzirathico *in* Aſiathicum *illiúſque Atmoſphæram, non videtur credibile ullas animas tam immanes facere ſaltus ut ex Mundo* Aziluthico *immediatè in terrenum corpus præcipitentur.*

CAP. XIV.

1. *Objectiones contra* Immortalitatem Animæ *à conditione ipſius in* Infantia, *in* Senectute, *in* Somno, *in* Morbiſque *petitæ.* 2. *Objectiones aliæ deſumptæ ab Experimentis, quæ* diſcerpibilitatem *ejus probare videntur:* 3. *Utì etiam à rara apparitione Animarum defunctorum;* 4. *Et ab inſito nobis metu mortis.* 5. *Subterfugium adverſariorum, unam duntaxat Animam cunctis animantibus communem ſupponentium.* 6. *Reſponſum de exiguitate Animæ in Infantia.* 7. *Item de imbecillitate intellectualium facultatum ejus tum in iſta ætate tum in ſenio.* 8. *Quòd ſomnus omnino non arguit mortalitatem Animæ, ſed potiùs immortalitatem ejus illuſtrat.* 9. *Reſponſum ad Objectionem ab* Apoplexiis *&* Catalepſiis*:* 10. *Ad illam etiam à* Mania. 11. *Quòd variæ depravationes intellectualium facultatum Animæ non magìs arguunt mortalitatem ejus, quàm praviores modificationes materiæ naturalem ipſius annihilabilitatem. Et cur Deus Animas creârit ſympathiam habentes cum materia.*

1. Quod ad Objectiones attinet, quæ contra *Immortalitatem Animæ* vulgò fiunt, moleſtum eſſet & inutile cunctas proponere, cùm è viginti vix una alicujus momenti videri poſſit homini mediocri ingenio & judicio. Difficultates autem quæ urgeri poſſunt maximas in medium proferam, quò pleniùs elucidetur firmiúſque credatur Veritas quam tuemur. Præcipuæ quas ego novi Objectiones in *Immortalitatem Animæ* ſunt iſtæ quinque. Prima petitur à Conditione Animæ in *Infantia* & *Senecta*, in *Inſania, Somno,* & *Apoplexia.* Etenim ſi conſideremus quàm immane diſcrimen ſit inter intellectuales operationes noſtras in *Infantia* deliráque *Senecta*, & in ætate vegeta ac florente; ut ſenſim creſcat Ingenium, tum vigeat pauliſper, & tandem deficiat, eaſdem planè vices ſervans ac mutationes illæ, quas ætas & anni afferunt corpori, quod iiſdem tenetur legibus quibus flores & plantæ; quid aliud ſuſpicari poſſumus, quàm Animam humanam, tam magnificè à doctis prædicatam, non aliud eſſe niſi temperamentum corporis, cum eóque ſimul creſcere & ampliari, & magnitudine & virtute, tum marceſcere moríque demum ità utì corpus; aut ſaltem eam in operationibus à corpore pendere prorſus, & propterea ſenſum ſeu perceptionem nullam ullius rei poſt mortem ſupereſſe? Atque ut commodiſſimo ætatis tempore utatur Anima, non tunc tamen immunis eſt deliquiis mentis illis, quæ à *Somno, Inſania, Apoplexia,* aliiſque id genus morbis proveniunt. Quæ omnia demonſtrant Animam reculam eſſe corpoream & mortalem, quicquid contrà de illa grandius ſentiant & dicant celſiora ingenia.

2. Objectio ſecunda ab experimentis illis ſumitur, quæ Animam probare videntur *diviſibilem* ſenſu craſſiſſimo, id eſt, *diſcerpibilem* in partes. Id quod manifeſtum quidem videtur in vilioribus animalculis, quæ Inſecta vocantur, præſertim τοῖς μακροῖς ϗ πολύποσιν, ut ea deſcribit *Ariſtoteles*, quibus fruſtatim conciſis, ſegmentum quodque motum ſenſúmque ſuum ſeparatim ſibi habere agnoſcit. Luculentiſſimum in hoc genere exemplum habetur in *Scolopendra*, cujus partes diu vivere diviſas, & prorſum retrorſúmque currere affirmat idem *Ariſtoteles*; quam propterea plurium animantium concretorum ſpeciem habere mavult, quàm unius ſingularis, Ἐοίκασι γὰρ τα τοιαῦτα ὧν ζώων πολλοῖς ζώοις συμπεφυκόσι. Non concedet tamen iis plantarum privilegium, quarum ſurculi mandati terræ vivent & germinabunt. Inſtantiæ verò ad hanc Objectionem pertinentes aſſurgunt altiùs; namque inferre volunt & perfectorum animalium partes victuras ſeparatim.

Hiſtor. Anim. l. 4. c. 7.

Ibid.

De Juvent. & Senect. cap. 2.

Duo ſunt præcipua hujus rei exempla. Unum id quod memorat *Fromundus* de Aquila, cujus capite ab agreſti quodam ideo præciſo quòd canem ſuum inſectatus erat, truncum corpus ſupervolavit horreum ſitum propter locum ubi facta eſt cædes. Hoc accidit apud *Fromundi* patrem: neque non probabilis erit narratio, ſi modò animadvertamus quid vulgò uſu veniat columbis anatibúſque decollatis. Exemplum alterum eſt hominis *Antuerpiæ* decollati, cujus caput cùm aſtantium turbam ſaltuatim penetrâſſet, dentibus prehendit aurem canis ſtillantem ſanguinem ligurientis, eámque ità mordicus tenuit, ut ille caſu territus aufugerit capite ad aurem pendente, cum ingenti populi tumultu ac trepidatione. Hoc *Fromundus* accepit ab oculato teſte facti. Abs quibus duobus exemplis rectè inferri poſſe putant, & hominum Animas non ſecus ac perfectiorum brutorum eſſe utraſque *diſcerpibiles*.

De Anima. l. 1. c. 4. Art. 13.

Exemplum illud quod idem Author habet ex *Joſepho Acoſta*, etſi verum, parum tamen ad hanc rem facit. Nam quòd mactatus captivus, corde exſecto, locutus nihilominus ſit, confirmare quidem poteſt *Cerebrum* eſſe *communis ſenſûs ſedem*, neutiquam verò probat *diviſibilitatem* Animæ; illâ tum temporis integrâ manente in corpore poſt exſectionem Cordis, cujus eſt ſpiritus ſuppeditare, qui nondum adeò diſſipati erant, quin ſubitaneæ iſti operationi vitæ ſufficerent.

Vide lib. 2. cap. 7. ſect. 9.

3. Objectio tertia indè deſumpta eſt quòd rarò appareant defunctorum Animæ. Nam ſi apparere poſſunt, cur non ſæpiús? ſi nunquam apparent, magnam ſuſpicionem facit omnino non eſſe.

4. Quarta à metu mortis, & prægravi interdum ſenſu malè ominantis animi, nos penitus mortales eſſe, nihílque poſt mortem expectandum.

5. Quinta & ultima non tam Objectio quàm Subterfugium ità ſe habet. Omnino una eſt Anima, hominum brutorúmque omnium communis, quæ operatur pro diverſitate animalium hominúmque quos actuat & vivificat, ſpeciem quidem ſingularitatis habens pro ſingulis materiæ portionibus quas informat, ſed revera una eſt in omnibus; quâ corporis ſingularitate pereunte, perit & ſingularis homo brutúmque, atque propterea omne animans propriè & omnino eſt mortale. Veriſſimæ hæ ſunt atque appoſitiſſimæ Objectiones omnium quas ego unquam viderim, aut excogitare poſſum de *Animæ Immortalitate*: quibus ordine reſpondebo.

6. Ad primam, quæ graviſſima videtur, aio, neque exiguitatem Animæ in Infantia, neque imbecillitatem intellectualium operationum ejus, aut in iſta, aut in decrepita ætate, probare ſatìs corporeitatem ejus mortalitatémve. Quid mirum enim ſi Anima, in hanc infimam fatalémque conditionem lapſa, ubi ordini Naturæ & reliquorum animalium hìc in terra genitorum legibus cedendum eſt, gradatim ſe explicet de minoribus dimenſionibus ad uſitatum hominis modum; cùm facultas hæc contrahendi dilatandíque ſe eſſentiæ ipſi notioníque omnium Spirituum inſit? quod notavi ſuprá. Nam idem tantùm nunc facit ſenſim & naturaliter, *terreſtris* fati legibus aſtricta, quod poſthac, iſtâ conditione liberata, facit ſubitò & liberè: non per juxta-poſitionem partium aut materiæ intromiſſionem augeſcens, ſed cum corpore ſimul ſeſe amplians per dilatationem ſolùm ſuæ ipſius ſubſtantiæ, quæ una eadémque ſemper manet.

Lib. 1. cap. 3.

7. Debilitas facultatum intellectualium in *Infantia* & *Senio*, minùs adhuc valet ad probandum Animam rem eſſe merè corpoream, nec omnino tangit principia noſtra, qui ob omni vel iniquiſſima de operationibus Animæ ſuſpectione præcaverimus, agnoſcentes ultro pendere illas intimè à temperie & tenore ſpirituum, *immediati Animæ inſtrumenti*; qui cùm torpidiores aquoſioréſque ſint in infantibus & ſenibus capularibus, oberunt Animæ neceſſariò in actionibus iis, quæ alium ſtatum ſpirituum poſtulant, ac qualis in ætate ſenecta primáque pueritia vulgò reperitur: quanquam nolim certiſſimò aſſeverare Animam non poſſe agere independenter à materia. Quod ſi non ità agit, quod veroſimilius eſt, ſequetur neceſſariò operationes ejus leges corporis, quîcum unita ſit, obſervaturas. Unde manifeſtum eſt, *Puritatem* & *Temperantiam* oppidò quàm neceſſarias eſſe ad vim Mentis tuendam & provehendam.

8. *Somnus* verò, quem Philoſophus jam moriens *mortis fratrem* appellabat, quomodo is Animæ mortalitatem magìs arguat, quàm dormientem nunquam expergiſci poſſe, ſanè non video: quin potiùs facit ut meliùs intelligamus, etſi quæ in morte accidunt gravia & horrenda, ſpem omnem tollere videantur, ut iis Anima ſuperſtes ſit; illam tamen, ex recepto Aëris vehiculo vigentiori, expergiſci ſtatim poſſe in pleniorem vegetiorémque, quàm antè, vitæ participationem. Reſpondere etiam licet, *Somnum*, qui ligatio tantùm eſt externorum ſenſuum, motúſque extrinſecùs ingruentis interceptio, nihilo plùs arguere radicalem vitæ & immortalitatis defectum in Anima, quàm viſûs intra conclavis parietes terminatio, per vela feneſtris obducta, cæcita-

Ælian. Var. Hiſt. lib. 2. cap. 35.

cæcitatem arguit in homine ſic concluſo; qui tunc fortaſſis ad lucernam facilè lectitat literas minuſculas, quas mediocris oculorum vis diurnâ luce ægrè perlegere valeret. Nec facile eſt demonſtrare Animam non perpetim occupari & in Somno; quippe cùm multoties in memoriam revocemus inſomnia ex occaſione quapiam caſu oblatâ, quæ niſi occurriſſet, non ſuſpicati eſſemus nos iſtâ ſomniâſſe nocte.

9. Quæ reſponſio, ſicut etiam ſuperior, ad *Apoplexiam*, *Catalepſiam*, alióſque quoſcunque id genus morbos applicari poteſt, & liquidò teſtatur, quàm expedita ad agendum ſit Anima ex debita materia ſuppeditata, útque vita, & ſenſus, & memoria, & ratio, & alia, ſi quæ ſunt, redeant omnia, quamprimum redierit juſta ſpirituum temperies, *Congruitati vitali* illi conveniens, quæ tunc obtinet in Anima & dominatur.

10. Quod ad *Inſaniam* attinet, nullæ ſunt tam phreneticæ cogitationes quin probent Animæ Immortalitatem, non ut phreneticæ, ſed ut cogitationes. Materia enim nihil cogitare poteſt, nec inſanè nec ſobriè, ut abunde ‖ ſuprà demonſtravi. Atque ex depravatis operationibus Animæ non minùs abſurdè concluditur ejus *mortalitas*, quàm à pravioribus ſeu temperamentis, ſeu figuris, ſeu modificationibus quibuſcunque contemptioribus materiæ infertur *Annihilabilitas* ejus, Naturæ vi ſolâ; id quod nemo qui ſapit admittet unquam.

‖ *Lib. 2. cap. 2, 3, 4, 5, 6.*

Equidem Anima variis prædita eſt facultatibus, quarum aliquæ perquam fataliter paſſivæ ſunt, iſtæ nempe quæ cum materia proximè commercium habent, quas non adeò in ſua poteſtate habet Anima, quin levitate & divini luminis neglectu regnandam ſe illis ſubjiciat; quod omnes quidem nimiùm quantùm faciunt, *terreſtri* iſti corpori incarcerati, etſi alii aliis fortunatiores ſunt in audaci hac ſua vagatione de tutiore Statu. Cujus Apoſtaſiæ & aberrationis à ſumma ſua fœlicitate ſi qui graviores cæteris pœnas pendunt, exemplo in iſtos edito benignè monemur, quantum diſcrimen adieramus omnes, quòd hîc ſimus; & unde pauciſſimi tam probè evaſerint, quin ſi cupiditates, conſilia, & facta ſua ad veritatem illam exigere poſſent, cujus olim erant compotes, ingenuè confiterentur allucinationes erroréſque vitæ ſuæ nec leviores, & pernicioſiores eſſe, quàm *Fatuorum* & *Ceritorum*, quorum aut ſtultitiam clamoſè irrident omnes, aut miſeriæ indoleſcunt. Et profectò ſi mortalium animi eò ſobrietatis redigerentur quò per naturam poſſint, tam puderet illos cupiditatum notionúmque earum, quibus ſe totos nunc addicunt, quàm ſanum ex inſano factum pudet inſolentiarum, quas vel dixit vel fecit mentis impos.

11. At varii ſeu gradus, ſeu genera, pravitatis facultatum Animæ intellectualium, ſubſtantiâ ejus indiſcerpibili, non magìs arguunt *mortalitatem* ejus, quàm diverſæ modificationes *annihilabilitatem* materiæ; ut ſuprà innui. Neque eſt quòd quiſquam laboret de tanta inter Corpus & Animam ‖ ſympathia, cùm adeò manifeſtum ſit ità eſſe revera. Nam ſatìs eſt ſecum cogitare, naturam ipſam harum rerum eſſe ut ſic ſint, voluntate ac juſſu ejus qui cuncta condidit. Et ſi materia ſenſum nullum nec cogitationem habeat ipſa, & non habere demonſtravimus, fruſtra eam fuiſſe, niſi Deus Ordinem illum *immaterialium creaturarum*, quas *Animas* vocamus, produxiſſet, quæ cum materia *vitaliter* uniri poterant: quæ propterea, pro diverſis modificationibus ſuis, effectum in Animam diverſum neceſſariò eſt habitura; Animâ interim tam incorruptibili manente quàm materia, quæ mutabilior eſt ipſâ. Namque Materia *diſſipabilis* eſt, Anima verò prorſus *indiſcerpibilis*.

‖ *V. lib. 2. c. 10. ſect. 9.*

CAP. XV.

1. *Reſponſio ad experimentum* Scolopendræ *fruſtatim conciſæ.* 2. *Ad Aquilam decapitatum qui ſupervolavit horreum, & ad hominis Caput mordicus prehendens aurem Canis.* 3. *Difficultas adjecta de Monſtro multicipiti, trunco vero corporis uno & uno Corde.* 4. *Difficultatis ſolutio.* 5. *Reſpondetur de rara Apparitione Animarum defunctorum:* 6. *De metu mortis;* 7. *Et de ſenſu quodam prævalido, qui importunè nobis interdum obtrudit fidem Mortalitatis Animæ.* 8. *De Tragica pompa horrendiſque mortis præludiis, cum monitis quibuſdam, animum contra triſtia iſtiuſmodi ſpectacula corroborantibus.* 9. *Nihil eſſe in Univerſo revera miſerum & acerbum, niſi malis & impiis.*

1. NEque Exempla iſta in Objectione ſecunda quicquam contrà probant, Animam ipſam nimirum reipſa *diviſibilem* eſſe. Validiſſimum eorum eſt Exemplum *Scolopendræ*; quippe quòd diſtractarum partium motus agilior eſt & diuturnior. Nam facilè intelligitur, ſpirituum activitatem, antequam motus eos diſſipaverit, per mechanicam conformationem *Inſecti*, tam neceſſariò effecturam ut fruſtula ejus huc illuc diſcurrant, ac nitratus pulvis ignes miſſiles ſubſultare facit. Atque ideo Animam *Scolopendræ* in uno duntaxat ſegmentorum fore, in quonam verò incertum, veriſimiliter autem pro ſegmentorum ratione. Nam ſi *Veſpæ* caput præſcidas, Anima in truncum ſe recipit; ſin mediam eam ſecueris, in anteriora corporis. Ergo mirum non eſt, capite præſecto, reliquum tamen *Veſpæ* corpus volare tamdiúque motitare alas; quippe Anima etiamnum illi ineſt, & aliquid fortaſſe confert ad ſpirituum directionem pro motu ciendo, non equidem ſenſu duce, ſed conſuetudine aut naturâ: quemadmodum ipſi ambulamus, aliud cogitantes, aut citharam pulſamus, animo interim aliò vagante, ut antè notavi. *Lib. 2. cap. 11. ſect. 8.* Quod minùs adhuc mirum eſt, ubi ſuperiora corporis capiti conjuncta manent; nam tum fortè animalculum non caret ſenſu & phantaſiâ, quo ſpiritus certiùs dirigat ad movendas alas.

2. Prior ille Veſpæ caſus competit in Aquilam decollatum qui ſupervolavit horreum. Hominis autem caput, quod canem aure prendebat, plus difficultatis haberet (utpote in quod non adeò quadrare videtur poſterior veſpæ caſus) niſi quòd conſtet dentes in *lipothymia* tenaciſſimè conjungi. Ut caput ergo rictum reciprocabat, auris canis ſanguinem lambentis in apertum os caſu dependebat, quod tum ſe comprimens immiſſam aurem adeò mordicus tenuit, ut delabi nequiret.

Præterea non prorſus eſt improbabile, præſertim cùm hominum alii ab infimis membris corporis, alii à ſupremis incipiant mori, quin Anima in decollationibus iſtis aliàs in caput, aliàs in reliquum corpus recipere ſe poſſit, prout alterutrum altero magìs ſpiritibus abundet; & caput hocce robuſtiori ſubſultatione plenum iis fuiſſe videtur. Multa etiam hujus generis accidere poſſunt per activitatem *Spiritûs Naturæ*, qui fortean æquè ſatagit in animalium ruinis, quamdiu ſpiritus ſuperſint, ac in fluidis eorundem rudimentis, cùm primùm generantur. Sed cùm ſuperiora reſponſa ſufficiant, in novo hoc argumento plura dicere foret ſuperfluum.

3. Secundæ huic Objectioni adjici potuere *Fœtus* illi *monſtroſi*, qui *Perceptivam* partem Animæ in duo aut plura actu diviſam ſignificare videntur. Diſertè enim affirmare videtur *Ariſtoteles*, monſtroſum fœtum illum, qui duo habet corda, duo eſſe animalia, qui unum tantùm, unum. *De Gener. Animal. l. 4. cap. 4.* Unde ſequetur & unam tantùm eſſe Animam in *Monſtro unicordi*, etiamſi duo vel plura habeat capita; unde porrò patet, unius iſtius Animæ partem *perceptivam* in duo vel plura actu dividi debere. Huic ſententiæ *Ariſtotelis* aſſentitur *Sennertus*, *Epitom. Scient. Natur. lib. 6. cap. 1.* atque ideo cenſet monſtroſum illum fœtum, imperante *Theodoſio*, *Emmai* natum, *bicipitem* & *bicordem*, duos fuiſſe homines; alterum verò illum natum Anno 1531 *bicipitem* at *unicordem*, qui in virum adoleverit, unum tantùm hominem fuiſſe. Quod ex eo adhuc manifeſtius arbitratur, quòd utrumque caput in eaſdem perpetuò actiones conſenſionem ſuam teſtabatur, eundem habebat appetitum, eandem famem ſitimque, ſimili planè voce loquebatur, eandem cupiditatem cum uxore ſua conſueſcendi, aliarúmque omnium actionum ad naturam exonerandam. In altero verò illo qui duo corda habuit, & ad umbilicum uſque diviſus fuit, eadem conjunctio & conſpiratio affectuum & cupiditatum non reperiebatur, ſed hic modò quidpiam volebat, modò ille, aliàs colludebant, aliàs pugnabant.

De Gener. Animal. l. 4. cap. 4.

‖ *De Juvent. & Seneƈt. cap. 3.*

* *Lib. 2. cap. 7. ſeƈt. 8, 9.*

4. Sed reſpondeo, & primùm ad locum *Ariſtotelis*, non adeò confidenter aſſerere Philoſophum, monſtrum omne quod unum tantùm habeat caput, unum duntaxat eſſe animal. Nam verba ejus ità ſe habent, Ἐν δὲ εἶναι τὸ ζῶον τὸ τερατῶδες ἢ πλείω συμπεφυκότα δεῖ νομίζειν κατὰ τὴν ἀρχὴν, οἷον εἰ τοιοῦτόν τι ἐστὶν ἡ καρδία μόριον, τὸ μὲν μίαν ἔχον καρδίαν ἓν ζῶον. Ubi hypotheticè tantùm loquitur, non ait aſſeveranter Cor eſſe partem illam in qua primum inſit vitæ Principium, & unde reliqua in Anima & in Corpore vita derivanda ſit. Cor quidem ‖ alibi facit Sedem communis ſenſûs; hoc autem erroneum eſſe * ſuprà demonſtravimus, nec ipſe ſuæ ſententiæ certus videtur; minore igitur cum offenſione licet illam prætermittere, atque affirmare (ídque indubitanter) Monſtrum pro numero capitum unum Animal eſſe vel plura, & tot Animas diſtinƈtas eſſe quot capita in monſtroſo Fœtu. Sed cùm à capitibus deorſum corpus ſit unum tantùm, & Cor unum, capita iſta in affeƈtibus omnimodè concordent & conſentiant neceſſe eſt; quippe quæ ſanguinem & ſpiritus abs uno fonte habent, & paſſionum cupiditatúmque ſedem communem. At proculdubio caput alterum connivens alterius oculis cernere non potuit, nec ſi alterutrum pupugiſſes, ſentiret alterum: quanquam veriſimile eſt, quicquid infrà infligebatur utrumque pariter ſenſiſſe; utrâque Animâ æqualiter aƈtuante Monſtri corpus, ſingulis verò capita ſingula. Quo ſatis reſpondetur ad **Sennertum.**

5. Objeƈtionis tertiæ infirmitas ex eo manifeſta eſt, quòd *Spirituum* omnium exiſtentiam perinde tollit, atque *Animarum* defunƈtorum. De quorum tamen exiſtentia nemo dubitare poteſt, qui non ad ſtupiditatem uſque eſt incredulus. Aimus ergo *Animas hominum*, quæ eâdem conditione ſunt quâ alii Spiritus, interdum, etſi raròò, apparere. Quod in utriſque fit, partim ob difficultatem vehicula ſua redigendi ad conſiſtentiam alienam & incongruam, partim quòd cauſas apparendi non habent, partim denique quòd non licet illis facere quicquid libet, nec eſſe ubi velint.

6. Quod ad metum mortis, & ſenſum illum prægravantem attinet, qui adeò imperioſè nonnunquam animo ingerit omnino nos mortales eſſe: ad primum reſpondeo, Metum illum effeƈtum eſſe neceſſarium Unionis noſtræ cum corpore, & ſi agnoſceremus eum unum eſſe ex vitiis ſeu infirmitatibus naturæ, quas ex eo contrahimus quòd in hoc Statu ſimus, reſponſum eſſet ſolidum. Atque ideo metus hic & præſagitio mali in morte argumento non eſt quidquam mali in ea eſſe revera; nec ei quicquam magìs auſcultandum eſt, quàm prædiƈtionibus fanatici cujuſvis homuncionis, qui vaticinatorem haberi ſe vult. Præterea, ut metus hic & averſatio nobis inſit, multùm expedit, quo ſtationem hanc tueamur in qua nos Providentia collocavit; alioquin indignatiuncula quævis ſuaderet ut ex hoc mundo migremus, & fortunam noſtram in altero periclitemur; quo faƈto terram traderemus habitandam Brutis, quæ ab Hominibus coli debet & adminiſtrari.

Vid. Cabb. Philoſoph. c. 3. verſ. 20, 21, 22.

7. Reſpondeo ad alterum, Concluſiones iſtiuſmodi pertinaciores non aliud eſſe niſi impoſturas Melancholiæ, aliorúmve vitiorum ſanguinis marcidorum putidorúmque quæ Imaginationem lædunt; Imaginationem autem nihil probare, Axiom. 4. Et quamvìs Anima in æthereo ſuo vehiculo, tanquam in throno, collocata perquam magnifica res ſit, divino amore, majeſtate, tranquillitatéque plena; illam tamen in præſenti hoc ſtatu ſuo, ubi ſordibus & tenebris terreſtris corporis obſita aggravatur, timoribus, ſuſpicionibus, aliiſque animi perturbationibus plurimis obnoxiam eſſe, quarum licèt Objeƈta ludibria mera ſint, certam tamen Animæ moleſtiam & anxietatem in hac ſua captivitate cuſtodiáque pariunt.

Æneid. 6.

Quam conditionem ejus incomparabilis Poëta, idémque *Platonicus*, vivè quidem exprimit in *Æneide* ſua; ubi liberiorem puriorémque ſtatum illum Animarum in cœleſtibus ſeu igneis ſuis vehiculis conferens cum earundem in terreſtri hoc barathro coertione, brevem hanc verámque ſummæ rei deſcriptionem facit.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus; quantum non noxia corpora tardant,
Terreníque hebetant artus, moribundáque membra:
Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntque, nec auras
Reſpiciunt, clauſi tenebris & carcere cæco.

Hæc eſt calamitoſa in terris conditio Animarum graviùs lapſarum; quibus corporis motus ità prorſus imperitant, ut præcipites ferantur ad aſſentiendum ſuggeſtionibus atque imaginationibus omnibus quas Corpus ipſis confidentiùs obtrudit; quarum illa de mortalitate Animæ non eſt leviſſima.

Atqui Melancholicæ hujuſmodi Imaginationes, quæ tam imperiosè animum adigunt ad credendum nos morte penitùs extingui, ad idem probandum nihilo plùs valere debent, quàm valeat ſimilis deliratio eorum, qui cùm adhuc viverent, mortuos ſe tamen eſſe firmiſſimè crediderunt; & quòd victu omni mortuos carere putarent, noluerunt idcirco quicquam comedere, donec inducti fraude familiarium, qui funereis linteis involuti menſæ accumbebant largiúſque veſcebantur, & ipſi ſimiliter cibum ſumerent, & ſic ſervati ſint.

8. Fatendum quidem eſt funeſtam pompam atque apparatum moriendi, qui functiones animi depopulatur, in delirationem aut furorem mentem adigit, ipſúmque vultum terribilem & furialem, vel faciem ſaltem miſerè pallidam ac emaciatam reddit, tanquam ſi de Anima ipſa tantùm non conclamatum eſſet; fateor, inquam, hæc animoſiſſimum quemque perculſura, & ſuſpicionem injectura interitûs univerſi, ubi tantam mutationem factam videat. At quanquam in tam triſti ſpectaculo lachrymis inundetur intelligens & benignus Animus, ſpes tamen ejus & fiducia tuti Animæ tranſitûs in alterum Mundum omnino non minuitur; nec aliter movetur ac ſolent humaniores Tragœdiæ artificioſæ ſpectatores, ubi perſonæ illæ, quarum vel virtus, vel calamitas, vel utrumque, ſtudium & favorem ſpectantium conciliaverit, cernuntur tandem ſanguine ſuo volutatæ, & poſt diros aliquot gemitus anhelitúſque laborioſos, extentæ jacent in Scena ut planè mortuæ: indè verò pertractæ, rectè ſe vivere & valere ſentiunt; & in proſcenio cum ſuo grege vino ſe verè recreantes poſt fictos mortis dolores, permittunt facili turbæ teneris ſuis affectibus indulgere de malo quod nunquam accidit.

9. Metus ergo atque averſatio mortis, luctus item comes ejus, argumento non ſunt quo minùs ei ſimus ſuperſtites, nec niſi juſti ſunt affectus eorum, qui nobilem illam *Tragico-comœdiam Univerſi* ſint ſpectaturi; cujus Argumentum cùm abs *Sapientia Bonitatéque infinita* inventum & diſpoſitum ſit, non poſſumus non exiſtimare repræſentationes luctuoſiſſimas *ſpeciem* eſſe duntaxat, delectationem autem *veram* & *realem* omnibus qui improbi ac impii non ſint; & quod in hoc Mundo homines imperiti *malum* vocitant, eſſe tantùm tanquam Umbras in tabula picta, aut lugubres ſonos in cantione, quibus illius pulchritudo vividior & expreſſior, harmonia hujus jucundior ſuaviórque efficitur.

CAP. XVI.

1. *Quod propriè ſumus &* ſentiens *eſt &* intelligens. 2. *Quæ vera notio ſit* Unitatis Animæ. 3. *Si una tantùm ſit Anima in Univerſo, eam tum* rationalem *eſſe tum* ſentientem. 4. *Commodiſſima explicatio Dogmatis eorum, qui* Unam *duntaxat aſſerunt.* 5. *Confutatio iſtius explicationis.* 6. *Replicatio ad confutationem.* 7. *Reſpondetur ad Replicationem.* 8. *Animam humanam propriè non eſſe* Radium *nec* Dei *nec* Animæ Mundi. 9. *Quòd ſi ſit, non tamen ex eo periclitari* Immortalitatem ejus: *unde* Pomponatii *ſtultitia perſtringitur.* 10. *Notatur porrò inſcitia* Pomponatii, *qui numerum certum* Intelligentiarum *longè diſſitarum concedens, inficiatur tamen* particulares ſubſtantias immateriales, *in Hominibus Brutiſque.*

1. Quod ad ultimam Objectionem, vel Subterfugium veriùs, attinet eorum, qui Animas ſuas immortales eſſe nolentes, idcirco obtendunt nullam ſe habere à communi *Mundi Anima* diſtinctam, quo ipſo tamen agnoſcunt Rationis aliarúmque Facultatum operationes, quarum nobis ipſi conſcii ſumus, abſque Anima peragi non poſſe; facilè oſtendemus Commenti hujus cùm falſitatem tum inutilitatem ad eorum rationes, qui poſt inſolentia facinora in hac vita perpetrata, elabi ex exiſtentia nimiùm vellent. Etenim manifeſtò verum eſt, *id* quemque eſſe maximè, quicquid ſit, *quod*, in ſe, animadvertit; nam *animadverſio* talis operatio eſt, quam nullum Ens aliud ipſius vice peragere poteſt. Tum quod in nobis animadvertit, percipere & cognoſcere non tantùm operationes *intellectuales* & *rationales*, ſed etiam omnes omnino *ſenſationes* quarum conſcii ſumus, ſive in corpore noſtro ſive in objecto externo terminentur. Ex quo manifeſtum eſt, id quod ſimus & *ſentiens* eſſe & *intelligens*.

2. Si porrò rectè perpendimus, quid in vera familiaríque notione *Unitatis Animæ* comprehendatur, evidentiſſimum erit eam in hoc maximè eſſe ſitam, nimirum, *Ani-*

madverſivum ejus unum eſſe, neque ſenſationem ullam *perceptionémve* cujuſmodicunque in Anima eſſe, quæ non communicetur ac innoteſcat *Animadverſivo* toti.

3. Ex his præmiſſis ſequitur neceſſariò, ſi una duntaxat Anima ſit in Univerſo, Animam illam eſſe & *Rationalem* & *Senſitivam*; tum quicquid doloris, voluptatis, aut ſpeculationis, in unius cujuſpiam Anima inſit, idem futurum in omnibus; immo nec poſſe quenquam verberare canem, aut equum calcaribus concitare, quin dolor ejus in ſe redundaret: quod planiſſimè repugnat experientiæ, ideóque craſſiſſimè falſum eſt. De veſana hac hypotheſi tam plenè dixerim, támque abunde eam refutârim in Poëmatis meis, ut non opus ſit quicquam hîc adjicere.

4. Verùm nè præciſè nimis agam cum adverſariis, commodiſſimam quam poſſumus proponendi dogmatis rationem excogitemus, & fingamus, tametſi hæc Anima Mundi per ſe ſit ubique ſimilis, & facultas animadverſiva per eam totam pariter vigeat, quoniam tamen implicita eſt corporibus diverſimodè conſtitutis, *Animadverſionem* ad eam unam materiæ partem quam actuat reſtringi; ad reliquas autem operationes omnes tum *ſenſitivas* tum *intellectuales*, peractas à ſe foris in hominibus aliis, ſtupere planè nec ſentire omnino: rem ſanè captu difficillimam, & repugnantem prorſus Ideæ Unitatis Animæ, non eſſe ſibi conſciam ſuarum ipſius perceptionum. Poſſibile verùm eſto, & ſupponamus ſingulas Animæ Mundanæ partes, radios ſaltem ejus vitales, ſingulos homines informare; nihilominus tamen difficultatibus graviſſimis laborabit hæc Opinio.

Nam ſi Animæ Mundi partes aliæ alias materiæ partes informant, tum cùm quis locum mutat, aut partes Animæ Mundi à ſe invicem divellet, aut Animam mutabit identidem; mirum ergo ni *Mentem* quoque mutet, & *Memoriam* perdat. Niſi fortè dixerint partem quamque Animæ Mundi, novo corpore ſibi applicato, perinde in eo agere ac egiſſet pars illa quam corpus reliquerit, ſi modò mutatio aut alteratio nulla corpori acciderit: quare partem quamque Animæ Mundanæ eas ipſas cogitationes, errores, veritates, recordationes, dolores, voluptates habituram, quas habuerat pars altera quam Corpus nuper deſeruit. Ità ut ipſummet eſſe exiſtimaturus ſit quiſque, quocunque incedit, tametſi hic ipſemet nihil aliud ſit præterquam Anima Mundi in certo quopiam corpore agens, retinénſque & ſibi renovans eventuum, impreſſionum, motuum, cogitationúmque omnium memoriam, quas antè in ſingulari iſta materiæ organizatæ portione perceperat. Hæc dogmatis hujus explicatio commodiſſima eſt, quæ excogitari poteſt: Quam illis relinquo, qui in myſteriis hujuſmodi animum occupare amant, ut experirentur nunquid ſani rectíque ſenſûs ex ea elicere valeant.

5. Jam verò illum, qui poſſibilem rem eſſe putat, rogo, ex iſthac hypotheſi, quis ipſe ſit; ſanè negare non poteſt, ipſum ſe *rem* eſſe *percipientem* & *animadvertentem*, quod corpus non eſt, ſéque propterea non eſſe corpus; quare ipſe eſt id ſui quod propriè appellatur Anima: at non operationes Animæ, ob rationem jam dictam; quoniam illæ nihil percipiunt, ſed Anima illas inter exerendum percipit: nec Facultates, quia non percipiunt aliæ aliarum operationes; quod autem cujuſque eſt *is ipſe*, id cunctas eas percipit: quapropter dicat oportet ſe eſſe Animam; cùm verò una duntaxat Anima ſit in rerum natura, Animam Mundi ſeſe eſſe jactet neceſſe eſt. Sed enim hæc jactantia ſtatim concidet, ſi modò ſecum cogitet Animam Mundi perinde fore cujuſque Ipſeitatem ac ſuam; unde ſingulus quiſque erit omnes homines, & omnes viciſſim quiſpiam ſingularis homo: quod Metaphyſicæ Logicæque legibus omnibus planiſſimè contradicit.

6. De his autem monitus incommodis pronunciabit cautiùs, neque ſe eſſe dicet Animam Mundi in univerſum, ſed quatenus duntaxat illa ſe expedit exerítve in Senſum & Memoriam notionum impreſſionúmque omnium earum, quæ ei accidunt ubicunque cum ſuo corpore unita ſit; hocce autem corpore ſuo diſſoluto & diſſipato, illam non ampliùs cogitationes ſenſúſve certos illos excituram, qui Unionis iſtius erant proprii; itáque actionum, notionum, impreſſionúmque memoriâ earum, quæ unà continebantur ut ad ſingulare corpus pertinentes, amiſſâ & abjectâ cum corporis interitu ad quod pertinebant, *Ipſeitatem* ſeu *Perſonalitatem*, quæ in hoc uno maximè ſita erat, morte neceſſariò interire.

Hoc illud eſt profectò quod *Libertini* multi (ſi animi ſui ſenſa noverint) valde volunt, qui ſe ipſi in altero Mundo offendere verentur, nè propter ſua in hoc malè facta ſibi ipſi ſuccenſeant & convicientur. Et ſanè ſpecioſiſſima eſt hypotheſis, quam in uſum ſuum concinnare queunt, multóque præferenda ignavo iſti dogmati aliorum, qui præter materiam meram nihil eſſe cenſent in rerum Univerſitate; quod infinitò plùs patet refutationi.

7. Attamen & hoc anguſtius eſt tegumentum, quàm ut ſub eo lateant à diris illis malis tuti, quæ in vita poſtera meritò expectare debeant. Nam primùm, neceſſariò fatendum eſt illis, ſe tam proprium támque ſuum habere ſenſum doloris, voluptatis, tranquillitatis angoríſque Conſcientiæ, aliarum item impreſſionum, ac ſi haberent de ſuo ſingularem Animam, abs Anima Mundi & alîus cujuſque diſtinctam; & ſi ſunt *Dæmones* ſeu *Genii*, ut ‖ certè ſunt, cum iis quoque rem ità ſe habere. Tum à nobis demonſtratum eſt, Senſum & Perceptionem omnem immediatè in Anima excitari ‖ à ſpiritibus; quâ ergo fiduciâ ſpondere ſibi queant, terreſtris hujus corporis interitum tractus omnes & veſtigia ſuæ hîc in terris exiſtentiæ obliteraturum? cùm reliquiæ corporis ſubtiliores Animam Mundi, ut videtur, determinare poſſint in eundem ut antè tenorem cogitandi, ab eáque elicere actionum omnium hujus vitæ memoriam, faceréque ut de iis judicium ferat, facere item ut exhalationes terreſtris corporis maximè vitales concinnet in Vehiculum Aëreum, ſimilis planè naturæ cum fermento rudimentorum horum vitæ materialium, è ruina corporis morte diſſoluti ſervatorum.

‖ *Antidot. lib. 3. c. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, &c.*

‖ *Lib. 2. cap. 8, 9.*

Mundi enim Animæ leviſſima quæque inchoatio ſufficit ad integram deinceps Scenam perficiendam; & ſic quiſque ſibi aliiſque in altero Statu, velit nolit, repræſentabitur, támque diſtinctam illic habiturus eſt *Ipſeitatem perſonalem*, quàm in hac vita habuiſſet. Unde conſtat falſam hanc Hypotheſin, Nos ipſos nihil eſſe præter Animam Mundi in corporibus noſtris agentem, non omnino profuturam iis, qui cupidè ſic cenſent volúntque, nec à futuro periculo tutos reddituram, etiamſi vera haberetur. Falſam autem eſſe ex Unitatis Animæ notione antè demonſtravi.

De cujus demonſtrationis veritate certiores erimus, ſi attendimus Elementa ſubtilia, quæ perceptionum Animæ noſtræ vehicula ſunt immediata, per Animam Mundi univerſam continuari, & in animantia cuncta inſinuare ſe. Quâ re fiet neſſariò, ut Anima Mundi in ſingulo quoque perdoceatur, quicquid ipſa ubique cogitet aut ſentiat, ſi illa unica ſit Anima quæ omne in terris animal actuat. Unde Sol, Stellæ, & Planetæ in vera ſua magnitudine nobis apparerent, ſiquidem in eadem illa magnitudine percipiantur ab iis Animæ Mundi partibus, quæ non plùs juſto intervallo ab illis abſunt.

8. Alterum hac in re commentum opinantium, Animam noſtram Radium vitalem eſſe Animæ Mundanæ, magnam ſibi authoritatem comparare poteſt ex veterum Scriptorum dictis, qui favere ei videntur: velut ex illo ‖ *Epicteti* dicentis Animas humanas eſſe συναφεῖς τῷ Θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα. Et *Philo* animum hominis nuncupat τῆς θείας ψυχῆς ἀπόσπασμα, οὐ διαίρετον· & *Triſmegiſtus*, ὁ νοῦς οὐκ ἔστιν ἀποτετμημένος τῆς οὐσιότητος τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἡπλωμένος καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς. Quæ dicta omnia Animam humanam faciunt vel *Animæ Mundanæ* vel *Dei Radium*. Verùm animadvertendum eſt, ea omnia tranſlatè eſſe dicta, hoc autem iis ſignificari, Emanationem eſſe ſubſtantiæ ſecundariæ è ſingulis partibus Animæ Mundi, ad inſtar radiorum Solis. Quæ concipiendi ratio, licèt alterâ facilior, ſatis tamen & ipſa difficultatis habet. Nam vitalis hic Radius caput aliquod habere debet unde protendatur; & ſic corpus eſſet inſtar avis funiculo vinctæ, qui multùm ſanè produceretur cùm quis itinera longinquiora mari facit, putà ad *Indias*; quæ tamen longinquitates neutiquam conferendæ ſunt cum annua noſtra in Tellure navigatione à *Libra* ad *Arietem*. Quòd ſi non *Radium linearem*, ſed *Orbem* particularis vitæ mavultis; Orbis omnis hujuſmodi immane quantum vaſtus eſſe debet, nè corpus extra fines Animæ peregrinetur. Præterea, Orbis iſte per alia quoque corpora perinde ac ſuum trajiciet, & corpus ſuum aliàs in aliis ipſius partibus erit; quæ Incongrua & Inconcinna ſunt animi noſtri facultatibus ingratiſſima.

‖ *Vid. Lipſ. Phiſiol Stoic lib. 3. Diſſert. 8.*

Infinitò igitur elegantior & conſultior eſt Notio illa, quæ Animam exæquat dimenſionibus Corporis, & à nulla re alia eam dependere facit niſi Creatoris ſui *Voluntate* & *Eſſentia*; quæ cùm omnino eadem ubique ſit, utì etiam *Potentia* ejus, *emanativa* Animæ ſuſtentatio planiſſimè eadem eſt atque habuit in primo ſuæ productionis ſtatúſque aſſignati momento. In qua quidem dependentiæ ratione *Radius Dei* dici poteſt, quemadmodum reliqua quoque Creatio; in nullo verò alio ſenſu, quod ſcio, niſi fortè ſimilitudinis; quippe cùm Anima *Imago Dei* ſit, ſicut Radii ſunt Solis.

9. Sint verò ſingulæ Animæ ſinguli Radii Animæ Mundi; quid indè proficitur, cùm in Radios iſtos ſingulæ *Congruitates vitales* æquè competere poſſint, ac in Animam ità intellectam utì nos deſcripſimus? proinde perſonalitas, memoria, & conſcientia tam certò redibunt vel manebunt in altero Statu, ſecundùm hanc hypotheſin, ac ſecundùm alteram uſitatiorem. Quod etiam prodit inſignem ſtultitiam *Pomponatii*, (& quotquot ejuſdem ſint farinæ) qui adeò quidem æquus eſt & conſultus ut non neget *Apparitiones*, tribuit verùm eas omnes ſyderum influxui, vel potiùs cœleſtium

De Immort. Anim. c. 14.

orbium Intelligentiis. Quæ cùm vitam animationémque dent brutis animalibus, quidni etiam poſſint, ut fert occaſio, aërem in figuram formámque ità animare & actuare, ut formæ ſic factæ inter ſe loqui & diſſerere valeant? Ad hunc modum enim *Pomponatius* in libro de Immortalitate Animæ argumentatur, ex conceſſione Aquinatis iſta, viz. Angelos Animáſque ſeparatas aërem fingere poſſe in certam formam, & per eam loqui; *Quare igitur* Intelligentiæ *moventes corpora cæleſtia hæc facere non poſſunt cum ſuis inſtrumentis quæ tot ac tanta poſſunt, quæ faciunt Pſittacos, Picos, Corvos, & Merulas loqui?* Et paulò infrà ab *Intelligentiarum* virtute generandorum animalium apertè infert, non eſſe mirum ut tales *Apparitiones* excitarent quales in Hiſtoria memorantur.

De Immort. Anim. c. 14. pag. 114, 115.

Veruntamen ſi *Intelligentiæ* cœleſtes ſuos intra orbes concluduntur, ità ut Eſſentia ſecundaria nulla ad regiones haſce inferiores pertingat, intelligi non poteſt quemadmodum materiam hîc infrà actuent. Quòd ſi *Emanationes* eſſentiales ejuſmodi ab illis prodeunt, quibus materiam actuant in Species animatas eas, quas in mundo cernimus, *Hominum* & *Brutorum*; nihil obſtat quo minùs eædem Emanationes manentes actuent & Aërem, terreſtri hâc compage diſſolutâ, & memoriam retineant rerum hîc geſtarum, atque ità *Perſonalitas* noſtra tam perfecta támque diſtincta ſervetur, ac hîc antè fuerat.

10. At commentum hoc *Pomponatianum* multò ineptius eſt ſententiâ eorum, qui Unam Animam Mundi, per materiam omnem Univerſi permeantem, & in omni loco præſentem, facere docent, quicquid uſpiam facinorum faciendum ſit. Tot autem Entia intellectualia agnoſcere quot finguntur Orbes cœleſtes, dubitare [illegible]ò an ſint, vel potiùs certum videri non eſſe, tot Animas ſingulares quot Homines, profectò hominis eſt haud ſatìs ſani & libidine non ratione judicantis. Perinde enim conſentaneum eſt octingenta millia myriadum Entium intellectualium & immaterialium, realiter inter ſe diſtinctorum, agnoſcere, atque octo; & numerum infinitum, atque unum, quod materiam Univerſi creare non potuit. Nam tum duæ ſubſtantiæ altera ab altera prorſus independentes concederentur, ſicut etiam infinitæ partes materiæ, quarum nulla una pendeat ab altera.

Quidni ergo numerus infinitus *Spirituum* aut *Animarum*, nihilo plùs invicem dependentium, eſſe queat, pariter ac octo *Intelligentiæ*? maximè cùm motus atque operationes animalis omnis certius indicium ſint Immaterialis Entis inhabitantis, quàm converſiones cœlorum ſunt diſtinctarum *Intelligentiarum* Orbibus, ſi quos habent, inſidentium; neque inſolentius ſit multitudinem infinitam tam *Immaterialium* quàm *Materialium* Eſſentiarum, aliarum ab aliis independentium, concipere, quàm duas tantùm, *Materiam* & *Animam Mundi*. Si verò tam præclarum exiſtit Principium, ut certè exiſtit, quod creare res poſſit; plùs adhuc certi ſimus *Spirituales Eſſentias* innumerabiles eſſe, cunctis præſentis hujus vitæ caſibus ſuperfuturas, quemadmodum graviſſimi intelligentiſſimíque omnium omnino ſeculorum viri clarè teſtati ſint.

CAP. XVII.

1. *Cùm Author Animam per media mortis diſcrimina in Aeream conditionem ſuam ſalvam perduxerit, meritò excuſandus eſſet ſi non ultrà illam proſequeretur.* 2. *Quæ eum cauſæ moveant ad diſpiciendum quæ poſtea fata Animæ accidere poſſint.* 3. *Tria poſt hanc vitam diſcrimina ſubit Anima, quibus, ut ſentiunt nonnulli, iterum morti obnoxia eſſe poteſt.* 4. *Aereos* Genios *mortales eſſe, triplici teſtimonio confirmatur.* 5. *Primum ſumitur ex* Facii Cardani *Viſo, in quo Spiritus, qui ei apparebant, mortales eſſe ſeſe ſunt profeſſi.* 6. *Quamdiu apud eum commorati ſint, & quibus de rebus diſputârint.* 7. *Quam fidem* Hieronymus Cardanus *patris ſui Viſo adhibeat.* 8. *Teſtimonium alterum ex* Plutarcho, *de morte* magni Dei Panis. 9. *Tertium eſt* Heſiodi, *cujus ſententiam expurgavit & expoliit* Plutarchus. 10. *Singulatim enumerantur paradoxa quæ in* Facii Cardani *viſo continentur.* 11. *Qui ſit paradoxi tertii intellectus, ſi* Aërei *iſti* Speculatores *ex animi ſententia loquerentur.* 12. *Altera Hypotheſis eòdem faciens.* 13. *Fraus* Dæmonum *iſtorum in furtim inſinuando peſtiferum errorem inter Veritates ſolidas.* 14. *Quid mortis* Panis *hiſtoriam faciat ad rem minùs pertinentem;* *ſubjiciuntur Obſervata* Demetrii *de* Inſulis ſacris *juxta* Brittaniam. 15. *Sententiam* Heſiodi *omnium minimè exceptioni patere, ſpeciéque duntaxat non re duram eſſe.* 16. Vehiculum æthereum *in Immortalitate perfecta collocare Animam.* 17. Heroicè bonis *nihil intùs obeſſe, quo minùs poſt mortem aſſequantur beatitudinem ſempiternam.*

1. ANimam jam ſalvam in alterum Statum perduximus, & in eadem conditione cum *Geniis Aereis* collocavimus, objectionibus omnibus non obſtantibus quæ contrà afferebantur. Meritò excuſandus ſim, ſi hîc valedicens illam illi ſorti committerem, quæ inviſibilis mundi Incolas manet: quippe quòd illîc verſantibus congruentius ſit meditari animóque præfigurare quæ ventura fata ad ſe pertineant, quàm nobis qui nondum eò trajecerimus. Satìs eſt demonſtrâſſe, nec *Eſſentiam* nec *Operationes* Animæ extingui morte; ſed aut nè intermitti quidem, aut ſtatim ex recepto corpore Aëreo reſuſcitari.

2. Veruntamen cùm quos vel minimùm de rebus hiſce cogitare juvat, raró vagantem mentem intra quos velint fines ſiſtere & concludere poſſint, cúmque proclive illis ſit dubitare permanentíſne vitæ in altero Mundo certa eſſe poſſit Anima, (non repugnat enim ut *Vitalis* ejus *Congruitas* certo elemento propria, aut ſponte ſuâ expiret, aut ut Anima ipſa aliquâ negligentiâ ſuâ *Congruitatem* unam debilitet, aliam ſuſcitet, aliquatenus, & ſic fato ſe faciat obnoxiam;) non poſſumus idcirco quin neceſſarium quodammodo exiſtimemus difficultates iſtiuſmodi diſſolvere, nè victoriam primo conflictu partam perdere videamur prælio inſtaurato, néve committamus ut ſuſpicetur aliquis Animam omnino immortalem non eſſe, ſi *Immortalitas* ejus à futuris fatis omnibus incolumem eam ſervatura non ſit.

3. His fatis Anima ſubjici videtur ratione triplici. Primam earum, quæ ad internum Principium reſpicit, ſignificavimus proximè, viz. Periodicos terminos *Congruitatis Vitalis*, aut Levitatem & Delicta ſuæ ipſius voluntatis. Quæ ejus fato Subjectio pleniùs adhuc ex eo arguitur, quod de *Geniis Aereis* (quorum ſocia & civis eſt) affirmatur; nam Philoſophi haud pauci mortales illos eſſe ſtatuunt. Reliqua duo diſcrimina Animæ impendentia ſunt externa, nempe, *Conflagratio Mundi* & *Solis extinctio.*

4. Ad confirmandam *Geniorum Aereorum* mortalitatem, tria præcipua teſtimonia afferuntur. *Facii Cardani* Viſum, *Mors magni Dei* Panis è *Plutarcho*, & Sententia *Heſiodi.* Quæ primùm plenè deſcribam, ut ſuo quodque in loco invenio, tum ad ſingula ordine reſpondebo. *Facii Cardani* Viſum accuratiſſimè refertur abs *Hieronymo* *De Subtil. lib. 19.*
filio in *de Subtilitate*, in hunc modum.

5. Patrem ſuum *Facium*, qui confeſſus eſt ſe *Spiritûs Familiaris* conſortio triginta circiter annos continuos uſum, ſequentem hiſtoriam ſibi ſæpiùs dum viveret narrâſſe, ſéque poſt mortem ejus eandem ſcriptis fideliter mandatam reperiſſe. *Idibus Auguſti* 1491 *cùm peregiſſem ſacra, horâ diei* 20, *apparuerunt de more ſeptem viri, ſericeis induti veſtibus, pallio quaſi* Græco, *caligis (ut videbatur) purpureis, ſubuculæ thoracibus ſplendentibus ac rubentibus, ut è chermeſino eſſe viderentur, formâ auguſtiore quàm communi, & conſpicuâ admodum. Nec tamen omnes ſic veſtiti, ſed duo, quos conſtabat eſſe nobiliores*

inter ipſos: nam illorum alterum, qui procerior erat & rubicundus, duo alii ſequebantur comites: alterum qui pallidior eſſet ac minor corpore, tres alii. Ità omnes ſeptem erant. Ætas illis juxta quadrageſimum annum, ſed quæ nec trigeſimum præferret. Cùm interrogarentur quinam eſſent, reſponderunt Homines *eſſe quaſi* Aëreos, *qui & ipſi naſcerentur ac interirent: verùm vitam illorum noſtrâ eſſe longè diuturniorem, ut quæ ad annos* 300 *extenderetur. Interroganti de Animæ Immortalitate noſtræ, Nihil quod cuique proprium eſſet, ſupereſſe reſponderunt: Ipſos Divis eſſe conjunctiores multò humano genere, ſed tamen ab illis infinito penè diſtare intervallo: nec ſecùs illos nobis aut beatiores eſſe, aut miſeriores, ac nos ipſis ſumus belluis. Nihil latere abditarum rerum, ut nec libros, aut pecunias. Infimam illorum colluviem eſſe Genios virorum nobiliſſimorum, non ſecùs ac homines viliſſimos generoſorum canum, aut equorum educatores. Cúmque ipſi tenuiſſimo eſſent corpore, nihil nobis commodi aut detrimenti poſſe afferre præter Spectra atque Terrores, tum Scientiam. Erant alteri, qui minore erat corpore,* 300 *diſcipuli, alteri* 200, *in publica Academia. Uterque enim eorum publicè profitebatur. Cùm pater meus interrogâſſet, cur ſi theſauros nôſſent, ipſi non revelarent hominibus? Reſponderunt, ſancitum eſſe hoc privatâ lege maximis pœnis, nè quiſquam hoc eis communicet.*

6. *Manſerunt apud illum horis plus quàm tribus; diſputârunt autem interim: rogante illo de cauſa mundi, qui procerior erat negabat Deum effeciſſe mundum ab æterno: alter aſtruebat per ſingula momenta ità Deum creare mundum, ut ſi vel momento deſiſteret, protinus mundus ipſe periret. Ad hoc ipſe ex* Averrois *diſputationibus quædam adducebat, cùm liber ille nondum inventus eſſet. Referebat & nomina quorundam librorum, quorum pars inventa, pars adhuc latitat. Atque hi omnes tamen* Averrois *erant: ille verò palàm* Averroiſtam *ſe profitebatur.*

7. Hujus Apparitionis monimentum *Cardanus* filius reperit inter Patris Chartas, nolle autem ſtatuere videtur veráne hiſtoria ſit an fabula, ità verò incertum in modum contrà diſputat, tanquam ſi fuiſſe veram perſuaſus eſſet ipſe, alióſque ſimiliter perſuaſos vellet. Certè ad hanc quaſi Cynoſuram maxima ex parte curſum ſuum inſtituit in rebus Metaphyſicis explorandis; quod haud obſcurè indicat aſſenſionem ejus fidémque.

V. Cardan. de ver. variet. lib. 16. cap. 93.

8. Illud de morte magni Dei *Panis* legas licet in *Plutarcho* de *Defectu Oraculorum*; ubi *Philippus*, ad probandum *Dæmonum* mortalitatem, hiſtoriam narrat quam ab *Æmiliano* quodam audiverat, homine *Romano*, qui ab omni vel ſtupiditate vel vanitate procul abfuit: Patre ſuo *Epitherſe* in *Italiam* navigante, ſub veſperam, cùm juxta *Echinadas* navis erat, poſuiſſe ventum, navímque incerto curſu prope *Paxas* Inſulam delatam. Tum ſubitò ab Inſula auditam fuiſſe vocem (vectorum pleriſque vigilantibus, multíſque etiamnum à cœna compotantibus) quæ *Thamûn* nominatim cieret, hominem *Ægyptium*, navis gubernatorem, cum magna vectorum admiratione, quorum paucis de nomine notus erat. Illum bis vocatum non attendiſſe viſum, mox verò auſcultantem claram diſtinctámque vocem audiſſe ab *Inſula*, in hæc verba, Ὅταν γένῃ κατὰ τὸ Παλῶδες, ἀπάγγειλον, ὅτι Πὰν ὁ μέγας τέθνηκεν. Perterritos univerſos hoc audito: & deliberantibus quid faciendum eſſet, *Thamûn* ſtatuiſſe, ſi ventus ſpiraret, tacitum ſe prætervecturum; ſin malacia navim illîc detineret, mandatum facturum. Cùm ad *Palodes* perveniſſent, nec vel vento vel maris curſu proveherentur, *Thamûn* è puppi in terram proſpectantem annunciâſſe, *Magnum* Panem *mortuum eſſe*. Quo facto, exauditum ſtatim magnum multorum gemitum, cum murmurabunda admiratione.

9. *Heſiodus* ſimiliter cenſet *Genios* ſeu *Dæmonas* certam intra annorum periodum interire; bene magnum autem vitæ tempus iis aſſignat, viz. annos 9720; quo nemo quiſquam annos metitur illis largiùs, parciùs ferè omnes. Hanc opinionem *Plutarchus*, ſub aliorum perſona, elegantiùs expolivit diſtinctiúſque adornavit: nam ex *Dæmonum* mortalitate, & ex variis Entium Intellectualium ordinibus quos memorat *Heſiodus*, viz. θεῶν, δαιμόνων, ἡρώων, & ἀνθρώπων, morem certum atque legem ex alio in alium ſtatum tranſeundi iis poſuit, elementum ſimul & dignitatem mutare faciens; Ἕτεροι δὲ, inquit, μεταβολὴν τοῖς τε σώμασιν ὁμοίως ποιοῦσι καὶ ψυχαῖς. ὥσπερ ἐκ γῆς ὕδωρ, ἐκ δὲ ὕδατος ἀὴρ, ἐκ δ' ἀέρος πῦρ γεννώμενον ὁρᾶται, τῆς οὐσίας ἄνω φερομένης· οὕτως ἐκ μὲν ἀνθρώπων εἰς ἥρωας, ἐκ δ' ἡρώων εἰς δαίμονας αἱ βελτίονες ψυχαὶ τὴν μεταβολὴν λαμβάνουσιν, ἐκ δὲ δαιμόνων ὀλίγαι μὲν ἔτι χρόνῳ πολλῷ δι' ἀρετῆς καθαρθεῖσαι παντάπασι θεότητος μετέσχον. Aliæ vero, ut ait, μὴ κρατοῦσαι ἑαυτῶν, *haud ſui ſatis potentes*, in humana iterum corpora detruſæ, ἀλαμπῆ καὶ ἀμυδρὴν ζωὴν, *evanidam atque obſcuram illîc vitam trahunt.*

Vid. Plut. de Orac. defec.

10. Hæc ſunt teſtimonia omnium ſanè quæ mihi uſquam occurrerint graviſſima, ad *Dæmonum* mortalitatem evincendam, & digniora propterea quæ à nobis recognoſcantur.

noſcantur. Viſum illud *Facii Cardani,* ſi modò Viſum eſt non Figmentum, paradoxa plurima complectitur.

Quorum primum eſt, Genios Aëreos *certo & definito tempore, ſicut homines, naſci.* Non quòd *Dæmones Fœminæ* illos pariant, ſed quòd exiſtentiæ ſuæ initium habere videantur, unde alii plures, alii pauciores annos vixiſſe deputentur. Id quod intelligi non poteſt, niſi aut Animas etiamnum labi ſeu deſcendere è ſuperioribus in inferiores regiones Aëris exiſtimemus, aut quæ terrena hæc corpora reliquerint in *Dæmonum Aereorum* numerum tranſire. Neque interitus eorundem liquidò ſatìs concipi poteſt, niſi illorum Animas vel in puriora vehicula tranſmigrare, vel in terreſtria corpora deſcendere fingamus. Ipſe *Cardanus* enim agnoſcit non perire; quod etiam convenit ipſius ſententiæ de Animarum noſtrarum præexiſtentia.

De rerum variet.l.16.c.93.

Secundum, Genios Aëreos *trecentos non ampliùs annos vivere*; quod *Heſiodi* & *Platonicorum* plerorumque omnium ſententiæ repugnat; niſi fortè de ſingulari illo ordine, cujus ipſi erant, locuti ſint: veriſimile enim eſt ut tantum inter eorum ætates interſit, quantum inter diverſorum generum Volucrium Beſtiarúmque ætates intereſſe cernimus.

Tertium, *Animas noſtras hominum hactenus mortales eſſe, ut nihil nobis proprium poſt mortem ſuperſit.*

Quartum, Genios *multò propiùs quàm nos* Divos *cognatione attingere, tantóque præſtare nobis, quanto nos Beſtiis.* Quod tum certè intellectum velint de præſtantia *Vehiculorum,* & de *Geniorum* activitate naturali, non de facultatum intellectualium præcellentia. Si de hac quoque, interpretandum eſt de excellentiori genere *Spirituum Aereorum.* At ſi de Genialibus Ordinibus omnibus id dictum velint, tum ſua fortè ſit arrogans & ſuperba hallucinatio: quemadmodum qui, apud nos homines, divites potentéſque ſimul & ſpeculativi ſunt, quaſi jure ſuo ſumunt judicio & intelligentiâ ſe pollere magìs, quàm pauperes humiléſque mortales, vel ſapientiſſimos.

Quintum, *Illos ſecretas res omnes ſcire, ut libros abditos, pecuniam aliquò abſtruſam, & hujuſmodi:* quod & homines quidem poſſent, ſi clam abſcondentibus aſſiſtere potuerint.

Sextum, *Eorum genus infimum Nobiliſſimorum virorum* Genios *eſſe, quemadmodum homines viliſſimi Curatores & Magiſtri ſunt canum equorúmque præſtantiorum.* Hoc etiam Viſi caput tenebris circumfunditur, eò quòd non ſatis explicârint, humilis hæc conditio *Geniorum* tutelarium ſenſu Politico an Phyſico intelligi debeat; humilitatem ordinis & poteſtatis velint, an ingenii & ſolertiæ mentis; quibus in rebus ſervulus non raró vincit Juvenem beatulum, qui ei equos canéſque ſuos alendos aſſignat.

Septimum, *Corpora Geniorum eâ tenuitate ac levitate eſſe, ut per illa ii nec boni nec mali quicquam efficere queant, tametſi Viſa quædam admiranda terriculáque immittere, & ſcientiam impertire poſſint*; illarum certè rerum ſcientiam præcipuè volunt, quæ ad regionem ſuam Aëream propriè pertineant. Enimvero de rebus maritimis, piſces, ſi loqui poſſent, rectiùs homines docerent. Quod ad corpoream imbecillitatem ſpectat, incertum eſt an eam obtendant, quò confabulatores ſuos fidentiores reddant ad congrediendum ſecum, an revera verum ſit quod prædicant in quibuſdam ipſorum generibus. Nam in omnibus non eſſe verum evincit iſta narratio, quam pauló infrà ex *Eraſmo* refert *Cardanus*; viz. Dæmonem Sagam in aërem ſuſtuliſſe, fumariíque faſtigio impoſuiſſe, & traditâ ollâ ut inverteret juſſiſſe, quo facto oppidum totum conflagrâſſe, & intra horam exuſtum fuiſſe. Hoc accidit 10 April. Ann. 1533. Oppido nomen *Schiltach,* octo millibus paſſuum German. à *Friburgo.* Tam probè teſtata eſt narratio, támque honeſtis firmíſque circumſtantiis munita, ut *Cardanus,* qui ingenii oſtentandi cauſâ cunctas ferè quas refert cavillari amat, in hac tamen nihil reperiat quod reprehendi queat.

De Subtil.lib. 19.

Octavum, *Eſſe in Mundo Aereo Studioſos & Profeſſores Philoſophiæ, eóſque diverſas ſectas ſequi atque dogmata, planè utì nos hìc facimus.* Quod nullo modo verum eſſe poteſt, niſi ſcientiam in aliquo habeant precio, & in ea comparanda miſerè æſtuent, viámque ſuam, more mortalium, diſſerendo & ratiocinando moliri cogantur.

Nonum atque ultimum Paradoxum hoc eſt, *Politico regimini Genio ſubjici, & pœnas inferendas timere.*

11. Viſi *Faciani* capita præcipua hæc ſunt; quæ quàm vera ſint omnia, moleſtum nimis eſſet definire. Unum autem eorum, tertium ſcilicet, quòd ad Argumentum noſtrum propiùs pertineat, & ſpem omnem Immortalitatis Animæ præripere videatur, præterire non poſſum. Itaque ut ad ſummam rem dicam; Aut exiſtimandum eſt Philoſophos iſtos Aëreos pro eo ac poterant *Facium Cardanum* inſtituiſſe, (nihil enim egregium ſcire videntur, ſed temerariâ arrogantiâ ingerebant ſe ultro, Oracula

De Subtil. lib. 19.

quaſi dictaturi hæſitanti Mago (nam *Cardanus* filius fatetur patrem ſuum habuiſſe Conjurationem, quam *Hiſpanus* quidam illi moriens dedit;) aut ſupponendum eſt illos permiſiſſe ſibi ambiguè ſaltem loqui, ſi non ſimpliciter mentiri.

Jam ſi *Facium* planè ex animi ſui ſententia de rebus hiſce docere vellent, cùm prorſus improbabile ſit quin iis apparerent, in Regionibus Aëreis, viſa ea quæ homines hîc defunctos referebant, fieri non poteſt ut illi aliter ſentirent atque nos Capite præcedenti deſcripſimus Opinionem eorum, qui Unam in Mundo Animam eſſe cenſent, à qua cuncta Animantia actuentur. Quæ quanquam Opinio poſſibilis tantùm ſit, ſi modò ſit, aliqui tamen ex *Speculatoribus* iſtis *Aereis* adhæreſcere ei poſſint, perinde ut apud nos faciunt nonnulli. Nam *Pomponatius* & alii *Avenroiſtæ* non minùs, quàm iſti, ridiculè pertinaces ſunt.

Convenientiſſimè ergo Scholæ ſuæ decretis reſpondère *Dæmones* iſti *Avenroiſtici*, *Nihil proprium cuiquam ſupereſſe poſt mortem.* Nam cùm Mens aut Anima communis ſit omnium, nunc autem à terreſtribus corporibus illis disjuncta ſit, quæ, putà, in *Platone* aut *Socrate* actuavit, & hæc corpora mortua & diſſipata, & *communis Anima Mundi* ſuperſit ſola, neque præter hanc Animam & hæc Corpora ſit quicquam quod *Socratem* & *Platonem* conſtituit; liquidiſſimè concludunt, *nil proprium poſt mortem ſupereſſe.* Quapropter quanquam expreſſam ſpeciem *Socratis* & *Platonis* in altero Mundo videant, ſuas ipſorum Perſonas, quæ geſſerant omnia, quæque ſibi in hac vita acciderant agnoſcentium; pro refractariis tamen Scholæ ſuæ ſubtilitatibus ſentire & profiteri poſſunt, accuratè & Philoſophicè loquendo, *Socratem* & *Platonem* ipſos non eſſe; quippe nullâ ſubſtantiâ illis propriâ poſt mortem ſuperſtite, niſi unâ Animâ Mundi renovante ſibi & recognoſcente ea, quæ ad homines illos in hac vita pertinuiſſent.

12. Hæc eſt una Hypotheſis ſat bene conveniens cum veracitate *Dæmonum*; ſed & altera ſuppetit, nec illa impoſſibilis, viz. Vehicula Animarum hominum defunctorum æquè inviſibilia eſſe illi *Geniorum* Ordini, qui cum *Facio Cardano* ſunt confabulati, ac illum Ordinem nobis: proindéque quamvìs Animæ defunctorum illis perinde appareant atque nobis; quoniam tamen non commorantur, nihilo magìs eâ re moveri iſtos, quàm moventur eâdem Epicurei noſtri in hoc mundo obfirmatiores: præſertim cùm proclive iis ſit ità ſecum reputare, nihil aliud eſſe Animas iſtas niſi viſa quædam ludicra, quæ communis Anima Mundi ſibi aliiſque ſpectanda exhibeat, quando & quamdiu ipſi collibitum ſit, vaporoſæque cadaveris reliquiæ facultatem præbeant.

V. Johnſton. Hiſtor. Nat. de Piſcib. l. 4. tit. 3. c. 1.

Quòd autem Vehicula Animarum defunctorum, cùm ad ſtabilem conditionem pervenerint, multò tenuiora ac inviſibiliora eſſe queant quàm Dæmonum prædictorum, neque tamen propterea inconcinnitas ulla Naturæ rerum inferatur, ex eo patet, quòd præſtantia *interni Spiritûs* non ſemper æſtimanda ſit ex conſiſtentia *Elementi* quîcum conjungatur; nam ſi eſſet, piſces illi humanâ formâ, qui ſtatis anni tempeſtatibus in mari *Indico* capiuntur, Rationem Senſúmque religionis haberent excellentiorem nobis, qui in terra vivimus terrenáque corpora habemus. Quare nihil impedit quo minùs *Spiritus Hominis* ſit *Spiritu* aliquorum *Dæmonum Aereorum* nobilior. Et cùm Natura non ſemper *Arithmeticè*, ſed etiam *Geometricè* progrediatur, unus gradus hâc progreſſione factus id multò tranſcendere poteſt, quod illâ progrediendi ratione modò anteibat. * Sic reptilis vermiculus omnis phryganio præſtat, & beſtiæ quævis quadrupedes avibus, donec hæ, pariter ac iſtæ, pedibus uti valeant; verùm haud priùs pares ſunt, quin continuò ſuperiores evadant, nec gradiantur modò ſed præterea volent. Quemadmodum ruſticus quivis meliore eſt conditione quàm Princeps incarceratus, ampliúſque imperium obtinet; at Princeps ſimul ac cuſtodiâ eximitur & ruſticum libertate æquat, eum illico infinitò ſuperat. Ad eundem planè modum ordine Naturæ fieri poteſt in Animabus humanis è carcere corporis liberatis, gradibus earum *Geometricâ* progreſſione factis, quamprimùm hæ videntur pares illi Dæmonum Ordini de quo loquimur, longè ſuperare poſſint tenuitate corporis, eóque evadere illis inviſibiles; quâ re fiet ut *Dæmones* iſti ſuſpicentur, ſed falsò, Animas hominum omnino non eſſe, quia illas cernere non queunt.

13. Atſi v. c. ad *Socratem* & *Platonem* vel ſingulares Animæ Mundanæ Radios ſpeciatim pertinuiſſe, vel Animas proprias realiter diſtinctas illos habuiſſe exiſtimârint *Dæmones* iſti, manifeſtum eſt eos aut ambiguè locutos aut planè mentitos eſſe. Quod arrogantia ſua & hominum deſpicientia, quos præ ſe quaſi beſtias habent, facilè permitteret; neque enim illis religio magìs eſt nos homines fallere, quàm nobis ipſis joci causâ, canem illudere & fruſtrari. Sin propoſitum iis erat, ut nos in errorem aliquem pernicioſum inducerent, veriſimillimum eſt illos multa inter vera eum

ſubinſinuare voluiſſe, ut veris illis examinatis & penitùs probatis, nullum unum ex dictatis ſuis ſuſpicaremur eſſe falſum. Quamobrem Viſo hoc oblato malo animo, venenum quod volebant hauſtum, erat *Animæ Mortalitas*; cujus dogmatis falſitas exitiabilis, aliis veris admixtis occultanda fuit.

14. *Æmiliani* Narratio, quam de *Epitherſe* patre audierat, plùs adhuc ad rem accederet, ſi Philologorum *Romanorum* ſententia, cùm *Thamus* acceiſitus rem ipſam confirmâſſet *Tiberio Cæſari*, rata & firma haberi debeat, nempe, *Panem hunc*, cujus mortem *Thamus* Dæmonibus *Palodis* renunciabat, filium fuiſſe *Mercurii* & *Penelopes*; nam tum conſtat *Pana* fuiſſe Animam humanam, proptereáque ad quæſtionem præſentem propiùs pertinere. Verùm enimvero cùm ad ſanctiorem auguſtiorémque materiam hæc Narratio accommodari poſſit, tanto minùs valet minúſque competit in rem præſentem. Aptius idcirco id fuerat quod ſubjicit *Demetrius*, de Sacris quibuſdam Inſulis juxta *Britanniam.* Quò cùm ille appuliſſet, coorta eſt continuò magna aëris commotio, ingentes tempeſtates, immanes turbines. Quibus omnibus tranquillatis, enunciârunt Incolæ, Ὅτι τῶν κρειττόνων τινὸς ἔκλειψις γέγοιεν, aliquem naturâ plus quàm humanâ interiiſſe. Qua de re *Plutarchus*, pro more ſuo, ad hunc modum rhetoricatur, ὡς γὰρ λύχνος ἀναπτόμενος φάναι δεινὸν οὐδὲν ἔχει, σβεννύμενος δὲ πολλοῖς λυπηρός ἐστιν· οὕτως αἱ μεγάλαι ψυχαὶ τὰς μὲν ἀναλάμψεις εὐμενεῖς καὶ ἀλύπους ἔχουσιν, αἱ δὲ σβέσεις αὐτῶν καὶ φθοραὶ πολλάκις μὲν, ὡς νυνὶ, πνεύματα καὶ ζάλας τρέπουσι, πολλάκις δὲ καὶ λοιμικοῖς πάθεσιν ἀέρα φαρμάττουσιν· i. e. *Ut lucernæ accenſio grave nihil habet, extinctio autem multis moleſta eſt; ſic magnæ Animæ, quaſi accenſæ in vitam, innoxiè & benignè ſplendent, earum autem extinctio ſeu corruptio ventos ſæpe concitat & procellas, ut in hoc exemplo, ſæpéque vitiis peſtilentibus aerem inficit.*

De defectu Oracul.

15. Poſtremum autem Teſtimonium, tametſi omnium minimè videri velit infallibile, firmiſſimum tamen eſt, & ancipiti vi utrinque rem conficere videtur. Etenim Animabus humanis quæ è terreſtribus corporibus emigrârint, ſive probæ ſint, ſive improbæ, moriendum eſt *Vehiculis* ſuis *Aereis*. Quod primâ quidem fronte videtur duriſſimum, tanquam ſi *Juſtitia à morte liberare non valeret*. At ſi attentiùs inſpiciatur, quicquid in eo metuendum ſit ad impios ſolos attinere reperietur. Infimus enim mortis gradus eſt Deſcenſio in *terreſtre* corpus, in quo, præter neceſſariam rerum omnium præteritarum oblivionem, ἀλαμπῆ καὶ ἀμυδρὴν ζωὴν, ut loquitur *Plutarchus*, *cæcam & obſcuram vitam agimus*, terrenúmque hoc pondus laborioſè circumferimus, ut captivi & homines malefici graves compedes in ſordidis ſuis abſtruſiſque barathris. Verùm ex hoc ſtatu remigrantes nos excipit laxior & liberior vita; qui ſcilicet parati ſimus ad rectè utendum commoditatibus iis, quas nobis offert *Vehiculum Aereum*. At qui in illo ſtatu non ſatìs ſui ſunt compotes, mittentur iterum fataliter volventibus annis in priſtinum ſuum carcerem; quâ non ulla mors gravior cogitari poteſt. Quòd autem bonæ piæque Animæ multa poſt ſæcula *Aereum* ſuum *Vehiculum Æthereo* commutent, hoc non eſt mori, ſed altiùs in vitam evehi. Et de *Infante*, qui cæcum matris uterum reliquerit, perinde dici poteſt, hanc ejus mutationem mortem eſſe, ac *Genium* mori craſſum Aërem relinquendo, in vehiculúmque lucis illud emergendo, quod *Æthereum* ſeu *Cæleſte* vulgò vocant.

16. Periculoſus ergo accidere poteſt relapſus, Axiom. 36. ex *Aereo* in *Terreſtre Vehiculum*, quæ propriè mors eſt Animæ ſic retrogradæ. Quibus autem unquam datum eſt ad *Statum Æthereum* pervenire, periodi vitæ iis illìc infinitæ ſunt; & quamvìs tam *Perigæa* quàm *Apogæa* ſua habeant, cùm tamen hi circuitus tam vaſti ſint ambitûs, & *Perigæa* tam rara támque brevia, & reditus ad priorem ſuam *Apſidem* æquè certus ac cœleſtium corporum ad ſuam, cùm denique Senſus æthereus nunquam eos deſtituat vel in infimis ſuis ad terram appropinquationibus; manifeſtum eſt illos vitam eam eſſe aſſecutos, quæ jure dicitur *Æterna*.

17. Ex quibus rebus conſtat, *perſeverantiam in virtute*, ſi fatum externum nullum impedit, ad immortalem vitam homines perducturam. Qui autem adeò *heroicè* boni ſunt, ſtudióne ac diſciplinâ, an ϑείᾳ τινὶ μοίρᾳ, ſingulari gratiâ certóque Dei propoſito evadant tales, in hoc loco diſputandum non eſt; licèt alicubi in *Platone* prolixiùs diſputetur. Interim tamen non dubitamus concludere, eximiâ atque *heroicâ* virtute præditis *internum* impedimentum nullum objici, quo minùs aliquando poſſint, *terreſtri* hoc corpore relicto, ad certam vitæ & beatitudinis ſempiternæ fruitionem pervenire.

SCHOLIA

In Cap. XVII. Sect. 12.

SIC reptilis Vermiculus omnis, Phryganio præſtat, &c. *Vox* Phryganium *occurrit in Dictionariolo Trilingui viri eruditi* Johannis Raii *Societatis Regiæ Sodalis. Eſt autem illud Animalculum quod nunc* Straw-worm, *nunc* Cadworm, *Anglicè appellamus.* Straw-worm *quidem, quòd cùm vermis ſit, ſtipulæ tamen culmive fragmini involutus ad latera alvei Rivulorum jaceat, illicque quæritur à Piſcatoribus in Eſcam ad capiendos* Leuciſcos, *quod & ipſe novi.* Skinnerus *verò ait eſcam etiam eſſe Troctis. Dicunt autem vermem hunc culmi fragmini ſic involutum, adoleſcere tandem in muſcæ quoddam genus & aquam limúmque relinquere ac per liberum Aerem volitare.* Cadworm *verò ſive* Codworm *dicitur, quòd culmi ſtipulæve fruſtulum ei pro vagina ſit culeóve. Primum nomen Anglicanum,* Calamoſcolecium, *alterum* Coleoſcolecium, *ad plenum quidem Græcè exprimit.* Καλάμη *enim* ſtipulam *vel* culmum, Κολεὸς *verò* vaginam, *&* σκωλήκιον vermiculum *ſignificat.* Φρύγανον *verò non ſtipulam & culmum propriè ſed cremium tantùm in genere vel potiùs omne lignum ſarmentoſum aridum & facile crematu denotat. Vaginam verò horum* Phryganiorum *ſtipulæ culmive portiunculam, non autem ſarmentum putrefactum ante annos quamplurimos obſervavi. Sed ut nihil diſſimulem, apud quendam* Lexicographum *ſtipula per* φρύγανον *redditur. Si rectè, tum* φρυγάνιον *idem eſſe poteſt quod* καλαμοσκωλήκιον· *poteſtque appellari Animalculum hoc, quod* Straw-worm *Anglicè dicitur, magìs apertâ plenáque ſignificatione* φρυγανοσκωλήκιον. *Brevius autem & rotundius dicitur Phryganium.*

CAP. XVIII.

1. Conflagratio Mundi *dogma* Stoicorum. 2. *Duos omnino modos deſtruendi mundi memorârunt veteres, illum maximè qui igne efficiendus eſt.* 3. Conflagrationem Mundi, *quatenus ad nos pertineat, de terra ſola concremanda intelligendam eſſe.* 4. Fines *Conflagrationis Stoicæ* in terram duntaxat competere. 5. Terram concremari poſſe conceditur, quanquam probatio ejus non ſit hujus loci. 6. Conflagrationem Mundi *funeſtiſſimam futuram Animabus hominum impiorum & Dæmonibus.* 7. *Sententiæ quinque diverſæ de conditione Animarum poſt* Conflagrationem; *quarum prima eſt,* Illas igne prorſus exitio dari. 8. *Secunda,* Speciali Omnipotentiæ actu annihilari. 9. *Tertia,* Omnis planè ſenſûs expertes in æterna morte jacere. 10. *Quarta,* Diris & infeſtis ſomniis perpetuò vexari. 11. Quinta & ultima, *Fore ut iterum reviviſcant, & terram aerémque incolant.* 12. *Sententiam ultimam conflatam videri ex commentitia* παλιγγενεσίᾳ *Stoicorum,* qui *Metaphyſicas* res miſerè ignorabant, nec in *Phyſicis* hilo meliores. 13. *Dictum quoddam* Senecæ *ſecum pugnans notatur.* 14. *Quæ futura ſit conditio Animarum impiorum poſt* Conflagrationem, *intelligi non poteſt.* 15. Ætheris Incolas *futuros incolumes. Quid tum fiet de* Hominibus Dæmonibúſque bonis *in terris atque in aere. Liberari illos non poſſe niſi vi ſupernaturali.*

1. EXterna nunc impedimenta examinabimus, ecquid valeant, síntque omnino an nè ſint, viſuri. Quorum prius eſt *Mundi Conflagratio.* Vetus quidem dogma, creditum & receptum non in Religionibus modò, verùm etiam à Philoſophis, *Stoicis* inprimis, qui Animas humanas manere quidem poſt mortem affirmant, non longiùs autem durare quàm ad *Mundi Conflagrationem.* Verùm quid hi ſenſerint tanti non eſt, quanti, quæ Animarum humanarum Dæmonúmque conditio poſt calamitoſum eventum illum re ipſâ futura ſit, conſiderare.

2. Qui Mundum æternum eſſe nolunt, rationes duas repererunt quibus exitio detur, ἐξυδάτωσιν & ἐκπύρωσιν, *Diluvionem & Concremationem.* Quæ, aiunt, immenſo temporis circuitu, quem *Annum magnum* vocant, tam ſponte Naturæ accidunt, quàm *Hyems & Æſtas* in anno vulgari. *Inundatio non ſecus quàm Hyems, quàm Æſtas lege Mundi venit.* Hanc autem ἐξυδάτωσιν miſſam faciemus; utpote quæ non tam celebris eſt. nec ità crebrò memoratur, non tam exitiabilis, támve probabilis mundi conſi-

Seneca apud Lipſ. Phyſiol. Stoic. l. b. 2. Diſſert. 21.

conficiendi ratio, quàm ἐκπύρωσις, poſtremò quæ ad id quod quærimus non ità propriè pertinet. Communiter nunc obtinet vaticinatio de Igne, non apud *Stoicos* tantùm, *Zenonem*, *Cleanthem*, *Chryſippum*, *Senecam*; verùm & apud alios diverſarum Sectarum homines, *Heraclitum*, *Epicurum*, *Ciceronem*, *Plinium*, *Ariſtoclem*, *Numenium*, cum multis aliis.

3. Quanquam autem tam latè támque unanimiter conſentiant homines de *Mundi Conflagratione*, non omnes tamen eam eodem modo explicant. Veſanum in modum explicita eſt ſententia *Senecæ*, Sydera ſyderibus incurrere & invicem allidi facientis; unde omnia in flammas verſa. *Poſidonius* verò & *Panætius* prudentiores, non ἐκπύρωσιν τῶν ὅλων cum cæteris *Stoicis* aſſerebant. Enimvero regiones æthereas igne conſumere velle, perinde eſt ineptum, ac piſcem ad aquas damnare quo ſubmerſus pereat; quoniam materia ætheris tenuior & ſubtilior eſt, quàm ut in ea ſæviat ignis, utpote quæ ipſa eſt lux mera aut ignis. Et tamen materia hæc ætherea infinitò maxima pars eſt Univerſi. Mundus ergo propriè dici nequit exitio per ignem obnoxius naturalium cauſarum vi, quod *Stoici* volunt. Quod evidentiſſimè quidem verum eſt ex Principiis *Carteſii*, cui ignis nihil aliud eſt niſi motus minutarum materiæ particularum, qui ſtatuit præterea non aliàs plus aliàs minus eſſe motûs in Univerſo; quia quantum agitationis una materiæ pars alteri imprimat, tantundem ipſa neceſſariò perdit. Ingens igitur clamor iſte de *Conflagratione* Mundi, quantum id noſtrâ refert, de terra exurenda duntaxat intelligendus eſt. Præter *terram* enim alióſque *Planetas*, vapores item atque exhalationes indè oriundas, nihil eſt in Univerſo quod comburi poteſt.

Lipſ. Phyſiol. Stoic. l. 2. Diſſert. 22.

4. Hæc ergo *Conflagratio*, cujus famam *Philoſophi*, *Poetæ*, *Sibyllæ*, omnes, per terrarum orbem diſſeminârunt, non alia eſt quàm *Crematio Terræ*. Et fines illi quos ἐκπυρώσει ſuæ obtendunt *Stoici*, in terræ quidem exuſtionem competant, cœlorum verò aut ætheris nequaquam; ut quivis mediocriter in Philoſophia verſatus non agnoſcere non poteſt. Adeò ſimplici enim ſunt naturâ, ut corrumpi nequeant, nec propterea, ut terra, renovatione indigeant. Neque cœleſtium regionum *Incolæ* inquinant ſe vitiis; quod ſi faciunt, à *materiali* ſuo ſtatu ſimul & *morali* declinati, ad fæces haſce terreſtres verſus delabuntur. Quare pars illa beatæ ἀποκαταστάσεως de qua loquitur *Seneca*, *Omne animal ex integro generabitur, dabitúrque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus*, in æthereis Incolis locum non habebit.

Lipſ. Phyſiol. Stoic. lib. 2. Diſſert. 22.

5. Magno hoc itaque ac undique accidente clamore de Igne mundum crematuro permoti, haud ægrè concedimus *Terram* aliquando, quæque ſuper eam ſint aut propè abſint omnia, conflagratura. Quæ cauſæ autem naturales ad dirum hoc ſpectaculum edendum conſpirent, non eſt mei, præſertim in hoc loco, diſputare. Diſpiciemus tantummodo quas calamitates allatura ſit *Conflagratio* Animabus Dæmonum Hominúmque. Namque *Ætherea Vehicula* aſſecutos clade hâc immunes fore manifeſtò conſtat; ſedis enim ſuæ longinquitas illos cùm à furore tum graveolentiâ ſulphurearum flammarum præſtabit incolumes.

6. Certiſſima graviſſimáque ſtrages quam ignis iſte daturus ſit, recidet in Animas hominum dæmonúmque impiorum eorum, qui adeò profundè ſeſe εἰς γένεσιν immerſerint, ut ipſa Vehiculi ſui conſiſtentia illos intra craſſi ac caliginoſi aëris oras neceſſariò concludat. Hæ ergo Animæ, ſeu Spiritus, quæ adeò inextricabiliter ſe *fato* mundi inferioris induerint, ſenſúſque ſuos omnes momentaneis voluptatibus Principii humidi, fontis luxûs, ipſiúſque ſedis mortis, dediderint, hæ *Nymphæ* ſunt, in myſtica Philoſophia veterum, quibus longam quidem annorum ſeriem tribuunt, à mortalitate tamen & fato non eximunt. Et *Demetrius* quidem in *Plutarcho*, ex eo quod ænigmaticè innuit *Heſiodus*, affirmat diſertè vitam earum cum mundo conflagrante finitum iri; Καὶ ὁ λόγος ὅλος ἠνίχθαι δοκεῖ τῷ Ἡσιόδῳ πρὸς τὴν ἐκπυρωσιν, ὁπηνίκα συνεκλείπειν τοῖς ὑγροῖς εἰκός ἐστι τὰς Νύμφας,

-------- Αἵ τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται
Καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πείσεα ποιήεντα.

7. Miſſis autem factis ænigmatis his Poëticis, Conditionem Animæ poſt *Conflagrationem* telluris attentiùs diſtinctiúſque contemplemur. Quinque omnino ſuper ea re ſententias diverſas reperimus. Quarum prima ſic ſtatuit, *Internecinum hunc ardorem atque ignem tam Animam quàm Corpus tandem penitus abſumpturum.* Mihi verò impoſſibile videtur, ut creata ſubſtantia ulla ſubſtantiam aliam ità prorſus perimeret, ut in nihilum eam redigat. Nulla enim pars materiæ, quàm violentiſſimè agens in aliam partem, tantum efficere valet. Poteſt duntaxat attenuare, diſſipare ac diſpergere partes, & reddere inviſibiles. At ſubſtantia Animæ indiſſipabilis atque indiſcer-

pibilis eſt, & propterea manet integra, quicquid fiat de *Corpore* ſeu *Vehiculo.*

8. Sententia ſecunda ità ſe habet, *Animam, poſt longos moleſtiſſimóſque has inter flammas cruciatus, ſingulari Omnipotentiæ actu annihilari.* Verùm hoc eſt, ut mihi videtur, Providentiam nimis ad incitas redigere; quaſi Deus, creato Animanti per ſe immortali, quò ſe verteret, quídve de eo faceret, interdum ità neſciat, ut idem increare, id eſt, annihilare cogatur. Præterea Divina *Nemeſis* illa, quæ in Philoſophia continetur, nunquam ſupponit ſummum Numen ipſum in effecta extraordinaria vi prorumpere, ſed perfici cuncta ſapiente ac infallibili ſeu inevitabili cauſarum ſecundarum ſerie, ſeu neceſſariò ſeu liberè agentium.

9. Tertia ergo, nè in hæc abſurda incurrat, & *abſumptionem per ignem* & *annihilationem negat*; affirmat autem, *Tædium & gravitatem dolorum efficere tandem ut Anima, ſponte ſuâ, ab omni cum materia commercio abſcedat*; nam cùm immediatum conjunctionis Principium, quam *Congruitatem Vitalem* dicimus, ex modificatione quadam *Corporis* ſeu *Vehiculi* pariter ac Animæ contineatur, eâ corruptâ & amiſſâ, atque Animâ eo ipſo ab omni prorſus cum corpore ſeu materia ſympathia ſolutâ, *mortua omnino ſit Anima neque ullius rei ſenſum habet*, Axiom. 36, &, ut aiunt, *talis manebit in æternum.* Verùm hoc non ità conſentaneum videtur, nam, ut *Ariſtoteles* alicubi, Ἕκαστον, οὗ ἐστιν ἐνέργεια, ἔστιν ἕνεκα τοῦ ἔργου. At ſic integræ ſubſtantiæ immateriales innumeræ in rerum natura ſempiternè conſervarentur nullum in finem aut uſum, cùm tamen iterum utiles eſſe, & materiam haud ſecus ac pridem actuare queant.

10. Quartum ergo Speculatorum genus eſt, qui, poſt Solutionem hanc Animarum ſeu Spirituum hominum dæmonúmque malorum à *Vehiculis* ſuis, exiſtimant nihilominus, *Dolores ſuos illis continuari & in iſto ſtatu ſeparato*; *delapſos enim in ſomnum inquietem furialibus vexari ſomniis, quæ in animos non minùs ſæviant, quàm in corpora antè debacchatus ſit externus ignis.* Sed in hanc opinionem tanquam incertiſſimam conjecturam excipiunt alii; quippe quæ ſumit id quod non ità firmum his videtur, viz. Animam agere poſſe quando vitalem unionem cum materia omnem amiſerit; quod intimæ illi atque eſſentiali cum ea uniendi aptitudini repugnare videtur. Neque ſomnia Animæ in corpore citra opem *ſpirituum animalium in cerebro* peraguntur; illa enim plerumque ità ſe habent, prout hi ſunt affecti. Unde concludunt, non eſſe certum fundamentum ullum quo hæc ſententia innitatur.

11. Poſtremum hominum genus ſuper hac re cenſentium, ut quoquo modo curarent nè quid incommodi ſequatur, ſi Animæ ſeu Spiritus tum malorum *Dæmonum* tum *Hominum* improborum, à vehiculis ſuis fatali illâ *Conflagratione* divulſi, in natura rerum manere nihilominus exiſtimentur; miram ſanè nec opinatam hypotheſin excogitârunt, viz. *Quando ignis hic terrarum orbi exitiabilis miſerrimos iſtos ſatìs jam afflixerit & punierit, ac moleſtiſſimus diriſſimúſque cruciatus vexatos eorum Spiritus in univerſum à materia deceſſum, atque eo ipſo in profundum ſomnum vel mortem fatigârit*; *poſt longam exinde annorum ſeriem, cùm non modò ignis furor penitùs reſederit, ſed & ingens illa fumi & vaporum ſphæra, qui è flagrante terra ſublimes undique ferebantur,* in multam pluviam reſoluta ſit, (quæ denuo maria & flumina efficiet, conſtipabit humum & conſolidabit, & latè circùm defluens largiſſimè terram amœnam & fœcundam, aërem frigidum & ſalubrem reddet) *Naturâ his rebus convaleſcente atque adeò rejuveneſcente, genitali ſale ac humore repletâ*; *Animæ omnium animantium, quæ in infimis his terræ aeriſque plagis verſari aptæ natæ ſunt, ſuo quæque loco ordine expergiſcentur: maria & flumina piſcibus denuo abundabunt*; *terra omne genus volucrum, quadrupedum, reptiliúmque gignet*; *hominum item Animæ, de purioribus balſamiciſque terræ partibus vitam arripientes, corporibus iterum terreſtribus induentur*; *Genii denique Aerei, elemento illo ſuo ſalubri rurſus & vitali facto, eo quo par eſt ordine & tempore ſuſcitati, in Aere roſcido reviviſcent.* Qui perinde ut ſecum inter igneos cruciatus decreverant, longum ſuum jam jam inituri ſomnum, ità planè affecti, ut aiunt, in vitam expergefiunt.

12. Verùm tota Hypotheſis concinnata videtur ex ſomnio illo *Stoicorum* de ἀποκαταστάσει ſeu παλιγγενεσίᾳ Mundi poſt ἀνάστασιν ejus ſeu ἐκπύρωσιν. Quaſi illud *Senecæ*, Epiſt. 36. huc pertineret. *Mors, quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponet dies, quem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret.* Quàm autem craſsè Philoſophentur *Stoici*, ubi tritæ ſuæ moralium ſententiarum viæ non inſiſtunt, quivis Phyſicæ Metaphyſicæque mediocriter peritus facilè æſtimare poteſt. Qui enim errores craſſiores eſſe queant iis, quos iſti de Deo, de Anima, de Stellis amplexi ſint? nam Deum & Animam corporeas ſubſtantias eſſe prædicant, & paſcunt ſydera vaporibus terræ; Sole, ut illis videtur, magni Oceani aquas ad ſitim ſuam reſtinguendam exſorbente, Lunâ minores amnes rivóſque exhauriente; * quod peræquè verum eſt ac Aſinum ebibiſſe Lunam. Ut *Anacreon* bene

Lipſ. Phyſiol. Stoic. lib. 1. Diſſert. 6. lib. 3. Diſſert. 13 lib. 3. Diſſert. 14.

bene potus in hujuſmodi cogitata incidat & incurrat, par eſt & perſonam decet; qui idem quò combibones ſuos ad pergræcandum provocaret, cantiunculam illam compoſuit,

Πίνει θάλασσα δ' ἄυρας,
Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν, &c.

alieniſſimum autem eſt à Philoſopho ſobrio & ſevero eadem aut invenire aut profiteri. *Seneca* tamen magnopere triumphat in lepido ſcilicet invento pabulandorum ſiderum ſpiſſis terræ nebulis, mentémque ſuam explicat facundiâ non vulgari: quam ego, qui ſententiam ſolidam verbis bellis cariorem habeo, non dignabor hîc recitare.

13. Quo mentis erat acumine intelligi poteſt ex verbis proximè citatis, quæ manifeſtò inter ſe pugnare videntur. *Veniet iterum qui nos in lucem reponet dies, quem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret.* Si nos, quî oblitos? ſin oblitos, quî nos? Nos enim non ſumus ipſi nos, niſi meminerimus ità nos eſſe. Et ſi de Inſano dicitur, & verè, eum extra ſe eſſe, aut ſe ipſum non eſſe, quia mente lapſum; longè aberit profectò ut is ipſe ſit, cui omnis ſui memoria funditus periit; quin ità planè eum eſſe oportet, ac ſi nunquam antè fuiſſet. Quemadmodum luculentiſſimè declarat *Lucretius*;

De rerum natura, lib. 3.

Nec, ſi materiam noſtram conlegerit ætas
Poſt obitum, rurſúmque redegerit ut ſita nunc eſt,
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ,
Pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta ſemel cùm ſit retinentia noſtri.

Ubi Poëta ſpem omnem commodi cujuſlibet ex *Stoica* παλιγγενεσίᾳ redituri de induſtria tollere videtur, & profiteri ità planè eum eſſe ut ſi non fuiſſet unquam, qui ſe fuiſſe antè meminiſſe nequit. Unde ſequeretur, Animas humanas, etſi poſt *Conflagrationem* reviviſcerent, mortem tamen perpetuam & permanentem ſubiiſſe.

14. Videmus ergo quàm prorſus indemonſtrabilis ſit Animæ Conditio poſt terræ incendium, cùm quinque hæ ſententiæ adeò infirmæ ſint ac incertæ omnes. Quamobrem habendæ ſunt potiùs pro picta tabula nocturna, quam vocant, aliquam noctis ſpeciem adumbrante, quâ ſubtriſte ac cogitabundum ingenium oblectetur, quàm pro illuſtri & expreſſa veritatis exploratæ effigie, quâ mens aliquid certò edoceatur.

15. Quod unum certò ſciri poteſt hoc eſt, Animas illas, quæ *ætherea ſua Vehicula* ſint conſecutæ, extra luctuoſum fatum illud eſſe poſitas, quod *Conflagrationem* comitatur; impias autem Hominum *Dæmonúmque* Animas eo implicatum iri. Inter has autem medium Animarum genus eſt, de quibus non curioſitas modò, verùm & benevolentia meritò quem faciat ſollicitum. Nam fieri poteſt, ut mundi *Conflagratio* millia multa Animarum opprimat, quas nec temporis ratio, nec natura, nec cauſa aliqua divinior in *ætheream vitæ Congruitatem* ſublimârit, quæ valde tamen piæ ac innocentes, magnâque virtute prædítæ eſſe queant.

Quod facilè quidem credi poteſt, ſi modò animadvertatur, hæc ipſa terrena corpora non adeò bonitati ſinceritatíque animi obeſſe, quin plurimi egregia utriuſque ſpecimina in hac vita dederint. Neque Status ille *Aereus* minùs capit, nec minùs incommodè caret bonis *Geniis*, quàm terra bonis viris, qui miniſtri ſunt proximi *Bonitatis* & Juſtitiæ Dei. Quorundam verò fatorum, lege Univerſi incidentium, immunitas non ſemper innocentiæ, ſed naturali ſæpiùs potentiæ datur. Quamplurimi ergo boni Genii, Spiritúſque hominum defunctorum, ſancti & innocui eſſe queunt, quorum *Vehiculum* eâ conſiſtentiâ ſit, ut non magìs excedere poſſint regionibus Aëreis, quàm in eas nos, qui gravia corpora habemus, ſine alis ſubvolare. Nè quid dicam de viris illis piis probiſque, qui in vivis fortè tum temporis reperiantur, & ſic igneâ hâc procellâ opprimi poſſint.

Profectò, niſi appareat, antequam hoc fatum ingruit, viſibilis aliquis Ζεὺς σωτήριος, *Jupiter ſoſpitator*, ut Ethnici eum appellarent, illi quoque clade impiorum certiſſimè obruentur. Quod deforme ſanè foret vitium in Providentia, quam exactiſſimam & inculpatiſſimam futuram augurantur omnes, qui Deum eſſe profitentur. Itaque vim aliquam ſupernaturalem ratio dictat interfuturam, quæ innocuos & benignos illos Spiritus eripiat è communi calamitate. Quo autem id fieri debeat modo hîc deſcribere, eſſet planè magnificentiùs quàm pro merito ſentire & prædicare de Naturæ lumine & Philoſophiâ; quare hoc argumentum ſuo eſt ſervandum loco.

SCHOLIA

In CAP. XVIII. SECT. 12.

QUod peræquè verum eſt ac Aſinum ebibiſſe Lunam, &c. *Alluditur ad Fabulam notiſſimam de homine quodam ſtultulo qui cùm Lunam in aqua micantem conſpexerat, ſed bibente Aſino, cui inſidebat, ob nubes eam intercipientes, è conſpectu inde ſubitò ablatam, Aſinum ſuum putavit abſorpſiſſe Lunam & è rerum Natura abſtuliſſe.*

CAP. XIX.

1. Extinctionem Solis *non eſſe metum vanum, ſed id quod cum ratione ſuſpicari licet futurum cùm ex monumentis hiſtoriæ, tum ex Philoſophiæ naturalis fundamentis.* 2. *Exitialis vis hujus* Extinctionis *in homines & beſtias, cunctóſque* dæmonas aëreos *ſuis quoſque Atmoſphæris, noſtro in Vortice, incarceratos.* 3. *Parum eam aut nihil damni illaturam* Incolis Æthereis *ratione caloris.* 4. *Neque adeò multùm eos extincti Solis luce carituros.* 5. *Sin aliter, ex alio in alium Vorticem migrare poſſe,* ætherei vehiculi *ſui virtute & privilegio*; 6. *Idque ſine ullo labore & moleſtia, & quàm velint ipſi maturè.* 7. *Immenſa incomprehenſibilitas Tractuum & Circuituum Providentiæ.* 8. *Brevis totius Diſſertationis recapitulatio.* 9. *Explicatio duorum Principiorum apud* Perſas, Lucis & Tenebrarum, *quæ* Θεὸν *&* Δαίμονα *appellârunt; quando etiam & ubi* Principium Lucis *plenam victoriam reportet.* 10. *Philoſophiam, aut aliquid Philoſophiâ ſanctius, unicam ducem eſſe ad veram* Ἀποθέωσιν.

1. QUod ultimum diſcrimen imminet Animæ ſeparatæ eſt *Extinctio Solis*; quod quamvìs primâ ſpecie pavor merè *Panicus* videatur, re perpenſâ tamen conſtabit non deeſſe rationes haud contemnendas, quæ ſuſpicionem aliquam injiciant rei tandem aliquando eventuræ, cujus efficiendæ jam pridem in Natura extiterint aliquot non levia tentamenta. *Plinius*, licèt unum duntaxat exemplum afferat, loquitur tamen tanquam de re ſæpiùs accidente. *Fiunt*, inquit, *prodigioſi & longiores Solis defectus, qualis occiſo Cæſare Dictatore, & Antoniano bello, totius anni pallore continuo.* Idem accidit, referente *Cedreno*, *Juſtiniani* tempore; cùm Sol per totum annum continuum obſcurâ valde ac fuſcâ erat ſpecie, non ſecùs ac ſi perpetuum deliquium pateretur. Sub *Irene Auguſta* adeò tenebroſum erat cœlum per dies ſeptendecim continuos, ut navigia per mare devia errarent, & propè abfuit quin in ſe mutuò alliderentur, ut refert *Theophanes*. Maculæ autem Solares non ità pridem à *Scheinero* accuratiſſimè obſervatæ, Stellæ fixæ apparentes diſparentéſque viciſſim, Cometarum excurſus in plagas noſtri vorticis remotiores, ipſa denique intrinſeca textura Philoſophiæ *Carteſianæ*, plus quàm poſſibile faciunt, Solem, poſt longinquas temporis periodos, adeò ſpiſsè coopertum iri undique maculis, quibus nunquam vacat, ut lucem ſuam penitùs amittat.

Natur. Hiſtor. l.2.c.30.

2. Cujus *Extinctionis* præludia valde funeſta erunt atque intolerabilia cunctis *Planetarum* noſtri vorticis Incolis, ſi fortè Incolas ullos habeant *Planetæ*. Hic enim lucis & caloris defectus ſenſim ingraveſcens, lentis languoribus miſeros mortales conficiet, partim ob inopiam caloris Solis, quo corpora humana foveri & recreari ſolent, partim quia terræ fruges Sol ampliùs maturare nequit; quibus ex rebus Fames, Morbi, Peſtes, univerſa tandem generis humani brutorúmque animantium vaſtitas & exitium neceſſariò conſequetur.

Nec immunes evadent *Dæmones Aerei*; nam cùm vitale illud vinculum, quo vehiculis ſuis nexi ſunt, illos neceſſariò coerceat ſuas quoſque intra *Atmoſphæras*, in tenebris pluſquam *Cimmeriis* certiſſimè concludentur. Etenim cum extincto Sole Lunarum ſimul omnium lumen extinguetur, & glacies, gelu, nivis flocci, & nebulæ ſpiſſæ ac palpabiles, ut Ægyptiaca illa, regiones eorum & habitacula univerſa omnino obſidebunt. Quem caſum triſtiſſimum etiamſi ſcintillantes illi cœlorum oculi, Stellæ, miſerabundi deſpectarent; nè unum tamen lucis radium emittere queunt ad illos ſolandum vel viſendum tantùm; tenella enim lux earum eáque tam procul diſſita penetrare non valet, nedum diſcutere, lentam ac tenacem Noctis illius longæ & fatalis conſiſtentiam.

3. Quapropter animum abs adeò acerbo ſpectaculo revocatum ad objectum lætius convertamus; & conſideremus Animarum conditionem earum, quæ *æthereæ vehicula* conſecutæ ſunt, & quatenus hoc fatum illas attingat videamus. Et nunc primo aſpectu manifeſtum eſt, longè illas extra nebuloſum hoc barathrum eſſe poſitas; quippe quæ tutas in ſedes purioris ætheris jam antè ſunt ſubvectæ.

Quod de iis graviſſimum cogitari poteſt hoc eſt, ità ferè ſe affectas fortè ſenſuras, ut nos ipſi afficimur cùm ſub dio ſpatiamur illuſtri, ſtellante, gelidáque nocte; quod ſanis jucundum eſt potiùs quàm moleſtum. Et ſi nos cum aliqua delectatione id ferre poſſumus in terrenis iſtis corporibus, quorum partes ſine juſto calore obrigeſcent; quid aliud quàm novum tactilis voluptatis genus futurum ſit *Incolis Æthereis*, quorum corpora non ut noſtra conſtipantur, ſed ſunt ipſa agilis quædam lux & ignis?

Hoc unum intelligi poteſt, particulas ſphæricas *Vehiculi* paulo denſiùs compactiúſque ſolito coituras, quo anguſtatis intervallis triangularibus, elementum ſubtiliſſimum per ea celeriùs aliquanto diſcurſurum; quod ſenſum vegetiorem alacriorémque ſolito efficiet. Tam parum hâc ratione fatum hoc illis formidandum.

4. At enim lumen eorum, inquies, obſcurabitur extincto Sole; cujus ſplendor tam Deorum quàm Hominum videtur intereſſe, ut innuit *Homerus*,

Ὤρνυθ' ἵν' ἀθανάτοισι φάος φέρῃ ἠδὲ βροτοῖσι.

Reſpondeo verò, *Homericum* illud intelligendum eſſe de *Dæmonibus Aereis*, non de *Æthereis Diis*, qui in puram lucem actu ſplendentem convertere ſe poſſunt quoties ipſis viſum erit. Quare metuendum non eſt nè perſonalis eorum inter ipſos congreſſus minùs lætificus minúſve diſtinctus ſit ac antea; nam literæ candidæ in charta nigra æquè ſunt illuſtres & lectu faciles, ac nigræ in charta candida. At hoc illos in tenebris eſſe ſignificat, cùm non ſunt, ſed in molliore & placidiore luce, quod variat duntaxat voluptatem; ſicuti cùm Luna extinctâ lucernâ claram ſe infert in conclave. Et certè lux à Stellis collata * in vividum tenerúmque illorum ſenſum majorem vim habet, quàm in noſtrum Lunæ lumen clariſſimum; etiamſi non propiores ulli Stellæ illos eſſe ſupponamus, quàm ſumus ipſi. Magnæ autem hujuſmodi mutationes ſua commoda habeant, iis ſcilicet quibus Providentia favere vult, pariter ac incommoda. Et ſic noſtri *Solis extinctio* lucem alicujus Stellæ vicini vorticis augere poſſit. Quæ quanquam Carceres illos *Cimmerios* antè memoratos penetrare non valeat, ſatìs tamen luminis *Spiritibus liberis* præbere poteſt. Vorticis noſtri præterea diſcerptio & ſpoliatio, quæ tunc eventura eſt, nos propius centrum alterius neceſſariò adducet, cujus Stella ſat lucis dabit *Geniis Æthereis*, licèt debilior ſit quàm ut *Aereis* opituletur.

Quòd autem ità procul abeſſe à centralibus Vorticum luminaribus ſatìs conveniat cum fœlicitate ſumma, intelligere licet partim ex eo, quòd materia cœleſtis ſupra *Saturnum*, ad ipſum uſque marginem Vorticis, * fortiùs agitatur eâ quæ inter *Saturnum* & *Solem*, & propterea minùs indiget radiis ſolaribus ad agilitatem liquiditatémque ſuam conſervandam; & partim quòd immenſæ regiones illæ *Ætheris* inutiles & ferè fruſtra eſſent; * ni abs Incolis *Æthereis* frequentarentur, qui, pro natura elementi ſui, ſunt proculdubio generis præſtantiſſimi. *Æthereus* ergo populus univerſus in hoc caſu eò ſe recipere poteſt, & in veris illis Deorum *intermundiis*, quæ ſomniavit *Epicurus*, æterno in gaudio & beatitudine ſecurus conquieſcere.

5. Quod facilè concedi debebit, ſi porrò contemplemur maxima *Vehiculi ætherei* privilegia, in quo tanta vis Animæ excitur, ut motum particularum ejus, augendo minuendóve agitationis gradum, ea pro libitu moderari poſſit, Axiom. 32. quo ipſo etiam ſoliditatem Vehiculi temperare valet, * & pro hac ejus attemperatione vel aſcendere vel deſcendere in Vortice, ídque variâ celeritate, prout ipſi libitum ſit & conveniat. Cujus privilegii amplificatione poteſt etiam, ſi videtur, è Vortice in Vorticem tranſire, *Veſtæque* novæ calore uti, frui, ità ut nullum omnino fatum eam unquam apprehendere valuerit.

6. Neque hoc Animæ laborioſius erit opus, quàm flumine ſecundo navigare. Illa enim, ſimul ac agitationem ſoliditatémque Vehiculi ad cœleſte ſuum adornavit iter, tam ſponte naturæ eò quò deſtinat feretur, quàm lapis deorſum, ignis ſurſum fertur. Nullus ergo ſubeſt laſſitudinis metus, non magìs profectò quàm cùm navigio remis acto veheris, aut portatili geſtaris ſellâ. * Namque cœleſtis materia *Vehiculum* ambiens, ſurſum, deorſum, à centro, ad centrum Vorticis transfert Animam, ſuâ ipſius operâ & impenſâ. Ea denique eſt tenuitas ſubtilitáſque ſenſuum æthereis Incolis, ut eorum proviſio & ſagacitas noſtram, ſuprà quàm cogitari poteſt, exuperet neceſſe

ſit; præterquam quòd indicia ac præmonitus multi, & conſpicui continuíque calamitatis hujus futuri ſint, antequam Sol uſque adeò deficiat, ut defectus ejus illos ullatenus attingat. Quare nè minima quidem infortunii aura ad illos unquam aſpirare, minimúmve malum aſſequi valebit.

7. Levis hæc ſignificatio eſt Myſteriorum Providentiæ; cujus ambages tantæ, circuitus tam immenſi, ut incomprehenſibiles prorſus meritò videantur *Incredulis* & *Idiotis*, qui proni nimis ſunt ad opinandum, omnia utì nunc ſunt futura ſemper, cupidéque volunt ità fore: quod perinde tamen inurbanum ac abſurdum eſt, ut ſi quis in feſtum locum ubi apparatiores choreæ agitantur ingreſſus, primóque tripudio magnopere delectatus, nullum aliud ſaltari vellet, aut ſaltantes à ſe invicem longiùs digredi nollet, quàm cùm ille primùm eſt ingreſſus; cùm tamen illi aut propiùs aut longiùs, ad fidium numeros præſcriptámque tripudii legem, ſe movere debeant. Et certè tota materia Univerſi, ſingulæque partes ejus, ſemper in motu atque in tripudio eo verſantur, cujus inceſſus prorſum & retrorſum immenſum ſpatium conficiunt; & quod diutiſſimè ſubſtitiſſe videtur, motum inſtaurare debet, ad modulationem accentúſque Harmoniæ ejus, quæ auribus acutiſſimis non auditur quidem, mentibus tamen puriſſimis acerrimíſque ingeniis intelligitur. Cujus rei veritati nemo repugnare auderet, ſi repugnantis ſpiritus hiſtoriam ſuam enarrare potuerit, & referre verbis quot per ſtellas vorticéſque antè percolatus eſſet, quàm particulæ ipſius convenirent, ad tam temerariam contradictionem abutendæ.

8. Noſtram jam *Diſſertationem* ad finem perduximus, cujus hæc eſt ſumma; *Eſſe ſubſtantiam Incorpoream, atque adeò in Homine, quam Animam ejus appellamus. Hanc ejus Animam ſupereſſe atque agere poſt interitum Corporis, primò, ut ferè fit, in* Vehiculo Aëreo, *aliorum* Dæmonum *more; in quo fati non eſſe penitùs exortem, tum demum verò perfectam & ſecuram fore, cùm* Æthereum *aſſecuta ſit; quippe extra vim poteſtatémque Mali Principii illius poſitam, cujus ditio & imperium tam longè latéque patet, quàm longè latéque locus ſit miſeriæ & morti.* Hoc Principium *Arimanium* vocabant *Magi Perſici, & Tenebris aſſimilabant,* ſicut alterum Principium Bonum, *Oromazen* dictum, *Luci*; hoc Θεῦ, illud Δαίμονος nomine inſignientes.

9. Quæ *Perſarum* doctrina nil aliud ſignificare poteſt, quod quidem probandum ſit, niſi adumbrationem quandam duarum præcipuarum Providentiæ partium, quarum una in *Dæmoniacis*, altera in *Divinis* Ordinibus verſatur. Qui ſemper Ordines, plùs minúſve, & intus & foris, inter ſe diſſident & contendunt. At ſi *Theopompi* vaticinium, hominis Arcanis hiſce initiati, verum ſit, vincet tandem rerúmque potietur *Principium Benignum,* Τέλος δὲ ἀπολείπεσθαι τὸν ἅδην, &c. Hades *ſeu* Arimanius, *qui tam validâ nos tenet cuſtodiâ, tandem aliquando deſtituetur,* καὶ τοὺς μὲν ἀνθρώπους εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένους, μήτε σκιὰν ποιοῦντας, *& homines erunt beatiſſimi, nec egentes cibis, nec umbram projicientes.* Quam umbram enim projicere poteſt corpus illud, quod lumen purum & tranſpicuum eſt? Tale autem *Vehiculum Æthereum.* Oraculum illud ergo tum demum impletur, cùm Anima in conditionem eam quam antè deſcripſimus aſcenderit, in qua una ſupra vim *Fati* & *Mortalitatis* ponitur.

Plutarch. de Iſide & Oſir.

10. Hæc hæc eſt vera illa Ἀποθέωσις, ut more *Perſico* loquar, cujus inani titulo Imperatores magníque rerum Domini memoriam ſui poſteram ornare cupidiſſimè voluerunt; ſed quæ revera tam excelſa Animæ prærogativa eſt, ut Virtutes merè *Politicæ*, quas vocat *Plotinus*, nunquam illam ad hoc culmen fœlicitatis ſubvehere valeant. Aut *Philoſophia*, aut aliquid Philoſophiâ ſanctius, dux Animæ eſſe debet ad ſtatum hunc omnium longè præſtantiſſimum. Nec magnopere laborans an *Pythagoræi* ſint illum aſſecuti, Magiſtri ſui diſciplinam & præcepta obſervando, fidenter nihilominus aſſeverabo, quod illi ſequendum ſibi propoſuêre, ſummam maximè beatitudinem eſſe, quam natura noſtra poteſt capere; quod idem cùm extremum ſit quod Tractatus hic noſter declarandum ſibi ſumere potuit, concludam omnia Diſticho *Pythagorico*, (quod aliàs in eandem ferè rem memoravi) quod non modò iſtius Philoſophiæ ſed & præſentis hujus Diſſertationis ſcopum ultimum complectitur.

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος, θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.

Id eſt,

Sic corpus linquens & liberum in æthera vectus,
Immortalis eris *Deus, æternúmque* manebis.

SCHOLIA

In CAP. XIX. SECT. 4.

IN vividum tenerúmque illorum ſenſum, majorem vim, &c. *Supponuntur enim Animæ etiam in his Regionibus vehicula habere organizata. Et experientiâ conſtat in cubiculo ità obtenebrato ut quis ſtatim à primo introitu nè manum ſuam videre poſſit, poſt mediocrem moram, vultus perſonarum præſentium ſatìs diſtinctè poſſe deprehendi. Quanta igitur conſpicuitas expectanda eſt à vividis Lucis Stellarum omnium vibrationibus ſimul conjunctis? Neque enim Animabus in hiſce Regionibus verſantibus, terreſtri Horizonte dimidium Cæli abſconditur.*

Fortiùs agitatur eâ quæ inter Saturnum & Solem, &c. *Aut ſubtiliorem eſſe magiſque igneam & Ætheream, aut partes fortiùs agitari ex eo conſtat quòd cometæ tam celeri motu per eas Regiones ferantur. Vide* Carteſium, *Princip. Philoſoph. Part. 3. Artic.* 83, 128.

Ni abs Incolis Æthereis frequentarentur, &c. *Hîc igitur Mundorum* Aziluthicorum *ſedem eſſe veriſimillimum eſt, ut de Mundo nihil dicam* Briathico. *Ubi enim ſenſus tenerrimus, puriſſimúſque vehiculorum ſtatus, ibi maximam à Solari calore diſtantiam eſſe, planè eſt conſentaneum. Hi igitur in* Stola Aaronis ocellata *habitant, Planetarum verò Incolæ in* Pallio *ejus* Hyacinthino.

Sect. 5. Et pro hac ejus attemperatione vel aſcendere vel deſcendere in Vortice, &c. *Quòd ſi exactè contemperetur conſiſtentiæ illius partis Ætheris ubi eſt, quamvìs progreſſivâ ſuâ facultate ipſa minimè utatur, celerrimo tamen motu circa Solem Vorticis circumferetur in ſupremis iſtis Regionibus, nempe ſecundùm vorticis curſum fluxúmve. Sed poteſt interim progreſſivâ facultate uti ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, ſine ulla nova vehiculi mutatione.*

Sect. 6. Namque cœleſtis Materia *Vehiculum* ambiens ſurſum, deorſum, à centro, ad centrum vorticis, &c. *Ità certè fieret ſi motus Mundanus eſſet Mechanicus ſecundùm Philoſophiam* Carteſianam. *Jam verò cùm tam clarè mihi conſtet* Mechanicum *non eſſe ſed* vitalem, *dico non tam* cœleſtem Materiam *quàm* Spiritum Naturæ *Vehiculum Animæ pro ſua conſiſtentia aliter atque aliter movere.*

CONJECTURA CABBALISTICA,

SIVE

Mentis *Moſaicæ* in Tribus primis Capitibus *Geneſeos*,
ſecundùm Triplicem

CABBALAM

Viz. { *Literalem*, *Philoſophicam*, *Myſticam* ſive *Divino-Moralem* }

INTERPRETATIO.

Per *HENRICUM MORUM*
Cantabrigienſem.

EXOD. 34.

Viditque Aaron *& omnes filii* Iſrael Moſen, *& ecce reſplendebat cutis faciei ejus, timuerúntque appropinquare ei.*

Quapropter velamen poſuit ſuper faciem ſuam ſiquando loquebatur ad eos.

MATTH. 10.

Nihil eſt opertum quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby*,
M DC LXXIX.

Clariſſimo Viro & ob ſingularem Eruditionem & Pietatem celebratiſſimo

D^{ri} CUDWORTH,

Collegii Chriſti, in Academia

CANTABRIGIENSI,

Magiſtro, Publicóque Linguæ *Hebraicæ* Profeſſori.

DE præſentis Argumenti delectu, cui operam impendi, Vir clariſſime, ſatìs, opinor, dixi, in ſequenti Præfatione. De delectu Patroni nihil ampliùs dicam quàm quòd ſola illius Eruditio ſingularis ac Pietas me induxerit ad eum eligendum. Quarum prior in Orbe tam conſpicua eſt ut univerſim ab omnibus agnoſcatur, & quantùm ad poſteriorem, neminem latere poteſt cui fœlicitas contigit, licèt minorem in modum, magìs liberæ illius intimæque Converſationis. Quantùm ad me non poſſum quin publicè profitear me in hominem tam verè decoreq; religioſum nunquam incidiſſe, ubi recta Dei Chriſtiq; notitia illuminatum animum eo æquilibrio teneat, ut æquè remota ſit à Superſtitione *atque ab* Irreligioſitate *ipſa. Et præſentes quidem hæ Lucubrationes meæ, apud nullos magìs gratæ erunt majorémve reperturæ ſunt acceptationem quàm apud tales. Nam iſtiuſmodi libera nulloq; laborantia præjudicio* Ingenia *nec veritatem antiquabunt ob vetuſtatem Notionis, nec ob juvenilem contemnent aſpectum, ſpeciémve quam præ ſe ferat, Novitatis. Prætereà nulli ſunt qui magìs certi eſſe poſſunt de præſentis mei Inſtituti Sinceritate & Efficacia. Quotquot enim è* Spiritu *nati ſunt, nec ſunt meri* Literæ *filii, bene nôrunt, quantum interior magiſq; Myſtica Textûs ſignificatio ad reverentiam faciat ſacræ Scripturæ & ad Pietatis augmentum: quando è contrà nudi ſenſûs* Literalis *obtruſio multos aut fecit aut confirmavit Atheos.*

Et certè illi homines in rebus Religionis parùm perſpiciunt qui non planè detexerint Atheorum maximè intereſſe ut ipſis concedatur nullam Spiritualem *ſignificationem ineſſe ſive Scripturæ ſive Sacramentis, quæ ultrà ſe extendat quàm ad ſenſum merè Gram-*

maticum in una, & ad ſenſibilem, craſſam, externamq; Actionem in alteris. Ut exempli causâ, Quòd regenerari, verumq; ac realem Chriſtianum evadere nihil aliud ſit quàm externum Aquæ viſibilis Baptiſmum recipere, quodq; Philoſophia Moſaica *de Deo deq; rerum Natura nulla alia ſit, quàm quæ ſit obvia in nuda Litera* Moſis. *Quod quidem ſi Atheus ſibi plenè conceſſum ab omnibus obtinere poſſet, & hoc etiam in mantiſſam additum, quòd nulla ſit Dei Notitia niſi quam Textus* Moſaicus *Mundo primùm propinaverit, quæve omninò ſit* Traditionalis, *non poſſet ſanè quin Religionem hoc ornatu expoſitam, rem tam inanem reputet, obnoxiam & contemptibilem, ut par profectò foret apud omnes, qui omnino Fatui non eſſent, ut eam tanquam Commentum aliquod Melancholicum conſiderent, aut callidum Inventum ad territandum imperitum vulgus, ſed ponè ſiparium dignum eſſe quod liberis cachinnis excipiatur derideaturq; à Sapientibus: factuq; facile fore, brevi ſpatio memoriam illius è mentibus hominum ſtirpitùs evellere, ut quæ haud ità altas radices in humanis facultatibus egerit. Quod ſanè æquè ſperandum cenſeo atq; poſteros naſcituros eſſe ſine oculis atq; auribus uſumq; ſermonis perdituros. Notitiam enim Dei ſenſumq; Religionis æquè Naturalem Humano generi & eſſentialem eſſe exiſtimo atq; ullam aliam proprietatem qualemcunq;, Generationeſq; hominum æquè citò prorſus* irrationales *futuras ac penitùs* irreligioſas. *Quod* Tractatum meum adverſùs Atheiſmum *cuivis confirmaturum credo qui eum cum diligentia & judicio perlegerit.*

Nec omnino ſequitur ex eo quòd veritas aliqua per modum Traditionis *propagata ſit, eandem per* Rationem *non poſse concludi. Etenim nullum unum novi Theorema in univerſa Philoſophia Naturali, cui magìs firmæ Rationes ſuffragentur, quàm ſit illud de Motu Terræ. Quod tamen* Cabbalæ *Philoſophicæ ſive Traditionis* Moſaicæ *pars eſt, quemadmodum ſuo loco pleniſſimè oſtendam. Et ſimiliter Præexiſtentia Animæ, quæ videtur ejuſdem Traditionis pars fuiſſe altera, Rationi abundè eſt conſentanea. Et quemadmodum omnium earum quæ videntur Motûs* Irregularitatum *in Planetis genuinam rationem reddere poſſumus, ſuppoſito quòd illi & Terra moveantur circa Solem; ità quidem omnium eorum quæ nos attonitos reddant Providentiæ Paradoxorum cauſas aperire poſſumus ex hac altera Hypotheſi, oſtendereq; nihil ſacris Dei Attributis incongruum accidere, ſi oculum mentis in centro omnium liberorum motuum collocare poſſumus, in ſtabili utique illo Æternoq; Bono, nec ipſi longinquo* *ab illo Intervallo ferremur inter reliquos vagabundos Planetas (quemadmodum* S. Judas *illos appellat) qui ad varias diſtantias circa eum ludunt, & tamen univerſi aliquo modo non ſolùm ad eum aſpirant, ſed ſive aſpirant ſive ſecùs revera aliquid ab ipſo recipiunt. Nam ex hoc* Primo *omnis eſt & Sapientia & Voluptas & Potentia. Cæterùm ſatis eſt res hujuſmodi breviter omninò & Ænigmaticè ſubindicâſſe, cùm Ignorantia & Iracundia omnium Ætatum maximè generoſas Veritates cum offenſione maxima ſoleant excipere.*

Quantùm verò ad me nullam rationem video quin omnes Virtutis Pietatiſq; ſtudioſi, pro præſenti hoc meo Incepto Cabbaliſtico *ex animo mihi gratias agant, quippe qui ſanctum Trinitatis Myſterium, quo minùs merum Inventum Paganicum habeatur (quemadmodum Secta quædam nimis temeraria autumat) tam planè vindicavi. Nam apertè hìc oſtenditur ſuam à* Moſe *Originem duxiſſe non à* Pythagora *aut* Platone. *Et ſanè cùm* Chriſtus *nihil aliud ſit quàm* Moſes *revelatus, ſpeciale Providentiæ ſpecimen exiſtimo quòd occulta hæc* Cabbala *tam maturè Gentibus innotuerit, quò paratiores reddi poſſent ad faciliorem receptionem totius Myſterii Chriſtianitatis quum primùm in plenitudine temporis magìs clarè Orbi revelatum fuerit.*

Præterea oſtendimus etiam Animam, ſecundùm Moſaicam *Philoſophiam tum à morte, tum à ſomno poſt mortem eſſe ſecuram. Quem tamen ſomniculoſi iſti ſuper Literam Scripturæ Nutatores admodum oſcitanter collegerunt & pari ſimul confidentiâ poſtea defenderunt, prætendentes dogma contrarium magìs* Platonicum *eſſe quàm* Chriſtianum *aut* Scripturale.

Quamobrem cùm Inſtitutum meum tam pium ſit, quemadmodum apparet, nihil congruentius facere potui quàm tam ſincerum Pietatis cultorem, in præſentium mearum Lucubrationum Patronum eligere. Præſertim cùm adeò idoneus ſis qui maximè proprium Patroni officium præſtes, eamq; veritatem, quæ tibi heîc exhibetur, defendas, & ex opulento Eruditionis tuæ Theſaurario ea ſuppedites, ad quæ aut Penuria mea ſe extendere non valuerit, aut omiſerit Inadvertentia. Et ſanè ſi hoc à te ſperare non poſſum, neſcio unde expectem. Neq; enim novi ubi quenquam inveniam tam univerſim pleneq; in omnibus Eruditionis partibus conſummatum quàm ipſe es: In Orientalibus Linguis & Hiſtoria perinde atq; in ſelectiſſimis Philoſophiæ Theorematis. Quarum Perfectionum vel una quælibet ſatis eſſet ad implendum ſi non inflandum hominem *quemvis vulgarem magnâ ſui opinione ac Arrogantiâ, cùm tuum interim ſolius privilegium ſit univerſas poſſidere, nec tamen magìs efferri magiſve imperioſum eſſe, aliorúmve Cenſorem te gerere quàm illi debeant, qui ſint omnium ignorantiſſimi.*

Hæ ſunt veræ Rationes quæ me moverunt ad hanc Libri mei Dedicationem, quem ſi tibi ſimiliter placuerit in Patrocinium tuum recipere & tanquam monumentum Amicitiæ noſtræ acceptare, multùm indè devincies

Amicum tuum ſervúmque
deditiſsimum,

HEN. MORUM.

E Muſeo, *Cantabrigiæ*, pridie
Calend. *Septembr*. An.
Dom. 1657.

Præfatio

Præfatio ad Lectorem.

1. Quid intelligendum ſit per vocem *Cabbala*, & quàm legitimè *Literalis* Textûs Expoſitio ſic poſſit appellari. 2. Speculationes haud ità neceſſarias modo *Sceptico* optimè proponi. 3. Naturæ & dignitatis *Rationis* luculenta Deſcriptio, quidque ſit *Divinus Logos*. 4. Generales Probabilitates veritatis hujus præſentis *Cabbalæ*. 5. Scopus Authoris in ea publicanda.

1. T*Riplicem hic tibi offero, amice Lector, trium primorum Capitum* Geneſeos *Interpretationem, quam in Libri Titulo Triplicem* Cabbalam *appello. De qua, ut eo inſtructior ac confirmatior evadas, è re fore cenſeo pauca tibi præfari, eáque talia quæ veriſimillimum ſit, teipſum à me ſponte fuiſſe quæſiturum. Ut, exempli gratiâ, Cur hanc meam Interpretationem* Cabbalam *vocaverim, & à quo ipſam acceperim. Quæ ſint argumenta illius veritatis maximè probabilia, & Quis ſcopus meus ſit in ea publicanda.*

Ad quorum primum reſpondeo, Quòd Cabbala *Judaica intelligitur Traditionalis quædam Doctrina eſſe ſive Expoſitio* Pentateuchi, *quam* Moſes *accepit ab ore Dei dum verſabatur cum eo in Monte. Atque hic ſenſus ſive Interpretatio Legis vel Pentateuchi quatenus eſt Doctrina* accepta *primùm per* Moſen, *& dein ab eo per* Joſhuam, *& à* Joſhua *per ſeptuaginta Seniores, & ſic deinceps, appellata eſt* Cabbala *à* קִבֵּל, *accipere: Sed quatenus* tradita *eſt, perinde atque* accepta, *appellata eſt etiam* Maſſora, *quæ vox* Traditionem *ſignificat. Quanquam hæc poſterior magìs propriè ad* Criticam *Grammaticámque peritiam eruditorum apud* Hebræos *pertineat, atque eapropter utilis erat explicando* Literali *ſenſui Textûs perinde atque* Myſtico, *ubi intenditur. Unde ſine omni temeritate vocíſve abuſu,* Literalem *Interpretationem in quam incidi* Cabbalam *appellare poſſum, perinde atque* Philoſophicam *aut* Moralem. *Quippe quum ipſe ſenſus* Literalis *non tam perſpicuus ſit ac determinatus, quin aliquam* Traditionalem *Doctrinam ſive Expoſitionem requirere videatur, ad eum ſtabiliendum, perinde atque alteri illi ſenſus qui magìs* Myſtici *ſunt.*

Atque idcirco, Triplicem hanc Interpretationem quam erui Cabbalam *nominandam cenſui, tanquam ſi in ipſam veram* Cabbalam Moſaicam *in cunctis tribus ſenſibus Textûs incidiſſem, talibus utique, quos ore proprio* Moſen, *ad informationem morigeri probéque parati diſcipuli, enunciare condecuiſſet. Ac proinde ut res majori cum venuſtate agatur ac magnificentia, ipſum* Moſen *loquentem introduxi, mentémque ſuam propriam in cunctis hiſce tribus diſtinctis Expoſitionibus, explicantem.*

2. *Et tamen nihilominùs totam Interpretationem* Conjecturam *omninò appello, quippe qui is ſum, qui nolim in rebus definiendis ſapientior videri, quàm alii ferre poſſunt aut approbare. Nam tametſi in eis quæ Humanæ fœlicitati neceſſaria ſunt atque eſſentialia, cujuſmodi eſt perſuaſio quòd* Deus exiſtit, *& id genus reliqua, non ſufficit cuipiam argumenta afferre irrefragabilia pro cauſa quam defendit, ſed profiteri porrò oportet planè & dogmaticè ſe plenum tribuere aſſenſum Concluſioni quam demonſtraverit; ut ii qui* Rationis *vim tam facilè non percipiunt, animari nihilominùs hoc pacto poſſint ad eandem fidem amplectendam cum eis qui percipiant, quippe quum tanti eis momenti ſit, rectè de dogmate propoſito credere: de* Speculativis *tamen & haud ità neceſſariis Veritatibus ſic ſtatuo, quòd non ſolùm licet cuipiam, ſed & debet eas hominibus* Scepticè *proponere, cùm majoris ſit prudentiæ ac modeſtiæ validiſſima quàm poteſt afferre argumenta & nihil interim definire viderive omnino deperire Concluſionem, nimíſve ſeriò affectare Proſelytorum lucrifactionem propriæ ſuæ opinioni.* Etenim *ubi argumentorum vis percipitur, Aſſenſus naturaliter ſequetur, pro evidentia detectionis vis argumentorum. Atque aſſenſus equidem opinionibus purè* Speculativis, *ſine rationum evidentia, nulla eſt aut voluptas aut perfectio Creaturæ rationalis.*

3. *Ad ſecundam quæſtionem reſpondeo, quòd, tametſi hanc meam Interpretationem* Cabbalam *appello, ingenuè tamen fateor me eam nec ab homine quoquam nec ab Angelo accepiſſe. Nec certè mihi obtigit per Divinam Inſpirationem, niſi eò uſque ſapere velis ut tempeſtivas ſuggeſtiones* Divinæ vitæ *atque ſenſus, qui in rationali Spiritu liberi ſincerique Chriſtiani cum vigore reſidet, Inſpirationem nominandam cenſeas. Talis verò Inſpiratio diſtractrix non eſt, ſed ampliatrix & conſummatrix humanarum facultatum. Atque addere porrò poſſum, hoc eſſe magnum Chriſtianitatis Myſterium ad quod vocamur,* Perfectionem *ſcilicet* Humanæ Naturæ per Participationem Divinæ. *Quod de hac craſſa carne & externis ſenſibus tam propriè intelligi non poteſt, quàm de interna Humanitate, Intellectu ſcilicet, Ratione atque Imaginatione.* Rationis *verò uſum excludere ab inveſtigatione* Divinæ *veritatis, nullum* Spiritûs *eſt dictamen, ſed* Melancholiæ *effrænis cæcique* Enthuſiaſmi, *religioſæ utique iſtius phreneſeos, in quam homines incidunt, dum* paſſivos *ſe ſiſtunt receptioni talium Impreſſionum quæ nullam habeant proportionem ad ſuas facultates. Cui errori atque irregularitati ſi ſemel ſe ſubmittant, in conditione ſe conſtituunt, quidlibet promiſcuè admittendi, atque ſic ſuccedente tempore, evadendi aut ſtupidos aut inſanos, & ſub prætextu perveniendi ad tam ſublimem gradum Chriſtianitatis, (cujus verum Myſterium minimè intelligunt) deprimendi ſeipſos infra infimorum hominum ſubſellium.*

Quantùm verò ad me, equidem tantum abeſt, ut Ratio, *ullum contemptibile Principium in Homine mihi videatur, ut eam agnoſcendam cenſeam aliquo modo ipſi ineſſe Deo. Quid enim aliud eſt* Divina Sapientia, *niſi ſtabilis Idearum rerum omnium comprehenſio, cum mutuis ad ſe invicem reſpectibus, Congruitatibus & Incongruitatibus, Dependentiis & Independentiis? Qui reſpectus à naturis Idearum ipſarum neceſſariò oriuntur: Quorum utraque* Divinus Intellectus *uno quaſi oculi jactu trajicit, rerum ſic ſemel omnium ordinem ac cohærentiam perſpiciens. Et quid hoc aliud eſt quàm* Ratio ſtabilis, *fixa quædam & immobilis* Ratio *connexionem rerum omnium diſpiciens ſimul? Illa verò in nobis eſt* Ratio mobilis *ſive Ratio in* Evolutione, *quippe quòd nos res modo tantùm ſucceſſivo alias poſt alias concipimus. Cæterùm quotquot eodem tempore comprehendimus, dum clarè percipimus, attentéque earum Ideas contemplamur, dignoſcimus planè quàm rectè congruant, quantúmve diſcrepent inter ſe, atque ſic unum per aliud aut probamus aut refutamus: Quæ revera participatio eſt* Divinæ *illius* Rationis *in Deo, verúmque ac fidele Principium eſt in Homine, poſtquam perfectum politúmque ſit à* Spiritu ſancto; *antè verò nimis quàm terrenum & obſcurum, præſertim in rebus Spiritualibus.*

Jam verò cùm ipſe Logos *ſive ſtabilis ac comprehenſiva Dei Sapientia, in qua omnes* Ideæ *ipſarúmque reſpectus continentur, nihil aliud ſit quàm quædam* univerſalis ſtabilis Ratio, *quomodo ullus prætextus eſſe poteſt ut quis tam ſublimi modo inſpiratus ſit, ut ſupra* rationem *ipſam ſit ſufflatus ſublatúſque, ſuúmve Intellectum habeat ſupra naturas rationéſque rerum ipſarum poſitum?*

Quamobrem ut breve tandem Reſponſum formemus ad ſecundam quæſtionem. Dico Triplicem *hanc* Cabbalam, *quæ de quæritur, liberæ rationis mentis meæ eſſe dictamen, attentè ſcriptum* Moſis *Textum conſiderantis, accuratéque examinantis Expoſitiones vulgarium in eum Interpretum. Nec quicquam profectò mihi conſcius ſum, quin tam fæliciter res mecum ſucceſſerit, ut in veram antiquam* Cabbalam *revera inciderim.*

4. *Cujus rei, tertio jam loco, generales proponam Probabilitates. Lectorem quantùm ad reliqua, ad* Defenſionem Cabbalarum *ipſarum remittens, & earundem* Introductionem.

Et primò quidem, quòd Cabbala Literalis *vera ſit, non contemnendum ex eo argumentum eſt, quòd adeò uno quaſi filo deducta ſit, unáque pars tam pulchrè conſiſtat cum altera, quódque res ſingulæ tam accommodatè ad captum vulgi repræſentatæ ſint, & tam efficaciter ad detinendas mentes eorum in timore Dei & obedientia legis illius; quemadmodum particulatim oſtendetur in* Defenſione *illius* Cabbalæ. *Adeò ut ex ſenſu* Cabbalæ *hujus* Literalis, Moſes *deprehenſus ſit homo judicii in Politicis conſummatiſſimi, veriſſimaque ac maximè laudabilis Prudentiæ, quæ fingi poteſt.*

Nec, in Philoſophia, *ſeipſo debet eſſe minor. Ac propterea* Cabbala Philoſophica *nobiliſſimas complectitur Veritates tam* Theologicas *quàm* Naturales, *quibus Mens humana occupari poteſt. Adeò ut* Moſes *meritò videatur præfloráſſe anticipáſſeque maximè ſubtilia abſtruſáque Inventa præclariſſimorum Philoſophorum qui poſt eum unquam extiterunt ad hunc uſque diem. Eſtque ulterior de veritate hujus* Cabbalæ Philoſophicæ *præſumptio, quòd grandia illa Myſteria quæ eâ continentur, eadem ſunt utplurimum quæ duo illi eximii Philoſophi* Pythagoras *&* Plato *ex* Ægypto *partibúſque* Aſiæ *in* Europam *introduxerunt. Eſtque generaliter in confeſſo apud Chriſtianos, quòd utrique Philoſophiam ſuam hauſerint ex* Moſe. *Et* Numenius *Platonicus apertè de Magiſtro ſuo enunciat, Quid eſt* Plato *niſi* Moſes Atticus? *Et quantùm quidem ad* Pythagoram, *incredibile planè eſt ut is &*

Sectatores ejus tantum ſtrepitum cierent de Myſterio Numerorum, *niſi aliquando* Moſaicæ *Mundi Creationis in ſex diebus, ipſi indultus fuiſſet aſpectus, illiúſque* Cabbala Philoſophica *ei eſſet communicata, quæ in* Numeris *maximè conſiſtit, quemadmodum in* Defenſione *illius* Cabbalæ *magìs particulatim declarabo.*

Porrò Juramentum Pythagoricum *jurantium per eum qui* Tetractyos *ſive* Tetrados *Myſterium eos edocuerat, quàm ridicula res futura fuiſſet, ſi aridos jejunóſque Numeros tantùm reſpexiſſet? Verùm admodum probabile eſt ſub* Tetrados *Myſterio,* Pythagoram *ipſum primùm, ſenſum operis quarti diei in Creatione edoctum fuiſſe, ipſúmque poſtea eundem tradidiſſe ſuis diſcipulis. Ex qua* Cabbala *quarti diei,* Pythagoras *inter alia intellexit Terram eſſe Planetam, & circa Solem moveri. Et notiſſimum eſt apud omnes hanc opinionem fuiſſe Pythagoreorum, ac proinde veriſimillimum eſt partem fuiſſe* Philoſophicæ Cabbalæ Moſis. *Quemadmodum pleniùs intelligere eſt, ex illius* Defenſione.

Iamblich. de vita Pythag. cap. 28 & 29.

Ariſtot. de Cœlo, lib. 2. cap. 13.

In ſumma, Omnes iſtæ Concluſiones quæ Cabbalâ Philoſophicâ *comprehenduntur cùm tales ſint, quæ ſublimem amplúmque* Moſis *intellectum maximè condeceant, cúmque tam planè* Phænomenis *Naturæ* Diviníſque Attributis *reſpondeant, perinde atque perpetuò ſine omni vi aut diſtortione Textui Hiſtorico congruant; Hoc, meo quidem judicio, non obſcurum argumentum eſt, quòd hæc* Cabbala *ſit vera. Quæ enim eſſe poſſunt proprietates veræ* Philoſophicæ Cabbalæ Moſaicæ *ſi illæ non ſunt quas ego nominavi?*

Jam verò ad Moralem Cabbalam *quod attinet, ſuam evidentiam perpetuo ductu per totum Textum præ ſe fert,* Moſen *in omni* Pietate *ac* Honeſtate *expertum repræſentans, quemadmodum priores duæ eum repræſentârunt* Politicæ *atque* Philoſophiæ *apprimè gnarum.*

5. *Atque equidem* Myſticæ *hujus ſive* Moralis Cabbalæ *pia Utilitas, ut ultimæ quæſtioni reſpondeam, haud exiguum inter alia Invitamentum erat ad præſentem hanc* Expoſitionem *publicandam.* Moralis *enim ac* Spiritualis *Veritas, quam tanti noſtrâ intereſſe adeò liquet, cùm modo tam miro & inopinato & tamen tam apto & appoſito in hac* Moſis *Hiſtoria repræſentetur, veriſimillimum eſt eam firmiorem menti impreſſionem facturam eſſe, potentiúſque affectus noſtros ad id quod bonum & laudabile eſt eſſe abrepturam, quippe cum voluptate nos erudituram de vera via ad* Virtutem *&* Pietatem.

Nec Literalis *quidem ac* Philoſophica Cabbala *ſuis honeſtis uſibus deſtituuntur. Nam in poſteriori, ad conſternationem puri puti Naturæ Conſulti (qui utplurimum viros pios exiſtimat ac Religionis Patronos nulla animi ornamenta habere præter Scrupuloſitates circa Virtutem, & Imaginationes Melancholicas circa Divinum Numen)* Moſes *heic deprehenſus eſt Magiſter maximè ſublimium ac generoſarum Speculationum quæ in univerſa* Naturali Philoſophia *occurrunt: ut taceam eum Animam humanam multis intervallis extra ictum Fati & Mortalitatis collocâſſe. Et in priori quidem perquam benignè eis proſpectum eſt qui tam proni ſunt ad expectandum rigida Philoſophiæ præcepta in externo Textu* Moſaico. *Hæc enim* Literalis Cabbala *tanquam gubernaculo, curſum ab eis ſcopulis detorquebit, inanique ſtudio faciendi ut nuda* Litera *conſonanter vero Naturæ* Syſtemati *loquatur. Quod dum conantur majori cum zelo quàm peritia, & ſibi ipſis dedecus & ipſi* Moſi *injuriam inferunt. Sunt enim immutabiles & indelebiles Ideæ & Notiones in mente humana in quas poſtquam experrecti ſimus, eáſque noto Naturæ curſui atque ordini applicare aſſueverimus, uſum earum non magìs abjicere poſſumus, quàm oculorum noſtrorum, aut dictatis earum diffidere magìs, æquéve, quàm dictatis externorum Senſuum. Quamobrem apud homines qui rectum* Rationis *uſum recuperaverint, probéque in contemplatione naturæ rerum & experientia ſint verſati, apud eos, inquam, talem Philoſophiam* Moſaicam *proponere qualem auſa eſt quorundam temeritas ac ſuperſtitio, (quippe verè* Literalis Cabbalæ *notitiâ deſtitutorum, quæ lucem eis præferre potuiſſet) eſt profectò quantum in ipſis eſt, non ſolùm* Moſen *ſed &* Religionem ipſam *contemptûs & deriſionis periculo ſubjicere.*

Unde ſatìs conſtare exiſtimo, quanti momenti ſit tam accuratè & ſolicitè Literalem Cabbalam à Philoſophica *diſtinxiſſe, & tam apertè plenéque utriuſque ſenſum ſeorſim explicâſſe, ut nullus in poſterum Error fiat & Confuſio. Nam præterquam quòd harum maximè momentoſarum Veritatum, & ſublimium ſed irrefutabilium Paradoxorum in Textu* Moſaico *detectio, Religionem à vili illa imputatione* Ignorantiæ *in* Philoſophia *naturáque rerum aſſerit vindicátque, nobiliores illas præterea liberæ* Rationis *ac* Philoſophiæ *Concluſiones ab iſta vulgari ſuſpicione eximit* Impietatis *&* Irreligioſitatis.

CABBALA LITERALIS.

CAP. I.

2. *Terra principiò, profunda ac cœnoſa Abyſſus aquis cooperta, ſuper quas ventus violentus, & per omnia tenebræ.* 3. *Dies primum factus ſine Sole.* 6. *Terra* Pavimentum, *Cælum verò* Conopeum *tranſparens ſive Tentorium firmum ad Aquas ſuperiores ſuſtinendas, conſpicuúmve Mare cæruleum, nè delabantur orbémque Terrarum obruant.* 8. *Cur de* Conopeo *hoc non dictum ſit quòd bonum eſſet.* 9. *Aquæ inferiores in unum locum ablegatæ.* 11. *Herbæ, Flores, Fructúſque Terræ, ante Solem ullum Annive tempeſtates, quibus matureſcerent.* 14. *Sol creatus & Diei additus tanquam peculiare illius ornamentum, ut ſunt Luna Stellæque Noctis.* 20. *Creatio Piſcium & Volucrum.* 24. *Creatio Beſtiarum ac Reptilium.* 27. *Homo creatus in ipſa forma figuráve Dei, ſed ſic tamen ut Fœminæ perinde eſſent atque Mares.* 28. *Quî factum ſit ut Homo reliquorum Animalium evaderet Dominus.* 30. *Ipſéque meliori genere fructuum Terræ veſcatur, Beſtiæ verò viliori.*

1. IN hoc Libro mecum conſtitui Generationes vobis recenſere ac Genealogias Patriarcharum, ab *Adamo* ad *Noachum*, à *Noacho* ad *Abrahamum*, ab *Abrahamo* ad *Joſephum*, Hiſtoriámque ad propria uſque tempora contexere. Verùm non abs re erit vos primùm erudire de Creatione Mundi, & de Exordio rerum atque Origine, ut Deus Cœlum Terrámque fecerit, omnéſque ornatus eorum antequam fecerat Hominem.

2. Cæterùm *Terra* initio rudis erat & deſolata moles, Herbis, Floribus & Arboribus omníque Animantium genere deſtituta, quippe quum nihil eſſet niſi profunda ac cœnoſa Abyſſus, Aquis tota cooperta. Erátque ventus fortis admodum atque violentus qui ſuper aquas circumflavit. Et, (quod ſcenam fecit adhuc magìs horridam & inconſolabilem) nulla adhuc erat Lux, ſed ſpiſſis tenebris omnia erant involuta, ſpeciémque præ ſe ferebant nigræ, piceæ ac procelloſæ nimboſæque Noctis.

3. Deus verò non paſſus eſt opus ſuum in miſera hac conditione manere, ſed Lucem juſſit apparere, illuxítque Aurora ſuper faciem Abyſſi, circuivítque ab Oriente in Occidentem, in medio curſu maximè reſplendens circa Meridiem, & dein decreſcente ſplendore versùs Occidentem, tandem prorſus diſparuit. Eodem planè modo quo obſervare licet Diluculum ex Oriente eluceſcere, & in majorem adoleſcere claritatem, ſed in Occidente demum Ætherem deſerere, nullo per totum hoc tempus Sole apparente.

4. Et Deus *Lucem* vidit (quippe quæ res eſt admodum *viſibilis*) quòd bona eſſet, atque ità *Tenebras* à *Luce* ſeparavit, ità ut utræque ſuper faciem Terræ ſimul eſſe non poſſent, ſed ſuas haberent viciſſitudines, alteríque altera alternatim ſuccederet.

5. Reditum verò Lucis *Diem* appellavit, Tenebrarum autem reditum appellavit Noctem. Ac Veſpera & Mane primum diem naturalem confecêre.

6. Jam verò poſtquam Deus Baſin hanc ſive pavimentum magni hujus Mundani Ædificii, *Terram* utique feciſſet, ſuperiores Fabricæ partes aggreditur. Jubet igitur

tur fieri cavum *Expanſum*, firmum ac tranſparens, quod robore ſuo obniteretur Aquis ſupernis, eáſque inhiberent nè nimiâ copiâ labantur in Terram.

7. Atque ità factum eſt diſſepium inter Aquas ſuperiores & inferiores; adeò ut cavi hujus *Firmamenti* beneficio, homo tutus degere poſſit ab iſtiuſmodi noxiarum Inundationum violentia, ut quando quis in probè fixo Tentorio à nimbis defenditur procelloſis. Etenim harum Aquarum periculum ipſi etiam oculo apparet, quippe quum *Mare* illud *cæruleum* quod *Firmamento* pellucido ſuperfuſum incumbit per illius corpus facilè cernitur. Súntque frequentes ac copioſi pluviarum imbres qui deſcendunt deſuper, cùm interim nulla Aqua deprehenditur aſcendere ſurſum. Unde planè liquet, ſi externum ſenſum appellamus, omnem ex *ſuperno* illo *Mari* delabi.

8. Nunc igitur pellucidum hoc *Conopeum* firmitérve extenſum *Tentorium*, quanquam propriè dicere non poſſum, Deum *vidiſſe* quòd bonum eſſet (quippe ſuâ quidem naturâ *inviſibile*) uſus tamen illius oſtendit ipſum valdè bonum eſſe ac neceſſarium. Vocavítque Deus totam cavi hujus Firmamenti capacitatem *Cœlum*. Et Veſpera ac Mane ſecundum Diem naturalem confecêre.

9. Et nunc quidem poſtquam tam tutum factum eſſet contra ſuperiorum Aquarum Inundationum Munimentum, nè in terram laberentur, die proximo Deus ad inferiores aquas ordinandas, quæ univerſam Terræ faciem adhuc contegebant, animum appulit. Illius igitur juſſu Aquæ in unum locum confluxerunt, & apparuit *Arida*.

10. Deúſque *Aridam* appellavit *Terram*, Aquarúmque confluxum appellavit *Mare*. Atque jam quidem propriè dicere poſſum Deum *vidiſſe* quòd bonum eſſet: Nam Mare atque Terra res ſunt ſatìs aſpectabiles, & idonea *viſûs* noſtri Objecta.

11. Et continuò, antequam Solem feciſſet aut Lunam aut Stellas, juſſit Deus germinare Terram germen, gramina, herbas atque flores, plenâ perfectâque pulchritudine, fructiferáſque Arbores fructum amœniſſimum ſuaviſſimúmque producentes quamvìs adhuc nulla fuiſſet Veris, Æſtatis aut Autumni viciſſitudo, nec ulla Solis appropinquatio, qua fructus illarum arborum coquerentur & matureſcerent. Unde facilè deprehendere poteſtis ſtultitiam Gentium Idololatricarum quæ Cauſas ſecundas tantopere depereunt & admirantur, ut primam planè tradant oblivioni, illud aſcribentes *Soli* atque *Lunæ* quod immediato *Dei* juſſu primitus eſt factum.

12. Illius enim juſſu factum eſt, antequam aut *Sol* aut *Luna* in *Firmamento* eſſet, ut *Terra* gramen produceret & herbas facientes ſemen juxta ſpeciem ſuam, & Arbores fructiferas quibus inerat ſemen ſuum juxta ſpeciem ſuam, ità ut diverſa Plantarum genera hoc pacto conſervari poſſent ſuper Terram. Vidítque Deus quòd bonum eſſet.

13. Et Veſpera ac Mane tertium Diem naturalem confecêre.

14. Præterierunt tres Dies ſine Sole perinde atque tres Noctes ſine ulla Luna aut Stellis, quemadmodum & vos ipſi fortean obſervare potuiſſetis aliquot Noctes ſine Luna & Stellis, perinde atque Dies ſine Sole alteras alteris ſucceſſiſſe: Et ſic futurum fuiſſet in perpetuum, ſi Deus non dixiſſet, Fiant *Luminaria* in firmamento Cœli, ad diſcriminationem Diei & Noctis, & ut ſint Ornatus utriuſque. Sint etiam in ſigna mutationum Cœli, in Tempeſtates Anni, & in Periodos Dierum, Menſium & Annorum.

15. Porrò ſint ut Lumina intra cavam Firmamenti Cœli fornicem ſuſpenſa, ut luceant hominibus in Terræ pavimento ambulantibus: Et factum eſt itá.

16. Fecítque Deus duo *magna Luminaria*. Majus quidem, illuſtriſſimum auguſtiſſimúmque Objectum quod aſpicere poſſumus interdiu, ut ſit quaſi *Princeps* ac *Monarcha Diei*. Minus verò, ſplendidiſſimum & nitidiſſimum ſpectaculum in quod oculos conjicere poſſumus noctu, ut *Noctis ſit Regina* ac *Moderatrix*. Et verò, quanquam propter parvitudinem haud tanti ſunt momenti, *Stellas* etiam fecit.

17. Collocavítque omnes in *Firmamento* Cœli ut luceant ſuper Terram,

18. Et ut ſplendoris ſui externi præcellentiam oſtendant præ reliquis omnibus quæ aut noctu aut interdiu apparent, peculiaréſque ſint ornatus ad inſigne *diſcrimen* faciendum inter Lucem & Tenebras, ut ſuperadditus *Sol* diem adornet, lucémque ejus acuat, & ut *Luna* & *Stellæ* adornent Noctem, ejúſque torporem & caliginem minuant. Vidítque Deus quòd bonum eſſet.

19. Et Veſpera ac Mane quartum Diem naturalem confecêre.

20. Poſtea, Aquas Deus juſſit *Piſces Volucréſque* producere, quorum magnam produxêre copiam. Volucréſque volârunt ſuper Terram in aperto Cœli Firmamento.

21. Creavítque Deus magnos etiam *Cetos* perinde atque reliquos Piſces, qui ſe movent in Aquis. Vidítque Deus quòd bonum eſſet.

22. Et benedixit eis Deus, dicens, Creſcite & multiplicamini, & replete aquas in Mari. Volucréſque ſe multiplicent ſuper Terram.

23. Et Veſpera ac Mane quintum Diem naturalem conſecêre.

24. Tunc Deus Terram juſſit omnia *Reptilia* & *Quadrupedia* producere, quemadmodum Aquas juſſerat Piſces producere atque Volucres. Et factum eſt itá.

25. Et poſtquam Deus *Beſtias Terræ* juxta ſpecies ſuas feciſſet, & *Jumenta* ac *Reptilia* juxta ſuas ſpecies, vidit quòd bonum eſſet.

26. Tandem verò eximium iſtud aggrediens Artificii ſui ſpecimen, *Hominem*, animavit ſeipſum dicens, Age verò, Nunc *hominem* faciamus. Faciámque, inquit, ſecundùm eandem Imaginem formámque quam ipſe gero, & dominium habebit in piſces Maris, & in volucres Aëris, & in Jumenta, & in univerſam Terram, & in omne Reptile quod repit ſuper Terram.

27. Atque ſic Deus *Hominem* creavit in ſua ſpecie ac figura, ſtaturâ erectâ, cum cruribus, manibus, brachiis, cum facie atque ore ad loquendum jubendúmque, quemadmodum fit in Deo ipſo. Ad imaginem, inquam, Dei ſic creavit eum. Cæterùm nè me aliter accipiatis atque ego dixi, quanquam Deum tanquam maſculinum magíſque perfectum conſideratis, me tamen ſic intelligi nolo ac ſi Deus humanum genus tam accuratè ad ſuam imaginem formaverit ut *Mares* ſolummodo fecerit: Hoc enim vobis affirmo, eum *fœminas* perinde atque Mares feciſſe, quemadmodum poſthac magìs particulatim audietis.

28. Cúmque *Marem* ac *Fœminam* ſic feciſſet, diſcrimen ſexuum quod eis indiderat juſſit experiri. Et benedicens eis Deus dixit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram progenie veſtrâ, & eſtote illius Domini, imperiúmque habete in piſces Maris & in volucres Aëris perinde atque in Beſtias & Jumenta, & in omne Reptile quod movetur ſuper Terram.

29. Dixítque Deus, Ecce, do vobis omnem Herbam frugiferam quæ eſt ſuper faciem Terræ, cujuſmodi eſt Fragum. Diverſa frumenti genera, ut Secale, Triticum, Oryza, ſuaviſſimíque arborum fructus, hæc omnia vobis in eſcam do.

30. Quantùm verò ad Beſtias Terræ, Volucréſque Aëris, omnéque Animans quod repit ſuper Terram, viliora Herbarum genera graménque obvium eis aſſignavi. Atque hinc factum eſt ut homines ſelectiſſimorum fructuum Terræ Domini evaſerint ac poſſeſſores, Agríque pecora vilioribus herbis contenta ſint & communi gramine.

31. Vidítque Deus omnia opera quæ fecerat, & ecce erant valde bona. Et Veſpera ac Mane ſextum Diem Naturalem confecêre.

CAP. II.

3. Sabbatorum *Judaicorum Origo, à quiete quam poſt ſex dierum operam ſibi indulſit Deus.* 5. *Herbæ atque Plantæ ante ullam Pluviam, rem Hortenſem, aut Agriculturam, ratióque cur ità factum ſit.* 7. Adamus *ex pulvere Terræ formatus, Animáque ejus in nares inſpirata.* 8. *Plantatio* Paradiſi. 9. *Arbor illìc mirifica, quæ juventam conſervatura eſſet, Hominémque in terra immortalem redditura: cum altera Arbore mirifica,* Arbore *ſcilicet* Scientiæ Boni & Mali. 11. *Fluvii Paradiſi,* Phaſis, Gihon, Tigris, Euphrates. 18. *Magna Matrimonii commendatio.* 19. Adamus *omnibus Animantium generibus nomina indit præterquam piſcibus.* 21. Mulier *ex coſta* Adami *formata, poſtquam in profundum ſoporem incidiſſet, Mente interim ejus in Ecſtaſin raptâ.* 24. *Prima* Matrimonii *Inſtitutio.*

1. Atque ſic Cœlum & Terra perfecta ſunt, omnéſque Creaturæ quibus exornata ſunt ac repleta.

2. Cúmque Deus intra ſex Dies univerſum opus ſuum conſummâſſet, die ſeptimo quietem ſibi indulſit.

3. Atque ſic diem ſeptimum Feriam fecit, Feſtúmque *Quietis* conſtituit, quia ipſe tunc primùm quievit ab operibus ſuis. Unde *Sabbatorum* veſtrorum rationem atque originem planè intelligitis.

4. Hæ ſunt Generationes Cœlorum atque Terræ, quas tam compendioſè vobis recenſui, quemadmodum creatæ ſunt in diebus, quando Dominus Cœlum fecit atque Terram varióſque illorum ornatus.

5. Veruntamen ſuperſunt nonnulla quæ paulo pleniùs attingere velim vóſque de eis erudire in laudem Dei, manifeſtationémque potentiæ illius apud vos. Ut verbi gratiâ, quòd Herbæ plantæque Agri ſuâ ſponte non germinârunt è Terra antequam eas feciſſet Deus, ſed quòd Deus eas antè creavit, quàm ulla iſtiuſmodi rerum ſemina eſſent in terra, quámque ulla pluvia eſſet, Hominéſve qui arte Hortulariâ Agríve culturâ uterentur quo efficerent ut creſcerent: Ut firmiorem poſthac habere poſſitis fidem in Deo, ſiquando ordinarius Naturæ curſus famem Annonæve difficultatem comminaturus ſit propter pluviæ defectum Imbriúmque tempeſtivorum.

6. Neque enim ulli Imbres fuerant, quando Deus effecit ut Plantæ Herbæque Agri è terra germinarent; erat tantummodo, quod initio dixi, Torrens aquarum ingens, quæ paſſim ſupra terram ſcaturiebant, universámque contegebant faciem Soli. Quas tamen Deus poſtea virtute ſuâ Omnipotente intra certos limites ità coercuit ut reliqua Terra planè Arida eſſet.

7. Et ut adhuc pleniùs intelligatis, quantum Divina Potentia ſupra curſum Cauſarum naturalium exaltetur, Deus pulverem hujus terræ aridæ ſumens, in talem temperiem manibus ſuis redegit, ut facta ſit Materia ad corpus humanum formandum idonea: Quod poſtquam primùm formaverat, omnino inſtar erat inanimis ſtatuæ; donec accedens ad eam ex ore ſuo in nares ejus inſpirâſſet ſpiraculum vitæ, quemadmodum obſervare eſt ad hunc uſque diem, Homines ſpiritum ducere per nares, clauſis quantumlibet labellis. Et ſic *Homo* factus eſt in Animam viventem, appellatúmque eſt nomen ejus *Adam*, quia è Terra factus eſt.

8. Sed enim fuſiùs mihi ſuprà narrandum erat, quomodo Dominus Deus Hortum plantaverit ad Orientem à *Judæa* in Regione *Eden*, circa *Meſopotamiam*, ubi poſtea hominem *Adamum* poſuit, quem modo ſuprà dicto formaverat.

9. Deſcriptio verò hujus Horti hujuſmodi eſt: Germinare fecit Dominus Deus ex terra omnem arborem quæ aſpectu amœna eſſet & ad veſcendum ſuavis. Inter varia verò iſta arborum genera duæ erant eximiæ notæ, quæ in medio Horti erant conſitæ. Quarum altera fructus ferebat tam mirificæ virtutis ut juventam viréſque conſervaret hominémque immortalem redderet in terra, quam ob cauſam appellata eſt *Arbor Vitæ*. Altera verò erat Arbor illìc conſita, cujus fructum ſi quis guſtaviſſet, mirum hunc datura eſſet effectum, ut homo dignoſceret ſtatim diſcrimen inter *bonum* & *malum*: Ità enim Dominus Deus ſtatuerat, ſi *Adamus* fructum illius vetitum tetigerit, quòd experturus ſit per hanc ſuam inobedientiam ſenſum *mali* perinde atque *boni*. Quam ob rem per modum Anticipationis appellata eſt *Arbor ſcientiæ boni atque mali*.

10. Fluvius verò egrediebatur ex *Edene* ad irrigandum Hortum, indéque diviſus eſt in capita quatuor.

11. Nomen primi erat *Phaſis* ſive *Phaſi-Tigris*, qui totam terram circuit *Chaulatæorum*, ubi Aurum eſt.

12. Aurúmque illius Terræ eſt præſtantiſſimum: Illìc etiam invenitur Bdellium & Lapis Onychinus.

13. Et nomen ſecundi Fluvii eſt *Gihon*. Is eſt qui totam Terram circuit *Arabo-Æthiopiæ*.

14. Et nomen tertii Fluvii eſt *Tigris*, ipſe eſt qui pergit ad Orientalem plagam contra *Aſſyriam*. Et quartus Fluvius eſt *Euphrates*.

15. Manúque prehendens hominem *Adamum* Dominus Deus introduxit eum in Hortum *Edenis*, mandavítque ipſi ut coleret eum & cuſtodiret, réſque omnes in eo ritè diſpoſitas ordinatáſque conſervaret, nè infeſtaretur aut violaretur quoquam modo incurſionibus temerariíſve evagationibus incautarum Beſtiarum.

16. Et commendavit *Adamo* Dominus Deus omnes arbores Horti, tanquam admodum ſalubres ſuavéſque ad veſcendum, juſsítque ex eis comedere liberaliter.

17. *Arborem ſcientiæ boni* atque *mali* tantùm excepit. A qua ſeveriter ipſi præcepit ut abſtineret, quippe de qua ſi unquam guſtaverit, quòd certo certiùs moriturus eſſet.

18. Cæterùm, quod ad ſummas Matrimonii laudes dictum ſit, quanquam Deus *Adamum* in tam amœna Paradiſo collocaverat, manca tamen erat illius fœlicitas & imperfecta antequam mulieris ſocietatem nactus eſſet. Dixit enim Dominus Deus, Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Idoneum igitur ipſi faciam adjutorium.

19. Nunc quidem ex terra Dominus Deus omnem Beſtiam agri formaverat & omne volatile cœli, illáque adduxit ad *Adamum* ut videret quid appellaturus eſſet; & quicquid *Adamus* animantia ſingula appellaverit, id illius erat nomen.

20. Nomináque dedit *Adamus* omni Jumento, & Volatilibus Cœli, & omni Beſtiæ agri. Verùm tam naturalem cum iſtorum ullo non potuit inire conſuetudinem, eo-

rúmve ſocietate adeò ad plenum gaudere, ſed magnum aliquod adhuc defuit ad conſummandam *Adami* fœlicitatem. Idoneúmque ipſi Adjutorium inventum oportuit.

21. Quamobrem Dominus Deus fecit ut profundus ſopor in *Adamum* caderet, & ecce, dum ſuper humum dormiebat, hoc ipſi obtigit Inſomnium, Deum ſcilicet in latus manum immiſiſſe, unámque abſtuliſſe coſtarum, locúmque illius carne obduxiſſe.

22. Coſtámque, quam Dominus Deus abſtulerat, formatam fuiſſe in mulierem, Deúmque, poſtquam ſic formâſſet, manu eam prehendiſſe & adduxiſſe ad ipſum. Et certè ut è ſomno evigilaverat, inſomnium ſtatim verum eſſe deprehendit. Nam Deus juxta eum ſtetit cum muliere in manu, quam adduxerat.

23. Quamobrem *Adamus* Viſione præmonitus continuò pronunciare potuit, Hoc quidem os eſt ex oſſibus meis, & caro ex carne mea. Quàm vileſcunt reliqua Animantia ad hanc comparata? Congruúmque nomen ipſi indidit, *Viriſſam* appellans, quippe quòd ex Viro ſumpta ſit.

24. Dixítque Dominus Deus, Rectè narras, *Adame*: Et ob hanc ipſam cauſam derelinquet unuſquiſque patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & illi duo una erunt caro. Tam ſtrictus ſanctúſque nexus eſt vinculum Matrimonii.

25. Erant autem ambo nudi *Adamus* & Uxor ejus, nec eos quicquam pudebat. Unde verò nuditatis pudor in hominibus extiterit, mox vobis enarrabo.

CAP. III.

1. *Serpens callidus in Paradiſo tum Ratione tum Loquelâ præditus Mulierem decipit.* 2. *Dialogus Mulierem inter & Serpentem.* 7. *Unde in Hominibus extiterit Nuditatis pudor.* 8. *Deus in Horto ambulat inclamátque* Adamum. 10. *Dialogus* Adamum *inter atque Deum.* 14. *Ratio cur Serpentes pedibus careant repántque ſuper humum.* 15. *Ratio Antipathiæ inter Homines & Serpentes*; 16. *Ut & doloris Mulierum in parturiendo, ſubjectioniſque maritis ſuis*; 18. *Quemadmodum & Sterilitatis Terræ, Laboriſque Hominum & fatigationis in Agricultura.* 21. *Deus* Adamum & Evam *amictûs pellicei uſum edocet.* 24. *Paradiſus à Spectris infeſtata*: Adamus *à guſtando de* Arbore vitæ *abſterritus: unde ejus poſteritas facta eſt mortalis ad hunc uſque diem.*

1. Atque equidem non poteſt quin vobis admodum obvium ſit apud vos ipſos ſæpenumero ſolicitè inquirere, non ſolùm unde hic Nuditatis pudor hominibus extiterit, ſed & Agriculturæ labor & defatigatio; graviſſimi in liberis parturiendis dolores; & denique, quod rerum omnium formidabiliſſimum eſt, Mors ipſa: Quorum omnium ut aliorum nonnullorum rationes tam perſpicuas intellectúque faciles adeóque ad ſenſum veſtrum animíque ſententiam vobis proponam, ut nihil magìs perſpicuum magíſve intelligibile poſſit expeti. Ad quam fœlicem ſtatum Adamus creatus ſit jam audiviſtis, útque à Deo in Horto deliciarum collocatus eſſet, ubi omnes illius ſenſus jucundiſſimis quæ fingi poſſunt Objectis oblectabantur; Oculi quidem amœnitate & pulchritudine Arborum atque Florum, ac delectabili diverſitate ſpecierum formarúmve Animantium; Aures dulci accentu muſico argutè canentium Avium; Olfactus fragranti Aromaticarum Herbarum odore; Guſtus varietate ſuaviſſimorum fructuum, & Tactus molliſſimis auræ ſpiraculis in florulentis ambulacris hujus ſemper-viridantis Paradiſi. Quibus omnibus adde oblectamentum illud oblectamentorum, jucundiſſimam pulchræ ſuæ ſponſæ converſationem, cujus Amoris decerpti fructus nec ſolicitudinem ſibi ipſi creaturi fuiſſent, nec dolores ſuæ ſponſæ in liberis parturiendis. Nam omnes vitæ functiones exercendæ fuiſſent cum facilitate & oblectatione, nec omninò opus futurum fuiſſet, familiis alendis quicquam inſudare, quia in hoc horto *Edenis* ver erat perpetuum, Solíque fœcunditas humanam anticipabat induſtriam. Juventúſque ac roboris viriditas *Adami* ac poſterorum ſuorum corpora nunquam fuiſſent deſerturæ, quippe quòd Senectus & Mors perpetuò repellendæ eſſent, præſenti illâ ac præpotenti virtute *Arboris vitæ*. Et certè bene novi quòd quemadmodum animitùs optatis ut hic ſtatus Adamo ſuiſque poſteris manſiſſet in perpetuum, ità perquam avidè diſcupitis rationem audire cur eo ſit privatus: Quæ breviter hæc eſt: Ejus utique inobedientia præcepto quod ipſi dederat Deus. Cujus circumſtantias vobis enarrabo, prout ſequitur.

Inter varia illa Animantium genera quæ erant in Paradiſo, erat etiam Serpens, quem ad hunc uſque diem calliditate plenum eſſe nôſtis; ac proinde minùs mirabimini, ſi tunc, cùm in hac perfectione conſtitutus erat, non ſolùm Rationis uſum, ſed & Sermonis facultatem habuit. Hic Serpens igitur erat qui omnis hujus noxæ Adamo illiúſque poſteritati prima fuit occaſio. Ille enim callidè mulierem adorta eſt dixítque ei, Itáne verò eſt, quòd Deus vobis præceperit, nè ex || ulla arbore Horti comedatis?

† *Vid. Paul. Fag.*

2. Reſpondítque mulier Serpenti, Omnino falleris, Deus enim non interdixit nobis, nè ullis fructibus arborum Horti veſcamur;

3. Sed de fructu quidem arboris in medio Horti, ſeveriter nobis præcepit Deus, Nequaquam ex eo comedetis nec attingetis eum, nè morte moriamini.

4. Serpens verò dixit mulieri, Nugæ! Fidem meam do hoc tantùm dictum fuiſſe in terrorem, ut eam libertatem vobis adimat ac fœlicitatem cujus eſtis capaces; Non ità certò morituri eſtis.

5. Sed Deus illius arboris virtutem probè novit, quòd ſimul atque ex eo comederitis, oculi veſtri aperientur, eritíſque ſicut Dii ſcientes bonum & malum.

6. Cúmque mulier arborem videret quòd bona eſſet ad veſcendum oculíſque grata, quódque arbor optabilis eſſet ad ingenerandam ſcientiam, illa cepit de fructu & comedit, dedítque marito ſecum, qui etiam comedit.

7. Et aperti ſunt amborum oculi, cognoverúntque ſe nudos eſſe, eóſque puduit. Et conſuerunt proinde ficûs folia, fecerúntque ſibi perizomata ad cooperiendum pudenda ſua.

8. Et venit Dominus Deus in hortum ad auram veſpertinam, ambulánſque in Horto inclamavit *Adamum*. *Adamus* verò ſimul atque vocem ejus audiviſſet, & ipſe & uxor ejus confugerunt in medium Arborum confertiſſimarum Horti, ad occultandum ſeipſos ab illius præſentia.

9. At verò iterum Dominus Deus *Adamum* inclamavit, dixítque ei, *Adame* ubi es?

10. Tunc *Adamus* coactus eſt reſpondere, dixítque, Vocem tuam audivi in horto & timui, eo quòd nudus eſſem, atque hinc factum eſt quòd meipſum abſconderem.

11. Dixítque ei Deus, Quis adeò ſapientem te effecit, ut cognoſceres te nudum eſſe? An comediſti de fructu vetito?

12. *Adamus* verò excuſavit ſeipſum dicens, Mulier quam ipſe mihi in adjutorium commendâſti, illa mihi dedit de fructu & comedi.

13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem, Quid hoc rei eſt quod feciſti? Muliérque ſeipſam excuſavit, dicens, Serpens me decepit & comedi.

14. Tunc Dominus Deus in omnes tres ſententiam tulit, dixítque Serpenti, Quoniam hoc feciſti, maledictus es præ reliquis omnibus Animantibus ac Beſtiis agri; cúmque hactenus corpus in ſublime gerere valuiſti, erectúſque incedere, prorepes deinceps ſuper ventrem vermiculi inſtar, pulverémque comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

15. Eritque Antipathia perpetua non ſolùm inter mulierem atque te, ſed inter illius ſemen & ſemen tuum. Nam univerſum genus humanum abhorrebit te, exoſáſque habebit omnes iſtas execrabiles generationes, quæ ex te naſcituræ ſint. Illæ quidem ſedulò hominibus inſidiabuntur quò pedes ipſorum mordeant pungántve, quæ tamen vulnera propter ſuam in Herbis peritiam, facilè ſanabunt. Ipſi verò cerebrum omnibus ſerpentibus elident capita conterentes, occidéntque ſine omni miſericordia aut clementia, tuum ſemen meritò tractantes tanquam infenſiſſimum hoſtem.

16. Lata verò in mulierem ſententia erat, Parturiendi crux ac dolor, ſuóque marito ſubjectio. Quæ lex ſubjectionis in omnibus Orbis terrarum Nationibus obſervatur ad hunc uſque diem.

17. In *Adamum* verò lata ſententia, Agriculturæ labor erat in ſolum ſterile & infœcundum.

18. Nam maledicta eſt terra propter ipſum, quæ cauſa eſt cur ſpinas, tribulóſque germinet, aliáſque plantas noxias, quibus Agricolæ terram, in quam graves ſuos impendunt labores, neutiquam volunt occupari.

19. Atque ſic in ſudore vultûs ſui panis *Adamo* erat comedendus donec ad pulverem redierit ex quo ſumptus eſt.

20. Et appellavit *Adamus* uxorem ſuam *Evam*, quia ipſa erat mater omnium hominum qui naſcituri eſſent in hunc mundum, ſupérque Terræ faciem victuri.

21. Generationes verò hominum, ferarum pellibus primitùs veſtitæ ſunt, quarum uſum Deus *Adamum* & *Evam* docuit in Paradiſo.

22. Poſtquam verò ad hunc modum ad iter eſſent inſtructi & ad res duriores præmuniti, ejecit ambos è Paradiſo, dixítque Dominus Deus de *Adamo*, propter inobedientiam ſubſannans eum, Ecce *Adamus* factus eſt quaſi unus ex nobis, ſciens bonum atque malum. Proſpiciendum nunc eſt, nè manum admoveat *arbori vitæ*, atque ſic ſeipſum reddat immortalem.

23. Quamobrem Dominus Deus emiſit eum ex horto *Edenis* ad colendam Terram, ex qua deſumptus eſt.

24. Atque ſic *Adamum* exegit foras; uxórque coacta eſt eum ſequi. Neque enim diutiùs morandum erat in Paradiſo, quippe quòd terrificis locus infeſtabatur Spiritibus, Spectráque horrenda in illius introitu apparebant, Homines alati cum igneis ac flammantibus gladiis in manibus ſuis, quaquaverſum vibratis; adeò ut *Adamus* nunquam auſus ſit redire ad guſtandum fructum *arboris Vitæ*: unde factum eſt ut genus humanum mortale permanſerit ad hunc uſque diem.

CABBALA

CABBALA PHILOSOPHICA.

CAP. I.

1. Mundus Vitæ *ſive* Formarum, *&* Potentialitas *Univerſi viſibilis à* Tri-uno *Deo creata, & ad* Monadem *ſive* Unitatem *relata.* 6. *Univerſalis Materia immenſa Mundi viſibilis creata ex nihilo, & ad Numerum* Binarium *relata.* 7. *Cur non dictum ſit de hac Materia quòd eſſet bona.* 9. *Partium Terræ Planetæve ordinatio ac diſpoſitio ad commodam Habitationem, relata ad numerum* Ternarium. 14. *Immenſa Materia* Ætherea *ſive Cælum in Soles formatum aut Planetas, tam* Primarios *quam* Secundarios, *in* Terras *ſcilicet perinde atque* Lunas, *relatúmque ad Numerum* Quaternarium. 20. *Repletio Terræ Piſcibus & Volatilibus, ad Numerum relata* Quinarium. 24. *Creatio Beſtiarum ac Jumentorum, ſed magìs præcipuè* Hominis *ipſius, ad Numerum relata* Senarium.

1. DUM partes externæ Creationis magìs conſpicuas, priuſquam ad Genealogias ſucceſſionéſque humani generis deſcendam, vobis ante oculos exponere mecum conſtituo, duo ecce! notabilia Objecta intellectui noſtro ſe repræſentant, quæ igitur primùm notanda ſunt, ut quæ univerſalem habent Influentiam in cuncta quæ ſequuntur. Atque hæc quidem duo, alterum nomine *Cæli* & *Lucis* (* idem enim per utraſque voces indigito) alterum nomine *Terræ*, ſymbolicè inſignio. Per *Cælum* ſive *Lucem* intelligendus eſt univerſus *Spirituum Intellectualium* ambitus & complexus, Animæ Hominum & Beſtiarum, Formæque ſeminales rerum omnium. Quem *Mundum Vitæ*, ſi lubet, rectè poteſtis appellare. Per *Terram* intelligenda eſt *Potentialitas* ſive *Capacitas exiſtentiæ externæ Creationis.* Quippe quum hæc *Poſſibilitas* mentibus noſtris exhibeatur, tanquam Divinæ Omnipotentiæ effectum, ſine qua nihil foret, éſtque quaſi Umbra illius poſtrema, obſcuriſſimáque projectio, in qua inſuper *Incompoſſibilitas Incommenſurabilitáſque* rerum involvitur.

Deus igitur *Triunus* per æternam ſuam Sapientiam ſymbolicum hoc *Cælum* atque *Terram* primùm creavit.

2. Erátque hæc *Terra* nihil aliud niſi ſolitudo & vacuitas, & profunda & inexhauſta *Capacitas* evadendi quicquid Deo viſum fuerit ex ea efficere, quod nullam interim in ſe ſic fieri repugnantiam implicaret. Cúmque *Poſſibilitas* eſſet res creandi variis multifariiſque modis, nihil adhuc determinatum erat, ſed vaſta hæc rerum Capacitas inſtabilis erat & fluida atque ex ſe indeterminabilis ut *Aqua.* *Spiritus* verò *Dei*, qui Vehiculum erat *Æternæ Sapientiæ* & *Super-eſſentialis Bonitatis*, perquam celeri Conſilii proſpectu, diſcurſúque Rationis verè Divinæ, talis quæ uno quaſi ictu omnia penetrat, diſpicítque quid facto opus ſit maximè, poſtquam extenſis alis quaſi ſuſpenſa cunctis *Poſſibilitatis* hujus fluidæ capacitatibus pauliſper imminuiſſet, illud continuò ſtatuit quod perfectiſſimum foret & accuratiſſimum.

3. Quamobrem integra Deitas per *Verbum internum*, quod nihil aliud eſt niſi *Sapientia* ac *Potentia*, (quam tunc acuerat *actualis voluntas*) majori facilitate, quàm nos Notionem ullam aut Ideam mentibus noſtris repræſentamus, totam ſubſtantiarum Spiritualium Creationem ſuo conſpectui reverà exhibuerunt. Cujuſmodi ſunt Ange-

i in naturis ſuis internis, Animæ Hominum & aliarum Animantium, Formæque Seminales rerum omnium. Adeò ut illæ omnes, quotquot unquam extituræ eſſent, realiter tunc & actualiter exiſterent ſine ulla dependentia à Materia corporea.

4. Deúſque approbavit, ſibique complacuit in toto hoc tanquam bono. Sed enim, tametſi deſignata ſit *fluidarum Tenebrarum obſcurævе Poſſibilitatis* externæ Creationis ſtabilitio ac determinatio, manſit tamen adhuc tantùm obſcura *Poſſibilitas*. Erátque reverà notorium diſcrimen inter *Spiritualem Creationem actualem, obfuſcámque Poſſibilitatem* Mundi externi ſive Materialis.

5. Adeò ut meritò quis *Diem*, alteram appellare poſſit, alteram verò *Noctem*. Quia *Nox* diſtinctas rerum figuras ac colores delet atque obliterat, *Dies* verò eoſdem omnes clarè diſtinctéque viſui noſtro exponit. Sic igitur Creatura *Immaterialis* omni ex parte perfecta eſt, *inexhauſtus* exiſtens *theſaurus Lucis* atque *Formæ*, ad exornandum conſummandúmque Mundum materialem, & ad ſuppeditandum *Matutinum* ſive *Activum Principium* cuique *Paſſivo* in futuris Partibus Creationis corporeæ. Sed in hoc primi Diei opere, quemadmodum appellabimus, *Mane* atque *Veſpera* purè ſunt *Metaphyſica*: Nam *Activum* & *Paſſivum* Principium heîc non ſunt duæ ſubſtantiæ, altera *Materialis*, altera *Spiritualis*; ſed Principium *Paſſivum* eſt *Materia* merè *Metaphyſica*, & reverà nulla *realis* aut actualis Entitas; &, quemadmodum jam dictum eſt, à *Luce* ſive *Spirituali* ſubſtantia omnino eſt diviſa, quippe ad eam minimè pertinens ſed ad Mundum externum cujus umbratilis eſt Poſſibilitas. Cæterùm cuicuimodi ſint, hoc *Paſſivum* & *Activum* Principium *primi* Diei opus eſt, cùm *Monas* ſive *Unitas* tam aptum Naturæ *Immaterialis* ſit Symbolum.

6. Deus autem cogitavit denuò, & vigorem addens cogitationi potentiâ ſuâ ac voluntate, immenſam realis corporeæque Materiæ creavit copiam, ſubſtantiam quam concipere oportet tanquam inter *fluidam rerum Naturalium Poſſibilitatem* & Regionem *Formarum Seminalium* interjacentem: Non quòd hæ res loco diſtinguantur, ſed ſecundùm ordinem magìs Intellectualem.

7. Divináque Cogitatio voluntate omnipotenti munita ac corroborata ſortita eſt effectum, Immenſéque hæc diffuſa Materia facta eſt. Verùm haud ità pronus erat Deus ad pronunciandum eam bonam eſſe, vel ad ſibi in ea magnopere complacendum, quippe qui prævidit quas ſibi noxas, errantes Animæ, niſi valdè cautè ſe geſſerint, aſciſcere poſſent nimis profundè ſe in eam immergendo. Præterea, parvi æſtimanda erat, donec majores perfectiones in eam eſſent collatæ, cùm adhuc nihil aliud eſſet niſi interminatus rudis diviſibiliſque Materiæ Oceanus.

8. Quamobrem Materia hæc actuata eſt continuò & agitata illius virtute qui eam fecit ſubjecítque regimini ac moderamini *Spiritûs* cujuſpiam *Univerſalis*, qui pars tamen eſſet *Mundi Vitæ*, & in ſubtilis *Ætheris* conſiſtentiam formata eſt; ut rectè hæc Materia appellanda ſit *Cœlum*: Unióque *Paſſivi* & *Activi* Principii in Creatione hujus Cœli Materialis *ſecundi* Diei opus eſt, & *Binarius* illius Naturam denotat.

9. Narrabo porrò vobis, quomodo Deus *Terram Materialem* realem diſponat (quæ Materiâ *Ætherea* quæ Cœlum appellatur, ſemper undique cingitur) ad amœnam illam conſtituendam atque delectabilem Hominibus pariter atque Beſtiis poſtquam ſemel facta ſit. Quod verò ad ipſam formationem *Terræ* ſpectat, illa quidem referenda eſt ad Diem ſequentem. Nam Stellæ ac Planetæ ad eum Numerum pertinent. Planetáque primarius quemadmodum reſpectu *Reflexionis Luminis* rectè dicitur Planeta, ità reſpectu *Habitabilitatis* illius rectè appellatur Terra. Has *Terras* igitur Deus ad hunc modum conſtituit, ut neque Aquis careant quæ eis incumbant, nec totæ aquis obruantur, quanquam circumcinguntur undique fluido Aëre in quo ineſt etiam ille Æther ſive Cœlum, & ſub quo Aquæ inundaturæ fuiſſent totam faciem Terræ niſi Providentia eas collegiſſet in unum locum.

10. Atque eo pacto partim Terram *Aridam* feciſſet, partim *Maria*, Fluvios atque Fontes, ad ea vitæ commoda quæ obvium eſt cuique intelligere.

11. Exornavit præterea Solum Gramine, Herbis & Floribus, ſeménque ſingulis ſapientiſſimè proſpexit, ut germinare poſſent, utiliſſimáſque has vitæ commoditates Animantibus in terra perpetuare.

12. Sunt enim revera hæc admodum bona ac neceſſaria tum Hominibus tum Beſtiis.

13. Quapropter Deus Materiam Terræ ità præparavit, ut *vitalis* eſſet *Congruitas* partium ejus, cum variis generibus *Seminalium Formarum* Arborum, Herbarum, Florúmque ſelectiſſimorum: Atque ſic corpus Terræ varia Principia Vitæ Plantalis, è *Mundo Vitæ*, qui ubique præſtò erat, ſibi hauſit: Et *Paſſivum* atque *Activum* Principium ſic conjuncta *Tertii* Diei opus confecêre. Et *Ternarius* illius Naturam denotat.

14. *Ternario* aſſignatus eſt Telluris ornatus cum Arboribus, Floribus & Herbis, poſt diſtinctionem Aridæ atque Maris factam, quemadmodum *Quinario* aſſignata eſt Terræ Repletio cum Piſcibus & Volatilibus, *Senario*, cum Homine & Beſtia. Dies verò hic *quartus* corporis totius Univerſi ornatum complectitur. Vaſtam ſcilicet illam & immenſam Materiam Ætheream (quæ *Cœlum fluidum* appellatur) cum infinito numero varii generis Luminarium, Solum & Planetarum, quæ Divina Sapientia ac Potentia per unionem aptorum Activorúmque Principiorum è *Mundo Vitæ* hauſtorum ex materia hac Ætherea effecêre. Quorum Utilitas in Natura conſpicua eſt, quòd omnia facta ſunt in Signa Prognoſtica, in Tempeſtates, Dies & Annos (Quod Planetas innuit paſſim per Univerſum Cœlum ſuis Solibus aſſignari.)

15. Quemadmodum etiam ad Lucem miniſtrandam Mundi Incolis, ut Planetæ lumen à ſuis luminis fontibus recipiant, ipſúmque invicem alii in alios refundant.

16. Sunt autem duo genera horum Luminarium quæ omnes Mundi Incolæ magna ubique debent agnoſcere, externum ſuum viſum conſulentes à propriis ſuis ſtationibus. Dominium verò majoris horum generum Luminarium, conſpicuum eſt interdiu, Dominium minoris noctu: prius vulgo *Solem* appellamus, poſterius *Lunam.* Quæ *Luna* revera Planeta eſt & opaca, ſed quæ lumen admodum copioſè reflectit in viſum Spectatoris. Et tamen non eſt niſi ſecundarium, viliúſve genus Planetæ. Cæterùm fecit etiam *Primarios* magiſque eminentes Planetas, & talis quidem eſt hæc Terra in qua vitam degimus.

17. Collocavítque Deus omnia hæc Luminarium genera in tenui liquidóque Cœlo, ut radios ſuos alia aliis reflectant, Lucémque Mundi Incolis affundant ſuas quibuſque terras habitantibus:

18. Et ut pulchritudo ſplendórque ipſorum conſpicuus eſſe poſſet eorum ſpectatoribus, ſive interdiu ſive noctu: Quod præcipuè intelligendum eſt de Solibus, qui ad longinquam diſtantiam Stellarum etiam vicem ſupplent, ſed quorum præcipuum officium eſt Diei & Noctis in propriis ſuis Terris Planetiſve viciſſitudines reddere. Cúmque univerſus tenebroſus Æther perpulchrâ ac illuſtri horum variorum generum Luminarium ſupellectile exornatus eſſet, Deus approbavit tanquam bonum.

19. Et unio *Paſſivi* & *Activi* Principii *quarti* Diei opus erat. Numerúſque illius naturam denotat.

20. Et nunc quidem poſtquam audiviſtis de viridante Terra Maríque littoribus clauſo, & de Luminaribus quæ per Aërem Aquámque luceant ad gratificandum oculis omnium Animantium quò aliæ alias videant, valeántque ſibi eſcam quærere; tempeſtivè mentionem expectare poteſtis variorum Animalium ſuis quorumque Elementis propriorum. Quamobrem Deus per Verbum ſuum internum ac Potentiam in Aquis & prope Aquas Materiam per varias *Vitales Congruitates* præparavit, adeò ut multas Animas eáſque varias è Mundo Vitæ attraheret, quæ partes Materiæ actuantes magnam produxêre Piſcium copiam qui innatarent Aquis, & Volatilium quæ circa Terram in aperto Cœlo volitarent.

21. Et ad hunc quidem modum magnos etiam creavit Cetos perinde atque minorum genera Piſcium. Omniáque approbavit tanquam bona.

22. Et benedictio *interni* ſui *Verbi* ſive *Sapientiæ* eis inerat ad ſuam Multiplicationem; Nam ſecundùm præparationem Materiæ Vis *Plaſtica* Animarum quæ deſcendunt è *Mundo Vitæ* cum Materia ſemel ritè unitarum, fideliter & efficaciter ſapientiſſimas iſtas Maris ac Fœminæ formationes fabricavit, adeò ut hoc pacto Piſces aquas in Mari replerent, & Volucres multiplicarentur in terra.

23. Et Unio *Paſſivi* & *Activi* Principii *quinti* Diei opus erat, *Quinariúſque* Naturam illius denotat.

24. Perſtitítque porrò Deus in Creatione Animantium & deſponſando novas è *Mundo Vitæ* Animas, eáſque cum magìs Mediterraneis Materiæ partibus conjungendo Serpentes creavit terreſtres, Jumenta, & Beſtias agri.

25. Et poſtquam ſic fecerat, approbavit ea tanquam bona.

26. Tunc Deus in propriam ſuam naturam viſus reflectens, ſéque ipſum contemplans, *Super-eſſentialem* conſulendo *Bonitatem*, *Æternum Intellectum*, & inextinguibilem *Amoris-Flammam* Omnipotentis ſui *Spiritûs*, longè ſublimius Animantis genus creandum ſtatuit, quàm hactenus in Orbem introductum eſſet: Fecit igitur *Hominem* ad Imaginem ſuam, ſecundùm propriam Similitudinem. Nam poſtquam Materiam tam nobili Hoſpiti quàm ſit Anima humana, ritè præparâſſet, *Mundus Vitæ* illud coactus eſt dimittere, quod debitè præparata Materia tam juſtè ſibi vendicabat. *Homóque* comparuit in Scena Terræ Dominus omnium Animantium. Etenim juſtum erat, ut is qui Imaginem Dei inviſibilis gerebat, ſupremus fieret Mundi viſibilis,

lis, Monarcha. Et quid eſſe poteſt Deo magìs ſimile quàm Anima humana, quæ tam libera eſt, tam Rationalis támque Intellectualis? Neque minùs illi ſimilis eſt homo, ex eo quòd Terreſtri corpori ſit unitus, cùm Anima ejus ſive Spiritus compendioſam omnigenæ Materiæ corporeæ collectionem poſſideat atque permeet, eandémque regat, intellectu ejus interim ad cogitandum de rebus aliis liberè ſibi permiſſo, quemadmodum Deus Mundum univerſum vivificat atque actuat, quanquam ad plenum interim ſibi vacat ſeipſum contemplari. Quamobrem Deus Homini dominium dedit in Volucres Aëris, in Piſces Maris, & Beſtias Terræ. Etenim Rationi omninò conſentaneum eſt, ut deterius inſerviat præſtantiori.

27. Sic Deus creavit Hominem ad ſuam Imaginem, ex Intellectuali Anima Terrenóque corpore ab eadem actuato conſiſtentem. Quocirca Humanum genus factum eſt Mas & Fœmina, perinde atque reliqua Animalia terreſtria.

28. Et benedictio Divinæ Sapientiæ in propagationem ſuæ Speciei manifeſtata eſt in formatione earum partium quæ in hunc uſum factæ ſunt. Et ut accreverunt in multitudines, dominabantur in Terra, & vi ac calliditate ſuâ Beſtias agri ſuo imperio ſubjiciebant, paſcebántque ſeipſos piſcibus & volucribus, & quicquid præterea gratum ipſis eſſet voluptatémque conciliaturum. Omnia enim in manus eorum tradita ſunt, ipſo jure Creationis.

29. Et ut nihil oblectationi ipſorum deeſſet, ecce Divina providentia omne genus ſapidarum jucundarúmque Herbarum eis in Acetaria paravit, & ex maximè delicato frugiferarum Arborum fructu epulas eis inſtruxit.

30. Quantùm verò ad craſſiora gramina, viliúſque Herbarum genus, ea ignobiliori Animantium generi ſunt deſtinata. Quamobrem Homini liberum eſt quæ ſua ſunt exquirere eiſdémque perinde uti.

31. Et Deus poſtquam res ſingulas, quas fecerat, conſideráſſet, eas approbavit tanquam admodum bonas. Unióque *Paſſivi* & *Activi* Principii *ſexti* Diei opus erat. Et *Senarius* naturam illius denotat.

CAP. II.

2. *Plena & abſolutiſſima Dei quies & ceſſatio à creando quicquam de novo, Numero* Senario *adumbrata.* 4. *Soles & Planetæ non Ornatus ſolùm ſed Effectus* Ætheréæ *Materiæ ſive* Cœli. 6. *Modus quo Homo aliáque Animalia è Terra exorirentur, virtute Dei in Natura.* 8. *Quomodo ſe habuerit* Adamus *antequam deſcendiſſet in carnem Animálque* terreſtre *factus eſſet.* 10. *Quatuor Virtutes Cardinales in* Adamo *fuiſſe, etiam dum in* Ætherea *ſua ſive Paradiſiaca conditione conſtitutus eſſet.* 17. *Interdictum* Adamo *in Paradiſo nè propriam ſuam voluntatem guſtaret ſaperétve ſub pœna deſcendendi in* Regionem *Mortis.* 18. Maſculinæ & Fœmininæ *facultates in* Adamo. 20. Fœmininarum *facultatum magna voluptas ac ſolatium.* 21. *Facultatibus* Maſculinis *conſopitis* Fœmininas *comparuiſſe ſuáſque partes egiſſe. Gratum ſcilicet ſenſum* Vitæ Vehiculi. 25. *Gratum hunc ſenſum gaudiúmque* Vitæ Vehiculi, *immunem eſſe in ſe, & culpâ & pudore.*

1. ATque ſic Cœli atque Terra perfecti ſunt omnéſque ornatus eorum, Cujuſmodi ſunt Arbores, Flores & Herbæ; Soles, Lunæ & Stellæ; Piſces, Volucres, & Beſtiæ agri; Princépſque omnium Homo.

2. Quamobrem, poſtquam Deus opus ſuum conſummâſſet in *Senario*, Creationem Univerſam ſex rerum ordinibus comprehendente, ceſſavit ab unquam creando quicquam deinceps, ſive in *externo* hoc *Mundo* Materiali, ſive in *Mundo Vitæ*. Sed potentiâ creatrice in ipſum ſe ſubtrahente, ſuâ *requie* fruebatur *æternâ*, quæ immutabilis illius eſt & indefatigabilis natura, quæ univerſum rerum exiſtentium ambitum & complexum uno quaſi intuitu facillimè inſpicit, *Eſſentiámque*, *Vitam* & *Activitatem* ipſis conſervat, melioráque deteriora corrigunt, omniáque gubernantur ab Æterno illius Verbo atque Spiritu; ſed nulla nova ſubſtantia ex eo tempore cùm ſex dierum opera conſummata eſſent, adhuc creata eſt, nec creabitur in perpetuum.

3. Diem enim hunc *ſeptimum æternam Feriam Feſtúmve Quietis* ſibi conſtituit Deus, in quo ſibi complaciturus eſt tantùm in contemplando exquiſitum ordinem atque motum rectámque rerum Naturam; *Sapientiâ* illius, *Juſtitiâ* & *Miſericordiâ* juxta conſtitutam Mundi fabricam, in omnes partes Creationis inevitabiliter ſeſe inſinuantibus,

tibus, quippe qui ubique tum *Bonitatis* tum *Iræ* ſuæ *Miniſtros* habet paratos: Adeò ut ipſi nihil amplius opus ſit * quàm ut ſpectatorem agat, effectúſque illius *Nemeſios* quæ in naturam rerum ipſarum ab eo factarum intexta ſit intueatur. Hœc igitur *Sabbatum* eſt ſive *Feſtum Quietis* quod Deus ipſe celebrare dicitur in *die ſeptimo*. Et Numerus certè illius Naturam declarat.

4. Et nunc quidem ut paulò pleniùs planiúſque mentem meam vobis exponam, apertè vobis aſſirmo, Quòd res illæ, quas *Ornatus* antea Cœli Terræque appellavi, non ſic ſolùm ſunt, ſed & *Generationes* eorundem; *Plantæ* inquam & *Animalia* Generationes erant, Effectus, Productúſque *Terræ*, *Formis ſeminalibus Animaliúmque animabus* ſe in præparatam ejus Materiam inſinuantibus. Et verò *Soles*, *Planetæ* atque *Terræ* * Generationes erant Productúſve Cœlorum, Vigore ac Motu, immenſo Univerſi corpori à *Mundo Vitæ* communicatis; adeò ut quæ ſuprà *Ornatus* ſimpliciter dixi, reverà ſint *Productus* ac *Generationes Cælorum* atque *Terræ* ſimul atque creati ſint, quanquam * quo tempore eos creaverit Deus, nolo definire. Potuit enim aut ſemel per abſolutam ſuam Omnipotentiam illud efficere, aut poſtquam omnes ſubſtantias Materiales perinde atque Immateriales creâſſet, eas alias in alias ſic agere permittere, & in talibus temporum periodis, quales ipſa natura rerum producendarum requireret.

5. Cæterùm in pios uſus factum eſt, quòd Creationem in ordinem *ſex Dierum* conjecerim; & ut firmiùs in cordibus populi radicetur magna hæc atque utilis veritas, *Omnipotentiam* nempe *Divinam talem eſſe quæ & ſupra & contra naturales cauſas agere poſſit*, quòd mentionem ſecerim Herbarum & Plantarum Agri, antequam aut Pluviam aut Hominem, qui rem Hortulariam Agriculturámque exerceret, commemoráſſem: Etenim ſecundùm priorem meam Narrationem, nulla talis fuerat Pluvia, qualis nunc dierum labores Agricole ſolet irrigare.

6. Sed tamen humidus quidem Vapor è Terra aſcendebat, qui maturatus concoctúſque à *Spiritu Mundi*, qui admodum actuoſus eſt in Cœlis ſive Aëre, pretioſus factus eſt *Liquor Balſamicus* aptúmque *Vitæ Vehiculum*, * qui Pluviarum quodammodo inſtar deſcendens in faciem Terræ Solum humectavit, adeò ut calor Solis ſuperficiem illius leniter verberans variis modis Materiam pro vario genere non ſolùm *Seminalium Formarum*, ſed & *Animarum Animantium* præpararet.

7. * Ipſéque *Homo* è Terra ad hunc modum ortus eſt, pulvere illius ritè præparato & attemperato per has unctuoſas Pluvias Balſamicáſque ſtillationes Cœlorum. Ità enim Deus infinitâ ſuâ ſapientiâ conſtituerat ut Materia ſic vel ſic præparata per *Vitalem Congruitatem*, Formas è *Mundo Vitæ* (qui ubique præſtò eſt preſſéque admodum humido unctuoſóque Aëri inequitat) pro præparationis modo ſibi attraheret. Quamobrem ad hunc modum Aëreus Æthereúſve *Adamus* in corpus terrenum devectus eſt, maximè conſpicuam ſuam ſedem habens in Capite ſive Cerebro: Atque ſic Adamus, *terreſtris* tandem *Animalis*, factus eſt Anima.

8. Cæterùm quomodo ſe habeat *Adamus* ante deſcenſum ſuum in inferiorem hanc Vitæ conditionem, per ſequentem Narrationem Ænigmaticam vobis explicabo: Quæ hujuſmodi eſt. Quòd Dominus Deus Hortum plantaverat ad Orientem in Eden, * ubi & Hominem poſuerat, quem poſtea in Animal terreſtre formavit. Adamus enim primitùs totus Æthereus erat & in Paradiſo collocatus, hoc eſt, in læta ac fœlici conditione *Spiritûs*. Erat enim ſub vivificis radiis *Divini Intellectûs* conſtitutus, & Sol Juſtitiæ pulchrè eum irradiabat.

9. Erátque Anima ejus tanquam Terra à Deo benedicta, quæ arborem quamque amœnam producit, plantámque quamque bonam à Patre cœleſti conſitam. Nam ſanctus Spiritus Vitæ Solum fœcundaverat, ut omne genus ederet jucundorum utiliúmque fructuum. *Arbórque Vitæ* in medio Animæ humanæ horto erat. *Eſſentialis* utique *voluntas* Dei, quæ vera eſt Radix Regenerationis. Sed ad tam ſublimem ſtatum *Adamus* adhuc non pervenerat, Fructúſque hujus Arboris in hac Animæ conditione Ætherea *Immortalitas* futura fuiſſet ſive *Vita æterna*. Erat autem illîc etiam *Arbor ſcientiæ boni & mali*, ſua *propria* ſcilicet *Voluntas*.

10. Erat autem Fluvius admodum amœnus qui Hortum hunc irrigavit, in quatuor rivos diſtinctus, * qui ſunt quatuor *virtutes Cardinales*, quæ gradibus diverſis in Anima reperiuntur pro diverſis gradibus puritatis ſui *Vehiculi*.

11. Nomenque primi eſt *Piſon*, quæ *Prudentia* eſt, & experientia in rebus decorè honeſtéque agundis. Humana enim Anima nuſquam otiatur, neque in hoc Mundo neque in alio ſtatu quocunque, ſed aliquam habet provinciam quam adminiſtret, illiuſque res promovere debet cujus eſt. Quænam enim major eſſe poteſt bonæ Animæ gratificatio, quàm Diſpenſatricem eſſe alicujus portionis univerſalis illius Boni quod

Deus in mundum emittit? Nec ulla poteſt externa perſonarum eſſe Converſatio aut Societas ſive ſint *Terreſtres*, ſive *Aereæ* aut *Æthereæ*, quin continuò *Prudentiæ* uſus implicetur: Quapropter *Prudentia* inſeparabilis eſt Animæ Perfectio: Adeò ut *Piſon* meritò cenſendus ſit unus è fluviis etiam *Cæleſtis* illius *Paradiſi*. Atque hæc illa Sapientia eſt quam Deus ipſe Animæ præmonſtrat, communicando illi Divinam Lucem: dicitur enim circuire terram *Havilah*.

12. Ubi etiam inanes & inutiles ſpeculationes nihili æſtimantur, quemadmodum planè ſignificatur per purum ac probatum *Aurum*, *Bdellium*, & Lapidem *Onychinum*, illius Inſulæ merces.

13. * Nomen verò ſecundi Fluvii eſt *Gihon*, qui eſt *Juſtitia*, quemadmodum innuitur ex Fama *Æthiopum*, quorum terram dicitur circuire, uti etiam ex Notatione nominis ejus.

14. Noménque tertii Fluvii eſt * *Hiddekel*, quæ *Fortitudo* eſt, quæ rapidi Torrentis inſtar omnia occurrentia obruit, * fortitérque reſiſtit univerſis Tenebrarum copiis, violentè currens contra *Aſſyriam*, quæ ad plagam Occidentalem ab hoc Fluvio ſita eſt. Fluviúſque quartus eſt *Perath*, qui eſt *Temperantia*, nutrix altríxque omnium plantarum Paradiſi. Cùm è contrà Intemperantia, ſive nimium Mentis ſtudium & indulgentia voluptatibus *Vehiculi*, *Vitæve Materiæ*, in quocunque ſtatu id fiat, ſacra illa Vegetabilia immoderato humore obruit & ſuffocat. Quemadmodum Terra, ſicut ſuprà memoratum eſt, non omnino erat fertilis, donec aquæ ablegatæ eſſent in unum locum, Aridáque appareret. Antea verò ſubmerſa erat, omníſque vita vegetabilis in ea extincta.

15. In hac Paradiſo ſic deſcripta collocaverat Dominus Deus Hominem, ut eam coleret, & in eadem bona conditione qua invenerat, conſervaret.

16. Divinúmque Verbum ſive Lux in Homine ei præcepit, dicens, Ex omni arbore Paradiſi liberum eſt tibi comedere. Omnia enim hìc ſalubria ſunt perinde atque jucunda, ſi ſatis cautè & cuſtoditè te adhibueris, præceptóque obediveris meo.

17. Verùm ex dulcoroſo venenoſóque fructu *arboris ſcientiæ boni & mali*, nullo pacto tibi comedendum eſt. Nam quo tempore ex eo comederis, Anima tua eum languorem contrahet, ac debilitatem & inſtabilitatem, ut tandem ad Terram delapſurus ſis, in humanam carnem ſepeliendus, Incoláque *Regionis Mortis* evaſurus.

18. Hactenus alias ullas facultates in *Adamo* Æthereo præter eas quæ ad Virtutem ſanctúmque Intellectum ſurſum evexerint, non magnopere quidem notavi. Et certè hic maximè perfectus maſculúſque *Adamus* eſt, qui in pura ſubtilíque Cognitione Intellectuali conſiſtit. Nunc verò vos de altera Animæ humanæ facultate monendos cenſeo. Quæ quidem quanquam inferior videtur, longè tamen abeſt ut ſit contemnenda, * quippe quæ & ipſi bona eſt, & *Mundo* præſertim *Terreſtri* perquam utilis. Hæc enim eum capacem reddit evadendi Caput omnium Animantium Terreſtrium, quemadmodum & eadem illa facultas Mater eſt reverà univerſi Generis Humani.

19 Hæ ſublimes magíſque Intellectuales Perfectiones, *Adamum*, fateor, admodum ſapientem reddiderunt, & ad res rectè intelligendas promptiſſimum. Naturas enim probè novit tum Beſtiarum Agri tum Volucrum Cœli: Non viſibiles ſolùm ac terreſtres Creaturas intelligo, ſed etiam necdum lapſos Angelos perinde atque lapſos, ſive bonos malóſque Genios; rectéque de eis judicare valuit, de Principiis ex quibus conſiſterent, & de proprietatibus quas haberent.

20. Nec erravit illius Ratio & Intellectus, ſed rectè pronunciavit de omnibus. Verùm utcunque, haud tantam voluptatem ex externa Dei Creatione illiúſque variis operibus percipere potuit, niſi aliquod vitæ principium haberet, quod cum eadem Materia ex qua illa conſiſterent, congruenter conjungi poſſet, eandémque exultanter actuare: Quapropter Deus humanam Animam * facultate imbuit, cum vitali gaudio & complacentia uniendi cum Materia, perinde atque anhelandi ad unionem cum Deo ipſo. Cujus Divina Eſſentia miſellarum noſtrarum Subſtantiarum modulum nimium quantum excedit. *Vita* tamen *Divina* aliquo modo & Animæ & corpori communicabilis eſt, ſive Æthereum ſit ſive craſſioris conſiſtentiæ. Iſtæque mirificæ ac gratæ voluptates quas percipimus, nihil aliud ſunt quàm congruentes Vehiculi Animæ motus, unde ipſa Divina gaudia quâdam quaſi reflexione corroborantur & acuuntur. Tanti momenti eſt *Vitale* illud *Principium* quod Animam conjungit cum Materia Univerſi.

21. Quamobrem Deus ad gratificandum *Adamo*, haud indefatigabilem eum creavit in rebus Intellectualibus affectandis, ſed laſſitudo contemplandi & anhelandi ad *Immaterialitatem* (cùm res iſtas recipere non poſſet prout ſunt, ſed pro tenui ſuo captu, qui admodum exiguus eſt collatus ad Objectum circa quod verſatur) languorem

ipſi ſuperinduxit & ſomnolentiam quoad iſtiuſmodi exercitia, donec paulatim in magìs ‖ profundum prolapſus ſit ſoporem. Quo tempore, id quod Divina Providentia olim ordinaverat, inferius Principium Vivificativum Animæ ejus ità invaluit, tantóque cum vigore & tam exultabundâ ſympathiâ atque gaudio Vehiculum ejus actuabat, ut propter Integritatem ſuam, quam adhuc retinebat, hoc magìs gratum ei eſſet, majorémque ipſi conciliaret voluptatem, quàm quicquam eorum quæ unquam hactenus expertus ſit.

‖ *Vide Philonem. Leg. Allegor. lib. 3.*

22. Cùm Divina, inquam, Providentia tam vividè fervidéque * novum hunc vehiculi ſui ſenſum in eo excitâſſet,

23. Continuò agnovit omnem ſenſum & notitiam quem ullius rei hactenus habuerit magis aridum fuiſſe & evanidum minúſque illi congruentem ac gratum viſum eſſe, magíſque à ſua natura alienum; hunc verò tam congenerem animæ ſuæ eſſe ac conſentaneum, ut tanquam neceſſariam ſui ipſius partem conſideraret, ſuóque ipſius nomine appellaret.

24. Itáque apud ſeipſum cogitavit, Ob hanc cauſam miſſa faciet quivis * nimis laborioſa ſua ad uniendum cum *Æterno Intellectu* & *Univerſali Anima Mundi Spiritualis* ſive Divini, aſpiramina, quorum præcellentiarum Immenſitas longè altior eſt & ſubvectior, quàm ut nos ipſorum amplexibus diu immoremur, adhærebítque lætæ gratæque *vitæ ſui Vehiculi, vivúmque* hoc *Vehiculum* cum Anima ſua, Perſonam unam reputabit.

25. Atque ſic *Adamus* cum ſuo *recèns deſponſato Gaudio* * nudus ſtetit coram Deo, nec quicquam tamen eum puduit, propter ſuam utique Innocentiam & Simplicitatem. Neque enim adhuc quicquam peccaverat *Adami* aut Ratio aut Affectus.

CAP. III.

1. Satanas Adamum *tentat, occaſionem nactus à novo vigore* vitæ Vehiculi *ſui.* 2. *Dialogus inter* Adamum *&* Satanam. 6. Maſculinæ *facultates in* Adamo *perſuaſæ à* Fœmininis, *ad peccandum conſentiunt adverſum Deum.* 7. Adamus *enormem illam excuſat quam ſibi indulſerat libertatem, poſtquam obſervâſſet Potentiam* Plaſticam *aliquantùm in ſe expergefactam.* 8. *Diſputatio* Adamum *inter &* Divinam Lucem, *eum ad propriæ ſuæ Conſcientiæ Tribunal ſiſtentem.* 14. Satanas *in inferiores Aeris Regiones dejectus.* 15. *De Incarnatione Animæ* Meſſiæ *Vaticinium, déque illius Triumpho in Caput ſupremáſque Poteſtates Angelorum Apoſtatarum.* 16. *Decretum Divinum de amaricandis interturbandíſque omnibus* terreſtris Vitæ *gaudiis ac voluptatibus.* 20. *Lapſum ſuum* Adamus *rurſus excuſat, ob ſuæ præſentiæ ac regiminis utilitatem ſuper Terram.* 21. Adamus *plenè in carnem incorporatur, comparétque in vera forma* Terreſtris *Animalis.* 24. *Immortalitatem terreno* Adamo *nequaquam competere, nec poſſe illius Animam eò pertingere, donec redierit in* Æthereum *ſuum* Vehiculum.

1. JAM verò cùm *vita Vehiculi* ad tam altum gradum in *Adamo* propter exercitii relaxationem in ſuis magìs ſubtilibus & immaterialibus facultatibus invaluiſſet, idoneus ſtatim evaſit ad ludum quemlibet cum omni alacritate & promptitudine ordiendum, qui ipſi ante oculos eſſet propoſitus; nec defuit quicquam præter bellam aliquam opportunitatem externam, quæ ad actionem eum evocaret. Quod & quidam ex malis Geniis ſive Angelis lapſis obſervavit, qui haud parvâ in malis machinandis peritiâ pollebat, quippe quem veriſimillimum eſt aliquibus ex ſuo ordine eaſdem fraudes inſtruxiſſe, ipſúmque fuiſſe Rebellionis adverſùs Deum Divinámque lucem, Authorem atque Ducem. Etenim erat magìs perverſè ſubtilis quàm reliqui omnes mali *Genii,* Beſtiæve Agri, quos Deus quidem Angelos fecerat, Beſtialitatem verò ſuam ex propria Rebellione contraxerunt. Quicquid enim Senſu & Intellectu præditum eſt, carétque interim *Divinâ Vitâ,* ex ſententia profectò omnium bonorum Hominum ac Sapientum revera eſt *Beſtia.* * Antiquus igitur hic Serpens * omnium *Beſtiarum Agri* verſutiſſimus *Adamum* callidè adortus eſt tali alloquio quod certiſſimè gratum foret parti ſuæ *fæmininæ,* quæ jam vitâ ac vigore tam plena erat, ut Permiſſio ſive Licentia quidlibet patrandi, nuncium ipſi futurum eſſet exoptatiſſimum. Quamobrem Serpens dixit *Adamo Fæminizato,* Quid tam tacitus ſtas ac verecundus; Quídve in cauſa eſt, quòd ſis animo adeò conſtrictus? Itáne verò eſt, quòd Deus ad certas leges vos reſtrixerit, libertatem veſtram abſtulerit, omniáque vobis interdixerit, quæ ullam vobis conciliare poſſint voluptatem?

2. Et *Adamus* reſpondit ei dicens, Nequaquam. Nihil nobis interdictum eſt quod *Divina Vita* in nobis tanquam bonum ac jucundum approbaverit.

3. Hoc tantùm nobis interdictum eſt, nè ex *propria* veſcamur *voluntate*, voluptatéſque ſeorſim quæramus & ſine approbatione *voluntatis Divinæ*. Nam ſi noſtra propria voluntas in nobis dominetur, certum eſt nos deſcenſuros eſſe in *Regionem mortis*.

4. Serpens verò dixit *Adamo*, Quas nugas mihi narras? Timor tantùm *Panicus* eſt, *Adame*; Non tam certum eſt quàm opinamini, vos eſſe morituros.

5. Summa rei hæc eſt, Deus quidem Creaturis ſuis terrorem injicere amat, eáſque nè longiùs evagentur altiúſve evolent coercere: Is verò probè novit, ſi libertatem vobis nobiſcum indulgeatis, liberéque vos ſatietis *propriâ* veſtrâ *voluntate*, quòd oculi veſtri mirum in modum aperientur, quódque immenſa rerum experiundarum varietas vobis occurret, adeò ut evaſuri ſitis impensè docti ac ſapientes & Deorum inſtar, * rerum omnium cujuſmodicunque ſcientes, ſive bonarum ſive malarum.

6. Jam verò pars *Adami* fœminina hâc antiqui Impoſtoris doctrinâ ità titillata eſt, ut *Concupiſcibile* inciperet tam effrænatum eſſe, ut deſtinaret quidlibet patrare, quod voluptatem rerúmque experientiam eſſet promoturum, *Adamique* Voluntatem ac Rationem ſimul ſecum abripuit, propter illius incuriam & inadvertentiam. Adeò ut *Adamus* totus deditus eſſet ad res temerè aggrediendas, prout varii luſus ac titillationes laſcivientis *vitæ Vehiculi* ipſi ſuggeſſerint, vocem Dei non ampliùs conſulens, nec diutiùs curſum dirigens ad influxum Divini Luminis.

7. Et poſtquam ſeipſum Nugarum turbâ & infructuoſorum inaniúmque Inventorum è multifariis particularum *Vehiculi* agitationibus ortorum, defatigâſſet, aperti tandem ſunt oculi facultatum illius, ſtatímque quàm nudi eſſent, percepêre; quippe quum nec Integumentum *cæleſtis Naturæ*, nec adhuc *terreſtris* corporis haberent. Folia tantùm ficulna conſuerunt, aliquáſque excuſationis umbras contexuerunt à vigore *Vitæ Plantalis* petitas, quæ nunc tenuiori quodam modo ſeipſam in *Adamo* manifeſtare potuiſſet,* eúmque ad *Plaſticam* ſuam virtutem perfectiùs exercendum prædiſponere, poſtquam præparata Terræ Materia eum in ſe abſorpſerit.

8. Intereà loci Vox Dei, ſive Divina Sapientia eis ad auram Diei allocuta eſt, poſtquam veſani hujus impetûs turbo atque æſtus aliquantum deſerbuiſſet. *Adamus* verò cum uxore ſua adeò inordinatus evaſerat & à *Vita Divina* alienatus, ut abſconderent ſeipſos ad ſenſibilem illius acceſſum, ut Feræ in ſylvas confugiunt ad aſpectum Hominis.

9. Lux verò Divina in conſcientia *Adami* ipſum proſecuta eſt exprobravítque ipſi ſtatum in quo erat conſtitutus.

10. Recognovítque *Adamus* apud ſeipſum quàm nudus eſſet nullam habens virtutem, nec ornamenta nec facultates de ſuo, cùm tamen obedientiam ſuam dereliquiſſet & dependentiam à Deo. Quamobrem hinc factum eſt ut eum puderet, abſconderétque ſeipſum ad acceſſum Divini Luminis, manifeſtantis ſeipſum ei in illius reprehenſionem & opprobrium.

11. Divináque Lux omnem hanc calamitatem & confuſionem quæ ipſum ad hunc modum occupaverat, illius comeſtioni imputavit de fructu vetito, hoc eſt, dulcoroſis dictatis *propriæ* ſuæ *voluntatis*.

12. *Adamus* verò rurſus ſe excuſavit apud ſeipſum quòd *vitæ Vehiculi* vigor eſſet & impetuoſitas, quam Deus ipſe ei inſeverat, unde peccâſſet; *Fæmina* quam ei dederat Deus.

13. Locutáque eſt in *Adamo* Divina Lux de *Fæmina*, Quantum malum hîc faceſſit hæc mulier! Fœmina verò in *Adamo* excuſavit ſeipſam, quippe decepta à grandi illo Impoſtore Serpente. In hac animi confuſione conſtitutus eſt *Adamus*, quòd *Lucem Divinam* deſeruiſſet, permiſiſſétque propriam ſuam voluntatem in eam rebellare. Etenim naturam *Vehiculi* ſui ità alteravit, ut, (cùm permanere potuiſſet in conditione *Angelica* & *Ætherea*, párſque illius *fæminina* ad perfectam *Divinæ Lucis* obedientiam redigi, gaudiiſque in totum hominem accumulatis * compleri in æternum, ſuprà quàm dici poteſt aut cogitari) nunc è contrà in *mortalem* terreſtrémque *ſtatum* magis magíſque ſubſidit, ipſo quidem mutationem perſentiſcente, quemadmodum audietis, poſtquam Æterni Dei ſententiam in Serpentem ipſúmque enarravero.

14. Rebus igitur ad hunc modum peractis Æternus Dominus Deus de Serpente & *Adamo* ſic apud ſeipſum decrevit: Ut antiquus hic Serpens, Apoſtatarum Angelorum Princeps maledictus ſit præ reliquis univerſis, & (cùm antehac in ſublimi dominatus eſſet in ſuperioribus Aëris partibus, liberéque poſſet in ipſa *Ætherea* Regione inter innocentes & necdum lapſas Hominum bonorúmque Angelorum Animas volitare) nunc

nunc ventre pulverem verrere cogeretur projectus inferiùs versùs ſuperficiem Terræ.

15. Et ut univerſalis ſit Inimicitia & abhorreſcentia inter antiquum hunc Serpentem cum omnibus ſuis Rebellionis Sociis, & Genus Humanum. Et ut procedentibus ſeculis ſemper fidelis & morigera Anima *Meſſiæ* Corpus ſumptura ſit, & poteſtatem Diaboli inſigniter hîc in terris conculcatura, & poſt mortem Princeps conſtituatur omnium ordinum Angelicorum quorumcunque in cœlis.

16. Et de *Adamo* Æternus Dominus Deus decrevit, ut in partes Mundi inferiores deſcenſurus ſit, Incoláque tandem Terræ evaſurus, nec indulturus ſibi ſit voluptates corporis, ſine concomitantia angoris & doloris, útque pars illius *fœminina*, Paſſiones ſcilicet Rationis ſuæ caſtigationi & correctioni ſubjectæ forent.

17. Ut laborem ſubiturus ſit in hoc Orbe moleſtum ac faſtidioſum;

18. Terrâ ſpinas & tribulos producente, quamvìs vita illi ſuſtinenda ſit ex Agricultura.

19. Quamobrem ex ſudore vultûs ſui comedendus eſt ei panis ſuus donec in terram redierit, ex qua *terreſtre* illius corpus factum eſt. Hoc Divinum fuit conſilium de *Adamo* & *Serpente*.

20. Nunc verò, quod vobis narraturus eram, quamvìs *Adamus* plus plúſque in inferiores vitæ functiones ſubſideret, Mens tamen ejus nondum eouſque ſtupida evaſerat, quin ſatìs perſentiſceret ſuam conditionem, addidítque reliquis ſuis omnibus Apologiis, quòd pars ſua *Fœminina* tametſi eum ſeduxerat, uſus tamen aliquis eſſet illius erroris, quippe quum Terra hinc habitanda eſſet ab Intellectualibus Animalibus: Quocirca *Vitam vehiculi* ſui appellavit *EVAM*, quoniam illa reverà Mater eſt omnium generationum hominum, qui uſquam vixerint ſuper Terram.

21. Ad extremum, cùm vis *Plaſtica* plenè expergefacta eſſet, *Adami* Anima in præparatam Terræ Materiam deſcendit, & ad debitam temporis periodum pellibus comparuit veſtitus Beſtiarum, hoc eſt, purum putum evaſit *Animal Terreſtre*, mortaliſque Creatura ſuper Terram.

22. Nam Æternus Deus ſic decreverat, Et ſapientia illius, Miſericordia & Juſtitia, non niſi per ludum jocúmque, ſi fas ſit ità loqui, hoc negotium inter ſe tranſegerunt. Eóque magìs quòd *Adamus* in eam tantùm conditionem ſe præcipitaverat, quæ ſtato tempore futurum erat, ut ſorte ſibi obtingeret. Etenim rationi conſentaneum eſt ut tale aliquod caput ſit Animantium Terræ, qualis eſt *Terreſtris Adamus*. Hîc verò ſemper vivere, in magnum illius cederet incommodum.

23. Quamobrem Deus poſtquam eum ab altiori illa conditione amoviſſet,

24. Certò ſtatuit illum non fore immortalem. Nec in ulla capacitate conſtitutus eſt porrigendi manum ad fructum *arboris Vitæ*, niſi ad hanc conditionem hic detur introitus, ut veſtiatur utique rurſus *Vehiculo igneo*, purúſque ac defæcatus Spiritus Æthereus evadat. Tunc demum admitti poterit ad guſtandum de fructu *Arboris Vitæ* & Immortalitatis, atque ſic ad vivendum in æternum.

CABBALA

CABBALA MORALIS.

CAP. I.

1. *Homo* Microcoſmus *ſive* Mundus parvus *in quo duo ſunt Principia,* Spiritus *&* Caro. 2. Terrena *&* Carnalis *Natura primùm apparet.* 4. *Lux Conſcientiæ, quatenus ei nondum auſcultatur.* 6. Spiritus ſapidæ & affectuoſæ Diſcretionis inter bonum & malum. 10. *Inordinatæ Carnis cupiditates repulſæ ac limitatæ.* 11. *Unde Plantæ juſtitiæ effloreſcunt fructúmque ferunt.* 16. *Fervidum ſincerúmque* Dei ac Proximi Amorem Solem *eſſe in humana Anima*; Notionalitatem *&* Opiniones *tenuem debilémque Lucem diſperſarum* Stellarum. 18. *Qui in* ſincero Amore *ambulant, ambulare per Diem*; *Qui verò* Notionalitate *reguntur, iter facere per Noctem.* 22. Concupiſcibile *naturale, juſſu Divino, parit, corrigitúrque Devotione*; 24. *Paritque ſimiliter* Iraſcibile. 26. Chriſtus *Imago Dei creatur, omnium motuum* Iraſcibilis *&* Concupiſcibilis *Moderator abſolutiſſimus.* 29. Vitæ Divinæ *eſca.* 30.. *Eſca* Vitæ animalis. 31. *Divina Sapientia, quicquid ſimpliciter Naturale eſt, approbat tanquam bonum.*

1. EXponemus vòbis ante oculos in hac Hiſtoria Geneſeos varia bonorum perfectorúmque hominum Exempla perquam illuſtria, cujuſmodi ſunt *Abel, Seth, Enoch, Abrahamus* & id genus reliqui: Quamobrem par eſſe putavimus, quanquam Ænigmaticè quidem & in Parabola, modum progreſſûs ad hanc Divinam Perfectionem in genere adumbrare; conſiderando *Hominem* tanquam *Microcoſmum* ſive *Mundum parvum,* qui ſi per totum hujus *Spiritualis Creationis* progreſſum perſeverat, proceſſus illius figurativè intelligetur, prout ſequitur. Quamobrem, Primùm, inquam, factum eſt, per Divinam voluntatem, ut unuſquiſque homo, qui vitam degit ſuper faciem Terræ, duo hæc in ſe habeat Principia, *Cælum* & *Terram, Divinitatem* & *Animalitatem, Spiritum* & *Carnem.*

2. Illud verò quod *Animale* ſive *Naturale* eſt primùm operatur, dum *Spiritualis* ſive *Cæleſtis Vita* ad tempus in proprium ſuum Principium clauſa iners jacet. Quo tempore & aliquanto quidem pòſt, *Animalis* ſive *Carnalis* vita in deformibus Tenebris ſqualidáque caligine dominatur, validis tempeſtuoſiſque Carnis paſſionibus contendentibus & colluctantibus ſuper *inſatiabilis Deſiderii Abyſſum,* quæ nullum fundum habet, quæque in hac rerum conditione mentem ad nihil niſi vacuitatem & infructuoſitatem defert.

3. Verùm per voluntatem Divinam fit, ut poſteą *Dies,* quanquam modo haud ità pleno atque vegeto, è *Cæleſti* ſive *ſpirituali* Principio appareat.

4. Et Conſcientia ſic illuminata viæ ducem ſeſe offert ad conditionem meliorem: Itáque à Deo comparata eſt Humana Natura, ut non poſſit quin pronunciet hanc Lucem eſſe bonam, diſtinguátque tenebroſos tumultuoſóſque Carnis motus inter atque illam;

5. Affirmétque, æquè verum eſſe diſcrimen atque inter Naturalem Diem atque Noctem. Atque ſic *Ignorantia* atque *Inquiſitio primi* Diei progreſſus erat.

6. Cæterùm, tametſi hoc Lucis Principium in Conſcientia Hominis erectum ſit, nec quicquam contra ipſum afferre poſſit, quin bona ſit atque vera; non tamen ſtatim

habet tam *vividum ſapidúmque* guſtum in ſuis diſcriminationibus inter bonum atque malum. Malum enim adhuc affectus ſuos totos occupat, quanquam Imaginatio illius atque Ratio Theoreticis perceptionibus, quid Bonum ſit, nonnihil afficiantur. Quamobrem per voluntatem Divinam *Cœleſte Principium* (licèt in ſeipſo inviſibile & indeprehenſibile) ſuccedente tempore, *Spiritus* fit *ſapidæ & affectuoſæ diſcretionis* inter bonum & malum ; inter puras Aquas ac limpidas, quæ è ſancto *Spiritu* ſcaturiunt, & cœnoſas & tumultuoſas ſuggeſtiones *Carnis*.

7. Atque ſic Homo, vivo quodam modo diſtinguendi inter terreſtrem cœleſtémque vitam factus eſt capax.

8. Nam *Cæleſte Principium* nunc ei fit *Spiritus ſapidæ Diſcretionis*, atque à Deo ad hunc modum edoctus, non poterit quin pronunciet, Quòd hoc Principium, quo tam acutum habet vividúmque ſenſum boni & mali, reverà ſit *Cæleſte*. Atque ſic *Ignorantia* atque *Inquiſitio ſecundi* Diei progreſſus erat.

9. Jam verò quandoquidem Homo ſupernarum Aquarum dulcedinem ac ſuavitatem tam rectè ſapit, contra inferiores iſtas inlimitatarum cupiditatum Carnis aquas fæculentas nauſeam ſimul neceſſariò concipit : Adeò ut addente Deo voluntati illius, poteſtatem, inordinatæ *Carnis* deſideria ad certos limites repellantur, ſuíque compos fit, quo magìs ſtabilis firmúſque evadat.

10. Atque hanc ſtabilitatem, imperiúmque quod in ſe nactus eſt, à Divino in ſe Principio docetur, *Terræ Aridæ* comparare, propter incolumitatem atque firmitudinem. Cupiditates verò Carnis tanquam periculoſum turbulentúmque *Mare* conſiderat. Quamobrem hanc earum Limitationem, Imperiúmque in ſeipſum ad quod quis pervenerit, ac liberationem ab iſtiuſmodi colluctationibus & colliſionibus quæ reperiantur in *tumultuante Mari*, Divina in eo Natura non potuit quin approbaret tanquam Bonum.

11. Atque ſic quidem evenit, per Divinam voluntatem & ex ipſa rerum natura, ut hic ſtatus ſobrietatis in Homine (quippe qui jam à malarum Concupiſcentiarum tempeſtuoſitate tam pulchrè liberatus ſit) otium ipſi miniſtret colendi ornandique mentem ſuam Virtutis Principiis atque Honeſtatis, quò fiat tanquam Ager fertilis, cui benedixerit Deus :

12. Varia ex ſe germinans frugiferarum Arborum genera, Herbarúmque ac Florum ; hoc eſt, varia genera Bonorum Operum, ad Dei Laudem & utilitatem Proximi : Et Deus propriáque illius Conſcientia ipſi teſtificatur, quòd hoc bonum eſt.

13. Atque ſic *Ignorantia* atque *Inquiſitio tertii* Diei progreſſus erat.

14. Jam verò poſtquam Deus eouſque proceſſerit in Creatione *Spirituali* ut Cœleſte Principium in Homine ad eam vim ac poteſtatem evexerit, ut affectus ejus occupet, operáque laudabilia Juſtitiæ pariat, ſtatim adhæc prælustre luminis roboríſque incrementum ſuperaddit, exponens illi ante oculos varia Luminarium genera in *Cœleſti* ſive *Intellectuali* natura, quò magìs clarè diſtinguere valeat inter *Diem* atque *Noctem* ; hoc eſt, inter conditionem Animæ verè illuminatæ, talíſque cui adhuc *Ignorantiæ Nox* incumbat, quæque alienata ſit à vera notitia Dei. Nam pro differentia horum Luminarium ſignificatur Homini in qua conditione ipſe aliíve ſint, *Diéſne* revera ſit ipſis an *Nox*, *Æſtáſne* an *Hyems*, *Ver* an *Meſſis* ; quámve tandem periodum progreſſúmve in *Divina* vita fecerint ?

15. Et quanquam tantum ſit diſcrimen inter hæc Luminaria, minima tamen meliora ſunt meris tenebris, inſerviúntque aliquo modo ad Lucem miniſtrandam Homini terreſtri.

16. Cæterùm inter multa illa Luminaria quæ fecit Deus ut appareant homini, duo potiſſimùm ſunt quæ reliqua longè præcellunt. Horum verò duorum majus, dominium ſuum habet per diem, fideliſque eis dux eſt qui per diem ambulant, hoc eſt, qui opera faciunt Juſtitiæ. Majúſque hoc unicum eſt, ſed priorem Diei Lucem ad quam Homo ambulabat, mirum in modum, ſuperadditum acuit, éſtque plenior comparentia *Solis Juſtitiæ*, qui fervidus ſincerúſque *Amor* eſt *Dei atque Proximi*. Minus verò horum duorum magnorum Luminarium dominium ſuum habet noctu. Eorúmque Cynoſura eſt quorum mentes adhuc nimis violentè detinentur in operibus tenebrarum. Eſtque Principium infirmum ac variabile inſtar Lunæ, appellatúrque *Inconſtantia vitæ & Cognitionis*. Eſt ingens præterea Luminarium minutulorum copia, per univerſum Intellectum humanum, inſtar ſtellarum in Firmamento, confertim diſperſorum, quam *Notionalitatem* appellare licet, ſive *Multiplicitatem inefficacium Opinionum*.

17. Horum autem viliſſima multò præſtant puræ putæ Senſualitati & Brutalitati. Ac proinde Deus rectè dici poteſt in Cœleſti parte Hominis, Intellectu ſcilicet ejus ea collocare, ut quam poſſint Lucem impertiant terrenis ejus partibus, corruptis utique & inordinatis affectibus.

18. Et quemadmodum *Sol Juſtitiæ*, hoc eſt, fervidus ſincerúſque *Amor Dei atque Proximi* ſimplice ſuo lumine ac calore, cum alacritate & incolumitate eos ducit qui ſunt in Die : Ità illud magìs incertum & mutabile Principium, numeroſáque Luminaria *Notionalitatis*, eos queant, ut poſſunt, dirigere quibus incumbit tenebrarum Nox. Et, quod notatu maximè dignum eſt, ex immani differentia horum poſteriorum Luminarium ab illo *Diei*, dijudicare quis poteſt quando ipſe aliúſve quiſpiam ſtatûs Injuſtitiæ Nocte ſit obrutus. Nam multifaria *Notionalitas* & *Inconſtantia Vitæ & Cognitionis* certiſſima ſigna ſunt quòd quis in *Nocte* ſit conſtitutus. Verùm uni huic ſimplici ſed vegeto ac efficaci Lumini, fervido utique & ſincero *Amori Dei* atque *Proximi* firmiter adhærere manifeſtiſſimum indicium eſt, quòd quis ambulat per *diem*. Et qui ad hanc conditionem pervenit, manifeſtò videt in Lumine Divino, totum hoc admodum bonum eſſe.

19. Atque ſic *Ignorantia* & *Inquiſitio* quarti diei progreſſus erat.

20. Atque nunc quidem, cùm tam nobile, tam fervidum, & tam vegetum Principium ſive Lumen, quàm ſit *Sol Juſtitiæ*, in Cœleſti parte Animæ humanæ conſtitutum ſit, Imperitus quis temerè inſcitéque expectare poteſt, proximum nuncium fore, Quòd vel ipſa Maria exſiccata ſunt illius æſtu ac calore, hoc eſt, quòd *Concupiſcibile* in Homine penitus ſit abolitum. Sed longè aliter conſtituit Deus. Nam Aquæ magnam Piſcium copiam pariunt, perinde atque Volucres innumerabiles.

21. Cogitationes igitur Oblectamentorum naturalium ultro citróque in *Concupiſcibili* Hominis natant, fervidúſque Amor quem gerit adversùs Deum, parit quidem non multas inefficaces Notiones ac vietas, ſed magnam ſanctarum affectuoſarúmque Meditationum alatarúmque Ejaculationum vim, quæ cœlum versùs volant, quæque redeuntes rurſus & teneram numeroſámque Naturalis *Concupiſcentiæ* progeniem adorientes, numeris ipſarum minuendis operam dant ; ut iſtæ Volucres quæ aquas frequentant illarum Piſces devorant. Deúſque ac boni homines nihil in hoc vident quòd non ſit bonum.

22. Quamobrem Cogitationes naturalis oblectationis in inferiori *Concupiſcibili* perinde atque Cœleſtes illas Cogitationes ſanctáſque Meditationes multiplicat Deus, ut integra Humanitas plena ſit omni genere bonorum quorum ſit capax, ſítque *Divina Vita* habeat quod ordinet & in quod dominetur.

23. Atque ſic *Ignorantia* & *Inquiſitio* quinti diei progreſſus erat.

24. Nec Deus ſolùm efficit ut *Aquæ* ſed ut *Terra* etiam *Arida* varia Animantium genera pariat, *Iraſcibiléque* fœcundum reddit perinde atque *Concupiſcibile*.

25. Utraque enim Deus bona eſſe vidit, idoneúmque Objectum fore in quod *Cœleſtis Homo* ſuum Imperium Dominiúmque exerceat.

26. Deus enim robur adauget, pro occaſionibus ſubjectíſque quibus occupetur & exerceatur. Et *Divinam Vitam*, quæ ſub diverſis Incrementi ſui gradibus, tam variè in quinque antecedentibus progreſſibus repræſentata eſt, Deus tandem ad gradum ſummum evehit, omnibúſque numeris jam abſolutam propriæ ſuæ Imaginis nomine appellat ; quippe quum *Divina Vita* ad hunc gradum evecta omnino vera illius ſit Imago. Sic igitur fit, ut Deus tandem in natura noſtra verum ac perfectum Hominem plenè manifeſtet, quo nos ipſi boni perfectíque evadamus, qui non ſolùm videt affectátque quod bonum eſt, ſed plenam porrò poteſtatem habet idem efficiendi in rebus omnibus : Quippe qui plenum habet Dominium in Piſces Maris, imperare poteſt atque regere Volucres Aëris, & facillimo negotio Beſtiis Terræ, & quæcunque moventur ſuper Terram, dominari.

27. Atque ſic creavit Deus Hominem in propria ſua Imagine, æquè potentem eum in ſuo *Parvo Mundo* ſuper omnes Cogitationes Motúſque *Concupiſcibilis* & *Iraſcibilis* Imperatorem conſtituens, atque ipſe eſt ſuper naturalem Fabricam Univerſi, *Mundíve majoris*. Eſtque hæc Imago *Mas* & *Fœmina* ex *perſpicaci liberóque Intellectu, Affectúque Divino* conſiſtens, qui nunc ad eam perfectionem pervenerunt ut nulla *inferior Vita* rebellare adversùs eos valeat, eóſque ſibi ſubjugare.

28. Benedicit enim eis Deus fœcundóſque facit, nobilémque eorum Progeniem tam mirum in modum multiplicat, ut excultam Hominis naturam tantâ realis Veritatis Æquitatíſque copiâ repleant, ut nulla ſit viva Figura, Imaginatio, Motúſve *Iraſcibilis* aut *Concupiſcibilis*, nulla enormis inſcitáve Irregularitas in *Religioſis Meditationibus & Devotionibus*, quin ſtatim temperentur & corrigantur. Nam univerſa Humanæ Naturæ Territoria tam probè paſſim variis Veritatis Bonitatíſque formis pulchris ſive Ideis (illuſtri illâ *Cœleſtis Adami Chriſti* prole) frequentantur & incoluntur,

ut nulla *Animalis Figura* incipere poſſit moveri perperàm aut evagari, quin continuò Corrector proprius ipſi fiat obviàm, peritúſque violati ordinis inſtaurator.

29. Et poſtquam *Divina Vita* in Homine ad hunc modum perfecta eſt, eo ipſo edocetur à Deo quis ſit illius cibus quatenus è *Divino* conſiſtit *Principio*, & quæ ſit eſca *Animalis Vitæ* in illo: Maximè probas utique maximéque pias ac Divinas Actiones *Adamo* cœleſti in cibum aſſignavit, quo veſcatur, voluntatem Dei in rebus omnibus perſiciens, quod ei magìs jucundum eſt quàm ſelectiſſima Acetaria, ſuaviſſimíve fructus, quos palatus ullus unquam guſtaverit.

30. Nec *Animalis Vita* prorſus enecanda eſt fame, ſed regulanda certíſque legibus coercenda. Ac proinde illa habere debet deterius Herbarum genus quibus paſcatur, hoc eſt, Actiones Naturales Principio conſentaneas à quo promanant. Ut illud etiam Principium ſibi paululùm indulgeat libertatem ea proſequendi ad quæ illius natura ipſum incitat. Atque ſic diverſæ Modificationes *Iraſcibilis* & *Concupiſcibilis*, quemadmodum & Figurationes variæ *Melancholiæ Religioſæ* ac naturalium Devotionum (quæ ſunt Piſces, Beſtiæ ac Volucres Animalis Naturæ in Homine) permittuntur ſeipſas paſcere ac recreare inferioribus iſtis operationum generibus ad quæ nos inclinant; modò omnia priùs approbentur, ritéque regulentur à cœleſti *Adamo.*

31. Nam Divina ſapientia in Homine videt approbátque omnia quæ Deus in nobis creavit, tanquam ſuo in genere valdè bona. Atque ſic *Ignorantia* & *Inquiſitio*, ſexti Diei progreſſus erat.

CAP. II.

3. *Verus* Sabbatiſmus *filiorum Dei.* 5. *Deſcriptio Hominis à Deo edocti.* 7. *Myſterium* Adami *qui venit per* Aquam *&* *per* Spiritum. 9. *Obedientia* Arbor Vitæ: *Inobedientia verò* Arbor ſcientiæ boni & mali. 10. Fluvii Paradiſi *quatuor Virtutes Cardinales in Anima humana.* 17. *Vita juſtitiæ per Inobedientiam perdita.* 19. *Homo merè Contemplativus & Spiritualis, motus videt* Animalis Vitæ *ſatíſque rigidè de eis judicat.* 21. *Homini nequaquam competere ut* Spiritualibus *Contemplationibus immoretur in perpetuum*; 22. *His verò laxatis* Nativum Vitæ corporis Gaudium *expullulare, quæ noſtra* Eva *eſt.* 23. *Hoc* nativum corporis gaudium *magìs gratum homini eſſe in Innocentia, quàm quicquam aliud.* 25. *Nec in judicio ſuo ſuper hac re hominem magnopere errare.*

1. ATque ſic Cœleſtis Terreſtríſque Natura in Homine perfecta eſt, affatímque omnigenis ornatibus ad ſe ſpectantibus repleta.

2. Quapropter Divina Sapientia in humana Natura *Sabbatum* ſuum celebrat, quippe operum *ſex* Dierum labore nunc defuncta.

3. Divináque Sapientia *ſeptimum* hunc *Diem* tanquam ſanctum benedictúmque æſtimavit, tanquam Diem Juſtitiæ, Quietis & Gaudii in Spiritu ſancto.

4. Hæ fuerunt Generationes ſive Pullulationes *Cæleſtis Terreſtríſque* naturæ, *Divinæ Animalíſque Vitæ* in Homine, cùm Deus eos creâſſet.

5. Frugiferas illas Plantas intelligo amœnáſque atque utiles Herbas, quas ipſe plantavit: Deſcripſi enim vobis conditionem Hominis à Deo docti, & inſtructi atque enutriti ab interno ſuo Lumine, ubi nulla externa Doctrina eſt quæ diſtillet ut Pluvia, nec externus ullus Hortulanus qui ſe immiſceat Agriculturæ Dei.

6. Eſt tantùm *Aquæ Scaturigo,* quæ *Reſipiſcentia* eſt à mortuis operibus, ebullítque in Terreſtri *Adamo,* ità ut univerſam Terram inundans colluat.

7. Atque ſic Naturâ humanâ ad ulteriores perfectiones præparatâ, Deus eum format in propriam ſuam Imaginem, quæ *Juſtitia* eſt *veráque Sanctitas*, atque in eum inſpirat *Spiritum Vitæ.* Atque hic eſt ille *Adamus* qui venit per *Aquam* & *Spiritum.*

8. Hactenus vobis oſtendi quomodo Gens humana ab uno gradu *Spiritualis Lucis* & Juſtitiæ evehatur ad alterum, donec tandem ad tam plenum Imperium ac Perfectionem in *Divina Vita* perveniamus, ut dici poſſimus aliquo quidem modo ad *Regnum Cælorum* perveniſſe, inveniſſéve *Paradiſum in Terris.* Narratio verò quæ ſequitur vos edocebit, præmonebítque de malis iſtis vivendi rationibus quibus Homo eam menſuram Paradiſiacæ fœlicitatis perdat, in qua etiam dum in hoc mundo vitam degit, eum conſtituerit Deus. Dico igitur Dominum Deum Hortum plantâſſe Orientem versùs in *Eden,* illícque Hominem quem fecerat, collocâſſe, (hoc eſt, Homo

ſub Intellectualibus radiis Spiritûs vitam agens, illuminatúſque à Matutina Luce Solis Juſtitiæ, in admodum amœnam ſuavémque Animi complacentiam introducitur, bonæque Conſcientiæ Teſtimonium magna illius eſt voluptas.)

9. Variáſque germinationes & expullulationes operum Juſtitiæ in ipſo, delectabilem ei eſſe Paradiſum, gratúmque tum viſui tum guſtui illius menſuræ Divinæ vitæ quæ in eo manifeſtatur. Sed inter omnes Plantas quæ in eo creſcunt, nulla eſt tam præclaræ virtutis ac præſentaneæ, quàm ſit illa in medio Horti, nimirum, *Arbor Vitæ*, quæ *ſincera eſt Divinæ voluntati obedientia*, nec ulla quæ tam lethiferum ac venenoſum fructum fert, quàm *Arbor ſcientiæ boni & mali* quæ eſt *Inobedientia voluntati Divinæ quatenus in Homine manifeſtatur.* Voluptas enim Animæ in eo conſiſtit quòd ſeipſam fideliter ad id componat, quod pro perſuaſo habet in ſua conſcientia, voluntatem eſſe Dei, quicquid alii contrà ſuggeſſerint.

10. Omnes verò frugiferæ Arbores Juſtitiæ quatuor hiſce Fluviis irrigantur qui ſinuoſis flexibus per Hortum hunc voluptatis perlabuntur, qui reverà quatuor *Virtutes* ſunt *Cardinales.*

11. Nomen primi eſt *Piſon*, qui eſt *Prudentia.* Non quidem ſuggeſtiones carnalis Aſtutiæ, & doloſæ Subtilitatis, ſed indicationes *Spiritûs* Divinìve Intellectûs, quid æquum ſit, factúque utile & decorum.

12. Hîc eſt bene explorata certóque approbata experientia, ſalutaris Induſtria, & Alacritas ad labores honeſtos.

13. Et Nomen ſecundi Fluvii eſt *Gihon*, qui eſt *Juſtitia.*

14. Et nomen tertii Fluvii eſt *Hiddekel*, quæ *Fortitudo* eſt. Quartúſque Fluvius eſt *Euphrates*, qui eſt *Temperantia.*

15. Hæc eſt Paradiſus in qua Dominus Deus collocaverat Hominem ut eum porrò coleret meliorémque redderet.

16. Et Divina Lux in Homine manifeſtata animabat hominem ad comedendum de fructibus Paradiſi liberè, & ad indulgendum ſibi ipſi omne genus ſanctæ Intelligentiæ & Juſtitiæ.

17. At verò ſimul præcepit diligentiſſimè cavendum nè *propriam* ſuam *voluntatem* ulla in re ſaperet, ſed ut obediret manifeſtæ voluntati Dei in rebus maximis minimíſque, alioqui pro certo perditurus eſſet vitam quam jam vivit, mortuúſque evaderet ad omnem Juſtitiam ac Veritatem. Diligenter igitur cavit ſibi homo, Animáque ejus tota quaſi ferebatur Cœlum verſùs atque res Divinas, nec quicquam præter has curabat, facultatibus ejus magìs nobilibus ac *Maſculinis* ſolis quodammodo operantibus, *Vitâ* verò *Naturali* (in qua tamen ſi ritè temperetur, nullum eſt peccatum) oblivioni ferè prorſus traditâ ac neglectâ.

18. Sapientia verò Divina vidit non bonum fore Animæ humanæ, ut *Maſculinæ* illius facultates ſolæ ad hunc modum operarentur, ſed ut omnes *Virtutes* ſive *potentiæ Vitæ* effluerent, ut tota Natura humana *Divinâ* poſſet perfici.

19. Jam verò facultatibus Animæ adeò totis ſurſum aſpirantibus ad res Divinas, variæ Modificationes ſive Figurationes *Animalis vitæ*, (quas Deus in Naturæ humanæ fabrica operans homini repræſentabat, unde occaſionem nactus ſit eas intuendi ac judicandi) impigrâ mentis perceptione facilè quidem deprehendebantur quales eſſent, & determinatum apud ſe habuit homo de ſingulis *Animalis vitæ* figurationibus conceptum atque judicium.

20. Cenſurámque de eis ſive ſententiam pronunciabat, licèt veram quidem, ſatìs rigidam tamen ac ſeveram. Nondum verò capax erat ullam ex eis percipiendi voluptatem. Nulla ex iſtis idonea erat in qua ipſe ſibi complaceret.

21. Quamobrem Divina Providentia in bonum Hominis & ut majori vigore ac plenitudine voluptatis ditaretur, effecit, ut operationes *Maſculinarum* facultatum Animæ ad tempus bene laxatæ eſſent & conſopitæ. Quo quidem tempore facultates ipſæ aliquantùm minuebantur ac debilitabantur, ſed ad tam debitam menſuram ac rationem, ut futuro, quod expectabatur, commodo conſiderato, non defuerit quod demptum erat, ſed res in ſumma æquè bella ac completa eſſet atque priùs.

22. Nam quod ſic diminutum eſt in *Maſculinis* facultatibus, abunde compenſatum eſt in exhibendo homini pergrato ſenſu *Fœmininarum.* Nulla enim alia ſupererat Ratio præter hanc, creandi *Fœminam*, hoc eſt, eliciendi *genuinam gaudii Effloreſcentiam innocuámve voluptatem Naturalis Vitæ* ſanitatíſque corporis. Quæ ſemel exhibita & cum Simplicitate & Innocentia Animi conjuncta, maxima pars illius Paradiſi eſt cujus Homo capax ſit in Terris.

23. Cúmque Actuatio Materiæ maximè propria eſſentialíſque Animæ ſit operatio, Homo agnovit continuò hanc *Nativam effloreſcentiam Gaudii corporis* majorem habere

cognationem & affinitatem cum ipſo, quàm quicquam aliud quod unquam hactenus expertus ſit, amavítque tanquam propriam *VITAM.*

24. Homóque tam mirificè captus eſt novâ ſuâ Sponſâ, quæ eſt *Nativum Gaudium Vitæ corporis*, ut ſtatueret apud ſeipſum, quemlibet cum bona conſcientia vehementiores illos adniſus atque anhelitus ad notitiam *Æterni Dei* qui creavit ipſum, remittere poſſe, quemadmodum & executionem ſcrupuloſiorum iſtarum Injunctionum Matris ſuæ Eccleſiæ, quatenus Sanitati *Gaudióque vitæ naturalis ſui corporis* repugnent, & in iſtiuſmodi caſibus adhærere potiùs Sponſæ ſuæ unúmque cum illa fieri, modò perſiſtat interim in Obedientia indiſpenſabilibus Præceptis illius *Superioris Lucis* ac Poteſtatis quæ eum generavit.

25. Nec *Ratio Adami* aut *Affectus* quicquam in hoc peccavêre; quippe qui nihil aliud ſtatuerunt, quàm quod *Divina Sapientia* atque *Æquitas* approbaturæ fuiſſent tanquam verum. Quamobrem *Adamus* uxórque ejus nullos adhuc quærebant angulos aut latibula quibus ſe à *Divina luce* abſconderent, ſed cùm nihil peccâſſent, nudi comparebant in Præſentia illius, ſine ullo pudore aut erubeſcentia.

CAP. III.

1. Adamus *tentatur ab* Inordinata Voluptate *propter expullulationem* Gaudii invaleſcentis Vitæ corporis. 2. *Dialogus ſive Diſputatio in Mente Adami inter* Inordinatum Deſiderium Voluptatis *&* Nativum Gaudium Corporis. 6. *Voluntas* Adami *ad aſſenſum abducitur* Inordinatæ Voluptati. 8. Adamus *poſtquam peccâſſet, impatiens fit præſentiæ Divini Luminis.* 10. *Longus Conſcientiæ Conflictus, ſive Diſputatio inter* Terrenam Mentem Adami *&* Divinam Lucem, *examinantem eum & exponentem ei ante oculos, conditionem illius tum præſentem tum futuram, ſi in ſua Rebellione perſiſtat.* 20. *Adhæret* Adamus Gaudio ſui corporis *citra rationem ac menſuram, contra Caſtigationes cunctas ac Monitiones* Divinæ Lucis. 21. Lux *igitur* Divina *in præſens* Adamo *valedicit, merito cum contemptu & opprobrio.* 22. *Æternum Dei decretum de Homine lapſo, quòd non paſſurus ſit eos in improbitate manere defixos, ſecundùm depravatas ſuas voluntates atque Vota.*

1. CÆterùm ità factum eſt, ut *Vitâ Corporis* in Homine ad hunc modum invaleſcente, ſtatim verſutiſſima ſubtiliſſimáque omnium *Animalium Figurationum, Serpens* utique, qui eſt *inordinatum Deſiderium Voluptatis,* callidè ſeipſum in fœmininam partem *Adami, Nativum* ſcilicet *Gaudium corporis,* inſinuaret. Atque ſic Hominem adoriens, hujuſmodi cogitationes ipſi inſuſurravit. Quàm rigida ac ſevera res eſt totum hoc Religionis Legiſque Dei, quemadmodum appellitant, negotium, quod hominem omni genere privat voluptatum, omniáque Vitæ gaudia ipſi præcidit?

2. Sed *Fœminina* pars in *Adamo, Nativum* ſcilicet ac *genuinum Gaudium corporis* contra hoc teſtificari potuit, reſpondítque, Licet quidem nobis omnium facultatum operationibus tum Animæ tum corporis, quas Deus ac Natura nobis contulit, nos ipſos oblectare,

3. Tantùm cavendum nobis eſt de *Inobedientia,* & de promiſcuè indulgendo *propriæ noſtræ voluntati*; ſed ſemper conſulenda eſt *Voluntas Dei,* ac *Divina Lux* in Intellectibus noſtris manifeſtata, ut omnia faciamus ſecundùm rectum ordinem ac menſuram. Nam ſi in hoc peccemus, morte moriemur, Vitámque Virtutis ac Juſtitiæ perdemus, quæ nunc in nobis vegeta eſt & erecta.

4. *Serpens* verò qui eſt *Inordinatum Deſiderium Voluptatis,* propter *Fœmininarum* facultatum infirmitatem *Adamo* impoſuit, ipſíque perſuaſit ſe non moriturum eſſe, ſed eum tutò, & liberis Voluptatis Dictatis *propriæve voluntati,* & *Voluntati Divinæ* ſimul ſervire poſſe; & *Carnem* & *Spiritum* ſimul in eo poſſe dominari, alterúmque alteri haud magnopere eſſe nociturum:

5. Sed peritiam ejus & experientiam in rebus magìs amplificatum iri, atque ſic ad Divinam Perfectionem eum propiùs eſſe acceſſurum, Sapientiæque, quæ in Deo eſt, qui omnia cuicuimodi ſint novit ſive bona ſive mala, plenitudinem imitaturum.

6. Hæc verò callida Suggeſtio in *Fœmininas Adami* facultates ità ſe inſinuaverat, ut *Carnalis Concupiſcentia* adeò invaleſcere inceperit, ut aſſenſum ejus voluntatis unà ſecum raperet, totúſque homo exlex & effrænis Creatura factus eſt. Videbatur enim

primâ ſpecie res admodum grata ſtatim proſequi quicquid noſtræ libidines ſuggeſſerint, ſine cujuſquam reprehenſione aut cenſura, valdéque exoptabile periclitari omnia quò notitiam rerum & experientiam lucremur. Hoc verò nihil ampliùs introduxit præter *Sapientiam Carnis*, mentémque effecit Adami terrenam.

7. Verùm non admodum longè in hoc diſſoluto vivendi modo evagatus erat, cùm aperti ſunt oculi, viditque differentiam, quàm nudus jam eſſet & omni vi ac facultate ad res ſanctas ac Divinas deſtitutus. Incepitque apud ſeipſum leves aliquos prætextus meditari, quò notoriam ſuam ſtoliditatem & inobedientiam excuſaret.

8. Vox enim *Divinæ Lucis* ad auram Diei ad eum advenerat, cùm furor æſtúſque inordinatarum paſſionum illius aliquantum deſerbuiſſent: Adamus verò præſentiam illius ferre non potuit, ſed abſcondit ſe ab ipſa, meditans ſecum quam pro ſe contexere poſſet excuſationem ſive Apologiam.

9. *Divina* verò *Lux* inſtabat, propiúſque ad eum accedebat exprobravítque ipſi, quòd tam ferinus factus eſſet, & à ſe tantopere alienatus, quærens ex eo in qua eſſet conditione, & cur à ſe confugiſſet.

10. Tunc ingenuè faſſus eſt *Adamus* quòd ſeipſum in tam miſera, ſqualida, nudáque conditione reperiſſet, ut puderet eum coram *Divina Luce* comparere. Atque hanc fuiſſe cauſam cur ſe abſconderit ab ipſa, quoniam tam manifeſtò ei exprobratura erat ſuam Nuditatem ac deformitatem.

11. Rogavítque eum porrò *Divina Lux* quomodo in conſpicuam hanc ſqualidámque Nuditatem inciderit, funeſtum eventum illius Inobedientiæ imputans, quòd ſeipſum paverit, crapulámque contraxerit, ex fructu propriæ ſuæ voluntatis.

12. *Adamus* verò *Rationales* ſuas facultates excuſavit, dixítque, Quòd ſecutæ ſint tantùm naturalia dictata *Gaudii corporis*, *Fœminæ* quam Deus ipſe ei dederat, in Adjutorium & Oblectamentum.

13. *Lux* verò *Divina Adamum* rurſus increpavit, quòd *fœmininis* facultatibus meliùs moderatus non eſſet, nec ſatìs eas ſibi ſubjeciſſet, quippe quum tam audacter & præpotenter talia ei dictarent quæ minimè deceant. Ad quod nihil habuit quod reſponderet, niſi quòd *Serpens* callidus, *Inordinatum Voluptatis deſiderium*, ambabus ſuis facultatibus *Maſculinis* pariter atque *Fœmininis* impoſuiſſet; Quódque voluntas ſimul cum affectibus ab eo penitus eſſet abrepta.

14. Tunc *Divina Lux* caſtigare incepit dictis Serpentem, audiente *Adamo*, de eo pronuncians, quòd execrabilis eſſet præ reliquis omnibus Figurationibus Animalibus, quódque ſordidè abjectéque ſuper ventrem reptaret, homines ad Luxuriam pelliciens atque Libidinem, nihílque ſapiens præter terram atque cœnum. Hic ſemper mos illius erit, quamdiu victurus ſit in homine.

15. Mihi verò ſi ſemel liceret euſque in hominem penetrare ut *Fœmininas* illius facultates poſſiderem, efficerem quidem ut *Nativum Corporis Gaudium* Serpentem omninò deteſtationi haberet ac vilipenderet; & tametſi *Serpentis* calliditas ſauciare paululum poſſet, & turbare ad tempus *Fœminam*, licitæ tamen illius liberæque Operationes, quippe *Divinâ vi* actuatæ, abolituræ penitus eſſent poſtea, & extincturæ *ſemen Serpentis*, Operationes nempe *Inordinati Deſiderii Voluptatis*.

16. Addítque inſuper, audiente *Adamo*, de *Fœmina*, quatenus à *cœleſti Vita* ſic ſtetit disjuncta nec obediens erat rectæ Rationi, quòd per *Divinam* quandam *Nemeſin*, conceptura eſſet cum dolore & Vanitatem paritura. Quódque Maritus ejus *Terrena-ſapiens Adamus* Tyrannidem in eam exerciturus eſſet eámque defatigaturus ac fœdè violaturus. Adeò ut futurum ſit ut *Nativum Gaudium Sanitáſque Vitæ corporis* multùm depravetur, enervíſque evadat atque languida per effrænes libidines, impetuoſámque Luxuriam & Intemperantiam *Terrena-ſapientis Adami*.

17. Ipſíque *Adamo* dixit, qui adeò uſquequaque *Terrena-ſapiens* evaſerat auſcultando voci ſuæ *deceptæ Mulieris* atque ſic immorigerum ſe præbendo *Divinæ Voluntati*, Quòd Caro ſive Terra ejus maledicta eſſet illius gratiâ, quódque cum labore atque tædio fructus ejus decerpturus eſſet quamdiu permanſerit in hac ſua *Terrena Affectione* ſive *Sapientia*.

18. *Curas* etiam & *Anxietates* illi paritura eſt, cogitationéſque ejus æquè abjectæ erunt atque Beſtiarum Agri. De nihilo ruminabitur præterquam de rebus terrenis ſenſuíque gratis.

19. Cum ſudore & angore laborabit ad ſatisfaciendum fami ſuæ ac inſatiabilitati, donec in Principium redierit unde eſt deſumptus. *Terrena* enim *Sapientia* ex *animata Terra* ſive Corpore profecta eſt, & in proprium Principium rurſus ſe contrahere debet & perire.

20. Poſt omnes verò has Caſtigationes ac Præmonitiones *Divinæ Lucis*, *Adamus* non ſatis expergefactus eſt in ſenſum illius quod reverà ſit bonum, ſed Mens ejus ſtatim oblectamentis carnis tota eſt occupata, *Gaudiúmque Corporis* peramicè amplectens, quanquam adeò inordinatum evaſerat, *Meam VITAM* appellavit, profeſſúſque eſt hanc almam Matrem eſſe, præcipuúmque Solamen omnium hominum viventium, nec quenquam ſine illa ſubſiſtere poſſe.

21. Tunc *Divina Sapientia* Tunicis piloſis ex pellibus ferarum confectis, *Adamum* & uxorem ejus induit, meritóque eos increpavit, dicens, Apagete nunc ambo, pecudum ignobile par! Et *Adamus* quidem lubenter vel ſic effugere voluit ſi licuiſſet, ſedem inter Beſtias ſive in *Beſtiali natura* in perpetuum ponere contentus.

22. Cæterùm Æternus Deus cœlorum, cujus Providentia ad res omnes pertingit, cujúſque miſericordia eſt ſuper omnia opera ejus, *Adamum* contemplans, in quàm miſera ac ridicula conditione eſſet, continuò percepit; quippe qui affectans ſimilem fieri Deo propter ſcientiam ac libertatem, nihilo meliorem Beſtiâ ſeipſum reddiderat, perlubentérque voluit in æternum in hac viliori natura vivere ac permanere. Quamobrem Æternus Dominus Deus *Adami* miſereſcens ſtatuit in contrarium, audaciámque illius & curioſitatem, quæ eum ad peccandum impulerant deridens, Ecce, inquit, *Adamus* factus eſt ſicut unus è nobis ſciens Bonum & Malum, ſuáſque voluptates per ſe ampliare poteſt nováſque Paradiſos de ſuo creare. Quas, ſi placet, ſuam etiam habere oportet *Arborem Vitæ* ſive *Immortalitatis*. *Adamúſque* in æternum vivere geſtit in fatuo hoc ſtatu quo ſeipſum collocavit.

23. Verùm Æternus Dominus Deus non paſſus eſt *Adamum* ſuam ſedem in Beſtialibus oblectamentis defigere quæ ipſe elegerat, ſed ex falſa hac Paradiſo quam ſibi ipſi fecerat, eum exegit, coegitque membra ſua carnalia colere ac purgare ex quibus *Terrena* ſua *Affectio* ſive *Sapientia* profecta eſt.

24. Vi, inquam, *Adamum* exegit ex hac *Paradiſo Luxuriæ*, nec ſedem defigere potuit in perpetuum in *Vita Brutali*, quoniam *Cherubini* cum flammante gladio qui quaquaverſum vibrabatur, eum repulerunt, hoc eſt, *Maſculinæ facultates* Rationis & Conſcientiæ tam frequenter ei in propoſitis ſuis obviàm iverunt, adeóque eum convicerunt de ſtultitia ſua ac vanitate, ut ſedem figere in *Beſtiali conditione* in perpetuum neutiquam valeret.

TRIPLICIS

TRIPLICIS CABBALÆ DEFENSIO.

Philo Jud.

Ἅπασαν τὴν νομοθεσίαν ἐοικέναι ζώῳ· καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς διατάξεις, ψυχὴν δὲ τὸν ἐναποκείμενον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν.

Ad hunc ſenſum,

Univerſam Legem *Moſaicam* ſimilem eſſe Animanti, cujus quidem corpus *Literalem* ſenſum, Anima verò *interiorem* magiſque reconditam *mentem* ſenſu *Literali* obvelatam refert.

R. MOSES ÆGYPT.

Non omnia ſecundum Literam *intelligenda & accipienda eſſe quæ dicantur in* Opere Bereſchith *ſeu* Creationis, *ſicut vulgus hominum exiſtimat. Senſus enim illorum* Literales *vel gignunt pravas opiniones de natura Dei Opt. Max. vel certè Fundamenta Legis evertunt, Hæreſinque aliquam introducunt.*

LONDINI,
Typis *R. Norton,* impenſis *J. Martyn & Gualt. Kettilby,*
M DC LXXIX.

Præfatio ad Lectorem.

1. Cabbalas quas perlegiſti, amice Lector, cùm valde veriſimile ſit miras & inopinatas tibi viſum iri, nè Defenſio ipſa quæ admirationem tuam ac ſtuporem curare debet atque tollere, occaſio eſſe poſſit ulterioris alicujus ſcrupuli aut offenſionis, interpellare te pauliſper par eſſe putavi, ut quicquid conjecerim minùs ſatisfacturum eſſe, per brevem hanc Præfationem antè corroboretur confirmetúrque.

Quantùm ad me, equidem præſagire non poſſum, quid à quoquam cum ulla rationis ſpecie allegari poſſit, niſi ſit aut inuſitatum Numerorum Myſterium; Ethnicorum in Scripturis explicandis adhibita Authoritas; Additio etiam Miraculorum ab ipſis factorum ad ulteriorem Authoritatis confirmationem; & poſtremò, ipſarum Philoſophicarum Concluſionum Novitas, ut vulgo hominum videbitur, & Mirabilitas.

2. Jam verò quantùm ad Numerorum Myſteria, ut antiqua hæc Philoſophia Moſaica eis involuta ſit, improbabile minimè videbitur, ſi conſideremus Cabbalam Creationis conſervatam fuiſſe in manibus Abrahami ejúſque familiæ, qui ob Scientias Mathematicas (quarum Arithmetica pars eſt neceſſaria) celebris erat, primùm apud Chaldæos, * poſteáque Ægyptios eaſdem Artes docuit, ut Hiſtorici referunt. Præterea in Scriptis Propheticis & Ænigmaticis quòd uſitatum ſit Secreta occultare, * ut ſub Alluſionibus Nominum & Etymologiarum, ità ſub Numerorum adumbrationibus, tam vulgò notum eſt, ídque in ipſis ſacris Scripturis, ut nihil opus ſit probare. * Unicum hoc eminens exemplum proferre contentus ero. Numerum ſcilicet Beſtiæ 666.

3. Quod ad Ethnicorum Scriptorum frequentem Citationem attinet, conſiderandum eſt, eos ſapientiſſimos ex illis eſſe, virtutéque præſtantiſſimos, & aut tales quos Patres narrant ſuam Philoſophiam à Moſe ac Prophetis hauſiſſe, aut Diſcipulos ſaltem atque fautores illorum Philoſophorum fuiſſe. Ac proinde admodum conſentaneum putavi illorum adhibere Teſtimonium, in re, cujus, quantùm ad ſummam, teſtes adeò idonei videbantur, ut qui Cabbalam ab antiquis Prophetis recepiſſent. Quanquam nolo inficias ire, quin fieri poſſit, ſive ex laſcivientia propriæ Imaginationis, ſive ex errore Judicii, * ut ſuas Ineptias ei admiſcuerint: Cujuſmodi ſunt Tranſmigratio Animarum humanarum in Bruta, perfecta Abſtinentia à Carne, ſevera adverſus voluptates corporis opprobria, Matrimonii vilificatio & ſimilia: Quod nihilo majus argumentum eſt contra præcipuum ſcopum Cabbalæ, quàm illicitæ & ſuperſtitioſæ Praxes & Opiniones quarundam Eccleſiarum in iſtiuſmodi errores lapſarum, contra ſolida Fundamenta Chriſtianitatis.

Porrò, Non Philoſophos ſolos produco, ſed, prout occaſio requirit, Patres etiam, & (quod in hac cauſa æquè validum cenſeo) Rabbinos Judæorum, quos in rebus, ubi nullum præjudicium ipſos occæcaverit, æquè idoneos atque quoſvis alios judico ad confirmandum ſenſum Cabbaliſticum, præſertim ſi ſit conſenſus ipſorum generalis, nec privata Commenta, ſed totius ſuæ Eccleſiæ mentem depromant.

Jam verò ſi quem offenderit, quòd diſcipuli Pythagoræ juraverint, uti creditur, per Præceptorem qui Myſterium Tetractyos eos docuerat, (quemadmodum in Explicatione Operis quarti diei plenius intelliges) equidem fateor meipſum haud parùm inde offendi. Cæterùm ſumma illa reverentia quam erga Pythagoram gerebant, ut Vanitatis ſignum eſt & alicujus Superſtitionis in ipſis, ità non minus argumentum eſt ſtupendæ cujuſdam Scientiæ & Sanctitatis in ipſo Pythagora, quòd extorquere ab eis poſſet tantum honorem, ſuámque memoriam apud ipſos tam ſacram reddere. Quæ profunda Scientia atque Sanctitas cum eam nactus ſit converſando cum Prophetis Judæorum, in illius Eccleſiæ gloriam ultimò tendit, & conſequenter Chriſtianæ, quæ Sanctorum illorum Oraculorum, quæ Judæis primùm peculiaria erant, facta eſt Hæres.

Illud verò, in quo Pythagoræ Sectatores peccaverint, non magis ei imputandum eſt, quàm ſuperſtitiones Mariæ Virgini exhibitæ illi vitio ſint vertendæ. Præterea, quæſtio eſſe poteſt, an in Juramento iſto Pythagorico Οὐ μὰ τ', &c. per Deum non juraverint, primum Cabbalæ Authorem Myſticæque illius Explicationis Tetractyos, hoc eſt, omnis Di- Vide Append. Defenſ. Cab. Philoſ. cap. 2. ſect. 3.

vinæ Scientiæ ac Naturalis; Qui primùm eam Adamo *tradidit, & inſtauravit poſtea confirmavitque* Moſi. *Vel ſi intelligendum eſt de* Pythagora, *cur non conſiderari poteſt tanquam Juramentum ſive Aſſeveratio Civilis, qualis erat* Joſephi *Juratio per Vitam* Pharaonis, *& Magnatum per Honorem ſuum? Quarum tamen neutram ipſe equidem probare poſſum, mihive perſuadere, merè civiles eſſe, & Religionem non adradere propéve accedere ad ſuperſtitionem Idololatricam.*

Iamblich. de vita Pythag. cap. 13.

4. *Ad miracula* Pythagoræ *quod attinet, quanquam omnia de eo memorata vera eſſe haud credo, illa tamen quæ ipſe recitavi ſatìs probabilia exiſtimo, quippe quæ dignitatem illius perſonæ minimè dedeceant: Iſta verò quæ tranſmigrationem humanarum Animarum in bruta ſupponunt, tanquam Fabulas æſtimo; & inſuſurrationem ejus in aurem Bovis ut à Fabis abſtineat, tanquam Mendacium canorum. Veruntamen Divinæ Providentiæ admodum videtur conſentaneum, ut, cùm* Pythagoras *ſanctæ* Cabbalæ *notitiam nactus eſſet, quam Deus* Adamo *impertiverat atque* Moſi, *exiſtimationem ei conciliaret apud Nationes, communicando ei facultatem edendi miracula. Nam ſic nobiles illæ & antiquæ veritates eò firmiùs radicatæ ſunt apud Philoſophos* Græciæ, *& ad hunc uſque diem fæliciter conſervatæ.*

Iamblich. de vita Pythag. cap. 28.
|| Hiſtor. Bel. & Dracon.

Nec eum Magiæ *aut ſortilegii ſuſpectum reddere poteſt, quòd per Aerem deportatus ſit, quandoquidem ipſi ſancti Prophetæ & Apoſtoli ad hunc modum deportati ſunt; ut* || Habacuc *à* Judæa *ad* Babylonem, *&* Philippus, *poſtquam Eunuchum baptizâſſet, à partibus inter* Gazam *&* Hieroſolyma *ad* Azotum. *Quantùm verò ad me, equidem facultatem edendi miracula unam è minimis Perfectionum humanarum exiſtimo, nec quicquam ad illius fælicitatem contribuere qui ea facit, vel potiùs videtur facere: Nam ſi Miracula ſunt, ipſe non facit, ſed aliqua Poteſtas aut Perſona ab eo diſtincta. Et tamen hîc Magi Sagæque magnopere ſibi complacent, in eo quòd aliquo modo iſta potentia ipſis tribuatur, admirationémque Populi ad ſe attrahant, quemadmodum manifeſtum eſt in* Simone Mago. *Cæterum luxuriari ad hunc modum & dominari in* Potentiæ Attributis *cum Principe Aeris, quid aliud eſt niſi mera Superbia vitiorum omnium quæ exiſtunt, à ratione maximè alienum, maximéque infeſtum & invidioſum? Quanta verò hîc cum ſtoliditate conjunctum ſit nimis quàm obvium eſt, quippe quum glorientur ſibique complaceant, in eo quòd aliquando id faciunt, vel potiùs patiuntur, quod Ardeæ & Anſeres & quælibet Avis ſylveſtris per ſe facere poteſt, attollere ſe nempe in ſublime, & per facilè cedentem Aerem pervolare. Viri verò boni atque pii certò nôrunt maximam voluptatem perfectionémque probæ Animæ eſſe genuinam conſummationem propriæ ſuæ naturæ in vera Sapientia atque Amore Divino. Et ſi quid miraculoſi ipſis obtingat ab ipſiſve fiat, eo fine id evenire, ut illa naturæ dignitas ac ſapientia quæ eis ineſt aliis innoteſcat, útque* Deus *indè glorificetur, cujus teſtes ſunt. Nulla verò alia fælicitatis acceſſio eis indè contingit, niſi quòd hinc meliorem nacti ſunt opportunitatem alios reddendi beatos. Quam hîc fateor* Pythagoræ *fuiſſe conditionem.*

Et nè homines propriæ ſuæ Melancholiæ & Imaginationi nimiùm indulgeant, quam vulgò appellant Inſpirationem, *Si tanta ſint Mundi Lumina quàm prætendunt, & tam ſublimia ut ad Humanæ Rationis examinationem ſe nolint demittere, valdè optandum profectò eſſet ut iſtiuſmodi viri calorem æſtúmque intra ſe coerceant ad concoquendas cruditates propriorum ſuorum conceptuum, uſque dum Miraculi authoritas eos in Lucem hominum evocaverit, atque ſic meliori jure attentionem à populo ſibi vendicare poſſint, quippe poteſtatem jam cælitùs aſſecuti aliquid nobis narrandi, quod antè ignoraverimus, nec tam ſcire poſſumus quàm credere, quum præcipuum argumentum ſit non quidem* Ratio *ſed* Miraculum.

5. *Poſtremò, quantùm ad* Novitatem *vel potiùs* Mirabilitatem *ipſarum Philoſophicarum Concluſionum, equidem maximè omnium mirandum eſſet ſi primo aſpectu non viderentur miræ admodum & Paradoxæ. Alioqui cur celandæ eſſent à vulgo, niſi quòd captum ipſorum tranſcenderent, nec ſatis attemperatæ eſſent ad eorum fidem? Sed enimvero in harum Concluſionum* Cabbaliſticarum *gratiam hoc tantùm obiter notabo, tales eas utique eſſe, ut ſi ſupponantur veræ (quod diutiùs non aſſeram quàm donec apud idoneum aliquem Philoſophum aut Theologum convictæ ſint de falſitate) nulla magni alicujus momenti difficultas ſit in Theologia aut Natura quæ per hanc Hypotheſin non facilè extricetur, cujus pars eminentiſſima eſt,* Motus Terræ & Præexiſtentia Animarum. *Prioris quarum veritatum evidentia talis eſt ut aſſenſum celeberrimorum Mathematicorum hujus ſeculi ſibi ſit lucrata: nec minor eſt Probabilitas poſterioris; quandoquidem nullus adhuc unquam extitit Philoſophus qui Animam humanam immortalem tenuit, quin eam idem tenuerit* præexiſtere.

Religio verò cùm non adeò ſolicita eſſet de exponendo ante oculos populi plenum Veritatis proſpectum, ſed tantum duntaxat, quantum neceſſarium foret ad eos in timore Dei continendos & obedientia illius legi, eis omnino contenta erat, quæ ad ſtatum Animæ poſt diſſolutionem corporis ſpectarent, ea datâ operâ celans, quæ de antecedente illius conditione concipi poſſent. Nunc verò dico, perbellum profectò privilegium eſſe Falſitatis (ſi modò hæc Hypotheſis

theſis falſa ſit) & obſervatu admodum dignum, ut meliùs cum Attributis Dei, *cum viſibilibus* Eventis Providentiæ, *cum* Phænomenis Naturæ, *cum* Ratione Humana *& cum* ipſo Textu ſacro, *ubi homines* Cabbalam Myſticam *agnoſcunt, conveniat, quàm illud quod tantopere contendunt revera eſſe verum; nempe nullum hujuſmodi* motum Terræ *eſſe* circa Solem, *nec ullam* humanarum Animarum Præexiſtentiam.

Allaboravi, quantum in me eſt, amice Lector, ut hanc meam Defenſionem *perlegere poſſis ſine ullo ſcrupulo aut offendiculo. Unum hoc mihi nunc à te expetere liceat, quod & debes profectò concedere; nempe, ut hanc meam* Defenſionem *ſine præjudicio perlegere velis, & perpetuò dum legis, ut ad aſſueta Imaginationis tuæ commenta nolis recurrere, ſed liberam tuam conſulere Rationem.* Τὸ γὰρ σύνηθες γνωριμώτερον, *quemadmodum* Ariſtoteles *ait in Metaphyſicis:* Nam conſuetudo eſt altera Natura, ac proinde ad commenta illa quibus aſſueti ſumus, quæque nobis familiaria facta ſunt, provocamus inſcientes, tanquam ſi revera naturale Mentis noſtræ Lumen eſſent, primæque illius communes Notiones. *Exemplúmque profert ſcopo quidem noſtro haud ità incongruum:* Ἡλίκην δὲ ἰσχὺν ἔχει τὸ σύνηθες οἱ νόμοι δηλοῦσιν, ἐν οἷς τὰ μυθώδη καὶ παιδαριώδη μεῖζον ἰσχύει τοῦ γινώσκειν περὶ αὐτῶν διὰ τὸ ἔθος. *Permittitur quidem Philoſopho ſuâ libertate uti in Ritualibus Legibus ac Religioſis Hiſtoriis Ethnicorum; an verò ullam Legis* Moſaicæ *notitiam habuerit, me penitus latet. Veruntamen hoc, nec ſine debita reverentia, puto me poſſe effari, Aliquid ſcilicet in dicto illo* Ariſtotelico *eſſe quod analogicè verum ſit de ipſa Hiſtoria Creationis, primáſque Impreſſiones Textûs* Literalis, *qui adeò planè ad puerorum Idiotarúmque captum accommodatus eſt, tam altas radices propter conſuetudinem, in quorundam animis egiſſe, ut illum ſenſum veriorem eſſe autument, quàm is qui Textûs ſenſus ſit revera veriſſimus. Quod certè manifeſtum eſt in perſona haud minoris dignitatis, quàm ille antiquus Eccleſiæ Pater,* Lactantium *intelligo, qui Mundum tanquam Tentorium conſiderans ſecundùm deſcriptionem in* Cabbala Literali, *admodum fortiter præſidentérque negavit* Antipodes. *Tantum contra liberum Rationis uſum in tanto viro prævaluit aſſueta Imaginatio.*

Ariſtot. Metaphyſ. lib. 2. cap. 3.

Lactant. lib. 3. Divin. Inſtitut. cap. 24.

Vide etiam Joſ. Acoſt. Hiſtor. Ind. lib. 1.

Atque hæc quidem ſunt quæ in meliorem cautionem mihi viſum eſt præfari. Reliqua Introductionem *ad* Defenſionem, *ipſámque* Defenſionis *formam ac naturam ſatis confirmaturam ſpero, apud Lectorem quemlibet ingenuum ac ſagacem.*

SCHOLIA

In Præfat. SECT. 2.

P*Oſteáque Ægyptios eaſdem Artes docuit, &c.* Τήν τε Ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται καὶ τὰ περὶ Ἀστρονομίαν παραδίδωσι, *Joſeph. Antiquit. Jadaic.* lib. 1. cap. 9.

Ut ſub Alluſionibus Nominum, &c. Hujuſce rei quamplurima occurrunt exempla in *Viſione ſeptem Eccleſiarum,* cujus *Explicationem* vide. Sed interim nimiùm propero, viri eruditiſſimi *Samuelis Andreæ* immemor SS. Theol. Doctoris & Philoſ. Profeſſoris *Herbornenſis,* qui in *Examine* ſuo *Generali Cabbalæ* meæ *Philoſophicæ* multa attulit, quorum nonnulla, potiſſima nempe quæque, notare mecum ſtatui, eiſque reſpondere; omnia enim ſi proſequerer, in nimiam molem Scholia mea excreſcere facerent. Quæ autem in hanc Sectionem ſcripſit minimè duxi prætereunda. Recurramus igitur paululum ad quæ proximè præceſſerunt:

Si conſideremus Cabbalam Creationis conſervatam fuiſſe in manibus Abrahami *ejúſque Familiæ, qui ob Scientias Mathematicas, quarum Arithmetica pars eſt neceſſaria, celebris erat,* &c. Multus eſt S. A. in confutando hanc Hiſtoricorum opinionem de peritia *Abrahami* Arithmetica. Nos verò ut magis perſpicuè methodicéque procedamus, ea primo in loco proponemus quæ ab utroque noſtrûm pro conceſſis habentur. Et certè ſatis liberaliter hoc nobis ultrò largitur *Andreades,* pag. 77. *Extra controverſiam* nempe *eſſe quòd in manibus* Abrahami *& Familiæ ejus* Cabbala *quædam fuerit ſeu* Traditio *à Patribus accepta de ortu Univerſi, Diluvio, aliiſque rebus fidem & obſequium Creatori debitum ſpectantibus, quódque is hanc doctrinam à Majoribus acceptam alios docuerit & ad poſteros tranſmiſerit.* Conſentítque cum *Maimonide* qui *More Nevoch.* part. 2. cap. 39. ſic ſcribit. *Docere ſolebat* Abraham *& per demonſtrationes ſpeculativas oſtendere, quòd Mundus habeat Deum unum ſolum, quòd is creaverit omnia alia quæ extra vel præter ipſum ſunt, & quòd non ſit ſerviendum Figuris iſtiuſmodi externis aut ulli Creaturæ.* Et ſi affirmemus cum *Joſepho,* quòd *Abrahamus Ægyptiis* Aſtronomiam & Arithmeticam tradiderit, non multùm reluctatur. Quam *Joſephi* ſententiam non ſolùm

Exam. General. p. 76, 77.

ſolùm R. *Gedaliam* ſed & *Euſebium*, *Rabanum Maurum*, & *Zonaram* approbare agnoſcit. Ut taceam *Clementem Alexandrinum*, quem *Abrahamum* ὑπόδειγμα ἐπὶ τῆς ἀριθμητικῆς, introducere ait. Quod minimè mirum eſt cùm tam apertum extaret ea
Exam General p. 74, 75. de re apud *Joſephum* Teſtimonium. Immò verò *Clementem* obſervâſſe ait, vel *Myſticum* ſive *Symbolicum* Numerorum uſum *Abrahamum* nequaquam latuiſſe, indéque factum eſſe, ſecundùm ſententiam *Clementis*, ut *Abrahamus* trecentos octodecim vernas armâſſe dicatur ad redimendum fratrem *Lot*. Φασὶ γοῦν εἶναι τοῦ μὲν κυριακοῦ σημείου τύπον, κατὰ τὸ σχῆμα, τὸ τριακοσιοστὸν στοιχεῖον, τὸ ἰῶτα καὶ τὸ ἦτα τοὔνομα σημαίνειν τὸ σωτήριον. T. 300. *Crucem nempe ſignificare*, I verò & H *duas primas literas nominis* Ἰησοῦς *innuere*. Iſtorum autem Numerorum hunc eſſe ſenſum *Myſticum* ſive *Symbolicum*, *Ambroſium*, *Eucherium*, *Rupertúmque* Abbatem *Tuitienſem* affirmâſſe, ipſúmque *Prudentium* huc tanquam ad communem Chriſtianorum, ſuâ ætate, ſententiam in iſtis verſibus,

Nos eſſe largè vernularum divites,
Si, quid trecenti bis novenis additis
Poſſint, figurâ noverimus myſticâ.

Pag. 75. (in Præfat. Pſychomach.) reſpexiſſe ipſe apertè fatetur *Andreades*. *Cleménſque* non ſuam ſolius ſed communem ſeculi ſui opinionem iſtâ voculâ φασὶν, ſatis ſubindicat. Tot ſcilicet ſuffragiis confirmari videtur, Authores citante ipſo etiam S. A. *Abrahamum* non communis ſolùm ſed & *Symbolicæ* Arithmeticæ peritum fuiſſe. Quod tamen an tam certò collegerint ex Græco Textu, (cùm *Abrahamus* Græcus non eſſet ſed Hebræus) *Clemens* aliíque ipſi viderint. Cæterùm ex ipſo Textu Linguáve Hebraica idem pro *Abrahami* peritia in Arithmetica *Symbolica* eruitur argumentum. Videtúrque pro Teſſera militari fuiſſe iſtius Vernarum Numeri electio, nempe trecentorum octodecim, quem Numerum continet nomen אליעזר, quod ſignificat, *Deus meus Adjutorium meum*. Quaſi hæc eſſet parvi illius exercitûs Teſſera militaris. Quòd verò *Bar Kappara* per ſuam *Gematriam* in *Beriſch. Rabb.* pro trecentis iſtis octodecim ſolum *Eliezerem* intelligi vult, id ſanè meritò à viro erudito, pag. 75. tanquam merum delirium exploditur. Neque enim ad ullum hominem referendum eſt nomen אליעזר numero 318. contentum, ſed ad Deum adjutorem, cujus auſpiciis ab *Abrahamo* educendus erat exercitus, ut T. I. H. ad Jeſum crucifixum, verum noſtrum *Eliezerem* ſeu *Emanuelem*, qui à ſpirituali Captivitate per crucem nos redimit. Quòd autem tam in Græco Textu quàm Hebræo uſus hic numerorum *Symbolicus* innoteſcat, & in re tanti momenti, admiratione profectò dignum eſt, nec ſine ſingulari providentia factum. Nec obſcuro denique argumento eſt, *Abrahamum* uſum numerorum *Symbolicum* ſatis calluiſſe. Sed longiùs prolapſus ſum quàm putabam.

Recurramus ad ea quæ tam facilè vel ultrò concedit S. A. *Cabbalam* fuiſſe in manibus *Abrahami* & familiæ ejus, de Mundi Creatione ſive Ortu Univerſi, hoc extra omnem controverſiam ſitum eſſe agnoſcit. Et communem quidem *Arithmeticam* & ſciviſſe Abrahamum & docuiſſe non multùm refragatur. Aſtronomum verò fuiſſe ex iſto Textu, Gen. 15. 5. ubi Deus dicitur eum ad ſtellas contemplandas eduxiſſe, evin-
Pag. 75, 76. ci poſſe non ſolùm negat, ſed & ſalsè deridet. Et fortean haud immeritò. Quippe qui, præterquam quòd id factum fuerit in viſione Prophetica, ignorantiam potiùs *Abrahami* in rebus Aſtronomicis arguere contendit, *quòd Numerus Stellarum, quæ apparent, ipſi incognitus fuerit, quem quilibet Tironum Aſtronomiæ hodie novit referre.* Haud inſcitum profectò argumentum! Et quod planè innuit, Deum in viſione Prophetica *Abrahamum* eduxiſſe ad Stellas, mentis quidem non corporis oculis aſpectandas, & non tanquam *Aſtrologum* ſed *Phyſiologum* ſatis gnarum, qui ex *vera* de Creatione Mundi *Cabbala*, quàm infinitus ferè fuerit *Stellarum*, i. e. *Solum Vorticúmque* Numerus jam olim intellexiſſet, atque hâc comparatione Deum innumeram *Abrahamo* futuram progeniem illuſtrâſſe. Porrò ex hac veriſimillimum eſt Philoſophia *Abrahamum* demonſtrâſſe, quemadmodum ait *Maimonides*, quòd Mundus habeat unum Deum ſolum, quódque is creaverit omnia quæ extra vel præter ipſum ſunt. Et certè ad convincendas gentes, quarum pleræque omnes *Solem* pro *ſupremo Numine* habuerunt, Stellas reliquas pro Diis minoribus, nulla eſt accommodatior Philoſophia, quàm ea ipſa quam nos tanquam *Moſaicam Abrahamicámve* operi quartæ diei Creatio-
Lib. 3. cap. 1 & 2. nis applicavimus. Hæc certè omnem Gentium Superſtitionem & Idololatriam uno quaſi ictu abſcindit. quemadmodum & in magno Pietatis *Myſterio* notavimus.

Attamen verò S. A. quanquam *Abrahamum Cabbalam* ſive Doctrinam de Mundi Creatione & accepiſſe & tradidiſſe concedit, nec diſſimilem fortè ei ipſi (cùm ad con-

futandos

ſutandos Atheos & Idololatras tam idonea ſit,) quam nos Textui *Moſaico* applicavimus, *ſub Numerorum tamen Symbolis à majoribus fuiſſe acceptam, vel ab ipſo Abrahamo, quippe inſigni Mathematico, eiſdem involutam, & ſic poſteris traditam & ad* Moſen *delatam, nequaquam* cenſet admittendum, *ut quod omni ratione careat.* Quid ità obſecro, mi *Andreade!* Abrahami *tempore Arithmetica non extabat, cujus Inventorem* Pythagoram Freculphus *Epiſcopus* Lexovienſis *conſtituit*, Plato *in* Phædro Θεῦθ *Deum* Ægyptium, Hermetem *nempe* Triſmegiſtum, *quem viri docti aut* Moſen, *aut* Joſephum *Patriarcham, quæ probabilior opinio eſt, fuiſſe contendunt. Quos omnes Abrahamo poſteriores fuiſſe in confeſſo eſt.* At verò *Joſephum* Patriarcham *Abrahami* pronepotem fuiſſe ſatìs conſtat, & ſuprà ex *Joſepho* conceſſiſti *Abrahamum* non ſolùm calluiſſe *Arithmeticam,* ſed & alios eam docuiſſe. Ità eruditum *Andreaden* ex animo nimis obſtinato & infenſo adversùs veritatem malè ſibi conſtare videmus, andruantem & redandruantem ac præ nimio ardore & levitate juvenili, quo loco ſtaret, neſcientem. *Abrahamum* vel Symbolicæ Arithmeticæ peritum fuiſſe ex numero Vernarum illiúſque ſignificatione ſatìs ſuprà conſtabat. Et concedit tandem *Andreades,* ſed non eſſe credibile eum Creationis *Cabbalam* numerorum ſymbolis abſcondere voluiſſe, quamvìs iſtam artem noverit, *cùm res adeò inſolens ſit ut nuſquam in ſacris Literis, ſi unicum Numerum Beſtiæ excipias, illius occurrat exemplum, nec ullus bonus ſit Numerorum hujuſmodi Symbolicorum uſus.*

Sed ad prius breviter reſpondeo, Inſcitiam ſuam prodere aut egregiam oſcitantiam S. A. dum ſic ſtatuit, (quemadmodum & *Danæus*, qui ad ſenſum *Chronologicum* iſtum Numerum inflectere conatur, qui proculdubio eſt *Symbolicus.*) Nam in proximo Capite, nempe Apoc. 14. Numerum 144. Chiliadum *Numericè* interpretari & non *Symbolicè*, admodum abſurdum eſſet ac puerile. Ex radice enim Numeri 144. ſenſus *Symbolicus* apertè intelligitur. Multáque alia ſunt, in Apocalypſi prætertim, horum Numerorum *Symbolicorum* exempla, ut in *mille* Annis Regni Chriſti, In *ſeptem millibus* Nominum occiſorum, Apoc. 11. 13. In *tertia* parte Arborum, Fluminum, Maris, &c. Apoc. 8. 7. Vox hæc numeralis [Tertia] decies ad minimum iſtoc in Capite, *Symbolicè* uſurpatur, ut & Numerus *Duodenarius*, cap. 21. ſepties ſaltem octiéſve. Ut taceam Numerum 144. illîc iterum occurrere *Symbolicè* intelligendum. Hæc ſufficere debent, quanquam & alia multa poſſint ſuperaddi. Temeraria autem illa Numeri Beſtiæ Interpretatio ad ſenſum Chronologicum (quam ego ſemper non ſine aliqua animi indignatione rejeci, nunquam autem cum majori, quàm apud amicos quoſdam me ea de re ſciſcitantes anno uno aut altero ante Urbis *Londini* incendium quod contigit A. D. *1666.*) funeſtiſſimo argumento jam confutata eſt, ut deſinere tandem diſcant homines imperiti & leves in Prophetiis interpretandis ineptire.

Ad poſterius quod attinet, de uſu Numerorum *Symbolicorum*, (quos uſus alii fingunt ipſi defendant) Ego duos omnino uſus eorum præcipuos maximéque conſpicuos noto, unum, ut per eos ſatìs certa ſit abſtruſiſſimarum maximéque ſublimium Veritatum Revelatio ac Traditio; alterum, ut iſta Traditio non quibuſlibet aut perſonis aut temporibus pateat, ſed idoneis & opportunis. Hinc abſtruſiſſima Creationis Myſteria, cùm vulgarem excedant captum atque fidem, Hiſtoria illius per Numeros *Symbolicos* ſic narratur ut vulgus habeant quod Pietatem & Religionem in ipſis alat, ut intelligant utique quod veriſſimum eſt, Deum hujus viſibilis Mundi eſſe Creatorem, omnéſque cauſas ſecundas ab illius nutu pendere; & certa interim derivetur *Cabbala* apud ſapientes, *Mundi* hujus viſibilis *ſyſtema* longè aliud repræſentans quàm vulgo videtur, Illius ſcilicet ambitum nubibus non terminari, nec Stellas nubibus eſſe conterminas, Terram motu annuo ac diurno, non Solem Stelláſque fixas moveri, In Planetarum medio Solem non Terram collocari, &c. Per Numerorum, inquam, *Symbolicorum* intelligentiam hæc Philoſophica Creationis *Cabbala* æquè certò apud eos, qui capaces ſunt, tranſmittitur, atque ipſa *Cabbala Literalis.* Quemadmodum videre eſt ex uno illo exemplo Numeri *Quaternarii* (ut alios miſſos faciam) qui ad opus quarti Diei pertinet. Cùm enim *Tetractys* ſive *Quaternarius* ſuâ vi *Symbolicâ*, totum Univerſum repræſentet, quippe qui poteſtate Denarium (qui cùm omnes Numeros contineat, Univerſi Symbolum eſt) complectitur, hinc intellexerunt Sapientes & Arithmeticæ *Symbolicæ* gnari, quanquam in *Litera*, Dies quarta partem tantùm Creationis, *Solem* nempe & *Lunam* reliquáſque *Stellas* commemorare videatur, reverà tamen eam *verum* repræſentare totius Univerſi *Syſtema*; Terrámque ipſam, utpote unum è Luminaribus minoris dignitatis, ſive Planetis, inter reliqua Luminaria creatam. Unde ſequitur, moveri etiam circa Solem, Stellarúmque aliarum perinde atque Solis vortices in principio vi *Divini Verbi* factos eſſe, &c. Atque hinc quarti diei enarrationem, *veri Syſtematis Mundani* totiúſque Naturæ ſive rerum Univerſitatis genuinam explicationem continuiſſe. Quam ob cauſam *Tetractys* meritò à *Pythagoreis* vocatur Κλειδοῦχος τῆς φύσεως, quippe quæ clavem gerebat quâ *rerum Naturæ Syſtema verum* ſapientibus aperiretur. Quæ cùm tam mira Naturæ *Myſteria* complecteretur, minimè mirandum eſt in Juramenti formam apud *Pythagoreos* abiiſſe,

> -------- Νὴ τὸν παραδόντα τετρακτὺν,
> Παγὰν ἀενάου φύσεως, ῥίζωμά τ' ἔχουσαν.

Qua de re plura poſtea, cùm ad illam hujus Juramenti explicationem pervenerimus, quam ex aliis viris doctis in hujus, quam hîc innuo, locum, ſubſtituere vult S. A. Interim eum velim advertere, quàm omnia nobis ex voto cedant: *Abrahamum* Creationis *Cabbalam* recepiſſe, non ſolùm *Arithmeticam*, ſed *Symbolicam* Arithmeticam calluiſſe, immo & eâ uſum eſſe in Vernarum Numero ſeligendo. Eundem egregium *Phyſiologum* fuiſſe, eámque ſciviſſe Phyſiologiam quæ ad ſubvertendum Polytheiſmum, & Idololatriam Gentium, quæ Solem tanquam ſummum Numen colebant, maximè eſſet idonea. Et talem denique eſſe quæ per vim *Symbolicam* Numeri Quaternarii Operi diei quarti aptè à nobis applicetur, quæque tutò ac certò apud Sapientes per Arithmeticæ *Symbolicæ* peritiam poſſit tranſmitti aut ſaltem conſervari, quamdiu Hiſtoria *Literalis* maneat. Quid igitur reliquum eſt quàm ut concludamus rem ita planè ſe habere quemadmodum nos ſtatuimus?

Et certè tandem iſta omnia de *Abrahamo* largiri videtur *Andreades*. Sed hanc poſtremò difficultatem movet, Quanquam ſcilicet *Abrahamus*, inſignis Mathematicus, Hiſtoriam Creationis Numerorum Myſteriis involutam tradidit poſteritati, *non tamen probabile eſſe* Moſen, *qualem à Majoribus acceperat, in literas retuliſſe. Quippe quòd, quæ is ſcripſit,* θεοπαράδοτα *fuerunt, non* πατροπαράδοτα, *alioqui divinitati narrationum ejus non parum derogaret.* Sed breviter reſpondeo: Quæ ſcripſit & πατροπαράδοτα eſſe poſſe & ſimul θεοπαράδοτα, nempe ea à Deo primitus tradita & in manibus poſtea Familiæ Dei cuſtodita, poſteritati per ſingula ſecula ad *Moſen* uſque potuiſſe tranſmitti, & confirmari denuò pleniúſque illuſtrari in colloquiis ſuis cum Deo facie ad faciem, in monte *Sinai*. Tam parum derogatur divinitati Narrationum ejus quantùm ad Myſteria Creationis. Ut omittam, cùm jam conceſſum ſit, *Abrahamum* Creationis *Cabbalam* Numeris *ſymbolicis* involviſſe; cúmque ſit manifeſtum ipſos Numeros dierum Creationis vim habere *Symbolicam*, talémque quæ Phyſiologiæ *Abrahamicæ* apprimè conveniat; valdè torpidæ & imperitæ incredulitatis videri, ſi quis magnopere dubitet an hæc illa ipſa *Cabbala* ſit, quæ olim tradita ſit *Abrahamo*, quámque *Abrahamus* poſteris ſuis tradiderit. Sic ex omnibus difficultatibus circa hanc rem quas copioſa & inundans *Andreadæ* eruditio nobis offudit, quibúſque nos obruere voluit, tuti tandem eluctati ſumus, & quaſi enatavimus incolumes.

Unicum hoc eminens exemplum proferre contentus ero, Numerum ſcilicet Beſtiæ 666. Hunc in locum ſic ſcribit *Andreades*, pag. 81. *Auſim aſſerere*, inquit, *nullum dari in tota Scriptura exemplum*, ubi Numerus (*extra reſpectum* Typicum (e. g. *in* Jonæ *triduo*, Matth. 12. 40. *ſignificante* triduum *mortis Chriſti*) *&* Chronologicum) *ad perſonam aut rem ſignificandam adhibeatur.* Quàm autem temerè hoc dixerit videre eſt ex ſuprà allatis, ubi viginti plùs minùs exempla produxi, poſſímque plura ſi opus eſſet ſuperaddere. Reliqua quæ in hunc locum adhibet, inepti cujuſdam ſunt apud veteres Patres, & affectati Numerorum Symbolicorum abuſûs exempla. Ad quæ hoc tantùm reſpondeo, quanto ineptiùs illi in *Myſtico* Numerorum uſu verſati ſunt, tanto credibilius eſſe, traditionem de Numerorum uſu *Myſtico* & *Symbolico* eſſe firmam & ſolidam in genere. Alioqui, cùm ipſi eas ad res adeò inhabili eſſent & infœlici ingenio, haud tantopere iſti ſtudio indulſiſſent. Quid autem hæc faciant contra cautum caſtúmque Numerorum *Myſticorum* uſum, qualem noſtrum eſſe contendo, equidem non video.

Sect. 3. *Ut ſuas ineptias ei admiſcuerint.* Hinc conſequi ait S. A. *Omne illud à converſatione iſtorum Philoſophorum cum* Ægyptiis *aut* Judæis *petitum argumentum infirmum eſſe pro veritate hujus* Cabbalæ *ſtabilienda.* Reſpondeo autem me *Andreaden* obſervare in ſuo *Examine* eâdem ferè ſemper errare chordâ, & aut datâ operâ aut inficienter, vim ac nervos noſtræ *Cabbalæ* ejúſque Defenſionis, prætervolare. Neque enim in hoc conſiſtit vis meæ Interpretationis, quod pag. 71. S. A. tanquam meum convellit; viz. Plato *&* Pythagoras *quædam immo multa & præcipua a* Moſe *&* Judæis *hauſerunt. Iidem hæc & hæc quoque tradiderunt. Ergo* Moſaica *ſunt, quibus ſententia*

Moſis *tutò exponi poteſt.* Equidem abſurda hæc eſt mancáque Ratiocinatio, quam feſtiviter ac lepidè Theologiæ juvenis Profeſſor ex proprio cerebro per deridiculum efformat. Dum verò agnoſcit S. A. *Platonem* ac *Pythagoram* multa eáque præclara à *Moſe Judæiſque* accepiſſe, (quamvìs nugas poſtea & quiſquilias admiſcere potuerint,) cúmque præclara illa dogmata, quæ *Pythagoram Platonémque* tenuiſſe conſtat, manifeſtum ſit, mirificâ congruitate tum *Rerum* tum *Numerorum* cum Textu *Moſaico Myſticè* expoſito, conſentire, indè quidem, nec temerè profectò, concludimus, ea ipſa dogmata ſive *Platonica* ſive *Pythagorica*, quæ tanti momenti ſunt, quæque tam aptè congruentérque Textui *Moſaico* applicari poſſunt, fuiſſe primitùs *Moſaica*, & à *Moſis* ſucceſſoribus ad *Græcos* fuiſſe derivata.

INTRODUCTIO
AD
DEFENSIONEM.

---

1. *Error* Diodori *circa* Moſen *aliòſque Legiſlatores qui profeſſi ſunt ſe Leges ſuas ab aliquo Deo bonòve Genio accepiſſe.* 2. *Rationes cur* Moſes *Hiſtoriam inceperit cum Creatione Mundi.* 3. *Sol & Luna iidem qui* Oſiris *&* Iſis Ægyptiorum, *undéque factum ſit ut pro Diis colerentur.* 4. *Mortalium Hominum* Apotheoſis, *quales erant* Bacchus *&* Ceres, *quomodo primùm in mundum ſit introducta.* 5. *Literam Scripturæ in rebus Philoſophicis utplurimum loqui ſecundùm Senſum & Imaginationem Vulgi.* 6. *Senſum eſſe Philoſophicum in tribus primis capitibus* Geneſeos *latentem.* 7. *Senſum verò* Moralem *eſſe ſive* Myſticum *non ſolùm in illis tribus capitibus, ſed in multis aliis locis Scripturæ.*

1. NE nimis prolixo Prologo in rem quæ præ manibus eſt circa Authorem hùjus Libri Geneſeòs, *Moſen* ſcilicet, diutiùs quàm par ſit vos detineam, eum conſiderabo potiſſimùm quoad publicas animi dotes, quarum ratione vel primo intuitu mirabilis apparebit, quatenus utique *Politicus* ſive *Legiſlator.* Qua in re peritia ejus tanta erat ut etiam ſecundùm ſententiam Scriptorum Ethnicorum præ reliquis longè eminuerit. *Diodorus* in capite Catalogi celeberrimorum Legiſlatorum eum collocavit * ſub nomine Μνεύης, niſi quid fortè ea in re erraverit *Juſtinus Martyr* : vel ſi lapſus ſit, eis tamen accenſetur, qui omnium optimi habiti ſunt, ad agmen claudendum reſervatus eorum qui ſuas leges nominârunt Divinas ſeſéque Internuncios fecerunt Deum inter atque Populum. *Mneves* hic ſuas leges dicitur accepiſſe à *Mercurio*, ut *Minos* à *Jove*, *Lycurgus* ab *Apolline*, *Zathrauſtes* ἀπ᾽ ἀγαθοῦ δαίμονος *à bono ſuo Genio*, *Zamolxis* à *Veſta*, & *Moſes* ab *Jao*, hoc eſt, *Jehovah.* Παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεόν. Sed loquitur ut merus Hiſtoricus hac in re. Γεροσποιήσασθαι vox eſt quâ audacter abutitur ad cunctorum authoritates promiſcuè diminuendas. Ait enim finxiſſe, ſe leges ab illis Numinibus accepiſſe ; additque inſuper rationem, ſed tanquam purus putus *Politicus* incredulúſve Philoſophus. Εἴτε θαυμαστὴν καὶ θείαν ὅλως ἔννοιαν κρίναντας τὴν μέλλουσαν ὠφελήσειν ἀνθρώπων πλῆθος· εἴτε καὶ πρὸς τὴν ὑπεροχὴν καὶ δύναμιν τῶν εὑρεῖν λεγομένων τοὺς νόμους, ἀποβλέψαντα τὸν ὄχλον, μᾶλλον ὑπακούσεσθαι, διαλαβόντας. *Sive ſit*, inquit ille, *quòd mirabile planéque Divinum Inſtitutum judicarent, quod in utilitatem Multitudinis ſit redundaturum ; ſive populum hoc pacto arbitrarentur poteſtatem ac ſupereminentiam Legiſlatorum ſuorum conſiderantes, legibus ſuis eò magìs fore morigeros.* Dictum illud in Scholis, non magìs tritum eſt quàm verum, *Quicquid recipitur recipitur ad modum recipientis* ; vel, Unumquodque, prout accipitur, ità eſt aut ſaltem ità eſſe apparet. Propriarum quidem noſtrarum naturarum Tinctura rerum omnium apparentias inficit. Adeò ut minimè mirer *Diodorum Siculum*, hominem ingenio merè *Politico* (ut manifeſtum quidem eſt quanta ſit inter Hiſtoriam & Politicen affinitas) Receptionem Legum ab aliquo Numine, prudentem potiùs fraudem, dolúmve Politicum quàm rem reverà geſtam exiſtimâſſe.

Cæterùm ut *Diodorum* relinquamus ſuo Ethniciſmo & Incredulitati, quod ad nos attinet, qui Scripturis credere debemus, niſi authoritati Textûs Græci contradicere velimus, non ſolùm certò perſuaſi erimus quòd *Moſes* ſuas Leges ab ore Divino acceperit, ſed dabuntur etiam aliquæ invitatiunculæ ad credendum conſimile quiddam aliis Legiſlatoribus obtigiſſe, Deut. 32. Ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, &c. *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei, Jacob verò pars Jehovæ erat*, hoc eſt *Jao*, &c. Adeò ut haud ità veri diſſimile ſit, quin, quemadmodum magnus Angelus Fœderis (quem *Philo* τῶν ἀγγέλων πρεσβύτατον, τὸν ἀρχάγγελον, λόγον, ἀρχὴν, ὄνομα θεοῦ, hoc eſt, *Angelorum Principem, Archangelum, Verbum, Principium, Dei nomen, quod* Jehovah *eſt*, appellat) ſuo populo Leges tulit, ità aliarum Gentium Angeli Tutelares, Inſtitutores Monitoréſve eorum eſſe poſſent quos Legiſlatores ſuo populo eſſent conſtituturi. Quanquam procedente tempore, Nationes quæ primitùs ſub bonorum Angelorum Regimine erant, per nequitiam ſuam & contumaciam poteſtati ac deluſioni iſtorum ἀπατεώνων δαιμόνων, qui vocantur, fallacium iſtorum ac Tyrannicorum Dæmonum, obnoxios ſeipſos reddere potuerunt. Cæterùm hæc digreſſio omnino eſt. Quod ſubindicaturus eram, hoc breviter eſt: *Moſen*, magnum illum *Judæorum* Legiſlatorem, Hominem fuiſſe à Deo ipſo ad omnem Prudentiam verámque Politicen inſtructum. Unde non dubito, modò diligenter inveſtigare velimus, quin in locis ferè omnibus univerſi Pentateuchi perfectiſſimæ ſinceriſſimæque Politicæ veſtigia ſimus inventuri.

2. Atque hîc in ipſo introitu ſeipſam oblatura eſt conſpectui noſtro. Ubi *Moſes* talem ſe præbet, qualem nobilis ille *Platonis* Genius omnes Rerum-publicarum Gubernatores eſſe exoptat. Qui in Epiſtola ſua ad *Dionem* & amicos ſuos prædixit, nunquam fore ut Genus humanum miſerum eſſe deſinat, donec aut veri legitimíque Philoſophi in Rebus-publicis imperent, aut ii qui imperant ad veræ ſolidæque Philoſophiæ ſtudium animos adjungant. Et quidnam aliud eſt *Bereſhith Moſaicum* niſi pulchra ad eam rem invitatio, quippe quod totam Naturæ ſaltem fabricam conſpicuámque Mundi viſibilis ſupellectilem complectitur? Tanquam ſi ad totum Creationis Dei cœtum vocémque magni Univerſi provocare auſit, ſi illa quæ populo, cui eum Deus præfecerat, propoſuerit, juſta non ſunt atque vera, quíque juxta ea præcepta vixerint, *Coſmopolitas ſeipſos non præſtituri ſunt ſive veros Mundi Cives fideleſque ſubditos Dei atque Naturæ*. Ipſius *Philonis* interpretatio eſt in hunc locum. Quæ quàm vera ſit in *Moſe velato* nolo hîc diſputare. Veriſſimum verò eſſe in *Moſe revelato* Chriſto Domino noſtro, verum eſt citra omnem diſputationem aut controverſiam. Sed ad *Moſen* redeo.

Altera Ratio, haud minoris momenti, cur ſanctus ille ſapienſque Legiſlator *Moſes* à Mundi Creatione orſus ſit, hæc eſt. Leges & Statuta quæ ille dedit *Iſraelitis*, ab eo data ſunt tanquam θεοπαράδοτα, tanquam *inſtituta à Deo accepta*. Ac proinde fortiſſimum argumentum incitamentúmve ad Obedientiam ab hoc primo petendum erat ſupremóque Legiſlatore, à Deo nempe ipſo, magno illo *Jehovah*, cujus *Sapientia, Potentia* atque *Bonitas* meliùs deſcribi non poterat, quàm aſſcribendo ei totius Mundi viſibilis Creationem. Ut propter *Potentiam* ſuam eum timere poſſent, admirari propter *Sapientiam*, & poſtremò, propter ſuam *Bonitatem* amare, adorare Deúmque ſuum agnoſcere: ut, quemadmodum revera in ſeipſo eſt Deus Altiſſimus, ità à Populo pro tali coleretur.

Etenim certè nihil eſt, quod tantopere conciliat, immò rapit captivóſve abducit animos miſellorum mortalium, quàm *Bonitas* ac *Munificentia*; quippe quum omnes tanto affectu ſeipſos proſequantur, maximéque omnium, viliſſima Ingenia atque abjectiſſima, quorum animæ tantum abeſt ut paulò evectiores ſint & à ſeipſis relaxatiores, ut impotenter impetuoſéque ſuis charis corporibus acclinent atque adhæreant. Atque hinc factum eſt, ut, ex vivido voluptatum illius atque commodorum guſtu ac ſapore, non dubitaverint eos pro Diis colere, qui ſive induſtriâ ſuâ ſive caſu quicquam produxerint, quod felicitati ſolaminíque corporis adaugendo poſſet inſervire.

3. Hinc factum eſt ut *Sol* & *Luna* pro duobus primis Numinibus ab Idololatrica Antiquitate habiti ſint, nempe ob illud bonum ſenſibile quod famelicis Mortalibus contulerunt; Alterâ eorum, terram humidâ ſuâ Influentiâ irrigante; Altero fruges Soli maturante calidis ſuis radiis, omnéſque Mundi viſibilis Theſauros abſconditos illuſtri ſuo reditu quotidie aperiente, Viſúmque varietatibus Objectorum Naturæ demulcente, totúmque corpus exhilarante grato ſuo calore. Hiſce quidem, tanquam Benefactoribus humani generis maximè conſpicuis Nomen θεὸς datum eſt, παρὰ τοῦ θέειν, quoniam obſervaverant putatitia hæc Numina in perpetuo fuiſſe motu.

Hi duo, *Ægyptiorum Oſiris* ſunt atque *Iſis*, aliíque quinque eis ſuperadditi ſunt tanquam ſenſibiles Benefactores, ſed hiſce duobus ſubordinati ab eiſque dependentes. Et ſecundùm *vulgarem* loquendi formulam, hi ſunt, *Ignis, Spiritus, Humiditas, Siccitas*, & *Aer*; juxta verò Titulos ſuos *Divinos, Vulcanus, Jupiter, Oceanus, Ceres*,

&

& *Minerva.* Hi ſunt οἱ ἀΐδιον γένεσιν ἔχοντες θεοὶ, quemadmodum loquitur *Diodorus.* *Bibliothec. Hiſtor. lib. 1. p. 8.*

4. Cæterùm poſtea, Homines etiam mortales, in Deorum immortalium numerum relati ſunt, διὰ τὴν σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν, propter *prudentiam eorum ac beneficentiam*, quemadmodum copioſè videre eſt apud *Diodorum Siculum.* Duos tantummodo, exempli cauſâ, nominabo, *Bacchum* & *Cererem*, alterum Vini ac Cerviſiæ Inventorem, alteram Frumenti. Adeò ut ſumma rei reſolvi poſſit in pecorinum iſtum Aphoriſmum,

Τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ οἶμαι θεόν.

Id quod gratificari potuit degeneranti jam humano generi voluptatémque eis corpoream conciliare, (quippe qui Divinam Imaginem in animabus ſuis perdiderant, meráque pecora quodammodo evaſerant) id ſcilicet ab ipſis pro Deo reputandum erat.

Quamobrem neceſſe habuit *Moſes*, quandoquidem cum tam terrenis Ingeniis res ipſi erat, filiis *Senſûs* ac *Corporeitatis*, *Jehovam* eis proponere tanquam ſenſibilis hujus corporeíque Mundi opificem, ut quicquid dulcedinis ex illius varietatibus hauſerint, illi attribuere poſſent tanquam primo Fonti & Authori, ſine quo nec ipſi nec quicquam aliud fuiſſet extiturum; ut indè excitari poſſent ad laudandum nomen ejus & ad obtemperandum juſſis per ſervum ſuum *Moſen* revelatis. Atque hæc vera ſolidáque *Prudentia* erat, ad nihil aliud collimans, præter gloriam Dei, & miſelli imperitíque populi Bonum.

5. Atque huic quidem *Prudentiæ*, modus deſcribendi Creationem, ſuam originem acceptam refert, quòd nempe tam accommodatè ad captum vulgi *Moſes* eam deſcripſerit. Quippe qui de rebus loquitur, non quidem ſecundùm ipſam *Eſſentiam*, realémque *Naturam* earum, ſed ſecundùm illarum *Apparentiam* nobis; nec ſublimes intricatáſque quæſtiones movet, ex argumentíſque ſubtilibus eas concludit, ſed familiariter & condeſcendenter Creationem exponit, ſecundùm maximè faciles atque obvios conceptus quos ipſi formaverint eis de rebus quas in Mundo vidiſſent: etiam res craſſiores, quæ in Terræ viſceribus latebant, omittens, ut Metalla, Mineralia & ſimilia, perinde atque res illas, quæ omninò non cadunt ſub ſenſum, cujuſmodi ſunt Subſtantiæ illæ Immateriales, Angeli, ſive Intelligentiæ. Tam aptè Sapientia Bonitáſque Divina ad anguſtum tardúmque vulgi ſenſum, externum Scripturæ corticem accommodavit.

Nec tamen indè ſequitur Narrationem non eſſe veram, quòd ſecundùm rerum ſenſui obviæque Imaginationi Apparentiam facta ſit. Eſt enim etiam *Veritas Apparentiæ*, ſecundùm quam Scriptura utplurimum loquitur in rebus Philoſophicis.

Eſtque Poſitio hæc *Clavis præcipua*, (meo quidem judicio, ſperóque me manifeſtò mox probaturum) quâ *Bereſhith Moſaicum*, ſecundùm externum & Literalem ſenſum, ſine omni difficultate partiúmque inter ſe repugnantia poſſit intelligi.

Dico igitur, primùm, in confeſſo eſſe apud doctos *Hebræorum*, qui Regulam conſtituunt in multis Scripturæ locis intelligendis, Quòd *loquitur Lex juxta linguam humanam.* R. *Maimonid. More Nevoch.* part. 1. cap. 26.

Et ſecundò (quod rem quæ præ manibus eſt propiùs attinget) oſtendam in quibuſdam locis neceſſe eſſe ut ſic intelligantur.

Gen. 19. 23. *Sol egreſſus eſt ſuper Terram, cùm* Lot *pervenit* Zoar. Quod planè innuit ſub Terra antea fuiſſe. Quod verum eſt tantummodo ſecundùm Senſum, vulgarémve Imaginationem.

Deuteronom. 30. v. 4. קצה השמים ſive ἄκρον τοῦ οὐρανοῦ, Terram innuit certis limitibus clauſam, tanquam ſi revera *Herculis* Columnæ eſſent, ſive, Non plus ultrà: Quemadmodum manifeſtum eſſe poteſt eis, qui naturalem ſignificationem vocis קצה & ἄκρον intelligunt. Iſta enim vocabula Terram cæruleo cœlo limitatam, Cœlúmque limitatum Horizonte Terræ planè ſupponunt, quippe qûum mutuò ſe tangant: Quod verum eſt ſolummodo quoad *Senſum* & *Apparentiam*, quemadmodum quivis, qui non ſit merus Idiota, ultro fatebitur.

Eccleſiaſtic. 27. v. 12. *Oratio hominis pii, perpetua eſt Sapientia, ſtultus autem inſtar Lunæ variat.* Hoc intelligendum eſt quoad Senſum & *Apparentiam.* Nam ſi ſtultus non magis variat, quàm revera Luna facit, Sapiens profectò eſt homóque omnibus numeris abſolutus, *ſemper idem*, quamvìs ad aſpectum vulgi variare videatur. Nam Hemiſphærium ſaltem Lunæ ſemper illuminatur, ídque tum maximè cùm minimè omnium nobis apparet.

Huc etiam referri poteſt illud 2 Paralipom. 4. v. 2. *Fecit quoque Mare fuſile, decem cubitorum à labro ejus uſque ad labrum ejus, rotundum in circuitu, & quinque cubitorum altitudo ejus: Lineáque triginta cubitorum ambiebat illud per circuitum.* Id quod planè impoſſibile eſt, ut Diameter ſit decem Cubitorum & circumferentia tamen tantùm triginta. Viſum autem eſt hîc Spiritui ſancto ſecundùm communem uſum opinionémque hominum loqui, non autem ſecundùm demonſtrationis *Archimedeæ* ſubtilitatem.

Rurſus, Pſalm. 19. *In eis Soli poſuit tabernaculum, & ipſe tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo, gaudet ut gigas ad currendam viam.* Hoc, quemadmodum & ipſe *Johannes Calvinus* obſervat, dictum eſt ſecundùm rudem ſenſum vulgi, quem fruſtrà *David* conaturus fuiſſet Aſtronomiæ Myſteria edocere. Ac proinde nullam mentionem facit curſûs Solis ſub Nocturno Hemiſphærio.

Hiſce adde Joſu. 10. v. 12. *Sol in* Gibeon *conſiſte, & Luna in valle* Ajalon. Ubi manifeſtum eſt *Joſuam* loqui, non quidem ſecundùm *veritatem* rerum Aſtronomicam, ſed ſecundùm Senſum & *Apparentiam.* Solem enim ſuppone Lunámque, quàm poteſt commodiſſimè collocatam, modò curſum ſuum naturalem non relinquant, tantum abeſſet tamen ut una ſuper *Ajalon,* alter ſuper *Gibeon* conſiſteret, ut reverà multis centenis milliaribus diſtantes forent ab iſtis locis. Et ſi Sol & Luna ultra Æquatorem eſſent, diſtantia ad aliquot millena Milliaria aſſurgeret.

Poſtremò, (& quo quidem nihil notatu magìs dignum eſt) *Litera* Scripturæ Mundi ambitum ultra nubes aut præter propter, non extendit, ſed eis limitibus claudit, quemadmodum manifeſtum eſt.

Primò, Quoniam Nubes fiunt Habitaculum Dei, unde eas ſupponere debemus in loco altiſſimo poſitas. Illîc habitat, currit, equitat & ambulat. *Qui ambulat ſuper pennas ventorum,* Pſalm. 104. *Qui contignat aquis ſuperiora ſua, qui nubes facit currum ſuum ambulátque ſuper alas Ventorum.* Contignat aquis ſuperiora ſua, nempe Aquis ſupernis quæ ſunt Nubes. Omnipotentis igitur ædes ſecundùm *Literam* collocantur in Nubibus.

Illîc ferè eſt etiam ubi campum habet ad exercitium, & bellum. Deuter. 33. v.26. *Non eſt ſicut Deus* Jeſhurun, *inequitans cælo in auxilium tui, & magnificentiâ ſuâ, nubibus*; hoc eſt, Nubibus ſuperioribus, quemadmodum *Buxtorfius* interpretatur. Et certè quid poteſt שחקים in locis ſupernis propriè ſignificare, niſi Nubes? Nam hîc infrà in terra pulverem ſignificat tenuiſſimum. Nubes autem ſunt ad inſtar pulveris cœlorum. Atque hoc pulchrè convenit cum illo Prophetæ *Nahum,* cap. 1. v. 3. *Jehovæ in tempeſtate & turbine eſt via ejus, & nubes pulvis pedum ejus.* Hîc currit æquè velociter atque Turbo, pulverémque nubium circa ſe excitat.

Equitantem rurſus invenies, Pſalm. 68. 4. ídque in Triumpho, & tamen non niſi ſuper Nubes, (conſimiliter illi in Deut.) *Cantate Deo, pſallite nomini ejus, exaltate eum qui equitat ſuper cælos, in* Jah *nomen ejus, & exultate coram eo.* Qui equitat ſuper cœlos, Textus Hebraicus habet לריכב בערבות Quod ego cum bona venia R. *Aben-Ezræ* ſic reddere non dubito, Qui equitat ſuper nubes. Nam Nubes caliginem creant. Radíxque unde ערבות originem ducit, eſt ערב quod ſignificat obtenebrari, obſcurari. Quod autem ad rationem attinet cui hujus Rabini Interpretatio innititur, ea ex verſu 33. hujus Pſalmi 68. deſumitur. *Equitanti ſuper cælos cælorum antiquitatis.* At verò ſi porrò pergimus, inveniemus iſtos cœlos cœlorum, quemadmodum veriſimillimum eſt, altiùs non pertingere quàm ad nubes. Perlegamus enim totum verſum ſimul. *Equitanti ſuper cælos cælorum antiquitatis; Ecce edit in voce ſua vocem fortitudinis:* Quid iſtud aliud eſt niſi Tonitruum? Et unde Tonitruum niſi è Nubibus? Verſus ſubſequens rem extra controverſiam ponit. *Date fortitudinem Deo, ſuper Iſrael magnificentia ejus, & fortitudo ejus in Nubibus:* Quod eximiè quidem confirmat, Cœlum, ſecundùm Literam *Moſis* & *Davidis* etiam, non niſi ad Nubium ferè altitudinem extendi. Nam hîc cœlum cœlorum ſedes dicitur Tonitrui, Deíque fortitudo ac potentia eſſe in Nubibus. Nec iſta hujus altitudinis deſcriptio, nempe *cælum cælorum antiquitatis,* ullam altiorem implicat diſtantiam. Etenim cùm totum Firmamentum ab aquis inferioribus ad ſuperiores Cœlum appellatur, non eſt omnino à ratione alienum, ut ſuprema pars hujus Cœli ſive Firmamenti, Cœlum cœlorum appelletur. Atque hoc quidem primum argumentum eſt, ad probandum, Cœlum ſive Firmamentum non niſi à mari ad nubes extendi, ſecundùm externam phraſin Scripturæ, nempe, quia Dei ſedes altiori loco non eſt ſita.

Secundum argumentum ab Exegetica Cœlorum Nubiúmque conjunctione ad rem valde altam (cujus altitudo tanta ſit, quanta verbis exprimi poteſt) illuſtrandam, deſumitur. Hoc autem ſæpe occurrit apud Pſalmiſtam, Pſalm. 36. 5. *Jehova uſque* *ad cælos miſericordia tua, veritas tua uſque ad nubes.* Et Pſalm. 57. 10. *Quoniam magna eſt uſque ad cælos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua.* Et Pſalm. 108. *Quia magna eſt ſupra cælos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua.* Ubi *Cælum* & *Nubes* unam eandémque altitudinem illuſtrant, eámque immenſam, Miſericordiam ſcilicet & Veritatem Dei.

Ultimum argumentum ex eo petitur quòd Pſalmiſta Solem בשחק in nubibus ſive Cœlo nubiloſo collocat. Vox enim neceſſariò ità ſignificat, quemadmodum ſuprà probavi, porróque poſſim confirmare ex Etymologia vocis. Nam שחק ſignificat *comminuere, contundere,* vel *contundendo ad pulverem redigere.* Et quid aliud ſunt Nubes niſi cœlorum pulvis, ſi fas ſit ità loqui? Pſalm. 89. v. 36, 37. *Semen ejus in ſeculum erit, & thronus ejus ſicut Sol coram me: Sicut Luna ſtabilietur in ſeculum, & ſicut teſtis in cælo fidelis.* Sicut Teſtis fidelis בשחק, hoc eſt, in Aëre ſive Æthere, in loco ubi nubes pendent. Solis igitur, fidelis illius in cœlo teſtis, ad nubes uſque deorſum attractio, planè implicat quòd *Litera* Scripturæ nullam Firmamenti partem ſupra Nubes notat tanquam quicquam æſtimandam, cùm omnes altitudinis illuſtrationes eâ fere extenſione ſemper claudat. Atque hoc quidem cum *Moſe* apprimè convenit, qui Solem & Lunam magna appellat Luminaria & quaſi pro nihilo Stellas habet, utì manifeſtum eſt ex verſu 16. primi capitis Geneſeos. *Fecitque Deus duo Luminaria magna, Luminare majus ut præeſſet Diei, & Luminare minus ut præeſſet Nocti, & Stellas etiam.* Illæ verò tanquam Mantiſſæ loco adjiciuntur, quaſi non tanti momenti, cùm tamen Stella primæ magnitudinis revera ſit, ſecundùm computum Aſtronomorum, vicies millies major quàm Terra, Terráque quadragies quinquies major quàm Luna, adeò ut Stella primæ magnitudinis reperta erit plus novies centies millies major quàm Luna. Quæ tamen nihilominus ſecundùm Literam *Moſis* unum eſt è majoribus Luminaribus, ſoláque Noctis Imperatrix.

Hìc verò *Litera Moſis* optimè ſibi conſtat. Etenim cùm Cœli extenſio altior haud agnoſcatur Nubibus aut circitèr, inter quas, quemadmodum oſtendi, Sol eſt, & ex conſequenti, Luna, nec durius erit Stellas ad eam humilitatem deprimere (quinimo omnes neceſſariò tam humiles eſſe debent, quippe quibus nihil reliquum eſt loci ubi altiùs collocentur, ſecundùm uſitatam phraſin Scripturæ) apparentia earum omnium ad aſpectum noſtrum ſatìs accuratè indicabit rationes ipſarum inter ſe, & Sol atque Luna, ſecundùm hanc Hypotheſin, reperientur duo magna Luminaria, Stellæ verò inſtar exiguorum calculorum in æthere diſperſorum. Quamobrem ex univerſo hoc concentu concinnitatéque rerum, ſpero me tutò concludere poſſe, Extenſionem Firmamenti non eſſe niſi ad diſtantiam à Mari ad Nubes aut circitèr, ſecundùm *Moſen* perinde atque ad aſpectum noſtrum, qui nulla altitudinum intervalla diſcernere poteſt inter Nubes & Lunam, inter Lunam & Solem, & inter Solem denique & Stellas fixas.

Hiſce argumentis adjicere poſſim multorum Patrum modernorúmque Theologorum, ut *Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, Bernardi, Aquinatis* ac reliquorum ſuffragia. Sed ex jam dictis ſatìs manifeſtum eſt, Quòd Scriptura loquitur, non quidem ſecundùm accuratam rationem Veritatis, res deſcribendo καθ' ὑπόστασιν, juxta ipſam *naturam* ac *eſſentiam* earum, ſed κατ' ἔμφασιν, ſecundùm *Apparentiam* Senſibus noſtris Vulgíque Opinioni.

6. Secunda Regula quam poſitam volo, hæc eſt: Quòd varia ſit veritatum *Theoſophicarum* ac *Philoſophicarum* Intertextura, multa *Phyſica* & *Metaphyſica* Theoremata, per iſtas voces quæ primo aſpectu non niſi ordinarium craſſúmque ſenſum præ ſe ferre videantur, ſubinde nobis ſubindicata. Quod præcipuè intellectum volo de tribus hiſce primis capitibus Geneſeos. Atque equidem ea de re eò certior quiſpiam eſſe poteſt, ſi conſideraverit, Quòd *Litera* Textùs *Moſaici,* qui Creationem Mundi deſcribit, multorúmque notabilium Phænomenôn Naturæ rationes offert, omninò ſe ad rudes imperitáſque Vulgi opiniones admodum palpabiliter demiſerit. Quamobrem, cùm Argumentum horum trium Capitum adeò Philoſophicum ſit, prout videmus, indignum profectò ſapienti Genio *Moſis,* ipſiúſque adeò Religionis, videtur, ut externæ hujus Narrationis Contexturæ aliqua eximia admodum ac ſelecta Naturalis Philoſophiæ ac Metaphyſicæ Theoremata non ſubtexeret, quæ pii illius ac periti ſucceſſores per arcanam aliquam Doctrinam *traditionariam* ſive *Cabbalam* externo illius Textui applicare noverint.

Quàm pulchrè enim hoc pacto talibus è populo proſpectum foret, quorum ſingulares animi dotes, ingeniíque acumen efficere poſſet, ut *Moralis Allegoria* (in quam primùm tamen initiandi ſint) perinde atque ipſa *Litera* externa minùs ipſis ſatisfacerent; debitáque eorum interim Obedientia, Humilitas, Vitæque integritas, idoneos ipſos
redderent

redderent ad aliquam magìs arcanam *Cabbalam Philoſophicam* ab ore periti alicujus Sacerdotis recipiendam; Senſûs cujus mira & inopinata opulentia Notionúmque ſublimitas, remoto velamine, ſubitò emicans, probi *Judæi* animam ineffabili voluptate & admiratione poſſet percutere, gaudióque & gratiarum actione ad Deum ob bonarum rerum notitiam illìc contentarum cor ipſius implere, & majorem ſolito Reverentiam & *Moſi* & Religioni creare?

Quamobrem cùm talis *Cabbala Philoſophica* tam utilis ſit & exoptabilis, cúmque homines ſingulis ferè ſeculis ſuam de iſtiuſmodi ſolida ſeveráque Philoſophia in hac Creationis Hiſtoria expectationem profeſſi ſint, per ſuos varios eam interpretandi conatus, equidem mihi abunde probabile videtur, quòd *Moſes* illiúſque ſucceſſores talem aliquam *Cabbalam* habuère. Ad quod credendum eò faciliùs inducor, ab iſta credibili fama quòd *Pythagoras* atque *Plato* ſuam Philoſophiam ex Textu *Moſaico* hauſerint. Quam haud ità facilè ipſis ſuggeſturus fuiſſet, niſi adjuti fuiſſent ab aliquo *Judæo Ægyptióve* Propheta aut Sacerdote qui eum exponerent.

Iamblich de vita Pythag. cap. 3.

7. Tertià ac ultima Regula quam traditum eo, hujuſmodi eſt: Quòd Res naturales, Perſonæ, Motus & Actiones in Scripturis narratæ, ſenſum *Myſticum*, *Moralem* ſive *Allegoricum* ſæpenumero admittunt. Hoc quidem confirmatu dignum eſt, quippe quum Animarum noſtrarum ſalutem propiùs attingat, quàm alterum. Equidem probè novi Spiritualem hunc Senſum quibuſdam timidis & incredulis animabus æquè immani terriculamento eſſe, atque Spectrum Larvámve ſive Spiritum nocturnum. Verùm res in confeſſo eſt apud ſapientiſſimos, maximéque pios & intelligentes è Doctoribus *Judæorum*. Exemplum proferam de uno, qui ad inſtar omnium eſt, de ‖ *Moſe* ſcilicet *Ægyptio* qui Divina Oracula Pomis aureis intra Figuras argenteas comparat; propterea quòd externus Nitor admodum venuſtus gratúſque eſt, ut Argentum curioſo artificio inciſum & perforatum; ſed internus ac ſpiritualis ſive *Myſticus* ſenſus Aurum illud eſt magìs pretioſum magíſque pulchrum quod per iſtas perforationes, artificioſáſque Reticulaturas in *Litera*, emicat.

‖ *In Præfat. ad More Nevoch.*

Huic rei ex variis Scripturæ locis probandæ operam dabo, Pſalm. 25. סוד יהוה ליראיו ובריתו להודיעם. Facilis genuinúſque quorum verborum ſenſus hic eſt: *Secretum* Jehovæ *timentibus eum, pactúmque ejus eſt, ut eos faciat ſcire illud*, nempe, *Secretum*. Quod planè innuit Myſteria Divina non nuda patere oculis falſis ac adulteris, ſed integumentis commodis latere involuta, & abſcondita à carnalis vulgaríſque hominis aſpectu. Secreta illius eſſe, (quemadmodum *Ariſtoteles* olim *Alexandro reſpondit*, περὶ ἑωθινȣ͂ περιπάτȣ, de ſcriptis ſuis *Acroamaticis*,) ἐκδεδομένα ϗ μὴ ἐκδεδομένα, *edita* & *non edita*. Ipſéque Servator quanquam totus bonus erat, ipſáque adeò Bonitas, non tamen Margaritarum ſuarum ità prodigus erat ut eas projiceret porcis. Extraneis quidem, in Parabolis locutus eſt. Et ob eaſdem certè cauſas, nequaquam à ratione alienum eſt concludere, *Moſen* Typos ſcripſiſſe & Allegorias. Nec infirmo res nobis innititur fundamento, ex illo Apoſtoli, 1 Cor. 10. v. 11. ubi, poſtquam res aliquas præcipuas quæ *Iſraelitis* in ſua Itineratione ab *Ægypto* ad *Canaan* obtigerunt, commemoravit, (quæ tamen nemo quiſquam qui ullam fidem habet, ac timorem Dei, unquam negabit quin realis ſit Hiſtoria) hiſce verbis expreſſim concludit, * Hæc autem omnia Typicè eveniebant eis, ſcripta verò ſunt ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum occurrunt. Ità Galat. c. 4. Hiſtoria *Abrahami*, qui duos filios habere dicitur *Iſhmaelem* & *Iſaacum*, unum ex ancilla, alterum è libera, viz. ex *Agar* & *Sara*, idem Apoſtolus clarè illìc eloquitur, quòd ſit *Allegoria*, v. 24.

A. Gell. Noct. Attic. lib. 20. cap. 5.

* *Vide Myſter. Pietat. lib 9. c. 7.*

Multa alia loca hìc adjicere poſſim, quæ huc ſpectant, ſed unam tantùm conſiderationem depromam circa multas Hiſtorias veteris Teſtamenti, & tunc concludam. Si Spiritus ſanctus non aliud aliquid præter ipſam Hiſtoriæ *Literam* per eas intelligeret, utilem utique aliquam ac *Spiritualem* Veritatem eis involutam, tantum aberit ut incitamento forent ad Pietatem, ut ad res perfidè ac injurioſè peragendas, exempla futura ſint omnium periculoſiſſima.

Etenim quàm in proclivi eſt cuivis ſeipſum *Iſraelitam* fingere, ut honeſtos ſuos vicinos ſub nomine *Ægyptiorum* circumveniat? Verùm nos intra hanc unam ſolitariam Inſtantiam non continebimus. Quid eſt *Jacob*, niſi Supplantator, Deceptórve, ídque proprii ſui fratris? Etenim occaſionem nactus ex præſenti neceſſitate, Primogenita eum coegit pro pauxillo Juſculo ſibi vendere. Quàm egregium fraudis ſpecimen eſt illud *Rebeccæ*, quæ, dum *Eſau* laborum patientiſſimus per ſylvas monteſque decurrit, ut mandatum patris conficeret eſcámque pararet ad ſenis appetitum, *Jacobum* interim ſubſtituit cum ſuis & manibus fictitiis & ferina, quò benedictionem auferret, quam bonus ſenex officioſo ſuo filio majori natu *Eſau* deſtinaverat? Virgæ

Jacobi populex, peſſimum profectò exemplum ſervis eſt quo dominos ſuos defraudent. *Labaniſque* Teraphim per *Rachelem* furto ſublata & celata cum falſimonio, quàm probum ſit facinus, penès maritum illius eſto judicium. *Apud quemcunque inveneris Deos tuos, non vivat.* Gen cap. 31 ver. 32.

Infinitus eſſe poſſim hac in re ; Unum tantummodo exemplum ſuperaddam, de perfidia crudelitatéque fœminea, prout primo aſpectu videbitur, & tunc concludam. *Siſera* exercitûs *Jabini* dux ab *Iſraele* profligatus pedibus fugit ad Tentorium *Jael* uxoris *Heber Cenæi*, cui pax erat & conſœderatio cum *Jabino.* Hæc *Jael* ſub amicitiæ ſpecie in occurſum egreſſa eſt *Siſeræ* eúmque invitavit ad Tentorium ſuum, dicens, Judic cap. 4 ver. 18. *Declina Domine mi, declina ad me, nè timeas. Et declinavit ad eam in Tabernaculum & operuit eum tegumento. Dixitque ad eam, Da quæſo mihi bibere paululum aquæ, quia ſitio. Et aperuit utrem Lactis, potúmque dedit ei, atque operuit eum.* Breviter, vitam is ſuam illi permiſit, ſéque ipſum illius concredidit protectioni. Illa verò ſimul atque ſomnus eum oppreſſiſſet, clavum malleo in tempora ejus defixit corpúſque expoſuit voluntati inimicorum. Facinus profectò quod Spiritus ſanctus nunquam approbaturus fuiſſet, nedum tantopere ei applauſurus niſi propter Myſterium quòd ſub eo abſconditum latet.

Tres noſtras Regulas de Scripturis interpretandis, in generaliorem apparatum ad *Defenſionem triplicis Cabbalæ* ſpero me jam abunde ſtabiliviſſe. Operam nunc dabo magìs particulari dilucidationi, & confirmationi variorum Locorum in illa occurrentium.

SCHOLIA

In Introduct. SECT. I.

SUB nomine Μνεύης, niſi quid fortè ea in re erraverit *Juſtinus Martyr*, &c. *Juſt. Mart.* Protreptic. *ad Græcos.* Μωυσῆν ἄνδρα ϗ τῇ ψυχῇ μέγαν, ϗ τῷ βίῳ ἱκανώτατον. *Quod apud Diodorum ſic eſt :* Μνεύην ἄνδρα ϗ τῇ ψυχῇ μέγαν ϗ τῷ βίῳ κοινότατον. Diodor. Sicul. *Bibliothec. Hiſtor. lib.* 1. *pag.* 59.

Sect. 7. Hæc autem omnia Typicè eveniebant eis, &c. *Sic vertit* Beza, *ex M. S. credo, cujus meminit* Hugo Grotius, *ubi pro* τύποι habetur τυπικῶς. *Quem locum ſic exponit doctiſſimus* Grotius: Erant quæ ipſis evenère, præfigurationes, rudia lineamenta. Nam in omnibus actionibus priſci ſeculi Deus ſemper ob oculos habebat tempora *Meſſiæ*, in quibus non Vaticinia tantùm ſed & Figuræ omnes implerentur. *Et Interpretes profectò plerique omnes hac in re cum* Grotio *conſentiunt. Per* Τύπȣς *verò hic ſi nuda tantum exempla intelligis, frigida erit ac jejuna interpretatio, & quæ mentem* Pauli *nequaquam plenè aſſequitur, qui* Petram v. 4. *non* exemplum *Chriſti ſed* Typum *proculdubio facit,* Myſticum *ſenſum ſubeſſe innuens. Quapropter Petram* Spiritualem *vocat, id eſt,* Myſticam. *Ut Civitas illa in Apocalypſi,* cap. 11. πνευματικῶς, Spiritualiter *dicitur,* Sodoma *&* Ægyptus. *Nempe* Sodoma *&* Ægyptus *ſenſu* Myſtico *Civitatem illam denotant, ut Petra* Chriſtum.

Cabbalæ Literalis DEFENSIO.

CAP. I.

1. *Senſus genuinus vocis,* In principo. *Differentia inter* ברא, עשה *&* קנה *à Septuaginta neglecta, qui* ברא *tranſtulerunt, tantùm,* ἐποίησεν. 2. *Occaſio erroris eorum detecta qui* Moſen *Materiam increatam innuiſſe autumant. Quòd* רוח אלהים *nihil amplius ſignificat quàm,* Ventum magnum. 4, 5. *Primas Tenebras propriè non fuiſſe* Noctem. 6. *Cur Septuaginta* רקיע *reddiderint* Firmamentum, *quódque factum eſt per alluſionem ad* Tentorium *firmiter fixum.* 11. *Senſibiles Solis effectus Gentes invitâſſe ad* Idololatriam, *Oraculáque earum ipſos docuiſſe nomine* Jao *eum appellare.* 14. *Prophetam* Jeremiam *à Sole* Diem *diviſiſſe loquendo ad captum vulgi.* 15. *Ratio cur Stellæ citra* Mare ſuperius cæruleum *appareant.* 27. Anthropomorphitarum *opinio, quantique momenti ſit ut vulgus Deum ſub humana forma concipiat. Hiſtoria* Ariſtophanis *apud* Platonem *de Viris Fœminiſque primitùs concreſcentibus, ac ſi unum eſſent Animal.*

PRimam illam Regulam quam in *Introductione* ad *Defenſionem Triplicis Cabbalæ* propoſui, nihil hîc opus eſt rurſus repetere; peto tantùm à Lectore, ut eam memoriâ velit retinere, quippe quæ illi confirmabit facilem ac familiarem ſenſum quem Textui *Moſaico*, ſecundùm Mentem illius *Literalem*, ſum applicaturus. Cui ſi rationes inſuper à pia ſancti Legiſlatoris prudentia addidero, oſtendens ut loca ſingula Fidem in Deum, affectuoſámque Legi ſuæ obedientiam majorem in modum adaugeant, nihil defuturum eſt, quantum ego exiſtimo, (quanquam ſubinde mantiſſæ loco, quædam è Criticorum diſciplina adjecturus ſum) quod fidem veritati Interpretationis conciliet.

Introduct. Sect. 5.

Verſ. 1. In hoc primo verſu nullum alium ſenſum voci, *In Principio*, impono, quàm quod Hiſtoriæ ordinem nobis denotet. Quæ etiam *Maimonidæ* opinio eſt, qui ראשית à ראש derivans ſignificante caput, rectè Analogiam obſervat, quòd quemadmodum Caput pars Animantis prima eſt ſitu, ità ראשית illud ſignificat quod primo loco ponitur in re qualibet alia. Quódque ſic Creatio Mundi caput eſt ſive pars prima Hiſtoriæ quam *Moſes* deſcripturus ſit.

More Nevoch. part. 2. cap. 30.

Quamobrem cùm *Moſes* in animo haberet (quemadmodum manifeſtum eſt ex Titulo hujus Libri (*Geneſis*) perinde atque ex rebus eo contentis) Hiſtoriam ac Genealogiam ſcribere ab initio Mundi ad ſua uſque Tempora, intellectu quidem admodum facile atque obvium eſt, eum cum relatione ad illa quæ poſtea additurus erat dixiſſe, *In principio*, tanquam ſi tota cogitationum ſuarum ſeries ſic diſpoſita jaceret. Primùm omnium, Deus Cœlos fecit atque Terram, cum omnibus quæ in eis continentur, Solem, Lunam & Stellas, Diem atque Noctem, Plantas & Animantes quæ forent in Aëre, Aqua & ſuper Terram: poſt autem hæc omnia *Adamum* fecit. Et *Adamus* genuit *Cain* & *Abel*, & ſic deinceps per plenam continuationem Hiſtoriæ & Genealogiarum.

Atque hunc quidem ſenſum magìs facilem autumo & naturalem quàm illum *Auguſtini, Ambroſii* & *Baſilii*, qui *In Principio* ſignificare volunt, *in Principio temporis*, vel in *Principio Mundi.* Et tamen haud abs re ſore putavi hos etiam ſenſus obiter memorare, ut penès Lectorem ſit eligendi optio.

Deus cælum fecit & terram. *Maimonides* & *Menaſſeh Ben Iſrael* tria hæc vocabula in Scripturis uſurpata obſervant, quando Mundi Creatio Deo attribuitur, viz. ברא, עשה, קנה; quódque ברא productionem rerum ex nihilo ſignificat, quæ Scholaſticorum notio eſt de Creatione: עשה eſt perfectio ac completio rei ſecundùm ſuam ſpeciem ac proprietates: קנה dominium Dei denotat ac jus poſſidendi omnia quæ ſic creavit aut fecit. Verùm tametſi ברא ſecundùm mentem doctorum Judæorum Creationem ſignificat propriè ſic dictam, Septuaginta tamen eum Criticiſmum minimè obſervant ſed ἐποίησε reddunt, quod idem eſt atque *Fecit*, Vulgóque hominum tam ſubtiliter diſtinguere non vacat. Quamobrem poſteriorem hunc ſenſum pro Vulgari ac *Literali* accipio, alterum pro *Philoſophico.* Atque ubi vocem *Creatio*, in hac *Literali* Cabbala uſurpo, nihil amplius intelligo quàm communem ac generalem notionem faciendi quippiam, quibuſcunque cum circumſtantiis id fiat.

Menaſſ. Ben Iſrael de Creatione, Problem. 4. ſect. 5.

Nec אלהים interpretor plurali numero, *Trinitatem*; quia quemadmodum *Vatablus* ex *Hebræis* Doctoribus obſervat, *quando inferior loquitur de majore, de eo loquitur in Numero plurali.* Sic Eſai. 19. 4. *Tradam* Ægyptum *in manum Dominorum duri.* Et Exod. 22. 10. *Et accipiet Domini ejus*, pro Dominus. Textus igitur cùm neceſſariò talem ſenſum non requirat, cúmque Myſterium ſit abſtruſum, meritò omittitur in hac *Literali* Cabbala.

Verſ. 2. In primo Verſu, totius Creationis ſummaria erat Propoſitio, in duabus illis præcipuis partibus illius, *Cælo* ac *Terra.* Nunc proſecutionem particularem ſingulorum cujuſque Diei operum exorditur. Nihil autem neceſſe eſt ut hîc iterum inculcet creationem Terræ. Noviſſimum enim verbum eſt quod in generali ſua propoſitione eſt locutus, ac proinde aut abſonum fuiſſet aut ſuperfluum idem ſtatim repetiiſſe. Atque hæc ratio eſt cur ante Creationem Terræ non ſit præfixum, Et dixit Deus, Fiat terra. Quod temeritati ac ignorantiæ quorundam ità impoſuit, ut credere eos fecerit, confuſam hanc cœnoſámque molem quæ hîc Terra dicitur, æternam fuiſſe Materiam primam à Deo independentem nec ab eo unquam creatam. Quodſi proprias facultates quis appellet, eſt impoſſibile, quemadmodum rurſus monebo, poſtquam ad *Cabbalam Philoſophicam* pervenero.

Senſus igitur hic eſt: Quòd Terra primùm facta eſt, quæ aquis cooperta eſt, & ſuper Aquas Ventus, & per omnia craſſæ Tenebræ. Deúſque erat in hac tenebroſa, ac humida Nocte. Adeò ut hic globus Terræ & Aquæ atque Venti non eſſet niſi unus quaſi Turbo Tempeſtáſque marina, Nox confuſionis & Agitationis tumultuoſæ. Nam רוח אלהים nihil amplius ſonat in *Litera* quàm *Ventus ingens*, ut *Cedri Dei*, & *Montes Dei*, Cedri proceræ ſunt, Montéſque magni; atque ſic ad eam analogiam, *Ventus Dei*, magnus eſt Ventus.

Verſ. 3. Verùm in media hac caligine tempeſtuoſa, Deus ad opus ſe accingens, Lampadem quaſi accendit, Lucernámve ſibi Laternâ ſuſpendet, in hac tenebroſa ſua officina. Et quicquid hactenus quidem memoratum eſt, verba ſunt quæ Imaginationem Senſúmque fortiter feriunt faciléque percipiuntur à rudi populo. Quem quælibet tenebroſa ac procelloſa Nox meritò monere poteſt de funeſta rerum facie, antequam Deus lætum Diem oriri juſſiſſet, quippe ſolus Author Lucis, quæ oculos adeò demulcet animóſque exhilarat Mortalium.

Et verò, quòd *Lux Diei* res à *Sole* independens ſit perinde atque *Nox* à *Stellis*, opinio eſt quæ Imaginationibus vulgi mirificè convenit, quod & ipſe ſæpiuſculè expertus ſum colloquendo cum eis. Proclives ſunt etiam niſi Aura aliqua ſenſibilis ſpirat, ad cogitandum nihil interjacere inter Terram atque Nubes, ſed ſpacium eſſe omninò vacuum. Quamobrem רוח אלהים non interpretatus ſum [*Aer*] utì alicubi facit *Maimonides*, ſed [*ventus magnus*] propterea quòd rudis populi ſenſum iſtud affecturum ſit. Quódque primam deformem rerum faciem tam funeſtam ac tempeſtuoſam fecerimus, efficiet quidem ut primam *Matutinam Lucem* recordaturi ſint majori cum religione ac gratiarum actione.

Verſ. 4. *Quippe quæ res eſt admodum viſibilis.* Vide quæ dicta ſunt in verſum octavum.

Verſ. 5. Per *Veſperam* & *Mane* intelligitur *Dies artificialis* & *Nox artificialis*, per Synecdochen, quemadmodum *Caſtellio* in Notis ſuis nos monet. Quamobrem Artificialis hæc *Dies* ac *Nox* ſimul ſumptæ unum Νυχθήμερον, ſive unum *Diem Naturalem* conſtituunt. *Veſperáque* ante *Mane* ponitur, *Nox* ante *Diem*, quoniam *Tenebræ* erant ante *Lucem.* Cæterùm primitivæ iſtæ Tenebræ non erant propriè Nox. Nox enim eſt μία μεγάλη σκιά, quemadmodum *Ariſtoteles* deſcribit, *una magna Umbra*, à

Terra projecta, quòd *Lucem* ſupponit ex altero latere illius. Ac proinde *Nox* propriè dicta non potuit eſſe ante Lucem. Vulgus verò illiteratus de iſtiuſmodi curioſitatibus nihil ſunt ſoliciti, nec ullum tantum diſcrimen facilè percipiunt inter determinatam Terræ umbram Conicam, & infinitam illam Primitivam Caliginem, quæ nullos limites habuit antequam facta eſſet Lux. Ac proinde illa ipſa Caligo *Artificiali Diei* præfixa unum *Naturalem Diem* apud ipſos conſtituit: Quod & *Heſiodus* etiam, an propriam Imaginationem an hunc Textum *Moſaicum* ſecutus, neſcio, ſine maſticatione deglutit.

> Νυκτὸς δ' αὖτ' αἰθήρ τε καὶ ἡμέρα ἐξεγένοντο.
> *Ex Nocte verò & Æther & Dies geniti ſunt.*

Verſ. 6. *Baſin hanc ſive pavimentum.* Quòd Terra inſtar rotundi pavimenti videtur, plani, & ità quaquaverſum excurrentis ut cum ima parte cœlorum conjungatur, in *Introductione* ſatìs jam innui. Quódque tanquam tale conſideratur in phraſibus Scripturæ, quæ ad externos Senſus & Vulgi opinionem ſe demittit. Super hanc Aream ſtat *Firmamentum*, tanquam *Tentorium* in Terram defixum: Quemadmodum expreſsè loquitur Propheta *Eſaias*, potentiam Dei deſcribens, *Qui extendit velut Aulæum cælos, & expandit eos tanquam Tabernaculum ad habitandum.* Et ſanè vox רקיע, quæ uſitatè *Firmamentum* redditur, diductionem & expanſionem ſignificat. Quî verò factum ſit ut Septuaginta interpretati ſint στερέωμα, i. e. *Firmamentum*, *Fullerus* in *Miſcellaneis* ingenioſam profert rationem, talémque quæ ad ſcopum noſtrum magnopere faciat. Nam *cælum ſeu* רקיע, ait ille, *quandoquidem Tentorio ſæpiſſimè in ſacris Literis aſſimilatur,* πήγνυσθαι *dicitur quatenus expanditur. Sic enim expandi ſolent Tentoria, cùm alligatis ad paxillos in terram depactos funibus diſtenduntur, atque hoc etiam pacto firmantur. Itaque* הרקיע *immenſum quoddam, ut ità dicam,* πῆγμα, *ideóque &* στερέωμα *non ineptè appelletur.* Quibus ipſe porrò addo, cœlos tam firmiter diſtendi, ut adeò ſtrenuè obnitantur contra ſuperiorum aquarum pondus, ut eos deturbare nequeant, eóque ipſo Orbem terrarum inundare ac obruere. Quæ quidem Notio, quemadmodum facilis eſt & imaginationi populi apprimè congruens, ità tantum abeſt ut ullam noxam eis afferret, ut majorem ipſis incuſſura ſit ſenſum Divinæ Potentiæ ac Providentiæ, quippe qui ſummâ vi aquarum Oceanum capitibus ipſorum imminentem amolitur, quas per tranſparens *Firmamentum* conſpiciunt, (cæruleæ enim videntur, ut alia Maria) unóque impetu in eos irruerent obruerentque, niſi Potentia Dei robúrque *Firmamenti* obniterentur ac defenderent.

Introduct. ſect. 5.
Eſai. 40. 22.
Lib. 1. c. 7.

Verſ. 7. Vide quæ dicta ſunt in verſum ſextum. Hîc tantùm addam, quòd propinquitas harum Aquarum ſuperiorum, eas magìs adhuc formidabiles reddit, eóque majus calcar fiunt ad Religionem. Nam quemadmodum tam propè deducuntur ut terram tangant in imo, ità externo Senſu adhuc Judice debent certè intra pauxillam diſtantiam à nubibus eſſe in ſummo. Quódque Aquæ hæ ſuperiores altiores non ſint, manifeſtum eſt ex multis Scripturæ locis, quæ Dei habitaculum inter nubes collocant, qui tamen Altiſſimus appellatur, Pſalm. 104. 3. Deut. 33. 26. Nahum 1. 3. Pſalm. 68. 4. Verùm ſuper hac re tam fuſè jam egi in *Introductione*, ut quicquam hîc ſuperaddere ſupervacaneum cenſeam.

Sect. 5.

Verſ. 8. *Quanquam propriè dicere non poſſum Deum vidiſſe quòd bonum eſſet*, &c. Per totam Hiſtoriam horum trium primorum Capitum manifeſtum eſt Deum ſub humana Perſona repræſentari, loquentem ore, & oculis videntem. Hinc factum eſt, quòd, cùm *Firmamentum* ex ſe *inviſibile* ſit, *Moſes* omiſerit dicere, Quòd *Deus vidit bonum eſſe.* Ità enim comparata eſt oculi Natura, ut viſibilia tantùm videat.

Quidam affirmant, Deum, Infernum ſecundo die creâſſe, atque ob hanc cauſam *Moſen* non addidiſſe, & Deus vidit quòd bonum eſſet. Cæterùm ſi non approbavit tanquam bonum, quid obſecro illud creavit? Utcunque ſenſus *literalis* hic eſſe non poteſt, ac proinde à præſenti *Cabbala* eſt alienus.

Verſ. 10. *Atque jam quidem propriè dicere poſſum*, &c. Vide quæ dicta ſunt in verſum octavum.

Verſ. 11. *Unde facilè deprehendere poteſtis*, &c. Hæc *Philonis Judæi* eſt Obſervatio. Et par erat profectò ut *Moſes* qui in Lege ſua, quam à Deo accepit, promiſſis Temporalibus rebúſque Terræ opimis comedendis tanquam obedientiæ ſuæ præmio apud populum tantopere inſiſtit, talia poneret principia quæ firmam eis de abſoluta Dei potentia in Naturam, fidem ingenerarent, quòd ſcilicet poſſet pluviam eis dare, tempeſtates fœcundas Annúmque fertilem prout placuerit, quippe qui efficere potuit ut Terra ſine pluvia, alióve ullo adminiculo, ad adjuvandos illius partus, germinaret, quemadmodum fecit in prima Creatione. Cujus rei meditatio in Propheta *Habacuc*

Cap. 3. 17.

ſanctum illud firmúmque apud ſe propoſitum meritò ciere potuit, *Quamvis enim ficus non floreat nec ſit germen in vineis, mentiatur opus olivæ & arva non afferant cibum; ego tamen in* Jehova *exultabo, & lætabor in Deo ſalute mea.* Cæterùm prudens illa ac pia cautio *Moſis* adversùs Idololatriam, quàm neceſſaria eſſet, manifeſtum eſt, ſi conſideremus virtutem *Solis* eſſe tam conſpicuam, ejúſque operationem tam ſenſibilem in Terram, ad res illìc producendas, Plantas præſertim, ut rudes imperitáſque Gentes pleraſque omnes ſeduxerit ad ſe colendum tanquam Deum: Verſutáque earum Oracula ſacrum Dei *Iſraelis,* Dei utique veri, nomen abripuerunt & in ipſum contulerunt, vocando Solem *Jao,* qui eſt *Jehova,* quemadmodum conſtat ex Oraculo *Clario,* apud *Macrobium.* Saturnal. lib. 1. cap. 18.

Φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν' Ἰαώ,
Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰαώ.

Id eſt,

Deorum omnium Jao *ſummum ſtatuito,*
Hyeme quidem Aïden, *incunte autem vere* Jovem,
Solem *æſtate, Autumno autem pulchrum* Jao.

Hoc Oraculum *Cornelius Labeo* de *Baccho* interpretatur, qui idem eſt atque Sol, qui Deus eſt vindemiarum, atque hìc ex quatuor Anni tempeſtatibus deſcribitur.

Atque ſic *Virgilius,* Ethnicorum more, *Soli* ac *Lunæ,* ſub nominibus *Bacchi* & *Cereris,* magnum illud beneficium Frumenti acceptum refert.

----------- *Veſtro ſi Numine Tellus*
Chaoniam *pingui glandem mutavit ariſtâ.*

Sect. 4. Verùm ſuper hac re tam multa dixi in *Introductione,* ut nihil neceſſe ſit plura hìc adjicere.

Verſ. 12. Vide verſum undecimum.

Verſ. 14. Vide verſum 3. Illìc oſtendi quàm facilè rudis vulgi Imaginatio diem admittat ſine Sole. Ad cujus captum Propheta *Jeremias* ſermonem ſuum accommodat, *Occidit Sol ejus,* ait ille, *quum adhuc eſſet Dies.* Jer. 15. 9. Quomodo autem Dies eſſe poteſt poſt Solis occaſum, niſi Dies res independens ſit à Sole, ſecundùm Imaginationem rudis & illiteratæ plebis? Quod externæ Literæ *Moſis* mirificè convenit, quæ de Sole loquitur non tanquam Diei *cauſa,* ſed tanquam de *ſigno* diſcriminationis à *Nocte,* quanquam interim admittit, diei Lucem indè adaugeri.

Verſ. 15. *Intra cavam,* &c. Quanquam ſuperius Mare cæruleum tam propinquum nobis apparet, ſicut ſuprà innui, Cœli tamen Luminaria aliquanto citrà videntur poſita, quemadmodum Album extare ſolet ſive prominere in fuſco aliquo colore delineatum; ut videre licet in deſcribendis Figuris ſolidis ſuper ſcandulam cæruleam, faciliùs extabunt exurgéntque ad oculum, quàm Nigrum in Albo. Adeò ut populus facilè viſum ſuum conſulens imaginari poſſit, *Firmamentum* inter Luminaria Cœli, Aquáſque ſuperiores ſive Mare cæruleum, quod conſpicitur, interjacere, non autem citra, nec propriè inter Luminaria ſive Stellas, ſed ſupra eas.

Verſ. 16. *Duo magna Luminaria,* &c. Hoc dicitur cum relatione oppoſita ad *Stellas,* quæ quidem viſui noſtro multò minores apparent quàm *Sol* aut *Luna,* cùm tamen multæ ex Stellis, ſecundùm computum Aſtronomorum, majores ſint *Sole,* omnes multò majores *Lunâ.* Adeò ut oppidò quàm manifeſtum ſit Scripturam aliquando loqui ſecundùm apparentias rerum ad aſpectum noſtrum, non autem ſecundùm abſolutas earum affectiones & proprietates. Atque is quidem qui hìc pro veritate illud admittere nolit, meritò, meo quidem judicio, ſuſpectus eſſe poteſt majoris Ignorantiæ quàm Religionis, majoríſque Superſtitionis quàm Rationis.

Quanquam propter parvitudinem, &c. *Stellæ* quidem aſpectui noſtro admodum parvæ apparent, ac proinde *Moſes* obiter tantùm eas adjeciſſe videtur, ad ignorantiam illiteratæ plebis ſe demittens hac in re. Aſtronomi verò, qui datâ operâ earum magnitudines inveſtigârunt, etiam ii qui maximè parcam computandi rationem inierunt, Stellas majoris magnitudinis, Terrâ non minùs ſexagies octies majores fecerunt, alii multò ampliùs.

Verſ. 18. *Peculiaréſque ſint ornatus,* &c. Vide verſ. 14.

Verſ. 20. *Piſces Volucréſque.* Mentionem Volatilium hìc cum Piſcibus fieri exiſtimo, propterea quòd maxima & eminentiſſima id genus Animantia aquas omnium maximè frequentent, ut Cygni, Anſeres, Anates, Ardeæ, & ſimilia.

Verſ. 27. *Hominem creavit in ſua ſpecie*, &c. *Anthropomorphitarum* erat opinio, Deum habere omnia membra humana, nóſque hoc ſenſu formatos eſſe ad illius Imaginem. Quæ quamvìs, niſi rectè intellecta, vana ſit ac ridicula opinio, Mihi tamen eorum haud multò præſtabilior videtur qui Deum imaginantur Ens Finitum, ídque potiſſimùm curant, ut extra fœtidos vapores hujus terreſtris Globi collocetur, ut ſedere poſſit καθαρὸς ἐν καθαρῷ χώρῳ, atque ſic in cœlum eum includunt, quemadmodum facit *Ariſtoteles*, ſi quidem is Author ſit Libri *De Mundo*. Etenim ipſi Ideæ Dei planè repugnat ut ſit Finitus, & conſequenter ut ullam habeat Figuram aut partes. Sed enim res adeò ardua eſt ac difficilis rudi populo vires ingenii experiri in Notione Entis immaterialis & infiniti, ut è re ipſorum fore videatur, Deum concipere tanquam Perſonam aliquam omnipotentem, quæ poteſt quicquid ipſi complacuerit, quæ Cœlos Terráſque poteſt fabricare, & beneficia ad quam menſuram modúmve libuerit, conferre, & (quod omnium potiſſimum eſt) perſonaliter, ubi opus fuerit, eis apparere, eóſque increpare & objurgare, & ſi in contumacia ſua perſtiterint, horrendam vindictam de eis ſumere. Hoc, inquam, internum ſenſum imaginationémque vulgi fortiùs perculſurum eſt, quàm *Omnipotentia* in *tenui, ſubtili, inviſibili* ac *immateriali* eſſentia ſita, cujus nullam perceptionem habere poſſunt ullúmve tolerabilem conceptum.

Quamobrem cùm hominum plebeiorum atque imperitorum interſit ut permittatur eis Finitum aliquem ac Figuratum conceptum de Deo formare, quæ forma magìs idonea eſſe poteſt quàm Humana cum ſummis perfectionibus, quarum capax ſit, Pulchritudinis, Roboris & Amplitudinis? Et ſanè Propheta *Eſaias* de Deo loqui videtur juxta hanc Notionem, *Is ſedet ſuper ſphæram Terræ & habitatores ejus ſunt quaſi locuſtæ:* homines innuens ad Deum majorem magnitudinis rationem non habere, quàm Locuſtæ ad Hominem, quando in gramine inter eas conſidet. Et nunc quidem cùm hæc neceſſitas ſit permittendi populo hujuſmodi aliquos conceptus de Deo (& vera profectò Prudentia eſt, piáque aſtutia ut quis ſe ad eorum infirmitatem demittat in ſuum Bonum) Leges ſimul eis impoſitæ ſunt adverſùs Idololatriam Imaginúmque cultum, quàm rigidiſſimæ ſeveriſſimæque. Cap. 40. v. 22.

Quòd ſi quis objecerit hanc compendioſiſſimam futuram fuiſſe viam, qua seducerentur in Idololatriam, indulgere nempe ſic ipſis libertatem concipiendi Deum ſub forma humana, reſpondeo id non magìs hinc factum iri, quàm agnoſcendo Hominem eſſe Deum, quemadmodum noſtra facit Religio, de Chriſto. Quinimò, addo inſuper, Chriſtum eſſe verum *Deum Figuratum*. Et illius causâ faciliùs permiſſum fuiſſe *Judæis* ut de Deo cogitarent tanquam ſub Humana Forma.

Quòd autem talis exiſtere debeat perſona qualis eſt Chriſtus, hoc eſt, Deus in humana forma, rationi valdè conſentaneum exiſtimo, ut paratu conſpicuo Terram viſitet, Atheóſque ac Infideles, etiam ad externos ſuos ſenſus, conſternet in die noviſſimo. Quemadmodum de ſeipſo teſtificatur, *Neque enim pater judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio.* *Et quòd nemo patrem videre poteſt niſi quatenus unitus eſt cum Filio.* Nam æternus Deus eſt immaterialis, & inviſibilis externis noſtris ſenſibus, ſed illi viſum eſt tranſigere nobiſcum tum in Miſericordia tum in Judicio, per *Mediatorem* ac *Vicarium*, qui noſtram perinde atque illius naturam participat. Quapropter nequaquam abſurdum eſt ut *Moſes* permitteret *Judæis* Deum concipere ſub forma humana & corporea, cùm omnes homines per Deum in iſtac forma apparentem, judicandi ſint in Die noviſſimo. Johan. 5. 22. Cap. 6. 46

Eum fœminas perinde atque mares feciſſe, &c. Hiſtoria iſta in *Platonis Sympoſio*, ut Viri fœminæque in unum primitus concreverint antequam Deus eos diſſecuiſſet, argumentum probabile eſt Philoſophum aut vidiſſe aut audiviſſe ſaltem aliquid de hac Hiſtoria *Moſaica*. Quòd autem illius eſſet opinio ſic fuiſſe factum, nequaquam mihi probabile videtur. Nam à ridiculo iſto Comico *Ariſtophane* narratur Hiſtoriola. Cui hîc aliquo modo parem *Platonem* rependiſſe gratiam puto, quòd amico ſuò vetere ac præceptore abuſus ſit *Socrate*, quem in ſcenam introduxerat, ἀεροβατοῦντα, Aërem calcantem in corbe, ut totis eum *Athenis* ſic deridendum propinaret.

Equidem Textus iſtiuſmodi ſenſûs capax eſt; cùm verò cur eum ſenſum ei imponamus nulla ſuppetat ratio, cúmque res ſit haud ità accommodata ad captum & opinionem vulgi, nè in hanc quidem *Literalem Cabbalam* eum admittendum cenſui.

Verſ. 29. *Omnem Herbam frugiferam.* Ità ſcilicet vertit *Caſtellio*, *Herbas frugiferas.* Quas tales Herbas eſſe oportet quales nominavi, Fraga, Triticum, Oryzam, & id genus reliquas.

CAP.

CAP. II.

1. *Notatio Vocis* ψυχὴ inſpirationi *Animæ* Adami *in nares ejus conveniens.* 8. *Verus Paradiſi ſitus. Quòd* Gihon *pars ſit* Euphratis; Piſon, Phaſis, *ſive* Phaſi-Tigris. Madianitas *appellari* Æthiopas. *Paradiſum ſitum fuiſſe circa* Meſopotamiam, *ſex argumentis confirmatum. Magiſque particulatim poſitum fuiſſe illic ubi* Apamia *ſtat in Tabulis* Ptolomæi *Geographicis.* 18. *Prudentia* Moſis *in commendando Matrimonio.* 19. *Cur* Adamus *non dictus ſit nomina dediſſe piſcibus.* 24. Abrahami Ben-Ezræ *commentum feſtivum ac pium de Nominibus* Adami *&* Evæ *quatenus appellantur* איש *&* אשה. 25. *Scita* Moſis *Anthypophora de naturali pudore Nuditatis.*

IN primis quatuor verſibus cuncta tam plana ſunt ac perſpicua ut nihil opus ſit ulteriori Explicatione aut Defenſione, niſi quòd ſecundo verſu notare poſſis, ubi ſcripſi, *intra ſex dies*, Septuaginta Verſionem id ſatìs confirmare, qui reddunt τῇ ἕκτῃ, die ſexto.

Verſ. 5. Vide quæ dicta ſunt in Capitis primi verſum undecimum.

Verſ. 6. *Torrens aquarum ingens.* Nam *Septuaginta* vertunt אד, πηγὴ, *Fons*; *Aquila*, ἐπιφλυγμὸς, *Eruptio.* Et ordinaria quidem fontium eruptio è Terra popularis eſſe poteſt confirmatio, Aquam quæ operuit faciem Terræ ex ea primitùs erupiſſe, ſed poſtea Divinâ potentiâ in unum locum repulſam fuiſſe, ut apparere poſſet *Arida*, & ſupponitur adeò inſigniter *arida* ut Omnipotentia Dei manifeſtior fieret in creando *Adamum* ex hoc ſicco pulvere.

Hic verò ſcopus majori cum compendio attingi poſſet, quanquam אד redderetur *Vapor*, (quemadmodum plerique reddunt) ſi particula negativa in antecedente verſu repeteretur ἀπὸ κοινοῦ, ſicut R. *Schadiah* legit: Nec quiſquam erat qui coleret terram, nec vapor aſcendebat, &c. Cui ſenſui R. D. K. ſuum libenter addit ſuffragium. Vide P. *Fagium* in locum.

Verſ. 7. *Pulverem.* Vox Hebraica ità ſignificat, nec mentionem ullam aquâ eum humectandi facio, propterea quòd Deus heîc tanquam per abſolutam ſuam omnipotentiam agens deſcribitur. Eſtque perinde facile hominem ex pulvere creare atque Matth. 3.9. ex duris lapidibus; & tamen *Deus poteſt etiam ex lapidibus excitare liberos* Abrahamo.

In nares ejus inſpirâſſet. Reſpiratio tam palpabilis Vitæ effectus eſt ut rudes Græci antiqui ab iſta operatione nomen Animæ indiderint, ψυχὴν illam appellantes à ψύχω *ſpiro.*

Verſ. 8. *Ad Orientem à Judæa.* Ità enim Interpretes [ad Orientem] exponunt in Scriptura, cum relatione ad *Judæam.*

Ut omnem ulterioris moleſtiæ occaſionem præſcindam, in eo ſenſu confirmando, quem ſequentibus verſibus qui de Paradiſo agunt, impoſui, hîc probabiliſſima quæque de illius ſitu ex *Vatablo* & *Cornelio à Lapide*, ſemel proponam, nonnulla addens ex *Dionyſio*, Poëta illo Geographico. In genere igitur per quatuor fluvios ad verum Paradiſi ſitum deducimur. Et *Gihon*, inquit *Vatablus*, eſt tractus inferior *Euphratis* illabens in Sinum *Perſicum*. *Piſon* eſt *Phaſis* ſive *Phaſi-Tigris* qui decurrit per *Havilah* Regionem *Perſidi* vicinam, adeò ut *Piſon* rivus ſit *Tigridis*, ut *Gihon Euphratis*. Sic *Vatablus*. Et ut *Gihon* ſuam habere poſſit *Æthiopiam*, *Cornelius à Lapide Madianitas* notat alióſque Sinui *Perſico* vicinos appellari *Æthiopas*, ac proinde primùm in genere concludit Paradiſum ſitum fuiſſe circa *Meſopotamiam* & *Armeniam*, ex his ſequentibus Argumentis.

Primùm, Quia hæ Regiones Orientales appellantur in Scriptura (quod, quemadmodum monui, ſemper intelligendum eſt cum relatione ad *Judæam*) ſecundùm Regulam *Expoſitorum*. Dominúſque dicitur hortum hunc Paradiſi plantâſſe ad Orientem.

Secundò, Quia Homine ex Paradiſo ejecto, hæ Regiones primùm inhabitatæ ſunt tum *ante Diluvium* (nam *Cain* dicitur inhabitare Edenem, Gen. 4. 16) tum etiam *poſt Diluvium*, ut quæ Paradiſo viciniores eſſent, ac fertiliores, Gen. 8. 4. & 11. 2.

Tertiò, Paradiſus in *Edene* erat, *Eden* verò prope *Haran*, Ezech. 27. 23. Haran, & Chenneh & Eden. *Haran* verò erat circa *Meſopotamiam*, quippe Civitas *Parthiæ* ubi *Craſſus* occiſus eſt. Scriptores *Carrhas* appellant.

Quartò, Paradiſus eſt ubi ſunt *Tigris* & *Euphrates*. Atque hi ſunt in *Meſopotamia* & *Armenia*. Quinimò nomen dant *Meſopotamiæ* inter eos jacenti.

Omn

Ὅσση δ' Εὐφρήτου ϗ Τίγρητος ἔνδοθι γαῖα,
Τήνδε Περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσιν.
Id eſt,
Quæcunque verò Euphratem & Tigrim intra Tellus eſt,
Eam accolæ mediam amnium perhibent.

Quintò, Quia hæ Regiones maximè fertiles ſunt atque amœnæ. *Adamúmque* non procul ab illo loco formatum fuiſſe, non eſt ſanè improbabile, propter ipſius loci præcellentiam, ob pulchritudinem hominum ibi genitorum, perinde atque ob fertilitatem ſoli.

Τοίη δ' ἐπὶ κείνης ἄροσις πέλει, ἐν μὲν ἀέξειν
Ποίην, ἐν δ' ἄρα νομοὺς εὐανθέας, ἐν δ' ἄρα ϗ ἀνδρῶν
Φύτλην, καλλίστην τε ϗ ἀθανάτοισιν ὁμοίην.
Id eſt,
Talis in illa cultura eſt ad producendum
Herbam & paſcua florida, atque etiam Hominum
Stirpem pulcherrimam & Immortalibus ſimilem.

Quemadmodum idem ſcribit *Geographus*.

Sextò & ultimò, Ulterior adhuc affertur probabilitas Paradiſum fuiſſe circa *Meſopotamiam*, quippe quum illa Regio non procul diſtaret à *Judæa*. Traditionem ſcilicet Patrum eſſe, *Adamum* è Paradiſo ejectum, peragratis aliquibus partibus Orbis perveniſſe in *Judæam*, ibíque diem obiiſſe, & in Monte ſepultum eſſe, quem ejus poſteritas, quia caput primi hominis illîc reconditum jacebat, *Montem Calvariæ* appellavit, ubi & *Chriſtus* crucifixus eſt in expiationem peccati *Adami*, primi Tranſgreſſoris. Quæ quidem Hiſtoria ſi vera non ſit, magna profectò infortunitas eſt, ut quæ tam venerabiles habeat Authores, ut *Cyprianum*, *Athanaſium*, *Baſilium*, *Origenem*, alióſque ex antiquis Patribus, quemadmodum *Cornelius* affirmat.

Nunc verò quòd ad magìs exactum Paradiſi ſitum attinet, idem Author in ipſo concurſu *Tigris* & *Euphratis*, ubi Civitas *Apamiæ* in Tabulis *Ptolemæi* Geographicis ſtat octoginta graduum longitudinis, & triginta quatuor graduum trigintáque ferè ſcrupulorum latitudinis, non dubitat collocare.

Atque ſic quidem ſecundùm *Literam* Paradiſum illam invenimus quam *Adamus* perdidit: quòd ſi in *Philoſophica Moralique Cabbala* meliorem non invenerimus Paradiſum, nil præter laborem profectò, in operæ pretium, reportabimus.

Verſ. 9. *Quæ in medio Horti erant conſitæ.* Nam in hoc verſu *Arbor Vitæ* plantatur in medio Horti, & in Capitis tertii verſu tertio, *Arbor ſcientiæ boni & mali* illîc etiam collocatur.

Ità enim Dominus Deus ſtatuerat. Interpretes nullam noxam in ipſa arbore ſuſpicantur, quin fructus illius ex ſe naturaliter bonus eſſet, ſed Deum illius eſum tantùm interdixiſſe ut *Adami* obedientiam probaret. Adeò ut hæc lex quæ fructûs eſum *Adamo* prohibuit, omnino *Thetica* eſſet ſive *Poſitiva*, non autem Indiſpenſabilis ac Naturalis.

Verſ. 10. *Indéque diviſus eſt.* Hæc eſt cauſa cur Paradiſus cenſeatur illîc ſitus ubi ſtat *Apamia*, quemadmodum ſuprà monui.

Verſ. 11. *Phaſis.* Vide verſum octavum.

Terram circuit Chaulatæorum. Affinitas Nominum conſpicua eſt inter *Havilah* & *Chaulatæos*, quos *Strabo* in *Arabia* prope *Meſopotamiam* collocat.

Verſ. 13. *Arabo-Æthiopiæ*, vide verſ. 8.

Verſ. 17. Vide verſ. 9.

Verſ. 18. *Summas Matrimonii laudes.* Matrimonii uſum *Judæis Moſes* apertè commendat, eóſque quodammodo animat ad illam vitæ conditionem. Quod ſanè ad morem genuini Legiſlatoris Patríſque populi facit. *Nam in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis attritio principis,* quemadmodum monet *Salomon*, Prov. 14. 28. Præterea, non exiguæ quidem erat prudentiæ id eis religiosè commendare, ad quod ſuâ naturâ pleroſque ſatìs proclives fore præviderat. Illæ enim leges placent maximè quæ cum populi prolubio maximè conveniunt, melioremque ob id ipſum de Legiſlatore ſuo opinionem apud ſe concipient.

Verſ. 19. *Illáque adduxit ad Adamum*; nempe *Beſtias* atque *Volucres*. De *Piſcibus* verò nulla fit mentio, quippe qui non apti nati erant ad itinerandum in eodem Elemento. Nimis verò durum futurum fuiſſet & affectatum, aut *Piſces* à Mari attuliſſe aut *Adamum* deduxiſſe ad littus quò nomina omnibus piſcibus illuc ad eum confluentibus inderet. Poſtea verò ei indendi illis nomina opportunitas idonea dari potuit, prout illius aſpectui ex occaſione ſe obtuliſſent.

Verſ. 20. Vide verſ. 18.

Verſ. 21. *Hoc ipſi obtigit inſomnium.* Septuaginta enim habent Ἐπέβαλεν ὁ θεὸς ἔκστασιν ἐπὶ τὸν Ἀδάμ, *Deus* Adamum *conjecit in Ecſtaſin.* Et in iſta quidem Ecſtaſi facilè videre potuit, quid Deus fecerit, dum ipſe dormiebat.

Verſ. 23. Vide verſ. 21 & 24.

Verſ. 24. *Tam ſtrictus ſanctúſque nexus,* &c. Hic eſt ipſe ſcopus Hiſtoriæ; Ut admodum firmum creet & indiſſolubilem amorem inter *Virum* ac *Mulierem,* ut ſe mutuò tanquam unam eandémque perſonam conſiderent. Atque in hoc quidem fœlicitati ſui populi ſapienter proſpexit *Moſes* talia ipſorum animis principia inſtillans quæ radix ſint omnis ordinis Oeconomici, omníſque ſolatii & oblectationis, dum maritus uxorem conſiderat tanquam ſeipſum in fœminino genere, ipſáque maritum tanquam ſeipſam in maſculino. Neque enim Grammatici ullum aliud diſcrimen deprehendunt inter איש & אשה *Vir* & *Viriſſa.* Rabbi verò *Abraham Ben-Ezra* Myſterium in his nominibus invenit plus quàm Grammaticum. Nam in איש & אשה ait ille, contractum nomen Jehovah continetur, viz. יה, Ineſt enim eis י & ה. Quamdiu igitur Maritus & uxor in Dei timore amoréque mutuo vivunt, Deus cum illis eſt, perinde atque in nominibus eorum. Quodſi Deum derelinquant per inobedientiam, nec illud ſibi mutuò præſtant quod alter alteri debent, tunc conditio eorum ea eſt, quam, extrito Dei nomine, nomina eorum ipſis denotant, viz. אש & אש, Ignis & Ignis. Ignis nempe diſcordiæ ac contentionis in hac vita, & æternus Gehennæ ignis in vita futura. Hoc eſt pium lepidúmque commentum ingenioſi illius *Rabbini.*

Verſ. 25. *Nec eos quicquam pudebat.* Matrimonium uſúſque Mulierum cùm *Judæis* tam efficaciter commendata eſſent in præcedenti Hiſtoria, prævidit ſapientia *Moſis* obvium fore populo apud ſeipſos inquirere, quî factum ſit ut rei tam bonæ ac laudabili tantum pudoris ac diffidentiæ adhæreſceret. Eſt enim generalis pudor in Viris atque Fœminis circa hæc negotia, ſempérque cupiunt has res in ſecreto peragere extra conſpectum aliorum. Quamobrem *Moſes* ut curioſitati eorum ſatisfaciat, Hiſtoriam porrò continuat, rationémque reddit hujus pudoris in ſequenti Capite.

CAP. III.

1. *Honor primorum Parentum quantopere conſervetur ex eo quòd* Serpens *repertus ſit principalis Author Tranſgreſſionis. Quòd juxta ſententiam S.* Baſilii *omnia Paradiſi Animantia loqui potuerunt: Invicta argumenta Serpentem potuiſſe ſecundùm quidem* Cabbalam Literalem. *9.* Anthropomorphitarum opinio *vera ſecundùm eandem* Cabbalam. 14. Serpentem *ante lapſum erectum inceſſiſſe, Opinio S.* Baſilii. *16. Hiſtoriola de facili partu Mulieris cujuſdam pauperculæ è* Liguria. 19. *Communes Calamitates quæ humano generi incumbunt ex tranſgreſſione* Legis Poſitivæ *eveniſſe, quàm accommodatum ſcopo* Moſis. 23. *Quòd* Paradiſus *tota Terra non erat.* 24. *Apparitiones in Paradiſo à* Theodoreto *vocatæ* Μορμολύκεια.

IN hoc tertio Capite cauſæ traduntur aliquot maximè notabilium ſummíque momenti eventuum in Natura: Ut duri laboris ſudoríſque filiis hominum impoſiti ad quærendum victum; Antipathiæ Homines inter atque Serpentes; Noxiarum erraticarúmque Herbarum Solum obſidentium; Pudoris rei Venereæ; Doloris puerperarum; & ipſius denique Mortis. Horum omnium *Moſi,* quæ ejus erat ſapientia, viſum eſt rationem reddere, accommodatè ad captum vulgi. Hæc enim in grandem illam apud Philoſophos quæſtionem incidunt, Πόθεν τὰ κακά; Unde orta ſunt mala? Quæ quidem ſeculorum omnium ingenia exercuit ad hunc uſque diem. Et ſtultulus profectò quilibet Quæſtionem movere novit, pauci verò eouſque ſapiunt, ut idonei ſint pro rei dignitate ac profunditate, qui aut dent Reſponſum aut accipiant.

Moſi verò omninò neceſſe erat ut Hiſtoriam continuaret, & perſpicuas & intelligibiles cauſas eorum malorum quæ perpetuò ipſis ante oculos obverſabantur, cum eis communicaret; quippe quum tam apertè Deum Cœli Terræque Creatorem, omniúmque quas aſpectamus rerum opificem aſſeruiſſet: Addens inſuper Leges quas eis propoſuit ſibi à Deo fuiſſe traditas, foréque ut omnis proſperitas fœlicitáſque eis obtingeret ſi eaſdem vellent obſervare, Quòd comeſuri eſſent res opimas Terræ, vitámque longam ac vegetam victuri.

Jam verò apud populum proclive erat, quanquam rudes omnino erant, recénſque à lateribus *Pharaoni* in *Ægypto* conficiendis liberati, ſic ſecum cogitare. Si Deus omnia fecit, quî factum eſt, ut non multò ſint præſtabiliora, quàm reverà reperiuntur? Cur uxores noſtræ liberos pariunt cum dolore? Cur Serpentum morſibus ſumus obnoxii? Cur non poteſt Deus vitam nobis largiri perpetuam perinde atque longam? & ſimilia. Ad quæ *Moſes* in genere reſpondet (in magnam populi ædificationem, firmiorémque obligationem ad leges, quas ipſis tradidit à Deo) *Inobedientiam* fuiſſe voluntati Divinæ quæ hæc mala omnia in orbem introduxerat. Id quod certiſſimè verum eſt. Quibus verò particularibus circumſtantiis deſcriptum ſit, perlegere licet in hoc tertio Capite.

Verſ. 1. *Erat etiam Serpens.* Res nimis dura ac immanis futura fuiſſet, & quæ ad dedecus primorum Parentum *Adami* atque *Evæ* nimis craſsè redundaret, ſi immediatè & ex ſe tam expreſſum Dei mandatum violâſſent, ſéque profeſſos adversùs eum Rebellatores oſtendiſſent, ipſorúmque poſteri vix ſe contenturi fuiſſent à recordando eos ex amaritudine animi, cum diris ac maledictis, quòd tam audaces eis eſſent apertíque authores tantarum miſeriarum. Cæterùm ità evenit, ut ſponte non fecerint, ſed per calliditatem *Serpentis* pellecti erant in *Inobedientiam*, falſis illius ſuggeſtionibus circumventi. Adeò ut eorum error cum venia ac miſericordia commemorandus ſit, nóſque ipſi opportunè moniti ſumus, nè quod ſupereſt bonarum rerum, propriâ incuriâ aut contumaciâ perdamus.

Sed & ſermonis facultatem habuit. Non tam laxam profectò habeo fidem quàm S. *Baſilius*, qui omnia Animantia in Paradiſo loqui potuiſſe affirmat ſéque mutuò intelligere. Sed ſecundùm *Cabbalam* quidem *Literalem* manifeſtum exiſtimo Serpentem potuiſſe, nec Diabolum fuiſſe in Serpente ut quidam Interpretes volunt. Cur enim maledicendus eſſet Serpens Diaboli gratiâ? Et præterea tota res attribuitur calliditati & verſutiæ Serpentis, tanquam eam machinantis perficientíſque virtute naturæ ſuæ propriæ. Hoc igitur duas *Cabbalas* eſſet in unam confundere, hæc aſſerere de Serpente ac Diabolo ſimul.

Nè ullis fructibus arborum Horti veſcamur. Ità *Chryſoſtomus*, *Rupertus*, & S. *Auguſtinus*; ac ſi Serpens callidus execrando illo præcepto Politico uſus eſſet, *Calumniare fortiter, aliquid adhærebit.* Ità hic primùm, ſummam quàm poteſt accuſationem Deo intentat, ac ſi cibum neceſſarium eis prohibere vellet, illóſque fame enecare, ut id tandem obtineret, eum ſaltem illos ſine neceſſitate eis rebus privare, quæ ad magnam illorum facerent voluptatem vitæ ac perfectionem.

Verſ. 4. Vide verſ. 1.

Verſ. 7. *Et aperti ſunt amborum oculi.* Hinc quidam colligunt *Adamum* & *Evam* cæcos fuiſſe antequam guſtâſſent de fructu vetito. Quod tam fatuum eſt gloſſema, ut nemo niſi cæcus eſſet, in ipſum incidere potuiſſet. Maxima enim Paradiſi voluptas perdita fuiſſet, ſi caruiſſent viſu. Quamobrem, ſenſus hic, utut craſſus ſit, *Literalis Cabbalæ* nulla pars eſſe poteſt, cùm nihil ipſi inſit probabilitatis. Non eſt λόγος πιθανός.

Verſ. 9. Dei ambulatio in Horto, Inclamatio Adami, Sententiæque in ipſum, uxorem ejus ac Serpentem pronunciatio, multæque aliæ actiones ſuprà memoratæ, *Anthropomorphitarum* opinionem iterum atque iterum inculcant, Deum nempe eſſe in humana forma, quem jam agnovi ſenſum eſſe *Cabbalæ Literalis*.

Verſ. 13. Heîc prima malorum Origo in Serpentem refunditur. Unde *Adami Evæque* Honor aliquanto illibatior conſervatur, radíxque miſeriarum humani generis manifeſtò detegitur.

Verſ. 14. *Prorepes deinceps ſuper ventrem.* Manifeſtum eſt ſecundùm *Literam* Serpentem erectum inceſſiſſe, quæ & opinio eſt S. *Baſilii*, alioqui illius condemnatio nihil ſignificaret, ſi ſuper ventrem antè prorepſiſſet.

Verſ. 15. *Antipathia perpetua.* Vide verſ. 1.

Verſ. 16. *Parturiendi crux ac dolor.* Vide verſ. 1. Hi verò dolores multùm augentur mulieribus propter luxum ſuum putridámque mollitiem, quæ enervat Naturam Spiritúſque debilitat, adeò ut nihil tolerare poſſint, cùm illæ è contrà quæ rebus duris aſſuetæ ſint ac labori, faciliori negotio evadunt. Exemplum hujus rei notabile eſt in quadam *Liguriæ* fœmina, quam (ut *Diodorus Siculus* refert) operæ in agris intentam hic alter labor ſubitò inceſſit. Illa verò paululum ſine ſtrepitu ſecedens, infantem enixa eſt ſine mora, quem cùm foliis ac gramine quàm commodè potuit, ob-

Bibliothec. Hiſtor. lib. 4. pag. 227.

volviſſet, inter arbuſta reliquit, ſtatímque ad penſum ſuum rediit, nec ab opera deſiſtere voluit, donec is qui conduxerat eam, miſertus infantis, totius diei mercedem ipſi ſolviſſet, ut ab ipſa ſe hoc pacto liberaret: Ac ſi Providentia eam ab *Evæ* maledictione abſolviſſet, eo quòd ſuâ ſponte tantum ſuſtinuiſſet Maledictionis *Adami*, qui ſudor erat in colendo agro.

Verſ. 18. Vide verſ. 1.

Verſ. 19. Obſervatu digna heîc eſt egregia *Moſis* ſapientia: Cùm Statuta præceptáque quæ populo tradidit, eſſent pleraque non quidem *φύσει* ſed *ϑέσει*, non Naturalia & intrinſecè bona, ſed *Poſitiva* & ex ſeipſis diſpenſabilia, ſecundùm hanc Hiſtoriam, omnia illa mala inſignia ſudoris ac laboris in ſolum ſterile, dolorum partûs, ipſiúſque adeò Mortis, tranſgreſſioni Legis, quæ *Poſitiva* tantùm erat, imputantur. Quo pacto *Legiſlator* populum quidem ſcitè admodum obligat ad obſervandas omni cum ſtudio ac diligentia omnes iſtas Ceremonias atque Ritus, quos ipſis à Deo tradidit, cùm univerſa *Adami* Poſteritas experta ſit noxam violationis vel unius Legis *poſitivæ* in Paradiſo, comeſtionis ſcilicet fructûs Arboris vetitæ: Cùm aliàs certè, leges *Poſitivæ* ex ſe admodum obnoxiæ forent, quæ negligantur, inſupérque habeantur.

Verſ. 20. *Appellavit uxorem ſuam* Evam. חוה *vitam* ſignificat.

Verſ. 21. *Quarum uſum Deus Adamum docuit.* Duo magna ac neceſſaria Vitæ ſolamina, ſunt *Cibus* & *Veſtitus.* Quamobrem conſentaneum erat ut hic locus etiam inſeratur ad animos populi eo firmiùs conciliandos Deo, & ad augendam devotionem eorum, ac gratitudinem erga ipſum, qui tam particulatim támque præciſis circumſtantiis cognitus ſit Author magnorum iſtorum adminiculorum vitæ.

Verſ. 23. *Ex horto Edenis.* Hoc planè demonſtrat Paradiſum non fuiſſe totam Terrám, quemadmodum quidam volunt. Introductus enim erat à Deo in Paradiſum, & nunc rurſus ex eo ejicitur. Ex toto verò Terrarum orbe nequaquam erat ejectus.

Verſ. 24. *Locus infeſtabatur Spiritibus.* Hæc locutio naturam rei ad quam exprimendam adhibita eſt, ſatìs graphicè depingit, aptéque Paradiſi conditionem illuſtrat poſtquam *Adamus* ex eo ejectus eſſet, nec illuc iterum redire poſſet, propter iſtos *Spiritus* qui & locum ipſum, ipſúmque ad eum Introitum occupârant. Nec mea ſolius eſt hæc expoſitio ſed *Theodoreti* & *Procopii*, qui has Apparitiones Introitum Paradiſi obſidentes *μορμολύκεια* vocant & *Spectra terribili formâ.* Atque hic quidem, ni fallor, *Literalis* ſenſus hujus verſûs meritò haberi poteſt, cùm *Spirituum* exiſtentia & *Apparitionum* in confeſſo ſit apud omnes gentes, quantumlibet rudes tardíque ingenii ſint.

Cabbalæ

Cabbalæ Philoſophicæ DEFENSIO.

CAP. I.

1. *Cur* Cœlum *&* Lux *ejuſdem rei ambo ſiant Symbola, nempe,* Mundi Vitæ. *Quòd* ברא אלהים Trinitatem *innuit. Quòd* ראשית *Titulus ſit* Æternæ Sapientiæ, *Filii Dei, qui appellatur etiam* קדם, 'Αρχὴ *&* 'Ανατολὴ *&* Λόγος *apud* Philonem *perinde atque in Novo Teſtamento. Quòd* רוח אלהים *ſit* Spiritus ſanctus. 2. Platonis Trias *cum* Trinitate *præſentis* Cabbalæ *quàm aptè conveniat.* 5. Pythagorica *Nomina ac Natura* Monadis *ſive* Unitatis *primæ Diei operi applicata.* 6. Aquæ ſuperiores *quid ſint: Quódque Animæ quæ deſcendunt* εἰς γένεσιν Naiades *ſint ſive* Nymphæ aquaticæ *apud* Porphyrium. 8. Materiam *ex ſe eſſe immobilem. Notatio vocis* שמיים *apud* R. Bechai, *quàm commodè explicetur ex Philoſophia* Carteſiana. Materiam Univerſalem, ſecundæ *diei Creationem eſſe, ex nominibus ac proprietatibus Numeri* Binarii *plenè confirmatum.* 13. *Natura operis* tertiæ *Diei Numero* Ternario *illuſtrata.* 16. *Authorum doctiſſimos in hoc convenire quòd Creatio perfecta ſit ſemel. Notatio vocis* כוכב *quàm mirificè cum inſignioribus Philoſophia* Carteſianæ *Concluſionibus conveniat.* 19. *Mundum corporeum Univerſum in Formam Motúmque Die* quarto *fuiſſe erectum, ex Titulis ac proprietate Numeri* Quaternarii *admodum notabiliter confirmatum. Verus ſenſus Juramenti* Pythagorici, *quo per eum jurabant, qui myſterium* Tetractyos *eos docuerat.* Tetractyn *Symbolum fuiſſe totius* Cabbalæ Philoſophicæ *ſub Textu* Moſaico *occultatæ.* 20. *Cur* Piſces *ac* Volatilia *dicta ſint* eodem *die creari.* 23. *Cur Animantia facta dicantur diebus* quinto ſextóque. 31. *Cúrque tota Creatio comprehenſa ſit numero* Senario.

Plenè fidelitérque Textûs *Moſaici* ſenſum, ſecundùm *Cabbalam Literalem*, expoſui, & incomparabilem illius ſcientiam Politicam, piámque Prudentiam univerſo Orbi manifeſtam reddidi. Nam ſive Hiſtoriam hanc de *Adamo* & *Eva* ac de Creatione à Deo in Monte immediatè acceperit, ſive admodum antiqua longè antè in partibus Orientalibus Traditio fuiſſet, ut nonnulli *Rabbini* volunt, ſed à Deo in Monte denuò approbata; *Moſes* certè *Pentateuchi* exordium à nulla re capere potuit, quæ ſcopo ſuo atque Inſtituto magìs propria eſſet atque appoſita. Eſtque nihil aliud niſi Ignorantia Athei, quæ efficere poſſit, ut hoc tanquam contemptibile quiddam conſideret, cùm reverà in ſe æquè longè ſupra contemptum omnem evectum ſit, atque vera Prudentia & Sobrietas, ſuper Inſaniam atque Stultitiam.

Et tamen ingenuè fateor, me credere majorem adhuc in eo eſſe Sapientiæ profunditatem & opulentiam quàm hactenus recluſa ſit in *Cabbala Literali*, talémque quæ *Moſen Philoſophiæ Divinæque* cujuſdam *Moralitatis* æquè profundè gnarum exhibitura ſit atque rerum *Politicarum*. Et contra quam Atheus nihil habiturus ſit quod afferat, niſi propria Ignorantia & Confidentia alienis abſoníſque argumentis eum fortè inſtruxerit.

Neque enim in *Cabbala* hac *Philoſophica Moſen* deprehenſurus eſt aut ſex dierum laboris penſum Deo aſſignantem, aut Mundum Nubium altitudine claudentem, Lu-

námve facientem Stellis majorem, aut dies ſine Solibus numerantem, introducentémve Serpentem ſermones ſerentem cum muliere, ulláve id genus alia, (quæ Athei perperàm intelligentes perverſéque accipientes indè offenduntur :) ſed eum inventurus eſt ampliori Ingenio ac liberiori quàm quenquam alium Mortalium, taléſque ponentem Concluſiones quas ſapientiſſimi Naturæ Myſtagogi ac Theoſophi per omnia ſecula ceu pretioſiſſimas ſelectiſſimáſque æſtimârunt. Tales, inquam, iſtæ ſunt, quæ in *Cabbala Philoſophica* ſuprà deſcripta occurrunt. Ad quam nunc defendendam me accingo, & ad demonſtrandum, quòd reverà Textûs *Moſaici* ſit ſenſus. Et una quidem Clavis ad rectam illius intelligentiam, *Pythagorica* iſta erunt *Numerorum*
Sect. 4. *Myſteria*, quemadmodum in Præfatione jam monui.

Verſ. 1. *Idem enim per utraſque voces indigito.* Et ſatìs ſolida profectò ſuppetit ratio cur eadem res per utrumque ſignificetur. Nam præterquam quòd conſpicua iſta Luminaria in cœlis actu exiſtant, *Sol* nempe atque *Stellæ* ; *Cælum* ſive *Ætherea* Materia univerſa ubique in ſe habet Lucis principia ac quaſi ſemina, quæ particulæ ſint rotundæ, illáque admodum tenuis ac ſubtilis Materia quæ in Intervallis rotundarum Particularum interjacet. Qui Philoſophiæ *Gallicæ* rudimentis vel mediocriter imbutus ſit, rem facilè intelliget. Atque equidem in *Moſe* interpretando hoc puto me pro ſolido Principio tutò ponere poſſe, Quòd nulla ſit ullius momenti veritas in univerſa rerum Naturalium Divinarúmque ſcientia, quam *Moſes* ignoraverit ; ac proinde, ſi Textui illius congruens reperiatur, meritò ei poſſum attribuere. *Divina* ſaltem *Sapientia* quæ *Moſen* inſpiravit, omnia humana Inventa rectè intelligitur anticipare.

Jam verò quòd *Cælum* & *Terram* in primo verſu, tanquam res à Cœlo Terráque poſtea memoratis diſtinctas intelligo, non primus ſolúſve in eo ſum, quippe *Philonis* authoritati innixus, qui hoc *Cælum* & *Terram* de *viſibili* ac tangibili Cœlo ac Terra quæ *ſecundo tertióque* die memorantur non exponit, ſed de Cœlo Terráque longè ab
De Civit. Dei, lib. 11. cap. 9. eis differentibus : Ut & ſuffragio S. *Auguſtini*, qui per *Cælum* & *Lucem* unam eandémque rem intelligit, *Angelos* ſcilicet, & per *Terram*, *Materiam primam*. Quod ſanè aliquam ſimilitudinem habet cum hac præſenti *Cabbala*, niſi quòd * pro hac Materia *Phyſica* nos *Metaphyſicam* ponimus, cùm altera illa ad Diem *ſecundum* magìs propriè videatur pertinere. Et pro *Angelis* nos habemus *Mundum Vitæ*, qui non ſolos Angelos, ſed Formas omnes ſubſtantiales, Spiritúſque cujuſmodicunque complectitur.

Quòd verò *Cælum* ſive *Lux* Symbola ſint *Mundi Vitæ* ſive *Formarum*, minimè mirandum eſt. Nam ſufficientem in ipſa *Cabbala* rationem invenies, primo verſu hujus præſentis Capitis. Ac *Plotinus* quidem *Formam Luci* aſſimilat. Ὁ γὰρ λόγος φῶς. *Forma enim Lux eſt.*

Et poſtremò, In ſecundo verſu hujuſce Capitis, manifeſtæ rationes proponuntur cur mera Poſſibilitas externæ Creationis Terra appelletur, ſecundùm deſcriptionem Terræ verſu ſecundo primi Capitis Textûs *Moſaici :* Quibus addere porrò potes, quòd, quemadmodum *Terra* tanquam *Mundi Baſis* ſpectatur, ità externæ *Creationis Poſſibilitas* aliquo ſenſu *Baſis* illius eſt.

Deus igitur triunus. Voces Hebraicæ ברא אלהים *Pluralitatem* & *Singularitatem* pulchrè innuunt, cùm *Nomen* pluralis ſit numeri, *Verbum* verò numeri ſingularis. Unde quidem exiſtimo Myſterium *Trinitatis* & *Unitatis Divini Numinis* ſive τοῦ θεοῦ, admodum commodè hîc includi poſſe. Ipſéque *Vatablus*, quanquam ob notiones ſuas Grammaticas, aliquantum hîc tergiverſatur, apertè tamen tres perſonas in uno Deo, viceſimo ſexto verſu hujus Capitis, agnoſcit. Quódque hæc *Moſis* doctorúmque & piorum è *Judæis Cabbala* fuerit *Philoſophica*, non obſcuro argumento eſt quòd *Trinitatis* notio tantopere inculcetur à *Platonicis* & *Pythagoreis*, quos, apud omnes in confeſſo eſt, (ſpéroque me illud manifeſtius quàm unquam fuerit hactenus, redditurum) ſuam Philoſophiam à *Moſe* eſſe mutuatos.

Per æternam ſuam ſapientiam. *Ambroſius*, *Baſilius* & *Origenes*, *In principio* dicunt idem eſſe atque *In Filio*. Et in primo ad *Coloſſenſes* illîc Apoſtolus de filio Dei loquens, eum ait *Primogenitum eſſe omnis Creaturæ, pérque eum omnia creata eſſe quæ in cælis ſunt & quæ in terra, ipſúmque eſſe ante omnia & omnia per eum conſiſtere.* Hæc eſt *Sapientia* Dei ſive *Idea* juxta quam omnia formata ſunt. Quámque proinde oportet eſſe ante omnia, *Principium Creaturarum* Dei. Et apprimè ſanè conſentanea ſunt huic Apoſtoli duo illa Attributa quæ *Philo* eidem attribuit, πρωτόγονον θεοῦ λόγον, *Primogenitum Dei Verbum* eum appellans, & Ἀρχὴν *Principium.* Appellat etiam ſimpliciter λόγον, quod eſt, *Verbum*, *Forma*, *Ratio*, vel *Sapientia.* Altérque è *Chaldæis* Paraphraſtis *In Principio* interpretatur, *In Sapientia.* Atque hoc quidem mirificè
Prov. 8. 22. congruit cum illo *Salomonis*, יהוה קנני ראשית דרכו Deus poſſedit me ראשית דרכו, *Principium viæ ſuæ*, i. e. operum ſuorum, quemadmodum exponit *Vatablus*, ipſéque

Textus confirmat, ſequitur enim, קדם מפעליו מאז, *Oriens operum ſuorum ab antiquo.* Nihil enim neceſſe eſt, ut ראשית & קדם adverbia fiant, cùm ſint ſubſtantiva. Atque hîc *Sapientia* vocatur ראשית & קדם, *Principium* & *Aurora* operum Dei, non quidem per diminutionem, ſed ex eo quòd Oriens ſive Aurora, Lucis matrix ſupponitur, unde oriatur omnis *Lux* ac *Forma*; & *Forma Lux* eſt, quemadmodum ſuprà monui ex *Plotino*.

Atque hæc quidem Notio קדם cum loco illo apud *Triſmegiſtum* optimè convenit, *In* Κόρῃ Κόσμου. ubi *Hermes* ſic loquitur: Ἐγὼ γὰρ τῆς ἀνατολῆς γενομένης, τοῖς πάντα βλέπουσιν ὀφθαλμοῖς τὰ τῆς ἀνατολῆς θεωρήσας, &c. Ubi ἀνατολὴ, quod idem eſt quod קדם, ſignificat *Divinum Intellectum*, Stellam illam ſplendidam ac matutinam, Sapientiam Dei. Cui *Sapientiæ* in octavo Capite Proverbiorum ראשית & קדם appellatæ (i. e. *Principium* & *Aurora* operum ſuorum) Mundi Creatio à *Salomone* aſcribitur, quemadmodum illîc fusè videre eſt. Id tantùm addam, quod Textus Hebraicus hîc in *Geneſi* appellat ראשית *Chaldæum* appellare קדמין, quod idem prorſus eſt quod קדם. Quamobrem ראשית eſſentialis eſt Dei Sapientia, non Habitus aut Proprietas, ſed Subſtantia quæ ſit Sapientia. Nam vera *Sapientia* eſt *Subſtantia.* Ἡ ἀληθινὴ σοφία οὐσία, καὶ ἡ ἀληθινὴ οὐσία σοφία· Idem eſt quod *Plotinus* aſſerit. Unde appellatur in Apocalypſi, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quæ Periphraſis omnino eſt Jehovah, quæ Eſſentia eſt ſive οὐσία. * Quod nomen יהוה tempus futurum, præſens ac præteritum in י ו & ה literis complectitur, quemadmodum obſervat *Zanchius.* Hæc eſt ſecunda *Hypoſtaſis* in ſacroſancta *Trinitate*, *Logos* ille, qui in Mundi principio *erat apud Deum.* *Johan.cap.1.3.* *Omnia per eum facta ſunt*, * *& abſque eo factum eſt nihil, quod factum ſit.*

Primùm creavit. Rationi nequaquam imputare poſſum ſed Imaginationis Tarditati, inertíque Melancholiæ ſegnitiei, ſanguiníſve oneri atque carnis, quod facit ut quidam homines opinentur nè Deo quidem ipſi competere creandi facultatem, cùm tamen interim exiſtimem, me demonſtrâſſe planè in *Antidoto adverſùs Atheiſmum*, *Lib.1. cap. 7. ſect. 4.* impoſſibile eſſe quin Deus hanc creandi facultatem habeat, quippe aliàs non futurus Deus. Verùm, quoniam noſtra Mens ac Voluntas nullam creare poteſt ſubſtantiam à nobis diſtinctam, nos quidem ex modulo noſtro Divinam potentiam metientes, ſtolidè ſtatim imaginamur, nec eum quidem ullam ſubſtantiam à ſeipſo diſtinctam poſſe creare. Quæ imbecillis omninò Concluſio eſt, noſtræ ſoli ſtupiditati & inadvertentiæ innixa, illíncque enata.

Verſ. 2. *Solitudo & Vacuitas.* Ipſæ voces Hebraicæ ità ſignificant, quemadmodum monet *Vatablus.* Qui cùm Termini abſtracti ſint, (ut loquuntur Scholæ) admodum aptè cum notione conveniunt quam nos huic Terræ *Symbolicæ* impoſuimus, qui affirmamus nullum reale eſſe ſubjectum actu exiſtens ſive ſpirituale ſive corporeum quod dici poſſit inane aut vacuum, ſed ipſam eſſe Vacuitatem & Inanitatem, cum capacitate tantùm aliquid evadendi conjunctam. Eſt ſanè quemadmodum ſæpiùs innui, *Ens Potentiale* totius Creationis externæ.

Spiritus verò Dei. Non *ingens Ventus* ſed *Spiritus ſanctus.* Hæc eſt Interpretatio communis antiquorum Patrum. Et argumento quidem eſt eam ſecundùm veram *Cabbalam Moſaicam* fieri, cùm *Platonis* Scholæ adeò ſit conſentanea. Quam Scholam fateor me ſuſpicari, plus illius *Cabbalæ* retinere quàm Judæi ipſi nunc retinent.

Extenſis alis quaſi ſuſpenſa imminuiſſet. Vox in Origine Hebraica eſt, מרחפת, quæ expanſis alis imminere ſignificat & incubare quaſi alicui rei, ut Avis Nido ſuo aut pullis. Atque hinc haud ità veri diſſimile eſt, quin *Ariſtophanes* ſuum Ovum deſumpſerit.

Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ μελαιόπτερος ὠόν.
Id eſt,
Primum omnium parit ſubventaneum Nox nigripennis Ovum.

Atque hic quidem incubandi modus Symbolum tenerrimi Affectûs eſt. Et quis profectò præſtare poteſt, quin Poëtæ olim occaſionem ex hoc Textu ſumpſerint fingendi antiquum illum *Cupidinem* Patrem omnium Deorum, rerúmque omnium opificem ac humani generis Creatorem? Sic enim ab *Heſiodo* deſcribitur & *Orpheo*, atque hîc in hoc ipſo loco *Ariſtophanis* unde ſuprà citatum verſum decerpſi.

Simmias Rhodius antiquum hunc *Amorem* ſive *Cupidinem*, verſibus deſcribit, qui Alarum par expanſarum repræſentant. Ad commentum hoc Ovi *Ariſtophanici* cui incubet factum nolo affirmare. Sed longiſſima ex altera earum penna ſic ſcribit.

Λεῦσσέ με τὸν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ᾽, ἀκμονίδαν τὰν ἄλαθ᾽ ἐδράσαντα.

Id eſt,

Aſpice me Telluris profundos receſſus habentis Regem, ſtrenuúmque Maris Fundatorem.

Hic Dei igitur *Spiritus*, ſive *Divinus Amor* qui fuit ab æterno, *tertia Divina Hypoſtaſis* reperietur. Prima erat אלהים, vox robur ac fortitudinem ſignificat, éſtque communis potiùs totius *Trinitatis* appellatio. *Jehovah* verò, quemadmodum Rabbini notant, nomen eſt Dei quatenus benignus eſt ac miſericors, cui reſpondere poteſt T'αγαθὸν *Platonis*. Illud verò nomen etiam *Chriſto* communicatur, quemadmodum jam obſervavimus. Secunda eſt ראשית quæ eſt *Sapientia*, prout ſuprà probatum eſt ex Proverbiis *Salomonis*, cui reſpondet *Platonicorum* Νȣ͂ς. In tertiam jam incidimus, quæ eſt *Amor*, aptéque coincidit cum tertia *Hypoſtaſi* in Triade *Platonica* ψυχῆ quam *Plotinus* appellat οὐρανίαν Ἀφροδίτην, *Cœleſtem Venerem*. Atque huic quidem, modo magìs immediato, Mundi Creatio ab iſto ‖ Philoſopho aſcribitur, utì etiam à *Platone*, ut hîc apud *Moſen* Spiritus Dei dicitur humidæ Materiæ incubare ad actualem productionem hujus Mundi externi.

‖ *Ennead.* 3. *lib.* 5. & *Ennead.* 4. *lib.* 4 *cap.* 9.

Verſ. 3. *Actualiter exiſterent ſine ulla dependentia à Materia corporea.* Quod primùm exiſtit, manifeſtum eſt id independens eſſe ab eo quod ſequitur. Et *Philo* quidem omnes Eſſentias immateriales primo die creatas aſſerit. Unde Animæ humanæ ab omni metu Fati ac Mortalitatis procul amoventur. Quod inſigne illud Scholæ *Platonicæ* dogma eſt.

Verſ. 5. *Eſt Materia merè Metaphyſica.* Vide vocem *Hyle* in *Interpretatione Generali* ad finem *Poematum* adjecta. Ubi invenies eandem Notionem quâ hîc utor, illîc à me ſtabilitam, quanquam tunc temporis in animo neutiquam habui ullam Textûs *Moſaici* Expoſitionem aggredi.

Cùm Monas ſive Unitas. Convenientiam Numeri cum natura operis cujuſque diei obſervare potes eſſe planè mirabilem. Unde meritò concludere poſſumus rem ex conſilio ſic fuiſſe ordinatam, maximéque veriſimile eſſe hanc *Cabbalam Pythagoræ* notam fuiſſe. Atque hoc in cauſa fuiſſe cur *Pythagorei* Numerorum Myſteria tantopere creparent, aliáſque notiones Numeris imponerent quàm alii *Arithmetici* ſolent. Ac proinde ſi talia Theoremata qualia tradiderunt *Pythagorei*, cum Textu hoc *Moſaico* quadrare ac convenire reperiantur, haud obſcuro profectò argumento erit, eam ipſam veram eſſe illius *Cabbalam Philoſophicam*.

Philo primum hunc Diem in Creationem inſumi facit, rerum *Immaterialium* ac *Spiritualium*, *Mundi* nempe *Intellectualis* ſenſu laxiori accepti, vel *Mundi Vitæ* ac *Formarum*, quemadmodum *Ficinus* appellat. Et *Pythagorei* quidem *Unitatem* vocant Εἶδος *Formam* & Ζωὴν *Vitam*. * Appellant etiam Ζανὸς πύργον, *Turrem Jovis*, idem etiam Nomen *Centro* impertientes; per quod intelligant *Vitale Centrum* rerum *formativum*, *Rationes Seminales*. Et verò *Unitatem* Λόγον σπερματίτην, *Formam Seminalem* nuncupant. Sed admodum brevis pariter ac ſufficiens Ratio, cur *Spirituales* ſubſtantias primi diei opus *Philo* pronunciaverit, hæc eſt, Quòd, quemadmodum *Unitas* inter Numeros indiviſibilis eſt, ità & natura *Spirituum* eſt indiviſibilis. Ex uno duos efficere non potes, ut ex uno Materiæ corporeæ fruſtulo actuali Diviſione alteriúſque ab altero ſeparatione, duo fruſtula potes efficere. Quapropter * quicquid verè ac propriè primo die creatum eſt, Immateriale erat, Indiviſibile & à Materia independens; à ſummo Angelo ad infimam formam ſeminalem.

* *Nicomach. Geraſen. in Photii Bibliotheca.*

Et quantùm ad *externæ Creationis Poſſibilitatem*, cùm Ens non ſit propriè reale, nullam poteſt creare difficultatem. Sed quicquid eſt, ad res incorporeas ſatìs aptè referri poteſt, cùm nullum ſit *Senſûs* Objectum ſed *Intellectûs*, cúmque tale ſit ut nec *pati* poſſit nec *diminui*, atque ſic quodammodo ſit *indiviſibile*. Etenim cùm *Divina Potentia* minui nequeat, nec *Poſſibilitas* quidem *Creaturæ* poteſt diminui, cùm adæquata ſit illius potentiæ Conſequentia. Quamobrem hæc *Potentialitas* cùm ſemper una ſit, rectè refertur ad diem *primum*. * Atque ex hac ratione *Pythagorei Unitatem* perinde atque *Binarium*, ὕλην appellant, utì etiam ἀλαμπίαν & σκοτωδίαν. Quæ nomina tenebroſam rerum *Potentialitatem* à *Moſe* in primi Diei Creatione expoſitam planè reſpiciunt.

* *Nicomach. Geraſen. Arith. Theolog in Photii Bibliothec. p.* 187.

Verſ. 6. * *Immenſam realis corporeæque materiæ creavit copiam*, &c. Creat nunc *Materiam corpoream* (ut antea *Mundum Vitæ*) ex nihilo. Quæ *univerſalis Materia* meritò appellari poteſt רקיע, cùm extenſio corporeæ Materiæ tam inſigni modo ſit propria. *Caſtellio* vertit *Liquidum*, atque hæc univerſalis Materia utplurimum adhuc fluida eſt per totum Mundum, primùm verò erat univerſim *Fluida*.

Inter fluidam rerum naturalium poſſibilitatem, &c. Atqui hîc fortè quæres, quomodo Materia hæc corporea concipi poſſit inter *aquas ſuperiores* & has *inferiores* interjacere. Quid enim eſſe poſſunt *Aquæ* iſtæ *ſuperiores?* *Maimonides* adeò continuam Analogiam in abdito Scripturæ ſenſu, quemadmodum videre eſt in Præfatione ad *More Nevochim*, neutiquam requirit. Sed non opus eſt ad tam generale recurrere ſuffugium. *Seminales* enim *Formæ* quæ deſcendunt per Materiam, atque ſic *Poſſibilitatem* partium externæ Creationis attingunt, faciúntque ut germinent in *actum*, non diſſimiles ſunt, meo quidem judicio, guttis pluviis quæ per Cœlum ſive Aërem deſcendunt, terrámque reddunt fructiferam. Præterea *Formæ* rerum *ſeminales* quaſi rotundæ ſunt, ſi fas ſit ità loqui, & in orbem contractæ, ſed expandunt ſe cùm partem aliquam *Poſſibilitatis* externæ Creationis in *actum* producunt, ut guttæ pluviæ in terram delapſæ, ſe diffundunt. Adeò ut Analogia ſatìs palpabilis ſit, licèt nimis elaborata videri poſſit & curioſa. Hiſce omnibus addere poſſumus de *Naiadibus* ſive *Nymphis Aquaticis*, Veteres per eas intellexiſſe τὰς εἰς γένεσιν κατιούσας ψυχὰς κοινῶς ἁπάσας. Omne genus Animarum quæ in Materiam deſcendunt & Generationem. Quamobrem *Poteſtates Aquaticæ* (quemadmodum *Porphyrius* etiam has *Nymphas* appellat) minimè conceptu abſonum eſt, quin hîc indigitari poſſint per nomina Aquarum ſuperiorum. Vide *Porphyrium* in De *Antro Nympharum*.

Juxtáque hunc ſenſum formatæ ſunt illæ locutiones quæ apud *Syneſium* occurrunt.

Hymn.3.

Λιβὰς οὐρανία	*Gutta Cœleſtis*
Κέχυμαι κατὰ γᾶς,	*Effuſa ſum in terram*,
Παγᾷ με δίδου	*Fonti me reſtitue*
Ὅθεν ἐξεχύθην	*Unde ſum effuſa*
Φυγὰς ἀλῆτις.	*Profuga vagans.*

Quod ſatìs planè oſtendit eſſe quidem id quod Aqua appellari poteſt, ſupra Cœlos Materiales.

Demetrius etiam apud *Plutarchum* Animas Generationi involutas tot *Nymphas Aquaticas* facit. Neque inanis jejunáque Metaphora eſt, ſed ad Phyſicam quandam Veritatem collineat; nempe ad humiditatem *Vehiculorum* iſtiuſmodi *Animarum* ſive *Spiritualium Poteſtatum* quæ Generationi illigentur. Quamobrem omnes iſtæ Eſſentiæ Immateriales, ſive Univerſalis *Spiritus Naturæ*, ſive *Animæ* Hominum ac Brutorum, quatenus imbuuntur induuntúrve ejuſmodi humore genitali dum viſibilem aliquam fabricam ex inferioris hujus Regionis Materia efformant, (in quam propter vitalem adhæſionem huic humiditati deſcendunt) plus quàm Metaphoricè *Aqua* appellantur, ut Angeli aliíque Spiritus primo Die creati plus quàm Symbolicè appellantur *Cælum* atque *Lux*, quemadmodum ſuo loco notavimus.

Vide Immortali. lib.3.c.18.ſect. 6.

Vide Append. ad Defenſ. c 7. ſect.8.

Et ſecundùm hanc quidem Hypotheſin, de *Genitali* hoc *Humore* cui Spirituales hæ Eſſentiæ, quoties aliquam Terreſtrem contexturam conficiunt, involvuntur, præſtantiſſimum illum Philoſophum Platonicum *Virgilium* deſcriptionem de penſo operáque *Nympharum Aquaticarum* in Fluvio *Peneo* feciſſe autumo.

Cyrenen *circum* Mileſia *vellera* Nymphæ
Carpebant hyali ſaturo fucata colore,
Inter quas curam Clymene *narrabat inanem*
Vulcani, Martiſque *dolos & dulcia furta* ;
Atque Chao denſos Divûm numerabat amores ;
Carmine quo captæ fuſis dum mollia penſa
Devolvunt, &c.

Per quas rerum deſcriptiones proculdubio peritiſſimus ille Poëta nihil aliud intelligit, quàm quòd nendi contexendíque prima vitæ ſtamina artificium in certo quodam *primordiali* ſive *genitali humore* exercetur, in quo Spirituales hæ Poteſtates *Nymphæ Aquaticæ* operantur, quas igitur introducit lanam carpentes, nentes, laſciva carmina canentes, furtivóſque Deorum Amores (i. e. earum partium Cœleſtis Creationis, quæ deſcendunt εἰς γένεσιν) ſub aquis Fluvii *Penei* enarrantes.

Ut concludamus igitur: Admodum facile eſt & conſentaneum, quemadmodum Angeli Animæque humanæ in Generationem nondum immerſæ, ut & omnes iſtæ Spirituales Eſſentiæ *primo Die* creatæ reſpectu vehiculi maximè intimi, *Cælum* appellantur atque *Lux*; ità ſimiliter concipere, omnes Animas quæ deſcendunt εἰς γένεσιν omnéſque poteſtates Spirituales quæ terreſtri Formationi ſe applicant, ad quam *Genitalis* hic *humor* requiritur, pari ratione *Aquas ſuperiores* in hujus *ſecundi Diei* opere, appellari, quemadmodum Homo reſpectu externi ſui corporis vocatur * Adam, quod *Terram* ſonat.

Verſ. 7. *Quas ſibi noxas errantes Animæ*, &c. Frequentes querelæ quas nobilis ille Genius in *Pythagoreis* & *Platonicis* contra moleſtias atque onera inſtituit hujus mortalis corporis, *Cabbalam* hanc reddunt admodum probabilem. Neque multùm abludit ab opinione iſtorum Theologorum qui Infernum hoc die creatum exiſtimant.

Verſ. 8. *Actuata eſt continuò & agitata*, &c. Scholæ *Platonicæ* hoc planè congruens eſt, qui materiam ex ſe faciunt immobilem. Quod Rationi maximè conſentaneum eſt. Nam ſi ex ſua natura mobilis eſſet, nihil vel uno momento cohæreret, ſed ſeipſum diſſolveret in partes infinitè minutas. Unde manifeſtum eſt, oportere aliquid exiſtere præter Materiam, quod eam aut *vinciat* aut *moveat*, aut utrumque. Adeò ut Eſſentiarum Immaterialium Creatio, etiam hanc ob cauſam ſit neceſſaria.

Ut rectè hæc Materia appellanda ſit Cælum. שמים intelligo. Hæc enim Materiæ agitatio eam ad ſecundum Principium *Carteſianum* reduxit, qui verus eſt Æther, vel potiùs שמים. Nam liquidum eſt ut Aqua, & tamen in ſe habet acrem iſtam ac vehementem Ignis vim, quod primum elementum eſt, omniúmque ſubtiliſſimum. Res vel primo intuitu intelligitur à *Carteſianis*, qui facilè admiſſuri ſunt iſtam Notationem Rabbinorum in voce שמים, quippe ab אש *Ignis*, & מים *Aqua*. Sic enim R. *Bechai*. *Cæli*, inquit ille, *creati ſunt ab initio & appellantur* שמים *quia ſunt* אש *&* מים *Ignis & Aqua*. Quod nulla Philoſophia æquè confirmat atque *Carteſiana*. Nam Particulæ rotundæ, Aquæ inſtar (quanquam non ſint ejuſdem figuræ) primi Principii vehementiam ac ferocitatem, qui puriſſimus ignis eſt, mitigant & quaſi extinguunt. Et tamen Ignis hic ad aliquem quidem modum triangularibus Particularum rotundarum Intervallis ſemper interjacet, quemadmodum iſta Philoſophia copioſè declarat.

Et Binarius. Quàm aptè rurſus Numerus cum operis Diei natura convenit, quæ Creatio eſt Materiæ corporeæ? Et *Pythagorei* Numerum *Binarium* ὕλην, i. e. *Materiam* appellant. *Simplicius* in *Ariſtot*. Phyſ. lib. 1. de *Pythagoreis* loquens. Εἰκότως ἓν μὲν τὸ εἶδος ἔλεγον, ὡς ὁρίζον ὅπερ ἂν καταλάβῃ καὶ περατοῦν· δύο δὲ τὴν ὕλην, ὡς ἀόριστον, καὶ ὄγκου καὶ διαιρέσεως αἰτίαν. *Meritò*, inquit, Unum *Formam appellabant, ut quæ finiat terminétque quod comprehenderit*: Duo *autem Materiam, ut indefinitam & quæ molis cauſa ſit & diviſionis*. Atque admodum copioſè quidem *Binario* tales accumulârunt appellationes quæ *Materiæ corporeæ* maximè ſint propriæ, ut ἀσχημάτιστος, Ἀόριστος, Ἄπειρος, *Inſigurata*, *Interminata*, & *Infinita*. Talis enim ex ſe Materia eſt donec Forma eam comprehenderit. Dicitur etiam Ῥέα à fluiditate Materiæ; Ἀερία, Ἀστερία quia ſubſtantiam ſuppeditat *Cælis* atque *Stellis*; Νεῖκος, Μόρος, Θάνατος, *Contentio*, *Fatum* & *Mors*. Hi enim fructus ſunt conjunctionis Animæ cum Materia corporea. Κίνησις, Γένεσις, Φύσις, Διαίρεσις, *Motus*, *Generatio*, & *Diviſio*. Quæ proprietates ſunt quæ manifeſtò ad corpora pertinent. Hunc Numerum etiam ὑπομονὴν nuncupant quippe quòd ὑποκείμενον ſit, *Subjectum* quod patitur ſuſtinétque omnes mutationes atque alterationes quas *Formæ activæ* in ipſum inferunt. Quamobrem manifeſtum eſt *Pythagoreos* Materiam corpoream per *Binarium* intellexiſſe, quem nemo negare poteſt aptum eſſe Diviſionis (inſignis illius proprietatis materiæ) *Symbolum*.

Nicomach. Geraſen Arithmet. Theolog. lib. 1.

Poſſumus autem & alteram rationem adjicere cur *Cæli* שמים creati ſint *die ſecundo*. Nam Materia Cœleſtis ex duabus partibus planè diſtinctis conſiſtit, nempe ex Elemento *primo* & *ſecundo*, ſive ex Materia ſubtiliſſima & Particulis rotundis, quemadmodum ex Philoſophia *Carteſiana* ſuprà monui.

Verſ. 9. *Illa quidem referenda eſt ad Diem inſequentem.* Intelligere hîc oportet, hos *ſex Numeros* ſive *Dies* non ſignificare ullum temporis ordinem, ſed naturam rerum quæ in eis dictæ ſunt creari. Per *Cabbalam* verò *Moſis Philoſophicam* non ſtare, quin omnia aut ſimul fieri poſſent, aut talibus temporum periodis quæ rerum ipſarum naturæ maximè convenirent. Quæ in verſum hunc nonum dicta ſunt, meliùs intelligentur, pleniúſque, poſtquam ad quarti diei opus pervenerimus.

Verſ. 13. *Et Ternarius illius naturam denotat.* In hoc *tertio die*, divino juſſu, Aquæ in unum locum confluxerunt, omni genere plantarum Terra ornata eſt. Paradiſus cum omni ejus voluptate & copia, creata, in qua Serpens *Evam* decepit, & quæ ſequuntur. Quid igitur magìs veriſimile eſſe poteſt quàm quòd *Pythagorei* ſuis Numeris uſi ſint tanquam monumentis particularium rerum geſtarum in hac Hiſtoria Creationis; quippe qui Numerum *Ternarium* Τρίτωνα, & Θαλλασσοῦχον, i. e. Tritonem Dominúmque Maris appellant, quod propterea fit, quòd Deus Aquas hoc die juſſerit in unum locum congregari ut ex eis conſtitueretur Mare? Appellant etiam Ternarium κέρας ἀμαλθείας, & Ὀφίωνα. Quarum vocum prior rerum bonarum omnium

Nicomach. Geraſen. Arithmet. Theolog. lib. 1.

in Paradiſo *abundantiam* innuit, altera refertur ad *Serpentem Evæ* deceptorem. Nunc verò præter hæc inveniemus *Ternarium* operis hujus tertii diei naturam admodum aptè ſignificare. Etenim primùm, Terra ex tertio *Carteſianæ* Philoſophiæ elemento conſiſtit (Illius enim Philoſophiæ veritas vel invitis nobis ſe intrudet) & tum dein, tres ſunt præcipuæ partes hujus tertii Elementi quæ ad Tellurem habitabilem reddendam ſunt neceſſariæ, *Terra,* putà, *arida, Mare,* (unde fontium ſcaturigines & fluvii) atque *Aer.* Et denique in Vegetabilibus, quod opus principale eſt hujus diei, tres ſunt inſignes proprietates, *Nutritio* ſcilicet, *Accretio* & *Generatio*; utì etiam, ſi *Durationem* eorum conſideres, tria ſunt illius puncta Cardinalia, *Ortus, Acme, Interitus.* Huc adjicere potes & Mineralia, quæ ad hunc diem pertinent perinde atque Plantæ, quòd ipſa ſcilicet pariter atque Plantæ & in genere omnia corpora Terreſtria, *tria* illa in ſe habent Principia Chymica *Sal, Sulphur* & *Mercurium.* Et poſtremò, id quod haud exigui momenti eſt, quòd motus Telluris *triplex* ſit, motus nempe ſuper proprium Axem, motus Centri circa Solem, & motus denique ille qui ex inclinatione Axis ſitúque ſibi ipſi ſemper parallelo oritur, quo *obliquum* Circulum in Terra deſcribit, quam *Ecclipticam* vocamus.

Verſ. 16. *Et talis quidem eſt hæc Terra in qua vitam degimus.* Quemadmodum Materia Univerſi ſecundo die prodiit,ità formatio ejus in Soles & Planetas in hoc quarto die continetur, Terrâ ipſâ non exceptâ, quamvìs ſecundùm *Literam Die primo* facta ſit, & quatenus Plantarum Nutrix eſt, retecta dicatur in die tertio; Veruntamen quatenus eſt Luminis Receptaculum & mutuatitiis radiis ſplendet inſtar Lunæ aliorúmque Planetarum, rectè referri poteſt ad hujus *quarti* diei Creationem.

Neque hoc durum omnino aut temerarium videri poteſt ſi conſideremus Authorum doctiſſimos in hoc jam conſenſiſſe, quòd Univerſa Creatio facta eſſet ſimul. Ut, exempli cauſâ, maximè ſobrius maximéque caſtigati judicii inter omnes Doctores *Judaicos,* R. *Moſes Ægyptius, Philo Judæus, Procopius Gazæus,* Cardinalis *Cajetanus,* S. *Auguſtinus,* & Scholæ *Hillelis* & *Samai,* ut *Manaſſeh Ben Iſrael* refert. Adeò ut lentus ille Dierum ordo hoc pacto penitus tollatur, omnéſque ſcrupuli & difficultates quæ ex iſta Hypotheſi oriri poſſint.

De Creatione, Problem. 1.

Quamobrem dico *Terram* tanquam unum è *primariis Planetis* creatam fuiſſe die *quarto.* Reddóque הכוכבים *Planetas primarios. Primarios* propter ה Emphaticum: & *Planetas,* quia ipſa Notatio nominis eorum, Naturam ipſorum indicat. Etenim כוכב planè fit à כו uſtio, & כב Extinctio, Nominibus à כוה & כבה ſactis, ut תו & אב à תוה & אבה ſecundùm certam & irreprehenſibilem Analogiam. * Et certè Terra utì & reliqui Planetæ, tali naturâ ſunt, ac ſi aliquando ardentes ſplendentéſque fuiſſent Soles. Luce verò ac calore ſemel extinctis, opaci Planetæ poſtea facti ſunt. Hæc concluſio planè hîc contineri videtur apud *Moſen,* ſed in Philoſophia *Carteſiana* fusè demonſtratur. Nec enervatur quidem vis Notationis vocis כוכב objiciendo eam vulgo uſurpari ad ſignificandas Stellas *Fixas* perinde atque *Planetas.* Neque enim inficior quin juxta vulgarem Notionem etiam illis competere poſſit. Nam *Stellæ fixæ* ſecundùm Imaginationem rudis vulgi dici poſſunt accendi & extingui, quoties apparent & diſparent denuo. Illi enim omnia ſenſu obvio & Imaginatione metiuntur, faciléque poſſunt eas tanquam tot candelas conſiderare Divinâ Providentiâ noctu quidem accenſas, ſed interdiu frugalitatis ergô, extinctas, nè fruſtrà conſumerentur. Et certè memini *Theodoretum,* in libro περὶ Προνοίας, tam avidè dextréque hanc Notionem deglutiiſſe, ut tanquam ſpeciali Providentiæ argumento utatur, quòd ad hunc modum poſſint inverſis capitibus ardere, nec ſtatim nimiùm eliqueſcendo extingui, quemadmodum vulgo fit in noſtris Candelis. Quamobrem Vox כוכב non incommodè omnibus Stellis attribui poteſt Fixis perinde atque Planetis, ſed *Fixis* quidem ſenſu ad vulgi captum accommodato, *Planetis* verò ob rationes veras as naturales. Et certi profectò eſſe poſſumus, eas eſſe ad quas *Moſes* ſpectare voluerit atque urgere in *Cabbala* ſua *Philoſophica.*

Breviter igitur, ה Emphaticum in הכוכבים duplicem Emphaſin continet, innuendo primùm, veros iſtos כוכבים ſive Planetas, & tum dein eminentiſſimos eorum verè ſic dictorum. Nec omninò mirum eſt tam abſtruſas Philoſophiæ Concluſiones in hoc Textu *Moſaico* occultari. Etenim, quemadmodum alibi moneo, *Moſes Carteſii* ſolertiam anticipavit. Quippe quum Patriarchæ ſat ingenii, & propter eximiam longævitatem ſatis otii haberent, ad inveſtigandum æquè curioſa ac ſubtilia Theoremata Philoſophica atque ulli è poſteris ſuis unquam poſſent excogitare. Ut taceam quæ per Traditionem habere potuiſſent ab *Adamo.* Et certè ſi terram *Planetam* reperimus, concedi debet continuò eam circa Solem currere, qui purus putus eſt *Pythagoriſmus,* validóque indicio *Pythagoram* iſtud Myſterium edoctum fuiſſe per hanc *Cabbalam Moſaicam.* Quòd verò *Terra Planeta* ſit, præter Notationem cui ſuprà jam inſtitimus, neceſſitas creationis illius inter alios Planetas hoc *die quarto*, ulteriori eſt argumento. Neque enim ulla creationis illius in ullo alio die ſecundùm hanc *Cabbalam Philoſophicam* facta eſt mentio.

Verſ. 17. *Suas quibuſque terras habitantibus.* Textus Hebraicus habet, על הארץ. Nec dubitavi interpretari הארץ non quidem de hac una individua Terra, ſed de tota ſpecie, ſive de ſingulis aut univerſis. Quemadmodum האדם verſu decimo ſeptimo hujus Capitis non eſt Homo individuus ſive ſingularis, ſed Humanum genus, univerſim. Καὶ ἐν τοῖς δοκοῦσι περὶ τοῦ Ἀδὰμ εἶναι φυσιολογεῖ Μωϋσῆς περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου φύσεως. *Origen.* contr. Celſ. lib. 4. Quæ Clavis eſt præſtantiſſima ad aperiendum totum Myſterium Creationis. Atque ſic verſ. 16. המאור viz. המאור הגדל & המאור הקטן ad eundem modum exponuntur, de majorum minorúmque Luminarium generibus. * Adeò ut nulla violentia Grammatica Textui Moſaico inferatur per totam Interpretationem.

Verſ. 19. *Numerúſque illius naturam denotat.* Hujus *quarti Diei* Creatio, Efformatio eſt Materiæ in *Soles* & *Planetas*, vel in *Soles*, *Lunas* & *Terras.* Nam Ætherei Vortices tunc in motum excitati ſunt, Mundúſque corporeus formam ordinémque utilem nactus erat. Atque equidem Ordinatio formatióque Mundi Corporei meritò dici poteſt in Numero quaternario peragi; cùm *Quaternarius* primum inter Numeros corpus ſit, Pyramis utique æquilatera. Quæ figura etiam idoneum *Lucis ſymbolum* eſt, quandoquidem Radii illius oculum intrant ſub forma Pyramidali. Et Luminaria quidem nunc ſuſpenduntur per vaſtam Regionem Ætheræ Materiæ univerſam, quod *Cælum* dicitur.

Philopon. in lib. 1. Metaphyſ. Plutarch. de Iſide & Oſiride.

Nicom. Geraſen. Arith. Theolog. lib. 1.

Pythagorei etiam hunc Numerum *σῶμα* vocant & *κόσμον*, *Corpus* & *Mundum*, Mundi corporei in eo Creationem innuentes. Atque porrò, ut ſignificent in quàm præſtabili proportione & Harmonia Mundus factus ſit, *Quaternarium* hunc appellant Ἁρμονίαν & Βακχασμὸν ἀνεγείροντα, *Harmoniam*, & *Divini Furoris & Ecſtaſis excitatorem*, innuentes omnia tam ſuaviter & congruenter in Mundo ordinari, ut varii illius motus, venuſtæ Choreæ inſtar dulciſſimíque concentûs Muſici ſint, animámque contemplativam ex claro conſpectu attentáque animadverſione Ordinis & Oeconomiæ Univerſi, in raptus atque ecſtaſes auferre valeant.

In Coſmopœia Moſaica.

Et verò Philo, * qui in exponendo *Moſe* multùm *Pythagoriſſat*, Numerum hunc *Quaternarium* obſervat maximè perfectas rationes in Symphoniis Muſicis continere; nempe Diateſſaron, Diapente, Diapaſon & Diſdiapaſon: Τῆς μὲν γὰρ διατεσσάρων ὁ λόγος ἐπίτριτος, &c. *Nam ratio Diateſſaron eſt ut quatuor ad tria, Diapente ut tria ad duo, Diapaſon ut duo ad unum, vel quatuor ad duo, & Diſdiapaſon ut quatuor ad unum.*

Ariſtot. de Mundo.

In Coſmopœia Moſaica.

Adjicere huc etiam poſſimus conſiderationem illius Divinæ *Nemeſis* quam Deus in fabrica naturáque univerſæ Creationis, quatenus Retributor eſt unicuique ſecundùm opera ſua, collocavit. Unde & ipſe etiam *Nemeſis* appellatur apud *Ariſtotelem*, ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως, Quòd ubique quod ſingulis debitum eſt diſtribuit. Hoc juxta vulgarem loquendi formulam, Juſtitia eſt. Et tum *Philo*, tum *Plotinus* ex *Pythagoreis* affirmant Numerum *Quaternarium* Juſtitiæ eſſe Symbolum. Quæ omnia illuc ſpectant ad quod ego contendo, ad totam ſcilicet Creationem pertinere hunc Numerum *Quaternarium*, qui *Dies quartus* appellatur.

Nicomach. Geraſen. Arith. Theolog. lib. 2.

Et ad majorem evidentiam addere porrò poſſumus, Quòd quemadmodum omnes Numeri *Quaternario*, virtute ſive potentiâ, continentur (per omnes Numeros intelliguntur *Decem*, poſtquam enim ad *Decem* pervenerimus ſtatim revertimur) itâ *Radix* & *Fundamentum* totius Corporeæ Creationis in hujus *quarti Diei* opere ponitur, in quo Soles, Terræ ac Lunæ fiunt, & ſemper-circumgyrati vortices. Nam, quemadmodum *Philo* obſervat, more *Pythagorico*, Denarius (quem etiam appellant κόσμον, οὐρανὸν, & παντέλειαν, *Mundum*, *Cælum*, *Summámque Perfectionis*) fit partes ordinatim ſpargendo *Quaternarii*, ſic, 1, 2, 3, 4. Quas ſi conjunxeris ſimul, fit *Denarius*, *παντέλεια*, *τὸ πᾶν·* Univerſum. Atque hoc tale quidem Secretum erat apud diſcipulos *Pythagoræ*, ut in ſacri Juramenti formam abiret, jurare ſcilicet per eum, qui ipſis *Tetractyos*, *Tetrados*, ſive *Quaternarii* myſterium tradidit.

Sext Empiric. adverſus Mathemat. lib. 4.

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως, ῥίζωμάτ᾽ ἔχουσαν.

Id eſt,

Per eum qui animæ noſtræ tradidit Tetractyn,
Fontem perennis Naturæ radicémque habentem.

Sic jurârunt per *Pythagoram*, ut vulgò exiſtimatur, qui *Myſticam* hanc Traditionem eos docuerat. Et certè annon admodum venerandum Myſterium reverâ futurum fuiſſe putas dignúmque Religionis ſolemnitate & Juramenti, intelligere quòd 1, 2, 3, 4. ſimul ſumpta faciunt *Decem*; Decémque eſſe *Omnia*; quæ rudis Antiquitas primùm ſuper ſuos digitos numerabat, quod & Arithmetici nobis confirmant, vocando decem primos Numeros *Digitos* ad hunc uſque Diem?

Nè vel minima quidem veriſimilitudo eſt Virum tam ſapientem quàm erat ille *Pythagoras*, ullo in pretio iſtiuſmodi nugas habiturum fuiſſe; aut diſcipulos ejus fuiſſe tam Fatuos, ut eaſdem omnino admirarentur, eíſve caperentùr. Cæterùm ſatis notum eſt, *Pythagoreos* Motum Telluris circa Solem tenuiſſe, quod ſecundùm *Cabbalam Philoſophicam* in hujus *quarti diei* opere planè ſupponitur. Tantula quidem pars Secretorum ejus in communem notitiam venit atque famam. Verùm admodum probabile eſt totam *Cabbalam* Creationis *Philoſophicam* in partibus Orientalibus ab aliquo perito Sacerdote aut Philoſopho, (ut nunc vocantur) ipſi fuiſſe explicatam, qui ſub hoc Numerorum Myſterio ſelectiſſimas maximéque pretioſas Naturalis Philoſophiæ Concluſiones ei expoſuit, Textum *Moſaicum* interpretans, ut ego quidem ſentio, tali ferè modo, in quem ipſe incidi, omnéſque illas nobiles ampláſque Concluſiones rationibus demonſtrativis confirmans. Atque ſic *Pythagoras* ſolidâ rerum ſcientiâ ipſe pulchrè inſtructus lubenter eam impertiit aliis quos ſua Pietas ingeniíque captus ad eam recipiendam idoneos reddidiſſet, non omittens quidem externam illam Numerorum formam, ſub quâ hæc ſcientia ipſi primùm fuit communicata. Cæterùm iſtiuſmodi Nugamenta in jejunis Numeris, quæ vulgò tanquam ſua memorantur, theſauros ſapientiæ fuiſſe tam celebris Philoſophi, res profectò eſt quæ omnem omnino excedit fidem.

Quamobrem ſic equidem rem habere cenſeo, Quum maximè pretioſi ſelectíque ſcientiæ theſauri in explicanda *Cabbala quarti diei,* ipſi reſerarentur, hinc factum eſſe ut tantum ſolennitatis & Religionis illi Numero, quem *Tetractyn* ſuam appellavit, ſit attributum. Quæ quidem duplicis generis fuiſſe videtur; alterum, ſimplex numerus *Quatuor*; alterum *Triginta ſex*, ex quatuor primis maſculinis Numeris, & *Plutarch. de Iſide & Oſiride.* quatuor primis fœmininis conflatum, viz. ex 1, 3, 5, 7. & ex 2, 4, 6, 8. ubi obſervare potes priorem magíſque ſimplicem *Tetractyn* adhiberi adhuc & includi. Nam *Quaternarius* hîc rurſus locum ſuum obtinet in *maſculinis fœmininíſque* Numeris aſſignandis. Unde porrò exiſtimo, ſub numero hujus magìs complexæ *Tetrados*, quæ alteram etiam in ſe continet, eum totius Creationis Myſterium ſuos diſcipulos docuiſſe, omnium rerum naturam ipſis explicando, *ſpiritualium* perinde atque *corporearum.* Καὶ γὰρ εἰώθασιν οἱ Πυθαγόρειοι λόγον τινὰ λέγειν τοιοῦτον, Ὅτι ὁ ἄρτιος ἀριθμὸς τὸ τμητικὸν ἔχει καὶ παθητικόν, ὁ δὲ περιττὸς τὸ ἄτμητον, καὶ ἀπαθὲς καὶ δραστήριον. Διὸ ὁ μὲν θῆλυς ὀνομάζεται, ὁ δὲ ἄῤῥην. *Anonym. in Ptolem. Tetrabibl. lib. 1.* ***Etenim*** Pythagorei *talem quendam ſolebant efferre ſermonem; Numerum parem ſectioni atque paſſioni obnoxium eſſe; Imparem inſectilem eſſe & activum. Ideóque ille quidem fœmina ipſis nominatur; hic verò mas:* quemadmodum Author quidam ſcribit.

Quamobrem primorum quatuor *maſculinorum* Numerorum ad quatuor primos *fœmininos* additio, * eſt *Activorum* & *Paſſivorum* Principiorum conjunctio adaptatióque partium Materiæ Formis congruentibus è *Mundo Vitæ* per univerſam Creationem. Adeò ut *Tetractyn* exiſtimem ſymbolum fuiſſe totius Syſtematis Philoſophiæ *Pythagoricæ*, quam meritò ſuſpicari poſſumus eandem ferè fuiſſe cum *Cabbala Moſaica*. Et Radix quidem hujus *Tetractyos Senarius* eſt, qui *Moſen* rurſus admodum opportunè reſpicit nóſque in memoriam revocat Operis *Sex dierum* Creationis.

Verſ. 20. *Magnam produxère Piſcium copiam qui innatarent Aquis & Volatilium*, &c. Atque hîc *Moſes* planè Philoſophum agit conjungendo ſimul *Piſces* & *Volucres*. Eſt enim inter ipſos major Cognatio, quàm ab imperito vulgo facilè obſervatur. Etenim præterquam quòd Volucres Aquas multùm frequentant, quamplurimæ ſcilicet earum ſpecies, hæc ipſa Elementa *Aeris* atque *Aquæ* propter tenuitatem & liquiditatem magnam inter ſe habent ſimilitudinem. Præterea *Pinnæ* Piſcium & *Alæ* Volatilium, *Plumæ* horum & *Squamæ* illorum admodum Analogæ ſunt. Utrique etiam *Ureteribus* deſtituuntur propriè ſic dictis, *Mammillis* etiam atque *Lacte*, ſúntque utrique *Ovipari*. Porrò, motus admodum conſimiles ſunt, cùm *Piſces* quodammodo in *aqua volent Volucréſque* in *Aere natent*, ſecundùm illud Poetæ de *Dædalo*, cùm Alas ſibi concinnâſſet.

Inſuetum per iter gelidas enavit ad Arctos.

Euſeb. Nieremberg. Hiſtor. Natur. lib. 11. cap. 35.

Hiſce etiam adjice, quòd, quemadmodum quædam *Volucres* urinantur, *ſubtérque* *aquam* natant, ità quidam *Piſces ſupra Aquam volant in Aere* ad bonum temporis ſpatium, donec Pinnæ areſcere incipiant ac rigere.

Verſ. 23. *Quinariúſque illius naturam denotat. Philo* heîc nec obviam quidem illam conſiderationem de quinque ſenſibus in Animalibus omittit. Verùm mira coincidentia eſt, niſi ex conſilio ſit factum, quòd Animantia creata dicantur die *quinto* atque *ſexto*, cùm iſti Numeri juxta Myſteria *Pythagorica* tam aptè ipſorum naturam ſignificent. Nam Quinarius ab ipſis agnoſcitur *Mas* & *Fœmina*, ex *Ternario* quippe conſiſtens & *Binario*, duobus primis Maſculinorum Numerorum ac Fœmininorum. Eſt etiam Symbolum Generationis. Nam *Quinarius* in Quinarium ductus Quinarium rurſus edit, ut videre eſt in quinquies quinque, qui dant viginti quinque. Ità Aquila cum Aquila coiens Aquilam edit, & Delphinus cum Delphine coiens, Delphinum; & ſic de reliquis. Unde *Pythagorei* hunc Numerum *Quinarium*, *Cytheream*, i. e. *Venerem* appellant, & Γάμον, *Nuptias*. Notiſſimum autem eſt in Avibus, quòd ſingulæ conjugem ſibi eligunt. De Numero *Senario* agemus in proprio ſuo loco.

Nicomach. Geraſen. Arith. Theolog. lib. 2. Plutarch. de Ei apud Delphos.

Verſ. 26. *Quæ tam libera eſt, tam rationalis*, &c. Quòd Imago Dei in hoc potiùs conſiſtit, quàm in Dominio ſuper Creaturam, verum ego hujus loci ſenſum eſſe exiſtimo, magíſque *Philoſophicum*, alterum magìs *Politicum* autumo. *Philóque* eundem interpretandi modum adhibet, quem & nos eligimus, ut qui *Platoniſmo* ac *Pythagoriſmo* etiam magìs conveniat, optimæ, quam novi, Textûs *Moſaici Cabbalæ*.

Verſ. 27. *Mas & Fœmina. Mirum*, inquit *Grotius*, *quàm conveniant Rabbinorum ſuper hac re Explicationes & ea quæ* Plato *habet in* Convivio; *quæ tamen undecunque profecta ſunt, vana eſſe non dubito.* Atque equidem fateor omnino me juxtà cum eo ſentire. Mirabilis autem hic conſenſus inter *Ariſtophanis* Narrationem in ſuprà dicto *Convivio*, & Commenta Rabbinorum ſuper hunc Textum, haud obſcuro argumento eſt *Platonem* aliquam *Moſis* notitiam habuiſſe. Quod majorem meritò addere poteſt huic noſtræ *Cabbalæ* autoritatem atque fidem. Id verò *Platonis* ſapientiæ imputandum eſt, quòd veram *Cabbalam* ſibi ipſi quaſi reſervaret, ſed iſtiuſmodi ſpuria & maleſana commenta, quæ homines leves ac temerarii ex Textu elicere poſſent, ridiculo illi ac leviculo homuncioni *Ariſtophani* attribueret, cùm ſatìs idonea eſſent quæ ille efferret, in iſto Ingeniorum Conventiculo, Philoſophico illo Sympoſio *Platonis*.

Verſ. 28. *Dominabantur in Terra.* Septuaginta habent, κατακυριεύσατε. Quod eſt ſummum & abſolutum imperium exercere, aut ſaltem valdè rigidum, Matth. 20.

Verſ. 31. *Et Senarius naturam illius denotat. Senarius* duplicem habet relationem, alteram ad hujus diei opus particulare, alteram verò ad totam Creationem. Quantùm ad Diei opus particulare, variorum generum *terreſtrium* Animalium Creatio eſt, in *Mares* ac *Fœminas* diviſorum. Et *Senarius* quidem ex *Mare* & *Fœmina* producitur. Nam *Duo* in *Tria* fiunt ſex. Quæ *Philonis* eſt obſervatio. Atque hinc *Pythagorei* hunc Numerum Γάμον appellant, ſicut etiam notavit *Clemens*, addens inſuper ſic eos feciſſe reſpiciendo Mundi Creationem à *Moſe* deſcriptam. Hic Numerus etiam eodem modo quo Numerus *Quinarius*, idoneum eſt Procreationis Symbolum. Nam *ſex* ducti in *ſex* producunt *triginta ſex*. Obſervatio eſt *Plutarchi*, in ſuo, *De Ei apud Delphos*, quanquam loquitur de inferiori genere Generationis. Ego verò Animalibus maximè proprium eſſe exiſtimo. Eſt etiam hîc aliquid quod ſpeciatim ad hominem ſpectat, præcipuum operæ hujus ſexti diei effectum. Numerus brutalis Naturæ *Quinarius* erat, ſecundùm *Philonem*. Hîc verò in Homine *Unitas* ſuperaddita eſt, Ratio ſcilicet ad notitiam Dei pertingens. Unitáſque hæc priori *Quinario* adjecta, *ſenarium* conſtituit.

Clem. Alexand. Stromat. lib. 6.

Jam verò quod ad Relationem attinet quam *Senarius* gerit ad totam Creationem, *Pythagoreos* eum exiſtimâſſe aptum hujuſce rei Symbolum, ex ipſis Titulis manifeſtum eſt, quos in ipſum contulêre. Appellatur enim ab eis, Διάρθρωσις τοῦ παντὸς, Ἄκμων, Κόσμος, *Articulata, completáque Efformatio Univerſi, Incus* & *Mundus.* Incudem nominari exiſtimo propter indefatigabilem procuſionem novarum Formarum ac Figurarum in Materia Univerſi, virtute *Activi Principii* quod ubique ac ſemper agit aliquid ac molitur. Quomodo autem *Senarius* Mundi Symbolum ſit ſic intelliges. Mundus ex ſe completus eſt, plenus perfectúſque ex ſuis partibus; Ità & *Senarius* qui nullas denominatas partes habet præter ſextam, tertiam & ſecundam, viz. 1, 2, 3. Quæ ſimul additæ faciunt Sex: *Euclidéſque* ab hac proprietate Numerum perfectum definit. Τέλειος ἀριθμός ἐστὶν ὁ τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσιν ἴσος ὤν· *Perfectus Numerus eſt qui æqualis eſt ſuis partibus.* Quamobrem hic Numerus perfectionem Mundi illuſtrat. Notiſſimum verò eſt Deum in fine operum vidiſſe ac declarâſſe omnia quæ

Nicomach. Geraſen. Arith. Theolog. lib. 2.

Element. Geometr. lib 7. defin. 22.

fecit, valdè bona eſſe. Præterea Mundus eſt Ἄῤῥην καὶ Θῆλυς, Mas & Fœmina, hoc eſt, ex *Activo* conſiſtit & *Paſſivo Principio*, altero in alterum è *Mundo Vitæ* attracto. Et *Senarius* fit ducendo primum Maſculinum numerum in primum Fœmininum. Nam *Tria* in *Duo* faciunt *Sex*. *Clem. Alexand. Stromat. lib. 6. Nicomach. Geraſen. Arith. Theolog. lib. 2.*

Ità videmus perpetuò proprietatem Numeri, ſecundùm iſta Myſteria quæ *Pythagorei* in eis obſervârunt, naturam operis cujuſque Diei illuſtrare; Numeróſque præterea, utplurimum, Nomina ſortitos eſſe ſingulorum dierum operi reſpondentia. Quod quidem, quemadmodum ſæpe inculcavi, argumentum admodum probabile eſt *Pythagoreos Cabbalam* habuiſſe quæ Textum *Moſis* Hiſtoriámque Creationis ſpectabat. Et verò *Philo*, quanquam ratione haud ità accuratâ, mentem *Moſis* hac clave aperire aggreſſus eſt. Spero verò me hoc tam manifeſtò demonſtrâſſe, ut nemo quiſquam in poſterum ſit dubitaturus, quin hæc genuina ſit ratio ſenſum interpretandi Textûs *Moſaici* in hoc primo Capite Geneſeos.

SCHOLIA

In Cap. I. Verſ. 1.

PRO hac Materia Phyſica nos Metaphyſicam ponimus, &c. *Ità ſanè facimus in* Cabbala *ipſa; in* Appendice *verò* Defenſionis, *Cap. 9.* Phyſicam *quandam* Hylen *hìc etiam intelligi poſſe, & fusè & ſolidè, ni fallor, demonſtravimus.*

Quòd Nomen יהוה tempus futurum, præſens ac præteritum, &c. *Hoc eſt, Divina Eſſentia totum rerum ſeriem ac ſeculorum ordinem à principio ad finem in ſe continet.*

Et abſque eo factum eſt nihil quod factum ſit, Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. *Quidam ad* οὐδὲ ἕν, *plenam Periodum ponunt, &* ὃ γέγονεν *cum* Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν *conjungunt. Sed temerè meo quidem judicio. Neque enim* περιττολογία *eſt* ὃ γέγονεν, *ſed vehementior affirmatio ſine* Logo *nihil omninò creatum fuiſſe: ac ſi ſic ſcriptum eſſet,* χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲν ὁτιοῦν ὃ γέγονεν. *Deinde,* ὃ γέγονε *diſtinctionis gratiâ addi poteſt, ut certiùs intelligatur quid per* ἐγένετο *ſignificetur, nempe quòd talia indigitentur quæ initium habuerint, quod apertiùs indicatur per* γέγονε, *quod præteriti temporis ſignificationem habet, cùm* ἐγένετο ἀορίστως *ſignificet, & eodem ferè ſenſu ſumi poſſet, quo* ἦν *in* καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Eo igitur ſenſu* ἐγένετο *&* γέγονεν *hìc ſumenda innuitur, quo* τὸ γενόμενον *in Dicto illo* Meliſſi *apud* Ariſtotelem, Εἰ τὸ γενόμενον ἀρχὴν ἔχει ἅπαν, καὶ τὸ μὴ γενόμενον οὐκ ἔχει. *Ubi* τὸ γενόμενον *&* τὸ ἀρχὴν ἔχον *idem ſonare videntur.* *Phyſic. lib. 1. cap. 3.* *Quæ verò neceſſaria ſunt & æterna, cùm de eis dici non poſſet,* ὅτι γέγονεν, *ut quæ principium non habeant, non inſcitè nec temerè adjectum eſt* ὃ γέγονεν, *ut diſtinctus perinde atque plenus hujus loci ſenſus intelligatur, nempe de omnibus* γενομένοις *abſolutiſſimè verum eſſe, quòd nihil omnino* ἐγένετο, *quin ab ipſo ſit factum, quò* Logos *verus Deus Creator agnoſci poſſit, & ut talis coli.*

Verùm ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, *ſententia admodum dura eſt aut falſa. Omne enim factum à* Logo, *non eſt Vita, cùm* Materia *non ſit. Et ut* ζωὴ *pro* ζωὸν *poneretur vel* ζωοποιηθὲν, *durior eſt locutio. Et qualis* ζωὴ *hìc ſubindicetur apparet ex verbis proximè ſequentibus, quòd hæc* ζωὴ *ſit lux* Hominum. *Unde palàm eſt* ζωὴν *hanc talem eſſe* ζωὴν *à cujus influxu homines illuminentur, quæ proinde omnino eſt* Spiritus *ſanctus. Id quod longè credibilius eſt, quàm Ideas Divinas per* ζωὴν *ſignificari. Quippe quòd iſte ſenſus Narrationem magìs aridam & Scholaſticam redderet, eandémque nihilominùs mancam relinqueret omiſſâ mentione Spiritûs S. tertiæ Hypoſtaſeos Divinæ Trinitatis. Quibus omnibus adde, Græcos codices magìs probatæ Authoritatis omnes, quod notat* Calvinus, *in vulgari lectione conſentire.*

Verſ. 5. Appellant etiam Ζανὸς πύργον. *Equidem fateor me hìc in animo habuiſſe Appellationem* Ζανὸς πύργον, *deorſum ad* Rationales ſeminales *ſignificandas attrahere; at verò nunc poſtquam intellexerim Numeros* Pythagoricos *ad* Mercavam *perinde atque ad* Bereſhith *ſpectare, longè altius quid ſonare exiſtimo, nec ad ullam Creaturam ſpectare ſed ad* τὸ Ἓν Platonicorum, *& ob eam cauſam inter Nomina Unitatis recenſeri. Qua de re vide Tabulam* Sephirotharum Pythagoricam.

Quicquid verè ac propriè primo die creatum eſt, immateriale, &c. *Niſi* Hylen *quandam* Phyſicam *cum* Auguſtino *tunc creari velimus: qua de re vide Appendicem Defenſionis* Cab. Philoſ. *cap. 9.*

Atque ex hac ratione Pythagorei Unitatem perinde atque Binarium ὕλην appellant. *Quinimò vide annon* Unitas Hyle *vocari poſſet, eò quòd* Materia *ex Phyſicis* Monadibus *conſiſtat.*

Verſ.6. Immenſam realis corporeæque Materiæ creavit copiam, &c. *De productione hujus corporeæ Materiæ vide* Plotinum *Ennead. 4. lib. 3. cap. 9. & Tractatum meum* De Animæ Immortalitate, *lib. 3. cap. 16. ſect. 8.*

Adam, quod Terram ſonat. *Immò verò apertè pulvis appellatur, Geneſ. cap. 2. v. 7. Formavit igitur Dominus Deus Hominem* עפר מן־הארמה, pulverem è Terra.

Verſ. 16. Et certè Terra utì & reliqui Planetæ tali naturâ ſunt ac ſi aliquando ardentes ſplendentéſque fuiſſent Soles. *Hîc equidem omittere non poſſim quin notem quanta cum ſcævitate atque invidentia mecum egerit S. A. qui in* Exam. Gener. Cabbalæ *meæ* Philoſophicæ, *Diſput. 3. ſect. 2. p. 156. ità de me ſcribit.* Itaque qui credunt terram aliquando fuiſſe ſidus, qui *Carteſii* Potuiſſe vertunt in Debuiſſe, ſi Deus Mundum paulatim oriri voluerit, immò ità ortum eſſe audacter ſcribunt, atque Hiſtoriam *Moſaicam* fidiculis ſubjiciunt, prout *D. Morus* facit, à modeſtia ejuſdem *Carteſii* & veritate procul videntur, majori temeritate, diſcedere. *Quanta cum incuria & ſupinitate, nè dicam, malevolentia, in ſcriptis meis verſatus ſit S. A. vel ex hoc loco ſatìs intelligere eſt. Quippe qui de me planè contrà atque ipſe ſententiam explico, pronunciat. Non dico enim Terram Planetáſque olim Soles fuiſſe, ſed eorum naturam talem eſſe ac ſi olim fuiſſent Soles. Quod & ipſe* Carteſius *apertè affirmat, pari, ſiqua ſit, temeritate. Ego verò cùm paulo ſuprà cum veteribus affirmâſſem, omnia ſimul creata fuiſſe, Terram pariter atque Solem Stelláſque, planè repugnat ut adeò audacter aſſeram* Terram *aliquando fuiſſe* ſidus. *Cæterùm ut non ſoli* Samueli Andreæ *ſed omnibus in poſterum, (ſive* ſemel *Mundus creatus ſit ſive paulatim &* ſucceſſivè *) liberiora ſcriptorum meorum loca cavillandi anſam præripiam, quinque illas Regulas, quas in* Apologia *deſcripſi, earúmque rationes, quibus præcipuus Scopus Methodúſque ſcriptorum meorum certiùs intelligatur, huc tranſcribam. Quibus præfixus eſt hic Titulus,*

Quomodo quis in Rationali hoc ac Philoſophico ſeculo ſe gerere debeat ad lucrifaciendos retinendóſve homines in fide Chriſtiana.

REGULA I.

[1] Summa cum diligentia ſibi cavere debet nè quicquam neget, quòd is quem convincere velit cum clara ac ſolida ratione, meritò tenere videatur & allegare. [2] Et præſertim religioni habere debet id negare tanquam Chriſtianæ Fidei repugnans. [3] Niſi planè ac reverà infallibilibus ſacræ Scripturæ Oraculis contrarietur.

Ratio primæ partis hujus Regulæ petenda eſt à periculo nè faciat ut ipſe contemptibilis appareat ac ſuperſtitioſus Idiota, *ſicque ſeipſum reddat Provinciæ, quam ſuſceperit, planè inutilem; quippe quum* Antagoniſta *ſtatim concluſurus ſit, non quidem judicium eſſe, ſed caſum, ignorantiam, aut educationis vim quæ faciat ut* Religioni, *quam profitetur, adhæreat.*

Ratio ſecundæ partis eſt, nè Religionem ipſam in diſcrimen adducat, & contemptum, ac ſi infallibilis Dei dictamen non eſſet ſed fallibilium aliquorum miſeréque hallucinantium hominum qui rerum naturam ignorarent, & tamen nihilominùs opportunitate oblatâ, in officium ſe inſinuaverint Legiſlatorum & Prophetarum, quemadmodum fecit Mahometes. *Hâc viâ equidem, fateor, ſeipſum quis commodè vindicare poſſet à contumelia & ſuſpicione nè vir videatur rationis haud ſatìs compos, dum ultrò agnoſcit cum* Antagoniſta *Religionem ſuam ſibi ipſi videri* Rationi *minùs conſentaneam: Verùm enimvero* Religionem *interim Opponentis deriſui & contemptui exponit, facítque ut Chriſtianitas non magìs quidem commendabilis ſit quàm viliſſima quælibet Impoſtura cui id honoris unquam contigerit, ut Religionis Titulo adornaretur.*

Denique ſuperadditur, Niſi planè ac reverà infallibilibus Divini verbi Oraculis contrarietur. Nam proculdubio talis ratio quæ illis reverà repugnet, utcunque primo aſpectu ſolida videatur, ſi examinetur ſtirpitùs & excutiatur, non eſt vera Ratio, *ut nec iſtæ Scripturæ* Interpretationes *veræ, quæ veræ repugnent* Rationi.

Quamobrem ex primæ hujus Regulæ ſequela, Is qui cum perito Philoſopho agere velit, Motum Telluris debet non negare, quippe quod dogma ſit adeò ſolidum & rationi conſentaneum nec reverà ſacræ Scripturæ repugnans. Etenim quòd Terra motu Diurno, Annuóque circa Solem movetur, naturali Rationi *nimis quàm manifeſtum eſſe, apparere poteſt ex eis quæ ſcripſi in Epiſtola ad* V. C. ſect. 7. *Quòd verò Scripturis non repugnat, id quidem à tot viris eruditis probatum & confirmatum eſt, ut omnino ſat ſit eorum operæ meminiſſe. Quinimò nec tutò poteſt negare Terram Planetam eſſe; Illa enim neceſſaria conſequentia eſt motûs illius circa Solem, quemadmodum fit in aliis Planetis. Lumen etiam reflectit ſicut Luna, tranſitque per Zodiacum, ſicut faciunt alii Planetæ. Nec Scriptura uſquam ne-*

gat Planetam eſſe, non certè magìs quàm moveri circa Solem. Quocirca hæ aliæque conſimiles concluſiones quum tam fortiter in humanam Rationem ſpeculationéſque Philoſophicas ſe inſinuant, valdè inconſultum eſſet & Religioni Chriſtianæ oppidò quàm incommodum, ſi quis eaſdem affirmaret Chriſtianæ fidei ſacroſanctiſque Dei oraculis repugnare, atque ſic efficeret, ut Vulgares & Idioticæ hominum opiniones ſuper his rebus pro indiſpenſabilibus Chriſtianæ fidei Articulis habeantur. Nam quantum detrimentum dogmata à Philoſophia abhorrentia Religioni afferant, manifeſtum eſt in Mahometiſmo. *Ubi fabula de Luna per* Mahometis *manicam egrediente, & de Sole in fonte pernoctante, déque Stellis tot montes magnitudine omnino æquantibus & è Cælo per catenas ſuſpenſis, cum id genus aliis, facit planè ut omnes homines intelligentes illam Religionem tanquam merè humanam conſiderent, nequaquam verò Divinitùs inſtitutam.*

Quamobrem, quod dixi, magno præjudicio futurum eſſet fidei Chriſtianæ, ſi quis ſuprà dictas concluſiones aſſereret ei repugnare, niſi reverà ipſi Scripturæ repugnarent, quæ hiſce de rebus omnino ſilet, cùm Objectum Hiſtoriæ Creationis, Mundus Philoſophorum *non ſit, ſed* Mundus Plebeiorum. *Qui eſt* comprehenſio Mundi *non* ultrà, *nec alio quidem* modo *quàm qui ſenſui & imaginationi rudis vulgi congruat. Ac proinde* φαινόμενα *enarrat ſive* ἐμφάσεις *Univerſi, ſecundùm ſenſibiles iſtas Ideas quæ viſûs organo imprimuntur; Cælum cæruleum, Nubes, Solem, Stelláſque ad eandem ferè à Terra diſtantiam collocans, eiſdémque æſtimans magnitudinibus quibus oculo noſtro apparent. Quemadmodum demonſtrari poteſt ex ipſo Textu, verſ. 6. Ubi Firmamentum ſive Cælum (nam idem eſſe illîc affirmatur) dicitur eſſe inter Aquas ſuperiores & inferiores, & in eum finem creari ut eas diſterminet. Quare & ſitus & officium Firmamenti planè oſtendunt, illud non niſi ad aquas ſuperiores, i. e. ad Nubes extendi, quemadmodum cenſent* Rupertus, Eugubinus, Pererius, Gregorius de Valentia, Auguſtinus, Caſtellio, Calvinus, Vatablus *&* Druſius, Grotius *etiam eò vergere videtur, &* David *denique* Hebræus, *cognominatus* Camius, *acriter contendit* רקיע *propriè ſignificare* Aërem. *Cæterùm intra hoc* רקע *(quod ordinariè redditur Firmamentum) Stellæ, Luna atque Sol ſiti ſunt, verſ.* 14, 15, 16, 17. *eiſque deſcribuntur magnitudinibus quibus intra hunc ambitum ſenſibiles eorum Ideæ nobis apparent.*

Integra igitur illius Mundi comprehenſio qui Hiſtoricè *in* Geneſi *deſcriptus eſt, Semiperipheriâ circumſcribitur ſuper Axem Terræ ad utrumque polum, paulo ſupra Nubes productum delineatâ & in plenum circuitum circumactâ. Hæc Semiperipheria ſic circumducta* Sphæricum *deſcribit* Mundi Plebeiorum, *qui* Moſaicæ Hiſtoriæ *de Creatione perinde* ſubjectum *eſt, atque futuræ finalis* Conflagrationis *(quemadmodum Cl.* Medus *cum judicio definivit) in adventu Chriſti, die noviſſimo.*

Fabricatio igitur ſive Creatio Cœli *atque* Terræ *vera* Epocha *eſt* Hiſtorica *ſive Chronologica totius Hiſtoriæ Bibliorum, cùm* Philoſophica Cabbala *nullis temporis diſcerniculis diſtinguatur limitetúrve, ſed naturam ſolummodo partium illuſtret Univerſæ Creationis Dei. Heîc verò ipſe temporis ordo notatur, diéſque ſex, totidem diurnis Terræ circumvolutionibus, quantuſcunque earum ſit ambitus, facilè poſſunt diſtingui, totáque Creatio realis eſſe rerum productionúmve Phænomenôn Naturæ Hiſtoria. Et quantùm ad ea quæ miraculoſa videntur & extra Naturæ curſum, rationi nequaquam repugnat, ſi concludas revera facta fuiſſe à Deo & in perpetua Symbola ponderoſiſſimarum veritatum deſtinata. Quemadmodum fit in multis aliis miraculoſis Providentiæ eventis in reliqua Hiſtoria Veteris Teſtamenti, quæ ſunt perennes Figuræ ſive Typi ſummorum maximéque ſtupendorum Myſteriorum Regni Dei; ut miraculoſus ille* Iſraelitarum *tranſitus per* Mare rubrum, *& ſimilia.*

Adeò ut ipſa Litera Hiſtoriæ *vera ſit, quanquam cum debitis accommodationibus, aptiſque ad vulgi captum demiſſionibus facta ſit illius enarratio. Exempli cauſâ. Verum eſt, Deum formaviſſe* Adamum *è pulvere Terræ, ut Plaſtæ fingunt homines luteos, quemadmodum loquitur* Cornelius à Lapide. *Sed hunc pulverem addito opimo liquore (inquit* Tertullianus *) in argillam priùs coagulavit. Et inſpirationem etiam in faciem naréſve illius intelligunt Metaphoricè, ut quædam intelligi ſolent etiam in communi Hiſtoria. Quæ quidem Metaphoræ maximè accommodantur ad captum populi. Adeò ut nè minima quidem digladiatio ſit* Hiſtoricam Cabbalam *inter atque Philoſophicam.*

Verum etiam eſt Adamum *conjectum fuiſſe in ſoporem, Deúmque coſtam è latere ejus tuliſſe, formâſſéque in mulierem. Sapientia porrò atque loquela Serpentis, res veræ ſunt, quemadmodum* S. Ephrem, S. Baſilius *atque* Joſephus, *& cum ratione quidem, intelligunt & apertè declarant. Poſtremò, Deum Tunicas pelliceas* Adamo *atque* Evæ *feciſſe, flammantéſque* Cherubinos *ante Introitum Paradiſi collocâſſe, iſta etiam ſunt Hiſtoricè vera. Quanquam nihil interim impedit quo minùs horum omnium* Hiſtoria Symbolica *etiam eſſe poſſit, ſive* Hieroglyphica.

Cæterùm tametſi quis apud ſeipſum de Hiſtorica *ſymbolorum veritate ſatìs perſuaſus eſſe poſſit, dubito tamen an debeat illius certitudinem in ſingulis partibus apud homines qui ingenio magìs Philoſophico ſint, præſidentiùs affirmare. Idque eò magis moneo, propterea quòd ſobrii admodum, multique ac probati nominis Scriptores quædam loca aſſerunt eſſe Parabolica. Quemadmodum facit* Cajetanus *de Serpente, per quem Diabolum intelligit intus* Evæ *tales rationes ſuggerentem quæ ipſam illecturæ eſſent ad peccandum.* Cyrillus *etiam &* Eugubinus *intelligunt de Diabolo talem formam ſibi aſſumente.* Tertullianus *per gladium* flammantem *&* Cherubinos, *Zonam intelligit Torridam. Et* Cajetanus *rurſus Hiſtoriam de coſta* Adami *parabolam facit, aſſeritque* Adamum *&* Evam *eodem temporis momento fuiſſe creatos.* Adamúmque *Animalibus ad eum accedentibus nomina impoſuiſſe in Viſione tantùm intellectuali. Quamobrem valdè inconſultum eſſet, cùm & melioris notæ Chriſtiani, &* Philo *etiam aliique* Judæi *multa loca horum capitum Parabolica faciant, ſi quis affirmatè apud Philoſophum contendere vellet, omnia reverà eſſe Hiſtorica, quicquid interim apud ſeipſum ſuper hac re crediderit ſtatueritve. Verùm hæc excurſio eſt, non adeò fortean neceſſaria, quanquam naturali ſcopo hujus primæ Regulæ ſatìs homogenea.*

REGULA II.

Admiſſis ſemel Concluſionibus Antagoniſtæ tanquam Rationi conſentaneis, per occaſionem debet oſtendere quomodo nulla Chriſtianæ Fidei pars, ulla in re, damnum indè accipiat.

Ratio Regulæ hæc eſt: Quia aliàs, fundamenta concluſionéſve Philoſophici ſui Antagoniſtæ *admittendo tanquam rationi conſentaneas, credibilitatem alicujus articuli Fidei Chriſtianæ in diſcrimen adducere poſſet, eúmque, quem convertere adnititur, in priori Infidelitate obdurare. Equidem fateor, ex hujus Regulæ obſervatione, facilè fieri poſſe, ut quædam tanquam admiſſa & approbata in ſcriptis meis occurrant, (quæ Philoſophi facillimè generaliſſiméque approbant) in eum ſolum finem ut occaſionem arriperem oſtendendi nullum detrimentum periculúmve ulli Principio noſtræ Religionis indè imminere, quamvis iſta vera eſſe admitteremus. Quod facit ut in nonnullis locis ineffigiatum, inorganizatúmve vehiculum Animæ æthereum admittere videar. Qua de re hic non eſt dicendi locus.*

REGULA III.

Quòd ipſe talia Principia Concluſionéſve Philoſophicas eligere debet, quæ, cùm nullam cum Scripturis repugnantiam habeant, ſint etiam in ſe maximè extra omnem cavillationem poſitæ, facilliméque omnium teneri & demonſtrari poſſint, & cum Attributis Divinis & Phænomenis Providentiæ conciliari; quæque denique aut anticipaturæ ſint maximas Objectiones quas Atheus contra Exiſtentiam Dei aut Immortalitatem Animæ præmiúmque vitæ futuræ excogitare poteſt, aut eiſdem ſaltem ſatisfacturæ.

Si hæc non ſit Regula quam ſincerus prudénſque Chriſtianus ſibi præſcribere debet in rebus Philoſophicis, ipſi integrum eſt contrariam ſibi aſciſcere. Quod tamen primo intuitu adeò abſurdum eſt, ut ſatìs ſit vel leviter illud ſubindicâſſe. Quòd ſiquis dicat, eum rebus Philoſophicis ſe omnino immiſcere non oportere, idque nè tum quidem cùm operam dat converſioni aut confirmationi eorum qui ingenio ſint Philoſophico, non ſolùm immanis ex ſe eſſet barbaráque Aſſertio, ſed cum contumelia Majorum conjuncta, qui Univerſitates *fundârunt Legéſque nobis ac Statuta conſcripſerunt quibus decretum eſt ut diligenter in Philoſophiæ ſtudiis verſemur, idque in ordine ad ipſam Theologiam. Quamobrem hæc tertia Regula nequaquam negari poteſt valde rationi conſentanea eſſe & reverà indiſpenſabilis.*

Si hanc igitur Regulam ſecutus, præcipua aliquot Carteſianiſmi *&* Platoniſmi *dogmata elegerim, equidem me veniam ſaltem mereri haud temerè cenſeo. Nam inſcitam illam ejiciendo* Ariſtotelicorum *opinionem, qui Formas ſubſtantiales è* potentia Materiæ *educunt, admittendóque & aſſerendo cum* Carteſio Mundi naturalis *Materiam, quantùm ad illius ſubſtantiam, ubique eſſe homogeneam (quod & ſatis evidenter demonſtravi in Epiſtola* ad V. C. ſect. *6.) rationes habemus omnium quæ concipi poſſunt maximè demonſtrativas quibus inferri poſſit* Exiſtentia Dei, *ſubſtantialiſque Animæ* Immaterialitas *&* Separabilitas *à corpore, quemadmodum notavi in literis ad D.* Claudium Clerſelier. *Immenſitas etiam illa Univerſi, quam illius Philoſophia ſupponit, magìs conſentanea eſt ſacris Dei Attributis, Potentiæ utique ejus ac Bonitati, magiſque Divinam Majeſtatem condecet; ſive Mundum conſideremus tanquam* Effectum *tam* omnipotentis Cauſæ, *ſive tanquam* Templum *tam* glorioſæ Divinitatis. *Nam antiqui Philoſophi Univerſum hoc tanquam unum auguſtum Dei Templum ſpectitârunt: Cujus, Templum* Hieroſolymitanum *figura eſſet, quemadmodum* Grotius *notavit in* Baruchum. O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, quàm amplus eſt locus poſſeſſionis illius! Magnus, ut qui finem non habeat; altus, ut qui careat menſurâ: *Quod ad admirationem uſque verum eſt de* Mundo Philoſophorum. *Neque certè hoc* Baruchi *cum Hiſtoria Creationis in Geneſi quicquam digladiatur, cujus Objectum ſuprà monui* Mundum *potiùs eſſe* Plebeiorum *quàm* Mundum Philoſophorum, *quippe quæ Mundum ſenſibilem ſuperiorum Aquarum ſive Nubium diſtantiâ limitat.*

Hanc tertiam Regulam porrò ſecutus, Præexiſtentiam *etiam* Animæ *ſcriptis meis inſerui, ipſam admittens tanquam dogma rationi admodum conſentaneum, ejúſque utilitatem in Tractatu de Animæ Immortalitate, lib. 2. cap. 2. ſatis copioſè declaravi. Atque meo quidem judicio, intra modeſtiæ limites quiſpiam ſe continens opinionem hanc tanquam conſentaneam jure poteſt aſſerere; omnéſque ipſe objectiones in quas mihi incidere contigit in ipſam contortas, partim in ſuprà dicto Tractatu partim in Præfatione Generali Scriptorum Philoſophicorum Collectioni præfixa, facili negotio dilui. Sola verò* Rationabilitas *illius dogmatis eſt quam tueor, non autem illius* Veritas, *quemadmodum intelligere eſt ex dicta Præfatione. Hoc verò ad præſentem Regulam minùs pertinet.*

Regula IV.

Etſi neceſſarium non ſit, admodum tamen optabile eſſe ut ſuprà dicta Principia Philoſophica quæ elegerit, non ſolùm nullam cum Divinis Oraculis repugnantiam habeant, ſed ut aliquam inſuper ab eiſdem mutuentur authoritatem & approbationem, ut quæ aut *perpetuo tenore* alicubi ſub *Litera* ſive *Hiſtoria* arcanè abſcondantur, tanquam magìs internus *myſticúſque* illius ſenſus, aut breviuſculis aliquibus *ſtricturis* in ipſa *Litera* non obſcurè ſubinde indigitentur.

Ratio eſt, Quia, præterquam quòd nobiliorum illarum veritatum Philoſophicarum detectio in Scripturis, Religionem aſſerit vindicátque à vili iſta Ignorantiæ imputatione in Philoſophia rerúmque Natura, (quemadmodum alibi monuimus) inſigniores iſtos præterea liberæ Rationis ac Philoſophiæ fructus tuetur, contra vulgarem ſuſpicionem Impietatis & Irreligionis. Cujus rei exemplum ſpeciale eſſe poteſt, illud Baruchi *ſuprà memoratum, quod ſtupendæ Univerſi Immenſitati mirificè favet & ſuffulcit. Tali utique qualis eſt, juxta principia* Carteſii, *computúmque Aſtronomorum, Copernicanorum præſertim, qui orbitam Annui motûs Telluris punctum tantummodo faciunt cum diſtantia nos inter atque Stellas comparatam. Formatio etiam totius meæ* Cabbalæ Philoſophicæ *ad hanc quartam Regulam pertinet, ſuámque illinc ducit originem. Quòd verò Conjecturam nominaverim, referendum eſt ad quintam & ultimam.*

Regula V.

Quanquam Theoremata Philoſophica tam ea quæ ipſe elegerit quàm quæ admiſerit in *Antagoniſta*, ſolida ſint in ſe & rationi conſentanea, nec reverà cum verbo Divino repugnantia; par tamen eſſe tum propter *Vulgi captum,* tum propter *uſitatiores* aliquas *Expoſitorum, Scriptorúmque* Theologicorum *Opiniones* non ultrà hæc Theoremata admittere aut aſſerere quàm ut Rationi conſentanea; de abſoluta verò illorum Realitate ac Veritate magìs cautè & cuſtoditè ſe gerere, quàm ut quicquam illîc ſtatuat aſſerátve.

Ratio hujus Regulæ eſt, Quòd omnia facienda ſunt ad ædificationem. Quemadmodum proculdubio omnia illa fiunt quæ ad hanc Chriſtianæ prudentiæ Regulam attemperantur. Hic enim omnium Mortalium rebus benignè proſpicitur in eorum bonum.

Etenim eò uſque gratificatur hæc Regula eis qui Ingenio magìs Rationali *ſunt &* Philoſophico, *ut concedat ipſis, admiſſo quidem, omnia illa Theoremata Philoſophica, quæ adeò citra omnem controverſiam eis Rationi conſentanea videantur, realiter eſſe vera, nihil tamen neceſſe eſſe ut id ulli ſit obſtaculo quo minùs Religioni noſtræ fidem habeant, quandoquidem nihil eſſe in iſtis Theorematis conceditur quod ipſi repugnat, quinimò ipſam Scripturam, aliquibus in locis, illis favere videri.*

Vulgi porrò captui gratificatur, in eo quòd permittitur ipſis aſſuetorum ſuorum conceptuum & opinionum fruitio, talium ſcilicet quæ mediocribus ingenii ipſorum dotibus maximè conveniant; nec Mentis ipſorum nervi plus juſto intenduntur & quaſi torquentur excutiendo, aut adnitendo ad ea quæ extra ictum ipſorum ſita ſint, nec contemptui ſe habitos reperiendo contriſtantur aut falſæ abſurdæve opinionis incuſatos, quippe cujus contraria affirmatur ſolummodo tanquam ſententia quæ apud Philoſophos rationi magìs conſentanea videatur, non autem tanquam veritas quæ tanti ſit momenti ut conſcientia cujuſquam urgeatur ad eam ſeriò amplectendam.

Et poſtremò, Pax & Authoritas Eccleſiæ ſarta tecta conſervatur, quæ nec infringenda nec minuenda eſt per nimis præfidentem quantumvis certæ compertæque veritatis profeſſionem, niſi planè requiratur à nobis, per evidens aliquod Scripturæ Teſtimonium, ut eam profiteamur.

Quæ prudentiæ Methodus*, meo quidem judicio, ſi meminerimus, quantum inter homines interſit, vel potiùs quàm immenſum, quoad animi dotes, neceſſarium quodámmodo erit ut adhibeatur, ut nemo ſcandalizetur in Religione, quò ſalus ipſius in diſcrimen veniat per Fidei naufragium; Cùm via, inquam, illa laudabilis, oralis Traditionis jam exoleverit, difficile erit quicquam invenire magìs aptum dignúmve quod in locum illius ſuccedat, quàm ſit hæc Methodus à nobis propoſita.*

Juxta cujus præſcriptum Cabbalam Philoſophicam *ejúſque* Defenſionem *ſcripſi, ſed* Conjecturam *ſimul nuncupavi, aſſenſum ſuſpendens, planéque me abſtinens ab aſſertione veritatis illius in ipſo Titulo perinde atque in ejus Præfatione, ut utilitas ad eos redundet, quibus nullâ aliâ ratione ſatisfieri poſſet, idque ſine offenſione reliquorum. Quinimò ut nè minimum impenderet cuivis damni aut periculi, non tantùm in* Præfatione *ad* Cabbalam, *ſed etiam in illa ad Immortalitatem Animæ, aſſenſum expreſſè ſuſpendi ab omni re quæ ullo modo videri poſſit diſſona aut repugnans cum communi pervulgatáque dogmatum Religionis noſtræ intelligentia. Denique in Præfatione Generali ad Scriptorum Philoſophicorum Collectionem tanquam Principium ſemel pono, Nullius Conſcientiam obligari ad profeſſionem ullarum Philoſophicarum ſpeculationum licèt ipſi videantur vel certitudinis Mathematicæ, contra voluntatem ac beneplacitum Superiorum. Et ſpeciatim de* Cabbala Philoſophica *illic declaro, me aptitudinem tantùm præſtare & applicabilitatem iſtorum Theorematum ſive* Carteſianorum *ſive* Platonicorum (*ut* Præexiſtentiæ Animæ *&* motûs Telluris *circa Solem, &c.) ad Textum* Moſaicum; *quantùm verò ad veritatem ipſorum Theorematum, apud meipſum me porrò deliberare aſſenſúmque ſuſpendere.*

Tam accuratè ad hanc quintam ultimámque Regulam noſtra ſcribendi ratio compoſita erat, támque exquiſitè ad eam attemperata: Idque non ſolùm poſt fœlicem ſuæ Majeſtatis reditum, Eccleſiámque reſtitutam, ſed eis etiam temporibus, in quibus, (poſtquam exceſſus libertatis & pernicioſus illius ad Atheiſmum & Profanitatem abuſus, me iſtos grandia ingredientes Gigantes cœlúmque ipſum ad pugnam ſuperbè provocantes, propriis ſuis armis, prout illi venditant, liberâ utique Ratione ac Philoſophiâ, adoriri coegiſſent) mihi integrum erat, magìs præfidenter dogmaticéque ſcribere quàm prudentia mea ac modeſtia unquam eſſet acceptatura.

Quamobrem, cùm ipſum Inſtitutum meum tam indiſpenſabile tantique momenti officium in ſe contineat, quàm ſit magis rationalium ac Philoſophicorum hujus Nationis Geniorum ad Chriſtianam fidem lucrifactio eorundémve in ea retentio, cúmque Methodus procedendi in hac re tanta cum cautione adhibita eſſet & moderatione, ídque in iſtiuſmodi temporibus in quibus nihil præter internam animi legem me coercere valuerit ab exiliendo extra oleas; ſpero quicquid in hoc genere & in hunc finem præſtiterim, gratiam & acceptationem apud omnes homines candidos & ingenuos in perpetuum reperturum.

Adeò uſque ut nè de ipſo S. A. *quidem penitùs deſperem quin ſententiam mutaturus ſit, & de maledictis & contumeliis quas contra me tanquam impium ac profanum hominem & deliriis inſuper & inſomniis indulgentem temerè effutivit pœnitentiam acturus, tandémque apud ſe ſtatuturus, dum quis Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſorem paulò magnificentiùs agere geſtit, eum nequaquam interim oportere exuere Chriſtianum.*

Verſ. 17. Adeò ut nulla violentia Grammatica, &c. *Vide* Hugonem Grotium, *Apocalypſ. cap.* 13. *v.* 15. *ubi viginti ferè exempla conſimilis ſignificationis hujus Articuli* ה *& Græci* ὁ, *producit.*

Verſ. 19. Qui in exponendo Moſe multùm Pythagoriſſat, &c. *Profana igitur, inquit* S. A. *eſt hæc exponendi ratio quæ* Pythagoram Moſis *Interpretem conſtituit. Quod admodum perversè ac protervè dictum eſt: Cùm* Pythagoram *à* Moſe *ejúſve ſucceſſoribus tum rerum tum Numerorum Myſteria accepiſſe, cum communi Antiquitatis voce, apertè profitear. Singulari igitur Dei Providentiæ debetur quòd quædam* Cabbalæ Moſaicæ *fragmenta quæ* Judæi *perdidiſſent, in Schola* Pythagorica *fuerint conſervata.*

Eſt Activorum & Paſſivorum Principiorum conjunctio. *Deſcriptionem hujus conjunctionis vide apud* Plotinum, *Ennead.* 5. *lib.* 1. *cap.* 2. *& Ennead.* 4. *lib.* 3. *cap.* 10.

CAP.

CAP. II.

3. *Numerus* Septenarius *aptum Symbolum* Sabbathi *Requietiſve Dei.* 7. *De* Adami *ortu ex Terra, quemadmodum factum eſt & in reliquis Animantibus.* 11. *Quòd* Piſon *à* פשה *deducitur vel* פוש, *denotátque* Prudentiam. *Senſus* Myſticus Havilah. 13. *Quòd* Gihon *idem eſt qui* Nilus, Sihor *ſive* Siris, *&* Piſon *idem qui* Ganges. *Juſtitia* Æthiopum. *Quódque* Gihon *deducitur à* נוח, *illámque Virtutem denotat.* 14. *Quemadmodum &* Hiddekel *denotat* Fortitudinem. 17. *Quòd locutiones iſtæ tam frequentes apud* Platonicos *de Animæ ſomno mortéque in corpore, à* Moſaica Cabbala *ſint mutuatæ.* 19. *Angeli lapſi Beſtiis Agri aſſimilati.* Platonicarum *iſtarum locutionum ſenſus,* πτεροῤῥυεῖν, πτεροφυεῖν, ἡ τῶν πτερῶν ἀποβολὴ, τὸ τῆς ψυχῆς πτέρωμα, *& ſimilium. Vocem* θεοὶ *apud* Platonicos *idem ſonare atque* אלהים *apud* Moſen, *quæ Angelos ſignificat perinde atque Deum.* 22. *Tria eſſe Principia in Homine ſecundùm Scholam* Platonis, Νοῦν, ψυχὴν, εἴδωλον ψυχῆς· *ultimúmque horum eſſe* Evam.

IN ſecundo hoc Capite *Moſes,* poſtquam de *Sabbato* egit, ad magìs particularem narrationem redit, de Creatione *Adami,* quæ referenda eſt ad opus Diei *ſexti:* Deinde *Myſticam Paradiſi* Hiſtoriam aggreditur, quæ in proximum uſque caput excurrit.

Verſ. 3. *Quàm ut ſpectatorem agat.* Quod intelligendum eſt quantùm ad externam rerum adminiſtrationem, ordinariúmque Naturæ curſum. Nihil autem impedit quo minùs in animas ſpiritúſque agat ſanctorum Hominum atque Angelorum, per eóſque miracula edat. Quò ſpectat illud *Johannis, Pater meus uſque adhuc operatur & ego operor.* Cap. 5. v. 17.

Et Numerus certè illius naturam declarat. Hebdomas ſive *Septenarius* idoneum Dei Symbolum eſt quatenus intelligitur ſex dierum Creationem jam finiviſſe. Nihil enim, ut hæc *Cabbala* innuit, creat deinceps. Ac proinde illius conditio admodum aptè ſignificatur per Numerum *Septenarium.* Omnes Numeri intra Decadem in tres ordines diſtribuuntur, ut obſervat *Philo,* Οἱ μὲν γεννῶσιν οὐ γεννώμενοι· οἱ δὲ γεννῶνται μὲν οὐ γεννῶσι δέ· οἱ δὲ ἀμφότερα, καὶ γεννῶσι καὶ γεννῶνται. *Quidam gignunt non geniti; Alii verò gignuntur & non gignunt; Alii denique & gignunt & gignuntur.* Solus *Septenarius* excipitur qui neque gignitur nec gignit ullum Numerum. Quod perfectum eſt Dei hoc *Sabbatum* celebrantis Symbolum: Nihil enim nunc de novo creat, quemadmodum & ipſe prorſus increatus eſt. Adeò ut Creatio Infuſióque Animarum ex data occaſione, huic *Moſaicæ Cabbalæ* omninò contrarietur. Ipſa verò *Cabbala* ſibi ipſi valdè conſona eſt, quæ omnes Animas narrat in primo Die ſimul creatas, lapſúmque earum in corpora in his ſequentibus Capitibus narrabit.

Verſ. 4. *Generationes erant productúſve Cælorum.* Textus Hebraicus habet תולדות השמים. Hìc *Soles* & *Planetæ* planè dicuntur generari à Cœlis ſive Materia Ætherea, Quod *Carteſianæ* Philoſophiæ rurſus mirificè congruit. Quonam autem modo *Planetæ* ac *Stellæ* ſic generentur, * fuſiùs videre eſt apud *Carteſium.* Nec poteſt quin in confeſſo ſit apud omnes inexhauſtum quoddam Sapientiæ Profundum fuiſſe in *Moſe,* cujus Peritia in rebus Philoſophicis ſubtiliſſima ampliſſimáque ſummorum per totum terrarum orbem Ingeniorum Inventa qui poſt eum ſcripſerint, antevertit.

Quo tempore eos creaverit Deus, nolo definire. Nullum tempus definitum per ſex dierum Creationem intelligi, ex probatis Authoribus jam eſt atteſtatum; præſénſque *Cabbala* planè id confirmat, quæ oſtendit *Myſteria Numerorum* ſignificari, non autem ordinem aut *ſucceſſionem* Dierum.

Verſ. 6. *Qui pluviarum quodammodo inſtar, &c. Vatablus* locum de pluvia planè interpretatur. Ego verò rectiùs exponi exiſtimo de aliquo, communi Pluviæ, quæ nunc dierum in terram deſcendit, Analogo, quæ impendiò minùs pinguis eſt, nec vitali vigore principiiſque vitæ tam plena.

Verſ. 7. *Ipſéque Homo è terra ad hunc modum ortus eſt,* &c. Ut Deus Lutum propriis manibus, more Figuli, in humanam figuram efformaret, & Spiritum dein in illius nares inſufflaret, quò animaret eam vitámque inderet, *Cabbalam* eſſe *Philoſophicam* nequaquam eſt veriſimile, cùm adeò craſsè vulgari captui ſit accommodatum. Mentio verò Pluviæ proximè ante Hominis Creationem facta, meritò inſinuare poteſt tales terræ præparationes cauſalem aliquem concurſum habuiſſe ad illius productionem.

ctionem. Et certè ſi omninò credibile ſit alia Animantia ex terra ad hunc modum orta eſſe, perinde probabile eſt Hominem etiam ſic eſſe ortum. Eadem enim verba de utriſque uſurpantur. Textus enim *Moſaïcus* verſ. 19. *Dominum* ait *Deum è terra formâſſe omnem Beſtiam agri & omne Volatile cœli*, quemadmodum ait verſu ſeptimo, *formâſſe Hominem è pulvere terræ.* Unde *Euripides* Tragicus (homo ſanè quem *Socrates* propter ſingularem ſuam ſapientiam ac virtutem valdè amabat atque honorabat, ultróque illius Tragœdias ſpectatum ire ſolebat, cùm vix ullius rogatu ad aliorum Fabulas audiendas poſſet adduci, quemadmodum refert *Ælianus*) hic *Euripides*, inquam, de prima Hominum aliorúmque Animantium generatione agens, omnia eodem modo nata affirmat & è terra eſſe orta. Quòd autem *Euripides*, eiſdem diſciplinis quæ in *Pythagoræ Platoniſque* Scholis viguerunt, imbutus eſſet, tum Amicitia eum inter atque *Socratem*, tum etiam Γνῶμαι ſive Morales ac Philoſophicæ ſententiæ quæ in Tragœdiis ejus occurrunt, haud obſcuro ſunt argumento. Et certè, quemadmodum jam monui, optimam *Cabbalam Philoſophicam Moſaicam*, eorum equidem ſuſpicor philoſophiâ contineri, *Platonis* ſcilicet atque *Pythagoræ*.

Eurip. Menalip. Vide Diodor. Sic Bibliothec. lib. 1. Ælian. Var. Hiſt. lib. 2. c. 13.

Verſ. 8. *Ubi & Hominem poſuerat.* Etenim nullum datur Tempus præteritum pluſquam perfectum in lingua Hebraica. Ac proinde, ut obſervat *Vatablus*, Præteritum perfectum, ſi ſenſus requirit, pluſquam perfecti locum obtinet.

Totus Æthereus. Illud enim purum eſt & incontaminatum Animæ Cœleſte Vehiculum, juxta opinionem *Platonicorum*.

Radiis Divini Intellectûs. Paulò fuſiùs jam oſtendi, ut Filius Dei, ſive *Divinus Intellectus* adumbratus ſit per ſimilitudinem Orientis ſive Ortûs Solis. Quod hîc rurſus porrò confirmare licet ex *Philone*. Τοῦτον μὲν γὰρ πρεσβύτατον υἱὸν ὁ τῶν ὄντων ἀνέτειλε πατήρ, In περὶ συγχύσεως διαλέκτων. Adeò ut *Paradiſi* ad *Orientem* collocatio, conditionem Animæ ſignificet radiis Divini Intellectûs illuſtratæ, quorum maximè capax eſt in *Vehiculo* ſuo *Æthereo*. Quòd autem Animæ humanæ à principio Mundi extiterint, generalis opinio eſt doctiorum è *Judæis*, perinde atque *Pythagoreorum* ac *Platonicorum*, ac proinde Hypotheſis admodum legitima in *Cabbala Philoſophica*. Quinimò, porrò addere poſſum opinionem eſſe *Origenis*, Διὸς κῆπον, *Jovis Hortum*, apud *Platonem*, non eſſe niſi imitationem hujus Hiſtoriæ *Paradiſi*; *Porique* deceptionem per *Penian*, deceptioni *Adami* per Serpentem reſpondere. Vide *Origenem* contra *Celſum*, lib. 4.

Verſ. 9. *Eſſentialis utique voluntas Dei.* Per *Eſſentialem Dei voluntatem* intelligitur voluntas Dei in Vitam & Eſſentiam Animæ humanæ facta. Quo ſignificatur penitior inter Divinam humanámque naturam unio, qualis eſt in eis qui firmiter regenerati ſunt radicatíque in id quod bonum eſt. *Philo* arborem vitæ εὐσέβειαν facit, hoc eſt, *Pietatem* vel *Religionem*. Optima verò Religio ac Pietas eſt unius eſſe voluntatis cum Deo. Vide Johan. 1. 12.

Verſ. 10. *Qui ſunt quatuor Virtutes Cardinales.* *Philonis* expoſitio eſt in locum. Fluvium verò ipſum eſſe τὴν γενικὴν ἀγαθότητα, Bonitatem Generalem in hæc quatuor Virtutum capita diſtinctam.

In Leg. Allegor. lib. 1.

Verſ. 11. *Noménque primi eſt Piſon.* A פשה vel פוש, *expandere, & diffundere ſe, abundare & augeſcere. Hoc eſt, *ſapientia* ſive *prudentia*, *Piſon* appellata, partim quia diffundit ſe in omnes noſtras Actiones, reliquarúmque trium Virtutum exercitium moderatur; & partim quia *Sapientia* atque *Veritas* incrementum capit, extendítque ſe magìs magíſque indies evadítque plenior. Veritas enim res admodum fœcunda eſt, novæque ſubinde dantur occaſiones quæ rerum addunt experientiam.

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Juxta vulgatum illud Proverbium Anglicanum, *Quò ſenior eò ſapientior.*

Circuire Terram Havilah. A חוה & אל vel אלה Deus indicavit.

Verſ. 12. *Purum ac probatum Aurum.* Quod idoneum eſt *probatæ experientiæ* Symbolum, *Matris veræ Sapientiæ* ac *Prudentiæ*. Virtúſque *Bdellii* non incommoda eſt ad morbos ex inertia ac languore Phlegmatico ortos; ipſúmque nomen ac natura lapidis *Onychini* illius etiam ſignificationem indigitat. Quanquam haud uſque adeò neceſſe eſt, quemadmodum ex *Maimonide* jam innui, rationem reddere cujuſque particularis ſtricturæ in Allegoria ſive Parabola. Quamobrem ſiquis me nimis curioſum exiſtimaverit, has expoſitiones omittere poteſt, & tanquam non dictas præterire.

Verſ. 13. *Nomen verò ſecundi Fluvii eſt Gihon.* Secundùm Hiſtoriam quidem ſive Literam, *Piſon*, *Phaſis* & *Gihon Euphratis* rami ſive rivi facti ſunt. Antiqui verò Patres, *Epiphanius*, *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Damaſcenus*, aliíque multi *Phaſin Gangen*, & *Gibon Nilum* faciunt. Nec contemnenda quidem Argumenta pro ſua opinione proferunt: Nam primò, *Jerem.* 2. 18. *Sihor* eſt Fluvius *Ægypti*, quem nemo dubitat, ullum alium eſſe præter *Nilum*, ipſúmque Etymon rei veritatem indicat, à שחר *denigrari*, à limoſa nigredine fluvii. Et *Nilus* quidem ob iſtam qualitatem inſignis eſt; ſuámque propterea denominationem in lingua Græca indè ſortitus eſt, quaſi νέα ἰλύς. Juxta quam ſic de eo ſcribit *Dionyſius*,

Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὸς ὄλβον ἀέξειν.
Hoc eſt,
Non enim quiſquam Fluviorum par eſt Nilo,
Neque ad limum projiciendum, neque ad ſoli fertilitatem augendam.

Nunc verò ut ipſa verba Prophetæ recitemus. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam Sihor?* Latina vulgaris habet, ut bibas aquam turbidam. Hic eſt Nilus. * Septuaginta verò vertunt πιεῖν ὕδωρ Γηῶν, *Bibere aquas Gibon*; quod nomen eſt hujus ipſius Fluvii *Paradiſi*. Et Abyſſini ad hunc uſque diem, *Nilum* nomine *Guion* appellant. Hiſce adde quòd *Gibon* per *Æthiopiam* defluit; ità etiam *Nilus*, qui dum currit per *Æthiopiam* Siris dicitur. Quam Vocem à *Sihor* veriſimillimum eſt fieri, & tunc Græcâ terminatione additâ in *Sioris* vertitur, & poſtea per contractionem fit *Siris*.

Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται· οἱ δὲ Συήνης
Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.
Hoc eſt,
Siris *ab* Æthiopibus *vocatur*; *At* Syenes
Incolæ converſo Nilum *nomen impoſuerunt.*

Quemadmodum idem Author ſcribit in Poëmate ſuo Geographico. Et quòd *Piſon Ganges* ſit, ſuis rationibus probabilibus non caret. Quippe quòd *Ganges* in *India* ſitus ſit, Regione ob aurum lapidéſque pretioſos celeberrimâ. Præterea, Notatio Nominis cum natura Fluvii congruit, cùm *Piſon* ſit à פוש multiplicare. Nec pauciores numero quàm decem Fluvii iíque magni ſunt, qui ſeipſos in *Gangen* exonerant; quemadmodum multifariæ experientiæ confluxum eſſe oportet ad explendam perficiendámque illam Sapientiæ Prudentiæve Virtutem. Adeò ut planè obſervare liceat, quatuor Paradiſi Fluvios talia nomina nactos eſſe quæ Myſtico Hiſtoriæ ſenſui maximè faveant conveniántque.

Quamobrem omnes ſcrupulos Geographicos ſuſque deque habentes affirmabimus *Gibon* eſſe *Nilum* ſive *Sirin*, Flumen *Æthiopum*, hoc eſt, Hominum juſtorum, Virtutémque eam determinatè heîc deſcriptam eſſe ſive illuſtratam à Subjecto in quo ineſt. Ex fama enim Juſtitiæ atque Innocentiæ *Æthiopum* certò colligere poſſumus quænam ex Virtutibus Cardinalibus ſignificetur per *Gibon*. Et antiqua quidem fama Honeſtatis ipſorum atque Integritatis talis erat, ut *Homerus* certè hoc Epitheton ipſis quaſi appropriaverit, appellitando eos Ἀμύμονας Αἰθιοπῆας. Addendóque porrò, quòd *Jupiter* ſæpenumerò apud ipſos convivaretur, converſationis utique eorum integritate captus. *Dionyſius* verò eos Θεουδέας Αἰθιοπῆας, *Divinos* ſive *Deiformes Æthiopas* vocat: Et verò ſic dicti ſunt, διὰ δικαιοσύνην, propter Juſtitiam ſuam, quemadmodum *Euſtathius* in ipſum locum commentatus eſt. * *Herodotus* etiam de ipſis ſcribens, ait homines eſſe maximos ac pulcherrimos, valdéque humanos ac longævos, quod *Juſtitiæ* præmium eſt. Adeò ut per locum per quem *Gibon* decurrit, apertè nobis ſignificetur quænam ex Cardinalibus Virtutibus per eum intelligenda ſit.

Ex Notatione Nominis ejus. Nomen *Gibon*, quemadmodum vidimus, facili probabilitate nos invitat ad agnoſcendum fluvium eſſe *Æthiopiæ*. Notatio illius admodum aptè cum natura Juſtitiæ congruit, fit enim à גוח erumpere. Et Juſtitia eſt ἀλλότριον ἀγαθόν, Bonum alienum, ſicut Philoſophus notat, non intra ſe conſtrictum ſed in alios potiùs foras erumpens redundat, quódque ſuum eſt cuique tribuens.

Verſ. 14. *Eſt Hiddekel.* Vox componitur, inquit *Vatablus*, è duobus vocabulis, quæ ſignificant Velox & rapidum. Atque hæc quidem Virtus adinſtar velocis rapidíque Torrentis quicquid oppoſitum occurrit, obruit ſubvertítque, quemadmodum notatur in ipſa *Cabbala*.

Fortitérque reſiſtit. *Philo* hîc utitur voce ἀντιστατεῖν, reſiſtere, occaſionem capiens ex Septuaginta ſenum [κατέναντι Ἀσσυρίων,] quod ille interpretatur, [adverſùs Aſſyrios.]

In Leg. Alle-gor. lib. 1.

rios.] Textus *Hebraicus* habet קדמת אשור ad Orientem, vel ex plaga Orientali, Aſſyriæ, ac proinde Aſſyria ad Plagam Occidentalem, * vel ad Occidentem, ab hoc fluvio, ſita eſt ſenſu quidem Myſtico. Jam verò Occidens illa Mundi Plaga eſt, ubi Sol nobis valedicens, tenebris nos relinquit ac caligini. Unde Ζέφυρος, ventus Occidentalis, apud *Euſtathium*, nomen ſuum habet à ζόφος & ὔρος, quippe ventus à plaga tenebroſa ſive caliginoſa ſpirans. *Aſſyria* igitur eſt falſus ille ſtatus * apparentis fœlicitatis ac vis improbitatis, quod *Regnum Tenebrarum* appellatur. Atque hoc maximè inſigne Objectum eſt *Fortitudinis*, ut reſiſtamus diruamúſque hujus regni poteſtatem intra noſmetipſos. Quæ ſuggeſtionum corporis vis eſt atque impetus. Quod aptè per *Occidentem* ſignificari poteſt perinde atque *Intellectus* per *Orientem*. Veſpera etiam in præcedente capite corporeum ſive Materiale Principium perpetuò denotat.

Perath. A פרה fructificavit.

Verſ. 17. *Ut tandem ad terram delapſurus ſis, &c.* Hoc verum eſt ſecundùm ſententiam *Pythagoreorum* & *Origenis*. *Pythagoram* verò apud peritum aliquem Sacerdotem Judæorum, aliúmve aliquem virum ſanctum, eam obtinuiſſe gratiam, ut *Cabbalam Moſaicam* ſecum communicarent, credo me in præcedente Capite perpetuis valdéque probabilibus rationibus confirmâſſe.

Incoláque regionis Mortis evaſurus. Nihil frequentius eſt apud *Platonicos* quàm * Corpus appellare *Sepulchrum*, & hanc Vitam, quam hîc in terra vivimus, aut *Somnum*, aut *Mortem*. Quæ locutiones adeò cum hac *Cabbala* conveniunt, ipſáque *Cabbala* cum Textu *Moſaico*, qui mortem ſomnúmque *Adami* memorat, ut haud leve indicium ſit, quòd hæ locutiones Notionéſque ſuam originem primùm hinc duxerint. Et verò *Philo Heraclitum* agnoſcit, Myſticum illum abſtruſúmque Philoſophum, (quem *Porphyrius* etiam ad eundem ſcopum in De *Antro Nympharum* citat) in eum ipſum ſenſum incidiſſe quem *Moſes* intendit in hac morte *Adami*, in celebratiſſimo iſto illius dicto, Ζῶμεν τὸν ἐκείνων θάνατον, τεθνήκαμεν δὲ τὸν ἐκείνων βίον. *Mortem quidem earum vivimus*, (animarum nempe terreno corpore exutarum) *vitâ verò earum defuncti ſumus.* Atque *Euripides* amicus ille *Socratis*, *Platoniſque* in ſuis peregrinationibus, itineris comes, ad eundem ferè ſenſum loquitur in *Tragœdiis*.

Phil. Leg Allegor. lib. 1.

Τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν;

Clem Alexand. Stromat. lib. 3.

Quis novit an vivere non ſit mori, mori verò vivere? Adeò ut ſenſus Philoſophicus mortis *Adami* talis ſcilicet ſit: Quòd mortuus futurus ſit quantùm ad Vitam *Ætheream*, quam priùs vixerit, quamdiu ad Terreſtrem religetur; & cùm in æternum vivere potuiſſet, in *Vita Ætherea*, quòd certum erit, brevì eum moriturum eſſe quantùm ad Terreſtrem: Quòd Filii hominum mortis evitare nequeunt aut certitudinem aut celeritatem.

Verſ. 18. *Quippe quæ & ipſi bona eſt, &c.* Verba enim Textûs ad ſolam *Adami* utilitatem illud non reſtringunt, ſed loquuntur tantùm in genere, ſine ulla limitatione in hoc præſenti verſu. Quamobrem cùm duplex eſſet Utilitas, magìs explicitum plenúmque erat utriuſque in *Cabbala* meminiſſe.

Verſ. 19. *Necdum lapſos Angelos perinde atque lapſos.* *Angeli lapſi* hîc aſſimilantur *Beſtiis Agri*, *Angeli* verò *non-lapſi volucribus Cæli.* Quàm aptè juſtéque Spiritus lapſi recenſeantur inter Beſtias Agri, pleniùs intelligere erit in ſequenti Capite. Intereà loci, notare potes *Platonicos*, immò *Platonem* ipſum in ſuo *Phædro*, humanam Animam, antequam in terreſtrem hanc Regionem lapſa ſit, *alatam* Animantem facere. Illáſque phraſes, πτερορρυεῖν, & πτεροφυεῖν, ἡ τῶν πτερῶν ἀποβολὴ, & τὸ τῆς ψυχῆς πτέρωμα, locutiones eſſe illius Scholæ proprias. *Platóque* admodum apertè, quid per has Animæ alas intelligat (eadémque Ratio eſt de aliis Spiritibus quibuſcunque) ad hunc modum definit. Πέφυκεν ἡ πτεροῦ δύναμις τὸ ἐμβριθὲς ἄγειν ἄνω, μετεωρίζουσα ᾗ τὸ τῶν θεῶν γένος οἰκεῖ. *Naturam alarum Animæ talem eſſe quæ illud ſurſum agere valeat, quod aliàs deorſum ſubſideret, illúdque in ſublime tollere, illicque collocare ubi magìs ſenſibilem habere poſſimus communionem cum Deo ſanctíſque illius Angelis.* Ità enim vox θεοὶ in plurali numero maximè congruenter in hujuſmodi locis vertitur, & ſic quidem, quemadmodum & rei ipſi & Chriſtianæ veritati maximè conveniat. Et meritò profectò minùs mirum videri poteſt quòd vox θεοὶ apud *Græcos* Philoſophos *Angelos* ſignificet, apud eos præſertim quibus *Moſes* innotuerit, quandoquidem apud ipſum vox אלהים ſic ſignificat, *Angelos* ſcilicet perinde atque *Deum*. Quamobrem ut concludam, Illius Principii jactura, quod in hac Divina conditione nos conſervat, *Alarum* perditio eſt, Quod cùm lapſis Angelis contigerit, meritò propterea aſſimilari poſſunt *Beſtiis Terreſtribus.*

Verſ. 20. *Facultate imbuit, cum vitali gaudio & complacentia uniendi cum Materia. Vitalis* hæc *aptitudo* in Anima uniendi cum Materia corporea cùm adeò eſſentialis ipſi ſit atque propria, invigoratio quidem exercitii illius facultatis non poteſt quin ipſi admodum grata ſit & jucunda, ſatíſque magna fœlicitatis illius portio. Quod ni eſſet, quorſum, obſecro, ſpectat mortuorum Reſurrectio, Corporáque glorificata in vita futura? Qui tamen Chriſtianæ Fidei eſt Articulus.

Verſ. 22. *Novum hunc Vehiculi ſui ſenſum.* Tria Principia in Homine ſunt ſecundùm ſententiam *Platonicorum,* Νοῦς, ψυχὴ, εἴδωλον ψυχῆς. Primum eſt *Intellectus, Spiritus,* ſive *Divina Lux.* Secundum, *Anima* ipſa, qui *Adamus* eſt ipſéve Homo, *Animus cujuſque is eſt quiſque.* Tertium eſt *Imago Animæ,* quæ vitalis illius energia eſt in corpus, quâ ipſum vivificat. Et ſi iſta vita in legitima temperie debitóque vigore conſtituta ſit, admodum gratus animæ ſenſus eſt, ſive in hoc corpore ſive in *Vehiculo* tenuiori. Hanc *Ficinus Evam* noſtram facit. Hæc eſt *Fœminina* in Anima humana *Facultas,* quæ tunc facillimè evigilat, quum Anima, quantùm ad Intellectualia, obdormiſcit.

Verſ. 24. *Nimis laborioſa ſua aſpiramina.* Τὰ ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα, vulgare Monitum eſt, quod *Ariſtoteles* in Ethicis ſuis reprehendit. *Ethic. ad Nicomach. lib. 10. cap. 7.* Veruntamen magna nihilominus Sapientiæ pars eſt apprimèque neceſſaria, veras dignoſcere Leges limitéſque humanæ fœlicitatis, (nè *Melancholiæ* ardor homines propellat, ultrà quàm quod humanæ naturæ competat, aut quò illius facultates pertingere minimè valeant ;) perinde atque cavere nè nimis ſapida voluptatum carnis *Vitæve Animalis* deguſtatio, multis millenis gradibus eos infra eum ſtatum deprimat cujus ſint capaces. Qui verò ſincerè Deum timet, ab utroque malo liberabitur. Quod dixi, ad Animam in *carne* magìs propriè ſpectat, ſed ex Analogia de Anima intelligi poteſt in quocunque *Vehiculo.* Peccato enim obnoxiæ ſunt in omnibus.

Verſ. 25. *Nudus ſtetit coram Deo. Adamus* æquè verè jam veſtitus erat Corporeitate atque unquam poſtea. *Æther* enim æquè verum corpus eſt atque *Terra.* Mens verò *Moſis* ſic eſt: *Adamum* utique ſenſum habuiſſe perceptionémque *Divinæ Præſentiæ,* quippe qui apud animum ſuum admodum ſenſibiliter perſuaſus erat, totam ſuam Eſſentiam nudam jacere, expoſitámque conſpectui Divino, nihílque abſcondi poſſe ab illius viſu, qui in ipſas etiam cogitationes internámque *Spiritûs* ſui conſtitutionem penetraret. Quanquam verò *Adamus* nudus ſic ante eum ſtetit, nullam tamen apud ſe integumenti indigentiam deprehendit, quo ſe à præſentifico illius ſenſu abſconderet, nec omninò nudum ſe perſenſit, ſecundùm eam quidem *Nuditatis* Notionem. Iſte enim *Nuditatis* ſenſus, indigentiæque Integumenti *munimentive* adversùs *Divinam Præſentiam* ex illius inobedientia ortus eſt contráque Divinum præceptum contumacia, in quam nondum erat lapſus.

Nec quicquam tamen eum puduit. Pudor eſt φόβος δικαίου ψόγου, *Timor juſtæ reprehenſionis,* quemadmodum A. *Gellius* ex Philoſophis eum definit. *Noct. Attic. lib. 19. cap. 6.* *Adamus* verò cùm nihil adhuc temerè feciſſet, ſecundùm impetum propriæ voluntatis, nihil patravit ob quod *Divina Lux* eum poſſet reprehendere. Nondum obnoxius factus erat ulli ſententiæ à propria ſua conſcientia condemnante prolatæ. Hactenus enim ſeipſum intra limites *Divinæ* illius *Legis* animæ ſuæ inſcriptæ continuerat, nec quicquam aggreſſus erat contra voluntatem *Divinam.* Adeò ut, cùm nullum eſſet peccatum, nullus eſſe poſſet in *Adamo* pudor.

SCHOLIA

In Cap. II. Verſ. 4.

Fuſiùs videre eſt apud Carteſium. *Et certè quoad rationem generalem ſic generari poſſunt* Stellæ *ac* Planetæ, *ſubtiliſſimis particulis in Vortice ad centrum vorticis labentibus, &* Maculæ *poſtea fieri poſſunt &* Incruſtationes, *& quæ ſequuntur. Hæc verò modo omninò* Carteſiano *fieri, hoc eſt,* merè Mechanico, *minimè veriſimile eſſe abundè demonſtravi in* Enchiridio Metaphyſico. *Vide & Appendicem Defenſ. Cab. Philoſoph. Cap.* 10. *Sect.* 4.

Verſ. 11. Expandere, diffundere ſe & abundare, &c. *Nihil poteſt eſſe iſtâ Etymologiâ ſignificantius, præſertim ſi ad inſpiratam referatur Sapientiam. Unde* Siracides *huic*

Eccleſiaſt. cap. 24. v. 35. *ad fluviorum inundationes alluſioni paulò diutiùs immoratur, Cap.* 24. Qui quaſi *Piſon* omnia implet ſuâ ſapientiâ, & ut *Tigris* novarum frugum temporibus effuſus: Qui ut *Euphrates* ingenium fœcundat, & velut *Jordanes* tempore Meſſis: Qui profert ut lucem diſciplinam cognitionis, inundat ſicut *Geon* vindemiæ tempore.

Verſ. 12. Ipſúmque nomen ac natura Lapidis Onychini. *Sic in Viſione* Ezechielis: *Oculi & Pedes Vitulini, Manus & Alæ conjunctæ, Scientiam nec otioſam nec inutilem indigitant. Vide* Divinos Dialogos, *Dialog.* 5. *Sect.* 10. *& Expoſitionem* Mercavæ.

Verſ. 13. Septuaginta verò vertunt πιεῖν ὕδωρ Γηῶν. Druſius *in* Jerem. 2. 18. Hieron. Pro *Sichor* nos turbidam interpretati ſumus, quòd verbum *Hebraicum* ſignificat, pro quo communis editio habet *Gehon.* Ad ſenſum non malè. Siquidem *Gehon* de veterum ſententia *Nilus.* Euſebius *de locis, Geon,* Fluvius qui apud *Ægyptios* Nilus vocatur. Auguſtinus *De Geneſi ad Lit. lib.* 8. *cap.* 7. *Geon,* quippe ipſe eſt, qui nunc dicitur *Nilus.* Idem *Sihor,* ſi credendum Interpretibus, &c.

Herodotus etiam de ipſis ſcribens, &c. *Vide Herodotum lib.* 3. *Ubi in colloquio Regis* Æthiopum *cum* Ichthyophagis *ad eum à* Cambyſe *miſſis hæc inter alia habentur,* Οὔτε ἐκεῖνος ἀνήρ ἐστι δίκαιος· Εἰ γὰρ ἦν δίκαιος, οὐκ ἂν ἐπεθύμησε χώρης ἄλλης ἢ τῆς ἑωυτοῦ.

Verſ. 14. Vel ad occidentem, ab hoc fluvio, ſita eſt, ſenſu quidem Myſtico, &c. *In ſenſu enim Literali ac Geographico, jam dixi in* Cabbala Literali, *pergere ad Orientalem Plagam contra* Aſſyriam.

Apparentis fœlicitatis. אשר *enim* beatitudinem *ſignificat, ſed hìc veram ſignificare non poteſt, ſed tantùm apparentem.*

Verſ. 17. Corpus appellare ſepulchrum, &c. Τῇ γὰρ ψυχῇ δεσμὸς τὸ σῶμα καὶ τάφος, καὶ ὁ κόσμος αὐτῇ σπήλαιον καὶ ἄντρον. Plotin. Ennead. 4. *lib.* 8. *cap.* 3. *hoc eſt,* Vinculum Animæ corpus eſt ac ſepulchrum, Mundúſque hic terreſtris illi ſpelunca eſt atque antrum.

CAP. III.

1. *Serpens* Ὀφιωνεὺς *apud* Pherecydem Syrum. אחים, שעירים, ציים, איים, *&* לילית, *nomina Spirituum agros locáque deſolata frequentantium. Recta Notatio vocis* שרים. 13. Satanam *cum ſuis Sociis, poſtquam* Adamum *tentâſſet, inferiùs terram verſùs fuiſſe dejectum.* 15. Platonis *Vaticinium de* Chriſto. *Quàm rationi conſentaneum ſit, ut Divina Providentia* Chriſtum *ſupra ſummos Angelos exaltaret.* 20. Adami *deſcenſum in corpus terreſtre, quoddam Mortis genus fuiſſe.* 22. *Divinæ Bonitati quàm malè conveniat Homini infirmo in Calamitatem planè Tragicam illapſo ſarcaſticè inſultare.* 24. *Singulari Dei miſericordiæ acceptum referendum eſſe, quòd immortales non ſimus in terra. Voces* Δαίμων, ψυχὴ, *&* Ἄγγελος *rem eandem ſignificare.*

1. A*Ntiquus igitur hic Serpens, &c.* Apud *Pherecydem Syrum, Pythagoræ* præceptorem, Ὀφιωνεὺς quidam memoratur, Princeps mali, quemadmodum *Grotius* eum citat in hunc locum. Quod ulteriori argumento eſſe poteſt, Philoſophiam *Moſaicam Pythagoræ* innotuiſſe; & ſecundùm *Cabbalam* quidem *Philoſophicam,* malignum fuiſſe Spiritum non Serpentem Naturalem, qui Adamum ſupplantaverit, tantámque humano Generi calamitatem ſuperinduxerit.

Omnium Beſtiarum Agri verſutiſſimus, &c. Jam verò ut hi maligni Spiritus æſtimentur ut *Beſtiæ Agri,* præter eas rationes quæ in ipſa *Cabbala* afferuntur, ſuperaddere porrò poſſumus, Receſſus quos *Spiritus* hi *impuri* frequentant, ſolitudines eſſe campóſque vaſtos & incultos, ac loca deſolata, quemadmodum manifeſtum eſt ex Propheta
Cap. 13. 21. *Eſaia* deſolationem *Babylonis* deſcribente, ubi ait, locum fore, quò ſe recepturi ſint איים & ציים, *Fauni & Sylvani,* quemadmodum vertit *Caſtellio*; vel ὀνοκένταυροι & Δαιμόνια, ut reddunt *Septuaginta.* Atque hi *Onocentauri* apud *Heſychium* ſunt δαιμόνων τι γένος κάθυλον καὶ σκοτεινὸν τῇ ἐπιφανείᾳ, *Genus quoddam Spirituum ſylvas frequentantium, & colore obfuſco.* Mentio etiam à Propheta facta eſt, (in eadem deſcriptione) de שעירים & אחים, & de לילית, quæ omnia Expoſitores de *Spiritibus* interpretantur. Nam vocabulum שעירים per *Septuaginta* Δαιμόνια vertitur, per *Caſtellionem* Satyri: אחים *Caſtellio* reddit Faunos, *Septuaginta* ἠχοῦς, Clamores, Strepitus. *Grotius* ſuſpicatur eos ſcripſiſſe ἠχίμ. Ex utriſque conjectare licet tale genus *Spirituum* fuiſſe qui turbas ſtrepitúſque in locis iſtis deſolatis cierent, juxta illud *Lucretii:*

> *Hæc loca capripedes* Satyros Nymphásque *tenere*
> *Finitimi fingunt, &* Faunos *eſſe loquuntur,*
> *Quorum noctivago ſtrepitu ludóque jocanti*
> *Affirmant vulgò taciturna ſilentia rumpi.*

Poëta verò hoc lepido commento rem eludere conatur: Paſtores ſcilicet eſſe, cum ſuis puellis ludo jocóque paulo liberiùs indulgentes. Nemo verò tale gloſſema huic Textui apud *Eſaiam* inferre poteſt. Propheta enim ait, Paſtores nunquam illîc facturos ut accubarent pecudes, neminémque tentorium ibi tenſurum. Ultimum in his vaſtis ſolitudinibus monſtrum eſt לילית, quam Interpretes utplurimum reddunt *Lamiam*, ſive *Veneficam*. Et quantùm ad me, tantam profectò fidem habeo multis Hiſtoriis quas legi & audivi, ut mallem ſtatuere, nocturnos iſtos ſtrepitus, quos memorat *Lucretius*, Dæmonum Lamiarúmque Choreas fuiſſe & Conventicula, quàm luſus turbáſque Paſtorum & Paſtorcularum colludentium clamoréſque cientium, quos rupes montéſque ad aures longè diſtantium reverberarent, ipſis interim, fervente adhuc Chorearum cantûſque Tibiarum oblectamento, à nemine conſpectis. Judæi verò per לילית *Dæmonium fœmineum* intelligunt puerperis inimicum. Unde fit ut parietibus Cubiculi ubi fœmina cubet puerperio, inſcribere ſoleant, אדם חוה חוץ לילית *Adam, Eva,* foras *Lilith.* Cap. 13. 20.

Et certè quod jam attuli, ſat virium & authoritatis habere exiſtimo ad ſuffulciendum hunc ſenſum *Cabbalæ,* qui ſupponit malignos Spiritus *Beſtiis agri* ex analogia eſſe accenſendos.

Supereſt tamen aliquid quod porrò addi poteſt, Matth. 12. 43. Ibi Chriſtus Servator doctrinam hanc apertè approbat, quòd maligni Spiritus vaſtas ſolitudines & deſerta frequentent. Quod & *Grotius* obſervat opinionem eſſe *Judæorum,* quódque שדים *Dæmones* nomen ob hanc cauſam à שדה Ager ſortiti ſint. Nam ſi factum eſſet à שדד, שדים foret potiùs quàm שדים, *Shiddim* quàm *Shedim,* quemadmodum Analogia Grammatica requirit.

Verſ. 2. *Et Adamus reſpondit ei dicens.* Quanquam Serpens hîc conſideratur ut perſona ab *Adamo* diſtincta atque diſtans, modóque externo illum compellans, nequaquam tamen incongruum eſt *Evam* internam tantùm illius *Facultatem* conſtituere. Nam quemadmodum dicitur ab eo procedere, ità etiam dicitur una cum illo eſſe. Quod *Facultatibus Animæ* mirum in modum convenit. Quanquam enim ab Anima ſunt, ſunt tamen realiter idem cum illa. Quemadmodum quivis, qui rerum Philoſophicarum non ſit omnino expers, facilè admittet.

Verſ. 5. *Res omnes cujuſmodicunque ſcientes.* Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει, *Omnes homines naturaliter ſcire appetunt,* Aphoriſmus eſt apud *Ariſtotelem.* *Metaphyſ.*
Atque appetitus hic maximè vehemens eſt in eis quorum Spiritus tenuiores ſunt & *lib.* 1.
ſubtiliores. Ac proinde fieri non potuit quin *Adamus* hâc eſcâ facilè caperetur in tenuiori ſuo Vehiculo. Quicquid verò animæ *naturale* eſt, niſi temperetur limitetúrque *Divinâ Luce,* in noxam perniciémque illius ceſſurum eſt, ſive in hoc ſtatu ſive in quocunque ſtatu anima ſit conſtituta.

Verſ. 7. *Nec integumentum cœleſtis naturæ.* Etenim *Adamus* indulgendo vagæ cuique ſuggeſtioni puram *Ætherei* ſive *Cæleſtis Vehiculi* Temperiem vitiavit tandem corrupítque, ſordidorúmque ruderum illius, maléque temperatarum reliquiarum faſtidium ſibi creavit; & inferiorem vitam *Plantalem* aliquatenus exuſcitans, (quæ tamen nondum ad *Terreſtrem Materiam* ſatìs propinquè acceſſerat, nedum eâdem eum adhuc veſtiverat) nudum ſe deprehendit illius, quod ſibi admodum accommodum fore præſagiit, præſentíſque conditionis moleſtiam alleviaturum. Vide 2 Cor. cap. 5. v. 1, 2, 3, 4.

Fúmque ad Plaſticam ſuam virtutem perfectiùs exercendam, &c. Animam etiam in *Ætherea* conditione *Plaſticæ* exercitio non deſtitui admodum probabile eſt. Nec perfectius eſt illius exercitium in *Terreno* Vehiculo quàm in *Æthereo,* ſed tantùm craſſius & ſtabilius: quâ ſolâ ratione nempe ſtabilitatis, ſi iſta perfectio ſit, *Plaſtica* dici poteſt perfectiùs exerceri in *Terreno Vehiculo* quàm *Cæleſti.*

Verſ. 8. *Ut abſconderent ſeipſos, &c.* Oderunt Lucem, quia facta eorum mala ſunt. Hoc verè dicitur in omnes Spiritus rebelles, quocunque in Vehiculo conſtituti ſint.

Verſ. 9. *Ipſum proſecuta eſt.* Præſtantiorem Animæ facultatem eſſe Ducem Hominis atque Dæmonem, Dictum *Ficini* eſt ex *Timæo.* Quodſi contra eam rebellamus, *Dæmon* noſter eſt ſenſu peſſimo, quem reformidabimus, nec conſpectum illius ſuſtinere poterimus.

Verſ.

Verſ. 10. *Nullam habens virtutem nec ornamenta.* Expertus eſt enim, quamvis *Vehiculum* vitiare ac corrumpere poſſet, in ſua tamen poteſtate non eſſe, tam facilè ipſum reſtituere, & in ordinem rurſus redigere.

Verſ. 12. *Quòd vitæ vehiculi vigor eſſet & impetuoſitas.* Hoc certè aliquam ſpeciem realis Excuſationis præ ſe fert in *Adamo.* Manifeſtum tamen eſt eum de peccato ſe purgare non poſſe, quoniam in ſua poteſtate erat motus moderari *Vitæ Vehiculi* ſecundùm Regulam *Divinæ Lucis* in ipſo.

Verſ. 13. *Quantum malum heic faceſſit hæc mulier!* *Adamus* aliquo modo redargutione *Divinæ Lucis* affectus, funeſtam illam Cataſtrophen dolet quam vigor *Vitæ Vehiculi* ſuperinduxerat. Sed ſeipſum rurſus excuſat propter deceptibilitatem iſtius *Facultatis,* præſertim cùm impetita eſſet à tam verſuto potentíque Aggreſſore quàm ſit antiquus Serpens Diabolus.

Compleri in æternum. Hoc eſt, לעולם. εἰς τ̃ αἰῶνα.

Verſ. 14. *Æternus Dominus Deus.* Cùm in confeſſo ſit, Quòd Deus & in Homine loquitur, ut in aliis Intellectualibus Creaturis, per *Divinam* ſuam *Lucem* illîc reſidentem, quódque etiam loquitur in ſeipſo, de Rebus aut Perſonis; qui Sermones nihil aliud ſunt quàm illius Decreta: Non eſt omnino durum, ſi in *Moſe* legendo, *Loquelas Dei,* prout Argumenti circumſtantiæ naturaliter innuerint, intelligamus; Nec Deum introducamus ut Perſonam tertiam ſub forma corporea ac viſibili accedentem, niſi neceſſitas hoc à nobis extorſerit. Nam internum illius verbum, quo creat, decernítve aliquid quod futurum ſit, ut & *Divinam* illam *Lucem* quâ illas animas, quæ ipſum receperint, informat, Philoſophia faciliùs admiſſura eſt tanquam *Loquelas Dei,* quàm vocem ullam articulatam & audibilem, in humana forma ab eo pronunciatam, niſi fieret ab ipſo Chriſto. Etenim alioqui veriſimillimum eſſet nuncium tantùm eſſe ab aliquo Angelo allatum.

Sapient. Solom. c.6.v.6.

Apoſtatarum Angelorum Princeps. *Quoniam judicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet.* Et ipſa rei natura idem implicat. Propterea quòd Ignominia, res adverſæ atque contemptus longè majorem dolorem & vexationem eis pariunt, qui in ſummo gradu conſtituti fuerint, quàm hominibus inferioris ordinis. Unde naturaliter Princeps hic ſive Dux Dæmonum, hac maledictione profundiùs vulnerabitur, quàm quiſquam è ſociis reliquis Rebellioníſve comitibus.

In ſuperioribus Aeris partibus. Hoc opinioni antiquorum Patrum admodum conſonum eſt, ſive intelligas de *Satana* ipſo, ſive de toto Regno iſtorum *Spirituum Apoſtatarum.* Neque magìs abſurdum eſt, ut mali *Genii* ad tempus inter bonos in Regione *Ætherea* verſarentur, quàm ut nunc *Spiritus* benigni verſentur inter malignos, in hoc Aëre inferiore. Poſtquam verò Satanas immane illud ſcelus in *Adamum* commiſiſſet, * juſſus eſt deſcendere inferiùs, terrórque Domini Exercituum itâ mutavit vehiculum ignémque ejus extinxit, ut terram verſùs ſtatim ſubſideret, tandémque coactus eſſet Terræ pulverem lambere. Vide *Joſ. Medum,* in Diſſertatione in 2 Pet. 2. 4.

‖ *Marſil Ficin. de vita Platonis.*

Verſ. 15. *Anima Meſſiæ corpus ſumptura ſit.* Et Animam *Meſſiæ* & reliquas Animas omnes præextitiſſe, opinio eſt *Judæorum*; quâ quidem admiſſâ nulla omnino difficultas eſt in *Cabbala.* *Plato,* ſive ab hoc loco ſolo, * ſive quòd ex aliis etiam ſacræ Scripturæ locis inſtructus eſſet, (ſi quod ſcripſit ‖ *Ficinus* verum ſit) aliquam habuiſſe videtur notitiam aut præſagium de adventu *Chriſti*; quippe qui, quum interrogatus eſſet quamdiu homines illius ſcriptis attendere deberent, reſpondit, Donec aliqua perſona magìs ſancta ac Divina in orbe apparuerit, quem omnes oporteret ſequi.

Inſigniter heic in terris conculcatura. Quemadmodum ab eo factum eſt, in ejiciendo dæmonia, & ſilentium imperando Oraculis, aut cogendo exclamare,

Οἴ μοι τῶν τριπόδων --------

Chriſtus caput *Satanæ* conterit ſubvertendo Regnum ejus & Principatum, & ex eo quòd ipſe exaltatus ſit ſupra omnes Poteſtates quaſcunque. Et certè ingens eſt magníque pretii Myſterium, ut tenera illa Commembrorum Creationis commiſeratio, fideliſque ac firma Obedientia Divinæ voluntati (quæ ambæ eminenter tranſcendentérque in Chriſto illuxerunt) ſupra omnem potentiam evectæ eſſent, ac ſcientiam qualemcunque in altioribus illis ordinibus Angelorum. Nulli enim eorum, qui ſic, ut par erat, eſſent affecti, ullo modo indè offenderentur, ſed gauderent potiùs. Quod ad illos verò attinet qui ſuperbi eſſent, Potentiámque & Scientiam, Bonitati & Obedientiæ præferrent, non niſi juſta ipſorum deſpectio erat, meritáque ſuperbiæ eorum exprobratio.

Nunc verò *Satanas* quomodo *Chriſti* calcem conterit? Sic; Agmen poſtremum impetit ac calones, partem ſcilicet infimam eorum qui Chriſtianitatem profitentur, Hypocritas utique vel Animas rudes & ignaras, cujuſmodi ſunt illæ utplurimum, quæ Sagæ fiunt ſive Veneficæ. Eccleſia verò Triumphans ſecura eſt, uti & ſincera pars Eccleſiæ militantis. Vide Cl. *Medum* in locum.

Verſ. 16. *Concomitantia angoris & doloris.* Eſtque communis omnium Mortalium querela, etiam eos quibuſcum leniſſimè agitur, experiri viciſſitudines doloris perinde atque gaudii. Ipſáque Corporum noſtrorum conſtitutio, æquè atque Accidentia Fortunæ, talis eſt, ut Voluptati indulgere omnino ſit ſemina jacere Doloris atque Triſtitiæ per Morbos, Satietatem ac Melancholiam. Ut prætеream multas ſpinas & aculeos, qui ex improviſo ſæpe occurrunt in eorum converſatione, à quibus maximum expectare poſſimus ſolamen & oblectationem; Propriíque Animi porrò aggreſſuras, morſúſque conſcientiæ, qui utplurimum eos interturbant, qui voluptates corporis ſectantur. *Lucretius*, quanquam Atheus, plenum huic veritati teſtimonium perhibebit, quarto libro de Natura rerum; ubi hoc argumentum fusè tractatum legere licet.

Verſ. 18. *Terrâ Spinas & Tribulos producente.* *Moſes* in uno genere vitæ exemplum profert, in Agricultura ſcilicet; eſt autem eadem ratio in univerſis.

-------- Nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus -----

Verſ. 20. *In inferiores vitæ functiones ſubſideret, &c.* *Euripides* amicus *Socratis*, & *Pythagoricæ* Philoſophiæ ſtudioſus, ‖ alicubi in Tragœdiis, quemadmodum jam monui, ad hunc ferè ſenſum ſcribit. *Quis novit*, ait ille, *utrùm vivere ſit mori, & mori, è contra, ſit vivere, nec ne?* Quæ quidem quæſtio præſenti *Cabbalæ* admodum eſt conſentanea. Hîc enim *Adamus* quaſi moribundus introducitur, quantùm ad Mundum meliorem, vitæque conditionem in qua erat. Et quemadmodum quiſpiam hîc in terris in lecto cubans moriturus, vaticinatur aliquando, profitetúrque quid de futuro ſuo ſtatu præſagiat, ſe utique apud Deum futurum eſſe & in cœlis inter Angelos Animáſque juſtorum ſeparatas verſaturum; ità heîc *Adamus* ſuum Vaticinium Apologeticum profert, hanc ſui mutationem & à præſenti hoc ſtatu diſceſſum, quamvìs ſat malorum indè ſibi eventurum ſit, ſuum tamen habiturum eſſe uſum & commoditatem, in majúſque ceſſurum eſſe bonum Univerſo. Se etenim victurum eſſe ſuper Terram, & Moderatorem futurum inter Terreſtria Animantia, iſtíque Mundi parti ordinandæ gubernandæque operam daturum.

‖ *In Phryxo, Tragœd.*

Vitam Vehiculi ſui appellavit EVAM. EVA enim ſignificat vitam, illam ſcilicet Vitam quam Anima, Vehiculo ſive corpori cuicunque, quod actuet & poſſideat, impertit.

Verſ. 21. *Cùm vis Plaſtica plenè expergefacta eſſet.* Nimirum vis *Plaſtica terreſtris*, ſive *Congruitas vitalis terreſtris.*

Pellibus comparuit veſtitus Beſtiarum. Hoc *Origenes* intelligit de *Adamo* incorporato, humanâque carne ac cute veſtito. *Ridiculum enim eſt dicere*, inquit ille, *quòd Deus fuerit* Adami *Coriarius & Pellium ſutor.* Et nemo quiſquam ſanè multùm demirabitur pii doctíque Patris confidentiam, modò meminerit Præexiſtentiam Animarum, antequam in terreſtre corpus delabantur, generalem eſſe opinionem omnium eruditorum *Judæorum*, ac proinde omnino veriſimile eſſe, partem fuiſſe hujus *Cabbalæ Philoſophicæ*. Quàm aptè verò omnia coincidant & cum ipſo Textu *Moſaico* conſentiant, quilibet judicet. *Origenes* ſignificantiam hujus loci πτεροῤῥυήσει *Platonicæ* præfert. Verba ejus citatu notatúque digniſſima ſunt: Καὶ ὁ ἐκβαλλόμενος δὲ ἐκ τοῦ Παραδείσου ἄνθρωπος μετὰ τῆς γυναικὸς, τοὺς δερματίνους ἠμφιεσμένος χιτῶνας (οὓς διὰ τὴν παράβασιν τῶν ἀνθρώπων ἐποίησε τοῖς ἁμαρτήσασιν ὁ Θεὸς) ἀπόῤῥητόν τινα καὶ μυστικὸν ἔχει λόγον, ὑπὲρ τὸν κατὰ Πλάτωνα, τῆς ψυχῆς πτεροῤῥυούσης, καὶ δεῦρο φερομένης, ἕως ἂν στερεοῦ τινος λάβηται· hoc eſt, *Homo ex Paradiſo ejectus cum uxore ſua, tunicíſque pelliceis veſtitus (quas propter hominum tranſgreſſionem peccantibus fecit Deus) rationem quandam arcanam Myſticámque in ſe continet, ſupra illam* Platonis, *de defluvio pennarum Animæ, præcipitis huc delatæ donec corpus aliquod craſſioris conſiſtentiæ prehenderit.* Vide *Origenem* contra *Celſum*, lib. 4. Hoc illi reſpondet apud *Cornelium*, quod eum ex *Epiphanio* exiſtimo mutuatum eſſe.

Cornel. à Lapide, in Gen. c. 3.

Verſ. 22. *Non niſi per ludum jocúmque, &c.* Hoc equidem impendiò magis Decorum exiſtimo, quàm Deum fingere *Adamum* ſarcaſticè irridere, eíque inſultare in tam ingenti ac univerſali calamitate, quemadmodum quidam ſupponunt, & quam nulla comitetur commoditas: præſertim cùm Principium in *Adamo* eſſet quod tam facilè deceptioni eſſet obnoxium. Quod proculdubio aliquid excuſationis præ ſe ferr. Irridere verò hominem qui ex propria infirmitate callidáque Adverſarii ſui verſutia in dirum aliquod Tragicúmque malum aut miſeriam inciderit, equidem tantum abeſt ut Deo dignum ſit, ut vel virum bonum omninò dedeceat.

Verſ. 24. *Certò ſtatuit illum non fore immortalem.* Hoc enim in noſtrum commodum cedit, quemadmodum *Rupertus* in locum ex *Plotino* obſervavit. Miſericordiæ Dei fuiſſe quòd hominem fecerit mortalem, nè perpetuis cruciaretur hujus vitæ ærumnis.

Hic detur introitus ut veſtiatur utique rurſus vehiculo igneo, &c. Verba proximè ſubſequentia ſenſum *Cabbalæ* explanant. Eſtque certè omnino ſecundùm mentem *Platonis* illius inter Poëtas (quemadmodum *Severus* eum appellat) *Virgilii* ſcilicet, libro ſexto *Æneidos.*

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purúmque reliquit
Æthereum ſenſum atque auraï ſimplicis ignem.

Quod etiam admodum aptè porrò confirmabimus duobus poſtremis carminibus, quæ vocantur, aureis *Pythagoreorum*, qui *Immortalitatem* addunt huic conditioni *Ethereæ*;

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.
Hoc eſt,
Sic ubi depoſito, vacuus te ceperit Æther,
Corpore, vivus ages ſemper, ſempérque beatus.

Carmen *Græcum* habet, *Immortalis Deus* eris, quod *Hierocles* interpretatur, Divinitatem in hoc imitaberis, quòd evaſeris immortalis. *Plutarchus* verò, in *de Defectu Oraculorum*, *Apotheoſin* hanc ſecundùm Elementorum ordinem promovet, *Terræ* ſcilicet in *Aquam attenuatæ* & *purificatæ*, *Aquæ* in *Aerem*, & *Aeris* denique in *Ignem*: Ità Hominem ex *Terreſtri Animale*, *Heroem* fieri, ex *Heroe Dæmonem* ſive *bonum Genium*, ex *Genio Deum*; quod ille μετασχεῖν θεότητος, *Divinitatem participare*, nuncupat. Quod tamèn nihil amplius eſt, quàm unum ex אלהים, hoc eſt, *Immortalibus Angelis* evadere, qui ſunt inſtar flammæ, ut Hebraici Doctores, in *Bereſbith Rabbah*, declarant. Sunt quidem quantùm ad Vehicula, *Ignis quaſi verſatilis, ſe convertentes, Protei inſtar, in omnem formam.* Ipſa ferè verba ſunt R. *Ben-Maimon.* in hunc locum *Geneſeos.*

R. Maimon. More Nevoch. part. 1. c. 49.

Et verò *Philo Judæus*, Ἔστι δὲ κατὰ τὸν ἀέρα ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερώτατος χορός. *Eſt verò*, ait ille, *in Aere ſanctiſſimus Animarum ſeparatarum Chorus*; ſtatímque ſubjungit, Ἀγγέλους γὰρ τὰς ψυχὰς ταύτας εἴωθε καλεῖν ὁ θεσπιῳδὸς λόγος. *Angelos enim Divinitùs inſpirata Scriptura has animas ſolet appellare.* Et alio in loco de purioribus Animabus loquens, eas vocat Ὑπάρχους τοῦ πανηγεμόνος, ὥσπερ μεγάλου βασιλέως ὀφθαλμοὺς καὶ ὦτα, ἀφορώσας πάντα καὶ ἀκουούσας. i. e. *Præfectos ſummi Imperatoris Univerſi, & oculos quaſi & aures magni Regis, intuentes & inaudientes omnia*; & tunc adjicit, ταύτας δαίμονας μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι, ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν. *Has alii Philoſophi* Genios, *ſacra verò Scriptura* Angelos *ſolita eſt nuncupare.* Et in alio quidem loco ait, ψυχὴν, δαίμονα & Ἄγγελον, *Animam, Genium* atque *Angelum*, tria verba eſſe quæ unam eandémque rem ſignificant. Quemadmodum & *Xenocrates* ψυχὴν & δαίμονα idem facit; addens, eum eſſe εὐδαίμονα, *fælicem*, qui σπουδαίαν ψυχὴν, *probam Animam* nactus ſit. Quamobrem ut nec Lectori nec mihi ipſi ex nimia Philologia faſtidium creem, concludo mentem *Moſis* in poſtremo hoc verſu hanc eſſe: Quòd *Adamus* ad mortalem, evanidum, & impermanentem ſtatum heîc damnatur, donec *Æthereum* ſuum puréve *Igneum* vehiculum aſſecutus ſit, &, ut Chriſtus Servator loquitur, ἰσάγγελος, tanquam *unus ex Angelis* evaſerit. Hæc, inquam, humani generis conditio eſt, ſecundùm *Cabbalam Philoſophicam Moſis.*

In De Confuſione Linguarum.

Phil. libr. de Somniis.

Phil. lib. de Gigantibus.

SCHOLIA

In Cap. III. Verſ. 14.

Juſſus eſt deſcendere inferiùs, &c. *Dæmones è Cælo à* Jove *fuiſſe deturbatos dixit* Pherecydes Syrus, *quorum Princeps dictus ſit* Ophioneus, *i. e.* Serpentinus. *Vide* Cornelium à Lapide *in locum.*

Verſ. 15. Sive quod ex aliis etiam ſacræ Scripturæ locis, &c. Clemens Alexandrinus, *Stromat. lib.* 5. *poſt dictum illud è* Sapientia Salomonis, Ἄρωμεν ἀφ' ἡμῶν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστιν, Tollamus à nobis juſtum, quia nobis incommodus eſt, *ſtatim ſubjicit:* Ὁ Πλάτων μονονουχὶ προφητεύων τὴν σωτήριον οἰκονομίαν, ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς Πολιτείας ὧδέ φησιν· Οὕτω δὲ διακείμενος ὁ δίκαιος, μαστιγωθήσεται, τρεβλώσεται, δεθήσεται, ἐκκοπήσεται τὼ ὀφθαλμώ, τελευτῶν, πάντα κακὰ παθὼν ἀνασκινδυλευθήσεται· *i. e. Plato* propemodum propheticè prædicens Servatoris Oeconomiam, in ſecundo de *Republica* ſic dicit: Qui autem ſic eſt affectus juſtus, flagris cædetur, torquebitur, vincietur, Oculi ei effodientur, & poſtremò omnia mala perpeſſus in palum crucémve tolletur & ſuſpendetur: *ac ſi* Platoni *perpeſſiones* Meſſiæ *innotuiſſent ex Eſaia, cap.* 53.

AD

AD DEFENSIONEM Cabbalæ Philoſophicæ APPENDIX.

CAP. I.

1. *Robur* Cabbalæ Philoſophicæ *à natura Veritatum in ea contentarum illuſtratum.* 2. *Dignitas* Pythagoræ. 3. *Philoſophiam* Moſaicam *ei notam fuiſſe.* 4. *Miracula* Pythagoræ. 5. *De* Platone, *quòd Doctrina* Judaica *ei fuit cognita, & quid miraculoſi de eo dictum ſit.* 6. *De* Plotino, *ut Magiam* Olympii *in ſe intentatam in ipſum* Olympium *retorſerit; quantúmque honorem detulerit* Origeni. 7. *Stultitia Hominum privato judicio magìs adhærentium, quàm Patribus, Eccleſiis, Miraculorum operatoribus, ipſique adeò Rationi.* 8. *Philoſophia* Carteſiana *Phyſicæ partis* Moſaicæ *reſtauratio. Déque ipſo* Carteſio *qui afflatu quaſi Divino quodammodo inſpiratus videatur.*

1. Generalem nunc totius hujus *Cabbalæ* recognitionem inſtituamus, modóque magìs ſummario illius robur conſideremus: Quod ad tria Capita referre poſſumus: Ad *naturam* ſcilicet *Veritatum in ea contentarum*, Ad *dignitatem Perſonarum* earum quæ in anteactis ſeculis eam amplexæ ſunt, Et ad *Vacillantiam* denique maximè appoſitarum *Objectionum* quæ contra eam poſſunt excogitari. Quod ad *Veritates* ipſas attinet; Primò, Tales ſunt quæ tam ſanctam venerandámque perſonam quàm *Moſen*, ſi Philoſophari vellet, maximè condecerent, quippe quum eximiæ ſint admodum & ſelectæ Veritates, longéque ſupra Captum vulgi remotæ, eóque veriſimilius eſt eas ipſi aut *Adamo* primùm, à Deo tanquam ſingulare aliquod Myſterium, fuiſſe traditas.

Secundò, Ejuſmodi ſunt, quæ quanto accuratiùs examinantur, tanto magìs invenientur inexpugnabiles; cùm nulla quidem Hypotheſis, quæ hactenus hominibus propoſita ſit, *Naturæ Phænomenis, Divinis Attributis, Eventis Providentiæ, rationalibúſque mentium humanarum facultatibus* tam exquiſitè conveniat.

Tertiò, Continua earum congruitas eſt, perpetuáque Textui *Moſaico* Applicabilitas, ſine omni diſtortione, legúmve aut Grammaticorum aut Criticorum violatione.

Quartò denique, Nonnullarum ſaltem ex ipſis magna quidem utilitas eſt, nè dicam neceſſitas, quippe quæ tam ſolida Religionis fulcra ſunt, támque efficacia ad ſedulam animarum noſtrarum purificationem veræque pietatis ſtudium incitamenta.

2. Jam verò quantùm ad Perſonarum dignitatem, (* Quales erant *Pythagoras, Plato* & *Plotinus*) ex conſtanti fama confirmabitur de ſummo illo gradu virtutis ac juſtitiæ fervidíque amoris Divini Numinis, qui paſſim in eis fuiſſe agnoſcitur, præter alia cujuſmodicunque quæ per modum miraculi ipſis obtigerint vel ab ipſis facta ſint.

Vide Iamblich. de vita Pythag. cap. 1.

Et quod ad *Pythagoram* attinet, ſi Vitam illius adeas, ab *Iamblicho* ſcriptam, in tanta erat admiratione ſuis temporibus ut filius *Apollinis* habitus ſit à nonnullis, quem ex *Parthenide* nota ſua matre genuerit. Qua in ſententia fuerunt *Epimenides, Eudoxus* & *Xenocrates.* Quam tamen opinionem *Iamblichus* ſobriè ſerióque rejicit; quanquam agnoſcit poſtea, aſpectum illius ſermonéſque, eorum animos qui cum ipſo converſati eſſent, in tantam ſui admirationem rapuiſſe, ut abſtinere ſe non poſſent quin eum fuiſſe affirmarent, θεοῦ παῖδα, *Dei prolem.* Quod noſtro præciſo ſenſu Theologico accipiendum non eſt, ſed ſecundùm modum antiquorum Græcorum, qui Homines Heroicè præſignitérque bonos atque probos, *Divinas Animas* exiſtimârunt, à cœleſti ſtirpe oriundas. Ipſéque *Ariſtoteles* de *Lacedæmoniis* particulatim notat, Homines, qui eſſent σφόδρα ἀγαθοὶ, *valde boni,* eos, σείους ἄνδρας, i. e. θείους ἄνδρας ipſos appellâſſe. Juxta quem ſenſum verſum iſtum apud *Homerum* de *Hectore,* interpretatur.

Ethic. Nicomach. lib 7. cap. 1.

---------- οὐδὲ ἐῴκει
'Ανδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι ἀλλὰ θεοῖο.

Cæterùm ut ad eum redeamus de quo loqui cœpimus. Hæc præcellentia illius adeò univerſim apud gentes agnita, eò credibilior videbitur, ſi adjumentum conſideremus quod ipſi obtigit ex converſatione cum viris omnium ſapientiſſimis quos terra tunc aluit, cum *Judæorum* ſcilicet Sacerdotibus & Prophetis. Qui ſapientiam ſuam à Deo habuerunt, ut *Pythagoras* ab ipſis. Unde veriſſimum illud exiſtimo quod *Porphyrius* de *Pythagoræ* Philoſophia ſcribit: Quòd ſit Φιλοσοφία ἐκ θεῶν παραδοθεῖσα τὸ κατ' ἀρχάς· *Philoſophia primitùs à Deo ſanctiſve illius Angelis tradita.*

3. Quòd verò *Pythagoræ* nota eſſet *Moſaica* ſive *Judaica* Philoſophia, locupletiſſima occurrunt apud Scriptores Teſtimonia. Ut *Ariſtobuli* Judæi *Ægyptii,* apud *Clementem Alexandrinum,* & *Joſephi* contra *Appionem.* * *S. Ambroſius* addit, *Pythagoram* ipſum fuiſſe *Judæum.* *Clemens* τὸν ἐξ Ἑβραίων Φιλόσοφον, *Philoſophum Hebræum* eum appellat. Huc conjicere poſſem ſuffragia *Juſtini Martyris, Johannis Philoponi, Theodoreti, Hermippi* apud *Origenem* contra *Celſum, Porphyrii,* & *Clementis* rurſus, qui ſcribit vulgarem fuiſſe famam, quòd *Pythagoras* diſcipulus erat Prophetæ *Ezechielis.* Et quanquam ille quidem dicto nullam adhibet fidem, *Johannes* tamen *Seldenus* Antiquarius peritiſſimus multùm in eam ſententiam propendere videtur, quòd ea fama eſſet vera, in primo libro *De Jure Naturali juxta Hebræos,* ubi prædictorum Authorum citationes pleniùs legere licet. Præter hæc omnia *Iamblichus* etiam affirmat *Pythagoram* in *Sidone* propria ſua Patria vixiſſe, ubi in amicitiam ac familiaritatem Prophetarum ſucceſſorúmque *Mochi* cujuſdam Phyſiologi veniſſe dicitur. Συνέβαλε τοῖς Μώχου τοῦ φυσιολόγου προφήταις ἀπογόνοις, *Prophetis qui* Moſi *Philoſopho ſucceſſerint.* Vide etiam *Minucium Fœlicem* in *Octavio ſuo.*

De vita Pythag. cap. 3.

Quamobrem planè apparet *Pythagoram* à *Moſe* ſuam Philoſophiam accepiſſe. Et certè illam Philoſophiam, quæ ad hunc uſque diem ejus eſſe conceditur, cùm tam aptè Textui Moſaico perpetuò applicari poſſe videamus, ecquid majus argumentum exoptari poteſt quo probemus veram eſſe illius *Cabbalam Philoſophicam?*

4. Cæterùm ſupereſt & alterum argumentum quo probemus quàm veriſimile ſit, eum amicitiâ & conſuetudine uſum fuiſſe Prophetarum, quod & dignitatem illius perſonæ porrò illuſtrabit, ſúntque Miracula quæ de eo memorantur. Sic enim videtur, *Pythagoram* non ſolùm Theoriâ *Moſaicâ* initiatum fuiſſe, ſed ad poteſtatem perveniſſe edendi miracula, quemadmodum *Moſes* & ſuccedentes Prophetæ fecerunt; Factáque memorantur valde mirabilia, tum apud *Porphyrium,* tum etiam apud *Iamblichum*: Cujuſmodi ſunt; *Pythagoras,* cùm Fluvium cum multis amicis pertranſiret, (*Iamblichus Neſſum* Fluvium appellat, *Porphyrius* Caucaſum) fluviúmque affatus eſſet, reſpondiſſe ipſi Fluvium voce clarâ & exaudibili, Χαῖρε Πυθαγόρα, *Salve Pythagora:* Pro comperto habitum fuiſſe, eum & *Metapontio* & *Tauromenio* (oppidis altero in *Italia* altero in *Sicilia* ſitis, multorúmque dierum itinere à ſe invicem diſtantibus) eodémque die cum amicis ſuis verſatum eſſe. Hiſce aliiſque multis, quæ lubens prætereo, ſuperaddam tantummodo ejus prædictiones de *Terræ-motibus*; vel potiùs, (quoniam iſtæ magis naturales videri poſſunt) præſentaneas Peſtilentiarum in Civitatibus extinctiones, violentorum ventorum tempeſtatúmque ſedationes, exæſtuantium marium & fluviorum tumultûs tranquillationes & quietationes, & ſimilia. Quam facultatem *Empedocles, Epimenides* & *Abaris* ab ipſo nacti, tam celebres evaſerunt, ut *Empedocles* agnominatus eſſet *Alexanemus, Epimenides Cathartes,* & *Abaris Æthrobates,* à peritia quam habuerunt, in ſupprimendis ventis & tempeſtatibus, in Civitatibus liberandis à Peſtilentia, & ab inambulando ſuper aërem in ſublimi.

Vide Iamblich. de Vita Pythag. c. 28.

Quâ facultate fretus *Pythagoras* amicos ſuos iſtoc modo in *Metapontio* & *Tauromenio*, uno eodémque die inviſit.

5. Et nunc quidem, poſtquam hæc de *Pythagora* narraverim (aliáque plura addere poſſem) minùs opus erit *Platoni Plotinóque* inſiſtere, quippe quorum Philoſophia eadem eſt atque *Pythagorica*, Textuíque *Moſaico* pariter applicabilis. *Platonis* virtus inſignis, vitæque integritas, cum ſumma illius in maximè ſacris de Deo Myſteriis, déque ſtatu Animæ humanæ tum in hoc mundo tum in futuro, conjuncta peritia, meritò illi titulum aſcivit *hominis Divini*, Ὁ θεῖος Πλάτων.

Cæterùm, quantùm ad Miracula, nulla, quod ſciam, edidit, quanquam profectò aliquid miraculoſi ei obtigit, ſi fama illa *Athenis*, quam de nativitate illius *Clearchus* & *Anaxilides* fuiſſe memorant, ſit vera. *Ariſtonem* ſcilicet patrem illius putatitium, cùm *Perictionen* vi comprimere voluiſſet, inſtituto ſuo excidiſſe; cúmque ab incepto deſtitiſſet, *Apollinem* vidiſſe in Viſione, atque ſic ab uxore abſtinuiſſe, donec peperiſſet filium ſuum *Ariſtoclem*, qui poſtea *Plato* appellatus eſt. Illud verò multò credibilius eſt quod narratur de commendando ipſo Tutori ſuo *Socrati*, qui pridiè quàm veniſſet ſomniavit ſe oloris pullum in gremio ſuo habere, qui ſubitò affatímque plumeſcens, enatis alis ſtatim in Aërem evolavit, ſuaviſſimóſque cantus edidit. Quamobrem die poſtero cùm *Plato* à patre ſuo ad eum adductus eſſet, τοῦτον, εἰπεῖν, εἶναι τὸν ὄρνιν, continuò exclamâſſe dicitur, *hanc ipſam eſſe Avem*, atque ſic lubenter eum tanquam pupillum ſuum recepiſſe.

Quòd verò Philoſophia *Moſaica* ipſi nota eſſet, quemadmodum in ſe credibilius eſt, ità firmiora ea de re ſuppetunt teſtimonia, ut *Ariſtobuli Judæi* apud *Clementem Alexandrinum*, S. *Ambroſii*, *Hermippi* apud *Joſephum* contra *Appionem*; & *Numenii* denique *Platonici*, qui ingenuè fatetur, Τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων; *Quid eſt* Plato *niſi* Moſes *Atticiſſans?* quemadmodum alibi allegavimus. Vide etiam *Origenem* contra *Celſum*. *Clem Alexand. Strom. lib. 1.* *Origen. contra Celſum, lib. 6.*

6. Quod ad *Plotinum* attinet, id quod *Porphyrius* de ipſo memorat, parum profectò abeſt à miraculo, quippe qui, propriæ ſuæ mentis vi ac majeſtate, quemadmodum faſſus eſt adverſarius ejus *Olympius*, Magiam in ipſum retorquere valuit, quam is in *Plotinum* intentavit; ſedatóque animo confidens inter amicos dixit eis, Nunc corpus *Olympii* crumenæ inſtar corrugatur & colligitur, membráque ad ſe invicem alliduntur. Et, tametſi nec à Sacerdotibus nec à Prophetis *Judæorum* inſtructus erat, familiaris tamen amicus erat ſinceri fervidíque illius *Chriſtiani*, perdoctíque Patris Eccleſiæ *Origenis*, cujus Authoritatem huc adjectam volo, unà cum univerſali conſenſu eruditorum apud *Judæos*. Nihil enim quod mirum videri poteſt in Metaphyſica parte hujus *Cabbalæ* occurrit, quod illi non conſtanter affirmaverint eſſe verum.

7. Malè morata verò quorundam ſuperſtitio talis eſt, ut plus tributuri ſint aſſuetæ opinioni, quam aut ſponte aſſumpſerint, aut quâ Theologorum aliquorum confidentia ipſos imbuerit, quàm Authoritati aut Patrum Eccleſiæ & miraculorum, aut, quod longè præſtabilius eſt reliquis, maximè ſolidis rationibus quæ proponi poſſunt. Quarum ſi capaces eſſent, nequaquam ex eo offendi poſſent, quòd Philoſophiam *Carteſianam* in præſentem hanc *Cabbalam* admiſerim. * Cujus principia inſignioréſque Concluſiones cùm tam liberè & inaffectatè ſe obferrent, támque aptè & congruenter ſedes ſuas in Textu occupaturæ eſſent, Religio profectò mihi erat eas excludere.

8. Etenim non poſſum quin exiſtimem, *Carteſium* fœliciter & præter expectationem, in ea Theoremata incidiſſe quæ vera reperientur Reſtauratio illius partis Philoſophiæ *Moſaicæ* quæ vulgò *Naturalis* vocatur, & in quam *Pythagoras* meritò cenſeri poteſt haud mediocriter verſatus. Quam quidem peritiam veriſimillimum eſt eum aſſecutum eſſe ex converſatione cum ſucceſſoribus *Sidonii* illius *Mochi* ſuprà memorati; Quem *Caſaubonus* exiſtimat *Moſchum* potiùs appellandum, (nam quàm facilè σ ex χ deperdi poſſit quilibet poteſt videre) ſuſpicatúrque nomen *Tyrium* fuiſſe, linguâque vernaculâ nominatum fuiſſe משה *Moſche*, qui vulgò vocatur *Moſes*. Quod rurſus cum *Johannis Seldeni* opinione optimè convenit, vel potiùs coincidit, ulteriórque eſt illius conjecturæ confirmatio. Qualem verò Philoſophiam Naturalem *Moſchus* hic ſuis aſſeclis impertiverit, *Voſſius* expreſſim notat ex *Strabone*, qui mentionem facit de *Moſcho* quodam *Sidonio*, qui in ſeculis ante bellum *Trojanum* vixerit, primúſque Author fuerit Philoſophiæ Atomicæ, ſive illius Philoſophiæ quæ rationem reddit de *Phænomenis* ex figura motúque Particularum. Unde haud mediocrem affinitatem intercedere oportet inter antiquam hanc *Moſchicam* vel potiùs *Moſaicam* Phyſiologiam, & Philoſophiam *Carteſianam*, quæ tam frequenter ac naturaliter in *Cabbala* hac Philoſophica ſuis partibus functa eſt. *Voſſ. De Hiſtoricis Græcis, lib. 3.*

Naturalem verò Philoſophiam *Pythagoræ* Atomicam fuiſſe evinci porrò poteſt ex eis quæ apud *Diogenem Laertium* de *Democrito* ſcripta invenimus. Quantum enim ſtrepitum illius Atomi in orbe civerint, neminem latere poteſt. *Democritus* verò, quemadmodum *Diogenes* ſcribit ex *Thraſyllo*, tantus admirator erat atque imitator *Pythagoræ*, adeóque omnia ex eo deſumpſiſſe videtur, ut meritò quis putaret, eum illius diſcipulum fuiſſe vel auditorem, niſi Chronologia reclamaret. Cæterùm, tametſi ipſius *Pythagoræ* diſcipulus non fuit, fuit tamen, ut *Glaucus Rheginus* refert, auditor cujuſdam è *Pythagoreis*. Narrátque *Apollodorus Cyzicenus* eum admodum intimam familiaritatem contraxiſſe cum *Philolao*. In Catalogo etiam librorum quos ſcripſit, unus ex eis nominatur *Pythagoras*, altérque *Tritogenia*, quæ vox Myſtica eſt apud *Pythagoreos*. Cúmque *Plato* Scripta *Democriti* flammis tradere decreviſſet, duo erant *Pythagorei Amyclas* & *Clinias*, qui ipſum diſſuaſerunt nè illud exequeretur, quod is ex honeſto quidem, quanquam imperito zelo deſtinaverat. Quæ quidem res, quantum ego judico, non poſſunt quin invictam dent ſuſpicionem partem Phyſicam Philoſophiæ *Pythagoricæ* fuiſſe Atomicam. Motum verò Telluris eum tenuiſſe, jam celebratiſſimum eſt. Reliqua conſideremus, ex dogmatis *Democriti*, diſpiciamúſque quàm bellè omnia conjuncta cum *Carteſianis* conveniant.

Pythagoram etiam tenuiſſe oportet, ſi *Democritus* totam ſuam Philoſophiam ex illius Scriptis vel Traditionibus hauſerit, * Infinitos eſſe Mundos eóſque generabiles eſſe & corruptibiles, Materiam verò nunquam interire. Infinitos eſſe Atomorum ſive Particularum Numeros magnitudine & figurâ differentes; φέρεσθαι δὲ ἐν τῷ ὅλῳ δινουμένας, *Et in Univerſo moveri ad modum Vorticum.* Illa enim propria ſignificatio eſt vocabuli Δίνη, nempe *Vortex.* Καὶ οὕτω πάντα συγκρίματα γεννᾷν πῦρ, ὕδωρ, ἀέρα, γῆν· Rotationémque horum Vorticum ex particulis conſtantium, generare Ignem, πῦρ (quæ peculiaris appellatio Solis eſt apud *Pythagoreos*, utì alibi notamus) & tum poſtea Terram, Aquam, Aërem: Quemadmodum magìs expreſſim dicitur, Τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην ἐκ τοιούτων δινῶν καὶ περιφερῶν ὄγκων συγκεκρίσθαι, *Concrementa Solis atque Lunæ* fructus fuiſſe harum Δινῶν vel Ὄγκων περιφερῶν, *horum immenſorum vaſtíſque circuitibus revolutorum Vorticum.* Et poſtremò, Πάντα τε κατ' ἀνάγκην γίνεσθαι τῆς δίνης αἰτίας οὔσης τῆς γενέσεως πάντων, ἣν ἀνάγκην λέγει· Hoc eſt, * *Omnia fieri ſecundùm neceſſitatem, quippe quum motus hic Verticalis cauſa ſit generationis rerum omnium.* Quem *Democritus* vocat ἀνάγκην. Atque hoc ipſum in cauſa eſſe poteſt * quòd *Pythagorei Decadem*, hoc eſt, *Mundum* Ἀνάγκην appellaverint.

Quæ poſtremæ Democriti Aſſertiones, quemadmodum valdè faciles ſunt & naturales, * tali ſenſu, quo *Carteſius* naturam Vorticum ipſorúmque effectus explicavit; ità planè falſæ ſunt, ineptæ nulliúſque momenti, ſi ullo alio ſenſu accipiantur.

Quamobrem cùm Philoſophia *Carteſiana* eadem ferè ſit quæ illa *Democriti*, illáque *Democriti*, eadem quæ Phyſiologica pars Philoſophiæ *Pythagoricæ*, & *Pythagorica* Philoſophia eadem quæ *Sidonia*, ut & *Sidonia* eadem quæ *Moſaica*; neceſſariò hinc ſequitur *Moſaicam* Philoſophiam in parte ſua Phyſiologica, eandem eſſe atque *Carteſianam.* Quàm aptè verò *Carteſiana* Philoſophia Textui *Moſaico* conveniat, iterum atque iterum inculcavimus.

9. Et certè ut *Carteſius* cum ſuprà dictis ſublimibus Diviníſque Geniis, in aliquam Æquiparationem veniat, quanquam profectò imperitia hominum facit, ut plus vulgò ſupernaturalis auxilii agnoſcatur in fervidis incertíſque Imaginationibus perplexáque Melancholia, quàm in tranquillo diſtinctóque Rationis uſu; quod ad me tamen attinet, equidem ego (ſed rem interim acrioribus judiciis permittens) *Carteſium* exiſtimem virum magìs verè inſpiratum in rerum Naturalium notitia, quàm quenquam, qui à ſexdecies centenis retrò annis, talem ſeipſum profeſſus ſit; ſingulariúmque ejus Inventionum Mechanicarum, quibus Mundi Phænomena explicentur, admiratione captus, * non dubitem eum cum *Bezaliel* & *Aholiab* comparare ſcitis illis peritíſque Tabernaculi opificibus, quos *Moſes* teſtatur Spiritu Dei repletos fuiſſe, ac præſtabili intelligentiâ ad excogitandum omne genus operum curioſorum. Exod. 35. 32.

Nec meliorem argumenti ſpeciem præ ſe fert, *Carteſium* non eſſe inſpiratum, propterea quòd ſic ſe eſſe non dixerit, quàm alios eſſe inſpiratos, quòd ſe dixerint ſic eſſe; quod nullam omnino apud me argumenti habet vim. Reticentia verò de eo quod ipſi contigerit, majorem argueret ſobrietatem ac modeſtiam; cùm è contrà illius profeſſio apud homines ſobrios ſuſpecta eſſe poſſet emotionis mentis ac Melancholiæ, præſertim in Philoſophia *Naturali*, ubi præcipua voluptas eſt, Rationis evidentia & exercitium, non autem nuda fides; aut, quod aliàs fit, *ineffabilis vitæ ſenſus*, quâ quidem ratione nullus verus Chriſtianus eſt, qui non ſit inſpiratus.

SCHOLIA

In Cap. I. Sect. 2.

Exam Gener. p.6,7,8.

QUales erant Pythagoras, Plato, &c. *Triplici obice viam heîc nobis intercludere conatur* S. A. *quò minus hoc genere argumenti* Cabbala *noſtra confirmetur. Objicit enim heîc tria præſertim* μεγάλα, *quæ vocat,* αἰτήματα, *ſupponi tantùm non probari : Primum eſt,* Vera eſſe omnia quæ in Hiſtoriarum monumentis de *Platonis* & *Pythagoræ* ſapientia traduntur ; Alterum, *Platonem* & *Pythagoram* ad *Judæos* uſque penetrâſſe, atque à *Moſe* præcipua dogmata ſua hauſiſſe, &c. Tertium denique, nihil à *Pythagora* vel *Platone* quoad iſta Myſteria dictum, ſcriptum aut factitatum fuiſſe, quin ex *Judaica* diſciplina provenerit. *Quæ quidem agnoſco magna eſſe Poſtulata, ſed univerſa nobis haud ità neceſſaria, quibus Atheum convincamus. Quod verò maximè ſcopo noſtro accommodum eſt, minimè dubitatur apud viros doctos, ſed communi quaſi calculo comprobatur, ipſo fatente viro doctiſſimo* S. A. *Quod intellectum volo de Poſtulato ſecundo. Quod ad tertium verò attinet, ſatis eſt ſi inveniantur apud* Pythagoricos *ac* Platonicos *ſolida & ſublimia Philoſophemata quæ aptè congruéque Textui* Moſaico *applicari poſſunt, quanquam aliàs multis ſcatere nugis deprehendantur aliunde aſcitis, aut de proprio cerebro fictis. Præclaras tamen illas ſublimeſque veritates, quæ apud ipſos reperiuntur, cùm multa eos à* Judæis *didiciſſe conſtet, cúmque veritates illæ tam aptè* Textui Moſaico *conveniant, ad Textum rurſus* Moſaicum *tanquam proprium Fontem optimo jure referimus. Immo verò qui ſic non faciunt, ſummâ mihi videntur &* Moſen *&* Deum Moſis, *Deique Eccleſiam tam* Judaicam *quàm* Chriſtianam *injuriâ afficere. Quod ad primum denique attinet, nihil neceſſe eſt, ut omnia quæ dicuntur de* Pythagoræ Platoniſque *ſapientia vera ſint, ſat eſt ſi ea ſint vera quæ nos ad confirmandam* Cabbalam *adhibuimus.*

Exam.Gener. p.65.

Sect. 3. S. Ambroſius Pythagoram ipſum fuiſſe Judæum. *Id quod & ipſe* S. A. *ultrò fatetur.* Hunc, *inquit,* ex populo *Judæorum* genus duxiſſe putat quidem *Ambroſius, lib.* 3. *Epiſt.* 20. & ait pleroſque ità arbitrari. *Duo verò objicit* Andreades. *Primum,* Mneſarchum *annulorum ſculptorem ſeu cælatorem dici illius fuiſſe patrem, cujus nomen pariter & opificium parum convenit* Judæo. *Quaſi verò Gente* Judaicâ *oriundi à Græcis nominibus ſemper abhorruerint ; aut annulorum ſculptio, cum* Judaica *Religione, (cùm abunde Imaginum & Sculpturarum fuerint in Templo* Salomonis, *) neutiquam conſiſteret. Alterum eſt,* Judæum *fuiſſe conjectari, ex eo quòd circumciſus eſſet, Circumciſionem verò etiam aliis Gentibus competere. Sed reſpondeo ; Cùm fateatur fuiſſe circumciſum & cum* Judæis *verſatum eſſe, neceſſariámque fuiſſe* Pythagoræ *circumciſionem, ut tanquam Proſelytus Juſtitiæ ad interiora eorum* Myſteria *admitteretur, equidem aut natum eſſe Judæum aut à* Judæis *fuiſſe circumciſum longè veriſimillimum eſt. Quanquam his tricis minimè innititur noſtræ Expoſitionis vis, ſed converſationi ipſius cum* Judæis. *Ipſeque* Andreades *haud dubitandum agnoſcit* Pythagoram *&* Platonem *in notitiam eorum, quæ apud Judæos Myſteria erant, veniſſe. Et quæ obſecro potiſſimùm myſteria debent eſſe, in quorum notitiam Philoſophos veniſſe oportet, niſi Philoſophica?*

Sect. 7. Cujus principia inſignioreſque Concluſiones, &c. *Quod intelligendum eſt, prout ſuprà monui, in genere, non ſecundùm præciſam illam rationem Mechanicam, quam affectat* Carteſius.

Sect. 8. Infinitos eſſe Mundos, &c. *Hoc eſt, Numerum Mundorum indefinitum.*

Omnia fieri ſecundùm neceſſitatem, &c. *Non autem* Mechanicam *ſed* Phyſicam. *Sic omnino antiquos* Pythagoreos *ſtatuiſſe cenſeo. Defluxu verò temporis* Phyſicam *in* Mechanicam *apud illius Succeſſores degenerâſſe.*

Quòd Pythagorei Decadem, i. e. Mundum, Ἀνάγκην appellaverint. Ἀνάγκην *verò* Phyſicam *non* Mechanicam *eos intellexiſſe exiſtimo, Spiritúmque Naturæ eâ voce ſubindicâſſe.*

Tali ſenſu, quo *Carteſius* naturam Vorticum, &c. *Non tamen præciſo illo ſenſu Mechanico, ſed in genere potiùs, prout paulò antè monui, qui tamen* Solis *poſteáque* Telluris *ex* Sole *naturalem Generationem, niſi omnia ſimul facta ſint, complectitur.*

Sect. 9. Non dubitem eum cum *Bezaliel* & *Aholiab,* &c. *Quo autem ſenſu ego* Carteſium *cum* Bezaliel *&* Aholiab *comparaverim, in Præfatione ad* Dialogos Divinos Anglicè *editos, fideliter explicatur. Ad hunc ferè modum : Nec debet ille Author ſic intelligi in comparando* Carteſium *cum* Bezaliel *&* Aholiab, *ac ſi reverà crediderit ſupernaturaliter inſpiratum. Quâ enim fronte poteſt quiſquam iſtum ſenſum hujuſmodi altivolanti blandiloquentiæ ſive urbanitati imponere, cùm paſſim in ſcriptis ſuis apertè fervidé* *que* Carteſium, *ubi in rebus ullius momenti eum erráſſe deprehendit, confutat perinde atque laudibus extollit ubi meretur? Quod manifeſto indicio eſt, eum non tenuiſſe infallibiliter inſpiratum.* Exod. 35. 35. *Et cùm* Bezaliel *&* Aholiab *Dei Spiritu repleti dicuntur, vera illius dicti* Exegeſis *eſſe poteſt, eos ſapientiâ tantùm cordis repletos eſſe ad omnia curioſa opera Mechanica perficienda, quemadmodum innuitur ſub finem illius Capitis, ſpecialem & extraordinarium habuiſſe Genium ad eas res obeundas, quod* Dei donum *erat in* Natura. *Ut taceam, unumquodque* magnum *in Natura ex Hebraico Idiomate, à Deo denominari ſolere.* Exod. 35. 31. *Ac proinde* repleri Spiritu Dei in ſapientia *&* intelligentia, *&c. eſt* magnam *portionem ſapientiæ & intelligentiæ in certis quibuſdam rebus ſortiri. Et* Carteſius *proculdubio haud mediocri ingenio & ſagacitate præditus erat ad excogitandas maximè probabiles cauſas materiales Phænomenôn Univerſi, ad eáſque affabrè redigendas in maximè ſpecioſam contexturam cujus res ipſa capax ſit, ad Philoſophiam* Mechanicam *conſtituendam.*

Præterea, Juvenis equidem tunc eram cùm iſta ſcripſi, nec tamen ullâ invidiâ aut æmulatione madidus aut turgidus; ſed promptiſſimâ animi proclivitate, quæ ab aliis præclarè dicta factáve eſſent amiciſſimè amplexus ſum, lubentiſſimè ceu diſcipulum me eorum Authoribus addicturus, quanquam interim in nullius Magiſtri verba juraturus. Cùm verò omnes Rationes *Atomicæ & Mechanicæ ante* Carteſii *Scripta mihi planè ſorduerint, condonandum profectò mihi eſt, ætatique meæ, ſi præ nimio amore & admiratione tam præſtantis* Ingenii *ex inopinato cælitùs delapſi (nec tamen ut* θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, *ſed ut Homo planè Mechanicus) Mechanicáſque Phænomenôn Naturæ rationes tam dextrè & plauſibiliter aperientis, in illius* Laudes *majori æſtu ſublimioribúſque Hyperbolis raptus viderer, quàm aliam ætatem aliáſque occaſiones deceret.*

CAP. II.

1. *Enumeratio Objectionum contra* Cabbalam *Philoſophicam.* 2. *Ad Objectionem ab inadæquata ratione* Pythagoricorum Numerorum *ad ſex dierum Creationem, deſumptam Reſponſio.* 3. Tetractyn *in Juramento* Pythagorico, *nec quatuor eſſe Elementa; nec* Mentem, Animam, Opinionem, Corpus, *nec denique* Tetragrammaton. 4. *Exquiſitam aptitudinem* Numerorum Pythagoricorum *ad Dies Creationis, illius Philoſophiam arguere eandem eſſe atque* Moſaicam. 5. *Numerorum uſum* Myſticum *per totum* Denarium Judaicum *eſſe perinde ac* Pythagoricum. 6. *Et nec* Judæos *nec* Pythagoreos *ad* Denarium *ſe reſtrinxiſſe. Unde Objectio hæc ab inadæquata Numerorum ratione admodum invalida reperitur.*

1. Atque ſic breviter naturam expendimus Veritatum in *Cabbala Philoſophica* contentarum, ut & qualitatem eorum hominum qui antecedentibus ſeculis eam amplexi ſunt. Jam verò quantùm ad Objectiones; Hæ ſeptem certè, maximi ſaltem momenti ſunt ſi non ſolæ Allegationes quæ contra eam afferri poſſunt, nempe,

Primùm, Numeros *Pythagoricos* perinde atque Nomina * ad ſex dierum Creationem eſſe inadæquatos.

Secundò, Philoſophiam *Pythagoricam Cabbalæ Judaicæ* in præcipuis illius Lineamentis non accuratè reſpondere, cùm apud Scriptores *Judaicos* de motu Telluris nulla facta ſit mentio.

Tertiò, Primi diei Creationis Interpretationem reliquis omnibus eſſe heterogeneam, quippe quæ ſola *Symbolica eſt.* Ubi & tres Quæſtiones addititiæ proponuntur de *Hyle Metaphyſica* primo die creata.

Quartò, Ordinem *Cabbalæ* præpoſterum eſſe, ut quæ *Terram* collocet ante *Solem.*

Quintò, Opera quinti ſextíque Diei nimis vulgaria eſſe ac trivialia quàm ut ſint Materia *Cabbalæ Philoſophicæ.*

Sextò, Illegitimam ὑστερολογίαν in noſtra Paradiſi Interpretatione commiſſam eſſe, qui eam antè plantatam ſupponimus quàm *Adamus* ex terra factus ſit.

Septimò & ultimò Interpretationem *Cherubinorum* flammantíſque gladii duram eſſe, propterea quòd illud medium facimus quo *Adamus* Paradiſum recuperet, quod eum videtur à Paradiſo propellere, ac prohibere nè rurſus intret.

2. Verùm hiſce ordine plenè reſpondebo; Primúmque ad primam partem primæ, quæ inſinuare vult, quoniam *Pythagorei* Numeralia ſua Myſteria per totum *Denarium* continuârunt, cùm Creationis dies ſex tantùm ſint, Myſteria iccirco Numerorum eorum ad ſex Dierum Creationem non omnino pertinere. Ad quod reſpondeo,

Quòd Myſteria Numerorum ſuorum per totum *Denarium* continuaverint, id quidem noſtræ cauſæ nihil prorſus nocere. Etenim ſive ſupponimus Numerorum *Hieroglyphica* in uſu fuiſſe ante *Cabbalam Moſis,* primúmque illius Authorem, tot omnino ex illis ſumpſiſſe, quot inſtituto ſuo inſervirent, (ut is qui ſententiam aliquam ſcribit, non plures Alphabeti literas ſumit, quàm quibus opus habet ad ſcribendam ſententiam) ſive primus Author *Cabbalæ* hæc *Numeralia Hieroglyphica* ipſe inſtituit, Myſteriáque Numerorum poſtea ad res minores extendebantur, neutra quidem Hypotheſis contra noſtram Interpretationem quicquam facit. Númnam enim ſequetur, quia *Moſes* Notas *Hieroglyphicas* ex ſex tantùm Numeris fecit, ut monumenta ſint Naturæ certorum quorundam Phænomenôn Univerſi, eos propterea, qui hujus *Cabbalæ* participes fuerint, nunquam eouſque Imaginationi ſuæ indulturos eſſe, ut *Numeralia* hæc *Myſteria* ac ſimilitudines ad res alias extenderent; immò nè tunc quidem, poſtquam procedente tempore, primi finis ſcopíque horum *Hieroglyphicorum* notitiam perdidiſſent, & per ignorantiam & oblivionem, primitivam eorum occaſionem planè neſcirent?

Quamobrem, quòd hæc *Numeralia Myſteria* ultrà extenſa ſunt quàm ad ſex dierum Creationem, nullum argumentum eſſe poteſt contra *Cabbalam* Philoſophicam; præſertim ſi conſideremus, quòd hi ſex Numeri cujuſque Diei opus tam exquiſitè ſignificant, quódque * nullus *Tetractyos Pythagoricæ* ſenſus tolerabilis eſſe poteſt, niſi *Hieroglyphicum* ſupponamus quartæ Diei Creationis, quæ intenditur tanquam compendioſa comprehenſio, magíſve generica Initiatio in totam *Cabbalam Philoſophicam.* Cujus Concluſiones tam immenſi ſunt ponderis atque dignitatis, ut dignæ videantur illâ Religione Juramenti ſuprà memorati. Ubi, (ut *Meurſius* planè probat) juratur per *Pythagoram,* aut ſaltem per eum, qui *Tetractyos* traditionem primus impertiverit.

Denar. Pythagoric. cap. 6.

3. Quæ ſi notitia tantùm eſſet Numeri quatuor Elementorum, *Ignis, Aquæ, Terræ, Aeris,* aut ſimilitudinis quam Mens, Anima, Opinio, Corpus ad quatuor primos Numeros gerat, 1, 2, 3, 4. (quæ tamen ſatìs inepta & diluta eſt in omnibus præterquam in ultimo, ſi ſeveriter rem examinare vellemus; ut & res ipſæ collectæ ad conſtituendam *Tetractyn,* omnino coactè ac quaſi obtorto collo huc attrahuntur & coagmentantur) Hæc, inquam, quæ prætenduntur, Myſteria, adeò nullius momenti ſunt, ut impoſſibile ſit ea tantam primo eorum Authori venerationem conciliare potuiſſe, ut *Myſtæ* per eum, in ſeriis ſuis tranſactionibus religioſè jurarent.

Nec tamen juratio eſſe poteſt per *Tetragrammaton* ſive nomen *Jehovah.* Nam *Tetractys* perinde atque *Tetras* (quæ pro ea promiſcuè ponitur, quámque veriſimillimum eſt ſolam futuram fuiſſe appellationem niſi Metri ratio obſtitiſſet) non ſignificat Nomen quatuor literarum ſed ſimpliciter Numerum quaternarium; Numerúmque eſſe non Nomen, reliqui Numeri omnes Denarii Pythagorici teſtantur, perinde atque conſtans Authorum Interpretatio, quemadmodum videre eſt apud *Meurſium.* Præterea, Οὐ μὰ τὸν τετρακτὺν, falſa eſt Syntaxis, & Οὐ μὰ τὸν ἡμετέρᾳ ψυχῇ παραδοῦσαν τετρακτὺν, falſa Proſodia. Tam parum cauſæ ſubeſt ut quiſquam ullam aliam Interpretationem ſomniet præter eam quam nos dedimus, nempe, Jurationem eſſe per eum, qui per modum Traditionis (id enim παραδόντα innuit) tam egregiam ac præſtabilem Scientiæ partem impertiverit, quàm quæ quartæ diei Creationis Interpretatione ſit comprehenſa, cujus *Tetractys* Symbolum eſt ac neceſſarium monumentum, quod certò animum ad illius memoriam revocabit; quippe quum ſecundùm maximè notabilem ſuam proprietatem illi Diei applicari non poſſit, niſi quatenus ille Dies intelligitur, quoad generaliora Univerſi lineamenta Creationem rerum omnium complecti, unde neceſſariò ſupponitur *Planetas* totidem *Terras* eſſe, cum reliquis nobilioribus illis Philoſophiæ Concluſionibus, quæ indè dependent. Quæ Scholæ *Pythagoricæ* ſententia fuit, quemadmodum planè apparet ex *Ariſtotele* in libris de Cœlo. Ubi ait *Pythagoreos* aſſerere, *Ignem,* hoc eſt, *Solem,* in medio Mundi collocari, τὴν δὲ γῆν ἓν τῶν ἄστρων εἶναι, *Terram verò unum ex Aſtris eſſe:* Planetas intelligit. Cæterùm quòd *Planetas* etiam pro *Terris* habuerint, ex eis apparet quæ addit. Ἔτι δὲ ἐναντίαν ἄλλην ταύτῃ κατασκευάζουσι γῆν, ἣν ἀντίχθονα ὄνομα καλοῦσιν. Præterea aliam faciunt *Terram,* quam *Antichthona* nominant, huic noſtræ è regione oppoſitam. Quæ proculdubio nihil aliud erat præter vicinum noſtrum ex adverſo ſitum Planetam, ſive *Terram, Lunam* vulgò appellatam. Sic enim nominatur apud Veteres, *Terra Ætherea,* ut apud *Plutarchum* Γῆ Ὀλυμπία, citeriórque illius pars Ἀντίχθων & Περσεφόνη, quemadmodum & altera Ἠλύσιον πεδίον· Tractu temporum hanc ſolidiſſimam Philoſophiam ſuperſtitioſis commentis adulterante. * Hoc verò ſufficit ad reſciſcendam *Pythagoræ* opinionem de *Planetis,* quòd pro tot Terris eos utique habuerit.

Vide Selden. de Diis Syris, Syntagm. 2. c. 1.

De Cœlo, lib. 2. cap. 13.

Macrob. in ſomn. Scip. lib. 1. cap. 11.

Plutarch. De facie in Orbe Lunæ.

Tetractys igitur pro *Cabbala* operis hujus quartæ diei ponitur, quo plenè methodicéque explicato, Myſtíſque facultates ſuas adeò indè conſummatas, mentéſque illuminatas deprehendentibus, meritò fieri potuit ut id talem ab eis venerationem extorqueret, quæ religioſè eos induceret ad jurandum per primum illius Authorem. Quemadmodum & dicitur ipſe *Pythagoras* formâ uſus eſſe: faciléque poſſum credere de primitivis *Pythagoreis* univerſis, eodem eos ſenſu jurâſſe, quo *Pythagoras* ipſe juravit, nempe, per primum tam ſublimis ſtupendæque Sapientiæ communicatorem. Quæ, (quemadmodum notavi ex *Iamblicho*) θεοπαράδοτος dicitur, Sapientia *à Deo ipſo tradita.* Quod Jurationem ipſorum extra omnem Reprehenſionem Culpámque conſtituet.

Vide Johan. Meurſ. Denar. Pythag. cap.6.

4. Quamobrem cùm hæc exquiſita ſit aptitudo & congruitas, in applicandis hiſce Numeris *Pythagoricis* (quamvìs univerſis non utamur) ad opera ſex dierum Creationis, eſt planè demonſtratio Philoſophiam *Pythagoricam* de *Syſtemate Mundano*, eandem ferè fuiſſe quæ antiqua *Cabbala* Judæorum.

5. Præterea, in præſenti hoc Myſterio, non tam pauci ex Denario *Pythagorico* adhibentur Numeri, quàm prætenditur. Numerum enim *Septenarium* demonſtravi admodum aptè ſignificare Septimi Diei Requietem. * Numerus verò *Denarius* emergit ex *Tetracty*, prout ſuprà notatum eſt. Adeò ut octo Numeri è *Denario*, planè demonſtrati ſint naturaliter ad *Cabbalam Judaicam* pertinere. Et certè quòd antiqua *Judæorum* Sapientia uſum Myſticum *Octonarii* in ſua Religione agnoverint, mihi ex eo manifeſtum videtur, quòd Circumciſio conſtituta eſſet *Die octavo.* Qui quidem Numerus cùm primus Cubus ſit, idoneum Symbolum eſt ſtabilitatis illius fœderis quod Deus cum Judæis fecit in Circumciſione: Et *Pythagorei* quidem *Octonarium* Ἀσφάλειαν appellant, quæ illam ſecuritatem ſignificat, quæ ex fœdere fit. Et, niſi nimis ſolicitus videri poſſem in re tam exigui momenti, non difficile eſſet loca ex ſacris Scripturis proferre, ubi *Novenarius* meritò cenſeri poſſet *ſenſu Myſtico* minimè deſtitutus. Tam parvam rationis ſpeciem præ ſe fert, ut quis uſum Symbolicum primorum decem Numerorum, *Pythagoricum* tantùm eſſe pronunciet, nec ad *Cabbalam Judaicam* pertinere.

Vide Phil. Jud. Περὶ τ͂ εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου.

6. Quibus omnibus addi poteſt, nec *Pythagoreos* ipſos, nec ſacros Scriptores, Myſticum Numerorum uſum ad *Denarium* reſtrinxiſſe, ſed expatiari utroſque in alios numeros magìs compoſitos. Unde ulterior accedit evidentia, quàm irrationalis ac invalida ſit illa Allegatio contra *Cabbalæ Philoſophicæ* veritatem ex admirabili aptitudine & congruitate Numerorum, qui cujuſque diei Creationis ſymbola ſunt, concluſam, nempe, plures eſſe Numeros Myſticos quàm dictis diebus applicentur: Ac ſi, cùm multi Numeri Myſtici ſint qui ſeptem dierum Numerum longè excedunt, applicandi tamen eſſent hiſce ſeptem; vel, quia inapplicabiles ſunt, iſti, qui tam manifeſtò applicabiles ſunt, non rectè eſſent applicati.

Atque ſic ſpero me, primæ parti hujus primæ Objectionis de Numeris, plenè ſatiſfeciſſe. Qui quidem, quantum ego exiſtimo, ſi accuratiùs perpendantur, ſoli (propter eorum aptitudinem, naturæque ac proprietatum ſignificantiam) abundè nos perſuadere poſſunt de certitudine illius partis *Cabbalæ Philoſophicæ* quæ primo Capite Geneſeos comprehenditur: Et in qua Prælibatio etiam eſt illuſtrium earum Veritatum quæ plenioribus circumſtantiis in ſecundo tertióque traduntur.

SCHOLIA

In Cap. II. Sect. 1.

Exam. Gener. pag. 130.

AD ſex dierum Creationem eſſe inadæquatos. *Id quod* S. A. *nobis expreſſim objicit. Nos nempe ex Numerorum aptitudine veritatem* Cabbalæ *concludere,* Non obſtante quòd *Pythagoras* ipſe ultra ſenarium progreſſus ſit, & Numeros, non veluti Symbola Hieroglyphica rerum creatarum, ſed tanquam Cauſas Exemplares & Principia Harmonica rerum agnoverit. *Duo autem heìc objiciuntur, Primum eſt quòd* Pythagoras *ultra Senarium progreſſus ſit, Numeróſque uſque ad Decadem produxerit, cùm tamen ſex tantùm dies ſint Creationis. Alterum, quòd Numeros non tanquam Symbola Hieroglyphica, ſed tanquam cauſas rerum exemplares ſtatuerit.*

Atque equidem primam illam Objectionem alicujus eſſe momenti faciìè concederem, ſi nec Septenarius *nec* Denarius *ad Creationem ullo modo referri poſſent. Nunc verò cùm manifeſtâ aptitudine, nè dicam neceſſitate (quemadmodum in hac ipſa Defenſionis Appendice demonſtro)*

demonſtro) *eò referantur*; (*Nam* Septenarius Sabbati *ſive Ceſſationis Dei ab operibus ſex dierum Symbolum eſt, nec quarti Diei opus rectè intelligi poteſt niſi ad* Tetractyos *potentiam attendamus, quæ* Denarius *eſt & idoneum Univerſitatis rerum creatarum Symbolum, quippe omnes Numeros in ſe continens:*) *hinc palàm eſt, quàm proclive foret* Pythagoreis, *ipſique adeò* Pythagoræ *Numerorum Myſteria ad* Decadem *uſque extendere, quamvìs primitùs Myſteria non ſuppeterent, quæ* Octonario *&* Novenario *applicarentur, ſaltem quæ ad Creationem pertinerent. Quomodo verò aliunde ſupplementa fieri poſſent hoc ipſo in capite ſubindicavi.*

Addam verò heic porrò, quæ ad eruditiſſimum virum Chriſtianum Knorrium *ſcripſi de uſu ac natura decem* Sephirotharum, *quippe quæ ſpero hanc difficultatem penitùs ſublatura, palámque factura ſatìs cauſæ ſubeſſe etiam è Traditione* Judaica, *cur* Pythagoras *ultra Numerum* Senarium *progreſſus ſit, utpote qui Myſteria non tantùm* Bereſhith, *ſed &* Mercavæ, *non ſolius* Phyſicæ, *ſed &* Metaphyſicæ Judaicæ *Arcana participaverit. Sic igitur ad virum doctiſſimum ſcripſi. Quantùm ad me ego certè* Sephirothas *credo* (*ſicut & tu vertis*) Numerationes *omninò ſignificare, eſſéque nihil aliud quàm* Numeralia *quædam* Repoſitoria *maximorum Myſteriorum antiquæ* Cabbalæ Decadem *non excedentia, manuúmque digitis decem, ſuper quos res numerare ſolent, reſpondentia, Denariúmque* Pythagoricum *hinc originem ſuam traxiſſe. Varias verò Notiones vel Nomina ad ſingulos Numeros relata fuiſſe; quemadmodum obſervare licet apud* Johannem Meurſium *in* Denario *ſuo* Pythagorico: *Quanquam multa quidem illìc notata Nomina ſpuria ſunt, Modi tamen referendorum ſatìs amplum eſt exemplum.*

Sephiroth *verò, ſive* Numerationes Cabbaliſticas *duûm fuiſſe generum puto,* Phyſicas *&* Metaphyſicas. Phyſicas *fuiſſe Repoſitoria Myſterii Creationis ſive Mundi, aſpectabilis præcipuè, ſubindicatis interim & inviſibilibus ejus incorporeiſque Principiis. Septem autem primæ* Sephiroth *huic rei maximè inſerviebant, ſeptem diebus,* (*ſex primis Operæ, ſeptimo Quietis*) *applicatæ; & ſic quidem ut ſinguli Numeri imaginem quaſi ferrent rerum quæ ſingulis diebus appropriantur, ſicut fusè demonſtravi in* Cabbala *mea* Philoſophica. *Nec omnino hîc otiatur decima* Sephirah, *ſive* Denarius *quatenus ad Quaternarium referri poteſt, tanquam illius Potentia. Tot è decem* Numeris *ſive* Sephiroth, *Mundi aſpectabilis Creationi illuſtrandæ inſerviebant. Quantùm verò ad* Numerationes Metaphyſicas, *id maximè notatu dignum eſt, eas totum* Denarium *complecti & in duas partes dividi, tribus prioribus ipſi* Divinitati, *ſeptem reliquis* Creationi Spirituali *& inviſibili applicatis. Ità ut ſeptem poſtremæ* Sephiroth *Repoſitoria ſint & capſulæ quaſi rerum omnium creatarum* Spiritualium *&* Inviſibilium, (*quemadmodum ſeptem, vel magìs præcisè, ſex primæ, rerum corporearum & aſpectabilium,*) *tres verò primæ, quod dixi,* Sacroſanctæ Trinitatis, &c. *Vide ipſam Epiſtolam Tabulis Cabbaliſticis præfixam. Nimius enim eſſem ſi cætera huc tranſcriberem. Ex his facilè intelliget* S. A. *fuiſſe apud* Judæos *magni momenti Myſteria quæ totam Numerorum* Decadem *adimplerent, nec ullas lacunas relinquerent quò minùs* Pythagoras *Numeros ſuos Myſticos ad* Denarium *uſque extenderet. Quippe cujus* Denarius *non ad* Bereſhith *tantùm ſed ad* Mercavæ *Myſteria pertinere intelligitur. Neque enim dubito quin* Judæorum *decem* Sephiroth *&* Denarius Pythagoricus *ab eadem origine profluxerint.*

Ac proinde meritò ceſſare debet S. A. *urgere,* Si *Pythagorici* in ſuis Numerorum Myſteriis ad Hiſtoriam Creationis reſpexiſſent & Numeri ipſis fuiſſent operis cujuſque diei Symbola, tum ſubſtitiſſent in *Senario.* Hic ipſis potiùs fuiſſet δεκὰς dictus quàm Denarius, utpote re ipſâ δεχὰς ſeu Numerus omnia Creationis opera comprehendens. *Nam ipſam* Cabbalam Philoſophicam *Numeros ad* Denarium *extendiſſe manifeſtum eſt, nec ad ſolum opus* Bereſhith, *ſed ad* Mercavam *etiam applicaviſſe. Ut omittam quàm ridiculè expectetur à* S. A. *ut* Pythagorici Senarium δεκάδα *vocarent, quaſi ipſa prima numerorum nomina à* Pythagoricis *impoſita fuiſſent. At verò quod tantundem valet,* Senarius *ab ipſis* ὁλομέλεια *vocatur, quòd die ſexto tota Creatio perfecta eſſet. Addóque* Tetractyn, *quæ ſpeciali modo ad Creationem refertur, etiam* Decadem *in ſe potentiâ continere, & eo ipſo quarti diei opus mirificè illuſtrare. Adeò omnia ex voto D.* Samueli Andreæ *hîc ſuccedunt.*

Exam. Gener. pag. 117.

Quantùm verò ad alteram Objectionem, Quòd Pythagoras *Numeros non veluti* Symbola Hieroglyphica *ſed tanquam* vera rerum Principia *agnoverit, equidem ſi verum id eſſet, haud mediocrem, fateor, vim haberet ad ſubvertendam noſtram opinionem. Homo verò, qui ità ſolida aliàs Philoſophiæ principia imbiberit, eorúmque capax fuerit, ut idem eouſque deliraret ut ipſos Numeros non* Symbola *quidem, ſed* elementa *ipſa ac* principia *rerum exiſtimaret, tantáque cum reverentia ac ſanctimonia tales Nugas ac Quiſquilias diſcipulis communicaret, ſuperſtitioſâve quadam aut affectatitiâ gravitate & authoritate eorum fidei obtruderet, res adeò abſona eſt & ab omni ratione aliena, ut apud neminem niſi* *vecordem admodum, ſummóve laborantem præjudicio ullam fidem poſſit obtinere.*

Fateor equidem Ariſtotelem, *ut erat paulò pugnacior & diſputationibus addictior Philoſophus, in libro decimo tertio & decimo quarto* Metaphyſices, (*ſi tamen iſti libri* Ariſtotelis *ſunt, qua de re docti inter ſe diſſentiunt*) *abſurdam hanc* Pythagoreorum *opinionem prolixè confutare. Et* Alexandrum *apud* Laertium, *in* Commentariis Pythagoricis *notare*, ex Monade Numeros, ex numeris Puncta, ex punctis Lineas, ex lineis planas Figuras, ex planis ſolidas, ex ſolidis Figuris Corpora ſolida, ut Ignem, Aquam, Terram, Aërem conſtare, &c. *Sed enimvero, etiam ex aliis quæ* Alexander *Pythagoreis ibidem aſcribit, manifeſtum eſt etiam illius temporibus* Cabbalam Pythagoricam *corruptam eſſe. Et tamen quod cenſet* Voſſius, *Hic eſt ille* Alexander Polyiſtor, *qui Olympiade* CLXXIII, *imperante, in* Ægypto, Ptolemæo Lathyro, *florebat. At verò ſi duo illi ultimi libri* Ariſtotelis *genuini ſint, ducentis trecentiſve antè annis corruptionem iſtam factam oportet, niſi quòd* Ariſtoteles *cenſeri poſſit ex incerta tantùm fama iſtas opiniones tanquam* Pythagoricas *accepiſſe, avidéque occaſionem amplexum eſſe eas confutandi, cùm tamen* Pythagorei *ipſi eis temporibus eò vecordiæ nondum prorupiſſent.* Ariſtotelem *verò non rectè ſemper veterum Philoſophorum ſententias intellexiſſe, notiſſimum eſt. Famam autem illam incertam à Symbolico illo ortam eſſe apud* Pythagoreos *loquendi modo (quibus frequens in ore erat,*

----------'Αριθμῷ δέ τε πάν' ἐπέοικεν)

in Epiſtola ad V. C. *ſatìs monuimus. Tantùm addo* Philoponum *nobiſcum ſentire hac in re, qui in Metaphyſ. lib.* 1. *ſic ſcribit : Pythagorei* dum volunt ſapientiam ſuam occultam facere cerdonibus, Symbolicè tradiderunt diſciplinas, dicentes Unitatem Mentem, Binariam Animam, &c. *Ipſéque* S. A. *meritò* τὸν Πυθαγόρειον Φίλωνα, Philonem Pythagoreum *à* Clemente Alexandrino *vocari aſſerit, quòd Numerorum Myſteria ex Principiis* Pythagoricis *captat. Captat autem* Philo *tanquam* Symbola *rerum quibus repræſententur, non tanquam* Principia *ex quibus conſiſtant. Et paulò pòſt, Exam. General. pag.* 8. *idem* S. A. *de* Pythagora *ac* Platone *diſſerens*, Erant hi, *inquit*, Philoſophi Matheſeos ſtudio imprimis addicti. Unde illud ſolenne eorum in Scholis monitum, ὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Non ergo mirum ſi quæ hauſerant ſecretiora de Deo & ortu Univerſi, *quæ* εἰς τὴν τῶν ὄχλων ἄγνοιαν ὐκ ἦν ἐξενεγκεῖν, (*uti* Joſephus *ex mente* Platonis *loquitur, lib.* 2. *contra* Appionem) Mathematicis Ænigmatis involuta diſcipulis ſuis voluerint tradere. *Hæc ipſe* S. A. *ultrò profert. Addámque è libro primo contra* Appionem, Pythagoram *pleraque è fonte* Judaico *hauſiſſe, atteſtante eodem* Joſepho, *hiſce verbis :* Πυθαγόρας τοίνυν ὁ Σάμιος ἀρχαῖος ὤν, σοφίᾳ δὲ καὶ τῇ περὶ τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ πάντων ὑπειλημμένος διενεγκεῖν τῶν φιλοσοφησάντων· ὐ μόνον ἐγνωκὼς τὰ παρ' ἡμῖν δῆλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγεννημένος. *Unde conſtat quàm ſerio ſtudio* Pythagoras Moſaica Myſteria *imbiberit, & quàm capax eorundem fuerit, propter eximiam pietatem ac ſapientiam, & quàm ſedulus futurus eorum per Ænigmata Arithmetica celator nè quid in profanum vulgus emanaret, juxta ipſius* S. A. *ſententiam. Quapropter apud ipſum* S. A. *manifeſtum eſſe debet Numeros* Pythagoricos *non* Ideales cauſas, *internáve* Principia *fuiſſe rerum, ſed earum tantùm* Symbola *vel* Similitudines.

Ex agnitis verò hiſce Numerorum, cum rebus, Similitudinibus, factum eſt ut extranei, qui Pythagoreorum *mentem perperàm intellexerint, Similitudines has in* Ideas *rerum verterent, nec eo contenti* primas Eſſentias *facerent, cùm nihil tamen ab eſſentiæ ſubſtantiæve natura magìs diſtet quàm* Numerus ; *quippe qui* Notio *tantùm* ſecunda *eſt non* res, *ut nôrunt omnes qui vel primoribus labiis veram* Logicæ *notitiam deguſtaverint. Nec ſanè diffiteor quin prolapſu temporis, per mutationes rerum ac viciſſitudines, apud ipſos etiam* Pythagoreos, *qui tales nempe ſe putaverint, quemadmodum & apud* Judæos, Cabbala Philoſophica, *quantùm ad abſtruſiora tum* Bereſhith, *tum* Mercavæ *Myſteria penitùs ferè perierit, quanquam & nomina* decem Sephirotharum *apud* Judæos *& appellationes* decem Numerorum *apud* Pythagoreos *etiamnum manerent, quorum tamen uſum rationémque utrique perinde ignorabant. Unde factum eſt ut* Judæi Sephirothas *ſuas in* Emanationes *neſcio quas* Divinas, Pythagorei *verò pari ſuperſtitione ſuos* Numeros *in* Ideas *primáſve rerum omnium* Cauſas exemplares *&* Eſſentias *aut verterent ipſi aut ab aliis per errorem ſic verſas lubenter amplecterentur & pro ſuis agnoſcerent. Ac proinde cùm occaſio hujuſmodi Nugamentorum tradendorum tam clarè pateat, & de eximia Numerorum eorundémque appellationum congruitate cum ſex dierum Creationis Operibus in* Cabbala *noſtra* Philoſophica (*ut de uſu* Sephirotharum *genuino in* Catechiſmo Cabbaliſtico) *ſatìs conſtet, nec niſi temporis ſucceſſu prima* Cabbalæ *puritas poſſit corrumpi, equidem admodum temerè à* S. A. *affirmatur, & contra ſuam ipſius ſententiam ſuprà allatam,* Pythagoram *ipſum, (nè dicam proximos illius ſucceſſores) Numeros non veluti* Symbola Hieroglyphica *rerum creatarum, ſed tanquam* Cauſas exemplares *&* principia Harmonica *rerum agnoviſſe.*

Sect. 2. Nullus Tetractyos Pythagoricæ ſenſus tolerabilis eſſe poteſt, niſi, &c. *Quæ* S. A. *contra hanc ſententiam objicit, mihi notiſſima erant etiam tum cùm* Cabbalam Exam. Gener. pag. 120. *meam* Philoſophicam *ſcripſi:* Plutarchum *nempe* Tetractyn, *quæ in juramento illo* Pythagorico *occurrit, ad* Mentem, Scientiam, Opinionem *&* Senſum, *quatuor illas Animæ facultates applicare; & tum ob hoc, tum etiam quòd univerſus Numerorum ambitus* κατὰ μονάδα *quidem in* Decade, κατὰ δύναμιν *verò in* Tetrade *contineatur, ſummum* Pythagoreos *juramentum feciſſe* τὴν τετράδα, *apertè ſtatuere;* Nicetam *ad quatuor elementa retuliſſe;* Plutarchum *rurſus* τετρακτὺν *de Numero* XXXVI, *qui ex quatuor primis paribus imparibúſque numeris componitur, intelligere; &* Seldenum *denique ad nomen* Tetragrammaton יהוה *referendum cenſere. Quæ quidem omnia Interpretamenta tanquam levia admodum peſſiméque fundata datâ operâ partim neglexi, partim confutavi. Quippe quum duo priora præterquam quòd nihil in ſe contineant majeſtate ſolennitatéque Juramenti dignum, à veritate etiam valde ſunt aliena, nec rectè* Quaternario *poſſunt applicari. Neque enim* Quaternarius *omnes Animæ facultates exhaurit. Præter* Senſum *enim,* Opinionem, Scientiam *&* Mentem *ſive* Intellectum, *datur etiam* Phantaſia *&* Memoria. *Nec ipſe* Plutarchus *quomodo* Quaternarius *ſenſui applicandus ſit, explicat. Quinarius ipſum aptiùs repræſentaret. Et ex duabus præmiſſis poſitis,* Opinio *perinde oritur atque* Scientia. *Adeò nulla cauſa eſt ut* Binarius *Scientiam potiùs repræſentet quàm* Opinionem. *Immò cùm dubia res ſit* Opinio, Binarius *magìs idoneus eſt ad* opinionem *ſignificandam, quippe quam dubitatio ſemper comitatur, quam ſignificantiſſimo vocabulo Græci* ἐνδοιασμὸν *vocant. Hæc igitur* Quaternionis *ſignificatio* Pſeudo-Pythagoreorum *quorundam merum delirium eſt vanúmque Inſomnium. Equidem fateor illam* Quaternarii *proprietatem quâ omnes Numeros* κατὰ δύναμιν *in ſe contineat, à genuinis* Pythagoreis *agnitam & uſurpatam, ſed tanquam ſummi Myſterii* Symbolum, *quod in Defenſione* Cabbalæ Philoſophicæ *explico, nec hîc repeto. Iſtam verò nudam* Quaternarii *proprietatem nullo ſenſu* Symbolico *imbutam, occaſionem dediſſe ſanctiſſimo huic* Pythagoreorum *Juramento, tam ſtolida ac veſana opinio eſt ut riſu potiùs & exploſione excipienda ſit, quàm ſeriò refutanda. Nemo niſi ſummâ laboret vecordiâ, adeò abſurdè de tam inclytis Philoſophis ſentire poteſt.*

Nec tamen minùs abſonum eſt, quod Nicetas *vult, nempe ad quatuor elementa* Tetractyn *referri, quaſi ex iſtis omnia fierent. Quod ut falſiſſimnm eſt, ità quatuor Elementorum doctrina res adeò vilis atque obvia eſt, ut planè impoſſibile ſit ut hæc ſolennitatem ſanctitatémque Juramenti mereretur. Nec ipſi profectò Objectori multùm arridet. Qui interim de prima tertiáque Explicatione paulò majorem ſpem ſe concipere profitetur. Qualis autem prima illa ſit jam vidimus. Et pari quidem vanitate laborat ipſa tertia. Nam compoſita illa* Tetractys *ex quatuor primis paribus imparibúſque numeris, qui conjuncti* XXXVI *efficiunt, res perinde trivialis eſt & frivola, atque illa ſimplex, ſi omni ſenſu* Symbolico *deſtituatur, parique intervallo apud tam ſanctos ſcientéſque Philoſophos à Juramenti ſanctitate diſtabit. Quis autem ſenſus illius* Symbolicus *ſit, ſuprà dictâ* Defenſione *explico, Lectorémque eò remitto.*

Supereſt tandem Seldeni *noſtratis explicatio, qui* τετρακτὺν *ad nomen* Tetragrammaton *referendum ſtatuit; Quaſi* Juramentum *eſſet per nomen* Jehovæ. *Atque hoc certè ſatìs conſiſtit appriméve convenit cum Juramenti ſanctimonia; ſed* Syntaxis Grammatica *(quemadmodum in ipſo Textu jam ſatìs apertè monui,) hanc interpretationem planè reſpuit. Vult enim* Seldenus *τὴν cum* τετρακτὺν *conjungi, quaſi* τετρακτὺς *idem eſſet atque* Jehovah, *nempe nomen Dei, quod nè* Tetragrammaton *quidem eſt, ſed* Jehovah *dicitur nomen Dei Tetragrammaton; i. e. Nomen Dei ex quatuor literis conflatum. Adeò ut demirer hominem, aliàs ſatìs doctum, tam fœdè hac in re hallucinatum eſſe, &* ἀσυνταξίαν *hanc ex priſcorum Myſteriis, qui Deorum ſexus confundebant, quos* ἀῤῥενοθήλεις *dicebant, excuſare voluiſſe. Neque enim* Tetractys *Dei magìs nomen eſt quàm* Tetragrammaton, *ſed numerum tantùm literarum nominis illius, utraque indicant, nempe ſi* Tetractys *etiam ad* יהוה *referatur. Quam propter hanc* ἀσυνταξίαν *palàm eſt, eo ſenſu quo vult* Seldenus, *non referri.*

Cùm verò τετρακτὺς *nihil aliud ſonet quàm* τελεὰς, *& in uſu apud* Pythagoreos *ſit ſub uno numero multas res, quarum ille* Symbolum *eſſe poſſit, abſcondere, vel tanquam in Repoſitorio* μνημονευτικῷ *recondere,* τετρακτὺν *etiam ad* יהוה *ſic referri poſſe non abnuam, ut Juramentum intelligatur fieri per eum qui Myſterium* τετρακτύος *tradidit,* continentis *nempe* fontem ac radicem æternæ vel perennis nunquámve deſinentis Naturæ, *doctrinam ſcilicet de* illo Fonte ac radice, *qui primo loco & tanquam Origo maximè prima* *eſt* יהוה *literarum nominis* Tetrade *inſignis. Cujus etiam* Triunitas (*cùm* unum *&* tria *faciunt* quatuor, *prout* Reuchlinus *notavit*) *in hac* Tetracty *recondi poteſt, ídque admodum conſonanter Doctrinæ* Pythagoricæ, *quippe qui* Triunitatem Divinitatis *tenuerunt. Præter autem hoc Myſterium* Tetragrammati, (*cujus Nominis vi* Pythagoras *fortean aliquando miracula edidit*) *& Divinæ Triunitatis,* (*quorum utriuſque ſatìs aptum eſt* Symbolum Tetractys) *cùm ſymbolum præterea perinde idoneum ſit, quod univerſalem Mundi Creationem referat,* Spiritu Naturæ *pollentis rerúmque generationes perpetuantis, die quarto deſcriptam,* (*quemadmodum fusè explicavimus in* Defenſione Cabbalæ Philoſophicæ *ejúſque Appendice, nec opus eſt hîc repetere*) *minimè mirandum eſt etiam illius Myſterii eſſe* Repoſitorium ; *ut nec omittam huc referri poſſe quatuor Animalium quatuórque apud* Ezechielem *Rotarum Myſterium, cui quidem pandendo Philoſophia* Pythagorica *haud incommoda clavis eſt. Adeò ut ſenſus Juramenti,* Οὐ μὰ τὸν, *&c. hic ſit :* Non per eum qui nobis tradidit ſumma tum *Phyſicæ* tum *Metaphyſicæ* Judaicæ *Myſteria ſub* Tetractyos *Symbolo recondita, hoc eſt, Non per* Jehovam, *quippe omnium primum Traditorem. Quod profectò Juramentum eſt ſanctitate profundâque Sectæ* Pythagoricæ *ſapientiâ nequaquam indignum.*

Ex hac autem explicatione, quam ex Seldeno *&* Reuchlino *vir doctus in medium protulit, quæque à me multis modis emendatior facta eſt & correctior, opinio noſtra de* Pythagora, *quòd Sapientiam ſuam è fontibus* Judaicis *hauſerit, mirificè corroboratur. Quam igitur explicationem, cùm tam accommodam rebus noſtris fore prævidiſſet, primæ tertiæque per invidiam, poſthabuiſſe meritò cenſendus eſt noſter Antagoniſta. Sed ea de re ipſe viderit.*

Intereà loci non abs re fore puto eos Philologos aggredi, quorum meminit eruditus Author
Cap.4. ſect.20. Syſtematis Mundi Intellectualis, *qui Juramentum in Diſticho* Pythagorico, *per* Tetractyn *ſive Tetragrammaton fieri ſtatuunt, hoc eſt, per* Jehovam, *nomine Dei pro Deo ipſo poſito, juxta illud Rabbinorum dictum* הוא שמו ושמו הוא, Ipſe nomen ſuum eſt ſuúmque Nomen ipſe, *ac ſi ſenſus iſtorum verborum,*

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀενάου φύσεως --------

hic eſſet ; Per Tetragrammaton ſive Jehovam qui communicavit ſeipſum, *ſive fontem æternæ Naturæ noſtris Animabus, quippe ſecundùm doctrinam* Pythagoricam *ex mente Divina carptis & delibatis. Ad Philologos igitur iſtos reſpondeo,*

Primò, Tinnulum iſtud reciprocúmque Rabbinorum *dictum ſenſu Politico & forſan magìs arcano myſticóque intelligendum, perperàm heîc & quaſi obtorto, quod aiunt, collo ad fœdiſſimum Solœciſmum Grammaticum defendendum vel invitum trahi. Neque enim illud dictum* Rabbinicum *ſenſu Grammatico accipiendum eſt ad abſonas excuſandas* ἀσυνταξίας, *ſed ad ſignificandum, ubi nomen Jehovah alicui perſonæ imponitur, non eſſe inane Nomen in Scriptura, ſed rem ipſam ſubeſſe. Ut ubi Angelus fœderis & Dux Iſraelitarum Jehovah dicitur, Jehovam ipſum iſti perſonæ ſubeſſe innuit ; ac reverà fuiſſe Chriſtum Animámve Meſſiæ æterno Logo conjunctam, &c. Ut omittam* nomen *&* rem, vocari *&* eſſe *idem frequenter apud* Hebræos *ſignificare, adeò ut ex communi iſto* Linguæ Hebraicæ *Idiotiſmo dictum illud* Rabbinicum *multis in locis exponi poſſit, quem tamen Idiotiſmum omnes Syntaxios leges irritas facere nemo ſanus ſtatuerit.*

Deinde, quod & ſuprà monui, nè Tetragrammaton quidem, multóque minùs Tetractys eſt Nomen *Dei, ſed* Jehovah. *Adeò ut demirari ſatìs nequeam horum oſcitantiam Philologorum, qui tam incondita & malè cohærentia Inſomnia Orbi literato propinant, nec Tetractyn ſive* Τετράδα *perinde atque reliquos Numeros Pythagoricos Symbola eſſe permittunt (ut certè* Hierocles *eo loco ubi ait,* Ἔστι γὰρ δημιουργὸς τῶν ὅλων καὶ αἰτία ἡ τετρὰς, θεὸς νοητὸς, *&c. Symbolum pro re ſignificata ponit) ſed* propria nomina *volunt eſſe, immo res ipſas, quarum tantùm Symbola ſunt ſive Repoſitoria* μνημονευτικά. *Cùm luce profectò clarius ſit Tetractyn non eſſe* nomen *Dei, ſed Tetragrammati* Repoſitorium *duntaxat, utì & aliorum Myſteriorum quorum ſit idoneum Symbolum. Ac proinde quomodo [Ipſe Nomen ſuum eſt ſuúmque Nomen ipſe] cùm* Tetractys *nomen ipſius non ſit nedum ipſe Deus, craſſum illum Solœciſmum excuſare poſſit, ego quidem nequaquam video.*

Tertiò, Si [παραδόντα *] Eſſentiæ Divinæ animabus humanis communicationem, ſive* μετάδοσιν *ſignificare debuiſſet, vocabulum* μεταδόντα *non* παραδόντα *adhibitum fuiſſet, cùm uſitatiſſima vocis* παραδοῦναι *ſignificatio ad* doctrinarum *Myſteriorúmve* traditionem *pertineat, quo ſenſu non ego ſolùm ſed alii plerique omnes hoc in loco accipiunt.*

Quartò, Si παραδόντα *idem heîc ſonet atque* μεταδόντα, *& [* Παγὰν ἀενάου φύσεως *] ipſam Divinam Eſſentiam indigitet, noſtris animabus, quippe ex Divina mente carptis*

&

& delibatis, communicatam, id quidem admodum durum Paradoxum eſt & Doctrinæ Pythagoricæ *omnique ſanæ Sapientiæ contrarium. Dum enim animos noſtros ex mente Divina carptos eſſe ac delibatos ſupponit, Mentem Divinam ſupponit diſcerpibilem, ac proinde corpoream. Adeò ut Philologi iſti, qui huic ſententiæ favent, Philologiâ multo plus pollere videantur, quàm ſolidâ ratione aut acumine Philoſophico.*

Quintò denique, plena Formula Juramenti Pythagorici *ſic eſt :*

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀενάου φύσεως, ῥίζωμα τ' ἔχουσαν,

quemadmodum reperitur apud Sextum Empiricum *paſſimque apud alios Scriptores, nec probabile eſt primitùs plenum non fuiſſe Diſtichon ; (niſi monoſtichon ſolummodo fuerit) cujus igitur ſenſus hic foret ſecundùm hos Philologos :*

Non per Tetractyn qui Animæ noſtræ communicavit
Fontem æternæ Naturæ, Radicémque habentem.

Qui ſenſus planè mancus eſt & imperfectus, cùm plenus & nativus ſenſus ſit idémque noſter :

Non per eum qui animæ noſtræ tradidit Tetractyn
Fontem perennis Naturæ Radicémque habentem.

Hic ſenſus plenus eſt, concinnus & perſpicuus. Alter verò præterquam quòd mancus, falſus eſt præterea. Neque enim Fons æternæ Naturæ, Deus utique ipſe radicem habet unde pullulet, ſed Radix ipſa eſt rerum quidem omnium.

Atque hæc breviter ad confutandam hanc abſonam Opinionem dictorum Philologorum operæ pretium putabam afferre, cùm eruditiſſimus vir ad alia properans, eam proponere tantummodo contentus eſſet, confutationem verò illius ipſi viſum ſit prætermittere ; quippe quam forſan vix dignam confutatione putavit ; præſertim ſi cum ſimplici noſtra Juramenti Pythagorici *Interpretatione conferatur. Ubi nihil coactum aut violentum, nihil durum aut diſtortum eſt, nulláque ullius Legis eſt aut Grammaticæ aut Philoſophicæ violatio. Sed omnia & inter ſe & cum Hiſtoriarum fide ſententiáque plerorumque omnium Philoſophorum, aliorúmque quidem Philologorum apprimè conveniunt. Quam Interpretationem nihil attinet hîc repetere, cùm tam plenè jam pluribus uno locis deſcripſerim.*

Brevem hanc tantùm hîc adjiciam Diſtichi Paraphraſin. Per eum qui nobis tradidit *Tetractyn,* Numerum nempe illum Symbolicum, habentem ſive continentem in ſe, tanquam apto iſtiuſmodi rerum Repoſitorio, Fontem ac Radicem perennis Naturæ. *Quibus Deus primo in loco innuitur (ad quem nomen Tetragrammaton* יהוה *ſpectat) tanquam* primus *omnium Fons ac Radix :* Et Spiritus Naturæ *cum* Materia Mundana univerſa, *in ſecundo, qui perennis Naturæ Radix* ſecundaria *eſt atque Fons, cujúſque ope Generale Mundi Syſtema prout* quarto *die deſcribitur in Cabbala Philoſophica, conſtitutum eſt, rerúmque ac Seculorum perennis facta ſucceſſio. Per* Tetractyn *igitur non juratur, ſed per eum qui Tetractyos* Cabbalam *tradidit, quem non nego fuiſſe ipſum* Jehovam, *per eúmque primitus* Pythagoram *juráſſe, licèt ſuperſtitioſi* Pythagorei *poſtea meritò dici poſſint juráſſe per* Pythagoram. *Id quod feciſſe eos teſtantur* Iamblichus, Hierocles *aliique. Et ad eum planè ſenſum, Juramentum* Hierocles *interpretatur, nempe tanquam, per* Pythagoram, *factum qui Tetractyn diſcipulis tradiderit.*

Quod quidem Juramentum in Aureis Carminibus, *dum in altero Verſiculo mutilum conſpicio, invictam ferè mihi ſuſpicionem injicit, nè id quidem quod ſupereſt illius verſiculi, eſſe genuinum, ſed totum verſiculum ſpurium quoddam eſſe ſegnéque aſſumentum, explicationis causâ à recentioribus aliquibus* Pythagoreis *ſuperadditum, ſed priſcam Juramenti formulam, (quod & ſuprà obiter ſubindicavi,)* Monoſtichon *fuiſſe, & nunc affirmativè nunc negativè, in rebus maximè ſeriis, prompto hoc & expedito modo uſurpatam.*

Ναὶ μὰ τὸν
vel } ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
Οὐ μὰ τὸν

Quæ quidem forma ſatìs plena eſt, alterâque multò rotundior, clarior atque etiam comprehendentior, ut quæ in genere ſignificat magna aliqua ac veneranda Myſteria in Tetractyos *Cabbala ſive Traditione contineri. Nec dubito quin ſub eo Repoſitorio Symbolico Myſterium Creationis* quarti *diei, totiúſque adeò* Bereſhith, *& Myſterium* quatuor *Animalium &*

& quatuor R*otarum totiúſque itidem* Mercavæ *recondita eſſent. Sed & alibi hæc plus ſemel monui, & tædet profectò res tam manifeſtas & perſpicuas tam multis repetitionibus inculcare.*

Sect. 3. Hoc verò ſufficit ad reſciſcendam *Pythagoræ* opinionem, &c. *Conqueritur* Exam. Gener. pag. 149. *heîc* S. A. *me Pythagoreorum opiniones Magiſtro ſuo* Pythagoræ *aſcribere, cùm ex* Commentariis Pythagoricis *conſtet, referente* Alexandro *apud* Laertium, Pythagoram *non tenuiſſe motum Telluris, &c. Sed reſpondeo,* ὑπομνήματα Πυθαγορικὰ *non ſignificare illa ipſa* συγγράμματα, *quæ* Pythagoras *dicitur ſcripſiſſe, iſta ſcilicet* τρία βιβλία διαβόητα, *quæ* τὸ Πυθαγόρειον δόγμα, *ipſius* Pythagoræ *doctrinam, integrè ſinceréque continebant, quos libros* Philolaus *ſolus evulgavit; ſed quævis Monumenta quantumvis corrupta & depravata. Qualia proculdubio iſta ſunt quæ* Alexander *apud* Laertium *memorat. Quippe quæ* Solem *&* Lunam (*apud veros tamen* Pythagoreos Ἀντίχθονα *noſtram habitam*) *& reliqua ſydera* Deos *faciunt, ex eo ſolo quòd calor in eis dominetur qui ſit vitæ Author; Animámque definiunt* αἰθέρος ἀπόσπασμα, partem Ætheris avulſam; *Hominúmque cum Diis cognationem conſiſtere ex eo quòd* caloris ſint participes. *Quæ tam craſſa & ab-* De Placit. Philoſ. lib. 4. cap. 3. *ſurda ſunt & à* Pythagoræ *doctrina tam aliena, ut nihil eſſe poſſit ſuprá. Nam &* Pythagoras *&* Plato *&* Ariſtoteles, *hi omnes teſtante* Plutarcho, Ἀσώματον τὴν ψυχὴν ὑποτίθενται φύσει λέγοντες αὐτοκίνητον καὶ οὐσίαν νοητήν. *Omnes* incorpoream Animam ſtatuunt, quippe ſubſtantiam intelligibilem & ex ſua natura ſeipſam moventem. *Adeò ut ſi hæc* Hypomnemata *adeò ſpuria & depravata* motum Terræ *omiſiſſent, nihil profectò contra nos faceret. Verùm enimverò dubito ſanè an omiſerint, Terrámve in ipſo Mundi centro defixerint.*

Neque enim iſta verba à S. A. *allata ſatìs id probant.* Ex illis autem conſiſtere (*nempe Igne, Aquâ, Terrâ, Aere*) Mundum animatum, intelligibilem, rotundum, μέσην περιέχοντα τὴν γῆν, καὶ αὐτὴν σφαιροειδῆ καὶ περιοικουμένην. *Nam* μέσην περιέχον τὴν γῆν *poteſt quidem nihil ampliùs innuere quàm Terram à libero Æthere undique cingi, adeò ut in medio Mundi rectè dici poſſit jacere (quanquam non propriè in centro) contrà ac Plebeii imaginantur qui baſin partémve infimam Mundi putant. Eouſque nec ultrà forſan, iſta verba ſatìs incerta collineant. Et in ſequentibus* περιοικουμένην *legendum ſit an* περικινουμένην *equidem dubito. Neque enim tanta eſt vocum diſſimilitudo, quin per ſcribarum primitùs indiligentiam ſive oſcitantiam altera pro altera pingi poſſet,* περιοικουμένην *præſertim pro* περικινουμένην *ob ſenſum ad captum vulgi magìs accommodatum, qui à motu terræ tantopere abhorrent. Adde quòd* περικινουμένην *cum ſequentibus meliùs videtur cohærere. Nam* περιοικουμένην *ità conſentit cum opinione* Antipodum *ut planè mutuò ſe inferant. Ac proinde ſi* περιοικουμένην *vera lectio eſſet, ſubjungendum eſſet,* εἶναι γὰρ καὶ ἀντίποδας, *ut neceſſaria connexio horum duorum intelligatur. Jam verò cùm legitur,* εἶναι δὲ, *diverſitatem innuit non autem connexionem, & duas diverſas eáſque eximias* Pythagoræ *opiniones denotat, nempe* Terram moveri *&* Antipodas dari; *quæ duo erant, pro iſtis quidem temporibus, inſignia dogmata, magnique & excelſi* Ingenii *argumenta.* Περικίνησιν *autem hanc tam de annuo quàm de diurno Telluris motu intelligi poſſe ex modò dictis ſatìs patet. Adeò ut hæc* Hypomnemata, *quanquam nihil contra nos faciunt, quippe magna ex parte adeò adulterata, in hac re tamen pro nobis facere meritò cenſeri poſſint. Quippe quòd nemo ferè ante hoc ſeculum an* Pythagoras *motum Telluris tenuerit, unquam dubitavit, cùm adeò apud omnes celebratum ſit pro dogmate* Pythagorico. *Dogma verò eſſe* Pythagoricum *eo ſenſu quo* Hypomnemata *hæc* Pythagorica *dicuntur, nempe* Pythagoricorum *dogmata continentia, nullum dubium eſſe poteſt, ac proinde aut* περικινουμένην *legendum eſſe, aut fatendum miſera rurſus ac manca hæc* Alexandri Hypomnemata *eſſe dogmatum* Pythagoricorum *monumenta.*

Sed enim ex hac ipſa Pythagoræ *vita per* Laertium *ſcripta, clarè mihi conſtare videtur ipſius* Pythagoræ *fuiſſe dogma. Dicit enim diſertis verbis* Diogenes, Μέχρι δὲ Φιλολάου οὐκ ἦν τι γνῶναι Πυθαγόρειον δόγμα. Οὗτος δὲ μόνος ἐξήνεγκε τὰ διαβόητα τρία βιβλία. *Quæ igitur dogmata divulgavit* Philolaus *erant planè dogmata* Pythagoræ, *quæ ad illius exemplum tanto ſtudio adhuc celata erant. Atque ad hanc igitur rationem intelligendum eſt quod occurrit apud* Diogenem *in Vita* Philolai. *Ubi* Philolaus *primus dixiſſe fertur (non primus illud dogma inveniſſe)* τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον, *edoctus proculdubiò è libris iſtis qui genuina* Pythagoræ *dogmata continebant, ad quóſque emendos* Plato *ad* Dionem *ſcripſit, & ex quibus ipſe* Plato *primùm diurnum Telluris motum, mox verò jam ſenex factus etiam annuum intellexit agnovítque, referente* Plutarcho *in vita* Numæ. *Nec dubito quin* Ariſtarchus *à* Pythagora Samio, *ipſe etiam* Samius, *idem dogma, quanquam fortè non immediatè, acceperit, cujus mentionem facit* Archimedes *in* Pſammite. Ὑποτίθεται γὰρ [Ἀρίσταρχος ὁ Σάμιος] τὰ μὲν ἀπλανῆ τῶν ἄστρων καὶ τὸν ἅλιον μένειν ἀκίνητον, τὰν δὲ γᾶν περιφέρεσθαι περὶ τὸν ἅλιον κατὰ κύκλου περιφέρειαν ὅς ἐστιν ἐν μέσῳ τῷ δρόμῳ κείμενος. Libertus *verò* Fromondus *in* Ant-Ariſtarcho *ſuo, eum proximè poſt* Pythagoram *ponit, immò dubitat annon ſit ætate anteponendus, ſed temerè & abſque omni ratione. Verba* Fromondi *hæc ſunt, de ſitu Solis in Mundi meditullio quam Jovis cuſtodiam,* Διὸς φυλακὴν Pythagorici *appellitant,* Qua in re, *inquit, Pythagoram* ſecuti *Ariſtarchus Samius* (niſi tamen hic *Pythagorâ* vetuſtior fuit) *Philolaus, Hicetas, Seleucus, Cleanthes Samius, Leucippus, Heraclides, Ecphantus,* immò *Plato* jam ſenex ut narrat *Theophraſtus,* &c.

Et certè communi omnium conſenſu Pythagorica *dogmata ad ipſum* Pythagoram *tanquam ipſorum Authorem ſive Traditorem referantur. Nam & illi qui apud* Plutarchum Numam Pythagoræ *auditorem fuiſſe volunt, ex* Pythagoricorum *dogmatum ſimilitudine id arguunt, & inter cætera ex ſitu Solis in medio Mundi à* Numa *perinde atque à* Pythagoreis *ſic collocati. Nec uni* Philolao *attribuit motum Terræ* Ariſtoteles *ſed Philoſophis* Italicis, Pythagoreis *dictis à* Pythagora *qui in ea* Italiæ *parte quæ* Græcia major *appellabatur, multùm diúque habitabat, quique illis iſtud dogma tradiderat, & ob id ipſum potiſſimùm apud* Ariſtotelem Pythagorei *appellati ſunt. Neque profectò par eſt ut in mentione iſtius opinionis* Pythagorei *appellarentur, niſi eam opinionem* Pythagoras *tenuiſſet. Adeò ut perverſi diſtortique ingenii hominem eſſe oporteat, purúmque putum* Cavillatorem *qui rem tam perſpicuam, communique omnium rationi conſentaneam negaverit, animique nimiùm tardi ac timidi, niſi emendandum illum locum* Diogenis *potiùs cenſuerit vertendúmque* περιοικουμένην *in* περικινουμένην, *quàm dubitandum an ipſe* Pythagoras *motum Telluris tenuerit: cùm & ipſe* Diogenes Philolaum *dogmata* Pythagoræ *primùm divulgâſſe ait, & primùm ſimul* dixiſſe (*nempe* foràs *illud* Pythagoræ *Arcanum* protuliſſe) Terram moveri circa Solem. De Cælo,lib.2.

Sed quicquid de ea ſit verſione, palàm eſt fidem Alexandri *in rebus* Pythagoricis *ferè eſſe nullam, quippe qui tam craſſos* Epicureorum *aut* Stoicorum *errores ipſi* Pythagoræ *non dubitârit affingere; ſi quid tenuerit & non tenuerit* Pythagoras, *ex* Alexandri *teſtimonio definiendum ſit.* Plutarchus *verò qui* Pythagoræ *pariter atque* Platoni *&* Ariſtoteli *doctrinam de curſu Solis per Zodiacum tribuit, manifeſtum eſt quòd ſenſu* Aſtronomico *intelligendus ſit, non* Phyſico. *Nam poſtremò addit,* Πάντα δὲ ταῦτα καὶ ἡ σφαῖρα δείκνυσιν, *delineationem curſûs Solis* ſenſibilem, *ſive quoad* apparentiam, *indigitans.* Platonem *verò Solem in medio Mundi reverà immotum manere, ſenſiſſe non ſolùm* Plutarchum *ipſum referentem, ſed &* Theophraſtum *ſuprà audivimus.* *De Placit. Philoſ. lib.2. cap. 23.*

Sect. 5. Numerus verò Denarius emergit ex Tetracty, &c. *Denarium* ex *Tetracty* emergere, quia 1,2, 3, 4. ſunt decem, id ſatìs ineptum & dilutum eſſe nobis objicit *S. A.* Quoniam hâc ratione omnes Numeri poſſent ex *Senario* educi; *addítque porrò* reſtare *Cabbaliſtæ* dicendum, cujus ergô operis *Denarius* Symbolum ſit Hieroglyphicum. *Ad quorum utrumque breviter reſpondeo; Ad primum, iſtâc ratione non omnes quidem Numeros, ſed numerum* 21. *ſolùm educi poſſe è* Senario; *Numerum verò* 21. *omnes numeros complecti, ſenſu concinno & adæquato dici non poſſe. Ad alterum,* Denarium *ad Opera dierum omnia ſimul ſumpta, quippe Univerſi omnia in ſe complectentis* Symbolum, *rectè referri. Ad quarti autem diei opus ſpecialiter pertinere quatenus* Quaternarii potentia *eſt, qui ob id ipſum* generalis Mundani Syſtematis *eſt* Symbolum *perquam idoneum. Quarti enim diei opus non tam ad particulares Creaturas, cujuſmodi ſunt, Animalia & Plantæ & Maria, &c. quàm ad* generale Mundi, *quod vocatur,* Syſtema *attinet.* *Exam. Gener. pag.* 121.

CAP. III.

1. *Objectionum invaliditas ab inadequata ratione* Pythagoricorum *Nominum Numerorum, cùm eorum accumulationis cauſa tam facilis ſit detectu.* 2. *Genuina Nomina* Pythagorica *à ſpuriis diſtingui poſſe, quemadmodum ſinceræ Chriſtianitatis doctrina, à Corruptionibus quæ poſtea irrepſerint.* 3. *Decem alia Nomina inſuper addita naturam* Mundi vitæ *in primi diei Creatione, illuſtrantia.* 4. *Alia dena adjecta quæ* Hylen Metaphyſicam *illo die creatam illuſtrant.* 5. Ἀμιξία *&* στιφρὰ παρθένος *quàm accuratè ea ſignificent, quæ in primi diei creatione memorantur.* 6. *Ratio conſpicua reddita de iſtis* Unitatis *nominibus* Pythagoricis *quæ ad primi diei opus nihil faciunt.* 7. *Sex alia nomina* Binarii *quæ ſecundi diei opus ſignificant, cum ratione reddita Nominum ab eo ſcopo alienorum.* 8. *Nominum alienorum* Ternarii *ratio.* 9. *De voce* Θέτις, Ἀγυιόπεζα, *&* Κραταιΐς. *Apta ſignificatio vocis* Λοξίας *quatenus ad opus tertii diei refertur.* 10. *Notationes vocum* ארץ, שמש *&* כוכב, *quàm Philoſophicæ ſint, quámque aptè inſigniores Veritates Phyſicas* Pythagoricæ *ſive* Judaicæ Cabbalæ *ſignificent.*

1. NUnc verò ut ſecundæ parti hujus primæ Objectionis de *Nominibus Numerorum* quibus ſum uſus, reſpondeam, nempe, quòd tametſi illa quæ produxi ſatìs appoſita ſunt, quæ celavi tamen, aut aliena eſſe poſſunt & abſona, aut revera cum eis quæ produxi, repugnantia; equidem, quantùm ad me, tam rigidam examinationem non omnino reformido, nec dubito quin peracto computo, me plus lucri quàm damni indè accepiſſe ſit conſtaturum. Prævideo enim hunc eventum fore, mihi occaſionem ſcilicet datum iri majorem introducendi Nominum copiam ad veritatem confirmandam quam defendo, quàm hactenus uſus ſum, nec imparatum me deprehendo ad reddendam rationem affingendi iſta Nomina, quæ ad noſtram *Cabbalam* nihil faciunt. Quod enim dixi de inveniendis Myſteriis in novis Numeris, poſtquam ea quæ ad Creationem pertinerent ipſis fuiſſent impertita, idem hîc repeto de novis indendis nominibus primis iſtis Numeris, imaginando eos idoneos ad hoc vel illud illuſtrandum in Philoſophia *Morali* & *Naturali*, aut in *Metaphyſica*.

Quas ineptias certiſſimum eſt tunc maximè creviſſe, quod ſuprà dixi, poſtquam primus ſcopus uſúſque eorum Nominum Oblivioni traditus eſſet. Tunc enim quum omni *Cynoſurâ* deſtituti eſſent, quâ curſum regerent, fieri non potuit quin vago flatu ad quamlibet exiguam trivialémque ſimilitudinem quam hic vel ille Numerus ad hoc vel illud Objectum gerebat, propellerentur, prout levis Imaginationis eorum aura eos ferret, ſtudiúmque inſipida augendi Numerorum Myſteria ad juſtam aliquam ſcientiæ cujuſdam ſuperſtitioſæ molem. Τοῦ γὰρ ἅπαξ ὑπὲρ τὸ μέτρον ὅρος οὐδεὶς ἐστι, *Nam ſimulatque menſuram rationémve perdiderint, indendorum Nominum Numeris, Accumulationes futuræ erant infinitæ.*

2. Cæterùm, ità ferè factum eſt hac in re quemadmodum in ſobriis Veritatibus Chriſtianæ Religionis, quibus tametſi humanæ Inventiones innumeræ ſuperadditæ ſunt, inter has tamen magnæ ipſius Chriſtianitatis veritates ſunt conſervatæ, ſacrarum Scripturarum teſtimonio detegendæ: Ità quanquam multa abſona & aliena ſeptem primorum Numerorum nomina ab ignaris ſuperſtitioſiſque *Pythagoriſtis* inventa ſunt, retinuerunt tamen vera atque utilia, quæ dignoſci pariter poſſunt per eorum applicationem ad Textum *Moſaicum*, aut quoad ſenſum *Philoſophicum* aut quoad phraſes *externas* illius. Quod valdè manifeſtum eſt, in Opere primi diei. Ubi profectò me plura Nomina inventurum ſpero quæ hujus diei operi conſentanea ſunt, quàm quæ abſona & aliena, quanquam tam multa, ipſorum Ignorantia huc accumulaverit.

3. Etenim cùm quinquaginta ferè nomina ſint *Monados* ſive *Unitatis*, plus quàm dimidium eorum ſatis aptè naturam illuſtrat earum rerum quæ *primi* Diei opere comprehenduntur. Nominibus enim, quæ cum illo congruunt quem *Mundum Vitæ* nos appellamus (qui totam Immaterialem Creationem complectitur) præter Ζωὴν, Εἶδος, * Ζανὸς πύργον, Λόγον σπερματίτην, quæ jam notavimus, addi porrò poſſunt Νόος, Μορφὼ, Γονὴ, Οὐσία, Αἴτιον ἀληθείας, Ἁπλοῦν παράδειγμα, Νῦν, Μνημοσύνη, Προμηθεὺς, Ἀῤῥενόθηλυς.

* Νοῦς, quia omnia Entia *Immaterialia* ſunt νοητὰ, *Intelligibilia*, non *Senſibilia*. Μορφὼ, quia talia ſunt, quæ *formam* Materiæ tribuant. Γονὴ, quoniam omnis Generatio ab hoc præſertim Principio eſt, Materiáque nihil generat: (Verba ſunt *Plotini*, Μόνον γὰρ τὸ εἶδος γόνιμον, ἡ δὲ ἑτέρα φύσις ἄγονος. Quæ cauſa eſt, ait ille, cur Antiqui

Plotin. Ennead.3.lib.6.cap.19.

Mercurium introduxerint, τὸ τῆς γενέσεως ὄργανον ἀεὶ ἔχοντα πρὸς ἐργασίαν, τὸν γεννῶντα καὶ ἐν αἰσθήσει δηλοῦντες εἶναι τὸν νοητὸν λόγον.) Οὐσία, quòd Entia *Immaterialia* veriſſimæ ſunt ſubſtantiæ, ut *Platonici* rectè contendunt: Et ſic Αἴτιον ἀληθείας ob eandem rationem. * Ἁπλοῦν παρίδειγμα· Παράδειγμα ad eundem ſenſum, quo Εἶδος & Μορφώ· Ἁπλοῦν, quia Entia Immaterialia carent compoſitione. Νοῦν, Quoniam Vita Intellectualis ſimul eſt, vices temporum neſciens, in uno ſemper quod adeſt conſiſtens ævo, ut loquitur *Macrobius*. *In Somn. Scipion. lib. 1. cap. 6.* Μνημοσύνη, niſi Pædagogicè injecta ſit, tanquam nomen Matris Muſarum, quarum etiam Nomina per *Denarium Pythagoricum* diſperſa ſunt, illius nominis rationem hanc eſſe ſuſpicarer, quòd altiſſima profundiſſimáve Memoriæ ſedes in ea noſtrî parte ſit quæ eſt immaterialis. Προμηθεύς, quia Anima igneis ſpiritibus induta, *Promethei* inſtar luteam corporis ſtatuam vivificat. Et poſtremò, Ἀρρενόθηλυς, quoniam omnes Ordines *Immateriales* radicaliter in ſe habent illam facultatum diviſionem in *Maſculinam* & *Fœmininam*, quemadmodum fuſiùs explicatum eſt de *Adamo*.

4. Et quantùm ad fluidam illam ac indeterminatam rerum *Capacitatem*, tenebroſam illam *Abyſſum*, quam compendioſè appellare poſſumus *Hylen Metaphyſicam*, ſive *Poſſibilitatem Creaturarum in Mundo Externo*, præter illa Nomina quæ jam produximus, cujuſmodi ſunt Ὕλη, Ἀλαμπία, Σκοτωδία, addi inſuper poſſunt Χάος, Σύγχυσις, Σύγκρασις, Πρωτεύς, Πανδοχεύς. Quæ omnia *Confuſionem*, *Indeterminationem*, *promiſcuámque Capacitatem* hujus *Hyles Metaphyſicæ* ſive *meræ Potentialitatis externæ Creaturæ* denotant. Nunc verò quod ad tenebroſam *Abyſſum* attinet cujus in primi diei Creatione fit mentio, ecquid eam magìs aptè ſignificare poteſt, quàm Χάσμα, Τάρταρος, Στύξ, Βάραθρον; Quæ adeò cum Textu congruant, ut nihil poſſit ſuprá. Omninóque improbabile eſt eas futuras fuiſſe *Unitatis* appellationes, niſi ad Textum *Moſaicum* ſpectâſſent. Adde ad vocem Στύξ etiam Λήθη, quippe quòd, quando res in hujus primi diei ſtatum reſolvuntur, obruuntur oblivione; Animæ hominum atque Angelorum in *Silentio* tunc conſtitutæ eſſent, adeóque penitus in Lacum *Lethæum* immerſæ, ut præterita nunquam poſſent recordari.

5. Duo adhuc ſuperſunt termini ſignificantiſſimi, Ἀμιξία & Στιφρὰ παρθένος· qui conditionem Creationis primi diei admodum aptè illuſtrant. Entium enim iſtorum *Immaterialium* ſic ſpectatorum, hoc eſt, tanquam nondum unitorum cum materia, ſtatûs, inquam, horum quid ſignificantius eſſe poteſt, quàm Στιφρὰ παρθένος, Arida rigidáque Virginitas, aut quàm Ἀμιξία ſecundùm phraſin iſtam apud *Heſiodum*, φιλότητι μιγῆναι; Et præterea Incommixtura *Activi* ac *Paſſivi* Principii huic diei propria, per nomen Ἀμιξίας inſigniter illuſtratur, quemadmodum videre *Cab. Philoſ. cap. 1. v. 5.* eſt in *Cabbala* ipſa. Adeò ut ad ſeptem illa Nomina appoſita quibus antea contenti fuimus, viginti minimùm æquè appoſita per hanc Examinationem lucrati ſimus.

6. Cæterùm quod ad illa attinet quæ ad rem noſtram nihil faciunt, Ratio de eis facilè reddi poteſt. Poſtquam enim *Pythagorei* notitiam veri finis indendorum *Nominum Numeris* perdidiſſent, qui fuit ut monumenta eſſent naturæ rerum earum quæ in ſex iſtis diebus ſingulis dicuntur creatæ fuiſſe, Appellationes tunc excogitârunt ſine omni ſcopo, ex qualicunque ſimilitudine Numerum inter atque res quas poſſet repræſentare. Ut exempli cauſâ, * Quia non niſi unus eſt Deus, ideo ab ipſis Unitas Θεὸς appellata eſt, Ζεύς, Εὐσέβεια, & fortean Εὐδαιμονία. Deìn in rebus Naturalibus, * quoniam non eſt niſi unus Sol, idcirco *Monadem* appellabant, Ἥλιον, Πυράλιον, & Ἀπόλλωνα, * & quia Ἀπόλλωνα, ex conſequenti Λόγιον. Et in *Moralibus*, quoniam Amor & Benevolentia in quadam unitate animorum conſiſtit, *Unitatem* Φίλον, Φιλίαν, Ἔρωτα, Ὁμόνοιαν vocant. Et denique, quia in Ordine Artificiali *Unitas* eſt, eam Τάξιν συμφωνίας, Ναῦν, Ἅρμα nuncupant. * Cur autem ab ipſis Ἄτλας & Ἄξων appelletur, rationem meliorem comminiſci non poſſum, quàm quòd Poli qui Mundum ſuſtinere dicuntur, quibúſque ſuſpenſus circumrotatur, duo Puncta ſunt, hoc eſt, duæ *fixæ Unitates*. Cur verò Ἶσον, Μέσον, Μέτριον vocitent, valde obvium eſt. Ἶσον, quia quæ æqualia ſunt *unam* habent quantitatem; Μέσον & Μέτριον, quia quod accuratè in medio eſt, exquiſitéve moderatum, non eſt niſi *unum*. Quàm verò inſipidæ leviculæque Argutiæ ſint hujuſmodi Commenta, quámque tam profundo Philoſopho quàm *Pythagorâ* indigna, cui *ſenatus Romanus* Statuam tanquam viro totius Græciæ ſapientiſſimo erexit, quilibet judicet. *Plin. Hiſtor. Natural. lib. 34. c. 6.*

7. Quantùm ad *Nomina Binarii*, plus duodecim jam recenſui quæ admodum aptè naturam operis ſecundi diei denotant. E quibus, eis quidem, quæ maximè infauſtam habent ſignificationem, addi porrò poſſunt, Τόλμα, Τλημοσύνη, Δύη, Διχοστασία, Ἔρις, Ἄγνοια. Ad Ῥέαν etiam referenda eſſent (niſi quòd temeraria omnino ac ſuperſtitioſa videtur Synonymorum accumulatio à recentioribus imperitioribúſque

Pythagoriſtis) Δινδυμήνη, Διομάτωρ, Φρυγία, Ἑστώ. Per quas omnes voces nihil amplius intelligitur quàm *Cybele* ſive *Veſta*, ſed quàm *Impythagoricè*, ſi fas ſit ità loqui, quivis judicare poteſt, modò notaverit *Veſtam Solem* eſſe apud veros *Pythagoreos*.

Vide Cap.6. Sect.6.

Reliquæ Appellationes tam inſipidæ ineptæque ſunt ut faſtidio foret eas recitare. Et tamen plus quàm prælibamen miniſtrabo, ut intelligi poſſit, ad quàm miſeras Nugas *Pſeudo-Pythagoriſtæ* ſe receperint, poſtquam verum ſenſum ſuæ *Cabbalæ* perdidiſſent. Etenim, quemadmodum ſuprà, bella res apud eos erat *Monadem* appellare nomine Ἀπόλλωνος ſive *Solis*; ità heîc, nec ob ullam aliam meliorem cauſam, quantum ego exiſtimo, quàm quòd ſic fecerant, *Binarium* appellabant, Ἄρτεμιν, Ἶσιν, Δήμητραν, Ἐλευσινίαν, Δικτύνναν, Ἥραν. Quæ omnia poſſunt quidem nihil ampliùs innuere quàm *Lunam*, quod ſecundum magnum Luminare eſt in Cœlis. Similiter, quia omnis conſenſus, amicáve concordia, duas ſupponit partes ſive perſonas, appellant *Binarium*, Πηγὴν τῆς συμφωνίας, Ἔριν, Ἁρμονίαν, Ἀφροδίτην, Διώνην, Κυθέρειαν, Κοινωνίαν & Γάμον. Ubi Γάμος & quotquot illîc vocabula ad eum ſenſum ſonant, admodum coactè imperitéque inferciuntur. Quippe quòd conjunctio duarum *Unitatum* in *Binarium*, aut conjunctio eſt duorum *Maſculinorum*, qualem quidam *Unitatem* eſſe volunt, (& tunc certè nulli *Pythagorei*, niſi qui ſint illius *Pythagoræ* ſucceſſores cui nuptus eſt *Nero*, *Binarium* Γάμον appellabunt) aut duorum *Hermaphroditorum*, quod ridiculum eſt. *Macrobius* enim tradit, ſecundùm ſententiam antiquorum *Unitatem* eſſe Viro-fœminam. *Unum* autem quod μονάς, id eſt, *Unitas* dicitur, & *Mas idem & Fæmina eſt, par idem atque impar, ipſe non Numerus ſed Fons & Origo numerorum*. De quo etiam *Ariſtoteles* idem affirmat, Τὸ γὰρ ἓν δὴ ἐξ ἀμφοτέρων εἶναι τούτων, καὶ γὰρ ἄρτιον εἶναι καὶ περιττόν· τὸν δ’ ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός. Quod ſtultitiam eorum planè detegit, qui *Ternarium* etiam Γάμον appellant. Eſt enim conjugium *Fæminæ* cum *Hermaphrodito*, & *Numeri* cum illo qui Numerus non eſt. Jungentur jam gryphes equis. Tam manifeſtum eſt vocabula Ἀφροδίτη & Γάμος peculiares appellationes eſſe *Quinarii* & *Senarii*, quatenus ſpecialem quoque congruitatem habent cum *quinti ſextique* diei opere. Sed enim, nè ſimus tam rigidi, ſed admittamus *Unitatem Marem* potiùs eſſe, *Binarius* adhuc excludetur à Titulo Γάμος, júſque *Ternarii* ad eum Titulum, admittetur, ſed cum difficultate, ut Mas & Fœmina inter Plantas. Quod eò proinde exquiſitiùs cum natura operis tertii diei convenit.

Vid Tacit Annal.lib.15 ſect. 37.

Somn. Scipion. lib.1.c.6.

Metaphyſ.lib. 1.cap.5.

Porrò, Quia *Binarius* fit addendo unitatem ad unitatem, vocatur Αὔξησις, Σύνθεσις, Ἐπίθεσις. Et quia dijudicatio Dualitatem implicat in Objecto, appellatur Διάκρισις. Et quòd Opinio in duas partes aut ſimul aut alternatim ſaltem propendet, nuncupatur Δόξα. * Et quòd Demonſtratio duas partes habet Præmiſſas & Concluſionem, vocatur Ἐπιστήμη. Et denique quia *Binarius* dividitur in duas æquales partes, Δίκη nominatur. In tam triviales ſpeculationes inciderunt Spurii iſti *Pythagoriſtæ* poſtquam conſpectum ſemel ſcopi perdidiſſent, ad quem Numerorum Myſterium in *Binario* collineabat.

8. Immergamus nos etiam paulò profundiùs in *Ternarium*, unde conſimilem Materiam trivialem extrahemus. Nomina maximè tolerabilia ſunt quæ ad rationem ſpectant *Moralem*, * ut Μῆτις, Εὐβουλία, Φρόνησις, quibus *Ternarius* exornatur; quoniam is qui recta conſilia dare vult, oculos eum oportet conjicere in res præteritas, præſentes ac futuras. * Item Φιλία, Εἰρήνη, Ὁμόνοια, quippe quòd partium unio fiat per tertiam aliquam rem aut perſonam. * Appellatur etiam Εὐσέβεια, ex frequenti, opinor, uſu Numeri *Ternarii* in Ritibus Religioſis. Voces Τρίσαμος & πρῶτον πλάτος, ad rationes *Mathematicas* pertinent, ut Δίσαμος & Πρῶτον μῆκος in *Binario*; ſed nihil majoris momenti nobis ſtruunt, in utrolibet loco, quàm ut nos moneant *Binarium* Symbolum eſſe duorum punctorum Mathematicorum primæque ac breviſſimæ lineæ, & *Ternarium* trium punctorum primæque ac ſimpliciſſimæ Figuræ quod Triangulum eſt. Notiones certè quibus mens humana pulchrè ædificatur, & perquam opiparè paſcitur. Et tamen quod ſequitur adhuc magìs vile eſt ac triviale. Nam *Ternarius* dicitur Κρονία, quia Saturnus tres filios habuit *Jovem*, *Neptunum*, *Plutonem*; Et Ἀΐδας, quoniam *Pluto* tertius eſt; Λατὼ & Ἑκάτα quia *Latona* mater erat *Hecates*, quæ tres appellationes habuit, *Lunam*, *Dianam* & *Proſerpinam*; Χαριτία, quia tres ſunt *Gratiæ*, *Aglaia*, *Thalia* & *Euphroſyne*; Διοσκορία, à tribus *Dioſcuris*, *Trittopatreo*, *Ebuleo*, *Dionyſio*; Φορκία & Γοργονία, quoniam *Phorcus* pater erat *Gorgonum* quæ tres erant, *Meduſa*, *Sthenio*, *Euryale*. Tam miſellarum quiſquiliarum *Ternarius* à *Pſeudo-Pythagoriſtis*, qui antiquam *Cabbalam* neſcirent, factum eſt Repoſitorium.

9. Qui etiam invenientes Θαλασσοῦχον inter Titulos *Ternarii* memoratum addiderunt Θέτιν, & Ἀγυιόπεζαν, ſcribendum credo Ἀργυρόπεζαν, quod Epithetum *Thetidis*

tidis eſt apud *Homerum*, *Ovidiúſque* pulcritudinem pedum *Thetidis* in iſto Pentametro notavit.

Et Thetidis quales vix reor eſſe pedes.

Addiderunt etiam Ναέτιν & Κραταιΐν, ad eundem credo ſenſum collimantes. Nec ullum omnino ſenſum habere poſſunt niſi ad *tertii* Diei opus referantur, ubi diſtinctio facta eſt Terræ atque Maris, & ex conſequenti Fluviorum.

Cæterùm, tametſi tanta hactenus fuit Quiſquiliarum copia, ſupereſt tamen Nomen unum, quod operam compenſabit excutiendi hoc ſterquilinium. Eſt autem Λοξίας, quod, dum conſidero magnum ſignificationis illius momentum, facilémque relationem ad obliquum motum Terræ (ex quo ejus Plantis & Floribus dependet exornatio) ipſúmque * *Pythagoram* dici primùm hujus motûs *Obliquitatem* obſervâſſe, lubenter equidem admittere poſſum, antiquam authenticámque appellationem eſſe *Ternarii.*

Plutarch. de Placit. Philoſ. lib. 2. cap. 12.

10. Neque intempeſtivum erit hîc monere ipſam notationem vocis ארץ hanc noſtram conjecturam egregiè ſuffulcire, quippe quæ ut antiqui *Hebræi* obſervârunt, * derivatur à רוץ currere; proculdubio propter perpetuum ſuum curſum circa *Solem*, non propter cœlorum curſum circa ipſam. Qua de re adhuc magìs certi eſſe poſſumus ſi conſideremus etiam Notationem vocis שמש, quàm veriſimillimum eſt deduci à שום ἱστάναι, vel στηρίζειν (ut Septuaginta ſæpe reddunt) & אש πῦρ, quemadmodum *Pythagorei* ſolent Solem πῦρ appellare, prout videre eſt apud *Ariſtotelem*, Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ μέσου πῦρ εἶναί φασιν. Et ‖ *Plutarchus*, Κατὰ μέσον τοῦ κόσμου πῦρ ἱδρῦσθαι νομίζουσι, καὶ τοῦτο Ἑστίαν καλοῦσιν. Adeò ut illius τὸ ἱδρυμένον πῦρ, *Ignis fixus*, accuratè reſpondeat voci שמש, quæ eandem habet ſignificationem, quemadmodum & omnes *Soles* agnoſcuntur *Stellæ fixæ*.

Vid. Paulum Fagium in Textum.

De Cœlo, lib. 2. cap. 13.

‖ *In Vita Numæ.*

Et ex eo quòd *Ignis* hic *fixus* à *Pythagoreis* appellatur Ἑστία, ulterius eſt indicium unde hanc ſuam notionem habuerint, nempe ab *Hebræis*, qui Ignem אש nominant, & *Chaldæi*, אשתא, quæ eadem ferè vox eſt quæ Ἑστία, vel *Veſta*. Neque profectò opus erat totum vocabulum שמש retinere, quippe quum vox אש in Ἑστία, per ſuam in linguam Græcam, inſitionem, validam cum ἵστημι affinitatem contraxerit, quod idem eſt quod שום in lingua *Hebraica*, adeò ut quanquam ſola eundem tamen ſenſum ad plenum præ ſe ferat, quem שׁמש: Et vel optima quidem vocabula non ſunt niſi naturæ rerum monumenta.

Nulla verò tam Philoſophica quàm ſint voces ארץ & שמש. Addere poſſum etiam כוכב. Quippe quarum faciles ac genuinæ Notationes abditas rerum naturas ad quas pertinent tam exactâ oppoſitione quam alteræ ad alteras habent, illuſtrant: cùm ſcilicet Notatio ארץ ***motum Terræ*** implicet, Notatio שמש, *Solis Fixationem*; cùm Notatio כוכב ***extinctionem Lucis*** ſive Ignis in omnibus Planetis innuat, Notatio verò שמש ***innatam Lucem*** calorémque in omnibus *Solibus*, ſive Stellis fixis indigitet. Philoſophicarum Notationum quorum trium Vocabulorum mirifica Congruitas (ut taceam de שמים) non poteſt quin ulteriorem fidem & Notationibus ipſis, & veritati etiam partis Cabbalæ Phyſicæ, conciliet. Nec certè שמים vox eſt minùs Philoſophica, quamvìs concederemus derivatam à שמה excelſum eſſe, non autem ab אש & מים. Etenim tunc etiam cùm dualis numeri ſit, eandem rem atque antea inſinuaret; Duo nempe *Carteſiana* elementa ſive partes ex quibus Cœlum conſiſtit, (quemadmodum obſervatur in aliis vocabulis quæ res ex duabus partibus conſiſtentes denotant, ut in אבנים Sellas parturientium, כירים Teſtum cum operculo, משפתים Sarcinas ab utroque equi latere pendulas ſignificantibus, & in ſimilibus.) Et duo inſuper Cœlorum genera, alterum die primo, alterum ſecundo creatum: Quemadmodum & מים duo aquarum genera denotat, alteram à Nubibus, alteram in Mari, Fontibus ac Fluviis; ſed ſenſu magìs Philoſophico, Aquam *Viſibilem* & *Inviſibilem*, & Inviſibilem rurſus, aut *Stygiam* aut *Cæleſtem*, intelligendo per Cœleſtem illam *Mundi Vitæ* partem quæ deſcendit εἰς γένεσιν.

SCHOLIA

In Cap. III. Sect. 3.

ZΑνὸς πύργος. Ζανὸς πύργον *ad* Mercavam *potiùs referendum eſſe quàm ad* Bereſhith, *ſuprà monui. Primaque* Sephiræ *nomen eſſe autumo, atque hìc ſub Unitate poni tanquam* τοῦ Ἑνὸς, & τοῦ Ἀγαθοῦ Platonici *ſive* Pythagorici *nomen.*

Νοῦς, quia omnia Entia Immaterialia, &c. *Vide etiam annon & hæc Appellatio ad primam* Sephiram *referri poſſit. Quanquam enim prima* Sephirah *ſecundùm proprium characterem* Τ'αγαθὸν *ſit vel* τὸ Ἓν, *omnes tamen* Hypoſtaſes *ſive tres primæ* Sephiræ מוחות *appellantur, i. e.* Mentes, (*interpretante* Rittangelio) *in* Cabbala Judaica. *Et certè ut* Τ'αγαθὸν *ſive* τὸ Ἓν, *mens ſit latiori quodam ſenſu, rationi omnino eſt conſentaneum.*

Ἁπλοῦν παράδειγμα, &c. *Equidem hoc nomen, quatenus ad* Mercavam *refertur, primæ* Sephiræ *ſive* Τ'αγαθῷ Pythagorico *admodum eſt Congruens. Hoc eſt enim primum maximéque ſimplex* Paradigma *ac Menſura Veritatis ac Perfectionis rerum omnium.*

Sect. 6. Quia non niſi unus eſt Deus, ideo ab ipſis Unitas Θεὸς appellata eſt, &c. *Cùm verò Denarius* Pythagoricus *ad* Mercavam *perinde pertineat atque ad* Bereſhith, *quidni hìc* Θεὸς *tali ſenſu accipiatur quali accipitur Johan.* 1. *ità ut ſit prima* Hypoſtaſis *ut* Logos *ſecunda, ità ut proprio quodam ſenſu* Deus *vocetur, nempe,* Deus Pater?

Quoniam non eſt niſi unus Sol, idcirco Monadem appellabant Ἥλιον, &c. *At verò reſpiciendo ad* Mercavam, *conſiderandum eſt annon Sol, nomen* Symbolicum *eſſe poſſit* Τ'αγαθοῦ Platonici, *& eo ipſo ſenſu dici* Διὸς φυλακὴ, *vel potiùs* Ζανὸς πύργος· *quod Myſterium cùm* Ariſtoteles *non rectè intelligeret, putavit* Pythagoreos *Solem ipſum* Διὸς φυλακὴν *appellâſſe.* Τ'αγαθὸν *verò eſſe quaſi ſummam Divinitatis ſpeculam, & in maximè infinitum proſpectum extenſam atque diffuſam apud* Platonicos *confeſſiſſimum eſt.*

Et Ἀϖόλλωνα, & quia Ἀϖόλλωνα ex conſequenti Λόγιον, &c. *At verò ſi ad* Mercavam *hæc referrentur,* Ἀϖόλλων *planè ad* τὸ Ἓν *referri poſſet, ſive ad primam* Sephiram, *atque hìc* Ἀϖόλλων *non tantùm* Λόγιος *dici, ſed & Pater* τοῦ λόγου· *unde non ſolùm omnia vera Oracula, ſed omnis omnino Veritas proficiſcitur.* Apollinem *verò Unitatem* *Saturnal.lib.*1. *cap.*17. *ab* α *&* πολλὸς *ſignificare, Author eſt* Macrobius.

Cur autem ab ipſis Ἄτλας & Ἄξων appelletur, &c. *Si* Mercavam *reſpiciant iſta nomina, ratio haud ità difficilis eſt inventu. Primum enim Fundamentum ac Baſis rerum omnium eſt ipſum* Τ'αγαθὸν· *hic eſt ille Atlas qui ſuſtentat omnia. Cùm verò hoc* Τ'αγαθὸν *immobile ipſum ſit, ut Axis in Sphæra circumvoluta; omnia tamen circa ipſum moventur choreáſque agunt, ſedulò inveſtigantia exultímque ſubinde lætantia, ob percepta beneficia ac voluptates, quæ ab hoc* immobili Bono *emanant. Vide* Pſychathanaſian, *lib.* 3. *Cant.* 3. Enneaſtich. 11, 12, 13, 14. *Ubi* Τ'αγαθοῦ *comparationem cum immobili Sole fuſiùs proſequimur. Axis verò cùm linea ſupponatur quoad latitudinem indiviſibilis, Unitatem & Simplicitatem* Τ'αγαθοῦ *porrò videtur indigitare. Qui ſunt ſpeciales characteres primæ* Sephiræ.

Sect. 7. Et quòd Demonſtratio duas partes habet præmiſſas & Concluſionem, vocatur Ἐπιστήμη. *Equidem fateor hanc nimis laxam ac dilutam Rationem. Nec meliorem tamen tunc excogitare licebat, cùm nondum obſervâſſem* Denarium Pythagoricum *ad* Mercavam *etiam poſſe referri. Nunc verò mihi ſatis manifeſtum eſt,* Ἐπιστήμην *ſecundæ* Sephiræ *reſpondere* חכמה *appellatæ. Cùm & Æterna Dei Sapientia* Ἐπιστήμη *Cap.* 3. *vocetur apud* Baruchum. Μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη. Ea poſtea, *nempe* Ἐπιστήμη, in terra viſa eſt atque inter homines verſata. *In quem verſum,* Ego non dubito, *inquit* Vatablus, quin Chriſtum filium Dei in carne revelatum intelligat. Is enim eſt æterna Dei ſapientia, (*vox autem in textu eſt* Ἐπιστήμη Scientia) *per quam omnia creata ſunt, quæ poſtea carne induta cum hominibus eſt converſata, ab eiſque viſa & contrectata,* 1 *Johan.* 1. 1.

Sect. 8. *Ut* Μῆτις, Εὐβουλία, Φρόνησις, &c. Φρόνησιν *hìc principalem eſſe vocem cenſeo, duáſque alteras tanquam nomina cognata adjectas eſſe, reſpondere verò* Φρόνησιν *tertiæ* Sephiræ בינה *vocatæ, quæ ſignificat* Intelligentiam; *quam & ipſa* φρόνησις *ſignificat, affectúmque & amorem prætereà in ſe involvit, ut* φρονεῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, *quod peculiare hujus tertiæ* Sephiræ *donum eſt ſive Chariſma, quæ reſpondet* τῇ θείᾳ ψυχῇ Platonicorum, *&* τῇ ζωῇ τῇ ἐν τῷ λόγῳ *apud* Johannem, *ſive* Spiritui Sancto.

Item Φιλία, Εἰρήνη, Ὁμόνοια, &c. *Hæc ſi ad* Mercavam *referantur, manifeſtum eſt fructus eſſe* Spiritûs ſancti, *ſive* Sephiræ *tertiæ,* בינה *appellatæ.*

Appellatur etiam Ευσέβεια. *Si tres primas* Sephiras *reſpiciamus, quæ* Divinæ Trinitatis *ſunt Repoſitoria, admodum profectò probabile eſt Ternarium* Ευσέβειαν *dici, propter* σέβασιν *iſtam, propter peculiarem illam venerationem atque adorationem ſacroſanctæ* Trinitati *debitam; quippe quòd* τὸ θεῖον, *æternum illud ac immutabile meritòque adorabile Objectum, illis tribus Hypoſtaſibus omnino clauditur. Reliqua ſunt Creaturæ, quibus Divinam illam Adorationem neutiquam fas eſt communicare.*

Sect. 9. Pythagoram dici primùm hujus motûs obliquitatem obſervâſſe, &c. *Verba* Plutarchi *ſunt,* Πυθαγόρας πρῶτος ἐπινενοηκέναι λέγεται τ̃ λόξωσιν τȣ̃ Ζωδιακȣ̃ κύκλȣ. *Ubi* λόξωσις *hæc planè* Loxiæ *Ternarii Numeri Nomini reſpondet. Circulus verò* Zodiacus *ſive illius Ecliptica, inclinantis Terræ motu annuo revera deſcribitur.*

Sect. 10. Derivatur à רוץ currere, &c. *Quæ in hunc locum objicit* S. A. *hæc ſunt:* Quod originem, *inquit ille,* & Etymologiam vocis ארץ ſpectat, nemo iſtam admittet facilè, qui Grammaticam Hebræam vel à limine ſalutârit. *Reſp. Quî igitur factum, ut* Paulus Fagius, *vir pius & doctiſſimus Scripturæ Interpres, iſtam Etymologiam admiſerit? Num ille à limine tantùm Hebræam Grammaticam ſalutavit? Immò linguæ Hebraicæ ex eruditiſſimis illius Expoſitionibus peritiſſimum fuiſſe ſatìs conſtat. Sed pergit* Andreades: Nam ut de punctis taceam & forma Nominis Segolati, quæ derivatis à verbo quieſcente mediâ radicali planè non quadrat, τὸ א quoque eſſe Heemanticum in ejuſmodi vocibus adeò ab uſu linguæ abhorret, ut in unico exemplo irregulari nempe אסוך quod 2 Reg. 4. 2. legitur & à סוך derivari ſolet, *R. Salomon Jarchi* tamen putet א eſſe radicale. *Ad partem poſteriorem primò reſpondebo. Quid mihi objicis unum* Salomonem Jarchi *contra* Buxtorfium, *contra* Martinium *acerrimum illum in lingua Hebraica* Criticum, *immò contra communem omnium Hebraicorum Lexicographorum, Grammaticorum Criticorúmque ſententiam? Certiſſimum igitur eſt* א Heemanticum *eſſe poſſe in ejuſmodi vocibus quæ deriventur à verbis mediâ radicali quieſcentibus, ut in* ארץ, אסוך. *Vide etiam annon inſuper in* אכן. *Quæ vox tametſi ex longo uſu adverbiaſcere planè jam videatur, probabile tamen eſt olim fuiſſe nomen à* כון, *&* rem firmam, ſtabilitam, certámve *ſignificâſſe; ut* אמן *nunc adverbiaſcit, nunc nominis rationem habet, hoc eſt, nunc* [verè], *nunc* veritatem *ſignificat: Et ſic quidem* אכן, *quod nunc* [certè] *redditur, rem certam olim ſignificâſſe non eſt diſſimile veri. Sed en quartum tandem exemplum è mea penuria tenuique vocum Hebraicarum peritia, quam mihi exprobrat* Andreades, *nec aliàs certè immeritò.* דרך האתרים *via exploratorum, Num.* 21. 1. *Illîc* אתר *à* תור, *exploratorem ſignificat. Quamobrem* א Heemanticum *eſſe in nominibus à verbo mediâ radicali quieſcente, non eſt adeò inuſitatum, nec uno tantùm exemplo ſuffultum.*

Exam.Gener
pag.130.

Ad priorem verò partem quæ innuit, ſi ארץ *à* רוץ *derivatum ſit, ut* אסוך *à* סוך, ארוץ *ſcribi oporteret, non* ארץ. *Sed reſpondeo nec* אכון *à* כון, *nec* אתור *à* תור, *ſed* אכן *&* אתר *ſcribi. Quidni eſſe poſſit laxitas quædam aut authentica Anomalia in iſtiuſmodi vocum terminatione? Quidni longo uſu, cùm* ארוץ *in principio ſcriptum eſſet, poſtea in* אריץ, *tandem in* ארץ *poſſet contrahi? quippe quum vox illa æquè frequenter linguis hominum atque res ipſa pedibus attrita ſit. Adeò ut forma Nominis Segolati, quanquam non ſecundùm Analogiam, per accidens tamen locum in hac voce habere poſſet.*

Quæ cùm ità ſint, judicet quivis æquus rerum æſtimator, quænam Etymologia probabilior ſit, Hebraica an Arabica, à רוץ currere, *an ab* ארץ *radice Arabica, ſignificante, humilem & depreſſum eſſe. Nam Hebraicam eſſe illam radicem è Pſalm.* 68. 32. *& Jerem.* 49. 19. *reperiri, ex obſervatione* Altingii, *inſomnium eſt* Andreadæ, *enorméque commentum, cùm nulla vola aut veſtigium iſtiuſmodi radicis illis in locis obſervandum ſit, ſed tantùm radicis* רוץ. *Voces enim ſunt* אריץ *aut* תריץ *in utroque loco, & omnes Interpretes eum ſenſum ſequuntur.*

Cùm verò illa Radix Arabica *ſit aut nulla, diſpiciendum eſt, utrùm conſultius ſit rationem nominis* Hebraici *è proximo, nempe, è fonte* Hebraico *petere, an ad* Arabiam *uſque eam petitum pervagari; talémve quæ ſit rudis ac plebeia, an talem, quæ magìs Philoſophica ſit, linguámque primævam ac Divinam, quâ & ipſum* Adamum, *qui rebus nomina primitùs impoſuit, uſum plerique omnes autumant, magìs condeceret. Nam conceſſo quòd ſit ejuſmodi radix Arabica* ארץ *quæ ſignificet humilem vel depreſſum eſſe (meam enim linguæ* Arabicæ *imperitiam lubens profiteor) non ſtatim ſequitur iſtam vocem* ארץ *primitus fuiſſe radicem Hebraicam. Fieri enim poteſt ut poſt puritatem linguæ* Hebraicæ *corruptam aut perditam & in varias dialectos degeneres mutatam,* Arabes *tale verbum à nomine Hebraico* ארץ, *quippe multa ab Hebræis mutuati, effingerent, verbum è nomine formantes (quod aliquo modo etiam fit apud ipſos Hebræos qui* עִפֵּר *pulveravit, è* עפר *pulvis efformârunt.) Vel fortè fortunâ accidere potuit, ut extaret vox purè* Arabica *quæ cum* Hebraica *voce* ארץ *& ſono & aliquâ ſenſûs cognatione conveniat, cùm neutra tamen ab altera derivetur.*

tur. Ut nec vox noſtra Anglicana Jackdaw *ab Hebraica* יחרו*, nec illa à noſtra deducitur, cùm tamen ſonus idem planè ſit & ſatìs aperta ſenſûs cognatio. Quippe quòd Monedulæ ſimul vel gregatim ſolent volare, & conſtrepere. Propter quem ſtrepitum vox Anglicana* Coile, *qui ſtrepitus eſt tumultuarius à Græca* χολοιὸς *monedula, à quibuſdam derivata cenſetur. Atque heìc quidem, ſenſus iterum perinde atque ſonus ſatìs cognati ſunt. Levem tamen hominem eſſe oportet ac ferè fatuum qui aut vocem* Coile, *à* χολοιὸς, *aut* Jackdaw *à* יחרו *derivari cenſuerit, aut vice verſâ. Sexcenta iſtiuſmodi accidunt in fuſa illa vocabulorum cujuſque Linguæ copia. Et inſtar miraculi foret ſi aliter contingeret.*

Etiam vox Anglicana Hard, *nec ſono nec ſenſûs cognatione multùm abludit ab Ebraica* ארץ Terra, *cùm terra omnium elementorum ſit duriſſimum. Et propiùs adhuc accedit vox Latina* Aridus, *quæ extrito* u *ſit* Arids, *i. e.* ארץ, *quod optimè convenit cum natura Terræ, quæ ſicca vel arida eſt. Immò verò, Geneſ.* 1. 10. *legimus, Deum Solum ſiccum* ארץ *appellaviſſe. Adeóne tamen ſtolidus quiſquam eſt ut* ארץ *à* Latina *voce* Aridus *derivandum exiſtimet? Quo jure igitur quis concludere poteſt* ארץ terram *ab* Arabica *radice* ארץ, *(humilem eſſe) deduci, cùm res fortuita planè ſit, ut ſit ea, in diverſis Linguis, vocum aliquot in ſono ſenſúque cognatio? Cùm igitur è proximo fonte* Hebraico *tam eximia ſit Nominis* ארץ *ratio ſive Notatio, nè violemus, obſecro, linguæ* Hebraicæ *ſacro-ſanctitatem, è longinquo rationes accerſendo peregrinas, abjectas & pueriles, cùm domeſticæ præſtò ſint, ídque adeò ſolidæ, veréque Philoſophicæ, Linguæque* Hebraicæ *ſanctitate nequaquam indignæ.*

CAP. IV.

1. *Quatuor alia nomina* Tetradis *apta & conſentanea.* 2. *Ratio reddita eorum quæ inepta ſunt atque abſona.* 3. *Iſtiuſmodi Nugas ſive* Numerales *ſive* Nominales *eam à* Pythagora *reverentiam extorquere non potuiſſe, ut induceretur ad jurandum per primum* Tetractyos *Traditorem.* 4. Γάμος *nomen* Quinario & Senario *proprium, & quî factum ut* Binarius & Ternarius *illum Titulum obtinerent.* 5. *Duo alia Nomina apta* Quinarii, *cum ratione reddita de abſonis & ineptis.* 6. *Si ad naturam* Numerorum *non autem* rerum Tetractys *collimâſſet,* Pentadem *potiùs quàm ipſam Juramenti Religionem merituram fuiſſe.* 7. *Inepta Nomina* Senarii. 8. Senarii *Nomina quæ ad* Γάμον & Κόσμον *referantur.* 9. *Sex alia nomina* Senarii *quæ ex Textu* Moſaico *aptiſſimè explicentur.* 10. *Octo Nomina* Septenarii *quæ eundem Textum reſpiciunt.* 11. *De ineptis abſoniſve Nominibus* Septenarii, *cúrque ille Numerus* Pallas *appelletur, &* Apollo ἑβδομαγενής.

1. PErgimus nunc ad *Quaternarium,* cujus præter illa quæ jam notavimus, quatuor alia ſunt haud ità abſona aut aliena nomina, nempe, Ἔξαρμα, Φύσις, Αἰόλα, Κλειδοῦχος τῆς φύσεως.

*Ἔξαρμα, quia diſtincta & articulata adaptatio partium *Univerſi* die quarto facta eſt. Φύσις, ut quæ univerſalem *Naturæ* comprehenſionem denotet. Αἰόλα, quippe Objectorum *varietatem* innuens in Univerſo Cœli Luminaribus detegendorum, quæ *Quarti* diei opus ſunt, ipſa etiam hujus varietatis pars eximia, exiſtentia: Unde αἰόλα Νὺξ apud *Sophoclem,* ob id ipſum ſcilicet, quòd ſtellis ſit adeò variegata. Et poſtremò, Τηλαύγης dicitur Κλειδοῦχος τῆς φύσεως, quoniam Operis *quarti* diei Expoſitio *Clavis* revera eſt ſelectiſſimorum *Secretorum Naturæ,* vel potiùs *Aditus* ad veriſſimam utiliſſimámque Scientiam *Univerſalis Naturæ,* tam *Metaphyſicæ* quàm *Phyſicæ.* Unde *Tetras* non ſolùm dicitur φυσικῶν ἀποτελεσμάτων πηγὴ, ſed, (niſi *Photii* mentem minùs rectè capio)* πολύθεος etiam vel potiùs πάνθεος, quippe Eſſentiarum immaterialium ubique plena, *Dæmonum* utique ſive *Angelorum,* aut quocunque nomine appellare lubet; *Græci* verò utplurimum θεοὺς vocant.

2. Cæterùm ut hæc Nomina quæ hîc atque aliàs allata ſunt, ſatìs ſunt propoſito conſentanea, ità quidem ſunt quæ æquè abſona ſunt & aliena. Ignorantiam enim reperio poſteritatis abuſam eſſe *Tetrade,* quàm religioſiſſimè priores peritioréſque *Pythagorei* eam admirati ſint, ad *Receptaculum* conſtituendum ſuperſtitioſarum inutiliúmque Nugarum. Ut exempli cauſâ, Quia *Mercurius* natus eſt *quarto* die menſis, vocata eſt Ἑρμῆς, Μαιάδης, Σῶκος. Utì etiam propterea quòd *Hercules* tunc natus ſit, Ἡρακλῆς, Ἀλκιμωτάτη, Ἔπανδρος, Ἀῤῥενουργὸς, Ἀθήλυντος. Et quòd *Bacchus* bis

natus ſit, *Tetráſque* ex *Binario* generatam (Duo enim in Duo faciunt quatuor) idcirco *Tetras* appellatur, Διόνυσος, Βασσαρεὺς, Διμάτωρ, Θηλύμορφος & Διόσκορος etiam, cum relatione fortean tum ad *Herculem* tum ad *Bacchum.* Et poſtremò, quoniam Ignis eſt formâ Pyramidali, *Tetráſque* τὸ πρῶτον σῶμα, (quæ Pyramis eſt,) unitate tribus reliquis impoſitâ, conſtituit, (à qua cumuli forma Σωρείτας etiam appellatur) *Tetradem* Ἡφαιστὸν nominârunt.

3. Verùm quàm miſellam mercaturam exerciturus fuiſſet *Pythagoras*, ſi hæ ſint opes mercéſque *Tetractyos* quam is tanti æſtimavit ut religioſè per eum juraret qui illius primus fuit Traditor! Num hoc ingentem illam famam exæquabit à *Plutarcho* factam, Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ Κόσμος ὠνόμασται (loquitur illîc de compoſita *Tetracty*, Juramentum verò ad utramque perinde pertinebat) Tetractys *ſic appellata, Juramentum erat maximum, ut fert fama, & Mundus nominata eſt?* Et clarus ille proculdubio erat ac jucundus proſpectus in Ordinem naturámque *Syſtematis Mundani* ex *Activi* & *Paſſivi* Principii conjunctione orti, * excurrens dein ad omnia Objecta tam *Metaphyſica* quàm *Phyſica*, quæ declaranda erant in quartæ diei explicatione; Hæc, inquam, proculdubio illa *Tetractys* erat quæ Κόσμος appellatur ſive *Univerſum*, (hoc eſt, *Cabbalæ* genuinæ ſolidæque Notitiæ illius) per cujus Myſterii primum Traditorem & *Pythagoras* ipſe poſterique *Pythagorei* tam religioſè jurabant. Quantùm verò ad reliquas Nugas aridáque ſcitamenta omnino *Numeralia*, incredibile prorſus eſt ut ipſorum traditio ullam vel mediocrem exiſtimationem unquam extorquere potuiſſet à viro tam ſapiente, quàm ab omnibus habitus eſt *Pythagoras*.

Plutarch. de Iſide & Oſiride.

4. Quod ad Titulos *Quinarii* attinet, Illi, quos jam notavimus, celebratiſſimi ſunt apud Authores, ut videre licet in copioſis iſtis citationibus apud *Johannem Meurſium*, & ad opus diei tam appoſiti ut nihil eſſe poſſit ſuprà. Quòd autem *Binarius* & *Ternarius* vocentur Ἀφροδίτη & Γάμος, ut nec diebus tam facilè applicari poſſunt iſtæ Appellationes, nec naturæ ipſorum numerorum adeò competunt, quemadmodum ſuprà demonſtravi; itâ ab iſta antiquorum Teſtimoniorum copia, pari abſunt intervallo, fuerúntque proculdubio additamenta ineptulorum quorundam inaniúmque Affectatorum *Pythagoriſmi* in ſeculis recentioribus. Quemadmodum etiam factum eſt in iſta Appellatione Quinarii, Ἀνδρογυνία, * cùm Ἀῤῥενόθηλυς vox futura fuiſſet magìs propria, ſi primum ſcopum horum Nominum cognoviſſent.

Denar. Pythag. cap. 7.

Cap. 3. ſect. 7.

5. Iſtis paucis Titulis *Quinarii* quos produximus duo alii porrò addi poſſunt, & ut opinor, haud inidonei, alter Φύσις, quatenus ſignificat τὰ αἰδοῖα, alter ἀχερότης ἐλαχίστη τῆς ζωότητος, qui ad quinque ſenſus alludit, quos *Pythagorei* facilè agnituri eſſent viliſſimam maximéque evanidam partem illius vitæ quæ eſt perceptiva.

* Sunt verò alia multa *Quinarii* Nomina ſatìs abſona fateor, & à quintæ diei opere aliena, quanquam haud itâ prorſus alienum eſſe poſſit ea obiter notare, nè quid fraudis ſuſpicetur quiſpiam ſi ea celata haberemus. Deſtinata autem ſunt in Notas aut *Phyſicæ* aut *Mathematicæ* obſervationis. Notæ verò *Phyſicæ* demonſtrant, quàm parùm Authenticæ ſint, quippe quæ Hypotheſi innituntur à *Pythagoriſmo* adeò alienæ. Quatuor nempe eſſe Elementa, quam Compagem Motus Terræ in fruſtula naturaliter diffringit. Veruntamen ex hoc Commento *Ariſtotelico*, quòd quatuor ſint, Ætherem quintum ſtatuunt, atque indè *Quinarium* Νέμεσιν appellant, ut qui Mundum diſtribuit in hos quinque ordines, *Terram, Aquam, Aerem, Ignem, Ætherem.* Et reſpiciendo quintum hunc *Quinarius* ab ipſis appellatur *Pallas* & Ἄζυξ, quippe Elementum *Virgineum* nec cum generationibus rerum heîc infrà ſitarum commixtum: Etiam Ἄμβροτος, quoniam Regio eſt *Immortalitatis*; & Ἀχρεῶτις, quia *Caro* & *Sanguis* illîc non habitant; & Ἀτάλαντος, quia corpora Incolarum æquilibria ſunt Regioni, nec præ pondere ſuo ſubſidunt; & poſtremò Ζανὸς πύργος, quia Jupiter quanquam omnia implet, *ſummum* tamen illius *domicilium* eſt Æther. Quod tamen rurſus à genuino Pythagoriſmo multùm abludit. Nam Ζανὸς πύργος *Sol* eſt non *Æther*, quando *Phyſicè* exponitur, idem quod Διὸς φυλακὴ apud *Ariſtotelem*.

De Cœlo lib. 2. cap. 13.

Quantùm ad Nomina Mathematica, Δίκησις, Ἁμίθεος, Διδυμαία, Καρδιάτις, Κυκλοῦχος, Ἄξων ἑδραία, ſex illa univerſa non niſi unius miſellæ reculæ ſignificationem habent, *Quinque* ſcilicet *Decem* dividere in duas partes æquales, ut *Diameter* Circulum ſic dividit, ut *Juſtitia* ex æquo cauſam decidit, & ut *Cor* in medio corporis ſitum eſt. Miras profectò Notiones ac profundas! Quæ ſequuntur Nomina, majoris ſunt momenti, ſcilicet, Ἀνικία, Ὀρθιάτις, Δίκη, Γέροια. Quæ omnia ad *Quinarium* referuntur, quatenus Hypotenuſam primi Orthogonii Trianguli, quod latera angulum rectum includentia habet rationalia. Dicitur enim Ὀρθιάτις, quatenus ſubtendit angulum rectum; Ἀνικία, utpote cujus potentia ab utrorumque laterum potentiis

Vide cap. 5. ſect. 2. ubi Decas appellatur Θεός.

tentiis non ſuperetur; Δίκη, ut quæ potentiam ſuam utrorumque laterum potentiis æquat. Τὸ γὰρ ἴσον δίκαιον. Et poſtremò Πρόνοια, propter iſtam proſpectionem Inventionémque modorum adeò differentium eandem rem prorſus efficiendi, & tam parum probabilium tamen qui eundem effectum producerent.

Ariſtot. Ethic. lib. 5. cap. 6.

6. Pro hac Inventione in Geometria *Pythagoras* dicitur *Hecatomben Muſis* immolâſſe; Atque hæc in *Numeris*, quæ mater forſan eſſe potuit illius in *Geometria*, tantùm excedit Myſteria merè *Numeralia Tetractyos*, ut, ſi *Tetractys* nullum ulteriorem haberet ſcopum præter aridas iſtas curioſitates, *Pythagoræ* diſcipuli proculdubio juraturi potiùs fuiſſent per eum qui *Pentadis* traditor eſſet, quàm qui *Tetradis*. Adeò undiquaque certi eſſe poſſumus, non naturam ac Myſterium *Numerorum* fuiſſe, ſed *rerum*, quæ in *Tetracty Pythagorica* comprehenſa eſſent.

Diogen. Laert. in vita Pythag.

7. Titulorum qui ad *Senarium* pertinent maximè inſipidi atque alieni ſunt, Ἀμφιτρίτη, Ἀγχιδίκη, & Μεσευθύς· Quippe quum *Senarius* Ἀμφιτρίτη appelletur ὡς ἀμφὶς ἑαυτῆς δύο παρέχουσα τριάδας· & Ἀγχιδίκη, ut qui numerus ſit proximus *Quinario* Δίκη appellato; & poſtremò Μεσευθύς, quippe à 10. & 2. æquidiſtans. *Senarius* enim tantum *Binarium* excedit quantum *Denarius Senarium*.

Johan. Meurſ. Denar. Pythag. cap. 8.

Clem. Alex. Strom. lib. 6.

Qui ad *Phyſicam* ſpectant, ſunt Διχρονία & Ἥμισυ παντὸς, cùm utrique ad Signa *Zodiaci* referantur. Prior quidem tum ad ſena nocturna tum ad ſena diurna, (ſex enim ſemper noctu oriuntur & ſex interdiu.) Poſterior ad Mundi Diviſionem in duas ſemiſſes, per ſectionem Horizontis, ſex Signis ſemiſſi utrilibet perpetuò adhærentibus.

Qui *Paganicam Superſtitionem* reſpiciunt ſunt Ἑκατηβελέτις, Τροδῖτις, & Τρίμορφος, qui omnes ad *Triviam* referuntur, quippe ſexto die Menſis natam.

8. Quantùm verò ad illa Nomina, Ἀφροδίτη, Ζυγία, Φιλίωσις, Φιλητοσία, Ζυγῖτις, Γαμηλία, omnia illa referuntur ad Γάμον, quo de jam egimus in *Defenſione Cabbalæ*. Quò etiam referre potes Λάχεσιν vitæ fili deductricem ab ipſa Nativitate. * Ad Κόσμον etiam referenda ſunt Ἀλήθεια, Ἁρμονία, & Πανάρκεια· Duo priora, ut quæ Dei generalem reſpiciant approbationem eorum quæ fecit, tanquam menti ac voluntati ſuæ congruentium; poſtremum verò ut quod perfectionem implicet & ſui-ſufficientiam in Univerſo ad ſubſiſtendum virtute illarum facultatum ac partium quibus Deus ipſum conſtituerit.

9. Tituli qui ſequuntur magìs particulares ſunt, nec facilè poſſunt plerique eorum explicari, niſi referantur ad Textum *Moſaicum*. Hujuſmodi ſunt Ἀρχὴ, Ἀνδρογυναία, Εἶδος εἴδους, Ψυχοποιὸς, Τῆς ζωτικῆς ἕξεως ἐμποιητικὴ, & Ὑγεία. Cur enim *Senarius* vocaretur Ἀρχὴ, niſi quòd *Adami* Dominium in Creaturas ſexto Die memoretur? Ἀνδρογυναία etiam verbatim reſpondet τῷ, *Maſculum & Fæminam creavit illos.* Et quis ſenſus eſſe poteſt iſtius appellationis *Senarii*, Εἶδος εἴδους, niſi quòd *Adamus* ſexto die creatus eſſet *Imago ſimilitudinis Dei? Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundùm ſimilitudinem noſtram.* Unde *Clemens* & *Philo* etiam εἰκόνα εἰκόνος illum appellant. Et cur appelletur Ψυχοποιὸς, & Τῆς ζωτικῆς ἕξεως ποιητικὴ, niſi quòd Creatio Hominis die *ſexto* facta ſit, itáque à Moſe *deſcripta*, ac ſi *Adamus*, cùm Statua tantùm terrea, Imagóve lutea primùm eſſet, Deus poſtea ſpiraculum vitæ ipſi inſpirârit? Καὶ ἐγένετο ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Et ob hanc etiam rationem fortean *Senarius* vocari poſſit εἶδος εἴδους, quippe quum Anima, ipſa Forma ſit illius formæ Imaginíſve terreæ quam Deus fecerat. Et poſtremò, oppidò quàm probabile eſt Ὑγείαν ſanam illam conſtitutionem, quâ *Adamus* creatus eſt, reſpicere, cùm ſanitas morbis antiquior ſit, juxta carmen iſtud apud *Maximum Tyrium*,

Clem. Alex. Strom. lib. 5. Phil. Coſmopœia Moſ.

Ὑγεία πρεσβίστα μακάρων, &c.

Et congruenter quidem Dicto illi in *Libro Sapientiæ*, *Creavit enim ut eſſent omnia, Nationéſque Orbis Terrarum erant ſalutares*, &c. Tam manifeſtum eſt ex hiſce Inſtantiis Myſteria Numerorum *Pythagorica* ad Textum *Moſaicum* eſſe referenda.

Sapient. Salom. 8. 14.

10. Quod ad *Septenarium* attinet, nulla illius nomina in medium protulimus, quam omiſſionem nunc compenſabimus. Nonnulla enim ex eis admodum apposita videntur, taliáque quæ naturaliter ad Doctrinam *Moſaicam* poſſint referri. Ut Οὐλομέλεια, Τελεσφόρος, Ἀδράστεια, Τύχη. Septenarius enim meritò appellari poteſt Οὐλομέλεια & Τελεσφόρος, quoniam Deus die ſeptimo opus ſuum finiviſſe dicitur, quippe quum univerſa tunc integra eſſent & conſummata. Perquam aptè etiam appellatur Ἀδράστεια παρὰ τοῦ μὴ δρᾶν, à non agendo, quia Deus quievit die ſeptimo ab omnibus ſuis operibus. Vel ſi Ἀδράστεια idem ſignificet quod Νέμεσις, ſenſus erit, quòd Deo quieſcente nihilque deinceps creante, talis tamen in ipſa rerum creatarum

Vid. Cab. Philoſ. cap. 2. v. 2, 3.

tarum univerſitate *Lex* ſit, ut partim propter *libera* Agentia, partim propter *Naturalia*, nemo ſupplicium ſit evitaturus. Quod ſignificatur per Ἀδράστειαν, voce derivatâ παρὰ τοῦ μὴ διδράσκειν à non fugiendo. * Τύχη etiam aliquam cognationem habet cum hac Notione, quippe qui effectus eſſe poteſt ceſſationis Dei ab operibus die ſeptimo.

Sunt verò & alia Nomina, Σεπτὰς, Φυλακῖτις, Καιρὸς, Ὄνειρος. Quorum primum *Pythagorica* potiùs eſt nominis numeri Ἑπτὰς Notatio, quàm novum Nomen, ſignificátque, *cultum ſeptenarii*, à σέβειν ſive σεβάζειν, quod loco iſti reſpondet, *Et benedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificavit illam.* Et ex eo quòd tam præcisè Deus populo mandaverit φυλάξαι τὸ σάββατον, equidem haud improbabile eſt, quin indè appellari poſſit *Septenarius*, Φυλακῖτις. Vel à Φύλακες potiùs, hoc eſt, *Vigiles* ſive *Angeli*, * quorum in manus Mundi Regimen traditum eſt in hoc Sabbatiſmo Dei. Et poſtremò vocatur Καιρὸς, κατ' ἐξοχὴν, cùm dies ſeptimus tempus ſit ſive opportunitas ſancta, ex univerſa Temporum maſſa quaſi exciſa ac ſeparata, ad cogitationes noſtras exercendas circa res optimas, & ad meditandum de ſapientia Divina. Quam rationem celebrandi Sabbatum hoc ſanctámve Requietem ſi Ὄνειρον appellârint, ex eo factum eſt, quòd ejuſmodi Divinæ ſpeculationes maximè perſpicuæ ſunt, quando ſtrictiſſima fit ſenſuum corporis ligatio, iſti quidem analoga quæ fit in ſomno. Cæterùm veriſimilius eſt ad *Pharaonis* Inſomnia de ſeptem Vaccis & ſeptem Ariſtis à *Joſepho* explicata, particulatim referri, cùm Hiſtoria illius Gentis, cujus Philoſophia apud eos tam ſacra erat, memoriâ nequaquam videretur indigna.

Vide Cab. Philoſ. c.2.v.3.

11. Quantùm ad nomina Αὐδὴ & Φωνὴ, ratio admodum obvia eſt ac trivialis, à ſeptem Vocalibus in *Græco* Alphabeto. Κρίσις verò Dies morborum *Criticos* reſpicit; & Κέρας Ἀμαλθείας, *Septenario* in quo Univerſum perfectum conſummatúmque dicitur, tali attribuitur ſenſu, quo *Ternario* attributum eſt; ob plenitudinem opiparámque rerum copiam in Terra.

Reliquæ Appellationes tales ſunt, quæ aut ad *Palladem* pertineant aut *Apollinem*, qui utrique eandem rem ſignificant, nempe, *Sapientiam:* Nec auſim præſtare cuiquam, veram primævámque occaſionem quòd *Apollo* vocatus ſit Ἑβδομαγενὴ, & *Septenarius Pallas*, ab hac *Cabbala Moſaica* non fuiſſe profectam; cùm Diviniſſima Sapientia originem ſuam debeat *Quieti* & Vacationi à negotiis *Mundanis*, à quibus Deus populo præcipit ut requieſcant die *ſeptimo.* Adeò ut quanto magìs iſta Numerorum *Pythagoricorum* Nomina conſideramus, quæ Diebus Creationis reſpondeant, eo majorem aptitudinem in eis deprehendamus & applicabilitatem ad Textum *Moſis*.

SCHOLIA

In Cap. IV. Sect. 1.

Ἔξαρμα, Quia diſtincta & articulata adaptatio, &c. *Vel ſi ab* ἐξαίρειν *deducatur, Ratio nominis eſt ab attollendo ſuſpendendóque in ſublimi varia Cœli* Luminaria.

Πολύθεος etiam vel potiùs Πάνθεος, &c. *At verò hæc Nomina ad* Mercavam *præcipuè referri poſſe cenſeo, quæ in Explicatione* quatuor Animalium *de Ordinibus Angelicis tractat, Angelos verò apud Græcos* θεοὺς *nominari notius eſt quàm ut opus ſit monere. Quarta etiam* Sephirah *amplitudinem regni Dei denotat, quod* θεῶν, *id eſt Angelorum præcipua multitudo eſt, quò minùs mirandum ſit* Quaternarium πολύθεον *appellari.*

Sect. 2. Excurrens dein ad omnia Objecta tam Metaphyſica quàm Phyſica, &c. *Hoc aliquo modo verum eſſet quamvìs* Tetractyos *Explicatio ad* Bereſhith *omnino reſtringeretur. Nunc verò cùm ad* Mercavam *etiam extendatur, ſive Viſionem* quatuor Animalium *ac* quatuor Rotarum, *ad ipſúmque adeò* Tetragrammaton, *non poteſt quin modo locupletiſſimo ſit verum.*

Sect. 4. Cùm Ἀρρενόθηλυς vox futura fuiſſet magìs propria, &c. Quinto *enim die bruta tantùm Animalia creata ſunt,* ſexto *verò etiam Homines, de quibus voces* ἀνὴρ *&* γυνὴ *rectiùs uſurpantur.*

Sect. 5. Sunt verò alia multa *Quinarii* nomina ſatìs abſona, fateor, & à quintæ diei opere aliena, &c. *At verò haud ità aliena ſunt omnia, à* quinta Sephira, *quæ* Geburah *dicitur, ſignificátque robur ac fortitudinem. Satìs enim cognata videntur huic* Sephiræ, *Pallas*, Ἄζυξ, Ἀχρεῶτις, Ζανὸς πύργος, Δίκησις, Καρδιᾶτις, Ἀνικία, Ὀρθιᾶτις, Δίκη, Πρόνοια. Pallas *quidem, quippe Dea bellicoſa, quin & eadem* Sapientiæ *Dea, quò rectè igitur refertur* Πρόνοια. *Nam* vis conſilii expers mole ruit ſuâ, *ut monet ali-*

cubi Horatius. *Sed juſtam oportet eſſe perinde atque providam, quò* Δικη *&* Δικησις *referri poſſunt. Immò verò* Fortitudo *veráque Animoſitas in ipſa fundatur* Juſtitia. Fugiunt impii nemine perſequente, Juſti autem inſtar leunculi confidunt. *Quò etiam ſpectant* Καρδιᾶτις *&* Ὀρθιᾶτις. *Rectitudo enim Animi cor corroborat, Divinámque quandam ingenerat vim atque fortitudinem, planéque invictam, quò ſpectant* Ἀνικία, Ζανὸς πύργος, Ἀχρεῶτις, Ἄζυξ. *Et certè ex illa voce* Ζανὸς πύργος, *innuitur vim eſſe* ſummè Divinam: *Eſt enim* Ζανὸς πύργος *prima* Sephirah, *illiúſque mentio hîc ſit tanquam primi fontis hujus invictæ virtutis, quæ* Ἀνικία *dicitur. Hæc eſt* fides *illa invincibilis in* primo Bono, *de qua* Proclus *ſic Philoſophatur:* Δεῖ γὰρ τὴν θείαν πίστιν ἑνοειδῆ καὶ ἤρεμον ὑπάρχειν ἐν τῷ τῆς ἀγαθότητος ὅρμῳ τελείως ἱδρυθεῖσαν. *Et paulò poſt,* Εἷς μὲν οὗτος ὅρμος ἀσφαλὴς τῶν ὄντων ἁπάντων. *Quod* Pythagorei πύργον, Proclus ὅρμον *vocat.* Turris *verò ac* portus, *utraque firmitudinem & ſecuritatem denotant. Virtutem autem hanc* Divinam *eſſe porrò ſignificatur per appellationem* Ἀχρεῶτις, *nempe vim eſſe eximiè* Spiritualem. Ægyptii homines ſunt & non Deus, & Equi eorum caro ſunt & non Spiritus. *Quò etiam referri poteſt iſtud Apoſtoli,* Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, &c. Ἄζυξ *verò &* Ἀχρεῶτις *optimè conveniunt, dum innuunt vim hanc Divinam ac cæleſtem, cum* Virginitate, *hoc eſt, cum ſumma animi corporiſque puritate eſſe conjunctam.*

Prov. 28. 1.

Theolog. Platonic. lib. 1. 25.

Eſai. 31. 3.

2 Cor. 10. 4.

Sect. 8. Ad Κόσμον etiam referenda ſunt, &c. Κόσμος *optimè convenit cum ſexta* Sephira תפארת, *quæ ut* Κόσμος, Ornatum *ſignificat, poſſúntque utraque denotare pulchram* εὐταξίαν, *quò ſenſu* Ἁρμονία *&* Γανάρχεια, *haud ineptè etiam ad ſextam* Sephiram *referri queant.*

Sect. 10. Τύχη etiam aliquam cognationem habet, &c. *Quo autem ſenſu ad* Sephiram ſeptimam *referri poſſit, in* Tabula Sephirotharum Pythagorica *notavimus.*

Quorum in manus Mundi Regimen, &c. *Quomodo verò hoc intelligendum de eorum Regimine, Deique Sabbatiſmo, in* Defenſione *ſuprà explicavimus.*

CAP. V.

1. *Nomina trivialia* Denarii. 2. *Novem Nomina* Denarii *ſatìs appoſita, ad Univerſum ſive opus quarti Diei relata.* 3. Aaronis *Veſtimenta* Symbolum *Univerſi*; 4. *Et Divinitatis* Chriſti *Indicium.* 5. *Tria alia nomina,* Ἥλιος, Φάνης *&* Σφαῖρα, *& quâ ratione* Denario *attributa.* 6. Decas, *vel potiùs* Tetractys Κλειδοῦχος *appellata, propterea quòd Creationis Myſterium in* Die quarto *obſeratum quaſi ſit & reconditum*; 7. *Quódque etiam tam accuratè expreſſéque Creationis illius diei naturam ſignificet.* 8. *Cur appellata ſit* Κλειδοῦχος τῆς φύσεως. 9. *Cur* Decas *ſive* Denarius *nominatus ſit* Κλαδοῦχος, 10. *Et cur* Πίστις *cum pleniori illatione veræ cauſæ, cur* Tetractyos *mentio facta ſit in* Juramento Pythagorico, *potiùs quàm* Pentadis, *aut alius cujuſvis Numeri.*

1. Nihil nobis eſt cum *Octonario* & *Novenario*, utpote qui ad nullum Creationis diem referri poſſint. *Denarius* verò *Quaternario* tam arctè adhæret, ut qui illius *Potentia* ſit, ut omiſſio planè culpanda foret, niſi omnes illius *Titulos* in medium proferrem. Aptitudinem ac ſignificantiam vocum Κόσμος, Οὐρανὸς, Παντέλεια, & τὸ Πᾶν ſuprà jam notavi. Ex eis quæ ſuperſunt, quæ ad ſcopum noſtrum minimè faciunt hæ ſunt, Πρῶτος τετραγωνισμὸς, Μνημοσύνη, Μνήμη. Vocatur Πρῶτος τετραγωνισμὸς, ſive *prima Quadratura* ex eo tantummodo, quòd ex primis quatuor Numeris fit, 1, 2, 3, 4. Titulo verò Μνημοσύνης inſignitur, quoniam illa mater eſt novem Muſarum. Atque futiles hi & imperiti *Pſeudo-Pythagoriſtæ*, bellam, ut videtur, rem fore putârunt, ſi unam ex ſororibus ſingulis reliquorum novem Numerorum *Denarii* tribuerent; *Matrem* verò in tergo aciei perinde atque in fronte collocârunt. Tam leves & inconſtantes ſunt in levibus hiſce & inutilibus Nugis. Nihil opus eſt notare Μνήμη additum fuiſſe, tanquam voci Μνημοσύνη Synonymon.

Johan. Meurſ. Denar. Pythag. cap. 12.

2. Reliqui verò Tituli *Denarii* ſive *Decadis* non ſunt ejuſmodi quiſquiliæ; ſed reſpiciunt, ſicut *Decadem* decet, quæ *Tetradis* eſt potentia, *quarti diei* Creationem, quæ articulatio erat Univerſi in formam ſpeciémque atque rectum ordinem. Ac proinde quemadmodum hic Numerus *Denarius*, ſicut ſuprà notavi, appellatus eſt Κόσμος, propter comprehenſivam rationem Tituli; ità quidem huic conſentanea exiſtimo iſta nomina, Εἱμαρμένη, Οὐρανία, Αἰὼν, Κράτος, Ἀνάγκη, Ἄτλας, Ἀκάμας, Πάμωχος, Θεὸς,

(à

(à quorum ultimo *Quinarius* etiam appellatur Ἁμιθεος.) quippe quum omnia comprehenſivæ ſint ſignificationis. Nam Εἱμαρμένη & Ἀνάγκη legem innuunt Fatalitatis & Neceſſitatis in ordine Univerſi, & Οὐρανία cœleſtem illum Concentum Ordiníſve illius Harmoniam, niſi temerè injectum ſit ac futiliter, tanquam una è novem Muſis, ad explendum locum. Αἰών, Κράτος, Ἄτλας, Ἀκάμας permanentiam denotant ſtabilémque Mundi durationem, quòd nihil periculi ſubſit eum unquam ex ſua natura defecturum. Juxta quem ſenſum intelligendæ ſunt iſtæ locutiones in Juramento *Pythagorico*, Πηγὴ, ῥίζωμά τε ἀενάου φύσεως· quum Ἀέναος φύσις planè reſpondeat voci Αἰών, quod idem ſonat atque ἀεὶ ὤν· & Κράτος, Ἄτλας, Ἀκάμας, vocibus Ῥίζωμα & Πηγή. Hæc enim quatuor, *Spiritus* ſcilicet *Naturæ*, *Soles*, *Planetæ* & *Vortices*, rectè id omne eſſe dicuntur, quod illa nomina ſignificant. Et congruentia profectò admodum accurata eſt, in eo, quòd, quemadmodum *Tetras* & *Decas* realiter eadem *Tetractys* ſunt, ità nomina earum eandem habent vim atque momentum, eaſdémque res indigitant. Et poſtremò Θεὸς & Γάμωχος (ſi Γάμωχος ſit ὁ Κύριος, quemadmodum reddit *Heſychius*) eidem ſuccinunt ſententiæ, aptiſſiméque intelliguntur ex *Tetraſticho* illo *Sibyllæ*,

Vide etiam Cap. 1. ſect. 8. & cap. 8 ſect. 7.

Εἰμὶ δ' ἐγὼ ὁ ἐών, (σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον)
Οὐρανὸν ἐνδέδυμαι, περιβέβλημαι δὲ θάλασσαν,
Γαῖα δέ μοι στήριγμα ποδῶν περὶ σῶμα κέχυται,
Ἀὴρ δ' ἠδ' ἄστρων με χορὸς περιδέδρομε πάντη.

* Ad quem ſenſum etiam collineat illud apud *Plotinum*, Θεὸς μὲν οὖν τὸ πᾶν τῆς χωριστῆς ψυχῆς συναριθμουμένης, τὸ δὲ λοιπὸν δαίμων μέγας, καὶ τὰ παθητὰ ἐν αὐτῷ δαιμόνια. Tam manifeſtum eſt omnia illa Nomina *Univerſum totum* reſpicere in omnibus illius Lineamentis.

Ennead. 2. lib. 2. cap. 10.

3. Eſt autem aliquid in verſibus illis *Sibyllinis* adeò ſacrum ſanctúmque ut eos ſine ulteriori obſervatione præterire nequeam. Quæ Digreſſio licèt aliqualis videri poſſit, non eſt tamen omninò à præſenti noſtro ſcopo aliena. Nullus enim dubito quin *Sibylla* in hac deſcriptione ad Veſtimenta *Aaronis* Sacerdotalia alludat, quem *Philo* Typum facit unigeniti filii Dei, quem πρωτόγονον θεοῦ appellat, & τὸν θεῖον λόγον, æternúmque facit Pontificem maximum hujus immenſi Templi Univerſi, Εἰκόνα τοῦ ὄντος eum nominat, i. e. Imaginem *Jehovæ*, ipſúmque Mundi Opificem. Λόγος δέ ἐστιν εἰκὼν θεοῦ δι' οὗ σύμπας ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο. Et tamen ſenſu quodam complexo *Univerſum* etiam facit *Filium Dei*.

Vid. Philonem de Inſomniis.

Vide Philonem de Monarchia.

Poſt particularem enim deſcriptionem ſignificationis veſtimentorum *Aaronis*, ornatuúmque Sacerdotalium, ubi vult *duas gemmas* in Humeris ſignificare *duo Hemiſphæria* (cùm ſingulæ habeant ſex Tribuum Nomina ut utrumque Hemiſphæriorum ſigna ſena, ſecante *Horizonte* ſic diviſa;) *duodecim Lapides* in Pectorali denotare *duodecim ſigna* in Zodiaco, ordinémque in *quatuor terniones* diſpoſitorum, *quatuor anni tempeſtates* innuere; *Pallium* Togámve *Hyacinthinam*, *Aeris* Symbolum eſſe, *fimbriámque* floribus variegatam, *Terræ*; Ῥοΐσκους ſive *Malogranata* (alludendo ad ῥέω fluo) *Aquam* ſignificare, *Tintinnabula* verò *Harmonicam* Aquæ Terræque *mixturam* ad Generationem: tandem rationem hanc addit hujus Veſtitûs, Ὅπως ἐν ταῖς ἱερουργίαις συλλειτουργῇ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῷ, *Ut univerſus Mundus ſimul ſupplicet cum Pontifice Maximo.* Cui ſtatim ſubjungit: Omnino enim par eſt, eum qui Patri ſupplicat, καὶ τὸν υἱὸν ἐπάγεσθαι, πρὸς θεραπείαν γεγεννηκότος, ac ſi *Univerſum Dei Filius* eſſet. Quod dictum profectò haud ſatìs ſanum eſt, niſi is, quem alibi πρωτόγονον θεοῦ appellat, Divinúmque Logon, includatur, ad ſenſum conceptúmve conſummandum.

Phil. de vitâ Moſis.

Phil. de Monarchia.

Hinc enim apparebit, Divinum *Logon*, illum verum omnino eſſe *Pontificem maximum*, * cujus Indumenta ſunt (ſecundùm iſtos verſus *Sibyllinos*) omnes partes Univerſi, *Aaronémque* hujus Figuram tantummodo fuiſſe; vocéſque illas, Εἰμὶ δ' ἐγὼ ὁ ἐών, * ſculpturæ reſpondere quatuor Literarum in Lamina coronali ſuper frontem *Aaronis*, quam *Philo* fuiſſe ait, ὄνομα τοῦ ὄντος· ad quod *Sibyllinum* ὁ ἐών reſpicit, & per quod intelligitur *Jehovah filius*: porrò οὐρανὸν ἐνδέδυμαι referri ad *pallium Hyacinthinum*, quod *Aer* quidem non eſt, ſed tanta Cœli portio, quanta Solem inter & Planetam aliquem ſive Terram in eodem Vortice interjacet. Quemadmodum nec iſti ῥοΐσκοι *Aqua* ſunt, ſed totus *Globus Terræ* atque *Aqua*, qui ubique eſt in infimis partibus fimbriæ hujus *Hyacinthini Pallii* Æterni veríque Aaronis. Quæ *Malogranata* [ῥοΐσκοι] *ſeminalem Terræ plenitudinem* Matris rerum ómnium perquam aptè repræſentant. Ex eo autem quòd *multa* ſunt, *Terrarum* ſive *Planetarum*, quorumque in ſuis Vorticibus, *multitudinem* ſive pluralitatem denotant. Nec *Coccum* certè in *Ephod*

Phil. de vita Moſis.

& *Pectorale* intertextum, Elementum *Ignis*, quod *Philo* vult inſinuare, ſignificat: *Cocci* verò ac *purpuræ* contextura cum *Auro Byſſoque candida* ex quibus *Ephod* & *Pectorale* facta ſunt, *Calorem* denotant vehementem refulgentémque *Lucem Solis*, qui *Pythagoreorum* eſt τὸ πῦρ ἐν μέσῳ ἱδρυμένον, ut *Ephod* & *Pectorale* locum habent in *medio* corporis quæ Regio *Cordis* eſt, *Solis* Mundi *minoris*. * Et denique *Tunica* ſive Stola *ocellata*, ut vocatur, quæ ultra Pallium *Hyacinthinum* extendebatur, (etiam quouſque extendi poterat) manifeſtum eſt quòd Cœlum *Stellatum* denotat. Cùm Stellæ admodum aptè oculis comparentur, * quemadmodum & Plato in notiſſimo iſto Diſticho eleganter eas olim comparavit.

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμὸς, &c.

Et quanquam γαῖα apud *Sibyllam* στήριγμα ποδῶν appelletur, ex eo tamen quòd dicitur περὶ σῶμα κεχύσθαι, ſolutam illius fluitationem implicat, ut Malogranatorum iſtorum in Fimbria pallii Sacerdotalis. Nec poteſt *Aer* dici περιδραμεῖν πάντῃ (quod hîc proculdubio idem eſt atque πανταχῇ) ídque adeò conjunctim cum *Choro Planetarum*, quin mobilitatem pluralitatémque Terrarum ſupponat. Quod igitur præcedenti verſui lucem affert. Quòd autem ſit *Tintinnabulum unum & Malogranatum, Tintinnabulum autem alterum & Malogranatum in fimbriis Pallii per circuitum*, equidem melior ſenſus hujus loci erui non poteſt quàm quem alibi *Philo* nobis reddidit. Τὴν δὲ ἁρμονίαν καὶ συμφωνίαν καὶ συνήχησιν τῶν κόσμου μερῶν οἱ κώδωνες ἐμφαίνουσιν. *Tintinnabula Harmoniam, Symphoniam, Conſonantiámque partium Univerſi repræſentant.* Quam ob cauſam *Pythagorei Tetractyn* Ἁρμονίαν appellârunt. Et ridicula illa fama de Concentu Sphærarum Cœleſtium *Pythagorico* proculdubio nihil aliud erat, quàm ſoni horum aureorum Tintinnabulorum in pallio *Aaronis* pendentium, malè reverberata Echo. *Pythagoras* enim nullas omnino Sphæras tenuit, ſed Philoſophiæ *Judaicæ* linguâ Myſticâ loquens perperam intellectus eſt; quod & in *Numerorum* Myſterio contigit, quippe quum generalis invaluiſſet opinio eum rerum omnium *Principia* iſtos conſtituiſſe, cùm is tamen tantùm ut *Symbola* rerum eos conſideraret. *Ariſtoteles* verò dogma iſtud tanquam ab ipſo ſeriò traditum multis adoritur, ſed æquè jucundum interim intelligenti Lectori exhibens ſpectaculum ac ſi quempiam videret vacuam πανοπλίαν ſcitè conſtructam & erectam, cum lancea ferociter invadentem, militem eum Armatum per errorem exiſtimantem. Hæc verò obiter dicta ſint, Ad rem quæ præ manibus eſt redibimus.

Exod. 28.34.

Phil. de Monarchia.

Macrob. ſomn. Scipion. lib. 2. *c.* 1.

Metaphyſ. lib. 13. *c.* 3, 4, 5, 6.

4. Quòd, πᾶς ὁ κόσμος συλλειτουργῇ, quod ſuprà ex *Philone* citavi, intelligendum ſit ſenſu complexo, includendo etiam Æternum *Logon*, manifeſtum eſt ex conſimili loco, ubi *Philo* rurſus veſtimenta Sacerdotalia deſcribens, loquitur ut antè, Τοῦτον τὸν τρόπον ὁ ἀρχιερεὺς διακοσμηθεὶς στέλλεται πρὸς τὰς ἱερουργίας, ἵν' ὅταν εἰσίῃ τὰς εὐχὰς ποιησόμενος, συνεισέρχηται πᾶς ὁ κόσμος αὐτῷ. Ubi tamen in concluſione expreſſim comprehendit, τὸν τὸ σύμπαν συνέχοντα καὶ διοικοῦντα λόγον· ſtatímque addit, Omninò enim eum oportet, qui Patri Univerſi ſupplicare vult, παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ, πρός τε ἀμνηστείαν ἁμαρτημάτων καὶ χορηγίας ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. Unde minimè mirum eſt *Decadem*, quæ *Symbolum* eſt Univerſi, à *Pythagoreis* appellari θεόν. Qui præſens eſt magíſque particularis ſcopus ad quem hîc collimavi.

Phil. de vita Moſis.

Quod verò conſideratu maximè eſt mirabile, hoc ipſum eſt, quàm exquiſitâ ſcilicet ratione Æternus *Logos*, qui Mundi opifex erat, quíque proprio nunc veſtitur opere, verus *Pontifex maximus* ſupponitur ſecundùm Typum hunc *Aaronis*. Quis enim tam idoneus efficáxque Interceſſor apud Patrem pro peccatis offenſíſque Mundi quàm is qui eum fabricavit, cujúſque in pectore forma illius continetur atque Idea, qui adeò penitus intelligit neceſſitatem occurſûs aliquarum rerum aut eventuum qui haud uſque adeò ſancti ac perfecti ſunt quàm poſſit exoptari, potéſtque ex perfecta Naturæ rerum notitia *inevitabilitatem* variorum malorum effectuum ab *Incompoſſibilitate* illa & *Incommenſurabilitate* quæ inexpugnabiliter in perverſa incorrigibilíque *Hyle* includitur, diſtinctè excuſare?

Vid. cap. 8. *ſect.* 7, 8.

Præterea, dum ſe in *Sacerdotalibus* ſuis *Veſtimentis* ſiſtit, quæ compages eſt Harmonicáque partium Univerſi adaptatio, eo ipſo etiam ſpeciali quodam modo particularia paucorum quorundam vitia ac peccata extenuat excuſátque, quippe quum reliquæ Creationis partes tam ſalutares ſint atque amabiles, cúmque eæ, quæ minùs rectè attemperatæ ſunt, non ſint niſi quaſi chordæ diſcordantis tranſitio in Concentu Muſico vel optimè conſtituto, quæ facit ut chorda proxima longè dulciùs ſonet. Ac ſi allegaret apud Patrem ſuum, ſi de ſumma rei ſtatuere velit, & ſub uno intuitu omnes fines periodóſque rerum conſiderare, univerſa aliquo modo approbanda eſſe bonáque cenſenda, & quantùm ad eas partes, quæ maximè tenebroſæ videntur ac funeſtæ; Prærogativam eſſe *ſupremæ Bonitatis* lucem ex eis majorem elicere, *eóſque, quibus multum remittitur, dilecturos eſſe multúm.*

Talem omnino Sacerdotem nullus dubito quin *Aaron* præfigurârit *Sacerdotalibus* ſuis *Veſtimentis* indutus. Quæ ſpecialis *Divinitatis* beati Servatoris eſt confirmatio. *Hic eſt Deus noſter, neque eſt alius qui cum ipſo comparetur. Is invenit omnem viam ſcientiæ, eámque ſervo ſuo Jacob & Iſrael dilecto ſuo dedit, poſthac in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus:* Per modum Præludii quidem in Nube & in Rubo, ſed plenè perfectéque in Incarnatione ſua ex beata Virgine. Et *Aaron* itidem utrarumque ejus naturarum Typum geſſit; *Divinæ* quidem *Naturæ* in Veſtimentis *Sacerdotalibus*, quæ nullum Indumentum ſignificare potuerunt, niſi quòd ipſius ſit Dei; *Humanæ* autem *Naturæ* in propria perſona, cùm *Aaron* merus homo eſſet. *Baruch. 3. v. 35, 36, 37.*

Et tamen cùm perſonam illius ſuſtinere deberet, qui verè eſt Deus, nimirum *Domini Jeſu*, erant quædam Præcepta, vel potiùs privilegia ei data, quæ eum ſupponebant quodammodo ſupra humanam ſortem elevatum. Ex cujus rei contemplatione, *Philo* in iſtiuſmodi voces erumpit, quæ conditionem Chriſti θεανθρώπου veríque *Pontificis maximi*, quàm ſignificantiſſimè illuſtrent. Βούλεται γὰρ ὁ νόμος, τὸν ἀρχιερέα μεμοιρᾶσθαι φύσεως μείζονος ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον, ἐγγυτέρω προσιόντα τῆς θείας, μεθόριον, εἰ δεῖ τἀληθὲς λέγειν, ἀμφοῖν· ἵνα διὰ μέσου τινὸς ἄνθρωποι μὲν ἱλάσκωνται θεὸν, θεὸς δὲ τὰς χάριτας ἀνθρώποις ὑποδιακόνῳ τινὶ χρώμενος ὀρέγῃ καὶ χορηγῇ· hoc eſt, *Lex Pontificem maximum naturæ participem eſſe vult majoris humanâ, propiùs ad Divinam accedentem, vel ut verè dicam, confinium utriuſque; ut Homines Deum propitient per Mediatorem utriuſque Naturæ participem, Deúſque illius utens miniſterio, Gratiæ ſuppetias Hominibus porrigat.* Tam perſpicuè *Chriſti Divinitas* præfiguratur in lege *Moſaica*. *Vid. Levit. c. 21. v. 10, 11, 12.* *Phil. de Monarch.*

Quæ tanti momenti conſiderationes, hanc, quæ videatur, Digreſſionem, magìs condonabilem reddere debent. * Neque enim ſimplex Digreſſio eſt, ſed illius, quod attuli ad confirmandum ſenſum vocis θεὸς, fuſior expoſitio, unius utique è nominibus *Decadis*, quæ *Integralia* magíſve *Univerſalia* Mundi Lineamenta reſpiciunt.

5. Verùm Ἥλιος & Φάνης & Σφαῖρα meritò exiſtimari poſſunt ad *Luminaria* quarto die creata reſpicere, quæ nec facta ſunt ſine circumvolutione rotundorum Vorticum, quod inſinuatur per Σφαῖραν. Et poſtremò Κλειδοῦχος (quod & *Tetradis* nomen eſt) Κλαδοῦχος & Πίστις, equidem credo, quòd referenda ſint omnia ad Traditionem *Tetractyos*, ſive Enarrationem Myſterii Creationis, explicando proprietates illius *Numeri* ad *quarti* diei opus applicandas, quatenus generalior *Univerſi* delineatio eſſe intelligitur, potiùs quàm quòd intelligenda ſint de rebus ipſis quæ die *quarto* dicuntur creatæ. Quòd verò *Dies quartus* totam Creationem complectatur, illa nomina *Decadis* (quæ immediata *Tetradis* Potentia eſt) planè ſupponunt, cùm univerſa ferè eò tendant, jejunéque ac ridiculè illi Numero attribuuntur, hâc ratione quidem ſecluſâ. Cur enim appellanda eſſet *Decas* Ἥλιος, Φάνης, Εἱμαρμένη, Ἀνάγκη, Αἰὼν, &c. niſi quòd ad Legem referatur & ordinem *Univerſi* & ad illius ornatum Solibus atque Planetis? Et certè quanquam *Decas*, cùm ſit omnium ſimplicium Numerorum comprehenſio, *Symbolum* eſſe poſſit *Univerſi*, & ob eam cauſam appellari Οὐρανὸς, Κόσμος, Τὸ πᾶν, Παντέλεια, atque etiam Σφαῖρα, ut & propter ἀνακύκλωσιν in numerando à *Decem* rurſus ad *Decem* & ſic in infinitum, quemadmodum obſervatu obvium eſt; ſi tamen nullus ulterior eſſet ſcopus magíſque ſeria ad aliquid majoris momenti Alluſio, equidem mera *Denarii* Mundo ſphæræve aſſimilatio res admodum exſucca eſſet trivialíſque atque inſipida.

6. Breviter igitur: *Cabbala Decadis* ſive *Tetractyos*, idem enim ſunt, * ſicuti *Athenagoras* obſervavit, appellatur Κλειδοῦχος, ſive *Claviger*, Primò, quia expoſitio erat illius partis Creationis *Moſaicæ* quæ obſerata quaſi erat, & tanquam ſub *Clave* recondita. Etenim, tametſi ex ſola conceſſione ſenſûs Textûs, Philoſophici, quódque primi Diei Creatio, de rebus immaterialibus tantùm intelligenda ſit, (quemadmodum *Monas* naturaliter innuit) neceſſariò ſequetur *Terram* non omnino creatam eſſe, niſi die *quarto* locum ſibi invenire poſſit; Et quòd Textus inſuper univerſim de *Luminaribus* quæ facta ſunt pronunciet, Quòd eſſent in *Signa & Tempeſtates & Dies & Annos*; quorum verborum vix ullus commodus ſenſus eſt, ſi *diſtributivè* ſumantur, quoniam in aliquibus fines hi atque officia coincident; nec intelligi poteſt enumeratio eſſe, officiorum ſive proprietatum ad ſingula Cœli Luminaria pertinentium, niſi Planetæ Terræve ſint circa omnes Soles, quas Stellas fixas vulgò appellamus: Hæc tamen tam ſubleſtè obſcuréque inſinuantur, illéque ſenſus *diſtributivus*, quanquam paulo durior & ineptior, adeò tamen poſſibilis eſt, ut opus *quarti diei*, niſi per peritum aliquem *Myſtagogum* moneamur de contrario, apparitùrum ſit nihilominus

particularis tantùm Creatio *Luminarium* Cœli quatenus talium, talíque ſenſu quo vulgò intelliguntur. Ac propterea, ob defectum tam expreſſæ ſignificationis rerum, in hujus diei Creatione, quàm ſit in aliis, Myſterium illius meritò conſiderari poteſt tanquam obſignatum obleratúmque à conſpectu vulgi, & eo ipſo, res quæ maximi omnium momenti ſunt è tota *Cabbala*. Unde planè agnoſcendum eſt quòd *Cabbala Tetractyos*, ſive *Traditionalis* Operis *quarti* diei explicatio, meritò appellatur Κλειδοῦχος, quippe quæ *Clavem* gerit, aperítque maximè recondita Myſteria Creationis.

7. Deinde, *Tetractys* quoad naturam ipſius Numeri ejúſque proprietatem, (quamvìs nugamentum omnino ſit taléque quod *Lucianus* jure derideat, ſi nulla illius ulterior eſſet utilitas) meritò appellari poteſt Κλειδοῦχος, propterea quòd tam eleganter expreſſéque *Cabbalam* Creationis quarti diei repræſentet. Atque equidem Analogia heic ſignum inter & rem ſignificatam admirabilis eſt. Etenim, quemadmodum quarti diei Creatio externâ quidem ſpecie non eſt niſi pars Creationis quarto diei aſſignata, ut aliæ partes diebus aliis, ſed ſenſu magìs recondito, reverà fabricatio eſt ordinatióque totius Univerſi, efformatióque ejus in Soles, Planetas atque Vortices; ità *Tetractys* ſive *Quaternarius* operis hujus diei *Symbolum*, primo quidem aſpectu, unus tantùm certus Numerus eſt, pars Decadis; ſed ex occulta *potentia* eo comprehenſa tota eſt Decas, cùm 1, 2, 3, 4. ſimul ſumpta faciant Decem.

Quibus addere potes, Quòd, quemadmodum opus *quarti diei* primo aſpectu formatio tantùm videtur Luminarium, quorum radii recipiuntur ſub figura *Pyramidali*, cùm tamen revera ſit Mundi fabricatio formatióque in tot rotundos Vortices: Ità *Tetras* ſive *Tetractys* ſecundùm apertam ſuam naturam tantùm prima *Pyramis* eſt, (ſic enim eſt *Quaternarius* in Numeris) ſecundùm verò ſuam magìs abſtruſam potentiam, *Sphæra* eſt, ſicut ‖ ſuprà eſt notatum.

‖ Sect. 3.

Denique ut quarti diei Creatio ſecundùm externum quidem ſenſum, viſibilem ſolummodò materialémque Mundum videtur reſpicere, ſed neceſſariò interim *Immateriale Principium* ſupponit quod *Materiam* in iſtas rerum formas redigat: Ità *Tetras* in aperta ſua ac exteriori natura, *fœminina* tantùm eſt, quoad partes verò ſuas, quibus in *Decadem* excreſcit, & *maſculina* eſt & *fœminina*, quippe quum 1 & 3 (ut vult *Zaratas*) *maſculina* ſint, & 2 & 4 *fœminina*: Sicut & in *Tetracty* magìs compoſita 36, quatuor numeri *maſculini* ſunt 1, 3, 5, 7. & quatuor *fœminini*, 2, 4, 6, 8. Qui, ut in priori conſideratione, neceſſitatem innuunt conjunctionis *Activi* & *Paſſivi* Principii in opere quarti diei, hoc eſt, in Fabrica Univerſi. Cæterùm ex eo quòd compoſitio harum partium abeat in triginta ſex, qui Numerus *Circularis* eſt ſenſu quidem faciliori quàm *Decem*, ſignificari poteſt, quòd totum *Hexaemeron* Creationis, *quarto die* comprehendatur, quódque *Formatio Mundi circumgyratione* fiat *Æthereæ* Materiæ in repetitos Vortices. Verùm hæc compoſita *Tetractys* ad præſentem diſquiſitionem minùs pertinet. Analogia inter ſimplicem *Tetradem*, *quartíque* diei *Creationem* in ſenſu Philoſophico, tam exquiſita eſt & expreſſa, ut abunde jam conſtare exiſtimem, cur illa Κλειδοῦχος nomen apud *Pythagoreos* ſortita ſit, cùm illius Numeri proprietas verum ſenſum operis *quarti* diei tam aptè aperiat.

8. Et ex eo quòd appellatus ſit Κλειδοῦχος τῆς φύσεως, innuitur inſuper, * quòd deſtinatus ſit præcipuè maximéque immediatè in univerſalem *Cabbalam Naturalem*, inſignioribus Naturæ Theorematis illîc comprehenſis, ut *Metaphyſica* Theoremata primi diei opere comprehenduntur & duobus capitibus ſequentibus. Quibus quidem conſideratis, ratio omnium eorum Nominum Denario attributorum, univerſalémque legem compagémve Naturæ ſignificantium manifeſta eſt, quippe quæ in *diem quartum* conjici debeant, cùm nullus Dies decimus ſit Creationis in quem poſſint conjici. Et *Decem* quidem *Tetractys* eſt perinde atque *Tetras* ipſa. Quemadmodum *Triginta ſex* appellatur *Tetractys* perinde atque quatuor primi Maſculini Numeri & quatuor primi Fœminini ex quibus conſiſtit.

*Plutarch. de Iſide & Oſiride.

Vide Johan. Meurſ. Den. Pythag. c. 12.

9. Quòd *Decas* appelletur etiam Κλαδοῦχος ratio ſatìs obvia eſt & concinna, ſi ad *Cabbalam* quarti Diei referatur. Nam prehendendo radicem ſive ſtirpem iſtam, ut ità dicam, eo ipſo ramos ſimul prehendimus & tenemus. *Cabbala* enim *Tetractyos* naturaliter in conſiderationem primi, ſecundi, tertii, & quinti, ſexti ſeptimíque diei ſe propagabit; quippe quum Natura *Univerſi* haud rectè intelligi poſſit, niſi in eos etiam penetretur, qui quaſi Κλάδοι ſunt, *ſurculi ramive* ex hac atque illa parte *Cabbalæ quarti Diei* germinantes.

10. Et quantùm ad tertium ultimúmque Nomen Πίστις, ulteriori argumento eſt, quòd Nomina *Decadis* ad Diem *quartum* referantur, quippe quòd moneat *Decadem* etiam eam ipſam *Tetractyn* eſſe per cujus Inventorem ac Traditorem *Pythagoras* ejúſque Sectatores jurabant, cùm ab ipſis appellata ſit Πίστις, perinde atque *Tetractys* Ὅρκος.

κος. Et Πίϛις quidem per Jusjurandum eſt confirmatio. Nam πίϛιν ἐπιδιδέναι idem eſt atque *jurare* ex Linguæ Græcæ Idiomate. Tam mirificè faciléque res undique conſpirant naturalitérque coincidunt ad veritatem *Cabbalæ Philoſophicæ* junctis ſuffragiis confirmandam; támque manifeſtum eſt quàm ſpecialem cauſam *Pythagoras* haberet, mentionem faciendi *Tetradis* potiùs quàm *Pentadis* aliûſve cujuſvis Numeri in illa Jurisjurandi formula, per Eum qui *Cabbalam* primus impertiverit. Nam ſi Myſterium in ipſos Numeros terminatum eſſet iíque realis alicujus ſcientiæ rerum *Naturalium* aut *Divinarum Symbola* non fuiſſent ac Repoſitoria, equidem *Pentas* celebritatem Juramenti meruiſſet potiùs quàm *Tetractys*, quemadmodum ſuprà indicavi. Cap.4 ſect.6.

Ut generatim igitur concludamus de *Nominibus* Numerorum *Pythagoricis*, equidem quemlibet auſim appellare, ſi poſt rigidam hanc examinationem non centies plus lucratus ſum quàm perdidi, largáque *nominum* valdè appoſitorum, præter ea quæ antè produxeram, non facta eſt acceſſio, ut & manifeſta detectio, unde factum ſit, ut ea Nomina quæ ad præſentem *Cabbalam* nihil faciunt, irrepſiſſent. Quæ tam accurata de rebus reddita ratio non poteſt quin abundè eis omnibus ſatisfactura ſit, qui ſatìs poſſunt diſpicere, quando difficultati factum ſit ſatis, quando ſecùs.

SCHOLIA

In Cap. V. Sect. 2.

Ad quem ſenſum etiam collineat illud apud Plotinum, &c. Plotini *verò ſenſus paulo craſſior mihi videtur, quàm ut ferri poſſit à Chriſtiano quoquam veróve Philoſopho. Neque enim* Mundus *Dei* corpus *eſt ſed* Indumentum *tantúm. Rectius igitur tutiúſque* Sibylla *ſacras Scripturas imitata loquitur, quàm* Plotinus, *quæ Deum* veſtiri *quaſi facit Mundo corporeo, non autem cum eo vitaliter uniri. Id officii relinquitur* Spiritui Naturæ, *qui Deus non eſt ſed Creatura, nempe* Λόγος σπερματικὸς *Univerſi. Et quanquam* Θεὸς *&* Πάμωχος *apud* Pythagoreos Denarii *ſint Appellationes, ac proinde ad* Univerſum *quà Univerſum pertineant; nihil tamen neceſſe eſt ut primævi* Pythagorei *Univerſum tanquam Dei* corpus *conſiderarent, ſed tantùm ut* Indumentum. *Sacerdotes verò Paganici id apprimè volebant, ut magìs ſolida ſubeſſet cauſa colendi omnes partes Univerſi, tanquam membra Divini Corporis, ut Pontificii Panem colunt, tanquam vivum corpus Chriſti.*

Sect. 3. Cujus Indumenta ſunt, &c. *Cùm tam concinna ſit ac ſolida, in hoc capite, noſtra de Veſtimentis* Aaronicis *Philoſophatio, equidem operæ pretium duxi, quò Lector majori cum voluptate ac facilitate, quæ hìc ſcripſi, intelligat, effigiem* Aaronis *cum omnibus Veſtimentis Sacerdotalibus conſpiciendam* ‖ *hoc in loco apponere, ut uno quaſi intuitu venuſtatem concinnitatémque notionum noſtrarum percipiat. Eſt igitur* A A A *Tunica ſive Stola ocellata,* B *Pallium Hyacinthinum, à quo Tintinnabula & Malogranata dependent,* C *Ephod ſive Superhumerale, &* I *Pectorale ſive Rationale;* E *Cidaris vel Tiara, &* F *Lamina aurea coronalis, in qua Tetragrammati Inſcriptio eſt.* ‖ *Vide Paginam ſequentem.*

Sculpturæ reſpondere quatuor Literarum, &c. *Et* Sibylla *&* Philo *ſic videntur loqui ac ſi ſolum Tetragrammaton* יהוה *inſculptum eſſet Laminæ aureæ. Tota verò Inſcriptio apud* Moſen *ſic eſt,* קדש ליהוה, *quod eſt, vertente* Vatablo, Sanctitas ipſi Jehovæ. *Quod planè indicat, quàm ſanctam ſuſtineret perſonam* Aaron, *nempe ipſam Perſonam* Jehovæ Filii *ſive* Chriſti, *Perſonæ ex* Æterno Logo *humanâque Anima ac corpore conflatæ. Quam Interpretationem noſtram, &* Sibylla *&* Philo *confirmant.*

Et denique Tunica ſive Stola ocellata, &c. *De opere hujus* Stolæ ocellato *ſic ſcribit* Arias Montanus: Hoc autem ut ſingulare nec arcanâ ſignificatione carens in hac prima veſte annotatu viſum eſt digniſſimum. *Quod quidem Arcanum nos cum bono Deo è tenebris fæliciter eruiſſe, nullus dubito, rectéque hanc Veſtem interpretatos eſſe de* Cœlo Stellato. *Quæ quàm naturalis aptáque ſit Interpretatio, illinc etiam intelligere eſt, quòd Mythologi* Argi *oculos de* Stellis *Cœli, ipſúmque* Argum *de Cœlo interpretantur.*

Quemadmodum & *Plato* in notiſſimo iſto Diſticho, &c. *Totum Diſtichon ſic eſt:*

Ἀϛέρας εἰσαθρεῖς Ἀϛὴρ ἐμὸς, εἴθε γενοίμην
  Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.
Aſtra intueris, *Aſter* mi, utinam ego eſſem
  Cœlum, ut te multis viciſſim oculis intuear.

In hac igitur comparatione Stellarum *cum oculis, ipſe etiam Plato cum* Mythologis *conſentit.*

Sect.



Sect. 4. Neque enim ſimplex Digreſſio eſt, &c. *Adde porrò ſi Digreſſio fuiſſet, admodum tamen utilem fore, præter confirmationem* Divinitatis *Chriſti, ad probandum inſuper* Motum Telluris *revera partem fuiſſe* Cabbalæ *Philoſophicæ* Moſaicæ. *Veſtes enim* Aaronis Syſtemati Mundano Pythagorico *mirum in modum congruunt quadrántque.*

Sect. 6. Sicuti *Athenagoras* obſervavit, &c. Μέγιστος μὲν ἀριθμὸς ὁ δέκα κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς ὁ τετρακτύς τε ὤν, *&c. Athenag.* Apolog. *pro* Chriſtianis.

Sect. 8. Quòd deſtinatus ſit præcipuè in Univerſalem Cabbalam Naturalem, &c. *Equidem huc potiſſimùm ſpectare* Tetractyn *cenſeo, ob mirabilem proprietatis aptitudinem, quo* quarti Diei Cabbala *& aperiatur, & conſervetur, perditáve recuperetur; ſed non dubito interim quin ad* Mercavam *præterea referri poſſit quatuórque* Rotas *&* Animalia, *qua de re ſatis diximus ſuprà.*

CAP. VI.

1. *Secunda Objectio, à diſſimilitudine inter* Pythagoricam *Philoſophiam &* Cabbalam Judaicam, *quæ nullam mentionem facit de* motu Terræ; *cum Reſponſo.* 2. *Secundum Reſponſum, ubi oſtenditur quàm facilè, ſi non neceſſariò evenerit, ut* motus Terræ è Cabbala Judaica *deperderetur.* 3. *Supereſſe tamen in* Cabbala Judaica *quod* motum Terræ *neceſſariò inferet.* 4. *Veteres Sapientes* Judæorum *tenuiſſe* motum Terræ, *quemadmodum ex eo apparet, quòd* Pythagoras *doctrinam ſuam ex eo fonte hauſerit.* 5. Numam Pompilium è Judæis *oriundum fuiſſe:* 6. *Templúmque quod* Veſtæ *extruxit, demonſtrationi eſſe, quòd* motum Telluris *tenuerit.*

1. SEcunda Objectio contra *Cabbalam* noſtram à mutilatione illius doctrinæ quam *Judaicam* ſive *Moſaicam* eſſe contendo, deſumitur; quæ ex duabus potiſſimùm partibus conſiſtere debet, *Motu* ſcilicet *Terræ*, cum reliquis quæ eo dogmate involvantur, & *Præexiſtentia Animarum.* Quarum prior, inquiunt illi, in *Judæorum* ſcriptis nuſquam occurrit. Ad quod reſpondeo,

Primò, Infra Generoſitatem Inſtituti noſtri planè eſſe, eas tantummodo veritates Textui *Moſaico* applicare quæ in ſcriptis *Judæorum* ſuperſint, cenſeríque poſſint antiquæ *Cabbalæ* Reliquiæ; ſed ſublimem illum Scopum ad quem ego collineavi, hunc ipſum fuiſſe, nimirum, ut eâ Methodo quam adhibui, in notitiam eorum revocare poſſem nobilem illam *Cabbalæ* ipſorum partem quæ erat deperdita, quámque tamen olim *Pythagoras* à Patribus eorum acceperat, quemadmodum abundè eſt Teſtimoniorum ac Suffragiorum ea de re apud *Hiſtoricos.* Et certè *Phyſica* hæc *Cabbalæ* pars quam applicavi, tam appoſita eſt, támque arctè Textui *Moſaico* adhæret, non ſolùm quoad *res* ipſas, ſed etiam ratione *Nominum* ac *proprietatum Numerorum Pythagoricorum*, ut hoc quidem artificio, tanquam anſis ferreis, utræque partes Cabbalæ in unum ità conſtringantur contineantúrque, ut manifeſtò æquo cuivis oculo appareat, totam *Cabbalam* unius fili eſſe atque ſtructuræ, totámque ad Textum *Moſaicum* pertinere.

2. Præterea, Quæ, obſecro, *Cabbalæ Judaicæ* pars *Phyſica* eſt, ſi hæc non ſit? (Neque enim negaturi ſunt quin *Moſes* philoſophetur in hoc primo Capite Geneſeos:) Quæve tam præclara támque vera Theoremata applicare poterunt, quàm ſint ea quæ illius Textui ipſe applicavi? Si reſpondeant, fuiſſe quidem olim talia támque aptè applicabilia, ſed lapſu temporis ea intercidiſſe; reſpondeo, Ex eo quòd pars *Phyſica* interciderit, haud obſcurum eſſe argumentum hanc ipſam eſſe quam nos recuperavimus, cùm nulla *Cabbala* tam facilè deperdi poſſet quàm hæc ipſa: Quippe quòd multò difficilius ſit *Mundanum Syſtema Pythagoricum* cuipiam communicare quàm *Præexiſtentiam Animarum.* Quemadmodum ex eo apparet, quòd hæc Philoſophiæ pars ipſius etiam *Ariſtotelis* captum excederet, qui tametſi dogma hoc memorare potuit, & ad *Pythagoreos* referre, eidem tamen aſſentiri non potuit, ipſúmve amplecti. Nam & præjudicium ſenſûs contra ipſum prævalidum eſt, & Philoſophicæ Mathematicæque præparationes longè majoris moliminis quàm quæ requirantur ad recipiendam doctrinam de *Præexiſtentia Animarum.* Unde factum eſt ut, * quamvìs *Platoniſmus* à *Pythagoriſmo* derivatus ſit, Theorema tamen de *Motu Telluris* omiſerit; Immò verò ipſi *Pythagorei* lapſu temporum illud perdiderant, * quemadmodum conſtat apud *Timæum Locrum*, & ex *Apollonio Tyaneo*, Tituliſque aliquibus quos *Pythagorei* Numeris ſuis tribuerunt.

De Cælo, l. 2. cap. 13. Meteorolog. lib. 1. cap. 6.

Et tamen pauciores adhuc è *Judæis* hujus partis *Cabbalæ* capaces reperirentur quàm è Paganis. Quippe quum neceſſarium illis eſſet non ſolùm iſtis præparationibus, quæ in aliis requirerentur, inſtructos eſſe, * ſed ſpeciali præterea Animi robore, quo ſuſtinere poſſent *Moſaicum* videre Literæ corticem quaſi diffringi, ad reddendum ipſis Nucleum reconditum quo veſcerentur; cùm è contrà *Præexiſtentiam Animæ* doceri poſſent, nullâ ferè vi externæ Literæ *Moſis* illatâ, hoc eſt, *Literali* illius *ſenſui.* Quamobrem quòd Theorema *Motûs Terræ* deperditum ſit, nec inter *Judaicæ Cabbalæ* Reliquias appareat, nullum argumentum eſſe poteſt, quin olim pars illius extiterit.

3. Tertiò autem, Quamvìs *Structura* hujus Theorematis apud ipſos perdita ſit, *Fundamentum* tamen etiamnum manet, quod ſatìs evidens eſt indicium, *Ædificium ipſum* olim illìc ſtetiſſe. Atque *Fundamentum* hoc non ſolùm in ipſa lingua eorum cernere licet quemadmodum ſuprà notavi, ſed & in eorum ſcriptis. Cujuſmodi eſt

Cap. 3. ſect. 10.

Vide Grot. in Decalog.

illud in *Gemara, Non orbes, ſed in cælo liquido moveri ſydera, vetuſtiſſima Hebræorum ſententia eſt, ut nos docet* Gemara *ad initium Geneſeos.* Cæterùm iſti antiquiſſimi *Hebræorum,* niſi ſtupidiſſimi pariter eſſent, (quales proculdubio proximi *Moſis* ſucceſſores non erant ſed præſtantiſſimi Philoſophi, cùm ipſe *Moſes* citra omnem controverſiam talis eſſet) * impoſſibile erat ut cœlos liquidos tenerent, quin eo ipſo eos oporteret *Motum Telluris* pariter tenere, nec ut ipſi aut *Pythagoras* motum Telluris tenerent, quin ſimul Æthereos tenerent Vortices, quemadmodum planè demonſtravi in Epiſtola ad *V. C.*

Epiſt. ad V.C. *ſect. 7.*

4. Quartò & ultimò, Judæos expreſſim *Motum Terræ* tenuiſſe meo quidem judicio abunde jam evictum eſt, ex eis quæ attulimus ad probandum * *Pythagoram* aut *Judæum* ipſum fuiſſe, aut ſaltem doctrinam ſuam accepiſſe à *Judæis.* Cujus Veritatis, *Præexiſtentia Animæ & Divinitatis Triunitas,* quas *Pythagoras* docuit, haud obſcuræ ſunt Indicationes. * Manifeſtum enim eſt ex libro *Jetzirah, Judæos Triunitatem Divinitatis* perinde atque *Animæ Præexiſtentiam* tenuiſſe. Quapropter veriſimillimum eſt eum *Phyſicam* ſuam Philoſophiam ex eodem Fonte hauſiſſe atque *Metaphyſicam.* Cæterùm cùm pars hæc *Cabbalæ* Phyſiologica nec tam utilis eſſet, nec quantùm ad res Religionis tam obligatoria, nec tam facilè propter vaſtas in illa Theoria excurſiones, recipi potuiſſet & comprehendi, & comprehenſa quidem, per aliquam longam hominum ſucceſſionem non niſi difficulter retineri, (quippe quorum animi propriis commodis maximè addicti ſunt, ſive ad hunc Mundum ſive ad futurum pertinentibus) minimè mirandum eſt, quemadmodum jam monui, ſi tempus eam detriverit, permiſerítve ſubſidere & interire, cùm tam pauci reperirentur qui idonei eſſent ad eam recipiendam, aut qui è re ſua fore putarent eam recipere.

Vide cap. 1. ſect. 8.

5. Veruntamen, (id quod præcipuum eſt, quod hoc ultimo loco reſpondere inſtitui) quamvìs fama hujus partis *Cabbalæ* apud *Judæos* quodammodo extincta ſit, fuiſſe tamen eam aliquando arcanam eruditorum illius gentis Doctrinam, mihi abundè credibile videtur ex eo quod *Plutarchus* ſcribit de *Numa Pompilio.* Nam illa adeò rigida apud ipſum Imaginum in Divino cultu prohibitio, planè *Moſaica* eſt; quemadmodum & illud Principium, * Οὐ καλῶς φορεῖσθαι τὰ ἀπόρρητα ἐν ἀψύχοις γράμμασιν, *Libros inanimos arcanorum Myſteriorum haud idoneos eſſe traditores,* oſtendit eum *Cabbaliſticè* ſive per *oralem Traditionem* doctum fuiſſe; & in confeſſo eſt apud omnes, ſecretam quandam Doctrinæ magìs reconditæ Traditionem fuiſſe apud *Judæos.*

* Numæque Pompilii præceptor dicitur non *Græcus* quidem eſſe ſed Βάρβαρός τις βελτίων Πυθαγόρου, *Barbarus quidam major præſtantiórque ipſo Pythagorâ.* Et ubi obſecro talis inveniendus erat, niſi à *Judæis* oriundus? Veruntamen alia, fateor, eſt fama, eum inſtitutum fuiſſe à *Pythagora,* non autem à *Samio* illo, quippe qui aliquot pòſt ſeculis vixit, ſed à *Pythagora* quodam qui *Lacedæmonius* erat, quemadmodum ipſe *Numa* fuit. * Nam *Sabini* Colonia erant *Lacedæmoniorum,* prout *Plutarchus* affirmat.

In Vita Numæ.

Et ut rem ipſam preſſiùs attingamus, * Ipſi *Lacedæmonii* à *Judæis* erant oriundi, quemadmodum tum ex primo libro *Maccabæorum* tum ex *Joſepho* apparet. Nam *Areus Lacedæmoniorum Rex* in Epiſtola ſua ad *Oniam Pontificem Maximum* expreſſè affirmat, inventum eſſe in Scriptorum monumentis, quòd *Lacedæmonii & Judæi* fratres eſſent, & utrique ex genere *Abrahæ* oriundi. Epiſtoláque *Jonathæ Pontificis Maximi,* agnoſcit cognationem, ſícque rem eſſe ſe in Scriptorum monumentis inveniſſe: addítque præterea ſe *Lacedæmoniorum* recordari in ſacrificiis ſuis atque precibus, quemadmodum fratres decet.

1 Macc. cap. 12. v. 21. Joſ Antiquit. Judaic. lib. 13. cap. 11.

6. Age igitur, inquies, Eſto, Nam & valde probabile videtur ex iſtis circumſtantiis, *Numam* & à *Judæis* oriundum eſſe & Religione Doctrináque *Judaicâ* fuiſſe imbutum. Quid autem hoc ad rem? Quîve id probat *Motum Telluris* olim partem fuiſſe Traditionis *Cabbalæque Judaicæ*? Ex hoc tantùm conſtat, quod *Numa* veritatem illius Theorematis tam religioſè ſaperet, ut recognoſcens apud ſeipſum, nullum tam auguſtum Dei Templum eſſe quàm ipſum Univerſum, nec fieri poſſe quin omnibus illius Incolis ab unoquoque proſpectu rotundum appareat, in medióque ejus ſitum eſſe oporteat *ſemper-lucentem Ignem,* *Solem* intelligo, in hujus rei imitationem Templum rotundum extruxerit, quod appellatum eſt Templum *Veſtæ* de quo *Plutarchus* planè apertéque loquitur, * Νουμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ φρουράν, ἀπομιμούμενος οὐ τὸ σχῆμα τῆς γῆς ὡς Ἑστίας οὔσης, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου, οὗ μέσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἱδρῦσθαι νομίζουσι, καὶ τοῦτο Ἑστίαν καλοῦσι καὶ Μονάδα. Τὴν δὲ γῆν οὔτε ἀκίνητον, οὔτε ἐν μέσῳ τῆς περιφορᾶς οὖσαν, ἀλλὰ κύκλῳ περὶ τὸ πῦρ αἰωρουμένην, οὔτε τῶν τιμιωτάτων οὔτε τῶν πρώτων τοῦ κόσμου μορίων ὑπάρχειν· i. e. Numa *verò dicitur templum rotundum* Veſtæ *nunquam extinguendo Igni cuſtodiam circumſtruxiſſe; Non Terræ quidem figuram imitans, ac ſi illa eſſet*

Plutarch. in Vita Numæ.

Veſta, *ſed ipſius Univerſi, in cujus medio* Pythagorici *Ignem collocatum eſſe ſtatuunt, atque hunc* Veſtam *ac* Monadem *appellant. Terram verò nec immobilem eſſe nec in medio Mundani Circuitûs ſitam, ſed circa Ignem ſive Solem circumferri, neque unam ex primis præcipuiſque Mundi partibus exiſtere.* Ecquid manifeſtius iſtis teſtimoniis eſſe poteſt? Cæterùm cujuſque judicio permitto, quâ ipſi viſum fuerit confidentiâ de re ſtatuere.

SCHOLIA

In Cap. VI. Sect. 2.

QUamvìs Platoniſmus à Pythagoriſmo derivatus ſit, Theorema tamen de Motu Telluris omiſerit. *Poſt citationem è* Cyrillo Alexandrino, *quâ* Platonem *perinde ac* Pythagoram *in Ægypto commoratum eſſe probat* S. A. qualiſque eſſet *Moſes* illiúſque doctrina didiciſſe; *rogat heic ut* expediam, quî factum fuerit, quòd, cùm *Pythagoras* & *Plato,* pariter Philoſophiam *Moſaicam* in *Ægypto* deguſtârint, *Plato* tamen motum Terræ haud agnoverit. *Unde inſinuare vult motum* Terræ nullam *eſſe Philoſophiæ* Moſaicæ *partem, alioquin enim* Platonem *eam fuiſſe amplexurum. Ut omittam verò Annorum ampliùs ducentorum fuiſſe intervallum* Pythagoram *inter &* Platonem, *manifeſtum eſt ingenium* Platonis *rebus* Metaphyſicis *addictius fuiſſe quàm* Phyſicis; *indéque factum ut iſtud de* motu Terræ *Theorema aut omninò neglexerit aut tardiùs admiſerit,* Motum *intelligo præſertim* annuum. *Nam tametſi* Timæus Locrus *etiam diurnum Telluris motum omiſiſſe videatur,* Plato *tamen in ſuo* Timæo *eum innuere videtur iſtis verbis.* Γῆν δὲ τροφὸν ἡμετέραν, εἱλυμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐμηχανήσατο· *hoc eſt,* Jam verò Terram altricem noſtram, circa axem per Univerſum extenſum circumvolutam Diei, & Noctis effectricem cuſtodémque fecit Deus. *Quid iſtis vocibus aptiùs Terræ circumvolutioni circa axem quadrare poteſt?* Proclum *agnoſco,* Platonicum *quidem ſed haud uſque adeò peritum Philoſophum pro* εἱλυμένην *legere* ἰλλομένην, *quam vocem interpretatur per* σφιγγομένην *&* συνεχομένην, *dicitque Terram* περὶ τὸν ἄξονα τοῦ παντὸς συνέχεσθαι καὶ συσφίγγεσθαι, circa axem Univerſi contineri & conſtringi. *Hæc verò* Procli *interpretatio non tam bellè convenit voci* δημιουργὸν, *Solem enim potiùs diceret Diei Noctiſque opificem quàm Terram, niſi Terra motu diurno circa Axem moveretur, atque ſic Diei & Noctis viciſſitudinem efficeret. Et verò* εἱλυμένην *veram & antiquam fuiſſe lectionem, conſtare poteſt ex* Cicerone, Academ. Quæſt. *lib.* 4. *ubi hæc habentur. Nicetas Syracuſanus,* ut ait *Theophraſtus,* Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, ſupera denique omnia ſtare cenſet, neque præter Terram rem ullam in Mundo moveri, quæ cùm circa axem ſe ſummâ celeritate convertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ, ſi, ſtante Terrâ, Cœlum moveretur. Atque hoc etiam *Platonem* in *Timæo* dicere quidam arbitrantur, ſed paulò obſcuriús. *Quod tamen non paulò obſcuriùs ſed nimis quàm obſcurè diceretur, niſi* εἱλυμένην *legatur, non* ἰλλομένην. Nicetam *autem illum* Syracuſanum *de motu diurno intelligendum eſſe palàm eſt, cùm &* Lunam *ſtare dicat, quod verum eſſe non poteſt niſi quantùm ad motum ejus diurnum.* Neque præter Terram rem ullam in Mundo moveri. *Motu nempe diurno, ut magìs adæquatè cum hac* Platonis *opinione in* Timæo *conveniat, qui motum Terræ duntaxat diurnum ibi tradit. Paulatim verò totam doctrinam* Moſaicam *ſive* Pythagoricam *imbibit & approbavit, referente, in* Numa, Plutarcho, *eum jam ſenem eadem cum* Pythagoricis *de Terra ſenſiſſe, & alio loco eam repoſuiſſe, medium verò domicilium alteri cuidam attribuiſſe præcellentiori, Soli nimirum. Qui locus citatur ab ipſo* S. A. *Tam parum reliquum eſt dubii de* Platonis *opinione circa motum Terræ, quanquam illius ſucceſſores brevì iſtam doctrinam, quippe qui rebus* Metaphyſicis *omnino addicti fuerunt, paſſi ſunt intercidere. De quibus potiſſimùm, quæ ſcripſi hic intelligi volo, ſed & aliquantulum etiam perſtringi, ipſius* Platonis, *circa hoc Theorema, tarditatem.*

Exam. Gener. p.128.

Quemadmodum conſtat apud Timæum Locrum, &c. *Verba ſunt.* Γᾶ δ' ἐν μέσῳ ἱδρυμένα Ἑστία θεῶν, ὅρος τε ὄρφνας καὶ ἡμέρας γίνεται. *Tim. Locr. de Anima Mundi.*

Sed ſpeciali præterea animi robore, quo ſuſtinere poſſent Moſaicum videre Literæ Corticem quaſi diffringi, &c. *Corticem* Literæ Moſaicæ *hic intelligo exteriorem, ſenſum utique maximè obvium vulgique captui accommodatum. Poſſe verò alium etiam* Literæ *ſubeſſe ſenſum magis reconditum ac* Myſticum, *nemo niſi qui perquam protervo ſit ingenio & contra communem Patrum ferè omnium ſententiam contumax poteſt negare. Cortex verò exterior confringi poteſt & interior detegi citra omnem vim* Literæ Moſaicæ *factam, quò minùs integra maneat & incolumis. Nullúſque ſenſus bonus haberi debet qui* Literam *in*

Exam Gener. p.129, 130.

ullo Apice grammatico auſit violare. Quam legem in mea Interpretatione me obſervâſſe contra inurbanas cavillas & convitia S. A. *acriter contendo. Nec vel minimam ſpeciem prophanitatis habere ſi quis ſenſum* Myſticum *aliquando præferat* Literali, *ut Auctum Putamini. Tota enim* Lex Moſaica *quaſi Putamen eſt, ſi cum Chriſtianitatis Nucleo conferatur.*

Exam. Gener. p. 130.

Sect. 3. Impoſſibile erat ut Cœlos liquidos tenerent quin eo ipſo eos oporteret, &c. S. A. *aut perperam intellexit aut datâ operâ corrupit hunc locum ut videri poſſet habere quod opponeret. Nam pro* [*eos oporteret*] they mought, *ille vertit,* [poſſent,] *quaſi ſcripſiſſem,* they might, *non autem* they mought. *Longè verò diſtant & ſenſu & origine* might & mought, *cùm* might *à* may *quod poſſe,* mought *verò à* muſt, *quod oportere ſignificat, deducendum ſit. Ille verò tanquam ſi ſcripſiſſem,* they might, [*motum Terræ poſſent tenere*] *ſic inſurgit:* Quod verò ex *Grotio* producit nil planè ad rem facit, quia à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Crediderunt antiqui *Hebræi* ſidera in cœlo liquido moveri, adeóque potuerunt etiam motum Terræ credere. Si arbitrati ſunt hanc unquam fuiſſe ſidus, omnino fatendum eſt. Sed iſtud poſſe nil ponit in eſſe. Credunt Ætherem fluidum *Tycho* quoque & alii, qui tamen iſtam Terræ delationem non agnoſcunt. *Quàm facunda & copioſa res eſt Ignorantia! Si mentem meam rectè intellexiſſet, hujus objectionis maxima ex parte feciſſet compendium. Non arguo à* poſſe *ad* eſſe, *ſed à* neceſſe eſſe *ad* eſſe, *quanquam fateor à neceſſitate* Hypothetica, *nempe ſi quis admittere velit, ſapientes* Hebræorum, (*quod abunde credibile eſt*) *ingenio fuiſſe haud ità ſtupido ac obeſo. Hoc enim qui conceſſerit perinde atque tenuiſſe cœlos eſſe liquidos, ſtatim videbit* motum terræ *eos pariter tenuiſſe, quemadmodum intelligere eſt ex eis quæ ſcripſimus in Epiſtola ad* V. C. *Sect.* 7. *Quò Lectorem brevitatis cauſâ remitto. Quod verò ad* Tychonem *attinet, longè equidem abeſt, ut hominem exiſtimem obeſo ingenio, ſed prudenti & callido, & animo fortean ſuperſtitionibus irretito. Inſtar monſtri verò eſt eum rem* Aſtronomicam *eò deduxiſſe, ut* Saturnus, Jupiter *&* Mars, Venus *item &* Mercurius *circa* Solem *moveri intelligerentur, & tamen interim ut Terra quieſceret, cùm nec illi circa Solem moveri poſſint, niſi cœleſtis Materiæ circumductu. Sed ad locum ſuprà dictæ Epiſtolæ Lectorem remitto. Quem ſi ſatìs perpenderit, ſpero mihi facilè aſſenſurum, veteres* Hebræorum *ſapientes, cùm cœlos liquidos tenuerint, incredibile planè eſſe eoſdem* motum Telluris *non ſimul tenuiſſe.*

Exam. Gener. p. 131.

Sect. 4. *Pythagoram* aut *Judæum* ipſum fuiſſe aut ſaltem doctrinam ſuam accepiſſe à *Judæis,* &c. *Præterire hîc non poſſum quàm egregium prævaricatorem ſe præſtiterit* S. A. *dum rationes ſolidas hoc Paragrapho contentas ſic conatur pervertere.* Num enim ſequitur, *ait ille, Pythagoras* Philoſophiam ſuam, *h. e.* ſaniora quæ de Deo & rebus Divinis tradidit, hauſit à *Judæis,* utì antiqui Scriptores teſtantur, Ergo omne *Pythagoricum* dogma eſt *Judaicum,* & contrá? Hauſit quædam *Metaphyſica,* ergo totam *Metaphyſicam,* cui nihil de ſuo addidit, ergo & *Phyſicam.* Accepit *Phyſica* nonnulla, ergo totam *Phyſicam* eodem modo. Denique dogma de motu terræ ob hanc vel iſtam cauſam facilè deperdi potuit, ubi adfuit, ergo adfuit. Quis ità ratiocinatur, &c.

*Perſ.

---------- Nemo, herculè nemo,

niſi juvenis Philoſophiæ profeſſor idémque Doctor Theologiæ S. A. *qui Hiſtrionem ludicrum Mimúmve mavult agere quàm ſerium ſolidorum argumentorum examinatorem contrà ac in Titulo libri ſui videtur profeſſus. Vis meæ argumentationis in hoc quarto Paragrapho breviter hæc eſt. Metaphyſica ſaltem quædam à* Judæis *hauſit* Pythagoras, (*fatente ipſo* S. A. *teſtimoniis antiquorum convicto*) *ergo ea ipſa præſertim quæ* Textui Moſaico *tam pulchrè convenire deprehendimus. Quis enim niſi planè vecors qui ulla hauſiſſe conceſſerit, quin iſta hauſiſſe lubentiſſimè ſit agniturus? Deinde cùm ſapientiſſimus omnium Philoſophantium perinde atque Religioni addictiſſimus habitus ſit* Pythagoras, *teſtante* Joſepho, *incredibile eſt opportunitatem nactus ex conſuetudine cum* Judæis *de rebus* Phyſicis *etiam ſciſcitandi, ut eam negligeret, nec ſelectiora ſaltem quæque Theoremata* Phyſica *veteris* Cabbalæ *à* Judæis *hauriret, cùm & vir pius eſſet & egregii acuminis, adeò ut in ipſo nullum eſſet obſtaculum ſive impedimentum. Si verò ulla iſtiuſmodi ſelectiora Theoremata* Phyſica *à* Judæis *acceperit, quàm abſurdæ ac ridiculæ ſcrupuloſitatis eſt dubitare an ea acceperit, quæ maximè præclara ſunt* Divinâque *traditione maximè digna; inter quæ excellit* verum Mundi Syſtema, *quod* motum Terræ *circa Solem neceſſariò complectitur; &, quod caput rei eſt, quanquam inopinato quidem, firmo tamen certóque artificio,* Textui Moſaico *facillimè applicatur, arctiſſiméque adhæret;* ‖ *Quemadmodum in Explicatione quarti Diei fuſè demonſtravimus. Denique Philoſophicus Theologicúſque hic Mimus eſt non ego, qui ſic argumentatur: Dogma hoc de* motu Terræ *ob certas quaſdam cauſas de-*

‖ Vid. & Cap. 5. Sect. 7, 8.

perdi potuit ubi adſuit, ergo adſuit. Ego enim objectioni tantummodo per anticipationem occurro, non novo utor argumento. Et poſtquam firmiſſimis argumentis doctrinam de motu terræ apud Judæos Pythagoræ *temporibus viguiſſe demonſtráſſem, cauſas aperio cur iſtud dogma apud* Judæos *poſtea interciderit, nè quis ſuſpicetur iſtam opinionem nunquam extitiſſe apud* Judæos, *quia jam non extat. Quid autem hoc eſt niſi objectionem anticipare, non autem novum adhibere argumentum, quo probem, quod ſatìs probatum erat antea?*

Manifeſtum enim eſt ex libro Jetzirah Judæos Triunitatem Divinitatis, &c. Fateor, *heîc inquit S. A.* ſi ad hoc myſterium quævis Trinitas ſufficit, *Judæos Cabbaliſtas* & *Pythagoram* hanc quoque credere. Ternarius enim iſtis & huic Myſticus eſt. Sed ſi Triunitas, (*quâ voce me dicit uti*) trium Perſonarum in una Eſſentia intelligitur, ab iſtis æquè negatur hodiedum ac huic incognita fuit. *An* Cabbaliſtæ *&* Pythagoras Trinitatis Myſterium *eodem planè modo intellexerint, quo nunc dierum* Scholaſtici, *nihil refert quantùm ad vim noſtræ argumentationis. Si* Pythagoras *pariter ac* Judæi Cabbaliſtæ *Triunitatem Divini Numinis tenuerint, ſatìs magnum indicium eſt, quandoquidem* Pythagoras *verſatus eſt cum* Judæis, *eum ab ipſis, hoc quale quale ſit Myſterium hauſiſſe. Qui unicus eſt argumenti mei ſcopus. Attamen profectò ea ipſa quæ extant in libro* Jetzirah, *quæque hîc profert ipſe* S. A. *de Trinitate, doctrinam innuunt Chriſtianæ valdè conſimilem. Nam* כתר *ſeu* Corona, הכמה Sapientia, *&* בינה Intelligentia, *appellantur* ג מוחות tres Mentes, *vel* Medullæ *ſeu* Cerebella, *& dicuntur uniri* בנקורה אחת *in Centro uno. Quàm parùm, obſecro, hoc (rectè intellectum &* Symbolico cortice *exutum*) à Chriſtiano Trinitatis Myſterio *abeſt? Noli enim* מוחות cerebella *aut* medullas *interpretari, (quod inſulſum eſſet ſic intelligere) ſed* Mentes, *&* tres Perſonas *habemus. Ecquid enim intelligere poteſt nec tamen eſſe Perſona? Tres igitur perſonas habemus in Divino Numine. Sed unam Eſſentiam requirimus. Noli centrum unum quo uniuntur hæ* tres Mentes, Mathematicè *intelligere, ſed* Symbolice *&* Metaphyſicè, *&* unam *ſtatim* Eſſentiam *deteges, cùm* Centrum *ſummæ & maximè indiviſibilis* unionis unitatíſve *ſit Symbolum. Diſtinctæ igitur* Mentes *quæ ſic uniuntur unam unitiſſimam faciunt* Eſſentiam, *ſummâve ſimplicitate Eſſentiali unam, nè* S. A. *Eſſentiæ unitatem deeſſe conqueratur.* Sed unico Teſte nitor eóque dubio. *Quàm minimè dubii ſenſûs ſit hic Teſtis jam vidimus, & quanquam unicus ſit, apud* Judæos *tamen magni æſtimatur. Sed addo porrò aliis in libris occurrere mentionem* Sephirotharum, *& tribus primis* Divinitatem *aſcribi, reliquas deſcendere ad Creaturas; de quibus rebus cùm alibi mihi dicendum ſit, in præſens quicquam ſuperaddere ſuperſederem, niſi me abſtinere nequeam quin quæ apud eruditiſſimum* veri Syſtematis Mundi Intellectualis *Authorem de Trinitate* Samothracica *occurrunt huc accumulem. Bella enim ſunt & quæ Doctrinæ Cabbaliſticæ antiquitatem mirificè ſuffulciunt. Neque enim dubitandum eſt, quin decem* Sephirotharum *Myſterium ſimul cum Divini Numinis Triunitate olim eſſet propagatum. Breviter igitur rem ſic accipe: In Templo Capitolino tria ſacella fuere ſub uno tecto contenta, in quibus collocata ſunt Simulachra, in ſacello ad dextram,* Minervæ *ſimulachrum, in ſacello ad ſiniſtram,* Junonis, *in medio autem* Jovis. *Trinitatem hanc Capitolinam, Divinarum Hypoſtaſeon Trinitatem ſignificare, præeunte hac in re* G. J. Voſſio, *eruditiſſimus Author non dubitat affirmare. Nec id quidem temerè, cùm tria hæc Capitolina Numina dicuntur primitùs in* Italiam *ex* Phrygia *per* Trojanos *vecta, priùs verò in* Phrygiam *ex* Samothrace *per* Dardanum, *idque octingentis ferè annis poſt* Noachi *Diluvium, referente* Euſebio. *Hos tres Deos, (quippe per quos penitus ſpiramus animique rationem poſſidemus, ut vult* Macrobius, *vel quòd Dii ſunt, qui ſunt intrinſecùs atque in intimis penetralibus Cœli, ut vult apud* Arnobium Varro) *Latini* Penates *appellàrunt,* Samothraces *verò* Καβείρȣς, *quam vocem* Varro, *Divos potes, i. e. Deos potentes interpretatur. Quæ vox* Cabiri *cùm eadem planè ſit quæ Hebraica* כבירים *juſtam dat ſuſpicandi occaſionem, inquit eruditiſſimus Author, antiquam Traditionem trium Divinarum Hypoſtaſeon (quam, ait, apud Græcos,* Orpheum, Pythagoram *&* Platonem *certiſſimum eſt tenuiſſe, & fortean Ægyptios & Perſas) ſuam Originem ab Hebræis duxiſſe. Et certè prima Hypoſtaſis* Jupiter, (*qui in medio intelligi poteſt non aliter collocatus quàm* Kether *in Tabulis Cabbaliſticis, hoc eſt cum quadam Superioritate) ſive* Jovis *Pater, eſt planè* Jehovah *Pater. Ut verò* Jehovah *Filius in ſacris Scripturis* Sapientia *dicitur & ſecunda* Sephirah הכמה, *ità ſecunda Hypoſtaſis hîc dicitur* Minerva *ex Jovis Cerebro nata. Qui* Divinus *igitur eſt* Logos, (*quem* Platonici Νȣ͂ν *appellant) ſive æterna Sapientia. Ipſéque* Varro Minervam *eam eſſe ſtatuit in qua* Ideæ & exempla rerum *eſſent; quod optimè convenit Divino* Logo, *utpote in quo Rationes Ideæque rerum omnium continentur.* Juno *verò, quippe Amor & Delicium* Jovis, *etiam ſecundùm* Voſſium *haud incommodè reſpondet Divino Spiritui. Et* Ἥρα *Græcè, quæ eſt Juno, quemadmodum alibi moneo, dicitur ab ἐρᾷν, qui character peculiaris eſt apud Chriſtianos, Spiritûs ſancti. Uxor autem dicitur* Jovis *quòd innumeram*

Exam. Gener. p. 132.

innumeram ex ea Vitarum Animarúmque tum hominum tum Deorum, hoc eſt Angelorum, genuerit prolem. Quam ob cauſam etiam tertia Sephirah dicitur בינה *quaſi* בְּנָה *à* בנה *ædificavit (perinde atque à* בן *intellexit) unde &* בֵּן *filius. Et totus quidem Mundus apud Ægyptios & Platonicos, Filius Dei dicitur, ut qui immediatus partus eſt* Junonis *ſive tertiæ Hypoſtaſis. Unde & meritò dicitur* Jovis *Uxor, rectéque* בינה *etiam ad* בנה *alludere cenſetur.*

Et quod ad unitatem hujus Trinitatis Samothracicæ *attinet, niſi* Juno *&* Jupiter *unum quid eſſent Eſſentiâ, non autem ſeparati, Deus non eſſet* ἀρρενόθηλυς, *(Minerva enim niſi Grammaticè nihil* θηλυκὸν *ſonat, ut nec* הכמה *apud Cabbaliſtas quæ Pater dicitur ut* בינה *Mater) contrà ac tenuerunt omnes Myſtici Theologi & eorum quidem ſenſu omnes debent tenere. Quippe quum hoc* ἀρρενόθηλυ *Symbolum tantùm ſit Divinæ virtutis omnia ex ſe procreantis, quo ſenſu* Juno *Mundi genetrix, rectè perhibetur fæmina ſeu Uxor* Jovis. *Quamobrem* Jupiter *nullam habere poteſt* Junonem *ipſi non* ὁμοούσιον, *alioqui non eſſet* ἀρρενόθηλυς, *contrà ac* Orphica *ſtatuit Theologia.*

Id certè majoris difficultatis eſt, Orphicam *hanc ſive* Thraciam *Theologiam conciliare cum* Samothracica, *Cabbaláve Hebraica. Trinitas enim* Orphica *non eſt* Jupiter, Minerva, Juno, *ſed* Phanes, Uranus, *&* Cronus, *qui Pater eſt* Jovis. *Sed ut breviter hunc nodum ſolvam. Primò notandum eſt* Phaneta *hunc,* Parmenidis *eſſe* ἓν ὄν, *quod Hebraicè ſonaret,* Jehovah, *hoc eſt,* Jovis *vel* Jupiter. *Quæ Hypoſtaſis* Parmenidea *dicitur* τὸ πᾶν, ὅτι πάντα διακεκριμένως ἐκφαίνει ἀφ' ἑαυτοῦ, *uti monet* Simplicius. *Unde manifeſtum eſt* Jehovam *Patrem apud* Orpheum *ſignificantiſſimo vocabulo appellari* Phaneta.

Porrò, cùm nec ſecundam nec tertiam Hypoſtaſin ἐκφαίνειν, *hoc eſt, edere valeret, niſi eaſdem in ſe aliquo modo haberet, itaque duas alteras Hypoſtaſes in ſe cenſetur* aliquo modo *continere, i. e.* συνῃρημένως καὶ ἡνωμένως, *ut idem loquitur* Simplicius: *non per modum plurium Hypoſtaſeon, ſed virtute potiùs ac poteſtate.* Phanes *igitur prima Hypoſtaſis eſt, ipſéque* Jehovah *Pater qui dicitur &* Uranus *&* Cronus. *Quemadmodum in Tabula ſecunda Cabbaliſtica, ſecunda tertiáque* Sephirah *in prima* Sephirah *continentur* ἡνωμένως, *quanquam poſtea exhibentur* διακεκριμένως. *Neutra autem Trinitas nec* Orphica *nec* Cabbaliſtica *ſic exhibita, Trinitas eſt ſed ſimplex Hypoſtaſis,* Kether *nempe* Cabbaliſtica, Phanes *Orphicus,* Platonicum Τἀγαθὸν *&* τὸ ἓν Parmenideum, *quod &* τὸ νοητὸν πάντων αἴτιον *appellat* Simplicius. *Ex quo &* Νοῦς Δημιουργὸς *emergit,* Πρωτόγονος Θεὸς *apud* Orpheum, *ac ſecunda proinde Hypoſtaſis, qui &* Δημιουργὸς Ζεὺς *tum ab* Orpheo *tum à* Platone *celebratur, ut refert* Proclus.

Unde tandem ſatìs liquet Theologiam Thraciam *cum* Samothracica *ſive Hebraica optimè conſiſtere. Cùm enim* Phanes, Uranus *&* Cronus *eadem Hypoſtaſis ſit,* ὁ Δημιουργὸς Ζεὺς, Jupiter *Opifex, planè filius eſt* Croni *ſive* Saturni, *quemadmodum vulgò celebratur; cúmque hic* Δημιουργὸς Ζεὺς *propriè ſit,* Νοῦς *rectè reſpondet* Minervæ *in Trinitate* Samothracica, *&* τῇ הכמה *ſecundæ* Sephiræ *in Cabbala Judaica. Utque* Kether *Summitas eſt in iſta Triade Judaica, ità* Κρόνος *haud ineptè exiſtimari poteſt* τὸ ἄκρον τοῦ νοῦ, *quod & alibi moneo.*

Ut ſummatim igitur dicam, Prima Hypoſtaſis, qui eſt Jupiter *ſive* Jehovah *Pater,* Phanes *dicitur quatenus* πάντα ἀφ' ἑαυτοῦ ἐκφαίνει, *juxta Magicum illud ſive Chaldaicum Oraculum,*

Εἰσὶ πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα.

Omnia ab uno Igne producta ſunt. *Dicitur verò* Uranus *quatenus ipſe eſt hic Ignis.* Uranus *enim* Ignem *ſignificat ab* אור, *cùm reliqua pars vocis terminatio tantùm ſit nec quicquam ſignificet. Qui quidem* Ignis *ſive* Uranus *tanquam prior naturâ rectè reſpondet* Νόῳ *ſive* Λόγῳ *ſecundæ Hypoſtaſi, ut Ignis, Luci.* Ὁ γὰρ λόγος φῶς, *inquit* Plotinus. *Denique* Κρόνος *dicitur vel tanquam* ἄκρον τοῦ νοῦ *(tota enim Trinitas eſt unum* τὸ θεῖον*) quaſi* ἀκρόνοος *dictus eſſet, vel tanquam quippiam exiſtens* ὑπὲρ τὸν νοῦν, *vel* ἐπέκεινα τοῦ νοῦ *ut* Pſellus *loquitur.* Πλὴν ὁ θεὸς καὶ τοῦ νοητοῦ καὶ τοῦ αὐτονοήτου ἐπέκεινα. Κρείττων γὰρ παντὸς καὶ νοήματος καὶ ῥήματος. *Cujus ſanus ſenſus eſſe poteſt, Primum Principium nullâ* Intellectuali *Ideâ attingi poſſe, ſed tantummodò* Vitali. *Atque ob hanc rationem* Saturnus *rectè dicitur à* סתר, latuit, *quòd nulli Intellectuali Ideæ ſive notioni* Cronus *hic ſive* Saturnus *expoſitus ſit, ſed tantùm* Vitali *ſive* Δυνάμει ἀγαθοειδεῖ. *Ac proinde reſpondet hic* Cronus *ſive* Saturnus *tertiæ Hypoſtaſi,* τῇ ἐν Λόγῳ ζωῇ, *ut* Johannes *loquitur, vel* τῇ θείᾳ ψυχῇ, *ut* Platonici. Τῇ Ἥρᾳ, Junoni *tertiæ* Samothracicæ *Trinitatis Hypoſtaſi, Amori ac Delicio* Jovis, *cui Spiritum S. vitæ fontem* J. Voſſius *comparat, ut qui* τὸ ἀγαθοειδὲς τῆς ψυχῆς *in animabus purificatis excitat, quò profundum hoc & abſconditum Bonum ſuo modulo attingant. Quodſi* Κρόνον *ad* Χρόνον *alludere malles, tum eſt ille ſimpliciſſimus & ſimul* *coexiſtens* Αἰὼν *qui neceſſariò in primo Principio continetur, cujúſque,* ἡ θεία ψυχὴ (*ſive* Juno *uxor* Jovis) *in Mundi partu Tempus peperit Imaginem. Tam parùm infirmat* Orphica *ſive* Thracia *Trinitas* Samothracicæ *ſive* Capitolinæ *Trinitatis concinnitatem ac fidem.*

Et certè æquum eſt cùm Cabiri Samothraces *& antiquiores ſint & ab Hebraica Origine ducti, ut ad eorum legem Trias* Orphica *expendatur, & non vice verſâ. Majórque forſan quibuſdam videbitur congruentia ſi* Φάνης, Ὀυρανὸς *&* Κρόνος *idem prorſus habeantur quod* Τ᾽ἀγαθὸν, Νοῦς *ſive* Λόγος, *&* Ψυχὴ· *ità ut* Τ᾽ἀγαθὸν, Φάνης *vocetur, ut qui* πάντα ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἐκφαίνει· Λόγος *verò* Οὐρανὸς, *ut qui ſit* τὸ πρῶτον ἐξ αὐτοῦ ἐκφαινόμενον, *primum ex eo elucens, quatenus ab* אור *Lux deduci poſſit perinde atque ab* אור *Ignis.* Ὁ γὰρ λόγος φῶς, *ut ſuprà monui. Et* Ψυχὴ *denique* Κρόνος, *ut quæ Mundi genetrix ſit, & ſimul cum Mundo, Temporis & evolutionis Seculorum. Atque ſic exactè reſpondebit* Orphica *Trinitas* Samothracicæ; Phanes, Uranus *&* Cronus, Jovi, Minervæ *&* Junoni. *Atque equidem probabile eſt Trinitatis* Orphicæ *Nomina pro more Symbolorum Cabbaliſticorum, quæ res plures ſæpe ſub uno Titulo condunt, utrumque Myſterium in ſe continere. Vide* Verum Syſtema Mundi Intellectualis, *lib.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 27. *& ſect.* 17. *Et* Macrob. Saturnal. *lib.* 3. *cap.* 4.

Sect. 5. Οὐ καλῶς φορεῖσθαι τὰ ἀπόῤῥητα, &c. *Hæc* S. A. Numæ *me tribuere ait tanquam Principium, cùm* Plutarchi *ſint, rationem ſuo judicio reddentis cur* Numa *voluerit libros ſuos ſecum ſepeliri. Sed obſecro te, mi* Andreade, *quomodo rationem facti* Numæ *reddere potuit* Plutarchus, *niſi ipſe* Numa *eam rationem ſectatus eſſet? ipſáque fuiſſet* Numæ *opinio? Quam &* Pythagoreorum *fuiſſe ſtatim ſubdit* Plutarchus, *innuens illorum perinde fuiſſe atque ipſius* Numæ. *Quòd autem libros ſcriptos haberet* Numa, *cum ſententia illius de orali Traditione minimè pugnat, cùm oralis illa Traditio monumenta ſcripta non excludat, ſed tantùm nè Myſteria in vulgus emanent, præcavet. Et ſapientes* Judæorum *modernos etiam nunc curare ut ſcripta ſecretioris* Cabbalæ *ſecum ſepeliantur, à fide digno Authore accepi.* Exam. Gener. p. 134.

Numæque Pompilii præceptor dicitur, non *Græcus* quidem, &c. *In hunc locum* S. A. *admodum oſcitanter ſic animadvertit.* Quod enim ille *Plutarchum* tradere putabat, id is negat haud obſcurè, vel ſaltem ceu dubium recenſet, utì totus contextus arguit. *Egóne verò hìc* Plutarchum *affirmare aio præſtantiorem aliquem* Pythagorâ *Numæ fuiſſe præceptorem? Quinimò tantùm in genere ſic dici innuo. Miniméque omnium ſine cauſa dictum eſſe ſatìs patet, cùm* Pythagoram Samium *præceptorem ejus fuiſſe impoſſibile ſit. Nec omnino negat* Plutarchus *talem Barbarum ei præceptorem eſſe potuiſſe, putà* Judæum. *Et ſi* Pythagoram *illum* Spartiaten *ei fuiſſe præceptorem concederetur, ad originem rurſus* Judaicam *res tandem reduceretur.* Exam. Gener. p. 135.

Nam *Sabini* colonia erant Lacedæmoniorum prout *Plutarchus* affirmat. *Non affirmat* Plutarchus, *inquit* S. A. *Sabinos* (*unde* Numa *oriundus*) coloniam eſſe *Lacedæmoniorum*, ſed narrat *Sabinos* id velle ac jactare. Σαβῖνοι δὲ, *inquit*, βούλονται Λακεδαιμονίων ἑαυτοὺς ἀποίκους εἶναι. *Quaſi verò* βούλονται, [jactant] *ſignificet, non autem* [*volunt*] *i. e. ſtatuunt* μετὰ βουλὴν, *poſt maturam deliberationem examinationémve determinant ac pronunciant. Ità &* βούλεσθαι *& Latinam vocem* Velle *ſæpiſſimè ſignificare notiſſimum eſt. Et in hoc ipſo loco ſic ſignificare planè conſtat ex eis quæ occurrunt apud* Plutarchum *in vita* Romuli. *Ubi de* Sabinis *ſic ſcribit.* Οἱ δὲ Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν καὶ πολεμικοὶ, κώμας δὲ ᾤκουν ἀτειχίστους· ὡς προσῆκον αὐτοῖς μέγα φρονεῖν καὶ μὴ φοβεῖσθαι Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσιν. *Hìc apertè affirmat* ipſe Plutarchus Sabinos *coloniam eſſe* Lacedæmoniorum.

Ipſi Lacedæmonii *à* Judæis erant oriundi, &c. *Ad quæ* S. A. Fuerunt, *inquit*, iſti & *Judæi* συγγενεῖς, ſed ἐκ γένους Ἀβραάμ, ex ſtirpe *Abrahami*, ut in libro *Macab.* legitur, *vel* ἐκ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ οἰκειότητος ex domo *Abrahami*, *utì* Joſephus *Antiquit. lib.* 12. *cap.* 15. Quis verò hinc colligat *Lacedæmonios* fuiſſe *Judæos*, *&c. Nemo quidem quòd ex Tribu* Judæ *oriundi ſint, quò* Judæi *propriè appellentur, ſed quòd in genere ex nobili ſtirpe* Judæorum *ſint prognati, quorum pater erat* Abrahamus. *Quod ſatìs noſtro propoſito quadrat, cùm ex ſuprà dictis abundè conſtet* Abrahamum *eandem quam* Moſes *habuiſſe* Cabbalam, *& vi illius Divinitùs traditæ Sapientiæ Polytheiſmum & Idololatriam penitus ſubvertiſſe. Sed addo porrò ex iſta generaliori cognatione occaſionem datam fuiſſe quâ conſuetudinem haberent cum* Judæis *propriè ſic dictis, quemadmodum conſtat ex literis* Arei Lacedæmoniorum *Regis &* Jonathanis *Pontificis* Judæorum. *Quod verò inſuper urget* S. A. Quis hinc propagatam cum genere *Abrahami* diſciplinam inferat quin liceat pari fide omnium Mortalium religionem ad Inſtituta *Noachi* revocare, *inſcitè id profectò imperitéque objicitur. Neque enim par eſt utrobique ratio. Annon is qui ſic argumentaretur; Illud inſtitutum quod apud ſolos* Noachi *poſteros reperitur, eſt Inſtitutum* Noachicum *quod ipſe* Noachus *tradidit; Sed hoc vel illud Inſtitutum apud ſolos* Noachi *poſteros reperitur, Ergo, &c. Annon ille, inquam, qui ſic argumentaretur, omnibus ſe deridendum propinaret? Quippe quòd* Noachi *poſteri totum humanum genus poſt Diluvium complectuntur. Si quis verò ſic ratiocinaretur; Illud dogma quod apud ſolos* Abrahami *poſteros aut apud eos qui illud ab ipſis acceperint reperitur, eſt dogma* Abrahamicum; *Sed dogma de motu Terræ apud ſolos* Abrahami *poſteros aut apud eos qui ab ipſis illud acceperint reperitur, Ergo dogma eſt* Abrahamicum; *Genuinum primo aſpectu ſolidúmque appareret argumentum, nullóque modo ridiculum aut diſtortum. Neque enim vis noſtri argumenti in eo conſiſtit, quòd univerſim cum genere* Abrahami *diſciplina illius propagata eſſet, ſed quòd quædam dogmata apud* Abrahami *poſteros ſolos eóſve ſaltem qui ea ab illius poſteris acceperint reperiuntur, ac proinde ad* Abrahami Cabbalam *debent referri. Qua de re mox plura.*

Sect. 6. Νυμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν, &c. *In hunc locum* S. A. *hæc objicit,* Plutarchi, *inquit,* verba ſunt λέγεται, aiunt, ferunt. Quis autem ignorat multa ferri quæ nudâ conjecturâ nituntur? *Perquam frigidè profectò ac jejunè; præſertim hoc in loco, ubi ipſius rei natura communi famæ conſentit, ut* Plutarchi *calculum omittam. Templi forma talis, Ignis in medio ità ſitus, tantáque Religione à Veſtalibus cuſtoditus nè extingueretur, ac ſi paris momenti eſſet atque Solis in medio Mundo extinctioni præcautio, omniáque ità planè concinnata tanquam ſi datâ operâ ſyſtema Mundi* Pythagoricum, *Templum hoc ritúſque imitarentur, & communis inſuper addita fama illud ipſum* Numæ *inſtitutum fuiſſe; & tamen hæſitat dubitátque* S. A. *an ità prorſus ſe res habeat. At quid ità obſecro? Nempe quòd idem* Plutarchus 18. *Quæſt. Roman. hanc dat cauſam cur* Numa *à Januario novum Annum auſpicatus ſit, quia tum Sol progrediendi fine facto revertitur, & ad nos curſum reflectit, &c. quaſi hic aſſereret* Plutarchus Numam *Solem non Terram moveri cenſuiſſe. Cùm tamen* Plutarchus *heic tantum intendat cauſam reddere innovationis* Numæ *circa Anni initium, quæ perinde valet, ſive Sol ſeu Terra moveatur, atque hinc communi loquendi formâ uſus eſt non* Pythagoricâ *verève Philoſophicâ.*

Sed & ipſum Andreaden *tandem hujuſmodi cavillationum pudet, concedítque* Numam motum Terræ *credidiſſe; ſed cætera quæ afferimus, eundem nequaquam religione* Judaicâ *imbutum, nedum fuiſſe* Judæum *evincere. Simulachra è Templis elimináſſe præter* Plutarchum *Doctores etiam Chriſtianos,* Clementem Alexandrinum, Euſebium, Cyrillum, *&* Clementem *ſaltem id eum feciſſe* ἐκ τῆς Μωσέως ὠφεληθέντα *affirmare concedit, nec tamen fidem ei adhibet* Andreades, *quippe* Clemente (*quem nihilominùs alibi non* Hieronymi tantùm judicio ſed aliorum quoque omnium eruditiſſimum, in cujus libris nihil indoctum, nihil non ex media Philoſophia depromptum, aſſerit) *longè longéque naſutior. ſed & explicitam rationem profert ſuæ incredulitatis,* Numam ſcilicet non elimináſſe omnia ſimulachra, ſed vetuiſſe ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεοῦ νομίζειν, ea tantùm ſubmoviſſe quæ Imaginem Dei referre prætenderent, populúmque ad cultum pellicerent Idololatricum. *Quod magìs exactè* Judaicum *eſt, cùm & aliquas Imagines ipſi* Judæi *in Templo tolerarent.*

Pag. 88

Cæterùm ad hanc Religionis caſtitatem perveniſſe Pompilium *vult ex ſolo lumine Naturæ, neque enim quicquam majus præſtitiſſe, quàm quod in cultu ſui* Mithræ *præſtiterunt* Perſæ *qui ab Imaginibus in ſacris abſtinuerunt. Immò perpetuum iſtum Ignem Veſtæ ſacrum cum* Perſarum *igne ſacro & æterno convenire, cui* Πυρεῖα *erant dicata. Multùm autem heic falli videtur vir eruditus* S. A. *dum adeò extenuat factum* Numæ *qui tam caſtam Religionem, aliis circumcirca gentibus Idololatriæ craſſóque Imaginum cultui deditis, inſtituit. Quod nunquam feciſſet, niſi Divinæ alicujus Traditionis authoritate fuiſſet ſuffultus. Quam à* Perſis *accepiſſe perquam ridiculum eſt augurari, quippe quorum* Mithras *nihil aliud niſi Sol viſibilis erat, cui dicata erant* πυρεῖα. *Igniſque tanquam illius Imago ab eis cultus. Ignis verò* Veſtalis *à* Pompilio *inſtitutus cum Templo rotundo, Symbolum duntaxat erat* Univerſi *cum* Sole *in* medio *poſito (quod auguſtius illud Dei Templum eſt.) Deus verò* Numæ Pompilii, *non Sol ut* Perſis, *ſed Deus verus & inviſibilis, Mundi Soliſque Creator. Hinc nulla in Templo* Numæ *Imago Dei, viſibilis, quippe cùm ipſe inviſibilis ſit; ſed Templum tantùm artificioſum viſibile, auguſti illius Templi viſibilis in medio Ignem etiam habentis, nempe Solem, haud inconcinnum imitamentum.*

Atque hinc verum eſſe ſenſum Templi Numæ, *Libri cum ipſo ſepulti & poſtea effoſſi & combuſti egregiè profectò arguunt. Nam* Phyſicas *ſacrorum cauſas eos continuiſſe apud* Auguſtinum *ſubinnuit* Varro. *Rationes igitur Rotunditatis Templi ſitúſque Ignis inextincti in medio eos complexos eſſe veriſimillimum eſt. Quam meam conjecturam abunde poſtea confirmabunt quæ apud* Plinium *occurrunt,* Hiſtor. Natural. *lib.* 13. *cap.* 13. *Illic enim* Caſſius Hemina *apertè dicit eos libros doctrinam Philoſophiámque* Pythagoricam *continuiſſe, & ob id ipſum juſſu* Q. *Petilii tum Prætoris combuſtos eſſe. Idémque ferè affirmat*

Auguſt. de Civitate Dei, lib. 7. cap 35.

mat C. Piſo Cenſorinus, *niſi quòd innuit libros partim legem* Pontificalem *partim Philoſophiam* Pythagoricam *complexos, nempe Philoſophiam* Pythagoricæ *ſimilem.* Pythagoras *enim* Samius Numâ *plùs centum annis junior erat.* Antias *denique libros qui legem* Pontificalem Latinè, *qui Theoremata* Philoſophica *continebant* Græcè *ſcriptos tradit. Ex quibus haud temerè quis collegerit* Philoſophica *Theoremata* Pythagorica *fuiſſe, i. e. Philoſophiæ* Pythagoricæ *tunc ſic dictæ conformia, quæ neceſſariò* motum Terræ *complectebantur, quippe Theoremata fuiſſe* Phyſica *ex* Varrone *apud* Auguſtinum *docemur. Dein, Eadem* Pythagorica *Theoremata* Græcè, *quanquam ante* Pythagoræ *tempora, ſcripta fuiſſe. Et ob hæc denique ipſa Theoremata Libros* Numæ *fuiſſe combuſtos. Hæc itaque Antiquitatis monumenta non ſolùm evincunt Templum* Numæ, *Mundani Syſtematis* Pythagorici Symbolum *fuiſſe, ſed iſtud Mundi Syſtema cognitum fuiſſe ante tempora* Pythagoræ. *Inventum autem fuiſſe* Numæ *minimè eſt credibile, ſed à* Græcis *eum accepiſſe, cùm* Græcè *ſcripta eſſent ea Theoremata. Porrò cauſam genuinam nobis indicant, cur juſſu Q.* Petilii *ob hæc Theoremata Libri* Numæ *combuſti eſſent, nempe quòd vera illa & antiqua Phyſiologia ab* Abrahamo *olim & accepta & tradita, univerſam Idololatriam falſáque Numina Gentium uno quaſi ictu, quemadmodum ſuprà monuimus, è medio tolleret. Cùm igitur poſt tot annos à* Numæ Pompilii *morte elapſos* Romanorum *Religio in multiplices Idololatrias degenerâſſet, cúmque Phyſiologia* Pompiliana, *iſtas omnes, ſemel detecta, everſura eſſet, libros* Numæ *tanquam profanos & impios & Religioni* Romanorum *pernicioſos comburi juſſerunt, nè univerſus ſuperſtitionis ſtatus ruinas ageret, cum ingenti damno Sacerdotum, nec mediocri forſan Reipublicæ periculo.*

Græcum *denique aliquem ab* Abrahamo *oriundum, cùm Phyſiologia illa* Abrahamica Græcè *ſcripta eſſet in libris* Numæ, *illi Præceptorem fuiſſe veriſimillimum eſt.* Græcos *autem* Lacedæmonios *fuiſſe notiſſimum eſt, ut &* Pythagoram *quendam* Lacedæmonium Numæ *coætaneum cum* Numa *conſuetudinem habuiſſe & conſilia communicâſſe, ipſúmque adeò* Numam, *quippe* Sabinum, *fuiſſe etiam* Lacedæmonium, Lacedæmonios *verò ipſos* Abrahamo *eſſe oriundos ſuprà notavimus. Unde minimè mirum Phyſiologiam* Abrahamicam *in libris* Numæ *reperiri, filii utique* Abrahami, *dogmáque proinde de* motu Telluris *eſſe* Judaicum, *quod oportebat demonſtrare. Vel breviter ſic: Syſtema Mundi* Pythagoricum *vulgò dictum, arctiſſimâ congruitate, ut in* Cabbalæ Philoſophicæ Defenſione *probavimus, Textui* Moſaico *convenit. Idémque* Syſtema *nuſquam apud ullos, niſi qui aut cum* Judæis *verſati ſint, aut qui eorum diſcipuli eſſent qui cum eis ſint verſati, ut* Pythagoras Samius *&* Pythagorici, *aut cum* Judæis *aliquâ cognatione conjuncti fuerint, ut* Pythagoras Spartiates *aliíve* Lacedæmonii *ipſéque adeò* Numa, *hactenus repertum eſt; ergo dogma illud aliud eſſe non poteſt quàm* Judaicum, *párſque antiquæ* Abrahamicæ *ſive* Moſaicæ Cabbalæ. *Ecquid eſſe poteſt magìs luculentum ullius controverſæ veritatis indicium?*

Et tamen haud mediocre robur hiſce addit Veſtimentorum Aaronicorum *conſideratio, quæ cùm ſignificantiſſimum ſint Mundani Syſtematis* Pythagorici *ſymbolum, perſpicuum ſimul indicium ſunt dogma hoc fuiſſe primitus* Judaicum. *Veſtimentorum Interpretationem nihil opus eſt hìc repetere. Adjiciam tantùm ſuprà dictis, etiam colores* Pallii *&* Stolæ ocellatæ *cum hoc Mundi Syſtemate mirificè convenire.* Pallium *enim quod Planetarum eſt ſive Terrarum in Æthere delatarum* Regio, *coloris eſt* Hyacinthini, *è rubro nempe in cæruleum vergentis vel vice verſâ. Ubi* rubedo *vim igneam caloris Solis propter ſuam proximitatem, quæ hiſce terris ad fructus maturandos, craſſáque corpora Terreſtrium Animalium vivificanda, neceſſaria eſt, ſubindicat. Cùm verò ſit Atmoſphæra caliginoſa in omnibus hiſce Planetis ſive Terris, (ut Noctium Umbrarúmve viciſſitudines ac Nubium taceam) adeò ut Lux pura adeò ac perpetua eſſe non poſſit, additur tinctura cærulea admixta, tanquam ad nigredinem tenebráſque aliquantùm accedens, quibus duobus coloribus Lux cæleſtis pura ac candida mitiſque ac placida, minui paululùm intelligatur Incolis Terrarum, & quaſi aut efferari ſubinde aut obſcurari.* Stola *verò* ocellata *quæ ultra hanc Regionem Planetarum quaquaverſum extenditur,* candida *eſt perinde atque* ocellata, *hoc eſt,* purâ *conſiſtens* luce, *cùm ubique multò remotior ſit à Sole, nec* Igni torrida, *nec* vaporibus umbríſve obſcura.

---------- Ἀλλὰ μαλ' αἴθρη
Πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἀναδέδρομεν αἴγλη.

Albus candidúſve ſplendor totas illas Regiones percurrit. *Quod cum* ſtola *hac* ocellata candida *optimè convenit.*

---------- Sempérque innubilus Æther
Integit, & largè diffuſo lumine ridet;

quemadmodum & canit Lucretius *Græcum illum Poetam imitatus.*

CAP. VII.

1. *Tertia Objectio ab* Heterogeneitate *expoſitionis Creationis* primi diei *à reliquis omnibus, deſumpta, cùm ea ſola ſit* Symbolica. 2. *Reſponſum ad Objectionem.* 3. *Ipſam deſcriptionem Terræ in* primo die *ſenſum illius* Symbolicum *innuere. Eandémque in vulgi Imaginationibus Ideam eſſe* Lucis *ſive* Diei *atque* Cœli. 4. Cœlum *in* primo die Immaterialium *Eſſentiarum ordines ſignificare, manifeſtò probatum ex* Origene. 5. *Idem porrò confirmatum ex* Parmenide *diſcipulo* Diochætæ Pythagorei, *quem probabile eſt aliquam Textûs* Moſaici *Notitiam habuiſſe.* 6. Rabbinos *etiam* Judæorum *huc ſuum ſuffragium conferre.* 7. *Scripturarum Teſtimonium, quòd* Angelorum *Creatio* Animarúmque *humanarum ſignificetur per* Lucem *creatam* primo Die. 8. Cœlum *&* Lucem *de* Mundo Vitæ *intellectam non ſimpliciter* Symbolicè *ſignificare.* 9. *Alia conſideratio quæ eandem concluſionem porrò confirmat.* 10. *Sive* Cœlum *&* Lux Symbolicè *ſignificent ſive ſecùs,* Opus *primi Diei* Heterogeneum *non fore à reliquis, cùm* Veſpera *&* Mane *ad ſingulas dierum Creationes illinc accerſantur.* 11. Hylen Metaphyſicam *in primi diei Creatione* Terram *ſimpliciter* Symbolicè *non appellari, probatu haud difficile eſſe, ſed minùs neceſſarium.*

1. Tertia Objectio adverſùs *Expoſitionem* operis *primi Diei* intentatur. Urgent enim admodum heterogeneam eſſe, miréque à reliquorum omnium Dierum Interpretationibus differentem, ubi res memoratæ non *Symbolicæ* ſunt, ſed id propriè ſunt quod eſſe dicuntur: *Cœlum* verò & *Terra* & *Lux* ità non ſunt in *primi Diei* Creatione, ſed aliarum rerum *Symbola*. Quod facit ut conſtructio *Cabbalæ* dura ſit atque abſona, nec eam ſatis unius fili videri.

2. Sed reſpondeo; Quæſtionem non eſſe an Interpretatio dura videri poſſit Imaginationibus faſtidioſulis ac delicatis, ſed an ſit vera, ad quod probandum me argumenta haud contemnenda jam produxiſſe cenſeo; moneóque porrò, eos recordari oportere quàm multi ſint, qui Hiſtoriam *Adami* & *Evæ* in Paradiſo *literaliter* interpretantes, minimè tamen durum exiſtimant illam partem de Serpente *Symbolicè* intelligere. Cæterùm neceſſitas etiam erat loquendi de Rerum *Immaterialium* Creatione, modo *Symbolico*, quippe quum *Moſes* apud ſe ſtatuiſſet, nihil in ipſa *Litera* Textûs memorare quod ſubtile ac difficile videretur, prout omnes Interpretes agnoſcunt. Neque profectò eſſe poterat *Philoſophica* perinde atque *Literalis Cabbala* niſi hæc libertas aſſumpta eſſet. Quæ & liberè concedi debet, cùm nulla incertitudo obſcuritáſve indè oriatur; propter Numerorum *Cabbalam*, ad ſex Dierum Creationem pertinentium. Tritus enim ille *Pythagoreorum* Aphoriſmus,

—— Ἀριθμῷ δέ τε πάντ᾽ ἐπέοικε,

ad plenum heîc verificatur, potiſſimúmque, credo, intellectus eſt primitùs de *ſex Dierum* operibus, Quòd ſingula illîc memorata ſimilia eſſent aptéve reſponderent *Numero* ad quem erant referenda. Unde certi eſſe poſſumus *Immaterialitatem* opus fuiſſe primi diei, cùm *Monas* ſive *Unitas* tam expreſſa ſit Naturæ illius ſignificatio.

Vide Vatablum in locum.

3. Et nè *Terra* violaret iſtum ſenſum *Cabbalæ*, deſcriptio talis eſt quæ admodum naturaliter Interpretationi *Philoſophicæ* faveat, quum Textus eam *Vacuitatem* ipſam, ipſámve *Inanitatem* appellet, ſicut ſuprà notavi. Nec omnino durum eſt quòd *Cœlum* & *Lumen Symbola* fiant ejuſdem rei, non ſolùm propter rationes quas jam attuli, quæ ad Philoſophiam propiùs vergunt, (quarum præcipua eſt, quòd *Cœlum* ſive *Æther* ipſum *corpus* ſit *Luminis* ipſúmve *Lumen*, quando modo debito movetur) ſed etiam propter iſtam Notionem ſive phantaſma quod ex ipſa litera naturaliter oritur ſecundùm vulgarem rerum intelligentiam, qui proculdubio eandem Ideam in animis ſuis habent de *illuminato Concavo*, quod eſt *Cœlum*, quam de *Die* habent à *Sole* diſtincta. Nec ullum aliud viſibile *Concavum* erat in principio præter illud *Diei*, cùm nec *Luna* eſſet nec *Stellæ* quæ *Noctem* illuſtrarent.

Herod. Hiſt. lib.1. c.131.

De lingua Latina, c.4.

Et verò quòd hoc commentum noſtrum ſolidum ſit, ex eo porrò apparet, quòd *Jupiter* & *Dieſpiter* unum idémque Numen ſit apud *Paganos*. Et tamen *Jupiter*, hoc eſt *Jovis Pater*, *Cœlum* eſt Convexum. Τὸν πάντα κύκλον τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέουσιν. *Herodotus* id de *Perſis* refert. Et *Dies Pater* (Nam prout interpretatur *Varro*, Nominativus caſus eſt, ut in *Marſpiter, Neptunuſpater, Januſpater*) quid aliud eſſe poteſt, niſi hæc *illuminata Concavitas* ſive *Convexitas*, quæ *Dies* appellatur? diſtinctum apud Ethnicos Numen perinde atque *Nox*, qui notabiliora Naturæ *Phænomena* tot Deos conſtituerunt. Et *Macrobius* expreſſim, *Cretenſes* Δία τὴν ἡμέραν *vocant*, & Jovem Salii *in carmine* Lucetium. Unde veriſimillimum eſt quòd *Dijovis* idem ſit atque *Dieſpiter*. Sed hiſce Nugis non immorabimur. Satìs erat notâſſe quòd Οὐρανὸς & Ἡμέρα in Theologia Ethnica idem ſint atque Ζεὺς, ac proinde idem ſint inter ſe. E re magìs nunc erit conſiderare quòd ſine omni *Luce* nullius rei poſſet eſſe perceptio, quódque proinde neceſſe ſit ut *Cælum* à Vulgo concipiatur ſub notione hujus *Cavitatis Luminoſæ*, quæ propter illius *Luciditatem* appelletur *Dies*, & propter Altitudinem & *Cavitatem*, (cùm *Cælum* idem ſonet atque Κοῖλον) *Cælum* nuncupetur, quòd unum verò ſint conjunctim *Objectum* præſertim in *primi Diei* Creatione. Quippe quum *Cælum* nuſquam conſpici poſſet niſi in hoc recèns creato *Die*. Quorum ſimultanea comparentia unum idémque omnino *luminoſum Concavum* conſtituit, quemadmodum ſuprà monui.

Unde ſenſus *literalis* operis *primi Diei*, quatenus *Philoſophici* eſt Repræſentatio ſive *Symbolum*, admodum facilis eſt ac naturalis, ſi ſic nempe acceperis: Primò quidem in genere dici, Quòd Deus creavit *Cælum* (hoc eſt *Luminoſum* hoc *Concavum*) atque *Terram*. Quòd verò hæc *Terra* nihil aliud erat niſi *Inanitas* ac *Vacuitas*, quódque tenebræ erant ſuper faciem *Abyſſi*, &c. deſcribendo ſic primùm magìs accuratè *Terræ* conditionem, quæ eſt prior pars Creationis hujus Diei; poſtea verò pergendo ad partem alteram, narrari, ut Deus juſſerit, ut Fiat Lux, hoc eſt, *Luminoſum* hoc *Concavum*, *Cælum*, (ſunt enim in Idea realiter idem, ut ſuprà monui, ac proinde Vocabula *Lux* & *Cælum* hìc omninò ſunt Synonyma) útque appellaverit *Lucem* ſive *Cælum Luminoſum*, *Diem*, &c. Quam conſtructionem ſenſúmque rerum ſi conſideremus, non poteſt quin omnem ſcrupulum tollat opinionémve ullius abſonantiæ in faciendo *Cælum* ac *Lumen* ejuſdem rei *ſymbola*, illius utique quem *Mundum Vitæ Formarúmque Platonici* appellitant.

Nec objici poteſt hunc *Literalem* ſenſum cum *Literali Cabbala* quam jam formavimus malè cohærere, ubi *Cælum* creatur die ſecundo, ac proinde in primo literaliter creari non poteſt. Per *literalem* enim ſenſum hìc intelligo, non quidem continuum illum popularem ſenſum *literalémve Cabbalam*, illa enim *Philoſophicæ* Baſis eſſe nequaquam ſupponitur (Etenim tres hæ diſtinctæ *Cabbalæ* nullum deſtinatum habent aut conſenſum aut diſſenſum inter ſe, ut quæ nullam habeant ad ſe invicem relationem, ſed ex *Litera* oriuntur quæ cunctis tribus eſt communis, ut tria diſtincta Florum genera ex una creſcunt Terræ areola in Horto.) Verùm per *Literalem* ſenſum hìc intelligo talem ſenſum quæ ex *Litera* produci poſſit à manu perita rectè ſubacta, ac præparata ad partem aliquam ſive *Literalis* peculiariter ſic dictæ, ſive etiam *Philoſophicæ* aut *Moralis Cabbalæ* aptè incoactéque exhibendam; ſive hæc Præparatio per *Grammaticam* ac *Criticiſmos*, ſive per *Phantaſmaticas realéſve* ac veras *Notiones* fiat. *Litera* enim, quod dixi, communis cunctis tribus *Cabbalis* eſt, ſed præparanda & adaptanda eſt in ſingulis non quidem ad ſenſum ſeriei rerum congruum in utralibet alterarum duarum, ſed earum omnino rerum, quæ ſunt in una eadémque *Cabbala*; de reliquis nulla eſt ſolicitudo. Quod Principium eſt quod nemo eſt qui probè penſitaverit, quin ſtatim ſit agniturus neceſſarium eſſe ac rationi conſentaneum.

4. Jam verò nos verum ſenſum Creationis *primi Diei* in *Cabbala* noſtra *Philoſophica* reddidiſſe, præter illa quæ jam produximus apparet porrò ex *Clemente Alexandrino* & *Origene*, qui ſecundi Diei opus cum primi comparantes ſic ſcribunt: Καὶ ἐν μὲν τῇ μονάδι συνίστησιν οὐρανὸν ἀόρατον, καὶ γῆν ἀγίαν, καὶ φῶς νοητόν· ἐν δὲ τῇ κοσμογονίᾳ τῇ αἰσθητῇ στερεὸν οὐρανὸν δημιουργεῖ. Quam Interpretationem *Origenes* examuſſim ſequitur: *Cùm antea*, ait ille, *Deus cælum feciſſet, nunc firmamentum facit, id eſt, corporeum Cælum. Fecit enim Cælum priùs, de quo dicit, Cælum mihi ſedes eſt.* Et paulò pòſt, *Cùm enim ea quæ facturus erat Deus ex ſpiritu conſtarent & corpore, iſta de cauſa in principio & ante omnia cælum dicitur factum, id eſt, Omnis ſpiritalis ſubſtantia, ſuper quam velut in Throno quodam & ſede Deus requieſcit.* Hic igitur eſt ille *Mundus Vitæ* qui ſummus Dei Thronus eſt. * Quem & *Pythagorei* etiam Ζανὸς πύργον, *Jovis Turrem* appellant, quippe quod ſummum eſt illius Habitaculum, illiúſque Δημιουργικὴ φρουρὰ etiam nuncupatur, quoniam externa Mundi Fabrica in omnibus ſuis partibus immediatè ſive inſtrumentaliter ab eo formatur, ut Fœtus in utero.

Strom. lib. 5.

Homil. in cap. 1. Geneſ.

5. Atque ad hunc quidem ſenſum intelligendum eſt illud *Parmenidis*, Duo nempe omnino eſſe Principia, πῦρ καὶ γῆν. Quæ *Hebraicè* forent, אור וארץ, *Lux* & *Terra*, vel (quod idem eſſe demonſtravi) *Cælum* & *Terra*; additque porrò, Καὶ τὸ μὲν δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν, τὸ δὲ ὕλης. * Quod tam accuratè reſpondet Textui *Moſaico*, Philoſo-

Laert. in Vita Parmenidis.

In verſ. 17. cap. 1. Cab. Philoſ.

phico quidem ſenſu, ut difficile ſit dubitare quin hæc duo Principia illinc hauſerit, alterum *Activum* ſive *Demiurgicum*, *Paſſivum* alterum ſive *Materiale*; Alterum quod πῦρ, אור, *Lux* vel *Æther Symbolicè* appellatur; alterum quod Γῆ, quod eſt ארץ *Terra*; *Cœlum* & *Terra*. Et quantùm ad Ænigma illud quod *Laertius* inſuper addit, * Γένεσιν ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι, αὐτὸν δὲ ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν, Viris illud ingenioſis explicandum relinquo à vocibus שמש & כוכב & ab *Hebraiſmo* Articuli ה quæ notavi, ut tunc demum judicent quàm recto rerum odoratu uſi ſimus in inveſtigando mentem *Phyſicæ* partis *Cabbalæ Philoſophicæ*, & an *Pythagoras* ipſe res eodem ferè modo non intellexerit. Nam *Parmenides* hic *Pythagoreus* erat, quippe *Diochætæ* Intimus, *Pythagoræ* ſectatoris: Qui *Diochætes*, ut ſcribit *Sotion*, pauper quidem erat, ſed vir admodum probus atque honeſtus. Quam ob cauſam *Parmenides* tam arctè ſe illius ſocietati adjunxit dum vivebat, tantóque honore eum proſecutus eſt ut Ἡρῷον ſive *Sacellum* ei extruxerit, poſtquam eſſet mortuus.

Vid. Heſych. Illuſtr. in Pherecyde.

Sext. Empiric. adverſus Mathem. lib. 7.

Quæ quidem Circumſtantiæ meritò efficere poſſunt ut quis ſuſpicetur *Diochæten* hunc Doctrinæ *Judaicæ* notitiam habuiſſe, ipſiúſque adeò *Literæ Moſaicæ*, (ut *Pherecydes Syrus* etiam nactus dicitur τὰ Φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία, hoc eſt, ſecretos * *Phænicum* ſive *Hebræorum* libros) vel, ſi mavis, *Literalis* ac *Philoſophicæ Cabbalæ*. Unde *Parmenidi* dari etiam potuit occaſio diſtribuendi Philoſophiam in talem quæ accuratè & intellectualiter vera ſit, talémque quæ ſecundùm rerum apparentiam Vulgo, ſit conſtituta. * Διττήν τε εἶναι τὴν φιλοσοφίαν, τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν, τὴν δὲ κατὰ δόξαν. Quarum poſterior, ni ob talem aliquam cauſam foret qualem innui, nunquam æſtimata fuiſſet à *Parmenide*, tanquam ulla Sapientiæ ſive Philoſophiæ pars. Quòd autem δόξα ſignificare poſſit externam Apparentiam, ex eo manifeſtum eſt quòd *Epicurus* illud quod ab extrà apparet, dividat in ἐνάργειαν & δόξαν. Et *Democritus* apud *Laertium* definivit, ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους καὶ κενόν· τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι, δοξάζεσθαι· quod idem eſt ac ſi dixerit, φαίνεσθαι, Φαινόμενα eſſe externáſve apparentias.

Metaphyſ. lib. 1. cap 5.

Huic Πυρὶ καὶ Γῇ *Parmenidis* accuratè reſpondet par illud principiorum apud *Pythagoreos*, Φῶς καὶ Σκότος, quæ planè ad *Lucem* & *Tenebras* initio *Geneſeos* reſpiciunt; *Pythagoreis* אור, φῶς reddentibus, *Parmenide* vero πῦρ· altero *Hylen* γῆν appellante, alteris autem σκότος· utriſque digitos in Textum intendentibus, ubi *Hyle* ambobus iſtis characteribus notatur. Quòd autem *Parmenides* Terram hanc ſenſibilem non intellexerit, manifeſtum eſt ex *Ariſtotele*, qui dicit *Parmenidem* primum ſuum Principium, *Ignem*, κατὰ τὸ ὄν, θάτερον δὲ κατὰ τὸ μὴ ὄν, cenſuiſſe, qualem *Plotinus Hylen* deſcribit: Et *Theodotion* reddit תהו ובהו κένωμα καὶ οὐδέν. Sed nimis longè excurſum eſt, redeamus ad *Origenem*.

More Nevoch. part 2 cap. 26.

De Creatione problem. 25. fol. 5.

6. Interpretationi *Origenis* congruens eſt generalis illa doctrina Rabbinorum *Judæorum*, *Solium gloriæ Dei creatum eſſe ante Creationem Mundi*, quemadmodum videre eſt apud *Maimonidem*. Quòd verò illud quod *Thronus Dei* eſt, appelletur *Cœlum*, minimè mirum eſt, cùm nihil magìs obvium ſit quàm Throni illius eo in loco collocatio. Quamobrem ſecundùm generalem *Rabbinorum* conſenſum *cœlum* quoddam factum eſt ante Mundi externi Creationem. Quando verò obſecro faciendum erat, ſi non in Die primo? Quídve Illius eſſe poteſt Thronus, qui ſuper *Cherubinos* ſedere dicitur, niſi Ordines Angelici? *Cabbaliſtas* autem Creationem Cœli de Angelorum Creatione exponere atteſtatur *Menaſſeh Ben Iſrael*, *Targum* allegans in *Jobum*, & *Moſen* inſuper *Ægyptium* ad eundem ſcopum.

7. Cæterùm, non *Origenes* ſolùm & *Clemens Alexandrinus*, Scriptoréſque *Judæorum* huic noſtræ Interpretationi ſua conferunt ſuffragia, ſed ipſa, ni fallor, Scriptura, nè dicam Deus ipſe perſonaliter in Scriptura, Job. 38. *Ubinam eras quando fundabam terram, indica mihi ſi habes intelligentiam, Quum me laudarent ſimul Aſtra matutina & jubilarent omnes filii Dei?* Ubi quid intelligendum ſit per *Aſtra matutina*, cæcum eſſe oportet, qui ex ſubſequenti Exegeſi non viderit, nempe [*Filii Dei*,] quod idem valet atque *Angeli*, qui vocantur *Aſtra matutina Symbolicè* & cum alluſione ad Creationem *primi Diei*, ad Creationem nempe *Luminis*, quæ *Aurora Mundi* erat, & Spiritualium Angelicarúmque Eſſentiarum Nativitas. Et propterea rurſus v. 19, 21. de *Creatione Lucis* hoc primo die, alteram conſimilem quæſtionem *Jobo* proponit: *Ubinam eſt via in qua habitat Lux, & tenebrarum ubi eſt locus?* alludens proculdubio ad *lucem* & *tenebras* in primo die memoratas, nam ſtatim porrò quærit, *Nôſti quòd tunc generatus es ſive creatus, quòdque Numerus dierum tuorum multus eſt?* Ità docti *Hebræorum* legunt, & ex hoc ipſo Textu ſuam Animarum *præexiſtentiam* confidenter concludunt. Quod ſi rectè faciunt, earum creationem in Creatione *lucis*, *primi Diei* operis, involvi citra omnem eſt controverſiam. Ex hiſce Teſtimoniis ſatìs conſtare

ſtare ſentio, per Creationem *Cœli* ſive *Lucis*, creationem omnium ſubſtantiarum *Spiritualium*, quemadmodum non dubitavit affirmare *Origenes*, debere intelligi.

8. Porrò autem, ut propiùs ad Objectionem accedamus, nequaquam neceſſe eſſe exiſtimo, ut concedamus *Cœlum* & *Lucem* ſignificare ſimpliciter *Symbolicè*, ſed & res ipſas primo die creatas veriſſimè maximéque propriè iſtis nominibus appellari poſſe, quanquam primùm attributa ſunt *Cœlo Materiali Lucique viſibili*: ut vocabula *Spiritus*, *Anima* & Ψυχὴ appellationes ſunt primùm illi quod *Materiale* eſt inditæ, per quas intelligeretur *auræ flatus*, *ventus* aut *halitus*, nunc verò ſignificant ídque propriè veréque, prima earum, ſubſtantiam *Immaterialem*, duæ poſteriores *Animam* humanam quæ ſpiritualis eſt & immaterialis. Atque ſic quidem fieri poteſt in *Cœlo* & *Luce*, cùm id quod de *Cœlo* concipimus, veriùs & eminentiùs ad *Mundum Vitæ* quàm ad *materiale Cœlum* ipſum pertineat. Nam Generationes rerum ſublunarium, Fata earum ac periodi, Vitalis illa Influentia Temporúmque menſuræ, nullus dubito quin iſta omnia veriùs magíſque primariò & propriè *Mundo Vitæ* attribuantur in quo ſunt omnium rerum formæ *Seminales*, quàm *Cœlo* corporeo; vehementérque ſuſpicor, quanquam id quidem affirmare nolo, quòd ipſa *Cœli Luminaria* id non forent quod nobis videntur, quantumlibet ſubtilis ſit materia celeritérque agitata, niſi actuarentur etiam à *Spiritu Naturæ*, & vitalia quodammodo indè evaderent; adeò ut Spiritum exiſtimem ulteriorem eſſe ipſius *Lucis* illuminationem, ut quando Anima bene affecta operationem ſuam in ipſo oculo prodit. Præterea * ſi radiorum Lucis promanationem conſideremus & intertexturam, id quod de ea dicitur, magìs eminenter perfectéque verum eſt in natura particularis cujuſque *Spiritûs* (quemadmodum alibi fuſiùs oſtendo) quàm in ipſa *Luce*. Illa etiam opinio, quòd *Cœlum* ſumma pars ſit Creationis maximéve ſublimis, in cœlo quidem Materiali non eſt ſtrictè ac Philoſophicè vera, quippe quòd *Cœlum* ubique eſt, ipſáque Terra Planeta. Manifeſtò autem verum eſt de *hoc Cœlo* quod primo die creatum eſt. Quod & illud lumen inacceſſum eſt in quo *ille* habitat ad quem nullius Mortalis oculus poteſt penetrare.

Vid. Pſychozoiam, Cant. 1. Enneaſtich. 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47.

Immortal. lib. 1. cap. 5 & 6.

9. Præterea, cùm tam conſtans ſit inter *Æthercam Cœleſtémve Materiam* & *Mundum Vitæ* in omnibus ſuis partibus (ubicunque agant) ac neceſſaria *Unio*, hac etiam ratione manifeſtum eſt appellationem operis *primi Diei* nomine *Cœli* & *Lucis*, non eſſe ſimpliciter *Symbolicam*, ſed ad ipſam naturam proprietatémque rerum attingere, quemadmodum *Virgilius* in iſta humanarum Animarum deſcriptione ſeriò philoſophatur.

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terreniqne hebetant artus moribundáque membra.

Æneid. lib. 6

Quibus verbis inſinuare velle videtur, *igneum* eſſe ac *luminoſum Æthereúmve Vehiculum* Animæ ſemper intimè adhærens, quanquam multùm ſopitum, oppreſſúmque craſſo crudóque madore corporis, durante hac terreſtri peregrinatione.

10. Et poſtremò, ſive *Cœlum* ac *Lucem Symbolicè* ſignificare ſupponamus ſive ſecùs, non erit illa *Heterogeneitas* ac Diverſitas ab aliarum dierum operibus, quæ objicitur, quippe quum *Luminoſum* hoc *Cœlum Cœleſtéve Lumen* appelletur etiam *Symbolicè* cujuſque diei operis *Mane* ſive *Aurora*, ut pars *Materialis* ſive *Paſſivum Principium* nuncupatur *Veſpera*. Quæ quidem *Aurora* ſemper pars eſt plenæ illius *Diei* quæ primùm creata eſt, & caſtigatur mitigatúrque ſuâ conjunctione cum *tenebroſa Materia* in moderatum ſplendorem *Matutinum*, ut & diverſæ iſtæ *partes Materiæ* ſic vel ſic modificatæ, diverſis reſpondentes capacitatibus tenebroſæ *Inanitatis* ac *Vacuitatis*, (quod Μεσονύκτιον erat plenæ illi diei oppoſitum) in actualem *Materialitatem* excitatæ, tanquam *Veſpertinum* operis cujuſque diei *Crepuſculum* poſſunt æſtimari: cùm *Poſſibilitas* hujus externæ ac materialis Creationis Μεθόριον ſit inter *Mundum Vitæ* plenúmve *Diem*, & *Metaphyſicam* illam *Hylen*, mediámve *Noctem*, ſimul atque partes illius Materialem habeant Exiſtentiam, exiſtántve quoad ſuam Materiam; ut obfuſca veſpera Μεθόριον eſt *Diem* inter atque *Noctem*.

11. Et nunc quidem, ſi adeò nugoſæ vel potiùs faſtidioſæ curioſitati indulgere velimus, aggredi hîc poſſimus probare Terram in *primæ Diei* opere memoratam, quæ nihil aliud eſt quàm *Hyle Metaphyſica*, exiſtimari oportere non tam *Symbolicè* quàm verè ac propriè ſic dictam eſſe, * quippe de qua maximè peculiaria Terræ Attributa ſolummodo ſunt vera. Terra enim corporea ſtrictè ac Philoſophicè conſiderata nec infima pars Creationis eſt, nec immobilis. Terra verò hæc *Metaphyſica* utrumque eſt, quemadmodum vel primo intuitu patet, quippe quæ gradus infimus maximéque ima omnium Entium umbra eſt, * nec immobilis tantùm ſed quæ nec minui poteſt

aut accidi, prout jam notatum eſt. Cæterùm hoc argumentum eſt haud ſatìs dignum quod poliatur, cùm opus primi diei præcipuum, ſit Creatio *Cœli* ſive *Lucis*, Terræque deſcriptio talis, quæ cuivis qui nimiùm ſcrupuloſus non ſit, ſenſum Philoſophicum ſatìs facilè confirmet, de quo plura in capite ſequente; cúmque denique res haud tanti ſit momenti, *Terra*, & *Cœlum* & *Lux Symbolicè* ſignificent an ſecùs, propterea quòd qualiſcunque eorum ſignificatio fuerit, derivabitur, eo modo quo deſcripſi, in cujuſque diei opus, quò tota rerum contextura ſatìs homogenea evadat.

SCHOLIA

In Cap. VII. Sect. 4.

Quem & *Pythagorei* etiam Ζανὸς πύργον, &c. *Nempe quando* Ζανὸς πύργος Monadis *appellatio, ad* Bereſhith *refertur ; quando autem refertur ad* Mercavam, τὸ Ἓν ϗ Τ'ἀγαθὸν *ſignificat, primam Triadis* Platonicæ *Hypoſtaſin.*

Sect. 5. Quod tam accuratè reſpondet Textui *Moſaico*, ut difficile ſit dubitare, &c. *Vide duo ſequentia Capita, & particulatim Caput nonum, Sect.* 9.

Γένεσίν τε ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι, αὐτὸν δὲ ὑπάρχειν τὸ θερμὸν ϗ τὸ ψυχρόν, &c. *Multa quidem in hunc locum objicit vir ingenioſus Philoſophiæque* Carteſianæ *ſatìs addictus* T. B. *quæ cùm is haud parvam vim habere exiſtimet ad enervandum præclarum hoc* Parmenidis *teſtimonium, in medium proferam omnia, ſingulíſque ut propoſuero ſtatim reſpondebo.*

Primò igitur objicit, Opinionem hanc nuſquam niſi hic apud Laertium *attribui. Reſpondeo verò tam plenè tamen id fieri & cum ejuſmodi circumſtantiis, Quòd* Intimus *ſcilicet fuerit* Diochætæ Pythagorei, *cui &* Heroon *extruxit defuncto, quòdque* duo Principia *poſuerit* πῦρ ϗ γῆν, *quæ certò* Symbolicè *intelligenda ſunt & ad Textum* Moſaicum *referenda, ut vel hoc ſingulare Teſtimonium inſtar omnium eſſe poſſit. Præterea minimè mirandum eſſe, Teſtimonium hoc nuſquam reperiri præterquam apud* Laertium *ſolum, cùm is ſolus ſit apud quem Vitam* Parmenidis *ſcriptam nunc habemus. Et qui opiniones illius obiter memorant, eas ferè tantùm tangunt quæ ad prima illius principia attinent, ut* Ariſtotelis ; Plutarchus *verò quanquam res* Phyſicas *etiam particulares tractâſſe ait, ut* Terram, Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, hominum ortum, *hoc tantùm in genere narrat, particulares modos ac rationes ea tractandi omittens.* Platonis *autem* Parmenides *licèt ſatìs prolixus ſit, totus tamen eſt, ſi rectè memini,* Metaphyſicus *aut* Logicus. *Porrò ſi vitam illius ab aliis ſcriptam haberemus, hócque ejus dogma apud ipſos omiſſum, non magìs probaret illius dogma non fuiſſe, quàm* Platonem motum Terræ *non tenuiſſe aut* Divini Numinis Triunitatem, *quòd* Laertius *in Vita* Platonis *ea omiſerit. Immò verò maximè conſentaneum eſt paucos futuros fuiſſe qui hoc dogma memoriæ traderent, ut quod tam enorme videretur & tam celebri Philoſopho indignum, atque hanc ob cauſam paſſuros fuiſſe intercidere tanquam figmentum aliquod perperam illi attributum. Cùm verò hoc dogma tam plenè hîc & tam firmis ſuffultum adminiculis nobis occurrat, imbecillum profectò argumentum eſt quod ab illius omiſſione apud alios deducitur. Tempus enim Fluvii inſtar, ſicut alicubi ait ſapientiſſimus* Verulamius, *ſtramina & ſarmenta arida ſecum defert, lapides verò & metalla, (aurum ſit licèt & argentum) hoc eſt maximè ſolida quæque facilè patitur ſubſidere.*

Secundò objicit, Si Parmenides *hanc opinionem tenuit, quòd eum oporteret* Motum Telluris *etiam tenere, Quem tamen non tenuit. Ad quod reſpondeo, Intimam illius Amicitiam cum* Diochæte Pythagoreo *vel ſolam, admodum probabile efficere, eum* Motum Telluris *tenuiſſe. Et certè ſine ulla magna libertate mihi aſſumpta emendandi exemplaria, cur non ipſe Textus apud* Laertium, Πρῶτος δὲ οὗτος τὴν γῆν ἀπεφήνατο σφαιροειδῆ ϗ ἐν μέσῳ κεῖσθαι, *ſic corrigi poteſt? ponendo* κινεῖσθαι *pro* κεῖσθαι, *facilè intercidentibus* ι ν *literis, & omiſſione earum haud ità facilè obſervatâ, cùm ſenſus adhuc integer eſſet & vulgari Intellectui magìs accommodus. Adeò ut motus Terræ diurnus ſaltem, ſic agnoſcendus ſit factâ hâc emendatione. Quâ ſenſus reverà multo ſolidior fit ac credibilior. Quomodo enim dici potuit* Parmenides *præter rotunditatem Terræ primus declarâſſe eam* ἐν μέσῳ κεῖσθαι, *id quod tam vulgare & triviale eſt ut lippis notum ſit & tonſoribus? Omninò imperfectus ſenſus eſt, ſi* Parmenidem *celebrem illum Philoſophum reſpiciamus, niſi legatur* ἐν μέσῳ κινεῖσθαι. *Primùm verò detexiſſe terram figurâ eſſe ſphæricâ & motui accommodâ, & dein revera motu ſaltem diurno circa axem ſuum in medio Mundi moveri, doctrina eſt* Parmenide *digna. Et ſi laxetur paululùm ſenſus* τῦ, ἐν μέσῳ, *(quod & ipſe* T. B. *fieri poſſe admittit,*

mittit, niſi ipſe poſuiſſet obicem) Motus annuus etiam addi poſſit, & Terra adhuc eſſe quaſi in medio Vorticis, *cùm tota illius orbita puncti inſtar ſit cum toto Vertice comparata. Sed, quod dixi, huic laxationi hîc obicem ponere conatur per citationem quandam ex* Plutarcho, *unde ait manifeſtò conſtare* Parmenidem *Terram cenſuiſſe in centro Mundi libratam, quod tamen nihil facit contra motum illius diurnum, ſed de annuo videamus. Verba* Plutarchi *de opinione* Parmenidis *&* Democriti *circa Terræ motus, hæc ſunt :* Παρμενίδης καὶ Δημόκριτος διὰ τὸ πανταχόθεν ἴσον ἐφεστῶσαν *(ſic enim legit* T. B. *biſque repetit)* μένειν ἐπὶ τῆς ἰσοῤῥοπίας, διὰ τοῦτο μόνον κραδαίνεσθαι, μὴ κινεῖσθαι δέ. *Quorum verborum hic videtur ſenſus genuinus,* Parmenides *&* Democritus ex eo quòd Terra undique æqualiter inſtans, incumbens vel compreſſa in æquilibrio maneat, idcirco concutitur ſolùm (*nempe in Terræ-motibus*) non movetur è loco. *Fateor* ἀφεστῶσαν *legi in meo exemplari. Verùm ſive per* Divinatoriam *quandam oſcitantiam, ſive datâ operâ* T. B. ἀφεστῶσαν *verterit in* ἐφεστῶσαν, *videtur ſanè probabilior lectio, magíſque conſentire cum ſententia* Democriti, *cap.* 13. *memoratâ. Ubi dicit,* Κατ' ἀρχὰς μὲν πλάζεσθαι τὴν γῆν διά τε μικρότητα καὶ κουφότητα, πυκνωθεῖσαν δὲ τῷ χρόνῳ καὶ βαρυνθεῖσαν καταστῆναι· *id eſt,* Vagari Terram in Principio, ob parvitatem & levitatem, tempore conſtipatam & conſolidatam in debito loco ſiſti. *Quòd verò fixetur in* centro *Univerſi repugnat aliis* Democriti *opinionibus, qui Materiam Univerſi infinitam credebat, ac proinde Terram in centro illius fixam credere non potuit. Præterea eum Terram aliter immobilem credidiſſe quàm ipſi* Carteſiani *eam credunt, non eſt veriſimile, quippe quòd* Pythagoreus *planè fuit* Democritus, *& à* Pythagora *adeò videtur omnia accepiſſe, in Opere ſuo Æquivoco, quemadmodum refert apud* Laertium Thraſyllus, *ut niſi temporum ratio obſtaret illius auditor cenſeri poſſet.* Pythagoreorum *verò quempiam audiviſſe* Glaucus Rheginus *affirmat, &* Apollodorus Cyzicenus Philolao *in amicitiam veniſſe notiſſimo illi motûs Telluris aſſertori.* Et Leucippum *ſanè (quem quidem &* Democritum *tanquam duos geminos germanóſve Philoſophos per omnia conſimiles & conſentientes perinde ac coætaneos ſimul ubique ferè nominat* Ariſtoteles *)* τὴν γῆν ὀχεῖσθαι περὶ μέσον δινουμένην *affirmâſſe ipſe memorat* Laertius, *immò* Democritum Leucippi *fuiſſe auditorem. Ex quibus abunde conſtare poteſt nos genuinum loci illius, apud* Plutarchum, *ſenſum reddidiſſe, aut* Plutarchum *ipſum, ut eſt homo haud ità accuratus in tradendis veterum Philoſophorum opinionibus, hac in re falſum eſſe. Tantillum momentum habet iſte locus ad probandum* Parmenidem *Telluris motum annuum non tenuiſſe.*

De Placitis Philoſ. lib. 3. cap. 15.

Tertiò, urget, Homines dici non poſſe ἐξ ἡλίου *ex* Sole *materialiter generatos, quia Sol antè deſinit eſſe Sol quàm iſta fieri poſſit generatio. Equidem hæc Objectio haud exigui momenti foret, ſi omnis Materia in generatione immediata eſſet ſive proxima, nulla remota. Hac verò ratione nulla corpora dici poſſent generari aut conſtitui ex quatuor Elementis, quoniam antequam corpus Animalis putà aut Arboris ex ipſis conſtitui poſſit, deſinunt eſſe iſta Elementa. Nec pullus dici poſſet gigni ex cryſtallino illo liquore quem notavit* Harvæus, *quia deſinit talis eſſe liquor, priuſquam convertatur in carnem, cartilagines & oſſa. Senſus proculdubio, idémque admodum facilis ac naturalis iſtorum verborum* Γένεσίν τε ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι, *hic eſt :* Generationem Hominum quantùm ad materiam ex qua geniti ſint, ex aliquo primùm Sole, tanquam ex materia magìs remota, factum eſſe, ſed ex Sole hoc in Aſtrum frigidum ſive Terram Planetámve converſo, tanquam ex materia magìs immediata. *Unde ſtatim ſequitur, ídque admodum cohærenter,* Solem verò eſſe calidum & frigidum. *Ut nemo miretur homines genitos ex Sole, non immediatè quidem ſed mediaté. Quæ tamen diſtinctio hîc ſubticetur ad majorem movendam admirationem, ut ſit inſtar Ænigmatis legenti aut audienti. Quòd autem* τὸ θερμὸν, *&* τὸ ψυχρὸν, *non autem* θερμὸν *&* ψυχρὸν *legitur, id quidem fieri potuit per imperitiam quorundam ſciolorum, qui cùm obſervâſſent* τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν *apud quoſdam antiquos Authores pro Principiis* Parmenidis *haberi (quanquam & id falſum interpretamentum potiùs habendum ſit duorum ejus Principiorum, quæ* πῦρ καὶ γῆν *appellat, quàm ipſiſſima illa Principia) articulos iſtos vocabulis præfixerunt. Verum autem ſenſum reſtituerunt omnes Interpretes reddendo,* αὐτόν τε ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, ipſúmque (*nempe Solem*) calidum eſſe & frigidum, *non,* illud calidum & illud frigidum. *Cæterùm* τὸ λαμπρὸν *&* τὸ σκοτεινὸν, *cum* Plutarcho *adverſus* Coloten, *duo illa* Parmenidis *principia agnoſco, quibus* Pythagoreorum *illa Principia duo reſpondent,* φῶς καὶ σκότος· *& ad* Lucem Tenebráſque Moſaicas *in Creatione alludere cenſeo.* Τὸ θερμὸν *verò* καὶ τὸ ψυχρὸν *Interpretamentum eſſe poſſe ſolummodò, illúdque falſum exiſtimo,* Ariſtotelis *aliorúmve, quaſi* Parmenidis πῦρ καὶ γῆν *ea ſubindicarent, cùm poſterior nihil aliud quàm* materiam primam *apud* Moſen *deſcriptam, prius,* Principium Activum *atque Incorporeum ſignificent, quemadmodum alibi moneo. Veruntamen, ſi cui adeò volupe eſt, haud ità à ratione alienum eſſet, ſi lectionem in Textu tanquam primitùs ſic ſcriptam retineremus, nempe* τὸ θερμὸν

καὶ

ϗ τὸ ψυχρὸν, *modò eo ſenſu accipiatur quo* Plutarchus *de* Primo Frigido *diſputat, quod &* τὸ ψυχρὸν *ſubinde vocat, diſquiritque an* τὸ ψυχρὸν πρὸς τὸ θερμὸν *opponatur* ὡς ὐσία πρὸς ὐσίαν, *an verò* ὡς πάθος πρὸς πάθος, *& an ſit aliquod* τὸ ψυχρὸν *ſic, ut Ignis eſt* τὸ θερμόν. *Tandémque concluditur, Terram iſtud* τὸ ψυχρὸν *eſſe. Quo quidem ſenſu ſi hæc verba apud* Laertium *ſumantur, equidem non nego quin fieri poſſit, ut ſit vera lectio & Philoſophiæ* Parmenideæ *ſatìs conſentanea, quæ facilè admittet,* Terram, *i. e. Globum quemlibet* Terraqueum *cum* Atmoſphæra (*nam &* Pythagorei, *apud* Laertium, *Aërem,* ψυχρὸν αἰθέρα *appellant*) *eſſe* τὸ ψυχρὸν, *ut* Solem *quemlibet* τὸ θερμόν. *Cúmque iſtiuſmodi Globus* Terraqueus *nihil aliud ſit, juxta illius ſententiam, quàm* Sol extinctus *ac frigidus, Solem aliâ atque aliâ conditione, eſſe &* τὸ ψυχρὸν *&* τὸ θερμὸν, *Philoſophia* Parmenidea *facilè ſtatuet ſecundùm ipſiſſima verba Textûs,* αὐτὸν δὲ ὑπάρχειν τὸ θερμὸν ϗ τὸ ψυχρὸν, *hoc eſt, quemlibet Solem eſſe* τὸ θερμὸν *&* τὸ ψυχρὸν, *prout* candens *ſit aut* extinctus.

Quartò, Sed & ulteriorem difficultatem urget ex ſequentibus verbis apud Laertium, ἐξ ὧν τὰ πάντα συνεςάναι. *Quòd ex his nempe,* ἐκ τῦ θερμῦ ϗ τῦ ψυχρῦ omnia conſiſtunt. *Quod igitur neceſſariò intelligendum eſt de duobus iſtis Principiis quæ* πῦρ ϗ γῆ *à* Parmenide, *& ab Interpretibus ſaltem* τὸ θερμὸν ϗ τὸ ψυχρὸν *appellantur. Quæ cùm omnium rerum totiúſve Mundi Principia ſint, non poſſunt eſſe* Soles lucentes *&* extincti, *ſive* Soles calidi *&* frigidi. *Verùm reſpondeo reſpiciendum eſſe ad partem Textûs præcedentem,* γένεσίν τε ἀνθρώπων ἐξ ἡλίυ πρῶτον γενέϑαι, *atque tunc* ἐξ ὧν τὰ πάντα συνεςάναι *exponendum eſſe cum relatione ad* γένεσιν ἀνθρώπων (*prout illi ſupponunt qui* ἐξ ἰλύος *pro* ἐξ ἡλίυ *legi volunt*) *quo innuitur particularia, ſaltémque ſublunaria* γεννήματα *eſſe intelligenda,* (*nempe iſtiuſmodi omnia* γεννήματα ἐξ ἡλίυ θερμῦ ϗ ψυχρῦ, *ex materia ſcilicet* extincti Solis *in terram jam mutati, factique* frigidi, *& ex materia* Solis *adhuc* lucentis *calidíque & effluvia ſubtiliſſima ex ſe perpetuò emittentis, ſicut* Carteſius *deſcribit, ex altera tanquam materia magìs remota, altera proxima conſiſtere*) *non autem univerſum mundum totámve illius compagem ſic genitam eſſe. Quæ* ἐκ πυρὸς ϗ γῆς, *niſi* Symbolicè *intelligantur, componi non poteſt, aut generari. Hoc, inquam, modo facilè intelligitur ut omnia ſublunaria & particularia* γεννήματα *ex Materia* calidi *alicujus* Solis *atque* frigidi *poſſint conſtare. Ut omittam Ellipticam eſſe poſſe locutionem, idémque ſignificari ac ſi dixiſſet,* ἐξ ὧν τὰ πάντα γενέϑαι ϗ συνεςάναι. *Ità ut* ἐξ *dupliccm vim habeat, & ſuam propriam, &* τῦ ὑπὸ, *vel* ἀπὸ, *adeò ut* Sol calidus *ſive* lucens *Efficientis cauſæ rationem habere intelligatur perinde ac* Materialis. *Tam parum difficultatis habet hæc Objectio.*

Quintò, Ac proinde quintam addit, quæ primo quidem aſpectu plauſibilis videtur, Facilem ſcilicet eſſe Textûs correctionem ſi ſcribatur ἐξ ἰλύος *pro* ἐξ ἡλίυ. *Sic enim* τὸ θερμὸν *&* τὸ ψυχρὸν *ſive* πῦρ *&* γῆ Parmenidis *ſimul conjuncta hanc* ἰλὺν *conſtituent, materiam utique proximam ex qua Homines aliáque Animalia oriantur. Præterea cùm* Parmenides *diſcipulus eſſet* Xenophanis *&* Xenophanes Archelai, *cúmque* Archelai *opinio eſſet,* γεννᾶϑαι τὰ ζῶα ἐκ θερμῆς τῆς γῆς ϗ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι οἷον τροφὴν ἀνιείσης, ὕτω δὲ ϗ ἀνθρώπυς ποιῆσαι, *in Vita* Archelai *per* Laertium *ſcripta. Et paulò antè,* Ἔλεγε δὲ δύο αἰτίας εἶναι γενέσεως θερμὸν ϗ ψυχρὸν, ϗ τὰ ζῶα ἀπὸ τῆς ἰλύος γεννηθῆναι. *Hæc pulchriorem ſpeciem argumento ſuperinducunt, quòd ſcribendum ſit* ἐξ ἰλύος *non autem* ἐξ ἡλίυ, *quippe quum* Parmenides *Magiſtri* Xenophanis *omnino veſtigiis inſiſtat, diſcipuli utique* Archelai. *Sed enimvero, hoc argumentum quod primo aſpectu tam bellam præ ſe ſpeciem fert, ſi penitiùs inſpiciamus, omnium reperietur infirmiſſimum, taléque quod reliqua ſit infirmaturum. Etenim quanquam* Parmenides *diſcipulus erat* Xenophanis, Laertius *tamen apertè aſſerit eum* Xenophanem *non fuiſſe ſectatum, ſed* Pythagoreis *ſe adjunxiſſe, quorum Philoſophiæ hæc lectio* ἐξ ἡλίυ *eſt magìs conſentanea, quemadmodum ex* Cabbala *mea* Philoſophica *apparet. Et tametſi* ἐξ ἰλύος *facilè ſcribitur pro* ἐξ ἡλίυ, *notandum tamen eſt voces iſtas unâ tantùm literâ convenire, ut taceam generis differentiam, peſſimáque ſyntaxi* ἰλύος *cum* αὐτὸν *conjungi; & ſenſu Philoſophico perinde abſono, cum* πυρὶ ϗ γῆ, *illorúmve Interpretamento,* τῷ θερμῷ ϗ τῷ ψυχρῷ, *quæ univerſalia Principia ſunt ex quibus* Parmenides *res omnes conſiſtere ſtatuit, etiam* Cœlum, Terram, Solem, &c. *Quomodo igitur illa poſſunt eſſe* ἰλὺς, *quæ ad ſummum non eſt niſi Materia proxima generationis & nutritionis Animalium ex Terra ortorum juxta illa dicta* Archelai? *Præterea* Ariſtoteles *de* Parmenide *refert, quòd ſuam* γῆν *conſiderârit tanquam* τὸ μὴ ὂν, *Quod* Pythagoreorum σκότει *reſpondet, prout* πῦρ *ejus, illorum* φωτὶ· *cunctáque cum* Symbolico *ſive* Cabbaliſtico *ſenſu Textûs* Moſaici *mirificè conveniunt, Geneſ. cap. 1. v. 2. quemadmodum in locis pluribus oſtendi. Ut verò* γῆ *ſenſu* literali *ſit* τὸ μὴ ὂν, *adeò ab omni ſenſu ac ratione abhorret, ut certi eſſe poſſimus* Parmenidem *altiorem aliquem ſenſum intendiſſe, quàm ingenioſus hic Objector lubenter velit admittere. Sed fruatur quiſque ſenſu ſuo.*

Sextò & ultimò, Ut videri verò poſſit, nullum non moviſſe lapidem quò Interpretationem noſtram eludat, & tam præclarum pro antiquitate Philoſophiæ Cabbaliſticæ *obſcuret Teſtimonium, tandem urget editionem* Baſilienſem *in qua* ἐξ ἰλύος *legitur; Et* Aldobrandinum *in commentariis & margine tranſlationis legiſſe,* è limo. *Quibus poſtremò addit judicium* Menagii. *Eò igitur tandem res redit, ut perpendenda ſint etiam pondera editionum & authoritatum. Quamobrem contexam primò, breviſſimam editionum* Diogenis Laertii *Hiſtoriam. Prima itaque illius Diogenis Laertii editio facta eſt per* Ambroſium Monachum, *qui* Græcorum *carminum tranſlationem omiſit.*

Secunda editio facta eſt Baſileæ *per* Frobenium *Anno* 1533. *impreſſa ſecundùm MS.* Matthæi Aurigalli *profeſſoris linguæ* Græcæ *&* Hebraicæ. *In hac editione legitur* ἐξ ἰλύος.

Tertia eſt Plantiniana *per* Johannem Sambucum *Latinè facta, Interpretatione emendatâ comparando cum vetuſtiſſimis exemplaribus. Atque hìc legitur,* Generationem item Hominum ex Sole primùm eſſe ortam, *&* Solem ipſum calidum eſſe & frigidum. *Hæc editio facta eſt Anno* 1566.

Quarta editio facta eſt per Henricum Stephanum *Anno* 1570. *de hâc dicit;* Prodit *Diogenes* cum vetuſtis exemplaribus ſummâ curâ diligentiâque collatus. *Hìc rurſus occurrit* ἐξ ἡλίου, *&c. Ipſeque* Stephanus *expreſsè ait, poſtquam ipſe cum aliis editionem* Baſilienſem *cum multis exemplaribus comparâſſent abundèque variarum lectionum obſervâſſent, ſe eas quæ planè ac apertè meliores erant lectionibus in editione* Baſilienſi, *introduxiſſe in Textum. Convicti igitur per evidentiam comparatorum exemplarium* Baſilienſem *lectionem* ἐξ ἰλύος, *in lectionem* ἐξ ἡλίου *hìc mutaverunt.*

Quinta ab eodem H. Stephano *rurſus editio fit Anno* 1593. *rurſúſque in illa editione occurrit iſta lectio* ἐξ ἡλίου, *&c. confirmata etiam approbatione acerrimi illius Critici* Iſaaci Caſauboni, *qui in Notis ea in re nihil mutat.*

Sexta Diogenis *Impreſſio fit* Romæ *cum Interpretatione* Aldobrandini, *Anno* 1594. *Qui etiamnum in ſua Interpretatione habet,* Atque etiam hominum ortum è Sole primùm extitiſſe, &c. *tantùm in margine addit* [è limo] *Hic Interpres diem obiit adhuc Juvenis antequam Annotationes finiviſſet in* Laertium. *Extabat tamen inter alias Nota in lectionem* [*è limo.*] *Quam probabiliorem lectionem autumat,* quòd generationem hominum è limo veteres Philoſophi tenuerint.

Septima denique editio Londini *facta eſt Anno* 1664. *ubi* Aldobrandini *Tranſlatio retinetur &* ἐξ ἡλίου *in* Græco *Textu &* [è Sole] *in ipſa verſione, quanquam* [è limo] *occurrit in Notis* Aldobrandini *ob cauſam modò dictam. Et* Menagius *illuc calculum ſuum adjicit ob cauſam conſimilem* Aldobrandinianæ. *Ait enim in Obſervationibus,* Quòd *Zeno Eleates* hominum generationem è terra eſſe ſenſerit. *Hæc eſt ſumma editionum & authoritatum quas hic expendi oportet.*

Et judicet profectò quivis æquus rerum æſtimator quæ lectio pro vera habenda ſit, eáne quæ in unica editione occurrit, an verò ea quæ in ſex quinquéve. Eáne quæ ſemel admiſſa, nempe in editione Baſilienſi, *poſtea per* Johannem Sambucum *comparatione cum vetuſtiſſimis exemplaribus factâ expuncta eſt, an altera illa quæ non ſolùm per* Sambucum *in Latina editione ſed & per* Henricum Stephanum *in Græca, poſt comparationem Editionis* Baſilienſis *cum vetuſtis exemplaribus ſummâ curâ diligentiâque adhibitam eſt reſtituta, & in reliquis omnibus editionibus cum ſummorum Criticorum approbatione ad hunc uſque diem retenta? Sed* Aldobrandinus *in margine & in commentariis* [*è limo*] *ſubſtituit. Cui ſuffragatur* Ægidius Menagius. *At verò veterem lectionem ex poſſeſſione exturbare non auſi ſunt, & ratio ob quam* [è limo] *ſubſtitutum volunt, nullius planè momenti eſt. Neque enim* [ἐξ ἡλίου] *cum veterum ſententia digladiatur qui homines è terra ortos ſenſerunt, cùm* Sol frigidus *ſit* Terra. *Adeò ut nulla Nota inuri poſſit huic lectioni, niſi quòd non patiatur ut* Carteſius *profundiùs in rerum naturalium notitiam penetrâſſe videatur quàm aut* Moſes *aut quiſquam veterum Philoſophorum. Hinc illa ſolicitudo* T. B. *viri alias eruditi & ingenioſi, pro lectione iſta ab aliis ferè omnibus reprobata.*

Phœnicum ſive Hebræorum libros, &c. Judæam *enim ad* Paleſtinam, Samariam *&* Galilæam *ad* Phœniciam *apud Hiſtoricos pertinere, ait* Steph. *Vide etiam* Ortel. *Geogr. ſacr. Tab.* 1.

Διττήν τε εἶναι τὴν φιλοσοφίαν, τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν, &c. *Contra noſtram hujus loci interpretationem objicit rurſus vir ingenioſus* T. B. Parmenidem *nempe ſic intelligere non poſſe duplicem Philoſophiam ſive Sapientiam, unam* Symbolicam *quæ conſtituatur ſecundum opinionem vulgi illiúſve captui accommodetur, quam ego* Literalem *Cabbalam appello; Alteram* ſecundùm Veritatem *veréque Philoſophicam & accuratiſſimæ rationi conſentaneam: ſed eum intelligere tantummodo Rerum* veritatem *& earum* apparentiam ſenſui, τὸ δοξαστὸν & τὸ ἐπιστημονικὸν, τὸ αἰσθητὸν & τὸ νοητόν. *Quippe quòd huc planè faciant iſta carmina*

mina etiam in hoc ipſo loco à Laertio *adducta, quódque hanc ipſam opinionem* Sextus Empiricus *contra Mathematicos, lib. 7. p. 156. fuſiùs explicat, ipſéque adeò* Plato, *nempe* Rationi *&* Intellectui, *non ſenſibus fidendum eſſe. Hæc ille, & ſatìs profectò appoſitè. Ad quæ reſpondeo, hanc ipſam fuiſſe* Parmenidis *ſententiam omniúmque aliorum qui* Symbolicam *ac* Philoſophicam Cabbalam *acceperint, me neutiquam dubitare; ac proinde cùm* Parmenides *duplicem hanc Philoſophiam ſive ſapientiam agnoviſſet, alteram nempe* Symbolicam *& ad* captum vulgi *ſenſuúmque æſtimationem concinnatam, alteram ad* veritatem *notionéſque Intellectûs infallibiles, alteriúſque ſupra alteram præcellentiam animadvertiſſet, minimè mirandum eſt & ipſum in Scriptis ſuis &* Veritatis *&* Opinionis *vulgi mentionem facere alterámque alteri præferre, & alios ut* Platonem *&* Empiricum *ſic ſenſiſſe* Parmenidem *poſteris tradidiſſe, non quidem ad explicandam illam ſententiam* Διττὴν τε εἶναι φιλοσοφίαν, *&c. quæ duplicem* Cabbalam *reſpicit, quemadmodum inſinuare vult vir lepidus* T. B. *ſed ad memorandum ſimpliciter, Monitum fuiſſe* Parmenidis, Cavendum eſſe à ſenſuum fallaciis ſolíque rationi fidendum. *Quod ſatìs quidem cum noſtra illius ſententiæ* Διττὴν τε εἶναι φιλοσοφίαν, *&c. interpretatione conſentit, nullo verò modo eidem refragatur. Sed ut ſimplex Vulgi opinio* Philoſophia *appelletur minimè conſentaneum eſt, quamvìs* Symbolicæ Cabbalæ *cognitio ſic dici poſſit, tanquam pars quædam veteris Sapientiæ.* Et duplicem *hanc* Cabbalam *hìc intelligi valdè veriſimile eſt, cùm paulò ſuprà mentio facta ſit duorum Principiorum, ut ego quidem ſentio,* Moſaicorum, *quæ* Parmenides πῦρ καὶ γῆν *appellat, & deinde* Solis calidi *&* frigidi, *quos ad* Cabbalam Moſaicam *pertinere in* Cabbala *noſtra* Philoſophica *ſatìs demonſtravimus.*

Sect. 8. Si radiorum Lucis promanationem conſideremus & intertexturam, id quod de ea dicitur magìs eminenter perfectéque, &c. *Quæ quidem ratio haud parvi momenti eſſe debet apud eos qui iſtam notionem* Spiritûs *quam in Tractatu* De Animæ Immortalitate *deſcripſimus, amplectuntur, quod ferè faciunt* Platonici; *quæ verò propria mea ſit hac in re opinio, in Scholiis illic ſubditis declaravi.*

Exam. Gener. p. 138.

Sect. 11. Quippe de qua maximè peculiaria Terræ Attributa ſolummodo ſunt vera, &c. *Exclamat heìc* Andreades, Aperta contradictio eſt, Eſſe iſta Terræ peculiaria Attributa, & tamen eidem haud convenire. *Reſpondeo autem nullam eſſe contradictionem, Attributa quæ vulgò tanquam peculiaria Terræ attribuuntur, alii alicui rei potiori jure poſſe attribui. Nec opus putabam, id me velle, ſubindicare, neque enim credidi unquam fore ut ſcripta mea in manus inciderent tam captioſi Cavillatoris.*

Nec immobilis tantùm ſed quæ nec minui poteſt, &c. Notabilis rurſus contradictio, *ait* S. A. Quippe quòd ſuprà dixeram in ipſa *Cabbala,* de hac ipſa Materia quòd fuerit inſtabilis, fluida & ex ſe ad inſtar aquæ indeterminabilis. *Sed reſpondeo; Tota illa Inſtabilitas & Fluiditas reſolvitur tandem in decantatam illam Materiæ* ἀοριστίαν. *Non igitur majorem habet inſtabilitatem quàm iſta* Ἀοριστία *requirit quæ tantùm* Metaphorica *eſt, cujúſque* Fluiditas *iſta eſt* Symbolum, *innuitque ſolummodo ab alio determinationem. Cùm autem hæc Indifferentia ſive Indeterminabilitas ſit* ἰσοῤῥοπία *quædam,* ſtabilitatem *Terræ in eo ipſo etiam quodammodo imitatur, quo aliâ ratione conſiderari poteſt ut inſtabilis ſive mobilis. Sed manifeſtum eſt, quicquid ſit hæc* Materia Metaphyſica, *in ſua notione quatenus talis, idem quid eſſe & immutabile ac immobile,* Phyſicam *verò* Materiam *ſolummodo* mobilem *eſſe. Sed ſubtiliores haſce ſimilitudines tanquam tricas me conſiderare, ipſe in hoc loco profeſſus ſum.*

CAP. VIII.

1. Hylen *ſive* Materiam primam *meram eſſe exiſtendi* Poſſibilitatem, *ſecundùm* Ariſtotelem; 2. *Eandémque eſſe* Spacium vacuum *Corporíſve Capacitatem ſecundùm* Platonem *&* Plotinum; *quámque aptè* Hyles *deſcriptio apud eos cum* Moſaica *Terra* inani *ac* vacua *conveniat.* 3. *Quid in* Plotini *deſcriptione* Abyſſo, Tenebris *&* Aquis *apud* Moſen *reſpondeat.* 4. *Quòd* Plotinus *videtur* Hylen *merum* Non-Ens *facere.* 5. *Quod verò magìs expreſſa ejus opinio ſit* Potentialitatem *eſſe rerum corporearum, ſive* Entitatem *in* Reverſione. 6. *Quomodo* Hyle *hæc dici poſſit creari.* 7. *Cur* Moſes *tam tenuem evanidámque reculam quàm videatur hæc* Hyle, *in ſex Dierum Creatione notare voluerit.* 8. Incompoſſibilitatem *in notione* Hyles Moſaicæ *involvi, cum ſpeciali ratione cur* Pythagorei Decadem Ἀνάγκην *vocaverint.*

1. JAM verò quantùm ad tres quæſtiones addititias de hac *Hyle Metaphyſica*; Prima earum eſt de *nomine*, cur *Nomen* voluerim tam *ſubſtantiale*, quàm ſit *Hyle*, quod idem ſonat atque *Materia*, illi tribuere, quod ipſe agnoſco nullam habere *Entitatem* niſi *Metaphyſicam*, eámque talem *Metaphyſicam* quæ revera nulla Entitas ſit ſed *mera Capacitas* illius. Sed reſpondeo, me *Hylen* potiùs *Antiquorum* cognominâſſe *Metaphyſicam* quàm nomen *Hyles* ad meram Entitatem *Metaphyſicam* tranſtuliſſe. Quantùm enim ego video, utplurimum *Hylæ* ſuæ plus Entitatis concedunt quàm ipſe in mea deſcriptione aſſignavi; nempe, Quòd *Capacitas* tantùm ſit exiſtentiæ Mundi corporei ac ſenſibilis, ipſa verò nec ſubſtantia ſit, nec quicquam aliud quod actu exiſtit. Λέγω δ᾽ ὕλην ἣ καθ᾽ αὐτὴν μήτε τὶ, μήτε ποσὸν, μήτε ἄλλο μηδὲν λέγεται οἷς ὥρισται τὸ ὄν. *Ariſtoteles* ſic Materiam definit in *Metaphyſicis*. Et rurſus haud multò pòſt, Τὸ δύνατον εἶναι καὶ μὴ εἶναι, τοῦτό ἐστιν ἡ ἐν ἑκάστῳ ὕλη. *Poſſibilitas exiſtendi, & non exiſtendi, hæc* Hyle *eſt ſive* Materia *in re qualibet.*

Lib. 6. cap. 3. & 7.

2. Et *Plato* quidem in *Timæo* res in tria genera diſtribuens unum facit, Τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον εἶδος, quod *intelligibile* eſt, *ingenerabile* & *incorruptibile*, *inviſibile* & *immobile*. Secundum genus eſt, quod hujus ſimilitudinem aliquam idémque Nomen gerit, ſed eſt ſenſibile, *corruptibile* & *mobile*. Tertium τὸ τῆς χώρας facit, *Locum* ſive *Spacium* (*Plutarchus* διάστημα interpretatur) φθορὰν οὐ προσδεχόμενον, ἕδραν δὲ παρέχον ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν, αὐτὸ μετ᾽ ἀναισθησίας ἁπτὸν, λογισμῷ τινι νόθῳ μόγις πιστόν. Sic Materiam deſcribit *Plato*, ut tum *Plutarchus* tum etiam *Plotinus* arbitrantur. Verùm meritò omninò quiſpiam ſuſpicari poteſt nihil hîc *Platonem* præterquam *Spacium* intelligere, quod appellat χώραν, quódque admodum difficile eſt intellectu quid ſit, facit verò illud *ſedem* & *fundamentum* omnium rerum generabilium, ad quem ſenſum *Plotinus* ὑποβάθραν ipſum appellat. Quod accuratè *Terræ inani* ac *vacuæ* apud *Moſen* reſpondet, cùm *Stabilitas* & *Vacuitas* ſimul illîc comprehendantur.

Ennead. 6. lib. 1. cap. 28.

Plotinus huic χώρας notioni inſiſtens *Materiam* talem facit Corporibus Mundanis quale, Vacuum Conclave, eſt noſtris ſenſibus, affirmátque eſſe *impaſſibilem*. Οἷον ἐν οἴκῳ τῷ αὐτῷ ἀλλήλους παιόντων ὁ οἶκος ἀπαθὴς, καὶ ὁ ἐν αὐτῷ ἀήρ· *Ut quando aliqui in eadem domo mutuò ſe verberant, nec domus nec in domo Aer ab eorum verberibus quicquam patiuntur.* Cui congruenter quidem Notioni *Materiam* appellat εἴδωλον καὶ φάντασμα ὄγκου, *umbram & phantaſma molis*; additque porrò eſſe τὸ ἀντερεῖδον μὴ ἔχον, *id quod nullam habet reſiſtentiam.* Nam τὸ ἀντερεῖδον μὴ ἔχον cum illo convenit quod ad eundem ſcopum loquitur in Enneade ſexta, οὐδὲ γὰρ ὀρθῶς τὸ ἀντιτυπὲς αὐτῇ διδόασιν. Ac proinde Enneade ſecundâ *Materiam* ὄγκου ἐπιτηδειότητα nuncupat, præparationem tantùm, ſive *Capacitatem molis*, quemadmodum & ex eo apparet quòd κενὸν ὄγκον *Molem vacuam* etiam nominat, & in capite octavo apertè negat eam aut raritatem aut denſitatem aut magnitudinem habere.

Ennead. 3 lib. 6. cap. 9.

Lib. 6 cap. 7.

Lib. 5 cap. 28.

Lib. 4. cap. 11

Et deſolatam *Materiæ* conditionem porrò deſcribens in Enneade tertia, τὴν ἀεὶ προσαιτοῦσαν πενίαν appellat, & τὴν πάντων ἐρημίαν, *ſemper mendicantem penuriam, omniúmque rerum carentiam*, cujus inopia & appetitus eluditur potiùs quàm expletur: cùm Formæ quas videtur recipere, ſicut Echo in cavis ſolitudinibus, non imbibantur ſed reverberentur, nec adhæreat quicquam de quo participat, ſed idem fiat quod in ſpeculis, quæ reflectunt potiùs Imagines quàm recipiunt. Quod cum eo planè convenit quod alibi ſcribit, Δεῖ δὲ αὐτὴν μὴ σύνθετον εἶναι, ἀλλὰ ἁπλοῦν καὶ ἕν τι τῇ αὐτῆς φύσει, οὕτω γὰρ πάντων ἔρημος. *Naturam* Hyles *compoſitam eſſe non debere, ſed ſimplicem & unam ut expers eſſe poſſit omnium*; quod oſtendit quàm aptè in *primi Diei* opere collocetur.

Lib. 6 cap. 14. 15.

Ennead. 2. lib. 4. cap. 8.

Lib.4.cap.9. Lib.6.cap.6. Ut præteream apertè declarare, Ὅτι ἡ ὕλη ἔν τι τῶν ἀσωμάτων, Quòd *Hyle* ſive *Materia* ex genere ſit rerum incorporearum, tum in ſecunda tum in tertia Enneade.

Tanta ſcilicet copia eſt deſcriptionum apud *Plotinum* quæ *Moſaico* תהו ובהו reſpondent, quæ voces *Vacuitatem* & *Inanitatem* vel κένωμα ϗ οὐδὲν, ut vertit *Theodotion*, ſignificant. *Hylen* ὑποβάθραν nominari & ἕδραν, quæ *ſtabilitati* reſpondent *Terræ*, quæ prima eſt *Hyles Moſaicæ* appellatio, ſuprà monuimus; *Plotinique* mens hac in re admodum manifeſta eſt in iſta ſimilitudine, ubi Formas quas Materia dicitur recipere, Ennead.3.lib. 6.cap.14. cum Echo comparat. Ἀλλ' ἔμεινεν ἡ αὐτὴ ἡ ὕλη οὐδὲν δεξαμένη, ἀλλ' ἐπισχοῦσα τὴν πρόοδον ὡς ἕδρα ἀπωθουμένη. Quibus in verbis *Materiam* cum *fixo ſedili* comparat in quod Formæ quaſi impingunt, ſed non penetrant nec inhærent, adeò ut Materiam velit manere ut antea, immutatam & immotam. Quemadmodum etiam expreſſim aſſerit in Capite undecimo, Quòd Materia nec plus nec minus habeat acceſſu receſſúve Formarum, μένει γὰρ ὃ ἐξ ἀρχῆς ἦν. Qua voce μένειν ſæpe utitur in deſcribenda *ſtabilitate* & *immutabilitate* Materiæ eo ferè ſenſu quo *Plato* eâ uſus eſt de Terræ ſtabilitate loquens, Μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. Adeò ut fugitivæ hæ Formæ & Materia ſe ha- Eccleſiaſt.cap. 1.verſ.4. beant ut Generationes Hominum & *Terra*. *Generatio præterit & Generatio advenit, Terram autem in æternum ſtat.*

Lib.4.c.5. 3. Illud etiam quod *Plotinus* habet in ſecunda *Enneade* cum tertia appellatione *Hyles Moſaicæ*, [*Abyſſo* nempe] pulcherrimè convenit. Τὸ γὰρ βάθος ἑκάστου ἡ ὕλη, διὸ ϗ Ennead. 1. lib.8 cap.7. σκοτεινὴ πᾶσα, *Profunditas cujuſque rei* (τὸ ἔσχατον ‖ alibi nominat) *Materia eſt, ac proinde ſemper eſt tenebroſa.* Quæ *tenebroſitas* quarta proprietas eſt *Hyles Moſaicæ*, cui Lib 4 cap.10. *Plotinus* ſatìs copioſè in ſecunda *Enneade* inſiſtit, contendítque nullam nos aliam illius notionem habere poſſe, quippe quum ſit οἷον ὀφθαλμῷ τὸ σκότος, ut *Tenebræ oculo*; nec aliter animam illam videre poſſe, ἢ ὡς ἀσχημοσύνην ϗ ὡς ἄχροιαν ϗ ὡς ἀλαμπές. Et paulò pòſt, Τοῦτο νοεῖ ἀμυδρῶς ἀμυδρόν, ϗ σκοτεινῶς σκοτεινόν, ϗ νοεῖ οὐ νοοῦσα, ut quando quis tenebras cernit. Et poſtremò nè tetigiſſe ſaltem non videatur ſingulas partes *Moſaicæ deſcriptionis Materiæ primæ*, quid *Moſes* intellexerit per Aquarum mobilitatem, *Plotinus* etiam ſignificavit per τὸ ἀόριστον, vel τὴν ἀοριστίαν, per naturam *indefinitam, indeterminatámve Materiæ*.

4. Et certè ex eis quæ jam produximus ſatìs conſtare cenſeo quòd per *Materiam Plotinus* nullum Ens intelligat magìs ſolidum aut ſubſtantiale, quàm quod meritò appellari poſſit *Metaphyſicum*. Cæterùm apertiùs loquitur & tamen ſimul compendioſiùs Lib.6.cap.7. Stromat.lib.5. in *Enneade* tertia, ubi, (ut *Clemens* etiam ait *Platonem* materiam appellare) eam τὸ ἀληθῶς μὴ ὂν appellat. *Id quod revera eſt Non-Ens.* Et paulò pòſt eam porrò deſcribens, οὗ τὸ ὂν ἐν φαντάσει, οὐκ ὄν ἐστιν, *cujus Entitas cùm ſit omnino in imaginatione, Non-Ens eſt.* Et in Capite decimo tertio declarat, Quòd Materia, ſi talem ſe conſervare velit qualis eſt, ἀνάγκη αὐτὴν μὴ μόνον τῶν ὄντων ἄδεκτον εἶναι, ἀλλὰ ϗ εἴ τι μίμημα αὐτῶν, ϗ τούτου ἄμοιρον εἰς οἰκείωσιν εἶναι, *neceſſe habet, non ſolùm omnium Entium inſuſceptivam eſſe, verùm etiam ſi vel leviſſima ipſorum adſit umbra, illius nequaquam fieri participem, ut ſuam ſic ſibi proprietatem poſſit conſervare.*

5. Sed enim *Philoſophus* in hiſce deſcriptionibus tam rigidus eſt ac præciſus ut *Materiam* videatur magìs nudam reddere quàm revera oporteat. Cæterùm aliis locis magìs moderatus eſt, ubi ei permittit, *Poſſibilitatem* eſſe hujus externi *ſenſibiliſque Mundi*, eámque *Non-Ens* eſſe ex eo ſolo arguit quòd ſit *tantùm* hæc *Poſſibilitas*. Ut Lib.1.cap.27. in Enneade ſexta. Εἰ γὰρ δύναμίς ἐστιν ὃ μέλλει ἔσεσθαι, ἐκεῖνο γὰρ μὴ οὐσία, οὐδ' ἂν αὐτὴ οὐσία· *Nam ſi Poſſibilitas ſit quod futurum eſt, nec quod ſic eſt futurum, ſit ſubſtantia vel Eſſentia,* Lib.5.cap.5. *nec illa eſt ſubſtantia vel Eſſentia,* ſcilicet *Materia*. Et in Enneade ſecunda concedit *Materiam* eſſe *Eſſentiam in Reverſione*. Τὸ εἶναι αὐτῇ μόνον τὸ μέλλον ἐπαγγελλόμενον· *Eſſentia Materiæ expectata tantùm Eſſentia eſt ſive promiſſa*, vel quod dixi, *Eſſentia in Reverſione.* Et propè finem Capitis concludit: Εἴπερ ἄρα δεῖ αὐτὸ εἶναι, δεῖ αὐτὸ ἐνεργείᾳ μὴ εἶναι, ἵνα ἐκβεβηκὸς τοῦ ἀληθῶς εἶναι ἐν τῷ μὴ εἶναι ἔχῃ τὸ εἶναι. Et in extrema concluſione, Εἴπερ ἄρα δεῖ ἀνώλεθρον τὴν ὕλην τηρεῖν, ὕλην αὐτὴν δεῖ τηρεῖν, τουτέστι, δυνάμει λέγειν αὐτὴν εἶναι μόνον, ἵνα ᾖ ὅ ἐστιν. Quarum ambarum ſententiarum ſenſus omnino hic eſt: *Quòd Eſſentia* Materiæ *excludat realem Exiſtentiam, conſiſtátque tantùm in Capacitate ſive Poſſibilitate exiſtendi.* Unde manifeſtum eſt *Platonicam* hanc *Hylen* quam primi diei Creationi applicavi, rectè appellari poſſe *Metaphyſicam*, vel, ſi malles, illud quod maximè evanidam Entitatem *Metaphyſicam* habet, appellari *Hylen*, quod id ipſum eſt ad quod hæc omnia collineabant.

6. Nunc verò Quæſtio magìs ardua emergit ex Reſponſo ad priorem, nempe, * Quomodo mera hæc *Capacitas* ſive *Poſſibilitas* rerum corporearum ac ſenſibilium dici poſſit creari. Nam hæc *Poſſibilitas* & *Capacitas* à ſe eſſe videtur, nec ullâ indigere Creatione. * Sed reſpondeo, *Creationem nihil aliud eſſe quàm Emanationem Creaturæ à Deo,*

à Deo, quemadmodum *Aquinas* determinavit; dicóque hanc *Poſſibilitatem* & *Capacitatem* rerum ultimam eſſe ſive extremam *Projectionem* ſive *Emanationem* à Divina Exiſtentia, nec futuram fuiſſe ſine Illo. *Aquinas in 1. qu. 45.* Nam niſi *Ille* eſſet, reliqua omnia impoſſibile foret, ut exiſterent. Quamobrem cùm hæc *Poſſibilitas* ab *Illo* dependeat, cúmque *merum Nibil* non ſit ſecundùm *Metaphyſicos,* qui concedunt *Ens in potentia* verè Ens eſſe perinde atque *Ens actu,* rectè dicitur ab *Illo* creari. Et ſi *Creatio* ſit ex nihilo, hæc certè multò eminentiori modo talis eſt quàm ulla alia, cùm id quod infra ipſam eſt, ſit abſolutiſſimum *Non-Ens* quod concipi poteſt. Quod eſt, prout dixi, *Impoſſibilitas.* Quæ rerum omnium foret conditio, ſi non eſſet Deus.

7. Tertia & ultima quæſtio eſt, cur notare voluerit *Moſes* tam ſubleſtam evanidámque Reculam quàm ſit mera hæc *Poſſibilitas* externæ Creationis. Quid enim prodeſt conſiderare *Poſſibilitatem* Domûs vel Statuæ antè eſſe quàm Architectus & Statuarius ea fabricetur? Sed reſpondeo, non parem utrobique eſſe rationem, cùm infinitum diſcrimen ſit inter *totum Univerſum* & *Domum* aut *Statuam,* & inter *Deum* & *Architectum* aut *Statuarium.* Ac proinde in rebus tam immenſis quàm ſit *Deus* & *Univerſum,* minuta quæque conſideratio magna habenda eſt: Videmúſque humanum Intellectum ſic ſemper apud ſe ſtatuiſſe. Multùm enim hominum Mentes exercitatæ fuerunt & defatigatæ in demergendo ſe ad infimum ultimúmve fundum rerum omnium quam *Hylen* appellant, & utplurimum talem definiverunt, qualem ipſe deſcripſi, meram ſcilicet *Potentialitatem.*

Præterea, Adeóne contemnenda Notio eſt ſive ſpeculatio, quòd vel ipſa *Poſſibilitas* aliorum Entium omnium ſit à *Deo,* quódque impoſſibile ſit rem ullam ſine *Illo* exiſtere? Etenim quemadmodum Aphoriſmus eſt veriſſimus, ità etiam maximè connexus cum Pietate ac Religione. Talémque Philoſophiam expectare debemus à tam ſancto viro quàm *Moſe.*

Et poſtremò, quando dicimus *Hylen* hanc *Potentialitatem* ſive *Capacitatem* rerum eſſe, in ſe etiam involvit *Incompoſſibilitatem,* quippe quum ſit *finita Capacitas* ſive *Poſſibilitas.* Ac proinde hinc futura eſt neceſſaria ſequela talium rerum quæ malæ habeantur in *Univerſo.* Talis enim *Capacitas* ſive *Poſſibilitas* quæ tantùm finita ſit, proximè *Neceſſitatem* habitat Matrem Noxarum, quemadmodum in verſibus *Pythagoricis* innuitur, quanquam ex alia occaſione,

------.----- Δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει.

Nec certè ullum ſenſum approbandum ex iſto *Platonis* efficere poſſum, Ἀνάγκη πολλὰ τῷ Θεῷ δυσμαχοῦσα καὶ ἀφηνιάζουσα, ex iſta *Neceſſitate* quæ refractariè indomitéque reſiſtit & opponit ſe Deo, præter hanc *Incompoſſibilitatem* Creationis. Quòd verò ἄτακτον ψυχὴν καὶ κακοποιὸν appellat, & ψυχὴν ἐναντίαν καὶ ἀντίπαλον τῇ ἀγαθουργῷ, aut *furioſa* quædam *Rhetoricæ vena* eſt vel potiùs *Poeticæ,* aut craſſus error circa ſenſum Textûs *Moſaici,* (illius enim in notitiam eum veniſſe ſuprà monuimus) interpretando רוח אלהים tali ſenſu quo *Cabbala Literalis* explicavit, quem is putaverit effectum eſſe hujus ψυχῆς ἀτάκτου καὶ κακοποιοῦ quam ſibi finxerat.

8. Cæterùm *primæ Materiæ* facies apud *Moſen,* ſatìs dira eſt atque horrida ſine ullis iſtiuſmodi exorbitantibus Commentis, à *Literali Cabbala* perperam intellecta petitis, ad prodendum ſuum reatum, indicandúmque quàm affinis ſit earum noxarum quæ in Orbe contingunt. Et certè licèt alia non ſit, quàm qualis hactenus à *Plotino* deſcripta eſt, *Plotinus* tamen ipſe de malis quæ ex ea oriuntur perquam lugubrè conqueritur, in ſuo Περὶ τοῦ τίνα καὶ πόθεν κακά· ubi definit hanc *Hylen* eſſe κακοῦ οὐσίαν, & τὸ πρῶτον κακόν, *Eſſentiam Mali, Primúmque* ſive *Originale Malum*: Rationémque reddens malorum eorum quæ in Mundo reperiuntur, ſic ſcribit: *Ennead.1 lib. 8.cap.7.* Μεμιγμένη γὰρ οὖν δὴ ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου φύσις ἐκ τε νοῦ καὶ ἀνάγκης, καὶ ὅσα παρὰ Θεοῦ εἰς αὐτὸν ἥκει ἀγαθά, τὰ δὲ κακὰ ἐκ τῆς ἀρχαίας φύσεως τῆς ὕλης λεγομένης· *Mundus enim ex Intellectu & Neceſſitate mixtus eſt, eáque quæ in eum à Deo veniunt bona ſunt, mala verò ab Antiqua Natura proficiſcuntur* Hyle *appellata.* *Vid. Pſychozoiam Cant.1. Enneaſtich.9, 44,45.* Veruntamen fateor nimis quàm temerè hanc *Hylen* antiquam ab eo dici, niſi tantùm reſpectu particularium Umbrarum in Orbe evaneſcentium intelligatur. Nam Mundus ipſe æquè antiquus eſt atque *Hyle* juxta ſuam ipſius doctrinam. Ut in *Enneade* quinta ubi Univerſum facit neceſſariam à Deo emanationem naturalémque Imaginem Æterni *Intellectûs*: *Lib.9.cap.12.* indéque concludit, Πᾶσα δὲ φύσει εἰκὼν ἐστὶν ὅσον ἂν τὸ ἀρχέτυπον μένῃ. Et in alio loco, *Ennead.3.lib. 2. cap.3.* Ἐξ ἀνάγκης ἐστὶν ὁ Κόσμος, καὶ οὐκ ἐκ λογισμοῦ γενόμενος, ἀλλὰ φύσεως ἀμείνονος γεννώσης κατὰ φύσιν ὅμοιον ἑαυτῇ. Et in Capite hanc citationem antecedente idem omnino aſſerit. Γέγονε δὲ ὁ κοσμὸς οὐ λογισμῷ τοῦ δεῖν εἶναι, ἀλλὰ δευτέρας φύσεως ἀνάγκῃ· *Mundus verò non factus eſt conſultatione & ratione,*

tione, quòd ſic fieri oporteat, ſed immediatâ neceſſitate Emanationis ſecundæ ſive alterius Naturæ. Quæ Concluſiones *Plotini* ſi veræ eſſent, equidem hanc æquè eximiam rationem cenſerem atque ullam aliam, cur *Pythagorei Decadem*, quod *Symbolum* apud eos eſt *Univerſi*, Ἀνάγκην appellarent, hoc eſt *Neceſſitatem*.

Verùm eò libentiùs hanc excurſionem feci, quoniam ad faciliorem facit intelligentiam eorum quæ additurus eram ad pleniùs probandum quòd *Plotinus Hylen* radicem omnium malorum ſtatuerit. In prima *Enneade*, ut ſuprá: Ἐπεὶ γὰρ οὖν οὐ μόνον τὸ ἀγαθὸν, ἀνάγκη τῇ ἐκβάσει, τῇ παρ' αὐτὸ ὑποστάσει, ἢ, εἰ οὕτω τις ἐθέλει λέγειν, τῇ ἀεὶ ὑποβάσει καὶ ἀποστάσει, τὸ ἔσχατον, καὶ μεθ' ὃ οὐκ ἦν ἔτι γενέσθαι ὁτιοῦν, τοῦτο εἶναι τὸ κακόν· ἐξ ἀνάγκης δὲ εἶναι τὸ μετὰ τὸ πρῶτον, ὥστε καὶ τὸ ἔσχατον. τοῦτο δὲ ἡ ὕλη μηδὲν ἔτι ἔχουσα αὐτοῦ, καὶ αὕτη ἡ ἀνάγκη τοῦ κακοῦ. *Etenim cùm ſupremum primúmve Bonum ſolùm non ſit, neceſſe eſt, per Egreſſionem, gradualémve Deſcenſum Diſtantiámve ab illo, Extremum, & poſt quod impoſſibile eſt eſſe quicquam, Malum illud eſſe. Et certè neceſſe eſt aliquid eſſe poſt Primum, atque ſic Extremum aliquod. Atque hæc eſt Hyle ſive Materia nihil de Primo participans. Hæcque ipſa Neceſſitas eſt Mali,* nempe quatenus hæc Hyle nihil participat de *Primo*, nec illius capax eſt. Quod idem valet ac ſi dixeris, *Incompoſſibilitatem* ſive *Incommenſurabilitatem* in infima rerum Creatione (taliſque eſt hic *Mundus* corporeus) eſſe hanc Ἀνάγκην ſive *Neceſſitatem* mali. *Impoſſibilitatem* quidem fore rerum omnium ſi Deus non exiſteret ; nunc verò *Incompoſſibilitatem* ſive *Incommenſurabilitatem* in hiſce rebus inferioribus eſſe quanquam Deus exiſtit, quemadmodum *impoſſibile* eſt, ut *Acies* Cultri & *dorſum* perinde robuſta ſint ac firma.

Quæ quidem conſiderationes circa *Hylen* hanc *Metaphyſicam* non tam triviales, quinimo tam ponderoſæ ſunt ut meritò dignæ cenſeri poſſint quas *Moſes* diſtinctè notet, in ſqualida iſta horridáque hujus *Hyles* primæve Materiæ facie, quam in primi Diei Creatione deſcribit, ipſáque *Hyle* digna, ob eas rationes, quam *primi Diei* operis partem conſtituat. Eſt enim talis veritas quæ ſeriam mereatur meditationem. Nec poteſt profectò Philoſophum non decere primas cauſas ſpeculari eorum Effectorum ad quæ ferenda, omnia è longinquo intuens *Providentia* tam aptè belléque univerſo generi humano proſpexit, quippe quæ eos inſtruxit ad iſtiuſmodi inopinata Eventa recipienda, duabus iſtis vehementibus ſceniciſque Paſſionibus *Riſûs* atque *Fletûs*. Tam manifeſtum eſt noſtram Expoſitionem quâ *Hylen Metaphyſicam* per *Terram vacuam* & informem aquiſque & caligine involutam ſignificari ſtatuimus, Interpretationem eſſe ſolidam & inculpabilem.

SCHOLIA

In Cap. VIII. Sect. 6.

Exam. Gener. p. 139. QUomodo mera hæc Capacitas ſive Poſſibilitas rerum corporearum ac ſenſibilium dici poſſit creari, &c. *Non ſolùm quòd non videatur indigere Creatione, ſed etiam (id quod non temerè videtur ſubmonere* S. A.) *quòd eo ipſo fieret* Ens reale, *nec eſſet mera* Capacitas *ſive* Poſſibilitas. *Sed enimvero niſi quis datâ operâ captandis cavillandi occaſionibus invigilet, paulò laxiore ſignificatione verborum* [Creatio & Ens] *admiſſâ, hæc difficultas facilè ſolvi poſſit. Omni* gradui *nempe ad* Entitatem Entis nomen *indulgendo, & omni* Efficientiæ, *quæ facit ut Ens, (quàm minutiſſimo gradu fuerit, gradúſve ad Entitatem, id eſt, quale quale fuerit* Ens Gradúſve) *ex nihilo exiſtat, nomen indulgendo* Creationis. Poſſibilitas *enim hæc ſive* Capacitas *propiùs accedit ad* Entitatem *quàm* Impoſſibilitas ; *ut ipſe* Andreades *etiam contendit* Ens in potentia *propiùs accedere ad* Entitatem *quàm* Ens poſſibile. *Cùm verò ſit aliqua Efficientia atque vis, quæ quid propiùs ad realem Entitatem accedit quàm alia multa, ſi ex nulla præjacenti materia id efficit, cur illud* [Efficere] [creare] *dici non patiar haud ſatis intelligo, quanquam illa Creatio minutior ſit & obſcurior perinde atque id quod dicitur creari. Adeò ut lubens profitear litigium hic de vocibus eſſe potiùs quàm de rebus ipſis.*

Exam. Gener. p. 139, 140. Sed reſpondeo Creationem nihil aliud eſſe quàm Emanationem Creaturæ à Deo, &c. *Creationem hic* Materiæ Metaphyſicæ *ità me exponere ait* Andreades, *ut hinc neceſſariò ſequatur eandem* Materiam *immò* ipſum Mundum Deo coæternum eſſe. *Objicit enim quod occurrit Sect.* 8. Nam Mundus ipſe æquè antiquus eſt atque hæc Hyle ſecundùm ſuam ipſius doctrinam alibi traditam. *Quæ verò ego illic de* Plotino *loquor, ille intelligit, (idque admodum protervè ac iniquè) de meipſo. Cùm nè* Materiam *quidem* Metaphyſicam *præſentem inſtantémque ab æterno extitiſſe, nedum* Mundum ipſum *ſtatuo,*

tuo. Sed, quæ eſt illius confidentia, ſic me ſentire, ex ipſa Creationis definitione, quam amplector, demonſtrare ſe poſſe profitetur. Hucque arripit quod reperitur in Tractatu meo de Animæ Immortalitate, *lib. 1. cap. 6. Axiom.* 17. Effectum emanativum coexiſtit ipſi ſubſtantiæ ejus quod cauſa illius dicitur. Indéque rectè me inferre dicit, Si tale effectum unquam eſt, ſemper eſſe debet, vel ſaltem tamdiu quàm ſubſtantia iſta exiſtit. *Ego verò vel ultrò concedo* Axiomatis *iſtius ſenſum limitandum eſſe, & ad cauſas creatas emanativas reſtringendum. Nam in ea ſola Regione verſabatur mens mea quando iſtud* Axioma *ſcripſi, Lectoriſque candidi eſt Titulum reſpicere qui Cauſas emanativas creatas ſolas ſpectabat, dum ego iſta meditabar. In cauſa verò prima increata ubi Effectum tam infinitis gradibus ſubſidit infra Cauſam, ipſe* Defectus *&* Incapacitas Effecti emanatorii *ſibi obſtaculo eſſe poteſt quo minùs ab æterno coexiſtat ſuæ Cauſæ. Qua de re fuſiùs egi in* Enchiridio Metaphyſico, *nec opus eſt plura hîc addere. Hoc tamen obiter moneo, tantum abeſſe, ut ego accenſendus ſim illius* Materiariis *quos toties crepat &* Hermogeniſtis, *ut* Poſſibilitatem *hanc* Creaturæ futuram *tantùm ab æterno non* inſtantem præſentémve *fuiſſe ſtatuam ante tempus Creationis. Quod unum Reſponſum ſatìs eſt ad difflandas omnes illius cavillas & argutias circa hoc argumentum. Ad reliquas illius in hunc Paragraphum Tricas Scholaſticas ac Nugacitates conniveo & ſileo. Neque enim mihi vacat cum tam juvenili támque parùm urbano Theologiæ & Philoſophiæ Profeſſore aut ludere aut rixari. Puer quivis decennis ſatìs clarè perſpiciet nullam ſubeſſe impietatem illi Effato;* Si Deus non eſſet, omnia forent in ſtatu Impoſſibilitatis. *Nec ad Atheiſmum viam pandere,* Omnia neceſſariò ab Illo ſolo exiſtere profiteri. *Et denique, Utrùm conſultius ſit ad* Incompoſſibilitatem *Creationis ea mala quæ in Mundo occurrunt, an ad voluntatem Creatoris referre, penès quemvis, qui cæco non ſit malignóque ingenio, judicium eſto.*

CAP. IX.

1. *Nova ſuppoſitio circa* Hylen, *tanquam ſi eſſet* Actualis ſubſtantia Materialis, *& quàm applicabilis huic ſit Deſcriptio* Moſaica. 2. *Quomodo referri poſſit ad primi Diei Creationem, cujus* Unitas *ſit character.* 3. *Quomodo intelligi poſſit* Aquæ *eſſe* inferiores *ſenſu Philoſophico.* 4. *Quid* Monadicam *Conſiſtentiam hujus* Hyles Phyſicæ *ità coagulaverit, ut capax eſſet Æther fieri ſive* ſecundi Diei *Opus.* 5. *Suppoſitionem hujus* Hyles Phyſicæ *admodum plauſibilem eſſe ſi* Monadicæ *ſit Conſiſtentiæ, alioquin intolerabilem.*

1. QUòd ſi cujuſquam animo levamini futurum ſit magìs pingue habere ac perceptibile Objectum huic nomini *Hyles* ſubditum, Textus fortean haud uſque adeò illius incapax reperietur. Etenim ſuppoſito, quòd hæc *Hyle* realis & actualis *Materia* ſit, ex perfectis iſtis *Parvitudinibus* (quas alibi deſcribo) conſiſtens actualiter aliis ab aliis diviſis, tantúmque ferè motum ex æquo participantibus quantus nunc conſervatur in Univerſo, Attributa illius *Hyles* apud *Moſen* deſcriptæ, huic pulcherrimè convenient.

Immortal. lib. 1. c. 6. & Præfat. ſect. 3.

Primùm enim, ἕδρα erit, & ὑποϛάθρα, *ſedes* ac *ſubſellium* Formarum: cúmque ſic *Suſtentaculum* ſit ac *Fundamentum*, per vocem [*Terra*] rectè aptéque ſignificabitur. Quemadmodum etiam tale βάθος ſive *Profundum* futurum eſt, quod nomen *Abyſſi* meritò cenſeatur notare, quippe quum profundiſſima infimáve pars ſit realis Creationis. Porrò quantùm ad *Vacuitatem* & *Inanitatem* hæc *Hyle* ab omnibus omnino Formis ſenſibilibus penitus vacua eſt, (ſupponimúſque nondum cum ullis ſubſtantialibus Formis conjunctam) adeò ut nè *tenuis* quidem tactui videretur aut *ſpiſſa*, quippe non omnino perceptibilis, veréque eſſet illud τὸ μετ' ἀναισθησίας ἁπτὸν, de quo vaticinatus eſt *Plato*, ut quod *tangibile* quidem ſit in ſe, ſed non item tactui aut Hominis aut Angeli propter infinitam ſubtilitatem ſuæ *Conſiſtentiæ*: Quam igitur neceſſe eſt fore tanquam *vacuam ſolitudinem* & *inane ſpacium* quantùm ad explorationem ullius ſenſûs creati, qui ultrò citróque palando palpandóque in nullam uſquam craſſitudinem incidere poſſet niſi quam perfectæ hæ parvitudines habeant, quæ adeò infinitè ſubtiles ſunt ut nullus tactus eas queat percipere, adeò ut univerſum appariturum ſit tanquam abſolutè *inane* atque *vacuum*.

Plotin. Ennead. 6. lib. 1. c. 28.

Cap. 8. ſect. 2.

Tertiò, Vaſta hæc Solitudo *tenebroſa* erit ut Pix, adeò ut ſi Sol eſſet ubi nunc eſt, Vortéxque reliquus hanc haberet Materiæ conſiſtentiam quam ego deſcripſi, ſcenæ facies æquè nigra eſſet atque mediæ noctis; quemadmodum facilè poſſem demonſtrare, ſi opus eſſet.

Et poſtremò, quantùm ad *Fluiditatem* naturámque illius *Aqueam*, equidem infinito magìs Aqua eſt, hoc eſt, magìs fluida, quàm ipſa ſit Aqua. Et ſi *Thaletis* opinio ullam in ſe veritatem complectitur, omninò hîc invenienda eſt. Verùm *Ariſtoteles* hanc Philoſophiam facit Sapientum multò antiquiorum; Eorum quos ait, *Oceanum* & *Tethyn* Patres feciſſe Generationis, τ̃ γενέσεως πατέρας (ſic enim ille loquitur) docuerúntque *Aquam*, nempe *Stygem*, propter antiquitatem, Juramentum fuiſſe Deorum. Τιμιώτατον γὰρ τὸ πρεσβύτατον, ὅρκος δὲ τιμιώτατόν ἐστιν. Et certè talis Aqua qualis eſt hæc *Hyle* quam ego deſcripſi, quam nec Sol ſic illuminare poteſt ut per eam poſſit conſpici ullúmve lumen à Sole, Aquam oportet eſſe reverà *Stygiam*: Atque hîc notandum eſt *Pythagoreos Monadem Stygem* appellare. Tam aptè natura hujus *Hyles Phyſicæ* ſic deſcriptæ cum illis Attributis in Textu *Moſaico* convenit.

Metaphyſ. lib. 1. cap. 3.

2. Sed quomodo potes efficere, inquies, ut cum Diei charactere conveniat, nempe cum *Unitate* ſive *Monade*, & ſic rerum ſeriem in ſecundi Diei opus deducere, quemadmodum fit in *Hyle Metaphyſica* quam *Aquas ſub Firmamento* facis, illúdque *Firmamentum* in immenſum extenſam *Materiam*, quæ propriè diviſibilis eſt ac propterea *Binario* denotata, & in conſiſtentiam *Æthéream* formata appellatur *Cælum*, quod ſingulas *Terras* circundat, ut quod aquas earum *Phyſicas* proximè attingat, quæ ubique congregandæ ſunt in unum locum? &c.

Equidem fateor, cùm natura Materiæ *Phyſicæ* diviſibilis ſit, *Binariúſque* tam expreſſum illius *Symbolum*, Metaphyſica verò Materia ἕν τι καὶ ἁπλοῦν καὶ ἀσώματον, quemadmodum eam deſcripſit *Plotinus*, me abſtinere non potuiſſe quin concluderem, *Hylen Metaphyſicam* ad primum diem pertinere, *Phyſicam* verò ad ſecundum. Quæ quidem ſatìs ſobria eſt tutáque Interpretatio, quemadmodum ex eis quæ dicta ſunt, apparet. Veruntamen pergam nihilominus, experiárque quàm tolerabilis hæc altera reperiatur.

Cap. 8. ſect. 2. Ennead. 2. lib. 4. cap. 8.

Dico igitur hanc *Hylen Phyſicam*, prout eam deſcripſi, eſſe etiam ἕν τι καὶ ἁπλοῦν καὶ ἀσώματον ſenſu ſatìs notabili. Una eſt & ſimplex, hoc eſt, exactè uniformis ubique, & in partes ullas quæ ſint differentis naturæ omnino indiviſibilis; cùm *Firmamentum* in ſecundo die in *primum* & *ſecundum* Elementum *poſſit diſtingui*: ut nihil dicam de Materia Divina tunc creata & ſubinde immixta, ob quam præterea Rationem, quemadmodum alibi moneo, Cœlum ſive Firmamentum, formâ duali dicitur שמים. Et tum dein, quantùm quidem ad ſenſum ullum eſt planè *incorporeum*, quippe quòd ſit ſolummodo ἁπτὸν μετ᾽ ἀναισθησίας· quemadmodum nobis *Plato* eam jam deſcripſit, ac proinde meritò inter Entia *Incorporea* recenſeri poteſt. Verùm præterea, cùm ex perfectis *Parvitudinibus* actualibus omnino conſiſtat, quæ totidem *Monades Phyſicæ* ſunt, & in ſe *prorſus indiviſibiles*, (ut ſunt *Entia incorporea*, primo die creata,) ſed ſeparabiles (ut illa ſimiliter ſunt) aliæ ab aliis, facilè profectò & incoactè ad *primi Diei* opus poteſt referri.

3. Jam verò quantùm ad *Aquas ſub Firmamento*; *Hyle* hæc *Phyſica* ſic conſiderata cum omni illa ἀοριστίας fluidáque *Poſſibilitatis* creaturarum corporearum *Indeterminabilitate* quæ neceſſariò illi inhæret, ſatìs aptè expreſſéque erit *Aquæ iſtæ inferiores*. Et הרקיע ſive השמים *Firmamentum* ſive *Cælum*, ſpecies quædam erit inter *Hylen* hanc *Phyſicam* (in qua ſuprà dicta rerum Poſſibilitas & Indeterminabilitas comprehenditur) & *Immateriales* illas *Eſſentias* quæ deſcendunt εἰς γένεσιν, nominéque *ſuperiorum Aquarum* ſive *Aquarum ſupra Firmamentum* notantur. Hæc enim *Aqua Primordialis* ex *meris Monadibus Phyſicis* conſiſtens ante *Firmamentum* extitit, implevítque omnia. Ex hac, & ſupra hanc ordine proximum erat *Cælum* ſive *Firmamentum*, vel, quemadmodum Græci appellitant, *Æther*; proximéque ſupra hunc *Ætherem*, quæque ante eum creata eſt, pars eſt illa *Mundi Vitæ* quæ deſcendit in Generationem. Hic eſt rerum ordo; facileque, inquies, intelligitur, Ætherem medium eſſe Terminum inter duos iſtos extremos, *Hylen* ſcilicet *Phyſicam*, & *Mundum Vitæ*.

4. Verùm porrò quæres, quî factum ſit, ut *Aqua hæc primordialis*, ut *Hyle* hæc ex meris *Monadibus Phyſicis* conſiſtens, unquam in iſtam *Ætheris* conſiſtentiam coagularetur, qui fit ex globularibus particulis & tenuiori elemento, utriſque verò multò craſſioribus primâ conſiſtentiâ *Materiæ*? Ad hoc autem nihil habeo quod reſpondeam niſi quòd illud, quod in efformatione Animalium primam humidam Materiam ſive Liquorem, in talem organizatam Conſiſtentiam diverſorum graduum atque uſuum coagulat, idem etiam hanc primordialem coagulaverit Mundanæ Materiæ conſiſtentiam in iſtiuſmodi differentes gradus craſſitudinis, qui ad producendum duo iſta elementa ex quibus Æther conſiſtit, maximè conducerent; quódque tametſi *Mundus Machina* ſit, *Artifex* tamen *Mechanicus* non ſit ipſa Materia, ſed aliud aliquod Principium in *Mundo Vitæ*.

Quamobrem cùm *Monadica* Materiæ *Conſiſtentia* in productione *Ætheris* perdatur, cùmque expreſſim in duo Principia diſtinguatur, quæ & *Carteſius* cum judicio notavit, Creatio hujus *Ætheris* ſive *Cœli* naturaliter ſub *Binarii* characterem cadit, aptéque collocatur in *Die ſecundo*.

Nec opus eſt addere, ut omnia jam ordine proceſſura ſint, ut priùs; útque Æther hic *Phyſicas* ſive ſenſibiles Aquas quæ Terras contegunt, circundaturus ſit. Qua in parte, *Cabbala Literalis* & *Philoſophica* facilè coincidunt, quemadmodum fit in quinti ſextique Diei Creatione. Nec ad hunc locum pertinet conſiderare, ut poſt *Stygiam* harum *Primordialium* Aquarum *Caliginem*, Materiâ jam coagulatâ, ut ſuprà dictum eſt, & in motum *Verticalem* excitatâ, *Lux* in infinitis Mundi partibus explendeſceret, Cœlique univerſi tandem innumerabilibus *Solibus* ſive *Stellis* perquam fulgidè coruſcarent, cùm hæc ſpeculatio ad quarti Diei opus omnino ſit referenda.

5. Intereà loci, manifeſtum eſt novam hanc Interpretationem admodum plauſibilem eſſe: Atque equidem quanquam Authoritas *Plotini* & *Platonicorum* ad priorem valdè propendet, quorum ſuffragium eò majoris momenti meritò videri poteſt, cùm è ſucceſſione ſint in *Cabbala* Philoſophica; Venerabilis tamen Pater Eccleſiæ S. *Auguſtinus*, huic poſteriori favet, ipſéque *Plato*, dum Materiam ἐκμαγεῖον ϗ μητέρα vocat, eam inſinuare videtur eſſe pluſquam *Metaphyſicam*; utì etiam *Plutarchus*, qui tum *Platonem* tum *Ariſtotelem* Materiam σωματοειδῆ feciſſe affirmat. Cæterùm niſi *Hyle* hæc *Phyſica Monadicæ* primitus fuiſſe Conſiſtentiæ intelligatur, hæc Interpretatio quæ ex iſta quidem Hypotheſi tam plauſibilis eſt vel potiùs irreprehenſibilis, abſque ea profectò reperiretur intolerabilis. Etenim *Hyle* hæc neceſſariò tunc in *Binarium* devolvetur, niſi Numeri *Pythagorici* nihil prorſus ſignificent. Conceſſo autem eam iſtiuſmodi primitùs fuiſſe conſiſtentiæ, omnia facili pronâque ſuccedent ſequelâ, utralibétque Expoſitio concinnæ rationíque conſentanea cenſebitur apud quemvis æquum judicem. * Utra verò alteri præferenda ſit, Lectoris arbitrio determinandum permitto. Nec tamen abſtinere me poſſum quin hoc in poſterioris hujus gratiam adjiciam: Generationem ſcilicet ex eo fieri, quod liquidius eſt Generato; Nihílque ipſo cœlo liquidius eſſe niſi *Aquam* hanc *Primordialem* Conſiſtentiæ *Monadicæ*, antiquam hanc *Stygem*, ſanctiſſimum Deorum Juramentum, quemadmodum legimus apud *Ariſtotelem*.

SCHOLIA

In Cap. IX. Sect. 5.

Utra verò alteri præferenda ſit, Lectoris arbitrio determinandum permitto, &c. *Heíc ovare videtur* Andreades *& de me Triumphum affectare*, quaſi omnino fluctuarem neſcirémque ipſe quid tandem ſtatuerem, ſed undique conſtrictus difficultatibus & abſurditatibus rem quaſi in medio relinquere vellem. *Sed enimvero fingit difficultates & anguſtias quas mihi optat, cùm reverà nimis amplum potiùs ſit ſpacium, duarúmque valdè concinnarum conſentanearúmque opinionum mihi detur optio, quam & Lectori humaniter offero. Quinimò utramque illi permittitur amplecti. Neque enim inſolens eſt apud* Cabbaliſtas *ſub uno* Symbolo *plures Notiones recondere, nec ulla eſt neceſſitas ut altera alteram excludat. Quodſi alterutra tantùm retinenda eſſet, ut ingenuè fatear quod ſentio, & à fluctuationis labe omni ac ſuſpicione apud* S. A. *me liberem*, Materia Phyſica *iſti* Hyle Metaphyſicæ, *meo quidem judicio eſt præferenda. Sed pro more* Cabbaliſtico *utramque rectiùs retinendam cenſeo, & eidem* Symbolo Moſaico, Numeróque Pythagorico *ſubjiciendam.*

Exam. Gener. p. 141.

CAP. X.

1. *Quarta Objectio à præpoſtera* Solûm *collocatione in* quarto *Die, Terrarúmque in* tertio, *deſumpta.* 2. *Reſponſa, Primò, Ordinem inflexibilem ſex iſtorum Numerorum* Myſticorum *Creationis deſtinatum fuiſſe tantùm in* Repoſitorium Memoriæ *&* Cælaturæ, *non autem in* Librum accuratâ Methodo digeſtum. 3. *Secundò, Nec quidem Methodum tam reprehenſibilem eſſe quàm prætenditur, cùm* Terra *rectè* Ætherem *ſequatur,* (*qui* ſecundi Diei *opus eſt*) *tanquam immediatum illius* Effectum. 4. *Quemadmodum* Terræ *etiam* Ornatus (*ut quod primum certum* effectum *ſit conjunctionis* Activi *Principii cum* Æthere *in Die* ſecundo) *rectè præcedit opus* quarti Diei, *tanquam illius Finis aut* Objectum. 5. *Minimè neceſſarium fuiſſe, & fortean nec poſſibile, ut una eadémque Textûs ſeries* triplicem *ſenſum cum ordine rerum æquè accurato ad ſingulos pertinentium, gerat.*

1. Quarta Objectio eſt, quòd ordo earum rerum quæ in ſex dierum Creatione comprehenduntur, ſecundùm *Cabbalam Philoſophicam*, durus eſt & præpoſterus, cùm opus *quarti diei* magìs naturaliter collocandum eſſet in tertio, *Solibus* ante *Planetas* exiſtentibus, & *Planetis* antequam ullæ Terræ eſſe poſſint quæ *Fluviis, Plantis* & *Floribus* exornentur. Ac proinde ſecundùm *Prioritatem Naturæ* Creatio Solûm ac Planetarum collocanda erat ante ornatum Terræ cum Mari, Fluviis ac Plantis.

2. Sed reſpondeo, Objectionem hanc ex hoc errore profectam eſſe, ac ſi externus Textûs *Moſaici* cortex in hoc ſex dierum Creationis ordine Integumentum eſſet ex molli ſerico confectum, non Capſula ex dura materia compacta itáque figurata formatáque ut ſingulæ partes quarumlibet rerum recondendarum non ſint pariter capaces. Quamobrem *Regula* ſive *Menſura* rerum collocandarum debet eſſe ipſa Capſula, non voluntas noſtra aut Imaginatio, quæ eas collocare ſatagit. Eodem planè modo ſe res habet in hoc Myſtico *Repoſitorio* ex ſex primis Numeris compoſito, quorum naturæ immutabiles ſunt & inflexibiles ordóque non tranſponendus aut invertendus. Ac proinde nobiles illæ *Veritates* Philoſophicæ quæ ſub eis diſponendæ ſunt & occultandæ, eis quidem indendæ ſunt, qui eas aptiſſimè ſignificent, & in tali ordine quo *Numeri* ipſi conſtituti ſunt. Unde neceſſarium erat, ut *Ornatus Terræ Ornatum Univerſi* cum Solibus & Planetis, præcederet, quia Numerus *Ternarius* Numerum præcedit *Quaternarium*, atque hæ maximè idoneæ *Pyxides*, ut ità loquar, *Numerales* erant ad magnas illas Veritates in *tertio quartóque* die Creationis abſconditas, in hanc *Myſticam* capſulam recipiendas; Quæ *Repoſitorium* tantummodo eſt *Memoriæ Myſticæque Cælaturæ*, non autem *Liber* naturali accuratáque *methodo digeſtus*; nec tamen eo minùs utilis, ad communicandum per occaſionem hæc Myſteria cum eis, qui digni illis cenſerentur: Quod fieri non potuit ſine liberiori colloquio, in quo omnia magìs ordinatè & Methodicè explicarentur.

3. Atque hoc quidem Reſponſum adeò ſolidum cenſeo, ut quicquam ampliùs addere ſupervacaneum exiſtimem, quanquam porrò contendere poſſem ordinem rerum ipſarum non tam præternaturalem eſſe quàm prætenditur. * Nam ſecundi diei opus eſt *Æther* ſive *Cœlum* quod ex primo ſecundóque elemento *Carteſii* conſiſtit, cujus tertium Elementum, quod tamen effectum eſt primi, totum illud eſt ex quo *Terra* conſtituitur. Quàm naturali igitur ordine conſideratio *Terræ*, illi *Firmamenti* ſive *Cæli* ſuccedit, tanquam *Effecti* illius, quod proinde locum ſuum obtinet in Die tertio? Etenim tametſi, propter aliquam rationem, nempe propter congregationem ſubtilioris partis *Ætheris*, ex receſſu *Vorticis*, in formam *Solis*, *Terra* ſpectari poteſt tanquam *tertia* ab *Æthere* in ordine productionis, atque ob hanc cauſam *Ternarius* Τριτογένεια in Schola *Pythagorica* rectè vocari, eſt tamen etiam revera immediatum *Effectum* illius ſubtilis Principii in *Æthere*, quod æquè *Æther* eſt atque alterum illud in eo Principium. Quamobrem *Terræ* collocatio immediata poſt *Ætherem*, hac quidem ratione ſecundùm naturalem ordinem fit, & pro tolerabili Methodo haberi poteſt.

4. *Terræ* etiam ornatus *Aridâ, Mari, Arboribus*, Gramine atque Floribus primum certum effectum eſt illius *Activi Principii* cum Materia uniti, & in ſecundi Diei opere memorati. Adeò ut *Terra* cum Ornamentis ſuis Vegetabilibus ſatìs ordinatim ſuccedat creationi *Cæli* ſive *Ætheris*. * Sed nihil opus eſt ut dicatur creari die tertio, quoniam *Terra* & *Planeta* primarius unum idémque ſunt, & quarti proinde diei creatione

tione comprehenditur. Quamobrem *Terræ* cum paratu ſuo *ſecundi Diei* creationi tanquam illius effectum, ſuccedunt. Præcedunt verò *quarti Diei* creationem tanquam *Objectum* earum rerum quæ in eo dicuntur creari. *Sol* enim, *Luna* atque *Stellæ* factæ ſunt ut luceant ſuper *Terram*, ſuáſque in eam influentias immittant ad tempeſtivas reſuſcitationes *ſeminalium* Virtutum *Plantarum* & *Herbarum*. Adeò ut *Terra* videatur eſſe *Finis cui* creationis *Luminarium Cœli* quatenus Luminarium, atque proinde ſecundùm Prioritatem Naturæ ſatìs rectè præcedit, ſive tanquam *Finalis Cauſa* ſive *Objectum* Influentiæ eorum. Quemadmodum & *Ornatus Terrarum* & *Luminaria Cœli* ordine præcedunt tanquam *Objecta* ſenſuum Hominis aliorúmque Animalium quæ dicuntur quinto ſextóque die creari.

Atque ſic Ordo totorum ſex Dierum Creationis etiam ſenſu Philoſophico, ſatìs naturalis eſt Logicéque cohærens, quanquam non ubique ſub notione *Cauſalitatis*, nec hæc *Cauſalitas* ubique *Efficientis*.

5. Et ſuperfluum profectò futurum fuiſſet miraculum, & forſan impoſſibile, unum eundémque Textum ſic formare ut accurato ordine & *populari* rerum *Apparentiæ* & *Severitati Veritatis Philoſophicæ* & *Morali Allegoriæ* ſimul reſpondeat. Quibus omnibus hic Textus *Moſis* oneratur, & ad admirationem uſque quantùm ad res ullius momenti, ſcopum plenè attingit. Exacta verò ſeriei rerum concatenatio ac perpetua plus eſt quàm debet expectari, quandoquidem nulla iſtiuſmodi accurata ratio, datâ operâ intendebatur, ſed tantùm ut *Numerorum ordo* ſecundùm ſuam *ſignificantiam Repoſitorium* eſſet *Notarum* ac *Monumentorum*, adminiſtratio verò ipſius *Cabbalæ*, (hoc eſt antiquæ Philoſophiæ *Judæorum*) peritiæ relinqueretur *Myſtagogi* qui conſulendus eſſet, nec ſuo defuturus eſſet officio, in rebus omnibus declarandis *Methodo debitâ* ac *naturali*.

SCHOLIA

In CAP. X. SECT. 3.

Exam. Gener. p. 143.

NAM ſecundi diei opus eſt Æther ſive Cœlum quod ex primo ſecundóque elemento *Carteſii* conſiſtit, &c. *Quod* S. A. *hic objicit, non magni profectò eſt momenti.* Dicit enim me præter *Carteſii* mentem aſſerere Cœlum ex primo & ſecundo Elemento componi cùm ex ſecundo tantùm conſtet. *Ego verò per* Cœlum *intelligo* Ætherem. *Ætherem verò ex globulis & Materia ſubtiliſſima conſtare nemo qui vel primoribus labiis Philoſophiam* Carteſianam *delibaverit unquam inficiabitur. Intervalla enim illa triangularia inter globulos ſatìs magnam Materiæ ſubtiliſſimæ partem neceſſariò retinent, cùm vacuum nuſquam in rerum univerſitate reperiatur. Et ex hac mixtura reverà fit* αἰθὴρ, *ſive* שמים, *id eſt,* Liquidum quoddam igneum, *quemadmodum alibi notamus.*

Exam. Gener. p. 142.

Sect. 4. Sed nihil opus eſt ut dicatur creari die tertio, quoniam Terra & Planeta primarius unum idémque ſunt, & quarti proinde diei creatione comprehenditur. *Quid ad hæc* S. A. Quis hanc impiam, *ait*, audaciam ferat, *Moſi* in faciem contradicere ut tua commenta ſtabilias? cùm is diſtinctionem & ornatum Terræ ad diem tertium referat, ad quartum nihilominus revocare tantùm quia primarius Planeta videtur? &c. *Mitte contumelias & maledicta, bone Andreade! & rem ſeriò placidéque mecum perpende. Philoſophiam tuam imploro, ut qui Philoſophiæ Profeſſor es, ſi non* Terra *eſt* Planeta primarius, *perinde atque* Luna, ſecundarius. *Theologiæ verò peritiam, cùm ſis Theologiæ Doctor, ſi non plerique omnes ſanioris judicii Interpretes,* Luthero Calvinóque *non exceptis, per* Terram, *confuſam aliquam inanémque ac vacuam molem intelligunt, quam tanquam Materiam primam, ex qua Mundus formandus eſſet, ſed à Deo creatam, conſiderant? Quis igitur non doleat tam præcipitem in Juvene Theologo cavillandi ac maledicendi pruriginem, qui nè eis quidem, quæ tam ſolido innituntur fundamento, parcere noverit, eáque non ſolùm ut* falſa *ſed* impia *proculcare auſus ſit & execrari? Quæ tamen non modò vera ſed neceſſaria ſunt mentique* Moſaicæ *apprimè conſentanea. Terra enim, ſuppoſito quòd ea, quæ in principio memoratur, Materia Mundana ſit adhuc confuſa & informis,* nullo die creatur *quatenus Terra,* ornatur *tamen* die tertio; *quatenus verò* Planeta primarius *neceſſariò* Die quarto *creatur, inter reliqua Luminaria. Quis igitur magis* Moſi *in faciem contradicit, iſne qui* Terram, *quamvis Planeta ſit,* die quarto *creatam negat, immò verò ullo die creatam; an ille qui aliquo die creatam affirmat, & eo ipſo inſuper Die quo* Moſes? *Unde* Impietas *perinde ac* Falſitas *in ipſum* Andreaden *meritò retorquetur.*

tur. Qui cùm Terram Materiam *quidem* Phyſicam, *licèt non* Metaphyſicam *ſignificare concedit perinde ac* Cœlum Lucémve, Spiritus Angelóſve, *eo ipſo* Moſi *in faciem contradicit, nullum diem* Terræ creationi *relinquens, nedum quem ipſe* Moſes, *putà quartum. Tertium enim* Moſes *non Creationi Telluris aſſignat, ſed illius ornatui. Adeò ut* Andreadæ *in* Moſen *temeritas multiplici audaciæ cortice incruſtetur, dum* Cabbalas *imperitè confundit &* Philoſophicam *miſcet cum* Literali. *Creari verò Luminaria* die quarto *quid ſecundùm* Cabbalam Philoſophicam *ſignificet, ſatìs in ipſa Cabbala explicavi, Numeris naturam rerum creatarum non temporis ordinem ſignificantibus. Quod optimè convenit cum Dicto illo apud* Lutherum *in Geneſ. cap.* 1. *Hilarius* & *Auguſtinus* quaſi duo maxima Eccleſiæ Lumina ſentiunt Mundum creatum ſubitò & ſimul, non ſucceſſivè per ſex dies. *Quomodo autem ſenſus Creationis* Literalis *&* Hiſtoricus *verus etiam ſit, in Apologia ſatìs diligenter aperui.*

CAP. XI.

1. *Reſponſum ad quintam Objectionem quæ* Trivialitatem *operis* quinti Diei *prætendit*; 2. *Quemadmodum & operis* Diei ſexti. 3. *Reſponſum ad Objectionem ſextam de* Ὑστερολογίᾳ *in noſtra* Paradiſi *Interpretatione, implicata: Primò, quantùm ad* Grammaticam *&* Criticiſmum; 4. *Secundò, quantùm ad* naturam rerum ipſarum. 5. *Reſponſum ad Objectionem ultimam, contra Interpretationem* Cherubinorum flammantiſque gladii *de ſtatu per quem* Adamum *antè tranſire in eúmve ingredi oporteat, quàm particeps fieri queat* Immortalitatis. 6. *Neceſſariam planè fuiſſe tam accuratam continuatámque* Philoſophici ſenſûs *Textui* Moſaico *adaptationem, propter interruptam traditionem* Moſaicæ Philoſophiæ.

1. QUantùm ad *Trivialitatem* operis *quinti ſextique Diei* quæ prætenditur, equidem manifeſtum eſſe cenſeo ex eis quæ de *quinto die* notavi, collocationem apud *Moſen*, Piſcium Volucrúmque in eadem claſſe, Conſiderationem non eſſe vulgarem & trivialem ſed Philoſophicam. * Quódque eis *Mane* & *Veſperam*, hoc eſt, *Activum* & *Paſſivum* Principium tam diſtinctè aſſignat, Veritatis indigitatio eſt magni quidem momenti, ut quæ utilis eſt ad maturè ponendum obicem periculoſo iſti errori, qui meram Materiam facit ſenſûs & cogitationis capacem. Quod grandi impedimento foret, quo minùs ipſarum humanarum Animarum exiſtentiam crederemus.

2. Et quantùm ad opus *ſexti Diei*, minus adhuc rationis illìc ſuppetit huic detractioni. Nam primò, judicium ſuum Philoſophicum oſtendit * in recenſendo Hominem intèr Animalia *Mediterranea*, quoniam partium eorum internarum præſertim conformatio, aliarum cum àliis majorem ſimilitudinem gerit, quàm utrarumlibet, cum partibus *Volucrum* aut *Piſcium*. Et externa certè ſimilitudo Humani generis & *Simiarum* (quarum ſpecies multæ ſunt) tam propinqua eſt etiam, & adeò paulatim in eas quæ magìs abſolutè *Quadrupedes* ſunt degenerat, ut manifeſtum ſit Homines eáſque in una ſubordinata licèt ac graduali claſſe ac ſerie naturaliter contineri. Et tum dein, illud quidem maximi momenti eſt, cùm hæc ſit in externa internáque partium conformatione inter Homines atque Beſtias, ſpecies præſertim nonnullas *Simiarum*, propinquitas & affinitas, tam diſtinctè expreſſéque declarâſſe, quòd *Homo* nihilominus conditionis ſit longè *elevatioris* & *ſublimioris*, naturæque planè *Divinæ*, ut quæ reſpectu Animæ *Imago* ſit & *ſimilitudo Dei*, nec (quod notatu dignum eſt) minùs talis ex eo quòd *Terrenum* hoc *corpus*, ut *Deus Univerſum*, actuat: quemadmodum ſubindicatur in ipſa *Cabbala*, éſtque Philoſophica veritas, tanti quidem momenti, ut ipſius conſideratio cuilibet vulgari Ingenio non competat.

Nec multiplicationis eorum mentio, quæ ad conformationem Genitalium organorum in omnibus Animantibus refertur, utì & proſpectionis Cibi, neutræ, inquam, abjectæ & *triviales* ſpeculationes ſunt, ſed ſolidæ atque nobiles, præclaráque *Divinæ Providentiæ* pignora. Tam longè aberrant illi qui tam vili æſtimant, quæ in *quinti ſextique* Diei creatione memorantur.

3. Sexta Objectio fit contra regreſſum noſtrum in exponendo verſu octavo Capitis ſecundi, altiorémque rerum repetitionem quàm ab efformatione *Adami* ex Terra; cùm ſecundùm ordinem Narrationis, poſtquam *Adamus* factus eſſet, Deus ei Hortum plantavit quo ſe ſolaretur, &c. Sed reſpondeo, me nullam omnino vim Gramma-

ticæ intuliſſe in hac mea Expoſitione quæ videtur tam præpoſtera. Nam ipſe *Vatablus* legit, *Plantaverat autem Deus, &c.* Ego verò tantùm addo, *& poſuerat illic hominem quem formavit,* pro *Vatabli* Lectione, *& poſuit quem formaverat:* Nam Præteritum Imperfectum, Perfectum, & Pluſquam perfectum, hæc Tempora omnia eodem modo exprimuntur in Lingua *Hebraica.* Quod autem in *Cabbala* inſerui poſtea, [quem poſtea formavit in Animal terreſtre,] & mentio proximè præcedens de hoc genere Efformationis, & proprietas vocis יצר jus ſic faciendi mihi planè confirmant. Nam hæc Terrena *Adami* efformatio poſt plantationem *Paradiſi* facta eſt ſecundùm ſententiam peritiorum eorum Interpretum qui Textum tantùm *literaliter* intelligunt, nam & illi *Paradiſum* agnoſcunt tertio die factam, quando Deus arbores fecit germinare è terra. Et proinde nequaquam durum eſt eandem ſumere libertatem in *Cabbala Philoſophica.*

4. Nunc verò ſi ſpectemus res ipſas ſtrictúmque earum ſenſum Philoſophicum, Narrationis ordo ſecundùm noſtram Expoſitionem mirificè naturalis eſt atque facilis; quippe quum Hiſtoria hæc *Paradiſi* lapſúſque *Adami* ab illa fœlicitate, immediatè ſubjuncta ſit terreſtri illius Efformationi repetitæ, ut quæ cauſam rationémque complectitur cur tam nobilis Creatura quàm *Homo,* in hoc terreno corpore, ob quod ipſis Brutis accenſetur, unquam appareret. Subindicat igitur non ſic ſe primitùs habuiſſe *Adamum,* ſed Deum in magìs cœleſti conditione eum conſtituiſſe, tentatione verò *Diaboli* ab illo ſtatu lapſum eſſe, & paulatim ſubſidentem, tandem in *terreſtrem* Generationem abſorptum fuiſſe, veſtitúmque *pellibus Beſtiarum.*

Súntque ex *Judæis* qui hanc ipſam Paradiſum interpretantur de ſtatu ante Mundum conditum, eam recenſentes inter ſeptem res quæ ante Mundum creatæ ſunt. Unde manifeſtò ſequitur, ſi *Adamus* collocatus erat in hac Paradiſo, eum antè fuiſſe, quàm in terreno corpore appareret. Quæ expreſſa *Judæorum* opinio eſt, quemadmodum apparet ex eo quod *Menaſſeh Ben Iſrael* citat ex *Gemara Haguigæ*: *In cœlo Empyreo eſſe* *De Creat.*
domicilia Vitæ, & Pacis, & Animarum juſtorum, & Spirituum, atque etiam Animarum *Probl.* 15.
iſtarum quæ in Mundum venturæ ſunt. Et ex *Bereſhith Rabba* ait, Sapientes ſuæ Gen- *ſect.* 5.
tis interpretari illud Pſalmi 139. v. 4. *Poſt & antè me formâſti,* de creatione *Adami,* hoc eſt, Humani generis, primùm in Die primo, & poſtea in ſexto.

Adamus igitur creatus erat inter *Ordines Angelicos,* primi Diei Creationis pars, quando Deus *Cælum* fecit atque *Lucem.* Qui omnes *Intellectuales* Eſſentiarum Ordines tunc creati, appellantur *Cælum* atque *Lux,* quoniam, ut ſuprà monui, primum ipſorum & immediatum Veſtimentum ſive Vehiculum *Lucidum* eſt ſive *Æthereum* Cap. 7. ſect. 8.
in quo ſteterunt *Candidati.* Et demonſtrationi omnino foret, hunc ipſorum primum fuiſſe ſtatum, ſi poſt diſſipatas *Chai* tenebras, Phyſicè loquendo, univerſus Orbis aut *Lux* erat aut *pellucidus,* hoc eſt, aut *Soles* aut *Æther,* quemadmodum naturaliter fieret, ſi *Planetarum* omnium Origo *Incruſtatio* eſſet *Stellarum* ſive *Solûm.* Hæc verò excurſio eſt tam veſana atque vaga, ut cum pavore quaſi experrectus ſim, ex ſubito hoc Viſo ſeu Inſomnio.

5. Septima & ultima Objectio ſit contra noſtram Interpretationem *Cherubinorum flammantiſque Gladii,* (in calce *Cabbalæ* noſtræ) de ſtatu quem *Adamus* ſive humanum Genus terreſtre intrare debent, antequam recuperare poſſint cœleſtem *Paradiſum,* capacéſque fieri æternæ vitæ, cùm Textus nihilominùs innuere videtur *Cherubinos flammantémque gladium* illìc poni, non quidem ad *intromittendum* ſed ad abercendum *Adamum* à Paradiſo.

Ad hoc verò reſpondeo, Quòd, poſtquam Deus exegiſſet *Adamum* ex *Edene* ad colendam Terram, אשר לקח משם unde *Adamus* terreſtris *ſumitur,* vel ſi mavis, *ſumptus eſt,* quemadmodum ſuprà eſt memoratum, (Argumentum enim Narrationis, *Terreſtris Adamus* erat, qualis fuiſſet, & quî factum ut lapſus eſſet;) poſtquam, inquam, *Adamus* ejectus eſſet è **Paradiſo,** factúſque eſſet terreſtris ac mortalis, Deus (ſecundùm Textum) ſolummodo dicitur *Cherubinos* collocare *flammantémque Gladium,* ad *cuſtodiendam viam Arboris Vitæ.* Quod perfectam *prohibitionem* omnis *Introitûs* nequaquam implicat, ſed illius tantùm *conditionem,* nempe, nullum fore ingreſſum niſi per igneam hanc Cuſtodiam. Eſtque Officium *Janitoris* ſive *Cuſtodis* intromittere perinde atque excludere. Tam parum *Incongruentiæ* eſt in iſto ſenſu quem nos reddidimus quantùm ad hoc.

Et certè quòd ignei hi flammeíque *Cherubini* Hieroglyphicon ſint certi cujuſdam ſtatûs, per quem *Terreſtrem Hominem* antè tranſire oportet, quàm beatæ poſſit *Immortalitatis* fieri particeps, hoc quidem meum privatum commentum non eſt, ſed ſuffragium habet non pauciorum quàm quinque diverſorum Interpretum in ipſum locum, nempe, S. *Ambroſii, Origenis, Lactantii, Baſilii,* & *Ruperti,* quemadmodum *Cornelius*

nelius à Lapide affirmat: qui communem ait eorum omnium eſſe opinionem ſuper ipſum Textum fundatam, *Ignem ſcilicet ante Cœli introitum, collocatum eſſe, per quem omnes Animas tranſire oportet, animabus* S. Petri *&* S. Pauli *non exceptis,* ut *probari indè poſſint & purgari, ſiquid in ipſis ſordium ſit aut impuritatis.* Tam tutum eſt ac conſentaneum *igneos* hoſce *Cherubinos* Symbolum facere alicujus *ſtatûs* ſive *conditionis* Animæ quæ eam idoneam reddat ad guſtandum fructum *Arboris Immortalitatis.* Ut verò quis ſtatum hunc imaginetur tranſitum per externam aliquam flammam ſive Ignem, equidem fateor me id μυθωδέστερον καὶ παιδαριωδέστερόν τι ſapere cenſere, quàm ut admitti poſſit pro ſenſu *Cabbalæ Philoſophicæ.*

Quamobrem ipſe de *Igneo* ſive *Æthereo Vehiculo* interpretor, vel de conditione flammeorum *Cherubinorum,* nimirum, quòd ſtatum Immortalitatis antè aſſequi non poſſumus, quàm in hunc Creaturarum Ordinem tranſiverimus eiſque evaſerimus ſimiles.

Cùm igitur dicitur, quòd hi *flammei Cherubini* viam cuſtodiunt ad arborem Vitæ, ante *Edenis* hortum collocati, eo omnino ſenſu intelligendum eſt, quo iſtud apud *Heſiodum*;

Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν,

Quòd Deus Laborem Virtutis Januæ Cuſtodem conſtituerit; & quo *Virgilius* Dolorem, Curam, Ægritudinem, & Senectam in Introitu *Orci* collocat,

> *Veſtibulum ante ipſam primiſque in faucibus* Orci
> *Luctus & ultrices poſuère cubilia Curæ,* &c.

Quorum locorum proculdubio nullus alius ſenſus eſt, quàm quòd quis induſtrius evadendo, nec ullâ aliâ ratione, virtutem tandem aſſequitur, & curâ, dolore, ægritudine ac ſenectâ oppreſſus in ſtatum ablegabitur mortuorum. Ità *Spencerus,* ut multa alia apud ipſum exempla omittam, ex eo quòd duas iſtas graves Perſonas, *Humiltam* & *Ignarum,* alteram Domicilii *Sanctitatis,* alterum verò Caſtelli *Dueſſæ* Janitorem conſtituat, nihil aliud indè intelligere poteſt, quàm quòd is qui in domum *Sanctitatis* introire vult, *Humiltæ* ſimilis eſſe debet, id eſt, Homo *humilis corde*; & qui per conſcientiam, fucatiſſimæ *Dueſſæ* cœtui ſe adjungere poteſt, quòd eum oportet rerum admodum eſſe ignarum.

Et conſimili planè modo, ſenſus collocandi *flammeos* hos *Cherubinos* ante *Paradiſum* viámque *arboris Vitæ,* hic tantummodo eſt, ut figura eſſe poſſint Hieroglyphica ad oſtendendum *qualis* homo eſſe debeat, vel in qualem *conditionem* tranſire, cujúſve *ſtatûs* particeps eſſe, antequam pervenire poſſit ad *beatam Immortalitatem*; nempe, quòd *igneum Vehiculum* recuperare debeat *Angelicúſque* ſive ἰσάγγελος evadere, & in ordinem quaſi conditionémque cooptari *Cœleſtium Angelorum.* Qui quidem, quantum ego ſentio, tam facilis ſenſus eſt & ab omni labe immunis, ut nihil eſſe poſſit ſuprà.

Niſi fortè adhuc facilior videri poſſit, ſuperaddendo etiam, quòd hæc Angelicis ordinibus aſſimilatio haud mediocrem involvat colluctationem & conflictum, cùm Anima ad Angelicam naturam accedendi in interiori ſuarum perfectionum profectu ſine dolore & angore non ſit capax. (*Quis habitabit cum igne devorante? Quis habitabit cum ardoribus perpetuis? Qui ambulat in juſtitiis & loquitur veritates, iſte in excelſis habitabit, &c.*) Quæ *colluctatio,* vel ſi mavis, *digladiatio* repræſentari poteſt per *gladium flammantem quaquaverſum vibratum*: Ac ſi ſenſus eſſet, Qui recuperare vult facultatem edendi fructum *arboris Vitæ,* eum priùs ſuſtinere oportet conflictum hunc cum *Angelica natura ignea,* in quem ſtatum ingredi debet antequam particeps fieri poſſit *Vitæ* ac *Immortalitatis.* Nam quòd externæ *Res* ac *Perſonæ Symbola* ſunt figuræque *Hieroglyphicæ* internarum Diſpenſationum in ſacra Scriptura, tam tritum eſt atque obvium, ut nihil opus eſſet id vel obiter notâſſe. Eſai. cap. 33. v. 14, 15.

6. Univerſa jam, utì ſpero, in *Cabbala* mea *Philoſophica,* ſatìs lævigata complanatáque reddidi, omnémque extantem ſcrupulum de aptitudine rerum ac concinnitate déque claritate earum rationum quibus innitor, penitus ſuſtuli; & tam expreſſè articulatéque in unoquoque punctillulo ſenſum Philoſophicum *Literæ* Textûs adaptavi, ut ingenuè fateor quòd mihi haud probabile videatur, aut *Pythagoram* ipſum aut ullum alium tam particularem minutámque rationem, dato quòd aliquam receperint, ab ullo *Judaico Sacerdote* aut *Propheta,* accepiſſe, quàm ſit hæc quam ego propoſui. Non quòd eâ levitate vanitatéve ſim, ut putem me certiorem notitiam habere ſenſûs Textus *Moſaici* quantùm ad illius philoſophiam, quàm illi habuerint; ſed

quia nihil opus eis erat ſenſum adniti cuique clauſulæ tam curioſè adaptare quàm ipſe feci, quippe qui ex fide *continuatæ Traditionis* percunctabundo ſuo *Myſtæ* hunc vel illum ſenſum *Moſis* Philoſophicum fuiſſe perſuadere facilè potuerunt; Nunc verò cùm *Traditio* hæc per multa jam ſecula interrupta eſſet, neceſſitate coactus fui, rationem concinnam inveſtigare aptúmque ſenſum *cujuſque* rei, nè veritatis probabilitas periclitari videatur in *univerſis*.

Quam ſiquis nimiam cenſuerit curioſitatem, quod fortean fieri poteſt, (& tamen non video cur exiſtimet quiſpiam ſe quicquam aptum inveniſſe quod non deſtinatum eſſet per illam Sapientiam quæ omnia noſtra Inventa & cogitata antevertit) contentus eſſe poterit planioribus illis ac generalioribus *Cabbalæ* Lineamentis, nec expectare unumquemque Textûs locum ad ſenſum Philoſophicum fore idoneum; Nam vel ſic tota contextura *Pomi* inſtar erit *aurei, argento reticulato* involuti, quemadmodum jam notavimus ex *Maimonide*. Quodſi ſenſum Philoſophicum cuique clauſulæ tam ſolidâ concinnitate adaptavi, ut vix ſe abſtinere poſſit ab aſſenſu, ſpero nullam ei fore cauſam querelæ, quòd *Cabbaliſta pomum puri auri* & *continui* ipſi in manum tradiderit.

SCHOLIA

In Cap. XI. Sect. 1.

Quódque eis Mane & Veſperam, hoc eſt, Activum & Paſſivum Principium, &c. Nihilne, hîc, *inquit S. A.* inter opera quintæ diei reperire potuit *Cabbaliſta* obſervatione dignum præter iſtam fictitiam de Principio *Activo* & *Paſſivo* Speculationem, quæ tamen ſecundùm ipſum omnibus diebus communis eſt? Annon ſaltem *Cetos magnos* nominatim in Textu ſacro & ab ipſo quoque in *Cabbala Philoſophica* expreſſos ceu argumentum eximii operis potuit allegare? Verùm de opinionibus ſuis *Platonicis* tantùm ſolicitus erat. *Hæc ille. Reſpondeo verò, Nihilne præter iſtud Principium* Activum *&* Paſſivum *memoro, cùm proximè præcedenti lineâ* Avium Piſciúmque *conjunctionem ſub opere ejuſdem diei tanquam conſiderationis* Philoſophicæ *noto? Sed non æquo animo fert* Andreades *quòd* Cetos *iſtos* magnos *prætereo, quales deſcribere, fateor, potuerim, ſi libuiſſet, ex* Dionyſio Afro, Erythræum *mare frequentantes,* Exam. Gener. p. 145, 146.

Ἀμφὶ δὲ πάντῃ
Κήτεα θῖνες ἔχουσιν Ἐρυθραίου βοτὰ πόντου,
Οὔρεσιν ἠλιβάτοισιν ἐοικότα ------

En tibi Cetos, Andreade, montium *inſtar, ſi magnitudinem admiraris. Et paulò pòſt,*

Πολλάκι δ' ἂν καὶ νῆα σὺν αὐτῆς ἀνδράσι νηὸς
Κεῖνα καταβρώξειε τεράατα ------

En monſtra *totam Navem cum vectoribus uno hauſtu abſorbentia, ſi adeò volupe ſit* Andreadæ *res magnas ac monſtroſas contemplari. Quantam cum hoc juvene Philoſopho (ſi & nobis paulalùm cum eo juvenari liceat) officioſus quiſpiam iniret gratiam, qui eum per oppidum circumduceret, non ad viſendos* Leones *&* Urſos, *cùm ad hanc quintam diem non pertineant, ſed aves maximas quaſque, ut Avem* Emeu, Struthiocamelum; *& Imaginationem ſaltem interea reficeret Hiſtoriolâ de Ave* Ruch *quæ Elephantum dicitur è Terræ matris gremio unguibus eripere poſſe & volando in ſublime auferre. Quantæ huic oblectationi forent hæc tam* ampla *Spectacula? Poteſt tamen interim pro opulenta ſuæ Philologiæ copia, memorare ſi velit quis fuerit è Patribus aut Philoſophis qui dixit Deum* maximum eſſe in minimis, *noſtrámque magnorum iſtorum Cetorum præteritionem ſic excuſare; vel quod propiùs ad rem accedit, recordari apud ſeipſum nos in* Cabbala Philoſophica *non* Literali *verſari. Philoſophum verò non decere nudam rerum naturalium recenſionem, ſed eximium quid ad eas pertinens inſuper notare. Quod &* Moſen *feciſſe contendo eo quòd* Piſces *&* Aves *ſub unum diem reduxit, propter naturarum affinitatem, animáſque habere innuit à corporibus diſtinctas, nempe* Principio *gaudere* Matutino *perinde atque* Veſpertino. *Quod magni momenti eſt contra* Atheos *&* Epicureos, *qui nè animam humanam à corpore diſtinctam agnoſcunt. Quòd autem Speculationem de Principio* Activo *&* Paſſivo *fictitiam vocat, id profectò admodum temerè & imperitè facit, cùm dogma illud in ſcriptis meis*

meis paſſim rationibus validis ac invictis demonſtraverim. Eſſe ſcilicet in rebus omnibus creatis Veſpertinum *ac* Matutinum, *hoc eſt,* Materiale & Spirituale *Principium, earúmque fabricam in Rationes merè Mechanicas nequaquam poſſe reſolvi. Quod verò inſuper innuit* Platonicam *eſſe, dico eò eſſe probabilius quòd* Moſaica *ſit, illiúſque Textui conſentanea.*

Exam. Gener. p. 146. *Sect.* 2. In recenſendo Hominem inter Animalia mediterranea, &c. Cum Monſtris ſe congreſſurum fingit *S. A.* in hoc Paragrapho. Primum eſt, quòd Hominem inter Animalia mediterranea referam contra Scripturam & *Cabbalam* propriam, cùm utræque Hominis creationem à productione Animalium diſtinguant. Alterum, quòd errore gemino Imaginem Dei velim in animo relucere etiam quatenus corpus actuat. Nam & falſum eſt, *ait ille,* Deum eſſe Animam Mundi, & erroneum quoque Animam corpus informantem eo ipſo Imaginem Dei referre. *In primo autem monſtro nihil monſtroſi ineſſe palàm eſt, quippe quòd nec contra Scripturam nec contra propriam* Cabbalam *arietat, utræque enim Operi ſextæ diei tum* Animalia *cætera* Mediterranea, *tum* Hominem *accenſent. Et appello tuos ipſius oculos, mi* Andreade, *videtúrne tibi homo Animal Mediterraneum an Avis Piſcíſve? Qualis eſt profectò (ſi Animal Mediterraneum non ſit) nempe aut* Ὀρνιθάνθρωπος *aut* Ἰχθυάνθρωπος. *Vidéſne qualia monſtra ipſe alis, dum monſtra meis ſcriptis immeritò affingis? Et quod ad alterum monſtrum attinet, Noli tibi ab ipſo metuere.* Magnum *quiddam eſt (& ipſe* magna *admiraris ut qui* Cetorum *præteritionem tam inclementer ferebas) nequaquam autem* monſtroſum, *ſi rectè rem accipias. Annon omnes ferè Philoſophi Hominem tanquam* Microcoſmum, *animúmque humanum tanquam Microcoſmi hujus (ut Deum* Macrocoſmi *)* moderatorem *conſiderant? Nec tamen ſimpliciter quatenus corpus hoc actuat, dico* Animum *hominis Imaginem Dei referre, ſed quatenus intellectuales ſuas ac Divinas operationes etiam dum corpus actuat, liberè exercet* μὴ συμφερνῶν μηδὲ συμπαθῶν τῷ σώματι, *ut loquuntur* Platonici, *qui ſtatus erat illius* Adami *qui in Textu dicitur ad imaginem Dei creatus. Animi verò in corpus per fœdas libidines immerſi illiúſque cupiditatibus dediti,* Divinam *hanc* imaginem *perdunt & in brutorum ferè cenſum ordinémve tranſeunt. Animus igitur hominis in eo ſtatu creatus genuina erat Dei imago, quam* Platonici εἰκόνα *propriè vocant. In aliis verò animabus concedo, cum* Platonicis, *Dei quædam quaſi* εἴδωλα *ſive* ἰνδάλματα *elucere. Dei verò Imaginem eas neutiquam referre certiſſimum eſt, ut nec Deum eſſe* Animam Mundi, *ſed Animarum omnium Animam quemadmodum eum appellat* Syneſius *in Hymnis,* Ψυχῶν ψυχὰ, Φύσις εἶ φυσίων· *Nec ipſe* Naturæ Spiritus *ſine eo vivere poteſt aut ſubſiſtere qui* Anima Mundi *aliquo ſenſu dici poteſt. Deus autem nequaquam ſic poteſt dici, ſed Creator illius quod* Materiam Mundanam *actuat.*

CAP. XII.

1. Cabbaliſtæ *Apologia quâ ſe purget ab imputatione omnis nugacis Curioſitatis,* 2. *Temeritatiſque in divulgandis hujuſmodi arcanis Myſteriis,* 3. *Et Judicii denique Inconſtantiæ.* 4. *Præcipuus ſcopus* Cabbalæ Philoſophicæ. 5. *Ratio cur eam ante* Moralem *collocaverit.*

1. ATque hæc quidem in *Defenſionem Cabbalæ meæ Philoſophicæ.* Non abs re erit nunc aliquid ſubjungere per modum Apologiæ pro *Cabbaliſta:* Deprehendo enim meipſum non paucioribus quàm tribus diverſis *Imputationibus* obnoxium; *Nugacis* ſcilicet *cujuſdam Curioſitatis, Temeritatis,* & *Judicii Inconſtantiæ.*

Et quantùm ad primum, probè equidem novi homines, qui ſint ingenio magìs ſeveriter Philoſophico ac rationali, facilè me reprehenſuros eſſe, quaſi nimiùm operæ curioſæ *Naturalibus Metaphyſiciſque* veritatibus incerto lubricóque *Textui* ſive *Literæ* applicandis impenderim, cùm rectiùs cognoſcantur aptiúſque edoceantur propriis ſuis demonſtrationibus & argumentis, quàm eas imaginando in ſcriptis hujuſmodi obſcuris & Ænigmaticis ſubindicari.

Verùm reſpondeo, Eam eſſe aptitudinem plenámque congruitatem *Cabbalæ* cum Textu, præter illius corroborationem ab acceſſione Hiſtoriæ primæ originis *Pythagoricæ* ſive *Platonicæ* Philoſophiæ, ut nequaquam haberi debeat pro *Imaginatione,* ſed pro *veritate* admodum probabili, quòd ſit utique hujuſmodi *Cabbala* quæ ad *Literam Moſaicam* pertineat; præſertim ſi recorderis quàm congruenter fœlicitérque *Numerorum* natura cujuſque Diei opus ſecundùm ſenſum *Cabbalæ* illuſtret.

Et tum dein, quantùm ad me, equidem nullam ego operam curioſam exiſtimo aut faſtidioſam, quæ in bonum publicum cedat; & certè ad rem haud minoris partis humani generis, quàm totius Gentis *Judæorum* Orbiſque *Chriſtiani* hos meos labores pertinere cenſeo, ut ingenioſos *Perſas* taceam, nec me de *Turcis* deſperare, quanquam in præſens Allegoriis haud adeò amici reperiuntur.

Quamobrem operam noſtram non ità inconſideratè impendimus, cùm tanti momenti veritates támque utiles modo adeò religioſo tam magnæ orbis terrarum parti commendaverimus.

2. Quantùm verò ad *Temeritatis* imputationem, in navando operam divulgandis iſtis *Secretis* ſive *Myſteriis* quæ *Moſes* tam ſedulò in obſcuro ſuo Textu abſconderat, dico hoc privilegium eſſe Chriſtianitatis, temporáque nunc magìs quàm unquam hactenus requirere ut velamen à facie *Moſis* avellatur. Et quanquam egregiæ veritates ſint, quas detexi, eſſe tamen perinde utiles atque ſublimes, nec poſſe quin bono cuique viro atque ſancto (qui ſatìs idoneus ſit ad judicandum de ipſis) magnopere gratificentur.

3. Denique quod ad *Judicii inconſtantiam* attinet, cujus ſuſpectum me homines habere poſſint, quippe quòd alibi tradiderim *Scripturam* philoſophiam homines neutiquam docere; dico ſententiam mutare in melius, nullam partem eſſe *Inconſtantiæ* ſed *Virtutis*, quinimo partem eſſe illius virtutis quæ *Conſtantia* dicitur, cùm conſtans propoſitum ſit viri boni illud ſemper amplecti quod optimum eſt & veriſſimum; cùm è contrà in eo perſiſtere quod falſum eſſe deprehendimus, *perverſitatis* indicium ſit ac *ſuperbiæ*. Nec contemnendum profectò argumentum erit veritatis hujus præſentis *Cabbalæ*, quòd illius evidentia me à priori mea opinione liberaverit, cui viderer illigatus.

Cæterùm ut ingenuè fatear quod res eſt, ipſe mihi minimè ſum inconſiſtens ſive inconſtans. Nam in ea adhuc ſententia ſum, quòd *Litera* Scripturæ nullum præceptum Philoſophicum tradit, quo de apud homines ulla eſſe poteſt controverſia. * Et quando quicquam audes ultra ſenſum *Literalem*, ex Scriptura non doceris, ſed quod aliunde edoctus es illi *Scripturæ* applicas. Et nullas profectò quiſquilias eſſe oportet Notioneſve *triviales*, aut per *Rationem* magiſque ſolida *Philoſophiæ principia* confutabiles quas quiſquam auſit tam ſacro Textui applicare, ſed tales quas quis certus ſit rigidiſſimam examinationem ſubire poſſe, quæque ad pleniorem Dei Notitiam conducant, manifeſtiúſque *Naturæ Phænomena Externámque Providentiam* pretioſiſſimis illius *Attributis* adaptent, & ad Sanctitatis vitæ profectum denique tendant, quam hîc rurſus profiteor ſolum finem eſſe Scripturæ, Illúmque qui quicquam ultra *Literam* auſit, ſine hac Duce in labyrinthum citò ſe induiturum eſſe, & in *invia* Imaginationum ſuarum *ſylva*, ſeipſum quaſi perditurum.

4. Quamobrem ſi hæc mea *Cabbala Philoſophica*, inter alia multa commoda quæ recenſui, hoc etiam non haberet adjectum, ſcopum ſcilicet promovendi *Divinam Vitam* in Orbe, equidem eam exiſtimarem & falſam & mutilam, & contentus omninò fuiſſem *Cabbalâ Morali*. *Vita* enim *Divina* omnem *Naturalem* ac *Metaphyſicam* Scientiam qualemcunque longè longéque ſuperat. Illéque Homo perfectus eſt, qui *verè Juſtus* eſt atque *Prudens*, cui, ſat ſcio, per *Moralem* meam, quæ ſequitur, *Cabbalam*, me non poſſe non gratificari. Quòd ſiquis paulo fervidior Prudentiæ ac Juſtitiæ profeſſor, cui haud ſatìs aut otii aut ingenii ſuppetat ad *Philoſophicam* meam *Cabbalam* penitiùs examinandam, eam tamen nihilominus condemnaturus ſit, aut admiraturus, equidem eum indecorè imprudentérque extra oleas tranſiliiſſe manifeſtum erit, nec illum abſolvere potero *Improbitatis* aut *Stultitiæ*.

5. Nec certè *Cabbalas* meas hoc ordine collocavi ex eo quòd *Philoſophiam* pluris æſtimarem quàm veram *Sanctitatem*, ſed eas omnino diſpoſui ſecundùm *ordinem Naturæ*; quippe quòd ſancta *Divináque Vita* aut non exiſtat prorſus aut ſubitò pereat in homine niſi producatur conſervetúrque per radicatam agnitionem grandium illarum Veritatum in *Cabbala Philoſophica*, nimirum, *Exiſtentiæ Æterni Dei, certæque expectationis magìs conſummatæ fœlicitatis poſt diſſolutionem hujus mortalis Corporis.* Nam Virtutem profiteri & Sanctitatem ſine omni relatione ad *Deum vitámque futuram*, omnino eſt in magìs ſtupidum abjectúmque *Stoiciſmi* genus delabi, contentóſque eſſe pecus paſcere magìs modeſto quodam ac religioſo *Epicuriſmi* aut ſaltem degeneris *Familiſmi* modo, citra *Jordanem*.

SCHOLIA

In Cap. XII. Sect. 3.

Exam. Gener. p. 52.

ET quando quicquam audes ultra ſenſum literalem, ex Scriptura non doceris, ſed quod aliunde edoctus es, &c. *In hunc locum ſic animadvertit S. A.* Quod perinde eſt, *ait ille,* ac ſi ſcripſiſſet, Expoſitionem ſuam ex earum numero eſſe quæ ſenſum non eruunt ex Scripturis, ſed in eaſdem inferunt. Quam temeritatem quomodo cum *Hilarii* notiſſimo monito de dictorum ſententia expectanda potiùs ex dictis quàm imponenda, & referenda magìs quàm afferenda (*utì libr.* 1. *de Trinitate loquitur*) conciliaturus ſit, ipſe viderit. *Reſpondeo verò, de hoc noſtro Expoſitionis genere (eſt enim ut quando* Oedipus *quis* Ænigma *ſolvit, quod facere non poteſt niſi ex rebus præcognitis quas ad* Ænigma *applicet) inſcitè & intempeſtivè hoc* Hilarii *monitum afferri. Quippe quum perinde hìc ſe res habeat atque in exponendis Vaticiniis* Danielis *putà aut* Apocalypſeos, *ubi neceſſe eſt* Hiſtoriam aliunde accerſitam *Vaticiniis explicandis applicare, quam niſi prius noverit, Vaticiniis applicare non poteſt Interpres. Quemadmodum igitur Vaticinia* Apocalyptica *non docent nos* Hiſtoriam, *ſed verâ aptâque* Hiſtoriâ aliunde hauſtâ *rectè illuſtrantur verèque exponuntur: ità* Bereſhith Moſaicum *cum ſtylo* Prophetico Myſticóve *ſcriptum ſit, quanquam in* Litera, *Philoſophiam non magìs nos doceat, quàm Vaticinia* Apocalyptica *Hiſtoriam; Theorematis tamen Philoſophicis, ſublimibus pariter atque ſolidis, Textúſque* Moſaici *majeſtate dignis, illique aptè congruentibus, quanquam* aliunde accerſitis, *citra omnem errorem aut temeritatem poteſt explicari. Atque hoc quidem in loco ſatìs opportunum fore ſpero, ſi eis quæ habet vir eruditus,* (pag. 11.) *reſpondeam: ubi,* Ponamus, *inquit,* vera eſſe quæ à viro doctiſſimo in *Cabbala* ſua *Philoſophica* traduntur; nullum dubium eſſe quin Philoſophi iſti ità ſenſerint, à *Judæis* eadem hauſerint æquè ac veterum nonnulli ab utriſque, quin quadrent ſapientiæ *Moſis, Phænomenis Naturæ* & *Attributis Divinis*; annon ergo ſaltem ſenſus iſte quatenus ex primo Capite Geneſeos hauritur, vel eidem potiùs infertur, in authoritatem Traditionis *Judaicæ,* & conſentientem Gentilium quorundam ſapientiam vel veterum quorundam opinionem penitus refunditur? *Reſp. Nequaquam, Tantum abeſt ut penitus in authoritatem* Traditionis Judaicæ *ſapientiámve* Gentilium, *opinionémve quorundam veterum refundatur, ut potiſſimum fundamentum in eo poſitum ſit, quòd tam ſublimes ſolidæque veritates & ad explicandam tuendámque Divinam Providentiam apprimè utiles, tam aptâ támque perpetuâ tum rerum tum numerorum cum Textu* Moſaico *congruitate conveniant, quemadmodum* certiſſimæ *notiſſimæque* Hiſtoriæ *cum* Vaticiniis. *Sicut verò in* Vaticiniis *interpretandis, quanquam ex certa facti notitia ad ſatìs certum* Vaticinii *ſenſum pervenimus, (in* Vaticiniis *putà de adventu Chriſti;) ad majorem tamen ornatum, antiquiorum* Rabbinorum *interpretationes ante Chriſti adventum ad fidem apud* Judæos *præſertim faciendam, adhibemus: ità, tametſi ex firmitudine ac ſoliditate rerum, perſpicuáque tum* rerum *tum* numerorum *aptitudine, &* Quaternarii *præter cæteros (ut taceam Numerorum nomina) ſatìs conſtare poteſt verum nos ſenſum* Myſticum *Textûs* Moſaici *aperuiſſe; non exiguum tamen ornatum & plauſibilitatem addit conſtans illa apud veteres fama* Pythagoreos *ſapientiam ſuam à* Judæis *accepiſſe, ipſóſque* Judæos Myſticum *Textûs* Moſaici *ſenſum ſemper agnoviſſe, & ſimilia. Et ſicut denique, ea præſertim* Vaticinia *quæ certis quibuſdam temporum rationibus ac ſynchroniſmis circumſcribuntur, non ſolùm certò intelliguntur ab Eventis, ſed aliquo modo, ſi opus eſſet, fidem facerent Eventis apud Hiſtoricos memoratis; ità ſanè non inficior, quin Textus* Moſaicus, Numeris *etiam iſtis* Myſticis *tam pulchrè limitatus, non ſolùm intelligatur ex maximè ſolidis maximéque utilibus veræ Philoſophiæ dogmatis, qualia nos explicavimus, ſed eiſdem viciſſim non exiguam dignitatem conciliet atque fidem. Tantum abeſt, quod dixi, ut penitus in Authoritatem Traditionis* Judaicæ *ullorúmve ſapientum, ſed potius in mirabilem Textûs* Moſaici *cum ſolidiſſimis quibuſque ac ſublimiſſimis Philoſophiæ Theorematis congruitatem tota res refundatur, ut* Vaticiniorum *Interpretationes in accuratam congruitatem cum* Eventis.

Exam. Gener. p. 160.

Atque hæc ad ſingula loca præcipua quæ impugnare conatus eſt Samuel Andreæ, *quæque ſi enervâſſet, noxam aliquam & damnum firmitudini* Cabbalæ *illaturus fuiſſet, reſpondenda cenſui. Quod reliquum eſt, & ad totam ferè* Cabbalam *ſpectat, minimi omnium eſt momenti, nempe quòd non unam Sectam unúmve Philoſophum per omnia ſequor, in* Cabbala *concinnanda applicandáque Textui* Moſaico, *ſed quaſi* τῆς αἱρέσεως ἐκλεκτικῆς *Sectator, ex diverſis Philoſophis, Sectiſve quæ mihi viſum ſit, ſeligo, e* Pythagora, *è* Judæis, *è* Carteſio, *&c. hoc eſt, quòd præcipua quæque tanquam flores è ſingulis decerpo, quibus ſacro*

Capiti Moſis *coronam contexam. Quis verò rerum ſatìs gnarus & ingenuus hoc mihi vitio verterit, modò veritates iſtæ ſatìs dignæ ſint* Scripturæ majeſtate, *& tum inter ſe tum Textui* Moſaico *conſentiant? Quod quidem fieri abundè demonſtravimus. Immò verò pleraque unius eſſe fili vel ab una Secta derivari,* Pythagorica *putá. Cui tamen affinitatis gratià ac ornatûs alia magna nomina ſæpius adjungo. Atque hæc ad omnia quæ ullius momenti apud* S. A. *videri poſſunt, dicta ſunto.*

Reliquas leviores argumentorum vellicationes, Mimicáſve cavillationes & falſa & indecora convitia, nec Philoſophiæ *nec* Theologiæ *multóque minùs* Chriſtianitatis *profeſſore digna, tanquam Reſponſo indigna prætereo. Neque tamen hoc celabo, tantam in nonnullis locis apud eum fuiſſe vim veritatis, ut multa quæ ad cauſam noſtram non mediocriter faciant aut ultro conceſſa aut è veteribus recitata non dubitârit depromere. Qualia ſunt,*

Pag. 7. Auguſtinum *cum* Ambroſio *aſſerere* Platonem *noſtris literis per* Hieremiam *fuiſſe imbutum, ut illa poſſet docere & ſcribere quæ jure laudantur.* Lactantium *mirari* Pythagoram *&* Platonem *Religionem* Judæorum *amplexos non eſſe, quandoquidem utrique cum* Judæis *converſati ſunt. Et conſtantem denique de Philoſophorum* Gentilium *ad* Judæos *adventu traditionem fuiſſe.*

Pag. 27. *Magnum meæ* Cabbalæ *ab authoritate præſtò eſſe præſidium, conſtare de* Platonis *ad* Judæos *adventu, referente* Cyrillo Alexandrino. *Immò* Auguſtinum *pænè aſſentiri illis qui credunt* Platonem *ſacrorum Librorum non expertem fuiſſe. Favere meæ Expoſitioni totam* Cabbaliſtarum *Nationem, cum* Philone Origenem, Baſilium, *eundem* Auguſtinum, *& quotquot allegorias in Scripturis interpretandis ſequuntur; &*

Pag. 28. *Apertè fatetur, cùm de* Litera Moſis *idem cum quibuſdam magni nominis Eccleſiæ Doctoribus ſentiam, cum iſtis æquè controverſiam ipſi intercedere atque mecum. Eximiámque ac ſatìs laxam profectò* Auguſtini *ſententiam profert, Confeſſ. lib.* 12. *cap.* 17. Dum quiſque conatur id ſentire in Scripturis ſanctis, quod in eis ſenſit ille qui ſcripſit, quid mali eſt ſi hoc ſentiat, quod tu Lux omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe, etiamſi hoc non ſentit quod ille quem legit, cùm & ille verum nec tamen hoc ſenſerit? *&*

Pag. 54. *Extra Controverſiam eſt multa quæ in* V.T. *potiſſimùm narrantur, eſſe* ἀλληγορούμενα *& alio rſum reſpicere, ſeu habere ſenſum compoſitum ex* Hiſtoria *&* Typo, *prout illa docent quæ in* N. T. *explicata ſunt. Porrò,*

Pag. 57. *Ubi me reprehendit quòd multiplicem fingam ſenſum &* Cabbalam, *fatetur interim me habere quos ſequar. Et inter illos* Johannem Picum Mirandulanum *magnum illud* Italiæ *lumen, qui ante duo ſecula ſeptemplici ſenſu Hiſtoriam Creationis expoſuit in* Heptaplo *ſuo,* Baſilium *&* Auguſtinum *imitatus. Auguſtinum quadruplicem poſuiſſe modum Scripturam* V. T. *interpretandi, ſecundùm* Hiſtoriam, *ſecundùm* Etymologiam, *ſecundùm* Analogiam, *ſecundùm* Allegoriam. *Alios triplicem ſtatuere Scripturæ ſenſum,* Literalem, Myſticum *&* Moralem, *quos inter familiam ducere* Origenem. *Eúmque ſequi* Hieronymum, *qui ſententiam ſuam confirmat ex Prov.* 22. 20. Tu autem ſcribe ea tripliciter.

Pag. 63. *In tribus prioribus Capitibus Geneſeos, variam eſſe intertexturam Theoſophicarum & Philoſophicarum veritatum, plurima Theoremata Phyſica & Metaphyſica eiſdem verbis objici quæ primo aſpectu ordinarium tantùm & craſſum ſenſum ferre videntur: Quantùm ad hoc, de* Theſi *nullam ultrò concedit eſſe quæſtionem, ſed omnem controverſiam in* Hypotheſi *verſari.*

Pag. 67. *Haud dubitandum eſſe* Pythagoram *&* Platonem *in notitiam eorum, quæ apud* Judæos *Myſteria erant, veniſſe.*

Pag. 81. *Admodum frequens eſſe ut in* Propheticis *&* Ænigmaticis *ſcriptis Myſteria ſub* Numeris *occultentur. Et paulò pòſt, Multa Veterum plurimos in iſtis* Numerorum Myſteriis *explicandis ſibi indulſiſſe.*

Pag. 82. *Veteres non ſolùm* Judæos *ſed &* Chriſtianos *Numerorum Myſteriis multùm fuiſſe deditos, ſed alios aliis cautiùs ea in re ſe geſſiſſe.*

Pag. 83, 84. Philonem Judæum Alexandriæ *in* Ægypto *natum, virum magnâ eruditione celebrem, magno apud Chriſtianos in pretio, primùm hac in re reliquis facem prætuliſſe. Eundémque à* Clemente Pythagoreum *vocari, ejúſque libros cum laude ab* Euſebio *memorari.*

Pag. 87. Priſcos Eccleſiæ Doctores Arithmeticæ Myſticæ *ſtudio mirum in modum abreptos fuiſſe, & inter alios præſertim* Origenem *&* Clementem Alexandrinum, *utrumque autem* Philonis Judæi *cum laude meminiſſe.*

Pag. 92. Hieronymum *etiam &* Auguſtinum *magna illa Eccleſiæ Lumina Numerorum Myſteriis inſtitiſſe. Nec ſe quidem denique ait iſtud ſtudium averſari, aut damnare iſtiuſmodi Myſteriorum inveſtigationem, parcè modò id fiat atque coactè. Neque enim ſe* *ex illorum numero eſſe* οἱ καθάπερ οἱ παῖδες τὰ μορμολύκεια, οὕτως δεδίασι τὴν Ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν φοβούμενοι μὴ ἀπαγάγῃ αὐτοὺς, *quos* Clemens Alexandrinus *magnus Sapientiæ Gentilium admirator eo nomine corripit.*

Quod equidem lubens fateor; non eſſe utique Samuelem Andreæ *talem, qui ſibi à Philoſophia* Græcanica *vel potiùs* Judaica, *tanquam à* Mormolyceo *metuat, ſed qui ſe tanquam* Mormolyceum *ſiſtat quo alii (illæ magìs alatæ ſcilicet Animæ & ſublimes) ab iſta Philoſophia, tanquam Aves à bono Tritico abſterreantur, dum illius* Inſtauratorem *tam fœdis convitiis inceſſit, dum illi Melancholici humoris fictiones affingit, audaciæ & temeritatis crimen impingit, immò profanitatis ſubinde & impietatis, cùm tamen venerandæ Antiquitatis veſtigia ubique tam diligenter premit, nec ullam ſibi aſſumit libertatem quæ non ei confirmata ſit præſtantiſſimorum Scriptorum exemplo & authoritate, eorum utique ipſorum quos ipſe* Andreades *laudat: nec eas* Myſticæ Interpretationis *Leges limitéſve exceſſit, quos ille ultrò cuivis Interpreti concedit.*

Quàm intempeſtivo igitur furore ac rabie in Cabbaliſtam *involaverit, exemplo ſit illa Contumelia quæ occurrit p.*127. Itaque profanam & intolerandam audaciam prodit quando aliquoties ſcribit (*quod interim de ſenſu Textûs Philoſophico omnino intelligit*) *Moſen* per ſex Dies non ſucceſſionem Temporis ſed naturam rerum indicare, quaſi Dies pro opere Diei poneretur. *Ubi tamen non tam* Cabbaliſtam, *utì nec in pleriſque aliis quæ in* Expoſitione *illius carpit, quàm doctam ac venerandam* Antiquitatem *ſanctóſque* Eccleſiæ Patres, *ínterque alios multos duo maxima illa Eccleſiæ Lumina, quemadmodum appellat* Lutherus, Hilarium *&* Auguſtinum, *qui omnia ſimul creata ſenſerunt, per* Cabbaliſtæ *latera furiosè impetit confoditque.*

Sed quid eſt quod non audeat multifariâ Lectione *& eruditione turgida & præfervida Juventa? Quas dotes profectò juveni noſtro Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſori ac Doctori nequaquam invideo, quinimò animitùs congratulor; Judicium ſolummodò ſanum in eo deſidero, & linguam bene moratam.*

DEFENSIO

DEFENSIO Cabbalæ Moralis.

CAP. I.

Quid intelligatur per vocem [Moralis] *explicatum ex* Philone. 3. Lucem *in* primo *Die ad ſummum perductam*, Adamum *eſſe in* ſexto, Chriſtum *ſcilicet ſecundùm* Spiritum. 4. *Quo ſenſu* nos ipſi *dici poſſimus id facere quod* Deus *in nobis facit.* 5. *Cur* ערב & בוקר *reddantur*, Ignorantia & Inquiſitio. 18. Platonis τὸ ἀληθὲς ἐν βραχεῖ κεῖσθαι. Pythagoreorum ἄπλωσον σεαυτὸν *ad* Quarti Diei *progreſſum applicatum.* 22. Virtutem *non eſſe* Extirpationem *ſed* Moderationem *Paſſionum ſecundùm ſententiam* Pythagoreorum. 24. Plotini τὸ θηριῶδες καὶ λεοντῶδες *ad* ſexti Diei *progreſſum applicatum.* 26. *Quid* Dei Imago *ſit, luculentè deſcriptum, ex S.* Paulo & Platone. Divinum *in nobis* Principium ὁ ἀληθινὸς ἄνθρωπος *apud* Plotinum. 28. *Diſtinctio* Cœleſtis & Terreſtris *Hominis apud* Philonem. 31. *Placidæ fixæque Melancholiæ Impoſtura, quòdque ea non ſit vera* Divina Requies, *pretioſúſque Animæ* Sabbatiſmus. *Compendioſa Recenſio totius Allegoriæ ſex Dierum Creationis.*

PErvenimus jam ad *Cabbalam Moralem*, quam *Moralem* non appello ſenſu eo abjecto & depreſſo, quo plerique homines *Moralitatem* intelligunt: (Etenim profectus & incrementum quemadmodum & defectus atque emarceſcentia *Divinæ Vitæ* modo admodum intelligibili, in præſenti hac *Cabbala* deſcribitur:) ſed *Moralem* eam appello ut diſtinguatur à *Philoſophica* ſive *Naturali*, prout *Philo* etiam hanc vocem [*Moralis*] in rebus *Divinis* uſurpat. Ut quando narrat, *Leg. Allegor. lib.* 1. ut Deus ſpiraculum vitæ in *Adamum* inſpiraret, Εἰς τὸ πρόσωπον, inquit, ἐμπνεῖ φυσικῶς καὶ ἠθικῶς, *Deus inſpirat in faciem* Adami *Naturaliter* & *Moraliter:* Naturaliter, *collocando illîc ſenſus, viz. in Capite*; Moraliter, *inſpirando in Intellectum ſcientiam Divinam*, qui *ſuprema Animi facultas eſt ut Caput ſumma pars corporis.* Quamobrem per *Moralitatem* intelligo hîc *Divinam Moralitatem*, talem quæ Animæ ingeneretur per operationes *Spiritûs ſancti, vivi* illius *interníque Principii* omnis Pietatis atque Probitatis. Brevior futurus ſum in *Defenſione* hujus *Cabbalæ*, quippe quum ex ſe tam perſpicua ſit & ſenſibilis cuilibet qui *vitam* expertus ſit quam deſcribo; eis verò qui eam non ſint experti, nihil eam perſpicuam redditurum eſt, ullóve prorſus modo probabilem.

Verſ. 1. *Microcoſmus ſive parvus Mundus.* Nihil magìs tritum eſt ac vulgare, quàm *Hominem* cum *Univerſo* comparare, eúmque quaſi parvum quendam ac compendiarium in ſe Mundum conſtituere. Quamobrem non omnino durum erat aut difficile illud ſupponere quod tam facilè intelligitur ab omnibus & conceditur, Ipſéque Apoſtolus ſupponit, quando Creationem *Lucis* in hoc capite, ut mox audietis, ad *Animæ illuminationem* applicat.

Verſ. 2. *Illud verò quod Animale ſive Naturale eſt, primùm operatur, &c.* Secundùm illud Apoſtoli, *1 Cor. cap. 15. v. 46, 47.* *Sed non prius quod Spiritale eſt, ſed quod Animale, deinde quod Spiritale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus Homo de cœlo cœleſtis,* ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *ipſe Dominus è Cœlo.* Qualis verò ſit hæc terrena conditio, admodum graphicè deſcribitur à *Moſe* in hoc primi Diei opere. Heîc enim habemus *Terram, Aquam,*

&

& *Ventum*, ſive unum tumultuoſum tenebroſúmque *Chaos*, confuſam Aquæ Limíque congeriem, in fluctus acervatim vento propulſam, Noctem inquietam ac procelloſam, nigríſque & effrænatis Tempeſtatibus horridam.

Eſt autem heîc notatu dignum, de informi hoc Globo non dici, *Fiat Terra, Fiat Aqua, Fiat Ventus*; Quippe quum totum hoc ſit τὸ ὑποκείμενον, Materia ſubjecta, Res jam facta & exiſtens, viz. *Rudis Anima hominis, in hac Intemperie, quæ deſcribitur, conſtituta.* Triſtis *Melancholia*, inſtar Terræ immerſæ, in imo jacet. Unde Cura & Dolor, Animíque ægritudo, excrucians Suſpicio, horridus Timor, hæc ſordida inundat Alluvies inquieto Aquei Deſiderii æſtu, enormibúſque ſuggeſtionibus *Concupiſcibilibus* excitata, in quo potiſſimùm ſita eſt Libido fœda ac Senſualitas. Et ſuper hæc vehemens fremit Ira, & tempeſtuoſa Vindicta, præcepſque irruit Confidentia cæca, indefeſſáque perſtrepit Contentio circa Objecta vana & inutilia. Breviter, quicquid *Paſſionis* eſt aut *Intemperiei* in homine lapſo, ad hæc Elementa referri poteſt. Deus verò Creaturam ſuam in hac mala conditione non derelinquit; ſed ut omnis hæc inordinatio detegi poſſit, tumultúſque tandem in nobis ſedari aut evitari, mandat, *Fiat Lux*, quemadmodum legitur verſu ſequenti.

2 Cor.4.6. Verſ. 3. *Ut poſtea Dies ---- è Cæleſti ſive Spirituali Principio appareat.* Huc alludit S. *Paulus* quando ait, *Deus qui dixit ut è tenebris Lux ſplendeſceret, is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris ad præbendum lumen cognitionis in facie Jeſu Chriſti.* Ubi Apoſtolus mihi videtur per ſex Dies integros hujus ſpiritualis Creationis uno quaſi ictu ſimul penetrâſſe. Quippe quòd ſumma illius *Lucis primo die* creatæ manifeſtatio, *facies Jeſu Chriſti* ſive *Cæleſtis Adami* ſit *die ſexto* plenè conſummata. Quamobrem quando dicitur, *Fiat Lux*, Illa Lux intelligitur, *quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum*, qui *Divinus Intellectus* eſt, quatenus animabus humanis eſt communicabilis. *Primáque Dies* prima eſt illius manifeſtatio ſive præſentia, adhuc paulò debilior, & ab affectibus noſtris nimiùm disjuncta, tandem verò in veram conſpicuámque Imaginem ac Characterem *Domini è Cælo*, Chriſti ſecundùm Spiritum, exurgit.

Verſ. 4. *Itáque à Deo comparata eſt humana Natura ut non poſſit quin pronunciet, &c.* Deus cùm in ſecundis cauſis operetur, nihil frequentius eſt magíſve tritum quàm illud ei, quod ab hominibus factum eſt, aſcribere, etiam illîc ubi Actiones Divinæ Naturæ minùs convenire videantur. Quamobrem durum videri non poteſt, ſi in hac *Cabbala Morali* admittamus Hominem illud facere per virtutem Divinam in anima operantem quod Textus dicit Deum facere, approbare ſcilicet *Lucem*, tanquam bonam, & diſtinguere inter *Lucem* atque *Tenebras*, & ſimilia; Quæ quidem res in ſenſu Myſtico & *Deo* & *Homini* competunt. Cúmque nos in ſenſu *Morali* ſive *Myſtico* de Deo loquimur in nobis operante, ipſa rei natura requirit, ut id quod is dicitur in nobis facere, nos itidem illius freti auxilio idem facere intelligamur.

Anima enim humana non ſimpliciter *paſſiva* eſt ut Lignum aliquod aut Lapis; ſed ſtatim atque in eam agitur, eo ipſo *activa* evadit. Ac proinde ſi Deus in nobis dominatur, nos cum eo dominamur; ſi ille in nobis adverſùs peccatum contendit, nos etiam adverſùs illud unà cum eo contendimus; ſi ille in nobis cernit quid bonum ſit & malum, nos eo ipſo idem per eum cernimus, *In lumine tuo videmus Lucem*; & ſic in reliquis. Quamobrem ſuppoſitio admodum genuina eſt ac naturalis, quâ libertatem ſumimus, ubi aut ſenſus aut compendioſior loquendi ratio poſtulat, homini illud attribuendi, quanquam non homini ſoli, quod Deus ſolus facit, quando ad *ſenſum* Textûs *Literalem* recurrimus. Atque hoc quidem dicto illi Apoſtoli omninò conſentaneum eſt, Gal.2.20. *Vivo autem, non ampliùs ego.* Nam ſi Vita Dei ſive Chriſti in eo erat, proculdubio vivebat, alioquin ad quid erat illa vita in eo? Tantùm ſibi ipſi vitam eam non attribuit præ ſuperbia, tanquam ſuam, ſed agnovit à Deo eſſe ſive Chriſto.

Verſ. 5. *Æquè verum eſſe diſcrimen atque inter Naturalem Diem & Noctem.* Admodum frequenter fit apud Apoſtolos, ut *Spiritualem* & *Naturalem* conditionem hominis per *Diem* & *Noctem* deſcribant. Ut in hujuſmodi locutionibus: Rom.13.12. *Nox proceſſit, Dies autem propinquavit.* Epheſ.5.8. *Eratis olim tenebræ, nunc autem Lux in Domino; ambulate ut filii Lucis.* Et alibi, 1 Theſſ.5.8. *At nos qui ſumus diei, ſobrii ſimus.* Et paulò ſuprà in eodem loco, *Omnes vos filii Lucis eſtis ac filii Diei, non ſumus Noctis neque tenebrarum.* Hoc verò nimis obvium eſt quàm ut ei inſiſtamus.

Atque ſic Ignorantia & Inquiſitio, &c. Anima humana nunquam quieſcit, ſed perpetuâ exercetur perſcrutatione donec propriam ſuam fœlicitatem invenerit, qui *Cæleſtis* eſt *Adamus, Chriſtus*, Imago Dei; in quam Imaginem poſtquam perfectè evigilaverimus, ad plenum eâdem ſatiamur. Cæterùm donec id factum ſit, in *Ignorantia* verſamur & *Confuſione*, quemadmodum vox Hebraica ערב aptiſſimè ſignificat.

Hæc *Ignorantia*, confuſio, Animíque inquietudo, ad *Inquiſitionem* nos inſtigat, ſecundùm illam menſuram *Matutini Luminis*, quod nos jam inviſerit. Et בוקר quidem Pſalm.24.6. à בקר eſt, *quærere, conſiderare,* & *inquirere. Hæc eſt generatio quærentium eum,* Gen.32.30. *quærentium faciem tuam* Jacob, hoc eſt, *faciem Jeſu Chriſti,* Operis ſexti Diei exitum & complementum.

Verſ. 6. *Sapidæ & affectuoſæ Diſcretionis, &c.* Quamobrem nequaquam aſſenſurus eſt Meretrici *Salomonis*, quæ ait, *Aquæ furatæ dulces ſunt*; ſed potiùs uſurpaturus Prov.24.6. verba fœminæ *Samaritanæ* ad Chriſtum, poſtquam ei aquas narrâſſet *Spiritûs*, etiamſi Johan.4.15. adhuc haud ità plenè mentem illius intellexerit, *Domine da mihi aquam iſtam ut non ſitiam, neque veniam huc ad hauriendum.* Quis enim operam navaret ad ſibi ſatisfaciendum ex laborioſis hujus Mundi voluptatibus, cùm delicioſis veri illius & tamen facilè fluentis Nectaris Divini Spiritûs, hauſtibus ſitim ſuam poſſit extinguere?

Verſ. 10. *Terræ aridæ comparare, &c. Origenes* hanc conditionem Terræ comparat propter *Fertilitatem*, ipſe verò non omnino alienum putavi, notare etiam Terræ *Stabilitatem*. Conditio verò impiorum inſtar undarum eſt maris efferatarum: Vel ut loquitur Propheta, *Impii ſunt veluti mare impulſum; nam quieſcere non poteſt, propellúntque aquæ ejus cœnum & lutum.* Eſai.57.20.

Verſ. 11. *Tanquam ager fertilis cui benedixerit Deus.* Hæc Interpretatio *Origenis* eſt, quemadmodum ſuprà monui.

Verſ. 14. *Nam pro differentia horum Luminarium, &c.* Quæ verò ſit hæc Differentia intelliges ex verſibus decimo ſexto & decimo octavo.

Verſ. 18. *Verùm uni huic ſimplici ſed vegeto ac efficaci Lumini, &c.* Nam verus profectò ſincerúſque hujus unius ſenſus omnia complectitur. Etenim tota Lex uno verbo completur, nempe iſto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota* Gal.5.14. *anima tua, & proximum tuum ut teipſum.* Matth.22.37. Et ſic agere cum aliis quemadmodum alios nobiſcum agere volumus. Quamobrem ut quis pro nihilo *Regalem* hanc *Chriſti legem* ducat,& prætendat interim ſe magìs accuratum eſſe in res Religionis Indagatorem, & non vulgari ſtudio atque affectu ad *Pietatis* officia ferri, equidem aut abominandum eſſet agere *Hypocritam*, aut craſſiſſimam Ignorantiam in præcipuis maximéque neceſſariis partibus Chriſtianitatis propalare. Atque hujuſmodi quidem homines ad *Stellarum* Lumen aut *Lunæ* ambulant, non autem ſub claris ac calorificis vivificíſque *Solis Juſtitiæ* radiis incedunt.

Præclarum eſt dictum illud *Platonis* in Epiſtola ad *Dionyſium*, Τὸ ἀληθὲς ἐν βραχεῖ κεῖσθαι, *Veritatem brevi ſpatio claudi.* Et proculdubio in veritatibus optimis ſummíque pretii, res omnino ſic ſe habet; cùm cujuſque tamen dementia ità eum ſeducit, ut eò ferè omnem ſuum laborem atque ſtudium conferat, ut ſe exornet ad modum homuncionis iſtius maximè ridiculi in toto Græcorum exercitu, *Therſitæ* ſcilicet, de quo Poeta hoc teſtimonium perhibet, quòd eſſet

-------Ἄκοσμά τε πολλά τε εἰδὼς,

Quòd malè ordinatarum Notionum inutiliúmque obſervationum colluvione abundaret, quibus nec caput nec pedem, quod dicitur, expedire reperiréve aut is aut quiſquam alius valeret, nec ipſe aut ſapientior aut probior ex earum cognitione evaderet.

Præceptum illud Pythagoreorum ἅπλωσον σεαυτὸν, *Simplifica teipſum,* quàm ſapiens, quàm ſanctum, quàm verum eſt! Quàm certum ſtabiléque Fundamentum eſt Vitæ, Libertatis, promptæque Sagacitatis in rebus ad Virtutem, Religionem ac Juſtitiam pertinentibus! Equidem neminem tam tardum ſtupidúmve natum exiſtimo, quin ſi ad ſimplex hoc lumen *Divini Amoris* pervenerit eíque adhæſerit, tandem, immò brevi temporis ſpacio, non magìs laboraturus ſit in dijudicando, quomodo vitam ſuam inſtituere debeat quoad officia, aut *Homines* versùs aut versùs *Deum*, quàm oculus ſanus atque purus in diſcriminandis coloribus. Quodſi *unum* hoc *Lumen* dereliquerit, *Nocte* neceſſariò opprimetur, diſtrahetúrque mens illius multitudine inutilium anxiarúmque ſcrupuloſitatum Notionúmque omni virtute & efficaciâ carentium, & penès quemlibet erit eum tanquam Erronem noctivagum prehendere verbíſque caſtigare, quòd egreſſus ſit extra viam; qui & poſtea forſan ſeipſum viæ ducem officioſe oblaturus eſt, ad aliam ſemitam, quæ æquè parùm ad finem propoſitum accommoda reperietur, niſi in hanc viam Regiam ſive Νόμον βασιλικὸν, ut *Jacobus* Jacob.2.8. appellat, eum deducat, ad *Regalem* ſcilicet *Legem* ſinceri Amoris Dei atque Proximi.

Verſ. 20. *Hoc eſt, quod Concupiſcibile in Homine, &c.* Aquas *Symbolum* eſſe poſſe *Concupiſcibilis* ex eo planè innuitur, quòd *Venus* dicitur mari orta. Quod tamen haud tantopere ad rem faceret, niſi Philoſophia *Naturalis*, ipſáque Experientia nobis confirmaret, *Concupiſcentiam* in humido hoſpitari. Unde eſt illud *Heracliti*, Ξηρὰ ψυχὴ σοφωτάτη, (apud *Porphyrium* in *Antro Nympharum*) i. e. *Anima ſicca ſapientiſſima.* Et citra omnem Controverſiam inordinatus uſus *Concupiſcibilis* Animam multùm hebetat atque infatuat, rerúmque *Divinarum ſenſûs* & ſcientiæ valdè reddit incapacem. Et tamen ad abſolutam voluptatum corporearum *Inſenſibilitatem* adniti, perinde abſonum eſt & à ratione alienum. Verùm hac de re in Verſ. 22, & 31. hujus Capitis pleniùs philoſophabimur.

Verſ. 21. *Alatarúmque Ejaculationum vim, &c.* Quæ ſive *Mentales* ſive *Vocales* non ineptè *Volucribus* aſſimilantur, ſecundùm illud *Homeri*,

------Ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.

Et ſi *verba vocalia* alas habent, interna *Animi Deſideria* meritò dici poſſunt alas etiam habere, quippe quæ *Verba* ſunt *Mentis*, ſicut altera *Oris*, longiúſque utplurimùm evolant, citiúſque perveniunt ad Cœlum, quàm illa altera.

Nota porrò, *Origenem* ſimiliter diſcrimen hîc ponere inter *Piſces* atque *Volucres*, *Volucréſque* facere *bonas Cogitationes*, *Piſces* autem *malas*. Ego verò utraſque potiùs indifferentis naturæ eſſe ſtatuo, & moderandas eſſe non extirpandas ab *Adamo Myſtico*, *Chriſto*, Imagine Dei in Homine. Súntque hi validi ardores & Ejaculationes Effecta *Melancholiæ* in qua *Divinum Principium* in Homine, quando eam actuat, vehementer operatur atque acriter, éſtque Vaſtatrix magna jucundi Humoris *Concupiſcibilis* corporíſque voluptates multùm debilitat in magnum Animi commodum, modò cum prudentia fiat debitáque moderatione: alioqui ſi huic Paſſioni nimiùm indulgeatur, *Hecticas* ſuperinducere poteſt, ac *Phreneſes*, Mentíſque *Alienationes*.

Conſtitutio Textûs, qui earum ſolummodo *Volucrum*, quæ *Aquas* frequentant, mentionem facit, hunc ſenſum quem reddidimus, naturaliter indigitat. Quodſi Imaginatio noſtra ad alias etiam alatas Animantes ultrà excurrat, ad *Aves* ſcilicet *Montanas*, variáque volatilium genera, illa etiam propriam ſuam ſignificationem habere poſſunt, párſque ſunt iſtarum *Animalium Figurationum* quæ ſubdomandæ ſunt ac moderandæ ab *Adamo Myſtico*, à *Spiritu Chriſti* in nobis.

Verſ. 22. *Utque Divina Vita habeat quod ordinet, &c.* Quodſi Paſſionibus omnibus Animam ſpolias, Mens humana ut Dux erit ſine exercitu, aut ſicut Exercitus ſine hoſte. *Pythagorei* Juſtitiam definiunt, Εἰράναν τᾶς ὅλας ψυχᾶς μετ' εὐρυθμίας, *Pacem totius Animæ, partibus illius ad legitimam numerorum modulationem reductis*: Juxta illam alteram ipſorum definitionem, Juſtitiam definientium, Ἁρμονίαν τῶ ἀλόγω μέρεος τᾶς ψυχᾶς ποτὶ τὸ λόγον ἔχον, *Harmoniam ſive conſenſum irrationalium partium Animæ cum rationalibus.* Cæterùm, loco componendi paſſiones Animi ad rectam Rationis Divinæque lucis Regulam, eas univerſas penitus tollere, perinde eſt, ac ſi quis Inſtrumento Muſico, quò ad debitam modulationem eas reducendi faceret compendium, chordas omnes cultro abſcinderet.

Verſ. 24. *Iraſcibiléque fœcundum reddit, &c.* Devotiones Religioſæ Melancholiâ accenſæ corpus magnopere exſiccant inflammántque, valdéque obnoxium reddunt excandeſcentiæ, quam, ſi circa res ſacras ſit, homines Zelum appellant; verùm ſi hæc ira inordinata ſit & Hypocritica, Apoſtolus nos docet eam appellare ζῆλον πικρὸν, *zelum amarum.* Ferocior hic magíſque igneus affectus in homine, *Plotini* τὸ θηριῶδες eſt καὶ λεοντῶδες, *Leonina natura* in nobis, quam ſi *Adamus* ſatìs ſibi ſubjectam reddat, nihil noxæ illinc expectandum eſt ſed bonum potiús. Planéque conſtat in Evangelio Chriſtum Servatorem nunc profundè in *Doloris* paſſionem immerſum fuiſſe, nunc admodum vehementer *Zelo* atque *irâ* fuiſſe ablatum, quemadmodum obſervare licet in Hiſtoriis de exuſcitatione *Lazari* è mortuis, & de *Nummulariorum efflagellatione* è Templo. Atque hæc quidem nulla Imperfectio eſt ſed potiùs Perfectio; quippe quòd *Divina Vita*, poſtquam in Paſſiones Corpúſque hominis penetraverit, magìs palpabilis indè fit, magíſque plena ac ſenſibilis. Totum verò periculum in eo verſatur, nè quis impotenter Paſſioni deditus ſit; cúmque corpus propriâ ſuâ intemperie abripitur aut ipſius Animæ Hypocriſi, imaginetur nihilominus prætendátve impulſum eſſe *ſpiritûs Dei.* Nimis quàm frequens, fateor, hic eſt error, ſed talis, quem Servatori contingere impoſſibile eſſet. Ac proinde Illius animi Paſſiones Perfectiones potiùs erant quàm Imperfectiones, quemadmodum etiam ſunt in eis omnibus qui preſſè ſinceréque illius veſtigiis inſiſtunt, præſertim poſtquam ad ſexti Diei progreſſum pervenerint.

Jacob. 3. 14.

Ennead. 1. *cap.* 1.

Verſ. 26. *Propriæ ſuæ Imaginis nomine appellat.* Quid ſit Imago Dei, *Plato*, cui hæc ſcripta *Moſaica* nota erant, quemadmodum ſancti Eccleſiæ Patres tam univerſim teſtantur, apertè enarrat hiſce verbis, Ὁμοίωσις δὲ ὅσιον καὶ δίκαιον γενέσθαι μετὰ φρονήσεως, *Similem fieri Deo, eſt juſtum eſſe, ſanctum & ſapientem.* Congruenter quidem Dicto illi Apoſtoli ad *Coloſſenſes*, *Et indueritis novum hominem qui renovatur in Cognitione ſecundùm Imaginem ejus qui ipſum condidit*; & pleniori illi loco in quarto ad *Epheſios*, *Et induere novum illum hominem qui ſecundùm Deum conditus eſt ad juſtitiam verámque ſanctitatem.* Occurrunt illîc cuncta illa tria membra Divinæ Imaginis, quæ in prædicta *Platonis* deſcriptione memorantur, ac ſi *Plato* præ-inſtructus fuiſſet ab Hominibus ejuſdem Spiritûs cum Apoſtolis.

In Theæteto.
Cap. 3.10.

Verum ac perfectum Hominem, &c. *Plotinus Divinum* hoc in nobis *Principium* τὸν ἀληθινὸν ἄνθρωπον, *verum hominem* appellat. Reliquum Natura *Beſtialis* eſt, τὸ θηριῶδες καὶ λεοντῶδες, quemadmodum ſuprà monui.

Ennead. 1. cap. 1.

Quippe qui plenum habet dominium, &c. Quamobrem ſi hæc Definitio Imaginis ſive Similitudinis Dei quam *Plato* formavit, hoc dominium ac potentiam in voce δίκαιον non involvit, ſecundùm Deſcriptionem Juſtitiæ apud *Pythagoreos* ſuprà memoratam (quæ rationalem *Divinámque* Animæ partem *Paſſionibus* perfectè dominari ſupponit;) hoc vocabulum addendum inſuper cenſerem τῷ μετὰ φρονήσεως, nempe καὶ δυνάμεως, ut Deſcriptio ſic conſtitui poſſit, *Similem eſſe Deo eſt ſanctum eſſe atque juſtum, cum Sapientia ac Potentia.* Sed enim exiſtimo potiùs hanc *Potentiam* in *Sanctitate* & *Juſtitia* comprehendi, propterea quòd, niſi pervenerimus ad hanc potentiam atque robur ut conſtanter ſecundùm iſtas virtutes agere valeamus, * *affectatores* potiùs ſumus Sanctitatis atque Juſtitiæ quàm reverà ac propriè *Juſti* atque *Sancti.*

Verſ. 27. *In ſuo parvo Mundo, &c.* Verba ſunt *Philonis*, Βραχὺν μὲν κόσμον τὸν ἄνθρωπον, * μέγαν δὲ ἄνθρωπον τὸν κόσμον εἶναι· *Hominem eſſe parvum Mundum, & Mundum unum magnum Hominem.* Quæ Analogia ſupponitur, prout primùm monui, in *Morali Cabbala* hujus præſentis Capitis. Et *Origenes* in hoc caput hominem, minorem Mundum appellat.

De Plantat. Noe, lib. 2. & alibi.

Verſ. 28. *Cæleſtis Adami, Chriſti, &c.* De *Cæleſti* ac *Terreno* homine *Philo* mentionem facit hiſce verbis; Διττὰ ἀνθρώπων γένη· ὁ μὲν ἐστιν οὐράνιος ἄνθρωπος, ὁ δὲ γήϊνος. *Duo ſunt hominum genera, alter cæleſtis eſt, alter terrenus.* Sanctúſque *Paulus* Chriſtum *cæleſtem Adamum* appellat. Et *Philonis* Adamus *Cæleſtis* eſt κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ γεγονώς, *ſecundùm imaginem Dei creatus*, ut S. *Paulus* in ſuprà citatis locis ad *Coloſſenſes* & *Epheſios* de Chriſto etiam narrat.

Leg. Allegor. lib. 1.
Leg. Allegor. lib. 1.

Verſ. 29. *Adamo Cæleſti in cibum aſſignavit quo veſcatur, voluntatem Dei in rebus omnibus perficiens, &c.* Quemadmodum Chriſtus de ſe profitetur, *Meus cibus eſt exequi voluntatem ejus qui miſit me & perficere opus ipſius.*

Johan. 4.34.

Verſ. 30. *Nec Animalis vita prorſus enecanda eſt fame, &c.* Οἰκτείρει γὰρ δίκαιος ψυχὰς κτηνῶν αὐτοῦ, *Vir bonus* enim *erga jumenta ſua miſericors eſt, viſcera autem impiorum crudelia.* Vide *Origenem* in locum.

Prov. 12.10.

Verſ. 31. *Videt approbátque omnia quæ Deus in nobis creavit tanquam in ſuo genere valdè bona, &c.* Non ſolùm ipſum *Divinum* Principium ſed & *Piſces*, *Beſtias* atque *Volucres.* *Vult enim Deus*, inquit *Origenes*, *ut inſignis iſta Dei Factura, Homo non ſolùm immaculatus ſit ab his*, (quod multò certius efficeretur, ſi ab eis prorſus liberaremur, eáque ex natura noſtra funditus extirparentur) *ſed & dominetur eis.* Et quantùm ad me, equidem non intelligo quomodo *Regnum Cælorum* quod in nobis eſſe oportet, ullum omnino Regnum eſſe poſſit, ſi nulli illîc prorſus ſint ſubditi, qui gubernentur, mandatíſque Imperantis obediant. Quamobrem Paſſiones corporis penitùs extinguendæ non ſunt, ſed moderandæ, ut major eſſe poſſit *Vitæ plenitudo* in toto Homine.

Illi verò qui ad tam placidam, ad tam ſilentem, tranquillámque Animi conditionem adnituntur, ut nullius rei ſenſum illîc occurrere velint præterquam *Pacis* ac *Quietis*, totam ſuam naturam conantes omnibus *Figurationibus Animalibus* cujuſmodicunque ſpoliare, quid aliud affectant niſi *Diem ſerenum ſterili Planitiei illucentem*, quæ nec Vaccam alit nec Equum? Nec Oves nec Paſtor illîc videndi ſunt, ſed vaſta tantùm ac ſilens ſolitudo, unáque continua Ariditas ac Vacuitas. Et tamen dum quis ſeipſum imaginatur adeò totum Divinum, non ſatis interim attendit, ut etiam tunc à ſua *Animali natura* detineri poſſit & deludi, útque nihil aliud ſit quàm *placida fixáque ſuæ Melancholiæ Temperies*, quæ ad hunc modum ipſi imponat, & loco veri *Divini Principii*, imperium ſibi arripere velit, & in hac uſurpata Tyrannide reliquas omnes *Animales Figurationes* crudeliter interimere. Vera autem *Divina Vita* nihil vult interimere quod in *Natura* eſt, ſed tantùm rebus moderari, eáſque ordinare ad pleniorem ſinceriorémque hominis fœlicitatem, nihil reprehendens præter ipſam vitioſitatem & enormitatem, *Sanguinem* & *Choleram Virtutis* ac *Religionis* æquè affinem pronuncians atque *Phlegma* & *Melancholiam*. *Vita* enim *Divina* quemadmodum *Humanam* Naturam in genere ſibi conciliare & ſubjugare debet, ità à nullis illius Temperamentis omnino abhorret. Cæterùm pleraque omnia in Orbe Litigia non tam ſunt circa *veram Pietatem* ac *Virtutem*, quàm quodnam ex *Temperamentis* quíſve *Humor* Thronum conſcendat illícque Chriſti ipſius loco ſedeat. Sed nolo in uno Argumento nimiùm expatiari, totam potiùs capitis *Allegoriam* in brevem *Synopſin* compendiúmve redigam.

In primo die *Terra* eſt, *Aqua* & *Ventus*, ſuper quæ & in quibus nihil eſt niſi caligo triſtis, & tumultuoſa agitatio; Ventis aquas in immanes fluctus impellentibus, fluctibúſque limum atque cœnum in aqua excitantibus, toto evadente rudi & indigeſto acervo confuſionis & deſolationis. Hic eſt ſtatus τοῦ χοικοῦ ſive *Adami terreni*, ut *Philo* eum appellat, donec Deus *Lucem* juſſerit exſplendeſcere, *viæque ducem* ei obtulerit ad meliorem conditionem.

In Die ſecundo *Firmamentum* creatur, *ſuperiores* inter & *inferiores Aquas* intermeans, ut fortes utrarumque impulſus ſentiat, differentémve utrarumlibet ſaporem guſtet. Atque ſic voluntas hominis tum à *ſupero* tum ab *infero* Principio tangitur, diéſque hic eſt in quo *Vita* & *Mors*, *Bonum* & *Malum* ipſi proponitur, manúmque poteſt porrigere ad utrum libuerit eligendum.

Matth.7.20. In die tertio, *Terra arida* apparet aquis in unum locum congregatis, ut *arbores fructiferæ* plantentur. Nempe *ex fructibus ipſorum agnoſcetis eos*, inquit Servator, hoc eſt, ex operibus.

In die quarto, plenior *Divinæ Lucis* fit acceſſio, *Juſtitiæque Sol* animam calefacit ſincero Dei atque Hominis amore.

In die quinto, ut *Lux* hæc *Juſtitiæ* ſplendidúſque *Divinæ Rationis oculus* in vacuo campo radios non vibret, ubi nihil eſt quod aut ſubdomet, aut ordinet ac gubernet; Deus integra *Piſcium* examina in aquis emittit, & numeroſas *Volucrum* multitudines in Aëre, præter partem operis *ſexti Diei* in quo omnia Beſtiarum genera creata ſunt.

In hiſce figurantur variæ Suggeſtiones ac Cogitationes Animi ex his inferioribus humanæ Naturæ elementis ortæ, *Terrâ* ſcilicet & *Aquâ*, *Carne* & *Sanguine*. Hæc omnia contemplatur *Homo* in *Luce Solis Juſtitiæ*, diſcernit quæ ſint, cognoſcítque quomodo ſint appellanda, dominari eis novit, nec ad eas anguſtias adigitur ut ea ipſi dominentur. Hic eſt *Adamus* Caput Artificii ac Creationis Dei, *Dominúſque* omnium Creaturarum, ad Imaginem Dei formatus, *Chriſtus* ſecundùm *Spiritum*, cujus ſub pedibus ſubjecta eſt tota *Vita Animalis* cum variis ſuis motionibus, *Formis* ac *Figurationibus*. Ille res ſingulas proprio ſuo nomine appellabit, & unamquamque Creaturam in ſuo collocabit loco, Eſai.32.5. *Non vocabitur ultrà ſtultus liberalis, & avarus non dicetur dives.* Eſai.5.20. *Væ dicentibus bonum malum & malum bonum, qui ponunt tenebras lucem & lucem tenebras, qui ponunt amarum dulce & dulce amarum.* Ille Amarulentiam non nominabit *ſanctum Zelum*, nec blandam *Meretriciam Civilitatem*, *Amicitiam*, nec falſam illam ac *mollem abhorrentiam* à puniendo peſſimè meritos, *Miſericordiam*, nec *Crudelitatem Juſtitiam*, nec *Vindictam Magnanimitatem*, nec *Perfidiam Prudentiam*, nec *Verboſitatem*, aut *Sapientiam* aut *Pietatem*. Verùm in ſecundum caput inſciens excurri.

In hoc primo, *Adamus* tantùm dicitur dominium habere in omnes Animantes, fructúque plantarum veſci. Et quid aliud eſt *ſuperbia* niſi ingens, montis inſtar, Cetus? *Libido*, Hircus? *Leo*, *Aquila*, *Urſus*, Imperium violentum? *Calliditas*, Vulpes? *Mundanúſque labor*, Bos? In hæc & millena alia eſt Dominium *Hominis*, *Adamum* intelligo, *Imaginem Dei*. Eſca verò ejus atque potus eſt voluntatem exequi ſui Creatoris. Hic eſt fructus quo veſcitur.

Ecce igitur, ô Homo, qualis ſis, & ad quod munus ſis vocatus, nempe ut magnus Princeps eſſe poſſis inter Creaturas Dei, & imperium exercere in illa Provincia quam is tibi aſſignavit, dijudicare motus proprii cordis & dominari ſuggeſtionibus naturalis tui Spiritûs: Non auſcultare conſilio Carnis, nec conſpirare cum Serpente contra Creatorem tuum, ſed mundum cor tuum cuſtodire Deóque tuo fideliter devotum: Sic omnes Vitæ motus cum Innocentia & ſine culpa contemplari poteris, & imperium agitare cum Deo in totam Creationem tibi concreditam. Hæc Paradiſus tua erit innocuáque oblectatio in terris, donec Deus in altiorem te evexerit fœlicitatis conditionem in Cœlis.

SCHOLIA

In CAP. I. Verſ. 26.

AFfectatores potiùs ſumus Sanctitatis & Juſtitiæ quàm reverà & propriè juſti atque ſancti. *Juſtitia enim & Sanctitas* Virtutes *ſunt*; Virtus *verò* Intellectualis vis Animæ *& quâ* facilè *proſequitur, ac proinde* conſtanter *quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt. Hoc ni fiat,* Virtus *propriè non eſt, ſed* diſpoſitio *potiùs ad virtutem, vel* ἀρετὴ ἡμιτελὴς, *ſemiperfecta Virtus, quemadmodum appellat* Theages Pythagoreus. *Vide* Enchiridium Ethicum, *lib.* 1. *cap.* 3. *ſect.* 1, 3.

Verſ. 27. Μέγαν δὲ ἄνθρωπον τὸν κόσμον εἶναι, &c. *Hoc autem fieri non poteſt, niſi* συναισθανομένης τῆς θείας ψυχῆς, *ut loquitur* Plotinus, *quo &* Mundum Deum *rectè appellari poſſe vult innuere. Ego verò* Mundum *nec* Hominem *nec* Deum *rectè nominari poſſe contendo, ſed* Zoophyton *potiùs quoddam ingens, ex* Materia Mundana *&* Spiritu Naturæ *compoſitum.* Spiritus *enim* Naturæ *quamvìs* Rationibus Seminalibus *abunde affluat, omni tamen Ratione* Intellectuali *atque* liberâ *penitus deſtituitur. Unde manifeſtum eſt* magnum Hominem *à* Philone *non rectè appellari, multóque minùs, à* Plotino, Deum.

CAP. II.

Plena ſignificatio illius Ἀπειθείας *quæ impedimento eſt hominibus, quò minùs in verum ingrediantur* Sabbatiſmum. 4. *Quanta neceſſitas ſit diſtinguendi motus innocuos* Naturæ *à ſuggeſtionibus* peccati. 5. *Profectus veri Chriſtiani non adæquatè dependere à labiis Sacerdotis.* 7. *Quid intelligendum per* [Hic ille eſt qui venit per aquam & ſanguinem.] 8. *Quid per* [Reſipiſcite, appropinquavit enim regnum Cœlorum.] *Millennium ſeptimum, magnus Eccleſiæ Dei* Sabbatiſmus. *Frequentem tunc fore converſationem inter* Homines *&* Angelos. 9. Arbor Vitæ *quàm aptè dicatur ſenſu* Myſtico, *eſſe in* medio Horti. 17. *Mors* duplex *contracta, ab* Adami *inobedientia.* Maſculinæ *&* Fœmininæ *facultates in Homine quid ſint.* 23. *Informationem Corporis eſſentialem eſſe Animæ operationem; idque in cauſa eſſe cur apparentia ſive perceptio* Evæ *tam grata ſit humanæ naturæ.*

AD verſum uſque quintum, Recapitulatio omnino eſt eorum quæ in primo Capite anteceſſêre, ac propterea nihil opus habent ulterioribus confirmationibus, quàm quæ jam allatæ ſunt ex S. *Paulo,* & *Origene* aliiſque Scriptoribus. Tantùm *Sabbati* mentio in ſecundo verſu hujus Capitis fit, de quo nulla verba facta ſunt hactenus. Atque hic ille *Sabbatiſmus* eſt ſive *Quies,* In quam Author ad *Hebræos* hortatur, contendere ut intremus per *fidem* & *obedientiam.* Etenim illi qui ignavi erant & increduli, prætendebántque Filios *Anac, Gigantum* progeniem, fortiores fore quàm ut eos unquam vincerent, in *Terram promiſſam* ubi ſub ductu *Joſbuæ, Jeſu* Typi, ſedes quietas ſibi ponerent, intrare non potuerunt. Idémque Author eodem in loco mentionem facit de hoc ipſo *Sabbato* quod conſummationem Creationis ſubſecutum eſt, ſic concludens; *Itaque reliquus eſt aliquis sabbatiſmus populo Dei: Nam qui ingreſſus eſt in requiem ipſius, requievit & ipſe ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus. Studeamus igitur ingredi in illam requiem, nè quis in idem incidat inobedientiæ & incredulitatis exemplum.* Vox enim Græca Ἀπείθεια utrumque ſenſum facilè includit, *Inobedientiæ* ſcilicet ſive non exequendi voluntatem Dei pro illa potentiæ ſcientiæque menſura quam is nobis jam dederit; & *Incredulitatis,* quaſi *Divina Vita Spiritúſque* in nobis totam *minoris Mundi* creationem nobis ſubjugare non valeret, hoc eſt, omnes motus ac *Figurationes Animales,* ſint licèt Leones, Urſi, Hirci, Ceti aut cujuſcunque generis, perinde atque Filios *Anac* coram *Iſraelitis* profligare, quemadmodum ſe res habet in altero Typo *Chriſti* Regníque illius in animabus humanis.

Hebr. c. 4.

Hebr. cap. 4. v. 9, 10, 11.

Verſ. 4. *Generationes ----- Animalis Vitæ cùm Deus eas creâſſet.* Hæc enim æquè verè opera Dei ſunt atque ipſa *Vita Divina,* quanquam nequaquam cum illa ſint conferenda. Quinimò confuſionis omnino congeries ſunt ſine illa. Quamobrem ſumma perfectio eſt, has ordine debito & obſequio, *Spiritui* ſive *Vitæ Cæleſti,* qui *Chriſtus* eſt in nobis, ſubditas habere. Et ut magis particularem harum Generationum *Animalis*

Vitæ notitiam habere poſſis, en tibi Catalogum nonnullarum ex ipſis, quanquam confuſaneum, prout memoriæ primùm occurrerint.

Hujuſmodi igitur ſunt *Ira*, *Zelus*, *Indignatio*, *Dolor*, *Deriſio*, *Hilaritas*, *Gravitas*, *libera & aperta Converſatio*, *Converſatio abſtruſa*, *reſtricta*, &, quæ vulgò vocatur, *reſervata*, *Animus flexilis*, & *inflexilis*, *Audacia*, *Timiditas*, *Manſuetudo*, *Auſteritas*, *Candor*, *Suſpicio*, *Pervicacia*, *Deſpondentia*, *Triumphus*, ſive *Gloriatio*. Omnes propenſiones ad exercendum robur aut agilitatem corporis, cujuſmodi ſunt exercitia *currendi*, *ſaltandi*, *natandi*, *colluctandi*, *haſtiludendi*, *venandi* & ſimilia: præter cuncta illa blanda ac urbana *præludia*, neceſſaria *Concomitantia*, & jucunda *Conſequentia* Matrimonii, quæ ex amore Mulierum proficiſcuntur, & amœnitate Liberorum. Ut eas taceam voluptates quæ oriuntur ex ſtudiorum ſimilitudine, meréque naturali amicitia inter hominem atque hominem, plenioribúſve amicorum familiarium congreſſibus, perbenignis *conviviis*, *ludis*, * *concentibus muſicis* & *choreis*. Omnia hæc aliáque multa, quorum hîc non eſt recenſendi locus, genuinæ omnino ſunt pullulationes *Vitæ Animalis*, & in ſeipſis nec *bonæ* nec *noxiæ*. Quinimò ut veriùs dicam & ſine omni partium ſtudio, *bonæ* ſunt, ſecundùm illius approbationem qui eas fecit, ſed *malæ* tantùm eis fiunt qui mali ſunt eíſque citra modum, aut in malum finem, aut ſine debitis circumſtantiis utuntur; alioquin in ſuo genere bonæ ſunt, modò temperentur regantúrque à *Divino* illo *Principio* in nobis.

Et ſummi profectò momenti eſſe cenſeo ut omnes veritatem hanc agnoſcerent, ob haſce tres cauſas: Primùm, quia limitibus *peccati* innocuorúmque *Naturæ motuum*, nondum planè ac apertè propoſitis & definitis, homines quidem varias *Animales Figurationes Naturaléſque motus* pro *peccatis* habentes, tantum ſibi ipſis accumulant penſum, perfectam ſcilicet extirpationem illius, quod nec commodum eſſet, nec fortean poſſibile penitus extirpare, ut reverà indè videantur inſinuare *impoſſibile* prorſus eſſe in *Requiem* ingredi *Sabbatiſmúmve populi Dei*. Quamobrem ſub confuſa hac peccatorum atque infirmitatum nube promiſcuè ſeipſos contegentes, ubi omnia ità aggravant ac ſi ſingula eodem gradu peccaminoſa eſſent, modò fervidi ſint ac diligentes in uno aliquo, tanquam rem magnam æſtimant, egregiúmque ſuæ Sanctitatis Teſtimonium. Ipſorúmque *Hypocriſis* certò illud electura eſt, quod minimi omnium ſit momenti, hoc eſt, totum ſuum zelum quiſpiam pro *naturali Temperamento* quo ipſe ſit, contra oppoſitum *Temperamentum* impendet. Quantùm verò ad indiſpenſabilia *Divinæ Lucis* dictamina, ea certò eſt neglecturus, quippe quæ difficilius ſit præſtare, quanquam majoris momenti & quoad ipſum, & quoad bonum publicum. Quodſi apertiùs definiretur, quid ſit *peccatum*, & quid *ſecùs*, meliori animo majoríque cum fiducia hoſtem quis adoriri poſſet, quippe qui tunc non tam numeroſus appareret, nec tam formidabilis, minúſque ipſe opportunitatis haberet ad perverſas excuſationes, ac tergiverſationes *Hypocriticas*.

Secunda ratio eſt, ut homines meliori ſe conditione conſtitutos non ſentiant quàm reverà ſint, ob abhorrentiam ſuam ab iſtiuſmodi rebus quæ nullam in ſe habeant noxam aut turpitudinem, nec pejorem de aliis concipiant opinionem quàm mereantur, cùm ea tantùm agant quæ à *Deo Divináque Luce* approbantur. Atque hæc quidem maximi momenti eſt ad *Chriſtianam* fovendam *charitatem* atque *unitatem* inter homines.

Tertia & ultima, ut obſervare poſſint hominum plerorumque omnium *Veſaniam* atque *Hypocriſin*, quorum religioſæ contentiones ſecretæve cenſuræ utplurimum nihil aliud ſunt, quàm oppoſitarum *Figurationum Animalis Vitæ* conflictus & Antipathia, quæ ferarum inſtar ſine cuſtode, qui imperium quod dicitur habeat in belluas, impotenter feruntur ad alias aliæ devorandas. Ex hoc autem quiſque dignoſcet, *Temperamentum* ſit an *Religio* quæ in ipſo regnet, ſi Deum toto corde & totâ animâ diligat & proximum ſuum ut ſeipſum, rationémque ſolidam reddere poſſet actionum ſuarum atque opinionum ab *Æterna Luce*, *Amoréque Dei* in corde ipſius diffuſo: Sin minùs, Factio eſt *Animalis Vitæ* ex naturali *Temperamento* aut *Conſuetudine* enutrita & confirmata, longéque abeſt ut ad *regnum Chriſti* pervenerit, ingreſſúſve ſit in veram *Requiem Populi Dei*.

Verſ. 5. *Ubi nulla externa Doctrina eſt, &c.* De Pulpitis, & Concionibus, externíſque Ritibus & Inſtitutis, non tantus adeò eſt ſtrepitus apud ſanctos Patriarchas quorum vitas *Môſes* deſcribit, quapropter hunc Textûs ſenſum quem reddidi, eò magìs genuinum cenſeo ac legitimum. Verùm præterea, cùm *Moſes* revelatus, ipſa *Chriſtianitas* ſit, modus ratióve profectuum veri Chriſtiani heîc præfiguratur. Quòd
1 *Cor.* 3 6. à *Deo* potiùs *edoctus* ſit quàm ab *hominibus*, cùm *Spiritum Vitæ* in ſe habeat, nec quo-
1 *Johan.* 2.27. quam opus habeat qui eum doceat: *Unctionem* enim *habet in ſeipſo*, quæ eum edoctura

eſt omnia ad *Vitam* ac *Pietatem* neceſſaria. Quæ tamen *Unctio*, externa Adminicula ſanctáque *Chriſti* Inſtituta nunquam vili pendet, quemadmodum ſuo loco abundè demonſtravimus. *Vid. Myſter. Pietat. lib* 8. *cap.* 12. *lib.* 10. *cap* 12. *ſect.* 8, 9.

Verſ. 6. *Quæ Reſipiſcentia eſt à mortuis operibus, &c.* In hoc verſu אד in *Cabbala Philoſophica* vaporem ſignificat, hîc verò *Aquæ fontem* reddo, authoritati innixus ſeptuaginta Interpretum, qui vertunt πηγή. *Aquam* verò *Symbolum* eſſe *Reſipiſcentiæ* adeò obvium eſt, ut ea de re verba facere minimè ſit opus. *Johannis* baptizatio per *aquam* ad *Reſipiſcentiam* frequenter occurrit in Evangeliis.

Verſ. 7. *Atque in eum inſpirat Spiritum vitæ, &c.* Ad hunc locum *Moſis* veriſimillimum eſt, illud *Pſalmiſtæ* alludere, *Manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt me: da mihi intelligentiam & vivam:* ac ſi, *Adami* inſtar, Statua terræ omnino eſſet, antequam Deus in eum inſpirâſſet Spiritum Vitæ atque ſanctitatis. *Pſalm.* 119.

Qui venit per Aquam & Spiritum. *Aqua* & *Spiritus* duo extrema ſunt, Primum & Ultimum quæ Creationem *Spiritualis Adami* ſive Chriſti in nobis conſummati conſtituunt; mediúmque includunt qui *Sanguis* eſt. Primùm igitur eſt *Reſipiſcentia* ab eis quibus antè oblectati ſimus; Deinde mactatio malæ illius ac corruptæ vitæ in nobis, quod eſt *reſiſtere uſque ad ſanguinem*, quemadmodum loquitur Apoſtolus. Et 1 Epiſt. Johannis, *Quicquid natum eſt ex Deo vincit mundum. Quis eſt qui vincit mundum, niſi is qui credit Jeſum Chriſtum* (Divinam Lucem Vitámque in nobis) *eſſe filium Dei?* ac proinde ab alto, viribus potentiáque abunde inſtructum ad debellandum omne peccatum & improbitatem in nobis? Hic eſt ille qui venit per *Aquam* & *Sanguinem*, per *Reſipiſcentiam* & Perſeverantiam uſque ad *mortem corporis peccati*; non per *Reſipiſcentiam* ſolùm, vitæque anteactæ improbationem, ſed per realem etiam ipſius *mortificationem*. Tunc *Spiritus* veritatis in nobis exuſcitabitur, teſtimoniúmque perhibebit cuilibet quod verum ſit atque juſtum. Atque ſecundùm hoc quidem teſtificandi genus intelligendum eſt præſertim, *Quòd nemo poteſt dicere Jeſum Chriſtum eſſe filium Dei niſi per Spiritum ſanctum*, quemadmodum *Apoſtolus* alibi affirmat. Hic eſt *cœleſtis Adamus* qui vera Lux eſt atque *gloria* omnibus qui *Myſticam* Reſurrectionem mortuorum aſſecuti ſunt & in quos Deus inſpiravit Spiraculum Vitæ, ſine quo nullam prorſus veram habemus notitiam ſenſúmve Dei. Πῶς γὰρ ἂν ἐνόησεν ἡ ψυχὴ θεὸν εἰ μὴ ἐνέπνευσε καὶ ἥψατο αὐτῆς κατὰ δύναμιν; Verba *Philonis* ſunt in locum. *Quomodo enim Anima humana*, inquit ille, *cognoverit Deum, niſi eam inſpiraverit, eámque virtute ſuâ tetigerit?*

Hebr. 12. 4.

1 *Johan.* 5. 4.

1 *Johan.* 4. 13, 14, 15.

1 *Cor.* 12. 3.

In Leg. Allegor. lib. 1.

Verſ. 8. *Ad regnum cœlorum perveniſſe, &c.* Finíſque doctrinæ *Johannis*, quæ *Reſipiſcentia* erat, huc planè ſpectabat, ut ad fœlicem hanc conditionem homines pervenire poſſent hîc deſcriptam; quod igitur præcipuum argumentum erat ad *Reſipiſcentiam*. *Quamvìs enim veſperi pernoctaverit fletus, mane tamen aderit lætitia.* Nam condentur nova Hieroſolyma, ponétque Deus Tabernaculum ſuum inter homines, & per *Spiritum* regnabit in Terris. Quod, ſi *Cabbalam Moſis* Hiſtoricam aggredi liceret, *Millennio ſeptimo* fore præſagirem, ſecundùm Scripturæ Chronologiam, quando Mundus adeò *Spiritualis* erit, ut futurum ſit ut opus *Salutis* tunc finiatur, magnúmque *Sabbatum* atque *Feſtum* ſummâ ſolennitate celebretur. *Mille anni ſunt ut Dies unus*, inquit Apoſtolus, ac proinde *Millennium ſeptimum Dies ſeptimus meritò* poteſt æſtimari. Quapropter in fine *Millennii ſexti* regna Terræ ſecundi erunt *Adami, Domini Chriſti*, quemadmodum *Adamus* die ſexto creatus eſt Orbis Dominus, & omnium in eo Creaturarum. Atque hoc Imperium ejus, Diem ſeptimum Quietis, Pacis & Gaudii introducet ſuper faciem univerſæ Terræ. Quod quidem Præſagium credibilius videbitur poſtquam *ſeptenarii numeri* Myſterium explicaverimus ex *Philone Judæo*. Verùm antequam hoc aggrediar, rei probabilitati viam paululum aperiam, oſtendendo eandem veritatem ſub alia figura.

Apoc. 21. 3.

Adamus, Seth, Enos, Cainan, Mahalaleel, Jared moriebantur, nec plenitudinem *Divinæ Bonitatis* perceperunt in corporibus ſuis. *Enochus* verò qui *ſeptimus* erat ab *Adamo*, vivus in cœlum aſſumptus eſt, magnâque illâ beatitudine frui videtur in corpore. Mundus igitur *Chiliade ſeptimâ* ſurſum aſſumetur in Deum, illius *Spiritu* abreptus, ejúſque actuatus potentiâ ac virtute. *Hieroſolyma* à Cœlo deſcendens modo glorioſiſſimo & eminentiſſimo florebit tum in terris. *Deus*, ut dixi, *Tabernaculum ſuum figet apud homines*. Deúmque in nobis eſſe & apud nos, idem eſt atque nos evectos eſſe in Deum.

Apoc. 21. 2.

Cæterùm ut veniamus nunc ad Myſterium Numeri *Septenarii*. Septenarius duplex eſt apud *Philonem*; unus, ἡ ἐντὸς δεκάδος ἑβδομάς· alter, ἡ ἐκτός. *Septenarius intra Decadem* ſunt tantùm ſeptem Unitates. Alter, *Numerus ſeptimus eſt*, incipiendo ab *Unitate*, & pergendo in proportione continua *Geometrica*, donec tranſiveris per ſeptem Terminos proportionales. * Nam *ſeptimus Terminus* illîc eſt *ſeptenarius ſecundi generis*, cujus naturam *Philo* plenè deſcribit hiſce verbis. Αἰεὶ γὰρ ὁ ἀπὸ μονάδος συντιθέμενος ἐν διπλασίοις ἢ τριπλασίοις ἢ συνόλως ἀναλογοῦσιν, ἕβδομος ἀριθμὸς κύβος τε καὶ τετράγωνός ἐστιν, ἀμφότερα εἴδη περιέχων τῆς τε ἀσωμάτου καὶ σωματικῆς οὐσίας· τῆς μὲν ἀσωμάτου κατὰ τὴν ἐπίπεδον ἣν ἀποτελοῦσι τετράγωνοι, τῆς δὲ σωματικῆς κατὰ τὴν στερεὰν, ἣν ἀποτελοῦσι κύβοι. Ad hunc ſenſum. *Etenim ſemper ab Unitate incipiendo & pergendo in dupla, tripla, aut alia quacunque proportione, ſeptimus Numerus hujus ordinis & Quadratus eſt & Cubus, utrumque genus comprehendens,* Corpoream *perinde atque* incorpoream *ſubſtantiam :* Incorpoream *ſecundùm ſuperficiem quam Quadrati exhibent,* Corpoream *verò ſecundùm ſolidas dimenſiones quas exhibent Cubi.*

In Coſmopœia Moſaic.

Ut exempli causâ, 64, vel 729. hi Numeri ſunt qui hac ratione oriuntur ; uterque *ſeptimus* eſt ab Unitate, alter à dupla proportione, alter à tripla ortus ; & ſi ratio eſſet quadrupla, quintupla aliáve quæcunque, eódem res redit, alii aliqui ſeptimi numeri orirentur, qui reperirentur ejuſdem naturæ cum his, reperirentur & *Cubi* & *Quadrati*, hoc eſt, *Corporei* & *Incorporei*. Talis enim eſt Numerus ſexaginta quatuor, factus aut multiplicando octo per octo, atque ſic Quadratus eſt ; aut multiplicando quatuor *cubicè*, nam quater quater quatuor rurſus fiunt ſexaginta quatuor, ſed tunc *Cubus* eſt. Atque ſic Septingenta viginti novem, Numerus eſt qui fit aut quadrando *Viginti ſeptem*, aut Cubicè multiplicando *Novem*, nam utrovis modo fient ſeptingenta viginti novem ; unde & *Cubus* eſt & *Quadratus*, *Corporeus* & *Incorporeus*. Per quod ſignificatur Mundum non reductum iri die ſeptimo ad *Conſiſtentiam* merè *Spiritualem*, ad Conditionem *incorpoream*, ſed *Co-habitationem* fore *Spiritûs* cum carne, in ſenſu *Myſtico* ſive *Morali*, Deúmque Tabernaculum ſuum fixurum eſſe apud Homines. Tunc ſtabilietur æterna Juſtitia, radicabitúrque in Terris, donec Humanum genus habitaturum eſt ſuper faciem illius.

Atque hæc quidem *Veritas* de *Regno Juſtitiæ* in *Millennio ſeptimo* clariùs adhuc illuſtratur *Septenario* intra *Decadem*, τῇ ἐντὸς δεκάδος ἑβδομάδι, quemadmodum *Philo* appellat, ſimplicem Numerum *ſeptem*. Partes enim ex quibus conſiſtit & * in quas maximè æqualiter eſt diviſibilis ſunt *tria* & *quatuor*, quæ ſimul juncta faciunt *ſeptem*. Atque hæ partes latera ſunt primi *Orthogonii* in Numeris, ipſa latera quæ rectum illius angulum includunt. *Orthogonion* autem, quale fundamentum ſit *Trigonometriæ* menſurandíque altitudines, latitudines & longitudines rerum, quiſque novit qui vel primoribus labiis Mathematica deguſtaverit. Atque hoc *Rectitudinem* præfigurat ſanctæ illius Generationis quæ ſtabit ambulabítque κατ' ὀρθάς nec hàc nec illàc inclinans, ſed præbebunt ſe recti ſinceríque cordis. Virtutéque hujus *Spiritûs Rectitudinis* ſive *Juſtitiæ* inveſtigare valebunt atque explorare *Profunditatem*, *Latitudinem*, & *Altitudinem Sapientiæ* ac *Bonitatis* Dei, quemadmodum ipſe *Apoſtolus* alicubi loquitur.

Deinde verò, hæc *Tria* & *Quatuor* conjunctionem etiam naturæ corporeæ & incorporeæ comprehendunt ; quippe quum *Tria*, prima ſit *Superficies*, *Quatuor* verò primum *Corpus*. Et in *ſeptimo* quidem *Millennio* tantam fore exiſtimo inter Deum atque Homines Unionem, ut non ſolùm Spiritum illius participaturi ſint, ſed Æthereæ Regionis Incolæ palam cum Incolis Terreſtribus ſint converſaturi, támque frequens Converſatio repetitæque Viſitationes ſincerorum noſtrorum Amicorum alterius Orbis omne *Vitæ tædium mortiſque metum* ſublaturæ ab hominibus, quippe qui animo læto futuri ſint & tranquillo in hoc corpore, certíque meliùs ſe habituros eſſe poſtquam ex eo exceſſerint. Cœlum enim & Terra tunc manus quaſi committent, unáque fient Domus ; moríque nihil aliud æſtimabitur, quàm in ſuperiorem quaſi aſcendere cameram. Et quanquam hæc *Diſpenſatio* in præſens admodum rarò occurrat, paucos tamen eſſe aliquos exiſtimo, quorum oculos matutinum hujus diei crepuſculum leviter perſtrinxerit, de quibus conſummata poſteritas aliquid conſimile dicto illi Servatoris de *Abrahamo*, fortean prolatura ſit, (qui Chriſtianitatem deguſtaverat ante Chriſti adventum in carne) *Abrahamus geſtivit ut videret diem meum & vidit ac gaviſus eſt.* Et citra omnem controverſiam, iſta plenitudo Beatitudinis quæ reſervata ſit in futura tempora, præſagium, inquam, illius & præſenſatio ingens gaudium ac triumphum omnibus viris ſanctis ac Prophetis per omnia ſecula conciliavit.

A Matutina Luce Solis Juſtitiæ, &c. Hoc valde congruenter Textui dictum eſt, cùm Paradiſus ad Orientem dicatur collocata in *Edene*, Chriſtúſque Servator appelletur *Stella ſplendida Matutina*, & *Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum*, quanquam nimiùm multi dictatis hujuſce *Lucis* quæ tam maturè eos in mentibus ſuis ac conſcientiis inviſit, immorigeri ſint, qui verò ipſi obſequuntur, pax eorum eſt ac fœlicitas in extremo.

Apoc.22.16.

Verſ. 9. *Sincera Divinæ voluntati eſt obedientia, &c. Arbor vitæ* rectiſſimè dicitur in *medio Horti* ſita, hoc eſt, in *medio Animæ humanæ.* Eſtque hoc *Voluntas* ſive *Deſiderium* hominis, quod maximè intimum eſt omnium facultatum animæ, éſtque quaſi λόγος σπερματίτης *Centrúmve Vitale* reliquarum, unde fluunt atque germinant. Illud igitur *Arbor vitæ* eſt, ſi reverà tangatur afficiatúrque *Divinâ vitâ,* homóque animitùs voluntati Dei obediat. Tota enim Divinæ perfectionis Imago hinc germinabit, alimentúmque ac robur & durationem indè accipiet. Quodſi voluntas hæc & deſiderium abruptum disjunctúmve ſit à Deo, actuetúrque à Creatura, vel *Sui-voluntas Spiritúſve inobedientiæ* evadat, mortiferum fructum profert, qui *vitam Divinam* in nobis interimit, hominémque in neceſſitate conſtituit moriendi iſti *Inordinationi* & *Corruptioni* quam contraxerit.

Quicquid alii è contrà ſuggeſſerint. Nihil enim magìs tutum eſt, modò medullitùs homo ſit ſincerus, quàm ab aliis per Naſum, quod dicitur, non duci. Videmus enim funeſtum hujus rei eventum in *Eva,* quæ externis ſuggeſtionibus Serpentis auſcultavit.

Verſ. 10. *Quatuor Virtutes ſunt Cardinales.* Expoſitio eſt *Philonis.* Ad verſum uſque decimum ſeptimum nihil opus eſt quicquam ampliùs addere quàm quod jam dictum eſt in *Defenſione Cabbalæ Philoſophicæ.* *Leg. Allegor. lib. 1.*

Verſ. 17. *Mortuúſque evaderet ad omnem Juſtitiam ac Veritatem, &c. Mortalitas* quam *Adamus* per ſuam inobedientiam contraxit in ſenſu Morali ſive *Myſtico duplex* eſt. Altera mors eſt quoad Juſtitiam, éſtque *Philonis* Interpretatio in locum, Ὁ δὲ ψυχῆς θανατὸς, ἀρετῆς μὲν φθορά ἐστι, κακίας δὲ ἀνάληψις· *Mors animæ virtutis in ea extinctio eſt, & vitii reſuſcitatio:* addítque hanc mortem hìc intelligendam eſſe, cùm reale ſupplicium ſit, virtutis vitam perdere. *Altera Mortalitas* eſt neceſſitas moriendi *Injuſtitiæ,* ſi beatitudinem unquam aſſequi quiſpiam velit. Ambæ hæ notiones Mortis frequentiores ſunt in Epiſtolis S. *Pauli* quàm ut opus ſit ullum proferre exemplum.

Facultatibus ejus magìs nobilibus ac maſculinis, &c. Maſculina pars in homine quid ſit, *Philo* his in verbis perſpicuè declarat, Ἐν ἡμῖν γὰρ ἀνδρὸς μὲν λόγον ἔχει ὁ νοῦς, γυναικὸς δ' ἡ αἴσθησις· *In nobis,* inquit ille, *Intellectus Vir eſt, Fæmina verò ſenſus Corporis.* Unde facilè intelliges *Maſculinas* facultates eas eſſe quæ magìs Spirituales ſunt & Intellectuales. *In Coſmopœia Moſaic.*

Verſ. 18. *Ut tota Natura humana Divinâ poſſet perfici.* Quod conſentaneum eſt piæ illi ejaculationi Apoſtoli, 1 Theſſ. 5. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos,* & *integer veſter Spiritus & Anima & Corpus inculpatè ſerventur,* ἐν τῇ παρουσίᾳ, *per præſentiam* ſive *Inhabitationem* Jeſu Chriſti, *Divinæ vitæ,* ſive *Cæleſtis Adami* in vobis. Hic eſt facillimus maximéque naturalis ſenſus * hujus loci ſcripturæ *Myſticè* intellecti, quemadmodum apparere poteſt cuilibet, cujus menti *Sanctitas* æquè grata ſit ac *difficiles Notiones.* Eſt etiam valdè congruens *Myſtico* ſenſui ſecundi Pſalmi, ubi *Regnum Chriſti* in *extremos Terræ fines* extenditur, hoc eſt, quouſque Anima vivificare poteſt, adeò ut ipſa *Caro* & *Corpus* Sceptro ſubjiciantur *Regni Chriſti.* 1 *Theſſ.* 5. 23.

Verſ. 19. *Figurationes Animalis Vitæ, &c.* Motus Animi, quatenus ab *Animali vita* corporis ſuggeruntur, per *Piſces, Beſtias* atque *Volucres* ſignificari, ſatìs ſuprà confirmavi ex authoritate *Origenis.*

Verſ. 20. *Nondum verò capax erat ullam ex eis percipiendi voluptatem, &c.* Melancholia enim temperamentum corporis ità depravaverat, ut nullius rei ſenſus gratus eſſet, quæ ad Naturam, vitámque *Vehiculi* pertineret.

Verſ. 22. *Maxima pars illius Paradiſi eſt cujus homo capax eſt in terris.* Hæc ſenſûs & experientiæ veritas eſt, nec per rationem magìs probanda eſt, quàm quòd album album ſit, nigrúmve nigrum.

Verſ. 23. *Eſſentialiſque animæ ſit operatio, &c.* Ipſa natura Animæ quatenus anima eſt, eſt aptitudo informandi ſive actuandi corpus; ut verò ſemper ſit corpus organizatum, dictatum tantummodo *Ariſtotelis* eſt, non ſatìs ab eo probatum. Quantùm verò ad me admodum proclivis ſum in eam ſententiam, quòd Anima aliquo ſaltem *Vehiculo* nunquam deſtituatur, quanquam *Plotinus* aliter ſentit, opinatúrque animam ſummo perfectionis gradu cum Deo ſolo ſine ulla alia re conjungi, & nudam quaſi illius amplexibus excipi. Eò autem confidentiùs de hac Animæ exaltatione ab eo diſſentio, quòd adeò, proprio quidem judicio, ſecurus ſim de altera illa ipſius ſuſpecta exorbitantia, quâ animas in tam vilem conditionem dejicit, ut tandem tam torpidæ & inſenſatæ evadant, ut ex humo creſcant in iſta *ſtupida vitæ functione,* efformatione Arborum & Plantarum. Nec ſolus ſum in aſſumenda mihi hac libertate diſſentiendi à *Plotino.* Nam præter propriam opinionem huc propenſam (ingenuè enim fateor me *Vide Immortal. Animæ, lib. 3. cap. 1 ſect. 2.*

Comment. in Plotin. Ennead. 2. lib. 8. cap. 8. & alibi.

me nullas habere rationes demonſtrativas quibus illius dogma evertam) exemplo animatus ſum *Ficini*, qui haud vulgaris tamen admirator eſt ſupradicti Authoris.

Quod dicturus eram hoc ferè eſt : Cùm Informatio ſive Actuatio corporis adeò indiſpenſabilis ſit *Eſſentialiſque actus Animæ, temperamentum conditióque* corporis quod ad hunc modum actuat, non poteſt quin maximi momenti ſit animæ, quæ conſcia eſt habitûs illius, gaudiúmque ac dolorem, per univerſalem tactum intimúmque ſenſum in notitiam ejus & animadverſionem ſe exerentem, percipit. Et facilè quidem intelligere poſſumus, quanti momenti ſanitas bonúſque corporis habitus ſit menti inibi hoſpitanti, ſi conſideremus conditionem *plantarum*, quarum corpora non poſſumus non concipere *temperamento* eſſe magìs congruo, dum florent gratóſque odores ejiciunt, oculóſque paſcunt ſuâ pulchritudine, quàm poſtquam aut præ anni ſiccitate aut ſenectâ exaruerint, aut ad terram depreſſæ ſint immoderatis nimbis ſuperfluíque humoris redundantiâ. Atque ſic corpus humanum, ubi anima adeſt quæ illius conditionem perſentiſcat, multò meliùs ſe habet, quando ſanum eſt propter temperantiam moderationémque cibi & exercitii, quàm quando aut nimis arefactum eſt & exſiccatum *ſuperſtitioſâ Melancholiâ*, aut nimis madidum & immerſum *Senſualitati* & *Intemperantiæ*, utraque enim, vitæ gaudia magnopere ſufflaminant, minuúntque illam fœlicitatis plenitudinem cujus homo capax ſit ex *Eva* ſua *Myſtica*, muliere quam cuique dedit Deus, qua ſeipſum oblectaret.

Verſ. 24. *Quatenus ſanitati gaudióque vitæ naturalis ſui corporis repugnent, &c.* Veritas hæc eſt quam nemo quiſquam poteſt negare. Alioqui quomodo id firmum eſſe
1 Tim. 4. 8. poſſit, quod narrat Apoſtolus, *Quòd pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ* ; cùm tamen ſine ſanitate corporis, in præſenti hac vita nullius rei voluptate frui liceat ? Et proculdubio Angelorum ſuperiorúmve Creaturarum legibus nos à Deo non alligamur, ſed præceptis humanæ naturæ conſentaneis.

Obedientia indiſpenſabilibus præceptis illius ſuperioris lucis, &c. Nam ſi vita corporis ità in nos invaleſcat ut extinguat impediátve *rerum Divinarum ſenſum, dependentiæ noſtræ à Deo*, & *lætæ ſpei vitæ futuræ*, inordinata tunc evaſit, & caſtiganda eſt & ſubdomanda, nè in averſationem nos dejiciat omnis *Pietatis*, & in plenam Dei *Divinæque Vitæ* oblivionem immergat.

Verſ. 25. *Sine ullo pudore aut erubeſcentia.* Vide quæ in hunc locum dicta ſunt, in Cabbala Philoſophica.

SCHOLIA

In Cap. II. Verſ. 4.

Concentibus muſicis ac choreis. *Sunt è ſeverioribus Theologis qui Choreas omninò illicitas putant. Et facilè concedo, res in ſe licitas multis propter naturæ ſuæ pravitatem illicitas evadere. Heîc igitur ingenium ſuum, animique propenſiones quiſque explorare debet, & ſic ſe gerere ut nec ſibi noxam nec proximo ſcandalum pariat. Ut verò nemo ferè eſt, ex elegantiori ſaltem hominum genere, quin licèt rem commodam arbitretur ſaltationem, à ſaltando tamen abſtineret niſi in loco commodo, nollétque in conclavi non bene emundato pulverem circa ſe alióſque excitare ; ità certè debet quiſque vir bonus antè perpendere an domum ſuam, hoc eſt, ſuum corpus ſatìs expurgatum habeat ab omnibus ſordibus, nec excitaturus ſit pulverem in domicilio ſuo luteo & pulvereo, liberiori hoc ludicrorum genere. Quod ſi ſuſpicetur fore, conſultius erit abſtinere, donec corpus ab his ſordibus ac pulvere, aut anima ab hoc corpore pulveris liberata fuerit.*

Verſ. 8. Nam ſeptimus Terminus illîc eſt ſeptenarius, &c. Ἕβδομος ἀριθμὸς *appellatur apud* Philonem. *Sed ipſa Unitas hîc pro Numero æſtimatur : Septimúſque ab unitate intelligitur incluſivè, ità ut unitas tanquam primus Terminus comprehendatur.*

In quas maximè æqualiter eſt diviſibilis, &c. *Quanquam enim ſeptem in duo & quinque dividere etiam licet, manifeſtum tamen eſt Diviſionem multò eſſe inæqualiorem.*

Verſ. 18. Hujus loci Scripturæ Myſticè intellecti, &c. *h.e. in ſenſu Morali. Quodſi interpreteris ſenſu magìs Phyſico ſive Philoſophico, tunc* ἐν τῇ παρουσίᾳ *idem ſignificabit quod* εἰς τὴν παρουσίαν, *prout* Beza, Grotius *& alii plerique omnes exponunt. An verò* Grotius *genuinum hujus loci ſenſum reddiderit dum* ὁλόκληρον *ad cuncta tria referri vult*, *ad* Spiritum, Animam *&* Corpus, *meritò poteſt dubitari. Videtur enim apprecatio paulò alienior, ut corpus terrenum, poſtquam Terræ commiſſum ſit,* ἀμέμπτως *inculpatum & immaculatum conſervetur in adventum Domini. Videndum igitur annon minùs coactus foret ſenſus in* [ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα] ὁλόκληρον *reſtringere ad* πνεῦμα, *& per* Spiritum integrum, totum *intelligere, debitis ſuis partibus conſtantem,* (*uti &* Grotius *agnoſcit exponi poſſe*) totum *verò hunc* Spiritum *eſſe* hominem Spiritualem, *quem* τὸν ἔσωθεν ἄνθρωπον *Apoſtolus 2 Cor. 4. appellat : atque heic innuit duabus partibus conſtare,* καὶ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι, *&* animâ *&* corpore, *nempe corpore tenui &* ſpirituali. Platonici *nunc* τὸ λεπτὸν ὄχημα, *nunc* τὸ ἄϋλον σῶμα, *nunc* tenue vehiculum, *nunc* corpus immateriale *vocant. Ut hæc quidem ſine* macula & culpa *conſerventur uſque ad adventum Domini, ſatis appoſita eſt apprecatio.* Corpus *verò* terrenum *ante Reſurrectionem, putreſcere in ſepulchro & puteſcere notiſſimum eſt, ut minùs rectè de eo intelligi poſſit oratio.* Corpus *verò* Terrenum vivum, *in* [ἁγιάσαι ὑμεῖς ὁλοτελεῖς, ſanctificet vos totos] *includi facilè concedo, quò minùs neceſſarium ſit in reliqua parte verſûs intelligi, ſed corpus potiùs* ἄϋλον Platonicorum.

CAP. III.

Hiſtoriola Diſputationis Prælatum *inter &* Fabrum Ferrarium *de Pomo ab* Adamo *comeſo.* 1. *Quid ſignificetur per ſubtilitatem ſive* calliditatem Serpentis, *Religionem ad debitum gradum perductam ſtatum eſſe lætum admodum atque hilarem* ; *ſolámque eſſe hominum* claudicationem *&* Hypocriſin *utplurimum, quæ tam tetricam triſtémque larvam ei impoſuerit.* 5, 6. Mundanam Sapientiam *non* Philoſophiam *in Myſterio* Arboris ſcientiæ Boni & Mali *perſtringi.* 10. *Fuga* Adami, *poſtquam nudum ſe deprehendiſſet, quid ſignificet.* 20. Adamus, Terrena-ſapiens Homo, *ſecundùm* Philonem. 21. *Quid ex eo quòd Deus* Adamum *&* Evam *pellibus villoſis veſtiverit, intelligendum ſit ſenſu* Myſtico. 23. Παράδεισος τρυφῆς, *ſive* Paradiſus Luxuriæ. *Hiſtoriam in Scriptura admodum conciſè ſcriptam eſſe, ac proinde ſupplementa modeſtè & cum judicio formata, ad ſenſum illuſtrandum admittere.* 24. *Quid ſignificetur per* Cherubinos *&* flammantem Gladium. Platonis *Philoſophiæ Definitio,* Μελέτη θανάτου. *Uberior deſcriptio* mortis peccati, vitæque Juſtitiæ. *Chriſtianam Religionem etiam quatenus ad externam Chriſti perſonam refertur, ſub nullo pretextu abolendam eſſe, ante* Mundi Conflagrationem.

IN tertio hoc Capite triſtis illa Hiſtoriæ *Cataſtrophe* occurrit, viz. Lapſus *Adami*; origóque omnis illius Miſeriæ & Calamitatis quæ humano generi à primo uſque Mundi Initio contigit. Tam horrenda erat illius facinoris ſequela, cùm *Eva* mater fœminino ſuo appetitui meliùs temperare neſciverit, ſed ex facili Serpentis ſuaſu fructum vetitum deguſtaverit, quemadmodum *Prælatus* celebris in *Gallia* rem, attento populo, admodum Tragicè inculcavit.

Ità verò evenit, ut *Faber* quidam *Ferrarius* in Concione, ut refert *Bodinus*, poſtquam ex venerabili hoc Concionatore audiviſſet, totum humanum genus, excepto tantùm exiguo Chriſtianorum manipulo, in æternam damnationem ex eſu Pomi per Adamum irrevocabiliter lapſum eſſe, cúmque eâ eſſet confidentiâ ut ea de re cum *Prælato* diſceptaret, eúmque in tractando hoc *Literali* Textûs ſenſu, (neque enim peritia illius ultrà ſe extendebat) ſibi nequaquam ſatisfacere poſſe obſervâſſet, Faber in hæc verba tandem prorupit, *Tam multas rixas pro re tantilla ineptè excitari.* Quod blaſphemum dictum, ut refert *Bodinus*, ſimul atque ad aures *Aulicorum Pariſienſium* perveniſſet, in proverbium ſtatim abiit apud *Aulicos.* Tam plena periculi res eſt imprudens ignarúſque *Concionator*, & *Auditor* audax & immodeſtus. *Bodinus*, in eodem loco, ſe in ea eſſe ſententia profitetur, Quòd imperita Theologorum Inculcatio ſenſûs *Literalis* Textûs *Moſaici*, * multa centena Atheorum Millia pepererit. Quam ob cauſam ſpero omnes, qui non valdè ignari ſint aut perverſi, ſed Deum Divinámque Veritatem ſincerè diligant, haſce meas *Cabbalas* benignè candidéque accepturos, præſertim hanc *Moralem*, cùm ſenſus illius major non ſit quàm qui os cuilibet honeſto liberóque perveſtigatori percontatoríve *Chriſtiano* commodè obturet, ſed qualis qualis ſit eam confirmare porrò in multis illius locis conabimur.

Vide Bodin. Mag. Dæmonoman. lib. 2. cap. 2.

Verſ. 1. *Inordinatum deſiderium Voluptatis, &c. Philonis* eſt, qui dicit, τὸν ὄφιν ἡδονῆς εἶναι σύμβολον, *Serpentem Symbolum eſſe ſive Repræſentationem voluptatis,* quam iſti Animanti comparat ob haſce tres cauſas.

In Coſmopœia Moſaic.

Primùm, Quòd Serpens Animal ſit quod pedibus caret, fœdéque in terra repit ſuper ventrem.

Secun-

Secundò, Quia dicitur pulvere veſci.

In Coſmopœia Moſaic.

Tertiò, Quia dentes habet venenatos, eóſque interimit quos mordet. Atque hinc voluptatem ei aſſimilat, quippe quæ vilis abjectúſque Affectus eſt, ventri innixus, Libidinis ſedi atque Intemperantiæ, terreníſque omnino ſe paſcens, μὴ σιτουμένη τὴν οὐράνιον τροφὴν, ἣν ὀρέγει τοῖς φιλοθεάμοσι διὰ λόγου καὶ δογμάτων σοφία, *ſed nunquam ſe nutriens cæleſti illo cibo, quem Sapientia porrigit Ingeniis contemplativis per præcepta ſua ac colloquia.*

Mirum eſt * *Philonem* illud non notâſſe quod tam particulatim narratur in Textu, de *Subtilitate* Serpentis, quod meo quidem judicio notorium eſt in *Voluptate,* quippe quæ tam molli lævíque ac innocuo aſpectu ſit, ob eámque cauſam tam facilè in animos hominum ſe inſinuet eóſque decipiat, cùm alii affectus tam callidè aſtutéque nos circumvenire non poſſint, ut qui bellum apertum quieti ſœlicitatíque humanæ vitæ indicant, quemadmodum ille ſummo judicio Poeta *Spencerus* in Legendo *Guyonis* ſive *Temperantiæ,* optimè obſervavit.

In Regina Elvarum. lib. 2. cant. 2.

Eſt magè difficile effrænes moderarier æſtus
Delicio *inſtigante animam, quàm urente* Dolore.
Tam validè allectat noſtros nam blandula ſenſus
Dulcedo, *ut vix aut nè vix illo abſtineat ſe*
Proclivis quod tam miſerè Natura cupiſcit.
Verùm Ira *atque* Dolor, *manifeſti ſcilicet Hoſtes*
Humanæ Vitæ, haud ægrè ſuperantur ab ipſa.
At Virtus *victrix, per utrumque ſua explicat arma,*
Erigit & Guyon *illuſtria ubique Trophæa.*

Quàm rigida ac ſevera res eſt totum hoc Religionis, &c. Hæc opinio eſt iſtiuſmodi hominum qui aut planè hoſpites ſint ac peregrini in rebus Religionis, aut ad lætum illum expectatum exitum ejus, ſolatióque plenum, nondum pervenerint. Deus enim non oblectatur cruciatu perpetuo illarum Animarum quas redemptum venit, venítque ad nos redimendos ab illo dolore ac cruciatu, cui *Amor proprius, indomitæque* noſtræ *libidines animíque ſuperbia* nos obnoxios facit. Quibus cùm homines haud lubenter renunciant, cúmque non facilè ſuſtineant ea ad vivum uſque incidi, radicitúſque evelli, opere ſecundùm plenum propoſitum conſiliúmque Dei non conſummato, ſemina etiamnum manent perpetuæ anxietatis, triſtitiæ & inevitabilis doloris: éſtque utplurimum non niſi debitum claudicationis & Hypocriſios ſupplicium. Cúmque animi hominum tam diu hinc acerbi facti ſint & contriſtati, profeſſio ipſorum & converſatio talis evadit ut deterreant quidem juvenes omnes inexpertos ab omni vel mediocri ſtudio aut conſortio cum rebus Religionis; quippe qui putant ſe, ſimul atque illîc ſint illigati, ad Fodinas in æternum damnatos fore, nec unquam emerſuros eſſe ex hoc labore atque onere, in tenebroſis hiſce Cavernis, donec illîc moriantur miſerorum *Americanorum* more, mancipatorum nimíſque durâ ſervitute obtritorum ab immitiſſimo *Hiſpano.*

Johan. 8. 36.

Sed enimvero modò patienter toleremus ad debitum Humiliationis gradum immergi, eadem manus quæ nos depreſſit, exaltatura eſt nos præter omnem ſpem & expectationem. Nam ſi ſufficienter baptizati ſimus in mortem Chriſti, pro certo participes erimus illius Reſurrectionis ad vitam, glorioſæque illius libertatis Filiorum Dei, ſicut ſcriptum eſt, *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*; liberi à peccato, & ſecuri à violentia ullius Tentationis. Quodſi mortificatio opus ſuum perfectum non habuerit, nimis maturus reditus dulcedinis *vitæ Animalis* facilè reperiri poteſt inſtar Serpentis, (quem Ruſticus enectum frigore, ut is putabat, è nive ſuſtulit domúmque ſecum tulit, poſuítque prope focum) motitabit ſe, ſibilabit, mordebit, pungétque. Valida multifariarum corporis voluptatum, & oblectamentorum carnis prælagia ità intumeſcere poſſunt in mente & tumultuari, ut Anima ſe nimis arctè conſtrictam eſſe cenſeat, incipiátque iſtiuſmodi Serpentis inſuſurrationibus auſcultare, *Quàm rigida ac ſevera res eſt totum hoc Religionis negotium, &c.* & ſtatuere apud ſeipſam, niſi omnium rerum libertas permittatur, perinde eſſe ac ſi permitteretur libertas nullius.

Verſ. 2, 3. *Sed Fœminina pars in Adamo, &c.* Non eſt niſi una eadémque anima in homine dialogum cum ſeipſa inſtituens, quæ his tribus partibus *Serpente, Adamo* & *Muliere* illuſtratur. Atque hîc Anima ſeipſam recolligens non poteſt quin fateatur, Religionem nullam ſibi honeſtam & idoneam, & quæ majori illius fœlicitati noxia non ſit, voluptatem denegare, reputátque apud ſeipſam quanto verſatura eſſet in periculo

riculo *Divinam* perdendi *vitam* debitúmque Dei ſenſum ſi voluntatem propriam promiſcuè ſequeretur, nec omnes ſuas actiones ac propoſita ad *Lucis Divinæ* legem expenderet quæ præſtò eſt ad eam dirigendam.

Verſ. 4. *Serpens verò, &c.* Senſus hujus verſûs eſt, quòd avidum voluptatis deſiderium eouſque ſe in *Animalis Vitæ* dulcedinem inſinuaverat, ut judicium hominis obnubilaret faceretque eum ſtolidè ſperare, quòd licèt *propriæ voluntati* liberè vivus eſſet, nullam tamen noxam inferret *voluntati Spiritûs Vitæque Dei* in ipſo, cùm tamen nihilominus Apoſtolus expreſſè ſcribat, *Quodnam conſortium Juſtitiæ cum Injuſtitia, & quæ communio luci cum tenebris? & quæ concordia Chriſto cum Belial?* Atque alibi nobis narrat, *Quòd Chriſtus dedit ſeipſum pro Eccleſia ut eam penitus ità purgaret & ſanctificaret ut nullam haberet maculam aut rugam aut quicquam ejuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & inculpata*, Sponſa verè Virginea, Divinâ vitâ amicta atque gloriâ. Atque illi homines qui tam lubenter in duas partes claudicant, inter *Carnem* ſcilicet & *Spiritum*, ſatíſque ſpacii habent apud ſe ad utroſque hoſpitio excipiendos (ac ſi amicitia aliqua & communio inter eos eſſe poſſet) ſeriò apud ſe perpendant annon hæc ea ipſa opinio ſit quâ erat deceptus *Adamus*, & ſuſpicentur eundem funeſtum fore eventum, agnoſcántque ab eodem principio eſſe profectam, ab *inordinato deſiderio* indulgendi propriis voluntatibus ſine approbatione *Divinæ Lucis*, inconſultúque voluntatis Dei.

2 Cor.6 14.

Ephes.5.27.

Verſ. 5. *Sed peritiam ejus & experientiam in rebus, &c.* Súntque non pauci qui nullum peccatum ducunt, ſed cognitionem laudabilem, *Mundum*, quod aiunt, *cognoſcere*, alióſque pro ſtultis habent, qui ignari ſint iſtius Myſterii. Ità enim eſt Homo, ut nolit *Mancipium* eſſe aut *Idiota*, ſed propriam recognoſcere libertatem, eâque utendo, experientiam, prout prætendit, lucrari.

Sed enim, ut accuratus Rationis uſus in contemplandis mirabilibus Dei operibus in Natura, innocuáve illa ac jucunda Geometriæ & Arithmeticæ Theoremata & ſimilia, ut hæ Scientiæ partes à *Moſe* in hac Hiſtoria perſtringerentur, nè minimam quidem probabilitatis ſpeciem præ ſe ferre videtur. Tam pauci enim in Orbe ſunt, quorum mentes ullo ſerio ſtudio ad iſtiuſmodi objecta feruntur, ut operæ pretium haud futurum fuiſſet quicquam hac in re notâſſe. Et tum dein, manifeſtum eſt lapſum fuiſſe ex affectatione talis ſcientiæ ſive experientiæ, in qua *Mulier*, effloreſcens *Vita corporis*, occaſionem dedit *Adamo* peccandi. Quamobrem variarum carnis cupiditatum impletio eſt, non autem ad Intellectuales Contemplationes ſublimis aſpiratio, quæ hîc perſtringitur. Hæc enim ad *Maſculinas* facultates pertinent non *Fœmininas*, quæ viam aperuerunt ad *Tranſgreſſionem*.

Quapropter, hoc tibi affirmo, *Sapientiam*, quam hîc Serpens promiſit, *Naturalem Philoſophiam Artéſve Mathematicas* non fuiſſe, ulláſve ex innocuis illis ac nobilibus Mentis humanæ perfectionibus, ſed *Scientiam Mundanam Carniſve Sapientiam*. Vita enim corporis plena eſt cupiditatibus ac præſagiis ſibi ſatisfaciendi in hac vel illa re externa, ſive *Honor* ſit, *Divitiæ* aut *Voluptas*. Et ſi *Divini* in ſe *viæ-ducis* jugum quiſpiam excuſſerit, quo jure quâve injuriâ hæc ſibi perquiret. Eſtque hæc *Mundana Sapientia* tam plauſibilis in communi vita, ejúſque apud hominem merè naturalem ſapor tam dulcis gratúſque, ut vel hinc ſatìs alliceretur *Novitius*, ut vir *ſapiens* utique exiſtimari poſſet, ad talia experienda quibus inſtructus in ea eſſe queat probéque initiatus.

Verſ. 6. *Præter Sapientiam carnis, &c.* Τὸ φρόνημα τ̃ σαρκὸς Apoſtolus appellat. Quam *carnis Sapientiam, Inimicitiam eſſe* ait *adverſùs Deum*. Quantùm verò ad liberum cautúmque Rationis uſum, Mundanæ Fabricæ, ordiníſque Naturalium cauſarum cognitionem, Rudimentorúmque Geometriæ ac Principiorum Mechanicorum intelligentiam & ſimilia, quis eſt, niſi *Fatuus* planè ſit aut *Fanaticus*, qui affirmaturus ſit Deum ullas contra hujuſmodi res Inimicitias alere? Nam & præterea, hoc genus Contemplationes non tam propriè ſunt *Scientia Boni & Mali* quàm *Veritatis & Falſitatis*, cùm *ſcientia Boni* & *Mali* ad illam potiùs experientiam quàm ex *Moralibus Politiciſve* actionibus & eventis haurimus, referatur.

Rom.8.7.

Illos verò qui ex hoc Textu Scripturæ Philoſophiam perſtringere volunt honeſtámque ac generoſam inveſtigationem veræ ſcientiæ Dei in Natura, *Ignorantiæ* partim ſuſpectos habeo, partim occulti cujuſdam & iniqui ſtudii eas præferendi voluptates, quæ *Beſtiis* perinde atque nobis competunt, quinimo, opinor, gradu altiori, *Simiis* præſertim atque *Satyris*, aliiſque id genus Animalibus Venereis. Atque equidem ſuſpicor nullum ferè genus hominum adeò proclive eſſe ad hujuſmodi abſurdas Scripturæ Interpretationes quàm audaciſſimos *Religioniſtas* ac *Mimo-prophetas* qui calore ac ſpiritibus abundant, Imaginationémque nimis ſæpe habent fumis inferiorum illarum partium contaminatam, quarum plenum ſenſum ac voluptatem univerſis illis ſubti-

Enthuſiaſm. Triumphat. ſect.21,22.

ſubtilibus oblectamentis Rationis ac generoſæ Contemplationis longè anteponunt.

Cæterùm hos à *Sanguine-inſpiratos Videntes* dulci deceptioni & impoſturæ ſuæ corruptæ Imaginationis relinquentes, auſcultemus arctéque adhæreamus illi qui nec decipere poteſt nec decipi, *Chriſtum* intelligo *ſanctóſque* illius *Apoſtolos*; & nunc ſpeciatim conſideremus grave illud piúmque Monitum S. *Petri*: 1 Pet. 2. 11. *Dilecti, precor, ut tanquam advenæ & peregrini abſtineatis à carnis cupiditatibus quæ militant adverſus animam.* Ubi vir hic ſanctus à Deo inſtructus planè inſinuat Animam in hoc Mundo eſſe quaſi peregrinatricem in terra extranea, itérque facere ad ſtatum ſibi magìs congruentem quàm hunc in corpore. Unde planè ſequitur, nimis ſtudioſam iſtarum voluptatum quæ mortales ſunt & cum corpore moriuntur, indicium eſſe miſeri abjectíque ac degeneris Animi, ſuæque Naturæ ac dignitatis ignari.

Verſ. 7. *Quàm nudus jam eſſet & omni vi ac facultate ad res ſanctas & Divinas deſtitutus, &c.* Hic *Adami* error fuit, quòd putaret ſe duobus poſſe Dominis ſervire, & Dei voluntati & ſuggeſtionibus Carnis. Verùm hoc modo alienatus evaſit à *Divina vita* ac *virtute*. *Quippe quæ habitare non vult in corpore peccatis obnoxio. Spiritus enim ſanctus disciplinæ fugit quod non eſt ſincerum, & ſubducit ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intelligentia*, (tales ſcilicet quæ temerè aut ſuggerantur aut affectentur) *nec manere ſuſtinet adveniente Iniquitate.*

Verſ. 8. *Præſentiam illius ferre non potuit, &c.* **Lux** enim *Divina* nunc eum tantùm arguebat de peccatis ſuis, nihil autem ſubminiſtrabat *Divini Amoris* aut *Virtutis*, quemadmodum fit in eis qui obediunt ipſi ſinceréque præcepta illius exequuntur, ac proinde *Adamus* præſentiam ejus non magìs ferre potuit quàm oculi lippientes lumen Solis aut Candelæ.

Verſ. 9. *Divina verò Lux inſtabat propiúſque ad eum accedebat, &c.* Hæc *Lux Divina* Deus eſt quatenus manifeſtatur in conſcientia humana. *Amor* verò illius ac *Virtus* ſive *Potentia*, non par eſt ut communicetur *Adamo* in hac diſſoluta ac immorigera illius conditione, ſed convictio tantummodo ad perducendum eum ad *Reſipiſcentiam.* Et poſt procellam hanc turbinémve inordinatarum Voluptatum & Paſſionum, cùm proprii animi angori ac ſolicitudini paululùm relictus eſſet, hæc *Lux conſcientiæ* magìs ſtrictè ac particulatim eum exploravit & examinavit, meritóque mirari potuit apud ſeipſum quòd adeò horrere ſe ſenſerit communicationem cum proprio corde.

Verſ. 10. *Tunc ingenuè faſſus eſt Adamus, &c.* Statim enim deprehendit rationem cur adeò alienatus eſſet à *Divina Luce*, nempe quòd nudum ſe invenerit iſtac virtute bonóque ſtudio quo antea erga *res Divinas* affectus erat, hæc enim perdiderat promiſcuè ſequendo veſanas ſuggeſtiones propriæ voluntatis inordinatæ; quemadmodum videre eſt in verſu ſequenti. Quamobrem minimè illi allubebat de ulla convinci obligatione ad tales res, ad quas præſtandas nullas ſibi vires relictas perſenſerit nec ullam omnino animi inclinationem.

Verſ. 11. *Funeſtum eventum illius Inobedientiæ, &c.* *Adami* Conſcientia totam hanc animi confuſionem in ſuam *Inobedientiam* reſolvit, indulgentiámque *propriæ Voluntati*, ſine omni regimine ductúve Voluntatis Dei.

Verſ. 12. *Quòd ſecutæ ſint tantùm dictata naturalia Gaudii corporis, &c.* Non abſimiliter dicto illi apud Comicum:

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

Atque ſic vulgò homines falſis ſuis ratiociniis ad peccandi licentiam ſe perducunt, excuſando humanas infirmitates, propenſionéſque naturales.

Verſ. 13. *Quòd fœmininis facultatibus meliùs moderatus non eſſet, &c.* Hoc eſt iſtud ſtolidum peſtiferúmque ſophiſma apud homines quo ſibi ipſis imponunt, ac ſi quoniam hæc vel illa fieri poſſunt, ſúntque tantummodo ſuggeſtiones *Naturæ* quæ Dei opus eſt in Univerſo, poſſint iccircò ea facere quâ ratione quâque menſurâ ipſis placuerit. Heîc verò *Divina Lux Adamum* non reprehendit ob id quòd *fœmininas* ſuas facultates exerceret, ſed quòd cùm exercerentur, ad altiorem non temperaret ſanctiorémque Regulam, quódque eas non magìs morigeras reddidiſſet *maſculinis*.

Ad quod nihil habuit quod reſponderet, &c. Senſus eſt: *Adami* tentationes admodum validas fuiſſe, *vegetæque* corporis *vitæ* ità accommodatas, ut, prout ille putabat, eis reſiſtere non poſſet. Cæterùm voluntas humana à Deo adjuta & corroborata, ſicut factum eſt in *Adamica*, ſi ſincera ſit, quid eſt quod præſtare non poterit?

Verſ. 14. *Tunc Divina Lux caſtigare incepit dictis ſerpentem, &c.* Ab hoc verſu 14. ad verſum 20. deſcriptio videtur eſſe Conſcientiæ Hominis manifeſtò eum convincentis de turpitudine & incommodis flagitioſæ illius vivendi rationis cui illigatus ſit, cum aliquibus etiam ſubindicationibus commodorum Vitæ melioris, ſi ad eum converſus eſſet, quod inſtar præſentis flammæ in mente illius ad tempus accenſæ eſt: Verus autem *Amor Divinæ Vitæ, Divinæque Gratiæ vis* cùm illius animæ ſimul communicata non ſit, nec corpus à ſordibus ex peſſimis anteactæ vitæ rationibus contractis purgatum, flamma hæc ſtatim extinguitur, omniáque illa monita ac repræſentamina eorum quæ ad rem ſuam tantopere facerent, oblivione obruuntur, continuóque ad priſtinæ ſuæ turpitudinis vias ſe confert.

Sordidè abjectéque ſuper ventrem reptaret, &c. Vide quæ allata ſunt ex *Philone* in verſum primum.

Verſ. 15. *Mihi verò ſi ſemel liceret euſque in hominem, &c.* Hoc *Divina Lux* rectiſſimè intelligi poteſt locuta in *Adamo*. Conſcientia enim ipſius facilè in memoriam illius revocare potuit, quàm gratum ſenſum innocuorum gaudiorum corporis habuerat in ſtatu Innocentiæ & ſinceritatis: Et certè ſi *Divina Lux* ſeipſam in pleniorem magíſque univerſalem omnium illius facultatum poſſeſſionem inſinuâſſet, ritè temperata corporis gaudia, quæ proles fuiſſent Mulieris, tumultuoſas inordinatorum deſideriorum voluptates tanto intervallo ſuperâſſent, ut ſolarium radiorum inſtar igni incumbentium, ardorem earum extinctura fuiſſent, quemadmodum jam notatum eſt, in verſu hoc 15.

Verſ. 16. *Ut nativum gaudium ſanitáſque Vitæ corporis multùm depravetur, &c. Divina Lux* in Conſcientia *Adami* hæc omnia facilè potuit effari, quippe quem veriſimillimum eſt hujus rei ſatìs amplam habuiſſe prælibationem, ut qui poſt inordinatam furibundi ſui voluptatum deſiderii exaturationem ſæpe ſe expertus ſit conditione ſtupidâ, languidâ, & nauſeabundâ, quanquam nova virium recuperatio ad novas dementias eum inſtigaret. Neque enim *Moralis Cabbala* ſupponit unum aliquem errorem ſingularem peccatúmve fuiſſe quod *Adamum* in hanc Animi confuſionem perduxerit, ſed *inobedientiam in genere*, vitámque actam ſine ductu Lucis legíſque Divinæ.

Terrena-ſapiens Adamus, &c. Philo appellat τὸν γήϊνον νοῦν, *Mentem terrenam*, pag. 332.

Verſ. 17, 18, 19. Adami conſcientia adeò expergefacta erat *Divinâ Luce* ac *Ratione*, Experientiáque eum adeò in præſens erudiverat, ut facilè prævidere poſſet quid de eo fieret, ſi in hiſce viis inobedientiæ perſiſteret; fore ſcilicet ut pungeretur vexarétúrque in veſanis ſuis vagíſque proſecutionibus inordinatæ voluptatis, quamdiu *Mens terrena, Lux* ejus futura ſit ac *viæ-dux*. Cæterùm poſt hanc omnem convictionem, qua in via *Adamus* perſtiturus ſit, niſi Deus eum altiori gradu ſuperadvenientis Gratiæ viſitaverit, quæ *Fidem* in eum, *Virtutémque* & *Affectum* derivaret, videre eſt in verſu proximè ſequenti.

Verſ. 20. *Adamus non ſatis expergefactus eſt, &c.* Nuda enim *Lucis* Convictio, à *Fide, Virtutéque* ſive potentia, & *Affectu* disjuncta, mentem conturbare quidem poteſt & confundere, eam verò per ſe componere ac tranquillam reddere, & in bono ſtabilire, apud homines, qui mali habitum contraxerint, nequaquam valet.

Meam VITAM appellavit, &c. Simulatque Reprehenſio hæc ac caſtigatio *Divinæ Lucis* in conſcientia Adami manifeſtatæ præteriiſſet, in eundem planè rerum ſenſum continuò relabitur, eáque proſequitur conſilia quæ ei antea in animo erant, admodúmque ſenſibiliter ex intimíſque præcordiis apud ſe concludit, quòd ſit quidem iſtud conſcientiæ ſuæ dictamen quantumvis verum, nihil tamen hôc verius eſſe poteſt, *Gaudium* ſcilicet *Corporis ſui* neceſſarium eſſe vitæ ſuæ ſolatium, ſéque propterea in eo adaugendo totam ſuam poſiturum eſſe fœlicitatem. Atque ſic ei toto animo adhærens, ipſam *Vitam ſuam* æſtimabat, nec vivere omninò quempiam poſſe ſine eo. Ipſa verba ferè ſunt *Philonis*, de corporis ſenſu loquentis, in quo erat hoc corporeum Gaudium. Ἣν καὶ ὁ γήϊνος νοῦς, ὄνομα Ἀδάμ, ἰδὼν διαπλασθεῖσαν, τὸν ἑαυτοῦ θάνατον ζωὴν ἐκείνην ὠνόμασεν· hoc eſt, *Quem ſenſum corporeum Terrena mens in homine, propriè ideo appellatus* Adam, *poſtquam formatum vidiſſet, quamvìs reverà Hominis mors eſſet, Vitam tamen ſuam appellavit*. Hæc eſt *Philonis* Expoſitio hujus præſentis verſûs.

In Quis rerum Divinarum Hæres.

Verſ. 21. *Tunicis piloſis, &c. Philoſophica Cabbala* cum Textu, hoc in loco, mirificam habet admodúmque facilem aptitudinem & convenientiam. Nec durus quidem videbitur hic ſenſus *Moralis*, ſi conſideremus hujuſmodi locutiones in Scripturis. *Induantur pudore & erubeſcentiâ magnificantes ſeſe adverſùs me.* Atque alibi, *Induantur Adverſarii mei pudore & operiantur tanquam veſtimento confuſione ſuâ*; præter alia loca ad eundem ſenſum. Et veſtire homines pro ſua conditione ac qualitate, quid

Pſalm. 35. 26. & 109. 29.

quid iſtoc magìs obvium eſt, magíſve congruum ac naturale? Ut qui *Fatui* ſunt aut *Moriones*, *Morionum*, quas vocant, Tunicis vulgò veſtiuntur. Atque ſic cùm *Adami* Voluntas & Affectus ad *Brutalem Vitam* tam obſtinatè ferrentur, minimè incongruum eſt ſupponere, *Divinâ Luce* eos Bruta planè æſtimante, juſtam, quâ eos afficit, contumeliam, in hoc loco, per veſtitum *pellium Beſtiarum* ſignificari.

Senſus igitur hujus verſûs hic eſt: *Divinam Lucem* in Conſcientia *Adami* eum denuo adortam eſſe, eúmque convictum fuiſſe, ſe in Brutum quoddam, eis vivendi rationibus, quas proſequi inſtituerat, eſſe degeneraturum. Atque equidem ſic eſſe contentus erat, quemadmodum quis meritò ſupponere poteſt, cùm peccati complacentia omnes ſublimioris illius vitæ in ipſo vires ità enervâſſet, ut parum vel nihil potiùs, in præſens præſertim, reliquum eſſet, quod ſurſum eum attollere valeret *Cœlum* verſùs ac *Sanctitatem.*

Atque profectò *Epicuriſmus* vilis ac *Senſualitas* animam hominis tam cæcam reddet & degenerem, ut non ſolùm contentus futurus ſit in *Brutalem* prolabi *Immortalitatem*, ſed in hac ipſa opinione magnopere ſibi complaciturus, quòd reverà jam ſit *Brutum*, *Simius*, *Satyrus*, aut *Cercopithecus*, quódque præſtantiſſimi hominum nihilo meliores ſint, niſi quòd leges civiles induſtriáque Educatio effecerit ut ſub paulò repurgatiori elegantiorive ſpecie appareant, diúque inculcata Præcepta pro connatis Honeſtatis ac naturalis Scientiæ principiis falsò ſint habita; quòd nulla aliàs indiſpenſabilia ſint *Religionis* ac *Virtutis* Fundamenta, niſi quæ tanquam talia contigit à prædominante conſuetudine aſſumi. Quæ profectò auſim dicere, æquè facilè confutari poſſe, atque quamlibet Concluſionem *Mathematicam* demonſtrari. Quotquot verò eò ſtupiditatis prolapſi ſunt, ſuâ, per me licet, ignorantiâ fruantur ac veſaniâ. Sufficit viro bono, quòd ſibi conſcius ſit ſe è nobiliori ſtirpe eſſe oriundum, honeſtiùs natum ac liberaliùs educatum, majoríque peritiâ à purgatis proprii animi facultatibus imbutum.

Verſ. 22. *ſtatuit in contrarium, &c.* Dei omnipotentis miſericordia erga miſerum hominem talis eſt ut imbecillus ejus ac tenebroſus *Spiritus* non ſemper tam obſtinatè improbus eſſe poſſit, quàm ipſe lubens vellet. Stolida igitur iſta eſt deſperatorum quorundam hominum præſumptio, qui vim quantam poſſunt maximam Reliquiis illius *Lucis* primorúmque Principiorum Religionis ac Honeſtatis, quæ adhuc in ipſis ſuperſint, inferunt, expectantes hoc pacto ſe ad pacem tranquillitatémque animi perventuros, enecando ſcilicet, prorſúſque extirpando omnia *Pietatis* ac *Moralitatis* principia ex ſuis ipſorum animis. Non eſt enim in illorum poteſtate id efficere, nec ullam rationem habent cur ſecuritatem ſibi hinc polliceantur à morſibus Conſcientiæ. Poſſunt enim aliqua Providentiæ eventa ex hoc veterno eos ità excitare, ut coacti indè fuerint errorem ſuum ac rebellionem cum ineffabili luctu animíque conſternatione confiteri. Quantò verò diutiùs extra viam cucurrerint, eò magìs laborioſum iter futurum eſt quo redeant ad bonam frugem.

Quamobrem multò tutius eſt maturè illam vitam amplecti, quæ poſtquam eam aſſecutus ſis, nec meretur nec obnoxia eſt ulli mutationi aut morti, poſtquam putà ad debitum illius gradum menſurámve perveneris. Hæc enim *naturalis* eſt *Animæ perfectio*, reliqua omnia *rubigo* & *ſordes* quæ ipſi incumbant.

Verſ. 24. *Ex hac Paradiſo Luxuriæ, &c.* Tranſlatio *Anglicana* plures unâ Paradiſos non memorat, ſed ſemper appellat *Hortum Eden*. Septuaginta verò Interpretes *Morali* noſtræ *Cabbalæ* faventiores, quod primùm *Hortum Edenis* vocant, poſtea nominant Παράδεισον τρυφῆς. Quod ſignificare poteſt *Hortum Luxuriæ*. Cæterùm ſive hoc ullius momenti ſit ſive ſecùs, illud ſupplementum quod in duobus proximè antecedentibus verſibus attuli, ſenſum noſtræ *Cabbalæ* ſatìs confirmabit. Atque in ipſa litera ac Hiſtoria Scripturæ, ſi quis rectè obſervaverit, neceſſarium fore reperiet, aliquando, ſupplementum aliquod afferre, quo cohærentiæ præcedentium cum ſequentibus ſenſus magìs perſpicuè percipiatur.

Ut in ipſo Capite proximo, ubi Deus damnat *Cain* ut vagus ſit & profugus in Terra; ubíque *Cain* exclamat, quicunque eum invenerit ſe occiſurum eſſe: Secundùm conciſam quidem Textûs Hiſtoriam, nulli tunc erant præter *Adamum* & *Evam* in Orbe, qui ei irent obviàm, & tamen ſignum ei per Deum imponitur, ac ſi multi populi tunc in terris eſſent in cujus manus incidere poſſet & de vita ſua periclitari. Et rurſus, verſ. 17. *Cain* vix in Terram *Nod* ingreſſus erat, cùm dicitur uxorem habere & ex ea filium, & continuò extruere Civitatem, cùm nullorum artificum præter ſeipſum, uxorem ac filium, facta ſit mentio. Sed quivis ingenioſus lector facilè ſibi idonea formabit ſupplementa, ubique debita ſupponens temporum intervalla commodáſque præparationes univerſis quæ illîc fieri dicuntur. Atque ſic in Hiſtoria *Sampſo-*

nis, ubi dicitur vulpes trecentas capere, cum ratione ſupponi poteſt, eas partes iſtiuſmodi animantibus abundare, eúmque ſatìs temporis habuiſſe, ac ſufficientem ſociorum venationis numerum, & ſimilia. Hiſtoriam Scripturæ admodum conciſam eſſe nemo poteſt negare, ac proinde ubi facilia, naturalia & conſentanea ſupplementa ſenſum illuſtratura ſunt, tutum exiſtimo Paraphraſtæ hujuſmodi aliqua additamenta ſupponere & cum judicio intertexere.

Nunc verò quòd Paradiſus primùm ſtatum ſignificet *Divinæ Voluptatis*, poſtea verò *Voluptuoſitatis ſenſualis*, non magìs durum eſt, quàm ut *Adamus* nunc *Spiritualem* ſive *Intellectualem* Hominem, nunc *Terrenum* ſive *Carnalem* ſignificet. Nam una eadémque res Naturalis *Symbolum* eſſe poteſt *contrariorum Myſteriorum Spiritualium*. Sic *Leo* & *Serpens* Figuræ ſunt *Chriſti* perinde atque *Diaboli*. Ac proinde minimè durum eſt admittere Hortum hunc Edenis repræſentare poſſe, dum *Adamus* deſcribitur ut *Innocens* & obediens Deo, *Delicias Spiritûs*, poſtquam verò Deum deſeruiſſet, *Voluptates Carnis*; & ex conſequenti, *Fructus Arboris Vitæ* in uno Perſeverantiam eſſe poſſe & Radicationem in *Vita Divina*, in altero, ſtabilimentum & confirmationem in *vita Brutali ac ſenſuali*.

Maſculinæ facultates Rationis ac Conſcientiæ, &c. Haſce ego intelligendas exiſtimo per *Cherubinos* & *flammantem gladium*. *Cherubini* enim *Hominis* imaginem gerunt, *Ratióque* res eſt quæ *diſſecat* dividítque in morem *gladii*: *Stoici* τ̃ διαιρȣ̃ντα λόγον *dividentem* ac *diſtinguentem Rationem* appellant. Ratio enim nihil aliud eſt quàm diſtincta Idearum rerum perceptio, quâ mens ea ſeparare novit quæ non conſentiant, quæ autem conſentiant, conjungere. Quodſi quis ſit qui *Philonis* heîc mallet Interpretationem de *Cherubinis* ac *flammante gladio*, qui *Cherubinos* ait *Divinam* ſignificare *Bonitatem* ac *Potentiam*, *flammantem* autem *Gladium* τ̃ ϑεῖον λόγον, *efficacem* ac operativam *Sapientiam* ſive *Verbum Dei*; Hoc quidem cum eis quæ nos jam poſuimus nequaquam diſcrepat. Ipſe enim etiam ſuppono *Deum* per *Filium ſuum Æternúmve Verbum* in *Rationem* ac *Conſcientiam* hominis operari. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax & penetrantior quovis gladio ancipiti; ac pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul* Hebr. 4. 12, 13. *& ſpiritûs compagúmque ac medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptiones Cordis; Nec eſt ulla res creata quæ non manifeſta ſit in conſpectu ipſius: immò omnia ſunt nuda & patentia oculis ejus quicum nobis eſt negotium.*

Ut ſedem figero in Beſtiali conditione in perpetuum neutiquam valeret. Proculdubio cor hominis adeò in manu ſua non eſt ut omnem noxam ſibi inferre poſſit, quam contentus ſit ſibi inferre. Etenim nos *Dei* magìs ſumus quàm *noſtri ipſorum*, illiúſque Bonitas & Potentia in nos habet dominium. Ac proinde nemo vanè imaginetur violenter irruendo in omnem vitæ enormitatem omniáque extinguendo principia Pietatis ac Virtutis in ſeipſo, ſe abſcondere ſic poſſe à Deo, nec in memoriam ſuam unquam eum revocatum iri in perpetuum. Quanquam enim fieri poſſit ut *Homo Dei obliviſcatur* ad tempus, ille tamen *noſtrî* nunquam poteſt *obliviſci*, cùm omnia illius conſpectui pateant. Vivíque illius ac Æterni Verbi vis omnem illam tenebrarum ſpiſſitudinem, quibus nos occultare volumus, facilè diſcindet aut penetrabit, adeóque nos vulnerabit, ut coacturus ſit nos cum pudore ac dolore retroſpicere in tempore quo nos minimè expectaverimus.

Cæterùm ut dolor noſter minor ſit, fœlicitáſque celeriùs eluceſcat, noſtræ erit ſapientiæ *Divinam Lucem* maturè amplecti. Quantò enim citiùs incipimus tantò faciliùs erit opus tempeſtiviúſque conſummatum per virtutem Dei operantem in nobis. Hoc verò apertè profitendum eſt, (obſtrictúmque me ſentio ad teſtimonium perhibendum tam vero támque utili Myſterio, hoc Moſaico cortice, involuto) Nullum eſſe tranſitum reditúmve ad hanc Beatitudinem, niſi per *Mortem*. Unde *Plato* etiam, cui ſacra hæc Scripta nota erant, Philoſophiam definivit Μελέτην θανάτȣ, *Meditationem Mortis*, mortificationem ſcilicet cupiditatum carnis & inordinatorum deſideriorum corporis. Quod Purgatorium ſi ſemel pertranſiviſſemus, ſtatim nobis illuceſceret *Matutinum* illud *Gaudium*, *Reſurrectio* à *mortuis* Æternæque Vitæ aſſecutio atque Gloriæ. Nulla autem via eſt alia præter hanc, quæ manifeſta fieri poteſt ex Scriptura, Ratione aut Experientia.

Illi verò qui per gratiam Dei ex vehementi ſiti atque eſuritione *Divinæ Juſtitiæ* crucem tulerunt uſque ad perfectam mortificationem corporis peccati, illúcque toti incumbunt ut ſeipſos non magìs ſentiant ſapiántve, aut proprias ſuas perſonalitates, quàm ſi omninò non exiſterent, ad hunc quidem modum in ſe demoliti & in *Chaos* quoddam tenebroſámve, ſi fas ſit ità loqui, Nullitatem converſi, hinc ritè præparantur ad *Novam Creationem*.

Et *perſonali* hâc Vitâ ſic abolitâ, Deus ipſos hâc *Nocte intempeſtâ* inclamat, dum omnia circumcircà ſilent, expergefacit eos, exuſcitátque, inſpirans in eos *æternæ vitæ ſpiraculum*, ſempérque eos poſtea proprio ſuo Spiritu actuat, omnéſque humanas facultates ad ſe aſſumit, regens approbánſque omnes illarum operationes, Spiritúmque hominis ita perpetuò ſuſtinens ut nunquam ſubſidat in peccatum. Atque ex eo tempore *Mors* & *Dolor* abſorbentur in æternum; nam ſtimulus mortis peccatum eſt.

Quamcunque verò Libertatem & Gaudium Homines ſibi aſciſcunt, quæ in hac nova vita non fundentur, falſa & frivola ſunt omnia, & in Mœſtitiam, Amaritudinem, & intolerandam Servitutem tandem exibunt. *Vita* enim *corporea ſenſúſque* tam profundè ſe in animam inſinuaverint, ut ſupra modum arduum futurum ſit ac dolorificum eos indè expedire. Quotquot autem per mortem pertranſiverint, ad illam vitam pervenerunt quæ manet in ſecula ſeculorum.

Atque hæc quidem *Vita* purus eſt & immaculatus *Amor*, atque hic *Amor Deus* quatenus eſt Homini communicabilis; éſtque *ſola Vita* & *Eſſentia Virtutis* propriè ſic dictæ; vel potiùs, ut omnes colores non ſunt niſi reflexio radiorum Solis, ità omnis virtus non eſt niſi una hæc variè colorata & figurata pro diverſitate Objectorum & Circumſtantiarum. Cæterùm quando divino quodam otio intra puram ſuam & inturbatam lucem placidè ludit, maximè tunc amabilis eſt & pulchra. Et ſi fortè in Zelum, Satyricam reprehenſionem, & contrateſtationem egreditur, condeſcenſio eſt ſuíque demiſſio in præſens, finis verò eſt magìs amplificata propriæ ſuæ naturæ exaltatio, & ut magìs univerſalem apud homines poteſtatem ſibi adſciſceret, ejiciendo deformem ſuum adverſarium.

Nam *Divinus Amor*, Amor eſt *Divinæ Pulchritudinis*, illáque *Pulchritudo, Divina Vita* quæ lubenter ſe inſinuare vult unáque fieri cum particulari illo vitæ Naturalis Principio, *Anima humana*. Et quemcunque hominem apprehenderit ſibíque lucrifecerit, eum ſic actuat & regit, ut quicquid is habeat, illius uſum ſibi nanciſcatur, & in rem ſuam adhibeat, hoc eſt, ad promotionem ſui ipſius.

Dum verò obſervat profectus ſuos ac ſucceſſus multò tardiores eſſe quàm velit (hoc eſt, Humanum genus nondum tam plenè ac generaliter beatum à ſe factum eſſe quàm ipſe exoptet, quámque illi ſint capaces) *Iram* ſuam & *Indignationem* in Homine excitat adversùs iſtas res quæ obſtaculo ſint & Impedimento, ſolidâ Ratione res eas demoliens, quæ aliquam Rationis ſpeciem præ ſe ferre videntur; iſtas verò, quæ nec humanarum facultatum proles genuina ſunt, nec ſuæ cum ipſis unionis effecta, dehoneſtans ac deridens tanquam res monſtroſas ac deformes, quippe nec Perfectiones *Humanæ naturæ*, nec dona ulla *Divinæ*. Porrò dum obſervat humanum genus ad perficiendas Naturales ſuas facultates ſine ipſa vertiginoſo quodam ſtudio abripi, & miranda eventa Artis ſuæ & induſtriæ ſibi ipſis polliceri, quæ quidem ſi efficere poſſent, non niſi peſtis in extremo flagellúmque ipſis futura eſſent, eóſque magìs perditè audaces, ſenſuales, impios, Atheóſque redditura, (nullus enim Ignis præter illum *Spiritûs Divini in homine*, veram Dei notitiam nobis poteſt manifeſtare;) animum iccirco ſibi ſumit (quanquam ſe aut vili penſam videt aut prorſus ignotam) meritóque ſeipſam extollit ſupra omnia effecta *Artis* aut *Humanæ Induſtriæ*, audacter Mundo nuncians, quàm puſillæ miſeræque reculæ ſint ſi cum ipſa conferantur.

Nec omnino dubitat contemptum ſuum ac deriſionem in ſplendida iſta Fanaticæ Imaginationis deliria ad plenum effundere, ubi Melancholia mira & inaudita inſomnia dictat ex tenebroſa Cavernula, Ethnicorum Oraculorum murmurillis haud abſimilia; Neque enim ipſi ſolùm injuria eſt, quòd iſtiuſmodi diſtorta phantaſmata puræ ſimplicitati ſuæ pulchritudinis præferantur, ſed ingens præterea noxa chariſſimæ ſuæ Amaſiæ, *animæ humanæ*, ut iſtas facultates deſereret, quas illa in animo habet ſanctificare & ad ſe aſſumere, ſeipſámque traderet meris Imaginationibus inconſideratis, fortuitíſque Impreſſionibus, atque has pro ſuo viæ-duce eligeret, quoniam vehementiſſimæ ſunt non autem veriſſimæ, nec ei omnino lubet eas examinare.

Tales quidem aliæque plures occaſiones ſunt quæ *Divinam Vitam* in hominibus bonis in haud mediocrem gradum Zeli Iræque figurent atque acuant. Verùm quos in indignatione ſua vulnerat, miſereſcit, ut quæ univerſo humano generi Amica ſit benigniſſima, quanquam perinde implacabilis Inimica vitiis ipſorum.

PErluſtravi jam triplicem meam *Cabbalam*, quam ſpero omnes ſinceros ac ſapientes Chriſtianos, omni ſepoſito præjudicio, candidè ac benignè accepturos. Quemadmodum enim ad vivum ſanctæ ac pretioſæ vitæ Chriſtiani Myſteria etiam in *litera Moſaica* deſcripſi, ità diligenter datâque operâ dilucidavi aſſeruíque præcipua ipſius *Chriſtianitatis principia Eſſentialia*, quatenus eſt Religio *particularis*, ſaxum illud ſcandali declinans quod quidam qui haud exigua Orbis Chriſtiani Luminaria habentur, hominibus objecerunt, qui omnia in allegorias ità attenuant ut ipſa Fundamenta Religionis reddant ſuſpecta, præſertim cùm ipſi non dignentur memorare notaréve *Perſonam Chriſti* omninò nunc exiſtere, nedum *Mediatorem* eſſe pro nobis apud Deum, aut *ſacrificium* fuiſſe pro peccatis Mundi quando in Cruce pendebat *Hieroſolymis*, aut *adventurum* rurſus eſſe in Cœlis, ſicut à duobus Angelis promiſſum eſt Apoſtolis ſuis qui eum videbant *aſcendentem*, ullámve eſſe *vitam futuram* poſt diſſolutionem corporis naturalis, quanquam Chriſtus Servator expreſſim affirmet, *Quòd in Reſurrectione nec uxores ducunt nec nuptum dantur, ſed ſunt ut Angeli Dei in Cœlo.* Adeò ſpiritualem verò quempiam eſſe ut hoc interpretetur de *Myſtica* hominis Reſurrectione in *hac vita*, eſt reverà ità carnalem eſſe ut inſinuet nullam omnino eſſe *Vitam futuram*, & *Saduciſmo* addat etiam *Epicuriſmum*, aut pejus quid, hoc eſt, religioſam libertatem domos ſibi mutuò implendi *adulterini Tori infantulis*, ſub prætextu quòd ad eum ſtatum jam reſurrexerint, in quo id ſine crimine committere poſſint, quod in aliis mortalibus purum putum eſt adulterium. Hujuſmodi nefarius cum *Litera* luſus, apud me quidem nullum indicium eſt *Hominis Spiritualis*, ſed hominis ſaltem *imprudentis* & *vertiginoſi*, & ingenio magìs craſſo, ut mea fert opinio, quàm *Hymenæus* & *Philetus*, qui affirmabant Reſurrectionem jam præteritam eſſe, Fidémque populi ſuis allegoriis labefactabant.

Vide Myſter. Pietat. lib. 6. cap. 16, 17.

Matth. 22. 30.

Vide Myſter. Pietat. lib. 6. c. 17. ſect. 3.

Quantùm ad me, equidem nullius commenta admiror aut imaginationes, ſed Rationem tantùm illius, Modeſtiam, Prudentiam & Miracula, ſuppoſito interim, quod rerum omnium potiſſimum eſt (& quod tamen ex *jure Nativitatis* vel infimo Chriſtiano competit) ut verè ſincerèque ſit pius. Quodſi invaleſcat ejus Imaginatio ac ferociat, ipſéque affectet magnum quiddam in orbe apparere, tale quod hactenus inauditum ſit, is profectò mihi eo ipſo videtur planè propriam ſuam prodere *Carnalitatem* & ignorantiam. Nullæ ſunt enim pretioſiores Veritates quàm quæ apertè in Scripturis jam propoſitæ ſunt, quæque optimæ omnium apertiſſimè. Adeò ut ſi quis egredi geſtit, ſeſéque pro tam venerabili Orbis Doctore venditare, ut nemo repertus videatur quicquam docuiſſe aut ſuo aut anteactis ſeculis, quod cum ſuis ſit conferendum, equidem tam rudis ſum Parrheſiaſtes, ut non dubitem pronunciare me ſuſpicari hominem hunc haud mediocriter tinctum *ſpirituali ſuperbiâ* & *melancholiâ*. Nam, Deo eſt gratia, Evangelium tam perſpicua Vitæ Regula eſt atque Fidei ſinceris ac morigeris Animabus, ut nemo illi quicquam queat ſuperaddere.

Nunc verò quantùm ad *Perſonarum* comparationem, quale iſtud delirium eſt ut quiſquam, quia commune Honeſtatis piæque vitæ Alphabetum in Hiſtoria Veteris Novìque Teſtamenti legere poteſt, externas illas Tranſactiones, in ſcitas, ut exiſtimatur, allegorias convertens ad Myſticam applicationem eorum quæ ad Hominem internum pertineant, ut, inquam, aut ſeipſum, aut ut alii eum in eodem gradu collocet, cum *Jeſu Chriſto filio Dei, Servatore Hominum*, & Principe altiſſimorum ordinum Angelicorum, qui ex ſepulchro reſurrexit per omnipotentem manum Patris ſui & viſus eſt in Cœlum aſcendere, Apoſtolis in eum ſpectantibus dum per nubes tranſibat, quémque omnes veri Chriſtiani expectant viſibiliter illìc rurſus appariturum Orbémque Terrarum reviſurum ſecundùm promiſſa? Res, inquam, mihi videtur à Ratione admodum aliena & temeraria ſi non impia ac blaſphema, quenquam hominem, cuicuimodi ſit, æquiparandum agnoſcere tam ſacræ perſonæ quàm is ſe undiquaque revera probavit, probatúſque eſt voce cœlitus emiſſâ, dicente, *Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco, ipſum audite.*

Vide Myſter. Pietat. lib. 6. cap. 12.

Matth. 17. 5.

Si quis igitur, cùm nullis hujuſmodi teſtimoniis deſuper cohoneſtatus ſit, nec facultatem habeat quicquam ampliùs præſtandi quàm reliqui mortales, tam rudis tamen erit & inurbanus, ut ſe collocaturus ſit eodem ordine atque gradu cum *Chriſto filio Dei*, quòd ſcitas aliquas Imaginationes loquendíque formulas nactus ſit, peculiaréſque Scripturæ Interpretationes quas ſibi immediatè à Spiritu dictatas autumet, non poſſum quin rurſus pronunciem eum ad inſignem gradum, correptum eſſe morbo, aut *Superbiæ* aut *Inſaniæ*, &, ſi aliis perſuadere poteſt ſe tam ſacrum eſſe Prophetam, & in ipſis itidem fore *Inadvertentiam* ſaltem aut *Ignorantiam*: Quinimò à ſcopo me non multùm aberraturum cenſeo, ſi illorum errorem attribuam etiam *ſuperbiæ*. *Superbia* enim nihil magìs affectat quàm *ſingularitatem*. Ac proinde vili pendentes *nudam vulgaris Chriſtianitatis ſimplicitatem*, qualis vel primo aſpectu exhibetur in Evangelio Chriſti, haud exiguum exiſtimant Privilegium Prophetam habere de ſuo, præſertim cùm hoc ipſis hinc acceſſerit commodum, quòd poſſint ſtatim, prout illi imaginantur, deprehendere ac dijudicare veritatem ac falſitatem dictorum, eorum omnium qui loqui quicquam auſint præter viam tritam propriæ Sectæ, ac ſi quiſque teneretur lectiones ſuas ex eorum libro ediſcere. Eſtque bella res adeò accuratè ſapientes evadere tantillo pretio, diſcernerèque ſic, quis *Spiritualis* & quis *Carnalis merève Moralis* ſit homo. Hæc profectò omnium Sectarum vanitas eſt ac dementia. Nec ulla, quòd ſciam, via eſt compendioſior & efficacior, quò ab hujuſmodi liberemur illaqueamentis, quàm omni ſtudio incumbere adnitique ad illud aſſequendum, quod iſtæ omnes prætendunt, ut nempe reverà ſanctiores ſinceriorèſque evadamus reliquis mortalibus. Homo enim perfectè purificatus, omnium certiſſimè liberatur ab hiſce vanitatibus.

Vide Myſter. Pietat. lib.6. c.13. ſect.7.

Hæc profectò abſtinere me non potui quin loquerer ex zelo erga honorem *Servatoris* & in bonum & incolumitatem Eccleſiæ illius. Nam ſi ſemel mos apud homines invaluerit *Orbem* appellandi *Chriſtianum*, ubi mors Chriſti in cruce Hieroſolymis non agnoſcitur Sacrificium pro peccato, nec ipſe nunc in humana ſua perſona *Mediator* apud *Deum Patrem*, nec caput eſſe Eccleſiæ *Militantis* & *Triumphantis*; nec ulla *Vita æterna* vel Reſurrectio præter *Moralem* ſive *Myſticam*; proculdubio hæc via efficaciſſima reperietur, ad illud è Mundo tollendum, quod maximè propriè *Religio Chriſtiana* nominatur, & ad relinquendum tantummodo inane nomen.

Sed enim ut Religio quæ tam manifeſtò à Deo ſtabilita eſt, ídque modo adeò miraculoſo, quæque tam perfecta eſt, ut ingenii humani captum planè excedat quicquam excogitare magìs completum magíſque accommodatum ad lucrifaciendas animas Deo; Nihil, inquam, præter levitatem animi & vertiginoſitatem efficere poteſt ut quiſquam cogitet talem religionem unquam omnino exauctoratam fore, ſed permanſuram eſſe uſque ad *corporeum Chriſti adventum* in nubibus. Nulla enim prorſus cauſa eſt, cur *Spiritus ſanctus* exiſtimetur venturus in particularis alicujus hominis carne, non magìs certè quàm *Deus Pater* ſic veniſſe ſub lege. Quid enim nobis narraturus eſt ampliùs meliúſve quàm *Chriſtus* jam nobis narravit, ipſéve nobis narrare poteſt ſine aſſumptione ullius Formæ *perſonalis*? Et nulla quidem extant Vaticinia de ulla re tali, ſed de eo tantùm, quod tamen præſtabilius eſt, quòd Chriſtus ſcilicet omnibus eis qui fideles illius fuerint ac morigeri Sectatores, *Spiritum Veritatis* ac *Juſtitiæ* procurabit, eóſque imbuet *Divinâ vitâ*, tandémque futurum eſſe, ut *Juſtitia, Pax* & *Æquitas* magìs univerſaliter plenèque floreat in orbe quàm unquam hactenus factum ſit, *Fidéſque* in *Deum Vitaque Futuræ* magìs vividè hominum cordibus imprimatur & obſignetur, arctiórque ſit unio & conjunctio quàm unquam humanam inter ac Divinam naturam in nobis, frequentiúſque ac ſenſibiliùs inter *Æthereæ Terreſtríſque* Regionis Incolas commercium, juxta ea quæ jam declaravi de *Die ſeptimo* in hac *Defenſione Cabbalæ Moralis*.

Vide Myſter. Pietat. lib.6. cap.15.

Interea verò quanquam plenus ille *Sabbatiſmus* tam longinquè diſtat, non dubito tamen quin fuerint & etiamnum ſint perquam dulces illius ac jucundæ *Prælibationes* in multis hominibus quæ ſpem eorum acuunt ac deſiderium ipſius completionis. Et illud ſancti Apoſtoli, Πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν, non minùs nunc verum eſt quàm ſuis temporibus. * Qui verò Textu hoc ad ſenſum Politicum ac *tumultuoſas* rerum *Innovationes* abuti volunt, *Viperarum progenies ſunt non revelati Filii Dei. Hominis enim ira juſtitiam Dei non operatur. Nec arma militiæ noſtræ carnalia ſunt ſed ſpiritualia.* Quæ tuta clavis eſſe poteſt ad reſerandum Myſterium omnium illorum Vaticiniorum circa *regnum Sanctorum* eorúmque victorias, in quibus homines *Fanatici* & ingenio craſſiori, facilè errant in magnam Orbis inquietationem. Nec poſſum quin profitear, etiam homines eruditos & judicio magìs polito, animóque pacifico, fuiſſe tamen hac in re ad errandum pronos, cùm Scripturæ locutiones id ferè literaliter ſonare videantur. Quarum verum eſſe ſenſum ſi credere poſſem, equidem prædictiones ſine horrore ſummáque animi conſternatione legere non valerem, cùm longè major ratio ſit, ut quis futuris miſeriis afficiatur quàm eis quæ jam diu præteritæ ſint, talibúſque quæ aliquando *Eccleſiæ* Chriſti eventuræ ſint, quàm quæ ad meros tantùm Paganos pertineant. *Effunde bilem iſtam in gentes ignaras tui, in regna quæ tuum non invocant nomen*, magìs genuinum votum foret cujuſque qui erga Orbem Chriſtianum animo amico ſit ac benevolo, in quorum numero non poſſum quin nomen profitear meum.

Jacob. 1. 20.

2 Cor. 10. 14.

Pſalm. 79. 6.

Ac proinde cùm ordinem rerum tam demonſtrabilem eſſe perceperim, ut neceſſe ſit, *Damnationem Cornu parvuli, Hominis peccati Perditionem, Combuſtionémque Meretricis Babylonicæ* & ſimilia adhuc futura eſſe, & ad Orbem Chriſtianum etiam pertinere, quódque poſt hanc cladem, omnia Regna Terræ Regna futura ſunt Chriſti & Sanctorum ejus; mirificè profectò mihi animus reficitur & alleviatur ex eo quòd abundè apud meipſum perſuaſus ſim cladem hanc non neceſſariò intelligendam eſſe de ulla *carnali militia* ſanguiniſve effuſione, ſed de illa militia quæ non eſt *carnalis*, quemadmodum loquitur S. *Paulus*, Regnúmque Sanctorum non fore per Invaſionem jurum Principum obtendendo in eis *defectum Sanctitatis*, ſed per converſionem paſſim *Principis ac Populi* ad *Vitam conditionémque Sanctorum*; *Romæque* combuſtionem per *Ignem*, per Tragicam illam in *Apocalypſi* prædictionem non magis ſignificari, quàm *Corinthi* excidium per *arma* militiæ Paulinæ, quæ tamen is divinitus valida eſſe gloriatur ad ſubverſionem *munitionum*. Quinimo porrò addam, non ſolùm non neceſſarium eſſe ut hæ prædictiones intelligantur ſenſu adeò craſſo, ſed longè potiores eſſe rationes cur concludamus eas non eſſe ſic intelligendas, ſive res ipſas prædictas conſideremus ſive phraſes ac præfigurationes earum in Vaticiniis. Multúmque profectò faceret ad pacem & tranquillitatem orbis Chriſtiani, ſi peritus aliquis calamus exerceretur in magìs diſtincta particularíque confirmatione Veritatis tanti momenti. Ut gratificationem taceam magìs ingenuorum Animorum, quorum intellectus haud facilè poſſunt acquieſcere ulli ſuppoſitioni, quæ cum demonſtrabili digladietur viſionum ordine Synchronarum & Succeſſivarum, quem eruditus *Medus* tam fœliciter invenit, (extra cujus ductum, omnes Expoſitiones tam alienæ reperiuntur & ineptæ, tam diſtortæ & confuſæ:) nec corda non contriſtari, ſi comminationes iſtæ & animationes ad vindictam, bellum, ſanguiniſque effuſionem realis foret ſcopus & ſignificatio harum *Apocalypticarum* Viſionum, nec figuratè & ſpiritualiter eſſent intelligendæ: Qui proculdubio præcipuus & primarius ſi non ſolus eſt earum ſenſus. Quæ quidem *Hypotheſis* ſi ſemel reciperetur, omnem malignum uſum perſpicuarum harum & mirificarum Prædictionum præverteret, omnémque præriperet occaſionem præjudicii ac faſtidii erga maximè conſentaneas cohærentéſque earum Interpretationes.

Cæterùm, ex *amore Pacis* ac *Tranquillitatis Eccleſiæ*, ut eam in falſæ ſecuritatis ſoporem leni hâc cantilenâ conjicere non videar: Non omnino ſequitur, ex eo quòd Clades hæc tempeſtuoſa in illam *Literaliter* intentata non ſit, talem iccirco ipſi nunquam eſſe eventuram. Nam proculdubio talis eſſe poteſt rerum conſtitutio, in quam ſi Eccleſia illapſa eſſet, certiſſimè in ſe *Divinam vindictam* devocatura eſſet,quanquam Deus eam nuſquam eſſet comminatus. Ut exempli gratiâ: Si Spirituales Ductores Chriſtiani Orbis plerique omnes, craſſi forent Idololatræ, audaces indiſpenſabilium legum Chriſti per corrupta ſua Inſtituta Abrogatores, & ſanguinolenti barbaríque perſecutores & trucidatores eorum qui per conſcientiam erga Deum, Idololatriam cum ipſis nolunt committere nec deſerere præcepta Chriſti; &, ut firmiùs ſe muniant occruſténtque in Diabolica hac Apoſtaſia, ſecretò in propriis ſuis pectoribus foverent, & ubi poſſent, in aliorum animos derivare conarentur, horrendum iſtud monſtrum *Atheiſmi & Infidelitatis*, pro fundamento profundiſſimo ponentes, Omnia perinde vera eſſe in Religione, ſed ſapientiæ eſſe Eccleſiaſticæ, iſta dictare quæ maximè fecerint ad poteſtatem ac utilitatem *Sacerdotis*, illiúſque rem, menſuram omnium ſtatuere, non autem *Honorem Dei & Salutem populi*: Si in tam horridam, inquam, quàm hæc ſit, Apoſtaſiam prolaberentur, impoſſibile eſt ut Vindicta inhiberetur, quin tardè licèt tandem tamen eos ſit oppreſſura; quámve ſpem habere poſſent impuniùs ferendi quàm olim Judæi, trucidatores iſti Prophetarum ab antiquo, de quibus Chriſtus declarat, quòd propter perſecutionem & occiſionem inſontium ſuorum ſervorum, omnis ſuper eos venturus eſſet ſanguis juſtus, effuſus ſuper terram à ſanguine *Abel* juſti uſque ad ſanguinem *Zachariæ* filii *Barachiæ* quem occiderunt inter templum & altare. Et quàm funeſta vindicta tandem ipſos oppreſſerit, quanquam peculiaris erant populus Dei, nimis notum eſt, niſi magìs ſeriò eſſet notatum.

*Matth.*23.35.

Si quicquam hujuſmodi unquam eventurum eſſet, quod bonus averruncet Deus, ipſe externus viſionum Propheticarum cortex ex accidenti videretur Propheticus, contexturáque phraſium & præfigurationum tales ac ſi aliquo modo deſtinarentur in Δελφικὴν μάχαιραν, vel gladium ancipitem utróque ferientem, atque ſic interimentem eos ſenſu craſſo qui obduraverant ſeipſos contra *Spiritualem* illius aciem, nec paſſi ſunt fœdas ſuas abominationes abſcindi & ſanguinolentam iſtam atque Idololatricam Beſtialitatem, quæ tam diu dominata erat, per eum occidi. Quotquot ſunt, quibus tam modeſtus ſenſus videri poteſt intolerabilis, equidem non poſſunt mihi non videri aut atheâ quadam ſtupiditate laborare, aut prorſus increduli ſaltem eſſe circa omnem veritatem Prophetiarum & Providentiæ, humanúmque exiſtimare aſtum atque vim omnia conculcaturam ac ſuperaturam; vel in ſomniculoſa ſunt conditione ac ſuopte judicio condemnata, lucémque oderunt quia opera eorum mala ſunt; Tales *qui Deo dicant, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Tales *qui potum dent Nazaræis vinum, & Prophetis præcipiant, dicendo, Ne prophetetis.* Qui *dicant videntibus, Nolite videre, & proſpicientibus, Nolite nobis proſpicere recta, ſed loquimini nobis blanda, videte nobis illuſiones.*

Job. 21.
Amoſ. 2.
Eſai. 30.

Verùm enimvero niſi ipſe falſus eſſe velim ac doloſus Prophetarum interpres, non poſſum quin profitear me planè exiſtimare illud magìs eximium & illuſtre Regnum Chriſti in Terris adhuc eſſe venturum, & aliquando fore ut aliquâ ſaltem ratione conſummatum ſit quemadmodum & *Daniel* prædixit, *Ut Regnum & Poteſtas & magnitudo* Dan.7.27. *Regni quod eſt ſub toto Cœlo, detur populo ſancto Altiſſimi.* Quod nondum factum eſt, quandoquidem *Cornu parvulo, quod tam grandia loquitur,* nondum imperatum eſt ſilentium.

Quod Cornu parvulum non poteſt eſſe *Antiochus Epiphanes*, cùm is ad *Pardum* quadricipitem pertineat, Dan.7.6. vel ad *Hircum* quatuor cornua habentem; Quæ Beſtiæ Græcorum Regnum denotant, cujus *Cornu magnum*, ſive *Alexander*, primus cenſetur Rex, & quatuor reliqua, illius Succeſſores (alioqui quomodo ille poſſet eſſe primus?) & *Antiochus* in poſterioribus recenſetur temporibus Regni quatuor Cornuum. Quod ulteriùs oſtendit ſucceſſores ſucceſſorum *Alexandri* omnes ad illud unum Regnum pertinere quod appellatur *Græcum*, & repræſentatur per integra corpora duarum iſtarum Beſtiarum, *Pardi* & *Hirci*, unius quatuor capita & quatuor alas habentis, alterius verò quatuor cornua poſt fractionem primi illius cornu magni. Unde neceſſariò ſequitur quartam Beſtiam eſſe Imperium *Romanum*. Quæ & conſtans adhuc fuit Opinio Eccleſiæ atque Patrum.

Eadem Tempora & Eventa S. *Johannes*, atque illa *Danielis* indigitat, ad ſonitum Apoc.11.15. Tubæ ſeptimæ. *Septimus igitur Angelus clanxit, & factæ ſunt voces magnæ in cœlo, dicentes, Facta ſunt Regna mundi regna Domini noſtri & Chriſti ejus, qui regnabit in ſecula ſeculorum.*

1 Cor.15. Et poſtremò, *Palus* Apoſtolus etiam teſtatur, *antequam Chriſtus traditurus ſit Regnum Deo Patri, eum aboliturum eſſe omne Imperium & omnem Potentiam & Virtutem. Nam oportet eum regnare uſquequo omnes inimicos ſubjecerit pedibus ejus, ultimus autem hoſtis aboletur mors.* Quæ (quemadmodum ſuprà monui) quanquam nunc Terrorum Rex eſt, in magno illo Feſto ac Sabbatiſmo, propter ſenſibilem palpabilémque inter Cœleſtem Terreſtrémque Naturam Unionem, non niſi jucundus erit tranſitus in Cameram ſuperiorem, vel ut illâ magìs *Myſticâ Rabbinorum* phraſi utamur, quam illi de *Moſe* adhibent, in cujus ſcriptis *Sabbatiſmus* hic eſt adumbratus, Deus hominis Animam attracturus eſt ad ſeipſum per *Amoris Oſculum*. Talis enim mors erat ſancti illius viri *Moſis*, qui mortuus dicitur in *Moab*, על פי יהוה, *in oſculis & amplexibus Dei.*

Talis futura eſt Conditio Eccleſiæ Chriſti per multos centenos Annos, donec Rotâ Providentiæ res porrò provolvente, ſcenâque rerum ad ultimam feſtinante periodum, homines non ſolùm à metu cruciatúque mortis liberabuntur, ſed nec vel ipſa capacitas ſupererit moriendi. Tunc enim veniet dies ille Domini quo *Cœli cum ſtridore præteribunt, elementa verò calore ſolventur, terráque & quæ in ea ſunt opera exurentur.* Atque ſic Chriſtus poſtquam vindictam ſumpſerit ab obſtinatè improbis & contumacibus, plenéque ſuper omnes Inimicos triumphaverit, Regnum tradet Patri, cujus hactenus Vices-gerens fuerit in rebus tum *Hominum* tum *Angelorum*. Ante verò illud Tempus, quicunque prætendendo ſe magìs *Spiritualem* atque *Myſticum* quàm reliquos Mortales, *eſſentialia* illa Chriſtianæ Religionis Principia quæ ad *externam Chriſti perſonam* ſpectant, obruere velit & ſepelire, ſermocinetur quàm ſcitè volet, & de ſe quàm poteſt loquatur magnificentiſſimè, noſtrum eſt perſpicuam ſolidámque Fidem Verbi, pro commentis levibus & affectatitiis loquutionibus nequaquam amittere.

Quamobrem quiſque Deum ſeorſim quærat, & veritatem ſcrutetur in ſacra Scriptura, ad rectam illius Intelligentiam, conſtanti ſincerâque praxi earum rerum quæ apertè indubiéque eâ continentur, ſeipſum præparans, expectétque Illuminationem juxta optimum eam communicandi modum, hoc eſt, ſecundùm proprias noſtras Facultates. Alioqui, ſi *Rationi*, & *Hiſtoriæ*, & *Humanis adminiculis* & *acquiſitionibus* prorſus valedicamus, Mundus à Religioſis *Lunaticiſmis*, monſtroſíſque *Imaginationibus* nunquam liberabitur.

SCHOLIA

In Cap. III. Verſ. 0.

Multa centena Atheorum millia pepererit. *Idem* Bodinus *eodem ferè loco vel paulò pòſt, de* Porphyrio *etiam ſic ſcribit. Eodem errore* Porphyrius *in libris quos adverſùs Chriſtianos ſcripſit, ex literali ſenſu illud exagitans quod de* Arbore ſcientiæ Boni & Mali, *& de* Arbore vitæ *in* Moſe *legimus, innumeros homines à Religione vera avocavit propter ea* ἄτοπα *quæ naſci videantur ex* Literali ſenſu. *Quamobrem meritò quis heic mirari poteſt præpoſterum eorum hominum ſtudium, qui pro unico paſſim ſacræ Scripturæ ſenſu tam acriter contendunt. Quod tametſi apud quoſdam, ex ſuperſtitioſa quadam ſimplicitate fieri poteſt, apud alios tamen veriſimillimum eſt, quippe aut* Atheiſmum *aut* Infidelitatem *clàm in ſinu foventes, ex maligno* Religionis *contemptu fieri, cui vultum quàm deformatiſſimum diſtortiſſimúmque exoptant, ut eam liberiori diductiorique rictu derideant.*

Verſ. 1. Philonem illud notâſſe, &c. *Quod tamen alibi facit.* Φρονιμώτατος ὁ ὄφις πάντων θηρίων, τῶν δὲ πάντων πανουργότατον ἡδονὴ, Ferarum omnium ſapientiſſimus eſt Serpens, omnium verò vaferrimum voluptas, *Leg. Allegor. lib.* 3.

Verſ. 24. Qui verò Textu hoc ad ſenſum Politicum, &c. *Quin tamen ſenſus ſit hujus Textûs etiam Politicus, nullus dubito, quemadmodum & illius apud eundem* Paulum, 1 *Cor.* 15. *ubi de Chriſti* Politiâ *omnia ſibi ſubjugante loquitur,* Deinde erit finis cùm tradiderit regnum Deo ac Patri, quum aboleverit πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν, *quæ poſtrema vox idem quod* חיל *ſignificare poteſt; quum aboleverit* omne Imperium *&* omnem Poteſtatem cum ſuis copiis ſive exercitibus. *Poſtquam hæc facta fuerint, tandem eò deventum erit ut* ultimus hoſtis mors aboleatur. *Quæ victoria* τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν *in ſe complectitur. Quæ poſtrema pars eſt hujus Paragraphi ad* Romanos, *reſpondétque* abolitioni mortis *illo loco ad* Corinthios *memoratæ.* Κτίσις *verò ſignificationem habet &* Phyſicam *&* Politicam, *ac perinde, ut locus requirit, exponi poteſt alterutro ſenſu vel utroque. Quodſi* ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως *&* πᾶσα ἡ κτίσις συνωδίνει, *etiam ad* Phyſicam *ſignificationem extendantur, vide annon id innuere poſſint, omnia in hac* Regione Mortalitatis, *quæ ſenſu non carent, placidiori rerum ſenſu perfuſum iri ac fæliciori, circa ea tempora quibus glorioſa libertas obtigerit Filiis Dei, nempe poſt* Ἐκπύρωσιν. *Vide* Grotium *in locum. Mixtum verò ſenſum eſſe poſſe in hoc loco ad* Romanos *& tum de rebus* Politicis *tum de* Phyſicis *agi, ille locus ad* Corinthios *ſatìs confirmare poteſt.*

Quartam Beſtiam eſſe Imperium Romanum. *Vide* Synopſin Propheticam *ubi quæſtio hæc contra* Grotium *ſatìs accuratè copioſéque diſcutitur.*

Dialogorum Divinorum
POSTREMI DUO

Ante Annos ferè duodecim ſcripti, nunc verò per Authorem in Latinum verſi; qui tractant de

REGNO DEI,

Et de Speciali illius

PROVIDENTIA per CHRISTUM
SUPER
ECCLESIAM,

A Principio uſque ad Finem Seculorum.

LUC. 9. 62.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.

APOC. I. 17.

Ne metue, ego ſum primus & ultimus, & qui vivo ſed fui mortuus, & ecce vivo in ſecula ſeculorum Amen, & habeo claves Inferorum & Mortis.

LONDINI,
Typis *R. Norton,* impenſis *J. Martyn* & *Gualt. Kettilby,*
M DC LXXIX.

Ampliſsimo ſumméque Reverendo in Chriſto Patri ac Domino D. GUILIELMO Archiepiſcopo CANTUARIENSI, totius *Angliæ* Primati, *&c.*

NÆ Tu me hominem, Pater ſummè Reverende, omnium abſurdiſſimum primâ ſpecie & inurbaniſſimum miritò cenſere potes qui totius Angliæ *Primatem in poſtremo Dedicationum mearum loco tam inciviliter ac præpoſterè videar collocâſſe. Veruntamen ſi res penitiùs introſpiciatur, ſpero hoc inopinatum meum facinus excuſationem apud Te ſuam aut Veniam habiturum, nè dicam & ſuam laudem, quippe nec temerè nec ſine ratione factum. Etenim non rarò fit ut locus ſitu poſtremus dignitate primus ſit aut primo quaſi par; ut in ordine Militari. Nec facilè quiſquam mihi definiverit Homóne an Aquila in Viſione* Ezechielis, *quorum ille anteriorem, hæc verò poſteriorem locum habebat in quatuor illis Quaternionibus, excellentius Spectaculum fuerit locóve excellentiori ſitum.*

In Proceſſionibus verò Religioſis ſive Gentilium ſive Chriſtianorum extra controverſiam eſt poſt longam aliorum alias partes agentium ſeriem Pompamq; Numen ipſum, Divúmve, cui Proceſsio ſacra eſſet, poſtremum ferè locum occupare ſolere. Et ſi voluminis hujus Philoſophici compagem in quo res maximè Sacræ ac Divinæ, quanquam more quidem Philoſophico, tractantur, Ædificii cujuſdam ſacri ſpeciem induiſſe fingamus, cujus primum Veſtibulum Tractatus ille Ethicus meritò ſupponi poteſt; poſtrema ſanè hæc Diſſertatio de Regno Dei, *ubi tot Divinæ Providentiæ Arcana circa Eccleſiam aperiuntur, quid aliud, obſecro, niſi ipſiſsimum hujuſce Templi Adytum jure poteſt haberi? Et quis locus aptior aut opportunior noſtro Pontifici Maximo, Aaronive Anglicano quàm ipſum Sanctum Sanctorum? Quinimò quis præterquam Pontifex ſolus locum illum accedere debet?*

Nec omnis ſanè Pontifex idoneus eſt qui hujus Adyti Arcana, qui hæc Regni Dei Myſteria participet, ſed qui quæ Dei ſunt ſapiat, qui Fide abundet & Charitate, qui totum Orbem Chriſtia-

num & univerſum adeò humanum genus ſincero ardentiq; Amore amplectatur, purúmque Chriſti Evangelium, quod in lucem Gentibus præſtitutum eſt, per omnes Gentes velit propagatum, qui Divinorum Oraculorum veritatem præſtigioſis humani Ingenii argutiis & tergiverſationibus præferat, qui Integritate verâque Pietate perinde ac eximiâ eruditione ſacrarumq; Scripturarum cognitione præditus ſit, qui ſingulari præcellat animi moderatione & prudentiâ, & illibatâ denique erga Principem fidelitate & non fucatâ erga Eccleſiam populúmve Dei benevolentiâ. Talis utique Pontifex idoneus eſt qui hujus Templi Adytum introeat, ibiq; Regni Dei Arcana ac Myſteria cognoſcat recognoſcatq;, quippe ſacro illo Pectorali (in quo Urim & Thummim) minimè deſtitutus.

Qualem quidem quum Te non ego ſolùm, Pater ſummè Reverende, ſed omnes boni doctique exiſtiment, immò quum Clementiſsimus oculatiſsimuſq; Rex, qui Te ad hunc Eccleſiaſticorum Honorum Apicem proprio Inſtinctu ac Judicio ob egregia tua Merita evexit, talem Te prorſus cenſuerit; equidem omnino par eſſe putavi ut illam Diſſertationem quam ego inter reliquos Voluminis mei Philoſophici Tractatus eum locum rationemq; habere puto quam Sanctum Sanctorum ad reliquas Templi Moſaici partes, hoc eſt, optimam eſſe maximeq; ſacram, Epiſcopo Sacerdotive non ſummo ſolùm ſed & optimo dedicarem.

Quod quidem Factum meum, tanquam ſincerum Obſequii ac obſervantiæ erga Te meæ Teſtimonium ut acceptare benigneq; interpretari digneris, oro, Deumq; precor ut Eccleſiæ Anglicanæ diu ac fœliciter præſis, eaſq; rerum rationes ſemper diſpicias ac proſequaris, quæ Dei Gloriam, Honorem Regis & Eccleſiæ ac Reipublicæ ſalutem maximè ſint promoturæ. Sic ex animo optat

Amplitudinis tuæ humillimus

devinctiſsimúſque ſervus,

E Muſeo *Cantabrigiæ*,
Calend. *Febr.*
Anno 1679.

HENRICUS MORUS.

DIALOGI DIVINI
QUI MULTAS
DISQUISITIONES INSTRUCTIONESQUE
DE
ATTRIBUTIS DEI
Ejúſque Providentia complectuntur.

Dialogus quartus.

Philotheus, Bathynous, Sophron, Philopolis, Eviſtor, Hylobares, Cuphophron.

I. *Rerum earum quæ hactenus occurrerunt in ipſorum diſſertatione brevis Recapitulatio.*

PHILOTH. Omnis ferè noſtra, O *Philopoli,* aut in demonſtranda *Dei Exiſtentia*, aut in *Attributis* illius illuſtrandis, aut in defendenda denique ejus *Providentia*, hactenus verſata eſt Oratio, quæ præparatio eis omnino erat neceſſaria qui hiſce de rebus dubitant, ad rectè intelligenda illius Regni Myſteria. Nam ſi Deus non ſit, nec ulla Divina Providentia, nullum eſſe poteſt Regnum Dei in Terris, quemadmodum *Hylobares* initio rectè notavit. Et certè ſi Providentia Divina ubique non ſit, res eſt multæ plena ſuſpicionis, eſſe revera nuſquam. Unde apparet neceſſitas iſtiuſmodi admittendi Hypotheſes quæ rationem reddituræ ſint omnium Eventorum, Apparentiarúmque rerum quæ in quibuſcunque Terræ Nationibus, partibúſve Univerſi occurrant. Taléſque, ut opinor, erant iſtæ, quæ in duobus poſtremis noſtris Colloquiis prolatæ ſunt. Quibus ſi *Hylobares* (qui ſolus è nobis videbatur his de rebus dubitare) plenè acquieſcat, paratus jam ſum, *Philopoli,* ad tua mandata exequenda, in quæſtionibus diſcutiendis, de *Regno Dei.*

Philop. Gratias tibi habeo maximas, *Philothee,* vehemenſque meum deſiderium audiendi te de tanti momenti argumento diſſerentem, ſuſpicióque nè tempus nos deficiat, facit ut hoc abs te efflagitem, ut ſine omni mora te ad rem ipſam velis accingere.

II. *Magna vis firmæ perſuaſionis de Exiſtentia Dei ejúſque Providentia ad confirmandam hominis fidem in Veritate Chriſtianæ Religionis.*

Hyl. Quod *Philotheus* alacriori animo facturus eſt, O *Philopoli,* poſtquam ego gratias ipſi egero, declaraveróque heſternæ ejus diſſertationis ſtabilem efficaciam. Quanquam enim mirifico planè modo in altum quaſi raptus eram ſenſu atque vi Rationis ejus & eloquentiæ, non tamen flacceſco jam denuo ut pridiè, ſed plenam nactus comprehenſionem rerum & conſpectum, permanentem in me experior Aſſenſum veritati, nunc quidem poſtquam deferbuerim tranquillúſque factus ſim, æquè atque cùm animus mihi maximè erat emotus. Et quæ mira hiſce omnibus inſuper eſt acceſſio, plena hæc firmáque perſuaſio quæ mihi adeò præter expectationem obtigit de Exiſtentia Dei, & irreprehenſibili illius Providentia, magìs ſinceram fixámque ſecum introduxit fidem circa omnes fundamentales articulos Chriſtianæ Religionis, quatenus ex ſacris Scripturis innoteſcant. Adeò ut id Chriſtianitatis quod modo magìs laxo & externo, animo meo antea quaſi appenſum erat, nunc mihi videar in ipſum cordis animæque centrum imbibiſſe, illiúſque veritatem ſine omni hæſitatione amplecti. Unde ſpero me magìs idoneum fore Auditorem hujus tuæ ſublimioris diſſertationis, O *Philothee,* de Regno Dei.

Philoth. Magnopere gaudeo, *Hylobares*, priores meas diſſertationes tam præſtabilem in te ſortitas eſſe effectum, licèt nequaquam plus ſit quàm expectavi, ſæpéque expertus ſum in aliis, maximè verò ſenſibiliter in meipſo, qui de Chriſtianitate nunquam dubitare potui, poſtquam plenè perſuaſus eram de veritate earum rerum, de quibus teipſum jam tandem tam plenè profiteris perſuaſum eſſe. Quod, fateor, proclivem me facit ad credendum eos, qui aut vili pendunt, aut fidem non adhibent Chriſtianitati quatenus Scriptura eam declaraverit, non ſeriò firmitérque credere Deum eſſe aut Divinam Providentiam, ſed levi eſſe ac Sceptico, confuſóque & deſultorio ingenio, majorémque capere voluptatem ex eo quòd exiſtimentur eruditè garriendi facultate præditi, quàm quòd experiantur ſeipſos ullo determinato eſſe judicio, quanquam in rebus vel maximi momenti.

III. *Scepticiſmi Fatuitas perſtringitur.* *Diog. Laert. in vita Platonis.*

Cuph. Præclariſſima Orbis Ingenia tales fuerunt Perſonæ, quales tu tam liberè perſtringere videris, O *Philothee*, hoc eſt, *Sceptici* ſive *Aporetici*. Teſtes ſunt, non ſolùm integra *Academicorum* Secta, ſed Miraculum iſtud, quantùm ad Ingenium & Eloquentiam, ipſe *Plato*, ille dulce canens Cygnus, quemadmodum *Socrati* repræſentatus eſt in Inſomnio. Ecquid eſt jucundius illius mellifluis Dialogis? Et tamen utplurimum nihil concluditur, ſed merè *Sceptica* eſt, ſive *Aporetica* Ingenii exercitatio, venatio ubi nihil capitur, nec quicquam intenditur, præter lepidam quandam argutámve temporis fallendi rationem.

Philoth. Iſta πελομϑύων δίωξις Aëreáve Anſerculorum agreſtium Venatio, in rebus minoris momenti, O *Cuphophron*, magìs plauſibilis eſſe poteſt aut tolerabilis. In rebus verò ſummi momenti eloquenter in utramque partem loqui, & neſcire poſtea quid concludendum ſit, & fortean nè id curare quidem, non tam celebratam illam Cygneæ vocis melodiam repræſentat, quàm Alarum comploſionem ad ſe invicem, quò promiſcuum ſtrepitum ad tempus ciet Cygnus, ſed poſtmodum utraſque in tergum rejicit, nihil apud ſe penſitans dextra ala an ſiniſtra ſit fortior.

Hyl. Quæ ventilatio eſt, *Cuphophron*, quam *Anſer* quilibet perinde præſtare poteſt, atque *Cygnus*. Quantùm verò ad me, *Philothee*, nihil eſt quod plus cupio, quàm ſententiam fixam & conſtantem in rebus ſummi momenti, cujuſmodi ſunt Exiſtentia Dei, Immortalitas Animæ, Providentiæ Divinæ benignitas, & ſimilia. Ac proinde infinitè fœlicem me exiſtimo, quòd tam plenè mihi ſatisfactum ſit ex præſtantiſſimis tuis ratiocinationibus, quippe quas tam firmas experior & permanentes.

Philoth. Exoptóque animitùs ut diu ſic experiaris, *Hylobares!*

Hyl. Quid ità, *Philothee?* quid eſt quod eas infirmas incertáſve mihi reddat?

IV. *Divinam eſſe corporis temperiem quæ requiritur ad faciliùs recipiendam firmiúſque retinendam Divinam veritatem, cum methodo eam aſſequendi.*

Philoth. Nihil niſi vitam inſtituendi ratio incerta & inconſtans. Si in *Divina Vita* fixus maneas, quæ fixa nuſquam eſſe poteſt niſi in *Divino corpore*, tunc *Divinæ veritatis* rationes in hoc Solo altas agent radices, & ſic reverà permanentes reperientur. Ex hoc verò Solo niſi creſcant, erunt omnino ut Flos in manu, aut Pluma in pileo; nullámque vitalem habentes cognationem cum Subjecto cui inſunt, facilè diſſlabuntur aut marceſcent.

Hyl. Putabam ipſam Animam rem per ſe adeò Divinam eſſe, ut Cognatio ipſam inter & Rationes Divinæ veritatis, ſufficiens foret ad eas ſemel receptas firmiter retinendas.

Philoth. Nequaquam, *Hylobares!* Anima ex nimia Sympathia cum hoc *terreno* ac *brutali* corpore, *brutalis* ipſa evadit, ſuámque perdit *Divinitatem*, alioquin omnes Divinæ veritatis perinde eſſent capaces. Recuperatio autem *Divini corporis* virtute veræ ſuæ ac realis *Regenerationis*, eſt etiam ſuæ *Divinitatis* recuperatio.

Hyl. Quid verò intelligis per *Divinum* hoc *corpus*, *Philothee?*

Philoth. * Idem quod *Pythagorei* intelligunt per ſuum τὸ αὐγοειδὲς σῶμα, quod etiam dicitur Æthereum ſive Cœleſte.

De Cælo, lib. 2. c. 3.

Eviſt. Nec mirum quidem eſt, *Cæleſte* corpus ac *Divinum* idem eſſe, quandoquidem *Ariſtoteles* ipſe Cœlum vocat τὸ θεῖον σῶμα, *corpus Divinum.*

Hyl. Quomodo verò poterimus *Divinum* hoc *corpus* aſſequi, *Philothee*, in quo, quantum ego quidem video, Radix eſt & Subſtantia veritatis, quippe quum in ipſo ſit *Vita?*

Philoth. Ratio hujus expers, omninò emortua eſt σκιογραφία, umbratilíſve Imaginatio, Res languida & inefficax, evanida, fluctuans & fugitiva. Rationes verò ex hac ſtirpe efflorеſcentes immarceſcibiles flores ſunt Paradiſi Dei.

Hyl. Quamobrem, *Philothee*, eò ardentiùs cognoſcere cupio, quomodo *Divinum* hoc ſive *Paradiſiacum* corpus ſit acquirendum.

Philoth. Per firmam vivámque fidem in virtute ac Spiritu Domini Jeſu, quo mortificare poteſt & ſubdomare in nobis omne peccatum, omnémque *Ipſitatem* extinguere, adeò ut nobis ipſis penitus mortui ſimus, nóſque ipſos non magìs reſpiciamus in ulla externa gratificatione mundani Honoris, carnalis Voluptatis, ulliúſve rei quæ vitæ merè Animali grata ſit, quàm ſi omnino non exiſteremus in rerum Natura. Si ſtabiles maneamus in hac fide, eíque adjungamus conſtantem ſincerámque Devotionem, internáſque ad præmium nobis ante oculos propoſitum anhelationes, addentes inſuper debitam ſapientémque Temperantiam & Circumſpectionem in univerſa noſtra Converſatione, ut nec agamus nec loquamur quicquam ex Principio *Ipſitatis*, ullâve ratione corruptæ noſtræ Animalitati gratificemur, hæc Methodus tandem ad perfectam *Ipſitatis* mortem nos perducet. Quâ morte conſummatâ, certò ſucceſſura eſt *Spiritualis* à mortuis *Reſurrectio* in Vitam illam quæ verè *Divina* eſt, quæ reperienda non eſt niſi in *Divino corpore*. Adeò ut ſinceris noſtris Devotionibus & ſuſpiriis erga Deum, *Vitam Divinam Divinúmque corpus* hauriamus imbibamúſve ſimul. Quæ eſt vera ſpiritualis Nativitas Chriſti, quem quicunque accipiunt dat eis poteſtatem ut Filii Dei fiant, quippe nati non ex ſanguine, nec ex voluntate carnis ſed ex Deo geniti. Atque hic etiam eſt internus ille Homo, de quo profitetur *Paulus*, quòd etiamſi exterior homo corrumpatur, interior tamen (in veris Sanctis Dei) renovatur indies. Quamobrem qui ad hanc *ſubſtantialitem vitæ* pervenerit, fixus erit in omni utili Veritate *Divina*, Rationéſque quæ ex tali radice germinant, invenientur ſolidæ ac permanentes per eum qui radicem habuerit. Ubi verò *Verbales* tantùm ſunt & *Imaginariæ* in Cerebro, *Corde* interim *animali* manente aut *brutali*, minimè mirum eſt ſi reperiantur infirmæ, fugitivæ & evanidæ. Non quòd in ſeipſis tales ſint, ſed ità apparere poſſint eis, qui *Picturam* tantummodo Floris habent in *Cerebro*, non autem *Radicem* in ſuo *Corde*, quod vitæ cœleſtis Tentorium eſt, intimúmque Dei in Anima Adytum. Qui in hac *vitæ Diſpenſatione* verſatur, O *Hylobares*, ei mens nunquam fluctuare poteſt circa Exiſtentiam Dei, illiúſque Providentiam, aut Animæ Immortalitatem. Is enim proclivis eſſe non poteſt ad ſuſpicandum Animam vivere non poſſe extra corpus dum eam percipit ad eam diſtantiam quaſi, & abhorrentiam à corpore vivere, etiam dum ei ineſt; nec ad dubitandum de Exiſtentia Dei, cujus Virtutem, Spiritum, Impulſum & Energiam, tam diſtinctè percipit in propria ſua Anima. Talis enim eſt natura *Divinæ vitæ*, ut nemo ſit qui eam ſentit, quin eum oporteat fateri, illam ad nullam Creaturam quà talem, pertinere, ſed eſſe ipſam virtutem & Spiritum Dei animam actuantis. Quomodo igitur de eo dubitare poteſt, cujus vim ac præſentiam tam ſenſibiliter percipit? Quamobrem hæc *vitæ Diſpenſatio* eſt, *Hylobares*, quæ prora & puppis eſt apud eum qui philoſophari vult conſtanter atque ſolidè.

*Johan.*1.12.

2 *Cor.*4.26.

Hyl. Res magnæ profectò ſunt ac præclaræ, quas narras, *Philothee*, & tamen tales quæ mihi nec incredibiles videntur, nec inimitabiles. Ac proinde adnitar, cum bono Deo, quoad potero, vitæ curſum juxta eas Regulas, quas innuiſti, dirigere, omnémque eò operam impendere ut eum aſſequar ſtatum, quem appellas *Diſpenſationem vitæ*. Omnia enim video ſine ipſo, meras Inanias eſſe atque Umbras. Intereà loci venia mihi petenda eſt à *Philopoli* quòd occaſionem dederim *Philotheo* tantâ illius temporis portione ad res alias abuti, quod anguſtius putabat, quàm pro proprio ſuo Inſtituto, præſentíque propoſito quod præ manibus eſt.

Philop. *Philotheus* tam ſapidè loquitur & appoſitè in quocunque verſetur argumento, ut ſemper pigeat eum interpellare. Cæterùm, quandoquidem jam ultrò deſtitit, ſi ipſi placuerit tandem illud argumentum aggredi quod initio propoſui, rem perquam gratam mihi præſtabit.

Hyl. Eſt igitur nunc tempus valde opportunum, *Philopoli*, quo quæſtiones tuas illi proponas.

Philop. Prima mea Quæſtio erat, O *Philothee*, *Quid ſit Regnum Dei?* Secunda, *Quando inceperit ubique repertum aut reperiendum ſit?* Tertia, *Quos profectus in Orbe hactenus fecerit?* Quarta & ultima, *Quales ſucceſſus veriſimile ſit ipſum habiturum uſque ad finem Ævi?* Hæ ſunt quæſtiones, *Philothee*, quas initio propoſui, de quibus ſi tibi viſum fuerit perſpicuè & intelligibiliter nos erudire ac docere, quanquam haud ità accuratè & ſcholaſticè, immortales pro iſtoc officio tibi habebimus gratias.

V.
Philop. quæſtiones de Regno Dei.

Philoth. Sedulò, quoad potero, enitar, *Philopoli*, ut hac in re tibi ſatisfaciam, ídque quàm breviſſimè potero & luculentiſſimè, cum omni ſermonis ſimplicitate, & citra omnem affectationem ſcholaſticarum ſcrupuloſitatum, contentus intelligi tantùm & convincere. Deúſque ille ac Rex Cœli nobis adſit propitius dum illius cœleſti de Regno diſſerimus, ut ſic illius Myſteria intelligamus, ut ejus propagationi fidelem operam navemus, & in nobis ipſis & in omnibus hominibus, ad Gloriam Dei ac Mundi Salutem, Amen.

Philop. Faxit Deus.

VI. *Quid Regnum Dei ſit in generali ejus notione cum defenſione veritatis illius Notionis.*

Philoth. Prima tua Quæſtio, *Philopoli,* licèt admodum brevis ſit, eſt tamen valde fœcunda, propterque multifariam Terminorum ſignificationem multam materiam in ſe complectitur ſimul, quam tamen comprehendere adnitar & includere quàm ſcitè potero, brevi hac Definitione Regni Dei in genere. *Regnum Dei eſt Dei Poteſtas, imperantis, excitantis, aut permittentis Creaturis ſuis ſecundùm certas quaſdam leges agere, quæ penſitatis omnibus Circumſtantiis, vel rectè ſubductis Summæ totius rationibus, tendunt ad optimum.*

Philop. Partim intelligo te *Philothee,* talémque te moliri *Regni Dei* definitionem puto, quæ *Regnum Naturæ* etiam in ſe complectatur, eáſque leges reſpiciat, quibus tum bruta Animalia tum Plantæ inſenſiles inanimatáque Meteora & Elementa regantur ſecundùm ambitum tuæ hactenus habitæ Defenſionis Divinæ Providentiæ pervadentis à ſummis maximéque Intellectualibus Creaturarum Ordinibus ad res uſque Materiales, quæ formantur & actuantur à *Spiritu Naturæ* ſive Anima ſeminali Univerſi.

Sophr. Quidni? Neque enim quicquam aliud eſt quàm quod ipſa Scriptura ei apertè confirmaverit, O *Philopoli.* Pſalmiſta multus eſt in iſtiuſmodi locutionibus.

Pſalm. 103. 19,21,22.

Jehova ſolium ſibi compoſuit in cælis, regno ſuo omnibus imperans. Collaudate Jehovam omnis ejus exercitus, ejus Miniſtri, facientes ejus voluntatem. Collaudate Jehovam univerſa ejus opera in univerſis ejus Imperii locis. Collauda anima mea Jehovam. Hæc in Pſalm. 103. Et Pſalm. 148. univerſos Creationis Ordines à Cœlo uſque ad Terram, ab Angelis ad Bruta, Plantas & Meteora, exercitum Dei facit, hortatúrque ad laudandum nomen Jehovæ. *Juſſit enim & creata ſunt, ſtabilivit ea in perpetuum, legem eis dedit nunquam violandam.* Et rurſus, Pſalm. 119. *In æternum Jehova verbum tuum permanet in cælis, ſempiterna eſt tua veritas. Ità fundâſti terram ut ſtet: Ex tua ſententia hodiedum permanent, nam omnia tibi ſerviunt.* Unde manifeſtum eſt Dominium Dei ejúſque Regnum per totam Creationis comprehenſionem extendi.

Cuph. Si hoc verum ſit, O *Sophron,* tunc in aliquibus locis Regnum Dei coincidet cum Regno Diaboli.

Bath. Quidni? quodnam majus illìc incommodum eſt quàm quòd Regnum Naturæ & Regnum Dei coincidant, cui minimè videris contradicere?

Cuph. Mihi videtur vox admodum abſona. Et præterea ſubordinationem concipere poſſumus inter *Regnum Dei* & *Regnum Naturæ*; *Regnum* verò *Dei* & *Regnum Diaboli* videntur prorſus contrariari alterum alteri, planéque proinde repugnare, ut ſint partes ejuſdem Regni.

Bath. Argutè id urges, O *Cuphophron,* quantùm ad exteriorem verborum ſonum; quodſi intrinſecam rerum naturam introſpiciamus, campíque pecora & Inferni Diabolos juxta ſe invicem ponamus, dic mihi tunc diſcrimen, quo alteri alteris minùs idonea Regni Dei membra evadant. Eſtne quòd Diaboli majorem habeant ingenii ſubtilitatem quàm pecora campi? Hoc profectò eſſet per contumeliam ſubindicare Regnum Dei Civitatem eſſe Aſinorum. Eſtne verò, quòd alteri ſpirituales Creaturæ ſint, altera verò corporeæ? Hæc certè Ratio bonos Angelos excluderet ſelectiſſimam Regni dei partem. Eſtve denique, quòd Diaboli lapſi ſint? Lapſus tamen eorum non eſt niſi in *vitam Animalem,* cujus altiſſima Radix atque Fons eſt *Sui-amor* ſive *Ipſitas,* quæ opponitur alteri ſcaturigini ſive radici *vitæ Divinæ,* qui purus Amor eſt Dei, illiúſve quod abſolutè & ſimpliciter bonum eſt. *Sui-amor* autem ſive *Ipſitas* ex æquo Vitæ radix eſt in Brutis atque in Diabolis. Unde manifeſtum videtur, quòd Diaboli reverà æquè capaces ſunt qui membra Regni Dei fiant, atque Bruta.

Cuph. Diſcrimen, *Bathynoe,* hoc eſſe videtur, quòd Bruta ſuæ Naturæ integritatem adhuc retinent, Diaboli verò à prima conditione degenerârunt, ſtationémque reliquerunt in qua Deus eos collocaverat.

Bath. Equidem fateor, *Cuphophron,* degenerem Angelorum lapſum gravem eſſe, nunquam tamen infra extimum Dominii Providentiæ circuitum ſubſederunt, illámve Divinam *Nemeſin,* quæ perpetuò univerſis Creationis gradibus eſt intertexta. Adeò ut nihil ſit, ex rerum univerſitate nondum exterminatum, quin neceſſariò ſubjectum ſit legibus alicujus Ordinis Creationis in quem ſe conjecerit. Ut ſi qua nobilis Familia, vitam peſſimè inſtituendo, omnem illum honorem opéſque quas ſui Majores eis reliquiſſent, perderent & procedente tempore miſeri Meſonautæ fierent, non deſinunt ſubditi eſſe Principis illius Regni, in quo has Fortunæ viciſſitudines experti ſunt: Ità Angeli in Diabolos degenerantes, non deſinunt ſub Dominio eſſe Dei, ſed Nemeſin ſuam experiuntur in illius Dominio. *Non eſt enim ſapientia, non eſt prudentia, non conſilium contra Jehovam*, nec poteſt quiſquam Propoſita illius Providentiæ eludere. Carcerum cuſtodes, captivi, carnifices, & omne genus miniſtrorum ſeveritatis, Principis ſubditi perinde ſunt atque homines nobilioris ordinis & conditionis.

Prov. 21. 30.

Sophr. Omnia Inſtrumenta Iræ Dei, pars ſunt illius Dominii, æquè ut Inſtrumenta Amoris; Sunt enim, ut nos docet *Sirachi* Filius, *quidam ad irrogandas pœnas conditi Spiritus, qui ſæviter verbera incutiunt. Et internecionis tempore vires effundunt, Creatoriſque ſui ſævitiam explent. Ignis, grando, fames, lethum hæc omnia ad pœnas condita ſunt. Ferarum dentes, & Scorpii & Serpentes, & Gladii, impios capitali pœnâ plectentes, illius præcepto gaudent. Et in terris utì opus eſt, præſtò ſunt, nec contra juſſa temporibus ſuis faciunt.* Ad hunc ſenſum loquitur, mihíque videtur planè inſinuare ipſas poteſtates Infernales, (quarum hæc ſæpe non niſi externa ſunt arma) partem eſſe Aciei Domini exercituum.

Eccleſiaſt 39, 28, &c.

Bath. Impoſſibile eſt ut aliter fiat, O *Sophron*; Sapientiæ enim & Omnipotentiæ Divinæ repugnat, permittere ut quicquam exiſtat, quod nullo modo ſubjectum ſit illius Poteſtati & Dominio.

Hyl. Nimis profectò ſoliciti mihi videmini in examinando & deſcribendo ambitum ſive limites Regni Dei, cùm majoris res foret curioſitatis, nec ad præſentem quæſtionem minùs appoſita, [*quid Regnum Dei ſit*] definire, quæ Dominatûs ſive Poteſtatis *ſpecies* ſit quam tam latè exerceat in univerſam Creationem.

VII.
De abſoluto Dei dominio & in quo fundatum ſit.

Cuph. Annon abſolutus eſt & illimitatus Principatus, *Hylobares*, quem nos à Græcis, *Tyrannidem* appellamus?

Sophr. Nequaquam, *Cuphophron*. Si intelligeres quid ſit *Tyrannis*, aſſertionem tuam reperires æquè repugnantem ac blaſphemam.

Evist. Veriſſimum eſt quod ais, O *Sophron*, ‖ *Ariſtoteles* enim *Tyrannidem* definit Μοναρχίαν πρὸς τὸ συμφέρον τοῦ μοναρχοῦντος. Et ‖ alibi in Politicis copioſiùs eam deſcribens, tale eſſe ait imperii genus in uno homine, qui, cùm nulli rationem reddere teneatur, ſuis tamen imperat æqualibus, iiſve qui ipſo ſint præſtantiores, omnia in rem ſuam adminiſtrans, non autem in rem eorum quibus imperat. Quæ nullo pacto Deo competere poſſunt, qui infinito præſtantior eſt totâ Creatione, tantúmque capax eſt eis benefaciendi, nullum autem bonum ab eis recipiendi viciſſim.

‖ *Lib. 3. cap. 7.*
‖ *Politic. lib. 4. cap. 10.*

Cuph. Ego minimè animadverti, *Eviſtor*, ut definita ſit Tyrannis apud eruditos tuos Authores. Vocem verò tanquam aptam conſideravi ad talem Principatum ſignificandum qui abſolutus ſit & illimitatus & in una perſona conſtitutus nullis aſtricta legibus, ſed quæ poteſtatem habet omnia adminiſtrandi ex ſua animi ſententia ac voluntate.

Eviſtor. Et ut verum tibi dicam, Critici, O *Cuphophron*, nos docent vocem Τύραννος nihil iſto durius olim ſignificâſſe, hoc eſt, ſignificâſſe tantùm *Monarcham abſolutum*, hominem in ſummo abſolutóque Imperio conſtitutum.

Philoth. Si nihil ampliùs intellexerit *Cuphophron*, ſenſus ejus, *Eviſtor*, ſatìs ſolidus erat atque probus, quanquam locutio erat haud ità legitima. Res enim admodum intuta eſt ſcandalóque plena, vocabula quæ malè ſonant, licèt tacitâ commodioris ſenſûs ſignificatione ſubtùs ſuffulta, Divinæ Majeſtati applicare. Illud verò Imperii genus quod Deus in ſuas Creaturas excercet, abſolutum Principatum appellare poteſtatémve omnia agendi ſecundùm proprii animi ſenſus ac voluntatem, hæc ſobria eſt ac vera de Dominio Divino declaratio.

Hyl. Verùm obſecro te, *Philothee*, In quo fundatur immenſus ille & illimitatus Dei principatus? In illiúſne Omnipotentia? aut in quo alio? Sunt enim qui dicunt abſolutam & irreſiſtibilem Poteſtatem nullam facere poſſe injuriam.

Philoth. Id quod ego, *Hylobares*, nunquam hactenus intelligere potui, ut vel omnipotentiſſima Poteſtas quæ fingi poteſt unquam jus haberet faciendi injuriam, hoc eſt, creandi ullum malum quod penſitatis omnibus circumſtantiis, integrâve comprehenſione totius Oeconomiæ Univerſi conſideratô, reverà ſit malum. Nulla Poteſtas quantumlibet omnipotens jus ſibi vendicare poteſt ſic agendi, non magìs ſanè quàm Intellectus ullus quantumlibet omniſciens jus ſibi vendicare poteſt, authenticè exiſtimandi illud verum eſſe quod reipſa eſt falſum.

Cæterùm ut præcipuæ parti quæſtionis reſpondeam [in quo jus abſoluti Dominii Dei fundetur?] diſtinctè ſimul & compendioſè tibi dico, Ad *infinitam*, permanentem & immutabilem *Bonitatem*, ex jure *Omniſcientiam* perinde ac *Omnipotentiam* pertinere, alteram tanquam quæ è conſiliis ei ſit, alteram tanquam illius ſatellitium.

Verùm infinitè bonus Deus, non ſolùm *jure* ſed *naturâ* & *omniſciens* eſt & *omnipotens*. Et ex hiſce tribus, *infinitâ* illius *Bonitate*, *Sapientiâ* ac *Potentiâ*, omnes Creationis Ordines prodeunt in toto Univerſo. Adeò ut, cùm omnes Creaturæ illius ſint, illiúſque Bonitas tam perfecta, immutabilis ac permanens, ut nunquam ex ulla petulantia, (ſi fas ſit ità loqui) vacillantia, ſupináve incuria, aliter feratur quàm ad id quod optimum eſt, & Sapientia nunquam ad diſcernendum aut Potentia ad exequendum deſit, Rationem videamus, quæ concipi poteſt luculentiſſimam, Juris illius abſoluti Dominii quod agnoſcimus in Deo. Annon enim omnino par eſt, ut is qui adeò immutabiliter bonus eſt, ut repugnet planè ut quicquam velit niſi quod ſit optimum, plenum jus habeat agendi ſecundùm propriam voluntatem ac libitum, quippe quum impoſſibile ſit quin ad optimum tendat, cùm Sapientiam etiam habeat ac Potentiam, ad formandum exequendúmque ſancta ſua ac juſta & benigna propoſita, infinitæ huic Bonitati parem?

Philop. Meo quidem judicio, *Philothee*, hoc valde manifeſtum eſt, taléque in quo nihil opus ſit ut me tanto cum ſtudio erudires. Ac proinde exoratum te volo, ut ad rem ipſam quæ præ manibus eſt, propiùs accedas, quod Regnum Dei eſt propriè ſic dictum. Nam hactenus videmur ſic egiſſe, ac ſi quis cùm aliquod unum Regnum, putà Angliam, Galliam aut Hiſpaniam, in Tabula Coſmographica obſervare ſtatuiſſet, præſentis Inſtituti oblivíſceretur, tempúſque perderet per totam ſaltem pervagando Europam ſi non per quatuor partes Orbis univerſas. Cupio, *Philothee*, intelligere, quid ſit illud Regnum Dei quod apud homines eſt, minùs interim ſolicitus de illa parte illius Dominii quod habet in Angelos ſive lapſos ſive non lapſos, aut de illa Poteſtate quam exercet in Regnum Naturæ, ſive Animalia ſive Plantas aliáſve inferiores Creaturas. Quæ ſupra nos, nihil ad nos; éſtque par ferè ratio de rebus infra nos. Hoc tantùm cupio, ut proſpectus meus amplificetur in eas res, quæ in eadem ſitæ ſint planitie cum meipſo. Quod eò vehementiùs expeto, propter temporis anguſtiam in quam vereor nè conjiciamur.

Philoth. Laudo tuam proſpicientiam, *Philopoli*, hócque abs te peto ut perſiſtas in hac libertate revocandi nos ad illa argumenta, de quibus tibi maximè ſatisfactum velis quoties aberramus. Hac enim ultima veſpera tibi demerendo tota eſt dedicata. Verùm quantaquanta ſit noſtra ad illud argumentum quod præcipuè tibi explicatum velis, nempe *quid Regnum Dei ſit ſpecialiter ſic dictum*, feſtinatio, mentio mihi primùm facienda eſt Diviſionis, antequam ad Definitionem deſcendam. Nam Regnum Dei etiam quatenus homines reſpicit, eſt aut *Internum* aut *Externum*, quemadmodum Servator declaravit, ubi ait, *Non ità venturum eſſe Regnum Dei, ut obſervetur, aut hic vel illic eſſe demonſtretur, ſcitote enim Dei Regnum intra vos eſſe.*

VIII. *Regnum Dei intra nos quid ſit.*

Luc. 17. 21.

Cuph. Hoc Regnum puto idem ferè eſſe quod Regnum Philoſophicum *Stoicorum* qui ſapientem ſuum, Regem faciunt, & Imperatorem & quid non? præcipuámque fœlicitatem exiſtimant plenum habere dominium in Paſſiones, præſertim in magis tetricas & acerbas, ut ſic Animi pace & tranquillitate fruantur.

Philoth. Nequaquam, O *Cuphophron!* nulla omnino Identitas eſt inter *Regnum Stoicorum* & *Regnum Dei*. Hoc Regnum enim *Stoicorum* Regnum eſt *Ipſitatis*, Suíque Amor illîc Sceptrum gerit redimitúrque Diademate. Verùm in *Regno Dei*, Deus ipſe, qui eſt purus ille libérque & perfectè *ſui-immunis Amor*, plenum in Anima dominium habet omnibúſque Paſſionibus moderatur. Mirabile dictu eſt quàm multifariæ Impoſturæ falsíque Prætextus circa *internum* hoc *Regnum*, detegantur ab eis qui reverà ipſum poſſident. Ut una aliqua Paſſio, (Superbia putà aut Avaritia) reliquas omnes ſibi ipſi ſubjuget, locóque *Divini Amoris* dominetur, ut omnes Paſſiones in perquam humilem ſubjectionem redigantur Senſui externi commodi Sodalitatis alicujus aut Reipublicæ, præſertim ſi Sacræ Sanctæve Titulum gerat, útque homines eò ſic enutriri poſſint & educari, quemadmodum Canis Perdicarius ad ludum prædámque, cùm tamen Anima hîc omnes ſuos affectus ſubdomaverit ut eò magìs abſolutum ſe mancipium reddat eorum hominum libidini, qui id omnino agunt, ut Mundum per meditatas ſuas Impoſturas & Hypocriſes, ad cæcam perducant obedientiam iſtiuſmodi legibus quæ ad rem ſuam Mundanam maximè faciant, locóque propagandi Regni Dei, Regnum Diaboli aut Antichriſti inter homines diſſeminent. Quantumcunque imperium nacta ſit Anima in hujuſmodi circumſtantiis, in proprios ſuos affectus, hoc non eſt Regnum Dei, ſed præſumptuoſa ac Tyrannica aliquorum puſillorum Magiſtellorum adverſùs jus illius Regni Uſurpatio. Niſi internum hoc Regnum ſtabiliatur in Amore, Pace & Patientia Domini Jeſu, Regnum omnino eſt meræ ſeipſam-quærentis Naturæ, Imperiúmve Diaboli. *Regnum Dei in Anima, Divini Amoris eſt Imperium*, qui omnium hominum bonum ex æquo affectat; qui gaudet

Rom. 12. 15.

det cum gaudentibus & cum plorantibus plorat. Ille Animæ ſtatus eſt quo quis Deum amat toto corde, toto animo & totâ mente, & proximum ut ſeipſum; & quicquid vult alios ſibi facere, idem facit ipſis; quo quis vehementer deſiderat commune omnium Mortalium bonum, ſéque ipſum experitur devinctum, quantum in ſe eſt, ad repellendum aut antevertendum malum quodvis publicum. Et ut verbo abſolvam, *Imperium eſt Spiritûs Dei in Anima, qui omnium noſtrarum facultatum & affectuum habenas manu ſuâ apprehendens, eos cohibet excitátve ſecundùm ſanctiſſimam ſuam voluntatem quæ ad nullius unius privatam utilitatem fertur, ſed ad illud ſemper dirigit quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt.* Hoc etiam eſt Regnum Chriſti in interno homine Myſtici illius *Melchiſedechi*, qui primùm *Rex Juſtitiæ* eſt, prout vox ſignificat, hoc eſt, Rectitudinis Animi omni partium ſtudio immunis, ſuíque quæſitione, & tum poſtea *Rex Salem*, hoc eſt, *Princeps Pacis*. Poſtremò Regnum illud eſt, quod in externis ſuperſtitionibus non conſiſtit, ſed ut ait Apoſtolus, in *Juſtitia & Pace, & Gaudio in Spiritu ſancto.*

Matth.22.37.
Matth.7.12.
Heb.7.2.
Rom.14.7.

IX.
Ratio illud acquirendi.

Philop. *Internum* hoc Regnum Dei, O *Philothee*, tam amabile eſt & exoptabile, ut nequeam quin abs te petam, ut illius acquirendi mihi rationem explices, antequam progrediaris ad *Externum.*

Philoth. O quàm te exoſculer, *Philopoli*, ob hanc tuam poſtulationem, quandoquidem video à nulla inani curioſitate proficiſci poſſe ſed è ſincero deſiderio in vitam intrandi verámq; Sanctitatem! Efficaciſſima verò Ratio paſſim innuitur in Evangeliis beati Servatoris, ut illîc ubi Regnum cœleſte abdito Theſauro in agro comparat, *unique pretioſo unioni, quem ut quis ſibi acquirat omnes ſuas facultates it venditum*; & ubi nobis narrat, *Regnum cæleſte expugnari, & violentos illud rapere*; & rurſus ubi declarat, *Neminem qui aratro admotâ manu reſpicit in tergum, aptum eſſe ad Dei regnum*, & in locis conſimilibus. Hæc enim omnia hoc nobis ſignificant, quicunq; ſibi acquirere vult excellentiſſimum hunc Animæ ſtatum quod Regnum Dei appellamus, eum oportere continuò relinquere quicquid in illius locum ſe ingerere velit: Eum oportere ſummo animi ardore & ſanctâ quadam violentiâ manus ad illud porrigere eíque injicere, illúdque rapere, per omnia pericula, aſperitates & oppugnationes quaſcunque, adniti; ut miles qui muros Civitatis ſcandit ad obtinendam Coronam muralem; denique proſecutionem hanc eſſe debere ſine omni intermiſſione languidóve relapſu in poteſtatem Mundi aut Carnis, ſed pervicacem eſſe, conſtantem & perpetuam, donec palmam reportaverimus invenerimúſque id omne in nobis impletum quod deſideraverimus aut expectaverimus, quæ perfecta ſubjugatio eſt omnium noſtrarum corruptionum, Regníque in nobis conſtitutio veri *Melchiſedechi*, vivæ utique Juſtitiæ Dei, cordiúmque noſtrorum repletio Puritate, Pace & Gaudio in Spiritu ſancto.

Matth.13.44.45.
Matth 11.12.
Luc.9.62.

Philop. Optimum hoc conſilium eſt, in genere, O *Philothee.* Verùm annon habes monita aliqua magìs particularia, quæ nobiſcum communices?

Philoth. Veritas in parvo jacet ſpacio, illa præſertim pars quæ maximè utilis eſt, O *Philopoli!* Ac proinde pluribus te non onerabo documentis, quàm quæ paucis hiſce Principiis comprehendantur. Ut primò, Firmam nos habere debere & inconcuſſam fidem in Potentia Dei & Aſſiſtentia Spiritûs Domini Jeſu ad ſubdomandam omnem Invidiam, Superbiam, Libidinem, omnem *Mundanitatem* & *Ipſitatem*, & quicquid contrarium eſt Regno Dei in nobis, ut latam in has aliáſque omnes conſimiles corruptiones victoriam acquiramus per eum qui nos corroborat. Hoc primum Principium neceſſarium eſt, quo debemus imbui, ſi ſeriò operam navare velimus conſummando tam grandi ac momentoſo Incepto: Hoc, inquam, primum neceſſarium Principium eſt, plena nempe firmáque fides, *quòd Inceptum ſit poſſibile.* Alterum eſt, ut credamus nos obligari ad affectandum aſſequendúmque hunc fœlicem ſtatum nec debere acquieſcere ulli conditioni inferiori, nedum ex ullo *Antinomiano* Sophiſmate aut Faſcino imaginari nos liberatos ab omni obligatione ad ullam realem vivámque Juſtitiam in nobis, ſed nos ex ſolido obedientes præſtare voci illi *Sapientiæ* incarnatæ ac *Veritatis*, *Eſtote perfecti, quemadmodum Pater veſter qui in cælis eſt, perfectus eſt*; & reminiſci finem fuiſſe adventûs Chriſti in hunc Mundum, ut *omnis planta, quam Pater illius cæleſtis non plantavit, extirpetur*; & ut tale ſemen ſuſcitetur in terris, *quod nullâ maculâ aut rugâ aut ullâ tali re præditum ſit, ſed quod ſanctum ſit & inculpatum.* Si alterutrum horum principiorum deſit, defectus inſignis erit quantùm ad ſucceſſum. Quis enim cum ulla animi fortitudine tales difficultates aggredi poteſt, quas aut ſuperare impoſſibile eſſe putet, aut officium ſuum non eſſe cum eis conflictari? Quamobrem in hiſce ambobus, *Philopoli*, firmiter ſtabilitus addere debet *Meditationem*, *Circumſpectionem*, & *Devotionem*. *Meditationem* præſertim in Secreto, *Circumſpectionem* in verſando cum externis Objectis, ſive Hominibus ſeu Rebus,

Matth.5.48.
Matth.15.13.
Epheſ.5.27.

nè imprudens abripiatur contra iſtas deliberationes ac decreta quæ in ſecreto apud ſe fecerit, ſed exerto ſemper attentóque eſſe animo,& ſi ulla eum adoriatur Tentatio, cœli auxilium implorare fiduciámq; ponere in Divino robore contra inopinatum impetum: Quem genuinum ſenſum eſſe exiſtimo iſtius præcepti Apoſtoli, *Continenter orate:* Verùm modo magìs ſpeciali, privatæ Meditationi *Devotionis* ardorem addere, efflictímque à Deo petere, ut tibi indies magìs magìs peccati deformitatem & amabilitatem Juſtitiæ dignetur detegere; ut odium tuum eò acriùs adverſùs alterum acuatur, amórque intenſiùs accendatur erga alteram; ut opus *Cordis* promoveatur, non autem umbratiles iſtæ velitationes Cerebri in *Imaginatione* & *Ratione exteriori,* ſed ut efficaciter perſentiamus diſcrimen inter contrarias operationes Poteſtatum *Regni Lucis* & *Regni Tenebrarum* aliarum in alias in prælio impetum facientium, *Vitæ* in *Vitam* & *Subſtantiæ* in *Subſtantiam*, donec Infernum atque Mors abſorpta ſint in victoriam, malignáque Natura penitus conſumpta ſit in glorioſam Amoris Triumphíque Flammam. Hæc Myſteria *Cordis* ſunt, O *Philopoli,* non *Capitis,* quod ad Cor comparatum, non eſt niſi externa Imaginationum bellarúmque picturarum officina, tranſactiones verò *ſubſtantialis Vitæ* ac Realitatis in altera parte reperiuntur, quod ſecretum Dei Tabernaculum eſt abditúmque Templum efficaciſſimæ orationis. Eſt enim *Cor* proprium *Tentorium* ubi aut *ſpiritus Mundi* habitet aut *Spiritus Dei,* qui illìc ſanctum deſiderium ſitímque Juſtitiæ accendat. Quod vehemens, ſincerum & ex corde ebulliens deſiderium, verum donum fructúſque Spiritûs, eſt ipſa *Anima* ac *ſubſtantia Orationis,* quædámque *Divina Magia* quæ omnes cœleſtes virtutes in centrum animarum noſtrarum haurit attrahítve, rorémque Paradiſi lætificum imbibit, ad ineffabilem recreationem Horti Dei. Per hoc *Emiſſarium* intromittitur omne nutrimentum ad novam Nativitatem, ſedéſque eſt *primivivi* illius ſeminis Dei. Unde *centrum* Animæ noſtræ in *Corde* plus diligentiæ & obſervationis requirit, quàm illud magìs peculiare *centrum* in *capite.* Quanquam enim hoc, noſtrum modo magìs peculiari videtur, alterum tamen nos cum illo conjungit quod plus apud nos valet quàm nos ipſi, (ſive *Spiritus Mundi* ſit ſive *Dei*) facítque ut ſenſibiliter communicemus cum *Vita* & *Subſtantia,* cùm alterum quidem ſine hoc nos tantùm deducturum eſſet in campum *Umbrarum* & *Somniorum.*

Quamobrem, O *Philopoli,* qui Candidatus eſt Regni cœleſtis, præ omnibus *Cor* ſuum excolere debet. Per hoc enim ſolum introitus eſt in *Regnum Lucis. Beati puri corde, nam illi Deum videbunt. Beati qui eſuriunt ſitiúntque Juſtitiam, nam ii ſaturabuntur. Ad te manus pando, Anima mea ad te hiat ut terra ſiticuloſa.* Et rurſus, *Beati quorum robur in te eſt, quorum in* corde *ſunt viæ tuæ. Qui dum per vallem* Baca *tranſeunt, eandem reddunt Fontalem, & ciſternæ pluviâ implentur. A virtute in virtutem pergunt donec unuſquiſque eorum apud Deum appareat in Sione.* Per quæ omnia ſignificatur, firmam fidem ſanctúmque deſiderium tandem nos perducturum eſſe ad Dei fruitionem & illius Regni.

Matth. 5.6,8.
Pſalm. 143.6.
Pſal. 84.5,6,7.

Quibus nihil neceſſe eſt ſuperaddere in concluſionem, perpetuam & conſtantem eorum omnium præſtationem quæ deprehendimus nos poſſe & ex officio teneri præſtare. Qui enim fidem hanc habet ſincerúmque deſiderium, nunquam peccare poteſt contra virtutem Dei propriæque conſcientiæ dictamina. Hæc, *Philopoli,* brevis eſt, ſed fidelis de magno illo præmio, Dei Regno in nobis, obtinendo Inſtructio.

Philop. Et infinitis modis tibi devinctus ſum, *Philothee,* ob ſinceram hanc tuam ſeriámque Inſtructionem, in Myſterio tanti momenti. Spero quæ dixiſti è memoria mea nunquam eſſe elapſura.

Cuph. Certus ſum documenta illius de *Centro* Animæ in *Corde,* meæ memoriæ tam firmiter inhæſura eſſe, ut nunquam ſim obliturus. Obſecro autem te, *Philothee,* quid de iſto centro animæ fiet in altero ſtatu poſtquam cor in ſepulchro reliquerimus?

Philoth. Mirum eſt, *Cuphophron,* Philoſophiam tuam in hac re hæſitare, niſi illìc pariter hæreas, quid de altero animæ *centro* fiat, quia *cerebrum* in ſepulchro relinquimus. Eadem etiamnum retinent officia, alterum nos conjungendi cum *Spiritu Mundi* aut cum *Spiritu Dei,* alterum ut ſit commune noſtrum *Percipiens.*

X.
Externum Dei Regnum propriè ſic dictum quid ſit.

Philop. Hæc curioſitas eſt, quam ego certè minimè notavi. Et obſecro te, *Philothee,* noli ei rei diutiùs immorari, ſed perge ad externum Dei Regnum, nobíſque declara quid ſit.

Philoth. Externum Dei Regnum apud Homines idem ferè eſt, (laxiori vocis ſignificatu) quod *pura veráque Dei Eccleſia:* Quæ corpus eſt ejuſmodi populi qui *ſolùm verum Deum profiteantur Creatorem rerum omnium ac Opificem, communémque Inſpectorem Univerſi, peccatorum punitorem, & remuneratorem eorum omnium qui diligenter* *cum quæſiverint.* Hæc *unius Dei* Profeſſio cum *puro illius cultu* conjuncta immuni ab omni *Idololatria*, craſsáque ſuperſtitione, ut & omni *crudelitate* & *perſecutione* barbara, omnibúſque fœdis & impuris ritibus, lege hâc, è contrà, apud ipſos promulgatâ, quòd unicum hunc verum Deum diligere debeant toto corde ac toto animo, & proximum ſuum (hoc eſt, univerſum genus humanum) ut ſeipſos, & ſic aliis facere, quemadmodum alios ſibi facere volunt, ipsíſque interim verſantibus in nulla oppugnatione, apertáve inimicitia adverſùs ullam ſufficienter revelatam legem Dei; Hæc profeſſio, inquam, quamlibet Familiam, Gentem, Nationem, Regnúmve, Eccleſiam Dei, ſive Regnum Dei conſtituit. Cui deſcriptioni, O *Philopoli*, ſi acquieſcas, facile erit juxta illius ſenſum, primæ parti ſecundæ quæſtionis reſpondere, nempe *quando Dei Regnum inceperit.*

Philop. Non ſum adeò curioſus ut huic deſcriptioni non acquieſcam, O *Philothee*, & propterea rogo ut ad ſecundam Quæſtionem pergas.

Philoth. Manifeſtum eſt igitur, O *Philopoli*, ex hac deſcriptione, Regnum Dei XI. incepiſſe ſimul cum prima Mundi Familia & cum ſucceſſione *Patriarcharum* ante & *Quando hæc* poſt Diluvium continuâſſe uſque ad *Moſen*, & cum Politia *Moſaica* (quam quidam *Regnum Dei* modo quodam magìs peculiari Theocratiam eſſe contendunt) ad adventum pertigiſſe *inceperit.* Chriſti.

Philop. Sed quid interim exiſtimandum eſt de antiquis Philoſophis, quibus nihil negotii erat aut cum *Patriarchis* aut cum *Moſe*, & tamen unicum verum Deum crediderunt, Creatorem & Gubernatorem Univerſi, & ſingulari morum probitate præditi erant, quantùm ad ſuam converſationem; erántne illi pars ulla Regni Dei?

Philoth. Philoſophis nihil negotii fuiſſe cum *Moſe*, eóſque ſuam Sapientiam ex iſto Fonte non hauſiſſe, plus eſt quàm ipſe auſim affirmare. Verùm ſi tales erant quales deſcribis quantùm ad vitam atque mores, nec communicârunt cum Idololatriis & pollutionibus Gentilium, eodem ferè loco eos haberem quo olim habiti ſunt Σεβόμενοι, nec auſim quidem negare, quin diſperſæ quædam Appendices ſint Regni Dei.

Philop. Si tu adeò candidè de eis ſentis, *Philothee*, quantùm ad me ego non tam acerbo ſeveróque ingenio ſum ut iſtum eis honorem invideam. Intereà loci non ſolùm mihi ſatisfactum eſt de adeò matura inchoatione Regni Dei ſive Eccleſiæ, ſed & de illius ſucceſſione uſque ad adventum Chriſti, quod ſecundæ Quæſtionis reſpondet parti alteri, Ubi repertum ſit ex quo primùm inceperat. Et certè quòd Deus Eccleſiam ſuam tam maturè habuerit, ſignificari videtur ex maturo iſto Martyrio, in trucidatione *Abelis* incepto, à cujus innocenti ſanguine Chriſtus videtur Martyrologium *Matth.23 25.* ordiri in ſua comminatione adverſùs Civitatem iſtam Interfectricem, carnalem *Hieroſolymam.*

Bath. Hoc optimè à *Philopoli* obſervatum eſt, O *Philothee!* & mihi in memoriam revocat obſcurum quendam locum in Apocalypſi, qui lucem hinc fortean fœneretur: Illîc nempe, ubi dicitur, *Quòd omnes Terrarum Incolæ Beſtiam adoraturi eſſent,* *Apoc.13.8.* *quorum nomina non ſcripta ſunt in libro vitæ Agni, ab orbe condito mactati.* Qui locus, opinor, ad *Abelis* cædem alludit, quippe quòd tam maturum exemplum erat de improbis occidentibus juſtos. Ac proinde per *Agnum* hîc intelligitur, ſecundùm ſtylum Propheticum, tota ſucceſſio Sanctorum Electorúmque Dei immaculatâ vitâ invictâque patientiâ inclytorum, quippe quorum animos pravis Inſtitutis ſubjicere nulla potuit perſecutio, eóſve cogere ſuas violare conſcientias. Neque enim decipi aut vinci poſſunt electi quorum Nomina ſcripta ſunt in libro Vitæ. Qui liber, liber Agni, ſive Electorum Dei appellatur, quia nomina eorum in iſtud Album referuntur; atque hîc Agnus dicitur ab orbe condito occidi, quoniam exemplum impiorum innocentes juſtóſque occidentium tam maturè incepit in *Caino* interficiente fratrem ſuum *Abelem.* Cæterùm per Agnum mactatum ab orbe condito, intelligere Agnum mactandum, tam effrænis abuſus eſt omnis Grammaticæ atque Logicæ, ut fatear, antequam hæc conſideratio menti meæ occurriſſet, Textum mihi deſperatæ viſum eſſe obſcuritatis, niſi libertatem ſumere voluiſſemus intelligendi per hanc cædem Agni ſenſu ordinario (hoc eſt Chriſti) cædem membrorum ejus, cujus maximè maturum exemplum eſt hoc *Abelis*, nôſtíſque Chriſtum ad *Saulum* exclamâſſe, *Saule, Saule* *Act.9.4.* quid me perſequeris? cùm tamen membra tantùm illius perſequebatur.

Eviſt. O *Bathynoe*, quàm amicè te amplexari poſſim, ob hoc levamen voluptatémque quam mihi creâſti ex hac Notione! Mirum in modum mihi aqua hæſit hactenus in ſenſu Grammatico hujus loci, nec unquam impelli potui ad falſum Græciſmum approbandum propter Authoritatem magni illius Critici *Hugonis Grotii.* Nunquam intelligere potui ἐσφαγμένος & ὁ μέλλων σφάττεσθαι idem eſſe, ullo pacto. Ac proinde magnopere oblector novâ hâc Notione, ſive ſignificatione vocis *Agnus* juxta ſtylum Propheticum. Atque etiam vel alter ille ſenſus quem moliebaris longè tolerabilior eſt, quàm ut ἐσφαγμένος ſignificationem haberet Futuritatis.

XII. *De Chriſto apparente ſub humana ſpecie Patriarchis ante ejus Incarnationem.*

Bath. Ita profectò foret, *Eviſtor*, ſi Anima *Meſſiæ* præextitiſſet ante ſuam Incarnationem.

Eviſt. Et quidni ità ſit? Patres expreſſim declarant Chriſtum fuiſſe qui *Abrahamo* apparuit, & *Moſi* & *Joſhuæ*, aliiſque, ſi iſtud ſecundi ſenſûs credibilitatem queat adaugere.

Bath. Ego verò eos credo intellexiſſe de Præexiſtentia æterni Verbi, quod idem aſſerunt etiam occupatum fuiſſe in Mundo conſtituendo in prima Creatione, perinde atque rebus ſuperintendiſſe antiquorum Patriarcharum populíque *Iſraelitici*, apparuiſſe tamen ſemper humanâ ſpecie, ut fecit particulatim *Joſhuæ*, (& ſub titulo Ducis exercitûs *Jehovæ*) quando arctâ obſidione cingebatur *Hiericho*. *Joſ.* 5. 13, 14.

Hyl. Cæterùm cùm hæc doctrina tam facilem admiſſionem apud antiquos Patres invenerit, nondum notatâ Animæ *Meſſiæ* Præexiſtentiâ, quàm prona, quàm facilis, quàm naturalis futura fuiſſet ex data hac Hypotheſi? Et quàm credibilis ſecundus hic ſenſus fuiſſet futurus, de Agno mactato ab Orbe condito, quippe qui tam maturè paſſus eſt in ſuis membris? Cæterùm, multo durius eſt conceptu purum Æternum Verbum pati poſſe quicquam.

Eviſt. Equidem fateor, *Hylobares*, ex eo quòd Verbum tam frequenter humanâ ſpecie appareret, admodum naturale fore ob iſtam rationem ſupponere etiam conjunctum fuiſſe cum humana anima *Meſſiæ*. Humanam verò *Meſſiæ* animam quicquam habuiſſe negotii cum ſex diebus Creationis, id viciſſim magìs durum mihi videtur & incredibile.

Hyl. Quid ità *Eviſtor*? cur hoc tibi adeò durum & incredibile videatur, ut idem *Meſſias* qui finem impoſiturus eſt huic ſcenæ Terreſtri, in *Conflagratione*, admittatur perinde ſedulus fuiſſe opifex in illius jaciendis diſponendíſve fundamentis: Ut Is, cujus ex ore exiturum eſt ultimum *Pereat*, pronunciâſſe intelligatur primum *Fiat*, quippe qui & toties appellatur in || Apocalypſi, *Alpha & Omega*, *Principium & Finis*, *Primus & Ultimus*? Præterea, expreſsè dicitur in Epiſtola ad *Hebræos* in ſenſu complexo de *Meſſia* non de *Verbo* ſeparato, Quòd *Deus poſtremis hiſce temporibus alloquutus eſt nos per Filium quem omnium ſtatuit hæredem per quem etiam Orbem fecit*. Et de eodem Chriſto ſive *Meſſia*, illud Pſalmiſtæ citat, *Tu principio Domine terram fundâſti & opera manuum tuarum ſunt, Et illi quidem peribunt, te permanente, omnéſque tanquam indumentum inveteraſcent, & te tanquam amictum eos involvente, obſoleſcent: At tu is es qui annorum ſis infinitorum.* Hîc & Creatio & Conflagratio Mundi videtur attribui *Meſſiæ*.

Apoc. 1. 8 & 11.

|| *Cap.* 21. 6. & 22. 1.

Hebr. 1. 2.

Hebr. 1. 10, 11, 12.

Philop. Quàm mira & inopinata Commenta volaturientia cientur in juvenili Imaginatione *Hylobaris*, ex ſua nupera admodum perſuaſione de *Animæ præexiſtentia*! Quid autem hoc ad præſens Propoſitum? quæve tandem Utilitas eſt iſtiuſmodi Curioſitatum?

Sophr. Utilitas hujus Theorematis, O *Philopoli*, magìs conſpicua eſt, opinor, quàm illius Veritas: quoniam majorem honorem perſonæ Servatoris conciliat, firmúmque opponit obicem horrendæ audaciæ altivolorum quorundam *Enthuſiaſtarum*, qui ſeipſos ſemel imaginantes *Divinæ Naturæ* participes, ſenſu licèt tantùm *Morali*, ſtatim Æqualitatem cum Chriſto ſibi vendicant, & æquè Deus eſſe volunt atque ipſe, aliqui ſanè magìs, prætendentes ſe Inchoatores magìs ſanctæ Diſpenſationis quàm quæ ab ipſo Dei filio in Mundum primitùs ſit introducta, quem non poſſent contumeliâ tantâ afficere & tam vili pendere æquiparando ſeipſos illi, aut præferendo, ſi iſtud Authoris ad *Hebræos* tali ſenſu intelligeretur quali vult *Hylobares*. Sed vulgaris ad Idiomatum communicationem recurſitatio, argumentorum omnium, quæ ſubinnuit, vim infringit, quanquam interim fateor nequaquam eorum deſtruere concinnitatem. Adeò ut difficile fore exiſtimem, ut quiſpiam, conceſſâ ſemel hâc duplici Hypotheſi, *Præexiſtentiâ* ſcilicet *Animarum* & *perpetuâ literali veritate ſex dierum Creationis*, de Concluſione ad quam collimat *Hylobares*, quicquam hæſitaret. Ego verò nimio ſum tardior quàm ut in perſuaſionem pertrahi poſſim hujuſmodi non-neceſſariarum Curioſitatum.

XIII. *Adveniat Regnum tuum, quo ſenſu intelligendum Temporibus Servatoris & poſtea.*

Philop. Et ipſe quoque ſic prorſus ſum, O *Sophron*. Ac proinde mihi libertas ſumenda eſt ſiſtendi hanc digreſſionem, & *Philotheum* rurſus reducendi in viam.

Philoth. In eadem conſtiti, toto hoc tempore, *Philopoli*, tua expectans Mandata. Succeſſionem Regni Dei deduxi breviter ad tempora Servatoris. Quid vis porró?

Philop. Dic mihi, quæſo, *Philothee*, ſi Regnum Dei in Mundo erat, quando Chriſtus in eum venit, cur diſcipulos ſuos docuerit orare, *Adveniat Regnum tuum?* Cúrve Gregem ſuum pauxillum hiſce verbis animaverit, *Nè formidate, O parvum Ovile,* Luc.12.32. *nam viſum eſt patri veſtro vobis dare regnum?* Cúrve dicatur publicâſſe Evangelium Marc.1.14, 15. Regni, declarans completum eſſe tempus & inſtare Dei Regnum? neſcio quodnam Regnum indigitet.

Philoth. Intelligere oportet, O *Philopoli*, Regnum Dei in novo Teſtamento variæ eſſe ſignificationis. Aliquando *Phyſicè*, ut ità loquar, ſignificat, idémque eſt quod externa Fœlicitas, quam fruendam expectamus in Cœlis: aliquando *Moraliter*, ut ubi dicitur conſiſtere in *Juſtitia & Pace & gaudio in Spiritu ſancto:* Et aliquando eti- Rom.14.17. am *Politicè*, in quo etiam ſenſu intelligendum exiſtimo, in omnibus illis locis quæ attuliſti. Eſtque illud ipſum Regnum in terris quod prædixit *Daniel*, Regnúmque Dan.2.44. inſuper *Chriſti ſive Meſſiæ*, appellatúrque ſimiliter Regnum Cœli etiam ſenſu *Politico*, ut ubi comparatur everriculo, Matth. 13. & alibi. Hoc Regnum Chriſti *Regnum Dei* eſt ſignificatu magìs eminente & illuſtri, non tantùm propter ſanctitatem ſuam, ſed etiam propter vaſtam illius extenſionem, juxta Idioma Hebraicum: tandem enim omnia Terrarum Regna in ſe incluſurum eſt. Eſt autem magìs particularis occaſio ipſum appellandi *Regnum Dei* ex loco iſto *Danielis*, *Iſtorum autem Regnorum* Dan. 2.44 *temporibus ſuſcitabit* Deus Cœli, *Regnum nunquam evertendum.* Hinc Regnum Chriſti vocatur *Regnum Cælorum* & *Regnum Dei.* Jam verò magnum hoc ac nobile Regnum *Filii hominis* ſive *Meſſiæ* præſens non erat in Temporibus Servatoris quanquam tunc prope inſtabat. Ac proinde tunc diſcipuli meritò doceri poterant orare, *Adveniat Regnum tuum,* & Servator prædicare, *Inſtare jam Regnum Dei,* parvúmque ſuum Gregem, paucóſve ſuos Sectatores conſolari, prædicens tandem fore ut Imperium Romanum in eorum manus incidat, quemadmodum contigit ſub *Conſtantino Magno,* ubi Chriſtianitas facta eſt Religio Imperii. Quòd autem dicit, Tem- Marc 1.15. pus completum eſſe & Regnum Dei inſtare, hoc proculdubio ſeptuaginta *Danielis* Dan. 9. Hebdomadas reſpicit quæ tunc expiraturæ erant, circa illud tempus quo Chriſtus Evangelium Regni prædicabat, hoc eſt, paulò ante Paſſionem ſuam. Nam poſt Verſ.25,26. ſeptem Hebdomadas & ſexaginta duas Hebdomadas, (hoc eſt, Hebdomadas ſexaginta novem) *Meſſiam* perimi oportebat, populúmque Judæorum Dei populum ſub *Moſaica* Diſpenſatione diutiùs eſſe ceſſare, & *Æternam* Juſtitiam, vel *Æternam* Verſ. 24. Legem ſeu Religionem Chriſti introduci, Sacrificiiſque Judaicis finem imponi, poſtquam Dei filius ſemel Oblatio factus ſit pro peccatis totius Mundi. Hæc eſt Inchoatio Regni Dei toties in Evangelio memorati, quod quanquam principio erat tantùm in- Matth.13.31. ſtar grani Sinapis, pauxillo tamen tempore longè latéque ſe extendit in Romano Imperio, tandémque ipſum plenè poſſedit. Ingenuè enim fateor me Parabolam Sinapis ſenſu *Politico* intelligere non *Morali*, & comparare ſolere illud quod Servator addit ad illuſtrandam illius magnitudinem (adeò ut Volucres Aëris in ramis ejus nidificent) cum prophetica illa locutione apud *Danielem*, ubi *Nebuchadnezzaris* Regnum etiam aſſimilatur latè extenſæ Arbori (*ſub ea terreſtres habitabant Beſtiæ, & in ramis* Dan. 4.12. *ejus Volucres cæli nidulabantur.*) Atque ſic promiſſum Chriſti parvo ſuo Gregi præſtitum eſt, cui declaraverat viſum eſſe Patri ſuo eis dare Regnum. Luc.12.32.

Philop. Concinnum profectò hoc eſt nec mediocriter mihi ſatisfacit, O *Philothee*, quouſque pertingit. Eccleſia verò Dei tum *Conſtantini* temporibus tum poſtea, nonne orabat, *Adveniat Regnum tuum?*

Philoth. Non dubito quin ſic fecerit, *Philopoli*, nunquámque intempeſtivum erit ſic orare, ſenſu *Morali* aut pro nobis ipſis aut pro aliis, ſed hactenus tempeſtivum fuit ſenſu etiam *Politico*. Nam tametſi Eccleſia (ubi ab Idololatria aliiſque craſſis pollutionibus manſit incorrupta) ſemper Regnum Dei fuit, ex quo primùm cœperit, ſive in proſperitate ſive ſub perſecutione; fuit tamen hactenus tantummodo *Regnum Lapidis*, non *Regnum Montis*, ac proinde ſenſu etiam *Politico* ſemper orare potuerunt ut illud compleretur quod prædictum eſt ore Prophetæ *Danielis*, ut *abſciſſus nullis manibus lapis ſimulachri pedes percutiat, fiátque mons tam magnus, ut totam Terram im-* Dan.2.34, 35.44. *pleat, Regnúmque evadat quod ſtaturum ſit in æternum,* Regnum à Deo ipſo conſtitutum quod nunquam abolebitur, hoc eſt, quod in nullos Ritus *Idololatricos* relapſurum eſt, nec eorum diſciplinæ ac nutui, qui ſic relapſi ſint, unquam erit ſubjectum. Nulla poteſtas, ob puritatem ſuæ Religionis eos valebit perſequi. Eſt enim Regnum Dei triumphans ac permanens in quod *Daniel* præcipuè digitum ſuum videtur intendere, ac ſi brevis illa Regis *ſeptimi* mora in *Apocalypſi* memorata, vix notatu digna Apoc 17.10. eſſet in hiſce magìs compendioſis viſionibus.

Quæ apparens omiſſio in *Viſione Statuæ*, modo magìs palpabili rurſus repetitur in viſione quatuor Ferarum. Quanquam enim Regni Filii hominis, regnante Rege ſeptimo, ſtatus erat triumphans, tamen cùm tam brevis eſſet & impermanens Vaticinium, nullatenus eum videtur expreſſim notare, ſed Inaugurationem Filii hominis in regnum ſuum à *Cornu parvuli* exitio ordiri, quod exitium nondum eſt completum. *Poſtquam propter grandiloqua verba quæ* Cornu *fecit occiſa erat Beſtia, corpúſque contrucidatum igni traditum ad cremandum*, nempe Beſtia ſimul cum Cornu parvulo oculos habente, (quod cornu parvulum magìs plenè diſtinctéque repræſentatur in Apocalypſi ſub figura *Beſtiæ bicornis*) tunc *Daniel* vidit in viſo nocturno, & *ecce, in nubibus cæli tanquam filius hominis veniebat qui ad Antiquum dierum pervenit in ejus conſpectum adductus. Atque ei tanta poteſtas, dignitas, regnum datum eſt ut omnes omnium linguarum populi ac Nationes eum colerent æternâ ac immutabili poteſtate imperditóque regno præditum.* Quod igitur Regnum, non tam propriè Dei regnum eſt ſub *Rege ſeptimo*, ſed iſtud Sanctorum Dominium quod ex Beſtiæ, *quæ non eſt & tamen eſt*, perditione ſive exitio emergit. Intelligíſne me, *Philopoli?*

Dan.7.21,22.

XIV.
Styli Prophetici facilitas.

Philop. Optimè te intelligo, Notionémque tuam apprimè ſolidam eſſe cenſeo. Neque ullam profectò difficultatem invenio in diſſerendo cum hominibus de hiſce Propheticis Myſteriis poſtquam vel mediocrem nactus ſum ſtyli Prophetici notitiam. Quæ meo quidem judicio, facilior perinde eſt, atque longè utilior ac jucundior, quàm *Fecialium* Ars ſcutorúmve Gentilitiorum explicandorum peritia, cujus, captus quilibet vulgaris facili negotio fit compos.

Philoth. Magnopere, O *Philopoli*, te ſic ſtatuere gaudeo, optóque ut omnes Orbis Chriſtiani nobiles eâdem eſſent ſententiâ. Tam claram reperturi eſſent convictionem in Vaticiniis *Danielis* & *Apocalypſeos*, ut non dubitem augurari brevì fore ut idem omnes ſentirent in rebus Religionis.

Philop. Equidem id animitùs exopto, ut huic tam facili, jucundóque pariter ac ſerio ſtudiorum generi animos ſuos appellerent.

Bath. Senſualitas, Levitas, quædámque Animi Profanitas, facit ut res ſacræ, quanquam ex ſeipſis valdè faciles ac jucundæ, injucundæ, difficiles & faſtidioſæ videantur iſtiuſmodi mentibus malè moratis. Hæc ſacris veritatibus recipiendis obicem ponunt apud hoc genus homines, quemadmodum Avaritia, Superbia & Hypocriſis apud alios.

Philop. Nimis verum eſſe credo, quod narrat *Bathynous*. Eo autem majus eſt hominum infortunium. Nos verò cùm aliorum mentes mutare nequeamus, excolamus ſaltem noſtras proprias. Et ex eis in quibus hactenus verſati ſumus, vehementiùs Reſponſum deſidero ad præſentis Quæſtionis partem ultimam. Dic mihi igitur quæſo te, *Philothee*, ubi Regnum Dei nunc ſit. Illa poſtrema erat ſecundæ quæſtionis Particula. Videórque mihi plus nunc ea de re hæſitare quàm unquam.

XV.
Ubi regnum Dei nunc ſit.

Philoth. Haud ità intricaris, *Philopoli*, quin credam facilè te ex hac difficultate teipſum poſſe extricare, inveniréque ubi Deus habeat, inveniendo primùm ubi non habeat Regnum ſuum. Neque enim credo te dicturum Regnum Dei eſſe apud meros Paganos, propter eorum Ignorantiam, Atheiſmum, & Idololatriam.

Philop. Minimè gentium. Nè ſomniari quidem ſic eſſe.

Philoth. Nec apud *Judæos*, Civitas enim erant Homicidarum, ſuúmque *Meſſiam* interſecerunt, & ſic ceſſârunt eſſe populus Dei. Et quotquot eorum ad Chriſtianitatem converſi non ſunt, Majorum ſuorum facinus approbant, reíque fiunt, per ſucceſſionem, truculenti illius cruentíque Parricidii. Præterea profeſſi hoſtes ſunt ac rebellatores adverſùs manifestò declaratam Legem Dei, quæ Chriſtiana eſt Religio. Ac proinde Natio *Judaica* nulla pars eſſe poteſt Regni Dei ſecundùm Definitionem ſuprà memoratam.

Philop. Rectè mones, *Philothee.*

Apoc.9.10,11.

Verſ.17,19.

Philoth. Nec *Turcæ*, ob eandem cauſam, apertam eorum intelligo Inimicitiam contra Chriſtianitatem, expreſſè declaratam Legem Dei, ut omittam immanem crudelitatem ac ſævitiam illius Politiæ. Regnum enim Dei ſanguinolentâ Perſecutione ac Truculentiâ expers eſſe debet, perinde atque Idololatriâ & Polytheiſmo. Et quàm pravum characterem in Viſionibus Propheticis *Turcæ* habent & *Saraceni* ex eo manifestum eſt, quòd poſteriores per *Locuſtas* Scorpionibus ſimiles ex Abyſſo profectas figurantur, quarum Regis Titulus eſt *Abaddon* ſive *Apollyon*, priores per Equites quorum equorum Capita *Leonibus* aſſimilantur, Caudæ verò *Serpentibus* ad ſignificandam confœderationem quam habent cum Regno *Serpentis* ſive *Diaboli*. Diabolus enim Homicida erat ab initio, & hi Vaſtatores Orbis per bellum & ſanguinis effuſionem.

Philop. Hoc plus ſatìs evidens eſt.

Philoth. Et quantùm ad Eccleſiam Pontificiam attinet, ſatìs notum eſt, præter multifarias *Idololatrias,* ritúſque *craſsè ſuperſtitioſos* eam totam *innocenti ſanguine* eſſe *pollutam,* quemadmodum & repræſentatur in *Apocalypſi* per illam ſplendidè ornatam Cap.17.2.6. Meretricem, *cum qua ſcortantur Reges Terræ, quæque ebria ſanguine ſanctorum eſt & ſanguine Martyrum Jeſu.*

Philop. Reliquum igitur eſt ut Chriſtiani Orbis partes *Reformatæ* Dei Regnum ſint. Nulli enim alii memoriæ meæ occurrunt qui iſtum Titulum ſibi vendicent.

Philoth. Et ſatìs graves quidem cauſæ ſunt cur ità concludas; tum quòd Definitio externi Regni Dei ſuprà tradita eis convenit, ut qui unum eúmque unicum verum Deum colunt, illiúſque cultum ab omnibus Idololatricis conſuetudinibus & corruptionibus purgârunt, & eouſque ceſſârunt Civitas illa eſſe Homicidarum, ut nullo alio gladio præterquam Spiritûs nè contra ipſos quidem *Idololatras* utantur, quos nunquam occidunt, niſi aut in aperto prælio, aut propter crimen læſæ Majeſtatis adverſùs legitimum ſuum Principem; tum etiam quòd, Deo eſt gratia, omni jugo immunes ſunt præterquam Chriſti, propriorúmque ſuorum reformatorum Principum. Ac proinde cùm Poteſtas ſint per ſe ſufficiens, qui ſeipſos valeant contra omnes extraneas & Idololatricas Poteſtates defendere, hi qui in hac conditione conſtituti ſunt videntur mihi auſpicata Inchoatio promiſſi Regni Filii Hominis à *Daniele* prædicti, primáque eſſe quaſi Exordia quintæ Monarchiæ, quippe qui ex ruina oriuntur *Cornu parvuli* oculos humanos habentis, quod ſanctos dicitur ſubigere Altiſſimi. Dan.7.25.

Philop. Optimè rem teneo, *Philothee.* O admirandam Veritatis perſpicuitatem atque vim! O quàm neceſſaria eſt hujus Theorematis notitia omnibus Proteſtantium Principatibus ut hinc fieri diſcant & boni Chriſtiani & boni ſubditi ſimul! Nemo enim oppugnare poteſt, dolis impetere, perfidéve ſe gerere adverſùs Rem Proteſtantium quatenus talem, ullúmve Principem Reformatum quin ipſo facto crimen læſæ Majeſtatis admittat adverſùs Regnum Dei, & Proditorem ſe Rebellatorémque præbeat contra Principatum Domini Jeſu. O quàm plenè huic Veritati acquieſco! O quàm juvat huic tanti momenti ſpeculationi immorari! Quàm alleviatus ſum mente, omníque liberatus cogitationum diſtractione, dum animus meus tam fixè determinatus eſt ad unum, ut noverim quid optem à Deo, quid orem, pro quo agendum ſit, & pro quo ſi fors ità tulerit, ſit patiendum, pro incremento utique Regni Dei, & redivivæ Monarchiæ Domini Jeſu Chriſti.

XVI.
Quòd minores labeculæ in rebus perſoniſve nihil impediunt quo minùs Eccleſia adhuc Dei regnum eſſe poſſit.

Cuph. Hæc veritas ſi modò veritas ſit, inſtar ſcintillæ eſt in materiam admodum combuſtilem lapſæ, quippe quæ *Philopolin* totum in flammam accendit. Magnum profectò foret Infortunium ni verum ſit quod dixiſti *Philothee,* ut ſincerus ingenuúſque Zelus *Philopolis* in Objectum non inciderit incongruum. Quod ad me verò attinet, non poſſum quin aliquantum hæſitabundus ſim hac in re ſi non prorſus incredulus. Nam Mores, Opiniones, modúſque originis Orbis Chriſtiani Reformati, tales ſunt, meâ quidem ſententiâ, qui tam glorioſo Titulo malè congruant.

Hyl. Itáne vero? Siccine eſt, ut Dominus *Advocatus Generalis Paynimorum* nunc partes agat Accuſatoris Fratrum? Hoc eſt ſpiritu eſſe adeò *Univerſalizato* ut promptus paratúſque ſis ad omnia obeunda munia.

Cuph. Accuſaturus ſum eos, *Hylobares,* quos cupio inſontes inventum iri, & coram iſtiuſmodi Judicibus quos ſpero minimè fore iniquos.

Philoth. Quantùm ad me, O *Cuphophron,* non auſim dicere, aut res omnes aut omnes Perſonas in Reformatis Eccleſiis eſſe ſine culpa. Sed culpabilitas aliquorum (quinimò, multorum licèt) nihil impedit quo minùs totus populus Externum Dei Regnum ſit. Atque hæc cauſa eſt quam nos defendimus. *Externum* enim *Dei Regnum* haud temerè cenſeri poteſt multò latius quàm *Internum.* Ipſéque Chriſtus Servator Regnum Dei ſenſu hoc externo, Everriculo comparat cujuſque modi res colligenti, malas perinde atque bonas. Matt.13.47. Populus Iſraeliticus Regnum Dei erat, An verò erat homo unuſquiſque particularis ex eo cœtu, ſanctus atque probus? Romanum Imperium temporibus *Conſtantini* factum eſt Regnum Dei, Nullæne verò erant Eccleſiæ membra eis temporibus ulla in re reprehendenda? An Reformatio ceſſet Regnum Dei eſſe ob improbitatem aliquorum ſic denominatorum, Adverſarii noſtri judicent, qui nunquam deſiſtebant, à *Sanctam* ſe appellando *Eccleſiam,* nihil obſtante horrendâ impietate Capitum, (*Sanctitatum* putà *ſuarum* in *Romana* ſede conſidentium) & univerſali pollutione membrorum; ídque propterea, quòd ſeipſos putabant veram eſſe Chriſtianam Eccleſiam, rectámque tenere fidem, aſſuetóſque Ritus retinere & Religioſas conſuetudines quantùm ad externum cultum Dei; quanquam revera Eccleſia erant Antichriſtiana, & abominandis doctrinis, Ritibúſque Idololatricis, diabolicíſque crudelitatibus adverſùs veros Dei cultores, tota obſita & deturpata. Quanto igitur potiori jure debet *Reformatio* ſanctus Dei populus ac peculiare illius Regnum haberi, qui *Apoſtolicam Fidem* profitentur, integram & illibatam omnibúſque *Idololatricis* additamentis immunem? Qui neminem Conſcientiæ ac Religionis ergô occidunt, ipſúmque Dei verbum infallibile ſuæ Profeſſionis Objectum faciunt, Cultûſque Paradigma.

Cuph. Equidem ingenuè fateor, ingentem immò infinitam ferè diſparitatem eſſe, ſi *Romana* & *Reformàta* Eccleſia competitrices eſſent, utra ex iſtis duabus Regnum Dei ſit habenda.

Bath. Cæterùm, quandoquidem adeò manifeſtum eſt, *Reformatam* Eccleſiam, verum eſſe Regnum Dei externum, ut qui puram faciunt Profeſſionem Evangelii Regni, ab omnibus craſſis corruptionibus humanis defæcatam, *Chriſtúmque* omnino ſecundùm verbum Chriſti docent, atque ex hac ratione, Eccleſiam *Romanam* ob *Antichriſtianas* ſuas doctrinas Regnum reverà eſſe illi contrarium, hoc eſt, *Regnum Antichriſti*; quantâ abominatione atque nauſeâ, O *Cuphophron*, excipienda eſt *Indifferentia* quoad Religionem apud Proteſtantiſmi profeſſores, cùm ipſi *Romaniſtæ* vel in corruptiſſimis temporibus vix depoſituri fuiſſent ſuum zelum pro iſta Chriſtianitate contra *Turciſmum*, quanquam *Turciſmus* ipſis haud magìs inviſus eſſe debet, quàm eorum *Antichriſtianiſmus* nobis. Ecqua enim inter ſe magìs adverſari poſſunt quàm *Chriſti Regnum* & *Antichriſti*?

XVII. Antinomianiſmi *crimen in Reformationem intentatum.*

Cuph. Majus momentum hæc habitura eſſent, *Bathynoe*, ſi nullæ craſſæ Maculæ in externa Proteſtantium profeſſione eſſent, ſed in declaratis ſuis opinionibus eſſent inculpabiles. Etenim meo quidem judicio *Antinomianiſmus* & *Calviniſmus* (dogma illud obfuſcum intelligo de prædeſtinatione) tam horridi ſunt errores, ut Inſignia videantur *Regni Tenebrarum* potiùs quàm *Regni Dei*.

Bath. Quid tu intelligas per *Antinomianiſmum*, O *Cuphophron*, neſcio. Quantum autem ego video, non niſi duo hæc ſignificare poteſt: Aut opinionem, quòd per libertatem Evangelii, immunes ſumus ab omnibus officiis Moralibus, id quod ab univerſis Proteſtantium Eccleſiis exploditur; aut abrenunciationem Juſtificationis per opera propria officiáve præſtita, integrámque Recumbentiam in ſatisfactionem Propitiationémque Chriſti. Quod quidem rectè intellectum, nihil in ſe mali habet, ſed præſtantiſſimum eſt adverſùs ſuperbiam Antidotum. Illi enim qui talem profitentur *Antinomianiſmum*, declarántque ſe ſalutem expectare ex fide ſola ſine legis operibus, non negabunt quin vitam ſuam ità ſanctè cuſtoditéque inſtituere debeant, ac ſi per propriæ converſationis integritatem ſalvandi eſſent, & tamen poſtquam vixerint cum vitæ Innocentia quanta poſſunt maxima, in ſolam recumbere Dei miſericordiam in Chriſto. Quàm pulchra! quàm amabilis Animi diſpoſitio eſt hæc! qui propriam ſuam Innocentiam ſive Juſtitiam minimè advertens totum ſe in Merita Bonitatémque ſui Servatoris conjicit, atque ſic pueri inſtar ſuas dotes minimè obſervantis, ulliúſve ſe pretii æſtimantis, ſecurè ac pacificè in Dei regnum intrat ſelectiſſimáſque manſiones cœleſtis ejus Paradiſi.

Cuph. Si iſta erroris ſumma ſit, *Bathynoe*, facilè poſſum cum Proteſtãtiſmo redire in gratiam.

Bath. Summa eſt, O *Cuphophron*, quantum ego quidem intelligo. Nôſtíque Proteſtantes Orthodoxos univerſim doctrinæ de *Juſtificatione* per fidem ſolam, *Sanctificationis* doctrinam ſuperaddere: adeò ut auſim tibi affirmare eos bonâ fide agere; ſed arcanâ quadam Providentiâ ſtylum phraſínque tali modo temperâſſe qui maximè eſſet efficax ad oppugnandum ſubvertendúmque lucroſum Commercium iſtius Civitatis Mercatorum, ubi bona opera, quæ vulgò adeò extolluntur, nihil aliud erant quàm bonæ atque opimæ Merces quas callidi iſti Mercatores à deluſis animabus vili pretio ſibi comparabant; Quarum peccatorum augmentum, incrementum erat Redituum Eccleſiæ: *Externáque bona opera*, ut vocantur, defectum excuſabant *Sanctificationis internæ* realíſque Regenerationis, quæ præcipuæ res ſunt quibus *Proteſtantes* inſiſtunt; quæque bonis operibus maximè ſano ſenſu ſic appellatis, non magis carere poſſunt, quàm Sol ſuo lumine.

Cuph. Nullíne igitur, *Bathynoe*, Antinomi ſunt, deteriori ſenſu, apud *Proteſtantes*?

Bath. Nullâ aliâ ratione, *Cuphophron*, quàm quâ *Gnoſtici* erant & *Carpocratiani* temporibus Apoſtolorum. Sunt forſan, ſed communi omnium condemnati calculo.

XVIII. *Intentatio Criminis* Calviniſmi *in Reformationem.*

Cuph. Id igitur ſufficiat. Sed obfuſca illa *Prædeſtinationis* Opinio, quàm funeſto aſpectu eſt, *Bathynoe*! Nigra ut fumus Abyſſi ex qua Locuſtæ exiêre.

Bath. Quid? ad *Turcas* & *Saracenos* alludis, *Cuphophron?* *Turcæ* quidem Fati habentur perquam fervidi propugnatores. Unde quidem per contumeliam hanc *Calvini* opinionem, *Calvino-Turciſmum* appellârunt. Quis unquam ſomniaverit *Cuphophronem* adeò Apocalypticum? Quòd tantæ tibi ſit offenſioni, rudi iſtoc crudóque ſenſu quo quidam intelligunt, Prædeſtinatio, minimè miror: Semper enim mihi viſa eſt opinio, quæ Naturæ Divinæ perfectè repugnet, ut animas ſcilicet, ob talia peccata quæ ipſis ſemper impoſſibile fuerit evitare, ad æternam ineffabilémque miſeriam prædeſtinet. Ingens hæc, meo quidem judicio, contumelia eſt adverſùs Divinam Majeſtatem. Ut verò ſit Electio efficax ſive Prædeſtinatio aliquorum ad vitam æternam, ingenuè fateor me opinionem exiſtimare, non ſolùm inoffenſam ſed veram. Quæ mihi probabiliter inſinuari videtur ab hujuſmodi locis Scripturæ: *Ità ut Beſtiam adoraturi ſint omnes Terrarum Incolæ quorum nomina ſcripta non ſunt in libro Vitæ Agni ab Orbe condito mactati.* Apoc.13.8. Et rurſus in alio loco Apocalypſeos: *Et qui cum eo, vocati ſunt, electi & fideles.* Apoc.17.14. Atque itidem in Epiſtola ad Romanos: *Scimus autem Dei amantibus omnia ad bonum conferre, qui Divino decreto ſunt vocati. Quos enim prænovit eoſdem prædeſtinavit, & quos prædeſtinavit hos etiam vocavit, &c.* Rom.8.28,29. Hæc loca ſimul conſiderata ſuâ non carent vi ad ſuprà dictam inferendam opinionem. Et quid indè noxæ eſt, O *Cuphophron?* quòd Deus intelligitur quoſdam homines efficaciter prædeſtinare ad Gratiam & Gloriam, atque ſic declaratur magìs benignus ac munificus quàm ipſi *Arminiani* eum ſtatuunt, qui rem adducunt in diſcrimen an quiſquam omnino ſalvatus erit.

Cuph. Nihil magnæ noxæ hinc fore, fateor, *Bathynoe:* Reprobatio verò ſive Prædeſtinatio ad æternam mortem, hoc eſt ingens illud *Reformatæ Religionis* opprobrium.

Bath. Quanquam homines aliqui privati, hac in re, ſententiâ admodum expreſſâ ſunt, publicæ tamen Proteſtantium confeſſiones magìs modeſtè cautéque ſe gerunt in hoc Articulo, perſonarúmque præteritionem tantùm affirmant, nullam autem deſtinationem ad peccatum & damnationem. Quod, affirmo tibi *Cuphophron*, eum, qui æquo oculo Providentiæ Phænomena aſpectat, ægrè negare poſſe, quin effectu compertum ſit verum. Ut omittam quod ipſæ Scripturæ innuunt, *Deflectunt impii jam ab utero; errant ab alvo matris falſiloqui.* Pſalm.58.3. Hæc magna ſunt & profunda Secreta, taliáque in quibus homines admodum boni facilè queant errare, ac proinde hoc genus Errata meritò intelligi poſſunt etiam veri Regni Dei membris competere. Quòd verò & liberum arbitrium tam univerſim tollerent, Divina Providentia eos permittere potuit in iſtum errorem prolabi, quippe eo utens tanquam altero telo *curvo* contra fraudes ac falſimonias iſtius curvi Serpentis *Romani*, Hierarchiam intelligo *Romanam*. Quum enim liberum arbitrium bonáque opera tuebantur, mercandi potiùs ſtudio Eccleſiámque ditandi prolixis pecuniarum reditibus, (ex Condonationibus & Indulgentiis, ex liberationibus ex Purgatorio, ex certis quibuſdam venditionibus contractibúſque pro Cœlo, confirmatiſque portionibus Camporum Elyſiorum,) quàm propter amorem veritatis, ſalutis fundatio in æterno Dei decreto, declaratióque nos nullam ex nobis ipſis habere facultatem agendi quicquam quo æternam vitam obtineamus, hæ doctrinæ Emporium callidorum horum Mercatorum prorſus deleverunt menſáſque everterunt horum Nummulariorum. Nunc enim via Sanctis comperta eſt, non quidem eſſe multiplices iſtæ formales Poſituræ in quas Romani Tutores ſuos Novitios diſponerent, nec duræ ac difficiles impoſitæ pœnæ, pœnarúmque commutatio, (præcipuus ſcopus Diſciplinæ illius Eccleſiæ) in mulctas pecuniarias, ad congerendum accumulandúmque immenſum pecuniæ theſaurum; ſed unuſquiſque monebatur, cum ſeria ſolemníque præparatione Divinis frequenter intereſſe *Ordinationibus* potentíque Evangelii prædicationi, ut erudiatur in ſtupendis Arcanis liberæ Electionis Dei, æternorúmque Decretorum, nec ſalutis certitudinem expectare propter obedientiam excogitatitiis Eccleſiæ Inſtitutis, quæ præcipuè faciebant ad Sacerdotis Dominium & ad ſugendas exſiccandáſque populi crumenas; ſed ſuam Vocationem & Electionem certam facere, hoc eſt, illius detegere certitudinem per *internos* fructus Spiritûs, per *fidem* præſertim, (quâ firmiter credat ſe è numero electorum Dei eſſe) atque illinc, per amorem erga Deum atque proximum. Quæ omnia in ſe effecta credebant non quidem propter quicquam quod ipſi fecerint aut facere poſſint per modum meriti, ſed per ſolum liberum Spiritum Gratiæ in eorum cordibus efficaciter operantem. Et obſecro te, *Cuphophron*, quantum hic rerum ſtatus dedecebat Regnum Dei? Præſertim ſi conſideraveris, quicquid erroris eſſet, in re fuiſſe tam intricata, ut acutiſſima ſingulorum ſeculorum Ingenia ad incitas redegerit, adeóque fuiſſe tempeſtivum, ut ad ſubvertendum *Antichriſti Regnum* ſummopere tenderet,

& tam innoxium fuiſſe credentibus, ut dum abrenunciabant omne liberum arbitrium facultatémve agendi quicquam ex ſeipſis, cernebantur tamen per omnia Sanctæ Religionis munia ſobrietatiſque vitæ ſatis conſtanter ferri, dum alteri, qui liberum ſuum arbitrium tantopere venditabant, obſervari poterant in omni Mundanitate ac Senſualitate ſe volutare, & cum ſuo libero arbitrio, liberè ac ſecurè ſimul deſcendere in barathrum perditionis.

Cuph. Equidem credo *Magiam* quandam aut *Faſcinum* ineſſe converſationi hominum *Melancholicorum.* Sermo *Bathynoi* ità compedivit conſternavítque animum meum, ut ferè pudeat hujus allegationis quam initio putabam tam funeſtam ac formidabilem. Chriſtianus Orbis *Reformatus* Regnum Dei erit, me nolente volente, quantum ego video.

Philop. Spero ſic fore, *Cuphophron.*

Cuph. Cæterùm, nullæne aliæ Eccleſiæ Chriſtianæ præter *Reformatas* Regnum ſunt Dei ?

Philop. Sive ſint ſive non ſint aliæ Eccleſiæ Chriſtianæ quæ pars ſint Regni Dei, non omnino enervat hanc veritatem, quòd Eccleſiæ Reformatæ ſic ſunt. Verùm ex eis rebus quas inſinuavit *Philotheus*, audacter poſſum affirmare, nullam Chriſtianam Eccleſiam, quæ ſub alterius Principatûs jugo eſt, aut quæ in poteſtatem non emergit ex deſtructione aut humiliatione *Cornu parvuli,* hoc eſt, *Hierarchiæ Papalis*, Regnum illud eſſe poſſe in quod digitum intendit *Daniel,* ſive Inchoationem quintæ Monarchiæ.

XIX. *Horrendi criminis Rebellionis intentatio.*

Cuph. Hac de re non ſum adeò ſolicitus, *Philopoli.* Sed Reſponſum ad ultimam quam intenderam Objectionem efflictim cupio, de Origine hujus, quod prætenditur, Regni Dei. Pars enim adverſa audacter aſſerunt, ipſum primam ſuam Originem Rebellioni acceptam referre, quæ omni peccato Magico eſt deterior.

Sophr. Malum omen eſt in Objectionem, *Cuphophron*, quod tua Scripturæ citatio tam ridiculè abſona ſit. Nam apud *Samuelem*, ubi dicitur, Rebellionem eſſe ceu
1 *Sam.* 15. 23. Peccatum Magicum, id quidem affirmatur de Rebellione *Sauli* adverſùs Dominum non autem Populi adverſùs *Saulum.*

Cuph. Ego verò intelligo Rebellionem Populi adverſùs *Saulum* ſive Magiſtratum ſecularem, quæ proxima eſt Rebellioni adversùs Deum, cujus vices gerit.

Sophr. Iſta aſſertio admodum vera eſt, *Cuphophron,* Imputatio autem Adverſariorum immane quantum falſa.

Bath. Certiſſimum eſt, O *Sophron.* Atque ille character inter cæteros ad eos pertinentes, qui appellat ψευδεῖς, *Mendaces,* non reſtringendus eſt meo quidem judicio, ad ſuas *Legendas,* aliáque id genus Figmenta, ſed complecti etiam debet abominandas eorum calumnias contra veram Eccleſiam Dei. Sunt enim Viperarum progenies qui antiqui Serpentis ſub Paganiſmo Imaginem in ſingulis ſuis lineamentis explent. *Itaque dejectus eſt Draco ille magnus, Serpens ille antiquus qui Diabolus &*
Apoc 12. 9, 10. *Satanas appellatur, qui totum Orbem decipit. Et magnam vocem audivi in cælo dicentem, Nunc facta eſt Salus & Poteſtas & Regnum Dei noſtri & potentia Chriſti ejus ; quoniam dejectus eſt fratrum noſtrorum accuſator, qui eos apud Deum noſtrum dies & noctes accuſabat.* Ubi impudentia horum religioſorum Calumniatorum deſcribitur tanquam calumnias ac mendacia ſpargentium in conſpectu Cœli præſentiáque Dei. Eſt etiam Nota quam Servator olim Satanæ inuſſit, *Quòd Diabolus mendax ſit, om-*
Johan. 8. 44. *niúmque calumniarum ac mendaciorum pater.*

Eviſt. Atque hanc tuam Objectionem, O *Cuphophron,* æquè canorum eſſe mendacium, atque ullum quòd unquam hactenus Diabolus excogitaverit, eximiæ ingenii tui dotes, ſi eò ſe demiſiſſent, ut tantum in Hiſtoria verſatus eſſes quantum in ſublimioribus partibus Philoſophiæ, ipſe jam dudum detexiſſes.

Cuph. O quàm amo te, *Eviſtor,* propter hanc tuam παῤῥησίαν loquendíve libertatem ! Cæterùm cùm ipſe rebus ſublimioribus totus fuerim occupatus, quæſo te, liberè veritatem, ex tua multifaria lectione, nobis declara. Ingens enim animo meo inſidet ſuſpicio, *Lutherum* & *Calvinum,* quorum nomina in *Reformatione* adeò ſunt celebria, fautores fuiſſe aut excitatores Seditionis ac Rebellionis.

Eviſt. Veritatem de hiſce viris liberè tibi & ſine omni partium ſtudio declarabo, *Cuphophron,* & ex injuriis manifeſtò illis illatis, de reliquis potes judicare. Quod ad *Lutherum* attinet, tantum abſuit, ut is excitator fautórve Rebellionis eſſet contra Principes Seculares, ut Tractatum ſcripſerit, ubi unamquamque hortatur Animam ſuperioribus Poteſtatibus parere, ipſéque diligenter accuratéque mores ſuos ad ſuam propriam doctrinam compoſuit. Nam in illa confœderatione *Smalcaldica,* ad arma ſumenda defenſiva, contra quam *Pontificii,* tanquam adeò eximium (quanquam non erat) Rebellionis exemplum tantopere clamitant, *Lutherus* admodum averſo erat animo, nec perduci potuit ad ſuum præbendum aſſenſum, antequam plenè inſtructus eſſet à Juriſperitis, de Conſtitutione *Imperii Germanici.* Nam per magnam Chartam, ut ità loquar, Imperii, Imperii Principes iſtiuſmodi juribus inveſtiuntur, quæ ſi ab Imperatore violentur, licitum eſt arma capeſſere ac reſiſtere ſine *Rebellionis aut Infidelitatis crimine.* Juríſque periti *Luthero* ſatìs clarè demonſtrabant Imperatorem iſta Jura violâſſe.

Philop. Equidem omnino ſic ſe res habet, *Cuphophron*, ut Imperium ex quo Electivum factum eſt, perpetuáque Poteſtas in ſeptem Electoribus conſtituta, Imperatoris Authoritas in multis *Germaniæ* partibus, tantùm non merus Titulus ſit, inaníſque Honos ſine Poteſtate, cùm & illi qui eum eligunt, jus etiam habeant deponendi, ob malam rerum adminiſtrationem in Imperio. Electores, aliíque Imperii Principes, proprios ſuos Principatus adminiſtrant nihil Imperatori pendentes præter Homagium. Civitatéſque Imperiales legibus Imperialibus maximè ſunt immunes. Eſtne igitur quælibet adverſùs Imperatorem armorum ſumptio, Rebellio ſtatim habenda?

Cuph. Non putabam profectò tam multa in *Lutheri* gratiam potuiſſe afferri.

Eviſt. Et nunc quidem quantùm ad *Calvinum*, Rebellionis crimen in eum intentatum hoc eſt, Eum ſcilicet Epiſcopum expuliſſe *Genevenſem*, qui ſummus erat illius Civitatis Magiſtratus, regiménque mutâſſe in Ariſtocratiam, atque ſic & Reformationem & Rebellionem molitum eſſe ſimul. Annon hoc eſt, quò collimas, *Cuphophron?*

Cuphr. Credo ſic eſſe, neque enim multùm me hiſce Religioſis immiſcui Altercationibus.

Eviſt. Verùm hæc mera Calumnia eſt adverſùs *Johannem Calvinum*, nullíque omnino rationi innixa. Neque enim id quidem verum eſt, *Calvinum* unum è primis fuiſſe Reformationis Seminatoribus *Genevæ*, multóque minùs aut eum aut alios quoſquam Reformatores, Epiſcopum è Civitate expuliſſe. *Farellus* erat, *Fromentius* & *Viretus*, qui prædicationibus ſuis *Genevam* converterunt, abſente Epiſcopo, qui octo ante menſes fugerat, quippe civibus inviſus ob violatam virginem, crebráque cum uxoribus eorum adulteria: Quin & vitæ ſuæ malè metuit ob Conſpirationem cum Duce *Sabaudiæ* de opprimendis Civitatis libertatibus, ob quod ſcelus illius Secretarius ſuſpenſus eſt in patibulo. Illi verò qui Formam Regiminis mutaverunt, ſervidi erant *Papiſtæ*, præcipuíque poſtea Reformationis Oppugnatores.

Cuph. Si quid ego rectè video, cautum profectò hominem eſſe oportet, nec temere ullis credere Pontificiorum Accuſationibus adverſùs primos Reformatores.

Sophr. Menſura veritatis apud ipſos eſt, *Sanctæ Eccleſiæ Commodum mundanum.* Ac proinde quodlibet Mendacium ei fini inſerviens eo ipſo ſit ſanctum.

Cuph. Atenim, ni fallor, *Zwinglius* vi & gladio Reformationi viam ſecuit; dicunt enim eum occiſum eſſe in prælio.

Eviſt. Iſte, alter craſſus error eſt, *Cuphophron.* Reformatio enim in Pago *Tigurino* ſtabilita eſt, Edicto Senatûs ex pacifica prædicatione illîc Evangelii decem minimùm annis maturiùs, *Helvetiique* Imperii jugum ducentos ante Annos excuſſerant. Tam parum cauſæ ſubeſt, ut Reformatio illîc Rebellionis accuſetur.

Cuph. Major autem de Rebellione ſtrepitus, *Reformationis* cauſâ incepta, nunquam in auribus meis ſonuit, quàm iſte de *Unitis*, quæ vocantur, *Provinciis*, jugum Regis *Hiſpaniæ* ſibi excutientibus, hic æquè canorus eſt atque ille de *Luthero*.

Eviſt. Atque æquè canora falſitas. Reformata enim Religio diſſeminata erat per ſeptemdecim Provincias multos ante annos quàm earum contra Regem Hiſpaniæ facta eſt unio; nec uniebant ſe propter Religionem, ſed ob rationem Statûs ad defendenda jura ſua ac libertates, contra oppreſſionem *Hiſpanicam.* Ac proinde elegêre ſibi Principem *Franciſcum* Ducem de *Alenzon* Catholicum Romanum, quod facturi non fuiſſent, ſi Proteſtantes major fuiſſent pars. Nec *Hiſpaniæ* Rex abſolutus eorum Princeps erat, ſed Comes. Adeò ut Reformatio nec fœtus eſſet hujus Unionis, nec hæc unio à *Proteſtantibus* magis quàm à *Papiſtis* facta, nec minùs poſtea approbanda, quòd eam tenerent veræ Religionis cauſâ perinde atque Jurum & Libertatum, nec ſe illi ſubmittere vellent, (qui nec abſolutus earum Princeps erat) quò Animæ *falſâ* trucidandæ eſſent Religione, aut Corpora, ob adhæſionem *veræ*.

Cuph. Non putabam, *Eviſtor*, haſce Imputationes tam facili negotio abſtergi potuiſſe. Non niſi una ampliùs Inſtantia memoriæ occurrit, eſt autem de Impetuoſitate & Rebellione *Scotorum*, Reformationis cauſâ. Peſſimam, ni fallor, famam hac in re de iſta Natione accepi.

Eviſt. Fieri poteſt, *Cuphophron,* nec omnino profectò ſunt excuſandi, nec Reformatio accuſanda illius Intemperiei quæ ſuo ingenio nequaquam propria eſt, ſed peculiaris eſt illius Nationis Indoles. Ante Religionem enim Reformatam, *Scoti* ex centum quinque Regibus, (quos recenſent uſque ad Reginam *Mariam*) triginta quinque occiderant, præter quinque, quos expulerant, & tres inſuper, quos depoſuerant.

Cuph. Concluſio illinc in proclivi eſt, & nimis quàm obvia.

Philop. Conſimiliſque conſideratio inſtituenda eſt de quibuſcunque illicitis Proteſtantium Inſurrectionibus, quæ in *Gallia* fuerint. Non imputandum eſt Religioni eorum, ſed ingenio gentis, ut qui tam facilè frequentérque in Rebellionem ſeducuntur, & apud quos crimen tanquam res levioris momenti habetur, quemadmodum Compatriota quidam eorum ingenioſè de eis notavit, & ſine omni partium ſtudio multas res & circumſtantias in conſpectum adduxit, ad lucem ſuppeditandam, quò menſuram tranſgreſſionis eorum hac in re rectiùs æſtimemus. Quem librum Lectioni tuæ, *Cuphophron,* commendatum velim, quippe quem Virtutis ac Veritatis novi tam egregiè ſtudioſum. Author enim admodum appoſitè ſcripſit ad perſuadendum cuilibet, Reformationem nuſquam ortum ſuum debere Rebellioni, doctrinámque Rebellionis ſub Religionis prætextu per publicas omnium Eccleſiarum Proteſtantium Confeſſiones univerſim explodi ; ſed quòd Epiſcopi Romani Janizarii eandem & profitentur, & ad eam normam actiones ſuas inſtituunt. Titulus Libri eſt, *Vindicatio ſinceritatis Religionis Proteſtantium quantùm ad obedientiam Superioribus Poteſtatibus.*

Cuph. Rectè, *Philopoli.* Ago tibi gratias quòd librum iſtum mihi notum feceris. Exquiram, & cum primo meo otio à Philoſophicis meis Speculationibus, voluptatem mihi indulgebo perlegendi eum. Intereà loci unicam hanc moleſtiam tibi creabo, ſuper re quadam quæ nec ab *Eviſtore,* nec ab alio quoquam Hiſtorico negari poteſt. Annon primi Reformatores rebellârunt adversùs Superioritatem *Papæ?*

Philop. Nequaquam, O *Cuphophron.* Reſtiterunt quidem excuſſerúntve, quæ prætenditur, Papæ ſuperioritatem. Id verò rebellare non erat, ſed improbam repellere Uſurpationem. Primùm enim Chriſtum, Epiſcopum Romanum ſucceſſorem Petri, ſuúmque infallibilem Chriſtiani Orbis Vicarium generalem nunquam conſtituiſſe ex eo apparet, quòd nulla talis doctrina extet apud antiquos Patres, nec ulla tam matura ad hujus Epiſcopi Infallibilitatem provocatio, nec quicquam tale in ſacris Scripturis memoratum eſt, quæ res tanti momenti fuiſſet, ut, ſi eſſet vera, nullo pacto omitti potuiſſet. Quinimo, è contrà adversùs hunc prætextum planè teſtantur. *Paulus* enim in Epiſtola ad *Galatas* apertè declarat ſeipſum nullo Apoſtolorum inferiorem. Et quanquam *Petrus* præſens erat, in confeſſo tamen eſt, *Jacobum* præſediſſe in Concilio *Hieroſolymitano.* Præterea, præputiati, *Pauli* Diœceſis erant, *Petri* verò Circumciſio, qui proculdubio minor erat Circuitus è duobus. Ut nè addam, quomodo *Paulus Petro* in os reſtiterit *Antiochiæ,* quod cum *Petri* Superioritate malè convenit, quemadmodum & *Petri* præſentia *Antiochiæ* perinde atque *Romæ* cum Superioritate *Romani* Epiſcopi præ *Antiochienſi.* Nam Petrum Antiochiæ fuiſſe citra controverſiam eſt, an verò Petrus unquam *Romæ* fuerit, apud eruditos etiamnum eſt quæſtio. Et poſtremò, ſi *Petrus* capite & humeris, quod aiunt, ſuper reliquos Apoſtolos tantum eminuit, cur dextras ſocietatis dedit *Barnabæ* ac *Paulo?*

Cap. 1, & 2.

Rurſus in ſecundo loco, nullus Princeps ſecularis jus ſuæ Superioritatis apud ullam Spiritualem, quæ prætenditur, Superioritatem ſive Superintendentiam amittere poteſt, niſi *Wickleſſianum* iſtud Principium admittamus, *Dominium fundari in gratia;* quod ipſi *Jeſuitæ,* quoties libitum eſt, ſatìs alto cachinno excipiunt, & ſincerâ quidem indignatione & exclamatione excipiendum eſt ab omnibus eis qui probo honeſtóque animo ſunt præditi.

Bath. An verò non animadvertis, *Philopoli,* ut Argumentum hoc ſubditum perinde atque Principem protecturum ſit ab omni injuria & violentia per Tyrannidem Spiritualem?

Philop. Rectè mones, *Bathynoe.* Verùm modò Principem ab omnibus injuriis incolumem conſervet, ego quidem is non ſum qui bonum quod indè inſuper redundet, ejus ſubditis invideam, qui uſquam concipi poſſint illâ illuminationis gratiâ excidere quam alii prætendunt, quum reverà interim toti obruuntur craſſis Erroribus, Superſtitionibus & Idololatriis.

Et tertiò ac ultimò, Ponamus *Sanctitatem ſuam,* ſedem *Romanam* occupantem, Superioritatem aliquando habuiſſe in univerſas Chriſtiani Orbis Eccleſias in ordine ad Spiritualia (neque enim ulla alia ratio ullo cum colore obtendi poteſt) cùm merces illius Spirituales modis adeò infinitis veneno illitæ ſint & corruptæ, ut Religio cui obedientiam noſtram requirit, æquè craſſa ſit ac ipſa Paganorum Idololatria, (qualis proculdubio eſt Religio Pontificia) jus certò perdit Superioritatis ac Imperii in Spiritualibus, niſi jus habeat imperandi, ut immorigeros nos præbeamus Deo Chriſtóque, cujus Vicarium ſe eſſe prætendit ; cúmque jus Spiritualis ſuæ Superioritatis perdiderit, Temporales appendices eò pertinentes, unà cum illo neceſſariò concidunt. Hæc mea quidem ſententia non poteſt quin manifeſtò vera appareat cuivis oculo nullis præjudiciis occæcato.

Philoth. Non poteſt quin ſic appareat, *Philopoli.* Et tamen quartum adjiciam Argumentum indubiæ evidentiæ eis qui intellexerint. Unuſquiſque Princeps Secularis, quinimo homo quilibet privatus, jus cœlitùs ſibi conceſſum habet excutiendi Jugum Romanum, quippe quæ jam Myſtica illa *Babylon* eſt, in Apocalypſi memorata, de qua dicitur, *Item aliam vocem audivi de cœlo dicentem, Migrate ex ea populus mi, nè ſitis ejus peccatorum participes néve ejus cladibus afficiamini.*

Apoc. 18.4.

Philop. Commodè id tibi in mentem venit, *Philothee.* Invictum planè iſtud argumentum eſt, apud eos omnes quibus perſuaſum ſit, per *Babylonem* illîc *Romam Chriſtianam*, vel ſi mavis *Paganochriſtianam* intelligi : qua de re fateor me abunde eſſe perſuaſum ex eis quæ legi apud nuperos quoſdam Authores, qui eam veritatem tam clarè demonſtrârunt, ut neminem credam qui ſat habeat patientiæ, quò rem capiat (nec adeò arduum profectò eſt Ænigma) quin omnino eum pudeat negare. Quid ad hæc reſpondes, *Cuphophron ?*

Cuph. Reſpondeo, me nondum, *Philopoli,* ſat patientæ habuiſſe, quò rem capiam, plenéque intelligam. Ex præſenti tamen diſſertatione tantum certè intelligo, ut omnibus meis ſcrupulis, an Orbis Chriſtianus *Reformatus* Regnum Dei ſit, altum imperet ſilentium, ità ut *Philotheus* ad tertiam ſi lubet quæſtionem, poſſit pergere.

Philop. Gratias tibi ago ob bonum hoc nuncium, *Cuphophron.* Quæſo te igitur, *Philothee,* tertiam meam Quæſtionem accipe, quam tibi expendendam trado, dícque, *Quem ſucceſſum habuerit Regnum Dei hactenus in Orbe ?*

XX.
Quem ſucceſſum hactenus habuerit Regnum Dei in Orbe, & quàm congruenter Divinis Prædictionibus.

Philoth. Ad hanc rem nos tandem deveniſſe, *Philopoli,* gaudeo, *Hylobaris* gratiâ perinde atque tuâ. Neque enim illuſtrius eſt Divinæ Providentiæ ſpecimen quàm progreſſus Eccleſiæ ſive Regni Dei à primis ejus initiis ad hunc uſque Diem cum Vaticiniis ſcitè comparatus.

Hyl. Quanquam ſatìs firmiter, Deo eſt gratia, perſuaſus ſum, *Philothee,* de Divina Providentia, tamen, quemadmodum Homines ſalubria jucundáque vina ſolius neceſſitatis ergô bibere non ſolent, ſed interdum aliquantulum indulgere voluptati ; ità, tametſi ulterior hæc confirmatio, quantùm ad hanc rem, non ſit adeò neceſſaria, voluptatem tamen ex Inſtantiis tanti momenti Veritatis percipiendam facilè intelligere potes mihi admodum gratam fore, ut prætercam quàm egregia inſuper fuerit ſoliditatis noſtræ Religionis Ratificatio. Quam ob cauſam tanto adhuc diligentior futurus ſum tui Auditor.

Philoth. Et ſanè quàm ſerium ingenuúmque Auditorem nactus ſim, dum conſidero, facit quidem ut majori cum alacritate ad penſum meum me accingam, quod propter temporis anguſtiam mihi abſolvendum eſt, ſummâ quâ poſſum brevitate. Omiſſâ igitur primâ Prædictione Incarnationis Chriſti ſecundùm ſenſum magìs Myſticum, *Fore ſcilicet, ut ſemen Mulieris caput Serpentis conterat,* primo in loco antiquum illud Dei promiſſum *Abrahamo* factum memorabimus, *In te omnes Orbis Nationes beatificabuntur.* Utì etiam alio in loco, ubi Deus dicitur Abrahamum foras educere eúmque ſic alloqui : *Aſpice,* inquit, *in cœlum, & ſtellas enumera, ſi enumerare potes. Atqui tam numeroſa futura eſt tua progenies.* Et in eodem Capite, ſub occaſum Solis, ſomno oppreſſum & magno tenebrarum horrore correptum *Abrahamum* Dominus in Viſione ſic allocutus eſt : *Scito poſteros tuos peregrinos futuros eſſe in terra extraneorum & eorum ſervitutem ac injurias annis quadringentis perpeſſuros. Sed illam ego gentem cui ſervient, ulciſcar, exibúntque tandem cum magnis opibus. Tu verò ad majores tuos quietè diſcedes & bene actâ ſenectute ſepelieris. Huc autem redibunt* (hoc eſt in Terram Chananæam) *quarto ſeculo, quoniam nondum ad ſummum pervenit improbitas Amorræorum.* Et in capite decimo ſeptimo magìs expreſſim de hac Terra ait, *Et terram cujus tu peregrinus es, videlicet totam Chananæam, & tibi & tuis poſteris tradam in poſſeſſionem ſempiternam, eróque eis Deus.* Et poſtquam *Abrahamus* tam promptum ſe præbuiſſet ad offerendum filium ſuum *Iſaacum,* primum promiſſum ipſi factum admodum ſublimem habet auguſtámque Ratificationem, cap. 22. *Per me juro,* inquit Jehova, *quoniam feciſti ut te nè ab unico quidem filio abſtineres, ego & tibi favebo & tuam ſtirpem ad ſtellarum cœleſtium & arenarum littoris marini numerum augebo, perficiámque ut hoſtium ſuorum portis potiatur, útque in tua ſtirpe omnes orbis terrarum gentes ſeſe beatas ferant, quoniam tu mihi dicto audiens fuiſti.*

Gen. 3.15.
Gen. 12.3.
Gen. 15.5.
Gen. 15.13.

Hyl. Satìs copioſa Teſtimonia Divina promiſſi *Abrahamo* tam maturè facti produxiſti, O *Philothee.* Quibus autem in rebus illud putas præſtitum eſſe?

Philoth. Progeniei *Abrahamicæ* Numeroſitas notoria eſt etiam in ſenſu magìs carnali. Populus enim Judaicus propriè ſic dictus admodum numeroſus eſt, non ſolùm in Imperio *Turcico,* ſed in ipſo Orbe Chriſtiano, quemadmodum Peregrinatores obſervant. Ut præteream magnam illam ſanguinis *Abrahamici* copiam, in venis labentis Gentium alieni nominis, ut apud *Turcas,* & nominis olim magìs cognati, apud *Saracenos* ſcilicet: ut nè addam totum Orbem Chriſtianum, cui in meliori & magìs Myſtico ſenſu promiſſi completio poteſt applicari. Hoc enim ſenſu omnes Chriſtiani ſunt ſemen *Abrahami.* Quantopere igitur multiplicabitur ſemen *Abrahami,* poſtquam omnia Mundi Regna facta fuerint regna *Chriſti* filii *Abrahami?* Et modo quàm conſummato tunc implebitur illud, *Et in tua ſtirpe omnes Orbis terrarum Gentes ſeſe beatas ferent?* Quod ad modum haud mediocrem jam completum eſt in univerſo Orbe Chriſtiano. Et quicquid laudabile eſt, in Moralitate aut Religione *Turcarum,* manifeſtum eſt *Moſi Chriſtòque* illud deberi. Et quicquid illuſtre erat aut commendabile olim apud Gentes, quantùm ad Virtutem ac Philoſophiam, credibile eſt prima illius Semina à poſteris *Iſraelis* fuiſſe accerſita.

Eviſt. Antiqui Patres iſtam Lyræ chordam ſæpe feriunt, ac ſi *Pythagoras* & ſapientiſſimi *Græciæ* Philoſophi, omnia ex iſto fonte hauſiſſent.

Bath. Immò ſanè, & mira antiquæ Philoſophiæ ad tria prima capita primi libri *Moſis* (quæ Philoſophica ſunt univerſa) applicabilitas iſtam Patrum conjecturam mirificè confirmat.

Cuph. Viſio autem *Abrahami* ſub occaſum Solis interpretationem habet & completionem magìs expreſſam de afflictione ſuæ prolis in *Ægypto,* redemptionéque ab iſta ſervitute poſt quadringentos annos, niſi quòd poſt eventum ſcripta ſit.

Bath. Iſta, meo quidem judicio, O *Cuphophron,* admodum inhoneſta eſt atque illiberalis exceptio, cùm planè videas ea etiam Vaticinia verificata eſſe quæ aliquot millenis annis ſe extendunt ultra tempora Moſis. Per hanc Cavillam *Moſes* omnes iſtas prædictiones omittere debuiſſet quarum completio fuerit ante ſua tempora, nec Inſomnia *Pharaonis* ipſiúſve *Joſephi* memoràſſe.

Philoth. Equidem, *Cuphophron,* hoc tuum commentum nimis quàm ſubtile eſt & argutum, proximéque abeſt ab omnem abrogando fidem univerſæ Hiſtoriæ *Moſaicæ.* Veritas verò vaticiniorum quæ eventus indigitant aliquot millenis Annis poſt *Moſis* tempora tunc futuros, Hiſtoriæ etiam *Moſaicæ* fidem meritò ſuffulcit. Ut in notabili iſto Vaticinio *Jacobi, A Juda ſceptrum non recedet nec de ejus interfœminio Rector, donec venerit Shiloh, & ad illum erit populi congregatio.* Quod vaticinium apertè tempus adventûs *Meſſiæ* indigitat, converſionémque gentium ad eum, quod perinde accidit.

Gen.49.10.

Philop. Veriſſimum narras, *Philothee.*

XXI.
Typi Hiſtorici earum rerum quæ Chriſto eventuræ erant illiuſq; Eccleſiæ, ut Joſephi perpeſſiones, ejuſq; exaltatio.

Philoth. Id verò etiam valde mirificum eſt & notatu dignum, quod S. *Paulus* innuit, Actiones ſcilicet Caſúſque qui ſemini *Abrahami* acciderunt Typos eſſe Propheticos de Chriſto illiúſque Eccleſia. Immenſum eſſet omnia recenſere. Non abs re tamen eſt exemplum unum & alterum in medium proferre. Ut Conſpirationem capitum Familiæ *Jacobi* contra fratrem ſuum *Joſephum* ad dedendum eum neci. ‖ *Ecce ſomniator ille venit, interficiamus eum, &c.* Apta quidem præfiguratio Conſpirationis Scribarum & Phariſæorum Procerúmque populi contra Chriſtum, qui Divinâ Revelatione novit ſeipſum eſſe *Meſſiam,* ut *Joſephus* per ſua Inſomnia præmonitus eſt fore, ut ad eum honorem exaltandus eſſet, ut Pater ac Mater & fratres incurvarent ſe verſùs terram eúmque venerarentur, quemadmodum & Pater declaravit ex illius Inſomnio, de Sole & Luna & undecim Stellis eum adorantibus. Et ob inſomnium Manipulorum Fratres ei dixerunt, *Túne ergo regnum in nos & principatum obtenturus es? eòque majori odio in eum exarſerunt.* Cæterùm poſt ejus perpeſſiones, deſcenſum in puteum, veſtíſque tincturam ſanguine, (quæ haud ſegnes ſunt mortis ſepulturæque Servatoris Chriſti ſignificationes) non tantùm è puteo ſublatus eſt, ſed in Aulæ *Pharaonicæ* Cœlo Politico ad altos honores evectus, quod *Aſcenſionis* Chriſti illiúſque *Apotheoſeos* ſimilitudinem gerit. Nam quemadmodum etiam illi qui Chriſtum crucifixerunt, poſtea eum adoràrunt ceu Filium Dei; ità qui in Necem *Joſephi* conſpiràrant, eum poſtea ſubmiſſè venerabantur, & quemadmodum *Jacobus* loquitur filii ſui Inſomnium interpretans, *incurvabant ſe ad terram coram eo.* Utque mors Chriſti ad eorum etiam ſalutem tendebat, qui eum crucifixerunt; ità iſta conſpiratio adverſùs *Joſephum* Afflictióque in quam eum conjecerunt, facta eſt tandem conſervatio Conſpiratorum. Et poſtremò, ſicut dicitur de Chriſto, *Libuit autem Jehovæ eum ægritudine*

‖ Geneſ.37.19.

Gen.37.8.

Eſai.53.10.

dine contundere, quia ſi animam ſuam piaculo expoſuerit, ſemen adipiſcetur diuturnum: ità dicitur de *Joſepho, Quòd vixit annos centum decem, vidítque etiam pronepotes* Ephraimi, *&* Machiris *quoque filii* Manaſſis *filios natos gremio accepit.* Quamobrem magnum Incrementum Filiorum Iſraelis (poſt perpeſſiones *Joſephi* per fratres ſuos) in Terra *Ægypti,* Typus eſt magni Incrementi diſcipulorum Chriſti ſive Eccleſiæ illius (poſt ejus Paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem) in *Romano* Imperio. Quod ante liberationem ſuam temporibus *Conſtantini* factam domus erat eis ſervitutis & intolerandæ afflictionis, ut Terra *Ægypti* filiis *Iſraelis,* antequam liberati eſſent per *Moſen.* Atque ab eo tempore *Ægyptus* ſemper Typus manſit iſtiuſmodi Poteſtatum, quæ filios Dei perſequerentur. Unde & applicatur Paganochriſtianæ Tyrannidi Pontificis *Romani* in Apocalypſi S. *Johannis.* Gen.50.22,23.

XXII. *Agnus Paſchalis & Iſraelitarum tranſitus per mare rubrum.*

Philop. Equidem quod narras, *Philothee,* mihi nec durum videtur ullo modo nec incongruum. Cæterùm meâ quidem ſententiâ nullus Typus tam ſignificans eſt Sacrificii Paſſionis Chriſti quàm *Agnus Paſchalis,* cujus ſanguis poſtibus ac ſuperliminaribus domorum Iſraelitarum aſperſus, primogenitos ſuos (quem Typum animæ quidam eſſe volunt) ab Angelo exterminatore ſervabat incolumes.

Philoth. Rectè mones, *Philopoli,* * admodum palpabilis præfiguratio eſt crucifixionis Agni Dei, cujus erat peccata Mundi, ſui ſanguinis virtute tollere, atque ſic ſalutem nobis comparare. Verùm quid exiſtimas de *Pharaone* ejúſque copiis in *mari rubro* ſubverſis? nullúmne iſtud Typum gerit ſanguinis Chriſti?

Philop. Veriſimillimum eſt, Redemptionem noſtram ſignificare ex ſervitute Peccati & Diaboli per ſanguinem Servatoris. Ecquid ampliùs in ea re latet?

Philoth. Manifeſtò applicatur in Apocalypſi ad liberationem Eccleſiarum Reformatarum ex ſervitute *Romani Pharaonis* ſive Pontificis. Dic mihi enim, *Philopoli,* quinam ii eſſe poſſint, qui dicantur ex beſtia ejúſque imagine & nota & nominis numero victores, niſi tales qui Papiſmo renunciaverint, redemptíque ſint ex Tyrannide illius Eccleſiæ & Imperii? Apoc.15.2.

Philop. Equidem fateor, *Philothee,* me illius Libri Interpretes haud ità irrito ſucceſſu perlegiſſe, quin ea de re plenè ſim perſuaſus, ac proinde facilè admiſſurus ſum, ad Orbem Chriſtianum Reformatum deſcriptionem iſtam pertinere.

Philoth. Hi verò, *Philopoli,* dicuntur, ſtantes ſuper *mare vitreum* igne mixtum, Deíque citharas habentes *Moſis* Dei ſervi carmen, Agníque carmen ità cantare: *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus Omnipotens, Juſta veráque ſunt Inſtituta tua, Sanctorum Rex. Quis te non metuat Domine, tuúmque nomen celebret? Nam tu ſolus ſanctus, Nam te gentes omnes coràm adoratum venient, quòd tua jura patefacta ſint.* Apoc.15.2,3,4.

Philop. Non poſſum negare quin heîc intelligatur ſupplicium *Meretricis* ſive *Cornu parvuli* oculos habentis, in *Reformatione* inchoatum, & carmen hoc *Moſis* ad illud *Iſraelitarum* referri poſt cladem *Pharaonis* curruúmque ejus in mari rubro. Ecqua verò heîc ipſius Maris Rubri, *Philothee,* fit mentio?

Philoth. Immò perquam manifeſtò, *Philopoli.* Dicitur in illo carmine *Moſis,* quod *Iſraelitæ* cantârunt: *Stetêre fluctus in cumulum, inque Mari medio undæ ſunt congelatæ,* hoc eſt, Mare rubrum ut glacies facta eſt, propter ſuam fixationem & tranſparentiam. Ut heîc vocatur *Mare Vitreum* ob eandem rationem. Súntne hæ Metaphoræ adeò diverſæ? Exod.15.8.

Philop. Egregiè congeneres, O *Philothee.*

Philoth. Et quòd Mare vitreum dicitur igne mixtum, illud quidem in Litera alludere poteſt, vel ad colorem Arenæ quæ per aquam enitebat, (& quandam ſpeciem rubedinis nôſti *Colorem igneum* appellari) vel ad igneam apparentiam Angeli quæ mari illuxit dum nocte pertranſibant.

Philop. Agnoſco hoc concinnum eſſe. Verùm age, quid tum demum *Philothee?* Supponamus *Mare* hoc *vitreum,* Rubrum eſſe Mare, quo tandem ſenſu *Pharaoh Italicus* cum ſuis copiis in hoc mari ſanguinis dicitur ſubverti.

Philoth. Juſtificatio per fidem in *ſanguine Chriſti* ad Remiſſionem peccatorum, quatenus ſervilibus pœnitentiis impoſititiis, Hypocriticíſque bonis operibus, (ex quibus magna ex parte, Civitatis iſtius Mercatorum conſiſtebat commercium) opponitur, * hæc eſt *Mare* illud *rubrum* in quo *Romanus Pharaoh,* currúſque ejus atque aurigæ ſubmerſi ſunt dum perſequebantur Iſraelem Dei, eos utique qui maximum prælii impetum ſuſtinuerunt in prima *Reformatione.*

Bath. Et ſi ſucceſſores ipſorum pro ſe quiſque certatim, myſterium Rubri Maris *igne mixti* explere volunt, in ſenſu magìs interno, hoc eſt, virtute ſanguinis Spiritúſque Chriſti (qui Igni comparatur) Juſtitiam perficere in timore Dei, & non ſo-

1 Cor. 10. 2. lùm nube & mari baptizari (ut loquitur Apoſtolus ad eorum tranſitum alludens per mare rubrum) in ſignificatu exteriori, ſed Chriſti ſanguinem imbibere in vera illius participatione & baptizari Spiritu ſancto atque igne, ad conſumendam expurgandámque omnem Hypocriſin Improbitatémque ex eorum cordibus, non dubito quin Victoriæ eorum contra *Pharaonem* ejúſque copias infinitò majores futuræ ſint & copioſiores quàm unquam hactenus. Quemadmodum de *Iſraelitis* dicitur per *Balaamum*, *Num. 23. 21.* quem Rex *Moabitarum* conduxerat ad imprecandum ipſis, *Nulla culpa viſitur in Jacob, nullum facinus extat in Iſrael.* Et tunc ſequitur, *Jehova eorum Deus adeſt eis clango-* *Verſ. 24.* *re comitante Regio. En populus leænæ ſimilis inſurgenti, leoni ſimilis commoto, non prius recubituro quàm prædam voraverit, quàm occiſorum ſanguinem hauſerit. Tam pulchra* *Num. 24. 6, 8.* *ſunt Tabernacula tua O Jacob, Contubernia tua O Iſrael, quàm valles patentes, quàm poſiti apud fluvium horti quem Deus plantaverit, quàm ſitæ propter undam Cedri. Deus cum eduxit ex* Ægypto *robore præditum Monocerotio. Conficiet ſibi adverſantes gentes earúmque & membra exoſſabit, & perfringet miſſilia.* Hic ſucceſſus Sinceritatem & Integritatem Iſraelitarum *Veteris* Fœderis comitatur, idémque per Analogiam expectandus eſt de *Novo*.

XXIII.
Serpentem æneum. Tabernaculum, Pontificem totáque caſtra Iſraelis Typos Chriſti fuiſſe ejúſque Eccleſiæ.

Philop. Verum narras, *Bathynoe*. Cæterùm ut ad Typos Propheticos redeamus, qui ſanguinem Chriſti, illiúſve mortem præfigurant. Nihil magìs ad vivum exprimit Crucifixionem Servatoris, quàm elevatio Serpentis ænei in deſerto, quemadmodum & ipſe innuit apud S. *Johannem*. *Ac ſicut Moſes Serpentem extulit in deſerto, ſic oportet filium Hominis extolli, ut quiſquis ei fidem habeat non pereat, ſed vitam obtineat ſempiternam.*

Bath. Id optimè abs te notatum eſt, *Philopoli*. Eſt ſanè Typus ſignificantiſſimus, ſummaque mihi ſolet eſſe oblectationi quoties apud me conſidero non unum illud tantummodo ænei Serpentis Symbolum, ſed quomodo tota caſtra Iſraelis cum Tabernaculo inter ipſos unus integer eſſet Typus ſanctus itinerantis Eccleſiæ Chriſti viámque conficientis per hujus Mundi Eremum ad Terram promiſſionis ſive Regnum cœleſte. Incarnatio Chriſti, Divinitas ejus & Apotheoſis, Paſſio, Aſcenſio & Interceſſio, cuncta hæc admodum graphicè figurantur in ſtatis illis Typis Iſraelitarum.

Hyl. Quomodo, quæſo, *Bathynoe*?

Bath. Incarnatio τȣ̃ λόγȣ, O *Hylobares*, apertè præfiguratur in Tabernaculo atque דביר ex quo Deus loqui ſolebat. Nôſtique Apoſtolum mortale hoc corpus σκήνωμα, *2 Pet. 1. 13.* i. e. Tabernaculum appellare, quemadmodum & antiqui *Pythagorei* σκῆνος. Verbúmque, apud S. *Johannem* dicitur σκηνῶσαι ἐν ἡμῖν, Tabernaculum ſuum poſuiſſe *Johan. 1. 14.* inter nos, ubi Apoſtolus agit de illius Incarnatione. Dei igitur Reſidentia in Tabernaculo (*Iſraelitis* interim tentoria ſua circa eum defigentibus) facilis eſt Repræſentatio Incarnationis Chriſti, Verbíve ætatem degentis in carne, apud nos ætatem in carne degentes.

Hyl. Sic eſt, *Bathynoe*.

Bath. Et quod ad Chriſti Paſſionem attinet, quid eam rem meliùs ſignificare poterat, (prout *Philopolis* rectè jam obſervavit) quàm iſte Serpentis ænei Typus? quippe quum Chriſtus, ut ille, in ſua Crucifixione in palo ligneo elevatus eſſet. Et quemadmodum Teleſma illud execratiſſimam formam gerebat omnium Animantium, ſerpentinam utique, ità Chriſtus pro nobis factus eſt peccatum & execratio inter duos latrones crucifixus, ac ſi ipſe talis fuiſſet malefactor. Cæterùm cùm ipſe nullum haberet peccatum, Contemplatio illius in cruce ſic pendentis ſummam virtutem habuit ad tollendum tum dolorem tum venenum peccati ſimul, & ad nos redimendum ab æterna morte; ut Serpens æneus, cùm Serpens non eſſet, ſed tantùm Figura, eos qui ad eum aſpexerint ex morſu ac veneno preſterum Serpentum ſanos fecit & ſic eos redemit à morte temporali.

Hyl. Sed quomodo *Aſcenſio* ejus & *Interceſſio* præfigurata eſt in hiſce Typis Iſraeliticis?

Bath. Interceſſio, *Hylobares*, ſignificatur per ἱλαστήριον, ſive Propitiatorium. Nam ex eo quòd Chriſtus paſſus eſt in carne, & ad dextram Dei nunc conſedit, is noſtra apud eum eſt propitiatio. In eo Deus mundo factus eſt propitius. *Aſcenſio* verò ejus, (quemadmodum & Interceſſio) porrò præfiguratur, per Pontificis ſolius introitum quotannis in Sanctum Sanctorum.

Hebr. 9. *Hyl.* Quod id ipſum eſt, quod Author ad Hebræos notavit.

Bath. Et poſtremò, *Hylobares*, *Divinitas* ejus in veſtimentis *Aaronis* Pontificis, qui illuſtris proculdubio Typus Chriſti erat, magnificentiſſimè intexta eſt, & acu picta. Nam fatente ipſo *Philone Judæo*, veſtimenta *Aaronis* Typus erant Mundi aſpectabilis. Et quis dici poteſt geſtare, & in formam ordinémque extendere, impleréque totam Naturæ Fabricam ſuâ præſentiâ, niſi is qui fecit, illiúſque conſervat exiſtentiam? Quis niſi ὁ δημιουργὸς νοῦς, ſive Divinus *Logos?* Nullus hæc veſtimenta effarcire dici poteſt, præter ipſum. Veſtimenta verò *Aaronis* non ſolùm Typum fuiſſe Univerſi, ſed ad veriſſimum illius ſyſtema adaptatum, ex eo apparet, quòd *Ephod* & *Pectorale*, quod circa Regionem cordis, (qui Sol hujus minoris eſt Mundi) collocabatur, contexturam ſuam habuit ex cocco & purpura, cum auro byſſóque candida, quæ planè vehementem denotant calorem reſulgentémque lucem Solis, qui *Pythagoreorum* eſt τὸ πῦρ ἐν μέσῳ ἱδρυμένον, ut *Ephod* & *Pectorale* hoc collocatur in medio *Aaronis* corpore. *Pallium* etiam *Hyacinthinum* tantum Cœli repræſentat, quantum Planetarum ſpacio comprehenditur, quos *Mala-granata* pendula repræſentant, ut & *Stola* illa *ocellata* porrò extenſa cœlum ſtellatum, quippe Stellæ, tot ſcintillantes oculos referunt, *Tintinnabula* autem Harmoniam Univerſi.

Exod. 26. 6.

Hyl. Rem optimè teneo. Legi enim apud recentem Authorem pleniorem ad eundem ſenſum, deſcriptionem. Harum Congruitatum Typorum Iſraeliticorum conſideratio mentem meam mirâ quidem voluptate percellit. Admodum admirabilia ſunt, *Bathynoe*, admodúmque delectabilia ac ſolida pignora, (cum eorum completione in Eccleſia Chriſtiana comparatæ) perpetuæ & pervicacis Providentiæ Dei in rebus ad hunc modum promovendis proprii ſui populi atque regni.

XXIV.
Vaticinia vocalia de Regno Chriſti illiúſque ſucceſſu in orbe.

Philop. Sunt verò, *Hylobares*, qui faciliùs convincuntur per expreſſa *Vaticinia vocalia*, quàm per *ſilentes Typos*, quippe quorum ingenii tarditas facit ut tales Interpretationes, nimiæ Imaginationis indulgentiæ ſuſpectas habeant.

Hyl. Quamobrem, *Philopoli*, ad iſtam *Philotheus* provinciam facilè rediturus eſt, ex leviſſima ſubindicatiuncula.

Philoth. Faciam, *Hylobares*. Spero autem *Philopolin* minimè expectare ut per omnia Vaticinia quæ ad Judaicam ſpectent Eccleſiam pervagarer: Penſum enim eſſet quod integrum requireret volumen.

Philop. Tantum abeſt ut id à te expetam, *Philothee*, ut metuam ſanè nè feceris, quod igitur inhibitum volo, utì etiam, nè quicquam tibi moleſtiæ crees, recenſendo rerum Judaicarum ſucceſſus dum eorum Politia manebat. Hæc enim legere licet in ſacris Bibliis ordine narrata, támque numeroſa ſunt, ut præcipuum propoſitum, ſi hæc aggrederemur, amitteremus. Captivitates eorum propter peccata ſua, ad bene magnum antè temporis intervallum comminatas fuiſſe, reditúſque prædictos, vulgo notum eſt. Nè tempus nos deficiat, obſecro te, *Philothee*, ut ſermonem reſtringas ad ea ſola Vaticinia & Obſervationes quæ ad Regnum Dei pertineant, à filio Dei domino Chriſto inchoatum.

Philoth. Quale eſt illud *Jacobi* Vaticinium, cujus noviſſimè mentionem feci. In quo diuturna illa decem Tribuum Captivitas videtur involvi. *Jacobi* enim Vaticinium in eam Tribum ſe determinat, quæ manſura erat uſque ad adventum *Meſſiæ*.

Philop. Iſtud verò manifeſtum indicium eſt *Jacobum* Vaticinia de ſuis Filiis non temerè quidem effutiiſſe.

Philoth. Sic eſt *Philopoli*. Et quemadmodum Vaticinium *Jacobi* tam apertè tempus definit, intra quod certò venturus erat *Meſſias*; ſic etiam faciunt iſta *Haggæi* & *Malachiæ*, utraque planè declarant, factum iri intra tempus Templi ſecundi.

Cap. 2. 6.
Cap. 3. 1.

Philop. Novi ſic declarare. Qua in re Providentia admodum fideliter ſe geſſit erga Populum Dei, tam certum ſignum præmonſtrando adventûs ſui Servatoris, & ut Judæi intelligant ex Templo ſuo demolito, nullum ſupereſſe Templum versùs quod adorare poſſint præter ſacroſanctum corpus Jeſu filii Mariæ, quod in cœlum in ſua *Aſcenſione* ſecum deportavit.

Philoth. Hi valdè manifeſti Divinæ Providentiæ tractus ſunt, *Philopoli*. Nihil autem, meâ quidem ſententiâ, tam accuratum, quantùm ad deſignationem temporis adventûs Chriſti, quàm Septuaginta *Danielis* Hebdomades, quarum ſuprà mentionem fecimus. Nam Epochâ Hebdomadum anno ſeptimo *Artaxerxis* (Ezræ 7.) affixâ, Paſſio Chriſti (ſive Meſſiæ qui perimendus dicitur) intra ultimam Hebdomadem cadet. Annon verò hæc admodum præciſa eſt Prædictio, quæ fiat quinque aut ſex centenis Annis ante Eventum?

Hyl. Hæc ſanè Providentiæ egregia eſt demonſtratio, ſi Textûs ſit facilis & obvia congruitas cum Eventu.

Philop. Mihi crede, *Hylobares*, Applicatio valdè facilis eſt & naturalis, taliſque quæ nullam habere poſſit Rivalem, quemadmodum intelligo ex recèns edita Explicatione illius Vaticinii.

Vide Myſter. Pietat. lib. 7. cap. 4.

Philoth. Eſt tamen adhuc maturior prædictio, O *Philopoli*, perpeſſionum Chriſti apud *Eſaiam*, qui plus centum annis priùs vaticinatus eſt. Quod Vaticinium multas alias notas Characteriſticas illius Perſonæ complectitur.

Philop. Capite putà 52. Illud equidem admodum illuſtre eſt Vaticinium, taléque cui abunde acquieſco. Satíſque perſuaſus ſum de exacta Dei Providentia illiúſque vigilantia ſuper Eccleſiam ſuam, qui determinatum Tempus, proprióſque characteres perſonæ Chriſti Servatoris Mundi ad hunc modum prædixerit. Mens mea verò ad ſucceſſum illius adventûs excurrit.

Philoth. Is qui repræſentatur albo Equo inſidens (in apertione primi Sigilli Apo-
Apoc.6.2. calyptici) cum arcu in manu, ſcopum tandem attigit ad quem collimabat, & tum
primùm poſſeſſionem iniit illius coronæ quæ ipſi data erat, quum ſub ſigillo ſexto
Romanum Imperium ſub *Conſtantino* factum eſt Chriſtianum. Verùm, prout Spiritus Prophetiæ prædixerat, quòd per multas Tribulationes & Afflictiones intrandum
eſſet in Regnum cœlorum; ità per multas horridas ac cruentas perſecutiones difficiléſque oppugnationes Chriſtianitas tandem totum poſſedit Imperium. Ac proinde
tempus hoc conflictationis aptè præfiguratur per cruentum illud prælium *Michaelem*
inter & *ſepticipitem Draconem*, Perſecutióque illa omnium diriſſima (*Diocletiani*
temporibus incepta & per regnum aliorum aliquorum Imperatorum continuata)
Apoc.6.9,10. per *Aram*, in ſigillo quinto, ſub qua cernebantur Animæ necatorum propter ſermonem Dei proptérque Teſtimonium quod habebant. Qui ingenti voce ſic clamabant,
Quouſque tandem, O Domine ſancte atque vere, non ulciſceris ac vindicas ſanguinem noſtrum de terræ Incolis? Sed ſtatim poſt hanc ſummam calamitatem, illuſtris illa exti-
Verſ.12. tit Eccleſiæ victoria per *Conſtantinum*, ingens utique ille Terræ-motus, in apertione
ſigilli ſexti, qui quaſſavit confregítque Poteſtatem Paganicam, Imperiúmque conjecit in gremium Eccleſiæ. Quamobrem id impletum eſt modo eminentiori, quod
prædictum eſt à *Daniele* Propheta, *Iſtorum autem Regnorum temporibus ſuſcitabit Deus*
Dan.2.44. *cœleſtis Regnum, &c.* Quod Regnum appellatur *Regnum Dei* & *Regnum Cœlorum*,
(prout antè innui ex hiſce Vaticiniis;) quódque incepit quidem cum Chriſto &
Apoſtolis (ac proinde utplurimùm vocatur Regnum Chriſti) ſed modo magìs notorio ſic factum eſt, poſtquam per fortitudinem ſuam ac tolerantiam Imperium Romanum Chriſti ſceptro ſubjugaverant; atque ſic permanſit, quamdiu Eccleſia erat
Symmetra, qualis erat toto tempore primorum ſex ſigillorum. Cæterùm intra Centuriæ quartæ quintæque confinia, externum hoc *Regnum Chriſti* degenerare incepit in
Apoc.13.3. *Regnum Antichriſti*, Beſtiáque quæ vulnus lethiferum acceperat, incepit ſanari, omnéſque Idololatriæ Superſtitionéſque Paganorum tandem revixerunt in ſpurio quo-
Verſ.14. dam genere Chriſtianitatis, novíque ritus Idololatrici Eccleſiæ viva Imago facta eſt
antiqui Ethniciſmi. Et Beſtia denique *quæ non erat*, durante regno Cæſarum purè
Apoc.17.8. Chriſtianorum, facta eſt *Beſtia quæ erat & non eſt & tamen eſt.* Imperium enim rurſus *Paganum* evaſit, evadendo *Idololatricum*, & tamen non *antiquum* illud Imperium
Paganum, quoniam Paganum rurſus factum eſt *Pſeudo-Chriſtiano* quodam genere Idololatriæ, & tamen per ſimilitudinem eſt antiquum iſtud Imperium Paganum, cùm
Idololatria & Homicidium aliæque craſſæ Enormitates tam viva lineamenta ſint in
forma utrorumque. Hic eſt ſucceſſus, *Philopoli.*

XXV.
Eccleſiæ Apoſtaſia quàm conſiſtens ſit cum durabilitate Regni Dei apud Danielem.

Philop. Hoc nimis verum eſſe credo, *Philothee.* Cæterùm, dic mihi quomodo conſiſtet hæc Eccleſiæ Apoſtaſia cum illo quod ſequitur apud *Danielem?* Ait enim, *Iſtorum Regnorum temporibus* (putà Regni quarti, viz. Romani) *ſuſcitabit Deus Cœleſtis Regnum nunquam evertendum, quod quidem omnia illa regna comminuet & conficiet, ipſum autem ſtabit in æternum.* Quomodo hæc ſtatio conſiſtere poteſt cum illa Apoſtaſia?

Philoth. Magni hæc momenti Objectio eſt, *Philopoli.* Et tamen haud ità longè
accerſenda eſt Reſponſio. Quanquam enim non concederemus ſenſu quodam magìs
externo & Politico Orbem Criſtianum etiam degenerem appellari poſſe Regnum
Chriſti, atque has Apoſtaſiæ ſuæ Repræſentationes non tam ſignificare quòd Chriſti
ſponſa non ſit omnino, quàm quòd ſponſa ſit adultera, illiúſque turpitudines tanta
cum aggravatione deſcribi, ut eò efficaciùs ad bonam revocetur frugem populúſve ex
illius communione evocetur; vel hoc unum huic difficultati ſatisfacere poteſt, quòd
per totam hanc horrendam Eccleſiæ Apoſtaſiam per iſtas figuras repræſentatam (per
Meretricem ſcilicet *Babylonicam, Beſtiam bicornem, falſum Prophetam, Beſtiam ſanatam decacornem, Proculcationem exterioris Atrii à gentibus menſes quadraginta duos,*
quemadmodum & per *Cornu parvulum oculatum*, quod *Daniel* memorat, *ad tempus &*
Dan.7. *tempora & dimidium temporis dominaturum*) conſiderare debemus continuationem fuiſſe toto hoc tempore Apoſtolicorum Subditorum Regni Chriſti huic Apoſtaſiæ Synchronam, & præfiguratam per *Cœtum Virgineum* in Apocalypſi, per *duos Teſtes prophetantes centonibus amictos, mille ducentis ſexaginta diebus*, & per *Mulierem in Deſerto ad*

tempus & tempora & dimidium temporis illic manentem. Adeò ut Regnum à Chriſto illúſque Apoſtolis inchoatum, licèt afflictum divexatúmque & ſæviſſimis modis & à Roma Paganica & à Roma Antichriſtiana impugnatum, nunquam hactenus expugnatum ſit, ſed adhuc manet ad hunc uſque diem, ad omnia illa glorioſa propoſita quæ intenderit Deus. Hic eſt ille pretioſus *lapis ſine manibus exciſus,* qui futurus eſt mons *qui totum terrarum Orbem impleat,* non autem carnalis illa Idololatrarum & truculentorum Homicidarum Maſſa. Hæc ſunt illa centum quadraginta quatuor millia in *Sione* monte congregata; Et ſi quæris ad quam Hierarchiam pertineant, Hi Agnum ſequuntur quócunque vadat, neminem autem hominem ſequuntur ultrà quàm is Agnum ſequitur, quemadmodum antiquus Agni ſectator eos monet, *Eſtote Sectatores mei ut ego ſum Chriſti.* In hoc Capite unitum Regnum ſunt Dei atque Chriſti; ſub illius legibus vitam agentes nullíſque ſe ſubmittentes Inſtitutis aut Decretis quæ illis adverſentur. Hoc Regnum, *Philopoli,* nondum abolitum eſt, &, quod ſumma cum confidentia enuncio, nunquam abolebitur.

Dan.2.35. *Apoc 14.1.* *1 Cor.11.1.*

Philop. Sic & ipſe itidem ſpero. Cæterùm intereà loci, ſumma ſucceſſûs *Regni Chriſti* poſt inceptam Apoſtaſiam hæc videtur eſſe; Quod Regnum Chriſti deinceps per Annos circiter mille ducentos ſexaginta factum eſſet *Regnum Antichriſti,* exceptâ ſucceſſione cohortum illarum Agni, quæ paternum nomen habebant frontibus ſuis inſcriptum, quibúſque ſolis datum eſt canere *novum carmen* ante Thronum, quippe à Terra redemptis, puríſque factis virginibus, quorum in ore nulla reperta eſt fraus.

Apoc.14.3,4.

Bath. Hi iſti ſunt, *Philopoli,* de quibus etiam ſcriptum eſt, *Quicunque autem eum acceperunt iis eam poteſtatem dedit, ut Dei filii fierent, fidem habentibus ejus nomini; Qui non ex ſanguine nec ex voluntate carnis nec ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti ſunt.* Et à carnali homine abſcondita ſunt omnia Myſteria Regenerationis. Nova illa Natura *novum carmen* eſt quod antequam verè regeneratus ſit, nunquam poteſt ediſcere, quantamlibet adhibuerit diligentiam ſéque quàm volet ſtrenuè geſſerit, inſanctificatæ ſoli Rationi, externíſque Inſtitutis innixus.

Johan.1.12,13.

Sophr. Et propter hanc Ignorantiam vel potiùs Vitæ Antipathiam, bellum iſtud & perſecutio movetur adversùs inſontes milites Agni. Quemadmodum notatum eſt ab Apoſtolo, *Nos verò fratres, ut* Iſaacus, *promiſſionis nati ſumus,* hoc eſt, Spiritualis Nativitatis filii; *Sed ut tunc qui ſecundùm carnem genitus eſt perſequebatur genitum ſecundùm Spiritum, ità fit etiam nunc.*

Gal.4.28. *Verſ.29.*

XXVI.
Regnum Antichriſti quàm legitimè ſic dictum, & an Papa ſit homo ille peccati ab Apoſtolo memoratus.

Cuph. Immò, & ſemper, opinor, ſic futurum eſt, O *Sophron,* præſertim dum ii qui ſecundùm Spiritum nati ſunt, nomina tam ignominioſa indunt natis ſecundùm carnem. Quàm mira eſt iſta *Philothei* contumelia, ut Regimen Eccleſiæ per mille Annos & ampliùs, *Regnum Antichriſti* appellaret?

Sophr. Quid igitur, *Cuphophron,* vin' tu ut *Philotheus,* judicio ac loquelâ ſapientior ſit quàm ipſius Dei Spiritus, qui Monſtrum iſtud quod Eccleſiam ità corrupturum erat & vaſtaturum, *Antichriſti* nomine appellabat, quod & fecerunt univerſim antiqui Patres? Et obſecro te, utrùm *falſus Propheta, Cornu blaſphemum oculatum, Beſtia bicornis, Meretrix Babylonica* & *Homo peccati,* molliores appellationes ſint, quàm iſta *Antichriſti?* Atque hæ certò ad *Hierarchiam Romanam* pertinent.

Cuph. Cornu *blaſphemum* oculatum, *Meretrix Babylonica* & *Homo peccati,* meâ quidem ſententiâ, æquè contumelioſi Tituli ſunt atque ille *Antichriſti.* Et ſi Epiſcopus Romanus demonſtrari poſſet horum eſſe quilibet, præſertim Homo peccati, difficile eſſet amoliri alteram illam magìs vulgarem imputationem contra quam adeò recalcitrant.

Eviſt. Eccleſiæ erat univerſim recepta opinio *Hominem Peccati* in Epiſtola ad *Theſſalonicenſes* deſcriptum, illum famoſum eſſe Antichriſtum qui Chriſtianum Orbem ſuo ſtrepitu & terrore implebat.

Philoth. Fuiſſe autem Pontificem *Romanum* cum ſuo Clero, *Cuphophron,* tu qui adeò ſcrupuloſus es circa legitimam Originem Regni Dei in *Reformatione,* peculiarem habes obligationem cur credas: quippe quum origo & continuatio Papalis Principatûs tam inviſis impiíſque rationibus facta ſit, ut nihil fingi poſſit ſuprà. Nullam enim iſtiuſmodi univerſalem ſuperioritatem, quam is prætendat, à Chriſto ſibi relictam eſſe apud optimos ſuorum Hiſtoricorum agnoſcitur, ut apud *Guicciardinum,* exempli causâ, in quarto libro ſuæ Hiſtoriæ.

Eviſt. Iſtud intelligis, *Philothee,* quod omiſſum erat in *Latinis, Gallicis* & *Italicis* exemplaribus *Guicciardini,* impreſſúmque poſtea & publicatum in eiſdem linguis ſeorſim *Baſileæ,* Anno 1561. Egregium ſanè ſpecimen mali illius doli, quem adhibere ſolet iſta Eccleſia ad rem ſuam ſuffulciendam.

Philoth. Idem ipſum intelligo, *Eviſtor.* Atque illud quidem notatu valde dignum in iſta exceptione exiſtimo, Quòd tametſi Hiſtoricus celebrem illam *Conſtantini* donationem Papæ *Sylveſtro* factam ceu Fictionem rejicit, *Quibuſdam,* ait ille, *in dubium vocantibus vel potiùs affirmantibus* Conſtantinum *nè in eadem quidem ætate cum Sylveſtro vixiſſe nedum partem Imperii ſui per modum Donationis ipſi impertiviſſe* (ut ipſam Urbem *Romam* multáſque alias Civitates & Regiones in *Italia,* eo nempe tempore, quo ſedem Imperii mutans ad *Byzantium* ſe contulit, quæ poſtea ex illius nomine appellata eſt *Conſtantinopolis*) in fine tamen hoc addit, *Nemo tamen negat Imperii* Conſtantinopolin *tranſlatione ad Pontificum potentiam viam eſſe patefactam, ex eáque originem habuiſſe.* Quo quidem nullus aptior eſſe poteſt Commentarius in iſta loca Vaticinii de *Homine Peccati: Et nunc ſcitis quid obſtet quò minùs reveletur ille ſuo tempore.* Et rurſus, 2 Theſſ.2.6,7. *Supereſt tantùm ut qui nunc tenet, è medio tollatur: & tum demum revelabitur ille ſceleroſus, &c.* Præſentia erat Imperatorum *Romæ* quæ impedivit, quò minùs Epiſcopus *Luciferianam* ſuam ambitionem detegeret ſéque ipſum oſtenderet primogenitum omnium Filiorum Superbiæ.

Eviſt. Hoc Patrum ſententiæ valde eſt conſentaneum, qui τὸ κατέχον Integritatem *Romani* Imperii eſſe cenſuerunt, ac ſi illius confractio introductio foret *Antichriſti,* corruptióque, iſtius peſtiferi Monſtri generatio. Verùm receſſus *Conſtantini* ad *Byzantium* non eſt niſi primum initium completionis hujus loci Prædictionis de ſublatione illius è medio, quod viſibile impediebat Antichriſti incrementum, ſupponendo Papam eum eſſe. Inundatio erat Barbarorum quæ hoc propoſitum magìs efficaciter ſecundavit. *Italia* enim ab his debellata & occupata, quanquam erant ad tempus Imperatores *Occidentales,* eorum tamen ſeriem clauſit *Auguſtulus,* & *Conſtantinopolis* ſola ſedes facta eſt Majeſtatis Imperialis. Quæ extraordinariâ Magnificentiâ aucta, adeò Imperatoribus grata erat ut poſtea, cùm Barbari ex *Italia* expulſi eſſent, nunquam eis animus tamen eſſet redeundi *Romam,* ſed *Italiam* regebant per *Exarchos Ravennæ* conſtitutos, qui inferiores Præfectos ſub *Ducum* Titulo, miſerunt, qui *Romæ* reſiderent. Quamobrem hujus ſecularis illìc Poteſtatis obſcuritas & inferioritas fecit ut Eccleſiaſtica, magìs incohibili ſplendore eniteret, honorémque à populo & reverentiam ſedi Epiſcopali lucrifaceret, eóque faciliùs futuræ illos ſubjectioni præpararet. Rebus ſic ſe habentibus *Lombardi Italiam* invadunt, quorum cùm Inſtitutum eſſet totius Regionis poſſeſſionem ſibi acquirere, Imperatoris poteſtatem quantum poterant confregêre. In quibus rerum circumſtantiis Papa bellam nactus eſt opportunitatem ſuas pulchrè agendi partes in proprium ſuum commodum. Cùm enim tam potentem haberet Imperator hoſtem in *Italia,* callidus Epiſcopus novit quî ſuas res augeret per utroſque. Nam à juſtis Imperatoris caſtigationibus quas ob quaſcunque commiſſas Inſolentias meruerit, ſe *Lombardorum* ope defendebat; ſeipſum verò ac Civitatem *Romanam* contra omnem violentiam *Lombardorum* tuebatur, quoties contra eam quicquam moliebantur, ſubſidiis Imperatoriis. Adeò ut cùm utrorumque Poteſtate in rem ſuam abuſus eſſet, *Gallorum* ope tandem utrorumque Dominus evaſit, quantùm ad Ditionem *Italicam;* quippe qui hac ratione in majorem utriſque poteſtatem emerſit. Et poſtremò, cùm labefactatio virium Imperatoris (poſtquam illa contentionis pila inter eos jacta erat) Papæ ſemper eſſet corroboratio, manifeſtum eſt Incurſionem & Inundationem *Saracenorum* in *Orientali* parte Imperii ulterius fuiſſe adminiculum ad injuſtas ſuas uſurpationes. *Orientali* enim Imperio ità labefactato, Barbari eò ſecuriùs ſedes ſuas figere potuerunt in *Occidentali;* Qui cùm rudis & indoctus populus eſſent, eò erant Papæ dicto audientiores, cujus fama propter Civitatem, cùm longè præ cæteris emineret, ut & gratia & poteſtas in orbe Chriſtiano *Occidentali,* rudes hi Proſelyti in ſua ad Chriſtianitatem converſione iſtiuſmodi imbuebantur principiis quæ maximè ad exaltationem Sedis Romanæ conducerent. Adeò ut undequaque videamus, Diſcerptionem & Diſſipationem Poteſtatis Imperii per Nationum Invaſionem feciſſe ad Pontificis elevationem ſui ipſius, in iſtam conſpicuam eminentiam magíſque viſibilem Inſolentiam poſtea in Reges & Imperatores, ut qui ſe oppoſuerit & extulerit ſupra quicquid Deus dicitur aut colitur; quemadmodum Interpretes iſtud vaticinium exponunt.

Cuph. Hoc bellum eſt, *Eviſtor,* & concinnum, admodúmque manifeſta futura fuiſſet Applicatio, ſi Apoſtolus loco vocis τὸ κατέχον, Diſcerptionem *Romani* Imperii expreſſim nominâſſet. Locutio verò cùm tam laxa ſit & generalis neceſſe eſt ut Applicatio eò magìs ſit incerta.

Eviſt. Quid igitur putáſne, *Cuphophron,* par fuiſſe ut Apoſtolus *Theſſalonicenſibus* declararet quòd Imperium Romanum incurſaretur à Barbaris & à copiis ipſorum dilaceraretur, præſertim cùm *Romani* ſpem blandam iſtam concepiſſent, ac ſi *Roma* illiúſque Imperium futurum eſſet æternum?

Cuph. Id fateor futurum fuiſſe haud ità tutum aut conſultum. Quinam autem ſunt ludi iſti impii quos Epiſcopus Romanus dicitur luſiſſe, ad fundandum hoc ſuum *Antichriſtianum* Imperium?

Eviſt. Ingens tibi tædium narratio creatura eſſet, longéque ultra tempus limitatum excurreret. Pauca tamen ſpecimina in prælibationem in medium proferam. Et primò quidem, quid exiſtimas, *Cuphophron*, de illa blandiloquentia *Gregorii* primi, celebratiſſimi illius Sancti & Epiſcopi *Romani* in ſua congratulatoria Epiſtola ad *Phocam*, qui ſeipſum Imperatorem fecerat, per horrendam cædem *Mauritii* Principis ſui legitimi, poſtquam illius liberos in conſpectu ejus occiderat; *Benignitatem Pietatis veſtræ ad Imperiale faſtigium perveniſſe gaudemus, lætentur Cœli & exultet Terra, & de benignis actibus veſtris Reipublicæ populus hilareſcat?*

Cuph. Iſtud quidem nimis quàm ſervile eſt & Paraſiticum, *Eviſtor*, & meâ quidem ſententiâ, pueriliter profanum, Scripturæ ſacræ locutionibus ad hunc modum abuti, quò ſucceſſui applaudat tam impii ac truculenti Uſurpatoris. In quem finem facta eſt improba hæc blandiloquentia?

Eviſt. O *Cuphophron!* Conciliationem gratiæ Imperatoris Sedi Romanæ ſuos, probè novit, fructus edituram ſuo tempore.

Cuph. Quos, obſecro te?

Eviſt. *Phocas* hic erat, Domini ſui Interemptor, qui *Bonifacio* tertio, proximo *Gregorii* poſt unum ſucceſſori, Univerſalis Epiſcopi Titulum donavit. Contra quem Titulum tamen ille *Gregorius*, quando eum ſuſpicabatur Patriarchæ *Conſtantinopolitano* datum iri, exclamavit, ac ſi ad neminem pertineret niſi ad *Regem illum Superbiæ, Antichriſtum* ipſum ejúſve *Præcurſorem.*

Cuph. Verba igitur iſta *Gregorii* blandiloqua, ut videtur, pulchro Titulo *Univerſalis Epiſcopi*, in ſuo ſucceſſore, ſunt remunerata, Verba compenſata verbis.

Eviſt. Iſtiuſmodi verò Tituli verbales, realem proculdubio, O *Cuphophron*, in mentibus populi ſortiuntur effectum, ac proinde hic *Phocæ* favor haud contemnendum eſſe potuit Inſtrumentum ad evehendum Pontificem ad eam Poteſtatem in Orbe Chriſtiano, quanquam fateor eum manum injeciſſe magìs craſſis adminiculis.

Cuph. Id ipſum eſt quod avidè audire cupio, *Eviſtor!*

Eviſt. *Gregorius* ſecundus contra *Leonem Iſaurum* rebellavit, effecítque ut tota *Roma, Romanúſque Ducatus* ſic facerent, & dum Imperator bello implicatus erat in *Oriente* adversùs *Saracenos*, ſeipſum illius partis ſui Imperii in *Occidente*, Dominum conſtituit.

Cuph. Siccine verò, *Eviſtor?* Quem prætextum habuit *Gregorius* ut ſic ageret?

Eviſt. Pulcherrimum prætextum, O *Cuphophron! Leo Iſaurus* à Pontifice *Romano* habitus eſt Hæreticus, quippe qui Imaginum adorationem oppugnavit. *Romano* igitur *Ducatu* mulctatus eſt ob tam immane crimen.

Cuph. Ob crimen obediendi Deo potiùs quàm Pontifici.

Eviſt. Et tamen ob idem crimen dictus *Conſtantinopolitanus* Imperator, *Leo tertius*, per *Gregorium* tertium & Imperio ſuo & Eccleſiæ communione privatus eſt, referente *Platinâ*. Annon hic egregius eſt *Homo peccati*, qui ſic fulminando contra Imperatoris obedientiam Deo ſacróque illius verbo ac præcepto præſtitam, & Imperatorem & Deum ſimul conculcat?

Philop. Hi duo Papæ inſignes erant Imaginis Beſtiæ Inſtauratores. *Apoc.* 13.14.

Eviſt. Nimiùm prolixa foret Hiſtoria, *Cuphophron*, colluſionem tibi enarrare Papam *Zachariam* inter & *Pipinum*, Familiæ moderatorem præſenti tunc Regi *Galliæ*.

Cuph. Verùm obſecro te, *Eviſtor*, breviuſculum ſaltem illius audiamus compendium. Magnopere me oblectant iſtiuſmodi Technarum Narrationes.

Eviſt. *Pipinus* curavit ut Problema hoc Oraculo illi Chriſtiani Orbis proponeretur, viz. Utrùm is qui nomen habet titulúmque Regis, an verò ille qui officio fungitur exercétque poteſtatem, Coronam debeat geſtare.

Cuph. Hoc credo te velle, Utrùm is qui Regno idoneus eſt, an ille qui legitimus eſt hæres ac reverà Coronam poſſidet, debeat eſſe Rex.

Eviſt. Rectè dicis. Is eſt Problematis ſenſus.

Cuph. Caſus haud multùm abſimilis eſt iſti qui propoſitus eſt *Cyro*, cùm admodum puer eſſet, per ſuum Magiſtrum; qui duas tunicas à duobus pueris ſumens, (quorum minor longiorem, alter verò breviorem Tunicam habuit) utraſque *Cyro* tradidit, pro ſuo arbitrio pueris denuò alterutram alterutri reddendas, ut experiretur qualem notionem is haberet juſtitiæ.

Eviſt. Dic verò utram utri aſſignaverit.

Cuph. Longiorem Tunicam proceriori puero, breviorem humiliori adjudicavit.

Eviſt. Ad hunc planè modum *Zacharias* Papa ſibi propoſitum Problema ſolvit, Coronam illi dans qui magìs idoneus habebatur ad eam geſtandam, non autem ei cujus revera erat jure hæreditario.

Cuph. Chriſtiani igitur Orbis Oraculum, pari ſapientiâ, ut videtur, præditum erat, atque puer octennis qui ob craſſum errorem in Juſtitia adminiſtranda vapulavit à Præceptore.

Eviſt. At verò mihi crede, *Cuphophron,* hic non erat error adeò puerilis in *Zacharia* Papa, ſed meditata quædam Fraus & Injuſtitia adverſùs *Chilperichum Galliæ* Regem, quò *Romanam* Sedem promoveret. Suis rebus maximopere conſuluit in tam falſam pronunciando ſententiam. Improbus hic dolus & Injuſtitia *Zachariæ* lapis principalis Angularis erat ſuper quem magnifica Papæ ſuperioritas ad tantam Altitudinem eſt extructa. *Pipinus* enim cùm Regnum *Galliæ* ope & authoritate ſanctæ Sedis *Romanæ* aſſecutus eſſet, ille viciſſim in grati animi teſtimonium, ſemper paratus erat ad promovendam Eccleſiaſticam Papæ Superioritatem, nec tantùm ſpiritualem Juriſdictionem in Eccleſiam *Gallicanam* ei conceſſit, ſed & gladio in omnibus rerum anguſtiis opitulatus eſt, ab Obſidione *Lombardorum* eum liberavit, ditavítque donatione *Exarchatûs Ravennæ,* aliarúmque multarum Regionum in Italia, (tanquam ſpoliorum ſuis armis legitimè acquiſitorum) ut magìs particulatim videre licet apud *Guicciardinum.* Et *Carolus* magnus Regis *Pipini* filius, cùm eiſdem nominibus Sedi *Romanæ* obſtrictus eſſet (quippe qui ſucceſſit Patri, Pontificis Clienti audacíque Coronæ *Gallicæ* uſurpatori) eandem erga Pontificem obſervantiam continuavit, Donationéſque ratificavit ſui Anteceſſoris, quem Papa poſtea, *Leo* ſcilicet tertius, ut alter alterius rem eò meliùs mutuò promovere poſſent, *Romanum* elegit *Imperatorem.* Unde Papalis Authoritas facilè extendebatur cum victoriis *Caroli magni.*

Philop. Vidéſne *Cuphophron,* quàm pulchro Fundamento innixum ſit Regnum *Antichriſti?*

Cuph. Pontificis *Romani* Animationi Conſpirationis rebellium perfidorúmque hominum contra legitimos ſuos Principes.

Eviſt. Immò verò & ipſorum Pontificum Rebellioni, qualis erat *Gregorii* ſecundi contra *Leonem Iſaurum,* qui & Dominum ſuum *Ducatu Romano* ſpoliavit. Quemadmodum & *Stephanus* ſecundus itidem fecit, qui *Exarchatum* accepit à *Pipino* quem ipſe in *Italiam* accerſiverat. *Exarchatus* enim ad Imperatorem *Conſtantinopolitanum* pertinebat Papæ ſupremum Dominum atque Principem, ac proinde illi jure erat reſtituendus.

Cuph. Omne, ut videtur, piſcis erat, quicquid in S. *Petri* naſſam incurreret. Equidem meo judicio Papæ hi admodum notabiles fuerunt Homunciones. Quos alios, quæſo, ludos ediderunt, *Eviſtor?*

Eviſt. Miros profectò, *Cuphophron,* & tam multos, ut ſi ad Gallicinium uſque diſſererem, tempus non ſufficeret ad declaranda multiplicia illa abſona facinora horum, quos ſe prætendunt, ſucceſſorum S. *Petri.* *Gregorius* quintus, cum Imperatore, cognato ſuo, *Othone* tertio, Civitati *Romanæ* Principem ſuum eligendi jus ſubdolè ademit, perpetuam in ſeptem Electoribus *Germanicis* conſtituendo poteſtatem eligendi Imperatorem, hoc tantùm cauto ac proviſo, ut is qui ab Electoribus *Germanicis* electus eſſet, *Imperator* non eſſet appellandus ſive *Auguſtus,* ſed *Cæſar* ſeu *Rex Romanorum* priuſquam coronatus eſſet ab Epiſcopo *Romano,* adeò ut callidus Papa hoc artificio & Civitatem *Romanam* privaverit jure eligendi ſuum Principem idémque partim in ſeipſum tranſtulerit & partim in Principes *Germanicos,* ſed tali ratione quæ ad rem ſuam propriam maximè faceret, Poteſtate Imperatoris ſic enervatâ, ut ipſe quoties res tulerit eò faciliùs ſecuriúſque ei adverſari poſſet & inſultare. Quidam hanc technam Papæ *Innocenti* quarto, aut *Alexandro* tertio imputant. Sed cujuſcunque fuerit, Politica illius ratio omnibus ſatìs eſt conſpicua.

Cuph. Pontifices hi, ut videtur, ſophiſtæ ſunt admodum callidi ac ſubtiles.

Eviſt. Immò verò, & horridè rugientes rapidæque Animantes. Talem enim Imperator *Henricus* quartus *Hildebrandum* Papam, aliàs *Gregorium* ſeptimum expertus eſt, qui poſtquam Imperatorem depoſuiſſet eúmque excommunicâſſet, in *Rudolphum* Ducem *Sueviæ* Imperium contulit. Is verò ab Imperatore in prælio cùm victus eſſet, obſervâſſétque manum ſibi abſciſſam, cor etiam ejus percuſſum eſt ſenſu ſuæ Infidelitatis erga ſuum Principem, Epiſcopóſque increpabat ob improbam ipſorum inſtigationem ad ſumenda arma contra eum, cui in Juramento Fidelitatis manum ſuſtulerat ad Deum.

Cuph. Iſtud admodum notabile eventum eſt, *Eviſtor,* & quod efficere potuit, ut ipſi Papæ animus remolleſceret.

Bath. Cor & ſaxo & inferiori molâ eſt durius. *Job.41.24.*

Eviſt. Omnino ſic eſſe ſentio, *Bathynoe.* A re ſua Mundana proſequenda nihil eos poteſt abſterrere. Ac proinde *Urbanus* ſecundus, qui impium illud decretum fecit, *Jusjurandum non ſervandum eſſe cum homine excommunicato,* hic etiam excommunicavit & perſecutus eſt hunc *Henricum* quartum; & *Paſchalis* ſecundus qui ei ſucceſſit, effecit ut Imperatoris filius arma contra ipſum ſumeret. Qui poſtquam victus eſſet & Pontificis mandato depoſitus, Coronáque & alia Imperialia Ornamenta per vim ei ablata, datáque filio ejus, ipſéque continuò in carcerem incluſus; paulò pòſt cùm præ mœrore & animi ægritudine diem obiiſſet, Papa non paſſus eſt filium ejus ſepelire eum, ſed permittere coegit defuncti corpus toto quinquennio jacere inſepultum.

Cuph. Monſtrum Inhumanitatis! Papa ità ſe gerit ac ſi putaret ſeipſum ſupra omnes Leges Dei pariter ac Naturæ poſitum.

Eviſt. Ac propterea minori cum deteſtatione Ceremonialem iſtam *Adriani* quarti Papæ arrogantiam accipies, qui *Fredericum Barbaroſſam* Imperatorem increpavit, quòd equum conſcenſuro ſtapedem præpoſterum ei teneret.

Cuph. Ridiculus quidam ineſt huic rei faſtus, *Eviſtor,* ſed non tam craſſa Aſperitas & Crudelitas.

Eviſt. Quid autem exiſtimas de hoc ſpecimine Faſtûs Papalis, O *Cuphophron?* Quàm aſperum iſtum putas, aut quàm mollem? *Alexander* tertius *Adriani* ſucceſſor ſuprà nominato Imperatori incurvanti ſe ad deoſculandum ſuæ Sanctitatis pedem, cervicem ei rudi modo culcavit, verba iſta Pſalmiſtæ adhibens, *Super aſpidem, & leonem calcabis, conculcabis leunculum & draconem.* *Pſalm.31.13.* Et quum Imperator, quippe quem pudebat tam vilis Homagii erga Papam, ſubmiſſionem conjicere volebat in S. *Petrum,* dicendo, *Non tibi ſed Petro;* Papa ſtatim ſetas erigens ſurrexit, rurſúſque cervicem illius calcans immani voce reſpondit, *Et mihi & Petro.*

Cuph. Hiſtoriolam iſtam jam olim audivi, quippe tam celebrem. Eſtne verò poſſibile ut ſit vera?

Eviſt. Citantur plùs minùs viginti Hiſtorici ad eam atteſtandam. Viríque ſapientes ac bene in Hiſtoria verſati firmiter credunt,

Cuph. Putáſne Imperatorem Coronâ Imperiali tunc indutum *Eviſtor?* Eò enim magis abſonum futurum fuiſſet, horridúmque ſpectaculum.

Eviſt. Credo non fuiſſe. Et certè eâ ſi indutus eſſet, Imperatoris cervicem non protectura fuiſſet, quò minùs Cervix pede inſultantis Præſulis calcaretur. Papæ enim pilas pedaneas è *Coronis* Imperatorum perinde atque pedum ſcabella è *Cervicibus* eorum fecère.

Cuph. Neſcio quorſum iſta dixeris, *Eviſtor.*

Eviſt. Coronationis modum *Henrici* ſexti & Imperatricis illius per *Celeſtinum* tertium Papam, iſta reſpiciunt, qui ſuis pedibus Coronas Imperatoris & Imperatricis capitibus impoſuit, Pontificali Cathedræ inſidens, & ſimulatque Imperatoris capiti impoſita eſſet Corona, pede ilico eam dejecit, quanquam Cardinales qui adſtabant, viri erant tam urbani, ut Imperatori rurſus porrigerent, illiúſque capiti denuo imponerent.

Cuph. At verò utcunque, haud credo erga Imperatricem tam inurbanum fuiſſe ut Coronam illi de capite, ſuo pede dejiceret.

Eviſt. Nequaquam adeò inurbanus erat.

Cuph. Magna profectò Civilitas eſt, iſti ſexui præſtita.

Philop. An verò non vides interim, *Cuphophron,* quàm viva Imago Papa ſit illius Hominis Peccati qui opponit ſe exaltátque ſupra omne quod Deus dicitur aut quod colitur?

Cuph. Contra ſupráque Σεβαστοὺς ſive *Imperatores* modo quidem eximio ſe extollit, ſed quomodo ſupra Deum?

Philop. Seipſum extollit contra ſupráque Deum authoritativè oppugnando cancellandóque illius leges, quemadmodum manifeſtum eſt ex multis Inſtitutis illius Religionis quam ut legem ſtabilivit expreſſè contrariam Legi Dei.

Eviſt. Summíque illius Clientes, ut ipſe *Bellarminus,* hoc jus illius affirmant, declarantes eum poteſtatem habere efficiendi illud non eſſe peccatum quod eſt peccatum; Et ſi Pontifex Vitia præceperit & prohibuerit Virtutes, Eccleſiam debere credere, Vitia bona eſſe ac Virtutes malas. *Bellar. de Rom. Pontif. lib.4. cap.5.*

Cuph. Enormis profectò hæc eſt Papæ Elatiò ut prætendat ſe mutare poſſe naturam immutabilem Boni atque Mali.

Hyl. Qui panem tranſubſtantiare poteſt in vivum corpus, realémque humanam præſentiam Chriſti, adeò ut naturale illius corpus totaliter præſens eſſe poſſit in plus millies millenis locis ſimul, quid eſt quod hic non poſſit præſtare?

Philop. Dicam tibi, *Hylobares:* nunquam ſe expurgare poteſt apud quenquam æquum & intelligentem Judicem quò minùs cenſeatur audaciſſimus callidiſſimúſque Veterator qui uſquam gentium extiterit.

Eviſt. Sed ut *Cuphophronis* curioſitati modo paulò craſſiori ſatisfacerem: Si Papa ſuum Thronum extollit ſupra Thronum Chriſti, annon manifeſtò ſe extollit ſupra Deum, modo maximè palpabili quem fingere quiſpiam poteſt aut expectare?

Cuph. Quî id quæſo fit, *Eviſtor?*

Eviſt. Cujus Thronus eſt ſacra Menſa, *Cuphophron,* ſi non Thronus corporis Chriſti?

Cuph. Equidem illi qui Panem ſemel conſecratum ipſum corpus Chriſti eſſe cenſent, quod faciunt Pontificii, neceſſariò pariter cenſere debent ſacram Menſam Thronum eſſe Chriſti ſive ſedem Regalem in qua corpus ejus reſidet.

Eviſt. Pedes verò Pontificalis Cathedræ Papæ in Inauguratione ſua, Chriſti Thronum hunc conculcant, in qua etiam ab attonito populo adorationem accipit ídque in Templo Dei materialiter intellecto, perinde atque figuratè.

Cuph. Hiſtoria atque Prophetiæ mirum in modum hiſce in rebus conſentiunt.

XXVII. *Imperatores & Principes quàm frequenter à Papa excommunicati.*

Hyl. Credo autem te interim, *Eviſtor,* ab exemplis proſequendis Inſolentiarum Pontificis adversùs Imperatores in eis excommunicandis deponendíſque diverti. Tam parùm ipſe in Hiſtoria verſatus ſum, ut plura ex te audire cupiam in eo argumento. Etenim hæ res tam horrendos ſecum videntur trahere eventus, totum Chriſtianum orbem præliis immiſcendo, ut meo quidem judicio Epiſcopus Romanus rarò admodum ad has Technas ſe recipere debeat.

Eviſt. Quæ mens, qui ſenſus ſit Pontificum Romanorum hac in re, vel una illa clauſula Bullæ *Pii Quinti* Papæ contra *Elizabetham Angliæ* Reginam ſatìs te edocebit. *Deum ſcilicet Epiſcopum* Romanum *Principem conſtituiſſe ſuper omnes populos omniáque Regna, ad evellendum, diruendum, diſſipandum, conſumendum, plantandum & ædificandum.* Hanc Chartam à Deo ſe obtinuiſſe prætendit. Et mihi crede, *Hylobares,* haud parcè reſtrictéve hoc privilegio uſus eſt, quoties ſpes ulla effulſit Mundano ſuo id poſſe inſervire commodo. Poſtquam enim *Hildebrandus* Papa immane iſtud exemplum in *Henricum* quartum Imperatorem dederat, tum *Urbanus* tum *Paſchalis* idem facinus imitati ſunt, adverſùs eundem Imperatorem, ídque cum eis horrendis circumſtantiis, quas antè memoravi. Poſt hoc autem multa conſimilis Inſolentiæ exempla ſucceſſêre. *Calixtus* ſecundus *Henricum* quintum excommunicavit. *Alexander* tertius *Fredericum* primum, ut paulò antè narravi. *Innocentius* tertius excommunicavit depoſuítque *Johannem* Regem *Angliæ* Regnúmque dedit *Philippo* Galliæ Regi: quemadmodum & *Celeſtinus* tertius, utriuſque *Siciliæ* Regnum *Tancredo* ademptum *Henrico* ſexto Imperatori dedit. Quod verò ad *Henricum* ſecundum, *Angliæ* Regem attinet, nullius Mortalis Superſtitio tam miſeris modis excepta eſt atque illius. Ejus meticuloſitas quidem ac ſuperſtitio fecit ut in Excommunicationis periculum non incurreret. Submiſſio autem illius talis erat quæ infra conditionem vel viliſſimi homuncionis eſſet, maximéve puſilli ac contemptibilis pueruli.

Cuph. Quid ità obſecro, *Eviſtor,* qualis ſit valdè geſtio audire. Pejúſne quid accidit, quàm paſſus eſt *Fredericus Barbaroſſa?*

Eviſt. Ipſe judicabis, *Cuphophron.* Papæ metus, terrórque ſuperſtitionis, Regis animum euſque dejecerat, ut, ſimulatque intra conſpectum Eccleſiæ Cathedralis *Cantuarienſis* veniſſet ubi Martyr ac Sanctus, *Thomas à Becket* jacebat, quem Rex irato aſpectu occidiſſe inſimulatus eſt, calceos ſuos exuerit ac ſi univerſum ſolum ad eam diſtantiam, ſacrum fuiſſet, & in forma miſeri Mendici, nudis pedibus nudíſque cruribus, immo & corpore etiam nudo (niſi quòd vilis Tunica ei erat circumjecta) per urbem ſpectante populo, hoc ſqualido habitu tranſiverit, per lapides cœnúmque Plateæ nudipes incedens, donec ad ſepulchrum veniſſet Sancti quem ipſe malâ ſorte fecerat; ubi illius Sanctitati res ſuas ſacras cum precibus & jejuniis modo perquam humili peregit.

Cuph. Equidem, *Eviſtor,* utrùm *Frederici Barbaroſſæ* Humiliatio an hæc *Henrici* ſecundi magìs ſit tolerabilis, neſcio.

Eviſt. Mox verò ſcies, *Cuphophron! Henricus* enim Rex poſtquam diem noctémque jejunâſſet, & expectationi durorum ſuorum Magiſtrorum propriæque Superſtitionis nondum ſatisfeciſſet, corpus ſuum virgæ diſciplinæ nudum tradidit, Conventúque Monachorum Cantuarienſium congregato, plagam accepit à ſingulis. Rigidi hujus Sancti Vitæ ſcriptor affirmat Monachos fuiſſe non minùs octoginta, Regémque à ſingulis tres plagas accepiſſe.

Cuph. Si hoc diſcrimen ſit inter Humiliationem *Regum* & *Imperatorum*, quantùm ad me, ego profectò *Imperator* eſſe mallem quàm *Rex*. Valde equidem demiror quî factum ſit, ut tam acerbus homo quàm hic *Thomas à Becket*, ſi id ſit ei nominis, in *Sanctorum* numerum unquam ſit relatus.

Eviſt. *Spondanus* id tibi narrabit. *Deo utique gratiſſimam navare operam & coronis dignam, non ſolùm qui pro fide Catholica illibata ſervanda à perſecutoribus necantur, ſed etiam qui pro juribus boniſque Eccleſiæ conſervandis & repetundis ablatis occiduntur.*

Bath. Hoc in fundo latet omnium *Canonizationum* Papalium, opes ſcilicet Mundanúmque commodum Eccleſiæ, in cujus gratiam formârunt conſtituerúntque ſuam Religionem, molem illam ingentem Superſtitionum & Idololatriarum. Unde cenſere ſubit *Thomam à Becket* & *Thomam Aquinatem*, parem ob rationem factos fuiſſe *Sanctos*, nempe quòd Rem Eccleſiæ Mundanam promoverint.

Hyl. Satìs id probabile eſt, *Bathynoe*. Sed perge quæſo, *Eviſtor*.

Eviſt. Idem *Innocentius* tertius Papa excommunicavit etiam *Othonem* quartum, Imperatorem, cúmque Imperii Titulis privavit. Et *Honorius* tertius Papa *Fredericum* ſecundum Imperatorem excommunicavit depoſuítque, quemadmodum & poſt eum fecit *Gregorius* nonus, ídque in circumſtantiis maximè abominandis. Imperator cùm in *Palæſtinam* profectus eſſet, ídque ipſius Papæ cauſâ, hanc tamen opportunitatem eum anathematizandi ſibi arripit, & per Monachos ſuos prædicantes, Inimicos illi creandi in *Germania*, ut per occaſionem abſentiæ Imperatoris iſtorúmque motuum, meliori ſucceſſu exercitum in *Apuliam* mittere poſſet ejúſque illîc terras ſibi occupare. *Innocentius* quartus Papa hunc etiam excommunicavit Imperatorem, & poſt illius obitum Regnum *Siciliæ* filio ademit, dedítque *Richardo*, *Henrici* tertii Regis *Angliæ* fratri. *Bonifacius* octavus excommunicavit *Philippum*, *Pulchrum* dictum, *Galliæ* Regem, & Concilii Edicto, Regno ſuo eum privavit, *Albertóque* dedit Imperatori.

Philop. Hic eſt ille *Philippus* qui inſolentibus Papæ literis reſpondit animoſo hoc præfixo exordio, *Bonifacio* ſummum ſe Pontificem appellanti, parum vel potiùs nullam ſalutem. Sciat egregia tua *Fatuitas* nos in Temporalibus nemini eſſe ſubjectos.

Cuph. Regem credo verum dixiſſe, júſque omnino declarâſſe omnium Secularium Principum Chriſtiani Orbis perinde atque ſuum. Annon verò *Vejovis* ille *Romanus* ſuis eum in fruſtula disjecit fulminibus?

Eviſt. Nequaquam *Cuphophron*. Reſiſtite Diabolo & is vos fugiet. *Philippus Pulcher* & ſua retinuit, taléſque amicos ſibi in *Italia* conciliavit ut Papa *Anagniæ* prehenſus & ignominioſè Equo vili ac ſtrigoſo impoſitus, Romam ductus ſit captivus, nemine terribilem hunc Fulminatorem aut timoris aut amoris ergô liberante. Superbia autem ac dolor vindictam de eo ſumentes cor ſibi tumidum paucos intra dies rupêre, atque ſic mortem obiit inglorioſam, ſucceſſore ejus *Benedicto* undecimo non ſolùm abſolvente *Philippum*, ſed verbis ſummè officioſis ejus gratiam captante. Solent enim Papæ aſſentari caudámque blandè movere eis Principibus quos mordere nequeunt ſine manifeſto periculo proprios confringendi dentes. Verùm ut pergamus: *Ludovicus Bavarus* Imperator à *Johanne* viceſimo tertio Papa excommunicatus eſt, ſuóque privatus Imperio. Quæ ſententia renovata rurſus eſt per ſucceſſorem *Benedictum* duodecimum, ſed tam vehementer à *Clemente* ſexto preſſa ut Electores tandem perſuaſi eſſent novum eligere Imperatorem.

Philop. Is *Carolus* erat, *Johannis Bohemiæ* Regis filius. Quod magno cruentóque Bello occaſionem dedit. Cæterùm quod maximè notatu dignum eſt, hujus Imperatoris Electio ipſius Imperii erat Exdorſuatio. *Carolo* Imperii Tributa Electoribus oppignorante, jurantéque ſe pignus nunquam liberaturum. Ille etiam authenticam illam capitulationem cum ipſis inſtituit, quâ ſine crimine Rebellionis & Infidelitatis, Poteſtas eis conceſſa eſt ſumendi arma adverſùs Imperatorem ejúſque ſucceſſores ad ſua jura defendenda. Ingentem hanc Imperii debilitationem, penetrans & indefeſſa Pontificum ſubtilitas tandem effecit, quippe qui ſemper exiſtimârunt labefactationem Poteſtatis Imperatoris exaltationem fore ſuæ, *Impii verò hîc ſuis retibus capti ſunt.* Poteſtas enim in *Germaniæ* Principes ſic collata tandem apprimè utilis ad introducendam *Reformationem*, & ad humiliandum Pontificem eſt reperta. Cui ſuccurrere in Imperatoris poteſtate jam non erat contra nobilem illum atque Heroicum Athletam pro veritate, *Martinum Lutherum*. Sed nolo te diutiùs interpellare, *Eviſtor*, quò minùs pergas.

Eviſt. Maximi quidem momenti eſt hæc Interpellatio, *Philopoli*, talíſque pro qua non dubito quin *Hylobares* gratias tibi ſit acturus, quem jam certè meis copioſis exemplorum recitationibus abunde ſatiatum cenſeo.

Hyl. Gratias equidem ago *Philopoli*, pro iſto ſcito ejus adnotamento in *capitulationem Caroli* quarti; veruntamen rogo, ut pergas in Recitationibus tuis donec revera ſim ſatiatus.

Eviſt. Id tibi non pollicebor, utcunque pauca alia exempla addam, cùm nondum dixeris te ſatiatum eſſe: Ut illud *Benedicti* decimi tertii, qui Bullam Excommunicationis miſit contra *Carolum* ſextum Galliæ Regem. Bullam verò qui attulerunt admodum ignominioſè tractati ſunt & ad Dominum ſuum cum pulice in auribus, quod vulgò dicitur, remiſſi. *Julius* ſecundus inſanientis inſtar, in omnes partes utrumque gladium vibravit & particulatim in *Ludovicum* duodecimum, *Galliæ* Regem quem excommunicavit, Regnúmque ejus ſubjecit Interdicto, quemadmodum *Innocens* Papa *Johannem* tractavit Angliæ Regem. Multò autem ille meliùs ſe expedivit quàm hic. Generali enim Concilio ab Imperatore Regéque *Galliæ Lugduni* convocato, quod tamen ſtatim *Piſam* tranſlatum eſt, *Julius* illîc pro Incendiario condemnatus eſt, Cathedráque Papali privatus.

Philop. Annon illîc erat quo Rex Coronatos aureos incudi curavit cum hac inſcriptione, *Perdam nomen Babylonis?*

Eviſt. Sic erat, *Philopoli*, bonúmque ſimul omen appropinquanti *Reformationi*. Inceperat enim longiuſculè veritatis diluculum illuceſcere, quod tandem prorupit in magis apertum Diem. Verùm in *Henrici* octavi Temporibus Regis *Angliæ* obſcurum Crepuſculum adhuc erat, cum Poſterorum ætatibus collatum. Et tamen ille Rex diſpicere potuit, ut Papæ excommunicationes fulgur eſſent ſine lapide fulmineo, quam ob rem effulminationes tum *Clementis* ſeptimi, tum *Pauli* tertii, flocci fecit. Ut *Pius Quintus* Reginam *Elizabetham* excommunicaverit Regniſque ſuis privaverit, ſuprà monui. Et *Gregorius* decimus tertius eadem moliebatur conſilia contra Reginam quæ inceperat illius anteceſſor. Illius Papæ memoria in nares omnis Poſteritatis ingratiſſimum effuſura eſt fætorem quòd promoverit applauſerítque diabolico illi conſilio contra inſontes Proteſtantes inito, ſub prætextu celebrandi nuptias inter *Henricum Navarræ* Regem, & Sororem *Caroli* noni, Regis *Galliæ*. Hic *Gregorius* Cardinalem *Urſinum* Legatum miſit in *Galliam*, ut gratias agat, Benedictionéſque impertiat, Chariſmatáque Spiritualia, Regi, illiúſque nequiſſimis ſceleris ſociis, quòd cum tam præclaro ſucceſſu egiſſent hanc pluſquam *Thyeſteam* Tragœdiam.

Philop. Horrendam illam intelligis in *Gallia* ſtragem.

Eviſt. Eam ipſam intelligo. Quam tamen doloſam illam Nequitiam in Pulveris pyrii Techna proditoria fundatam, ſi effectum ſortita fuiſſet, credo longè fuiſſe ſuperaturam. Verùm è Reginæ *Elizabethæ* temporibus nondum me expedire valeo. Contra quam *Sixtus Quintus* Excommunicationem renovavit, ad promovendum *Philippi* ſecundi Inceptum, adverſùs *Angliam*. Hic Papa excommunicavit etiam *Henricum* tertium, *Galliæ* Regem, ut *Gregorius* decimus quartus *Henricum* quartum. Quam excommunicationem *Clemens* octavus adverſùs ipſum renovavit. Multas Privationes excommunicationéſque Papales adverſùs minores Principes ſciens prudénſque omiſi, concludámque cum hac notabili Obſervatione: Diram illam per pulverem Pyrium Machinationem, quæ temporibus *Pauli Quinti* facta eſt, effectum fuiſſe Papalium Excommunicationum & Interdictorum, prout faſſi ſunt ipſi Conſpiratores. Annon jam te ſatìs defatigavi, *Hylobares?*

XXVIII. *Epiſcopus Romanus quàm immaniter reus effuſionis ſanguinis in Orbe Chriſtiano.*

Hyl. Mihi ſatisfeciſti, *Eviſtor*, non autem defatigâſti. Eſtne verò poſſibile ut tam frequentes Excommunicationes eſſent Regum & Imperatorum, atque Privationes, quin ingens bellum ſanguiniſque effuſio ſequeretur?

Eviſt. Id igitur in Hiſtoria notatu valde dignum eſt, quòd Papæ Fulminationes utplurimum largis ſanguinis imbribus erant comitatæ. Quomodo enim aliter fieri poteſt, quandoquidem Principum excommunicatorum terræ eo ipſo per Papam aut extraneorum invaſioni expoſitæ ſunt, aut propriorum Inſurrectioni ſubditorum, quippe juramento Fidelitatis hâc ratione abſolutorum. Saltem quantum in ſe eſt omnia præliis miſcet. *Julius* ſecundus temerè & præpoſterè plantando, & evellendo ac tranſplantando occaſionem dediſſe dicitur cædi ducentorum mille Chriſtianorum ſeptem Annorum ſpacio. Et obſervatum eſt apud Hiſtoricos, duos iſtos Imperatores ſolos, *Henricum* quartum & *Fredericum* primum coactos fuiſſe ſexaginta ad mininum cruenta prælia ſerere cum hoſtibus Imperii ad arma ſumenda per Pontifices Romanos inſtigatis. Si duo aut tria exempla ad tantam Summam aſſurgunt, quid factura eſt Totius computatio? Quid facturæ ſunt omnes Interneciones miſellorum Proteſtantium iſti Summæ additæ, cùm vel una illa Internecio in Gallia intra trium menſium ſpacium facta ad centena hominum millia aſſurgeret? Immò verò P. *Perionius* affirmat in ſola *Gallia* in magna illa Perſecutione adverſùs *Albigenſes* & *Waldenſes* occiſa fuiſſe non minùs decies centena millia hominum. Ab iſto tempore uſque ad Reformationem haud exiguus Numerus Gladio, Igne aliiſque carnificinis exhauſtus eſt. Ab initio Ordinis Jeſuitarum uſque ad Annum 1580 *Balduinus* refert ferè novies centena millia orthodoxorum Chriſtianorum occiſa fuiſſe, hoc eſt, intra triginta aut quadraginta annorum ſpacium. Intra paucos annos in Belgio ſolo, Dux de *Alva* triginta ſex mille Proteſtantium capita manu carnificis abſcidit. Sanctáque Inquiſitio, ut teſtatur *Vergerius*, (homo in ea bene verſatus) minori quàm triginta annorum ſpacio, centum quinquaginta millia hominum, omni genere carnificinarum abſumpſit. Adeò ut ſingulari eruditione ſummóque judicio vir *Joſephus Medus* in ea ſit ſententia, Perſecutionem Papalem, ſtragem hominum in Eccleſia per decem iſtas famoſas perſecutiones ſub Imperatoribus Paganicis factam aut exæquare aut excedere. Et tamen haud mediocris cruento huic Catalogo in *Piedmont* & *Hibernia*, ſi non & aliis in locis, facta eſt acceſſio.

Bath. Horrendæ hujus ac pernicialis Tragœdiæ à Pontifice actæ conſideratio, *Philopoli*, ſæpenumero mihi eam indidit confidentiam ut non dubitem quin crudelis hic Epiſcopus in Viſione *Regis Babylonici* perinde atque *Meretricis* indigitetur. *Tu verò projectus es de ſepulchro tuo ut ſtirps abominabilis, veluti cadaver conculcatum. Non conjungeris eis ſepulturâ, quia terram tuam depopulatus es & populum tuum occidiſti.* Eſai.14.19, 20.

Philop. Cui reſpondet illud de *Meretrice Babylonica. Et in ea Prophetarum & Sanctorum cruor inventus eſt & omnium in terris occiſorum.* Ac ſi Papa totius Orbis Chriſtiani peſtis eſſet ac communis calamitas. Apoc.18.24.

Cuph. Certè, *Philopoli*, ſi qua ſit Hiſtoriæ fides, *Papa* ſaltem *Homo* eſt admodum *peccaminoſus*, ſi non ille *Homo Peccati*.

XXIX. *Truculenta eorum molimina in tollendis è medio Principibus aut pugionibus aut veneno.*

Philop. Et ſi vindictæ cupidinem in Principes ad hunc modum intonando fulgurandóque ac bella movendo explere nequeunt, tum magìs occultâ tacitáque rem aggrediuntur viâ, venenis ſcilicet ac pugionibus. Venenoſa enim aliqua Vipera ex Monaſteriorum umbris prorepens emittitur ad Principem veneno, veluti ſerpentis morſu, interimendum. *Johannes* Rex veneno ſic peremptus eſt per Monachum, & *Ludovicus Bavarus*, ut aiunt, per ſecretum aliquem Papæ miniſtrum. Pluréſque ac magìs appoſitæ Inſtantiæ produci poſſint niſi quòd in præſens memoriæ meæ non occurrant.

Eviſt. Verùm hæc Principum per venenum peremptio, *Philopoli*, cum mira ſcrupuloſitate miniſtratur ac cautela.

Philop. Quid eſt quod velis, *Eviſtor*, eos admodum eſſe cautos & circumſpectos, nè dum venena tam lethifera tractant, ſibi ipſis imprudentes noceant?

Eviſt. Diligenter cavent nè animam Principis veneno perimant, efficiendo, ut ipſe ſibi mortem conſciſcat. Ac proinde Regicida iſte Jeſuita *Mariana* monet ut nec cibum nec potum veneno inficiant, quoniam ſic Princeps admovendo calicem cibúmve ori ſuo *Suicidii* crimen incurreret, ſed ut infundant potiùs forte aliquod ac ſubtile venenum in veſtimentum aliquod illius aut Ephippium.

Bath. Quaſi verò Princeps *Suicidii* non æquè futurus eſſet reus veſtimenta ſua induendo, aut conſcendendo in Ephippium, quàm admovendo manum ori ad cibum capiendum. O execrandam Hypocriſin Homicidarum Nebulonum omnibus diris devovendam! vel potiùs, O abominandum contemptum ſanguinis vitæque Principum, quoties res eorum juráque utilitatibus Papalis Tyrannidis adverſantur! Quid hoc aliud eſt quàm obliquè irridere ac ſubſannare, tacitéque exultare in falſa illa ac deteſtabili libertate quam ſibi ſumunt, ſancti ſui Patris Papæ cauſâ, occidendi trucidandíque perſonas quas Terra alit omnium maximè ſacras?

Philop. Equidem, *Bathynoe*, te in rectum incidiſſe ſenſum exiſtimo illius loci *Marianæ*. Mihi profectò videtur rancidè, affectatam quandam Hypocriſin olere, vilémque contemptum ſacri ſanguinis Principum.

Cuph. Eſtne verò poſſibile, *Philopoli*, ut pugionibus homines ſic transfodiant, quemadmodum tu narras? *Hectorum*, quos vocant, mos hic eſt & per vias publicas Graſſatorum, non autem Perſonarum Religioſarum.

Philop. Nôſti, *Cuphophron*, cujus id dictum ſit, *Fur non venit niſi ut furetur, ut mactet, ut perdat. Chriſtus*, bonus ille paſtor, vitam ſuam ponit pro ovibus. Nunquid igitur iſtuc adeò eſt mirum, ſi *Antichriſtus*, quippe *Chriſto* oppoſitus, mactet oves in rem propriam atque lucrum? Johan.10 10.

Cuph. Hæc autem exempla, *Philopoli*, ſpero admodum rara eſſe.

Philop. Hoc genus aggreſſus adverſùs illuſtrem illam fœlicis memoriæ Reginam *Elizabetham* multi erant, quanquam per Omnipotentis protectionem, nullum ſortiebantur effectum. Notiſſimum verò eſt apud Hiſtoricos *Jacobum Clementem*, Monachum Dominicanum, *Henricum* tertium *Galliæ* Regem cultro venenato confodiſſe. *Petrus Barrierus* etiam *Henrici* quarti cædem aggreſſus eſt, eò à Jeſuita *Varado* ſubſtitutus & animatus. *Johannes* itidem *Chaſtellus* Jeſuitarum diſcipulus, ad peccatorum ſuorum remiſſionem obtinendam, æternámque vitam, ut is edoctus erat, ejuſdem Regis occiſionem aggreſſus eſt, ſed unum è dentibus tantùm ei pugione ſuo eliſit. Verùm perditiſſimus ille Nebulo, *Ravaillac* ab *Aubignio* Jeſuita animatus, horrendam illam cædem executus eſt, quæ toties antea fuit tentata, córque Regi in plateis *Lutetiæ* curru ſedenti pugione ſuo confodit, allegans in ſua examinatione, Regem bellum gerere voluiſſe adverſùs *Deum*, Papam utique innuens.

Cuph. Bone Jeſu! Non putabam, *Philopoli*, res tam veſanis modis in orbe adminiſtrari. Papam video hoſtem eſſe valde pernicioſum.

Sophr. *Cuphophron* in ſummo ſuo Philoſophico ac Metaphyſico ità hactenus quaſi incaveatus eſt Hyperoidio, ut nunquam dignari potuerit ſuos in externas hujus Mundi Inferioris tranſactiones oculos deflectere.

Cuph. Atque hoc affirmo tibi, *Sophron*, me exiſtimare, haud mediocre ſapientiæ ſpecimen eſſe, ſic incaveatum manere, tacitíſque acquieſcere ſolatiis Virtutis ac *Philoſophiæ*. *Religionem* enim video rem eſſe pugnacem admodum ac litigioſam.

Philoth. O *Cuphophron, Cuphophron!* noli tibi ipſi imponere, per ullum inanem prætextum ſolatiorum Virtutis, niſi *vitam* in te habeas, nec *vitam* te habere præſume, niſi *ſinceram* in te ſentias *antipathiam* adverſùs virtutis Inimicos, adverſùs omnia genera vitiorum ſceleratarúmque Actionum, maximámque contra maxima. Et tunc Vitam hanc & *Antipathiam* incaſſum eſſe apud te reputa, niſi & *fortitudinem* habeas, quâ ſpectare audeas foras, ad inveniendum ubi *Juſtitia* ac *Veritas* habitent, & tuam cum eis, ubicunque fuerint, cognationem agnoſcere, cum aperta armorum denunciatione adversùs omnes ipſarum Inimicos. Qui *fortitudinem* non habet, O *Cuphophron*, Proditorem in ſuo corde circumgeſtat adversùs *Deum*, adversùs *Principem* ſuum, & adversùs omnem *Virtutem* ac *Veritatem*.

Cuph. Immò verò, Fortitudo bona res eſt, fateor, *Philothee*, ſiqua eam aſſequendi ſatìs comperta eſſet ratio. Verùm dic mihi quæſo ſemel & compendiariò, quæ ſint maximè deformes maximéque *Antichriſtianæ* enormitates in *Hierarchia Papali?*

Philoth. Turpes Idololatriæ, Impoſturæ craſſæ, diráque Homicidia.

Hyl. Nè vivam, ni *Cuphophron* in benignam animi inclinationem adeò ſit perterritus, ut *Advocatum generalem Papiſtarum* nunc acturus ſit quemadmodum antea *Paganorum*.

Sophr. Et pari utrobique, ni fallor, cum ſucceſſu.

XXX.
Cuphophronis
Apologia pro Idololatriis Romanis.

Cuph. Permittite mihi quæſo parumper experiri. Strepitus enim hic circa Idololatriam apud homines qui veram Notionem fidémque habent Dei, mihi interdum quidem videtur Mormolyceum potiùs quàm malum ullum adeò pernicioſum. Rem breviter ſic accipitote. Qui unum illum verum Deum profitetur, Idololatriæ committendæ planè eſt incapax, ut qui nihil aliud præterea colere queat eodem deſtinato honore quo eum colit. Atque ille ſolus peculiaris honos eſt Deo debitus, quem appellant *Latriam*.

Philoth. Hunc verò, O *Cuphophron*, Pontificii Hoſtiæ conſecratæ tribuunt, quæ non eſt Deus.

Cuph. Verum eſt eos profiteri ſe ſic facere. Cæterùm niſi Hoſtiam pro vero Deo haberent, eam nollent colere. Adeò ut cultus reverà Deo vero deſtinetur, & ad ipſum tranſeat.

Philop. Quid, ullúſne, *Cuphophron*, Paganus unquam dedit, poſſibiléve eſt ulli mortali ſupremum illum cultum ulli rei quam ſupremum eſſe Numen non putat, ſeriò dare? Quamobrem ſi error excuſat ab Idololatria, nulla uſquam terrarum hactenus commiſſa eſt nec unquam committi poteſt à ſincero Cultore, Idololatria, ſed tantùm ab eo qui aut pœnæ formidine aut turpis lucri ſpe inductus colit.

Cuph. Fieri poteſt, *Philopoli*, ſi Idololatriam ad verum Philoſophicum Metaphyſicúmque *Lydium lapidem* expendamus. Multóque ſic præſtat, ſi nulla ſit.

Sophr. Annon prædixi, quàm fœlix futurus eſſet *Cuphophron* Advocatus *Pontificiorum*, quippe ad eas redactus anguſtias ut nullâ aliâ eos ratione ab Idololatria purgare poſſit, quàm admittendo nunquam hactenus extitiſſe nec exiſtere poſſe in rerum natura, voluntariam & per conſcientiam commiſſam Idololatriam? Hoc certè gratificatur & deamatis ſuis *Paganis* & *Papiſtis* ſimul. Noſtra verò Idololatriæ criminis in ullam partem intentatio, eorundémque abſolutio, ſecundùm fugitivas Metaphyſici Ingenii ſubtilitates fieri non debet ſed ſecundùm ſignificationes Scripturæ, & tali in ſenſu qui vulgari captui maximè ſit obvius, qui hiſce quidem in caſibus magìs ſolidè utplurimum judicant quàm ii qui callidi ſunt ad Scripturam, in rem propriam, pervertendam. Qui in Decalogo dixit, *Non incurvabis te coram Imagine nec illam coles*; hoc eſt, nullam coles Imaginem teipſum coram ea incurvando, & etiamnum Idololatriam in Novo Teſtamento prohibet, nec ullam novam illius definitionem declarat, proculdubio vult ut Chriſtianus Orbis hujuſmodi Actiones pro Idololatricis habeant, præſertim ſi conſideremus Chriſtianæ Religionis Puritatem ac Spiritualitatem.

Cuph. Et quantùm ad Sanctorum Invocationem, *Philopoli*, mihi videtur ſatìs immunis omni ſuſpicione Idololatriæ, majórque potiùs Divinæ Benignitatis agnitio, quippe qui facultates ſervorum ſuorum, Sanctorum utique defunctorum ad tam ſublimem perfectionis gradum evexit, ut omnia quæ hîc in terris aguntur, ab altiſſimis Aëris Ætheriſve Regionibus, audiant videántque. Quo conceſſo nequaquam incongruum eſt, ut eos invocemus, non magìs quàm ut quemlibet virum hîc in Terra oremus ut opituletur nobis in tempore alicujus Anguſtiæ.

Philop. Verùm ut tibi reſpondeam, *Cuphophron*, ex ratione Legum; Religionem exiſtimo, quemadmodum *Tullius* alicubi innuit, illam eſſe Juſtitiæ partem, quæ Deum reſpicit, unúmque Dei jus præcipuum (ſummæ illius Poteſtatis inviſibilis) eſſe Invocationem, in illius omniſcientia fundatam. Quam Omniſcientiam intelligentiæ diſtinctioris ergô, in *Terreſtrem* diſtribuamus, *Aeream* & *Cæleſtem*. Quæ cùm omnia loca includant, univerſum includunt Divinæ omniſcientiæ Ambitum tripartitum. Nunc verò, ſi neminem in communi cum ſeipſo Tenentem in ulla harum trium portione declaraverit, illóve Privilegio donaverit, quemadmodum eum non feciſſe videmus, cùm hoc juris Invocationis fundamento deſtituantur, Invocatio eorum agnitio eſt talis Privilegii aut excellentiæ in eis, qualis nuſquam eſt præterquam in Deo. Atque ſic dum jus illud colendi aliis tribuimus, quod ſoli debetur Deo, pars fit illa Injuſtitiæ adversùs Deum quæ Idololatria nominatur, admodum protervæ contumeliæ circumſtantiâ aggravata adversùs Sapientiam Bonitatémque Divinam, præſumendo Factum illud ſapientius benigniúſque futurum fuiſſe, quod ipſe tamen omiſit. Quid hac de re exiſtimas, *Cuphophron*?

Cuph. Rem magnam profectò exiſtimo, ut Juriſconſultus tam ſubtilis reperiatur Theologus. Equidem fateor, ſuppoſito manifeſtum eſſe Deum nullam talem Donationem Sanctis defunctis feciſſe, ſi ulla omnino ſit Idololatria, Sanctorum Invocationem unam illius partem fore.

Philop. Silentium, apud Scripturas, de hac Donatione, meo quidem judicio *Cuphophron*, ſufficiens argumentum eſt ad probandum eorum Invocationem eſſe illicitam. Nam ſi Deus tali eos privilegio donavit cùm illius notitiam nos celaverit, indicio eſt id factum fuiſſe cum Juris Invocationis Reſervatione ſibi ipſi. Quodſi nullam talem omniſcientiæ ſuæ portionem eis impertivit, quemadmodum omnino credo eum id non feciſſe, tanto adhuc firmius eſt eos nullum jus habere ad Invocationem.

Sophr. Quod ad me quidem attinet, *Philopoli*, ego locum illum cenſeo apud *Eſaiam*, haud contemnendam vim ac momentum habere ad nobis confirmandum, Deum nullam talem Omniſcientiæ ſuæ portionem vel Sanctiſſimis Animabus defunctorum impertiviſſe. *Nam* Abrahamus *quidem neſcit nos, neque* Iſrael *nos agnoſcit. Tu* Jehova *parens, tu vindex es noſter nomine præditus antiquo. Tu nôſti nos idémque nos intueris, paratus ſemper ad audiendas noſtras preces.* Hunc enim eſſe ſenſum, verſus proximè præcedens planè inſinuat. *Aſpice de cælis & vide ex habitaculo ſanctitatis tuæ atque gloriæ, &c.* Et tunc ſequitur illud de *Abrahamo*. *Eſai.63.16.*

Philop. Præterea, *Cuphophron*, ex eo ſolo, quòd nulla nobis data ſit commiſſio, ut ex noſtra propria ſententia jus Dei notum peculiare tribuamus communicemúſve Creaturæ, ſine ulla authoritate aut declaratione ab ipſo facta, (hunc enim invocandi facultatem nobis concredidit tanquam depoſitum in proprios ſuos uſus) ut nos, inquam, ulli alii inviſibili Poteſtati præterquam ipſi tribuamus, ipſa Naturæ lex communíſque Ratio monebit, *Injuſtitiam eſſe adverſùs Deum*; cúmque partis jurum cultûs illius ſine illius venia, ſit alienatio, illa injuſtitiæ adversùs eum pars eſt quæ appellatur Idololatria. Et quàm craſſa Idololatriæ pars eſt hæc Invocatio, cùm Paganicis iſtis circumſtantiis exornata ſit, *Altarium*, *Imaginum* ac *Templorum* Sanctis qui invocantur, conſecratorum? Res adeò manifeſta eſt, *Cuphophron*, ut nollem te ulteriorem tibi creare moleſtiam in ea proſequenda. Experire ſi Apologia fœliciùs ſucceſſura ſit in proxima.

XXXI. *Apologia ejus pro Impoſturis eorum & Homicidiis.*

Cuph. Impoſturam intelligis. Quid? adeóne difficile putas, *Philopoli*, idoneam pro ea adinvenire Apologiam? Equidem, cùm maxima pars hominum omni reali Virtute ac Bonitate adeò ſint deſtituti, juſtum omnino & jucundum ſpectaculum eſſe exiſtimo ſubtilium argutorúmque Ingeniorum ſodalitatem videre maturè ad eum ludum

dum educatorum, qui impio huic Mundo technas ſtruant, quíque divaricatis cruribus ei inequitent, magíſque arctè preſſéque inſideant quàm Simius cum ſcutica in manu, magni Moloſſi dorſo, proximus poſt Urſarium ipſum, Canum Urſorúmque Dominus ac Præfectus. Ordinaria humani generis maſſa nullum aliud lac reddunt quàm quod ad hunc modum præſtigioſâ manûs celeritate ex eis elicitur, quippe qui multò procliviores ſunt ad fidem habendam mendaciis quàm ad intelligendam veritatem. An verò non inſignis foret error, *Philopoli,* ſi Sacerdotes talia non fingerent quæ maximè facerent ad proprium honorem atque lucrum?

Philoth. Phy, *Cuphophron,* ut tam audacter apologiam pro eo conſuas, quod omnis Sacerdotii dedecus eſt ac pernicies, quinimò Religionis omnis ſubverſio Mundíque repletio Atheis & Infidelibus! Hoc eſt genuinum effectum Impoſturæ Sacerdotum. Cladem Religioni inferunt, & ignominiam ac luem ſibi ipſis, quippe quum dolus & impoſtura tam vilis, tam abjecta támque inviſa res ſit in conſpectu omnium mortalium. *Nihil debet eſſe magìs purum, nihil magìs ſanctum, nihil magìs ſincerum quàm Sacerdos.* Si horum fontium fluenta pura non ſint, omnium ora aut veneno aut Matt.5.13. limo implebuntur. *Vos eſtis ſal terræ, Quodſi ſal ſaporem & vires amiſerit, ad nullam rem jam idoneum eſt niſi ut foras projiciatur & ab hominibus conculcetur.* Unde oratio illa Pſalmiſtæ ſemper tempeſtiva erit, *Tui Sacerdotes juſtitiâ veſtiantur, tuíque Sancti* Pſalm.132.9. *exultent.*

Sophr. Et mihi crede, *Philothee,* alterum ſine altero conſiſtere non poteſt. Poſtquam enim Sacerdotes Impoſturas ſuas pro lege ſanciverint, neceſſariò id funeſtam Perſecutionem in Sanctos Dei eſt illaturum. Teſtis ſit una illa Inſtantia *Tranſubſtantiationis,* Commentum datâ operâ ad lucrum honorémque Sacerdotis confictum, quàm cruentis Perſecutionibus innocuos Chriſti agnos hoc involvit? Sic enim ſe res habuit ante Reformationem, Papa cum ſuo Clero has Chriſtiani orbis partes quum adeò in ſolidum poſſiderent, ut latrones in domum aliquam ingreſſi; qui ligari noluerunt, Mandibuláſque Epiſtomio ſibi diſtendi, eoſdem trucidârunt. Similitudo minùs urbana fortean videri poteſt, ſed conditionem Imperii iſtis temporibus admodum verè & ad vivum repræſentat. Siquis exclamavit adversùs Fraudes & Impoſturas *Romanorum* Sacerdotum, eorúmque Mendacia ac Figmenta rejecit tanquam Inſtrumenta Apoc.9.21. *κλεμάτων* ſuorum, hoc eſt Furtorum ac Latrociniorum, ſtatim igne aut gladio eſt occiſus.

Philop. Vidéſne, *Cuphophron,* quorſum tendant iſtæ, quas tu defendis, Impoſturæ? ad ſævum utique Homicidium ſanguiníſque effuſionem. Quam Apologiam adinvenire potes pro hac re?

Cuph. Túne, *Philopoli,* tam probè verſatus es in Politicis, & neſcis tamen quantum diſcrimen ſit, quoad Jus ac Juſtitiam, inter homines privatos & privatum hominem inter ac Rempublicam. Hanc rem nobilis Philoſophus præclarè explicat in aliquibus ſuarum Epiſtolarum.

Philop. Quid igitur, *Cuphophron?* putáſne Rationem Statûs quam vocant, quaſlibet Actiones quantumlibet Barbaras, juſtas poſſe reddere, etiam innocentium hominum cædes?

Cuph. Mira ſubeſt hiſce rebus ſubtilitas, *Philopoli.* Proximè poſt *Metaphyſicam,* egregium requirunt acumen & judicium.

Philoth. Equidem, quod ad me attinet, *Cuphophron,* tam tardo ſum ingenio, ut nunquam intelligere potuiſſem Poteſtatem ullam jus habere inferendi alteri injuriam. Et certè innocentis hominis occiſio quia veritati Dei adhæret, evitátque Idololatriam, ſumma injuria eſt quæ in quenquam poteſt inferri. Pontifices quidem ac Phariſæi multùm olim iſti Principio *Rationis ſtatûs* innitebantur, quando Concilium coegerant Joh.11.48. adversùs *Jeſum.* Si eum ſic ſinimus, omnes ei fidem adjungent, atque ità venient *Romani,* qui nos & loco & gente privabunt. Atque ſic ex improbis ſuis Rationibus *Politicis* perducti ſunt tandem ad trucidandum Filium Dei. Sed iſtoc facinore horrendam illam cladem ſibi ipſis ſuperinduxerunt quam ſperabant hâc ratione ſe potuiſſe evitare. Quod & ipſe *Daniel* etiam innuit qui ſtatim poſt mentionem factam Dan.9.26. cædis *Meſſiæ* à *Judæis* perpetrandæ, ſubjungit, *Et Princeps populi venturi, Romanorum ſcilicet, urbem eorum depopulabitur ac Sanctuarium, &c.* Ac ſimiliter quantùm ad Pontificiam *Hieroſolymam* carnalem, qui tot homicidia in Dei Sanctos Filióſque propter *Rationem Statûs,* hoc eſt, *Statûs Eccleſiaſtici* perpetrârunt, ſuam, ut illi putant, ſecuritatem in cæde Inſontium ſtabilientes, ſanguinolenta hæc eorum Verſutia Politica certa futura eſt ipſorum Pernicies, quemadmodum ſcriptum eſt & tanquam Epilogus prædictæ eorum cladis deſcriptioni annexum. *Nam in ea Propheta-* Apoc.18.24. *rum Sanctorúmque cruor inventus eſt & omnium in terris occiſorum.*

Philop. Quid hunc cenſes, *Cuphophron?* Quàm bellè expurgavit Apologia tua Papam quò minùs reperiatur Homo ille Peccati de quo Apoſtolus Eccleſiam præmonuit?

Cuph. Quid? Num tres Culpæ, *Philopoli,* pro quibus aliquid, utì vides, dici poteſt (quanquam haud uſquequaque ità appoſitum) omnes numeros menſuráſque conſummati Hominis Peccati ſive *Antichriſti* ſunt expleturæ?

XXXII. *Quomodo homo peccati dici poſſit ſedere in Templo Dei cùm illius illic ſeſſio Synagogam eam reddat Satanæ.*

Philop. Si hoc non ſufficit, ea omnia quæ in *Idea Antichriſtianiſmi* legere licet ab Authore moderno ſcripta, potes huc adjicere.

Cuph. Perlegi iſtam Ideam, *Philopoli,* & ut verum fatear, deſcriptionem continet facinorum ſatìs malorum (ut vulgus mala reputat) ſatíſque grandium ac numeroſorum ad effarciendum plenum perfectúmque *Hominem Peccati.* Verùm intereà loci, non eſt niſi Idea.

Eviſt. Mihi crede, *Cuphophron,* quamvìs per modum Ideæ ſcripta ſit, certus tamen ſum manifeſtum eſſe Hiſtoriæ Tranſcriptum. Et magnopere profectò eam legendo oblectabar, poſtquam obſervâſſem tam ſcitè digeſtum uſum iſtiuſmodi laxarum amplarúmque Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum quas ipſe olim percurreram, ſatíſque fideliter memoriâ retinui. Cæterùm pone hanc *Ideam* veram eſſe Hiſtoriam de Papa illiúſque Clero, quàm propè tunc ad *Antichriſtum* accedit tuâ quidem ſententia?

Cuph. Id jam innui, *Eviſtor,* ſed inſuſurrabo porrò in aurem.

Eviſt. Quàm propè, ait, quatuor quadrantes accedunt ad Aſſem. Verùm non dubito affirmare, ſi omnia ex Hiſtoria de Eccleſia congeſta eſſent, & ſecundùm ordinem iſtorum Capitum quæ Author *Ideæ* proſequitur, diſpoſita, realis Hiſtoria magìs feralem deformémque ſpeciem præ ſe ferret, magíſque fœda ac horrida *Antichriſti* Hominíſve Peccati Imago foret, quàm *Idea* ipſa: Tam favorabilis hic author fuit in ſua deſcriptione illius. Quod datâ operâ eum feciſſe puto, ut ſupereſſe poſſet, in quo Poſteri ſuos exerceant penicillos.

Cuph. Verùm, ſi rerum conſtitutio reverà tam mala eſſet, *Philopoli,* quàm iſta Idea eas repræſentat, Eccleſia non foret Eccleſia, Templúmve Dei, ſed potiùs Diaboli Synagoga, quod ipſi Vaticinio repugnaret, quod Hominem Peccati in Templo Dei ſedere aſſerit.

Philop. Haud ità difficile eſt ad hoc reſpondere, *Cuphophron.* Nam uxor adultera, nondum facto divortio, talis putà viri uxor etiamnum appellatur, quamvìs ſit adultera. Nôſtíque quòd Civitas ſancta conculcari dicitur & profanari à Gentibus menſes quadraginta duos. Denominationem habet *Sancta,* etiam tum cùm dicitur profanari. Talis enim eſt Titulo & Deſignatione. Atque hoc quidem ſenſu Eccleſia etiam Apoſtatica Templum Dei eſt, ut omittam, Cœtum Virgineum ei etiamnum ineſſe.

Apoc. 11. 2.

Cuph. Partim intelligo quid velis, *Philopoli,* nec multùm renitor. Sed unus adhuc ſupereſt defectus in applicatione Vaticinii de *Homine Peccati,* ad Pontificem Romanum, qui ipſam effecturus eſt valde incertam. Nulla eſt temporis Aſſignatio.

XXXIII. *Rationes quibus quis cognoſcere poſſit Hominem peccati ſacris oraculis prædictum jam veniſſe in Mundum.*

Philoth. Immò verò eſt, *Cuphophron,* Remotio ſcilicet τοῦ κατέχοντος. Iſtámne es oblitus?

Cuph. Verum eſt, Improbitatem Epiſcopi *Romani* magnam eſſe poſſe, illámque Imperii Mutationem notabilem. At verò quis novit quin aliud aliquod Κατέχον intelligi poſſit ad cujus remotionem admodum *procerus Homo peccati* appariturus ſit, *Goliah* ſi cum eo conferatur quem nos *Antichriſtum* eſſe volumus, íſque *Antichriſtus* ſit qui prædictus eſt, nullúſque alius?

Philoth. Certè, *Cuphophron,* qui internos ſuos ſenſus in debitam promptitudinem expergefactos habet, percipiendi & diſcernendi bonum ac malum ex interna quadam vita ſpiritúque in ſeipſo; ſine ullius Vaticinii adminiculo, modò Hiſtoriam eorum legat, manifeſtò deprehendet Papam illiúſque Clerum tam magnum eſſe *Antichriſtum,* ut difficile ei futurum ſit ullum fingere majorem, quippe Spiritum eorum rationémque rerum adminiſtrandarum Spiritui vitæque Chriſti in ſeipſo tam exquiſitè palpabiliterque reperturus contrariam. Hoc tibi affirmo, *Cuphophron,* non tam propter ignorantiam Vaticiniorum, quàm propter defectum ſolidi vivíque ſenſûs *Probitatis* veræque *Virtutis* fieri, ut quis non ſatìs certus ſit Papam illiúſque Hierarchiam eſſe *Antichriſtum.* Prava & adulterina Generatio ſignum quærit, & ſpurii cordis Chriſtianus Vaticinium. Cæterùm *interna vita, ſenſúſque* ſinceræ *Honeſtatis* eſt, qui ex ſeipſo plenam Homini certitudinem in hujus generis rebus dabit.

Matt. 12. 39.

Philop. Sed enim, nulla igitur ſupereſt ratio, *Philothee,* quâ probemus hoc Vaticinium de Homine peccati ad ea tempora digitum intendere, quæ cum Pontificum regno concurrant?

Philoth. Maximum momentum in ipſo Vaticinio huc vergens in iſtis vocabulis latet, ὁ κατέχων & τὸ κατέχον, Patrum opinione his addita, qui *Romani* Imperii Integritatem, quippe in partes Regnáque nondum diſcerpti, τὸ κατέχον ſtatuêre, & in facili denique applicatione Vaticinii ad Eventa, quemadmodum jam vidimus. Cæterùm quatenus hoc Vaticinium parallelum eſt iſti de *Rege Superbiæ* apud *Danielem* illiúſque quaſi Apographum, hâc quidem ratione multò adhuc firmiùs probari poteſt, tempus cum Paparum tempore coincidere. Nam Rex ille Superbiæ, cujus Regnum eſt intra Romani Imperii tempora, (quemadmodum ex rerum illîc deſcriptarum ordine & ex directione duorum iſtorum numerorum 1290 dierum & 1335 dierum apparet) Rex ille, inquam, cùm & Cœlibatûs profeſſor ſit, taliſque qui Deum Patrum ſuorum, Romanorum ſcilicet Paganorum non colat, ſed ſeipſum interim ſupra omnes extollat, quemnam poteſt hîc denotare, niſi Papam?

Dan. 11.36.

Dan. 12.11, 12

Vide Medi Apoſtaſ. poſterio. Temp. cap. 16. & *Synopſ. Prophet. lib.* 2. *cap.* 17. *ſect.* 11.

Philop. Equidem, *Philothee*, verum te dicere cenſeo. Abunde enim perſuaſus ſum Regem Superbiæ apud *Danielem* deſcriptum, Pontifices eſſe *Romanos*, ex duobus modernis ſcriptoribus quos haud ità pridem perlegi.

Philoth. Quamobrem cùm Rex Superbiæ intra tempora Romani Imperii ſit, *Homo Peccati* Pontificéſque ſic itidem ſunt.

Philop. Satìs intelligo quid velis, *Philothee.*

Philoth. Præterea Cornu parvulum oculis humanis præditum, quod neceſſariò aut *Antiochum Epiphanem* aut *Antichriſtum* ſignificat, (quod nemo negare poteſt, qui has res ſatìs perpenderit) equidem cùm impoſſibile ſit *Antiochum* eſſe (quandoquidem *Cornu* hoc, inter cornua quartæ Beſtiæ, quæ proculdubio Romanum Imperium eſt in tot Regna diſcerptum, apparet) ſupereſt ut neceſſe ſit eſſe *Antichriſtum.* Deſcriptio verò hujus *Antichriſti Cornûve parvuli*, cuinam inter cornua competere poteſt, niſi Papæ ſuóque Clero?

Philop. Rem manifeſtam eſſe fateor, *Philothee*, ad neminem præter ipſos pertinere poſſe, quemadmodum & *Antichriſtum* rurſus intra dilacerati Imperii Romani tempora fuiſſe naſciturum.

Philoth. Et quid exiſtimas, *Philopoli*, de Beſtia quæ *erat & non eſt & tamen eſt*, quæ ſeptem habet capita & decem cornua, quæ coloris quoque coccini eſt, plenáque nominibus blaſphemiæ, annon eam putas ad *Antichriſti* tempora pertinere?

Philop. Proculdubio, *Philothee.*

Apoc. 17.10. *Philoth.* Hæc verò Beſtia in exiſtentiam emerſit ſtatim poſt caſum Regis ſeptimi, qui non niſi paululùm duraturus erat, nôſtique S. *Johannem* vixiſſe ſub ſexto, nempe ſub *Cæſaribus Paganis*, quorum duratio trecentos annos haud multùm excedebat. Quamobrem *Cæſares* purè *Chriſtianos*, qui ſeptimus erant Rex, multò breviori temporis ſpacio duraſſe oportet. Poſt eorum autem exitum ſcenam occupat octavus Rex. Et *Beſtia quæ erat & non eſt*, is octavus. Quàm maturè igitur Beſtiam blaſphemiæ nominibus plenam incepiſſe putas, hoc eſt, quàm maturè Imperium incepiſſe Idololatricum rurſus eſſe, & ſub Chriſtianitate Paganiſſare & inequitari à Meretrice quæ Reges Terræ vino Fornicationis ſuæ potionavit?

Verſ. 11.

Philop. Ante multos centenos annos proculdubio, *Philothee.* Adeò ut *Cuphophronis* ſcrupulus de tempore *Hominis Peccati* penitus ſit ſublatus. Meo quidem judicio, Author *Synopſeos Propheticæ* hoc vel Mathematicâ perſpicuitate & certitudine undecimo primi libri capite demonſtravit.

Sophr. Nihil profectò magìs certum ac manifeſtum aut in Philoſophia aut in Theologia eſſe poſſe puto quàm quod ille Author in iſto capite concludit. Meretricem ſcilicet, quæ Beſtiæ blaſphemiæ nominibus plenæ inequitat, Romam eſſe Chriſtianam, vel potiùs, quemadmodum ille appellat, Paganochriſtianam, hácque Chriſtiani orbis conditionem fuiſſe multos centenos annos.

Cuph. Si iſtud tam Mathematicè demonſtrari poſſet, hominem etiam nolentem volentem cogeret ad credendum Papam eſſe *Antichriſtum*, quanquam propriam ſuam heîc prudentiam conſulere liceat, an id apertè debeat profiteri.

Bath. Si ſemel dignari velis mentem tuam excelſam apprimèque Metaphyſicam ad abjectiores haſce Theorias demittere, proculdubio, *Cuphophron*, deprehenſurus eſſes *Sophronem* & *Philopolin* omnino dixiſſe verum.

XXXIV. *Cuphophronis ridicula indifferentia circa res maximas Religionis.*

Cuph. Ingentem in meipſo averſationem experior, *Bathynoe*, quò minùs de veritate convincar iſtiuſmodi fervidarum litigioſarúmque ſpeculationum quantumlibet verarum. *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Neſcis eam Spiritûs *univerſalizati* pacem ac quietem. Annon tibi notum eſt, *Bathynoe*, egregium iſtud Axioma Logicum, *Partes conſentiunt cum Toto, diſſentiunt verò inter ſe?* Ego neutri membrorum *Diviſionis* me addico, quoniam fieri non poteſt ſine *Oppoſitione* (ut eruditi ea in arte docent) quæ contraria eſt ſpiritui *Pacis*, facítque ut in *Contradictionis* reatum incurramus.

Hyl. *Cuphophron* Catholicus eſt maximi ambitûs & comprehenſionis, in quem unquam hactenus in omni mea vita incidi. Quid, nulláne te *Diviſio párſve* hominum qualiſcunque ſibi vendicare poſſunt, *Cuphophron*?

Cuph. Purum oleum ſum, ſupérque omnes aquas fluito.

Hyl. Quid tibi vis, *Cuphophron?* Te nec *Papiſtam* eſſe nec *Antipapiſtam*, ſed Chriſtianum? Te nec *Chriſtianum* eſſe nec *Turcam*, ſed tamen *Deiſtam*? Te nec *Deiſtam* eſſe nec *Atheum*, ſed quid? Ubi nunc eſt oleum tuum, *Cuphophron*, quod in ſummo fluitet? Nec in flammam nec in lucem converſum eſt quantum ego quidem video.

Cuph. In mollem liberúmque ac inviſibilem evanuit Aërem.

Philop. Quæſo, *Hylobares*, deſine ſic cum *Cuphophrone* nugari, eúmque ſine ſuo animo obſequi. Non niſi parum temporis nobis ſuppetit, & cum *Philotheo* pergere ſummopere cupio.

Philoth. Hæc *Hylobaris* lepiditas, O *Philopoli*, valdè eſt excuſabilis, quippe quæ videtur ad illud collineare quod utile eſt atque ſerium, nempe ut in proprii officii ſenſum expergiſcamur, cùm tot Diviſiones ſint ſcilicet, neceſſitáſque ut uni alicui nos adjungamus, ut electionem faciamus ſummo ſtudio ac judicio, electæque parti adhæreamus cum conſtantia ac fortitudine.

Philop. Optima profectò Interpretatio. Verùm intereà loci, *Philothee*, videamus quouſque proceſſerit hæc noſtra Diſſertatio. Oſtendiſti nobis Regnum Dei poſt Chriſti adventum idem fuiſſe quod Regnum Chriſti; Quòd Chriſti Regnum ſic duravit, donec poſt tempora *Conſtantini*, improbâ in Superſtitiones, Idololatrias & Perſecutiones Paganicis ſimiles Apoſtaſiâ factum ſit Regnum *Antichriſti*: Tunc verò poſt longam hanc Tyrannidem Papalem ſpeciali Dei Providentiâ & fortitudine ac conſilio ſemper beatæ memoriæ *Reformatorum*, Regnum Chriſti rurſus, ſenſu maximè proprio, ex hac ſervitute *Antichriſti* emerſit. Jam verò quemadmodum Prædictiones aliquas *Apoſtaſiæ* Eccleſiæ notâſti, ità abs te peto ut Vaticinia aliqua de *Reformatione* in medium producas. Etenim hæ res, *Philothee*, Divinam Providentiam mirificè illuſtrant.

XXXV.
Paucа aliquot vaticinia ſubindicata quæ ad Reformationem pertinent.

Philoth. Sic eſt, *Philopoli*. Nec potuit quidem Spiritus Prophetiæ hac in re ſilere, quin nos dereliquiſſet in tenebris. Dabo autem tantummodo unum exemplum aut alterum, quæ indigitaturus potiùs ſum quàm eadem proſecuturus. Primum eſt iſtud apud *Danielem*, Prædictio nempe concremationis *Cornu parvuli* oculis præditi, Quod ſanctos Altiſſimi conterebat, mutabátque Tempora atque Leges quæ ipſi in manum tradita ſunt ad *tempus & tempora & dimidium temporis*. Jam verò ubi dicitur, *Et Judicium ſedebit ut auferatur potentia & conteratur & perdatur uſque ad finem*, Principium hujus Judicii eſt *Reformatio*, quæ in ultimo *Semitempore* contigit, quemadmodum etiam deſcribitur in *Vivificatione Teſtium* qui in ultimo *Semidie* trium dierum & dimidii ſunt ſuſcitati.

Dan. 7. 25.
Verſ. 26.
Apoc. 11. 11.

Philop. Admodum appoſitè hæc conjunguntur, *Philothee*, & ſufficiunt.

Philoth. Nihil opus eſt igitur ſuperaddere, Quòd *decem cornua oſura eſſent Meretricem* eámque deſertam ac nudam reddituгa, ejus carnes comeſtura, eámque combuſtura igne, hoc etiam inceptum fuiſſe in *Reformatione* ſecundùm ſenſum ſtyli Prophetici cumprimis idoneum: Aut notabilem illum jactum ictúmve Propheticum de igneo ſpiritu *Lutheri*, impiiſque Mercimoniis *Leonis* tertii Papæ. *Tu tuis tot vitiis tuæ negotiationis improbitate tuum profanâſti ſacrarium, itaque ego ex medio tui ignem depromam qui te conſumat, téque in cinerem humi redigam, in omnium qui te videbunt conſpectu.* Omnium verò nobiliſſima Repræſentatio Gaudii ac Triumphi *Reformatorum* cum ſuis ſociis eſt iſta *Citharœdorum cum Citharis Dei in manibus, ſtantium ſuper mare vitreum, carménque Moſis ſervi Dei, & carmen Agni canentium*, cujus loci ſenſum tibi jam aperui.

Ezechiel. 28. 18. *Vide Synopſ. Prophet. lib.* 2. *cap.* 16.
Apoc 15. 2.

Philop. Probè memini. Verùm ſi jam *Teſtium* facta ſit *Reſurrectio*, qua in parte Revolutionis ſeculorum conſtituti ſumus, *Philothee?* Annon ſumus ſub Tuba ſeptima?

Philoth. Itá. Neque enim aliter fieri poteſt. Nam poſt *Reſurrectionem Teſtium* dicitur, *Væ ſecundum præteriit*. Væ autem tertium ſeptima eſt ſive ultima Tuba, ſub qua omnia Mundi Regna futura ſunt Regna Domini Chriſtíque ejus. Verùm gradatim adjicienda ſunt, prout plures pluréſque victoriæ partæ fuerint adversùs Beſtiam.

Philop. Quid? ſúntne igitur tanta prælia futura adversùs Beſtiam ſub *Tuba* ultima, *Philothee?*

XXXVI.
In qua parte Revolutionis ſeculorum jam verſemur, cum cautionibus aliquot ad rectè intelligendum ſtylum Apocalypticum.

Philoth. Ità ſanè. Nam omnes *Phialæ* comprehenduntur intra primum *Tubæ* ultimæ *Tonitruum.* * Primum *Tonitruum* ſeptem *Phialas* continet, ut ultimum *Sigillum* ſeptem *Tubas.* Atque ego quidem exiſtimo ſeptimam hanc Tubam ideo præſertim *Væ-Tubam* appellari, quia hæ *Phialæ* irâ Dei repletæ, primam illius partem occupant, Tonitruum utique primum.

Philop. Id certè rationi ſatìs conſentaneum eſt, *Philothee.* Dic mihi verò obſecro, qua in parte *Tubæ* ſeptimæ jam ſimus conſtituti ?

Philoth. In primo *Tonitruo, Philopoli.*

Philop. Et quanam in *Phiala?*

Philoth. In tertia, *Philopoli,* quantum hiſce in rebus meum valet judicium.

Philop. Potéſne igitur, *Philothee,* Eventa ordine indigitare, quæ hiſce tribus *Phialis* reſpondeant ?

Philoth. Neſcio quid tu intelligas per ordinatam correſpondentiam, *Philopoli,* nec ſatìs certus ſum, *Phialas* iſtiuſmodi perpetuò ordinatam individuarum Actionum Eventuúmve ſucceſſionem ſignificare, (primo ceſſante cum prima *Phiala,* ſecundo cum ſecunda, eâdem *Phialâ* cum ſuo eventu nunquam reiteratâ, continuatâve dum aliæ effunduntur) nec ſeptem *Phialas* ſeptem Beſtiæ capitibus ſimiles eſſe quæ tot genera Regiminis ſignificant, quorum quædam, licèt aliquandiu intermiſſa, reſumebantur iterum ; ità quidem haud ità certus ſum quin ſeptem *Phialæ* ſeptem Plagarum genera potiùs quàm ſeptem diſtinctas, præciſéque tot generum *individuas* vices ſignificent, ceſſantium ſimulatque alterum inceperit, & nunquam iterum incipientium poſtquam ſemel ceſſaverint. Nam eventûs primæ *Phialæ* ſub quinta fit mentio. Apoc.16.11. Ac profectò ut ritè præparatum te reddam ſemel, in ea quidem ſum ſententia, à magìs genuino ſenſu Apocalypſeos facilè aberrare poſſe quempiam, nimiùm ad *humanam* vergendo curioſitatem. Cui *Divinum Spiritum* nequaquam credo gratificari ſtudere, ſed ſublimi auguſtóque ſtylo iſta ſola ſignificare quæ Eccleſiæ maximè interſit cognoſcere. Ac proinde in alto hoc ſonitu & tempeſtate *Phraſium Propheticarum* & *Iconiſmorum* circa aures noſtras circumſtrepentium & ferientium Imaginationem, in humili nos verſari oportet & terræ quaſi incumbere, & magìs tacitam, mollem & intellectualem vocem auſcultare, quæ magìs internam frugalémque interpretationem nobis impertitura eſt ; naturalem noſtrum Spiritum gratificatione præciſæ temporis Eventuum notitiæ minimè quidem titillans, nec in perſuaſionem nos inducens eorum conditionem extrinſecus tam grandem fore ac tempeſtuoſam quàm Figuræ Propheticæ naturaliter nos inclinaturæ eſſent ad credendum, niſi nos ſatìs heîc cuſtoditè habeamus ; verùm attentionem noſtram ſuis magìs tranquillis tacitíſque inſuſurrationibus ſuaviter demulcens, tutò nos edocet veriſſimum utiliſſimúmque ſenſum Vaticiniorum, quantum ſuffecerit ad nos animandos in profeſſione Veritatis, & in fideli adhæſione eis rebus quæ Chriſti Regnum promoveant.

Philop. Nondum plenè te intelligo, *Philothee.* Cedò, quæſo, exemplum in hac ipſa re quæ præ manibus eſt.

Philoth. Id ipſum ago, *Philopoli.* Dico igitur internam illam tacitámque Inſtructionem ad quam tota hæc *Phialarum* viſio collineat, hanc omnino eſſe mihi videri. Quod Deus tandem ſubverſurus ſit penitúſque aboliturus omnem illam *Antichriſtianam* Poteſtatem, quæ hactenus, ut *Pharaoh* olim, populum Dei in tam dura detinuit ſervitute. Illa enim ad Plagas *Ægyptiacas* in *Phialarum* deſcriptione alluſio nihil ampliùs ſignificat, quàm quòd hæ Plagæ in illam Civitatem paratæ ſint quæ *Spiritualiter* appellatur *Ægyptus,* in Eccleſiam utique *Antichriſtianam* ubi Chriſtus rurſus in membris ſuis crucifigitur graviſſimíſque infeſtatur perſecutionibus. Jam verò in interpretandis hiſce ſeptem Plagis, quibus Deus afflicturus eſt Myſticam hanc *Ægyptum* eámque funditus perditurus, errare poſſumus nimiùm inclinando ad magìs craſſum ſenſum *Politicum,* perinde atque ad *Phyſicum,* fieríque poteſt ut *gladii bombardæque* in hac conflictatione cum *Ægypto* non magìs adhibendæ ſint, quàm *Tonitrua* ac *Fulgura* & Grandines ad Talenti magnitudinem ingentes.

Philop. Quid igitur, *Philothee?* vin' tu Viſionem hanc *Phialarum* pompoſam tantùm eſſe Parabolam Propheticam, quæ ſignificet Chriſtum, *Hominem peccati* occiſurum eſſe *ſpiritu oris ſui* & adventûs ſui claritate? 2 Theſſ.2.8. hanc omnino rem eſſe, ſed variis ad Plagas *Ægyptiacas* alluſionibus exornatam?

Philoth. Immò verò, *Philopoli,* vix me abſtinere poſſum quin tibi dicam, totum ferè librum Viſionum *Apocalypticarum,* quæ ad Eccleſiam ſpectant, talem videri, ac ſi illius ſcriptor datâ operâ nihil ultrà intenderit, quàm certam, licèt ænigmaticam, præfigurationem prædictionémque *Apoſtaſiæ* Eccleſiæ in *Antichriſtianiſmum* per ſeductionem virorum Eccleſiaſticorum, cum temporis Indicatione non magìs præciſa quàm quæ uſui Eccleſiæ foret, atque hunc *Antichriſtianiſmum* ex orbe Chriſtiano rurſus *fugatum iri*, puráque ac *Apoſtolica* tempora iterum eſſe reditura. Hæ quidem res, certiſſimè, accuratiſſimè ac manifeſtiſſimè deſcribuntur in *Apocalypſi*. Adeò ut mihi prodigii inſtar videatur ut quiſquam qui ingenii dotes habeat ac patientiam ad res penſitandas, dubitare poſſit de illius veritate, quod præcipuus ſaltem ſi non ſolus illius libri Vaticiniorum eſt ſcopus. Ut verò unaquæque pompoſa locutio Prophetica ſuum diſtinctum eventum habere debeat ſibi reſpondentem, non magìs forſan neceſſarium eſt, quàm ut quælibet *Parabolæ* circumſtantia ſuum ſenſum habeat *Moralem*.

XXXVII. *Applicatio trium primarum Phialarum ad eventus externos.*

Philop. Quantum ego quidem intelligo, huic dicto tuo magna ſubeſſe poteſt veritas ſi rectè accipiatur. Spero tamen hoc te minimè excuſaturum eſſe, quò minùs externos in orbe Eventus tribus primis *Phialis* applices.

Philoth. Quoniam tibi aliàs haud ſatisfactum iri video, *Philopoli*, non excuſabit.

Apoc. 16.2.

Philop. Quinam igitur, quæſo, eventus primæ *Phialæ* reſpondet, quæ effuſa eſt in *Terram*, unde diro tetróque ulcere affecti ſunt homines Beſtiæ characterem habentes, ejúſque colentes Imaginem?

Philoth. Illa *Phiala* non effuſa eſt in Terram niſi ſenſu generali, ut in præcedenti verſu, ubi dicitur omnibus Angelis, *Ite, effundite Phialas iræ Dei in terram*; & tunc ſequitur, *Primúſque abiit & Phialam ſuam effudit in terram ſecundùm ſenſum generalis illius præcepti.* Alluſio autem effecti hujus Phialæ ad plagam fit *Ægyptiacam* ulcerum ac puſtularum.

Philop. Si Terra heìc generali illo ſenſu intelligeretur, ſupervacaneum futurum fuiſſet rurſus repetere.

Philoth. Repetitio magno ornamento eſt Cortici viſionis, ut quæ competentiam quandam cum aliis ſubjectis in quæ *Phialæ* dicuntur effundi, gerat, cujuſmodi ſunt Mare, Fluvii, Aër, &c. ac ſi Deus omnia Naturæ elementa excitare velit, ad pugnandum cum Beſtia ſive *Antichriſtianis* Poteſtatibus. Ac præterea Terra erat, hoc eſt, *Cineres Fornacis*, unde hæc *Ægyptiaca* ulcerum puſtularúmque plaga orta eſt.

Exod. 9.8.

Philop. Rectè, ſed quænam eſt Applicatio hujus primæ *Phialæ*? Quid ei reſpondet in Eventis?

Philoth. Nôſti, *Philopoli*, * *effuſionem primæ Phialæ* ſtatim ſecutam eſſe *aſcenſionem Teſtium* in cœlum, quos certus eſſe potes ſignata Beſtiæ mancipia admodum invidis oculis aſpexiſſe miſeréque frenduiſſe ad carmen illud Triumphale *Citharœdorum in crepidine maris vitrei igne mixti, citharizantium.* Quamobrem Invidia, Malitia, acerbus zelus, rabidúſque furor Partis *Pontificiæ* adversùs *Reformatam*, qui in Poteſtatem Politicam, tum Eccleſiaſticam tum Civilem jam aſcenderant, hoc noxium erat, gravéque in ipſos ab hac *Phiala* vulnus, hæc ulcera ac puſtulæ à diſperſis Fornacis favillis in hac terra *Ægypti*. Horúmque concomitantia erant graviſſima bella adversùs *Teſtes* ſuſcitata, horridæque Perſecutiones ubicunque eorum Adverſarii efficere valuiſſent. Inflammatum autem hoc ulcus magìs ſpeciatim peculiaritérque ſignatis iſtis Beſtiæ mancipiis inhærent, quos *Jeſuitas* appellant, quorum ordinem *Paulus* tertius Papa paulò ante *Reformationis* initium confirmavit, quorúmque Author non tantùm *cineres* ſed *ignem* ſuo nomine gerit: Malum profectò omen, & quod, quanti Incendiarii Orbi Chriſtiano futuri eſſent illius diſcipuli, portendit.

Apoc. 15.2.

Cuph. Philotheus jocum alluſorium moliri videtur in nomen *Ignatii Loyolæ* Fundatoris *Jeſuitarum*. Mirum eſt fornacis *favillas* hîc etiam non adduxiſſe, aut ἄνθρακα leviter non attigiſſe, hoc eſt *Carbunculum*, tanquam huic de Igne commento congenerem.

Philop. Rectè quidem. Sed perge porrò, *Philothee*.

Philoth. Jam verò cùm Regnum, Provincia, aut Principatus, in *Reformatione* tam parum diu permanſerit, ut Animantis ſit inſtar in Animi deliquium lapſæ potiùs quàm penitus emortuæ, Papalíſque res ac poteſtas haud ità prorſus extincta ſit, quin Incolæ brevi tempore ad obedientiam Sedi Romanæ per malignam diligentiam ſervidámque & exacerbatam induſtriam miniſtrorum Papæ ejúſque Emiſſariorum revocari poſſint, aut quibuſcunque rationibus quas excogitare valeant, ad priores Superſtitiones & Idololatrias reduci: Hoc Regnum, Reſpublica aut Principatus ſub Influentia primæ *Phialæ* conſtitutus eſt, hoc eſt, Objectum eſt exulceratæ illiûs malitiæ, ferocíſque ac implacabilis actuoſitatis horum *inuſtorum ſervulorum Beſtiæ*. Plaga hæc inquietudinis & vexationis, ipſis quidem inhæret, manifeſtum verò eſt eos furorem ſuum ac virulentiam in quamcunque partem Adverſariorum contra quos prævalere ſe poſſe ſperent, evomituros. Quodſi tam diu contra maligna conamina clientum Romani Pontificis perſiſtitur, ut mentes populi omnem inclinationem capacitatémve Papales rurſus leges recipiendi exuerint, illiúſque res ac Authoritas prorſus ferè ex-

tincta ſit, nullo calore aut ſpe jam reliquâ, tunc in tali conditione ſunt, qualis præfi-
Apoc.16.3. guratur per *Phialam* ſecundam; *Mare in cruorem mutatur*, qualis mortuorum eſſe ſolet, *omnéſque piſces moriuntur in mari.* Nam, juxta ſtylum Propheticum, *Mare* populum ſignificat in unam Politiam congregatum, *Piſciumque mors*, ſpei fruſtrationem atque lucri.

Philop. Applicatio, meo quidem judicio, admodum facilis eſt atque obvia. Papa ſuam piſcaturam perdit in tali mari, quippe qui S. *Petri* verriculum heîc injicere non permittitur, ſed Piſcatio ejus prorſus aboletur.

Cuph. Iſtiuſmodi utique piſcium expiſcatio, quæ nummum in ore gerant.

Bath. Et O beata illa Regna quæ *Mare* adeò *mortuum* atque expes ipſi fiunt! Illi enim vitam degunt in pace. Quicunque verò illi ſpem ullam reſuſcitat, ſuam recuperandi authoritatem, * is efficit ut Regnum iſtud in *primæ Phialæ* ſtatum relabatur, omnémque illam virulentam malignámque actuoſitatem horum *ſignatorum Mancipiorum Beſtiæ* adverſùs illud expergefacit, qui omnimodis dolis, Impietatibus & Immanitatibus ruinam ejus molientur, ut ſic funditùs pereat potiùs quàm ut *Pontifici Romano* non ſubjiciatur.

Philop. Magni profectò momenti tua iſta conſideratio eſt, mihi crede, *Bathynoe*. Spem modò ipſis largiaris, illíque ſtatim convertent in acre dirúmque deſiderium & diabolicam molitionem machinationémque quorumcumque malorum quæ ſperaverint, ad certam faciendam accelerandámve expectatam ſuam meſſem, conducere.

Philoth. Denique, *Philopoli*, quemadmodum *Mare* Regnum ſignificat, Rempublicam aut Principatum, ſive majorem ſive minorem; ità *Fluvii* Emiſſarios ſignificant, Poteſtates Miniſtróſve ab aliquo Regno aut Dynaſtia, ſive Exercitus, Magiſtratus provinciales, ſive quæcunque alia Inſtrumenta Miniſtróſve Reipublicæ à qua ſint miſſi. Jam verò quum Reſpublica aliqua Regnúmve tam munitum ſit & confirmatum ut diu ſic duret, valeátque interim ſanguinolentis Papæ *Emiſſariis*, ſive *Militibus* ſive *Sacerdotibus*, qui deprehenduntur populum ad Rebellionem adverſùs ſuum Principem excitantes, debitam pœnam irrogare, horum adverſariorum hoſtiúmve cædes, effectum eſt *Phialæ* tertiæ, quæ *fluvios mutat in ſanguinem.*

Philop. Conditio *Reformationis* in *Germania* ante bellum *Smalcaldicum* & in *Anglia* temporibus *Edwardi* ſexti ante regnum *Elizabethæ* Reginæ talis mihi eſſe videtur qualis denotatur per *Phialam* primam. Recens *Teſtium Aſcenſio* Objectum erat furoris ac invidiæ *injuſtorum mancipiorum Beſtiæ*, quemadmodum innuitur in illo ipſo capite.
Apoc.11.18. *Et Gentes iratæ ſunt & venit ira tua, &c.* Cæterùm *Elizabethæ Jacobíque* Regis temporibus conditio *Reformationis* in *Anglia* talis erat qualis denotatur per *Phialam* tertiam; quandoquidem magna illa Claſſis armata, anno octogeſimo octavo, ſtrenuè repulſa eſt, cum multa cæde ex eorum parte, ut omittam *Emiſſarios* proditores multos ob ſua ſcelera neci adjudicatos.

Philoth. Hæc tertiæ *Phialæ* expoſitio, opinio eſt admodum eruditi Interpretis Apocalypſeos, & valdè difficile eſt ut quis eam, quanquam id volet maximè, evitet,
Apoc.16.5,6. quippe quam Textus tam expreſſim effatur. *Juſtus es Domine qui es, quique fuiſti & qui eris, qui hæc ità facienda judicaveris, Ut qui Sanctorum Prophetarúmque ſanguinem effundebant, eis ſanguinem potandum dederis, ut digni ſunt.*

Cuph. Meo quidem judicio, *Philothee*, non eſt niſi durus & coactus ſenſus Scripturæ qui ſanguinem elicit. Divinus proculdubio Spiritus majorem clementiam ac miſericordiam ſpirat.

Bath. Eſt quædam lenitas ac ſuavitas Naturalis Temperamenti, quæ præ ſe gerere velit, ac ſi Spiritus eſſet Divinus, ſed tantum ab eo abeſt, quantum abeſt Natura à Deo, éſtque mollities quædam, animo falſo perfidóque erga omnem veritatem ac virtutem, utplurimum comitata, prodítque omnia quæ homini chara eſſe oportet, Principem, Amicos, atque Patriam. Quæ Severitas aut Inclementia erat in occidendis *Hiſpanis* in Mari, qui, ſi, quam moliebantur, Invaſionem facere potuiſſent, Terram noſtram vaſtaturi fuiſſent igne atque gladio? Quæ Aſperitas in neci adjudicandis iſtiuſmodi hominibus, qui cædem Regis Reginæve perfidè moliebantur? Ta-
Prov.12.10. lis quidem miſeratio conſimilis eſt iſti Impiorum, quæ apud *Salomonem*, crudelis habetur.

Cuph. Immò verò, *Bathynoe*, ut tu rem explicas, abunde mihi ſatisfactum eſt.

Philoth. Idque jure merito, *Cuphophron*, propter ipſum Textum. Vindictæ enim hujus apud Angelum aquarum approbatio ad *Fluvios* tantùm refertur, hoc eſt, ad copias Emiſſarias, quæ alios adoriri meditantur cladémque illis inferre. Reſiſtentia proculdubio defenſoria in cauſa tam juſta, paríſque gratiæ repenſatio, omnem ſpeciem Æqui honeſtíque præ ſe fert. Ac proinde hic locus neutiquam talis eſt, qui Divinum Spiritum dedeceat.

Philop. In hac quidem re, *Philothee*, omnino juxtà tecum ſentio. Illæque Eccleſiæ *Reformatæ* quæ propellendo Inimicos ſuos hoc jus ſibi facere poſſunt, Deo gratias, meâ quidem ſententiâ, agere debent pro hac fœlici conditione in qua ſunt conſtituti. Ecquid verò ultrà in *Phialis* adhuc progreſſi ſumus, *Philothee*?

Philoth. Nihil certè ultrà, in iſto magìs *externo* ſenſu ac *Politico*. Cæterùm an alio aliquo ſenſu fieri poſſit, neſcio. Et *Apocalypſis* proculdubio oculos conjicit in rationes *Religioſas* perinde atque *Politicas*: hoc eſt, Iconiſmi Prophetici interdum non ſolùm *Politicum* ſenſum habent, ſed & ſenſum magìs *Spiritualem*, & interdum fortean, talem ſolum.

Philop. Intereà loci haud mediocriter oblector, *Philothee*, quòd noverim ubinam ſimus, in ſenſu hoc *Politico*, quod meo quidem judicio æquè exoptandum eſt, ut ii omnes cognoſcant quibus quicquam omnino eſt cum rebus Regni Dei, quàm ut Navis Gubernator in magno Oceano ſciat in qua longitudine & latitudine verſetur. Per tres primas quæſtiones, *Philothee*, me magna cum voluptate animíque ſatisfactione deduxiſti. Nunc te exoratum volo ut des tibi moleſtiam erudiendi me in ultima.

XXXVIII. *Ultima* Philopolis *Quæſtio in conventum craſtinum dilata.*

Cuph. Certè ſiquid ego rectè conjectare poſſum aut præſagire, *Philopoli*, ſi *Philotheus* ultimam tuam quæſtionem aggrediatur tam ſerò, non ſolùm ſibi ſed & tibi reliquóque cœtui, totam noctem inſomnem ducendi moleſtiam dabit.

Philoth. Equidem, *Philopoli*, vereor ipſe nè iſtud argumentum, ſi aggrediamur, ità ſe diffuſurum ſit, ut par ſaltem temporis ſpacium atque quod jam expendimus, requirat.

Philop. Miſerum hoc eſt & inopinatum animi diſcidium in quod conjectus ſum, *Philothee*. Hoc abs te petere ut pergas, & inurbanum eſſet, & toti cœtui intolerandum. Deſiſtere verò, tanta crux deſiderio meo pervidendi ad finem uſque magni hujus Theorematis, damnúmque adeò irreparabile, ut omnem mihi adimat patientiam illius rei cogitatio.

Cuph. Quid igitur, *Philopoli*, annon in comperto res eſt, te diem craſtinum in hoc oppido conficere oportere?

Philop. Ità planè oportet, *Cuphophron*, quicquid fiat de rebus meis ruſticis. Pernoctabor apud amicum quendam in via die Dominico, & die Lunæ ad meam ſatìs maturè rediero domum.

Cuph. Rectè admodum ſtatuiſti, *Philopoli*. Nullas verò tibi agam gratias hac de re. Prande apud me hîc in hac mea Pergula arborea (nunc enim dicere non potes ab aliis te eſſe prærogatum) & ob hunc honorem quem tu reliquúſque hic cœtus mihi facturi eſtis, ingentes vobis habebo gratias. Diſſertationem, *Philothee*, ſtatim poſt prandium incipere potes & ſic horam unam aut alteram lucrari.

Philop. Quam paratus peritúſque eſt *Cuphophron* in illaqueandis hominibus ad ſua officia acceptanda! Si fidem dabis te frugale omnino & Philoſophicum nobis prandium eſſe paraturum, prandebo apud te cras, quonium video te tam ſeriò id à me efflagitare.

XXXIX. *Concluſio, cum Cantico* Moſis *&* Agni *ad Theorbam per Bathynoum cantato.*

Cuph. Hoc ſanctè tibi promitto, me nullo modo modum eſſe exceſſurum. Intereà temporis, hem tibi vini Hiſpanici calicem, donec rurſus convenerimus.

Philop. Nè guttulam quidem, gratia eſt tibi *Cuphophron*. Cantionem potiùs Muſicam, ſecundùm morem veſtrum *Pythagoricum* qua componantur animi ad ſuaviùs dormiendum. In multam enim noctem ſermonem produximus, quanquam me pigebat profectò id recordari, quando *Philotheum* oravi ut pergeret.

Sophr. Alteram quæſo, *Bathynoe*, cantionem nobis cane. *Philopolis* id abs te petit, & non niſi brevem, quippe quum adeò nocteſcit. Ecce tibi Theorbam.

Bath. Secundò, ut videtur, meæ me oportet periculum facere imperitiæ. Ipſe cantabis, *Sophron*, plenùmque ego tibi *Baſſum* de Theorba ludens reddam.

Sophr. Quid ego cantabo? Nec canticum habeo nec vocem.

Bath. Immò verò, *Moſis* atque *Agni* canticum habes.

Sophr. Iſtud unicum Poëticæ ſpecimen, quod ego unquam in omni mea vita edidi. Zelus meus Amórque erga *Reformationem* Muſa erat quæ humiles iſtos verſiculos ægrè inſpiravit, quos repetere tantùm poſſum, nequaquam verò canere.

Bath. Si tu non potes *Sophron*, ego poſſum; Chordarúmque Barbiti Tenſio, quantum video, ſatìs Harmonica eſt, ritéque contemperata.

Philoth. Fac igitur quod tam facilè potes, *Bathynoe*.

Bath. *O Deus omnipotens! equidem magna atque ſtupenda*
Tua ſunt opera edita Mundo.
Eſt Ratióque viarum juſta ac vera tuarum
Sanctorum O inclyte Princeps.

Quis poterit quin te timeat, Domine, atque verendum
Submiſsè Nomen honoret,
Quippe quòd es ſanctus ſolus, tuáque omnia facta
Puro candore renident?
Omnis adoratum veniet Gens quum innotuère
Tua Judicia æqua per Orbem:
Vota tibi ſanctè facient & lumine cuncti
Sub Evangelico requieſcent.

Philop. Hoc eſt, Omnes Nationes convertentur ad puram veritatem Evangelii, & tam ſolidæ & inexpugnabili Religioni tandem acquieſcent.

Sophr. Sic rem intelligo, *Philopoli.*

Philop. Et optimè quidem intelligis. Eſtque carmen præſentis diei argumento apprimè conſentaneum. Deus iſta tempora acceleret ad ſolamen totius terrarum orbis. Ex abrupto me oportet in præſens vobis omnibus bonam precari noctem, & experiri ſi literas hac nocte per Veredarium mittere poſſim domum. Fidem verò ſervabo cum *Cuphophrone*, nec mediocriter quidem gaudeo quòd ſemel adhuc mihi liceat præſtantiſſimâ hâc ſocietate, antequam oppido exeam, frui.

Cuph. Noſtra fœlicitas eſt, quòd alteram te hîc detinuerimus diem.

Philoth. Bonam noctem, chariſſime *Philopoli.* Heîc me cras invenies prout expectas.

Philop. Intereà temporis, chariſſime *Philothee*, bonam noctem.

SCHOLIA

In DIALOG. IV. SECT. 4.

IDem quod *Pythagorei* intelligunt per ſuum τὸ ἀυγοειδὲς σῶμα, &c. Pythagoreos *tamen tam diſtinctam habuiſſe hujuſce corporis* Luciformis *notionem, ut principium* Electrinum *in ſe etiam continuiſſe intelligerent, meritò quis dubitare poteſt, quod tamen eo contineri fusè alibi doceo.*

Sect. 22. Admodum palpabilis præfiguratio eſt crucifixionis Agni Dei, &c. *Id quod Apoſtolus primâ ad* Corinthios *apertè docet*, Etenim Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempe Chriſtus. *Verùm notari hîc porrò potuit, omnia ſacrificia Judaica Chriſti ſacrificium aliquo modo adumbrâſſe,* piacularia *verò præ cæteris. In illis enim Pontifex cum iſtis Sacrificiis, Chriſti (qui idem & ſacrificium erat piaculare) eximius eſt Typus. Pontifex victimam offerens, totius Cætûs perſonam ſuſtinuit (cùm in ſingulorum hominum ſacris quiſque victimam pro ara ſiſtere tenebatur manúque ſua conſecrare.) Cæſæ victimæ ſanguinem in Sanctum ſanctorum intulit ibique obtulit Deo. Corpus verò victimæ extra caſtra cremabatur. Sanctum autem ſanctorum ingreſſus ſuffimentum etiam Thuribulo Aromaticum tulit, ut videre eſt* Levit. 16. *Ità planè Chriſtus pro nobis ſe obtulit ante mortem ſuam, Johan.* 17. 19. Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, *hoc eſt, Ego meipſum pro eis offero. Nam* קדש ἁγιάζειν *inter cætera etiam valet* προσφέρειν, *inquit* Grotius. *Et victimæ etiam loco offerentium mactabantur. Ut verò corpus victimæ extra caſtra crematum eſt, ità Chriſtus paſſus eſt extra portam. Et ut Pontifex ſanguinem victimæ in Sanctum ſanctorum, Cæli ſimulachrum, intulit, ità poſt crucifixionem Chriſtus, verum Sanctum ſanctorum Cælum ipſum ingreſſus, ſe Deo Patri obtulit æternum humani generis, effuſi ſui ſanguinis vi, Patronum ac Mediatorem, qui nunquam ceſſat preces Eccleſiæ, quarum ſuffimenta ſunt Symbola, ſuo commendare Patri. Vide* Guilielmi Outrami *opus elucubratiſſimum* de Sacrificiis, *lib.* 2. *cap.* 3, *&* 7.

1 Cor. 5. 7.

Hæc eſt Mare illud rubrum in quo Romanus Pharaoh, currúſque, &c. *Quæ occurrunt Apoc. cap.* 15. *verſ.* 2, 3, 4. *ad primos* Reformatores *pertinere, Epinicion ſcilicet illud iſtis verſibus contentum, cùm cantaretur ante* Phialarum effuſionem. *& poſt* Aſcenſionem Teſtium, *rationi valdè conſentaneum eſt.* Epinicion *enim hoc* Victoriam *(immò victoriam ex Imagine Beſtiæ ex charactere & ex numero nominis reportatam) &* Victoria Aſcenſionem *implicat. Aſcenſio enim eſt Evectio ad Poteſtatem Politicam. Quæ promittitur vincentibus in* Thyatira, *Apoc.* 2. 26. Qui vicerit & obſervaverit ad finem uſque opera mea, dabo ei poteſtatem in gentes. *Quod privilegium obtinuit Eccleſia* Sardiana *quæ* Reformatam *Eccleſiam præfigurat. Ipſumque nomen* Sardis, *ut alibi noto,* ‖ canticum lætitiæ *ſignificat; quod apertâ concinnitate* Epinicio *ſuprà dicto reſpondet.*

‖ *Vide Nominum propriorum Explicationem ad finem Tom. 6. Bibl. Polyglot adjectam.*

det. Sardianam *verò Eccleſiam Eccleſiam eſſe* Reformatam, *ex natura atque ordine ſeptem Eccleſiarum, quæ ſeptem Temporum Intervalla ab initio Eccleſiæ ad finem Mundi occupant, in* Expoſitione ſeptem Eccleſiarum *ſatìs clarè demonſtro, nempe Viſiones ſeptem Eccleſiarum idem ſpacium occupare quod Viſiones Libri* ſigillati *&* aperti. *Optiméque congruit promiſſum illud Chriſti Vincentibus factum, Apoc.* 3. 20. *de* conſidendo in ſuo throno, *cum promiſſo facto Apoſtolis, Matt.* 19. 28. *& Luc.* 21. 30. *Quod* Munſterus, Calvinus *aliique rectè interpretantur de privilegio magìs eximiorum Sanctorum, quippe qui adſeſſores Chriſto ſupremo Judici futuri ſunt in die noviſſimo. Cui optimè quadrat illud* Pauli *ad* Corinthios: An ignoratis fore ut Angelos judicemus? *hoc eſt,* Diabolos, *judicio magni illius diei vincnlis æternis ſub caligine reſervatos, Jud. 6.*

Sect. 36. Primum Tonitruum ſeptem Phialas continet, &c. *Vide* Viſorum Poſtmedialium Tabulam *quam in Dialogi quinti Sectione triceſima octava collocandam curavi.*

Sect. 37. Effuſionem primæ Phialæ ſtatim ſecutam eſſe aſcenſionem Teſtium in Cœlum, &c. *Tria enim Væ memorantur in Apocalypſi, primum, ſecundum & ultimum. Primum continebat* Viſio Locuſtarum, *ſecundum* Viſio Equitum Euphratæorum. *Quæ igitur viſio ultimum Væ continere poteſt niſi Viſio ſeptem Angelorum plagas ſeptem ultimas habentium, quæ* ultimæ *datâ operâ dici videntur ut* Væ ultimum *in ſe continere intelligantur? Cúmque etiam* Epinicion *illîc cantatur ex victoria in* Imaginem Beſtiæ, *nec* Phialarum *effuſio ſit ante illud* Epinicion, *manifeſtum eſt primam* Phialam *non effundi ante aliquam memorabilem victoriam partam adverſùs* Beſtiam illiúſque Imaginem, *adeòque nec ante* aſcenſionem Teſtium. *Ac proinde* ſeptem Phialas *in* Tubam ſextam *retrahi non poſſe, multóque minùs cum ſeptem Tubis coextendi, ſed primò potiùs* Tonitruo *comprehendi debere. Vide* ſeptem Phialarum Tabulam *in Sectione quinta Dialogi quinti collocatam.*

Sect. 37. Is efficit ut regnum iſtud in primæ Phialæ ſtatum relabatur, &c. *Nec ſe fefelliſſe* Bathynoum *hac in re ſuam rationem ac præſagium recentiſſimum hujus ipſius Anni* 1678. *exemplum planè demonſtrat, in quo Mancipiorum Beſtiæ illiúſque charactere inuſtorum, priſtinæ in hunc Populum Anglicanum Tyrannidis recuperandæ ſpe propter nimium undique eis favorem exhibitum conceptâ inflammatorum rabiéque quaſi correptorum, horrenda execrandáque in necem clementiſſimi* Regis Caroli *ſecundi Eccleſiæque Anglicanæ ſubverſionem detecta eſt Conſpiratio.*

Dialogus quintus.

Philotheus, Bathynous, Sophron, Philopolis, Eviſtor, Hylobares, Cuphophron, Ocymo.

I. *Introitus ad Dialogum.*

CUPH. Noli ſic feſtinare, *Ocymo,* quin ſtragulâ menſam inſternas priuſquam hinc abeas. Eò uſque. Bene nunc habet. Si qui me domi meæ quærant, noli committere quin protinùs eis dicas, me exiiſſe foras.

Ocym. Mandatum tuum diligenter curabo.

Cuph. Non interpellabimur per totum hoc tempus pomeridianum, ſi innocua Æquivocatio id efficere poſſit.

Hyl. Domo tuâ exiiſti, ut primùm hortum tuum ingreſſus es, O quàm mirè Mercuriali ingenio eſt *Cuphophron !*

Cuph. Naturæ donum, *Hylobares,* eſt eis qui illo nôrint rectè uti. Quota nunc hora eſt, *Philopoli,* ex tuo Automato horario ? ut videamus quàm pulchrum temporis ſpacium nobis jam reſtet.

Philop. Index primæ horæ notulam vix eſt prætergreſſus. Admodum profectò tempori pranſi ſumus.

Cuph. Tu verò ac *Philotheus* tam parcè comediſtis, ac ſi paratus noſter vobis minùs arriſiſſet, aut veſtram putâſſetis poſt prandium Diſſertationem, ad corpus ſaginandum perinde atque ad cibandam animam, idoneam fore.

Philop. Paratus tuus, *Cuphophron,* valdè liberalis erat & illecebroſus, verùm ingenuè fateor mentem meam multùm evocatam eſſe ad iſta poſt-cupedia quæ expecto à *Philotheo.*

Cuph. Et obſecro te, *Philopoli,* noli appetitûs tui expletionem hac in re diutiùs differre. Novi *Philotheum* paratum eſſe.

Philoth. Semper paratus ſum *Philopoli* ſervire, reliquæque huic præſtantiſſimæ ſodalitati in re qualibet quæ in mea ſit poteſtate.

II. *Philopolis ultima quæſtio de ſucceſſu Regni Dei uſque ad finem Mundi.*

Philop. Sine omnibus igitur ambagibus quæſo te, *Philothee,* ultimam quam heſterno die propoſui quæſtionem aggrediamur, nempe, *Quem ſucceſſum veriſimile ſit Regnum Dei habiturum eſſe uſque ad Mundi interitum.*

Philoth. Succeſſus Regni Chriſti, *Philopoli,* mirabilis erit, tum ratione ulteriorum ſuarum victoriarum contra Regnum *Antichriſti,* cujus Poteſtas penitus abolebitur, tum etiam ratione ſui ipſius. Nam proculdubio magìs glorioſa futura eſt illius conditio & quoad *Qualitatem* & quoad *Amplitudinem* quàm à temporibus uſque Apoſtolicis hactenus unquam fuit.

Philop. Quod de clade Regni *Antichriſti* dicis, de eo abunde perſuaſus ſum, tum ex conſumptione *Cornu parvuli* per ignem apud *Danielem,* tum ex eo quòd dicitur in *Apocalypſi, comprehenſam fuiſſe Beſtiam ac falſum Prophetam, ambóſque vivos conjectos eſſe in ſtagnum Ignis ardens ſulphure.* Et poſtremò, Effectum *Phialæ ſeptimæ* idem innuere videtur.

Dan. 7.11.
Apoc. 19.20.
Apoc. 16.19.

Philoth. Quibus addere potes *Viſionem Torcularis* extra urbem calcati ex quo manavit ingens lacus ſanguinis, tam altus ut ad Equorum frænos pertingeret, & tam amplus ut ad ſpacium mille ſexcentorum ſtadiorum extenderetur.

Cuph. Jeſu bone! Qualis eſt hæc adversùs *Antichriſtum* victoria, O *Philothee!* Non putabam adeò ſanguinarium fuiſſe vaticinium in tota *Apocalypſi.* Num Chriſtus ſuum Regnum amplificaturus eſt efficiendo, ut totus Orbis ſanguini innatet?

Philoth. Bono animo ſis, *Cuphophron,* & pallidum iſtum ac perterrefactum vultum exue. Perterreris, ut infans, horrificâ tantùm picturâ. *Iconiſmus* omninò Propheticus eſt, ut Beſtiæ falsíque Prophetæ conjectio etiam vivorum in lacum Ignis. Num cadavera ipſorum ſanguini innatare, ipsíque in lacum ignis ardentis ſulphure vivi conjici poterunt ſimul ? Hic lacus ſanguinis & lacus ignis idem ſignificant, ſed neuter eorum res ipſa eſt quam ſignificant.

Philop. Cuphophroni color rurſus redit, *Philothee*, ità ut nihil opus ſit ulteriùs in hoc argumento pergere, antequàm ordine ad ipſum pervenerimus. Neque enim contentus ſum ſcire tantummodo Regnum *Antichriſti* penitus ſubverſum iri, ſed valde etiam diſcupio, (quatenus ſaltem reſiduæ *Phialæ* ei rei lucem ſint ſuppeditaturæ) gradualem illius proceſſum intelligere. Ille enim proculdubio in *Phialarum* Viſione aliquo modo includitur.

Philoth. Non dubito quin ità ſit. Eſt verò ingens periculum ac difficultas particularem tentare explicationem Vaticiniorum antequam ſint impleta. Eſt enim mira quædam mobiliſque locutionum Propheticarum vibratio, quæ in motu hoc tremulo res varias attacturæ videntur, valde autem arduum eſt antè dignoſcere ubi ſe fixuræ ſint, quàm Eventum determinaverit. Verùm utcunque Deo cœptis aſpirante, bonam operam navabo, quò voto tuo ſatisfaciam, ídque eo quo ipſe rogaveris, ordine.

III. *Phialæ quartæ Interpretatio. Apoc.*16.8.

Philop. Gratias tibi ago, *Philothee*; ſecundùm verò *Phialarum* ordinem rogaturus ſum ſingula. Primùm itaque peto, ut ſignificationem me edoceas *Phialæ quartæ* in Solem effuſæ, unde ei mandatum eſt ut homines igne ureret, adeò ut Deum blaſphemarent ex ipſo dolore uſtionis.

*Synopſ. Prophet. lib.*1.*cap.*3. *ſect.*8.

Philoth. Intelligere debes, *Philopoli* (id quod ſemel & in ipſo initio tibi dico) *Iconiſmos Propheticos* per ſecundi generis *Henopœiam* (quemadmodum ſcriptor modernus nos docet) aliquando plura uno ſignificata continere, ídque ex deſtinato; quamvìs ante Eventum, unicúmne an plura intendantur, non liceat definire. Cæterùm, ſi vel unum ſignificatum Eventui reſpondeat, ſatìs eſt. Ac proinde tutiſſimum eſt, iſtud eligere quod maximè ſub notitiam noſtram cadit. Dictum eſt de Eccleſia priuſquam in Deſertum fugerat, quòd *amicta erat Sole, quòdque Luna, ejus pedibus erat ſubjecta.* Nunc verò *Luna* lex *Moſaica* eſt Pentateucho comprehenſa, quæ ex obſcuris Typis Figuriſque conſiſtit, omnem autem quam habet lucem à Chriſto mutuatur illiúſque Evangelio. Veritas novo Teſtamento comprehenſa in legem Moſaicam reflexa, facit ut *Lunæ* inſtar mutuatitiis radiis ſplendeſcat. Rectè igitur dictum eſt de duobus his oppoſitis Luminaribus, quòd dum alterum, putà *Sol*, circa Mulierem circumfulſit, & glorioſo lumine ac veritate Evangelii amicta eſt, quòd *Luna* tunc, quaſi apud *Antipodes*, ejus ſubjecta erat pedibus, ut ille de Polis ait;

*Apoc.*12.1.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum
Sub pedibus Nox atra videt, Manéſque profundi.

Philop. Grandiſonum quiddam hoc eſt ac Poëticum, *Philothee*. Verùm iſtud quod velis, opinor hoc eſt, Quemadmodum *Luna* ſcilicet atque *Sol* in Viſione Mulieris, (ſicut & *Hugo Grotius* innuit) ſignificare poſſunt Legem *Moſis* & Legem *Chriſti*, ità *Sol* heîc etiam ſignificare poteſt *Legem Chriſti Novo Teſtamento comprehenſam*, vel potiùs, laxiori ſenſu, *Verbum Dei*, (quod appellamus Biblia) *Novum* Teſtamentum complectens atque *Vetus* quatenus *Chriſtum* reſpicit, *Vetúſque* ratificatur à *Novo*. Numnam hoc corpus *Solis* eſt, quod intelligis?

Philoth. Tale quid eſt quod volo. Rectè mentem meam capis. Nunc verò dico effuſionem *Phialæ* in hunc *Solem* eſſe *illius*, per luculentas demonſtrativáſque Expoſitiones à viris ſanctis Spiritu Divino adjutis factas, *Illuſtrationem*, vel potiùs nubium obſcuritatis ab eo remotionem, ut in pleno robore exſplendeat ad manifeſtò detegendum injuſta impiáque Myſteria Regni *Antichriſti*, & ad oſtendendum toti Orbi in quàm fœda horridáque conditione conſtituti ſint, quantum à Deo Chriſtóque defecerint, & modo quàm aperto & exprobratorio abominandæ eorum actiones, in Scripturis, Dei digito ſint depictæ, & quàm ad vivum dira eorum ac diabolica Imago deſcripta ſit. Hæc eſt effuſio *Phialæ* in *Solem*, cui mandatum eſt ut homines igne ureret, eóſque ſic vexaret, ut Dei nomen blaſphement propter has Plagas, potiúſque vilificent contumeliíſque afficiant Scripturas Spiritúmque qui eas ſcripſit, quàm pœniteat de peccatis, Deóve dent gloriam, agnoſcendo veritatem. Hic unus, opinor, poteſt eſſe ſenſus *Phialæ* quartæ.

Philop. Hic verò ſenſus eſt magìs *Myſticus* ac *Spiritualis*. Annon eſt, *Philothee*, ſenſus etiam *Politicus*?

Philoth. Eſt, *Philopoli*, idémque admodum obvius. Nihil enim magìs in confeſſo eſt, quàm quòd ſecundùm ſtylum Propheticum *Sol* maximum Principem in Mundo *Politico* ſignificet, prout & ille maximè illuſtre Luminare eſt in *Naturali*. Nunc quemnam maximum Principem eſſe putas in eo Mundo quo Papa etiam regnat?

Philop. Is & Papa diu multúmque ea de re diſceptârunt, valdéque difficile eſt, opinor, uter major ſit hodiedum definire.

Philoth. Quamobrem cùm proxima *Phiala* ad *Papam* peculiariter videatur pertinere, veriſimillimum eſt hanc ſpectare ad *Imperatorem.*

Philop. Quid igitur cenſes effuſionem quartæ *Phialæ* in *Solem Politico* hoc ſenſu ſignificare?

Philoth. Spero converſionem ſignificare alicujus Imperatoris, verâ Evangelii cognitione illuminati. Nam ſic generalis *Reformatio* quam in ſuum Imperium introducturus eſt, ex lumine zelóque quem pro veritate conceperit, torrebit, uret, ipſáque Mancipiorum Beſtiæ bicornis corda dolore penetrabit. Hic ſenſus ſatìs naturalis eſt opinor, utrùm verò hic an prior ille magìs naturalis ſit, tuo judicio definiendum relinquo.

Philop. Magna profectò concinnitas eſt in utriſque. Nec omnino neceſſarium eſſe exiſtimo, ut ſubjectum in quod *Phiala* dicitur effundi, ſemper noxam capiat, ſed ut noxa ſaltem indè reflectatur in Beſtiam. Eſtne verò nullus alius probabilis ſenſus quartæ *Phialæ, Philothee?*

Vide Synopſ. Prophet. lib. 1. cap. 3. ſect. 3.

Philoth. Poteſt eſſe *Henopœia* huic Solis *Iconiſmo* adjuncta, ità ut ſic queat ſignificare, quemadmodum Eſai. 24. verſu ultimo. Tunc verò ſignificatio admodum congener erit poſteriori antecedentium ſenſuum, quippe quum & hic itidem *Politicus* ſit.

Philop. Iſta ſubindicatio ſufficit. Etenim plurium Regnorum ſive Principatuum ad lucem Evangelicam Converſionem indè fore intelligo, diſtinctam ab eis, quæ à parte ſteterunt Evangelii in *Reſurrectione Teſtium.* Neſcio quin hic genuinus eſſe poſſit ſenſus perinde ac quivis reliquorum, ulteriórque præparatio ad tempora *Seſſoris Equi albi,* in cujus capite dicuntur multa fuiſſe Diademata. Quæſo perge, *Philothee,* dícque nobis ſenſum *Phialæ* quintæ in *Thronum Beſtiæ* effuſæ, quâ Regnum ejus obſcuratum eſt.

Apoc. 19. 12.
Apoc. 16. 10.

IV.
Interpretatio & quintæ & ſextæ Phialæ.

Philoth. Thronus *Beſtiæ bicornis* idem eſt qui Thronus *Meretricis,* quæ dicitur ſeptem montibus inſidere. Quamobrem hoc, in ſenſu *Politico,* malè ominari videtur Urbi *Romæ,* quæ ſedes eſt Beſtiæ. Cæterùm an *Romæ* excidium, an verò Pontificis illinc perpetua exulatio, an denique ex effectis prioris *Phialæ* ſenſu *Politico* intellectæ futurum ſit, ut Mercaturæ Reditúſque maximi illius Mercatoris è Magnatibus Terræ frigeant multúmque attenuentur, atque ſic ingens ſilentium, obſcuritas ac Tenebræ etiam principalem illius ſedem occupaturæ ſint, quídve aliud huic analogum eventurum, Tempus debet determinare, non autem ego.

Philop. Eſtne verò hic ſolus ſenſus hujus *Phialæ, Philothee?*

Philoth. Iſte ſenſus eſt, quem putabam, tibi, *Philopoli,* maximè arriſurum. Alius verò aliquando menti meæ occurrit. Quid ſi heìc ſtatuamus, *Cathedram Papalem,* per hunc *Thronum Beſtiæ* perſtringi? Cathedram intelligo *Infallibilitatis,* in qua is & corpus ſuum Pſeudopropheticum ſe conſidere gloriantur, atque ſic in rem ſuam Mundanúmque commodum infallibilia oracula orbi dictant, populo ſumma cum confidentia perſuadentes, quicquid Eccleſiæ luciferum invenerint idem reipſa eſſe verum, Figmentum ſit quantumlibet ſtolidum aut incredibile, quantumlibet blaſphemum aut impoſſibile. Populo autem tale videri non poteſt, quamdiu Eccleſiam ſuam credunt eſſe Infallibilem. Nunc igitur dico, quemadmodum præſens *Phiala* in *Politico* ſenſu aliquo modo effectus eſſe poteſt prioris Phialæ *Politicè* etiam intellectæ; Ità efficacia *prioris* modo magìs *Spirituali* intellectæ, procedente tempore, introducere poteſt effectum hujus præſentis Phialæ in ſenſu etiam magìs *Spirituali:* Illiúſque effuſio in *Thronum Beſtiæ* abolitio eſſe poteſt falſæ illius opinionis de Pontificis illiúſque Eccleſiæ *Infallibilitate,* ex plerorumque hominum mentibus: Quo falſo lumine ſemel amoto, neceſſariò ſe reperturi ſunt in tenebris, quippe quorum Religio talis eſt cui nec *Scriptura,* nec *Ratio,* nec ulla res alia quæ ullum habet in ſe momentum, ullam lucem minimúmve colorem ſit allatura. Quapropter neceſſe eſt, ut illius Regnum Tenebris pluſquam *Ægyptiis* obruatur: Utque, poſtquam generalem animi inquietudinem in populo deprehenderint actuoſiſſimi Papatûs fautores ac miniſtri, ſeque propter penetrantiam Luminis Evangelii validas has habenas, quibus populum retinebant, è manibus amiſiſſe, effecturum ſit, ut præ angore doloréque linguas ſuas mordeant.

Philop. Equidem non nego, quin hic unus etiam ſenſus eſſe poſſit. Sed perge quæſo, *Philothee,* ad *Phialam* ſextam.

J. Medi Comment. Apocalypt. in cap. 16.
Apoc. 14. 18.

Philoth. Sexta *Phiala, Philopoli,* ad Converſionem Judæorum pertinere videtur, quemadmodum nuperus Interpres præſtantiſſimus ſummo cum judicio ac probabilitate locum explicavit. Et *Viſionis Torcularis* extra urbem calcati, & *Prælii* ac *Victoriæ* illuſtris illius Herois *albo Equo inſidentis* cum *Phiala* ultima collatio, multam fidem, *Apoc.*19.11. quod & ille innuit, huic Expoſitioni conciliat. Etenim quòd Identitas ſive Coincidentia Eventuum per *Calcationem Torcularis* & *Prælium magni illius Herois* ſignificata ſit, ſatìs manifeſtò videtur inſinuâri in illis Viſionibus, ex eo quòd *Equi albi ſeſſor* etiam *Apoc.*19.15. & 13. dicitur *calcare torcular iræ Dei*, & *habere pallium tinctum ſanguine*, quod illi optimè reſpondet quod occurrit in *Viſione Torcularis*, manâſſe ex Torculari *ſanguinem uſque ad* *Apoc.*14.20. *frænos equorum*. Quod igitur planè innuit *Torcular calcatum* fuiſſe à *Seſſore Equi albi*. Et tum vides quàm naturaliter ſequitur, *pallium ejus tinctum fuiſſe ſanguine*.

Philop. Mirabilis omnino eſt, *Philothee*, congruentia. Nullus dubito quin hæ duæ Viſiones eandem ferè rem ſignificent.

Philoth. Rectè. Verùm ex eo quòd *Beſtia* & *falſus Propheta* in Victoria Seſſoris *Apoc.*19.20. Equi albi comprehenduntur, vivíque conjiciuntur in ſtagnum Ignis ardens Sulphure, manifeſtum eſt hanc *ultimam* eſſe effuſionem iræ Dei in ipſos, ut certiſſimum eſt *Phialam ultimam* ſic eſſe. Adeò ut hæ duæ Viſiones idem etiam ſignificent, Viſio putà *ultimæ Phialæ*, & Viſio *Seſſoris Equi albi*.

Philop. Iſtud rurſus manifeſtum eſt, *Philothee*. Sed quid tum demum? Neſcio quorſum iſta tendant.

Philoth. Ad hanc tendunt Concluſionem, Quòd, quemadmodum *Calcatio Torcularis*, *Prælium Seſſoris albi Equi* & *Phiala ſeptima* idem ſunt, ità *Meſſis* immediatè præ- *Apoc.*14.15. cedens *Torcularis calcationem*, & *Agni Nuptiæ* immediatè præcedentes *Prælium Seſſoris* *Apoc.*19.7. *Equi albi*, & *ſexta Phiala* immediatè præcedens *Septimam*, idem perinde ſunt.

Philop. Admodum ſpecioſa profectò eſt illius rei probabilitas.

Philoth. Nunc verò, cùm *Meſſis*, ſecundùm ipſius Servatoris Interpretationem, *Matt.*9.37. collectionem ſive congregationem Hominum ſignificet ad Fidem Evangelii, *Nuptiæque Agni* ſponſationem alicujus Populi Chriſto; ſextam etiam Phialam oportet talem aliquam habere ſignificationem. Notabile enim iſtud artificium ſecurè *celandi*, certòque *revelandi* Viſionum Apocalypticarum in hoc potiſſimùm conſiſtit, *celandi* quidem Ars, in *Defectuoſitate*, & *promiſcua*, ut quibuſdam videri poteſt, Vaticiniorum *diſperſione* ſeparatim: Ars verò certò *revelandi*, in accurata eorum *Reſpondentia* alterius alteri, & in *Synchroniſmis*.

Philop. Id certè notatu digniſſimum eſt. Quid autem putas ſignificari per haſce tres Viſiones quas inter ſe comparas?

Philoth. Præfigurari forſan poteſt converſio, non ſolùm diſtinctæ ac viſibilis Nationis *Judæorum*; ſed prout dicitur in genere, ut pararetur *via Regum, qui eſſent à Solis* *Apoc.*16.12. *ortu*, ità in genere ſignificare poteſt meſſem aliquam ſive fructus Evangelii apud *Turcas* Gentéſque Orientales. Futurum eſt fortaſſis ad id tempus, ut Satrapa aliquis *Turcicus* à *Mahometiſmo* deſciſcat ad *Chriſtianitatem*, ídque conjunctim cum Converſione *Judæorum*. Qui *Turcici* Imperii ſtatus heîc ſignificatur per Exſiccationem *Euphratis*. Non quòd illud Imperium penitus tunc confractum erit, vaſtatum, aut labefactatum: Verùm ut dicitur de priſcis Iſraelitis, quum pertranſibant per Mare Rubrum, *Ingreſſi ſunt Iſraelitæ per medium Mare in ſicco aquâ murum illis dextrâ ſiniſtrâ-* *Exod.*14.22. *que præbente*: Talis erit Turcici Imperii conditio ſub *Phiala ſexta*; Illi recèns converſi Principes Orientis incolumes pertranſibunt ad ſe conjungendos cum vera Chriſti Eccleſia ante effuſionem *Phialæ ultimæ*.

Philop. Mirificè mihi arridet hæc Interpretatio, *Philothee*, quippe quòd tam manifeſtum ſit *Equites Euphratæos* in *Tuba* ſexta *Turcicos* eſſe exercitus, quemadmodum *Comment. Apocalypt. ad Cap.* 9. eruditiſſimus *Medus* demonſtravit ſumma cum peritia ac judicio. Nec tamen *Perſas* à ſextæ hujus Phialæ negotio excluſos volo.

Bath. Meſſis, Exſiccatio *Euphratis*, Agníque Nuptiæ appropinquationem fortean ſignificant potiùs, rerúmve præparationem ac maturationem in magnum illud eventum, quàm ipſius conſummationem, quod magìs conſpicuum perfectúmque evaſurum eſt ſub *Phiala* ultima. Futurum eſt forſan ut circa hoc tempus *Judæi* aliíque populi Orientales Chriſtum agnoſcant eſſe *Meſſiam*, Papámque cum ſuo Clero *Antichriſtum*, nec tamen adhuc confirmati ſint in omnibus Articulis Doctriníſque Apoſtolicis noſtræ Religionis.

Philoth. Cauta quidem hæc tua, *Bathynoe*, eſt Obſervatio, cui ego nec contradicturus ſum nec ei aſſenſurus, ſed eam in medio relinquo porrò perpendendam.

Philop. Multóque minùs ipſe mihi tantum aſſumam ut contradicam. Verùm perge, quæſo, ad Phialam ultimam, *Philothee*.

V. *Interpretatio Phialæ ultimæ.*

Philoth. Faciam, *Philopoli*. Cujus ad faciliorem intelligentiam, neceſſarium erit * ut adnotamentum unum & alterum faciamus in Viſionem Seſſoris Equi albi. Verbi gratiâ, quòd paratus ejus ornatúſque talis ſit, ut admodum durum videatur intelli-

Apoc.19 14. intelligere prælium craſſum eſſe & *carnale*, ſed omnino *Spirituale*. Nam candido mundóque byſſino indui, *carnalis Militiæ* Armatura non eſt, ut neque *Gladius* ex *ore*
Verſ.15. illius *prodiens*. Verbi Dei prælium planè eſt, quemadmodum & illius Nomen innuit, prodeuntis ex ore Sanctorum, hominúmque conſcientias de Veritate convincentis. Unde abunde ſecuri eſſe poſſumus Viſionem *Torcularis* (quod à Seſſore Equi albi calcatur) non tam craſſam cruentámque ſignificationem habere, quàm externa verba ſonant. Quæ datâ operâ videntur tam Hyperbolicè formari, ut cautos ab omni
Apoc.19.17,18 tali craſſo commento abigant. Et quòd Angelus ſtans in Sole, omnes in medio cœlo volantes Aves ad magni Dei cœnam invitat, ut Regum, ut Tribunorum, ut Potentum, ut Equorum Equitúmque carnes comedant in illa altera Viſione, ingenuè fateor me tanquam Parabolam Propheticam conſiderare. *Ægyptii homines ſunt non*
Eſai.31.3. *Dii, & eorum Equi Caro non Spiritus.* Sed nimis prolixum eſſet hiſce rebus inſiſtere. Ut talis Angelus lucis tam vili fungeretur officio, ut Aves rapaces ad humanorum cadaverum Epulum invitet, nequaquam intelligo eſſe poſſe decorum. Sed hiſce quod dixi non eſt immorandum. Id quod à te in hac viſione maximè obſervatum volo, eſt Eventûs Prælii differentia in duobus differentibus Hoſtium generibus, quibuſcum *Equi albi Seſſor* bellum gerit. Nam *Beſtia* ac falſus *Propheta*, quibus ſignificatur Pars *Antichriſtiana* propriè ſic dicta, taléſque qui ſedulò obſtinatéque perſiſtant
Apoc.19.20. in ſuo *Antichriſtianiſmo*, comprehenduntur vivíque conjiciuntur in ſtagnum ignis ardens ſulphure. Reliqui verò, hoc eſt, Pars altera, *gladio necantur ſedentis in Equo,*
Verſ.21. *qui gladius ex ore ejus prodibat.* Hi ſunt ea præſertim pars ſuorum hoſtium hoc tempore qui *Pagani* erant ſive *Infideles*, quíque Doctrinæ Chriſti ac Apoſtolorum fidem necdum ullam habuêre. Adeò ut ſi totum Hominum Confluxum, integrúmve ex duobus adverſis ante pugnam Exercitibus Aggregatum ſumamus, dividamúſque, in hanc naturaliter Tripartitionem cadant. Pars erunt verè *Chriſtiani* & *Apoſtolici*, Pars *Infideles* (à Beſtia & falſo Propheta diſtincti *)* & Pars *Antichriſtiani*, quos *Beſtia* & *falſus Propheta* denotant.

Philop. Quid igitur intelligendum per occiſionem Partis, quos *Infideles* ſupponis (& aliorum quorumcunque qui cum ipſis necati ſint *)* per gladium ex *ore Seſſoris Equi albi* prodeuntem?

Philoth. Eorum Convictio proculdubio, *Philopoli*, Converſióque ad Fidem Chriſtianam. Verbum enim Dei nullo alio quàm iſtoc eos occidere poteſt modo.

Philop. At verò ſuperadditur, *Eorúmque carnibus ſatiatæ ſunt omnes alites.*

Luc.15.7,&10. *Philoth.* * Dico tibi, *Philopoli*, Angelos Cœli lautiùs epulari, *majorémque apud ipſos lætitiam fieri ob unum ſontem qui redeat ad frugem, quàm ob nonaginta novem inſontes qui vitæ correctione non egeant.* Verùm antea te monui haſce phraſes tantùm eſſe Parabolicas, ſinguláſque Parabolæ ſtricturas in particularem ſignificationem non eſſe neceſſariò trahendas. Poteſt quidem ſignificare tantùm in genere magnam aliquam cædem, ab illius conſequentibus, modo hoc Parabolico, illuſtratam.

Philop. Equidem ſatis perſuaſus ſum, hunc præcipuum eſſe poſſe ſenſum hujus Viſionis *Seſſoris Equi albi*, quicquid aliud ei ſubeſſe poſſit præterea.

Philoth. Pergamus igitur nunc ad id quod illi parallelum eſt, ad *Phialam* ſcilicet *ſeptimam*, quæ aliquando mihi æquè obſcura viſa eſt, atque ullus locus qui in tota occurrit *Apocalypſi*. In genere autem auſim pronunciare ſenſum magìs *Spiritualem* eſſe quàm vulgò intelligitur, tum ex eo quòd parallela ſit Viſioni *Seſſoris Equi albi*, tum
Apoc.16.15. ex iſta ſubindicatione, *Ecce venturus ſum ut fur. Fælix qui vigilat, ſuáque veſtimenta*
Eſai.25.7. *ſervat, nè nudus incedat, ejúſque obſcæna cernantur.* Hoc tempore divellet Deus tegumentum quo operiuntur omnes Nationes, & velamen Hypocriſeos ab omni populo, quemadmodum prædicit *Eſaias*, & qui legitimo Indumento veſtitus non fuerit, invenietur admodum deformiter nudus. Non eſt igitur veriſimile ut hæc præmonitio ſit in diem cruenti prælii ubi ſanguis ad Equorum Ephippia aſcenſurus eſt per ſpacium mille ſexcentorum ſtadiorum. In tam ingenti cæde literaliter intellecta de vitis magìs ſoliciti ſunt homines quàm de veſtimentis, multóque plus metuunt nè occidantur quàm nè exponantur externæ alicui Ignominiæ.

Philop. Quis igitur ſenſus eſt illius loci, *Philothee?*

Philoth. Matura præmonitio eſt ut *Veritatem* quæramus ac *Juſtitiam*, & ut Evangelii Myſteria tam bene intelligamus, ut poſtquam hæc dies venerit, effuſionis utique *Phialæ ſeptimæ*, non deprehendamur tam miſelli *Fatui*, ac *Bigoti* (ut vocantur) ut propter ignorantiam noſtram, ſuperſtitioſámque conſcientiam, participes fiamus earum plagarum ac calamitatum in quas *Beſtia* & *falſus Propheta* tunc ſunt immergendi, ſed ex ſolida ſcientia mentéque purificata veræ Eccleſiæ, vivo ſcilicet Chriſti corpori maturè adjungamur. Nam in illo die homo exiſtimabitur admodum horridè nudus omníque ſenſu communíque probitate deſtitutus, qui tam parùm utriuſlibet habuerit, ut *Idololatricam præſtigioſámque* Eccleſiam *Romanam* non deſerat, totúmque ſe recipiat ad partem *Apoſtolicam*. Deridiculo erit ac ludibrio omnibus nec ullo pacto poterit ſuam turpitudinem obtegere, quippe qui ſeipſum jam prodidit, adeò totum *veritate* ac *probitate* deſtitutum.

SEPTEM PHIALARVM
TABVLA.


TONITRVVM PRIMVM.
Phi·I In Terram.
Phi·II In Mare.
Phi·III In Fluvios.
Phi·IV In Solem.
Phi·V In Thronum Beſtiæ.
Phi·VI In Euphratem.
Phi·VII In Aerem.
Meſsis.
Sponſa præparata.
Torcularis Calcatio.
Angelus Evangelium Æternum omni Genti et Tribui et Populo prædicans.
Angelus Threnodus Babylonicus.
Sardis
Canticum Moſis et Septem Phialarum effuſio.
Doxologia Seniorum et Septem Phialarum Compendium.

Philop. Admodum peculiares, meo quidem judicio, *Philothee*, de rebus in mente tua procudis conceptus, quod & Converſationem tuam eò magis reddit gratam ac delectabilem. Permitte verò mihi nunc tuam de aliis, (fortean difficilioribus) locis opinionem ſciſcitari. Ut de *Ranis* ex ore Draconis, Beſtiæ ac falſi Prophetæ prodeuntibus, qui dicuntur *Dæmonum Spiritus*, & miracula ſeu oſtenta edere.

Philoth. Hi ſunt Emiſſarii, Oratores, Negotiatores, & Solicitatores in rebus *Draconis*, *Beſtiæ* ac *falſi Prophetæ*, quanquam appellantur *ſpiritus Dæmonum* ſecundùm uſitatum genium ſtylúmque *Apocalypſeos* quæ Angelos Spiritúſve ponere ſolet pro ea hominum multitudine qui ſub eorum Regimine eſſe intelligantur. Habent autem formam *Ranarum*, ut naturam eorum terrenam ac immundam denotet, eúmque ſpiritum & ſapientiam quâ ducuntur *Terreſtrem* eſſe, *ſenſualem* ac *Dæmoniacam*, contrariámque illi ſapientiæ quæ ſupernè proficiſcitur, quæ dicitur primùm *pura* eſſe, deinde *pacifica*. Hæ verò *Ranæ* Reges Terræ totiúſque Orbis ad bellum evocant, etiam ad pugnandum adversùs *Deum* ejúſque *Chriſtum*. Sed impiæ iſtæ copiæ præpotenti Regimine Dei Omnipotentis talem in locum congregantur qui ab ipſo nomine eis

Jacob. 3. 15.

ſit inauſpicatus. *Armageddon* enim exercituum eorum cladem ſignificat. Nec omittere poſſum quàm idoneus ſit hîc *Ranarum Iconiſmus* ad ſignificandam facultatem illam edendi portenta falsáve miracula quibus decipiatur populus juxta ſenſum antiquorum *Onirocriticorum*, Βάτραχοι δὲ ἄνδρας γόητας σημαίνουσιν. Inter quas Impoſturas recenſeri poſſunt, *In Ecſtaſes lapſus, Contremiſcentiæ*, ab *irreſiſtibilibus Poteſtatibus obſeſſiones*, * & *Inſpirationum* Obtenta (quicquídve aliud, cuicuimodi ſit, quod à Fide *Apoſtolica* ſeducat) perinde atque antiqui illi doli ac præſtigia falsáve Miracula veteris *Paganiſmi* aut moderni *Antichriſtianiſmi* propriè ſic dicti.

Vide Synopſ. Prophet. lib. 1. c. 6. ſect. 17.

Hîc verò rurſus, *Philopoli*, volo ut, ſupra omnia, obſerves *Tripartitionem* eſſe etiam in hoc populorum confluxu. Hîc enim ſunt, Deus omnipotens ejúſque *Chriſtus* cum Legionibus ſuis *Apoſtolicis* ab una parte; & ab altera primùm eſt *Draco* cum *Paganicis* ſuis copiis ac *Infidelibus*, talibus ſcilicet, qui perſpicuæ Apoſtolicæque Evangelii veritati, qualis putà ſymbolo *Apoſtolico* comprehenditur, nullam adhibeant fidem. Et denique adſunt copiæ *Antichriſtianæ* propriè ſic dictæ, eæ ſcilicet quæ ad Beſtiam pertinent falsúmque Prophetam. Adeò ut hæc *Tripartitio* illi *Tripartitioni* in *prælio Seſſoris* Equi albi accuratè reſpondeat.

Philop. Rectè, *Philothee*, quid tum demum?

Philoth. Omnes hi in locum conveniunt, qui linguâ Hebraicâ appellatur *Armageddon.*

Philop. Sic eſt, *Philothee*. Verùm quænam eſt ſignificatio effuſionis ultimæ hujus Phialæ in *Aerem*, ad vindictam ſumendam de Legionibus Improborum?

Philoth. In *externo* cortice Vaticinii, fit tantùm, ut aliquam habeat competentiam cum reliquis *Phialis* quæ dicuntur in *Terram*, in *Solem*, in *Mare* effundi, ac ſi Deus univerſam Naturam in furorem cieret adversùs ſuos Inimicos, quemadmodum antea monui. Sed in magìs interno Myſticóque ſenſu Introductio ſolummodo eſt ad hæc ſequentia ſymbola, *Vocum, Tonitruorum & fulgurum*, &c.

Philop. Quinam igitur iſtorum ſenſus Myſticus eſt?

Philoth. Hæc reſpondent Deſcriptioni *Herois Equi albi Seſſoris.* Cujus oculi dicuntur igneæ flammæ ſimiles, acutúſque gladius ex ore illius prodire, cujúſque Nomen etiam eſt *Verbum Dei.* Hæ voces igitur, tonitrua ac fulgura divulgationes ſunt legis Chriſti (cum alluſione ad modum illum terribilem promulgationis legis *Moſaicæ* in monte *Sinai*) hoc eſt, *Evangelii Chriſti*, cum *potentia Spiritûs*, qui aſſimilatur *Igni.* Per hæc, inquam, præfiguratur extraordinaria Efficacia prædicandi Evangelium *cum potentia & demonſtratione ſpiritûs*, ſub hac Phiala ultima. Quibus quidem analoga eſt iſta Viſio apud *Eſdram* de Homine *mittente ex ore ſuo quendam quaſi flatum ignis, ex labiis ſuis flammantem ſpiritum & ex lingua ſcintillas ac procellas ejaculante*, quorum illîc expreſſa Interpretatio eſt de *Lege filii Dei*, igni conſimili. Jam verò *tonitrua* hæc ac *fulgura*, ingens comitatur *Terræ-motus*, quemadmodum dicitur de monte *Sinai*, in terribili Legis promulgatione, quòd *totus mons magnopere contremuit.* Et rurſus apud *Pſalmiſtam, Nubila fragorem edebant, tua tela ferebantur, tuum in æthere tonitru ſonabat, fulgura coruſcabant per mundum. Tellus tremefacta eſt & cohorruit.*

Apoc. 19. 12. 15. 13.

2 Eſdr. 13. 10.

2 Eſdr. 13. 38.

Exod. 19. 18.

Pſal. 77. 17, 18

Philop. Sed quid interim fit, *Philothee*, de prælio ad quod *Ranæ*, impuri iſti Spiritus, totum orbem evocârant in campo *Armageddon?* Nec pugna enim ulla nec victoria memoratur, ac ſi viſio relinqueretur ſemiperfecta.

Philoth. Succeſſus ſubindicatur in ſignificatione vocis *Armageddon*, quemadmodum ſuprà dixi. Nam Deus omnipotens dicitur eos in illum locum congregâſſe, vi ſuæ ſcilicet Providentiæ. Et viſio præterea modo magìs perfecto continuatur, quanquam ſub nova Repræſentatione. Id enim ſpecialiter notare debes, ut ampla hæc *caſtrametatio* (ſymbolis eò naturaliter ducentibus) per *commutationem Iconiſmorum*, in ingentem derepente vertatur *Civitatem* quæ eandem omnino rem etiamnum ſignificat, hoc eſt, comprehenſionem trium iſtarum partium quas tibi antea enumeravi. Hæc verò *Tripartitio* magìs apertè elegantérque (in cortice Vaticinii) indicatur, ſtatim à mentione Terræ-motûs, ac ſi eſſet illius effectum, Καὶ ἐγένετο ἡ πόλις ἡ μεγάλη εἰς τρία μέρη.

Apoc. 16. 19.

Philop. Elegantia profectò admodum mirabilis eſt, *Philothee*, admodum delectabilis ac Harmonica.

Philoth. Nec ulla difficultas eſt aut abſonantia, quòd magnus hic populorum concurſus in *Armageddon*, uni magnæ *Civitati* aſſimiletur, quoniam *Reges Terræ totiúſque Orbis* dicuntur hîc congregari in iſto *Caſtrametationis* ſymbolo, quo mutato in *Civitatis* Iconiſmum neceſſe eſt ut iſta Civitas dicatur *Magna*, eſt enim quodammodo *Civitas totius Orbis* (tali ſenſu quo omnia orbis Regna dicebantur Servatori oſtendi) quæ proinde neceſſariò comprehenſio eſt ingentis multitudinis Civitatum, quanquam

Matt. 4. 8.

quam univerſus Mundus non niſi una magna eſt Civitas, ſecundùm *Philonem*, ἡ γὰρ μεγαλόπολις ὅδε ὁ κόσμος ἐστίν. Ac tametſi unumquodque Regnum per ſeipſum Mare eſt, *Philo Jud. lib. de Joſeph.* multorum tamen Regnorum comprehenſio ſimul ſumptorum ſtylo Prophetico unum magnum appellatur Mare, ut apud *Danielem* cap. 7. ubi *quatuor venti Cœli dicuntur pugnare in Mari magno.* Quamobrem ut *Mare magnum* conſiſtit ex *magna Marium multitudine*, ità, pari ratione, concipere poſſumus, *magnam hanc Civitatem*, ſenſu Myſtico ex *magna* conſiſtere *multitudine Civitatum*, magnámque hanc Civitatum multitudinem (quod id ipſum eſt quò collineo) in *tres partes* dividi. Cujus pars prima eſt, *Civitates Infidelium* & *Atheorum*, opinioſorum Deiſtarum, merorúmque Moraliſtarum. Pars altera *Civitates verorum Chriſtianorum*; & tertia denique *Antichriſtianorum Civitates*, *Babylon* utique cum ſuis filiabus.

Philop. Equidem fateor, *Philothee*, hæc naturalia eſſe miniméque coacta. Verùm quænam interim ſit ſtrages in prælio illius magnæ diei Dei omnipotentis?

Philoth. *Civitates Gentium ceciderunt*, hoc eſt Civitates Infidelium cujuſcunque generis.

Philop. Acie gladii, putà, occiſi, *Philothee*.

Philoth. Acie illius gladii qui ex ore prodit *Seſſoris Equi albi*. Gladium Spiritûs intelligo, qui eſt *Verbum Dei*. Vel potiùs ut à præſenti Viſione non recedamus, ceciderunt fulminibus icti horum potentium *Boanergium* Evangelii ſub ultima Phiala. Convicti ſunt ſubdomitíque, Chriſtíque ſceptro ſubjecti, & illius Regno additi.

Philop. Nova optima profectò narras. Faxit Deus ut ità eveniat. Cæterùm *Babylon*, ut videtur, etiamnum reſiſtit.

Philoth. Annon Servator olim Scribis dixit & Pontificibus, *Publicanos & Meretrices eos anteceſſuras eſſe in Regnum Dei?* *Matt.21.31.* Verùm hæc *Babylonis* Reſiſtentia ſive Contumacia in ſummam illius tendet cladem ac perniciem. Poculum ei dabitur vini ſævæ iracundiæ Dei, & omnes Inſulæ fugient. *Apoc.16.19, 20.* Templa ſua, locáve conſecrata non poſſidebit ampliùs, & Montes nuſquam exiſtent. Omnes Eccleſiaſtici Honores ac Dignitates evaneſcent. Ingens enim grando de cœlo in eam deferetur, *Verſ.21.* ſingulis grandinibus talentum pendentibus, adeò ut omnes ejus arbores ampliſſimæ vaſtandæ exſpoliandæque ſint fructibus ſimul ac foliis. Rami diffringentur Truncíque nudabuntur, uſque ad intimum Corticem. Tunc *afficient eam ut ipſa alios affecit, eique duplicem* *Apoc.18.6,7,8.* *pro ejus factis gratiam referent. Eodem poculo quo miſcuit, miſcebunt ei duplum. Quantúmque ipſa ſe honoravit & luxuriata eſt, tantum ei cruciatum luctúmque dabunt. Quoniam potens eſt Dominus Deus, qui eam ulciſcetur.*

Philop. Annon verò omnis hæc calamitas ac miſeria eam reductura eſt ad bonam frugem, *Philothee?*

Philoth. Propone *Salomoni* iſtam Quæſtionem, *Philopoli*, illéque tibi ſine mora reſpondebit, *Stultum etiamſi in pila piſtillo pinſas inter graneam, non recedet ab eo ejus ſtupiditas.* *Prov.27.22.* Fieri poteſt ut magna eorum pars ità obſtinati ſint in perpetuum. Hi ſunt illi ſtulti qui *reperientur nudi incedere*, ità ut omnes eorum turpitudinem ſint conſpecturi. Quam ſi & ipſi perinde atque alii videre poſſent, converterentur. Jam verò ſuperſtitioſâ cæcitate affecti, cùm veritatem agnoſcere Deóque dare gloriam debeant, dicuntur *Deum blaſphemare* ob grandinis cladem, quia clades illius erat valdè *Apoc.16.21.* gravis.

Philop. Quantum igitur ego video, *Philothee*, nec *Viſio Seſſoris Equi albi*, ubi Beſtia ac falſus Propheta dicuntur vivi in ſtagnum ignis conjici, nec *ultima* hæc *Phiala*, nec *Viſio Torcularis*, cædem hominum in Regno *Antichriſtiano* ſignificant, ſed tantùm Poteſtatis eorum abolitionem, & Honorum Dignitatúmque expoliationem, cum Emolumentis indè dependentibus.

Philoth. Quæ bella fieri poſſint in magno hoc Terræ-motu, quo magna Civitas dicitur in tres partes diviſa (ſecundùm indicationem externæ Literæ) ego profectò neſcio. Id verò Spiritus Dei in viſionibus Apocalypticis minimè omnium indigitat. Nec locutio iſta γενέσθαι εἰς τρία μέρη, *diruptionem* Civitatis in tres partes neceſſariò implicat, ſed ſignificat tantùm *partes* Civitatis *eſſe tres*. Magnus ille Terræ-motus in apertione *Sigilli ſexti* Religionis tantùm Paganicæ lapſum denotabat. *Apoc.16.12.* Fieríque poteſt, ut nec hic in effuſione *Phialæ ultimæ* (quanquam tantus dicitur *Terræ-motus* ut poſt homines in Terris natos tantus, tam ingens Terræ-motus nullus extiterit) quicquam ampliùs ſignificet quàm plenam demolitionem *Babylonicæ* Poteſtatis ac Superſtitionis, ut nuſquam diutiùs dominentur. Quinimo ipſa Torcularis cruenta viſio nihil ampliùs ſignificat quàm hoc, quamvìs *Babylonem* reſpiciat propter numerum ſtadiorum, quæ illi Terræ applicari poſſunt quæ dicitur *Stato della Chieſa*, ut eruditiſſimus *Comment. Apocalypt. ad Cap.14.* *Medus* obſervat. Papalis Poteſtatis illìc extinctio potiùs quàm ſtrages exercituum illius, hac viſione ſignificatur.

Philop. Ille verò Numerus æquè applicabilis eſt ad Terram ſanctam, utì idem Author obſervat.

Philoth. Eſto, *Philopoli.* Duas igitur viſio facies induere poteſt; alteram, quæ *Romanam* Eccleſiam reſpicere poteſt; alteram, quæ populum *Judæorum:* primâ ſenſum *Politicum* ſuppeditante, prout jam monui; ſecundâ ſenſum magìs *Myſticum* ſeu *Spiritualem.*

Philop. Quemnam, obſecro, *Philothee?*

Philoth. Paſſionis Chriſti vim ſignificat in converſos *Judæos,* ad mortificandum omne peccatum & improbitatem in ipſis, & ad efficiendum ut Converſio eorum ac Pœnitentia perfectum ſuum opus obtineat in ſubdomando Myſticum in ipſis *Edom* & emittendo copiosè illius ſanguinem, ſecundùm vaticinium illud apud Zachariam, Zachar. 12. 10, 11. *Atque iſto tempore effundam in* Davidicum *genus & in* Hieroſolymitanos *Spiritum gratiæ & miſerationum, ità ut me quem confixerint, intueantur, & de eo plangant, quemadmodum de unico filio plangitur, doleántque ut de primogenito doleri ſolet. Tunc tantus erit* Hieroſolymæ *plangor quantus fuit plangor* Hadadrimmon *in campo* Megiddon.

Philop. Quantum ego intelligo, *Philothee,* hi Myſtici etiam ſenſus intendi poſſunt, ſuam enim planè habent utilitatem.

Eviſt. Atque applicatio hæc illius loci apud *Zachariam,* majorem fidem lucrabitur, ſi poſſemus cum Capello aliíſque Criticis admittere *Armageddon* eundem locum eſſe atque *Megiddon* illìc memoratum.

Philop. Critici iſtam decidant controverſiam, *Eviſtor.* Intereà temporis, ego valde ſolicitus ſum, ſi haud ità magna futura ſit perſonarum *Antichriſtianæ* partis clades, quid de ipſis fiat poſt *Phialam* ultimam.

Philoth. Conditio eorum talis ferè futura eſt qualis erat diſperſorum Judæorum poſtquam Meſſiam abnegaverant, in primo ſuo adventu. Ità in hoc ſecundo Chriſti adventu, populum hunc *Babylonicum,* poſtquam locus ab ipſis ablatus ſit Natióque diſperſa, obſtinata obduratáque Ignorantia occupabit. In obfirmato victuri ſunt errore, ſuperſtitione & improbitate, tantâ animi cæcitate capti, ut in ſanctam civitatem non valituri ſint invenire introitum. Cæterùm illud in ipſis expletum erit (perinde atque in reliquis qui ſe non dediderint Chriſto) ſenſu maximè amplo ac diſtincto, Apoc. 22. 15. *Foris quidem erunt canes, & venefici & impudici & homicidæ & Idololatræ, & quiſquis mendacium amat atque facit.*

Cuph. Ex hoc rerum exitu intelligo *Apocalypſin* librum eſſe non tam ſanguinolentum ac tumultuoſum quàm quoſdam audivi referentes eum eſſe, ſed Genium ei ineſſe benignum magìs ac humanum, non hortantem homines ad ſanguinem effundendum in ſolam vindictam (quanquam fateor partem *Antichriſtianam* æquè immaniter ſanguinolentam fuiſſe atque ipſum *Draconem* rufum, antiquum iſtum truculentum Paganiſmum *Romanum*) ſed tantùm ſeipſos defendendi cauſâ, quemadmodum intellexi in *Phiala tertia.* Meâ quidem ſententiâ tàm innocuum ſcriptum eſt, phantaſmatíſque tam mirè concinnis & elegantibus (*Platoniſmi* inſtar) inopinatíſque rerum aliarum in alias reflexionibus adeò plenum, ut quemlibet invitare queat ad dandam operam illi intelligendo, vel ſolius oblectationis ergô.

Sophr. Spero igitur fore, *Cuphophron,* ut ipſe tandem huic intelligendo ſummo ſtudio ac diligentiâ incumbas.

Cuph. Poſtquam *Carteſii Principia, Dioptricen, Methodum* & *Meteora* ſemel adhuc iterúmque perlegero, fieri poteſt, O *Sophron.*

Sophr. Quid? Iſta haud tam multum temporis requirent quo perlegantur.

Cuph. Fortaſſis. Verùm oportet me etiam omnia illius Epiſtolarum volumina priùs percurrere, & delectabiles itidem *Platonis* Dialogos, plenéque intelligere illius *Timæum,* ſed omnium maximè *Parmenidem,* (Ecce tibi egregium Ingenii Metaphyſici ſpecimen, O *Sophron!*) & tum probabile eſt me horis inſpecturum ſucciſivis quid S. *Johannes,* dilectus ille Chriſti diſcipulus, in ſua narret Apocalypſi. Hæc aliquantum temporis requirent.

Philop. Ego verò acriori ſtudio ad hæc Myſteria rapior, *Cuphophron.* Ac proinde me abruptè te interpellare oportet rogaréque *Philotheum* ut pergat, ut nullam, in re præſenti, temporis faciamus jacturam. Abunde mihi ſatisfecit, *Philothee,* tua *ſeptem Phialarum* Expoſitio. Ac tametſi valde difficile eſſe exiſtimo, ut cujuſvis Mortalis oculus, harum Viſionum ope, futuritatem rerum in plenis ſuis circumſtantiis ſine omni errore & defectu prævideat; quæ dixiſti tamen tam bellè cohærent, ut hæc Explicatio tantum ſaltem veritatis menti repræſentare poſſit, quantum Imagines Anatomicæ illi, qui corpus diſſectum propriis ſuis oculis nunquam conſpexerit.

Philoth. Sic ſpero, *Philopoli.*

Philop. Quamobrem cùm tam fœlici ſucceſſu huc pervenerimus, quæſo, *Philothee*, ad alteram pergamus partem; Ad glorioſum Regni Chriſti ſtatum poſt plenum *Babylonis* exitium. Primùm enim volo deſcribas, *in quo glorioſus hic ſtatus conſiſtat.* Deinde, *rationes proponas, quibus ipſe perſuaſus es rem ſic fore.* Tertiò, *Quæ ſigna futura ſint prænuncia hujus tam glorioſæ rerum ſcenæ.* Quartò, *An rationes ullæ ſint mediáve quibus præſens Chriſti Regnum utatur ad accelerandum hunc præſtantiſſimum Eccleſiæ ſtatum, & quæ demum ſint.* Quintò & ultimò, *Quamdiu fœlix hic ſtatus duraturus ſit, & quæ Eccleſiæ conditio ad Mundi uſque finem ſit futura.*

VI.
Futura Eccleſiæ gloria poſt extremam cladem Babylonis.

Philoth. Admodum arduæ profectò quæſtiones hæ ſunt, *Philopoli.* Adnitar autem quantum potero, ut tibi ſatisfaciam. Cùm verò tam multæ ſint, (prout ſuprà divinavi) tempus, uti ſcis, non permittet ut nimis copiosè agam. Alioquin haud difficile foret admodum prolixam hujus futuri ſtatûs Eccleſiæ ab innumeris ſacræ Scripturæ locis deſcriptionem formare. Quis glorioſior aut exoptabilior Eccleſiæ Chriſti ſtatus eſſe poteſt, quàm is qui ab *Eſaia* deſcribitur, cap. 11. verſ. 4, &c. *Terrarum tenues,* ait ille, *juſtè judicabit, inopéſque terrarum corriget ex æquo, & terras oris ſui baculo verberabit, & ſpiritu labrorum ſuorum necabit impios. Habens pro laterum cinctu juſtitiam, pro ilium cinctu fidem. Itaque verſabitur cum agno lupus, accubabitque pardus hœdo, copulatóſque vitulum ac leonem & taurum ducet puer parvulus: Et vacca urſúſque compaſcentur, concubantibus eorum pullis, & leo more boum paleâ veſcetur. Et ludet ſuper aſpidis foramen lactens Infans, ſupérque viperæ cavernam deliculus puer manum agitabit. Nuſquam malè aut nequiter fiet in meo ſacro monte, quoniam tantæ erit Jehovæ cognitionis plena terra, quantis operitur aquis mare.*

Philop. Excellentiſſimus profectò hic Eccleſiæ ſtatus eſt, *Philothee.*

Sophr. Glorioſa dicuntur de te, O Civitas Dei. *Pſalm.* 87.3.

Philoth. Rurſus, cap. 2. *Fiet poſtremis temporibus ut fixus ſit ædis* Jehovæ *mons in culmine montium ſitque collium editiſſimus, confluéntque ad eum gentes omnes. Et venient multi populi atque ità dicent, Agite, aſcendamus ad montem* Jehovæ, *ad ædem Dei* Jacob, *qui nos de ſuis viis erudiat ut ejus ſemitis gradiamur. Nam ex* Sione *Lex, ex Hieroſolymis* Jehovæ *diſciplina proficiſcetur. Ille gentibus jus dicet, & multos populos corriget, ità ut cudant ex ſuis enſibus vomeres & ex ſpiculis falces, neque gentes aliæ aliis arma inferant neque ampliùs bella diſcant. O Domus* Jacob, (inquient gentes) *agite, gradiamur in luce Jehovæ.*

Eſai. 2. 2, &c.

Sophr. Quod illi conſimile eſt de nova *Hieroſolyma*, in Apocalypſi, *Atque in ejus urbis lumine gentes ſervatorum ingredientur, in eámque conferent terrarum Reges gloriam ſuam ac honorem.*

Apoc. 21. 24.

Philoth. Illud verò ex Apocalypſi videtur magìs expreſſim alludere ad illud *Eſaiæ*, cap. 60. *Age,* O Sion, *reluce, adventat enim tua lux tibique* Jehovæ *gloria exoritur. Nam futurum eſt, ut obtegentibus terras tenebris & populos caligine, tibi* Jehova *oriatur, ejúſque gloria in te appareat, Ambuléntque gentes in tua luce & Reges in exorto tibi ſplendore.* Et prope finem illius Capitis: *Non ampliùs tibi Sol interdiu lumen præbebit, neque Lunæ ſplendor illucebit, ſed erit tibi Jehova lux æterna, Deúſque tuus decori. Tuus autem populus juſti omnes ſemper Terram poſſidebunt, à me ſata ſtirps, manuum mearum opus, quod mihi ſit honeſtamento. Minimus in mille, minutiſſimus in populoſam gentem excreſcet, id quod ego* Jehova *ſuo tempore accelerabo.*

Verſ. 1, &c.
Verſ. 19, 21, 22.

Sophr. Ad hoc tempus etiam pertinere credo illud *Eſaiæ*, cap. 30. *Erit & Lunæ lux ut lux Solis, & Solis lux ſeptuplex ut ſeptem dierum lux, tum cùm obligaverit* Jehova *populi ſui fracturam & inflictum ei vulnus ſanaverit.* Ut & illud *Zachariæ*: *Eo tempore propugnabit* Jehova *pro* Hieroſolymitanis *ità ut ſit eorum infimus* Davidi *ſimilis,* Davidis *autem domus ſimilis Deo, & Jehovæ Angelo eis propoſito.*

Eſai. 30. 26.
Zach. 12. 8.

Eviſt. Textus Hebraicus habet כאלהים כמלאך יהוה לפנהם, ubi *Druſius* reddit כאלהים *ſicut Dii,* per Deos *Angelos* intelligens.

Bath. Quemadmodum dicitur apud *Johannem*, Quicunque autem eum acceperunt, *iis eam poteſtatem dedit, ut Dei filii fierent, fidem habentibus ejus nomini.* Et Servator quanquam declaraverat, nullum in fœminarum natis majorem extitiſſe *Johanne* Baptiſtâ, nihilominus tamen ait, *minimum in Regno cælorum majorem eſſe eo.*

Johan. 1. 12.
Matt 11. 11.

Philoth. Summi profectò momenti iſta eſt in Teſtimonium Servatoris de *Johanne*, *Bathynoi* adnotatio, taliſque quæ quemlibet urgere poſſit ad propriam conſcientiam profundè perſcrutandam perinde atque eum edocere quàm parùm hactenus fuerit *Regni Dei* in Orbe. Cæterùm intereà loci, *Philopoli*, credo ſatis manifeſtum eſſe, qualis in genere futurus ſit Eccleſiæ ſtatus in glorioſis illis Temporibus de quibus loquimur. Abundè ſcilicet fore *Spiritualis Roboris*, & *Juſtitiæ*, & *Pacis*, & *Gaudii*, & *Securitatis* à bellis intra Eccleſiam, & ab omni *perſecutione populi Dei.*

VII. *Extenſio illius.* Atque hæc quidem de *Qualitate* Eccleſiæ. Quantùm verò ad illius Amplitudinem ſive Extenſionem, ſubindicatur quidem, eam admodum amplam fore, ac ſi per *Eſai.11.9.* totam Terræ faciem extendenda eſſet. Dicitur enim, *Tantæ erit Jehovæ cognitionis plena Terra quantis operitur aquis Mare.* Id autem fit longè latéque. Et rurſus, *Cap.2.2.* *Fixus erit ædis Jehovæ mons in culmine montium, confluéntque ad eum gentes omnes.* Porrò *Cap.60.22.* in iſta locutione, *Minimus in mille, minutiſſimus in populoſam gentem excreſcet, &c.* Quibus addere potes, quod à *Daniele* prædictum eſt, cap. 2. 35. *Lapis autem qui ſimulachrum percuſſit factus eſt mons tantus ut totam terram impleverit.* Atque iterum, cap. 7. 26. *Et judicium ſedebit ut auferatur Potentia & conteratur & diſpereat uſque ad finem. Regnum autem & Poteſtas & magnitudo Regni quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altiſſimi, cujus regnum regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſervient ei & obedient.* Quemadmodum & illæ voces in cœlo declarant ad clangorem Tubæ ſeptimæ: *Facta ſunt regna hujus mundi regna Domini noſtri ac Chriſti ejus, &* *Apoc.11.15.* *regnabit in ſecula ſeculorum.*

Philop. Hæc, *Philothee,* in genere admodum manifeſta ſunt ac perſpicua. An verò magìs particulares non ſunt præfigurationes in ſcriptis Propheticis, de ſtatu Eccleſiæ de quo nunc diſſeris? Annon caput Apocalypſeos viceſimum primum, plura nobis ſuppeditabit Particularia?

VIII. *Magìs particularis deſcriptio futuri ſtatûs Eccleſiæ ex Apocalypſi.*

Philoth. Fieri poteſt ut plura ſuppeditet, *Philopoli.* Quæ tibi in memoriam revocare potes, ea, quæſo, propone.

Philop. Plura quidem mihi occurrunt, quàm opus ſit proponere. Illa igitur omittam loca, quæ eaſdem omnino res denotant quas ex veteribus Prophetis obſervâſti, Juſtitiam utique ac Puritatem ſanctæ illius Civitatis illîc deſcriptæ, excluſione cujuſque rei quæ polluat indicatam, & pretioſis iſtis lapidibus puróque auro tranſparenti præfiguratam; Atque ex eo quòd omnes lacrymæ ab oculis eorum abſtergi *Apoc.21.4.* dicuntur, id Pacem & ſecuritatem à Perſecutione ſignificat. Totáque illius deſcriptio tam plena eſt gloriâ, luce atque gaudio, ut nemo ſit quin iſtum characterem facilè obſervet. Verùm aliorum locorum, *Philothee,* ſenſum ex te quærere volo; *Verſ. 2.* ut, Cur hæc ſancta Civitas appelletur *nova Hieroſolyma*; Cur dicatur *de cœlo deſcendere*; *Verſ. 2.* Cur *portas* habere *duodecim,* eíſque Nomina *duodecim Iſraeliticarum Tribuum* in*Verſ. 14.* ſcripta, & cur murus Civitatis *duodecim* habere *Fundamenta* cum *Nominibus duodecim Apoſtolorum* Agni inſcriptis. Cur Civitas dicatur *arundine aureâ menſurari,* & cur in*Verſ. 15.* veniri *duodecies mille ſtadiorum,* & Murus *centum quadraginta quatuor* cubitorum. *Verſ. 16,17.* Quis item ſenſus ſit iſtius Dicti, *Ecce Dei apud homines tabernaculum eſt,* cùm tamen *Verſ. 3.* nullum Templum illîc eſſet, ſed Dominus Deus omnipotens ejus Templum eſſet, & *Verſ. 22.* Agnus. Et rurſus quis genuinus ſenſus ſit versûs illius ſexti, Atque ille qui in throno ſedebat, dixit, *Factum eſt,* Ego ſum *Alpha* & *Omega,* Principium & Finis, ego ſitienti dabo *de fonte aquæ vitæ gratis.* Et poſtremò, ultimi illius versûs, *Nec in eam intrabit quicquam quod inquinet, aut abominationem faciat & mendacium, ſed duntaxat ſcripti in Agni libro vitæ.*

Philoth. Multa profectò congeſſiſti, *Philopoli,* veruntamen eis quàm ordinatè quámque breviter potero, reſpondebo. Ut à primo igitur exordiar, Civitatem, quam *Johannes* vidit, *Novam Hieroſolymam* appellari exiſtimo, ut diſtinguatur à ve*Apoc.11.8.* tere *Hieroſolyma,* ubi Dominus crucifixus eſt, ſive literaliter ſive Typicè intellecta; *Epheſ.4.24.* & præterea, ex eo quòd illius Cives induerunt *novum hominem* qui juxta Deum conditus eſt in juſtitia veráque ſanctitate, quòd Filii facti ſunt *Novæ Nativitatis* ſive *Novæ* *Matt.21.25.* *Creationis* Dei. Dicitur autem *de cœlo deſcendere* tali ſenſu quo doctrina *Johannis* dici*Galat.4.16.* tur eſſe cœlitùs; conſonantérque illi loco apud Apoſtolum, *At quæ ſurſum eſt Hieroſolyma libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm:* Illi quæ jam diu extiterit Dei Civitati ex Sanctis Angelíſque in cœlo conflatæ, cùm nova hæc *Hieroſolyma* à *Johanne* deſcripta, quantùm ad puritatem ſanctitatémque tam ſimilis ſit, ob hanc cauſam dicitur *de cœlo deſcendere* tanquam cœleſtis illius Perfectionis *Tranſcriptum* ſive *Apographum.* Quibus omnibus addere potes, quicquid viderunt Prophetæ de hac Civitate in cœleſtibus ſuis Viſionibus, cùm id tandem impletum ſit in Terris, hinc etiam dicitur hæc Civitas deſcendere de cœlo.

Atque hæc eſt illa ipſa Civitas, quam *Ezechiel* vidit, de qua ait, *Et portæ Civita*-*Ezech.48.31.* *tis ex nominibus Tribuum* Iſraelis, *ut ſint ſeptentrionales portæ tres, una* Reubenenſis, *una* Judæa, *& una* Levitica, & ſic de reliquis. Ternæ portæ in ſingulis lateribus, quarum ſumma ſunt portæ duodecim, quemadmodum dicitur in Viſione S. *Johannis,* quòd Civitas habebat portas duodecim & in portis nomina inſcripta quæ ſunt nomina duodecim Tribuum filiorum *Iſrael.* Hoc inter alia ſubindicat hanc *Ezechielis* Civitatem & illam *Apocalypſeos* eandem eſſe Civitatem. Et ex eo quòd Apoſtolorum nomina duodecim Fundamentis Muri dicuntur inſcripta, hoc cum illo altero conſideratum oſtendit, Vaticinium *Ezechielis* completionem ſuam habiturum eſſe in *Judæorum* converſione ad Chriſtianitatem, nempe cùm *Judæi* ac *Gentiles* ſimul congregati fuerint ſub uno Capite *Jeſu Chriſto*, & eandem Fidem profiteantur, & ex eadem ſint Eccleſia, quæ eſt hæc ſancta Civitas. Dicuntur autem nomina Apoſtolorum *Fundamentis* muri inſcribi, quoniam eorum doctrina Fundamentum Eccleſiæ eſt in quam *Judæi* ſunt inſerendi, qui per miſericordiam Chriſtianis communicatam, miſericordiam etiam obtinere poterunt in die illo.

Hæc Eccleſiæ cum Ædificio comparatio crebrò occurrit in Scripturis. S. *Petrus* 1 Pet. 2. 5. nos docet, *Fideles veluti vivos lapides in domum ſpiritualem ædificari.* Et S. *Paulus* ad Epheſ. 2. 15, &c. *Epheſios*, Ergo non jam *peregrini eſtis & inquilini ſed concives Sanctorum ac domeſtici Dei, ſuper Apoſtolorum ac Prophetarum fundamentum extructi, anguli capite ipſo Jeſu Chriſto, Per quod totum ædificium compactum creſcit in ſanctum Templum in Domino, In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei per Spiritum.* Atque in hoc illud dictum impletur, *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus.* Et nomen etiam Civitatis apud *Ezechielem* dicitur *Jehovah ſhammah, Dominus eſt illic.* Et tamen nullum eſt mate- Ezech. 48. 35. riale Tabernaculum aut Templum, in quo intelligatur reſidere, & verſùs quod Populus adorationem faciat, ſed Dominus Deus omnipotens Templum illius eſt & Agnus, hoc eſt, in nova hac *Hieroſolyma* nullum erit viſibile Ædificium verſùs quod homines adorare affectabunt, ſed poplitibus flexis puríſque cordibus, manibúſque atque oculis ad cœlum ſublatis, ubi Chriſtus ſedet ad dextram Dei, adorabunt homines Johan. 4. 23. Patrem in ſpiritu ac veritate.

Philop. Et tamen Deus dicit *Ezechieli,* ante accuratam illam Templi & Civitatis omniúmque rituum Judaicorum deſcriptionem, *Tu fili hominis oſtende domui Iſraelis* Ezech. 43. 10. *domum ut erubeſcant propter iniquitates ſuas & metiantur exemplar.* Hoc adverſari planè videtur novæ huic *Hieroſolymæ* à S. *Johanne* deſcriptæ.

Philoth. Senſus ſummarius accuratæ illius deſcriptionis Oeconomiæ Judaicæ apud *Ezechielem,* omnino hic eſt, interprete S. *Johanne*: Quòd, poſtquam omnis gloria ac perfectio Judaicæ diſpenſationis ornatu expoſita ſit quanto poteſt maximo, *menſuratio exemplaris,* illius utique adæquatio & impletio, iſte ſit ſtatus Chriſtianitatis qui appariturus eſt poſt effuſionem *ſeptem Phialarum,* quando Judæi ac Gentes una fient Eccleſia, unum ſanctum Templum Civitáſque Dei. Qui ſenſus *Spiritualis* in ipſa rerum deſcriptione apud *Ezechielem* ſe prodit. Qui enim ſenſus alius quàm Myſti- Ezech. 47. 1. & 12. cus eſſe poteſt Aquarum ſanctarum, quæ è Templo emanant, more ingentis Fluvii, & Arborum quæ ſuis menſibus novos fructus edant, quarúmque *fructus* eſui eſſent & *folia* Medicinæ? Annon hoc adamuſſim reſpondet Fluvio aquæ vivæ, limpido ut Apoc. 22. 1, 2. cryſtallus, ex Dei & Agni Throno mananti, & Arbori vitæ ex hac atque illa Fluvii ripa ſingulis menſibus ſuum fructum edenti, cujus & folia etiam dicuntur ad Gentium curationem pertinere?

Philop. Equidem fateor admodum probabile eſſe.

Philoth. Jam verò cùm una eadémque ſint Viſio, quantùm ad Objectum Prædictionis, cùm Nova *Hieroſolyma* & Fluvius ac Arbores Myſticè intelligendæ ſint, *Ezechielis* etiam Viſio eſt Myſticè intelligenda.

Philop. Quod ad S. *Johannis* Viſionem attinet, valde puerile eſt opinari, literaliter eſſe exponendam; ac ſi Civitas extruenda eſſet ex auro tranſparenti, Muri ex lapidibus pretioſis Portæque ex margaritis.

Philoth. Et tamen hoc, meo quidem judicio, magìs adhuc abſonum eſt, ut Civi- Apoc. 21. 16. tas foret ut Cubus, æquali altitudine, latitudine & longitudine. Et tamen ſic deſcribitur: Et duodecim millia ſtadiorum, illius Cubica magnitudo eſt ſive menſura.

Philop. Quis igitur, quæſo, ſenſus eſt illius loci, *Philothee?*

Philoth. Duo hinc credo ſignificari. Primum jam innui, Civitatem hanc *literaliter* non poſſe exponi. Alterum eſt, quod & ſuprà ſignificatum eſt per nomina Apoſtolorum: Solidus hic Cubus, [duodecim millia] Civitatem hanc ſignificat ſolidè integréque *Apoſtolicam* fore Vitâ, Fide & Diſciplinâ; Radice etiam quadratâ menſuræ Muri 144 Cubitorum eandem *Apoſtolicam* Diſpenſationem præfigurante. Nam Apoc. 21. 17. quòd dicitùr, centum quadraginta quatuor Cubitos menſuram eſſe Muri, id quidem innuit duodecim Cubitos altum eſſe & duodecim Cubitos latum. Nec ultrà quidem pertingere potuit ſignificatio, congruenter loquendo, & ſecundùm muri Civitatis naturam. Qualis enim illa futura eſt Civitas, cujus Muri ambitus 144 cubitos non excedit?

Philop. Quidam, *Philothee*, aiunt, Radice illius Cubi, quem memorâſti, extractâ, atque ſic Perimetro hujus Civitatis apud S. *Johannem* deſcriptæ repertâ,
Ezech.48.35. quòd Perimeter hæc eadem ferè deprehenditur, quæ eſt Civitatis apud *Ezechielem* deſcriptæ. Quidnam iſtud ſignificare putas?

Philoth. Neſcio profectò quid aliud ſignificare debeat, quàm quòd hæ duæ Viſiones ad rem eandem collineant, & quòd ſenſus illius etiam apud *Ezechielem* Spiritualis eſt, quódque iſtæ Figuræ Propheticæ quæ Imaginationem *carnémque* tantopere afficiunt, implendæ ſunt in Diſpenſatione *Spiritûs*, cui tota Oeconomia Judaica ſuum ſignum apponit, ut Typus Antitypo, Atque hinc petenda eſt expoſitio verſûs illius ſexti, *Atque is qui in Throno ſedebat, dixit, Factum eſt*, hoc eſt, omnia jam conſummata ſunt, poſtquam ad *Diſpenſationem Spiritûs* pervenerimus. *Ego ſum Alpha & Omega, Principium & Finis.* Incepi quidem ab Oeconomia *Moſaica*, quæ in Figuris Ritibúſque carnalibus maxima ex parte conſiſtit, qui rurſus quodammodo in exteriori Chriſtianitate revocati ſunt: Verùm hæc *Litera Vetuſtas* abolenda eſt, omniáque in *Diſpenſatione ſpiritûs* finienda & conſummanda & in *Renovatione* humanæ Naturæ in *Novam* Creaturam in vivam Imaginem Dei, quemadmodum ſcriptum eſt, *Atque is qui ſedebat in Throno dixit, Ego facturus ſum omnia nova*, hoc eſt illud tempus, in
Jer.31.31,33, 34. quo Dominus pollicitus eſt ſe *novum* fœdus cum *Iſraelis Judæque* domo percuſſurum, nempe, *quòd ſuam legem in eorum pectora dabit, inſcribétque cordi*; Nec jam inter ſe docebunt alius alium ad Dominum cognoſcendum cohortantes, quippe quem
Apoc.22.4. univerſi tunc parvi juxtà ac magni cognoſcent. Nam, ut ait *Johannes, Videbunt faciem ejus & nomen ejus erit in frontibus eorum.* Prout etiam Servator prædixit, *Beati*
Matt.5.8. *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quæ omnia *Spiritûs diſpenſationem* denotant.
Ezech.39.29. Quemadmodum & teſtatur *Ezechiel* de hiſce temporibus; *Et non abſcondam ultrà vultum meum ab eis, quia effudi Spiritum meum ſuper domum Iſraelis, inquit Dominus Deus.*
Apoc.21.6. Hic igitur ſenſus eſt illius loci, verſu ſexto: *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratìs*, hoc eſt, *vim Spiritûs* ei gratìs communicabo. Prout Eſaias itidem prædixit, *Nam*
Esai 44.3. *perfundam aquâ ſitientes, aridúmque ſolum rivis, perfundam Spiritu meo tuam ſtirpem, meâque beneficentiâ tuam progeniem.* Unde interpretandum puto *Fluvium*
Apoc.22.1. *Cryſtallinum* quem S. *Johannes* memorat, de externa etiam proſperitate, de gaudio, pace ac ſecuritate Eccleſiæ.

Πηγὴ διαυγὴς τὰς νῦν λύει λύπας.

Johan.7.38. Quibus omnibus addere potes, Servatorem Aquis vivis Spiritum aſſimilare.

Philop. Probè memini.

Philoth. Et nunc quidem ad ultimum illum verſum quod attinet, *Philopoli*, parum in illo video difficultatis. Abominatio, βδέλυγμα utplurimum *Idolum* ſignificat. Senſúſque, opinor, hic eſt, Omnes *Idololatras*, & *Impoſtores*, ſive quocunque ſenſu *Mendaces*, è ſancta Civitate excluſum iri, cùm nihil huc admittendum ſit, præter veritatem ac ſimplicitatem vitæ, præter iſtos ſolos qui libro vitæ agni ſint inſcripti.

Philop. Immo verò, quid iſtud ſignificat, *Philothee?*

Philoth. Solos electos Dei.

Bath. Mirum eſt tam innumeras Animarum multitudines ex numero Electorum fore univerſas, talium utique de quibus dicatur, *Ego te priuſquam in alvo formâſſem,*
Jer.1.5. *noveram, & priuſquam ex utero exiiſſes, conſecraveram.*

Philoth. Electos omnes voco, qui aut ex privilegio *novæ Nativitatis*, aut ex eo quòd *Divinam Vitam* retinuerint, ſua nomina tanquam civium novæ *Hieroſolymæ* libro vitæ Agni habeant inſcripta.

Philop. Sobria eſt Interpretatio. Et nunc, ni fallor, *Philothee*, omnia Particularia te putas percurriſſe, quæ tibi propoſui.

Philoth. Quid? Ecqua prætermiſi, *Philopoli?*

IX.
Civitatis dimenſio per Angelum arundine aureâ quid denotet.

Philop. Unum duntaxat, ſed maximè præcipuum, ut ego quidem ſentio; Cur ſcilicet Angelus heîc dicatur Civitatem metiri *aureâ arundine*, cùm S. *Johannes* dicitur Templum Dei & altare & adorantes in eo, ſimpliciter, *Arundine* metiri.

Philoth. Rectè hoc recoluiſti, *Philopoli.* Eſt enim meo quidem judicio egregium Teſtimonium præcellentis conditionis *novæ Hieroſolymæ* etiam præ iſtis Eccleſiæ temporibus, quæ exiſtimarentur *Symmetra*, præ primis utique quatuor centenis ferè
Apoc.11.1. Annis. Nam quòd tunc Eccleſia ab *Homine* dimenſa ſit, verùm hic novus rerum ſtatus
Apoc.21.15, 17. ab *Angelo*; illa ſimpliciter per *Arundinem*, hic per *Arundinem auream*; innuit profectò, novum hunc rerum ſtatum, iſtum ſtatum tantum ſuperaturum, (quanquam optimum in quo Eccleſia hactenus conſtituta eſt) quantum *Angelus* hominem, aut

Arundo aurea, Arundinem vulgarem ac combuſtibilem ſuperat. Proculdubio aliquid erat in diebus iſtis (licèt multò præſtantioribus quàm ubi Eccleſia craſſè apoſtatâſſet) quod ignem pati non poteſt, quin in fumum abeat & evaneſcat. Omnia verò in hac nova Creatione, Menſuræ ſimilia ſunt quâ menſurantur, (Πᾶν γὰρ τὸ μέτρον συγγενὲς, quemadmodum *Ariſtoteles* alicubi monet) ignémque pati poſſunt ſine conſumptione. *Verbum tuum valde purum eſt*, inquit Pſalmiſta, Pſalm. 119. Et rurſus Pſalm. 12. *Verba Domini ſunt pura verba, ut in argillacea exploratum Fornace argentum, ſepties perpurgatum.* Eſt igitur pretioſum Dei verbum puráve Lex Dei (quam *David* aureorum argenteorúmque millibus præfert) quæ *Arundo hæc aurea eſt* cui *Nova Hieroſolyma* eſt commenſurata. Nihil retinetur, tanquam notam habens authenticam in *nova* hac *Diſpenſatione*, niſi quod apertè Verbo Divino congruat. Omne fœnum ac ſtipula humanarum Traditionum ac Inſtitutionum comburentur, puráque ac *Apoſtolica* Doctrina & Diſciplina ſola erit omnium Menſura. Adeò ut Civitatis per *auream Arundinem* dimenſio, & *centum quadraginta quatuor* Cubiti, & *duodecim* Millia ſtadiorum, in hunc omnia ſenſum terminentur, Conſtitutionem rerum tunc *purè* fore *Apoſtolicam*, totam illi Doctrinæ, illi Spiritui quadrantem qui æternus Spiritus eſt Dei, omnis ſanctæ veritatis Divinæque Rationis Fons.

*Pſalm.*119.72.

1 *Cor.*3.12.

Philop. Equidem, *Philothee*, hæ tuæ Interpretationes mihi videntur valde naturales. Annon verò alii characteres ſunt excellentis hujus ſtatûs Eccleſiæ, in aliis Viſionibus ſive Vaticiniis?

Philoth. Sunt, *Philopoli*, ſed immenſum eſſet omnia proſequi. Nec tamen me abſtinere poſſum quin aliquas tibi dem ſubindicatiunculas è Viſione *Ezechielis* de quatuor *Cherubinis* ſive Curru Dei; cum quo Thronus Dei in cœlo inter quatuor Animalia à S. *Johanne* haud mediocrem gerit ſimilitudinem. Hoc enim intelligere debes, *Philopoli*, præcipuum ſcopum illius maturè inceptæ diúque continuatæ negotioſitatis *Filii Dei* apud nos *terreſtres* Homines amplificationem fuiſſe *Regni Dei* etiam ad has *Terreſtres* uſque Regiones, ut Regnum Cœli etiam in Terris ſit, cœleſti illius exemplari examuſſim reſpondens. Atque hoc ipſum eſt, pro quo orare docemur à Servatore, *Adveniat Regnum tuum,* hoc eſt, *Fiat voluntas tua in terra ſicut in cœlis*, nempe, apud ſanctos Angelos ſuos. Ac proinde finis ultimus Diſpenſationum Divinæ Providentiæ, prout ex *Novæ Hieroſolyma* per Angelum dimenſione notavi, *Eccleſiæ eſt ad Angelicum ſtatum ſive conditionem Reductio*, ut cœleſti Exemplari reſpondere poſſit in Viſionibus Dei.

X.
Varia loca Mercavæ *explicata ſive Viſionis Cherubinorum apud* Ezechielem.

Philop. Haud ſatìs adhuc intelligo, quid tibi velis, *Philothee.*

Philoth. Mox tamen intelliges, *Philopoli*, modò ordinato ſermonis progreſſui attendas. Dico igitur, primo in loco, Quòd *Cherubinorum* Viſio, ſive Currus Dei ab *Ezechiele* viſus (licèt non ab eo primùm, (non dubito enim quin idem apparuerit *Moſi* & *Aaroni* in Monte) exemplar erat *Angelicæ Politiæ* cui immediatè præeſt Deus, *Quadrigæ Jehovæ ſunt non ſemel decem millia, duo millia Angelorum ducunt illas* (ut habet Paraphraſtes Chaldæus) *Majeſtas Dei requieſcit ſuper illas ſuper Montem Sinai in ſanctitate.* Præcipuus nunc ſcopus eſt, ut in plenitudine temporis, Eccleſia in terris, illius Currus fiat, cui æquè plenè expeditéque imperet, ac Angelicis Ordinibus in cœlis.

*Ezech.*1.4.
Exod.24.10.

Pſalm. 68.17.

Philop. Quàm plenè verò id fit, *Philothee?*

Philoth. Illud, meâ quidem ſententiâ, *Ezechielis* viſio ad vivum deſcribit, quanquam nec alias omiſſurus ſum obſervationes, dum viſionem breviter percurro, licèt omnia notare ſuperfluum ducam. *Vidi*, ait ille, *& ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone & nubes magna & ignis involvens & ſplendor in circuitu ejus & de medio ejus quaſi ſpecies Electri, id eſt de medio Ignis.* Colorem hunc *Electri* è medio Ignis non poſſum quin ad deſcriptionem *Novæ Hieroſolymæ* comparem: *Urbs verò ipſa ex auro puro, puro vitro ſimilis.* Nunc cogita apud teipſum, *Philopoli*, quàm propè *Aurum tranſparens* ad ſimilitudinem *Electri* accedat.

Ezech.1.4.

*Apoc.*21.18.

Philop. Alterum ad alterius ſimilitudinem quàm proximè accedit, *Philothee:* Quænam verò eſt hujus rei ſignificatio?

Philoth. Ignis & Lux, Spiritus eſt, penitùs permeans poſſidénſque purum hoc ac pellucidum & *Electriforme* Aurum, ut ipſum Ferrum quodammodo pellucidum videtur, quando fit candens. *Quis noſtrûm accolet ignem edacem? quis noſtrûm accolet incendium æternum?*

Eſai.33.14.

Philop. Purum Aurum proculdubio (quanquam pellucidum ut Electrum) taléque quod omnem ſuam ſcoriam exuerit. Puræ omnino & Angelicæ naturæ eos eſſe oportet. Eſt enim Deus Ignis edax, in quicquid quod ſuæ *ſanctitati* adverſetur.

*Deut.*4.24.

Philoth. Quamobrem, cùm nihil in his curribus Dei Cherubicis ſuperſit, quod reſiſtat, illius voluntati perfectè obſequuntur, abſolutúmque in eos Imperium obtinet, illiúſque Spiritu omnino reguntur; quemadmodum etiam in Viſione plus ſemel ſubindicatur, *Ibant autem eorum ſingula prorſum tendentia; quò Spiritus agebat, ibant.* Et
Ezech. 1. 12. quòd dicitur, *Ibant prorſum tendentia, nec inter eundum convertebantur,* hoc pervicacem ſignificat & irreſiſtibilem Divinæ Providentiæ progreſſum à copiis ſuis Angelicis
Verſ. 18. adminiſtratæ. Etenim quòd Rotarum canthi currûs illius *Cherubici* dicuntur oculorum pleni, hoc indè indigitari exiſtimo, Circuitus ac Periodos Temporum atque Ætatum ſpeciali Providentiâ Dei, qui rebus univerſis invigilat, ferri. Atque ubi di-
Verſ. 19. citur, Euntibus autem Animalibus, ibant & Rotæ apud ea, cúmque à Terra attollerentur Animalia, attollebantur & Rotæ, Adnexionem hoc ſignificat Diſpenſationum Periodorúmque temporum, Angelicorum exercituum miniſterio, quódque illi afflant, actuant & animant omnes iſtiuſmodi Circuitus ac Periodos. *Hæc res decreto*
Dan. 4. 17. *Vigilum, hæc rogatio pronunciatione Sanctorum perlata eſt.*

Eviſt. Putabam, *Philothee*, hos Rotarum Canthos oculorum plenos, Cœlos eſſe potuiſſe ſtellatos ab Intelligentiis circumactos.

Philoth. Commentum iſtud eſt ab antiqua *Judæorum* ſapientia tam longè diſſonum, quàm falſitas à veritate.

Eviſt. Quid ità, *Philothee?* Nam *Jonathan Ben-Uzziel* in hac expreſſim eſt ſenten-
Part. 3 cap. 4. tia, quemadmodum videre eſt apud *Moſen Ægyptium*, in *More Nevochim.* Nec
Ezech. 10. 13. contemnendas rationes producit. Oſtendit enim in repetita Viſionis Narratione Rotam *Globum* ſive *Sphæram* appellari. Quod facit ut ſemper *Ophannim* reddat per *Galgallim.* Quamobrem habere *Sphæram in Sphæra,* (ut tunc erit ſenſus) quid iſtoc aptiùs poteſt Cœleſtes orbes ſignificare? Hoc certè notatu digniſſimum eſt. Præterea dicuntur oculos habere (qui Stellis reſpondeant) & color eorum eſſe dicitur, ὡς εἶδος θαρσεὶς (ut Septuaginta etiam reddunt) Latina verò tralatio habet, ut *Viſio Maris*, cujus color cæruleus eſt, coloríque cœlorum ſimilis.

Philoth. Ingenuè fateor, *Eviſtor*, hoc ipſum, præter Rabbini Authoritatem, ſpecioſam quandam concinnitatem præ ſe ferre. Sed nulla omnino ei ineſt vis aut ſoliditas. Quanquam enim גלגל *Globum* ſive *Sphæram* ſignificat, ſignificat tamen & *Rotam*, ac proinde eodem modo exponi poteſt, quo אופן, viz. *Rota.* Præterea una
Ezech. 1. 15. Rota dicitur eſſe in Terra, ſed nullus cœleſtis Orbis eſt in Terra. Omnéſque Rotæ, quantum ego intelligo, ſignificari poſſunt per unam illam Rotam, & per Terram omnes Regiones terreſtres Univerſi. Nam Cherubini ſive Animalia quatuor uni-
Ezech. 10. 15. verſa unum omnino dicuntur Animal. Et quid hoc denotet in ſtylo Cabbaliſtico facile eſt conjectare. Et certè ut ſit *Rota in Rota* tali ſenſu quo velit *Ben-Uzziel Globum* eſſe in *Globo*; ſunt quidem minores majoréſque Providentiæ Circuitus in rebus humanis, alteri alteros circumdantes, minorúmque Circuituum completiones majoribus ſunt antecedaneæ. Quæ obſervatio notabilis eſt in Eccleſia Dei, & in Typorum Vaticiniorúmque impletionibus. Et quæ longiſſimè attingunt, ampliſſimíque
Ezech. 1. 18. ſunt ambitûs, illæ Rotæ ſunt quæ ob ſuam vaſtitatem tam ſtupendæ ſunt ac formidabiles, quemadmodum Viſio eas deſcribit. Et talis eſt illa larga vaſtáque Providentiæ Periodus, quæ cum primo *Fiat Lux* in Geneſi incipiens, ante ultimum Tonitruum non deſinet, in *Apocalypſi* memoratum.

Et cùm Color Rotæ dicitur eſſe tanquam *Viſio Maris*, hoc priorem Expoſitionem confirmat, Rotas illas eſſe Providentiæ circumvolutiones, & Periodos Regnorum, Populorum & Nationum, quas ſtylus Propheticus comparat *Mari.*

Et poſtremò, quòd dicuntur oculorum plenæ, Aſſiſtentiam denotat Ordinum Angelicorum in rebus humanis (quòd illi ſe iſtis ingerunt & immiſcent) quippe qui numeroſi ſunt illi oculi Providentiæ, qui terreſtribus Regionibus invigilant, réſque omnes ſecundùm ſuam voluntatem ac conſilium dirigunt,

Θεοὶ γὰρ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

Cuph. Rotæ hæ *Ezechielis* fecerunt, ut mens mea toto hoc tempore circa *Fortunæ Rotam* verſaretur, ob vulgarem iſtam locutionem tam frequenter in ore hominum nunc dierum habitam.

Clio. cap. 207. *Eviſt.* Non tantùm nunc dierum, O *Cuphophron.* Nam æquè antiqua atque Ætas *Herodoti* eſt hæc locutio, apud quem hæc ipſa loquendi formula ad *Cyrum* Regem, adhibita eſt à *Cræſo*, in ſuo ad eum colloquio, de bello cum *Tomyri* Regina *Maſſagetarum*, Εἰ δ' ἔγνωκας ὅτι ἄνθρωπος καὶ σὺ εἶς, καὶ ἑτέρων τοιῶνδε ἄρχεις, ἐκεῖνον πρῶτον μάθε, ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηΐων ἐστὶ πρηγμάτων, περιφερόμενος γὰρ οὐκ ἐᾷ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν.

Cuph. Commentum hoc de *Rota Fortunæ*, quantum video, multò antiquius eſt quàm ego putabam.

Philoth. Commentum verò iſtud cùm tam antiquum ſit ac vulgare, indicatio eſt, quàm naturaliter rem ipſam exprimat, & ulterior propterea demonſtratio, quàm facilis naturaliſque noſtra ſit hujus partis Viſionis Expoſitio, quæ has *Rotas*, Periodicas rerum humanarum *Circumvolutiones* facit. Hoc autem eſt diſcriminis inter hanc Divinam Viſionem & iſtam Hiſtoriam profanam, quòd in una, Rota ſit *Providentiæ* ſive *Divini Fati*, in altera, Rota *Fortunæ*, ſi εὐτυχέειν neceſſariò hunc κύκλον τύχης implicet. Hoc verò obiter tantùm dictum eſto.

Præcipuum Argumentum contra Expoſitionem Rotæ, quam adhibet *Ben-Uzziel*, hoc eſt, quòd falſum Mundi ſyſtema ſupponit. Præterea, * ſenſus *Mercavæ* Ezechielis non eſt *Phyſicus*, ſed *Moralis*, *Spiritualis* ſive *Divino-politicus*, ſi fas ſit ità loqui.

Philop. Perge igitur, quæſo, in hac tua Interpretatione, *Philothee*, ſecundùm iſtum ſenſum, pluréſque adnotationes in hanc Viſionem nobis imperti. Quid ſentis de Numero Formáque *Cherubinorum* & de Homine huic currui *Cherubico* inſidente?

Philoth. Quantùm ad Numerum Cherubinorum, qui quatuor ſunt, per eos ſignificari exiſtimo, univerſam Angelicorum Ordinum comprehenſionem, aut eorum ſaltem, qui *Spiritus* ſunt *adminiſtratorii*. *Pythagorica* enim Παντέλεια in *Tetractly* comprehenditur. Quòd verò Facies eorum dicuntur eſſe quatuor, videtur innuere tot genera eſſe Naturarum ſive Officiorum in hac *Politia Angelica*, quæ fortean craſſiori quodam modo diſtinguuntur in *Politiis humanis*, quarúmque cum reſpectu hic Angelicus fortaſſe Typus Prophetis exhibitus eſt ſanctiſque viris Dei. Quatuor igitur diſtinctæ facies *Leonis*, *Hominis*, *Bovis* & *Aquilæ*, quatuor illas præcipuas partes ſignificant quæ ipſorum Politiam conſtituunt. *Leo* partem *Militarem*; *Homo* illam partem, quæ in *Cauſis cognoſcendis* pacificáque Juſtitiæ adminiſtratione verſatur; *Bos* partem *laboribus corporeis* addictam ſive in Agricultura, ſive in alio quocunque negotio manuum operâ perficiendo; & *Aquila* denique *Sacerdotalem* & *Philoſophicam*, Speculativam & Devotionalem partem denotat. Generalis hæc Quadripartitio Geniorum ac Negotiorum non ineptè concipi poteſt aliquo modo ad *Angelos* pariter atque *Homines* pertinere. Sed unumquodque Animal habere dicitur quatuor has Facies univerſas, quòd unumquodque Animal pars quarta eſt totius comprehenſionis exercituum Angelicorum, atque hæc quatuor genera intermiſcentur alia cum aliis. Porrò, quòd totum corpus, dorſa, manus alæque plenæ erant oculis, omne eorum ro- *Ezech.* 10. 12. bur atque vim, per ſcientiam regi, eóſque videre & unde & quò abeant, nec quicquam agere ex *cæca obedientia*, ſed per *lumen Vitæ*. Et quòd Facies in eandem partem *Ezech.* 1. 9. omnes ſunt converſæ, eos omni carere denotat diſſidio, ſed eandem habere mentem ac conſilium, ut qui unus ſunt obſequentiſſimus currus *Cherubicus* Dei. Quòd verò ab Aquilone, *Tenebrarum* Regione ac *Frigoris* moventur Auſtrum versùs, ſignificatio *Verſ.* 4. obvia eſt. Quemadmodum & cur facies *Hominis* collocetur Auſtrum versùs in *pri-* *Verſ.* 10. *mori* quaſi acie (*Leone* ad Orientalem, *Bove* ad Occidentalem partem ſpectante) *Aquila* verò ſeptentrionem versùs, in acie quaſi *poſteriori*. Primorem enim Aciem ac Poſteriorem duo eſſe honeſtiſſima exercitûs loca, ſatìs conſtat ex eo apud *Eſaiam*, *Non enim trepidè emigrabitis aut fugâ abibitis, nam vos Jehova præcedet, vos Deus Iſrae-* *Eſai* 52. 12. *litarum colliget*. Et Homo utì nôſti principatum habet in omnia quæ moventur in Terris, ut Aquila in omnia quæ volant per Aërem.

Philop. Sed & volucrum Aëris eſt etiam Princeps, *Philothee*.

Philoth. Sic eſt, ſymbolúmque *Juſtitiæ* & *Pacis*. Atque hæc eſt ipſa natura veri *Hominis*, ſummáque illius perfectio, Chartáque Regia quâ fretus omnibus imperat. *Siquis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* 1 *Joh.* 4. 20.

Philop. Partim te intelligo, *Philothee*. Verùm annon oblitus es quid *pedes Cherubinorum* denotent, perinde atque quid *facies*, explicare?

Philoth. Rectè mones, *Philopoli*. Quid de hiſce etiam obſervaverim tibi impertiam, quanquam plura jam tetigi quàm deſtinaveram. *Pedes* eorum *Vitulinis* ſimi- *Ezech.* 1. 7. les dicuntur & in æris politi ſpeciem coruſcare. Quòd dicuntur æs politum referre, robur ſtabile ac puritatem Angelicorum affectuum denotat, quos & *Pythagorei* pedibus aſſimilant. Quòd verò *pedes* dicuntur *vitulini* ſive *bovini*, ſignificat eos nec affectare, nec laborare pro eis rebus quæ nihil proſint. *Non ità operam impendunt, ut tamen panis non comparetur, nec laborant unde non ſatientur.* *Eſai.* 55. 2. Quamvìs ſinguli *Cherubi faciem* habeant *Aquilæ*, nulli tamen ullos alios *pedes* habent quàm *vitulinos*, ſive *bovinos*. Quod nobis inſinuat Angelos vel maximè contemplativos tempus ſuum infructuoſis ſubtilitatibus non inſumere, quantumlibet ſublimibus, nec in altas, quæ nihil ædificent, ſpeculationes ſubvolare.

Hyl. Hæc omnia, meo quidem judicio, ſatìs congrua ſunt, *Philothee.* Ut verò *Bos* eam Politiæ partem repræſentet, quæ *Agriculturam* complectitur, & quæcunque alia Munera, quæ manûs operam requirunt, quomodo hoc ad Mundum Angelicum pertinere queat, niſi quatenus Poteſtates ſint talibus Hominum Ordinibus in hac Terreſtri Regione præſidentes, ego quidem neſcio. Quamobrem mihi in mentem, dum vos diſſerebatis, hoc commentum occurrit, has quatuor facies *Aquilæ*, *Hominis*, *Leonis* & *Bovis*, quatuor Cardinales Virtutes ſignificare poſſe, *Prudentiam*, *Juſtitiam*, *Fortitudinem* & *Temperantiam*.

Lib. 2. de legibus.

Ἥλιον καλεῖ τὸν θεῖον λόγον. Phil. Jud. lib. de Inſomniis.

Philoth. Nec multùm profectò aberrâſti à ſcopo, ſic comminiſcendo, *Hylobares.* Mihi crede, hoc maturum eſt promptitudinis ingenii tui, in hoc genere contemplationum, ſpecimen. Poſuiſſe te tantùm oportebat, *Sapientiam* pro *Prudentia*, cùm hæc poſterior *Homini* adeò ſit propria, ac Juſtitiæ Vitæque ac morum tam individua comes, ut aptè poſſint, tanquam una eadémque res, per *Hominis* Symbolum repræſentari. *Sapientia* verò quæ altiſſimarum ac profundiſſimarum cauſarum omnis Juſtitiæ erga Deum atque homines eſt indagatrix, (quam *Cicero* meritò à *Divino Intellectu* deducit) rectiùs figuratur per *Aquilam*, quæ tam fortem habet oculorum aciem, ut ipſum Solem aſpicere poſſit, cui *Philo* æternam Dei Mentem aſſimilat, τὸν θεῖον utique λόγον, ut ille appellat. Quamobrem ſummum ultimúmque veritatis rerum judicium, aptè repræſentatur per *Aquilam*, quippe quum heîc ſententia fertur ſecundùm Æternam Divinæ Rationis legem.

Sophr. Nunquam mihi in mentem venit antehac, cur vexillum Tribûs *Dan*, figuram geſtaret *Aquilæ*.

Bath. Quoniam *Dan* ſignificat *Judicium*? Ego verò aliud quoddam meditabar, quod Conjecturæ *Hylobaris* magnopere favet. Ille ſcilicet gradus Virtutum Cardinalium quem *Plotinus* Paradigmaticum vocat, qui Animam humanam θεὸν efficit, hoc eſt, in conditionem puri *Angeli* conſtituit. Theoſophi etiam declarant quatuor Paradiſi Fluvios, Virtutes quatuor Cardinales in Mundo Intellectuali ſive *Angelico* ſignificare. Quæ res non ſolùm Authoritate ſed rationibus inſitis innituntur, niſi quòd nimis prolixum eſſet eas explicare. Adeò ut, quantum ego quidem video, *Hylobaris* & *Philothei* conjecturæ de ſignificatione quadriformis hujus Cherubinorum aſpectûs ambæ poſſint ſimul conſiſtere, nec magìs pugnare inter ſe, quàm *Abſtractum* & *Concretum* quæ unum Subjectum conſtituunt.

Ezech. 1. 26, 27

Philop. Ego juxtà tecum ſentio. Verùm non ſperabam tam multa documenta utilia educi potuiſſe ex obſcura hac Viſione *Ezechielis.* Sed nihil adhuc dixiſti, *Philothee*, de eo qui currui huic *Cherubico* inequitat, qui ſpeciem habet *Hominis* & colorem *Electri* cum Igne circumfulgente.

Ezech. 10. 20.

Philoth. Illa cœleſtis Humanitas eſt Filii Dei. Ipſe Titulus illius *Electro* inſcriptus eſt, voci utique חשמל, ſi legas *Cabbaliſticè.* Et tamen dicitur Deus eſſe *Iſraelis.* Et circumfulgens Iris eum Symbolicè innuit Deum eſſe totius Univerſi. Sed noli ultrà in has res inquirere. Ad ea pergam, quæ ſequuntur.

Philop. Fac ità, quæſo, *Philothee.*

Exod. 25. 18, 22.

Ezech. 10. 1. 2.

Num. 1. 52. & 2. 2.

Philoth. Nunc verò hujus Typi ſtatûs perfectionis in Eccleſia cùm *Moſis* tempora illius *Veritatis* non eſſent capacia, Deo tamen viſum eſt, *Umbram* illius ad exornandam Iſraelitarum Religionem deducere. Adeò ut *cæleſtis* Typus à Prophetis tantùm ſanctíſque viris Dei viſus, *Terræ* etiam ſit impreſſus, viſibiliſque factus apud populum *Judæorum*, qui Figuram hanc inter ſe geſtabant. Habebant enim tum materiales *Cherubinos* in ſuo *Dabir*, ſuper quod *Æternum Verbum* intelligebatur ſedere, & Oracula edere, quemadmodum & is qui ſedebat ſuper hunc currum loqui dicitur de ſupra vivos *Cherubinos* quos Propheta vidit; tum præterea Thronus (quæ mira eſt rerum competentia) in medio quatuor *Cherubinorum* in illo curru, Tabernaculo planè reſpondet in medio quaternorum Caſtrorum *Iſraelis*, ſub vexillo *Reuben* ad *Auſtrum*, ſub vexillo *Judæ* ad *Orientem*, ſub vexillo *Ephraim* ad *Occidentem*, & ſub vexillo *Dan* ad *Aquilonem*; Inſignibus etiam ſingulorum quaternorum caſtrorum juxta Rabbinorum traditionem, poſituræ Facierum horum quatuor Cherubinorum reſpondentibus; cùm Inſigne *Reuben*, *Homo* eſſet; Inſigne *Judæ*, *Leo*; Inſigne *Ephraim*, *Bos*, & Inſigne *Dan*, *Aquila*.

XI.
Explicatio Viſionis Throni Dei in Cœlo, quatuor Animalium & viginti quatuor Seniorum apud Johannem.

Philop. Competentia profectò admodum mirabilis eſt.

Philoth. Sic quidem populus Dei in diebus iſtis Typum *cæleſtem* modo *Terreſtri* & *Carnali* geſtabant. Et legem etiam accipiebant cum apparentia ignis & fulguris, quemadmodum & currus hic Cherubicus deſcribitur. Eorum tamen Diſpenſatio non erat *ignea lex Spiritûs*, quam Servator in adventu ſuo introduxit qui dicitur baptizare cum *Spiritu* ſancto atque *Igne*. Ille igitur veram hanc *Cherubicam* ſive *Angelicam*

cam Diſpenſationem apud Apoſtolos ſuos ac Diſcipulos inchoavit, & ad tempus aliquod, aliquo modo duravit. Verùm *Carnalitas* & *Externalitas*, præſertim poſt tempora *Conſtantini*, ſtatim omnia inundavit. Utcunque *Perfectionis* Exemplar rurſus revelatum eſt in Viſione S. *Johannis*, in qua Thronum Dei vidit in cœlis & viginti Apoc.4.2. quatuor Seniores, quatuórque Animalia oculis plena. Etenim etiam in hoc oſtenſa Verſ.1. ſunt illi quæ poſthac eſſent futura. Hæc enim *cœleſtis* Idea eſt illius ſtatûs Eccleſiæ qui revera erit in *terris*, poſtquam *Nova Hieroſolyma* deſcenderit è cœlo & Tabernaculum Dei fuerit apud Homines, ità ut habitet in eis per *Spiritum*, *vivámque ſuam Præſentiam*. Quam populi Dei communitatem, quidam putant aliquo ſenſu etiam per *Mare Vitreum* cryſtalli ſimile ante Thronum, perinde atque per *quatuor Animalia* Verſ.6. repræſentari. Quippe quòd *Mare* populi collectionem ſignificat in unum Regnum. Quòd autem *fixum* ſit ac pellucidum hoc *Mare*, *ſtabilitatem* denotare poteſt ac *puritatem* cordium & conſcientiarum populi Dei, quos illius *Spiritus* penetrat & poſſidet, illiúſque Præſentiæ lux corroborat & irradiat, omnéſque ex eis peccati & erroris nebulas tenebráſque expellit. Illorum *conflatio* eſt ut *Vitri* per ignem, per *ignem Zeli* ac *Charitatis*, qui correxit & reduxit quod luteum erat & opacum, ad eam munditiem, ut *puritas* eorum, *ſoliditas* & *pelluciditas* ſit ſicut *Cryſtalli*.

Philop. Hoc ſatìs congruum foret, ſi *Mare* heîc, intelligendum eſſet ſecundùm ſtylum Propheticum. Nam illi Interpretes qui ſic intelligunt, tanquam *Mare* fixum cryſtallinum conſiderant. Verùm hoc Mare proculdubio, ad Mare in Templo *Salomonis* alludit. 1 Reg.7.23.

Philoth. Valde veriſimile eſt, *Philopoli*, ad iſtud ſimiliter alludi, quippe quòd & *ſeptem Lampadum* etiam ſit mentio. Cæterùm tametſi intelligimus hoc *Mare Cryſtallinum* tali ſenſu, quali mare æneum intelligitur in Templo *Salomonis*, reſpiciet tamen rurſus *Communitatem* populi Dei, cùm illud mare ſit in quo *baptiZantur* in unum corpus. Erit nihilominus efficax illud lavacrum Regenerationis, ille Chriſti Baptiſmus qui fit cum Spiritu ſancto atque igne. Etenim *per unum Spiritum nos omnes in* 1 Cor.12.13. *unum corpus baptizati ſumus*, & omnes unum Spiritum hauſimus & imbibimus; Chriſtúſque Servator declarat, *Quiſquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in* Joh.4.14. *æternum, ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hæc autem de *Spiritu* locutus eſt, quemadmodum alibi dicitur. Et *Fluvius* ille Apoc.22.1. Aquæ vivæ purus ſplendidúſque ut *cryſtallus*, dicitur itidem *ex Throno* Dei procedere, ut Mare hoc vitreum ſtare *ante Thronum*.

Philop. Cæterùm, *Salomonis* Mare æneum, O *Philothee*, cui hoc Mare vitreum reſpondet, Sacerdotibus lavandis deſtinatum eſt. 2 Paralip.4.6.

Philoth. Iſtud quidem non nego. Memineris tantùm, *Philopoli*, externas lotiones parùm prodeſſe, *Spiritum* autem eſſe qui mundificet. Hoc eſt illud novæ Nativitatis lavacrum quo *baptizamur* in unum corpus & in unum Spiritum & in unam ſacram *Communitatem* Sanctorum, glorioſæ præſentiæ Dei lumine per *purum* hoc *mare cryſtallinum* penitus perlucente. Adeò ut, cùm Spiritus hic *Regenerationis* & *Purificationis* idem ſit quod hoc lavacrum ſive aquarum *mare cryſtallinum*, in Sanctiſque Dei reſideat, Sancti Dei rurſus ſive pura Eccleſia hoc Mare eſt, ſecundùm ſtylum Propheticum. Videtúrque Mare *Salomonis* eundem habuiſſe Titulum in eum finem, ut cum hac fœlici Alluſione tandem conveniat. Sat ſcio *Aretam*, in hunc locum, expreſſim affirmare, Quòd *Mare* immenſam multitudinem ſignificat. Adeò ut quantum ego quidem video, Typus hic duplicem Alluſionem habere poſſit, alteram ad uſum *Maris Salomonici*, alteram ad ſignificationem *Nominis* juxta *ſtylum Propheticum*.

Philop. Immò, *Philothee*, hac in re tibi tandem prorſus aſſentior. Nôſtique omnes veros Chriſtianos Regale eſſe *Sacerdotium*, neminémque lavari per Spiritum, 1 Pet.2.9. quin Spiritum imbibat. Spiritus enim interna noſtra lavat, non externa.

Philoth. Verùm noli me alìorſum accipere, *Philopoli*, quàm volo. Neque enim intelligo, Mare vitreum pro Symbolo Populi Dei primariò poni, (nam quatuor Animalia manifeſtò ſunt illius communitatis ſymbolum) ſed pro lavacro poni Spiritûs in quem Dei populus baptizatur. Quod Spiritûs lavacrum illuſtratur deſcribitúrve ab *effectis*, ex eo quòd populum Dei tanquam *Mare vitreum ſimile cryſtalli* reddit, lumine Spiritûs vitæ, pura eorum perviáque corda ac mentes penetrante ac poſſidente, ut radii Solis mundiſſimum maximéque pellucidum cryſtallum penetrant.

Philop. Curam tuam elimatúmque judicium, *Philothee*, laudo, ut qui nihil de utilitate Repræſentationis perditum velis, & tamen abſonantiam iſtam declines, ut aliquibus videri poteſt, quâ una eadémque res duobus diverſis Hieroglyphicis in una eadémque Viſione repræſentetur.

Philoth. Rectè rem capis.

Apoc.4.5. *Philop.* Verùm quænam, quæſo, ſignificatio eſt, *ſeptem* illarum *Lampadum* Ignis ante Thronum ardentium, qui dicuntur *ſeptem* eſſe *Spiritus Dei?*

Philoth. Per Spiritum chariſmata Spiritûs, infuſámque gratiam ac illuminationem aliquando intelligi, notius eſt quàm ut moneam. Quinimo & hîc ſic intelligi nequaquam nego, ſed & Angelos etiam ſignificare. De numero verò, ut omnes conjecturas de ſeptem ultimis *Sephiroth* miſſas faciam, hoc tantùm in præſens Reſponſum dabo, ſeptenarius nempe hic, nihil neceſſe eſſe, ut *Numericè* ſignificet, ſed *Symbolicè*, *Puritatem* denotando & *Immaterialitatem* horum Angelorum ſive Spirituum qui Eccleſiæ invigilent eíque miniſtrent, poſtquam id illuſtri illo gradu impletum Apoc.21.3. fuerit, quod prædictum eſt, *Tabernaculum Dei eſt apud Homines.* Hîc *Lampadæ* di- Ezech.1.13. ſtinguuntur à *quatuor Animalibus:* Verùm in *Ezechielis* Curru Cherubico, ipſa Animalia aſſimilantur Lampadis, quoniam illa Viſio repræſentabat etiam Regnum jam exiſtens *Angelorum.* Et tamen *Animalia* hîc deſcribuntur eodem ferè modo quo *Cherubini* in Viſione *Ezechielis*, quod rationem *Angelicam* hujus ultimi optimíque ſtatûs Eccleſiæ denotat. Genium eorum, qui ſunt è Regno Angelico, *quadriformem*, nihil opus eſt hîc repetere, & Applicatio valde facilis eſt. Pauca tantùm quædam, quæ obſervatu digniſſima videantur & utiliſſima in hac præſenti Deſcriptione ſeligam, & poſtea pergam.

Apoc.4.6. Ut primò, Quòd Animalia dicuntur omnia, *plena* eſſe *oculis*, & à fronte & à tergo. Quod ſignificat ea & prorſum & retrorſum aſpicere, & in Hiſtorias temporum præteritorum & in vaticinia ac prædictiones rerum futurarum, omnéſque in conſiliis computare poſſibiles Futuritates, quò res præſentes Regni Chriſti meliùs adminiſtrare poſſint & cuique caſui eventuro proſpicere. Nam in hoc omnis utilis & ad mores communémque vitam ſpectans, conſiſtit ſapientia.

Apoc.4.8. Secundò, Dicuntur habere ſingula *ſenas alas.* In eos proculdubio uſus, ad quos Esai.6.2. Seraphim eas adhibere dicuntur apud Prophetam *Eſaiam*, qui binis facies ſuas, alteris pedes tegebant, tertiis volabant. Quod Reverentiam erga Divinam Majeſtatem innuit, agilitatem & promptitudinem in illius miniſterio, cautámque invigilationem affectibus noſtris, ut in puris ſemitis incedamus. Nam ſtatim poſt mentionem ſenarum Alarum, ſingula quatuor Animalium dicuntur oculis plena κυκλοθεν ϗ ἔσωθεν (quemadmodum *Grotius* bene ac peritè iſta duo conſtringit) *extrà* & *intús.* Ac proinde uno oculo objecta *externa* reſpicientes, & *propriam* ſuam naturam altero, atque ſic ea inter ſe comparantes, ſemper ſe gerent condignè ac decorè, cum debita Reverentia erga id quod Dignitate & excellentiâ ſupra ſe poſitum animadverterint, & ad debitam diſtantiam ab eis, quæ indigna & infra ſe judicaverint. Nunquam committent quicquam propriæ ſuæ naturæ excellentiâ indignum, nec admittent quicquam quod innato lumini & immutabilibus intellectualis creaturæ principiis repugnet. Ac proinde ſiquis ab *extrà* talia eis obtulerit, oculi eorum *intùs* facilè cernent, eum qui propoſuerit, aut *Fatuum* eſſe aut *Impoſtorem.*

Tertiò, Quemadmodum *Mare vitreum* Cryſtalli ſimile *baptizationem* noſtram ſignificat in unam ſanctam *Communitatem*, ità fulgura & tonitrua & voces ſuper hoc collectum Eccleſiæ corpus, Animalia quatuor & viginti quatuor Seniores, *communem* eorum ſignificant *inſtructionem* ductúmque per *igneam legem Spiritûs*, ſub qua Diſpenſatione vitam degunt. Juxta illud ſecundi fœderis promiſſum : *Meam legem in eorum* Jer.31.33. *pectora dabo inſcribámque cordi, & ego eis Deus & ipſi mihi populus erunt.* Hæc eſt illa Ezech.48.35. Civitas quam *Ezechiel* appellat *Jehovah ſhammah*, non quidem ob ullam viſibilem illîc ſymbolicam Dei Reſidentiam, ſed quòd in *cordibus* hominum per *Spiritum* reſidet, unde unum communem animum habent unúmque motum ; quemadmodum fit Ezech.1.11,12 in *Regno Angelico* Cherubinorum *Ezechielis*, *Alæ binæ ſingulorum invicem erant conjunctæ, ibántque quò Spiritus agebat.* Et viginti quatuor Seniores & quatuor Animalia, uno ſic ducuntur ſpiritu. Cùm enim *tribuunt Animalia gloriam & honorem, viginti* Apoc.4.9,10. *etiam quatuor Seniores, coronas ſuas abjiciunt ante Thronum*, agnoſcentes per quem & propter quem regnant, in manifeſtationem ſcilicet gloriæ & honoris & potentiæ Dei in ſuorum Regno Sanctorum.

Cuph. Verùm, quæſo te, *Philothee*, quomodo Animalia quatuor intelligi poſſunt Verſ.8. *ſine ulla intermiſſione dies & noctes dicere, Sanctus, ſanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*, & tamen viginti quatuor Seniores, quoties ſic dicunt, *Coronas abjicere ante Thronum*? Una enim abjectio ſic eſſe poſſet pro omnibus, ſempérque Coronæ ante Thronum jacerent à capitibus remotæ.

Philoth. Hæc nullo pacto tam craſsè intelligenda ſunt, O *Cuphophron.* Quòd enim dies noctéſque ſine intermiſſione dicunt, *Sanctus, ſanctus, Sanctus*, nihil ampliùs

pliùs id ſignificat, quàm perpetuam declarationem Sanctitatis Dei, in cujus præſentia verſantur, per conſtantem Puritatem & Sanctitatem vitæ ſuæ atque morum.

Πᾶσα γὰρ ἡ πρᾶξις τὸν λόγον ἔργον ἔχει.

Et quemadmodum unus hic eſt ac perpetuus Sanctitatis in Populo tenor, ità etiam unum eſt perpetuum conſimile Pietatis Humilitatiſque ſtudium in ſuis Principibus, qui in perpetuo ſenſu vivunt ſui officii atque muneris, abjicientes coronas ſuas ante Thronum Dei, itàque agnoſcentes menſuram ſui Imperii & Regiminis ſuam rem propriam nequaquam eſſe, ſed rem omnino Chriſti illiuſque Regni, ſéque & per eum & propter eum ſolummodo regnare, nec ſeipſos quærere debere. Hæc eſt interna externæ cultûs eorum repræſentationis mens ſive ſignificatio, quæ ad intimam vitam Spiritúmque penetrat, nec Imago eſt Imaginis.

Philop. Hæc ſatis ſolida eſt ad *Cuphophronis* quæſtionem Reſponſio, *Philothee.* Verùm, cur, quæſo, coronati iſti Seniores (cùm coronas aureas ut *Reges* gerunt) candidis dicuntur induti veſtibus ſicut *Sacerdotes,* & cur *proximè Dei Thronum* collocati, & cur denique *viginti quatuor* eſſe dicuntur?

Apoc. 4. 4.

Philoth. Per Coronas aureas veſtéſque candidas ſimul conſideratas ſignificatur quòd in ſuis cujuſque regnis omnis poteſtas in eis ſita eſt, *Sacerdotalis* perinde ac *Secularis*; hoc eſt, Quòd in omnibus cauſis tam *Eccleſiaſticis* quàm *Civilibus,* proxima ſunt poſt Chriſtum, in propriis ſuis Principatibus, ſuprema Capita. Atque eapropter *Throni* illorum (ſic enim appellantur in Textu Græco) collocantur *proximè Thronum Dei.* Iſta etiam ulterior ſubindicatio eſt *Sacerdotalitatis* eorum, quòd ſic collocantur *circa Thronum,* quippe quod alludere videtur ad *Levitarum* Tentoria circa Oraculi Tabernaculum poſita. Cæterùm quòd *candidis veſtibus* induuntur, ſignificat etiam eorum *Innocentiam, rectitudinem animi* ac *ſanctitatem, Sacerdotalem Pietatem* ac *Devotionem* in fervidis ſuis acceſſibus ad Thronum Gratiæ, precibúſque pro ſeipſis ut Gubernatoribus, próque populo ſuæ fidei concredito. Et poſtremò, veriſimile eſt, *viginti quatuor* dici, cum aliqua alluſione ad diſtributionem ſortium *Sacerdotum* ac *Levitarum* in eum numerum. Quod rurſus principatum horum Regum etiam in rebus *Sacerdotalibus* oſtendit ac ſi *Principes* eſſent iſtarum *ſortium.* Verùm ingenuè fateor me exiſtimare, quod præcipuè heîc intenditur hoc eſſe: Subindicationem ſcilicet, glorioſum hunc Eccleſiæ ſtatum tunc fore, poſtquam Gentes Judæique unum facti fuerint Ovile, húncque ſtatum fore *Novæ Hieroſolymæ* quæ duodecim Patriarcharum perinde atque duodecim Apoſtolorum nomina ſibi habet inſcripta. Hæc ut opinor, Numeri *viginti quatuor* Seniorum vera eſt ratio. Nullus enim dubito quin Numerus *Symbolicè* heîc ſignificet, non autem *Numericè.*

Num. 1. 50.

1 *Paralip.* 24. 4, 18.

Apoc. 21. 12, 14.

Philop. Hæc profectò Interpretatio majoris videtur momenti, quippe quæ & Converſionem *Judæorum* & *Apoſtolicam* eorum temporum Eccleſiæ conditionem ſimul indicat.

Equidem, *Philothee,* præſtantiſſimum nobis Eccleſiæ ſtatum ex Prophetis deſcripſiſti, qui cùm tam excellens ſit, ut omnem ſermonis vim planè excedat, nec ullâ verborum copiâ, quâ ipſe quidem polleam, ſatis pro ſua dignitate poſſit illuſtrari, contentus ero propriæ memoriæ reficiendæ causâ totam rem in quàm pauciſſima poſſum contrahere. Quæ breviter hæc ſunt: Doctrina Cultúſque Apoſtolicus, Vitæ integritas, & ſecuritas à Perſecutione conſcientiæ ergô, & ab omnibus bellis inteſtinis ac tumultibus. Sic enim revera *Regnum* evadet *Filii Hominis,* cùm quatuor Regna hactenus meritò comparata ſint quatuor ſævis voracibúſque *Belluis,* talibúſque quæ ità quidem inſævierint ut carnem propriam dilacerarent. Cæterùm *Regnum* hoc *Angelicum,* quemadmodum tu appellas, in quo *voluntas Dei fit in terra ſicut in cœlo,* Regnum eſt *Juſtitiæ,* & *Pacis* & *Gaudii* in *Spiritu ſancto.* O quàm exultat mihi animus tam glorioſum videnti Proſpectum! Oraturus ſum, *Adveniat Regnum tuum,* cum magìs peculiari Emphaſi, ob hujus Diei Inſtructionem, *Philothee,* quàm in omni mea vita unquam feci hactenus. Ut verò id majori cum πληροφορίᾳ faciam, perge quæſo ad Quæſtionem proximam, rationéſque tam glorioſæ ſpei nobis declara.

Dan. 7. 13.

2 *Eſdr.* 13. 10, 11, 12.

XII.
Quibus è Scriptura rationibus innixa ſit ſpes glorioſi illius ſtatûs Eccleſiæ futuri.

Philoth. Quid, deeſſéne tibi poſſunt, *Philopoli,* rationes hujus ſpei, poſtquam tam multa vaticinia, quæ te hac de re certum facerent, jam audiveris?

Philop. Verùm quis novit, *Philothee,* quin Prædictiones iſtæ eſſe poſſint conditionales, effectúmque tantùm ſortiri, ſecundùm incertitudinem noſtrarum voluntatum?

Philoth. Iſtud ſupponit has res à noſtris meritis dependere. Magnæ autem rerum
in orbe *Revolutiones*, taliúmque quæ præcipua ſint Divinæ Prædictionis objecta, tam
tenuibus infirmíſque cardinibus non inhærent. Fatum eſt, O *Philopoli*, proculdubio,
Divinum eſt Fatum ac irreſiſtibile Conſilium Dei Omnipotentis, quod omnium
hominum ingratiis ac diabolorum, effectum ſortiturum eſt ſuo tempore. *Aſſueta ſylvis*
Onagra, ventum pro libitu naribus haurit, Quis avertet eam? Qui eam quærunt,
Jer.2.24. *non eſt quòd defatigent ſe fruſtrà, invenient eam ſuo menſe.* Davídque prædicit, *Populus*
Pſalm.110.3. *tuus pronâ voluntate erit, in Die fortitudinis tuæ. Fili Hominis, reviviſcéntne hæc*
Ezech.37.3. *oſſa*, inquit *Ezechieli* Deus, in valle oſſium humanorum peraridorum. Reſpondit
autem cum reverentia, *Domine* Jehova *tu id ſcis*; ſubinſinuans in illius eſſe poteſtate,
reviviſcere ea velit an ſecús. Nôſti verò poſtquam Deus vaticinandi poteſtatem dediſſet
Prophetæ, ad oſſa, & dicendi, *O arida oſſa, audite dicta Jehovæ, Ecce ego in*
Verſ.4.5. *vos immittam ſpiritum quo reviviſcatis*, Effectum continuò ſecutum eſt. *Nam ſonus*
Verſ.7,8. *extitit & motus, & accedebant oſſa ad ſuum quodque os, ſtatimque obtecta ſunt nervis,*
Verſ 9,10. *carne & cute.* Atque itidem, poſtquam dixiſſet, *A quatuor regionibus veni O Spiritus,*
& hos interfectos affla, in illos venit Spiritus, revixerúntque & in pedes ſuos
conſtiterunt copiæ ſanè maximæ. Fuítne ullus unquam rerum ſtatus magìs arduus
ac deſperatus quàm hic?

Philop. Non dubito quin Deus ſi velit, talem glorioſum rerum ſtatum, qualis prædictus eſt, poſſit introducere, niſi mala noſtra merita obicem ponerent.

Philoth. Iſtiuſmodi immenſi favores Oecumenici, *Philopoli*, cujuſmodi hi ſunt,
non pro meritis noſtris diſpenſantur, ſed pro libero Dei conſilio. Audi quid idem
Ezech.36.22,23. Propheta dicit, ad domum Iſraelis, *Sic dicit Dominus Jehova, Non ego veſtrâ id cauſâ*
facio, domus Iſraelis, ſed propter meum ſacrum nomen, quod vos apud gentes, in quas
veniſtis, profanâſtis. Hoc ego meum magnum nomen conſecrabo profanatum apud gentes,
id vobis inter eas profanantibus, ſciéntque gentes me eſſe Jehovam, *cùm ego me in vobis*
Ezech.36.25,26,27. *ob oculos illarum, ſanctum præbuero. Accerſam autem vos ex gentibus & ex omnibus collectos*
terris adducam in veſtram patriam, purâque conſperſos lymphâ, ut ab omnibus veſtris
fœditatibus purgemini, ab omnibus veſtris vos expiabo ſtercoreis Divis. Vobíſque & cor
novum & ſpiritum novum in pectora dabo. Ac exempto de corporibus veſtris lapideo corde,
cor vobis dabo carneum. Inditòque in pectora veſtra meo Spiritu faciam ut Inſtitutis meis
pareatis, meáſque conſervetis ſententias. Quid de hac loquendi formula exiſtimas, *Philopoli?*
Pluréſque hoc genus locutiones occurrunt apud Prophetas.

Philop. Equidem ingenuè fateor me exiſtimare hujuſmodi *Nationales* ſive *Oecumenicas* rerum mutationes à noſtris meritis liberóve arbitrio non dependere. Etenim quantum ego video Deus heîc largitur & *velle* & *facere*, ſecundùm ſuum conſilium prædictionéſque ſanctorum ſuorum *Prophetarum*, nè illius Providentia ſuſpecta habeatur, Noménque ejus blaſphemetur apud *Infideles*.

Sophr. Deſcriptio etiam Novi Fœderis apud *Jeremiam* ſecundùm hunc formatur
tenorem. *Poſt illa tempora*, inquit Jehova, *meam legem in eorum pectora dabo, inſcribámque*
Jer.31.33,34. *cordi, & ego eis Deus & ipſi mihi populus erunt.* Quid! Num ob ulla eorum
merita? Nequaquam, ſed ex mero ſuo beneplacito. *Nam culpæ eorum ignoſcam*, ait
ille, *peccatúmque eorum non recordabor ampliùs.*

Bath. Humanæ Animæ tandem, Æterni Pontificis gratiâ, ad ſpiritualem ſuum quietis Sabbatiſmum ſunt redituræ.

Philoth. Præterea, *Philopoli*, vide quàm omnis rationis expers res ſit, Divinæ
Providentiæ ad hunc modum diffidere, quippe qui tam conſtanter pervicacitérque
hactenus, ſecundùm Prophetarum Prædictiones de ſtatu Eccleſiæ, (ut jam audiiſti)
ab initio ad hunc uſque diem res perpetuò deduxerit. Ut ea prætermittamus quæ
Apoc.6.12. Servatoris Aſcenſionem Miſſionémque, juxta promiſſum, Spiritûs ſancti anteceſſêre,
perpende quàm accuratè impleta ſint *ſex prima Sigilla*, quomodóque ſub ſexto *Michaelis*
victoria in *Draconem* contigerit, quando ſub *Conſtantino Romanum* Imperium
factum eſt *Chriſtianum.* Eventum extra omnis mortalis oculi ictum proſpectúmve
ſitum, quò minùs prævideat. Solus Servator unigenitus Dei filius diſcipulis ſuis in
Luc.12.32. iſto dicto prædixit, *Noli timere puſille Grex, quia complacitum eſt patri veſtro dare*
vobis Regnum. Perpende etiam diſtinctam ſex Tubarum completionem, durante
quarum ſucceſſione (ſecundùm Proſpicientiam Prædictionémque Divinam) erat *Cœtus*
Virgineus, Mulier in Deſerto, lugubréſque Teſtes Prophetici, perinde atque *Beſtia*
bicornis & decacornis, Meretrix Babylonica & Falſus Propheta; quomodóque in ultimo
Apoc.11.11,12. ſemi-tempore, ſive ſemi-die, intra clangorem Tubæ ſextæ, magnus factus ſit
Terræ-motus, Teſtéſque interfecti reſurrexerint, & cum admiratione omnium ſpectantium
Hominis peccati ingratiis cunctorúmque ſuorum ſævorum miniſtrorum, glorioſè
aſcende-

aſcenderint in cœlos, per nuperam utique *Reformationem* in multis Regnis & Principatibus. Annon hæ mirificæ res ſunt, *Philopoli?*

Philop. Sic ſunt profectò, *Philothee.*

Philoth. Taléſque quæ manifeſtò in admirabili illo *Divini Fati* libro ſunt deſcriptæ. Expreſſim enim ſcriptum eſt: *Eis enim Deus eam mentem injecit ut ejus ſententiam exequantur, eodémque animo agant & regnum ſuum Beſtiæ tradant donec conſummentur verba Dei,* hoc eſt, donec compleantur Tempora à Propheta *Daniele* prædicta, donec advenerit *ſemi-tempus* ſeptimum, ultimúmve. *Tunc erunt inter decem cornua, qui odio proſequentur Meretricem & deſolatam facient eam & nudam, & carnes ejus comedent & ipſam igne concremabunt,* hoc eſt, qui Papalem abolebunt Poteſtatem ac Religionem in ſuis Principatibus. Quod tamen Eventum extra Opinionem erat omnium Politicorum Pontificis, quippe quum illa Eccleſia inexpugnabilem ſe putaret, dicerétque in corde ſuo, *Sedeo Regina, neque vidua futura ſum, neque luctu afficiar.* Quid? permittétne Deus tam efficaciter degenerem & Apoſtaticam Eccleſiæ conditionem ad certum tempus? Et non magis irreſiſtibiliter effecturus eſt promiſſam illius Reſtitutionem ad Juſtitiam & Gloriam? Nam ingentes hos ac Oecumenicos Favores, prout ſuprà innui, non ſecundùm noſtra merita diſpenſat, ſed ſui nominis gratiâ, ut gloria ejus omnibus innoteſcat. Quàm autem ingloria res foret, *Philopoli,* tam expreſſa edere, tam vaſta, tam illuſtria, & abſoluta Promiſſa, & tunc ex *flamma dare fumum,* omnia ſinere in vagum pulverem abire? Vel quàm craſſa in nobis Diffidentia eſt & Ingratitudo, cùm præter opinionem, prædictionem ruinæ Papatûs, quòd decem cornua ſcilicet oſura eſſent Meretricem, ignéque eam combuſtura (qui exitus eſt *ſextæ Tubæ*) modo jam haud contemnendo impleverit, cúmque ad tertiam Phialam in Tuba *ſeptima,* uti dixi, proceſſerimus, norimúſque in qua quaſi longitudine ac latitudine in hac Navigatione verſemur, ut animum deſpondeamus (obſervantes licèt quàm ſtabili curſu Providentiæ gubernaculum ab initio ad hunc uſque diem hactenus dirigatur) dubitemúſve quin eadem Providentia nos tandem incolumes ad *optatum portum* ſit perductura?

*Apoc.*17.17.
*Dan.*7.25.
*Apoc.*17.16.
*Apoc.*18.7.

Philop. Equidem quemlibet ferè cogere potes, credere impoſſibile eſſe, quin tandem ſic eveniat. Quid autem reſpondebis eis qui glorioſa hæc Promiſſa jam impleta eſſe contendunt?

Philoth. Quid igitur, *Philopoli,* fuítne Diabolus, (ſic enim expreſſim appellatur,) captus, catenâ colligatus, in Abyſſum conjectus ibíque concluſus & obſignatus in mille annos, unquam à Chriſto nato? Ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ uſque ad tempora *Conſtantini* annon antiquus hic *Draco* cum *Michaele* pugnavit in cœlo, nec debellatus in terrámque dejectus eſt ante exitum ferè *Sigilli ſexti?* Et decem illæ cruentæ Perſecutiones Eccleſiæ annon erant durante illo prælio? Et poſt *Conſtantini* tempora (ut omittam *Julianum* Apoſtatam) quantum Torrentem ſanguinis & contentionis ex ore ſuo evomuit *Draco,* (quo Eccleſiam delere voluit ſi potuiſſet) quæ extincta non eſt poſt centum annos & ampliùs quàm inceperat. Trecentis ferè annis poſt *Conſtantinum* egregius ille Impoſtor *Mahometes* ſuum Regnum *Saracenicum* exorſus eſt. Quàm arctè tunc putas Diabolum in ſuo carcere obſignatum fuiſſe nè Nationes deciperet?

XIII.
Glorioſa illa tempora prædicta à Prophetis non illuxiſſe adhuc ſuper faciem Terræ.
*Apoc.*12.7.
*Apoc.*12.15.
*Apoc.*20.3.

Si *ſex primas Tubas* univerſas percurramus, annon tot Teſtimonia ſunt Diabolum etiamnum fuiſſe ſolutum? Quis enim niſi ille ingentem illam Grandinis Tempeſtatem ſanguine ignéque mixtam ſub *prima Tuba* excitavit? Cruentam intelligo Irruptionem Barbararum Gentium in Imperium, quæ omnia igne & gladio vaſtabant. Tum hæ ſub *Alarico,* tum illæ quæ poſtea ſequebantur ſub *Radagaiſo Scytha,* ut & aliæ Anno 406. nemo vel fingere poteſt quàm rapida ac furioſa Tempeſtas eſſent, niſi qui Hiſtoriam legerit. Secunda etiam *Tuba* quàm dirum fatum clanxit, ſub qua Imperium dilaceratum eſt in tot Regna, poſtquam *Alaricus* & *Genſericus* ardentem Montem in medium Mare conjeciſſent? Poſt quæ ſub *Tuba tertia* funeſtus *Cæſareatus Occidentalis* Stellæ aſſimilatus ſive Lampadæ ſed oleo Abſynthino nutritæ in labenti ſua conditione multas ærumnas & calamitates ſecum attraxit brevíque tempore extinctus eſt in *Auguſtulo* Imperatorum *Occidentalium* ultimo, ab *Odoacro Herulo* victo, qui poſtea ſeipſum *Italiæ* Regem conſtituit.

*Apoc.*8.7.
*Apoc.*8.8.
*Verſ.*10.

Evſt. Sed poſtquam ſexdecim annos regnâſſet à *Theodorico Oſtrogothorum* Rege victus eſt & occiſus, qui, præter *Dalmatiam* & *Rhætiam*, quæ Provinciæ erant *Odoacri*, *Siciliam* etiam Regno *Italiæ* addidit, & immenſis ſumptibus Muros & Ædificia *Romæ* inſtauravit, ſuíque Regni res ſumma cum prudentia & moderatione adminiſtravit, antiquas Civitatis Dignitates & Officia retinuit, ut Conſules, Senatum, alióſque notos Magiſtratus *Romanos*, adeò ut ſi infamiam excipias tam miſerè combuſtæ &

direptæ urbis, videretur planè antiquum ſuum ſplendorem ac gloriam recuperâſſe.

Philoth. Verum eſt quod dicis, *Eviſtor.* Sed hic rerum ſtatus per paucas tantùm Apoc.8.12. horum Regum *Italicorum* ſucceſſiones duravit, & ad inflatum *Tubæ quartæ* penitus eſt difflatus. Nam ex bello per *Juſtinianum* adversùs illos commoto, ſub conductu primùm *Beliſarii*, poſtea verò *Narſetis*, Conſulatus & Senatus aliíque Magiſtratuum ordines penitus aboliti ſunt, Civitáſque à Duce gubernata, ab Exarchis *Ravennæ* ſubſtituto, cui *Roma* facta eſt Tributaria. Itá illorum *Sol* & *Luna* & *Stellæ percuſſæ* ſunt, gloriáque Civitatis ad Vilitatem ac Obſcuritatem redacta. Et poſtremò, quàm immenſas devaſtationes *Locuſtæ* (hoc eſt, *Saraceni*) ſub *Tuba quinta*, & *Equites Eu-* Apoc.9.1,14. *phratæi* (hoc eſt, *Turcæ*) ſub *ſexta* (quæ ambæ Væ-Tubæ appellantur) in Imperium fecerint, & Titulus *Tubarum* & Viſionum Deſcriptio abunde declarant. Adeò ut pro certo, cùm omnia bellis ac ſanguine miſcerentur (ídque in Imperio quod *Chriſtianum* denominatum eſt & pro *viſibili Regno Chriſti* habitum) per ſex primas Tubas univerſas, *Diabolus* quatenus *Homicida* in ſuo carcere non concludi potuit & obſignari. Et ſi conſideres ut Regnum *Beſtiæ bicornis* ac *falſi Prophetæ* hiſce ſex Tubis Synchronum ſit, agnoſcere debes ſolutum etiam fuiſſe ut *Impoſtorem*, non ſolùm *Gentes* decipientem ſed & populum qui appellatur *Eccleſia Chriſti.*

Apoc.20 3. *Philop.* Hæc apud me, *Philothee*, ratio eſt admodum demonſtrativa, *Millennium*, in quo antiquus Serpens, Diabolus & Satanas ligatus dicitur, nondum incepiſſe in terris. Ac proinde ingenuè fateor nihil magìs manifeſtum eſſe, ſecundùm Scripturam, quàm quòd glorioſa illa Tempora illìc prædicta itáque illis locis quos protuliſti, deſcripta, adhuc futura ſint. Nihil æquè ex Scriptura demonſtrabile eſt atque hoc. An verò non ſunt & alia argumenta inferioris claſſis, quæ *Ratio* prudénſque *Sagacitas* ſuggeſſerit?

XIV.
Quæ argumenta ex ratione, pro adventu glorioſorum iſtorum temporum, ſint.

Philoth. Dicam tibi potiùs, *Philopoli*, quid *Vita* & *Experientia* ſuggeſſerit. Mihi quidem, (ingenuè fateor) inſtar portenti eſt, mundum non meliorem eſſe quàm revera eſt, cùm *vitium* & *Improbitas* ad meum quidem ſenſum *Humanæ Naturæ* tam duriter *repugnare* videatur, & *Virtus* ac *Juſtitia* eidem tam Harmonicè *congruere.* Hæc enim *Spiritûs Rectitudo* quæ ad verum *Iſraelem Dei* pertinet, poſſeſſio eſt tam perfectæ Voluptatis ac Beatitudinis, ut Anima Humana eam planè ſentiat ſuam peculiarem eſſe animi ſatisfactionem, ſtatúmque *vitii* ac *peccati* morbidum quendam ſtatum eſſe ac præternaturalem, non tantùm planè apertéque *rectæ Rationi* repugnantem, ſed horridè duritérque intimum illum maximéque *Divinum* ac *delicatum* Animæ *ſenſum*, radentem & atterentem; Quæ repullulatio eſt *puri Amoris, vitæque Dei* in humana Natura excitatio, quâ naturalem voluptatem capimus in omnibus ſemitis Bonitatis, Puritatis ac Juſtitiæ. Hæc *naturalis Sanitas* Animæ eſt, huícque quod contrarium eſt, *Morbus.* Hic illius *Sobrietatis* ſtatus, alter *Ebrietatis* ac *Temulentiæ*: Ac proinde, meâ quidem ſententiâ, haud probabile eſt, mundum in eo duraturum in perpetuum, ſed & ipſam Miſeriam & Confuſionem hujus ſtatûs ebrioſi violentè quaſi è ſomno tandem eos excitaturam eſſe ad proſequendam *Pacem* ac *Juſtitiam.* Quod Tempus, ut ego quidem ſentio, *Eſaias* Propheta videri poteſt indigitare, ubi ait, Eſai 24.18, &c. *Quia feneſtræ de cælo apertæ ſunt, & concutientur fundamenta Terræ; Rumpetur tellus, diſſolvetur tellus, commovebitur tellus, nutabit tellus ut ebrius, & ſubmovebitur ut tugurium, ſuiſque gravata peccatis corruet, non reſurrectura. In die illa animadvertet Jehova & in ſublimem exercitum in ſublimi & in terreſtres Reges in terra.* (Hoc fit, opinor, *Philopoli*, in effuſione Phialæ ultimæ quæ effundi dicitur in aërem.) *Tum erubeſcet Luna, & pudebit Solem, quando glorioſè regnabit* Jehova *armipotens in monte* Sione, Apoc.4.4. *& Hieroſolymis apud ſuos Seniores*; hoc eſt, in *Nova Hieroſolyma*, apud viginti quatuor Seniores candidis veſtibus indutos, & cum aureis Coronis in ſuis capitibus. Atque in hac confuſione futura eſt Tellus, non ſolùm ob Improbitatem ſuam, ſed & Ignorantiam, craſſóſque errores in Religione. Detinetur enim genus humanum hiſce in rebus per duram vim propriæ ſuæ Rationi ac Naturæ illatam, in *Papiſmo* perinde atque in *Turciſmo* & *Paganiſmo*, quippe quum iſtæ Religiones non ſolùm rationis expertes ſint, ſed admodum ſtolidè fabuloſæ, omníque ſolidæ Rationi adverſæ. Poſtquam verò *Feneſtræ de cælo in eos apertæ fuerint*, Cœleſtíque Gratiâ ac Veritate depluerit, puráque Evangelii Lux in eos fuerit immiſſa, Fundamenta Terræ ſub eis concutientur, & falſitatem deprehendent & inſtabilitatem *fundamentalium* Fraudum & Mendaciorum hominum, quæ penitus peritura ſunt omnéſque ii qui ipſis adhæſerint.

Hoc igitur, *Philopoli*, per modum *Prudentiæ* ac *Sagacitatis* præſumi poteſt. Quum Dan.12 4. illi dies nobis illuxerint, quos prædixit *Daniel*, *Quando diſcurrent multi & multiplicabitur ſcientia*, libertas hæc inveſtigandi veritatem & inveniendi fœlicitas, ad cladem ſubverſionémque magnificarum iſtarum ſtructurarum Mendaciorum, quæ aut Superſtitio aut falſæ Rationes Politicæ tam ſplendidè extruxerint & ad quæ omnes homines ſe incurvare velint, ut ad auream Imaginem, quam *Nebuchadnezzar* erexerat, multum poſſunt contribuere. Illuſtris verò ille *Heros albo Equo inſidens*, *Verbum* utique *Dei rectáque Ratio* Imaginem hanc ſub pedibus conculcabit; ſenſúſque Scripturæ etiam in ſuis partibus Propheticis, adversùs ***Turciſmum***, ***Papiſmum***, ***Paganiſmum*** & ***Judaiſmum***, aliámve quamcunque Religionem vel Irreligionem etiam adversùs *Atheiſmum* ipſum tam perſpicuè intelligetur, ut certò perſuaſus ſim vel hoc unum adminiculum ſolum infiniti momenti fore, immenſámque vim habiturum eſſe ad convertendas Animas ad Chriſtum. Tam certus futurus eſt ſenſus omnium Viſionum *Apocalypticarum*, præter eas *Danielis*, ut hoc unum peculiare *Chriſtianitatis Privilegium* (quòd totam ſcenam Divinæ Providentiæ, omniúmque rerum Eccleſiæ Dei, totiúſque adeò Orbis (quatenus Eccleſiam reſpiciant) tam graphicè deſcriptam ac in tot centenos, quinimò in aliquot millenos annos præfiguratam habeat) hoc, inquam, vel ſolum, univerſum Mundum neceſſariò coacturum eſt ad firmiter credendum ***Jeſum*** eſſe ***Meſſiam*** Mundi Servatorem, Deúmque eſſe cujus Providentia rebus humanis invigilat, Vitámque eſſe futuram ac beatam Immortalitatem omnibus veris Fidelibus. Hoc tibi breviter affirmo, *Philopoli*, manifeſtam completionem tam multorum, tam momentoſorum & tam multis centenis annis ab Eventu diſtantium Vaticiniorum apud me quidem majorem vim habere videri, ad evincendam Chriſtianitatis veritatem, quàm univerſa Miracula à Chriſto ſuíſque Apoſtolis facta apud eos qui illis temporibus vixerint præſertim, niſi ipſi oculati eorum teſtes fuerint, omnéſque eorum expenderint circumſtantias.

Apoc. 19.11, 13

Philop. Haud exigui momenti eſt, quod narras, *Philothee*, & omnino juxtà tecum ſentirem, ſi Vaticinia tam vulgò universímque à Chriſtianis intellecta fore mihi perſuadere poſſem. Hæc enim Peritia ſobrietati vitæ ſuperaddita ſinceróque zelo pro Evangelio, mirifica in eorum manibus machina futura eſſet, quâ omnia in via obſtacula proterant, omnéſque Nationes Domini Chriſti pedibus ſubjiciant.

Philoth. Noli ea de re dubitare, *Philopoli*. *Facilis eſt enim ſcientia prudenti.* Et tempora ventura ſunt, inſtabúntque ante effuſionem *Phialæ ultimæ*, in quibus Divinorum Vaticiniorum intelligentia de rebus Eccleſiæ æquè vulgaris erit & ordinaria, atque Catechiſmorum Infantilium. Viæ Dei, fidelitáſque illius Providentiæ, Divinis Prædictionibus ac Vaticiniis reſpondentis, cognitæ erunt omnibus à maximo ad minimum. Penſúmque erit facilius eorum captui, quàm multæ earum rerum, quæ ipſis modo *Catechiſtico* antehac ſint impoſitæ.

Prov. 14.6

XV.
Nullum periculum eſſe nè aut Familiſmus, aut Behmeniſmus, expectatam Eccleſiæ Apoſtolicæ gloriam ſupplantet.

Sophr. Hæc tua conjectura, *Philothee*, meo quidem judicio, nequaquam à ratione aliena eſt, quantùm ad excardinationem Mundi è falſis ſuis Religionibus, in quibus tam diu detenti fuerint Captivi. Verùm mihi hiſce de rebus apud meipſum cogitanti ſæpe in animum injicitur hic ſcrupulus, nè pura & Apoſtolica Chriſtianitas nihilominus locum non ſit obtentura, ſed alius aliquis Chriſtianitatis modus, quem quidam prætendant *Regnum* eſſe *Spiritûs*, ſed æquè manifeſta eſt illius *Chriſtianitatis*, quam *Apoſtoli* docuerunt, abolitio, quàm ***Chriſtianitas*** fuit ***Judaiſmi***, ſi non magìs, aut *Mahometiſmus* utriuſque.

Eviſt. *Sophronem* credo oculos ſuos conjeciſſe in modernorum *Nicolaitarum*, *Servitium-Amoris*, * cum magìs viſibili ſua prole *Quakeris*. Propheta enim eorum, in ſuo *Vaticinio Spiritûs Amoris*. Sectatoribus ſuis totius Terræ poſſeſſionem expreſſè pollicetur, omnéſque Gentes ſibi tandem fore ſubjectas. Quanquam enim admittent *ſervitium Chriſti in fide Sanctum eſſe veri Tabernaculi*, gloriantur tamen *Servitium Amoris*, *Sanctum eſſe Sanctorum*, ac proinde omnibus anteferri oportere.

Bath. Meo quidem judicio, *Eviſtor*, hic *Sophronis* ſcrupulus nullâ ratione innititur. Etenim præter multas craſſas, impoſſibiles & ridiculas Interpretationes Scripturæ, ſuper quas nihilominus hic Propheta ſe ſtabilire ſatagit; obvia illa ex ſcriptis ejus evidentia, quòd *Sadducæus* omnino erat & nec *Angelos* nec *Spiritus* nec *Immortalitatem Animæ* tenuit, ſatìs manifeſto indicio eſt, in tam clara luce quàm Deus extulit & etiamnum attollit in orbe, hujus hominis dictamina ac Doctrinas in ullam *Nationalem* Religionem nunquam abituras eſſe, quin omnibus conſtabit eum hallucinantem fuiſſe *Enthuſiaſten*. Equidem *infinitò* incredibilius eſſe puto, ut Mundus eum pro vero Propheta habiturus ſit, quàm ut pura *Apoſtolica Fides* ac Doctrina, (quæ tam demonſtrativas ac miraculoſas Atteſtationes nacta eſt & Morali Bonitati ac Rationi tam eſt conſentanea) non inundaret omnia.

Eviſt. Craſſus hic *Sadduciſmi* error Prophetam hunc eouſque inermem reddere poteſt, ut nullam magnam noxam Perſonalibus Chriſti officiis inferre valeat, quæ clanculum ſubruere ac ſubvertere conari videtur. Verùm *Regnum Spiritûs*, quatenus *Perſonali ſceptro* Domini Jeſu opponitur, in manus magìs elimatas incidit, eorum nempe qui *Animæ Immortalitatem* expreſſim agnoſcunt, & conſequenter præſentem Chriſti ſubſiſtentiam in ſua Perſonalitate, & tamen omnino pro *Spiritu Chriſtóque* in nobis contendunt, ac ſi iſta Chriſtianitatis pars quæ Chriſtum *extra nos* reſpicit, penitus antiquata eſſet. Nôſti cujus id ſymbolum erat, *Salus noſtra in vita Jeſu Chriſti in nobis*.

Bath. Immo novi, *Eviſtor*, ſymbolum erat Philoſophi *Teutonici*. Et annon ipſe nôſti, quis dixit, Myſterium quod reconditum fuit à ſeculis & generationibus, tunc
Coloſ. 1.26. autem patefactum Sanctis, * fuiſſe, *Chriſtum in nobis ſpem Gloriæ*?

Eviſt. Rectè narras, *Bathynoe*. S. *Paulus* ſic ſcribit ad *Coloſſenſes*.

Bath. Ac proinde, *Eviſtor*, *Jeſus* filius *Mariæ* erat cum ſuis Apoſtolis qui primus homines in *Sanctum Sanctorum* perduxit, non autem *H. Nicolai*, nec *J. Behmen*.

Sophr. Appoſita admodum & perquam utilis obſervatio!

Bath. Sed pone *Jacobum Behmen* omnia in ſcriptis ſuis introrſum premere, ac ſi Chriſtum extra ſe, qui paſſus eſt *Hieroſolymis*, planè oblitus eſſet, (quem tamen certò ſcio eum in lecto animam efflantem non fuiſſe oblitum, quando exclamavit, *O crucifixe Domine Jeſu, miſerere mei & recipe me in Regnum tuum*) & *Familiſmum* ſimul, à putrido illo *Sadduciſmi* morbo liberâſſe; Invincibilis tamen Scriptorum ejus obſcuritas efficiet, ut nimiâ apud populum gratiâ nunquam valeat, & errores in *Inſpirationibus* quas prætendit, in rebus *Philoſophicis* Authoritatem ejus labefactabit apud omnes homines intelligentes & ſagaces. In ſeculo *Philoſophico* qui *Philoſophicas Inſpirationes* venditant nec tamen habent, neceſſe eſt, ut deprehendantur, ubi cæſpitant claudicántve. Quod ſi ulla in re contingit, fides concidit in univerſis, nec quiſquam crediturus eſt, ob id ſolum, quòd ipſi affirmaverint verum eſſe & ſibi Divinitùs inſpiratum.

Eviſt. Si hæc revera eſſet *Teutonici* Philoſophi conditio, minimè verendum eſſet, nè ille ullam magnam noxam faceret, eo modo quo *Sophronis* ſuſpiciones tam Tragicè præſagiebant.

Sophr. Haud credibile eſt *Bathynoum* ſic loqui voluiſſe, niſi certas aliquas rationes habuiſſet cur ſic diceret. Obſecro te, quæ ſunt, *Bathynoe*?

XVI. *Peritiæ linguæ Naturæ apud J. Behmen, mirabilis venditatio.*

Bath. Annon putas, O *Sophron*, egregium Melancholiæ ſpecimen eſſe, ut opinetur *Linguæ Naturæ* notitiam ſibi eſſe communicatam?

Sophr. Peritiam ſcilicet ſignaturarum Plantarum, & Præſagiorum Meteororum aliorúmque iſtiuſmodi Phænomenôn Naturæ.

Bath. Nequaquam, ſed peritiam interpretandi *ſyllabatim* in verbis cujuſvis linguæ quid naturaliter ſignificent. Ut ſi verbi gratiâ, vocem *Tetragrammaton* expendere velit, diceret tibi quid ſingulæ ſyllabæ ſignificent, à *Te* uſque ad *Ton*.

Sophr. Res admodum bella eſt iſta, ut vel Terminationes vocabulorum ſuam etiam habeant ſignificationem.

Bath. Immò ipſæ literæ, ut in *Tinctura*, & aliis.

A. Gell. Noct. Attic. lib. 10. cap. 4.

Sophr. Hoc antiquam illam apud Philoſophos controverſiam decidit, Impoſitio Nominum φύσει ſit an θέσει ſive νόμῳ.

Bath. Euge, *Sophron*, rem irrideas quantum voles. Hæc Philoſophica tamen Illuminatio *Teutonicum* docuit Nomina ſeptem Planetarum planè derivata eſſe ex lingua Naturæ.

Sophr. Nomina intelligit *Latina*, *Græca*, an *Hebraica*? vel *Belgica*, *Gallica*, an *Hiſpanica*?

Bath. Credo aut omnia eum intellexiſſe, aut *Germanica* ſola, ut quæ Lingua ejus eſſet vernacula, cujúſque ſolius peritus eſſet.

Sophr. Magna profectò omiſſio erat, quòd mentem ſuam hac in re non explicuerit. Sed quæſo, *Bathynoe*, cur exiſtimat Antiquos, ſeptem Planetis ex lingua Naturæ nomina dediſſe?

Bath. Quia Nomina ſunt ſecundùm Proprietates Naturæ. Quæ ſunt, *Aſtrictio, Compunctio, Angor, Ignis, Lux, Sonus, Corpus.* Quæ reſpondent *Saturno, Mercurio, Marti, Soli, Veneri, Jovi, Lunæ.*

Sophr. Hæc Myſteria ſunt ſupra meum captum. Nec video quomodo illa nomina Planetarum iſtas Qualitates ſignificent. Quid autem ſibi vult ille, *Bathynoe*?

Bath. Philoſophicam reddere vult rationem cujuſque Diei Creationis cum relatione ad Nomen Diei à Planeta ei inditum, qui primæ illius horæ præſidere dicitur, quíque cum tali proprietate Naturæ convenit. Ut exempli cauſâ, Antiqui primum ſeptimanæ diem *Diem Solis* appellârunt, quia Deus tunc Solarem Proprietatem in Creatione movit. Diem ſecundum, *Diem Lunæ*, quia movit Lunarem Proprietatem,

tem, &c. Atque ſic Operum ſex Dierum apud *Moſen* explicatio ex Aſtrologicis nominibus Dierum ſeptimanæ conflatur.

Sophr. Eſtne poſſibile, *Bathynoe?* Ego ſemper putâram nomina Dierum ſeptimanæ Planetaria, ex ordinata Planetarum recenſione à *Saturno* ad *Lunam* profecta eſſe, & tribuendo ſic ſingulis uni poſt alterum unius horæ Dominium per vicenas quaternas horas, prima cujuſque Diei hora novum habebit Planetam, ídque neceſſariò tali ordine qualem nomina Dierum ſeptimanæ implicant. Ut verbi gratiâ, Saturnus primam Diei horam obtineat. A *Saturno* ad *Lunam* ter incluſivè, horæ ſunt viginti una. Tunc numera, *Saturnus* viginti duæ, *Jupiter* viginti tres, *Mars* viginti quatuor; Hora proxima quæ eſt prima diei ſequentis, eſt *Sol.* Tunc rurſus, A Sole ad Martem ter, fiunt horæ viginti una. Tunc perge, *Sol* viginti duæ, *Venus* viginti tres, *Mercurius* viginti quatuor; Horáque proxima, quæ prima eſt Diei ſequentis, eſt *Luna.* Atque ſic per totam ſeptimanam invenies, ordinatam hanc recenſionem ea nomina quæ ſinguli Dies ſeptimanæ gerunt, neceſſariò daturam.

Bath. Perinde futurum fuiſſet, ſi exorſus eſſes à *Sole,* & ad *Martem* perrexiſſes, quippe qui Planetarum eminentiſſimus eſt, & qui nomen dat primo Diei ſeptimanæ.

Sophr. Sic omnino eſt, *Bathynoe.*

Bath. Equidem ſubridere me fecit hæc conſideratio, O *Sophron,* poſtquam obſervaveram quàm promptus eſſet inſpiratus Philoſophus, in ſuo *Myſterio magno,* ad partem peritiæ ſuæ in *lingua Naturæ* (in nominibus Planetarum detecta) attribuendam Antiquis, ac ſi eis notum fuiſſet Myſterium Creationis *Moſaicum,* ex eo quòd nomina Planetarum talibus ſeptimanæ diebus affixiſſent: cùm illi proculdubio nihil ampliùs quàm ordinatum hoc Aſtrologicæ ſuperſtitionis ſpecimen, quod tu tanto cum judicio notâſti, ſomniaverint. Verùm ſunt & alia plura indicia palpabilia, apud intelligentem nullóque præjudicio laborantem Lectorem, quæ Philoſophus *Teutonicus* ſcripſit, ea ab infallibili Spiritu non fuiſſe profecta.

XVII.
Plures Indicationes quòd J. Behmen *non ſcripſerit ex Spiritu infallibili.*

Sophr. Pauca aliqua, quæſo, in medium profer. Neque enim indecens officium eſſe poteſt, ex hujuſmodi labyrinthis nimis ſerias Animas expedire, quæ hoc genus ſcriptoribus nimiùm poſſunt captivari.

Bath. Unum tibi exemplum dabo pro omnibus, O *Sophron.* Verum Mundi ſyſtema non intellexit, quemadmodum apparet ex Hiſtoria Luciferi, in cujus locum *Solem* ſubſtituit, declarátque ſtellas omnes ab eo lucem ac virtutem haurire: Ullum *Mane* aut *Veſperam* eſſe negat ſupra Lunam, quanquam quatuor Lunæ circa Jovem motæ, planè teſtantur contrarium; Narrátque ut ſex reliqui Planetæ, *Solis* ſint ſex conſiliarii, nihil de *Tellure* ſomnians, quòd Planeta perinde verus & conſequenter perinde bonus conſiliarius ſit atque reliqui, præſertim ac Luna, quæ ſeptem igitur conſtituet; quatuórque illæ circa *Jovem,* alios quatuor, ac perinde probas uxores pro Sole atque Stellis ac Luna noſtra. Quæ conſiderationes omnia ejus bella commenta de Harmonia & Analogia inter *ſeptem Planetas ſeptémque Naturæ Proprietates* prorſus labefactant. Unde me certò cognoſcere profiteor eum Divinitùs non eſſe inſpiratum.

Eviſt. Unde igitur, *Bathynoe,* tam inaudita Myſteria ei obtigerunt? Et unum præſertim præ reliquis, quod valdè me attonitum reddit, quoniam invenio, qui profitentur ſe illius veritatem nôſſe per experientiam. Diſtributionem intelligo rerum univerſitatis in *tria Regna* ſive Mundos, Mundum *Igneum tenebroſum,* Mundum *Lucidum ſanctum,* & Mundum hunc *externum mixtum.*

Bath. Immò, *Eviſtor.* Eóque mirabilius mihi videtur Myſterium iſtud ex eo quòd declarat, ſenſu etiam Phyſico, hos omnes alios in aliis invicem jacere. Cœlúmque eſſe in Inferno & Infernum in Cœlo, quantùm ad locum. Quod illuſtrare vult à Tenebris & Luce in eodem ſpacio jacentibus; Tenebris ſtatim ſe prodentibus remotâ luce.

Sophr. At verò proculdubio Tenebræ actu illîc non erant quamdiu præſens erat Lux.

Bath. Equidem ſic putarem, *Sophron.* Præterea, Regna ejus *Tenebroſum* ac *Lucidum,* purè oportet eſſe ſpiritualia, ſi in eodem ſpacio cum *Mundo* hoc *Externo* jacent, quemadmodum & eorum Incolas, quos tamen admittit alios ab aliis conſpici, eos intelligo qui ejuſdem ſint Regni, quamvìs, qui diverſi ſunt Regni, nequeant.

Eviſt. Quomodo igitur *Dives* dicitur ex Inferno vidiſſe *Lazarum* in ſinu *Abrahami;* *Luc.* 16.23. ac ſi illius Formator Parabolæ *Behmenicum* hoc Myſterium ignorâſſet? Et quî factum eſt ut *Michael* & *Diabolus* diſputarent de corpore *Moſis?* Poſſúntque Diaboli & Angeli audire alii alios loquentes, nec tamen ſe videre alii alios adeò in propinquo ſitos? *Jud.* 9.

Bath. Id quod occurrit in Parabola haud facilè ſolvitur. Verùm ſupponendo hos *tres* diſtinctos *mundos*, ſuos habere diſtinctos *Spiritus Naturæ*, (prout poſſunt appellari) cùm virtute unionis cum ſingulis, cujuſque Mundi Incolæ res omnes percipere poſſunt cum illius Spiritu unitas, ſatìs conſequens erit intelligere, dum Angeli in unione tantùm ſunt cum *ſpiritu* mundi *Lucidi*, & Diaboli cum *Spiritu* mundi *Tenebroſi*, alios ab aliis conſpici non poſſe, quanquam quoad ſpacium in propinquo poſitos, & ſi corporei eſſent, alios in alios poſſe impingere, & naſos quaſi collidere, ut ſurdi in Tenebris. Verùm admittendo eos facultatem habere uniendi ſe ad tempus cum ſpiritu hujus mundi *externi* mixti, in hac quidem conjunctione & videre ſe invicem poſſent & colloqui. Verùm fateor, *Eviſtor*, Theorema aliquantùm remotum eſſe mirúmque.

Eviſt. Et tamen, quod magìs mirandum eſt, *Bathynoe*, ſunt qui profitentur (quæ magna profectò foret, ſi certa eſſet, Philoſophiæ *Teutonicæ* Atteſtatio) tales ſe habere cerebri oculorúmve apertiones ut inſpicere valeant in utraque illa *Regna Interna*, mirificáſque formas Incolarum utriuſque intueri.

Bath. Iſtud equidem, fateor, *Eviſtor*, adhuc magìs mirandum eſt, quamvìs ex Hypotheſi, quam modò ſubindicavi, non ſit ſimpliciter impoſſibile. Verùm cavendum, hiſce in rebus nè nimis ſimus creduli. Qui nobis affirmare vult ſe *Mundos* iſtos *Internos* ſenſu detexiſſe, eum priùs certum eſſe oportet, ſe propriâ ſuâ Imaginatione non illudi. Phantaſia enim aliquando fit *Præſentifica*, ut in *Maniacis*, & in eis qui vehementiori Febri laborant. Quorum Phantaſmata, *realia* ſibi videntur *objecta externa*. Quinimo aliquando ſic eis accidit qui ſani ſunt, mentiſque compotes, idque aut arbitrariò ut in *Cardano*, aut ex inopinato, ut in aliis multis quibuſcum verſatus ſum. Adeò verò prudentes ſunt ut Imaginationem eſſe nôrint, & obrepentem ſtatim ſufflaminent. Quodſi talem mundum internum eſſe crederent, vehementerque cuperent in eo verſari, equidem valdè probabile eſt hoſce homines *interna* ſua *Phantaſmata* pro *externis Interni* mundi *Objectis* ſemper ferè habituros.

Eviſt. Sed quomodo ab hoc errore ſe liberabunt, *Bathynoe?*

Bath. Si aliquis eorum Numerus, qui putant ſe *internum* oculum recuperâſſe (qui *Adami* lapſu erutus eſt) quo per *externum* oculum in Mundos *internos* inſpicere poſſunt, ejuſdem objecti intuitum experirentur ſimul. Nam ſi illud ſimul non vident, in eodem loco eiſdémque circumſtantiis, magna probabilitas eſt, *internam* totam eſſe *Imaginationem*.

Sophr. Pone verò eos idem objectum ſimul videre, inviſibile interim vulgari oculo.

Bath. Nondum tamen ſecuri ſunt, quin eis imponi poſſit à falſa Ratiocinatione. Neque enim indè ſequitur eos tales *Interni Mundi* Incolas videre, qualem Philoſophia *Teutonica* ſtatuit, ſed magìs ſubtiles Incolas *Externi*. Nam & Aër & Æther Elementa ſunt hujus *Externi* Mundi non autem *Interni*. *Lapſóſque Spiritus* purè *immateriales*, ingenuè fateor, ingens apud me eſſe Paradoxum; aut cùm *vehicula* habeant *Materialia*, eos in *Materiali* aliquo *Elemento* non habitare. Quod elementum cùm ſit *Mundus tenebroſus*, manifeſtum eſt, Mundum *tenebroſum* non poſſe eſſe in eodem ſpacio, quo hic Mundus *externus*, ſed eſſe illius partem. Ut taceam de Mundo *Lucido* quem fateor me *Materialem* etiam eſſe, exiſtimare.

Sophr. Quod & ipſe exiſtimo, *Bathynoe*, nec ullo pacto poſſum admittere, *Cœlum* & *Infernum* in eodem ſpacio jacere, quandoquidem Cœli Incolæ ſunt *Corporei*. Nam Sancti glorificati corpora habent, Angeliſque pariter, ſecundùm optimorum & Theologorum & Philoſophorum opinionem.

Bath. Veruntamen in eodem loco ſive Regione *Cœlum* & *Infernum* manifeſtari poſſunt in Creaturis *particularibus*, eo quod commune eſt, earum proprietatibus miniſtrante; ut *Seminalis Anima* Mundi in formandis Buſonibus ac venenoſis Serpentibus perinde occupatur atque in Animantibus maximè pulchris & innocuis.

Eviſt. Quid igitur exiſtimas, *Bathynoe*, *Jacobum Behmen* non omnino fuiſſe inſpiratum, cùm tam parùm conſtet eum ullam cujuſquam momenti veritatem Orbi communicâſſe?

XVIII. *Sententia* Bathynoi *de* J. Behmen, *cum quibuſdam monitionibus quomodo quis evitare poſſet laqueos Enthuſiaſtarum.*

Bath. Ut meam conjecturam liberè & ſine omni partium ſtudio, declarem, *Eviſtor*; primo in loco concedam eum hominem fuiſſe ſerium, benéque ſincerum, ſed ingenio præter modum Melancholico. Deinde Scriptorum *Henrici Nicolai* ac *Paracelſi* ſedulum fuiſſe Lectorem conjicio. Qui Authores Enthuſiaſtici utrique Melancholiam ejus in conſimiles Spiritûs elevationes accenderunt, produxerúntque Philoſophiam in qua paſſim obſervantur *Paracelſianiſmi* & *Familiſmi* veſtigia, quippe in qua *Amor* ac *Ira*, *Sulphur* & *Sal-nitrum*, *Alchymia* & *Aſtrologia* ubique ferè occurrunt.

Equidem non nego, *Eviſtor*, quin & *Henricus Nicolai* & *Jacobus Behmen*, inſpirati eſſent, ſed affirmo ſimul *Inſpirationem* eorum non fuiſſe purè *Spiritualem*, *Intellectualem* ac *Divinam*, ſed maxima ex parte *Complexionalem*, ut vocant, *Naturalem* ac *Dæmoniacam*: Ἡ γὰρ φύσις δαιμονία οὐ θεία, quemadmodum monet *Ariſtoteles*; Quod optimè intelligitur ex iſto *Plotini*: Θεὸς μὲν ἓν τὸ πᾶν, καὶ χωρὶς τῆς ψυχῆς συναριθμουμένης, τὸ δὲ λοιπὸν δαίμων μέγας, τὰ δὲ πάθη ἐν αὐτῷ δαιμόνια. *Ennead. 2. lib. 2. c. 10.* Hæc igitur *Inſpiratio* erat à primo puro Fonte nimiùm remota ut limpida emanet. *Amor complexionalis*, nobiliſſimus motus à *Spiritu Naturæ* nobis impreſſus, primùm, *Conſtrictione*, *Compunctione* & *Angore* prædominantis Melancholiæ oppreſſus, poſteáque ardens efflamminánſque in exultabundam libertatem, captiváſque ſecum ſeveriores iſtas particulas, quæ eum ſuffocaturæ eſſent, in glorioſum Lucis Triumphum, hilarémque Spirituum ſplendorem abripiens, quod facit ut Anima omni genere Benignitatis ac dulcedinis exundet, hæc omnino eſt, quantum ego quidem intelligo, tota illa * *peculiaris Inſpiratio ſive Illuminatio*, quam hi *Theoſophi*, ſi penitiùs inſpiciantur, habuêre. Quæ tamen haud ità contemptibilis eſt, quin meritò eam magnificent ſupra truculentas Ferocitates ſuperſtitioſarum Factionum in exacerbatis mundi Eccleſiis; quæ nec tam bonam Inſpirationem habent quàm hæc eſt, ſed eorum linguæ pariter atque corda inflammantur à Gehenna. *Jacob. 3. 6.* Hæc, inquam, Naturæ lux abunde inſtructa eſt & idonea, ſive jus ſive peritiam ſpectes, ad caſtigandas acritérque inſectandas craſſas graveſque Hypocriticarum Religionum Immoralitates, & ad ſubſerviendum illi Veritati ac *Vitæ* quæ revera eſt *Divina*.

Eviſt. Sed profitentur ſe Divino planè ſpiritu afflatos ſcripſiſſe. *Jacobúſque Behmen*, ex hiſtoria de ſene quodam, qui ſub prætextu emendi calceorum par, ei ſuum prædixit fatum, ſanctáque ac pia documenta ei impertiit, Angeli videtur conſortium habuiſſe.

Bath. Quis novit quin revera eſſet homo ſenex? Calceos enim ſecum abſtulit quos emerat, nec in illius evanuit conſpectu. Et pone bonum fuiſſe Angelum non Diabolum, ſequitúrne ſtatim eum fuiſſe infallibilem? Incolæ alterius Mundi boni ſunt Phyſiognomi, probéque nôrunt, quinam ſuis uſibus commodiſſimè ſint inſervituri.

Cuph. Quemadmodum Hippocomus Equum novit ex ſignaturis.

Bath. Et poſtremò, Quòd *Jacobus* declarat quæ ſcripſit à Deo eſſe profecta, omnino id facit quod neceſſe eſt ab omnibus fieri *Enthuſiaſtis*. Nam niſi ſeipſos putarent inſpiratos, *Enthuſiaſtæ* non forent. Magia verò admodum potens eſt in hac accenſa ſua confidentia ad alios ſibi captivandos.

Hyl. Quâ igitur ratione, *Bathynoe*, cuſtodire quis ſeipſum poterit, nè ſcriptis eorum illaqueetur, ſimúlque abripiatur eorum *Enthuſiaſmis*?

Bath. Qui illorum ſcripta legit, unum hoc ei breve ſed tutum præſtò eſt Remedium; ut moralia piáque præcepta, quæ cum tam extraordinario zelo ac fervore effundunt obſervet, & omnes nervos intendat quò tam bonus revera evadat, quàm illi declarant & ſe & reliquos omnes eſſe oportere, & ut hanc primam ſuam curam faciat, ſine ullo conſilio propoſitóve magna captandi Myſteria. Hæc unica illa ratio eſt ac Methodus quâ quis certò tandem valeat eos judicare, & ad eum ſtatum perveniat, ob quem *David* gratias agit Deo, *Plus ſapio quàm mei doctores univerſi, quia mandata tua cuſtodio*. *Pſalm. 119. 99.*

Philoth. Optimum eſt iſtud conſilium, *Hylobares*, ratióque omnium certiſſima, quâ quis *Enthuſiaſtarum* laqueos fugiat, unúmque ex præcipuis bonis effectis quod in eis permittendis Deus intendat, nempe ut certa quædam Ingenia ſive Temperamenta in vias Sanctitatis pelliciat, & diſcernendi Spiritûs donum in aliis, quibus dederit, exerceat, ad Incolumitatem Eccleſiæ ſuæ & ad magnificandum Miniſterium Evangelii filii ſui Jeſu in veris ac Apoſtolicis illius promotoribus.

Sophr. Si hâc viâ incederetur, meæ formidines & ſuſpiciones conſopitæ eſſent univerſæ, nec dubitare poſſem, quin pura Religio Apoſtolica, ſua ubique arma victrix explicatura eſſet.

Philoth. Atque equidem quantùm ad iſtas duas Sectas, porrò tibi affirmo, *Sophron*, nullum tantum ab eis imminere periculum, nè ab illa quidem quæ magìs ſuſpecta eſt. (Nam quantùm ad *Behmeniſtas*, in ea re *Bathynoo* aſſentior, qui immeritò ſuſpectos putat.) Etenim in præſens, obliquo quodam ictu inanimæ Formalitati ac Carnalitati Chriſtiani Orbis notabilem cladem infert Deus per fervidos hos Evangeliſtas *interni Servatoris*: & ſi qui ex iſtis per ignorantiam aut errorem illam Religionis partem quæ *externum* reſpicit quodammodo antiquarent, quos multos nec eſſe nec fore ſpero, tamen (& quæ dicturus ſum attende) ſi maneant ſinceri, nullus

Apoc. 19. 21. & 16. 19.

lus dubito quin futurum ſit ut ad veram rurſus fidem reducantur ſub *ultimum* ſaltem *rerum exitum*, ut qui inveniendi ſint in illa tertia parte Civitatum qui caſuri ſunt per *gladium illius qui albo Equo* inſidet in temporibus effuſionis *Phialæ ultimæ*.

Philop. Illud admodum veriſimile eſt, *Philothee*, nec ullus jam ſupereſt ſcrupulus, quin glorioſa illa Eccleſiæ tempora futura ſint, talíque ſenſu qualis eſt præfinitus. Proxima verò quæſtio eſt de *ſignis adventûs eorum*.

Philoth. Ecquod commodius ſignum expetere potes quàm ordinatam ſucceſſionem *Phialarum*?

XIX. *Quòd ſit Elias venturus & quo ſenſu.*

Philop. Verùm mihi in mente verſabatur de adventu *Eliæ* primùm Rumor, quemadmodum in primo adventu Chriſti. Nam ſic perquam eruditus Author declarat, appariturum utique eſſe *Eliam* etiam ante ſecundum illius adventum.

Philoth. Et quantum ego quidem video, *Philopoli*, iſta opinio vera eſſe poteſt ſi rectè intelligatur; hoc eſt, nec de *Elia Thisbite* nec de *Johanne Baptiſta* perſonaliter, nec de aliqua una Perſona excluſivè, ſed (ſecundùm ſtylum *Propheticum*) de *Spiritu Eliæ* in perſonarum multitudine five ſucceſſione. In hoc ſobrio ſenſu neſcio certè quin hæc expectatio de adventu *Eliæ* primùm, poſſit eſſe non vana.

Philop. Quid intelligis igitur per *Spiritum Eliæ*, *Philothee*, ut cognoſcamus ubi & quando appareat?

Philoth. Quantùm ad eam rem, *Philopoli*, characterem pro libitu comminiſci non debemus, ſed oculos in Hiſtoriam & Vaticinia conjicientes ſine omni partium ſtudio verum illius *ſpiritûs* characterem ex Scriptura colligere.

Philop. Quomodo, quæſo, *Philothee*?

XX. *Character hujus Eliæ ex Vaticiniis collectus.*

Malach. 3. 1, 2, 3.

Philoth. Ut primùm ex Vaticiniis; Admittendo Vaticinia duplicem habere completionem, (quemadmodum Servator duplicem planè ſupponit adventum *Eliæ*, quippe qui, poſtquam *Baptiſta* decollatus eſſet, dicit tamen *Eliam* revera adventurum eſſe omniáque reſtituturum) deſcriptio Nuncii Fœderis apud *Malachiam*, admodum graphica eſt *Spiritûs Eliæ* deſcriptio. *Ecce ego mittam fœderis nuncium quem vos avetis*, (per quem Scriptores Hebræi *Eliam* intelligunt) *ecce ille adventat, inquit* Jehova *armipotens. Quis autem ejus adventûs diem ſuſtinebit? aut eo apparente conſiſtet? Erit enim quaſi quidam Ignis explorans aut Lanaria Fullonia: Sedénſque explorabit ac expurgabit argentum & expurgabit Levitas, ac tam puros reddet quàm eſt aurum aut argentum, ut Domino munus offerant in juſtitia.* Doctrina igitur de abjiciendo & expurgando omnem Corruptionem, Inſinceritatem & Hypocriſin, una è notis eſt *Spiritus Eliæ*. Rurſus apud Prophetam *Eſaiam*: *Vox clamat in deſerto, Parate viam* Jehovæ, *rectam facite in ſolitudine Deo noſtro ſemitam. Omnis & vallis attolletur & mons colliſque deprimetur, & prava in recta & aſpera in plana redigentur pateſiētque* Jehovæ *gloria, cernentibus univerſis mortalibus, quoniam os* Jehovæ *locutum eſt.*

Eſai. 40. 3, 4, 5.

Philop. Quam Notam indè colligis, *Philothee*?

Philoth. Doctrinam ſive Declarationem adverſùs Diſtortionem Perverſionémve ſimplicitatis veritatis Chriſtianæ per homines *ſuperbos* ac *Politicos*, qui Religionem *Labyrinthum* fecerunt, quò populus longis circuitibus defatigati & quò ſe vertant neſcii, eò faciliùs eis cedant in prædam. Contra *ſinuoſos* ac ſerpentinos falſæ Politiæ Eccleſiaſticæ *anfractus* quæ Doctrinam pariter ac Praxin, tam prodigioſè corruperit, heîc declaratur. Vox in Deſerto tolli jubet ut gloria Evangelii manifeſtari poſſit omnibus mortalibus in ſua genuina *puritate* ac *ſimplicitate*, atque ſic omnes Nationes Chriſti ſceptro ſubjici.

Philop. Iſte ſenſus admodum facilis eſt ac naturalis.

Malach. 4. 5.

Philoth. Tertius hujus Spiritûs character idémque notabilis in ultimo *Malachiæ* occurrit. *Ecce ego vobis miſſurus ſum* Eliam *Prophetam, antequam veniat* Jehovæ *dies magna ac terribilis*, (hoc eſt, ante prælium magni illius diei Dei omnipotentis ſub *Phiala* ultima, Apoc 16. 16.) *Qui & parentum animos ad natos & natorum animos ad parentes convertat, nè ego veniam & afficiam orbem exitio*, hoc eſt, * Hic Spiritus, Spiritus ſectarius nequaquam erit, ad diſcindendum ac dilacerandum, ſed Spiritus pacificus & reconciliatorius ad conglutinandos animos Magiſtratuum ac Subditorum in Regno Dei, & ad antevertendas atque averruncandas hujus Terrenæ vitæ miſerias, quæ ex diſſidiis oriuntur, tumultu atque bello.

Philop. Excellentiſſimus profectò hic eſt *Eliæ* Spiritus. Ut adventum ejus acceleret Deus, animitus precor.

Philoth. Eſt autem & alius *Eliæ* venturi admodum notabilis character ab ipſo Servatore ſubindicatus, in ſermone cum diſcipulis poſt Transfigurationem ſuam in Monte. Ante quod tamen tempus, ut ſuprà monui, Baptiſta erat decollatus: interrogatus nihilominus Servator à diſcipulis de opinione Scribarum, quaſi *Elias* priùs

Mat. 17. 10, 11

ùs venturus eſſet, reſpondit, *Venturus eſt quidem priùs Elias & inſtauraturus omnia.* Quod Effectum utcunque *Johanni Baptiſtæ* accommodare, valde arduum credo fore.

Philop. Rectè, ſed quemnam characterem, *Philothee*, ex iſta colligis prædictione?

Philoth. Spiritum *Eliæ* nec abrogaturum eſſe quod authenticum eſt, nec introducturum quod novum, ſed Inſtauratorem tantummodo fore iſtiuſmodi utilium veritatum ac conſuetudinum quæ longo ætatum delapſu videantur perditæ. Decurſus enim temporum inſtar Fluvii eſt, qui ſtramina quidem, folia & ſarmenta lignea, ſecum deferet, quod autem maximè ſolidum eſt, ni magna adhibeatur cura, ad fundum demerget.

Philop. Hæc Scientiæ conſideratio, *Philothee*, mihi in memoriam revocat proverbialem iſtam *Judæorum* Prædictionem de ſuo expectato *Elia*, *Elias cùm venerit ſolvet omnia.* Videtur igitur fore, ut ſedulus Eruditionis ac Sapientiæ ſit Inſtaurator. Annon ſic futurus eſt, *Philothee?*

Philoth. Talem non intelligis, *Philopoli*, qualis eſt *Quadraturæ Circuli*, *perpetuive motûs* Inventio?

Philop. Ut verum tibi fatear, *Philothee*, neſcio quid velim quídve intelligam. Dic igitur quæſo, quid tu ſuper hac re exiſtimas.

Philoth. Id tibi antè dixi, eum *utilium* quidem Veritatum fore Inſtauratorem, & Principiorum fortean tam perſpicuorum manifeſtorúmque, ut maximi momenti difficultates quibus Ratio humana irretiri ſolet, ſint ſolutura. Nequaquam verò credo eum inutilium ſubtilitatum Fautorem fore, ulliúſve cognitionis quæ Virtutem Bonúmque publicum non ſit promotura. Ille vox eſt iſta in Deſerto clamans, *Parate viam Jehovæ, rectam facite in ſolitudine Deo noſtro ſemitam.* Illius ſapientia reſpicit tantummodo rem *Regni Chriſti* illiúſque promotionem.

XXI. *Character ejus ſumptus ex Hiſtoria.*

Nunc verò quantùm ad Characteres ex Hiſtoria *Johannis Baptiſtæ* & *Eliæ* deſumptos. Primùm, obſervandum eſt de utrorumque perſonis, quantopere à Mundo ſequeſtrati eſſent, quantíque Deſertorum ac Solitudinum frequentatores. Et magìs particulatim de *Elia*, ut in Rivulorum ripis, ſub Arboribus ſolitariis, in Cavernis, Montibúſque commorari ſolitus ſit; quemadmodum in Monte *Horeb*, ubi Deus poſt ingentis Venti, Terræ-motûs, atque Ignis tranſitum cum eo collocutus eſt. 1 *Reg.* 19.8,9, &c.

Philop. Súntne igitur omnes, *ſpiritûs Eliæ* participes, futuri *Eremitæ?*

Philoth. Iſtud non innuitur, *Philopoli*. Sed quòd Spiritu futuri ſunt à Mundo prorſus ſeparato, minimeque infecto & adulterato inſalubri hominum converſatione, Quòd judicia eorum non occæcata erunt intuendo frequentes & uſitatas authenticæ Improbitatis conſuetudines.

Philop. Et quid quæſo ſignificatur per Indumentum ex pilis Camelinis Cingulúmque pelliceum lateribus *Johannis Baptiſtæ* circundatum? Ipſúmque corpus *Eliæ* ſic deſcribitur, ac ſi homo hirſutus eſſet. *Matt.* 3.4. 2 *Reg.* 1.8.

Philoth. Admodum obvium intellectu eſt iſtud, *Philopoli*. Significat quàm aſper & impolitus, quàm rudis ac ſylvaticus *Eliæ* Spiritus Mundo ſit appariturus, quippe qui Mundum liberè & ſepoſito omni perſonarum reſpectu eſt reprehenſurus. Veritatem declarare cum omni ſinceritate ac ſimplicitate cordis (quamvìs aliàs cum ſumma quæ fingi poteſt civilitate) mihi crede, *Philopoli*, Mundo appariturum eſt ingens ruſticitatis, inhumanitatis & inurbanitatis ſpecimen. Tam tenerum putridúmque eſt cor improborum. Sunt autem & alii, in Hiſtoria, Spiritûs *Eliæ* characteres, qui minùs ſunt ſymbolici. Cujuſmodi eſt ſancta quædam Audacia, invictáque animi fortitudo, ad teſtificandam veritatem, quanquam cum ſummo vitæ periculo. Quæ res conſpicua erat tum in *Johanne Baptiſta* tum in *Elia*. Monitio cujuſque de ſuo officio, prout *Johannes* populum, Publicanos, Militéſque monuit. *Luc.* 3.10. Expergefactio hominum è falſa ſecuritate, ob externos aliquos carnaléſve reſpectus, quemadmodum Sadducæos expergefecit & Phariſæos. *Edite ergo fructus emendatâ vitâ dignos. Neve animum inducite ſic apud vos dicere, patrem habemus Abrahamum*, vel ſucceſſores ſumus *Petri*, reliquorúmque Apoſtolorum, Deus enim poteſt ex his ſaxis, quos calcatis, ſuſcitare ſucceſſores *Petro*. *Matth.* 3.8,9. Hic etiam notabilis eſt Spiritûs *Eliæ* character, Zelus ſcilicet vehemens pro puritate cultûs Divini contra omnem Polytheiſmum & Idololatriam. 1 *Reg.* 19.10.

Philop. Sic eſt, valdéque conſpicuus erat in *Elia Thisbita*. Sed quid indè ſignificatur, quòd in Semicenturiones cum ſuis quinquagenis ignem de cœlo deduxerit? 2 *Reg.* 1.10.

Philoth. Illud equidem rurſus *Symbolicum* eſt, *Philopoli*, ſignificátque *Eliam*, qui venturus eſt, uſurum tantummodo *vi Spiritûs* ab alto ad obſiſtendum armis cujuſcunque carnalis adversùs ſe Militiæ.

Philop. Unùs tantùm ſupereſt locus, *Philothee,* & tunc abundè characterum nos credo habituros de *Elia* venturo. Eſt autem *Eliæ* conflictatio cum Sacerdotibus *Baal.* Ubi veritatem Religionis explorare videtur per hunc *Lydium* lapidem: *Deus qui igne* 1 Reg.18.24. *annuerit, is Deus habeatur.*

Philoth. Elias venturus eandem apud populum facturus eſt provocationem. *Vos* Job.4.22. *quid colatis neſcitis* (quemadmodum Servator dixit de *Samaritanis* qui Deum non colebant in ſpiritu ac veritate) *Deus qui igne annuerit, is habeatur Deus.*

Philop. Immò verò, Quid autem ſignificat iſtud, *Philothee?*

Philoth. Taurorúmne Deus mactationem curat, *Philopoli?* Beſtiæ quas nos mactare oportet ignique in Holocauſtum abſumendas dare, *Beſtiales* in nobis ſunt *affectus. Deus qui igne annuat,* hoc eſt, *ſuum* annuat per *Spiritum,* ad harum conſumptionem, *habeatur Deus.* Qui verò non colit *Deum vivum,* qui per *operationem Spiritûs ſui* à corruptionibus noſtris purget, pro Idoli cultore habeatur.

Philop. Hic ſenſus eſt bene utilis, *Philothee.* Nec ullum, opinor, omiſiſti *Eliæ* venturi characterem, niſi ſeveritatem iſtam & auſteritatem in *Johanne Baptiſta* obſervandam & reprehenſionum illius aſperitatem & acrimoniam.

Philoth. Id partim ſubindicatum eſt antea, in *hiſpiditate* & *hirſutia* Perſonarum & Indumentorum, *Thisbitæ* pariter ac *Baptiſtæ.* Quæ quidem diſpenſatio, quamvìs *rudiuſcula* videatur, ſatìs tempeſtivè tamen ſtat oppoſita *Vanitati* ac *Levitati, Profanitati* ac *Frivoloſitati* illius ſeculi in quo appareat.

Cuph. Equidem exiſtimo & *Philopolin* & *Philotheum* tantæ morum auſteritati ac ſeveritati addictos eſſe, ut datâ operâ mentionem declinârint æquè inſignis exempli Ingenii morúmque *Eliæ* quàm ullum quod occurrit in univerſa illius Hiſtoria.

Philop. Quidnam iſtud quæſo eſt, *Cuphophron?*

Cuph. Iſta adeò ſarcaſtica Sacerdotum *Baalis* deriſio.

Philoth. Id *Cuphophroni,* ut quod illius indoli tam apprimè congruit, peropportunè relictum eſt ſpicilegium.

Hyl. Nec dubito affirmare, quin perquam avidè ipſum captaverit, *Philothee,* ſperans fore, ut ob acerba ſcommata, ſatyricáſque deriſiones quibus Civilis orbis vitia nudius tertiùs inſectatus eſt ſub prætextu *generalem* agendi *Advocatum Paganorum,* ſe haud immeritò exiſtimari poſſe, modò permiſerit temporum ratio, non exiguum quidem membrum eſſe illius magni *Eliæ* de quo loquimur.

Cuph. Quis? Egóne, *Hylobares?* Nihil profectò rerum omnium eſt quod minùs velim, quàm ut vel minimus digitus ſim tam hiſpidi, tam inculti támque hirſuti corporis. Quinimo, longè molliori, urbaniori, & obſequioſiori ingenio ſum, Deo meo eſt gratia.

XXII. *Tempus Adventûs Eliæ.* *Philop.* Et ſic eſto, ſi volet, *Hylobares.* Intereà loci, *Philothee,* cùm probè mihi ſatisfactum ſit de characteribus, dic mihi quæſo tempus, quo venturus ſit *Elias.*

Philoth. Intra *Tonitruum* primum.

Philoth. Id ipſum novi antea, *Philothee;* dixiſti enim mihi, futurum ante effuſionem *Phialæ ultimæ.* Dic verò ſub qua *Phiala* futurum ſit.

Philoth. Sub quarta aut quinta. Nec magìs præciſè quicquam licet definire. Circa illud tempus appariturus eſt *Elias* in ſpiritu.

Philop. Eſtne illud igitur initium *Regni ſpiritûs,* de quo loquuntur *Cabbaliſtæ?*

Philoth. Non ſanè, *Philopoli,* non propriè illius Initium eſt, ſed quædam potiùs Malach.3.1. ad ipſum præparatio: quemadmodum ſcriptum eſt, *Ecce ego mittam meum nuncium qui mihi viam præparabit, & tunc repentè veniet ad ſuum Templum Dominus.*

Philop. Quodnam eſt Templum iſtud, *Philothee?*

Philoth. Ezechielis Templum in nova *Hieroſolyma,* quod tibi ſuprà narravi. Illud Templum eſt, quod in ſecunda hac Vaticinii completione intelligitur. Nôſtique Ezech.1.16. plures eſſe periodos completionis Vaticiniorum, ut in *Ezechielis* Viſione Rota conſpecta eſt in Rota.

Apoc.21.22. *Philop.* Dicitur autem de *Nova Hieroſolyma,* Quòd Templum illîc non erat.

Philoth. Eſt & non eſt. Non eſt illîc *Templum* ullum *Materiale,* & tamen eſt *Templum Myſticum.* Nam *Dominus Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.* Deus omnipotens *Objectum* eſt cultûs noſtri; & *Agnus,* hoc eſt, ſtylo Prophetico 1 Cor.12.12. *corpus Chriſti,* Eccleſia utique ejus, (ſic enim Chriſtus alicubi ſignificat in Scriptura) in Gal.3.16. qua dominatur habitátque per *ſpiritum, Templum* eſt; ſecundùm illud Apoſtoli, 1 Cor.3.17. *Nam Templum Dei ſanctum eſt, quod Templum vos eſtis.* Hoc eſt Templum in quod *Jeſus Chriſtus* modo magìs peculiari venturus eſt poſt miniſterium *Eliæ,* Fœderis nuncii, qui futurus eſt quaſi *ignis quidam explorans aut Lanaria fullonia ad purificandos Filios* Levi *& ad expurgandos tanquam Aurum & Argentum,* ut ſanctum Templum &

Sacerdotium evadant, ***nova*** illa *Hieroſolymà*, Civitáſque Dei, cujus murus eſt ex Jaſpide, ipſa verò Civitas ex Auro puro, vitro pellucido ſimili. Spiritus *Eliæ* Spiritus eſt Ardoris & Angoris, Spiritus acerrimæ Reprehenſionis, amaræque Pœnitentiæ, Spiritus doloris ac parturientiæ in nova Nativitate *Sionis*. Regnum verò Spiritûs eſt actualis Mundi Renovatio in perfectam Juſtitiam, Pacem atque Gaudium.

XXIII.
Principia quædam tendentia ad accelerationem glorioſorum temporum Eccleſiæ.

Philop. De rebus temporibúſque perquam eximiis loqueris, O *Philothee*, tantóque cum confidentiæ impetu ut quemvis abripere poſſis non tantùm in perſuaſionem quòd aliquando extitura ſunt, ſed in magnam animi impatientiam quòd nondum exiſtant. Quod facit igitur ut avidè te cupiam audire diſſerentem de rationibus, quibus fœliciſſima hæc tempora accelerentur.

Principium primum.

Philoth. Quod facturus ſum, *Philopoli*, brevitate quàm potero maximâ, nè ſermo rurſus ad nimis multam noctem producatur. Verùm nulla in re tibi impoſiturus ſum, ſed ad proprium tuum judicium ſemper provocaturus, rectum ſit quod proponam, an ſecús. Ut in primo loco, *An Orbis Chriſtianus reformatus non ſit viſibile Regnum Dei*, omnéſque proinde homines per conſcientiam non ſint obligati omnes licitas adhibere rationes ad rem illius promovendam.

Philop. Orbem Chriſtianum Reformatum Regnum Dei viſibile eſſe plenè perſuaſus ſum, & de officio pariter quod indè naſcitur.

Cuph. Nos verò qui ingenio ſumus magìs *Philoſophico*, O *Philopoli*, non tam præproperè creduli ſumus, ſed hæſitamus pauliſper in rebus tanti momenti, antequam aſſentiamur.

XXIV.
De Lutheri *colloquio cum Diabolo de Miſſa abroganda, & de nocturnis ejus viſionibus Torrium volantium.*

Philop. Quid ità, *Cuphophron*? Quiſnam nunc tibi ſubortus eſt ſcrupulus?

Cuph. Quis? Putáſne illud Regnum Dei eſſe poſſe cujus fundamenta jacta ſunt operâ Diaboli? Quod ad me attinet, fateor me in Hiſtoria non multùm verſari. Quod autem lego, ſine omni partium ſtudio lego. Iíque quos tu *Antichriſti regnum* appellas, magno cum ſtrepitu ac confidentia affirmant *Lutherum* Miſſam aboleviſſe, poſtquam collocutus argumentáque contra Miſſam edoctus eſſet à Diabolo.

Bath. O *Cuphophron* levi ac præproperâ fide! Permittúntne tuæ Philoſophicæ conſiderationes hujuſmodi rebus fidem adhibere? Ac ſi *Lutherus* ullum reverà circa Miſſam cum Diabolo habuiſſet colloquium, vel, ſi Diabolus contra eam diſputâſſet, in *Reformationis* gratiam id feciſſe. Verum eſt, *Lutherum* ipſum, hominem ſummâ cordis ſimplicitate, & parùm Naturæ peritum, dixiſſe mediâ nocte expergefactum ſe ſtatim cum Diabolo diſputantem reperiſſe, quem deſcribit forti gravíque voce ſecum colloquentem. Verùm eodem planè modo multi expergefacti ſunt in perceptionem luctæ cum *Ephialte*, tanquam cum reali aliqua perſona, quam, poſtquam pleniùs expergefacti eſſent, invenerunt nihil amplius eſſe quàm colluctationem cum propria Imaginatione, præſertim viri intelligentiores. Cæterùm ignari ac ſuperſtitioſi (nôſtíque *Lutherum* Monachum religioſum diu vixiſſe, quorum cellulæ plenæ ſunt Hiſtoriis & Imaginationibus Spectrorum & Diabolorum) utplurimum iſtiuſmodi Phantaſmata pro externis Objectis realibus habent. Quam fateor me exiſtimare *Lutheri* conditionem fuiſſe, Corpus enim habuit ac Temperamentum iſtiuſmodi Illuſionibus obnoxium. Pone verò Phantaſiæ illuſionem non fuiſſe; non ſtatim ſequitur inviſibilem iſtum Diſputatorem malum fuiſſe Angelum ſive Diabolum. Imputari id omnino poteſt modeſtiæ *Lutheri*, quòd ſic ſenſerit, qui profitetur ſe nec *Inſomnia* nec *Viſiones Angelicas* affectare. Ac proinde vir bonus ex humili ignorantia hanc diſputationem putavit exagitationem fuiſſe Diaboli. *Veritatis* autem adeò amans erat, ut præ animi ſinceritate, poſtquam de ea convictus eſſet, repudiare eam nollet aut abnegare quanquam ipſius *Belzebubi* halitu afflatam: Quemadmodum nec *Pythoniſſæ* Teſtimonium de veritate Evangelii, in Actis Apoſtolorum, effecit ut *Paulum* reliquóſque Chriſti Sectatores Chriſtianæ fidei puderet. Nec Diaboli confeſſio quòd *Jeſus Meſſias* eſſet, *Deique filius*, doctrinam Chriſti minùs acceptam reddidit apud Apoſtolos ullóſve alios Diſcipulos. Ac proinde poſtremò, pone bonum Angelum non fuiſſe ſed Diabolum, non ſequitur veritatem minùs veritatem eſſe, ullúmve eſſe argumentum contra *Reformationem*, aut Diabolum hanc Diſputationem, *illius* gratiâ, cum *Luthero* inſtituiſſe, ſed potiùs *Papiſmi*. Is enim cùm prævidiſſet quàm obvia illa argumenta eſſent, & accommoda ad Miſſam abrogandam, nec fieri poſſe quin *Lutherus* tandem in ea incideret, ille inquam, ut callidus Sophiſta, quò proprii Regni cladem præverteret, hæc ratiocinia *Luthero* maturè ſuggeſſit, ut ſic primo ſuo Inventore dehoneſtata, minorem haberent vim adversùs Miſſam & adversùs totam inſimul Pontificiæ Idololatriæ & Superſtitionis colluviem. Hoc Inventum erat antiquo illo Serpente dignum.

Act. 16.16.
Marc. 3.11.

Cuph. Et tu, *Bathynoe*, ni fallor, in Technis excogitandis, ipſo callidior es Diabolo. Mea Philoſophia haſce res tam penitùs non conſideraverat. Nunc verò ad eas conſiderandas poſtquam expergefactus ſim, quidni poſſit eſſe aſtutus aliquis Nebulo, qui in *Lutheri* cubiculum ſe clàm ingeſſerat, quò ſic eum illuderet (ſunt quædam Narratiunculæ de hominibus per Tubos loquentibus) & cum eodem propoſito, quod Diabolus habuiſſe ſupponitur, quippe quum callidus hic Nebulo partes ageret Diaboli ?

Bath. Quælibet harum rationum, meo quidem judicio, ſufficit ad tollendum iſtud odium quod quidam in *Reformationem* conjicere volunt ex hac Narratione de *Luthero*. Et primam quidem nullâ reliquarum inferiorem exiſtimo, ut quæ cum illa etiam opinione quam de nocturnis ejus Torrium volantium viſionibus habeo, conveniat. Quam apparentiam credo in illius tantùm fuiſſe Imaginatione, quoniam ſemper poſt hoc viſum, gravi capitis doloro excruciabatur, ad quem curandum aut mitigandum, oleum Amygdalinum in aures ejus ſolebant infundere.

Philoth. Nunquam mihi in mentem occurrunt nocturnæ iſtæ ejus Torrium viſiones, *Bathynoe*, quin me ſtatim de igneo *Lutheri* ſpiritu etiam commonefaciant, cujus invictus zelus eum eouſque animavit, ut publicè ſolenniterque ſpectante populo, Pontificis Bullam, legémque Canonicam in ignem ſimul conjecerit, tandémque indefatigabilis ſui ſpiritûs igneâ actuoſitate, magnam Papalis Monarchiæ partem decremârit, quemadmodum modernus Hiſtoricus loquitur, cum alluſione ad igneum *Lutheri* Ingenium.

P. Heylin. in ſua Geographia.

Ezech. 28. 18.

Bath. Ut ſic impleri poſſet, quod prædictum eſt ore Prophetæ *Ezechielis* adversùs Regem *Tyri* ; *Tu tuis tot vitiis, tuâ negotiationis improbitate tuum profanâſti ſacrarium, itaque ego ex medio tui ignem depromam qui te conſumat : Téque in cinerem humi redigam in omnium qui te videbunt conſpectu* : quemadmodum & tu nobis innuiſti die heſterno, *Philothee*.

Philoth. Tuæ *Negotiationis improbitate*, hoc eſt, magìs particulatim, improbis iſtis *Condonationum* & *Indulgentiarum Mercimoniis*, à *Leone* Papa in *Lutheri* Temporibus emiſſarum, unde *Lutherus* primùm ignem concepit.

Bath. Quidni ? Annon mirificè convenit, *Philothee* ?

Philoth. Itâ ſanè, *Bathynoe*, idémque eſt, (poſtquam me monueris iſtud) quod heſterno die innui. Sed ut pergam, *Itaque ego ex medio tui ignem depromam*, hoc eſt, *Martinum Lutherum* ex Cellula ſua Monaſtica è medio omnis ſuæ Superſtitionis falſæque Devotionis educam, hominem tam fervido igneóque temperamento ut imaginatio ejus volantibus omninò Torribus noctu impleretur, & is igne ſui zeli, Papatum conſumet.

Bath. Quod quidem ad modum haud contemnendum jam fecit. Opúſque iſtud manet tanquam pignus futuræ conſummationis illius quod tam fœliciter inchoatum eſt.

XXV. *De moribus obnoxiis* Lutheri, *aliorúmque Reformatorum.*

Eviſt. Sic & ego ſpero, *Bathynoe*. Cæterùm ut ſine partium ſtudio loquar & ſecundùm Hiſtoriæ veritatem, Inſtrumenta quibus uſus eſt Deus in prima Eccleſiæ *Reformatione*, non ità prorſus inculpabiles erant, in doctrina aut praxi, ut fidem noſtram ſuper perſonarum eorum dignitatem ſuperſtruamus. Verùm ingenuè fateor *Lutherum* ſe maximè reddidiſſe obnoxium.

Bath. Quod dicis, *Eviſtor*, ponamus verum eſſe, nè hilum tamen quidem *Reformationis* cauſæ derogat. *Reformatio* enim non fit in ullius infirmi fallibiliſque hominis opinionem, ſed in fidem infallibilis verbi Dei. Ac proinde fruſtra & incaſſum allegatur à *Romaniſtis*, *Lutherum* fuiſſe hominem tam *alto ſpiritu ac proceloſo*, *impatientem* fuiſſe *vitæ cœlibis*, in multis rebus *judicio erráſſe*, in aliquibus *malè ſibi conſtitiſſe*, *vehementem* fuiſſe & *intractabilem* in omnibus, Adverſarios ſuos *inurbanis acerbiſque dictis* impugnantem. Nihil obſtantibus enim omnibus hiſce naturalis illius Temperamenti Infirmitatibus, non poſſum tamen quin credam, *ſolidam* ſubfuiſſe *ſinceritatem*, *firmámque fidem* in *Deo* & *Jeſu Chriſto*, acrémque *Indignationem* adversùs *cruentam Tyrannidem*, craſſam *Idololatriam*, viléſque & indignos *dolos impoſturáſque* Eccleſiæ *Romanæ*. Cùm è contrà illius Antagoniſta, *Leo* Papa, qui non ſolùm harum rerum omnium apertus fautor erat & approbator, ſed clandeſtinus etiam *Infidelis* ſive *Atheus*, quemadmodum apparet ex impio illo dicto illius ad Cardinalem *Bembum*, quo inſinuavit *totam Chriſti Hiſtoriam meram eſſe Fabulam*. Annon *Lutherum* putas ſatìs *ſanctum* fuiſſe qui cum tali *ſanctitate ſedis Romanæ*, qualis hic erat *Leo* decimus, colluctaretur ? Fateor me non tantam opinionem de *Luthero*, quantam quidam alii, concepiſſe, & tamen eum exiſtimo admodum fœlix fuiſſe Inſtrumentum in manibus Dei in bonum Chriſtiani Orbis, adversùs horrendas *Papalis Hierarchiæ*

Enormitates. Et tametſi *Elias* ille æſtimari forſan non deberet, *Auriga ac Currus Iſraelis*, ut quidam eum nominant, fidelis tamen ſaltem cenſeri poteſt equorum in illo curru *Præductor*, qui ceratis Ocreis, Tunicâque & Cucullo oleo illitis bene munitus erat, naſóſque equorum directò à *Babylone* vertit versùs *Civitatem Dei*, greſſúque ſuccuſſatorio bene concitato, per aquam cœnúmque perrexit, minimè curans quos limo aſpergeret in alta hac ſuccuſſatione, quemadmodum & ipſe ab aliis pulchrè eſt aſperſus.

Quanto viliores primos noſtros *Reformatores Romaniſtæ* faciunt, *Eviſtor*, tanto majus in ſeipſos redundat dedecus, cùm eorum Eccleſiæ corruptiones tam craſſæ eſſent, ut homines haud ità eximiis moribus aut judicio, & cernere eas poſſent & deteſtari ſimul. Si Deus ordinariis Inſtrumentis res extraordinarias effecerit, eò major illius erat gloria, minúſque periculum obſcurandi fulgorem ſanctæ Fundationis *Apoſtolicæ*, aut rationem illius numeri turbandi, qui tam ſacer eſt & celebris, in Hiſtoria pariter atque Vaticiniis per totam Scripturam. Irreprehenſibiles *Reformatores* occaſioni potiùs futuri fuiſſent captivandi nos rurſum ſub carne, ſub carnalibus affectibus, deliríſque perſonarum admirationibus, quàm promovendi Diſpenſationem *ſpiritûs* quæ ſumma omnium debet eſſe in extremo rerum exitu. *Lutheri* Miniſterium & *Reformatorum* eò potiùs ſpectabat, ut recuperarent nobis *uſum Scripturæ*, quàm ut legem nobis dictarent ex ſua infallibili & irreprehenſibili Authoritate. Ut jugum Papale diffringerent potiùs quàm ut nova nobis induerent vincula. Verbum Dei igitur erat, ut pretioſâ Arculâ abſconditum, & in iſtud *Augeæ ſtabulum*, inundantes utique corruptiones præpotentéſque *Romanæ* Eccleſiæ Tyrannides ſubmerſum, quod nobilis ille Heros *Lutherus*, alterius *Herculis* inſtar, amovendo ſtercus in Mundi conſpectum rurſus reducere debebat. Víſne igitur eum & ſuos laborum ſocios tales non fuiſſe quales erant, ſed mundos omnino nitidóſque Aulicos, albis calceis ex corio Hiſpanico confectis, caligíſque lineis puris, byſſiníſque diploidibus candidis indutos, cum reliqua omni congruenti Elegantia, & accurato Nitore? Et in hoc puro ſplendidóque ornatu in manus ſibi ſumpſiſſe Rutra, Vehicula truſatilia Furcáſque extercoratorias, ad amovendum fœtidum hoc ſterquilinium? Chriſtus tantum improbo ſuo Competitori pro Orbis Regimine honorem non debuit. Ad opus tam craſſum atque pingue, magìs neceſſarius erat Animus robuſtus atque pervicax, qualis erat *Lutheri*, quàm ulla adeò irreprehenſibilis externa ſanctimonia, accuratáve Ingenii Judiciíque ſubtilitas, ut nulla uſpiam deprehendatur aut in *Ratione* aut in *Converſatione* cæſpitatio.

Quamobrem Argumenta omnia contra *Reformationem* à qualitate *Reformatorum* petita infirma ſunt, tum quòd ſolidâ bonitate quantùm ad ſummam, præditi erant, quæcunque errata, per *moroſitatem* aliquam aut *paſſionem* aut ex *inopinata* aliqua *tentatione* & inevitabili dici poſſint commiſiſſe; tum etiam quoniam non eſt eorum Authoritas cui nos innitimur in rebus Religionis, ſed Scriptura ipſa, in recuperando cujus uſu & fruitione, glorioſa erant Inſtrumenta: tum poſtremò, quoniam omnia eorum judicia *particularia* abſorpta ſunt non conſpicienda nec conſideranda ultrà quàm in *communi* judicio orbis Chriſtiani *Reformati* in *publicarum* ſuarum *Confeſſionum Harmonia* repræſentato compareant. Verùm quantùm ad Divinam Methodum quâ Reformationem in particularibus circumſtantiis promoverit, in recuperando ſibi ipſi Regnum *Cornúque parvulum* judicando, ſi omnia non ſunt intellectui noſtro tam perſpicua atque pervia, eò tamen magìs eam laudandi formulam apud Pſalmiſtam uſurpemus, dicamúſque, *Jehova regnat, exultet Tellus, Nube circundatus & caligine, Thronum habet ex juſtitia & æquitate aptum.*

Pſam. 97. 1, 2.

Philop. Multas quidem eáſque magni momenti conſiderationes in gratiam *Reformationis* adversùs omnes poſſibiles cavillas adverſariorum de primis *Reformatoribus* ſuggeſſit *Bathynous*; de quibus certò perſuaſus ſum quòd pro illius Eccleſiæ Genio, eos multis in rebus perquam improbè calumniantur, quæque Calumniæ non ſunt, quantùm ad factum, non ſunt tamen talia *horrida crimina* qualia ſunt eorum qui eos accuſant, ſed *Infirmitates* magìs veniales, aliquæve minùs laudabiles morum ingeniïve naturalis labeculæ. Adeò ut hæ cavillæ nequaquam me moveant, quò minùs firmus in hac fide maneam, quòd *Orbis Chriſtianus Reformatus verum ſit Regnum Dei viſibile, illiúſque Chriſti.* Quod primum documentum eſt, *Philothee*, quod nobis dediſti, quod ad rem Chriſtiani Orbis *Reformati* tendat. Quæſo igitur nunc, cùm de hoc tam abunde mihi ſatisfactum ſit, perge quanta potes cum brevitate ad reliqua ſine omni ulteriori Interpellatione.

Principium ſecundum.

Philoth. Secundum igitur documentum, *Philopoli*, hoc eſt: *Quòd quemadmodum Orbis Chriſtianus Reformatus Chriſti Regnum eſt, ità Papatus Regnum eſt Antichriſti.*

Hoc ut in ſe verum eſt, ità certè permagni intereſt ut cognoſcatur, credatur, & declaretur in *Regno Chriſti*, ad confirmandos eos & ſtabiliendos in ea qua ſunt Profeſſione. Neque enim ſupra captum eſt vel minimi membri, de hac veritate plenè convinci. Et tamen licèt unum ſit & tam facile intellectu, argumentorum nihilominus inſtar eſt omnium ad Animam *Reformatæ* Religioni agglutinandam affigendámve: quippe quod adeò accommodatum eſt ad feriendum *Imaginationem*, ad ſatisfaciendum *Judicio*, & ad confirmandam *Conſcientiam* ſimul. Nam ſi Eccleſia *Romana Babylon* ſit, utì eſt proculdubio, tunc apud teipſum perpende, *Philopoli*, quantam vim habitura ſit illa vox Angeli: *Migrate ex ea, populus mi, nè ſitis ejus peccatorum participes, neve ejus cladibus afficiamini.*

Apoc. 18.4.

Philop. Hoc eſt, Par momentum habebit ad evocandos alios è communione Eccleſiæ *Romanæ*, atque ad noſtros ſtabiliendos in vera, quam jam profitentur, fide. Et certè ſi oculos conjiciant in multifarias Idololatrias craſſas, truculentáſque Crudelitates *Hierarchiæ Papalis*, & cum Charactere *Meretricis Babylonicæ* conferant, (cujus ſcortationes ipſæ, illius *Idololatrias* ſignificant, cujúſque in fronte nomen ſcriptum, *Myſterium*, Babylon *magna*, *Mater ſcortationum & abominationum terræ*, quæque dicitur *ebria de ſanguine Sanctorum & de ſanguine Martyrum Jeſu*) manifeſtóque ipſis demonſtretur, (quod facilè poteſt effici) de *Roma Ethnica* hoc intelligi non poſſe, ſed de *Roma*, ut ſe appellat, *Chriſtiana*; equidem, meo judicio, Actionum eorum obſervatio, cum Deſcriptione in hoc Vaticinio, comparatarum, eos ità prorſus convictura eſſet, ut non poſſent quin continuò ex illius communione excurrerent, ſubito horrore terroréque perculſi.

Apoc. 17.5,6.

Philoth. Equidem meritò quivis ſic putet, *Philopoli*, nec Machinamentum ullum meliùs excogitari poſſe quàm hoc ad *Babylonem* Myſticam demoliendam. Ac proinde ex egregia aut *imperitia* aut *perfidia* erga rem Regni Chriſti fieri oportet, ut quiſquam nobis perſuadeat in noſtris *Romæ* impugnationibus hæc arma deponere, cùm revera, ut *David* dixit ad *Abimelec*, de gladio *Goliathi Palæſtini*, *Nulla ſunt cum iſtis conferenda.* Id quod primi profectò *Reformatores* noſtri verum experti ſunt, qui univerſim hunc clamorem adversùs Eccleſiam *Romanam* tollebant. Súntque ex ipſius Scriptoribus, qui confitentur quantum damnum ei dederit hæc opinio, quòd *Papa* eſt *Antichriſtus*. Quamobrem horum propugnaculorum adversùs copias *Babylonicas* ſublatio, prodendi nos rurſus ſpeciem præ ſe fert in illius Civitatis Regis manus ac Tyrannidem.

1 *Sam.* 21.9.

Bellarmin. de Roman. Pontif. lib 3.*cap.*21.

Bath. Res ipſa, *Philothee*, nè illorſum ſpectet, vereor. Sed credo ſimul plures homines, per conſcientiam, benevolúmque in rem *Reformatarum* Eccleſiarum ſtudium animo tam averſo eſſe à ſtatuendo Eccleſiam *Romanam*, Myſticam illam eſſe *Babylonem*, Papámve illius Civitatis Regem, hoc eſt, inſignem illum *Antichriſtum*, nè concedendo illam Eccleſiam *Antichriſtianam* eſſe cogerentur agnoſcere *veram* non eſſe *Eccleſiam*. Unde horrendum illud Incommodum ſequeretur ſucceſſionem perditam eſſe, ità ut nobis defutura eſſent argumenta, quibus probaremus nos ipſos *veram* eſſe *Eccleſiam Chriſti*.

XXVI. *Controverſia, an Romana Eccleſia vera ſit Eccleſia.*

Philoth. Si iſtud quidem huic averſationi ſubſit, *Bathynoe*, laudabilis eſt bona eorum intentio, verùm eos timere credo, ubi nullus eſt timor. Arcui enim noſtro plures uno nervos habemus. Nulli enim iſtorum Titulorum quibus Eccleſia *Romana* in Propheticis Scripturæ partibus perſtringitur, ſive *Civitas Babylonica* ſit, ſive *ſedes Antichriſti*, illius *Hominis peccati*, aut quæcunque alia, neceſſariò inferunt *veram* non eſſe *Eccleſiam*, ſed Eccleſiam valdè *peccaminoſam*, talémque cujus communionem populum ſuum, niſi reſipuerit, relinquere velit Deus, ut qui ſalutem ſuam perdituri ſint, talia participando peccata, quæ apud illam Eccleſiam in Legem tranſierint. Uxor quæ *adultera* eſt, *vera* eſt uxor, ante factum divortium, licèt uxor ſit *infida*. Et *Navis* cum *foramine in fundo* vera *Navis* eſt, *Domúſque* cujus Parietes *Peſte* aut *Leprâ* inquinati ſunt aut quæ truculentis *Lemuribus* eſt infeſtata, *vera* domus eſt, ſed iſta talis in qua navigandum non ſit, ut nec hæc in qua habitandum, antequam ad utilem reducantur tutámque conditionem. *Forma* rei eam *veram* reddit, ſed *Sinceritas* ejus vel *Integritas* facit, ut finem aſſequatur, evadátque utilis. Vinum adhuc *vinum* eſt quamvìs aliquot veneni *guttæ* clàm ipſi immiſceantur. Tale autem vinum eſt, quale nemo mentis compos ſciens volénſque eſt bibiturus. Concedemus igitur Eccleſiam *Romanam veram* eſſe Eccleſiam, ſed tali ſenſu, quo *Navis*, quæ hominem ad fundum Maris demerſura eſt, *vera* ſit Navis, taliſve Domus, qualis deſcripta eſt, *vera* ſit domus. Quinimo, concedemus, Domum eſſe *Templúmve Dei*, ſed tale in quo *Homo* ille *Peccati* ſedeat, *Filius ille perditionis, qui extollit ſe ſupra quicquid Deus dicitur aut colitur.* Quamobrem dico, reprehenſorias iſtas & exprobratorias Scripturæ

2 *Theſſ.* 2.3,4.

pturæ locutiones adverſùs Eccleſiam *Romanam* nequaquam implicare eam non eſſe *veram* Eccleſiam, ſed valdè *impuram* ac *peccaminoſam*, talémque, quæ non tantùm *inutilis* facta ſit eis qui ipſi adhæſerint, ſed valdè *noxia*. Poculum eſt *Vini* cum lethifero *veneno* mixtum, Domus *peſte* infecta, aut improbis Dæmonibus infeſtata. Quapropter ſi ſuccedimus in vero exemplari *Domûs* atque *Navis*, in ſincera natura *Vini*, in debitis *Uxoris* officiis, & *Adulterium, Venenum, Peſtem, Lepram,* ipſúmque adeò *Diabolum* omittamus, éſtne *Succeſſio* noſtra ideo minùs perfecta? Si Familia olim ſana fuerit & tunc per aliquot ætates morbida, poſtea verò aliqui ex hac Familia, aut per Medicinæ peritiam aut per Temperantiam pluſquam ordinariam rurſus ſani evaderent, ſúntne *ſani* hi palmites hujus Familiæ minùs *ſucceſſio*, quàm iſti qui etiamnum manent *inſalubres* ac *morbidi*?

Philop. Saniorem ego nobiliorem Familiam judico, ut quæ cognatione ſive conſanguinitate conjunctior ſit cum antiquiſſimis univerſorum progenitoribus. Ac proinde proculdubio, nequaquam minùs ex Apoſtolorum ſucceſſione ſumus, quòd nos ipſos ex poſt-natis corruptionibus purgavimus reduximúſque ad antiquam Apoſtolicam Puritatem. Succeſſio quidem continuatur in Eccleſia *Romana*, ut morbida Familia continuatio eſt Familiæ Majorum ſuorum; ſed Apoſtolica ſucceſſio non ſolùm continuatur in *Reformatione*, ſed & rectificatur ac perficitur. Adeò ut nè minimam noxam fieri opiner *ſucceſſioni*, in admittendo debitas illas ſed aſperas Invectivas in *Apocalypſi* aliiſque Scripturæ locis ad Eccleſiam pertinere Romanam, cùm omnes ſimul conjunctæ non eò valeant ut eam non *veram* Eccleſiam nullámve Eccleſiam conſtituant, ſed Eccleſiam tantùm *Idololatricam* & *Homicidiis Impoſturiſque* plenam. Ut uxor Homicida, Adultera, ac Fraudulenta, uxor quidem eſt, ac proinde vera uxor, donec mortua ſit, aut Repudium ei remiſſum.

XVII. *Quanquam Eccleſia Romana vera non eſſet Eccleſia, non ſequi tamen quin Reformatæ Eccleſiæ tales ſint.*

Philoth. Rectè rem accipis, *Philopoli.* Verùm præterea, pone peccata Eccleſiæ *Romanæ* euſque tandem ingraveſcere potuiſſe, ut per aliquot ſecula vel ullo ſenſu vera eſſe Eccleſia planè deſiiſſet, (quod tamen fateor me credere non poſſe, non magìs quàm Eccleſiam *Judæorum* ceſſaviſſe veram eſſe Eccleſiam, quando Prophetas lapidabant, & propudioſè ſe polluebant Idololatriis) vera tamen Eccleſia alibi continuata eſt, omniúmque veriſſima Eccleſia, Electi utique Dei, ubique. *Mulier* erat in *Deſerto*, poſtquam *Deſertum* facta eſt Eccleſia: Quanquam fateor hoc perpetuitatem Eccleſiæ potiùs reſpicere in genere, quàm continuatam Paſtorum ſucceſſionem. Sed neque id teneo neceſſarium, ut unaquæque vera Eccleſia viſibilis viſibilem haberet Sacerdotum ſucceſſionem ab Apoſtolis ad hunc uſque diem. *Hieroſolyma* quæ dicitur cœlitus deſcenſura, vera futura eſt Eccleſia, & tanquam talis approbabitur, quamvìs eam gloriationem in carne facere non poſſet, quòd viſibilem Paſtorum ſucceſſionem in terris, à S. *Petro Romæ*, vel à S. *Jacobo Hieroſolymis* poſſet recenſere. Et ſupponamus ad iſtam evocationem populi Dei è *Babylone*, *Migrate ex ea populus mi, nè ſitis ejus peccatorum participes neve ejus cladibus afficiamini*, omnes Sacerdotes in rem ſuam ſtatuturos fuiſſe illìc manendum, nec unum pedem ſe dimoturos è loco; Num integrum Regnum qui ſine Sacerdotum venia ſeipſos reformâſſent, nulla futura fuiſſent Eccleſia, nec Princeps ullam habiturus poteſtatem ſtatuendi, ut maximè idonei eximiique è ſuis ſubditis in cognitione praxíque Chriſtianitatis in rebus ſacris præſideant, ſucceſſionémque inchoent, quos ſupponemus omnia adminiſtrare ſecundùm verbum Dei praxínque Apoſtolorum, nec ullam aliam Doctrinam profiteri, quàm quæ ab Apoſtolis tradita ſit, & de qua ex ipſis Scripturis poſſit conſtare? Quid? Taliſne nihilominus Natio, in hiſce rerum circumſtantiis, nulla erit Eccleſia, O *Philopoli*?

Apoc. 21.1.

Apoc. 18.4.

Philop. Mihi crede, *Philothee*, admodum anceps eſt controverſia. Neſcio de ſubito, quid hìc ſit ſtatuendum.

Bath. Eſt certè anceps controverſia, *Philopoli.* Proponam verò tibi quæſtionem, de qua clariùs poſſit conſtare. Dic igitur, utrùm unuſquiſque Princeps ſupremum Eccleſiæ caput ſit in rebus tam Eccleſiaſticis quàm Civilibus in ſuis propriis Dominiis?

Philop. Proculdubio eſt, *Bathynoe*, alioqui non eſſet Princeps abſolutus. Illam enim ſupremam eſſe poteſtatem cenſeo cujus fidei concreditur Poteſtas ſeu Facultas univerſa adminiſtrandi in bonum ſuorum ſubditorum, quod ex conſequenti Religionem neceſſariò includit, de qua igitur neceſſe eſt, ut ſuprema Poteſtas judicet. Unde quiſque Magiſtratus ſummus, ſi non *formaliter*, *eminenter* tamen *Sacerdos* perinde eſt atque *Rex*; alioqui Rex non eſſet, aut Rex non ſummus Magiſtratus, ut qui ſe ſubmittere debeat Sacerdotis judicio in rebus Religionis, cui proculdubio res omnes Mundanas poſthaberi oportet. Unde ſequetur omnem Poteſtatem, quæ Sacerdotium

dotium ſaltem *eminenter* ſive *virtualiter*, non includat, illi Judicaturæ morem gerere debere. Cùm verò ſumma Poteſtas cujuſvis Nationis, nemini ſe ſubmittere debeat præterquam ſoli Deo, manifeſtum eſt qui ſummus eſt Princeps, eum *virtualiter* ſaltem Sacerdotalem in ſe habere poteſtatem.

Bath. Equidem, *Philopoli,* in rebus Politicis videris tam callidus atque gnarus, ut valde arduum fore cenſeam, ut quiſquam argumenti tui vim eludat.

Eviſt. Unctio Regum & Imperatorum in ſuis Coronationibus, ut & id quòd *Imperatoris* Corona *Mitram Epiſcopalem* in ſe contineat, meo quidem judicio, *Bathynoe,* notabilem cum *Philopolis* concluſione congruentiam gerunt.

Cuph. Pari ratione concludere potes communionem *Regalitatis* in *Sacerdotio,* quoniam Sacerdotes unguntur in Eccleſia *Romana.*

Bath. Veriſimile eſt eos ſatìs avidè iſtud ſibi arripere velle, O *Cuphophron.* Cæ- Exod.40.13, 15. terùm ex eo quòd Reges coronantur perinde atque unguntur, Sacerdotes verò unguntur non autem coronantur Coronis Regalibus, indicium eſt, & *Regiam* Poteſtatem & *ſacerdotalem* aliquo modo eſſe in Rege, ſed *Sacerdotalem* tantummodo in *Sacerdote.* Verùm magìs notabilis Congruentia quàm hæc *Eviſtoris* mihi in mentem oc- Apoc.4.4. currit, viſio ſcilicet viginti quatuor Seniorum cum veſtimentis *ſacerdotalibus* Coroníſque *Regiis* in Capitibus, quod proculdubio inſinuat in optimo Eccleſiæ ſtatu, unumquemque Principem ex confeſſo & *Sacerdotem* & *Regem* ſuper ſuum Populum fore.

Philoth. Rectè ais, *Bathynoe.* Notatúque valde dignum eſt in iſtac Viſione, nullum unum caput viſibile eſſe univerſæ Eccleſiæ, (quale ſe Papa eſſe prætendit) ſed unumquemque Principem tanquam Regalem Sacerdotem aut Sacerdotalem Regem in ſuis propriis Dominiis illîc deſcribi.

Philop. Aridas meas Ratiocinationes, Hiſtoricis veſtris ac Propheticis obſervationibus pulchrè profectò ornâſtis. Quæ omnia ſimul conſiderata in plenam confirmatámque perſuaſionem facilè me rapiunt, quòd unuſquiſque Rex Chriſtianus, tantum Sacerdotalis poteſtatis in ſe habeat Authoritatíſque *cœleſtis* noſtri *Regis* ac *Sacerdotis Jeſu Chriſti*, ut verâ fide Evangelii illuminatus, & Sacerdotio aliàs deſtitutus, qui in Eccleſia res ſacras peragant, vel potiùs qui homines conſecrent ad iſta munera obe- Exod.19.5,6. unda, ipſe propriâ ſuâ poteſtate ſucceſſionem eorum poſſit ſuſcitare, iiſque omnia adminiſtrantibus ſecundùm verbum Dei praxínque Apoſtolorum, tota Natio illis Præceptis Inſtitutíſque obedientiam præſtans vera eo ipſo poſſit viſibilis Chriſti Eccleſia evadere. Quid exiſtimas, *Bathynoe*?

Bath. Immò verò, mihi abunde factum eſt ſatís. Nôſti enim, quòd extra Eccleſiam non eſt ſalus. Et prodigii mihi inſtar eſſet, ſi homines ità Apoſtolicè agentes vitámque inſtituentes, quemadmodum tu deſcribis, in ſtatu eſſe poſſint Damnationis.

Philop. Quamobrem planè videmus nullum eſſe Incommodum Eccleſiis *Reformatis* in declarando *Romanam* Eccleſiam *Regnum* eſſe *Antichriſti,* quemadmodum primi noſtri *Reformatores* univerſim tenuerunt, ſed undiquaque Commodum immenſum atque ineffabile, ut quivis qui rectè rem perpenderit, facilè poteſt deprehendere. Ac proinde cùm hac de re abunde conſtet, pergamus quæſo ad proximam, *Philothee.*

Principium tertium. *Philoth.* Proximum Documentum, prout tu appellas, *Philopoli,* hoc eſt: Cùm tam certi ſumus Papatum eſſe *Regnum Antichriſti* Civitatémve *Babylonicam* in qua populus Dei captivi detinebantur, *nullas ligulas aut Lacinias ſuper nos antiquæ Captivitatis relinquere nos oportere, tales putà, quas prenſitando manus nobis injicere poſſint, & in priſtinam rurſus ſervitutem retrahere, ſed abſolutè nos ipſos liberos æſtimare ab omni circa eos obligatione, niſi quatenus operam navare debeamus eorum Converſioni ac Saluti.* Quam, cùm nobis per experientiam ſatìs notum ſit per ullas non neceſſarias cum ipſis uſpiam ſymbolizationes effici non poſſe, conſultiſſimum eſſe exiſtimo eos datâ operâ nulla in re imitari, ſed quantùm ad omnes res indifferentes eas eò viliores cenſere, quòd iſti eis uſi ſint. Quemadmodum nulla nobilis ac honeſta Matrona lubens eo habitu ornatúve uti vellet, quem infamis aliqua ac propudioſa Meretrix utendo dehoneſtaverit. In quocunque nos ipſos ad eorum mores ingeniúmque demittimus, id omne in noſtram ignominiam vertunt & contemptum, tantóque magìs in propria ſua improbitate obdurantur. Quamobrem cùm nulla non neceſſaria cum ipſis ſymbolizatio proſit quicquam ſed noceat potiùs, debemus noſmetipſos in omnibus rebus indifferentibus perfectè liberos cenſere ad gratificandum ſatisfaciendúmque modo quam poſſumus univerſaliſſimo noſtræ Partis hominibus, nihil curantes, quas opiniones aut conſuetudines externóſve Ritus *Romaniſtæ* aliíve habeant, aut habere potuerint à prima Eccleſiæ degeneratione. Quæ omnia nos eò fœdiùs contaminata æſtimare debemus, quòd *Romaniſtæ* eis ſint uſi; ſed manifeſtâ Scripturâ ſolidáque Ratione nos ſuffulcientes, uti ac profiteri ea quæ univerſaliſſimè nobis omnibus conveniant maximéque faciant ad incolumitatem & fœlicitatem *veri Regni Chriſti*. Hæc enim proculdubio, O *Philopoli*, maximè firma ſolidáque ratio Politica eſt, cujuſvis Eccleſiæ aut Reipublicæ *reformatæ* cujuſcunque.

Artic. 20. & 24. Homil. de Jejuniis.

Philop. Omninò tibi aſſentior, *Philothee*. Neque hæc libertas alia eſt opinor, quàm ea quam Eccleſiæ *Proteſtantium* generaliter profitentur, & particulatim Eccleſia *Anglicana* in *libro Articulorum* & in *Homiliis*. An verò eas non vis bene ſtrictè ſe habere quantùm ad conformitatem cum eis Eccleſiæ ſeculis quæ *Symmetra* appellantur? Populúmque interim pacificam præſtare obedientiam iſtiuſmodi Inſtitutis, quæ non ſint tam antiquo charactere, (modò ſint naturæ indifferentis) durante beneplacito Superiorum?

Philoth. Pacificam illam ſui accommodationem ad voluntatem Superiorum in rebus adiaphoris, O *Philopoli*, animitus approbo, agnoſcóque præterea, ſpecialem illis ſeculis de quibus loqueris, deberi reverentiam. Meminiſſe autem oportet ſancta Oracula meliora illis prædixiſſe ac promiſiſſe tempora, præſertim eorum aliquibus. Illa Tempora erant Menſuræ Arundinis adaptata, hæc quæ expectamus aureæ Arundinis. Ea quæ ſuâ naturâ immutabilia ſunt, ſunt itidem indiſpenſabilia; quæ verò indifferentia ſunt, mutabilia. Et opinio quidem inter res mutabiles recenſetur, Fides verò inſtar rupis eſt antiquorum ſeculorum. Quod commenſurabile eſt aureæ Arundini, ejici non oportet; quod verò combuſtibile eſt, peribit per Verbum & per Spiritum qui inſtar Ignis eſt.

XXVIII.
De uſu Verbi & de Spiritu, quatenus diſtinguitur ab arida ac jejuna ratione.

Philop. Primi quidem *Reformatores* multùm de *Verbo* ac *Spiritu* locuti ſunt, præſens autem ſeculum egregii ſunt in arenam *Rationis* ad pugnam provocatores, ad illîc duellandum. Illúdque pugnandi genus Adverſarii eorum cum primis videntur approbare. Quid quæſo ſibi iſti volunt, *Philothee*?

Philoth. Id indè non fit, *Philopoli*, quòd ſuam cauſam putent rationi, noſtrâ magìs conſentaneam; ſed quòd vulgus nôrint, utplurimum, ineptos eſſe iſtiuſmodi pugnarum judices, ut & æquè ineptos iſtorum armorum tractatores. Illi non poſſunt tam facilè ſeipſos eis defendere contra ſophiſtas *Regni Tenebraram*, nec fermè dijudicare ex hac re quando ſophiſtæ ab aliis ſint devicti, niſi ipſi ſe, quando revera ſic ſunt, devictos agnoſcerent, quod eorum calliditas ac ſuperbia nunquam eis permiſſuræ ſunt facere. Adeò ut rarò iſtiuſmodi conflictationum ullus bonus ſit exitus. Ac proinde, licèt id genus digladiationes Argumentatoriæ ſuum uſum habere poſſint apud doctos, tamen in rem fore Regni Chriſti exiſtimo illorum armorum uſum quæ primi *Reformatores* ad illud recuperandum tam efficacia experti ſunt, nunquam relinquere. *Nemo certitudinem relinquat Verbi atque Spiritûs, & ad aridæ Rationis perfugium ſe recipiat in defendenda veritate ſuæ Religionis.* Atque hoc erit quartum Documentum.

Principium quartum.

Philop. De Verbo inter utraſque partes convenit. Verùm cur *Spiritûs* judicium *Rationis* loco, ſe in Scripturam exercentis, introducis?

Philoth. *Rationis* exercitium non excludo, ſed *aridæ* Rationis, à *Spiritu* neutiquam adjutæ.

Philop. Quid igitur per *Spiritum* intelligis, *Philothee*? Hoc enim viam aperire videtur ad omnimodam Dementiam ac Fanaticiſmum.

Iſai. 11. 2, 3.

Philoth. Fieri quidem ſic poteſt, prout tu intellexeris, *Philopoli*. Ut ego verò intelligo, unica via eſt, quod noverim, ad ſobrietatem. Ego enim per *Spiritum* intelligo, non cæcam quidem ac irrationalem Impreſſionem aut Impulſum, ſubitam elevationem aut Intumeſcentiam præferveſcentis Cerebri, ſed *ſpiritum Vitæ in nova Nativitate*, qui Spiritus eſt diſcernendi, quíque hominem efficit acerrimæ ſagacitatis in timore Domini. Hæc eſt unctio Capitis noſtri veríque Pontificis Domini *Jeſu* primo in loco, ídque modo ſupereminenti, quæ defluit etiam in minima infimáque ſuorum membrorum. Per ductum hujus *Spiritûs* continuò perſentiſcet homo & per ſanctam quandam ſagacitatem quaſi odorabitur, quid rectum ſit & verum, & quid falſum ac perverſum, aut ſaltem ad ea diſcernenda *rationem* ſuam rectè adhibebit.

XXIX.
Quomodo quis cognoſcere poſſit ſe Spiritum habere.

Philop. Talis profectò *Spiritus*, *Philothee*, non eſt Spiritus *Fanaticus* ſed tutus ductor in omnibus. Sed quomodo quis cognoſcet ſe hunc habere *Spiritum*?

Joh. 3. 6.
1 Joh. 3. 9.
Gal. 5. 19. &c.

Philoth. Per illius fructus. *Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu ſpiritus eſt. Quiſquis natus eſt ex Deo peccatum non committit, quoniam ſemen ipſius*, hoc eſt, Spiritus, *in eo manet*. Si opera *carnis* abjecerimus mortificando ea per *Spiritum*, indicio eſt Spiritum Chriſti habitare in nobis. *Jam verò manifeſta ſunt opera carnis* quæ ſunt hæc, *adulterium, ſcortatio, immunditia, laſcivia, ſimulachrorum* *cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, ſeditiones, ſectæ, invidiæ, cædes, ebrietates* & *comeſſationes.* Quibus addere potes Superbiam, inſultationem, contemptum proximi, Crudelitatem, Fraudem, Impoſturam, Perfidiam, Animum mundanum, Rapinam, Avaritiam & id genus alia. Fructus verò Spiritûs, Gal. 5. 22, 23. ait Apoſtolus, eſt *charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides,* 1 Cor. 2. 15. *manſuetudo, temperantia, adverſùs hujuſmodi non eſt lex. Hic eſt ille homo ſpiritualis qui dijudicat, ipſe verò à nemine dijudicatur* niſi ſit etiam ſpiritualis. De hoc *Spiritu Vitæ* 1 Joh. 5. 12. dicitur, *Qui habet Filium habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Rom. 8. 9. Et alibi, *Si quis Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus.* Cæterùm is qui habet Filium, vero hoc ſenſu, nempe, per habitationem illius Spiritûs in eo, declaratur porrò, Joh. 8. 36. *Si vos Filius liberos reddiderit, verè liberi eſtis.*

Non eſt igitur inflatæ *Imaginationis Tumorculus,* quem homines imperiti & vertiginoſi *Spiritum* appellant, ſed eſt *Spiritus vitæ in nova Nativitate* in quem ultimò reſolutam volo adhæſionem noſtram puræ veritati Evangelii, in oppugnationem falſæ adulteratæque Religionis Eccleſiæ *Romanæ.* Hujúſque *Spiritûs dictamina* in oppugnationem craſſarum *Idololatriarum, Impoſturarum* ac *Crudelitatum* illius carnalis Eccleſiæ (Quæ vera dictamina Privilegium eſt illius vitæ quæ ad Juſtitiam eſt, in minimo Chriſtiano regenito) *Populari opinioni* de illius falſæ Eccleſiæ *Infallibilitate,* opponi volo. Verùm hoc *Fundamentum,* licèt *populare,* omnino retentum volo, ut *populari* iſti *Impoſturæ* ac *Prætextui,* quaſi Eccleſia Romana errare non poſſet, obſiſtat. A nobis enim, qui per verum ſanctificationis Spiritum liberi facti ſumus, omnes eorum Fraudes & Improbitates per *vitalem Antipathiam* facilè ſentiuntur. Unde Authoritas eorum humi collabitur, omniáque ipſorum malè cohærentia Figmenta ad Mundanum ſuum commodum excogitata, facilè vel à tenuiſſima Ratione judicantur damnantúrque ſincero hoc adjutâ animatáque *ſpiritu* Juſtitiæ ac Amoris; atque ſic inveniuntur per vivi hujus Principii aſſiſtentiam omnibus veris Chriſtianis communem, *Homicidæ, Idololatræ* craſsíque *Impoſtores.* Hoc ſanè admodum manifeſtum eſt *Spiritui Vitæ in nova Nativitate,* quod privilegium eſt ut dixi, veri cujuſque Chriſtiani. Nec valebunt quicquam omnes eorum *Rationis* ſubtilitates, longéque petitæ deductiones prolixorum intricatorúmque ſophiſmatum ad eos dimovendos illaqueandóſve qui tam perfectè liberi ſint à ſuperſtitione, & tam firmiter ſtabiliti in hoc Principio *Vitæ* ac *Realitatis.*

Philop. Hoc non tantùm tutum eſt Aſylum contra omnia Eccleſiæ *Romanæ* perverſa ſophiſmata callidéque excogitatos griphos, quibus probos Chriſtianos, quorum educatio ad arma *Rationis* ac *Diſputationis* tractanda haud ſatìs habiles reddidit, volunt illaqueare; ſed valida eſt etiam nobis omnibus obligatio, ad magìs preſſum ſeriúmque Chriſtianitatis ſtudium, ut eò palpabiliùs noſmetipſos perſentiſcere poſſimus hoc *Spiritu Vitæ* actuatos, tantóque ideo juſtiùs ſecuriúſque omnes ſophiſtas *Regni Tenebrarum* vili pendere. Hoc, inquam, non ſolùm eos diſſipaturum eſt & repulſurum, ſed ſtabiliturum nos ipſos & ad æternam vitam ædificaturum.

Philoth. Obſervatio tua, *Philopoli,* admodum vera eſt atque utilis. Nunc verò ſicut per modum Contrapondii, *Spiritum Vitæ in nova Nativitate, Infallibilitatis illius Eccleſiæ* obtentui oppoſui; ità ſanè, quod ad me attinet, in pleriſque rebus omnibus, quæ ipſis inſigniter peculiares ſint, eis contrariari, Methodum optimam Politicam repertum iri exiſtimo. Ut verbi gratiâ, peculiariter infames ſunt, ob doctrinam praxínque, prætextu Juriſdictionis ſpiritualis, ſpoliandi homines Juribus ſuis Temporalibus, ac ſi Dominium fundaretur in gratia, & ſub hoc inſuper obtentu, deponendi Reges, ſubditóſque ſuos inſtigandi in Rebellionem adversùs eos. Quamobrem quintum meum Documentum ſive Præceptum omnibus Regni Chriſti membris hoc erit: Principium quintum. *Ut nè vel minimâ maculâ aut labeculâ perfidiæ erga legitimum ſuum Principem ullius rei cauſâ ſed præſertim Religionis ſeipſos patiantur commaculari, quippe quum nullum majus damnum veræ Religioni inferri poſſit, quàm ut appareat aut promota aut propugnata tam craſſâ Immoralitate quàm eſt perfidia adverſùs Principem, nec majus quidem ei commodum afferri, quàm per Fidem ac Patientiam omnes perferre difficultates ac aſperitates, quemadmodum olim fecerunt Chriſtiani primitivi:* Quorum oculis ad Cœlum ſublatis, pedibúſque omninò in ea ſemita inſiſtentibus, in Imperialem, Providentiâ duce, Coronam inciderunt, Imperatore tandem Chriſtianam Religionem profitente. Quæ admodum locuples erat completio Prædictionis illius Servatoris, Matth. 6. 33. *Quærite primùm Regnum Dei & Juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis,* quemadmodum antè notatum eſt.

Philop. Præſtantiſſimum profectò eſt hoc Principium, *Philothee,* valdéque conſolabilem ſibi annexam habet Obſervationem eis omnibus qui ſub Principibus vitam degunt qui nondum ad puram Evangelii Fidem ſint converſi, ſed etiamnum captivi detinentur in Religione *Romana*. Sed quantùm ad Politicum tuum Principium, de ſemper contrariando iſti Eccleſiæ in rebus quibuſcunque quæ videantur magìs notoriæ, vereor ut hoc ubique teneat. De *univerſali* enim *Unitate* in judicio pariter atque praxi inſigniter gloriantur eandémque affectant; Noſne igitur debemus affectare aut indulgere *Diſſidentiæ* aut *Difformitati* in rebus Religionis?

Philoth. Aliorſum rem accipis atque ego dixi, *Philopoli.* Minimè enim volo nos eis contrariari in ullis rebus *bonis* de quibus *glorientur*, ſed in rebus illis *pravis* quas *reverà* habent. In opinionum multitudines ipſi dividuntur perinde atque alii. Et in eis rebus, in quibus *univerſaliter* videri poſſint uniti, per *vim* potiùs continentur externámque formidinem, metúmve Vivicomburii, aut nè gulæ ſibi ſuccidantur, quàm ex libera perſpicuáque *convictione Conſcientiæ*, quòd res, quas *univerſaliter* profitentur, ſint veræ. Hæc non eſt *Vitæ* unio atque *ſpiritûs*, ſed diſſoluti pulveris, plumularum ſtraminúmque intruſio ac farctura, eorundémque in unum ſacculum conſtrictio. Hæc ſola unio eſt quam illi habent in *univerſali* ſua *Profeſſione*. Cur autem hæc *Chriſtiana* unio appellanda ſit, ſic per vim compulſionémque barbaram hominum multitudinem cogere, eaſdem res profiteri ac ſacere quantumlibet Idololatricæ ſint aut impiæ, ego certè non video. Neque novi equidem quæ ſit, ſi hæc non ſit Unio aut Communio *Antichriſtiana*. Quamobrem eis ſatìs oppoſiti ſumus ſi contra hanc *Antichriſtianam unionem* erigimus ac promovemus verè ac realiter *Chriſtianam*. Quod erit ſextum præceptum. *Ut præ omnibus ſummo ſtudio adnitamur ad Unionem ſinceræ Fidei ac Charitatis.* Ut id dicatur de Eccleſia quod de Curru Cherubico apud *Ezechielem*, *Quócunque ferebat Spiritus eò tendebant.*

Principium ſextum.

Eſech. 1. 20.

XXX.
Quomodo Eccleſia perventura ſit ad unitatem Spiritûs.

Philop. Hæc proculdubio eſt *Unitas Spiritûs*, ad quem aſſequendum omnes Chriſtiani monentur. Sed quomodo eum aſſequemur, *Philothee*?

Philoth. Hoc eò multùm contributurum exiſtimo, ſi omnes Opiniones Praxéſque in Religione, quæ *Vitam Dei* in Orbe aut impediant aut non promoveant, univerſim ab Eccleſia Dei vili penderentur. Nam in *hac vita Dei* eſt illius *Spiritus*. Atque hoc quidem pacto cùm omnis opportunitas prætextúſve apud quemlibet, oſtendendi ſe religioſum, niſi eis in rebus in quibus *vera* Religio conſiſtit, planè ſit præſciſſus, qui omninò religioſi haberi volunt, neceſſariò eos oportet, illius vitæ imitationi, de qua loquimur, ut tales ſe probent, operam dare. Quod mancâ admodum ratione & claudicanti ſine præſentia Spiritûs ſunt facturi. Atque ſic omnibus occaſionibus altercandi & contendendi circa umbras ac tegumenta *Opinionum* ac *Formularum* remotis ac è medio ſublatis, multò facilius erit id præſtare ad quod hortatur Apoſtolus, *Servare ſcilicet unitatem Spiritûs per vinculum pacis.* Nemo enim tunc niſi cum infamia ullos ſtrepitus ciere poteſt ullis de rebus quæ ad commune Populi Dei totiúſque adeò generis humani bonum non tendant.

Ephes. 4. 3.

Cæterùm de iſtis externis *Tegumentis* audi quid Propheta *Eſaias* denunciaverit: *Væ filiis degenerantibus, inquit Dominus, qui conſilium inſtituant non authore me, & tegmen comminiſcantur, ſed non mei Spiritûs, ut addatur peccatum peccato.* Hoc eſt falſum illud integumentum Opinionum ac Formalitatum per Ignorantiam hominum & Hypocriſin congeſtarum, quo ſe abſcondere volunt ut Adamus, ab oculis ſui Creatoris. Prædixit autem Deus montis *Sionis* Incolas, *Agni* utique *Milites*, amoturos eſſe *faciem tegumenti omnibus populis injecti, & velamen ſuper omnes gentes obtenſum.* Et tunc neceſſe erit ut aut tegumento *ſpiritûs* veſtiantur, aut in publicam ſuam ignominiam inveniantur prorſus nudi, quemadmodum præmonentur ſub *Phialam ultimam.* Atque ſic propiùs accederemus ad iſtum Typum optimi ſtatûs Eccleſiæ formâ Cherubinorum quatuórve Animalium præfigurati, ubi & *Aquila* intelligitur *pedem* habere *Bovis*, *Nulli laborem ſuum expendunt nec tamen in panem.* Quamobrem *Formalitatum* & *Opinionum* numero, pro earum inutilitate diminuto, eíſque ex conſequenti paucis omnino exiſtentibus ſed utilibus, univerſa Eccleſia facilè intellectura eſt uſum earum ac veritatem: quemadmodum quatuor Animalia ſingula dicuntur *plena oculis* (per oppoſitionem *cacæ iſti Obedientiæ* in Eccleſia *Romana* tantopere laudatæ) atque ſic idem Objectum penitus cernentia, eandémque de ipſo ſerentia ſententiam, eodem pariter motu affectúque feruntur. Nam & *alæ ipſorum oculis plenæ ſunt*, ut quod denotat ea ex nullo *cæco* principio, ſed ex principio certæ *cognitionis* moveri. Quod igitur, *Philopoli*, per oppoſitionem Eccleſiæ *Romanæ* (qui *Ignorantiam* tanquam Devotionis matrem tantopere extollunt) ſeptimum Politicæ ſacræ documentum conſtituere volo. *Populum ſcilicet omnia Fundamentalia Myſteria Veritatis Prudentiæque Politicæ ad Regnum Dei pertinentia plenè ac luculentè doceri oportere.* Qui in proprium lucrum *Falſitatem* populo obtrudunt, eorum planè intereſt, in *Ignorantia* illos detinere. At verò

Eſai. 30. 1.

Eſai. 25. 7.

Apoc. 16. 15.

Eſai. 55. 2.

Septimum Principium.

qui *veritatis* Aſſertores ſunt, illorum è contrà intereſt, ut eadem quàm pleniſſimè penitiſſiméque intelligatur, demonſtretúrque ex *Ratione* & *Scriptura.* Credóque omnem *Veritatem*, quæ ad *Vitam* ac *Pietatem* neceſſaria eſt, omni præjudicio liberatis ſic poſſe demonſtrari. Unde res admodum ardua erit ſeducere quempiam ab Eccleſia, ad *Romaniſmum*, *Infidelitatem* aut *Atheiſmum*.

XXXI. *Quomodo mens humana ad ſtatum pervenire poſſit omni præjudicio immunem.*

Philop. Ità prorſus exiſtimo, *Philothee.* Tota verò difficultas eſt in perveniendo ad iſtum Animi ſtatum, omni præjudicio immunem.

Philoth. Si Filius liberos vos facit, tum verè liberi eſtis.

Joh. 8. 34, 35.

Sophr. Iſtud non dicitur, *Philothee,* de libertate ſive immunitate à præjudicio, ſed de libertate à peccato, quantum humana Natura patitur. *Omnis qui facit peccatum,* inquit Servator, *ſervus eſt peccati, ſervus autem non manet in domo in æternum, Filius manet in æternum*; tunc ſequitur, *Si ergo vos filius liberos reddiderit, verè liberi eſtis.*

Verſ. 36.

Verſ. 31, 32.

Verſ. 33.

Philoth. Et paulò antè dicit, *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis,* (hoc eſt, ſi mandata mea ſervâritis.) *Et cognoſcetis veritatem & veritas liberos reddet vos.* Unde *Judæi* expoſtulant cum Servatore: *Semen Abrahæ ſumus,* aiunt illi, *neque cuiquam ſervivimus unquam, quomodo tu dicis liberi reddemini?* Ad quod dictum, in iſtoc loco, O *Sophron,* quem tu citâſti, crimen *ſerviendi peccato* eis impingit, innuens illud præjudicium eſſe & impedimentum quò minùs aſſequantur *veritatem,* quòd viverent in *Peccato.* Adeò ut *libertas à peccato* ſecundùm ipſius Servatoris ſententiam, ut ego quidem exiſtimo, ſupponat etiam *libertatem à præjudicio* quod *veritatis* cognitioni officit.

Quamobrem, O *Philopoli,* loco octavo & ultimo, (neque enim nunc ſic diſſeram, ac ſi unquam poſthac mihi opportunitatem fore tecum rurſus colloquendi deſperem) unicum hoc documentum ſuperaddam, quod non ſolùm ad **Unitatem** Eccleſiæ utile erit, ſed omnium quod ſciam, efficaciſſimum maximéque neceſſarium ad *acceleranda fœliciſſima illa tempora,* ad quæ deſiderium tuum tam vehementer anhelat.

Philop. Perquam avidè audire cupio, *Philothee,* quid ſit.

Principium octavum & ultimum.

Philoth. Fides eſt ſeu fiducia in potentia Dei, Spiritúque Domini noſtri Jeſu Chriſti quem promiſit omnibus credentibus, ut per hæc ſubſidia, omnia noſtra peccata ac vitia devincamus ſanctitatémque perficiamus in timore Dei. Hæc Doctrina, quòd non ſolùm ad ſublimiorem Moralitatis gradum obligemur, quàm aut Paganiſmus aut Judaiſmus profeſſus eſt aut de quo potuit gloriari, ſed etiam quòd per *Spiritum* Chriſti inhabitantem in nobis ad illam *Vitæ Spiritûſque rectitudinem* reduci poſſumus, quam Servator in ſermone ſuo in monte, alibíque Evangeliorum in ſuis Colloquiis deſcribit; Hæc, inquam, Doctrina eſt, quæ Mundum renovatura eſt in Juſtitiam, & glorioſa illa Tempora, quæ tot viri boni & fore credunt & deſiderant, eſt introductura. Quæ enim alia Doctrina præter hanc, ad Hypocriſin cordium humanorum penetrare poteſt, qui ſub prætextu quòd ab omnibus ſuis peccatis ſe expedire nequeunt, revera obnitentur nullis, aut eis tantùm quæ minimi ſunt momenti, aut non committent, quin peccatis, quæ maximè ſibi in deliciis ſunt, omnino parcant, & ſui-reſignationem perpetuò declinent, quamvis indiſpenſabile ſit cujuſque Chriſtiani officium? Quinimò, nulla relinquent, ſub obtentu, quòd gradualis retinenda eſt Imperfectio in omnibus. Nec continebunt ſe quin eum ſibi gradum indulgeant, qui maximè cum ſua voluptate conſiſtat, ſuarúmque expletione cupiditatum.

Sophr. Hæc admodum profectò penetrativa Doctrina eſt, *Philothee,* & exploratoria. Sed quid eſt quò tendit? Ad abſolutámne perfectionem quoad *partes* & quoad *gradus,* ut loquuntur Scholaſtici?

Philoth. Ad *abſolutam Sinceritatem* Doctrina hæc tendit, O *Sophron,* ut nemo ſibi ullum cuicuimodi vitium peccatúmve notum indulgeat, ſed ut ſinceram ſervet conſcientiam coram Deo & coram Hominibus: quandoquidem illius conſcientia, vi hujus doctrinæ, ipſi dictat, niſi ſibi deeſſe velit, Deum & poſſe & velle per *Spiritûs* ſui Aſſiſtentiam, eum ab omnibus ſuis corruptionibus liberare. Scripturáque apertè declarat, hunc finem fuiſſe adventûs Chriſti, *ut abnegatâ impietate & mundanis concupiſcentiis ſobriè & juſtè & piè vivamus in præſenti ſeculo, expectantes ſperatam beatitudinem, adventúmque glorioſum magni Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſeipſum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate*; ſecundùm iſtud monitum S. Petri, *Quapropter ſuccincti lumbis mentis veſtræ, ſobrii, perfectè ſperate in eam quæ ad vos defertur gratiam, dum vobis pateſit Jeſus Chriſtus: Tanquam filii obedientes, ut non accommodetis vos priſtinis concupiſcentiis, quibus, dum adhuc ignoraretis Chriſtum, agebamini. Sed quemadmodum is qui vos vocabit, ſanctus eſt, ità ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini. Propterea quòd ſcriptum eſt, Sancti eſtote nam ego ſanctus ſum.* Et beatus Servator in ſuo ſermone in Monte, *Eſtote igitur vos perfecti quemadmodum*

Tit. 2. 12.

1 *Pet.* 1. 13.

Matth. 5. 48.

Pater veſter qui eſt in cœlis perfectus eſt. Et S. *Paulus* ad *Epheſios* pro Servatore teſtatur, hunc finem fuiſſe quòd ſe in Redemptionis pretium dederit, mortémve paſſus ſit pro Eccleſia, nempe *ut illam ſanctificaret, mundatam lavacro aquæ per verbum, ut eam ſibi præſtaret glorioſam Eccleſiam nullâ maculâ aut rugâ aut ullâ tali re præditam, ſed quæ ſancta inculpatáque foret.* Sponſæ Agni utique ſimilis in *Apocalypſi*, quæ nova eſt *Hieroſolyma.*

Epheſ.5.26,27

Sophr. Ingenuè equidem fateor, hæc loca, *Philothee*, altum ſonare Sanctitatis gradum, ad quem vocantur quidem Chriſtiani, & à quo tamen tam infinitis intervallis abſunt.

Philoth. Hoc indè fit quòd *hâc Fide*, quam ego tantopere inculco, carent, *Fide in potentia Dei;* & in *Spiritu Domini Jeſu*, ad *expurgandas omnium noſtrorum vitiorum ſordes.* Novus enim partus Filius eſt Promiſſionis, éſtque *Iſaacus* ille, Gaudium totius Terræ. Concipitur autem per fidem in omnipotenti *Dei Spiritu qui à quatuor cœli Regionibus Interfectos in valle aridorum oſſium, afflavit, effecitque ut in pedes conſiſterent, copiæ ſanè maximæ. Qui promiſſum ſemen dedit Abrahamo, qui præter ſpem ſub ſpe credidit ſe fore patrem multarum Gentium. Haud conſideravit enim ſuum ipſius corpus jam emortuum, quum centum ferè natus eſſet annos, nec emortuam vulvam* Saræ. *Verùm ad promiſſionem Dei non hæſitabat ob incredulitatem, ſed robuſtus factus eſt fide, tribuens gloriam Deo, certâ perſuaſione conceptâ, quòd is qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare.* Hæc Fides igitur in promiſſione *Aſſiſtentiæ Spiritûs Chriſti* in *Nova Nativitate* ea eſt, quam oportet Mundum renovare in vivam Imaginem Dei, omnéſque Terræ Nationes reddere beatas, & novam de cœlo *Hieroſolymam* deducere, ipſúmque adeò Deum devocare, qui Tabernaculum ſuum ponat apud homines. *Omnia poſſum per Chriſtum qui me corroborat.*

Ezech.37.9.
Rom.4.18,&c.
Philip 4.13.

Eviſt. Etiam miracula miraculorum edere, quantum ego video. Verùm hæc Fides, *Philothee*, in Potentia Dei, Aſſiſtentiáque illius Spiritûs quo extirpare valeamus & mortificare omnes noſtras corruptiones in beatam Reſurrectionem ad Vitam ac Juſtitiam, illa Fides non erat quam primi *Reformatores* tam fervidè docuerunt. Unde igitur factum eſt, quæſo, ut ii tam utilem omiſerint Veritatem?

XXXII.
Doctrina de Fide in potentia Spiritûs Dei, ad liberandum nos à peccatis cur tantopere non inculcata ſit in principio Reformationis.

Philoth. In totum non omiſerunt, *Eviſtor*, propterea quòd tanto cum zelo hortati ſunt homines, ut humanas Traditiones relinquerent, totóſque ſe reciperent ad *purum Verbum, Fidémque Evangelii,* ſecundùm illam magìs Infallibilem Regulam. Quamobrem cùm *Fides*, quam illi prædicabant, pro ſuo Objecto haberet purum Chriſti Evangelium, doctrináſve ſecundùm Scripturam; Hæc doctrina de *Fide in omnipotenti Spiritu* ad debellandum peccatum, cùm in Scriptura etiam contineatur, neceſſariò pars eſt Objecti illius Fidei quam illi prædicabant.

Eviſt. Illud, fateor, *Philothee*, aliquo modo verum eſt. Cæterùm zelus eorum maximè efferbuit, in declarando extollendóque iſtam partem Fidei, quæ *Juſtificationem* tantùm in ſanguine Chriſti, gratuitámque *Remiſſionem* peccatorum reſpicit.

Philoth. Admodúmque tempeſtivè eam extollebant, ut quæ veritas eſt Evangelica valde conſpicua, & talis tamen quæ in Eccleſia *Romana* ſub pedibus conculcata eſſet, quò populum Dei magìs abſoluta redderent Mancipia, durâque detinerent ſervitute in hac myſtica *Babylone* Terráque *Ægypti*: Quippe qui gravia Superſtitionis onera eis imponebant, tantùm ad rem Regis *Ægypti* augendam, & ad extinguendum pariter *lumen* & *ſolamen* Evangelii. Quamobrem cùm illa Doctrina de *Juſtificatione per Fidem* tam accommodata eſſet ad excutiendum Jugum *Romanum*, minimè mirum eſt eam tam fervidè prædicatam fuiſſe & adeò univerſim inculcatam à primis *Reformatoribus.*

Sophr. At verò hîc non ſubſtiterunt, *Philothee*. Multa enim aliquibus eorum, ex ore exciderunt, (qui aliàs ſatìs fœlicia erant in *Reformatione* Inſtrumenta) quæ non ſolùm humanis Infirmitatibus favere videntur & deterrere homines à ſtudio ullas tales victorias acquirendi in ſuas corruptiones ac libidines, ad quales tua doctrina nos animat, ſed etiam è contrà, rancidum olere *Antinomianiſmum*, morbum ferè omnium peſſimum, qui Chriſti Eccleſiam poſſunt invadere.

Philoth. Agnoſco, *Sophron*, Divinam Providentiam permittere potuiſſe aliqua iſtiuſmodi verba, quæ malam ferant Interpretationem, ex ore aliquibus è primis Reformatoribus excidere. Nôſti verò *Lutherum* ipſum, qui maximè ſuſpectus eſt, contra tamen *Antinomos* ſcripſiſſe; *Harmoniámque Confeſſionum* omnium Eccleſiarum *Proteſtantium*, Doctrinam *Sanctificationis*, Vitæve piæ, Doctrinæ de *Juſtificatione per Fidem* adjungere. Ut verò talis Sanctitatis gradus de quali nunc agimus, per primos *Reformatores* à ſuis Sectatoribus poſtulatus eſſet, minùs congruum videtur iſtis temporibus aut opportunum. Talis Doctrinæ nimis ſevera Inculcatio, ad oppugnandam

dam falſam Juſtitiam *Romaniſmi*, paucos omnino Auditores avulſura fuiſſet ab iſta Eccleſia, cujus ſanctitas tantùm erat *carnalis*. Putaturi fuiſſent, ſe à minori ſervitute aut captivitate abductum iri in majorem. Atque ſic exiguus ille Numerus diſtinctus immaculatorum Agnorum Chriſti, eò certior perinde atque delicatior futurus fuiſſet bolus illi voraci Lupo *Romano*.

Bath. Intelligo prorſus quid ſibi velit *Philotheus*; Divinam ſcilicet Providentiam, per externam Inſtigationem talia elegiſſe inſtrumenta qui ſibi ipſis in multis rebus relicti, ad ſuam ſibi ſecandam viam, in tales lapſuri eſſent Opiniones Locutionéſque quæ maximè efficaces forent ad disjungendas diſcindendáſve ingentes partium moles ab Eccleſia *Romana*, ut in immanioribus hiſce maſſis aurum tutum inter ſcoriam lateret, & in hac mixta Numeroſitate eò ſecurior eſſe poſſit Protectio *Piorum* adverſùs cruentas Perſecutiones barbaráſque Crudelitates Poteſtatis *Papalis*.

XXXIII.
Vera Methodus ad unitatem in Eccleſia iterum ſubindicata.

Philoth. Rectè rem capis, *Bathynoe*. Nunc verò dico, poſtquam lapis rurſus à magno monte abſciſſus eſſet, tutóque ab eo disjunctus, non debuit jacere adhuc impolitus, muſcóve obſitus, ob defectum artis induſtriæve in Architectis, ſed omnes nos oportuit ante hoc tempus vivos evaſiſſe lapides; puros benéque politos, & per *unitatem Spiritûs* in unum Sanctum Dei Templum coaluiſſe. Quæ *Spiritûs unitas*, *Bathynoe*, nunquam eſſe poteſt ſine *unitate Vitæ*. Nam in *Vita* eſt *Spiritus*, quemadmodum ſuprà monui. Nec poteſt hæc *Vitæ unitas* unquam eſſe ſine *perfecta purificatione* Eccleſiæ à peccato & corruptione, neque hæc *Purificatio* eſſe ſine *Fide in potentia Dei*, & aſſiſtentia Jeſu Chriſti, ad expurgandam è nobis omnem noſtram ſcoriam. Qui enim nè poſſibilitatem quidem iſtiuſmodi rei credit, nec eam à Deo petet, nec tentabit unquam, ullâve ratione eam aggredietur. Quamobrem cùm generalis hæc corruptionibus noſtris Indulgentia, *Spiritûs unitatem* in nobis impediat, judiciorúmque conſenſum in rebus Religionis, nóſque deſtitutos reddat conciliatoriâ illâ virtute fraterni Amoris & Charitatis, relinquimur tanquam tot Feræ ſylveſtres, horridáve Monſtra ad frendendum, ignémque expuendum alii in alios, ad pacem verò antè pervenire nunquam poſſumus quàm ad debitum pervenerimus gradum Juſtitiæ. Debet enim Chriſtus in Eccleſia *Melchizedecus* priùs eſſe ſuámque in nobis introducere Juſtitiam, quàm *Rex* eſſe poſſit *Salem* hoc in ſenſu, Princeps utique Pacis. Nec Spiritum hunc Juſtitiæ nobis communicatum habere poſſumus, antequam illâ fide in potentia Chriſti, imbuti ſimus, ad debellandum peccatum, quemadmodum iterum iterúmque inculcavimus.

Hebr. 7. 2.
Eſai. 9. 6.

Bath. Quamobrem, *Philothee*, quantum ego quidem video, hæc *fides in potentia Spiritûs Chriſti* ad debellandum peccatum, Charitate præſertim aucta, contrapondium eſſe poteſt adverſùs Pontificiorum *Fidem implicitam* quam illi urgent pro ſupprimendo ſchiſmate. Ac ſi nihil Eccleſiæ pacem æquè ſartam tectam conſervare poſſet, quàm ut homines aut *puram* prorſus *perfectéque integram*, aut *nullam* habeant Conſcientiam. Quorum poſterius cùm tam horrendum ſit ac deteſtabile, majorem indè videmus neceſſitatem exhortandi omnes homines ut omnem curam & diligentiam adhibeant ad prius obtinendum.

Philoth. Quod ſine hac *fide in potentia Spiritûs Chriſti* ad ſuperandas noſtras corruptiones, nunquam molientur, nedum fœliciter ipſum aſſequentur.

Bath. Id quod jam dixi, *Philothee*, aut ſaltem ſic dicere inſtitui.

XXXIV.
Miranda efficacia Fidei in potentia Spiritûs Chriſti ad debellandum peccatum.

Philoth. Si verò *Fide* pleni eſſemus certóque perſuaſi Chriſtum per Spiritum ſuum & poſſe & velle nobis opitulari, ad plenam acquirendam in omne genus peccata & corruptiones victoriam, in talia ſcilicet qualia ſunt *Superbia*, *Avaritia*, *Immunditia*, omníſque *Hypocriſis* & *ſui-quæſitio* ac ſimilia, quid eſt ex univerſis iſtis quæ orbem turbant, & res peſſundant humanas, quod vis hæc invicta non ſit profligatura? Si hæc fides cordibus hominum ſemel inſita eſſet, legeréntque apud Prophetas deſcriptiones vivas & amabiles excellentiſſimi illius ſtatûs Eccleſiæ qui futurus eſt, quàm celeres progreſſus hujus rei beneficio facere valerent, dum glorioſum illud exemplar contemplentur & per fidem ſanctámque imitationem mutentur indies per Spiritum Domini à Gloria in Gloriam?

2 *Cor.* 3. 17, 18

Philop. Quanto attentiùs conſidero, *Philothee*, tanto certiùs perſuaſus ſum quàm immenſi momenti hæc doctrina de *Fide in omnipotenti Spiritu Chriſti ſit*, tum ad præſens Bonum Eccleſiæ, tum etiam ad accelerandam futuram illam Fœlicitatem prædictam à Prophetis, quàm penetrans Medicina ſit ad purgandam Animam, & quàm potens *Cardiacum* ad eam vivificandam. Quantum ego quidem video, hoc *primum Mobile* eſt primúſve *Elater* omnis motûs qui efficaciter tendere poteſt ad renovandum Mundum in Juſtitiam & ad introducenda glorioſa illa tempora Eccleſiæ quæ tu tam graphicè deſcripſiſti ex Viſionibus Prophetarum.

XXXV. *Reſponſum ad objectionem circa hanc doctrinam Fidei.*

Sophr. Víxque me abſtinere poſſum, *Philopoli*, quin meum etiam adjiciam calculum, ni obſtaret hic ſcrupulus, quòd hæc tam alta exaggeratáque doctrina de *Fide in omnipotenti Spiritu* ad perfectam extirpationem Peccati, homines ex Eccleſiis *Reformatis* exterritare poſſit perinde atque primùm impediviſſe quò minùs *Reformationi* ſe adjungerent. De veritate Doctrinæ rectè intellectæ parùm dubito, ſed tantummodo de prudentia in eam profitendo.

Philoth. Nequaquam contemnenda hæc tua eſt, O *Sophron*, conſideratio. Verùm intelligere debes hanc Doctrinam ritè expoſitam cum ullis juſtorum eorum ſolatiorum quæ nobis ex altera illa doctrina de *Juſtificatione per Fidem* & de gratuita peccatorum Remiſſione in ſanguine Chriſti accedunt, neutiquam digladiari. *Hæc ſcribo vobis*, ait S. *Johannes*, *nè peccetis. At ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* 1 *Joh.* 2. 1, 2. Summa quò collineamus, hæc eſt, alacre ac ſincerum propoſitum non peccandi omninò, (quemadmodum oramus in Liturgia ſingulis matutinis.) Quæ conſtans cura ſtudiúmque ſi adhibeatur, nemo animo concidere debet ob ſuos lapſus donec Deus majores largiatur vires, ſed alacriter ſeipſum exuſcitare acriori indignatione animíque obfirmatione adverſùs peccatum, nequaquam deſperans de Remiſſione, cùm tam potentem habeat, apud eum quem offenderit, Advocatum. Quodſi quis contentus ſit peccare ſine omni obſiſtendi conatu, omníque fide aut ſpe eas aſſequendi vires quibus corruptiones ſuas debellet atque ſubdomet, & Reformatæ Eccleſiæ communionem relinquere velit; quòd ſalubriori penetrantioríque doctrinâ Conſcientia illius refricetur, & propterea Doctores alibi quærat, ad proprii cordis lubidinem, hoc omnino heîc reſpondendum cenſeo, *Quòd immiſſurus eſt illi idcirco Deus efficaciam illuſionis ut credat mendacio, ut damnetur quia non credidit veritati, ſed ſceleribus eſt delectatus.* 2 *Theſſ.* 2. 11, 12. Paucos verò fore ſpero qui volentes heîc in haſtarum cuſpides irruant. Hæc doctrina vix ullos abactura eſt, niſi tales qui explicitum Propoſitum habuerint totos ſe immergendi in peccatorum ſordes ac colluviem. Cæterùm quàm ingens hominum multitudo è *Reformatis* Eccleſiis, ſub prætextu quòd doctrina earum ad perfectionem non ſatìs tendat, in Sectas privatas proruperit, neminem latere poteſt, qui vel paululùm oculos in res humanas conjecerit: Tantum abeſt ut hæc Doctrina rebus *Reformati* Orbis Chriſtiani quicquam officiat. Quibus omnibus addere potes, nihil neceſſe eſſe ut tanquam articulus imponatur, ſed permittatur ob ſuam ſaltem aliquibus utilitatem.

Intereà loci generalis ille languor ac negligentia in omnibus Vitæ officiis, vel potiùs univerſale illud apertæ Nequitiæ & Improbitatis Diluvium, quod (quantum ego intelligo, ob defectum talium doctrinarum, quæ omni nos converſationis ſanctitati magìs efficaciter illigaturæ eſſent) in nos irruperit, malum longè magìs formidandum eſt *Reformatis* Eccleſiis, quàm profeſſio vel permiſſio hujus doctrinæ de qua loquimur, ullo pacto eſſe poteſt. Providentia enim neutiquam obligatur ad ſuam Religionem eis continuandam quantumlibet veram, quibus non eſt Religio, veritatem Dei tenere in Injuſtitia.

Sophr. Immò verò, Reſponſum tuum, *Philothee*, valdè preſſum eſt, fateor, & appoſitum.

XXXVI. *De duratione glorioſorum temporum Eccleſiæ.*

Philop. Idémque prorſus ipſe etiam exiſtimo. Mihíque hactenus (quam ob rem magnas tibi, *Philothee*, gratias habeo) probè ſatisfactum eſt, (quod facit ut nolim tibi ullarum magìs particularium explicationum faceſſere negotium) de hiſce capitulis, ex gratiſſima tua ſubindicatione ſperans fore, ut alia detur colloquendi opportunitas. Veruntamen non poſſum quin tibi onus imponam tranſeundi ad ultimam quæſtionem, quò curioſitati meæ de Duratione ac permanentia hujus excellentiſſimi ſtatûs Eccleſiæ gratificeris, diſtinctúmque deſcribas ordinem, quo res proceſſuræ ſint ad finem uſque Mundi.

Philoth. Difficile hoc Problema eſt, O *Philopoli*, perinde atque curioſum, pars præſertim ſecunda. Quantùm enim ad *Durationem* vel Permanentiam Eccleſiæ in iſta glorioſa conditione, ſacra Oracula manifeſtò innuunt eam mille annos duraturam, *Apoc.* 20. 3. quamvìs nequaquam neceſſe eſſe exiſtimem, iſtam locutionem ſic intelligere ac ſi diutiùs non eſſet duratura. Senſus enim illius Numeri poteſt eſſe *Symbolicus*. Sed quantùm ad diſtinctum ordinem proceſſionis rerum ad finem uſque Mundi, hoc nemo facilè cognoſcere poteſt niſi *ſeptem Tonitruorum Synchrona* intellexerit, *Apoc.* 10. 3. in quæ *ultima Tuba* diſtinctè diſtributa eſt. Quod ingenuè fateor, *Philopoli*, ſemper extra ictum meum fuiſſe ſitum, donec forte fortunâ in *Theomanis* cujuſdam notitiam incidiſſem, viri admodum probi, ſummóque ſtudio affecti erga *res Regni Dei*.

XXXVII. *Character* Theomanis.

Cuph. Hoc tuum peculiare Privilegium eſt, *Philothee*, quòd ſis *Theomani* tam intimus Familiaris. Quod ad me quidem attinet, ego illius amicitiam peritiâ ac diligentiâ ambivi quantâ poſſem maximâ, & tamen nunquam me hactenus inſinuare potui in ejus Familiaritatem.

Sophr. Nec unquam te inſinuaturum, omnino credo, quamdiu tibi nomen fuerit *Cuphophron.*

Philop. Obſecro te, *Philothee,* Quid hominis eſt iſte *Theomanes*? quídque tibi impertivit de *ſeptem Tonitruis*?

Philoth. Partem characteris illius jam dedi. Et ſi nondum intelligis, *Philopoli,* addo porrò, Hominem eſſe, totum ab ineunte ætate Creatoris ſui cognitioni deditum, Mundúmque ferè reliquiſſe ſimul atque in eum natus eſſet, quippe qui nihil earum rerum quas mundus adeò deperit, ambivit, non Honorem, nec Poteſtatem, nec Divitias, nec corporis voluptates, ſed mens ejus ſemper tota addicta eſt veræ perſcrutandæ ſcientiæ in *Lumine Simplicitatis Vitæ,* in quo omnem ſui-quæſitionem relinquendo, integer factus eſt Dei ſervus & Domini *Jeſu Chriſti,* fideliſque illius Regni Miniſter.

Philop. Characterem hominis admodum præſtabilis narras. Sed quid impertivit tibi, *Philothee*?

Philoth. Viſionem *ſeptem Tonitruorum,* ſi ità brevitatis causâ fas ſit appellare. Viſionem enim omnino intelligit rerum *ſeptem Tonitruis* Synchronarum.

Philop. Nominibus infinitis me tibi devinctum reddes ſi tibi placuerit eadem nobiſcum communicare, *Philothee.* Annon verò homo eſt aliquantùm *Enthuſiaſticus* ſive *Fanaticus*?

Philoth. Maximus Fanaticiſmus, quem in ipſo obſervaverim, hic eſt, quòd ſeipſum profitetur veritatem aliquammultorum Vaticiniorum ſummi momenti (quæ tamen multi alii valdè obſcura eſſe prætendunt) nolentem volentem clarè intelligere. Tantum autem abeſt ut *Enthuſiaſtes* ſit ſive *Fanaticus*, ut, cùm *Enthuſiaſmus* falſa ſit perſuaſio in aliquo quòd inſpiratus ſit, cùm revera non ſit, hic è contrà, negat ſe unquam inſpiratum, quamvìs eum aliquando quiſpiam cenſeat ſic eſſe. Verùm cuncta *Lumini Simplicitatis Vitæ* imputat, dono maximo quod humanæ Animæ impertit Deus. Neque gloriatur hanc *ſeptem Tonitruorum Viſionem* ullam irreſiſtibilem eſſe Inſpirationem, quamvìs res ſit maximè involuntaria quæ unquam ei contigerit prorſus vigilanti.

Philop. Dic igitur quæſo, quibus in circumſtantiis hoc contigerit *Theomani.* Credo enim eum, propter intimam cum ipſo familiaritatem, te nihil fuiſſe celaturum.

Philoth. Tempus non permittet longam pertexere Hiſtoriam. Circumſtantiæ igitur breviter hæ ſunt. Certo quodam tempore, poſtquam multùm detriviſſet exhauſiſſétque Spiritûs diuturno ſerióque Divinorum Oraculorum ſtudio, cúmque longam lentámque in agros deambulationem ad vires aperto frigidóque aëre reficiendas, & ad animum, quò fœliciùs levetur corpus, plenè remittendum, intenderet, in mediis Agris hæc *ſeptem Tonitruorum* Viſio, nullo ſuo deſiderio aut expectatione, eum ex inopinato occupavit, adeóque penitus mentem ejus & Imaginationem poſſedit, ut propter illius agitationem quieſcere nequiret, (quanquam tam debilem eum reddiderat, ut vix pedibus poſſet prorepere) donec eam ſcriptis mandaverat.

Philop. Certè hoc aliquod extraordinarium eſt. Habéſne Apographum, *Philothee?* Hujuſmodi enim rerum admodum accurata debet eſſe Narratio.

Philoth. Apographum habeo, & in loculo meo & in memoria, nam alta menti meæ veſtigia impreſſit. Sed credo te maximè tutum fore exiſtimare, ſi Apographum legamus chartaceum, ſatìs enim adhuc dies lucet, & datâ operâ mecum attuli, quippe qui prævideram ipſo opus fore in hujus Diei Diſſertatione.

Philop. Quæſo, *Philothee,* illud lege.

Cuph. Mercurii quidem *Politici* ac *Philoſophici* nunc dierum vulgares ſunt. Noſtrum verò, ut videtur, Privilegium eſt, Mercurium habere *Propheticum.*

Philop. *Cuphophron* ſuos jocos depromere amat, de re qualibet, quantumlibet ſeria. Appellet is quicquid volet. Tu verò quæſo, *Philothee,* lege lentè ac diſtinctè.

XXXVIII. Theomanis *Viſio de ſeptem Tonitruis.*

Philoth. Faciam, *Philopoli.* Titulus hic eſt: * *Spacium ſeptimæ Tubæ in ſeptem Tonitrua diviſæ, cum præviis ſuis Coruſcationibus ordine qui ſequitur.* Lineolâ rectâ ductâ ac præfixâ, abruptim incipit ad hunc modum.

——— Primáque *Coruſcatio* lumen ſuum ejaculavit, quod ab una Cœli extremitate lucebat ad alteram. Unde maximè horrendum *Tonitruum* vocem ſuam emiſit, adeò ut Terra concuteretur & contremiſceret & præ metu quaſi ſeipſam contraheret. Quo tempore nubes ſimul maximè noxiâ ac prodigioſâ Pluviâ, Sanguinis, Ignis, Grandinis peſtiferíque pulveris cum aliis id genus Plagis Ægyptiacis ſe exonerârunt, adeò ut homines immaniter excruciarentur & in rabiem ferè adigerentur, præ intolerabilibus plagarum aculeis.

Philop. Hanc comminutam omnino & confuſam eſſe credo Repræſentationem effuſionis *ſeptem Phialarum*, aut rerum aliquarum eis *Synchronarum*. Quemadmodum jam declarâſti *ſeptem Phialas Synchronas* eſſe *primo Tonitruo.*

Philoth. Sic fieri poteſt, *Philopoli.*

Philop. Sed perge obſecro, non ſum iterum te interpellaturus.

VISORVM POSTMEDIALIVM TABVLA.


SEPTEM TONITRVA
SIVE
TVBA SEPTIMA.
Tonitruum
Tonitruum
Tonitruum
Tonitru.
Tonitru.
Tonitru.
Tonitru
I
II
III
IV
V
VI
VII
1
2
3
4
5
6
7
Trium Angelorum precon. deuteroplerosis.
et
Angeli Threno di Babylonica
Meſsis et Torcular.
Sponſa præter. Albi Equi Seſsoris Prælium.
Canticum Moſis Septemq Phialarum effuſio.
Doxologia Seniorũ et Phialarũ congaudium.
Deſcenſio Novæ Hieroſolymæ.
Satanæ Apprehenſio.
Turbâ palmifera.
Millennre Christi Imperium.
Satanæ in Abyſsum Incarceratio.
Novæ Hieroſalymæ conſtitutæ duratio.
Turbæ improbæ e Sancta Civitate excluſio.
Solutio Satanæ.
Sanctæ Urbis Obſidium.
Chriſti adventus ad judicium.
Terræ Conflagratio.
Salus Sanctorum.
Sardis
Philadelphia
Laodicea

Philoth. Poſthac ſurſum aſpexi, & ecce in Oriente Nubem candidam amplam, quæ velificans quaſi venit cum frigidiuſcula reficiente venti aura versùs admodum excelſum montem, ad certum à quo Intervallum ſecunda *Coruſcatio* ex hac Nube ſe exoneravit. Poſt-quæ audivi alacriorem *fragorem* per Aërem reſonantem, Nubéque diſruptâ, glorioſiſſimam vidi Civitatem leviter deſcendentem in defluxu frigidiuſculæ hujus Auræ obliquè delatam deorſum, atque ſic tandem in ſummitate hujus excelſi Montis confidentem.

Verùm oculos tam pulchro ſpectaculo non diu oblectaveram, cùm ex inopinato de ſupra Civitatem perquam lucida *Coruſcatio* emicuit, tanta quidem ac tam ſplendida è puro Æthere, ut Lux cœlorum ſeptuplo illuſtrior eſſet quàm Lux Solis. Poſt quæ ſtatim vocem indidem audivi *Tonitrui tertii*, poſteáque vocem quaſi hominis, harmonicam & articulatam dicentis *Hallelujah, Dominus regnat*; & continuò primam *Apoc. 19 6.*

hanc vocem ſubſecutus eſt integer vocum Chorus, dicentium *Hallelujah.* *Glorioſa* Pſalm. 87. 3. *de te dicuntur O Civitas Dei.* *Mons ædis Jehovæ fixus eſt in culmine montium, confluúntque* Eſai. 2. 2. *ad eum Gentes omnes.* *Gentes ſervatorum in ejus lumine ingrediuntur, in eámque* Apoc. 21. 24. *conferunt Terrarum Reges gloriam ſuam ac honorem.* *Hallelujah.* Quæ cœleſtis atque Ecſtatica Melodia audita eſt à ſancta Civitate ad quatuor Horarum ſpacium.

Poſthac oculos Occidentem versùs conjeci, amplámque aſpexi Nubem bicolorem, nigram piceámque ex parte ejus *Occidentali,* ſed lucidi nitentíſque coloris versùs *Orientem.* Et ecce derepente *Tonitruum quartum* ex parte Nubis occidentali vocem ſuam edidit, exoneravítque ſeſe in certas quaſdam Rupes Montéſve cavos, eos in fruſtula dilacerans, Infernaléſque diſrumpens Cavernas. Dum intereà temporis ex Orientali parte exiit Ventus fortis, ſed purus ac refrigerans, qui in quamplurimas partes eſt diviſus, quæ in orbem actæ tot evaſerunt innocui Turbines ſinceri Aëris, niſi quòd tinctæ erant ſuavi quodam ac refrigeratorio odore, ac ſi pertranſiviſſent per Agrum aliquem amplum *Liliorum* ac *Roſarum.* Qui Turbines viritim ab uno ad alterum movebantur, attollentes eos paululùm ab humo, lentéque eos rurſus demittentes, ſed characterem corporibus cujuſque quem ſic elevârint, impreſſum reliquerunt ſuavémque odorem & ipſis & eorum veſtimentis. Numerúſque ſic levatorum ac ſignatorum Numerus eſt Cohortum Agni, éſtque eorum Numerus 1728. Sed in *Occidentali* parte Cœli, Aër odore tetro perſuſus eſt, propter Fumos ex tenebroſis Cavernis exhalatos, ex quibus itidem multæ diræ exierunt perhorridæque Formæ cum parte catenarum ſuarum colliquatarum (quas Fulminum ictus diſruperant) corporibus ſuis appenſa. Quæ ſpectra Infernalia ſuper faciem Terræ ultro citróque diſcurrentia, hominéſque inſectantia, eoſdémque prehendentia, halitu peſtifero eos afflaverunt, fecerúntque ut atri apparerent ac deformes inſtar Diabolorum. Levatæ verò cohortes, pede celeriori erant quàm ut eos aſſequerentur, nec ullam in ipſas poteſtatem habuerunt quia Characterem Agni geſtârunt in ſuis corporibus.

Hæc vidi ſub voce *Tonitrui quarti.* Poſtea aſpexi, & ecce totum Cœlum nubibus obductum erat præſertim versùs *Horizontem.* Et Tonitruum continuò quintum vocem edidit ſuam. Strepitúſque circa Cœlos reſonabat, haud abſimilis pulſationi Tympanorum. Poſt quæ innumeros vidi Hominum exercitus à quatuor Regionibus Apoc. 20. 9. Terræ versùs ſanctam Civitatem militari ordine incedentium, quò arctâ eam obſidione cingerent, & circumierunt caſtra Sanctorum & Civitatem dilectam. Quamobrem ingenti correptus ſum timore ac contremiſcentiâ.

Cæterùm in media hac ſolicitudine, ingens *Coruſcationis* fulgur ab *Oriente* emicuit, illuxítque uſque ad *Occidentem,* *ſextúmque Tonitruum* vocem ſuam emiſit. Et vidi Nubes ab Horizonte ſurſum diſciſſas, & disjectæ ſunt Aquilonem versùs & Auſtrum, inſtar Cortinarum aperti Tentorii ſive Canopei. Unde mirifica Lux feſtino gradu ab illa regione emerſit, Vóxque *Tonitrui* continuò abſorpta eſt terribili Tubæ clangore, qui totam Cœlorum Cavitatem implebat, fecítque ut humus ſub pedibus Apoc. 20. 11. hominum contremiſceret. Et ecce derepente apparuit ingens Thronus candidus, Iridis inſtar arcuatus, cum Filio Hominis ſuper eum ſedente, cum gloria & majeſtate illuſtri. *A cujus conſpectu fugit Terra & Cælum, & locus non eſt inventus eis.* Et mortui comparuerunt univerſi ante Tribunal Dei & libri aperti ſunt. Atque illi quorum nomina ſcripta erant in libro vitæ, vires ipſis renovatæ ſunt, ſurſúmque volârunt tanquam alis Aquilarum, & aſſociârunt ſe Angelis Dei. Hypocritæ autem ac Profani condemnati erant, quorum corda plumbo evaſerunt ſegniora, factíque ſunt quaſi Mundi Sedimentum atque Fæx, Formidine ac Deſperatione eos deprimente, dum Gaudium ac Fides in illas magìs defæcatas Manſiones ſinceros elevabat. Totus enim Æther myriadibus myriadum Formarum impletus eſt, in magna hac Comparentia, ubi Spiritus puriores aſcenderunt ſurſum, & craſſiores deorſum præcipitati ſunt, ſtupendâ operatione magni illius Depuratoris univerſi. Vidíque Bonos perfectè ſegregatos ab improbis, Regémque gloriæ de Throno ſuo ſurgentem. Et generalis hæc Seſſio in Triumphalem Pompam ſubitò converſa eſt piis. Qui in aperto Æthere cum reliquo exercitu magni Regis ordine incedebant, tali ſplendore ac nitore qui ſit inenarrabilis. Quorum & ora implebantur canticis victoriæ, auréſque reſonantiâ propriæ ſuæ Melodiæ. Aër enim miraculosè in accentus Muſicos ad Divinos eorum Hymnos eſt attemperatus, ac ſi inviſibilis aliqua manus Cœlorum Concavum pulſâſſet, tanquam Lyram chordis pulchrè inſtructam, aut Theorbam. Adeò ut Anima mea ità rapta eſſet ſpectaculo concentúque Muſico, ut Cor mihi colliqueſceret, lacrymæ oculis oborirentur, Spiritúſque intus deficeret præ nimia voluptate ac gaudio.

Philop. Certè *Theomanes* permagno animi motu raptus eſt, quando ſic afficiebatur.

Philoth. Et reverà ſic affectus eſt, *Philopoli,* quemadmodum ipſe mihi narravit, nec dictis auſim abrogare fidem. Eſt enim homo ſimplicitate, quàm fingi poteſt, maximâ.

Philop. Verùm rurſus te, *Philothee,* imprudens interpellavi. Perge quæſo porrò.

Philoth. Pars verò hujus voluptatis citò intercepta eſt cœlis ex inopinato obductis univerſali quaſi Nube ſpiſſâ ac ferrugineâ. Concentum verò Muſicum adhuc audivi, quo motus percipere potui hujus Pompæ Triumphalis. Sed magìs horrendus ſtrepitus huic etiam Raptui finem ſtatim impoſuit. Hæc enim Nubis Nox in Chaſma prope cœleſtem exercitum diſrupta eſt, quod continuò glorioſiſſimâ luce eſt impletum, & per lucidum hunc meatum magnam audivi vocem Tubæ clangori haud abſimilem, dicentem, *Ego ſum Alpha & Omega, Primus & Ultimus, Inchoator, Perpetuator & Terminator ſeculorum. Ego is ſum qui vixi & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum. Et habeo claves Inferorum & Mortis.* Poſt-quæ Chaſma rurſus occluſum eſt, Animæque derelictorum impletæ ſunt horrore. Statim enim expectârunt executionem illius tremendæ ſententiæ, *Faceſſite à me execrabiles in ignem ſempiternum.* Et certè poſt aliquam pauſam ac ſilentium, (ubi rurſus cœleſtem Melodiam audivi, ſed paulò remotiorem, Triumphali illâ multitudine altiùs altiúſque aſcendente per lucidos iſtos campos cæruleos æternæ Pacis ac Beatitatis) Teſtudineatum cavi hujus Barathri Tectum totum ardere videbatur adverſis *Fulgurationibus* & *Coruſcationibus* paſſim diſcurrentibus. Quæ vix ceſſaverant, quum *ſeptimum Tonitruum* vocem ſuam edidit, quam comitatus eſt raucus quidam ac volutorius ſonitus in omnes partes Ætheris. Unde pluere inceperunt nubes unam perpetuam diram funeſtámque Pluviam Ignis atque Sulphuris, in Turbam hanc derelictam, donec tota Terra facta eſſet unus rotundus lacus ſtagnúmve ardentis ſulphuris. *Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, pars illius erat in hoc ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

Matth. 25.41.
Apoc. 20.15.
Apoc. 21.8.

Hæc eſt *Theomanis* Viſio, O *Philopoli,* de ſeptem *Tonitruis,* quæ maximè diſtinctum ordinem ſucceſſionémque rerum in Eccleſia, à ſeptimæ Tubæ initio ad Mundi uſque finem, complectitur, in quem unquam incidi. Fateor diſtinctiones generales tantùm eſſe: Quodſi quicquam magìs præciſum ac particulare habuiſſem, inſignis illa ſinceritas Animíque Ingenuitas ac Zelus fervidus atque Amor, quem certò perſuaſus ſum te erga *Regnum Dei* concepiſſe, meritò me aſtrinxiſſet ad idem tibi impartiendum ſummo cum ſtudio animíque propenſione.

Philop. Ob bonam tuam exiſtimationem intentionémque beneficam, *Philothee,* maximas tibi gratias ago. Id verò quod jam impartiviſti majus eſt quàm mereri potui, aut uſquam aliunde me obtenturum ſperare, taléque quo non poſſim quin agnoſcam mihi haud mediocriter ſatisfactum eſſe, ut qui aliquatenus conjicere queam, quid iſta Tonitrua ſignificent; verùm eò confirmatior evaderem in meis opinionibus, ſi quid ipſe ſentias dignari velis, breviter nobiſcum communicare.

Philoth. Faciam, ídque admodum breviter, *Philopoli.* Hæ igitur ſeptem res in ſeptem *Tonitruorum* ſpaciis ſeptem continentur. In primo, Phialarum ſeptem effuſio. In ſecundo, Eccleſiæ in ſtatu *novæ Hieroſolymæ* de cœlo delapſæ confirmatio ac conſtitutio. In tertio, magìs plenum & univerſale Regnum Chriſti, beatum *Millennium* κατ᾽ ἐξοχὴν, vel magìs proprio ſenſu ac eminenti ſic appellatum. In quarto, *ſolutio Satanæ,* ſive viſibilis Mundi vergentia ad alteram degenerationem ſive Apoſtaſiam à Regno Chriſti. In quinto, *Apoſtaticæ partis* ad imperium rurſus obtinendum in Pios *molitio,* periculúmque nè improbi iterum in Captivitatem abducant probos. In ſexto, Viſibilis *adventus Chriſti* in noviſſimo Judicio, in quo ſententiam feret de Malis perinde atque Bonis. In ſeptimo atque ultimo, *Executio illius ſententiæ*; Piis ſinceriſque Fidelibus cum ſanctis Angelis ad Cœleſtem ſuam Hæreditatem eis paratam aſcendentibus, dum Hypocritæ & Infideles ſe cum Diabolis volutant in ſtagno ardente igni atque ſulphure.

XXXIX. *Viſionis* Theomanis *brevis explicatio.*

Philop. Equidem talem aliquem putavi fore hujus Viſionis ſenſum, planéque video, ex *Symbolis* ejus & *Iconiſmis,* nihil in ea contineri quod ullo modo periculoſum ſit aut heterodoxum. Modus verò quo affectus eſt in recipiendo has ità ordinatim diſpoſitas Veritates videtur mihi aliquantùm extraordinarius. Annon magnopere ſapit *Theomanes* talem Diſpenſationis peculiaritatem, *Philothee?*

Philoth. Non omnino, *Philopoli,* quantum ego quidem intelligere poſſum. Profitetur ſe tantùm *Rationabilitate* oblectari, & *utilitate* Viſionis. Affirmat enim & Scripturæ & Philoſophiæ eſſe conſentaneam, & ſæpe memoravit me audiente, quàm *utilis* ſit; tum ad omnes iſtas Viſiones in *Apocalypſi,* quæ ad *Tubam ultimam* pertinent in debitum ſuum ordinem diſponendas ſecundùm *Synchroniſmum,* tum etiam ad detegendam

XL. *Magna utilitas Viſionis* Theomanis, *unà cum illius Defenſione quòd tali Impreſſioni ſe dederit.*

tegendam quorundam Ignorantiam, qui tamen de ſua Inſpiratione gloriati ſunt, qui conjectantes *Tubam ultimam*, noviſſimi Judicii Tubam eſſe ſenſu *Politico*, ſed partes haſce diſtinctas minimè diſcernentes (Diſtributionem intelligo in *ſeptem Tonitrua*) non dubitârunt concludere, in Fidei Apoſtolicæ detrimentum, nullum aliud Judicium fore præter hoc, nec ullam *Tubam* quâ expergiſcantur mortui & citentur ad Tribunal Chriſti, quàm Evangelizationem certæ cujuſdam doctrinæ de proprio cerebro depromptæ. Cæterùm proculdubio, *Philopoli*, illa Reſurrectio de qua S. *Paulus* agit, in prima Epiſtola ad *Corinthios* non eſt *Moralis* nec *Politica* Reſurrectio, (quemadmodum non poteſt quin cuivis pateat, qui ſine partium ſtudio quæ illìc ſcripta ſunt, perlegerit) ac proinde nec *ultima Tuba* illìc memorata, merè *Moralem* habere poteſt ſignificationem aut *Politicam*: prout manifeſtum eſt non poſſe, in prima ad *Theſſalonicenſes*. *Quoniam ipſe Dominus cum hortatu & voce Archangeli ac Tubâ Dei deſcendet de cœlo & mortui in Chriſto reſurgent primùm, deinde nos qui vivemus, qui reliqui erimus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum Domini in Aerem, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Intolerandum eſt hæc trahere ad *Moralem* ſenſum vel *Politicum*. Quamobrem dico totam *Tubam ultimam* non eſſe ſignificationis *Politicæ*, ſed tantùm quinque primas illius partes. In ſexta parte ſive ſub *ſexto Tonitruo*, clangor Tubæ naturalis eſſe poteſt ſive audibilis, utì etiam *Tonitruum* in ſeptima, *ſtagnúmque Ignis* ac Sulphuris non *Symbolicum* aut *Dioriſticum*, ſed *Viſibile* aut *Naturale*, quicquid *Infidelitas* & *Sadduciſmus* ſuggeſſerit in contrarium. Terram enim Finem habere oportet, perinde atque Principium. Adeò ut falſa illa Inſpiratio, cui *Theomanes* videtur obviare velle, *Philoſophiæ* perinde adverſetur atque ſacræ *Scripturæ*.

1 Theſſ. 4. 16, 17.

Philop. Hæc profectò manifeſta eſt, *Philothee*, Viſionis *Theomanis* utilitas. Miror verò ei religionem non fuiſſe ullam talem Impreſſionem in ſuam mentem admittere, quæ Myſteria *ſeptem Tonitruorum* quæ *Johannes* juſſus eſt obſignare & ea non ſcribere, revelare prætenderit.

Hyl. Id dictum eſt ad illud tantùm tempus, *Philopoli*. Quid verò impedit quo minùs poſtea poſſint revelari?

Philoth. Perurbana certè in gratiam *Theomanis*, & officioſa, O *Hylobares*, tua hæc eſt Intentio. Illius verò Auſum nullâ tali indiget Apologiâ. Ipſe enim ei ejuſmodi res objeci. Dixit verò nihil cauſæ fuiſſe cur tales vereretur admittere Impreſſiones quæ Imaginationem, iſtiuſmodi tantummodò ſignaret veritatibus quas *Scriptura* & *Ratio* certas eſſe antea eviciſſent. Præterea Viſionem hanc ſeptem *Tonitruorum*, revelationem eſſe minimè prætendit ſeptem illorum Oraculorum ſive Vocum, (quas audivit quidem Johannes ſed prohibitus eſt ſcribere) ſed *ſeptem rerum* diſtinctiones in *Tuba ſeptima* ſuccedentium, quas hæc Impreſſio certò ei perſuaſit *Synchronas* eſſe ſeptem *Tonitruis*. Cúmque omnino ſeptem ſint generales rerum ſucceſſiones, per iſtas Viſiones in Apocalypſi quæ ad *ſeptimam Tubam* pertinent, præfiguratæ, ad quas reliquæ omnes, tanquam *Synchronæ* poſſent reduci, magna profectò videtur ſcopi hujus Viſionis confirmatio. Cæterùm nimis prolixum eſſet hæc omnia tibi demonſtrare, *Philopoli*, hoc tempore.

XLI. Philotheus *exoratur ut Divinam cantaret Rhapſodiam ad Theorbam.*

Philop. Et adeò abunde mihi ſatisfactum eſt pro hac vice, ut par omnino cenſeam, non permittere te ulterius tibi faceſſere negotium. In omnibus quæſtionibus quas tibi propoſui, *Philothee*, mihi gratificatus es ſupra omnem meam ſpem & expectationem, adeò ut mens mihi ferè deficiat ac diffluat præ gaudio & admiratione.

Cuph. Nihil utilius eſt ad eam recolligendam, quàm tale Canticum quale *Bathynous* ad *Theorbam* cecinit ad componendam *Hylobari* magnam ejus animi emotionem ex Diſſertatione nudius tertius habita. Age *Bathynoe*, ſpero te æquè officioſum *Philopoli* fore atque fuiſti *Hylobari*.

Bath. Perlubenter *Philopoli* morem gerere vellem in re quavis quæ in mea ſit poteſtate, modò in illius damnum non ſit ceſſura.

Philop. Quid ità, *Bathynoe*? Grave aliquod Muſicum Melos, carménque hujus diei Diſſertationi congruum tantum aberit ut in damnum mihi ceſſurum ſit, ut extrema futura ſit præſentium meorum gaudiorum conſummatio.

Bath. Veruntamen, in damnum tibi ceſſurum eſſet, ſi ego, qui bis officium tam perperàm præſtiti, eandem tertiò ſuſciperem Provinciam, cùm alii hic adſint, qui eam fœliciùs adminiſtraturi ſint, & majori cum tua voluptate.

Sophr. *Philotheum* proculdubio indigitat, quem credo has vices fœciliùs obiturum quàm quenquam alium, ut qui adeò peculiarem facultatem habet Pſalmorum partes conjungendi eaſdémque dirigendi ad eundem ſcopum (ídque ex præſtantiſſima Paraphraſi) quas ad Theorbam canit, ſumma cum oblectatione & ſui ipſius & aliorum.

Philoth. Meipſum aliquando ſic oblecto, eſt verò omnino præter expectationem, ſi alii Muſicâ tam mediocri oblectentur.

Sophr. Senſus verò ipſe animum mirificè delectat, O *Philopoli*, & extra ſe quaſi rapit, ac proinde noli ceſſare hoc Civilitatis officium ab ipſo efflagitare.

Bath. Ut majus tibi negotium non faceſſamus quàm opus ſit, Barbiton tibi modulatum dabo. Tantùm non jam ſatìs modulatum eſt. Eſt quidem præſtantiſſimi ſoni Inſtrumentum. Hem tibi, accipe *Philothee.*

Philoth. Bene. Hoc officium plus ſemel, *Bathynoe*, apud te impetravi, ac proinde eò magìs conſentanea eſt, nec repudiari poteſt hæc tua poſtulatio, præſertim cùm *Philopoli* etiam ſit gratificatura.

Philop. Infinitis nominibus tibi devinctus ſum, *Philothee*, propter hoc quod meditaris erga me officium.

Cuph. Obſecro te, *Bathynoe*, Tragicum ullum carmen *ultimóque Tonitruo* congruum noli cantare, nè hujus Noctis quietem perdam terrificiſve inſeſter Inſomniis.

Philoth. Firmam ſincerámque Conſcientiam nihil poteſt territare,

> *Non fulminantis magna Jovis manus.*

Horat. carm. lib. 3. Od. 3.

Nôſti lætam iſtam illius animi ſtatûs apud Poëtam deſcriptionem, O *Cuphophron.*

Cuph. Novi.

Philoth. Verùm utcunque mea Muſica cum *tertio Tonitruo* potiùs quàm cum ultimo eſt conſenſura.

Philop. Audiamus quæſo, *Philothee.*

Philoth.

O tu, quem in ſede ſuperna
Reſidentem gloria cingit,
Quo vivimus atque movemur!
O quàm dulce atque decorum eſt
Conſenſu Cordis & Oris
Hilari corde oréque grato
Nomen celebrare tuum, cùm
Roſea Aurora Æthera pingit!
Cùm fulgida ſydera ſurgunt,
Memorare Fidem atque Favores
Ingentes, carmine læto!
Citharam cape Barbitulúmque,
Quin incipiat Lyra dulcis
Inſtrumenta & decachorda,
Cúmque his argentea jungant
Tinnitus Cymbala acutos.
Animum ut recreant tua Facta!
Quantos ago ego indè Triumphos!
Tua quis Miracula narret!
Tua conſilia alta ut Abyſſus,
Cæcis abſcondita Homullis,
Stultis abſcondita, quorum
Vitium corda obtenebravit.
Humana dicite Genti
Regnum occepiſſe Jehovam,
Arctis Populúmque catenis
Ad juſtum aſtringere & æquum.
Ridentes plaudite Cœli!
Vocem effer lætáque Tellus!
Fluctus ſaltate marini
Atque auguſtum edite murmur,
Littúſque reverberet Echo;
Tunicas vibrate virentes
Ornati floribus Agri;
Lætentur cunctáque, Veri
Æterno dulcè reflectunt
Avium dum Cantica Sylvæ.
Reboent ſacra atria plauſu,

Venit, en! venit ille ſuperbum
Juſtè qui temperet Orbem,
Populo qui jura det aqua
Myſteria veráque pandat.

Hanc aut hujuſmodi Rhapſodias ſæpe apud meipſum cano, *Philopoli*, in ſilenti nocte vel ſummo mane ante diluculum, ſubjungens ſemper dictum illud Servatoris tanquam Epiphonema conſentaneum, *Abrahamus Diem meum è longinquo vidit & gaviſus eſt.* Per hanc feneſtram ſpiro liberiorémque quaſi auram haurio, dum ſtrangulor ferè ſuffocórque colluvione ac fœtore quotidianarum Impietatum mali hujus præſentis ſeculi, & ferè fatiſco prorſus præ tædio ac fatigatu hujus terreſtris meæ Peregrinationis.

XLII. Philopolis error, *in præferendo ſublimes contemplationes utilibus officiis vitæ practicæ.*

Philop. Quinimò, *Philothee*, conqueri potes quàm voles. Mihi verò videmini ſodalitas, qui vitam agitis maximè delectabilem ac ſeraphicam quàm quoſquam fingere queam degere poſſe in Terris. Prælibatio futurorum illorum gaudiorum ac gloriarum, quas præſentes vobis per tam firmam Fidem clarúmque rerum proſpectum facitis, Anticipatio eſt Fœlicitatis Cœli, illius ſaltem Cœli quod in Terris futurum eſt, poſtquam *Nova Hieroſolyma* deſuper deſcenderit. Excellenti veſtro conſortio tam infinitis modis oblector ut ferè me pigeat pudeátque conditionis vitæ meæ propriæ, optóque profectò ut nunquam uxoris Familiæque curis fuiſſem illigatus, ullíſque aliis occaſionibus ſecularibus, ut meipſum beatæ veſtræ ſocietati adjungere poſſem in perpetuum. Tam ineffabilem animo meo peperit voluptatem hæc quinque dierum vobiſcum converſatio.

Philoth. Abſit, *Philopoli*, ut Contemplationis dulcedo guſtum tibi unquam auferat ſapidæ utilitatis ſecularium Negotiorum. Benefacere hominibus, opitulari injuriâ affectis, ſublevare egenos, ignaris conſilium in rebus ſuis neceſſariis dare, educare Familiam in timore Dei lætáque ſpe æternæ Fœlicitatis poſt hanc vitam, noſtram vivendi rationem, (ſi ad nobis ipſis tantummodo placendum tenderet in delicatiorum Notionum delectu) tantum quidem ſuperat, quantum ſolida Bonitas inanem Imaginationem, aut ſincera Charitas maximè puerilem excedit Sophiſticen. Amoris exercitium & Benignitatis, Humanitatis & Fraternæ dilectionis, Prudentiæ atque Diſpectûs, Fidelitatis & Officioſitatis erga Vicinos, ſinceræ denique Pietatis ac Religionis in perſpicuis indubitatíſque illius officiis, Animæ verè Regeneratæ longè major voluptas eſt quàm vel belliſſimæ ſpeculationes quæ poſſunt excogitari.

Philop. Lapſum hunc inopinatum condonabis mihi, *Philothee*, ſaluberrima enim tua monitio reduxit me denuò ad ſanam rerum exiſtimationem. Plenè omnino perſuaſus ſum omnem ſpeculationem, quæ ad Vitæ officia non tendit, nec magis idoneum hominem reddit ad præſtandum quod Deo debet, quod Principi, quod Patriæ, quod Familiæ, Viciníſque atque Amicis, omninò vanam eſſe. Quæ ſola conſideratio eſt, quæ diſceſſum meum à tam præſtanti ſocietate mihi hoc tempore facit quoquam modo tolerabilem, quippe qui tam plenè à te edoctus ſum, ad placendum mihi ipſi me vivere non debere, ſed ad aliorum commodis inſerviendum. Ac proinde adnitar vos non ſic relinquere, quin meliorem veſtri partem mecum queam reportare.

XLIII. *Honorificum ejus blandiloquium ad* Cuphophronem *ſuóſque amicos, cum ejuſdem repenſatione per* Cuphophronem *ad* Philopolin.

Cuph. *Eviſtorem* intelligis ac *Hylobaren*, annon *Philopoli?*

Philop. Perſonas non intelligo ſed res: Chariſſimam memoriam ſinceri Zeli ſolidæque ſcientiæ *Philothei*, liberique ac profundi Judicii *Bathynoi*, Prudentiæ ac Sobrietatis *Sophronis*, & Amœnitatis Ingenii ſingularíſque Urbanitatis nobilis mei Amici *Cuphophronis*. Cui magnas ago gratias pro repetitis ſuis officiis ac civilitatibus ex quo huc veni, quemadmodum & *Philotheo* etiam reliquóque præſtabili huic conventui, ob magna ſua erga me merita, impatientérque expectabo opportunitatem aliqua ex parte referendi gratiam. Intereà temporis in grati animi teſtimonium amiciſſimè vobis omnibus valedico.

Cuph. Non memoriam, *Philopoli*, ſed Realitatem omnium earum Perfectionum quas recenſes jure tecum reportas, quoniam eas huc tecum adduxiſti. Nec antè valedicemus tam præclaro viro quàm fuerit neceſſe. Die craſtino ad Equum mane te comitabimur. Itérque fauſtum vobis tunc optabimus. Interim bonam vobis precamur noctem.

Philop. Nimis magna illa futura eſt gratia.

Philoth. Admodum opportunè iſtam Civilitatem memoras, *Cuphophron*. Id ſaltem præſtabimus, ſi non & partem Itineris eos comitemur.

Hyl. Maximáſque quas *Philotheo* debeo gratias in id temporis differam.

SCHOLIA

SCHOLIA

In DIALOG. V. SECT. 5.

UT adnotamentum unum & alterum faciamus in Viſionem Seſſoris Equi albi, &c. *Ut majori cum voluptate ac facilitate hæc quæ de Phiala ſeptima ſcripſimus intelligat Lector, orandus eſt ut Tabulam Phialarum quam in hanc Sectionem inſerendam curavimus diligentiùs contempletur, vel potiùs Phialam ipſam ſeptimam cum ſuis Synchronis,* Torcularis *ſcilicet* calcatione & Equi albi Seſſoris prælio.

Dico tibi, *Philopoli,* Angelos Cœli lautiùs epulari, &c. *Per Aves Animas ſignificari apud* Cabbaliſtas *ex illo conſtat apud* R. Moſen Corduerum. Veni, vide, eſt Angelus qui præfectus eſt iſtis Avibus, (animabus ſcilicet quæ vocantur Aves) cui nomen *Sandalphon.* Aves verò *Metatronis* ſunt Ruchin, Aves autem *Throni* Niſchmathin. *Quidni igitur Angeli Aves dici poſſint? Immò expreſſim ſic appellantur alio in loco, apud eundem.* Quando *Neſchamah* exit in hunc Mundum duas Aves, id eſt, duos Angelos cuſtodes ſimul ex arbore volitare cum ea. *Nihil verò magìs expreſſum huc afferri poteſt quàm illud* Tertulliani. Omnis Spiritus Ales eſt, hoc Angeli & Dæmones. *Adeò ut per* Aves *quæ volant per medium Cæli, Apoc.* 19. 17. Angeli *commodè intelligi poſſint.*

Et Inſpirationum obtenta, &c. *Immò verò quidni addamus, nempe de Ranis, ex ore Draconis exeuntibus, Demonſtrationum præſtigioſa Obtenta? Cujuſmodi quidem* Spinozianas *illas ordine Geometrico diſpoſitas in* Ethice *ſua, tanquam prodroma quædam ſpecimina conſidero. Pſeudophiloſophos ſcilicet quoſdam fore ſub Phiala ultima qui præſtigioſis argutiſque demonſtrationibus prætendent ſe palàm feciſſe omnem Religionem revelatam figmentum eſſe, prætérque Naturam Materiámve Mundanam nullum eſſe Deum, omnéſque actiones humanas neceſſarias eſſe, nec ullum eſſe reverà honeſtorum & turpium diſcrimen; ſed quicquid jubet Magiſtratus licitum eſſe quantumvìs videatur rectæ Rationi Divinæque Revelationi contrarium. Ut ſic Principum animos hac etiam ratione contra Veritatem Evangelicam contráque Regnum Chriſti obfirmare poſſint, & ad abſolutiſſimam tum in conſcientias ſubditorum quàm in corpora & fortunas Tyrannidem affectandam inſtigare. Annon hi oratores digni erunt, qui ex ore Draconis prodire cenſeantur, vel in publicum tanquam nigræ Stygio de gurgite Ranæ, eis temporibus prorepere?*

Sect. 10. Senſus Mercavæ Ezechielis non eſt *Phyſicus* ſed *Moralis,* &c. *Certè uno plures mihi ſenſus tunc temporis non occurrebant, nunc verò ex noſtra* Mercavæ Expoſitione, *ſenſum illi Viſioni, ſi non Phyſicum propriè, Metaphyſicum ſaltem ineſſe clarè poteſt conſtare. Nec alterum alter ſenſus excludit, ut & neutrum* Literalis. *Quinimò partim ſenſum propriè Phyſicum etiam ſubeſſe legenti noſtram Expoſitionem ſatìs patebit. Adeò ut, quemadmodum Moſis* Bereſhith *ſenſum habet triplicem, Literalem, Philoſophicum & Divino-moralem, ità &* Mercava *Ezechielis Ethico-politicum, Phyſico-theoſophicum & Literalem; juxta monitum illud apud* Salomonem *ſecundùm Septuaginta Interpretes.* Καὶ σὺ δὲ ἀπόγραψαι αὐτὰ σεαυτῷ τρισσῶς. *Sic enim illi reddunt* הלא כתבתי לך שלשים *Nonne ſcripſi tibi* τρισσῶς, tripliciter, *ſenſu ſcilicet triplici, quemadmodum etiam locum intelligunt* Hieronymus *perinde atque* Origenes.

Sect. 15. Cum magìs viſibili ſua prole Quakeris, &c. *Hoc non temerè ab* Eviſtore *dictum eſſe, multis quidem indiciis oſtendi poteſt. Ego unum & alterum tantùm nominabo. Primum eſt dogma illud de excludendo* Chriſtum externum *in re Religionis & amplectendo tantummodo* Chriſtum internum. *Hic purus putus eſt* Familiſmus. *Et hoc tamen in Catechiſmis ſuis primíſve Religionis Elementis* Quakeri *apertè tradunt. Ut videre eſt apud* Guilielmum Smithium, *qui hoc diſcrimen inter falſos Doctores & veros ponit, quòd illi populum jubent* in Chriſtum *credere* ut in Cœlo ſuperno habitantem, *hi verò* in Chriſtum internum. *Certè ſi in Chriſtum in Cœlo habitantem nec Spiritum verè credentibus mittentem populum juberent credere, hoc ipſis vitio verti poſſit; nunc verò cùm internum Chriſti Spiritum ſanctificantem cum externo Chriſto conjunctim prædicant, meritò* Smithius *Infidelitatis aut Impietatis accuſandus eſt quòd prædicationem* Chriſti externi, *characterem falſi doctoris facit, ut qui omnem Religionem circa* Chriſtum externum *cum H. N. abrogat. Et tamen confidenter ibidem addit* Smithius: Prædicatio Chriſti *externi* & prædicatio Chriſti *interni* ingens diſcrimen ponit, nec majus cum ſe invicem conſortium habent, quàm Oriens cum Occidente. *Quod nemo aſſerere poteſt niſi qui omnem fidem in Chriſtum* externum *abjecit. Alioqui ſi per Chriſtum internum Spiritum ab illo promiſſum intelligas, manifeſtum eſt prædicationem utriuſque quàm arctiſſimè inter ſe cohærere.*

hærere. Chriſtus enim externus, *præpotens noſter apud Deum Mediator,* promiſſum Spiritum *nobis impetrat. Hic verò* Familiſticis *occæcatus deliriis Mediatorem* internum *facit, ſeipſum ibi Deo ſacrificium offerentem, quo ira Dei adverſùs nos & Juſtitia propitietur. Ecquid hòc magìs* Familiſticum *eſſe poteſt? Et certè qui paulò cautiùs caſtigatiúſque ſcribunt, non tamen ità ſibi temperant quin Religionem Chriſtianam ad eum ſtatum retrahere velle videantur quo erat temporibus Patriarcharum, ſententiam H. N. in* Evangelio Regni, *ea in re ſecuti. Hoc verò illud* alterum *non eſt quod reſtabat, ſed hoc potiùs, quod licèt levius videatur, haud obſcurum tamen indicium eſt* Quakeros *à* Familiſtis *eſſe oriundos. Nempe quòd ſe invicem, non* fratres, *ut aliæ Sectæ ſolent, ſed* Amicos *appellitent. Quæ notiſſima illa eſt inter ſe* Familiſtarum *Appellatio.*

Quibus addas nihil ferè diſtortum aut abſonum reperiri apud Quakeros *quod in* Familiſmum *facilè reſolvi nequeat. Quanquam enim populus ſint ex confluxu variarum Sectarum in nupera* Anarchia Anglicana, *coaleſcens, fermentum tamen* Familiſticum *apud ipſos præ reliquis prævaluiſſe ex effectis ſatìs manifeſtum eſt, ut omittam multos* Familiſtas *ipſis ſe adjunxiſſe. Doctrinam autem* Familiſticam *ſpargere,* Authorem *interim, quem vocant, reticentes aut celantes, ſemper apud eos ſolenne erat. Hinc minimè mirandum eſt non ſolùm* Baptiſmum *ſed &* Cœnam Dominicam *tolli, quippe hos ut ad Chriſtum* externum *ſpectantes ritus tollit* Familiſmus, *quemadmodum intelligere eſt ex eis quæ* *Lib.6.cap.16. ſect. 2.* *ſcripſimus in* Myſterio Pietatis. *Et verò in illa* Anarchia *quam modò memoravi, rebus undique in pejus ruentibus & in majorem indies confuſionem prolabentibus, cùm* Familiſtis *à ſuo Mimopropheta H. N. in* Vaticinio Spiritûs Amoris *univerſale illud, utì monet* Eviſtor, *promiſſum fuit Orbis Terrarum Imperium, incredibile planè videtur, quin ipſi aut ſuâ ſponte aut perfidorum aliquorum Amicorum maligno conſilio moniti, ſpem jam concepiſſent inſtare tempus & opportunitatem inchoandi Imperii iſtius* Familiſtici, *divinitus datam. Quæ ſpes* J. Nayleri *animo, qui unus è præcipuis* Quakeris *tunc erat, tam altè inſedit, mentémque ambitione ità inflavit, ut Divinum honorem, quaſi* Chriſtus ipſe *eſſet, ad judicandos vivos & mortuos cælitus delapſus, à quibuſdam Mulierculis* Briſtoliæ *acceptaret. Quæ tam enormis veſania pectus illius nunquam occupare potuit niſi* Familiſmus *illum eò antè diſpoſuiſſet.* Familiſtæ *enim Seniorum Familiæ natu maximum, ut Chriſtum* *Lib.6.cap.12. ſect.6.* *redeuntem ad judicium ſuſpiciunt atque colunt, ut videre eſt in* Myſterio Pietatis. *Tam facilè in* Familiſmum *immane illud* Nayleri *Facinus cum ſuis Sectatricibus, reſolvitur. In quem etiam manifeſtò ſolvi poteſt* Quakerorum *in omnium aliorum ſacra contemptus & inſultatio, ità ut ſi gratiarum actioni apud menſam interſint, caput nolint aperire. Quod optimè cum faſtu* Familiſtico *convenit exemplóque H. N. qui tam fœdè omnem Religionem* *Vide Myſter. Pietat. lib. 6. cap. 12.* *Ritúſque ſacros præ* ſuo Amoris ſervitio, *proculcat. Etenim quòd oratio ad Deum, niſi quis præſenti Spiritûs motu eò inſtigetur, Idololatria ſit, apud neminem hominem cordatum ullam poteſt obtinere fidem. Proculdubio omnes eæ preces quæ cum ſincero deſiderio debitáque reverentia ac fide in nomine Chriſti & pro rebus licitis ad Deum funduntur, ei acceptæ ſunt, quamvìs verbis conceptis fiant. Cùm verò plerique nimis remiſſè ac perfunctoriè ſacra obeant, quo Divinam violant Majeſtatem, minùs mirandum eſt, ſi Deus tale hominum genus emergere permiſerit quos more tam ruſtico atque barbaro ſacra noſtra non pudeat violare. Amarulentia porrò eorum adverſùs Miniſtros Evangelii adeò* Familiſtica *eſt ut* *Lib.6.cap.12. ſect. 2.* *nihil eſſe poſſit magìs, quemadmodum videre eſt in* Myſterio Pietatis. *Et quòd tantopere contendunt pro Inhabitatione* Chriſti hominis *in nobis, non quidem per* fidem *tantùm aut per* Spiritum, vivámve *illius in nobis inſtauratam* Imaginem, *ſed ſecundùm* humanam *ſuam* Naturam, *id certo certiùs ſcio purum putum fuiſſe* Familiſmum, *ab illuminato* Familiæ *Seniore olim edoctus Verbum initio Evangelii* Johannis *memoratum nuſquam eſſe præterquam in hominibus, non Cælum Terrámque occupare, eóſque è ſua Familia ex hoc Verbo regenitos eodem modo* Chriſtos *eſſe quo* Jeſus *erat* Chriſtus. *Unde humanam Chriſti naturam in utriſque perinde eſſe manifeſtum eſt, ni Chriſtum in Jeſu ſuâ humanâ naturâ caruiſſe ſtatuere velis. Idem mihi confidenter etiam narravit, nullos eſſe Angelos bonos, malóſve niſi in hominibus. Unde quid de Anima Chriſti poſt ejus crucifixionem ſenſerit, palàm eſt. Denique quantùm ad* Quakerorum *irreverentiam adverſùs Magiſtratum, quanquam credo multos eorum nunc dierum animo innocentiſſimo ſic ſe gerere, veriſimillimum tamen eſt, haſce eſſe de Imperio* Familiſtico *aliquas primitùs concepti Inſomnii Reliquias. Quò referri etiam poſſe puto pronominis ſecundæ perſonæ Numeri ſingularis ad omnes cujuſcunque dignitatis & gradûs perſonas ſingulares, uſurpationem. Sic enim* Quakeri *inter ſe familiaritatem colunt, & in alios tanquam ſe inferiores imaginarium quoddam exercere videntur Imperium. Ruſticitatem verò iſtam nemini aperiendi caput, corpúſque inclinandi, fructum fuiſſe prædicti Inſomnii ex eo videtur conſentaneum, quòd rationes illius omiſſionis nullas adhuc niſi vacillantes & pugnantes inter ſe producere potuêre. Nunc enim nullius honoris eis rebus ſignificationem ineſſe contendunt eáſque quovis homine eſſe indignas, nunc* *majorem ſignificare quàm qui ulli humanæ competat dignitati: cùm tamen* Eſther *Regina religioſiſſimè à* Mordochæo *Patruo ſuo educata non ſolùm incurvavit ſe ſed & procidit ad pedes* Aſſueri *Regis. Atque hinc ſatìs liquere poteſt, quàm non temerè* Eviſtor Quakeros *viſibilem* Familiſtarum *vocaverit prolem, quippe qui Principia* Familiſtica *non occultant, ut ſolebant* Familiſtæ *ipſi, ſed per opera iſtis Principiis conſentanea, toti mundo propalant.*

Quicquid igitur diſtorti aut abſurdi habeant Quakeri, *manifeſtum eſt ad* Familiſmum *referri oportere nuperámque in* Anglia *Anarchiam. Cúmque illam Larvam quam iſta tempora & occaſiones eis induiſſent, nè fallibiles videantur, nondum exuerunt, nec ipſi fortean quamplurimi, unde iſtud ornatûs profectum ſit aut quorſum tendat, intelligant, intùs interim habere poſſunt animas ſatìs candidas, & ſub hac externa deformitate, ut* Alcibiadis *Sileni, aliquid, quod ad Diviniorem ſpeciem propiùs accedat, contegere. In aliquos enim incidere potes quos meritò ſperes ad veram juſtitiam animíque rectitudinem ſincerè anhelare. Sententia verò omnium tutiſſima ac moderatiſſima eſt, nec tam benignè quàm ipſi de ſe, nec tam malè quàm alii, de eis ſtatuere. Satìs magnificè profectò de ſeipſis ſentiunt, ut ſolent* Familiſtæ, *quaſi illi aurea illa* Philadelphianæ *Eccleſiæ ſecula in Mundum eſſent introducturi. Et certè ſi tam propè jam inſtaret illorum beatorum ſeculorum Pompa proceſſionalis quàm* Quakeri *ſomniant, equidem* Quakeros, *quippe quibus hiulcum quid diſtortúmque & immane quantum à reliquorum moribus mortalium diſtans ineſt,* Manduci *aut* Citeriæ *partem in Anteludio Pompæ ſuſtinere poſſe non multùm refragarer. Quanquam dolendum interim fateor, quòd tam ingens utrinque otioſorum Spectatorum multitudo ſit, qui nè* Manduci *quidem ſunt aut* Citeriæ. *Falſi aliquot* Meſſiæ *verum* Meſſiam *anteceſſerunt in perſonali ſuo adventu; ità veriſimillimum eſt, in adventu Chriſti ſecundùm Spiritum, falſum aliquod aut ludicrum, veram illam Spiritûs diſpenſationem anteceſſurum. Illa autem* vera Spiritûs diſpenſatio *nunquam futura eſt quæ* Spiritum Chriſti *in nobis, illius officii Mediatorii vi in cœlis, miſſum non agnoſcit,* externúmve *Chriſtum non conjungit cum* interno *Chriſti* Spiritu. *Quod quidem facit ut ſuſpicer* Quakeriſmum, *quicquid in eo boni ſit, ad ſummum, non niſi jocoſerium quoddam eſſe Divinæ Providentiæ Phænomenon; & haud fortuitò contigiſſe, ut, (quemadmodum* Myſterium, Mater Fornicationum, *Meretricis* Babylonicæ *fronti inſcriptum eſt, ità)* Quakerorum *capiti,* Vulpes, *(ſic enim* Foxius *ſignificat) inſcribatur; cùm illi boni viri tamen, quæ illorum eſt ignorantia, ſub* Agni *vexillo in monte* Sionis *ſe congregatos ſomniant, revera interim militantes ſub vexillo* Vulpis *cum ſuis* Vulpeculis *in montibus Prædonum, qui ovile vineámve Chriſti depeculantur, &* Agnellos *illinc quoſque tenerrimos, molliſſimáſve ſuffurantur* Uvas. *Sed vereor nè nimis levia hac quiſpiam, ac ludicra reputet. Ego verò levibus his armis Fanaticum hoc genus hominum, & effuſâ, (uſque ad hilaritatem quandam animi, morúmque jocunditatem) erga ipſos benevolentiâ, citiùs ſubdomari poſſe & convinci exiſtimo, quàm carceribus ac flagellis quibus omninò fruſtra contra eos uſa eſt nuperæ* Anarchiæ *ſeveritas. Ità enim comparatum eſt horum hominum ingenium, ut ſi quid durius patiantur, ſupplicium ſtatim in perſecutionem, errores in veram* Fidem *& ſeipſos in Apoſtolos ſuâ quidem opinione, convertant.*

Mimopropheticum *igitur quoddam hominum genus* Quakeri *primitus cenſendi ſunt & à ſummo illo* Mimopropheta *H. N. oriundi. De quo tamen ipſo; quando paulò benignior animum ſubit hiſce de rebus cogitatio, ut non ſine Divina permiſſione, ità non ſine aliqua humani generis utilitate ſcenam eum conſcendere potuiſſe exiſtimo, quanquam omnino talem etiamnum eum puto qualem deſcripſi in* Myſterio Pietatis. *Quippe qui, cùm ex* Enthuſiaſtica *quadam* Infidelitate *omnem illam Religionem quæ* externum *Chriſtum reſpicit, quaſi* ἀμετρία ἀνθολκῆς *penitus abſtuliſſet, eò impenſiùs viſus eſt Chriſtum* internum, *hoc eſt, puram vivámque Juſtitiam & Sanctitatem colendam eſſe ſuos monuiſſe, totámque operam ei rei impendendam. Cui ſoli ſtudio ſi ſincerè quiſpiam per* Familiſticam *hanc* ἀμετρίαν ἀνθολκῆς *totis viribus incumberet, etiamſi hoc pacto Religionem jam adultam in minutum* Semen Ovúmve *rurſus contraxiſſe meritò videatur, non diffitemur nihilominus* Ovum, *quanquam contemptibilem ſpeciem præ ſe ferat ſi vel cum* pictura *adultæ Volucris, Cygni putà vel Aquilæ comparetur, (modò tamen* hypenemium *non ſit ſed* vitale *ac* prolificum *) nobilioris naturæ eſſe quàm quilibet* pictus *Cygnus aut Aquila, taléque quod in pulchram illam Aquilæ formam ſe explicaturum ſit tandem, nec inanimam quidem ſed ſpiritu vegetam ac robuſtam & ad omnia debita vitæ munia promptam ac paratam: Cùm è contrà* pictæ *iſtæ Aves ex vivo ſemine nequaquam natæ, ad ſtatum vitæ nunquam pervenire poſſunt ulláſve* vitales *obire functiones. Omnia illic inanimæ ſunt Umbræ. Et ſic ſunt omnes Religionis partes quæ ex* vitali ſemine in corde *non naſcuntur, ſed in* cerebro *tantùm* pinguntur *& externis exercentur Ceremoniis.*

Quæ quidem ſic intellecta nolo ac ſi inſinuare vellem Quakeros, *ut nunc ſe res apud ipſos habet, ad* Familiſticum *hoc* Ovum ſemenve (*quanquam* parvi *cujuſdam* ſeminis *in ſcriptis eorum multa ſit mentio) totam Religionem Chriſtanam reduxiſſent, cùm ſanè, nè qua fraus fiat veritati, fatendum ſit eos multùm ſupra Diſpenſationem* Familiſticam *jam emerſiſſe, & appendiculas potiùs illius quàm rem ipſam nunc retinere. Si omnes nempe eandem cum* R. B. G. P. *&* G. K. *colunt Fidem. Nam cùm* Familiſmus Enthuſiaſtica *quædam planè ſit* Infidelitas *ſive Incredulitas circa Vitam Futuram Hiſtoriámque Servatoris,* G. P. *quidem, in libro ſuo qui inſcribitur,* Nulla Crux nulla Corona, *argumentum de Vita futura beatáque Animæ Immortalitate ità urget, ut vix in ullum Authorem incidas qui eam rem majori cum Zelo animíque vehementia inculcet. Sed ut* G. P. *&* G. K. *miſſos faciamus, de quibus non dubito quin vitam firmiter credant futuram ; Audiamus quid* R. B. *qui ſe quaſi os in ſua* Apologia, *omnium* Quakerorum *conſtituit, hiſce de rebus narret. Pag.* 84. Quin ex animo, *inquit,* rejicimus *Apollinarii* Hæreſin qui negabat Chriſtum habuiſſe animam ſed corpus ſolummodo Divinitate actum, & etiam *Eutychetis* errorem qui naturam humanam à Divinitate prorſus abſorptam voluit. Nam ſicut credimus fuiſſe illum verum ac realem Hominem, ità credimus ſic illum adhuc manere in cœlis cùm in corpore tum in Anima glorificatum, per quem Deus judicabit Mundum in noviſſimo & extremo die Judicii. *Qui autem Chriſtum corpore juxtà atque animâ in cœlis glorificatum credit, eum equidem de Incredulitate circa animarum noſtrarum Immortalitatem ſuſpectum habere nequeo. Eóque minùs, quia altero in loco, quanquam obiter, hac in re ſententiam ſuam ſincerè indicare videtur, pag.* 137. *ubi de ſecretis gaudiorum Divinorum vitæque influxibus, quibus, in introverſionibus ſuis internóque ſilentio, irrigantur, loquens,* Hæc enim eſt, *inquit,* præguſtatio ſenſibilis illius Fruitionis quâ Sancti in Cœlis quotidie fruuntur, quam Filiis ſuis ſæpe indulget Deus ad conſolationem eorum & incitamentum, præſertim cùm congregati ſunt ad illum attendendum. *Pauca illa verbula [quâ Sancti in Cœlis quotidie fruuntur] plena profectò eſt & expreſſa Immortalitatis Animæ profeſſio.*

Et quantùm ad Hiſtoriam Chriſti admodum explicitè pag. 85. *ſic ſcribit.* Sicut credimus ea omnia quæ in ſacris literis de Conceptione, Partu, Vita, Miraculis, Paſſione, Morte, Reſurrectione & Aſcenſione Chriſti conſignata ſunt, verè & realiter fuiſſe tranſacta ; ità ſentimus omnes obligari ea credere, quibus Deus eorum ſcientiam affert, immo putamus damnabilem incredulitatem ſi quis non crederet ea ſibi allata, quoniam Divinum ſemen ità credere inclinaret, & licèt unicuique non revelet explicitam & externam eorum ſcientiam, ſemper tamen veritati aſſentitur ubi declaratur. *Quæ verba verè aurea ſunt verive ac puri Auri Index verus lapiſve Lydius. Et ex quo nihil ferè Divini ſeminis in* H. N. *fuiſſe manifeſtum eſt, ſed merum fuiſſe* Mimoprophetam. *Lib.6.cap.16. & 17.* *Quippe quem probavi in* Myſterio Pietatis *Hiſtoriæ Chriſti quà miraculoſæ, omnem abrogâſſe fidem. Porrò de* duplici *Chriſti* Redemptione *ſolidè rurſus philoſophatur pag.* 127. Prima, *inquit,* eſt Redemptio à Chriſto peracta in corpore ſuo crucifixo extra nos, Altera eſt Redemptio quam Chriſtus in nobis operatur, redimendo nempe nos à corpore Peccati, novam nobis indendo naturam. *Quod paulò pleniùs innuitur pag.* 135. Satìs ſuprà, *inquit,* dixi, ad demonſtrandum quanti facimus Mortem & Paſſionem Chriſti, cùm eâ affirmemus & Deum pacatum & remiſſionem peccatorum obtineri, & gratiam eam & ſemen, à quo Divinus partus provenit, acquiri. *Multáque alia ad hunc ſenſum apud eum occurrunt. Denique, longum enim eſſet omnia huc accumulare, De magno illo Fidei articulo agens,* quòd Chriſtus ad dextram Dei ſedet qui etiam illîc pro nobis interpellat, *Rom.* 8. *ſic tandem ſtatuit :* Chriſtus igitur interceſſionem facit durante cujuſque viſitationis tempore, ut convertantur, & cùm ſecundùm aliquam menſuram converſi ſint orat ut pergant & procedant, & non retrocedant aut deficiant. *En quàm immane quantum hæc ſupra Infidelitatem* Familiſticam *elevata ſunt ! tantum ſanè quantum Cœli à Terra diſtant. Quod facit ut minùs nunc demirer, cùm* Quakeri *ad veram ac Apoſtolicam Chriſtianitatem tam propè jam acceſſerint, reperiri aliquando homines non tantùm ſincero pietatis ſtudio affectos ſed prudentes aliàs & intelligentes, (niſi quòd Schiſma non ſatìs meminerint opus eſſe carnis) qui ad hanc Sectam divertant. Nec mediocriter profectò gaudeo meum de* Quakeris *ſincerioribus, quod ante multos annos in* Myſterio Pietatis *divulgavi, me omni ex parte non fefelliſſe præſagium.* *Lib.10.cap.13.* Eos ſcilicet qui in ſerio perſtiterint ſinceróque deſiderio iſtiuſmodi cognitionis quæ ad vitam tendat ac pietatem, redituros tandem incolumes ad Jeſum Chriſtum magnum illum Animarum ſuarum Paſtorem ac Epiſcopum. *Hoc autem optandum reſtat ut tam pulchram profeſſionem heterogeneis* Familiſmi *appendiculis nollent diutiùs deturpare ſatiſque honeſto vultui tam tetram horridámque larvam obducere, ſed omnes ſuprà memoratas ſordes quiſquiliáſque* Familiſticas *diligenter abſtergere atque à ſe abjicere. Sed plura in hunc* Eviſtoris *locum effudi quàm putaveram.*

Fuiſſe Chriſtum in nobis ſpem gloriæ. *Et ſic quidem habet Tralatio Anglicana. Qui ſenſus etiam ſatìs convenit cum illo Symbolo* J. Behmen, Salus noſtra in vita Jeſu Chriſti in nobis, *dummodo per vitam Jeſu Chriſti intelligis vivam illius in nobis Imaginem. Chriſtus enim in nobis dicitur eſſe vel per* Fidem, *vel per* Spiritum, *vel per* vivam ſuam Imaginem *in nobis reſtitutam. Et ſecundùm quemlibet horum ſenſuum,* ἐν ὑμῖν *rectè verti poteſt,* in vobis. *Verùm ut liberè fatear quod res eſt, illum ſimpliciſſimum maximéque genuinum hujus loci ſenſum exiſtimo, quem habet* Grotius; [Τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστι χριστὸς ἐν ὑμῖν ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης] Ingens, *inquit,* Arcanum Dei patuit, cùm Chriſtus, id eſt Doctrina Chriſti in Gentibus ſonuit in ſpem vitæ æternæ. Eſt ergo hìc duplex μετωνυμία, Chriſtus pro doctrina Chriſti, & ſpes pro cauſa ſpei; *ſic ille. Ubi* ἐν ἔθνεσιν, *&* ἐν ὑμῖν, inter Gentes *&* inter vos, (*nam &* Paulus *doctor gentium erat*) *rectè apud* Bezam *vertitur. Tam parùm momenti habet hic locus, quanquam præcipuus ex eis quos afferunt* Quakeri *ad ſtabiliendum ſuum commentum de ipſo* homine Chriſto *revera ac propriè habitante in nobis, immò crucifixo in nobis & ad vitam reſtituto, &c. In quibus eos omnino* Familiſſare *ex ſuprà dictis ſatìs conſtare poteſt. De Imagine autem Chriſti in nobis tales texere Allegorias magìs tolerandum eſſet.*

Sect. 18. Peculiaris Inſpiratio ſive Illuminatio, &c. *Peculiaris quidem Inſpiratio ſive Illuminatio negatur, ſed non ea quæ omnibus regeneratis & ſanctificatis hominibus communis, qualem* Jacobum Behmen *fuiſſe, nullus quidem dubito.*

Sect. 20. Hic Spiritus, Spiritus Sectarius nequaquam erit, &c. *Quod ab eis ſummopere notatum volo, qui cùm tam proclives ſint ad imaginandum ſe in ſpiritu* Eliæ *veniſſe, Schiſmatis nihilominùs indulgent, inſubidiſque ſuis moribus ac perverſis, ſine omni neceſſitate, legitimum irritant Magiſtratum.*

Sect. 38. Spacium ſeptimæ Tubæ in ſeptem Tonitrua diviſæ, &c. *Quòd ſeptem Tonitrua totum ſeptimæ Tubæ ſpacium occupant, id argumentis, ut opinor, ſolidis, in* Viſionum Apocalypticarum Ratione Synchroniſtica *confirmavi, quò remittendus eſt Lector, Cap.* 2. *Sect.* 4. *Nec novi quicquam hic ſuperaddere opus eſt.*

CARMINA

CARMINA QUÆDAM AUTHORIS
partim ex Poematis ejus
PHILOSOPHICIS,
partim aliunde deſumpta.

Circulatio Sanguinis,

Ad celeberrimum Medicum G. Harvæum *Inventorem*.

HUmano ſubdi ingenio vaga Sydera Cœli
Æthereáſque vias, monſtrant monumenta Priorum:
Sanguinis at ſolito redeuntes ordine luſus
Purpureæque ratos, quæ corde repellitur, undæ
Circuitus, blando caleant quâ cuncta madore,
Nemo Anglúm ante Senem Myſteria tanta recluſit
Nec dictis potuit ſtupefacto exponere Mundo:
Difficile eſt adeò noſmet deſcendere in ipſos,
Atque excurſantes Animi compeſcere flammas.
Ergo, *Harvæe*, tuos pariter celebramus honores
Dum canimus pulſum & rutilantis ſanguinis orbem,
Quâque poteſt tacitas fluor hic, ratione docemus,
Subrepens renovare per omnia membra choreas;
Conſperſum unde viget vitali flumine corpus
Diffuſos latè ſucco penetrante meatus.
  Scilicet Oceanis ut ſubterraneus undis
Fit curſus, cæcæ reſecans penetralia Terræ,
Dum liquor è magno prorumpens fortiter alveo
Per cava pérque poros ſinuoſo tramite ductus
Intùs ad Imaum pergit gelidúmque Niphatem,
Alpes ac Rhodopen, niveum & candoribus Æmum:
Mox tamen è madidis algenti rore Cavernis
Per juga tranſudant latices, quos excipit Indus
Et Tigris Rhodanúſque atque auro turbidus Hebrus,
Axius atque Erigon, guttarum qui agmina ripis
Rurſus ad Oceanum referunt; pérque extima Terræ
Innumero repetit humor Mare refluus Amni:
Sic ſanguis qui à corde fluit propulſus & intrò
Labitur occultos quócunque Arteria rivos
Ducit, conſpicuis mox ad cor tendere venis
Cernitur, aſſidui ſignans veſtigia curſûs
Cæruleis, queis tota nitet cutis extima, ramis.
  Sítque levi hæc calamo ſat ſic ſtrinxiſſe, reíque
Ante oculos ſummam poſuiſſe, ſed acrior inſtat
Pugna, modóſque mihi jam reſtat pandere certos
Queis liquidò reditum hunc evincam ſanguinis ad cor,
Inſuperabilibus demonſtrans omnia Dictis.
  Primò igitur conſtat quòd copia tanta coruſci
Sanguinis erumpit cordi, dum pulſat, ut omnem

Vinceret ingluviem tam largos ſuggerere hauſtus
Succorum atque Cibi. Minimùm bis millia fundit
Drachmarum ſaliens Cor, unâ, ſanguinis, horâ.
Nec remeare ſinunt Valvæ quas ſigmata claudunt.
Mollibus unde viam venis tentare neceſſe eſt.
Deinde manus valido ſtringas vel brachia nodo,
Paulò pòſt frigent digiti, ſin vincla relaxes
Nè coëat duro compreſſa Arteria nexu,
Protinùs immensùm turget manus, atque ruenti
Sanguine reſtagnat, quem nullum abſumere in uſum
Pars onerata poteſt, tenui aut depaſcere flammâ.
Poſtremo unde loco tantum ſupereſſe fluoris
Sanguinei conſtat, venas ut rumperet omnes,
Hunc niſi tranſmittant recto ad præcordia motu.
   Cujus & indicium eſt quod vinclo, ſæpe, ſoluto,
Frigidior Sanguis ſimulatque acceſſerit ad Cor,
In Medici manibus pallens defecerit Æger.
Quin & Venarum ſtructura & fabrica Cordis
Edocet hoc, monſtrántque patentes omnia Valvæ.
Porrò ægrotanti cùm fiat apertio Venæ,
Impacto, ſubter puncturam, pollice, nullus
Exiliet Sanguis, Digitum ſi forte remittis,
Purpureo pinges adſtantia ſingula rore.
Denique ſi caleat candenti cor magè ferro,
Hic niſi circuitus fieret ſuccíque recurſus,
Extremæ partes torperent frigore, & ipſam
Languida Hyems premeret, primo jam flore, Juventam.
   Cùm verò extremis conſtet de Corporis oris,
Pulmonum curtos tandem non credere gyros
Deſipere eſt. Eadem hîc formatio partium & uſus;
Valvulæ & adjunctâ gaudens Arteria venâ.
Præterea lævum fruſtra Natura creâſſet
Ventriculum, niſi per pulmones ſanguis ad illum
Transfertur. Calidum nam reſpiratio Rorem
Temperat, ut poſſit tandem, adrependo, ſiniſtrum
Fortiter irritare, latex ut frigidus, ignem.
Unde vigent toto generoſi corpore pulſus,
Qui languere ſolent in peſtiferis Hypocauſtis,
Deliquiúmque parit ferventior Aëris æſtus.
   Denique conſpicuis firmentur ut omnia ſignis,
Circulus hic rutuli ſucci in pulmonibus, ex hoc
Eniteat, quoniam Viventi pulmo ubi deſit,
Non plures Natura ſinus cordi indidit, uno.
Immò ubi adeſt pulmo, nec tum permittitur uſus,
(Quod fit & infanti, qui nondum carcere rupto
Vagiit elapſus dias in luminis oras,
Atque anati, reliquíſque volucribus, indita, longo
Tempore cæruleis condunt quæ colla ſub Undis)
Opportuna vagi, citò, tunc compendia curſûs
Conſpicies fieri, atque hîc ſiſti ſanguinis orbem.
Hiſce etenim tubulus dextro de corde ad Aortam
Purpureos mittit calices. Cava vena ſiniſtrum
Ventrem adit, Ovalem penetranti flumine rimam.
Unde etiam atque etiam conſtat, quòd factus in uſum eſt
Hunc ipſum pulmo, ut luſus det ſanguis in illo
Circuitúſque vagos, longis ambagibus hærens,
Frigidulus lævum ut crebro ſpiramine ventrem
Tandem adeat, vegetúmque queat cire indè calorem.
   Ergo meat corpus per *totum* ſanguis & ipſum
Ex nulla eſſe ſinit ſtagnantem parte Paludem.
   Hæc, Divine ſenex, breviter tibi noſtra Thalia
Panxit: ad Oceanum gratus ſic refluit Amnis,

Sic à te doctus redit ad præcordia ſanguis.
Quodſi proſequerer quo ſunt tua digna lepore
Ornatis fusè depingens omnia Dictis,
Fax Cœli me deficeret, nec dum exitus eſſet
Producto ſermone nigraï Noctis ad umbram.

Neceſſitas Triumphata:

Seu

Humanam voluntatem ad unum *neceſſariò non determinari.*

O Dea! quæ clavum manibus cuneúmque ſuperbis
Geſtas, & ſtrictâ liquidi compagine plumbi
Cuncta premis, durámque ſoles imponere legem,
Uſque adeóne tuo indulges, ſæviſſima rerum!
Imperio, aſtringas triſti tibi ut omnia nodo?
Terra tua eſt & quos ſub verno tempore flores
Proruit, & quicquid tenebroſa in viſcera condit.
Amnes quò tu cunque vocas ſalſæque lacunæ
Pergunt, & lati palantia Sydera Mundi.
Aër ſub ditione tua eſt, nimbíque ruentes
Quæque boant rauco metuenda Tonitrua cœlo.
Et nimis anguſtum ſi forte hæc omnia Regnum
Infernas moderare Umbras ſedéſque Silentûm,
Horrificóſque ſuis ructantem è faucibus æſtus
Tartaron. His addas brutum genus omne Animantûm,
Innumeras pecorum ſpecies atque Altivolantûm.
Mancipium Natura tuum eſt, ſeu triſtior illa
Quam Nox ima premit cæca in caligine, ſive
Quam Matutinis radiis fovet Æthereus Sol.
Omnibus his dare jura potes, duráſque catenas
Nectere, & ad rigidum nodis mordentibus *unum*
Stringere. At hâc ſtupidâ non torpent cætera lege.
Liberum enim eſt genus humanum, veluti innuba virgo
Quæ nondum ullius thalamis addicta mariti eſt.
Multi hanc ergo viri precibus blandíſque loquelis
Facundos quos fecit Amor Noctíſque cupido,
Solicitant. Noſtras alios ità Manibus imis
E mediis alios, alios è ſedibus altis
Impugnâſſe procos Animas ſentimus, & ipſum
Deſcendiſſe Jovem caſto in præcordia luſu, ut
Virtutem inſpiret, ſanctúmque accendat Amorem.
Scilicet hæc fiunt quoniam Mens libera noſtra eſt
Legibus æterni Fati, *uniúſque* ſeveri.
Quodſi Animæ motus ſolido Dea ferrea clavo
Præfixos jam olim determinet; illius omnes
Fictitii aſſenſus, libertas nil niſi inane
Commentum; quod qui eſt auſus fabricare neceſſe eſt
Æſtuet implicitus nodis quos conſuit ipſe,
Et Chryſippeum ſudet volvendo Cylindrum.

Invigilatio.

Lætitiæ ſubitò cave nè immergaris inani,
  Nè lingua inſanis ludat & erret aquis.
Tempora nec plexis Domini circundato ſpinis,
  Nec ſacra ſubtilis tangat acus latera.
Tranſegiſſe diem ſine labe, hæc unica mentem
  Torqueat invictam nobilis anxietas.

Τὸ τῆς ὅλης φύσεως κήρυγμα,
εἴτ' οὖν
Ὑμνῳδία.

Ἐκ θεοῦ ἦν ὁ λόγος κ' αὐτὸς θεὸς, ἐκ δὲ Λόγοιο
Τοῦ δ' ἑνὸς ἐν κόσμῳ μυρίοι εἰσὶ λόγοι.
Ἡμεῖς δ' ὡς Νείλοιο βαρυγδούπου ποταμοῖο
Ἐνναέται, ἱερῶν κωφεόμεθα κελάδῳ.
Κλῦθι δ' ἐμὸν φίλον ἦτορ, ἐπὴν ζαθέοιο χοροῖο
Ἠθῆς εἰσαΐον τὴν μελίγηρυν ὄπα.

Ἡ τῶν ὄντων Ὑποταγή.

Γαῖα μέλαιν' ἁπαλοῖς ὑποτίκτεται ἄνθεσι ποίης,
Βουσὶ δὲ καὶ ἵπποις γαῖα μέλαινα, πόη.
Ἀνδράσι γαῖα, πόη, καὶ ἀελλοπόδων γένος ἵππων.
Τἆλλα τὰ πάντα γ' ἐμοῦ εἵνεκ', ἐγὼ δὲ θεοῦ.

Aphroditus
Syneſ. Hymn. 2, 3. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 8.

Summe Pater! rerum fixa inconcuſſáque Sedes!
Omnia qui fulcis Mundo non fictus Adonis.
Fundamen Cœlorum! immobile ſuſtentamen
Telluris! Magnûmque quies ſecura Deorum!
Omniparens Amor! In dias tu luminis oras
Omnia producis, vaſtus quæ continet Orbis:
Innumerâ tu prole tuâ terráſque feraces
Aëráque immenſum comples campóſque natantes.
Seclorum Pater es, Mater pia, ſedula Nutrix.
Te circùm quoniam ludunt humana propago,
Quos niſi tu ſiſtis, nutricis more, patenti
In gremio & circumjectis tutare lacertis,
Protinus, heu! pereunt, priſcas repetendo tenebras,
Submerſóſque ſuo claudit Styx lurida fundo.
Lurida Styx, ſummi quam oderunt tangere Olympi
Incolæ inextinctum ſpirantes ſemper amorem.
Hujus enim horrendas nemo quiſquam petet umbras
Fluminis, accenſus lucenti pectora ab igni.
Nos tamen interea charis dum amplecteris ulnis
Materno ſiſtíſque genu, te cernere contrà
Vix cupimus, blandóſve tuos advertere vultus.
Sed veluti lactens Infantulus ubera Matris
Quæritat, & cunctas complet vagitibus ædes
Ni ſedet & mollem ſibi nudam veſte mamillam
Exhibet: Hæc igitur properat ſævúmque Tyrannum
Demulcet dictis atque oſcula dulcia figit.
Ille autem non dicta moratur, nec pia Matris
Oſcula, non hilares oculos vultúmque ſerenum
Attendit, pulchros neque, amantum rete, capillos.
Nulla mora eſt, quò cæca fames vocat, inſtat, in uber
Involat, & niveum ſitienti fauce liquorem
Haurit, & alterno jactans ſua cruſcula motu
Maternum refricat gremium, dulcedine ſenſûs
Exultans, tenerum ſucco feriente palatum.
Sic nos, magna Parens! quorum provectior ætas,
Sic tua, ſic avidis premimus ſacra ubera labris.
Sed formam vultúmve tuum qui conſpicit? Omneis
Cæcus Amor quò tractat & expectata voluptas
Auferimur, plenóque unà devolvimur alveo.
Verùm ego ſi poſſem! neque enim deprendere poſſum

Divinam ſpeciem: Nimio tua pignora luſu
Quippe ſoles laſſare & gratam avertere formam.
At cùm conatu longo defeſſus ocellos
Adduco & facilis vincit mea tempora ſomnus,
Tu tamen interea vigilas & membra ſopore
Dulci extenſa vides & amico lumine mulces.
Hæc, Venus alma, animus, nebulas noctémq; malignam
Somniat obfuſus, neque enim poti' cernere quicquam eſt,
Sed furit & cæco rerum perculſus amore
Evomit inſanum turbato pectore carmen.

Ζωὴ ϗ Θάνατος.

Τῶν οὐσιῶν ἡ συμπαθητικὴ σχέσις
Ἡ ζωὴ, ὥσπερ τὸ θανέειν, μὴ συμπαθεῖν.

Πολυπραγμοσύνη.

Μὴ ἓν θηρίδιον πολυπράγμονα ἄνδρα νόμιζε,
Ἔστ' ἐπιχαιρέκακος, βάσκανος, ἔστι λάλος.

Σωφροσύνη.

Ἀλλ' ἀπέχου παρὰ πάντα τραγήματα ἃ μετὰ δεῖπνον
Ἁδέα ἐυκαίρω σωφροσύνας σύνεσις.

Scientiæ Affectatio.

Te n' centrum Mens vana putas pulchrai Sophiaï,
Lucis ut unam omnes te peterent radii?
Dic, ſodes, quid tu merita es? quo nomine vinctos
Traxiſti ſuperos in tua vota Deos?
Si Cœli vis te Centrum, depreſſior imis
Terraï fac ſis improba viſceribus.

Γυμνοθεΐα,
εἴτ' οὖν
ἡ ἀνυπόκριτος τῆς ψυχῆς Θεοχάρεια.

Ὃν γυμνὸς οὐκ ἂν τέρπῃ, οὐ τέρπει θεός.

Εἰς τὸ αὐτό.

Οἴμοι τί πάσχω δύσμορος; τῷ φιλτάτῳ
Ἐμφῦναι οἰόμενος, σκιὰν ἢ ὄναρ σκιᾶς
Ἐνηγκαλισάμην, σῶμα δ' οὐκ ἠσπαζόμην.
Κάλλιστον ὄντων εἴθ' ἔμοιγε τὸ σὸν φάος
Γυμνὸν παρέξαις, ὥστε με τὸ ὄντως ἐὸν
Ἀμφιβαλέειν, μᾶλλον ἢ τῇ ψυχῇ δίδου
Γυμνὴν λαβέσθαι τὸ καθαρὸν τοῦ σοῦ φάους.

Deliquium.

Vires deficiunt, abítque vita.
Virtutem revoca, O Deus! fugacem,
O Sol Juſtitiæ atque Origo Vitæ!
Vitæ quâ reficis tuos Alumnos,
Inſpira, obſecro, Spiritum ſüavem
Venis languidulis, meóſque ocellos
Lucis vivifica novo vigore,
Perculſum ſaliat novóque amore
Pectus, compoſitas agat choreas
Lætum cor, cupidis premátque in ulnis

Quæ tu cunque facis, Pater Deorum!
Immenſique Opiſex perite Mundi!
Cuncta exoſculer ambitu benigno &
Injectis teneam fovens lacertis.
Nam jucunda cluent, cluent amœna,
Ni Nubes animum gravent acerbum
Atque urat dolor intimus medullam.
Ergo magnanimam piámque mentem
Sedatam facilémque callidámque
Concedas quæ hominum ſciat ferátque
Mores omnimodos bonos malóſque.
Nec Cor concutiant ſuperbiarum
Fluctus turgidulum; furor dolórque
Vitæ nè obſideant vias miſellæ
Suffocéntque ſuis feris catenis.
Mentem præbe humilem at ſimul ſerenam,
Mentem præbe hilarem at ſimul ſeveram
Te circum choreas leves agentem
Pulſantem citharam at tibi canentem.

Πρὸς τὸν Φιλόκαλον.

Βιβλία πάντα τέλεια, μαθήματα πάντα τέλεια,
Εἰ δέ τι ἄλλο καλὸν, τοῦθ᾽ ὅλον αὐτὸς ἔχε.
Εἰ δέ σοι ὦ Φιλόκαλ᾽ ὅτι μὴ ὅλον οὐδὲν ἀρέσκει,
Τῶν ἠθέων τί ἔχεις ἡμιτελὲς τὸ καλόν;

Fides fluctuans.

O Deus! æterno Lucis qui abſconditus Orbe
Humanos fugis aſpectus! da cernere verum.
Da magnum ſpectare diem non mobilis Ævi.
Da contemplari nullius in infera Noctis
Lapſurum Solem. Spiſſas caliginis umbras
Adventu diſpelle tuo. Pernicibus alis
Ocyùs advolitans, animam tu ſiſte ſolutam
Mobilitate ſuâ; rapidæ quam curſus aquaï
Deturbat ſecum atque in cæco gurgite condit.
Sed tamen ex fluxu hoc rerum miſeróque tumultu,
En! vultus attollo meos, tu porrige dextram,
Exime ut excelſo figam veſtigia ſaxo.
O Deus! O centrum rerum! te percita motu
Arcano circumvolitant cuncta atque requirunt
Nequicquam, quoniam æternâ te contegis umbrâ.
Attamen inſano exerces mea pectora amore
Et ſuſpirantem volupe eſt tibi ludere mentem
Ignibus occultis. Non talibus æſtuat Ætna
Intima cùm accenſas eructet flamma favillas
Pleniùs & lato ſpargat ſua viſcera campo.
Omnia ſolicitâ mecum quæ mente revolvi,
Somnia ſunt? ſtultéque animi ſatagentis inane
Figmentum? ſpes noſtra perit radicitùs omnis?
Expectata diu vacuas vita exit in auras?
Hei mihi! quàm immenſæ involvor caligine Noctis!
Subſido, pereo, repeto jam Materiaï
Infenſas tenebras & ahenæ vincula Mortis.
Quæ me intemperies agitat! reſcindito cœlos
Summe Deûm, tantóſque animi componito fluctus.

Περὶ τῆς ἐν τῇ ψυχῇ παιδοκτονίας Διάλογος.

Εἰπέ μοι, ὦ φίλον ὄμμα, πῆ ἡμετέροισι δόμοισιν
Εἰωθὸς διάγειν παιδίον ἐξέφυγεν;

Μαίνομ' ἐγὼ γὰρ ἔρωτι λύπῃ τε, παρερχομένοιο
  Εἴδεος ἀνθάλπων ἡδὺ τὸ μνημόσυνον.
Ὡς χειλέων γενύωντ' ἄγαμαι φρεσὶ πραϋγελώτων
  Καὶ μελιχρᾶς, διαστῆς λαμπάδος, εὐφροσύνης.
Ὡς αἰεί τι ἔνισπεν ἐμοὶ τότε ἡδὺ λάλημα
  Ἀβρῶς ἡμετέρῃ κείμενος ἐν κραδίῃ.
Αἶ αἶ τὴν ἱερὰν ἰδέαν, ἦθος τ' ἐρατεινὸν,
  Οὐκ, ἐπ' ἀληθείᾳ, παῖς βροτοῦ ἀλλὰ θεοῦ.

Ὀρθῶς μὲν τάδε πάντα, τὸ δ' [ἐξέφυγεν] πάνυ ὀρθῶς
  Οὐκ ἔλεγες· πῶς γὰρ νεκρὸς ἂν ἐξέφυγεν ;
Φεῦ, σκέψαι τὴν παῖδα, ὃν αὐτὸς ἀπεξενέκρωσας
  Κήπου ἐπὶ ψυχρῷ παρτάμενον πεδίῳ.

Οἴμοι ἐγὼ τί βλέπω ; τί ἔρεξα, τίνων δέ με δαίμων
  Μιμνήσκει ; μιαρὸν πρᾶγμα καὶ ἀργαλέον.
Ὄμμασι πλησιφαοῦς ἀθρῶν κύκλα λαμπρὰ σελήνης
  Τοῖς ποσὶ τοῦθ' ἱλαρὸν ἔσβεσα λαμπάδιον.
Ἀλλ' ὦ Ζεῦ ἄλλοι τε θεοὶ τόδ' ὑπίσχομαι ὔμμιν
  Οὐκ ἔτι μὲ ζήσειν, τοῦ δε ἀποκταμένου.

Ὀρθὸν ἔπος, βέλτιστε, ἀποκταμένου γὰρ ἐκείνου
  Καὶ ζῶν οὐ ζήσεις, ζῇ δ' ὅδε ἣν σὺ θάνῃς.

Monocardia.

  Quæ vis nunc agitat meas medullas?
Et cor molliculo ferire motu
Cœptat? percutiunt novi furores
Mentem, concipio novos amores.
  Ah! nunc me fluidos abire in ignes
Totum ſentio. Flamma mollis artus
Dulcis, vivida, permeavit omnes,
Jucundúmque ciet calore ſenſum
Toto corpore ſpiritúque toto.
  Bellam hic laude ſuam efferat Fabullam,
Formoſam ille ſuam canat Corinnam.
Me leni Monocardia urit igni
Et ſacrum inſtituit ſuum Poëtam.
  Pulchra O Simplicitas! beata Virgo!
Tu vincis radios, nitore, Phœbes,
Tu ſtellas ſuperas decore cunctas.
Nam quis pectora? quis ſinus apertos
Candoríſve tui poteſt tueri
Theſauros niveos, eburneóſve?
Quin Luna imbriferâ tepentis Auſtri
Nube obſcurior, atque ſydus omne
Sit nigrum magìs ac imago Noctis,
Et Hyles tenebris nives ebúrque.
Quodſi orbes hilares amabiléſque
Lucentéſque tuor faces, amorum
Blandas illecebras, ruit ſtatim Sol
Et lati ſpecies perit Diei
Submerſa in Tenebris Meridianis.
  O Princeps Charitum! Dea O Dearum!
Cœli ſplendor! & unica O voluptas
Humani generis! Catena nodis
Auratis homines ligans Deóſque!
  Te circumvolitant leves Olympi
Alati Juvenes, tuóſque greſſus
Suſtentant manibus ſuis tenellos,
Et firmant tua crura mollicella

Dulcis cura Deûm, Venúſque Cœli!
O Fons Lætitiæ piiſque luſus,
O ter pulchra Puella, blanda Virgo!
Noſtris molliter inſidens medullis
Cœleſtémque animo fovens Amorem,
In cœtu ſuperûm locas Deorum.

Ἀπορία.

Οὐκ ἔγνων πόθεν εἰμὶ ὁ δύσμορος, οὐδὲ τίς εἰμι,
Ὦ τῆς ἀφροσύνης, οὐδὲ πῆ ἐρχόμενος.
Ἀλλ' ὀδύνης τε γόουτε πολυγνάμπτοις ὀνύχεσσι
Ζώω, ἔμοιγε δοκεῖ, πανταχοῖ ἑλκόμενος.
Ἶσα ἐγρηγόρσεις καὶ ὀνείρατα, ὦ πάτερ· ὦ Ζεῦ
Ὡς σεμνὸν, καὶ ἡμεῖς ζώομεν ἐν νεφέλαις.
Ψεύδεα, φαντασίη, κενότης, τερετίσματ' ἀνάγκη,
Τἄλλα μὲν ἀγνώσας, τὸν βίον οἶδα μόνον.

Εὐπορία.

Οὐρανόθεν γέγονα προθορὼν, θεοῦ ἄμβροτος ἀκτὶς,
Κ', ὦ τῆς εὐφροσύνης, πρὸς θεὸν εἶμι πάλιν.
Νῦν δέ τ' ἔρως με πτέρυσι θεόσσυτος ἐξυπερείδει,
Ζῶ δ', ἐπ' ἀληθείᾳ, πάντοτε τερπόμενος.
Νὺξ ἀπέβη μὲν ὄναρ τε, Γάτερ θεοδερκέος αὐγῆς
Ἀΐδιον καὶ ἡμᾶς ἀμφικάλυψε φάος.
Πίστις, καὶ σοφίη, θεότης, χαρὰ, εὔπτερος ἀλκὴ,
Ταῦτα ζωὴ, ἅδης τἄλλα καὶ οὐδενία.

Μόνῳ Θεῷ ἡ δόξα.

Rerum ac Verborum Locorúmque Scripturæ in hoc altero Voluminis Philoſophici Tomo contentorum *INDEX.*

A

Aronis *τὸ λόγιον quid ſignificet, cúrque veſtimenta illius ἀπεικόνισμά τι eſſent ϗ μίμημα τοῦ παντὸς, pag.* 1. *l* 47 *& p.*2.*p.*4 *l.*6

Aaronis *ſtola ocellata Mundorum* Aziluthicorum *ſedes. Planetarum verò Incolas in Pallio ejus Hyacinthino habitare, p.*459 *l.*14

Aaronis *Veſtimenta Symbolum Univerſi, p.*577 *l.*26 *& p.* 578. *Divinitatiſque Chriſti indicium, p.* 578 *l.* 33 *& p.*579

Abaris Pythagoræ *diſcipulus Æthrobates dictus, p.* 552 *l.* 60

Abrahami *in manibus conſervatam fuiſſe Cabbalam Creationis, p.* 497 *l.* 14 *& p.* 499 *l.* 48 Ægyptiis *Aſtronomiam & Arithmeticam tradidiſſe, ibid. l.*61 *Immò Myſticam ſive Symbolicam Arithmeticam calluiſſe, p.* 500 *l.* 4

Abrahamum *in Viſione Prophetica Deum eduxiſſe ad ſtellas contemplandas non ut Aſtrologum, ſed ut Phyſiologum apprimè gnarum, p.*500 *l.*41

Abrahami *Cabbalam &* Moſis *eandem fuiſſe quibus pateat argumentis, p.*502 *l.*11 *& l.*31

Abrahamo *de progenie ſua facti promiſſi Impletio quàm lata jam ſit & expreſſa, p.* 668 *l.* 1

Adamus *æthereus quomodo in corpus terrenum devectus, p.*482 *l.* 32

Adami *ætherei in Paradiſo ſtatûs deſcriptio, p.* 482 *l.* 40 *& p.* 483

Adamo *terreno immortalitatem nequaquam competere antequam redierit in Vehiculum æthereum, p.* 486 *l.* 35

Adamus *poſt lapſum impatiens præſentiæ Divinæ lucis, p.* 493 *l.* 9

Adamus *pulvis dictus ut Spiritus non lapſi vel quatenus æthere veſtiti* Cœlum *&* Lux, *quatenus εἰς γένεσιν deſcendunt* Aquæ, *p.*527 *l.*61 *& p.*534 *l.* 5.

Adami *ortus ex terra, p.* 539 *l.* 52 *& p.* 540

Adamus *cæleſtis qui Imago Dei, qualis, p.*623 *l.* 1. *& p.* 624 *l.* 32

Adamus ὁ γήϊνος νοῦς *ſecundùm* Philonem, *p.* 635 *l.* 40

Adami *&* Evæ *veſtimenta ex pellibus quid in Morali Cabbala ſignificent, p.* 635 *l.* 57

Ἀδράστεια *ſeptenarius cur ſic dictus, p.* 574 *l.* 58 *& p.* 575

Adveniat regnum tuum, *quo ſenſu intelligendum temporibus Servatoris & poſtea, p.* 658 *l.* 61 *& p.* 659

Ægyptus *quî Typus factus Poteſtatum Eccleſiam Dei affligentium, p.* 669 *l.* 9

Aërem *ullámve ſubtiliorem materiam in Aere ſcientiâ ullâ liberóve arbitrio nequaquam eſſe præditum, p.* 58 *l.* 36

Aërem *naturalem Animæ ſedem eſſe poſt mortem eandémque* ᾍδην *appellari, p.* 402 *l.* 30 *Animámque illinc exire non poſſe ante Æthereæ congruitatis excitationem, p.* 402 *l.* 42

Aëris *Regionem eandem ab omnibus animabus non habitari, p.* 403 *l.* 1

Agnus Paſchalis *& Iſraelitarum tranſitus per mare rubrum, Typi quales, p.*669 *l.* 12 *& p.*670

Agricultura *homini, Divino conſilio deſtinata, p.* 71 *l.* 43

Allegoriarum *abuſus impius apud* H. N. *alióſque perſtrictus, p.* 638 *l.* 60 *& p.* 639

אלהים *in Cabbala* Literali *ſingulariter ſignificare, p.* 514 *l.* 15

Ampullæ *cum orificio inverſo obturatæ & in Mare immiſſæ experimentum cum experimento Emboli Antliæ Pneumaticæ comparatum, p.* 61 *l.* 54

Anaxarchi ἀναλγησία, *p.* 216 *l.* 41

Anguillæ *ſi ſexu carent nihil repugnare Providentiæ, p.* 76. *l.* 15

Animarum *conductum in Materiam per Spiritum Naturæ fieri, p.* 8 *l.* 56

Animam *abraſam eſſe Tabulam quî factum ut quidam exiſtimarent, p.* 33 *l.* 41. *Non eſſe abraſam Tabulam, ibid. l.* 46 *ſed actualem habere ſcientiam & quo ſenſu, ibid. & p.* 34

Animam *non magis eſſe abraſam Tabulam quàm Spiritus Naturæ, ſuáſque Ideas innatas* Intellectuales *habere ut illæ* Vitales, *p.* 34 *l.* 22

Animam *quibuſdam notionibus aſſentiri naturaliter ac neceſſariò ſive actualem ex ſe cognitionem habeat ſive non, p.* 36 *l.* 14

Animam *non eſſe meram corporis modificationem, p.*49 *l.* 52 *& p.* 50

Anima *humana Divini Numinis Imaguncula, p.* 51 *l.* 14

Animam *corpori poſt mortem non tam diu inhærere quàm quidam autumant, p.* 116 *l.* 16 *p.* 120 *l.* 13

Animæ *vim* Staticam *ſive* Syſtalticam *in Vehiculo Aereo omnem impetum, pondus, terrenámque ſoliditatem poſſe imitari, p.* 120 *l.* 20

Animæ *ſeparatio realis quomodo fieri poſſit ſine morte, p.* 128 *l.* 4

Anima *humana in rerum Immaterialium ſpeculatione cur tantopere cæcutiat, p.* 150 *l.* 23

Anima *per facultatem ſuam contractivam cur non ſubducat ſe à dolore, p.* 151 *l.* 4

Anima *quo ſenſu indiviſibilis ſit & extenſa, p.* 169 *l.* 17 *& p.* 170 *l.* 28

Animæ *Indiviſibilitas atque Unitas ſenſifera Repræſentatione Symbolicâ illuſtrata, p.* 169 *l.* 39 *& p.* 170

Animæ *exiſtentiam, quantumlibet perplexa ſit ejus Eſſentiæ ſpeculatio, cogitandi incapacitatem in Materia certò arguere, p.* 169 *l.* 57 *& p.* 170

Animam *humanam ità eſſe comparatam ut neceſſariò expergefieri queat in phantaſmata & perceptiones ſine omni conſenſu ſuæ voluntatis, p.* 188 *l.* 32

Animas *unâ plures eſſe in Homine dogma Judaicum, p.* 222 *l.* 41 *& p.* 223

Animarum *pluralitas apud Judæos unde duxerit originem, p.* 379 *l.* 56 *& p.* 380

Animam Mundi *percipere poſſe ſe percepiſſe quod nunquam percepit, ex eo quòd Anima dolorem percipit ubi non eſt, non rectè concludi, p.* 285 *l.* 32

Animæ *humanæ* Figura *quæ ſit naturalis, p.* 306 *l.* 17

Animam *humanâ formâ eſſe ſecundùm* Irenæum *&* Origenem, *ibid. l.* 40

Anima *Angelica & Humana ut differant, p.* 309 *l.* 51

Animæ *operationes quomodo fieri ſupponantur per* Conarion, *Spiritus & Muſculos ſine Anima, p.* 342 *l.* 21

Animæ *quænam operationes etiam apud* Carteſium *in nullum artificium Mechanicum reſolvi queant, p.* 344 *l.* 27 *& p.* 345

Animam *non agere independenter à Spiritibus, p.* 353 *l.* 53 *& p.* 354

Animam *motus Spirituum dirigere potiùs quàm corpori imprimere, p.* 354 *l.* 5

Animam *non concludi in ſenſorio communi quatuor argumentis demonſtratum, p.* 357. *A Plaſtica Animæ, l.* 48 *& p.* 358. *A Paſſionibus & Sympathiis, p.* 358 *l.* 42. *A perceptione doloris in partibus corporis extremis, p.* 359 *l.* 24. *A natura viſionis, p.* 359 *l.* 48 *& p.* 360

Animæ, *Oculus, Centrum & Radix an & quomodo competat, p.* 363 *l.* 13 *& p.* 364 *l.* 32

Animæ *partes duæ veræ ac reales,* Perceptiva *&* Plaſtica, *p.* 363 *l.* 32

Animæ Perceptivam *eſſe tantùm in Capite, p.* 365 *l.* 60

Anima Perceptivâ *deſtituta qualis futura & qualis viciſſim* Plaſticâ, *p.* 364 *l.* 36

Anima *qualis reverà concipienda, p.* 364 *l.* 45

Animam *nec ex traduce naſci nec creari, p.* 365 *l.* 62 *& p.* 366

Animas humanas *in brutorum corpora non tranſire, p.* 369 *l.* 15. *Quibus id rationibus evincatur, ibid. l.* 31

Animæ *cum corpore unio quâ ratione fiat, p.* 373 *l.* 15. *Non eſſe Mechanicam, ibid. l.* 28

Animam *à morte obita non manere in cadavere per legem Immutabilitatis, contra* H. Regium, *p.* 375 *l.* 21

Animæ *exitus è corpore quàm facilis & intelligibilis, p.* 375 *l.* 31

Animæ *exitus è corpore in liberum Aerem quomodo fiat, p.* 376 *l.* 37 *& p.* 377

Animam *ſeparatam à corpore vivere, & agere,* Hiſtoriâ *probatur &* Ratione, *p.* 377 *l.* 20

Anima *quomodo in Ecſtaſibus exire poſſit, corpore incolumi, p.* 377 *l.* 58 *& p.* 378

Animas ipſas *eſſe aliquando quæ apparent poſt mortem, quàm* Rationi *conſentaneum, p.* 382 *l.* 54 *& p.* 383

Animam *eandem eſſe quæ ſentit & intelligit vel ex ipſo Textu* Moſaico *patere, p.* 384 *l.* 29

Anima *&* Genius *Aereus, quibus & quàm pauxillis rebus differant, p.* 386 *l.* 14

Animæ *Activitas poſt mortem quibus ex rebus pateat, p.* 388 *l.* 1 *& p.* 389 *l.* 39 *p.* 390

Animam *ſemper uniri cum aliqua Materia quibus evincatur argumentis? p.* 395 *l.* 34 *p.* 396 *& p.* 399 *l.* 3

Animæ *dimenſiones ejúſque* Figura, *p.* 399 *l.* 23

Anima *ſi tanquam Stella concipiatur, eam Halone eſſe cinctam, p.* 400 *l.* 21

Animæ *apparentes,* εἴδωλα *& Umbræ quo errore ſic appellatæ, p.* 400 *l.* 57 *& p.* 401

Animæ *conditio in altero ſtatu, etiam quoad corpus, melior quàm in hoc, p.* 401 *l.* 26

Animam *corpore terreſtri relicto Dæmonem fieri, p.* 406 *l.* 14 *& p.* 408 *l.* 13

Animam ſeparatam, *Auditu, Viſu, Tactúque eſſe præditam, p.* 406 *l.* 22

Animarum ſeparatarum *actiones quoad nos, vitæ ſuæ in terris ferè eſſe conformes, p.* 408 *l.* 6. *Quænam ſint earum quoad ſe, ibid. l.* 27

Anima ſeparata *an in unaquaque ſui vehiculi parte videat, p.* 406 *l.* 26 *p.* 409 *l.* 3

Animæ Meſſiæ *cum Æterno* Logo *unitæ Imperium quouſque extenſum, p.* 426 *l.* 8

Animæ *poſt mortem conditio Moralis, p.* 426 *l.* 3 *& p.* 427, 428 *& ſeqq.*

Animæ Immortalitas *quibus Objectionibus impetatur, p.* 438 *l.* 26 *ad p.* 447

Animæ Immortalitatem, *à conditione ipſius in Infantia, Senectute, in Somno, Morbiſve, nequaquam refutari, p.* 439 *l.* 30 *p.* 440

Animas *Deus cur creârit ſympathiam habentes cum Materia, p.* 440 *l.* 39

Animarum *defunctorum raram Apparitionem nequaquam arguere Animæ Mortalitatem, p.* 442 *l.* 19

Animam *humanam propriè non eſſe Radium nec Dei, nec Animæ Mundi, p.* 445 *l.* 30 *nec ſi eſſet, inde periclitari Immortalitatem ejus, ibid. l.* 56

Anima *poſt mortem an & quot modis fato ſubjiciatur, p.* 447 *l.* 39

Animarum *humanarum per gradus Elementales in Divinum ſtatum aſcenſus ſecundùm* Plutarchum, *p.* 448 *l.* 50

Animarum *poſt Conflagrationem ſtatus, qualis futurus ſit, opinio quintuplex, p.* 453 *l.* 57 *& p.* 454

Animarum *impiorum quæ futura ſit conditio, intelligi non poſſe, p.* 455 *l.* 27. *Pias vero Ani-*

mas quæ Vehiculum Æthereum aſſecutæ ſint, eſſe incolumes, ibid. l. 32. *De medio Animarum genere quid fiat, ibid. l.* 35

Animas *Ætheris Incolas, extincto Sole, Vehiculi Ætherei beneficio in alios Vortices migrare, p.* 457 *l.* 45

Animas *cum Mundo condito ſimul creatas fuiſſe, ex Symbolo conſtare Numeri ſeptenarii, p.* 539 *l.* 23

Animæ ſomnus *in corpore atque* Mors, *apud* Platonicos *locutiones à Cabbala* Moſaica *mutuatæ, p.* 542 *l.* 19

Animam *humanam non ſimpliciter paſſivam eſſe, &c. p.* 620 *l.* 39

Animæ *eſſentialem eſſe, Aptitudinem informandi aliquod corpus, & quæ inde ſequantur, p.*629 *l.* 50 *& p.*630

Anima *in hoc Mundo Peregrinatrix, p.*634 *l.*3

Animæ *duo centra, alterum in corde alterum in Cerebro, eorúmque officia, p.* 656 *l.* 47

Animalium *utilitas Homini deſtinata ut Canum ſpeciatim & Ovium, p.* 72 *l.* 59 *&* 73. *Boum præterea, ibid. l.* 36

Animantes *ab Homine quomodo domitæ & indomitarum quæ utilitas, p.* 73 *l.* 53 *& p.* 74

Animantium *pulchritudinem ab intelligenti Principio eas profectas eſſe, indicare, p.* 75 *l.* 39 *& p.* 79 *l.* 17

Animalia, *prædæ quòd fiant alia aliis, ſatìs conſiſtere cum Divina Providentia, p.* 173 *l.* 36 *& p.* 174

Animantium *homini noxiarum Creationem, quas interim aliæ Animantes diminuant, Providentiæ abunde conſentaneam eſſe, p.*174 *l.* 17

Animalia *Aerea eſſe & Ætherea perinde ac Terreſtria quâ ratione probetur, p.* 375 *l.* 53 *& p.* 376

Animalis Vitæ *pullulationes, p.*626. *Eas in ſeipſis nec bonas eſſe nec noxias, uſúſque illius obſervationis eximius, p.*626 *l.* 14

Annæ Bodenham *Veneficæ Hiſtoria cum illius certitudine, p.* 108 *l.* 16, *&c. In forma felis magnæ, ab Anna Syleſia viſam fuiſſe, p.* 110 *l.* 9 *Certitudinis Hiſtoriæ Annæ Bodenham plena & copioſa confirmatio, p.* 110 *l.* 34 *p.* 111, 112, 113

Anſelmi *argumentum pro Dei exiſtentia à Cavillis arguti cujuſdam ſcurræ vindicatum, p.* 42 *l.* 23

Anſeres *Xylogoni, p.* 138 *l.* 28

Antliæ Pneumaticæ *Emboli experimentum grande pondus ſurſum attrahentis, ſubſtantiam in Mundo Immaterialem arguere, p.* 59 *l.* 7 *In vim Aeris Elaſticam experimentum reſolvi non poſſe, ibid. l.* 21 *Reſponſio ad Evaſionem, ibid. l.* 46 *Altera anticipatur Evaſio, ibid. l.* 59 *& p.* 60

Anthropomorphitarum *opinio, niſi rectè intellecta quàm ridicula: Solúmque Chriſtum, Deum eſſe in humana Forma, p.* 517 *l.* 2 *& p.* 521 *l.* 45

Antichriſti Regnum *armis ſpiritualibus eſſe expugnandum, p.* 640 *l.* 41 *& p.* 641

Antichriſtianæ Eccleſiæ *talis ſtatûs deſcriptio in quem ſi prolabatur ibique perſiſtat, etiam Cortex Viſionum Apocalypticarum in ejus clade implendus erit, p.* 641 *l.* 24 *& p.* 642

Antinomianiſmi *crimen in* Reformationem *intentatum, p.* 662 *l.* 21

Antinomianiſmi *ſenſus probus ac laudabilis, p.* 662 *l.* 29

'Απείθεια *illa qualis ſit quæ impedit homines quo minùs in verum ingrediantur Sabbatiſmum, p.* 625 *l.* 28

'Αφαιρεσίας *exempla quædam, p.* 377 *l.* 25

'Απλοῦν παράδειγμα *etiam ad primam* Sephiram *referri, p.* 570 *l.* 12

Apocalyptico *de ſtylo intelligendo quæ cautiones adhibendæ, p.*687 *l.* 57 *& p.* 688

Apocalypſis.

Cap. 1 *v.* 8, 11 *p.* 658 *l.* 25

Cap. 3 *v.* 20 *p.* 693 *l.* 4

*Cap.*4 *v.* 1, 2, 6 *p.* 711 *l.* 3 *v.* 4 *p.* 730 *l.* 16 *& p.* 713 *v.* 5 *p.* 712 *l.* 2 *v.* 6, 8, 9, 10 *ibid.*

Cap. 6 *v.* 2, 6, 9, 10, 12 *p.* 672 *l.* 7

Cap. 8 *v.* 12 *p.* 716 *l.* 3

Cap. 9 *v.* 1, 14 *p.* 716 *l.* 8 *v.* 10, 11, 17, 19 *p.* 660 *l.* 51

Cap. 12 *v.* 1 *p.* 695 *l.* 23 *v.* 9, 10 *p.* 664 *l.* 35

Cap. 13 *v.* 3, 14 *p.* 672 *l.* 30 *p.* 675 *l.* 45 *v.* 8 *p.*657 *l.* 38 *& p.* 658 *v.* 18 *p.* 501 *l.* 20

Cap. 14 *v.* 20 *p.* 694 *l.* 40 *p.* 697 *l.* 3

Cap. 15. *v.* 2, 3, 4 *p.* 669 *l.* 23 *p.* 687 *& p.*692 *l.* 48 *& p.* 693

Cap. 16 *v.* 2 *p.* 689 *l.* 13 *v.* 3 *p.* 690 *l.* 1 *v.* 5, 6 *ibid. l.* 39 *& p.* 691 *v.* 8 *p.* 695 *l.* 14 *& p.* 696 *v.* 12 *p.*697 *l.* 33 *v.* 15 *p.* 698 *l.* 45 *v.* 19 *p.* 700 *l.* 52 *& p.* 701 *p.* 694 *l.* 35 *v.* 20 *p.* 696 *l.* 25

Cap. 17 *v.* 8 *p.* 672 *l.* 35 *v.* 10, 11 *p.* 686 *l.* 33 *v.* 16, 17 *p.* 715 *l.* 4

Cap. 18 *v.* 4 *p.* 667 *l.* 8 *v.* 7 *p.* 715 *l.* 11 *v.* 24 *p.* 681 *l.* 19

Cap. 19 *v.* 11, 13 *p.* 717 *l.* 3 *v.* 13, 15 *p.*697 *l.* 3 *v.* 17 *p.* 745 *l.* 8 *v.* 20 *p.* 694 *l.* 35

Cap. 21 *v.* 2, 3, 4, 14, 15, 16, 17, 22 *p.* 704 *l.* 21 *& p.* 705, 706 *& ſeqq. v.* 15, 17 *p.* 706 *l.* 59 *& p.* 707 *v.* 18 *p.* 607 *l.* 42

Cap. 22 *v.* 15 *p.* 702 *l.* 24

'Απόλλων *ad primam* Sephiram *relatus, p.*570 *l.* 25

'Απόῤῥοιαὶ *Saducæorum ubi refutatæ, p.* 321 *l.* 27

'Αποθέωσις *vera quæ ſit & quibus rationibus aſſequenda, p.* 458 *l.* 42

Apotheoſin *Animæ ſecundùm Elementorum ordinem fieri, p.* 548 *l.* 26

Apparitiones *Sagis factas non eſſe earum Imaginationes, ex rebus in manus receptis planè conſtare, p.* 106 *l.* 29

Apparitionum *argumentum quomodo eludant Athei* Ariſtotelici, *p.* 321 *l.* 18 *quomodo alii Influentiarii, ibid. l.* 32 *& p.* 322 *: Reſponſa ad iſtas evaſiones, p.* 323, 324

Apparitionum *Animarum ſeparatarum exempla varia, p.* 381 *l.* 28 *& p.* 382, 383 *& ſeqq.*

Apparitiones *Animarum utplurimùm fieri per Materi-*

Materiam aliquam incraſſantem, p. 382 *l.* 32 & p. 383 *l* 29

Aquæ Marinæ *conſiſtentia Providentiæ Indicium*, p. 64 *l.* 16

Aquæ ſuperiores (*Gen.* 1) *in Cabbala Philoſophica quid*, p. 527 *l.* 1: *Sic appellari Animas deſcendentes* εἰς γένεσιν, *ut necdum deſcendentes* Cœlum & Lucem, *ibid. l.* 52

Aquæ *Symbolum Concupiſcibilis*, p. 622 *l.* 1: *Symbolum etiam* Reſipiſcentiæ, p. 627 *l.* 4

Aqua & Spiritus, *Primum & Ultimum quæ Creationem Spiritualis Adami in nobis conſummati conſtituunt*, p. 627 *l.* 13

Aquilæ *decapitati volantis exemplum Animæ diviſibilitatem non probare*, p. 441 *l.* 17

Arbor Vitæ *& arbor Scientiæ boni & mali quid*, p. 482 *l.* 50 & p. 483 p. 629 *l.* 1

Archeorum *doctrinam Formarúmve Seminalium rem haud ità intricatam eſſe*, p. 175 *l.* 40

Archei *an ſint tot germina Animæ Mundi, an tot particulares Animæ Plaſticis præditæ*, p. 175 *l.* 56 & p. 176, 177

ארץ *à* רוץ *derivatum propter Terræ curſum circa Solem*, p. 569 *l.* 14 & p. 571 *l.* 11 & p. 572

'Αριθμῷ δέτε πάντ' ἐπέοικε *Dictum* Pythagoricum, Moſis *textum reſpicere*, p. 592 *l.* 35

Ariſtotelis *Dictum* 'Η γὰρ φύσις δαιμονία οὐ θεία *quomodo intelligendum*, p. 223 *l.* 13

Ariſtoteles *etiam Præexiſtentiæ Animæ Aſſertor*, p. 367 *l.* 51 & p. 368 *ac proinde ejus Immortalitatis*, p. 368 *l.* 33 & p. 369 *l.* 58

Arithmeticæ *nec* Θεῦθ, *nec* Pythagoram *primos fuiſſe Inventores*, p. 501 *l.* 5

Armatæ Acies *in Aere prælиantes*, p. 131 *l.* 2

Arundine aureâ *per Angelum quid denotet Civitatis dimenſio*, p. 706 *l.* 53 & p. 707

איש & אשה, *lepidum de iſtis vocibus* R. Abrahæ Ben-Ezra *commentum*, p. 520 *l.* 14

A ſe *nihil* exiſtere *poſſe niſi quod ſufficientem in ſe rationem habet ſuæ exiſtentiæ, nec id quod habet non exiſtere*, p. 41 *l.* 3

Aſſenſum *plenum eis rebus adhiberi poſſe quas tamen poſſibile ſit aliter ſe habere*, p. 28 *l.* 27

Aſtrale corpus *quid ſit revera*, p. 432 *l.* 24

Aſtutiam *eſſe non Prudentiam quæ inſidum ſilentium imperat*, p. 210 *l.* 46

Atheus & *Enthuſiaſtes cur tam profeſſi Logicæ Inimici*, p. 38 *l.* 11

Athei *Sophiſma ridiculum qui ex puſillis aliquibus meri motûs Materiæ effectis nullum altius eſſe principium vult inferre*, p. 60 *l.* 26

Atheorum *incredulitati circa Apparitiones & Miracula quæ res occaſionem dederint*, p. 94 *l.* 33

Atheorum *delira Credulitas circa vim Imaginationis*, p. 139 *l.* 60 & p. 140

Atheorum *inſulſum commentum, quòd Prælia in Aere fiant ab exuvialibus rerum effluviis*, p. 146 *l.* 16

Atheorum *ſtupiditatem & Hebetudinem in rebus Divinis percipiendis nullum argumentum eſſe contra veritatem Religionis*, p. 220 *l.* 31

Atheos homines *id maximè diſcupere; ut nullus Scripturæ ſenſus inſit præter literalem*, p. 463 *l.* 25 & p. 464

Atheiſmus, *quî factum, ut à quibuſdam tantopere affectetur*, p. 142 *l.* 34

Atheiſmi *morbus ex quibus cauſis ſit ortus*, p. 142 *l.* 40

Atheiſmus *ut morbum imitetur Enthuſiaſmi aut Melancholiæ*, p. 220 *l.* 57

Atheiſmum & *Inſidelitatem* Fanaticiſmum *quendam eſſe ſordidum & execrandum*, p. 226 *l.* 30

'Αυγαὶ πυρώδεις *Dæmonum quid, & quomodo fiant*, p. 418 *l.* 33 & p. 420 *l.* 46. *Non eſſe Imaginationis* Ludificationes, *ſed veros Ignes, contra* Pſellum, *ibid.* & p. 420 *l.* 1. *Egregium recénſque hujuſmodi ignium exemplum in Hibernia in monte Fairiorum*, p. 420 *l.* 19

Aves Aquatiles *quam aptè inſtructæ ſint ad ſuum vitæ genus*, p. 82 *l.* 12

Avium rapacium *ſtructura ſuo vitæ generi accommoda*, p. 82 *l.* 38

Aves *eaſdem nunquam* γαμψωνύχους *eſſe &* πληκτροφόρους, p. 82 *l.* 55

Avium rapacium *mirabilis Viſûs ratio*, p. 82 *l.* 61 & p. 83

Avis Paradiſi *deſcriptio apud* Cardanum, p. 83 *l.* 7: Scaligeri *cum* Cardano *plenus ferè conſenſus, ibid. l.* 25: Hermandis *etiam &* Nierembergii, *ibid. l.* 45: Aldrovandi *diſſenſus de paſtu ex rore & modo Incubationis: Quibúſque rationibus* Cardanus & Scaliger *ſe contra* Aldrovandum *defendant, ibid. l.* 49 & p. 84

Aves Paradiſi *pedes habere palmum unum longos ſecundùm* Pighafettam & Cluſium, p. 84 *l.* 44: *Idem confirmatum ab Authore, cui dono data eſt Manucodiata ab* Edmundo Malletto *pedes habens palmum unum longos*, p. 86 *l.* 18

Avem *nullam eſſe quæ volet ſolùm, ut Piſcis ſolùm natat, Dictum Ariſtotelis*, p. 85 *l.* 1

Avis Paradiſi *Hiſtoriam, ſi vera eſſet, Providentiam non magìs illuſtrare, quàm vulgaria quædam, iſtis de Manucodiata ſimilia*, p. 85 *l.* 3

Aves *Symbolicè Angelos ſignificare*, p. 745 *l.* 8

Authoris *Apologia quòd* Platoniſmum & Carteſianiſmum *ſcriptis ſuis tam frequenter intexuerit*, p. 2 *l.* 47

Authoris *Ingenium à* Superſtitione *quàm alienum, licèt aliquanto proclivius ad* Enthuſiaſmum, p. 5 *l.* 32

Authorem Conjecturæ Cabbaliſticæ, *quanquam quæ Textui* Moſaico *applicavit, & Textui &* Rationi *congruere putet, de abſolutâ tamen eorum veritate nihil ſtatuere*, p. 10 *l.* 56 & p. 11

Author, *quæ ſcripſit in Antidoto & De Animæ Immortalitate propriæ mentis eſſe emanationes, non aliunde mutuata*, p. 23 *l.* 22 & p. 24 p. 277 *l.* 6

Authoris *diligentia in explorandis eis rebus quas de Apparitionibus Sagiſque ſcripſit*, p. 125 *l.* 3

Authoris *plena perſuaſio de Spirituum exiſtentia*, p. 136 *l.* 1

Authoris *Ingenii conditio peculiaris ac Fatum, p.* 267 *l.* 19

Axis Terræ *Parallaliſmus perpetuus manifeſtum Divinæ Providentiæ argumentum, p.* 56 *l.* 20

Axis Terræ *ad Planum Eclipticæ Poſituræ perpendicularis Incommoda, p.* 56 *l.* 41. *Et coincidentis, ibid. l.* 58 *& p.* 57 *p.* 61

Axis Terræ *Poſitura inclinata Divinæ Providentiæ ac Conſilii argumentum, p.* 57 *l.* 12

Axis Terræ *Poſitura inclinata difficillima perinde ac commodiſſima quò magìs conſtet conſilio factum non fortuitò, p. ibid. l.* 38

Ἄξων *&* Ἄτλας *quomodo ad primam* Sephiram *referantur, p.* 570 *l.* 25

B

BAptiſtæ Portæ *potio quæ in Imaginationem operatur, p.* 191 *l.* 26

ברא *&* עשה *quomodo inter ſe differant, p.* 514 *l.* 3

ברא אלהים *Triunitatem in Divino Numine innuere, p.* 524 *l.* 41

Baruc.

Cap. 3 *v.* 24 *p.* 536 *l.* 54 *& p.* 537 *v.* 35, 36, 37 *p.* 579 *l.* 5

Beatitudinis *in altero ſtatu accrementa naturalia, p.* 428 *l.* 55 *& p.* 429

Beatitudinis *in altero Mundo, diminutio ex præfervidis ſuis allucinationibus in hoc, p.* 429 *l.* 43

J. Behmen *quòd nequaquam ſcripſerit ex Spiritu infallibili, p.* 718 *l.* 31 *& p.* 719, 720

J. Behmen *qualis vir fuerit ſecundùm ſententiam* Bathynoi, *p.* 720 *l.* 56 *& p.* 721

Belli Paciſque *gloria ac pompa quibus à rebus pendeant, p.* 63 *l.* 35

Beſtiarum *Armatura ejúſque uſus Providentiæ indicium, p.* 79 *l.* 48

Binarius *ſecundi Diei creationis Symbolum, cùm Materia ſit Diviſibilis, Spiritus contrà, p.* 528 *l.* 25. Ὑπομονὴ *cur à* Pythagoricis *dictus, ibid. l.* 36

בינה *tertia Hypoſtaſis Cabbaliſtica quaſi* בִּנָה *dicta & quare, p.* 588 *l.* 2

Bodinus *quàm eruditus Scriptor fidéque dignus, p.* 122 *l.* 48

Bombycis *Hiſtoria brevis, p.* 436 *l.* 24

Boni Genii *quonam modo Hominibus aſſiſtant aut precantibus aut vaticinantibus, p.* 135 *l.* 1

Boni Genii, *an cujuſque Temperamentum, Societatis ſit capax, p.* 135 *l.* 26

Bonorum Geniorum *acceſſus deprehendi poſſe nonnunquam per ſuaveolentes quoſdam odores, p.* 135 *l.* 28

Bonum Genium *Angelúmve ut nobis mittat an licitum ſit Deum orare, ibid. l.* 40

Bonorum Geniorum *Miniſterium non deeſſe bonis, p.* 135 *l.* 26 *& p.* 136 *l.* 23

בוקר *&* ערב *quid ſignificent in Cabbala Morali, p.* 620 *l.* 58 *& p.* 621

Bonitatem, *Scientiam, & Potentiam Attributa eſſe Perfectionis, p.* 32 *l.* 28

Boves *tot viva quaſi ac ambulantia Dolia ſalitoria, p.* 73 *l.* 36

Brachiorum *& crurum Articuli Providentiæ argumenta, p.* 88 *l.* 30

Brutorum *Animalium* pulchritudo, *p.* 75 *l.* 12. *Multa eorum eſſe aut* καλὰ χρήματα *aut* ἀστεῖα, *p.* 75 *l.* 26

Bruta *Logicarum & Mathematicarum Notionum nullam habere notitiam, p.* 149 *l.* 27

Bruta *concludere ex eo quòd, quæ rationi conſona ſint, faciunt, ratione prædita eſſe, purum putum eſſe Sophiſma, p.* 149 *l.* 58

Brutorum *Animæ, quippe incorporeæ, quamvìs non pereant, non propriè tamen eſſe immortales, p.* 168 *l.* 27 *& p.* 170 *l.* 22 *p.* 177 *l.* 12

Bruta *an oblectentur objectis pulchris, p.* 173 *l.* 4

Bruta *Animalia an ſint meræ Machinæ, p.* 236 *l.* 35 *& p.* 237 *p.* 240 *l.* 44 *& p.* 241

Bruta *Animas habere unde conſtat, p.* 343 *l.* 60

Brutorum *Animæ an ſint immortales, p.* 365 *l.* 20. *An præexiſtant, ibid. l.* 26

Brutorum *Animæ an extra corpus terreſtre vivant agántque, p.* 386 *l.* 52 *& p.* 387 *p.* 389 *l.* 3

Bruta *Animas à corporibus diſtinctas à Moſe ſubindicari & quare, p.* 610 *l.* 23 *p.* 613 *l.* 48 *p.* 614

C

CAbbala *integra conſervata apud* Pythagoram, *& quandònam inceperit corrumpi, p.* 9 *l.* 37

Cabbalæ Pythagoricæ *ſive* Judaicæ *apud* Lucippum, Democritum *&* Epicurum *infælix partium divortium, Authoriſque ſtudium eas rurſus reuniendi, p.* 10. *l.* 36 *& p.* 12 *l.* 3

Cabbala Judaica *quid & quæ Nominis ratio, p.* 467 *l.* 15

Cabbalæ Literalis *&* Philoſophicæ *uſus, ut & diſtinctionis alterius ab altera, p.* 469 *l.* 30

Cabbalæ Philoſophicæ *robur tribus in rebus conſiſtere, quæque eæ ſint, p.* 551 *l.* 15

Cabbala Philoſophica *ſeptem Objectionibus impetita, p.* 556 *l.* 35

Cabbala *Authoris* Philoſophica *quàm accuratè Textui* Moſaico *ſit accommodata, p.* 612 *l.* 51 *& p.* 613. *In quid demum reſolvatur illius evidentia & certitudo, p.* 616 *l.* 15. *Quòd non ex unico Scriptore aut Secta Textui* Moſaico *Theoremata applicentur, nihil facere contra illius firmitudinem, ibid. l.* 57 *& p.* 617. *Multa ex S. A. allata ad illius confirmationem, p.* 617 *l.* 9

Cabbala Moralis *quo ſenſu ſic appelletur, p.* 619 *l.* 16

Cabbaliſtica *Authoris* Conjectura *quas ob cauſas vera ſit cenſenda, p.* 468 *l.* 43 *& p.* 469

Cabiri Samothracum, *antiquorum Trinitas* Hebræorum, *p.* 587 *l.* 34

Calviniſmi *crimen Eccleſiis Reformatis intentatum, p.* 662 *l.* 60 *& p.* 663, 664

Camelini *Corporis ſtructura, p.* 81 *l.* 11

INDEX.

Canis *ſilentium in turbis Dæmonis* Tedworthienſis *perinde atque* Matiſconenſis, *p.* 101 *l.* 50

Canes Equique *Aerei an dentur, p.* 389 *l.* 3

Caput *Hominis decollati aurem Canis mordicus prehendens, Animam non arguere diviſibilem, p.* 441 *l.* 27

Cardani *Amicus qui Vitrum, Ferrum, Clavos evomebat, p.* 104 *l.* 25

Cardanum & Pomponatium *ſapientiam ac miracula Chriſti ad Stellas retuliſſe, p.* 211 *l.* 47

Cardani *in Ecſtaſes lapſus voluntarii, p.* 379 *l.* 3

Cardani *de Spectris* Iſelandicis *ridicula futiliſque* αἰτιολογία, *p.* 381 *l.* 47

Carteſii *duo argumenta, pro Deo, poſteriora cur ab Authore rejecta, p.* 24 *l.* 28

Carteſio *nullas rationes ſatisfacere in ipſa Phyſica, niſi quæ neceſſitatem* Logicam *ſive contradictoriam involvant, p.* 240 *l.* 35

Carteſius *an aliquid Animæ Mundi analogon tenuerit, p.* 268 *l.* 26 *& p.* 269 *l.* 14 *p.* 270 *l.* 29

Carteſius *Nullibiſtarum Coryphæus ſed malè ſibi conſtans, p.* 251 *l.* 28 *& l.* 39 *&* 52 *& p.* 253 *l.* 43 *& p.* 254

Carteſium *pariter ac* Regium *aſſerere motum à corpore in corpus transferri, p.* 269 *l.* 37 *& p.* 270 *l.* 49

Carteſium *in eo defeciſſe, quòd Materiam cogitandi incapacem eſſe nuſquam aggreſſus ſit demonſtrare, p.* 256 *l.* 50 *& p.* 257 *l.* 2

Carteſii *argumentum enerve aut Sophiſticum, quo mentem probare velit humanam à corpore realiter diſtinctam, p.* 310 *l.* 12 *& p.* 311 *l.* 8 *p.* 345 *l.* 20

Carteſii *cum* Bezaliel *&* Aholiab *comparatio, & quo ſenſu intelligenda, p.* 554 *l.* 43 *p.* 555 *l.* 53 *& p.* 556

Carteſianorum *Scriptorum Encomia, p.* 232 *l.* 52 *p.* 234 *l.* 6 *p.* 246 *l.* 42

Carteſianæ *Philoſophiæ utilitas etiam ad Religionem, p.* 233 *l.* 1

Carteſianæ *Philoſophiæ Prælectio in Academiis plenáque Intellectio quantum conducat ad res Religionis, p.* 287 *l.* 11 *p.* 289 *l.* 1

Cauſarum ſecundarum *ignorationem ſemen eſſe Atheiſmi, contra* Hobbium, *p.* 320 *l.* 20

קדם & Ἀνατολὴ *Nomina ſecundæ Hypoſtaſeos, p.* 525 *l.* 1

Centrum Vitæ *intimum in Spiritu indiviſibile eſſe poſſe nec tamèn Nihil, p.* 301 *l.* 1. *Indiſcerpibile quamvìs ſit, eſſe tamen intellectualiter diviſibile, p.* 302 *l.* 2. *Licétque exiguum ſit, ſatìs plenum tamen Orbem emittere, p.* 303 *l.* 27

Ceraſum *Helmontii, p.* 416 *l.* 14

Cerebrum *Principium motûs ſpontanei eſſe non poſſe cùm nec muſculos habeat, nec ſenſum, p.* 50 *l.* 12 *& p.* 51 *l.* 3

Cerebro *nec Phantaſian, nec Rationem & Animadverſionem competere, p.* 50 *l.* 22

Cerebri *partis unius figurationem in reliquas non reflecti, demonſtratum à ſitu rerum, p.* 50 *l.* 55

Cerebri *loco Aqua limpida in capite pueri* Amſterodamenſis *reperta, p.* 51 *l.* 5

Cerebri *nervorúmque præcipuum uſum eſſe conſervationem Spirituum, p.* 354 *l.* 53

Cerebrum *univerſum non eſſe communis ſenſûs ſedem, p.* 350 *l.* 52

Chajah & Jachidah *non eſſe duas diſtinctas Animas, p.* 380 *l.* 6

Cherubinorum *flammantiſque Gladii Interpretatio noſtra* Cabbaliſtica *quàm concinna ſit, p.* 611 *l.* 41 *& p.* 612

Cherubinus *flammánſque Gladius quid ſignificet in Cabbala* Morali, *p.* 637 *l.* 17

Χιτῶνες δερμάτινοι Caſſiani, *à* Clemente Alexandrino *quàm clementer tractati, p.* 12 *l.* 36 *p.* 16 *l.* 29

Chordarum *duarum uniſonarum experimentum, p.* 430 *l.* 23

Chriſti Pontificatum *& interceſſionem apud Patrem in cœlis qui negant quàm cæca ſint Animalcula, p.* 225 *l.* 2

Chriſtus Myſticus *die ſexto creatus, p.* 489 *l.* 39

Chriſtus *caput Satanæ quomodo conterat, & Satanas Chriſti calcem, p.* 546 *l.* 50 *& p.* 547

Chriſti *perſonæ dignitas Divinitáſque vindicatur contra cerebroſos Enthuſiaſtas, p.* 639 *l.* 35 *& p.* 640

Chriſtum *apparuiſſe ſub humana ſpecie Patriarchis, ante ejus Incarnationem, p.* 658 *l.* 4

Chriſtum Hominem *in nobis eſſe, dogma eſſe* Familiſticum, *manifeſtò compertum, p.* 746 *l.* 44

Chriſtiana *de veritate vix quenquam dubitare poſſe qui firmiter tenuerit Exiſtentiam Dei Animæque Immortalitatem, p.* 649 *l.* 27 *& p.* 650

Chymici & Theoſophi *Enthuſiaſmo Philoſophico obnoxii, p.* 207 *l.* 42

Chymicorum & Theoſophorum *quorundam commenta abſona collecta & notata, p.* 208 *l.* 3 *& p.* 209

Chymici *quare utplurimùm tam miſelli Philoſophi, p.* 212 *l.* 23

Κινεῖ γὰρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. *Dictum præclarum* Ariſtotelis *quomodo intelligendum, p.* 4 *l.* 29

Circuli Fairiorum *ſive* Elvarum, *p.* 126 *l.* 46

Circuli *cum ungulis bifidis Impreſſura poſt ſaltationem Dæmonum, p.* 126 *l.* 31

Circulationis Sanguinis *deſcriptio ac demonſtratio, p.* 751, 752. *Vide etiam p.* 88 *l.* 22 *p.* 91 *l.* 36 *& p.* 92

Claudii Clerſelier *Epiſtola ad* H. Morum, *p.* 231 *cum Reſponſo* H. M. *p.* 232

Κλειδοῦχος & Κλειδοῦχος τῆς φύσεως *cur Deus & Tetractys appellentur, p.* 579 *l.* 31 *& p.* 580 *l.* 42

כוכב *quæ ratio Nominis, p.* 529 *l.* 32 *& quo ſenſu Stellam fixam ſignificet perinde ac Planetam, ibid. l.* 38

כוכב & ארץ & שמש *quàm Philoſophica ſint Vocabula, p.* 569 *l.* 33. *Item* מים & שמים, *ibid. l.* 40 *& l.* 49

Cœlo-

Cœlorum *Generationes fuiſſe Soles, Planetas atque Terras, p.* 482 *l.* 7

Cœlum & Lumen *ejuſdem rei Symbola & quare, p.* 592 *l.* 42 *& p.* 593

Cœlum *ſive* Lucem *in primo die, Immaterialium Eſſentiarum ordines ſignificare ex* Origene, Parmenide, *Rabbinis ipſaque Scriptura probatum, p.* 593 *l.* 45 *& p.* 594 *p.* 611 *l.* 31

Κοινωνιὰν τῆς ϑείας φύσεως, *quæ aliis etiam Animabus ſanctis competit, ejuſdem generis non eſſe cum illa quâ Chriſtus dicitur Deus, demonſtratum, p.* 379 *l.* 48

Colliquamentum cryſtallinum *Humidum eſſe primogenium ex quo ut Fœtus fit, ità eo nutritur ad extremam uſque ſenectam, p.* 78 *l.* 56

Colorum *ratio an alia eſſe poſſit quàm ea quam propoſuit* Carteſius, *p.* 267 *l.* 5

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1 *v.* 27 *p.* 749 *l.* 1

Communis ſenſorii *ſedes in quot locis corporis collocata, p.* 340 *l.* 37

Communis ſenſûs *ſedem partem aliquam corporis ſingularem eſſe, p.* 348 *l.* 36

Commune ſenſorium *eſſe in Capite quibus rationibus probetur, p.* 350 *l.* 24

Communis ſenſûs *ſedem eſſe Spiritus Animales in quarto Cerebri Ventriculo, p.* 352 *l.* 23 *quibus id argumentis demonſtretur, ibid. & p.* 353, 354, 355

Comprehendere *idem aliquando quod* deprehendere, *p.* 299 *l.* 39

Conario *operationes Animæ attribuere quàm ſit ridiculum, p.* 51. *l.* 16

Conarion, *quanquam ſedes* ſenſûs communis *eſſe poteſt,* Commune *tamen* Percipiens *eſſe non poſſe, p.* 166 *l.* 29 *& p.* 167; *quippe ſenſationis incapax, Memoriæ, Imaginationis & Motûs ſpontanei, p.* 166 *l.* 60 *& p.* 167, 168

Conarion *expers Animæ non eſſe* Percipiens *commune ex ipſo* Carteſio *demonſtratum, p.* 342 *l.* 46

Conarion *cum Spiritibus & organizatione partium corporis non eſſe ſufficiens principium Motûs ſpontanei, ſive Animam, p.* 343 *l.* 5

Conceptum *de re formandi, difficultatem, non tollere ejus exiſtentiam, p.* 31 *l.* 19

Conceptum *in generatione Animalium non fieri è ſemine ex particulis ab omnibus partibus Animalis profluentibus conflato, p.* 79 *l.* 1

Condenſationem Ariſtotelicam *ex ponderum differentia admodum imperitè colligi, p.* 401 *l.* 16 *& p.* 402 *l.* 11

Conflagratio Mundi *dogma* Stoicorum, *p.* 452 *l.* 40

Conflagrationem *Mundi de* Terra *ſola intelligendam eſſe, p.* 453 *l.* 6

Conflagrationem *hanc funeſtiſſimam fore animabus hominum impiorum & Dæmonibus, p.* 453 *l.* 41

Congruitas vitalis *in Materia quid, p.* 373 *l.* 34

Congruitas vitalis *in Anima quid, p.* 373 *l.* 48

Congruitas vitalis *quotuplex ſit, p.* 375 *l.* 46 *& p.* 379 *l.* 27 *& p.* 380

Congruitas *vitalis* Divina *quæ, p.* 379 *l.* 33

Congruitas *vitalis* Anonyma *ſive* Ineffabilis; *p.* 379 *l.* 46. *An* Jachidæa *dicenda, p.* 380 *l.* 13

Congruitates vitales *in Anima ordine ſuccedere, p.* 397 *l.* 5

Conſcientia *naturalis Divinæ Exiſtentiæ indicium, p.* 46 *l.* 35 *& p.* 47 *p.* 165 *l.* 11

Conſcientiæ *naturalis Lumen, eſſe Dei ipſius legem, p.* 225 *l.* 56

Conſcientiæ *angores ineffabiles morte graviores nec effugiendi moriendo, p.* 427 *l.* 29

Conſcientiarum *cauteriatarum diri ſupplicii deſcriptio in altero ſtatu, p.* 427 *l.* 42 *& p.* 428

Conſequentias *facilius eſſe colligere quàm diſpicere quid primò verum, p.* 249 *l.* 24

Conſtantienſis *Sagæ Hiſtoria, p.* 98 *l.* 42

Conſuetarum *ab opinionum præjudicio quantopere cavendum, p.* 499 *l.* 7

Contagium ſanativum *ac Medicinale eſſe poſſe, perinde ac morbidum & venenoſum, p.* 216 *l.* 15

Contemplationes *utilibus vitæ practicæ officiis eſſe poſtponendas, p.* 744 *l.* 13

Contingentiam *& A-ſe-exiſtentiam inter ſe pugnare, p.* 163 *l.* 3 *& l.* 36

Contingenter *nihil à ſe exiſtere poſſe, p.* 340 *l.* 24. *Vide & p.* 40 *l.* 55

Cor *non eſſe commune ſenſorium, p.* 341 *l.* 32 *nec Cerebrum, ibid. l.* 38

Cor *non eſſe communis ſenſûs ſedem, p.* 349 *l.* 48 *& p.* 350

Cordis *venarúmque fabrica, p.* 88 *l.* 22 *& p.* 91 *l.* 35

Cordis *proprii* præſagium *ubi locum habeat quódque non ſit Enthuſiaſmus propriè dictus, p.* 202 *l.* 8

Cordis *Myſteria quanto præſtabiliora quàm Cerebri quantáque cor cum diligentia ſit excolendum, p.* 656 *l.* 8

1 Corinth.

Cap. 5 *v.* 7 *p.* 692 *l.* 28
Cap. 6 *v.* 3 *p.* 693 *l.* 8
Cap. 10 *v.* 11 *p.* 510 *l.* 39 *& p.* 511 *l.* 28
Cap. 15 *v.* 26 *p.* 642 *l.* 23

2 Corinth.

Cap. 4 *v.* 6 *p.* 620 *l.* 17
Cap. 5 *v.* 1, 2, 3, 4 *p.* 545 *l.* 42

Cornu *parvulum non poſſe eſſe* Antiochum Epiphanem, *p.* 642 *l.* 8

Corpus, *quòd aut ſenſûs aut rationis capax ſit per nullam facultatem nobis innoteſcere, p.* 169 *l.* 1

Corpus *an rectè à* Carteſio *definiatur res extenſa, p.* 234 *l.* 54 *& p.* 235, 238 *l.* 9

Corpus *non poſſe non concipi (apud* Carteſium) *exiſtere, ac proinde neceſſariò, &c. p.* 254 *l.* 6

Corporum Cœleſtium *ſplendorem non probare ea Providentiam ullam aut Imperium in nos habere, p.* 322 *l.* 35

Corpus totum *non eſſe ſedem* ſenſorii communis, *p.* 341 *l.* 11

Corporis *Noxa cur ſiant dolores Animæ, p.* 359 *l.* 42

Corpus *ſepulchrum Animæ apud* Plotinum, *p.* 544 *l.* 22

Corpus *hòc mortale ab Apoſtolo* σκήνωμα, *à* Pythagoreis σκᾶνος *appellatum, p.* 670 *l.* 31

Coſcinomantiæ *exempla, p.* 95 *l.* 50

Creationis *quæ propria ſit notio, p.* 154 *l.* 15

Creandi *potentiam Enti abſolutè perfecto neceſſariò competere, p.* 299 *l.* 29

Creationem *propriè dictam intelligi Gen. cap.* 1 *v.* 1 *p.* 525 *l.* 23

Creationem *univerſam factam eſſe ſimul, à quàm gravibus affirmatum Authoribus, p.* 529 *l.* 24

Creatio Cœli & Terræ, *vera Epocha Hiſtoriæ Bibliorum, p.* 535 *l.* 36

Creationis *ſex dierum brevis Allegoria, p.* 624 *l.* 16

Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν *vocâſſe, p.* 593 *l.* 3

Κτίσιν *ſignificationem habere &* Phyſicam *&* Politicam, *p.* 643 *l.* 17

Cultus religioſus *in uſu apud omnes gentes Divinæ exiſtentiæ argumentum, p.* 47 *l.* 32

Cultum religioſum *etiam depravatum argumentum eſſe pro Exiſtentia Divina, p.* 48 *l.* 10 *& p.* 165 *l.* 46

Cuntii *Spectrum, p.* 117, 118, 119

Cuntii *habitus corporis floridus poſtquam Anni dimidium ſepultus jacuiſſet, útque baculum manu prehenderit, déque motu oculorum atque ſanguinis, p.* 119 *l.* 20. *Prodigioſum corporis pondus, ibid. l.* 40. *Illiúſque* Incombuſtibilitas, *ibid. l.* 55

Cuntii *Hiſtoriam & Sutoris* Uratiſlavienſis *nihil continere quod rectæ Rationi veræque Philoſophiæ repugnet, p.* 120 *l.* 49

Cuphophronis *Apologia pro* Idololatriis *Pontificiorum, p.* 682 *l.* 36 *& p.* 683

Cuphophronis *Apologia pro Impoſturis eorum & Homicidiis, p.* 683 *l.* 58 *& p.* 684, 685. *Ridicula ejus indifferentia circa res maximas Religionis, p.* 686 *l.* 56 *& p.* 687

D

DÆmonum *ludorum, inviſibilium, exempla multa certò comperta, p.* 98 *l.* 54

Dæmonis *inviſibilis* Matiſconenſis *ludi varii & conſpicui, p.* 99 *l.* 14

Dæmonas *quaſi Homines Aereos eſſe, p.* 99 *l.* 59

Dæmonis Matiſconenſis *Hiſtoria res quàm certa ſit & comperta, p.* 99 *l.* 57 *& p.* 100

Dæmonis Tedworthienſis *cum Dæmonis* Matiſconenſis *Hiſtoria, comparatio, p.* 100 *l.* 49

Dæmonis Tedworthienſis *Hiſtoria quàm certa & explorata, p.* 101 *l.* 22

Dæmonum *Evocationis primæ per A. B. modus ac Circumſtantiæ, p.* 108 *l.* 33. *Secundæ, p.* 109 *l.* 7. *Tertiæ, ibid. l.* 30. *Quartæ & ultimæ, p.* 110 *l.* 15

Dæmonum *quorundam ſaltatio ſub meridiem, p.* 126 *l.* 8

Dæmones *Stellæ Aereæ à* Ficino *appellatæ, p.* 134 *l.* 31

Dæmonum *Actiones & in Choreis Geſticulationes cur tam ridiculæ ac diſtortæ, p.* 177 *l.* 60 *& p.* 178

Dæmones Jetzirathici, *quadámque Ingenia humana illis ſimilia, p.* 178 *l.* 54

Dæmones *omnes in ſumma Aeris Regione quàm abſurdè à* Cardano *collocati, p.* 403 *l.* 9

Dæmones *cur tam parùm mali hominibus inferant, p.* 403 *l.* 54 *& p.* 404

Dæmonas *operari è longinquo, unde iſte* Cardani *error, p.* 404 *l.* 44

Dæmonas *ut Deos ſuſpici à ſordidis quibuſdam Hominibus veraque Philoſophiæ ignaris, p.* 405 *l.* 47

Dæmonum *ordinum diſtinctio pro locis in quibus maximè verſentur, p.* 408 *l.* 38

Dæmonum Interitûs *apud Incolas Inſularum juxta* Britanniam *effecta, p.* 451 *l.* 12

Dæmoniacus *Græcè loquens apud* Fernelium, *p.* 177 *l.* 56

Δαίμων ἀγαθὸς κυβερνήτης *apud* Ariſtotelem, *p.* 4 *l.* 44

Δαίμονας *Animas eſſe extra corpus, Animas* Δαίμονας *in corpore, p.* 386 *l.* 21

Δαιμόνων *deſcriptio apud* Michaelem Pſellum, *ibid. l.* 34

Δαίμων, Ψυχὴ, Ἄγγελος *voces eandem rem ſignificantes, p.* 548 *l.* 36

Δαίμονες *qui appellandi quinam* Θεοὶ, *p.* 375 *l.* 50

Daniel.

Cap. 2 *v.* 21, 22 *p.* 660 *l.* 1 *v.* 34, 35, 36 *p.* 659 *l.* 50 *p.* 673 *l.* 5 *v.* 35 *p.* 704 *l.* 7 *v.* 44 *p.* 659 *l.* 18 *p.* 672 *l.* 23

Cap. 4 *v.* 12 *p.* 659 *l.* 37

Cap. 7 *v.* 6 *p.* 642 *l.* 8 *v.* 25, 26 *p.* 687 *l.* 31

Cap. 9 *v.* 24, 25, 26 *p.* 659 *l.* 27 *v.* 26 *p.* 684 *l.* 45

Cap. 11 *v.* 36 *p.* 686 *l.* 4

Darkius Weſtmonaſterienſis *à Dæmone in crus percuſſus, cujus & manui impreſſum eſt ſignaculum, p.* 96 *l.* 23 *& l.* 60

David Georgius, *p.* 198 *l.* 4

Davidis Georgii *de ſua Reſurrectione Vaticinium, p.* 203 *l.* 12

Davidis Georgii, *perſonæ, morum ac doctrinæ deſcriptio, p.* 203 *l.* 22 *p.* 204, 205, 206. Mimochariſmata *ejus unde profecta fuerint, ibid. l.* 28. *Fuiſſe temperie ſanguineâ, p.* 205 *l.* 6. *Fuſcum ſaturúmque ſanguinem fuiſſe, qui magnorum promiſſorum Evangelii veritatem ab oculis ejus abſconderit, ibid. l.* 37. *Hunc inter &* Henricum Nicholai *accurata ſimilitudo, p.* 206 *l.* 4

Decas Πίστις *dicta, ut* Tetractys Ὅρκος, *p.* 580 *l.* 58 *& p.* 581

Decem *Tetractys perinde atque* Tetras, *p.* 580 *l.* 49

Decretum *Dei æternum de Homine lapſo, p.* 494 *l.* 11

Denarium *Pythagoricum non exceſſiſſe Myſteria*

ria

ria Judæorum, p. 558 l. 55 & p. 559. Quomodo referri poſſit ad opus quarti diei, p. 565 l. 39

Denarii *Nomina quæ ad Diei quarti Creationem referantur, p. 576 l. 60 & p. 577*

Dentium ſitus *Providentiæ Argumentum, p. 88 l. 29*

Deſcenſus *Animæ in corpus quomodo fiat, p. 374 l. 2*

Devotio *Deique Timor quomodo Divinam Exiſtentiam arguat, p. 89 l. 13*

Deus *quid ſit, p. 30 l. 12 p. 298 l. 57 & 299 l. 10*

Deum *unum eſſe unica demonſtrandi Methodus, p. 38 l. 59 p. 43 l. 55 & p. 44*

Dei exiſtentia *à cauſa finali Ideæ Dei in animum inſitæ probata, p. 44 l. 24 & p. 45 l. 19*

Dei Exiſtentiâ *ſuppoſitâ, eum non aliter acturum fuiſſe, quò ſeipſum nobis patefaceret, quàm de facto nobiſcum actum ſit, quod indicium igitur eſt eum exiſtere, p. 45 l. 44*

Dei cognitio *ſecundùm* Lumen *Naturæ eſſet, licèt Traditio foret vel Doctrina, perinde atque Artes Mathematicæ quæ docentur vel traduntur, p. 47 l. 36*

Deum Manichæorum *in ſua Notione impoſſibilitatem Exiſtendi implicare, p. 160 l. 12*

Dei exiſtentia *ab illius Idea demonſtrata, p. 37 l. 33*

Deus *ut* Spiritus *ſit propriè dictus, omnino neceſſe eſſe, p. 182 l. 13*

Deum *quodammodo* extenſum *eſſe etiam ſecundùm ſententiam* Carteſii, *p. 238 l. 41 & p. 241 l. 58 p. 243 l. 42*

Deum *ſolum* infinitum *eſſe* poſitivè, Mundum *ſolummodo* indefinitum, *ſecundùm* Carteſium, *p. 240 l. 8 & p. 242 l. 25 & l. 31*

Deus *an* totus *ſit ubiq; p. 245 l. 19 & p. 250 l. 13*

Deus *quomodo* Materiam *moveat ſecundùm* Carteſium, *p. 253 l. 3*

Dei eſſentia *ubiq; an præſens ſit ſecundùm* Carteſium, *p. 268 l. 15 p. 269 l. 9 p. 270*

Dei Notionem *æquè facilem eſſe ac quamvis aliam, quóque id ſenſu ſit intelligendum, p. 298 l. 48 & p. 299 l. 45*

Diadori *error circa* Moſen *alióſque Legiſlatores Divinos, p. 505 l. 27*

Diem quartam *corporis totius Univerſi ornatum complecti, p. 480 l. 4*

Dierum *ſingulorum Creationis* Veſperam *&* Mane *eſſe Symbolica, p. 595 l. 40*

Difficultas *explicandi quomodo Spiritus moveat Materiam, rei ipſius fidem cur non debeat imminuere, p. 153 l. 16*

Difficultates *rerum acquirendarum Argumentum Providentiæ eſſe potius quàm è contrà, p. 171 l. 47*

Difficultates *quædam circa naturam Vorticum, Soliſque ac formationem Stellarum, p. 260 l. 26 & circa rationem Colorum, p. 261 l. 13*

Diochætes *Pythagoricus* Parmenidis *Intimus, p. 594 l. 9. Quòd notitiam habuerit Philoſophiæ* Moſaicæ *ipſiúſque adeò* Textûs, *ibid. l. 14*

Dionyſii Syracuſani *irreligioſa ſcommata & ſacrilegia, p. 94 l. 4*

Dionyſii filius *Syracuſis pulſus regnóque exutus, &c. p. 95 l. 9*

Διὸς κῆπος *apud* Platonem, *Paradiſus Moſaicus, p. 540 l. 26*

Διὸς φυλακὴ *& Sol quomodo ad primam* Sephiram *referantur, p. 570 l. 19*

Diſtantiam *non eſſe* Phyſicam *ullius rei affectionem, ſed* Notionalem. *p. 162 l. 35. Quomodo id intelligendum ſit, p. 163 l. 25*

Diſtantiam corporum, *privationem duntaxat eſſe tactualis unionis per partes menſurabilem, ut aliæ privationes qualitatum per gradus, p. 162 l. 46 quomodo accipiendum, p. 163 l. 30*

Diſtantia ſpacii, *ſi, remotâ materiâ, quicquam reale ſit. Ens illud neceſſarium eſſe, per Ideam Dei repræſentatum, p. 162 l. 57*

Diſtantiæ *& latitudinis ulla eſſe in Cerebro ſignacula, conceptu difficile, p. 334 l. 39 & p. 335 l. 46*

Divinæ Naturæ *Perfectio, æquè demonſtrativa ratio* quòd *exiſtat atque* cur *exiſtat, p. 40 l. 45*

Divinæ exiſtentiæ *neceſſitas ex eo demonſtrata quòd nec Contingentia nec Impoſſibilitas exiſtendi ei competat, p. 38. l. 15 & p. 160 l. 25*

Divinæ Eſſentiæ *unio, p. 299 l. 21*

Divinam corporis temperiem *requiri, ad faciliùs recipiendam firmitérque retinendam Divinam veritatem, cum methodo eandem acquirendi, p. 650 l. 36 & p. 651*

Dominium Dei *abſolutum in quo fundatum ſit, p. 653 l. 23 & p. 654*

Δρόμος Ἀχιλλέως, *p. 388 l. 42*

Duratio *aliáve quævis extenſio an poſſit eſſe non exiſtentis, p. 244 l. 12 & p. 249 l. 55 p. 250 l. 26*

Duratio ſucceſſiva *præter* Æternitatem *infinitam quomodo in Deum cadere intelligatur, p. 245 l. 45 & p. 250 l. 20*

E

ECbaccheutici *Anglicani unde originem duxerint, p. 222 l. 9*

Eccleſiæ *Incrementum, Myſterium* Vitæ *potiùs quàm* externæ Rationis, *p. 6 l. 13*

Eccleſiæ primævæ *ſecula de dogmate* Præexiſtentiæ *Animarum nullam ſiniſtram foviſſe opinionem, p. 14 l. 26*

Eccleſiæ Apoſtaſia *quàm conſiſtens cum Durabilitate Regni Dei apud* Danielem, *p. 672 l. 42 & p. 673*

Eccleſiæ gloria *futura poſt externam cladem* Babylonis, *p. 703 l. 2 & p. 704*

Eccleſiæ *ſtatûs* futuri *deſcriptio magìs particularis ex Apocalypſi, p. 704 l. 19 & p. 705, 706*

Eccleſiæ *ſtatûs* glorioſi *illius futuri ſpes quibus ex Scriptura rationibus ſit innixa, p. 713 l. 58 & p. 714*

Eccleſiæ *ſtatum illum* glorioſum *à Prophetis prædictum non illuxiſſe adhuc ſuper faciem Terræ, p. 715 l. 32 & p. 716*

Eccleſiæ *ſtatum illum* glorioſum, *quæ argumenta ipſa Ratio ſuggeſſerit, fore, p.* 716 *l.* 25 *& p.* 717

Eccleſiæ *expectatam Apoſtolicæ* gloriam *nec* Familiſmo *nec* Behmeniſmo *ſupplantatum iri, p.* 717 *l.* 36 *& p.* 718 *& ſeqq.*

Eccleſiæ *tempora* glorioſa *ad acceleranda, quænam potiſſimùm* Principia *tendant, p.* 725 *l.* 6 *& p.* 726, 727 *& ſeqq.*

Principium ſecundum, p. 727 *l.* 60

Principium tertium, p. 730 *l.* 44

Principium quartum, p. 331 *l.* 37

Principium quintum, p. 732 *l.* 50

Principium ſextum, p. 733 *l.* 19

Principium ſeptimum, ibid. l. 59

Principium ultimum, p. 734 *l.* 28

Eccleſia Romana *an vera ſit Eccleſia, p.* 728 *l.* 42 *& p.* 729

Eccleſia Romana, *licèt non vera eſſet Eccleſia, non ſequi tamen quin* Reformatæ *Eccleſiæ tales ſint, p.* 729 *l.* 25 *& p.* 730

Eccleſia *quomodo perventura ſit ad* unitatem Spiritûs, *p.* 733 *l.* 24

Eccleſiæ *ad* unitatem *reducendæ quæ ſit vera Methodus, p.* 736 *l.* 13

Eccleſiæ *tempora* glorioſa *quàm diu duratura, p.* 737 *l.* 47

Eclipſis *Solis in crucifixione Servatoris ſpeciale Divinæ Providentiæ effectum, p.* 25 *l.* 36

Eckerken *Apparitio, p.* 105 *l.* 35

Ecſtaſis *quid ſit & è quibus cauſis, p.* 200 *l.* 53. *An quiſpiam ſe in eam pro libitu conjicere queat, p.* 201 *l.* 16

Ecſtaſes *perfectæ ſive* ἀφαιρεσίαι *quo pacto fieri poſſint, p.* 378 *l.* 13 *p.* 379

Eliam *eſſe venturum & quo ſenſu, p.* 722 *l.* 9

Eliæ *hujus character ex Vaticiniis collectus, ibid. l.* 23 *& p.* 723

Eliæ *character ex Hiſtoria, p.* 723 *l.* 25 *& p.* 724

Eliæ *adventus quo tempore futurus, p.* 724 *l.* 37

Elionoræ Meliorinæ *deliria, p.* 207 *l.* 20

Elyſia *ab Authore deſcripta ſenſualia non eſſe ſed Divina, p.* 283 *l.* 51

Elyſiorum *Aereorum & Æthereorum deſcriptio, p.* 423 *l.* 35. *De his* Elyſiis *quàm arduum ſit quicquam definire, p.* 424 *l.* 19

Emanationem *ſubſtantiæ* ſecundariæ *è Centrali in Spiritu non eſſe propriè Creationem, p.* 151 *l.* 28

Emanativam *Cauſam notionem eſſe rei poſſibilis, p.* 302 *l.* 15

Emanativum Effectum *Cauſæ ſuæ coexiſtere, ubi ſupponendum, p.* 302 *l.* 11 *p.* 304 *l.* 40

Emanativum effectum *nullum impoſſibilem dici poſſe, qui vires ſuæ cauſæ non excedit, p.* 302 *l.* 3

Emanationem *inter &* Creationem *immane diſcrimen, p.* 305 *l.* 1

Ens unicum *eſſe* abſolutè perfectum *ſive Deum, ut unicum eſt genus Solidi rotundi, p.* 148 *l.* 43

Ens *abſolutè* peſtiferum, *quòd impoſſibile ſit ut exiſtat, quomodo probetur, p.* 158 *l.* 29

Entis *abſolutè* perfecti *deſcriptio, p.* 31 *l.* 33

Enthuſiaſmi & Atheiſmi *affinitas & confœderatio, p.* 187 *l.* 9

Enthuſiaſmus *quid ſit, p.* 188 *l.* 9

Enthuſiaſmi, *in Politicum & Philoſophicum diſtributio, p.* 202 *l.* 24

Enthuſiaſmi Politici *exempla varia, p.* 202 *l.* 31 *& p.* 203

Enthuſiaſmi Philoſophici *deſcriptio, p.* 207 *l.* 19

Enthuſiaſmi *Curatio per* Diatrion *ex Temperantia, Humilitate, & Ratione compoſitum, p.* 212 *l.* 57 *& p.* 213. *Plura ſubſidia adverſus* Enthuſiaſmum, *p.* 215 *l.* 2

Enthuſiaſmum *verè* pium *ac* Divinum *Authorem in ſua Diſſertatione ſtylo ſuo mimìnè perſtrinxiſſe, p.* 219 *l.* 26 *ſed* Fanaticum *tantùm, ibid. l.* 40 *vide p.* 225 *l.* 13

Enthuſiaſmus *verus &* innocuus *cui homo Chriſtianus tutò indulgere poteſt, p.* 225 *l.* 26

Enthuſiaſtæ *Spiritus* τὸ τ̃ μελαίνης χολῆς πνεῦμα *apud* Ariſtotelem, *p.* 195 *l.* 33

Enthuſiaſtas *inter &* Poëtas *quodnam ſit diſcrimen, p.* 197 *l.* 11

Enthuſiaſtarum Allegoriæ *Myſticæ, p.* 199 *l.* 17

Enthuſiaſtarum Tremores *unde, p.* 199 *l.* 40 *& p.* 200

Enthuſiaſtarum *Prophetiæ quales, p.* 201 *l.* 54 *& p.* 215 *l.* 32

Enthuſiaſtarum *ſermo altus & exaggeratus, p.* 215 *l.* 15

Enthuſiaſtis *quî fit ut eximium aliquod interdum ore excidat, p.* 215 *l.* 19

Enthuſiaſtes *ſi morbum aliquem tactu curaverit, quid ea de re cenſendum, p.* 216 *l.* 4

Enthuſiaſtarum *ad patiendum prolubium nullum eſſe Miraculum, p.* 216 *l.* 22 *& p.* 217

Enthuſiaſtarum *Notiones longè petitæ, ſtylus Myſticus, flexanimaque Eloquentia in quas cauſas reſolvantur, p.* 218 *l.* 30

Enthuſiaſten, *quamvis à cauſis naturalibus impetatur, neceſſariò tamen ab eis non cogi.*

Enthuſiaſtarum *laquei quibus potiſſimùm rationibus evitari queant, p.* 721 *l.* 36

Enthuſiaſticum *Gaudium quale & unde, p.* 199 *l.* 3

Ἐπιϛήμη *ſecunda* Sephirah, *p.* 570 *l.* 40

Equi *utilitas præſtabilis, p.* 74 *l.* 15

Equi *ſuperbia magnifica & decora, p.* 75 *l.* 29

Equi *curatio* Magica, *p.* 96 *l.* 1

Eſaias.

Cap. 13 *v.* 20, 21 *p.* 544 *l.* 45 *& p.* 545

Cap. 14 *v.* 19, 20 *p.* 681 *l.* 14

Cap. 19 *v.* 4 *p.* 514 *l.* 17

Cap. 24 *v.* 18 *p.* 716 *l.* 40

Cap. 25 *v.* 7 *p.* 698 *l.* 47

Cap. 53 *v.* 10 *p.* 668 *l.* 62 *& p.* 669

Cap. 63 *v.* 16 *p.* 683 *l.* 39

2 Eſdr. *Cap.* 13 *v.* 10, 38 *p.* 700 *l.* 34

Eſſentias *parè* incorporeas *impreſſionum ab* Ob*jectis corporeis eſſe incapaces, p.*282 *l.*47 & *p.* 288 *l.* 51

Eſſentiæ mediæ *corporeas inter & incorporeas an dentur, p.* 296 *l.* 38

Eſſentiam *nullam per ſe poſſe ſuam modificationem variare quàm falſum* Hobbii *principium, p.* 337 *l.* 22

Ἑστία *à voce* Chaldaica אשתא *quî derivetur, p.* 569 *l.* 25

Ἑστία Pythagoricorum *Sol, p.* 584 *l.* 55

Eva *noſtra quæ ſit ſecundùm* Ficinum, *p.* 543 *l.* 15

Euchitæ *ut, delendo ex animis* τὰ πατρικὰ σύμβολα, *malorum Dæmonum in ſua corpora ingreſſum affectarent, p.* 135 *l.* 4

Εὐτυχία ἡ θεία *etiam in Contemplationum ſucceſſu agnoſcenda, p.* 4 *l.* 53

Exiſtentiæ Dei *demonſtrationem ab illius* Idea *æquè validam eſſe ſive innatæ dentur Ideæ ſive ſecus, p.* 148 *l.* 23

Exiſtentiam *perfectionem eſſe vulgaribus exemplis probatum, p.* 155 *l.* 6. *Idem confirmatum ex principiis Metaphyſicis, ibid. l.* 22. *Provocatio ad communem* Rationem, *ibid. l.* 30

Exiſtentiam, *ſaltem* neceſſariam, *eſſe perfectionem, ſi non nuda exiſtentia, p.* 155 *l.* 35. *Illius rei illuſtratio, ibid. l.* 43

Exiſtentiam neceſſariam *in Idea* Entis *abſolutè* mali *non contineri, p.* 156 *l.* 15

Exiſtentiæ Impoſſibilitatem *ad* Ens *abſolutè* miſerum & Ens *abſolutè* peſtiferum *pertinere, p.* 158 *l.* 20

Exiſtentiam neceſſariam *nec* Enti *abſolutè* imperfecto, *p.* 156 *l.* 27 *nec abſolutè* improbo, *ibid. l.* 37 *nec abſolutè* miſero, *ibid. l.* 43 & *p.* 157, 158 *l.* 49 *nec Enti abſolutè* peſtifero, *ibid. l.* 26 *competere.*

Exodus.

Cap. 15 *v.* 8 *p.* 669 *l.* 40
Cap. 22 *v.* 10 *p.* 514 *l.* 18
Cap. 24 *v.* 10 *p.* 607 *l.* 31
Cap. 25 *v.* 18, 22 *p.* 710 *l.* 47
Cap. 26 *v.* 6 *p.* 671 *l.* 3.
Cap. 28 *v.* 4, 5, &c. *p.* 577 *l.* 25 & *p.* 578, 579 *p.* 581 *l.* 30 & *p.* 582 *p.* 591 *l.* 37
Cap. 39 *v.* 31, 35 *p.* 555 *l.* 53 & *p.* 556

Extenſionem *omnem, Diviſibilitatem partium* Phyſicam *non implicare, p.* 150 *l.* 39 & *p.* 151

Extenſio *in* Spiritu *cur non tot pariat* Intellectiones *ac voluntates quot ſint ejus partes, p.* 151 *l.* 48

Extenſio eſſentialis & integralis *ut differant, p.* 280 *l.* 22

Ἐξυδάτωσις & ἐκπύρωσις *duo modi quibus Mundus deſtruatur apud veteres, p.* 452 *l.* 47

Ezechiel.

Cap. 1 *v.* 4 *p.* 707 *l.* 36 & 47 *v.* 4, 7, 9, 10 *p.* 709 *l.* 36 *v.* 12 *p.* 708 *l.* 4 *v.* 15, 18, 19 *p.* 708 *l.* 28
Cap. 10 *v.* 1, 2 *p.* 710 *l.* 48 *v.* 12 *p.* 709 *l.* 33 *v.* 13 *p.* 708 *l.* 19 *v.* 15 *p.* 708 *l.* 34
Cap. 28 *v.* 18 *p.* 687 *l.* 45 *p.* 726 *l.* 15
Cap. 36 *v.* 22, 23, 25, 26 27 *p.* 714 *l.* 21
Cap. 39 *v.* 29 *p.* 706 *l.* 24
Cap. 43 *v.* 10 *p.* 705 *l.* 15 & *p.* 706
Cap. 47 *v.* 1, 12 *p.* 705 *l.* 33
Cap. 48 *v.* 35 *p.* 705 *l.* 15 & *p.* 706

F

FAcii Cardani *Viſum in quo Spiritus qui ei apparebant ſe mortales profeſſi ſunt, p.* 447 *l.* 51 & *p.* 448

Facii Cardani *Dæmones qui cum illo collocuti ſunt Animam mortalem an immortalem declaraverint, p.* 450 *l.* 4

Facultates *noſtras ſupponi* veras *eſſe, p.* 24 *l.* 7 *p.* 28 *l.* 12 & *p.* 29

Facultates *noſtras ſupponi* veras *eſſe quomodo intelligendum, p.* 161 *l.* 16

Facultates *Animæ* vegetativæ *ſive Plantales, p.* 188 *l.* 23

Facultatum *Animæ aſcenſus gradualis, p.* 358 *l.* 20

Facultatum *Animæ aliarum pro aliis ſtatibus excitatio & conſopitio, p.* 398 *l.* 37

Facultates *Maſculinæ & Fœmininæ in* Adamo, *p.* 483 *l.* 32

Facultatum *fœmininarum magna voluptas ac ſolatium, ibid. l.* 46

Familiſtici Imperii *Inſomnium* J. Nayletum *ad qualem adegerit dementiam, p.* 746 *l.* 19

Familiſtica ἀμέλεια ἀνθολκῆς, *quique illius eſſe poſſit uſus, p.* 747 *l.* 43

Farellum, Fromentium & Viretum *primos* Genevam *convertiſſe, p.* 665 *l.* 28

Faſcinatorum *obſeſſorúmve conditionis deſcriptio exemplis confirmata, p.* 102 *l.* 7. *Quicquid ſenſûs, Rationis, Motûſve in eis videtur, totum illius Inquilini eſſe qui in iſtos ſe induerit, ibid. l.* 33

Felis *nigra* Cuntii, *p.* 117 *l.* 16

J. Fernelium *Animæ præexiſtentiam tenuiſſe, juxtáque ſecum ſenſiſſe* Hippocratem & Galenum, *p.* 367 *l.* 44

Fidei doctrina *in* potentia Spiritûs *cur tantopere non inculcata à primis Reformatoribus, p.* 735 *l.* 30 & *p.* 736

Fidei hujus *vis ad renovandum Mundum in* Juſtitiam, *ibid. l.* 10

Fidei in potentia Spiritûs *Chriſti ad debellandum peccatum miranda* efficacia, *p.* 736 *l.* 45. *Reſponſum ad Objectionem circa hanc doctrinam Fidei, p.* 737 *l.* 1

Fieni *exempla probata de viribus Imaginationis, p.* 413 *l.* 23

Firmamentum *cur Cœlum ſic dictum, p.* 515 *l.* 11

Firmamentum *inter Aquas ſuperiores & Inferiores poſitum quid ſignificet in Cabbala* Morali, *p.* 621 *l* 6

Fluvii Paradiſi *quid, p.* 482 *l.* 55 & *p.* 483 *p.* 491 *l.* 12

Fœminas viróſque *in unum primitùs concreviſſe fabula* Ariſtophane *digna*, *p.* 517 *l.* 48

Fœminæ Liguriſſæ *ex* Diodoro *Hiſtoriola de parturiendi facilitate*, *p.* 521 *l.* 56 *& p.* 522

Fœtûs *materiam eſſe Homogeneam*, *p.* 174 *l.* 37 *& p.* 175

Fœtûs *materiam, ſi ex particulis conſtet variarum figurarum Organizationi adaptatarum, ad Athei cauſam nihil facere*, *p.* 175 *l.* 18 *ſed nec ſic conſiſtere, eſſe probabile*, *ibid. l.* 28 *& p.* 176 *l.* 53 *& p.* 177

Formæ Seminales *quid*, *p.* 309 *l.* 22

Formæ Seminales *particulares apud* Proclum *φύσεις appellatæ*, *p.* 310 *l.* 56

Fortuni Liceti *Cancer*, *p.* 416 *l.* 5

Foxii *nomen quo omine* Quakerorum *capiti inſcriptum*, *p.* 747 *l.* 27

Frigiditas *Spirituum ſive* Dæmonum, *p.* 110 *l.* 26 *p.* 130 *l.* 7 *& l.* 21 *p.* 180 *l.* 12

Fructus arborum *humano uſui deſtinati*, *p.* 71 *l.* 26

Fuga Adami *poſtquam nudum ſe deprehenderat quid ſignificet*, *p.* 634 *l.* 13

Functionum *noſtrarum ex* Carteſio, *aliarum corpori, aliarum Animæ propriarum deſcriptio*, *p.* 344 *l.* 27

Furni Ægyptii 'Ορνιθοτρόφων, *p.* 78 *l.* 23

Futuri ſtatûs *alteriúſve* Mundi *cur tam accuratam Author aggreſſus ſit deſcriptionem*, *p.* 283 *l.* 36

Futurum Impiorum *ſtatum Authorem non feciſſe nimis tolerabilem*, *p.* 284 *l.* 9

Futuri Axiomatis *ſenſus quomodo determinandus*, *p.* 339 *l.* 11

G

AD Galatas
Cap. 2 *v.* 20 *p.* 620 *l.* 46

Galeni *Hymnus*, *Tractatus ejus de uſu partium*, *p.* 87 *l.* 2 *& p.* 91 *l.* 24

Γάμος *peculiaris appellatio Quinarii & Senarii & ad Ternarium an referri poſſit*, *p.* 568 *l.* 19 *p.* 573 *l.* 23

Galli *&* Gallo-pavonis *ſtructura*, *p.* 81 *l.* 55 *& p.* 82

Generationem *omnem fieri ex tenui Colliquamento*, *p.* 355 *l.* 12

Geneſis.

Cap. 3 *primorum ſenſus Literalis à p.* 513 *ad p.* 522. *Senſus Philoſophicus à p.* 478 *ad p.* 486 *& à p.* 523 *ad p.* 549. *Senſus Moralis à p.* 487 *ad p.* 494 *& à p.* 619 *ad p.* 638

Cap. 1 *v.* 1, 2 *p.* 593 *l.* 46 *& p.* 594 *p.* 598 *l.* 56 *p.* 603 *l.* 33 *v.* 6, 14, 15, 16, 17 *p.* 535 *l.* 16

Cap. 2 *v.* 7 *p.* 384 *l.* 32

Cap. 14 *v.* 14 *p.* 500 *l.* 4

Cap. 15 *v.* 5 *p.* 500 *l.* 42 *p.* 667 *l.* 47

Cap. 37 *v.* 8, 19 *p.* 668 *l.* 42

Genevenſem *Epiſcopum à* Calvino *fuiſſe expulſum meram eſſe calumniam*, *p.* 665 *l.* 18

Genii boni *cujus Converſatione uſus eſt* Bodini *amicus, Hiſtoria*, *p.* 131 *l.* 32 *& p.* 132. *Converſationis hujus* Genii *modus*, *p.* 132 *l.* 8. *Periculorum evitationes ex boni* Genii *monitis*, *p.* 132 *l.* 40. *Genius hîc quantopere à vocali converſatione abhorruerit*, *ibid. l.* 57. *Utilis ejus per alia ſigna Opitulatio*, *ibid. l.* 60 *& p.* 133. *Modus quo ipſi apparuit vigilanti, & ſemel dormitanti*, *p.* 133 *l.* 4

Genii Tutelares *quid ſint*, *p.* 133 *l.* 28 *unúſne àn plures ſingulis hominibus aſſignati & aliquibus nulli*, *ibid. l.* 40

Geniorum *an forma ſit ulla determinata*, *p.* 134 *l.* 24 *& p.* 136 *l.* 13

Geniorum *doctrina apud* Ariſtotelem *rara aut nulla*, *p.* 288 *l.* 28

Genios *quoſdam vel* Angelos *aereis vehiculis uniri quomodo demonſtretur*, *p.* 396 *l.* 38 *& p.* 399 *l.* 12

Genii *cur tam* rarò appareant *cauſæ vera*, *p.* 403 *l.* 40

Genios *Animáſque ſeparatas videre & audire ad ingens Intervallum*, *p.* 406 *l.* 43

Geniis *nos facilè audientibus & videntibus, unde fiat ut nos illos viciſſim nec videre nec audire poſſimus*, *p.* 406 *l.* 53 *& p.* 407

Genios *Auditum pariter habere ac Viſum*, *p.* 407 *l.* 15. *Tactu etiam præditos eſſe*, *ibid. l.* 22. *An Odoratu & Guſtu*, *ibid. l.* 24

Genios *etiam* nutriri, *Opinio* Cardani, Marci Eremitæ, Moſíſque Ægyptii, *ibid. l.* 28

Genii Animæque *defunctorum quas Occupationes externas habere poſſint*, *p.* 407 *l.* 42 *& p.* 408

Geniorum *nobiſcum congreſſum intelligibiliorem videri quàm cum* Geniis, *p.* 409 *l.* 27

Genii *ſibi invicem quomodo* viſibiles *eſſe poſſint, dum nobis tamen ſunt* inviſibiles, *p.* 409 *l.* 36

Geniorum *acceſſus mutuus déque finibus velocitatis motûs eorum*, *p.* 410 *l.* 8 *& p.* 412 *l.* 10. *Quàm multò nobis celeriores*, *ibid. l.* 25

Genii *quâ formâ figuráve conveniant, qualis eorum ſeceſſus cùm Inviſibiles eſſe volunt*, *p.* 410 *l.* 31. *Congredi non poſſe formâ ſimpliciter Orbiculari*, *ibid. l.* 44

Genios *præſtantiores ſaltem, formâ congredi humanâ*, *p.* 410 *l.* 55 *p.* 412 *l.* 21 *p.* 418 *l.* 9

Geniorum Forma *ex meróne voluntatis & phantaſiæ imperio oriatur, an ad characterem naturalem Plaſticæ partis Animæ dirigatur*, *p.* 411 *l.* 6 *& p.* 412 *l.* 25

Genii Animæve *formam perſonalem partim à* voluntate *eſſe, partim à potentia* Plaſtica, *p.* 411 *l.* 25

Geniorum *facultas in formandis Vehiculis, quibus argumentis confirmetur*, *p.* 411 *l.* 37

Genios deteriores *Beſtiarum ſpeciem aliquando induere*, *p.* 418 *l.* 15

Geniorum pulchritudo *quoad Vehicula & ornatus*, *p.* 419 *l.* 3 *diſcriminari aliquo modo in* Maſculinam *&* Fœmininam, *ibid. l.* 36

Geniorum *inter ſe* congreſſus *& Colloquia*, *p.* 421 *l.* 8. *Sermones* Philoſophici *&* Politici, *ibid. l.* 22. *Exercitia* Religioſa, *l.* 46

Geniorum meliorum *luſus innocui & Recreationes*, *p.* 421 *l.* 56 *& p.* 422

Genii *boni & mali cibum an habeant & unde, p.* 423 *l.* 1 *& p.* 424

Geniorum *Aereorum* Politia, *p.* 424 *l.* 32. *Politicam catenam à ſummis Æthereis Poteſtatibus per Dæmonas Aereos ad ipſos uſque Terræ Incolas pertingere, p.* 424 *l.* 50 *& p.* 425. *Quantâ inde fruamur* Incolumitate, *p.* 425 *l.* 3

Genii facinoroſi *quàm facilè detegantur & puniantur à Tribulibus ſuis, p.* 425 *l.* 17. *Quo ſuppliciorum genere afficiantur, ibid. l.* 42

Geniorum *Aereorum mortalitatem quibus Teſtimoniis quidam eant probatum, p.* 447 *l.* 46

Genii *Aerei an certo tempore naſcantur ut homines, p.* 449 *l.* 3

Geometriam *ipſam non probare ſed ſupponere facultates noſtras veras eſſe, p.* 161 *l.* 10

Gerardi *narrationem de Anſeribus arboreis certò eſſe veram, p.* 181 *l.* 31

Gihon *idem quod* Nilus, *p.* 541 *l.* 1. *Nominis ratio, cujúſque rei Symbolum, ibid. l.* 53

J. Glanvillus *Hiſtoriæ Dæmonis* Tedworthienſis *ſcriptor, p.* 101 *l.* 27

Glandula *pinealis an ſedes ſit ſenſûs communis, p.* 351 *l.* 16. Bartholini *argumenta contra* Carteſium *allata & refutata, ibid.*

Glandula *pinealis cur ſedes Senſûs communis non ſit cenſenda, p.* 351 *l.* 52

Graminis viredo *Providentiæ Indicium, p.* 71 *l.* 19

Grandibus *ac* vehementibus *populum, Divinum quiddam ſubeſſe ſuſpicari, p.* 194 *l.* 40

Gratus ſenſus *vitæ vehiculi* Eva *Myſtica, p.* 483 *l.* 59 *& p.* 484

Gravidarum *Imaginationis vis Magica in Spiritum Naturæ, p.* 297 *l.* 30

Gravitatis *Phænomenon, principium arguere à Materia diſtinctum, p.* 58 *l.* 2

Gravium *deſcenſum exiſtentiam arguere Spiritûs Naturæ, p.* 433 *l.* 11 *& p.* 434

Gretrakeſii *curationes morborum mirandæ, p.* 223 *l.* 34 *& p.* 224

Gretrakeſii *&* Cokeri *inter ſe comparatio, p.* 224 *l.* 19

Gretrakeſii *ingenii vitæque paulò plenior deſcriptio, ibid. l.* 26

H

הארץ *exponendum ut* הארם *de Genere non Individuo in* Cabbala Philoſophica, *p.* 530 *l.* 5

Habitus *in Eſſentia* Vitali *non* Intellectuali *fundari, p.* 364 *l.* 23

חכוכבים *Planetas eſſe* primarios *in Cabbala* Philoſophica, *p.* 529 *l.* 31

Hackettus *qui imaginatus eſt ſeipſum Spiritum ſanctum, p.* 195 *l.* 17

Harvæi *bellum ſpectaculum quod Regi Reginæque Angliæ exhibuit, Fœtum ſcilicet Cervæ in humore cryſtallino natantem, p.* 78 *l.* 42

Harvæum *palpando quaſi ad Spiritûs Naturæ notitiam aſpirâſſe, p.* 374 *l.* 43

Ad Hebræos.

Cap. 1 *v.* 2, 10, 11, 12, *p.* 658 *l.* 30

Cap. 4 *v.* 9, 10, 11 *p.* 625 *l.* 36 *v.* 12, 13 *p.* 637 *l.* 25

Cap. 7 *v.* 25 *p.* 15 *l.* 19

J. Helmontii *Opinio, nullâ vi artéve humanâ penetrationem corporum effici poſſe, p.* 297 *l.* 18

Henrici Nicolai *character, p.* 198 *l.* 16

Henrici Regii *commentum mirificum de particula quæ* commune *ſit* Percipiens, *p.* 341 *l.* 58 *& p.* 342

Heracliti *Dictum arcanum Cabbalæ* Moſaicæ *congruum, p.* 542 *l.* 27

Herbarum noxiarum, *quæ vocantur, utilitates, p.* 68 *l.* 20

Heroicè boni, *nihil intus obeſſe quo minùs poſt mortem beatitudinem aſſequantur ſempiternam, p.* 451 *l.* 51

Heſiodi *Opinio de Geniis ſive Dæmonibus quòd intra certam annorum periodum intereant, p.* 448 *l.* 47. *Opinionem iſtam ſpecie duntaxat non re duram eſſe, p.* 451 *l.* 24

Heſiodi *Nymphæ in Conflagratione perituræ quid, p.* 453 *l.* 43

Heterogeneitas *Animæ qualis ſit, p.* 363 *l.* 13 *p.* 399 *l.* 48 *& p.* 400

Heterogeneitatis *ipſius* Plaſticæ *deſcriptio, p.* 400 *l.* 10

Hieronymus Cardanus Faciúſque *Pater unde factum ut ſe in Ecſtaſin pro libitu conjicere potuerint, p.* 201 *l.* 35

Ἱερὸς *cur* magnum *perinde ac* ſacrum *apud Græcos ſignificet, p.* 194 *l.* 58

Hippocrates *cur mentem in ſiniſtro cordis ventriculo poſuerit, p.* 352 *l.* 50

Hippocratis ἡ καθαρὰ ϗ φωτοειδὴς οὐσία, *p.* 353 *l.* 45 *& p.* 357 *l.* 22

Hippocratis τὰ ὁρμῶντα *vel* ἐνερμῶντα, *quæ, p.* 354 *l.* 23

Hippocratem *Animæ præexiſtentiam tenuiſſe, p.* 367 *l.* 44

Hobbii *argumenta adverſus exiſtentiam Spirituum, p.* 311 *l.* 43 *& p.* 312, 313. *Reſponſa ad dicta argumenta, p.* 313 *l.* 34 *& p.* 314, 315

Hobbiana Spectra *& Dæmones quales, p.* 314 *l.* 56 *& p.* 315

Hobbiani Teſtimonii *uſus in rationibus rerum corporearum explicandis, p.* 327 *l.* 30

Hobbii *circa ſenſationem rerum inanimatarum Vacillatio, p.* 332 *l.* 38

Hobbii *error ridiculus, Notiones utique ſecundas eſſe tantùm Nomina, p.* 334 *l.* 60

Hobbii *argumenta quibus probare vult Actiones noſtras eſſe neceſſarias, cum* Reſponſo, *p.* 336, 337, 338, 339

Hobbii *craſſa, in Logica, Ignorantia, p.* 338 *l.* 51

Hobbiana Gravitatis Hypotheſis *propoſita & confutata, p.* 433 *l.* 39 *& p.* 434

Hominis *conditio in ordine ad Creationem reliquam, p.* 62 *l.* 58 *& p.* 63

Homo *inermis quo conſilio à Natura factus, p.* 63 *l.* 51

INDEX.

Homo *in orbem introductus ut Conviva ad Menſam opiparam, p.* 71 *l.* 40

Hominem *in Confiniis quaſi habitare duorum Mundorum,* Spiritualis *&* Materialis, *p.* 90 *l.* 45

Hominis creationem *opus fuiſſe exquiſitiſſimæ Rationis ac Conſilii, p.* 90 *l.* 53

Homo *inter reliquas* Creaturas *ut* Sacerdos *inter reliquos* Homines, *p.* 91 *l.* 10

Homines Aëreos *quales admiſſura eſſent robuſta quæ vocantur Ingenia Hiſtoriâ Dæmonis* Tedworthienſis *conſternata, p.* 101 *l.* 24

Hominem *cum adultu ſuis perfectionibus ex materia ſimul extitiſſe, cæcis materiæ legibus planè repugnare, p.* 137 *l.* 31

Homines, *qui ſit, ut tam dexteri ſint atque habiles ad quaſdam res inveniendas & tam hebetes tardique ad alias, p.* 220 *l.* 30

Homo *Imago Dei, p.* 480 *l.* 57 *& p.* 481

Homo *Microcoſmus in quo duo principia* Spiritus *&* Caro, *p.* 487 *l.* 17

Hominum *Mortalium* ἀποθεώσεις *unde factæ, p.* 507 *l.* 3

Homines *an ex* Sole *dici poſſint materialiter* generati, *p.* 597 *l.* 33

Homo *quatenus ſui* Microcoſmi *moderator quomodo Dei Imaginem referat, p.* 614 *l.* 21

Hominis Terreni *deſcriptio ante novam creationem inceptam, p.* 619 *l.* 40 *& p.* 620

Homo peccati *quomodo dici poſſit ſedere in Templo Dei cùm illius illîc ſeſſio Synagogam eam reddat* Satanæ, *p.* 685 *l.* 57

Hominem Peccati *ſacris oraculis prædictum, quibus quis Rationibus cognoſcere poſſit jam veniſſe in Mundum, p.* 685 *l.* 42 *& p.* 686

Humilitas *qualis ſit quæ Enthuſiaſmi morbo medeatur, p.* 213 *l.* 31 *& p.* 214

Humilitas *quàm immenſum momentum ad veram ſcientiam faciat, ibid. l.* 41

Humoris cryſtallini, (*qui proxima materia eſt generationis Animalium*) Homogeneitatem, *ſubſtantiam indicare Immaterialem ab Humore diſtinctam, p.* 77 *l.* 41

Humorem hunc *ſive Materiam liquidam non formari in organa virtute tactûs, aut Imaginationis Matris, p.* 78 *l.* 6

Humorem hunc *pellucidum non ſolùm in generationibus Animalium* Oviparorum *cerni, ſed & Viviparorum, p.* 78 *l.* 41

Hyles, *quatenus* Potentialitas *eſt, apud Veteres Deſcriptio, quámque conſona ſit* Moſis *Terræ* inani *&* vacuæ, Abyſſo, Tenebris *&* Aquis, *p.* 601, 602. *Quomodo* Hyle *hæc dici poſſit creari, p.* 602 *l.* 59 *& p.* 603 *p.* 604 *l.* 36. *Cur mentio reculæ tam evanidæ facta apud* Moſen, *p.* 603 *l.* 10

Hyle ἀνάγκη τοῦ κακοῦ, *p.* 604 *l.* 2

Hyle *hæc quo ſenſu Radix Mali, p.* 603 *l.* 26 *& p.* 604. *Non creatam fuiſſe ab æterno quamvis Creatio quædam eſſet Emanatio, p.* 604 *l.* 51 *& p.* 605 *contra S. A.*

Hyle Phyſica *ſive* Monadum Abyſſus *quàm applicabilis Textui* Moſaico, *p.* 605 *l.* 32 *& p.* 606

Hyle *hæc* Phyſica Styx *veterum, p.* 606 *l.* 1

Hylen *tum* Phyſicam *tum* Metaphyſicam *ad Textum* Moſis *poſſe referri, p.* 607 *l.* 13 *& l.* 34

Hyles *Notio ab Authore jam olim agnita ad Cabbalam Philoſophicam adhibita, p.* 526 *l.* 20

Hylopathia *quid ſit, quomodóque ſpiritus, quamves non ſit impenetrabilis, materiam poſſit impellere, p.* 152 *l.* 49 *& p.* 153 *p.* 154 *l.* 30

Hylopathiæ *hujus, uſus non contemnendus, p.* 154 *l.* 45

Hylopatheticæ *hujus facultatis an pars ſit ut Spiritus nudi ſe inde reddant inter ſe impenetrabiles, p.* 154 *l.* 47

I

JAna Brookes *Venefica vulnerata, ad vulnus Spiritui* Aſtrali *inflictum, p.* 129 *l.* 3

Ideam Entis abſolutè perfecti *Notionem eſſe Animæ æquè innatam, atque quinque Corporum Regularium, p.* 30 *l.* 30 *p.* 36 *l.* 51

Idea Entis abſolutè perfecti *quas Notiones magìs particulatim in ſe comprehendat, p.* 30 *l.* 60 *& p.* 31

Ideam Entis abſolutè perfecti *non arbitrarium aut fortuitum eſſe conceptum, ſed neceſſarium, ac proinde Animæ naturalem, &c. p.* 36 *l.* 26. *Ejúſque* Ideatum *Radicem eſſe & Originem rerum omnium, ibid. l.* 39

Ideam Dei, *neceſſariam illius implicare Exiſtentiam, p.* 37 *l.* 23. *Eámque non* Hypotheticè *neceſſariam ſed abſolutè, p.* 37 *l.* 32

Ideæ Dei, *exiſtentiæ actualis* neceſſitatem *competere cùm nec* Contingentia *nec* Impoſſibilitas *competat, p.* 38 *l.* 15

Ideas Mentis *naturales inter &* Imaginationes *diſtortas diſcrimen, p.* 156 *l.* 15

Ideam *niſi ex Notionibus ejuſdem generis compoſitam nihil valere ad exiſtentiam rei probandam, p.* 157 *l.* 10 *& l.* 38

Ideam Dei, *illius exiſtentiam arguere non ex eo quòd vera ſit, quódque ſi Deus eſſet exiſtentia ejus foret neceſſaria, ſed quòd hæc Idea, cùm vera ſit, Exiſtentiam neceſſariam, tanquam ad Eum abſolutè pertinentem menti noſtræ exhibeat, p.* 159 *l.* 15

Ideam Dei Manichæorum, *exiſtentiam neceſſariam in ſe non includere, p.* 159 *l.* 40

Ideâ Entis *abſolutè perfecti Exiſtentia incluſa neceſſaria, ut ſit duntaxat conditionalis, apertam eſſe Repugnantiam, p.* 37 *l.* 42 *p.* 159 *l.* 48

Ideam Dei *Notionem eſſe in humana Anima indelebilem, p.* 164 *l.* 9

Ideam Dei, *ſi neceſſariò omni menti inſit, eò firmius argumentum eſſe pro Exiſtentia Dei, p.* 165 *l.* 1

Imago *ponè ſpeculum, p.* 152 *l.* 17 *& p.* 154 *l.* 24

Imaginem *ponè ſpeculum viſam in depravatam judicandi conſuetudinem non reſolvi, p.* 265 *l.* 4

Imagi-

Imaginem, *quæ percipitur ab Anima, eam ipſam eſſe quæ ſit in oculo*, *p.* 360 *l.* 25

Imaginationis *intricatæ in certis Senſûs & Rationis Concluſionibus exempla varia*, *p.* 151 *l.* 53 *& p.* 152

Imaginatio *αἴσθησίς τις ἀσθενής*, *p.* 189 *l.* 17

Imaginatio *pro reali Senſûs Objecto ubi concipi poſſit*, *p.* 189 *l.* 20

Imaginationis vim *enormem cauſam eſſe* Enthuſiaſmi, *p.* 189 *l.* 33 *& p.* 190

Imaginatio *cauſis naturalibus quàm neceſſariò moveatur & alteretur*, *p.* 190 *l.* 22

Imaginatio *ut immutetur cibis*, *p.* 191 *l.* 6

Imaginatio *mera quæ ſit cenſenda*, *p.* 293 *l.* 11

Imaginationis viribus *quàm mirifica Effecta tribuantur à quibuſdam Philoſophis*, *p.* 411 *l.* 48

Imaginationis Effectuum *exempla mira pariter ac vera*, *p.* 412 *l.* 38 *& p.* 413, 414

Immortalitatis Animæ ſpeculatio *quanti ſit momenti*, *p.* 291 *l.* 10

Immortalitas Animæ *à Veracitate, Juſtitia & Bonitate Dei demonſtrata*, *p.* 390 *l.* 10 *& p.* 391, 392

Impenetrabilitatem *ad* Extenſionem, *quatenus Extenſio, pertinere, quomodo à* Carteſio *demonſtratum*, *p.* 251 *l.* 18. *Et quàm falsè*, *p.* 253 *l.* 36 *p.* 254 *l.* 59 *& p.* 255

Imperceptivitatem Spiritûs Naturæ *nihil impedire quò minùs* Plaſticè *operetur*, *p.* 8. *l.* 51

Incorporearum ſubſtantiarum *ad Exiſtentiam demonſtrandam quatuor argumentorum genera*, *p.* 153 *l.* 26

Incorporeas ſubſtantias, *vires ac virtutes eſſe aſſerendo, quid intelligat* Carteſius, *p.* 238 *l.* 61 *& p.* 242 *l.* 4

Incorporearum ſubſtantiarum, *ſecundùm* Carteſium, *nullam eſſe Extenſionem, ſed potentiarum*, *p.* 251 *l.* 38. *Vide p.* 253 *l.* 43 *& l.* 46 *& p.* 255 *l.* 9

Incorporeæ ſubſtantiæ negatio *quàm funeſtas habeat conſequentias*, *p.* 311 *l.* 28

Incorporeæ ſubſtantiæ exiſtentia *demonſtratur, ab* Idea Dei, *p.* 316 *l.* 15 *à Motu, ibid. l.* 27 *& p.* 317, 318. *Ab* ordine *&* natura rerum, *p.* 319 *l.* 18. *Ab* Apparitionibus, *p.* 320 *l.* 36

Indiſcerpibilitas *unitáſque* Spiritûs Naturæ *unde arguatur*, *p.* 58. *l.* 18

Indiſcerpibiles *Materiæ* particulas *nullam habere figuram*, *p.* 280 *l.* 60 *& p.* 287 *l.* 36 *p.* 288 *p.* 304 *l.* 13

Indiſcerpibilitatis modus *in Anima aliiſque Spiritibus cur tam curioſè ab Authore* deſcriptus, *p.* 283 *l.* 17

Indiſcerpibilitas *&* Impenetrabilitas *immediatæ* Spiritûs *proprietates*, *p.* 294 *l.* 11

Indiſcerpibilitatem *ſubſtantiæ competere poſſe, perinde intelligi atque* impenetrabilitatem, *p.* 294 *l.* 60 *& p.* 295 *p.* 296 *l.* 23 *p.* 300 *l.* 22

Indiſcerpibilitatis *Repræſentatio* Symbolica, *p.* 300 *l.* 29

Indiviſibilitas Spiritûs *quomodo concipienda*, *p.* 150 *l.* 39 *& p.* 151 *p.* 154 *l.* 10

Indiviſibilitas *ſive* Indiſcerpibilitas *Naturæ* Spiritualis, *Cabbalæ* Moſaicæ *ſive* Pythagoricæ *pars*, *p.* 526 *l.* 38

Indolentiæ *exemplum egregium in gladiatore Cæſaris*, *p.* 217 *l.* 3

Infinito infinitius *an dari poſſit*, *p.* 43 *l.* 43

Injectorum *à Magis exempla varia*, *p.* 104 *l.* 9

Injectorum Hiſtoria *quàm convincens evidentia Exiſtentiæ Dæmonum*, *p.* 104 *l.* 42 *& p.* 105

Innatas *eſſe* Notiones *ſive Ideas in Anima*, *p.* 33 *l.* 4 *& p.* 34, 35 *p.* 148 *l.* 54 *p.* 149

Innatas *in Anima* Ideas *non eſſe ſenſibiles ſed Intellectuales*, *p.* 149 *l.* 15

In Principio, *Gen. c.* 1 *quid ſignificet in Cabbala* Philoſophica, *p.* 524 *l.* 51 *& p.* 525

Inſomnia *eſſe* Imaginationes *dormientium, Imaginationes* Inſomnia *vigilantium*, *p.* 187 *l.* 18

Inſomnia, *cur Anima dum ſomniat, veras rerum tranſactiones autumet*, *p.* 188 *l.* 56 *& p.* 189

Inſpiratio *quid ſit*, *p.* 188 *l.* 4

Inſpiratio *complexionalis in* J. Behmen *& H. N. qualis fuerit*, *p.* 721 *l.* 1

Inſtinctus naturalis *Animalium an à* Spiritu Naturæ, *p.* 435 *l.* 19

Inſtinctus *dicitur Naturæ ſicut à Diis Afflatio*, *Dictum* Scaligeri, *p.* 437 *l.* 5 *ubique maximè propriè Inſtinctus dicendus, ibid.*

Job.

Cap. 38 *v.* 4 *p.* 594 *l.* 47 *v.* 19, 20, 21 *ibid. l.* 54

Johannis Evang.

Cap. 1 *v.* 3 *p.* 533 *l.* 21 *v.* 14 *p.* 670 *l.* 31
Cap. 10 *v.* 10 *p.* 681 *l.* 52
Cap. 17 *v.* 19 *p.* 692 *l.* 38

Johan. Epiſt. 1.

Cap. 2 *v.* 27 *p.* 626 *l.* 60 *& p.* 627
Cap. 5 *v.* 4 *p.* 627 *l.* 18

Johannis ab Hembach *in Sagarum Conventiculo fiſtulatio*, *p.* 125 *l.* 48

Johannis Michaelis *Muſica muta ſuper podum in ſaltatione Dæmonum*, *p.* 126 *l.* 21

Iridis colores *an neceſſarii effectus ſint meræ Materiæ*, *p.* 172 *l.* 16 *& p.* 176 *l.* 19

L

LAcedæmonii *à* Judæis *oriundi*, *p.* 584 *l.* 39 *p.* 589 *l.* 48

Lacedæmoniorum σεῖοι ἄνδρες, *p.* 552 *l.* 10

Laertii *verba in Vita* Parmenidis, αὐτόν τε εἶναι τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, *examinantur*, *p.* 597 *l.* 47 *& p.* 598. *Item*, ἐξ ὧν τὰ πάντα συνεστάναι, *ibid. l.* 14. *An* ἐξ ἰλύος *pro* ἐξ ἡλίου *legendum*, *ibid. l.* 34 *& p.* 599

Lactantius, *quî factum ut negaverit* Antipodas, *p.* 499 *l.* 23

Lapicidinarum, *Lignorum*, *Metallorum & Mineralium*, *deſignata utilitas*, *p.* 63 *l.* 8

Lapſum *animarum humanarum quomodo cultus Religioſus depravatus arguat*, *p.* 48 *l.* 50

Lapſi Angeli *cur Beſtiis Agri aſſimilati*, *p.* 542 *l.* 43 *p.* 544 *l.* 43 *& p.* 545

Laſſitudo *corporis unde fiat*, *p.* 354 *l.* 8

Legiſlatores Gentium *primitùs à bonis Geniis inſtructi*, *p.* 505 *l.* 43 *& p.* 506

Leporis *formatio æquè manifeſtum Providentiæ argumentum atque* Talpæ, *p.* 80 *l.* 54

Leviticus.

Cap. 21 *v.* 10, 11, 12 *p.* 579 *l.* 13

Liber ruber *Magorum & Veneficarum ab* Anna Bodenham *agnitus*, *p.* 112 *l.* 56

Liberum arbitrium *quomodo cum Divina Præſcientia conciliandum*, *p.* 339 *l.* 38 *& p.* 340

Ligato nervo *ſenſum manere inter Ligaturam & Cerebrum, non autem inter Cor & Ligaturam*, *p.* 350 *l.* 7

Ligato nervo *cur ſenſus non ſit à Ligatura uſque ad extremum digitum*, *p.* 357 *l.* 3

לילית *quale Dæmonium*, *p.* 545 *l.* 8

Limacis H. Regii *in phiala vitrea incluſi experimentum*, *p.* 353 *l.* 31

Linguas exoticas *quas quiſpiam non didicit, ſi loquatur aut interpretetur, id fieri ope* Geniorum, *p.* 103 *l.* 46

Lini *&* Cannabis *egregia utilitas*, *p.* 72 *l.* 1

Literam Scripturæ *in rebus Philoſophicis utplurimùm loqui ſecundum ſenſum & imaginationem vulgi*, *p.* 507 *l.* 20 *& p.* 508, 509

Literam *Hiſtoriæ* Moſaicæ *veram eſſe*, *p.* 535 *l.* 48

Litera *ſive* Literalis *ſenſus &* Cabbala Literalis *ut differant*, *p.* 593 *l.* 28

Locationis *diſtinctionem in* circumſcriptivam *&* definitivam, *legitimam eſſe*, *p.* 315 *l.* 29

Locus *Spiritibus quo ſenſu competat, & quo non*, *p.* 315 *l.* 26

Logos Divinus *Pontifex Maximus apud* Philonem, *p.* 2 *l.* 4 *&* Ἄνθρωπος ἀπαθὴς *apud* Clementem, *ibid. l.* 13

Λόγους σπερματικοὺς *ullos alios præter univerſalem* Spiritum Naturæ *nihil neceſſe eſt eſſe*, *p.* 8 *l.* 38

Λόγος ἔνυλος, *Forma ratione carens*, *p.* 66 *l.* 15

Logos Æternus *quàm ideoneus* Pontifex Maximus, *p.* 578 *l.* 44 *& p.* 579

Λοξίας *cur* Ternarius *appellatus*, *p.* 569 *l.* 7 *& p.* 571 *l.* 7

Λυκανθρωπία, γαλεανθρωπία *&* κυνανθρωπία *morbi, unde poſſint provenire*, *p.* 191 *l.* 42

Lucas.

Cap. 12 *v.* 32 *p.* 659 *l.* 3

Cap. 21 *v.* 30 *p.* 693 *l.* 6

Lucerna Jehovæ, *Anima hominis quæ ardet ſuper Capite Infantis in viſceribus Matris*, *p.* 222 *l.* 61

Lucius Piſcis *cum annulo cupreo*, *p.* 83 *l.* 2 *p.* 86 *l.* 7

Lumen Divini Amoris *quarto die creatum quale & quàm utile*, *p.* 621 *l.* 22

Lunæ motus *Æquinoctialem ſecans Divinæ Providentiæ argumentum*, *p.* 57 *l.* 42

Lutheri *dictum memorabile de Creatione* Moſaica, *p.* 610 *l.* 8

Lutherum *&* Calvinum *Rebellionis crimine fuiſſe immunes*, *p.* 664 *l.* 56 *& p.* 665

Lutherus *an collocutus ſit cum Diabolo de Miſſa abroganda. Et de nocturnis illius viſionibus Torrium volantium*, *p.* 725 *l.* 22 *& p.* 726. *De illius moribus obnoxiis aliorúmque Reformatorum*, *p.* 726 *l.* 40 *& p.* 727

Lutheranum *inter &* Martiniſtam *ridicula digladiatio*, *p.* 3 *l.* 32

Lux *&* Cœlum *ejuſdem rei, Mundi ſcilicet Vitæ Symbola*, *p.* 524 *l.* 1 *ſuffragia Philonis & Auguſtini huc facere*, *ibid. l.* 23

Lux *&* Cœlum *an ſimpliciter Symbolicè ſignificent in primo die Creationis*, *p.* 595 *l.* 3

Lux ipſa *an foret* Lux *nullo Spiritu actuata*, *p.* 595 *l.* 15

Lucem Diei *rem eſſe à Sole independentem in Cabbala* Literali, *p.* 514 *l.* 46 *& p.* 516 *l.* 28

Lucem in primo die *ad ſummam perductam* Adamum *eſſe in ſexto,* Chriſtum *ſecundùm Spiritum*, *p.* 620 *l.* 17

M

Machiavelli *dictum egregium de præliorum in Aere viſorum prodigiis*, *p.* 142 *l.* 12

Magdalenæ Cruciæ *Hiſtoria*, *p.* 102 *l.* 56 *& p.* 103. *Hiſtoriam illius nec Sacerdotum fuiſſe, nec Melancholiæ deluſionem*, *p.* 103 *l.* 17. Wiero *ab Hiſpanis non malæ fidei & inſigniter doctis fuiſſe confirmatam*, *p.* 124 *l.* 22

Magia *qualis fuerit, quâ* Bodini *amicus uſus eſt ad aſciſcendam ſibi magìs ſenſibilem Aſſiſtentiam* Boni Genii, *p.* 131 *l.* 42

Magia *quæ ſit quâ Mulierculæ, Veneficæ aliquando fiunt. Eóſque utplurimùm in cauſa eſſe, qui promptiſſimi ſunt ad eas puniendas*, *p.* 133 *l.* 57 *& p.* 134

Magia *tutiſſima quæ ſit maximéque Divina*, *p.* 135 *l.* 55

Magiæ naturalis *ratio obiter illuſtrata*, *p.* 359 *l.* 9

Magicæ Sympathiæ Spiritûs Mundani, *in corporibus Sagarum* Ecſtaſi *correptis, Effecta*, *p.* 377 *l.* 49

Magnetis attractionem *Mechanicam non eſſe ſed Sympatheticam*, *p.* 432 *l.* 1

Magnitudo Objecti *cujuſque apparens quomodo percipiatur*, *p.* 264 *l.* 2

Mahometes *an merus fuerit Enthuſiaſtes*, *p.* 197 *l.* 53

Malachias.

Cap. 3 *v.* 1 *p.* 724 *l.* 45 *& p.* 725

Cap. 4 *v.* 5 *p.* 722 *l.* 48

E. Malletti *Manucodiata, dono Authori data*, *p.* 86 *l.* 21

Μανεῖην μᾶλλον ἢ ἡσθείην Antiſthenis *Dictum*, *p.* 416 *l.* 28

Magarettæ Warinæ *&* Cunini *Hiſtoria*, *p.* 97 *l.* 57 *& p.* 98

Maris *ac* Fœminæ *in Animantibus Formatio genuinus Sapientiæ & Conſilii effectus*, *p.* 75 *l.* 50

INDEX.

Maſculina pars *in* Homine *quid, p.* 629 *l.* 16

Materiæ *neceſſariam* à ſe exiſtentiam *concedere quàm ingens delirium, p.* 38 *l.* 29 *& p.* 39

Materiam, *ſi à ſe* moveretur, *nè in magìs* generalia *quidem Naturæ Phænomena ſe formare poſſe, multòque minùs ſi ex ſe* quieſcat, *p.* 53 *l.* 36 *& p.* 54

Materiam *licèt partim ſe moveret partim ex ſe quieſceret, producere non poſſe aut Solem aut Stellas, eâ quâ ſunt figurâ, p.* 54 *l.* 26

Materiæ Legum Mechanicarum *fontes duo,* Impenetrabilitas *&* Mobilitas, *p.* 55 *l.* 27

Materiæ motus *quamvis quædam producere poſſet, non ſequi tamen adæquatam eſſe cauſam Animalium ac Plantarum, p.* 65 *l.* 31

Materiæ A-ſe-exiſtentiam *tribuere eandémque negare in Deo, quàm ſit abſurdum, p.* 38 *l.* 23 *& p.* 160 *l.* 47

Materiæ *an* Cogitatio *tribui poſſit cum majoribus Repugnantiis non oneretur quàm* Diviſibilitas *ejus, p.* 168 *l.* 51 *& p.* 169

Materia Mundana *indefinita ſit an infinita, p.* 236 *l.* 8 *p.* 242 *l.* 55 *p.* 250 *l.* 5 *& l.* 9

Materiam *ex ſe* quieſcere *ſecundùm* Carteſium, *p.* 268 *l.* 32 *p.* 270 *l.* 41

Materiam *conſtare ex partibus* indiſcerpibilibus, *p.* 280 *l.* 19 *& p.* 303 *l.* 38

Materiam *nullam eſſe* ſe-fixantem, *p.* 318 *l.* 3

Materiæ Divinæ *voluntate præditæ figmentum, p.* 318 *l.* 13

Materia *alia* Divina *quæ* τῷ πέμπτῳ Ariſtotelis ϛοιχείῳ *reſpondeat, p.* 319 *l.* 1

Materiam, *licèt perceptio per reactionem ipſi competat, Naturæ effectis eſſe imparem, p.* 319 *l.* 41 *& p.* 320

Materiæ *connatas Ideas non ineſſe, communi omnium conſenſu & ratione confirmatum, p.* 323 *l.* 31

Materia *quas ob cauſas quaſi* umbra Dei *dici poſſit, p.* 271 *l.* 4

Materiam *eſſe Principium omnino* Paſſivum *unde conſtet, p.* 328 *l.* 23

Materiæ craſſæ *ac ponderoſæ æquè competere* ſui-motionem *atque ſubtiliſſimæ, p.* 318 *l.* 35

Materiam *nullas habere poſſe perceptiones niſi ab altera Materia impreſſas, p.* 329 *l.* 29

Materiæ *punctum* Phyſicum, *impreſſionem Materiæ variegatæ diſtinctam recipere non poſſe, p.* 330 *l.* 2 *& p.* 331

Materiæ puncto *quod non recipitur ab eo non percipi, p.* 331 *l.* 44

Materiam *perceptiones rerum habere non poſſe, quibus probetur argumentis, p.* 333 *l.* 8 *& p.* 334, 335

Materia *qualis ſit quæ* ipſa *foret* Anima *ſi nihil in Univerſo eſſet præter* Materiam, *p.* 333 *l.* 33

Materiam increatam *apud* Moſen *ſupponi, quæ data ſit iſti errori occaſio, p.* 514 *l.* 21

Mathematica evidentia, *poſſibile eſſe, ut ſit conſtans & indetecta deluſio, ni ſit Deus, p.* 28 *l.* 13

Matrimonium *Judæis cur* Moſes *tantopere commendaverit, p.* 519 *l.* 49 *& p.* 520

Matthæus.
Cap. 5 *v.* 13 *p.* 684 *l.* 9
Cap. 12 *v.* 43 *p.* 545 *l.* 22
Cap. 17 *v.* 10, 11 *p.* 722 *l.* 59 *& p.* 723
Cap. 19 *v.* 28 *p.* 693 *l.* 6

Medullæ ſpinalis *partem nullam* commune *eſſe* Percipiens, *p.* 346 *l.* 9

Medullæ ſpinalis *partem nullam ſedem eſſe ſenſûs communis, p.* 351 *l.* 61 *& p.* 352

Melancholiæ *vis in* Imaginationem, *p.* 192 *l.* 10. *Morbus propriè ſic dictus qualis, ibid. l.* 21 *p.* 207 *l.* 9

Melancholiæ *propriè ſic dictæ exempla varia, p.* 192 *l.* 30 *& p.* 193

Melancholiæ *hujus propriè ſic dictæ* phreneticorum, *uſus ſpecialis adverſus* Enthuſiaſtas, *p.* 193 *l.* 26

Melancholiæ *cauſalitatem in* Enthuſiaſmi *morbo faciliùs quàm in aliis deliriis detegi, p.* 194 *l.* 4

Melancholiam *Temperamentum eſſe religioſum ac pertinax, p.* 194 *l.* 14

Melancholia *quantoperè imponat Hominibus ob ſuam* vehementiam, *ac ſi ſanctus eſſet Dei Spiritus, p.* 194 *l.* 40 *& p.* 195

Melancholia fervefacta *quàm pulchram ſancti* Zeli Diviníque Spiritûs *ſpeciem induat, p.* 195 *l.* 24

Melancholiæ τὸ ξέον *apud* Ariſtotelem *cum hoc Zelo comparatum, ibid.*

Melancholiæ Fluxus *ac* Refluxus *majorem* Enthuſiaſtis *addere Inſpirationis fidem, p.* 195 *l.* 57 *& p.* 196

Melancholiæ *notabilis illuſio quantùm ad* Divinum Amorem, *p.* 196 *l.* 59

Melancholia *æquè fidelis, atque* Bacchus, Veneris, *comes, p.* 196 *l.* 59

Melancholiam *Homines ad* Apoplexias *&* Epilepſias *inclinare, p.* 200 *l.* 17

Melancholiam *etiam in pio* Enthuſiaſmo, *utplurimùm devotionis eſſe fomitem, p.* 220 *l.* 4. *Peculiarem vim habere ad* Divinas Speculationes, *cum Anticipatione Objectionis, ibid. l.* 17.

Melancholia improbis *balneum Diaboli,* ſinceris *Regenerationis* Lavacrum, *p.* 221 *l.* 24

Melancholiæ *quàm egregia ſit* utilitas *ad mores vitámque corrigendam, p.* 225 *l.* 41 *& p.* 226

Μελέτη ϑανάτȣ, *Philoſophiæ definitio apud* Platonem, *p.* 637 *l.* 50

Membranam *nullam ullámve ejus partem eſſe* Percipiens commune, *p.* 341 *l.* 48

Membranam *Capitis nullam eſſe ſedem* Senſûs communis, *p.* 351 *l.* 3

Memoriam & Imaginationem *omnes rationes Mechanicas excedere quomodo demonſtretur, p.* 344 *l.* 1

Memoriam *in* Anima *eſſe non in* Cerebro, *p.* 361 *l.* 47

Memoria, *quâ in re conſiſtat, p.* 362 *l.* 1

Memoriam *Animæ* poſt mortem *eſſe perfectiorem, p.* 426 *l.* 38

Memoria *nulla licèt eſſet poſt mortem, actiones* *tamen hujus vitæ ſemen quaſi jacere aut fœlicitatis aut miſeriæ in futura, p.* 429 *l.* 53

Mens humana *quomodo pervenire poſſit ad ſtatum omni præjudicio immunem, p.* 734 *l.* 6

Menti Ideas *ineſſe* cognatas *actualémque Cognitionem variis probatum exemplis, p.* 34 *l.* 42 *& p.* 35

Mentem *reperiri in humanis corporibus majori admiratione dignum eſſe, quàm quòd nulla ſit in Brutis, Dictum* Carteſii, *p.* 241 *l.* 22

Mentes humanas *à corpore ſeparatas ſenſum propriè dictum non habere ſecundùm* Carteſium, *p.* 267 *l.* 57

Mercavæ *ſive* Viſionis Cherubinorum *apud* Ezechielem *loca varia explicata, p.* 607 *l.* 21 *& p.* 608 *& ſeqq.*

Mercavæ Ezechielis *ſenſum eſſe triplicem,* Ethico-politicum, Phyſico-theoſophicum, *&* Literalem, *p.* 745 *l.* 31

Mercurii *Statua obſcœna cur ſic fabricata, p.* 566 *l.* 55 *& p.* 567

Μεριστὴ ϗ ἀμέριστος ȣ̓σία Platonis *quomodo intelligenda, p.* 315 *l.* 55

Meſſiæ Anima *an quicquam habuerit negotii cum ſex diebus Creationis, p.* 658 *l.* 20. *Hujus Opinionis admiſſæ utilitas, ibid. l.* 42

Metatron, *Mundus* Jetzirah, *p.* 222 *l.* 52

Methodus *quæ adhibenda ſit in rerum ſpeculatione, p.* 158 *l.* 1

Millennio ſeptimo *Regnum Spiritûs ſecundùm* Cabbalam Hiſtoricam *incepturum eſſe, p.* 627 *l.* 39 *& p.* 628

Miracula vera *in Orbe fuiſſe perinde ac falſa, vel ex ipſis falſis conſtare, p.* 94 *l.* 42. *Altera ab alteris diſtinguendi quæ ſit ratio optima, ibid. l.* 54 *& p.* 95

Miraculorum *edendi* facultas *quo loco æſtimanda, p.* 498 *l.* 20. *Quàm opportunè requirenda ab* Enthuſiaſtis, *ibid. l.* 38

Monas *cur* Νȣ̃ς, Γονὴ, ȣ̓σία, *&c. dicta, p.* 566 *l.* 54 *& p.* 567. *Cur* στὺξ *&* λήθη, *ibid. l.* 23 στιφρὰ παρθένος *&* ἀμιξία, *quàm congrua appellatio ad primi diei creationem relata, ibid. l.* 29

Monas *viro-fæmina, p.* 568 *l.* 19

Monialium *Dæmoniacarum* Uuerteti, Heſſimonte, *&c. conditionis deſcriptio, p.* 102 *l.* 40

Mons Calvariæ *cur ſic dictus, p.* 519 *l.* 19

Montes *Naturæ Diſtillatoria, p.* 62 *l.* 42

Monſtrum multiceps Perceptivam *Animæ diviſam non arguere, p.* 441 *l.* 41 *& p.* 442

Morborum materia *qualis, p.* 224 *l.* 17

Mors peccati Vitáque Juſtitiæ *plenius fuſiúſque deſcripta, p.* 637 *l.* 57 *& p.* 638

Mortis metum *ſenſúmque prægravantem quaſi toti eſſemus mortales Immortalitatem animæ minimè enervare, p.* 442 *l.* 26

Mortis *horrenda* præludia *revera non eſſe niſi Tragico-comœdiam, p.* 443 *l.* 8

Mortis magni Dei Panis *Hiſtoriola ex* Plutarcho, *p.* 448 *l.* 30. *De quonam intelligenda, p.* 451 *l.* 5

Mortalitas Adami *duplex, quam* Adamus *per ſuam contraxit inobedientiam, p.* 629 *l.* 19

Moſchicam *ſive* Moſaicam *Philoſophiam fuiſſe* Atomicam, *p.* 553 *l.* 50

Moſis *ſapientia, quòd malorum humanorum* αἰτιολογίαν *in peccatum contra Legem* Poſitivam *refuderit, p.* 522 *l.* 7

Moſes *cur Hiſtoriam inceperit cum Creatione Mundi, p.* 505 *l.* 18

Moſes *quæ ſcripſit de Creatione &* θεοπαράδοτα *eſſe potuiſſe &* παλαιοπαράδοτα, *p.* 502 *l.* 21. *Quàm eximius* Legiſlator *fuerit, p.* 505 *l* 18

Motûs Telluris *Leges non contingentes eſſe ſive fortuitas, p.* 54 *l.* 50

Motum Mundanum *nequaquam eſſe* Mechanicum, *p.* 55 *l.* 34

Motûs Mechanici leges *à Natura pervicaciter* impugnatas *Gubernatorem arguere* Immaterialem, *p.* 60 *l.* 7

Motus *an ſit* reciprocus, *p.* 248 *l.* 2 *p.* 252 *l.* 30 *p.* 255 *l.* 32 *p.* 268 *l.* 18 *p.* 270 *l.* 5

Motui *nihil magìs poſitivum ineſſe quàm* Quieti, *p.* 253 *l.* 24

Motus *annon vis ſit illa ſive actio quâ corpus feratur, p.* 255 *l.* 36 *p.* 270 *l.* 18

Motum *Materiæ quomodo* Deus *communicet, p.* 318 *l.* 33 *& p.* 319 *l.* 6

Motus ſpontaneus *quomodo fiat, p.* 362 *l.* 19

Motus ſpontaneus *in ambulando, voce aut fidibus canendo, quî fiat, nobis non advertentibus, p.* 362 *l,* 45

Motum Telluris *Moſaicæ Cabbalæ partem fuiſſe ex Veſtitu Aaronis conſtare, p.* 582 *l.* 2. *Etiam ex Dicto quodam in* Gemara, *p.* 584 *l.* 1 *p.* 586 *l.* 5. *Ex* Pythagoræ *converſatione cum* Judæis, *p.* 584 *l.* 12. *Ex Templo* Numæ, *ibid. l.* 47 *& p.* 591 *l.* 28 *& l.* 38

Mundi Vitæ *vermium animas culicúmque eſſe quaſi pulviſculos, p.* 247 *l.* 19

Mundum *eſſe* indefinitum *ſecundùm* Carteſium, *p.* 252 *l.* 5

Mundus ὁ μέγας γόης *apud Plotinum, p.* 360 *l.* 48

Mundus Vitæ *quid, p.* 478 *l.* 23

Mundus Philoſophorum *&* Mundus Plebeiorum, *quî diſtinguantur, p.* 535 *l.* 12

Mundus *cur* Ἀνάγκη *à* Pythagoreis *appellatus, p.* 554 *l.* 30 *& p.* 555 *l.* 47

Mundus *quo ſenſu* Θεὸς *&* Γάμωχος *vocatus, p.* 577 *l.* 14 *& p.* 581 *l.* 19

Mundum *nec* Hominem *nec* Deum *à* Philone *&* Plotino *rectè appellari, p.* 625 *l.* 10

Mundi tenebroſi *&* lucidi *Incolæ an ſe alteri alteros conſpicere poſſint, & quo modo, p.* 710 *l.* 1

Mundanam ſapientiam *non Philoſophiam in Myſterio Arboris Scientiæ Boni & Mali perſtringi, p.* 633 *l.* 25

Muſculorum *mirabilis per totum corpus humanum formatio, p.* 88 *l.* 9

Myſterium *magnum Chriſtianitatis,* Humanæ *Naturæ perfectio per participationem* Divinæ, *p.* 468 *l.* 6

Nativum

N

NAtivum Vitæ corporis Gaudium *Evam eſſe noſtram, p.* 491 *l.* 55 *& p.* 492

Natura externa *ad* Dei exiſtentiam *probandam, quali delectu ſit adhibenda, p.* 24 *l.* 54 *& p.* 25

Navigationis *Utilitas magna ac Voluptas, p.* 64 *l.* 29. *Miranda aptiſſimarum proviſionum catena ad humano Ingenio gratificandum hac in re, ibid. l.* 47

J. Nayleri, Quakerorum *ex principiis, inſignis dementia, p.* 222 *l.* 29

Neceſſitas, *Terminus Logicus, nexum implicans indiſſolubilem inter Subjectum & Prædicatum, p.* 37 *l.* 60 *& p.* 38

Neceſſitas *&* Æternitas *nulla ſenſûs Objecta, p.* 39 *l.* 16

Neceſſitatem Exiſtentiæ *quæ videtur in Idea* ſpacii *includi, eandem omnino eſſe quæ menti noſtræ ſe obfert in illa pleniori & perfectiori Idea Dei, p.* 161 *l.* 43 *& p.* 162

Nepheſh, Ruach, Neſchamah *unius Animæ tria tantùm Nomina ſecundùm triplicem Vitæ Vehiculíque ſtatum, p.* 380 *l.* 1. *A Cabbaliſtis tamen tres diſtinctas animas haberi, p.* 380 *l.* 16

Nicolaæ Longbernhardæ *Hiſtoria, p.* 126 *l.* 8

Nidificatio *Avium Ovíſque Incubatio Providentiæ Indicia, p.* 77 *l.* 17

Nidificationem *Avium ab* Inſtinctu *eſſe non ab* Arte *quibus argumentis probetur, p.* 435 *l.* 31 *& p.* 436

Nihil *eſſe in Natura quod* ſcientis *Principii* approbationem *non ſubierit, p.* 62 *l.* 24

Nihili *nullas eſſe proprietates firmiſſimum apud* Carteſium Carteſianóſque *Principium, p.* 268 *l.* 7 *& p.* 269 *l.* 3

Nocturna *Sagarum* Conventicula, *p.* 125 *l.* 26

Νόες *&* Ἑνάδες *Platonicæ, p.* 310 *l.* 7 *& l.* 47 *& p.* 311

Nomen *idem retineri in* altera Vita, *p.* 427 *l.* 11

Nomen יהוה *quomodo tempus futurum, præſens, ac præteritum contineat, p.* 525 *l.* 19 *& p.* 533 *l.* 19

Notæ *quas Anima Cerebro imprimat ad rerum Memoriam, p.* 351 *l.* 36

Notas *rerum genuinas Animæ ipſi inhærere non Cerebro, ibid. l.* 35

Notæ *ad memoriam in Cerebro ſi ſint, eſſe quaſi quandam* Brachygraphiam, *p.* 361 *l.* 43

Notiones *maximè faciles ac naturales cur aliquando falſitatis ſuſpectæ, p.* 283 *l.* 4

Notionalitatem *lucem eſſe diſperſarum* Stellarum, *p.* 488 *l.* 60

Notionalitate *qui reguntur iter facere per noctem, p.* 489 *l.* 3

Notulas, *quas Anima fingitur Cerebro imprimere ad res reminiſcendas, nihil valere, niſi res cum iſtis Notulis aliquando conjunxerit, p.* 285 *l.* 4

Noviſſimorum *ſeculorum fælicitatis deſcriptio, p.* 627 *l.* 39 *& p.* 628 *p.* 640 *l.* 27 *p.* 642 *l.* 23

Νοῦς, ψυχὴ, εἴδωλον ψυχῆς *tria in Homine Principia, p.* 543 *l.* 9

Νοῦς *quomodo ad primam* Sephiram *referatur, p.* 570 *l.* 6

Nubes *à puella octendi excita quâ Agrum paternum irrigaret, p.* 97 *l.* 53

Nucis Indicæ *mira utilitas, p.* 72 *l.* 22

Nuditas *Adami quæ fuerit de qua eum minimè puduit, p.* 543 *l.* 28

Nuditas *Adami altera de qua puduit, p.* 545 *l.* 42

Nullum unum Præceptum in univerſa Philoſophia magìs certum eſſe ac demonſtrabile quàm *quòd ſit Deus, p.* 142 *l.* 25

Numæ Pompilii *Gens, Præceptor, & dogmata Pythagoricis ſimilia, p.* 584 *l.* 24 *p.* 590 *l.* 28. *Illius Religionis Puritas non* Perſis *ſed* Judæis *accepta referenda, p.* 590 *l.* 41

Numæ *libros cum ipſo ſepultos & poſtea effoſſos dogmata* Pythagoricis *ſimilia continuiſſe, p.* 590 *l.* 56 *& p.* 591

Numerorum Myſticorum *uſus quàm authenticus, p.* 497 *l.* 13

Numerorum Symbolicorum *uſûs exemplum egregium in* Ἰησοῦς *&* אליעזר, *p.* 500 *l.* 4

Numerorum Symbolicorum *uſûs exempla plurima in S. Scripturis, p.* 501 *l.* 10

Numeri Beſtiæ *ad ſenſum Chronologicum* Interpretatio, *argumento quàm funeſto confutata, p.* 501 *l.* 31

Numerorum Symbolicorum *uſus duo præcipui, p.* 501 *l.* 38

Numerorum Symbolicorum *minùs peritam tractationem apud Patres, eò magìs confirmare eorum traditionem, p.* 502 *l.* 46

Numeris *Pythagoreorum* Symbolicis *quàm ſolidè confirmetur Cabbala Philoſophica, p.* 526 *l.* 24

Numerum ſex Dierum *apud* Moſen *in Cabbala Philoſophica nullum temporis ordinem ſignificare, p.* 528 *l.* 49

Numeri Maſculini *&* Fœminini *in compoſita* Tetracty, *quomodo ad Creationem* Moſaicam *referantur, p.* 531 *l.* 28

Numeralia Myſteria *apud* Pythagoreos *ultra* Senarium *extenſa minimè enervare Cabbalam Philoſophicam, p.* 557 *l.* 1 *& p.* 558 *l.* 30

Numeros *apud* Pythagoram *non vera fuiſſe rerum* Principia *ſed* Symbola Hieroglyphica, *p.* 559 *l.* 54 *& p.* 560

Numeros *omnes ſic è* Senario *emergere non poſſe ut è* Tetracty *contra S. A. p.* 565 *l.* 33

Numerorum Pythagoricorum *Nomina inepta unde originem duxerint, p.* 566 *l.* 28. *Quâ verò ratione genuina diſcernenda ſint à ſpuriis, ibid. l.* 37

Numerorum *Myſteria* Pythagorica *ad Textum* Moſaicum *pertinere qui conſtet, p.* 574 *l.* 32

Nymphæ *Aquaticæ,* Animæ *deſcendentes* εἰς γένεσιν, *p.* 527 *l.* 11

INDEX.

O

OBjecta ſenſuum *bina cur non appareant, quamvìs organa ſenſuum bina ſint, p.* 166 *l.* 36 *& p.* 170 *l.* 18

Oblivio *unde oriatur, p.* 362 *l.* 14

Oblivionis *cauſæ præcipuæ, p.* 370 *l.* 9

Oblivionis *exempla eximia, p.* 370 *l.* 44

Oblivionem Animæ *per deſcenſum in terreſtre corpus, per Ecſtaſeôn ſive ἀφαιρεσιῶν exempla, nequaquam enervari, p.* 371 *l.* 25

Occipitium *cur tam firmum factum, p.* 881 *l.* 45

Occidens *&* Oriens *quarum rerum Symbola, p.* 542 *l.* 3

Octonarius *ἀσφάλεια apud* Pythagoreos *dictus Circumciſionis Symbolum apud* Moſen, 558 *l.* 19

Oculorum *in humano corpore quàm munita ſit* fabrica, *p.* 87 *l.* 13. *Exquiſitiſſima ipſorum ad uſus ſuos adaptatio, ibid. l.* 32. *Muſculorum oculo ſuperadditorum utilitas, ibid. l.* 56

Oculi, *cùm duo ſunt, cur Objectum tamen videatur unum, p.* 342 *l.* 54 *& p.* 343

Oculorum *loquela quaſi Angelica, p.* 353 *l.* 47

Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, *Johan.* 1 *quàm dura ſententia aut falſa, p.* 533 *l.* 3

Ὃ γέγονεν, *&* ἐγένετο οὐδὲ ἕν *ex dicto* Meliſſi *apud* Ariſtotelem *expoſita, ibid. l.* 23

Ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, *quomodo intelligendum, p.* 631 *l.* 1

Ὁ μέλλων σφάττεσθαι *&* ἐσφαγμένος *nequaquam idem ſignificare, p.* 657 *l.* 61

Ophan, Aſiah, *ob* Sandalphon *qui dictus* Ophan, *p.* 222 *l.* 45

Ὀφιωνεύς *Serpens apud* Pherecydem Syrum, *p.* 544 *l.* 37

Orationum anima *ac ſubſtantia quæ ſit quædámque quaſi* Divina Magia, *p.* 656 *l.* 20

Organizatio Materiæ *an perceptionem in ea parere poſſit, p.* 340 *l.* 47 *& p.* 341

Orificium Ventriculi *ſedem non eſſe Animæ principalem, p.* 349 *l.* 12

Orificium Ventriculi *inter &* Cor *ſympathia, unde & utraque καρδία dicta, p.* 349 *l.* 30

Origenis Adamantii *encomia, p.* 12 *l.* 42 *& p.* 13. *Errores ejus aliqui, in eundémque Calumniæ, ibid. l.* 8

Oromazes Perſarum *&* Arimanius, *p.* 458 *l.* 27

Os Ventriculi *non eſſe* Percipiens commune, *p.* 341 *l.* 23

Oſſa *cur ſenſu deſtituta, p.* 88 *l.* 52

Ovi oculus *apud* Harvæum *quid, p.* 78 *l.* 38 *p.* 355 *l.* 16

Ovum *eſſe Conceptum* foris expoſitum, Conceptum *Ovum* intus manens, *p.* 355 *l.* 15

P

PAganorum proborum *ſtatus in vita altera qualis, p.* 428 *l.* 33

Papa *an ſit* Homo ille Peccati, *p.* 673 *l.* 33 *& p.* 674, 675 *& ſeqq.*

Papa *Imperatores & Principes quàm frequenter excommunicaverit, p.* 678 *l.* 17 *&* 679, 680

Papa Romanus *quàm immaniter reus effuſionis ſanguinis in Orbe Chriſtiano, p.* 680 *l.* 45 *& p.* 681

Paparum *truculenta molimina in tollendis Principibus è medio, aut pugionibus aut veneno, p.* 681 *l.* 24 *& p.* 682

Paracelſi *deliria quamplurima collecta & notata, p.* 209 *l.* 17 *& p.* 210

Paracelſum *occaſionem dediſſe maximè veſanis* Enthuſiaſmis Philoſophicis, *qui unquam extitère, ibid. l.* 26

Paracelſi *Philoſophiam unum è tutiſſimis Aſylis eſſe Atheo, ipſúmque antiqui Paganiſmi fulcrum, p.* 210 *l.* 40 *& p.* 211

Paracelſum *ejúſque Sectatores non tam Atheos fuiſſe quàm veſanos* Enthuſiaſtas, *p.* 212 *l.* 1

Paracelſum *Spiritu diabolico actum fuiſſe quæ movere queant ſuſpicionem, p.* 223 *l.* 8. *Vide p.* 121 *l.* 57 *& p.* 122

Paracelſi *delirum effatum, Syderibus nota eſſe omnia, p.* 121 *l.* 21. *Nota ſive Campanula ejus Magica, ibid. l.* 27. *Alterum veſanum* Paracelſi *dictum, de utenda ope & conſilio Diaboli, p.* 121 *l.* 63. *Dæmonum inſtinctu eum ſcripſiſſe, ſecundùm* Oporinum, *p.* 122. *Ab impurorum dæmonum commercio non abhorruiſſe, p.* 122 *l.* 15 *ac proinde ſiquid per laminas magicas effecerit, ope Dæmonum factum eſſe, ibid. l.* 17

Paracelſi *Philoſophiam Aſtrorum cultui apud Ethnicos patrocinari: Authoritati miraculorum Servatoris derogare, & inefficax reddere Evangelium ad fidem unius Dei ſtabiliendam, particulariſque Providentiæ, profeſſóque Atheo* Vanino *gratificari, &c. p.* 211 *l.* 24

Paradiſi *ſitus verus, p.* 518 *l.* 35 *& p.* 519

Paradiſus *ſtatus ante hunc Mundum apud* Judæos, *p.* 611 *l.* 22

Παράδεισος τρυφῆς, *p.* 636 *l.* 44

S. Parkeri *Vellicationes & Objectiones contra demonſtrationem Divinæ Exiſtentiæ ab illius Idea petitam cum Authoris Reſponſo, p.* 40, 41, 42, 43

Parmenides *quid intellexerit per* Ignem, *p.* 10 *l.* 13

Parmenidis πῦρ καὶ γῆ, *p.* 593 *l.* 60 *& p.* 594

Parmenidis *dogma,* Homines generatos eſſe ex Sole, eúmque calidum *eſſe vel* frigidum *quomodo intelligendum, p.* 594 *l.* 5. *Quòd hoc dogma apud nullos alios præter Laertium memoretur nihil facere ad minuendam rei fidem, p.* 596 *l.* 20

Parmenidis πυρὶ καὶ γῆ, Pythagoreorum φῶς καὶ σκότος *reſpondere, p.* 594 *l.* 28

Parmenides *an motum Telluris tenuerit, p.* 596 *l.* 43 *& p.* 597

Parmenidis διττὴν φιλοσοφίαν, *ſignificare Cabbalam* Moſis *duplicem, Literalem & Philoſophicam, p.* 594 *l.* 17 *p.* 599 *l.* 56 *& p.* 600

Particulas indiviſibiles *non dari quàm ſophiſticè probaverit* Carteſius, *p.* 235 *l.* 58. *Ejus Reſponſio, p.* 239 *l.* 51 *& p.* 240

Parti-

INDEX.

Particulas *omnes in Terra poros habere & quare,* p. 253 l. 19

Parvitudines perfectas *partes* eſſentiales *habere non* integrales, p. 303 l. 54. *An ullum relinquant vacuum,* p. 304 l. 1

Πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει, *quomodo intelligendum,* p. 640 l. 39 p. 643 l. 17

Paſſionum *uſus in Homine aliiſque Animantibus,* p. 89 l. 4

Paſſio *illa* Homini peculiaris, *nempe Devotio Deique Timor quomodo Divinam Exiſtentiam arguat,* p. 89 l. 13

Paſſionum *vis ad animam corpore exſolvendam,* p. 378 l. 35

Paſſiones *moderandæ non extirpandæ,* p. 622 l. 32 p. 623 l. 41 & p. 624

Penetrationem corporum *nec operationibus Naturæ, nec ullâ vi Magicâ aut Diabolicâ effici poſſe,* p. 297 l. 24 & p. 298

Perceptionem *realiter idem eſſe quod* corporeus Motus *& Reactio, ſi nihil in Mundo exiſtit præter Materiam,* p. 281 l. 41 & p. 282

Perceptionem *rerum omnium ab* uno percipiente *in nobis fieri,* p. 332 l. 5 & p. 333

Perceptivum *quicquid ſit debere valdè eſſe* unitivum, p. 7. l. 8

Perſentiſcentiam *intimam quòd Notiones Mathematicæ veræ ſint, facultatem itidem eſſe mentis noſtræ; nullam autem mentem abſolutè certam eſſe præter* Mentem increatam *ſive* Divinam, p. 161 l. 16

Peruviano *de* Doctore *Hiſtoriola,* p. 206 l. 43 & p. 207

Phænomena rudiora, *Motûs merè Mechanici Materiæ fructus an ſint cenſendi,* p. 65 l. 60 & p. 66 p. 67 l. 36

Pherecydis *Solum æternum Hyle* Platonicorum, p. 9 l. 52

Phialarum trium primarum *ad eventus externos applicatio,* p. 689 l. 9 & p. 690, 691

Phialæ *in* primæ *ſtatum quomodo contingere poſſit relapſus,* p. 690 l. 10 & p. 693 l. 26

Phialæ primæ *effuſio ſtatim ſecuta eſt aſcenſionem Teſtium in Cœlum,* p. 693 l. 14

Phialæ quartæ *Interpretatio,* p. 695 l. 14 & p. 696

Phialæ quintæ & ſextæ *Interpretatio,* p. 696 l. 27 & p. 697

Phialæ ultimæ *cum Calcatione Torcularis & cum Prælio Seſſoris Equo albo inſidentis, identitas ſive coincidentia,* p. 697 l. 2

Phialæ ſextæ *cum Meſſe & Agni nuptiis coincidentia,* p. 697 l. 18

Phialæ ultimæ *Interpretatio,* p. 697 l. 60 & p. 698 & ſeqq.

Philoſophiam *Textui* Moſaico *ab Authore applicatam, ſi vera ſit, realem eſſe* Cabbalæ Moſaicæ *Reſtaurationem,* p. 16 l. 1

Philoſophiæ Carteſianæ *Encomium,* p. 400 l. 43 & p. 402 l. 3

Philoſophis antiquis *modum Philoſophandi fuiſſe* Moſaicum *&* Symbolicum, p. 10 l. 11

Philoſophicas Speculationes *quantumlibet certas nullius obligare* conſcientiam *ad eaſdem profitendas contra voluntatem* Superiorum, p. 15 l. 23

Φρόνησις *tertia* Sephirah, p. 570 l. 51

Phryganium *quid, & quæ ratio Nominis,* p. 452 l. 3

Φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ *apud* Ariſtotelem, *quid revera ſit,* p. 372 l. 44 & p. 374 l. 35

Piacularia *ſacrificia* Judaica *omnia quàm expreſſi Typi Sacrificii Chriſti,* p. 692 l. 28

Piſces Avéſque *quòd* ovipari *ſint manifeſtum inditium eſſe Conſilii & Providentiæ,* p. 76 l. 55 & p. 77

Piſces & Volucres *cur eodem dicantur creari die,* p. 531 l. 49

Piſces & Volucres *quinto die creatæ quid* moraliter *ſignificent,* p. 622 l. 11

Piſon *fluv. Nominis ratio, cujúſque rei Symbolum,* p. 540 l. 42. *Quòd* Ganges *ſit,* p. 541 l. 25

Plantarum *Formam ac Pulchritudinem, Semen & Signaturas argumenta eſſe Providentiæ,* p. 65 l. 23

Plantarum utilitas, *earum præſertim quæ Materiam ſuppeditant & Medicinam,* p. 70 l. 18

Plantæ *à Brutis adhibitæ in* Medicinam *indicium Providentiæ, ibid.* l. 40 & p. 71

Plaſticam *Animæ* vim, *in humorem quendam* cryſtallinum *ſe exercere in conſervando corpore Animalis æquè ac in eo formando,* p. 78 l. 60

Plaſtica *quibus nominibus inſigniatur apud* Photium, p. 306 l. 46

Plaſtica *Animæ an ſit habituum capax,* p. 362 l. 47 & p. 364 l. 21

Plaſticam *Animæ* Humanæ *non eſſe* omniformem, *ut Spiritus Naturæ, ſed Hominiformem tantùm,* p. 369 l. 42

Plaſtica Animæ *cum* Spiritu Naturæ *comparata,* p. 369 l. 42

Plaſtica Animæ *quomodo ſe gerat in vehiculo fingendo,* p. 400 l. 25 & p. 401 l. 52

Plaſticam *in ipſos capillos vim aliquam habere,* p. 413 l. 2 & p. 415 l. 3 & p. 417

Platoni *notam fuiſſe Hiſtoriam Creationis* Moſaicam *quo conſtet argumento,* p. 532 l. 21

Platonis *Vaticinia de Chriſto,* p. 546 l. 41 & p. 549 l. 5

Plato ὁ θεῖος Πλάτων *dictus,* p. 553 l. 5. Socratis *de eo Inſomnium, ibid.* l. 14. Moſes Atticiſſans *à* Numenio *dictus, ibid.*

Platonem *Motum Telluris tenuiſſe & diurnum & annuum,* p. 585 l. 19 & p. 585 l. 41

Plotini *de Animabus Divinioribus commentum,* p. 375 l. 34

Plotini *Animæ vis Magica in* Olympium, p. 553 l. 27. *Quòd Amicus fuerit* Origenis, *ibid.*

Pomi eſus *ab Adamo quali diſputationi occaſionem dederit Prælatum inter & Fabrum ferrarium,* p. 631 l. 31

Pomponatii *circa Apparitiones Animásque humanas, fatuitates ac deliria, p.* 445 *l.* 60 *& p.* 446

Pondus *non fieri ex nihilo, nulla licèt ſit Materiæ penetratio, p.* 298 *l.* 3

Poſſibilitas ſimplex *aliter ſe habendi non tollit rei certitudinem, p.* 29 *l.* 32

Poſſibilitatem nudam, *nullam habere debere vim, ad aſſenſum noſtrum determinandum aut ſuſpendendum, p.* 44 *l.* 42 *& p.* 45

Poſticæ *corporis noſtri partes cur carnoſæ, p.*88 *l.* 41

Poteſtatem omnipotentiſſimam *ad injuriam faciendam, jus non magìs habere, quàm Intellectus omniſcientiſſimus ad cogitandum falſum eſſe verum, p.* 653 *l.* 52

Πόθεν τὰ κακὰ; *quomodo* Moſes *iſtud problema ad intelligentiam vulgi ſolverit, p.* 520 *l.* 41 *& p.* 521

Prædeſtinationem *efficacem aliquorum, cum Divinis Attributis bene conſiſtere, p.* 663 *l.* 9

Præexiſtentia Animæ *antiquorum Patrum teſtimoniis confirmata, p.* 11 *l.* 38

Præexiſtentiam *inter & derivationem* Originalis peccati *nè minimam quidem eſſe digladiationem, p.* 14 *l.* 50.

Præexiſtentiæ *Hypotheſin illud* Pauli *ubi primum* Adamum *ſecundi Typum aſſerit egregiè illuſtrare, p.* 15 *l.* 5

Præexiſtentia Animarum *quàm Rationi ſit conſentanea, p.* 365 *l.* 60 *& p.* 366

Præexiſtentia Animarum *Sapientiſſimorum calculo omnium ætatum comprobata, p.* 367 *l.* 6

Præexiſtentiam Animæ *ex Sapientia & Bonitate Dei neceſſariò conſequi, p.* 366 *l.* 39 *& p.*368 *l.* 46

Præexiſtentiam Animæ *minimè infirmari dicto illo Paulino,* Nondum enim nati pueri, *&c.* [*Rom.* 9] *p.* 369 *l.* 2

Præexiſtens Anima *cur rerum anteactarum non recordetur, p.* 370 *l.* 9

Præexiſtentis *Animæ ingreſſum in corpus æquè intelligibilem eſſe ac* Creatæ *aut* traductæ, *p.*371 *l.* 8

Prælia in Aëre viſa *non eſſe Reflexiones tantùm alicujus pugnæ in Terra, p.* 140 *l.* 41 *& p.* 141

Primum, *ordine naturæ,* virum fœminámque *neceſſariò fuiſſe, licèt ſucceſſio ſupponeretur infinita, p.* 137 *l.* 13

Primum, *quo ſenſu agnoſcere poſſimus in infinita ſucceſſione generationum aut motuum, p.* 180 *l.* 53 *& p.* 184 *l.* 17

Primus Homo *niſi detur à nullo, aliquem Hominem fore & Patrem & Filium ſimul, p.* 137 *l.* 25

Principium Matutinum *Cabbaliſticum, p.*479 *l.* 13

Projecta corpora *ſe movere à projiciente ſemel excitata, p.* 271 *l.* 15

Lib. Proverbiorum.

Cap. 8 *v.* 22 *p.* 524 *l.* 60 *& p.* 525
Cap. 16 *v.* 10 *p.* 202 *l.* 12
Cap. 20 *v.* 27 *p.* 222 *l.* 52
Cap. 21 *v.* 1 *p.* 202 *l.* 12
Cap. 22 *v.* 20 *p.* 617 *l.* 33 *& p.* 745 *l.* 38

Providentiæ *Tractuum &* Circuituum *immenſa Incomprehenſibilitas, p.* 458 *l.* 5

Providentiæ partes duæ *præcipuæ quarum una in* Dæmonicis *altera in* Divinis *ordinibus verſatur, p.* 458 *l.* 30

Provincias unitas *rebellâſſe Religionis ergô meram eſſe calumniam, p.* 665 *l.* 45

Lib. Pſalmorum.

Pſalm. 22 *v.* 21 *p.* 380 *l.* 9
Pſalm. 58 *v.* 3 *p.* 663 *l.* 30
Pſalm. 68 *v.* 17 *p.* 607 *l.* 39
Pſalm. 139 *v.* 4 *p.* 611 *l.* 29

Πτερορρυεῖν *&* πτεροφυεῖν *voces* Platonicæ *quid denotent, p.* 542 *l.* 45

Πτερορρύησις Platonica *&* Tunicæ Pelliceæ Moſaicæ *comparata, p.* 547 *l.* 40

Pulchritudinem Florum *ac Plantarum ab Intellectuali Principio eſſe profectam, p.* 66 *l.* 22 *p.* 67 *l.* 8 *& p.* 172 *l.* 5

Pulchritudinem *reale quid eſſe &* Intellectualium *noſtrarum facultatum Objectum, p.* 66 *l.* 27 *& p.* 67 *p.* 172 *l.* 50 *& p.* 173

Pythagoræ *Præceptori,* Pherecydi, *arcana* Hebræorum *Scripta nota fuiſſe, p.* 9 *l.* 33

Pythagoram *Scientiam* Phyſicam *perinde atque* Metaphyſicam *à* Judæis *accepiſſe, p.* 10 *l.* 20

Pythagoræ *Miracula, quidque de eis cenſendum, p.* 498 *l.* 7

Pythagoræ *notam fuiſſe Cabbalam* Moſaicam *ex motu Terræ conſtare, p.* 529 *l.* 59 *& p.* 530

Pythagoras *quo ſenſu Dei proles, p.* 552 *l.* 4. *Illius Philoſophia* θεοπαράδοτος, *ibid. l.* 21

Pythagoræ *notam fuiſſe* Moſaicam *ſive* Judaicam *Philoſophiam quibus probetur Teſtimoniis, p.* 552 *l.* 23. *An ipſe fuerit Judæus, ibid. l.* 25 *& p.* 555 *l.* 24. *Auditorem ſucceſſorum* Mochi *vel* Moſchi *fuiſſe, p.* 552 *l.* 33 *& p.* 553 *l.* 49

Pythagoram *non ſolùm notitiam Cabbalæ Theoreticam ſed & facultatem edendi miracula apud Prophetas* Hebræos *aſſecutum eſſe, p.* 552 *l.* 42 *& p.* 553

Pythagoram *pleraque è Fonte Judaico hauſiſſe atteſtante* Joſepho, *p.* 560 *l.* 32

Pythagoras *an tenuerit motum Telluris, p.* 564 *l.* 4 *& p.* 565

Pythagoricæ *Scholæ ſucceſſio, p.* 9. *l.* 27

Pythagoricam *Philoſophiam Judæorum fuiſſe Sapientiam* [illegible] Pherecyde, Parmenide *&* Ariſtotele *probatum, p.* 9 *l.* 42 *& p.* 10

Pythagoreorum *Juramentum per* Pythagorámne *factum ſit an per ipſum* Deum, *p.* 497 *l.* 39 *& p.* 498

Pythagoreos *Numeris ſuis uſos eſſe tanquam monumentis rerum in Hiſtoria Creationis, unde conſtet, p.* 528 *l.* 57 *& p.* 529 *p.* 533 *l.* 5 *p.* 574 *l.* 32 *l.* 55 *& p.* 575

Pythagoricæ, Carteſianæ *&* Moſaicæ *Philoſophiæ conſenſus, p.* 554 *l.* 1 *& l.* 37

Pythagoreos *in Ideas rerum primáſque eſſentias*

pari

pari ſuperſtitione Numeros *atque Judæi* Sephirothas *ſuas in Emanationes Divinas convertiſſe, p.* 560 *l.* 42

Pythagorici Juramenti *Explicatio, p.* 562 *l.* 1 *& p.* 563 *l.* 31. *Aut plenum* Diſtichon *fuiſſe aut* Monoſtichon, *ibid. l.* 9 *& l.* 43

Pythagorici Juramenti *Formula* Monoſticha *alteri longè præferenda, p.* 563 *l.* 52

Pythagorica *Nomina* Senarii *&* Septenarii *quæ Textum* Moſaicum *reſpiciunt, p.* 574 *l.* 32 *& l.* 55 *& p.* 575

Pythagoricum *Mundi ſyſtema* Aaronis *veſtitu repræſentatum, p.* 577 *l.* 55 *& p.* 578 *p.* 581 *l.* 31 *& p.* 582

Q

Quæſtiones *ab Authore,* Carteſio *propoſitæ, p.* 248 *l.* 21

Quakerorum *origo unde, p.* 222 *l.* 8

Quakeros *magìs viſibilem* Familiſtarum *prolem eſſe quibus argumentis demonſtretur, p.* 745 *l.* 42 *& p.* 746

Quakerorum *Irreverentiam erga Magiſtratum aliquas eſſe de* Imperio Familiſtico *primitus concepti Inſomnii* Reliquias, *p.* 746 *l.* 53

Quakeri *Mimopropheticum quoddam genus hominum, p.* 747 *l.* 42

Quakeros *ſupra Diſpenſationem* Familiſticam *multùm jam emerſiſſe, p.* 748 *l.* 2

Quakeriſmum *jocoſerium quoddam videri Divinæ Providentiæ Phænomenon, p.* 747 *l.* 14

Quantum *an ſit in infinitum diviſibile, p.* 236 *l.* 18 *& p.* 237 *l.* 40

Quaternarius *quàm aptum Symbolum Creationis quarti Diei quatenus univerſalem complectitur Mundi ornatum, p.* 530 *l.* 15

Quies *an Actio ſit ſecundùm* Carteſium, *p.* 255 *l.* 33 *p.* 268 *l.* 18 *& p.* 270 *l.* 6 *p.* 257 *l.* 15. *An glutinum ſit partium Materiæ, p.* 257 *l.* 33

Quinarius *quàm aptum quinti diei Creationis Symbolum, p.* 532 *l.* 3. *Cur appellatus* Ἀνιχία, *p.* 573 *l.* 62. *Quot ipſius Nomina* Geburæ *conveniant, p.* 575 *l.* 53 *& p.* 576

Quinque Animarum *in Homine, Commentum* Cabbaliſticum, *unde provenerit, p.* 380 *l.* 1

R

רקיע *Aer, apud* Davidem Hebræum, *p.* 535 *l.* 25

Ranæ Apocalypticæ *quid ſint, p.* 699 *l.* 8 *& p.* 670 *p.* 745 *l.* 18

Ranunculorum *ſubita Generatio, p.* 377 *l.* 7

Rationem *quò ea me cunque ducet, ſequar,* M. *dictum* Ciceronis, *p.* 1 *l.* 45

Rationale Aaronis *cur Quadratum, p.* 2. *l.* 26

Rationem *qui tollunt Sacerdotem ſpoliant Thorace ſuo & Religionem Chriſtianam ſpeciali ſuâ Prærogativâ, p.* 2 *l.* 35

Ratio *qualis ſit quæ* Enthuſiaſmi *malo medeatur, p.* 214 *l.* 14

Rationem *qui excludunt prætextu* Spiritûs *quanta eorum hominum veſania, ibid. l.* 25

Rationem *excludendam eſſe ab inveſtigatione Divinæ veritatis nullum Spiritûs eſſe dictamen ſed Melancholiæ & Enthuſiaſmi, p.* 468 *l.* 10

Rationem *ipſi Deo ineſſe & quonam id demum modo, ibid. l.* 18

Ratio ſtabilis *& Ratio* mobilis, *ſive Ratio in evolutione, ibid. l.* 24

Reactionem *partium Materiæ aliarum in alias eandem planè rem eſſe ac* ſenſum *&* perceptionem *ſiqua ſit in Materia* perceptio, *p.* 327 *l.* 29 *& p.* 328

Rebellionis *crimen horrendum Eccleſiis* Reformatis *intentatum, p.* 664 *l.* 22

Reduplicatio *& Saturatio quid, p.* 294 *l.* 54 *& p.* 295 *l.* 47

Reformatas Eccleſias *nihil obſtantibus minoribus labeculis eſſe Regnum Dei, p.* 661 *l.* 34

Reformationem *nuſquam ortum ſuum debere Rebellioni, p.* 666 *l.* 16

Reformatores primi *an adverſùs Papæ ſuperioritatem rebellaverint, p.* 666 *l.* 24 *& p.* 667

Refractionis *à perpendiculo quæ ſit cauſa genuina, p.* 262 *l.* 45 *& p.* 263 *l.* 7

Refractionis *ad perpendiculum vera cauſa, p.* 263 *l.* 16

Refractionem *utramque Reflexionem quandam eſſe, ibid. l.* 20

Refractionem, *motûs determinationis mutationem duntaxat, non celeritatis aut tarditatis requirere, ibid. l.* 32

Regenerationem *non monſtra gignere ſed fœtus perfectos, p.* 224 *l.* 57

Regii *Particulam ſolidam non eſſe communis ſenſûs ſedem, p.* 350 *l.* 55

Regis ſeptimi *moram in Apocalypſi memoratam apud* Danielem *omitti, p.* 659 *l.* 59 *& p.* 660

Regnum *illud illuſtre Chriſti in Terris adhuc eſſe venturum, p.* 642 *l.* 1

Regnum Dei; *Quæſtiones de eo propoſitæ à Philopoli, p.* 651 *l.* 51

Regnum Dei *quid ſit in generali ſua notione, p.* 652 *l.* 5

Regnum Diaboli *an pars ſit regnum Dei, p.* 652 *l.* 31 *& p.* 653

Regnum *Dei* internum *quid ſit, p.* 654 *l.* 33

Regnum *Dei* internum *& Regnum Stoicorum Philoſophicum non eſſe idem, ibid. l.* 41

Regnum *circa hoc Dei* internum *quàm miræ reperiantur Impoſturæ, p.* 654 *l.* 45

Regnum *Dei* verum internum *quale ſit, p.* 654 *l.* 58 *& p.* 655

Regni *hujus interni* acquirendi *ratio, p.* 655 *l.* 15 *& p.* 656

Regnum *Dei* externum *quid ſit, p.* 656 *l.* 54 *& p.* 657

Regnum *hoc* Dei externum *quando inceperit, p.* 657 *l.* 14

Regni Dei *an pars ulla fuerint* antiqui Philoſophi, *p.* 657 *l.* 19

Regnum Dei *in N.T. triplici ſenſu ſumi, p.* 659 *l.* 8

Regnum

Regnum Chriſti *cur Regnum* Dei *& Regnum* Cœlorum *vocatum, p.* 659 *l.* 17

Regnum Lapidis *& Regnum* Montis, *p.* 659 *l.* 50

Regnum Dei *ubi nunc ſit, p.* 660 *l.* 39 *& p.* 661

Regnum *Dei* externum *multo latius eſſe quàm* internum, *p.* 661 *l.* 59

Regnum Dei *quem ſucceſſum hactenus in orbe habuerit, & quàm congruenter Divinis prædictionibus, p.* 667 *l.* 26 *& p.* 668

Regnum Antichriſti *quàm legitimè ſic dictum & quis* Homo ille peccati, *p.* 673 *l.* 33 *& p.*674, 675 *& ſeqq.*

Regulæ quinque, *quomodo quis ſeculo hoc Philoſophico ſe gerere debeat ad lucrifaciendos retinendóſve Homines in fide Chriſtiana, p.* 534 *l.* 27

Religionem Chriſtianam *rationabilem eſſe per omnia, p.* 1 *l.* 36

Religioni *qui adhærent ex ſola ſuperſtitioſa* conſuetudine, *illo vinculo ſemel diſrupto, facilè* Atheos *evadere, p.* 27 *l.* 21

Religionis inſtinctus, *ſi non ſit Deus, quàm fœda in Natura Macula, p.* 89 *l.* 46 *&* ἀτεχνία *è ſcenâ ab omnibus explodenda, p.* 89 *l.* 56 *& p.*90

Religionis ſenſum *non magìs* Politicorum *eſſe Inventum, quàm Amorem Libertatis, Honoris & Divitiarum, p.* 164 *l.* 31

Religionum formas *ridiculas nulli eſſe argumento ſenſum Religionis, humanæ Animæ non eſſe innatum, p.* 165 *l.* 43 *& p.* 166 *l.* 9

Religionis *ergô* perpeſſiones, *adverſarum partium, nullum argumentum eſſe contra veritatem omnis Religionis, p.* 217 *l.* 27 *& p.* 218

Religionem puram *inter &* Temperamentum *quomodo ſit diſtinguendum, p.* 218 *l.* 57 *& p.* 219

Religioni *quantum noceant dogmata à vera Philoſophia abhorrentia, p.* 535 *l.* 6

Religionem *non plenam ſed neceſſariam tantùm rerum cognitionem exhibere, p.* 498 *l.* 58

Religio *res tam rigida ac ſevera quibuſnam Hominibus videatur, p.* 632 *l.* 24

Religionem Chriſtianam, *etiam quatenus ad externam Chriſti perſonam refertur ſub nullo prætextu abolendam eſſe ante Mundi Conflagrationem, p.* 639 *l.* 1 *& p.* 640

Rem omnem *eſſe* extenſam, *p.* 280 *l.* 43

Remigius *quàm idoneus Author cui fides adhibeatur de rebus Veneficarum, p.* 123 *l.* 1

ראשית *&* Ἀρχὴ *nomen ſecundæ Hypoſtaſeos, p.* 524 *l.* 56 *& p.* 525

Revelationes *& Viſiones* Enthuſiaſticæ *quales, p.* 200 *l.* 32

Revolutionis Seculorum *qua in parte jam verſemur, p.* 687 *l.* 53

Romæ *per ignem* combuſtio *ſpiritualiter intelligenda, p.* 641 *l.* 4

Ad Romanos.

Cap. 5 *v.* 14 *p.* 15 *l.* 8

Cap. 8 *v.* 22 *p.* 643 *l.* 17

Cap. 9 *v.* 11 *p.* 369 *l.* 4

Ros Arabum *quid, p.* 78 *l.* 58

Rotarii *&* Amantii *Magorum Hiſtoria, p.* 98 *l.* 13

S

SAbbatiſmus *verus filiorum Dei, p.* 490 *l.* 32

Sabbatum *quod die ſeptimo Deus ipſe celebret, quale, p.* 481 *l.* 44 *& p.* 482

Sabini *colonia* Lacedæmoniorum, *p.* 589 *l.*37

Sacerdotio *quantum honoris ac reverentiæ conciliet Dei exiſtentiam & Animæ Immortalitatem demonſtrandi peritia, p.* 1. *l.* 26

Saducæos *utplurimum eſſe taurini ſanguinis Homines, p.* 254 *l.* 36

Sagacitas Divina *auſpicatioris Rationis origo prima atque fons, p.* 3. *l.* 56 *& p.* 4. *Quibus hominibus inſit, p.* 4. *l.* 3. *Quid ſit, p.*4 *l.* 60 *p.* 5

Sagæ *an adſint aliquando Conventiculis corporibus domi relictis, p.* 126 *l.* 61 *& p.* 127

Sagæ *cur à Paredris ſuis ſugantur, p.* 407 *l.* 37

Sagarum *vectio per Aerem, p.* 98 *l.* 44 *p.* 110 *l.* 2

Sagarum *concubitus cum Dæmone, Suctiones; Transformationes, &c. quomodo intelligendæ, p.* 124 *l.* 17

Sagarum *Ecſtaſes, animæ à corpore ſeparabilitatem arguere, p.* 377 *l.* 39 *p.* 379 *l.* 17

Sagarum *Magorúmque Conventicula atque Dæmonum prava quædam eſſe imitamenta cætuum Superiorum Geniorum, p.* 422 *l.* 47

Saltatio *an licita ſit Chriſtiano, p.* 630 *l.* 35

Samuel Andreæ *SS. Theologiæ Doctor & Philoſophiæ Profeſſor Herbornenſis, p.* 499 *l.* 36

Samuelis Andreæ *maximè aſſuetum Sophiſma quo Cabbalæ Authoris vim eludat, p.* 502 *l.* 55 *& p.* 503

Samuel Andreæ *quanta cum ſcævitate & malevolentia verſatus ſit in ſcriptis Authoris legendis, p.* 534 *l.* 7

Samuelis Andreæ *facultatis prævaricatoriæ ſpecimen egregium, p.* 586 *l.* 33 *& p.* 587

Samuelis Andreæ *Maledicentia in Cabbaliſtam, perſtricta, p.*618 *l.* 4

שמים, *quæ ſit Nominis Notatio, p.* 528 *l.* 12 *& l.*45

Sanguinis *portionem cum Melancholia mixtam Spiritum eſſe, utplurimum, quo inſpirentur Enthuſiaſtæ multis exemplis probatum, p.* 197 *l.* 19 *& p.* 198

Lib. Sapientiæ.

Cap. 1 *v* 14 *p.* 574 *l.* 47

Cap. 8 *v.* 19 *p.* 14 *l.* 29

Cap. 18 *v.* 24 *p.* 14 *l.* 35

Scepticiſmus *Morbus inſanabilis, p.* 292 *l.* 17

Scepticiſmi *fatuitas perſtricta, p.* 650 *l.* 12

Scolopendræ *experimentum fruſtatim conciſæ non arguere Animæ diſcerpibilitatem, p.* 441 *l.* 12

Scotorum *Gallorúmque Rebelliones ingenio Gentis non Religioni reformatæ eſſe imputandas, p.* 665 *l.* 58 *& p.*666

Scriptura *an doceat* Philoſophiam, *p.* 615 *l.*16

Scripturam unicum *ubique habere* ſenſum,

opinio,

opinio, quàm admodum avidè amplectuntur Homines Athei & profani, p. 643 l. 3

Secundi Diei *opus cur Deus non dictus ſit vidiſſe bonum eſſe, in Cabbala* Literali, p. 515 l. 43 *& in* Philoſophica, p. 528 l. 1

שרים, *Dæmones cur ſic dicti,* p. 545 l. 24

Semina Plantarum *argumentum Providentiæ,* p. 68 l. 6

שמש, *quæ ratio Nominis &* Pythagoreorum *Igni fixo, quàm congrua,* p. 569 l. 17

Senarius *quàm idoneum Symbolum tum operis ſexti diei tum conſummatæ Creationis,* p. 532 l. 35 & p. 533

Senarius *quàm inſcitè* δεκὰς *appellandus cenſeatur, apud S. A.* p. 559 l. 43

Senarius *cur* πανάρχεια *dictus,* p. 574 l. 27

Senarii *appellationes* Pythagoricæ *quæ planè ad Textum Moſaicum reſpiciunt,* p. 574 l. 32 *quemadmodum & Septenarii, ibid.* l. 52

Senecæ *Dictum* ἀσύστατον *de* Παλιγγενεσίᾳ, p. 455 l. 10

Senſatio *in Anima quomodo fiat,* p. 361 l. 21

Senſui ſoli, *cùm alias habeamus facultates, quanta dementia ſit confidere,* p. 39 l. 27

Senſûs Perceptioniſve *Diverſitas unde oriri debeat ſecundùm Hypotheſin* Hobbianam, p. 329 l. 16

Senſum Philoſophicum *eſſe in* tribus *primis Capitibus* Geneſeos, *quàm ſit conſentaneum,* p. 509 l. 46 & p. 510

Senſum *verè* Moralem *ſive* Myſticum *eſſe etiam in multis aliis Scripturæ locis,* p. 510 l. 15 & p. 511

Separationem Animæ *atque* corporis *fieri poſſe actualem ſine morte propriè dicta,* p. 179 l. 42

Septenarius *Moſaicus quomodo Animæ* Præexiſtentiam *probet,* p. 539 l. 23

Septenarius duplex, *eorundémque exempla,* p. 627 l. 59 & p. 628

Septum Lucidum *non eſſe* commune Percipiens, p. 341 l. 55

Serpentum *Incantatio,* p. 96 l. 18

Serpens *qui Incantatorem* Salzburgenſem *occidit, an Serpens fuerit tantùm naturalis,* p. 177 l. 22

Serpentis calliditas *cur apud* Moſen *memorata,* p. 521 l. 14. *Sermonis facultatem habuiſſe ſecundùm Cabbalam* Literalem, p. 521 l. 24

Serpens *voluptatis Symbolum & quare,* p. 631 l. 58 & p. 632

Serpentem *æneum,* Tabernaculum, Pontificem, *totáque caſtra* Iſraelis *Typos Chriſti fuiſſe ejúſque Eccleſiæ,* p. 670 l. 17 & p. 671

Sexuum diſcrimen *Providentiæ indicium,* p. 75 l. 59

Sexuum diſcrimen *non caſu factum ſed conſilio,* p. 76 l. 8

Sexuum *diſcrimen in vilioribus Animalculis, optimè conſiſtere cum Providentia,* p. 76 l. 24

Signatura *Plantarum Argumentum Providentiæ,* p. 68 l. 44 & p. 69

Signatarum Plantarum *exempla aliquot,* p. 69 l. 11

Signaturæ *quæ nullam virtutem medicam indicant, quorſum tendant,* p. 69 l. 45

Signaturas, *quæ maximè uſui forent primis ſeculis, maximè fuiſſe obvias & conſpicuas,* p. 69 l. 61 & p. 70

Signaturam Fœtûs, *Stellas Solémque formare Animalia & Apparitiones Aereas effingere, nequaquam evincere,* p. 324 l. 47 & p. 325

Signatura Fœtûs *miræ vis Imaginationis argumentum,* p. 413 l. 9

Signaturarum *exempla tria memorabilia apud* Fienum, p. 415 l. 31 & p. 416

Signaturæ *exemplum accuratiſſimæ apud* Kircherum, p. 416 l. 32

Signaturarum *applicatio ad* Fig*urationem Vehiculorum Dæmonum,* p. 417 l. 9

Sihor & Siris, Nilus, p. 541 l. 2

Sileni ſenis *canticum execrandum,* p. 321 l. 32. *Quis illius nunc dierum ſenſus plenior & ſubtilior, ibid.* l. 51 & p. 322

Simium *inter &* Teſtudinem *Antipathia,* p. 88 l. 39 & p. 92 l. 8

Solem *eſſe* frigidum *& calidum quomodo intellexerit* Parmenides, p. 10 l. 26

Solem, *rerum noſtrarum nullam habere notitiam,* p. 323 l. 25 & p. 324

Solem *cernere nos non poſſe quomodo demonſtretur,* p. 323 l. 48 & p. 324 *nec ullâ intelligentiâ aut præſcientiâ præditum eſſe,* p. 324 l. 13. *Vide &* p. 281 l. 12

Sol *etiamſi notitiam haberet perfectæ Animalis Fabricæ, non poſſe tamen eam tranſmittere in Materiam terreſtrem,* p. 324 l. 40

Solem in Anima, *ſincerum eſſe Dei & Proximi Amorem,* p. 488 l. 48

Sol & Luna Oſiris & Iſis Ægyptiorum *& cur pro Diis culti,* p. 506 l. 51 & p. 507 p. 516

Sol, Jao *apud* Macrobium, p. 516 l. 9

Soliditas *in quo conſiſtat ſecundùm* Carteſium, p. 298 l. 10

Solis extinctionem *non eſſe metum vanum,* p. 456 l. 20. *Extinctionis hujus vis exitialis in Beſtias, Homines, & Dæmonas Aereos, ibid.* l. 37. *Parùm Damni illaturam eſſe Incolis Æthereis, quantùm ad calorem & lucem,* p. 457 l. 1 & p. 459 l. 3

Spacii infiniti & æternæ Durationis *Imaginationes inevitabiles nulla argumenta eſſe* a-ſe-exiſtentis *Materiæ, ſed obſcuræ potiùs ſubindicationes neceſſariæ exiſtentiæ Dei,* p. 162 l. 23

Spacium *eſſe tantùm* Poſſibilitatem *Materiæ,* p. 162 l. 26. *Hypotheſin non eſſe ſatìs ſolidam,* p. 163 l. 22

Species rerum *à multifariis motûs materiæ tentaminibus originem non duxiſſe,* p. 137 l. 50

Species rerum *ineptas à Natura nunquam fuiſſe genitas,* p. 138 l. 17

Speciem humanam *qui volunt eſſe ab æterno, rogandos eſſe an calceos putent fuiſſe ab æterno, &c.* p. 139 l. 6

Spectrum *Epheſinum,* p. 130 l. 38

Spectra *armatorum hominum in Aere præliantium,* p. 131 l. 2

Spectra *cur noctu & in Aere ſpiſſiori frequentiùs cernantur,* p. 382 l. 1

Speculativas veritates *omnino fas eſſe Scepticè proponere non autem practicas,* p. 467 l. 43

Spina dorſi *cur ex vertebris conſtituta,* p. 88 l. 46

Spiritum *aliquo modo eſſe* extenſum, p. 6. l. 25

Spiritui extenſo *magìs quàm corpori perceptionem competere, quî poſſit intelligi,* p. 6 l. 49 & p. 7

Spiritui omni *competere* vitalem ſympathiam, & Coactivitatem, *quamvìs* perceptio *non competat,* p. 7. l. 12

Spiritum *vitali Sympathiâ & Coactivitate gaudere, qui probetur,* p. 7 l. 22

Spiritum *rem eſſe* ſubtiliſſimam *maximè* unitivam *omnes ferè imaginari,* ibid. l. 44. *Verùmque illius notionem, ſic eum eſſe, demonſtrare,* ibid.

Spiritui *nullam aliam* Unitatem *competere quàm quæ in* Indiſcerpibilitate *conſiſtat & in* vitali Coactivitate & Sympathia *partium,* p. 8 l. 9

Spiritûs notionem *conceptu æquè facilem eſſe atque cujuſvis rei alterius,* p. 31 l. 61 & p. 32

Spiritûs Idea *ſive Notio quas proprietates in ſe complectatur,* p. 32 l. 4

Spiritus *in genere quid ſit,* p. 296 l. 12 *illius notionem æquè intelligibilem eſſe atque corporis,* ibid l. 17

Spirituum finitorum *definitio,* p. 300 l. 13

Spiritûs creati *particularis Ideam poſſibilem cur talem propoſuerit Author,* p. 305 l. 53. *Quæ vera ſit iſtiuſmodi Spiritûs* Idea, p. 306 l. 4

Spiritûs *particularis proprietates proponuntur & probantur,* p. 307, 308. *Illius unio cum materia Imaginationi quàm difficilis conceptu,* ibid.

Spirituum *ſpecies præcipuæ quatuor, earúmque definitiones,* p. 309 & 310

Spirituum Hiſtoriæ *quantam vim habeant, ipſis etiam Atheis Judicibus, ad fidem confirmandam Immortalitatis Animæ, totiúſque adeò* Religionis, p. 113 l. 44 & p. 114

Spirituum eſſentiam *ipſam,* Ignem *non eſſe unde conſtet,* p. 130 l. 31

Spiritus *in Terra præliantes,* p. 130 l. 46

Spiritus *boni cur rarò ſe conſocient cum Hominibus,* p. 131 l. 34

Spiritus *nunc dierum cur tam* rarò appareant, p. 134 l. 12 *an formam habeant determinatam,* ibid. l. 24 & p. 136 l. 13

Spirituum corpora *calida eſſe poſſe vel frigida vel denique tepida & quomodo,* p. 180 l. 1

Spiritus *vulgò ſic dictos nec* Ignem *eſſe nec* Aërem, *propter ſolutam arenoſitatem Aeris atque Ignis,* p. 182 l. 20. *Solutilitatem hanc efficere ut hæ compages Aereæ incapaces ſint* Perſonalitatis, *motûs Spontanei & Senſationis,* ibid. l. 25. *Quemadmodum & vehicula transformandi in formas ſub quibus apparent,* ibid. l. 45. *Eadémque continendi in Ventis & Tempeſtatibus,* ibid. l. 58 & *tranſportandi pecora hominéſve per Aerem,* p. 183 l. 1

Spiritus *ſive* Dæmones, *ſi nihil aliud ſint quàm Aerearum vel Ignearum Atomorum congeries, ſingulos Diabolos multas Myriadas eſſe Diabolorum,* p. 183 l. 23

Spirituum Hiſtorias *plus conferre ad demonſtrandam ſubſtantiam ſpiritualem, quàm ipſius Animæ operationes in corpore terreſtri,* p. 183 l. 38

Spiritûs Naturæ *Proprietates & Officia illuſtrata & confirmata,* p. 8 l. 19

Spiritum Naturæ *Intellectu carere & libero arbitrio,* p. 55 l. 23

Spiritum Naturæ *non tam luctari cum legibus* Materiæ Mechanicis *quàm eas antevertere,* p. 62 l. 1

Spiritus Naturæ *quamvìs tantùm Plaſticus eſſet, Imaginationem tamen Simulachris poſſe implere,* p. 223 l. 29

Spiritum Naturæ *nec obſcurum Principium eſſe nec intempeſtivè introductum,* p. 286 l. 6

Spiritum Naturæ Plaſmata *formare nullâ interpoſitâ conſultatione ut Anima noſtra ſua* Phantaſmata, p. 286 l. 17

Spiritûs Naturæ *exiſtentiam Authorem abſolutè demonſtrâſſe,* ibid. l. 44. *Hypotheſinque Philoſophiæ Mechanicæ progreſſum minimè impedire ſed circumſpectiores reddere Philoſophos* Mechanicos, p. 286 l. 57 & p. 287 *primúmque gradum facere ad maximè abſtruſa Myſteria in Theologia Naturali,* p. 287 l. 9 & p. 288 l. 55

Spiritus Naturæ ἡ ὅλη φύσις *ſive* Natura univerſalis, *apud* Proclum *appellatus,* p. 310 l. 53

Spiritum Naturæ *ſive Animam Mundi in formandis Animalibus prima quaſi ducere lineamenta,* p. 358 l. 5 & p. 360 l. 34

Spiritum Naturæ Plaſmata *effingere ſicut Anima noſtra ſine prævia perceptione* Phantaſmata, p. 364 l. 7

Spiritûs Naturæ *vitam* omniformem *Divino Intellectui (quantùm ad Mundum)* Omniformi *reſpondere,* p. 369 l. 44

Spiritûs Naturæ *influxus, in omnes operationes* Plaſticas, *unde pateat,* p. 414 l. 17 p. 416 l. 25. *In figurationes Vehiculorum,* p. 414 l. 55 & p. 415 l. 18

Spiritus Naturæ quid ſit, p. 430 l. 14. *Exiſtentia ejus quibus probetur argumentis,* ibid. l. 23 & p. 431 *uſque ad* p. 437

Spiritûs Naturæ *operationum latitudo quanta ſit, & ubinam terminetur,* p. 434 l. 45 & p. 435

Spiritus Naturæ *cur ſic dictus,* p. 435 l. 12 & p. 437 l. 22. *Munus ejus præcipuum,* ibid. l. 22

Spiritus Animales *incapaces eſſe memoriæ,* p. 50 l. 6

Spiritus Animales *nec ſentiendi, nec membra movendi, nec imaginandi Inventáque excogitandi, nec recordandi denique functionibus eſſe pares,* p. 346 l. 38 & p. 347, 348

Spiritus Animales *proximum eſſe functionum Animæ Inſtrumentum,* p. 352 l. 35 & p. 353, 354

Spiritus Animales, *contra quinque Objectiones, defenduntur,* p. 356, 357

Spiritus Animales, *Cerebri Ventriculis ineſſe, clarè demonſtratur, p.* 357 *l.* 9

Spiritus Animales, *quanquam non ubique æquali tenuitate, impreſſionem tamen ſenſiferam, ad commune Senſorium tranſmittere, p.* 363 *l.* 1

Spiritus Aſtralis *ab Anima diſtinctus quàm ridiculum* Figmentum, *p.* 384 *l.* 17

Spiritus Aſtralis *revera quid ſit, ibid. l.* 24

Spiritus Apoſtatas *olim in* Regione *Ætherea verſatos eſſe, p.* 546 *l.* 32 *p.* 549 *l.* 3

Spiritum Illuminationis, *principium eſſe Rationis defæcatiſſimæ quæ humanæ naturæ poteſt communicari, p.* 214 *l.* 41. *Quippe quæ habet, ab Æterno Logo habet, ibid. l.* 43

Spiritum S. *fuiſſe qui incubuit Aquis Gen* 1. *ſecundùm* Cabbalam Philoſophicam, *p.* 525 *l.* 40 *& p.* 526

Spiritum *ſe habere quomodo quis poſſit cognoſcere, p.* 731 *l.* 56 *& p.* 732

Spiſſitudinis Eſſentialis *creati Spiritûs deſcriptio, p.* 305 *l.* 15

Spiſſitudo Eſſentialis *quartus ſubſtantiæ* modus *à longitudine, latitudine & profunditate diſtinctus, p.* 294 *l.* 39

Statica *vis Animæ qualis ſit, p.* 405 *l.* 21

Status ſilentii, *p.* 14 *l.* 55

Stellas *nullam noſtri Notitiam habere poſſe, Mathematicè demonſtratum, p.* 322 *l.* 57 *& p.* 323

Stellas *cogitata communicare non poſſe nec cum Sole nec inter ſe, p.* 323 *l.* 14

Stoicorum *commentitia* παλιγγενεσία, *p.* 454 *l.* 52 *& p.* 455

Striatarum *artificium intellectu difficile, p.* 259 *l.* 9

Struthiocamelus *quòd ovis ſuis non incubet, accuratiorem arguere Providentiam, p.* 77 *l.* 31

Styli Prophetici *facilitas, hominibus non malè moratis, p.* 660 *l.* 14

Subordinatam rerum utilitatem *rebus ipſis ineſſe non noſtræ ſolummodo* Imaginationi, *p.* 171 *l.* 27

Subtilitatem *cum firmiſſima veritate optimè conſiſtere, p.* 471 *l.* 11

Subtilem *quandam* Materiam *in omnibus* Operationibus *vitalibus ac animalibus ubique uſurpari, p.* 353 *l.* 18

Subſtantiam *ipſam rei nullius, poſſe concipi, p.* 294 *l.* 2 *& p.* 295 *l.* 31

Subſtantia *an Subſtantiam emanativâ cauſalitate producere poſſit, p.* 302 *l.* 36 *& p.* 304 *l.* 40 *& p.* 305

Subſtantia *Spiritûs* ſecundaria *an ſecundùm lineas tranſverſas ſit diſcerpibilis, p.* 303 *l.* 10. *Quomodo ſic indiſcerpibilis intelligi poſſit, p.* 305 *l.* 15

Superſtitionis Origo, *p.* 5. *l.* 52. *Superſtitionem ſemper comitatur* Ignorantia *aut Hypocriſis, ibid. l.* 56 *& p.* 6

Sympathias adhibere *in ſalvandis Phænomenis non ſemper eſt confugere ad Aſylum Fatuorum, p.* 7 *l.* 58

Sympathia *terreſtre inter & Aſtrale corpus, p.* 431 *l.* 25 *& p.* 432 *l.* 29

Sympatheticæ *Sanationes, &c. p.* 431 *l.* 2

Συναυγείας Platonicæ, *quam memorat* Plutarchus, *commodiſſima* Interpretatio, *p.* 360 *l.* 28

Syneſii *dictum ſtrenuum, Animam negantis exiſtentiâ poſteriorem eſſe quàm corpus, p.* 13 *l.* 55

T

TAlpa *quàm conſpicuum Providentiæ argumentum, quantâque admiratione fabricæ illius corporis captus ſit* Cardanus, *p.* 80 *l.* 23

Tarantulâ *ictorum deſcriptio, p.* 190 *l.* 47

Temperantia *qualis ſit quæ Enthuſiaſmo ſit Remedium, p.* 213 *l.* 13

Tempeſtas *à Venefica excitata lotium digito in ſcrobe movendo in orbem, p.* 97 *l.* 39

Tempeſtas *ingens orta in Morte & Funere Cuntii, p.* 117 *l.* 24

Ternarius *tertii Diei Symbolum, p.* 529 *l.* 3

Ternarius *cur* Ἐυσέβεια *appellatus, p.* 571 *l.* 1

Ternarius *cur* Τελογένεια *dictus, p.* 608 *l.* 47

Terram *Non-Entium ordini quo ſenſu accenſuerit* Parmenides, *p.* 9 *l.* 58 *& p.* 10

Terræ & Maris *diſtinctio non ſine Providentia facta.*

Terram *non potuiſſe eſſe ab æterno & quare, p.* 253 *l.* 14

Terra Symbolica *ſolitudo & Vacuitas, p.* 525 *l.* 32

Terræ Creatio *quomodo ad tertium & ad quartum diem referatur, p.* 529 *l.* 19. *Non propriè creari niſi in die quarto ſecundùm* Cabbalam Philoſophicam, *unde Planetam eſſe conſtare ac moveri circa Solem, p.* 529 *l.* 59 *& p.* 530 *& p.* 531 *l.* 9

Terra *cur inter ſecundum & quartum Creationis Diem collocata, p.* 608 *l.* 38

Terra *die quarto an tertio dicenda creari, p.* 609 *l.* 37 *& p.* 610

Terra arida *in* Cabbala Morali, *p.* 621 *l.* 13

Tetractys *quàm certum Symbolum ſenſûs Philoſophici Creationis quarti diei, p.* 501 *l.* 54 *& p.* 502 *p.* 557 *l.* 41 *p.* 559 *l.* 2

Tetractys *cur tam ſacrum Juramentum Pythagoreorum, p.* 530 *l.* 46 *& p.* 531

Tetractys duplex *& quomodo utræque ad Creationem quarti diei referantur, ibid. l.* 28

Tetractyn *quatuor Elementorum non eſſe Symbolum, p.* 557 *l.* 26 *nec eſſe nomen Jehovæ, ibid. l.* 34

Tetractyn *pro Cabbala quartæ diei poni in Juramento Pythagorico, p.* 558 *l.* 1

Tetractyos *ad res reliquas omnes præterquam opus quarti diei quàm abſona frigidáque ſit applicatio, p.* 561 *l.* 4

Tetractyn *non eſſe per quam jurarunt* Pythagorei, *ſed Tetractyos traditorem, clarè contra modernos quoſdam Philologos demonſtratum, p.* 561 *l.* 44 *& p.* 562, 563, 564

Tetractys *quâ ratione referri poſſit ad nomen* יהוה, *p.* 561 *l.* 57 *& p.* 562

Tetractyn, *ex eo quòd,* Φύσις, Κλειδοῦχος τῆς φύσεως *&* Κόσμος *dicitur, ad opus quarti diei referri oportere, p.* 572 *l.* 39 *& p.* 573 *l.* 9

Tetractyn, *ob nullum Myſterium Numerale, tam ſacram fuiſſe* Pythagoreis, *quippe eâ re* Pentade *inferiorem, p.* 574 *l.* 5

Tetractys *cur* Κλειδοῦχος *dicta, & quàm exquiſita Clavis ſit operis quarti diei, p.* 579 *l.* 48 *& p.* 580

Θαλασσοῦχος *Ternarii appellatio, p.* 528 *l.* 58 *& p.* 568 *l.* 61

Theanûs *exemplo doceri, quantopere Ira & Indignatio animum ſuffulciat adverſùs dolorem, p.* 216 *l.* 58

Theomanis *character, p.* 737 *l.* 60 *& p.* 738

Theomanis *Viſio de ſeptem Tonitruis, p.* 738 *l.* 55 *& p.* 739 *l.* 40 *p.* 741. *Viſionis brevis explicatio, p.* 741 *l.* 40. *Viſionis Utilitas, ibid. l.* 58 *& p.* 742

Θεοπτίαι *Dæmonum, p.* 418 *l.* 33

Θεὸς *quo ſenſu ad primam* Sephiram *referatur, p.* 570 *l.* 15

Θεὸς *&* אלהים *Angelos perinde ſignificare atque Deum, p.* 542 *l.* 54

1 Theſſalonic.

Cap. 4 *v.* 16, 17 *p.* 742 *l.* 11

Cap. 5 *v.* 23 *p.* 629 *l.* 34

2 Theſſalonic.

Cap. 2 *v.* 2, 6, 7 *p.* 674 *l.* 10 *p.* 677 *l.* 13 *& p.* 678 *v.* 8 *p.* 688 *l.* 54

Thracum ſemina *in Feſtis adhibita, p.* 190 *l.* 30

Thronus, *Mundus Briah, p.* 222 *l.* 54

Tibicinis multicoloris *Hiſtoria, p.* 105 *l.* 56 *& p.* 106. *Certitudo rei geſtæ, p.* 107 *l.* 20

Timæi Locri *de Animarum tranſmigratione magìs ſana ſobriáque ſententia, p.* 369 *l.* 19

Τιμωρίας ξένας, *abſurdas eſſe* Platonicorum μετεμψυχώσεις, *p.* 369 *l.* 26

Τὸ αὐτεξούσιον *Materiæ non competere ipſo fatente* Hobbio, *p.* 335 *l.* 16

Τὸ πρῶτον ἀπειροστὸν, *p.* 181 *l.* 28

Torpedo *cur pinnas ad caudæ tantùm latera habeat, p.* 82 *l.* 33

Totum in toto *& totum in qualibet parte pulchrè tinniens contradictio, p.* 6 *l.* 33

Traditio *univerſaliter recepta, quando vera ſecundùm lumen Naturæ exiſtimanda, p.* 47 *l.* 54 *& p.* 48

Traditionales veritates *per Rationem etiam poſſe concludi, p.* 464 *l.* 25

Transformationes Sagarum *apparentes rem compertiſſimam eſſe apud* Remigium, *p.* 123 *l.* 27. *Quomodo fiant in corpore* terreſtri, *quomodo in Vehiculo* Aëreo, *ibid. l.* 49

Transformationes Sagarum *Magorúmve in Lupos aliáque Animalia haud ſatìs validis argumentis à* Wiero *&* Remigio *impugnari, p.* 127 *l.* 20. *Argumenta pro reali Transformatione probabilia, p.* 127 *l.* 41. *Corporis Sagæ, niſi in Animal ipſi ferè æquale, tranſmutationem valde eſſe incredibilem, p.* 129 *l.* 17. *Difficultates aliæ circa hujuſmodi Transformationes, p.* 129 *l.* 37

Transformationem *humani corporis in aliam formam fieri poſſe ſine dolore, p.* 179 *l.* 20. *Vide p.* 183 *l.* 58 *& p.* 184

Trementium *quorundam* Ecſtaſes *unde, p.* 201 *l.* 39

Tres Animas *in humano eſſe corpore, dogma* Judaicum, *p.* 222 *l.* 42

Τρία μεγάλα αἰτήματα *quæ S. A. ſupponi à nobis ait non probari, p.* 555 *l.* 3

Trinitatis Platonicæ *&* Chriſtianæ *collatio, p.* 526 *l.* 3

Trinitatis Samothracicæ *cum* Orphica *Trinitate conciliatio, p.* 588 *l.* 5 *& p.* 589

Trinitatis *Myſterium à* Moſe *primitùs non à* Platone *&* Pythagora *derivatum, p.* 465 *l.* 10

Tripartitiones *in prælio Seſſoris Equi albi, & in Phiala ultima obſervandæ, p.* 658 *l.* 15 *& p.* 700 *l.* 9

Triplicem vitalem Congruitatem *uni animæ humanæ competere quomodo probetur, p.* 376 *l.* 7 *& p.* 396 *l.* 50

Triton *ſive Deus marinus in ripa* Rubiconis *viſus, p.* 106 *l.* 3

Triunitas Divini Numinis *dogma* Judaicum *antiquum, p.* 587 *l.* 6 *& p.* 588

Tunicæ pelliceæ *quibus Deus* Adamum *induit, quid denotent, p.* 547 *l.* 40

Typos *fuiſſe* Res *Veteris Eccleſiæ, implendos quidem in Nova, p.* 510 *l.* 37 *& p.* 511 *l.* 28

Typi Hiſtorici *rerum earum quæ Chriſto eventuræ erant illiúſque Eccleſiæ, p.* 668 *l.* 14 *& p.* 669

Tyrannis *quid definiente* Ariſtotele, *p.* 653 *l.* 27. *Monarchiam abſolutam olim ſignificâſſe, ibid. l.* 39

V

VAcuum *nè virtute quidem Divinâ fieri poſſe perperam ſtatui à* Carteſio, *p.* 235 *l.* 43. Carteſ. *Reſp. p.* 239 *l.* 10

Vacuum *quod vulgò imaginamur corpus eſſe, præcipuum certiſſimúmque ſuæ Phyſicæ à* Carteſio *agnitum Fundamentum, p.* 240 *l.* 34

Valvularum *in nervis muſculorum ad motum ſpontaneum uſûs deſcriptio, p.* 343 *l.* 24

Vanini *inſulſum Commentum circa prælia in Aere viſa, p.* 140 *l.* 16

Vaticinia vocalia *de Regno Chriſti ejúſque ſucceſſu in Orbe, p.* 671 *l.* 19 *& p.* 672

Vaticinia *aliquot quæ ad* Reformationem *ſpectant, p.* 687 *l.* 20

Ubiquitas *Dei qualis, p.* 299 *l.* 13

Vehicula *Dæmonum & Animarum ſeparatarum quam ob rem ab Authore admiſſa, p.* 282 *l.* 32

Vehiculorum *tria* genera *Æthereum, Aereum & Terreſtre, p.* 372 *l.* 18

Vehiculum re ipſâ, *licèt non* nomine, *notum* Ariſtoteli, *p.* 372 *l.* 23

Vehiculum *Animæ poſt* mortem *uſitatè* Aëreum *eſſe, p.* 372 *l.* 48 *& p.* 373

Vehiculis differentibus *differentes eſſe Animæ* moras, *p.* 373 *l.* 10

Vehiculo *in* Aëreo *Animam ſenſûs* voluptatis *ac* doloris *eſſe capacem, p.* 397 *l.* 17

Vehiculi Aërei *motum Animam nec imminuere nec augere, ſed tantùm dirigere poſſe, p.* 397 *l.*27. *In æthereo poſſe utrumque, ibid. l.* 42

Vehiculum *quò* purius *eò perfectiores fore Perceptivas Animæ Facultates, p.* 398 *l.*6

Vehiculi Aërei *temperiem formámque* immutandi *qualis inſit Animæ vis, p.* 398 *l.* 16

Vehicula Spirituum *tantum ſubſtantiæ ſolidocorporeæ in ſe habere, quantum corpora Hominum, p.* 400 *l.* 55 *& p.* 401. *Sententiæ contrariæ Fatuitas, p.*401 *l.* 12

Vehicula Geniorum *non tenuiora eſſe ipſo Aere ſed ſpiſſiora, p.*410 *l.* 5 *p.*412 *l.* 5

Vehiculi *Aerei* Figurationem *quaſi* partum *eſſe momentaneum, p.* 417 *l.* 18

Vehiculorum transformatio *quî fiat in ſpeciem nobis viſibilem, p.* 417 *l.* 23 *& l.* 40

Vehiculorum *Geniorum* pulchritudo, *unde ſit & qualis, p.*419 *l.* 3

Vehiculi *Aerei* Forma *peculiaris propriúſque* character, *p.* 427 *l.* 1

Vehiculum Æthereum *Animam in perfecta Immortalitate collocare, p.* 451 *l.* 43

Vehiculum *per* igneum *nobis rurſus dari introitum in* Paradiſum, *p.* 548 *l.* 10

Velamen *ab* Eſaia *prædictum ab omni populo divellendum, p.*698 *l.* 44 *& p.* 733 *l.* 39

Veneficas *pro certo non tam deliras eſſe quàm quidam fingunt, p.* 106 *l.* 15

Veneficarum pactum *cum Dæmone non omnino eſſe incredibile, p.*107 *l.* 9 *p.* 110 *l.* 14

Veneficarum concubitûs *cum Dæmonibus indicium, p.* 130 *l.* 27

Venti *à Sagis Laplandiæ venditi, p.* 96 *l.* 39

Ventus *repentinus in ſuſpenſione duarum Sagarum, quo propè abfuit ut patibulum corrueret, ibid. l.* 42

Ventos *& Tempeſtates ex ſolis Ceremoniis verborúmve formulis à Sagis cieri, p.* 97 *l.* 25

Ventos *nihil impedire quò minus inferior Aeris Regio à Dæmonibus inhabitetur, p.* 405 *l.* 1

Verbum *ac* Spiritus *cum arida ac jejuna Ratione comparati, p.* 731 *l.* 23

Veſpas *&* Crabrones, *capitibus reſectis, diu ſe movere, teſtante* Chalcidio, *p.* 362 *l.* 48

Vindictæ Divinæ *exempla in impios homines & blaſphemos parùm valere ad convincendum Atheum obſtinatum & quare, p.*93 *l.* 17 *& p.* 94

Vini *mira vis à* Joſepho *notata, p.* 190 *l.* 33

Vini *&* Melancholiæ *Paralleliſmus apud* Ariſtotelem, *p.* 195 *l.* 47 *p.* 196 *l.* 54

Vini, *dum vites florent, fermenteſcentia, p.* 431 *l.* 15

Viſionis Throni Dei in Cœlo, *quatuor Animalium & viginti quatuor Seniorum apud* Johannem *Explicatio, p.* 710 *l.* 58 *& p.* 711 *& ſeqq.*

Vita Vehiculi *cur* Eva *appellata, p.* 486 *l.* 17

Vitalem *Animæ* unionem *duobus modis ſolvi, p.* 398 *l.* 44

S. Viti *tripudium, p.* 190 *l.* 59

Vitrum Magicum *Annæ Bodenham in quo D.* Saræ Godhardæ *cubiculum oſtendit* Annæ Styleſiæ, *&c. p.* 109 *l.* 17 *& pratum prope* Wiltoniam, *ibid. l.* 39 *p.* 112 *l.*42 *& l.* 56

Ulrici Neuſeſſori *Hiſtoria, p.* 104 *l.* 9

Unam *univerſalem* Animam *non eſſe quæ audit, videt & ratiocinatur in ſingulis hominibus, ex operationibus memoriæ demonſtratum, p.* 284 *l.* 32

Unguium *ſitus Providentiæ argumentum, p.*88 *l.* 49

Unicam *eſſe in Mundo* Animam *quibus rationibus confutetur, p.* 444 *l.*3 *& p.* 445

Unionis *firmæ quarundam inter ſe* partium Materiæ *modus quàm ſit incomprehenſibilis, p.*152 *l.* 25

Unitas, *operis Creationis primi diei Symbolum, quod planè ſupponit Spiritus eſſe indiviſibiles ſive indiſcerpibiles, p.* 526 *l.* 38. *Unitatis Symbolicæ nomina, ibid.*

Unitatis Animæ *vera quæ ſit Notio, p.* 443 *l.* 60 *& p.*444

Volucrum Piſciúmque *ſtructura generalis quale Providentiæ argumentum, p.* 79 *l.* 61 *& p.*80 *p.* 81 *l.* 40 *p.* 82 *l.* 12

Voluntas *Dei* Eſſentialis, *p.* 540 *l.* 33

Vortices Carteſianos, *ſi neque Deus nec nudum ſpacium extenditur, nè indefinitâ quidem indigere Materiâ, p.* 246 *l.* 32

Uratiſlavienſis Sutoris, *Magi, Hiſtoria Ancillaque ejus Veneficæ, p.* 114 *l.* 32 *& p.* 115,116. *Magi apparitio in ſuo ſolito habitu, p.* 115 *l.*7. *Corpus poſt octo ferè menſes effoſſum, integrum repertum, nullatenúſque putrefactum, &c. ibid. l.* 37. *Ancillæ apparitio ſub variis Formis, ibid. l.* 58 *& p.* 116

Urſus *Formicarius* Cardani, *p.* 74 *l.* 30

W

Warboiſenſes *Veneficæ, p.* 102 *l.* 26

A. Walkeræ *Animæ poſt cædem apparentis Hiſtoria, p.* 383 *l.* 44 *& p.* 384

Webſterus *cur nihilo plus negotii cum Diabolo Veneficis eſſe velit quàm aliis peccatoribus, p.* 120 *l.* 28. *Illius ignorantia & ſtupiditas quòd Hiſtorias Sutoris* Uratiſlavienſis *&* Cuntii *putet impoſſibiles, ibid. l.* 45 *& p.* 121. *Ipſius* Webſteri *Opiniones impoſſibiles aut incredibiles, ibid. l.* 9

Webſterus *adverſus* Bodinum *cur tam infenſo ſit animo, p.* 122 *l.* 31. *Et adverſus* Remigium, *ibid. l.* 42 *& p.* 123 *l.* 60 *& p.*124. *Frontiſpicium Libri* Webſteri *quàm multis ornatum aut Mendaciis aut Æquivocationibus, p.* 124 *l.* 8. *Amicum Authoris conſilium ad* Webſterum, *p.* 125 *l.* 8

Webſteri *miſera hallucinatio circa unitatem Corporis & Spiritûs ſpecificam, p.* 295 *l.* 31. *Frivolæ* *vola ejus cavillationes contra definitionem* Spiritûs *ab Authore allatam, p.* 297 *l.* 7 *& p.* 298

Weinrichii *Authoritatem quàm inſulsè inſcitéque vellicet* Webſterus, *p.* 121 *l.* 38

Weinrichii *narratio apud* Sennertum *de puella felis ſanguine nutrita, p.* 191 *l.* 9

Wierum *fruſtrà Dæmonibus negare potentiam ciendi tempeſtates, dum pecora per aerem tranſvehendi concedit, p.* 97 *l.* 27

Wieri *narratio de milite cujus ex ore, dormienti, beſtiola exire viſa eſt, p.* 128 *l.* 24

J. Winwickii *Magi Hiſtoria egregia, p.* 106 *l.* 43. *Certitudo Hiſtoriæ, p.* 107

Z

Zacharias.
Cap. 12 *v.* 8 *p.* 703 *l.* 47

Ζανὸς πύργος, τὸ Ἓν Platonicorum, *p.* 533 *l.* 46 *& p.* 570 *l.* 3. *Idem* Mundus Vitæ *quatenus ad* Bereſhith *refertur, p.* 596 *l.* 10

Zel *vel* Zelem *Cabbaliſtarum quid ſit, p.* 306 *l.* 26 *p.* 380 *l.* 32

Zelum Enthuſiaſticum *eſſe* τὸ ζέον τῆς μελαίνης χολῆς *apud* Ariſtotelem, *p.* 195 *l.* 27

Zelus naturalis, *auro fulminanti ſimilis, p.* 198 *l.* 55

Zenonis *Aſinus ad Fæni faſciculum lineâ rectâ cur incedat, p.* 149 *l.* 41

Zwinglius *an vi & gladio Reformationi viam ſecuerit, p.* 665 *l.* 39

FINIS.

Errata Tomi 2. ſic corrige.

PAg. 13. l. 29. puram illam, p. 15. l. 21. afferri, p. 21. l. 16. A. D. 1652. p. 25. l. 1. ipſarum, p. 41. l. 52. προασημασία, p. 44. l. 35. quas, p. 45. l. 47. quam, p. 48. l. 46. ad ſtatuas, p. 54. l. 26. ipſi, p. 63. l. 32. præſens ſeculum, p. 72. l. 7. aliarumque, l. 38. Occidentalis; p. 75. l. 27. ἀστεῖα, l. 43. diverſi modi, p. 78. l. 25. ἐπωάζουσιν, p. 82. l. 55. Emeu, p. 86. l. 21. Edm. Mallettus, p. 91. l. 27. ἀντίστροφος, p. 95. l. 24. quopiam, p. 101. l. 33. Monpeſſonii, p. 105. l. 31. Vetulæ, p. 106. l. 22. delirare, p. 107. l. 7. Dæmunculis, p. 108. l. 26. celabat, p. 110. l. 16. fecerat, l. 32. mane, p. 112. l. 20. differretur, p. 115. l. 17. omni, p. 123. l. 29. affirmet, p. 125. l. 37. & ultrò, p. 129. l. 1. Sect. 4. p. 132. l. 37. mane, p. 134. l. 45. Eſt perducta, p. 145. l. 13. ὀνῆσαι, p. 147. l. 25. innatæ, p. 149. l. 21. organa, p. 157. l. 61. Beneficus, p. 170. l. 37. patiuntur, p. 177. l. 36. emungendum, p. 217. l. 30. inclinet, p. 251. l. 5. Deo, p. 264. l. 17. Decuſſationis, p. 280. l. 14. fuerit, p 284. l. 54. ſe ingeret, p. 286. l. 55. libro, p. 294. l. 48. vel ſemel, p. 296. l. 16. indiſcerpibilis, p. 301. l. 10. minuatur, p. 306. l. 3. ſubſtantiali, p. 331 l. 2. tamen non, p. 338. l. 29. etiam ille, p. 355. l. 33. θνητὸν, l. 34. Χοροστασίας, p. 373. l. 39. Cupedinariis, p. 382. l. 19. ex Ann. l. 49. aperuit, p. 383. l. 18. quemvis, p. 387. l. 2. Diluviorum, p. 407. l 53. Spectaculis, p. 417. l. 6. quantam, p. 421. l. 55. apparatioris, p. 422. l. 10. ἤδη, p. 441. l. 18. præſcindas, p. 442. l. 2. habeat cor, p. 445. l. 33. ὗσας, p. 447. l. 25. ſit, p. 453. l. 35. meum, p. 457. l. 51. uti frui, p. 464. l. 40. poſſemus, p. 466. l. 11. An. Dom. 1662. p: 476. l. 5. adortus eſt, p. 514. l. 29. Quod, ſi, p. 534. l. 28. quod, l. 29. velit, cum — ratione meritò — p. 553. l. 47. in qua, p. 560. l. 19. πάντ', l. 23. Binarium, p. 563. l. 8. ῥιζωμάτ', p. 565. l. 9. referuntur, l. 31. manere ſenſiſſe, non, p. 584. l. 29. φορεῖσθαι, p. 588, l. 38. ſit Νοῦς, rectè, p. 596. l. 27. Ariſtoteles, p. 597. l. 43. factam, p. 608. l. 4. & l. 34. Celaturæ, p. 620. l. 10. Concupiſcibilis, p. 634. l 11. affectationem indic. p. 637. l. 32. figere, p. 642 l. 23. Paulus, p. 643. l. 7. ἄτοπα, p. 658. l. 32. & cœli opera, p. 660. l. 3. impermanens, Vaticinium nullat, l. 43. ſomniavi, p. 670. l. 12. horti quos, p. 683. l. 49. hanc, p 684. l. 31. κλεμμάτων, p. 689 l. 40. inhæret, p 690. l. 9. qui, p. 717. l. 21. vixerint, præſertim niſi, p. 719. l. 60. Poſſunt ne, p. 734. l. 60. vocavit, p. 742. l. 58. fæliciùs, p. 747. l. 20. partes.